M. SIMONIS

# EPISCOPII

S. S. Theologiæ in Academia Leydenſi quondam Profeſſoris.

# OPERA THEOLOGICA.

*Quorum Catalogum verſa pagina exhibet.*

---

Editio ſecunda, Correctior & Emendatior.

---

Necnon

# HORÆ Hebraicæ & Talmudicæ

In Acta S. Apoſtolorum,

Et in partem aliquam Epiſtolæ D. Pauli ad ROMANOS

Autore Reverendo, Doctiſſimoq; Viro JOHANNE LIGHTFOOT, S.T.D.

Et Aulæ S. Catharinæ, apud Cantabrigienſes, non ita pridem Præfecto.

---

Opus nunc Primum Editum.

---

HAGÆ-COMITIS.

Et væneunt LONDINI, MDCLXXVIII.

ST. DAVID'S COLLEGE LAMPETER

LIBRARY

# CATALOGUS TRACTATUUM
## qui in hoc volumine continentur.


I. *Institutiones Theologicæ in quatuor libros distinctæ.*
II. *Conciones duæ, de Causis incredulitatis Judæorum.*
III. *Responsio ad quæstiones Theologicas sexaginta quatuor.*
IV. *Tractatus brevis in quo expenditur, An homini Christiano liceat gerere Magistratum.*
V. *Responsio ad duas Petri Wadingi Jesuitæ Epistolas, unam de Regula Fidei, alteram de Cultu Imaginum.*
VI. *Labyrinthus sive Circulus Pontificius.*
VII. *Responsio ad Dilemmata decem Pontificii alicujus Doctoris.*
VIII. *Examen Thesium Jacobi Capelli, de Controversiis quæ Fœderatum Belgium vexant. Et, Satiusne fuerit doctrinam Arminii tolerari quam damnari.*
IX. *Tractatus brevis de Libero Arbitrio.*
X. *Examen sententiæ Joannis Cameronis de Gratia Dei & Libero hominis arbitrio.*
XI. *Responsio ad Defensionem Joannis Cameronis, quam opposuit Examini sententiæ suæ.*
XII. *Judicium de Controversia, quodnam sit ordinarium conversionis medium, verbumne externum, an vero internum.*
XIII. *Responsio ad duas Epistolas Joannis Beverovicii, de vitæ termino fatalis-nè is sit, an mobilis.*
XIV. *Paraphrasis & Observationes in Caput* VIII, IX, X, & XI *Epistolæ S. Pauli ad Romanos.*
XV. *Horæ Hebraicæ & Talmudicæ in Actus S. Apostolorum, & in partem aliquam Epistolæ D. Pauli ad Romanos, Authore Joan. Lightfoot, S.T.D.*

# M. SIMONIS
# EPISCOPII
S. S. Theologiæ in Academia Leydensi
quondam Professoris

# OPERA
# THEOLOGICA.

*Quorum Catalogum versa pagina exhibet.*

Editio secunda, cum autographo accuratissime collata, & à mendis aliquot gravioribus repurgata.

HAGÆ-COMITIS,
Ex Officina ARNOLDI LEERS.
M D C LXXVIII.

# CATALOGUS TRACTATUUM
## qui in hoc volumine continentur.


I. *Institutiones Theologicæ in quatuor libros distinctæ.*
II. *Concienes duæ, de Causis incredulitatis Judæorum.*
III. *Responsio ad quæstiones Theologicas sexaginta quatuor.*
IV. *Tractatus brevis in quo expenditur, An homini Christiano liceat gerère Magistratum.*
V. *Responsio ad duas Petri Wadingi Jesuitæ Epistolas, unam de Regula Fidei, alteram de Cultu Imaginum.*
VI. *Labyrinthus sive Circulus Pontificius.*
VII. *Responsio ad Dilemmata decem Pontificii alicujus Doctoris.*
VIII. *Examen Thesium Jacobi Capelli, de Controversiis quæ Fœderatum Belgium vexant. Et, Satiusne fuerit doctrinam Arminii tolerari quam damnari.*
IX. *Tractatus brevis de Libero Arbitrio.*
X. *Examen sententiæ Joannis Cameronis de Gratia Dei & Libero hominis arbitrio.*
XI. *Responsio ad Defensionem Joannis Cameronis, quam opposuit Examini sententiæ suæ.*
XII. *Judicium de Controversia, quodnam sit ordinarium conversionis medium, verbumne externum, an vero internum.*
XIII. *Responsio ad duas Epistolas Joannis Beverovicii, de vitæ termino fatalis-ne is sit, an mobilis.*
XIV. *Paraphrasis & Observationes in Caput* VIII, IX, X, & XI *Epistolæ S. Pauli ad Romanos.*
XV. *Horæ Hebraicæ & Talmudicæ in Actus S. Apostolorum, & in partem aliquam Epistolæ D. Pauli ad Romanos, Authore Joan. Lightfoot, S.T.D.*

M. SIMONIS

EPISCOPII

S. S. Theologiæ in Academia Leydensi
quondam Professoris

# OPERA THEOLOGICA.

*Quorum Catalogum versa pagina exhibet.*

Editio secunda, cum autographo accuratissime collata,
& à mendis aliquot gravioribus repurgata.

HAGÆ-COMITIS,

Ex Officina ARNOLDI LEERS.

M D C LXXVIII.

# CATALOGUS TRACTATUUM
## qui in hoc volumine continentur.


I. *Institutiones Theologicæ in quatuor libros distinctæ.*
II. *Conciones duæ. de Causis incredulitatis Iudæorum,*
III. *Responsio ad quæstiones Theologicas sexaginta quatuor.*
IV. *Tractatus brevis in quo expenditur, An homini Christiano liceat gerere Magistratum.*
V. *Responsio ad duas Petri Wadingi Iesuitæ Epistolas, unam de Regula Fidei, alteram de Cultu Imaginum.*
VI. *Labyrinthus sive Circulus Pontificius.*
VII. *Responsio ad Dilemmata decem Pontificii alicujus Doctoris.*
VIII. *Examen Thesium Iacobi Capelli, de Controversiis quæ Fœderatum Belgium vexant. Et, Satiusne fuerit doctrinam Arminii tolerari quam damnari.*
IX. *Tractatus brevis de Libero Arbitrio.*
X. *Examen sententiæ Ioannis Cameronis de Gratia Dei & Libero hominis arbitrio.*
XI. *Responsio ad Defensionem Ioannis Cameronis, quam opposuit Examini sententiæ suæ.*
XII. *Iudicium de Controversia, quodnam sit ordinarium conversionis medium, verbum-ne externum, an vero internum.*
XIII. *Responsio ad duas Epistolas Ioannis Beverovicii, de vitæ termino, fatalis-ne is sit, an mobilis.*
XIV. *Paraphrasis & Observationes in Caput* VIII, IX, X, *&* XI *Epistolæ S. Pauli ad Romanos.*

Pio & Erudito

# LECTORI

## STEPHANUS CURCELLÆUS

ΕΥ̓ ΠΡΆΤΤΕΙΝ.

SOlemne eſt iis qui poſthuma alterius ſcripta evulgant, aliquid cum de Auctoris vita & moribus, tum de utilitate quam allatura ſint, in limine præfari, ut Lectorum animi, hoc veluti præludio excitati, ad ea cognoſcenda avidius accedant. Propius enim illum noſſe in cujus lucubrationibus evolvendis occuparis, non ſolum jucundum eſt, ſed etiam ad ejus mentem facilius percipiendam inſervire aliquando multum poteſt. Quare mihi nunc volumen iſtud operum D. SIMONIS EPISCOPII Εὐμαχαίτου luce donanti eadem quoque provincia incumberet, niſi jamdudum qualis quantuſque ille vir eſſet Orbi Chriſtiano innotuiſſet, & ex Tractatibus antea editis quid de his qui jam prodeunt ſperandum ſit proclive foret conjicere. Ne tamen ſim plane ἀσύμβολος, & tui, Chriſtiane Lector, eam quam debeo rationem non habuiſſe, aut veteris quæ mihi cum D. Epiſcopio interceſſit amicitiæ parum memor fuiſſe videar, conſuetudini non ſine gravi cauſa receptæ quidpiam hîc dandum eſſe exiſtimavi.

Igitur ut ab Auctore dicendi initium faciam; Is lucem primo conſpexit Amſteldami, quæ eſt nobile Fœderati Belgii emporium, & quaquaverſus patet terrarum Orbis celeberrimum. Annus tum agebatur à Chriſto mundi Servatore nato milleſimus quingenteſimus octuageſimus tertius, quo Zacharias Urſinus S. S. Theologiæ in Schola Neapolitana Nemetum doctiſſimus Profeſſor, & Catechiſmi Heidelbergenſis ſcriptor, in vivis eſſe deſiit. Parentes habuit Egbertum Remberti Epiſcopium & Gertruidam Joannis: inculpatis utrumque moribus, & reformatæ Religioni, quam illis temporibus & loco profiteri valde periculoſum erat, addictiſſimos. Conjugali fœdere juncti fuerant anno CIↃ IↃ LXXII, quem immanis Reformatorum in præcipuis Galliæ urbibus laniena celebrem reddidit, & decem una liberos procreaverunt, ſeptem nempe maſculos, non interrupta ſerie, & poſtea tres puellas: qui omnes, excepto Remberto, Ioanne, atque Simone noſtro, in puerili aut juvenili ætate, nulla relicta ſobole, fatis conceſſerunt. Rembertus enim primogenitus (de quo agendi poſtea dabitur adhuc occaſio) annum ætatis quinquageſimum tertium attigit, & duas poſt ſe filias reliquit. Joannem vero Deus numeroſa prole maſcula & fœminea auctum, huc uſque ſeptuagenario majorem ſanum valentemque ſingulari miſericordia conſervat. Simon filiorum fuit penultimus. Hic cum ſtatim à teneris unguiculis non obſcura felicis ingenii & memoriæ tenacis indicia daret, parentes quamvis pro liberorum numero non ita amplas haberent facultates, ut ſuſtinendis ſtudiorum ſumptibus pares eſſent, nihilominus inſtigante Remberto fratre, & privatim ſubſidium ultro offerente D. Cornelio Benningo, viro Conſulari, literis ipſum conſecrare animum induxerunt. Miſſus itaque quamprimum ſub diſciplinam Petri Vekemanni, Rectoris ſcholæ per id tempus non incelebris, tantos brevi temporis ſpatio progreſſus in lingua Latina & Græca fecit, ut à variis magni nominis viris Ampliſſimo Senatui Reipublicæ Amſteldamenſis commendatus fuerit; qui eum (licet reluctantibus in principio parentibus, ſed tandem conſilio & hortatui D. Joannis Kuchlini & Jacobi Arminii cedentibus) in ſuorum alumnorum numerum aſſumpſit, & ſingulari deinceps benevolentia proſecutus eſt. Emenſo in urbe patria puerilium ſtudiorum curriculo, à Curatoribus ſcholæ anno CIↃ IↃC ſolemni ſententia dignus renunciatus eſt qui in Academiam ad altiora ſtudia capeſſenda promoveretur. Leydam itaque in Collegium Illuſtrium Ordinum Hollandiæ & Weſtfriſiæ ablegatus eſt, cui præerat doctiſſimus vir Joannes Kuchlinus, parentibus ejus quo tempore apud Amſteldamenſes Miniſterio Eccleſiaſtico fungebatur arcta neceſſitudine junctus. Non diu ibi fuerat Simon noſter cùm dilectiſſimos parentes amiſit; primò patrem, quem Deus ex hac mortali vita ad ſe anno CIↃ IↃCII evocavit; deinde matrem ſequenti. Sed triſti hoc caſu in ſtudiorum curſu non tardatus nec impeditus, poſtquam literis humanioribus quantum neceſſe erat ſedulo operam dediſſet, Philoſophiæ ſacris attentius operari, & penitius arcana ejus rimari conſtituit, atque iſti ſtudio per triennium magna cum diligentia incubuit. Poſtea vero etiam cum Theologiæ, quæ aliorum ſtudiorum ſcopus erat, animum adjunxiſſet, eique non oſcitanter invigilaret, ſubinde ad eadem Philoſophiæ adyta recurrebat. Tandemque partim legibus & ſtatutis Collegii in quo vivebat, partim rebus ipſius privatis ita poſtulantibus, Magiſterii titulum in Academia ambiit: quo poſt acre

examen dignus judicatus, & à celeberrimo Matheseos Professore D. Rodolpho Snellio, anno ɔlɔ Iɔc VI, publicè insignitus est. Quia verò Theologiæ, in qua jam non parum profecerat, se consecratum esse sciebat, totum illi uni sese deinceps dedere apud animum proposuit. Cumque voto & desiderio exteras Academias invisendi, quo admodum tenebatur, potiri non posset, biennium & ultra Leydæ subsistere coactus est. Ibique interea doctissimorum Professorum Franciſci Gomari, Lucæ Trelcatii, & Jacobi Arminii lectiones assiduus audiit, & in disputationibus atque concionibus exercitatoriis, quas propositiones vulgo vocant, tam diligentem & industrium se exhibuit, ut ὁμηλίκων plerosque longo post se intervallo relinqueret, & qui ad verbi divini Ministerium vocaretur dignus censeretur. Sed cum deinde, præcipuè à D. Trelcatii obitu, infaustum illud, quod postea totam Hollandiam concussit, de Prædestinatione dissidium, inter reliquos duos Professores non tantùm occulte gliscceret, verum etiam tandem in apertum erumperet, & Episcopius noster Arminii sententiæ addictiorem se ostenderet, ea causa fuit ut Pastores qui ab altera parte stabant minus sibi faventes experiretur; adeo ut cùm Amplissimi civitatis Amsteldamensis consules, quibus ejus singularis eruditio & morum integritas perspecta erat, ipsum ad concionatoris munus promotum vellent, illi contra moras necterent & suis artibus consilia illorum eluderent. Cujus rei pertæsus Episcopius de relinquenda Academia Leydensi cogitavit, & anno ɔlɔ Iɔc IX, quo D. Arminius in Domino obdormivit, Franekeram Frisiorum Academiam se contulit, excitatis in primis fama clarissimi viri & Sacræ linguæ peritissimi Professoris Joannis Drusii. Sed ibi quoque cum in disputationibus Theologicis, ut prompti ingenii juvenes solent, fervidior esset, non parum infensum habuit Sibrandum Lubbertum, Academiæ illius Professorem. Itaque paucis pòst mensibus inde excessit, & in Galliam profectus est, ubi intra breve temporis spatium tantam sibi linguæ Gallicæ notitiam comparavit, ut eam non solum intelligeret, sed etiam satis expedite & pure loqueretur. Exinde anno ɔlɔ Iɔ cx in patriam reversus, eundem quem antea Ministrorum Amsteldamensium erga se animum sensit. Sed illius virtus & eruditio, quæ amplius latere non poterant, & luculentis Ecclesiarum atque Academiarum ubi vixerat testimoniis comprobatæ erant, obstacula tandem omnia perruperunt; adeò ut, non abnuentibus amplius Classis Ministris, ab Amplissimo Senatu Rotterdamensi ad munus Pastorale Bleyswycum, qui ditionis ipsorum est pagus, vocatus fuerit. Ubi cum Deo & bonis omnibus operam suam probaret, Colloquio inter senos Pastores Remonstrantes & totidem Contra-remonstrantes, in consessu Illustrium Hollandiæ & Westfrisiæ Ordinum, anno ɔlɔ Iɔc XI Hagæ-comitis instituto, adhibitus est, & illic tanquam in illustri theatro ingenium, acumen, & non vulgarem in Sacris literis & controversiis Theologicis peritiam omnibus conspiciendam præbuit. Inde eruditionis & eloquentiæ ipsius famâ longe lateque per Belgium dispersâ, à non una celebri civitate, Ultrajecto præcipue, ad Ecclesiasticam functionem apud se obeundam sollicitatus est. Sed cum Bleyswycenses nulla ratione induci possent ut in ejus dimissionem consentirent, illic quam nactus erat Spartam aliquantisper adhuc ornavit. Tandem anno ɔlɔ Iɔc XII à Nobilissimis Academiæ Leydensis Curatoribus, in locum Franciſci Gomari, qui ultro stationem illam deseruerat, ad Professionem Theologicam vocatus est. Cui provinciæ difficillimis illis temporibus sustinendæ licet imparem se modeste judicaret, aliorum tamen de se judicio plus quàm suo tribuens, auctoritate inprimis & hortatu maximorum aliquot in Republica & Ecclesia virorum accedente, vocanti Deo acquievit, & in illa Professione non sine supremi Numinis auspicio, & benedictione clementissima, una cum D. Joanne Polyandro collega, diversum licet ab ipso in controversia Prædestinationis sentiente, amicè & placidè versatus est. Et huc usque in D. Episcopio depingendo præeuntem aliqua ex parte habui librum, qui anno ɔlɔ Iɔc XIV Leydæ in lucem prodiit, hoc titulo, *Illustrium Hollandiæ & Westfrisiæ Ordinum alma Academia Leydensis.* Quæ de reliquo vitæ cursu narranda supersunt, partim ab ipsomet familiaribusque ipsius audivi, partim oculis meis in satis diuturna conversatione usurpavi.

Ut ergo institutæ orationis filum prosequar, quanta fide & diligentia susceptum in celeberrimo Fœderati Belgii Athenæo Professionis Theologicæ munus D. Episcopius obierit, testabuntur aliquando publicè (si Deus cœptis nostris annuerit) accuratissimi ipsius *Commentarii in secundum & tertium caput Apocalypsios, in primam Epistolam Ioannis, in Euangelium Matthæi*, & alia scripta tunc ab illo composita; præter *Disputationes Theologicas publicas & privatas*, quæ ante triennium à nobis sunt evulgatæ. Sed forsitan hæc minima fuerunt laborum ipsius pars, si cum curis, quas molestissima illa tempora quotidie novas pariebant, aut periculis quæ sæpius incurrit, & conviciis quibus impetitus, nomenque ipsius laceratum est, conferantur. Nam cum tunc maxime controversia illa Prædestinaria in Belgio ferveret, & ab Academiæ cathedris in Ecclesiarum primum ambones, & postea in vulgus dimanasset, imò etiam Reipublicæ proceres, quorum erat tanto malo remedium afferre, in studia contraria scidisset, nihilque in quamcunque te verteres partem occurreret placidum, maximi tamen tempestatum fluctus celeberrimos quosque doctrina inter Remonstrantes feriebant, quibus veri ignara plebs, & affectu potius quam judicio duci solita, omnem turbarum culpam imputabat. Quæ quam graviter mitem & pacis amantissimum Episcopii nostri

pii noſtri animum angerent, & quot ad Deum vota ſuſpiriaque ex ipſius corde exprimerent, dici vix poteſt. Unum hîc ſilentio prætereundum non eſt, quod ipſi altero profeſſionis ſuæ anno contigit. Cùm Leyda Amſteldamum ſe contuliſſet, ut tanquam teſtis in Baptiſmo Gertruidæ fratris ſui Joannis filiæ compareret, & Miniſter Caſparus Heydanus ipſum cum cæteris teſtibus interrogaſſet, *An non confiterentur doctrinam in Veteri & Novo Teſtamento atque in Symbolo Apoſtolico contentam, ſimulque id quod in illa* (Amſteldamenſi videlicet) *Eccleſia docebatur, veram & perfectam eſſe ſalutis doctrinam*; additis inſuper his verbis, *Quid vos ad hæc dicitis?* Epiſcopius inter illos præcipuus reſpondit, *Se pro vera & ſalutari doctrina habere id omne quod ſecundùm Dei verbum & Symbolum Apoſtolicum ibi docebatur, prout uſitatæ formulæ, ex qua interrogatio fieri conſuevit verba haberent.* Quod reſponſum, licet placidum & modeſtum, ita Heydano bilem movit, ut *juvenem* per contemtum vocans, exprobraret ipſum *valde audacem & præſumtuoſum eſſe*, qui ita in Chriſti Eccleſia loqui non vereretur. Ad quæ iterum Epiſcopius, Se abire paratum eſſe, ſi concionatores nollent admittere limitationem illam in formula Baptiſmi comprehenſam, ubi poſt Veteris & Novi Teſtamenti Symbolique Apoſtolici mentionem factam, hæc verba adjiciuntur, *Et conſequenter in Eccleſia Chriſtiana docetur.* Sed Heydanus exprobrata ipſi ſecundò audacia, & Epiſcopio nihil amplius reſpondente, infantem illum tandem baptizavit. Quo facto cum domum Epiſcopius recipere ſe vellet, à quibuſdam ex fæce vulgi, qui Heydani ſermone in ipſum concitati fuerant, contumeliis exceptus & ſeditioſus atque Eccleſiæ perturbator appellatus fuit: & poſtquam è templo exiiſſet, parum abfuit quin pugnis contunderetur, aut lapidibus violaretur, quibuſdam juvenes qui aderant ad id faciendum inſtigantibus. Sed Deo paternâ curâ ipſum protegente, & improborum illorum furorem compeſcente, ſalvus & incolumis ad ſuos tandem pervenit. Quidam minime mali, ſed iſtius rei circumſtantias neſcientes, illum imprudenter Heydano reſpondiſſe exiſtimarunt, ſatiuſque fuiſſe ut diſſimulata ad tempus interrogationis ἀμφιβολία ſimpliciter ei aſſentiretur, alibi poſtea commodius mentem ſuam declaraturus. Et ita etiam judicavit Jacobus Magnæ Britanniæ Rex, cùm hoc factum paulò aliter quam ſe revera habuerat ipſi narratum fuiſſet. Sed D. Epiſcopium ut iſta in reſpondendo uteretur παῤῥησίᾳ movit inter alia, quòd paucis antè menſibus, cùm clariſſimus vir D. Joannes Utenbogardus concionator Hagenſis, Baptiſmo etiam alicujus affinis ut teſtis intereſſet, & ad ſimilem capitioſam interrogationem, non animadverſo qui tendebatur ipſi laqueo, reſpondiſſet ſimplici voce ITA, (ut vulgò fit) publicè ipſi deinde, per plateas incedenti, objectum fuiſſet eum Remonſtrantium ſententiam, quam profitebatur, abjuraſſe. Exemplo igitur alieno Epiſcopius noſter cautior redditus, ne idem ſibi exprobrari poſſet vitandum putavit. Nec multò pòſt in eadem urbe accidit ut faber quidam ferrarius, forte ipſum ante officiniam ſuam prætereuntem conſpicatus, arrepto vecte ferreo quem ſupra incudem fingebat, Arminianum & Eccleſiæ perturbatorem vocans, quaſi mactaturus inſequeretur. Sed periculum iſtud tandem fuga, & aliorum hominum occurſu, evaſit. Vix autem fluctus unus præterierat, cùm ecce alius ipſum excipit. Primogenitus frater *Rembertus*, una cum uxore *Elizabetha Philippi*, honeſtiſſima matrona, quæ etiamnum octuageſimum ætatis annum ſupergreſſa vivit, pietati & ſententiæ Remonſtrantium de Prædeſtinatione, quam ad eam incentivum eſſe credebat, cum primis erat addictus, eoque nomine contrariarum partium plebi Amſteldamenſi notus ſimul & inviſus. Tandem malevolus iſte animus anno CIↃ IↃC XVII, Februarii 19 ſe prodidit. Rumor ſpargitur, (ſed plane falſus) Remonſtrantes nonnullos ad ſacram concionem audiendam in ipſius ædes conveniſſe. Accurrunt illuc centeni aliquot nebulones, & primùm feneſtrarum vitra lapidum grandine comminuunt, deinde impacta in januam trabe illam effringunt; domum ingreſſi obvia quæque perdunt, vinum & cereviſiam quæ in cella erant bibunt aut effundunt, ſupra duodecim ciſtas reſerant, ſaccum nummis plenum ſurripiunt, veſtes, χειμήλια, pannum lineum, picturas, libros, ſuppellectilem, denique quicquid in domo erat portatile auferunt; quod aſportare non poſſunt lacerant & frangunt, nihilque integrum & illæſum relinquunt. Poſteaque tecto demoliendo & domui ſolo æquandæ manus admovent. Quod etiam perfeciſſent, niſi advenientis tandem Magiſtratus reverentia eos cohibuiſſet. Interea uxor fugere neceſſe habuit, & in vicini domo ſalutem quærere. Poſtremò ipſe, ſolum ſe relictum cernens, ac omni auxilio deſtitutum, in ſummam contignationem ſe corripit, & ſcalam per quam aſcenderat ad ſe trahit, ſicque periculum cervici imminens effugit. Damnum illatum ſex florenorum millia ſuperare exiſtimatum eſt. Et niſi interea dum fores perfodiebantur ſpatium habuiſſent pecuniam & pretioſiorem ſupellectilem in proximas ædes conjiciendi, omnibus pæne ſuis facultatibus, quæ ſatis amplæ erant, illa die fuiſſent exuti, & ad egeſtatem redacti. Quantum inopinatus hic caſus optimi fratris, tunc Leydæ in ſua functione ſtrenue occupati, animum perculerit, omnibus qui ferrei aut ἀπαθεῖς non ſint cogitandum relinquo. Acceſſit etiam ſenſus contumeliarum, quibus *Ioannes* fratrum alter, circa hæc tempora, non ſemel à zelotis ex fæce vulgi, quod diverſæ eſſet in Religione ſententiæ, fuit affectus. Sed hæc præludia tantum fuerunt graviorum & periculoſiorum, quæ D. Epiſcopium manebant, certaminum. Secuta eſt famoſa illa *Synodus Dordracena*, quæ quam inique erga Remonſtrantes ſe geſſerit,

*Acta & historia* illius jam pridem edita abunde testantur, ut ea hîc repetere nihil sit opus. Pauca tantum delibabo quæ ipsum propius tangunt. Etsi ex violenta, quæ circa illa tempora contigerat, Magistratuum qui mutuæ tolerantiæ favebant abdicatione, facile esset conjicere nihil boni ex illa Synodo esse profecturum, Episcopius tamen ad eam Illustrium Hollandiæ Ordinum literis invitatus, ut cum reliquis Fœderati Belgii Professoribus ibi sederet, Dordracum unà cum aliquot aliis Concionatoribus Remonstrantibus statim ab initio se contulit. Sed Synodus, quæ altera dissidentium pars erat, & tamen in sua causa judicium inverecunde sibi assumebat, nec ipsum nec ullos alios Remonstrantes nisi ut citatos cœtui suo interesse permisit. Quod quàm longe ab omni æquitate sit alienum, nemo nisi opinionis suæ affectu excæcatus non videt. Sed ipsi, ne bonæ causæ deesse viderentur, necessitati cedentes, in Synodum magno & intrepido animo sunt ingressi, ibique eximiam illam, quæ in Actis legitur, *Orationem* D. Episcopius recitavit. Quo facto cum se ad collationem cum Synodo instituendam paratos esse dicerent, illa verò Præsidis sui ore respondisset, se non ad conferendum, quod inter pares fieri solet, sed ad judicandum, auctoritate ab Ordinibus Generalibus sibi concessa, convenisse; animum propterea non despondentes, Protestatione præmissa se Synodum illam, utpote maximam partem ex professis suis adversariis constantem, qui se jam ante damnassent, & à se secessionem fecissent, pro legitimo controversiarum suarum Judice agnoscere non posse, se ad sententiam suam coram illa *libere proponendam, explicandam & defendendam, quantum possent & necessarium judicarent*, accingebant, prout ipsis à Deputatis Ordinum Generalium in literis citatoriis expressè non tantum permittebatur, sed etiam injungebatur. Sed rursus cum Synodus libertatem illam limitibus istis circumscribere vellet, *quantum ipsa satis esse posse & debere judicaret*, ipsi vero tam iniquis conditionibus, quibus causam suam proderent, per conscientiam acquiescere non possent, tandem à Synodo sunt ejecti, tanquam indigni cum quibus ipsa ulterius quicquam ageret, Synodusque se ad eos ex scriptis ipsorum judicandos accinxit. Interea autem dum in eo occupata est, ipsi privatim, jussu Deputatorum Ordinum, ad sententiæ suæ defensionem accurata illa *Scripta* concinnant, quæ unà cum Actis Synodalibus aliquantò post lucem viderunt, & plurimorum in Europa doctissimorum virorum approbationem meruerunt; adeo ut quidam Principis auctoritatis vir visis illis dixerit, *Synodum quidem Dordracenam Remonstrantes condemnasse, sed Remonstrantes de Synodo scriptis suis triumphasse.* Eorum vero potissima pars D. Episcopii indefatigabili industriæ debetur. Quod tamen sine aliorum injuria dictum velim, qui suam ad hæc scripta non pœnitendam symbolam contulerunt: in primis Reverendi senis D. Caroli Niellii, Ecclesiastæ nunc Amsteldamensis doctissimi & fidelissimi, qui nervosam illam de Reprobatione dissertationem, alia nonnulla quæ in illo volumine habentur, elaboravit. Tandem pronunciatum est judicium Synodicum, quo Remonstrantes tanquam corruptæ religionis rei damnantur & muneribus exauctorantur. Quod ut executioni mandaretur, alii Pastores in ipsorum locum, quantumvis invitis & reclamantibus Ecclesiis, suffecti sunt, & armata manu nonnullis in locis introducti. Et ne deinceps Remonstrantes suæ sententiæ addictos privatim docere pergerent, Ordines Generales quendam ipsis Actum proponunt, quo polliceantur se in posterum ab omni etiam privata ministerii sui functione, *tam directe quam indirecte*, abstenturos. Cui cum per conscientiam subscribere non possent, ad perpetuum exilium damnati sunt. Ubi D. Episcopii & præcipuorum ex illis quorundam singularis emicuit fides & animi magnitudo, quod ne promisso quidem solutionis ejusdem quo antea fruebantur stipendii, induci potuerint ut se ad silentium quod imperabatur servandum obstringerent, etiamsi nonnulli in magna rei familiaris angustia versarentur. Nec non in eo quod apud Ordines Generales, post pronunciatam exilii sententiam, suam & sociorum innocentiam coram magna cum παῤῥησίᾳ defenderit, ad Deum injuste oppressorum vindicem provocans, qui in ultima die causam illam revisurus, & tam de judicibus quam de judicatis ἀνεξετασπλήπτως judicaturus esset. Nec mora, per apparitores Ordinum in curribus ad id paratis extra Fœderati Belgii limites abducti sunt; adeò ut post octo mensium Dordraci detentionem, quò se ad liberam Synodum vocatos putabant, ne dies quidem unus ad familiis suis valedicendum, & res domesticas componendum, ipsus petentibus concessus fuerit.

Episcopius ergo & reliqui in vicinam Brabantiam se conferunt, & Antverpiæ durantibus inter Hispaniarum Regem & Ordines induciis domicilium eligunt: non ut cum patriæ hostibus consilia agitarent, aut adversus religionem reformatam quicquam molirentur, quemadmodum malevoli quidam miseriæ illorum insultantes dictitabant: sed quia propinquus erat ille locus, & ex quo Ecclesiis suis dilectis & familiis commodius quam ex remotiori prospicere poterant. Nam ut nunc nihil dicam de cæteris, quam fideliter talentum à Deo acceptum apud Brabantos collocarint, quid illic Episcopius noster egerit testantur abunde *Ejus cum Petro Wadingo Iesuita Antverpiensi Disputationes* hoc volumine comprehensæ, & *Antidotum adversus Synodi Dordracenæ Canones*; præterea (quæ primo loco fuerat memoranda) *Confessio fidei*, quam una cum cæteris qui ibi erant Pastoribus Remonstrantibus adornavit. Ad cujus editionem quid ipsos impulerit, prolixe in præfixa ei Præfatione docent; nimirum non ut esset schismatis vexillum, quo se à diversum sentientibus separarent

tarent, aut pro ſecundaria fidei norma à ſuis haberetur: (qui eſt hodie apud multos ejuſmodi Confeſſionum pernicioſiſſimus abuſus:) ſed tantum ad os iis obſtruendum qui Remonſtrantes portentoſa dogmata, quæ divulgare non auderent, in ſinu fovere calumniabantur. Quin enim iſto caſu & fine Fidei ſuæ confeſſionem edere liceat, cauſa non eſt cur dubitetur, monente nos Petro, 1 Epiſt. 3. 15. ut *ſemper parati ſimus ad reſpondendum cum lenitate & timore, cuilibet ejus ſpei quæ in nobis eſt rationem petenti.* Redintegrato bello, cum Epiſcopius in Brabantia ſecurè amplius verſari non poſſet, in Galliam migravit, & modo Rothomagi, modo Lutetiæ habitavit. Si quæras in quibus ſtudiis & actionibus tempus illic ſuum collocarit, id te inter alia docebunt *Paraphraſis & obſervationes in* VIII, IX, X, *&* XI *Caput Epiſtolæ ad Romanos, Bodecherus ineptiens, Examen theſium Iacobi Capelli, Tractatus de Magiſtratu Chriſtiano, de Libero arbitrio, Reſponſio ad Ioannis Cameronis defenſionem*, & alia. Ut jam non commemorem ſollicitam Eccleſiarum patriæ ſuæ curam, quas perſecutionis tempore ordinariis Paſtoribus deſtitutas, diverſis ſcriptis & Epiſtolis inſtituebat, conſolabatur, & ad perſeverantiam in fide animabat: nec non varia cum viris doctis de religione colloquia, quibus eos ad accuratiorem veritatis indagationem adducere nitebatur. Tunc *Lutetiæ primum in eum incidi*, & de aliquot arduis Religionis capitibus differentem audivi, tamque multa ab eo didici, ut ſemper poſtea ſingulari felicitati imputarim cum tanto viro notitiam contraxiſſe. Ibi etiam cum integerrimo viro *Edmundo Mercero*, eximio Mathematico, amicitiam iniit, quam nulla poſtea locorum & temporum diſtantia diremit aut imminuit. Is eſt qui curavit editionem libelli quo *Sententia Cameronis de gratia & libero arbitrio* expenditur, & *Epiſtolam viri docti* inſcripſit, quem etiam ſummus vir *Hugo Grotius* inter admiſſionis intimæ familiares habuit, adeo ut ei, quem habebat pretioſiſſimum theſaurum, videl. lucubrationes ſuas manuſcriptas, Galliam ultimo relinquens commendarit, & per ejus manus ad poſteros pervenire voluerit. Tandem D. Epiſcopius Galliæ penitius cognoſcendæ cupidus, cujus nihil adhuc fere niſi Septentrionalem oram luſtraverat, Lutetia profectus Lugdunum abiit, inde Maſſiliam, Nemauſum, Montempeſſulanum, Tholoſam inviſit, poſtea Burdegalam, Rupellam, Pictavium, Andegavum, Salmurium, Turonum Cæſarodunum, Aureliam contendit; unde poſtremò, curſu peregrinationis abſoluto, Lutetiam & Rothomagum remeavit. Ubi cùm aliquamdiu ſubſtitiſſet, & perſecutionum adverſus Remonſtrantes æſtum nonnihil in patria deferbuiſſe audiviſſet, de ea reviſenda conſilium iniit. Quare relicta Gallia anno CIↃ IↃC XXVI Rotterdamum ſe contulit, ut Eccleſiæ Remonſtrantium numeroſiſſimæ quæ illic eſt ex diſperſione recolligendæ cum aliis fratribus operam navaret, indeque etiam aliis Bataviæ Eccleſiis conſuleret. Nec minus ſtrenue interea variis ſcriptis, partim Latinis, partim Belgicis, cauſam veritatis defendit. Latinè edidit *Apologiam Confeſſionis Remonſtrantium, Reſponſionem ad ſpecimen Profeſſorum Leydenſium, Vedelium Rhapſodum.* Belgicè *tractatum de vera antiquitate adverſus Pontificios, tres in Iacobum Triglandium*, tunc Amſteldamenſem concionatorem, nunc Leydæ Theologiæ Profeſſorem, pro defenſione anguſtæ portæ Eduardi Poppii, *ſeparatos libros*, aliaque plura. Ibi cùm alterum jam annum ageret, & aliqua tranquillioris in poſterum tempeſtatis ſpes affulgeret, de adjungenda ſibi vitæ ſocia cœpit cogitare, & occaſione oblata lectiſſimæ fœminæ *Mariæ Peſſer*, viduæ D. Henrici Niellii concionatoris Rotterdamenſis, Caroli (de quo ſupra) fratris natu minoris, eam in uxorem duxit: quam non tantùm in re familiari curanda adjutricem ſedulam & ſuaviſſimam habuit, ſed etiam pietatis erga Deum & charitatis in proximos exemplo aliquando ſibi prælucere gaviſus eſt. Cum ipſa ſumma cum concordia ad finem uſque anni CIↃ IↃC XLI vixit: ſed fructus matrimonii expers, nullam ex ea prolem ſuſcepit. Anno CIↃ IↃC XXXIV Amſteldamum migravit, ut Remonſtrantium ſeminario præeſſet, & juvenes qui in ſpem Eccleſiæ aluntur in Theologia inſtitueret. Quod qua fide & diligentia præſtiterit, luculenter oſtendunt quas nunc publico damus *Inſtitutiones Theologicæ*, & *Reſponſio ad* LXIV *quæſtiones* ipſi à diſcipulis propoſitas: præter *conciones* pariter doctas & eloquentes interea ad populum habitas; quarum volumen in verſ. 3. cap. XVII Joannis lucem jam vidit, cæteræ Deo juvante ſuo tempore ſequentur: item *Verum Theologum Remonſtrantem*, iteratis Nicolai Vedelii calumniis oppoſitum, *Reſponſionem ad* X *dilemmata cujuſdam Pontificii doctoris*, & alia. Sed cum in tot gravium operum tela pertexenda occupatus eſſet, & quædam negotia ipſum Rotterdamum ire compuliſſent, ibi in graviſſimum morbum anno CIↃ IↃC XXXIX incidit, qui eum aliquot menſes lecto affixum tenuit; adeò ut in extrema tegula poſitus videretur, & de vita ejus exigua ſpes ſupereſſet. Tandem tamen eum Deus & vitæ & valetudini reſtituit, itáque corroboravit, ut ad ſuos Amſteldamum redux, non ſegnius quam antea vocationis ſuæ muneribus incumberet. Et cùm aliquantò pòſt Remonſtrantibus viſum eſſet familiarem in rudiorum gratiam *Religionis Chriſtianæ inſtitutionem* ſeu Catecheſin in lucem edere, Abrahamus verò Heydanus tunc Leydenſis concionator, nunc etiam Theologiæ Profeſſor, ei ſuum *Examen* oppoſuiſſet, *Defenſionem* illius accuratam ſuſcepit noſter Epiſcopius, & non mediocri volumine complexus eſt, quod poſt obitus ipſius demum lucem vidit. Cùm enim æræ Chriſtianæ annus CIↃ IↃC XLIII inciperet, ſexaginta verò vitæ annos ferè impleviſſet, in morbum lethalem, quem tum ex continuis laboribus,

tibus, tum ex mœrore ob dulciſſimæ conjugis exceſſum contraxerat, incidit. Sicut autem amor infucatus quo ſe invicem proſequebantur efficiebat, ut una eademque anima duo corpora pariter animare videretur, ita idem morbi genus utrumque humi proſtravit. Is fuit iſchuria, & quidem tam pertinax ut uterque undecim integros dies ne guttulam quidem urinæ reddere potuerit, etſi periti aliquot Medici omnia artis ſuæ præſidia ad eos è mortis faucibus eripiendos adhiberent. Sed hoc diſcrimine, quod illa circa iſtud tempus diem ſuum obierit, hîc verò lotii quidem aliquid emiſerit, ſed adeò exigua copia, ut iſtud mortis quidem diem protrahere, ab ea verò liberare nequiverit. Tandem enim retentum excrementum illud, & interea cum totius corporis ſanguine mixtum, craſin ejus omnino corruperat, adeò ut vitæ ſuſtentandæ idoneus amplius non eſſet. Decubuit ergo ultra duos menſes, & aliquot ante ſupremum diem hebdomadibus oculos amiſit. Quæ jactura, gravis admodum, quamdiu ſpes aliqua vitæ ſupererat, illi fuiſſet, niſi ejus ſenſum ſomnus profundus quo plerumque gravabatur minuiſſet. Interdum tamen de illa apud amicos, qui frequentes ipſum inviſebant, conquerebatur, quod ſe deinceps Eccleſiæ Chriſti ſervire amplius non poſſe animadverteret. Si quando ex veterno illo paululum evigilare daretur, ſermones alios non habebat quàm pietatem, quam toto vitæ tempore coluerat, & ſuam erga Chriſtum fiduciam ſpirantes. Tandem IV Aprilis die, circa octavam horam matutinam, qua Luna Soli oppoſita Eclipſin patiebatur, placide Domino obdormivit. Nimirum eximii hujus viri mors inſtar Eclipſis fuit, quæ parte una radiorum, quos à Chriſto Sole ſuo accipiebat, ut in alios refunderet, ad tempus uſque reſurrectionis juſtorum ipſum privavit, altera interim in eruditis quæ reliquit ſcriptis fulgente, & ignorantiæ tenebras ex multorum animis diſpellente. Cadaver quarto poſt die, magna omnis generis hominum caterva proſequente, in templo quod vocant Occidentale, ubi prius ſepulta fuerat uxor, depoſitum eſt. Obitum ejus defleverunt multi, epicediis tum Latino tum Belgico ſermone editis. Unum quod huic præfationi ſubjunctum eſt, inſtar omnium eſſe poterit, Caſparis nempe Barlæi, clariſſimi hujus ævi poëtæ, qui etiam ipſe ante biennium fatis conceſſit.

Et hactenus quidem ea quæ in D. Epiſcopio ſenſibus aliquatenus deprehendi potuerunt rudi penicillo delineavi. Jam ſi reliquas interiores animi dotes æque facile in apertum proferre valerem, quanta & quam veneranda hîc conſpiceretur virtutum cohors? Primum ſe offerret divinæ gloriæ & ſalutis fraternæ zelus, cujus ardore cor ipſius continuo incendebatur. hunc exciperet pacis & concordiæ Eccleſiaſticæ amor, quo ab omnibus non neceſſariis ſchiſmatibus retrahebatur, eaque cane pejus & angue oderat. ſequeretur patientia & manſuetudo, qua injurias frequenter præter meritum ab improbis acceptas æquo animo ferre & facile condonare ſolebat accederet liberalitas, qua egenos pro facultatum modulo prompte & alacriter ſublevabat. Et ne in ſingulis particulatim recenſendis immorer, clauderet agmen modeſtia, qua dotes & præclara facta ſua pro nihilo reputabat. Sed quemadmodum iſtas virtutes in occulto habuit, Deo & paucis aliquot conſciis contentus, ita nunc, ſi frigidis ejus oſſibus ſenſus aliquis ſupereſſet, ægerrime deprædicari audiret. Quæ tamen mihi comperta fuerunt, non potui quin ad ejus memoriam, & aliorum exemplum, obiter ſaltem attingerem. Non me latet objici ab adverſariis, ex Epiſcopii ſcriptis liquere tantam non fuiſſe in eo manſuetudinem, nec pacis & concordiæ Eccleſiaſticæ amorem quantum hîc celebramus; acerbo enim ſatis ſtylo contradicentes perſtrinxiſſe, multaſque Religionis controverſias foviſſe, quas æterno oblivionis ſilentio ſepeliri longe præſtitiſſet. Sed facile eſt iſta diluere. Et primum quidem; quia etſi forte quædam lenius dici potuerint quam ab eo factum fuerit, graviſſimas tamen ita ſcribendi cauſas habuerit. Nullum ipſe unquam ultrò laceſſivit, ſed tantum conjecta in ſe & Remonſtrantes ab aliis tela repulit, præſertim à Profeſſoribus Leydenſibus, in ſua *Confeſſionis Remonſtrantium Cenſura:* quam acerbiſſimam eſſe nemo qui vel obiter inſpexerit ignorare poteſt. Nempe exiſtimationis ſuæ intereſſe putabant, ne injuſte primum Remonſtrantes in Synodo Dordracena condemnaviſſe, & poſtea Magiſtratus ad eos perſequendum inſtigaſſe crederentur. Jam enim vulgo dictitabatur, non ſatis eſſe cauſæ in quinque illis decantatis de Prædeſtinatione articulis, cur ita in eos ſæviretur, cùm in iis totum Chriſtianum Orbem, excepta duntaxat Calvini ſchola, Remonſtrantes ſecum conſpirantem haberent. Ideo perſuaſum omnibus voluerunt Profeſſores iſti, Confeſſionem illorum horrendis hæreſibus ſcatere, nihil in ea à capite ad calcem, imo ne in titulo quidem, ſani eſſe; cùm pleraque quæ continet, (ſi ſummam rerum ſpectes, & calumnia abſit) utrinque eſſent in confeſſo, & qui extra partes erant in Gallia, Germania, Anglia & alibi docti atque moderati Proteſtantes Theologi, aliter plane de illa Confeſſione judicarent, & eam (licet in quibuſdam à ſuis placitis diſſentientem) pro Chriſtiana tamen & tolerabili haberent. Imò, quod omnes modeſtiæ limites excedit, cùm in Confeſſionis verbis & phraſibus nihil occurrebat quod cum ſpecie aliqua admordere poſſent, in Dei καρδιογνώστε jura temerario auſu involantes ſuſpicionem lectoribus ingerere ſtuduerunt, an ita ex animo ſentirent Remonſtrantes prout oratione ſua profitebantur. Nihil ergo mirum ſi adeo barbara, & Chriſtianis plane indigna agendi ratio, D. Epiſcopium moverit ut duro nodo durum cuneum adhiberet, & ſordida illa Cenſuræ ulcera acriori Apologiæ ſale & aceto

aliquando

aliquando perfricaret : quod etiam adversus unum aut alterum Censoribus illis similem usurpavit. Altera accusatio non minus est iniqua. Nullas sponte Episcopius aut Remonstrantes controversias, quibus Ecclesiæ unitas scinderetur, aliis moverunt; imò multa acri reprehensione digna, pacis ergò, si per adversariorum importunitatem licuisset, dissimulare parati erant. Sed cum viderent quædam tanquam necessaria ad salutem dogmata urgeri, quæ ipsi pro gravissimis & qui pietatis nervos inciderent erroribus habebant, ad ea salvâ conscientiâ connivere amplius non potuerunt. Tolerantiam autem mutuam, inter eos qui opinionibus fundamenta fidei non evertentibus dissentirent, Remonstrantes supra omnia ursisse, ipsi etiam pueri & ancillæ in Fœderato Belgio audiverunt. Quod certe à crimine scissæ Ecclesiæ unitatis tantum abest, ut contrà, si ritè observaretur, nullum efficacius remedium ad ejus vulnera sanandum inveniri queat.

Nunc ut ad alteram instituti mei partem transeam, & de Tractatibus hoc volumine, quod publici juris facio, comprehensis aliquid dicam; Primus ut ordine, ita & dignitate, inter illos est is quem *Institutionum Theologicarum* nomine (nullum enim ei præfixerat Auctor) donare mihi est visum. Cum quo *Responsio ad* LXIV *Quæstiones*, unum corpus constituit, ejusque est veluti Supplementum. Uterque alternatis vicibus paucis aliquot SS. Theologiæ Candidatis (quorum nonnulli immatura morte nobis sunt prærepti, alii verò strenue in Euangelio Iesu Christi apud Batavos annunciando laborant) Amsteldami in privato Collegio ad calamum est dictatus. Quanta in ambobus accuratione, dexteritate & soliditate gravissima Religionis Christianæ capita D. Episcopius tractarit, præstat rem ipsam testari, quam me suspecto hîc præconio jactare. Nullus enim dubito, Lector candide & erudite, quin, postquam propius inspexeris, id non solùm facile sis agniturus, sed etiam ultrò, cùm se occasio obtulerit, prædicaturus. Quædam fortasse hîc illic occurrent in contextu orationis non satis apte inter se cohærentia, & voces ac phrases impropriæ aut minus Latinæ. Nec diffiteri velim methodum non esse ubique accuratam; ut cum de Scriptura Sacra post doctrinam de Messia tractavit, de qua melius fuisset ab initio ante dissertationem de Revelatione Abrahamo facta agere; quemadmodum ipse deinde agnovit, & discipulos monuit. Sed hæc vitia tanti non sunt, ut te propterea utilissimum alioquin opus, tuo damno fastiditurum existimem. Auctori certe illa imputare non debes, qui antequam id ad umbilicum perduxisset è medio sublatus, quam in aliis operibus solebat limam ei adhibere, imo ne quidem obiter calami aut memoriæ σφάλματα castigare potuit. Quod verò illi sors facere non concessit, ego utcunque supplere sum conatus. Accepta itaque à D. *Francisco Limburgio*, Remberti Episcopii genero, doctissimo & integerrimo Iurisconsulto, & veritatis quæ secundum pietatem est promovendæ cum primis studioso, D. Episcopii Manuscripta, quæ ipsi hæreditatis jure cesserant, cum diligentiorum aliquot discipulorum Codicibus contuli, ut iis cum in legenda ipsius manu, tum in mente melius percipienda, adjuvarer. Nova enim cogitatione aliquando inter docendum subeunte animum, ab eo quod scripserat recedere dictando non verebatur. Quod ubi accidisse deprehendi, inter varias lectiones eam quæ melior aut planior videbatur secutus sum. Interdum etiam, ut melius cohæreret oratio, vocem unam aut alteram adjicere, vel detrahere, vel mutare me oportuit. Loca ex Scripturâ S. aut ex aliis Auctoribus citata, in ipsis fontibus quantum licuit, inquisivi, & quæ male annotata erant restitui. Denique totum opus quod continua serie, sine ulla materiarum distinctione, exaratum erat, in libros, sectiones, & capita distribui; lemmata marginalia, quæ Lectoribus in iis quæ vellent quærendis, Hermarum instar essent, ubique addidi. Idemque in reliquis qui istos sequuntur Tractatibus præstiti. Plura adhuc emendanda hîc fuisse quidam forte existimabunt. Sed tantum mihi juris in alienum opus sumere non sum ausus, ne objiceretur me sub correctionis prætextu D. Episcopii mentem pervertisse, & pro ipsius sensibus meos Lectori obtrusisse. Quod diligenter cavendum putavi. Quantulumcunque verò est, quod ad emendationem & illustrationem Scriptorum istorum attuli, ut illa non exiguæ sunt molis, ita multis mihi vigiliis & magno labore constitit. Cujus Deus & conscientia mihi testes sunt. Nec diffitebuntur illi qui Auctoris nostri Manuscripta aliquando inspexerint, plurimis in locis exilibus admodum literis, & pallido ac fugiente atramento exarata, aut tot lituris confusa, ut quid sibi voluerit propemodum divinandum foret. Sed tamen hoc onus alacri animo in me suscepi, & perseveranter sustinui; adeò ut ne in gravissimo quidem morbo, qui me maximam anni 1646 & 47 partem cruciavit, & propemodum oppressit, curam illam à me penitus abjecerim. Nimirum utilitatis ad publicum inde redituræ spes me stimulabat, cui pro viribus, imò etiam supra vires, promovendæ immoti dulce videbatur. Sed nonnullos jam audire mihi videor ridentes, & ἐυήθειαν meam sannis excipientes, quòd adeò magnificè de D. Episcopii lucubrationibus sentiam, ut tantos in illarum gratiam susciperc labores non recusarim, cum perpetuis potius tenebris damnari mereantur, quàm in hominum conspectum prodire; vel saltem nihil rarum aut singulare contineant, quo Ecclesia Christiana indigeat, aut erudito hoc sæculo dignum sit. Agmen ducent nonnulli ex Ministris Reformatis, quos opinionum suarum zelus ita transversos agit, ut omnia nostra, antequam norint, præcipiti judicio damnent. Cujus animi in ea de qua agimus re non obscura aliquoties dederunt indicia. Primum solicitando & importunè urgendo apud Illustres Hollandiæ & Westfrisiæ Ordi-

nes, & apud Ampliſſimum civitatis Amſteldamenſis Senatum, ut quemadmodum Epiſcopius publico Profeſſionis ſuæ munere motus erat, ita ei in perpetuum privata omni in Theologicis inſtitutione interdiceretur. Sic enim, quantum in ſe erat, fœtus hujus vix dum concepti, aut prima à parente ſuo lineamenta trahere incipientis, crudelem (ut ita dicam) abortum procurarunt. Poſtea eaſdem iterando querelas, cum audiverunt inventum eſſe aliquem, qui à morte parentis poſthumum illum fœtum in ulnas ſuſceperat, & ut in lucem feliciter veniret allaborabat; petentes ut id prohiberetur, & quod jam excuſum erat ſupprimeretur. Quod perinde fuit atque alteram ei necem antequam natus eſſet intentare. Sed Deus meliore mente Optimis & Sapientiſſimis noſtris Magiſtratibus indita, conatus illorum bono publico & libertati noxios repreſſit & irritos reddidit. Sequentur alii, qui licet hoſtilem animum non ita palam profiteantur, aut fortaſſe etiam nullo nobis modo ſint infenſi, exiſtimant tamen operæ pretium non eſſe novos libros de rebus Theologicis conſcribere aut in lucem emittere: dictitantes, Chriſtianum Orbem ejuſmodi ſcriptorum copia adeo eſſe gravatum, ut de illorum numero minuendo potius quam augendo præſtet nos ſolicitos eſſe. Utriſque ſimul reſpondeo; Iſtud opus, quamvis communem cum aliis multis titulum gerens, ab illorum tamen genio & indole tantum diſtare, ut alterius plane generis eſſe non immerito exiſtimari poſſit. Non dico in eo quòd quaſdam hic materias adeò enucleatè tractatas reperire ſit, ut paucos pares habeat: quod ad ejus commendationem apud æquos rerum æſtimatores ſufficeret: ſed (quæ ſingularis ejus eſt dos) quòd nullum adhuc tale, ex quo ferales inter Chriſtianos controverſiæ de religione ſunt exortæ, in lucem editum ſit, quod ad illas amicè componendas ita accommodatum fuerit. Quotquot enim hactenus Theologica tractarunt, id ſibi negotii crediderunt ſolum dari, ut quam ſive fors illis obtulerat, ſive judicio amplexi erant ſententiam, totis illam viribus tuerentur. De pacis verò cum diſſidentibus ineundæ ratione vix ullus unquam cogitavit; aut ſi quis eam in uno aut altero Religionis capite monſtrarit, nullus tamen (quod ſciam) in omnibus id adhuc tentavit. Hanc ergo provinciam cùm primus in ſe ſuſceperit D. Epiſcopius, lucubrationes ejus ad hunc ſcopum collimantes, omnibus pacis & concordiæ Chriſtianæ ſtudioſis ſummopere charæ eſſe debent; ſaltem quin iis quæ nihil aliud niſi diſputare docent, longæ ſint anteponendæ, non eſt dubium. Verum quidem eſt eum telam quam orſus erat non pertexuiſſe. Sed talia tamen fundamenta jecit, ut difficile non ſit cætera ab ipſo intacta illis ſuperſtruere. Et, ſi Deus daret, ut ea quam ſpeciatim in præcipuis aliquot Religionis capitibus oſtendit concordiæ ratio ad praxin tandem revocaretur, veriſimile eſt nullum reliquum fore diſſidium, quod eadem via feliciter ſtatim componi non poſſit. In ſumma, opus iſtud nihil aliud eſt niſi ſaluberrimorum Chriſtianæ reipublicæ conſiliorum penus; quod nemo publico invidere poteſt, quin peſſime de eo mereatur.

Sed ut clarius hujuſce rei veritas eluceſcat, forte non inutile erit in ea diſtinctius exponenda aliquantulum adhuc immorari. Omnes boni in eo conveniunt, nihil eſſe pace & concordia Eccleſiæ Chriſtianæ optabilius, & ad quod majore animi contentione ſit aſpirandum. Ex eo enim pendet non tantùm Reipublicæ incolumitas, quam lites de Religione in ſummum diſcrimen ſæpe adducunt, ſed etiam æterna multorum ſalus, cui iſtud opinionum divortium magno ſolet eſſe impedimento; dum alii idcirco fratres oderunt & perſequuntur, atque ita charitati, ſine qua nemo poteſt placere Deo, nuntium remittunt: alii autem de veritate invenienda deſperantes, omnem religionis curam ſuſque deque habent, & in Atheiſmum aut Epicureiſmum prolabuntur. Ad hunc ergo tam præſtantem finem conſequendum varii varia proponunt media. Quidam perſuaſi nullam unquam in Eccleſia fidam pacem eſſe poſſe, niſi omnes Chriſtiani idem de ſingulis religionis capitibus ſentiant, veritatem tam plane exponendam, & tam diligenter inculcandam eſſe dicunt, ut errantium oculos fulgore ſuo irradiet, atque omnes eam vel inviti agnoſcant. Id vero obtineri poſſe, ſi Magiſtratus dent operam, ut fideles ubique Euangelii præcones conſtituantur, qui toti in illud unum incumbant. Sed quamvis non negem conſilium iſtud eſſe pium atque utile, tamen ad ſananda Eccleſiæ vulnera ſatis efficaciæ non habere propius intuenti patebit; adeo ut ſi aliud non accedat, de pace obtinenda conclamatum eſſe videatur. Illi hominum ingenia eſſent refingenda, qui omnes ad iſtiuſmodi in dogmatibus fidei conſenſum adducere vellet. Quiſque enim de rebus propoſitis pro captus ſui modulo judicat, nec tanta eſt guſtuum inter convivas, quanta judiciorum in omni hominum genere diſcrepantia. nec dubito quin ſi mentes intueri liceret, multò major in iis quam lineamentorum in facie varietas deprehenderetur; his verum, juſtum & pium id eſſe exiſtimantibus, quod illi contrà pro falſo, injuſto & impio habent. Philoſophi ſemper diſcordes fuere ſententiis, non tantum in rimanda naturæ obſcuritate, ſed etiam in facili morum doctrina, & quæſtione quis ultimus eſſet humanæ vitæ finis; de quibus aliud Peripateticos, aliud Stoicos, aliud Epicureos docuiſſe conſtat. Controverſiæ Medicorum ſunt innumeræ, nec adhuc inter ipſos de artis quam profitentur principiis convenit, aliis Hippocratis & Galeni, aliis Chymicorum, aliis neutrorum dogmata probantibus. Nec minor inter Jurisconſultos eſt diſſenſus, quorum hi ſunt Sabiniani, illi Proculeiani, hi jus Cæſareum, illi Pontificium ſequuntur. Unde fit ut ſi illorum ſententias aliqua de re exquiras

primus

primus ajat, ſecundus neget, tertius amplius deliberandum cenſeat, atque ita ab eorum conſilio incertior quam eras ante redeas, verumque eſſe id vulgi ore tritum comperias, *Quot homines, tot ſententiæ.* Tam beatum ergo ſæculum aliquando exoriturum, in quo omnes idem ſponte de religione ſentiant, ſperandum non eſt.

Quod alii ad animum revocantes, exiſtimant in Eccleſia ſummum aliquem controverſiarum Iudicem eſſe debere, cujus ſententiæ ſe omnes ſubjicere teneantur; & qui id facere detrectaverint, illos mulctis, carcere, exilio, imo etiam atrociſſima morte, ad terrorem cæteris incutiendum, plectendos eſſe. Verum quàm indigna ſit Chriſtianis quæcunque in religione vis & coactio, plerique æquiores tum Politici tum Theologi hodie agnoſcunt. Nec enim, ut puto, multi invenientur qui apertè audeant improbare illud Lactantii, lib. v. cap. xx. *Religio cogi non poteſt, verbis potius quam verberibus res agenda eſt, ut ſit voluntas.* Item: *Nihil eſt tam voluntarium quàm Religio, in qua ſi animus ſacrificantis averſus eſt, jam ſublata, jam nulla eſt.* Cui adſtipulatur etiam Ioannes Mariana Jeſuita Hiſpanus, in ſua hiſtoria lib. xxvi. cap. xiii. ubi de decreto Luſitanico agens, quo Iudæi ad amplectandam Chriſtianam religionem cogebantur, *Inſolens*, inquit, *decretum maximè. Malò cogas homines Chriſtiana ſacra ſuſcipere? Libertate cælo data in re omnium graviſſima ſpolies, quos Deus ſui arbitrii eſſe voluit? Grave id piaculum ſit: ac ne filios quidem à parentibus eo ſtudio abſtrahere liceat, &c.* Ideo laudantur illi Reges & Principes qui libertatem hanc ſubditis illibatam reliquerunt. Qualis fuit Theodericus Gothorum Rex, qui apud Caſſiodorum, Variarum lib. 2. Epiſt. 27. ſic loquitur, *Religionem imperare non poſſumus; quia nemo cogitur ut credat invitus.* Et Theodahadus Rex ad Imperatorem Juſtinianum ſcribens, apud eundem Caſſiodorum, lib. 10. Epiſt. 26. *Cum divinitas patiatur multas religiones eſſe, nos unam non audemus imperare. Retinemus enim legiſſe, Voluntariè ſacrificandum eſſe Domino, non cujuſquam cogentis imperio. Quod qui aliter facere tentaverit, evidenter cæleſtibus juſſionibus obviavit.* Nec immeritò. Coactio enim non eſt apta ad veros Chriſtianos efficiendum, ſed tantùm hypocritas & atheos, qui metu pœnæ religionem, à qua corde abhorrent, verbis & factis externis ſimulabunt. Ejuſmodi autem homines, ſi agnoſci poſſent, ex Eccleſia eliminandi potius forent, ne alios veneni ſui contagione inficiant, quàm vi aut minis in eam intrudendi. Sed turbas, inquiunt, in Republica excitabunt, ſi privatas ſuas opiniones impune diſſeminare permittantur. omne enim ſententiarum in rebus fidei divortium motus & bella parere ſolet, quibus obviam ire eorum eſt qui ad clavum ſedent. Reſp. Coërceantur ergo turbones, & qui religionis prætextu ad pacem & tranquillitatem publicam turbandum abuti deprehendentur. Sed ne eodem cenſeantur loco, quibus id ſolum propoſitum eſt ut Deum ſincerè ex animi ſui ſenſu colant, nec alia de cauſa publicis ſe ſacris ſubducunt, quam quod ea verbo Dei adverſari exiſtiment, ejusque iram, ſi aliter fecerint, incurrere, & ſalutis æternæ jacturam pati metuant. Cogitent præterea Principes & Rerum publicarum Rectores, imperium in conſcientias ſibi non eſſe datum, & qui id uſurpant in Dei ſolium irrumpere, tantæque audaciæ ſupremo Judici gravem aliquando rationem reddituros. Imò contrà, ajunt perſecutionis incentores, Dei judicium non effugient illi Reges & Magiſtratus, qui pro virili hæreſes divinæ gloriæ & ſaluti humanæ inimicas exterminare non ſtuduerint. Exterminent igitur, inquam ego, ſed armis ad hæreſes profligandas idoneis, nempe verbi divini gladio, & rationibus adeo validis ut aſſenſum ab errantibus extorqueant. Si tales non habent, agnoſcant infirmitatem ſuam, & deſinant præpoſteris remediis exaſperare malum, cui ſanando non ſunt pares. Vis corporea hîc nihil valet, nec morbus animæ ferro aut igne tolli poteſt. Ut jam non dicam, ejuſmodi coactionem non minus erroris quàm veritatis propugnandæ inſtrumentum eſſe, ut infelix præcedentium ſæculorum experientia multoties probavit. Adhibuerint illam olim tum Judæi tum Ethnici ad Religionem Chriſtianam peſſundandam. Nec per eos ſtetit quin jamdudum illius memoria inter mortales fuerit abolita. Quod ſi vim in religione defendenda uſurpare liceret, vera tantum hoc privilegio gaudere deberet, non falſa & erronea. Sed inter Chriſtianos opinionibus inter ſe diſſentientes nondum ullo ἀναμαρτήτῳ judicio eſt deciſum à quorum parte ſtet veritas. Singuli de ejus poſſeſſione gloriantur, & eam cæteris omnibus abjudicant. At nemo in propria cauſa, quemadmodum natura ipſa docet, idoneus eſt judex. Calviniſta Lutheranum in errore verſari putat: hic contrà illum. Pontificius utrumque damnare non veretur. Cui fidem adhibebo, aut quem ſequar? Pontificius clamat, oportet te ſi ſalvus eſſe velis Eccleſiæ Romanæ, quæ ſola in fide errare non poteſt, te adjungere. Sed quod adeo confidenter aſſerit, non probat, cæterique omnes in toto Orbe Chriſtiani ei contradicunt, & Eccleſiam illam à vera fide jamdudum defeciſſe contendunt. Calviniſta non minus valide intonat, Mecum debes ſentire; quia ipſe mihi controverſiarum fidei judicium non aſſumo, ſed Deus in Scriptura S. ſecundùm me judicat, & quæ inter nos eſt litem ſuprema ſua auctoritate dirimit. Audio quidem. Sed Lutheranus idem quoque ſibi aſſumet, & Mennonita, & Socinianus, & reliqui omnes Chriſtiani qui Scripturam S. pro unica fidei & morum norma ſe agnoſcere profitentur. Quænam ex omnibus Chriſtianorum ſectis, de veritate inter ſe contendentibus, ſuperiores hîc tenebit, & alias judicandi poteſtatem habebit? Si Calviniſtæ

iniquum esse putant se à Pontificiis aut Lutheranis damnari, quo id sibi jure in illos aut alios quoscunque usurpant? Ipsa certe naturalis æquitas dictat, *Quod quisque juris in alterum statuerit, ut ipse eodem jure utatur.* Digest. lib. 2. tit. 2. Nec majori cum specie dici potest, Singulis Magistratibus licere in sua ditione religionem quam probant summa vi tueri, & cæteras dissentientes eliminare. Si enim id licet in Hollandia Calvinistis, cur non quoque in Suecia, Dania, Saxonia Lutheranis, in Gallia, Italia, Hispania Pontificiis, imò in Turcia Mahometanis, in China & Iaponia Ethnicis? Omnes igitur Magistratus, tam qui falsam quàm qui veram amplectuntur Religionem, pari jure in suis quisque dominiis fruentur; & simul æquum & justum erit quod Christiani in Europa pro Christianæ Religionis defensione decernent, & quod Ethnici ac Mahometani in Asia & Africa adversus illam molientur: quo quid absurdius ulli unquam in mentem venire potest? Id, inquies, inter Christianos tantùm obtinere volo. Rectè. Sed Christiani Magistratus habent-ne jus alios ad suam religionem amplectendam cogendi, quà Christiani, an simpliciter quà Magistratus? Si prius dixeris, cedò tabulas, & me victum fatebor. Si posterius; pari ergo cum fidelibus privilegio gaudebunt infideles, cùm hi æque sint Magistratus atque illi. *Non enim est potestas nisi à Deo: & quæ sunt potestates, sunt à Deo ordinatæ.* Rom. XIII. Præterea quamvis Christiani inter se de fidei summa consentiant, in multis tamen aliis sunt discordes, eaque de causa à se invicem abhorrent, & tanto alii aliorum odio flagrant, ut non minor sit ab illis qui viribus pollent, siquis diversum sentiat, persecutionis metus, quàm ab Ethnicis aut Mahometanis.

Perges: *Summus* aliquis *Iudex* lites quæ inter eos sunt sententia sua dirimere debet. Id prima fronte, fateor, speciem æquitatis aliquam habet; sed si propius inspexeris prorsus vanum esse comperietur. Nam primò, non constat istud redintegrandæ pacis medium Deo probari. Si enim talem inter Christianos controversiarum fidei Judicem esse voluisset, eum ipse procul dubio constituisset, & ubi inveniri posset, cùm necessitas postularet, nobis significasset. At id non fecit. Sed contrà omnes monuit, *Ne cuivis Spiritui crederent, sed probarent spiritus an ex Deo sint*, 1 Ioan. IV Item, ut *Omnia explorarent, & quod bonum esset retinerent*, 1 *Thess.* V. Quod nec necessarium, nec utile, sed potius periculi plenum fuisset, tali constituto Judice cujus sententiæ omnes se subjicere tenerentur. Deinde quis erit supremus ille quæstionum fidei arbiter, aut unde desumetur? An ex aliqua dissidentium parte, an ex nulla? At illud iniquum est, quia sic esset Judex in propria causa: hoc verò impossibile, nisi extra Ecclesiam quæratur; quod olim quidem factum est, ut legimus apud *Originem in Dialogis contra Marcionitas*, & apud *Epiphanium in Panario*, *hæresi* 66. Verum (si liberè loqui liceat) consilio Christianis pudendo, & eventus periculosi atque ancipitis. Sed fac aliter se rem habere. Sanè quisquis fuerit ille Judex, ratio dictat eum ab omni errandi periculo debere esse immunem. nec id solum, sed etiam necesse est ut omnes à quibus obedientiam exiget de eo plene sint persuasi; alioqui semper fluctuabunt animo, incerti quid ipsos sequi oporteat, & fieri poterit ut repudiata veritate mendacium, cum animæ suæ pernicie, amplectantur. Frustra ergo quidam nos ad Pontificem Romanum, quidam verò ad Concilium Oecumenicum amandant, cùm in neutro dotes istæ in supremo controversiarum Judice requisitæ inveniantur. Et sanè quod ad *Papam* attinet, in fide ἀναμάρτητον esse, nullo quod vel minimum speciei habeat probatur argumento, nullique id præter jurata ejus mancipia dicunt, & eo fine potius, ut putatur, ne quisquam se ipsius decretis opponere audeat, quàm ut alios ad ita sentiendum obligent; adeò ut istud pro arcano imperii, non pro dogmate fidei ab ipsis habeatur. Quod ex eo colligitur, quod nemo in perplexis Theologiæ quæstionibus Papam consulit, aut ut aliquem obscurum Scripturæ locum explanet ab eo petit; cùm tamen id longè expeditius & tutius futurum esset, quàm se privato studio fatigare, & an veritatem assecutus sis nec-ne incertum manere. Deinde cùm fateantur aliquos ex suis Papis fuisse sceleratos & impios, qui omnia Christianæ religionis mysteria irriderent & pro fabulis haberent, quomodo fieri posset, ut illos in vera fide semper esse sanos & incorruptos ex animo crederent? Sed quicquid sit de ejusmodi hominum sententia, pro infallibili sane Romanum Episcopum non agnoscunt Græci, nec Syri, nec Abyssini, nec omnes illi in Occidente qui ultimis hisce duobus sæculis ab ejus communione se subduxerunt. Ut jam illos præteream qui in ipsa Ecclesia Romana Papam in hæresin incidere posse contendunt, & in tali casu à *Concilio Oecumenico* judicari & deponi; quales plurimos in Gallia, Germania & alibi doctissimos Theologos esse constat.

Et hic est alter ille *Iudex*, ad cujus tribunal controversiarum fidei decisionem deferendam magna Christianorum pars autumat. Sed neque inde efficax & salutare Ecclesiæ morbis remedium peti posse, rem æqua judicii lance perpendenti facile est cognoscere. Nam primò, frustra ab illo speratur litis diremtio, quem partes contendentes, etiamsi diligenter quærant, nuspiam invenire possint. Ejusmodi verò est Judex ad quem nos amandant. Fieri enim nequit ut unquam Concilium universale ex omnibus Christiani Orbis provinciis convocetur, quod nostras controversias terminet. Multa id insuperabilia viribus humanis impedimenta prohibent, distantia locorum, pericula marium, discrimen linguarum, inimicitiæ & diffidentia mutua Principum qui singulis

regionibus

regionibus præsunt. Quæ postrema ratio etiam Concilii ex solo Occidente, quod unum caput agnoscit, & ubi lingua Latina omnibus doctis est familiaris, convocationem difficillimam hodie reddit. Nec refert quòd Concilia aliquot vulgo Oecumenica vocari soleant, & illorum Acta tali titulo glorientur. Iis enim qui in historia nonnihil sunt versati, ignotum esse non potest illa ex imperio tantùm Romano congregata fuisse, cui subjectæ regiones ἡ οἰκουμένη appellabantur, ut vel ex solo illo Lucæ loco discere est, ubi dicit prodiisse edictum à Cæsare Augusto, ἀπογράφεσθαι πᾶσαν τὴν οἰκουμένην, cùm certum sit Augustum non alias jussisse describi provincias, quàm quæ suo imperio parerent. Deinde infallibilitatis privilegium quod in tam arduæ & momentosæ rei judice requiritur, Concilio Oecumenico competere nullo idoneo evincitur argumento. Scio quidem hîc jactari Christi promissionem, *Matth.* XVIII: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Sed siquid illa habeat in hac causa ponderis (de quo meritò dubitari potest, cum alium plane scopum sibi proposuisse Dominus ibi videatur) aptius certè est ad auctoritatem Particularibus Conciliis, & ad quæ pauci tantùm aliquot convenerunt, quàm Universalibus & valdè numerosis, conciliandam. De duobus enim vel tribus tantum loquitur, non de magna aliqua multitudine. Excipies: Si Christus paucos hoc dignetur favore, ut cætui illorum interesse velit, multo magis plurimos. Ita est, modo cætera sint paria. At in tanta, quantam hodie cernimus, morum depravatione, longè facilius est reperire paucos bonos & pios, in nomine Christi verè congregatos, id est, qui nullo alio fine convenerint nisi ut salutarem Euangelii ipsius doctrinam scrutentur, & ad ejus normam actiones suas componant, quàm ingentem aliquem numerum. Si igitur non obstante hoc promisso, Concilia Particularia in fide nonnunquam errant, ut apud omnes in confesso est, quia maxima Episcoporum pars, ex quibus constant, est impia & profana, & in nomine Christi non est verè congregata, licèt id præ se ferat, sed ut affectibus suis indulgeat, multò id magis Generalibus continget, quæ quò numerosiora sunt, eò plures impios & profanos continent, & ubi plerumque pejor pars meliorem numero suffragiorum superat. Instabis: Etiamsi illi qui Concilia Universalia constituunt, cæteris qui in Particularibus congregantur meliores non sint, nec Christi favore digniores, Christum tamen velle per Spiritum suum cœtui illorum interesse, eosque ab errore immunes præstare, in Ecclesiæ suæ gratiam, quæ tota errare & à fide deficere posset, si illi quippiam veræ fidei contrarium statuerent. Id autem nullatenus esse admittendum. Respondeo primò, cùm singulæ Ecclesiæ particulares ex fragilibus & infirmis hominibus constent, qui non solum in levioribus quibusdam & minoris momenti opinionibus errare, sed etiam à fidei professione prorsus deficere possunt & solent, non adeò παράδοξον videri debere si de omnibus simul idem asseratur. Totum enim suarum partium naturam sequitur, nec fieri potest ut vitii quod in singulis illarum reperitur non sit particeps. Deinde, ne vera quidem Ecclesia ab errandi periculo penitus est immunis. Nam licèt, quamdiu talis manet, in exitiales hæreses, quæ cum vera in Christum fide consistere nequeunt, non abripiatur, ab ignorantiis tamen non est plane immunis, quamdiu in hoc sæculo versatur, ubi *ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus, atque per speculum in ænigmate cernimus*; 1 *Corinth.* XIII. Et prout omnis error fœcundus est, unoque absurdo dato etiam alia deinde consequuntur, ita gradatim procedendo, proclivis est ab errore natura sua non exitiali in exitialem lapsus. Quod cum contingit, quæ ante vera Christi Ecclesia erat, talis esse desinit, & veræ Ecclesiæ privilegia non amplius sibi potest jure vendicare. Denique, malè à Conciliis, etiam frequentissimis, consequentia ducitur ad Ecclesiam universalem. Posito enim Concilia aliqua verè universalia, id est quibus omnes totius Christiani Orbis Episcopi interfuerint, (quod nunquam factum est, nec deinceps fiet) in decisionibus suis erravisse, aut etiam plane à fide defeciisse, non tamen sequeretur necessariò idem toti quoque Ecclesiæ contigisse. Quidni enim cæteri, qui ad Concilia non solent vocari, Pastores, aut saltem nonnulli ex iis, sinceram possent fidem retinere, Episcopis illam deserentibus? imò quidni Pastoribus etiam omnibus in eandem cum Episcopis apostasiam consentientibus, posset aliqua Christiani populi pars in vera fide perseverare, atque in ea nomen Ecclesiæ & dignitas conservari? quemadmodum contigit olim in Israele temporibus Eliæ, qui se solum ex veris Dei cultoribus supereſse putabat, cum oraculo ipsi revelatum est, Deum sibi septem hominum millia reservasse qui non flexerant genua coram Baal; 1 *Reg.* XIX. *Rom.* XI. Et tempore Domini nostri Jesu Christi, cùm tota illa Pontificum & Scribarum atque Pharisæorum Ecclesia (ut loquuntur) repræsentativa in ipsius condemnationem consensit, paucis tantum & nullius existimationis ex vulgo ei adhærentibus.

Quidam ergo ex Protestantium numero animadvertentes quot modis vitiosa sit ejusmodi argumentatio, non gravatè concedunt Concilia etiam generalia, nimirum qualia haberi possunt & solent, non ex omnibus Christianis Ecclesiis, sed ex aliquam-multis, nec ex omnibus illarum Pastoribus, sed ex aliquibus selectis convocata, errori esse obnoxia. Sed nihilominus illorum decisiones ratas esse, & vim legum quibus contradicere non liceat obtinere volunt in Ecclesia, saltem donec aliter in sequenti aliquo Concilio decretum fuerit; quia alioqui nullus unquam foret controversiarum finis. Et ut aliquem huic sententiæ dent colorum inquiunt, *Uti in civilibus est*

*veritas absoluta & judicialis, & sententia supremi judicis vera est quoad homines, licet non sit vera absolute; ita in Ecclesiasticis, veritas est absoluta & Synodalis. Synodus autem cùm sit supremus judex quæstionis, sententia Synodalis licet non sit vera absolute, est tamen vera Ecclesiasticè, scilicet in foro exteriori.* Sed non video quid sententia hæc, si rem ipsam potius quam verba spectes, à Pontificiorum opinione distet; cùm in Synodali decisione, qualiscunque illa sit, acquiescere nos velit. Imò absurdior est longè, quòd decisionem istam erroneam esse posse agnoscens, non minus arctè nos ei alliget & obstringat, quam faciant qui infallibilem esse credunt. Limitationes enim illæ, *Donec aliter decretum sit*, Et, *in foro exteriori*, nihil aliud sunt nisi ad populum phaleræ, ad incrustandam rei absurditatem adjectæ. Quid si enim nulla unquam posteà habeatur Synodus quæ aliter decernat, quàm illa quam nos graviter in fide errasse persuasi sumus, aut omnes quæ sequentur ejus errores confirment? an ergo in æternum errori adhærere tenebimur? Quis hoc Deum salutaris veritatis vindicem & assertorem à nobis exigere credat? Nec ægrè, ut puto, istiusmodi restrictiones etiam à Pontificis Romani asseclis admittentur: & eos jam nostris (ut se vocant) Reformatis regerentes audire videor; Quandoquidem tantam Synodorum agnoscitis esse auctoritatem, debebatis sanè vos Tridentinæ & præcedentium decretis subjicere, & nobiscum uniti manere, saltem donec alia Synodus esset habita, quæ illarum errores emendaret. Non enim conscientias vestras istis decisionibus alligamus, sed tantum in foro externo vôlere volumus, nec prohibemus ut eas in corde vestro improbetis, sed solùm ne aperto ore contradicatis. Præcipuè mihi inepta atque ἄλογος videtur *distinctio veritatis in Absolutam & Synodalem.* quasi unius ejusdemque rei duplex sibi invicem opposita veritas esse possit, aut quod absolute est falsum & Sacris Literis contrarium, falsitatem exuat & verum fiat statim atque Synodo alicui visum fuerit id decernere: quæ metamorphosis longè admirabilior esset ullâ quæ apud Ovidium legatur. Atqui, inquiunt, ita se res habet in causis civilibus. Resp. 1. Merum istud esse commentum, quòd nullus unquam sanæ mentis Jurisconsultus approbaverit. Sententia injusta quam supremus Judex male de facto informatus, aut affectu aliquo impeditus tulit, est quidem rata, sed non tamen vera. Et hoc sensu accipiendum puto illud Pauli J. C. *Prætor jus reddere dicitur, etiam cum iniquè decernit.* Dig. de Just. & jure, l. penult. Societatis enim publicæ interest, ut qualecumque ejus judicium, etiam interdum cum alicujus injuria conjunctum, vim obligandi habeat; quia pax inter ejusdem reipublicæ cives sarta tecta conservari non potest, nisi quæ illam turbant lites suprema aliqua auctoritate dirimantur. Sed quod nemini privato se per vim Judici opponere liceat, id ejus sententiam ex injusta justam nunquam reddit. 11. Quamvis id in causis civilibus obtineret, quæ sunt de rebus ad hanc vitam, seu (ut Apostolus loquitur) τὰ βιωτικὰ pertinentibus; aliam tamen plane rationem esse earum quæ Religionem & cultum divinum spectant. Illic etsi molestum sit & interdum magno cum temporalium detrimento conjunctum, iniquo se judicio subjicere, id tamen absque conscientiæ læsione fieri potest. Hîc de æterna animæ salute agitur, qua me privari necesse est, si contra conscientiam doctrinæ quam falsam esse credo subscribam, eique calculum meum adjiciam. Nec in ultimo Dei judicio excusabitur ille Ecclesiæ Doctor, qui persuasus ex Sacris Literis dogmata in Concilio Tridentino aut Dordraceno sancita esse erronea & pestifera, ea nihilominus professus fuerit, defenderit, & alios docuerit. In hoc enim tribunali non valebit distinctio veritatis in absolutam & Synodalem. Nec juvabit eum si dixerit, Ego putabam me teneri veritatem Synodalem amplecti, saltem donec à subsequente alia Synodo fuisset abrogata, quamvis scirem eam cum absoluta verbi divini veritate adversa fronte pugnare. Si quis aliter sentiat, ita periculo suo sentiat. Quod ad me attinet, antequam istiusmodi distinctioni acquiescam, idoneum mihi sponsorem dari velim, quem certus sim me ab omni damno immunem in ultimo illo die præstare posse. Sed *Synodus*, ajunt, *quæstionis supremus est Judex.* Resp. Quis istam ei auctoritatem dedit, Deus-ne, an verò homines? Si dixerint posterius, liceat mihi bona cum ipsorum venia, cum Synodum à veritate aberrasse, & pernicioſum dogma amplectendum mihi proposuisse deprehendero, cum Apostolis excipere, *Obedire oportet Deo potius quàm hominibus. Act.* v. Si verò prius, proferant ergo aliquem ex Scriptura S. locum, unde id constare possit. Imò, addunt, habemus in promptu, *Visum est Spiritui Sancto ac nobis, Act.* xv. 28. Sed qua ratione, Reformati Doctores, probabitis mihi vos eodem cum Apostolis Spiritu in Synodis vestris semper agi, ita ut illarum decreta pro Spiritus S. decretis sint habenda, cùm fateamini vos non semper habere veritatem absolutam, sed interdum tàntum Synodalem? Et cum Synodi vestræ in judicando mendacium loco veritatis amplexæ erunt, an licebit iis nihilominus illud Apostolorum usurpare, *Visum est Spiritui Sancto ac nobis*? Quo jure? An quia Spiritus Sanctus aliquando à veritate absoluta aberrat, & Synodali contentus est? Quam hæc sunt absona, & iis qui tantopere de Reformatione sua gloriantur indigna?

Sed instant adhuc illi, Si quod in Synodo decretum est statim impugnare liceret, controversiæ fidei æternum durarent, & nulla unquam in Ecclesia esset pax nec ordo, sed mera ἀταξία & certa pernicies. Resp. Experientiam docere, nullas unquam controversias de Religione inter Christianos exortas auctoritate Synodali feliciter terminatas fuisse: & præter Synodorum decisiones certiorem

multò

multò pacis in Eccleſia conſtituendæ viam, Deo aſpirante, inventu non eſſe ἀδύνατον. Prius probatu eſt facile. Legatur tantùm hiſtoria Eccleſiaſtica, & ibi ejus rei veritas ad oculum patebit. Non multa in hunc finem exempla congeram: tribus illuſtribus contentus ero, ex quibus de cæteris judicium fieri poterit. Nullum Concilium Nicæno celebrius eſt, aut quod majoribus tam apud Veteres quàm apud Recentiores Scriptores laudibus extollatur: nec iis quicquam detrahere hîc mihi eſt animus. Sed quid debemus illi, quæſo, aut quid commemoratione dignum præſtitit? num vulnera Eccleſiæ ſanavit, & amiſſam pacem ei reſtituit? Multum ſane abeſt. Damnavit Arium, fateor: ſed hæreſin ejus non extinxit. Imo illa majora poſt iſtud Concilium incrementa ſumpſit; & quæ exiguum tantum Orbis angulum occupabat, poſtea totam ferè οἰκουμένην pervaſit. Adeò ut Hieronymus contra Luciferianos ſcribere non vereatur, *Ingemuit totus Orbis, & Arrianum ſe eſſe miratus eſt.* Unde Conſtantius Imperator Arrianus apud Theodoretum, lib. 2. cap. 16. exprobrabat Liberio Epiſcopo Romano, ipſum unà cum Athanaſio totius ſe mundi conſenſui opponere. *Quota*, inquit, *pars tu es Orbis terrarum, qui ſolus facis cum homine ſcelerato, & Orbis terrarum ac mundi totius pacem diſſolvis?* Nec defuere etiam iſti hæreſi ſuæ Concilia, Ariminenſe, Seleucienſe, Mediolanenſe & alia, quæ Nicænum Epiſcoporum frequentia longè ſuperarunt. De quibus Hunericus Vandalorum Rex gloriatur apud Victorem Uticenſem, lib. 3. dicens in ſuo adverſus Catholicos Edicto, *Homouſion Nicææ ſtatutum, à mille & qui excurrunt Pontificibus de toto Orbe in Ariminenſi Concilio vel apud Seleuciam amputatum eſſe.* Qua de cauſa Gregorius Nazianzenus, qui quadraginta circiter annis poſt Concilium Nicænum floruit, in Epiſtola ad Procopium valde contemtim de ejuſmodi conventibus loquitur. *Ego*, inquit, *ſi vera ſcribere oportet, ita omnino affectus ſum, ut omnia Epiſcoporum Concilia fugiam; quoniam nullius Concilii finem lætum fauſtumque vidi, nec quod depulſionem malorum potius, quàm acceſſionem & incrementum habuerit.* Et Auguſtinus videns Concilia Conciliis in controverſia Trinitatis poſſe opponi, adverſus Maximinum Arrianum, lib. 3. cap. 14. dicit; *Sed nunc nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminenſe tanquam præjudicaturus proferre Concilium. Nec ego hujus auctoritate, nec tu illius detineris. Scripturarum auctoritatibus, non quorumcunque propriis, ſed utriſque communibus teſtibus, res cum re, cauſa cum cauſa, ratio cum ratione concertet.* Non parum etiam Pontificii gloriantur de ſuo Tridentino Concilio. Sed feliciorem non habuit exitum Nicæno, aut aliis ſimilibus. Populi qui ab Eccleſia Romana defecerant, auctoritate ejus permoti non fuerunt ut ad illam redirent. Dania, Suedia, Anglia, Scotia, magnaque Germaniæ & Galliæ pars in ſchiſmate ſuo permanſerunt. Nec mirum. Abuſus enim & errores multiplices, qui ei convocando occaſionem dederant, non ſuſtulit aut emendavit, ſed contrà confirmavit: adeò ut id quod antea quadantenus excuſari & pravæ conſuetudini imputari poterat, nunc in legem abierit & immedicabile factum ſit. Pax etiam externa Eccleſiæ firmius quam anterioribus ſæculis non fuit ſtabilita: ſed contrà ab illo tempore Europa continuis fere propter religionem bellis vexata fuit: & in eo, ſi uſquam aliàs, verum compertum fuit vulgare illud dicterium, *Omne Concilium parit bellum.* Multis quoque Regibus & Principibus, cæteroquin Eccleſiæ Romanæ addictis, in eo diſplicuit, quod potius de Papæ poteſtate extollenda, quàm de Eccleſia reformanda ſollicitum fuiſſe appareret, eaque de cauſa in Gallia non fuit receptum. Accedat denique nupera Synodus Dordracena, ex omnibus pæne Sectatorum Calvini Eccleſiis in Fœderato Belgio, ad litem Prædeſtinariam judicandum, convocata. Numquid ea præcedentibus efficacior fuit in ſententia ſua diſſidentibus perſuadenda, vel felicior in motibus ex opinionum divortio in Eccleſia & Republica ortis componendis? Nihil minus. Audiantur ipſi Synodales in ſuo Amſteldamenſi Mitſpa, anno altero poſt edito, ea de re teſtantes & conquerentes. *Heu*, inquiunt, *tot votis exoptata Synodus tandem habita eſt. Sed quis ex parte contraria ejus ſe auctoritate permoveri paſſus eſt ad errores ſuos deſerendum, & veritatem Dei ſincero corde amplectendum? adeò ut cum Propheta dicere poſſimus, Expectavimus pacem, & non eſt bonum, & tempus curationis, & ecce turbatio.* Quid ergo conventus ille tanto apparatu & expectatione dignum præſtitit? Decidit ſane controverſiam Prædeſtinationis, quod nulla antea Synodus auſa erat facere. Damnavit Remonſtrantes, & quidem inauditos & indefenſos: & ſæculari armata poteſtate ipſos non tantum Eccleſiis ſuis, ſed etiam patriâ expulit, ſententiæ illorum addictos ne in cœtus convenirent mulctis, carcere, & militari manu abſterruit. Sed cùm ne ſic quidem quicquam promoveretur, & Remonſtrantium patientia, inſtar palmæ, quo magis premebatur, eò ſe magis erigeret, tandem qui ad clavum ſedebant, velificatione mutata, quam vi eripere fruſtra conati erant libertatem, conniventia ſua ipſis indulſerunt: quod niſi feciſſent Reipublicæ navis in mediis adhuc tempeſtatum fluctibus cum naufragii periculo jactaretur, cùm nunc ſingulari Dei beneficio beata tranquillitate fruatur. Ex quibus omnibus facile eſt videre Concilia, qualia hactenus inter Chriſtianos ſunt habita, nempe ubi ad controverſiarum deciſionem tantum collimatum eſt, & quod pluribus ſuffragiis decretum fuit, cæteris qui per conſcientiam id approbare non poterant, per vim obtruſum eſt, non eſſe idoneum componendis Religionis diſſidiis remedium, & quamdiu illud uſurpabitur perpetuas in Eccleſia & Republica turbas fore.

Nullum-ne ergo, inquis, inveniri poteſt balſamum, quo vulnera Chriſtianiſmi leniantur, & labia

bia eorum hiantia conglutinentur, atque ad cicatricem perducantur? Imò, inquam ego; & hoc alterum est de quo mihi posteriore loco agendum proposueram. Balsamum illud salutare est mutua tolerantia, tantopere semper à Remonstrantibus & ab Episcopio nostro commendata. De qua à multis auctoribus tam multa sunt scripta, & adeò copiosè cum in Apologia Confessionis Remonstrantium, tum in hoc quod in lucem edimus volumine diversis in locis disseritur, ut Soli lucem fœnerari velle viderer, si ad ea quicquam addere contenderem. Summa huc redit: cùm Christiani in præcipuis & fundamentalibus Religionis dogmatibus inter se consentiant, eum qui supereſt in aliis minoris momenti dissensum impedire non debere, quominus in unum Ecclesiæ corpus coëant, & se ut fratres mutua in Christo charitate prosequantur. Si modo qui ista magni æstimant, cæteros diversum sentientes ad ea suscipienda non cogant. Hæc enim est tyrannis in Ecclesia non ferenda: cujus qui rei sunt, fundamentum evertere & fraternitatis vinculum abrumpere censendi sunt. Quod etiam de idololatris intellectum volo. Omnes autem in fundamento convenire inde liquet, quod nulla sit inter Christianos Secta, quæ Articulos fidei Symbolo Apostolico contentos non amplectatur, & vitam ad præcepta Christi de moribus componendam esse non statuat. Quibus duobus capitibus universa Religio Christiana comprehenditur. Reliqua enim omnia quæ in Sacris Literis habentur, eo tantùm spectant ut nostram erga Deum fidem fulciant, & ad mandatorum ejus obedientiam nos exstimulent. Unde liquere puto nihil ad salutem æternam obtinendum scitu & creditu præcisè esse necessarium, nisi absque eo fides promissis & comminationibus divinis haberi, aut obedientia mandatis præstari non possit. Tale autem id esse aut expressis Scripturæ S. verbis ostendendum est, aut tam clara atque evidenti ex illis deducta consequentia, ut nullus mentis compos eam in dubium revocare possit. Alioqui Scriptura omnia necessaria aut non perfecte contineret, aut non satis perspicuè proponeret. Quod utrumque Protestantes vulgò repudiant, & ab Episcopio nostro in suis Institutionibus pluribus impugnatur. Quare si neutro modo probetur mihi aliquod dogma esse necessarium, id ego isto loco habere non teneor. Ad hanc normam si expendantur quæstiones quæ hodie Christianum orbem in partes scindunt, pleraque illarum ad fundamentum religionis non pertinere comperietur, atque id indecisis illis, & sua unicuique quod videbitur sentiendi libertate relicta, in concussum permanere posse: proindeque pessime illos facere, & veros schismatum auctores esse, qui privatas suas de iis opiniones, tanquam necessarias aliis quibus falsæ & perniciosæ videntur credendas obtrudunt. Quod paucis aliquot exemplis ostendere hîc non pigebit.

I. Disputatur inter Christianos Europæos jam fermè à sesqui sæculo, Utrum Christus corpore suo præsens sit in Eucharistia, nec-ne: illis qui negativam tuentur, præter Scripturam, sensuum etiam testimonium & varias rationes pro se afferentibus, quas adversarii probabiles esse inficiari non audent, imò quidam tanti faciunt, ut, nisi obstaret Ecclesiæ suæ auctoritas, se non illibenter iis assensuros profiteantur: cùm affirmativa adeo elumbibus argumentis defendatur, ut difficile sit creditu propugnatores illius serio rem agere. Sed quicquid sit de hujus assertionis veritate, quam non est hujus loci, aut propositi mei, expendere, certe necessitatem credendæ absque manifesta tyrannide aliis imponere non possunt. Nusquam enim in Sacris Literis docetur neminem in regnum cælorum ingressurum, aut mortem æternam evasurum, vel quippiam simile, nisi hanc corporalem præsentiam crediderit. Nonnulli quidem id Christi apud Ioannem, *cap.* VI. verbis ostendere præsumunt. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego resuscitabo eum in novissimo die.* Sed non exigua eorum pars qui huic sententiæ adstipulantur, videlicet Lutherani, hoc loco de Eucharistia sermonem non esse non tantùm libenter concedunt, sed etiam urgent; ideoque eo ad illius necessitatem adstruendam uti non possunt. Et mirandum est Pontificios hîc in diversum abire. Eucharistiæ enim participationem non putant ad salutem esse præcise necessariam; alioquin infantes ab ea non excluderent. Nec credunt omnes illos qui ejus fuerint participes salvatum iri. Sciunt enim Paulum dicere, 1 Corinth. XI. *Qui de pane illo manducat & de calice bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit.* Utrumque tamen à Christo de carnis suæ manducatione expresse dicitur. Sed dato, non concesso, de Eucharistia hoc loco agi, nihil aliud inde colligi posset, nisi necessariò in illa corpori & sanguini Christi esse participandum. De eo autem non quæritur, sed tantùm de participationis modo. Pontificii verò fatentur non illam quæ ore, sed quæ corde seu fide fit, esse salutarem. Unde videre est ipsos, non magis quàm Lutheranos, hinc opinionis suæ necessitatem probare posse. Neutris etiam ratio favet. Nam etiamsi non credamus Christum corpore suo præsentem esse in Eucharistia, sed tantum spiritu, nihilominus totam nostram in ipso fiduciam collocare, & ejus mandatis observandis toto corde incumbere possumus. Nihil autem præter hæc duo ad salutem esse necessarium modo probavimus. Imò, inquient Pontificii, requiritur præterea ut Eucharistia debito honore afficiatur, quod absque persuasione de Christi præsentia corporali fieri non potest. Quis est, inquam ego, iste quem intelligunt honor? An ut panis & vinum, an verò ut Christus ipse illic adoretur? Si posterius hoc dixerint, res confecta est, habent quod postulant. Omnes enim toto Orbe Chri-

stiani,

ſtiani, qui ritum hunc celebrant, in eo Chriſtum adorant, & pro cruenta morte, quam noſtri cauſa ultro ſubiit, illi gratias agunt. Si prius malint, ergo pani & vino, vel potius eorum accidentibus, quæ ſola ibi poſt conſecrationem remanere exiſtimant, cultus adorationis debebitur. Sed quam fœdum id eſt, & quam indignum ut ea propter Chriſtiani inter ſe hoſtiliter diſſideant, & alii alios anathemate feriant?

II. Præcedenti dogmati aliud de ſacrificio corporis Chriſti in Miſſa ſuperſtruitur; quod tanti vulgo ſit, ac ſi religionis Chriſtianæ prora & puppis in eo conſiſteret, illoque labente confeſtim religio ruitura eſſet. Sed modum hîc excedi facile eſt animadvertere. Nam ut jam non dicam palmariam rationem qua tale ſacrificium à Chriſto inſtitutum eſſe probatur, videlicet, *Hoc facite in meam commemorationem*, *Luc.* 22. 19. & 1 *Corinth.* 11. 24, adeo eſſe obſcuram ut plus quam Lynceis opus ſit oculis ad ejus vim perſpiciendam; certe id ad ſalutem neceſſarium non eſſe inde liquet, quod Matthæus & Marcus nullam iſtorum verborum, cum Euchariſtiæ inſtitutionem narrant, mentionem faciunt; alioqui mutilatæ hiſtoriæ in capite fidei fundamentali rei forent. Quibus accedit diſertum Apoſtoli ad Hebræos teſtimonium, *Chriſtum una oblatione conſummaviſſe in perpetuum ſanctificatos. Cap.* x. 14. Vocibus enim *unius* oblationis, & conſummationis *in perpetuum*, apertè non ſolum omnem alius ſacrificii expiatorii, ſed etiam ejus quod ſemel à Chriſto oblatum eſt, repetitionis neceſſitatem excludit.

III. Controvertitur in Eccleſia, Utrum Sancti mortui ſint à nobis in neceſſitatibus invocandi. Et Pontificii quidem apud quos id obtinet, non dicunt apertè ad ſalutem eſſe neceſſarium, ſed tantum *bonum & utile eſſe ſuppliciter illos invocare*; & *impiè illos ſentire qui negant ſanctos invocandos eſſe*: ut legere eſt in Concilio Tridentino, Seſſ. xxv. Quibus poſtremis verbis an neceſſitatem voluerint innuere non ſatis conſtat. Ambiguum enim habent ſenſum; cum ſanctos invocandos eſſe neget, non ſolùm qui dicit illicitum eſſe eos invocare, ſed etiam qui aſſerit id non eſſe neceſſarium. Sed quocunque illa modo intelligant, certum eſt eos praxi ſua ſanctos demortuos invocandi neceſſitatem omnibus imponere, cum invocationem iſtam cultus publici, à quo nemini ſe ſubducere licet, partem faciant. Neceſſarium autem id non eſſe inde patet, quòd nullum in Scriptura S. Sanctos mortuos invocandi mandatum, ſive generale omnibus, ſive ſpeciale huic aut illi datum, habeamus; nec inde etiam per claram & evidentem conſequentiam elici poſſit. Cùm enim ea ex omnium credendorum & faciendorum unica ſit nobis norma, quod ibi non reperitur, in neceſſariorum locum referre non audemus. Nulla etiam illic exſtat promiſſio iis facta qui Sanctos invocaturi ſunt, unde appareat id bonum & utile eſſe, & nos ad eorum opem non fruſtra confugituros. Imò nequidem ulla iſtius rei invenimus probata exempla. Nec enim legimus quemquam Prophetarum, vel Apoſtolorum, vel aliorum piorum, quorum in Sacris utriuſque fœderis Literis fit mentio, Sanctos mortuos in neceſſiatibus ſuis invocaſſe. Credibile autem non eſt, ſi aliquando id factum eſſet, nullum ejus inter tot quæ ibi recenſentur preces, relictum fore veſtigium. Unde ulterius colligo, invocationem iſtam illicitam eſſe. Omne enim *quod non eſt ex fide* (id eſt, de quo dubitatur an Dei voluntati ſit conforme necne) *eſt peccatum*, *Rom.* xiv. Cùm enim nullum in Scriptura S. mandatum, promiſſum aut exemplum ejuſmodi Sanctorum mortuorum invocationis habeamus, eam ex fide non eſſe liquet. Nam præter hæc nullum nobis ſupereſt voluntatis Dei indicium, ex quo aliquid ipſi eſſe gratum, aut ſaltem non diſpliciturum, certi eſſe queamus. Quod hîc non immerito timendum eſt, cùm ſe doctrinis & mandatis hominum fruſtra coli declaret, *Eſa.* xxix. *Matth.* xv. Nec objici poteſt, iſtam mortuorum invocationem nobis ad Deum colendum adminiculo eſſe. Tantum enim abeſt ut id verum ſit, ut contrà Dei cultui magno ſit obſtaculo. Nam ideo ad Sanctos mortuos recurritur, quia in Dei bonitate & miſericordia non ſatis confiditur. Quæſtioni iſti ſubjungi poſſet alia affinis de Cultu imaginum, cui non ignorant Pontificii à magna Chriſtianorum parte acriter contradici. Sed quia etſi eum commendent, & publice privatimque obſervent, tamen pro neceſſario habere non videntur, tantum hic ſunt monendi, ut ingenti iſti offendiculo medeantur, quod plurimorum bonorum & Dei timentium conſcientias turbat; memores hujus Domini Jeſu pronunciati, *Qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis qui in me credunt, expedit ei ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris. Matth.* 18. Et ne excipiant ſcandalum iſtud eſſe acceptum, non datum, ac proinde non magnopere curandum, & ſe imagines non colere quòd iis divinitatem aliquam tribuant, ſed ut honor ille redundet in prototypum; attendant quæſo quàm gravem piis præbeat offenſionis cauſam aperta divini illius præcepti violatio, in quo diſertè omnis ſimulacrorum cultus prohibetur, & quàm ſit intutum ubi Deus nullam interdicto ſuo limitationem apponit, aliquam quantumvis ſpecioſam ex privato cerebro velle comminiſci.

IV. Magna animorum contentione aliquot ab hinc annis diſputatum eſt de Prædeſtinatione in Fœderato Belgio, & mutua tolerantia, quam ad ſopiendam illam litem Remonſtrantes commendabant, ab altera parte eſt rejecta hoc prætextu, quòd dogma controverſum ad fundamentum fidei pertineret, & in eo abſque ſalutis jactura errari non poſſet. Sed ſi propius ad rem attendatur, nihil hic fundamentale eſſe comperietur niſi hoc unum; Deum decreviſſe fideles, & Euan-



gelio

gelio ipsius obtemperantes, salvare, incredulos verò & immorigeros æterna morte damnare. In eo autem consitendo utrique conveniebant. Sed Contra-remonstrantes negabant istud ad salutem sufficere, & volebant addi, Hoc decretum, quà singulares personas spectat, in mero Dei beneplacito esse fundatum; adeò ut Deus Petrum v. gr. saluti non destinaverit propter fidem, aut Judam damnationi propter incredulitatem, sed tantùm quia ipsi ita placuerit. Per consequens, Christum pro omnibus hominibus non esse mortuum, sed tantum pro illis qui absoluto Dei decreto ad vitam æternam erant electi, in quibus solis etiam Deus per potentiam insuperabilem velit fidem efficere, & usque ad vitæ finem, non obstantibus ullis peccatis aut sceleribus, conservare. Sed additamenta ista ad salutem creditu non esse necessaria (ut nunc illorum falsitatem silentio prætream) inde liquet, Quod nullibi in Sacris literis tradantur, prout sine dubio fieret, si in hunc censum essent reponenda. Deinde quòd qui decreta Dei de salute & damnatione hominum conditionata esse credunt, hac opinione à fiducia in ipsum aut observatione mandatorum ejus non abducantur, sed contra ad eam magis incendantur. Qui enim sic apud se statuit, Deus me quidem diligit, & æternæ salutis participem vult facere, sed hac lege, si credam Euangelio, meamque fidem bonis operibus testatam faciam; contrà ille me in æternum ignem abjiciet, si non credam Euangelio, aut postquam aliquandiu credidero à fide deficiam; majorem habet causam sectandi pietatem, & metuendi ne in Dei offensam incurrat, quàm ille qui credit se decreto absoluto, quod nullis peccatis irritum reddi queat, electum esse ad vitam æternam, & ad omnia media quæ ad illam ducunt, qualis est fides & resipiscentia, quam Deus in ipso sine ipso, ut docet Synodus Dordracena, sit effecturus. Rursus, qui credit Deum velle omnes homines salvos fieri, proindeque Filium suum unigenitum in mortem pro omnibus tradidisse, & nemini petenti gratiæ suæ auxilium ad salutem necessarium denegare, habet cur optimè à parte Dei de salute sua speret, & ita alacriter in stadio obedientiæ Euangelicæ ad finem usque perseveret. Sed qui existimat Deum paucos ad vitam æternam elegisse, longe verò maximam generis humani partem damnationi æternæ immutabili decreto adjudicasse, pro istis miseris non misisse Filium suum in mundum, & nulla iis sufficientia media largiri velle quibus perditionem effugere queant; is nihil habet quo se adversus desperationem muniat; sed contrà causam cogitandi, multò esse probabilius se ad magnum reproborum, quam ad parvum electorum gregem pertinere; proinde nihil necesse esse ut se in laborioso virtutis tramite sequendo cruciet, se satis citò miserum fore, præstare ut exiguum quod ipsi conceditur vitæ tempus cupiditatibus indulgeat, & in cuticula curanda impendat. In summa, se irrevocabiliter aut ad vitam aut ad mortem æternam ante jacta mundi fundamenta destinatum fuisse, & quomodocunque sese gerat, sive bene, sive male, id quod ipsi præparatum sit tandem obtenturum. Nec referre quod ignoret in specie quid illud sit, bonum-ne an malum; sufficere quod pro comperto habeat, si electus sit ad salutem, se ante vitæ finem vi irresistibili ad meliorem frugem conversum iri: nec de eo sollicitum se esse debere, quia antequam Deus ita in se operetur nihil omnino salutaris boni facere queat: si vero æternis inferni cruciatibus sit destinatus, se illos quicquid in contrarium moliatur aut faciat nulla ratione effugere posse, quia inconditionatum & irrevocabile sit perditionis suæ decretum. Illum certè præjudicio suo mire excæcatum esse oportet, qui ejusmodi opinionem non solum pro vera, sed etiam (quod multò amplius est) pro creditu ad salutem necessaria venditare audeat; præsertim cùm sive ei fides adhibeatur, sive non adhibeatur, decretum Prædestinationis nihilominus sit executioni mandandum, & nec fide nec infidelitate nostra possit ullatenus rescindi: prout docet Augustinus Marloratus in Expositione sua Ecclesiastica, in Joannis XV. *Stat firma sententia; quemcunque Deus ante conditum orbem elegerit, eum non posse perire; quem verò rejecerit, eum non posse salvari, etiamsi omnia Sanctorum opera fecerit: usque adeo irretractabilis est Dei sententia.*

V. Majoris adhuc præcedente momenti existimatur hæc quæstio, Utrum sola fide justificemur apud Deum, an verò fide & operibus simul. Qui enim prius affirmant, capitalis erroris accusant posterioris sententiæ defensores. Sed immerito. Nam id apud Jacobum, *cap.* 2. totidem verbis legitur. *Videtis ex operibus justificari hominem, & non ex fide tantùm.* Nec ad rem facit exceptio, illum de justificatione coram Deo non agere, sed de justificatione coram hominibus. Ejusmodi enim coram hominibus justificatio ad salutem est inutilis; quia illi judicio charitatis, quæ non est suspicax, sed omnia credit, omnia sperat, impium & sceleratum hypocritam pro justo habere possunt. De salute autem æterna ipsum loqui, ex disputationis initio patet. *Quæ utilitas, siquis dicat se habere fidem, opera verò non habeat; num potest eum fides servare?* Deinde illi qui assertionem hanc pro exitiali hæresi habent, in illam imprudentes recidunt, cùm nos fide viva coram Deo justificari ajunt. Fides enim illa viva est, quæ per charitatem est efficax, seu bona opera ex se parit, sibique indivulso nexu conjuncta habet. Nec contradictionem effugiunt dicendo, nos justificari quidem fide viva, sed non quà viva est. Quasi fides in nostri justificatione aliter à Deo consideretur quàm qualis est reipsa, & necessariò esse debet. Et cum alterutro istorum modorum inspicienda sit fides, aut quà viva, aut quà mortua, certè si Deus eam non consideret in justificandis ut mortuam, quia talis non est nec esse debet, oportet ut tanquam vivam intueatur. Nam

sicut

ſicut inter vivam & mortuam fidem non datur medium, ita nec inter iſtos duos eam conſiderandi modos. Id ipſum etiam faciunt, quando reſipiſcentiam ad peccatorum remiſſionem conſequendam requiri confitentur, ſecundum illud Petri, *Act. cap.* III. *Reſipiſcite & convertite vos, ut deleantur peccata veſtra.* Nam remiſſio & juſtificatio ipſis ſunt ἰσοδυναμεῖα. nec malè, cùm Deus nemini remittat peccata, quæ ſunt vel omiſſionis vel commiſſionis, quin eum ſimul juſtum cenſeat, & juſtitiæ præmio donare proponat. Reſipiſcentia autem in exuendo vetere homine & induendo novo conſiſtit, ac proinde omnia bona opera, à Chriſtianis lege Euangelica requiſita, in ſe complectitur. Sed Paulus, inquiunt, diſertè omnia opera à juſtificatione hominis coram Deo excludit, eamque ſoli fidei tribuit, *Roman.* 3, & 4. & *Galat.* 2. Reſp. Eos neque quid ſint opera, neque quid ſit fides, de quibus loquitur ſatis intelligere. Nam quod ad primum attinet, Apoſtolus non excludit omnia opera à noſtri juſtificatione, ſed tantùm legalia, circumciſionem, ſacrificia, ſabbatha, & alia id genus: non moralia, qualia in Euangelio præcipiuntur. Id apparet ex oppoſitione quam inter utraque facit *Galat.* V. *In Chriſto Ieſu neque circumciſio quicquam valet, neque præputium, ſed fides per charitatem operans.* Vel, ut in *cap.* VI. loquitur, *Nova creatura.* & I. *Cor.* VII. *Obſervatio mandatorum Dei.* Quomodo hæc in Chriſto, ſeu ſub Chriſti regno, valent, niſi quia ad juſtificationem conferunt, tanquam conditio ſine qua obtineri non poteſt, non verò illa quæ excludit? Quidam excipiunt, ad ſalutem quidem prodeſſe aliquid bona opera, ſed non ad juſtificationem. Sed non video quæ diſcriminis hujus ſit ratio. Cùm enim juſtificatio aliud nihil ſit quam ſententia, per quam Deus nobis ſalutem adjudicaturus eſt, cur plus ille ad ſalutem quàm ad juſtificationem à nobis exigeret? Et, ſi ita ſe res habet, quomodo de omnibus juſtificatis tutò affirmari poteſt eos in ſtatu ſalutis eſſe? Quod ad alterum, nempe fidem, non animadvertunt Paulum eam ſæpe accipere pro doctrina fidei, ſeu Euangelio quo illa præſcribitur; ut cùm *Galat.* III. dicit, *Antequam veniſſet fides*; &, *Poſtquam venit fides.* Iſtud enim idem eſt ac ſi dixiſſet, Antequam vel poſtquam doctrina Euangelica fuiſſet revelata. Sic *Act.* VI. *Magna Sacerdotum turba obediebat fidei*, id eſt Euangelio. Imò nonnulli ex iis cum quibus nobis res eſt, ſignificationem iſtam urgent in locis ubi agitur de apoſtaſia à fide, I *Timoth.* I. 19. & IV. 1. Ibi enim per fidem intelligi nolunt internum illum fiducialem aſſenſum quem præbemus Euangelio, & per quem juſtificamur, ſed Euangelium ipſum ſeu fidei doctrinam. Eodem ergo modo in hac materia, cùm Apoſtolus docet nos juſtificari fide non operibus legis, fidei & operum voces ſunt accipiendæ. Nihil enim aliud iſta loquendi formula vult ſignificare, quam nos coram Deo non juſtificari faciendo opera illa ceremonialia quæ maximam legis à Moſe traditæ partem conſtituunt; ſed credendo & opera fidei exercendo, qualia nobis in Euangelio præſcribuntur: ideoque ſi tanti beneficii cupiamus eſſe participes, non amplius ad veterem legem, populo Iſraelitico olim traditam, ſed ad novam Euangelicam, quam Chriſtus attulit, vitam & mores nobis eſſe componendos. Cui cohæret illud, nos ſecundùm rigidum fœdus Moſaicum non judicatum iri, quo abſque ulla miſericordia moriendum erat ei qui legem irritam fecerat, ſeu præceptum aliquod mortis pœna ſancitum violaverat, etiamſi eum quam maximè facti pœniteret: ſed ſecundùm novum gratioſum, in quo Deus omnium peccatorum veniam offert iis qui in Chriſtum credunt, & ſe ad ipſum ex toto corde convertunt. *Act.* XIII, 38, 39. At ſi ita ſe res habet, inquiunt, ut ad juſtificationem conſequendam neceſſe ſit bona opera facere, juſtificatio noſtra non erit plane gratuita. Eam verò ut gratuitam agnoſcamus intereſt tum ad Dei gloriam, tum ad noſtræ ſalutis certitudinem. Reſp. Non ideo deſituram juſtificationem noſtram eſſe omnino gratuitam, etiamſi abſque emendatione vitæ & ſanctimonia non obtineatur, ex eo animadvertere licet, quòd eam ad ſalutem neceſſariam eſſe confiteantur, quæ non minus gratuitum eſt Dei donum quàm juſtificatio, docente id Paulo, *Rom.* VI, 23. *Eph.* II, 8. & alibi. Item ex eo quod Joannes eam, tanquam conditionem requiſitam, redemtioni quam in Chriſti ſanguine habemus apponit. *Si*, inquit, *in luce incedimus, ſicut Deus eſt in luce, communionem habemus cum eo mutuam, & ſanguis Ieſu Chriſti filii ejus purgat nos ab omni peccato.* I *Epiſt.* I. Non quod reſipiſcentia noſtra & bona opera apud Deum aliquid mereantur, aut ita perfecta ſint ut in ipſius judicio, ſi rigidè examinentur, conſiſtere valeant: abſit ut id dicam: ſed quia Deus alia lege tantorum beneficiorum participes nos reddere non vult. Et quod ad ſalutis certitudinem attinet, dico longe falli eum, qui de ea gloriatur, quamdiu adhuc in peccatis ambulat. *Per hoc enim adimpletur charitas nobiſcum, ut fiduciam habeamus in die judicii, quòd qualis ille eſt, tales & nos ſumus in hoc mundo.* I *Iohan.* IV. (Ubi verba illa, *qualis ille eſt*, καθὼς ἐκεῖνός ἐστι, ſanctitatis tantùm ſimilitudinem cum Deo notant, non paritatem, quæ vires noſtras longè excedit.) Et cum abſque bonis operibus vitam æternam non conſequamur, ut ex plurimis Sacrarum literarum locis conſtat, *Matthæi* V, 20. *Rom.* VIII, 13. *Heb.* XII, 14. & aliis; neque etiam abſque illis certi eſſe poſſumus aut debemus nos eam conſecuturos. Si contrà facimus, magno animæ noſtræ periculo nos decipimus. Summatim, ad ſalutem & ad juſtificationem neceſſe eſt bona opera facere, ſed non perinde requiritur, ut accurate noverimus quem ea ad utramque reſpectum habeant. Illud Dei legiſlatoris & judicis propriè eſt; noſtri catenus tantùm, quatenus ad eis ſedulò incumbendum adjumento

esse potest. Ita ut illi pessimè faciant, & quod Dei est sibi tribuant, qui propter dissensionem circa ejusmodi respectum fratres suos condemnare audent: præsertim cum non uno experimento sit compertum, λεπτολογίαν istam securitatis carnalis esse fomentum, & homines ad Dei mandatis parendum segniores reddere.

VI. Agitatur etiam satis fervidè hæc quæstio, An in explicandis fidei Christianæ capitibus aliquando necesse sit aliis terminis & phrasibus uti quam Scriptura S. usurpat: verbi gr. cum tractatur de Deo Patre, Filio, & Spiritu S. vocibus *Trinitatis*, *Essentiæ*, *Personæ*, ὁμοουσίου & similibus, quæ ab Ecclesiæ Doctoribus primùm excogitatæ, deinde à Conciliis approbatæ fuerunt. Non pauci enim pii & eruditi viri, animadvertentes quot subtilitatum tricis doctrina salutis præcedentibus sæculis fuerit involuta, non aliam tutiorem & commodiorem se expediendi viam esse putant, quàm si ad Sacrarum Literarum simplicitatem redeatur, & omnes humanitus inventæ voces inde arceantur, aut saltem nullus deinceps in eas jurare cogatur. Quorum religiosum scrupulum non ausim improbare. Nam re attentius expensâ ejusmodi terminos adhibere mihi nec necessarium nec utile esse videtur. Non esse necessarium concedere debent Protestantes, qui omnia ad salutem scitu, creditu & factu necessaria in Scriptura S. contineri, & adeò perspicue explicari sentiunt, ut à quolibet ipsam attente & in timore Dei legente facile possint percipi. Si enim ita se res habet, nec dogmata, nec voces ad ea explicanda, extra Scripturam opus est fingere, multoque minus licet ejusmodi dogmatibus & vocibus, tanquam necessariis, alios sub Anathematis pœna alligare. Quod seriò perpendere deberent ii, qui sine istiusmodi terminorum usu fidei puritatem in periculo versari existimant, non attendentes se principio de sufficientia & perspicuitate Sacrarum Literarum, recte à se posito, cùm id urgent renunciare. Sed, inquiunt, necesse est illis uti ad detegendos hæreticos, qui sub Scripturæ verbis se occultant, & interim verum illius sensum corrumpunt & abnegant. Quibus respondeo, 1. Nullum à nobis pro hæretico esse habendum, qui se religiosè illa quæ claris verbis in Scriptura docentur, amplecti profitetur, etiamsi in obscurorum aliquot locorum intelligentia nobis hallucinari videatur. Eo ipso enim quod omnia illa quæ clara sunt credit, jam in via salutis est, nec propterea quod in difficilioribus nonnullis fortè erret, ideò statim hæreticus pronunciandus est. 11. Voces istas à Conciliis & Doctoribus Ecclesiasticis excogitatas, non posse absque Spiritus S. ignominia commodiores existimari ad hæreticos convincendos, aut ex suis latebris protrahendos, iis quæ apud Sacros quos inspiravit Scriptores inveniuntur. Id quod adhuc clarius apparebit, cùm alterum assertionis meæ membrum probavero, videlicet utile non esse illas adhibere. Primaria ergo quæ me ad ita sentiendum movet ratio hæc est, Quod istæ voces sint ὁμώνυμοι, & quo significatu accipi debeant ignoretur. Nam ut unam aut alteram illarum examinem, *Personæ* occurrunt variæ apud eos qui de Trinitate disputant definitiones, non verbis tantum, sed etiam sensu valde inter se discrepantes. Vulgò solet definiri, Substantia singularis intelligens, seu (ut Scholastici loqui amant) suppositum intellectuale. Et hoc sensu quot homines sunt totidem esse dicimus personas; licet Laurentius Valla id tanquam barbarum improbet, & personæ vocem apud bonos Latinitatis auctores nihil aliud nisi qualitatem significare contendat. Sed alii majus quid in hac definitione desiderant, nempe quod eâ admissâ dicendum foret animas à corpore separatas & Christum hominem esse personas: item quia si plures ejusmodi personæ darentur in Deo, esset compositus: quæ omnia sint falsa & absona. Substituunt itaque aliam in ejus locum, quam Justino Martyri tribuunt, qui in Expositione fidei dicat, Personam divinam esse τρόπον ὑπαρξεως, seu modum existendi. Sed non est cur celeberrimi istius Scriptoris nomine quisquam ad eam recipiendam moveatur. Tractatus enim ex quo citatur non est genuinus ejus fœtus, sed auctoris multò recentioris, ut Critici id multis rationibus evincunt, inter alios Bellarminus, libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, & antiquitatis Ecclesiasticæ peritissimus Theologus Andreas Rivetus, in Critico sacro. Et propius inspecta hæc definitio absurda esse videtur. Nam secundùm Metaphysicos modus entis medium quiddam est inter ens & purum putum nihil; in quem censum etiam referunt privationes, entia rationis, & alia ejusmodi. Unde sequitur, si persona divina nihil aliud sit nisi ejusmodi modus, eam minus entitatis habituram quam accidens, & propemodum nihil fore. Proinde cùm, ut celebres multi Theologi sentiunt, essentia in divinis nec generet nec generetur, sed tantùm persona, tum Pater quà Pater est & Filium genuit, tum Filius quà Filius est & à Patre genitus, minus quid erunt quam exile accidens; quod an non ad Atheismum viam sternat intelligentibus considerandum relinquo. Unde porrò colligo eos qui personam per modum existendi definiunt, ut & illos qui negant eam esse Rem seu Ens aliquod, vel substantiam, non videri habere legitimam causam cur admodum succenseant illis qui unam tantùm in Deo personam agnoscunt. Utrique enim in hoc quod præcipuum est conveniunt, essentiam sive naturam divinam esse unam, & eam totam in Patre esse, nihilque essentiæ Dei decedere sive una sive plures censeantur esse personæ. Et quæ inter ipsos agitatur controversia non est de re aliqua, sed tantum de modo rei, qui adeo exilis est ut minus sit quam accidens, & fere nihil. De re autem tam exigua (si per ipsos rem mihi dicere liceat) pacis & unitatis Ecclesiasticæ amantes cum aliis digladiari non decet. Nec commodior videtur vox ὁμοιουσίου, quam

quam Latine reddunt *Consubstantialis*, vel *Coëssentialis*. Est enim ambigua, & alio sensu à veteribus, alio à recentioribus Theologis accipitur. Nam veteres qui circa Concilii Nicæni tempora vixerunt, in cujus Symbolo primùm usurpata reperitur, non aliter Patrem & Filium in divinis censuerunt esse ὁμοουσίους, quam prout duo homines sunt ὁμοούσιοι, qui eandem specie humanitatem inter se communem habent. Id liquet ex Concilii Chalcedonensis Symbolo, in quo legimus Jesum Christum esse ὁμοούσιον τῷ πατρὶ κατὰ τὴν θεότητα, καὶ ὁμοούσιον ἡμῖν κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα, id est, *Consubstantialem Patri secundum Deitatem, & consubstantialem nobis secundùm humanitatem.* Quæ verba ex diversarum Synodorum Symbolis congesta, octies repetuntur in prima Justinianæi Codicis constitutione, De summa Trinitate & fide Catholica. Sed prolixius id declarat Athanasius, Dialogo 1. de Trinitate, non procul ab initio: ubi introducit Anomæum, id est Arrianum, petentem, *Cujusmodi se habent tres hypostases in Trinitate?* Et Orthodoxus respondet, *Ut sunt Petri & Pauli & Timothei tres hypostases & una humanitas.* Anom. *Ergo sunt tres Dii.* Orthod. *Absit ut hoc dicam.* Anom. *Si ita sunt hypostases ut Petri & Pauli & Timothei, tres sunt Dii, quandoquidem Petrus, Paulus & Timotheus tres sunt homines.* Orthod. *Ne hi quidem sunt tres.* Anom. *An-non igitur tres sunt Petrus, Paulus & Timotheus?* Orthod. *Tres quidem sunt, at non tres homines: quia tunc tres sunt homines, cùm dissimile cor habuerint, ut Græcus & Iudæus & Christianus. Sin verò idem senserint: nec sint inter eos dissidia, tres quidem sunt hypostases, sed unus in Domino, quòd unum animum & unum cor habeant: & tres quidem sunt numero, at non quod diversam inter se naturam vel diversum cor habeant.* Anom. *Ego eos qui tres sunt, tres esse dico.* Orthod. *At ego tres esse dico, si inter se dissenserint: quod si ex Dei verbo fuerint eadem mente & sententia compacti, unum novum hominem esse dico, manentibus tamen hypostasibus.* Anom. *Sed hæc de hominibus dicuntur; in Deo verò aliter se res habet.* Orthod. *Si in iis quæ corporaliter separata sunt, modo animi sententia non dissideant, habet Scriptura* UNUS & UNUM, *multò magis id dicendum est in iis quæ sunt materiæ & corporis expertia. Aut igitur in istis ponito esse dissidia, ut tres Deos dicamus, quoniam unus istud, alius illud velit: aut si nulla est in iis dissensio, unus sit Deus Pater & Filius & Spiritus S; quemadmodum qui in Christo sunt compacti, unus homo sunt, sicut scriptum est.* Et sub ejusdem Dialogi finem rursus Orthodoxum ita loquentem facit, *Qui coëssentialitatem dicit Christianus est: qui verò existimat eum non esse Christianum qui coëssentialitatem dicit, & tamen ipsemet hoc dicit, comperitur seipsum condemnare, ut servus ille malus ex suo ipsius ore damnatus.* Et Anomæus respondet, *Quomodo vero sum compertus id dicere?* Orthod. *Nos (dixisti) sentimus Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum esse instar Episcopi, Presbyteri, & Diaconi.* Anom. *Fateor me dixisse instar Episcopi, Presbyteri, & Diaconi.* Orthod. *Atqui Episcopus, Presbyter, & Diaconus sunt ὁμοούσιοι, coëssentiales. Fassus es igitur ὁμοούσιον, coëssentialem esse Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum.* Ex quibus Athanasii locis Sole clarius apparet, ipsum ideo tantum Patrem, Filium, & Spiritum S. dicere esse consubstantiales quia in eadem specie Deitate conveniant, & summa inter eos sit voluntatis consensio. Idem denique, ne plura loca congeram, evincitur ex hypostaseos definitione, quam Anastasius & Cyrillus, ille Antiochenus, hic Alexandrinus Patriarcha, in Compendiaria sua fidei orthodoxæ explicatione tradunt; quòd ὑπόστασις sit οὐσία μετὰ τινων ἰδιωμάτων ἀριθμῷ τῶν ὁμοειδῶν διαφέρουσα, τουτέστι πρόσωπον ὁμοούσιον, id est, *essentia cum suis quibusdam proprietatibus, ab iis quæ ejusdem sunt speciei numero differens, hoc est persona coëssentialis.* Cùm enim dicunt ea quæ sunt ejusdem speciei, & numero differunt, personam coëssentialem constituere; satis ostendunt se non existimare Patrem, Filium, & Spiritum S. aliter esse coëssentiales, quàm sint tres homines, à se numerica essentia distincti, specifica verò unum. Sed recentiores Theologi, ut ex omnibus ipsorum scriptis liquet, Patrem, Filium, & Spiritum S. putant esse ὁμοουσίους, quia unam numero essentiam inter se communem habent, non verò specie tantùm. Quid me hîc in tanto, quem inter utrosque animadverto dissensu, facere convenit? Veteres-ne sequar? Æquum sanè id videretur. Nam à quibus vocem accepimus, ab iis quoque significatum illius discere consentaneum est. Sed sensus iste nostris improbatur, & Tritheismum introducere putatur. Recentiores-ne ergo potius audiam? At sententia ipsorum, præterquam quod nihil habet in veteris Ecclesiæ auctoritate, præsidii, est etiam ἀκαταληπτος. Nam cum essentia sit illud quo unaquæque res est id quod est, & ab aliis omnibus distinguitur; plures in divinitate distinctæ personæ esse non posse videntur, quin plures etiam sint essentiæ; & dicere tres personas unam numero habere essentiam, idem esse videtur atque asserere eas unam tantum esse personam, Sabelliique hæresi accedere, qui Patrem, Filium, & Spiritum S. unam eandemque personam esse dixit, sed quæ diversis nominibus appelletur, & ita mirum in modum totam salutis nostræ œconomiam perturbavit. Cum ergo hic stem inter sacrum & saxum, & quocunque me vertam præcipitium ante pedes videam, nonne præstat me ab hac voce & similibus, tanquam impropriis, & gravissimorum errorum latibulis, abstinere, & solas auctorum θεοπνεύστων, qui nec falli nec fallere potuerunt, de hac materia loquendo voces & phrases usurpare?

VII. Quantum in Orbe Christiano turbarum dederit disputatio de Regimine Ecclesiæ nemo est qui ignoret. Non loquar jam de Monarchia, quam Papa Romanus in reliquos omnes

Episcopos & Ecclesiasticos sibi vendicat. Solo enim contemtu excipi meretur Bonifacii VIII arrogantia; *Subesse Romano Pontifici, omni humanæ creaturæ declaramus, dicimus, definimus & pronunciamus, omnino esse de necessitate salutis.* Cap. unam sanctam, Extravag. de Majorit. & obed. Protestantes qui nos proprius tangunt videamus, & quam graviter ista occasione Scotia & Anglia paucis ab hinc annis concussæ fuerint consideremus. Controversiam tamen quæ motus istos excitavit privata Ecclesiæ membra nihil tangere quod ad conscientiam, imò ne Magistratus quidem, cuilibet attendenti est manifestum. Dico quod ad conscientiam: quia certum est Deum à nemine rationem reposciturum, cur Episcopali se potius quàm Presbyteriali regimini, aut contrà, subjecerit; sed tantùm an mandatis suis, sive per hos sive per illos promulgatis, paruerit examinaturum. Licèt ergo quod ad hominem externum unus ordo alio commodior interdum esse videatur, quia tamen in eo salus animæ non vertitur, privatus Christianus id tanti non faciet, ut propterea cum fratribus contentionis funem trahere velit: sed meliorem optans in Ecclesia politiam, publicè receptam qualiscunque sit placidè feret; præsertim si videat eam absque turbis emendari non posse. Imò Magistratus quoque supremus, cujus est curare ut Ecclesia quam optime fieri potest regatur, eodem se modo geret, omnia sua consilia ad Ecclesiæ & Reipublicæ pacem ita referens, ut si quod optimum judicat facile obtinere non possit, tolerabili potius sit contentus, quam Rempublicam in discrimen adducat: navarchum imitans, qui vi tempestatis adversæ à portu quò tendebat depulsus, καὶ ὅθ' περον πλῆν in proximum aliquem cursum suum dirigit. Si quando igitur dissidia inter Pastores & Ecclesiarum rectores exoriantur, eò quòd quidam eorum priores se ferre amplius nolint, alii verò ne quidem pares, ut olim Romæ Cæsar & Pompejus, prudens Magistratus nulli parti suam auctoritatem commodabit, ad eam vi tuendam, & contrariam opprimendam; sed potestate sua utens ad ædificationem, non ad destructionem, utramque potius quantum in se est ad pacem & concordiam revocare annitetur. Quam verò indignum sit Christianos, sive Ecclesiæ sint Rectores, sive privata illius membra, in gratiam hujus vel illius regiminis formæ inter se rixari, aut etiam ferro decernere, inde animadvertere quilibet nullo negotio potest, quod neutra expressâ lege à Christo aut ab ejus Apostolis sit præscripta, ita ut observatu ad salutem esse necessaria prætendi possit. Expressa autem lege ista de re nihil esse cautum id arguit, quòd neutra contendentium pars hactenus ullam, quæ talis meritò vocari possit, pro se facientem, ex Sacro Novi Testamenti Codice attulerit. Exempla quidem, fateor, aliqua ibi occurrunt, ex quibus quid tunc temporis in usu fuerit satis verisimiliter colligi queat. Sed exempla vim legis conscientiam obligantis non habere, omnes tam divini quàm humani juris periti consentiunt. Nec sine causa. Quamvis enim id quod legum-latores observarunt, bonum & utile pro illo tempore & loco ab ipsis judicatum fuisse indubium sit, eo tamen ipso quòd non sanxerunt ut perpetuò ita fieret, libertatem aliter se gerendi, si res id exigeret, relinquere voluisse patet: præsertim si tanta fuerint sapientia præditi, ut quid in posterum expediret non ignoraverint, quemadmodum de Christo & ejus Apostolis, Spiritu S. plenis, religiosa fide credimus. Sic quamvis Dominus Jesus trigesimo ætatis suæ anno in Jordane baptizatus fuerit, exemplo tamen suo legem non fixit baptismo, ut non nisi illa ætate & loco suscipiatur. Imò qui eum hic imitari nunc vellet, tanquam superstitiosus meritò derideretur. Similiter sacram quidem Eucharistiam cum discipulis suis vespere post cœnam Paschalem sumtam celebravit: sed nullibi aut ipse aut ejus Apostoli præceperunt, ut perpetuò id ita in Ecclesia observaretur. Unde colligimus Christianorum arbitrio relictum esse, ut ad hujus mysterii celebrationem qua commodissimum videbitur hora conveniant. Et sanè cum dierum discrimen, quod sub Veteri fœdere locum habuit, in Novo sit abrogatum, ut ex *Rom.* XIV. 5, 6. *Galat.* IV. 10, 11. *Coloss.* II, 16, 17. constat; an putandum est Christum ad certam aliquam horam exemplo suo solo, absque lege qua de perpetua ejus voluntate edoceremur, alligare nos in Sacra Synaxi voluisse? Multo ergo minus exempla controversa, & de quorum vero sensu inter eruditos disputatur, ad hanc aut illam regiminis formam in Ecclesiam, contra multorum voluntatem, introducendam sufficiunt. Si verò recepta forma, longo annorum decursu sit depravata, & aliquid in eam vitii irrepserit, quod emendatione indigeat, legitima id via & ordine corrigatur, non vi & armis; cùm violenta ejusmodi reformatio, experientia teste, remedium sit morbo ipso multis partibus periculosius. Eademque est quorundam aliorum rituum ratio, ut certi generis vestium, in quarum usu sanctimoniam aut profanitatem collocare, eorum est qui in quo Christianismus consistat nesciunt: tantùm enim abest ut hæc & similia ad religionis medullam pertineant, ut vix illius corticem tangere videanrur.

Sed exemplorum satis est. Ex his quæ attuli judicium de cæteris fieri potest, & agnosci magnam illarum opinionum partem, propter quas Christiani hostilibus animis & armis inter se concurrunt, & alii alios ad Orcum damnant, levioris multò est momenti, quàm ut tantas animorum commotiones excitare debeant. Quamobrem unica hæc illas sedandi ratio supereſt, ut litibus circa non necessaria valere jussis, omnes qui in fundamentalibus consentiunt, iterum in unum Ecclesiæ corpus coëant. Ita pax, quæ tamdiu à nobis pulsa exulavit, postliminio redibit, & nos

invicem

invicem tanquam fratres in Christo mutua charitate complectemur. Quo vero ordine id commodissime in praxin deduci possit, non est instituti mei nunc edisserere: prolixiorem enim requireret tractationem, quam hujus Præfationis modus permittat. Id fortè aliàs (si Deus cœptis annuerit) separato fiet opere.

Interim sufficiet hîc inserere prudens ea de re consilium D. Bartholomæi Prævostii, in Ecclesia Remonstrantium Amsteldamensis concionatoris doctissimi & facundissimi, collegæ mei charissimi, ex ejus Concione in Psalmum CXXII, anno CIↃ IↃC XLVIII, Junii decimo die, quo gratiæ Deo publicè in toto Belgio, pro pace inter Hispaniarum Regem & Fœderatos Ordines facta, agebantur, Belgico sermone edita, & postea nonnihil ab ipsomet interpolata. Ibi postquam ab exemplo Hierosolymæ, pro cujus pace David in illo Psalmo precatur, docuisset in Republica non tantum administrationis justitiæ, sed etiam Religionis summam habendam esse curam, ista occasione de Religione Christiana & variis ejus sectis agit, & qua illæ via & modo vel tandem in unum corpus redigi, vel saltem ut pacem inter se colant, adduci possint, ostendit, sic differens. *Existimo urbem Hierosolymam, qualis circa Servatoris nostri Iesu Christi tempora conspiciebatur, præclarum nobis præbere exemplum, qua ratione pax Ecclesiastica inter adversas de Religione opiniones sarta tecta conservari possit. In ea tunc erat unicum commune & publicum templum, in quod omnes Iudæi cultus divini gratia conveniebant. Sed præterea ibidem erant diversæ Synagogæ, videlicet Pharisæorum, Sadducæorum & Essenorum, in quibus singuli, alicui ex istis sectis addicti, privatas suas & à reliquis discrepantes opiniones docebant. Imò, quod amplius est, omnes isti sine discrimine in Senatum supremum admittebantur, ut ex diversis Novi Testamenti locis liquet, & nominatim ex* Act. v. 17. XXXIII. 6. *ubi unam Concilii partem Sadducæorum, alteram Pharisæorum fuisse dicitur. Nusquam tamen legimus Iesum Christum, aut ipsius Apostolos, ejusmodi diversarum Sectarum & Synagogarum tolerantium reprehendisse, tantum abest ut eas Dominus Iesus externo aliquo facto abrogaverit. In id solummodo incubuit, ut bona institutione omnes simul ad veram in se fidem adduceret. Optandum ergo foret (ut ego quidem sentio) ut qui publica templa & munera occupant, in sua Confessione, doctrina, cæremoniis, aliisque, se intra primorum Christianorum & Apostolorum simplicitatem & generalitatem continerent, qui una concione aliquot hominum millia ad Christi fidem adduxerunt; aut duodecim illis Catholicæ fidei articulis, Symbolo Apostolico comprehensis, hoc est paucis admodum, & paucis ceremoniis, contenti essent, & in aliorum conscientias dominium non usurparent, adeò ut omnes absque animi offensione publicos illos cœtus frequentare, & ibi inter se Eucharistiam celebrare possent. Decisiones enim divisiones pariunt, & quò plures fiunt decisiones, eò plures inde oriuntur divisiones & schismata. Speciatim verò, quod ad publicas coram populo conciones attinet, si vel ad difficilium & obscurorum Scripturæ S. locorum explicationem, vel controversiæ alicujus utilis discussionem & enodationem, vel noxii erroris exstirpationem, aliamve similem ob causam, fieri penitus aut nonnisi difficulter admodum nequiret, ut concionatores se continerent in iis solum pertractandis quæ scitu & factu præcise necessaria, & apud omnes fere Christianos in confesso sunt; Ecclesiæ autem ædificatio exigeret ut ad specialiora quædam, quàm quæ communi Christianorum confessione comprehensa, & suprà indicata sunt, descenderent; Tum ad pacem Ecclesiæ tuendam, & schismata evitanda, necessarium omnino foret ut Ministri, prout etiam omnes Christianos decet, summam in illis tractandis Christianæ modestiæ rationem haberent, ab odiosis contrà sentientium denominationibus & traductionibus, item à calumniis in sententia ipsorum referenda, abstinerent, nec consequentias suas pro partis adversæ opinionibus afferrent aut venditarent; argumenta pro sententia sua valide quidem, attamen modestè, semper proponerent, partisque adversæ objectiones sine nomine, saltem odioso, refutarent: brevitor, eâ in contrà sentientes moderatione, charitate & prudentia uterentur, qua ipsos erga se uti optarent, vitando omnia quæ ad animos illorum vel auditorum in ipsos exacerbandum facere posse existimarent, nihil aliis imperiosè præscribendo, sed unicuique judicii sui libertatem salvam relinquendo, semperque (non obstante opinionum diversitate) ad pacem & tolerantiam mutuam omneque schisma fugiendum monendo & concludendo, aliaque ejusmodi, quæ cujusque Ecclesiæ status postulare videretur. Hac ratione pax in una eademque Ecclesia, per Pastores inter se mutuo sententiis discrepantes, ex uno eodemque suggesto ad eundem populum negotium Religionis & Scripturæ tractantes, salva singulis prophetandi libertate, citra metum schismatis conservari, imò etiam amissa restitui posse nobis videtur: imprimis si ea quæ controversa sunt rarò, nec statim post auditam contrà sentientis concionem, & per modum oppositionis & refutationis, sed alia commodiore via, discuterentur. Quod si supra memorata, etiamsi æquissima & religioni Christianæ planè consentanea sint, à Pastoribus in eadem Ecclesiæ docentibus obtineri nequirent, proximum esset ut illi qui ab aliis ejicerentur, aut in conscientiis gravati sponte discederent, & ad suam ædificationem separatos cœtus habere mallent, libere convenire possent, & ob solum atque innocens Religionis exercitium nulla eis molestia crearetur. Ita nemo de tyrannide in conscientias usurpata conquerendi occasionem haberet, libertas prophetandi non impediretur, & cùm nunc omnia odiis & animorum dissidiis ardeant; charitatem, & concordiam mutuam inter Christianos redire, & nova in dies incrementa capere, videremus. Sed quia nondum eadem omnibus mens est, ut id communi consensu in praxin revocari possit, nos interea in plerisque Bataviæ locis, singulari Magistratuum nostrorum benignitate & clementia (quo nomine ipsis, sed in primis Deo summopere sumus devincti)*

con-

*conſcientiis noſtris ſatisfaciendi libertatem tandem adepti, illud ad communem omnium Chriſtianorum, & præcipue eorum qui à Papatu ſeceſſerunt, ſolamque Scripturam S. pro fidei regula agnoſcunt, unionem & reconciliationem, quantum in nobis eſt, obſervare ſtudemus. Quamvis enim noſtram de pleriſque Religionis Chriſtianæ capitibus ſententiam copiosè in noſtra Confeſſione & aliis ſcriptis declaraverimus, neminem tamen ulterius illi alligamus, quam quatenus eam cum Sacris Literis convenire agnoſcit; & cum de aliquo ad noſtram communionem admittendo agitur, in ſola Catholicæ fidei confeſſione, & vitæ ad Chriſti mandata componendæ profeſſione, acquieſcimus, nihil præterea in ejus conſcientiam inquirentes. Et ad iſtam declarationem Baptiſmum iis qui ad nos accedunt adminiſtramus, eoſque ad Sacram Synaxin nobiſcum celebrandam recipimus. Sententiam quidem noſtram de aliis rebus fidei in concionibus aperimus, & defendimus, ſed non idcirco cos qui ab illa diſident condemnamus, aut à noſtra communione arcemus; verùm cogitantes fieri poſſe, ut ii quos in errore verſari putamus ſanius nobis ſentiant, æquanimiter eos toleramus, ſicut & nos ab ipſis tolerari cupimus. Iſtud Eccleſiam verè Catholicam conſtituit; utpote quæ illis ſolis tanquam neceſſariis dogmatibus adhæreat, quæ ab omnibus Chriſtianis ſemper & ubique pro veris ſunt agnita. Quiſquis talia confitetur, genuinum ejus eſt membrum, & noſter in Chriſto frater, dummodo ab idololatria, tyrannide in conſcientias, & profanis moribus purum ſe conſervet. Hoc obſervamus, & à nemine quicquam præterea, nec in fide, nec in cæremoniis, nec in regimine Eccleſiaſtico, exigimus. Et ut hæc noſtra mens & praxis nullum qui ad cœtus noſtros accedit lateat, & perpetuo inter nos obſervetur, id in omnibus noſtris concionibus repetimus, & inculcamus. Parati quando animadvertemus alios quoque ejuſmodi Eccleſiam, & ita pacis ſtudioſam, erigere velle, cum illa communionem colere. Optantes & orantes ut univerſus Chriſtianus Orbis tandem aliquando ad ejuſmodi compoſitam mentem redeat, & religionem non in multis deciſionibus, cæremoniis & ſimilibus conſtituat, ſed potius in multis bonis operibus, vera pietate, charitate non ficta, & mutua ignorantiarum quibus omnes obnoxii ſumus tolerantia.* Hactenus ille.

Quia verò fruſtra conſilia, quantumvis ſalutaria, proponuntur, ſi nullus ſit qui ea ad animum revocet, eorum eſt quos Deus Reipublicæ, & Eccleſiæ regendæ præfecit, Magiſtratuum, inquam, & Paſtorum, pro viribus allaborare, ut tum ipſi tum populus cui præſunt, tandem aliquando iis obtemperet, & ſic abdicatis inimicitiis aurea pax inter Chriſtianos deinceps floreat & vigeat, atque omnes, ſicut olim in Eccleſia primitiva, unum cor & una anima ſint in Domino. Hic eſt primarius finis ad quem D. Epiſcopii Inſtitutiones Theologicæ collimant, in quo explicando propter magnam rei utilitatem aliquanto diutius immoratus ſum.

Quid ſibi propoſitum habuerit in aliis quos hoc volumen repræſentat Tractatibus, ex ipſorum titulis, & quas nonnullis præfixi Præfationibus in promptu eſt diſcere, ita ut opus non ſit me ſuperflua illorum recenſione tempus terere. Tantum hoc uno verbo dicam, me ad illos emaculandos & ornandos eandem quam ad præcedens opus curam attuliſſe. Quatuor ad Tractatus è Belgico ſunt verſi; duo à me, nempe *Conciones de cauſis incredulitatis Iudæorum*, & *Iudicium de controverſia, quodnam ſit ordinarium converſionis medium:* reliqui duo, videl. *Labyrinthus Pontificius*, & *Reſponſio ad dilemmata decem*, à duobus D. Epiſcopii diſcipulis. Quod ſignificandum hîc putavi, ut ſi reliquorum operum elegantiæ ſtylus in illis non reſpondeat, id auctori non imputetur, ſed interpretibus.

Quod ſupereſt, pie & erudite Lector, labores meos ut æqui bonique conſulas à te poſtulo. Tibi enim tuiſque ſtudiis prodeſſe, nemini verò obeſſe aut diſplicere fuit animus. Quod ſi aſſecutus fuero, erit cur mihi gratuler, & operam meam ac vigilias bene collocatas putem. Si ſententiâ in quibuſdam diſſideamus, animo tamen concordes eſſe poſſumus & debemus, atque in eo ad quod pervenimus, eadem regula incedere, ſolliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis, donec Deus abditiora verbi ſui arcana ignorantibus patefaciat. Quod ut brevi pro immenſa ſua bonitate facere dignetur, ardentibus ipſum votis & animi gemitibus oro. Vale. Amſteldami, Anno vulgaris æræ Chriſtianæ CIↃ IↃC XLIX exeunte.

CASPA-

CASPARIS BARLÆI

# EPICEDIUM

in Obitum Reverendi Clarissimique Viri

## D. M. SIMONIS EPISCOPII,

Ecclesiastæ, & SS. Theologiæ in celeberrima Batavorum Academia antehac Professoris dignissimi.

PRæcessere Ducum mortes, & grandia dixi
Funera, & illustres obitus clarumque cadaver
Pugnantis pro Rege animæ. peregrina locutus
Damna fui, & fractis RICHELI cervicibus, axes
Nutantes Druidum, & socii dispendia regni.
Tunc habuit regalis apex, quem luxit, & ipsi
Sanctior in Latio defleta est purpura Tybri,
Attonitamque procul concussit Sequana Romam.
Nunc propior me luctus habet, titulique minoris,
At sacri tamen, exuviæ, metuendaque Romæ
Nomina deflemus Batavi. jam læta Quiritum
Exultat domus, Ausoniis dum partibus acer
Cessit EPISCOPIUS, Tiberique hæc gaudia sola
Morte facit, Dominam chartis qui terruit Urbem,
Et vixit tibi, Roma, gravis. mutata malorum
Scena patet, nostrisque incumbens pallida terris
Devotum tibi, CHRISTE, caput, cœlique ministrum
Subduxit Libitina suis. non sceptra Ducesque
Ad tumulum cineresque viri deposcimus. aulæ
Funereos nolo strepitus pompasque potentum,
Et quicquid fastu tumet & se polluit ostro.
Incedat fluidis mœrens Ecclesia vittis,
Et pallam funesta trahat. Vos ordine cives
Ite, quibus toties cœlestis nuntia vitæ
Insonuit tuba, & æthereæ validissima causæ
Buccina. nunc miseris, nunc peccatoribus urnam
Tollimus, & spretas mundo submittimus umbras
Exequiis, trahimusque Dei post busta cohortem.
Sic ubi flammiferis Thesbitem auferret Olympus
Curribus, & tanto infelix Judæa magistro
Orba foret, stupuere patres, ploravit ademptum
Isacides, raptoque seni pars optima gentis
Indoluit, luxitque virum desertus Eliseus.
Ipsa rogum tangens PIETAS, sic fatur: In illis
Exuviis sum fassa Deum, partæque salutis
Grande opus, & magni cunas & funera Christi,
Calcataque domos Erebi. non terruit illum
Impietas seclique furor, nec nixa priorum
Lege superstitio, aut veteris constantia falsi.
Sola fidem fecit scripti fiducia veri,
Nec dubiæ Superûm voces & prodita cœlo
Relligio, & validis spes imperterrita vatum
Eloquiis, unoque Deo doctore triumphans.
His latuit Pax exuviis, litesque perosum
Pectus, & hæc suetum populis credenda fateri,
Quæ cunctis sine nube patent: his legibus orbem,
Sic coisse pios: sic sanctis fœdera necti,
Nec placitis dirimi socios: ea bella vetari,
Queis regnum sibi quisque struit: decretaque templis
Vult inferre ferox, non persuadere modestus.
Hæc docuit, qui noster erat. quin regula morum
Tarsensique diu descriptus Episcopus, orbi
Hunc dedit exemplum, parteque implesse docentis
Credidit, & summum factis monstrasse Tonantem.
Ista sacrosanctos inter Facundia cœtus
Detonuit, potuitque animos fregisse rebelles
Adversosque mihi. nihil est, quod diceris, Orpheu,
Agrestes homines sacer interpresque Deorum
Avertisse fero cultu, fidibusque misellam
Eurydicen stygiis olim rapuisse tenebris.
Hic sacer interpres Batavûm cœlestibus urbes
Vocibus implevit. visum pallescere quodvis
Crimen, & improbitas dictis percussa severis
Horruit, & sacrum timuit vesania fulmen
Et tonitrus, Vir clare, tuos. mutata fuere
Pectora peccantum; castigatique furores
Subsidere malis. sic quondam condidit arces
Amphion fecitque bonas, majorque refulsit
In terris virtutis honos. audivimus oris
Optima verba tui, cum te vis docta loquendi
Per voces raperet, populo plaudente, BEATAS,
Tantaque mirandos caperent oracula sensus,
Tunc felix tibi pauper erat. solatia mœstis
Pulchra dabas. miti tellus promissa fideli est.
Cœlica dos justo. mundis augusta verendi
Ora creatoris. summi clementia Patris
Vindicibus miseræ gentis. tunc pacis alumnos
A Superis cœloque genus traxisse docebas.
Hoc memini, stupuisse mihi ceu cœlitus ictum
Pectus, & adductis intus collisa fuisse
Viscera visceribus, cùm tot discrimina, cædes,
Fataque sanctorum atque insontis barbara turbæ
Supplicia infandumque pius renovare dolorem
Orsus eras, Regumque iras & bella referres
Arduus, & pavidis sanctorum incendia flammis.
Quantus erat fervor cupido, quis zelus agenti
Res hominum causasque Dei. sit Rottera testis,
Et quæ rura tibi debent exulta docenti,
Officiique modos à te didicere magistro.
Quam subit illa tui quondam Doctoris imago
Rhene pater: cum tot juvenum stipante caterva
Iret & in mediis Batavorum invictus Athenis,
Assereret veri partes, perplexaque Graiûm
Dogmata, Palladiæque aptaret præmia fronti.
Publica cum celebri inferrent mandata Lycæo,
Diffudit se fama viri. tunc Belga, Britannus,
Pannonius, potorque Savi, collectaque pubes
Undique, fatidicæ veneranda arcana Minervæ
Hausit, & æthereas scrutata industria voces
Agnovit gavisa Deum, & servantis Olympi
Robur adorandum & venturis abdita seclis.
Errori præclusa via est. erepta Sophistis
Arma, dolique omnes isto sub vindice dudum
Et latebræ patuere. stetit munita valensque
Illo præceptore Fides. perque ardua rerum
Præcipitesque ævi salebras nos intulit astris.
Ille per adversos Patriæ sine crimine fluctus
Tutus iit, mediisque insons caput extulit undis,
Exilioque redux, magnæ se reddidit urbi,
Quæ fuerat natale solum. nunc plorat ademptum
Civis EPISCOPIUM, nec pasci vocibus istis
Se dolet, attentasque frui sermonibus aures.
Hic cineres capit urna tuos, Vir maxime; sed te
Laxior orbis habet. spatiis non clauderis illis,
Queis diffuse jaces. quavis in mente tuorum
Conditur urna tibi. tecum doctrina vagatur,
Et qua se vis ingenii, memorabile nomen
Explicat, & placidos extollet posthuma manes.
Posteritas, dicetque suis: jactamur amici
In terris, medioque sibi secura per ignes
Mens & causa gradum faciunt. innoxia gliscit
Simplicitas, curatque parùm, cum conscia recti est,
Se mundi mactari odiis. si terra negatur,
Insonti cœlum omne patet. non exulat orbe,
Quem pars orbis habet. patria est, ubi vivere forti
Posse datur. non templa piis, non limina desunt,
Virtutum cum templa sumus. sat magna coimus
Agmina, cum se sancta probant. sociamur in unum,
Nec sumus avulsi fratres, quos unius omnes
Spes vitæ melioris agit, quos alligat uni
Rerum summa duci. diversis cœtibus imus,
Sed Christo monstrante viam, discordia partes
Sola mente facit; sed quas coalescere tandem
Suadet amor, Romæ metus & vix pulsa tyrannis,
Partaque concordi libertas aurea regno.
Hæc voluit, cujus nunc officiosa feretrum
Pone sequor. talis potuit placuisse Tonanti.
Dixerat hæc PIETAS, & cœlo debita mater:
Dum præclaram animam cognatis inserit astris,
Has veteri jussit lachrymas me flere sodali.

****

INDEX

# INDEX
# LIBRORUM ET CAPITUM
## INSTITUTIONUM THEOLOCICARUM,

quæ primam hujus voluminis partem constituunt.

### LIBER PRIMUS.

De Theologia & Religione in genere.


Caput. Pagina.

I. De requisitis in Theologiæ studioso. 1
II. De Theologia: Eam non esse speculativam scientiam, sed practicam. 4
III. Nullam esse homini innatam Deitatis opinionem. Aliqua tamen dari principia in natura ex quibus ratiocinando colligere possit Deum esse: Et quænam inde hujus rei petantur argumenta. 6
IV. Variæ Atheorum objectiones proponuntur & diluuntur, 12
V. Demonstratur Deum esse ex diversis ipsius patefactionibus. 13
VI. Respondetur ad argumentum eorum qui Deum aliquem esse non nisi fide cognosci posse putant. 16
VII. Quid sit Religio, & qua in re consistat. 16
VIII. De Religione naturali, ejusque primo actu, qui est honestum à turpi discernere. 17
IX. An lex naturalis obliget ad modum operandi ex dilectione Dei. 20
X. De Religionis naturalis infirmitate. 21


### LIBER SECUNDUS.

De Revelatione Abrahamo facta.


I. De variis Revelationum divinarum speciebus & gradibus. 23
II. Duæ quæstiones ad Revelationes divinas pertinentes solvuntur. 26
III. Quomodo se Deus Abrahamo revelaverit. 30
IV. De actionibus quas Deus ab Abrahamo in fœdere suo stipulatus est. 31
V. De Abrahami erga Deum obedientia. 32
VI. De promissionibus Abrahamo factis. 33
VII. De fide Abrahami, ejusque tum promptitudine tum constantia. 35
VIII. De Obsequio Abrahami, ejusque promptitudine & constantia, in exeundo e patria, & immolando filio unigenito. 37
IX. De Tentatione Abrahami: & in genere, Quomodo & in quem finem Deus homines tentet. 39
X. De præcepto circumcisionis, & Abrahami in eo exequendo alacritate. 43


### LIBER TERTIUS.

De Revelatione Mosi facta.

#### SECTIO PRIMA.

De Lege Mosis in genere.


I. De persona & officio Mosis. 49
II. De modo Revelationis Mosi factæ. 50
III. De Miraculis Mosis. 53
IV. De lege scripta & orali. 56
V. De legis oralis partibus. 57
VI. De legis oralis vanitate. 58



Caput. Pagina.


#### LIBRI TERTII

#### SECTIO SECUNDA.

De Præceptis Affirmativis.


I. Prima domus, quæ est divini cultus, & XX præceptis constat. 60
II. Secunda domus, quæ est Sanctuarii & Sacerdotii, & XIX præceptis constat. 65
III. Tertia domus, quæ est sacrificiorum & oblationum sacrarum, & LVII præceptis constat. 70
IV. Quarta domus, quæ est Mundiciei & immundiciei, & XVIII præceptis constat. 81
V. Quinta domus, quæ est eleemosynarum & decimarum, & XXXII præceptis constat. 84
VI. Sexta domus, quæ est ciborum vel eduliorum, & VII præceptis constat. 89
VII. Septima Domus, quæ est Paschatum sive Festorum, & XX præceptis constat. 90
VIII. Octava domus, quæ est gubernationis & judicii, & XIII præceptis constat. 96
IX. Nona domus, quæ est doctrinæ, & XXV præceptis constat. 102
X. Decima domus, quæ est Matrimonii sive Mulierum, & XII præceptis constat. 114
XI. Undecima domus, quæ est Judiciorum criminalium, & VIII præceptis constat. 120
XII. Duodecima domus, quæ est Judiciorum civilium, & XVII præceptis constat. 123


#### LIBRI TERTII

#### SECTIO TERTIA.

De Præceptis Negativis.


I. Prima domus, de fugiendo cultu Planetarum, & XLVII præcepta continet. 128
II. Secunda domus, de separatione ab Ethnicis & XIII præcepta continet. 148
III. Tertia domus, de honore rebus sacris exhibendo, & XXIX præcepta continet. 149
IV. Quarta domus, sacrificii & sacerdotum, & LXXXII præcepta continet. 149
V. Quinta domus, ciborum, & XXXIII præcepta continet. 151
VI. Sexta domus, Agrorum & Messium, & XVIII præcepta continet. 152
VII. Septima domus, Doctrinæ, & XLV præcepta continet. 152
VIII. Octava domus, Justitiæ, & XLVII præcepta continet. 153
IX. Nona domus, Festorum, & X præcepta continet. 154
X. Decima domus, Castitatis & puritatis, & XXIV præcepta continet. 154
XI. Undecima domus, Conjugiorum, & VIII præcepta continet. 154
XII. Duodecima domus, Regni, & IV præcepta continet. 154

# LIBRORUM ET CAPITUM.


Caput. Pagina.

## LIBRI TERTII
### SECTIO QUARTA.
De Messia.

I. *De promissis Fœderis Mosaici.* 155
II. *Qualia sint promissa de Messia. Probatur Rabbinorum testimoniis tempus adventui ejus destinatum jam dudum elapsum esse, & id circa Iesu Messiæ nostri tempora incidere debuisse.* 157
III. *Causæ cur Iudæi adhuc hodie Messiam expectent & cum quem nos agnoscimus non recipiant.* 158
IV. *Non esse dilatum Messiæ adventum ob Iudæorum peccata. Et promissum de illo factum non esse conditionale, sed absolutum.* 159
V. *De iis qui nullum certum adventui Messiæ tempus præfinitum esse in Scriptura putant. Et quale tempus, temporisque notæ isti adventui sint a Deo præstitutæ.* 162
VI. *Probatur ex Genes.* XLIX. 10. *tempus adventui Messiæ præstitutum jamdudum effluxisse.* 163
VII. *Probatur idem ex Hagg.* II. 7. *& ex Malach.* III. 1. 168
VIII. *Idem adhuc probatur ex Dan.* IX. 24,25,26. 170
IX. *Proponuntur quatuor argumentorum classes, quibus probatur Iesum Nazarenum esse promissum illum Messiam; & quantum roboris singulæ habeant.* 171
X. *Primum argumentum quo probatur Jesum Nazarenum esse Messiam promissum; Quia circa tempus adventus Messiæ adsignatum natus est, nec ullus alius tum exstitit qui se pro Messia venditaret.* 173
XI. *Secundi argumenti primum membrum, Iesum Nazarenum, ex tribu Juda, & familia Davidis oriundum esse.* 174
XII. *Secundi argumenti secundum membrum, Jesum Nazarenum in Bethlehem civitate Davidis natum esse.* 174
XIII. *Secundi argumenti tertium membrum, Jesum Nazarenum ex virgine natum esse juxta vaticinium Esaiæ cap.* VII. 14. 175
XIV. *Tertii argumenti primum membrum, Ex iis quæ Jesus noster dixit ac docuit, apparere ipsum esse Messiam promissum.* 180
XV. *Tertii argumenti secundum membrum, Ex iis quæ Jesus noster fecit idem liquere.* 182
XVI. *Tertii argumenti tertium membrum, Ea quæ Jesus noster perpessus est arguere ipsum esse Messiam promissum. Ubi prolixe de sensu cap.* LIII. *Esaiæ disputatur.* 183
XVII. *Tertii argumenti quartum membrum, Ea quæ Iesu nostro post mortem evenerunt, idem evincere.* 191
XVIII. *Quarti argumenti primum fundamentum, Prædictum fuisse per Prophetas, fore ut Messiæ adhærerent omnes terræ nationes.* 197
XIX. *Quarti argumenti secundum fundamentum, Si Jesus noster non fuisset Messias ille promissus, ejusque doctrina non fuisset divina, fieri non potuisset ut pro Messia receptus, & doctrinæ ejus fides habita fuisset in toto mundo.* 203
XX. *Responsio ad leviores quasdam Iudæorum objectiones, De monte Sion temporibus Messiæ elevando supra alios montes, Lunæ & Solis luce augenda, lupo cum agno, &c. stabulaturo.* 206
XXI. *Responsio ad Primum ex gravioribus Judæorum argumentis, petitum à dissensionibus, odiis & bellis quæ inter Christianos vigent; contrà quàm Esaias cap.* XI. *prædixit fore sub regno Messiæ.* 207
XXII. *Responsio ad Secundum Judæorum argumentum, Non constici altam illam & generalem pacem in toto orbe, quæ temporibus Messiæ futura à Prophetis prædicitur.* 210
XXIII. *Responsio ad Tertium Judæorum argumentum, Nullam temporibus Messiæ in mundo fore idololatriam, nullos falsos Prophetas: aut spiritus immundos, prædictum esse à Prophetis; quod tamen impletum non conspicitur.* 212
XXIV. *Responsio ad Quartum Judæorum argumentum, Messiam, juxta Prophetarum vaticinia, populum Israëliticum in terram suam reducturum; quod Jesus noster non fecit.* 214
XXV. *Responsio ad Quintum Judæorum argumentum, Iesum non esse promissum Messiam, Quia Elias Propheta ejus adventum non præcesserit, secundum prædictionem Malach.* IV. 5. 215

## LIBRI TERTII
### SECTIO QUINTA.
De libris Veteris Testamenti.

I. *De libris Mosis, Iosue, Judicum, Ruth, Samuelis & Regum.* 217
II. *De libris Prophetarum, tum majorum trium, tum minorum duodecim.* 218
III. *De libris Chronicorum, Estheræ, Esdræ, & Nehemiæ,* 220
IV. *De libris Psalmorum, Proverbiorum, Ecclesiastis, & Cantici Canticorum.* 222
V. *De libro Iob.* 223
VI. *De libro Danielis, & de Lamentationibus Jeremiæ.* 225
VII. *De libris Apocryphis, qui sunt Tobias, Judith, Sapientia, Ecclesiasticus, duo Machabæorum, Baruch, cum supplementis Estheræ & Danielis.* 226

## LIBER QUARTUS.
### De Revelatione per Dominum nostrum Jesum Christum facta.
### SECTIO PRIMA.
De libris Novi Testamenti.

I. *Libris qui Novi Testamenti nomen præferunt Religionem Christianam contineri.* 228
II. *Scriptores librorum Novi Testamenti tales fuisse, ut nemo suspicari jure possit, quin vera scribere & voluerint & potuerint.* 229
III. *Ex historiæ librorum Novi Testamenti veritate, sequitur Religionem Christianam non tantum veram esse, sed etiam perfectissimam, & solam Deo gratam.* 230
IV. *De fundamento auctoritatis librorum Sacrorum Novi Testamenti.* 231
V. *Istorum librorum auctoritatem non pendere quod ad nos à testimonio Ecclesiæ.* 233
VI. *Nullum esse in terris infallibilem Controversiarum fidei Judicem; sed unicuique incumbere, ut, si decipi nolit, omnia ad Scripturæ normam expendat.* 236
VII. *Responsio ad locum Deut.* XVII. 8. *& seqq. quo probare conantur Deum velle ut sit aliquis in terris summus controversiarum fidei Iudex.* 237
VIII. *Responsio ad locum* 1 *Timoth.* III. 15. *ubi Ecclesia Dei vocatur columna & stabilimentum veritatis.* 241
IX. *Status quæstionis de Perfectione Sacræ Scripturæ, Et, quænam ad salutem sint necessaria.* 243
X. *Spiritum Sanctum Apostolis omnia ad salutem Ecclesiæ necessaria revelasse, eosque illa verbo externo docuisse, & plene ac perfecte libris suis comprehendisse.* 245
XI. *Summa doctrinæ fidei ad salutem æternam consequendam necessariæ, quæ Sacris Novi Fœderis libris plene & perfecte continetur.* 247
XII. *Ostenditur quam falsa, absurda, & perniciosa sit Spiritualium de Scripturæ perfectione sententia, & ad præcipuas ipsorum objectiones respondetur.* 253
XIII. *Libertinorum & Pontificiorum sententiæ inter se conferuntur, & ad aliquot Scripturæ loca respondetur quibus Pontificii probare nituntur Ecclesiæ summum controversiarum fidei judicium competere.* 257

Caput. Pagina.

XIV. *Examen locorum Scripturæ in quibus Traditiones non scriptæ commendantur & retineri jubentur, & præter scriptum verbum alia quædam ore tenus adhuc docenda esse innuitur.* 259

XV. *Tria circa Traditiones non scriptas observanda. Et quinque Bellarmini de iisdem regularum rejectio.* 261

XVI. *Status controversiæ de Perspicuitate S. Scripturæ. Et primum pro illa argumentum, quod Scriptura ipsa de sua Perspicuitate testetur.* 264

XVII. *Secundum & tertium argumentum pro S. Scripturæ perspicuitate, inde petitum, quòd Deus ab omnibus eam legi vult, & ei fidem adhiberi.* 267

XVIII. *Quartum ejusdem rei argumentum, inde petitum, quòd nulla obscuritatis Scripturæ ratio reddi possit.* 269

XIX. *Responsio ad objectionem, Commentarios Doctorum in Scripturam, & diversas quas afferunt expositiones, arguere illius obscuritatem.* 271

XX. *De S. Scripturæ interpretationibus & versionibus, quantaque sit earum necessitas & utilitas.* 273

XXI. *De variis S. Scripturæ versionibus, putà Chaldaicis, Græcis, Latinis, Syriaca & Belgica.* 274

## LIBRI QUARTI

### SECTIO SECUNDA.

De Deo.

I. *De cognitione Dei in genere.* 279

II. *De Essentia Dei, Et an ejus ratione nomen* יהוה *ipsi tribuatur, & de illius Unitate.* 280

III. *De Spiritualitate essentiæ divinæ.* 282

IV. *De Dei Invisibilitate.* 283

V. *De Dei Omnipotentia.* 285

VI. *De Primitate Dei.* 286

VII. *De Dei Simplicitate & Indivisibilitate.* 286

VIII. *De Dei Immensitate.* 287

IX. *De Dei Æternitate & Immutabilitate.* 287

X. *De necessitate credendi Deum esse Unum, & esse Spiritum.* 289

XI. *Utrum necessarium sit creditu, Deum sic esse prorsus Invisibilem, ut a nullo homine unquam videri possit.* 290

XII. *De necesitate credendi Deum esse Omnipotentem,* 291

XIII. *De necessitate credendi Deum esse Omnipræsentem.* 293

XIV. *De necessitate credendi Deum esse Æternum.* 294

XV. *De Vita Dei.* 296

XVI. *De intellectu sive Scientia Dei; & primum de ejus objecto.* 296

XVII. *De Præscientia futurorum contingentium.* 299

XVIII. *An creditu sit necessarium Deo præscientiam futurorum contingentium competere. Et, si non, quanam igitur de divina scientia creditu ad salutem sint necessaria.* 302

XIX. *De ordine & modo scientiæ divinæ.* 303

XX. *De Voluntate Dei, tum pro facultate, tum pro actu volendi accepta.* 304

XXI. *De Voluntate Dei, quatenus objectum* θελητὸν, *seu rem volitam significat.* 307

XXII. *De attributis divinæ Voluntatis quæ affectus vocantur, & primùm de Bonitate & Amore.* 310

XXIII. *De Odio Dei.* 311

XXIV. *De Dei Desiderio & Fuga.* 312

XXV. *De Dei Spe ejusque oppositis.* 313

XXVI. *De Dei Gaudio & Dolore; item de ejus Pœnitentia.* 315

XXVII. *De Dei Ira.* 318

XXVIII. *De Justitia Dei universali; Ubi de Iure Dei in homines tractatur.* 321

XXIX. *De Justitia Dei particulari.* 325

Caput. Pagina.

XXX. *De Virtutibus iræ & pœnarum moderatricibus, Mansuetudine nimirum & Longanimitate.* 327

XXXI. *De Dei Severitate.* 330

XXXII. *De Deo Patre, Filio & Spiritu S. deque eorum personalitate, divinitate, & subordinatione.* 332

XXXIII. *De Generatione Divina, quæ est fundamentum subordinationis inter Patrem & Filium.* 334

XXXIV. *De necessitate credendi modum filiationis divinæ Jesu Christi.* 338

XXXV. *Respondetur ad objectiones quæ fiunt contra doctrinam præcedentis capitis.* 340

XXXVI. *De Spiratione Divina, quæ est fundamentum subordinationis inter Spiritum Sanctum ad Patrem & ad Filium; & de ejus credendi necesitate.* 344

## LIBRI QUARTI

### SECTIO TERTIA.

De Creatione.

I. *De Creatione Cœli supremi & Angelorum.* 345

II. *De Angelorum natura, officio, & statu.* 347

III. *De Creatione mundi hujus adspectabilis.* 349

IV. *De Creatione hominis & primum de ejus corpore.* 352

V. *De Anima hominis ejusque immortalitate, & intelligendi facultate.* 354

VI. *De Voluntate hominis ejusque libertate; item de aliis qualitatibus animæ ipsius inditis aut infusis.* 356

VII. *De Imagine Dei ad quam homo factus est; Et de Dei in hominem Dominio.* 359

## LIBRI QUARTI

### SECTIO QUARTA.

De Providentia Dei.

I. *De primo Providentiæ divinæ actu, qui est hominis & aliarum rerum conservatio.* 360

II. *De Gubernatione, quæ est alter Providentiæ divinæ actus.* 361

III. *Respondetur ad duo Sacræ Scripturæ loca, quæ Dei Providentiam tollere videntur.* 362

IV. *Respondetur ad primam objectionem ex ratione petitam, A priori demonstrari non posse Providentiam divinam nunc circa homines versari.* 363

V. *Respondetur ad secundam objectionem, Nec à posteriori divinam Providentiam demonstrari posse, per aliqua illius signa aut effecta.* 364

VI. *Respondetur ad tertiæ objectionis primum membrum, Piis hic non raro malè esse.* 365

VII. *Respondetur ad secundum tertiæ objectionis membrum, Malis non raro hic bene esse.* 368

VIII. *Respondetur ad tertium tertiæ objectionis membrum. 1. Sæpe insontes cum sontibus paribus malis involvi. 2. Sæpe insontes propter sontes puniri. 3. Sæpe sontes præterire pœnam, & insontes posteros parentum suorum scelera post eorum mortem luere.* 370

IX. *Ex eo quod peccatum est in mundo, non sequi nullam esse Dei Providentiam.* 374

X. *Quis sit modus quo Providentia divina versatur circa malum antequam fiat.* 375

XI. *Tres classes locorum S. Scripturæ, quibus peccatum per divinam providentiam fieri indicari videtur. Et quid alii ad ea respondeant.* 379

XII. *Responsio propria ad loca primæ classis, in quibus Deo expressis verbis tribui videtur quod peccata operetur.* 380

XIII. *Responsio ad loca secundæ classis, in quibus Deus homines excæcare dicitur.* 386

XIV. *Responsio ad loca secundæ classis, in quibus Deus aliquos indurare, aut simile quid facere legitur.* 389

Caput. Pagina.

XV. *Responsio ad loca tertiæ classis, in quibus dicitur Deum decrevisse quædam ex quibus peccandi necessitas consecuta est.* 394

XVI. *Quis sit modus, quo Providentia Dei versatur circa malum quâ fit, & quâ jam factum est.* 397

XVII. *Quis sit Providentiæ divinæ modus quo circa bonum & circa bonos versatur. Et quid in universum sit creditu necessarium de Providentia quod ad bonum & ad malum attinet.* 399

## LIBRI QUARTI
### SECTIO QUINTA.
### De Redemptione.

I. *De occasione operis Redemptionis, nempe hominis miseria, & qua in re illa consistat, quamque late pateat.* 400

II. *Fontem hujus miseriæ esse propriam & liberam uniuscujusque hominis culpam. Ubi de peccato, quod vocant, originis agitur: Et præcipua S. Scripturæ loca quibus inniti creditur examinantur.* 402

III. *De causa Redemptionis impulsiva interna, nempe Misericordia divina, & ejus cum Iustitia temperamento, per sacrificium propitiatorium & resipiscentiæ postulatum.* 407

IV. *De diversa patefactione gratiæ divinæ à lapsu Adami usque ad tempora Christi.* 408

V. *Examen absoluti Prædestinationis decreti, in quo nonnulli totam divinæ gratiæ gloriam collocant. Et primum sententiæ supra lapsariorum.* 410

VI. *Examen sententiæ sublapsariorum de Prædestinatione divina.* 412

VII. *An sententia de quorundam absoluta electione & reprobatione sit tolerabilis nec ne?* 414

VIII. *De causa Redemptionis instrumentali, nimirum Jesu Christo, & quid de ejus persona sentiant Anabaptistæ Flandri.* 415

IX. *Responsio ad loca Scripturæ & rationes quibus Anabaptistæ sententiam suam de persona Christi tuentur.* 417

X. *Quid de Jesu Christo homine ad salutem creditu sit necessarium. Et, an necessarium sit credere ipsum carnem suam ex Maria habuisse.* 421

XI. *De requisitis in opere Redemptionis. Et de Prophetia Christi in genere.* 423

XII. *De persona Christi ad Propheticum munus obeundum præparatione; de ejusdem missione, & de testimonio ei à Joanne Baptista reddito.* 424

XIII. *De miraculis Christi. Miracula sufficere ad fidem veritati & divinæ missioni faciendam. Quatuor in veris miraculis conditiones requisitæ.* 425

XIV. *Omnes in veris miraculis conditiones requisitas, in Christi miraculis inveniri. Ac proinde ex iis rectè colligi Christum à Deo fuisse missum, & doctrinam ejus esse divinam.* 427

XV. *De functionibus ad Propheticum Christi munus pertinentibus.* 430

Cætera Autor morte præventus absolvere non potuit.

## Conciones duæ, de causis Incredulitatis Judæorum,

in quibus fusius explicantur quæ capite 3. Sectionis quartæ libri tertii de Messia obiter attinguntur.

I. *Concio, In qua recensentur causæ ab ipsis Judæis profectæ, malitia videlicet, errores, & amoris atque odii affectus.* 431

II. *Concio, In qua enumerantur impedimenta Judæorum conversioni à Christianis objecta; item à Deo, illos justè propter peccata indurante. Et quomodo omnia ista impedimenta tollenda sint ut Judæi convertantur.* 436

## INDEX
### Tractatuum Theologicorum qui in secunda hujus operis parte continentur.

Responsio ad Quæstiones Theologicas sexaginta quatuor.

I. *De Genealogia Christi, ex Matth. cap. 1. & Luc. III.* 1

II. *An Paulus præter duas quas habemus ad Corinthios Epistolas, tertiam quoque scripserit, ex loco 1 Corinth. v. 9.* 2

III. *Quis sit sensus loci Marc. IX. 49. Nam omnis igne salietur.* 3

IV. *De Spiritu qui concupiscit ad invidiam, ex loco Jacob. IV. 5, 6.* 3

V. *De Christo nolente se à Maria tangi, ex loco Joan. XX. 17.* 4

VI. *De promissa Apostolis introductione in omnem veritatem, Joan. XVI. 13. Et de eo quod Paulus dicit 1 Cor. XIII. 9. Ex parte cognoscimus, &c.* 5

VII. *Quid significet illud Pauli 1 Corinth. II. 6. Sapientiam loquimur ἐν τοῖς τελείοις.* 5

VIII. *Quomodo Christus dicat Joan. V. 31. Si ego testor de me ipso, testimonium meum non est verum; Et cap. VIII. 14. contra asserat, Etiamsi ego testor de me ipso, meum testimonium verum est.* 6

IX. *De Christo ad ficum accedente, Marc. XI. 12, 13. ut in ea inveniret fructus, etsi tempus esset alienum.* 7

X. *An Christus plane ignotus esset Joanni Baptistæ, antequam Spiritus Sanctus in eum descendisset, ex locis Joan. 1. 33. & Matth. III. 14.* 9

XI. *Cur Jesus Christus vetuerit miracula sua publicari, ex loco Matth. VIII. 4.* 10

XII. *Quomodo interdictum precandi pro iis qui peccant ad mortem, 1 Joan. V. 16. conveniat cum promissione veniæ credentibus in Christum facta, Matth. XI. 28.* 11

XIII. *Quomodo conciliari possit autor ad Hebræos, omnem veniæ spem quibusdam peccatoribus adimens cap. VI. 4, 5, 6. & cap. X. 26, 27. cum Ezechiele cap. XVIII. 21. eam omnibus pœnitentibus promittente.* 12

XIV. *De peccato in Spiritum Sanctum.* 13

XV. *Quæ spes salutis fieri possit peccatori in agone mortis constituto.* 14

XVI. *An omnis qui offensus in se commissas remittit, peccatorum suorum omnium veniam à Deo sit consequuturus, ex loco Matth. VI. 14, 15.* 15

XVII. *Quid agendum sit peccatori, qui propter Religionem in discrimen vitæ venit.* 16

XVIII. *Quinam actus & habitus peccatorum excludant ex regno cœlorum, ex locis 1 Cor. VI. 10. & Ephes. V. 5.* 16

XIX. *Quæ perfectio in Christiano requiratur, ex loco Matth. V. 48.* 18

XX. *De legis moralis usu, & quatenus ea præstitu fuerit possibilis, aut non.* 18

XXI. *An locus Luc. XVII. 10. de servis inutilibus, quicquam faciat pro vel contra opera supererogationis.* 21

XXII. *Quid per formam Dei, & formam servi Christo tributam Philipp. II. 6. intelligendum sit.* 22

XXIII. *Quomodo accipiendum sit illud Joan. V. 19. quod Filius nihil à se possit facere.* 22

XXIV. *Quomodo Christus dicat discipulis, se ire paratum iis locum, Joan. XIV. 2. quem Matth. XXV. 34. asserit paratum piis esse à jactis mundi fundamentis.* 23

XXV. *De servis quos Dominus invenerit vigilantes, Luc. XII. 37. & quibus præcinctus ministrabit.* 23

# INDEX.


Quæstio. Pagina.

XXVI. *Quomodo concilianda sint loca Matth.* x. 9. 10. *& Marc.* vi. 8, 9. *de virga & calceis ad iter Apostolis prohibitis & concessis.* 24

XXVII. *De non obsistendo malo, & suis prospiciendo, ex Matth.* v. 39. *& 1 Tim.* v. 8. 25

XXVIII. *Qualis obedientia debeatur Magistratibus in tributo pendendo, ex loco Rom.* xiii. 5. 25

XXIX. *De obvertenda percutienti altera maxilla. Matth.* v. 39. *Et de Christo id non faciente, Joan.* xviii. 22, 23. *cùm percuteretur à servo Pontificis.* 27

XXX. *An mortem inferre volentem occidere liceat, &, si liceat, utrum præstet cædere an cædi?* 28

XXXI. *Qualis mediocritas servanda sit in victu & amictu.* 29

XXXII. *De πρωτοστασία in Ecclesia vitanda, ex loco Iacob.* ii. 1, 3, 9. *& speciatim in Diaconorum, & Seniorum electione.* 30

XXXIII. *Quomodo obedientia Christi, & Judæorum scelus eum morti tradentium, libera esse potuerint, si utrumque æterno & irrevocabili Dei decreto constitutum fuisse dicatur.* 31

XXXIV. *Quomodo Prophetiæ de æternitate regni Christi, conciliari possint cum eo quod Paulus dicit* 1 *Cor.* xv. 24. *Christum regnum Deo Patri aliquando traditurum.* 32

XXXV. *Quid sit baptizari pro mortuis, ex loco* 1 *Corinth.* xv. 29. 33

XXXVI. *De Paulo dicente se non esse missum ad baptizandum,* 1 *Cor.* i. 17. 34

XXXVII. *An præceptum generale de baptizando aqua, & adhibita certorum verborum formula, contineatur Matth.* xxviii. 19. 35

XXXVIII. *Quomodo si certa sit salus infantium in infantia decedentium, longa vita beneficium Dei censeri possit.* 38

XXXIX. *An Cœna Dominica à privatis possit administrari, &, An aliquando ab externa Cœnæ cum aliis communione sit abstinendum.* 38

XL. *De digna & indigna communione Cœnæ Dominicæ, & de necessitate eam celebrandi, ex loco* 1 *Cor.* xi. 27. 41

XLI. *De eo quod Christus Matth.* xxvi. 29. *dicit, se non bibiturum amplius de fructu vitis, &c. collato cum Actor.* x. 41. 42

XLII. *De chorcis & ludo alearum, an ea de causa aliquis à sacra Cœna arceri debeat.* 44

XLIII. *De ludis scenicis & eorum argumento.* 45

XLIV. *De muliere quæ debet habere potestatem in capite propter Angelos, ex* 1 *Cor.* xi. 10. 46

XLV. *De lucro ex nummis aliunde allatis.* 47

XLVI. *De Collybistis seu Lombardicis, & de Carnificibus, utrum ad Sacram Cœnam sint admittendi.* 47

XLVII. *An Musico cantilenas Idololatricas canere liceat.* 49

XLVIII. *Vnde fiat quod ex lusoribus aleæ, quidam semper felices sint, quidam semper infelices.* 49

XLIX. *De officio Pastorum in invisendis Peste laborantibus.* 50

L. *An per Euangelium sublata sit omnis ciborum differentia, ex locis Rom.* xiv. 17. *&* 1 *Cor.* viii. *Coloss.* ii. 20. *&c. collatis cum Actor.* xv. 29. 51

LI. *De fidem suam confitendi necessitate, ex loco* 1 *Petr.* iii. 15. 53

LII. *De conventibus Christianorum non deserendis, etiam contra Magistratus prohibitionem.* 56

LIII. *An aliquis propter quinque Remonstrantium articulos, quos ad salutem esse necessarios non putat, persecutionis periculo se exponere teneatur.* 57

LIV. *An liceat Christiano qui veritatem novit, aliquando Missæ interesse, in locis ubi inquisitio viget.* 58

LV. *Quid sentiendum sit de iis qui damnant alios in causa religionis propter capita ad salutem non necessaria.* 60

LVI. *Quomodo maritus infidelis sanctificetur in uxore fideli, & contrà, ex* 1 *Cor.* vii. 14. 61

LVII. *De Sponsalium & conjugii dissolutione.* 62

LVIII. *An profugo ob religionem, quem uxor sequi nolit, aliam ducere liceat.* 63

LIX. *An omnis mors sit pœna peccati.* 64

LX. *De beatis à modo in Domino mortuis, ex Apocal.* xiv. 13. 66

LXI. *An illi qui doloribus gravissimis & incurabilibus torquetur, liceat se inedia conficere.* 66

LXII. *De æternitate pœnarum inferni.* 67

LXIII. *De Sessione super duodecim thronos Apostolis promissa, Matth.* xix. 28. 68

LXIV. *An pii se mutuo in statu gloriæ agnituri sint.* 69


## TRACTATUS BREVIS
in quo expenditur
## An homini Christiano liceat gerere Magistratum.


I. *Status quæstionis. Argumentum adversus illos qui putant illicitum esse Christiano Magistratum gerere.* 71

II. *Supereminentiam honoris & potestatis habere supra alios non repugnare Legi Jesu Christi.* 72

III. *Non repugnare doctrinæ Christi, ut Christianus aliis leges ferat; nec ut eas præmiis ac pœnis sanciat.* 74

IV. *Non repugnare doctrinæ Christi, ut Christianus judicia civilia exerceat. Examen loci Matth.* v. 40. *qui affertur in contrarium.* 75

V. *Examen loci* 1 *Corinth.* vi. 1. *&c. qui affertur ad probandum non licere Christiano judicia civilia exercere.* 77

VI. *Non repugnare doctrinæ Christi, ut Christianus judicia criminalia exerceat. Expenditur locus Matth.* v. 38. *quo id prohibitum esse putatur.* 79

VII. *Expenditur locus Matth.* v. 43. *quo Christianis judicia criminalia exercere interdictum esse putatur: Et illa in quibus acceptas injurias condonare jubemur.* 81

VIII. *Non repugnare doctrinæ Christi, ut Christianus judicia capitalia exerceat. Expenditur objectio, Illa cum charitate Christiana consistere non posse, eo quod tempus pœnitentiæ ad salutem necessariæ peccatoribus præcidant.* 84

IX. *Respondetur objectioni, Quod judicia capitalia Christiano non esse illicita, nec charitati Christianæ contraria asseramus, ut pace in hoc mundo frui possimus; quod tamen Christiani quærere non debeant.* 85

X. *Primum argumentum quo probatur Christiano licitum esse Magistratum gerere, desumptum ex Rom.* xiii. 1. *& seqq.* 88

XI. *Secundum argumentum quo probatur Christiano licitum esse Magistratum gerere, desumptum ex* 1 *Tim.* ii. 1. *& seqq.* 91

XII. *Tertium argumentum pro Magistratu, quod nullibi Christus illud munus damnaverit.* 92

XIII. *Quartum argumentum pro Magistratu, quod sublato illo munere universalem societatis humanæ dissolutionem sequi necesse sit.* 93

Petri Wadingi Jesuitæ Epistola ad S. Episcopium, De regula fidei. 97


## S. Episcopii Responsio ad Epistolam Wadingi, De regula fidei.


I. *Introductio ad ea quæ dicenda sunt.* 101

II. *Examen primi argumenti Wadingi, Dei Providentiam non censendam esse reliquisse Scripturam S. pro salutis præsidio, in qua pæne nulli salutem essent inventuri.* 101

III. *Examen secundi argumenti Wadingi, Illam fidem meritò suspectam esse debere, in qua regula credendi plebeis est impossibilis, &c.* 104

IV. *Examen tertii argumenti Wadingi, Illam religionem suspectam esse debere, cujus fundamentum non sit Dei verbum, sed falsa sequela Logica, &c.* 106


V. *Examen*

# LIBRORUM ET CAPITUM.


Caput. Pagina.

V. *Examen quarti argumenti Wadingi, Illam fidem ſuſpectam eſſe debere, quæ in proprium cujuſque Judicium tanquam in fundamentum ultimum reſolvitur, &c.* 108

VI. *An Eccleſia falli non poſſit neque in tradendo neque in explicando Dei verbum.* 116

VII. *Non Remonſtrantes, ſed Pontificios circulum committere in probanda Scripturæ & Eccleſiæ autoritate.* 121

VIII. *Expenditur methodus Wadingi in convertendis ad fidem Chriſtianam Gentilibus: Et de notis Eccleſiæ agitur.* 122

IX. *Vera & certa via, quâ Gentilis ad religionem & Eccleſiam Chriſti deduci poſſit. Et quantum antiquitati in negotio fidei tribuendum ſit.* 127

Petri Wadingi Jeſuitæ Epiſtola ad S. Epiſcopium, de Cultu Imaginum. 129

S. Epiſcopii Reſponſio ad Epiſtolam Wadingi, De cultu Imaginum.

I. *Quales eſſe debeant collationes de Religione. Canon Concilii Chalcedonenſis, quo Epiſcopus Conſtantinopolitanus æquatur Romano.* 131

II. *Diſquiritur an Idolum & Imago ſignificatione inter ſe differant.* 133

III. *An Gentiles Idola ſua adoraverint tanquam Deos.* 136

IV. *Quomodo ſe Eccleſia Romana circa imagines gerat.* 140

V. *An Judæis præceptum poſitivum datum fuerit, præter morale, de non faciendis Idolis.* 141

VI. *Imagines Chriſti & Sanctorum effingere eſſe licitum, ſed Dei illicitum.* 143

VII. *De cultu quem Pontificii Imaginibus exhibent.* 144

VIII. *Quæſtiones variæ ad Imaginum cultum pertinentes Wadingo propoſitæ.* 147

Labyrinthus ſive Circulus Pontificius.

I. *De duobus hominum generibus, quibuſcum fruſtra diſputatur.* 148

II. *De iſto Pontificiorum genere qui meliora edoceri nolunt.* 148

III. *De Pontificiorum nonnullis, qui adeo pertinaciter ſuæ opinioni adhærent ut rationi nulli dent locum.* 148

IV. *Pontificios non poſſe oſtendere, quænam illa Eccleſia ſit, quæ errare non poteſt.* 149

V. *Quod nemo quæſtionem hanc de Eccleſia legitimè decidere poſſit.* 149

VI. *Quod Papiſta demonſtrare non poſſit 1. ex Scriptura ſacra caput Eccleſiæ ſuæ errare non poſſe.* 149

VII. *Quod 2. hoc ipſum nequeat ex Patribus demonſtrare.* 150

VIII. *Quod 3 idem rationibus probari non poſſit.* 150

IX. *Controverſiam ſucceſſionis eſſe inutilem & nullum habere exitum.* 151

X. *Veritatem omni Antiquitati & ſucceſſioni præferendam eſſe.* 151

XI. *Quænam origo ſit Labyrinthi Pontificii.* 153

XII. *Privatim unicuique judicium de veritate ex verbo Dei competere.* 153

Reſponſio ad Dilemmata decem Pontificii alicujus Doctoris ad Eccleſiæ ſuæ autoritatem ſtabiliendam, magno Scripturæ S. præjudicio, quam imperfectionis & obſcuritatis accuſat. 154, uſque ad 164.

Examen Theſium Jacobi Capelli, de Controverſiis quæ Fœderatum Belgium vexant, à pag. 165, uſque ad *Item*; 186

Examen Theſium I. Capelli, Satius-ne fuerit doctrinam Arminii tolerari, quam damnari, à pagina 186, uſque ad 197 197



Caput. Pagina.


## TRACTATUS BREVIS de Libero Arbitrio.


I. *Pondus doctrinæ de Libero Arbitrio. A quibuſdam id conſtitui in ſola libertate à coactione: ſed malè. Ab aliis præterea requiri judicium rationis practicum; Præcipuum quo nituntur argumentum. Sententiæ iſtius abſurditas. Scopus autoris in hoc ſcripto.* 198

II. *Intellectum & voluntatem non eſſe duas animæ potentias, realiter ab ea & à ſe invicem diſtinctas. Et ex hac diſtinctione ortas eſſe omnes circa doctrinam de libero arbitrio difficultates.* 199

III. *Per hominis libertatem intelligi dominium ejus in actiones intellectus & voluntatis, quarum aliæ ſunt famulatrices ſeu præparatoriæ, aliæ imperatrices ſeu conſummatoriæ: item in affectiones ſuas.* 200

IV. *Reſpondetur objectioni Electionem non fore prorſus liberam ſi aliquid ſit quod eam determinet; & oſtenditur variis rationibus bonum jucundum propter ſe ſolum ab homine appeti, reliqua vero omnia propter illud.* 201

V. *Quem ordinem in eligendo ſequi debeat homo, ſi ordinate & ſecundum rectæ rationis ductum in ſua electione procedere velit.* 203

VI. *Quomodo homo inter duo vel plura bona poſitus liber ſit. Et quotupliciter hic libertate ſua abuti, bruteque in eligendo ſe gerere multi ſoleant.* 204

VII. *Qui fiat ut homo qui liber eſt & ratione præditus, uni ferè objecto ad quod ſemel delatus eſt mordicus adhæreat, ita ut ad alia conſideranda nec ſe excitet, nec ab aliis excitari facile poſſit. Et quodnam ſit huic malo remedium.* 205

VIII. *An libertas adhuc reliqua ſit in eo, qui ita ſe alicui bono addixit, ut rationem in conſilium adhibere nolit de alio præſtantiore quærendo aut ſequendo. Et quo pacto ejuſmodi homo à propoſito revocandus ſit, aut revocari poſſit.* 206

IX. *Quomodo libertas ſalva maneat in homine, tum poſtquam ſtatuit adhibere judicium diſcretorium in eligendo, tum poſtquam illud adhibuit, & judicium rationis practicum jam abſolutum eſt.* 206


## Examen ſententiæ Joannis Cameronis De Gratia Dei & Libero hominis Arbitrio.


I. *Cameronis de Prædeſtinatione ſententiam non minus quam Calvini & Bezæ fatalem neceſſitatem inducere.* 209

II. *Qua in re ſummatim Cameronis ſententia conſiſtat.* 209

III. *Cameronis ſententiam damnatam eſſe à Synodo Dordracena, Aleziana, & Charentonenſi.* 209

IV. *Eam eſſe Pelagiano-Manichæam.* 210

V. *Per ſententiam Cameronis impoſsibile eſſe ut detur ullum peccatum pœna dignum, aut virtus ulla digna præmio.* 212

VI. *Per eam nullus locus eſt præceptionibus aut prohibitionibus; ſicut nec promiſſis nec minis.* 213

VII. *Per eandem tollitur omnis obedientia & inobedientia. Et reſpondetur ad exemplum Chriſti, quod objicitur in contrarium.* 213

VIII. *Per eam quoque omnis pœnæ & præmii ratio tollitur, &c.* 214

IX. *Fons & origo erroris Cameroniani in hoc argumento.* 214

X. *Reſpondetur ad primam Cameronis objectionem, quod ſi voluntas non determinatur à judicio rationis, voluntas appetere poterit malum ſub ratione mali.* 215

XI. *Reſpondetur ad ſecundam objectionem, quod alioqui vera Chriſti cognitio ſejungi poterit à Charitate.* 215

XII. *Reſpondetur ad tertiam objectionem, quod alioqui tolletur optima pars Providentiæ divinæ.* 216

XIII. *Reſpondetur ad quartam objectionem, quod alioqui tolletur omnis conſolatio.* 216


XIV. *Re-*

34

# I N D E X


Caput. Pagina.

XIV. *Respondetur ad quintam objectionem, quod alioqui nullus erit exhortationum usus.* 217

XV. *Respondetur ad sextam & ultimam objectionem, quod alioqui tolletur usus precum.* 217

**Responsio ad defensionem Ioannis Cameronis quam opposuit Examini sententiæ suæ.**

Responsio ad Præfationem Cameronis. 219

I. *Respondetur exceptionibus, quibus Camero conatur ostendere nihil esse in articulis Synodi, quod repugnet ipsius sententiæ.* 220

II. *Ostenditur sententiam Cameronis à Synodo damnatam fuisse.* 225

III. *Demonstratur Cameronem non purgare sententiam suam à Pelagiano-Manichæismo.* 227

IV. *Diluuntur exceptiones Cameronis, quibus sententiam suam purgare nititur à Pelagianismo.* 230

V. *Probatur rectè dictum esse in Examine, Cameronis sententiam è Scholis explosam esse.* 240

VI. *Ostenditur sententiam Cameronis fautores non habere nec veteres nec recentiores Theologos.* 243

VII. *Vindicatur ab exceptionibus Cameronis, ratio probans sententiam ipsius pugnare cum ratione peccati.* 246

VIII. *Evincitur contra omnes exceptiones Cameronis, sententiam ipsius pugnare cum ratione peccati Adami.* 255

IX. *Diluuntur exceptiones Cameronis, ad argumentum probans sententiam ejus pugnare cum ratione peccati in regenitis.* 268

X. *Diluuntur exceptiones Cameronis ad argumentum quo ostensum fuerat, Nullam virtutem præmio dignam dari posse, si vera foret ipsius sententia.* 274

XI. *Diluuntur exceptiones Cameronis, ad argumentum à præceptionibus & prohibitionibus desumptum contra sententiam ipsius.* 279

XII. *Defenditur argumentum quo probatum fuerat per sententiam Cameronis tolli rationem obedientiæ & inobedientiæ.* 285

XIII. *Diluuntur confirmationes instantiæ qua Camero usus est, prolato Christi exemplo, ut ostenderet determinationem voluntatis ad unum non pugnare cum vera voluntatis libertate.* 289

XIV. *Hoc caput responsione dignum non judicavit Episcopius.* 295

XV. *Diluitur instantia Cameronis de Angelis & induratis; non autem, ut titulus capitis Cameronis habet, de ratione præmii & pœnæ.* 296

XVI. *Diluuntur exceptiones Cameronis, ad argumentum quo probatum fuerat sententiam ejus non convenire cum enunciatis Euangelicis.* 302

XVII. *Adstruitur contra exceptiones Cameronis, fontem erroris ipsius esse verè ac propriè dictæ libertatis negationem.* 308

XVIII. *Vindicantur solutiones argumenti primi Cameronis, quo voluntatem ab intellectu determinari probat, quod alioquin fieri posset ut homo malum appeteret sub ratione mali. Et quia argumentum hoc, præcipuum suum argumentum esse negat, examinantur ista Scripturæ loca omnia, in quibus præcipuum causæ suæ robur ponit.* 313

XIX. *Diluuntur exceptiones Cameronis, ad solutionem argumenti ipsius secundi, quo infert fieri posse ut vera Christi cognitio separetur à charitate, si voluntas non determinatur necessario à mentis judicio.* 322

XX. *Solvuntur exceptiones Cameronis, ad solutionem argumenti ipsius tertii, quo demonstrare conatus fuerat, tolli providentiam divinam, nisi Deus statuatur voluntatem humanam determinare in utramvis partem, id est in bonum & malum.* 333

XXI. *Vindicantur solutiones argumenti quarti Cameroniani, quo demonstrare conatur perituram omnem consolationem, si Deus ita non determinet voluntatem nostram per spiritum suum, ut voluntas nostra non possit non ferri in partem meliorem.* 345

XXII. *Diluuntur exceptiones Cameronis, quibus vindicare studuit à responsionibus nostris rationem suam quintam, quâ conatus fuerat probare voluntatis ἀδιαφορίαν tolli hortationum usum.* 355

XXIII. *Expenditur an Camero justis vindiciis asseruerit rationem suam sextam, quâ demonstrare conatur tolli omnem precum usum, nisi statuatur Deum ita determinare voluntatem nostram ut non possit non in partem unam ferri.* 359

XXIV. *Responsio ad Epilogum, ubi ostenditur ex qua opinione sequatur securitas aut desperatio.* 365

*Excerpta ex scriptis Petri Molinæi & Antonii Walleæi, adversus determinationem voluntatis ab ultimo judicio intellectus practici, quam statuit Camero.*

Judicium de controversia, Quodnam sit ordinarium Conversionis medium, An verbum externum, an verò internum? 372

Responsio ad duas Epistolas Joannis Beverovicii Medici, de vitæ termino, fatalis ne sit, an vero mobilis. 378

Paraphrasis & observationes in caput VIII, IX, X, & XI. Epistolæ S. Pauli ad Romanos. 388. & seqq.


FINIS.

M. SIMO-

M. SIMONIS EPISCOPII

# INSTITUTIONES THEOLOGICÆ,

*Privatis Lectionibus Amstelodami traditæ.*

## LIBER PRIMUS,

## De Theologia & Religione in genere.

### CAPUT I, seu PRÆFATIO ad AUDITORES,

*De requisitis in Theologiæ Studioso.*

*Theologiæ excellentia.*

DILECTI JUVENES,

Ad Theologiam audiendum accessistis. Eam ego ex authoritate Societatis nostræ vobiscum ordiar, in nomine Domini nostri Jesu Christi: cujus nomen Sacrosanctum, benedictum semper sit in Ecclesiis ejus.

Non opus esse arbitror ut Præfationis vice Theologiam vobis laudem, aut ab istis titulis commendem quos meretur, & suo jure sibi supra alias omnes scientias vendicat. Qui Theologiam dicit esse scientiam istius viæ, quâ ad æternam felicitatem sive immortalem vitam, non tantùm certò pervenitur, sed sine qua ad eam perveniri non potest, ille id omne dicit quod ad eam supra alias omnes scientias extollendam sufficit, & quod ei quarto modo proprium est. Æterna felicitas summum bonum est quod per se appetitur ab omnibus, & propter quod alia omnia appetuntur. Qui viam dicit qua ad illam perveniri non tantùm potest sed & debet, dicit id quod optimo & optatissimo in vita proximum est. Qui hanc viam ignorat, cætera omnia sine fructu discit. Qui hanc novit, is cætera omnia sine periculo ignorat. Omne itaque punctum tulit qui Theologiam didicit. Quare non comam orationē, nec lenocinia verborum quæram, ut ea vobis adlubescat. Per se summo amore amari digna est, & ipsa sibi pretium est. Jamque etiam persuasissimus sum eam à vobis impensè amari, ut stimulo opus non sit quo concitemini, nec orationis fuco ut ea vobis placeat.

*Duo hujus præfationis capita.*
I. *Quales esse debeant Theologiæ auditores.*

Duo tantùm dicam, priusquam eam à capite ordiar, quæ scire vestra interest: Quales vos esse oporteat ut eam cum fructu audiatis. Quæ in ea tractanda mihi sumserim.

Primum quantæ necessitatis sit ut intelligatur, facilè per vos ipsos perspicitis. Idoneum auditorem quelibet disciplina sibi postulat; alioquin infrugifera futura & sterilis. Frustra semen committitur terræ infœcundæ aut non præcultæ. Inutilis est labor eorum qui littus arant & in aqua sementem faciunt. Nisi quis bene præparatum animum adferat ad Theologiam audiendam, operam omnem & impensam perire necesse est. Atque hæc quidem res propius ad vos spectat, quos divinæ veritatis mystas, & Theologiæ, sive cælestis hujus scientiæ aut potius sapientiæ, choragos aliquando futuros spero. Tales animum adferre oportet tantò cæteris auditoribus præstantiorem, quantò ipsi cæteris præstant. Vulgaris animus non sufficit iis qui supra vulgus sapere debent. Erigendus est ut ad culmen enitatur, & sacerdotio dignus sit. Magna populi cura olim esse debebat qui ad sacra admittebatur: Sacerdotum maxima. Nemo ante vigesimum quintum ætatis annum sacris vel tractandis initiabatur: & quinque insuper anni requirebantur ut sacris operaretur. Nempe præparatissimus esse debebat, & ex omni parte eruditus, qui Deo serviret. Nec levis, nec exiguæ operæ est res hæc. Fateor. *Bonum opus desiderat qui Episcopatum desiderat*, inquit Apostolus: sed magnum opus atque arduum. Magna contentione animi opus est ut quis ei fiat idoneus. Exercitatos habeat sensus necesse est ad discretionem veri & falsi, boni & mali, recti & pravi, qui ad docendum alios comparatus est.

*Tria in iis requiruntur, docilitas, probitas & sedulitas.*

Ut istud adsequamini feliciter, tria à vobis requiro, *Docilitatem, Probitatem, Sedulitatem.* Docilitas sine probitate facilè degenerat ad profanitatem. Probitas sine docilitate facilè vergit in superstitionem. Utraque sine sedulitate in languorem & stuporem.

*Docilitas.*

*Docilitatem* appello, non tam aptitudinem ad discendum, quam natura aut ingenium facit, quam eam quæ ab animo discendi cupido & ad discendum idoneo proficiscitur. Magnum adjumentum non raro natura præbet; sed nec rarius, multò majus impedimentum. Ingeniosissimi sæpe sunt ad discendum ineptissimi: ingenio suo fidunt, & meliora docentes facilè contemnunt, tanquam ingenio suo impares. Nec raro ii qui ingenio præ cæteris pollent, magnis etiam affectibus laborant. Se ipsos ferè & sua perditè amant. Si quis dissentiat, contemtum ingenii & eruditionis suæ esse putant. Hinc acres iræ & studia partium, totusque ingenii labor impenditur in id, ut ne videantur ingenio carere ad tuendum quod semel pro ingenio suo confinxerunt. Hinc docilitatem aliam requiro, quam facit animus; cui ad res Theologicas addiscendas exiguum naturæ adjumentum sufficit. Nec enim ea est Theologicæ scientiæ profunditas, ut magno ingenio opus sit, ad eam veluti ex Democriti puteo eruendam & exhauriendam. Rudibus atque eruditis obvia est. Nec aliud acumen requiri arbitror quàm humanum, id est quod homo omnis, mentis tantùm suæ compos, habet. Scio acumine aliquando magno opus esse, ad dirimendas subtilitates quorundam qui Theologi videri volunt. Sed & scio, in subtilitatibus istis pervidendis Theologicam scientiam non consistere. Sine periculo ignorari possunt, & tutius sæpe satiusque est eas non intellectas negligere; quàm in iis intelligendis multam curam aut operam ponere. Nec scienti prosunt, nec ignoranti nocent.

*Animum docilem oportet esse liberum ab affectibus, à præjudicio, & à malitia. Ab affectibus.*

Animum autem, ut docilis sit, *liberum* esse oportet: & *liberum* quidem *ab affectibus, à præjudicio, à malitia.* Affectus animum turbant, Præjudicium fascinat, Malitia obturat.

*Affectus* voco motus illos qui ex facultate animæ concupiscibili & irascibili oriuntur: putà *amorem & odium, spem & metum, iram & gaudium*, sive *voluptatem & tristitiam.* Hi turbant animum non aliter quam venti mare, & procellæ undas, ut animus non magis admittat disciplinam veritatis, quàm imaginem turbata aqua. Non faciunt propriè præjudicium, sed impediunt omne judicium, imò præoccupant. Amorem autem voco & odium, quo amantur aut odio habentur ea, quæ extra rem discendam sunt & ad eam nullatenus pertinent. Et eadem est ratio cæterorum affectuum.

In ordine eorum *quæ amantur* sunt, tum propria nostra opinio, quam tantùm non deperimus, imprimis eam quam à teneris imbibimus, & quæ procedente ætate nobiscum quasi adolevit: tum patria religio, consentientium similitudo, laudis & victoriæ cupido. Quantus sit patriæ religionis, sive Theologiæ in qua nati atque educati sumus, amor, vix dici potest. Naturalis amor, primus & potentissimus, est qui in parentes & sanguine junctos fertur. Eum exuere est ferè naturam ipsam exstirpare, eique bellum indicere. Et quia Religio vinculum est quo Deo jungimur, in ea dissentire tantundem esse creditur atque vinculum istud cum Deo dissolvere: ex quo parentum & amicorum æter-

na condemnatio consequatur necesse est. Hinc Euripides:

*Plerosque morbus vexat hic mortalium,*
*Sanè ut sapientes, non tamen sententiam*
*Mutare, amore victi amicorum, velint.*

Similitudo etiam amoris mater est. Hinc ferè fit ut non tam ad veritatem quam ad similitudinem componamur, & in turba tutiores nos arbitremur, erroriſque tegumentum sit errantium multitudo. Cùm tamen optima, ferè paucissimis placeant, & argumentum pessimi, turba sit, ut inquit Seneca. Laudis & victoriæ cupido, ex amore propriæ nostræ excellentiæ oritur. Aliis cedere inglorium est, & quasi infra dignitatem nostram. Hinc honestior videtur pertinacia, quàm aut pœnitentia aut inscitia. Eadem est ratio *odii*. Hoc simulatque in animo natum est, nihil videmus. Nec patria Religio, nec consentientium multitudo, nec laudis aut victoriæ cupido quicquam possunt. Dissentientem aversamur eo ipso quod dissentiat. Odium in causa est. Exemplo esto Marius ille Ciceronianus, qui, ut Cicero ait, ita oderat aut non amabat Græcos, ut neque ad villam suam Græca via ire vellet.

*Spes* commodi, honoris, gratiæ, beneficiorum; & *metus* contrariorum, adeò transversum rapiunt animum, ut discere aut non audeamus, aut doceri non velimus aliud quid, quàm quod iis gratum esse credimus à quibus bona ista speramus, aut mala metuimus. Nimirum hoc quasi gratiæ & benefactis eorum rependimus, quòd quidlibet iis condonemus, & rectè eos de omnibus judicare statuamus, ne in benefaciendo errare nobis videantur; aut frustrati beneficiis, in mala incurrere meritò & sponte nostra credamur. *Ira* animi nebula est. Uti oculi lippi lucem non admittunt, & clari nubilo cælo Solem non vident: ita animus ira obnubilatus non videt veritatis vultum.

*Impedit ira animum ne possit cernere verum.*

*Voluptatis* & *doloris*, *gaudii* & *tristitiæ* eadem est ratio. Singulorum horum affectuum vim atque effecta observare est in Actibus Apostolorum passim. Atque hi quidem affectus liberum esse non sinunt animum, ad rectè discendum & judicandum. Quare exuendi sunt. Qui ita comparatum animum non habet, ut possit eos quibus minimè favet absolvere, & quos impensè amat condemnare, is docilis non est. Docilitas requirit animum qui procul est à gratia, ab odio & ab offensa: quem prava dedisce re non pudet, & recta discere non piget.

*A præjudicio.* Sed hoc non sufficit: alterum accedat necesse est; nempe ut animus *liber* sit *à præjudicio*. Affectus sæpe præjudicium non habent: Cæci sunt, & sine judicio ferè abripiunt animum. Hinc ille:

*Non amo te, Volusi, nec possum dicere quare.*
*Hoc tantùm possum dicere, non amo te.*

Præjudicii alia ratio est. Affectus aliquando in causa sunt, aliquando intercurrunt, & ut plurimum sequuntur: sed judicium tamen propriè præjudicium format, alioquin præjudicium non esset. *Præjudicium* autem cùm dico, non volo intelligi qualecunque prægressum judicium in animo; quasi animus ab omni omnino judicio liber esse debeat: sed judicium quod semel formatum tanti fit, ut eo quis stare velit, atque idcirco rationes omnes respuere quæ isti labefactando idoneæ sunt; quòd judicio isti præconcepto repugnent. At quid si judicium rectum & verum sit, inquies? Respondeo; Judicium dici potest rectum, vel speculativè vel practicè. Judicium speculativè rectum est illud, quod ex ipsis terminis rectum esse constat; sive quod ex ipsa prima mentis notione rectum esse apparet: ut, exempli gratia, honestè vivere, neminem lædere, suum cuique tribuere, benefactoribus gratum esse, &c. In his præjudicium locum non habet, sed merum judicium, aut potius mera καθάληψις terminorum. At judicium practicè rectum, est illud quod quis adhibita omni diligentia sibi possibili, de re quapiam fert, juxta rationes quas vel ipse sibi format, vel formatas ab aliis accipit: quæ ipsæ tamen vel in disceptationem adduci, vel fallere, sive speculative falsæ esse possunt. Hic præjudicium potest locum habere: si videlicet quis rationes istas semel præconceptas mordicus tueri velit, & quæcunque opponuntur idcirco credere falsa esse, quia cum isto judicio non conveniunt. Dico ergo, Animus semper esse debet liber à tali præjudicio, ut cedere possit ac velit, si meliora doceatur. Ergo semper incertus fluctuabit animus, inquies, & nullum fixum habebit judicium? Nihil minùs. Non fluctuat, cum rationes meliores sequitur, iisque adhæret. At fluctuat, quia nescit annon meliores rationes adduci possint. Imò, inquam idcirco non fluctuat, quia id nescit. At scit fieri posse. Imò, inquam, hoc nescit. Præjudicium ergo in animo est. Nego. Ut præjudicium non sit, sufficit ut animus hactenus sit liber, ut paratus sit cedere meliora monstrantibus. At quamdiu illa non monstrantur, & optimis inhæret, præjudicium non est. Credit enim in genere fieri posse, ut quod practicè rectum est, speculativè pravum sit. At credit etiam id quod practicè verum ac rectum est, mutari non debere, quamdiu ratio non adfertur melior ad judicium mutandum. Aliud est credere fieri posse, aut fieri non posse ut melior ratio adferatur: aliud credere judicium esse mutandum, si fortè fiat ut meliores rationes adferantur. Neutrum illorum duorum primorum credit is qui practicè certus est. Posterius tantùm credit: & hoc ad præjudicio liberandum animum sufficit. Prius divinum est, & soli Deo proprium: quia in Deo præjudicium non est, sed merum judicium. Speculativè omnia Deo certa sunt. Posterius humanum est, & medium quid inter certitudinem sive infallibilitatem divinam, & dubitationem, sive incertam ἀκαταληψίαν. Qui enim practicè certus est, is nec dubitat; nec ita certus est, uti Deus ipse de re omni certus est: sed certus est ea certitudine quam homini in hac vita habere concessum est: quæ in eo posita est, quòd quando pro virili sua diligentiam omnem adhibet ut de re aliqua judicet, ita judicet uti optimè potest, nec aliter judicet nisi quando meliora ostenduntur. Si aliter faciat, aut Deum aut brutum se faciat necesse est. Animus itaque hujusmodi præjudiciis careat necesse est, ut docilis sit & ad veritatem addiscendum idoneus. Hinc tanta in populo & sectis propemodum omnibus indocilitas. Pleræque, si non omnes, hoc præjudicio laborant, ne scilicet in Pyrrhonismum incidant. Sed

*Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.*

Ex hoc præjudicio infinita alia sequuntur, partim omnibus communia, partim singulis peculiaria: quæ recensere & distinguere majoris operæ quam fortasse fructus foret. *Pontificii* in hoc præjudiciorum genere supra alios omnes eminent. Nec ullibi fortasse reperies indociliores aut pervicaciores mortales, aut quicum inutilius & molestius disputes. Non credent etiamsi Solem manu tua portes. Præjudicium quod semel imbiberunt sine ullo judicio, *Ecclesiam suam errare non posse*, facit ut apertè profiteantur, se nec sensibus suis omnibus bene habentibus credere, nec si parietem album videant, album esse credituros, si Papam aliter dicere contingat. Apud hos quid rationes possent, & quæ? Nulla tanta ratio dari potest, quæ clarior sit isto experimento quod sensus omnes bene se habentes sentiunt. Qui sensibus suis non credunt, an rationibus credent? Hoc præjudicium aliis multis præjudiciis firmant, ne præjudicium videatur. *Antiquitatis*: verissimum nempe creditur quod antiquissimum est. *Conciliorum generalium*: nimirum verissimum creditur quod à plurimis, quod à doctissimis, quod consentientibus suffragiis approbatum est. *Doctorum priscorum*, quos *Patres*, magno certè veritatis præjudicio, indigitarunt: quippe patres filiis non consuluisse, seu consultum non voluisse, aut filios patrum reverentia non duci debere, iniquum est credere. Quando verò etiam Patres isti, Sancti, Beati, Divi insuper indigitantur, fieri aliter vix potest, quin præjudicium hæreat in animo, veluti clavo trabali fixum. Miracula, Splendorem, Catholicismum, aliaque non allego. Hisce præjudiciis firmatur præjudicium istud unum; ex quo tamen hæc ipsa pendent. Nisi enim istud certum sit, hæc collabi necesse est. Præterquam enim quòd hæc ipsa meritò in dubium vocari possint, adeoque falsa sint; tamen si quid veri iis insit, id ultra verisimile non it. At verisimile, præjudicium esse ex eo patet, quòd verisimile esse possit id quod verum non est, adeoque falsum est. Verisimile enim vero ac falso commune est.

Juxta hos colloco *Lutheranos*, qui se Euangelicos; & *Calvinistas*, qui se Reformatos vocant. Hi ambo, etsi ista ipsa præjudicia non admittere videri velint, parum tamen abest quin in ea ipsa incidant; licèt (quod mirandum est) primum istud præjudicium. *Ecclesias suas non posse errare*, pleno ore respuant. Confessiones, Catecheses, & Liturgiæ eorum videantur. Eæ fidem faciunt quantum valeant apud eos quæ vel contra Arium, vel contra Nestorium, vel contra Eutychetem, vel contra Macedonium, vel contra Pelagium aliosque decreta sunt. Ad condemnationem sufficit eos hæreticos olim judicatos esse, & condemnatione pari dignos qui eorum vestigiis insistunt.

Sed & habent singuli propria & peculiaria sua præjudicia; quæ omnia enumerare non est nostri instituti. *Lutheranorum præjudicium* palmarium est hoc: Quòd *Luthero* nimium deferant, ac tantùm non in verba ejus jurent: hoc nomine, quòd eum divinitus excitatum credant ad reformandum orbem. Quod præjudicium sanè adeo grave est, ut nesciam annon primo Pontificiorum præjudicio æquiparari mereatur: præterquam quod in Thesi ipsa non faciant tale præjudicium. At in hypothesi pares sunt. Id patet ex duobus indiciis: 1. quòd omnia quæ apertè constat Lutheri esse, tanquam cer-

certæ atque indubitatæ fidei apud eos teneantur: adeò ut piaculum penè credant ab iis vel latum unguem discedere. 2. quod omnia quæ credenda sunt Luthero accepta ferant; & quæ ex eo depromi non possunt, eo ipso arbitrentur non credenda esse: quasi injurium Luthero sit, eum aut fugisse quicquam aut fefellisse. Praxis eorum hoc docet, quæ omni exceptione & confessione major est.

*Calvinistarum* propria ac peculiaria *præjudicia* duo sunt: Primo, Fidem veram & salutarem à solo Deo vi irresistibili effici in iis quos nominatim Electos vocant; sic ut ea semel indita animo nunquam excidere possit. Secundò, Eam fidem esse certam & firmam persuasionem animi, qua creduntur vera esse ea quæ credi necesse est ad æternam vitam consequendum. Hisce præjudiciis imbutus animus, fieri non potest ut vel dedisce re, vel discere aliquid velit aut possit. Quorsum enim dedisceatur quod semel optimè traditum creditur; aut quod ipse Deus vi suæ gratiæ ita indit animo nostro, ut refragari non possimus? Quid verò etiam discere opus est quod Deus irresistibiliter mentibus infundit? Atque hæc ipsa idcirco præjudicia esse colligitur, quòd per ea omnis docendi ac discendi cura tollatur.

Aliarum Sectarum præjudicia non refero. Secta quælibet suos patitur manes: & quæ aliarum præjudicia accuratè notant, non raro intercute præjudiciorum morbo laborant. Atque hinc sunt tam tristia schismata, tam acres dividiæ, tam præcipites secessiones, tam graves conciliationes, tam difficiles redintegrationes, & conjunctiones divulsarum partium. Sed de his aliàs.

Nostrum est præjudiciis omnibus renunciare, & animum judicio licet imbutum, judicio tamen integrum servare: nulli fidem obstringere, nemini sacramentum dicere, in nullius verba jurare, à nullo pendere nisi qui recta ratione veritatem nobis persuadet. Amicus esto Plato, amicus Socrates, sed magis amica veritas. Persuasio autem veritatis per rectam rationem fieri debet, sic ut non modò apprehendatur id quod verum est, sed etiam quà verum est, deque ipsa apprehensione nostra judicium fiat quod recta sit. Hoc verò rectæ rationis officium est: quam ex Theologia exterminare velle tantundem est atque ex Theologo brutum facere animal, aut hominem lymphaticum. At recta ratio, dicet quis, non est una eademque, sed variat pro locis ac temporibus. Id verò negandum prorsus est. Una eademque ubique est recta ratio, quia verum & falsum omne dijudicandum est. Quicquid cum ea consentit id verissimum est: quicquid ab ea dissentit id falsum est. Verum quidem est rectam rationem non sufficere ad inveniendum omne verum: sed & verum est eam sufficere ad dijudicandum omne verum à falso, rectum à pravo, & bonum à malo quando id revelatum est. Nisi hoc sit, nulla electio hominis virtus aut vitium, nedum præmio aut pœna digna erit. Sensus divinos rationis solius auxilio excogitare homo non potest: at revelatos apprehendere, discernere, & per discursum rectum dijudicare potest quomodo intelligendi aut accipiendi sint, juxta mentem ejus qui illos enunciavit.

*Malitia.* Ab his si *liber* esse debet animus, multò maximè igitur à *malitia*, tum *directa* tum *indirecta*, sive interpretativa. *Malitiam* appello *directam*, qua voluntas ipsa affectat veri & recti ignorantiam; ita ut doceri non velit de eo quod verum aut rectum est: sive id fiat quò liberiùs peccet, & securius indulgeat animo suo, ab omni remorsu liber: sive ut ægrè faciat iis qui in talibus docendis occupantur. Hæc propria est eorum quibus Scriptura tribuit τὸν ἀδικῆσαι, *Roman.* I. ἐνέργειαν πλάνης εἰς τὸ πιστεῦσαι τῷ ψεύδει, καὶ εὐδοκῆσαι ἐν τῇ ἀδικίᾳ, 2. *Thessal.* II. quòd *veritatem in injustitia detineant*, *Rom.* I. & ἀσυνέτους sint facti, *Ephes.* IV. *Malitiam indirectam* sive interpretativam voco eam, qua fit ut homo non magis curet scire quid verum aut rectum sit, quàm si directè affectaret ipsam ignorantiam. Interpretatione juris malitia est. Nec enim est vel voluntas vel noluntas ignorandi propriè dicta, sed neutrum quid per se spectatum. At quia alterum esse debet, & non est, idcirco censetur esse illud quod ei oppositum est. Hæc malitia multò maximam generis humani partem tenet. Multi affectibus suis abripiuntur: plures præjudicio: hac malitia indirecta plurimi; directa longè pauciſſimi. Nisi animus ab hac expeditus sit, indocilis semper maneat necesse est. Quis enim admittet disciplinam à qua animus ejus aut abest aut aversus est?

*Probitas.* Docilitatem excipere debet *Probitas*, quam itidem in animo colloco; &, si non virtutem, dispositionem tamen ad virtutem, sive ad formatam pietatem consequendum, necessariam esse duco. Juxta id quod Servator ipse ait, *Joan.* VIII. 47. *Qui ex Deo est, verba Dei audit: Idcirco vos non auditis quia ex Deo non estis.* Non sufficit Servatori dixisse, Eum qui ex Deo est verba Dei audire: sed addit, Eum qui ex Deo non est, idcirco non audire quia ex Deo non est. Hoc necessitatem qualitatis sive dispositionis illius arguit, ut idoneus quis sit ad audiendum, id est ad obediendum sive obaudiendum divinæ legi. *Ex Deo* autem *esse* opponitur ei quod est *esse ex Diabolo*, & cupiditates Diaboli, tanquam patris sui, velle adimplere. Unde efficitur, *Ex Deo esse*, idem esse quod probitate animi præditum esse, & secundum rectam rationem, sive quæ à natura indita est, sive quæ ad præscriptum legis alicujus à Deo tradita est, vivere. Hoc ipsum arguunt alia adhuc loca compluria. *Joan.* III. 21. *Qui facit veritatem*, id est, quæ recta & justa sunt, sive ex rationis naturalis dictamine, sive ex præscriptæ legis vi; oppositè ad eum qui versu præcedente dicitur mala facere; *it venit ad lucem*, id est, ad Euangelicam pietatem addiscendum libenter accedit: *ut manifesta fiant opera ejus, quòd in Deo facta*, id est, ad voluntatem Dei, quæ antea ignorabatur, imprudenter quasi composita fuerint. Quasi dicat: Facta etiam fuissent ab ejusmodi hominibus, si à Deo præscripta diserta Euangelii lege fuissent: unde censentur facta ad præscriptum ejus. Sic *cap.* VII. 17. *Si quis velit facere voluntatem Dei*, id est facere quod secundum rectam rationem, aut legis Mosaicæ præscriptum fieri decet, *is cognoscet*, id est ad cognoscendum & intelligendum aptus & idoneus est, *de doctrina mea, utrum ex Deo sit, an ego à me ipso loquar.* Hinc sunt perpetuæ querelæ de iis qui aut improbi, aut saltem probitatis studiosi non erant, quod Euangelio Jesu Christi adversarentur; tanquam inidoneis & incapacibus severioris & sanctioris disciplinæ. Probitas hæc non solum à temperamento, ab educatione, ab institutione, ab exemplis est: quæ negari non potest quin magnopere conducant ad probitatem: sed potissimum ab animo nostro: qui nisi temperamenti, educationis, institutionis & exemplorum vim adjuvet auxilio rationis rectæ, facilè ad prava deflectit, aut degenerat in superstitionem.

Duo autem ad eam tum sustentandum, tum promovendum faciunt: 1. *Bona conscientiæ studium.* 2. *Ad fiduarum precum ardor.* Bonæ conscientiæ studium consistit in duobus: ne quid faciamus præter dictamen rectæ rationis aut supernaturalis revelationis. Ne quid unquam faciamus contra dictamen rationis naturalis aut supernaturalis revelationis. Prius temeritatem & præcipitantiam arguit, quæ ferè sine consilio est. Præcipitia autem omnia lubrica & periculosa sunt. Levis corde facilè cespitat. Inconsiderata mens prope abest à stultitia. Posterius viam paulatim sternit ad improbitatem. Bona conscientia expulsa naufragium fidei imminet. Bona verò conscientia non tantùm est ea quæ perfectissimè ad bonum erudita & directa est: sed quæ practicè bona est, juxta scientiam istam quam cuique in statu suo possibile est habere aut adsequi. Bonæ conscientiæ signa & adminicula sunt: fastidium rerum, verborum, hominum, locorum inhonestorum: desiderium contrariorum, non sine dolore si tempus effluat quo illi non satisfit. Fuga litium & rixarum inutilium. Propositum omnia referendi, non ad partem aliquam vitæ, sed ad totam vitam. Ne quis aliis videatur, sed sibi ipsi sit bonus, Deoque gratus: nec famæ aut gloriæ, sed conscientiæ suæ litet: securus quid totus mundus de se opinetur aut sentiat, contentus sua conscientia & bonorum favore. Sed quia laboriosa, molesta, difficilis & gravis res est ita probum esse: hinc precibus sustentari debet adsiduis & seriis, quibus Deus rogetur ut naturæ defectum suppleat beneficio gratiæ: tentationum excessum mitiget donorum copia; & infirmitatem animi fulciat Spiritus sui efficacia, quo alacres reddamur ad fidem retinendum in bona conscientia, & nec spe nec metu dimoveamur à rectæ mentis proposito.

Utramque hanc tum Docilitatem, tum Probitatem, excipere debet *Sedulitas* oppositа negligentiæ & incuriæ. *Sedulitas.* Sedulitatem autem voco, non qua quis sollicitè ad omnia tantùm addiscendum se comparat, atque ita docilem se præbet; sed qua omnia quæ discit ad incrementum probitatis & charitatis diligenter referre studet. Sedulitatem itaque nec ludicram, nec nimiam, nec vagam volo. Non *ludicram*, qua id tantum agitur ut quæcunque ad Theologiam pertinent audiamus, aut ad auditorium properemus, tanquam ad theatrum, voluptatis causa; quò vel aures oratione demulceamus, vel solertia cavillandi, disputandi, discurrendi de omnibus, intellectum repleamus. Sic auditoria nil nisi otii diversoria forent. Seria esse debet sedulitas, ut omnia in usum vitæ transferantur. Alioquin quæ discimus in memoriam tantùm eunt, & non in animum, unde nascuntur multa verba, pauca opera. Concoquenda & digerenda sunt omnia quæ discimus; non ut scientiores, sed ut meliores evadamus. Alimenta quæ adsumuntur, quamdiu solida innatant stomacho, onera sunt: at ubi digesta sunt, in vires & sanguinem transeunt. Mel quod apes faciunt, ex thymo & floribus sit: at confectum, thymum & flores non redolet; in naturam suam & succum converterunt, suumque

proprium fecerunt. Ita sedulitate nostra, aliena quæ discimus nostra faciamus necesse est, ut unum quiddam fiat ex multis, sicut unus numerus fit ex singulis. Hoc est verè sedulum esse, res discere non verba, quæ tam sine profectu alieno discuntur quàm sine nostro audiuntur.

Nec *nimiam* volo sedulitatem : ne obruatur cum ingenio animus. Nec passim carpenda sunt, nec avidè invadenda universa. Per partes pervenitur ad totum, inquit Seneca. Aptari onus viribus debet, nec plus occupari quàm cui sufficere possimus. Non quantum volumus, sed quantum capimus, hauriendum est. Non amo, inquiebat Scipio Africanus, nimium diligentes. Onerat discentem turba, non instruit. Multò satius est paucis se auctoribus tradere quàm errare per multos. Studiorum tam diu rationem habemus quàm diu modum.

Sed nec *vagam* volo sedulitatem : quæ per omnia voluminа auctoresque transcurrit, neque optimis immoratur. Fastidientis stomachi est multa degustare, & ægri animi jactari per varia ac diversa. Nusquam est qui ubique est. In peregrinatione vitam agentibus hoc evenit, ut multa hospitia habeant, nullas fidas amicitias. Non prodest cibus, nec corpori accedit qui statim sumtus emittitur. Nihil æquè sanitatem impedit quàm remediorum crebra mutatio. Non convalescit planta quæ sæpius transfertur. Nihil tam utile est quod in transitu prosit. Qui quò destinavit pervenire vult, unam sequatur viam, non per multas vagetur : non ire istud, sed errare est. Atque hæc unica via illa est quam nos insistere Deus ipse voluit, & quam nos deinceps ingredi & insistere vobiscum propositum habemus, videlicet *Scriptura Sacra* : ex qua tanquam ex perenni fonte haurire licet, quicquid usum in vita, & solatium in morte adferre potest. In ea posse consistere & morari, argumentum bene compositæ mentis est. Nihil in ea est quod non discitur cum fructu, & non legitur sine fastidio. Semper aliquid occurrit quod animo prodesse potest : nec unquam deest quod propius meretur inspici. Elephas in ea natare potest, inquit Hieronymus, & ovis velut in sicco ambulare. Cætera scripta præ hac sunt exanguia. Illa tamen non veto legi, & sedulò quidem : sed ita, ut ad ea divertisse potiùs videamur, quàm iis animum applicasse. Ad hanc veluti ex diverticulo in viam redeundum est. Atque hoc primum est, cujus vos impræsentiarum monitos volui.

2 *Quæ tractanda sibi sumpserit Auctor.*

Alterum caput est : Quæ tractanda mihi sumserim, & quomodo. Ea mihi tractanda sumsi quæ necessaria & utilia esse judico : ut non modò ipsi sciatis qua ratione ad beatam vitam perveniri possit, sed ut idonei etiam sitis ad docendum omnes omnium ordinum homines, tum Atheos & profanos, tum alios quoscunque, à recta veritatis & pietatis via aberrantes : tum sanos, tum ægros : tum dubitantes, tum scrupulosos : tum incuriosos, tum solertes, tum socordes & segnes, tum acres & contradictionis morbo laborantes. Horsum duo tantùm seriò semper expendam : veritatem articulorum omnium, Et quæ singulorum credendorum sit necessitas. Istud ut extra erroris : hoc ut extra schismatis periculum positi, cum quieta conscientia & fiducia animi ubique versari, & Domino vestro servire possitis. Ad veritatem articulorum omnium eruendum, Scripturæ phrasin & sensum familiarem vobis conabor reddere : ex iisque argumenta petam, quæ vim apodicticam habere credam. Quæ citari perperam solent loca, aut negligam, aut obiter (ficubi opus erit) quàm ineptè allegentur indicabo. Quæstiones & casus conscientiæ tum necessarios tum utiles movebo. Ineptas, curiosas, transcurram tanquam nugas & quisquilias; quæ veluti bullæ & paleæ sua levitate facilè evanescunt aut diffantur. Vestrum erit adlaborare, ut ne labor hic noster sine fructu sit. Dominus Jesus mihi vobisque propitius faveat. Amen.

## CAPUT II.

## De Theologia : eam non esse speculativam scientiam, sed practicam.

THeologiam auspicaturus supplex oro venerorque Dominum Jesum, ut mihi vobisque dignetur adesse sancti Spiritus sui gratia. Amen. Ac primò quidem non stabo in vestibulo, qui Theologorum quorundam mos est, ut vocis etymon inquiram. Nimis hoc exile ac vernile est, planeque alterius Scholæ. Philologi & Grammatici istam pulpam sibi habeant. Et quorsum foret istud ? In tota Scriptura vox ista non est, & ea fortasse multis ineptis & malè sanis cogitationibus ansam dedit.

*Theologiæ species.*

Nec dicam operosè de Theologiæ, quas vocant, speciebus, in quas Theologiam analogicè dividere quidam solent, videlicet de Archetypo & Ectypo, sive ut barbarè quidam loquuntur, Archetypa & Ectypa ; quarum illa Dei ipsius esse dicitur, qua se ipsum & omnia divina divino & ineffabili modo intelligit, ac proinde prorsus ἀκτιστος : hæc expressa ad ideam illam & communicata tripliciter ; per unionem hypostaticam ; per visionem ; per revelationem : quæ vanitatis plus habent quam utilitatis, & subtilitatis plus quam soliditatis, imò quæ etiam falsa sunt. Theologia enim, ut postea videbimus, non est efformata ad exemplar Theologiæ istius naturalis, qua Deus se ipsum novit ; sed ad exemplar notionis illius quam Deus in se ipso concepit libera sua voluntate, ut præscriberet homini officium, quo circa ipsum versari debet. Verum enimverò, operosæ ejusmodi distinctiones, sunt bonæ mentis onera, & ad populum phaleræ. Nihil habent in recessu quo pascitur animus. Siliquæ sunt & cortices sine grano, & nucleo aut medulla. Rem dicam.

*Quid sit Theologia.*

*Theologia* in genere aliud nihil est ; quàm respectu doctrina continens verum de Deo sensum, & qui ad sensum istum componitur rectum Dei cultum ; respectu ejus qui doctrina ista imbutus est, nihil aliud est quam rerum istarum, ad sensum & cultum pertinentium, scientia & observatio. Sic Theologus est doctrinæ istius doctor & discipulus : hoc discrimine quod ille eam docendo Theologiæ doctor sit ; hic eam discendo tantum, Theologiæ discipulus non magis sit, quam Ethicus qui novit & didicit quid virtus sit : cum nihil minus quàm virtute præditus sit. Si velimus uti verbis Scripturæ, 1. *Timoth.* VI. 3. & *Tit.* I. 1: Theologia est doctrina sive scientia veritatis quæ secundum pietatem est, id est, cujus finis, mensura & scopus est pietas sive pius Dei cultus.

*Objectum Theologiæ est cultus Dei.*

*Objectum* itaque proximum atque immediatum Theologicæ scientiæ, non est Deus, sed cultus quohomo circa Deum versatur, & quem Deo præstare ex officio tenetur. Cultus autem istius objectum est Deus. Antecedens sive prærequisitum, scientia veritatis illius, sive sensus de Deo verus, qui cultus rationem & modum contineret.

*Cultum* cum dico, totum hominis officium sive actionem intelligo, quæ nunc ἐνεργεια, nunc ἐνλαβεια, nunc ἑρμηνεια, nunc ὑποτιβεμα, Scriptoribus Sacris vocatur : & profanis, sive Latinis, *Religio*, à religando sive ligando, (ligare enim & religare Latinis idem aliquando est) id est, obligando dicta.

*Quo sensu Theologia sit scientia.*

Cum dico Theologiam esse *scientiam*, nolo accipi scientiæ vocem præcisè, prout significat scientiam conclusionum ex principiis deductarum, contradistinctè ab intelligentia quæ principiorum est ; à sapientia quæ principiorum & conclusionum est ; à prudentia quæ agibilium est ; ab arte quæ factibilium est, sed generatim accipio pro doctrina, ex qua hauritur scientia veritatis illius, quæ ad rectum de Deo sensum & cultum habendum necessaria est. Existimo enim quæstiones illas de genere Theologiæ proprio, nec necessarias nec utiles esse : pendent enim ex definitionibus Scholarum, quæ incertæ sunt aut saltem arbitrariæ.

*Theologia non est scientia speculativa, sed practica.*

Id tantum colligo ex antedictis, quod omnino scitu necessarium esse arbitror :

Theologiam non esse scientiam speculativam, sed practicam : Nec esse, ut quidam volunt, partim speculativam, partim practicam, nedum, ut alii, maximam partem speculativam. Purè practica est.

Quantæ hoc necessitatis sit bene perspectum habere operæ pretium est ut intelligatis.

Speculativæ mentem solam perficiunt. Practicæ mentem quidem etiam perficiunt, sed non solam. Nempe eo fine perficiunt mentem, ut voluntatem dirigant, secundùm præcepta & regulas vivendi quas continent. Utrobique scientia requiritur. Sed illæ in cognitione terminantur & subsistunt : hæ ad actionem dirigunt. Hinc Ethicus non est qui vim & naturam affectuum & perturbationum novit, sed qui eas regit ac moderatur. At Mathematicus est qui Solem & Lunam speculatur, nullo alio fine quam ut eas cognoscat : Metaphysicus qui ens quâ ens considerat : Physicus qui corpus quatenus mobile est contemplatur, &c. Itaque, si Theologia est scientia speculativa, vel maximam partem speculativa, tum necesse est ut vel tota, vel maxima sui parte, desinat in speculationem, non verò in actionem. Utrumque absurdum est & summè periculosum. *Prius* : Quia si Theologia desinat in speculationem meram, tum perfectio hominis in hac vita in scientia rerum divinarum posita erit, & optimus erit Theologus qui scientia plurima præditus erit, licet alioquin vita sit pessimus. Si enim scientia est finis Theologiæ, utique adeptio scientiæ istius erit Theologi perfectio : quia finis adeptio, est perfectio ejus qui propter finem operatur. Hoc vero directè cum tota Theologia pugnare, ex revelata à Deo Theologia ita clarum est, ut nihil supra ; &

ex

ex natura Theologiæ ipsius, quæ præceptis bene & piè vivendi continetur, efficaciter evincitur

Revelatam Theologiam voco tum *legalem* tum *Euangelicam*. Ex legali id clarum est; quia ejus finis est praxis, non cognitio, sive nuda speculatio, prout ex evidentissimis locis patet. *Rom.* II. 13. *Non enim qui audiunt legem,* (id est qui legem Dei auribus acceptam memoria tenent & rectè norunt, uti ex *vers.* 17. 18. 19. 20. *&c.* prolixè videre est.) *justi sunt apud Deum, sed qui legem præstant justificabuntur.* Cui geminum est quod dicit *Jacob. cap.* I. 22. 23. 24. 25. *Estote actores sermonis, & ne estote auditores tantum, falsò ratiocinando fallentes vos ipsos. Nam si quis audit sermonem & eum non præstat*, &c. Hinc Paulus, 1 *Timoth.* I. 15. *Finis mandati*, sive legis, *est caritas ex puro corde, conscientia bona, & fide non ficta.* τελος autem isthic loci legem significare, ex antecedentibus & consequentibus liquet. Horsum illud Christi spectat, *Luc.* XII. 47. 48. *Servus sciens voluntatem domini sui, & non præparans se ut eam faciat, pluribus plagis vapulabit.* Et quid pluribus opus est? summa legis est dilectio Dei & proximi. *Matth.* XXII. idque ex toto corde, tota anima & ex omnibus viribus. Dilectio autem Dei, non est dilectio qua Deus amatur ut optimum ac summum bonum, sed qua diligitur ut legislator. Dilectio enim Dei præcipitur severe. At prior illa non præcipitur, quia necessaria prorsus est. Adde duo illa loca quæ omni exceptione majora sunt: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Servare autem mandata est facere ea, *Matth.* XIX. 7. Et, *Maledictus qui non manserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis. Deut.* XXVII. 26. & *Gal.* III. 12. *Quisquis ea fecerit, vivet per ea.*

Ex Theologia Euangelica idem patet: ejus finis est praxis: tum fides, tum bona opera. Fides *Joan.* XX. 31. & 1. *Joan.* III. 23. Bona opera, *Joan.* XIII. 17. *Si hæc noveritis, beati eritis si ea feceritis. Cap.* XV. 14. *Vos amici mei eritis, si feceritis quæcunque ego mando vobis. Matth.* VII. 21. 22. *Non omnis qui dicit*, id est, Hebræa phrasi, nullus qui dicit (tantùm) *Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum: sed qui voluntatem facit Patris mei. Multi dicent mihi in die illo, Domine, Domine*, & quæ sequuntur usque ad finem Capitis. Vide etiam *Matth.* XXVIII. 19. 20. *Ite & docete omnes gentes, docentes eas observare omnia quæ præcepi vobis.*

Idem patet ex natura Theologiæ utriusque, quæ præceptis promissionibus & minis sanctis constat: præcepta enim, nedum isto modo sancita præcepta, non dantur eo fine ut sciantur tantum, sed ut præstentur. Scire præcepta ad mentem pertinet, quæ ipsa præcepti capax non est. Mens enim non potest non intelligere quod clare enunciatur: Sicut oculus apertus, non potest non videre lucem. Unde nec virtus est illud scire, nec culpa nescire: proinde nec præmio dignum, nec pœna. Quare promissa & minæ etiam frustra forent. Dices: mens etiam quoad exercitium subjacet imperio voluntatis. Ita est. Sed istud exercitium non est liberum nisi per extrinsecam denominationem à voluntate. Voluntas itaque libera capax est præcepti, non mens, quatenus exercitium istud imperare potest aut suspendere. Hisce addatur, quod ipsa sententia salutis ac damnationis, fundabitur in operibus bonis ac malis, uti passim videre est. *Matthæi* XXV. *Rom.* II. 2 *Corinth.* V. non tantum cum exprobatione inutilis & otiosæ scientiæ; sed etiam cum aggravatione pœnæ eorum qui ἀυξησιν scientiam, alioquin optimam præ aliis habuerunt, uti *Luc.* XII. *Matth.* VII. *Rom.* I. & passim videre est. Sententia autem Judicis ipsius, optima est legis interpretatio.

Confirmari hæc res pluribus opus non habet: videatur tantum universa Scriptura sacra. Quæcumque in ea traduntur naturam Dei, attributa, operationesque ejus spectantia, omnia ista referuntur eo fine solum, ut istis tanquam calcaribus concitetur homo ad officium suum faciendum: quod discurrenti per omnia manifestum est.

*Theologia non est scientia mixta.*

Ex hoc etiam facile colligere est *posterius*: videlicet Theologiam non esse *mixtam scientiam*, id est partim speculativam partim practicam; nedum maxima sui parte speculativam.

Nam præterquam quod hoc pugnet cum unitate scientiæ Theologicæ: (Speculativæ enim & practicæ scientiæ objecto & fine distinguuntur & disparantur. Quæ autem ita disparantur eæ unam specie scientiam constituere non possunt:) necessariò sequeretur, scientiam Theologicam partim definere in speculationem; partim in praxim. At hoc falsum est. Nihil enim in tota Theologia est, quod non dirigitur in actionem, tanquam in finem ultimum & adæquatum; uti ex antedictis liquet.

*Objectiones in contrarium.*

Quæ in contrarium adferri solent, ea nullius momenti sunt; & eo omnia redeunt, quod Scriptura S. tum legi sive legali Theologiæ in Veteri Testamento tribuat *Sapientiæ & intelligentiæ, lucis & lucernæ* titulum, *vim illuminandi oculos, sapientes reddendi parvulos, dandi intelligentiam. Psalm.* CXIX. 27. & passim 34. 37. 99. *Psalm.* XIX. 8. & *Proverb.* I. v. 2. 3. 4. 5. 6. *Vim ad sciendum sapientiam & eruditionem, ad intelligendum dicta prudentia, ad percipiendum eruditionem intelligentiæ, justitiæ, jurisque & omnis recti: ad dandum simplicibus calliditatem, puero scientiam & cogitationem*, &c. Tum legi Euangelicæ; quod *vita æterna sit cognoscere Patrem verum Deum, & Jesum Christum quem misit. Joann.* XVII. 3.

At hæc nullius ponderis esse, multa possunt arguere: sed unum tantum hic dicam: quod scire in Scripturis, aut intelligere Deum, Dei legem, &c. non significet meram speculativam cognitionem, sed practicam sive affectivam, quæ ad praxin ordinatur; aut, ut rectius dicam, cum praxi conjuncta est: quod patet, 1. ex manifestis in lege locis, & rationibus evidentissimis. Loca quæ id expresse habent sunt, *Jerem.* XXII. v. 15. *An non pater tuus comedit & bibit & fecit justitiam & judicium, & tunc bonum fuit ei? Judicavit judicium pauperis & egeni, & tunc bonum fuit ei? Nonne hoc est nosse me, dixit Jehova? Job.* XXVIII. 28. *En timor Domini est sapientia, & recedere à malo intelligentia.* Cui consonant ista loca, *Proverb.* I. 7. *Timor Domini principium scientiæ*, Et *Psalm.* CXI. 10. *Principium sapientiæ, timor Domini, intellectus bonus omnibus facientibus ea.* *Responsio.*

Rationes evidentissimæ sunt hæ. 1. Quia Scriptura de iis qui legem divinam & Deum speculative adeoque optime cognoscebant, & tamen ad eam non vivebant, affirmat, *quod Deum non nossent. Jerem.* II. 8. *Sacerdotes non dixerunt: ubinam est Jehova? & tenentes legem non noverunt me, & pastores prævaricati sunt in me.* Sic 1 *Samuel* II. v. 12. de filiis Eli sacerdotibus, & magni Sacerdotis filiis dicitur: *Filii Eli erant filii Belial, nec agnoscebant Jehovam.* utrobique est verbum ידע. Quod idem de toto populo generatim dicitur, *Jerem.* XI. *vers.* 3. & 6. & *Oseæ* V. *vers.* 4. *Non permittent opera eorum, ut revertantur ad Deum suum, quia spiritus fornicationis est in medio eorum & Jehovam non cognoverunt.* 2. Quia Scriptura passim eos vocat *stultos, & non intelligentes*, simpliciter: idcirco quod practicè Deum nescirent, sive quod impii & profani essent vita ac moribus. *Esa.* I. 3. *Jerem.* IV. v. 22. *Stultus est populus meus, me non agnoverunt. Filii insipientes sunt & non intelligentes:* id est, non aliter viventes quam si me aut legem meam nunquam intellexissent; aut, non aliter viventes quam ii qui de lege mea ne fando quidem audiverunt. Hinc passim impii & legirupæ, vocantur stulti & fatui.

Idem patet ex lege Euangelica, ubi *Deum nosse, Christum nosse*, idem plane est quod Deum amare & voluntati ejus morem gerere. quod pluribus probare opus non est. Videatur locus unus, 1. *Joann.* II. 4. *Qui dicit novi eum, & mandata ejus non servat, is mendax est, & veritas non est in eo.* Et *cap.* IV. v. 7. *Quisquis diligit, is ex Deo natus est, & novit eum. Qui non diligit non novit Deum.* Hinc cum Scriptura loquitur, 2 *Thessal.* I. de iis qui *Deum non norunt*, loquitur de iis qui cum Deo obedire potuissent, obedire tamen ei noluerunt, & sic passim. quod ex eo patet, quia horrenda illa pœna ignorantibus non infligitur, sed inobedientibus & rebellibus.

Quare locus ille *Joan.* XVII. 3. de hujusmodi scientia practica, non speculativa, intelligendus etiam est. Eadem enim phrasis hîc est. Nam in textu non dicitur, vitam æternam in eo positam esse, quod cognoscamus Patrem esse verum Deum illum, & Jesum Christum esse quem ille misit; sed in eo quod cognoscatur Pater qui verus ille Deus est, &c. Cognoscere autem Patrem, phrasi usitata significat Patri obedire. Hebræi enim antecedentia in consequentibus, & consequentia ferè in antecedentibus includunt. Hinc audire, pro intelligere; non audire, pro non intelligere; intelligere, pro amare; non intelligere, pro non amare, apud Hebræos accipitur; credere pro obedire, amare & diligere pro ex amore obedire. Et ne hoc sine ratione dici putetis, duo id evincunt argumenta: 1. quia alioquin cognitio ista speculativa, medium esset per se sufficiens ad consequendum vitam æternam: quod contra esse ex antedictis apparet; & ex ratione manifesta; quia alioquin pura puta ignorantia hujusce rei, causa esset condemnationis æternæ; cum contradicat Scriptura *Joan.* III. & eos affirmet esse pessimos qui *veritatem in injustitia detinent, & Deum quem cognoverunt non glorificarunt. Rom.* I. & alibi passim: 2. quia scientia hæc speculativa in diabolis est, & multo quam in nobis excellentior. *Expl. loci Ioan.* 17. 3.

Quare statuendum omnino est, Theologiam totam esse *mere practicam*; & quæcunque in Theologia traduntur, eò referenda esse ut Deum, resque divinas non mente tantum concipiamus aut noscamus, sed in ipsum Deum credamus, & ex fide amorem, timorem, honorem, cultum, & obedientiam

dientiam ei præſtemus, & ab eo ſolo expectemus laudem & præmium fidei atque obedientiæ noſtræ.

*Quantus error ſit Theologiam facere ſcientiam ſpeculativam ex parte hominis, & practicam ex parte Dei.*

Hæc prolixius in principio monere volui, ut ſemper habeatis fixum ſcopum in quem collineetis; & ſimul perſpicue videatis, quam longè à recto Theologiæ ſtudio ſe ipſos ſuoſque auditores abducant, ii qui Theologiam totam ſpeculativam faciunt ex parte ſua, & ex parte Dei merè practicam ſive effectivam: adeò ut Theologia tota ipſis aliud nihil ſit quam Dei & divinarum actionum doctrina & ſpeculatio. Permiſſio enim divina, ſive non-actio & ceſſatio Dei ab agendo, ad actionem referenda eſt, uti privatio ad habitum.

*Diviſio Theologiæ in doctrinam de Deo & de Dei actionibus, taxatur.*

In hoc ordine cenſendi ſunt ii qui Theologiam totam dividunt in doctrinam de Deo, & de Dei actionibus: Qua diviſione totam Theologiam à parte Dei, non modo practicam, ſed & effectivam ſive ποιητικὴν faciunt: quia per actiones Dei intelligunt non tam immanentes actiones in Deo, quam tranſeuntes, aut extra Deum in rebus omnibus efficientes omnia quæ futura ſunt aut fiunt, in rebus aut à rebus creatis; proinde etiam in homine omnes virtutes, tam intellectuales quam morales, ſive bona omnia: vel non efficientes bona, unde mala ſive peccata omnia oriri neceſſe eſt. Ex parte verò hominum faciunt totam Theologiam ſpeculativam; quatenus videlicet homines ſciunt, actiones iſtas omnes à Deo fieri; quamquam hæc ipſa etiam eorum ſcientia, effectum eſt actionum divinarum, ad quas homo in primo inſtanti non niſi paſſivè ſe habet. Unde merito quis concludat, eos Theologiam ne quidem ſpeculativam facere; quia ſpeculatio per iſtas Dei actiones effecta, non tam actio hominis eſt, ab ipſo homine elicita, quam humanæ menti impreſſa atque indita; ita ut homo ſpeculationis iſtius ſubjectum ſit, non cauſa, etiamſi per modum cauſſæ ſpeculari vel ſcire dicatur. Quos hîc notem facilè intelligitis; videlicet eos qui prædeſtinationem abſolutam ſtatuunt, quos in iſtud abſurdum incidere planè neceſſe eſt.

*Theologia non eſt ſcientia mixta.*

Juxta hos colloco, eos qui Theologiam volunt eſſe ſcientiam mixtam. In quo ordine cenſendi ſunt Scholaſtici & Pontificii; quos idcirco id facere arbitror, ut obſcura videatur Sacra Scriptura, ea ex parte qua ſpeculativa eſt; quatenus videlicet ea pars infinitis ſpeculationibus & quæſtionibus involvi poteſt: imprimis circa ea quæ Dei naturam, attributa & operationes ſpectant, quas in Scriptura clare deciſas non eſſe conſtat. Nimirum hæc una atque tutiſſima via eſt, qua Eccleſiæ vindicant auctoritatem, obſcura, dubia atque intricata illa decidendi, iſtiſque deciſionibus obſtringendi conſcientias mortalium. Atque hinc nata eſt Scholaſtica illa Theologia, quæ in iſtis ſpeculationibus tota occupatur, tanto cum acumine ut ſubtiliſſimi cujuſque ingenii induſtriam exercere poſſit; atque ita vulgus ipſum, tanquam tanto acumini impar, cogat confugere ad Eccleſiæ gremium, & implicitæ fidei auxilio ſe ex iſtis omnibus ſenticetis expedire. Nec enim remedium aliud ullum apparet: & hoc ipſum remedium adeo gratum eſt & facile, ut nihil populus malit; tam ſecurus & tutus ignorantiæ ſtudio & implicitæ fidei beneficio, quam Seraphicæ, Angelicæ, & illuminatæ animæ, quæſtionum iſtarum ociosarum & operoſarum ventilatione lætæ atque hilares, ut populo dominentur & quas volunt imponant credendas fabulas.

*Antidota adverſus præcedentes errores.*

Ne his abſurdis involvamur, hæc duo ſtatuamus: Si Theologia ſtatuatur primo modo ſpeculativa, ſive theoretica, tum hæc duo ſequuntur:

1. Officii noſtri præſtandi neceſſitas, ſive neceſſaria ſolicitudo, planè tollitur. Quid enim neceſſe eſt ut de officio noſtro faciendo ſoliciti ſimus, ſi partes omnes officii noſtri ab actionibus Dei ita pendeant, ut iis poſitis non poſſimus nos officium noſtrum non facere: iis verò non poſitis, neutiquam poſſimus officium præſtare? In tantum itaque boni ſumus, in quantum Deus in nobis operatur, & tum cum operatur, nec aliter. In tantum mali, in quantum Deus non operatur. Nec prius itaque, nec plus quam Deus operatur boni aut mali facere poſſumus.

2. Tota & univerſa hominis virtus non eſt virtus, ſed mera paſſio. Totum & univerſum hominis peccatum, non eſt peccatum ſed actionis divinæ defectus.

Si ſecundo modo ſtatuatur ſpeculativa, tum hinc conſequitur:

Totam Theologiam, qua parte ſpeculativa eſt, obſcuram, laborioſam & incertam eſſe: Quare ut clara reddatur, judicium Eccleſiæ requiri, quo obſcura & incerta decidantur in alteram partem.

At ſi Theologia ſtatuatur practica, tum hæc tria ſequuntur:

1. Officii noſtri neceſſitas conſtat.
2. Virtutis & vitii ratio plana eſt.
3. Tota Theologica ſcientia plana, facilis & expedita eſt.

Tantum enim ſcire ſufficit, quantum ad officii præſtationem, ſive ad virtutes exercendas & vitia ſeu peccata fugienda neceſſarium eſt.

*Objectio ab intentione finis & ordinatione mediorum; cum reſponſione.*

Unum tantum adhuc quæram, ut rem hanc elucidem: An tota Theologica ſcientia non verſetur in cognitione Dei, tanquam ſapientis qui primo intendit finem, deinde media ordinat, quæ ad finem ducunt? Nam ſi in ea tota verſetur Theologia, tum revera ſpeculativa eſt: Et in ea verſari id videtur arguere, quod alioquin ſapientia Dei non videatur ſalvari poſſe.

Reſpondeo: Finem dupliciter conſiderari poſſe, vel quatenus præcisè intenditur ſub ratione finis; vel quatenus non præcisè intenditur, ſed ſub ratione præmii, coronæ, mercedis & retributionis. Si primo modo dicatur Theologia verſari in cognitione Dei, tanquam ſapientis finem præcisè intendentis, tum revera Theologia primo modo ſpeculativa eſt, & ex parte Dei ποιητική. Sic enim tota Theologia verſabitur in actionibus Dei, ex vi finis media omnia ad finem illum obtinendum diſponentibus. At ſi ſecundo modo dicatur Theologia verſari in cognitione Dei, non præcisè finem intendentis, ſed finem tanquam præmium & retributionem proponentis, tum verè & merè practica eſt Theologia: quia intentio quæ finem per modum præmii propoſitum habet, præſupponit praxin ad præmium iſtud acquirendum neceſſariam. Hoc autem modo Deum procedere voluiſſe, ex Theologiâ Legali & Chriſtianâ poſteà manifeſtiſſimum fiet.

## CAPUT III.

## Nullam eſſe homini innatam Deitatis opinionem. Aliqua tamen dari principia in natura ex quibus ratiocinando colligere poſſit Deum eſſe: & quænam inde hujus rei petantur argumenta.

SI Theologia eſt ſcientia practica, tum videndum porrò eſt quid ſit *praxis* illa, quæ ſcientiæ iſtius finis eſt, & quà in re verſetur.

*Quid Dei nomine ſignificetur.*

Sed quia praxeos iſtius antecedens prærequiſitum eſt verus de Deo ſenſus; Senſus autem & praxeos ſive cultus iſtius objectum Deus eſt; *Deitatis* autem ſive divinitatis *notio* & conceptus ſignificat in ipſo primo conceptionis momento atque inſtanti, formaliter ens, non tantummodo inter omnia entia perfectiſſimum, & quod à ſe, ſive ab omni alio independens eſt, ſed etiam ens à quo omnia alia entia facta dependent, & quod entium omnium ſive univerſi hujus Dominus & Rector eſt; quod proinde ratione iſtius eminentiſſimæ unitatis, cauſſalitatis & dominii ſive regiminis, tanquam ſupremum Numen meritiſſimo jure cultu ac veneratione dignum eſt: (Hic enim primus conceptus eſt quem de Deo formamus, ſimulatque Deum audimus nominari, quod independens ſit, quod principium omnium ſit, quod Rector univerſi ſit:) hinc plane neceſſarium eſt ut ante omnia certi ac perſuaſi ſimus eſſe aliquod tale Numen.

Supponitur hoc, inquies. Fateor. Et fortaſſe præſtiterit id non operosè inquirere. Quælibet enim ſcientia ſupponit ſubjectum ſuum eſſe, nec demonſtrat ſubjectum ſuum, tanquam per ſe notum, vel in alia aliqua ſcientia demonſtratum. Sed tamen quia videmus eſſe mortales quoſdam adeo aut vecordes aut profanos, ut non dubitare modo an Deus ſit, ſed apertè ac palam negare audeant Deum eſſe, qui propriiſſimè Athei ſunt, operæ pretium eſſe puto ut oſtendam, qua ratione non tantum muniti eſſe poſſitis contra tam capitalem errorem, ſed etiam quibus argumentis eos convincere valeatis & ad ſaniorem mentem reducere, ſi ullo modo ratione recta duci velint, & animum ſimul ac frontem non obſtinent.

*Duo ſub quæſtione, An ſit Deus, comprehenduntur.*

Duo autem quæri poſſunt, cum diſputatur an ſit Deus.

I. Utrum homini ejuſque animo naturaliter inſita ſive innata ſit deitatis opinio?

II. Utrum principia quædam in natura ſint, ex quibus homo rationis rectæ & naturalis auxilio, concluſionem hanc deducere poſſit, quod ſit Deus?

*Nulla eſt homini innata divinitatis opinio.*

Quod ad primum quæſitum attinet, de eo nolim pertinaciter contendere. Mihi id vix veriſimile videtur. Quia credo iſtam eſſe conditionem animæ humanæ, ut non modo nulla ei notio naturaliter impreſſa ſit, ſed ut nullus etiam rationis uſus in ea locum habere poſſit niſi per ſermonem & inſtitutionem: adeo ut hominis anima illis adminiculis deſtituta, veluti tabula raſa manſura ſit, & non niſi ſecutura ductum naturæ, bruti inſtar. Non quod in eo facultas rationalis non ſit, ſed quod ea in actum educenda non ſit, niſi bene-

beneficio sermonis aut institutionis, quomodocunque illa fiat. Apparet res in surdo, muto & cæco nato. Hanc sententiam confirmant exempla istorum hominum qui prorsus fatui nascuntur, adeo ut à brutis non nisi vultu humano discerni possint.

*An sint quædam principia in natura, ex quibus homo colligere possit esse Deum. Rationes illorum qui id negant.*

Quod ad secundum quæsitum attinet, Video esse quosdam qui id negant, & ex sola revelatione sive traditione scientiam istam haberi posse ac debere asserunt. Rationes eorum sunt.

I. Si divinitatis opinio ex principiis naturalibus haberi posset, certè ea non esset ex fide. Atqui ex fide est, uti aperte indicatur *Heb.* XI. *vers. 6. Accedentem ad Deum oportet credere Deum esse & remuneratorem eorum qui ipsum quærunt.* Majoris ratio est: quia fides non est res naturalis, sed divinitus acquisita; utpote quæ non gignitur nisi ex re aliqua audita quæ verbum Dei est. *Rom.* X. *vers.* 16. unde tale argumentum exsistit: Quicquid est ex patefactione divina, id non est ex natura. At quicquid est ex fide, id est ex patefactione divina. Ergo, &c. Majoris veritas inde stabilitur, quia propterea divinitus aliquid patefit, quòd naturaliter ignoretur: Imò si naturaliter notum esset non posset patefieri, cum ignotarum rerum sit patefactio. Ridiculum enim esset, si (verbi gratia) quis dicat, opus esse ut credamus nos esse & vivere, qui sumus & vivimus.

Altera ratio ex eodem textu desumta est: quia dicitur *sine fide neminem Deo placere posse.* Istis enim verbis instituri posse ut quis fide, & sic opinione ista divinitatis careat. At si cognitio illa naturalis est, fieri non potest ut quis ea careat. Naturalia enim sunt necessaria. cui addo quod in versu præcedente asseratur Enochum idcirco Deo placuisse quod crediderit Deum esse, &c. Unde effici omnino videtur, fieri potuisse ut eam animo suo non conciperet.

Tertia ratio est: Quia Sacræ literæ testantur aliquos esse qui Deum esse non credant. *Psalm.* X. *vers.* 4. & XIV. *vers.* 1. & LIII. *vers.* 2. quos etsi stultos appellant, non tamen eo significatum volunt eos naturalis animæ facultatibus aut sensu communi destitutos esse; sed tantum eos vera sapientia prorsus carere. Vera autem sapientia minimè naturalis est, sed ratione aliqua comparatur: cujus rei testimonia per totam Scripturam ubique sunt obvia.

Quarta ratio est: Quia, uti ante diximus, non singuli tantum aliqui homines, sed integri populi hodie inveniuntur, qui nullum penitus sensum aut suspicionem divinitatis alicujus habent: cujusmodi sunt in novo occidentali orbe in Brasilia, aliisque in utraque India locis compluribus.

*Rationes illorum qui id affirmant.*

Rationes hæ etsi speciem quandam veri habeant, tanti tamen mihi non videntur ponderis, ut propterea negandum sit non esse in naturâ humanâ principia quædam per se nota, ex quibus beneficio rationis rectæ concludere homo mentis suæ compos valeat, Deum esse. Contrarium evinci posse credimus rationibus solidis; quibus indicatis ad præcedentes rationes breviter respondebimus.

Tria diximus notari voce Dei:
Ens independens:
Ens à quo alia omnia entia facta dependent:
Ens quod omnium istorum aliorum rector est.

Priora duo nituntur hoc principio per se noto:
Omne quod fit ab alio fit.

Ex isto principio per se noto sic concludo:
Dantur entia facta in rerum natura. Ergo datur ens aliquod non factum sive independens.

*Ratio 1. Omne quod fit ab alio fit.*

Antecedens per se notum est: Nobilissimum inter entia sublunaria videtur homo. Hunc autem fieri & generari sensibus constat.

Consequentia patet. Omnia entia non possunt esse facta. Ratio: Non possunt facta esse à seipsis. Hoc enim implicat contradictionem; quia sic simul facta essent & non facta. Facta, quia à se essent producta. Non facta, quia se ipsa produxissent. Fuissent itaque antequam essent, & jam essent cum fierent. Nec possunt facta esse ab alio quod ipsum factum est, quia alioquin facta non essent. Factum enim supponit facientem. At faciens dari non potest, si omne faciens factum est: daretur enim processus in infinitum, quod impossibile est.

Quid si circulus detur, inquies? Et ille impossibilis est, si in circulo ens reperiatur quod factum sit. Tum enim redit idem argumentum: Illud ens factum, ab alio factum est. Non potest autem factum esse à se ipso, ut jam vidimus. Nec à suo effecto: hoc enim implicat contradictionem; quia ante effectum suum esse præsupponitur: alioquin effectus sui causa non esset. Ergo ab alio factum sit oportet. Et si aliud illud ens factum est, necesse est ut ab alio iterum factum sit, & hoc rursum ab alio, atque ita in infinitum. Quod cum sit impossibile, necesse est ut concludamus; dari aliquod ens non factum, & ab alio independens; imo ens à quo alia facta dependent tanquam à primo ente, causâ & principio suo.

At inquies, quid vetat processum in infinitum dari? Ponamus generationem hominis ab æterno. In æterno infinitus processus est.

*Non datur processus in infinitum.*

Respondeo: Processum in infinitum dari vetat ratio causæ & effecti. Si infinitus processus est, non dabitur primum: ergo neque causa. nec dabitur ultimum: ergo neque effectus. nec dabuntur mediæ causæ: quia illæ sunt inter primam & secundam. Ergo nec dabitur generatio hominis prima, nec jam ulla dari poterit generatio. Ab æterno ut generatio hominis fuerit impossibile est: quia generatio absolvitur certo tempore, puta septem aut novem mensibus. At isto tempore absolvi non potest, nisi initium istorum mensium ponatur. Initium autem in æternitate nullum est. Ergo, &c. Cui adde: Si ratio generationis attendatur uti nunc se habet, impossibile est ut illa concipiatur æterna, si detur genitus. Nam ille ab æterno genitus, aut fuit adultus, aut infans. Si adultus, quomodo genitus est? Si infans, quomodo adolevit & educatus est? Necesse utique est ut aliam generationem ab æterno statuas. Sic non erit nunc hæc nostra generatio æterna. Sed quæ alterius istius generationis est ratio? quæ vestigia? unde illa verisimilitet deducitur? denique quæ causa cur desierit? Eam causam indicare impossibile est.

Dicere homines ex putri materiâ gigni posse, uti vermes & insecta, est sine ratione & experimento ullo fingere quod lubet. Fingere verò etiam loca, ubi homines sponte sua nascuntur è terrâ, aut à cœlo producuntur in terra, est deditâ operâ insanire. Ubi enim ista loca sunt? Et pone esse; tum rursum quæro: si à cœlo aut ex putri materia gignuntur, an gignuntur infantes, an adulti? si adulti, ubi isti conspiciuntur? cur non semper generantur? quot generantur numero? Si infantes; quomodo adolescunt? Stulta hæc sunt, & sine ullo prorsus fundamento conficta. Dices: creatus fuit homo ab æterno. At, inquam: creatus non est genitus. Imò si creatus ab æterno quis est, tum generatio æterna non est: quia generatio in eodem instanti fieri non potuit quo creatio. Est enim actus creaturæ, quem in tempore fieri necesse est; quia absolvitur finito tempore, puta spatio novem mensium. Ubi autem finis temporis est, ibi initium temporis ut sit necesse est. Tum falsum est creationem ab æterno dari posse: quia contradictionem implicat, ut in instanti fiat transitio à non ente ad ens. Mutatio illa qua unum post aliud fit, tempore indiget. Quare concludo, necesse esse ut primus homo detur, non genitus, sed factus: & quia factus dari non potest, nisi ab alio factus sit; ut, vel detur ens non factum, quod principium & causa ejus sit; vel, ut in infinitum procedatur, & sic nihil omnino factum detur: quod falsum atque absurdum esse sensus ipsi nostri arguunt.

Esto, inquies: datur ens independens: datur ens à quo alia omnia entia facta dependent: At ex eo nondum sequitur dari ens quòd regit, gubernat ac dirigit universa entia. Fieri enim potest ut ens illud independens naturæ necessitate omnia produxerit: atque ita entia omnia ab eo dependeant, recipiendo ab eo influxum, virtutem vel vim per quam sunt & subsistunt, moventur & vivunt. Itaque nondum sequitur hoc ens independens Deum esse, quod Dei notio prima statim importat. Fateor. Itaque addo.

Dari principia in natura ex quibus solidè colligitur universi hujus Rector ac gubernator.

*Ratio 2.*

Inter ista hoc primum colloco:

Omnia entia naturalia finis alicujus gratia agunt. Itaque necesse est ea *Rectorem* alicujus consilio gubernari. Rectorem autem illum necesse est esse ens illud independens; quia cætera omnia ab eo habent omne illud quod habent, ex hypothesi præcedentis rationis. ut enim illud à se, aut aliunde habeant, impossibile est: quia sic saltem aut independentia essent, aut saltem non dependentia ab illo. Antecedens per se liquet: Natura enim nihil agit frustrâ. Ita gravia extra suum locum & centrum, aut super medio se leviori posita, feruntur deorsum, levia sursum: Animalia feruntur ad pastum, ad generationem: Sol ad illuminandum, calefaciendum hæc inferiora, &c.

*Omnia entia naturalia finis gratia agunt.*

Consequentia patet:

Quæcunque finis alicujus gratiâ agunt, ea necesse est ut vel suo vel alieno consilio dirigantur ad finem istum. Ratio est: quia si finis gratia agunt, tum certè aut finem istum ipsa norunt, & appetunt, & consequi student; aut si eum non norint, nec appetant, ut ab alio eò dirigantur. Hoc enim est finis gratia agere.

Atqui naturalia quæ solo naturæ instinctu agunt, suo consilio

silio ad finem istum, propter quem agunt, non diriguntur. Ratio est: Quia multa naturalia sunt quæ consilii non sunt capacia, quia intellectu carent, ut lapides, semina, plantæ, & bruta animantia. Nec enim lapides deliberant, an deorsum ferri debeant; nec triticum, ut granum gignat ad speciei suæ conservationem, vel ad alendum homines. Nec asini, nec porci deliberant qua ratione cibus in ventriculo concoquatur, quomodo in chylum, chylus in sanguinem vertatur, &c.

At sunt alia, inquies, consilii capacia. Esto, inquam: at illa saltem etiam quæ incapacia sunt consilii, finis gratia agunt. Deinde quæ consilii capacia sunt, ea agunt omnia quæ naturæ solius instinctu fiunt sine consilio: ut mater utero gerens filium, non consultat qua ratione infans in utero formetur, nutriatur & aptam illam corporis structuram paulatim adipiscatur. Etiam inscia, dormiente, non deliberante, nec cogitante matre, omnia ista perficiuntur; tantâ arte, tantâ sapientiâ cui humanum nullum consilium unquam sufficere potest: adeo ut homo, velit nolit, abripi sæpè cogatur in admirationem arcanæ istius atque abditæ sapientiæ.

Alieno itaque consilio ut dirigantur ista necesse est. At alienum istud consilium non potest tribui alii, quàm ei qui naturæ & naturalis illius instinctus auctor est.

Dices: fieri non posse, ut quod finis gratiâ agit, planè omnis sit consilii expers: saltem finem istum nosse debet. Respondeo: nullo modo hoc sequi. Telum in scopum dirigitur, & in scopum fertur; neque tamen scopum novit, aut scopum propriè appetit. Navis in portum dirigitur; neque tamen novit portum, nec eum appetit. Horologium designat intervalla temporis, & movetur eum in finem, ut ista designet: nec tamen intervalla ista novit, nec finem istum appetit. Nec equus quidem sæpe novit quò dominum suum vehat, & eum tamen vehit finis alicujus gratia: nempe non consilio suo, sed alieno, omnia ista in suos singula fines diriguntur.

Dices fortasse: Naturam ipsam in singulis rebus esse, cujus consilio singulæ diriguntur in fines suos. Esto, inquam: sed quæro. Quid natura ista est? An cujusque rei naturalis proprietas? At quomodo illa consilii capax est, cum res ipsæ brutæ sint? An communis quædam natura, ex singularium rerum naturis collecta? At communis natura non est extra singulares naturas. An substantia aliqua intelligens & cognoscens, cujus consilio singula diriguntur? At hoc est ex natura Deum facere, & cum Deum neges Deum sub naturæ nomine agnoscere. Pone itaque naturam istam deficere, aut directionem illam naturæ sapientissimam, qua singula diriguntur in fines suos, cessare, an non necessario sequetur rerum omnium confusio & chaos? Omnino id necesse est. Concludo ergo, naturam istam rectricem esse rerum omnium factarum, atque ita Deum dari.

*Ratio. 3. Tota mundi fabrica ita est ordinata, ut omnes ejus partes serviant uni homini.*

Idem confirmatur ex eo, quòd totam hanc mundi fabricam videamus ita esse ordinatam, ut universæ ac singulæ ejus partes serviant uni homini, vel speciei solum humanæ conservandæ. Id autem sine rectoris alicujus supremi consilio ac directione fieri impossibile est.

Antecedens patet: Quia cœlestes omnes orbes, propter aërem & aquam sunt: Aër verò & aqua propter terram, terra propter herbas, herbæ propter animalia, animalia propter hominem sunt. Serviunt singula singulis, uni omnia: homo solus Deo. Hoc probatione non indiget. Astra sibi non lucent, propter se non moventur; terra sibi non producit herbas, aër sui causa non recipit influentias siderum à cœlo, neque vapores & exhalationes è terrâ, nec respirationi suæ inservit. Mare sibi non æstuat, neque propter se fluxum & refluxum patitur. Alterius igitur causa omnia ista fiunt. At cujus? nisi hominis, entis omnium inter sublunaria nobilissimi? Ut frustra illa esse dicantur, absurdum est & sensibus repugnans. Natura enim nihil facit frustrà. Docet hoc ipsum natura rei. Homo solus propter nulla istorum est. Soli enim, Lunæ, astris ad calefaciendum & illuminandum homo non servit: nec servit aëri, terræ, mari, plantis, animalibus. At terram colit, inquies. Ita est: non terræ, sed sui ipsius causâ: alioquin terra sine ipso terra esset, & è sinu ejus exirent ea quæ exire possent plantæ, frutices, herbæ, dulces, amaræ, venenosæ, etiam nullo terræ fructu, nullo commodo. Nempe terra istis non fruitur, nec utitur. Solus homo istis utitur ac fruitur. quod signum est omnia ista propter hominem esse. At serviunt ista animalibus, inquies. Esto, inquam. Et animalia serviunt homini. Cui homo? Nulli certè. Rectè Poëta:

*Sanctius his animal mentisque capacius altæ*
*Deerat adhuc, & quod dominari in cætera posset:*
*Factus homo est.*

Nec mirum: quia homo ens omnibus istis multò nobilius est, & proximè ad Deum accedit, & ab eo solo Deus coli potest; propterea quod inter omnia ista solus ratione utatur & consilio, ut istis uti ac frui possit ex arbitrio rectoris universi: unde conservationem istius speciei totius universi finem esse apparet. Quod cum Philosophis ferè omnibus, ipso experimento & serie rerum edoctis, etiam Aristoteles videtur agnovisse: & Scriptura nostra sacra tam apertè confirmat, ut nihil suprà; quia post creationem mundi ultimo hominem formatum dicit è terrâ, & in hoc orbe tanquam Regem ac dominum in palatio suo collocatum, ut dominaretur piscibus, avibus, cæterisque animantibus omnibus: & quia Solem ac Lunam creata dicit, ut lucerent super terra, & dominarentur diei ac nocti, ad vices temporum designandum, & rerum omnium productionem apte perficiendum; atque ita homini, tanquam domino, calore ac luce suâ ministrandum.

Dices, uti Athei quidam solent; nullo pacto verisimile videri, cœlum, stellas, orbesque omnes cœlestes hominis unius causa esse; cum tota terra ne punctuli quidem minutissimi proportionem habeat ad ea; homo verò ad terram etiam ipsam ne apicis, ne stigmatis, ne atomi quidem mensuram. Quomodo ergo mente concipi potest ista esse propter hominem eique veluti instrumenta subservire? Exaggerant hanc rem in specie, ex certis demonstrationibus Astronomicis, quibus observari dicunt tum orbium atque astrorum quæ in illis sunt à terra distantiam, tum eorundem quantitates ac moles tantas esse, ut proportio eorundem ad terram iniri non possit, nedum ad hominem terræ istius vix verrucam: cum tamen terra ipsa in ambitu suo contineat ex communi Geographorum sententiâ, quinquies mille & quadringenta milliaria Germanica. Distantiam inter centrum terræ & concavum sphæræ Saturni, quam longitudinem vocant, dicunt esse septem mille annorum & viginti quatuor prope: cuilibet anno 365 diebus assignatis, & quolibet die confectis quadraginta milliaribus, secundum milliaria Legis, quorum unumquodque constat mille cubitis artificialibus. Molem sive densitatem sphæræ uniuscujusque, itineris 500 annorum. Quia autem sphæræ septem sunt, hinc necessariò effici longitudinem à terræ centro, ad septimæ sphæræ concavum, esse 7000 annorum, uti refert Maimonides in suo *More Nevochim*, cap. 15. part. 3. Sol ipse centies sexagies & amplius terrâ major esse dicitur. Sume deinde sphæræ cujusque circumferentiam, sive peripheriam, juxta altitudinem cujusque; vix enunciari potest, nisi ab eo qui proportiones illas juxta Arithmeticam exactissimam numerare didicit. Cælum octavum, id est firmamentum, in quo stellæ omnes fixæ sunt, intra centesimam unius horæ particulam plusquam trecenta millia milliarium conficere creditur. Lansbergius dicit illud momento uno absolvere 643848 milliaria. cæteras deinde stellas erraticas, sive planetas, etsi non æquè multa milliaria, tamen pro proportione maximum iter conficere necesse est; siquidem eas omnes moveri velimus, ex sententiâ Ptolomæi & plerorumque Astronomorum. Copernicus enim Solem stare & terram moveri credit, cui hodie non pauci subscribunt eruditi viri. Ex his concludunt nihil absimilius à vero esse, quam quod tam vasta, tam immania, tam nobilia corpora, unius terræ, nedum hominis causâ facta dicantur; ad quæ terra ipsa multò minorem proportionem habet quam formica ad hominem, imò ad terram ipsam totam.

Respondeo: hanc difficultatem nullius momenti esse, si modo illud supponatur, 1. certum esse hominem, cui servire ista omnia vasta corpora dicuntur, ens esse multo nobilius quàm ipsa sunt. Quid enim vetat multa, maximaque ignobiliora, uni nobiliori servire? Entis perfectio non est æstimanda ex mole & quantitate, sed ex virtute, sive facultate excellentiori. Nempe una formica aut musca perfectior est tota terra, mari, Sole & Luna. Vivere enim & sentire longè melius est, quàm simpliciter esse, quia perfectionem majorem addit ad ipsum esse. 2. Cum homini ea servire dicimus, non intelligimus unum aliquod vel plura individua in specie humanâ, (quanquam & hoc intelligere possemus) sed speciem totam humanam, in qua innumera sunt individua, quæ singulis istis corporibus, etiam propter numerum, multò excellentiora sunt. Cur enim milliones hominum, qui singuli perfectiores sunt singulis istis corporibus, imò omnibus etiam simul sumptis, digni non sunt quibus ista corpora serviant? Exempli gratia: Detur artifex conficiens instrumenta ponderis centum librarum, idonea ad conficiendam acum exiguam, non nisi grani unius pondus habentem, sed ad multas acus conficiendas utilem, & propter utilitatem suam istis instrumentis omnibus longè digniorem. Quæ absurditas in eo foret, si quis instrumenta ista, licet pretiosissima & maxima, fieri dicat ut per ea acus una post aliam, & sic multa millia acuum fiant? Nulla certè. Ea-

tè. Eadem itaque ratio cur hîc non obtineat? 3. Magna multaque inſtrumenta uni rei exiguæ ſervire non eſt inconveniens. Grano minimo fœcundando & ad frugem perducendo, Sol, aër, pluvia, terræ ipſius gremium ſervit. Tota mater omneſque animæ vegetativæ facultates, ſerviunt exiguæ particulæ ſeminis aut embryoni in utero efformando. Regi, licèt homuncioni, famulantur ſæpe aliquot ſtipatorum millia, curiæ, provinciæ, regna, exercitus. 4. Niſi hoc ſtatuatur, quod homini ſerviant iſta omnia, cui fini erunt? Dices, quamlibet rem ſui generiſque ſui gratia eſſe, per accidens autem eſſe quod homini ſerviant, quia homo natus iſtis occurrit. At, inquam, cui bono, aut quod bonum pro ſe conſequitur. Sol quod luceat, quod calefaciat, plantæ quod frondes, flores, fructus ferant, & genus ſuum propagent? mare quod fluat & refluat, Luna quod luceat & humectet? Nec enim ſentiunt, nec intelligunt, nec percipiunt illud bonum ſuum. Bonum itaque illud, bonum ipſorum non eſt, non magis quàm ſi non eſſent, aut ſaltem non magis quàm ſi lapides eſſent: nec magis ſentiunt bonum ſuum, quàm candela quæ homini lucet, aut ignis qui eum calefacit. Bonum certè quod propriè alicui bonum eſt, in perceptione ac fruitione boni poſitum eſt. At animalia ſentiunt, inquies. Ergo, inquam, propter animalia ſaltem illa eſſe dicendum foret, & non per accidens. Deinde animalia ipſa non niſi ſenſu iſtud bonum percipiunt; non intelligunt quale, quantumque ſit. Itaque illo tantum fine iſta eſſe veriſimile non eſt: cumque homo intellectu ſupra animantia omnia præditus ſit, ac proinde bono iſto frui plenius poſſit quàm animalia, cumque homo ipſis iſtis animantibus uti ac frui poſſit; quæ ratio eſt cur non dicamus omnia etiam, cum iſtis prædictis, animalia hominis gratia eſſe, ſicut iſta omnia animantium gratia eſſe dicimus? Nulla omnino. Denique ſi iſta omnia hominis cauſſa non eſſent, terra tota aut ſine fructibus eſſet, quia inculta maneret; aut ſi ſponte ſua fructus provenirent, fructuum immenſâ & inutili copiâ laboraret; aut ſi neutrum, ſentibus, ſpinis, tribuliſque obſita horreret. Et animalia quod attinet, aut feris tantum ſylveſtribuſque animantibus ſcateret, aut cicuribus inutiliter redundaret. Quo fine? Nullo. At ſi hominis gratiâ iſta omnia eſſe dicantur, ratio ſapientiæ conſtat quæ authori iſtorum omnium tribuenda eſt. Atque hæc eſt conſequentia de qua porro agendum eſt.

Si omnia iſta ita ſe habent ut homini ſerviant, tum profectò iſta omnia ſapientiſſimi Rectoris conſilio ſunt id quod ſunt. Ratio conſequentiæ eſt: Quia alia ſervitutis vel ſubordinationis illius cauſſa dari aut concipi non poteſt. Si enim alia cauſſa eſſet, ea eſſet vel ex parte ipſorum cæleſtium corporum, & elementorum homini famulantium, vel ex parte hominis, vel ex parte utriuſque ſimul. Non poteſt concipi ex parte corporum cæleſtium & elementorum, quod in iſtam ſervitutem ſeſe ipſa dederint. Carent enim conſilio, judicio, & arbitrio proprio. Nec enim aſtra, Sol aut Luna ſe homini ſubmiſerunt, ut ei ſervirent ejuſque uſibus calorem & lumen ſuum effunderent, atque ita jugum ejus in ſe reciperent. Nec ex parte hominis; quia etſi conſilio & arbitrio præditus ſit, nullum tamen jus, nullum imperium habet in cœleſtia. Nec enim Solis, Lunæ ſyderumque poſitiones aut revolutiones, vires atque influentias in poteſtate ſua habet, ut iis pro arbitrio legem calefaciendi, illuminandi, &c. figat. Nec ex parte utriuſque illud contingere potuit; quia conſenſio inter iſta fieri non potuit mutua. Quid reſtat ergo, niſi ut concludamus iſtam ſubordinationem eſſe opus ſapientiæ alicujus Rectoris, quem nos Deum eſſe dicimus?

Dices, cum ineptis quibuſdam; Caſu iſtam ſubordinationem contingere potuiſſe, per tumultuarium quendam atomorum concurſum, nullo conſilio, nulla ſapientia. Neſcio profectò an dignum ſit refutatione tam ineptum commentum: hominem exuat neceſſe eſt, qui adeo ineptit: quin & flagris potius dignus eſt quàm reſponſo: tam ordinatam fabricam, tam artificioſam molem, tam pulchram tot diverſarum ac ſibi invicem repugnantium rerum, & tamen adeo ſuaviter inter ſe conſpirantium, compagem fortunæ aut caſui tranſcribere, ut Deum ejus auctorem non cogaris fateri. Nemo adeo vecors aut exſenſæ mentis eſt, ut ſi in tabellam incidat quæ effigiem hominis pictam habet, non ſtatim fateatur pictoris eam eſſe opus, aut artificis alicujus manum. Si in ſylva, in inſula tugurium vel ædiculam videat, ex avulſo ceſpite erectam & vimine affabrè conſtructam, non protinus hominem auctorem cogitet, etſi nulla veſtigia pedum humanorum videat. Et nos dubitabimus, an machina iſta ſic ordinata, auctorem habeat ſapientiſſimum? Citharæ fides, quæ ejuſdem prorſus naturæ ſunt, ſi rectè ordinatæ eſſe audiantur, ſtatim Citharædi induſtria agnoſcitur. Et hæc tam concinna, tam apta tantarum molium harmonia, in unius hominis gratiam mirabili artificio compoſita, hominem adeò ingratum reperiet, ut ejus auctorem nolit agnoſcere?

Sed de caſu videamus. Si caſu iſta ſic evenerunt, quis ille fuit præter cujus intentionem evenerunt? Nam id quod caſu evenit, præter intentionem agentis evenit, ut ſi me ambulante tonet, aut pluat, aut turris cadat. Quis ille agens & intendens fuit? quam intentionem habuit? Deinde ſi caſu evenerunt hæc omnia, cur non caſu interdum ceſſant? Caſus enim eſt eorum quæ raro eveniunt. Cur conſtat moles iſta & cohæret ſine ulla diſſolutione compagis aut ordinis? Atomi, inquies, ſemel ita confluxerunt. At unde atomorum iſte fluxus & motus? An ante confluxum illum permixtæ fuerunt? gravia igitur & levia ſimul fuerint neceſſe eſt: quod abſurdum eſt. Nam ſi ſimul fuerunt, quomodo ſeparatæ fuerunt ſine motore, & quando? quod motus iſtius principium? Quieta enim moveri à ſe non poſſunt. Et ſi tamen fluxiſſe eas velis & concurriſſe, cur non fluxere aquarum atomi ſupra terram totam, quia aqua terra levior eſt, & terræ innatat atomica ſua proprietate? cur atomi Solis medium cœlum occuparunt, & motum ejus fecerunt inæqualem? quomodo ex iis genitus homo eſt; infans an adultus? ſi infans, quomodo is alios genuit ſi adultus, cur plures non ex iis fluxerunt? num vivæ an mortuæ fuerunt? ſi vivæ, quomodo mortua corpora produxerunt? ſi mortuæ, quomodo ex iis vita fluxit? &c. Sed pudet tam inani commento refellendo longius inhærere.

Ex hoc etiam efficitur, non poſſe dici omnia hæc naturæ quadam neceſſitate ita eveniſſe ab omni æternitate. Nam aut ab omni æternitate volumus hominem exſtitiſſe, aut Solis aſtrorumque beneficio eum productum eſſe. Neutrum dici poteſt. Nam hominem ab æterno exſtitiſſe ut dicamus impoſſibile eſt. Si enim ab æterno exſtitit, aut genitus fuit ab æterno, aut non. Ab æterno ut genitus fuerit impoſſibile eſt, uti in præcedentibus evicimus, & natura ipſa rei docet. Nam ſi ab æterno exſtitit non genitus, aut à ſe ipſo exſtitit, aut creatus eſt. Ut à ſe ipſo exſtiterit impoſſibile eſt; quia ſic eſſet Deus, & proinde ſic eſſet adhuc: quomodo enim periiſſet? ſi eſt adhuc, ubi eſt? Generando, inquies, ſe perdidit. At generavit ab æterno, inquies. Ergo generando ab æterno ſe perdidit. Ab æterno igitur fuit & non fuit. Et quæ ratio, quæſo, eſt, ut quod à ſe neceſſario eſt, eſſe deſinat? Ingenerabile enim, eſt incorruptibile. Adde, ſi generando ſe perdidit, aut ſcivit illud aut neſcivit: ſi ſcivit ſe ipſum ſe perditurum generando, & generavit, ſtultus fuit: ſi neſcivit, miſer fuit. Ut à Solis aſtrorumque beneficio eum productum fuiſſe dicas, ratio non ſinit. Nam. I. Sol & aſtra animata non ſunt, nec ſunt intellectu prædita. Aut ſi ſunt, tum dico II, cur non ab iiſdem ſingulis momentis homines producuntur. An uno actu ſe ipſa exhauſerunt, ut novæ productioni non ſufficiant? Nulla ratio, unde enim illa ſterilitas? Tum addo; ſi produxerunt, aut ab æterno produxerunt, aut in tempore. Si ab æterno, nulla itaque generatio eſſe potuit. At datur generatio. Ergo, &c. Si in tempore, cur hoc non illo tempore produxerunt? cur unum & non plures produxerunt? aut ſi plures, cur nunc non producunt? Quæ enim neceſſitate naturæ producunt aliquid, ea ſemper & eodem modo agunt, neque tempori adſtringuntur. Vana itaque hæc ſunt.

*Ratio 4. Ab univerſali conſenſu omnium gentium.*

Hæc res inſuper confirmatur univerſali, conſtantiſſimo & manifeſtiſſimo conſenſu omnium pene gentium; tam quæ ſapientia & ingenio valuerunt, quam aliarum ſtupidiorum aut barbararum: illas enim decipi, has decipere potuiſſe nullo pacto eſt credibile.

Hinc principium tale elicitur: Tam conſtans tam univerſalis conſenſus cauſſam aliquam habuerit neceſſe eſt. Nam quæ ex arbitratu humano veniunt, ea non ſunt communia omnibus, nec eadem ubique, & crebrò mutantur. Deinde cum populi ferè omnes, imprimis Barbari, naturâ ſuâ inclinent in ea quæ animo ipſorum liberum peccandi commeatum faciunt, abhorreant autem ab iis quæ frænum animo ipſorum injicere poſſunt; multò veriſimilius, imo penè certum videri debet, ſi falſum eſſet Deum eſſe, opinionem divinitatis nullam animis ipſorum inhæſuram fuiſſe. At contra apparet factum. Vix enim ulla tam barbara, tam immanis, & effera natio, quæ non numen aliquod agnoſcat. adeò ut licèt in illo numine deſignando in diverſum abeant, in numine tamen generatim agnoſcendo penè unanimiter omnes conſentiant & conſpirent.

Cauſſa hujus tanti conſenſus alia dari non poteſt, quam aut oraculum Dei ipſius, aut traditio, aut rei ipſius, ſive rationum & principiorum ex quibus id intelligitur evidentia; quatenus illa veluti primæ notiones ſunt, quæ mentem cogunt aſſentiri, ſi quis ulla modo ratione duci velit. Si cauſſa ejus eſt oraculum Dei ipſius, tum certum eſt Deum

eſſe.

esse. Si est traditio, nulla caussa assignari potest idonea, cur primos illos parentes credamus falsum aliquid tradere posteris voluisse, in re maximi momenti, cum scirent & persuasissimi essent, se à Deo ipso originem sui habere; utpotè qui scirent se paulò ante non fuisse, & nullam esse inter res creatas quibus originem sui debere possent. Si verò etiam ipsa rei evidentia caussa est; tum consensus ille inde ortus, validissimum præbet argumentum ad rem hanc confirmandum; & ipsa etiam ista consensio non leve robur addit præcedentibus argumentis nostris. Nam si consensio illa etiam locum habet apud istos populos, in quibus nulla aut oraculi divini notitia aut traditio istam opinionem genuit, utique aliunde eam fluere non potuisse, quam ex rei ipsius evidentia, & principiorum natura sua clarorum vi, certum videri debet: horum enim vis potentior est quam ipsius traditionis. Traditio enim nisi crebrò stabiliatur, paulatim vilescere solet atque evanescere. At quæ naturâ ipsâ aut per se nota sunt principia, ea vix ac ne vix quidem, exstirpari animo possunt. Redeunt facile in mentem, & ut ut ea premas atque obruas ad tempus, tandem tamen iterum reviviscunt. Diverti animus ab iis potest, sed illa ex animo everti non possunt, nisi ab eo qui hominem exuere vult, & animo suo feritatem inducere: quamquam & hoc admodum difficile est, & fortè omnino impossibile ei, qui rationis aliquem usum admittit.

Attamen, inquies, populi & nationes integræ reperiuntur, quæ Numinis omnis sensu atque opinione carent. Hoc argumentum unum ex istis est, quibus dicebamus quosdam uti, ad probandum cognitionem omnem Dei ex sola fide, ac proinde ex revelatione tantum esse, sine qua fides esse non potest.

Respondeo, Incertum esse an ulli populi & nationes tales ἄθεοι inveniantur. Editus est libellus quidam de omnibus omnium nationum Religionibus, quæ navigationibus Christianorum detectæ sunt, in quo planè contrarium asseritur. De Tovoupinambaultiis in America, narrat I. Lerius Burgundus, eos nullos Deos agnoscere. Vestigia tamen divinitatis apud eos superesse, apparet ex eo quod dicat eos fateri, animas eorum qui virtutem coluerunt post altissimos montes evolantes, in amœnissimis hortis perpetuis delitiis ac tripudiis lætum ævum agere; ignavorum contra manes abripi ad Stignan, (cacodæmonem sic vocant) & cum eo sempiternos inter cruciatus vivere. Deinde ex eo quod eos Caribes seu sacerdotes suos habere narret, quos sunt persuasi & fortitudinem bellicam sibi impartiri, & omnes è terra fructus producere, eò quòd cum spiritibus commercium habeant. Hæc semen aliquod divinitatis & umbram religionis arguunt. Peruviani habent suum Piracocha quem *Pachacamak* vel *Pachaca choachacik* id est creatorem cæli & terræ, & *Usaque*, hoc est admirabilem vocant. Josephus de Acosta in historia naturali & morali Indiæ occidentalis, lib. 5. cap. 3. Post hunc secundus apud eos Deus Sol; Tertius tonitru aut is qui tonitru excitat. Et lib. 4. passim suos Deos, imagines, cultus, sacrificia habent. Et lib. 5. cap. 2. nihil pene quod non Deus. De Mexicanis aliisque alii multa in eandem sententiam scribunt. De Japonensibus, qui nobis antipodes sunt, nostrates mihi similia retulerunt: adeoque omnes qui extra anni Solisque vias positi dici possunt, & alioquin sine lege pene ulla vivunt, sensum tamen divinitatis præ se ferunt. De Brasilianis narrat Lerius in historia navigationis in Brasiliam cap. 6. summum Mexicanorum Deum esse *Hoitzili Pochtli*. Videatur etiam Hieronymi Benzonii historia Novi Mundi, Bartholomæus de las Casas, aliique.

Sed, esto: detur etiam nationes aliquas tales reperiri, nihil aliud tamen evincetur, quam notionem illam divinitatis non esse naturaliter impressam animis omnium; quod negare nos nolumus. Sic enim nullo modo extingui posset notio ista, nec suffocari. At fieri posse ut homines eò usque degenerent, ut rationem in consilium non adhibeant, sed solo naturæ instinctu brutorum instar ferantur, ac ferri velint, id verò ex eo non efficitur. Imò verò eò usque procedere potest humana mens, ut ne sensibus quidem suis fidem habeat, dubiteteque adeò an motus detur in rerum natura, quem oculis suis, auribus, totaque carne sua sentit ac percipit; an contradictoriarum duarum propositionum altera vera altera falsa sit; an ipsi sint ac vivant. Non dubito tamen quin si urgeantur, dubitaturi sint an ipsi dubitent. Nec defuerunt qui nivem atram dixerunt, & qui persuasum populo voluerunt se stare cum jacerent proni aut supini in terra. Quid mirum? Videas nunc esse inter Christianos ipsos innumeros mortales, qui eò usque dementiæ perveniunt, ut si Papa solum diceret parietem, quem vident album, esse nigrum, pleno animi adsensu id se credituros esse profitentur. Hæc cum videamus fieri posse, hodieque fieri, quid mirum si concedamus esse nationes, quæ in media barbarie educatæ, & solis tantum sensibus brutorum instar adsuefactæ, rationis usum paulatim exstinxerint, & in belluas inducta feritate tandem degenerarint, nihil aliud credentes esse quam quod sensibus obvium est & palpari potest? Horum itaque populorum ratio habenda non est, quia & pauci isti sunt, ut numerum non faciant, & simulatque consuescunt cum iis qui ad rationem & principia ista eos reducunt, haud gravatè iis adsentiuntur, naturæ quasi stimulo veluti ex profundo somno expergefacti.

Atqui, inquies, & Philosophi multi sapientia præ ceteris excellentes reperti sunt, hodieque reperiuntur in omni hominum ordine, non infimi subsellii homines, qui in id non consentiunt. Ita olim repertus Diagoras Melius Poëta, Theodorus Cyrenæus, cognomento idcirco vocatus ἄθεος, Euhemerus Tegeates, & alii.

Resp. 1. Philosophos istos, gentilitios potius Deos, eorumque idola & superstitiosum cultum, quam Deum negasse, prolixè probat Philippus Mornæus, in cap. 1. de veritate Religionis Christianæ, aliique, rationibus non contemnendis. Nec mirum. Nempe vivebant istis temporibus, & inter illos populos, ubi & falsa numina, & sæpe ridiculis aut manifestè impiis sacris colebantur. 2. Certum est Philosophos istos paucos admodum fuisse, quos vel novitatis studium, vel ambitio, transversos adeò rapere potuit ut ad clarissima principia animum non adverterent; aut si istis vitiis non laboraverint, qui mancipia fuerunt libidinis suæ, quique adeo frænum istud religionis excussum animo suo voluerunt, ut tanto liberius peccare, & sine ullo remorsu animo suo possent indulgere; aut si ne iste quidem morbus eos tenuit, qui rationum quarundam verisimilium specie decepti, cum solvere eas non possent, in contrariam partem concesserunt, ut aut clarissima negarent, aut de omnibus dubitarent, ac ne sensibus quidem suis crederent. Id ex eo liquet, quod argumenta eorum & frivola fuerunt, & statim atque cognita essent & intelligerentur, ab omnibus rejecta fuerunt; & quicquid ipsi ponerent, sive generum successionem absque ullo primordio, sive atomorum concursum, sive aliud quidvis, id omne ostenderetur non modò non minoribus, sed multò majoribus difficultatibus laborare; quin & insipientiam meram, aut stultæ eruditionis affectationem redolere. Quare & paucitas ipsa philosophorum, & quod statim intellectis tantum eorum argumentis, rejecta universim est eorum opinio, ostendit satis non provenisse hoc ex usu rectæ rationis, quæ omnibus communis est, sed aliunde.

Rectius itaque sic concludetur: Plerique omnes philosophi, rationis rectæ ope Deum esse intellexerunt, & rationes paucorum contra sententium rejecerunt: ergo rectæ rationis ope ad istam cognitionem perveniri potest. Si enim id fieri non posset, non modo plerique, sed nulli unquam, ejus ope eò perveniissent. Non autem rectè concluditur: Quidam eò non pervenerunt; ergo eò pervenire non potuerunt. Caussa esse potuit ac debuit quo minus eò usque pervenerunt. Quæ illa fuerit, incertum est. Hoc certissimum est & extra omne dubium, omni ætate & seculo quo quisque fuit probior, eò diligentius ab ipso custoditam de Deo notitiam, ut omnino necesse sit, à pravo eorum ingenio, quorum interest ne Deus sit, quem colere ac revereri pura mente ac vita necesse sit, quique adeò actionum omnium humanarum arbiter ac judex sit, istam à communi & ubique gentium recepta, ab omni retro ævo, de divinitate sententia, discessionem profectam esse.

*Ratio 5. A vi & dictamine conscientiæ.*

Confirmatur hoc ipsum non leviter ex conscientiæ vi & dictamine, quam in omnibus hominibus tanquam testem sui adsiduam Deus esse voluit, inque iis ipsis qui omnem Numinis reverentiam posuerunt, quique adeò tota ingenii sui vi adlaborant, ut sibi ipsi persuadeant Deum non esse, aut saltem Rectorem universi non esse, qui actionum omnium humanarum judex ac vindex sit. Vis ejus quanta sit, non est obscurum. Effecta ejus id docent. Ligat, obligat, accusat, testatur, absolvit, damnat, non aliter quam si Dei vicem in homine gerat. Et effecta hæc sive stimulos hos non excutiunt, qui Deum totum animo suo excutere satagunt. Volentes nolentes agitat negati, violati aut perperam culti Numinis tristis cogitatio & morsus. Nec vi extinguitur, nec fraude, adeò altè inhæret animo. Tutissimus licèt homo sit, tamen securus non est. Etiam in solitudine anxius est & trepidat, ac toto corpore contremiscit. Ipsas tenebras nequitia, imò tuta omnia timet. Securitati ipsi suæ diffidit. Rectè Epicurus olim dicebat; *Potest nocenti contingere ut lateat, latendi fiducia non potest.* Multos fortuna liberat pœna, metu neminem. Exemplo sunt potentissimi Imperatores, & qui arcani licentiam nacti, sine arbitris, sine testibus, & in occulto scelera committunt. Illos potentia sua contra

metum

metum munire posse videtur; hos secreti licentia tegere & securos reddere. At contra est. Caligulam solum videte ex Imperatoribus. Minabatur cælo, & cum Jove, ut in vita ejus scribit Suetonius, simultates alebat, si pantomimis obstreperet plueretve. Si fulguraret aut coruscaret, caput obnubilabat, se sub lectum condebat. Cur? quem metuebat? homines ne? at potentia munitus erat, ut eos metuere opus non haberet. an Deos? at illos esse negabat, aut non curare res humanas: nam cur alioquin cum iis simultates aluisset? hoc enim est ridere Deos, aut eos sui juris facere, sibique obnoxios habere velle. Quid verò eos etiam trepidare facit, qui aut in occulto & abdito profani sunt, aut intra animum suum tantùm Deum esse negant? Vanus, inquies, est metus. At, inquam ego, si vanus est, unde est? cur adeo pertinax atque inexpugnabilis est, etiam cum nulla metuendi causa est? Quis aut quid metuitur ab eo, qui sibi solus cogitationum suarum conscius est? qui neminem arbitrum, aut testem, aut judicem earum esse persuasus est? Seipsum ne? At sibi ipsi amicissimus est. Aliosne mortales? At illi ignorant quid animo cogitet aut moliatur? Tum si tuti esse velint, ore probent, quod corde negant. Cur securi tunc non sint? Et cum reperiant infinitos sibi similes & qui ex eadem scrobe sunt, cur ab illis sibi metuant? Similes habent labra lactucas. Quare velimus nolimus, Deum aliquem esse credamus oportet, quem ipsa recta ratio docet metuere, quem jubet ubique agnoscere ac respicere tanquam Rectorem omnium.

*An conscientiæ vis extinguipossit.*

Dices, attamen ipsa Scriptura S. docet homines eousque malitiæ pervenire, ut reddantur ἀπηλγηκότες, id est doloris omnis, quem conscientia alioquin solet inferere, expertes: uti videre est, *Ephes.* IV. 19. idque *per obdurationem cordis ipsorum*, uti *vers.* præcedenti indicatur; imò eousque ut conscientiam habeant κεκαυτηριασμένην, id est cauterio inustam, ac proinde sensu omni sive remorsu tristi privatam, uti videre est 1. *Tim.* IV. 2.

Respondeo: Phrases istas metaphoricas esse, & benigne interpretandas. Nempe indicant animum, conatum, ac studium ejusmodi profanorum hominum, ejusque conatus effectum illum qui foris apparet, quando scelerati isti inter ipsam profanam vitam fiduciam ostendunt, & obfirmatum ad scelera animum, quasi nullo scelerum sensu aut conscientiæ morsu urgeantur, ac premantur. At non indicant quales animo intus sint. Hoc enim non apparet; hoc dissimulare in publico possunt, & toto animi annisu student dissimulare. Si exterius eos videas, sine sensu, sine dolore sunt, quin & sine eo se esse palam adseverabunt. At si intus eos videre liceret, animum eorum carnificem videres. Nolim tamen negare fieri posse, ut aliquando & aliquamdiu sine sensu ac remorsu sint, imprimis cum omnia iis fluunt ex animi sententia, cum vires constant & valetudo integra est, & favor publicus adest: & turba eodem modo viventium, quin & adulantium, blandientium ac lenocinantium eos quasi tegit. callus tum obducitur animo, ita ut rationes in eum non tam facile penetrent, doloremve illum imprimant. Tota caro quæ voluptatem sentit obstat punctionibus rationis rectæ; nec magis sentit ejus stimulum, quam caro callo obducta punctionem aciculæ. At ut sensum omnem prorsus sublatum credam, vix adduci possum. Dormit conscientia, non mortua est: ebria est à carne, sed non extincta.

Quod mihi ex variis argumentis liquere videtur. 1. Quia Apostolus ipse *Rom.* II. 15. de gentibus ait, quod *legem non habentes natura, sibi ipsis lex sint, & quod ostendant opus legis scriptum in cordibus suis, unà testimonium reddente eorum conscientia, & cogitationibus se mutuo* (per intervalla scil.) *accusantibus aut etiam excusantibus*; Accusantibus, inquit. Quod si videatur *cap.* 1. istius epistolæ, apparet isthic Apostolum de ipsis pessimis gentilibus adferere, quod etiam *in sensum licet reprobum*, sive ἀδόκιμον *traditi*, jus tamen Dei hoc in animo suo impressum retinerent, *eos qui talia agunt morte dignos esse. vers. ult.* unde conscientiæ morsum ex iis sublatum prorsus non esse solide colligitur. 2. Deinde, quod ipsi gentiles pene omnes, tam historici, quàm oratores & Poëtæ omnis generis, hoc ipsum proindubitato habuerint, conscientiam suffocari non posse, ejusque indicia semper se prodere in desperatissimæ vitæ hominibus, summis imisque: nec ullum scelus, licèt illud fortuna exornet muneribus suis, licèt tueatur ac vindicet, impunitum esse, quoniam sceleris in scelere supplicium est. Tuta esse posse scelera, sed non secura. Sic Juvenalis, Satyr. 13.

. . . . . *Cur tamen hos tu*
*Evasisse putes, quos diri conscia facti*
*Mens habet attonitos, & surdo verbere cædit,*
*Occultum quatiente animo tortore flagellum?*
*Pœna autem vehemens, ac multò sævior illis,*
*Quas & Cæditius gravis invenit, aut Rhadamanthus,*
*Nocte dieque suum gestare in pectore testem.*

his, ——— *prima est hæc ultio, quod se*
*Judice nemo nocens absolvitur, improba quamvis*
*Gratia fallacem Prætoris vicerit urnam.*

Ovidius Fast. *Conscia mens ut cuique sua est, ita concipit intra*
*Pectora, pro facto spemque metumque suo.*

3. Quia videmus conscientiam, veluti veterno aut lethargo aliquamdiu sepultam, subinde expergefieri & aculeum suum exerere. imprimis si periculum minetur aut ingruat, si quid inexpectatum strideat strepatve, omnibus artubus contremiscunt, cœlum suspiciunt, Deum ingeminant. Recte Juvenalis loco modò citato:

*Nocte brevem si forte indulsit cura soporem,*
*Et toto versata thoro jam membra quiescunt,*
*Continuo templum, & violati Numinis aras,*
*Et (quod præcipuum mentem sudoribus urget)*
*Te videt in somnis, tua sacra, & major imago*
*Humanâ, turbat pavidum, cogitque fateri.*
*Hi sunt qui trepidant, & ad omnia fulgura pallent,*
*Cum tonat, exanimes primo quoque murmure cæli:*
*Non quasi fortuitu, nec ventorum rabie, sed*
*Iratus cadat in terras, & vindicet ignis.*
*Illa nihil nocuit, cura graviore timetur*
*Proxima tempestas, veluti hoc dilata sereno.*
*Præterea latens vigili cum febre dolorem*
*Si cœpere pati, missum ad sua corpora morbum*
*Infesto credunt à numine; saxa deorum*
*Hæc & tela putant.*

Hinc ille: *Tacita sudant præcordia culpa.* Et iterum Juvenal.

*Has patitur pœnas peccandi sola voluntas.*
*Nam scelus intra se tacitum qui cogitat ullum,*
*Facti crimen habet.*

Quod si verò etiam mors digitum intentet, & supremam horam medicus adesse nunciet, tum verò conscientia carnis onere gravata, nec solatium ullum spiritui à carne relinquens, veluti defæcata & limpida tribunal scandit, & reos sisti jubet. Tum verò videas eos expallescere, exanimari, liquescere, in extremo demum agone toto corpore, tota anima jactari, tandemque desperabundos quamcunque divinitatis speciem, veluti extremam in naufragio tabulam, amplecti, & quamcunque religionis umbram avidos captare. Si qui sunt qui contra agunt, eos oppidò paucos esse constat, & bonam mentem ejurasse necesse est. Nec tamen credibile est quin fortiter potius dissimulent metum, aut providè vel pertinaciter tegant, quàm exuant atque exstirpent.

Hæc cum omni sæculo, & apud omnes populos in confesso sint, ac quotidiana experientia confirmet, valde verisimiliter arguunt Deum esse, & universum hoc regere. Unde enim alioquin iste conscientiæ tam manifestæ in hominibus, licèt projectissimæ & profligatissimæ vitæ, morsus? Non potes dicere imbecilles & timidas esse animas, quæ aculeum istum sentiunt. Robustissimæ eum sentiunt, & invitæ. Nec ab educatione istam conscientiam esse regerere potes. Et eas terret quæ in ipsa impietate, & ad omnem profanitatem educatæ sunt. Naturam fortè ipsam dices esse causam. At natura sic frustra aliquid fecerit & faciet. Nempe metuere coget sine causa, & eum qui non est. Aut si fine certo naturam ejus causam dicas, tum naturæ consilium & prudentiam tribuis; quod tantundem est atque ex natura Deum facere. Ratio quæ in homine est, hujus rei causa est, inquies. At vicissim, inquam, quæ ratio, cum homo ipse non exstet nisi ab alio priore generetur, unde ratio illa in homine est? deinde ratio hæc non foret recta ratio, quia metum frustra ingeneraret animo hominis; nempe metum ejus quem ipsa ratio juxta te esse negat, id est Dei. Concludo itaque, Deum esse ex vi ipsius rectæ rationis effici.

Regeret forte quisquam: morsum conscientiæ etiam falso principio niti posse, ut apparet in superstitiosis & falsorum deorum cultoribus, qui conscientiæ morsum sentiunt, si, ex. gr. liberos suos non immolent Molocho, si carnes vetitas comedant, si rosarium suum sæpius non absolvant de die, &c. Sed respondeo, 1. Argumentum hoc quidem evincere hanc rationem nostram non esse prorsus apodicticam, non tamen evincere eam inter eas rationes referri non posse, quæ maxima verisimilitudine & probabilitate nituntur. 2. Superstitiosorum istiusmodi hominum alia est conditio, quam horum atheorum. Illi enim morsum istum sentiunt, quia præjudicio aliquo laborant, veluti morbo qui eos imbecilles reddit & infirmos ad morsum istum superandum. Hi robustæ mentis sunt, & tota animæ vi id agentes, ut morsum istum excutiant atque extorqueant animo suo, & tamen volentes nolentes istum sentiunt; adeo ut quando in eo sunt, ut Deum esse aut humana curare negent, rideant, atque exsibilent, suspicionem tamen animo suo

non

non valeant excutere, an non forte verum sit quod sit Deus aliquis. 3. Superstitiosi illi adduci aliquando possunt, ac non raro adducuntur eò usque, ut superstitionem suam videant, & eam alacriter deserant; usque adeo ut non modò morsum nullum sentiant ex ejus derelictione, sed & morsum contrarium sentiant si ei adhærere, aut ad eam redire velint. Contrà fit in Atheis: nullis rationibus adduci possunt ut morsum illum planè eximant animo suo; & contrà eò adducti ut cognoscant Deum, eumque colant, perpetim gaudeant & à morsu omni conscientiæ liberi sint. Quæ sic considerata faciunt ut demonstratio hæc penè apodictica videri debeat.

*Duo argumenta ad hominem contra Atheos.*

Hæc sunt argumenta quæ ex principiis rationis rectæ deducuntur. Sunt alia & varia insuper argumenta, quæ Deum esse demonstrant. Inter quæ, præter alia quæ nunc non allegamus, etiam ea sunt quæ ad hominem sunt, & Atheum ipsum meritò movere debent ut Numen aliquod esse sibi persuadeat, si non Dei ipsius religionisque vindicandæ, saltem sui ipsius & utilitatis suæ causa. qualia hæc duo potissimum sunt.

*Primum.*

I. Quia si Deus non est, nulla Respublica, nulla Societas tuta est. Ratio est, quia sine virtute, sine Religione nihil tutum esse potest. At si Deus non est, nec virtus, nec Religio est. Quid ergo erit societas humana aliud quàm cœtus, in quo cuique quod libet licet, in quo nullum fas aut nefas, nullum imperandi jus, nec obsequendi necessitas est, in quo optimus erit qui vaferrimus, & dominus qui potentissimus est. Nullo fræno continebitur imperantium licentia: nullo subditorum rebellio: suo quisque animo impune serviet, & in occasiones intentus commodis suis studebit, nulla publicæ tranquillitatis reverentia ductus. Quisque quà juvat ibit: privata cuique stimulatio, & decus publicum vile.

*Secundum.*

Quod si hoc Atheum rerum novandarum cupidum fortasse non moveat, tum addo 2. Si Deus non est, nemo homo vel ad momentum tutus aut securus est, à vi, à fraude, à perjurio, à cæde, à sanguine. In horas singulas, omnia penè simul metuenda erunt. obex enim ille divinitatis si non sit, quis fidei, quis innocentiæ locum esse, imò quis non licentiæ, aut violentiæ omnia patere credere potest? Humana edicta obstant, inquies. At, 1. humana edicta non faciunt ut fides atque innocentia inter virtutes censeri, vis ac violentia, imò scelera & flagitia inter peccata haberi debeant, quorum ultor Deus metuendus sit. Hinc, 2. edictorum rigor & severitas animum non mutabit in melius, sed contrà reddet cautum, vafrum, & in omnes fallendi artes intentum, ut quod palàm non licet, clam faciat sui compendii causa. Hinc tanto minus tutus ac securus quisque erit, quia contra publicam vim muniti esse possumus, contra insidias & fraudem nequaquam. Quare omnes in seipsum suosque armat Atheus, sibique omnem querimoniæ ansam præcidit, quamcunque tandem vim patiatur, aut qualecunque flagitium sibi, uxori, liberisque suis ac fortunis intentari videt. Nec enim peccare talem, nec pœna dignum credere potest.

## CAPUT IV.

## Variæ Atheorum objectiones proponuntur & diluuntur.

*Objectiones Atheorum generales duæ. Prima.*

QUod si argumentis istis non moveatur Atheus, videamus quæ rationes sint quæ ipsum movere solent, aut movere possunt, ut contrarium credat.

Earum quædam sunt *generales*, quædam *speciales*.

*Generales* revoco ad has duas. *Prima* est: Nihil est in intellectu quod non prius fuerit in sensu. At Deum esse sensu nullo percipitur. Ergo, &c.

Respondeo primò: Major generatim accepta falsa est. Propositiones enim generales, sive morales sive intellectuales, nunquam fuerunt in sensu: & tamen sunt in intellectu tam speculativo quam practico: ex. gr. Contradictoria non posse esse simul vera, nunquam in sensu ullo fuit, & tamen intellectus eam percipit, & ex terminis ipsis veram esse judicat. Honestè vivendum esse, neminem lædendum esse, suum cuique tribuendum esse, nunquam in sensu fuit: & tamen in intellectu sunt istæ propositiones. De simplicibus incomplexis, iisque per se sensibilibus vera tantum est propositio. Secundò, ne quidem de objectis simplicibus vera est. Anima in intellectu est, sive cognoscitur, & tamen nunquam in sensu fuit. At effecta ejus in sensu sunt. Esto, inquam: at causa ipsa in sensu nunquam fuit. At si ex effectis causa colligi potest ab intellectu, cur non ex effectis colligatur Deum esse? si arbor floreat ac fructus ferat, si animal moveatur ac sentiat, colligis vitam inesse, aut vitalem & animalem facultatem, quam tamen nunquam vidisti: &, si hominem omnibus istis præstantiorem videas generari, quomodo non auctorem colliges à quo primus generans factus sit? ab æterno enim & à se ut genitus sit aliquis primus, impossibile est, uti jam ostendimus.

*Secunda* est: Si Deus ab æterno statuitur, cur non etiam statui potest hæc omnia ab æterno esse? Si melius enim ab æterno esse potest, cur non & vilius? *Secunda.*

Resp. Certum est inter omnia hæc, hominem esse ens præstantissimum omnium & nobilissimum. Illud autem cum non sit nec fiat nisi per generationem, impossibile est ut ab æterno statuatur non factum, non creatum. Ab æterno enim gigni aliquid impossibile est, uti ex antecictis & ex natura rei perspicuum est. Aliud ergo ens aliquod, saltem homine non ignobilius, statui necesse est, à quo homo intellectum & mentem acceperit. Illud ab æterno ut statuatur omnino necessarium est; quia nisi hoc statuatur, dabitur processus in infinitum in causis per se efficientibus, quod absurdum & impossibile esse evicimus, & recta ratio convincit. At cælum, astra, sydera, non generantur nec fiunt. Illa itaque ab æterno fuisse quid vetat? Respondeo: aut volumus illa propter hominem esse, aut hominem propter illa. Si illa propter hominem sunt, quomodo homo itaque post illa cæpit existere; & quidem sine ipsis aut sine consilio eorum? frustra itaque fuerunt antequam homo esset, & quidem ab æterno. Dicere hominem ab astris & syderibus esse productum, certa quadam eorundem constellatione posita, quæ si eadem redeat eodem modo ab illis hominem producendum esse: nil nisi inane commentum, & vana conjectura est. Nam 1. unde id liquet iis qui id adfirmant? 2. Si ab æterno sunt astra & sydera, necesse est ut eadem sæpe constellatio aut syderum positio redierit, imò necesse est, ut infinities jam redierit. 3. Quæ ratio cur per istam syderum eandem συνδρομὴν, sive uniformem positionem, eodem modo se habentem, non plures adeoque milliones hominum producantur? Necesse est ut dicas, unam tantùm in terra, uno in loco, dispositionem materiæ isto momento dari, unde unus tantùm homo producatur. At qui hoc verisimile est? Denique quorsum ista positio syderum novum hominem produceret, si terra hominibus plena sit? An ad speciem humanam conservandam? At cum tot sint individua, species conservata jam satis est. An ad prolificam suam vim ostendendum? At quorsum, & quo fine eam ostendi est necesse? & quænam est prolifica ista vis, quæ non nisi intra triginta sex annorum millia (sic enim quidam ajunt omnia redire ad idem punctum suum) redit? Profectò sic mures, lepores, & vilissima quæque insecta, majore vi prolifica prædita erunt, quam cœlum ipsum; cùm tamen ab eo credant isti mortales, animalcula ista vim suam prolificam habere. Quin & plantæ ipsæ fœcundiores cælo erunt. Patet itaque hæc gratis, ut loquuntur, dici, & sine ulla ratione confingi à Cardano aliisque, ad religionis omnis subversionem. Ut hominem propter illa dicas factum, absurdum est. Nam si factus est, & non ab ipsis, à quo ergo factus est? Deinde, quem usum aut fructum percipiunt ab homine? Nullum prorsus. Solus homo istis utitur ac fruitur, uti jam ante diximus. Ergo eundem istorum auctorem esse necesse est, qui hominis est; qui nimirum consilio hoc ista omnia fecit, ut hominis usui servirent.

*Speciales* rationes ad *tres* has *classes* refero. *Objectiones Atheorum speciales referuntur ad tres classes.*

*Prima* est quæ naturam & essentiam Dei ipsius spectat. In hac sunt rationes *Sexti Empirici*, Pyrrhoniæ sectæ defensoris acerrimi. *Prima continet rationes Sexti Empirici.*

Si Deus est, animal est: alioqui sensibus non frueretur: &, si sensibus fruitur, mutatur, quia voluptatem & dolorem percipit: &, si mutatur, corrumpitur: &, si corrumpitur, perit, vel saltem corrumpi & mori potest: quod absurdum est. Similiter: si Deus corpore caret, caret & actione, id est vita & loquela. truncus itaque est aut mutus. Item: Si Deus est, beatus est: si beatus, virtutibus præditus est: si virtutibus, & passionibus obnoxius est, quia virtutes quædam sunt quæ passiones moderantur, ut continentia: & similia.

Respondeo: Rationes hæ vix hominem decent, quæ præter brutum aut hominem nihil concipiunt. Rectè olim Xenophanes Philosophus dicebat: si animalibus pingere daretur Deum, procul dubio sibi similem fingerent. Nempè nihil animal animali superius potest cogitare. Ita isti. At ratio recta melius eos instruere poterat ac debebat. Si entia omnia ab illo ente primo, sive à Deo sunt, tantò illud præstare optimo inter creata entia, quantum optimum cæteris inferioribus præstat. Neque satis dignè concipi ens illud, quando concipitur ad modum entium factorum; aut perfectio ejus mensuratur ad illa entia, quæ idcirco imperfectionem

fectionem aliquam habere neceſſe eſt, quod infra illud ſint, & ab illo primo facta ſint.

At nos aliter ens illud non poſſumus concipere ingenio noſtro. Eſto; at ut illud pro dignitate concipiamus impoſſibile eſſe novimus: ſaltem ut illud tum pro dignitate ſua concipi credamus, quando ad modulum noſtri captus, & ad menſuram perfectionis noſtræ iſtud metimur, indecorum & iniquum eſt. Nimirum hoc uniuſcujuſque inferioris naturæ proprium eſt, ut quæ ſupra ſe ſunt, & perfectionem ſuam longè excedunt, capere non poſſit. Nec beſtiæ capiunt quid homo ſit; multò minus, qua ratione homines Reſpub. inſtituant ac regant, aſtrorum curſus metiantur, mare navigent. Quare? quia iſta captum earum ſuperant. Hanc itaque reverentiam homo etiam, cur non credat debere ſe Deo, quod cum ſe eſſe ſciat ab eo creatum, tantò beſtiis præſtantiorem ut à beſtiis capi aut intelligi non poſſit, eundem etiam tantò ſe eſſe præſtantiorem, ut captus ſui modum excedat? Atque hoc ſufficit ad has rationes reſpondiſſe. Quis enim & qualis Deus ſit, in ſequentibus dicetur, cùm examinabitur qualem ſe ipſum patefecerit. Hoc enim non facile probare eſt ex naturæ principiis, ſed ex patefactione diſcendum eſt.

*Secunda claſſis continet rationes Euripidis & Plinii.*

*Secunda claſſis* argumentorum potentiam Dei ſpectat. In hac ſunt hæ rationes *Euripidis*, *Plinii*, aliorumque.

Si Deus eſt, ille poſſet omnia. At omnia non poteſt: nam non poteſt facere ut ignis frigidus ſit, & nix nigra; non poteſt mori, dormire, obliviſci, ſe ipſum occidere.

Reſpondeo: cùm Deus dicitur omnia poſſe, ea tantum intelligenda ſunt: 1. quæ poſſibilia ſunt, ita ut iis non repugnet eſſe, ſive quæ contradictionem non implicant. At ut ignis ſit frigidus, contradictionem implicat; quia ſic ignis eſſet, & non eſſet ignis: ut aliquid non fuerit ſimul & fuerit; ut factum, ſit infectum; ut aliquid fiat à ſe ipſo; ut corpus unum ſit in diviſis, diſcontinuatis à ſe invicem locis, uno eodemque momento, &c. 2. Ea intelligenda ſunt quæ ipſius ſubjecti naturæ non repugnant; qualia ſunt omnia iſta prædicata quæ imperfectionem aliquam continent, ſi Deo enti perfectiſſimo tribuantur; aut quæ majorem perfectionem continent, quàm natura ſubjecti patitur. Inter illa ſunt prædicata iſta; Deum mori poſſe, dormire, obliviſci, ſe ipſum occidere. Hæc enim prædicata imperfectionem & imbecillitatem ſignificant, quam ipſa Dei notio excludit. Inter hæc eſt, Deum poſſe facere ut aliquid ſit factum ab æterno, ut creatura ſit ab æterno. Hæc non poſſe, non eſt impotentiæ ſed perfectionis. Sed imperfectiones & imbecillitates ſunt, dormire & obliviſci. Poſſe itaque iſta, eſt poſſe imperfectionem pati, quod non eſt potentiæ ſive virtutis. Sic poſſe ſe ipſum occidere, non eſt potentiæ aut perfectionis in beato, & qui non poteſt miſer fieri aut eſſe; ſed ſummæ impotentiæ & imperfectionis. Poſſe enim non eſſe, multò deterius eſt quàm ſemper eſſe, ac non poſſe non beatum eſſe. ergo poſſe ſe ab iſto ſtatu felice dejicere ad non eſſe, non eſt potentiæ ſed imbecillitatis. At qui *ἀυθοχειρίαν* laudant, ii poſſe ſe ipſum occidere magni beneficii loco ponunt; quia remedium eſt contra miſeriam maximam, valde diuturnam, contra dolores pertinaciſſimos & intenſiſſimos, contra ſervitutem & dedecus. & ſpeciem id habet, quia non eſſe, minus malum eſt quam miſerum eſſe. A miſeria itaque magna ſe poſſe liberare tantillo malo, ſi quidem malum eſt, morte puta, perfectionem & beneficium eſſe putant. Sed falluntur; quia pati miſerias major virtus eſt, quàm eas nolle pati.

*Tertia claſſis continet rationes Epicuri.*

*Tertia claſſis* argumentorum, ſapientiam, bonitatem, & juſtitiam Dei ſpectat. In hac ſunt rationes *Epicuri*. Si Deus eſſet, iſque bonus, ſapiens, & juſtus Rector mundi, non eſſent tot res inutiles in mundo: ut terra magnam partem ſterilis & inhabitabilis; maria inacceſſa & glacie fere concreta; pluviæ in mare decidentes; flumina & vada inhoſpita. Nec tot noxiæ res, ut feræ & belluæ, ſerpentes venenati, ſpinæ, fulmina, tonitrua, tempeſtates, morbi. Nec tot viles res & minutulæ, ut vermes, inſecta, muſcæ &c.

Rationes hæ leviculæ ſunt & vanæ. Nam, 1. contrarium potius concludendum fuerat; ſi Deus earum omnium author eſt, ſine dubio finis & utilitatis alicujus cauſa eas ſingulas eſſe voluit, & cui fini ſerviant optimè novit, etiamſi nos iſtam utilitatem non capiamus aut non adſequamur. Qui officinam Chirurgi, Apothecarii, Chymici intrat, quam multa ibi videt inſtrumenta, magna, parva, quot vaſa, pixides, vitra, emplaſtra, quæ cui fini ſerviant, ignorat. At cum ea à Chirurgo ipſo confecta eſſe intelligit, quin ad uſum & finem aliquem ſerviant non dubitat. Et hanc tam ingentem ſummi opificis officinam circumſpiciens, inutilia & ſuperflua, vilia & tanto opifice indigna multa eſſe credet, quia neſcit cui uſui aut fini ſerviant? 2. Certum eſt hominem, ut ut non adſequatur omnem ſapientiam Dei, opificis iſtorum omnium, totamque ejus intentionem, poſſe tamen (ſi modo animum velit advertere) facile obſervare omnia iſta non modò non eſſe inutilia, noxia, aut vilia, ſed ſingula ſingulas propriaſque ſuas utilitates & perfectiones habere, dignas tanto opifice. Cur nimirum terræ aliquas partes inhabitabiles fecerit à frigore, (ab æſtu enim Solis nullas inhabitabiles eſſe nunc conſtat) cur tam vaſta & inacceſſa, extraque Solis vias poſita, quin & glacie ſemper concreta maria eſſe voluerit, tot inſulas ab habitatoribus deſertas; cur tot flumina & tam rapida condiderit; cur Solem in medio cæli poſuerit, ſive fixum ſive mobilem, id enim perinde eſt: cur tot ſylveſtres feras, tot indomita animalia, tam venenata & noxia eſſe voluerit; curque adeò inſecta, muſcas, mures & cimices exiſtere fecerit, aliaque plura: non eſt inſtituti mei id nunc fusè ac operosè deducere. fecerunt id alii, & tam veriſimiliter, ut etiamſi fortè non attigerint plenè ſummi Dei fines, propter quos omnia iſta fecit, rationes tamen ſufficientes dederint propter quas omnia iſta ſummæ utilitatis causâ eſſe credi debeat. Homo tantum *μικρόκοσμος* videatur, nihil in toto ejus corpore eſt, ne pilus quidem qui caput tegit, aut cilia, & quæ palpebras veſtiunt ſupercilia, quæ non uſum præſtare corpori demonſtrari poſſit. Et quis recenſeat quot in eo ſint partes integrales, tum principales tum inſervientes; quot nervi, arteriæ, venæ, fibræ, muſculi, tendines, tunicæ, membranæ, glandulæ? neque tamen vel glandula dari poteſt, quam non conſtet uſum ſuum habere. Ipſa venena ſervire poſſe pro remediis contra peſtem & venena, antidota docent. & qui formicam aut muſcam contemplatur, plus habet quod admiretur quam ſi Solem, aſtra, elementa, plantas & arbores omnes videat. Et ſi has uſum ſuum habere videmus, cur eas credimus inutiles, aut tanto opifice indignas eſſe? videte muſcam; an non ea hirundinum pabulum eſt, & eſca aranearum? & aranea quid utilius ad repurgandum aërem?

Sunt præter hæc alia quædam argumenta, quæ ſpecialiter alibi tractanda à nobis erunt: ut, ſi Deus eſt author hujus univerſi, quòd aliqua re motus fuerit ad faciendum: &, ſi motus fuit, quòd mutatus fuerit ex non agente in agens; &, ſi mutatus, quid ante egerit, & an in tempore tum aliquo fuerit aut egerit, &c. Item, ſi rector univerſi eſt, unde tanta inæqualitas inter bonos & malos, quod hi ferè abundent omni voluptatum genere, & impunè in omnia ferè ſcelera ferantur: iſti adverſis omnibus, inopia, contumeliis, cruce & afflictionibus premantur, nullo pietatis ſuæ fructu. Contra fieret ſi Deus juſtiſſimus rector eſſet, inquiunt; malis malè, bonis bene eſſet. Deinde unde tot mala, tot ſcelera, tot errores, & hæreſes eſſent. Neutiquam eas permiſſurus eſſet Deus, inquiunt, ſi eſſet, ut pote omnis veri & boni fons atque author. Hæc dico argumenta, hîc non attingo, quia ſingula ſuis locis excutienda venient.

## CAPUT V.

### Demonſtratur Deum eſſe ex diverſis ipſius patefactionibus.

UNam tantum rationem adhuc afferam, quæ cæteris omnibus lucem & robur addit, adeoque pleniſſimè mentem convincere poteſt, ſi quis modo præfracte tergiverſari non velit & rationem omnem non reſpuere. Ea eſt: Deus ſeipſum variis modis, multiſque vicibus adeò plenè manifeſtavit, ut jure amplius requiri nihil poſſit, ad *πληροφορίαν* ſive perfectam perſuaſionem habendam, quòd ſit, & quòd Dominus ac Rector univerſi ſit. Unde id liquet, inquies? Ex hiſtoria, inquam, quæ cur in dubium vocetur nulla ratio eſt, imò quam veram eſſe ipſa recta ratio cogit adſentiri. Hiſtoria hæc trium temporum eſt. Primum tempus eſt, quod ſtatim creationem mundi & hominis ſecutum eſt. Iſto tempore ſe manifeſtavit primis hominibus, totius generis humani parentibus. At unde hoc conſtat, inquies? Ex ipſis illis hominibus, quos illud ſcire potuiſſe certum eſt, aut (ſi neſciviſſe eos id volumus) quos iſtud poſteris ſuis perſuadere, aut potuiſſe, aut voluiſſe, nulla recta ratio ſinit credere. Nam ſi id neſciverunt, imò ſi id ex naturæ principiis, ratione recta concludere eos non potuiſſe ſtatuatur, ut ſibi ipſis imaginati id fuerint, nedum aliis perſuaſerint impoſſibile eſt. Quare ut id etiam perſuadere voluerint ſibi aliiſque, à vero omni alienum videri debet. Quod ſi dicas eos id ſibi imaginari potuiſſe, quamquam id neſciebant, aut certò non ſciebant ita revera eſſe; tum neceſſe eſt ut dicas eos, aut per errorem quendam mentis id ſibi imaginatos, aut deditâ operâ & animo fallendi poſteros. Neutrum ratio recta ſinit credere. Non poſterius; quia tum profectò primos parentes mortalium, aut peſſi-

*Deum ſeipſum hominibus patefeciſſe, probatur ex hiſtoria trium temporum.*

*Primum tempus, Adami.*

mos facias neceſſe eſt, quod perſuaſum poſteris volebant, id quod ipſi perſuaſi erant falſiſſimum eſſe, & quidem in re tanti momenti; aut ſtultiſſimos, quòd id perſuaſum iri poſteris crederent, quod falſum erat, & falſum eſſe eos non minus ſcire ac deprehendere poſſe credere debebant, quàm ipſi id ſciebant falſum eſſe. Sed ab utraque, tum malitia, tum ſtultitia, ſatis eos vindicat hoc unum, quod id ipſum verum eſſe non tantùm ſcire poterant, ſed & non poterant ignorare. Ratio: ſciebant enim. 1. ſe paulo ante non fuiſſe: 2. nullam inter res omnes creatas eſſe, cui originem ſui acceptam ferre poſſent: 3. & auctorem ſuum ac factorem jus uſurpare in ſe, quin & ſe naturæ ipſius ductu, ejus reverentiâ duci, legemque vivendi ab eo accipere, cum mortis deſtructioniſque ſuæ ſententia, teneri.

Inquies; Hæc non malè procedunt, ſi hiſtoria modò vera ſit. At de ejus veritate & fide quæritur. Atqui, inquam ego, quæ dubitandi de hiſtoriæ fide ratio eſt? Nam dubitare ſine ratione, non eſt dubitare, ſed dubitare velle, aut potius nolle credere. At ſine ratione nolenti credere veram eſſe hiſtoriam, nulla arte, nullis argumentis veritatem hiſtoriæ perſuaſeris. Qua enim alia ratione eam perſuadere poſſibile eſt, quam ex traditione conſtantiſſima, atque univerſali fide omnium pene poſterorum, traditioni iſti adhibita? At illa ipſa traditio hiſtoria eſt, quam ſi in dubium iterum voces, quis finis? experimentum cupio, inquies tandem, per ſenſus meos. Atqui ſic omni hiſtoriæ epicedium ſcribendum erit, neque quicquam credendum, quàm cujus ipſe oculatus aut auritus teſtis ſis. Hoc ſi nolis, tum concludo: Aut nulli hiſtoriæ fides habenda eſt, aut ſi ulli, huic fides habenda eſt, aut ſi ei fides non habeatur, ratio dubitationis adferenda eſt, ne ſine ratione omni dubitare velle videamur, id eſt nihil velle credere.

*Secundum tempus, Moſis.* Eſto tamen, inquam, hiſtoria hæc an plenam huic rei fidem faciat, dubitetur. Addo hiſtoriam, quâ eam confirmatam dico, & quæ minori ſpecie in dubium vocari poteſt, id eſt hiſtoriam datæ legis, quæ ſecundum, de quo dixi, tempus complectitur. Hîc Deus pleniore & diviniore quodam modo Majeſtatis ſuæ documentum dedit. Quia legem illam in deſerto in monte Sinai tulit, non tantum cum ſignis, oſtentis & prodigiis ejuſmodi, quæ aliunde quàm à Domino cæli aëriſque proficiſci poſſe incredibile eſt; ſed etiam cum voce clara, intelligibili & ſenſibili, plenaque authoritatis & majeſtatis, quam multò plura quàm viginti centum millia hominum diſtinctè audiverunt, & ſine ulla dubitatione crediderunt Dei ipſius, vel legati Dei unius vocem fuiſſe, nec alterius eſſe potuiſſe. Hæc hiſtoria cur fidem plenam non mereatur, nulla ratio eſt. Tot hominum millibus res viſa atque audita eſt; & quod mirandum eſt, tot ſeculis ab univerſo iſto populo credita, nec unquam in dubium vocata, quin & hodie adeò certa fide creditur, ut licèt cauſam habere dubitandi videantur de promiſſis legis tum latæ, quidlibet tamen credere malint, quàm hiſtoriam illam veram non eſſe. Nec mirum: clariore aut certiore documento divinitatis fides fieri non potuit; ut alia jam, quæ deinceps ſecuta ſunt, nec pauciora, nec infirmiora divinitatis iſtius experimenta, à populo iſto percepta non allegem.

*Exod. XX. 22. Deut. IV. 36.*

Sed & hæc hiſtoria eſt, inquies: quid ſi & de ea quis dubitet? quomodo ei fides fiet? Nam Moſes, cujus intererat ut ea vera eſſe crederetur, author ejus eſt. Et quæ ratio eſt, quæ vetat ſuſpicari eam à Moſe confictam eſſe? Reſpondeo: Hæc una ſufficit, quòd eam tot hominum millia oculis ſuis viderint, & ſibi viſam eſſe poſteris tradiderint: ut autem omnes iſti mortales in eo conſpiraverint, ut quod neſciebant verum eſſe, imò quod ſciebant aut falſum eſſe, aut non niſi Moſis authoritate certum ac confirmatum, poſteris ſuis traderent, neutiquam ſit veriſimile. Nulli credet, qui tot teſtibus fidem derogabit.

*Tertium tempus, Jeſu Chriſti.* Quod ſi nihilominus quiſquam adeò perfrictæ frontis atque amens reperietur, qui contra hæc obganniet ſine ratione aut cauſa, age, eundem deducamus ad tertii temporis hiſtoriam, quæ Chriſtum Dominum & ſervatorem noſtrum ſpectat. In hac Deum ſe excellentiſſimo modo patefeciſſe certiſſimum eſt, non modo quia Jeſum hunc præditum ſpiritu prophetiæ, miraculorum innumerorum, & naturæ artiſque omnem vim excedentium, arcanorum cognoſcendorum, virtutumque miraculoſarum diſtribuendarum fuiſſe narrat; ſed & quia eundem ex mortuis ſuſcitatum, in ſummos cælos ſublatum, & ad dextram Dei collocatum, ſubjectis ipſi Angelis, poteſtatibus ac virtutibus, irrefragabilibus documentis comprobatum eſſe docet. Hæc enim omnia ac ſingula, fieri potuiſſe ab alio quàm ab uno ac ſolo Deo, impoſſibile eſt. Et hoc profecto argumentum tanti apud me momenti eſt, ut non tantum credam ſufficere, ad Theſi huic noſtræ fidem faciendum, ſed etiam ad univerſam religionis Chriſtianæ veritatem ſolidiſſimè confirmandam; videlicet, Deum eſſe, vitam æternam eſſe, & religionem Chriſtianam, non autem naturalem, nec Judaicam, nec Mahumetanam, nec gentilitiam, nec has omnes ſimul ſumptas, continere plenam ac perfectam rationem colendi Deum, quâ ad æternæ vitæ poſſeſſionem perveniendum eſt.

Fateor, inquies, ſi hiſtoria hæc vera eſt. At eodem jure de hac qua de præcedentibus, ſi lis moveatur, quis exitus? Sanè ſi lis ſine ulla ratione moveatur, non magis hîc quàm in præcedentibus exitum reperire erit. Malitiæ enim nullum remedium inveniri poteſt. Nolenti videre ne Sol quidem in meridie lucet. At ſi quis ulla modo ratione duci velit, tam manifeſtum reperiet exitum, ut lis nulla ſuperſutura ſit. Operæ pretium eſt, ut id una tantùm in re oſtendam; quâ demonſtrata cæteras tantùm non demonſtratas eſſe, aut ut demonſtrentur opus non eſſe, confeſſuros ipſos Atheos mihi perſuadeo.

*Certitudo reſurrectionis Chriſti ex mortuis.*

Ea hæc eſt: ſi Jeſus iſte, cujus dicta, facta, vitam, ac mores deſcribit hiſtoria, verè ex mortuis ſuſcitatus eſt, tum eſt certum Deum eſſe, eundemque non virtutis tantum atque innocentiæ patronum ac vindicem, ſed & religionis iſtius auctorem. Ratio conſequentiæ eſt: Quia mortuum hominem, qui quidem revera mortuus eſt, ex morte in vitam revocari impoſſibile eſt, aliter quàm divina ope & virtute. Hoc ſuppono tânquam indubitatum. Quod enim quidam exiſtimant naturalibus viribus ac mediis, defunctis vitam reſtitui poſſe, id adeo ineptum atque inſulſum mihi videtur, ut nihil ſupra. Tribus enim modis id fieri poſſe Athei quidam affirmant. Primus modus eſt, nonnullarum herbarum ſuccis defuncto adhibitis. Hunc confirmant teſtimonio Plinii, lib. 25. cap. 12. cujus hæc ſunt verba: *Xanthus hiſtoriarum author, in prima earum tradit, occiſum draconis catulum revocatum ad vitam à parente, herba quam Balim nominat, eademque Thylonem quem Draco occiderat reſtitutum ſaluti. Et Juba in Arabia herba revocatum ad vitam hominem tradit.* At hic modus ab ipſo Plinio non ſine ſuſpicione falſi refertur, quia ipſe addit: *Quæ etſi fide carent admirationem tamen implent, coguntque confiteri multum eſſe quod vero ſuperſit.* Nec mirum. Iſta enim herba ſi vi tali prædita fuiſſet, non unum atque alterum, ſed plures vitæ reſtituiſſet, &, veluti commune mortis remedium, avidè ab omnibus arrepta atque uſurpata fuiſſet. Nihil enim eſt quod homines malunt, quàm remedium contra mortem, imprimis tam parabile & quod ad manum eſt. Secundus modus eſt hic: Sacer Hebræorum codex affirmat, inquiunt, animam in ſanguine eſſe, proinde vel abſentiam vel vitium ſanguinis mortis cauſam eſſe. Remedium itaque mortis fore, ſi venæ aperiantur, atque eis, marcido liquore expreſſo, calidus & vivificus ſanguis infundatur. Ridendus hic modus eſt, non confutandus. Sanguis enim qui in venis eſt, non eſt vivificus, niſi quatenus à jecore & à corde fluit in venas, atque arterias; inde enim origo vitæ eſt. Ut autem vel jecur vel cor aperiatur, eiſque ſanguis infundatur vivificus, impoſſibile eſt. Tertius modus eſt, viventium adflatus: quomodo muſtela interempta, ſpiritu & voce parentis in vitam revocatur, & leones inanimem partum inhalando vivificant. Et hic modus quam ſit futilis oſtendere velle, eſſet profecto pretium operæ perdere. Experimenta in contrarium ſunt. Rationibus autem confutare, quod non niſi experimentis poteſt comprobari, ſupervacaneum & ſtultum eſt.

Suppono itaque verum eſſe, ſolum Deum ſuſcitare poſſe homines mortuos in vitam, aut ſaltem mortuos non poſſe in vitam ſuſcitari ſine divinæ virtutis auxilio; atque idcirco ex ſuſcitatione D. Jeſu rectè colligi Deum aliquem eſſe. Suppoſitionem hanc noſtram non parum confirmant, ſi non ſolidiſſimè ſtabiliunt, hæ rationes. 1. quod apud omnes ferè populos, etiam eos qui animæ immortalitatem crediderunt, reſurrectio ex morte inter incredibilia, adeoque impoſſibilia, ſemper habita fuerit. 2. Quod in ipſo Dei populo, reſurrectio ex morte quibuſdam non modo incredibilis, ſed & ridicula viſa fuerit, ut Sadducæis. Atque hinc nulla doctrina majorem contradictionem aut exſibilationem paſſa eſt, quàm doctrina Jeſu, quæ Jeſum ex morte revixiſſe perſuaſum Judæis, Græcis ac Romanis volebat. Et ſanè ſi quid eſt, hoc non minimum inter ea eſt, quæ omnem rationis naturalis captum excedunt, & ſola fide credenda ſunt; ac proinde ex quo firmiſſimè concluditur Deum eſſe.

Reſtat itaque probanda minor. Chriſtum videlicet ex morte revixiſſe. Eam ſic confirmo. Chriſtum verè mortuum eſſe ſuppono certum eſſe. 1. ex hiſtoria, quæ eum morti adjudicatum, & morte affectum eſſe narrat, eaque mortis conſecutæ ſigna atque indicia refert, quæ omni exceptione ſunt majora; inter quæ illud præcipuum eſt, quòd lancea perfoſſum fuerit latus ejus, & cuſpide tranſfixum pericardium, ita ut aqua pericardio contenta ex vulnere ipſo manaverit, ſine qua cor vivere impoſſibile eſt. 2. ex ipſa populi

puli totius Judaici confessione, quæ de morte ejus nunquam dubitatum fuisse, hodieque non dubitari testatur. 3. Ex sepultura consecuta, postquam cadaver ejus ex cruce sublatum fuit, aspicientibus, videntibus id omnibus, & manibus suis contrectantibus. Hoc supposito sic procedo. Certum est sepulchrum in quo cadaver Jesu repositum fuerat, vacuum fuisse, idque vacuum deprehendisse non tantùm amicos & familiares ejus discipulos, sed & hostes ejus infensissimos. Nam si contra fuisset, hostes ejus, quâ erant in Christum invidiâ & odio, id ostenso cadavere publicitus redarguissent, atque ita rumorem de suscitato Jesu falsi convicissent. Hinc sic colligo. Cadaver istud non fuit sublatum ab aliis, nec sua vi suscitatum, ergo divina vi resurrexit. Sua vi non fuisse suscitatum, suppono extra dubium, quia implicat contradictionem, vivere & mortuum esse: suscitans enim suscitare non potest nisi vivat. Non fuisse sublatum ab aliis sic evinco. Aut sublatum fuisset ab hostibus, aut ab amicis. A neutris sublatum dici potest. Ergo &c. Non ab hostibus: Nam hi quanta poterant industria & vi adlaborabant, ut in sepulchro conclusum detineretur, additâ militum custodiâ, idque eum in finem ne suscitatum divinitus crederetur. Non ab amicis, aut à discipulis. Nam 1. Nec surripiendi animus nec fiducia iis inerat. Præ timore enim cum caperetur & in hostium manus veniret, aufugerant, & porro domi se continebant, quanquam antea contrarium spoponderant. Adde quod primus ac præcipuus inter eos, amore ac zelo magistri sui longè alios exsuperans, eum adhuc viventem abnegaverat, tanquam nihil ad se pertinentem, & quicum commune nihil aut haberet aut habere vellet, addita sui ipsius execratione. Quis autem credat vero-simile esse, eos pro cadavere auferendo ausuros, quod pro vivente, & de quo, cujusque divina virtute, dum viveret, omnia summa sibi pollicebantur ausi non fuerant? Sed esto: animum eos resumsisse dicas, & vel amore domini, vel desertionis pœnitentia ductos, rem aggredi voluisse, & fiducia virium aggressos; tum dico, 2. etsi voluissent, non potuissent tamen efficere quod volebant. Enimvero sepulchrum armato milite septum atque obsessum erat, idque eum in finem ne cadaver auferretur. Impares ergo erant tanto conatui. Et, quod unum huic rei confirmandæ sufficit, non capitale tantum crimen audendum erat, sed & crimen ab ipso magistro ipsorum damnatum; nimirum violanda vi fuisset authoritas & custodia publica, sine ullo fructu ipsorum, & non sine maximo periculo. Rectè, inquies. eos vi abstulisse, aut vi cadaver auferri potuisse, credibile non est. Furto sustulisse quid vetat? Quomodo, inquam, positâ istâ custodiâ? Dormiverunt, inquies, custodes, quo tempore auferebant. At, inquam ego: 1. An verisimile est omnes istos custodes & vigiles dormivisse, cum eo fine sepulchro appositi essent, ut vigilarent contra invasores & fures? Nec publicæ nec suæ saluti eos consuluisse, neutiquam verisimile est. 2. Verisimile multò minùs est, discipulos Christi istud momentum invadere aut occupare potuisse, quo custodes dormiebant, & quidem omnes. Denique 3. Pone etiam eos isto ipso momento quo dormiebant custodes, id aggressos, quomodo id omne negotium tentare atque ad finem perducere potuissent ut non excitarentur vigiles? nam lapis ostio præpositus, isque ingens, magno conatu & strepitu erat amoliendus & devolvendus. Deinde posito omnino quod strepitum omnem vitavissent, festinatione usi fuissent, ne ἐν αὐτοφόρῳ deprehenderentur, si forte vigilum aliquem excitari contingeret. At contra factum est. Nam linteamina omnia, quibus corpus involutum fuerat, concinnè convoluta in sepulcho deprehensa fuerunt, & seorsim illud quod capiti obvolutum fuerat. Magna autem mora ad eam rem opus fuisset, quia linteamina omnia ex pinguedine myrrhæ & alões tenaciter corpori adhæsisse, & veluti adglutinata fuisse, non absimile à vero est. Denique quo asportatum ab eis fuisset cadaver? In urbem? Nugæ. In aliud χωρίον? Id ei fini factum fuisse dicas necesse est. At, quæso, quo fine utrumque? Nullo, uti sequens ratio indicabit.

*Quanti sit ponderis testimonium Apostolorum hac in re.*

Dico itaque secundo: Discipuli ejus testantur pariter atque unanimiter eum ex morte resurrexisse. Dices: Unde constat testimonium eorum certum atque indubitatum esse? Nam eo ipso quod discipuli ejus soli id testantur, suspectum videtur istud eorum testimonium. Respondeo, 1. Nulla dubitandi ratio est. Aut enim testibus nullis credendum est, aut cur illis non credatur, ratio adferenda est. 2. Causa, cur de fide eorum dubitari non debeat, manifesta est. Nam si ratio illa valere debet, quòd discipuli ejus fuerint, tum necesse est ut dicatur eos mentitos fuisse, aut contra mentem suam voluisse affirmare, quod sciebant falsum esse. At, 1. nulla ratio hoc sinit credere. Nam statim falsi redargui, & convinci potuissent, ostenso cadavere. Et quominus id fieret, dubitare non potuissent. nam quotquot erant in populo Judaico, imprimis optimates & proceres, qui Jesum cruci adfixerant, & quorum intererat ut jure cruci adfixus crederetur, ac proinde à Deo non suscitatus, hostes habebant, sibi suoque magistro infensissimos; quos isti famæ ac rumori omnibus viribus obstituros esse, non poterant non credere: imprimis si ad manum cadaver esset, cujus oculari demonstratione, & inspectione, rei veritas evinci poterat. Ac nemo unquam repertus fuit, qui eos falsi redarguere istâ ratione potuit. 2. Quo fine istud testari voluissent? ut enim credamus, eos testari voluisse verum esse, quod ipsi apud animum suum certo persuasi erant falsum esse, nullo prorsus fine, id equidem nullo pacto est verisimile. Recte olim Piso dixisse legitur; Cui bono? Si fine aliquo id eos testatos esse dicas, necesse utique est, ut eos id testatos dicas eo fine, ut doctrinam & religionem Jesu Christi, Magistri sui, propagarent quâquaversum. Rectè, inquies. At 1. Religionem illam propagantes se ipsos damnassent, reosque æternæ mortis fecissent. Inter axiomata enim religionis istius est, non esse mentiendum, & mendacio hominem reum iræ divinæ, ac mortis æternæ fieri. 2. Quo fine eam propagatam esse voluissent? An ut utilitatem aliquam inde consequerentur? At quam utilitatem? Ut gloriam, opes, voluptatem, sperare inde se posse crediderint, dici non potest. Contraria omnia certo certius expectanda erant: & contraria omnia ipsis eventura, ipsa Religio prædicit: & cum evenirent, jure meritoque ea omnia sibi evenire, credere debuissent, quod testari voluissent id, quod sciebant falsum esse, mundumque universum deditâ operâ fallere. Ubi quæso latebit tantæ improbitatis stimulus? quid eos ad tam miseram, ac periculosam malitiam, invitare potuit, & impellere? ut dicas eos delectationem quæsiviisse in eo, quod mundum totum fallere possent, atque in errorem maximum inducere, nimis profectò scurrile est. Hoc nescio an cadat in desperatissimæ improbitatis hominem. Nam, 1. Quæ spes, ut tam enormi, & grandi mendacio fides adhiberetur? aut ut fidem ei adhibitum iri crederent, cum ipsi mendacium esse scirent, eique fidem non adhiberent? 2. Quid in delectatione illa positum esse poterat, cùm scirent, ac prospicerent, sibi eâpropter omnia pericula ac mala metuenda esse? 3. Quis credat, eos isto mendacio, delectationem sibi quæsiviisse aut quærere voluisse, quo doctrina ac religio propagaretur, quæ tantum ad homines omni virtutis ac pietatis genere ornandos composita erat? Quare concludo, eos non modò idcirco quod discipuli Christi fuissent, suspicione falsi gravandos minimè esse, sed contrà, ideo majorem fidem mereri.

Dices, Esto: mentiti non fuerint, animo mentiendi aut fallendi alios. Fieri potuit, ut mentiti fuerint imprudenter, sive per errorem, quia ipsi seducti prius fuerunt. At contrà: 1. Quæ ratio hoc suspicandi? Nullâ certè. Alioquin cur non eodem jure mendacii suspecti erunt, omnes quotquot unquam fuerunt Historici? 2. Ratio etiam manifesta in contrarium est. Nam non testantur id, quod multò ante se gestum, aut in alio orbe factum fuerat; quodque proinde non nisi ex relatu & fide aliorum compertum habebant; sed quod coram viderunt, omnibusque sensibus suis palparunt verissimum esse; nec uno tantum alterove temporis momento, sed per quadraginta integros dies; nec uno solum alterove experimento, sed variis, crebris, omnique exceptione majoribus experimentis, signis, atque indiciis; nec leviter, aut perfunctoriè, sed diu admodum cum scrupulo dubitantes, atque hæsitantes, donec plena, certissimaque iis fides fieret; adeò quidem, ut inter eos non defuerit, qui fidem adhibere detrectaret, nisi manu ipsum suscitatum tangeret, vestigiaque vulnerati corporis, utroque pollice, digitisque adeò omnibus palparet. Quid ad majorem rei fidem faciendum requiri potest? Certè Mosi testanti, credidit universa Judæa gens, quem tamen constat testari de multis rebus, quæ factæ sunt, multò antequam ipse in rerum natura esset; nempe quæ bis mille & plus quam trecentis ante annis contigerant. At hi discipuli Jesu narrant non nisi sibi visa, ac comperta. Tum Moses unus ac solus est, qui ista testatur: discipuli Christi multi numero sunt, eademque uno ore sibi compertissima fuisse testantur.

Esto, inquies: pauci tamen fuerunt, quos ex compacto rem istam testari voluisse credi potest. Nam nemo alius ex toto populo, Jesum vidit redivivum ex morte. Respondeo, 1. Cur pauci illi sufficere non credantur, nulla ratio est, uti ex antedictis patet. 2. Nec paucos tantùm fuisse constat; sed contra complures alios, adeoque quingentos fuisse narrat Paulus, 1. *ad Corinth.* XV. 6. quibus ἐφάπαξ, id est, simul uno eodemque tempore vivus conspectus fuit: quorum complures adhuc ipsius Pauli ætate superstites erant, ut ex iis quilibet rei veritatem sciscitari posset. Ut hos omnes dicamus coitione factâ, testari voluisse visum sibi

Christum, cùm eum sibi non visum esse certò scirent, quis adeò effrons est ut affirmet? Ut jam non dicam, Paulum ipsum, Christi, & Christianæ religionis hostem, acerrimumque persecutorem, testari nullâ aliâ re se adductum, ut Jesum, ejusque religionem amplecteretur, quàm quod eum vivere, experimento omni exceptione majore didicisset. Ut enim eum id testatum dicamus aliam ob causam, nulla ratio est. Hostis erat Jesu Christi: itaque volebat credere, & credebat falsum esse quod resurrexisset. In honore apud Pontificem & Senatum Judaicum; quin & in flagranti gratiâ apud plebem erat, quòd zelo legis contra Jesum duceretur. Et religione inter Judæos Pharisæus erat, ex secta populi illius ἀκριβεστάτη, Christoque inimicissima. Quid, quæso, aliud hunc movisset ad credendum, & aliis persuadendum, Jesum huuc à Deo suscitatum, quàm solâ veritatis conscientia? nempe deferenda sibi omnia videbat, quæ alioquin in magno pretio habere solebat; honores, opes, commoda atque emolumenta vitæ hujus; & contra, mala, & pericula omnia adeunda; quin & famæ, vitæque jacturam esse faciendam ob id ipsum. Nec hoc tantùm; sed & durissima quæque tormenta ferenda, tantoque atrociora quàm cæteri omnes, quantò in majore gratiâ atque honore, apud antistites Religionis Judaïcæ fuerat. Ut tantum virum, hæc tot ac tanta incommoda adire, & sustinere voluisse credamus, propter id quod sciebat falsum esse, nemo profecto credet, nisi cui mens læva est.

*Credat Judæus apella: Non ego.*

## CAPUT VI.

### Respondetur ad argumentum eorum qui Deum aliquem esse nonnisi fide cognosci posse putant.

ATque hactenus quidem adstruximus, ex principiis naturæ, beneficio rectæ rationis colligi ac concludi posse, Deum esse. Restat, ut verbo respondeamus ad argumentum, quod in principio proposuimus, eorum scilicet qui scientiam Dei, non nisi ex revelatione haberi posse asserunt. Argumentum hoc est, Si cognitio Dei ex naturæ principiis haberi potest, tum non est ex fide. At est ex fide, *Heb.* XI. 6. Ratio consequentiæ est: Quia quod ex fide est, id est ex patefactione divinâ, *Rom.* X. 16. Quod autem ex patefactione divinâ est, id non potest esse ex natura. Quorsum enim patefieret à Deo quod aliunde sciri ac cognosci, imò quod ex ipsis naturæ principiis, nullo labore haberi posset? Respondent quidam negando consequentiam, quia non repugnat unum idemque objectum cognosci per diversa principia: uti non repugnat, exempli gratia, ex verbo Dei miracula Christi cognosci, aliaque, & tamen eadem ex aliis historicis haurire: item discrimen justi ab injusto ex ratione rectâ habere, & tamen Dei verbo revelatum credere. Sed non satisfaciunt argumento, quia cognitionem illam Dei, volunt esse notionem naturalem, animo, impressam, proinde, quæ non potest non naturaliter inesse, atque inhærere animo. Ut enim tale quid per patefactionem innotescere, & per fidem patefactioni adhibitam cognosci dicatur, primâ statim fronte absurdum videri debet: multò verò absurdius, si fides ista deinde dicatur præscribi & mandari, sub promissione vitæ & comminatione mortis.

Quare alia responsione opus est: videlicet cognitionem Dei, non esse sic naturalem, ut necessario omnino homini insit, eique non possit non inesse, tanquam ex naturæ principiis fluens; sed sic tantum naturalem, ut si homo velit ratione tantum uti, principia quædam reperire possit in natura, auxilio rationis istius rectæ, per quæ deveniat in Dei cognitionem. Hæc ratio perveniendi ad Dei cognitionem, optimè potest consistere cum patefactione divina. Nam etiamsi auxilio rationis rectæ, ad cognitionem Dei perveniri potest, tamen fieri etiam potest, ut homo vel adeo socors & segnis sit, ut de cognoscendo Deo non laboret, sive animum & rectam rationem in consilium non adhibeat; vel adeo pravus & perversus, ut eousque sapere nolit, securitatis studio; vel denique, adeò vanus, & lubricæ mentis, ut nunc in hanc, nunc in alteram partem fluctuet. Hinc patefactio utilis, quæ hominem fulciat, & fides necessaria, quæ infirmitati isti succurrat, & vitiis istis occurrat.

*Expos. loci Heb. XI. 6.* Quod vero attinet ad locum illum, qui ex epist. ad *Hebr. cap.* XI. 6. citatur, dico 1: per *fidem* isto in loco non necessariò intelligi adsensum, qui revelationi adhibetur; sed assensum quemlibet animi firmum, sive is adhibeatur revelationi factæ, sive rationi rectæ, sive utrique simul. Scopum enim Apostoli esse, demonstrare fidem requiri, ut quis vel ad colendum Deum accedat, vel ad Deum præmiatorem evehatur, eò quod illum coluit. Utroque enim modo accipi potest phrasis illa, *ad Deum accedere.* Ac licet ego mihi persuadeam, posteriore sensu istam phrasin hoc loco accipi, ac proinde *credidisse Deum esse, & præmia largiri ipsum quærentibus*, significare Hebræa phrasi, (qua antecedens, pro omni quod ex antecedente sequitur, vel cum eo conjunctum est, accipi solet, ex. gr. cogitio Dei, *Joannis* XVII. 3. fides in Jesum Christum pro toto cultu & obedientia, ex cognitione Dei & fide in Jesum Christum profecta) ex fide Deum coluisse, & dignam Deo vitam duxisse: tamen nolim negare, priore etiam sensu phrasin istam accipi atque intelligi posse: dummodo hoc mihi concedatur, τὸ *credere*, vel credidisse, tum hoc loco significare, non tantum fidem nixam sola autoritate Dei revelantis, sed quemlibet, quibuscunque tandem rationibus nixum, animi adsensum, firmum, atque deliberatum. Id enim existimo mihi concedendum & largiendum esse, ob has rationes. Primò: Quia nuspiam revelationem fieri certum est sub his terminis, Deus est, sed sub his tantùm, Ego sum Deus iste verus & unicus. Secundò: Quia certum est, firma fide credi à multis, tum personis, tum populis, Deum esse, qui tamen ullam ejusce rei revelationem sibi factam esse, constanter negant; quique adeò se Dei notitiam, ex ipsis naturæ principiis habere contendunt. Tertiò: Quia in hoc ipso capite fides eorum commendatur, qui cum Deum colerent ex præscripto legis ejus, neque tamen promissam lege benedictionem consequerentur, nihilominus tamen firmiter crediderunt, Deum cultus sui remuneratorem futurum, etiam post mortem, nullâ ad id credendum divinâ revelatione, aut promissione adducti; (nuspiam enim in lege talis promissio extat) sed sola ratione rectâ, quod id ipsum Dei æquitatem & justitiam deceret, videlicet, vel dare quod promisit, vel melius aliquid dare, quod promissæ rei defectum liberaliter compensaret.

Quod verò ad locum ex Epistola ad *Rom. cap.* X. 16. citatum attinet, ubi *fides ex auditu* dicitur, *auditus autem per verbum*, iste intelligendus tantum est, de fide illa quæ aliunde quam ex revelatione haberi non potest: qualis ea procul dubio est, quæ Euangelio præscribitur, quod divinæ voluntatis revelationem continet: quâ Deus peccatoribus gratiam, & credentibus Evangelio æternam vitam pollicetur. Hujus enim voluntatis cognitio, ex naturæ principiis ut deducatur, impossibile est: uti ex 1. *ad Cor.* II. 9. 10. 11. 12. manifestum est. *Expos. loci Rom. X. 16.*

## CAPUT VII.

### Quid sit Religio, & qua in re consistat.

SEquitur nunc, ut de *Religione* generatim agamus: non tantum idcirco, quia religio circa Deum, tanquam objectum suum, versatur; sed quia posito Deo, & subjecto religionis capace, sive creatura rationali, aliquam religionem poni necesse est, quæ creaturam istam, religionis capacem, Deo adstringat & alliget; unde *religionis* vocem derivatam vult *Lactantius*, lib. 4. Divin. Instit. cap. 28.

Ratio manifesta est: Divinitas enim in primâ notione & conceptu suo, dicit eminentiam & excellentiam in omni genere perfectionis, quæ omnium rerum, ipsiusque creaturæ rationalis, sive hominis causa est. Creatura verò rationalis, dicit intrinsecè dependentiam à causa ista, secundùm se totam, & totum sui, & capacitatem, sive idoneitatem ad religionem exercendam. Hæc utraque religionis fundamentum est. Natura enim talis, ob excellentiam istam suam, non tantum digna est circa quam versetur religio, sed & jus habet exigendi religionem: Creatura vero rationalis, ob istam suam in omnibus ab ista natura dependentiam, obligata est ad religionem ei deferendam, à quâ omnia sua habet, & cui omnia se debere intelligit, sive is eam exigat, sive non exigat.

Religio itaque est virtus, quâ creatura rationalis debitum Deo cultum, tanquam primo auctori & Domino suo, pro rationis suæ capacitate exhibet. Cultum cùm dico, non intelligo tantum honorem externum, qui cum submissione quâdam nostri exhibetur, quatenus scilicet honor, externum tantum quoddam signum, & testimonium est divinæ excellentiæ; sive id verbis fiat, ut cum Deus laudatur; sive gestu corporis, ut cum genuflectione, apertione capitis, inclinatione corporis, sive rebus externis aliis honoratur; quo sensu religionem fere capiunt Pontificii; sed omnem istum honorem, sive omnes istos actus, ad quos creatura rationalis scire potest se obligatam esse, eo ipso quod naturam talem rationalem acceperit, ut convenientia isti naturæ faciat, atque ita auctorem suum referat. Hoc enim propriè est honorare Deum; & sic propriè filius honorat patrem *Quid sit religio.*

patrem ſuum, non tantum cum externo ſigno reverentiam ſuam teſtatur; ſed imprimis cùm patrem vitâ, & moribus refert, facitque quæ patre digna ſunt. Cultum itaque hunc conſtituo, ſive poſitum eſſe dico, in actionibus tam internis, quam externis, quas creatura rationalis, beneficio rectæ rationis, ſcire poteſt Deo & ſe dignas eſſe. An requiratur animus, ſive intentio eas exercendi, idcirco quia Deo, & ſe dignæ ſunt, id eſt, eas ad Deum ipſum referendi, quæri poteſt. Certe cultus videtur dicere, tum colendi actionem, tum colendi intentionem. Alterum itaque duorum ſi deſit, cultum rite non peragi dicendum videtur; ſed de hâc quæſtione ultimo loco agemus.

*Actiones internæ religionis.*

Actiones internæ ſunt, *amor*, *timor*, *fides*, *ſpes*, *& obediendi propoſitum*. Externæ ſunt omnia iſta opera, quæ miniſterio corporis fiunt, & locomotivam facultatem ſpectant. Ad has actiones, homo recta ratione præditus, & animum advertens, obligatum ſe eſſe Deo, ſcire atque intelligere poteſt, etſi nullâ revelatione doceatur.

Ad *amorem*: Quia Deum ſcire poteſt, non tantum bonitatis excellentiam in ſe habere, quæ amari digna eſt; ſed & auctorem omnis boni ſui eſſe, quod habet, ac poſſidet; ac proinde dignum eſſe, qui à ſe ametur.

Ad *timorem*: Quia intelligere poteſt, eum qui bonum iſtud omne dedit, pro ſummo jure ſuo, tanquam ἀνθυπέχειν auferre id iterum poſſe, & ad ſe retrahere: imprimis ſi indigna eo, & ſe faciat.

Ad *fidem*: Quia ſcire atque intelligere poteſt ei qui ipſum ratione donavit, omnia iſta quæ rationi rectæ conſentanea ſunt, non poſſe non grata atque accepta eſſe; ac proinde cum ea facit, ſe in eo fiduciam reponere poſſe, quod ei gratus atque acceptus ſit.

Ad *ſpem*: Quia ſcire poteſt eum remunerare poſſe, ac forte etiam velle, quocunque tandem modo velit, bonum iſtius rectæ rationis uſum.

Ad *Obſequium*: Quia ſcire poteſt ſibi obſequendum eſſe ei, cui mnia ſua accepta ferre debet, & eum non niſi juſta imperaturum: aut ſi non expreſſe quid jubeat, quia ſcire poteſt, datam ſibi à Deo rationem ſupra cætera omnia animantia, eum in finem ut eâ concupiſcibilem & iraſcibilem facultatem regat ac moderetur; alioqui ſe non ut hominem, ſed ut brutum victurum: quod Deo & ſe indignum eſſe, intelligere poteſt.

Ad actiones externas quod attinet, eas ſequi debere internas, tanquam earum rectrices & directrices, ſcire poteſt.

## CAPUT VIII.

## De Religione naturali, ejuſque primo actu, qui eſt honeſtum à turpi diſcernere.

*Diſcrimen recti à pravo, honeſti ab inhoneſto, &c.*

ATque hæc Religio, naturalis planè religio eſt, quæ rectam ſolam rationem pro regula ac menſura habet; cujus actus primus eſt diſcrimen recti à pravo, honeſti ab inhoneſto, decori ab indecoro, facere: non quòd rectum aut honeſtum aliquid fiat aut ſit, quia recta ratio id tale eſſe judicat, ſed quia recta ratio neceſſariò præcedere debet, ut id quod rectum atque honeſtum eſt à voluntate amari poſſit. Prius enim eſt aliquid rectum atque honeſtum, quàm ratio id tale eſſe judicat. Sed id quod honeſtum eſt & rectum, non poteſt à voluntate appeti ut tale, niſi à ratione atque ab intellectu tale judicatum aut monſtratum ſit. Objectiva itaque bonitas, quæ in re ipſa eſt, ea menſura quidem eſt rationis rectæ, ſed ratio recta eſt menſura voluntatis. Quocirca bonitas & rectitudo ab intellectu & ratione recta apprehenſa, ipſa naturæ lex vocatur, quia ea vim præcipiendi & obligandi habet, quatenus homo ratione recta utens eam ſibi poſitam eſſe judicat, idque adeo conſtanter, ut homo non modo à ſe hominem exui credat, ſi ad eam non ſe componat, ſed & dolore ſe ſentiat ſi contra agat, vixque ſine pœnitentia eſſe poſſit etiamſi contra nitatur; quod ſignum eſt naturalem eſſe inclinationem in diſcrimen iſtud aut in legem iſtam, quatenus videlicet quædam talia ſunt, quæ intrinſecè bona, recta, juſta, atque honeſta ſunt, & quorum contraria intrinſecam in ſe habent turpitudinem, ac proinde rectæ rationi ſive dictamini naturalis rationis diſconvenientia ſunt, ut odiſſe Deum, parentibus maledicere, benefactoribus male velle, mentiri, innocentem lædere, &c. Recta autem ratio tripliciter accipi poteſt. 1. Quatenus ea dictat aliquid faciendum eſſe. 2. Quatenus rationi rectæ aliquid conſentaneum eſt, aut potius non eſt diſſentaneum, etiamſi ratio recta id præcisè non dictet. 3. Quatenus ratio recta aliquid quod nec dictat, nec ei conſentaneum eſt, judicat tamen faciendum eſſe, quia præcipitur ab eo qui jus habet præcipiendi, & ſic rationi conſentaneum fit, ut occidere filium; vel quia præcipitur cum promiſſione ſummi boni, ut diligere inimicos, &c.

*Non pendet ab hominis arbitrio, ſed ab ipſa rerum natura.*

Dices; diſcrimen hoc boni & mali, vehementer variat apud multos populos, ita ut quod rectum his, aliis pravum, quod honeſtum iſtis, aliis inhoneſtum & turpe videatur.

Reſpondeo: ita eſt; ſed utcunque ſit, certum tamen eſt, 1. diſcrimen hoc non eò uſque variare, ut non in generali hoc principio omnes populi homineſque conveniant, *bonum faciendum*, *malum vitandum ac fugiendum eſſe*. Hoc autem certiſſimum eſt ſignum, eſſe bona quædam naturâ ſuâ talia quæ facienda ſunt, & mala quædam in particulari quæ vitanda ſunt. Nam iſtud generale, quia indeterminatum eſt, non poteſt eſſe proxima regula operationis, niſi quatenus per particularia principia determinatur, ad hæc aut illa in ſpecie facienda & fugienda. 2. Certum eſt principia quædam adeò generalia ac communia eſſe omnibus hominibus, etiam ad certas ſpecies virtutum determinata, ut ex ipſis terminis intelligi poſſit quid faciendum quid fugiendum ſit; in quibus proinde omnes omnino nationes conſentiunt; ut, ex. gr. Deum eſſe colendum, promiſſa ſervanda, eleëmoſynas ex ſuperfluo dandas, innocentes non eſſe lædendos, benefactoribus non eſſe maledicendum, &c. Ipſi enim termini divinitatis, innocentiæ, beneficiorum, æquitatem iſtam & rectitudinem immediatè ſecum connotant. Horſum refero duo illa principia:

Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.

&

Quodcunque tibi fieri vis, id alteri viciſſim facito.

Ex quibus tria illa fluunt; honeſtè, id eſt, ſecundum rationem vivendum eſſe: neminem lædendum: ſuum cuique tribuendum. In hiſce ac ſimilibus principiis conſentiunt omnes populi ac homines.

Sed præter hæc ſunt concluſiones quædam, quæ per bonam quidem conſequentiam ex principiis naturalibus inferuntur, ſed tamen ad quæ aliquis diſcurſus elaboratus requiritur: unde fit ut earum quidem nonnullæ facilius & à pluribus cognoſcantur, ut poſito matrimonio non admittendum adulterium, perjurium, furtum ſimpliciter prava eſſe: nonnullæ majori indigeant diſcurſu, & non ita facili nec omnibus evidente; ut, fornicationem eſſe intrinſecè malam, ultionem quæ in dolore alterius acquieſcit eſſe illicitam, Deum ſine imagine colendum eſſe, ἀνθρωπόμορφον nullo caſu licere, & ſimilia.

In hiſce variarunt olim judicia quorundam populorum hominumque, & etiamnum variant; etiamſi talia ſint, ut vix, ſaltem ad longum tempus, ignorari poſſint, (an videlicet cum recta ratione conveniant) ſine aliqua culpa, ſi non latiſſima, lata ſaltem: quia ſi modo animus ſerio advertatur, & vel mediocris diligentia adhibeatur, facile cognoſci poſſunt: quanquam etiam credimus, circa iſtas excuſationi aut veniæ alicui locum dari poſſe in iis, quibus aut ratiocinationis imbecillitas, aut prava educatio, aut publicus gentis mos, obſtant, quo minus in animum inducant & ad eas vivant.

Atque hac quidem ratione Religio naturalis conſideranda venit, quando videlicet homo non tantum amat Deum, nec tantum eum timet, in eum credit, in eo ſperat, ſed & hactenus ei obſequitur, quod legi iſti, ſive dictamini rationis naturalis, convenienter omnia agat; imprimis reſpectu duorum iſtorum, quæ diximus, principiorum, quæ ex terminis ſunt notiſſima, & adeo conformia & quaſi adæquata naturali inclinationi rationis & voluntatis, ut dubitationem vel tergiverſationem non admittant.

*Honeſta & turpia triplicis ſunt generis. Primum.*

Verum ut hæc res plenius paulò enucleetur & clarius explicetur, ita habendum eſt: I. Eſſe quædam, uti diximus, quæ talem intrinſecam bonitatem ſive honeſtatem habent, & quædam contra quæ intrinſecam talem turpitudinem ac fœditatem habent, ut recta ratio ſtatim concipiat, ea non tantum hominem, ſed & Deum ipſum, vel decere vel dedecere; adeò ut ad ſemper & pro ſemper honeſta vel turpia ſint utrique & ubique: ut, Deum amare & colere adeò honeſtum eſt, ut homo nunquam non honeſtum poſſit judicare, Deum amare & colere; & Deus nunquam non poſſit judicare hominem ad ſe amandum & colendum obligatum eſſe. Deinde, adeo honeſtum eſt Deum colere eo quo vult coli modo, ut homo non poſſit non judicare honeſtum eſſe, Deum colere eo modo quo coli vult, & Deus non poſſit non judicare honeſtum eſſe, ſi eo modo colatur quo coli vult; ac proinde Deum colendum eſſe ex præſcripto ejus, ſimulatque de eo conſtat. Contra, Deo maledicere, aut Deum nolle colere eo modo quo coli vult, adeò turpe eſt, ut nec Deus nec homo aliter judicare poſſit.

*Secundum.*

II. Eſſe quædam, quæ honeſtatem aut turpitudinem quidem in ſe habent, quatenus ea hominem tantum ſpe-

ctant, simpliciter considerantum, sed tamen non talem, ut respectu Dei ipsius honesta aut turpia sint; sive quin talem turpitudinem aut honestatem habere desinant respectu hominis, si Deus ea homini aut jubeat aut vetet, aut permittat. ex. gr. honestum est respectu hominis, filium suum innocentem non occidere: turpe contrarium. At si Deus jubeat, turpe esse desinit, & honestum fit. Recta ratio id statim judicat; quia homo non est absolutus dominus sui, sed Deus: & cum possit Deus ipse filium, licèt innocentem, occidere, id est, vita privare, quin idem patri jubere possit, ut eum innocentem licèt, occidat, non dubitat. Tenetur enim rem suam, Domino suo reposcenti reddere, eo modo quo reddi vult. In Abrahamo id apparet. Sic contra, furtum sive ablatio rei alienæ invito domino, respectu ipsius hominis per se considerati, turpis est. At furtum esse desinit si dominus auferre jubeat. Recta ratio dictat hominem, & res omnes hominum, ad Deum semper tanquam ad Dominum pertinere, & alienum non eripi cùm Dominus ipse eripit. In Israëlitis Ægyptiorum aurea, & argenea vasa secum auferentibus, id manifestum est. Sic honestum est respectu hominis, parcere in bello infantibus & brutis, orare pro venia populi delinquentis. At si Deus vetet, honestum esse desinit: ipsaque ratio honestum non esse dictat. Sic turpes, respectu hominis nude considerati, sunt nuptiæ cum sorore, uti constat ex *Levit.* XVIII. At si Deus humanum genus multiplicari volens, aliud medium non suppeditet, eo ipso turpes esse desinunt; quia sic in causa, ut dicitur, eas Deum velle recta ratio colligit. Sic turpe est duas sorores germanas in conjugio simul habere, uti ex eodem *cap. Levit.* constat. At si id Deus permittat, eo ipso turpe esse desinit. Nulla enim ea in re intrinseca turpitudo est; alioquin Deus eam permittere, aut dispensare de ea non posset; sed tantum turpitudo relativa est, quæ hominem non quà hominem spectat, sed quà sui juris non est, ac proinde ex alieno arbitrio totus pendet, ut quod ex Domini arbitrio aut concessione facit, tale censeri debeat quale Domino ipsi videtur, aut à Domino ipso censetur.

*Tertium.* III. Esse quædam, quæ ratio recta quidem judicat honeste fieri posse, & si fiant, rectè fieri, attamen non sic, ut contrà facere per se pravum sit atque intrinsece malum, sed è contra, si aliter fiant, generosæ virtutis, atque erecti animi ad ardua gerenda, signum esse: si tamen sine fine ac fructu fiant, stultitiam sapere atque temeritatem; proinde ea non recte tum fieri. Quod si autem cum magno fructu fiant, tum vero causam esse ratio recta judicat, cur fiant, imo cur rectius honestiusque sit ea fieri, adeoque cur necessarium sit ea fieri: ut, ex. gr. vitam suam conservare, vim vi repellere, inimicos non diligere, ratio recta judicat honestum esse & rectum, saltem honestè fieri posse. At contrà facere non judicat inhonestum. Tum si incidat hæc ratio vel causa, futurum ut si vitæ tuæ jacturam facias, vim patiaris, & inimicis benefacias, melioris adeoque æternæ vitæ mercedem reportaturus sis, &, si contra, ut mortem æternam incursurus sis; ratio recta judicat satius esse honestiusque vitæ jacturam facere, vim vi non repellere, inimicos diligere. Absque hoc, ratio recta in contrarium erit, & stultitiam id reputabit.

Ex his arbitror alia omnia quæ ad hanc rem pertinent facilè æstimari posse. Huc usque enim ratio recta progredi potest: & hisce principiis rationalis omnis Theologia nititur, etiam ipsa Euangelica, uti facile ex terminis patet, & in sequentibus plenius demonstrabitur. Quod enim quidam asserunt & contendunt, rationem naturalem adeò corruptam esse, ut pene nulla ejus rudera reliqua sint, id mihi planè alienum videtur à vero, si ad illa quæ diximus principia, attendatur. Nullus enim homo, si modo rationis compos sit, reperietur, qui istis non lubens adsentietur & suffragabitur, supposito quod Deum tantum agnoscat, & se hominem fateatur. Interim fateòr, in multis per falsas opiniones, aut pravam vivendi consuetudinem, rationem non leviter obscuratam esse, & obscurari magis magisque posse, ut ad particularia multa quæ ex istis principiis deduci possunt, & deduci solent ab attentioribus, non advertant animum, an videlicet recta & honesta sint, atque ita in multa fœda peccata prolabantur; manente tamen semper in illis reliqua lege naturali, quoad communia præcepta, cujus beneficio liberari possunt ab erroribus, ad meliorem frugem redire, & sanctissimæ Religionis scientia erudiri atque instrui.

*Rectam rationem normam fuisse primæ religionis, colligitur ex variis historiis temporum quæ legem antecesserunt.*

Verum enimvero pretium operæ me facturum arbitror, si ostendam paucis, ea quæ hactenus de religionis principiis diximus, etiam ex ipsis Scripturis deduci posse. Ac primo quidem, videntur mihi non pauca nec levidensia vestigia apparere, ab ipsis primordis mundi, cùm nulla adhuc lex lata esset, hominesque tantum ad rectæ rationis præscriptum vivere juberentur, aut saltem vixisse leguntur.

Vestigium primum in sermone Dei ad Cainum apparet. *Genes.* IV. 6. 7. Enimvero ipsa Dei interrogatio arguit, Deum Caino non dedisse legem ibi, sed monstrasse tantum rectæ rationis dictamen, quo iram compesceret, & frænum imponeret animo suo in fratrem injuriosè exacerbato. *Nonne*, inquit Deus, *si benefeceris, erit elevatio?* id est, læto atque erecto vultu esses atque incederes, conscientia benefactorum animatus. *quod si non bene feceris, pro foribus cubat peccatum;* id est, peccati pœna, ut te terreat & mœrore conficiat, conscientiâ intus te arrodente & vexante. quasi dicat; nosti id per te ipsum, aut ratio recta tibi hoc dictat. *Quare ad te sit appetitus* (sic enim lego) *ejus*, peccati scilicet, id est, si remedium vis, cura ut peccatum sub tua potestate sit; *& dominaberis illi*, id est, fac ut ei domineris. 1. *Caini.*

Vestigium alterum est in Abele, qui fide sola, nullo præcepto divino adductus, id est, rationis rectæ solius instinctu, Deum judicavit colendum esse rebus quas haberet in peculio suo optimis, id est sacrificiis de primogenitis pecudum suarum, & de earum adipe. *Genes.* IV. 4. *Heb.* XI. 4. & placuit Deo justusque judicatus fuit. Cùm Cain non nisi de terræ fructu offerret vilissima, ideoque à Deo ejus oblatio repudiaretur, tanquam non satis digna eo, quem ratio recta docere debebat, optimis rebus colendum esse. 2. *Abelis.*

Vestigium tertium videre est, *Genes.* VI. 1. 2. &c. in eo quod Deus adeo ægre tulerit, profanorum hominum filias in matrimonium duci ab iis, qui Deum ex rationis rectæ præscripto colere se profitebantur; aut si ita malis textum exponere, à fortioribus sanctorum filias rapi, ut ea propter diluvium mundo induxerit, quem Petrus mundum impiorum fuisse dicit. unde enim id crimen cognosci poterat nisi ex ratione recta? 3. *Eorum qui vixerunt tempore diluvii.*

Quartum vestigium est in facto filiorum Noachi, quo minimus patri suo illusisse dicitur: ac propterea maledictus à Patre: reliqui verò duo paterna reverentia ducti, nuditatem ejus texisse, & à patre benedictionem consecuti leguntur. Cur verò, nisi quia naturæ lex jubebat parentibus non illudere, sed honorem debitum deferre? 4. *Filiorum Noachi.*

Quintum videre est in Sodomitarum sceleribus, quæ idcirco tam atrociter punita fuisse, quod ea scelera ac flagitia esse, ratio ipsa dictaret, quis dubitet? Sextum est in Abimelecho & Pharaone, quos pro scelere habuisse adulterium, sive nuptias cum uxore alterius, ex ipsorum apud Deum excusatione manifestum est. unde vero, nisi ex rectæ rationis dictamine? 5. *Sodomitarum.* 6. *Abimelechi & Pharaonis.*

Ultimum apparet in eo, quòd jam tum essent qui filii Dei vocabantur, qui nomen Dei invocabant; & inter eos Enoch, qui per fidem qua firmiter credebat Deum colendum, & ad rectæ rationis legem vivendum esse, adeò seriam pietati ac cultui divino operam dedisse legitur, ut cum Deo ambulaverit, & ab ipso Deo translatus fuerit ne videret mortem. *Heb.* XI. 5. & *Genes.* V. 24. Religio ergo tum ab eo fuit exercita, cum nulla lex adhuc esset (de qua quidem constat) alia, quam lex ista naturæ, quam diximus, quam sequendo cum Deo ambulavit: persuasus idcirco se Deo curæ esse, & se Deo placere, paratusque ac promtus ad omnia officia atque obsequia divina, quando à Deo ad ea expressis legibus obstringeretur. Et huic etiam accensendus est Noach, qui non justus tantum fuisse dicitur in universali ista mundi corruptione, sed & justitiæ præco. Cujus autem justitiæ, inquam? Certè non alterius quàm justitiæ istius, quam ratio recta ei dictabat. Nulla enim lex specialis ante diluvium ei data, aut præscripta populo legitur. 7. *Filiorum Dei, Enochi Noachi.*

Dicunt quidem Hebræi septem præcepta Adamo & Noacho, circa hæc mundi primordia data fuisse, quibus omnes Adæ ac Noachi posteri obstricti semper fuerunt, hodieque adhuc obstricti vivunt, adeo arcte, ut qui ea aut nescirent, aut eorum observationem nollent recipere inter pacis leges, gentiles hos interficere in bello, atque ex communione hominum tollere, tanquam belluas, aut barbarie & immanitate efferatos homines Israëlitæ postmodum jussi sint. Ea autem hæc esse; 1. ne idola colerent. 2. ne Deo aut sancto nomini ejus maledicerent. 3. ne furta aut rapinas exercerent. 4. ne sanguinem humanum funderent. 5. ne multiplicato mox genere humano incestis se nuptiis fœdarent. 6. ut judices crearent, qui jura dicerent secundum hæc præcepta. Hæc dicunt Adamo data fuisse, & Noacho repetita, additumque 7. ne membrum vivi animalis comederent; sive, ut in *Genesi cap.* IX. dicitur, *carnem cum anima ejus, quæ est sanguis ejus, ne ederent.* Hæc, inquam, præcepta data à Deo fuisse dicunt, ut iis regeretur gens mortalium, donec Abrahamo posita lex de circumcisione fuit. Sed enim, si duo præcepta ista excipias, quæ manifestè constat Noæ à Deo tradita esse, ex ipsa Scriptura, videlicet de non fundendo humano sanguine, *Genes.* IX. 4. 5. 6. & de non comedendo membro vivi animalis. *Genes.* IX. 7. præcepta *De VII præceptis Adamo & Noacho datis.*

cætera

cætera data à Deo fuisse non nisi per traditionem, ab usque Mosis seculo, per Cabbalicam quandam doctrinam, constare ipsi fatentur; & indicium ejus rei esse, quòd Deus nationes integras acerrime puniverit, idcirco quod præceptorum horum memoriam obliterassent; & quod Deus postea omnes illas nationes, quæ septem ista præcepta observarent, tutò atque impune in populo suo Israëlitico habitare permiserit, adeoque jusserit. Nos hoc suo loco relinquemus, tanquam dubium atque incertum. Nam quæ illi præcepta appellant, ea nos rationis naturalis dictamina esse credimus. Tum certum est alia multò plura fuisse, ad quæ primus homo ejusque posteri obligati erant; uti ex antedictis patet. Præceptum verò de non fundendo sanguine, datum Noacho, etiam multò ante datum fuisse non legimus; neque tam præceptum fuisse dicimus, quàm præceptum cum comminatioñe sancitum, quæ ante id tempus non obtinuerat. Prima enim pœna homicidii, fuit exilium & relegatio, à Deo ipso imposita, non ex legis alicujus præscripto, uti in Caino apparet. De judicibus verò quod dicitur, eos temporibus primis institutos fuisse, non est verisimile, ex Caini, Lamechi, & temporum quæ diluvium antecesserunt, ipsaque etiam Abrahami; & abnepotis ejus Judæ historia. Septimum, de quo ajunt præceptum Noacho datum, planè cæremoniale est, & huc non pertinet.

*Idem probatur ex cap 1. ad Romanos, versu 18. & seqq. Et totus ille locus explicatur.*

Verum enimvero ne consequentiis aut conjecturis tantum uti ac fidere videamur, id quod in *cap. 1. ad Romanos* legitur, fidem nostræ adsertioni luculentam facit. Nam in isto capite gentibus tribuitur, ad quas legis Mosaicæ & Evangelicæ cognitio non pervenerat, Primò, quod veritatem cognoverint quadruplicem: 1. Deum esse eumque colendum ac glorificandum esse. 2. non esse colendas imagines corruptibiles & creatas, præterito incorruptibili Deo & creatore: id enim vox παρὰ notat hoc loco. 3. Ab impuritatibus omnibus quæ *vers.* 29. 30. 31: recensentur, abstinendum esse. 4. eos qui ab iis non abstinent dignos morte esse, idque jus Dei ipsius esse: *versu ultimo.* Secundò, de iis affirmatur quod veritatem hanc totam non modò non sint secutæ, sed eam etiam in injustitia detinuerint: sive 1. quod Deum in notitia non retinuerint, uti dicitur *vers.* 28. id est, uti ante dictum fuerat, Deum non tantum non glorificaverint, eique gratias non egerint, sed & gloriam ejus in quaslibet creatas imagines transmutarint, quas pro numinibus coluerint. 2. Quod cum jus Dei cognoscerent, eos nempe qui fœda ista opera, quæ recensentur, patrant, dignos morte esse, tamen ea non solum facerent, sed & facientibus applauderent: *vers. ultimo.* 3. Quod idcirco in reprobum sensum, & εἰς παθήματα ἀτιμίας à Deo traditi fuerint. 4. Quod ira hæc, cujus jam cognitio pene obliterata apud illas erat, de cœlo iis per Euangelium revelata sit, ut ab istis se convertentes Deum colerent, & sanctius reverentiusque haberent, atque ita gratiæ ac veniæ participes fierent.

Ex his videtur patere non obscure, Apostolum duo statuere. Primò, notitias contemplativas quatuor locum habuisse in gentibus ex rationis naturalis dictamine. 1. Deum esse. 2. Deum nihil esse eorum quæ videntur & corrumpuntur, sed aliquid omnibus istis sublimius. 3. Deum esse creatorem omnium extra se. 4. à Deo res humanas curari, & arbitriis æquissimis dijudicari. Secundo, activas totidem notitias, quæ ex istis contemplativis sequuntur, apud eas certas fuisse. 1. Deum illum colendum & glorificandum esse, eique gratias agendas. 2. eum solum ut creatorem & opificem omnium adorandum & honorandum esse. 3. Recta & honesta, veritatique convenientia, facienda esse. 4. nisi fiant mortis pœnam metuendam esse.

Hisce opponi à quibusdam solet, Apostolum in hoc capite non loqui nisi de gentibus jam per Euangelium vocatis, & cognitione veri Dei & divinæ voluntatis instructis. Respondeo: Etsi nonnulla sint quæ verisimilem hanc opinionem faciunt, tamen contrariæ rationes mihi videntur præponderare, & quidem hæ quatuor. 1. Scopus ipsius Apostoli, qui est docere gentiles & Judæos peccatorum reos esse, ac proinde pariter gratia Euangelii opus habere: uti ex *cap.* III. *versu* 9. & *versu* 23. liquet. Gentiles peccati reos esse evincit toto *cap.* 1. nusquam alibi. At si *cap.* 1. Apostolum velimus loqui de gentibus jam vocatis & quæ Euangelio jam rebellarunt, atque ita reatum peccati tum demum contraxerunt, tunc certe non probat gentes peccati reas fuisse ante vocationem istam, ac proinde gratia vocationis istius opus habuisse. Confirmatur hæc res ex eo, quod Judæos Apostolus considerat reos peccati, antequam per Euangelium vocaruntur ad fidem. ex lege enim ipsa convincit eos peccati, *cap.* III. *vers.* 4. Eadem itaque ratio cur non dicatur gentilium esse? Adde quod nulla verisimilis ratio suadeat, Apostolum voluisse docere, gentilibus & Judæis, post vocationem divinæ gratiæ rebellantibus, & jam à Deo justo judicio in sensum reprobum traditis, ostium gratiæ per Euangelium apertum fuisse. contrarium enim auctores istius sententiæ credunt; nimirum Deum talibus ostium gratiæ occludere. De vocatione itaque gentilium ad fidem, non de vocatis & vocationi morem gerere renuentibus, agit Apostolus.

II. Quia omnia ista scelera, flagitia, atque peccata, quæ gentibus hîc tribuit Apostolus, Scriptura passim iis tribuit, antequam ulla Euangelii notitia ad eas pervenerat; imò idcirco ea iis tribuit, quod Euangelii notitia & veritatis Euangelicæ luce carerent: idcirco enim tempora ista, *tempora ignorantiæ* vocantur. *Act.* XVII. 29. & XIV. 16. &c. At si hîc de gentibus vocatis agi dicatur, tum necesse est ut dicatur, illa vitia in iis locum habere cæpisse demum, post spretum Euangelium, & ob spretum Euangelium, per pœnam divinæ desertionis & traditionis in mentem reprobam. Contrà tamen esse apparet ex inumeris Scripturæ locis, tum Veteris Test. quod passim de gentibus profanis, earumque perditis moribus & detestanda idololatria loquitur; tum Novi Testamenti. Nam *Act.* XIV. 16. dicitur, *Deum præteritis ætatibus sivisse gentes suis ipsarum viis incedere.* Qualibus autem viis? *versu præcedente* dicitur, eas vanis rebus cultum suum consecrasse, non autem Deo vivo illi, qui fecit cælum, terram, mare & omnia quæ in iis sunt. Petrus autem eas prolixius exponit, 1. *Epist. cap.* IV. *vers.* 3. *Sufficit nobis quod præterito vitæ nostræ tempore, quæ libent gentibus patraverimus, quum incessimus in lasciviis, cupiditatibus, vinolentiis, comessationibus, compotationibus, καὶ ἀθεμίτοις εἰδωλολατρείαις.* Paulus eas dicit, *sine Deo in mundo fuisse, & spem non habuisse. Ephes.* II. 12. & *versu* 2. ejusdem *cap. ea sin cupiditatibus carnis suæ vixisse, facientes quæ carni ac cogitationibus libebant, fuisseque natura filios iræ.* Hoc idem videre est *Ephes.* IV. 17. 18. 19. & passim alibi. Confirmat illud ipsum vehementer, id quod Apostolus hîc de iis affirmat, *quòd mutarint gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrium, & quadrupedum, & reptilium vers.* 23. Id autem multò antè factum, omnia Scripturæ loca arguunt: imprimis locus *Act.* XIV. supra citatus; & locus *Act.* XVII. 29. Ut verò hîc dicatur verbum *mutandi* intelligi de perseverantia, sive mansione in ista idololatria, magna probatione eget, & non obscurè confutatur ex eo quod sequitur, Deum eas idcirco atroci pœna ista affecisse, quæ istic recensetur, cùm constet eas multò ante, istâ pœnâ punitas, & flagitiis ac sceleribus istis involutas fuisse, antequam Euangelii fama ad eas pervenisset: &, quod caput rei est, cùm parum verisimile sit Deum tantam pœnam, tam repente, gentibus omnibus istis, quæ Euangelium vix dum revelatum nondum receperant, inflixisse. Diuturna enim contumacia præcesserit necesse est, antequam tam severè Deus puniat: præterquam quod pœnâ istâ potiùs affecti fuissent Judæi, quibus Euangelium istud primò & præcipuè, diutissimeque annunciatum fuerat, & qui præfractissimè ac pertinacissimè istud rejecerant; cùm contra gentes ferè istud dicantur amplexæ esse, eique fidem adhibuisse. Unde non facilè reperietur uspiam in Novo Testamento tribui gentibus, ad cognitionem Euangelii vocatis, tanta pertinacia quam tam severa Dei ultio secuta sit. Quæcunque de iis earumque sceleribus ac flagitiis dicuntur, deque ira Dei in gentes, ea omnia ad eas spectant, quatenus adhuc Euangelicæ gratiæ expertes erant, & moribus suis, sive ad arbitrium suæ voluntatis vivebant, id est, *in viis suis incedebant. Act.* XIV. 16.

III. Quia nulla ratio dari potest, cur Apostolus dicere voluerit, Judæis prærogativam competere supra gentes, si gentes considerat pariter cum Judæis gratiâ Euangelii donatas. Prærogativa enim Judæorum supra gentes alia non est, quàm quòd Judæis lex scripta fuerit data, Gentibus non. At cùm utrique per Euangelium vocati essent, una eademque Euangelii lex, pari jure ad utrosque pertinebat, & sub eadem lege Euangelii utrique positi erant. Nam uti *vers.* 21. *cap.* III. dicitur; *Nunc absque lege* (Mosis scilicet Judæis data) *justitia Dei manifestata est.* Gentes hîc itaque considerat Apostolus ut nondum vocatas, ac proinde sine lege scripta viventes, reasque peccati & mortis; similiter Judæos, prærogativa quidem legis scriptæ superiores gentibus, sed tamen hactenus iis pares, quod non obstante legis retinaculo, sub jugo peccati tamen non minus quam gentes, ac proinde etiam sub mortis ac condemnationis reatu positi fuerint, atque ita gratiâ divinâ opus habuerint sine discrimine.

IV. Quia *cap.* II. *vers.* 12. Apostolus dicit; *Quicumque sine lege peccaverunt, sine lege peribunt. Quicumque autem in lege* (id est sub lege positi) *peccaverunt, ii per legem damnabuntur.* Quid enim hîc sibi vellet Apostolus, si gentes intelligantur jam vocatę per Euangelium? Hę enim ex sententia legis Jesu Christi, sive per legem fidei damnabuntur, uti & Judęi vocati per Euangelium. Eadem lex utrosq; pariter damnabit.

Itaque nec hi per legem scriptam Mosis, nec illæ sine lege ulla damnabuntur. Quare necesse est ut Gentes hoc loco intelligantur gratiâ vocationis Euangelicæ destitutæ, & consideratæ solùm in natura sua, cum dictamine rationis naturalis, tanquam lege quadam in cordibus earum relicta, quam enormiter transgressæ sint, & propter quod gratiâ Euangelii indiguerunt.

Unde sensum *cap.* 1. *vers.* 18. *& seqq.* arbitror hunc esse: Euangelio revelatur omnibus hominibus, tam Græcis quam Judæis gratia divina ex una parte, sed ex altera parte revelatur divina ira ac severitas, qua Deus è cælo usus est præcedentibus ætatibus, tam contra Græcos quàm contra Judæos, ob impietatem & injustitiam illorum; quòd nec illi nec hi regulam illam vivendi sequerentur, quam veram esse sciebant, sed eam adeò neglectim cotemptimque haberent, ut de ea sequenda ne quidem cogitarent, imò ut eam quasi captivam vinctamque in carcere aut vi oppressam suppressamque detinerent atque absconderent, non aliter quàm si regulæ illius notitiam prorsus nullam haberet. Quorsum? Nullo alio fine quàm ut utrique intelligant, se sub peccati, & proinde sub iræ divinæ inexplicabili jugo positos, Euangelica gratia indigere, nec alia ratione cum Deo in gratiam redire, aut à peccato absolvi ac liberari posse. Divina autem hæc ira Euangelio revelatur adeo clarè, ac si è cælo ipso manifestaretur. Nam quamvis ante patefactum Euangelium eadem ira etiam utrisque incumberet, tamen non adeò clarè cognoscebatur, aut sentiebatur; vincente quasi veritatem injustitia & animum obdurante, ut veluti in luce caligaret ac cæcutiret. *Ephes.* IV. 18. At ubi lux Euangelii adfulsit, ira divina apparuit, & annunciatum est utrisque, fore ut si non convertant se à tenebris ad lucem, ira Dei æternum maneat super illis. *Ioan.* III. 36. Nec mirum: (Sic enim connecto sequentia:) Quod enim de Deo cognosci potest, id omne utrisque jam φανερὸν, sive manifestum est, ut nulla ignorantia prætendi possit. Deus enim id jam per Euangelium in luce conspiciendum posuit, & tempora ignorantiæ ὑπεριδὼν, nunc omnibus hominibus ubique annunciat ut resipiscant. *Act.* XVII. 30. alioquin gratiæ tempus effluxurum, & iræ divinæ onus incubiturum ad finem usque impœnitentibus, neque unquam sublatum iri. Per gratiam autem, gratiam æternam, & per iram, æternam pœnam intelligo; quæ θειότητα & δυνάμεις ἀϊδιὸν vocibus expressa voluit, quia gratia æterna quasi θειότης gloria est, & δύναμις iræ æternæ veluti instrumentum. Ambo hæc adeò obscurè hactenus à creatione mundi innotuerunt mortalibus, ut tantùm non prorsus invisibilia fuerint, & inducta ignorantia adeò obliterata sunt, ut ex oculis & mentibus hominum prorsus evanuerint, ac non nisi ex variis operibus temporalis misericordiæ ac severitatis divinæ, veluti per consequentiam quandam, idque ab ingeniosis & probis collecta, & concluſa fuerint. Sic enim expono, τοῖς ποιήμασι νοούμενα, ita ut per τὰ ποιήματα non intelligam opera per creationem facta, nec miracula aut signa per Christum & Apostolos edita, sed omnia tum bonitatis sive gratiæ, tum severitatis sive iræ divinæ temporalis documenta, quæ unquam ante Euangelium revelatum facta aut edita à Deo sunt: per νοούμενα verò sive νοεῖσθαι, intelligam collectionem, quæ ratiocinatione, sive ingeniosa mente facta fuit, ex istis signis atque indiciis gratiæ atque ultionis divinæ; oppositè ad ea quę φανερὰ sunt, & uti inquit Apostolus καθορᾶται, id est, jam ita clarè atque dilucidè omnibus annunciata sunt, ac si oculis viderentur & conspicerentur; videlicet non temporaria aut brevis tantum quædam gratia & ira, quæ ad hanc solum vitam pertineant, & nunc in hos, nunc in illos aliquando exercitæ fuerint, sed æterna & nunquam finienda, atque ad omnes in universum pertinens tum gratia tum ira. *Act.* XVII. 30. Quorsum verò ut hac ratione reddantur ἀναπολόγητοι, scilicet excellentissimo modo; ita ut nullam causam habeant prætexendi ignorantiam, aut conquerendi de ira & ultione divina, qua hactenus eos Deus punivit; cùm (ut ego Apostolus à Gentilibus ordiar) eos Deus tradidit in mentem reprobam, suisque propriis cupiditatibus abripi permisit, ad omnia detestanda scelera ac flagitia, propterea quod cùm Deum cognovissent, aut cognoscere beneficio rectæ rationis aliorumq; Dei beneficiorum (neque enim, uti est *Act.* XIV. 17. ἀμάρτυρον ἑαυτὸν ἀφῆκεν, dona iis tribuendo, & pluvias temporaque fructibus edendis apta largiendo, & implendo cibo ac lætitia corda eorum; imò uti *cap.* XVII. *vers.* 26. dicitur: *faciendo ex uno sanguine totam gentem humanam, ut habitaret super universa superficie terræ, definiti statis temporibus, & positis terminis habitationis eorum, ut quærerent Dominum, si forte palpando eum invenirent*, &c.) facile potuissent ac jure meritoque debuissent, tamen ut Deum non glorificarunt, neque ei gratias egerunt; sed contra, veluti omnem humanam sapientiam, & universum dictamen naturalis rationis abdicantes, fœdissima idololatria & turpissimis libidinibus se coinquinarunt. Quasi dicat; mansuri semper in isto statu, & in pejus magis magisque degeneraturi, nisi tempus hoc gratiæ, quod ipsis annunciatur, agnoscant, atque ita iram divinam effugiant.

Hanc ego arbitror loci hujus sententiam esse: cui convenit ex amussim id quod *cap.* II. *vers.* 14. 15. dicitur, cùm gentibus tribuitur quòd *legem non habentes naturâ ea quæ legis sunt faciant*; sive vox φύσει, *natura*, conjungatur cum antecedente participio, ἔχοντα, sive cum sequentibus: id enim perinde mihi est, uterque sensus bonus & sanus est, modo vox ista, *natura*, si conjungatur cum sequentibus, significet naturale rationis rectæ dictamen, &, *facere ea quæ legis sunt*, exponatur per facere, non quod lex præscribit, sed idem quod lex facit, id est, jubere honesta sicut lex jubet, & vetare turpia sicut lex facit: ut sensus sit; Recta ratio in gentibus est, qua ipsi sibi lex sunt, id est, legem ponunt secundùm quam honesta jubent & turpia prohibent, legirupas & prævaricatores accusant & damnant, furta, adulteria, homicidia severè puniunt; nullâ lege divinâ scriptâ ad id moti, sed rationis rectæ instinctu quasi naturali adducti, ostendentes hac ratione opus legis, id est discrimen honesti & turpis, recti, & pravi, justi & injusti, cordibus suis vi rationis insculptum atque impressum esse. Hoc modo phrasin hanc idcirco putem accipiendam esse, quia gentes naturâ facere quæ legis sunt, id est rectè vivere & præscriptum legis facere, contra stylum Scripturæ est, quæ gentibus passim tribuit contraria studia atque opera. Etsi enim non nego fuisse quosdam inter gentiles, qui virtuti studuerunt & honestè vixerunt, inter quos ipsi imprimis legumlatores fuerunt, tamen ii oppido pauci fuerunt, ut in censum nunquam veniant cum de gentibus earumque vita ac moribus in Scriptura agitur. Ut verò hîc de gentibus vocatis per Euangelium agi credam, non possum adduci; quia quæ hîc gentibus tribuuntur, ea tribuuntur iis quâ gentes sunt, id est omnibus gentibus in universum, vel saltem generatim; uti ex oppositione liquet, quâ gentes veluti exleges Judæis sublegibus opponuntur. Adde quod Gentibus capite præcedente contraria omnia tribuerat Apostolus; quòd videlicet, cùm jure Dei agnito, eos qui fœda ista opera facerent dignos morte esse judicarent, tamen ea non modò fecerint, sed & eadem facientibus applauserint. Ut autem statim deinde hoc sequenti capite, contraria istis ipsis gentibus tribuere Apostolum voluisse dicamus, neutiquam mihi verisimile videtur.

*Expos. loci Roman. II. 14. 15.*

## CAPUT IX.

### An lex naturalis obliget ad modum operandi ex dilectione Dei.

HActenus de primo egimus. Restat ut videamus de secundo: An videlicet cultus sive Religio Dei naturalis, requirat animum sive intentionem actiones istas tum internas tum externas, quas creatura rationalis beneficio rectæ rationis scire potest Deo & se dignas esse, & in quibus cultum Dei positum esse diximus, exercendi idcirco quia Deo & se dignæ sunt, sive potius eas ad Deum ipsum referendi, id est, an obliget ad modum operandi ex dilectione Dei vel caritate.

Ad rem hanc pleniùs intelligendam, certum est conditiones tres requiri ad actum moralem, qui legi naturali præscribitur, ut sit bonus, ex mente omnium etiam Philosophorum. 1. ut fiat ex sufficiente cognitione. 2. ut liberè fiat. 3. ut non solum sit de re honesta, sed etiam cum circumstantiis istis omnibus, quæ ad honestatem actus requiruntur. Qua de re vide Aristotelem, Ethic. *lib.* 2. cap. 4.

*Tres conditiones requiruntur in actione morali, ut sit bona.*

1. *Sufficiens cognitio.*

*Sufficiens cognitio* requiritur; eaque duplex, tum cognitio actus præcepti secundum se, sive cognitio actus qui præceptus est; tum cognitio actus præcepti, ut vel quâ præceptus est, sive ipsius præcepti cognitio, id est quod talis actus præceptus sit. Ratio est manifesta de primo: Quia alioquin præceptum uon servaretur per actum humanum: actus enim humanus non est, nisi ex cognitione procedat: Nec voluntariè fieret; quia cognitio est principium voluntarii. Unde qui ignorans vel invitus facit actum, legi sive rationi rectæ convenientem, non potest dici facere actum moraliter bonum. De secundo; quia etsi sine ista cognitione ponatur actus humanus & moralis qui præceptus est, aut legi sive dictamini rationis naturalis convenit, tamen actus ille materialiter tantum bonus est, & legi convenit; non verò formaliter, quia in ordine ad præceptum casu & quasi per accidens fit, quatenus is qui eum facit obligatum se esse non intelligit ad faciendum, atque ita præceptum non implet humano modo.

*Libertas*

2. Libertas.

*Libertas* requiritur, quæ neceſſitatem, coactionem, & involuntarium excludit. Neceſſaria enim ſub præceptum non cadunt. Coactum omne invitum ponit. Neutrum laude aut præmio, vituperatione aut pœna dignum eſt.

3. Modus.

*Modus virtutis* requiritur; quia non ſatis eſt ad hoc ut quis faciat id quod legi naturæ conveniens eſt, ut faciat id quod materialiter bonum eſt, ſed requiritur inſuper ut id faciat propter honeſtatem. Nec enim ſufficit ad virtutem miſericordiæ exercendam, ſubvenire miſero aut ſtipem ei dare, ſi id ipſum fiat ad captandum inanem gloriam, aut ad oſtentationem tantum. Hoc notum eſt.

*An ad modum hunc pertineat intentio operandi ex dilectione Dei*

Sed an ad modum hunc pertineat *intentio operandi* & faciendi ea quæ juſta atque honeſta ſunt *ex dilectione Dei*, quæritur? Reſpondeo: Suppono duo certa eſſe: 1. legem naturæ continere ſpeciale præceptum de diligendo Deo, ut naturæ univerſæ authore, & de eo diligendo ſupra alia omnia. 2. Omne opus quo impletur certum aliud aliquod præceptum naturale, naturâ ſuâ ad gloriam Dei facere quatenus per illud impletur Dei voluntas, aut quatenus illud divinæ voluntati conveniens eſt, etiamſi operans hoc formaliter non intendat.

Hiſce duobus poſitis, ſic dico: Quæſtionem de primo non poſſe eſſe. Quis enim quærat, an dilectio Dei quæ præcipitur, ex dilectione Dei proficiſci debeat? ſed quæſtionem de ſecundo eſſe; An videlicet præter illam bonitatem quæ cuique operi ineſt, inſuper etiam intentio operandi ex imperio talis dilectionis neceſſaria ſit. Nos ſic arbitramur: Primo, Rationi rectæ conveniens eſſe, ut quæcunque homo agit ea omnia referat in Deum, tanquam in finem ultimum; quia hæc relatio in dilectione Dei ſuper omnia includitur: proinde eos qui ſingula opera ſua eò referunt, rationi rectæ convenienter agere & optimè agere. Secundò, Rationem tamen rectam non præcisè hoc poſtulare, ut ſingulis operibus moralibus conjuncta ſit iſta intentio vel formaliter vel virtualiter, ſed ſufficere ut non adſit contraria intentio; ac proinde cum homo facit ea quæ rectæ rationi convenientia ſunt, idcirco quia rationi rectæ convenientia ſunt, eum rectè facere, etiamſi de Deo non cogitet, nec antea ita cogitaverit, ut præterita Dei dilectio ſingulis momentis influat aliquo modo in actum. Ratio eſt; 1. quia intentionem illam ſemper habere vix poſſibile eſt. 2. quia ad peccati contrarii conſtitutionem, non requiritur intentio tranſgrediendi dictamen naturalis rationis, nedum animus atque intentio Deum offendendi, ſed ipſa tranſgreſſio ſufficit. unde colligo gentiles iſtos, qui ad præſcriptum rectæ rationis ſe compoſuerunt, (quanquam tales pauci admodum fuerunt) & tamen intentionem illam, iſtud quod faciebant ad Deum referendi non habuerunt, etiamſi optimè ea in re non fecerint, non poſſe dici peccaſſe, ſed rectè feciſſe, & Deo etiam aliquatenus placuiſſe: ſi modò non habuerint intentionem contrariam, id eſt intentionem illa ſua facta non referendi in Deum, quòd Deum eſſe negarent, aut colendum eſſe nollent credere.

*Expoſit. loci Act. XVII. 26. 27.*

Dices Obſtat locus *Act.* XVII. 26. 27. ubi dicitur *Deus feciſſe ex uno ſanguine totam gentem hominum, ut habitaret ſuper univerſa ſuperficie terræ, definitis ſtatis temporibus, & poſitis terminis habitationis eorum; ut quærerent Dominum, ſi forte contrectando, aut palpando, eum invenirent.* Finis itaque Dei eſt, ut quærant, unde conſequitur rectè non facere eos, qui finem iſtum non intendunt. Quærere autem Dominum, intentionem in Deum directam notat.

*Quid ſit quærere Dominum.*

Reſp. *Quærere Dominum*, in Scripturis non ſignificat naturam aut eſſentiam Dei inquirere, ſeu, quærere an Deus ſit; nec propriè animum in Deum, qui eſſe cognoſcitur, intentum habere, qui quærentium mos eſt; ſed facere ea quæ Dei voluntati conſentanea ſunt, ubi de voluntate Dei conſtat; etiamſi intentio aut animus fortaſſe non adſit, faciendi ea propter Deum: ut apparet, 1. ex omnibus iſtis locis, quibus populus Judaicus in peccata delapſus, jubetur quærere Dominum, cum addita epexegeſi, id eſt, deſerere malas vias ſuas: uti diſerte ſcriptum legitur, *Iſa:* LV. 6. collato cum *verſ. 7. Quærite Dominum dum inveniri poteſt, invocate eum dum prope eſt. Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, &c.* 2. Ex omnibus iſtis locis, quibus accuſatur prævaricator populus tranſgreſſionis ſuæ, phraſi iſta quòd non quæreret Dominum, id eſt, quod contraria omnia divinæ legi faceret; non utique animo faciendi contraria, ſed tantum contraria faciendo, etiam ſine intentione ea contra divinam voluntatem faciendi. *Pſalm.* XIV. 1. 2. 3. Hoc autem loco ſignificat facere ea quæ rectæ rationi & ſic Dei voluntati conſentanea ſunt: imò hic agitur de hominibus nudis citra ullam revelationem divinæ voluntatis conſideratis; quibus proinde norma bene vivendi, ſive faciendi Deo grata, alia non erat, quam rectæ rationis norma. Unde evincitur *quærere Dominum* hoc loco nihil aliud eſſe poſſe, quàm rectæ rationi convenienter vivere. At *quærere Dominum* amplius aliquid ſignificare vi ſua videtur, inquies. Reſpondeo; Phraſes non ſemper eſſe ad literam urgendas. Certum enim eſt non alias tantum, ſed & hanc etiam ipſam phraſin, longè aliter accipi quam ad literam ſonat. Quærere enim, amare, velle, cupere aliqui in Sacris literis dicuntur, id quod non modo non intendunt quærere, ſed & quod non intendunt, adeoque cujus contrarium intendunt; ut cùm dicuntur aliqui quærere & amare vanitatem & mendacium, quærere contritionem & excidium ſui. *Proverb.* XVII. 19. velle mori. *Ezech.* XXXIII. indignos ſe judicare vita. *Act.* XIII. Sed eſto: demus etiam *quærere Dominum* hîc notare animum ſive intentionem quærendi Deum, & finem ſive propoſitum Dei, cur hominibus omnibus terram inhabitandam dederit, fuiſſe, ut homines ipſum quærerent; ex eo non ſequetur tamen, ea quæ ab hominibus fierent divinæ voluntati conformia, pro talibus, id eſt, bene rectèque factis habenda non fuiſſe, niſi conjuncta iſtis ſemper fuiſſet intentio illa, omnia faciendi ex dilectione Dei; de quo hîc quæritur. Sufficiebat enim intentio faciendi ea quæ Deo grata ſunt, idcirco quod ei grata ſint; & illâ poſitâ, quæſiviſſe Dominum rectè dici poſſent, quia quærere Dominum, ad ſummum eſt quærere facere voluntatem Domini, ſive id quod divinæ voluntati conveniens eſt, juxta ſtylum S. Scripturæ. At quomodo tum addubitativè ſubjungit Apoſtolus, inquies, *ſi fortè palpando eum invenirent?* Nam ſic viventibus & Deum quærentibus favor Dei certiſſimus adeſt. Reſp. Apoſtolum non uti propriè verbo *palpandi*, quod cæcorum eſt, ſed *contrectandi*, id eſt, ſingularibus, illuſtribus, & evidentibus beneficiorum divinorum documentis experiundi divinam benevolentiam; ut ſenſus ſit, ſi forte Deus adeo gratioſè cum illis ageret, ut coram quaſi contrectandum & per beneficia ſingularia videndum ſe iis daret; quod quia à benevola Dei voluntate tantum dependere ſciebat Apoſtolus, hinc addubitandi formula, *ſi forte*, uſum eum eſſe dici non incommodè poteſt.

## CAPUT X.

### De Religionis naturalis infirmitate.

HActenus egimus generatim de religione quam recta dictat ratio, & quæ primitus, Deo ita dirigente, in mundo locum habuit, fermè bis mille annis, ſive potius annis 1657 ad uſque tempus diluvii, & aliquamdiu poſt diluvium. Quam infirma ac debilis ea fuerit ad hominem in officio ſuo continendum, aut ad frugem reducendum, ſtatim apparuit, vel hoc uno claro confirmatum indicio, quod in toto iſto primo mundo, univerſoque iſto ferè bis mille annorum tempore, non niſi pauci, ac tantum nominatim tres, aut, ſi Noachum adnumeres, quatuor Dei cultores fuiſſe legantur, Abel, Seth, Enoch; quamquam ipſum Seth reticeat etiam Scriptor ad *Hebræos cap.* XI. Niſi fortè alios adhuc plures fuiſſe colligas, quia in familia Sethi Enoſchus filius ejus fuiſſe legitur, cujus tempore cœptum fuerit invocari nomen Dei. Ut ut ſit, hiſce paucis exceptis, cæteri omnes ad impietatem & profanitatem degenerarunt, nec ad pœnitentiam reduci potuerunt. Hæc cùm dico, ſuppono Scripturam veram eſſe & fide dignam.

*Infirmitas religionis naturalis in duobus apparuit, 1. corruptione morum. 2. idololatria.*

Et infirmitas ſive debilitas rationis, ſive religionis naturalis, circa duo apparuit. 1. Circa ipſas actiones tum internas tum externas, in quibus religionem ſive cultum iſtum conſtitutum eſſe diximus. 2. Circa ipſum Deum, ſive circa cultus ipſius objectum. Ab illis primò deflexit homo ad actiones contrarias, profanas & impias. Ab hoc tandem deflexit ad idololatriam.

*Cauſa corruptionis morum.*

Operæ pretium videre eſt, 1. quæ hujus rei cauſa fuerit. 2. Cur Deus hac ratione primum cum homine agere voluerit. Cauſa corruptionis ſive deflexionis tam repentinæ, tam univerſalis, tam pertinacis ac diutinæ, quoad primum membrum, videtur mihi fuiſſe hæc. In homine duplex eſt appetitus: quia duplex bonum eſt utrique conveniens; bonum nempe ſenſibile & bonum intelligibile. Illud bonum eſt utile, & delectationem ſive emolumentum craſſum ac palpabile aliquod adfert homini, honorem putâ, vel divitias, vel voluptatem. Hoc eſt quod conveniens quidem eſt intellectui, ſive rectæ rationi, & ſic aliquo modo delectabile; ſed tale tamen quod ratio recta dictat appetendum eſſe, etiamſi utile non ſit, imò etiam cum damno aut ſenſu mali alicujus, id eſt cum bonorum iſtorum trium damno aut detrimento conjunctum ſit. In utrumque hoc bonum fertur homo utroq, appetitu ſuo: ſed appetitus ille, quî in bonum utile & carni delectabile fertur, & à contrario incommodo inutili & damnoſo abhorret, valde potens eſt; quia bonum

iſtud

istud sensibile, sensibus omnibus quinque sæpius ac ferè semper occurrit, cum delectatione profunda percipitur, & sic phantasiæ crebro & firmiter impressum hominem quasi totum occupatum tenet; contraria verò cum tristitia & dolore conjuncta, adeò fœdam phantasiæ speciem imprimunt, ut homo ab iis resiliat ac fugiat. Appetitus autem qui in id quod justum & rationi conveniens est, fertur, nullam talis emolumenti aut boni sensibilis rationem habet, quia fertur in illud quia & quà rationi consentaneum est, quamvis illud nullum commodum sensibus adferat, imò quamvis cum incommodo, cum dolore, cum detrimento & damno conjunctum sit futurum.

Hinc facile evenit, ut nisi homo vel cognoscat, vel cogitet, si actiones rectæ rationi convenientes, appetitu isto intelligibili ductus faciat, futurum ut inde commodum & emolumentum aliquod consequatur, putà vel honorem, vel divitias, vel voluptatem, vel commoda aliqua sensibilia & grata carni suæ, vel quæ his multò sunt majora, contrariaque mala effugiat, actiones istas missas faciat, etiamsi eas alioqui rationis rectæ instinctu impulsus facere vellet; & contrà actiones illas quæ rationi rectæ non sunt consentaneæ, faciat, etiamsi istas facere alioquin nollet, & in faciendis istis sentiat atque experiatur luctam, dolorem, & displicentiam aliquam ex rationis rectæ dictamine.

*Exemplum illius in Adamo, cui comminatio solum facta est, nulla promissio.*

Apparuit hoc in ipso statim primo homine luculentissimè, simulatque ei interdi ceretur vesci ex arbore aut fructu arboris unius, quem carni aut sensibus suis gratum esse sentiebat, concessâ interim licentia vescendi ex omnibus arborum omnium fructibus quos cuperet ac desideraret. Nec ipsa divina lex oretenus ei lata, nec sanctio comminationis legi addita, nec magna ista licentia, aut potius divina indulgentia, nec recta ipsa ratio frænarunt appetitum ejus sensibilem; quin imò sola utilitatis ex esu fructus illius consecuturæ spes aut cogitatio aliunde ei injecta, stimulum ei subdidit ut de appetitus alterius fræno excutiendo consilium cœperit, adeoque frænum ejus excusserit: usque adeo potens est innatum desiderium in bonum utile & delectabile. Et notatu dignum est, legem primo homini latam, nulla boni novi aut melioris promissione sancitam fuisse, sed solâ malorum aut mortis comminatione: suasionem verò diaboli, continuisse promissionem boni novi ac melioris excellentiorisque, quam quod homo jam posslideret, eamque idcirco majorem vim in permovendo homine, ad faciendum id quod rectæ rationi ipsique divinæ legi repugnare sciebat, vim habuisse, quàm divinam legem comminatione sanctam, ad eum permovendum ut sensibus renunciaret, & quod rectæ rationi conveniens ac justum erat faceret. Si quis dicat promissionem divinam, comminationi oppositam, sub comminatione comprehensam fuisse, illi probatio ejus rei incumbit. In Scriptura promissionis nullam mentionem fieri certissimum est: & posito quod aliqua omnino promissio comprehensa comminatione concederetur, quæ tamen aut quanta ea fuerit, difficile, imò fortè impossibile est designare. Pone enim comminationem esse de morte æterna ac necessaria, quæ pœna damni sit, (pœnam enim æternam sensus, quæ dicitur, hac comminatione contineri nullo pacto mihi fit verisimile, nec sententia ipsa Dei postmodum in transgressores lata, id ullo modo sinit) non sequitur, Deus comminatur primo homini æternam pœnam damni si transgrediatur, ergo promittit ei tacitè æternam vitam si non transgrediatur. Cur enim non potuisset Deus sinere hominem mori, & deinde eum ex morte transferre in meliorem vitam? Mors enim illa non comprehensa fuisset comminatione ista, nec exclusa promissione. Tum si rem pressius consideremus; nec sequitur quidem, Deus comminatur homini mortem, si edat ex fructu vetito, ergo promittit vitam si non edat. Aliud enim est mortem comminari ut pœnam, aliud permittere ut mors homini naturaliter eveniat sine ratione pœnæ. Et quid si mors quam comminatur Deus, significare dicatur mortem tristem, immaturam, & ad quam non nisi per molestias ac miserias multas perveniendum erat? Ita certè sententia à Deo deinde lata, *mortis* vocem accipiendam esse arguit, & sic pœnam mortis, lege sua Deus comminatus dicitur prævaricatoribus, quæ distincta erat à morte, quæ omnibus ex naturæ conditione evenit. Non leve mihi argumentum videtur, Deum promissionem non feciſse Adamo, quia arborem vitæ collocaverat in horto, ut ex ea ederet Adamus ipse si vellet: at si promisisset vitam, non permisisset arborem illam libero ejus arbitrio, sed vitâ tanquam præmio obedientiæ ipsum donasset. Ut ut sit, promissionem talem à primis hominibus intellectam non fuisse id satis arguit, quòd promissionem Diaboli pluris fecerint, eaque permoveri se siverint, ut divino jussui morem non gererent.

Et sane si sequentia secula, id est fere bis mille annos consecutos videamus, ea promissionum expertia fuisse compe- *In aliis hominibus, qui ante diluvium & tempore diluvii vixerunt.*
riemus: atque inde fortasse factum esse, quod mortales qui istis seculis vixerunt plerique, si non omnes, usque adeò à rectæ rationis norma & regula deflexerint, & sensibus suis obsecuti fuerint, ac paulatim etiam magis magisque, partim exemplis, partim consuetudine in pejus degeneraverint, vincente rationis rectæ instinctum carnalium illecebrarum desiderio, ac studio voluptatum: uti in Caino, in Lemecho, cæterisque adeò omnibus mortalibus (exceptis tribus istis, quos diximus solos recenseri, ac fortasse duobus tantum) observare est, usque ad diluvii tempora: quibus adeò invaluerat carnis studium, ut unus tantum Noachus inter eos justus fuisse reliquus legatur, isque nec exemplo, nec præconio suo, nec divinæ misericordiæ & indulgentiæ annunciatione, improbitatem jam grassantem sistere posset ac reprimere. Unde & mundum illum, *mundum impiorum* fuisse ait Apostolus Petrus, 2. *Epist.* II. 5. & historia ipsa testatur, *Genes.* VI. & VIII. *cap. ipsum Deum vidisse quod multa esset malitia hominum super terram, & quod omne figmentum cordis eorum tantummodo esset malum omni die. cap.* VI. *vers.* 5. quòd aliis verbis effertur *vers.* 11. & 12. *Corrupta erat terra coram Deo, & repleta erat ipsa iniquitate; viditque Deus terram, & ecce corrupta erat; nam corruperat omnis caro viam suam super terram.* Locus verò *cap.* VIII. 21. *Quia cogitatio cordis humani prava à pueritia*, non habet sensum istum, qui vulgo ei tribui solet; quasi sit: Quia omnes homines peccato originali sunt infecti. Nihil minus. sic enim eadem ratio quæ Deum moverat ad diluvium mundo immittendum, Deum movisset ad diluvium mundo inposterum non immittendum. Sed sensus est; etiamsi cogitatio cordis humani adeò corrupta foret, ut à teneris quasi unguiculis homines peccarent; (particula enim כי significat aliquando *quamvis*, ut Hebræi adnotant) tamen non amplius sic cum iis agam uti egi. Supponit tantum ista divina locutio factum fuisse ut peccati virus etiam ad primos adolescentes propagaretur, & fieri iterum posse, ut peccati contagio adeo inficiat omnes homines, summos imosque, ut nulla ætas, ne prima quidem, immunis sit quominus statim, atque ab ipsis penè cunabulis, ad nequitiam, dictis, factis, gestibus, moribus, exemplisque peccantium quasi formetur aut contaminetur, atque ita ad malum omne jam prona sit, antequam quid malum sit intelligat. Rudis enim ætas cerea est & in vitium ductilis ac sequax, argillæ instar, quæ uda dum est formam facile suscipit quam imprimit fingentis manus; siccata vero eam adeò pertinaciter retinet, ut eam citius frangas quam corrigas, non aliter quàm si à natura sit facta, & in eam formam effecta esset. *Expositio loci Genes. VIII. 21.*

Sed nec stetit malitia, aquis diluvii repressa, & extinctis suffocatisque omnibus penè malitiæ auctoribus aut reis, sed veluti fermenti instar sese diffudit in novum orbem, aut potius repullulavit in iis quos sua probitas destinatæ exemisse videbatur sententiæ, adeò ut statim eruperit in iis ipsis, & paulatim iterum longè lateque propagata fuerit. In filio ipso Noachi minimo natu prodidit se vix dum ex arca egressо; & non multò post in populis ac regionibus integris exeruit se tanta cum fertilitate, ut aliquando ne decem quidem in iis reperire fuerit qui integri vitæ & sceleris puri essent, imò ut enormibus flagitiis sese pollluerent, quæ inaudita antea fuerant, & à quorum nominibus abhorret etiam contaminatissima mens. *Et post diluvium.*

Sed in primo mundo nulla apparuit religionis circa objectum corruptio. Idololatria in eo locum non habuit, nec idololatram ullum tum fuisse legere est. Causa ejus rei quæ fuerit, haud facile divinare est. Verisimile est id evenisse, 1. Quia recens adhuc erat mundi creati memoria, & traditio divinitatis constans in familiis ab Adamo instructis, ob longævitatem qua tum temporis non paucos donabat benignus Deus. 2. Quia apparitiones Dei crebræ erant. 3. Quia conservata sollicite fuit religionis puritas, ab istis qui filii Dei vocabantur, quorum tempore *cœptum est invocari nomen Dei*; uti dicitur *Genes.* IV. *vers. ult.* tempore videlicet Enoschi, filii Sethi sive nepotis Adami. Sic enim interpretor locum istum: sive *invocare nomen Dei* accipiatur propriissimè pro opem à Deo petere, sive impropriè, id est, synecdochicè, pro toto cultu & religionis exercitio, cujus non minima pars est ista invocatio; sive phrasi hebræa, ut *invocari nomen Dei*, idem sit quod vocari de nomine Dei, id est filii Dei vocari, quòd cultum Dei aliquo modo integrum adhuc servarent, sive cum cæteris non viverent adeò perditè, tanquam si Dei nulla reverentia ducerentur, etiamsi non ita viverent uti Deo dignum erat. Tales enim perpaucos admodum fuisse legimus. Ut enim exponam verbum חלל per *profanatum est*, hoc argumento impedior, quia jam ante nomen Dei non parum in familia Caini & Lamechi profanatum erat; quippe qui, ut Josephus ait lib. 1. *In primo mundo nulla fuit idololatria.* *Expos. loci Genes. IV. 26.*

lib. 1. Ἀρχαιολογίας cap. 4. ad bella incontinentes erant, ad latrocinia properabant; aut si qui inter eos segnes erant ad effundendum sanguinem, ii aliis rebus pessimis inhiabant, contumeliam facientes & avari existentes.

*Ortus idololatriæ, & quidem duplices.*

At procedente ætate & obliterata creationis memoria, cùm jam non remitteret impietas post diluvium, sed veluti recrudesceret, cœpit etiam corruptio serpere circa objectum ipsum cultus, id est idololatria; (ejus enim non fit mentio nisi post diluvium) ita ut sic tota religio naturalis fœde vitiaretur: & quidem duplici idololatria. Prima, qua Deus ipse colebatur in imagine, qualiscumque ea demum esset, & sculpta quidem: non quod ii qui isto modo Deum colebant, imaginem istam Deum esse crederent; sed quod cultum imagini isti tanquam rei divinæ, vel ad colendum Deum necessariæ, attribuerent, opinantes id ita fieri optime posse: cujusmodi idololatria etiam in cognatione ipsa Abrahami diu adhuc viguit, uti ex historia Labani & Rachelis liquet. Secunda, qua Deus vagus colebatur, id est divina virtus affigebatur rebus quibusdam creatis, & quidem dupliciter: Primò, ita ut non quidem ipsas res Deum esse crederent, sed earum interventu coli velle Deum crederent, non aliter quam si Deus in istis, & non sine istis, virtutem aut operationem ullam exerceret; cujusmodi idololatria fuit eorum qui Soli, lunæ, stellis, astris ac syderibus totique militiæ cælesti cultum impenderunt. Secundò, ita ut divinitatis opinione relicta istas ipsas res Deos esse crederent, singulisque propriam ac peculiarem divinitatem, majorem vel minorem attribuerent: cujusmodi idololatriam exercitam fuisse à Zabæis sive Zabaistis tempore Abrahami, prolixè probat Maimonides ex historia eorum Arabica; in quorum etiam fide Abrahamum educatum fuisse dicit. Erigebant autem singulis stellis imagines, & Soli quidem aureas, Lunæ argenteas; atque ita metalla & climata terræ inter illas stellas partiebantur; ut climatis hujus Deum, stellam hanc, alterius aliam facerent. Istis autem stellis sacella exstruebant, in quibus imagines collocabant, (ut, ex. gr. ignis imaginem Soli, unde Persarum πυρεῖον, Lunæ piscis imaginem, quia forte mari dominatur) arbitrantes vires stellarum influere in imagines illas, tanquam naturæ suæ vim proxime repræsentantes, easque intelligendi virtute præditas esse, ita ut homines prophetiæ spiritu adflare & quæ utilia ac salutaria illis essent indicare possent. Hinc dicebant cùm arbor quædam stellæ alicui dedicaretur, aut nomini ejus plantata consecraretur certis ritibus & cæremoniis, quod virtutes spirituales stellæ istius in arborem istam transfunderentur, ita ut secundum modum prophetiæ cum hominibus loqueretur, in somnio eum affaretur, & ad prophetandum idoneum redderet. Et idololatria hæc imprimis locum habuit in terra Ægyptia & Cananæa. In illa ad eandem rationem pisces, ciconiæ, crocodili, oves, boves, ichneumones, porrum, cæpe, aliaque colebantur. In hac pisces etiam ut *Dagon*, muscæ ut *Beelzebub*, Venus ut *Astaroth*, &c. colebantur. Unde cum Philistæi marisis in aris, sive postica corporis parte vexati, *Tzalme*, i. imagines anorum aureas Deo offerrent de consilio sacerdotum suorum, 1 *Sam.* VI. 5. 11. id factum ab iis eo animo credendum est, non quod figuræ aut formæ isti quidquam tribuerent potentiæ aut virtutis, sed quia credebant virtutem aut influentiam aliquam cœlestem sive spiritualem, illis affusam iri à Deo Israëlis, qui eos marisis istis afflixerat, qua damnum sive morbus marisarum auferendus erat. Deum enim Israëlis non habebant pro vero Deo, sed pro virtute aliqua cæli dominante, & populo isti à quo virtus ea colebatur, influentiam quandam specialem largiente, cujus ipsi nisi per eos participes fieri non poterant; agnoscentes quasi vim & virtutem ejus in anis affligendis & sanandis.

*Causa idolatriæ.*

Causa hujus corruptionis videtur mihi duplex esse: 1. Quia cum Deus invisibilis sit, & homo nihil vel nullum simplex ens intelligat, sine aliquo phantasmate aut specie incurrente in sensus & repræsentata phantasiæ, hinc figere non potest cultum suum in Deum sine aliqua imagine; ac proinde facile delabitur in opinionem Deum hanc vel illam imaginem habere, & in vel cum hac libenter coli velle. 2. Quia cum homines Deum sibi benefacere aut malefacere non videant, & beneficiis vel maleficiis vehementissimè afficiantur, facilè eò delabuntur ut istis rebus divinitatem tribuant, à quibus maxima vel bona vel mala proficisci vident. Talia sunt, Sol, Luna, astra, &c. Quæ res adeò vera est, ut videamus esse populos qui cacodæmonibus divinos honores tribuant, nulla alia ratione moti quam ne ipsis malefaciant. 3. Quando istis ipsis rebus cultus defertur, soli Deo auctori earum debitus, facile etiam fit ut præter istas res alius Deus non esse credatur, aut ut istæ ipsæ res Deus esse credantur, & quidem à vulgo & misera plebe imprimis. Etsi enim sapientiores & prudentiores distinguere possint inter Deum & res istas, quasi intermedias inter Deum & ipsos, ac benefaciendi vel malefaciendi virtute à Deo acceptas præditas; tamen vulgus distinctionem illam non facit, sed apprehendit tantùm externè cultum ipsum, existimans illud esse Deum quod ab omnibus colitur, uti hodieque videre est in vulgo apud Pontificios.

*Cur Deus primum mundum sine lege & promissionibus vivere permiserit.*

Hinc jam necessitas apparet divinæ revelationis, ad cultum illum in integrum restituendum, tam quoad actiones in quibus cultus consistit, quàm quoad objectum colendum. Et facile adducor in istam sententiam, ut credam consilium & finem Dei Opt. Max. fuisse, cur sine ulla scripta lege, ad normam solius rectæ rationis, absque ullis promissionibus specialis ac singularis alicujus benevolentiæ suæ, primos homines vivere permiserit, adeoque pauca ista quæ Adamo, deinde primo mundo, & tandem Noacho præcepta dedit, non nisi comminationibus sancita dederit, ut intelligerent infirmitatem suam, & necessitatem ac magnitudinem divini beneficii, quando eos dignaturus esset promissionibus specialibus sublevare, ad cultum sui rite peragendum; ut ita recta ratio auxilio emolumenti & commodi fulta, sufficeret ad cohibendum appetitum inferiorem, ne Deo & divinæ rationi rebellaret. De hac verò jam porrò agemus, & quibus gradibus Deus usus fuerit, ut ad perfectissimam tandem revelationem progrederetur, ostendemus.

# INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM

## LIBER SECUNDUS,

### *De revelatione Abrahamo facta.*

### CAPUT I.

### De variis revelationum divinarum speciebus & gradibus.

*Triplex revelatio divina: 1 facta Abrahamo 2. Mosi 3. Jesu Christo.*

REVELAVIT itaque se tandem Deus, clementissimus generis humani miserator, ne cultus nominis sui sacrosancti omnino intercideret, & pietas omnis pessum iret, triplici speciali revelatione, quarum altera alteri paulatim ac gradatim successit, tertiaque & ultima omnium perfectissima est. Prima Revelatio Abrahamo facta fuit. Secunda Mosi. Tertia Jesu Christo Domino nostro.

*Revelatio cum fœdere conjuncta.*

Revelationem autem intelligo non omnem, nec qualemcunque, sed quæ cum fœderatione conjuncta fuit. Alioquin enim multò ante hæc tempora revelationes crebras & varias factas fuisse certissimum est: sed quæ cum fœderis formula factæ fuerunt nullæ reperientur, & fœderis quidem sanciti clara atque expressa promissione & stipulatione. Revelationes itaque ante hæc tempora factas Adamo, primo generis humani parenti, & Noacho, primo quasi perditi generis humani instauratori, hic excludo; quia utraque fœderationis expers fuit. Pactum enim sive fœdus quod cum Noacho post diluvium inivit Deus, non fœdus propriè dictum fuit, sed tantùm divinæ gratiæ significatio, quam Deus sine discrimine universo generi humano facere volebat, nullâ ratione habitâ ad eorum seu probitatem seu improbitatem, uti ex *cap.* IX. *Genes.* liquet. Deinde jussa quidem sive mandata utrique, tum Adamo tum Noacho, data sunt; sed jussa tantum, ac non nisi comminationibus sancita; nulla stipulatio, nulla promissio, sine quibus fœderatio propriè dicta non fit. Hujusmodi prima facta Abrahamo est, quia Abrahamus primus est cum quo Deus fœdus iniit, & quem

*Ita hic intelligitur.*

speciali

ſpeciali ac diſerta promiſſione ad cultum & obſequium ſibi obſtrinxit. Ab hac itaque ordiemur, præſupponentes ex antedictis à nobis, hiſtoriam, qua revelationes hæ tres continentur, veram eſſe ac fide dignam.

Videnda autem nobis hic duo ſunt. 1. Quomodo revelatio hæc facta fuerit. 2. Quæ & qualis ea fuerit, tum quid continuerit.

Ad primum quod attinet; ut intelligatur quomodo hæc revelatio facta fuerit Abrahamo, conſiderandum venit quot modis ſe Deus olim revelaverit ac cognoſcendum dederit.

*Duo modi generales revelationum divinarum, communis & propheticus. Communis.*

Certum eſt nobis Chriſtianis, & Judæis etiam, Deum olim ſe πολυμερῶς, καὶ πολυτρόπως, id eſt, multis vicibus, ſive potius per partes ac particulas multas (id enim videtur ſignificare vox πολυμερῶς) multiſque, id eſt, variis modis patefeciſſe ac revelaſſe. *Heb.* I. 1. Ac modi quidem generales duo ſtatui poſſunt, ad quos particulares cæteri omnes revocantur, qui quidem ad propoſitum noſtrum pertinent. Primus modus eſt *communis* & vulgaris. Secundus eſt peculiaris ſive *propheticus*, qui prophetarum proprius à multis fuiſſe creditur. *Communis* ſive vulgaris eſt, qui obtigit etiam impiis, profanis, idololatris, & qui deſtituti erant qualitatibus, ad veram & propriè dictam propheticam revelationem recipiendum, requiſitis, vel potius idoneis. Cujuſmodi revelatio facta fuit Labani Syro, impio & idolorum cultori. *Geneſ.* XXXI. 24. ubi *veniſſe* dicitur *Deus ad eum in ſomnio noctis*. Et Abimelecho Regi Gerarenſi, non impio quidem, ſed tamen idololatræ, & Regi populi *qui nullo Dei timore tenebatur: Gen.* XX. 3. & 11. *Ad eum* enim *veniſſe*, eadem phraſi dicitur *Deus in ſomnio noctis*, בַּחֲלוֹם הַלָּיְלָה. & Bileamo avaro & peſſimo ſcelerum conſultori, magnæque in populo ſubſecutæ cladis auctori. *Num.* XXIV. 23. & XXV. 26. & XXXI. 15. & *Joſ.* XIII. 22. Quod enim Rabbi Moſes ait eum pium & bonum fuiſſe, eo tempore quo revelatio ei facta dicitur, id nullo fundamento nititur, & textibus iſtis omnibus repugnat. Nec cauſam cur id ita credat aliam video, quàm ne hypotheſin ſuam & Magiſtrorum ſuorum deſtruere cogatur, qui ad prophetiam requirunt, ſummam vitæ utriuſque, tum contemplativæ tum activæ, perfectionem: id eſt, perfectionem facultatis imaginatricis in nativitate: perfectionem facultatis rationalis in ſtudendo: perfectionem morum ſeu qualitatum, in puritate cogitationum ab omnibus oblectationibus corporalibus cibi, potus, veneris, & ante omnia ſenſus tactus: denique in immunitate affectuum ab omni ſuperbia, & ſtulta ac peſtilenti gloriæ cupiditate, ut Maimonides loquitur. Cum tamen hypotheſis iſta admodum incerta ſit, ut in Jonah propheta vehementibus affectibus obnoxio, in Miriam ſorore Aaronis, & in ipſo etiam Moſe prophetarum principe videre eſt. (Moſen enim infidelitate tandem etiam peccaſſe, aut populum peccare feciſſe, ſacra hiſtoria teſtatur; adeò ut propterea terrâ ipsâ Canaan excluſus, & cum cæteris in ipſo deſerto mortuus ſit.) Idem etiam in Davide apparuit, quem paſſionibus venereis aliiſque obnoxium fuiſſe negari non poteſt. Exempla adulterii & homicidii ab eo commiſſi, ambitioniſque in numeratione populi inſtituta fidem faciunt luculentam, & exceptione omni majorem. Davidem autem prophetam fuiſſe nos Chriſtiani non dubitamus, etiamſi inter hagiographos tantum cenſeatur ab Hebræis. Sed & falſam illam eſſe non difficulter convinci poteſt, ex eo quòd Scriptura ſacra etiam falſis prophetis, ac proinde triplici iſta perfectione deſtitutis hominibus, prophetiam, id eſt, revelationes in ſomnio & viſione, quin & miracula adſcribat, *Deut. cap.* XIII. quibus Deus probare dicitur populum ſuum; ut jam non dicam mulieres multas prophetiſſas fuiſſe, & vocari in ſacris literis.

Nec minus quæſitum mihi videtur, quòd video quoſdam phraſes illas, quibus Scriptura utitur in duobus locis ſupradictis, *Geneſ.* XXXI. 24. & XX. 3. in quibus Deus ſe revelaſſe dicitur Labani, & Abimilecho, adeo ſubtiliter & curiosè diſtinguere, ut, *venire Dominum*, & *venire in ſomnio noctis*, explicent tantùm de revelationibus quibus Deus ſe patefacit impiis & idololatris: phraſin autem *dixit Dominus*, & *dixit in viſionibus noctis*, referant tantùm ad revelationes quibus Deus ſe piis patefacit, ſive per Angelum immediatè, ſive mediatè per prophetam ad quem Dominus per Angelum locutus eſt. ut cum Rebeccæ, quæ ad interrogandum Dominum perrexiſſe legitur, *Gen.* XXV. 22. id eſt, ad ſcholam ſive gymnaſium (ut volunt) Schemi aut Heberi, ſe contuliſſe, *Dominus dixiſſe* legitur *verſ.* 23. videlicet per Schemi aut Heberi os, vel per Angelum qui ad alterutrum venerat in iſta prophetia. Colligitur fortaſſe id ex more poſtea recepto in Iſraële, ut qui ad inquirendum Deum ibat, diceret, *venite, & eamus uſque ad Videntem*, 1. *Sam.* IX. 9. Exemplum vide, 2. *Paral.* XXVI. 5. Nimis enim arguta & curioſa hæc ſunt; cum expreſſè & eodem modo legatur de Jacobo, *Gen.* XXXI. 11. Angelum Domini in ſomnio *dixiſſe ad Jacobum*; & de Bileamo, quod ad eum *dixerit Deus*, aut Angelus. *Num.* XXII. 12. Eſt enim in textu vox *Elohim*; & quòd Deus ad eum *venerit nocte, & dixerit ei: cap.* XXII. 20. tum de Abimelecho etiam dicitur *Geneſ.* XX. non tantùm quod Deus ad eum *venerit in ſomnio noctis*, *verſ.* 3. ſed etiam quod Deus ad eum *dixerit in ſomnio*, *verſ.* 6. Somnium autem & ſomnium noctis, id eſt, quod noctu, vel de nocte fit, unum idemque eſt.

Intereſt tamen ne has revelationes credamus propheticas eſſe. Fuerunt enim iſtæ revelationes, veluti momentaneæ quædam apparitiones, & quæ per accidens tantùm, aut ex occaſione factæ fuerunt, bono aliorum piorum Dei ſervorum, neque hilum profuerunt iis quibus factæ fuerunt. Momentaneæ fuerunt, quia ſimulatque factæ fuerunt, & fini iſti ſervierunt propter quem factæ fuerant, evanuerunt, redieruntque ii, quibus factæ fuerant, ad ingenium ſuum, non aliter quam aqua ad ignem calefacta, ad naturale frigus ſuum revertitur, ſi ſub dio, frigido aëri exponatur, aut ab igne ſeparetur. Sic Labani facta revelatio ipſi Labani non profuit, manſit enim idololatra, & in Jacobi gratiam facta fuit, ne à ſocero ſuo Labane injuriam aut vim pateretur. Abimelecho non ſerviit ſua revelatio, ſed Abrahamo & Saræ: manſit enim alioquin Abimelechus is qui erat. Bileam cui adeo magnificas revelationes & viſiones tribuit S. Scriptura, ut non modo ſpiritum Dei ſuper eo fuiſſe aſſerat, ſed & virum vocet apertum habentem oculum, audientem eloquia Dei, viſiones Omnipotentis videntem cum caderet, & diſcoopertum habentem oculum. *Num.* XXIV. 2. 3. 4. Eidem Angelum Domini locutum eſſe, *cap.* XXII. 32. & 35. Eum Angelum vidiſſe *verſ.* 31. Ei Deum occurriſſe, *cap.* XXIII. 4, &c. Hic, inquam, Bileam perverſus, lucri-cupidus & divinator cum eſſet, talis ad mortem uſque manſit; uti videre eſt *Joſ.* XIII. 22. & ſerviit tantùm ad exaltandum gloriam Dei Iſraëlis, & populi ipſius famam prædicandum; fore ſcilicet, ut ea magis magiſque inclareſceret, latiuſque ſemper ſe diffunderet, invitis omnibus, qui eam oppreſſam deletamque cuperent: adeò ut, ſi quid conjicere licet, Bileamum ad prophetiam hanc faciendum tantùm non coactum ac veluti invitum protractum fuiſſe, dici jure poſſit. Cæteroquin animo ſuo indulſit & obſecutus eſt, non aliter quàm Judas avaritiæ ſuæ addictus manebat, cùm Apoſtolatu fungeretur in Judæa, & cum reliquis Apoſtolis veluti legatus, miraculorum virtute inſtructus, ad oves perditas domus Iſraëlis mitteretur. Atque hunc ipſum in modum loqui poſſumus de ſomnio Pharaonis, & duorum ejus aulicorum cum Joſepho incarceratorum. *Geneſ.* XL. deque ſomnio Nebucadnezaris. Iſta enim priora ſervierunt ad innocentis Joſephi liberationem, & erectionem in ſublime iſtud dignitatis faſtigium, ex quo parentis & fratrum ſuorum vitæ ac ſaluti conſulere poſſet ac proſpicere. Hoc ad Danielem & ſocios ejus in ſummo honore collocandos occaſionem præbuit, nec ulli alii fini ſerviit. Hactenus de primo modo.

*Propheticus.*

Secundus eſt quem vocavimus *propheticum*, vel qui prophetarum proprius creditur, quo videlicet Deus ſervis ſuis, quos ei fini deſtinat ac præparat, mentem, ſententiam, voluntatem ac conſilium ſuum aperit ac revelat, ut vel doceant populum ſuum, imprimis refractarium, ut prophetæ plerique omnes fecerunt: vel ut pro quibuſdam oratione ſua & ſuppliciis intercedant, uti Abrahami exemplum docet. *Geneſ.* XX. 7. & 17. vel ut ne orent, uti *Ieremiæ cap.* VII. 16. videre eſt; vel ut prædicant & prænuntient futura, uti in pleriſque prophetis apparet.

*Qui eſt duplex, mediatus & immediatus.*

Hic modus duplex eſt. Primus eſt *Mediatus*, qui per Angelos fit. Secundus, *Immediatus*, qui ſine Angeli miniſterio fit. Hic uni Domino Meſſiæ Jeſu Chriſto proprius fuit, & fortaſſe etiam deinde fideliſſimo ejus Apoſtolo Paulo. Iſte Prophetis omnibus & Apoſtolis communis eſt: de quo primum agemus.

*Mediatus iterum duplex eſt, 1. In ſomnio aut viſione. 2. per præſentaneum Angeli alloquium.*

*Mediatus* & qui per Angelos fit duplex eſt, uti diſertè videre eſt *Num.* XII. 6. Primus in ſomnio aut viſione Prophetica. Secundus ſine ſomnio aut viſione prophetica, per ipſum Angeli præſentaneum alloquium. Primus modus prophetas omnes ſpectat. Secundus Moſen ſolum, uti diſertè verba textus habent. *Si fuerit propheta in vobis in viſione apparebo illi; in ſomnio loquar cum eo. Non ſic ſervus meus Moſeh, qui in tota domo mea fidelis eſt. Ore ad os loquar cum eo atque in viſione, non per ænigmata, neque per ſimilitudines Dominum aſpiciet.*

*Quid ſit revelatio facta in ſomno, & in viſione.*

Revelationis modus qui *in ſomno* fit, locum habet cum ſenſus exteriores ligati ſunt; & phantaſiæ aut repræſentatur aut imprimitur ſpecies rei revelandæ. Revelationis modus *in viſione* fit, cum ſenſus exteriores ligati non ſunt, ſed veluti deliquium aliquod aut ecſtaſin patiuntur, ſive uſu ſuo privantur, mente tota in ſpeciebus, quæ interiori phantaſiæ objiciuntur, apprehendendis & ſpeculandis intentâ & occupatâ,

cupatâ, ac quasi à corpore & functionibus corporis externis abstractâ & divulsâ, uti in vehementi imaginatione aliquando fieri videmus.

*Vtraque fit per manum Angeli.*

Hisce duobus modis revelatio omnis prophetica facta, intelligi debet facta per manum Angeli, sive is, qui revelationem accepit, dicat eam sibi ab Angelo in somnio vel visione factam esse, uti *Genes.* XXXI. 11. *Num.* XXII. 12. sive referat tantum verba Angeli, nullâ somnii aut visionis mentione factâ, ut *Gen.* XXXV. 1. & 10. *Genes.* XXII. 15. & *Genes.* VII. 1. sive nullam prorsus Angeli mentionem faciat, sed sermonem totum referat tanquam ab ipso Deo Opt. Max. prolatum ac profectum; sed additâ mentione quod in somnio aut visione factus fuerit: uti *Genes.* XV. 1. *Fuit verbum Domini ad Abrahamum in visione:* sive denique absolutè & simpliciter dicat Deum sibi locutum esse, aut dixisse sibi in terminis; *Fac hoc*, vel *Dic hoc*, nullâ vel Angeli, vel somnii, vel visionis mentione factâ: uti *Genes.* XII. 1. & XXXI. 3. *Ios.* III. 7. *Judic.* VII. 2. *Esa.* VIII. 1. *Ezec.* XXIV. 20. &c. 2 *Reg.* XIX. 9. *Ose.* 1. 1. *Ezech.* XXXVII. 1. Semper enim indubitatum manet istud: Nullam prophetiam fieri nisi in somnio aut visione, idque per manum vel intervenientem operationem, id est, ministerium Angeli. Et ab utroque revelationis modo dicebantur olim prophetæ omnes, *videntes:* uti legere est 1 *Sam.* IX. 9.

*Revelationis in somnio quinque species. Prima.*

Cæterum modus revelationis in somnio gradus suos & species habet; unde prophetarum alii aliis majores & excellentiores sunt. *Primus* gradus aut species est, cum ei, cui revelatio in somnio fit, repræsentantur figuræ quædam, parabolicum, mysticum aut ænigmaticum sensum significantes, quem ipse non capit nec intelligit, sed cum adjuncta declaratione & expositione sensus istius, non verbali, sed, ut ita dicam, phantasticâ aut reali; ita ut insculpatur menti ejus, non aliter quam si verbo claro fieret. Cujusmodi parabolicis revelationibus constat prophetia Zachariæ, Ezechielis, Danielis, & Apocalypsis Joannis Theologi.

*Secunda.*

*Secunda* species aut gradus est, cùm revelatio clarè & distinctè, sine parabola, sine ænigmate quidem fit, & clarè auditur atque intelligitur in somnio, sed tamen revelans non videtur neque repræsentatur. Cujusmodi revelatio facta fuit Samueli, cum primum se Deus ei in templo revelaret. *Nondum* enim *cognoscebat Dominum* Samuel, dicit textus, 1 *Sam.* III. 7. Et nondum revelatus ei fuerat sermo Domini: credens, ut verisimile est, Deum cum loquitur in somnio alicui, non nisi voce gravissima & robustissima uti, aut quæ talis videatur, uti somniantes aliquando tonitrua, terræ motum & fragorem magnum audire sibi videntur. Unde familiarem istam & ordinariam vocem fortasse non credidit Dei vocem esse. Et talis fuit revelatio facta Petro in carcere: *Actor.* XII. 8. 9. dicebat enim ei Angelus: præcingitor & sequere me, &c. Nesciebat autem Petrus quod per Angelum fieret, sed putabat se visionem videre; quanquam fortè hoc paulò aliud quid est.

*Tertia.*

*Tertia* species sive gradus est, cum is qui revelat in somnio, loquitur sub specie viri, aut juvenis, ita ut is, cui revelatio fit, audiat & cognoscat ac videat eum loquentem, & clarè atque intelligibiliter sensa mentis suæ proponentem atque exponentem; cujusmodi revelatio facta fuit Ezechieli, *cap.* XL. 4. &c. Distinguitur hæc tanquam perfectior à prioribus duabus speciebus: quia in primâ is, cui revelatio fit, non audit clarè verba ulla, sed videt visiones aut parabolas, earumque expositionem deinde fieri; in secunda audit quidem loquentem, sed quis sit ignorat. Hîc clarè auditur loquens & cognoscitur, sicut factum Paulo legimus, *Act.* XVI. 9.

*Quarta.*

*Quarta* species est, quando in somnio Angelus cum homine loquitur: ita ut qui loquentem audit, sciat Angelum esse. Cujusmodi revelationem sibi factam, narrat Jacob uxoribus suis Racheli & Leæ, *Gen.* XXXI. 10. *Et dixit mihi Angelus in somnio, Jacob*, &c. Et hic revelationis modus est frequentissimus, & communis ferè omnibus prophetis: perfectior tamen præcedente, quia hîc revelans Angelus esse cognoscitur, istic revelans sub forma viri aut hominis apparet.

*Quinta.*

*Quinta* species est, quando in somnio ipse Dominus Deus benedictus apparere videtur; ita ut is, cui revelatio fit, existimet Deum secum loqui. Cujusmodi revelationem sibi factam narrat Esaias, *cap.* VI. 1. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, &c. & vers.* 15. *Væ mihi, si quidem Regem Dominum exercituum viderunt oculi mei.* Ob hoc dictum creditur Esaias à Manasse rege serrâ dissectus, à Rabbinis penè omnibus, tanquam falsus propheta, qui contrarium diceret Mosi & Deo ipsi, qui in terminis ait: *Non videbit me homo & vivet.* Huic revelationi etiam accenseri potest illa, quam Michas Propheta sibi factam dicit coram Regibus Josaphato & Achabo. 1 *Reg.* XXII. 19. *Vidi Dominum sedentem super solium suum*, &c. *dixitque Dominus: Quis decipiet Achabum?* Utraque hæc revelatio in somnio facta creditur, etiamsi id Scriptura non exprimat. Et hisce quidem quinque modis revelatio in somnio fit.

*Revelationis in visione quatuor species. Prima.*

In visione prophetica, quæ hominibus vigilantibus & interdiu obtingit, quatuor species sive gradus revelationis adnotari possunt. *Prima* species est, qua revelantur res aut figuræ quædam ænigmaticæ sive parabolicæ, sine ulla loquela aut sermone, sive ἐξηγήσει. Cujusmodi revelatio fuit, quæ Abrahamo facta dicitur, *Gen.* XV. 9. fuit enim facta interdiu vel vesperi, uti ex *vers.* 5. & 18. colligitur. Nec declaratio facta legitur, nisi cum post visionem in somnum profundum incidisset Abrahamus, uti *vers.* 12. videre est. An verò hæc differentia sit inter revelationem propheticam, quæ in visione fit, & inter eam quæ in somnio fit, quod in somnio semper sermo fiat, in visione nunquam, quia videlicet textus *Num.* XII. habet: *In visione notum me faciam ei, in somnio loquar cum eo*, in medio relinquo. Fortasse nimis subtile est, uti ex sequentibus patebit.

*Secunda.*

*Secunda* species est, quando in ipsa visione is cui visio obtingit, loquentem aliquem audit, sed non videt: uti Abrahamo evenisse legitur, *Genes.* XV. 1. *Post hæc fuit verbum Domini ad Abraham in visione*, (diurna scilicet aut vespertina, uti videre est *vers.* 5.) *dicendo, ne metue*, &c. & *vers.* 4. & *vers.* 7.

*Tertia:*

*Tertia* species est, quando is, cui revelatio fit, videt virum secum loquentem, sive aliquem specie vel vultu humano indutum. Hujusmodi revelatio facta fuit Abrahamo jam circumciso, & cum in quercubus Mamre esset. *Gen.* XVIII. 1. *Et apparuit Deus Abrahamo in quercubus Mamre*, &c. *Quumque elevasset oculos suos vidit, & ecce tres viri.* Et Josuæ in Jericho, *cap.* V. 13. Cui hæc revelatio fit, is primum se non nisi hominem videre credit: unde quidam *Angelos hospitio excepisse* dicuntur *inscii*, sive non opinantes Angelos esse; uti *Hebr.* XIII. 2. legere est.

*Quarta.*

*Quarta* & ultima species est, quando is cui revelatio fit, videt Angelum secum loquentem in visione. Cujusmodi revelatio facta dici potest Abrahamo, cum offerre vellet filium suum. *Genes.* XXII. 11. *Tunc clamavit Angelus Domini è cælo, & dixit, Abraham, Abraham*, &c. etsi Angelum Abrahamo visum esse non legatur. Et Zachariæ *Luc.* I. 11. & Davidi 1 *Chronic.* XXI. 16. Et hæc revelatio prophetica, est omnium excellentissima quæ prophetis contigit, quatenus à Mose distinguuntur. Cujusmodi autem illa fuerit dici non potest. Non enim fuit revelatio sub forma humana aliâve crasse corporali, sed sub forma spirituali, etsi non prorsus incorporea, qualis fortè Angelica est: nisi Angelum pro Angelico, Angelisve proprio splendore accipi velis. Constat autem ex historia parentum Simsonis *Jud.* XIII. 20. 21. 22. quod cum Angelus in flamma ascenderet intuebantur eum, & cadentes supra faciem toti consternabantur, & quod ex eo cognoverit Manoach Angelum Domini fuisse, dixeritque ad uxorem suam, *Moriendo morietur, quia Deum vidimus*, id est, ipsum Angelum, quâ Dei Angelus est & Deum ipsum repræsentat, nempe in suâ splendida & gloriosa specie ac forma, cujus radii diffusi, cœlestis alicujus corporis, id est, Solis instar, oculos præstringunt, quos humana infirmitas rectà intueri nequit.

*Modus revelationis qui Mosi obtigit.*

Sed quæ Moysi obtigit, ea citra somnium aut visionem facta dicitur, & inter Vet. Test. prophetas soli Moysi propria fuit, juxta textum supra allegatum ex *Num.* XII. 6. Cujus excellentia etiam clarius indicatur, cum Moysi tribuitur, quod *facie ad faciem ei locutus sit Deus. Exod.* XXXIII. 11. & *sicut homo cum amico suo loquitur: ibidem.* Quo indicari putant nonnulli, 1. Quod sine ulla debilitatione virium, sine ulla alteratione aut consternatione, cum Deo familiares sermones miscuerit, sicuti alterationem nullam sentit qui cum amico loquitur; contrà quam prophetis accidere aliquando solet, ut Danieli, *cap.* VIII. 17. 18. 27. & X. 8. & *Genes.* XV. 12. legere est. 2. Quod quando vellet, nulla alia dispositione prævia, divinas revelationes acciperet, aut Deum rectà adiret & oraculum ejus consuleret, non aliter quam qui amicum suum adit ac consulit; contrà quam prophetis accidere solebat, qui aliquando indigebant mediis quibus disponebantur ac præparabantur, ut idonei essent ad revelationem consequendum, ut in Elisa apparet 2 *Reg.* III. 15. qui citharam sibi quæri jubebat, cujus suavi sono & concentu harmonico, (magna enim vis Musicæ in spiritus est & in humores) spiritus ejus excitatus, elevaretur quasi ad recipiendum revelationem. Et textus ita evenisse indicat; *Quumque psalleret psalles fuit super eum manus Domini.* Cujusmodi etiam accidisse videtur, cum Saul occurreret prophetarum filiis, qui cum cithara, nabliis, tympanis & tibiis ei obviam procedebant: 1 *Sam.* X. 5.

Qui existimant spiritum hunc mansisse semper in Mose, atque ita Mosen etiam à cæteris prophetis distingui, ii vehe-

menter falluntur. Non minus à Moſe exceſſit quam à cæteris. Nec minus ignoravit ſæpè multa quam alii; adeo ut ipſe non minus dicere ſæpe potuerit idem quod Elizæus Sunamitidi dicebat, *Dominus non indicavit mihi*; uti apparet in exemplo ejus qui ligna in ſabbatho colligebat. Omnino enim dicendum videtur, prophetiam Moſis & prophetarum non fuiſſe dona & gratiam permanentem, ſed tranſitoriam: iſta enim ſoli Chriſto noſtro propria fuit. Hæc tantùm prærogativa Moſis ſupra cæteros omnes prophetas fuit, quod quando vellet atque opus eſſet, intrepidè & familiariter Dominum poſſet accedere & os ejus interrogare. Hinc eſt quod *Deut.* XXXIV. 10. dicatur: *& non ſurrexit Propheta in Iſraël ſicut Moſes qui cognoſceret Deum facie ad faciem*, &c.

Quæri poſſet hoc loco, An iſtis verbis, quibus Moſes cæteris omnibus prophetis præfertur, & ab iis contra diſtinguitur, ſignificetur Moſen revelationes immediatè à Deo Omnipotente accepiſſe, & non per manum Angeli. Video id quidem aſſerere Judæos omnes, ſed non poſſum adduci ut id credam certum eſſe. Verum hanc rem examinabimus cum bono Deo, ubi de Revelatione Moſi factâ agemus.

## CAPUT II.

## Duæ quæſtiones ad revelationes divinas pertinentes ſolvuntur.

*Duo quæruntur de revelationibus.*

ENimvero ut hæc res tota de Revelationibus rectè intelligatur, duo quædam conſideranda veniunt. 1. Anne ii, quibus revelatio iſta fiebat vel in ſomnio vel in viſione, revelationem divinam ſive prophetiam eſſe intelligerent. 2. An & quomodo is, cui revelatio iſta facta fuerat, cognoſci poſſet & diſtingui certis πυκμηρίοις ab iis qui eam ſibi falſo arrogabant.

*1. An ii quibus revelatio fiebat, divinam eſſe agnoſcerent.*

Ad primum quod attinet: certiſſimum eſt revelationem illam à Deo factam fuiſſe finis alicujus gratia. Finem autem iſtum obtineri non potuiſſe à Deo, niſi is cui relevatio fiebat ſciret finem iſtum Dei eſſe, ſibique propter iſtum finem revelationem iſtam fieri. Nam idcirco optimas animas & probatiſſimas ferè ſeligebat Deus ad tam nobile officium peragendum: alioquin quælibet, & vel aſina Bileami, vel Caiaphæ os ſuffeciſſet. Unde evincitur eo modo revelationem iſtam factam fuiſſe, ut is cui ea fiebat, intelligeret eam divinam eſſe, atque idcirco ſibi omnino parendum eſſe revelanti, ſi juſſum contineret revelatio; vel ſibi credendum, ſi ſimplex tantum revelatio eſſet, &c. Ut enim credamus Deum revelationes facientem, prophetis ſive viris ſanctis uſum eſſe non aliter quam lymphaticis & arreptitiis, ſive organis & inſtrumentis ἀλόγοις, & quæ alienis tantum nervis moventur, nimis à ratione alienum eſt: imprimis cum prophetæ tales, occaſione iſtarum revelationum, in graviſſima pericula ac diras ſæpe mortes inciderent. Atque hoc dictum volo, non tam reſpectu rerum ipſarum quæ ipſis revelabantur, quàm reſpectu revelationis ipſius. Ad res enim revelatas quod attinet, ut eas plenè ſemper perfecteque intelligerent, imprimis juxta ultimam Dei intentionem, & finem quem propoſitum ſibi habebat, non omnino neceſſe erat, præſertim quando eæ in viſione, per ænigmata & parabolas proponebantur; quanquam iis ferè ſemper declarationem fuiſſe additam credo, ſecus quam iis, qui prophetæ non erant, accidiſſe legimus; ut Balthazari, Pharaoni, Nebucadnezari; quibus revelatæ res fuerunt quas non intelligebant, & quarum declarationem haurire à veris prophetis opus habebant.

Quare neutiquam adſtipulor Joſepho aliiſque, qui prophetas mente alienatos fuiſſe crediderunt, quo tempore fata aperiebant & oracula dicebant. Sic enim Joſephus Antiq. Judaic. lib. 4. c. 6. *Putaſne, quoties fata aperienda ſunt, tum in nobis ſitum eſſe quid dicamus aut taceamus, afflati Divino ſpiritu! Ipſe voces quales vult profert, & oracula nobis nec ſcientibus nec cogitantibus.* Et paulò poſt: *Quamprimum iſte pectus noſtrum ſubintrat, nihil amplius noſtrum remanet.* Etſi enim tale aliquid nonnunquam accidiſſe dici poſſit, ut in Saule, cum in Najoth veniſſet, ubi prophetarum filii cum Samuele erant prophetantes, quippe qui nudus & humi procumbens tota die ac nocte prophetaſſe dicitur, ut & nuntii ejus ab eo miſſi. 1 *Samuel* XIX: & forte in Bileamo, quem verba dixiſſe conſtat, quæ omnino dicere nolebat, & prædixiſſe non intellecta, cum Iſraelitici populi gloriam prædiceret (*Num.* XXIII.) tamen id ſpeciale aliquid eſſe, & in communem regulam non trahendum, prophetiæ & Prophetæ pene omnes docent: imprimis cum revelationes & fata aperiunt, quæ nullam parabolam aut obſcuritatem continent, ſed res & verba luce clariora, eaque prout ab ipſo Angelo, aut Spiritu Dei dictata ſunt.

Quod ſi nihilominus circa quaſdam res revelatas difficultas aliqua moveri poſſet, tamen circa ipſam divinam revelationem difficultas nulla jure moveri mihi poſſe videtur, quin ſciverint eam divinitus ſibi fieri, nullumque ei falſum ſubeſſe poſſe; niſi tum bonitati tum ſapientiæ Dei revelantis, tum Prophetarum ipſorum excellentiæ, pietati & honori injuriam facere velimus. Nos Chriſtiani ex Apoſtolo ſcimus, 1 *Cor.* XIV. 29. 30. 31. 32, prophetas, quibus revelatio aliqua fiebat, prophetias iſtas ſuas κατ' ἴδιον, id eſt, ſingulatim proferre ac proponere poſſe, ad aliorum inſtitutionem & ædificationem; idque quia ſpiritus Prophetarum Prophetis ſubſunt; id eſt, uti recte interpretatur Eraſmus, quia ipſi prophetantes ſpiritum, id eſt, revelationem illam in ſua poteſtate habebant, ut eam diſtincte, ordine & cum judicio proferre poſſent; contradiſtincte à prophetis illis gentilium qui mente quaſi mota erant, & ſui impotes, quando fata aperiebant: quod inconditi, furioſi, & non raro obſcœni eorum geſtus ac motus teſtabantur. Evincunt hoc ipſum duo loca: *Luc.* X. 24. multi vates cupiverunt videre, quæ vos videtis; niſi *cupiverunt* exponas per *cupiviſſent*. ſed hoc durum admodum eſt, & non convenit cum ſecundo loco, qui eſt 1. *Pet.* I. 10. 11, quem exceptione omni majorem judico.

Fateor interim dici poſſe, ſpiritum iſtum propheticum adeò nonnunquam fortiter moviſſe, incitaſſe, atque impuliſſe prophetas ad prophetandum, id eſt, vel ad inſtruendum Dei populum de Dei voluntate, vel ad prædicendum mala rebelli populo eventura, ut quietem ipſis non concederet, neque ſilere eos permitteret; licèt in extrema pericula conjiciendi eſſent: imò donec ab iis, ad quos mittebantur, è medio tollerentur; ut in Jeremiæ exemplo apparet: *cap.* XX. 8. *Fuit verbum Domini in opprobrium & ſubſannationem mihi tota die, & dixi; non recordabor illius, neque loquar ultra in nomine ejus, & fuit in corde meo tanquam ignis ardens & clauſus in oſſibus meis, & fatigatus ſui ferendo, nec potui.* Sic *Amos* III. 8. dicit: *Dominus Deus locutus eſt, quis non prophetabit?* (fieri tamen poſſe, ut quis ſubterfugiat onus prophetandi exemplum Jonæ fortaſſe docet.) Sed ut dicamus eos, quibus revelationes fiebant, extra ſe raptos ita fuiſſe, ut neſcirent à Deo ipſo revelationes iſtas ſibi fieri, neutiquam credendum eſt. Gentilium Prophetarum talis fuiſſe videtur ratio, ut extra ſe rapti proferrent quæ neſciebant: unde prophetæ eorum μάντεις vocari ſolebant, ἀπὸ τῆς μαίνεσθαι, id eſt à furendo: atque etiam Latini furentes vocant *fanaticos*, à fanis, quæ templa & delubra prophetarum erant; quos multi exiſtimant non à φαίνω, ſed à φαφάω, id eſt, oſtendere, fando ſcilicet: unde & ἐνθουσιάζειν vocabantur, ἀπὸ τοῦ θυάζειν, quod eſt impellere, incitare: quia ſc. Spiritus Diabolicus eos agitabat & impellebat. eo ſenſu quo Virgilius ait:

*Bacchatur que furens magnum ſi pectore poſſit*
*Excuſſiſſe Deum. Tantò magis ille fatigat*
*Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo.*

Et 4 Æneidos:

*Sævit inops animi, totamque incenſa per urbem*
*Bacchatur, qualis commotis excita ſacris*
*Thyas, ubi audito ſtimulant Trieterica Baccho*
*Orgia, nocturnuſque vocat clamore Cytharon.*

Quomodo autem Deus iſtam perſuaſionem in iſtis effecerit, id difficulter dici poteſt. Veriſimile eſt ordinarie Deum iis eam indidiſſe, id eſt, immediate pectoribus ipſorum impreſſiſſe, adeò ut ea intellectum eorum irradiaret, ſicut alias doctrina ſolet: eodem plane modo, quo Joſephi mentem & Danielis intellectum, radiavit rerum à Pharaone & Nebucadnezare ſomniatarum notitia. Nonnunquam verò ipſis revelationibus divinis talia fuiſſe indita argumenta, ſigna & indicia, ut iis tantum obſervatis falli non poſſent: uti in revelatione facta Joſepho Mariæ Matris Domini noſtri ſponſo, *Matth.* I. & in revelatione facta Paulo, *Act.* XVI. 10. liquet. Ubi enim Paulus viſum iſtud vidiſſet, ſtatim trajicere voluimus in Macedoniam, inquit, συμβιβάζοντες, id eſt, collatis argumentis colligentes Dominum advocaſſe nos, ut iis euangelizaremus.

Cæterum hic notandum eſt, non ſufficere ad hoc, ut quis ſciat ſe tanquam Prophetam adflari, ut in ſe ſentiat rem vel facultatem aliquam exoriri, & ſuper ſe quieſcere, quæ eum impellit ad loquendum hymnos vel pſalmos, vel utilia ac ſalutaria recte vivendi præcepta, aliaque. Hoc enim fieri poteſt, ut alicui eveniat vigilanti, & in vigore ſenſuum ordinario, ut loquuntur, conſtituto, cum revelatio omnis prophetica in ſomnio aut in viſione fiat. Et de his dicitur, quod loquantur per Spiritum ſanctum, id eſt, inſtinctu & adflatu Spiritus ſancti moti. Tales fuiſſe cenſentur 70 ſeniores, *Num.* XI. 25. de quibus dicitur: *Fuit autem, requieſcente in iis ſpiritu, prophetarunt, & non addiderunt.* Tales fuerunt Eldad & Medad, qui ad tentorium conventus non acceſſerant; ſed in caſtris manſerant, *Num.* XI. 26.

Ta-

*De revelatione per Vrim & Thummim.*

Tales fuerunt ſacerdotes omnes illi, qui in pectorali gerebant lapides *Urim* & *Thummim*, cum reſponſa darent conſulentibus. His enim nec in viſione apparebat Deus, nec in ſomnio loquebatur; ſed ratione quadam peculiari manifeſtabat quæ volebat, ſive conſultus reſponſa dabat, ſtante adhuc priore templo. Eo enim deſtructo, ſive in ſecundo templo, vis illa numinis vel ſpiritus divini deſiit. Peculiarem autem rationem hanc fuiſſe apparet ex tribus: 1. Soli ſummo Pontifici ea fiebat, & quidem induto amiculo Choſchen. An non regibus aliquando facta ſit, diſputatur ex 1. *Sam.* XXX. 7. 8. Ita quidem videtur, niſi quis explicare velit verba iſta *verſ.* 7. *Applica mihi Ephod*, pro, applica mea cauſa; quod ego in medio relinquo. Magnum enim Regum Iſraelis privilegium fuit. Sed alterum tamen videtur veriſimilius, quia tria genera reſponſorum, quæ Deus conſulentibus reddebat, annotantur, 1 *Reg.* XXVIII. 6. neque per ſomnia reſpondit Deus Sauli, (ſub quibus viſiones etiam comprehenſæ ſunt) neque per Urim, neque per prophetas. 2. Sola inſpectione lapidum iſtorum, ſive literarum ex illis protuberantium, & veluti in aëre ſcriptarum (ut Kimchi & Maimonides volunt) reſponſa obtinebantur. Stabat enim Pontifex vultu arcam verſus compoſito, & qui reſponſum petebat à tergo. Hic cum de ſucceſſu rei ſciſcitatus eſſet, ſtatim Pontifex ex literis illis radiantibus in aëre, aut protuberantibus, quid futurum eſſet obſervabat, reſpondebatque. 3. Solis Regibus ſummiſque judicibus, aut qui miſſi publicè à populo eſſent, uſurpata fuit, privatorum & plebis negotia, votis precibuſque relicta erant.

Tales fuerunt Prophetæ iſti omnes, de quibus dicitur, quod *fuerit ſpiritus Domini ſuper eos*: ut 2 *Chron.* XX. 14. 15. de Jecheziel filio Zachariæ; & 2 *Chron.* XV. 1. 2. de Azaria filio Iddo dicitur, quod *ſpiritus Dei* eos *induerit*, quod & de Zacharia filio Jehoiadæ dicitur, 2 *Chron.* X. 14. Hos enim prophetaſſe ſine præcedenti ſomnio ac viſione prophetica communis eſt Judæorum opinio: & quidem adeo conſtans, ut in hoc ordine cenſeant Davidem, Solomonem, Danielem, Iobum, Paralipomenon libros, Ruth, Eſtherem, Eſram, Nehemiam, &c. eoſque idcirco כתובים *Kethubbim*, id eſt, hagiographos vocent, interque prophetas propriiſſimè dictos non referant; &, quod maxime omnium mirandum eſt, quod non tantum omnia ea loca, in quibus David diſertè ait, *Spiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo ejus per linguam meam*, 2 *Sam.* XXIII. 2. explicent hoc ſenſu: Spiritus Sanctus impulit me ad loquendum; & in quibus legitur, *Dixit Deus Iſraelis, mihi locutus eſt fortis Iſraelis*, uti ibidem videre eſt, explicent hoc ſenſu, Deus mihi per Nathanem, vel alium aliquem prophetam boni quippiam promiſit: eodem modo uti 1 *Reg.* XI. 11, cum legitur; *dixit itaque Dominus ad Solomonem: propterea quod fuit hoc apud te, nec cuſtodiviſti pactum meum*, &c. comminatio enim, inquiunt, hîc indicatur Solomoni per Achiam Schilonitem, vel alium quempiam; quòd, inquam, non tantum hæc & ſimilia loca interpretentur in iſtam ſententiam, ſed verò etiam, quòd iſta loca, in quibus expreſsè & in terminis dicitur, *Deum apparuiſſe Solomoni in ſomnio noctis, & dixiſſe ad eum*, &c. uti 1 *Reg.* III. 5. legere eſt, & 1 *Reg.* IX. 2. ubi Deus ſecundò apparuiſſe dicitur Solomoni, ſicut apparuerat ei in Gabaon, interpretentur non de revelatione prophetica, qualis Eſaiæ, Jeremiæ, &c. facta fuit; ſed de revelatione, quæ per Spiritum Sanctum, id eſt, per ſpiritualem quendam à Deo immiſſum motum ſive impulſum facta fuit: rationem hanc addentes, quòd licèt Solomoni hic oblata fuerit revelatio in ſomnio, ei tamen iſta non ſit oblata ſub ratione prophetiæ, ſed tantum ſub ratione ſomnii, uti ex *verſ.* 15. *cap.* III. prioris Regum liquere ajunt: *Quumque evigilaſſet, & en ſomnium.* At quibus revelatio fit prophetica in ſomnio, iis, poſtquam evigilarunt, iſta revelatio amplius non videtur ſomnium, ſicut in exemplo Jacobi videre eſt *Gen.* XXVIII. 16. cùm enim à ſomno ſuo, in quo ſcalam viderat, ex qua deſcendebant & aſcendebant Angeli, expergefactus eſſet, non dixit, En ſomnium! ſed apertè, *verè Dominus eſt in loco iſto, porta cæli hic eſt*, &c. quod explicat *cap.* XLVIII. 3. his verbis, *Deus omnipotens apparuit mihi in Luz, in terra Canaan.* Similiter de Daniele aſſerunt, quod Daniel ipſe, licèt in ſomnio ſe Angelum vidiſſe, & verba ejus audiviſſe declaret, omnia tamen iſta appellet ſomnia, etiam, poſtquam per ea cognovit, quæ cognovit: uti apparet ex iſtis locutionibus, *cap.* II. 19. *Tum Danieli in viſione noctis ſecretum revelatum eſt*; & *cap.* VII. 1. *Tum ſcripſit ſomnium*: & *cap.* V. 15. *Viſiones capitis mei tenuerunt me.* Et VIII. 27. *Obſtupuit ſuper viſione, & non erat qui intelligeret.* Nullum autem dubium eſſe ajunt, quin hic gradus inferior ſit illo, de quo dicitur *Num.* XII. *in ſomnio loquar cum eo.* Quicquid ſit hac de re, nobis Chriſtianis ejuſmodi ſubtilitates ſuſpectæ videri debent; non modò, quia David & Daniel expreſsè in Novo Teſtamento (de Davide vide *Matth.* XXII. 43. *Act.* II. 30. 31; de Daniele *Matth.* XXIV. 15. *Mar.* XIII. 14.) Prophetæ vocantur, & prophetico ſpiritu dixiſſe quædam dicuntur; ſed quia diſtinctio iſta inter adflatum Spiritus Sancti, & adflatum propheticum, ſolidum fundamentum non habet; etſi alioqui fundamentum admitti poſſit, ſi videlicet modus iſte revelationis per Spiritum Sanctum etiam inter modos & gradus veros prophetiæ, licèt infimos, aut ſaltem minores, ponantur, & non inter res requiſitas, antequam quis vere propheticò ſpiritu adflari poſſit. Alioquin enim David ipſe (ut de aliis aliquomodo controverti poſſit) dicitur adeptus gradum prophetiæ ultimum in viſione prophetica, quia diſertè dicitur Angelum Domini vidiſſe cædentem populum, 2 *Sam.* XXIV. 17. & eum allocutus eſſe. Et hoc ſenſu exiſtimarem prophetas fuiſſe etiam illos in Novo Teſtamento, qui rerum arcanarum ſenſa proferebant, & divinam mentem ac ſententiam de variis, obſcurius alioquin dictis, promebant atque elucidabant; de quibus legere eſt 1 *Cor.* XIV.

2 *An & quomodo falſi Prophetæ à veris dignoſci poſſent. Modi aliquot eos diſcernendi.*

Ad ſecundum quæſitum quod attinet, An & quomodo is, cui prophetica revelatio fiebat, cognoſci & certis *σημείοις* diſtingui poſſet ab iis, qui eam falsò ſibi arrogabant, aut qui veri prophetæ non erant. Reſp. diſtingui potuiſſe certum eſt, quia diſtingui & diſcerni eos Deus voluit, atque expreſſo mandato juſſit.

Modi autem, quibus diſtingui poterant ac debebant, varii adſignari poſſunt: nos aliquot indicabimus; ſi primum id annotaverimus, veros & falſos prophetas duorum generum fuiſſe: alios, qui religione & profeſſione veri Dei cultores erant ac manebant, ſed in nomine veri Dei ſe ablegatos dicebant, ad dicendum aut annuntiandum hæc vel illa Dei populo, idque verè vel falsò: hi ambo nomine veri Dei Iſraelis prophetare ſe dicebant; & verè quidem, qui à Deo ſpiritu ejus adflati erant; falsò, qui ipſi currebant, & quibus Dominus locutus non erat: uti paſſim legere eſt in prophetis. Alios, qui religionem & profeſſionem veri Dei Iſraelis deſerentes, vel falſorum Deorum, vel idolorum cultui ſe obſtrinxerant, atque addixerant, populumque ad eundem cultum avocare nitebantur; quos omnes falſos prophetas fuiſſe indubium eſt. De illis prioribus primo loco agemus.

1. *Modus eſt, quando ſignum quod prædicunt, non evenit.*

Eſt autem *primus modus*, quo illi à veris Prophetis dignoſcuntur, quando ſignum iſtud, quod prædicunt eventurum, non evenit exactiſſimè ſecundum omnia quæ prædictio continet; juxta expreſſa verba textus, *Deut.* XVIII. 21. *Quod ſi dixeris in corde tuo, quomodo cognoſcemus verbum quod non locutus fuerit Dominus? Quando propheta loquetur in nomine Domini, & non exſtiterit* (aut, non evenerit) *res illa, iſtud eſt verbum* (ſive ſignum certum quòd verbum iſtud) *prophetæ* *Deut. XVIII, 21.* *non locutus eſt Dominus: per ſuperbiam locutus eſt propheta ille* (verbum) *iſtud, ne timeas ab eo*, ſcilicet morte adficiendo. Hinc 1 *Sam.* III. 19. dicitur Samuelem ex eo cognitum fuiſſe, atque habitum pro vero propheta in populo Dei, quia Deus erat cum eo, neque permittebat ullum ejus verbum in terram cadere, id eſt, irritum fieri. Sic enim habet textus: *Et cognoſcebat totus Iſrael, à Dan ad Berſeba uſque quod Samuel fidelis propheta Dei eſſet.* Notandum tamen eſt, per ſignum vel rem quæ prædicitur, non debere intelligi ſignum naturale, quod ex cauſis naturalibus neceſſariò exiſtit, ut Eclipſim, maris æſtum, Solis ortum & occaſum; ſed ſignum, quod vel à pura puta libera alicujus voluntate, divinâ ſolâ providentiâ dirigenda, vel à ſola & pura puta Dei voluntate dependet, ac proinde quod non niſi ex ſola divina inſpiratione cognoſci poteſt: ut ex. gr. *Gen.* XV. 13; *ſciendo ſcies, quod ſemen tuum peregrinum erit in terra non ſua, & ſervient illis, affligentque eos quadringentis annis*, &c. item 1 *Reg.* XIII. 2. cum propheta contra altare Bethel clamat; *Ecce filius naſcetur domui Davidis, cujus nomen Joſia, is immolabit ſuper te, & oſſa hominum comburet in te.* Talia ſunt ea omnia, quæ Daniel vidit, ac quæ à ſola Dei voluntate & providentia pendebant. Vide ſimile exemplum 1 *Reg.* XIV. 12. 17; 2 *Reg.* VII. 1. 2, collatis cum *verſ.* 16. 17. 18. 19. 20. De hujuſmodi ſignis intelligendus etiam eſt locus *Eſaiæ* XLI. 23. *annunciate, quæ ventura ſunt in poſterum, & cognoſcemus quod Dii eſtis vos.*

*Expoſ. loci Jeremiæ XVIII. 7. &c.*

At difficultas hîc oritur, quia diſertè apud Jeremiam, XVIII. 7, legitur; Deum momento uno locuturum (per prophetas ſuos ſcilicet) contra gentem & contra regnum, ſe convulſurum, ſe demoliturum iſtud, &c. Quod ſi gens iſta ſe convertat à malo ſuo, Deum pœnitentia mali, quod locutus eſt, ductum iri. Et veritas hujus rei apparuit in prophetia Jonæ ad Ninivitas facta, & in prophetia Eſaiæ, Regi Ezechiæ nomine Dei denuntiata. *Eſaiæ* XXXVIII. 10. Reſpondent quidam locum Deuteron. intelligendum eſſe de prædictionibus non rerum triſtium, aut malarum, ſed bonarum & ſecundarum tantum; idque quia Deus clemens & miſericors eſt, tardus ad iram ſive pœnam, quem mali facile pœniteat

quod comminatus est, si pœnitentia interveniat eorum, quibus comminatio facta est. At hoc non solvit difficultatem: quia in loco Jeremiæ non tantum dicitur Deum pœnitentia duci, quando malum comminatus est populo; sed & quando bonum prædixit & promisit; si videlicet populus rebellione & inobedientia sua se indignum reddat promisso beneficio. Sic enim sonat textus *Jerem.* XVIII. 9. *Repente quoque ut locutus fuero de gente & de regno aliquo, ut ædificem & plantem, & fecerit malum in oculis meis, ut non audiat vocem meam, pœnitebit me illius boni, quo constitui ei benefacere.* Ob hanc causam, alii distinguunt inter prædictionem quam Deus ipse voce sua facit, cum bonum alicui vel homini vel civitati vel regno denuntiat, & inter prædictionem, quam Deus per prophetam aliquem homini, vel civitati, vel regno fieri jubet: Isto priore modo Deum pœnitentia duci posse: non hoc, quia sic per alterum quasi obstrinxit fidem suam. At distinctio hæc nullo nititur fundamento. Quid enim refert Deus-ne ipse prædictionem illam faciat, an verò illam faciat per prophetam? Quod quis per alium facit id ipse facere videtur, imò re ipsa facit. Tum obligatio impletionis non oritur ex interpositione fidei divinæ, sive ex parte prophetæ; sed ex ipsius fidei divinæ veritate, sive ex ipsius Dei promittentis veracitate. Addo, quando id unquam, quæso, accidit, ut Deus ipse immediate homini, vel civitati, vel regno alicui bonum aliquod promiserit & denunciaverit? Quare verisimile est, quod alii adferunt, distinguendum esse inter bona & fœlicia, quæ Deus denuntiari curat. Sunt enim illa trium generum: alia, quæ ita bona sunt, ut cum neminis damno aut commodo conjuncta sint: alia, quæ vel damnum, aut excidium & internecionem, aut calamitates varias; vel commodum, id est, pacem aut fœlicitatem adferunt homini, civitati, regno, &c. alia, quæ hactenus bona sunt, quia admirationem, & sic quandam oblectationem in animo gignunt, ut miracula, portenta & prodigia. Ex his primi & ultimi generis bona esse, quæ sufficiunt ad hoc, ut quis verus propheta esse agnoscatur. Primi generis bonum Sauli prædictum à Samuele, 1 *Samuel.* X. Saulem certum reddidit, quod Samuel verus Dei propheta esset. Eveniebat enim id, quod prædixerat, & eo modo, quo prædixerat, certusque Saul erat id antea ex composito fieri non potuisse, nedum factum fuisse: præterquam quod mutatio Saulis in alium virum, ejusque prophetatio, aliunde quam à Deo proficisci non poterat. Tertii, sive ultimi generis bona, signa certa fuerunt Mosem Dei prophetam esse, quando videlicet coram populo virga ejus in serpentem, & manus sana in leprosam, ac vicissim, convertebatur, idque futurum Moses prædixerat. At medii vel secundi generis bona, alterius generis esse, nec sufficere pro signis, ex quibus verus propheta à falso dignoscatur: propterea quod prædictiones illæ semper conditionales sint, & à cujusque actionibus bonis aut malis dependeant. Et de his loquitur Jeremias, de istis Moses.

*Exposit. loci Ierem. XXVIII. 29.*

Obstat, inquies, locus *Ierem.* XXVIII. 9. *Propheta ille, qui prophetat pacem, cum evenerit verbum istius prophetæ, cognoscetur ille propheta esse, quem misit Dominus.* Et hic est locus ille, qui opinioni isti, de qua hactenus egimus, occasionem præbuit. Sed verisimile est Jeremiam, hæc verba ad Hananiam falsum prophetam non dixisse eo sensu, quasi credidisset fieri non posse, ut quis verus propheta sit, cujus prædictio de pace, aut fœlicitate, homini aut populo alicui eventura effectum non sortitur: (sic enim sibi ipsi aperte contradixisset, uti ex verbis ejus *cap.* XVIII. jam ante citatis manifestum est, ex quibus promissiones ejusmodi ac prædictiones prorsus conditionales esse intelligitur:) sed tantùm eo sensu, ut Hananiæ ansam gloriandi eriperet, qui se bona, læta & fausta omnia prædicere populo rebelli & perverso jactabat, cum Jeremias non nisi tristia, adversa & contraria omnia eventura isti ipsi populo, qua tali, prædiceret: quasi dicat, Noli gloriari ob prædictiones tuas, quas tam perdito populo facis, sed expecta, donec eveniat quod prædicis: ubi evenerit prædictio, tum demum intelligetur te prophetam esse Dei verum: hinc enim prophetæ omnes priores æstimati sunt. Non habebantur pro veris idcirco, quod vel bona vel mala firmis lateribus prædicerent; sed expectabatur usque dum evenisset, quod prædixerant; eventus comprobabat eorum prophetias. Non quòd pro falsis habiti fuissent idcirco, quod non evenissent, quæ prædixerant hoc aut illo tempore eventura bona aut mala; alioquin Jonas & Esaias pro falsis prophetis habiti fuissent, sed quod, cùm evenirent ea quæ prædixerant, eundem plane ad modum quo prædixerant, veri prophetæ esse idcirco crederentur atque haberentur: si videlicet cætera non deessent, sive cæteris, ut loquuntur, paribus. Atque hinc etiam sine dubio Jeremias, pro vero propheta haberi meruit, quod cum Hananiæ huic prædixisset fore, ut isto ipso anno moreretur, istud ipsum ita evenerit, uti in fine *cap.* XXVIII. videre est: quanquam si Hananias pœnitentia ductus ad Deum se convertisset, & mentem in melius commutasset, atque ita superstes, & in vita conservatus à Deo fuisset, idcirco Jeremias pro falso propheta habendus neutiquam fuisset, uti ex antedictis patet. Ad hanc itaque classem etiam referenda sunt imprimis signa ista, quæ eo ipso momento, quo prædicuntur, eveniunt: qualia signa omnia ferè fuerunt, quæ Moses coram Pharaone prædixit eventura, & imprimis quæ Servator noster fecit, longè illis majora ac plura; ut cum diceret centurioni, veniam & sanabo filium seu servum tunm, sanabitur, suscitabitur, vivit filius tuus, &c. *Joan.* IV. 50. Item illa, quæ Apostoli fecerunt, ut Petrus cum prædiceret Saphiræ subitaneam mortem, & ea statim mortua concideret: dictum, factum. *Act.* V. & Paulus *Act.* XIII, cùm pseudoprophetæ Elymæ prædiceret futurum, ut ad tempus cœcus esset, & extemplo ei cœcitas oboriretur, caligoque ac tenebræ in oculos ejus inciderent, uti *vers.* 11. diserte legitur: aliaque plura. Atque hic est primus modus, quo veri prophetæ & falsi, qui quidem unius ejusdemque veri Dei Israelis cultores se esse profitebantur, dignosci poterant à se invicem.

*Objectio petita ex loco Deut. XIII. 1, 2.*

Dices: hoc signum, sive hunc modum, non sufficere ad dignoscendum universe veros à falsis prophetis, ac proinde nec veros etiam à falsis prophetis primi generis, de quibus hactenus egimus. Ratio est; quia Scriptura diserte significat fieri posse, ut etiam falsi isti prophetæ, qui religione Dei veri spreta, falsorum Deorum cultui se dediderunt, eumque populo persuasum eunt, prædicant ea, quæ eventum prædictionibus eorum per omnia convenientem sortiuntur, & portenta insuper ac prodigia faciant, vera an falsa incertum est: talia tamen, quæ à veris signis, prodigiis ac miraculis, aut omnino non, aut difficillime admodum, imprimis ab incauto populo, discerni atque internosci possunt. Sic enim habet textus *Deut.* XIII. 1. 2. *Quum surrexerit in medio tui propheta vel somnians somnium, & dederit tibi signum vel portentum,* אות או מופת *eveneritque signum & portentum. quod locutus est tibi, dicendo: eamus post Deos alienos, quos non nosti, & colamus eos: Non obedies verbis prophetæ illius, aut somniatori illi; quia tentat vos Dominus Deus vester,* &c. Fateor equidem: verba sunt clara; sed dico necessario prærequiri nonnulla in eo, de quo quæritur an verus ptopheta sit, præter ista signa ac portenta de quibus jam egimus; quæ si in eo non deprehendantur, certissimum atque indubitatum indicium faciunt, eum verum prophetam non esse, etiamsi alioquin signa ista eveniant, quæ prædicit; & portenta, quæ facit, talia sint, ut verus propheta videri possit.

*2. Modus, constans ex tribus prærequisitis in vero Propheta.*

*Prærequisita* hujusmodi sunt *tria*, quæ quidem ita considerabimus tanquam si constituant *secundum modum* distinguendi veros prophetas à falsis: quia tria ista ad unam speciem revocari possunt, putà ad doctrinam veram. *Primum requisitum* est, ut à cultu falsorum numinum ita sit alienus, ut non modò non incitet alios ad cultum istum, sed ut ad eum ne conniveat quidem vel ad exiguum tempus, vel minima ex parte. Est enim summum crimen læsæ divinæ Majestatis, & quod passim Scriptura vocat quasi proprio nomine, Odium Dei. nam nemo ferè vocatur in Veteri Testamento osor Dei, nisi idololatra. Quare si quis contra faciat, etiamsi prophetiam, somnia, signa, portenta adferat, pro falso propheta est habendus, juxta textum allegatum. *Secundum requisitum* est, ut nunquam revelationem ullam se accepisse dicat ab idolo aut simulachro ullo, quodcumque tandem illud sit; quasi videlicet istud sibi locutum fuerit, aut mandatum dederit hæc & illa dicendi. Certum enim est ex lege divina, omne id quod idolo tribuitur, non tantum vanum aut falsum esse, sed abominationem etiam quam Deus odit. *Deut.* XII. 31. Duo hæc requisita ad tria revelationum tempora pertinent, & semper atque ubique obtinent. *Tertium requisitum*, & quod duobus revelationum temporibus, id est Mosaicæ & Christianæ revelationis temporibus proprium est; ut nihil dicat aut faciat quod legis divinæ per Mosen latæ, & quidem Moralis solius, contemptum aut vilipendium sapiat. Quod enim ad cæremonialis & judiciariæ Legis observationem attinet, eam perpetuam & æternam esse Deus non voluit: atque ut id constaret, Deus ipsis legis temporibus non semel permisit, ut earum ratio non haberetur nonnunquam à populo, & nonnunquam ab iis quos veros Dei prophetas esse omni dubio procul erat.

*Exempla legis cæremonialis & judicialis non observatæ à veris prophetis.*

Exempla istarum legum non observatarum manifesta sunt. Nam 1. Circumcisionem ipsam, quam, veluti fœderis signum, religiosissime Deus observari jusserat, sub pœna exterminii ex populo, intermitti & negligi permisit in deserto per 40 annos integros, nullâ statutâ idcirco in populo pœna. 2. Davidi, quem prophetam Dei fuisse constat, & quidem non ex tribu Levi, sed ex tribu Juda, permisit

misit Deus, ut fame pressus atque inedia, ex panibus propositionum, quibus nemini nisi sacerdotibus secundum legem vesci concessum erat, *Exod.* XXIX. 33. *Levit.* VIII. 31. & XXIV. 9. *Num.* XXVIII. 9, aleretur cum comitibus suis. 1 *Sam.* XXI. *vers.* 6. 3. Eliæ concessit Deus, ut altare erigeret in monte Carmelo, & in eo sacrificia sive holocausta offerret: quod lege tamen expresse vetitum fuisse, constat ex *Deut.* XII. 13. Nec est quod regeras illud semel tantum factum esse, & ad gloriam Divini Nominis contra Baalis sacerdotes adserendum pertinuisse: quia lex exceptionem nullam facit, nec temporis nec causæ. Quod attinet ad legem judicialem: permisit Deus Davidi, 2. *Sam.* XXI, ut Gibeonitis concederet septem viros è filiis Saulis cruci affigendos, qui ad menses septem, nempe à 16 Martii usque ad 17 Septembris suspensi manserunt, contra expressam legem Dei, quæ suspensos de cruce aut ligno ante occasum Solis tolli jubet. *Deut.* XXI. 23. nisi fortè quis velit Gibeonitas hos gentiles fuisse, ac proinde non peccasse eos in legem, quia lex ad gentiles non pertinebat. Sed Gibeonitas gentiles fuisse tunc temporis verisimile non est, saltem valde est incertum. Alia jam non allego.

Huic addendum præcipuè est, ut non modo nihil doceat quod contra mores est, sed etiam ut vitâ & moribus sanctissimus sit; factisque probare se ostendat quod verbis docet. Impuros enim & profanos aversatur Dei spiritus. Hinc ferè reperies Deum, hoc signo omnes falsos prophetas prodere, & in lucem producere, adeoque hac paraphrasi descriptos, designare veluti intento digito; quòd vel avaritiæ, vel gloriæ, vel gulæ, vel veneris mancipia sint; uti ex infinitis locis prophetarum patet. *Ezech* XIII. 18. 19. 20. *Mich. cap.* III. *per totum.* Exempla Zedechiæ filii Maasiæ, & Achabi filii Coliæ id confirmant: de quibus vide *Jerem cap.* XXIX. 22. 23. Hinc etiam Servator noster falsos prophetas dignosci vult ex fructibus eorum; non quos in publico ostendunt, sed quos tanquam proprios suos, vel per occasionem, vel secreti licentiam nacti, proferunt. Hi enim sunt proprii sive genuini eorum fructus: cæteri adscititii sunt, quos veluti mimi in scena repræsentant tantum, ii qui foris boni videntur, intus vero pravi sunt & sordidi. Vide 2 *Pet.* II. 3. & 1. *Timoth.* VI. 5.

3 *Modus est cum indubiè verus Propheta de alio testatur.*

*Tertius modus* est, cum propheta verus, & de quo constat omnibus quod verus propheta sit, testatur de aliquo quod verus propheta sit: ut cum Moses nomine Dei de Josua testaretur, *Num.* XXVII. *vers.* 12. Et credidit in eum universus Israel antequam signum aut miraculum ullum edidisset. *Deut.* XXXIV. 9. Ad quod genus referri potest testimonium Joannis de Christo. Joannes enim pro propheta habebatur; quamquam illius testimonio Jesus opus non habebat: item testimonium Apostolorum & prophetarum de eodem Jesu, apud eos qui Apostolos & prophetas pro veris Dei prophetis habebant. Falsorum itaque prophetarum signum certissimum erat, cum verus propheta de iis testabatur quod visiones cordis sui loquerentur; ut Jeremias de sui temporis falsis prophetis sæpe testabatur; & Micheas de 400 qui coram Achabo & Josaphat prophetabant. 1 *Reg.* XXII.

4 *Modus est, cum Deus prophetiam alicujus manifesto signo confirmat.*

*Quartus modus* est, cum Deus ipse manifesto signo aliquo prophetiam alicujus confirmat, eo ipso momento quo se prophetam Dei esse asserit: uti factum legimus, 1 *Reg.* XIII. cum Deus Jeroboami brachium, quo conabatur prehendere prophetam illum, qui contra altare in Bethel prophetaverat, exarescere fecit, & ad preces ejus idem pristino vigori restituit. Quo referri etiam potest, id quod Deus per & ad Abrahami preces fecisse dicitur, aut facere se velle significabat Abimelecho Regi Gerarensi. *Genes.* XX. 7. & XVII. 18.

*Judæi causam nullam habuerunt, cur Jesum existimarent esse falsum prophetam.*

Ex hisce patet, ut hoc breviter notem, causam nullam justam fuisse cur Judæi, Messiam nostrum in Judæa docentem, & se prophetam Dei esse asserentem, pro falso propheta haberent, eumque è medio funesta morte tollerent: cùm ipse dum apud eos versabatur, omnia etiam ab ipsis in vero propheta requisita haberet; id est, unius veri Dei Israelis cultum adsereret, idololatriam acerrimè vetaret, & legis divinæ non tantum moralis sed etiam cæremonialis ac judiciariæ observationem, tum strictè ipse in omni sua vita retineret, tum discipulos suos omnes retinere juberet; & insuper tot signa, prodigia ac miracula faceret, quibuscum signa, prodigia ac miracula non tantum non Mosis, sed nec omnia simul quæ toto Veteris Testamenti tempore facta à Mose & omnibus ac singulis prophetis sunt, conferri merentur. Verum quidem est, eum non tam ursisse observationem legum cæremonialium quam moralis, additis etiam præceptionibus longè perfectioribus, quas tamen ipsi Judæi Mosis lege etiam contineri volunt. Sed in eo omnium prophetarum Veteris Testamenti vestigia secutus est, qui ad unum omnes, populum ad moralis solius legis observationem revocarunt; adeò ut cæremonialis legis observationem isti non modo posthabuerint, sed cum ea ne in censum quidem venire voluerint; quin imo eam, licèt rigidissimam & exactissimam, quasi à Deo non præceptam, tantum non pro nihilo habuerint: uti videre est, *Esa.* I. *vers.* 11. 12. 13. 14. *Jerem.* VII. 21. 22. 23. *Mich.* VI. 6. 7. 8. *Jerem.* VI. 20. *Esa.* LXVI. 1. 2. 3. 4. Si dicas: Apostolos ejus postmodum legis cæremonialis observationem non necessariam judicasse, adeoque gentibus imponi prohibuisse, atque ita legem abrogasse: respondeo, id impertinens hîc esse; 1. quia de causis occisi ipsius Messiæ sive Jesu nostri agimus. 2. quia (ut jam alia non allegem) aut prorsus falsum est Apostolos legem Mosaicam abrogasse: (non enim abrogarunt legem quatenus Judæis lata erat, sed lex destructo templo, eversâ republica, & populo dissipato desiit lex esse:) aut si legem ab Apostolis abrogatam esse dicimus, id 3. non est factum, nisi cum jam certissimis signis atque experimentis constaret, dominum eorum Jesum à Judæis crucifixum, in cælum sublatum esse, atque ibi ad dextram Dei constitutum, Regia potestate à Deo donatum fuisse; ac proinde legis novæ constituendæ, veterisque abolendæ, quod ad cæremonias & judicia attinet, jus adeptum esse. Hoc enim si ita est, cur jure abrogatio ista fieri non potuerit, causa nulla est; imo causa & ratio cur abrogatio jure facta sit, manifesta est: imprimis destructo templo, eversâ republicâ, & gente tota dissipata. Sed de hac re postea pluribus agetur.

*Quomodo fieri potuerit ut falsi prophetæ, revelationes quas jactabant, divinas esse sibi persuaderent.*

Ex hoc concludo, falsos prophetas etiam scire potuisse ac debuisse, revelationes quas jactabant divinas non esse. At *duo* hîc *quæret* fortasse aliquis: *Primò*, quomodo fieri potuerit, ut illi revelationes istas, quas jactabant, divinas esse sibi persuaderent, & idem reliquo populo persuasum vellent? *Secundò*, Quomodo fieri potuerit ut populus sæpe totus, Reges, Principes, Sacerdotes, integræque tribus, eos pro veris prophetis haberent? Respondeo ad *primum*; Fieri potuit ut ipsi prophetæ id sibi non persuaserint, sed persuasum tantum aliis voluerint, ex pura puta malitia: uti exemplum falsi istius & senis prophetæ non obscurè arguit, quod legere est, 1 *Reg.* XIII. *à vers.* 11. *usque ad* 33. qui sive ut prophetam Dei verum, & signo divino cœlitus comprobatum, tentaret; sive ut eum seduceret, & sic Jeroboamo acceptus maneret, ei dicere ausus fuit, Angelum Dei sibi locutum esse, quod sciebat esse falsissimum, uti textus ipse habet, & quod falsum esse, Deus sua severa ultione, qua prophetam istum verum ultus est, testatum fecit. Malitiâ hac an ulla major dari possit dubito. Quin plures tales fuerint, atque etiam fortè omnes 400 illi qui coram Achabo prophetabant, veroque prophetæ Dei Michæ se apertè opponebant, vix dubium est. Certè verba Jeremiæ, quibus falsis prophetis in os dicebat, eos visiones cordis sui loqui, & jactare Deum sibi locutum cum Deus locutus eis non esset, non obscure idem videntur confirmare.

Sed ne omnibus tam ingentem malitiam tribuamus, dicimus fieri potuisse, ut id falsi isti prophetæ sibi ipsis persuaderent, errore aliquo mentis crasso inducti, sed in quem suapte propriâ, eaque latissimâ, id est, facile emendabili culpâ inciderant. *Error* hic fuisse potest *duplex*: *Primus*, qui ab ipsis prophetis originem duxit; quòd cum somniis, auguriis, auspiciis indulgerent, aut in futurarum rerum prænotione, somniorumque interpretatione se totos occupatos tenerent, tum sua tum aliorum somnia, vel juxta præcepta & regulas artis suæ, vel ad ratiocinationis suæ calculos exigerent, & secundum eos adeò certò pronunciarent, ac si Deus ipse, sive in somno, sive in visione, id ipsis revelasset. Hoc sensu videmus augures, auspices, hariolos, & genethliacos istos omnes, qui Nebucadnezari & Belsazari, aliisque regibus Assyriorum ad manum semper erant, arti suæ confisos, somniorum omnium certam interpretationem sibi vendicasse, non aliter ac si à diis ipsis secretâ quadam inspiratione eam haurirent, tanquam Deorum interpretes & internuncii, intimæque admissionis ad eorum consistorium. Quin idem etiam factum sæpe sit ab iis, qui veri Dei Israelis cultores videri volebant, ego non dubito. Hoc est quod ego arbitror à Jeremia vocari, *visiones cordis sui loqui, & non de ore Jehovæ. Jerem.* XXIII. 16. & *vers.* 21. & N. B. *vers.* 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32, &c. *ambulare post spiritum suum, & nihil vidisse. Jerem.* XIII. 3.

*Secundus error*, qui à Deo tanquam justissimo judice ac vindice ortum ducit, tamen non per se sed per accidens tantùm, quatenus videlicet Deus justo suo judicio eos in errorem incidere aut induci sinit, quia viam istam quæ ad errorem ducit ingredi volunt, eamque rectam ac veram esse viam in animum suum volunt inducere, quicquid ipse Deus clamet, & per prophetas suos clamari faciat, viam istam esse viam erroris, mendacii, ac seductionis. Ut hoc intelligatur ita habendum. Falsi prophetæ in Israel & Juda, eundem

Deum Iſraelis cum veris prophetis colere ac conſulere ſe profitebantur; uti videre eſt *Ezech.* XIV. cap. ſed id faciebant mediantibus idolis erectis in Dan & Bethel, aliquando etiam Baalis aliorumve. Hoc apertè repugnabat voluntati atque interdicto divino, quod iſti prophetæ penſi non habebant, quicquid reclamarent veri prophetæ, & interdictum divinum creberrime auribus eorum inclamarent. Nihilominus permittere voluit Deus, ut prophetis iſtis conſulentibus reſponſa darentur, ſed reſponſa convenientia diis iſtis, quorum idola conſulebantur, & digna idololatris, id eſt falſa. Si nulla reſponſa data fuiſſent, & Deus oracula veluti clauſa & obturata eſſe voluiſſet, deſiiſſet etiam prophetiæ venditatio. At quia Deus id non voluit, imò quia ea voluit conſulentibus reddi, hinc natus error, iſque cum perſuaſione pervicaciſſima conjunctus. Reſponſa autem illa, mihi videntur prophetis data fuiſſe duobus modis: 1. ab ipſis dæmonibus per idola iſta, Deo id ita permittente, aut in pœnam idololatriæ iſtis frænum laxante; uti diſerte videre eſt, 1 *Reg.* XXII. *verſ.* 19. 20. 21. 22, ubi ſpiritus mendacii egreſſus dicitur in os omnium 400 falſorum prophetarum Achabi, ut Achabus ſeduceretur & in errorem induceretur. Et quia id ſine divina conceſſione fieri non poterat, ideoque, ut ex textu liquet, non fiebat, Deus ipſe dicitur dediſſe ſpiritum mendacii in ore iſtorum omnium, & per os eorum locutus eſſe, *verſ.* 23. ſicuti is immittere canem ad laniandam feram dici meritò poteſt, qui lorum quo canis vinctus tenetur laxat. 2. Ab ipſo Deo, ſive ab Angelo, in ſomnio vel viſione, ſed non tamen per idola iſta loquente; (hoc enim nimis indignum Deo fuiſſet,) uti diſertè legere eſt, *Ezech.* XIV. *verſ.* 4. 7. 9. ubi Deus ipſe inquit; *Ego Dominus reſpondebo ei, & quidem propter me; ego ſeduxi*, aut ſeducam, *prophetam illum.* Quod ſi quis tamen hæc explicare velit ita, ut ad primum modum referantur, per me licet. Tutius id fortaſſe & ſatius faciet. Ego tamen ſimpliciter verba iſta intelligi poſſe credo. Dices: ſic Deus autor ſtatueretur mendacii. Reſpondeo; Non ſequitur. Nam Deus prædicit hoc loco id ſe facturum; ac proinde cum id fit quod prædicit, tum vult iſtud reſponſum ſuum haberi, pro reſponſo tali quod in pœnam idololatriæ datur, & ad cautionem contra idololatriam. Mendacium tamen eſt, inquies. Imò eo ipſo quod Deus prædicit, id reſponſum tale futurum, mendacium non eſt: adeoque ſi contrà fieret, eſſet mendacium. Senſus enim eſt: ne fidite reſponſo, quod à me per prophetam, idolorum cultoribus oraculum conſulentibus, dabitur: Ad decipiendum te & prophetam dabitur, ut cautus ſis, nec ullum reſponſum pro divino atque infallibili habeas, quod aut petitur aut datur ab iis, qui aſcendere faciunt idola in cor ſuum, & offendiculum iniquitatis ponunt ante faciem ſuam, & ſic ad prophetam veniunt ut requirant oraculum meum. Monitos vos eſſe volo: ſeducemini; & iſto ſine ut deleam vos è medio populi mei, tanquam abominabiles, & rebelles fœderis nominiſque mei contemptores.

*Quomodo fieri potuerit ut populus totus revelationes falſas pro divinis haberet.*

*Ad ſecundum quæſitum* quod attinet: Quomodo fieri potuerit ut populus, ſic etiam præmonitus, Regeſque ac Principes ipſi, reſponſa talia pro divinis oraculis ac reſponſis habuerint? Reſpondeo, cauſas iſtius rei varias eſſe potuiſſe. *Primò:* Quia reſponſa iſta grata atque accepta erant populo. Quæ enim amamus vehementer, ea facilè credimus eſſe vera.

*Credimus, & qui amant ipſi ſibi ſomnia fingunt.*

Hinc *conſuere* dicebantur iſti prophetæ *pulvinaria axillis manuum populi. Ezech.* XIII. 18. &, *mentiri populo audienti*, id eſt, libenter audienti, vel amanti audire mendacium, id eſt, id quod gratum erat, cùm tamen non eſſet niſi mendacium, *verſ.* 19. uti id egregiè explicatur *Jerem. cap.* V. *verſ.* 31. *Prophetæ prophetaverunt mendaciter, & Sacerdotes acceperunt* (munera) *in manus ſuas, & populus meus dilexit ſic*, id eſt, ita voluit & optavit. Vide pulchrum locum *Mich. cap.* III. per totum caput, ſed imprimis *verſ.* 11. *Secundo:* Quia reſponſa iſta dabantur à multis prophetis uno ore & pari ſententia: uti tempore Achabi eveniſſe videmus, 1 Reg. XXII. Quantum autem iſta multitudo conſentientium prophetarum poſſit, nemo neſcit. Veriſimile eſt iſto ipſo argumento Joſaphatum, alioquin optimum Regem, in errorem fuiſſe inductum, ut cum Achabo in prœlium iret. *Tertio:* Quia reſponſa iſta convenire videbantur cum promiſſis legis divinæ, quibus Regnum & civitatem, templumque æternum pollicetur Deus, ubi in ſeculum ſive in æternum, quamdiu ſcilicet populus iſte eſſet futurus populus, requieturus eſſet. *Pſal.* CXXXII. *verſ.* 13. Et quanquam conditio addita iſtis legitur, tamen facile ejus vim animo ſuo eximere poterant; partim quod ejus præſtationem non omnino à ſe negligi viderent, partim quod multi adhuc pii & Dei timentes in populo eſſent in quorum gratiam parciturus eſſet Deus cæteris nequioribus, quicquid Prophetæ veri reclamarent; ut *Jeremias cap.* XV. *verſ.* 1. *Ezech. cap.* XIV. *verſ.* 20. partim quod Babylonii multò pejores eſſent ipſis: aliaque ſimilia, quæ paſſim in prophetis legere eſt. *Quartò:* Quia mala iſta, quæ veri Prophetæ prædicebant, differri videbant & procraſtinari; unde impunitatis fiducia naſci ſolet; & contrà bona quædam, quæ falſi prophetæ prædicebant, ſuccedere & ex voto fluere videbant; uti videre eſt, *Ezech. cap.* XII. *verſ.* 21. 22. 23. 24. 25. *Hab.* 1. *verſ.* 2. 3. 4. & *verſ.* 13. 14. 15. 16. & *cap.* II. *verſ.* 3. 4. Et *Micha* III. *verſ.* 11. *Quintò:* Quando Prophetæ veri dicere quædam videbantur, quæ non modo non conſentanea erant, ſed directè repugnantia: uti erat id quod Joſephus narrat, de prophetia Jeremiæ & Ezechielis, de eo quod Regi Zedechiæ eventurum erat. Alter enim eorum, Jeremias ſcilicet qui Hieroſolymis adhuc erat, eum captivum abducendum in Babyloniam prædixerat, &, uti Joſephus indicat, eum viſurum atque experturum vera eſſe omnia quæ prædixerat. Alter verò, nempe Ezechiel, ex Babylonia ſcripſerat eum non viſurum eſſe Babylonem. Hæc in ſpeciem apparens contradictio, uti vult Joſephus, adeò ſuſpectam utriuſque, tum Jeremiæ tum Ezechielis prophetiam, apud Zedechiam ejuſque proceres reddidit, ut falſis Prophetis contraria omnino, id eſt, pacem, & proſpera omnia prædicentibus, adſenſum præbuerint & fidem adhibuerint: cum tamen contradictio nulla eſſet: utrumque enim verum erat, & Zedechiam abducendum eſſe in Babylonem, & eum tamen Babylonem non viſurum; quia antequam in Babylonem abduceretur, oculis orbatus eſt à Nebucadnezare; uti videre eſt, 2 *Reg. cap.* XXV. 7. An vera hæc ſit narratio Joſephi, jam non diſputo: fides penes auctorem eſto. Si quis verba Ezechielis legat, *cap.* XII. *verſ.* 12. 13, apparet Ezechielem dixiſſe, *futurum ut Dux populi*, id eſt Rex Zedechias, *ſuam faciem operiat ne videat oculo terram*; ſed addidiſſe ſtatim: *Adducam eum in Babel in terram Chaſdim: ipſam tamen non videbit, & ibi morietur.* Quod Jeremias contrarium dixerit, ipſum viſurum terram, nuſpiam legere eſt. Nec ullo pacto veriſimile eſt. Quamquam id obſervare licet, Deum aliquando uni Prophetæ plus quàm alteri revelaſſe, & Prophetas etiam interdum longius verba Dei revelata traxiſſe, quàm neceſſe aut par erat: uti cum Nathani Deus revelaſſet de ædificatione Templi inſtituenda, Nathan eam per Davidem inſtitutum iri credidit, cum tamen Deus id ei non revelaſſet, uti ex hiſtoria conſtat.

## CAPUT III.

### Quomodo ſe Deus Abrahamo revelaverit.

LOngius paulum digreſſi ſumus. Redeamus ex diverticulo in viam; & videamus, quod ſecundo loco conſiderandum diximus: Quomodo Deus Abrahamo ſe revelaverit. Apparet ex hiſtoria Deum ſe Abrahamo revelaſſe novies, & utroque revelationis Propheticæ modo; id eſt, tum in viſione, tum in ſomnio; uti ex *cap.* XV. *Geneſ.* manifeſtum eſt. Utraque autem revelatio, quia immediatè à Deo non fit, quin per Angelum facta fit, dubium mihi non eſt; & per Angelum quidem qui ſpecies intelligibiles formavit & repræſentavit Abrahamo, ſeu vigilanti ſeu dormienti. Hæc enim apparitio contradiſtinguitur ab apparitione illa quæ facie ad faciem fit, quæ ſine ſpeciebus, ſine ſimilitudine fit. *Num.* XII. *verſ.* 6.

*Deus ſe revelavit Abrahamo in viſione prophetica. Sicut & ſæpius alii Prophetis.*

Quare valde veriſimile eſt, totum iſtud quod *Geneſ.* XV. narratur, Deum cum Abrahamo egiſſe & locutum eſſe, in viſione prophetica factum eſſe; quando videlicet narratur, verbum Dei factum fuiſſe ad Abrahamum in viſione, & Deum Abrahamum eduxiſſe foras eique dixiſſe; *Suſpice nunc cælum, & numera ſtellas:* ut ſenſus ſit, Abrahamum in viſione prophetica vidiſſe, ac ſi educeretur è loco in quo erat, & ac ſi cælum ſtellaſque veluti in ipſa noctis meridie lucentes ſplendenteſque conſpiceret. Eundem planè in modum, quo actiones, profectiones, quæſtiones & reſponſiones iſtæ omnes, quæ prophetis tribuuntur, non fuerunt actiones veræ & in ſenſus incurrentes, ſed tantum actiones in viſione prophetiæ factæ: uti exempli gr. id quod Ezechiel *cap.* VIII. *verſ.* 1. de ſe dicit: *Ego ſedebam in domo mea, & ſeniores Judæ ſedebant coram me*, &c. *& elevavit me Spiritus* (Domini) *inter cœlum & terram, & adduxit me Hieroſolymam in viſionibus Dei*, in viſione prophetica factum fuit. Nec aliter id quod *cap.* III. 23. dicit; *Et egreſſus ſum in campum*, &c. accipi poteſt: convenitque hoc omnino cum eo quod de Abrahamo hîc dicitur; *Et eduxit eum* (Deus) *foras, & dixit*, ſcilicet in viſione. Uti etiam id quod *cap.* XXXVII. 1. dicit: *Et collocavit me in medio campi*, &c. Item quod *cap.* VIII. 7. 8. 9. dicit Deum ſibi dixiſſe: *Fili hominis fode nunc in pariete*, &c. Id enim ſine dubio in viſione factum fuit;

fuit; quia in Babylonia erat tunc temporis. Similiter intelligi debent omnia ista loca *Ezech.* IV. *vers.* 4. 9. & *cap.* V. *vers.* 1. ubi novaculum sibi sumere jubetur, ut tondeat caput & barbam, &c. (id enim Ezechieli, utpote Sacerdoti magno, secundum legem, *Levit.* XXI. 5, non licebat:) ob adversitatem & luctum populi. Cujusmodi est etiam illud *Oseæ.* 1. 2. cum jubetur sibi sumere mulierem fornicariam, & filios fornicationis, &c. Id enim si in visione factum dicatur nullam prorsus habebit difficultatem. Item illud quod *Esa.* XX. 3. dicitur; quod ambulaverit nudus & discalceatus. Et quod *Jerem.* XIII. *v.* 4. 5. 6. dicitur: Deum jussisse ut absconderet cingulum in Euphrate, & quod eum absconderit, elapsoque tempore iterum illud quæsitum iverit, & corruptum ac putrefactum invenerit. Non enim revera id factum fuit, nec fieri potuit à Jeremia; quia in terra Israelis sive Hierosolymis adhuc erat, unde in Babyloniam exire & Euphratem adire non poterat. Neque verò credere profecto fas est, Deum jussisse Prophetis suis, ut stultorum vel ebriorum actionibus paria facerent aut similia: qualia fuissent utique ista, quæ de Ezechiele, Osea & Jeremia narrantur. At expedita res est, si ea non revera ita jussa & facta, sed tantum in visione repræsentata fuisse dicamus, non aliter quam si revera fierent. Id enim fieri posse exemplum Petri indicat, *Act.* XII. qui cum re ipsa liberaretur atque educeretur è carcere, putabat tamen se visionem videre, uti versu 9 dicitur: eo ipso significans, ea quæ in visione fiunt, non aliter videri quam si reipsa fierent, cum tamen re ipsa non fiant.

Et hac ratione Abrahamo ea quæ *cap.* XV. *Genes.* narrantur facta in visione Prophetiæ evenisse, facile adducor ut credam: quia expresse dicitur in principio capitis, verbum Domini ad Abrahamum factum esse בְּמַחֲזֶה in visione: visio autem dicitur vel *mareh*, vel *chason*, vel *machaseh*; & visio prophetica notatur iisdem vocibus, veluti synonymis & æquipollentibus. Quare iis, qui Deum Abrahamo immediatè se revelasse asserunt, adsentiri non possum, etsi nolim multum contendere.

## CAPUT IV.

### De actionibus quas Deus ab Abrahamo in fœdere suo stipulatus est.

*Revelatio Abrahamo facta fœdus continuit, quod cum eo solo initum est.*

REstat itaque ut expendamus secundum caput revelationis Abrahamo factæ: Quæ videlicet & qualis illa fuerit, tum quid continuerit.

Ac primùm quidem, Revelatio Abrahamo facta cum fœderatione fuit conjuncta, eaque sancita & stabilita signo. Fœderatio inita cum Abrahamo, uti fœderationis omnis natura postulat, continuit stipulationem ex una parte, & promissionem ex altera. utraque cum Abrahamo solo inita est: & in hoc differt revelatio hæc à duabus subsequentibus, quæ Mosi & Christo factæ fuerunt. Quando dico soli Abrahamo eam factam esse, id sic intelligi volo; quod Deus Abrahamo præceptum non dederit jusseritve, ut populum doceret, aut cœtui ulli hominum diceret; Deus misit me ad vos, & præcepit mihi ut vos doceam qua ratione coli velit ac debeat: sed tantum quòd Deus Abrahamum ad cultum & obsequium suum vocaverit, nullo tali speciali præcepto addito, quemadmodum Mosi postea & Jesu Christo tale præceptum datum esse legimus. Non quod velim Abrahamo non licuisse id dicere, & docere sic populum; nedum contrà, aut sic non fecisse Abrahamum. Absit. Sed tantùm Abrahamo id in mandatis datum non esse à Deo, speciali præcepto. Mandatum quidem accepit à Deo ut ipse se & filios & servos suos circumcideret, & mandato etiam isti paruit. circumcidit enim illos omnes. sed mandatum non habuit, ut ad eandem circumcisionem admittendam alios vocaret. Imò verò ipsa familiæ ejus instructio, relicta legitur curæ & pietati ejus: uti *cap. Genes.* XVIII. *vers.* 19, videre est. *Novi enim eum*, inquit Deus, *propterea præcipiet filiis suis & domui suæ post se, ut custodiant viam Iehovæ, faciantque justitiam & judicium, ut venire faciat Dominus super Abraham quod locutus est ei*, aut super eum. Ex quo patet revelationem hanc, sequentibus duabus imperfectiorem esse.

*Tria Deus ab Abrahamo stipulatus est.*

Stipulatio tria, succedentibus licet vicibus, continuit: 1. Ut exiret ex terra sua, & ex cognatione sua, & ex domo patris sui, ad terram quam Deus ei ostensurus esset, XII. *cap.* 2. Ne timeret. XV. *cap.* 3. Ut ambularet coram Deo & integer aut perfectus esset. XVII. *cap.* Quæ generatim ita accepta, etsi confusa videntur, talia tamen sunt ut contineant ea omnia, quæ ad cultum Dei collapsum erigendum, & in integrum restituendum, serviant, tum respectu objecti circa quod cultus versari debet; tum respectu actuum illorum in quibus vera cultus ratio consistit.

*Præscripsit ei ut exiret è terra sua & cognatione idololatrica.*

Ad objectum quod attinet: Idola sive dii alieni successerant in Dei locum; & numen quod colebatur non nisi vagum numen erat. Primum etiam locum habebat in terra, cognatione & domo patris Abrahami, uti manifestè liquet ex *cap.* XXIV, *Josue, vers.* 2. Josua enim ipse Deum asserit dicere hunc in modum: *Trans flumen habitaverunt Patres vestri à seculo*, (id est, olim) *Therah pater Abraham, & pater Nahor, servieruntque diis alienis.* Hinc primùm erat ut exire inde juberetur, tanquam ex loco contagione idololatriæ infecto. Atque hoc primum stipulationis membrum est.

*An Abrahamus fuerit idololatra cum hoc mandatum accepit.*

An Abrahamus tum adhuc idololatriæ labe infectus fuerit, nolim acriter contendere. Neutrum ex Scriptura clarè constat. Nec ex loco Josuæ modo à nobis allegato, alterutrum solidè evincitur, cùm *vers.* 3. Deus dicitur tulisse Abrahamum, è loco qui erat trans flumen. Tulisse enim eum Deus non dicitur irresistibili quadam vi, & reluctantem, aut reluctaturum alioquin divino jussui, propter idolatriæ adfectum & paternæ religionis studium quo tenebatur; sed metaphoricè, pro, exire jussisse, & sic quasi extulisse aut separasse ab iis qui idola colebant, uti ex textu liquet. Si enim isto primo modo tulisset, ut mentem ejus totam mutasset, adeò ut manere amplius velle non posset, utique mandatum de exeundo necessarium non fuisset, imò ridiculum prorsus videri deberet, nec ulla obsequii gloria in eo fuisset, aut esse ullo modo potuisset. Atque, ut quod sentio dicam, verisimile mihi est Abrahamum, jam tum fuisse hominem vitæ integrum, & serium probitatis amatorem, licèt idolorum cultui etiam cum cæteris addictiorem: planè uti Paulum fuisse legimus, acrio rem Religionis Christianæ hostem, sed cætera probum, legis divinæ retinentem, &, uti ipse de se ipso narrat, optimæ & ἀκριβεστάτης αἱρέσεως sectatorem, in lege, aut quod ad justitiam quæ in lege est, id est, quam lex requirit, irreprehensum. *Philip.* III. 6. Et hujusmodi ingenia non modò capacia sunt melioris instructionis, sed & sequacia, simulatque lumen aliquod magnum adfulget quo irradiantur & adficiuntur. Et magno sanè lumine hîc opus erat. Non enim facilè est ex natali solo exire, patrios lares relinquere, & religionem à teneris imbibitam deserere. Robore animi opus est ad tam arduam rem suscipiendum. Probitas animi sola non sufficit tam ingenti ausui, aut tam difficili oneri portando. Hinc fidei Abrahami tribuitur, ad *Heb.* XI. 8. tanti operis præstatio, & tam ingens ad obsequendum tam difficili mandato, animi promptitudo.

*Revelatio hæc fuit valde illustris.*

Hinc colligo revelationem primam Abrahamo factam, quam excepit tam difficile atque arduum præceptum, illustrem valdè fuisse, & idoneam ad convincendum Abrahami mentem, quòd auctor ejus esset Deus verus, & cæli terræque creator ac dominus; quæque adeo eum reapse convicit: uti apparet ex eo quod postea semper Deum istum qui sibi apparuerat creatorem & possessorem cæli ac terræ vocaverit. Id videtur mihi clarè satis indicare Stephanus *cap.* VII. *Act. vers.* 2. cum dicit *Deum gloriæ* (id est gloriosissimum, vel cum gloria) *visum Abrahamo cum esset adhuc in Mesopotamia, priusquam habitaret in Charran, & dixisse ei, Exi è terra tua, &c.* Nec dissimilem fuisse hanc revelationem isti arbitror, qua Christus postmodum Paulo se revelavit, quando eum sanctificare sibi volebat in vas electum, ad portandum nomen suum coram gentibus ac regibus & filiis Israel. *Act.* IX. 15. *Gal.* I. 15.

*Item ut certum ac verum Numen coleret, videlicet seipsum.*

Segregatione hac facta, alterum adhuc requirebatur, ut certum ac verum Numen coleret, & ne nova terræ istius in quam migratum veniebat, idololatria pollueretur ad morem gentis & populi istius. Fixit itaque objectum colendum Deus, eique adfixit Abrahamum, videlicet *se ipsum*: cum tertia quartave revelatione ei diceret, *Ambula coram me: cap.* XVII. *Genes. vers.* 1. At qua ratione fixit objectum illud Deus, ne in idololatriam novam incideret Abrahamus, inquies? Resp. Non imagine aliqua sui, neque sinendo ut imaginem aliquam sui conciperet, fingeretque Abrahamus; sed actu illo suo; ita ut Abrahamus Deum culturus, conciperet eum sub hoc formali conceptu, *Deus qui se mihi isthic revelavit.* Hic enim est modus ille quo Deus verus coli vult, absque ulla imagine, & coli se velle ubique indicavit; affigendo scilicet hominem actui illi quo se revelavit & notum fecit ei: uti ex omnibus subsequentibus manifestum est. Quando à populo suo Israelitico coli volebat, non aliter quàm sub conceptu actus illius, quo se Mosi patefecerat, coli voluit: videlicet sub conceptu, *Ero qui ero*, id est, ostendam me esse, quem me futurum patribus vestris promisi. Quando eos eduxerat ex Ægypto, è terra servitutis, isto actu se ipsum designavit, dixitque: *Ego sum Deus vester, qui vos eduxi ex Ægypto*, &c. & sub isto actu colebatur ac coli vo-

lebat Deus, hunc in modum; *Deus qui nos eduxisti ex Ægypto.* Quando cos ex captivitate Babylonica liberaverat, tum isto actu quasi circumscriptus Deus coli voluit, uti videre est *Jerem.* XVI. *vers.* 14. *Ecce dies veniunt, dixit Dominus, & non dicetur ultra, vivit Dominus qui ascendere fecit filios Israël è terra Ægypti: Sed, vivit Dominus qui ascendere fecit filios Israel de terra Aquilonis, & de universis terris ad quas eos expulerat.* Quando denique per Filium suum, ex paterna misericordia, genus humanum in libertatem gloriæ filiorum Dei adserit, isto actu veluti circumscriptus coli voluit; ac propterea vocari & invocari sub nomine Patris Jesu Christi. In universum verò, actu illo etiam sæpe circumscriptus legitur; *Tu Domine qui fecisti cælum ac terram, mare & omnia quæ in eis sunt:* uti *Act.* IV. 24. legere est: item *Genes.* XIV. 19. 22. Nec mirum. sic enim dicetis, inquit Deus ipse, *Jerem.* X. *vers.* 11. *Dii qui non fecerunt cœlum & terram, pereant de terra & de sub cœlis istis.* Et sanè hisce actibus, veluti peculiaribus quibusdam notis atque indiciis, se separabat Deus ab omnibus idolis gentium, & occurrere volebat humanæ imbecillitati, quæ vix concipere potest Deum sine aliquo phantasmate atque imagine, quam sibi format, quamque divinitatis dignissimam εἰκόνα esse judicat: unde facilis in idololatriam prolapsus est. Quare & hoc actu revelationis cultum sui quem Abrahamo præscribere volebat, circumscribere Deum voluisse credimus.

*Denique, ut ambularet coram se & esset perfectus.*

Quod attinet ad actiones Abrahamo præscriptas, in quibus ratio cultus divini consistit; eæ continentur generali isto præcepto quod *cap.* XVII. *vers.* 1. legere est: *Ambula coram me & esto perfectus.* quod licèt ei datum legâtur cum jam esset nonaginta novem annorum, tamen non tum primùm datum ei fuisse verisimile est, sed repetitum tantum & continuatum; ut sensus ejus sit: uti hactenus, ita porro ambula coram me, & perge perfectus esse. Generale autem hoc præceptum esse ex phrasi liquet. Ambulare enim coram Deo, vel cum Deo, metaphoricè aliud nihil significat, quàm, vel vitam totam suam componere & dirigere ad præscriptum Dei, & divinæ voluntatis vestigia quasi sequi: & sic conveniet cum phrasibus synonymis, *Incedere in viis Domini: Deut.* XXVIII. 9. *Psal.* LXXXI. 14. *In lege Domini ire: Psal.* CXIX. 1. *In præceptis Dei ambulare: In judiciis Dei ambulare: In justitiis Dei incedere: Posti Dominum Deum ire: Deut.* XIII. 4. 2. *Reg.* XXIII. 3. *Ire in luce Domini. Esa.* II. 5. vel ita vivere tanquam si coram ipso Deo, aut cum ipso Deo, in oculis ejus semper sis, eumque testem, atque arbitrum actionum omnium tuarum ante oculos habeas; etiamsi præcepta nulla expressa Deus dederit, juxta quæ vita dirigenda sit; Breviter, juxta dictamen rectæ rationis & bonæ conscientiæ vivere, totoque animo & corde facere id quod rectum esse intelligis, Deumque decere credis. Et hoc ipsum denotatur phrasi altera, *Esto perfectus*, sive *integer.* Perfectio enim, sive integritas, intelligitur, quæ in conformatione morum ad normam, vel rationis rectæ, vel specialis præscripti divini consistit: non omnimoda illa, nec absoluta, quæ omnem defectum, infirmitatem, ignorantiam, errorem, aut imperfectionem prorsus excludit; sed quæ excludit hæc tria: 1. voluntatem deliberatam, vel consuetudinem, (quæ si diuturna sit aut crebro redeat, interpretativè voluntas deliberata vocari meretur) faciendi quicquam contra dictamen, tum naturalis rationis, tum supernaturalis revelationis: 2. Voluntatem sive consuetudinem faciendi quidem id quod rectum est, sed quæ non ex animo proficiscitur, & non ultrò, nec lubenter, verum ægrè, invito, aut nolente quasi & reluctante animo suscipitur: 3. Negligentiam proficiendi in melius: uti pluribus suo loco infrà demonstrabimus.

Generali itaque hoc præcepto divino comprehensæ censeri debent actiones omnes, Amoris, honoris, timoris, fidei, spei, & obsequii Deo dignæ; eæque ab Abrahamo determinandæ ad materiam singularem, circa quam actiones singulares & singulæ propriè versantur; idque vel juxta rationis rectæ dictamen, vel juxta id quod speciali mandato Deus Abrahamo præscripturus esset. ut sensus sit: Rectam rationem porrò sequere, & jussibus meis pareas, mihique fidas.

## CAPUT V.

## De Abrahami erga Deum obedientia.

*Amorem suum erga Deum testatus est Abrahamus, erectione altarium & oblatione sacrificiorum.*

ET exercitas has utrasque actiones fuisse ab Abrahamo ex historia liquet. Ac primum quidem actiones quas dictabat recta ratio: cujusmodi erant quæ spectabant *Amorem Dei & proximi.* Amorem Dei testabatur, 1. *Erectione altarium*, quæ antea falsis numinibus exstruxerat atque dedicarat. Recta enim ratio jubet ut cultus optimus transferatur à falsis numinibus ad verum numen. 2. *Sacrificiorum oblatione*; quam ab Abrahamo factam esse colligitur, non modò ex altarium exstructorum fine, sed imprimis ex dicto filii ejus Isaaci, cum struem lignorum compositam videns atque ignem jam paratum ad eam incendendam, quin & gladium ad jugulandum victimam, ex patre scisitabatur ubi pecus esset ad holocaustum: *Genes.* XXII. 7. *tione sacrificiorum.*

*De originе sacrificiorum.*

Non inquiro hîc jam, an sacrificiorum Deo mactandorum ritus ex naturæ lege ortum habuerit, an ex institutione divina: utrum enim dicatur id mihi perinde est. Neutrum solidè ex Scriptura demonstrari potest. Consequentiæ verò quæ utrimque adhibentur incertæ sunt. Ut ut sit, certum semper manet Abrahamum rectæ rationis dictamen secutum esse, quando morem istum, qui ad cultus divini demonstrationem optimus credebatur, & qui cùm passim atque ubique ab ipso mundi primordio usitatus esset, à Deo ipso vel imperatus, vel saltem improbatus nunquam erat, retinere voluit. Quod si velimus cultum illum à Deo ipso institutum fuisse, tum certè alterutrum dicendum est; aut institutum eum fuisse idcirco quod rectæ rationi consentaneus esset, aut pura puta Dei libera voluntate. Si istud velimus, tum nihil absurdi in eo est, si dicamus Abrahamum rectæ rationis dictamen secutum esse, quando ritum illum exercuit, quia præceptum tale unquam à Deo datum fuisse non constat: & si omnino datum fuisset primis parentibus, an de isto Dei præcepto quicquam Abrahamo in idololatria educato constiterit, nusquam apparet: & quòd novo præcepto Dei jussus fuerit ritum illum exercere, multò minùs liquet. Si verò velimus ritum istum institutum esse pura puta Dei voluntate, tum certum est Abrahamo constare non potuisse, an ritum illum etiam tum imitari deberet, nisi de voluntatis illius divinæ continuatione novo præcepto certior factus fuisset. Quæ enim purâ putâ divinâ voluntate instituta sunt, ea ad tempus instituta fuisse, aut saltem esse potuisse meritò credi potest. Præterquam quod, de præcepto atque institutione tali divina, ne γε῀ quidem uspiam reperire est. Quare sine periculo credi potest; ritum istum sacrificandi, inductum fuisse ab ipso mundi primordio, ex ingenti quodam zelo atque affectu Deum demerendi & honorandi, isto singulari actu atque officio, quo optima, carissima & pretiosissima quæque, honori Dei impendebantur; atque ita publicitus demonstrabatur, ista omnia majori jure Deo deberi quàm hominibus; quorum usui atque esui, adeoque voluntati quotidie serviebant: Deum autem ritum istum, etiamsi forte optimus non videretur; (neque enim credibile est Deum sanguine & cæde innocentium animalium delectari: quæ ratio fortè etiam sufficit, ut credamus ritum hunc ab ipso Deo imperatum non fuisse:) tamen quia ex tam religioso animo proveniebat, gratum habere voluisse, & ut porrò semper usitaretur, pro benignitate sua permisisse; adeoque postea tandem etiam carissimo populo suo injunxisse ac præscripsisse, nihil vetat.

*Item decimarum oblatione.*

3. *Decimarum oblatione* post partam de quinque Regibus victoriam & reductum nepotem. Has enim obtulisse dicitur Melchizedeco, Regio Sacerdoti, non lege aliqua certa (de qua quidem constet) adstrictus, sed voto particulari, quod suggesserat (uti credibile est) recta ratio; ad testandum gratitudinem animi sui pro accepto beneficio. Sacerdoti autem eas obtulit, ut Deo consecrarentur, & ut ex iisdem sacrificia ipsi offerentur.

*De Melchizedeco.*

Erat autem *Melchizedec* non rex tantùm, sed & sacerdos Dei altissimi tum temporis, singulari quodam honoris regio-sacerdotalis privilegio, quale nec ulli alii ante eum, nec post eum, obtigit: adeo ut solus, primusque & ultimus quasi, Sacerdotio isthic functus fuerit: unde à Scriptore ad *Hebræos cap.* VII. vocatur sacerdos qui *sine patre, sine matre, sine genealogia* (sacerdotali scilicet) fuit, quique *nec initium dierum*, (sacerdotalium aut sacerdotii scilicet) *nec vitæ* (sacerdotalis scilicet) *finem* (qui successione alterius sacerdotis in locum ejus apparuerit scilicet) habuit; *sed mane sacerdos in perpetuum*, (id est sine ullo sacerdote aut antecessore aut successore) adeò ut mortuus non sit, (scilicet in sacerdotio, hæredem aut successorem sibi in sacerdotio alium relinquens scilicet:) sed vivat (scilicet in sacerdotio) in æternum, (quatenus ejus sacerdotium non transivit ad alium, & sic etiamnum illud, successione alterius, dissolutum ac discontinuatum non fuit.) Breviter cujus domus regno simul ac sacerdotio, isto tempore & isthic loci primò, & in nullam aliam deinde familiam aut domum translato honorata fuit: (perpetuum enim & æternum esse dicitur in sacris sæpenumero id, quod in nullum alium transit, & uni sive homini sive familiæ quasi ita proprium manet, ut nulli alteri commune unquam aut fiat aut fuerit:) ut ita typus esset Jesu Christi regis simul ac sacerdotis verè æterni, & constituendi Pontificis ex vi indissolubilis vitæ: qui propterea sacerdos dicitur factus secundum ordinem Melchizedeci, & non secundum ordinem Aaronis, qui successores sibi habuit alios ex aliis, eosque

eosque omnes sacerdotes ortos ex lumbis Abrahami, per Levi cui sacerdotium divino jussu obtigit: quem Melchizedecho minorem fuisse constat, eò quòd ipse Melchizedeco decimas obtulit & ab eo benedictionem accepit: secus quam Christus, qui etsi in lumbis Abrahæ etiam fuisse aliquomodo dici potest, tamen nec ex vi naturæ, sive primævæ benedictionis, in iis fuit, nec ut sacerdos fuisse potuit, quia nec ex tribu Levi erat, cui sacerdotium adsignatum erat: nec si ex ista tribu fuisset, sacerdos propriè fuit antequam ex morte in vitam resuscitatus, & in sacrarium introductus est, atque ita Dei solius filius constitutus fuit, & Abrahami filius esse desiit: destructâ nempe vitâ istâ, quam secundum naturæ cursum & carnem ex Abrahamo traxerat; de qua re dicemus suo loco pluribus.

*Denique, invocatione Dei.*

4. *Invocatione Dei* & divini nominis; Hac enim testabatur Deum esse Optimum Maximum, à quo totus dependebat, & cui uni omnia sua accepta ferre debebat ac volebat. Maximum qui posset juvare & perdere. Optimum qui juvare vellet, & posset misereri pro arbitrio suo, ingratiis atque invitis omnibus. Nulla res majorem reverentiam & submissionem arguit quam precatio: quatenus ea non tam adorationem, quæ aut simplex animi affectus, aut externus quidam honor est qui corpore exhibetur, quàm invocationem sive opis divinæ implorationem, deprecationem, & gratiarum actionem notat. Hanc verò idcirco refero ad actiones etiam istas, quas recta ratio dictavit Abrahamo: non quod vehementer contendere velim eam Abrahamo à Deo præscriptam non fuisse: (si quis id credere velit, per me licet:) sed quod non reperio uspiam, vel volam vel vestigium legis talis Abrahamo datæ; & quia, positâ Dei cognitione, rectà ratio è vestigio dictat ad primam divinitatis conceptionem, nihil æquius, nihil justius esse, quàm ut ad eum in omni occasione & in necessitate imprimis confugiatur, supplice prece & humili oratione, eique pro acceptis bonis gratiæ referantur; etiamsi nulla lex id expresse jubeat, & necessitas nulla præcepti accedat, quæ hominem ad id cogat, obliget aut obstringat. Æquitas ipsa sive recta ratio, legis pene instar est. Hisce actibus testatus est Abrahamus amorem suum erga Deum.

*Amor Abrahami erga proximum.*

Amorem proximi sui testatus similiter est variis actibus: Primo, *institutione & instructione familiæ suæ*, quam docuit viam Domini, utque, id est, ut facerent justitiam & judicium, *Genes.* XVIII. 19. quam apparet etiam fructum & vim suam habuisse non modo in filio Isaaco, quem Dei timentem fuisse, & patri morigerum, precibusque atque orationi intentum, quin & innocentissimæ vitæ, ex tota historia apparet; sed etiam in servis ac famulis, quos eadem religione Dei imbuit, adeo ut ad circumcisionem admittendam promtos eos paratosque habuerit: nominatim in servo seniore, præfecto domus ejus, cum eum ablegaret ad quærendum uxorem filio suo Isaaco: *Gen.* XXIV. Religiosissimum enim fuisse istum servum ex historia liquet. Secundò, *concordiæ & pacis studio*, etiam cum renuntiatione juris sui: uti apparuit in dissensione orta inter pastores gregis sui & pastores nepotis sui Lothi: *Genes.* XIII. usque adeo enim studiosus pacis fuit, ut cum patruus esset Lothi, isque ei cedere jure debuisset, optionem tamen ei dare maluerit, ut quam vellet terræ optimæ partem eligeret, sibique haberet, ut lis orta componeretur, & jurgandi finis fieret; exemplo profectò raro, & quale vix inter Christianos hodieque reperias. Tertiò, *Hospitalitatis amore*: qui describitur *cap.* XVIII. *Gen.* Quam virtutem tanti fecit Scriptor ad *Hebræos cap.* XIII. *vers.* 2: ut eam commendare non modò serio voluerit Christianis exemplo Abrahami, sed etiam ex eventu inde consecuto, & quem ex virtutis illius imitatione similiter etiam consequi posse non obscurè indicat, cùm inquit *vers.* 2. *Per hanc enim quidam inscii Angelos hospitio exceperunt*: respiciens procul dubio ad id quod Abrahamo, & postea Lotho nepoti ejus, contigerat. Ex quo haud absimiliter à vero colligitur, tres istos viros Angelos fuisse, tertiumque etiam Angelum Domini fuisse, etiamsi ferè semper Dominus ipse vocetur. Nam si is revera Dominus Deus ipse fuisset, aut si scriptor ad *Hebr.* eum Dominum ipsum fuisse credidisset, vix dubium est, quin, ad hospitalitatem magis commendandam, argumento graviore usus fuisset, dixissetque: Per hanc quidam non tantùm Angelos, sed ipsissimum Deum ac Dominum cæli & terræ, hospitio exceperunt. Quod sanè argumentum multò fuisset efficacius. Sed verisimilè est eum credidisse, tres istos viros, Angelos fuisse; & unum, quasi Legationis caput, Dei vicem gessisse ac personam ejus repræsentasse, cumque proinde Dei nomine insignitum fuisse. Quartò, *intercessione pro peccatoribus* seria ac prolixa, ut iis, saltem in gratiam pauciſſimorum piorum parceretur ac venia fieret: qua de re *Genes.* XIX, legere est. Quin & pro iis à quibus injuria aliqua adfectus fuerat, ut cùm oravit pro Rege Abimelecho ejusque domo ac familia: *Genes.* XX.

## CAPUT VI.

### De promissionibus Abrahamo factis.

*Abrahami promtitudo & constantia in credendo & obsequendo.*

SEd ut alia non allegem; Duo sunt quæ præcipuè atque imprimis in Abrahamo supra alias omnes virtutes ejus emicuerunt; credendi & obsequendi promtitudo in omnibus ac constantia. De utraque operæ pretium est ut agamus paulò uberiùs. *Credendi promtitudo ac constantia* tanta fuit, ut propterea Paulus eum excellentissimo illo titulo non dubitaverit honorare, quòd fuerit pater credentium; quo titulo quis major concipi, aut homini tribui potest? *Obsequendi promtitudo ac constantia* tanta fuit, ut non modò inter & contra omnes gravissimas adversitates invictus steterit, sed adeò invictus, ut Deus eum quasi extremo experimento comprobatum tentare voluerit, & tentare amplius desierit, quasi deesset quo tentaretur amplius; eumque *amicum* suum illustri elogio vocare dignatus sit. 2 *Par.* XX. 7. *Esa.* XLI. 8. quin imò juramento confirmaverit se benedicturum ei & semini ejus post eum.

*Promissiones Abrahamo factæ, duûm generum.*

Ac fidei quidem ejus promtitudo & constantia, propter quam Pater credentium dictus est, ut intelligatur, *promissa* ei à Deo facta consideranda veniunt: ad quæ propriè respexisse Fidem Abrahami textus non obscurè indicat: *Gen.* XV. 6. Et Jacobus Apostolus, cùm fidem ejus dicit cooperatam operibus ejus, & ex, sive per opera ipsa perfectam fuisse, *cap.* II. 22. Promissiones Abrahamo factæ fuerunt *duûm generum*: Una communis sive ordinaria, quæ fœderi divino semper annexa est: Altera propria sive peculiaris Abrahamo.

*Prima, communis, qua Deus et favorem & auxilium suum pollicitus est.*

Prima fuit promissio, qua Deus Abrahamo bene se gerenti, favorem, gratiam, opem, & auxilium suum pollicitus est; comprehensa verbis istis quæ exstant *Genes.* XV. 1. *Ne timeas Abraham: ego scutum tibi; merces tua multa valde*, supple *erit*, ut 70 exponunt. Hæc promissio (sive eam hic primò factam Abrahamo, sive repetitam confirmatamque velimus; quod omnino verisimilius est. Nam Scriptor ad *Hebr. cap.* XI. *vers.* 8. dicit Abrahamum fide auscultasse Deo, ut abiret in locum quem accepturus erat in hæreditatem) sic generatim concepta, ad quemlibet Dei favorem extendi potest; quod videlicet Deus Abrahamum, vel protecturus erat ab omni malo temporali, scuti instar, & locupletaturus mercede multa, id est bonis omnibus ad vitam hanc bene, commodè feliciterque transigendum pertinentibus: vel quo cum conservaturus, & immunem præstiturus erat ab æterna morte, vitaque ipsa æterna donaturus; vel denique, utroque modo eum beaturus erat. Generalia enim ejusmodi pronuntiata extendi possunt in infinitum usque; saltem quousque vis & verborum ipsorum proprietas extendi potest. Interpretatio eorum & determinatio, ab eo pendet qui ista verba protulit.

*Ejus amplitudo.*

Hoc idcirco dico; quia, quin Deus sub verbis istis generalibus, & quæ eis synonyma sunt aut æquipollentia, ut, *Ego sum Deus tuus*, &c. intenderit & comprehendere voluerit, æternæ vitæ & resurrectionis beatæ præmium, non sinunt nos dubitare, qui Christiani sumus, nec Christus ipse Dominus ac Servator noster, qui ex verbis istis, *Ego sum Deus Abrahami*, &c. colligit ac concludit, Abrahamum ex morte suscitandum esse in beatam & gloriosam vitam: *Matt.* XXII. 32. non conclusurus proculdubio id, nisi verborum ipsorum vis id permitteret, & de Dei intentione ei certo constitisset. Nec Scriptor ad *Hebr. cap.* XI. cum *vers.* 16, colligit fideles in populo Israelis, vi fidei meliorem patriam, id est cælestem expetivisse, quia Deum non puduit cognominari Deum populi; eamque phrasin exponit, *Paraverat enim Deus civitatem.* Similiter cùm Abrahamum ait fide, quæ sine dubio nixa fuit hoc divino generali promisso, *expectasse civitatem illam quæ haberet fundamenta*: *vers.* 10. sive velimus expectationem illam denotare eventum potius rei, quam Abrahami animum, quatenus scilicet Abrahamus magnum aliquod bonum exspectans, ex tam generali & amplo promisso, & tandem à Deo donatus cælestis civitatis hæreditate, civitatem illam exspectasse etiam dici potest: eodem sensu quo *cap.* X. *vers.* 27: *expectatio judicii* impiis tribuitur: sive velimus eam denotare animum atque finem, sive intentionem ipsius Abrahami, qua Deum sub istis generalibus verbis, præmium gloriosæ & beatæ immortalitatis complecti voluisse, aut saltem verisimiliter potuisse, credidit, de quo infra latius. Nec sinit denique nos dubitare Apostolus Paulus, cùm mercedis & imputationis justitiæ phrases ad beatificationem Abrahami passim refert; non diffitentibus, adeoque suffragantibus ei Judæis, contra quos disputat.

Pro-

*Altera, Abrahamo propria, fuit quadruplex.*

Promiſſio quæ Abrahamo propria & peculiaris fuit, quadruplex fuit.

I. Promiſſio de terræ Canaan poſſeſſione atque hæreditate. *Gen.* XII. 7. & XIII. 15. & XV. 7. & XVII. 8.

II. Promiſſio de ſemine terræ iſtius hærede, poſt ſervitutem 400 annorum. *Gen.* XV. 4. 13. 14.

III. Promiſſio de ſeminis iſtius admirabili multiplicatione & reductione ex ſervitute. *Gen.* XV. 5. & XXII. 17.

IV. Promiſſio de benedictione ſeminis iſtius: *Geneſ.* XII. 3. eaque duplici: quòd in eo benedicendæ eſſent omnes familiæ terræ: *Gen.* XII. 3. & XXII. 18. & quòd ei futurus eſſet in Deum: *Geneſ.* XVII. 7. 8.

*Quomodo promiſsio de terræ Canaan poſſeſsione, Abrahamo propria dici poſsit.*

De promiſſionibus his non agemus multis; ſunt enim ſua luce claræ. Duo tantum indicabimus, quæ ad earum intelligentiam pleniorem faciunt. 1. Quomodo promiſſio illa de terræ Canaan poſſeſſione, Abrahamo propria dici poſſit, cùm ea in eo complementum non habuerit, uti hiſtoria teſtatur, & ſcriptor ad *Hebr.* XI. *cap. verſ.* 10. & Stephanus *Act.* VII. 5. Hiſtoria enim teſtatur, Abrahamum nihil in terra iſta poſſediſſe aut proprium habuiſſe præter ſepulchrum, & qui ſepulchro vicinus erat agrum, eumque argento ſuo emtum: *Geneſ.* XXIII. Scriptor vero ad Hebræos aſſerit, eum in terra iſta commoratum eſſe tanquam in aliena, inque ea peregrinantis inſtar ſub tabernaculis vitam egiſſe. Stephanus verò omnium diſertiſſimè dicit, *Deum ei non dediſſe poſſeſsionem in ea, ac ne veſtigium quidem pedis; quamvis pollicitus eſſet ſe illam daturum ei poſsidendam, & ſemini ejus poſt eum.* Reſpondeo: Promiſſionem hanc Abrahamo propriam dici poſſe duobus modis: 1. Si promiſſio, *Tibi dabo & ſemini tuo*, intelligatur hoc ſenſu: Tibi dabo, *&*, pro, id eſt, ſemini tuo, quia ſemen tuum eſt, ſive tui reſpectu & propter te. Rectè enim dari dicitur parentibus, quod poſteris aut liberis eorum datur, quia & quatenus eorum liberi aut poſteri ſunt. Parentes enim cum liberis unam perſonam conſtituunt, & quaſi unus homo cenſentur: adeò ut quod liberis & poſteris eorum datur, eorum reſpectu & eorum gratia, id ipſis dari dici jure poſſit, & paſſim in Scripturis dicatur. Sic Jacobo, & Iſraelitico populo ex Ægypto egreſſo, terra Canaan promiſſa & data dicitur; quæ tamen non niſi poſteris eorum, quà poſteri eorum erant, obtigit. Hoc ſenſu Chriſtus ipſe, Davidis filius, David dicitur, *Ezech.* XXXIV. 23. & XXXVII. 24. adeò ut cùm Deus Jeſum ex mortuis ſuſcitavit, tum dediſſe dicatur quæ Davidi promiſerat. *Act.* XIII. 34. Quin & poſteritas Davidis, David vocatur: *Jerem.* XXXIII. 17. Et hoc ſenſu etiam exponi poteſt nomen Abraham, *Act.* VII. 16: pro Jacobo nepote Abrahami, qui ſepulchrum emerat à filiis Emmor, Sichemi vel patris vel principis. Reſponſioni huic obſtat, inquies; quod utrique, tum Abrahamo tum ſemini ejus promiſſio fiat. Eſto, inquam; ſed uti vox ſeminis, non totum nec omne ſemen Abrahami ſignificat; (multi enim poſteri ex ſemine ejus per 400 annos, in ſervitute Ægyptiorum extra promiſſam terram victuri aut morituri erant: ut jam de iis qui in deſerto ceciderunt, & qui poſtea in Aſſyriam & Babylonem adducti ſunt, non dicam:) ita vox, *tibi*, præcisè ad perſonam Abrahami ut reſtrigatur neceſſe non eſt. Quod ſi tamen velimus promiſſionem hanc etiam ad perſonam Abrahami referre; tum dico ſecundò: Promiſſionem hanc Abrahamo propriam dici poſſe, ſi *dandi* verbum, quatenus ad Abrahamum ſpectat, pro addictione accipiatur: quatenus videlicet Deus jam tum Abrahamum hæredem ſcribebat terræ illius, eique jus ad terram illam concedebat, procurabatque ut qua vellet parte in terra illa moraretur, & prædia omni ſua pecunia, qua Deus eum ſolus ditaverat, redemta, pro arbitrio ſuo, & ſine ulla moleſtia uteretur, frueretur: atque ita dare jam tum incipiebat Deus terram iſtam Abrahamo, etiamſi eum in terræ ipſius plenam poſſeſſionem nondum mitteret. Datio erat, ſed nondum plena traditio. Sic Joſua & Caleb ab exploratione redeuntes dicebant, *Deut.* 1. 25. *Bona eſt terra quam Deus noſter dat.* Nondum tamen dabat, id eſt, tradebat illis terram. Mortui enim ſunt omnes in deſerto: quia datam invadere detrectabant ex diffidentia. ſic etiam *Dandi* vox accipitur, *Num.* XX. 24. Nec mirum: datio hæc abſoluta non erat, ſed conditionata. Probanda itaque primum erat Abrahami fides. & quia probatio illa duratura erat ad finem uſque vitæ, hinc traditio plenaria non erat facienda ipſi Abrahamo, ſed ſemini ſive poſteris ejus, & ſic facta etiam eſt: hoc diſcrimine tamen, quod poſita Abrahami fide ac perſeverantia in fide, promiſſæ rei ſive terræ traditio, poſteris Abrahæ abſolutè facienda erat, propter Abrahami fidem & Dei promiſſionem, qua ſe Abrahamo etiam ipſi, ſub pronomine (*Tibi*) terram iſtam daturum fide juſſerat: etiamſi non his aut illis perſonis nominatim ex poſteris Abrahami: ſed poſteris tamen ex Abrahamo oriundis. Quod adeò certum eſt, ut non tantùm Deus ipſe, non multò poſt, Iſaaco eadem promittens, dicat ſe ea facturum & præſtiturum ei & ſemini ejus propter Abrahamum patrem ejus; cui juramento addito terram iſtam promiſerat, *eò quòd obediverat voci ejus, & cuſtodierat cuſtodiam ejus, præcepta, ſtatuta, & leges ejus*: *Geneſ.* XXVI. v. 3. 4. 5. ſed verò etiam hodie populus Judaicus, licet corruptiſſimus & Chriſto inimiciſſimus, eo ipſo quòd Abrahami poſteri ſint, Deo dilectus hactenus ſit, quod Deus iis oſtium fidei aliquando aperturus ſit. quo ſenſu arbitror interpretandum illud quod eſt *Rom.* XI. 28. *Dilecti quoad electionem, propter patres.* & nihil dubito quin eam ob cauſam rebellis iſte & pervicax populus, non omnino deletus extinctuſque ſit in excidio Hieroſolymitano: idque indicari *Matth.* XXIV. 22. cum Chriſtus ait: *Niſi decurtati fuiſſent dies* (iræ & ultionis ſcilicet) *propter electos*, (id eſt, ut ego arbitror, exponi poſſe, propter Abrahamum, Iſaacum, & Jacobum: ut conveniat cum loco Pauli; quia videlicet populus iſte ſemen Abrahami erat: niſi quis forte velit *electos* hîc ſignificare eximios & egregrie ſanctos ac conſtantes in fide & timore Domini: prout vox *electorum* accipi videtur *verſ.* 24.) *non fuiſſet ſalva omnis caro*; id eſt, nullus Judæus evaſiſſet incolumis: nullus ſuperſtes manſiſſet ex populo iſto, ſed univerſali internecione deleti fuiſſent ad unum omnes.

Concludo itaque Deum dediſſe etiam, vel dici potuiſſe aliquo modo, dediſſe Abrahamo terram illam; quatenus ei terram illam ita dedit inhabitandam, ut 1. in ea eum opibus ditatum & locupletatum, *Geneſ.* XIV. 23, verſari fecerit: adeò ut iis comparare ſibi poſſet, quamcunque vellet terræ partem. 2. ut eum potentiâ & robore inſtructum, formidabilem reddiderit omnibus terræ principibus: imprimis poſt quinque Regum debellationem, exigua manu, ſed ope ſolius Dei factam. 3. ut eum reverendum, atque auctoritate apud omnes eximium fecerit adeo, ut ſi quid peteret ab ipſis terræ dominis, id confeſtim pro voto ſuo obtineret, ab ipſiſque agnoſceretur veluti princeps in medio eorum: *Geneſ.* XXIII. 6. Data itaque fuit terra iſta Abrahamo: quia præter titulum dominii & hæreditatis nihil ei defuit. Titulus autem iſte & dominium, manere adhuc debebat apud terræ iſtius principes, quia nondum erat completa iniquitas eorum, propter quam regno exuendi, & poſſeſſionibus ſuis deturbandi erant: *Geneſ.* XV. 16. Et hoc eſt quod arbitror deſignari phraſi iſta: *Ego ſum Deus* שדי. In iſto enim nomine dicit Deus ipſe, *Exod.* VI. 3, ſe manifeſtum ſe feciſſe Abrahamo, Iſaaco & Jacobo: non autem in nomine Jehova: ſive, uti ego arbitror cum nonnullis, in nomine, *Ero qui ero.* Ita ut ſenſus iſtius orationis divinæ ſit: Ego quidem Abrahamo, Iſaaco & Jacobo demonſtravi me poſſe præſtare id quod promiſi; quippe experti ſunt me ſolum eſſe, qui robore & potentia ſupra omnes Deos terræ polleo, & abunde mihi divitiarum eſſe, ut quod volo largiri illis poſſim: (hæc duo enim vox שדי ſignificare poteſt, ut jam de etymologia vocis non multum laborem, ſive dicatur derivari à שד mamma, ſive à יש qui & די ſufficiens ἱκανὸς, ſive à שדד quod vel vaſtare, diripere notat, quod potentiæ eſt, vel in univerſum permeare, ubertim vel affluenter dare, quod eſt benignitatis & ſufficientiæ.) Sed nondum experti ſunt me eum eſſe quem futurum me promiſi; quia opere ipſo nondum complevi quod iis ſum pollicitus. Nondum enim expuli populum iſtum ſedibus iſtis ſuis, & ſemen Abrahami in poſſeſſionem terræ iſtius miſi, quod jamjam facturus ſum. Imò verò ſemen Abrahami hactenus in ſervitute illa longa ac dura vivere permiſi, prout Abrahamo etiam prædixeram me facturum, antequam promiſſa mea præſtiturus eſſem. Nunc verò judicabo populum iſtum oppreſſorem, & proprietatem nominis mei, quo, *ero qui ero*, vocabor, reapſe notam faciam: quia educam ſemen Abrahami, & deducam in terram, quam patribus eorum promiſi, me ſemini eorum in ſeculum poſſidendam daturum eſſe, cum titulo dominii & hæreditatis. Nam vox *ero* per ἀντανάκλασιν, figuram & frequentem ſatis & elegantem, in eodem orationis contextu aliter atque aliter accipitur: ut prius *ero*, ſignificet facto ero: poſterius, ſignificet dicto vel obligatione, qua me futurum vel facturum promiſi.

Dices: Difficultas tamen manet in eo, quòd Abrahamo facta fuerit promiſſio de poſſidenda terra illa, non minùs quàm ſemini ejus. Cum autem Abrahamus eam ſic non poſſederit, datam etiam ei terram iſtam, ſicut ſemini ejus data fuit, juxta promiſſionem dici non poſſe. Fateor. Itaque reſtat ut videamus id quod ſecundo loco in hiſce promiſſionibus Abrahamo factis obſervandum eſſe indicavimus.

Quæro itaque ſecundo loco: Cùm promiſſiones hæ Abrahamo factæ, in terminis non contineant niſi externa bona, *Quomodo promiſsio.*

*nes istæ, quæ in terminis non continent nisi externa bona, à Christo & Apostolis, ad spiritualia, & cælestia bona referri potuerint.*

na, pertinentia ad ipsam terram Canaan, & ad semen sive liberos ex Abrahamo secundùm carnem oriundos ; quomodo Christus & Apostoli eas referre potuerint ad promissiones spirituales de cælesti patria, & de Christo tanquam vitæ istius spiritualis auctore, & filiorum cælestis patriæ hæredum, Judæorum simul ac gentilium, capite & principe ; adeò ut semen Abrahami faciant Christum, & fideles omnes, qui cum Christo capite suo conjuncti unus populus sunt : uti diserte legere est *Gal. cap.* III. *vers.* 26: comprehensis etiam sub isto populo gentibus fidelibus.

*Sensus Scripturæ secundum Hebræos Doctores plures sunt, qui ad duos, literalem nempe & mysticum reduuntur.*

Respondeo : Res hæc prolixiore paulum examine indiget. Certum est *primò*, Hebræos Scriptores omnes (Sadducæis exceptis) antiquitus hodieque censuisse plures Scripturæ S. sensus esse, & secundum eos Scripturam varie exponi posse. Sensus autem alii quatuor, alii tres faciunt. Primus sensus est *literalis*, quem verba ipsa præ se ferunt : sive verba ista propria sint, id est, sine ullo tropo aut figura prolata ; sive impropria & figurata ; ita tamen ut mens ejus qui ea enunciavit, manifestè satis appareat, quia alioquin nude accepta absurdum quid in se haberent, quod præter mentem sive διάνοιαν enunciantis esse præsupponitur. Secundus sensus est *mysticus* sensus ; quem illi Midrasch vocant, à verbo דרש quod quærere significat ; quasi sensus qui literę quidem subest, & sub litera veluti sub putamine nucleus, & sub siliqua granum, latet : sed quia is prima fronte non apparet, quærendus vel eruendus est, sive potiùs quæritur vel eruitur : cujusmodi sensus triplex statui solet, Allegoricus, Tropologicus, & Anagogicus, juxta versiculum :

*Literà gesta docet, quid credas Allegoria.*
*Moralis quid agas, quo tendas Anagogia.*

Allegorici sensus exemplum vide ad *Gal.* IV. 24. Tropologici, 1 *Corinth.* IX. 8. 9. 10: ex *Deut.* XXV. Anagogici, *Heb.* IV. 3, &c. ex *Psal.* XCV. Tertius est *Cabalisticus*, qui Cabalâ sive traditione à Magistris sive Rabbinis accepta, (Cabala enim acceptio est) & in Thalmude literis consignata, expressus est : quem sensum tanti faciunt ut eum literali æquent, & librum quo ille sensus continetur, pari loco eodemque gradu cum lege scripta censeant. Ex his apparet sensum duplicem tantùm esse & ab iis agnosci : *Literalem* unum, qui lege scripta & cabala expressus est : Alterum *mysticum* ; qui sub literæ cortice latet. *Secundò* certum etiam est eos statuere dogmata sive articulos fidei ex solo sensu literali petendos esse, ex eoque demonstrationes & apodeixeis tantum formandas esse, ad aliquid firmiter concludendum vel adseverandum, sive ad voluntatem Dei declarandum. Nos accipimus hoc tanquam confessum ; Scripturæ sensum plus quam unum esse, sive potius esse duplicem, literalem & mysticum : Ex illo non ex hoc astruendos esse articulos fidei. Cæterum cabalam arbitramur ad mysticum sensum referendam esse, aut potius esse ipsum mysticum sensum, qui in sacris libris latet ; & significare, non sensus per manum traditos à Mose & prophetis, continua successione, & postea in librum Thalmud relatos : Nugæ : sed sensus qui prima fronte non apparent in litera, tamen literæ ipsi subsunt, & accedente expositione eorum, qui mentem Dei in Scriptura loquentis perspectam habuerunt, literæ subfuisse aut subesse intelliguntur. Ista autem expositio, etiamsi non sit nec fiat cum apodictica demonstratione ; tamen pro apodeixi habenda est, quando aut fit ab iis qui Spiritu divino se præditos & donatos esse, variis miraculis & signis ostendunt ἀναθυσρίτους : aut eventu ipso comprobata esse comperitur : aut denique apodeixeos instar est, quando ii, quibus cum nobis res est, eam ultro agnoscunt atque admittunt.

*Promissiones Abrahamo factæ duplicem habuerunt sensum.*

Hoc posito : dicimus promissiones Abrahamo factas duplicem sensum habuisse, literalem unum, quem jam exposuimus ; & mysticum alterum, cujus sensus iste literalis, veluti umbra, figura, rudimentum ac typus quidam fuit. Hunc autem sensum sub litera promissionum Abrahamo factarum absconditum, à Deo præcipuè intentum fuisse, vel solum illum sensum esse quem Abrahami respectu Deus intendit ; ac proinde cùm Deus Abrahamo rem sensu isto comprehensam dedit, eum isto respectu, jure dici posse promissum suum impleviſse. Dico itaque per terram Canaan promissam, Deum significare voluisse cælum, tanquam Abrahami & fidelium Abrahami vestigiis insistentium patriam, vere in seculum sive propriè æternum possidendam. Per semen Abrahamo promissum, Jesum Christum & populum eius Christianum, fide Abrahamica Deo adhærentem. Per justificationem Abrahami ante circumcisionem acceptam, & ante legem Mosis latam, justificationem tam gentilium quam Judæorum sine operibus legis futuram. Sensum hunc mysticum sub promissionibus istis carnalibus Abrahamo factis, veluti sub umbris ac typis comprehensum fuisse, eumque Deum ipsum sub isto verborum cortice intendisse, nos Christiani ab Apostolis edocti, ex *Epist. ad Romanos*, *ad Hebr.* & *ad Galatas*, credimus ; & credibile est tum temporis in confesso fuisse apud Hebræos, saltem duos istos priores sensus. Neque dubito quin Judæi hodieque id sint libentes agnituri ; qui optima quæque de Abrahamo & promissionibus Abrahamo factis credunt, & credere pene necesse habent, quia Abrahamo ipsi terræ Canaan possessio data non est in hæreditatem ; quod tamen ipsa promissionis litera vi sua postulat atque importat.

Sed & alia multa sunt, quæ non obscurè arguunt, tum verba promissionum typica esse, sive talia quæ multò longius extendi possunt quàm per se sonant ; tum Abrahamum ipsum, & quæcunque ei acciderunt, typos fuisse eorum omnium quæ temporibus Messiæ sive seminis ejus propriè sic dicti, futura erant. Verba ipsa longius atque ulterius extendi posse, quis non videt ? Deum enim Abrahami Deum fore, Deum daturum Abrahamo terram istam in seculum, id est, in æternum possidendam ; quis non videt, tenuiter nimis intelligi atque accipi, si dicatur Deum Abrahamo tantùm promisisse, se ei jam ad senium vergenti, in terra Canaan, opes, divitias, honorem, & gloriam, quin & exiguam tantùm terræ istius portionem, adeoque nil nisi monumentum unicum, idque auro suo emendum daturum, neque vel vestigium terræ ei proprium facturum ? Exigua sanè hæc merces fuisset, respectu ejus quod dixerat Deus : *Ego ero merces tua multa valde.* Quæ, quæso, merces multa valde tantæ pietatis, obedientiæ, fidei, inter tot adversitates infractæ, per tot difficultates, & discrimina exercitæ, inter tot molestias, rupis instar immobilis, non concussæ nec dejectæ ? Abrahamum verò quis non videt typum gessisse rerum futurarum ? Seni datur filius, ex uxore per naturam sterili, etiam per ætatem effœta. Quid aliud ista re notatum voluit Deus quam futurum, ut Sara quasi virgo fieret, apta ad semen tum ejaculandum tum concipiendum ? Filium istum mactare jubetur, cùm unicus esset & dilectissimus, ut quasi ex morte redivivum eum reciperet. Quid aliud eo notatum voluit Deus quàm futurum ut vero ejus semini idem accidat ? In illo semine benedicendæ dicuntur omnes familiæ terræ. Quis hîc non agnoscit hyperbolen, quæ Dei mentem arguit ? Sive enim phrasis ista, *Benedicentur in te familiæ omnes terræ*, exponatur per Quæcunque erunt nationes benedictionem eandem sibi precabuntur, quæ tibi à Deo data est, sive optabunt ut eadem aut similis sibi benedictio obtingat ; sive exponatur per, omnes gentes reipsa benedictionem eandem tecum adipiscentur : quam diluta est ista promissio, si ad Abrahamum ea referatur jam mortuum ? & quantula est ista benedictio, quæ cum tot adversitatibus conjuncta fuit ? tum quomodo ista benedictio omnes terræ familias comprehendit ? Pauciores certè fuerunt quàm ut multæ dici possent quæ istam sibi benedictionem precatæ fuerunt ; nedum ut omnes familiæ terræ, dicantur benedictionis istius participes factæ. Denique quòd ei jam per fidem justificato circumcisio imperatur : quid aliud notat quam circumcisionem, quæ signum fœderis erat futurum, quo obligandi erant omnes ejus posteri, à primo statim ingressu in mundum ad Fœderis legalis observationem, necessariam non esse ad justificationem ; ac proinde sine legis operibus vitam ac salutem, sive gratiam ac favorem Dei æternum obtineri posse ? Profectò, qui ad hæc aliaque similia plura sedulo animum advertit, fieri vix potest, quin credat promissiones Abrahamo factas, mysticum sensum continuisse, eumque sensum esse sensum istum quem retexerunt Christus & Apostoli ejus, veluti divinæ mentis interpretes. 1 *ad Corinth.* II. *vers. ultimo* : & *versu* 9. & 10. de quo sensu passim legere est, imprimis in *Epistolis* Pauli *ad Romanos* & *ad Galatas*.

## CAPUT VII.

### De fide Abrahami, ejusque tum promptitudine tum constantia.

Hactenus de promissionibus Abrahamo factis egimus. Restat ut de fide & obsequio ejus videamus. Fides quæ Abrahamo tribuitur, potissimum refertur ad promissiones Abrahamo factas. Obsequium ad mandata. In utroque tum promtitudo, tum constantia veniunt considerandæ.

*Fidei Abrahami mentio primum fit Genes. XV. 6. Credidit Abraham Deo, & hoc imputatum est ei in justitiam : Abrahami.*

Fidei Abrahami mentio primum fit *Genes.* XV. 6. Ex eo loco constat, fidem Abrahami pro objecto habuisse divinam promissionem, de hærede egressuro è visceribus ejus, & de seminis sive posteritatis multitudine : *versu* 4 & 5. Unde non obscure colligitur Abrahamum antea etiam credidisse quidem ; quia eadem promissio ei facta legitur, *cap.*

*cap.* XII. 7. ad quam altare Deo exſtruxiſſe dicitur ; quod ſine fide ab eo factum fuiſſe neutiquam credibile eſt ; ſed tamen non adeo firmiter credidiſſe , quin fides illa poſtea nonnihil nutaverit , cùm ſe improlem videret manere : uti ex alloquio ejus ad Deum, *cap.* XV. *verſ.* 3. liquet. At quando Deus hanc promiſſionem renovabat , tum verò fidem Abrahami ſive πληροφορίαν , uti Apoſtolus loquitur, *Rom.* IV. 21. eluxiſſe , & fixam ſtetiſſe atque ad finem uſque immobilem; Deumque ipſum ita cenſuiſſe , atque idcirco tum demum fidem iſtam ei reputaſſe in juſtitiam.

Fides itaque Abrahami , fuit firmus & deliberatus animi adſenſus , quo Abrahamus certò ſibi perſuaſit , atque in animum ſuum induxit , futurum id quod à Deo promittebatur , quomodocunque aut quandocunque tandem id facere Deo liberet : ſive , Deum & poſſe & velle præſtare id quod promittebat ; uti pulcherrimè hoc deſcribitur ab Apoſtolo, & totidem pene verbis , ad *Rom.* IV. 18. 19. 20. 21. Hunc ſecuta eſt animi fiducia , qua ſe totum porrò repoſuit in ſapientia , veracitate , potentia , & bonitate Dei , deque bona ejus erga ſe voluntate adeo impenſe ſibi promiſit , ut quælibet bona ab eo ſperare auderet , ſeque accepturum confideret. Colligo hoc non tam ex phraſi illa , qua dicitur credidiſſe *Baihova* , ſive in Deum , uti à nonnullis id colligi ſolet: (certum enim eſt phraſes illas , *credere Deo* , & *credere in Deum* , ſæpe confundi, & præpoſitionem ב etiam adhiberi, cum de hominibus ſermo eſt: *Exod.* XIV. 31. & XIX. 9. tum verò conſtat etiam, phraſin hanc ab Apoſtolo expoſitam eſſe per ἐπίστευσε τῷ θεῷ, id eſt *credidit Deo* : *Rom.* IV. 3:) quam ex hiſtoria vitæ Abrahami, quę tota fiduciæ in Deum plena eſt; & ex deſcriptione fidei Abrahami quam Apoſtolus facit, ad Romanos loco ſupra citato , quæ referta eſt phraſibus fiduciam ſummam declarantibus.

Fidem hanc quia tantopere extollit ubique Scriptura , operæpretium eſt ut qua in re excellentia ejus ſita fuerit , videamus. Diximus autem in duobus eam apparere , in *promtitudine* & in *conſtantia* credendi.

*Promptitudo ejus.* Promptitudo elucet in duobus : 1. quòd primus & ſine exemplo crediderit Deo promittenti ; cùm nemo eſſet à quo de Dei promittentis fide ac veracitate certior fieri poſſet , aut qui fiduciæ exemplo ei præiviſſet. Quæ res tanti momenti viſa eſt Apoſtolo , ut propterea eum *credentium Patrem* vocaverit : à quo fides ipſa primum quaſi profecta , & credendi exemplum cæteris mortalibus datum eſt. adeò ut quotquot unquam crediderunt , ii omnes filii Abrahami ſint , tanquam ex ipſo nati , aut exemplo ejus adducti ad fidem Deo habendam ; vel ei tanquam primo fidei exemplari ſimiles , & quod ad fidei perfectionem attinet , cum eo neutiquam comparandi : filiorum inſtar qui patrum ſuorum veſtigia legunt , eoſque tamen non ſequuntur æquis paſſibus. Accedit quod Scriptura hunc ipſum Abrahamum adeo extollat ob hanc fidem , ut qui in cælum evehuntur , in ſinum ejus , tanquam filii in gremium patris ſui , ab ipſis Angelis portari , & in eo reponi dicantur : & qui cæleſtibus deliciis replentur, cum eo, quaſi cum patre filii , eidem menſæ adſidere vel accumbere perhibeantur. 2. quod ſtatim res tam arduas , tam ingentes , tam penè dixerim incredibiles , crediderit. Terra iſta tota promittitur , quæ principibus & dominis , potentiâ , opibus , & ſubditorum copiâ munitis parebat : & uni quidem promittitur , cum dominis iſtis nec opibus, nec viribus ulla ex parte comparando. Credit tamen. Semen promittitur ſeni improli , & uxorem habenti jam ſexagenariam , effætam , ſterilem & ad prolem gignendam naturæ etiam vi planè inidoneam. Sara enim cum promiſſio de ſemine aut filio Abrahamo fieret , jam ad minimum 64 annos nata erat. Credit tamen. Benedictio promittitur tanta , ut benedicturum ſe Deus promittat benedicentibus ei , & maledicentibus maledicturum ; quin & facturum ſe ut in ejus ſemine benedicendæ ſint omnes familiæ terræ ; & tamem ſemen ejus per quadringentos annos integros adfictum , gravique ſervitutis jugo oppreſſum iri prædicit , quæ duo ſimul non conſiſtere , adeoque ſibi invicem repugnare videntur. Credit tamen , nec quicquam hæſitat , perſuaſum plenè habens eum qui promittebat veracem eſſe , eique ſine ulla cunctatione aut tergiverſatione fidendum eſſe : atque ita, ut Apoſtolus ait, δόξαν τῷ θεῷ, *Rom.* IV. 20.

*Luc. XVI. 22. Matt. VIII. 11. &c.*

Opponi his à nobis dictis poſſet , quod Abraham non minus quàm Sara riſiſſe dicatur , *Geneſ.* XVII. 17. quando ei ſemen ſive proles maſcula ex Sara promittebatur. Sed riſum iſtum non fuiſſe riſum ex diffidentia natum , ſed ex gaudio, contra quam riſus Saræ erat , non obſcurè liquet ex eo, quod Abraham verſu ſtatim ſubſequente addidiſſe legatur , *Utinam Iſmael vivat coram te.* Eo ipſo enim ſignificabat, ſe credere prolem maſculam ex Sara ſibi naſcituram : ſed metuere ut Iſmaeli filio ſuo ex Agare , propterea bene non ſit; prout patet ex *verſ.* 20. ubi Deus dixiſſe Abrahamo legitur : *Pro Iſmael quoque audivi te.* quaſi dixiſſet : Tantum abeſt , ut propterea , quia filius tibi ex Sara naſcetur , qui benedictum ſemen iſtud erit , quod promiſi tibi , Iſmaeli filio tuo male ſit futurum , ut contra eum magnis multiſque beneficiis , quia ex te natus eſt , & tu me pro eo oraſti , adfecturus ſim.

*Conſtantia.* Promtitudini acceſſit conſtantia , qua fidem imis animi ſui fibris radicatam fuiſſe publicitus teſtatus eſt. 1. Promiſſio de ſemine aut filio , quæ primo quoque tempore impleri poterat , diu admodum differtur. Nullus effectus ejus apparet. Decem anni integri effluunt : & jam ad capulum ætatis progreditur ſenex ; fitque uti per naturam jam erat , ſterilis , per ætatem etiam effœta uxor ejus Sara ; licet cupida liberorum & prolis avida. *Gen.* XVI. 3. & XVII. 25. 2. In fine decem iſtorum annorum naſcitur ei filius ex ancilla , uxore ita volente : ſed qui promiſſum iſtud ſemen ſive benedictus ille filius non erat futurus ; utpote abigendus primùm ex oculis patris , inde verò etiam domo atque hæreditate tota exigendus. Tredecim deinde rurſus anni elabuntur antequam filius ille promittitur , in quo Abrahamo ſemen vocandum erat. Tredecim quippe annorum erat Iſmael cum circumcideretur , & antequam Abrahamo nunciaretur per Angelos de filio ex Sara naſcituro : uti videre eſt *Geneſ.* XVII. 25. Inter hæc tam longæ moræ intervalla , non vacillavit fides Abrahæ. Et ut conſtantiam ejus videas, jam nonaginta novem annorum erat , & tantùm non centenarius decrepituſque ſenex Abraham ; adeo ut ſecundum naturæ curſum , corpus ejus effætum atque emortuum dici potuiſſet , vigoreque ac ſucco prolifico deſtitutum , uti diſertè etiam emortuum fuiſſe ejus corpus aſſeritur tum ad *Rom. cap.* IV. 19. tum ad *Hebr.* XI. 12. aut ſi id ab Apoſtolo , & Scriptore ad Hebræos dictum velimus in ordine ad Saram Abrahæ uxorem , cujus utero jam per ætatem emortuo Abrahamus etiam emortuus dicatur ; quia poſt Saræ obitum Abrahamus ex Cethura plures adhuc ſuſcepit liberos : (niſi forte quis velit Abrahamum ab iſto tempore promiſſionis , vi nova prolifica donatum fuiſſe : ) ſaltem uterus Saræ jam emortuus erat , quippe nonagenariæ , & à prole gignenda jam alienæ , cum de futura conceptione & partu ei nunciatur. Contra ſpem , ſub ſpe, credendum erat futurum quod promittebatur. Credidit Abraham : & Angeli maritique alloquio confirmata Sara, δύναμιν εἰς καταβολὴν σπέρματος ἔλαβε, καὶ παρὰ καιρὸν ἡλικίας ἔτεκε *Heb.* XI. 11. Quanta hujus fidei vis fuerit , prolixè deducit Apoſtolus ad *Rom.* IV. *à verſ.* 18. *ad uſque verſ.* 23 : imputationem juſtitiæ jam ante factam , cum primum Deo promittenti credidiſſet Abrahamus , referens aut extendens ad hoc etiam tempus *verſ.* 22. in quo fides Abrahami illuſtrius multò eluxerat; & imputationem juſtitiæ pro actu tali cenſens , qui fide deſinente deſinit , & , fide conjuncta continuatur , non aliter quàm ſi imputatio iſta ad ſingula fidei durantis momenta denuò aut de novo primum fieret: quod alibi à nobis pleniùs deducetur , & magnum uſum habet.

Omnium verò maximè emicuit fidei Abrahami conſtantia tum , cùm filium hunc promiſſionis juſſus Deo mactare atque offerre, ne quidem difficilem ſe in eo præbuit : ratiocinatus , uti præclare Scriptor ad *Hebræos cap.* XI. 19. obſervavit , Deum potentia tanta præditum eſſe , ut filium jam mortuum ad vitam revocare, eumque ei redivivum reſtituere poſſet: quæ ſanè fidei ἀκμὴ eſt, & quaſi ἀκροθίνιον : fides penè ſupra hominem , & quæ ſine exemplo eſt : ſed fide tamen Chriſti minor, qui ſe ipſum mactandum dedit hoſtibus, quos merito exſcindere ac delere potuiſſet , nulla alia re quam Patris ſui & generis humani amore adductus.

*An ſignum fuerit fidei vel diffidentiæ Abrahami, quod de Sara uxore dixit eam ſororem ſuam eſſe. Et quomodo potuerit eſſe ſimul ejus ſoror & uxor.*

Quod ſi quis inter hæc fidei Abrahamicæ documenta atque exempla, referre velit duo iſta quæ *Geneſ.* XII. & XX, legere eſt: quando videl. primum in Ægypto apud Regem Pharaonem , deinde in Gerar apud Regem Abimelechum, uxorem ſuam Saram , veluti ſororem ſuam , reliquit in manu eorum à quibus ejus pudicitia adulterio contaminari poſſe videbatur ; ego ſanè nolim admodum refragari. Arbitror enim , & ex eventu conſecuto colligo id ab Abrahamo factum , & ſtatim ab initio ingreſſus ſui in terram Canaan propoſitum ſibi habuiſſe , (uti ex *cap. Geneſ.* XX. *verſ.* 13, liquido apparet) ex magna in Deum innocentiæ & pudicitiæ uxoris ſuæ vindicem protectoremque fiducia.

Dices fortè : Contrarium potius videri , videlicet iſtud ex diffidentia factum fuiſſe. Nam ſi Deo confiſus fuiſſet, quid opus erat confugere ad mendacium ? Ego verò mendacium fuiſſe nego. Arbitror enim alterutrum horum dicendum : aut Saram verè fuiſſe ſororem Abrahami , licèt non germanam ſed uterinam tantum aut privignam patris ejus. Prius ut credam moveor uno iſto argumento , quod omnibus contra ſentientium rationibus & conjecturis , meo quidem judicio , longè præponderat : quod videlicet Abrahamus ipſe , ut à mendacii crimine ſe purget apud Abimelechum Regem , *cap.* XX. *verſ.* 12. diſertè aſſerat, *Verè* (verè in-

inquam) *ſoror mea eſt, filia patris mei, veruntamen non eſt filia matris meæ:* quibus verbis quin Abrahamus clarè ſignificare voluerit, Saram ſororem ſuam uterinam tantum eſſe, vix dubitandum mihi videtur. Ut enim credatur Abrahamum id intellexiſſe iſto ſenſu, quòd Sara fratris ſui Haranis filia, neptis ſua eſſet, quæ ſororis nomine non raro venit, uti nepos, fratris; emphatica illa vox, *Verè*, non permittit; nec deſcriptio ſtatim addita, *Filia patris mei eſt, ſed non matris meæ:* quid enim hoc ad rem faciebat? Neptis enim erat ex fratre, ac proinde ἐμφατικῶς, ſive frater germanus ſive uterinus tantum eſſet.

At, inquies, ſic concedendum erit Abrahamum incæſtis nuptiis ſe polluiſſe. Reſpondeo: Ante legem latam, nullas ejuſmodi in linea collaterali ſive tranſverſa contractas nuptias incæſtas habitas fuiſſe: ſed, vel licitas, vel, quod malim, Deo ita diſpenſante impune circa illa tempora permiſſas. *(Notandum eſt conjugia etiam reperiri inita à ſanctiſſimis inter amitam & nepotem. Tale fuit conjugium inter Amram & Jochebed ſororem patris ſui, ex quo Moſes & Aaron nati ſunt: Exod.* VI. 20. *quod tamen poſtea expreſsè à Deo vetitum eſſe conſtat: Levit.* XVIII. *An eadem ratio ſit conjugii inter patruum ſive avunculum & neptem, incertum eſt. Hoc non damnatum eſſe à Deo conſtat. Nec analogiæ ratio ſufficit ut damnatum eſſe credatur; quia impar eſt ratio inter nepotem & amitam, & inter patruum & neptem. In illo conjugio naturæ quaſi ordo invertitur, non verò in hoc. Amita enim matris loco eſt reſpectu nepotis. Matrem autem filio ut capiti ſubjici contra naturam eſt. At patruus neptem ducens, caput neptis manet, & naturæ ordo conſtat.)* Quæ in linea deſcendente vel aſcendente, non tranſverſa, contrahebantur, eas incœſtas fuiſſe nemo dubitat. Præter has, concubitus penè omnes ſcortationis nomine cenſiti fuerunt, &, ſi res bene expendatur, ſolum ferè præter has adulterium damnatum, ac ſevera pœna coerceri ſolitum fuit: utpote intrinſeco matrimonii fini directè contrarium, & rationi ipſi repugnans; ut in exemplo Judæ & Thamaris, quæ nurus Judæ erat, non obſcurè videre eſt: *Geneſ.* XXXVIII. itemque in ſolicita illa tum Pharaonis tum Abimelechi excuſatione, qua ſe neſciviſſe profitentur Saram Abrahami uxorem eſſe: *Geneſ.* XII. & XX. Et ſanè firmandæ huic meæ opinioni non parum facit id, quod Abrahamus intrepide fatetur apud Abimelechum, Saram ſororem ſuam verè eſſe: quod neutiquam facturus, aut facere auſurus fuiſſet, ſi conjugia inter fratrem & ſororem uterinam, pro incæſtis cenſita tum temporis fuiſſent. Quin eæ poſtidea à Deo ipſo damnatæ, ac ſeveriter interdictæ fuerint, interque incæſtas nuptias relatæ, non poteſt dubitari: ſi lex *Levit.* XVIII. *verſ.* 11, collato cum *verſ.* 9. religiosè expendatur. At an damnatæ à Deo ſint quia naturâ ſuâ rectæ rationi repugnant; an verò alias ob cauſſas, inter quas etiam ipſa honeſtatis, licèt non præcisè ſumtæ, ratio ſit, non jam expendam. Videtur id aſſeri poſſe ex eo, quòd gentes idcirco exciſæ à Deo dicantur quia ejuſmodi nuptiis ſe polluerant: *Levit.* XVIII. 24. 25. 27. 28. 29. Hoc tantum dicam: Si omnino rectæ rationi repugnant & legi naturali adverſantur ejuſmodi nuptiæ, malle me tum ſecundo credere, Saram Abrahami ſororem non fuiſſe, ac nec uterinam quidem, ſed filiam novercæ ſuæ, quam poſt obitum matrem Abrahami, vel vivente adhuc ea, pater Abrahami Therah in uxorem duxerit, filiamque ejus in familiam ſuam unà cum matre adſciverit; eamque ab Abrahamo in uxorem ductam fuiſſe: quod legibus omnibus, etiam Moſaicis, conceſſum eſt; quàm ut credam Abrahamum ſine ulla neceſſitate, contra legem naturæ ipſius peccaſſe, & in peccato iſto fine ſcrupulo perſeveraſſe. Nec quicquam, meo quidem judicio, in textu ſacro occurrit, quod huic expoſitioni repugnet. Verba enim illa, *Filia patris mei eſt, ſed non filia matris meæ*; hunc ſenſum optime ferre poſſunt: Pater meus matrem hujus uxorem habuit, vel poſt obitum matris meæ, vel ea adhuc ſuperſtite ſimul cum ea, eique filia hæc antea nata erat; quæ proinde etiam eſt filia patris mei, ac ſoror mea, ſed non eſt filia matris meæ: quam videlicet pater meus ex matre mea ſuſceperit, vel quam ex poſt aut ſuperinducta uxore altera ſuſceperit; ſed quam ante natam ex ea filiam ſuam eſſe voluit.

Eſto, inquies; mendacio ſe non juverit Abrahamus, fiduciæ tamen in Deum nullum veſtigium hîc apparet; alioquin apertè dixiſſet, Saram uxorem ſuam eſſe; & curam cæteram, tum de vita ſua, tum de uxoris ſuæ pudicitia, Deo commiſiſſet. Reſpondeo: Fiduciam optimè conſiſtere poſſe cum prudentia, quæ ſine culpa ac vitio eſt. Qui Deo fidit, non tenetur curam ſui omnem ita Deo tranſcribere, ut non adhibeat omnia ea media ac remedia, quæ ratio recta ſuggerere poteſt ac ſolet, ad curam ſui ipſius ſuorumque accuratiſſimam quam poteſt habendum. At periculum erat ut dicti iſtius occaſione violaretur pudicitia uxoris ſuæ, & adulterium committeretur à populo ſive Rege terræ iſtius. Ita eſt: ſed & periculum majus metuebat Abrahamus: quia vitæ ſuæ inſidias ſtructum iri videbat, & nihilominus deinde adhuc laboraturam uxoris ſuæ pudicitiam. Maluit itaque vitæ ſuæ conſulere, & uxoris ſuæ curam Deo committere. Nec dubito quin Deus iſto tempore Abrahamum ſibi voluerit relinquere, & curam quam de vita ejus ac pudicitia Saræ uxoris ejus habiturus erat, ei non revelare: ut poſtea, cùm ad ſummum diſcrimen res perveniſſet, illuſtri aliqua ratione oſtenderet quam ſolicitam ejus curam gereret: & ſic ipſi terræ populo, totique curiæ ac palatio regio, innoteſceret quantus vir eſſet Abrahamus, & quanto in honore ac pretio eſſet apud Deum ſuum: uti ex eventu ipſo patuit. Interea nullum vel levidenſe indicium diffidentiæ dediſſe legitur Abrahamus; quin contra, eum fiducia in Deum plenum fuiſſe, videtur arguere id, quod cum ſecundo idem periculum occurreret, eadem prudentia uſus fuerit, & cæteram omnem ſui curam in Deum rejecerit: quaſi perſuaſus, ubi omnia pro ingenio ſuo ad ſui ipſius curam adhibuiſſet, cætera Deo curæ fore, quod & accidiſſe legimus, *Geneſ.* XII. & XX. Atque hîc forte locum in Abrahamo habuit reverentia præcepti iſtius divini, quo Deus ei dixerat, *Geneſ.* XV: *Ne timeas Abraham; Ego ſcutum tuum*, qui te ſemper & ubique, cum neceſſe erit, & poſtquam egeris quicquid in te erit, ſcuti inſtar protegam contra omnes, qui tibi tuiſve injuriam aut noxam volent inferre. Tutus eris, & expers omnis injuriæ, me protectore tuo ac vindice. Fac quod in te eſt, & ne time me tibi unquam in neceſſitate defuturum eſſe.

## CAPUT VIII.

### De obſequio Abrahami, ejuſque promtitudine & conſtantia, in exeundo è patria, & immolando filio unigenito.

HActenus de Fide Abrahami egimus. Reſtat ut de ejus obſequio, & quidem de ejus in obſequendo tum promtitudine, tum conſtantia videamus. Obſequium Abrahami conſidero, quatenus pro objecto habuit ſpecialia ac diſertè Abrahamo data à Deo præcepta; ſicuti fidem Abrahami hactenus conſideravi, quatenus pro objecto habuit promiſſa divina, & obſequii iſtius cauſa ſive matrix fuit.

*Deus Abrahamo tria præcipua dedit præcepta.*

Præcepta hujuſmodi tria fuerunt. 1. ut exiret è terra, è cognatione & è domo patris ſui. 2. ut filium ſuum unigenitum Deo mactaret atque offerret. 3. ut circumcideret carnem ſuam, & carnem omnium ſuorum domeſticorum, tam filiorum quàm ſervorum, ſive ii emtitii eſſent ſive vernæ. Tria hæc præcepta recenſeo; non quaſi alia præcepta nulla Abrahamo data fuiſſe affirmare velim; ſed quia hæc præ ceteris (ſi quæ fuerunt) eminent. ultimum autem præceptum facio, præceptum de circumcidendo præputio; non quod tempore ultimum fuerit, ſed quia inſtituto noſtro tractatui melius convenit ut de eo ultimo loco agatur; quia de circumciſione, veluti ſigno fœderis inter Deum & Abrahamum initi, ſic oportunius & prolixius à nobis agi poterit.

*Quam gravia illa fuerint.*

Ut autem obſequii hujus vis ac præſtantia appareat, notandum eſt, quàm gravia atque ardua hæc fuerint præcepta. Certe talia fuiſſe notat auctor ad *Hebr. cap.* XI. ut niſi firma fides, ac robuſta animi fiducia ſive confidentia, pectus Abrahami antea præmuniiſſet, & quaſi bene præparatum animum in eo effeciſſet, vix ac ne vix quidem iſtis pariturus fuiſſet Abrahamus; unde eum *per fidem auſcultaſſe Deo* ait, *verſ.* 8. *ut abiret in locum quem accepturus erat*, &c. *per fidem* itidem *obtuliſſe filium ſuum cùm tentaretur*, (tentatione ſcilicet maxima) *verſ.* 17. Nec minore fide opus fuiſſe, cum circumciſionis mandato non refragaretur, res ipſa docet.

*Iubetur exire è terra, è cognatione, & è domo patris ſui.*

Quantum enim ad primum attinet: Exire jubetur è terra ſua; nec ex terra tantum ſua, ſed & ex cognatione ſua; nec ex cognatione tantùm ſua, ſed & ex domo patris ſui. Grave profecto eſt ac durum, ſeni imprimis homini, terram ſuam natalem relinquere. Rectè enim ille:

*Neſcio qua natale ſolum dulcedine cunctos*
*Detinet, immemores nec ſinit eſſe ſui.*

Graviùs multò ac durius, cognatos, affines, ſanguine aut affinitate nobis devinctos deſerere. Graviſſimum omnium ac duriſſimum paternis ædibus exire ac valedicere; quas, ut ait Auguſtinus, & parentum memoria, & ipſius infantiæ rudimenta, commendant. Certè inter graviſſima Chriſti Jeſu præcepta, eſt etiam iſtud; de relinquendo patre, matre, fratribus, ſororibus, agris, domibus, ac domeſticis. *Matth.* XIX. & *Luc.* IX. Accedit, quod præcepti hujus difficultatem non parum auget, quòd non jubeatur tantùm exire è patria, cognatione, & domo patris ſui, ſed verò etiam ſimpliciter exire; nullo terræ quam aditurus eſſet indicato nomine

mine aut qualitate. Hoc sanè multò adhuc durius erat. Solemus enim alioquin, non inviti aliquando solum vertere, & ex deteriore in melius migrare ac concedere sponte nostra, nedum necessitate aliqua compulsi: illud cogitantes, *patria est, ubicunque bene est.* At hîc Abrahamo jubet exire Deus è terra sua, in terram quam ei ostensurus esset. Quæ res obsequii Abrahamici laudem non parum exaggerat: quod etiam eo nomine commendat Scriptor ad *Heb.* XI. *cap. vers.* 8, cùm *Abrahamum exivisse* dicit, *nescientem quò venturus esset*: certissimo indicio Abrahamo jam tum constitutum planè fuisse, à solo Dei nutu pendere, & quodcunque jussurus esset promte exequi; neque cum carne aut sanguine conferre quicquam, sed velle quodcunque Deus vellet: quæ summa obsequii gloria est, & fiduciæ prorsus deliberatæ προμήθειαν ἀναταγόητον.

*Item filium suum unigenitum Isaacum, Deo in holocaustum offerre.*

Quod ad secundum præceptum attinet, Deus jubet Abrahamo, in visione prophetica scilicet (unde patet prophetas sciviſse, & certo persuasos fuisse, ea quæ in visione imperabantur aut proponebantur, à Deo revera imperari ac proponi, neque de eo ullatenus dubitasse) ut capiat filium suum, unicum illum quem diligebat, Isaac scilicet, & eum sibi offerat in holocaustum, in monte quem ei ostensurus esset. *Genes.* XXII. 2. Quin hoc præceptum longe omnium gravissimum fuerit, nemo meritò ambigat. Naturæ quippe toti repugnabat, & divinis antea factis promissis neutiquam congruebat: adeò ut natura exuenda, & promissorum divinorum veracitas in dubium vocanda videretur, priusquam obsequio locus fieret. Natura exuenda erat; quia nullus naturalior amor quàm patris in filium, ac major fortasse quam quo se ipsum amat Pater. Vitam enim suam non dubitabit bonus parens posthabere vitæ filii sui, & sanguinem ejus suo proprio redimere, ubi opus erit, etiam si vel plures sint: (στοργὴ enim patria discrimen non facit: cujus rei luculentum exemplum legere est apud Sozomenum lib. 7. cap. 24. Quod 2. *Reg.* III, legitur, id sapit barbaram immanitatem; & quod de iis qui liberos suos Molecho immolabant, nefandam superstitionem:) imò nonnunquam si rebellis sit & patri parum obsequens, uti in Davidis exemplo 2 *Samuel.* XIX. *vers.* 1. aliisque videre est. Quanto itaque magis si unicus sit, si patri obsequens, si dilectus patri & carus sit: si talis sit qualis Isaac erat, à Deo in senectute datus, & promissionum omnium hæres ex asse? Talem filium non interimere tantùm, sed manu sua propria jugulare, in frusta concidere, rogo imponere, &, quæ holocaustorum erat ratio, totum, quantus quantus erat, in cineres redigere, quid aliud profectò videri poterat quam naturam totam exuere, & pro naturali στοργὴ induere ἀστοργίαν & saxeam quandam ἀπάθειαν?

An isto tempore nefas ac scelus fuerit habitum si pater filium occideret, an verò patriæ potestatis id esse creditum fuerit, non expendam hoc loco. Non desunt sane gravissimi auctores, qui contendunt patri jus vitæ ac necis in filium, sine ulla exceptione, divino ac humano jure competere, jurisque illius usum à principio mundi viguisse, quin & exercitii juris vestigia in populis pene omnibus exstare. Videre hoc est in eo ipso jure quod à Romulo introductum est. Nam lege curiata à Romulo lata, & deinde in leges 12 tabularum translata, statutum fuit ut filius in patrisfamilias sui manu, potestate, mancipioque esset; haberetque pater in eum jus vitæ & necis, terque eum venundandi potestatem. Unde initio licebat patri, sine exceptione, filium interficere. Postea tamen temperamentum adhibitum fuit, ut id non fieret nisi caussa cognita, ac non nisi propinquorum adhibito consilio: deinde, non inauditum; denique non judicio domestico, sed per Magistratum; donec tandem jus istud prorsus evanuit. Et, si Mosis lex videatur, ea non tam hoc jus patri adimit, quam limitat, in refractarium scilicet ac rebellem contumacemque filium, (contra talem enim sola denuntiatio, à patre facta Magistratui, vim habebat plenæ probationis,) & pœnam patri non committens, quasi in ea aliquid sit à quo natura sponte sua abhorret. At ante Mosem potestatis hujus patriæ usum locum habuisse, ex hoc ipso Abrahami exemplo concludunt. Quid enim, inquiunt, jussisset Deus? fecissent? patersne? toleràssent proximi alienive, quod nullo casu, nullo tempore, nullo jure licuisset Patri? adde, an consensisset Isaacus? Non videtur. profectò sine summo periculo id ab Abrahamo fieri non potuisset.

Quod si verò nihilominus id tum temporis nefas ac scelus fuisse habitum statuere velimus, tum sanè tanto magis elucescit obedientia Abrahami: quod nulla ratione habita præsentissimi ac gravissimi periculi, quod facto isto suo apud omnes homines incursurus erat, Deo morem gesserit; cui plenum jus ac dominium vitæ & necis in se suaque omnia competere persuasissimus erat; tutius arbitratus, cum periculo vitæ supremo isti Domino incunctanter parere, quàm tergiversatione aut refragatione obsequii, securitati suæ consulere, & inobedientiæ scelere tranquillitatem suam apud homines redimere. Magna hæc virtus & tantum non Christiano homine digna fuit: non naturali tantum instinctui, debitoque erga obsequentissimum filium adfectui, sed & justissimo, uti videbatur, periculorum ab hominibus impendentium metui, renuntiare, solius divini Numinis reverentia & promtissimi obsequii studio. Nimirum hoc ipso demonstravit, se, dum paratus est filio in gratiam Dei eripere vitam, etiam propriæ suæ vitæ rationem non habere, adeoque vitæ suæ, ne obsequii laude excideret, non incuriosum tantum, sed & prodigum esse velle.

Huic adde quod locum immolationi destinaverit Deus montem, itinere tridui distantem ab isto loco in quo præceptum Abrahamus accipiebat. Non tantum peragendum erat longum istud iter: (hoc leve fuisset) sed meditandum & toto animo expendendum obsequium; ne temerè susceptum, sed prudenter & præmeditatè præstitum videretur. Si è vestigio & protinus ad divini jussus vocem gladium strinxisset Abrahamus, impetu potius quam consilio paruisse videri posset: ne forte vel ipse occideretur si renueret, vel ad paupertatem redigeretur & miser fieret. Recens illa jubentis cogitatio curam non admittit, sed absorbet. Zelus ex eo nascitur qui inconsideratus est & impetum habet: quem terror aut consternatio injicit aut imperat. At ubi mora intervenit, quæ animum abreptum & tantum non extra se positum, ad se redire facit, tum vero conflictus curarum & patriarum affectionum oritur, quæ animum facile distrahunt in diversa, & nunc huc nunc illuc impellunt. In isto agone non fluctuare, non hæsitare, sed verò etiam adfectibus obluctari & obniti, inque rectæ mentis proposito perstare, veri obsequii gloriam habet. Enimvero qui sic obsequitur, is ostendit se non modò non obsequi animo suo, sed nec obsequi velle; & se non parere tantùm jubenti, sed & parere velle. At non tam in facto, quàm in obsequendi voluntate, etiam cùm animus contra dictat, obsequii gloria posita est.

Sed quod præcepti hujus difficultatem maxime aggravabat, erat, quod hoc ipso præcepto divinæ promissionis veritas labefactari, adeoque penitus tolli videbatur. Non constare sibi videri poterat Deus, quod auctor ad *Hebr. cap.* XI. non obscurè innuit, cùm ait, filium illum quem sibi immolari jubebat Deus, illum fuisse qui *promissiones acceperat*: *vers.* 17. & ad quem dictum fuerat, *In Isaac vocabitur tibi semen.* Amputatis itaque cervicibus Isaaci, decollatura videbatur omnis spes seminis promissi. Hæc cogitatio, si quæ alia, jure quodam remorari posse videbatur Abrahami obsequium. Nec dubium est, quin ista protinus in animum ejus inciderit, non prolis tantum avidum, sed jam fructu spei suæ potitum, & impletæ promissionis fruitione hilarem atque erectum. Hanc itaque si excussit animo suo Abrahamus, ne Deo inobsequens fieret, quid ad obsequii ejus laudem addi potest? Quod si velimus eum usque adeo occupatum intentumque fuisse in divini jussus meditatione, ut ista quam diximus cogitatio, ne quidem subierit animum ejus, tanto major erit ejus reverentia erga Deum, tantoque clarius elucescet obsequii Deo præstiti gloria. Deo enim jubenti sic parere, ut nolis non parere, hoc demum est Deo parere ut Deo, cui ratio jussus sui soli curanda relinquitur. Cæca obedientia, est obedientia quæ soli Deo debetur, & omnium perfectissima est. Qui eam aliis quibuscumque tandem hominibus aut imperant aut deferunt, ii divinam obedientiam hominibus transcribunt, & ex hominibus Deos faciunt; quibus tam turpe ac sordidum est cæca obedientia subjici, quam glorioſum, Deo. Ratio obsequii constare nobis semper debet, cùm homines quid jubent: cùm Deus, nunquam. Sola divina voluntas, cùm de ea apertè constat, ratio obediendi est, quæ sufficit & cogit. Hæc in Abrahamo locum habuit: & nixa fuit illa fide, qua auctor ad *Hebr.* XI. *cap. vers.* 19, Abrahamum dicit λογισάμενον, seu ratiocinatum fuisse, Deum potentiâ tantâ præditum esse *ut mortuos in vitam suscitare possit*; ac proinde Deum eadem potius potentia usurum esse, in resuscitando filio suo, quam permissurum ut quod promiserat, irritum fieret. Non quod id certò futurum crederet Abrahamus: (nulla enim promissio divina erat, qua id certò futurum, aut Deum facturum promittebatur;) sed quod crederet prius id futurum, quàm ut vanum esset id quod Deus promiserat. Quanta ista fides fuerit, id unum arguit, quod firmiter concepta fuerit ab Abrahamo, etiam cum specialis nulla promissio à Deo facta fuerat, qua illa fides niti posset. Atque hinc obsequii ex fide ista profecti gloria elucescit.

## CAPUT IX.

## De tentatione Abrahami: & in genere, quo modo & in quem finem Deus homines tentet.

UNiversam hanc difficultatem innuit Scriptura, cum ait *cap.* XXII. *vers.* 1. *Et fuit post hæc Deus tentavit Abrahamum.* quod etiam Scriptor ad *Hebr. cap.* XI. *vers.* 19, non neglexit indicare, cum dicit Abrahamum προσενηνοχέναι τὸν Ἰσαὰκ πειραζόμενον, id est *tentatum*, (à Deo scilicet) *obtulisse filium suum Isaacum*; animo scilicet & voluntate completa, etsi non opere nec facto ipso. Voluntas enim pro facto fuit, & à Deo pro facto ipso censita: uti ex *vers.* 12. *cap.* XXII. liquet. Nec mirum: uti in bono voluntas plena ac deliberata, facti laudem, ita in malo facti labem ac crimen habet: unde nostrum vulgatum dictum: *In goet en quaet, is wil voor daet.*

Ut autem quod de *tentatione* hac Scriptura ait, plenius intelligatur, notandum est hoc loco primum fieri mentionem tentationis quæ à Deo facta sit: nec alibi in toto hoc libro verbum נסה *Tentavit* (Deus) occurrere; quasi tentatio hæc non prima tantum, sed unica ac sola ante legem fuerit, eamque præter Abrahamum nemo alius à Deo expertus sit. Quod signum esse videtur, hoc obsequium Abrahami excellentissimum fuisse, & Abrahamo pene soli proprium, quodque cum nullo alio mortalium isto ævo commune habuit; utpote tentatione ipsa divina comprobatum. Non quod asserere velimus, neminem à Deo istis seculis tentatum fuisse, aut quæ aliis piis ac justis ipsique adeo Abrahamo ante id tempus acciderunt, nullo modo pro tentationibus à Deo factis habenda esse; sed quod tentatio hæc Abrahami, quæ à Deo destinato facta fuit, & quam solam Scriptura tentationem vocat, adeo gravis ac difficilis fuerit, ut cæteræ omnes, si quæ fuerunt, cum hac in computum venire non mereantur, ac proinde in Scriptura recensitæ non sint. Hoc prænotato, videamus quid fuerit tentatio hæc qua Deus Abrahamum tentasse dicitur, & quomodo hæc Deo tribui possit.

*Tentare est experimentum sumere de aliquo: quod fit vel verbis, idque quadrupliciter.*

Ut primum istud intelligatur, de tentatione in genere aliquid dicendum est. *Tentare* est proprie experimentum de aliquo sumere, an sciat, an possit, an velit quod tentatione ab eo exquiritur. Sumitur autem experimentum de aliquo, tum verbis, tum factis. Verbis experimentum sumi potest quadrupliciter: 1. Simplicibus, quæ vel tentandi consilium manifestum præ se ferunt; ut cum quis examinat aliquem, ut experiatur quid sciat, aut quantum profecerit: vel quæ tentandi animum præ se non ferunt; ut cum vel proponitur vel narratur aliquid tanquam ex occasione incidens, ut observetur an is qui propositionem aut narrationem istam audit, dicto, facto, nutu, aut gestu, habitu, vultuve corporis indicaturus sit se scire, posse, aut velle id quod quærimus. Et hæc est tentatio quæ verbo fit, sed indirectè. 2. Verbis imperium, jussum aut mandatum aliquod continentibus, quo exploretur ingenium, indoles, prudentia, virtus, constantia, fiducia alicujus; sive jussio illa aperte dicatur fieri eo fine, sive id non dicatur nec exprimatur. Hæc tentatio itaque partim directè partim indirectè fit, & locum propriè habet (si videlicet voluntas alicujus tentetur) quando id quod jubetur & imperatur, naturali alicui inclinationi sive inveteratæ affectioni repugnat. Inde enim gravitas, difficultas & molestia, nascitur ac sentitur in opere quod imperatur. Nemo enim tentatur per id quod affectibus suis conveniens est, sive quod libenter & facile vult facere aut pati: uti famelicus non tentatur si jubeatur vesci apposito cibo, nec sitibundus si jubeatur bibere, &c. De tentatione qua Satan hominem studet allicere, ad volendum aut faciendum ea quæ affectibus & carni ejus grata sunt, hîc non ago. Ista enim tentatio verbis non fit, nedum per imperium aut per jussum propriè dictum, sed per objecti propositionem, & moralem, sive potius physicam, suasionem, uti ita loquar. Notandum tamen est, cum dico tentationem hanc fieri per id quod affectibus repugnat, me non velle, id fieri per id quod affectibus prorsus repugnat, aut ita iis contrarium est, ut moraliter homini impossibile sit. Neque enim tentatio fieri potest, per jussum ut quis comedat ferrum candens aut rupes devoret. Ab eo enim adeo abhorret humana natura, ut etiam id ei impossibile dici possit. Tantum volo, tentationi huic tum locum esse, cum adfectus ab eo quod jubetur abhorrent, & ratio tamen dictat id fieri posse, & æquum esse ut fiat, vel propter solam jubentis auctoritatem; ut si quis jubeatur relinquere patriam, parentes, liberos, &c. injuriam ferre æquo animo, inimicos diligere, & filium suum occidere aut offerre Deo. 3. Verbis fit vel blandis, & mollibus, spem lucri, commodi, honoris aut voluptatis faCientibus. sic tentatur virginis pudicitia, judicis fides, &c. vel severis, asperis & minacibus, metum ac terrorem injicientibus, aut contraria mala, videlicet paupertatem, dedecus, dolores & tormenta nunciantibus. Sic tentatur pusillanimis, & honoribus, voluptatibus, mollitiei adsuetus ac innutritus. 4. Verbis ad contumeliam compositis, dicteriis, scommatis, aliisque improperiis, eo tantum fine adhibitis ut exploretur quomodo quis se gesturus sit, quo animo præditus sit, aut quantum in virtute æquanimitatis & patientiæ profecerit.

*Vel factis, quæ sunt trium generum.*

Factis experimentum capitur, cum per ea quæ facimus, experiundo quasi exploramus alicujus scientiam & potestatem, ideſt animum, prudentiam, honestatem, vires, denique voluntatem. Ea autem quæ facimus trium generum sunt. 1. Aut ea offerimus quæ grata sunt, & apta nata ad movendum affectum illum quem commotum volumus; ut sunt munera ad tentandum judicem, dona ad tentandum virginem, &c. Aut non offerimus quæ grata sunt, sed vel auferimus ea, vel inferimus contraria, sive ingrata facimus; ut si quis judici munera non adferat, imo neget petenti; si pater filio peculium suum adimat, aut subinde ei minetur, eumque à servis & ancillis vapulare æquo animo ferat vel permittat, quin & durè tractet, nullo alio fine quam ut exploret ingenium & animum ejus. 2. Aut nihil quidem horum facimus, sed occasiones præbemus quæ per se malæ non sunt, attamen quæ aptæ natæ sunt aut idoneæ, ad tentandum sive explorandum affectum alicujus, eumque quia latet, aut non satis nobis patet, exciendum, irritandum, stimulandum, & in lucem producendum: ut si paterfamilias apertum relinquat gazophylacium suum, vel clavem arcæ aut caveæ prudens deditaque opera negligat, ut exploret filium vel servum vel ancillam, an fideles, sobrii, frugales & parci sint, &c. Aut denique, 3. vel subtrahimus alicui consuetam solitamque libertatem & potestatem utendi, fruendi rebus nostris, eumque sibi relinquimus, & res suas sibi habere finimus, ut experiamur an rerum suarum compendia vel dispendia facere possit ac velit: vel contra liberrimam ei potestatem indulgemus, ut rebus omnibus nostris uti ac frui possit pro arbitrio suo, ut quo animo, qua fide, qua prudentia, qua diligentia in earum administratione versaturus sit, experiamur; id est ut sciamus an rebus nostris uti sciat, possit ac velit.

*Omnis tentatio aliquo istorum modorum fit,*

Hisce modis tentatio omnis fit, tam divina quàm humana; id est, sive Deus hominem, sive homo Deum, sive homo hominem, sive diabolus hominem tentet. Non quod tentatio omnis fiat omnibus hisce modis, sed quod non fiat nisi uno aliquo horum modorum, aut pluribus simul, qui tamen singuli deinde in varias species dispesci possunt. Ostenderemus id in singulis tentationibus, imprimis iis quibus homo Deum, aut diabolus hominem tentat: sed quia institutum nobis est, tantum agere de tentatione qua Deus hominem tentat, idcirco quomodo hæc in ea locum habeant, indicabimus.

*Specialim divina.*

A Deo tentari homines utroque isto quo diximus modo ex Scriptura liquet. Et verbis quidem imperium aut mandatum aliquod peculiare continentibus, exemplum hoc Abrahami docet; & fortasse unicum hoc & singulare est, cui simile aliud nullum, quo quidem homo unus nominatim à Deo tentatus est, reperire est ab orbe condito. De quo postremum agemus. Cæteræ omnes tentationes divinæ, quibus Deus homines tentasse legitur, in factis divinis constiterunt, per quæ Deus experimentum capere voluit de voluntate eorum qui tentati ab eo fuerunt. Notandum enim est, tentationes omnes Dei non eò pertinuisse ut experimentum Deus caperet, de scientia aut potentia hominum: (hæc enim tentatione explorari opus non erat, nec à Deo propter se, quippe qui quid homo sciat aut possit, optimè ac penitissime perspectum habet, nec propter hominem, qui ipse se ipsum quoad ista optime novit:) sed de sola voluntate eorum: quæ, quia positis omnibus ad agendum requisitis agere potest ac non agere, exploratione opus habet; in quam videlicet partem, an in partem agendi, an in partem non agendi flectere aut vertere se velit. Alia ratio est hominum & diaboli tentantium, qui ignorant etiam quid homo sciat aut possit.

*Tentationum divinarum sex exempla in libris Mosis. Primum, Exod XV. 25.*

Hujusmodi tentationum exempla aliquot reperiuntur, & sex quidem in libris 5 Mosis, ad quæ nonnulla horum modorum possunt reduci. *Primum exemplum* est *Exod.* XV. 25. Cum populus in Marah murmurando contra Mosem, (ob sitim) dixisset: *Quid bibemus? clamavit Moses ad Dominum; & Dominus docuit eum lignum quod projecit in aquas, & dulcuerunt aquæ: ibi posuit ei statutum & judicium, ibique tentavit eum: Et dixit: Si obediendo obedieris voci Domini Dei tui, & rectum in oculis ejus feceris, & aures præbueris præceptis ejus, &c. universum morbum, quem posui in Ægypto non ponam super te, quia ego Dominus sanans*

*nans te.* Tentatio hæc per miraculosi beneficii dationem,& plurium beneficiorum promissionem facta fuit. Nimirum ista ratione experiri volebat Deus, an jugo suorum præceptorum adsuescere vellet populus suus. Benefactis enim qui non movetur, eum apparet animo esse duro atque refractario;imprimis si benefacta aut beneficia ista ei conferantur, in extrema necessitate & ultima quasi vitæ suæ tegula posito. Hoc indicat subsecuta statim hortatio.

*Secundum, Exod. XVI. 4.*

Simile huic est *secundum exemplum*, *Exod. cap.* XVI. 4. quando totus exercitus Israelitarum murmurabat contra Mosen & Aaron in deserto, ob famem. Tum enim Deus dixisse legitur Mosi: *Ecce ego pluo vobis panem è cælo,& egredietur populus, colligetque quantum satis erit eo die; ut tentem eum utrum ambulaturus sit in lege mea,an non.* Eadem enim,aut ejusdem generis, tentatio hæc est; per illustrem & miraculosam dationem, insperati & ferè incredibilis beneficii, id est cibationis tam ingentis turbæ idque in deserto. Isto beneficio, veluti lapide Lydio, experimentum capi poterat quo animo erga auctorem ejus essent, & quanti eum facerent, aut imposterum facere vellent, observando leges & mandata quæ ab eo acceperant. Novit enim Deus animum cujusque, an & quousque beneficii sensu tangatur aut adficiatur: Indeque facile est æstimare quid porro futurum sit. Sed & in contrariam planè sententiam accipi possunt hæc verba,ut sensus sit: Deum non voluisse illos in deserto, ciborum omnium copia atque affluentia, quam in Ægypto habuerant, & se habuisse versu præcedente dixerant, donare; sed in diem quasi pascere, & quidem uno eodemque pane, non vario, nec diverso pro libitu ipsorum, eoque non sufficiente in diem crastini; ut ea ratione experiretur obedientiam eorum, an continuo & jugiter à providentia ejus pendere vellent, de cibo in crastinum non soliciti.

*Tertium & quartum, Deut. VIII. 2. & 16.*

Et huic interpretationi favere videtur id, quod *tertii & quarti exempli* loco erit, & legitur *Deut.* VIII. *vers.* 2. & *vers.* 16. In priore loco verba sic sonant: *Ut memineris totius viæ,per quam deduxit te Dominus Deus tuus jam quadraginta annis in deserto, ad affligendum & tentandum te;* id est, ut ista ratione vos quasi affligens, experiretur an ab eo solo pendere velletis, & necessariis ad vitam contenti, perseverare in observatione mandatorum ejus, qui necessaria ista vobis subministrabat, alioquin fame ac siti perituris. Sed qui sequitur versus tertius, non obscure expositionem hanc redarguit; quia afflictio hæc ibi præmittitur dationi mannæ; & datio mannæ, adflictionis remedium fuisse indicatur; unde per ipsam dationem mannæ, afflictionem factam fuisse dici nequit: & ratio quæ statim additur, cæteraque quæ versibus seqq. subjiciuntur, manifestè arguunt tentationem hanc per beneficium divinum quod afflictionem secutum est, factam esse. Quod Maimodes ait, *Ad tentandum te*, exponi posse, per, ad adsuefaciendum & exercendum te ad laborem in deserto, ut tanto gratius acceptiusque sit bonum illud, quod cum ubertate & larga manu vobis dabit Deus, quando ingressuri estis terram Canaan: quia videlicet exitus aut transitus à labore ad quietem, longe suavior est quam continua quies; id colorem non habet, & huic loco non quadrat. Quod verò *vers.* 16. hujus *cap.* dicitur, *Qui pavit te Man in deserto, quem non noverant Patres tui,ut adfligeret te & probaret te,ut benefaceret tibi in novissimo*,melius quadrat isti Maimonidis expositioni, aut proprius ad eam accedit. Sed & secundam expositionem nostram facit verisimilem, uti ex verbis ipsis liquet.

*Quintum, Exod. XX. 20.*

*Quintum exemplum* est *Exodi* XX. 20. ubi Moses dicitur respondisse populo consternato, & metu mortis perculso, ob ea quæ acciderant Deo legem promulgante, aut Mosi tradente per Angelum, *Ne timeatis,quia ad tentandum vos venit Deus, & ut sit timor ejus ante oculos vestros,ne peccetis.* Tentatio hæc per terribilia signa, ostenta ac prodigia Legislationi juncta facta fuit, eo fine, ut Deus periculum faceret, & experimentum sumeret de animo populi sui; anne videlicet Dei sui reverens esset, & horrore isto ita afficeretur, ut obedientiam ei spondere, & leges ejus in pretio habere vellet, ubi prodigia ista desiissent; an vero postquam ista ostenta desiissent, ad ingenium rediturus, & ea simul ac legem flocci facturus esset: Et siquidem primum illud eveniret, ut hoc ipsum solemne ac cœleste prodigium, perpetui instar stimuli esset, quo ad timorem Dei & divinarum legum observationem excitarentur, relictis & repudiatis omnibus circumjacentium populorum ritibus ac legibus: certumque ac fixum animi propositum ex hoc tempore conciperent, nullum alium prophetam falsum, qui contrarium dicturus esset ejus quod jam audiverant, admittere, quæcunque tandem signa ac prodigia facturus, aut futura prædicturus esset, persuasi legem nullam divinioribus signis comprobari posse de cælo: quasi dicat; Id facile fieri potuisset, nisi hac ratione legis suæ reverentiam, animis eorum quasi infixisset & impressisset. Et huic expositioni favent ac serviunt ista omnia loca, in quibus admiranda omnia Dei opera, quæ in populo aut in gratiam populi sui Israelitici fecit, tentationes sive πειρασμοὶ dicuntur: ut *Deut.* IV. 34. & *cap.* VII. 19. & πειρασμοὶ μεγάλοι: *Deut.* XXIX. 3. tum respectu eorum, coram quibus opera ista facta fuerunt, Pharaonis putà & ministrorum ejus, qui per ista adfligebantur, & sic adflicti tentabantur, an Deo jubenti, aut Mosi nomine Dei exeundi veniam postulanti cedere, an refractarii manere vellent; tum respectu populi, qui per opera ista favorem & opem divinam sibi paratam esse intelligebat, ac proinde per ea, tanquam per egregia beneficia ad se pertinentia, explorabatur an benefactori tanto se submittere, & ad præscriptum ac nutum ejus porro se gerere vellet: uti non obscurè colligere est ex querela Dei subjuncta, *cap.* XXIX. *Deut. vers.* 4. *Et tamen non dedit Dominus* (id est, per signa & prodigia ista tantum non impetravit à vobis, ut ab eo acciperetis, quod impensissime cupivit vobis dare) *cor ad intelligendum, & oculos ad videndum*: id est, ut animum adverteretis ad ista, & Deo tentanti vos an ei obsecuturi essetis, cor præberetis docile, & ad mandata ejus præstanda promtum ac paratum. *Non dedisse* autem dicitur Deus, non quod dare non voluisset, sed quod cùm dare vellet, & quantum in se erat daret, accipientes non invenerit. Dare enim est cum effectu dare; siquidem dare & accipere hoc loco sunt relata.

*Sextum, Deut. XIII. 3.*

*Sextum exemplum* est *Deut.* XIII. 3. ubi de falso propheta agitur,cui Deus aurem præberi prohibet,etiam signa ac portenta danti, quæ eventus ipse vera esse probat; *quia Dominus Deus vester tentat vos, ut sciat an diligatis Deum Dominum vestrum ex toto corde vestro, & ex tota anima vestra.* Tentatio hæc per speciem veri est, sub qua ingens scelus latet; ac proinde quæ idonea est ad experimentum capiendum de animo populi, utrum à scelere isto, sub specie ista signorum latente, adeò abhorreat, ut speciem istam flocci facere velit: an vero ab eo adeo parum abhorreat, ut etiam levi specie duci se sinat ad scelus istud patrandum, id est, ad deficiendum à Deo, & ad falsorum deorum cultum se transferendum, sive ad committendum crimen læsæ divinæ Majestatis.

*Alia tentationum divinarum exempla à veteri Testamento. Primum, Jud. II. 2. 3.*

Præter hæc tentationum à Deo factarum exempla, quæ in lege occurrunt, vide insuper alia in Veteris Testamenti libris. *Primum* est *Jud.* II. 2. 3. ubi Angelus Domini in Gilgal ad Bochim, conqueritur apud populum quod pacto divino non stetisset, nec voci Dei obedivisset, feriendo pactum cum habitatoribus terræ Canaan, additque, *Non expellam eos à facie vestra, sed erunt vobis in lateribus,* (veluti flagella;) *& dii eorum erunt vobis in laqueum.* Postea *vers.* 20. 21. 22, ratio hæc clarius exponitur: *Propterea iratus est furor Jehovæ contra Israelem, & dixit: Eo quod transgressa est gens ista pactum meum quod præcepi patribus eorum, nec obedierunt voci meæ,etiàm ego posthac non expellam* (citò scilicet, uti ex *vers.* 23 apparet) *quenquam à facie eorum, de gentibus quas reliquit Jehosua & mortuus est; ut per eas tentem Israelem, sintne servaturi viam Jehovæ, ambulando per eam, sicut servaverunt patres eorum, an non.* Hæc tentatio, secundi generis tentatio est,quæ per facta fit; qua occasiones præberi diximus ad explorandum alicujus animum, quibus recte uti aut abuti potest. Recte uti, si contra eas animum erigat, & tantò minus peccare velit,quantò majorem peccandi occasionem sibi oblatam videt. Virtutis enim est contra vitiorum occasiones insurgere, & non abripi exemplis nec cedere, sed contra niti, infractumque animum gerere. Abuti potest, si exemplum vitæ suæ ab iis mutuetur,& à peccantium turba liberum sibi peccandi commeatum dari credat. Magnam enim vim habent exempla, & peccati licentia peccandique impunitas à peccantium multitudine petitur, adeoque peccatum vix creditur quando multi aut plerique omnes peccant. Sensus itaque hujus loci est: Reliqui gentes istas in medio populi mei, & non expellam eas cito, ut experimentum capiam, an occasionem illam arrepturus sit ad virtutis & obedientiæ profectum; in contrarium videlicet tantò acrius nitendo, ut dissimilitudine vitæ ac morum gentes istas ad æmulationem legis meæ provocet; an vero malam occasionem illam arrepturus sit ad exemplum vitæ suæ, consentiendo gentium istarum profanis damnatisque ritibus ac moribus, & sinendo se abduci ad eandem cum ipsis superstitionem ac profanitatem. Inter hæc duo præcipitia positi, palam facient, quo erga me animo sint, & an offendiculum, quod à me ipsis ponitur in pœnam rebellionis eorum, vitaturi sint, cautioresque imposterum facti occasionem mihi præbituri sint, ut gentibus istis expulsis eos ex asse atque in solidum hæredes possessoresque terræ hujus faciam. Quis tentationis hujus eventus fuerit, exponitur statim *cap. seq.* 3, &c. Ex quo forte colligitur sensum alium prædictis verbis *cap.* II. subesse; hunc videlicet: Reliqui gentes illas in medio populi mei, longe fortiores & potentiores populo meo, ut experiar

periar an mihi adhæsuri sint, quia earum potentiam frænare ac domare possum, & qui revera, si modo mihi adhæreant, domiturus sum, ut securi tutique ab earum tyrannide vivant; sin minus, ut statim per eas, tanquam per flagella & virgas, eos castigem, & tanquam per laqueos eos capiam, & in duram servitutem ab iis compingi faciam; prout factum fuisse passim legimus, simulatque populus à Deo suo deficiebat. Hoc sensu textus acceptus, aliam tentationis speciem facit.

*Secundum, 2 Paral. XXXII. 31.*

*Secundum exemplum* est 2 *Paral.* XXXII. *vers.* 31. *Attamen propter Legatos Principum Babel qui miserant ad eum,* (Ezechiam scilicet) *ut quærerent de portento illo quod factum erat in terra,* (quum scilicet umbra horologii retrocesserat) *dereliquit eum Deus, ut tentaret eum, ut sciret quicquid ei erat in animo.* Tentatio hæc Ezechiæ ad tertii generis, quod diximus, tentationem, quæ per facta fit, (sub quibus etiam non facta, sive derelictiones & permissiones continentur) referri potest. Videtur enim Deus, Ezechiam successibus prosperis regni sui primò elatum, sed postea humiliatum, & in gratiam secum reductum, augere voluisse, adeoque auxisse multis opibus, rerumque omnium affluentia, & regiorum thesaurorum supellectile ac copia; & Ezechias fortunam istam moderate aliquamdiu tulisse & reverenter habuisse, memor primæ fragilitatis suæ: Sed paulatim tamen ingenti ista fortuna sibi ipsi blandiri cæpisse, non tamen sic quin Deus subinde aurem ei velleret, intraque modestiæ terminos eum quasi contineret. At cum Legati isti Babylonii magno cum fastu ac pompa gratulatum ei venirent, voluit Deus tentare animum Regis, relinquendo eum sibi; id est, nec per prophetas ei significando ne eos reciperet, nec consilium dando aut monendo quomodo se gerere deberet; sed plane eum sinendo agere pro libitu atque animo suo, ut experiretur annon elati rerumque copia turgentis animi signa atque indicia daturus esset, atque ita quo animo tantam fortunam ferret palam fieret; an vero os Dei consulturus esset, & ex arbitrio ejus legatis istis responsa daturus: quod facere poterat ac debebat. Derelictio enim ista, non fuit gratiæ divinæ subtractio talis, ut ea posita Ezechiam aliter agere non fuerit possibile. Sic enim tentationi locus non fuisset: sed fuit tantum negatio aut non-datio novæ gratiæ, sive non-continuatio veteris gratiæ, sine qua Ezechias tamen officii sui rationem habere poterat ac debebat. Ad hæc exempla alia possent adduci ex utroque Testamento; sed ne prolixiores simus, à pluribus allegandis nunc supersedebimus.

*Tentationis finis.*

Restat ut videamus quis *tentationis* hujus divinæ *finis* sit. Id ex natura rei liquet. Cum enim tentare, sit experimentum sumere de aliquo; Experimentum autem sumatur de aliquo ut sciatur aliquid circa ipsum; id est, vel circa intellectum ejus, an vel quantum sciat, vel circa potentiam, an & quantum possit, vel circa voluntatem ejus, an & quantum amet vel oderit, desideret aut fugiat, speret aut desperet, gaudeat an tristis sit, &c. necesse utique est, ut proximus finis cujuslibet tentantis sit scientia. Cui tamen non repugnat, alios etiam fines remotiores dari propter quos scientia illa quæritur. Et fines hujusmodi duo sunt, pro conditione ac natura eorum qui tentant, Unus *bonus*, alter *malus*. Ad posteriorem sive malum finem quod attinet, is est vel deceptio vel subversio. Atque hic Diaboli & eorum qui diabolico, & malo animo præditi sunt, proprius est. Unde Diabolus passim πειράζων, adeoque ὁ πειράζων dicitur: *Matth.* IV. *vers.* 3. & 1 *Thess.* III. 5. De hoc non agemus hoc loco. *Bonus finis* est, cum scientia quæritur de animo alicujus, an hoc vel illud sciat, an possit, an velit; & si bonus est, bono ejus & commodo, si malus, bono aliorum. Si bonus sit, tum finis qui intenditur multiplex esse potest: vel, ut si segnis sit torpeatque in faciendo officio suo, alacrior excitatiorque reddatur & quasi evigilet: vel, si jam recte incedat, officiique sui non indiligentem rationem habeat, ut amplioris adhuc profectus materiam consequatur; vel, si jam exercitatus sit in pietatis stadio robustiorque factus, virtutis eximiæ documenta aliis præbere possit, ut veluti in theatrum aliquod producatur, exemplumque fiat illustris alicujus & tali athleta dignæ virtutis, ut alii ab eo habeant quod imitentur: vel ut tentamentum & periculum fiat in eo, quousque homo adspirare possit ac debeat, ut Deo suo morem gerat, eique similis fiat: vel denique ut ipse homo sibi ipsi notus fiat, suaque ipsius virtute virtutisque conscientia bona, paulò magis gaudeat. Si malus est, ita ut vel virtutem simulet vel improbitatem suam dissimulet, ut in apertum producatur, ne alios sub virtutis specie fallat, aut improbitatis suæ arcanæ contagio inficiat. An finis etiam Dei sit, ut in malo isto induretur, & induratus exemplum fiat patientiæ simul ac iræ divinæ, suo loco, cum de Providentia divina circa malum agemus, propius examinabimus.

Hosce fines Deus sibi propositos habet, bonos illos omnes justosque. Nunquam enim Deus quemquam tentat sine malo, id est, cum proposito atque intentione ut ei malum inde eveniat; nempe ut per eam incidat, vel in peccatum aliquod inevitabile, vel in pœnam, propterea quod impossibile ei sit, nulla sua culpa propria, nullove suo merito proprie dicto, tentationi isti resistere; quo modo quidam reprobos omnes à Deo tentari volunt, non minus inepta, quam crudeli sententia. Inepta, quia reprobum, seu tentatum, seu non tentatum à Deo, in peccatum incidere necesse esse statuunt, ob defectum gratiæ necessariæ ad peccatum evitandum, & vim originalis peccati, à nativitate ipsa nullo ipsorum vitio contracti & plane inemendabilis. Quid vero ineptius quam talem tentari à Deo, an bene agere, credere ac resipiscere velit? Talem tentare, tantundem est, atque experimentum capere, an terra in cælum evolatura sit, plumæ instar aëriſve, an infans recens natus ambulaturus sit, &c. Crudeli, quia quid atrocius cogitari potest, quàm talem tentari à Deo, ut si tentationi cedat, (cui non potest non cedere ex divinæ punitionis vi, qua eum peccato originali infectum nasci voluit, & gratia omni necessaria destitutum manere semper vult) in graviorem condemnationem incidat? Nos hac inepta & barbara, Deoque summè injuria opinione valere jussa, teneamus illud Apostoli *Jacobi cap.* I. *vers.* 13. *Nemo cum tentatur* (ad malum scilicet) *dicat, à Deo tentor.* ὁ γὰρ θεὸς ἀπείραστός ἐστι κακῶν, πειράζει δὲ αὐτὸς οὐδένα; id est, tam alienus est voluntate à tentando, id est, inducendo ullo homine (ad malum) quàm natura alienus est ut malis ullis tentetur, sive inducatur ac peccandum.

*Quomodo Deo omniscio tentatio tribui possit.*

At difficultas hîc manet, quam secundo loco tractandam sumsimus: Quomodo videlicet Deo tribui possit tentatio. Ratio difficultatis est; quia tentare propriè est experimentum sumere. Nullus autem experimentum sumit de eo de quo certus est: ideoque omnis tentatio ex aliqua vel ignorantia vel dubitatione procedit; Deus autem est omniscius omniaque etiam arcanissima perspecta habet.

Hæc difficultas multos merito torquet, & fortasse nodus Gordius est, quem facilius est secare quam solvere. Sunt qui hoc argumento, præter alia, moventur ut infallibilem liberorum actuum præscientiam Deo negent competere. Hi facile se ab hac difficultate expediunt: sed ut hypothesin hanc suam contra omnes fere Theologos adserant, non minoribus nec paucioribus difficultatibus se impediunt. Sunt alii quibus religio est hanc perfectionem Deo non tribuere, ne Deo & divinæ Majestati quicquam detrahant, & variorum Scripturæ S. locorum, quibus illa perfectio Deo tribuitur aut tribui saltem videtur, sensibus vim inferant, qui Deo præscientiam liberorum actuum competere quidem fatentur, sed eandem tamen divinæ voluntati subjiciunt; ita ut Deus quidem scire possit liberos actus si velit, sed & nescire posse, si nolit eos præscire. Et hi etiam facile nodum hunc solvunt. Et in hac sententia quibusdam videtur fuisse Durandus, sed sine ratione: cui tamen quid facile opponi possit non video; nisi quod juxta hanc opinionem, Deus religionem præscribere volens, statuatur vim naturæ suæ facere voluisse; ac proinde Religionis præscriptio histrionia quædam potius sit, quàm naturæ divinæ conveniens actio.

Sunt itaque alii, qui Deo excellentiam hanc tribuentes, quod futura omnia infallibiter præsciat, hæc & similia quæ jam adduximus loca ita interpretantur, ut per *scire* intelligi dicant transitivum verbum in *Hiphil*, scire facere, tum eum qui tentatur, tum alios qui ejus qui tentatur virtutes aut vitia ignorant; ut videlicet tum is qui tentatur, se ipsum discat noscere, tum alii ab eo exemplum sumant quod imitentur aut fugiant. Et hæc est ferè communis omnium Theologorum sententia. Sed, quod cum pace eorum dictum esto, non videtur hæc expositio convenire verbis textus, imo istis videtur directe contra-ire. Verba enim *Deut.* XIII. 3. & *Deut.* VIII. 2. sic habent: *Quia tentat vos Dominus Deus vester,* לרעת *ad sciendum, an diligatis Dominum Deum vestrum, ex toto corde vestro & ex tota anima vestra.* Item, *ut affligeret ac tentaret te,* לרעת *ad sciendum,* sive ut sciat, *quid sit in corde tuo, utrum observaturus sis præcepta ejus, an non.* Similiter 2 *Par.* XXXII. 31: *Dereliquit* Ezechiam *Deus, ut tentaret eum, ad sciendum,* id est manifestandum *quicquid in corde ejus erat;* vel (quod malim) quid in corde ejus esset. Cui adde, quòd Angelus Dei, sive Deus ipse, ut quidam volunt, de se ipso affirmet, *Genes.* XXII. 12: *Nunc enim* ידעתי *cognovi quod timens Dei es, quòd non pepercerit filio tuo, unico tuo, propter me:* Quibus verbis nihil clarius dici potest. Qui verbum hoc activum legunt in *Pihel* per ידעתי vel in *Hiphil* הודעתי id est, alios vel te ipsum cognoscere feci, vel manifestavi, ii sine ullo auctore id faciunt, & contra ipsam rei veritatem. Cui enim cognoscere tunc (N. B. *tunc*) fecit Deus, sive cui manifestavit Abrahamum

Dei timentem esse? Nulli certe tum id manifestatum fuit, nisi dicas Deum ipsi Abrahamo aut Isaaco id manifestum fecisse: quod profecto colorem non habet. Contra enim, textus ipse dicit, Abrahamum Deo ostendisse se timore ejus duci: & istud scivit cognitumque habuit Abrahamus, antequam Angelus ipse ad eum hæc clamaret. Isaaci eadem ratio esse potest.

*Quæcumque leguntur de tentationibus divinis, ad Angelum Dei legatum referenda esse.*

Quid ergo, inquies, de hac re sentiendum erit? Ego, ne quid divinæ Majestati detraham, & claris hujusmodi locis tenebras non suffundam, salva aliorum sententia, sic statuo: Deum ab hoc toto negotio secludendum esse, & quæcunque hîc, adeoque passim leguntur de tentationibus hisce, tanquam à Deo ipso factis, non nisi ad Angelum istum qui Dei vicem gessit & nomine Dei cum Abrahamo & populo Israelitico egit, referenda esse. Arbitror enim cum nonnullis, imprimis cum doctissimo Gabriele Vasques, disput. 85. cap. 2. tom. 1. Deum nihil immediate egisse, nec agere voluisse, sed Angelo suo tanquam legato & vicario suo provinciam hanc universam demandasse, & sic quæcunque ille egit, ea tanquam si ab ipso Deo facta essent, recenseri: Angelum autem istum, vel speciali divino jussu accedente, vel suopte proprio motu, tentasse tum Abrahamum, tum populum aliosque, ut quo animo erga Dominum suum essent intelligeret, atque ita fidelem Deo suo populum redderet. Angelum autem hunc ignorasse quid futurum esset, & experiundo id cognovisse, nihil habet repugnans veritati. Quod autem res hæc tota cum Abrahamo, & deinde cum populo Israelitico, per Angelum gesta sit, ex historia Abrahami Sole clarius liquet, & à nobis, cùm de revelatione per Mosem facta agemus, plenissimè demonstrabitur.

Quid interim de ipso altissimo & benedicto Deo sentiendum sit, non est hujus scholæ aut temporis inquirere, Ego, uti de Deo summa & perfectissima quæque libens credo, aut persuaderi mihi patior, ita necessarium non esse arbitror, ut hac de re in alteram partem quidquam definiatur. Sufficit ad regimen universi, & ad Religionis exercitium, ut Deus perfectè sciat cogitata, dicta, ac facta omnia. Ut sciat quæ liberè futura sunt, non est necesse. Interim negare Deum ea scire posse, aut actu scire, temeritatem forte sapit: quia vix veritas divina salvari potest absque istius præscientiæ agnitione; &, si ea agnoscatur, Justitia divina sarta tecta constat; etsi lubens fateor, admodum difficile esse eam cum Sapientia, cura, & solicita adfectuosaque illa Dei gubernatione, quæ passim in Scriptura Deo tribuitur, componere. Cum bonitate tamen divina eam facilius componi posse idcirco credo, quia cum justitia ejus optime convenit: quamquam fateor & hîc scrupulum aliquem injici posse, qui non facile animis vulgi eximi queat. Sed hac de re suo loco ex professo agemus.

Tantum, his quæ hactenus dicta sunt à nobis, hoc unum addimus: Tentationis quæ à Deo facta sit, verbis jussum speciale continentibus, exempla non reperiri præter hoc unicum Abrahami, nedum tentationis tam gravis aut tam arduæ: ut omnino exemplum hoc videri debeat unicum ac singulare in mundo esse, & exemplum summæ tentationis cui alia similis aut par dari non potest. Nuspiam enim legere est, Deum cuiquam mortalium mandasse actum aliquem singularem, nedum talem tantumque, nullo alio fine quam ad tentandum eum.

*An tentationis exemplum contineat id quod Christus Matt. XIX. 21. adolescenti cuidam mandat.*

In Novo Test. *Matth.* XIX. 21, legimus Christum Jesum Dominum nostrum adolescenti cuidam mandasse, ut venderet omnia quæ habebat & ea daret pauperibus. At nec tentandi animo id à Christo factum fuisse legitur, nec mandatum illud, speciale mandatum fuisse certum est, nec denique cum mandato Abrahamo dato à Deo conferri meretur. Quid enim sunt bona & divitiæ, si cum filio unigenito & dilecto conferantur? Quid commune habent venditio bonorum, & filii tam cari mactatio? Vitam suam si profundere adolescenti jussisset Christus, longe tamen impar adhuc fuisset præceptum. Vitam enim filii sui longe potiorem propria sua ducit bonus pater, uti jam ante diximus. Ex quo etiam colligo, verba illa Christi apud Matthæum, *Si vis perfectus esse*, non referenda esse ad actum illum venditionis bonorum; quasi Christus significare voluisset, perfectionem in eo consistere ut quis vendat omnia bona sua & ea pauperibus det: (nam præterquam quod id fieri possit ab eo qui caritate est destitutus, uti disertè adserit Apostolus, aut saltem non obscure innuit 1 *ad Corinth.* XIII. 3. longè major perfectio in eo sita est, si non hæc una proprie dicta perfectio est, ut quis vitam suam profundat pro nomine D. Jesu Christi: ut jam non dicam inter ipsos gentiles fuisse, qui bonis omnibus suis sponte sua se abdicarunt ut tanto liberius philosopharentur:) sed referenda esse ad id quod Christus præcipue intendebat, ut videlicet se in disciplinam suam adolescens traderet, & sic intelligeret discerétque quæ ad æternam vitam consequendum docturus eum esset: ut sensus sit, Si vis perfectus esse, id est, perfectissime à me edoceri, de omnibus istis quæ necessaria tibi esse judico, ut æternam vitam consequaris, totum te mihi tradas oportet: atque si is tibi animus est, age nobili aliquo facinore id ostende; Abdica te bonis omnibus tuis ut pauperibus gratiam facias, & solve te terrenarum omnium rerum amore ac cura, & sic in disciplinam meam traditus, & à me edoctus perfectissime, habebis aut invenies tempore suo thesaurum in cælis talibus reservatum. Hunc sensum loci hujus, præter ea quæ jam diximus hæc duo evincunt: 1. quod alia longe plura & graviora multò præcepta, suis tradebat Christus ad beatæ vitæ præmium consequendum. 2. quod Christus ipse statim deinde addat, *Et ade sdum & sequere me.*

*Quam excellens fuerit Abrahami filium offerentis obedientia, & erga Deum amor.*

Sed ad rem. Cum tentatio hæc facta fuerit, verbis tam singulare atque arduum jussum continentibus, necesse utique est, ut actus obedientiæ isti divino jussui præstitæ, singularis fuerit, & cum quo nullus alius conferri meretur. Magnus atque ingens actus obedientiæ est, vitam suam ponere pro fratribus suis: sed major, vitam eripere ei cujus vitam nostra morte redemtam cuperemus. Magnus actus amoris erat quo ducebatur Moses, cum *deleri se* rogabat *ex libro vitæ*, ut gratia ac venia fieret rebelli populo: *Exod.* XXXII. 32: ne gloriæ divinæ quidquam decederet ob delectum populum. Et major forte amoris actus fuit, quo Paulus optavit *Anathema fieri à Christo pro fratribus suis*: *Rom.* IX. *vers.* 3. Sed utrumque amoris actum tantum superat amor Abrahami, quanto majus est filium suum ex libro vitæ delere, & anathematis instar manu propria jugulare, quam optare ut vel ipse moriaris, aut à Deo morte ignominiosa & acerba adficiaris, vel anathematis instar truculenta morte pereas ἀναθεματιζόμενος. Sic enim interpretor utrumque locum: ut, quod ad primum attinet, *deleri ex libro vitæ* aliud nihil sit, quam ex viventium numero tolli, juxta id quod est *Psal.* LXIX. 29. & phrasi usitata Scriptoribus sacris Vet. Test. etsi alio sensu eam accipiant scriptores Novi Testamenti, ut *Philip.* IV. 3. *Apocal.* III. 5. Nec mirum: In Veteri Testamento vita, hanc præsentem vitam semper significat, quia ejus promissiones omnes corporales sunt, utpote typicæ & umbratiles: *Lex enim habuit umbram futurorum bonorum*: *Heb.* X. 1. In novo vero Testamento promissiones omnes sunt spirituales & æternæ. itaque *vita* isthic semper significat vitam futuram & æternam, nisi expresse ab ea distinguatur, uti fit, 1 *Timoth.* IV. 8. Quod ad secundum locum attinet; ut *Anathema fieri*, vel esse, *à Christo*, sit anathematis instar, quod veluti prophanum ac sacrilegum sub interdicto est, & sine ulla redemtione, (ut est *Levit.* XXVII. 28. 29.) morti devotum est, tractari: quasi dixisset Apostolus; Optarem ego esse, id est tractari & haberi à populo, non alio loco quàm si sub interdicto essem, & anathematis instar, commune mihi nihil esset cum sancto populo & cum Rege ejus Messia; adeoque certa & crudelissima quavis morte mulctari, non aliter quam ii in quos anathema pronunciatum est. Qui utrumque hunc locum sic exponunt, ut utrobique credant agi de voto æternæ perditionis, & separationis à visione Dei & sempiterna fælicitate, ii nullo modo mihi probantur: quia credo ejusmodi votum, non modò non esse laudabile, Deove gratum, sed nec decorum nec licitum, adeoque indignum quod viris tantis, tanto Dei divinæque visionis amore flagrantibus, adscribatur. Addere possem votum esse de eo quod moraliter impossibile est. Ut enim quis æternum non beatus esse velit, imo id velle se, voto composita ac sedata mente concepto, testetur, cùm possit beatus esse, & beatum se futurum credat, nisi voto suo sibi ipsi obsit, in sanam mentem non cadit. Quod si cui aliter videtur, is hoc unum cogitet: Si tantus amor populi tribuatur viris istis, majorem longe amoris perfectionem iis tribui, quam fuit ipsius Christi amor erga nos: quod mihi admodum absurdum dictu videtur.

*Superavit longè amorem Moſis petentis ut ipſe deleretur ex libro vitæ, & Pauli optantis anathema fieri.*

*Deus tentans Abrahamum jubet ei actum quē ipſe decreverat impedire, & aliud velit voluntate ſigni, aliud voluntate beneplaciti.*

Ultimum quod in hac tentatione Abrahami tanquam singulare (& quod fere huic tentationi proprium ac peculiare videtur) annoto, est: Quod ea facta fuit per verba jubentia actum, quem ipsum tamen Deus fieri aut præstari nolebat, sive quem Deus decreverat impedire actu suo proprio. An talis unquam à Deo facta fuerit tentatio, mihi non liquet. Certe in omnibus quæ mihi occurrerunt hactenus observo, Deum semper velle, actum istum quem jubet revera præstari; etsi ut plurimum actum illum quem vetat & prohibet, fieri permittat, aut aliquando etiam ipse impediat. Aliud enim est permittere sive non impedire ut fiat quod vetatur malum; aliud impedire ut non fiat actus externus qui jubetur, & bonus quidem est, sed tamen ab interno actu voluntatis habet quod bonus sit. Id hoc fine tantum annoto, ut videatis in hoc mandato divino duplicem voluntatem Dei locum habuisse, videlicet *voluntatem beneplaciti*, & *signi*,

sive

sive *arcanam & revelatam.* Illam fuisse qua placuit Deo ut actus jugulationis externus non fieret: hanc fuisse qua Deus significavit & declaravit sive revelavit se eum velle, mandando & præcipiendo eum Abrahamo. Quid mirum? Tentationis istius natura id postulabat. Qui aliter paulo hîc respondendum putant, ne duplicem illam Dei voluntatem cogantur admittere, videlicet actum oblationis revera præstitum fuisse, quia plena voluntate præstitus fuit, ii dicunt quidem id quod verum est, sed scrupulum non eximunt nec nodum solvunt. Quia actus ipse externus, quà talis, mandato fuit expressus: at cum eum Deus impediverit, necesse utique est ut credatur Deum actum illum apud animum suum noluisse, quamquam eum verbo aut ore suo mandabat. Interea verissimum est quod dicunt, voluntatem Abrahami plenam pro facto fuisse, & sic dici Abrahamum *obtulisse filium suum: Jacob.* II. *& non pepercisse filio suo: Genes.* XXII. At nihil vetat concedere, duplicem hujusmodi voluntatem in hac tentatione Dei locum habuisse, imo in omni tentatione tali, qua voluntas hominis exploratur, an actum externum adsectibus suis ingratum, imo ingratissimum, præstare velit, quem præstitum tamen nolumus, quia sufficit ut actus internus ponatur, à quo ille externus totam bonitatem suam habet, omnino necesse est ut duplex voluntas concurrat, una actum illum externum jubens, altera actum illum volens impedire, postquam constiterit de plena faciendi voluntate; quia non in externo isto actu, sed in ipsa προαίρεσει sive deliberata plenaque voluntate, obedientia posita est. Plus enim aut majus quid est velle facere, quam actu facere. Velle enim liberrimus actus est. At factum necessario sequitur, ubi voluntas plenè deliberata est, nisi aliunde impediatur.

*Distinctio hæc voluntatis non habet locum in vocatione hominum ad salutem.*

Cavendum tamen serio est, ne hac voluntatis distinctione, cum de externa vocatione hominum ad salutem agitur, abutamur: ad exemplum & morem eorum, qui cum credant Deum absoluta beneplaciti, ut loquuntur, voluntate, maximam partem generis humani à salute & salutis æternæ spe reprobasse, eandem tamen à Deo ad salutem vocari asserunt, sed non nisi voluntate signi; & signi quidem, non quo Deus significat sibi conversionem & salutem eorum placere & cordi esse: ad gloriam enim divinæ severitatis, ut quidam, vel supremi dominii & liberrimæ potestatis, ut alii volunt, pertinet, ut Deus contrarium velit, ne fine suo, id est gloriâ suâ, excidat: sed quo significat officium eorum esse ut se convertant, & ad vitæ æternæ præmium adspirent, etiamsi ut id faciant plane ipsis sit impossibile, nulla ipsorum propria culpa aut voluntate, sed ex ipsius divinæ punitionis & originalis debilitatis inde consecutæ vi. Qua opinione nescio an crudelior Deoque indignior concipi possit. At licet ea hoc solo nomine mereatur censeri inter falsissimas; tamen quia distinctione ista voluntatis se tuetur, ostendendum etiam obiter est, quam sit inepta. *Primùm,* hac ratione vocatio omnis divina qua reprobos vocat, mera & ordinaria ac continua tentatio esse statuitur. Et cujusmodi quæso tentatio? non qualis hîc in Abrahami exemplo occurrit: in ea enim actus externus qui mandabatur, non tantum præstitu possibilis, sed & revera præstitus fuisset ab Abrahamo; sed stulta simul ac ridicula, qua tentatur an futurum sit id quod prorsus impossibile est ut fiat. Nimirum tentabit Deus, & semper iterum tentabit, an reprobus credere & convertere se velit, id est an facturus sit quod impossibile ei est. Hoc est tentare an cæcus, manens cæcus, visurus sit. *Secundò,* hac ratione, ipsa Euangelii prædicatio voluntas signi esse dicetur, cùm sit ipsa voluntas beneplaciti, & sic disertè vocetur, *Rom.* XII. 2: non tantùm quia Deo suum proprium velle bene placet, neque tantùm quia Deo placet quod fiat aut quando fit id quod vult, neque tantum quia placiturum Deo esset si fieret quod vult; sed etiam quia placet Deo ut fiat id quod vult, ab iis quibus jubet aut verbo significat se id velle; contra quam isti sentiunt, qui beneplacitum Dei esse asserunt, ut reprobi non velint nec faciant id quod verbo ipsis significat se velle, sive quod mandat & præscribit eis; idque ne finem suum non consequatur, id est gloriam justitiæ suæ; uti loquuntur. Notandum enim est eos, quando dicunt reprobos vocari voluntate signi, ut ajunt, & non beneplaciti, non tantum eo sensu id dicere, quasi Deus non velit, aut Deo non placeat, in istis irresistibili gratia sua efficere id quod mandat; sed & sensu priore ac potiore, ex quo videlicet ille sensus necessario sequitur; quia Deo non placet ut isti reprobi suæ vocationi aurem præbeant aut fidem adhibeant; imò contrà, quia ei placet ut aurem non præbeant, adeoque ut in nativa corruptione sua hæreant, quò sic in iis materiam reperiat aut habeat, circa quam occupetur, in demonstranda justitiæ suæ ac severitatis, in hos non in illos gloria. Prius itaque Deus vult, secundùm istorum opinionem, ut reprobi increduli maneant, quam vult vi & gratia irresistibili non uti ad fidem iis ingenerandum; imò quia non vult ut credant, hinc non vult gratia sua sufficiente eos donare ut credere possint, nedum irresistibili ut actu credant. Ex quo consequitur, *Tertiò,* voluntatem istam qua Deus reprobis quos vocat, non vult gratiam sufficientem dare ut credere possint ac resipiscere, nedum irresistibilem ut actu credant & resipiscant, voluntatem beneplaciti futuram, cùm potius sit voluntas maleplaciti, quia est adfectus summi odii, quod proprie adfectus est aversationis: cùm tamen vocatio ad fidem & ad salutem quæ verbo fit, actus sit εὐδοκίας & χάριτος, quibus semper significatur adfectus benevolus & gratiosus. Denique *Quartò,* vocatio reproborum quæ voluntate signi sola fit, mera erit hypocrisis & crudelis illusio: Hypocrisis, quia per eam videbitur Deus foris ostendere benevolentiam suam, & amorem tum resipiscentiæ tum salutis eorum, cùm tamen neutrum Deus velit voluntate beneplaciti, nec velle possit, ne gloriæ suæ summam curam non gerat: Crudelis illusio, quia per vocationem istam Deus non tantùm occasio vel caussa erit infidelitatis & inobedientiæ eorum, quia reprobos vocationi isti respondere impossibile est; sed & majoris gravioriſque pœnæ, in quam eos propter istam necessariam infidelitatem incidere necesse est. Atque hactenus quidem de hoc Abrahami obsequio.

## CAPUT X.

## De præcepto circumcisionis, & Abrahami in eo exsequendo alacritate.

*Gravitas præcepti circumcisionis.*

TErtium præceptum Abrahamo datum, est præceptum *circumcisionis: Genes.* XVII. Unde circumcisio *non ex Mose, sed ex patribus esse* dicitur, *Joan.* VII. 22. Præceptum acre profecto ac severum; quia, quod in prioribus duobus non fuit factum, acri ac severa comminatione sancitum est. An gravitate prioribus duobus par dici mereatur, non disputo. Quin priore gravius, & secundo levius fuerit, vix dubitari potest. Interea grave admodum fuisse vox ipsa *circumcisionis* satis arguit, quæ prima statim significatione sua, actum notat qui dolorem simul ac pudorem in se habet. Quam grave autem fuerit in ætate ista provecta, in corpore isto senili, in familia ista pudica & honesta, actum illum non dolendum tantum sed & pudendum patrare, sive dolorem & pudorem istum posthabere præcepto isti, quis non videt? Nempe præceptum generale erat, & quod omnes mares complectabatur, nullo ætatis aut conditionis discrimine; senes, juvenes: liberos, servos, tam vernas quam emticios, mercenariis forte atque advenis exceptis, si qui fuerunt. Pudor quasi abjiciendus videbatur, & dolor ferendus omnibus. De pudore per se liquet: de dolore non minus; imprimis eorum qui provectiores erant ætate, & sensus tenerioris. In ætate enim infantili quæ multum humida adhuc est, dolor forte minor est. Utrobique tamen dolorem esse arguit historia: & Sichemitarum quidem quod ad adultos attinet: *Genes.* XXXIV. *vers.* 25. ubi Sichemitæ adulti circumcisi, dicuntur *fuisse in dolore tertio die:* sive eo significatum velimus, tertio die dolorem exacerbatum fuisse & incruduisse, vel intensiorem redditum fuisse, eò quod plerumque secundum Medicos die tertio quartove post vulnerum inflammatio major est, & humores acriores; quod febres quæ non raro isto tertio quartove die se produnt, videntur arguere: sive velimus sensum istorum verborum esse simplicem hunc: Tertio die quum in dolore (adhuc scilicet) essent, sive cùm dolor adhuc duraret: quamquam prima expositio verisimilior videtur. ut ut sit, dolor adesse significatur, & diebus aliquot durans. Idem arguit quoad infantes historia Tzipporæ uxoris Mosis: *Exod.* IV. quando filium suum in via circumcidere quasi cogebatur, ne ab Angelo maritus ejus Moses, ob intermissam filii sui circumcisionem (forte in uxoris Madianiticæ gratiam) perimeretur: jam enim periculum erat. Nam Tzippora quando circumcisio jam facta erat, sive indignatione quadam animi, sive ægritudine & dolore, fortean fletu & ejulatu ac clamore filioli, sive (quod verisimilius est) sanguine multo tenerrimi infantis ejusque lachrymis vehementer commota, abjecisse dicitur præputium adhuc sanguinolentum ad pedes Mosis, & dixisse; *Sponsus sanguinum mihi es;* id est, sanguinarius, ut viri sanguinum pro sanguinariis homicidis, phrasi Hebraicâ dicuntur. Quasi diceret: Non possum te habere sponsum ac maritum, nisi sanguine filioli mei innocentis cruentem manus meas, & homicidio pene alio cædem tuam avertam: En habe itaque præputium sanguine adhuc madidum. Dicitur enim ita locuta esse *propter circumcisionem,* quæ sine sanguine non fit.

*De intermissa in deserto circumcisione.*

Propter hunc dolorem qui ex circumcisione oritur, & die-

diebus aliquot durat, arbitrantur multi circumcisionem 40 annis, aut (ut alii volunt) 38 annis post stationem ad montem Sinai, quæ annum ut creditur integrum duravit, cum deinde continuis profectionibus populus urgeretur, & sæpe castra essent movenda, ne ægrorum imbecillitas ex recenti vulnere moram injiceret profectioni, non modo intermissam fuisse in deserto, sed & impune intermissam esse; sive, Deum intermissioni isti pœnam noluisse statuere, quòd ea tam justam causam, putà dolorem, haberet, ad quem sedandum quiete opus est: sive quia in vastissimis illis disertis Arabiæ nullæ gentes erant, quibus misceretur sacer populus, ut distinctione & notis opus non esset. Unde factum ut simulatque miscendus erat gentilibus in terra Canaan, circumcisio secundò quasi instituta sit, ut est *Josu.* V. *vers.* 2. non quod ii qui circumcisi semel fuerant, iterum aut secundò circumcidebantur: sed quod à tempore Abrahæ, circumcisio usque ad exitum ex Ægypto diligenter quidem observata fuerat, sed deinde per annos 38 aut 40 intermissa fuerat, ut circumcisio quasi nova & generalis totius populi tum facta fuerit. Sententiæ tamen hæ non videntur carere dubitatione. Nam quod ad primam attinet: Motio illa castrorum & profectionis incertitudo, quæ periculum vitæ circumcisis adferre potuisse dicitur, non videtur sufficiens nec justa causa intermissionis esse. Infantibus enim circumcisis motio illa nocere non poterat; utpote qui gremio aut ulnis gestabantur, quod tantundem erat ac si in lecto recubuissent. Et Zipporæ exemplum, in via circumcidentis filium, non parum firmat hanc responsionem. Adultorum alia fuisset ratio, quippe quos pedibus propriis iter conficere, aut equis vehi, vel asinis mulisve impositos, oportuisset castra sequi, quod sine magna concussione fieri non poterat. Quod ad secundam verò sententiam: Jusserat Deus populos Cananæos exscindi, & nihilominus iis deletis circumcisionis ritum rigide servari, ex quo efficitur populum non satis causæ habuisse ut circumcisionem in deserto omitteret, quia videlicet ibi periculum non erat ut extraneis gentibus misceretur. Quare crediderim optime sentire eos, qui circumcisionem intermissam esse volunt divina directione, ex eo tempore quo populus, exploratorum decem diffidentia motus, murmuravit contra Dominum renuitque terram promissam invadere; quod duobus præterpropter annis post exitum ex Ægypto accidisse creditur. Historia exstat *Num.* XIV. Tum enim iratus Deus dixisse legitur, futurum ut omnes isti murmuratores à viginti annis & supra in deserto morerentur, (sive eos velimus bellatores tantùm fuisse, uti *Josuæ cap.* V. diserte videtur indicari, *vers.* 6. in quorum numero Levitas non fuisse censitos ex *Num.* I. colligitur: sive velimus omnes omnino tribus inter eos censeri, ne Levitis quidem exceptis, ne cogamur concedere Levitas infantes suos in deserto circumcidisse; quod vix verisimile est; & quia *Jos.* V. 4, dicitur mortuos fuisse omnes mares qui ex Ægypto egressi erant & bellatores) & *filii* eorum *portarent* eorum *fornicationem*, id est non aliter quàm gentiles præputiati in deserto versarentur, quasi non essent peculiaris Dei populus: qua phrasi id indicari ex eo colligitur, quia postea Deus dicit ad Josuam, cùm jam circumcidisset populum: *hodie abstuli opprobrium Ægypti à vobis*. Ut itaque divinæ hujus punitionis veritas manifesta esset, omnes istos qui in deserto post istud tempus nascituri erant, incircumcisos manere voluit. Sic enim post elapsos annos 40, certò constare poterat neminem circumcisum, supra annos viginti natum, superstitem mansisse. *Num.* XXVI. 64. 65. Quod de Borea vento, quem in plagis & vulneribus volunt Judæi ventum ἀλεξίκακον esse, David Kimchi ait, quod (videlicet toto isto 40 annorum spatio non flaverit in deserto, utpote nubifugus & cælum serenans, ne nubes videlicet supra tabernaculum aut sacrarium dissiparetur, atque ea de caussa circumcisio fuerit intermissa, putidum ac vernile commentum Rabbinorum videri debet. Quin caussa aliqua gravis subfuerit, dubitandum non est, cum videamus Deum Mosi adeo graviter succensuisse ut mortem ei minaretur, quod videlicet satis gravem caussam non haberet, quominus filium suum circumcideret: nisi specialem hìc rationem militasse velimus in Mose, quia populi dux futurus erat. Nam alioquin nulla comminatio præcepto addita legitur, quæ ad parentes spectat vel socordes & segnes, vel negligentes & securos officii sui in procuranda circumcisione, sed tantum quæ ad infantem spectat; quod videlicet eradicabitur anima ejus è populo.

*Quid intelligatur per eradicationem animæ incir-*

Quamquam ex hoc ipso exemplo ego facile hæc duo collegerim. 1. eradicationem illam ex populo hìc non notare interemtionem violentam, seu præmaturam & præcocem mortem eamque ignominiosam, quam Deus ipse vel per se vel per alium quemcunque inflicturus sit, prout aliis in locis notat: ut *Levit.* XX. 18. & XVII. *vers.* 4. 10. *Exod.* XII. 15. & XXXI. 14. 15: sed tantum mortem civilem, quæ in eo consistebat, quod nullo civitatis Judaicæ jure usuri, nullo bono Judaico populo singulariter promisso gavisuri aut fruituri, sed veluti mortui omnium bonorum incapaces habendi essent: quo sensu accipitur phrasis hæc, *Levit.* VII. 20. 21. & XVII. 4. 9. & XIX. 9. & XX. 18. *Exod.* XII. 15. & XXXI. 14. 15. *Numer.* XIX. 20. 2. Et quamquam nulla expressa comminatio parentibus negligentibus fit, in eos tamen Deum non modo animadvertere velle, sed & graviore pœna velle animadvertere, quam est illa eradicatio incircumcisosum infantium. Utrumque inquam hoc facile ego hinc collegerim, non modo ratione hac adductus, quod tota atque universa culpa parentum sit, si infans incircumcisus maneat; sed imprimis ex eo, quod Deus hìc legatur voluisse occidere Moysem, infante præterito, utpote ad quem sola damni istius, de quo dixi, pœna pertinebat. Pœnam itaque majorem incurrisset Moses, etsi eâ lex hæc sancita non erat, quam infans, ad quem tamen solum comminatio Legi addita pertinebat. Unde colligo pœnam comprehensam comminationis verbis, non esse pœnam excidii aut violentæ interemtionis, nec eam quæ *excisio* quibusdam Rabbinis vocatur & à morte simplici distinguitur: qua videlicet fit ut quis moriatur ante tempus; quod alii finiunt anno quinquagesimo, alii sexagesimo, alii medio inter utrumque: (Nec enim ratio ulla est qua opinio ista nititur, nec exemplum ejus certum dari potest:) sen, ut ita loquar, excommunicationis sive separationis à prærogativis, privilegiis, dignitatibus, muneribus, functionibus, & nuptiis circumcisi & fœderati populi; quando videlicet ad infantes incircumcisos refertur.

*cumcisi è populo.*

Quod ut intelligatur, de *Circumcisione* ipsa latius quid dicendum est, quæ vocatur tum *fœdus* ipsum, tum *signum fœderis*, tum *signaculum justitiæ fidei*. Ac *fœdus* quidem *vers.* 8. & *fœdus perpetuum*, *vers.* 13. & *Act.* VII. 8. *Signum fœderis*. *vers.* 11. & alibi. *Sigillum*, vel signaculum, *justitiæ fidei in præputio Rom.* IV. 11. Ex quo efficitur, circumcisionem institutam à Deo esse ut arctissime semper fœderi adhæreret, & quia una ac sola erat cæremonia quæ fœderi à Deo adjungebatur, ut non minus serio quam fœdus ipsum servaretur, adeoque fœderi utrimque obsignando serviret. Qua ratione inquies? Ex parte Dei promittentis, dupliciter: Primò, ut circumcisio ista non quatenus in carne simpliciter aut quovis modo facta erat, (sic enim occulta semper esse poterat) sed quatenus conscis omnibus ut cæremonia divina usurpabatur, (sic enim publica & manifesta erat) veluti tessera ac signum esset evidens, populum istum, peculiarem esse populum, & à reliquo mundo segregatum, cujus curam habere Deus vellet, tanquam populi jussu suo signati, & signo quidem non idoneo tantum ad segregationem istam significandum, (quod quemadmodum præputium natura carni reliquæ adhærens separatur à carne, ita etiam populus hic à reliquo mundo cui inhærebat separandus esset futurus) sed etiam ad eam signandum ubicunque locorum esset; ita ut aut dissimulari, aut simulari, aut tegi, aut obliterari non possit. An, quod quidem arbitrantur, medica arte fieri possit ut excisa pellicula renascatur, nolo inquirere. Id quod ait Apostolus 1 *ad Corinth.* VII. 12. ita exponi potest, ut *attrahere præputium*, idem sit quod optare mente, & quantum fieri potest adlaborare ne excisum præputium videatur, sive ita te gerere ac si præputiatus adhuc sis. Locus tamen 1 *Machab.* I. 16, videtur innuere tale quid fieri posse. Et hæc caussa est, quod signum hoc cum dolore imprimi & cum pudore suscipi Deus voluerit, ne vel à natura inditum, vel consilio hominum institutum, vel arte quadam inventum, sed ab ipso vero Deo profectum crederetur. Et enim quis de signo tali vel cogitet? vetaret pudor. Et, si cogitaret, quis suscipiat, quis admittat? vetaret dolor. Tum quis insuper tenellæ infantium ætati signum tam triste imprimi semper, iterum iterumque jubeat? Si nasceretur circumcisus à circumciso alia ratio foret, pudori & dolori semel tantum locus fuisset. At cùm semper circumcisio facienda sit in singulis infantibus, utique tam insolens jussum non alium quam Deum auctorem habere posse ratio indicat.

*Circumcisio institutæ fuit à Deo, ut suum populum hac nota ab aliis discrimi-naret.*

Nec est quod obiicias, olim apud plures populos circumcisionem in usu fuisse, uti apud Ægyptios, Æthiopas, Colchos, &c. Nihil enim dubium est, quin morem hunc aliæ gentes partim ab Abrahami posteris, partim ab Israelitis sive Hebræis acceperint. Quippe quod Ægyptii morem istum Hebræorum imitati sunt, id accidere potuit in gratiam Josephi, aut quia sedibus suis exceperant Hebræos; atque exinde is dimanaverit ad finitimos Colchos & vicinos Æthiopas: nisi forte velimus eum jam multò ante ab Ismaelitis & Edomitis, sive Esaui aut Cethuræ posteris propagatum fuisse ad alios plures populos, aut eum apud Ægyptios etiam usitatum fuisse antequam apud eos Israelitæ hospitio

exci-

excipiebantur. Circumcisionis enim ritus non tantum pertinuit ad Judæos, sed ad omnes Abrahami posteros. Deinde, si alii populi morem hunc imitati sunt, quid movit eos, imò quid movere eos potuit ut eum imitari vellent? Neque enim lege ulla adstringebantur, & ritus ipse fœdi atque horridi aliquid habere videtur, ut nisi lege adstringerentur eum refugituri & abominaturi fuisse videantur. Variæ quidem caussæ esse potuerunt: sed eas ego mihi imaginor tantum non fuisse valituras, apud tot, licèt rudes, populos, nisi accessisset hæc cogitatio; Ritum hunc divinitatem aliquam sapere, vel idcirco solum, quod verisimile non sit ut is imperetur, vel ab homine casto & pudico, aut si castus non sit qui imperat, ut à casto & pudico ullo homine seu populo suscipiatur sponte, aut cum successus seu opinione seu spe: vel à dæmone, nisi jam pro Deo habeatur, & divinitatis opinione id quod imperat, qualecunque tandem sit, commendatum queat reddere. Absque hoc fuisset, nunquam circumcisio locum inter mortales reperisset.

*Rationes quas Philo & Maimonides afferunt cur circumcisio à multis gentibus fuerit recepta.*

Quod enim Philo Judæus vult, ritum hunc à gentilibus non paucis receptum fuisse propter quatuor caussas, quarum duæ naturales, duæ morales dici possunt: videlicet 1. quia contra luem, sive carbunculum servit. 2. quia ad fœcunditatem facit. 3. quia Sacerdotalis officii dignitati convenit, toto corpore puritatem servare. 4. quia pars circumcisa figuram cordis habet, & sic circumcisioni spirituali sive cordis denotandæ servit: id nec Scripturæ auctoritate nititur, nec rationi convenit, & gratis inventum credi debet: uti & illud quod Rabbi Maimonides ait, minuendæ concupiscentiæ servire. Commenta hæc sunt speciosa magis quam vera. Nam 1. quod ad Philonem attinet: etsi concedi possit gentibus quibusdam propter istas rationes circumcisionem placuisse, tamen rationes ipsæ frivolæ sunt. Nam in genere, Deus & natura nihil faciunt frustra, nedum id quod ipsi individuo noxium & speciei toti damnosum est. At tale tum foret præputium si rationes istæ pondus habere credantur. Superfluum esset præputium, & morbi simul atque sterilitatis caussa, sive potius minoris fœcunditatis, ac nihilominus, si verum est quod Maimonides ait, libidinis atque intemperantiæ majoris. Nihil horum verisimile est. In specie vero per singulas rationes discurrendo, res liquet clarius. Nam ad primam; Quis de carbunculo audivit primis mundi sæculis, quæ ante diluvium & post usque ad tempora circumcisionis fluxerunt? & tamen istis seculis polygamia vigebat, & scortatio, sive consuetudo cum libera muliere, pervulgata erat. Aut si carbunculus etiam tum infestavit mortales, unde constat, quod is minus infestaturus tum fuisset circumcisos? Certè hodie non minus Judæi lue venerea laborant quàm alii. Et quem quæso honestè in matrimonio viventem præputiatum illa lues infestat? Ad secundam; Quando majore fœcunditate opus habebat mundus quam in principio? At tum circumcisio locum non habuit? Annon præputiatis dixit Deus, *Crescite & multiplicamini*? Et præputiati quam fœcundi fuerunt? Quis vero nunc Judæos fœcundiores dicat Christiano populo? Fœcundiores si fuerunt post Abrahamum, id promissioni divinæ non circumcisionis virtuti tribuendum est: præterquam quod polygamia tum crimen non erat. Denique an gentes omnes circumcisæ fœcundiores fuerunt cæteris? Tertia ratio sordida est & inepta. Quarta ridicula. Ea verò quam Maimonides adfert colorem non habet; cùm libidinosiores & ad Venerem intemperantiores vix reperias quam Judæos, Mahumetanos, & Æthiopes. Atque hinc factum est, ut paulatim mos circumcidendi apud gentes plerasque exoleverit: & quibus Religio Judaica hodieque displicet, ii omnes ob vel solam circumcisionem Judæos aversentur, dicteriis incessant, oderint & abominentur tanquam apellas, recutitos, verpos, & naturæ ipsi inimicos ac crudeles præputiorum sectores. Atque hæc ipsa res quia sequestrando populo Dei à reliquis populis serviit, idcirco proposito divino optimè fuit accommodata, quin & eo fine à Deo instituta.

*Deus circumcisionis signo promissionem Abrahamo factam de semine, ipsi in memoriam revocare voluit.*

Sed & alterum accedit: Quòd hoc ipso signo Deus promissionis suæ, seu ejus quod Abrahamo promiserat, memoriam extare, & quasi perpetuo ob oculos versari, vel identidem in memoriam revocari voluerit. Nempe promissio de semine erat, & semine quidem quod ipse Christus erat futurum, si Dei intentionem ultimam videas; dignum utique semen, cujus memoria & expectatio semper recens esset: vel, si literam spectes, quod ipsas maris arenas & cæli stellas numero æquaturum esset: unde mutatum nomen Abram in Abraham, *quia*, inquit Deus, *ponam te in patrem multarum gentium*: (quomodo autem illa vox id significet, alii annotant,) & nomen Sarai in Sara. Circumcisionem itaque instituit, quæ non nisi ea parte fit qua semen prodit. Itaque istud ipsum signum volebat Deus eo fine isti corporis parti impressum, ut quotiescunque illud intuerentur, aut infantes circumciderent, toties promissi seminis recordarentur; quod pulcherrimè in Epistola ad *Galatas* adnotatum est *cap.* III. *vers.* 16. & 19.

Quod ut planius paulum elucidem, ita habete: Deum ab ipsis mundi jactis fundamentis, imo πρὸ καταβολῆς κόσμου, constituisse Filium suum mundo dare Salvatorem, decreto non minus libero quam gratioso, quod Deus *in se ipso proposuisse*, ad *Ephes.* I. 9. & præsciviisse, id est statuisse (sive ut Latini loqui solebant, sciviisse, unde sunt scita, plebiscita aliaque apud Romanos, à sciscitando sive sciscendo, id est statuendo, decernendo, sanciendo & edicendo ita dicta,) *ante jacta fundamenta mundi* dicitur, 1 *Pet.* I. 20. qua phrasi grande aliquod & singulare Dei propositum, quodque omnia alia Dei decreta longe superat, notari indubium est. Hoc propositum suum Deus obscurè primum significare voluit, & quidem sub voce seminis, & *seminis* quidem *mulieris, quod contriturum esset caput serpentis*: Quo dicto, etsi prima fronte significari videtur naturalis quædam inimicitia inter hominem & serpentes futura, tamen amplius aliquid à Deo significatum fuisse, valde est verisimile. Nam quæ ratio ut credamus, pœnam hanc serpenti inflictam fuisse ipsius serpentis caussa, quo diabolus tanquam instrumento suo, nullo ipsius merito aut culpa abusus fuerat? Id vero quod significatum Deus voluit, quid aliud esse posse videtur, quàm hoc, quod Deus procuraturus esset suo tempore ut filius hominis diabolum, qui in Dei horto seu paradiso per serpentis os caussa fuerat casus vel lapsus hominis in mortem, vicissim in horto suo, id est mundi hujus cujus ipse Deus esse dicitur, obtereret, eique caput comminueret, id est vim omnem lædendi & perdendi eriperet, non quovis modo, sed ita ut ipse serpens filii calcaneum prius admorsurus esset, id est stantem erectumque in mortem cadere faceret, uti cadere necesse est hominem cui calcaneus non est, quo veluti basi totum corporis pondus nititur atque innititur ne concidat. Notanda enim est ista reciproca actio; *Ille tibi mordebit calcaneum, & tu conteres ei caput*: ut notetur, morte ipsa Filii istius, diabolum mortis istius auctorem perdendum esse & perditum iri. Hujus autem rei signum & specimen aliquod ut exstaret, inimicitiam illam inter serpentem & hominem perpetuam esse voluit Deus. Fateor verba hæc Dei, nusquam in Novo Testamento sic exponi, & *seminis* promissionem passim non nisi à promissione seminis Abrahamo facta inchoari. Sed sensum istum, Dei sensum fuisse, rei ipsius natura videtur postulare, (quamquam nolim admodum super hac re contendere:) & eum non parum confirmat id unum, quòd tota Scriptura Veteris Testamenti non videatur esse, adeoque non sit nisi genealogia quædam, sive series majorum seminis benedicti, id est, Jesu Christi: unde istius divini propositi ratio non obscurè elucescit. Quæ caussa etiam fuisse mihi videtur, quòd Lucas Christi genealogiam, non tantum ad Davidem & Abrahamum usque deducat, uti Matthæus, sed prosequatur ad Adamum usque, imò ad usque Deum, cujus filium dicit fuisse Adamum creationis primæ beneficio. Patet etiam Deum singulari semper providentia curasse, ut semen aliquod certum restaret, etiam in summa mundi corruptione, quod propagaretur usque dum filius iste, sive semen istud excellentissimum, in lucem prodiret: uti in Setho, Noacho, &c. apparet. Hinc seminis istius aperta mentio facta est à Deo, quando istud ex Abrahami lumbis educere constituerat. Ex illo tempore *seminis* vox mansit: adeo quidem ut cum natus esset Dei filius, ille semen illud promissum passim vocatus fuerit, atque ex semine Abrahami & Davidis suscitatus dicatur secundum carnem. Atque ut hujus seminis promissi memoria semper inhæreret animis populi, hinc circumcisio addita fœderi & severe imperata fuit, tanquam signum, promissioni isti designandæ & veluti repræsentandæ perquam idoneum, ac tantum non genuinum.

*Christum semen mulieris caput serpentis contriturum.*

Ex quo colligere est, *Primum*: quo sensu & qua ratione Fœdus Dei cum Abrahamo & semine ejus initum, cui adjuncta erat circumcisio, vocetur *Fœdus æternum*: nempe non alia ratione, quam qua æternum ferè dici solet in Scripturis, id quod durat quousque durare potest. æternum videlicet fœdus futurum erat, quia duraturum erat & durare debebat, usque dum ipsa promissio qua fœdus sancitum est, finem ac complementum suum nacta esset; id est usque dum venisset semen illud, per quod erigendum erat Novum Fœdus, quod in eo non conveniret cum Vetere, quia Vetus abolendum tanquam infirmum & imperfectum, Novum verò æternum duraturum esset, ideoque non sanctum sanguine taurorum & hircorum, sed ipsius illius benedicti seminis sanguine, in cœleste atque æternum sacrarium illato. Atque hoc ipsum eventus demonstravit: quia ex illo tempore, aut non ita multò post, civitas regni sedes, cumque ea Respubl.

*Quo sensu fœdus illud, cui adjuncta erat circumcisio, æternum vocetur.*

tota

tota funditus eversa, templum religionis sedes solo tenus dirutum, populusque universus quaquaversum dissipatus fuit hodieque manet, sine ulla spe restitutionis aut specie redintegrationis. *Secundò*, Perperam admodum facere eos, qui, cùm Jesum pro Messia & semine illo promisso habeant, nihilominus circumcisionis ritum integrum servant, & servari à suis volunt. Hoc enim tantundem videtur, atque si post rem præstitam, rei tanquam adhuc futuræ signum retinere velint. Verum quidem est eos affirmare ritum istum alio à se fine retineri, ut nimirum sese ex Abrahamo oriundos esse testatum faciant. At quia ista ipsa cogitatio prorsus carnalis est, merito sane ea abdicanda potius quam fovenda est: maximè cum circumcisio ista, à scopo atque intentione Dei circumcisionem instituentis alienissima sit: tum crudelis nimium ac tristis adeoque periculosa cæremonia est, quàm quæ ob tam leviculum finem usurpetur. In Novo Fœdere cessare debet illa carnis prærogativa, secundùm Apostolum, 2 *Corinth. V.* 16. & universa gloria hominis ac populi alicujus in eo sita est, quod ex Abrahamo secundum spiritum originem ducat, & fidei cognatione illum attingat; sive potiùs, quòd Christianus sit & nova creatura: *Vetera* enim *præterierunt, & ecce nova facta sunt omnia.* vide etiam *Philip.* III. 3. Adde quod populorum discretio ista sublata, & ex duobus unus populus factus sit; ut discretionem jam non faciat natura, sed fides; non generatio carnis, sed spiritus renovatio. Quare omnino superstitionem redolet istius moris continuatio, sive signi istius discretivi usurpatio. Discretionem quippe à Deo sublatam non modo reducit, sed in ipsa discretione quoque gloriationis aliquam materiam positam esse non obscure indicat: quod Christianismi gloriæ non parum derogat, & Christianæ humilitati neutiquam convenit.

*Perperam facere Christianos qui circumcisionem retinent.*

Atque hi sunt modi à parte Dei promittentis, quibus fœdus initum cum Abrahamo, nostro judicio, obsignatum fuit. Sunt qui arbitrantur circumcisionem etiam serviisse à parte Dei, ad confirmandum fidem Abrahæ: & ei fini allegant illud Apostoli ad *Rom.* IV. 11, ubi circumcisio *signaculum justitiæ fidei quæ in præputio fuit* vocatur. Sed qua ratione hæc opinio nitatur ego non video. Nam naturæ rei repugnat ut circumcisio firmet fidem; quæ ideo suscipitur, quia is qui eam suscipit jam ante firma fide præditus est, alioquin eam non susceperus. Fides firma præcedat necesse est in eo qui circumcidi se patitur, aut qui se ipsum circumcidat. Ut autem quis isto ipso actu, quem suscipit quia jam firmiter credit, confirmetur in credendo, fieri non potest. Sic enim unus idemque actus simul esset caussa & effectus fidei. Locus vero ad *Rom.* IV. 11, neutiquam servit probandæ isti opinioni. Nam circumcisio non dicitur ibi signaculum fidei Abrahami, sed *signaculum justitiæ fidei*, idque illius fidei *quæ in præputio* adhibita fuerat. Dicitur enim τῆς πίστεως τῆς ἐν ἀκροβυστίᾳ, quia videlicet circumcisione ista, quasi sigillo certo atque indubitato, palam factum ac publicitus omnibus demonstratum est, circumcisionem necessariam non esse ad justificationem consequendam, sed fidem sine ea sufficere; quia circumcisio imperata fuit Abrahamo cum jam crediderat, & fide sua justificatus, aut justitia imputata ei esset jam ante, in præputio adhuc existenti sive præputiato: ita ut σφραγὶς ista dicatur data, non Abrahamo, sed omnibus sano judicio uti volentibus. Qui enim justificatus fuit antequam circumcideretur, ei ad justificationem circumcisionem non fuisse necessariam, consequentia manifesta & palpabilis est. Quia vero eadem ratione Deus omnes justificare vult, qua Abrahamus justificatus est, (quia in præputio justificatus est, *ut esset pater credentium omnium in præputio*; *ut imputetur ipsi etiam*, eadem scil. ratione *justitia*, *vers.* 11. & 12, *cap.* IV. *ad Rom.*) quid clarius quàm nulli homini circumsionem ad justificationem necessariam esse? Et hoc appellat, Scriptura Abrahamum accepisse, non signaculum sibi, id est, aut fidei suæ, aut justitiæ suæ: nihil minus: sed circumcisionem, quæ signaculum certum fuit Deum gentes, licet præputiatas, ex fide etiam justificare velle, nulla circumcisionis habita ratione, & Judæos sequentes vestigia fidei Abrahami quam in præputio existens Deo præstitit. Locutio enim illa id manifeste arguit; & distinguenda est à priore, qua *Circumcisionis signum* accipitur pro circumcisione, quæ signum Fœderis erat. Genitivus enim iste casus per appositionem exponendus est, ut *corona vitæ*, pro vita quæ corona est, *corona gloriæ*, pro gloria quæ corona est, *corona justitiæ*, pro justitia quæ corona est, *lavacrum regenerationis*, pro regeneratione quæ lavacrum est, *Tit.* III. *Spes salutis*, pro salute quæ speratur. Quin circumcisio servierit Abrahamo, ad refricandum ei memoriam promissionum divinarum, fœdere cum ipso inito contentarum, dubitandum non est: at ut servierit veluti ratio aut argumentum, quo fides Abrahami confirmata fuit, speciem veri non habet.

*An circumcisio servierit ad confirmandum fidem Abrahami.*

*Sensus loci Rom. IV. 11.*

Sunt alii qui circumcisionem institutam à Deo volunt, ad indicandum naturæ nostræ corruptionem ex peccato originali ortam, ejusque remedium, quod consistere ajunt in remissione peccati istius, quam justificationem, & resectione gratiosa quam sanctificationem vocant. utrumque autem istud, veluti signo aliquo, repræsentari & confirmari pelliculæ sive præputii amputatione. Sed hi homines fingunt sibi quæcunque volunt sine ulla textus sacri auctoritate. Nec vola nec vestigium hujus rei in textu aut historia est. Nec ratio est. Peccatum enim ejusmodi originale merum Augustini commentum est, & commentum esse res arguit. Peccatum enim & originale sunt duæ res & voces quæ manifestam implicant contradictionem. Et rationes sunt cur contrarium ab iis credi debeat. Nam maribus tantum imperata est. At si vel pro remedio vel pro signo tali data fuisset, suspicioni locus relictus fuisset, an fœminæ etiam peccato isto infectæ sint, quæ signi istius & remedii incapaces sunt. Deinde cur ad octavum usque diem dilata fuisset? Nam periculum erat ut interea moreretur infans, signo isto destitutus; ac proinde ut parentes incerti essent, an gratia ista ad infantes istos suos pertineret. Et confirmatur hoc ex eo, quia Augustinus ipse credidit, infantes omnes incircumcisos ante octavum diem morientes, damnatos esse. Denique cum circumcisio ista imperata fuerit Abrahamo, ut eam usurparet in omni infante masculo octo dierum, necesse utique est ut qui opinionem istam tuentur, credant omni infanti masculo peccatum istud remissum prius fuisse: & simul promissam efficacem gratiam, contra originalis istius peccati, sive naturæ corruptæ impetus. Nam si signum fuit remissionis talis factæ, & sanctificationis futuræ; necesse utique est, ut tum remissio tum sanctificatio ista, ad omnes & singulos mares tales pertinuerit. Hoc si credunt, quomodo non universalem populi istius totius circumcisi electionem statuunt; aut si mares istos credant, actualibus suis peccatis ex ista gratia excidere potuisse, quomodo electionem non statuunt mutabilem, & gratiam quæ electioni subordinata est, inefficacem?

*An circumcisio fuerit instituta ad indicandum naturæ nostræ corruptionem*

Esto, inquies, hoc ponatur, tum sanè circumcisio isti fini servire potuit de quo quæritur. Sane, inquam, si de re ipsa constaret. At eam falsam esse, & nulla probabili ratione niti, suo loco demonstrabimus. Hypothesin enim hanc jam examinare non est propositi nostri. Nos plana & certa sequamur, ne in avia abripiamur unde exire non datur. quamquam fateor opinionem istam ultimam periculi minus habere, & admitti posse hactenus, quod ea concedat & extra dubium ponat, universali isti corruptioni universale remedium datum esse à Deo, quo tamen deinde recte uti atque abuti quilibet potest; ac proinde neminem ob peccatum istud originale solum damnatum iri, nec vi istius peccati illigari aut constringi ad necessario peccandum, aut ad impossibilitatem divinæ voluntati obtemperandi prout oportet & Deo placet.

Interea negare nolim circumcisionem istam, etiam aptam esse significare, novam quandam animæ aut cordis reformationem necessariam esse in vero Dei cultore, sive, ut Philo loquitur, esse σύμβολον ἡδονῶν ἐκτομῆς, αἷς κυοφορεῖται ἡ κακία. Sed eam eo fine à Deo institutam esse certo non constat: &, si omnino id constaret, certum tamen est, finem Dei instituentis non fuisse, significare eam à se faciendam esse; quia alioquin ipse signum instituisset quod ipse corpori Abrahami impressisset; sed significare eam ab illis ipsis qui circumcidebantur, sedulo faciendam esse, quia ut ab illis ipsis signum istud corporibus ipsorum imprimeretur, jussit. Eo ipso enim innuere voluit, eorum esse voluptates animæ ac corporis, sive cordis potius superfluas atque inutiles resecandas esse, ut Philo ait, ἀλλὰ διὰ μιᾶς τῆς βιαστικωτάτης καὶ τῶν ἄλλων ἀπιστῶν. Eodem planè sensu quo baptismum instituens Christus, significare voluit veterem hominem, id est consuetudinem pravæ atque inolitæ vitæ, submergendam aut eluendam esse Christianæ Religionis sectatoribus, & in novam quasi vitam resurgendum esse: non vero quasi utrumque istud Deus ipse irresistibili sua potentia effecturus esset: quia qui primitus ex gentibus aut Judæis convertebantur ad fidem Christi, ii omnes sponte sua baptismum aquæ suscipiebant, eumque suscipiendo vitæ emendationem profitebantur ac promittebant. vide *Rom.* VI. 3. 4. Et hoc sensu omnia ista loca intelligenda sunt, in quibus baptismo tribuitur idem pene effectus, justificationis & remissionis peccatorum, qui fidei & gratiæ proprius est.

Atque hactenus quidem vidimus, qua ratione circumcisio hæc servierit Fœderi divino obsignando, ex parte Dei promittentis: quod Scriptura appellat *Fœdus statuere*, sive firmum facere, aut stare facere. Nec minus serviit ei obsignando ex parte Abrahami, obsequium Deo juxta Fœderis divini formulam spondentis. Enimvero ipse actus circum-

*Circumcisio serviit obsignando fœderi divino, ex parte*

*Abrahami, seu testandæ Abrahami obedientiæ.*

cumcisionis ab Abrahamo peragendus, (immediatè an mediatè non inquiro) erat molestus utique, dolorificus & periculosus in ætate ista. Hunc itaque patrans Abrahamus, veluti tesseram Deo dedit promptissimæ voluntatis & obsequii sui: facto scilicet ipso ostendens, nihil tam difficile sibi fore, quod non ad jussum Dei ultro libenterque præstiturus esset. Quia verò hæc actio ab Abrahamo ipso peragenda erat, tanquam actus imperati obsequii, hinc forte circumcisio etiam aliquando Fœdus ipsum vocatur; quatenus obedientia Fœdere propriè præscribitur, & fœderis alicujus positivi cum Abrahamo initi mentio nulla fit. In infantibus autem ratio ista cessat. Accedit, quod Abrahamus ritum circumcisionis administraverit aut usurpaverit etiam in omnibus domesticorum suorum, in quos absolutum jus habebat, corporibus, eumque in semine suo peculiariter à Deo selecto, lege perpetua usurpari jusserit; non aliter quam si fidejuberet sponsionem suam perpetuam fore, de fœdere scilicet divino observando, non tantum quod ad actum aut ritum istum circumcisionis, sed verò etiam quod ad fœdus sive legem in familia sua observatam, cui ritus iste appensus à Deo erat.

*Quinam ad circumcisionem observandam non tenerentur.*

Quod ut intelligatur notanda quædam sunt: *Primò*, Præceptum Abrahamo datum fuisse ut circumcideret omnes domesticos suos, id est, Ismaelem filium suum & servos suos, tam vernaculos quam emptitios, (sub quibus etiam alii qui vel donatione vel bello servi ejus facti fuerant comprehendebantur.) Præcepto autem isti non obligatos fuisse omnes eorum posteros, sed tantum eos qui descendebant ex semine illo, cui promissio à Deo facta erat, puta Isaaci & Jacobi. Ismael itaque & Esau, omnesque Abrahami servi tum vernæ tum emptitii, quin & Esau Isaaci filius, non obstringebantur ad circumcidendum liberos suos: quia illi, etiamsi ex Abrahamo secundum carnem descenderant, & circumcisi erant, tamen semen istud Abrahami non erant, uti præclare disputat Apostolus ad *Rom.* IX. & Deus ipse aperte significatum voluit, cum dicente Sara Abrahamo; *Ejice ancillam & filium ejus: non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo:* Deus id approbat, & dicit: *Audi vocem uxoris tuæ. Nam in Isaac vocabitur tibi semen. Genes.* XXI. Quibus adde, quod *cap.* XVII. diserte dixerat: *Sara uxor tua pariet tibi filium, vocabisque nomen ejus Isaac, & constituam pactum meum illi in fœdus sempiternum, & semini ejus post eum.* Quare nec ad illos pertinere potuit, comminatio præcepto addita, quod videlicet exstirpandi essent ex populo Dei infantes eorum qui non circumcidebantur. Nam ipsi parentes eorum ad populum Dei non pertinebant, ex ipsius divini oraculi formula. Quod tamen ab istis eorumque posteris longo post tempore circumcisio observata fuit, id non ex obligatione aut ex conscientia obligationis legis istius factum credi debet, sed religione quadam & reverentia animi, qua ritum illum tanquam divinum à se in pretio haberi, & à se tanquam ex Abrahami prosapia oriundis, susceptum primitus fuisse, testatum facere voluerunt. *Secundò* notandum est: Præceptum istud Abrahamo datum sic conceptum exstare, ut Abrahamus omnes istos suos, pro jure atque imperio quod in illos habebat circumcideret, volentes nolentes. Jus enim absolutum erat in filium & servos, tam domi natos quam pretio emptos, aut donatione acceptos, bellove servatos, sive in servitutem sibi addictos. Unde haud obscure colligitur ad servos mercenarios sive mercede conductos aut operam suam libere ei locantes, si quos habebat, præceptum istud extendi non debere: ac proinde Abrahamum obligatum non fuisse ut eos circumcideret; nec eos, licet circumcisos aut circumcisionem libera voluntate susci pientes, præcepto isto obstrictos fuisse: denique nec concessum fuisse Abrahamo ut eos, alienigenæ cum essent, per circumcisionem proselytos sibi faceret, aut familiæ suæ accenseret: quod postea Lege Mosis concessum esse, ex *cap.* XII. *Exodi* & *Numer.* IX, non obscurè liquet: si modo proselytus iste circumcidererur ipse, & totam insuper familiam suam circumcideret. Quod tamen sic accipiendum, non quod alienigena iste non posset transire in coloniam Abrahami suscipiendo circumcisionem; eo ipso enim quod eam suscipiebat, in eam transibat: sed quod non posset transire in Judæorum familiam, & sic censeri de semine illo promisso, aut eodem jure civitatis cum Judæis veluti genuino Abrahæ semine frui, nisi circumcideret secum totam familiam suam. Tum enim demum, nec aliter, nec ante, ad comedendum agnum Paschalem admittebatur: uti ex locis allegatis *Exod.* XII. & *Num.* IX. liquet; & eo ipso pro semine vero Abrahæ censebatur. Servorum vernaculorum & emptitiorum alia ratio erat. Vernaculi enim, id est domi nati, octavo statim post die circumcidebantur, & circumcidi debebant ex præcepti Abrahamo dati vi, & sic circumcisi admittebantur ad comedendum agnum Paschalem. Emptitii, si contingeret ut paulo ante Pascha emerentur, prius circumcidi debebant, & sic circumcisi ad familiam Judæorum pertinebant, atque ad comedendum Pascha admittebantur, etiamsi familiam suam non circumciderent; quippe ad quam circumcidendam præcepto divino non obstringebantur. At alienigenæ sive advenæ & proselyti alia erat ratio. Ex quo facile colligitur: Servos & eorum liberos, adeoque emptitios etiam ac vernas qui circumcidebantur à Judæis, non fuisse vi ipsius circumcisionis obligatos ad suscipiendum legem à Mose traditam. Nam circumcisio servorum non incumbebat Judæis necessario ex vi Legis Mosaicæ, in qua renovatum fuit præceptum circumcisionis; sed ex vi præcepti sive pacti cum Abrahamo initi, *Genes.* XVII. qua ratione non fuit præcepta circumcisio, nec instituta in peculiaris religionis aut legis alicujus positivæ professionem: nam Abrahamus sub lege naturæ tantum fuit. At si vellent etiam in semine isto Judaico, id est vero Abrahami semine censeri, cui deinde Lex Mosis specialiter à Deo data fuit, tum profiteri etiam legem illam debebant, & eam profitentes in semine illo censebantur.

Atque hoc sensu accipienda sunt verba Apostoli ad *Galat. cap.* V. *vers.* 3. *Testificor rursus omni homini qui circumciditur, quod debitor est totam Legem facere:* ut significet, omnem hominem qui præcise circumcidi vult, idcirco vel eo animo quod circumcisio Lege Mosis præscripta sit, debitorem se facere totius Legis Mosaicæ observandæ: eo quod Lex Mosis nemini homini delectum, in præcepto uno aut altero pro libitu observando concedit; sed ad omnia æque sub commination e maledictionis obligat & obstringit: Non verò ut significent omnem eum qui circumcidi vult, vel errore aliquo inductus, quod circumcisionem Abrahamo ejusque posteris datam ad se etiam pertinere posse, aut se etiam decere putet; vel sufficiente cognitione differentiæ, quæ inter Legem & Evangelium est, destitutus, non male se facere credat, quod etiam Legi servandæ se obstringat: sed tantum, uti dixi, eum qui ideo circumcidi destinato vult, ut Legi Mosaicæ pareat, & religionem in ea præscriptam se amplecti profiteatur. Talis enim vi facti istius sui, obstringitur ad totam Legem Mosis servandum. Certum enim est circumcisionem non esse ex Mose, sed ex patribus: *Joan.* VII. 22. ac proinde ejus vi non præcise quemquam obligari, ad Legem Mosis multò post latam observandum.

*Sensus loci Galat. V. 3.*

*Circumcisio fuit tessera quædam totius religionis Judaicæ.*

Interea tamen certum etiam est ex ista ipsa collectione Apostoli, qua circumcisionem quatenus Lege Mosaica præscripta erat, *signum* sive *tesseram* quandam totius Religionis Judaicæ in lege præscriptæ facere videtur, ita ut ea susceptа veluti pignore quodam se homines legi obstringerent; rectè colligi, circumcisionem etiam Abrahamo mandatam, veluti signum ac tesseram totius Religionis Abrahamo lege naturali præscriptæ, aut specialiter ei à Deo præscribendæ, fuisse: ac proinde Abrahamum, cùm circumcidit se ipsum, & domesticos omnes suos, eo ipso se ipsum suosque debitores constituisse Religionis istius servandæ; atque ita se ipsum suosque veluti nota peculiari distinctos, à reliquis omnibus mundi nationibus segregatos voluisse in cultu divino: non imperando omnibus suis ut ista semper nota suos posteros insignirent, (jam enim ante evicimus mandatum tale ei datum non fuisse:) sed spondendo se ista tessera semper usurum in domo sua, & curaturum ut in semine isto suo, in quo eam Deus conservatam vellet, quod primò Isaacum, deinde Jacobum, deinde 12 Jacobi liberos, nullo facto inter eos discrimine fuisse constat, (Ismael enim & Esauus ab ista prærogativa diserte excepti fuerunt) tessera ista exstaret & perpetua lege observaretur, sive eam cæteri etiam liberi sui ac domestici imitari vellent, quod iis licebat, si ve nollent, quod similiter licebat.

*Fieri debuit octavo à nativitate die.*

Apparet id deinde factum & præstitum esse ab Abrahamo, simulatque ei Isaac natus erat. Octavo enim à nativitate die eum circumcidit, juxta præscriptum divinum; nulla habita ratione quæ caussa Deum moveret, ut tenellæ isti ætati, & quidem non ante octavum, sed ipso octavo à nativitate die, signum istud imprimi voluerit: *Genes.* XXI. 4: tantùm ut sponsionem à se ferio atque ex animo factam fuisse, ipsa mandati observatione ostenderet. Verisimile enim est, Abrahamum rationem istius divini mandati non percepisse, forte etiam nec quæsivisse, ut tanto magis obedientiæ promitudo appareret, quæ in eo maximè sita est, quod voluntati ac jussui divino pareatur, etiamsi ratio jubendi non appareat. An tamen Deo ulla jussus istius sui ratio fuerit, non est nobis anxie inquirendum. Sufficit, si quæ fuit, ut Deo jussus sui ratio constet. Eam si Deus ipse non revelet, nobis non licet definire pro nostro ingenio atque arbitratu. Quicquid enim definiverimus, non ratio certa sed mera conjectura erit. Huic si indulgere libet, vero-simillima eorum mihi videtur conjectura, qui, quod attinet ad quæstionem,

nem, *Cur Deus voluerit circumcisionem fieri in corpore infantili & tenero adhuc*, respondent ejus rei causam fuisse, ne facile intermitteretur circumcisio in ætate adultiore. Facilius enim circumcidi curabit pater, infantem recens natum quàm ætate provectiorem, tum quia infans non tantum dolorem sentit quam adultus; partim quia caro ejus sive cutis humidior adhuc est, ac proinde tenerior; partim quia imaginatio ejus debilior adhuc est, ut nec futuram horreat nec factam adeo apprehendat uti adultus: tum quia parentum amor erga recens editum infantem tantus non est, quam ubi adolevit, & formam quasi similitudinis suæ cum parente imaginatrici facultati parentis sui altius quasi impressit. Verosimillima, inquam, hæc est conjectura: sed conjectura tamen: quia, ut ut forte dolorem tam acrem non sentiat infans, & parentis amor erga infantem recens editum tantus non sit quantus est erga adultiorem, tamen tenerrimus est amor erga filium infantem cum de vulnere ei infligendo agitur, & tenerior multò quam erga adultiorem. Citius enim faciliusque venam secari faciet adultiori quam infanti, mitiusque tractabit tenellum quam robustiorem.

Quod attinet ad quæstionem, *Cur octavo die, nec ante, circumcisionem fieri jusserit Deus*, probabilissima conjectura eorum est, qui id factum dicunt, partim quia infantes, uti cætera animalia omnia, usque ad octavum diem vix adhuc censentur in ordine perfectorum hominum, & ferè non aliter quàm si adhuc in impuro matris utero, unumque corpus cum matre essent, manente scilicet multa adhuc impuritate, & ipso umbilico per quem matri adhæserant, usque ad septimum diem & tum demum decidente, (ut Plutarchus annotat in problem. seu quæstionibus Romanis, Quæst. 12.) non sine gravi periculo infantis. unde Hebræi eos post septimum demum diem, numerant inter videntes aërem mundi hujus. Nec mirum. Mater ipsa quæ masculum pepererat, septem diebus impura erat, ut est *Levit.* XII. 2. Pura autem & perfecta in sua quæque specie, Deum suo cultui consecrata voluisse, aut censere in populo puro, sanctissimi nominis sui cultore, certissimum est. Hinc enim factum ut animalia nulla sibi offerri voluerit ante octavum diem. Diserte enim *Exod.* XXII. 30, justisse legitur, ut septem dies manerent cum matre sua, non aliter quam si ante illos septem dies, veluti abortivi & informes adhuc fœtus essent. Et hæc ipsa causa est, cur Deus fructus anni tertii & quarti comedi & sibi offerri vetuerit; quòd nimirum crudi adhuc & intempestivi essent. Quicquid enim præmaturè à natura extorquetur, inquit Josephus, ejus usus nec Deo convenit nec domino. Probabilissima hæc est conjectura, & aliis sanè omnibus longè anteferenda: imprimis Judaicæ isti, qua diem octavum designatum à Deo ajunt, ut interim præteriret Sabbathum quo fœtus sanctificaretur. Hæc enim colorem non habet: cum Sabbatho ista sanctificandi homines vis nusquam in Scriptura S. tribuatur, adeoque Sabbathum ipsum ab hominibus sanctificari passim jubeatur; &, quod caput rei est, cùm sæpe accidat ut circumcisio in ipsum Sabbathum incidat, atque ita Sabbathum circumcisioni cedat, tanquam digniori, sanctiori & perfectiori cæremoniæ. Superstitionem itaque habet potius conjectura hæc quam rationem. Nec mirum. Sabbatho enim, sive septimo diei, tantam sanctitatem tribuunt, ut quoties recurrit, toties credant ipsos impios & damnatos in inferno feriari à tormentis sibi impositis, quietemque ac refocillationem sentire à pœnis & doloribus suis: quo commento quid vanius superstitiosiusve concipi potest?

*Levit. XXII. 27.*

*Non licuit octavum diem antevertere.*

Ex dictis apparet, non licuisse cuiquam octavum diem antevertere vel anticipare, quamcunque demum ob causam, ne quidem si certissimæ mortis periculum aut indicium esset: quia immundum Deo consecrare nefas est. Unde nec exemplum aliquod hujusce facti reperire est uspiam in S. historia: sed nec apud Judæos: quamquam hi superstitionibus suis nimium quantum addicti, eos ante octavum diem defunctos, in cæmeterio primùm ante fossam sepulchralem circumcidunt; sic tamen ut circumcisioni eorum nullas preces addant; ut Buxtorfius author est: quasi scilicet mortuum cadaver, & in ipsa sua immunditie defunctum infantem Deo consecrare, puroque ac sancto Dei viventis populo accensere virtus sit; at eum vivum sed immundum circumcidere Deoque consecrare, vitium ac crimen.

*Verisimile est licuisse ultra octavum diem eam differre.*

Differre tamen licuisse circumcisionem ultra octavum diem verisimile est; etsi nullum permissionis istius à Deo factæ indicium sit, ac forte nec exemplum in historia Sacra. Quod enim de intermissa circumcisione in deserto per annos integros quadraginta adferri solet, nescio an exemplum aptum sit: quia, uti ante diximus, id à Deo ipso extra ordinem & speciali de causa procuratum, aut forte etiam sanctum tum fuit in pœnam murmurationis, & ut divinæ tum comminationis tum prædictionis, quod videlicet omnes isti murmuratores à viginti annis & supra in deserto morituri essent, veritas patefieret; quando videlicet superstites nulli futuri essent nisi incircumcisi, post elapsos quadraginta annos. Ratio tamen per se liquet: Quia circumcisio quæ instituta est ad inserendum infantem populo Dei, ne anima ejus exscindatur ex populo, non debet administrari ad infantem istum exscindendum ex populo, exscissione graviore quàm est ipsa exscissio comminatione Legis comprehensa. At sic administraretur quando manifestum esset periculum vitæ, ex ægritudine & debilitate infantis nimia, aut ex alio aliquo dolore, morbo aut incommodo, quod augere posset aut lethale facere circumcisionis vulnus. Atque hîc sanè quadrat illud Servatoris nostri, *Marc.* II. 27: *Sabbathum propter hominem factum est, non homo propter Sabbathum*: quodque additur: *Sic filius hominis etiam Sabbathi dominus est.* id enim arbitror vel æquipollere verbis præcedentibus, vel veluti συμπέρασμα elici ex istis, ut sensus sit: Filius hominis, id est, homo quilibet etiam è vulgo aut ex plebe, usitata phrasi; (non, uti quidam volunt, Ego Jesus Christus qui filius hominis sum & vocor) cum vitæ periculum est aut necessitas magna urget, Sabbathi rationem habere non tenetur, nec Legi Sabbathi subjicitur; sed eam veluti dominus ejus, propter semetipsum, id est ut sibi vitæque suæ consulat, neglectui habere potest, pro jure suo. Nempe vita potior est, vitæque conservatio dignior quam Sabbathum & Sabbati observatio. Æquum autem est ut dignioribus cedant indigniora, tanquam servi & mancipia dominis suis.

*Sub revelatione Abrahamo facta comprehenduntur sequentes posteris ejus factæ usque ad Mosem.*

Atque hactenus quidem de prima revelatione, quæ Abrahamo facta est cum adjuncta Fœderatione, egimus. Sub ea autem comprehensum volumus universum tempus, quod usque ad revelationem specialem secundam, quæ Mosi facta fuit, decucurrit; id est, revelationes Isaaco, Jacobo & Patriarchis duodecim factas. De his itaque ut speciatim agamus non est necesse. Sunt enim pleræque aut personales, aut ejusdem planè cum revelatione Abrahamo facta, generis. Nec enim legimus novum, aut distinctum à priore Fœdus, cum quoquam istorum initum esse: imo verò legimus, quæcunque illis factæ sunt revelationes, eas omnes niti, adeoque diserte referri ad Fœdus cum Abrahamo initum. Etsi verò etiam aliæ adhuc plures revelationes recensentur, quæ factæ fuerunt extra familiam sive domum Abrahæ; quales fuerunt eæ quæ Iobo & sapientibus ævi istius evenerunt, tamen de iis multum agere operæpretium non putavimus: etsi in iis, prout ex libro Iobi, Esaui (uti creditur) abnepotis constat, non pauca sunt quæ observari merentur. Prolixitatem vitamus, & intra familias in quibus divinum Fœdus conservari oportuit stare constituimus: per occasionem tantum dicturi de reliquis à quibus circumcisionis Sacramentum inviolatum fuisse conservatum non legimus.

INTSI-

# INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM

## LIBER TERTIUS,

## De revelatione Mosi facta.

### SECTIO I,

### *De Lege Mosis in genere.*

#### CAPUT I.

#### De persona & officio Mosis.

POST decursum tempus quod à Deo jam ante præfinitum erat, tum peregrinationis Abrahamicæ, tum servitutis & adflictionis posterorum ejus, quadringentorum videlicet annorum, ut * *Genes.* XV. 13, dicitur: supputando initium istorum annorum à nativitate Isaaci: vel quadringentorum & triginta annorum, ut *Exod.* XII. 40. legitur, & ad *Gal. cap.* III. 17 refertur: supputando initium illorum à denuntiatione facta Abrahamo: *Genes.* XV. 13: visum fuit Deo fœdus icere, non jam cum uno aliquo homine ejusque familia, sed cum integro populo, qui ex uno homine juxta divinam promissionem in immensam pene multitudinem interea temporis excreverat. Hinc revelationem istam primam nova eaque multo plenior perfectiorque excepit.

*Mosis nativitas, educatio, &c.*

Ea Mosi facta fuit, speciali providentia divina ab ipso matris utero ei fini destinato ac sanctificato. de ejus persona, natalibus, educatione, ac vitæ conditione multum agere non est propositi nostri. Nativitas ejus nihil singulare habuit. Communi more generatus est: &, quod non sine caussa in Scriptura adnotatum puto, ex conjugio quod cum amita sua contraxerat nepos; cui simile forte nullum aliud reperias, & quod à Deo postmodum inter incæstas nuptias relatum est: *Levit.* XVIII. 12. Conservatio ejus in vita recente & sæviente adhuc edicto regio, singulare aliquid habet & quod miraculo pene par est, sed tamen miraculosum non est. Educatio ejus regium quid habet, & quod dignitatem ei ac majestatem conciliavit dignam ac forte necessariam in tanto populi duce futuram; sed quæ in eo non sustulit μεγαλαλίαν, quod sine divini Numinis directione accidisse haud est verosimile: nempe, ut quantum inter eum & futurum Messiam, Jesum Dominum nostrum, discrimen sit, etiam ex his ipsis liqueret: quippe quem ex virgine honestissima non sine maximo miraculo natum, & procul ab aula regiisque omnibus honoribus atque artibus educatum esse, ipsumque Dei λόγον nominari, contradistinctè quasi à Mose μεγαλάλῳ constat; ut alium tum vitæ tum sapientiæ suæ auctorem non habuerit, ac ne quidem habere potuisse credi possit, quàm Deum patrem suum. Quibus duobus si addas peccatum Mosis, propter quod in ipso deserto, extra promissam terram, mori à Deo jussus est, & mortuus hodieque jacet, cadivere ejus adhuc irreperto, ne videlicet istud in promissam terram asportaretur, uti quidem ego arbitror, vehementer discrimen istud auxeris. Sed hoc obiter.

*Exod. VI. 20.*

De munere sive officio ejus agendum nobis est; & de modo revelationis quo ad munus istud obeundum vocatus, & in munere isto obeundo auctoratus fuit. Munus fuit duplex, sive duplici actu constitit: 1. ut populum servitute pressum atque afflictum educeret in promissam terram. 2. ut inter populum eductum ac Deum Mediator atque internuncius esset, quia jussa Dei ad populum referret & populi nomine cum Deo vicissim ageret. De priore ut prolixè disseramus non est necesse. Sufficit ut eductionem illam concipiamus, 1. tanquam divinæ tum prædictionis tum promissionis complementum. 2. tanquam beneficium ingens ac multo-maximum, quod ingenti voto atque exspectatione populi, sub servitutis aspero jugo gementis, respondebat. 3. tanquam opus quod multis variis atque illustribus signis, prodigiis ac portentis, divinum esse confirmatum fuit. Hoc enim pacto concepta sive considerata hac eductione, *Primò*, fundamentum legislationis sive Fœderationis secutæ intelligitur; quod videlicet Deus ipse ei semper substernit, cùm ait: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui te eduxi ex Ægypto, domo servitutis tuæ.* Nam sic intelligitur eum qui Legem istam fert, merito sibi titulum illum seu memoriale illud perpetuum, ut est *Exod.* III. 15. & *Oseæ* XII. 5, *Ero qui ero*, sive in tertia persona, *eris*, (sic enim interpretor vocem tetragrammaton, quam nescio quâ superstitione ducti Judæi πατα-ἀιτικφώνῳ καὶ ἄρρητον esse volunt: etsi fateantur eam olim prolatam fuisse in sanctuario, & à Sacerdotibus Dei sanctis idque solum in benedictione Sacerdotum, vel sacerdotali, quæ habetur *Num.* VI. 23, &c. & à Sacerdote magno in die jejunii, uti Maimonides ait in suo *More nevochim*, parte 1. cap. 61: cum Deus illud ipsum nomen populo indicare Mosem jusserit, *Exod.* III. eoque ipso nomine se insigniverit, & à populo suo insigniri voluerit, scriptoque, quod certe idem est cum eloquio, expressum sit) sibi vendicasse, & sub isto titulo atque elogio sive circumscriptione coli atque vocari voluisse: uti *Exod.* VI. *vers.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. videre est: & ex universo consecuto tempore, quo deinde ac deinceps *jihevih* in tertia persona, sive *Jehova*, voce à tertia persona ista derivata, ac ut in nominibus propriis fit paulum declinante, vocatur in Scripturis, usque ad tempora Messiæ Domini nostri, quibus indigetari voluit titulo excellentiore, *Pater Domini nostri Jesu Christi.* Certum ergo est ex textu sacro, 1. nomen πατρωνύμιον ipsomet ore Dei fuisse enunciatum. 2. Deum in isto nomine cognoscendum dedisse seipsum, id est voluntatis suæ propositum. 3. Deum jussisse Mosi ut istud nomen suum tribulibus suis sive populo proponeret atque exponeret, ut videlicet cognosceretur ab illis eo in nomine quo patribus eorum incognitus fuerat. 4. denique nullum vel levidense indicium exstare in textu quo nominis istius enunciatio interdicatur. Nec ratio ulla est cur id factum credatur. Neque enim credibile est sapientissimum Deum, postquam vim & significationem nominis istius, quæ nominis sive vocabuli anima est, revelaverat Mosi, & eandem populo revelari per Mosem jusserat, de literarum sono, id est cortice nominis, occultando cogitasse, aut nomen primitus eo fine enunciatum ut per id cognosceretur, deinde silentio involvi perpetuo voluisse. Hoc enim tantundem foret, ac si postmodum cognosci Deus noluisset: tamen nomen istud, nomen suum memoriale esse, ac manere æternum in populo velle se testetur. Quomodo igitur factum, ut vocabulum hoc ἄῤῥητον, ἄῤῥητον, καὶ ἀπροφώνητον factum sit? Si ἰουδαϊσμὸς, sive Numinis summi reverentia, caussa ejus dicatur, condonari hoc potest. Si

*De nomine πατραγράμματον.*

* Nota. *Sunt qui mendum librarii in textu* Gen. XV. 13. *agnoscendum putent. Nam sæculo sive generatione quarta reversurum dicitur semen Abrahæ. At secundum supputationem Hebræorum cuilibet generationi adsignantur* 50 *anni. Ergo sæcula quatuor facient ducentos annos. Simile mendum arbitrantur accidisse in libro* Exod. cap. XII. 40: *ubi summa habitationis filiorum Israel in Ægypto adsignatur* 430 *annorum; cum tamen certum sit eos non amplius* 200 *annis completis, aut ad summam, juxta opinionem veterum Hebræorum, annis* 210 *in Ægypto mansisse. Incuria scribarum hoc factum adserunt, qui in nota numerali exscribenda erraverint. Quin verisimilis sit horum sententia negari non potest. Sed obstat, meo judicio, non modo omnium codicum fides, sed & hoc ipsum, quòd nota numeralis non reperiatur in locis istis. Quod si eam primitus ibi positam velimus, tum certum esse debet Apostolum, ad* Gal. III. 17. *non respexisse ad locum* Exod. XII. 40: *alioquin etiam mendum illud manifestum aut approbasse, aut non observasse nec animadvertisse dicendus erit; sed ad rei veritatem: quia videlicet certum est, à tempore denuntiatæ Abrahamo promissionis usque ad exitum ex Ægypto, sive Legislationem consecutam, fluxisse annos* 430, *juxta calculum & supputationem omnium Hebræorum. & hoc verisimile est: quia Paulus non loquitur de tempore quod fluxit ab initio servitutis, usque ad exitum ex Ægypto, sed de tempore datæ promissionis Abrahamo, usque ad legem latam: uti ex textu manifestum est.*

literarum mysterium incomprehensibile, à superstitione excusari non potest. Si pronunciationis olim factæ ignorantia, vanitas est. Si vero etiam addatur, quod in pronuntiatione scelus ac flagitium sit, dementia aut tyrannis est. Locus *Levit.* XXIV. 11. 12, *&c.* non agit de expressione nominis simpliciter, sed de expressione maledica sive blasphema, uti ex verbis ipsis constat. Postea verò distinguitur inter maledictum quod jacitur in Deos, id est in Principes, Magistratus, & Judices, *vers.* 15. In textu enim est, *Elohau*: diciturque, *Quicumque maledixerit diù suù*, vel deo suo, id est Principi suo, *ù pœnas pendet Deo suo*, sive portabit peccatum suum: & inter maledictum quod in Deum, sive nomen Dei, (Deus enim & nomen Dei unum idemque sunt) literis expressum jacitur, ex iræ aut vindictæ cupiditate. Nempe hoc maledictum à toto populo pœna lapidationis puniri Deus jubet. *Secundò*, intelligitur populum istum, peculium, sive peculiarem populum fuisse, Deo speciali jure istius redemptionis obstrictum, & ad gratitudinem ei præstandam singulariter obligatum: quippe quem tam ingente beneficio in libertatem adsertum, totum sibi uni tanquam liberatori devinxerat: quod passim in Scriptura adnotatum legere est. *Exod.* VI. 7. *Deut.* VII. 6. 7. 8. 9. 10. 11. & XIV. 2. & XXVI. 18. 19. *Psal.* CXXXV. 4. Atque hoc ipso sensu populus Novi Testamenti, Christi sanguine redemptus, vocatur λαὸς περιούσιος, ad *Titum* II. 14; & λαὸς εἰς περιποίησιν, 1 *Pet.* II. 9. quasi dicas, populus peculiari beneficio Servatoris Jesu Christi Deo obstrictus, & sic à Deo veluti sequestratus ac segregatus, ad honorem & gloriam ejus verbis factisque prædicandum: uti ex ipsis locis manifestum est. Verisimile enim est utrumque Apostolum respicere ad loca ista Veteris Testamenti à nobis citata. *Tertiò*, dicitur Mosem per quem Deus omnia ista signa, prodigia ac portenta fieri voluit, cum educturus esset populum, Dei ministrum esse, à Deo ipso approbatum, & dignum judicatum qui internuncius ejus esset, & ex cujus ore populus imposterum pendere debeat, legesque ac statuta sua accipere sine ulla tergiversatione: uti ex postulato Mosis, quando eum Deus mittere volebat, responsoque Dei, *Exod.* IV. 1. 2. 3. 4. *&c.* manifestum est, & eventus ipse comprobavit, *Exod.* XIV. *vers.* 31. *Vidit præterea Israel manum magnam quam fecit Dominus in Ægyptios, timuitque populus Dominum: crediderunt autem in Deum & in Mosem servum ejus.* Optimè tamen id demonstrant Dei ipsius verba, quibus Mosem postea adfatus legitur, *Exod.* XIX. 9. *Dixitque Dominus ad Moseh: Ecce ego venio ad te in densitate nubù, ut audiat populus dum loquar tecum, & etiam tibi credant in seculum*, id est, quamdiu inter illos eris, tibi tanquam internuncio meo fidem habeant, sive quid meo nomine jusseris, sive quid promiseris, sive quid comminatus fueris.

*Moses fuit Mediator inter Deum & populum Israeliticum.*

Restat itaque ut de parte muneris altera eaque præcipua videamus, quæ in actu mediatorio posita est, uti diximus. Hac enim parte differt Revelatio Mosi facta, à priore quæ Abrahamo facta fuit; quod huic revelatio facta quidem sit, sed sine mandato ac jussu eam referendi ad cœtum aut ad congregationem aliquam hominum, Dei nomine: illi verò revelatio facta sit cum diserto jussu ac mandato eam referendi ad populum, sub his verbis: *Deus misit me ad vos*, ut vobis sic vel sic dicam; vel, monet vos ne ita faciatis; vel, præcipit vobis, ut sic faciatis. Hac itaque ratione constitutus fuit Moses *mediator* inter Deum & populum istum, uti legere est *Deut.* V. 5. unde ad *Gal.* III. 19, disertè appellatur μεσίτης, id est Mediator sive internuncius; & quidem distincte ab Angelis, qui etsi nuntii sive ministri etiam Dei erant, mediatores tamen non fuerunt: quia quando cum Mose loquebantur, Dei ipsius personam sustinebant, & sic tanquam altera pars contrahentium erant. Loquebantur enim non tanquam Legati qui se à legantibus distinguunt, aut tanquam medii inter duas contrahentium & pacisentium partes, sed tanquam ipse Deus; uti passim videre est, & nominatim *Exod.* XXIII. 21. ubi Deus ipse dixisse legitur: *Nomen meum in medio ejus:* & in exemplo revelationis primæ factæ Mosi, *Exod.* III. 2: ubi Angelus Domini apparuisse dicitur Mosi; ac dixisse ei *vers.* 6: *Ego sum Deus patrù tui, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob.* quod refertur etiam à Stephano protomartyre, *Actor.* VII. 30. 31. 32. *&c.*

## CAPUT II.

### De modo Revelationis Mosi factæ.

*Modus revelationis Mosi factæ nobilior fuit cæterù omnibus usque ad Messiam.*

MEdiatorium hoc officium ut exequeretur Moses revelatione opus habebat, qua de divina voluntate Fœderisque paciscendi conditionibus à Deo constitutis certior factus atque edoctus, eas Dei nomine ad populum referret: eaque ratione efficeret, ut populus ad Deum vicissim accederet, atque amicitiam & Fœdus cum Deo quasi iniret. De hac ergo revelatione porro videndum est, *quomodo ea facta fuerit, & quid continuerit.*

Ad primum quod attinet: Modus revelationis singularis fuit, & cæteris omnibus revelationum modis quibus Deus antea usus fuerat, & postmodum in populo suo usque ad Messiæ nostri tempora uti voluit, nobilior atque eminentior. Id clarum fit ex ipsis Dei verbis quæ exstant *Num.* XII. 6. 7. 8: *Si fuerit propheta vobù, ego Dominus in visione apparebo illi, in somnio loquar cum eo. Non sic servus meus Moseh, qui in tota domo fidelis est: Ore ad os loquar cum eo, atque in visione: & non per ænigmata, neque per similitudinem adspiciet. Quare ergo non timuistù* (vos scilicet Aaron & Miriam) *loqui adversus servum meum Moseh?* Deinde ex verbis *Exod.* XXXIII. 11: *Et loquebatur Dominus ad Moseh facie ad faciem, quemadmodum quis alloquitur amicum suum.* Denique ex verbis *Deut.* XXXIV. *vers.* 10: *Neque surrexit ultra Propheta in Israel sicut Moseh, quem nosset Dominus facie ad faciem.*

*Quatuor prærogativæ revelationis Mosi factæ, secundum Rabbinos.*

Qualis hic revelationis modus fuerit quæri potest. Hebræi, sive Rabbini, ut Mosis prophetiam & Legem per eum latam, tanquam omnibus numeris absolutam, & qua perfectior alia nulla dari aut concipi possit, extollant, omnemque adeo Religionem atque imprimis Christianam deprimant, sententiam horum locorum mirum in modum ac tantum non in immensum exaggerant in omnibus scriptis suis: adeo ut cum gradus omnes prophetiæ sive revelationis divinæ enumerent, ad eum gradum dicant evectum esse Mosem, quo sublimior pleniorque mente humana concipi non potest, imo qui vix mente humana percipi potest. Quod ut videatis, ita statuunt: Revelationem Mosi factam quatuor prærogativis excellere omnes alias revelationes, quod supra innuimus.

*Prima.*

*Prima* est, Quod cæteris omnibus prophetis revelationes fiebant aut in somnio nocturno aut in visione diurna: Mosi vero nec dormienti nec exstasin patienti, sed vigilanti sensuumque naturalium vigore prædito: quod textus *Numer.* XII, suprà citatus non obscurè arguit, & textus *Num.* VII. 89. confirmat.

*Secunda.*

*Secunda* est, Quod cæteris prophetis cum revelatio iis fieret, virium suarum naturalium debilitatio accidebat, ita ut toto corpore tremerent, artusque & membra pene omnia terrore veluti luxata officium non facerent: uti in exemplo Abrahami, *Genes.* XV. 12: & Danielis, *cap.* X. 8. 9, videre est. Mosi verò sine ulla perturbatione animi aut alteratione corporis revelatio fiebat quod textus *Exod.* XXXIII. 11, indicat: *Loquebatur Deus ad Mosen facie ad faciem, quemadmodum alloqui quis solet amicum suum.*

*Tertia.*

*Tertia* est, Quod cæteri omnes prophetæ divinæ revelationis compotes non fiebant, quando & quoties eam desiderabant aut quærebant, sed quando & quoties Deo placebat fata sua iis aperire: uti in exemplo Elisæi prophetæ videre est: 2 *Reg.* IV. 27. & III. 15. Moses verò divinæ revelationis compos erat, quando & quoties volebat, absque ulla prævia ad id requisita dispositione. Nempe mens ipsius semper erat præparata & idonea ad recipiendum divinæ revelationis influxum: adeo ut quoties eum populus requirebat, ad scisitandum divinam voluntatem de cultu divino, aut re aliqua ad cultum ejus pertinente, aut etiam ad reipub. Israeliticæ bonum, toties ille cum fiducia responderet: *Consistite, & audiam quid præcipiat Dominus pro vobù: Num.* IX. 8. Secus erat cum Aarone: uti videre est *Levit* XVI. 2: *Loquere ad Aaron fratrem tuum, ut ne ingrediatur omni tempore sanctuarium, intra velum coram propitiatorio quod est super arcam, ne moriatur.*

*Quarta.*

*Quarta* est, Quod cæteris omnibus prophetis revelatio fiebat per manum sive ministerium Angeli: Mosi vero soli immediate: ita ut revelatio divina ei obtingeret, absque ulla sensuum & phantasiæ aut facultatis imaginatricis ope, absque ulla specie sive expressa sive impressa sensitivæ alicui potentiæ, per immediatam tantum conjunctionem rei revelatæ cum intellectu ejus. Id quod indicatum volunt istis verbis *Num.* XII. 6. 7. 8: *Exod.* XXXIII. 11. *Ore ad os loquar cum eo.* Et; *loquar cum eo facie ad faciem.* Et; *similitudinem Domini adspiciet.*

*Examinantur, & quarta impugnatur, Deumque se Mosi per Angelum revelasse ostenditur.*

Quid de hisce singulis sit statuendum nunc non inquiram anxiè. Prima sine omni dubio certissima est. Secunda, incertum an universalis ac perpetua fuerit. Quin aliquando Prophetæ deliquium aliquod animi corporisque debilitationem passi sint, negari non potest. Sed an omnes ac semper eam passi sint quis adfirmet? Tertia admitti potest. At quarta, in qua tamen Rabbini summam revelationis Mosi factæ excellentiam collocant, nullo certo fundamento mihi niti videtur: quin & judicio meo falsa est.

Nullo certo fundamento eam niti ex eo patet, quod phrases sive locutiones istæ quibus Scriptura utitur ad prophetiam Mosis supra alias omnes extollendum, istam prærogativam necessariò non inferant nec insinuent. Nam

phrases

phraſes iſtæ, *Ore ad os loquar cum eo, & facie ad faciem: loquutus eſt Deus cum Moſe ſicuti amicus amicum alloquitur:* item; *Similitudinem Dei adſpiciet*; non ſignificant neceſſariò, nec ex parte Dei immediatam, quam Moſi facturus ſit, revelationem: nec ex parte Moſis clariſſimam ac penitiſſimam eorum quæ ad naturam & proprietates actioneſque Dei pertinent, apprehenſionem. Non primum: Nihil enim vetat illa verba, Angeli, Dei perſonam repræſentantis, verba eſſe; ita ut cum Deus per Angelum ore ad os locuturus intelligatur Moſi, Deum ipſum tum loquuturum eſſe dicatur. Nihil enim in Scriptura familiarius eſt, quam Deo tribuere quod Angelus nomine Dei facit, & Angelum Dei perſonam ac nomen ſibi tribuere; uti ex infinitis locis conſtat, quæ allegare omnia non eſt neceſſe. Videantur præter iſta quæ ſupra allegavimus, hæc loca: *Geneſ.* XVI. *verſ.* 10, collato cum *verſ.* 13. & *cap.* XXII. *verſ.* 12: ubi Angelus Domini dicit: *Nunc cognovi quod non pepercerîs filio tuo propter me.* Sic *cap.* XXXI. *verſ.* 13, Angelus ſe ipſum vocat *Deum Bethel*, cui Jacob votum voverat cum à facie fratris ſui Eſaui fugeret. Angelum enim fuiſſe qui ibi loquitur, ex *verſ.* 11 apparet. Ac ne forte excipiatur, Angelum hunc ſe appellare hoc loco האל tantum, notandum eum *cap.* XXVIII. 13, ad quem hîc reſpicitur, vocari יהוה ſive Adonai. Sic *cap.* XXXII, Angelus iſte cum quo luctatus fuerat Jacob, (Angelum enim, fuiſſe diſertè legitur *Oſeæ* XII. verſ. 5.) ſe ipſum vocat אלהים, & Jacob etiam eundem ſic vocat, additque ſe vidiſſe Deum facie ad faciem; quin & loco nomen impoſuit *Peni-el*. Oſeas verò eum non tantum אלהים vocat, ſed & יהוה ſive *adonai: ibid. verſ.* 6. Sic *Exod.* XIII. *verſ.* 21. יהוה dicitur præcedere caſtra Iſraelitarum, & *cap.* XIV. *verſ.* 19, dicitur fuiſſe Angelus: *Profectus eſt itaque Angelus Dei qui præcedebat caſtra Iſrael, & ivit à tergo eorum.* vide etiam *Exod.* XXIII. 20: & XXXII. 34, ubi idem legere eſt. Similia loca multa ſunt, quæ alibi adnotavimus. Hæc cauſſa eſt cur non pauci Theologi, Angelum hunc ipſum Dei filium fuiſſe contendant, non verò creatum aliquem Angelum. Sed rationes eorum mihi non ſatisfaciunt, vel hanc unam ob cauſſam, quod ſcriptor ad *Hebr.* aſſerat *cap.* I. nulli unquam Angelo dictum fuiſſe, *Filius meus es tu.* At ſi hic Angelus filius Dei fuit, ei neceſſe eſt ut dictum fuerit, *Filius meus es tu.* Præterquam quod idem Scriptor diſertè adſerat, *Deum ultimis* demum *temporibus*, & non olim, *locutum eſſe in Filio ſuo: ibid.* Itaque ſenſum locorum horum nihil vetat hunc eſſe: *Ego Dominus, ſi quis propheta fuerit in vobis, in viſione apparebo illi, in ſomnio loquar cum illo:* Id eſt, ego Dei Angelus, & jam Dei vicem gerens, totique populo huic à Deo præfectus, nomine Dei ſic impoſterum agam quando prophetis revelabor. *At non ſic ſervus meus Moſeh:* id eſt, excellentius familiariuſque cum eo agam: *Ore ad os loquar cum eo, & in viſione, at non in ænigmatis & ſimilitudine*, (ineptè enim novam hîc ſententiam faciunt Judæi, quia id quod remotum Deus vult à Moſe, quia imperfectum quid eſt, Moſi adtribuunt tanquam perfectius quid, uti poſtea videbimus) *Deum* vel *Dei videbit:* id eſt, ego coram, familiariter & cominus ei patefaciam quæcunque voluero, oratione articulata & ſermone humano, non aliter quàm homo hominem ſibi amicum alloquitur, quando & quotieſcunque ad eum venit: quaſi dicat: Nulla interveniet viſio, nullum ſomnium, nulla aut tremoris aut timoris cauſſa erit. Quid huic expoſitioni obſtet ego non video: Sanè verba quæ leguntur *Exod.* XXV. 22. & *Num.* VII. *verſ. ult.* expoſitionem hanc pene palpabilem faciunt. Sed & rationes quæ pro expoſitione iſta militant, quæque eam maxime veriſimilem, ſi non neceſſariam, faciunt, ac proinde priorem falſitatis redarguunt, non leves ſunt. Nam, 1 certum eſt ex *cap.* XXIII *Exodi*, *verſ.* 20. 21. 22. Deum præfeciſſe populo Angelum, qui non tantum cuſtodiret populum in via, eumque in terram promiſſam introduceret, ſed & qui nomine ſuo (*Nam nomen meum*, inquit Deus, *eſt*, vel *poſui in medio ejus*, ſive *nomen* accipiatur pro ſermone Dei, ſive pro poteſtate divina, ſive pro ipſo Dei nomine. ſenſus enim eſt, perſonam, nomen atque officium meum geret, ita ut ſe meo proprio nomine vocaturus ſit, voſque ſic adfaturus ac ſi ego ipſe ſim) juberet, mandaretque, promitteret, comminaretur, remitteret, & puniret. *Cave enim*, inquit textus, *à facie ejus, & obtempera ejus voci, ne exacerbes eum*, &c. *Nam ſi audiendo audierîs vocem ejus, & fecerîs quæcumque dixero*, (per os ſcilicet ejus) &c.

Ex quibus verbis non obſcurè colligere eſt, Revelationes omnes, juſſa, ac mandata omnia ad Moſem, ab hoc Angelo profecta eſſe: ac proinde quæcunque hîc dicuntur eventura Moſi tanquam ſi ab ipſo Deo obventura ſint, ea miniſterio hujus Angeli peragenda ac peracta fuiſſe. Et firmat hanc rationem ſecunda ratio; quòd eâdem phraſi hic dicatur, Deum ore ad os locuturum Moſi, qua dictum fuerat Deum appariturum prophetis cæteris: At Deus ipſe prophetis cæteris non apparebat nec revelabatur aliter quam per manum ſive miniſterium Angeli, uti Rabbini omnes unanimiter adſerunt. Ergo, &c. Quibus adde tertiò rationem hanc; Quòd nullo pacto veriſimile eſt Deum ipſum ſe immediate revelaſſe, poſtquam legatum talem populo ſuo præfecerat. Præterquam quod Majeſtatem divinam magis decere credendum ſit, quod ſe non ita promiſcue vulgaverit in populo tam carnali, præfracto ac rebelli, ſed in cælis, palatio ſe digno & glorioſæ ſuæ Majeſtati conveniente, manens, deſuper omnia rexerit ac direxerit per adminiſtros ſuos, ſoliique ſui adſtites; eos videlicet mittendo ad præfectum iſtum Angelum in cujus medio nomen ſuum poſuerat, ut nempe ſubinde ei ſignificarent quid fieri vellet: ſicut nunc etiam univerſum mundum per Filium ſuum regit, cui Angelos ſuos ſubjectos eſſe voluit, data & conceſſa ei poteſtate omni in cælo & in terra, ſuper omnem carnem, ut mortuis ac vivis dominetur; donec tandem ille omnibus hoſtibus debellatis regnum ei reſtituat, & ſic cum piis omnibus ei iterum ſubjiciatur; atque ita Deus ipſe benedictus omnia fiat in omnibus, id eſt per ſe ipſum omnia regat ac gubernet, Chriſtumque licet Dominum ac caput cæterorum, cæteros verò tanquam membra ejus, omnibus donis ac bonis glorioſæ ſuæ domus impleat.

Ex hoc conſequitur nec ſecundum quod dixi ullo certo fundamento niti, imo falſum eſſe. Nam ſi iſta prima expoſitio noſtra vera eſt, tum certè phraſes illæ, *ore ad os loquar*, &c. aliud nihil ſignificant, quàm claram & diſertam auditionem eorum omnium quæ coram locuturus eſſet Angelus: ut ſenſus ſit; Sic audiet loquentem Angelum Moſes, uti ille loquetur. De locutione autem propriè dicta, quæ per σαφηνειαν λεγειν fit, quæque à parabolica, ænigmatica aut exſtatica locutione, ſive in ſomnio ſive in viſione facta, contradiſtinguitur: non verò de locutione quæ fit per λεγειν ενδιαθετον, ſive per immediatam intimationem & inſinuationem rei in intellectum Moſis, agi ex verbis liquet. Ergo etiam de tali auditione ſive apprehenſione ut agatur neceſſe eſt. Deinde dato etiam, at non conceſſo, de apprehenſione tali intellectuali verba intelligenda eſſe, certum tamen eſt iis non indicari, quod Deus Moſi naturam ſuam, & quæcumque ad ſe pertinent revelare vellet; ſed tantum indicari quod ea quæ ei revelaturus erat, non vulgari ſed iſto ſingulari modo revelaturus eſſet. Quænam autem iſta fuerint, non exponitur. Quin accipienda verba ſint, tum de iis ſuper quibus Moſes Deum conſulturus eſſet, ad cultum ſcilicet Dei & populi regimen pertinentibus, tum de iis quæ Deus ipſe Moſem ſcire populoque renuntiata per eum vellet, dubium non eſt, vel ex iſto ſolo argumento, quod Moſes hîc contradiſtinguatur à prophetis. At prophetis non apparebat Deus in ſomnio aut viſione, niſi vel per preces conſultus rogatuſque, vel quando Deo conſultum videbatur eos vocare, ut ex ore ſuo quæ ad cultus ſui reſtaurationem populive emendationem pertinebant, audirent, atque ad populum ſive populi capita referrent. Ergo, &c. Quænam iſta fuerint, id certe ex phraſibus his non intelligitur. Quod enim Rabini aliique verba illa, *& ſimilitudinem Dei adſpiciet*; ita interpretantur, ut per ſimilitudinem Dei intelligatur natura Dei & quæ ad eam pertinent; per *videre* autem, clarè ea omnia apprehendere mente, atque intellectu percipere, id quæſitum prorſus eſt. Nec enim neceſſe eſt ut verba iſta ſic legantur, aut iſto ſenſu exponantur; quaſi videlicet nova iſthic periodus fiat. optimè ſiquidem cohærent hæc verba cum præcedentibus, ſi hoc pacto legantur, *Non in ænigmatis: &* (id eſt, aut in) *ſimilitudine Deum videbit.* Et, ſi proprietas verborum ipſaque oppoſitio inter Moſeh & prophetas attendatur, pene neceſſe eſt ut hoc ſenſu accipiantur. Similitudo enim, תמונה quæ vox decem vicibus in Scriptura tantum reperitur, nunquam veritatem aut naturam rei alicujus ſignificat, ſed ſemper aut externam formam ſive figuram rei alicujus quæ ſenſibus percipitur: ut *Deut.* IV. 16. Et faciatis vobis ſculptile, *ſhemunah*, figuram ſive ſimilitudinem ullius ſimulachri. & *verſ.* 15: Non vidiſtis ullam *ſhemunah*, ſimilitudinem vel figuram: aut formam imaginariam, quæ in phantaſia hominis eſt per viſionem aut ſomnium: ut *Iob.* IV. 13. 16, Inter cogitationes in viſionibus nocturnis, &c. dum conſtitit non agnovi adſpectum ejus, *ſhemunah*, figura, ſimili-tudine, idæa, ſpecie oculis meis obverſante. Oppoſitio ſive diſtinctio etiam inter Moſeh & prophetas, poſtulat ut verba hæc prioribus adnectantur. Eo ipſo enim diſtinguuntur hoc loco; quod prophetæ in ſomnio aut viſione, ſimili-tudines, figuras, ideas & ſpecies imaginarias repræſentatas ſibi videant, etiam Dei ipſius: ut *Eſa.* VI. & *Daniel.* VII. videre eſt: Moſes verò coram Deum, id eſt, Angelum Dei locum tenentem, auditurus, ac, ſi libet, etiam viſurus ſit. Quare ſi dicas, hoc loco adfirmari Moſem ſimilitudinem Dei viſurum, eum prophetis parem feceris, & imperfectionem quam diſerte Scriptura à Moſe removere intendit, ei attri-

*Vide etiam hæc loca: Exod. XX. 4. Deut. V. 8. Deut. IV. 12. 23 25. Pſalm. XVII. 15.*

bueris. præterquam quod Scripturæ directè adversatur Deo similitudinem tribuere; & multo adhuc directius, eam ordinariè visam Mosi fuisse. Vide *Deut.* IV. 12. 15. Quare inepta videri debet expositio ista, & quæsita tantùm ad probandum, quod præsupponitur sine fundamento verum esse.

In cæteris phrasibus minus est præsidii pro ista sententia. Nam audire Deum, id est Angelum, sibi ore ad os & facie ad faciem loquentem potuit Moseh; ut non audiret nec intelligeret quam quæ omnium scire intererat, & quilibet intelligere facile potuisset si Angelum sibi loquentem audivisset: uti factum etiam legimus *Deut.* V. 4. Ibi enim facie ad faciem locutus dicitur populo Deus. Si alia Mosem audivisse velimus, id aliunde probandum est. Adde quod de Mose non dicatur tantum, quantum de Jacobo *Genes.* XXXII. 30. Hic enim dicitur *vidisse Deum facie ad faciem.* Mosi verò dicitur tantùm locutus Deus facie ad faciem. Visio autem in Scripturis magis proprie contemplationem, sive cognitionem, eamque propiorem penitioremque notare videtur, quàm auditus. At is qui ore ad os & facie ad faciem locutus est Mosi visus etiam Mosi est, inquies. Id sane non sequitur: diserte enim dicitur Deus populo toti ex monte Sinai *ore ad os*, sive *facie ad faciem*, locutus, *Deut.* V. 4. & populus iste vidisse dicitur quod Deus locutus esset *cum homine*, id est secum: *ibid. vers.* 24: & tamen de isto ipso populo dicitur quod vocem verborum audiverit, at imaginem nullam viderit præter vocem: *Deut.* IV. 12. & 15. At hinc sequetur, inquies, falsum esse quod dicitur de Mose: *Non surrexisse prophetam ultra in Israele sicut Mosch, qui nosset Deum facie ad faciem. Deut.* XXXIV. 10. Nec hoc sequitur. Nam ut jam non dicamus id tantum adfirmari de prophetis qui Mosem secuti sunt, & proinde id ad Abrahami, Isaaci & Jacobi tempora non esse referendum, certum est ista locutione indicari duo; alloquium hoc quod Mosi contigit fuisse ordinarium, & familiare sive imperturbatum: Ordinarium, quia internuncius Dei erat: Imperturbatum, quia simile erat alloquio quod amicus ad amicum facit: quorum neutrum ulli unquam prophetæ obtigit. Jacobo enim semel atque iterum id obtigit: populo verò non nisi semel: utrique non sine magna perturbatione. Jacob enim dicit *Genes.* XXXII. 30: *Vidi Deum facie ad faciem, & evasit anima mea.* quasi dicat: Felix sum quod præ consternatione mortuus non sum. unde *Hoseas cap.* XII, dicit eum flevisse & deprecatum esse. Populus verò quantopere fuerit consternatus & perturbatus apparet ex *cap.* XX. *Exod. vers.* 18. 19. *Deut.* V. 24. 25. 26. 27. 28. *Heb.* XII. 19. 20. 21: ubi Mosem ipsum scriptor iste divinus dixisse ait: *Expavefactus sum ac tremebundus:* sine dubio ex recepta tum temporis traditione: qualis etiam sine dubio illa fuit, qua Hoseas Jacobum in lucta illa cum Angelo flevisse ait; quod tamen in historia luctæ non exstat: & qua Paulus Jannem & Jambrem restitisse Mosi narrat, 2 Tim. III. 8. quæ tamen nomina nuspiam in historia illa reperire est. Quod verò traditio illa fundata fuerit in historia illa, quæ describitur *Exod.* XIX. *vers.* 17. 18. 19: (ubi Moses educens populum in occursum Dei è castris, & cum eo consistens ad pedem montis, videnque montem undiquaque fumare & ardere fornacis instar, quin & commoveri concutique vehementer, & clangorem buccinæ horrendum intonare audiens, loquutus dicitur, terrore videlicet perculsus cum universo populo, antequam Deus eum adloqueretur:) verisimile est.

Sed ad rem. Dico amplius: Rationes esse ob quas credi debet, istam eminentem Dei apprehensionem, sive perfectam naturæ divinæ cognitionem, Mosi non obtigisse ex divina quæ ei facta fuit revelatione, qualem Rabbini ei hîc, imò etiam in ipso monte Sinai obtigisse contendunt. Nam revelatio ista de qua agimus, non fiebat nisi in tentorio conventus intra Cherubinos. At verò tentorium hoc aut jam erectum erat, aut non. Si jam erectum erat; & in eo Mosi omnia clarè ostendebantur, quomodo adhuc postea petivit Moses ut gloriam Dei videret? Si non; sed postea demum tentorium istud, uti verisimile est, erectum fuit; quorsum in eo facta dicetur ista revelatio, si jam plenè ea facta fuerat in monte? Et vicissim, si in monte ista plena perfectaque cognitio Dei obrigit Mosi, quomodo nihilominus non multò post petiit Moses à Deo ut videret gloriam ejus? *Exod.* XXXIII. 18. An credibile est Mosem petiturum fuisse ut eam posset videre, si jam ante in monte ipso Sinai per quadraginta dies integros, (ubi cum perfectè esse à Deo edoctum de omni gloria divina volunt Rabbini,) facie ad faciem & ore ad os loquentem secum Deum audiens, ut amicus ad amicum loquitur; si, inquam, eam jam ante viderat, & cognitam perspectamque habebat? Deinde gloria ista quam ei ostendit Deus, non fuit alia quam divinorum attributorum istorum gloria; quæ *cap. seq.* XXXIV. *vers.* 6. 7. 8. recensentur: non attributorum qualia fere Deo à Philosophis tribui solent, quæ vix ratione humana percipi possunt, aut in quibus pervidendis laborat intellectus noster: qualia sunt Simplicitas essentiæ divinæ, immensitas, futurorum omnium contingentium scientia, æternitas, &c. sed attributorum talium quæ à rudi etiam populo cognosci possunt, & ad reverendum eum qui populo tali legem fert maxime necessaria sunt scitu ac creditu. Moses itaque hæc attributa divina apprehendens, gloriam Dei apprehendisse & vidisse dici debet. At verò ad ea apprehenda & cognoscenda, non opus habuit immediata aliqua in mentem influentia, sive lumine speciali elevante mentem ad illa apprehendendum. Cumque hæc ipsa revelatio ex speciali gratia ac favore divino profecta fuerit, quis non credat excellentiorem revelationem Mosi factam non fuisse, quando Deus postea ore ad os cum eo loquebatur ex propitiatorio? aut, si ista perfectior fuit, quomodo Mosi ostensa hîc credetur Dei gloria? & (quod notandum est) quomodo gloria ista omne bonum Dei dicitur, quod Deus Mosi exhibuit ac videndum dedit: *Exod.* XXXIII. 19. adeo ut ex nomine suo, tetragrammato illo, ἀφράστῳ, &, uti volunt, ineffabilia mysteria continente, vocasse dicatur Deus coram Mose? Certe si res bene animadvertatur, gloria hæc tota fuit gloria conveniens statui infantis & rudis populi, ad quem continendum in officio divini cultus, quem Deus ab eo exigere volebat, sufficiebat perpes & adsidua istorum tantum divinorum attributorum inculcatio. Perfectioris gloriæ capax non erat. Itaque nec perfectiorem gloriam Mosi populi istius ductori videndam dare voluit Deus.

*Quid significet illud quòd Moses posteriora Dei vidit. Exod. XXXIII. 23.*

Atque hoc indicatum credo à Deo-Angelo, quando Mosi ostendere volens gloriam sive perfectionem suam, faciem ejus tegebat manu sua usque dum præteriisset: *Exod.* XXXIII. 23. additque, *Postea removebo manum meam, & videbis posteriora mea: facies verò mea non videbitur.* Sensum enim verborum istorum hunc esse arbitror: Sufficiat tibi ut tantum de mea glorioſa Majestate resciscas, quantum necesse tibi est ad populi istius gubernationem: cætera abscondita tibi erunt ac manebunt. Et ut hanc mentem meam esse intelligas, non patiar te dum transibo faciem meam adspicere, sed oculos tuos tegam manu mea, nec retegam nisi cum transiero, ita ut non visurus me sis nisi cum jam tergum tibi obvertero. Hoc enim est *Videbis posteriora mea*, videbis me non transeuntem, sed transiisse, & prædicasse illa attributa mea, quæ si tu & populus firmiter credatis mihi inesse, nullum dubium est quin parituri mihi, & jussibus ac legibus meis obsecundaturi sitis. Hoc satis esto tibi: nec aliud hoc tempore à me exspecta: nec enim aliam aut perfectiorem gloriam in populo hoc demonstrare constitui. q. d. Majorem perfectioremque gloriam reservo tempori isti, quo Filium meum Servatorem dabo universo mundo. Illi revelata facie me conspiciendum dabo. Quod enim dicitur, *Faciem meam non videbit homo & vivet*, id omnino intelligendum est cum restrictione hac; Non videbit hoc tempore: vel, non videbit eam nisi ego ei specialem istam gratiam facere voluero: eodem modo quo alibi dicitur *Deum inhabitare lucem ἀπρόσιτον*, id est inaccessam; 1 *Timoth.* VI. 16: videlicet sine speciali Dei gratia: (alioquin enim certum est, Deum daturum fidelibus ut inhabitent lucem istam, & cum eo beati in luce ista vivant:) item, quo alibi dicitur *Viæ Dei esse imperveſtigabiles; neminem cognovisse mentem Dei. Esaiæ* XL. 28. *Rom.* XI. 33. scil. sine gratiosa revelatione: uti apparet nobis Christianis, non tam ex eo quod de Christo nostro adferatur, eum Deum vidisse; quem nemo ante viderat: *Joan.* I. 18: *Deum nemo vidit unquam; Filius ille unigenitus qui est in sinu patris*, id est in corde patris, quia cor in sinu est; *ille* (vidit scilicet eum) & *nobis* non tantum *eum revelavit*, sed & ἐξηγήσατο, id est clare exposuit: Hoc enim quin de voluntate divina exponendum sit, vix dubitari potest: quàm ex eo quod de Christianis affirmet Apostolus Joannes, 1 *Epist.* III. *vers.* 2, *eos similes Deo futuros, quoniam videbunt eum sicuti est*; quod de Deo non autem de Christo intelligendum esse ex textu liquet, si modo præcedentia verba non transferantur masculino genere, uti fere fit, & à Beza etiam factum apparet; *cum verò* (ipse, scilicet Christus) *patefactus fuerit*; sed neutro, *cum patefactum fuerit*, scilicet id quod erimus, & quod jam quidem est, sed nondum apparet; videlicet nos esse Dei filios, Deo caros & acceptos. In textu enim non est pronomen *ipse*, multò minùs nomen *Jesu Christi.* Ut verò ad Deum referatur non est necesse; quamquam si ad eum referatur, & sic vox, *Deus*, inseratur textui, sententiæ huic nostræ nihil decedit, imò forte robur majus accedit.

*Moses non cognovit Deum tanquam remuneratorem æternum piorum.*

Sed quid multis opus est? Mosem non clare cognovisse, nec apprehendisse in perfectissimo excellentiæ gradu naturam divinam seu gratiosissimam ejus voluntatem, ex eo liquet, quod nuspiam legatur apprehendisse aut cognovisse Deum remuneratorem æternum eorum qui legibus ejus parituri essent. Enimvero in tota Lege Mosaica nullum vitæ æternæ

æternæ præmium, ac ne æterni quidem præmii indicium vel vestigium exstat: quicquid nunc Judæi multum de futuro seculo, de resurrectione mortuorum, de vita æterna loquantur, & ex Legis verbis ea extorquere potius quam ostendere conentur, ne Legem Mosis imperfectam esse cogantur agnoscere cum Sadducæis; quos olim (& uti observo ex scriptis Rabbinorum, hodieque) vitam futuri sæculi Lege Mosis non promitti nec contineri, adfirmasse, quum tamen Judæi essent, certissimum est. Nempe non nisi per Cabalam sive traditionem, quam illi in universum rejiciebant, opinionem sive fidem illam irrepsisse asserebant. Et sanè opinionum quæ inter Judæos erat circa vitam futuri seculi discrepantia, arguit promissiones Lege factas tales esse, ut ex iis certi quid de vita futuri seculi non possit colligi. quod & Servator noster non obscurè innuit, cùm resurrectionem mortuorum colligit, *Matth.* XXII. non ex promisso aliquo Legi addito, sed ex generali tantum illo promisso Dei, quo se Deum Abrahami, Isaaci, & Jacobi futurum spoponderat: quæ tamen ipsa collectio magis nititur cognitione intentionis divinæ, sub generalibus istis verbis occultatæ aut comprehensæ, de qua Christo certo constabat, quàm necessariâ consequentiâ sive verborum vi ac virtute manifestâ, qualis nunc est in verbis Novi Testamenti, ubi vita æterna & resurrectio mortuorum, proram & puppim faciunt totius Religionis Christianæ, & tam clarè ac disertè promittuntur ut ne hiscere quidem contra quis possit. Et sanè si adtributa divina, quæ in hac visione Mosi revelata fuerunt, videas, apparebit ea talia esse, ut neutiquam necesse sit ea concipere atque apprehendere sub ista perfectione, quòd eorum virtus atque operatio extendatur usque ad futurum seculum: imò verò necesse pene esse, ut credantur à Deo revelata, tanquam adtributa quorum usum ac virtutem exerturus ac demonstraturus erat Deus in hac tantum vita, circa populum seu obsequentem seu inobsequentem ac refractarium.

*Mosi multa quæ in scriptis Apostolorum habemus, non fuerunt revelata.*

Hisce adde, quod non pauca alia recensentur in scriptis Apostolorum, quæ Mosi revelata non fuerunt, adeoque nemini mortalium ante eorum tempora revelata fuisse constat; uti vocatio gentium, de qua Apostolus ad *Ephes. cap.* III. *vers.* 3. ait; eam sibi per revelationem notam factam fuisse, tanquam mysterium quod aliis ætatibus non patefactum fuit filiis hominum, *vers.* 5. imo quod absconditum fuisse dicit in Deo (id est in proposito divino) ἀπὸ τῶν αἰώνων, à sæculis, & per Ecclesiam ipsam innotescere imperiis ac potestatibus supercælestibus, *vers.* 9. 10: quod propterea ibid. vocat *propositum seculorum*, sive ante sæcula conceptum, *vers.* 11. Item tota illa gratia Euangelica, quæ per Christum facta est universo generi humano, quam disertè Joannes per Christum factam dicit, oppositè ad Legem Mosaicam, *cap.* I. *vers.* 17: *Lex per Mosem data fuit, gratia & veritas per Jesum Christum*, id est vera gratia, quæ in æterna remissione peccatorum consistit. Temporalis enim sub Lege Mosis etiam locum habuit; etsi nec omnimoda quidem ex vi Legis Mosaicæ, locum habuit. Peccata enim grandia sive per superbiam facta, idololatria scilicet, perjurium, Sabbathi violatio, adulterium, homicidium, &c. non remittebantur Lege Mosaica, nec remitti poterant. *Nam qui irritam fecerat Legem Mosis absque misericordia ex duorum aut trium testimonio morte puniri debebat: Deut.* XIX. 15. & *ad Heb.* X. 28. Quæ omnia fuse tradita nobis Christianis sunt ab Apostolis, cum Euangelium vocant *Euangelium gloriæ Jesu Christi*, sive *lumen cognitionis gloriæ Dei in facie Jesu Christi: 2 ad Corinth.* IV. 4. 5. quod videlicet *retecta facie videtur: 2 ad Corinth.* III. 18: oppositè ad lumen gloriæ, quod in facie Mosis, ex monte & à colloquio Dei redeuntis, resplenduerat, quando Legem adferebat; sed ita ut nec ipse Moses perciperet id ex facie aut vultu suo radiare, uti disertè dicitur, *Exod.* XXXIV. 29: nec populus id ferre posset; ac proinde velamine opus esset quo tegeretur, ne oculos intuentium præstringeret: uti *ibid.* dicitur, & ab Apostolo adnotatur in prædicto *cap.* III. *Epist.* II. *ad Corinth.* quod ipsum velamen per Christum, id est Christi gloriosius multò Euangelium, aboleri aut tolli dicit: quando videlicet Euangelio isti penitius inspecto creditur: hoc enim est *convertere se ad Dominum*, uti est *vers.* 16. at verò si quis ei nolit credere, sive si quis non dignetur illud propius inspicere atque intueri, eò quod animum inducere nolit, majorem gloriam dari posse, quàm eam quæ Mosi data fuit cum Legem ferret, tùm verò velamen istud Mosis, quasi ex fronte ac vultu Mosis decidere in corda istorum incredulorum, ut occalescant & non retecta maneant in lectione Veteris Testamenti, *vers.* 14. 15. Item quum vocant *Christum*, id est Euangelium Christi, *Potentiam ac sapientiam Dei: 1 Corinth.* I. 24. & *sapientiam in mysterio*, id est arcanam, uti statim vox ista explicatur, *absconditam illam, quam præfinierat Deus ante secula in gloriam nostram; quam nemo principum hujus sæculi* (id est ne excellentissimi quidem in mundo, quales Judæi erant, quibus excellentissimæ revelationes supra alias omnes in seculo hoc nationes factæ fuerunt, & quibus lex secularis sive carnalis data fuit) *cognovit*, id est clare cognitam habuit, ac perspectam; nempe ex revelatione divina: *Sed* (ἀλλὰ γὰρ, hoc enim verbum ὡς καθὼς repetendum videtur) *sicut scriptum est*, (id est ut verbis illis emphaticis Scripturæ utar) *quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in mentem hominis venerunt*, (id est quæ nulli antea nec visa, nec audita, nec certo cognita fuerunt: uti apparet ex *vers. seq.*) *nobis autem Deus retexit per spiritum suum*, id est per Euangelium suum, quod spirituali vi præditum est; oppositè ad Legem, quæ *Lex carnalis mandati* dicitur, ad *Heb.* VII. 16. & *ministerium literæ*, adeoque litera ipsa dicitur, *2 ad Corinth.* III. 6. & quidem *occidens* (morte violenta & sine misericordia scilicet transgressores; vel quia secundùm literam accepta, vitam aliam non promittit quàm fælicem in hoc sæculo, sed eam tamen cujus finis tandem mors est.) Item cum in Euangelio Christi dicunt *absconditos esse omnes thesauros sapientiæ ac cognitionis: ad Coloss.* II. 3. οὐ γὰρ enim ad mysterium Dei & Patris & Christi, non verò ad Christum refero: nisi per Christum intelligas ipsum Euangelium, uti intelligitur *vers.* 8. & 9. cùm *in Christo*, id est Euangelio Christi, (phrasi usitata, qua Moses pro scriptis Mosaicis, id est vel à vel de Mose scriptis, Cicero, Aristoteles, &c. pro libris eorum accipitur) *inhabitare* dicit *omnem plenitudinem Deitatis* (id est divinæ perfectissimæ voluntatis) *corporaliter*, id ist perfectè; oppositè ad umbras, figuras & typos, in quibus defectus luminis aut rei præsentis est, ac non nisi rudimentum aliquod est rei sive corporis, id est substantiæ repræsentatæ; id est ad legem totam, quæ σκιὰν tantum, id est *umbram habuit rerum futurarum, non autem ipsam εἰκόνα*: vel ad quamlibet aliam doctrinam; quia omnis alia doctrina, *corpore*, id est veritate ipsa divinæ voluntatis caret. Videtur enim Apostolus ad omnes alias religiones respicere; uti ex *vers.* 8. patet. Hæc (ut alia multa non allegem) encomia talia ac tanta sunt, ut fateri cogamur revelationem illam quæ Mosi facta fuit perfectissimam non fuisse; ac proinde apprehensionem Mosis non fuisse numeris omnibus absolutam, sed ad summum umbratilem tantum, & quæ à Christi sapientia, id est sapientissima divinæ voluntatis apprehensione perficienda erat; non aliter quam id quod rudi tantum Minerva delineatum atque adumbratum est, à perfectissimo opifice vivis coloribus elaboratur ac perficitur; imò non aliter quàm id quod mortuum est, adeoque mortiferum, vivo spiritu animatur.

## CAPUT III.

### De miraculis Mosis.

*Miraculorum Mosis numerus & excellentia, secundum Rabbinos.*

VErum enimvero, ut quanta quamque excellens fuerit hæc revelatio quæ Mosi facta fuit, plenius adhuc intelligatur, paucis etiam videbimus, de miraculis quæ Mosi tribuuntur, quibus Deus Mosem auctoratum voluit, in isto mediatorio munere. Hæc mirifice exaggerant Hebræorum Magistri, tam quoad numerum, quam quoad excellentiam. Quoad numerum: quia septuaginta sex miracula à Moseh, vel Mosis caussa sive in gratiam Mosis dum vixit, id est spatio 120 annorum facta recensent. Miracula verò quæ à prophetis cæteris omnibus, à principio mundi usque ad destructionem primi templi, id est spatio ter mille trecentorum viginti octo annorum facta sunt, non excedere numerum septuaginta quatuor miraculorum asserunt: adeò ut Mosis miracula binario numero superent cæterorum omnium prophetarum miracula. Quoad excellentiam: quia miracula Mosis duobus modis præstare aliis omnibus asserunt. 1. quod ea universalia fuerint, id est in totam naturam quasi exercita. Cæterorum autem prophetarum particularia tantum fuerint. Nempe Moses miracula fecit, inquiunt, in elementis sive corporibus simplicibus, in mixtis, in metallis sive mineralibus, in plantis, in brutis, in hominibus, in cælis, in Angelis, & (videte supercilium) in ipsa divinitate, faciendo eam descendere ad vocem suam, & secum facie ad faciem colloqui. 2. quod miracula cæterorum prophetarum, quæ vel ipsi fecerunt, vel quæ in gratiam eorum facta fuerunt, privatim quasi facta, id est tantum singularibus quibusdam hominibus nota, ac coram paucis patrata fuerint; uti in miraculis Eliæ, Elisæi, &c. liquet. Miracula vero Mosis publice & in oculis omnium, non amicorum tantum sed & hostium, non adsentientium tantum sed & dissentientium facta fuerunt: nempe coram Pharaone & omnibus servis ejus, & coram universa terra ejus, id est coram adversariis & hostibus, & in oculis totius Israelis facta fuerunt, id est coram amicis & fautoribus; uti disertè

legere eſt *Deut.* XXXIV. 10. 11. 12. Quia vero de nullo alio ante Moſem neque poſt ipſum legitur quod tale quid fecerit, hinc diſerte aſſeritur, *ibid. Non ſurrexit ultra in Iſraele Propheta ſicut Moſes, quem noſſet Dominus facie ad faciem, in omnibus ſignis & portentis, ad quæ facienda in terra Ægypti Pharaoni & ſervis ejus & univerſæ terræ ejus, miſerat eum Dominus. Et in omni manu forti & in omni terrore magno, quæ fecit Moſeh in oculis totius Iſraelis.*

*Non ſunt conferenda cum miraculis per Ieſum Nazarenum facta:*

Hæc ſi prima fronte & obiter tantum conſiderentur, ſpeciem ſane magnam habere videntur: ſed ſi propius ea intueāris, & deinde conferas cum miraculis per Jeſum Nazarenum ſive Meſſiam factis, vix cauſſa apparet cur tantopere exaggerentur, ut propter ea revelatio Moſi facta numeris omnibus abſolutiſſima cenſeri debeat. Quin miracula iſta ſervierint autorando Moſis miniſterio, dubium non eſt; quin etiam excellentia fuerint in gradu ſuo, non eſt quod ambigatur. At cur tanti fiant, ut propterea Religio Judaica cenſeri debeat à Deo approbata tanquam omnium perfectiſſima, & nullo unquam tempore perficienda nedum abolenda, ne per ipſum quidem Meſſiam, cauſſa nulla eſt.

*Neque quod ad numerum:*

Nam ſi miracula ipſa videas, 1. quoad numerum: ponamus ea eſſe numero 76: eaque à Moſe ipſo facta eſſe omnia, (quod tamen omnino à vero alienum eſt: Pauciſſima enim ab ipſo Moſe facta ſunt:) quantulum hoc obſecro miraculorum eſt? Quadraginta anni integri: imo ſi videas prout ea recenſent Rabbini, à prima Moſis ætate 120 anni fluxerunt quibus hæc facta ſunt. Quæ à Jeſu Nazareno noſtro facta ſunt ea ſpatio trium, vel, ut alii volunt, quatuor ad ſummum annorum tantum facta ſunt; & numerus eorum tantus fuit, ut (quamquam hyperbole hîc eſt) totus mundus libros non poſſet capere quibus ea perſcripta eſſent: id eſt ut numerus pene fuerit innumerabilis: *Joan.* XXI. *verſ.* 25. Hyperbolæ enim ejuſmodi uſitatæ ſunt & frequentes in re nota & pervulgata: quales ſunt iſtæ: *Ponam ſemen tuum ſicut pulverem terræ.* Quis enim, ut rectè Auguſtinus, lib. 16 de Civitate Dei, cap. 21 ait, non videat quam ſit incomparabiliter amplior pulveris numerus, quàm poteſt eſſe omnium hominum ab ipſo Adam uſque ad terminum ſæculi? Item *Exod.* III & XIII, & paſſim alibi: *Dabo vobis terram fluentem lacte & melle*; id eſt admodum fæcundam. item 2 *Samu.* I. 23: *Saul & Jonathan leviores fuerunt aquilis, & fortiores leonibus.* Hinc rectè turba apud *Joan. cap.* VII. 31 quærebat, *Chriſtus cum venerit, num ſigna plura edet in quæ, iſte edidit?* Deinde 2. Miracula iſta quæ recenſent, talia ſunt ut conquiſita tantum videantur ad numerum augendum; interque ea nonnulla recenſita eſſe appareat, quæ vel miracula non ſunt, uti primum eſt quod in ordine eorum legitur; quo videlicet Moſes à filia Pharaonis ex fluvio ereptus, & in vita conſervatus, atque in aula regia educatus eſt: *Exod.* II. 5. & ultimum, quo dicitur *non caligaſſe oculum Moſis, neque auſugiſſe virorem ejus. Deut.* XXXIV. 7. quibus adde id quod numero faciunt 72, quo dicitur Deus monſtraſſe Moſi terram totam, *Deut.* XXXIV. 1. Hoc ipſum, imo multo majus quid factum à diabolo legimus, *Matth.* IV. 8. cùm Chriſto Domino noſtro, non terram tantum univerſam ſanctam iſtam (quod forte in monte alto fieri potuit) ſed & regna omnia mundi, eorumque gloriam ὡς στιγμῇ χρόνου, ut eſt *Luc.* IV. 5, ex altiſſimo monte oſtendiſſe dicitur. vel iſta miracula ficta tantum ſunt, & ſine ulla ratione ad augendum Moſis excellentiam excogitata; uti ſunt duo iſta, quibus Moſen dicunt mortuum eſſe morte ſupernaturali, ita ut Deus oſculando Moſen animam ejus exhalando avulſerit è corpore; quia videlicet dicitur *Deut.* XXXIV. 5: *Mortuum eſſe ſervum Domini Moſen in terra Moab* עַל פִּי יְהוָה *ad os Domini:* cùm ſenſus clarus ſit, *ſecundum os*, id eſt ſecundum id quod dixerat Deus, vel juxta verbum Domini. (ut ſimiles phraſes indicant: *Geneſ.* XLIII. 6. *Exod.* XXIII. 13. & XXXIV. 27. *Numer.* IX. 20. & XIII. 4. & XXVII. 21. *Deut.* XVII. 6. 10. 11. 2 *Sam.* XIII. 32. *Proverb.* XXII. 6.) & quo deinde eum dicunt ſepultum eſſe ipſius Dei manibus: quia ſequenti verſu dicitur, *Et ſepelivit eum in valle.* ubi vocem *Dei* inſerunt: cùm nihil ſit notius in Scriptura quàm verba iſta activa, paſſivam ſignificationem non raro habere, aut impersonaliter intelligi; ut *ſepelivit eum* ſignificet, *quiſquis ſepelivit*; ſeu, ſepultus eſt, à quocunque tandem ſepultus ſit. Ut jam non dicam eſſe Rabbinos qui legunt, *ipſe ſepelivit ſeipſum*, multò ſanè ſtultiore ſenſu. (Ut res tota intelligatur hiſtoriam audite. In *Rabboth*, ſive myſticis vel potius μυθικοῖς expoſitionibus Pentateuchi, in paraſcha ultima Deuteronomii, longa habetur fabula περὶ τῆς τοῦ Μώσεως ἀναβάσεως. Angelus Samael princeps omnium dæmonum, & peſſimus בִּלְיַל הַשָּׂטָנִים inter omnes diabolos, ſingulis diebus loquebatur de morte Moſis, dicebatque: Quando veniet finis, & momentum illud quo morietur Moſes, & ego deſcendam & eripiam illi animam ejus. (Angelus enim hic Samael, eſt Angelus mortis, à quo morti traduntur quotquot moriuntur) Michael contra ſtudebat, & hoc contendebat ut ne Moſes juſtiſſimus inter prophetas à peſſimo Angelo morte adficeretur. Tandem cum Dei juſſu Samael ad Moſen veniſſet, ut animam ei de pulmone revelleret, Moſes multis argumentis primum adverſus eum egit, ſeque tutatus eſt, ita ut coactus fuerit Samael ab eo tum recedere, & iterum à Deo de interficiendo Moſe mandatum accipere: ſed tum iratus Moſes, virgâ, cui inſcriptum erat שֵׁם הַמְפוֹרָשׁ nomen tetragrammaton, percuſſit ad ſe accedentem Samaelem, coëgitque eum terga dare, fugientemque inſecutus קֶרֶן הוֹדוֹ cornu magnificientiæ ipſius ei revulſit, atque decuſſit è medio oculorum ejus, & oculum ipſius excœcavit. Quod cum vidiſſet Deus, ipſe cum Michaele aliiſque duobus Angelis de cælo ad Moſen deſcendit, poſtque multum colloquium oſculando Moſen animam ejus avulſit è corpore.) Vel miracula quæ recenſent, ſunt miracula quæ non à Moſe facta fuerunt; ſed quæ Deus vel ipſe fecit, Moſes autem futura tantum Dei juſſu prædixit; ut de Man quod ex cælis, id eſt ex aëre pluiturum erat: *Exod.* XVI. 4. & 15. & quæcunque circa iſtud eventura erant, quæ ſingula numero augendo totidem Moſis miracula eſſe ajunt; item de Coreh, Dathan, & Abiram vivorum deglutitione, quæ deſcribitur *Num.* XVI. 20. vel quæ Deus ipſe fecit circa Moſen, nulla opera aut virtute Moſis interveniente; imo aliquando circa Moſen ignarum quid futurum eſſet: ut cum *Exod.* IV. 6. Deus Moſi mandaret, ut è manu ſua projiceret virgam, atque illa in ſerpentem mutaretur; ut manum ſuam in ſinum ſuum immitteret, eaque ſtatim lepra infecta extraheretur, &c. *ibid. verſ.* 7. quò referendum etiam eſt iſtud quod allegant miraculum, quando facies Moſis ex monte deſcendentis reſplendebat: *Exod.* XXXIV: diſertè enim dicitur in textu, *Et neſciebat Moſes quod cutis faciei ſuæ radiaret: verſ.* 19. Item quod lux in terra Goſen non obſcurabatur, quo tempore tenebræ ad preces Moſis totam Ægypti reliquam terram obumbrabant: *Exod.* X. 23. item quod Deus gratiam populo dabat, ut Ægyptii eis vaſa ſua argentea atque aurea commodato darent: *Exod.* XII. 36. item quod nubes interdiu non recedebat ab arca: *Exod.* XIII. 22: aliaque plura talia, quæ textus expreſsè dicit, non à Moſe ſed à Deo facta eſſe, nulla interveniente actione Moſis qua iſta fierent. Vel denique miracula talia ſunt, quæ aut ad preces & orationem Moſis; aut ad expreſſum Dei juſſum ac mandatum facta ſunt; qualia ſunt cætera fere omnia miracula.

*Neque quod ad excellentiam.*

Unde ſecundo loco infero: miracula Moſis quoad excellentiam ſive qualitatem tanta non eſſe, quanta ea eſſe volunt Hebræorum Magiſtri. Nam 1. virtus faciendi miracula, non fuit virtus quæ Moſi indita fuit, aut habitans in Moſe & quaſi immanens: ſed virtus quam vel precario, id eſt conceptis ad Deum precibus per intervalla obtinuit; vel quam ad juſſum ſive mandatum Dei, quando ita Deo videbatur conſultum, exeruit. Hiſtoriam teſtem do, in omnibus miraculis quæ coram Pharaone & in deſerto fecit. Alterutrum enim ſemper uſu veniſſe comperietur. Atque hæc obſervatio idcirco majoris fieri debet, quod ipſi Rabbini, aſſignantes rationem excellentiæ quæ in miraculis Moſis fuit, ſupra alia omnia cæterorum Prophetarum miracula, hanc unam tanquam principem, ſi non unicam, allegent: quod prophetæ omnes cæteri miracula faciebant mediante oratione, ſive intervenientibus precibus ad Deum: uti in exemplo Joſuæ cum Solem ſiſtebat, *cap.* X. 14. factum ajunt; dicente Scriptura ipſa, *Et non fuit ſicut dies illa ante eam, nec poſt eam*, in qua audiret (aut, *obediret*) Dominus vocem (vel, *voci*) viri, id eſt hominis: item in exemplo Eliæ, cum ignem precibus ſuis de cælo faciebat deſcendere, 1 *Reg.* XVIII. 36. 37. 38. qui conſumebat holocauſtum, & quando pluviam de cælo impetrabat, *ibid.* 42. Vide etiam *Jacob.* V. 17. 18. & quando filium viduæ Sarphatenſis mortuum ſuſcitabat: 1 *Reg.* XVII. 20. 21. 22. item in exemplo Elizæi cum filium viduæ Sunamitidos mortuum in vitam revocabat. 2 *Reg.* IV. 33, &c. Moſes vero pro arbitrio ſuo, abſque precandi ulla neceſſitate, miracula faciebat, tanquam ſi naturam ſibi ſuiſque nutibus ſubditam haberet. Quam differentiam tanti facit Iſaac Abravanel, ut miracula facere prævia oratione ſive precatione, opus humanum, & quod à ſancto quoque viro fieri poteſt, appellet: ſine precatione vero facere opus divinum vocet. Eſto. At vero hanc Moſis prærogativam nullo exemplo confirmant. Quod enim de virga ſive baculo, tanquam ſceptro regio Moſi in manum dato, ajunt, ut eo uteretur pro ſuo arbitrio ad quælibet miracula patrandum ejus interventu, id gratis adſerunt & ſine fundamento. Contra apparet eum à Moſe, vel ad Moſis juſſum ab Aarone non fuiſſe uſurpatum ad miracula faciendum, niſi prægreſſis primum ad Deum precibus, vel accepto conſultove divi-

divino oraculo ; uti apparet manifeſte in ſingulis plagis Pharaoni immiſſis, & deinde à Pharaone ablatis : *Exod.* VII. & VIII. & IX. & X. *cap.* in apertione maris rubri, & deletione Pharaonis & copiarum ejus : *Exod.* XIV. *verſ.* 15. 16. 24. 25. 26. in commutatione aquarum amararum in dulces quæ in Marah accidit : *Exod.* XV. 25. in apertione petræ in Rephidim : *Exod.* XVII. 4. 5. 6. 7. in deletione Amalec : *ibid. verſ.* 11. 12. in immiſſione ignis in extremum caſtrorum, id eſt querulorum contra Deum & Moſeh : *Num.* XI. 1. 2. in ſanatione lepræ quæ ſororem Aaronis invaſerat : *Num.* XII. 13. in excidio Core, Dathan & Abiram : *Num.* XVI. *verſ.* 20. 21. 22. 23. 24. 35. 44. 45. in apertione petræ apud aquas jurgii : *Num.* XX. 6. 7. 8. 9. & ita in cæteris omnibus, nullo quod ſciam miraculo excepto.

*Jeſus habuit virtutem faciendi miracula in ſe reſidentem.*

At longè profectò alia fuit ratio noſtri Meſſiæ ac Domini Jeſu. Nam is *Primò*, virtutem ac vim faciendi miracula immanentem & dominio ſuo ſubditam habuit : adeo ut quando, ubi & quoties vellet, abſens, præſens, ea ediderit : (niſi cum ſola obſtaret incredulitas, uti *Mar.* VI. 5. dicitur) *Luc.* V. 17. *Matth.* IX. 6. 7. 8 : & alibi paſſim : & ut plurimum ſolo verbo ſive juſſu ſuo, eoque vel leni vel vel objurgatorio, qui poteſtatis indicium eſt, interpoſito : nec raro etiam nullo verbo aut ſigno interveniente, ſed tacita virtute ex eo tanquam virtute pleno defluente ac redundante : *Matth.* IX. 20. & XIV. 36. *Mar.* V. 27, 28. & VI. 56. *Luc.* VI. 19. & VIII. 44. Nec enim plus quam ſemel oratione ad Patrem ſuum interpoſita miraculum edidiſſe legitur : cum videlicet Lazarum ex mortuis exſuſcitaturus eſſet : & ratio ſtatim additur in textu, *Joan.* XI. 42 : *Propter turbam circumſtantem id dixi, ut credant me à te miſſum eſſe*, id eſt, virtutem iſtam quam mihi indidiſti ut quævis admiranda ad gloriam tuam faciam, & qua ſcio me ſemper uti poſſe te propitio, (hoc enim eſt, *ſciebam me ſemper à te audiri*, id eſt auxilium tuum ſemper mihi præſto eſſe, tanquam ſi ad ſingula momenta aut facta opem tuam implorarem) non eſſe niſi divinam virtutem, & qua tu me donaſti ac dotaſti, quando invocatum te à me protinus mihi adeſſe, ac virtutem illam quaſi de novo largiri adſpicient. Hoc enim ſignum erit unde colligere jure poterunt, me tibi carum eſſe, & in nomine tuo omnia agere. quamquam textus ipſe non dicit Chriſtum oraſſe Patrem, ſed tantum *gratias Patri egiſſe* ; quod ſic intelligi poteſt, ut gratias egerit Patri non pro exauditione precationis ſuæ, ſed pro virtute ſibi inſita ; quam quia à Patre habebat, idcirco pro ea gratias egerit, quaſi ab illo tum temporis exauditus fuiſſet. Eſto tamen, precatio præceſſerit : Hoc uno miraculo inter tot millia excepto, cætera omnia Jeſus per ſe ac ſponte ſua feciſſe legitur, (ſecus quam Moſes, qui omnia pene miracula interventu precum fecit) ut virtutem illam ſibi quaſi propriam dominii jure, attamen per divinam donationem ſibi inditam atque inſitam eſſe teſtatum faceret : unde factum ut Patri ubique eam acceptam tulerit ; adeo ut dixiſſe legatur *Joan.* V. 19, *ſe non poſſe à ſemetipſo operari, niſi vidiſſet* prius ſcilicet *Patrem operantem. Quæcunque enim*, inquit, *Pater facit, ea etiam Filius pariter facit. Pater enim amat Filium, & omnia monſtrat ei quæ ipſe facit.* Et ut utrumque hoc ſimul complectatur Joannes, dicit, *verſ.* 26 : *Sicut Pater vitam habet in ſe ipſo, ſic dedit & Filio vitam habere in ſe ipſo*, ἐν ἑαυτῷ, inquit.

*Quam etiam aliis communicare potuit.*

Documentum hujus rei clarum eſt, quod virtutem ſive poteſtatem hanc miracula faciendi, communicare aliis potuit ac reipſa communicavit : uti videre eſt diſertis verbis ſcriptum, *Luc.* X. 19, cum 70 diſcipulos à legatione redeuntes alloquebatur : *Ecce do* (id eſt dedi vobis) *poteſtatem calcandi ſerpentes*, &c. & *Matt.* X. 8. cùm duodecim ſuos Apoſtolos ablegaret in Judæam : *Ægrotos ſanate, leproſos purgate, mortuos ſuſcitate, dæmonia ejicite : dono accepiſtis, dono date.* Atque ex hoc ipſo etiam apparet *Secundò*, quanto inferioris excellentiæ quoad donum miraculorum fuerit Moſes, quàm Jeſus noſter. Hac enim virtute caruit Moſes. Verum quidem eſt Deum de Spiritu Moſis dimenſum eſſe ſeptuaginta ſenioribus, quantum cuique ad populi regimen neceſſe erat : *Num.* XI. 25. ſed nec Spiritus ille miraculorum faciendorum Spiritus fuit, nec Spiritum illum Moſes dedit ſenioribus ; ſed Deus ipſe Moſe nec ſentiente nec propriè conſentiente : uti aliquomodo conſenſiſſe Elias videtur, licet ægrè admodum, cum duplicem Spiritum ejus peteret Elizæus ; 2 *Reg.* II. 9. 10. At Chriſtus noſter Spiritum ſuum, etiam miraculoſum, ipſe daturum ſe promittit, non parca ſed larga manu ; nec uni alterive, ut Elias ; nec ſeptuaginta tantum, ut Moſes : ſed omnibus in ſe credentibus : *Joan.* XIV. 12. *Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio & ipſe faciet, & majora* (ſcilicet poſthac cum ſublatus fuero in cælum, uti ex verbis ſequentibus liquet) *faciet.* Vide etiam *Marc.* XVI. 17. 18.

Secundum genus diſtinctionis, quod inter Moſis & aliorum prophetarum miracula adſignant, quod videlicet Moſes miracula ſua fecerit publicè & in oculis tum hoſtium ſuorum tum Iſraelis totius, exigui momenti eſt : quia, quod ad prophetas cæteros attinet, etſi fortaſſe de iis qui anteceſſerunt Jeſum Prophetarum omnium principem id aliquatenus concedi poteſt : (quamquam cur idem Joſuæ Moſis ſucceſſori tribui non poſſit, ego non video. De eo enim diſerte etiam legitur *Joſ.* X. 12, quod, cùm Solem ad horas aliquot, in curſu ſuo ſiſteret, in oculis Iſraelis dixerit : *Sol in Gibeon expecta, & Luna in valle Ajalon. In oculis Iſraelis* enim, eſt tantundem atque in oculis totius Iſraelis : & quin ea quæ à Joſua facta ſunt coram hoſtibus etiam publicè facta ſint, nulla ratio eſt quæ nos dubitare ſinit ; ut jam de Elia & Elizæo nihil dicam :) Etſi, inquam, de his, id concedi poteſt, tamen de Jeſu noſtro id nullo modo verum eſt : quippe quem omnia ferè miracula ſua coram hoſtibus & amicis, quin & in oculis omnium palam publiceque feciſſe manifeſtiſſimum eſt : adeò ut non millia aliquot, ſed μυριάδες, id eſt decem aliquot hominum millia fuiſſe legantur, coram quibus ea ferè paſſim, in urbibus viciſque tum Galilææ tum Judææ patrata fuerunt. In ipſo deſerto dicuntur aliquando quinque, aliquando quatuor hominum millibus ea viſa fuiſſe. Quæ omnia clarius patebunt, cum de magnitudine Judaici populi, urbiſque imprimis Hieroſolymitanæ excellentia populique in ea frequentia à nobis agetur.

*Tertiò* : Inter miracula Moſis nullum recenſetur, quale eſt quod Joſuæ adſignat Scriptura : deinde Eliæ atque Elizæo ; aut quod cum uno iſtorum, ſaltem cum poſtremis duobus, conferri meretur. Miraculum Joſuæ adeo extollit Scriptura, *Joſ.* X. 14, ut dicat, *Non fuiſſe diem ullam, nec ante nec poſt, ſicut illam, in qua Deus audiret vocem hominis*, id eſt, non vocem orantis hominis (uti Judæi volunt) ſed vocem hominis Soli & Lunæ imperantis ac jubentis curſum ſuum ſiſtere ; ut *audire*, hîc ſit idem quod obaudire, vel obedire. Miracula verò Eliæ & Elizæi talia ſunt, ut nulla magis incredibilia videantur quam iſta, & nihil magis proprium videatur potentiæ divinæ quam mortuorum ſuſcitatio. At nuſpiam Moſi tantum miraculum tribuitur. Miraculum quod Moſis tempore circa tabernaculum contigit, cum nubes Domini deſcendit ſuper ipſum tabernaculum interdiu, ignis vero noctu in totius oculis Iſraelis, *Exod.* XL. 37 : non modo non majus, ſed minus multo eſt, quam quod Solomonis tempore circa templum accidit : 1 *Reg.* VIII. & IX. Nam non de tabernaculo ſolum, ſed etiam de templo dicitur quod *gloria Dei impletum fuerit.* Hæc autem gloria templi, idcirco major videri debet, quod in eo Deus, tanquam in ſede habitationis & quietis ſuæ, ſemper manere volebat : *Pſal.* CXXXII. Ad tabernaculum vero nubes iſta gloriæ divinæ ſymbolum per intervalla accedebat, rurſuſque ab eo recedebat.

*Joſua, Elias & Elizæus majora quam Moſes miracula ediderunt.*

Quod Rabbini excipiunt Eliam & Elizæum iſta miracula feciſſe precibus intercedentibus, id verum quidem eſt, ſed ad rem non facit. Pleraque ſua, ſi non omnia miracula, eaque cum his non conferenda ſic fecit Moſes. interim quod Joſuam miraculum iſtud feciſſe ajunt per medium orationis, ſive precationis, id non liquet ex textu. Deinde quod ſecundo loco excipiunt : Moſen miracula non feciſſe niſi neceſſitate aut re poſtulante, id multo minus ad rem facit. Quia quis credat, Moſi tanto duci & Rectori tam immenſi populi, non aliquando occaſionem talem neceſſariam ſuſcitandi mortuum oblatam fuiſſe ? Sed veriſimile eſt non placuiſſe Deo, ad iſtam dignitatem & excellentiam Moſem attollere ; cujus placiti divini rationes non difficile forte eſt conjectura adſequi. Tertiò, quod Moſem dicunt divino juſſu tantum, cæteros vero prophetas ſine juſſu Dei, ſed vel ira vel zelo vel pietate impulſos miracula feciſſe, id nec verum eſt. Nam Prophetæ omnes, non aliter quam juſſu Dei ediderunt miracula : ut 1 *Reg.* XIII. 1. & *cap.* XVII. 14. & *cap.* XVIII. 1. &c. videre eſt. Nec ſi verum eſſet, id eſt ſi omnino ſuopte motu, non expectata juſſione divina, miracula ſua feciſſent, idcirco minores Moſe, ſed majores potius eo dicendi eſſent. Denique quod tandem excipiunt, preſſi argumentorum manifeſta vi, miraculorum plurium pauciorumve, aut magis minuſve excellentium patrationem, non ſufficere ad conſtituendum aliquem in ſublimiore aut inferiore gradu prophetiæ aut prophetæ divini ; adducentes eo fine exempla Iſaaci, Jacobi, & Samuelis, qui non niſi unicum miraculum ediderunt ; Nathanis, Gadi, Ahiæ Silonitæ, Jehu, Azariæ, Semaiah, Oſeæ, Amoſi, Joëlis, Obadiæ, Jeremiæ, Ezechielis, Michæ, Nahumi, Abakuki, Sephaniæ, Aggæi, Zachariæ, & Malachiæ, qui omnes nullum omnino fecerunt miraculum : addamus & nos Joannis Baptiſtæ, de quo ſcriptum etiam eſt *Joan.* X. 41, quod nullum ediderit miraculum ; id quæſitum 1 eſt : quia quorſum ergo ipſi Moſen, ob miraculorum numerum & excellentiam ſupra alios omnes prophetas extollendum eſſe clamant, & tam operoſe ubique extollunt ? 2. id prorſus falſum eſſe ipſi coguntur

admittere ; idcirco quod Deus ipſe , Moſi legatur conciliaſſe auctoritatem per miracula multa ac varia , tum apud populum ſuum , tum apud hoſtes populi ſui , Pharaonem putà alioſque ; uti ex hiſtoria conſtat , & nos jam ante liquido evicimus. 3. ut ut certum ſit , miracula præciſe neceſſaria non eſſe , ad hoc ut quis verus Dei propheta ſit ; tamen certum etiam eſt , quando Deus iis dignatur prophetam aliquem ſuum , tanto eum digniorem excellentioremque cenſendum eſſe , quanto majora ac plura facit ; & , ſi doctrinam aut prophetiam adferat , non contrariam divinæ voluntati revelatæ , ſed excellentiorem perfectioremque , nulla alia cauſſa quam ſola divinæ voluntatis certiſſima conſcientia motus atque impulſus , cumque periculo fortunarum, famæ ac vitæ ſuæ , dignum eſſe qui audiatur & recipiatur ob iſta ipſa miracula : idque propter hanc cauſſam , quod certò credi debeat Deum neminem miraculorum manifeſtorum virtute dignari velle , quem hoſtem ſuum atque inimicum & diaboli ſectatorem eſſe novit ; nec contra hoc facere , quod Deus aliquando ſigna aliqua , prodigia ac portenta fieri ſinat à falſis prophetis , quia ea aut non eſſe vera miracula , ſed portenta quæ vel diabolica virtus adſequi , vel humana calliditas imitari poteſt : aut ſi ſint (quod fieri poſſe aut à Deo aliquando ut fiat permitti credo , ſive ad puniendum inſanabilis malitiæ rebelles, ſive ad tentandum dubiæ fiuxæq; fidei mortales) ad id confirmandum quod manifeſtè falſum , divinæque gloriæ ac voluntati contrarium eſt , fieri , facile deprehendi poteſt ; & ut deprehendatur procurare Deus vult per eos , quos voluntatis ſuæ retinentes eſſe novit ; quique dicere poſſunt quod probus Nicodemus ait: *Scimus te à Deo eſſe , quia ſigna iſta quæ tu facis, nemo facere poteſt niſi Deus ei adſit : Joan.* III. 2. Et è contrario, ſi qui tales non ſint, ut eorum improbitas, atque in media imptobitate ſecuritas, hac via manifeſtetur & in lucem producatur, atque ita diſcrimen appareat inter probos & improbos. Sed hac de re ſupra nonnihil attigimus , & plenius ſuo tempore agemus, cum de miraculis diſſeremus quæ Dominus noſter Jeſus fecit.

*Miracula Moſis pleraque ad terrorem incutiendum aut nocendum comparata fuerunt, Jeſu vero miracula erant pura puta beneficia.*

*Quartò :* Miracula Moſis pleraque talia fuerunt , ut vel prodigia ſtupenda tantum fuerint , ad horrorem & terrorem incutiendum ; uti fuerunt ea quæ in monte & circa montem Sinai evenerunt : vel internecina aut noxia tantùm ; uti fuerunt ea quæ in aula Pharaonis & in Ægypto patrata ſunt , uſque ad cædem primogenitorum ; quæque in deſerto circa Core, Dathan , & Abiram , & circa 250 offerentes incenſum , circa Miriam, circa carnipetas & carnivoros, circa Amalecitas , circa filios Aaron, circa murmuratores in quos ſerpentes igniti irruebant. *Num.* XXI. &c. facta recenſentur: vel ſalutaria quidem his illiſve , ſed cum damno , detrimento & cæde plurimorum conjuncta : uti fuerunt illa quæ in traductione populi per mare rubrum facta ſunt, aliaque. pauciſſima miracula Moſis pura puta fuerunt beneficia : pleraque fuerunt ſigna potentiæ divinæ , non tam ſalutaris quam vel vindicatricis vel liberatricis ; quæ apta nata fuerunt horrorem potius & metum incutere , quam amorem blandè inſerere. At miracula Jeſu noſtri omnia fuerunt pura puta beneficia : nec ad lædendum , nedum ad perdendum quemquam , ſed ad juvandum omnes homines facta ; uti ex hiſtoria liquet , & *Act.* X. 38 , diſertè dicitur : adeo quidem ut nullum , ac ne unicum quidem miraculum factum ab eo legatur , quod non dico cum internecione , nec cum damno , noxa aut malo cujuſquam hominis conjunctum fuerit , ſed quod non cum ope, commodo, & ſalute hujus aut illius conjunctum fuerit ; & cum commodo quidem quod alius nemo dare , aut nulla vel humana vel diabolica arte conferri poterat ; uti erant reſtitutio viſus cæcis natis , auditus mutis, ſurdis, ſanitatis leproſis, vitæ mortuis. Unicum tantum factum legitur quod cum damno aliquo conjunctum fuit; quando videlicet permiſit dæmonas irruere in porcos Gergeſenorum : *Matth.* VIII. 32. *Mar.* V. 11. *Luc.* VIII. 26. Sed id non repugnat antedictis. Aliud homo , aliud porcus eſt : Aliud interimere porcos , aliud permittere ut à dæmonibus perimantur. Permiſſio iſta juſtiſſima fuit , ut ſic gloria miraculi eluceſceret. Nempe intererat ad gloriam miraculi Jeſu Chriſti ; ut. 1. appareret omnibus dæmones eſſe qui miſeros iſtos duos homines obſidebant & infeſtabant , non morbum aut væſanum quendam humorem in illis dominantem : 2. Et dæmones quidem malos illos perditoreſque genios , quorum potentia formidabilis eſſet : 3. eos non modo invitos , coactoſque à Chriſto , exire atque ejici , ſed & ſupplices ei veluti Domino factos , non poſſe exire quo vellent niſi venia ab eo impetrata , ac ne quidem in porcos , animal alioquin immundum , & à quo edendo abhorrebant Judæi ob divinum interdictum. Intererat inquam , & ſatius multo erat , ut ex hac tanta dominii agnitione , inclareſceret gloria Jeſu Chriſti & miraculi tanti , quam ut ne perirent porci : Nempe ſic ipſa porcorum perditio , ſaluti hominum æternæ ſerviebat aut ſervire poterat.

*Moſes non fuit à mortuis ſuſcitatus ut Chriſtus.*

*Quintò* denique, miraculum miraculorum omnium maximum circa Moſem factum non eſt ; quod videlicet Deus eum, quamquam *fidelem in domo tota ſua*, uti *Num.* XII, 7, & *ad Heb.* III. 5. dicitur , non excitavit ex mortuis , ſed mortuum ac ſepultum voluit in ipſo deſerto manere , extra fines terræ promiſſæ , & ſevera adeo ac rigida in eum lata ſententia, aut ob incredulitatem , ut eſt *Num.* XX. 12 : aut prævaricationem, ut eſt *Deut.* XXXII. 51 : aut ob rebellionem, ut eſt *Num.* XXVII. 14: aut quia labiis ſuis indignabundus protulerat verba quæ diffidentiam arguebant , & divinæ gloriæ ac voluntati non conveniebant , ut eſt *Pſal.* CVI. *verſ.* 33. ut ſepulchrum aut cadaver ejus reperiri noluerit , ne (uti ego quidem arbitror) iſtud in terram ſanctam à filiis Iſraelis aſportaretur , ſed in ipſo deſerto repoſitum maneret. Jeſum vero noſtrum Nazarenum , licet ignominioſiſſima ſimul atque acerbiſſima morte interemtum , & aliorum more hominum ſepultum , militarique cuſtodia ſeptum atque adſervatum , ne à diſcipulis tolleretur , eo ipſo quod innocens atque inculpatus omnino erat , ex morte in vitam , invitis hoſtibus , excitaverit , & non multò poſt in ſummam altitudinem ſupra omnes cælos extulerit , ad dextram gloriæ Majeſtatis ſuæ collocaverit , caputque Angelorum ſimul & hominum omnium conſtituerit , cum poteſtate ſuprema eandem vitam atque immortalitatem dandi ac communicandi omnibus reſipiſcentibus & Euangelio ſuo obtemperantibus: qua major gloria concipi non poteſt.

## CAPUT IV.

## De Lege ſcripta & orali.

*Fœdus vetus.*

SEquitur jam ut videamus quid Revelatio hæc Moſi facta continuerit. Continuit peculiaria quædam præcepta & promiſſa divina , (ſub quibus etiam minas comprehendo,) fuſius aut explicatius propoſita, ſcriptoque comprehenſa , quæ *Fœderis divini & Fœderis veteris* , quod Deus iniit cum populo Iſraelitico ex ſervitute Ægyptia educto, vocabulis veniunt in Scriptura: quia videlicet Deus id primum inſtituit, & de cælo, id eſt in altiſſimo monte Sinai , ex nube in aëre ſuſpenſa , ſancivit ac ſtabilivit cum univerſo populo : & Moſes populum adſperſione ſanguinis, qui *ſanguis Fœderis* iſtius appellatur, in iſtud adſcripſit : *Exod.* XXIV. *verſ.* 7. 8. ubi Moſes tuliſſe dicitur librum Fœderis, & legiſſe in auribus populi ; & cùm populus dixiſſet , *Quæcunque dixit Dominus ea faciemus & obediemus*, tuliſſe tum ſanguinem & ſparſiſſe ſuper populum ac dixiſſe; *En ſanguis Fœderis quod pepigit Dominus vobiſcum ſuper omnibus rebus iſtis*, (quas ſcilicet legi ex libro iſto audiviſtis:) quem textum etiam citatum legere eſt in *Epiſt. ad Hebr. cap.* IX. 19. 20, auctum nonnihil & cum magna induſtria ſcopo auctoris applicatum, uti ſuo tempore cum bono Deo indicabimus.

*Lex ſcripta.*

Fœdus hoc à priore differt, quòd ſcriptum ſit, partim Dei ipſius digito in tabulis lapideis, quoad decem verba vel præcepta , quæ nos decalogum vocamus ; partim à Moſe Dei ipſius juſſu , quod attinet ad reliqua omnia mandata & præcepta quæ in Pentateucho continentur ; uti videre eſt *Exod.* XXXIV. 27. unde *Lex ſcripta* vocatur , & Hebræis תּוֹרָה שְׁבִכְתָב lex quæ in ſcripto, quæ libris quinque Moſis continetur. *Vetus* autem appellatur non relatè ad fœdus cum Abrahamo initum , ſed reſpectu Novi Fœderis , quod poſt iſtud per Meſſiam erecturus Deus erat ; uti ex *Jerem.* XXXI. 33. 34. & *ad Hebr.* VIII. 7. 8. 9. & *cap.* X. 15. 16. conſtat, de quo poſtea dicemus uberius.

Scriptum autem cum dicimus , id ſic intelligi volumus , ut non modo tota Dei voluntas , quam Fœdere iſto ſuo revelatam Deus voluit , in eo perfectè ac plenè exarata exſtet ; ſed etiam adeo clarè ac perſpicuè , ut ſenſus divinæ mentis ac voluntatis quoad ſubſtantiam , id eſt quantum neceſſe cuique eſt ad præcepta & promiſſa divina , à quovis mentis ſuæ compote , & divinæ veritatis ſciendæ avido , in populo iſto olim intelligi potuerit , hodieque poſſit ; ut cabala aut traditione , aut infallibili aliquo judice opus non ſit , ad intelligendum aut obſervandum Fœdus iſtud divinum ex divinæ voluntatis ſententia. Neque tamen volumus omnes omnino caſus poſſibiles , qui circa obſervationem præceptorum ſingulorum , ſive ad mores ſive ad ritus , ſive ad judicia ſpectantium , in eo præſcriptos eſſe. Caſus enim hujuſmodi infiniti eſſe poſſunt , & propter eos oraculum ſuum ſemper Deus ipſe conſuli voluit ſi valde obſcuri eſſent : ſed præcepta omnia adeo clara ac dilucida eſſe volumus , ut caſus iſtos , eo ipſo quod obſcuri adeo eſſent , ut ſine oraculo divino intelligi non poſſent, ſub præcepto non fuiſſe velimus

ante

ante auditum atque intellectum divinum oraculum, & quia oraculum jam ceſſat, ſub præcepto jam non eſſe caſus ſimiles.

*Lex oralis.* Hoc idcirco moneo, quia video Hebræos omnes pari voce ac ſententia contra ſtatuere, & *Cabalam* ſive traditionem, quam vocant תורה שבעל פה legem quæ per os tradita eſt, tanti facere, ut eam non modo æquent legi ſcriptæ, ſed longè anteferant, tanquam animam corpori: quod ſine ea impoſſibile ſit, ut ipſis videtur, Legem ſcriptam intelligere aut obſervare: adeoque ſine ea Lex tota non ſit niſi corpus ſine ſpiritu, & cortex ſine medulla aut nucleo. Cauſſam autem cur eam tanti faciant eſt, quod eam Moſi à Deo in monte Sinai, tantum non per quadraginta dies iſtos quibus in monte fuit dictatam, & à Moſe poſtea tam ſolicita cura accurataque induſtria primum Aaroni ſoli, integram prout à Deo audiverat, indicatam ac repetitam; deinde duobus filiis Aaronis Eleazaro & Ithamaro ſimiliter integram audiente Aarone: tum 70 ſenibus eodem prorſus modo atque iiſdem verbis; audientibus Aarone & duobus ejus filiis: denique populo toti audientibus rurſum Aarone, duobus ejus filiis, & 70 ſenibus, repetitam eſſe aſſerunt: nec hoc contenti, ut commentum & ſuperſtitionem ſuam prodant, addunt Moſem tum exiviſſe, & Aaronem qui jam quatuor vicibus audiverat ex ore Moſis fratris ſui totam illam legem oralem, omnibus eandem repetiviſſe; & cum ipſe etiam exiviſſet, filiique ejus etiam jam quatuor vicibus legem illam audiviſſent, tum eos deinde eandem reliquis qui remanſerant ſimiliter repetiiſſe; & poſtquam etiam ipſi exiviſſent, jamque 70 ſenes legem iſtam etiam quatuor vicibus audiviſſent, illos deinde 70 ſenes eandem iterum legem populo toti repetiviſſe: ita ut populus etiam quatuor vicibus eandem legem audiverit; Finita verò iſta concione (quis non videt & palpat figmentum ſimul ac ſtultitiam) populum totum diſceſſiſſe & alterum alteri in memoriam revocaſſe quæ audiverat, donec totam illam oralem legem perfectè didiciſſent omnes ac ſinguli, qui & eandem ſtatim in chartam conjectam ſcripſerunt atque adſervarunt. Quis non videt commentum hoc eſſe dignum iis qui mangonum inſtar venales facere ſtudent merces ſuas, & adornant ut populo placeant quas fecerunt fabulas? Et ut porro ſublinant os imperitorum, addunt: Moſem jam jam moriturum Legem hanc oralem repetiviſſe Joſuæ diſcipulo ſuo; hunc 70 ſeniоribus; hos prophetis: (quis credat?) per Pinchazum deinde, (quem multis ſeculis vixiſſe ajunt: tempora enim Davidis attigiſſe eum, dicunt conſtare ex 1 *Chron.* IX. 20. quin & Eliam eum fuiſſe aſſerunt) per Eli, Samuelem, Davidem, Hoſeam, Jeſaiam, perveniſſe ad tres ultimos prophetas, Haggæum, Zachariam & Malachiam: per hos ad viros Synagogæ magnæ, אנשי כנסת הגדולה *anſe cheneset haggedola*; qui erant numero 12, Senatores omnes, qui poſt templum ſecundum reædificatum conſiſtorium habuerunt cui præerat Heſra Scriba, quod duraſſe ajunt quadraginta annos, donec tandem unus ſuperſtes maneret Simeon Juſtus ſummus Sacerdos. Hunc dicunt eam tradidiſſe Antigono Sochenſi. Ab illo eam accepiſſe ſucceſſores ejus viros ſapientes, quos *Tanaim*, id eſt Lectores aut repetitores vocant: Et apud hos eam manſiſſe volunt uſque ad R. Juda *hannaſi* Principem, quem per antonomaſiam vocant *Rabenu Ha-kados*, & Antonino Pio Imperatori Romano familiarem acceptumque fuiſſe ajunt. Hunc quia per varias populi peregrinationes & diſperſiones, Legis divinæ ſcientiam obliterari aut negligi videbat, divinæ Legis retinendæ zelo ductum, tandem compoſuiſſe cum ævi iſtius ſapientibus, anno ſcilicet 70 poſt templi ſecundi deſtructionem, librum qui oralem iſtam legem complectitur, id eſt qui continet omnes omnium Judæorum ſui temporis chartas ac ſchedas, quas quiſque ſibi memoriæ cauſſa adnotarat; quas ſimul in unum volumen congeſtas *Miſnah*, ſive *ſepher miſnaioth*, id eſt librum lectionum aut repetitionum vocant. Poſt hunc *Emoraim*, id eſt expoſitores Miſnah, viros ſapientes in Babylonia fuiſſe, qui librum hunc *Miſnaioth* commentariis illuſtrarunt, & quæſtionibus ac diſputationibus elucidarunt; unde natus ſecundus liber qui inſcribitur *Guemarà*, doctrina. Atque hæ duæ partes ſimul ſumtæ conſtituunt integrum *Talmud*, (id eſt doctrinam) quod dictum fuit *Talmud Baveli* ſive Babylonicum, & abſolutum fuit anno 500 poſt Chriſtum natum: quo contineri volunt perfectiſſime, omnia quæcunque ad intelligentiam ſcriptæ Legis Moſaicæ, ex continua orali traditione neceſſaria eſſe compertum eſt, & quibus fidem, cæremonias, ritus atque omnia ſua obligare neceſſe habent.

## CAPUT V.

### De legis oralis partibus.

*Tres legis oralis partes.* TRes autem Oralis hujus Legis partes faciunt: *Prima* eſt, quæ continet declarationes textus ſacri, ad rectam præceptorum ſcriptorum intelligentiam neceſſarias, quibus contradicere nefas eſt: ex. gr. quid ſit *fructus arboris decoris*, *Levit.* XXIII. 40, quod in feſto expiationis ſumere jubentur Iſraelitæ primo feſti die? Declaratio eſt fructum arboris decoris, ſive formoſæ, eſſe malum citrium, nec aliud quidquam. Deinde quid ſit *oculum pro oculo, dentem pro dente*, &c. Declaratio eſt, eſſe pœnam pecuniariam æquivalentem pretio oculi vel dentis effoſſi, non vero ipſum oculum ex ſtricta lege talionis. *Secunda* pars eſt quæ continet *Halachot le Moſe mi Sinai*, id eſt concluſiones ſive aphoriſmos breves, quos Moſes ex ore Dei in monte Sinai accepit, ad declarationem & rectam intelligentiam præceptorum: quæ à prioribus diſtinguunt hactenus, quod illæ priores ex ipſis verbis textus educantur, hæc textui ipſi quaſi ſuperinducantur, ut exempli gr. *Tephillim* ſive orationes ſcribendas eſſe in pergameno, non in *Gavil* id eſt papyro ſive charta, &c. *Tertia* eſt, quæ continet tredecim conditiones aut regulas & axiomata, tanquam generalia quædam principia, ex quibus recta & plena legis ſcriptæ cognitio dependet, aut ad quæ interpretatio Legis ſcriptæ dirigenda eſt. *Tredecim tertiæ partis regulæ.*

Sunt autem conditiones ſive regulæ iſtæ, hæ ſequentes. *Prima.*

I. Argumentando à minori ad majus, vel à fortiori, v. g. *Num.* XII. 14. dicit Deus Moſi: *Si pater inſpuiſſet in faciem filii ſui, annon ſeptem diebus erubeſceret? excludatur ergo* (Miriam) *ſeptem diebus extra caſtra, & poſtea revocator.* Conſequentia manifeſta eſt. Hinc Juriſconſulti: *Non debet cui quod plus eſt licet, quod minus eſt non licere.* Item, *In eo quod plus eſt, ſemper ineſt & minus.*

*Secunda.* II. Ubi eadem ſententia & par ratio alibi expreſſa reperitur, ibi idem jus eſto. ex. gr. *Levit.* XVIII. 10 dicitur: *Turpitudinem filiæ filii tui, vel filiæ filiæ tuæ non revelabis*: Nulla hîc fit mentio filię: At *ibid. verſ.* 17. legitur: *Turpitudinem mulieris & filiæ ejus non revelabis*: additurq; ſtatim aut repetitur id quod *verſ.* 10 dictum fuerat, *Filiam filii ejus & filiam filiæ ejus non accipies ad revelandum turpitudinem ejus; conſanguineæ ſunt, ſcelus eſt.* Hinc infertur rectè; Hoc ultimo verſu pari ſententia damnantur nuptiæ cum matre & filia. Ergo in priore, ubi nuptiæ inter avum & neptem tantum prohiberi videntur; prohibitæ etiam cenſeri debent nuptiæ inter patrem & filiam: quia filius eſt pater, filia mater neptis. Eadem autem eſt ratio mulieris & filiæ ejus: uti ex verſu ultimo liquet. Cautionem tamen hîc adhibitam volunt, ne ad alia quam quæ Sapientes aut *chacamim* eorum expreſsè deſignarunt hæc regula extendatur.

*Tertia.* III. Ubi unus tantum textus eſt continens ſententiam aut doctrinam univerſalem, ibi cæteri omnes ad eum explicandi ſunt; & ubi duo textus ſunt continentes doctrinam univerſalem, ibi cæteri juxta duos iſtos explicandi ſunt. Prioris regulæ exemplum eſt, *Exod.* XII. 15. *Omne opus non fiet in diebus iſtis*, (primo ſcilicet & ſeptimo die Paſchatis:) *Veruntamen quod comedetur ab omni anima illud tantummodo fiet à vobis.* Inde inferri poſſe dicunt: Cùm hoc permittat Deus in Paſchatis feſto, etiam permitti in cæteris Feſtis, Pentecoſtes & Tabernaculorum. Hæc regula etiam Juriſconſultorum eſt: *Diſpoſitum in uno ex æquiparatis, cenſetur diſpoſitum & in aliis ejuſdem qualitatis.* Similiter *Levit.* XX. 27. legitur: *Vir autem ſive mulier quum fuerit in eis Pytho* (ob *aut* ideoni) *vel haruſpicum ſpiritus, moriendo morientur; lapidibus lapidabunt eos, ſanguis eorum ſuper eos.* Hic textus unus ſignificat modum iſtum loquendi, *ſanguis eorum ſuper eos*, tantundem eſſe atque lapidibus obrui. Hinc infertur: ubicunque iſte modus loquendi occurrit, pœnam lapidationis intelligi. Poſterioris regulæ exemplum eſt *Levit.* XX. 20. ubi *maculæ* iſtæ vel deformitates recenſentur, quæ aliquem inhabilem & inidoneum ad Sacerdotium faciunt: at *verrucarum* nulla fit mentio. Sed earum mentio fit *cap.* XXII. 22: ubi de animalibus ad ſacrificandum idoneis agitur; videlicet & verrucas etiam in corpore animalis offerendi eſſe non debere. Inde inferunt: ubicumque *maculæ* fit mentio in Scripturis, omnes eas intelligendas eſſe quas excludit Scriptura in duobus iſtis textibus.

*Quarta.* IV. Ubi textus id quod univerſaliter præceperat, è veſtigio reſtringit aut exponit particulariter, ibi præceptum intelligendum eſt non de univerſali iſto ſubjecto, ſed de particularibus: ut *Levit. cap.* I. 2. *Homo cum offeret ex vobis oblationem Domino; de quadrupedibus, de bobus & pecudibus* (id eſt ovibus & capris) *offeret.* Per quadrupedes ergo non omnis

generis

generis quadrupedes, ſed ſpecies tantùm iſtas intelligi volunt. Et regula eadem eſt Juriſconſultorum: *Generi per ſpeciem derogatur, & illud potiſſimum habetur quod ad ſpeciem directum eſt.*

*Quinta.* V. Ubi in textu præceptum occurrit ſpecies aliquas mandans in principio, ſed poſtea genera ipſa ſubjungens, ibi præceptum ad poſtrema verba generalia applicandum eſt. ut *Deut.* XXII. 1: ubi mandat Deus reduci ac reſtitui bovem, ovem, aſinum, &c. proximi deperdita: additque, *Et ſic facies de omni re amiſſa fratris tui, quæ perierit ab eo.*

*Sexta.* VI. Si in textu præceptum occurrit quod in principio generaliter ſonat, in medio vero reſtringitur ad certas ſpecies, in fine verò rurſum generaliter ſonat: tum explicandum eſt præceptum iſtud juxta reſtrictionem in medio factam, non verò juxta generalem propoſitionem quæ in principio & fine facta eſt: ut *Exod.* XXII. 7. ubi depoſitarius jurare jubetur in principio textus, *verſ.* 8. 9, *ſe non miſiſſe manum ſuam* (generaliter) *in ſubſtantiam proximi ſui, ſuper omni re prævaricationis:* ſtatim vero generale iſtud reſtringitur, *ſuper bove, ſuper aſino, ſuper pecude, ſuper veſte:* & in fine reditur ad generale, & concluditur; *ſuper omni re amiſſa.* Hìc volunt depoſitarium non obligari ad jurandum niſi ſuper iſtis ſpeciebus depoſiti, aut iſtiuſmodi, vel quæ unius ejuſdemque naturæ atque indolis ſunt; id eſt, ſuper omni re mobili (ut vocant) & quæ haberi atque uſurpari poteſt clam dominum: non autem ſuper immobilibus, aut ſuper obligationibus apud aliquem depoſitis: quia illa ſubſtantia carent quæ haberi clam poteſt, & juramentum ſuper illis non eſt neceſſarium, quia ſine juramento rei veritas deprehendi poteſt.

*Septima.* VII. Si in textu Sacro occurrit præceptum de re univerſali quæ ſtatim reſtringitur per particularem aut ſingularem, ita ut una ab altera dependeat, tum obligatio præcepti eſt ad utrumque ſimul. ut, ex. gr. cum *Num.* III. 40, Deus jubet numerari *omnes primogenitos maſculos* ab uno menſe & ſupra, tum per *primogenitos omnes* excluduntur cæteri mares non primogeniti, & per *mares* excludantur filiæ, licèt primogenitæ: & mares iique tantum primogeniti obligantur.

*Octava.* VIII. Quando in textu Sacro occurrit ſpecies aliqua contenta ſub univerſali ad docendum propoſita, aut ad doctrinam aliquam ſingularem faciens; tum ſpecies iſta non docetur tanquam ſola aut per ſe ſtans, ſed tanquam ſpecies ad docendum generale ſive univerſale: ut, ex. gr. *Levit.* XX. 1: *Quicumque ex filiis Iſrael, aut è peregrinis qui peregrinantur in Iſrael, dederit de ſemine ſuo ipſi Molecho, moriendo morietur, populus terræ lapidabit eum lapidibus.* Hìc pœna hæc additur ſpeciei huic idololatriæ, & non aliis idololatriæ ſpeciebus, non quaſi idololatria hæc ſola, ſive hæc unica idololatriæ ſpecies doceatur digna eſſe pœna iſta; ſed quod omnis idololatria, qualiſcunque tandem ſit, eadem pœna adficienda ſit, non aliter quam ſi hæc ipſa idololatriæ ſpecies eſſet.

*Nona.* IX. Species delicti, quæ ſub genere continetur, ſed alia veſtita ratione, quam eſt ratio quæ in genere ſive generali præcepto eſt, intelligenda eſt non aggravare ſed minuere delictum. ex. gratia, *Exod.* XXI. 12, legitur: *Qui percuſſerit, virum, & mortuus fuerit, moriendo morietur.* At ſtatim ſubjungitur ſpecies: *Qui non inſidiatus ei fuerit, ſed Deus fuit cauſa ut veniret in manum ejus, tum ponam tibi locum ad quem fugiet.* Species hæc, quia veſtitur alia ratione quam quæ ſub præcepto generali contenta fuit, ignorantiæ ſcilicet & involuntarii, minuit delictum, ac proinde pœnæ etiam ſeveritatem.

*Decima.* X. Species contenta ſub genere, ſi ob certam rationem excipiatur à caſu propoſito, excipitur partim ad eum aggravandum, partim ad ſublevandum. ut exempli gratia: *Deut.* XV. 12: *Si venditus tibi fuerit frater tuus, vel Hebræa, & ſervierit tibi ſex annis, ſeptimo dimittes eum liberum à te.* Hic pari loco ac gradu ſtatuuntur mares & fœminæ ſervæ. At *Exod.* XXI. 2, ſervi tantum maſculi mentio fit, & ſervæ fœminæ aliam eſſe rationem dicitur *verſ.* 7. *Quum autem vendiderit quis filiam ſuam in ancillam,* (ſervam) *non egredietur quemadmodum egredi ſolent ſervi.* Ratio diverſitatis eſt: Servus egrediebatur tantum anno ſeptimo, ſive anno de la *Semitâ*; ſervæ vero egredi licebat ante id tempus: ſi videlicet dominus eius moreretur, aut eam deſponſatam ſibi dominus repudiaret. Quin & ſerva egrediens non ſine mercede egrediebatur, ſive deſponſata eſſet domino, ſive non. Si deſponſata non erat, eamque remittere volebat dominus, pecuniam ſervitutis ei remittere debebat: ſi deſponſatam, victum inſuper, veſtitum, & mercedem pudicitiæ adjicere: *verſ.* 20. Alia ratio ſervi erat. Hactenus itaque melior conditio ſervæ quam ſervi; & exceptio ſervæ à lege univerſali fit ad eam ſublevandum. Ex altera parte conditio ejus deterior, & ſervi melior: quia ſerva in poteſtate heri erat, ut eam annis ſervitutis elapſis, vel ſibi vel filio ſuo in uxorem poſſet ſumere, invita ipſa & parentibus ejus; At ſervus ad id non obligabatur. Hactenus exceptio ſervæ à Lege generali, durior & ad aggravandum eam.

*Undecima.* XI. Species ſub univerſali comprehenſa, ſi ob certam rationem excipiatur ab univerſali, non poteſt denuo ſub univerſali comprehendi, niſi textus ipſe ſacer eam denuò ſub univerſali comprehenſam velle declaret: ut ex. gr. *Levit.* XXII. 10. concedit aut jubet Dominus, ut omnes domeſtici Sacerdotis, (alienigenis, inquilinis & mercenariis exceptis) tam emptitii quam vernæ; ac proinde filiæ etiam ejus, tam virgines quam maritatæ, ederent de pane ejus, id eſt de primitiis quas תרומות *terumot* vocant. At excipitur filia nupta marito alieno, (id eſt non Sacerdoti) *verſ.* 12. Et excipienda ſemper à nobis foret, inquiunt, niſi textus ipſe declaraſſet, eam redire ad eandem priſtinam conditionem ſeu prærogativam cum cæteris patris ſui domeſticis, marito mortuo aut à marito repudiatam: *verſ.* 13.

*Duodecima.* XII. Verba textus obſcura, ſecundùm ſubjectam materiam accipienda ſunt, & ex fine textus æſtimanda. Exempli gratia: Quod ad primum, *Exod.* XVI. 29, præcipit Deus *ne quis Sabbathi die exeat de loco ſuo;* id non eſt abſolute intelligendum, ſed ſecundum materiam de qua agitur, id eſt ad colligendum Man. Sic *Levit.* XXI. 12. vetat Deus *ſummum Sacerdotem exire è ſanctuario*, id eſt, uti ſubjecta materia poſtulat, ad contaminandum ſe ſuper mortuo. Quod ad ſecundum, *Levit.* XVIII. 6, dicitur: *Nemo ad ullam propinquam carnis ſuæ accedet ad revelandum ejus turpitudinem: ego Dominus.* At hæc initium continent præceptorum, quæ deinde particulatim recenſentur: Ex quorum fine patet generalia iſta verba, ad iſtos particulares & ſpeciales conſanguinitatis aut propinquitatis gradus referenda, nec ultra eorum fines, ibi diſertè expreſſos, extendenda eſſe.

*Decima tertia.* XIII. Si textus duo contradictorii ſibi invicem occurrant, quærendus eſt tertius (unus pluresve) qui contradictionem dirimat; & juxta illum cæteri omnes ſunt interpretandi.

Hæ ſunt tredecim regulæ illæ, quæ tertiam partem Legis oralis faciunt: quæ tanto in pretio ſunt apud Hebræorum Magiſtros, ut impoſſibile dicant eſſe Legem ſcriptam intelligere abſque illarum adjumento. Et hæc ipſa 1 eſt ex ſeptem illis rationibus, propter quas traditiones illas παραδοσεις omnino neceſſarias eſſe, & paris, ſi non multo majoris, neceſſitatis eſſe concludunt cum lege ſcripta. Sine illis enim inquiunt. 2. conciliari non poſſunt textus è diametro ſibi repugnantes, ut videtur. 3. Non poteſt intelligi modus aut ritus quo præcepta divina obſervanda ſunt. 4. Non poſſunt obſcuri & dubii textus elucidari. 5. Non poteſt ſciri quando pro nomine Dei & lege ipſius mortem perpeti neceſſe ſit. 6. Non poteſt cauſſa cognoſci cur præceptum unum ſemel aut bis aut pluribus vicibus repetitum legatur. 7. Non poteſt Paſchalis Feſti computatio exacta fieri, nec ratio temporum ac feſtorum certa haberi, ut eorum obſervatio cum obſervatione à Deo juſſa ad amuſſim conveniat. Hæc fuſius paulum proſecutus ſum, ut ſententiam Hebræorum univerſam de tota hac re, qua Religio eorum veluti baſi nititur, ſimul ac ſemel vobis ob oculos proponerem, & quid de ea ſentiendum ſit, indicarem. Congruit hæc eorum ſententia cum ſententia Pontificiorum adeo exactè, ut uno eodemque ovo prognatæ videantur: niſi quod ſuam ab his Rabbinorum Magiſtris mutuatos eſſe Pontificios ſententiam ſimilius vero ſit. Sed nos omiſſis jam Pontificiis, Rabbinos videamus.

## CAPUT VI.

### De legis oralis vanitate.

*Rationes adverſus legem oralem.* *Prima.* QUæ de orali lege adſerunt ea mihi nullo prorſus fundamento niti videntur: quin & novitium aut nuperum commentum eſſe cenſeo.

Rationes ſunt: I. Quia nullum ejus rei indicium uſpiam reperire eſt in textu ſacro. Intererat autem ut quam maxime ejus rei indicia manifeſta fierent: id eſt, ut diſertè vel ſemel vel ſæpius indicatum fuiſſet, Legem talem oralem futuram in populo, & apud tales ac tales adſervatum iri ſerie perpetua, ad quam ſcripta lex ſine periculo, adeoque tutiſſimo & certiſſimo ſemper & ubique exigenda & interpretanda foret. Contra fieri videmus. ubique ad Legem ſcriptam ablegatur populus, Sacerdotes, Principes, à primo uſque ad ultimum prophetarum Malachiam; qui prophetiam ſuam claudit hoc ſolemni prophetis celeuſmate, vel epiphonemate: *Mementote Legis Moſeh ſervi mei.* Et hæc ipſa lex ſcripta ubique dicitur *lux*, *Proverb.* VI. 23. ſcilicet *illuminans oculos, clara, lucida, perfecta, convertens animam, ſapientem efficiens parvulum* (ſcientia ſcilicet, id eſt ignorantem) *Pſal.* XIX. 8. 9. 10.

*Lucre-*

*Lucerna pedibus noſtris. Pſal.* CXIX. 105. &c. At de lege orali id dicendum fuerat, ſine qua Lex ſcripta nil niſi tenebræ & nox eſt, juxta Magiſtros iſtos.

*Secunda.* II. Nullum teſtimonium ex priſca antiquitate adfertur quo Legis iſtius oralis traditioni perpetuæ fides fit.

*Tertia.* III. Moſem Legem iſtam oralem ex ore Dei audiviſſe in monte Sinai, tota ferè hiſtoria redarguit. Nam 1. Si Moſes omnes qui circa Legem aut Legis præcepta incidere poſſunt caſus, dubia, difficultates, ipſo ore Dei exponi audivit, quid neceſſe habuit toties conſulere Dei oraculum, cum novus tantum incideret caſus? ex. gr. cùm in Sabbatho vir iſte ligna collegerat, *Num.* XV. 34. Dicitur enim in textu: *Poſuerunt eum in cuſtodia: quia non erat expoſitum quid faciendum eſſet ei.* Cum filius muſieris Iſraelitidis nomen expreſſiſſet (Dei ſcilicet glorioſum) & maledixiſſet, (nomini ſcilicet, id eſt Deo Iſraelis, quia forte pater ejus Ægyptius erat.) *Levit.* XXIV. 12. Cum filiæ Selophad de hæreditate bonorum paternorum adeunda cum conſulerent: *Numer.* XXVII. 1. Diſertè enim dicitur *verſ.* 5. *Moſem earum cauſſam retuliſſe ad Dominum:* &, ſi *verſ.* 2. videatur, cum Moſe id feciſſe dicitur Eleazar Sacerdos ſummus, Principes atque univerſa congregatio. Quorſum? ſi oralis Lex apud eos erat, ex qua ambigua omnia cauſſarum fata dirimere in manu ſua habebant? Denique cum ii qui ſe *immundos* eſſe dicebant *ſuper anima hominis*, id eſt ex contactu hominis mortui ſive cadaveris, quod forte ſepeliverant, & terræ mandaverant, aut alioquin imprudentes attigerant: (*Animam* enim pro cadavere poni certum eſt ex *Levit.* XXI. 1: *Ad ullas mortui animas non ingredietur*, ſummus Sacerdos ſcilicet: & *Num.* V. 2; ubi pollutus tactu cadaveris vocatur *pollutus anima*, *Numer.* VI. 6. 11. Hinc *Pſal.* XVI. *Non relinques animam meam in inferno*, id eſt in ſepulchro cadaver meum: id eſt ſuſcitabis meum corpus, & vita iterum donabis.) atque idcirco inidonei erant ad celebrandum Paſcha iſto à Deo ſtatuto die, Moſem conſulebant an in totum fraudandi eſſent iſtius ſolemnitatis obſervatione: *Num.* IX. 6. 7. Dicitur enim reſpondiſſe Moſes: *ſtate, & audiam quid præcepturus ſit Iehova pro vobis.* Quis credat Moſen in monte Sinai, ex ore Dei audiviſſe quæcunque ad præceptorum divinorum perfectiſſimam intelligentiam facere poterant, ad minutiſſimos quoſque caſus caſuumque apices uſque; cum ipſe in quatuor iſtis caſibus, quorum duo de rebus leviuſculis erant, fateatur ſe non audiviſſe Dei mentem, & ut audiat Dei ſuper iſtis juſſum ac voluntatem, oraculum divinum conſulat? Contrarium rectius quis ex locis his collegerit: Deum ſcilicet noluiſſe Moſi ſingulos caſus revelare, niſi per intervalla & occaſione oblata: ut iſta ratione ad ſingula fere momenta palam fieret, non à Moſe ipſo populum, ſed à Deo ipſo tum Moſem tum populum pendere. Ex quo manifeſtum fit, nec ſeptuaginta ſeniores, nec Joſuam, à Moſe oralem iſtam quam vocant Legem aut accepiſſe aut accipere potuiſſe; ſed eadem illos ratione, in qualibet occaſione nova, à Deo edoctos fuiſſe, quando rite accedebant ad conſulendum Deum. Quod ut Deus ipſe ſignificaret ac teſtatum faceret, Moſi in mandatis dediſſe legitur, *Num.* XXVII, ut Joſuam ſucceſſorem ſibi deſignaret: cum hoc mandato aut potius declaratione divina, ut quando incideret aliquid controverſum, is coram Eleazare ſacerdote ſe ſiſteret, & interrogaret eum de judicio *Urim* coram Domino, *verſ.* 21. quod certum indicium eſt, oralem iſtam legem tum locum non habuiſſe, aut in rerum natura non fuiſſe: alioquin judicio iſto *Urim*, & conſulto reſponſoque divino ad ſingulos graves caſus opus non fuiſſet. Et eadem deinceps agendi ratio ut obtineret Deus voluit: quod ex eo conſtat, quia Deus ſingulis pene temporibus, prophetas aliquos exſtare voluit à quibus conſuleretur, & per quos Principes, Sacerdotes, totuſque adeo populus voluntatem ſuam ſciſcitaretur. Iſtis utique opus non fuiſſet, ſi traditio talis ſemper in populo locum habuiſſet.

*Quarta.* IV. Oralem iſtiuſmodi Legem ſemper in populo fuiſſe cuſtoditam, cui veriſimile fiet, qui obſervat id quod 2 *Reg.* XXII. 18, & 2 *Chronic.* XXXIV. 15. legitur, ab Hiskia rege juſto ac pio, uſque ad tempus quo Helkiah invenit librum legis, tantum effluxiſſe annos 70, & interea temporis adeo obliteratam fuiſſe Legis divinæ ſcriptæ curam ac cuſtodiam, ut ne unum quidem exemplar Legis ſcriptæ ſupereſſet, novumque atque admiratione dignum videretur, exemplar aliquod legis iſtius repertum eſſe? Ut id de exemplari manu Moſis exarato accipiatur, ex textu ne probabiliter quidem evincitur. Nam quod 2 *Par.* XXXIV. 14. legitur: *Helkiam Sacerdotem reperiſſe librum legis Domini per manum Moſis*, id non ſupplendum eſt hoc pacto, per manum Moſis ſcriptum librum; ſed Legis per manum, id eſt miniſterium Moſis populo à Deo latæ, uti ex plurimis locis patet ubi iſta phraſis non alio ſenſu uſurpata legitur. Vide inter alia *Exod.* XXXV. 29. *Levit.* X. 11. & XXVI. 45. *Numer.* IV. 37. 45. *Joſuæ* XVII. 4. & XXI. 2. 8. & XXII. 9. *Nehem.* VIII. 14. & IX. 14. Et ſi omnino evinceretur id accipiendum de exemplari manu Moſis ſcripto, quis credat ubi tanta tam magni theſauri negligentia erat, ibi curam legis oralis viguiſſe? Et ſi omnino viguiſſet, atque ad eam compoſita omnia fuiſſent; quid Regem Principeſque ac Sacerdotes omnes, in tantam admirationem ſimul ac conſternationem rapuiſſet, ob repertum librum legis à Moſe ſcriptæ? Nempe corpus reperiſſent & cadaver, ubi animam ac ſpiritum jam habebant. Denique quod hoc de lege orali perpetuo de manu in manum tradita commentum redarguit, eſt hiſtoria temporum quæ circa Jeſum natum aut naſciturum fuerunt. Iſtis enim conſtat ſectas diverſiſſimas, & in fundamentalibus fidei articulis à ſe diſcrepantes, non viguiſſe tantum in populo, (quod ſanè fieri non potuiſſet, ſi oralis iſta lex judicii omnis norma ac regula, ab ipſo Deo per Moſen tradita foret, & ad tempora iſta conſervata, proque tali norma habita fuiſſet) ſed & magnam partem Synagogæ magnæ feciſſe, in qua legem iſtam oralem, veluti divinum aliquod depoſitum cuſtoditam volunt. Certum ſiquidem eſt Sadducæos tunc non tantum membra fuiſſe iſtius Synagogæ, ſed & non raro ſummos Sacerdotes & capita: uti ex *Actor.* V. 17. & ex Caiapha à quo Jeſum jure damnatum volunt, manifeſtum eſt. At hi mortuorum reſurrectionem negabant, Spiritus & Angelos, quos inter articulos fundamentales recenſent hodieque Rabbinorum Magiſtri. An credibile eſt fieri potuiſſe, ut lex aliqua talis oralis eſſe, ab iſtis aut iſtius Synagogæ Senatoribus putaretur; imo ut ea ab iſtis ſatra tecta cuſtodiretur, qui fundamenta ipſa legis ſubruebant? Si fuiſſet talis lex, aut talem eſſe creditum fuiſſet, nil dubium eſt, quin ab illis ipſis, ſecundum eam pro hac aut illa parte pronuntiatum fuiſſet. Et horum Sadducæorum reliquiæ ſunt *Carraim*, id eſt lectionarii, ſive textuales, qui omnes παραδόσεις δευτερώσεις rejiciunt, cujuſmodi hodieque Conſtantinopoli aliquot reperire eſt. etſi eos diſcrepare velit Druſius à Sadducæis, in eo quod mortuorum reſurrectionem agnoſcant, ac præmia pœnaſque poſt hanc vitam: ſed in eo convenire iſtos cum Sadducæis, quod oralem legem non agnoſcant extra dubium eſt. idcirco enim *Carraim* hodieque vocantur & diſtinguuntur à cæteris, qui idcirco *Rabboniim* ſive Rabbiniſtæ aut Magiſtrales vocantur: inter quos etiam odia capitalia ſunt, adeo ut alteri alteros alloqui nefas putent.

Sed V, ne prolixior ſim; recens ac novitium hoc eſſe *Quinta.* Judæorum commentum poſt ſcriptum eorum Thalmud, Sole clarius eſt. Quis enim credat Sapientiſſimum Deum, cui Judæi præſcientiam infallibilem futurorum omnium contingentium tribuunt, noluiſſe, ſeu conſultum non judicaſſe, ut ſcripto conſignaretur lex iſta quam oralem vocant, & quæ legis anima eſt: hos vero Magiſtros, quaſi Deo ſapientiores, tandem poſt tot elapſa ſæcula, & poſt tot populi diſperſiones ac διασπορὰς, eam ſcripto conſignari conſultum judicare debuiſſe, ne paulatim obliteraretur, ſed ad poſteritatem integra atque incorrupta conſervaretur? Certe ut credatur omniſcium Deum periculum iſtud non prævidiſſe, aut cùm prævideret iſti occurrere non voluiſſe matura ſcriptione, divinæ tum ſapientiæ tum bonitati injurium eſt. Ut verò etiam credatur, Rabbinos iſtos ſuopte proprio motu, & collatis conſiliis, poſt tot decurſos miſerrimarum diſperſionum annos, ſine ſuſpicione arrogantiæ & uſurpatæ divinæ auctoritatis, quin & temerariæ innovationis, legem illam ſcripto comprehendiſſe, ratio non ſinit.

Sed & in progreſſu à nobis indicabitur, quam inepta, ſu- *Superſtitio legis oralis.* perſtitioſa, & putida ſæpe ſint commenta iſta, quæ legis oralis ſive traditionis & Cabalæ receptæ titulo palliant. Inter quæ principem locum merentur hæc duo: 1. quod legem totam ſcriptam, continere velint non plura nec pauciora præcepta quam 613, eaque ſic ipſius Dei ore limitata ac circumſcripta, ut addi nec demi quicquam poſſit; atque hoc ipſum indicatum voce תורה ſive legis, cum Moſes *Deuter.* XXXIII. 4, ait, *Torah ſiva lanu moſeh, moraſchah kehilat Jacob:* Nempe vox תורה conſtat quatuor literis, *Tau, Vau, Reſch, He*, quæ juxta computum Hebraicum, quem per literas faciunt, continent numerum 611 rerum. At quia duo hîc numeri deſunt, myſterium in eo latere ajunt hoc, quod videlicet duo prima Decalogi præcepta, *Ego ſum Dominus Deus tuus*, &c. Et, *Non facies tibi ſculptile*, &c. non per Moſem populo data ſunt, ſed à Deo ipſo toti populo tradita fuerunt; adeo ut reſpectu illorum duorum præceptorum, Moſes & populus in eodem gradu prophetiæ, ſive revelationis immediatæ ex Dei ore auditæ tum temporis conſtituti fuerint. Hæc igitur duo ſi addas prioribus 611, habebuntur 613 præcepta. Quis non videt commentum hoc nuperum eſſe? 2. Quod legem iſtam Dei ſcriptam, ſive præcepta iſta 613, continere velint præcepta Affirmativa 248, & Negativa

gativa 365, cum hoc mysterio; quòd quia lex ista hominibus sub Sole aut in mundo hoc viventibus data est, totidem præcepta contineri ea Deus voluerit, quot sunt membra sive articuli in corpore humano & dies in anno. Membra autem in corpore humano sunt 248, quæ exacte à planta & pedis digitis ad verticem usque superstitiosi hi Magistri recensent: Totidem ergo sunt præcepta adfirmativa. Dies in anno sunt 365; Totidem ergo sunt præcepta negativa, ut alia jam non allegem, atque inter cætera etiam illud, quod in Decalogo numerari dicant 613 literas usque ad ultima duo verba, אשר לרעך, quæ septem literæ cur superfluæ sint explicare nequeunt.

# LIBRI TERTII, SECTIO II.

## *De Præceptivis affirmativis.*

### CAPUT I.

### Seu Prima Domus præceptorum affirmativorum, quæ est Domus divini cultus, & XX præceptis constat.

SED jam tempus est ut de ipsis præceptis Fædere hoc comprehensis agamus. Ea dividi à Theologis solent in tria præceptorum genera: In *Cæremonialia, Judicialia, & Moralia.* Non male equidem, nec inepte. Ad hæc enim omnia referri commode possunt. Sed nos majoris claritatis ergo, omnia 613 præcepta quæ Hebræorum Magistri enumerant, ordine isto quem illi servant singulatim recensebimus, de re magis ipsa quam de methodo soliciti: & quæ in singulis observanda veniunt breviter adnotabimus. Non quod credamus nec plura nec pauciora esse; nedum ut credamus Hebræorum Magistros, in præceptorum istorum adnotatione accuratiores esse cæteris Theologis; sed ne quid prætereamus quod aliqua animadversione dignum videbitur. Quam proxime ergo poterimus premamus vestigia Rabbinorum, cursim stringentes quæ sua luce clara sunt; & quæ obscura aut dubia erunt, verbulo uno atque altero elucidaturi.

*Duodecim domus præceptorum.* Præceptorum horum alia faciunt *affirmativa*, alia *negativa*. Utrisque *duodecim domos* adsignant, secundum duodecim tribus aut domos Israelis, singulis vero domibus certa quædam, licet non paria numero, præcepta, ex quibus tanquam lapidibus constructæ sunt. Ab affirmativis, sive quæ per formam affirmandi enunciantur, & 248 numerum implent, ordiemur.

*Prima domus.* Prima domus est domus divini cultus sive θεοσεβείας: & continet juxta eos hæc sequentia viginti præcepta.

*Primum præceptum.* I. Ut credamus & cognoscamus Deum esse, id est esse ens summæ perfectionis & necessariæ existentiæ: juxta id quod est *Exod.* XX. 2. *Ego sum Dominus Deus tuus.*

An præceptum verbis istis contineatur non inquiram. Sub forma præcepti non legi certum est: & fortasse nusquam præceptum legetur, ut credamus Deum esse. Aliud est credere hunc esse Deum; aliud credere Deum esse; aliud denique credere hunc esse Deum nostrum. Sed nec reperietur uspiam Deum jubere populo, ut credat se Deum esse, aut se Deum populi esse: sed ubique Deum operibus suis testatum fecisse populo, se Deum & populi istius Deum esse; adeo ut id tanquam rem certam & exploratam non credi jusserit, sed sciri ac cognosci fecerit; proinde legislationi suæ tanquam indubiam rem præsupposuerit; quod ipsa orationis forma arguit, *Ego sum Dominus Deus tuus.* Certè non desunt inter Rabbinos ipsos (ut R. Chasdai) qui Maimonidem, horum præceptorum concinnatorem, crassè errasse asserunt cum hæc verba inter præcepta retulit; cum non sint nisi radix & principium omnium præceptorum. Et sane ratio quam deinde contra eum allegat, stringere videtur. Si hoc etiam præceptum est, tum tria præcepta audivisse populum ex ore Dei dicendum foret: quod repugnat communi Judæorum consensui. Esto tamen: transeat hoc ut primum præceptum, & præceptorum cæterorum omnium basis ac fundamentum.

*Secundum.* II. Ut credamus Deum unum esse; juxta id quod est *Deuter.* VI. 4. & XXXII. 39. *Audi Israel: Dominus Deus tuus, Dominus unus est.*

Transeat & hoc: etsi sub forma præcepti non proponatur, nisi quatenus præceptum negativum ei subjungitur: ut *Esa.* XLV. 5. *Oseæ* XIII. 4. Deum enim unum esse, id est unicam tantum esse divinam essentiam, omnino credendum est: Et unam quidem numerica unitate, quod alibi à nobis demonstrabitur. De unitate enim quæ compositionem omnem sive omnimodam excludit, dubitari potest; saltem quoad actus liberos: illos enim cum divina essentia unum idemque non esse inde apparet, quòd hi cessare possint seu desinere esse, illa verò minime.

*Tertium.* III. Ut Deum diligamus: juxta id quod *Deut.* VI. 5. legitur: *Diliges ergo Jehovam Deum tuum, toto corde tuo, tota anima tua, & tota fortitudine tua*, vide etiam *Deuter.* X. 12.

Præceptum hoc esse indubium est; sed an speciale præceptum sit, merito quæri potest. Deum enim diligere ut Deum, sive ut Deus est, id est, ut summum bonum est, quod per se amari meretur, & propter quod alia omnia amanda sunt, sub præceptum non cadit. Naturale est sic amare Deum, adeoque (moraliter saltem) impossibile sic Deum non amare. At Deum diligere ut legislatorem, non est speciale præceptum; sed vel generale, quo divina præcepta omnia ex animo liberali ac lubente observari jubentur, tam quæ ad Deum quam quæ ad proximum pertinent, vel ita speciale, ut complectatur quidem omnia ista præcepta quæ ad Deum pertinent, non verò ea etiam quæ ad proximum spectant. Ut sensus hujus præcepti sit: Præcepta ista quæ vel ad Deum & proximum, vel ad Deum solum pertinent, ex animo sive ex amore & vera dilectione observatote. Amor enim Dei, est divinæ legis ultronea, libera & incoacta obsevatio. Qua in re ea posita sit suo loco indicabimus. Et, si præceptum hoc bene expendatur, non tam continet præscriptionem observationis mandatorum, quam modum aut rationem observandi quæ ex amore, id est ex libero atque lubente animo proficiscitur. Eadem est ratio præcepti sequentis:

*Quartum.* IV. Ut Deum timeamus: juxta id quod *Deuter.* VI. 13. legitur: *Dominum Deum tuum timebis*: aliaque in eandem sententiam.

Hoc enim præceptum non tam præceptum est, nec generale nec speciale, etsi sub præcepti forma legitur, quam vel ratio sive caussa impellens ad præceptorum omnium divinorum observationem, vel modus quo præcepta omnia observanda sunt. Timor enim Dei, vel est ratio impellens ad præceptorum omnium observationem, quatenus videlicet timor malum respicit, quod comminatur Deus legem suam non observantibus; quo sensu *timor Domini* dicitur *principium*, vel *perfectio sapientiæ: Proverb.* I. *Psal.* XXI. &c. Vel est modus quo præcepta omnia divina observanda sunt: quateuns timor significat reverentiam filialem, distinctam à timore mali, sive is servilis sive mundanus sit. de quibus alias pluribus agemus. Ut sensus hujus præcepti idem sit cum eo quod legitur apud *Lucam cap.* XII. 4: *Ne timete eos qui trucidant corpus, & postea non habent quod amplius faciant: Sed timete eum qui postquam trudidarit* (corpus) *potestatem habet conjiciendi in gehennam: utique dico vobis hunc timete.* quasi dicat: Nolite timore mali aut mortis brevis & levis, quam Tyranni vobis infligere possunt, moveri ut quidquam faciatis professione vestra indignum, & Deo ingratum atque exosum: sed contra, timore æterni mali quod Deus potest infligere, perstate in bene agendo, & Christiana religione digna præstando. Eadem hujus præcepti sententia est, uti ex sequentibus verbis apparet: *Dominum Deum tuum timebis, & ipsum coles*: id est timore Domini adducti, colite eum: sive timor ille sit timor primi generis, sive secundi, id est reverentia filialis.

*Quintum.* V. Ut in tristibus & adversis justitiæ divinæ laudem suam tribuamus: id est, ut agnoscamus Deum pro absoluto jure suo etiam piissimis mala atque adversa posse immittere, aut ut ista iis eveniant permittere: juxta id quod legitur *Deuter.* VIII. 5: *Ut scias in corde tuo, quod quemadmodum corripit homo filium suum, Dominus Deus tuus corripiat te.*

Præceptum hoc in lege non exstat. Nec locus allegatus præceptum habet; &, si omnino haberet, nihil cogit ut locus iste accipiatur de correptione aut castigatione piorum qua talium; imo non pauca indicia sunt, quæ pene cogunt credere, eum de correptione eorum, quando peccant accipiendum esse. Sed quid multis opus est? Tantum abest ut præceptum hoc inter præcepta à Deo ipso relatum censeri debeat, ut Maimonides ipse, de quo tamen ajunt quod à Mose ad Mosen non fuerit sicut iste Moses, contendat, falsum esse & justitiæ divinæ repugnans, quod Deus mala ulla immit-

immittat, aut accidere ſinat piis & ſanctis, nulla ipſorum interveniente culpa aut vitio. Diſertè enim aſſerit in ſuo *More nevochim*, part. 3. cap. 2. pag. 520. Quæcunque mala prophetis & aliis viris piis & ſanctis contingunt, ea tantum iſto tempore iis accidunt quo Dei obliviſcuntur: & ſecundum longitudinem oblivionis vel negotii in quo occupantur, gravitatem item vel levitatem, gravitas & longitudo quoque mali exiſtit. Et non pauca loca firmandæ ſuæ opinioni adducit. *Deut.* XXXI. 17. 18. *Eſa.* XLI. 10. & *cap.* XLIII. 2. *Iob.* XXII. 21. *Pſal.* LVI. 12. *Pſal.* XCI. *per totum.* Quæ ſententia verior ſit non expendo. Tantum moneo ex prædictis duo apparere: 1. numerum hunc præceptorum, novitium Rabbinorum inventum eſſe. 2. oralem legem quam vocant merum figmentum eſſe. Nam ſi oralis lex perpetuo viguit in populo, cur de ſenſu legis hujus non convenit inter Maimonidem & cæteros; imo quomodo audent Rabbini horum temporum profiteri, ſibi in hujus præcepti intelligentia cum Maimonide non convenire? uter enim oralem legem ſequitur?

*Sextum.* VI. Ut invocemus & preces fundamus ad Deum: juxta id quod legitur *Exod.* XXIII. 25. *Sed coletis Dominum Deum veſtrum:* & quidem uti exponitur *Deuter.* XI. 13. *cum toto corde veſtro & cum tota anima veſtra.*

Hiſce verbis præceptum ſpeciale invocandi Dominum contineri etſi concedi poſſet, nulla tamen ſolida ratio cogit. Profectò mirum merito videri debet, quòd præceptum clarum atque expreſſum de precando & invocando Deum non allegent, ſed ex generali iſto verbo עבד, id eſt *colere*, vel *ſervire*, iſtud extundant; tanquam ſi ſpeciale præceptum eſſet, & præceptum quidem orationis. Agnoſcunt id Rabbini ipſi, cum generali iſto verbo hoc in loco ſignificari ſpecialem illum orationis cultum, conſtare dicunt non ex vi verbi ipſius, ſed per traditionem ſive cabalam. Nec mirum. Nuſpiam enim in lege divina aperte præcipitur omnibus ac ſingulis oratio: ac ne ſtatis quidem temporibus ſolemnibuſque feſtis: quibus tamen ſpecialiter fieri non pauca alia Deus præcepiſſe legitur, quæ ad cultum ſui pertinebant. Tantummodo in ſacrificio anniverſario, de quo legitur *Levit.* XVI, Sacerdoti ſummo præceptum fuiſſe videtur, ut quando illud offerebat, Deum pro populo toto oraret, & oratione certa populo benediceret: uti colligitur ex *Numer. cap.* VI. *verſ. ultimi.* At nuſpiam alibi & nunquam aliàs id Pontifici mandatum fuiſſe legitur; nedum ut populo & ſingulis in populo id imperatum fuiſſe legatur. Quod adeò verum eſt, ut non deſint qui aſſerant, præter ea quæ Deus expreſſe mandaverat ſacrificia, tum quotidianum, tum quæ tribus ſolemnibus feſtis offerebantur, tum anniverſarium; nullum aliud abſolutè præſcriptum fuiſſe, nec expiatorium, nec pacificum; niſi tum demum, quod ad expiatoria attinet, ſi quis volebat expiari peccatum ſuum, cui ejuſmodi expiatio præſcripta fuerat: quibus favere videtur id quod *Eſa. cap.* I. legitur: *Quis quæſivit hæc à manu veſtra, ut conculcetis atria mea?* Sed hac de re ſuo loco. Certe quibus placet ſententia iſta, nullam orationem, nedum certum ullum orandi modum in lege præſcriptum exſtare, rationes nec paucas nec leves habent, quas jam non expendimus. Quia tamen nil dubium eſt, quin intrinſeca Religionis divinæ natura poſtulet ut Deus oretur atque invocetur; cultuſque Deo debiti, ſive honoris excellentiſſimi præcipua pars ſit oratio: quin etiam pii quilibet frequenter Deum oraverint: quod Pſalmi Davidis viri ſecundum Dei cor abunde teſtatum faciunt: quin denique ipſum Dei templum à Solomone exſtructum vocetur *Domus orationis*; *Eſa.* LVI. 7: nil cauſſæ eſt cur non concedamus, præceptum de orando Deum tacitè etiam ſub Veteri Teſtamento datum fuiſſe. At nobis hîc ſufficit indicaſſe, nullum ſingulare ea de re præceptum expreſſe datum reperiri, quod quidem inter illa 613 recenſeri meretur. Unde colligimus quæ de hiſce præceptis tanquam ab ipſo Deo datis, & numero tali definito comprehenſis adſerunt Hebræorum Magiſtri, nuperum commentum eſſe; nec minus formulas iſtas precum ſive *Tephilat*, quas vocant, quas hodie unanimi conſenſu in omnibus ſuis Synagogis recitant; quas in Collegio Magno (quod appellant *anſche cheneſet hagedola*, cui Eſra Scriba præfuit, quod conſtabat 120 illuſtribus perſonis, quorum alii Prophetæ erant, ut Haggæus, Zacharias, Malachias, alii hagiographi Spiritu Dei *Ruah hakodes* præditi, ut Daniel, Nehemias, Mardochæus, Zerubabel, Hanania, Mizael, Azaria; alii legis periti, inter quos erat Simeon Juſtus) compoſitas fuiſſe ajunt; ut ut piæ ſint, ſuſpicione novitatis laborare, & fuco tantum iſto auctoritatis antiquæ incruſtatas venditari.

*Nullum apertum in lege præceptum orandi.*

*Septimum.* VII. Ut Domino adhæreamus, aut cum eo conglutinemur; juxta id quod legitur *Deut.* X. 20. ובו תדבק

Præceptum hoc ſpeciale præceptum eſſe ajunt, & quod non niſi per Cabalam tale eſſe intelligitur quale illi eſſe volunt. Nam verbum *Dabac* proprie adeo ſumunt, ut conglutinationem ſive adhæſionem & conjunctionem notet. Ea vero quia cum Deo ſive divina eſſentia immediate fieri non poteſt, idcirco volunt ſenſum verborum horum eſſe: operam dandam nobis eſſe, ut conglutinemur quaſi & indivulſi adhæreamus *hachamim*, ſive ſapientibus, & ſanctis legis divinæ doctoribus, ac ne hilum quidem diſcedamus à Cabala ſive interpretatione eorum. At quis non videt quam ſit hoc quæſitum commentum, ad numerum illum præceptorum inveniendum; quam injurium divinæ legi, & quam periculoſum? Quæſitum eſſe inde liquet, quia *adhærere Deo* non ſignificat neceſſario adhæſionis aliquem modum qui corporalis eſt. Nugæ: ſed adhæſionem ſpiritus, ſive perſeverantiam in unius Dei cultu, uti ex textu ipſo patet, & phraſibus ſimilibus infinitis ambulare cum Deo, ire poſt Deum, non deſerere Deum, non recedere à viis ejus, &c. quod tantundem eſt atque perſeverare in volendo & faciendo idem quod vult & facit Deus; quod revera eſt unum eſſe cum Deo. unde David ait *Pſal.* LXIII. 9. *Adhæſit anima mea tibi.* Hoc ſenſu jubet Apoſtolus nos κολλᾶσθαι τῷ θεῷ, id eſt adglutinari & unum quaſi fieri cum bono, id eſt virtute. *Rom.* XII. 9. Injurium divinæ legi eſt; quia ſic ſtatuitur neminem legi divinæ adhærere poſſe, niſi mediante ſapientum ſcilicet Rabbinorum cabala. At contra, lex ipſa ubique & ab omnibus, etiam minimis in populo, legi jubetur, & ad eam omnium ſenſa atque interpretationes exigi: juxta id quod *Eſa.* VIII. 20 legitur: *Ad legem & ad teſtimonium: ſi non dixerint juxta verbum hoc, quia non erit ei aurora.* Periculoſum vero eſſe inde liquet, quòd facile fieri poſſit ut ſtulti & impii ſint qui ſapientes judicantur, atque ita qui illis adhærent ſine expreſſo juſſu divino, ii non Deo ſed Diabolo ipſi adhæreant. Quare interpretatio hæc omnino rejicienda eſt, & plane futilitatem Rabbinicam ſapit.

VIII. Ut per nomen Domini juremus: juxta id quod eſt *Exod.* VI. 13. & *Deut.* X. 20. *Et per nomen ejus jurabis.* *Octavum.*

Hoc præceptum tranſeat. De ſenſu ejus agemus ſuo loco. Tantum notandum, 1. Iſtud præceptum hoc loco ſic exponi à Rabbinis, ut dicant præſcribi Judæis, non ut jurent ſemper quando aliquid confirmare volunt, ſed quando jurant aut ad jurandum obſtringuntur, non jurent niſi per nomen Domini. Et 2, *Per nomen Dei jurare*, ſignificare non tantum jurare interpoſito Dei nomine, ſed etiam attributis ſive proprietatibus Dei interpoſitis. Nomen Dei cum dicunt, unum ex ſeptem nominibus intelligunt, quæ ſunt Nomen quadriliterum ſive τετραγράμματον, Nomen *Adonai*, Nomen *Eloha*, Nomen *Elohim*, Nomen *Ehje*. Nomen *Saddai*, Nomen *Zebaoth*. Nomina *Iah*. & *El* comprehenſa volunt ſub nominibus præcedentibus duobus: *Iah* ſub Tetragrammato, *El* ſub *Eloha*. Attributa cum dicunt, intelligunt hæc; Miſericors, Gratioſus, Magnus, Fortis, Tremendus, potens, zelotes, fidelis, & ſimilia. Jurare itaque per Miſericordem, Gratioſum, Magnum, &c. tantundem iis eſt atque jurare per unum ex ſeptem iſtis nominibus.

IX. Ut ambulemus in viis Domini: juxta id quod legitur *Deut.* XXVIII. 9: *Et ambulabis in viis ejus.* *Nonum.*

Præceptum hoc ſpeciale præceptum non eſſe vel cæcus videat: ſive per *vias Domini* intelligantur qualitates aut virtutes ipſæ divinæ, ut miſericordia, ſanctitas, juſtitia, bonitas, operaque iſtis virtutibus conſentanea; juxta id, *Eſtote ſancti quia ego ſanctus ſum*; & quod *Pſal.* XXV. 7: *Bonus & rectus eſt Dominus, idcirco peccatoribus viam monſtrat:* ſive per *vias Domini* intelligantur præcepta Dei ſancta ac juſta, per quæ tanquam per vias Deus ad nos venit, ut voluntatem ſuam nobis notam faciat, & nos ad conſequendum Dei favorem quaſi tendimus ac gradimur. Senſus enim eſt: Curandum nobis eſſe ut Dei virtutes quam proxime imitemur, & actiones noſtras ad præſcriptum voluntatis ejus dirigamus. At quid generalius dici poteſt? Nec dubium eſt quin locus allegatus *Deut.* XXVIII. 9, generalem hunc ſenſum contineat, & ſpeciale præceptum nullo modo in eo admitti debeat. Sic enim ſonat: *Statuet te Dominus ſibi in populum ſanctum, quemadmodum juravit tibi; cum* (Particula enim כי hoc loco ſic accipitur) *cuſtodies præcepta Domini Dei tui, & ambulabis in viis ejus.* Res plana eſt.

X. Ut ſanctificemus nomen Domini: juxta id quod legitur *Levit.* XXII. 32. *Et ſanctificabor in medio filiorum Iſrael.* *Decimum.*

Hiſce verbis præceptum ſpeciale contineri tantum abeſt ut certum ſit, ut non deſint rationes veriſimiles quæ demonſtrant, iis ne præceptum quidem ullum contineri. Nihil enim vetat verba iſta, *Et ſanctificabor in medio filiorum Iſrael*, ſic accipere ut vel eventum notent; ac ſi legatur; & ſic appa-

rebit me separari à profanis omnibus Diis & idolis, ac pro solo vero, sanctoque Deo agnosci à populo meo: (hoc enim est sanctificari:) vel ut actionem Dei ipsius notent, ac si legatur; & sanctificabo me ipsum: prout transtulit Arias Montanus in Bibliis suis interlinearibus. Et utrumque hunc sensum non modo admittunt verba ista, sed tantum non postulant; imprimis ista, *In medio filiorum Israel*: &, *Ego Dominus sanctificans vos*; id est segregans vos à reliquis populis ac nationibus, ut me unum in medio vestri Deum agnosci atque honorari manifestum fiat. Sed verò demus præceptum speciale his verbis contineri, ecquod illud præceptum faciant videamus. *Sanctificationem nominis divini* in eo ponunt, quod omnia vitæ hujus commoda ipsaque adeo vita postponenda sit divinæ gloriæ. Hactenus id admitti potest ut verum, licèt non intentum aut expressum verbis istis quæ allegant. At quousque obligatio istius præcepti se extendat, sic porro exponunt. *Primò* ajunt, Præceptum hoc obligare pro semper & ad semper, respectu omnium etiam minimorum ac levissimorum quorumque præceptorum ex 613, si quis Rex, aut Tyrannus, puta Nebucadnezar, Antiochus, aut alius quis, per vim cogere velit omnes Judæos regnorum suorum subditos ad præcepti alicujus transgressionem. In tali casu mori potius singuli debent, quam justibus eorum cedere: sicut à tribus sociis Danielis, à septem fratribus Machabæis, aliisque factum legitur. *Secundò*, Si Rex aut Princeps, aut Magistratus & persona aliqua publica, Judæum aliquem in particulari sive singularem, cogere velint ad transgressionem unius alicujus ex tribus istis præceptis, videlicet præcepto de non committendo idololatriam, de non adulterando, & non occidendo; in istis tribus casibus mori etiam potius debet velle quam cedere, quacunque demum ex caussa id jubeat facere Princeps. Hìc observandum, cum adulterium dicunt, intelligi volunt omnes gradus prohibitos in lege *Levit.* XVIII. Cum homicidium, intelligi volunt cædem Israelitæ, aut (ut alii) cujuslibet innocentis & innoxii hominis. Nocentem enim morte sua redimere illicitum putant; quin & judici potius indicandum ac tradendum asserunt, factoque prudentissimæ fœminæ quæ caput Zebæ filii Bichri amputatum Joabo in manum dedisse legitur 2 *Samu.* XX. 15, confirmant. *Tertiò*, Si Rex aut paganus aliquis Judæum aliquem cogere velit ad violandum præceptum aliud aliquod (præter ista tria supradicta) addita severa mortis comminatione ni faxit, tum hac distinctione utuntur: Si faciat istud paganus eo tantum animo ac fine ut commodum inde aliquod percipiat, aut sui compendii caussa; puta si cogat Judæum laborare in sabbatho, ut terra sua inarata non maneat, &c. in tali casu mortem non modo non optare debet, sed peccaret si non pareret cogenti, & legem non transgrederetur. Lex enim, inquiunt, dicit *Levit.* XVIII. 5. *Qui facit ea, vivet in illis*. At si in isto casu faceret præceptum legis, moreretur propter illud. Si verò paganus aut gentilis istud faciat, eo animo ac scopo ut Judæum Legem Domini sui transgredi faciat, tum rursus distinguunt hoc pacto: Si id faciat aut vim istam adhibeat paganus coram aut præsentibus decem vel pluribus Judæis aliis, tum mori potius debet qui ita cogitur, quàm cedere pagani imperio ac violentiæ, id est legem transgredi. At si id faciat coram paucioribus quàm decem Judæis, tum libitum ipsi est vel cedere jussui pagani, ut vitæ suæ consulat; vel mortem præoptare ut nomen Domini Dei sui glorificet. utrum enim fecerit insons est, & legem non violat. Fundamentum hujus distinctionis ecquod sit, non video. Forte nititur verbis istis, *in medio Israel*: In medio autem Israel aliquid fieri tum dicatur cum decem Israelitæ simul alicubi reperiuntur: quod colligo ex iis quæ Rabbini adnotant ad præceptum sequens duodecimum. Ut ut sit, sic præceptum hoc speciale exponunt Hebræorum Magistri. Jure an injuria jam non disputabo. Illud tantum dicam obiter: Magnæ παῤῥησίας signum videri, quod Legis divinæ ipsiusque adeo Sabbathi profanationem, quam severè adeo non vetuisse tantum sed & ultus esse Deus ipse legitur, non modo certo aliquo casu licitam, sed & vitæ conservandæ necessariam faciant; præceptorum verò sexcentorum & decem transgressionem, ex numero præsentium Israelitarum coram quibus ea imperatur, putà si novem tantum adsint Israelitæ, liberam cuique relinquant. Quo jure hi Jesum nostrum violati Sabbathi postulaverint olim, ob beneficium claudo, cæco, aliisque præstitum solo verbo, nulla interveniente vetitâ in Sabbato servili actione, ipsi viderint.

*Undecimum.* XI. Ut unoquoque die, bis recitetur *Semah Israel*, &c. juxta id quod legitur *Deut.* VI. 7. & XI. 19: *Et loqueris in*, id est, *de ea, in accumbendo te & in surgendo.*

Præceptum hoc quia pium est, transeat. Alioquin certum est sensum istorum verborum non eum esse, quasi Deus jubeat istorum divinorum verborum literalem recitationem quæ quotidie bis fiat. Hoc superstitionem aliquam sapit & arguit, idcirco quod in textu isto Deus etiam jubeat idem fieri, quando sedebant in domo sua, & quando ambulabant per viam. Sic enim quater potius, imo crebertimè, idem fieri deberet. Sed sensus est, præceptorum divinorum inculcationem nulla unquam tempore negligendam esse parentibus: sed operam dandam iis esse, ut filii & domestici sui nunquam eorum obliviscantur; quasi videlicet ea semper & ad singula momenta iis recitarent atque exponerent. Non enim pertinere videntur hæc verba ad singulos aut singulares quosque, sed ad parentes & qui in potestate sua habent alios. Quod si tamen cui secus videbitur, ut verba hæc *loqueris in eis*, referenda esse putet ad omnes & singulos Israelitas, & sic à prioribus distinguenda esse, non multum refragabor. Pietati libenter condono ejusmodi interpretationem, dummodo superstitio absit & necessitatis opinio. Superstitio: quasi in illorum verborum recitatione magni aliquid positum sit. Necessitatis opinio; quasi piaculum sit summum, 1. numerum illum binarium negligere, aut stricte non observare. 2. illa verba ore non recitare, ita ut is qui ea recitat, se ipsum recitantem audiat: quia (ut credo) in textu est, *Loqueris in eis*: ac si animo ea volvere satis non sit. 3. illa ita exacte recitare, ut verborum singulorum literæ, puncta & syllabæ ad unguem & sine ulla variatione proferantur. 4. illa recitare alibi quàm in locis nitidis & corpore mundo. Quod adeo strictè urgent, ut mulieres hoc præcepto teneri negent, idcirco quia certis temporibus adstrictum est, in quibus conditio hæc quarta locum aliquando habere non potest in fœminis, propter earum immunditiem. Quæ sane superstitio pudenda est & merito detestanda.

*Duodecimum.* XII. Ut legem Dei tum ipsi discamus tum alios doceamus, juxta id quod legitur *Deut.* V. 1. & c. XI. 18. *Discite ea & custodite faciendo ea. Et docete ea filios vestros.* Per filios autem tam liberi quam discipuli intelliguntur ex traditione sive cabala.

Præceptum hoc esse indubium est, & dignum quod magna religione observetur. Certe facem in hoc observando præferunt Christianis multis Judæi, qui infantes suos à prima ætate exercent in divinæ legis lectione adeo solicitè & sedulo, ut vixdum adolescentiam ingressi totam pene legem calleant: & senibus ac tantum non decrepitis Christianis multis pudorem incutere & ob senilem infantiam ruborem possint suffundere. Nempe axioma eorum est: Mundum in chaos antiquum suum relapsurum nisi halitu & spiritu parvulorum atque innocentium *Thalmidim*, id est Legem discentium sustineretur. Hinc terram, civitatem & pagum omnem in quo decem tantum Israelitæ sunt anathemate dignum censent, si pædagogum parvulorum Doctorem & Magistrum è vestigio sibi non procuret. Ex quo colligere est, quam longe infra ipsos Judæos ponendi sint Christiani isti, qui divinæ legis lectione non parvulis tantum sed & adultis omnibus laicis interdicunt, adeo severis edictis, ut penes quos Biblia ipsa tantum reperiuntur, eos piacularis sceleris reos agant dignosque censeant de quibus mereat carnifex. Sed ea de re alibi & suo loco.

*Decimum tertium & decimum quartum.* XIII. Ut ponamus Thephilin in capite: juxta illud *Deut.* VI. 8: *Et erunt pro Tephilin inter oculos tuos.*

XIV. Ut Tephilin brachio alligentur: juxta illud quod ibidem legitur: *Et ligabis ea in signum super manu tua.*

Hæc duo præcepta non tantum specialia duo præcepta faciunt, sed & tanto in pretio atque honore habent, ut propter ea fere sola, saltem præcipue propter ea, oralem legem sive traditionem, quæ exactam istorum observationem, sive modi quo observanda sunt, descriptionem continet, necessariam prorsus esse asserant. Vix ullum præceptum in lege exstat, quod tanta religione, aut superstitione potius, observandum esse ajunt, hodieque observant. Et rationem addunt; quia incertum est quid vox *Tephilin* Chaldaica, & Hebræa *Totaphot*, significent, aut unde deriventur. Videantur variæ opiniones Grammaticorum de voce *Totaphot* apud Drusium lib. 2 de Tribus Sectis Judæorum, cap. de Phylacteriis, pag. 90. Quibus in rebus consistat horum præceptorum observatio, ex traditione sive cabala de manu in manum à Mose ex ore Dei in monte Sinai, ut ajunt, accepta, prolixè non agam. Videantur qui de iis copiosè satis scripserunt, tum Rabbini ingentibus voluminibus, tum Christiani ex Rabbinorum commentariis, Paulus Fagius, Sebastianus Munsterus, & qui accuratissime omnia recensuit, Joannes Buxtorfius in Synagoga sua Judaica, cap. 4. Profecto ritus in conficiendis istis *Tephillin* sive orationibus. & in applicandis sive alligandis istis tum capitis tum brachii sinistri certo loco, certo tempore, &c. adeo multi, inepti, & aniles sunt, ut plane sapiant fermentum superstitionis Judaicæ

dicæ dicam, an gentilitiæ cum Simlero. Nos ita ſtatuimus. Nullo certo fundamento niti, quod verbis iſtis quæ ex *Deut. cap.* VI. citant, præceptum ejuſmodi ſpeciale contineatur: & indicia ac rationes non leves eſſe, quæ evincunt iis non niſi proverbialem ſeu parabolicum loquendi modum exprimi, qui uſurpatus ſæpe legitur in Sacris, hodieque apud omnes fere populos uſitari ſolet, quando memoriam alicujus rei commendatam volunt. Primum ex textu patet. Non enim dicitur in textu, Facies tibi totaphot aut tephilin, ſed וְהָיוּ לְטֹטָפֹת, *& erunt tibi in frontalia*, vel phylacteria, vel amuleta ſive amoleta, id eſt non aliter quam ſunt, vel tanquam ſi eſſent aut loco frontalium ſeu ſignorum fronti appenſorum & oculis perpetuo obverſantium, aut annulorum & brachialium (unde noſtra vox *braſeletten*) quæ manibus aut brachiis indi ſolent & geſtari, non modo ob precium, ſed ut nunc hoc nunc illo modo geſtata aut indita, jugem memoriam nobis ingerant earum rerum quarum meminiſſe volumus, aut meminiſſe valde noſtra intereſt. Hunc loci ſenſum eſſe duæ rationes arguunt: 1. Quod *Exod. cap.* XIII. *verſ.* 9, pro eo quod hîc legitur *letotaphot* legatur וּלְזִכָּרוֹן בֵּין עֵינֶיךָ *ulezicearon ben eneca*, id eſt, in memoriam ſive memoriale inter oculos tuos: μνημόσυνον vertunt LXX. 2. Quod ibidem Deus hac loquendi forma utatur, ad indicandum ſolemnitatem Feſti Paſchalis, ſive potius infermentatorum panum, populo ſuo eſſe perpetuo ritu quotannis celebrandam, & memoriam ejus adeo ſolicite obſervandam, uti ea quæ in fronte & manibus ſigna portantur, ſive quæ inter aut ante oculos ipſos noſtros poſita, nobis ſemper obvia ſunt. Quod ſane non leve indicium eſt, præceptum hoc non eſſe ſpeciale præceptum de faciendis *tephilin* ſive *totaphot*, ſed generale tantum præceptum, quo perpes & ſolicita memoria retineri jubetur ſpecialis iſtius ſolemnitatis; &, uti ex textu ipſo liquet, conſequenter etiam totius legis divinæ. Et ſententiam hanc non parum confirmant duo: 1. quod verba iſta eadem deinde *verſ.* 16 uſurpentur, cum Deus præceptum ſuum de ſacrificando ſibi aut redimendo omni primogenito jugiter obſervari velle ſignificat; quod ſignum eſt verba iſta continere aliquid quod ad præcepta omnia divina ſpecialia jugi memoria cuſtodienda pertinet. 2. Quod verba iſta, *Et erit tibi in ſignum ſuper manum, & in memoriale inter oculos tuos*, exponi poſſint ac forte exponi debeant, non ut verba Dei, aut Moſis nomine Dei ſpeciale aliquod mandatum dantis; ſed ut verba parentum, qui filiis ſuis jubentur, memoriam ſolemnitatis iſtius commendare: quaſi legeretur; ſic porro filios veſtros inſtituetis. Hic ritus, ô Filii, obſervatur à nobis in commemorationem beneficii iſtius quod fecit nobis Dominus, quando nos eduxit ex Ægypto. Hic ſit vobis in ſignum & in memoriale perpetuum, cujus nunquam obliviſcamini. Addi poteſt hiſce duobus, quod Abenezra ipſe exponens verba *Deut.* VI. 8. *letotaphot*, ea tantundem valere ac ſignificare ajat, quod כְּמוֹ זִכָּרוֹן ὡσεὶ μνημόσυνον.

Alterum quod dixi, proverbialem ſcilicet hunc eſſe loquendi modum, ex variis locis patet. *Cant.* VIII. 6: *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper manum tuam aut brachium tuum. Proverb.* VI. 21, de præceptis & doctrina parentum dicitur: *Alliga ea cordi tuo jugiter, annecte ea faucibus tuis.* & *cap.* III. 3. de benignitate & fide dicitur: *Alliga eas faucibus tuis, inſcribe eas tabulis cordis tui*, id eſt nunquam à te recedant. Nemo enim niſi fatuus credet hîc ſapientem Regem jubere filiis aut diſcipulis, ut ſibi chartulas vel membranulas faciant ſpecialibus ritibus præparatas, quas cordi & faucibus ſuis poſt inſcripta iis verba parentum aut Magiſtrorum alligare debeant. Nugæ. Senſus ſine dubio eſt; Retinete fideliter quæ auditis ut ea præſtetis, non aliter quam ii ſolent, qui ne alicujus rei faciendæ oblivio animo eorum obrepat, ſignum, id eſt vel annulum vel filum digito alligant aut inſerunt, ut eo memoria quaſi recens ſemper conſervetur, aut labefactata refricetur ac revocetur. Et hic ſenſus optime exprimitur, ſi tantum ὡς particulæ *ὡς* in verbis legis eſſe dicatur; hoc pacto, Erunt tibi veluti frontalia aut φυλακτήρια. & ſic particula לְ accipi poteſt. Nam לְטֹטָפֹת quod verbum è verbo ſonat *in phylacteria*, vel ſi mavis, *in frontalia*, exponi non incommode poteſt, erunt phylacteriorum loco; eodem ſenſu quo לְאִשָּׁה dicimus, pro, uxoris loco.

Quod tamen idcirco non dicimus, ac ſi arbitremur plane illicitum eſſe aut à Chriſto damnari *Matth.* XXIII omnem phylacteriorum uſum; ſed tantum ut occurramus expoſitioni iſti quam Hebræi faciunt, qua uſum iſtum phylacteriorum ex præcepti divini vi ita neceſſarium faciunt, ut iſta quam Hebræorum Magiſtri adſignant forma eo non uti, inter præcipuas divinæ legis tranſgreſſiones reponendum eſſe cenſeant, eo vero uti, pietatis partem non minimam faciant. Atque hanc ſuperſtitionem arbitror damnari aut taxari à Chriſto, quando *Matth.* XXIII de Phariſæis ait, quod πλατύνουσι τὰ φυλακτήρια, id eſt quod ampliſſima ac latiſſima ea faciant: quaſi cura ac ſolicitudo eorum verſaretur præcipue id figura ac forma iſtorum dilatanda & amplificanda; non vero in rerum iis contentarum ſenſu accuratè præſtando. Phylacteria autem de quibus Chriſtus loquitur, dubium non eſt quin eadem ſint cum *totaphot*, quæ Chaldæus Paraphraſtes vertit *tephillin*, à *tephilla*, quæ vox orationem ſeu precationem ſignificat; quod eorum uſus præcipuus eſſet in oratione: eundem planè ad modum quo corollas ſive roſaria ſua vocare ſolent Pontificii *Patenoſtres*. Alioquin propriè membranæ erant, quibus inſcribebant minutiſſimis characteribus quatuor Pentateuchi ſectiones quas *paraſchoth* appellant: quarum prima continet novem priores verſus *cap.* VI. *Deuteronomii*. Secunda novem priores verſus *cap.* XIII *Exodi*. Tertia octo poſteriores ejuſdem capitis: hoc eſt verſus inter nonum & 17 interjectos. Quarta continet ex *Deuter. cap.* XI, verſus qui ſunt à decimotertio ad uſque vigeſimum ſecundum. Phylacteria vero dicta crediderim, non quod veluti amuleta ſervirent contra faſcinum: (quamquam ſuperſtitione aucta, id etiam creditum tandem fuiſſe veriſimile eſt:) ſed quod veluti inſtrumenta quædam ſervarent legem, aut quod eos qui ea geſtabant contra legis prævarication nem præſervarent; faciendo quaſi ad ſingula momenta, & ad quaſlibet occaſiones, præcepta iſta in oculos incurrere, veluti repagula & obices contra tranſgreſſiones, & ſic movendo quaſi aſſiduo corda eorum ad ea conſideranda. Et ſi quid conjicere licet in re crepera & dubia, hinc phylacteria iſta dicta fuerunt *totaphot*, quod ſimilia eſſent ornamentis ſive bullis iſtis, quæ fronti appenſæ ad motum frontis ſive corporis totius moventur. Notandum enim eſt *totaphot* nihil aliud eſſe quam ornamenta frontis, quæ in inceſſu agitantur, & ſic oculos ſemper excitant ut ad ea quaſi reſpiciant. Argumentum hujus etymologiæ eſt, quod Chaldæus Paraphraſtes Hebræam vocem, quæ 2 *Samu.* I. 10 legitur, אֲצַעָדָה quæ armillam ſignificat cum gemma quæ armillæ fibula fuit, tranſtulerit per vocem *Totaphot*. Cur? veriſimile eſt id factum idcirco, quod ſignificatio ſive etymologia vocis utrobique ſit eadem. Nam vox אֲצַעָדָה derivatur à צָעַד quæ vox motum & inceſſum notat, quòd ea ornamenta ad motum corporis moverentur. Similiter *Totaphot* vel *Totaph* à טָפַף derivatur, quæ vox ſignificat non ſimpliciter incedere, ſed inter incedendum corpus laſciviter aut pueriliter agitare; uti ex Eſaia liquet *cap.* III. 16: ubi Iſraeliticis virginibus ſive puellis exprobrat וְטֹפְפוֹת תֵּלֵכְנָה & plaudendo, id eſt corpus pueriliter agitando, ac tantum non ſaliendo, ambulabant. Veriſimiliter ergo *Totaphot* ſunt ornamenta iſta frontis quæ in inceſſu agitantur, & ſic cerebrum ſive mentem verberant atque excitant. Confirmat hanc noſtram interpretationem, quod vetus interpres vocem *Totaphot Deut.* VI. vertat, ea quæ moventur; contra quam LXX qui vocem illam reddiderunt ἀνάλωμα, niſi quis eos iſtam per ἀνάληψιν ita reddidiſſe velit, vel (quod non abſimile à vero eſt) eos ſcripſiſſe non ἀνάλωμα voce una compoſita, ſed ἀνάλωμα duabus vocibus, *ea quæ moventur*, quemadmodum in vulgata Latina editione legitur.

XV. Ut faciamus *Siſith*: juxta id quod legitur *Num.* XV, 38. 39. 40. & *Deuter.* XXII. 12. *Decimum-quintum.*

Hiſce verbis præceptum ſpeciale contineri indubium eſt. Diſertè enim ſub forma præcipiendi utroque in loco leguntur. Quare mirari licet Rabbinorum vanitatem, quod præceptum hoc diſtinguentes à præcepto præcedente de *Tephilin* faciendis, diſtinctionem hanc non dubitent allegare; quòd ad obſervationem præcepti de *tephilin* Iſraelitæ omnes obligentur hactenus, ut quilibet ſibi *Tephilin* comparare neceſſe habeat: ad obſervationem vero hujus præcepti de *Siſith*, non obligentur, ita ut quilibet ſibi ea comparare ex neceſſitate teneatur; ſed ita ut ſi veſte utatur quatuor angulorum, tum iis צִיצִית apponere debeat: cum contra, præceptum de *Tephilin* faciendis nullum expreſſum legatur, de *Siſith* verò faciendis expreſſiſſimum factum eſſe appareat. Interea certum tamen eſt, hodie obligari Judæos omnes ad אַרְבַּע כְּנָפוֹת *arbah canphot*, id eſt ad veſtem quatuor alarum portandum, quam טַלִּית *Tales* vocant. Quid autem צִיצִית ſit, ex textu liquet. Nihil aliud eſt quam peniculatus filorum textus, quem nos *franjen* aut *frangien* appellamus: ſive, uti Hebræi volunt, id quod pendens relinquitur poſt texturam in veſte. Hodie apud Judæos, ut autor eſt Buxtorfius, tantum quatuor filis laneis albis conſtat, ſed in medio duplicatis, & per nodum certum demiſſis; ita ut octo dependeant, ad quatuor, octo, vel duodecim digitorum longitudinem. Aſſuuntur autem amiculo cuidam quem ipſi *talet* vocant: conſtatque quatuor ſolummodo quadratis fruſtulis panni,

communiter ſerici, quæ tranſverſis ligamentis ita conjunguntur ut collo injici poſſint, & in pectore ac dorſo dependeant. In horum infimis quatuor oris dicta fila dependent. Ex vi legis fila iſta debent eſſe hyacinthina ſive cæruleo colore, qualis cæli eſt, tincta: qui color tantum, ut ſapientes eorum dicunt, in terra ſancta fieri debebat ex ſanguine piſcis qui dicebatur *halazon*, qui in mari ſalſo ſive *ſalis* dicto tantum reperiebatur. Sed quia piſcis iſte haberi non poteſt; hinc fila iſta candida aut alba ſubſtituunt, neſcio qua ratione adducti, cum color hyacinthino proximus haberi ubique poſſit, & ſic lex ipſa ad literam convenientius præſtari. Quod enim color iſte ex ſanguine piſcis certi educi debuerit olim, ſuperſtitionem non levem ſapit; uti & pleraque alia quæ circa *Siſit* annotant. Inter quæ hoc etiam eſt; quod *Siſit* idcirco fuiſſe imperatum à Deo velint, quia per illud ſignificatur obſervatio 613 præceptorum. *Siſit* enim ſecundum literas continet numerum ſexies centum: Iſti ſi addas octo fila, & quinque nodos, confiunt 613 præcepta legis. Atque hoc à Deo indicatum volunt, qui additur in textu: *Et recordabimini omnium præceptorum Domini.*

Eſto: condonari poſſet ſuperſtitioſiſſimo & carnali populo hæc commentatio, ſi modo præceptum hoc aliaque ſimilia ſic acciperent, ut ejus obſervationem non partem, nedum magnam partem divini cultus, ſed adminiculum tantum eſſe agnoſcerent ad cultum divinum. At quia hoc ad domum cultus divini referunt, & eo ipſo Deum coli non minima ex parte credunt, ſuperſtitioſi magis quàm religioſi videri debent. Præceptum enim hoc quod facile ac leve eſt, hac ratione difficile atque oneroſum reddunt, ob multifarias & operoſas cæremonias iſtas quas in ejus obſervatione requirunt, non aliter quam ſi potiſſima ac pene tota religionis eſſentia in iis poſita eſſet.

Nec dubito quin hoc ſit quod Chriſtus innuere voluit *Matth.* XXIII, quando Phariſæis tribuit quod μεγαλύνουσι τὰ κράσπεδα τῶν ἱματίων αὐτῶν, id eſt fimbrias, oras, aut lacinias palliorum ſive veſtimentorum ſuorum: quia videlicet in iſtis producendis & ampliandis ita toti occupabantur, ut licet crederent etiam ex animo & vero corde atque amore Dei & divinæ legis omnia facienda eſſe, cultumque Dei præcipuum in legis præſtatione conſiſtere; tamen reipſa oſtenderent, iſta externa magis ſibi curæ ac cordi eſſe quam internum animi cultum. Atque hoc ſenſu eos à Jeſu Domino noſtro hypocritas vocatos eſſe mihi perſuadeo: non quia directe pietatem vultu ſimulabant, aut alii videri volebant foris quam intus ſe eſſe ſciebant: ſed quia revera non erant qui videbantur, nec ante omnia curabant eſſe quod eſſe ſe debere credebant: foris boni, intus peſſimi; cæremoniarum non animorum ſuorum cultores.

*Decimum-ſextum.*

XVI. Ut ponamus *Mezuza* in januis ſive portis ædium noſtrarum: juxta illud *Deut.* VI. 9: *Et ſcribes ea ſuper poſtibus domus tuæ, & in portis tuis.*

An verbis iſtis Moſis præceptum ſpeciale contineatur non contendam. Ego quidem arbitror proverbialem potius eſſe orationem, qualis ea fuit quæ de *Tetraphot* uſurpata legitur: ita ut Dominus dum inſcribi poſtibus ædium legem ſuam juſſit, nihil aliud voluerit, quam ut legis memoria nunquam animis eorum excideret, ſed eam in introitu, in exitu, in menſa, in lecto, in via & ubique quaſi ante oculos ſuos ſcriptam & exaratam haberent. Sed quia verba formam præcepti videntur habere, & res ipſa ſi non pia, utilis tamen eſt ad acuendam pietatem, do lubens ut hoc inter præcepta referatur, quæ carnali populo in officio continendo ſervire poterant.

Quæ ad eius obſervationem requirunt Judæi, cum de eo operoſe diſputant, ubi videlicet ſcedulæ ſive membranæ iſtæ (quas *Mezuzah* vocant, quia poſtibus domus apponendæ erant: *Mezuzah* enim poſtes ſignificat,) præciſe affigi, quid continere, qualis domus eſſe debeat, & quot conditionibus prædita, aliaque, ea alga viliora ſunt, & nil niſi ſuperſtitionis furfur; quin & in re levi operoſæ nugæ; quas comminiſci aliud nihil eſt quam ex muſca elephantem facere, & præceptum clarum ac leve, transformare in obſcurum intellectu & præſtitu difficillimum.

*Decimum-ſeptimum.*

XVII. Ut convocetur populus ad audiendum Legis lectionem in fine *Semitæ*, id eſt ſcenopegias ſive feſti tabernaculorum, ſive potius ſeptimi anni, quo terra inculta quaſi requieverat: juxta id quod legitur *Deut.* XXXI. 12: *Fac congregari populum, viros & mulieres, & familiam, & peregrinum tuum, qui eſt in portis tuis, ut audiant & diſcant, & ut timeant Dominum Deum veſtrum, & cuſtodiant faciendo omnia verba legis hujus*, &c.

Præceptum hoc populo Iſraelitico datum eſſe manifeſtum eſt. De *Semita*, quæ vox propriè ſignificat remiſſionem, quietem aut ceſſationem, quia terra iſto anno, id eſt ſeptimo, inculta atque inarata quieſcere debebat, agetur in Domo V. Præc, 22. & 23. Poſt exactum annum iſtum, in principio anni octavi, quando Jeroſolymis Feſtum tabernaculorum celebrabatur (quia tum juxta illos, nec abſimiliter à vero, novi anni exordium eſt) juſſit Deus cæremonia ſolemni & peculiari legem recitari coram univerſo populo. Eam fuiſſe ajunt hanc: Tubis convocabatur in civitate populus, & ambo ſive pulpitum erigebatur in ea parte templi quæ mulierum cætui deſtinata erat. Hoc pulpitum aſcendebat Rex ut à toto populo conſpici poſſet atque ex audiri. Quo facto, miniſter templi ſive congregationis, Hebraice dictus חזן הכנסת *Hazan ha-Cheneſet*, acceptum librum Legis (*Sepher Thorah*) dabat alteri præfecto, Hebraice dicto *Ros ha-Cheneſet*, ille verò Principi Sacerdotum, (Pontificis ſummi vicario ſive ſucceſſori) hic Pontifici ſummo, qui eum Regi ſtanti in manum tradebat: ut hiſce cæremoniis Majeſtas legis apud populum augeretur. Tum vero Rex ex libro iſto legebat clara atque elata voce, capita ex Deuteronomio quinque, uſque ad *verſum* 11. *cap.* VI, & alia aliquot: & finita lectione benedicebat populo, ex formula præſcripta *Num.* VI. 23. 24. 25. additis ſeptem inſuper aliis benedictionibus ſive precationibus pro ſalute populi. An traditio hæc vera ſit & certa non diſputo. Certè Joſephus Antiq. Judaicarum lib. 4. cap. 8, lectionem libri legis Pontifici ſummo demandatam fuiſſe aſſerit: quod certe cum iſto ritu quem hîc Rabbini tradunt, non convenit: niſi quis fortaſſe Joſephum loqui dicat, de tempore quod creationem Regis in populo anteceſſit. Quod quin veroſimile ſit non dubito. Utinam idem faxit Chriſtianus Princeps in ſuo quiſque territorio, & Euangelium Jeſu Chriſti Domini noſtri populo ſuo commendatum redderet! Degenerem certe animum oſtendunt Chriſtiani iſti, qui laicis lectione ſacrorum librorum interdictum volunt: quos à Regibus ipſis palam publiceque populo prælegi & recitari Deus voluit ac juſſit. Reges enim quin inter laicos cenſeant iſti mortales, dubium non eſt. Tum ſi lectum illum librum audiri & cuſtodiri à toto populo Dens voluit, quin legi etiam eundem ab eodem populo voluerit quis merito ambigat? Sed & expreſſi juſſus divini exempla ſuo loco dabimus non pauca. Obiter tamen etiam hîc videre eſt, primam ac potiſſimam Religionis curam Magiſtratui incumbere.

*Decimum octavum.*

XVIII. Ut quilibet in populo *Sepher thorah*, ſive librum legis propria manu ſua deſcriptum atque exaratum ſibi habeat: juxta illud *Deuter.* XXXI. 19. *Et nunc ſcribite vobis canticum iſtud*, (את השירה) *& doce illud filios Iſrael, & pone illud in ore illorum: ut ſit mihi canticum iſtud in teſtem in filios Iſrael.*

Verba hæc præcepti formam habere, indubium eſt: ſed præcepti hujus ſenſum eſſe, ut unuſquiſque in populo ſua propria manu ſibi deſcribat atque exaret legem totam, non liquet. Nec enim phraſis iſta, *Scribite vobis*, neceſſariò ſenſum iſtum poſtulat. Nec per canticum hoc Legem totam intelligi, veriſimile, nedum certum eſt. Quod etiam ex eo confirmatur; quia decem canticorum mentionem fieri in ſacris ajunt Hebræi, inter quæ recenſetur etiam hoc canticum Moſis, quod *cap.* XXXII legitur: uti ex veteri commentario Mechilta, in Exodum ſcripto, probat Maſius in comment. ſuo in Joſuæ *cap.* X. Cui accedit, quod hoc ipſum per traditionem oralem tantum ſe habere fateantur Hebræi hujus temporis: quam per conſequentiam hanc confirmant à minori ad majus. Si canticum hoc, quod non niſi obteſtationem cælorum continet, ſancitam comminatione malorum & promiſſione bonorum Iſraeli obventurorum, ſeu rebelli ſeu morigero, ſcribi ab unoquoque Iſraelita Deus voluit, multo magis juſſiſſe Deum credi debet, ut lex ipſa tota quæ fundamentum omnium eſt ab unoquoque ſcriberetur.

Ut ut ſit; hinc manifeſtè colligitur, tantum abeſſe ut in populo Judaico creditum fuerit, laicis à lectione ſacrorum librorum abſtinendum eſſe ex divino interdicto, ut contra ſemper crediderint, hodieque credant, unicuique laico in populo à Deo per Moſem imperatum fuiſſe, ut non modo librum legis legeret, ſed & accurate ſua manu ſibi deſcriptum habeat, aut (ſic enim præceptum hoc interpretantur) ſi ſcribere neſciat, ut eum ſumtibus ſuis, ſi ferendis iis par ſit, primo quoque tempore deſcribi curet in uſum ſuum; ut ubique & ſemper habeat ante oculos ſuos vitæ ſuæ regulam.

Et hoc præceptum adeo ſtrictè obligare credunt, ut ſufficere negent, ſi filius librum legis ſibi à patre ſuo relictum habeat; ſed requiri inſuper ajant, ut proprium ſua manu deſcribat, aut ab alio ſcribi pretio ſuo curet: &, ut zelus videatur, ſi quis ſcribere neſciat, ut ſaltem in libro iſto quem deſcribi ſibi curat, unicam literulam manu ſua propria pingat

gat atque efformet. Nempe tantundem illud esse ajunt, atque si totum librum manu sua exarasset. Quæ res sane pudorem merito incutere debet Christianis multis: atque imprimis iis, qui libros sacros in usum populi impressos, non legi modo, sed & emi, nedum scribi, publicis edictis vetant; prætextu quidem metus, ut nisi id fiat in hæreses & errores populus incautior incidat; sed consilio atque animo longe alio, ne vel hæreses eorum à vulgo deprehendantur, vel authoritas eorum (Tyrannis rectius dixerim) in obtrudendo cæco atque incauto populo quod volunt, vilescat; vel supina eorum tum negligentia tum inscitia, in sacrorum librorum sensibus recte proponendis, manifesta fiat. Tyrannis hæc nullo colore tegi potest: & eorum propria est, qui imperium in conscientias affectant, & oculos hominibus eximunt ut tutius eos fallant, eosque sibi per omnia obnoxios habeant, & ab revincto (quod dicitur) naso circumducant in quamcumque volunt partem, bubalorum instar & brutorum animalium. Tanto vero pejor nocentiorque est, quanto salus cujusque hominis æterna, dignior est quam ut alienæ libidini atque arbitrio committatur.

*Decimum nonum.*

XIX. Ut Rex sibi ipsi alterum *Sepher Thorah*, sive legis librum, præter particularem illum, describat ac penes se semper habeat: juxta id quod legitur *Deut.* XVII. 18: *Et cum sedebit Rex super solium regni sui, scribet sibi duplum* (sive diploma) *Legis hujus, super libro, coram Sacerdotibus Lævitis. Et erit cum eo, & leget in eo omnibus diebus vitæ suæ*, &c.

Præceptum hîc esse, quod Regi peculiariter datur, nemo jure ambigat. An sensus præcepti sit, ut Rex præter particularem à se scriptum, alium insuper Regium sibi exarare debeat, non satis liquet. Certe locutio sive phrasis עַל סֵפֶר non significat præter librum, quem scilicet sibi semel descriptum jam habebat antequam Rex esset creatus; sed super libro, vel (quamquam præpositio עַל nunquam quod scio præter significat) præter librum illum publicum, vel ad librum istum, vel juxta illum librum qui in templo adservabatur à Sacerdotibus & Levitis, aut qui ab iis adservari semper debebat.

Esto tamen: certum est Regi mandari, ut per acceptam potestatem, sicut Philo pulchrè exponit, scribat πρὸ ὑπονομίου αὐθεντείας, κιφαλαιωδῶς τόπον περιέχουσαν ἁπάντων τῶν νόμων. Nempe, ut recte addit, volebat Deus ἔγγραπτα τῇ ψυχῇ ἰδιάθετα γενέσθαι, quia legentibus elabuntur sententiæ, eò quod lectio moras non patiatur, aut τῇ φορᾷ τῶν ἀκουσίτων. At qui scribit κατὰ σχολὴν, per ocium, imprimit & infigit menti singula fideliter; non in transcursu animadversa, sed cunctanter, non prius cogitatione transeunte ad sequentia, quam bene pensitatis quæ præcesserant. Deinde ut scriptum illum librum καθ' ἡμέραν, quotidie relegat, ὑπὲρ τῆ συνεχῶς καὶ ἀδιαλείπτε μνήμης κτήσεως τῷ συμφερόντων ἅπασι διαγωγῆς, ut adsiduitate legendi confirmetur memoria tam pulchrorum omnibusque utilium præceptorum, & animo inseratur consuetudine ac familiaritate illa amor rerum sacrarum. πρὸς ψυχῆς ἀεὶ διδασκομένης τὰ ἐπιζημίους ἀμιλεῖν νόμοις ἰσχύς. Addit verò; τυχὸν δὲ συμβήσεται, ἐὰν μὴ ἐπίτηδες γράμμασιν τὰ ὑπομνήμασιν, ὁ ἄρχων, ἀλλ' οἷς αὐτὸς ἔγραψεν ἐντυγχάνῃ ἐκ παρέργου ἰδιᾷ πασιφανῆς γνωσιμοπρεπῆ. πρὸς ἀναλήψεις ἐπιμίπτειν. unde sic cogitabit secum: Ego tantus Princeps scripsi hæc, nullius usus operâ, συνέδρων ὄντων. An ut, instar scribarum mercenariorum, literis explerem librum, aut notariorum instar oculorum acumen exercerem, & celeritatem scribendi nancisceror, sive ἐξύγραφος fierem? Nequaquam: sed ut αὐτὸς ἐν βίβλῳ γραφῶν ἐνδυσιεῖς τὸ ψυχικὸν μισογράφων. τὰ ἐναπομιμήσιμα τῇ διανοίᾳ ἐνεστῶσι τὰ ἀπαλλάξεις χαρακτῆρας. Verba Philonis sunt, præcepti sensum ac rationem eleganter exprimentia. Plura non addo. Videatur Philo ipse in libro de Creatione Principis.

Hoc præceptum exceptione omni majus est, ad refellendum eos qui laicis lectione sacrorum librorum interdicunt, & postulandum eos læsæ divinæ Majestatis; quod illicitum faciant id quod non licitum modo est, sed à Deo ipso expressa lege imperatum est.

*Vigesimum.*

XX. Ut cibum sumturi benedicamus Domino: juxta illud *Deuter.* VIII. *vers.* 10. *Et comedes & saturaberis: & benedices Domino Deo tuo, super terra bona quam dedit tibi.*

Præceptum hîc esse nemo inficiari potest. Ratio præcepti per se manifesta est: quia boni omnis fons atque origo Deus est. Hinc benedictio sive gratiarum actio ei debetur. Benedicere enim nostrum, quo Deo benedicimus, aliud nihil est, quam gratias agere Deo pro beneficiis quibus nobis benedixit, id est bene fecit Deus. Benedicere enim Dei est benefacere: quia verbum Dei est jussus, imperium & voluntas divina, vel spiritus & vis qua rei alicui virtutem indit, quæ nobis bona, id est conveniens est, vel inditam conservat sive non tollit; ut ex eo apparet, quod non de solo pane vivere homo dicatur, sed de vel ex omni verbo quod ex ore Dei procedit: &, quod baculum panis frangere dicatur, aliaque.

Hæc caussa est cur εὐλογεῖν & εὐχαριστεῖν vel εὐχαριστῆσαι pro eodem sumantur etiam in Novo Testamento *Matth.* XIV. 19. Verum quidem est, Lucam uti phrasi qua Christum dicit benedixisse panibus vel panes; sed id vel per metathesin factum dici potest, quam Marcus correxit *cap.* VI. 4, cum ait, εὐλόγησε καὶ ἔκλασε τοὺς ἄρτους; vel per concisam & compendiosam quandam dictionis formam, quæ Hebræis & Hellenistis familiaris est, qua εὐλογεῖν τινα vel τι dicunt, pro εὐλογεῖν θεὸν ὑπέρ τινος, uti alibi à nobis demonstratum est. Quia vero panis sive cibus unicum medium est, quo vita, id est divinissima anima sustentatur in corpore humano, merito sane jure gratiæ Deo aguntur quotiescunque cibus sumitur. Notandum tamen Hebræos hoc præceptum sic exponere, ut proprie istud accipiant, de esu quinque fructuum à quibus laudatur terra sancta. *Deut.* VIII. 8: & de pane qui ex tritico, hordeo, secali, avena & farre conficitur. Quicunque aliquid istorum comederit, ita ut satiatus ex eo fuerit, eum obligari ajunt ad benedicendum Domino. Non itaque generale sed speciale, hoc præceptum de benedicendo videri debet.

De formulis gratias agendi Deo super his, quas præscribunt Hebræi & exacte observari jubent, non hîc inquiram. In genere id dicam. Sunt qui omnes ejusmodi præscriptas formulas prorsus damnant. Sunt alii qui eas religiose observandas esse asserunt. Ego mediam viam tenendam puto; ut nec damnentur tanquam prorsus illicitæ, nec usurpentur tanquam omnino necessariæ. Non damnandas eas esse ut prorsus illicitas ex eo evinco, quòd formulam precandi discipulis suis præscripserit Servator noster *Matth.* VI. & Deus ipse benedicendi formulam in terminis præscripserit in populo suo. *Num.* VI. 23. 24. 25. Non usurpandas tanquam necessarias ex eo colligo, quod formula ista Christi nuspiam usitata ab Apostolis legatur in Christiano populo. Sed hac de re aliàs. Quin formulæ Hebræorum pleræque superstitiosissimæ sint non est quod dubitetur. Videatur de iis Buxtorfius, Synag. Jud. cap. 7. aliique, quorum scrinia non compilo.

## CAPUT II, seu

## Domus secunda præceptorum affirmativorum, quæ est domus Sanctuarii & Sacerdotii, & XIX præceptis constat.

*Primum.*

I. Præceptum est: Ut extruatur domus sancta, & dedicetur Domino Deo, juxta illud *Exod.* XXV. 8: *Et facient mihi* (מִקְדָּשׁ) *Sanctuarium, & habitabo in medio eorum.*

PRæceptum hoc est: sed quod primo ad tabernaculi erectionem refertur, uti ex allegato loco constat. Ad templi vero ædificationem pertinere dici potest juxta ultimam Dei intentionem; quia populo terram sanctam destinaverat, in qua locum & urbem sibi electurus erat, in qua templum fixum ac stabile erigendum erat, ad quod sacrificia omnia referrentur, & ter populus annuatim conveniret; uti *Deut.* XII. 5. 6. 7 legere est. Quod enim ad tabernaculum attinet, istud Deus erigi sibi in deserto, & in usu esse voluit quamdiu populus incertis adhuc sedibus errabat, & bella cum vicinis gentibus in Palæstina gerebat. Hinc mobile illud fuit & portabile, ut quoties movebantur castra aut arma expediebantur, de loco in locum portari posset: uti sæpius factum etiam fuisse legimus; primò in deserto annis XL; deinde in ipsa terra sancta, ubi à tempore Josuæ collocatam fuisse legitur, primo in Gilgal annis XIV: Deinde translatum in Siloh ibidemque substitisse usque ad mortem Heli Sacerdotis, annis CCCLXIX. Postea defuncto Heli Sacerdote, transportatum in Careatjearim, inde in Mispath, inde in Galgala, inde in Nob, ibique mansisse usque ad mortem Samuelis: Denique in Gibeon deductum; in utroque autem loco, id est Nob & Gibeon hæsisse annis LV: atque ita durasse annis CCCCLXXX. Quibus elapsis, ut Scriptura innuit, etsi alii aliter numerent, cœptum fuit ædificari templum: cum jam per Davidem quies & pax populo data esset ab omnibus hostibus, & deleti funditus essent Amalecitæ ex præcepto Divino, uti videre est 2 *Samuel* VII. 1.

Et hoc templum sanctuarium sive domus Dei idcirco dicitur, in qua habitare & quiescere Deus voluit: 1 *Chronic.* XXII. 19 & *Psal.* CXXXII. 14. sic ut in ea sola, nuspiam vero alibi, teneretur sacrificia sua populus offerre, vota precesque suas fundere. 1 *Reg.* VIII. aut precantes ad eam respicere: ut-

pote in Occidente collocatam, contra idoleia & templa gentilium Soli Orienti dedicata. *Ezech.* VIII. 16. Antea enim ſtante adhuc tabernaculo credunt plerique Judæi non omnino prohibitum fuiſſe Deo vero Iſraelis ſacrificare in locis privatis ſeorſim; quæ ſæpe *excelſa* vocantur: quamquam non deſunt tam ex Hebræis quam ex Chriſtianis, qui contra ſentiunt: non tamen eadem prorſus ſententia. Alii enim excelſa omnia, non tantum poſt ſed etiam ante ædificatum templum, prohibita fuiſſe aſſerunt; ut Theodoretus, Procopius, Toſtatus, Ribera, & Becanus. & his favere videntur præter loca *Deuter.* XII. 2. *&c.* & *verſ.* 13. duo inſuper loci: Primus *Levit.* XVII. 3. 4. 5. 6, *&c.* Secundus 1 *Reg.* III. 3. ubi Salomon reprehenditur quod ante templi ædificationem immolabat in excelſis: *Dilexit autem Salomon Dominum, ambulans in præceptis Davidis patris ſui, excepto quod in excelſis immolabat.* Alii verò, illicita ea quidem fuiſſe aſſerunt cum arca in Silo & Iſraelitæ in deſerto eſſent: at licita fuiſſe poſt deſtructam Silo, cum arca eſſet in Nob & in Gabaon, &c. uſque ad extructum templum Solomonis, quod vocatur domus electa & domus æterna. Et his favere videtur non exemplum tantum Samuelis, qui diſertè 1 *Samuel.* IX. 12. dicitur ſacrificaſſe בבמה *behammah*, id eſt *in excelſo*: ſed etiam id quod 1 *Reg.* III. 2. legitur: *Populus immolabat in excelſis; non enim ædificatum erat templum nomini Domini uſque in diem illam.* item id quod *verſ.* 4 legitur: *Abiit itaque in Gabaon, ut immolaret ibi: illud quippe erat excelſum maximum.* & 2 *Paral.* I. 3: *Abiit Salomon cum univerſa multitudine in excelſum Gabaon, ubi erat Tabernaculum Fœderis Dei.* Veriſimilis tamen eſt eorum ſententia, qui diverſis vicibus excelſa conceſſa & vetita fuiſſe credunt ante ædificatum templum. In deſerto licita fuiſſe, cum tabernaculum erectum non eſſet, at erecto tabernaculo vetita. In Gilgal, erecto licet tabernaculo, licita fuiſſe. In Silo vetita, ubi domum ædificatam fuiſſe volunt Hebræi ſine tecto, cortinis tantum tabernaculi opertam: ex eo quod 1 *Samuel.* I. 24 dicitur: Et adduxit eam *Beth Adonai Siloh.* In Nob & Gabaon iterum conceſſa, licèt non ubique, aut extra illa loca, in omni termino Iſraelis.

*Templi forma.* De templi hujus ſtructura & fabrica non dicemus aliud quam quod communiter receptum eſt: Eam ad tabernaculi formam compoſitam fuiſſe hactenus, quod tribus diſtinctis locis conſtaret: Primus erat Atrium in quod conveniebat populus, quodque totum ſub dio erat, & reliqua duo loca ambiebat, uti nunc cæmeteria noſtra templa, in quo orabant, victimas ſacerdotibus offerebant, ſacrificia ſive mactationem ſpectabant, & hoſtias pacificas comedebant: quia ibi erat altare terreum, ex lapidibus integris impoliti ſque, dum tabernaculum cum populo erraret, *Exod.* XXX: at ligneum ære obductum in templo: *Exod.* XXVII & XXXVIII. & labrum æneum. Hoc templum appellari ſolebat, & appellatum credi debet eo nomine, quando Jeſus dicitur in templum ingreſſus, ex templo ejeciſſe ementes & vendentes: & quando pueri dicuntur clamaſſe in templo ac dixiſſe, *Hoſanna Matth.* XXI. 12, *&c.* Secundus locus erat Sanctum, in quod non conveniebant niſi ſacerdotes adolendo thuri, quia ibi erat altare thymiamatis; candelis accendendis, quia ibi erat candelabrum aureum ſeptem lychnis ardens ad manum ſiniſtram; & panibus propoſitionis ordinandis, quia menſa ibi erat ad manum dextram. Tertius locus erat Sanctum ſanctorum, velo diſtinctum à priore, in quo erat Arca Fœderis cum propitiatorio, tabulis Legis, Virga Aaronis & Manna. Vide *Heb.* IX. 2. At ſpeciale in templo à Salomone exſtructo hoc fuit, quod cùm unicum tantum atrium eſſet juxta tabernaculum, plura quàm unum fuiſſe videantur juxta templum: uti colligitur ex 2 *Paralip.* IV. 9: *Et fecit atrium ſacerdotum, & atrium* העזרה *auxilii magnum.* Iſtud pro ſacerdotibus ac Levitis ſeorſim: Hoc pro populo, ſed variis rurſum interſtitiis diſtinctum ac diſcretum. Aliud enim erat & dicebatur *Azarah* Iſraelis, aliud *Azarah* mulierum, aliud *Azarah* immundorum & gentilium, qui ad orandum Deum Iſraelis Hieroſolymam veniebant; circumciſi illi quidem, ſed tamen Judaicæ religioni non omnino addicti, etſi falſorum deorum cultui renunciaverant, & ſeptem præcepta Noacho data religioſè obſervarent. His adjuncta etiam fuit Solomonis porticus, cujus mentio fit 1 *Reg.* VI. 3. & *Joan.* X. 23. ſic dicta, quod eam Salomon multo poſt ædificatum templum, ad partem Orientalem, complanato montis clivo qui templo imminebat, adjeciſſet: ut autor eſt Joſephus lib. 6. de bello Juda. cap. 6. in qua ambulare cuivis licitum erat; & ambulare cælo pluvio commodum erat, utpote tectum habente, quo atrium populi carebat.

Illud ſingulare adnotant Hebræi, quod templum hoc conditum fuerit in monte Moriah, in quo Abrahamus Filium ſuum Iſaacum Deo offerre juſſus fuerat: quod non obſcurè indicatur 2 *Paralip.* III. 1: *Et cæpit Salomon ædificare Domum Domini in Jeruſalem, in monte Moriah, &c.* Sed quod admiratione maxima dignum annotant nonnulli, eſt, quod tanti operis moles conſtructa ſive conſummata fuerit intra ſeptem annos: aggeſta in profundiſſimam vallem humo ad altitudinem quadringentorum circiter cubitorum. Hoc enim pene incredibile dixeris. Sane tardior in ædificando Græcia fuit: quæ Dianæ Epheſinæ templum ducenteſimo & viceſimo anno vix abſolverat, etſi adjuta totius Aſiæ opibus eſt. Et quam admirabilis videri debeat hæc tam brevi tempore abſoluta conſtructio, inde patet, quod ſecundi templi reſtaurationi ſive extructioni, impenſi fuerint quadraginta ſex anni, uti videre eſt, *Joan.* II. 20.

II. Ut Sanctuarium revereantur ſeu reverenter habeant: juxta id quod legitur *Levit.* XIX. 30. *Et ſanctuarium meum reverebimini: ego Dominus.* Similiter *cap.* XXVI. 2. *Secundum.*

Præceptum hîc ſine dubio eſt. Senſus autem per ſe clarus eſt. Non ſine reverentia animi, nec ſine decoro corporis cultu habituque, nec alio fine quam ad ſupplicia & ſacrificia Deo facienda templum adeundum fuiſſe. Ajunt vero Hebræi, ut ſacræ ædis veneratio major eſſet, præcepto etiam iſto vetari, ne quis in montem templi aſcenderet cum baculo aut calceamentis pedum, neque cum manticâ aut pecuniis linteo involutis. quod & Chriſtus Dominus noſter ſic videtur accepiſſe, cum *Marci* XI. *verſ.* 15. non modo nummularios, eoſque qui diſtrahendis mercibus & cambio pecuniæ faciendo intenti erant, procul à ſacro limine abegit; ſed etiam *verſ. ſeq.* 16 non permiſiſſe dicitur ut quis vas portaret per templum; id eſt, vaſis ullis, inſtrumentis aut impedimentis onuſtus, per id tranſiret. Nempe vetus inſtitutum, perverſitate ſeculi exoletum, reducere videtur voluiſſe, ut reverentiam templo majorem deberi oſtenderet.

Addunt vero Hebræi, præcepto hoc mandari, ne quis aperto capite in templo ſit: unde hodieque in Synagogis eorum, tanquam templi antitypis, mos iſte obtinet ne quis caput ibi aperiat. tum ne quis in templo ſedeat præter Regem ſolum, qui ex Davidis domo eſt. Denique ut quiſquis templum intrat, greſſum ad dextram obvertat, ac ſic circumeat, eaque via egrediatur quæ ad ſiniſtram erat. Contra qui in luctu erant, aut qui excommunicati erant, excommunicationis genere quod *Niddui* appellant, ii circuitionem faciant à ſiniſtra dextrorſum. Sacerdotes etiam ipſi poſt peractum ſacrum, receſſim ad portam atrii cedant, pene ut nepæ ſeu ſcorpii ſolent, ſed paululum tamen obliquato latere. Sed hæc ſuperſtitionem ſapere potius videntur quàm Religionem: quæ tamen condonari poteſt carnali populo.

III. Ut cuſtodia templi perpetua ſit penes Sacerdotes & Levitas: juxta illud *Num.* XVIII. 2. & 4. *Tertium.*

Præceptum hoc an ad tempora iſta quibus templum in urbe Ieroſolymorum conditum eſt, ubi ſacris cæremoniiſque tuta ſedes fuit; ac non potius ad tempus iſtud tantum quo tabernaculum in deſerto hæſit, referri debeat, incertum eſt. Si ad utrumque referatur, tum ad utramque tribus Leviticæ familiam pertinere manifeſtum eſt; id eſt tam ad Sacerdotes ex familia Aaronis deſcendentes, quàm ad Levitas cæteros. Et cuſtodia de qua loquitur, intelligenda eſt de vigilia nocturna propriè, quæ utriſque commiſſa erat: Sacerdotibus quidem intra ipſa templi penetralia; Levitis cæteris extra ea ſive foris. Diſpertita autem erat ea vigilia in viginti quatuor claſſes, aut ut Joſephus loquitur τάξεις, ſive in ordines Sacerdotum tres; cæteras autem unam & viginti, Levitarum. Hiſce præfectus erat unus ex ordine Sacerdotum, qui στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ vocabatur: non diſſimilis Magiſtratus ei quem Romani vocabat præfectum vigilum. Hunc Joſephus dignitate proximum Sacerdoti ſummo fuiſſe aſſerit, Ἀρχαιολογίας lib. 8. cap. 5. Officium ejus erat circuire & luſtrare ordines iſtos, & vel dormientes vel negligentes pro ratione delicti caſtigare: aut ſi qui turbarent in templo aut extra illud prehendere, atque in carcerem compingere, judicioque ſiſtere. Hujus mentio ſæpe fit in veteri, atque imprimis in Novo Teſtamento: *Act.* IV. 1. & V. 24. 26: & alibi. Quando autem plurali numero vocantur στρατηγοὶ, ut *Luc.* XXII. 4, id intelligendum ſic eſt, ut præfecto vigilum adnumerentur aut accenſeantur adjutores ipſius officio additi, qualis ille qui γραμματεὺς vocatur aliquando: quod generale nomen eſt omnium eorum, qui majores poteſtates opera aut conſilio adjuvant. Nempe quilibet Magiſtratus ſuum habebat γραμματέα; uti γαζοφύλακες & alii. Notandum etiam hîc eſt; poſtquam Judæa in provinciam à Romanis redacta erat, Præſides Romanos in more habuiſſe ut diebus Feſtis, quia tum ingens populi concurſus erat, vel ſua ſponte vel rogati, milites aliquot, ac nonnunquam integram cohortem ſive Σπεῖραν adderent ad templi cuſtodiam, ne quid ibi vel noctu vel interdiu contra morem Judæorum tentaretur; uti videre eſt *Joan.* XVIII. 3. Extra dies Feſtos, ea cura erat Sacerdotum per vigiles ſuos Levitas, qui ὑπηρέται vocan-

vocantur, *Act.* V. 22. 26. *Mar.* XIV. 65. *Joan.* VII. 32. 45, & XVIII. 3. & XIX. 6.

*Quartum.* IV. Ut ministeria templi penes Levitas sint: juxta id quod legitur *Num.* XVIII. 23.

Præceptum planum est. Ministeria ista erant, præter supradictam custodiam, aperire templum, canere seu viva voce seu instrumentis Musicis, arcere exteros à templi adytis, id est omnes qui vel Sacerdotes vel Levitæ non erant. Ad ministeria hæc uti non admittebantur ante annum ætatis XXV, ita non accedebant nisi ut tyrocinia caperent artis Musicæ, & levioribus quibusdam operis ac functionibus adhibiti, robur acquirerent: atque ita quinque annis integris exerciti idonei essent anno ætatis trigesimo ad obeundum rite, decore & ex arte omnia ministeria, & ad ferendum onera omnia virium auxilio & fiducia. Quo modo conciliari possunt ac solent duo loca, alioquin ἀναλογίαν: *Num.* VIII. 24. & *Num.* IV. 3. & 47. Atque hunc morem secutus est etiam Servator noster, quando ad ministrandum Patri suo, & templum ejus repurgandum accessit. An quinquagesimo anno rude donari jubeantur veluti emeriti prorsus milites, *Num.* VIII. 25, non expendam. Sunt qui locum istum intelligi volunt tantum de tempore, quo in deserto cum esset Israel, Tabernaculum de loco in locum portabatur; ab eo onere eximi quinquagenarios, tanquam isti ferendo diutius impares. Cæteroquin adstrictos illos mansisse ministeriis levioribus, quantùm per ætatem aut vires liceret, ut canendo, claudendo portas, arcendo exteros à tentorio, aliisque. Non abnuo.

*Quintum.* V. Ut Sacerdotes ministraturi in templo, lavent primum manus & pedes: juxta illud *Exod.* XXX. 19.

Præceptum clarum est, cum comminatione addita, *Ne moriantur*, Et promissione, *Non morietur*. Lotio illa quomodo fieri debuerit non est operæpretium inquirere. In Tabernaculo malluvium isti fini usurpabatur, portatile & ambulatorium. In templo Mare æneum à Salomone fusum arque erectum erat: uti 1 *Reg.* VII. 23. & 2 *Paralip.* IV. 6 videre est. Hemisphæricum illud fuisse ait Iosephus, proinde capacissimum: duodecim tubulis sive mammis præditum, ut simul lavarentur duodecim sacerdotes: ex speculis mulierum, quæ olim ænea vel stannea fuisse testis est Plinius, conflatum, uti constat ex *Exodi cap.* XXXVIII. *vers.* 8. Ex hoc patet nudis pedibus semper fuisse Sacerdotes: & quia in templo ministrare non poterant nisi stantes atque erecti in pedes, uti colligitur ex *Deut.* XVIII. 5. ablutionem illam factam non in ipso vase sive concha, sed ad basim ejus per fistulas ex quibus defluebat aqua. Quin Deus ista cæremonia, adeo severe imperata, significare voluerit, sacra nulla illotis quod ajunt manibus tractanda esse, dubium non est. Et ad has ablutiones respicit Scriptor ad *Hebr. cap.* X. *vers.* 23. & Christus cum pedes discipulorum lavabat, *Joan.* XIII. 5. & Paulus cùm Christum ait *Ecclesiam suam mundare lavacro aquæ in verbo*, id est verbo, quod veluti lavacrum aquæ est, quo mundamur ab omni inquinamento carnis & Spiritus. *Ephes.* V. 26.

*Sextum.* VI. Ut Sacerdotes candelas in templo ordinent & accendant: juxta illud *Exod.* XXVII. 21.

Præceptum manifestum est, & quidem perpetuum, uti ex versu liquet. Candelæ autem erant non quales nostræ, sed quæ lampadibus sive oleo affuso innatabant: quæ in candelabro aureo in sancto collocabantur. Eas accendi voluit Deus singulis vesperis, tanto eis affuso oleo quantum pro proportione noctium satis erat. Non enim lucebant interdiu. Itaque vox תמיד *semper*, quæ usurpatur *vers.* 20, exponenda per, totam noctem. Hinc reprehensi Levitæ leguntur ab Hiskia rege, 2 *Chronic.* XXIX. 7, quod clausissent portas templi, & lucernas extinxissent. Mysterium sine dubio hîc est, uti in priore, quod & passim lucis lucernarumque vocabulis exponitur in Novo Testamento.

*Septimum.* VII. Ut Sacerdotes benedicant populo Israelis, ex formula *Num.* VI. 23.

Præceptum hoc esse constat. Benedictio autem hæc non erat nisi divini favoris, gratiæ, & protectionis imploratio, sive oratio ad Deum pro salute populi. Id apparet ex eo, quod Deus ipse hanc benedictionis formulam concludens, dicat: *Et ego benedicam eis*. Fiebat autem manibus in cælum sublatis, sive cum נשׂיאות כפים *Nessiout cappaim*. Et, quod notandum est, cum expressa, uti Hebræi ajunt, nominis τετραγραμμάτου pronunciatione: quia in textu dicitur *vers.* 27: *Et ponent nomen meum super Filos Israel*. Ex quo constat nomen Dei proprium non modo pronunciari posse, sed & pronunciationem ejus populo toti cognitam fuisse; nec causam aliam esse cur ea deserit, quam vel superstitionem nimiam, vel (ut mollius dicam) δέλαβειαν sive reverentiam divinæ Majestatis, præcepto divino minimè consentaneam. Mirum verò est, quod pronunciandi modus non fuerit conservatus per oralem traditionem, cum ad præcepti hujus divini impletionem omnino sit necessarius.

*Octavum.* VIII. Ut quolibet Sabbatho panes facierum redintegrentur, & incensum fiat; juxta id quod legitur *Exod.* XXV. 30. & *Levit.* XXIV. 6.

Præceptum clarum est. Quæ de panibus istis, eorum figura, efficacia nutritiva, ordinatione, &c. Hebræi operosè tradunt ea nos negligemus. Verisimile est panes facierum fuisse dictos, non quod duas haberent facies, id est quod superius & inferius ejusdem essent figuræ & utraque pars facies videretur. Sed quod debebant semper esse לפני ante facies sive faciem aut conspectum Dei. Notandum enim est vocem פנים *panim*, carere numero singulari: atque idcirco *panes facierum* aliud nihil esse quam panes faciei, qui starent semper לפני ante faciem, non ante facies Dei: quasi Deus plures haberet facies aut duas saltem, sicuti panes isti. Nugæ. Apparet id ex eo, quod mensa ista cui imponebantur, mensa etiam הפנים *facierum* vocetur. *Num.* IV. 7. Hinc LXX. interpretes phrasin hanc reddunt ἄρτοι ἐνωπίου, ἐνώπιόν μου & ἄρτοι προθέσεως propositionis 2 *Paral.* V. 19. Eandem translationem secutus est scriptor ad *Heb.* IX. 2. Panes hos constat fuisse juris Sacerdotum, ex *Levit.* XXIV. 9, id est, tum eorum qui custodiam templi & sacrificiorum ista hebdomade præterita habuerant, tum qui in eam succedebant, una cum summo sacerdote. Aliis, ex panibus istis vesci nefas erat, nisi in casu necessitatis: uti apparet ex facto Davidis & sociorum ejus. 1 *Samuel.* XXI. 4. 5. 6, *&c.* quod approbatum etiam fuisse legimus à Domino nostro Jesu Christo. *Matth.* XII. 4. *Luc.* VI. 4. Nec mirum: vita hominis potior est panibus, quia panes propter vitam sunt. Itaque & hîc quadrat illud Christi, *Filius hominis est dominus panum, uti & Sabbathi.*

*Nonum.* IX. Ut quolibet die bis adoleant suffitum super altari aureo, mane & vesperi: juxta illud *Exod.* XXX. 7. 8.

De præcepto hoc lis non est. Aram hanc suffituum quidam collocant in Sancto Sanctorum: sed perperam. In Sancto erat, (cum mensa aurea & lychnucho sive candelabro) quod velo adytis oppanso dissepabatur; uti ex *cap Exod.* XL, *à vers.* 22 *usque ad* 28 patet: & ratio id una confirmat, quod Sacerdotes minorum gentium, ad hanc aram odoramenta flammis ustulabant, quibus fas nunquam fuit adytum templi intrare: uti ex *Lucæ cap.* I apparet, ubi Zacharias pater Johannis Baptistæ, suffimentum in ara ista adoleviſſe legitur: quem tamen non fuisse Pontificem summum, (etsi quidam ita arbitrati sunt) Lucas non obscurè indicat, cum eum in ordine τῆς ἐφημερίας αὐτοῦ, καὶ τῆς ἱερατείας isto officio functum esse scribit; additque quod illi ἔλαχε, sive ἐλάχθη, τοῦ θυμιᾶσαι: in quo ordine summum Pontificem non fuisse comprehensum constat. At ei soli quotannis semel, fas erat sacerrimum istud divinæ ædis adytum intrare. Quod vero dicit Lucas, totam populi multitudinem foris precatam fuisse, quo tempore Zacharias suffitum adolebat, id ex legis præscripto erat: *Levit.* XVI. 17.

*Decimum.* X. Ut ignis in altari perpetuo succensus ardeat: juxta illud *Levit.* VI. 12. 13.

Præceptum hoc clarum est. Per altare eum intelligitur proculdubio altare holocausti æneum, quod in atrio erat extra Sanctum: in quo uno omnium victimarum immolatio fieri debebat. In eo quotidie tres strues lignorum fuisse compositas dicunt Hebræi. Prima strues magna erat, in qua juge sacrificium, cæteraque quæ offerebantur apponebant. Secunda, ad latus ejus minor fuit, de qua ignem exceptabant acerra, ut suffimenta adolerent in altero altari thymiamatis, quod in sancto erat. Tertia illud duntaxat habuit, quod ratam faceret legis hujus divinæ præceptionem, quæ ignem perpetuum in altari manere jubet. Quid hac de re sit, incertum est. Tantum id dubii videtur moveri posse: Quomodo Deus ignem perpetuum ardere velit, aut accendi potius à Sacerdotibus, cùm ignis cælitus delapsus, & perpetuo ardens in altari isto, tum in principio tabernaculi extructi *Levit.* IX. 24. tum etiam in templo Solomonis postea indesinenter flagraret? Respondent Hebræi; Deo ita visum fuisse, ut non obstante isto quod ignis iste cælitus delapsus indesinenter arderet, præceperit tamen etiam Sacerdotibus ut ignem ipsi insuper perpetuum facerent. Ego, si quid conjicere mihi licet, facile crediderim ignem illum cælitus delapsum, fuisse ignem illum, quem à Sacerdotibus templi sui, assiduo lignorum pabulo foveri, & inextinctum conservari jussit: uti disertè legere est *Levit.* VI. 12. Vim autem peculiarem igni isti fuisse datam, ut repente sacrificia absumeret, & novis semper affatimque consumendis sufficeret. De igne hoc videatur *cap. Levit.* IX. 23. 24. Ignem hunc volunt durasse usque ad domum æternam, sive seculorum, id est, usque ad exstructum templum. Ascendisse autem rursum, & deinde ex cælo descendisse post exstru-

ctum templum, ut habetur 2 *Paral.* VII. 1. & duraſſe uſque ad tempora Menaſſeh. Fides eſto penes auctores. An ſub ſecundo templo duraverit, incertum eſt. Variant enim auctores, uti obſervat Druſius in cap. 25. ad difficiliora loca Levitici. Quæ de ignis hujus occultatione dicuntur, deque ejus requiſitione, 2 *Mach.* I. 19. 20. 21. 22, neſcio an fidem mereantur.

*Undecimum.* XI. Uti cineres quotidie removeant ab altari: juxta illud *Levit.* VI. 10.

Præceptum hoc apertum eſt: & ratio præcepti per ſe liquet. Veſtimentorum mutatio ad id neceſſaria erat.

*Duodecimum.* XII. Ut immundos ſubmoveant aut arceant à caſtris, ſive à templo: juxta illud *Num.* V. 2. & *Deut.* XXIII. 10.

Præceptum hoc primò ad caſtra Iſraelitarum ſpectat: & ad templum quatenus eadem templi quæ caſtrorum ratio fuit. Caſtra enim Iſraelitarum dividebantur in tres diſtinctas ſtationes ſive areas. Prima erat ſtatio ſive area divinitatis, quæ concludebatur cortinis ſive pellibus tabernaculi, intra quas divinitas quaſi habitabat: cui reſpondebat in templo area ab Azaris uſque ad ipſum S. Sanctorum. Secunda erat ſtatio ſive area Levitarum, in qua erant Levitarum ædiculæ ſive manſiones; cui reſpondebat in Jeruſalem, quicquid erat à principio montis Zion הר הבית uſque ad Azaras ſupradictas. Tertia erat area in qua totus populus commorabatur, ſive exercitus populi: cui reſpondebat ambitus totius civitatis Jeruſalem. Immundorum autem erant diverſa genera: 1. Leproſi, omnium immundiſſimi. Hos à tribus iſtis areis ſubmoveri volebat Deus. 2. Seminiſlui, menſtruatæ, & quæ pepererant, minus immundi. Hos arceri volebat à duabus areis, id eſt à toto monte Sion. 3. Immundi ex contactu cadaveris, præputiati, &c. Hos arceri tantum volebat ab area divinitatis. Vide 2 *Paral.* XXIII. 19. Hinc turbæ illæ natæ dicuntur inter Judæos *Act.* XXI contra Paulum, quod Græcos ſive præputiatos, uti falſo ei imponebant, introduxiſſet in templum, & ſic locum ſanctum polluiſſet. *verſ.* 28.

*Decimumtertium.* XIII. Ut in rebus ac negotiis omnibus ſacris, honoris prærogativa ſit penes Aaronis poſteros: juxta illud *Levit.* XXI. 8: *Et ſanctificabis eum, quia panem Dei tui offert.*

An verbum *ſanctificandi* iſto ſenſu accipiatur in textu ſacro, quo in præcepto exprimitur, nolo diſputare. Quin iſto ſenſu accipi poſſit non dubito. Tum certum eſt antiſtitibus ſacrorum ſingularem atque eximium honorem deberi: ſi videlicet ſe gerant uti antiſtites ſacrorum decet, & officio ſimul atque exemplo vitæ cætero gregi præeant. Alioquin enim Deus ipſe ait de filiis Eli, 1 *Samuel.* II. 30, *Honorantes me honorabo, & contemnentes* aut vilipendentes *me, contemtui erunt* & vilipendentur. Atque hoc ipſum eſt quod Apoſtolus noſter ait 1 *ad Timoth.* V. 17. οἱ καλῶς προεστῶτες presbyteri duplici honore digni habentor, μάλιστα οἱ κοπιῶντες ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ, id eſt impigre & gnaviter officio ſuo fungentes in docendo. Honorem autem hunc collocant Hebræi in eo, quod illis ante alios omnes deferatur in omnibus *kehilot* Iſrael, prærogativa ut primi lectionem legis auſpicentur, primi benedicant populo, primi portionem accipiant ex oblationibus populi, &c. ſive velint ſive nolint. Per vim enim honor iſte iis deferendus eſt: etiam ſi miracula aut vitium aliquod à natura vel caſu, vel quacunque ex cauſſa in iis ſit, quod eos ſacerdotio ineptos facit: dummodo involuntarium id ſit; nullaque ipſorum propria culpa contractum.

*Decimumquartum.* XIV. Ut Sacerdotes induantur veſtibus, quæ proprie dicatæ ſunt iſti quod obituri ſunt, miniſterio: juxta illud *Exod.* XXVIII. 2.

Præceptum hoc dignum eſt quod intelligatur, non propter utilitatem magnam quæ in ejus intelligentia poſita eſt, ſed propter rei majeſtatem. Auguſta enim fuit hæc veſtium ſacerdotalium adornatio, imprimis ea quæ Pontificis ſummi fuit.

*Veſtes ſacerdotum ordinariorum.* Ad veſtes Sacerdotum ordinariorum quod attinet, eæ quatuor partibus conſtabant: 1. Tunica talari, qualis noſtra camiſia eſt, 2. lineis feminalibus uſque ad genua & poplites deſcendentibus, & ſtricte corpus cingentibus, ſine ulla ſutura aut commiſſura; 3. baltheo, ſive cingulo: & 4. infula ſive mitra quæ tegmen capitis erat 16 cubitorum longum, faſciis in orbem circumactis galearum inſtar; diverſo paulum modo ab eo quo Pontificis infula erat. Nempe pilei ſacerdotales quaſi galeæ erant. At Pontificum infulæ erant longe altiores, faſciis in orbem ſic circumactis uti nunc ſunt Arabum tiaræ, quas *Turban* vocant. Certum enim eſt, Sacerdotibus ſacris operari nefas fuiſſe aperto vel nudo capite; eadem plane ratione qua id apud Romanos Flaminibus nefas fuiſſe legimus. Erant vero hæ veſtes lineæ lana intertextæ. Lana enim & linum in Sacerdotum veſtibus ex divina permiſſione aut præcepto jungebantur, cum id in cæteris aliis veſtibus non liceret. Quod idcirco moneo, ut videatis quam perperam judicaverit Maimonides, cùm in ſuo *Moreh Nevochim*, veſtes ex lana & lino confectas idcirco à Deo vetari aſſerit, quia idololatræ iis utebantur: ut ſic populum ſuum contraria iſtorum ritibus facere doceret. Hoc enim ſi verum eſſet, utique Sacerdotibus ipſis ejuſmodi veſtibus interdixiſſet. At contra factum hic apparet.

*Veſtis ſummi Pontificis.* Ad veſtem Pontificis ſive Sacerdotis ſummi, (ἐφαπτὶς) quod attinet: Certum eſt eam duplicem fuiſſe ſeu diſtinctam: unam auream, ſive (uti Hebræi loquuntur) בגדי זהב. Alteram lineam, ſed *Laban* ſeu albam. Iſta veſte utebatur extra adyta: Hac non niſi cum adyta ſive S. Sanctorum celeberrimo jejunii & expiationis die ingrediebatur: uti ex *Levit. cap.* XVI manifeſte liquet. Iſta prima veſtis, aurea dicta, quia erat ornatiſſima, conſtabat octo partibus, quarum quatuor erant communes cum iis, quas ſupra ordinarias & proprias Sacerdotum veſtes eſſe diximus. quatuor autem reliquæ Pontificis indumento propriæ: videlicet 1. pallium hyacinthinum cum tintinnabulis & malis Punicis. 2. Lamina aurea, quæ infulę apponebatur, cum inſcriptione *kodes l Adonai*, ſive, Sanctitas Domino. 3. amiculum humerale ſive *Ephod*, in quo erant duo lapides Onychini, ſinguli ſenarum tribuum Iſraelis nomina inſculpta habentes. 4. pectorale ſive *choſchen*, λόγιον, ex panno aureo ad palmæ latitudinem quadrato: in quo erant quatuor gemmarum ordines auro intexti, & in iis 12 tribuum Iſraelis nomina inſculpta, ſimulque cum iis nomina trium patriarcharum, literis diverſis diſcreta: item *Urim*, & *Thummim*. Omnia autem iſta continebant viginti & duas literas Alphabeti, quæ neceſſariæ erant ad oraculum reddendum per *Urim* & *Thummim*. Nam cum ſummus Pontifex conſulebatur, aut à Rege, aut à Senatu, aut ab aliquo Rempub. totam repræſentante, tum illuminabantur omnes literæ, & Deus perfecte declarabat voluntatem ſuam, per literarum illarum conjunctionem, quæ fiebat à Pontifice, adeò ut reſponderi poſſet ex tempore quod Deo videbatur. Modus autem conſulendi hic erat: Stabat Rex poſt Sacerdotem, & ſubmiſſa voce quærebat, exempli gratia David: ? an proficiſcar in bellum ? Modus verò reſpondendi erat: Simulatque literæ illæ reſplendeſcebant Sacerdos divino Spiritu inſtructus ad illas reſpiciebat, & ex iis tot protuberabant quot ad oraculum divinum requirebantur: ex. gr. literæ duæ protuberabant. לֶךְ valde: & ſic patebat divina voluntas, eamque proferebat Pontifex. Vide hujuſce rei exempla appoſitiſſima 1 *Sam.* XXIII. 12. 13. & XXX. 8.

*Modus conſulendi Deum per Vrim & Thummim.*

Hiſce octo indumentis indutus ſemper obire debebat ſua miniſteria Pontifex, extra Sanctum Sanctorum, quotieſcunque in templo operari volebat ſacris. Notandum enim eſt, Sacerdotum cæterorum functiones non fuiſſe arbitrarias, ſed ejuſmodi ut nemo aris honores adolere, aut victimas cædere, niſi facta ſortitione poſſet. At Pontifici ſoli omnia ſacra & omni tempore pro arbitrio obire jus faſque fuiſſe. Quando vero operabatur ſacris & vel minimum aliquid ex veſtibus iſtis deerat, dicebatur מחזסר בגדים defectus veſtibus, & profanus ſive extraneus habebatur, proinde capitis damnas.

At altera veſtis *Laban* ſeu alba, ex mero lino albo eoque pretioſiſſimo facta, veſtis illa erat cum qua venerabile Sancti Sanctorum ſecretum adibat, ſemel in anno, ſolemni expiationum die: atque ea hora tantùm quæ dicata piaculari ſacro erat. Continebat autem quatuor partes ut ſic dicam: Tunicam, brachas, cingulum & infulam. Quod idcirco adnotatum volo, ne communi errore multorum, inter quos (quod admiratione dignum eſt) ipſe etiam Flavius Joſephus eſt, cæremoniarum in populo ſuo, atque imprimis tam ſolemnium, alioquin peritiſſimus, abrepti, credamus Pontificem aurea veſte indutum fuiſſe etiam cum in ipſum Sanctum Sanctorum ingrediebatur: quod loco *Levit.* XVI. *verſ.* 4. & 32. modo citato apertè adverſatur.

*Decimumquintum.* XV. Ut Arca Fœderis in humeros ſublata portetur: juxta illud *Num.* VII. 9. *Filiis autem Kehat non dedit* (Moſes ſcilicet portionem ex plauſtris & bubus quæ Principum donaria erant & diſtributa erant inter Levitas) *quia ſervitium ſanctitatis erat ſuper illos, in humero ferebant*, aut, *ferent*, arcam ſcilicet Fœderis.

Præceptum hoc non eſt omnino clarum: ſaltem non perpetuum. Ad tempora enim iſta tantum pertinet quibus tabernaculum de loco in locum portabatur: non vero ad tempora poſt extructum templum: uti videre eſt 2 *Paral.* XXXV. 3. Clarum non eſſe id mihi videtur arguere, quod, cum Uſſah & Ahio arcam Fœderis reducentes de domo Abinadab, eam plauſtro novo impoſuiſſent & bubus trahendam commiſiſſent; 2 *Sam.* VI. 6. 7, ea propter nec reprehenſi

nec

nec puniti legantur : ſed tantùm idcirco Uſſah repentina morte à Deo adfectus dicatur, quod manum ſuam extendiſſet ad arcam Dei, ut eam labantem quaſi retineret ac fulciret. Dicitur enim diſertè ; propterea Domini furorem exarſiſſe contra Uſſah, & Deum percuſſiſſe eum ibi *propter temeritatem : verſ.* 7. quod clariſſimè exponitur 1 *Paral.* XIII. 10 : quod miſiſſet manum ſuam ad arcam. Dicere : Cauſſam quidem in textu aliam non allegari, ſed revera tamen aliam, eamque de qua agitur, ſubeſſe, & quidem tanquam principem ac præcipuam, etſi ea quæ in textu allegatur ſubitæ ſeu repentinæ iſtius divinæ punitionis cauſſa fuerit : id verò in textu ipſo fundamentum non habet. Et quod me maxime movet, ut credam iſtam cauſſam non ſubeſſe, eſt, quod veriſimile nullo pacto ſit Davidem, univerſumque Iſraelem, aut permiſſuros fuiſſe, aut (quod 1 *Paral.* XIII. 7. non obſcurè innuitur) ipſos impoſituros, aut ut imponeretur arca Fœderis plauſtro boum procuraturos fuiſſe, ſi mandatum divinum tam expreſſum in contrarium fuiſſet, aut eſſe ab ipſis creditum fuiſſet. Nolim tamen hoc ita accipi, ac ſi credam ordinarium portandi arcam modum, ſuper humeros Levitarum non fuiſſe. Abſit : Sed ita ut ordinarius iſte modus non præcisè ſub præcepti obligatione fuerit. quod non parum confirmatur ex eo, quòd nulla pœna ſtatuta legatur in ſecus aut contra facientes. Verum quidem eſt quod David ipſe, cùm poſtea ædificaſſet locum pro arca Dei, ac tetendiſſet ei tabernaculum, ut eſt 1 *Paral.* XV. 1. 2. dixiſſe legatur : *Non ad portandum arcam Dei niſi Levitæ : illos enim elegit Dominus ut portent arcam Dei, & ut miniſtrent ei uſque in ſæculum.* Sed an illud dixerit David eo animo, ut ſignificaret propterea Uſſam à Deo punitum fuiſſe, quod arcam plauſtro novo portandam impoſuiſſet, & Levitarum humeris portari non curaſſet, ex textu non liquet. Nec veriſimile eſt : quia in hiſtoria ipſa facti, alia cauſſa allegatur : &, ſi non allegaretur, pœna illa ad Davidem potius pertinuiſſet, qui populi Rex erat, & cujus erat providere ne quid contra legem fieret : ſaltem ad Ahio non minus quam ad Uſſah perveniſſet, quia uterque arcam deducebat. Levitæ autem cum dicuntur iſtam provinciam ſibi demandatam habuiſſe, tam Sacerdotes quam Levitæ propriè dicti intelligi debent. de Sacerdotibus res plana eſt. de Levitis legere eſt in loco ſupradicto, 1 *Paral.* XV. 14. *Sanctificarunt igitur ſe ſacerdotes & Levitæ, ut inferrent arcam Domini Dei Iſraelis.*

*Decimum ſextum.*

XVI. Ut oleum unctionis fiat ad ungendum eo Sacerdotes & Reges : juxta id quod legitur *Exod.* XXX. 25. 26. 27. *&c.*

*Sacerdotes & reges non fuerunt uncti eodem olei genere.*

Præceptum hoc in textu ſic non legitur. Neque enim oleum illud ſacrum fieri præcipitur alio fine, quam ut eo ungantur Aaron & filii ejus Sacerdotio idonei & conſecrati, inſtrumentaque & res omnes ad cultum Dei pertinentes : uti ex *verſ.* 26. 27. 28. 29. 30 in terminis liquet. Quin imo diſerte in textu additur *verſ.* 32 prohibitio *ne caro hominis ex eo ungatur :* id eſt, ne quiſquam alius homo eo inungatur præter Sacerdotes : quorum caro, quia Deo ſacra, ab aliorum quorumcunque hominum Deo non ſacratorum carne diſtinguitur. Unde & alii omnes qui non erant de ſacerdotali familia Aaronis, extranei ſive alieni vocantur *verſ.* 33. *Qui dederit ex eo* עַל זָר *ſuper extraneum exterminabitur ex populo ſuo.* Conſtat autem ex textu, Oleo hoc diverſimode inunctos fuiſſe Sacerdotes & ſummum Pontificem. Summus Pontifex oleo iſto unctionis ungebatur in capite : uti diſerte patet *Levit.* XXI. 10. *Exod.* XXIX. 7. Sacerdotes cæteri eo adſpergebantur in veſtibus : uti patet *Exod.* XXIX. 21. Hinc illi non erat fas lugere ullos mortuos, ne quidem parentes. His fas erat lugere ; ſed propinquos tantum & conſanguineos. Et eadem ratio allegatur, cum Nazaræi vetantur lugere propinquos ſuos ; *quia conſecratio Dei eorum, eſt ſuper caput eorum : Num.* VI. 7. Accedit quod ipſi Hebræorum Magiſtri fateantur, præceptum hoc ex textu non liquere niſi per cabalam ſive traditionem. Sed verò & ea merito ſuſpecta eſt : quia certum eſt (ut jam non dicamus de primi Regis Saulis unctione, quam veriſimile omnino eſt factam à Samuele, non hoc ſacro oleo ſacerdotali, ſed ab ipſo propheta juſſu Dei alio modo præparato & ſacrato ; 1 *Samuel.* X.) Davidem alio oleo unctum fuiſſe, cum poſt mortem Saulis unctus eſt in Regem ſuper Judam. Enimvero tabernaculum tum erat in Gabaon. Gabaon autem tum erat in poteſtate Iſboſethi filii Saulis, qui Davidis hoſtis erat : 2. *Samuel.* II. 4. Sed & unctio illa qua Samuel primitus Davidem regem unxiſſe legitur : 1 *Samuel.* XVI : oleo illo ſacro unctionis, quod in tabernaculo repoſitum ſervabatur, facta nullo modo videtur, ſi verba textus & hiſtoria temporis iſtius bene expendantur. De ſolo Salomone Davidis filio, videtur textus 1 *Reg.* I. 39. affirmare, quod à ſummo Sacerdote Tſadoc & à Nathane Propheta unctus fuerit oleo hoc ; quia dicitur Tſadoc accepiſſe cornu olei è tentorio, & unxiſſe Salomonem. Sed nihil vetat verba iſta accipere de alio oleo ſacro, quod iſti fini à Sacerdote aptatum erat in tentorio ; (fuiſſe enim oleum etiam in tabernaculo, quo quotidie lucernæ inſtaurabantur à Sacerdotibus, patet ex *cap. Levit.* XXIV. cur non ſimiliter oleum adſervatum fuerit ad ungendos reges ?) & quia textus ſacer hîc diſerte prohibet, oleum hoc ſacrum de quo in præcepto mentio fit, adhiberi ad ungendum carnem alieni, id eſt non ſacerdotis : cum addita comminatione, futurum ut qui id fecerit *exterminetur ex populo ſuo.* Quin ita accipi debeant verba, nullus dubito. Et argumenta alia ſunt quæ id evincunt : 1. Quia oleum iſtud quo Pontifex & Sacerdotes ungebantur, nunquam appellatur in Scriptura oleum ſimpliciter, ſed, *oleum unctionis*, vel *oleum unctionis ſacrum*, vel *oleum ſanctæ unctionis. Exod.* XXIX. 7. & XXX. 25. 31. *Levit.* XII. 12. Nec mirum. Erat oleum non ſimplex, ſed unguentum ex oleo & variis aromatibus, myrrha, cinnamomo, calamo, caſſia compoſitum. *Exod.* XXIX. 7. & XXX. 23. At oleum quo Reges ungebantur nunquam aliter quam oleum ſimpliciter appellatur. Vide 1 *Samuel.* X. 1. & XVI. 13. & 2 *Reg.* IX. 1. *&c.* 2. Quia Pontifex ſummus diſertè *Levit.* XXI. 10 prohibetur lugere mortuos, idcirco quia *oleum unctionis ſuper caput ejus eſt :* Regibus vero conceſſum fuit lugere mortuos, & proſequi mortuorum funera : uti in exemplo Davidis funera Saulis & Jonathæ deflentis, veſtimenta ſcindentis, manifeſtum eſt : 2 *Samuel.* I. 11. & lugentis Abſolomum filium ſuum. 2 *Samu.* XVIII. 33. & XIX. 1. & plangentis ſuper Abner filio Ner, quin & feretrum ejus proſequentis : 2 *Samuel.* III. 31. 3. Oleum ſanctæ unctionis non poterat attrectari niſi à Pontifice & Sacerdotibus, idque in ipſo ſanctuario : Oleum verò quo Reges Principeſque populi ungebantur, etiam à prophetis aliquando contrectabatur, qui ex familia Aaronis ſæpe non erant. Hoc poſito, etiam interpretari facile eſt omnia iſta loca, quibus dicitur Elias Azael hominem gentilem unxiſſe Regem Syriæ : 1 *Reg.* XIX : Elizæus Jehu Regem Iſrael : 2 *Reg.* IX. nempe id factum non oleo iſto ſacro, uti notum eſt ; ſed alio oleo ſacro, iſti fini divino juſſu ab iis præparato. Ut ut ſit, certum eſt utroſque tum Sacerdotes tum Reges oleo ſacro unctos fuiſſe : (an uno eodemque nolim contendere. Incertum id eſſe ; ac fortaſſe contra certum eſſe non uno eodemque oleo fuiſſe eos unctos, niſi forte quando Deo ita viſum fuit, ut in Solomone, tantum indicare volui : ut præcepta hæc Judaica omnia non eo loco cenſenda eſſe oſtenderem, quo ab iis cenſeri ſolent : ) de aliis non ita conſtat. Atque hinc arbitror ſenſum loci iſtius qui citatur in *epiſt. ad Hebr. cap.* I. 9, ex *Pſal.* XLV : *Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ ſupra conſortes tuos :* hunc eſſe, quòd Deus Meſſiam filium ſuum, longe ſupra alios omnes tum Sacerdotes ſeu Pontifices ſummos, tum Reges evecturus eſſet, ungendo eum oleo lætitiæ, id eſt ungendo eum Pontificem ſummum Regemque Regum, oleo quo cum imbuebantur Reges, populus cum læta fauſtaque acclamatione ſolebat erumpere in has voces : *Vivat Rex, vivat Rex.* vide 1 *Reg.* I. 38. *&c.* & 2 *Reg.* XI. 12. Per *conſortes* itaque intelligerem non fideles tantum, ſed proprie Sacerdotes ac Reges, tanquam dignitatis quæ ſumma in terris videtur ejuſdem participes : ſed tamen eo inferiores ipſique ſubditos, aut minimè ſaltem cum eo conferendos. Annotari obiter hic meretur illud, quod Reges omnes non ungebantur : (uti nunc in more eſt apud Gallos Reges omnes ſuos ungere.) Nihil minus. Hæreditarium erat regnum Davidis, itaque jure hæreditatis, non unctionis, perveniebat regius honor ac titulus ad poſteros ; quando videlicet controverſia non erat de jure prærogativæ inter poſteros. At hanc, ubi nata eſſet, dirimebat oleum ſacrum quo ungebatur ſucceſſor. Hinc Solomon unctus propter litem quam ei movebat Adoniah : Joas propter Athaliam, 2 *Regum.* XI. 12. Jehohas propter Jehoiacim : 2 *Reg.* XXIII. 30.

*Decimum ſeptimum.*

XVII. Ut Sacerdotum familiæ ſingulæ per vices miniſteria ſua in templo obeant : at ſimul omnes junctæ miniſtrent in tribus anni ſolemnibus Feſtis : juxta id quod legitur *Deut.* XVIII. 6.

Præcepti ſenſus planus eſt. Certum eſt Sacerdotes ex Levitis ſelectos fuiſſe ut oblationes & ſacrificia facerent ; eorum vero VIII ſtationes à Moſe fuiſſe conſtitutas ; quarum quatuor ex Eleazare originem trahebant : ex Ithamare totidem ; quæ durarunt uſque ad tempora Samuelis prophetæ. Iſtas ſtationes poſtea Rex David auxit & viginti quatuor fecit : 1 *Paral.* XXIV. 3. Ex Eleazari poſteritate ſexdecim : Ex Ithamare octo. Iſtæ viginti quatuor claſſes, per vices ſuas ſingulæ, ex iſtis in quibus commorabantur civitatibus aut locis Jeroſolymam veniebant, & in templo hebdomadam unam ſacris operabantur : uti non obſcurè colligitur ex 1 *Paral.* XXIV. 7. ita ut bis cuiq ; ſtationi ſuus ordo annuatim

nuatim rediret. At cum tria ſolemnia iſta ac celeberrima Feſta celebrabantur Jeroſolymis, tum verò fas fuit omnibus iſtis ſtationibus, ſimul in templo ſacra obire ad cultum iſtorum Feſtorum pertinentia; non alia ordinaria. Nam jugia ſacrificia, & votivas ſpontaneaſque hoſtias, ii duntaxat curabant quorum functio tunc in orbem recurrebat. Hæ ſtationes vocantur apud *Lucam cap.* I, cum de Zacharia loquitur, ἐφημερίαν. Hinc colligitur verborum Deuteronomii ſenſum eſſe hunc: *Quum venerit ad locum quem elegerit Jehova* (id eſt, tempore Feſtorum iſtorum trium quæ Jeroſolymis ſolum celebrari debebant ex divino præſcripto) *Levita*, (Sacerdos ſcilicet ex familia Aaronis.) nam ſtatim additur; *Miniſtrabit nomini Domini Dei ſui.* Levitæ enim non miniſtrabant in templo coram Deo, ſed ſacerdotes ſoli: *& partem æqualem parti aliorũ comedet:* id eſt, ex ſacrificiis iſtis quæ in Feſtis iſtis offeruntur ſolemniter, portionem parem cum cæteris omnibus Sacerdotibus (Levitæ enim cæteri non comedebant ex ſacrificiis) ſibi ſumet: *Præter venditiones ejus ad patres*, id eſt excipientur tantum iſta ſacrificia quæ ordinaria ſunt, ut juge ſacrificium & cæteræ votivæ ſpontaneæque hoſtiæ. Illas enim offerent, & ex illis comedent ii tantum Sacerdotes, quorum iſta hebdomas eſt: quippe quibus *Patres*, id eſt Moſes, Aaron aliique, ex divino præſcripto iſtam leitourgiam & portionem ſacrificiorum propriam eſſe voluerunt pro quaque hebdomade.

*Decimum-octavum.* XVIII. Ut Sacerdotes ſe contaminent propter defunctos cognatos & conſanguineos ſuos: & Iſrael lugeat mortuos ſuos: juxta illud *Levit.* XXI. 3. *Et in ſorore ſua virgine, quæ eſt propinqua ad eum, quæ non fuit viro, in ea contaminabitur.*

Præceptum hoc eſſe volunt Rabbini, quo Sacerdotes obligabantur ad *contaminandum ſe*, id eſt ad lugendum ſuper propinquis & conſanguineis. Luctus enim ater eſt, & deformitatem inducebat; quia lachrymis & fletu faciem deformabant, pulvere ſe adſpergebant, cæno ſe fœdabant, veſtes rumpebant, ſaccos induebant, nec lavabant ſe, nec ungebant ſe, &c. Sacerdotem autem ſummum ab hoc excipi certum eſt, ex hoc ipſo *cap. verſ.* 10. Sed verò an verba textus præceptum contineant, & quidem duplex ejuſmodi quale exprimitur, non ſatis liquet. Quin accipi poſſint in eum ſenſum ut Sacerdotibus id permittatur, & per conſequens etiam Iſraelitis cæteris, dubium non eſt. Eſto: largiamur illis utrumque. Certum eſt ſub voce *ſororũ* intelligi ſorores virgines, non alias maritatas aut deſponſatas, nedum alias mulieres defunctas, licet virgines. An per propinquam הקרובה uxor intelligatur, nolim negare, etiamſi non videantur verba iſtud indicare. Naturæ vis fieri videretur ſi ab ejuſmodi defunctorum acceſſu & luctu ſuper iis prohiberentur omnino ſacerdotes: quamquam certum eſt Pontificem ſummum ab iſto prohiberi divino interdicto; quia oleum ſacræ unctionis, id eſt, uti ante diximus, oleum lætitiæ, ex *Pſalm.* XLV, qui citatur ad *Hebr. cap.* I. ſuper caput ejus eſt jugiter. Et Flamini olim interdictum mortuos vel cadavera oculis adſpicere. Quin & cautum legitur ne calceos induerunt, ne forte ex corio talis animalis facti eſſent quod ſuo fato exſtinctum erat. Iſtorum enim animalium contactu & viſu dehoneſtari credebantur ſancti viri. Ex hoc veriſimiliter concluditur, licuiſſe etiam cæteris Iſraelitis luctum facere ſuper propinquis & conſanguineis. De modo lugendi & de tempore ſive durationè luctus, auctores videantur. Chriſti noſtri lex luctum etiam concedit: ſed lugendi modum hunc ponit, *Ne lugeamus ſicuti cæteri qui ſpem non habent*: 1 *Theſſ.* IV. 13.

*Decimum-nonum.* XIX. Ut Pontifex ducat uxorem virginem: juxta illud *Levit.* XXI. 13.

Præceptum hoc an ſit adfirmativum, non liquet. Aliud enim eſt Pontificem ducere uxorem virginem debere: aliud cum ducit uxorem, eam virginem eſſe debere. Hoc poſterius mandari certum eſt. De priore ex textu non ſatis clarè liquet. Et ratio eſt: Quia 1. Pontificem cœlibem manere quid vetabat? quid ſi matrimonio inidoneus eſſet? quid ſi non indigeret? fieri potuit ut Pontifex antequam Pontifex eligeretur uxorem viduam à ſacerdote relictam ut *Ezech.* XLIV. 22. præſcribitur, duxiſſet. Eam repudiare ei neceſſe fuiſſet, ſi verba iſta præceptum continere velimus. At hoc neceſſe fuiſſe ipſi Hebræi negant. An plures uxores ducere ei licuerit incertum eſt ex textu. Negant Hebræi hactenus; Si duxerit duas, cum altera ei faciendum fuiſſe divortium ante decimum diem Tiſri: ni id faceret, obire piaculare ſacrum ſolemni illo die in Sancto Sanctorum nefas ei fuiſſe. Virgo autem cum dicitur, intelligitur juxta Hebræos puella non minor annis duodecim, nec major annis duodecim cum dimidio. Alia enim fuit ratio puellarum in iſta calidiori regione quàm in noſtra. Virgo autem intelligitur perfecta, intacta, & quæ alteri ne deſponſata quidem fuit. Hoc ſingulare fuit in Pontifice. Cæteris enim Sacerdotibus licebat ducere plures uxores, & viduas, dummodo abſtinerent ab iis quæ corpore quæſtum faciebant, aut per divortium ſive repudium à marito expulſæ erant, aut quibus vitium oblatum fuerat, quas Hebræi vocant חללות id eſt profanatas, βεβηλωμένας Græci, quæ ſtuprum paſſæ ſunt, quacunque demum ex cauſſa; id eſt vi, vel caſu, vel quomodocunque aliter. Sic refertur de Hircano Rege, eum aliquando à convivis requiſiviſſe; nunquid haberent quod in eo reprehenderent? Ad iſta unum reſpondiſſe: Si vis laudari, abdices te ſacerdotio. Quare? quia mater tua in captivitate fuit חללה quod alii exponunt fuiſſe vulneratam, ſed verè ibi notat fuiſſe ſtupratam.

## CAPUT III. ſeu

## Domus tertia præceptorum affirmativorum, quæ eſt domus Sacrificiorum & oblationum ſacrarum: & LVII præceptis conſtat.

*Primum.* I. eſt, Ut quotidie juge ſacrificium offeratur; juxta illud *Exod.* XXIX. 38. & *Num.* XXVIII. 2. 3.

PRæceptum hoc Sole clarius eſt: Duo agni anniculi quotidie offerendi erant Domino; mane unus, veſperi alter. Hæc autem oblatio vocatur juge ſacrificium, id eſt aſſiduum, continuum & jugo quaſi adfixum; vel holocauſtum ſempiternum, quia nunquam intermittebatur, id eſt nulla die intermitti poterat. Hebræi dicunt *Tamid*, quia nullus dies excipiebatur, etiamſi feſtus eſſet, & pro ratione Feſti aliæ victimæ eſſent immolandæ: ut videre eſt *Numer.* XXVIII. 10. Quin & hoc ſacrificium ante alia omnia, & poſt illud nullum aliud offerre fas erat, niſi in feſto Paſchatis ſolo. Qui agnum hunc typum fuiſſe volunt Jeſu Chriſti Domini noſtri, aut Joannem Baptiſtam ad hunc agnum reſpexiſſe, cum de Chriſto diceret, *Ecce Agnus Dei qui tollit peccata mundi, Joan.* I. 29. & 36, ii non videntur mihi rectè ſentire: idcirco quod agnus hic non offerebatur quotidie in ſacrificium pro peccato; ſed in holocauſtum, quod à ſacrificio pro peccato ſemper contradiſtinguitur: quando videlicet iſtud in tabernaculo vel in templo offerebatur: (Alia enim forte ratio erat holocauſtorum quæ extra templum & portas urbis tota comburebantur.) Et ſunt qui obſervant nuſpiam Deum juſſiſſe ut agnus immolaretur in ſacrificiis pro peccato, ſive *Chattath:* ſed tantum in ſacrificiis pro delicto ſive *Aſcham*: uti *Levit.* XIV. 12. & *Num.* VI. 12. videre eſt: aut in pacificis ſive euchariſticis: uti *Levit.* III. 7. & IV. 35. Ex quo colligere etiam eſt, quam inepti ſint Pontificii, qui juge hoc ſacrificium figuram & typum fuiſſe ajunt ſacrificii Miſſæ ſuæ: cùm non fuerit ſacrificium pro peccato nec pro delicto, ſed holocauſtum tantum in honorem divinæ Majeſtatis. Miſſam autem ſuam eſſe velint ſacrificium propitiatorium pro peccatis vivorum & mortuorum; ut jam alia non allegem.

Cæterum operæpretium puto, ut, occaſione hujus primi ac principis jugiſque ſacrificii, in genere quædam de ſacrificiis præmittam, ut quæ ſequentur clarius intelligi & levius tranſcurri poſſint. Placet mihi diviſio eorum, qui Moſaica ſacrificia quadrupliciter dividunt: 1. Ratione materiæ. 2. Ratione formæ ac finis. 3. Ratione temporis. 4. Ratione perſonarum. Ratione *materiæ* tria genera ſacrificiorum ſunt: *Victimæ*, *Oblationes*, & *Libamina* ſive libamenta. Ratione *formæ* ac *finis* ſimiliter tria ſtatui poſſunt: *holocauſta*, *hoſtiæ pacificæ*, & *hoſtiæ pro peccato*: quamquam alii holocauſta ſub hoſtiis pacificis comprehenſa volunt, quia proprio fine ab iis non diſcernuntur, ſed oblationis tantum modo ac forma ab eorum pleriſque diſpeſcuntur. Sed ea in re parum poſitum eſt. Sunt & qui ſacrificia pro peccato diſtinguunt à ſacrificiis τῶ *Aſcham* ſive reatus: ſed & hoc parum refert. Ratione *temporis* varia fuerunt. *diurna* ſive quotidiana, *hebdomadalia*, *menſtrua*, & *anniverſaria*, aliaque. Ratione *perſonarum* fuerunt vel *univerſalia* vel *particularia*: & hæc vel *pro publicũ* vel *pro privatis perſonis*.

*Quadruplex ſacrificiorum genus.*

Quod ad *primum genus* ſacrificiorum attinet; pro triplice materia triplicia ea erant. Aut enim erant *animalia*; eaque vel quinque generum juxta Hebræos; videlicet *vaccæ* aut *tauri*, *oves*, *capræ*, *columbæ*, & *turtures*. vel octo generum juxta alios: videlicet oves, capræ, hædi, boves, vituli, columbæ, paſſeres, turtures. Hi à prioribus non differunt; quia Hebræi ſub capris hædos, ſub bubus vitulos comprehendunt. *Paſſeres* vero cur non adnumerent, ignoro: certum eſt eos inter volucres immolaticias non recenſeri *Levit.* I. & veriſimile eſt eos Deo ſacrificari nunquam fuiſſe ſolitos; nec in

*1. ratione materiæ.*

atrio

atrio aut crematos aut comeſtos unquam legi: ac proinde improprie atque anagolice dici eos immolari *Levit.* XIV. uti de vacca rufa etiam dictum legitur *Num.* XIX. Aut erant *fructus terræ*, ut *panis*, *ſimilæ*, *ſal*, *thus*, *manipulus ſpicarum viridium*, & *triticum*. Aut erant *liquores*; ut *ſanguis*, *vinum*, *oleum*, *aqua*: *Mel* diſerte prohibetur: Quæ ex animalibus fiebant ſacrificia ea vocabantur *hoſtiæ* ſeu *victimæ*: Quæ ex fructibus, *immolationes*: Quæ ex liquoribus *libamina*. Victimæ offerebantur mactatione & combuſtione. Fructus terræ, immutatione. Nimirum panis in fruſta diſſecabatur, ſimila coquebatur in ſartagine, clibano aut craticula; ſal adurebatur; thus adolebatur; manipulus ſpicarum torrebatur; triticum conterebatur. Liquores offerebantur effuſione.

2. *Ratione formæ ac finis.*

Quod ad *ſecundum genus* ſacrificiorum attinet: ea erant, 1. *Holocauſta*, ſive holocautomata: quia ea tota quanta erant igne abſumebantur, & in fumum reſoluta ſurſum ad Deum aſcendebant, ita ut nihil inde cederet in uſum humanum. 2. Sacrificia *pro peccato* ea erant, quæ offerebantur ad labes impuritateſque expiandas, ſive eæ eſſent morales, ſive phyſicæ aut potius cæremoniales. *Morales impuritates* voco, iſtas quæ animorum ſunt; id eſt quæ culpam aliquam ex animæ ſive ignorantia, ſive errore, ſive imbecillitate ortam in ſe habent. Impuritates enim quæ per ſuperbiam, rebellionem manifeſtariam, aut *elata*, ut Scriptura loquitur, *manu* contrahebantur, ſacrificiis expiari non poterant, ſed morte citra miſericordiam aut veniam mulctabantur; niſi ſpecialis gratia Dei interveniret: ut *Num.* XV. *verſ.* 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31, manifeſte legere eſt. Inter iſtas impuritates ſive peccata, cenſenda non ſunt ea omnia quæ voluntaria ſunt, aut ſponte deditaque aliquomodo opera fiunt; ſed ea tantum quæ ex Dei præceptorum contemtione, aut contumacis animi protervitate fiunt; proinde quibus pœna mortis à Deo conſtituta eſt. Patet id ex eo quod videamus Deum etiam ordinare ſacrificia pro iſtiuſmodi peccatis, qualia ſunt, non reſtituere depoſitum, per fraudem alicui aliquid ereptum ire, repertam alterius rem negare idque juramento interpoſito, &c. *Levit.* VI. 2. 3. 4. *&c.* ſed ſacrificia tamen quibus præire debebat reſtitutio depoſiti, redditio ereptæ, fraudatæ, aut repertæ rei alienæ, cum dupla, quadrupla, aut quintupla ſortis parte: *Exod.* XXII. Notandum etiam eſt, cùm inter illa peccata reperitur poſitum perjurium, id intelligendum eſſe de perjurio quod quis oblivioni dedit, aut alioquin ex quadam inadvertentia facit. Alioquin enim perjurium, quod deliberato animo & elata manu fiebat, morte puniebatur, ex præſcripto legis. *Exod.* XX. 7. *Num.* XV. 30. *Phyſicas* ſive *cæremoniales impuritates* voco, fœditates, ſive maculas illas corporis, quæ nulla culpa hominis contrahi poſſunt: quales ſunt quæ ex leproſi, mortui contactu, ex ſemine, menſtruo, puerperio oriuntur, aliiſque: de quibus agitur *Levit.* XII. *&* XIII. *&* XIV. *&* XV. Hæc ſacrificia partim cremabantur, partim cedebant in uſum Sacerdotum, qui in atrio templi ex iis veſcebantur. *Pacifica* ſacrificia, erant vel *ἐυχαριστικὰ*, in gratiarum actionem pro beneficiis à Deo acceptis; vel *ἐυκτικὰ*, ad nova beneficia à Deo impetranda, ſive ea eſſent ſpontanea ſive votiva. Diſtribuebantur autem in tres partes: Prima ad honorem Dei, ſuavis odoris cauſſa comburebatur, nullo offerentium bono: Altera cedebat in uſum Sacerdotum: tertia in uſum offerentium.

3. *Ratione temporis.*

Quod ad *tertium genus* ſacrificiorum attinet: Eorum alia erant *ſtata*, & vel *anniverſaria*, vel *menſtrua*, vel *hebdomadalia*, vel *quotidiana*. Alia *occaſionalia*, ſive pro re nata inſtituta. Inter anniverſaria eminentiſſimum erat omnium quod 10 Septembris peragebatur: quando videlicet Pontifex Sanctum Sanctorum ingrediebatur cum ſanguine pecudum, ad expianda omnia univerſi populi, ſuaque ipſius etiam propria peccata, toto iſto anno exacto commiſſa. Cætera erant quæ in Feſtis anni ſolemnioribus offerebantur. Menſtrua quæ ſingulis Calendis ſeu Noviluniis offerebantur. Hebdomadalia quæ ſingulis Sabbathis peragebantur. Quotidianum erat, hoc de quo nunc egimus, juge ſacrificium. Occaſionalia ſive pro re nata inſtituta ſacrificia, erant ea quæ quocunque anni tempore, ſi vel totus populus ſimul certum aliquod delictum commiſiſſet, vel ſi quæ publicæ aut privatæ perſonæ peccaviſſent, peragebantur ad expiandum delicta iſta. Hæc tamen ad ſequens quartum genus referri etiam poſſunt.

4. *Ratione perſonarum.*

Quod ad *quartum genus* attinet, Sacrificia alia erant *univerſalia* pro toto atque univerſo populo: Alia *particularia*: Eaque vel pro publicis perſonis, vel pro privatis. Nempe alia erant ſacrificia pro peccatis Pontificis, Sacerdotum, Principis, Synagogæ: Alia pro peccatis privatorum hominum; eorumque tum divitum, tum pauperum: uti videre eſt *Levit.* IV. 3. 22. 24. *&* V. 7. *&* XII. 8. Ex his quæ in ſequentibus dicentur facilius intelligi poterunt.

*Inſtitutionis ſacrificiorum cauſſa.*

Reſtat ut paucis videamus, *Primò*, An cauſſa & ratio aliqua fuerit, propter quam Deus ſacrificia illa tot ac tam multa populo ſuo præſcribere voluit: an verò ea dependeant à ſola voluntate Dei? Ego ſic ſtatuo: Sacrificiorum inſtitutionem, ſi per ſe conſideretur, à ſola Dei inſtituentis voluntate pendere, nec cauſſam ullam aut rationem, ſive ex ipſa ſacrificiorum natura, ſive ex ſapientia divina concipi poſſe, qua eorum inſtitutio nitatur: cum nec ipſa ſanguinis brutorum effuſio, innoxiarumque pecudum mactatio Deo per ſe grata eſſe poſſit; nec ad peccata hominum emundanda vel expianda vim aut relationem aliquam habeat; nec Religionis, niſi crudelis aliquomodo, actus videri poſſit, & omnino abſque ullo religioſo affectu atque animo fieri poſſit: denique cum Deus ipſe affirmet, ſe eam *ne præcepiſſe quidem patribus quo tempore eos ex Ægypto educebat*: *Jerem.* VII. 22.

At ſi ſacrificiorum inſtitutio conſideretur, ut typus, umbra, & rudimentum, quo Deus ſapientiſſimæ ſuæ pleniſſimæque voluntatis aliquando revelandæ, gloriam repræſentare, &, rudi quaſi Minerva, adumbrare voluit; ſic eam non à ſola Dei voluntate pendere crediderim, ſed ratione & conſilio ſapientiſſimo niti. Hoc autem pacto ſacrificiorum inſtitutionem, totamque adeo Religionem Judaicam conſiderandam eſſe arbitror: & in Novo Teſtamento conſiderari multa loca fidem faciunt; imprimis quæ in epiſtola ad Hebræos occurrunt. Ratio autem qua ſic conſiderata ſacrificiorum inſtitutio nititur duplex mihi eſſe videtur: una ex parte Dei, quoad ſacrificia expiatoria: altera ex parte hominis ſive noſtra, quoad cæteris. Ratio ex parte Dei eſt: Quia Deo conſtitutum erat ultimis diebus demonſtrare perfectiſſimè ac pleniſſimè ſupremam gloriam ſuam, tum bonitatis, dilectionis & miſericordiæ ſuæ erga homines peccatores, in gratuita peccatorum omnium condonatione; tum amoris ſui erga juſtitiam, & odii contra peccatum, in deſignatione Mediatoris, Sacerdotis & Pontificis inter ſe & homines: qui non niſi ſanguine ſuo proprio fuſo pro iis intercederet, & æternam redemtionem ſacrificio corporis ſui cruento iis impetraret; uti ſuo tempore à nobis demonſtrabitur. Huius divinæ & glorioſiſſimæ voluntatis typus & umbra, fuit Sacrificiorum propitiatoriorum inſtitutio. Nempe ea offerentibus, ſive populo univerſo ſive privatis quibuſcunque, gratia fiebat per remiſſionem peccatorum: uti paſſim legere eſt, & formula illa indicat; *Et remittentur ei peccata eorum.* Ea non offerentibus gratia non fiebat, quia ſanguine eorum peccata expiari neceſſe erat. *Abſque ſanguinis effuſione* enim *non fiebat remiſſio peccatorum*. *Heb.* IX. 22.

Notandum etiam hîc eſt, in ipſo ſacrificandi ritu quattor mortis genera repræſentari, quibus peccatores ex Legis divinæ præſcripto adfici debebant: Lapidationem, quæ fiebat cum præcipitatione lapidandi in terram: Sic victimæ fiebat. Strangulationem, quæ fiebat cum ligatione & conſtrictione gutturis: Sic victima ligabatur & conſtringebatur. Decollationem: Sic victima decollabatur. Combuſtionem: Sic victima comburebatur, vel tota vel ex parte. Ex quo efficitur gratiam illam quæ peccatoribus per iſta ſacrificia fiebat, non fuiſſe niſi gratiam ad hanc tantum vitam pertinentem: qua videlicet liberabatur peccator à morte violenta hac temporali, ac proinde eam typum tantum fuiſſe majoris gratiæ, & quidem æternæ, per Meſſiam aliquando ſacrificio meliore obtinendæ.

Dices: At per ſacrificia non expiabantur omnia, imo non niſi levia quædam peccata. Fateor: Sed id requirebat typi ſive umbræ ratio, quæ imperfectum ſemper quid habet. Alioquin ſacrificia iſta perfectiſſima fuiſſent; ac proinde æterna, nec abſolutiſſimo ſacrificio Chriſti adumbrando idonea. Adde quod typi ratio forte in eo poſita fuit; quòd ſicuti per ſacrificia iſta non expiabantur peccata per ſuperbiam aut contumaciam commiſſa, ſed levia & quæ per ignorantiam, errorem aut imbecillitatem commiſſa erant; aut talia quæ, licèt ſpontaneum quid mixtum ſibi haberent, non tamen ita purè putè ſpontanea erant, ut non infirmitatem aut humanam aliquam, ſeu inadvertentiam, ſeu oblivionem divinæ legis, conſuetudine aut uſu inveterato inductam, non vero malitiam aut contemtum divinæ legis præ ſe ferrent: ita etiam in Novo Teſtamento, ſanguine Chriſti Mediatoris expianda non ſint peccata, quæ poſt cognitam Euangelii veritatem, *ἑκουσίως*, id eſt, plena voluntate fiunt: *Hebr.* X. 26: cum prolapſione ad plane contrariam primæ profeſſioni profanam ac diſſolutam vitam: *cap.* VI. 6: cum blaſphemia in Spiritum S. *Marc.* III. 29. ſed ea tantum quæ ex infirmitate, inadvertentia, ſubita paſſione, aliiſque levioribus affectibus fiunt; aut talia quæ purè putè *ἀκουσίως* non ſunt: cum hoc tamen diſcrimine, quòd hæc peccata in Novo Teſtamento

ſtamento irremiſſibilia dicantur, non quod ex vi Fœderis eorum remiſſio impetrari non poſſit, ſi accedat pœnitentia & reſipiſcentia; ſed quod ea talia ſint, ut qui in ea incidit, eorum pœnitentia duci aut omnino non, aut non niſi difficillimè poſſit: cum contra peccata iſta quæ contra Legem Moſis fiebant, & quæ ſine miſericordia morte mulctabantur, talia eſſent ut eorum pœnitentia quis facile poſſet duci: uti erant homicidium, adulterium, falſum teſtimonium, &c. Atque in hoc deficiebat iterum typus à prototypo.

Altera ratio ex parte hominis quoad cætera ſacrificia fuit: Quia Deo conſtitutum erat ultimis temporibus Religionem perfectiſſimam mundo præſcribere, per quam obligaretur homo ita ſe totum devovere Deo, ut optima, pretioſiſſima, ac cariſſima quæque in mundo hoc, in gratiam Dei & Chriſti ejus abdicare à ſe paratus eſſet, affectibus omnibus ſuis (licèt inveteratis, & conſuetudine longa inolitis jam ac familiaribus) renuntiare, vitamque adeo ac ſanguinem ſuum profundere ad gloriam Dei, & pro ſalute fratrum æterna non dubitaret; id eſt, ſe ipſum totum in holocauſtum Deo offerre promtus eſſet: cum perpetua gratiarum actione pro benedictionibus omnibus ſupercæleſtibus, & aſſidua oratione pro gratia nova, contra omnes tentationes carnis, mundi & Satanæ: Hujuſce rei typos eſſe voluit Deus ſacrificia iſta, quæ holocauſta & pacifica vocantur. Nempe qui holocauſta offerebat, optima ac perfectiſſima in quoque genere animalia, ſelectiſſimos terræ fructus, exquiſitiſſimos liquores ſeligere debebat, eaque à ſe abdicare, & Deo tota atque integra omnia conſecrare: qui pacifica offerebat, ſemper renes tanquam ſedem voluptatum carnalium, & cor (de quo tamen dubito) tanquam fontem vitæ animalis & cogitationum humanarum comburere tenebatur, ſanguinem item effundere, quia in ſanguine vita atque anima eſt: *Deut.* XII. 24. (*Nota*: Philo Judæus negat Deum ſibi voluiſſe offerri *cerebrum* & *cor* animantium. Stultum enim foret, inquit, vaſa iſta offerri quæ peccati ipſius ſedes ſunt. Sic enim non aboleretur ſed refricaretur peccati memoria, in ſacrificiis quæ abolendo peccato inſtituta fuerant.) Hæc autem omnia faciebant ad teſtandum ſupremum Dei in ſe dominium, & ſuam ſub Deo ſubjectionem atque obedientiam ſpontaneam atque ultroneam. Iſta autem typos tantum fuiſſe ex eo liquet, quod omnia iſta ſacrificia offerri poterant ſine ſacrificio cordis atque animi, à profanis & perditis hominibus, & non raro plurima à peſſimis offerebantur. Atque hoc puto paſſim à Deo ipſo indicari, cum de ſacrificiis ita loquitur, ut ea ſe nolle, ſe non requirere, ſe odiſſe, ſe faſtidire aſſerat, & ſe cordis animique cultum ac Religionem ſolam cupere teſtatur: *Jerem.* VII. 22. 23. *Mich.* VI. 6. 7. 8. *Eſa.* I. 11. 12. 13. 14. & alibi.

*Cur Deus iſtius generis animalia, fructus, liquores, quam alterius, offerri ſibi voluerit.*

*Secundò* quæri hìc poteſt, An ratio aliqua fuerit, cur Deus iſta & non alia animalia, iſtos & non alios fructus ac liquores in ſacrificium ſibi offerri voluerit? Ego valde veriſimilem eſſe arbitror Maimonidæ ſententiam, qui arbitratur rationem graviſſimam fuiſſe, & quidem hanc: ut memoria idololatriæ quæ tum vigebat, partim apud Ægyptios, partim apud Zabios, ſive Sabæos Arabiæ fœlicis populos, qui Chaldæi ſunt, exterminaretur ex populo ſuo: quippe qui mactationem jumentorum iſtorum idcirco abominabantur, quod Deos ſuos ſub figura eorum colerent. Nempe Ægyptii colebant Apin, id eſt bovem, vitulum, vel Deum ſub bove & vitulo; & ſydus vel ſignum arietis: ac propterea non ſolum prohibitum inter ipſos fuit mactare oves, boves & vitulos, ut Juvenalis inquit Sat. XV.

*Lanatis animalibus abſtinet omnis*
*Menſa: nefas illic fœtum jugulare capellæ:*

Sed & abominationi inter eos erant paſtores ovium, *Geneſ.* XLVI. 34. uſque adeo ut Moſes *Exod.* VIII. 22. dicat: *Ecce ſacrificabimus abominationem Ægyptiorum.* Inter Zabios, ſive potius Sabæos, fuerunt quoque qui dæmonas colebant ſub forma hircorum: unde etiam dæmonas ipſos *Seirim*, σάτυρους, id eſt hircos appellabant. quo reſpexiſſe videtur Moſes, cum *Levit.* XVII. 7. ait: *Et non ſacrificabunt ultra ſacrificia ſua Laſſeirim*, id eſt, dæmonibus hircorum figuram habentibus, id eſt Satyris piloſis, qui τριχῶντες dicuntur Aquilæ. Vide *Deut.* XXXII. 17. Hinc apud illos hircorum oblatio & eſus ſine dubio prohibitus fuit.

Ut hanc idololatriam plane exſtirparet Deus, & populum ſuum in veri uniuſque divini ſui numinis cultu retineret, beſtias iſtas, quibus tanquam Diis ſacra iſti mortales faciebant, quibus thura adolebant, cibos per obſequium pietatis dare, agros & vectigalia è publico aſſignare, vivoſque aliquando homines mactare ſolebant, ſibi mactari & ſacrificari juſſit: adeo ut quod illi ſummum ſcelus ducebant, & ſacrificio nullo expiari poſſe credebant, id pietatem & cultum faceret Deus, eoque ipſo expiari peccata vellet. Nempe contraria, ſunt contrariorum remedia.

Confirmatur non parum hæc ſententia Maimonidæ, ex eo quod plerique ritus Judæo populo præſcripti, tales videantur ut ex adverſo pugnent cum ritibus idololatrarum: ut, ex. g. 1. eſus porri & cæpe, qui nefaſtus erat apud Ægyptios, ut Juvenalis ait:

*Porrum & cæpe nefas violare, ac frangere morſu.*

2. Adoratio occidentem verſus: cum cæteri omnes gentiles orientem reſpicerent, & Solem adorarent: *Ezech.* VIII. Panis infermentati & ſalis oblatio, melliſque prohibitio, *Levit.* II. 13: cum panem fermentatum ſolum, reſque dulces & melle inunctas abſque ſale offerrent cæteri. De ſale tamen merito dubitari poteſt. Antiqui enim gentiles ſacris ſalem adhibebant, mola ſalſa litantes, id eſt farre aduſto & ſale conſperſo. Virgil. 2 Æneid.

*Jamque dies infanda aderat, mihi ſacra parari:*
*Et ſalſæ fruges*, &c.

Ovidius in Faſtis:

*Ante Deûm homines quod conciliare valeret*
*Far erat, & puri lucida mica ſalis.*

Item: *Sparge molam & fragiles incende bitumine lauros.* Horat. Saty. 3. lib. 2.

*Tu cum pro vitula ſtatuis dulcem Aulide natam*
*Ante aras, ſpargiſque mola caput, improbe, ſalſa.*

Hinc Plautus in Amphitruone: *Prodigiali Jovi aut mola ſalſa hodie, aut thure comprecatam oportuit.* Sed hic mos an prioris etiam veteriſque ævi fuerit incertum eſt. 3. Sanguinis effuſio ſuper altare. *Levit.* IV. 18. & prohibitio ne comedat populus ad vel apud ſanguines: *Deut.* 15. 23. contra quam faciebant Zabii, qui ſanguinem colligebant, & ad vel circum iſtum collectum ſanguinem convivia ſua inſtituebant, & hircis ſive Dæmonibus Satyris ſic gratificabantur, aliaque plura. Et hæc cauſſa mihi eſſe videtur cur Apoſtolus noſter legem vocet *intergerinum parietem* inter Judæos & gentiles *Epheſ.* 2. 14. qui non modo diſſeparabat eos à ſe invicem, ſed & odiorum atque inimicitiarum cauſſa erat, uti *verſ.* 15 ſtatim ſubjicit. Loquitur autem de lege mandatorum, ἐν δόγμασι ſive ritibus plane contrariis, & directe gentilium moribus ac ritibus adverſantibus poſita: uti ibidem in terminis videre eſt. Eodem ſenſu crediderim Legem ab eo, ad *Gal.* III. 23, *præſidium* vocari, quo videlicet populus in officio continebatur ne ad idololatrarum religionem deficeret, tanquam ad capitalem Religionis divinæ hoſtem: quod paulo ante *verſ.* 19, emphaticè ſatis dixerat, quando legem additam promiſſioni dixerat, *propter tranſgreſſiones*, nempe impediendas: ne videlicet tranſgrederetur populus ad vicinarum gentium ſuperſtitionem, tanquam è diametro legi divinæ repugnantem, & ritibus plane adverſis & contrariis conſtantem. Sed hæc obiter.

Iſtud unum tantum addo, tanquam rarum aliquid & obſervatione dignum à Maimonide annotatum, qui primus profectò inter Rabbinos ineptire deſiit: Quod licet pro diverſitate peccatorum diverſa fuerint inſtituta ſacrificia, proportio tamen illa non ſervabatur, ut quo majus eſſet peccatum, eò præſtantius eſſet ſacrificium vel victima quæ pro eo offerebatur; ſed contra potius, ut quantò peccatum aliquod erat gravius, tanto vilioris ſpeciei eſſet victima quæ offerebatur: Ex. g. pro errore idololatriæ, id eſt pro idololatria per errorem commiſſa, (nam ea quæ elata manu fiebat, morte mulctabatur) capra tantum offerebatur: *Levit.* IV. 27. *&c.* Sic enim exponi ſolet ab Hebræis hic textus, etiamſi cauſſa juſta nulla ſit. At nullum peccatum idololatria majus eſt: & nulla ſpecies inter animantia vilior capra, præterquam quod fœmella vilior ſemper mare eſt in omnibus ſpeciebus. In *Aſcham* ſive ſacrificiis pro reatu, aries aut agnus mactabatur, id eſt, victima de nobiliore ſpecie animalium, & de nobiliore ſexu in ſpecie. In ſacrificiis autem pro peccato ſive *Chattath*, agna aut capella de ſequiore ſexu. Et tamen peccata propter quæ offerebatur *Aſcham*, (id eſt ſacrificium pro reatu) leviora erant quàm ea propter quæ ſacrificium pro peccato offerebatur. (*De hac tamen Maimonidæ opinione meritò dubitari poteſt. Sunt enim qui exiſtimant errorem eſſe communem nec levem, quòd peccata quæ* Chattath *vocantur graviora erant crimina, delicta vero quæ* Aſcham *vocantur, leviora: cum contra fit, uti apparet manifeſtè ex* Levit. cap. IV. & V. *ubi de ſacrificiis pro peccato & delicto agitur: quia in ſacrificiis* Aſcham *ſive pro delicto, ſemper fere aliquid occurrit voluntarium: In cæteris verò ut plurimum aliquid involuntarium. Sed nobis ſententia prior non diſplicet, idcirco quod tamen* Chattath *quam in* Aſcham *errorem ſeu ignorantiam locum habere credamus. Peccata enim quæ elata manu, id eſt invidia aut per ſuperbiam, ſive cum certa tranſgreſſionis ſcientia & deliberato peccandi propoſito fiebant, ſacrificiis expiari non poterant. At in quibus error aut inadvertentia aliqua locum habebat, iis expiatio conſtituta fuit. Error verò intelligendus is propter quem fiebat ut peccatum committeretur, non autem is per quem fiebat ut committeretur aut*

*aut omitteretur aliquid. Error tamen non invincibilis, ſed vincibilis, uti poſtea explicabimus. Erat autem is vel gravior vel levior. Gravior æſtimatur vel ex genere ſuo, vel ex circumſtantia aliqua peculiari. Ex genere ſuo, uti ex. g. error circa commiſſionem vel ex quo commiſſio alicujus rei vetitæ oritur. Ex circumſtantia, uti qui ex minore advertentia oritur, & qui circa proximum & res proximi digniores, vel circa res divinas excellentioreſque cæremonias verſatur, in quibus advertentia major requiritur.*) Pro ignorantia aut errore Sacerdotis offerebatur juvencus vitulus; pro errore aut negligentia Regis vel principis hircus; maſculus uterque propter perſonarum dignitatem, ſed tamen non ex nobiliſſima animalium ſpecie. An ratio hujus inſtituti divini fuerit, ut ſignificaret ex ipſa rerum oblatarum imperfectione, turpitudinem actionum æſtimandam eſſe majorem minoremve; ac proinde de pœnitentia ac reſipiſcentia ſeria ante omnia cogitandum eſſe iis qui gravius peccaverant; an alia, quis dixerit? Ego crediderim, Deum eo ipſo ſignificare voluiſſe ſacrificia iſta à ſe imperata non eſſe, quaſi vi aut merito eorum fiat expiatio peccatorum; alioquin contra planè egiſſet; & pro maximis delictis pretioſiſſima ac perfectiſſima ſacrificia imperaſſet: ſed eo ſolum fine, ut per iſta veluti per typos & umbras repræſentaret amorem ſuum erga creaturas, & odium ſuum contra peccatum. Cujus utriuſque demonſtrationem luculentiſſimam facturus erat, quando peccatoribus æternam peccatorum remiſſionem, cœleſtiſque vitæ hæreditatem, annuntiari curaret per Filium hominis vilem illum contemtumque in populo, ſed tamen ab ipſo dignum judicatum, qui Pontifex fieret excellentiſſimus, id eſt qui ſacrificio corporis ſui & ſanguine ſuo proprio expiaret peccata, & ſic aditum in ipſum verum ſanctum ſanctorum patefaceret, quod ſtante priore tabernaculo clauſum manebat; eo quod per ſacrificia quæ in iſto fiebant, æterna peccatorum remiſſio impetrari non poterat, ſed leviter tantum adumbrabatur, veluti in typis & figuris quæ umbram habent rerum futurarum, non autem ipſam εἰκόνα ſive expreſſam rerum imaginem.

*Secundum.* II. Ut Pontifex ſive Sacerdos ſummus quotidie *Mincha*, munus; aut *Corban*, donum ſeu donativum offerat: juxta illud *Levit.* VI. 20.

Præceptum hoc tranſeat. Sacrificium Pontificis erat quod quotidie cum jugi ſive continuo offerendum ab eo erat. *Corban* autem dicitur à קרב appropinquare; & *Mincha*, ſive uti antiqui legebant, *Manaha*, quod ſcribunt μανὰ ſine adſpiratione *manah*, à munus, oblatio, cujus radix נחה quod in *Hiphil* eſt ducere, adducere. Hoc erat ſacrificii incruenti genus, aut ſacrificium cibarium ex ſolis rebus inanimatis conſtans, ad cibum potumque comparatis: de quibus ante diximus. Quale iſtud fuerit ex textu patet. Dicebatur autem *Corban* quia de ſuo id offerebat Pontifex ex flore farinæ. Ratio præcepti manifeſta eſt: ut cultus divinus incipiat ab eo cui cuſtodia ejus potiſſimum demandata eſt, & is reliquis omnibus exemplo ſuo præeat, qui reliquis præpoſitus eſt, ab eoque exemplum capiant cæteri.

*Tertium.* III. Ut quolibet Sabbathi die offerantur duo agni anniculi perfecti: juxta illud *Num.* XXVIII. 9.

Sacrificium hoc præcipitur veluti additamentum ad continuum ſive juge ſacrificium: uti ex *verſ.* X. liquet, עֹלַת הַתָּמִיד עַל unde ſacrificium *Muſaf* appellatur: & ejuſmodi erant ſequentia ſeptem.

*Quartum.* IV. Ut quolibet novilunio ſive menſis principio, ſacrificium addatur, quale deſcribitur *Num.* XXVIII. 2.

*Quintum.* V. Ut in Feſto Paſchatis, ſacrificium ſpeciale addatur continuo ſive jugi ſacrificio ſeptem diebus: quale deſcribitur *Levit.* XXIII. 6. 7. *&c. Num.* XXVIII. 19. videlicet præter ſolemne ſacrificium *Peſach.*

*Sextum.* VI. Ut in Feſto Pentecoſtes ſive primitiarum, addatur ſacrificium peculiare de primitiis novi tritici, quale deſcribitur *Num.* XXVIII. 26.

*Septimum.* VII. Ut in principio anni (id eſt ſeptimo à Martio, ſed primo à creatione mundi) addatur ſacrificium peculiare, quale deſcribitur *Num.* XXIX. 1.

*Octavum.* VIII. Similiter in die *Kippur* (id eſt decimo die *Tiſri* ſive Septembris quo Feſtum expiationis magnum celebrabatur) juxta id quod legitur *Num.* XXIX. 7.

*Nonum.* IX. Similiter in Feſto tabernaculorum ſive *Suchot*, per ſeptem dies integros peculiaria addantur ſacrificia, quæ deſcribuntur *Levit.* XXIII. 34.

*Decimum.* X. Similiter octava die, id eſt ultima Feſti tabernaculorum, addatur ſacrificium quale deſcribitur *Numer.* XXIX. 35. 36. 37.

Hæc ſacrificia, ſunt octa illa *Muſſaphin*, ſive additamenta ad juge ſacrificium, quæ offerri ſibi Deus juſſit iſtis qui adnotati ſunt diebus ſolemnibus: uti videre eſt *Num.* XXIX. 39: *Iſta facietis Domino in ſolemnitatibus veſtris, præter vota veſtra & ſpontanea veſtra in holocauſtis veſtris & minhis veſtris & libaminibus veſtris & pacificis veſtris.* Hæc omnia templo adfixa fuiſſe certum eſt. In memoriam tamen eorum, hodie in Synagogis ſuis uſurpant Judæi orationes peculiares, quas vocant orationes de מוסף *Muſſaph*, quas recitant iſto tempore quo ſacrificia iſta in templo peragi ſolebant.

*Undecimum.* XI. Ut in Feſti Paſchatis die ſecunda, offeratur *Omer*, cum agno anniculo perfecto in holocauſtum: juxta id quod legitur *Levit.* XXIII. 10. 11.

De menſura Omer עֹמֶר videantur auctores. Continuit Omer decimam partem Ephæ, ut videre eſt *Exod.* XVI. *verſ. ultimo.* Epha autem erat Romanus modius, ſive Medimnus Atticus. Forte noſtrum *Hemer* aut *Emmer* inde eſt. Medimnus autem tria ſata capiebat: de quibus legere eſt *Matth.* XIII. 33. (voce *Sata* derivatâ ſine dubio ex Chaldæo סאתא, pro quo Hebræi dicunt סְאָה) id eſt ut Hebræi ſolent menſurare, ova ex putaminibus effuſa quadringenta & triginta. Ut ut ſit, hujuſmodi menſuram novo recenterque demeſſo hordeo refertam ſibi offerri volebat Deus מִמָּחֳרַת הַשַּׁבָּת à craſtino ceſſationis, id eſt ipſo craſtino ceſſationis incipiente. Ceſſatio autem ſive *Sabbath* non ſignificat hîc Sabbathum ordinarium, ſed ceſſationem ſive Sabbathum primi diei Feſti Paſchalis, qui etiam dies ceſſationis ſive Sabbatum erat, uti & octavus, ſicut de primo die & octavo Feſti Tabernaculorum diſerte dicitur *Levit.* XXIII. 39. Antequam hæc oblatio facta eſſet, nulli fas erat aliquo novo grano aut frumento veſci. Quin autem granum, de quo hîc agitur, hordeum fuerit, vix dubitatur, ſi conſulatur caput II. *Levit. verſ.* 14. ubi munus primitiarum tempeſtivum ſive præcox offerri jubetur. Hordeum autem inter præcocia iſta cenſetur: inter ſerotina verò triticum, uti videre eſt *Exod.* IX. 31. Ratio præcepti non eſt obſcura: Deum boni omnis in vita noſtra fontem eſſe, eique acceptum ferendum omne quod habemus & ſperamus.

*Duodecimum.* XII. Ut in Feſto Pentecoſtes duo panes novi offerantur, eaque quæ eorum cauſſa adjuncta leguntur ſacrificia. *Levit.* XXIII. 17.

Panes hi ex tritico novo fiebant, eoque nato in ipſa terra ſancta; quod etiamſi aliquando tardius proveniret, tamen nunquam omnino defuiſſe aſſerunt Magiſtri Judæorum. Fermentatos eos eſſe neceſſe erat, & ſingulos continentes duo integra Omer farinæ: unus cedebat Pontifici, alter Sacerdotibus omnibus quotquot aderant, cum ſacrificiis ad Feſtum iſtud pertinentibus: ut quam liberali ac larga manu Deus ſuis miniſtris proſpectum voluerit, manifeſtum eſſet.

*Decimum-tertium.* XIII. Ut miniſteria omnia in lege *Levit.* XVI. præſcripta, ſolicitè obeantur in ſolemni expiationis (*Kippur*) die.

Præceptum hoc cur novum & diſtinctum à præcedente VII conſtituatur non video: niſi reſpiciatur ad miniſteria ſive ſervitia quædam peculiaria, quæ iſto die peragenda erant. Ea tamen quia conjuncta erant cum ſacrificiis iſto die inſtitutis, novum præceptum ut faciant ratio non ſinit. Sed nos, quia Feſtum hoc admodum ſolemne fuit, cujus mentio ſæpe fit in Novo Teſtamento, & de eo à nobis in præcedentibus actum non fuit, ſingularia quædam de eo dicturi hîc ſumus, præteritis iis quæ manifeſtariam ſuperſtitionem ſapiunt. Certum eſt, Feſtum hoc fuiſſe ſolemne admodum, & indigetatum feſtum כִּפּוּרִים ſive expiationum: in memoriam, uti Hebræi volunt, diei illius quo Moſes de monte deſcendit cum ſecundis tabulis, & populo peccati ipſorum magni, nempe fuſi atque adorati vituli remiſſionem annuntiavit. In eo nobile ſuum officium ſemel quotannis obibat Pontifex, cum lineis veſtibus indutus ſacerrimum ſecreti adytum ingrediebatur, ut expiationem faceret pro ſe, pro domo ſua, & pro toto atque univerſo cœtu Iſrael: id eſt, ut remiſſionem peccatorum ac delictorum iſtorum omnium, quæ per oblivionem aut negligentiam ordinariis ſacrificiis expiata non erant, à Deo impetraret. Addunt Hebræi, iſta die Pontificem ſolum omnia ſacra obiiſſe, quæ illo die fiebant, ne illis quidem exceptis, quæ propria illius feſti non erant. An vere & an rectè, non diſputo. Tum, magna cura per ſeptem dies continuos eum cuſtoditum fuiſſe, ne qua res fortuita eum contaminaret, & piaculari iſto ſacro obeundo inidoneum redderet. Quin & additum ei fuiſſe vicarium, qui ſi forte impuratus fuiſſet Pontifex, vice ejus rem ſacram faceret: Denique juramenti religione obſtrictum fuiſſe, ne quid pro arbitrio ſuo immutaret eorum omnium, quæ ad ſacri iſtius muneris perfectionem credebantur pertinere.

*Sacrificia diei expiationis propria erant tria.* Sacrificia autem iſtius dei propria erant *tria*. Unum quod ſuis propriis ſumtibus, & pro ſe ac domo ſua offerebat Pontifex: Juvencus ſcilicet, uti legere eſt *Levit.* XVI. 2: quem mactatum, extra caſtra ſive urbem Hieroſolymam combu-

ri necesse erat. Ad quod forte respexit author ad *Hebr. cap.* XIII. 12. quamquam dici etiam potest, scriptorem ad omnia sacrificia respexisse quæ pro Pontifice & universo populo offerebantur. Istorum enim omnium cadavera extra portam comburebantur, uti *Levit.* IV. videre est: & istorum sanguis in sancta inferebatur à Pontifice, contra quàm in sacrificiis privatorum fiebat. Istorum enim sanguis, postquam eo aræ cornua imbuta erant, totus ad crepidinem ejusdem aræ effundebatur: *Levit.* IV. 25.

Alterum sumtibus populi constabat: Erantque duo hirci. Unus in holocaustum offerebatur Domino pro peccato, extraque castra comburebatur. Alter in vicinum desertum ad montem quendam *Hazazel* dimittebatur, ut illinc præceps rueret. Sed interveniebat sortitio ex divino præscripto. Sortes duæ in urnam conjiciebantur: Alteri inscripta erant hæc verba להשם *La-ha-sem*, quasi dicas, Pro Domino. Alteri לעזאזל *La Hazazel*. quasi dicas pro Hazazel. Cui sors pro Domino obtigerat, is mactabatur in atrio, & extra castra deportabatur comburendus. Cui sors pro Hazazel obtigerat, is tradebatur alienigenæ sive peregrino (non Israelitæ) qui eum deduceret, comitatus primoribus civitatis, milliare unum usque ad desertum: deinde porro solus, aut aliis comitatus usque ad milliaria duodecim, in Hazazel montis supercilium, ex eoque daret præcipitem. Addunt Hebræi, tabernacula tot fuisse usque ad desertum & montem Hazazel disposita, ut simulatque hircus iste præcipitatus erat, alterum alteri, per vexilla novi coloris in verticibus tabernaculorum exstantia, indicium faceret, atque ita repente Pontifex totusque populus certior fieret de veritate rei. Nec hoc solum, sed & portæ templi adfigi fuisse solitum vexillum purpureum vel coccineum, cum hircus educebatur: istud verò simulatque præcipitatus erat, colorem statim mutasse, & album candidumque redditum, juxta istud *Esaiæ* I. 18, *Si peccata vestra fuerint veluti coccinum, ut nix dealbabuntur, &c.* Fides esto penes auctores. Annotant Hebræi, Pontificem tribus vicibus confessionem facere hoc die solitum fuisse: 1. Pro se. 2. Pro Sacerdotibus omnibus. 3. Pro toto populo, quando manum imponebat hirco emissario. Et in singulis confessionibus, expressisse propriis suis vocalibus literis nomen Dei tetragrammatum, populo interim procidente in terram & succlamante, Benedictum nomen gloriosum regni ejus à seculo in seculum.

Tertium sacrificium fuit quo incensum Domino faciebat, cum in Sanctum sanctorum ingressus esset. Thuribulum enim prunis ignitis plenum portans, cum incenso aromatico comminuto in manibus suis, simulatque velum post ipsum deciderat, aromata illa thuribulo injiciebat, & nube tota involvebat sacrarium: adeo ut propitiatorium ea veluti tectum, ne oculis quidem ejus pateret: uti videre est *Levit.* XVI. *vers.* 12. 13. Deinde quo sanguinem hirci *La-hasem* secum illatum, spargebat super propitiatorium & coram propitiatorio. *vers.* 15. 16, eoque emundabat sanctuarium ab immunditiis filiorum Israel, & à prævaricationibus eorum.

Post omnia hæc peracta, exuebat Pontifex omnia vestimenta sua sacra, & ordinariis resumtis redibat domum comitatus à toto populo; conviviaque atque hilaria agitabantur, quod salvus atque sospes ex sancto Sanctorum rediisset.

*Decimum-quartum.*

XIV. Ut tribus vicibus in anno Festum agatur Domino: juxta illud *Exod.* XXIII. 14.

Præceptum notum est, & in textu clare exponitur. Tria anniversaria festa celebrari volebat Deus, quæ κατ' ἐξοχὴν Festa sive solemnitates מועדים vocantur. non quod alia etiam non essent anniversaria: Erat enim etiam anniversarium Festum tubarum, & Festum expiationum, de quo jam egimus: sed quod hæc principalia essent & πρῶτα, in quibus populus Icrosolymam confluebat sacrorum caussa. Videlicet Festum Nisan sive Paschatos: quia in mense Nisan, Martio scilicet celebrabatur: Festum Sivan sive Pentecostes; quia in mense Sivan, id est Majo celebrabatur: Festum Thisri sive σκηνοπηγίας, id est tabernaculorum: quia in mense Thisri, id est Septembri, qui erat primus in anno civili seu politico, & septimus in sacro seu Ecclesiastico, celebrabatur. Inter ista πρῶτα, primum ac præcipuum erat Festum Paschatos. Secundo-primum Pentecoste. Tertio-primum Tabernaculorum. Et sic facile intelligitur quo sensu Lucas *cap.* VI. 1, dicat, Christum transivisse per sata cum discipulis ἐν σαββάτῳ δευτεροπρώτῳ: Pentecostes enim Festum intelligit, quod δευτεροπρώτῳ vocat relatè ad Paschatis Festum, quod πρωτοπρώτῳ erat, uti Tabernaculorum Festum τριτοπρώτῳ: quicquid alii aliter istud verbum exponant. Notandum hoc præceptum solos mares obligasse, ut nimirum Hierosolymis se sisterent prima die Festi, & non nisi cum holocausti quadrupedis oblatione. Per Masculum autem intelligitur omnis qui suo Marte incedere potest.

*Decimum-quintum.*

XV. Ut masculus omnis in Festis istis compareat in templo: juxta *Deut.* XVI. 16.

Hoc præceptum coincidit pene cum priore: nisi velimus *comparere in templo*, speciale aliquid notare, præter id quod supra dictum est: ut *comparere*, sit cum munere aliquo coram Domino se sistere: quod textus etiam indicat. Munus autem tantum sufficiebat, quantum facultates ferebant: uti dixerè *vers.* 17 legere est.

*Decimum-sextum.*

XVI. Ut se exhilarent & lætentur in Festis istis tribus: juxta illud *Deut.* XVI. 14.

Hoc præcepto etiam mulieres obligabantur, uti ex verbis liquet. Exhilaratio autem illa in urbe Hierosolymorum consistebat in sacrificiorum pacificorum oblatione: *Deuter.* XXVII. 7. Eorum enim tertia pars ad offerentes redibat, qui cum iis convivia agitabant, & hilaria celebrabant, etiam cum uxoribus & fœminis quæ aderant; unde Festa ista *chaggim* sive tripudia vocantur à חגג, quod est saltare, tripudiare, sive præ lætitia salire. Ne verò hilaritas hæc tantum divites & opulentos teneret, voluit Deus ut ii liberaliter de suo conferrent in pauperes peregrinos, orfanos & viduas, quantum ad honeste eos exhilarandum opus erat, ne quisquam in Festis istis lætitiæ gaudiique expers esset.

*Decimum septimum.*

XVII. Ut agnus Paschalis mactetur aut juguletur: juxta illud *Exod.* XII. 6.

*Decimum octavum. Ad quos agni Paschalis mactatio pertinuerit.*

XVIII. Ut caro ejus assata comedatur: juxta illud *Exod.* XII. 8.

Præcepta hæc duo ad domum Sacrificii pertinere volunt Hebræorum Magistri: ac proinde mactationem agni vel hædi Paschalis, (agnus enim sive hædus esset perinde erat) ad sacerdotes pertinuisse, post exstructum templum, aut potius post constitutum Sacerdotium. Quin primitus in Ægypto à patribus familiâs mactari jussus fuerit, & mactatus sit, dubium non est. At an post constitutum Sacerdotium ea cura solis Sacerdotibus demandata fuerit disputari video. Sane Philo Alexandrinus contrarium planè sensisse videtur, lib. 3, de vita Mosis, & in libro de Decalogo. Sed in Hebræis moribus ipse Alexandrinus non satis certus est auctor. Constans Hebræorum pene omnium cæterorum est sententia, provinciam istam Sacerdotibus impositam fuisse, à tempore quo Sacerdotium fuit constitutum. His cur credendum non sit, rituum suorum intelligentissimis (imprimis hujus tam solemnis) non video. Exempla apud Josephum etiam complura sunt: uti etiam 1 *Esdræ cap.* VI. *vers.* 20. & 2 *Paral.* XXX. 16. 17. & XXXV. 10. 11. ubi Josiæ tempore disertè narrantur Sacerdotes, adjuvantibus Levitis, amovisse quæ amovenda erant, idque in templo: deinde pecudes paschales reddidisse familiis: uti Josephus, ἐκέλευε τῶν ἱερέων ἐξαγηράζεσθαι τοῖς ὄχλοις. Atque hinc factum ut Sacerdotes Gæstio quærenti, quis numerus esset Judæorum Hierosolymam convenientium, exacte dixerint quot fuissent in Paschate agni aut hædi sacrificati. Dicunt enim ei fuisse θυμάτων εἴκοσι πέντε μυριάδας πρὸς δὲ πεντακισχίλια ἑξακόσια: quod exacte dicere non potuissent, nisi ipsi interveniissent mactationi. Ex quo Josephus colligit: cum agnus unus decem ad minimum epulatoribus destinatus esset, epulatorum vicies centena ac septingenta millia fuisse: cumque hi omnes puri esse deberent, quantus reliquorum impurorum numerus fuerit inde facile concludi posse. De Rege etiam Agrippa dicitur, quod numerum Paschalium pecudum scire cupiens, quæ inter duas vesperas mactatæ erant, ex Sacerdotibus intellexerit fuisse duodecies centum millia pecudum.

*Josephus de bello Judaic. lib. 7. cap. 17.*

Addunt etiam Hebræi modum, quo mactatio illa à Sacerdotibus in atrio templi fieri solebat. Nempe tribus vicibus intromittebatur populus, sive tanta populi multitudo quantam capiebat atrium, & successive eorum agni mactabantur, atque (ut quidam volunt) etiam assabantur, usque dum nulli superessent amplius. Res pene supra fidem est, imprimis si non modo mactatio, sed & assatio quoque ad ignem, à Sacerdotibus fieri debuisse dicatur: idque super altari uno, & spacio quatuor aut quinque plus minus horarum: imò, ut Josephus adnotat lib. 7. de bello Judaico, cap. 17, spatio duarum tantum horarum; id est à nona diei usque ad undecimam: quod appellatur *inter duas vesperas*, inter tertiam nostratem & quintam pomeridianam.

*De Paschate ultimo D. Jesu.*

Hoc tamen si ita sit, tum facile colligere est Dominum Jesum non celebrasse Pascha hujusmodi θύσιμον, ac proinde nec mactatum assatumque agnum comedisse cum discipulis, sed Pascha alterius plane generis; videlicet μημοσύλικον, in quo tantum azymorum aliquid cum herbis amaris comedebatur, in memoriam liberationis ex Ægypto: quale celebrabant omnes Judæi qui Hierosolymam venire non poterant, hodieque adhuc Judæi celebrant; quia Jesus aliud celebrare non poterat. Et ex hoc fundamento, quæstio illa controversa de tempore vero Paschatis, &, an Christus illud

lud justo debitoque tempore observaverit, an vero illud tempus anticipaverit, non difficulter decidi posset.

*Decimumnonum. Vigesimum.*

XIX. Ut secundo mense sequente iterum Pascha celebretur decimaquarta die.

XX. Ut in eo comedatur agnus cum infermentatis panibus & herbis amaris: juxta id quod legitur *Num.* IX. 10. 11.

Præceptum hoc datum fuit propter immundos & absentes, seu per vim, seu propter loci distantiam & intervallum: etsi secundorum absentium tantum expressa mentio fiat in lege. Eadem enim utrorumque est ratio. Per immundos autem intelliguntur, tum qui per se immundi erant, ut fluxum patientes, aut ii qui Hebræis dicuntur בַּעֲלֵי־קֶרִי quibus nocte fortuitum aliquid accidit: Tum qui per accidens aut per aliud immundi facti erant, veluti ex contactu mortui, leprosi, aut fluxum patientis, aut animantis immundæ quæ non comeditur, aut alicujus rei pollutæ ex avibus aut reptilibus: de quibus vide *Levit.* VII. 10. 11. Per absentes intelliguntur proculdubio, qui tanto intervallo aberant ab urbe & templo, ut ad XIV diem mensis primi adesse non possent; quod intervallum faciunt Hebræi ad summum XV lapidum seu milliarum ab urbe. milliare autem continet duo millia cubitorum. Conveniebat hujus Paschatis celebratio cum celebratione primi per omnia, excepto quod qui secundo mense celebrabant, non adstringebantur ad expurgandum fermentum omne ex domibus suis: & quod ista unica & sola dies, qua celebrabatur Pascha, festa dies erat τοῦ ἀπροσδοκήτου. Per *herbas* autem *amaras*, intelliguntur herbæ amaritudine excedentes cæteras; cujusmodi sunt lactuca agrestis, endivia, cicoreum, & *amaris intyba fibris.* πικρίδας vocant LXX senes. Inter autem lactucas agrestes, pessimum genus cum exprobratione amaritudinis appellavere πικρίδα, ait Plinius: unde fortasse Gallica vox *picquer.*

*Vigesimumprimum.*

XXI. Ut tantarizario sive clangor tubarum fiat super sacrificiis, & in die angustiæ sive tribulationis: juxta illud *Numer.* X. 9. 10.

Præceptum hoc ad ordinaria & quotidianum ac juge sacrificium in textu non refertur, sed ad sacrificia quæ בְּמוֹעֲדִים in conventibus solemnibus statisque temporibus & mensium exordiis peragebantur. Nec ad tempora angustiæ, nedum ad quælibet, sed ad ea tantum quibus ab hoste obsidebantur, aut ab hostili exercitu premebantur atque affligebantur. Et sic convenienter præceptum hoc accipitur de tempore ingentis lætitiæ, qualis in Festis erat, & de tempore similis contrariæ ingentis angustiæ, & mæstitiæ, qualis in obsidione aut persecutione hostium est. Latius itaque hoc extendunt Hebræorum Magistri, quam verba sonant.

*Vigesimumsecundum.*

XXII. Ut sacrificia ex animalibus fiant à die natali octavo & supra: juxta illud *Levit.* XXII. 27.

Præceptum hoc tam de avibus quam de quadrupedibus intelligendum est. Ratio præcepti clara est: omnia animalia quando recenter in lucem sunt edita, propter summam humiditatem nimis sunt debilia, & ferè non aliter quam si adhuc in matris utero essent atque à sanguine & sordibus maternis adhuc ruberent & squallerent. Hinc circumcisio ante octavum diem fieri non poterat, ipsique adeo octavo diei adstricta fuit. Hebræi dicunt magnum hac in re subesse mysterium, videlicet Deum indicare voluisse, Nullum animal, nec rationale nec irrationale, dignum esse posse quod dedicetur Domino, nisi super illud transierit Sabbathum. Id sanè si intelligant isto sensu, quasi Sabbathi ea vis sit, ut perfectionem omni rei quæ in mundo est adferat, næ superstitionem non levem sapit. At si isto sensu accipiant, quod sicut Deus omnium rerum creationem perfecit septem diebus; ita creatura etiam censeatur perfecta, quæ septimum diem transivit, tolerari potest. Sed simplicissima ratio est: quia adeo tenella adhuc est caro bestiarum ante octavum diem, ut abortivæ similis sit, & à spurcitie adhuc tantum non sordeat, cæcitate aliquando adhuc laboret, & vix animal esse videatur. Maculæ istæ videri possunt, de quibus in sequenti præcepto agitur.

*Vigesimumtertium.*

XXIII. Ut omne animal quod in sacrificium offertur perfectum sit: juxta illud *Levit.* XXII. 18.

Perfectio hæc, non perfectionem tantum partium integralium, sed & qualitatum significat; id est, immunitatem à maculis istis, quarum aliquot in textu enumerantur, sub quibus cæteras omnes comprehensas volunt Hebræi, usque ad LXXII. Aves itaque excluduntur ab hoc præcepto: de istis enim nunquam dicitur, *Perfectum aut masculum ex iis offeres.* Interim certum est, perfectionem partium integrantium in iis observatam semper esse, non vero perfectionem qualitatum cæterarum. Ratio præcepti est apud *Malach. cap.* I. *vers.* 7. 8. ex quo etiam colligitur: omnia ea cum quibus sacrificia & munera sive *minchæ* offerebantur, farina, oleum, &c. perfecta esse debuisse: & (quod caput rei est) animum & cor offerentis, cujus quasi imago erant sacrificia, integrum atque immaculatum omnino esse debuisse.

*Vigesimumquartum.*

XXIV. Ut sal in omnibus sacrificiis offeratur: juxta illud *Levit.* II. 13.

Præceptum hoc clarum est: quo jubetur non modo omnium sacrificiorum caro, sed & *Mincha* omnis ex farina, sale conspergi antequam altari admoveatur: forte quia contra agebant idololatræ omnes, ut Maimonides ait, & insulsa omnia eorum sacrificia erant: (de quo tamen caussa est cur dubitetur:) forte quia salis ea est virtus, ut superfluum omnem humorem exedendo, à corruptione omnia præservet, & grati saporis reddat: ut eadem sacrificiorum vis significetur, quod hominem à morte præservent, & Deo gratum acceptumque reddant, si ex animo puro incorruptoque offerantur. Textum hunc respexit Servator noster *Mat.* IX. 49. *Omnis enim igne salietur, & omnis oblatio sale salietur:* cujus sensus esse videtur hic; *Omnis* sive πᾶς, supple ἄνθρωπος, id est eorum de quibus hactenus actum est, qui pravis affectibus indulgentiam præstant, *salietur*, id est consumetur totus veluti ὁλοκάυτωμα igne ἀσβέστῳ. At qui affectibus renuntiant, ii erunt veluti θυσίαι ita specialiter dictæ, & *minchæ* quæ ὡς σῖτα ἁγιοθύτου erant, & sic Deo oblatæ, gratæ erant, consumta scilicet quæ in iis erat superflua putredine salis beneficio. Nempe sic ii erunt Deo grati & accepti, toti quanti quanti sunt, qui putridos affectus suos exstinxerunt, & istorum dispendio & jactura sese totos redimunt: cum cæteros totos absumturum sit incendium nunquam desiturum. His ignis, sal erit: istis sal, ignis.

*Vigesimumquintum.*

XXV. Ut ad præscriptum legis holocausta offerantur: *Levit.* I. 3.

*Vigesimumsextum.*

XXVI. Ut similiter fiat sacrificium pro peccato. *Levit.* VI. 18.

*Vigesimumseptimum.*

XXVII. Similiter sacrificium pro delicto. *Levit.* VII. 1.

*Vigesimumoctavum.*

XXVIII. Similiter Sacrificium pacificum. *Levit.* VII. 2.

*Vigesimumnonum.*

XXIX. Similiter Sacrificium *Mincha: Levit.* XI. 1.

Præcepta hæc ad sacerdotes pertinent: ut videlicet omnia sacrificia ista faciant modo debito, & ad legis amussim: quæ breviter hæc est. 1. ut quod ad holocausta attinet, ad ea non adhibeant nisi animalia quadrupedia, mascula, & aves utriusque sexus. Speciale tamen aliquid hîc observare mihi videor in textu allegato ex *Levit.* I. 3. quod animalia ista mactari poterant in *Azarah*, ab eo qui ea adducebat, licet Sacerdos non esset; nisi voces illas *mactabit*, &c. exponere velis, per, mactari curabit à Sacerdotibus. 2. ut ad sacrificia pro peccato adhibeantur quævis, cujuscunque generis aut sexus animalia. 3. ut ad sacrificia pro delicto non adhibeantur nisi agni masculi. 4. ut ad sacrificia pacifica non adhibeantur nisi tres animalium species, agni, capræ, & vaccæ, utriusque sexus: Neutiquam verò & nunquam aves. 5. ut in *Minchis* non adhibeantur animalia, sed inanimata sola, ex farina & simila.

*Trigesimum.*

XXX. Si tota congregatio Israel erraverit, ut sacrificium pro ea offeratur: juxta illud *Levit.* IV. 13, *&c.*

Præceptum hoc esse manifestum est. An כל־עדת totum Israelem, sive cætum populi universum significet; an Senatum magnum, totum populum repræsentantem, non liquet. Hunc intelligunt Hebræi, & intelligi verisimile est. De errore autem cum dicitur, errorem in doctrina intelligi volunt Hebræi: & errorem quidem quo fiebat ut totus Israel vel maxima ejus pars, in peccata grandia omissionis incideret. Error tamen in doctrina hoc loco non videtur intelligi talis, quo ipsa tota lex divina evertebatur directè, aut præceptum aliquod divinum aperte negabatur: sed quo sensus divinæ legis, aut præcepti alicujus sententia, circa hunc aut illum in specie actum, non omnino clarè expressum, malè accipiebatur & perperam dijudicabatur. Ex. gr. Non error hujusmodi, Sabbathum non est observandum; sed hoc aut illud opus in Sabbatho licitum est, aut non est licitum: item non, immundis cibis vesci licet; sed, hoc aut illud mundum est, aut non est mundum. Ex quo patet in terminis contra Judæos: 1. Synagogæ magnæ non adtributam fuisse istam supremam auctoritatem, ut infallibiliter de re quavis ad doctrinam peccatum impedientem pertinente judicaret: ac proinde 2. ei non fuisse traditam per manus oralem illam legem, secundum quam de præceptorum omnium recto ac genuino sensu, quoad omnes incidentes casus, absque ullo erroris periculo pronunciaret. Unde consequitur, quotiescunque populus jubetur Senatum aut Synagogam istam accedere, ejusque sententiam de caussa qualibet exquirere; id sic accipiendum non esse, quasi Synagoga illa in dicenda sententia errare non posset; sed ne lites sine fine essent: uti nunc apud nos Curiæ, & in Regnis Parlamenta adeunda sunt. Interest enim Reipub. ne lites

infinitæ ſint: etſi deciſio litium non raro pro peſſima fiat parte, & judicia ex affectu potius quam ex vero pronuncientur. Quare & privato cuique ſuum judicium liberum fuiſſe de publicis judiciis ſtatuendum eſt: etſi iis ſubmittere ſe debebat, & acquieſcere latæ ſententiæ. Non leve etiam argumentum hîc eſt contra Pontificios: qui infallibilem Scripturæ ſenſuum interpretationem penes Synagogam iſtam fuiſſe contendunt, & parem Eccleſiæ ſuæ Romanæ, id eſt, (ſi res bene expendatur) Papæ ſoli arrogant tantum non ex iſto fundamento; ne ſcilicet minore beneficio & privilegio gaudeat Eccleſia Novi Teſtamenti quàm Veteris. At ſi errare potuit tota Synagoga vetus, & ſic errare ut non ipſa tantum peccaret, ſed & totum Iſraelem doceret facere aliquid quod non erat faciendum; quid mirum ſi in errorem etiam incidat Synagoga nova, quando infallibilitatem ſuam iſtius veteris ſynagogæ infallibilitate confirmatam vult, imo eidem parem & æqualem ſuperſtruit? Sed hac de re ſuo loco.

*Trigeſimum primum.*

XXXI. Si privatus quis per errorem peccavit, ut ſacrificio certo culpam expiet: *Levit.* IV. 27.

Præceptum hoc ad privatos pertinere, videtur indicare phraſis, *Populus terræ.* Hac enim appellatione certum eſt plerumque deſignari vulgus promiſcuum & infimam plebem: 2 *Reg.* XXV. 3. 19. *Ezech.* XXII. 29. *Daniel.* IX. 6. Et quia antea de errore Sacerdotis, Synagogæ, Principis actum eſt, ratio videtur poſtulare ut hîc jam de privatorum errore agatur. Peccatum autem, de quo hîc agitur, peccatum eſt, cui ex Legis præſcripto pœna exterminii ex populo debetur, ſi à prudente & volente committatur, qualecunque tandem illud ſit: exceptis tribus, blaſphemia, circumciſionis, & agni paſchalis ſtatuto tempore uſurpandæ & comedendi neglectu, uti Hebræi volunt. Hiſce enim ſacrificium conſtitutum fuiſſe negant, eodem modo uti cæteris, quæ ex vero errore, id eſt negligentia, oblivione, incogitantia, pudore aut inadvertentia proficiſcebantur. Sacrificium hoc definitum, perpes, & immutabile vocatur: exceptis duobus caſibus: 1. Si immundus ſanctum quid comedat: 2. Si immundi in templum ingrediantur: ſcil. neſcientes aut non advertentes ſe immundos eſſe, aut putantes ſic immundos à templi aditu non arceri. Hi enim ad ſacrificium hujuſmodi non obligabantur; nec iſtud offerebant, ex Hebræorum ſententia. Ego ſic breviter hoc totum quod de errore dicitur complector. Error duplex eſt, invincibilis & vincibilis. Ille plane involuntarius eſt, ac proinde qui ex eo proficiſcitur actus peccatum eſſe non poteſt, nec ſacrificio pro iſto opus eſt. Hic rurſum duplex eſt: unus qui voluntarium plane non tollit, ſed diminuit: alter qui voluntarium ſupponit, & cauſſam ſui habet non ignorantiam, ſed voluntatem ignorandi. Hic error, affectatus error eſt; quia directe vel interpretative ſaltem volitus, & lata culpa dicitur: ille hîc non intelligitur. Iſte error, non eſt affectatus, nec voluntatem ſui cauſſam habet: peccatum tamen eſt quod ab illo proficiſcitur, quia poterat ac debebat non ineſſe homini. Ineſt autem circa actus quoſdam præceptis non clarè omnino expreſſos, vel ob ingenii judiciique tarditatem, ut ſi quis carnes omnes immundas non novit diſtinguere, & aliquibus idcirco veſcatur: vel ob ſubitam aliquam paſſionem, ex qua inadvertentia naſcitur: vel ob memoriæ difficultatem, unde oblivio: vel ob communis moris aut inveterati uſus reſpectum ac reverentiam, unde fragilitas oritur: & ſimilia.

*Trigeſimum ſecundum.*

XXXII. Ut pro delicto dubio ſacrificium offeratur juxta illud *Levit.* V. 17. 18.

An præceptum novum hoc loco contineatur incertum eſt. An caſus etiam iſte qui in præcepto exprimitur, verbis loci iſtius contineatur, non minus incertum eſt. Si verba ipſa conſiderentur, manifeſtum eſt ea ſignificare caſum talem, quo tranſgreſſio præcepti alicujus negativi facta ſupponitur, ac proinde quo dubia culpa non eſt. Sic enim ſonant verba: *Quod ſi anima peccaverit, & fecerit unum ex omnibus præceptis Domini quæ non ſunt facienda.* Tantum additur, *Et non cognoverit*, quod difficillime exponitur ſi accipiatur pro, Et non certa ſit aut dubitet hæſiterve anima, id eſt homo, utrum peccaverit. At verò dubitatio aut hæſitatio de qua in præcepto agitur, locum habere poteſt etiam ſi quis non peccaverit; quod & fatentur Hebræi. Atque hinc eſt quod dixi incertum eſſe, an novum præceptum hîc ſit, ac non potius idem ante propoſitum repetatur, ut altius animo inhæreret. Fateor tamen ſpeciale ac novum præceptum videri, ob novum & ſpeciale ſacrificii genus quod hîc injungi videtur. Hebræi hoc vocant præceptum de delicto ſeu culpa dubia: quod hac ratione exponunt: Si quis, exempli gratia, duo fruſta habens, unum ex adipe licito, alterum ex ſevo illicito, fruſtum unum comedat & alterum perdat, hæſitetque deinde, intelligens nimirum poſtea talia duo fruſta fuiſſe, utrum iſtorum duorum comederit, is quamdiu ita hæſitat, jubetur hoc præcepto ſacrificium offerre pro culpa pendente, ſive ancipite & dubia, id eſt quamdiu incertus atque anceps hæret ejus animus. Si enim deprehendat poſtea licitum fuiſſe id quod comedit, non obligatur ad ſacrificium. Si contra deprehendat illicitum fuiſſe, tenetur ad ſacrificium præcedente præcepto imperatum. At medio tempore tenetur ad ſacrificium hujus præcepti: ſubintelligo ſemper, ſi tum cum comedebat alterum fruſtum, non dubitabat an adeps eſſet licitus an vetitus, quem comedebat: (hujus enim dubitationis alia ratio eſt:) ſed ſi dubitare incipiat poſtquam comedit. An verbis textus ſacri conveniat hic ſenſus, ego valde dubito. Nolim tamen magnopere repugnare; quia interpretatio iſta pia eſt, & ſignificat ſeriam admodum & ſolicitam curam requiri, in eo qui legis divinæ amator eſt; adeo ut quicquid facit, de eo certus perſuaſuſque eſſe debeat, quod divinæ legi non contraveniat. Atque huc aliquo modo etiam referri poteſt quod Apoſtolus noſter ad *Rom.* XIV. 5. tantopere commendat, quando ἕκαστον ἐν τῷ ἰδίῳ νοὶ πληροφορεῖσθαι vult, & *verſ.* 22. μακάριον dicit eum *qui non condemnat ſeipſum in eo quod approbat*, & contra κατακεκριμένον eum *qui ambigens edit, eo quod ex fide non edat. Quicquid enim ex fide non fit id peccatum eſſe* aſſerit: per *fidem* intelligens certam conſcientiam de bonitate facti ſui. Fateor tamen hæc Apoſtoli verba, non propriè ad caſum hunc referenda eſſe, ſed ad caſum iſtum quem paulo ante ab hoc caſu excepimus, & exceptum volunt ipſi Hebræi.

*Trigeſimumtertium.*

XXXIII. Ut pro delicto, ſive culpa certa aut indubia, ſacrificium fiat: juxta illud *Levit.* VI. 2. & *Levit.* V. 16. & *Levit.* XIX. 10.

*Culpa certa ſecundum Hebræos quintuplex.*

Præceptum hoc de culpa certa accipiunt Hebræi. Certa autem culpa eſt, quam quis certo novit non à ſe committendam, ſed à ſe commiſſam eſſe: contradiſtinctè à culpa ſive delicto dubio, in præcedente præcepto poſito. Culpam autem hujuſmodi certam quintuplicem faciunt. *Prima* eſt quæ deſcribitur *Levit.* V. 15. 16, & *culpa falſi* vel falſitatis vocatur: qua fit ut quis re aliqua ſacra per errorem, id eſt neſciens rem ſacram eſſe, non aliter quam re ſua ſibique licita utatur: ex. g. ut carnes, panes pacificorum ſacrificiorum Sacerdotibus dicatos comedat; fructus, agros, vaſa, ſupellectilem, illis debitam aut alioquin ſacro uſui deſtinatam, in uſus ſuos convertat imprudens & neſciens. Hic re aut culpa ſua cognita, reſtituere jubetur rem ſacram aut pretium ejus, (etiamſi pretium aſſis unius aut oboli non excedat) quintamque inſuper partem addere: & quia rei ſacræ uſu ſe polluit, ſacrificium Deo offerre, quale iſtic deſcribitur, arietem immaculatum. *Secunda* eſt quæ deſcribitur *Levit.* VI. 2. & *culpa furti* appellatur: qua fit ut quis rem aliquam proximo ereptam, aut à proximo apud ſe depoſitam, aut ſibi commodato vel mutuo datam, aut concreditam, aut à ſe repertam negat interpoſito juramento: quia vel oblitus eſt eam proximi rem eſſe, vel non ſatis ſerio animum advertit; vel denique in animum ſuum induxit eam rem ſuam eſſe, &c. Hic re aliter comperta, prius reddere rem cum quintuplæ partis additione jubetur, deinde tum pro injuria, tum pro damno quod ex abſentia rei ſuæ interim paſſus eſt dominus, tum pro juramento falſo, quod videlicet falſum eſſe poſtea deprehendit, non autem quod falſum eſſe ſciebat, quo tempore jurabat, ſacrificium offerre Deo quale deſcribitur iſto in loco. Video Hebræos quoſdam verba legis hujus eo uſque extendere, ut juramentum de quo hîc agitur etiam intelligant, de juramento quod quis falsò, id eſt ſciens falſum eſſe, præſtat: & ſic etiam vulgatus interpres & plerique Theologi faciunt. unde vulgata verſio habet: *Anima quæ peccaverit, & contemto Domino negaverit*, &c. At *contemto Domino*, non eſt in textu: quin & verſio eſt non ferenda: Contemtus enim Domini formale eſt peccati per ſuperbiam commiſſi, aut quod elata manu fit. Sed id nullo mihi pacto veriſimile fit: quia id repugnat locis iſtis duobus, *Exod.* XX. 7. & *Num.* XV. 30: ubi Deus ait non inſontem abiturum eum qui falſo juraverit, & exſcindendum è populo qui elata manu peccaverit. Nec obſtat quod in textu legitur, de extorſione quæ per vim ſit. Nam extorſio ejuſmodi ex errore etiam fieri poteſt: ut ſi quis rem proximi, ſuam eſſe credens, eam proximo per vim extortum eat, ſibique vindicet. *Tertia* eſt quæ deſcribitur *Levit.* XIX. 20, & *culpa ſtupri* appellatur: qua videlicet fiebat, ut quis rem haberet, non cum ingenua, (nam fornicatio cum ingenua deſponſata morte plectebatur:) nec Judæa ſerva (hæc enim in omnibus fere æquatur ingenuis, ac nullo negotio fieri poterat libera) ſed cum gentili Cananæa ſerva, alteri ſervo deſponſata, antequam illa aut à domino manumiſſa, aut redemta eſſet è manu domini. Quod ſic accipio, ut is qui rem cum ea habet, neſciat eam alteri deſponſatam eſſe, & ante congreſſum cum ea non inquirat in eam rem, ut

ut redimere eam posſit, aut curare ut à domino manumittatur. Quod inde colligo, quia hic talis re deprehensa jubetur sacrificium offerre: illa vero, quia antea desponsatam se esse sciebat, nec indicaverat congredienti, vapulare, id est loris bubulis, ut ajunt, cædi. Hoc enim proprie בקרת significare putatur, à nomine בקר quod proprie bucerum pecus significat. Dices, in textu esse, *vapulabunt, non morientur.* Resp. In textu non legi *vapulabunt*, (ambo scilicet) sed בקרת תהיה *vapulatio erit*, qua scilicet ipsa vapulabit, non ille: quia illa prudens sciens peccavit, non ille. Et ratio in textu est, quod non illa sed ille jubeatur offerre Domino arietem pro delicto. Quorsum enim hæc oblatio, si pœna vapulationis expiaverat delictum ejus? & cum illa magis quam ille peccasset, quorsum innocentiori imperatum insuper sacrificium? Sed quod interpretationi nostræ robur non leve addit, est praxis Judæorum in judicio hujus peccati semper observata in populo. *Quarta* est quæ describitur *Numer.* VI. 9. 10. & *culpa Nazirææi* vocatur: Si videlicet mortuus fuerit aliquis juxta eum subitò, & polluerit caput separationis ejus. Is enim jubetur istic sacrificium offerre octavo die, videlicet duos turtures, vel duos pullos columbæ, & altero eorum expiare peccatum suum per Sacerdotem. *Quinta* est quæ describitur *Levit.* XIV. & *culpa lepræ* vocatur: quando videlicet ab ea purgatus, aut mundus declaratus est à Sacerdote: tum enim sacrificium offerre jubetur, quale isthic describitur. Intellige autem de lepra non originaria aut connata, sed vitio aut culpa aliqua nostra contracta, qualis erat lepra Miriami sororis Mosis, aut simili: etiamsi in textu allegato de qualibet lepra agi videtur. Lepram tamen nullam in populo fuisse volunt Hebræi quæ non fuerit pœna peccati alicujus gravis.

*Trigesimum quartum.* XXXIV. Ut sacrificium offeratur pro ratione facultatum cujusque: juxta illud *Levit.* V. 7.

Præceptum hoc sua luce clarum est: Divitum & pauperum non eadem nec par est ratio. Nec supra vires quicquam postulat æquissimus Deus. Munerum pretia non æstimat Deus, sed muneratorem ejusque animum.

Recte ille: *Non bove mactato cælestia numina gaudent.*

Item: — *Sæpe Din hos inter honores*
*Cespes & exiguo placuerunt farra salino.*

Rursus: *Te nihil attinet*
*Tentare multa cæde bidentium.*

Persius Satyr. 2.

*Quin damus id superis, de magna quod dare lance*
*Non possit magni Messalæ lippa propago:*
*Compositum jus fasque animi sanctosque recessus*
*Mentis, & incoctum generoso pectus honesto.*
*Hoc cedo ut admoveam templis, & farre litabo.*

Hoc præceptum ad sex hominum genera respicere ajunt Hebræi: Ad leprosum: ad puerperam: ad perjurum juramento aliquid affirmantem ex errore: ad perjurum negantem se scire aut certo testari posse: ad immundum comedentem ex errore sacrificata: ad immundum ingredientem sanctuarium ex errore. Hi pro facultatibus singula suis sacrificia offerre jubentur: uti ex textu liquet. Primi duo ad testandum gratitudinem animi sui pro accepto beneficio: ditiores liberaliorem: pauperes qualemcumque. In horum ordine Maria mater Domini nostri Jesu fuit, quæ expleto purgationis tempore sacrificium paupertinum obtulisse dicitur: *Luc.* II. 24: juxta textum *Levit.* XII. 8. Cæteri ad expiandum errorem suum, cum protestatione de imprudentia sua corrigenda, accuratiore imposterum animi sui advertentia.

*Trigesimum quintum.* XXXV. Ut qui peccavit, qualecunque tandem fuerit peccatum, coram Domino confiteatur peccatum suum: sive in tempore isto quo sacrificium Domino offert, sive extra illud: juxta *Num.* V. 6. 7.

Præceptum hoc manifestum est. Confessionem peccati requirit Deus tanquam actum ad resipiscentiam necessarium, vel tanquam resipiscentiæ interioris signum ac tesseram. Confessionem autem intelligunt Hebræi oralem, sive quæ ore fit ad Deum ipsum, eamque seriam; licet paucis, dummodo significantibus, verbis conceptam. An palam & in propatulo eam fieri Deus voluerit quæri potest. Nil dubium est quin palam & in publico, saltem coram sacerdote, eam Deus fieri voluerit, quando sacrificium pro peccato offerebatur. Tum enim is qui peccaverat manus imponebat hostiæ immolandæ, & quidem inter cornua ejus; cum hac formula ἐξαγορευτικῇ ut LXX loquuntur: *Obsecro Domine, peccavi, iniqueegi, & prævaricatus sum coram te, sic & sic faciendo. Ecce pœnitet me, & pudet me factorum meorum; nunquam & nusquam rediboad hanc rem.* Et hanc formulam appellant idcirco Hebræi וידוי Confessionem של דברים quia verbis fiebat, & quidem ritu solemni. Extra istud sacrificii tempus & imprimis extra solemne Festum *Cippurim* sive expiationis, (hoc enim Festo confessio peccatorum publico & solemni ritu ut fiat omnino necessarium est) an confessio oralis necessaria fuerit non æque certum est. Valde verisimile est eamsi fieret Deo gratissimam fuisse; quia testis animi est oratio, & index mentis vox. Ex abundantia enim cordis os loquitur. Exempla complura sunt confessionum qua publicarum qua privatarum in Vetere Testam. Sed & unum quoque in novo, *Luc.* XVIII. 13. ubi publicanus legitur μακρόθεν ἑστὼς, & demisso in terram vultu præ pudore, pectus suum percussisse ac dixisse: *Domine Deus placator mihi peccatori.* Ut tamen ea semper in publico & palam coram Sacerdote fieret, cum expressione & enarratione peccatorum singulorum, nusquam legitur præscriptum. Nec dubitandum est, quin si confessio ista, vultu totoque habitu corporis ad confitendum composito, seorsim in angulo fieret ex animo, etiamsi sine articulata voce, grata Deo fuerit: credo tamen fieri vix posse, ut qui animo toto in confessionem fertur, non erumpat in verba, & affectum non exprimat. Atque hoc sensu credo etiam dicere Apostolum: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis & justus est* (Deus) *ut remittat nobis peccata nostra, & purget nos ab omni iniquitate:* 1 *Joa.* I. 9. Confessionem hanc, ut Deo grata esset, duo præcedere debebant: Peccati desertio, juxta illud *Proverb.* XXVIII. 13. *Qui confitetur & deserit, misericordiam consequetur.* Deserit autem peccatum qui odit peccatum & non amplius peccat. Deinde si peccatum cum injuria & noxa vel damno alterius conjunctum fuerit, restitutio noxæ sive damni illati: uti disertè in textu allegato *Num.* V. 7, expressum legitur.

XXXVI. Ut qui gonorrhæam passus est, pro mundatione sui sacrificium offerat: *Levit.* XV. 13 *Trigesimum sextum.*

XXXVII. Similiter ut mulier extra statum naturæ tempus fluxum passa, pro sui mundatione sacrificium offerat. *Levit.* XV. 28. *Trigesimum septimum.*

Sacrificia hæc erant eucharistica, pro liberatione à malis atque incommodis istis, quæ ex naturæ infirmitate, & facultatis retentivæ debilitate provenientia, ingentem corpori noxam adferre potuissent. Dices: Atqui in textu jubentur offerre duos turtures, aut duos pullos columbæ: eorumque unum in holocaustum, (quod erat sacrificium eucharisticum,) alterum pro peccato: *vers.* 15. Quomodo pro peccato, inquies, si non nisi eucharisticum erat sacrificium, & si non nisi naturæ infirmitas erat? Respondeo: Quidam volunt verba hæc suppleri debere per ὡς, *veluti*: ut sensus eorum sit: offerat, *Pro peccato*, id est veluti, vel eo ritu quo offerri solet hostia pro peccato: quem sensum verba *cap.* XII. *vers.* 8. ferè necessario postulant. At si velimus verba, *pro peccato*, propriè intelligentia esse, tum peccati alicujus quod isti immunditiei causam dedit, si non prorsus voluntarii saltem interpretativi, ratio subesse potest: quæ tamen occulta nobis sit. Malunt tamen alii vocem *peccati* accipere Metonymicῶς, vel κολαστικῶς potius, pro infirmitate, afflictione, damno, infortunio, quale peccatoribus aliquando evenire solet, aut à Deo infligi: propter locum citatum ex *cap.* XII. *vers.* 8. quem supplere per ὡς non necessarium putant.

XXXVIII. Ut leprosus mundatus sacrificium offerat: *Levit.* XIV. 10. *Trigesimum octavum.*

Eadem hîc ratio est: nisi lepram hanc accipiamus, de lepra vitio aut peccato aliquo enormi contracta, ut Hebræi volunt. tum enim sacrificium, quod pro peccato suo leprosus offerre jubetur, sacrificium pro peccato Metonymicῶς vel κολαστικῶς appellatum dici debet: quatenus *peccatum* pro infirmitate, labe, macula, quæ peccatis contrahi solet, aut quam peccatoribus Deus comminatur, & non raro infligit, accipitur: uti supra diximus. eodem sensu quo 1 *Reg.* I. 21. *peccatores esse* in oratione Batsebæ ad Davidem, accipitur pro, tractari peccatorum instar. *Alioquin futurum est, ut cum dormierit Dominus meus Rex cum Patribus suis: ut & ego & filius meus Salomoh, simus peccatores.* Sic & in sequente præcepto, *peccatum* pro infirmitate nullo vitio contracta accipitur.

XXXIX. Ut puerpera pro mundatione sui sacrificium offerat: *Levit.* XII. 6. 7. 8. *Trigesimum nonum.*

Præceptum hoc ad puerperam spectat: (cui tribuitur verbum השריץ quod in Hiphil proprie est seminifico, sive semen jacio: eodem modo quo Saræ ad *Heb.* XI. tribuitur καταβολὴ τοῦ σπέρματος. quod obiter tantum adnotasse sufficiat contra Anabaptistas.) quæ si masculum pepererat, quadragesimo primo post partum die, si fœmellam, octogesimo primo die sacrificium offerre jubetur pro facultatum suarum ratione. Et duplex quidem: alterum holocaustum, ad gratias agendum Deo liberatori & sospitatori suo; alterum

pro peccato, id est veluti, sive eo ritu quo hostia pro peccato offerri solet: vel pro infirmitate, labe, macula & fœditate, quæ partui, veluti malum aliquod quod peccato attrahi solet, adhæret. Ut verò hîc credatur, per *peccatum*, originale peccatum infantis intelligi, ut voluit Augustinus, ineptissimum est. Hoc enim præceptum ad matrem spectat, non ad filium, nedum ad filium qui jam multo ante circumcisus fuerat. Nec ratio est cur ad matris peccatum, seu generale seu peculiare, referatur. quod probare non est necesse.

*Quadragesimum.* XL. Ut decimum quodque animal, ex mundis animalibus, sequestretur Domino: juxta illud *Levit.* XXVII. 32.

Decimatio hæc præcepta est de bobus, ovibus & capris. Pro ove & capra est in Hebraico textu שֶׂה, quæ vox ex mente Scripturæ Sacræ communis est ad ovem & capram. Harum decimum quodque animal, qualecunque tandem id esset, sive bonum & pingue, sive minus bonum, sumi voluit Deus, pastore ad ingressum vel egressum ovilis ea numerante; non pro arbitrio suo, sed prout sorte vel casu hoc aut illud decimum aut exiret aut ingrederetur ovile: quod Scriptura appellat, *sub pastorum virga transire*: ne scilicet fraudibus aut litibus locus esset. Decimum autem intellige eorum animalium quæ singulis annis nata sunt. Non enim eadem animalia singulis annis sæpius decimanda erant. Munda autem animalia hîc tantum præscribuntur, quæ ad immolationem apta erant. Horum enim decimum ita sequestratum, Hierosolymam adducendum erat, ut sanguis & adeps ejus Deo offerretur, reliquum Levitis cederet in cibum. Cæterorum animalium immundorum decimæ non debebantur, sed sola primogenita. Notandum autem decimas hujusmodi datas fuisse à populo Levitis, non Sacerdotibus. Nam ex istis decimis quas Levitis populus dederat, decima pars sequestrabatur in usum Sacerdotum: & illæ decimæ, propriè dicebantur decimæ decimarum. *Numer.* XVIII. 26.

*Quadragesimum primum.* XLI. Ut primogenitum omne masculum ex mundis animalibus sanctificetur, & offeratur Domino: *Exod.* XIII. 2. *Deuter.* XV. 19.

Præceptum hoc de sanctificatione & oblatione primogeniti masculi ex mundis animalibus, bubus putà, ovibus & capris, in eo consistit, ut dominus illorum ea Hierosolymam adducat Sacerdotique afferat, qui earum sanguinem & adipem Deo offerat, & carnes reliquas sibi habeat: si videlicet nulla in iis macula sit aut labes. Cætera primogenita fœminei generis, vel secundo genita post primogenita mascula, quæ inter genita primum obveniebant domino, non offerebantur quidem Deo, ut primogenita mascula; quæ ita tota erant Dei & Sacerdotum, ut nihil inde rediret ad eum qui ea offerebat: sed talia tamen erant quæ Deo immolari poterant, & immolanda erant more sacrificiorum pacificorum; ita ut cederent partim in usum Sacerdotum, partim in epulas offerentium, uti manifestum est ex fine *capitis* XV. *Deuter.* Victimas enim pacificas fœminei etiam sexus esse potuisse, ex *Levit.* III *cap.* manifestum est; si modo macula carerent; alioquin profano epulo destinabantur, ita ut mundus & immundus iis vesceretur.

*Quadragesimum secundum.* XLII. Ut primogenitum omne hominis redimatur certo pretio: *Num.* XVIII. 15.

Præceptum hoc ad primogenitum matris referendum est, eumque masculum: quia dicitur, *omne quod aperit vulvam.* Unde, si primogenitus erat fœminei sexus non offerebatur Domino, nec redimi necesse erat: nec masculus qui post primum partum nascebatur; quia is non aperiebat vulvam: etsi ipse quoad hæreditatem, & cætera privilegia, primogeniti jure frueretur. Sed primogenitus primum filium masculum significat, ante quem alius (aut alia filia) ex matre natus non est: sive cum sequantur plures, sive nulli alii. Primogenitus enim sive πρωτότοκος hîc dicitur in ordine ad præcedentes, non sequentes: quo prior alius nullus ex utero isto editus est infans, quasi dicas πρωτόγονος. quo sensu etiam Jesus Servator noster primogenitus fortè vocatur *Matth.* I. *vers. ult.* Ex quo consequitur, per primogenitum non tantum intelligi primogenitum patris, sed matris cujuslibet: ac proinde eum qui plures uxores duxerat, sive simul, sive unam post aliam mortuam, singularum uxorum suarum primogenitum redimere debuisse. Ratio præcepti manifesta est: ut memoria beneficii populo Israelitico in Ægypto præstiti semper recens esset: quando videlicet Deus omnia primogenita Ægyptiorum, tam in jumentis quam in hominibus occiderat; Israelitarum autem primogenitis pepercerat. Ex illo enim tempore primogenita omnia, sibi quasi vindicata, sua Deus esse voluit, & primogeniti quidem ex hominibus Israelitis, vi istius divinæ sanctificationis, in unius ac solius Dei ac templi cultum tota vita sua permanere debuissent, perinde uti primogenita cætera animalia, quæ munda erant, tota quanta erant uni Deo immolabantur, & in usum Sacerdotum cedebant; quæ immunda, cum mundis permutabantur. Sed Levitas in eorum locum sufficere voluit Deus, uti *Num.* III. *vers.* 12. *& seqq.* videre est: item *cap.* VIII. 16. *&c.* sic tamen ut numero inito Levitarum & primogenitorum, quicquid supercrescebat primogenitorum supra Levitarum numerum, id totum pecunia tunc ac deinceps in posterum redimi deberet, vel à patre, vel (si pater id negligeret) à filio ipso in ætate provecta aut adultiore. Mater enim hoc præcepto non obligatur ex sententia Hebræorum: quamquam si, patre officii sui securo aut mortuo, ea filium redimat, bene & recte facere judicetur. Addunt vero Hebræi, primogenitum ex matre Sacerdote aut Levita non necesse habuisse redimi, quia sanctitas sanctitatis novæ capax non est, ut ajunt. Quod an ita sit, ego non expendo. Redemtio autem fiebat pretio siclorum argenti quinque pondere sanctuarii, dato in manum Sacerdotis, eo animo & fine ut ille eo uteretur frueretur pro libitu suo, quia Dei Sacerdos erat. Si pretium istud sibi servabat bene: si reddebat & restituebat, bene etiam; utrumque liberum erat Sacerdoti. At si quis eo animo dabat Sacerdoti ut reciperet, aut ea spe ut ab eo redderetur, & Sacerdos reddebat, non redemtus est primogenitus. De valore autem sicli variant auctores. Juxta Josephum Origin. Judaic. lib. 3. cap. 10. νόμισμα Εβραίων δίχετυ δραχμὰς πίσσαρας. Juxta Scripturæ phrasin habet viginti *Gerah* sive obolos: *Exod.* XXX. 13. *Levit.* XXVII. 25. *Num.* III. 47. & *cap.* XVIII. 16. *Ezech.* XLV. 12. Ex quo sequitur drachmam unam quinque obolos continuisse. Obolus autem nostrate pecunia faciebat fere sex *duiten*, aut *een blanck*: Hinc drachma una faciebat tres asses aut stuferos cum dimidio, *een reael*. Siclus ergo continens quator drachmas, faciebat asses quatuordecim. Cæterum an siclus omnis paris fuerit ponderis disputatur. Sunt qui siclum faciunt duplicem, Sacrum & communem sive vulgarem. Hunc duplo minorem fuisse volunt sacro, id est continuisse asses septem, atque idcirco δίδραχμον appellatum, quasi dicas duarum drachmarum. Sacrum vero designari, & à communi siclo distingui volunt, quando in Scriptura dicitur, siclus juxta mensuram templi sive sanctuarii. Sed alios esse video qui non nisi unum siclum sacrum fuisse volunt, eumque publicum: ac proinde distinctionem istam sicli repudiant: phrasin vero, siclus juxta mensuram templi, usurpari volunt non distinctionis illius adsignandæ ergo; sed quia mensuræ & pondera illa ad quæ omnia pondera exigi, & an justa ac legitima essent expendi debebant, in templo asservabantur. Rationes eorum non expendam, sed in medio relinquam: quamquam eæ mihi non de nihilo videntur.

XLIII. Ut redimatur primogenitus Asini ove: *Exod.* XIII. 14. *Quadragesimum tertium.*

Præceptum hoc de permutatione Asini est, quia cum Asinus immundum animal sit, Deo immolari non poterat. Quia tamen primogenitum omne Deo sacrum erat, hinc permutatio injuncta fuit à Deo. Per asinum autem intelligo quodvis jumentum, equum, camelum, aliaque animalia domestica, quæ ad comportandum aliosque usus humanos homini necessaria sunt: qualia nimirum erant ea quæ Deus in Ægypto ad Ægyptios pertinentia interfecerat, & ad Israelitas pertinentia servaverat. In Hebræo textu enim est *Behema*, quod in genere quodlibet jumentum significat. Quare canes, feles, &c. in hoc ordine non censendos arbitror: itaque nec pretium pro eorum primogenitis pendendum fuit, nec interficiendi eorum primogeniti.

Modus redemtionis est, non per pecuniæ dationem, uti hominis, sed per alterius animalis substitutionem, ovis videlicet vel hædi. In textu enim vox שֶׂה, quæ est communis ad utramque speciem. Quod tamen ita accipiendum non est, quasi pretium ovis aut hædi pecunia æstimati, non sufficeret ad redemtionem: sed tantum eo sensu, quod pecunia ista ovis aut hædus emi debebat, & alterius immolatione redimi primogenitus. Mactatio enim & immolatio hîc locum habere debebant, secus quam in redemtione hominis. Absque hac prævia redemtione, nec vendi nec ad opera ulla adhiberi poterat asinus primogenitus, sine summa Dei offensa. Excipiunt hîc semper Hebræi Sacerdotes & Levitas: jure an injuria non dixerim.

XLIV. Ut primogenito Asini si non redimatur, cervices amputentur: *Exod.* XIII. 14. *Quadragesimum quartum.*

Præceptum hoc clarum est, & in gratiam dominorum traditum: quia fieri poterat, ut aut asinus domino suo inutilis futurus esset, aut ovis hæduve domino utilior: ac proinde dominus asino mallet carere quam ove. Hinc liberam optionem domino dat Deus, ut vel asinum sibi retineat, & ove vel hædo redimat, quò eum usibus pro-

destina-

deſtinare atque uſurpare poſſit: vel ſi, quamcunque demum ob cauſſam, eum nolit redimere, ut eum tum (ne res Deo ſacra & dicata, nec debito pretio redemta, profanis uſibus deſtinetur) decervicet; id eſt, non jugulet aut gulam præcidat, ſed decollet, ſeu cervices ſecuri aut alio quovis inſtrumento ei amputet. Hoc enim proprie denotat Hebræum ערף *baraph*. Intellige ſemper, trigeſimo poſt nativitatem die: ante enim decervicari non debebat: & ſtatim deinde aut redimendus aut decollandus erat.

*Quadrageſimum quintum.*

XLV. Ut animalia ſancta Deo dicata, in quibus macula eſt, redimantur: *Deut.* XII. 15.

Præceptum hoc in textu expreſſum non eſt, ſed ex eo colligitur. Hinc traditionem vocant Hebræi. Senſus præcepti eſt: Animal Deo ſacrum, puta primogenitum, non poterat Deo offerri ſi macula in eo erat. *Levit.* XXII. 22. Itaque pecunia redimi debebat; id eſt, (ſi ita videretur) vendi, & ſic iſta pecunia comparari aliud animal mundum & ſanum, ſive abſque macula. Sed non diſplicet mihi eorum ſententia, qui hoc loco negant agi de mundis aut immundis animalibus quæ comedantur: ſed dicunt agi de hominibus mundis & immundis, qui animalia iſta comedunt: ut ſenſus ſit, carnes iſtas Deo quidem ſacras, ſed macula aut labe aliqua affectas, comedi poſſe tam ab immundis quam mundis, uti diſerte hoc ipſum repetitum legitur *Deut.* XV. *verſ. penultimo*: ut ſic diſtinguantur à carnibus victimarum pacificarum, de quibus ſoli mundi veſci poterant. Redimi autem iſta animalia debuiſſe, etſi nolo negare, imo veriſimile eſſe credo; tamen hoc loco id præcipi non reperio. Unum addo, quod hîc diſertè permittatur, uti & *cap.* XV, veſci carnibus hujuſmodi non tantum in ipſa urbe Hieroſolymorum, ſed etiam in omnibus civitatibus populi Iſraelitici: quod certum ſignum eſt, carnes iſtas Deo immolari aut offerri non debuiſſe, nec in uſum Sacerdotum neceſſariò cedere, etiamſi ex iis Sadotes quoque veſci poterant.

*Quadrageſimum ſextum.*

XLVI. Ut quod mutatum eſt, & illud pro quo mutatum eſt, conſecratum ſit Domino: *Levit.* XXVII. 10.

Præceptum clarum eſt. Si quis animal Deo ſacrum, & aptum offerri atque immolari mutet; dicendo, In locum ejus ſubſtituo aliud, hoc aut illud (mundum ſcilicet) animal: utrumque Deo conſecratum eſt, & in jus Dei tranſiit; ut non poſſit ad uſus profanos converti. Prius, quia quod ſemel ſanctum Deoque conſecratum eſt, ſemper tale manet. Sanctum enim non poteſt definere ſanctum eſſe: quia jus Dei ſemper idem manet, quod nemo Deo niſi Deus ſibi ipſi poteſt adimere. Poſterius, quia hoc ipſo quod animal immolatitium voto obligatur, vi voti Domino Deo cedit & in jus Dei tranſit. Nec refert ſi quis mutet bonum pro malo, aut pro uno centum vel contra: ex. gr. pro bove maculam habente, bovem ſanum, aut contra: pro una ove centum, aut pro centum unam: omnia ſancta ſunt; primum ex Lege, alterum ex voto.

*Quadrageſimum ſeptimum.*

XLVII. Ut oblationes omnes, tam neceſſariæ ex legis præſcripto, quàm ſpontaneæ & votivæ, adducantur Hieroſolymam proximo, quod inſtat, Feſto: *Deuter.* XII. 5. 6.

Præceptum hoc neſcio an in textu ſit ita propoſitum, ut affirmativum præceptum cenſeri debeat. Ego negativè acceptum facile conceſſerim: ſed affirmativum eſſe ut concedam nulla ratio cogit. Ut enim non niſi in Feſto proximo ſpontaneas ac votivas ſuas victimas, adde etiam oblationes lege præſcriptas, quiſque offerat, quæ ratio? Cur non cuique integrum erat eas ſtatim Deo adducere, & voto ſe liberare? Deinde non niſi certæ quædam victimæ & dona in Feſtis offerri debebant, quæ in Feſtum tempus differenda erant, at generatim omnes oblationes in illud differri non jubentur. Senſus itaque legis divinæ meo judicio negativus eſt. Oblationes veſtras, ſeu legitimas ſeu votivas & ſpontaneas, ſi differre vultis, ne differte ultra Feſtum proximum.

*Quadrageſimum octavum.*

XLVIII. Ut ſacrificia omnia in ſacra æde fiant: *Deuter.* XII. 14.

Præceptum hoc prout in citato loco legitur, non neceſſariò refertur ad ſolum templum Solomonis, ſed ad quemlibet locum, ſive tam ad tabernaculum (quia illud cum loco moveri & alió transferri poſſet, non uno in loco ſtabat, ſed nunc in Silo, nunc in Nobe, nunc in Gabaon transferebatur:) quàm ad templum, poſtquam Tabernaculi uſus intercidit. ut ſenſus ſit: Sacrificia non fient niſi in loco iſto, in quo vel Tabernaculum ſtabit, vel tandem templum exſtruetur. Opponitur enim præceptum hoc ritibus gentilium, qui montes, lucos, colles deligebant cultibus ſuis idololatricis: quia dicitur, *Non ita facietis Domino Deo veſtro: verſ.* 4. Quomodo autem hoc conveniat cum eo quod nonnulli ſancti viri, ut Samuel, Gedeon, Samſon aliique, vel in locis excelſis, vel ſaltem non in eo ubi Tabernaculum ſtabat, Deo immolaverint, alibi diximus. haud dubiè diſpenſatione Dei peculiari id factum credibile eſt.

*Quadrageſimum nonum.*

XLIX. Ut ſacrificia, ad quæ offerenda quis ſe obligat extra terram ſanctam, in ſacra æde Hieroſolymitana offerantur: *Deut.* XII. 27.

Hoc præceptum cum priore concidit, & ad templum Hieroſolymitanum refertur, poſtquam illud extructum erat: quia extra illud ſacrificia nulla offerre licitum erat: alioquin, uti præcedens, generale eſt. Tantum hoc peculiare videtur habere, quod etiam illa animalia quæ extra terram ſanctam nata erant, in terram ſanctam & nominatim Hieroſolymam adducenda erant, ut primogenita aliaque. Quod Hebræi annotant, iſtis ex ipſius templi tanquam ſacræ ædis ſanctitate, aliquam ſanctitatem peculiarem accedere, ſuperſtitionem ſapit: quæ tanta eſt ut ſanctitatem urbis iſtius perpetuam manſiſſe, hodieque manere velint Talmudici, ex quo ſemel eam urbem maximus Rex Salomon dedicaverat: adeo ut ſupervacaneum fuiſſe aſſerant, quod poſtea eam Eſrah denuo conſecraverit; ſiquidem prophanatam eam negant, cum cæteræ urbes pollutæ eſſent manibus ſacrilegorum. Ex quo illud fieri iidem aſſerunt, uti in Hieroſolymæ everſæ cineribus ſacra facere atque epulari victimas fas fuerit. Hinc Judæi quidam fuiſſe leguntur temporibus Hadriani Imperatoris, qui ab eo ſolicitarunt uti ſemel in anno ipſis liceret adire ſanctæ urbis deformes reliquias, atque ibi lugerent deplorarentque miſeram gentis ſuæ ſortem.

*Quinquageſimum.*

L. Ut Aaron & filii ejus comedant *mincharum* reliquias: *Levit.* VI. 16.

De *Minchâ* ſive cibariis ſacrificiis ſupra egimus. Ex iis quando offerebantur ad aram Domini, pugillum ſumebat Sacerdos & adolebat Domino. Cæteram partem Sacerdotes comedere jubentur in ipſo atrio templi, non extra illud, uti hîc & *Levit.* XI. videre eſt. Alia ratio erat quando Mincham offerebat Sacerdos ipſe. Tum enim eam integram adolere tenebatur nec ſibi quicquam reſervare. At ſi filia Sacerdotis Mincham offerret, eadem minchæ iſtius ratio etat quæ mincharum quas Iſraelitæ cæteri offerebant. Pugillus adolebatur: reliquum cedebat Sacerdotibus maribus ex Aarone oriundis. Quod verò in textu ſub finem *verſ.* 18 dicitur, כל אשר־יגע בהם יקדש *Quicquid tetigerit in eis, ſanctificabitur*; id varie exponi ſolet, prout vox כל vel neutro vel maſculino genere accipitur. Si maſculino, tum exponitur; Omnis ſanctificabitur, vel effective, id eſt ſanctus fiet, vel imperative, ut ſit ſenſus; Sanctificator, ſcilicet ante, id eſt ſanctificatus eſſe debet. Si neutro genere, tum exponitur fere: Quicquid ea tetigerit, ſeu profanum ſeu mundum, ex contactu ſanctitatem adipiſcetur. At quia hoc non paucis difficultatibus obnoxium eſt, & diſertè videtur pugnare cum eo quod apud Aggæum legitur, *cap.* II. 13, veriſimilius eſt verba hunc ſenſum habere: Quicquid eſculenti ex rebus minus ſanctis, quæ ſanctitas ſanctitatum non vocantur, aut ex communibus & humanis, profanis quidem ſed tamen non immundis, ea tetigerit, ejuſdem cum minchis qualitatis ſanctæ particeps fit, id eſt iſtud eodem loco cenſetur, ut comedi poſſit aut non comedi, in loco ſancto. Fruatur tamen quiſque hac in re judicio ſuo.

*Quinquageſimum primum.*

LI. Ut ſacerdotes mares, comedant carnes ſacrificiorum pro peccato & pro delicto oblatorum: *Exod.* XXIX. 33.

Præceptum hoc ſic exponunt Hebræi, ut diſcrimen faciant inter ſacrificia pro peccato & pro delicto, & inter ſacrificia pacifica; quod ſacrificia pacifica expiabant offerentem, ſive Sacerdotes eorum carnes comederent, ſive non; at ſacrificia pro peccato & pro delicto, non expiarent offerentem niſi primum carnes eorum comediſſent Sacerdotes. At ſi quis textum videat, comperiet in eo ne agi quidem de ſacrificiis pro peccato & pro delicto, ſed tantum de ſacrificio quod in conſecratione Aaronis & filiorum ejus Deus peculiariter inſtituit: ut mirum ſit quomodo ex hoc loco præceptum generale extundere conati ſint Hebræorum Magiſtri.

*Quinquageſimum ſecundum.*

LII. Ut caro ſancta quæ aliquid immundum tetigit, comburatur igne: *Levit.* VII. 19.

Præceptum hoc recte reſtringitur ad carnes ſacras ſive immolandas, quia de iis in contextu agitur. Et veriſimile eſt maxime intelligi carnes ſacrificiorum pacificorum, quæ ex atrio efferebantur, quæ facile contaminari poterant, ita ut eæ vel immundum aliquid contingerent, vel ab immundo aliquo contingerentur. Hebræi tamen volunt etiam intelligi carnes, quæ in ipſo atrio in *Azarah* aliqua comedebantur à Sacerdotibus; hoc tamen diſcrimine à præcedentibus, quòd illæ à Sacerdotibus in ipſo ſanctuario comburi debe-

debebant, hæ verò extra ſanctuarium domi & igne communi. Quicquid ſit, præceptum hoc ad omnes carnes, etiam non ſacras, immundas, generatim extendendum non eſt. Eas enim comedere quidem non licebat, ſed comburere tamen neceſſe non erat. Poterant abjici, & vel canibus vel gentilibus edendæ exhiberi aut objici.

*Quinquageſimum tertium.*

LIII. Ut carnes ſacrificiorum quæ reſtant ſupra præſcriptum diem tertium, igne abſumantur. *Levit.* VII. 17.

Præceptum hoc generale eſt. ultra enim diem tertium inchoatum nulla ejus generis caro comedi poterat. Non quod omnes ſacrificiorum carnes, etiam uſque ad diem tertium incipientem comedi poterant. Contrarium enim legitur diſertè *verſ.* 15. Sed quod ultra eum fas non eſſet licentiam comedendi ſibi ſumere.

*Quinquageſimum quartum.*

LIV. Ut Nazaræus comam capitis ſui ſinat creſcere. *Num.* VI. 5.

*Quinquageſimum quintum.*

LV. Ut radat comam ſuam poſt expetum voti ſui tempus: *ibid. verſ.* 9.

Lex hæc eſt Nazireatus. *Nazir* ſeparatum ſignificat, ſcilicet ad ſingularem ſanctitatis profeſſionem. ἁγιάζω, ἐξαγιάζω enim Naziræi vocabantur, qui vel Dei juſſu, vel parentum voto, vel ſuapte ſponte ab aliis ſeparati, certo ſanctimoniæ generi addicti erant. unde & titulo excellentiſſimo קדושים *kadoſchim* ſancti, honorantur: & ab Hebræorum Magiſtris ſummo Sacerdoti non conferuntur tantum, ſed & in quibuſdam præferuntur. Quorſum etiam vocem *Nazir* Hebræis coronatum ſignificare, ſeu Principem diademate ornatum & Majeſtate plenum adſerunt, à נזר quæ vox diadema ſignificat; unde נזיר qui illud geſtat, quem propterea בעל נזר appellitant. Nec mirum: quia *verſ.* 7 dicitur corona Dei eſſe ſuper caput ejus. quo ſenſu forte Joſephum *Geneſ.* XLIX. 26. נזיר Naziræum fratrum ſuorum futurum prædicit Jacob, id eſt Principem & Regem, vel Principis & Regis inſtar futurum, propter autoritatem qua inter fratres ſuos ille potiturus eſſet.

*Naziræi duûm genera.*

Cæterum Naziræi duûm generum erant: Naziræi perpetui, qui vocantur *Naziræi ſeculi*, ſive quoad vitam: (nam ſeculum & perpetuum vel æternum quandoque vocatur tempus vitæ humanæ; ut, *Servies æternum qui parvone ſciet uti*, id eſt quoad vivet:) quales fuerunt Simſon, Samuel, (& uti Hebræi per traditionem neſcio quam habent, Abſalom) Joannes Baptiſta: *Luc.* I. 15. Et *Naziræi dierum*, ſive temporarii, quorum ſeparatio ad certum tempus durabat: quale fuit votum Pauli vel Aquilæ, *Act.* XVIII. 18. & votum quatuor iſtorum virorum, quibuſcum ſanctificabatur Paulus ex conſilio Jacobi & fratrum Hieroſolymitanorum: *Actor.* XXI. 23. 24. Nam votum Nazareatus facere quilibet poterat, & obſervare tenebatur qui ſui juris erat, & non ſub alterius poteſtate, ſeu mas ſeu fœmina eſſet, ad tempus certum dierum, menſium, annorum: quod niſi exprimebatur ad minimum triginta dierum erat. Notant tamen Hebræi, hodie votum Nazireatus etiamſi ſecundum *Din*, id eſt rigorem juris fieri poſſit, non concedi tamen à Magiſtris, propter duas cauſſas. Prima eſt, quia hodie non poteſt Naziræus eſſe dierum; ſed ſi quis eſſe volet Naziræus, eum oportet eſſe Naziræum ſeculi ſive quoad vitam: quia Nazireatus votum non poteſt abſolvere ſine ſacrificiis, quæ hodie nulla offerri poſſunt, quia templum deſtructum eſt. Secunda cauſſa eſt, quia cogendus eſſet concedere in terram ſanctam, eo quod extra eam omnia immunda ſint, cum Naziræus ab omni omnino immunditia ſeparatus vivere debeat. atque hoc indicari volunt voce יפליא *Japhli* quæ in hoc textu uſurpatur, & ſignificat admirabilem ſe exhibere, & ſingulare quid ſupra cæteros omnes mortales præſtare. Sic enim ſonant verba propriè *verſ.* 2. vir vel mulier cum יפליא *admirabilem ſe præſtiterit*, ſive (ut Arias Montanus transfert) *mirificaverit*, vovendo votum: quod etiam ἐυχὴ μεγάλη vocabatur, teſte Philone, & idcirco à Septuaginta vertitur, αἰνὲσ ἢ γυνὴ ὃς ἂν μεγάλως ἐυξήται ἐυχὴν.

*Lex Nazireatus.*

Lex autem Naziræatus hæc erat. 1. Separatus eſſe debebat ab omni immunditia, ut volunt Hebræi: quamquam in textu non reperio eum qua talem, ab alia immunditia ſeparatum eſſe debuiſſe ex divino præſcripto, quam à contaminatione ſuper mortuo quocunque; & quidem ad ritum moremque ſummi Sacerdotis ſive Pontificis, cui ea in re æquari omnino videtur, & ſolus quidem: *Levit.* XXI. 11. Cæteræ itaque immunditiæ, quamquam Naziræum etiam polluebant ita, ut purificatione legali, quemadmodum cæteri etiam Iſraelitæ omnes, indigeret, non tamen contaminabatur qua Naziræus, id eſt cæſaries ejus non contaminabatur, ita ut de novo inchoandus eſſet Naziræatus.

II. Coma capitis alenda ei erat ἵνα ὁ πλεονασμὸς αἰ τριχὸς ὄνυξ αὐξάνῃ. Novacula enim aut forceps non debebat tranſire ſuper caput ejus. Si fieret vel vi, vel ſponte, vel in gratiam alicujus, vel per errorem, de novo radenda erat coma, & repetendi erant dies Nazireatus, ac quaſi denuo inchoanda ſeparatio, quia præcedens fruſtra & nulla erat. Expleto autem rite voto, offerenda erant ſacrificia à Deo ordinata; & radenda vel tondenda erat cæſaries, & igne cremanda veluti Deo ſacra: an igne altaris an culinæ incertum eſt. In textu dicitur, *Super ignem qui eſt ſubter ſacrificium pacificorum.* Sacrificia autem pacifica, ſive carnes eorum, an in altari conſtitui debuerint coquendæ vel abſumendæ, an igne culinæ, non convenit inter auctores: nec noſtra multum refert utrum dicatur.

III. Abſtinendum ei erat à vino, & ab omni potione quæ de uva exprimitur, quam appellant διυλισμὸν οἴνου, ſecundarium vinum: Latini Loram, à lotis acinis, ut Varro inquit; quia videlicet poſt expreſſum vinum, de uvis madefactis & aqua dilutis quaſi ſecundo educitur. Textus addit, ab ipſis uvarum corticibus ſive folliculis, quos vinacea appellant; ἀπὸ στεμφύλων, vertunt LXX, ἕως γεύσηται, à vinaceis uſque ad acinum. Vinacea autem non ſunt niſi reliquiæ & retrimenta quæ ſuperſunt poſt expreſſas uvas: Floces alii vocant: Columella Briſam: ἢ στερεὰ λείψανα τῶν στεφυλῶν, Galenus. Dices, hoc pacto concedi Naziræis potionem quamlibet, dummodo ea ex vite non ſit. Reſp. Si Hebræorum Magiſtros conſulamus, ii pari ſententia id concedunt, & quamvis aliam potionem Nazaræis licitam fuiſſe aſſerunt, præter eam quæ ex vino aut vinaceis eſt. Atqui reponitur illis, In textu etiam eſt vox שכר *Sechar*, unde vox *Sicera*, & Græce σικέρα, quæ ſignificat generatim omnem potionem quę ebrietatem inducere poteſt, à radice שכר *ſchachar* quod inebriari ſignificat; ſive illa, ut Hieronymus obſervat, ex frumento, ſive ex hordeo, ſive ex milio, ſive ex pomorum ſucco, ex palmarum fructu aut alio quolibet genere conficiatur. Reſpondent illi vocem *Sechar* hîc & multis aliis in locis non ſignificare quamlibet potionem inebriantem, ſed vinum vetus, ſive temetum (à Græco μέθυ, unde & μέθη ebrietas, quia tentat mentem uti quidam etymologi volunt) uti Paraphraſis Chaldaica tranſtulit, quia videlicet ea vis temeti ſive veteris vini eſt, ut facile ebrietatem inducat. At, inquies, etiam aliæ potiones inebriant. Reſpondent, verum hoc eſſe: ſed & verum eſſe etiam ex altera parte, Deum Naziræis non prohibuiſſe ut non inebrientur, ſed tantum ut non inebrientur ex vino; cujus prohibitionis rationem & cauſſam ſe ignorare fatentur, Deo verò ſoli conſtare & relinquendam eſſe aſſerunt. At verò ad me quod attinet, ego cauſſam non video, (niſi praxim perpetuam pro ſe allegent Hebræi, quæ ſenſus divinæ Legis optimus interpres eſt) cur hoc ſenſu Legem hanc accipere debeam; cum in textu diſerte legatur utrumque יין *Iain* vinum, & שכר *Sechar*, & ab utroque ſe ſeparare jubeatur Naziræus, *verſ.* 2. imo, quod emphaticum eſt, cùm diſerte deinde repetatur utrumque, acetum vini & acetum Sechar, & utrumque ei pariter interdicatur, *verſ.* 3. Nec cauſſam video cur Hebræi in iſtam ſententiam conſpirent, cum Naziræum inter ſanctiſſimos in populo non cenſeant tantum, ſed etiam ſeparatum eſſe debuiſſe ab omni omnino immunditia aſſerant. Cur quæſo non concedunt Deum voluiſſe ergo etiam ut ab ebrietatis fœdiſſimæ immunditie & periculo eſſet quam remotiſſimus? Sed mira hæc eſt divinæ Legis interpretatio. Immunditiam omnem intelligi volunt prohibitam Naziræo; cum Lex non niſi immunditiam ex ingreſſu ad mortuum contractam prohibeat, uti ante diximus; Hic inebriantem quemlibet potum Naziræo interdictum eſſe negant; cum lex diſerte tam vinum quam Sechar nominet. Dices, *Jerem.* XXXV. ubi de Rechabitis agitur qui Naziræi erant, tantum vini mentio fit, nullius vero alterius potionis. Fateor, ſed an Rechabitæ Naziræi proprie dicti fuerint non diſputo. Pone fuiſſe; non tamen ſequitur, vini iſtic ſolius mentio fit, ergo alia quævis potio inebrians illis interdicta non fuit. Imo contrarium ego colligo ex hoc textu; ſi idcirco vinum Naziræis prohibitum fuit eò quòd vinum inebriabat, verifimillimum eſt Rechabitis etiam, ſi Naziræos eos fuiſſe volumus, Siceram etiam, id eſt quamvis potionem inebriantem vetitam fuiſſe. Adde, ſi idcirco non Sechar tantum, id eſt vinum vetus fortiter inebrians, uti exponunt Hebræi, ſed & acetum vini & Sechar interdictum illis fuit, quanto magis quælibet potio inebrians interdicta illis videri debet? Non enim credibile eſt ea interdicta iis fuiſſe quia ex vite proveniebant, ſed quia vim inebriandi habebant.

*Jeſus Chriſtus non fuit propriè Nazi-æus.*

Ex his liquet Dominum noſtrum Jeſum Naziræum propriè non fuiſſe, cùm conſtet eum vinum bibiſſe, mortuos tetigiſſe & ad mortuos ingreſſum fuiſſe. Quo ſenſu verò dicatur *Matth.* II. *verſ. ult.* futurum ut Nazarenus vocandus eſſet, ſuo tempore indicabimus. Certum eſt aliud eſſe Nazaræus, aliud Naziræus. Nazaræus vocandus erat voce deflexa à vico Nazareth, non à voce Nazar vel Nezir; & quidem, uti ego paucis dicam hîc quod ſentio, non quod iſto

ipſo

ipso nomine propriè vocandus esset, (quamquam eum sic vocatum fuisse manifestum est ex ipsa crucis ἐπιγραφῇ,) sed quod res isto nomine designata ei propria futura esset, id est contemtus & vilipendium: eodem plane modo quo dicitur *Matth.* I. 23 vocandum eum Immanuelem, non nomine, sed reapse. Sed de hoc aliàs.

*Quinquagesimum-sextum.*

LVI. Ut quod quis ore suo pollicitus est, votitque se facturum, reipsa impleat ac præstet: *Deut.* XXIII. 23. *Num.* XXX. 2.

Præceptum hoc generale est, ut quisque stet promissis suis, sive Deo sive homini factis; sive cum juramento & voto sive sine illo: Intellige semper de promissis quæ facta sunt ab eo qui sui juris est, & potestati alterius non subditus. Illa enim promissa rescindi possunt, & si rescindantur ab eo in cujus potestate est, non tenetur illa præstare, imò tenetur ea non præstare, uti diserte legere est *Num.* XXX. 2. de quo in sequente præcepto. Videtur tamen in textu non agi nisi de promissis juramento sancitis, *Num.* XXX. 2. Adde de promissis sive votis licitis ac possibilibus intelligi hoc præceptum debere.

*Quinquagesimum-septimum.*

LVII. Ut de votis, quando quis iis adstringatur, judicium fiat secundum declarationem & interpretationem quæ lege expressa est: *Numer.* XXX. 3. *&c.*

*Votorum rescisio.*

Præceptum hoc ad præceptum de juramento pertinet, ut necesse non sit ex eo præceptum speciale formare. Esto tamen. Sensus ejus est: vota omnia quæ fiunt ab iis qui sub alterius potestate sunt valida non esse; & quidem vel per se, ut quæ fiunt in ætate prima quæ perfectæ rationis capax non est, exempli gratia à filiis ante, & usque ad annum ætatis duodecimum & diem insuper unum, à filiabus ante annum ætatis undecimum: vel per accidens, ut ita dicam, ut quæ fiunt vel ab iisdem istis jam annos istos prædictos egressis, & pubertatis annos ingressis, ac proinde rationis perfectè capacibus quidem, sed tamen sub patria potestate adhuc constitutis, & necdum emancipatis, nihilque proprium habentibus, nisi forte in peculio aut bonis quæ similia sunt castrensibus, aut quasi castrensibus. Etsi enim vota ista per se valida sint, & qui facit ea præstare teneretur, si sui juris esset, tamen quia adhuc sub potestate patria est, valida non sunt, si pater quando ea rescisci facta esse, dissentiat; secus, si consentiat aut fileat, id est expresse non dissentiat: Vel à filiabus desponsatis & nuptis quidem, sed necdum in domum sponsi aut mariti traductis. Hæc enim, imprimis si post matrimonium facta erant, à marito irrita reddi poterant. An etiam irritari, ut ita dicam, vel rescindi potuerint quæ facta erant, dum in domo patris adhuc erat innupta, incertum est; quin ea à patre irritari potuerint dubium non est. At ista à marito irritari poterant: quia per matrimonium in potestatem ejus transierat mulier, & ex patria potestate exiverat: Vel à conjugatis mulieribus, & jam in domum mariti traductis. Ea enim rescindere atque irritare poterat maritus si vellet: intellige si vota erant super rebus dolorificis aut quæ animam adfligunt: exempli gratia, voveo jejunium & abstinentiam tot dierum, sacci & cilicii portationem, &c. non verò super rebus aliis; ut, voveo me toties oraturum Deum quotidie, &c. vota enim realia aut personalia, quæ cum imminutione juris maritalis conjuncta erant, rescindere maritum posse indubium est. Quæ à viduis, licet in domum paternam reversis, fiebant vota ea rata esse necesse erat: quia illæ semel emancipatæ nunquam redeunt in potestatem patris. Hactenus de votis.

*Promissorum & juramentorum obligatio.*

Sed ut promissorum omnium ratio constet, quando videlicet iis obstringamur, & quomodo; sive cum juramento ea facta sint, sive sine juramento; paucula quædam addemus prædictis ex sensu Hebræorum. Hebræi quatuor genera promissorum statuunt, quibus hominem negant obstringi. Primum est promissum sive juramentum solicitudinis meræ, ut vocant, quale hodieque ordinarium est inter ementes & vendentes: exempli gratia si vendens dicat, promitto, (Galli ita loquuntur, *Je promets*) vel juro me non minoris venditurum quam tanti; & alter, juro me non pluris emturum: tandem tamen & hic paulò pluris emit, & ille paulò minoris vendit. Non obligat utrimque promissum suum; quia solicitudinis & diligentiæ ostendendæ tantum caussa factum fuit, ut alter alterum cedere quasi cogeret de proposito suo. Ita quidem illi. Secundum promissum sive juramentum est juramentum exaggerationis sive hyperbolicum: ex. gr. juro me vidisse exercitum veluti arenam maris. Multitudinem enim ingentem designat qui sic jurat, non verò rei veritatem. Tertium est juramentum erroneum, sive subitaneum aut inadvertentiæ: ut, juro me hodie non sumsisse cibum, & vix effatus sum, quin recorder me cibum aut cibi aliquid sumsisse. Quartum est promissum temerarium, quod vis major aut casus aliquis irritum reddit: ut exempli gratia, promitto me pransurum hodie apud amicum, & ecce morbo corripior, detineor aut impedior quominus præstare passim quod promisi.

Hisce adstringi hominem negant Hebræi. Fatentur tamen ea omnia talia esse, ut inter turpia, indecora, & gravi viro indigna censeri debeant. Addunt alii promissum sive juramentum quod latroni aut prædoni fit; quando is qui promittit & jurat, eo ipso tempore quo promittit & jurat animum & intentionem habet jurandi id quod verum est & licitum; etsi verba quibus utitur ambiguum talem sensum habeant, ut à latrone aut prædone accipiantur non aliter quam si unicum tantum sensum habeant, eumque quem sibi utilem futurum credit: ut ex. gr. si quis in manus latronis incidens, & vitæ rebusque suis consultum volens, latroni juret se esse domesticum Regis, ac proinde latroni periculum præsentissimum impendere nisi dimittat: interea vero cum hoc dicit, non alia mente atque animo dicit, quam se esse domesticum Regis Regum, id est Dei Regis universi, aut simile quid. Eo ipso enim quod cum jurabat hanc mentem haberet, promissi sive juramenti obligatione eum teneri negant. Quod an admittendum sit examinabimus, cum de juramento agemus, & de æquivocationibus quibus juramentum concipi potest.

## CAPUT IV, seu

## Domus quarta præceptorum affirmativorum, quæ est domus Mundiciei & Immundiciei: & XVIII præceptis constat.

IN hac domo non diu immorabimur: sed eam pertransibimus pudori simul atque honestati consulentes. præterquam quod operæpretium non putemus eam curiosis oculis lustrare, aut in arcana ejus inquirere; cum nec inter præcepta vere censeri mereantur quæ in ea occurrunt, ita videlicet ut quis obligetur vel ad attrahendum vel ad vitandum has immunditias, sed potius inter enunciationes declarantes qua ratione immundities attrahatur: aut si omnino velimus ea in præceptorum numerum compingere, ea hodie nullius usus ab ipsis Hebræis esse censeantur; eo quod tota ratio hujus munditiei & immunditiei locum tantum haberet quando templum & civitas stabant: quia immundities ista id tantum efficiebat, ut in templum ad vasa, res & personas sacras, aut in ipsam civitatem immundo intrare non liceret, nec quæ in iis sancta erant, usurpare aut edere. Hinc destructo templo & civitate, nulla immundiciei ratio habetur; quia ab ea periculum nullum ad res sanctas accedere, ac proinde neque immundus peccare potest. Hoc præmisso præcepta quæ vocant ad hanc domum pertinentia prosequamur.

I. Qui morticinum aliquod tetigerit, immundus esto: juxta illud *Levit.* XI. 39. *Primum.*

Morticinum appellatur animal omne quod sponte & fato suo functum, vel vi suffocatum remanente ac concreto in venis sanguine, vel à bestia dilaceratum, vel non ritè (uti Judæi addunt) mactatum, id est vel manu pagani sive gentilis, vel manu Judæi quidem, sed tamen non observatis solemnibus ritibus, interfectum est. Immundum autem vocant hujusmodi animal aut cadaver, immunditia majore sive principali, quam matrem dicunt immundiciarum multarum; cujus tanta vis sit ut non modò ineptam faciant carnem ad esum (ut alia immunda omnia) sed tactu adeo contaminent, ut particula carnis unius olivæ quantitatem habens, non modo inquinet attrectantem, sed etiam supellectilem aliaque utensilia ejus omnia. Carnis dico, quia ossa, nervos, ungulas, & pellem excipiunt, quando à carne aut ab animali separata erant: juncta enim istam ipsam vim inquinandi habebant inquiunt (nescio ex quo fundamento) quam caro ipsa.

II. Reptilium quæ repunt super terram octo species post mortem contaminant. *Levit.* XI. 29. *Secundum.*

Præceptum sane nullum hîc apparet: nisi enunciationem hanc divinam interpretari velimus hoc sensu: Species istæ octo inter contaminantia reptilia sunto vobis. Per contaminantia intellige, quæ non modo contaminata ita sunt ut comedi non possint, sed & contaminant quicquid ea tangit. Alioquin inter reptilia etiam sunt, quæ immunda quidem sunt & comedi vetita, sed tamen mortua contactu suo non reddunt immundum, ut rana, coluber, scorpio, &c. De speciebus hîc enumeratis id tantum dico, difficillimum esse judicium de singulis, usque adeo variant interpretes super earum nominibus plerisque. Nos litem istam nostram non faciemus. Communior sententia Hebræorum est, (quos hac in parte libentissimè sequor, quia rituum suorum intelligentissimi sunt, & odio eorum in Christianam religionem, ac

ac proinde præjudicio hìc locus non eſt) muſtelam eſſe murem, (in his conveniunt ferè interpretes omnes, tam Judæi quam Chriſtiani) bufonem, (hîc variant utrique, alii Crocodilum terreſtrem, alii teſtitudinem, aut ranam campeſtrem intelligunt: bufonem malim) ericium, (alii ſanguiſugam, alii viverram, alii mugalem, ex mure & muſtela genitum) lacertam, (alii chamæleontem) limacem, ſtellionem, & talpam.

*Tertium.* III. Eſculenta etiam immunditiei capacia ſunt: *Levit.* XI. 34.

Neque hîc præceptum proprie eſt, niſi eo ſenſu accipiantur verba quem in præcedente præcepto indicavimus: Eſculenta aliquando immunda vobis ſunto. Quando, inquam? Si immundum aliquid contigerint. Mira vero admodum eſt gloſſa quam ſuper hoc præcepto, & loco unde præceptum hoc colligunt Hebræi, in libris Rabbinorum legere eſt. 1. enim dicunt, hoc de eſculentis iſtis tantum accipiendum eſſe quæ ordinarius hominum cibus ſunt: Cætera enim, etſi eſculenta etiam ſunt, per contactum tamen rei immundæ immunda non fieri, niſi quando ea in cibum ſuum uſurpare homo propoſitum habet. 2. dicunt, juſcula & condimenta ciborum, etſi eſculenta etiam ſunt, immunditiei tamen capacia non eſſe. 3. dicunt, nulla eſculenta immunda fieri poſſe, niſi prius tincta aut macerata fuerunt uno ex his ſeptem liquoribus, aqua, rore, aceto, vino, lacte, ſanguine, melle, & quidem domino eorum ita volente ac jubente: Quocunque alio liquore perfuſa, munda ſemper manent, etiamſi immundum aliquid contingant. Unde hunc ſenſum habeant, non obſervo. Videor mihi colligere eos ſic interpretari verba textus allegati: *Super quem venerit aqua.* At ſi quis verba illa juxta literam accipere velit, contrarium potius concludendum foret: Aquâ, ſcilicet alia omni, præterquam aceto, vino, lacte, melle, &c. immunda reddi eſculenta. Quis enim iſta aquas ſive מים vocet? Quare veriſimilior ſimpliciorque ſententia eſt: Cibum & cibaria omnia, immunda fieri per aquam quæ ex vaſe polluto in illa defluit, uti ex loci contextu & ſerie orationis manifeſtum eſt.

*Quartum.* IV. Menſtruata omnis mulier (*Niddà*) immunda eſt, vel eſto, & immundat: *Levit.* XV. 19.

*Quintum.* V. Puerpera immunda eſt, ut *Niddà*: *Levit.* XIII. 2.

Hæc non explico, ne aures honeſtas veſtras offendam. Puerperam autem intelligunt Hebræi qualemcunque, ſive vivum ſive mortuum infantem peperierit ſtatuto tempore, ſive intermedio tempore abortum paſſa ſit: ita ut non molam aut informam aliquam maſſam, ſed formatum fœtum abortiendo enixa fuerit. Hæc per ſeptem dies veluti *Nidda* immunda eſt, etiamſi ſigna immunditiei non appareant. Immunditia hæc major erat, per quam puerperæ & menſtruatæ omnes mulieres excludebantur à templo & ſacris, quin & à conſortio omnium aliorum hominum. Etſi enim non excludebantur civitate, ut leproſi, domi tamen ſic recludebantur, ut cum nemine commercium haberent niſi cum eo qui cibum & cætera neceſſaria ſubminiſtrabat, qui ipſe etiam idcirco legaliter immundus erat.

*Sextum.* VI. Leproſus immundus eſt, & immundat alia: *Levit.* XIII. 2.

*Septimum.* VII. Pannus lepra infectus immundus eſt, & immundat: *ibid.* 47.

*Octavum.* VIII. Domus lepra tacta immunda eſt, & immundat: *Levit.* XIV. 35.

De immunditie hac lepræ non eſt neceſſe multis agere. Judicium de ea Sacerdoti commiſſum fuiſſe extra dubium eſt: quin & Hebræi addunt, id ei ita proprium fuiſſe, ut nulli licet peritiſſimo Medico de ea judicium ferre liceret: adeo ut nemo lepra laborare dici poſſet, prius quam Sacerdos ſententiam pronunciaſſet, ac dixiſſet, leproſus eſt, immundus eſt. Maculæ ſive plagæ lepræ, quæ in pannis aut domibus apparebant, erant variegati coloris; & pro coloris ratione judicium ferebatur de iis aut ſecludendis, aut rumpendis, vel lacerandis & diruendis, aut comburendis, aut lavandis ut mundarentur. De pannis vero id tanquam aliquid admirabile narrant Hebræi, quod nulli niſi candidi aut albi lepra inficiebantur: tincti & colorati lepræ omnino expertes eſſent. De domibus ſimiliter, nullas niſi in terra Sancta lepræ maculam paſſas eſſe, qualis in textu deſcribitur: ut omnino epidemica iſta lepra fuerit, in populo & terra iſta. Similiter & Philo in libro περὶ ἀπρεπῶν θείων, obſervat in lepra & leproſis admiranda quædam, & (ut ille loquitur) παραδόξως & ἀνιλλατόμενα πρὸς ἰκόπ καὶ συνήθειαν: imprimis hæc duo: 1. Quod lex eum qui ἐκ μέρους ex parte lepra infectus eſt, immundum pronunciet; eum verò qui à capite ad pedes uſque lepra occupatus eſt, mundum & purum. 2. Quod lex domum, & quæcunque in domo ſunt quæ lepra adfecta eſt, mundam pronunciet priuſquam eam ingreditur Sacerdos; illo autem introgreſſo impura omnia & immunda. Quis iſta capiat? Allegorias inde duducit Philo, ſive potius tropologias aut moralitates quaſdam: quas qui volet legat in dicto ejus libro. Sed ut dicam quod ſentio, non videntur mihi iſta duo eſſe admiranda aut παράδοξα, nedum παραδόξως. Nam quod ad primum attinet: Ipſa ratio Phyſica docet, optimum ſignum eſſe, quando materia peccans tota foras erumpit cutemque obſidet. Indicatur enim vim expultricem validam eſſe, totamque morbi radicem ad exteriores partes expulſam eſſe, ut in peſte, variolis, morbillis, exanthematis, ulceribus & ſcabie liquet. Contra ſi corpus affectum non expellat niſi partem aliquam vitioſorum humorum, ſignum eſt vim expultricem debilem eſſe, & ſuperari vel à qualitate vel à quantitate humorum peccantium, ac proinde radicem mali intus hærere, quæ paulatim ſerper atque augeſcet. Quod ad ſecundum attinet, ratio ejus erat, quia domus leproſa non erat antequam Sacerdos eam leproſam pronuntiaverat. Unde ipſius Sacerdotis ingreſſus in domum non erat lepræ cauſſa, ſed tantum indicatio ejus & declaratio.

*Cauſa lepræ in populo Iſraelitico.*

Differentiam autem inter præcedentes immunditias, quæque deinceps ſequentur, & inter lepram hanc conſtituunt: Quod iſtæ accidebant & obveniebant hominibus abſque ulla eorum culpa: hæc non niſi ob gravem aliquam culpam ex divina ſpeciale punitione, & quidem (uti Cabaliſticè illi colligunt) ob culpam calumniæ ſive linguæ malæ; quia ſcilicet leproſus vocatur Hebraicè מצורע *Meſſorah*, Litera autem prima vocis iſtius מ ſignificet *Moſi*, ſecunda *Sem*, tertia *Rah*: id eſt, eductor aut prolator mali nominis, ſive malæ famæ: מוציא שם רע *Deut.* XXII. 19. Quid de hac re ſit non examino. Cæterum lepræ malum non fuiſſe in populo iſto vitium aliquod naturale ant fortuitum, ſed malum pœnæ divina providentia ob culpam peculiarem aliquam infictum, tribus rationibus conantur evincere. 1. Quia plaga lepræ etiam infeſtabat veſtes & domos. At veſtes & domos lepra tangi naturale non eſt, ſed prodigioſum quid & ſupernaturale, quin & divinæ iræ ſignum; (quod non obſcurè indicat *verſ.* 34. *cap.* XIV. ubi dicitur: *Si poſuero plagam lepræ in domo terræ poſſeſionis veſtræ*: ad populum commonefaciendum, ut mature ſibi proſpiceret de corrigenda culpa. Pœnam nempe divinam jam incipere graſſari in ipſas domos; &, quia non reſipiſcerent, in ipſas veſtes, brevi etiam in carnem & corpora eorum graſſaturam eſſe. Hæc ratio ſpecioſa eſt, ſed incerta: quia nititur illa formâ divini judicii, de qua non conſtat ex textu, an à Deo uſurpata fuerit. Nam aliàs Deum interdum immediatè lepram immiſiſſe peccantibus, ex ſororo Aaronis & Moſis manifeſtum eſt: item ex Gehazi Elizæi famulo. Quin & lepram aliquando fuiſſe malum in familia hæreditarium, etſi culpa aliqua enormi contractum, idem Gehazi exemplum non obſcure indicat. Vide etiam exemplum Uſſiah Regis Juda: 2 *Paral.* XXVI. 19. 2. Quia leprâ tactus non jubetur adire Medicum, ſed Sacerdotem. At ſi morbus aut vitium aliquod corporale fuiſſet, contra agendum fuerat. Dices: At Sacerdotes medicinæ periti erant. Reſpondent id verum non eſſe, quia alioquin & alii ægri ad eos remiſſi fuiſſent, & curæ eorum traditi. At id factum fuiſſe non liquet. Sola hujus immunditiei cognitio & medicina iis concredita fuit: adeo ut nulli, licèt expertiſſimo Medico, liceret de lepra aliter judicare aut pronunciare, quàm, *Eſt veluti lepra.* Soli Sacerdoti prærogativa iſta debebatur, ut judicaret ac pronunciaret, *Eſt lepra.* Cur? quia cauſſa lepræ peccatum erat, quod ſolus Sacerdos indicare poterat, & ut eluereturcurare debebat. 3. Quia lepræ curatæ aut abolitæ indicatio, qualis in Lege traditur, Medicinæ naturalis indicationibus planè contraria eſt & repugnans. Nam Lex lepram curatam indicat aut colligi vult, quando ea tota inalbeſcit aut in albedinem converſa eſt: At lepra alba ſive candida peſſimæ ac peſtilentiſſimæ lepræ indicium eſt. Ex quo colligunt lepram iſtam extraordinariæ divinæ iræ indicium fuiſſe, ejuſque indicationem à Deo ſolo pependiſſe, Sacerdotibuſque Dei commiſſam fuiſſe, ut eos qui iſta tenebantur monerent officii ſui, & ad ſeriam reſipiſcentiam cohortarentur, probantes Deo cordium ſcrutatori vitam & opera ſua.

*Num.* XII. 10, 12. *Deut.* XXIV. 8, 9. 2 *Reg.* V. 27.

Ad me quod attinet, ego (ſalvo aliorum judicio) ſic ſtatuo: 1. lepram corporis, ſive quæ corpora hominum infeſtabat, Syriæ populis propriam fuiſſe ſive epidemicam, & contrahi potuiſſe ex vitioſis cibis, aëre infecto, ipſiuſque corporis diſpoſitione prava ac vitioſa, abſque ullo peccato, quod tanquam cauſſa προηγουμένη Deum moveret ad morbum iſtum immittendum: ut in Naamano Syro aliiſque accidiſſe legimus, 2 *Reg.* V. & *Luc.* IV. 27. Imò vero de Naamane Syro dici poſſe credo, quod de cæco nato Chriſtus dixiſſe legitur *Joan.* IX. lepram ei fuiſſe immiſſam à Deo ut gloria nominis divini inclareſceret in Syria tota. Videtur enim fuiſſe vir probus & celebris, per quem

gloria

gloria Dei Iſraelis poterat inclareſcere: Judæi ſanctum fuiſſe dicunt Naamanum, ideò quod ſagittam immiſiſſet in impium regem Achabum. 2. Lepram veſtium & domorum propriam fuiſſe Judææ, ſed ita propriam, ut non niſi propter peccatum à Deo immitteretur: quod indicant loca & exempla à nobis allegata, & Fœderis veteris natura, quod comminationibus malorum corporalium, & promiſſionibus contrariorum bonorum ſancitum fuit: uti *Levit.* XXVI. 16. & *Deut.* XXVIII. 22. 27 videre eſt: & nominatim ex eo quod *Deut.* XXIV. 9 legitur.

An lepra contagioſa fuerit dubito. Immundus quidem fiebat qui leproſum ejuſve veſtem tangebat, aut domum ingrediebatur, ſed leproſum factum non reperio. Arcebantur quidem à civitate leproſi, ſed non à colloquio, uti in exemplo Gehaſi cum Joramo Rege diſſerentis manifeſtum eſt: 2 *Reg.* VIII: item ex exemplo Naamanis Syri, quem in ipſam uſque urbem veniſſe veriſimile eſt, ſicut extra eam comitatum fuiſſe multis ſervis ac miniſtris manifeſtum eſt; quin & ordinariè Regi Domino ſuo humeros ſubjeciſſe, quando in templum idoli ſui ingrediebatur; quæ ſane agendi ratio contagioſam eam non fuiſſe arguit. De Gehazi fortè quis dixerit eum quando cum rege loqueretur, nondum lepra correptum fuiſſe, etſi κατ' ὄνειρον id ita narretur, aut pœnitentia ſua, vel precibus Elizæi ab ea liberatum, uti Miriam ſoror Moſis ab ea liberabatur divina indulgentia & gratia, poſtquam ſeptem diebus recluſa fuerat. Quod lepræ hujus curam ſolis Sacerdotibus commiſſam fuiſſe volunt Hebræi, id profecto non alio ſenſu intelligi ab ipſis poteſt, quam quod lepræ indicatio ad illos ſolos pertinuerit, non vero ejus cura aut medicina.

*Nonum.* IX. Gonorrhœus immundus eſt, & immundat: *Levit.* XV. 2.

*Decimum.* X. Sperma immundat ſive contaminat: *Levit.* XV. 16.

*Undecimum.* XI. Mulier extra ſtatum tempus fluxum patiens immunda eſt, & immundat: *ibid. verſ.* 25.

Mulier hæc *Zaba* ſive *manans* vocatur Hebræis: de qua peculiaria tradunt quæ non recenſeo.

*Duodecimum.* XII. Mortuus immundus eſt, & immundat. *Num.* XIX. 14.

Immunditiam hanc graviſſimam ſive ſummam vocant, quia ſolo contactu cadaveris, imo ſublatione ejus in humeros, quin & præſentia in loco ubi cadaver erat, contrahebatur, durabatque per ſeptem dies, nec tolli poterat niſi cinere vaccæ rufæ: de quo infra.

Hactenus de immundiciis actum eſt: de quibus illud in genere obſervandum eſt: Nullam omnino rationem certam excogitari aut dari à nobis poſſe, quales aut cur aut unde immunditiæ iſtæ pro immunditiis cenſitæ fuerint. Rationem iſtam ſoli Deo conſtare, nobiſque ſufficere debere divinum de iis oraculum, qui eas pronunciavit tantas eſſe, ut neminem una aliqua iſtarum infectum ad ſacra loca aut munia admitti voluerit.

*Decimum tertium.* XIII. Ut mundatio omnis fiat cum *Tebilà*, id eſt balneo: *Levit.* XV. 16.

Præceptum hoc in textu non eſt: Nec enim generatim de quavis mundatione textus loquitur, ſed tantum de mundatione ſpermatici: nec balnei mentio fit, ſed tantum ablutionis quæ per aquam fit. Sed & mirum eſt hoc inter præcepta referri ab Hebræis, cum ipſi fateantur neminem immundum abſolutè ex vi præcepti obligari ad mundandum ſe, nedum ad mundandum ſe balneo ſive totius corporis immerſione in aquam: ſed tantum hypotheticè, ſi mundare ſe velit ut alia ratione ſe non mundet quam cum *Tebila* ſive balneo. *Tebilà* autem appellant aquarum vivarum, (id eſt vel ex mari, vel ex fonte, vel ex pluvia manantium, non verò manu hauſtarum, quia vocantur מים חיים *verſ.* 13.) tantam copiam & confuſionem ut ei totum corpus ſimul ac ſemel immergi poſſit. An ritus iſte in populo obtinuerit, neſcio: nec ſi quis id affirmet repugno: In textu enim dicitur, lavabit את כל בשרו *totam carnem ſuam*: quamquam vox carnis alio aliquando ſenſu accipiatur, ut non niſi iſtam carnis partem ſignificet quæ immunda eſt. Id conſtat, apud gentiles etiam ritum viguiſſe corpus aqua abluendi occaſione ſimilium immunditiarum: non quidem univerſali ſemper corporis merſione, ſed adſperſione aut lotione etiam qualicunque. Sic Perſius Satyr. 2.

*Hæc ſanctè ut poſcas, Tiberino in gurgite mergis*
*Mane caput, bis terque, & noctem flumine purgas.*

Per noctem intelligens nocturnum concubitum. Sunt qui Baptiſmi vocem & ritum continere volunt totalem corporis immerſionem, iſta mundatione quæ cum Tebila fit adumbratam, vel eam referentem: Sed cauſſam non video ſatis gravem. Etſi enim βαπτίζειν plus aliquid videatur ſignificare quam ἐπιπολάζειν, & minus quam δύειν, tamen certum eſt vocem iſtam ſæpe in Scripturis ſignificare qualemcunque ablutionem, etiam quæ per ῥαντισμὸν ſive adſperſionem ſolam fit. Nolim tamen contendere cum iis, qui Baptiſmum per immerſionem aut ſubmerſionem olim fieri ſolitum fuiſſe contendunt; dummodo neceſſitas ubique ritum iſtum obſervandi non introducatur. Videmus ritum noſtrum declinare nonnihil à veteri & à multis traduci. Sunt qui utraque manu aquam acceptam infundunt baptizando: quod proprius accedit ad antiquorum ritum. Sed iſta non faciunt ad ſubſtantiam baptiſmi: de quibus alias pluribus. Hîc pulcræ allegoriæ poſſent elici de aquis mundantibus, apud Eſaiam *cap.* I. & *Ezech. cap.* XXXVI.

*Decimum quartum.* XIV. Ut mundatio lepræ fiat cum cedro, hyſſopo, & lana coccinea vel cocco, aliiſque cæremoniis in lege expreſſis: *Levit.* XIV. 2.

*Decimum quintum.* XV. Ut leproſus die ſeptima radat omnem capitis ſui pilum: *ibid. verſ.* 9.

Præcepta hæc clara ſunt. An raſio capitis intelligatur quæ novacula fit, an quælibet tonſio quæ forcipe etiam aliiſve inſtrumentis fit, non diſputo. Si verbum quo Scriptura utitur, attendatur גלח ſcilicet raſio indicari videtur. Tondere enim eſt גזז *Gazaz* aut *Guz*. Sed rei veritas ex uſu & more in populo recepto petenda eſt. Raſionem hanc capitis, id eſt comæ, barbæ, ſuperciliorum, &c. adeo accuratè fieri debuiſſe aſſerunt Hebræi, ut ne minimus quidem pilus reliquus maneret: adeo ut ſi vel duo vel unus pilus reſtaret, raſio tota fruſtra eſſet. Fides eſto penes autores. Allegorias quas hîc faciunt curioſiſſimi quidam Magiſtri non tango. Piæ ſunt ſed incertæ conjecturæ.

*Decimum ſextum.* XVI. Ut leproſus non compareat nec prodeat in publicum, niſi cum ſignis ex quibus dignoſcitur lepra: *Levit.* XIII. 45.

Præceptum hoc ad leproſum inſanabilem ſive cujus lepra confirmata eſt, pertinet; non vero etiam ad leproſum à Sacerdote concluſum tantum. Et ad leproſum marem tantum ſpectare volunt Hebræi, non vero etiam ad fœminam leproſam. Signa autem tria erant: Veſtimenta rupta ſive lacera, capillus intonſus, & os obvolutum. Quod de capite nudo legitur, id Hebræi exponi ajunt perperam, quando leproſum retecto capite eſſe debuiſſe exponitur; cùm contra obvoluto planè capite eſſe debuiſſe conſtans apud eos ſit traditio. Vocem autem פרוע retectum ſignificare iſto in loco, non quia caput leproſi nullo pileo tegi, neque panno obvolvi poterat; contrarium enim traditione apud ſe certum eſſe dicunt: ſed (ſi quid ego colligere poſſum de ipſorum mente) quia coma capitis dum nutritur & creſcit, retegitur, & pori capitis tum aperti fiunt. unde inferunt iſta voce deſignari, leproſum comam alere debuiſſe; ita ut non raderet caput, nec multum detonderet è pilis. Quid ſit iſta de re ego in medio relinquo. Quod vero ex eo quia in textu dicitur, *Immundus immundus vocabit*, colligunt omnem immundum manifeſtare ſe debuiſſe aliquo ſigno; ac ſi legatur, Immundus (omnis) immundum ſe vocabit, nimis profecto vanum eſt: cum ex ipſis textus verbis pateat, iſta non eſſe niſi leproſi verba, omnes arcentis à ſuo contactu, idque ſerio; ac proinde duplicantis ſive repetentis eandem vocem *Immundus, immundus*, ſcilicet ſum: cavete vobis à me non propter contagium (uti plerique volunt) ſed propter immunditiem ſummam, immundantem immunditie legali non phyſica. Ex hoc patet leproſos à Chriſto noſtro ſanatos, omnes incurabiles fuiſſe: ac proinde curationem eorum inter proprie dicta miracula meritò cenſeri ac cenſendam eſſe.

*Decimum ſeptimum.* XVII. Ut vacca rufa comburatur, juxta præſcriptum Legis, *Num.* XIX. 2.

*Decimum octavum.* XVIII. Aquas vaccæ rufæ cinere reſperſas, quas appellat Scriptura מי־הנדה vel מי נדה id eſt *aquas ſeparationis*, mundare & immundare. *Ibid. verſ.* 19.

*De cæremoniis vaccæ rufæ.* Præceptum de vacca rufa comburenda manifeſtum eſt. Ritus quem in ea comburenda obſervandum & obſervatum fuiſſe aſſerunt Hebræi, apud ipſos videatur: qui ſuper ætate, colore pilorum ejus, (quem rufum rufum, id eſt adeo perfectè rufum eſſe debuiſſe contendunt, ut ne duo quidem pili alterius coloris reperiri poſſent in toto corpore) ſuper cauſa inſtrumentali comburente, quam volunt fuiſſe principem ſacerdotem, ſecundum à Summo Pontifice, & ſuper modo comburendi neſcio quæ obſervari ſolita referunt: quæ tamen ex textu ipſo non liquent, ac proinde prætereo. Similiter de aquis *Niddah* referunt mira, quæ nec textus nec Scriptores alii habent. Nempe eas in partes tres diſtributas fuiſſe. Primam reponebant in monte unctionis: (is erat extra urbem Hieroſolymitanam & ad eum à monte ſancto

Sion

Sion pontem erigi ſolitum ajunt per quem vacca illa deducebatur ex monte ſancto ad montem iſtum unctionis. Atque illa pars aquæ ſerviebat inundando populo univerſo, ex contactu cadaveris aut ſepulchri infecto. Secundam diſtribuebant inter Sacerdotes: atque ea ſerviebat mundandis Sacerdotibus. Tertiam recondebant in certa templi parte, ut legis verba adimplerent quibus dicitur, *Et erit filiis Iſrael in ſtatutum ſeculi*: interpretatione inepta, an ſuperſtitioſa neſcio. Certe ajunt in templo iſta parte adſervatam fuiſſe ejuſmodi aquam, uſque ad deſtructionem templi ſecundi, eoque fine novem vaccas uſque ad tempus iſtud combuſtas fuiſſe; unam & primam à Moſe, cujus aqua duraverit nongentis & ſexaginta annis integris. Secundam ab Eſra, & poſt Eſram uſque ad excidium templi ſecundi ſeptem: quarum aqua duraverit non niſi quadringentis & viginti annis integris. Fides eſto penes eos. Decimam comburendam eſſe dicunt à Meſſia: quando veniet ſcilicet. Quicquid ſit: Finis combuſtionis vaccæ rufæ fuit, ut aquæ cinere iſtius vaccæ reſperſæ, ſervirent mundandæ iſti ſoli principali ſive majori immunditici, quæ ex contactu cadaveris, ſepulchri, &c. contracta fuerat; quæ quia tranſitione ſua nocebat aliis, principalis ſive major immunditia appellatur, tractuque temporis longiore indigebat ut aboleretur. Hic finis ex textu clarus eſt. Alios allegant Hebræi, ſed ſuperſtitionis plenos. Nempe vulnus & contagio vituli in deſerto erecti hærebat adhuc in populo, & tranſitione ſua multos infecerat. Hinc matrem à Deo deſtinatam fuiſſe volunt, vaccam ſcilicet per quam expiaretur & purgaretur venenum quod filius, id eſt vitulus diſſeminaverat: expoſitione ſane ludicra dicam an ſuperſtitioſa. Nempe matris vaccæ erat expiare culpam aut malum à filio profectum. Et videas Judæos in hujus præcepti de vacca rufa tractatione adeo admirabundos hæſitare, ut quicquid fere in ea obſervare eſt, id omne prodigioſum & captum humanum tranſcendens faciant. Nempe Solomonem ipſum omnium hominum ſapientiſſimum ad vaccæ rufæ myſterium reſpexiſſe volunt, cum *Eccleſ.* VII. 23. ait: *Omne hoc tentavi in ſapientia. Dixi, ſapiens ſum, & ipſa elongata eſt à me*: nempe (quid vanius?) quando vaccæ rufæ rationem indagare volui. Et cur quæſo? Duas cauſſas fuiſſe ajunt. 1. quia mens humana comprehendere non poteſt, unam eandemque rem & mundare immundum, & mundum ſimul immundare. At iſta erat vis aquæ *Niddah* ſive ſeparationis, ut ex verſibus ultimis capitis apparet. 2. Quia cum ſacrificia omnia fierent in templo ſuper altari ſacro, hoc ſacrificium extra urbem ſanctam peragebatur ex divino præſcripto. Utraque ſane cauſſa tantæ admirationis ſpecioſa eſt. neutra tamen ſufficit ad concludendum, in iſta cæremonia arcanum aut ſecretum ingens latere, quod humanæ menti ſit ἀκαθόληπτον: cùm tota cæremoniæ iſtius ratio ſita eſſe poſſit in ſola divinæ voluntatis ordinatione ſive placito, cujus ratio nulla apud Deum fuerit, nec ab hominibus requiri debeat: quia mere externa, corporalis & carnalis cæremonia eſt, ad carnis puritatem indicandam tantum pertinens, non verò ad eam procurandam aut efficiendam phyſica aliqua vi aut virtute cineribus iſtis propria inſitave. Veriſimile tamen eſt, Deum iſta cæremonia veluti typo aliquo repræſentare voluiſſe, non poſſe hominem in gratiam redire cum Deo, niſi ab operibus mortuis imprimis purgetur, & peccata ejus ſanguine ſimul atque igne aliquo ſacro expientur, qui non niſi cineres reliquos fecerit: ex quorum adſperſione vitæ quaſi ac ſaluti ſive ſanitati reſtituatur. Certe Apoſtolus noſter, ſive ſcriptor ad Hebræos, non alia ratione ſanguinem taurorum & hircorum, huncque ipſum cinerem vaccæ rufæ adſperſum carni conſiderat, quam typica; quòd videlicet ſanguis Chriſti conſcientiis adſperſus, id eſt Chriſtus mortuus, ſive Chriſtiana Religio vera fide apprehenſa, multo majorem vim habeat ad expurgandum peccata, quæ conſcientiæ labes & maculæ ſunt, quam ſanguis taurorum & hircorum, ciniſque juvencæ adſpergens inquinatos ex divina ordinatione, olim vim habuit ſanctificandi ad carnis puritatem: *Heb.* IX. 13. 14. quaſi diceret: Illa (ſacrificia enim hircorum & taurorum conjungit & pari loco cenſet cum cinere juvencæ rufæ) emundabant, Deo ita pro arbitrio ſuo ordinante, carnem tantum ex cadaveris alicujus contactu fædatam, aut alia aliqua immunditia dehoneſtatam; ita ut adſperſione aut oblatione iſta facta, fas ipſis eſſet cum hominibus verſari, templum intrare, ſacris intereſſe, hoſtias contingere, carnibus earum veſci, &c. Hic verò ſanguis, id eſt hæc religio, ſanguine & reſurrectione veluti æterno Spiritu Chriſti confirmata, & vera fide apprehenſa, multo maximam habet vim ad excitandum animas noſtras & conſcientias convincendum, ut mortuis operibus, id eſt mortiferis valere juſſis, Deo vivo ſerviamus in novitate Spiritus. Atque hoc ſufficere credo ad rectam ceremoniæ hujus intelligentiam, quæ quidem Chriſtianis hoc tempore neceſſaria eſt.

## CAPUT V, ſeu

## Domus quinta præceptorum affirmativorum, quæ eſt domus eleemoſynarum & decimarum, & XXXII præcepta continet.

I. Ut pauperibus eleemoſynæ dentur: juxta illud *Deut.* XV. 8. *Aperiendo aperies manum tuam pauperi.* *Primum.*

PRæceptum hoc manifeſtum eſt: ſed quod ad pauperes Iſraelitas tantum pertinere volunt Hebræi; nitique ajunt partim naturæ lege, qua Reſpublica omnis ac ſocietas humana continetur; partim divinæ naturæ proprietatibus, quas imitari decet veros Dei cultores, quaſque paſſim Deus ipſe inſinuat, quando pietatem, beneficentiam, & miſericordiam populo ſuo præcipit ac commendat; partim populi ipſius arcta communione, propter quam Dei filii & fratres inter ſe vocantur, additurque ſemper in deſcriptione eorum, *ut vivat frater tuus*; partim etiam ipſius operis dignitate atque excellentia, quam Deus ipſe paſſim idcirco commendatam voluit: *Eſa.* LIV. 14. & LVI. 1. & LVIII. *&c.* *De iis quæ obſervari volunt Judæi in eleemoſynis faciendis.*

Sub eleemoſynæ voce comprehendunt omnia beneficentiæ opera, ut captivorum redemtionem, nudorum veſtitionem, peregrinorum hoſpitationem, liberationem captivorum, viſitationem infirmorum, mortuorum ſepelitionem, lugentium conſolationem, aliaque quæ neceſſitati pauperum ſublevandæ faciunt; quæ generali voce צדקה appellant, qua etiam uſus eſt Servator noſter *Matth.* VI. pro eleemoſyna. Ut præcepto huic præſtando perpetuus quaſi locus ſit, conſtituerunt exemplo ſane illuſtri & Chriſtianis omnibus imitando, ut ubicunque *Kahal*, id eſt congregatio Iſraelitica eſt, ſaltem decem perſonarum, *Gabaim* ſint five theſaurarii, qui *Sedaca*, id eſt eleemoſynas ſive juſtitias colligant in uſum & ſubſidium pauperum. quos theſaurarios tanto in pretio haberi volunt, ut majoris meriti eſſe aſſerant iſtis eleemoſynas diſtribuendas dare, quam ipſis pauperibus dare.

Gradus enim in virtute hac exercenda faciunt hos: Primus iſque ſummus eſt, pauperem ita juvare ut eleemoſynam petere opus non habeat, ſed victum ipſe ſibi quærere commode poſſit. Secundus iſque inferior eſt, pauperi ita dare ut dator ipſe neſciat cui det, & pauper qui recipit neſciat à quo recipiat. Tertius adhuc inferior, ita eum juvare ut ſcias cui des, at ille neſciat à quo recipiat. Quartus eique ſimilis, ſed inferior adhuc, ut neſcias cui des, at qui recipit ſciat quis det. Quintus, ut des antequam petatur. Sextus, ut cum petitur des quantum decet & neceſſe eſt. Septimus, minus dare quam neceſſe eſt hilari fronte. Octavus & ultimus, dare cum triſtitia aut invita manu & mente.

Quantitas *Sedaca* reſtingitur ab ipſis ſecundum vires & facultates cujuſque, adeo ut qui infra eas dat, præceptum hoc tranſgredi credatur. Et ne quis facultates ſuas æſtimet pro arbitrio, deficiatque in præcepti hujus præſtatione, menſuram certam conſtituerunt hanc, ut quiſque decimam partem eorum quæ lucratur in pauperes conferat. Et ne quis etiam hac in parte deficiat, judices ordinarunt, qui in cujuſque facultates inquirerent, & officii ſui negligentes ad liberalitatem exſtimularent, ſervatis ſemper prudentiæ legibus, & omnibus ad æquitatis regulam expenſis. Addunt verò, quia præceptum hoc generale eſt, ipſos etiam pauperes ex iis quæ accipiunt conferre aliquid teneri in uſus pauperum publicos. Hæc dico me obſervare ex libris eorum: non quod credam iſta ſufficere Chriſtiano homini in erogatione eleemoſynarum ſuarum, aut totum quod de eleemoſynis dici poteſt exhaurire; ſed ut oſtendam quam longe à Judaica liberalitate abſint multi Chriſtiani, ſi non plerique; & ſi fieri poteſt, hac ipſa Judæorum virtute provocentur ad æmulationem.

II. Ut qui pretium ſive æſtimationem hominis vovet vel promittit, eam pendat aut ſolvat: juxta Legis præſcriptum, *Levit.* XXVII. 2. *Secundum.*

III. Ut qui pretium animalis quadrupedis immundi vovet, id pendat juxta æſtimationem Sacerdotis: *Levit.* XXVII. 11. *Tertium.*

IV. Ut qui pretium domus ſuæ vovet, id ſolvat juxta æſtimationem Sacerdotis, cum quinta inſuper æſtimati pretii parte: *Levit.* XXVII. 14. *Quartum.*

V. Ut qui agri aut campi pretium vovet, id pendat juxta æſtimationem lege definitam: *Levit.* XXVII. 16. *Quintum.*

Præcepta hæc quatuor non pertinent niſi ad pretia votorum ſanctorum, id eſt quibus Deo aliquid promittitur, in uſum

uſum templi & rerum ſacrarum, ſive conſervationem, ſive reparationem; quod in certo aliquo gazophylacio adſervabatur. Vota hæc rite facta irrevocabilia erant: ita tamen ut redimi poſſent, idque vel juxta Sacerdotis æſtimationem, vel juxta ipſam Legis definitionem. Intellige ſemper vota de pretio aut æſtimatione ſolum facta. Si enim votum aut promiſſum erat in hanc formulam, *voveo quantum valet*, non pretium aut æſtimatio pretii ſolvenda tantum erat, ſed quanti vendebatur res promiſſa, aut quantum valebat. Deinde intellige vota de domibus aut agris facta, ſi venderentur alii & non redimerentur, talia fuiſſe ut ea in Jubilæo anno cederent Sacerdotibus: ſi vero emerentur ab aliis, & Deo voverentur, non durarent apud emtorem, niſi ad Jubilæum uſque, quo ea ad veteres dominos redire debebant.

*Sextum.* VI. Ut qui per errorem culpam falſi commiſerit, quintam partem ultra rem falſatam ſolvat: *Levit.* V. 16.

De hac culpa egimus in præcepto XXXIII domus tertiæ. In eo conſiſtit: Si quis imprudenter res ſacras, ſive in ſacrificium deſtinatas, ſive voto Deo conſecratas, in uſum ſuum convertiſſet, vel edendo ex iis, vel iis utendo, aut per eas lucrum faciendo: hic talis rem ſacram ſive juſtum rei ſacræ pretium reſtituere, & quintam inſuper partem addere jubetur. Nempe ſacrarum rerum religionem ne imprudenter quidem violari voluit Deus, ut iis Majeſtas ſua ſarta tecta conſtaret.

*Septimum.* VII. Ut fructus omnes anni quarti Deo ſancti ſint & conſecrati: *Levit.* XIX. 24.

Præceptum hoc ad terram ſanctam pertinere creditur ab Hebræis: in qua primorum trium annorum fructus ex plantis, arboribus & fruticibus, עֲרלָה præputia appellabantur, quia eos veluti profanos atque immundos comedere fas non erat, ſed ab iis veluti à præputiis abſtinendum, nec ex iis primitiæ Deo offerendæ erant. Fructus iſti ſi qui forte enati erant, avellendi & abjiciendi erant, non aliter quam abjici ſolent præputia, partim quia veluti immundi erant, partim quia erant præcoces ſive præmaturi, & intempeſtivè à natura extorti, quorum uſus nec Deo convenit, nec domino, ut Joſephus ait. Quarti anni fructus ſanctitas laudum Deo erant, hactenus quod vel ipſi, vel pretia eorum ſi redimerentur, in ſacram urbem & ædem Hieroſolymitanam adferenda erant, ut cum decimis aliorum fructuum in epulas ad laudem Dei converterentur & conſumerentur. Notandum verò eſt juxta Joſephum & Hebræos, Fructus hos non vocari ſanctitatem Domino, quia Sacerdotibus cedebant in uſum, uti phraſis illa plerumque accipitur: contra enim nihil ex iis participabant Sacerdotes, uti neque ex decimis ſecundis, ſed toti cedebant dominis ſuis: ſed vero quia non niſi in urbe ſancta comedi, & ad laudem ac gloriam Dei uſurpari debebant. Si ritus iſte in populo obtinuit, non repugno. At ſi lex conſideretur, non video rationem qua ritus iſte nititur. Locus enim quem citant nonnulli ex *Num.* V. 10, neutiquam iſti ritui probando ſufficit; partim quia obſcurus eſt; partim quia ſenſus iſte non niſi violenter ex verbis exprimitur, in quibus directe de iis quæ in Sacerdotum jus tranſibant, ſive eæ eſſent votivæ ſive ſpontaneæ oblationes, agi videtur. Eſto tamen. Scopus præcepti eſt, Deo primos ac non niſi perfectos ſive elaboratos fructus cum gratiarum actione offerendos eſſe. Præpropera & inconcocta, intempeſtiva & præcocia omnia Deo non ſapere: ſed ea ſola quæ conſilio firmata, & deliberato ſtudio roborata, animum ſpirant homine qua homo eſt dignum.

*Octavum.* VIII. Ut agrorum extremæ oræ, ſive anguli, pauperibus metendæ & legendæ relinquantur: *Levit.* XIX. 9.

Præcepto hoc commendatur miſericordia & benignitas in pauperes, vetaturque ne omnia ad extremum reſecentur, ita ut nihil pauperibus colligendum relinquatur. Notate interim miram ſcrupuloſitatem Magiſtrorum, qui præceptum adfirmativum ſpeciale ex his verbis educunt; cum revera negativum ſit id in quo præcepti hujus vis potiſſimum poſita eſt. Per *pauperes* autem, Judæos pauperes tantum intelligi volunt: quod admitti forte poteſt. Per peregrinum vero quem? duplex גֵּר צֶדֶק ipſis eſt, גֵּר צֶדֶק *Ger ſedec. Peregrinus juſtus* qui proſelytus vocatur, quia circumciſione ſuſcepta tranſiit in Judæorum Religionem: & גֵּר תּוֹשָׁב *Ger toſchab, peregrinus reſidens*, hoſpes, inquilinus, qui videlicet in populo & terra ſancta habitat, ſed Judæus tamen religione non eſt; ſolummodo ſeptem præceptorum Noachi retinens. Iſtum primum intelligi tantum volunt, non hunc, nedum alios pauperes gentilium. Pacis tamen & concordiæ cauſſa hiſce permitti poſſe ſtatuunt, ut cum cæteris pauperibus Judæis partem etiam aliquam colligant. Sed de peregrinis quid ſentiendum ſit dicetur à nobis in Domo 9. præcepto 21. Hic videtis quanto excellentior Jeſu Chriſti lex ſit, quæ omnium pauperum curam haberi vult abſque diſcrimine, ſi modo pauperes vere ſint. Non poſſum tamen quin prudentiam Judæorum hac in re commendem, qui ne in fraudem legis, quæ generaliter & indiſtinctè angulum ſive extremitatem agri relinqui jubet pauperibus, peccetur, & cujuſlibet arbitrio deferatur oræ ſive extremitatis iſtius quantitatem definire ac circumſcribere, decretum fecerunt ſpeciale circa iſtam quantitatem; ut videlicet ſexageſima cujuſque campi aut agri pars relinquatur pauperibus: exemplo ſane laudando, & vel Chriſtianis imitando, ut avaritiæ & tenacitati quantum fieri poteſt occurratur. Etſi enim Lex in terminis quantitatem iſtam non præſcribit, & pius quiſque ac Dei timens quantitatem iſtam augere poteſt pro pietate & indulgentia ſua, tamen quia ea fere plerorumque hominum indoles eſt, ut pauperum curam adeo exiguam habeant, ut vel minimum quidquam illis relinquere ſibique detrahere ad caritatem credant ſufficere; profecto laudari meretur eorum induſtria, qui regulam aliquam caritatis officiis ex æquitate adſignant, ſecundum quam plerorumque avaritia corrigatur, ſalva cuique pio libertate eam excedendi pro arbitrio ſuo, & de ſuo quantum volet in uſus pauperum conferendi. Hoc ſi in omnibus proventibus bonorum, reditibus pecuniarum, negotiationumque lucro fieret, haud dubie pauperum minus & virtutum plus haberemus. Sed hac de re alias pluribus.

*Nonum.* IX. Ut pauperibus ſpicæ relinquantur quæ tempore meſſis excidunt: *Levit.* XIX. 9.

Præceptum hoc negativum potius eſt, & cum priore convenit. Per *ſpicas* autem intelliguntur, eæ quæ vel ex manipulis vel ex manibus colligentium excidunt tempore meſſis. Excipiunt tamen Hebræi hoc pacto: Si ſpica una ſeorſim aut duæ tantum junctæ excidant, non vero ſi plures: has enim ad dominum agri pertinere volunt. Si res dubia eſt, potiorem volunt eſſe cauſſam pauperis. Ego iſtam nimis circumſpectam curam eſſe arbitror. Præſtat enim ut peccetur in nimio, quam in nimis parum dando & relinquendo. Iſtud caritas ſuadet: hoc avaritiæ ſpeciem habet; niſi velimus id propterea ſic ab iis ſtatutum eſſe, quia pauperum agri iiſdem legibus obnoxii erant cum agris divitum.

*Decimum.* X. Ut manipulus relinquatur pauperibus, qui per oblivionem in eo relictus eſt: *Deut.* XXIV. 19.

Præceptum hoc mirum quomodo & quam anxie reſtringant plerique Judæi. Oblivionem enim non intelligunt niſi totalem & generalem, id eſt ita ut manipulum oblitus ſit auferre dominus ipſe, & ſimul etiam ipſi meſſores. Si neuter recordetur, oblivio eſt: ſi alteruter tantum, oblivio non eſt. Deinde per manipulum intelligunt faſciculum continentem minus quam tres modios. Si enim ſit manipulus continens tres modios & ultra, non eſt oblivio inquiunt. Nimis profecto anxie. Joſepus cum de his legibus agit lib. 4 Antiquit. cap. 8, longè aliter ſenſiſſe videtur. Vult enim non oblivione tantum relictas ſegetes, fructus, racemos, pauperibus relinqui, ſed etiam dedita opera aliquas reliquias fuiſſe in uſus pauperum dimittendas: etſi fateor verba legis de oblivione proprie dicta intelligenda eſſe. Sed ut oblivio iſta adeo arcte circumſcribatur, id vero mihi avaritiam ſapere videtur, potius quàm caritatem & prudentiam: niſi dicamus idem hic, quod in priore præcepto locum habuiſſe, videlicet agros pauperum iiſdem legibus fuiſſe obnoxios, quibus agri divitum erant: ac proinde in gratiam pauperum has anxias diſtinctiones factas eſſe: quo ſenſu veniam merenrur.

*Vndecimum.* XI. Ut racemi in vinea relinquantur: *Levit.* XIX 10.

Per racemos intelliguntur ramuli ſive botryones inaniores, qui uvis non ſunt densè obſiti.

*Duodecimum.* XII. Ut uvarum grana, quæ ex vinea in terram decidcrunt, pauperibus relinquantur: *ibid.*

Per uvarum grana intelligi volunt Hebræi, uvas tum ſingulas tum duas junctas, non verò ſi tres ſimul junctæ deciderunt. Has enim ad dominum pertinere volunt. Cæteras verò non relinquere pauperibus, in furto ponunt.

Ex his patet quam liberaliter haberi Deus voluerit in populo ſuo pauperes, & quam benigne pudori eorum ſuccurrere voluerit. Omnia enim iſta quæ diximus, jure divino ad eos pertinebant, ut ea à dominis petere neceſſe non haberent, nec pro iis gratias agere tanquam pro accepta ſtipe iis cogerentur; quin imo ut ea intervertere aut non relinquere iis, tantundem eſſet atque iis ſuffurari propria ipſorum bona. Utinam inter ipſos Chriſtianos hæc lex etiamnum vigeret, quorum liberalitas Judaica certe inferior eſſe non debebat, ſi non multo perfectior pleniorque. Sed dolendum eſt cum jugo cæremoniarum inutilium excuſſo, morum etiam virtutumque laudatiſſimarum jugum quaſi excuſſum eſſe: non aliter quàm ſi Chriſtianum eſſe tantundem ſit atque nihil cum Judaicis legibus, tam quæ ad mores ſpectant quam quæ ad cæremonias & judicia, commune habere velle. Ma-

gnopere ſane hoc facit ad opprobrium Religionis Chriſtianæ, & Judæorum offendiculum: quod non ſine ſpecie veri exaggerant in contumeliam Servatoris noſtri, quem caritatis, liberalitatis, beneficentiæ, cæterarumque virtutum, non præconem tantum ſed ἀρχηγὸν ἡλιωτὴν eſſe gloriamur.

*Decimum tertium.* XIII. Ut primitiæ primitivorum fructuum terræ adducantur in ædem ſacram ſive templum: *Exod.* XXIII. 19.

*Decimum quartum.* XIV. Ut legatur ſuper primitiis oblatis, id quod *Deut.* XXVI. *verſ.* 5. 6. 7, *&c.* ſcriptum exſtat.

Per primitias fructuum intelligendæ videntur primitiæ omnium fructuum, ſi verba textus ultimi videantur. Dicitur enim iſthic כל־פרי. At ſi verba primi textus videantur, & traditio Hebræorum, non intelliguntur niſi fructus terræ ſanctæ: quia dicitur אדמתך. quamquam voce iſta non terra tantum ſancta, ſed terra quælibet indicatur, iſta ſcilicet in qua quiſque domicilium ſuum habebat fixum. Quia tamen in ſecundo Deuteronomii loco mentio fit caniſtri *verſ.* 2. cum dicitur וְשַׂמְתָּ בַטֶּנֶא *& pones in caniſtro*; videtur fructuum quorundam tantum qui caniſtro imponi apti ſunt ratio haberi. In antiquiſſimis monumentis Juris Judaici hæc regula exſtat, ut Joſephus Scaliger ait: Omne eſculentum hominis quod aſſervatur, cujus incrementa ſunt de terra, obnoxium eſt oblationi, ac conſequenter primitiis ac decimis. Etiam hortenſia vel viliſſima quæque, modo eſui hominibus eſſent, in hunc cenſum veniebant, mentha, pulegium, rutha, origanum, anethum & id genus alia, quorum nomina non ſolum in iure concepta ſunt, ſed etiam in Euangelio, ut *Matth.* XXIII. 23. *Luc.* XI. 42. Omne igitur eſculentum hominis è terra natum, quod in conditis ſervatur, ut quæ in cellis, horreis, apothecis reponuntur, hac lege tenetur. Fructus autem terræ ſanctæ ſeptem intelligi volunt Hebræi: Triticum, hordeum, uvas, ficus, malogranata ſive malos punicas, olivas, dactylos. Primitiæ horum fructuum erant ex ſenſu Hebræorum iſtæ, quas dominus primum curioſè veſtigans & obſervans, ex. gr. arborem ficum, deprehendebat maturuiſſe aut matureſcere. Illos enim fructus filo aut linteolo notabat, ut dignoſci poſſent à cæteris ubi maturuiſſent. Intellige fructus non præcoces qui ante tempus maturuerunt; ſed qui maturitatem debito ſuo tempore adepti ſunt: ὡς πεπέψονται, vocantur Græcis, vel ὡς πεπέμμα, Hebræis בכורים vel נְמָרִים perfecti & elaborati. Hos decerptos adducere deinde debebat Hieroſolimam, & Deo ad aram templi ſiſtere, univerſoſque Sacerdotibus reliquere, penes quos iſto tempore cuſtodia templi & rerum ſacrarum erat. Ritus verò quo primitiæ iſtæ ex omnibus civitatibus Hieroſolymam ſolemniter advehebantur, & in templum inferebantur apud ipſos videatur. Cum bove olivis coronato & cornibus inauratis, omnium civitatum deputati viam ibant, cantantes verba Pſalmi Gradualis, *Exhilaror cum dicentibus mihi, In domum Domini ibimus*, &c. Ante portas urbis cum veniſſent, primitias floribus & corollis veſtiebant, & principes ac primores urbis obvii egrediebatur, recipiebantque deputatos magna cum feſtivitate: Juncti verò per civitatem incedentes, canebant ſequentia verba, *ſtabant pedes noſtri in portis tuis ô Jeruſalem.* Et acclamabant accinebantque omnes cives civiumque primarii uſque ad ipſum pedem montis Sion. Ibi ſilentio facto quiſque primitias ſuas, ne Rege quidem ipſo excepto, in humeros ſublatas portabat uſque ad templi veſtibulum: ubi conſiſtentes Levitæ cum ſuavi harmonia canebant Pſalmum XXIV: *Elevate ô portæ capita veſtra, & elevate vos portæ ſeculi.* Eo finito ii quorum erant primitiæ, eas Levitis deferendas dabant ad Sacerdotes, & profitebantur aut legebant verba iſta quæ in præcepto ſecundo annotavimus, ex *Deut.* XXVI. 5, *&c.* Appellant autem ea Lecturam primitiarum, ſive lectionem ſuper primitiis.

*Decimum quintum.* XV. Ut ſeparetur collecta magna in uſum Sacerdotum, *Deut.* XVIII. 4.

Collecta hæc magna vocatur תרומה גדולה *Terumà* magna aut major, ἀφόρισμα μέγα, vel ἀφορισμὸς μέγας, à רום altum, elatum, excelſum eſſe: quia videlicet prima & præcipua eſt collectarum primitiarum annuarum, ex meſſe & decerptis fructibus, quæ ad ſolos Sacerdotes pertinebant, & in eorum tantum uſum colligebantur atque in templum inferebantur. Quantitas Sacerdotibus offerenda quænam ſit lex non definit. Ex decreto Senatus Judaici quinquageſima pars ſtatuta fuit. Alii dicunt quadrageſima, & vocabatur *Theruma* boni oculi, ſive larga, benigna & liberalis. Sexageſima vocabatur *Theruma* mali oculi, ſive præparca, illiberalis, ſordida.

*Decimum ſextum.* XVI. Ut decimæ ſeparentur in uſum Levitarum: *Levit.* XXVII. 30. & *Num.* XVIII. 21.

Hæc decima portio, poſt magnam præcedentem ex iſtis ipſis demeſſis frugibus decerptiſque fructibus delibatam, quotannis ſeparanda erat in uſum Levitarum: vocaturque decima prima, ſive abſolutè δεκάτη Hieronymo: *Tobiæ* I. 7.

*Decimum ſeptimum.* XVII. Ut decima ſecunda ſeparetur in uſum dominorum ad quos fructus frugeſque pertinent: *Deut.* XIV. 22.

Hæc decima quæ δευτερόδεκάτη vocatur Hieronymo, erat alia decima portio ex iiſdem fructibus frugibuſque, quæ ſeparanda erat eum in finem ut ea Hieroſolymam adferretur, intraque urbem ab ipſis dominis comederetur, quibuſcum vellent amicis, domeſticis, orfanis, &c. aut ſi propter diſtantiam loci viarumque impedimenta commode in urbem deferri non poſſet, redimenda erat pretio pecuniario, addendaque inſuper quinta pretii pars, & pecuniâ iſtâ à colono victimæ, oleum, vinum & frumentum coëmenda, ut ex illis epulum inſtrueretur, quod ידני hoc eſt χαρισήριον vocabant; quod intra ipſam urbem, ſive in atrio templi, cum lætitia & gratiarum actione, advocatis peregrinis, orfanis, viduis & Levitis conſumebatur: excepto uno caſu, de quo agetur præcepto 19. ſeq.

*Decimum octavum.* XVIII. Ut Levitæ ex decimis ſuis decimam ſeparent pro Sacerdotibus: *Num.* XVIII. 26.

Hæc decima decimarum erat: & ex decimis à populo Levitis datis portio optima.

*Decimum nonum.* XIX. Ut decima pauperibus, ſive in uſum pauperum, ſeparetur, loco decimæ ſecundæ in tertio & ſexto anno *Semitæ: Deut.* XIV. 28. 29.

Hic eſt caſus ille ſpecialis de quo ante dixi. Decimæ omnes ſupradictæ ſemper quotannis ſeparandæ erant abſque ulla interruptione: excepta decima ſecunda. Hæc primo, ſecundo, quarto, & quinto anno *Semitæ*, ſive ceſſationis terræ, ſeparari debebat à dominis, & ab ipſis cum gaudio in ipſa urbe Hieroſolymorum comedi. At tertio & ſexto anno cedebat pauperibus quibuſcunque penuria aut inopia preſſis, & comedebatur in ea in qua quiſque dominus ſeu colonus urbe habitabat, à pauperibus loci iſtius. Septimus annus non erat annus ſeparationis decimarum: quia iſto anno nullus erat frugum fructuumque dominus, ſed omnia publica erant & communia. Hæc πλουσιοδεκάτη vocatur Hieronymo. Poſſent forte hæc nonnihil ventilari & in dubium vocari: ſed non judico operæpretium propter ea ferram litis reciprocare.

*Vigeſimum.* XX. Ut confeſſio ſuper decima fiat; juxta Legis verba, *Deut.* XXVI. 13.

Formula confeſſionis in textu eſt. Ea autem uſurpari debebat iſto ſequente anno quo decima pauperibus data erat, anno ſcilicet quarto & ſeptimo, uti ex textu conſtat. Præcepto ſane Deo digno, ne cura Sacerdotum & Levitarum pauperumque vileſceret apud homines, & fraudi aut interverſioni quam avaritia non raro ſuadere ſolet locus relinqueretur. Hanc enim ſola hæc confitendi coram Deo neceſſitas, veluti frænum aliquod, retinere poterat ac reprimere in carnali populo. Nempe dum conſcientiam ſuam nemo ſibi habere ſoli permittitur, ſed Deo ipſi aperire ac manifeſtare cogitur, tantum non conſtringitur ut conſcientiæ curam habeat accuratiſſimam; ne non ſeipſum tantum, ſed & Deum fallere velle videatur.

*Vigeſimum primum.* XXI. Ut tortula ſubactæ maſſis omnis ſeparetur Domino, id eſt in uſum Sacerdotis: *Num.* XV. 20.

Tortula hæc חלה Hebræis, & Chaldæis חלתא vocatur: vulgo paſta, Plinio offa, Columellæ maſſa. Eſtque aliud nihil quam farina aqua ſubacta, quam Græci φύραμα, μάγμα vocant. Intellige autem tortulam factam in uſum & eſum pro hominibus, non vero pro beſtiis. Et tortulam non ex qualibet farina factam, ſed ex farina quinque ſpecierum, videlicet hordei, tritici, ſpeltæ, ſpicæ vulpis id eſt ſiliginis, & avenæ. Quod enim ex his conficitur id proprie panis לחם vocatur. Excipiuntur itaque oryza, milium, & legumina. Tortulæ hujus quantitas non expreſſa eſt in lege, ſed à Sapientibus in populo definita, nempe maſſæ cujuſque ſubactæ pars vigeſima quarta. Sed hæc lex obligat tantum in terra ſancta, quia dicitur *verſ.* 19 præcedente, *quum cæperitis comedere de pane terræ.* Oblatio autem erat Jehovæ ſive Domino, quia cedebat in uſum Miniſtrorum ejus, id eſt Sacerdotum.

*Vigeſimum ſecundum.* XXII. Ut quidquid anno ſeptimo naſcitur aut provenit è terra, id omne publicum & commune ſit: *Exod.* XXIII. 10. 11.

*Vigeſimum tertium* XXIII. Ut anno ſeptimo quies & ceſſatio detur terræ ab omni cultura: *Exod.* XXXIV. 21. *Levit.* XXV. 2.

*Quies terræ anno ſeptimo.* Præceptum hoc eſt de anno ſeptimo qui ſabbaticus dicitur Joſepho, & Scripturæ ſacræ שמטה *Schemita*, quaſi dicas ceſſationem, remiſſionem, ἄφεσιν; quia eo agri inculti dimittebantur,

tebantur, & terræ quies dabatur, ita ut neque araretur, neque sereretur, neque messis, neque vindemia, neque olivarum, neque cæterorum ex arboribus fructuum collectio fieret; sed quæ sponte sua nascebantur publici juris essent, ita ut, quicunque vellet, ea carpere posset, maximè pauperes & perigrini. Addi etiam potest annum hunc *Schemita* dictum fuisse à remissione, qua debita realia & personale servitutis debitum remittebatur: ita ut condictio certi non daretur ex mutuo, nec servi manere servi possent nisi vellent: à שמט quæ vox significat liberum dimittere sive obligationem non exigere. Sed nos priori sensu hîc vocem שמטה accipimus; quæ etiam posteriori respondet, quia agrum incultum dimittere, est tantundem atque ab agro debitum sive solutionem messis & vindemiæ annuæ non repetere, vel nec sationibus eum vexare nec insitionibus, ut Philo ait.

Præcepti ergo primi sensus est: Isto anno nullum terræ proventum, nullos arborum fructus cuiquam proprios fuisse, sed omnes publici & communis juris: proinde agros, fundos, hortos omnes apertos relinqui debuisse, ut paterent omnibus ingredi volentibus: ita tamen ut cuique etiam ipsis agrorum, fundorum, hortorumque dominis eorumque domesticis, liceret ex iis ad quotidianos usus & necessitates dumtaxat, non vero ad recondendum in futurum, ut aliàs fit in messe, vindemia, fructuum annua collectione, decerpere. Non enim domini erant fructuum istius anni, sed tantum usufructuarii, paresque cæteris omnibus, etiam pauperrimis, Judæis ac peregrinis.

At cum præcepto secundo vetetur quicquam seri anno septimo, quid ergo ex terra provenire poterat? Respondeo: Res hæc difficultatem non habet in vineis, olivetis, & arboribus. Ex illis enim sponte quotannis fructus sine ulla cultura provenire possunt. In frugibus difficultas est aliqua, sed ea exigua. Quid enim vetat in calido istius terræ climate, ex seminibus multis sparsim ac temere per agros præcedente messe delapsis, segetem aliquam provenire potuisse, ex eaque messem colligi, licet non tam copioso proventu? Sed & provenisse aliquam id videtur arguere, quod hoc ipso anno facienda erat oblatio manipuli hordei 16 die Nisan sive primi mensis, & oblatio panum propositionis in Festo Pentecostes è recentis tritici farina. Unde inquam, nisi ex frugibus hîc illic sponte enatis? Pauperem tamen atque exiguum fuisse proventum ex eo liquet, quod nec primitiæ quæ Sacerdotibus, nec decimæ quæ Levitis, nec decimæ secundæ alieve solvebantur: quia colligi non poterant præ paucitate, & si omnino colligerentur, nemo frugum anno isto natarum dominus erat. Quod septimum quemque annum Cunæus ait non raro Judæos in magnas angustias detrusisse, imprimis si exteri reges illis pecunias imperarent, aut tributa exigerent anni istius septimi, id credendum est locum habuisse quando Judæi in cultu divini Numinis segnes facti erant, aut delictis suis enormibus iram divinam in se provocaverant, atque ita divinam benedictionem à se quasi repulerant. Nam certum est, Deum pro liberalitate sua prospexisse anni istius septimi incommodis, & benedictionem ubertatemque trium annorum sexto anno promisisse: *Levit.* XXV. 21. Nec dubium est quin rata ea fuerit semper in populo, in fide Dei sui perseverante, & legis ejus retinente.

*Semitam* autem hanc exordium habuisse, sive observari cæptam fuisse, communis est Hebræorum sententia, non in deserto cum lege data; quia in deserto terra non colebatur, neque frugibus terræ vescebatur populus, sed alebatur Man sive pane Angelorum, id est de cælo misso: sed ab illo tempore quo terra sancta in potestatem Josuæ redacta, & sortitione divisa est, ac singulis tribubus distributa: non in Gilgal, *Josuæ* XIV. anno scilicet post ingressum in terram septimo vel octavo: hæc enim divisio imperfecta fuit *Josuæ* XVIII. 2: sed in Silo non ita multo post. Certissimum tamen atque indubitatum calculum absque ullo Calendario iniri posse ajunt, si annos mundi à creatione ad hunc usque annum elapsos, juxta eorum computum accipias, & per septem computes. Sic enim incides semper in ipsum verum Semitæ annum quem hodieque observant. Etsi vero Semita à creatione mundi non incæperit, tamen à Deo eam institutam fuisse ajunt, ut fides creationis mundi, quæ sexta die absoluta fuit sarta tecta constaret. uti enim sex dies creationi mundi impendit, & laboribus nostris impendi voluit Deus, ita septimo ipse quiescere, & nos septimo quoque die & septimo etiam anno terram à laboribus nostris quiescere voluit. Hinc annus hic *Levit.* XXV vocatur crebro שַׁבָּתוֹן cessatio requietis vel requiei, & שבת ליהוה Sabbatum sive requies Domino.

Quanti hoc præceptum fecerit ac fieri voluerit Deus, id unum arguit quod ab Hebræis adnotari curiosè observo, causam propter quam populum suum Juda & Benjamin damnaverit ad captivitatem septuaginta annorum in Babel, non fuisse aliam quam hanc, quod Judæi sexcentis & decem integris annis quibus habitarunt in sancta terra, præceptum hoc Semitæ sive intermissionis observare neglexerant, id est septimo quoque anno non minus quam aliis quibusque annis terram coluerant & subegerant: qua re quia terra injuriam passa fuerat per septuaginta annos istos, (oportuerat enim eam spatio isto sexcentorum & decem annorum sexaginta duos annos otiosam esse ab omni agriculturæ negotio, & octo Jubilæos, qui faciunt numerum septuagenarium,) idcirco voluit Deus hoc debitum terræ iterum exsolvi: utque id fieret ejici atque in captivitatem abduci populum prævaricatorem per 70 annos, ut interim terra septuaginta istis annis feriaretur ab omni agricultura, & damnum aut injuria ei ob continuam subactionem illata, quiete totidem annorum compensaretur ac sarciretur: quod & factum fuit. Toto enim isto septuaginta annorum spatio, ne ab ipsis quidem gentilibus culta fuit, ut distertim legere est *Levit.* XXVI. 34. 35. *Tum quiescens terra ipsa in Sabbathis suis quiescet: Omnibus diebus quiescet, quibus desolata manebit, quia non quieverit sabbatis vestris.* Hoc tamen in loco non narratur id quod factum fuit, sed prædicitur cum comminatione quod futurum est, si terræ (videlicet septimo anno) otium & quies non detur à cultura. Sed 2 *Chronic.* XXXVI. *vers.* 21, id revera factum fuisse narratur. *Ut impleretur verbum Domini,* (dictum) *ore Jeremiæ, donec acquievisset terra Sabbathis suis; omnibus diebus desolationis quievit, ut complerentur septuaginta anni.* Idem colligi potest ex querela Dei apud Jeremiam *cap.* XXXIV: ubi conqueritur quod anno septimo non dimisissent servos suos in libertatem, &c. ex quo verisimiliter concluditur eos anni septimi rationem etiam non habuisse in cultura terræ intermittenda. Hæc sententia Judæorum sic tamen accipienda non est, ac si istud unum peccatum causa fuisset abductionis populi in Babel. Longe enim aliæ plures & graviores causæ indicantur passim in prophetis, & nominatim in *ultimo capite* 2 *Chronicorum*: Sed ita ut istud etiam peccatum inter cæteras causas recenseatur, & mensuram quasi fecerit temporis, quod Deus captivitati destinatum voluit: idque eam forte ob causam quod 70 anni ætatem fere hominis compleant, ac proinde abductos omnes in Babel mori atque perire Deus voluerit.

XXIV. Ut annus Jubilæus numeretur per annos & Semitot, vel hebdomadas: *Levit.* XXV. 8. 9. 10. *Vigesimum quartum.*

XXV. Ut annus Jubileus sanctificetur. *ibid.*

XXVI. Ut decima die Tisri buccina clangatur in anno Jubilæo. *ibid.* *Vigesimum quintum.*

Præcepta hæc de anno Jubilæo cohærent. Numeratio annorum à Senatu magno sive Sanhedrim Hierosolymitano fiebat, ad modum numerationis Homer de qua supra diximus: numerando scilicet annos sex usque ad septimum, qui dicebatur prima hebdomas; & sic deinceps usque ad annum quinquagesimum, quem sanctificabat Senatus, id est sanctum pronunciabat solemni indictione & cum clangore buccinæ: vocabatque Annum Jubilæum, quod in eo terra tota quiescere jubebatur ab omni cultura, agrique omnes redibant ad veteres dominos, etiamsi centies emtorem mutaverant, ne quidem iis exceptis quos ex donatione accepisset aliquis; quin & servi libertate, vellent nollent, donari debebant. Numeratio hæc annorum an facta fuerit à quinquagesimo anno præcedentis Jubilæi inclusivè, an ab eo qui post quinquagesimum primus erat, acriter disputatur. Nobis posterior sententia placet: quia verba textus clariora sunt quàm ut contra ea excipi quicquam possit. Nec difficultas quæ opponi solet quicquam obstare videtur; quod videlicet alioquin anni duo Sabbatici, quadragesimus scilicet nonus Sabbaticus, qui septies septenus erat, & quinquagesimus itidem Sabbaticus continenter sibi invicem succedentes annonæ difficultatem introducturi fuissent. Nam incommodo isti mederi non minus facile poterat Deus in Jubilæo quam incommodo anni septimi medebatur, impertiendo largiorem benedictionem, annorum scilicet quatuor, vel trium potius in solidum. Sed & incommodo isti, quod sic anni septimi numeratio ab ipso anno quinquagesimo rursus inchoanda esset, atque ita Jubilæus non incideret post septem hebdomadum numerationem immediatè, occursum fuisse in populo observat Maimonides: quia anni septimi numeratio non ab anno quinquagesimo, sed ab eo qui post eum primus erat inchoari solebat, & sic deinceps absque ulla intermissione, donec perventum esset ad quadragesimum & nonum, qui propterea Sabbaticus erat quod septies septenus esset. Mox autem is qui eum sequebatur annus quinquagesimus, in numero septenorum non erat, sed supputatio eorum rursus initium à quinquagesimo & primo habebat. Quod an verum sit ii videant qui subtilissima Chronologiæ momenta pervestigant. Nos nostra non magni interesse putamus utra sen- *Vigesimum sextum. Annus Jubilæus.*

tentia rectior sit. Certum enim est (fatentibus ipsis Judæis) Jubilæum celebrari non fuisse solitum nisi cum populus totus in alta pace ageret, & unanimiter simulque in unum convenire posset: ac proinde ejus celebrandi solemnia non fuisse in usu post templi prioris excidium, cum tam pauci Israelitæ, 42360 scilicet, *Nehem.* VII. 5, redierant ex Babylonia. Inchoabatur autem annus Jubilæus decima die mensis Tisri sive Septembris, cum clangore tubæ vel buccinæ, ipso expiationis sive Festi *Chipur* die, id est decima die ineuntis anni civilis, sive *Ros ha Sanà*: Sacer enim Hebræorum annus incipiebat mense primò Nisan dicto, id est mense Martio, uti supra annotavimus. Sacer autem annus erat juxta quem festa, Neomeniæ, & sacra omnia ordinabantur, imo & in historiis, fastis, atque annalibus rerum gestarum tempora consignabantur. Profanus ac civilis annus erat juxta quem civiles omnes contractus ac negotia politica dirigebantur. Annotat autem Maimonides, Ab initio anni, id est à prima die Septembris usque ad diem *Chipur*, per novem dies integros agitata fuisse publicè veluti quædam Saturnalia: nempe non dimittebantur adhuc servi, sed nec serviebant dominis suis, neque agri restituebantur. Quid igitur? edebant, bibebant servi atque hilaria agitabant, coronati singuli. Mox cum dies *Chipur* advenisset, Senatores Sanhedrin *Scophar* sive corneis, sive arietinis tubis clangebant per universum Israelem; atque tum è vestigio liberi abibant servi, & prædia reddebantur dominis suis. Hæc enim duo propria erant Jubilæi anni. 1. Quod qui prædia sua alienaverant rursus in solido locabantur, & veluti postliminio gratis restituebantur in integrum jus ac dominium fundorum suorum: ne videlicet possessiones diversarum tribuum permiscerentur, sed in eadem tribu & familia quæ cuique initio fuerat adsignata, remanerent. 2. Quod servi omnes Hebræi & servæ, quos ab emtitiis ex alienigenis distinguere necesse est, (hi enim perpetuam servitutem servire poterant) in eo manumittebantur, & plena libertate, etiamsi unum tantum annum aut paucos menses serviissent, donari debebant una cum liberis ex ancilla susceptis, ipsaque etiam uxore, si modo extranea aut alienigena non esset, sed ex filiabus Israel. Hæc duo anni Jubilæi privilegia erant, distincta à privilegiis anni septimi; quia in eo possessiones non redibant ad veteres dominos: nec servi manumitti debebant nisi vellent; uti *Exod.* XXI. 6. videre est: neque cum servitute exibant, susceptos ex ancilla liberos secum abducere poterant, sed relinquere apud heros suos tenebantur: *Exod.* XXI. 4.

Sapientissima hæc fuit constitutio & Deo digna: qua, 1. constare volebat populo jus suum αὐτοκρατορικὸν in omnia bona eorum, ut de iis pro arbitrio suo disponere posset, eaque dare & reddere quibus & quando vellet. 2. qua quieti & tranquillitati populi sui consultum voluit, quæ in eo maximè sita est, quod eadem æqualitate omnes teneantur, viaque intercluditur ne vel paucorum opulentia cæteri opprimantur, vel occupatione suum quisque facere studeat quod potest. Quicquid enim ejusmodi est, quod ex communi proprium facere possis, in eo fit plerumque tanta contentio, ut difficillimum sit servare sanctam sartamque tectam societatem. Proinde 3. qua ambitioni & nimiæ concupiscentiæ alienarum rerum, frænum injicere modumque voluit ponere. Quæ enim talia sunt ut ea non nisi ad certum tantum tempus tua facere possis, quin & gratis restituere, etiamsi magno emta, tenearis, ea vehementer concupiscere aut amare quis operæpretium duxerit?

*Vigesimum septimum.*

XXVII. Ut גאלה redemtio terræ detur in anno Jubilæo: *Levit.* XXV. 24.

De sensu hujus præcepti jam egimus. Redemtio terræ vocatur gratuita terræ restitutio in manus veterum dominorum. Per terram autem intelliguntur fundi, prædia, vineæ, horti, & cætera bona immobilia. Nempe divina lex vetabat, ne quis venditione aut ullo contractu plenum dominium fundi sui transferret in alium. Hinc Deus iis qui egestate compulsi agrum aut prædium aut fundum vendiderant, redimendi jus concessit, & ni redemtio fieret, restitui, sive ex manu & potestate emtoris liberari eum gratis in Jubilæi celebritate jussit. Venditio ergo ista possessionum, non tam venditio sive translatio juris ac dominii in alium erat, quàm quædam elocatio, & jus quod acquirebat emtor, non tam dominium quam usus-fructus ad tempus certum dicendum erat.

*Vigesimum octavum.*

XXVIII. Qui domum vendiderit stantem in urbe muris cincta, ei jus esto eam redimere intra unius anni spatium: *Levit.* XXV. 29.

Præceptum clarum est. Distinctio sit inter domos quæ in urbibus muratis sunt, sive urbanas, & inter rusticanas villas. Illæ redimi poterant primo dumtaxat anno, & non redemtæ interea nunquam in posterum ad antiquum dominum revertebantur, ne quidem in Jubilæo, sed dominium ac proprietas emtori in perpetuum cedebat. Hæ quolibet tempore redimi poterant; &, si omnino non redimebantur, anno Jubilæi ad dominos pristinos necessariò redibant. Ratio præcepti non est obscura. Villæ rusticanæ non erant nisi accessoriæ ad agros & possessiones rusticanas; proinde naturam & conditionem principalis sui sequebantur. (Accessorium enim omne sequitur naturam principalis sui.) At agri redimi quovis tempore poterant, & non redemti nihilominus tamen redibant ad veteres dominos in anno Jubilæi. Eadem itaque ratio villarum agris annexarum fuerit necesse est. Domorum vero urbanarum alia erat ratio: Ex usu civitatum ac Reip. erat ut urbes frequentarentur à pluribus & diversæ tribus hominibus: Ei fini vehementer conducebat spes consequendæ proprietatis domorum emtarum, & perpetuæ ac firmæ in urbe possessionis, intra breve anni tempus, si videlicet non redimerentur. Notandum tamen redimendi hoc jus integrum fuisse venditori usque ad ultimum anni diem, & ne emtor redemtionem metuens venditorem frustraretur jure suo per absentiam suam ab urbe, cautum publicè fuit ut venditori cuique liceret pecuniam ab emtore receptam in publicum ærarium deferre, & deinde jure suo uti in domum, tanquam suam propriam, & à se jure redemtam.

*Vigesimum nonum.*

XXIX. Ut debitorum remissio fiat anno septimo: *Deuter.* XV. 2.

Præceptum hoc dextrè intelligendum est, ne fraus legi fiat: De remissione agitur plenaria, non de solutionis dilatione. Plenariâ, inquam, quæ propriè *Schemità* & ἄφεσις dicitur, perfectam debiti extinctionem continens. Per debita autem non intelliguntur quævis debita, etiam ex emtione, venditione ab iis contracta qui solvendo erant, & in re lauta, ut restituere possent æs alienum à se contractum; alias Lex hæc infinitis fraudibus fuisset obnoxia; neque debita ab alienigenis, gentilibus aut peregrinis contracta, uti textus *vers.* 2. & 44. *Levit.* XXV habet: sed dumtaxat ab amico, vel proximo ac fratre, id est ab eo qui genere Judæus erat, (qui passim frater & filius populi dicitur: *Levit.* XIX. 16. 17. 18.) vel proselytus justitiæ: eaque ex mutuo, uti diserte ex *vers.* 2 liquet: & quidem ex mutuo caussa egestatis, non verò vel caussa mercaturæ exercendæ, vel aliquid emendi, vel redimendi prædium. Absurdum enim esset si hujusmodi debitum extingueretur anno septimo revertente, & interea hujus mutui fructu alter locupletaretur. Hebræi dicunt legem istam non esse intelligendam nisi de debitis ex mutuo verbalibus, id est verbis tantum sive ore solo contractis; non vero de debitis realibus, id est cum pignoris aut hypothecæ datione contractis. Ista anno 7 invalida erant: Hæc semper erant valida, neque pro iis (ut ajunt) *erat Semità*. Et ne fraudi ulli locus foret, dicunt sapientissimum Hillelem ordinasse certum aliquod diploma quod פרוזבול *Perozbol* vocant, cum quo debitum omne quovis tempore peti posset. Erat autem scripta quædam formula coram Senatu & judicibus signata, qua creditor protestabatur se debitum suum exigere posse quando vellet, nullo excepto die aut tempore. An debitum tamen etiam non intelligatur ex emtione, venditione, &c. si superveniisset impossibilitas solvendi, & spes omnis moralis redeundi ad meliorem fortunam decollasset, disceptatur. Ego, etsi istius debiti rationem habere textus non videatur, existimaverim tamen istud etiam hîc intelligi posse; quia eadem hujus & præcedentis debiti natura est. Impossibilitas enim solvendi & paupertas aut egestas unum fere idemque sunt. Et hoc ex eo colligitur, quod qui ista impossibilitate tenebatur non tantum non poterat urgeri ad solutionem debiti, sed si mutuum peteret, vel anno isto qui septimo proximus erat, ei omnino novo dato mutuo subveniendum erat, non obstante priore obligatione. Ex quo colligo debitum tale transire in rationem mutui ex caussa egestatis. An verò anno septimo ita extinguatur, ut non revivisat illud debitum, etiamsi contingat deinde fortuna melior, non ausim decidere. Exstingui debita anno septimo certum est: at in tali casu fortunæ melioris ratio ex æquitate postulare videtur, ut debitum exstinctum censeri non debeat. Lex hæc non credenda est facere duram nimis conditionem creditoris. Æquissima est: Quia extingui debitum vult ex mutuo, egestatis caussa dumtaxat contractum. & cum is qui nunc creditor est mutata fortuna debitor fieri possit, par ejus conditio fit ex vi legis hujus. In solamen itaque paupertatis, in reciprocum mutatæ fortunæ remedium, & caritatis mutuæ fomentum lex hæc data videri debet.

*Anni septimi privilegia.*

Anni itaque septimi privilegia erant: *Primò*, ut in eo nec arari, nec seri ager, nec putari vinea posset. Cur? 1. ut Judæi à nimia cura ac solicitudine vitæ hujus abducerentur. 2. ut terra post quietem anni unius quasi novis viribus aucta fe-

cta feracior deinceps fieret. 3. ut ſeptimus iſte annus eſſet ſymbolum & memoriale ſeptimi diei, quo Deus ab omnibus operibus ſuis quievit. 4. ut pauperes anni gauderent fructibus anni ſeptimi ſponte enatis: *Levit.* XXIII. 11. *Secundò*; Eo anno fiebat remiſſio omnium debitorum: *Deut.* XV. 1. 2. *Tertiò*: Eo anno fiebat ſervorum Hebræorum manumiſſio & ſervitutis remiſſio, ſiquidem vellent ſervi: *Exod.* XXI. 2. *Deut.* XV. 12. *Jerem.* XXXIV. 14. Cæterorum non: *Levit.* XXV. 44. *Quartò*: Quod hoc anno à Sacerdotibus legi debebat Deuteronomium coram toto populo: *Deuter.* XXXI. 10.

*Trigeſimum.* XXX. Ex omnibus hoſtiis & oblationibus aut victimis quæ mactantur, Sacerdoti tria cedunto, armus dexter, maxillæ, & pectuſculum ſive ventriculus: *Deut.* XVIII. 3.

Præceptum hoc truncavit vulgatus interpres qui non niſi duo recenſet, armum ſcilicet ac ventriculum: cum Hebræa, Chaldæa & LXX, tertium inſuper addant, videlicet לחיים, id eſt maxillas ſeu caput. Ratio præcepti non eſt obſcura. Optima Deo & miniſtris ejus debentur. Optima ſunt caput cum maxillis, quod cerebrum & linguam habet, id eſt rationis ſedes, & eloquentiæ inſtrumentum eſt. Pectus, in quo cor vitæ fons eſt. Armus dexter, fortitudinis ac roboris actionumque omnium fortium organum. Forte eo ſignificatum voluit Deus; Iſtos demum eſſe veros miniſtros ſuos, quorum cogitata, dicta, ac facta cum corde conveniunt: aut qui induſtria, eloquentia, & vita cæteris anteſtant & commendari merentur. Sed nos allegorias non ſectamur.

*Trigeſimum primum.* XXXI. Primitiæ tonſurarum ſive lanarum, ex ovium detonſione, Sacerdotibus dantor: *Deuter.* XVIII. 4.

Præceptum clarum eſt. Nempe miniſtris ſuis non de victu tantum, ſed & de veſtitu proſpectum liberaliter voluit Deus. Primitiæ autem tonſurarum vocantur, non primæ lanæ quæ ad quamlibet tonſionem decidunt, uti inepte velle videntur Hebræi: ſed quæ quotannis primæ detondentur. Diſerte enim in textu agitur de annuis fructibus ac proventibus, uti ex primitiis frumenti, vini, olei, quibus primitiæ lanarum detonſarum accenſentur, manifeſtum eſt. Lanam autem intelligi tantum eam volunt quæ ovibus detondetur, & idonea atque apta eſt, ut ex ea pannus fiat. Nil mirum. Eſt enim in ſolis ovibus lana: cæteræ quadrupedes aut pilos aut ſetas habent. Sub ovibus autem capras comprehendi non eſt dubium. Et quia primitiarum vox certam quantitatem non denotat, eam ſexageſima lanarum detonſarum parte definiverunt Rabbini.

*Trigeſimum ſecundum.* XXXII. Judicia de *Herem* fiant, ita ut quædam Deo, quædam Sacerdotibus cedant: *Levit.* XXVII. 28.

Præceptum hoc de *Cherem* eſt ſive de anathematis, quatenus ad hanc domum quintam pertinere creditur à Rabbinis. Quid *cherem* ſit & quotuplex alibi & ſuo loco dicetur: Hic non tam uti ego arbitror ἀνάθημα ſignificat, quod in bonam fere partem accipitur, quam ἀνάθεμα quod in malam. Eſt autem aliud nihil quam ſeparatio ſive devotio rei alicujus noſtræ, puta agri, fundi, animalis, &c. qua fit ut ejus proprietati & uſui quaſi cum execratione renuntiemus, tanquam rei cum qua nihil nobis amplius commune eſſe volumus. Dupliciter autem ea fieri poterat. Primum hoc pacto: Iſta res, iſte fundus *cherem* à me fit. Secundo, hoc pacto: Iſta res *cherem* à me fit, offeroque eam ad res ſanctas. Si primo modo abſolute ſcilicet factum eſſet cherem, tum ea res in totum Sacerdoti cedebat. Si ſecundo, cum declaratione tali addita, tum neutiquam Sacerdotibus ſed ſoli Deo cedebat, & in rerum ſacrarum, templi puta, vaſorum, veſtimentorum ſacrorum uſum impendendum erat. Primum indicatur *Num.* XVIII. 14. כל־חרם omne *cherem* in Iſraele tuum erit, id eſt vobis Sacerdotibus ſolis cedet. diſtingui enim videtur id quod ex ſimplici voto offerebatur, ab eo quod cum addito cherem offerebatur. Iſtud ita Sacerdotibus cedebat, ut quicunque ex eorum familia erant, eo uti frui poſſent: Hoc non niſi Sacerdotibus cedebat, ac proinde in templo ipſo ſive atrio conſumendum erat. Secundum genus *cherem* indicatur *Levit.* XXVII. 28. *omne cherem ſanctitas ſanctitatum Domino eſt.* Addunt Hebræi diverſam fuiſſe rationem utriuſque cherem: illud enim quod Deo factum erat, redimi potuiſſe pretio quod deinde in Gazophylacium templi mittebatur: quod vero ſacerdotibus factum erat, nec vendi nec redimi potuiſſe, ſed Sacerdotibus dari debuiſſe, ut pro arbitrio ſuo eo uterentur fruerentur. Ego profecto non video quomodo hoc verum eſſe poſſit, ac non manifeſte falſum ſit ſi verba textus videantur. Quare præceptum hoc arbitror vel ad hanc domum non pertinere, vel hoc ſenſu eſſe explicandum: quod ea quæ quis vel turbato vel male affecto animo, cum quadam execratione & horribili cherem Deo ſive Sacerdotibus dedicata volebat, (arbitror enim unum & idem eſſe hoc loco, ſanctitas ſanctitatum Jehovæ eſt, quod, Sacerdotibus cedet) etiamſi talia eſſent ut indignum videretur ac nefas ea Deo dare & miniſtris ejus; Deus pro ſua miſericordia convertere velit in benedictionem & rem ex iis ſacram facere, nulloque pretio redimendam.

## CAPUT VI, ſeu

## Domus ſexta præceptorum affirmativorum, quæ eſt domus ciborum vel eduliorum, & VII præcepta continet.

I. Ut animalia tam quadrupedia quam aves, quæ ad eſum mactantur, rite primum decollentur. *Deuter.* XII. 21. *Primum.*

PRæceptum hoc non volunt Hebræi ſimpliciter eſſe affirmativum, ita ut obligentur eo Iſraelitæ ad decollandum animalia: ſed hypotheticè, ſi quæ animalia mactare & edere velint, ut ea non mactent ad eſum, niſi ea primum rite & obſervatis ſolemnibus cæremoniis decollaverint. Fundamentum præcepti ex verbis iſtis Legis deſumunt; *mactabis ea, prout ego præcepi tibi*: perinde ac ſi verba iſta non contineant niſi modum mactandi; cum nulla neceſſitas cogat ea ſic exponere. Quid enim vetat verba iſta ſignificare relationem ad id quod ante Deus *verſ.* 15 præceperat; ac ſi legeretur, ſicut ego paulo ante *verſ.* 15 præcepi vobis? imò cum ratio ipſa cogat ea ſic non interpretari? Nam ubi præceptum divinum apparet, imò vel præcepti veſtigium, de decollatione vel degutturatione potius, tanquam ſpeciali modo mactandi, deque omnibus iſtis decollandi aut degutturandi ritibus, ſine quibus omnem mactationem volunt eſſe נבלה *Nebelà*, id eſt morticinum, &c. Nuſpiam. Ex orali lege Moſis ea adſtruere velle, eſt rem dubiam per magis dubiam probare velle. Sed notandum eſt, ſi ullibi, hac in re ſupra modum anilem & putidam ſuperſtitionem ſuam produnt Judæi, cum videlicet de ritibus mactandi animalia agunt. vix dici poteſt quam multa requirant & quam minutula, ut mactatio rite peracta cenſeri debeat. Annis opus eſt & crebris experimentis ut bonus *ſchochet* ſive lanius fias. Nempe ob hanc cauſam tradunt, diligenter deſpiciendum eſſe, an is qui decollaturus eſt *baki*, id eſt per omnia habilis & perfecte inſtructus ſit circumſtantiarum omnium requiſitarum ſive omnium *Dinim* notitia. Deinde an culter ſit idoneus, & ſi adeo non acutus, aciem tamen talem habens quæ omni careat inciſura aut vitio, ne quicquam findendo rumpatur, atque ita ſanguis largè ſatis non effluat, ſed ad cor quaſi refluat & regurgitet. Niſi ita comparatus ſit, caro prohibita eſt & morticinæ inſtar. Tum an juſtam ſuam habeat quantitatem. Nam & eam definiunt ac circumſcribunt. an tempus ſit idoneum: ſi enim nox ſit, duas ad minimum candelas aut facem grandem unam accendi volunt, ne quid per errorem aut tenebras peccetur. an locus ſit idoneus, id eſt ubi terra & pulvis eſt, &c. Piget plura referre uſque adeo ſunt anilia. Videte Buxtorfii Synag. Juda. cap. 27.

II. Ut ſanguis animalium & avium quæ ad eſum mactantur, (vel apta ſunt) operiatur pulvere: *Levit.* XVII. 13. *Secundum.*

Præceptum hoc præceptum pietatis eſſe dicunt Hebræi: quia anima videlicet in ſanguine eſt. Pium autem eſſe animam nullam vilem habere, & carnem nullius animantis חיה edere, priuſquam anima ejus quaſi cum honore ſepulta ſit, & in gremio terræ quaſi repoſita & recondita. Pietatem hanc noluit Deus locum habere in ſacrificiis: quia hoſtiarum mactatarum ſanguinem operiri noluit, ſed effundi vel ſuper terram, vel ſuper altari, vel ad aræ baſin & crepidinem, vel adſpergi velo. *Deut.* XII. 16. 27. *Exod.* XXIX. 20. *Levit.* IV. 8. & XVII. 11. Ratio eſt, quia ſanguis ille animarum λύτρον erat, quo peccata lege deſcripta expiabantur. Sanguis ille operiebat quaſi animas, & quia palam Deo exhibendus atque offerendus erat, tegi minime debebat. Poteſt etiam hoc præceptum pietatis præceptum dici; quia Deus hac ratione impedire voluit ne beſtiæ lamberent ſanguinem. Maimonides aliam hujuſce præcepti, ut & plerorumque omnium, cauſſam dat; quam nos ſupra inſinuavimus: ut nimirum Deus obviam iret ſuperſtitioſo ac nefando Gentilium idololatrarum ritui, qui ſanguinem in ſcrobe aliqua coacervatum, medium eſſe dicebant quo ſe eis per revelationes & inſpirationes propheticas communicabat Dæmon. unde fiebat ut in circuitu ſcrobis iſtius ſedentes, carnem victimarum epularentur, & comeſſantes hilaria agitarent. Profano iſti

ritui Deus hunc contrarium oppositum voluit, ut ab eo prorsus abhorreret populus suus, unde illud in *Levit.* XIX. 26, legere est: *Non comeditis ad* (vel, apud) *sanguinem*; quibus verbis digito quasi indicari videtur ritus iste. Ita ille quidem. Addit vero etiam inter eos fuisse quosdam, qui sanguinem tanquam rem lautissimam comedebant, eo quod existimarent eum esse cibum dæmonum, eumque qui sanguinem illum comedebat, ista ratione cum dæmonibus aliquam secretam communicationem acquirere: ita ut familiariter dæmones cum eo, tanquam cum combibone & conviva, conversarentur, futura ei aperirent, & arcana in somnio revelarent. Fides esto penes ipsum.

*Tertium.* III. Ut mater pullis in nido incubans dimittatur libera, quando pulli eximuntur: *Deut.* XXII. 6.

Præceptum hoc est clementiæ & humanitatis. Crudelitatem enim sapit cum pullos acceperis, illi ipsi, à quo beneficium accepisti, vel libertatem vel vitam eripere. Eodem pertinet præceptum de non mactando una eademque die, ex animalibus patrem sive matrem & filium, id est, ex. gr. vaccam simul ac vitulam ejus: *Levit.* XXII. 28. Sed & dici potest, voluisse Deum, ut generationi impedimentum non poneret crudelitas nostra. Nempe uti crudelitatis foret, cum fructus ex arbore decerpseris ipsam deinde arborem exstirpare radicitus; ita crudelitatis esset, pullis in usum & esum nostrum acceptis, matrem etiam necare. Sæviendum certe supra modum nunquam est, etiam cum alioqui licet: multò minus beneficium injuria unquam compensandum est. Si circa bruta hoc fieri noluit Deus, quam enorme crimen est si tale quid adversus homines committatur?

Præceptum hoc tanti faciunt Hebræi secundum literam acceptum, ut si quis istud tantum observet, etiamsi cætera præcepta transgressus fuerit, eo ipso mereatur & præcedentium peccatorum veniam, & longioris vitæ beneficium; quia in textu dicitur, *ut bene sit tibi, & prolonges dies tuos:* perinde ac si scopus Dei fuerit id indicare, & actio ista tanti sit ut tam ingens præmium mereatur, aut denique virtus una sufficiat, imo actio una, quæ per se ne virtus quidem est, ad vitia omnia purgandum, etiam pessima quoque facinora delendum, aut pluris facienda saltem quam virtutes reliquæ pene omnes, si illa una absit aut virtus aliqua præscripta desit. Sensus itaque est negativus, sicuti enim dicitur *Beati mites*, &c. non quod unica hæc virtus beatum reddat, sed quia sine ea nemo beatus esse potest: ita non existimandum unici hujus præcepti observationem reliquorum vilipendium compensare.

*Quartum.* IV. Ut signa & πυμήρια animalium quadrupedum mundorum diligenter observentur antequam comeduntur: *Levit.* XI. 2. & XX. 25.

Signa in lege expressa sunt duo: ungula fissa & ruminatio. Quænam talia animalia sint, quæ duo hæc signa mundiciei simul habent, *Levit.* XI. 3. & *Deut.* XIV. 4 declaratur: Bos, ovis, capra, cervus, caprea, bubalus, tragelaphus, Pygargus, Oryges, Camelopardalus. Notandum autem, nullum animal mundum habere dentes in maxilla superiore; ac proinde iis opus esse ut ruminent, id est in os revocent ingestum cibum, ad eum masticandum & comminuendum. Hinc regulæ tres oriuntur. 1. Quod nec ruminat nec ungulam dividit, id immundum est: *Levit.* XI. 26: ubi nota ungulam dividere & fissuram findere simul jungi, ut indicetur non intelligi qualemcunque divisionem, sed perfectam, quæ ungulam à summo deorsum ita findat ut partes fissuræ nusquam cohæreant. Nam alioquin si fissio superne tantum appareat, ut in camelo, vel infernè, ut in equo & asino, fissio non dicitur. 2. Quicquid ruminat quidem, sed ungulam tamen non dividit, id etiam immundum est, ut camelus, lepus, sive, ut alii volunt, cuniculus, (utrumque simul significari nihil vetat) & cherogryllus: quæ vox quod animal significet incertum est. 3. Quicquid non ruminat, etiamsi ungulam dividat, immundum est, ut sus sive porcus: *Levit.* XI. 7. & Deut. XIV. 8. Vel sic accipite: 1. Nullum animal mundum in superiore mandibula dentes habet. omne itaque mundum animal ruminat. 2. Nullum animal ruminans immundum est, sive omne animal ruminans mundum est: præter camelum, leporem, & cuniculum. 3. Nullum animal fissas ungulas habens immundum est, præter suem.

*Quintum.* V. Ut signa etiam certa quædam in avibus observentur, antequam eæ in cibum usurpentur: *Deut.* XIV. 11.

Præceptum hoc planè in textu non est. Nullum enim signum datur in lege, per quod aves mundæ ab immundis distingui possint ac debeant. Tantummodo recensentur eæ quæ immundæ sunt. Ex quo colligitur Deum voluisse indicare, cæteras omnes, illis solis nominatim exceptis, mundas esse. Atque hoc unum signum divinum nobis sufficiat. De nominibus avium immundarum quæ recensentur, non ago, ne prolixior sim. Videantur super istis Critici & historici.

*Sextum.* VI. Ut signa etiam certa observentur in locustis, antequam in cibum sumuntur: *Levit.* XI. 21.

Præceptum hoc ad locustas referunt Hebræi: quia volunt quatuor istas voces, quæ in textu occurrunt, significare quatuor locustarum species. Et sane ita fere omnes cum iis sentiunt interpretes, etiam Christiani. Signum earum est, quod præter quatuor pedes, insuper adhuc duo longiora crura habeant, quibus saliunt super terram. Sic enim distinguuntur ab omnibus cæteris volucribus, quibus quatuor pedes tantum sunt, *vers. seq.* 23: quas abominationi in populo suo esse Deus voluit. De locustis his non agemus prolixè, quia hodie apud nos in cibum parari non solent. Tantum id dicemus: Ex hoc loco intelligi facile posse, locustas fuisse cibum hominum mundum in terra sancta; ac proinde nec mirum videri debere quod de Joanne Baptista legitur *Matth.* III. 4. eum locustis victitasse; nec necesse est ut de voce ista ἀκρίδων qua Euangelista utitur soliciti simus, eamque interpretemur vel de cancris marinis, quos piscatores cum aliis piscibus captos ad ripam Jordanis ejecerant, vel de frondium extremis partibus, &c.

*Septimum.* VII. Ut signa etiam certa observentur in piscibus antequam in cibum præparentur: *Levit.* XI. 9.

Signa duo in textu adsignantur: Pinnulæ & Squamæ. Hinc duæ regulæ sunt. 1. Omne quod habet pinnulas & squamas, tam in mari quam in fluminibus & stagnis, mundum est; id cuique comedere licet. 2. Quicquid non habet pinnulas & squamas illud est immundum & abominabile. Adnotant vero hic Hebræi quod observatu dignum est: Omnem piscem qui squamam habet etiam pinnulam habere, non contra. Unde colligunt, si quis partem piscis emat in qua squama est, certum esse partem istam piscis mundam esse, etiamsi nulla in ea pinnula sit: non contra. Deinde adnotant: Non necessario requiri ut piscis totus squamis coopertus sit, sed sufficere si vel una in corpore ejus squama sit, aut unquam fuerit. Fieri siquidem ajunt non raro, ut pisces squama aut squamis natura præditi, quando aut reti sunt impliciti aut hamo capti, adeo corpus suum agitent ut squama decidat vel excutiatur. Piscis mundus censetur quatenus in aqua est, aut fuit squamatus. Hæc plenius uberiusque tractari poterunt, cum de Negativis præceptis agetur.

## CAPUT VII, seu

## Domus septima præceptorum affirmativorum, quæ est domus Paschatum, sive Festorum, & XX præcepta continet.

*Primum.* I. Ut exacte cursus Solis & Lunæ expendantur, ad constituendum rite annos & Festa: *Deut.* IV. 6.

PRæceptum hoc, in loco isto non est, nec ex scopo loci ejusve circumstantiis ullo modo elicitur, atque idcirco ab aliis inter præcepta non recensetur, sed cum sequente in unum contrahitur. Transeat tamen, quia res ipsa præcepta passim in lege est. Certum enim est Deum Festa, imprimis Paschalia, certis præfinitisque diebus absque ulla variatione observari jussisse, eaque ad Lunæ ipsius phases, Solisque motum dirigi atque componi voluisse. Nempe Paschale Festum observari voluit mense אביב id est verno sive spiceo, seu novarum frugum vel spicarum (*Abib* enim vox appellativa est, & distingvi debet ab *Ab*, qui est mensis nomen, à Chaldæis in captivitate Babylonica acceptum, & mensis quintus est à Nisan, respondetque nostro mensi Julio.) *Deut.* XVI. 1. decimaquinta Luna Nisan: quo tempore novas fruges edit terra, easque maturas adeo ut ex iis *omer* Deo offerri possit. Pentecostes Festum celebrari jussit sexta Luna mensis tertii *Sivan*, id est Maii, quando tritici messis est. Tabernaculorum festum, decimaquinta Luna mensis septimi *Tisri*, quando jam messis in horrea comportata est, fructuumque omnium tam agrorum quam vineæ collectio facta est. Ut hoc rite atque exacte fiat, justus utriusque tum Solis tum Lunæ cursus observandus venit, ita ut menses Lunares cum Solaribus ad unguem æquentur, atque ita veris, æstatis, & autumni tempora, quæ à Solis vicinitate majore vel minore procedunt, exactissime intelligantur. Alioquin enim si Lunæ tantum cursus attendatur, annusque ex duodecim mensibus Lunaribus constare credatur, facile ac brevi accideret, ut Paschatis Festum in hyemem vel autumnum incideret, & similiter Pentecostes festum in ver & hyemem retrocederet. Ratio est, quia annus Lunaris absolvitur, juxta communem calculum Julianum, diebus 354. horis octo, punctis 876; (quorum punctorum 1080 horam constituunt,

*Tempora festorum Paschatis, Pentecostes & Tabernaculorum.*

ſtituunt, & 19 fragmenta punctum,) annus verò Solaris diebus 365, horis 5, minutis 997. Ex quo ſequitur Lunarem annum undecim præter propter dies pauciores habere quam Solarem; ac proinde poſt elapſos tres annos menſem Niſan anticipaturum æquinoctium vernum menſe integro; poſt ſex annos duobus menſibus, & ſic porro: cùm tamen Deus menſem illum vernum ſive ſpicarum novarum vocet, eoque Paſcha ſive Peſah celebrari velit: *Deut.* XVI. 1.

*Ratio æquandi annos Lunares cum Solaribus.*

Ratio autem æquandi annos Lunares cum Solaribus hæc eſt: Annos omnes mundi à creatione ipſa diſpeſcunt aut dividunt in Cyclos decemnovennales: Cyclum autem decemnovennalem componunt ex duodecim annis communibus, quorum ſinguli duodecim menſibus ſive lunationibus conſtant: & ex ſeptem emboliſmæis, quorum ſinguli tredecim lunationibus ſive menſibus conſtant. Emboliſmæi hi ſunt tertius, ſextus, octavus, undecimus, decimusquartus, decimuſeptimus, & decimusnonus. Reliqui anni ſunt communes. Hic emboliſmus ſeptem Lunarum in hoc cyclo decemnovennali, facit ut anni Lunares & Solares in fine anni decimi noni plane ſint æquales, & ne minuto quidem diſcrepent: ſi modo id obſervetur, annum Solarem non continere, uti vulgo creditur, 365 dies & quartam diei partem, id eſt ſex horas integras. Hoc enim ſi conſtituatur, apparebit inito exacte calculo, per cyclum iſtum decemnovennalem non ita plane atque accurate æquari annos Lunares cum Solaribus, ut non reliqua maneat unius horæ & minutorum 485 differentia. Quæ licet exigua ſit, tamen lapſu temporum magna fieri poteſt. Quot ergo inquies? Ad hanc æqualitatem omnimode faciendam obſervandum eſt, anno Solari datos eſſe & dandos 365 dies, quinque horas, 997 minuta, & 12 ſecundas. Hac enim ratione ſolâ fit, ut per cyclum iſtum decemnovennalem annus Solaris Lunari, & hic illi, adeo exacte correſpondeat in quantitate, ut ne in minutiſſimo quidem apice inter ſe diſcrepent, neque ullo unquam tempore varient: quin imo, quod admirandum eſſe ajunt Hebræi, adeo exacte conveniunt beneficio Cycli hujus, ut in iſto ipſo puncto in quo cyclus decemnovennalis incipit, videlicet in principio Lunæ Tiſri, Sol & Luna in eodem ſigno & gradu deprehendantur; & porro deinde in omnibus Cycli hujus initiis, plane in eodem omnino puncto, abſque ulla differentia aut variatione ſenſibili. Sed hoc an ita ſe habeat obſervare Mathematicæ pulpæ eſt.

## Tabula æquationis annorum Lunarium cum Solaribus.

| Annus primus | Dies. | Horæ. | Puncta. | Fragmenta. |
|---|---|---|---|---|
| Lunaris debet Solari | 10 | 21 | 121 | 12. |
| Secundus. | 21 | 18 | 243 | 5. |
| Tertius. | 32 | 15 | 364 | 17. |
| Hic annus tertius eſt Emboliſmæus: & æquatur Solari Lunaris annus intercalatione unius Lunæ | Dierum. 29 | Horar. 12 | Punct. 793. | |
| Reſtant ad annum Lunarem æquandum cum Solari | Dies. 3 | Horæ. 2 | Puncta. 651 | Fragmenta. 17. |
| Quartus annus. | 13 | 23 | 773 | 10. |
| Quintus. | 24 | 20 | 895 | 3. |
| Sextus. | 35 | 17 | 1016 | 15. |
| Hic ſextus annus eſt Emboliſmæus: & æquatur ei Solaris annus intercalatione Lunæ unius | Dierum. 29 | Horar. 12 | Punct. 793. | |
| Reſtant ad æquationem conficiendum inter Solarem & Lunarem annum. | Dies. 6 | Horæ. 5 | Puncta. 223 | Fragmenta. 15. |
| Septimus. | 17 | 2 | 345 | 8. |
| Octavus. | 27 | 23 | 467 | 1. |
| Hic octavus annus eſt Emboliſmæus: & æquatur ei Lunaris annus intercalatione unius Lunæ | 29 | 12 | 793. | |
| Reſtant quæ Solaris annus debet Lunari | Dies. 1 | Horæ. 13 | Puncta. 325 | Fragmenta. 18. |

Hæc ſi demantur aut ſubtrahantur de diebus decem, una & viginti horis, centum uno & viginti punctis, & duodecim fragmentis anni noveni ſive noni, remanent quæ annus Lunaris debet Solari

| | Dies. | Horæ. | Puncta. | Fragmenta. |
|---|---|---|---|---|
| Nonus. | 9 | 7 | 875 | 13. |
| Decimus. | 20 | 4 | 997 | 6. |
| Undecimus. | 31 | 2 | 38 | 18. |
| Hic undecimus annus eſt Emboliſmæus: & æquatur Solari anno Lunaris, intercalatione unius Lunæ. | 29 | 12 | 793. | |
| Reſtant quæ Lunaris annus Solari debet. | 1 | 13 | 325 | 18. |
| Duodecimus. | 12 | 10 | 447 | 11. |
| Decimustertius. | 23 | 7 | 569 | 4. |
| Decimusquartus. | 34 | 4 | 690 | 16. |
| Hic annus decimusquartus eſt Emboliſmæus: & æquatur Solari anno unius Lunæ intercalatione. | 29 | 12 | 793. | |
| Reſtant quæ Lunaris annus Solari debet | Dies. 4 | Horæ. 15 | Puncta. 977 | Fragmenta. 16. |
| Decimusquintus. | 15 | 13 | 19 | 9. |
| Decimusſextus. | 26 | 10 | 14 | 2. |
| Decimusſept. | 37 | 7 | 262 | 14. |
| Hic annus decimusſeptimus eſt Emboliſmæus: & intercalatione ſive additione unius Lunæ, æquatur Solari. | 29 | 12 | 793. | |
| Reſtant quæ Solari anno debet Lunaris | 7 | 18 | 549 | 14. |
| Decimusoctavus. | 18 | 15 | 671 | 7. |
| Decimusnonus. | 29 | 12 | 793. | |
| Hic annus decimuſnonus eſt Emboliſmæus, & cycli Decemnovennalis ultimus, uniuſque iterum Lunæ intercalatione vel additione quam videlicet annus Lunaris Solari debet | 29 | 12 | 793. | |
| annus uterque Solaris & Lunaris adeo exactè æquantur ut ne in minutiſſimo quidem puncto aut apice diſcrepent. | | | | |

II. Ut menſes ſanctificentur per Senatum ſive *Beth din*: *Exod.* XII. 2. *Secundum.*

Præceptum hoc in textu non eſt, & cum priore plane coincidit: ſed & non niſi per traditionem ex textu elici fatentur Hebræi. Nos operæpretium non putamus referre quæ ad traditionem iſtam pertinent, uſque adeo vernilia ſunt dicam an anilia. Unum tantum obſervari meretur, quod pari voce ac ſententia omnes tradunt. Novilunia uſque adeo accurate ab ipſis ſolita fuiſſe obſervari, ut inſtante novilunio, certos aliquos ad loca quædam idonea adeunda deputarent, qui hoc unum agerent, ut ex iſtis locis phaſin Lunæ primam obſervarent, obſervatamque protinus nunciarent Senatui: non quod alia ratione eam Senatus cognoſcere non poſſet, ſed ut menſem non ſanctificaret, niſi Luna primum viſa. quia traditionem eſſe dicunt, Deum Moſi, quando ei dicebat, *Hic menſis, eſto primus menſium*, Lunam ipſam monſtraſſe in prima φάσει ſua, ſive novam, idque indicari particula demonſtrativa זה iſte. Atque hinc forte lux dari poteſt locis iſtis N. Teſt. in quibus dicitur Judæos obſervaſſe dies & menſes *Gal.* IV. 10. & *Coloſſ.* II. 16 νουμηνίας, &c. Nuntio hoc allato, ſanctificabatur menſis, voce præſidis Senatus, dicentis מקודש *Mecudas*, id eſt ſanctificatus (eſt ſcilicet.) Certum eſt Calendas menſis cujuſque, ſive, uti Scriptura loquitur, capita menſium, (principium enim menſis cujuſque *Ros hodes* dicitur) in pretio fuiſſe: non quia illæ feſtæ erant & ἀπραγίαι: Nihil minus: quælibet ſervilia opera in iis erant licita; atque idcirco *Levit.* XXIII. inter dies feſtos non recenſentur: ſed quia ſingulis Νουμηνίαις ſpecialia quædam ſacrificia in templo facienda erant. Quod eas clangore tubarum indici ſolitas quidam adferunt, id nullo prorſus fundamento nititur. Tubis clangi ſolebat in quaque feſtivitate, ſacrificiorum tempore, & imprimis in *Ros ha ſanah*, ſive in νουμηνίᾳ ſeptimi menſis, quæ etiam idcirco Feſtum tubarum vocatur.

III. Ut in Sabbatho quieſcamus. *Exod.* XXIII. 12. *Tertium.*

Quies hæc quæ præcipitur, non eſt quies in loco, ſed quies ab operibus omnibus; eaque communis, quæ non ad nos tantum, ſed etiam ad noſtros, tum filios, tum ſervos, tum peregrinos in medio noſtri habitantes, tum animantia noſtra laboribus deſtinata, pertinet. Quænam autem opera iſta ſint à quibus quieſcere Lex jubet, in negativis præceptis declarabitur.

IV. Ut Sabbathum ſanctificetur: *Exod.* XX. 8. *Quartum.*

Præceptum hoc de orali ſeu verbali, non vero de reali ſanctificatione accipiunt Hebræi. Nempe pridie Sabbathi, veſpera

veſpera ingruente, memoriam Sabbathi refricantes dicunt: *Recordare diei Sabbathi:* (nominando ſcilicet Sabbathum) *Exod.* XX. 8, *ut ſanctifices illum:* Hebraice לְקַדְּשׁוֹ id eſt ut ſimulatque init, *Kidduſch*, id eſt ſanctificationem ſuper eo facias: dicendo ſcilicet, Hic dies eſt ſanctus Sabbathi dies. Addunt verò, ſed ex traditione uti ajunt, verba illa ſuper poculo vino pleno pronuncianda eſſe, alioquin *Kidduſch* imperfectum & irritum eſſe; & quidem non in ipſa Synagoga, ſed ad menſam domi à patrefamilias, ſi in ea ſit: cum hac forma יום הששי ויכלו השמים. *Dies ſextus, & perfecti ſunt cœli*, &c. In quibus quatuor vocibus, quarum duæ priores ex I. *cap. Geneſ. verſ. ult.* poſteriores ex initio *cap.* II. deſumtæ ſunt, mirum quantum myſterium latere volunt: quia quatuor primæ literæ ſingularum quatuor iſtarum vocum, nomen Dei benedictum πεταγράμματον ſive quadriliterum יהוה continent ac deſignant: quod ſane ſuperſtitionem dicam an vanitatem Rabbinicam ſapit; uti & multa alia quæ circa Sabbathum veluti ingentia myſteria celebrant. Nos præceptum hoc in textu non exſtare etſi pro certo habemus, tamen quia Sabbathi religio maximopere à Deo commendata fuit populo Iſraelis, non admodum refragari volumus ſi ſanctificatio ejus etiam verbis fieri credatur; quo majore in pretio ſit: dummodo ſuperſtitio abſit, & neceſſitatis opinio ſolicitè caveatur. Alioquin certum mihi eſt per ſanctificationem illam quam Deus præſcribit, non aliam ſeparationem intelligi, quam quæ reipſa fit per ceſſationem ab operibus omnibus ſervilibus, & conſumtionem diei totius in ſacris Deoque dignis meditationibus & operibus, tum cæremonialibus diei iſti imprimis dicatis propriiſque, tum moralibus, cum laude & gratiarum actione animique hilaritate conjunctis; prout per vocem ſanctificationis, quando aliis rebus tribuitur, ubique intelligitur ſeparatio rei cujuſque ad ſacros uſus, & fines certos diſtinctoſque à cæteris rerum ſacrarum finibus, & imprimis à profano & communi uſu.

*Quintum.*

V. Ut fermentum omne tollatur ſive extrudatur ex ædibus in Feſto *Peſah*: *Exod.* XII. 15.

*Exod. XXIII. 15. Levit. XXIII. 6. Luc. XXII. 7. Act. XII. 3. & XX. 6.*

Præceptum hoc eſt clarum: & quod tanti fit à Deo in Lege, ut totum Feſtum *Pezah*, Feſtum azymorum ſive ſolemnitas infermentatorum panum vocetur: quaſi cæterarum cæremoniarum in Feſto iſto præſcriptarum ratio nulla habeatur, aut hæc ſaltem inter omnes præcipua ſit. Certe pleraſque cæremonias, ut quod ſtantes, cum baculis diſcalceati & lumbis ſuccinctis, &c. agnum comederent, non niſi ad primum Paſchalis agni eſum in Ægypto pertinuiſſe, & poſtea ſub præcepti obligatione non fuiſſe, Hebræi adſerunt, aliique. Ratio præcepti eſt: Quia Deus volebat recentem ſemper eſſe memoriam adflictionis iſtius ex qua eos liberaverat, cum in Ægypto ſervitutis jugo premebantur, omniumque pene rerum jucundarum penuria laborabant, non edentes niſi panem adflictionis. Hinc enim panis iſte infermentatus vocatur *panis adflictionis: Deut.* XVI. 3. quin & à Judæis ſic appellatur cum *Hagada* ſuum ordiuntur, patrefamilias diſtribuente domeſticis fruſtula azymi panis: *Hic*, inquiunt, *eſt panis adflictionis ſive miſeriæ, quem comederunt Patres noſtri in terra Ægypti:* utpote ſymbolum adflictionis iſtius: quia azymus panis ſtomachum gravat, & difficillimæ digeſtionis eſt, diciturque *matzah* à compreſſione, quia ſe levare & attollere non poteſt, uti fermentatus. Et notandum eſt populum pane hoc infermentato uſum eſſe, multis poſt exitum ex Ægypto diebus, id eſt plus quam triginta, uſque dum man plueret: ut non ſine cauſa panis adflictionis dici potuerit. Quod enim quidam volunt populum Hebræum idcirco placentas infermentatas tantum ediſſe, quia ita cito & ſubito ejiciebantur ut fermento ſubigere farinam non poſſent, uti videre eſt in expoſitione *verſ.* 39. *cap.* XII, quam plerique faciunt, id plane verum non eſt. Placentas enim infermentatas tantum habere debebant per ſeptem dies Paſchales. Has coxiſſent libenter in Ægypto, ſed præ feſtinatione non poterant: In Suchot verò id fecerunt, uti textus habet. Non rectè igitur exponitur textus per verba iſta: *Quia non erat fermentata quod ejecti fuiſſent*, &c. Sed legendus hoc pacto: *Quia non fermentata erat*, id eſt, Dei juſſu infermentata eſſe debuerat.

*Expurgatio fermenti in feſto Paſchatis.*

*Tempus iſti is expurgationis.*

Dies autem expurgando fermento deſtinatus fuit dies XIV, primum diem Paſchalem præcedens: Expurgando, inquam, fermento. Non enim arbitror Legem prohibere ne iſta die fermentum ullum comedatur. quia ſic dies octo azymi erunt. Atqui diſertè dicitur in textu, *Septem diebus infermentata comedetis. Veruntamen die primo ceſſare facietis fermentum è domibus veſtris.* Vide etiam *Levit.* XXIII. 6. Diem autem illum primum eſſe diem decimumquintum Sole clarius eſt. Si quis dubitet, is videat *verſ.* 17, collatum cum *verſ.* 3, *Num.* XXXIII. ubi die decimaquinta exiviſſe dicitur populus ex Rameſes, & infermentata illa die obſervari jubentur qua Deus populum ſuum eduxit. Verum quidem eſt vocem ראשון *Riſchon*, ita exponi hodie à Rabbinis, ut ſignificet non primum diem ex ſeptem diebus, ſed ante illos, ac ſi legeretur: In die quæ ante eſt, ſive ſeptem illos præcedit, ceſſare facietis fermentum, &c. quo ſignificato vocem illam accipi ajunt *Job.* XV. 7. ſed contortâ & ab ordinariâ recedente, uti videtis, expoſitione, & ſine ulla neceſſitate. Ecquæ enim ratio dari poteſt? imprimis cum tam aperte ſeptem ubique dies nominentur: præterquam *Deut.* XVI. 8, ubi etiam ſex tantum dies nominantur: *Sex diebus comedes azyma.* Cujus tamen ſenſus eſt clarus: quia non excluditur dies ſeptimus, ſed ſubjungitur tanquam peculiari inſuper ſolemnitati deſtinatus; quaſi legeretur: ſex diebus infermentata comedes, deinde & ſeptimo hoc ſuperaddes, ut eum peculiariter feſtum facias, quia dies מקרא eſt. Quod regerunt Hebræi *Exod.* XXIII. 18 à Deo præcipi: *Non immolabis cum fermento ſanguinem victimæ meæ*, id etſi de victima Phaſchali accipiendum eſſe non nego, motus imprimis parallelo huic loco, *Exod.* XXXIV. 25. tamen huic interpretationi aut ſententiæ noſtræ non repugnat. Fermentum enim pridie Paſchalis Feſti, imò ante veſperam, ſub qua ſive ante quam bihorio (uti Joſephus vult) integro mactatio agni Paſchalis fieri debebat, (hic enim inter duas veſperas mactabatur) expurgatum omnino eſſe debuiſſe non diffiteor. Sed ante iſtud tempus fermenti eſum prohibitum fuiſſe ex eo non evincitur. ut jam non dicam verba iſta ſic accipi poſſe, ut quemadmodum *Levit.* II. 11 diſerte ab omni *mincha* & oblatione fermentum abeſſe aut removeri jubetur, ita etiam imprimis ab oblatione agni Paſchalis; non quod verbis iſtis indicetur, ei qui oblationem iſtam facit, ſive Sacerdos ſit ſive alius quivis ex populo, non licere veſci fermento: alioquin Sacerdotes nunquam fermentatis fere panibus in templo veſci potuiſſent: ſed quod iis fermentatum aliquid conjungi non liceret. Sed & ipſi Hebræi fatentur, toto iſtius diei dimidio, fermento quemlibet veſci potuiſſe uſque ad horam ſextam, id eſt ad meridiem uſque. Atqui ſi etiam hic dies azymus vere erat ex legis divinæ præſcripto, quomodo dimidium diei iſtius fermentorum eſui indulgeri potuit? Tum ſi medium diei indultum fuit, cur non dies ipſe integer? Certe lex non minus hoc quam illud vetat. Exiſtimo itaque diem iſtum azymum non fuiſſe ex Legis præſcripto. Atqui tamen diſertè vocatur, inquies, *prima dies azymorum*, *Matth.* XXVI. 17. *Marc.* XIV. 12. Reſpondeo: vocatur dies prima azymorum, quia illa die quæ jam inſtabat, (nondum enim erat dies azymorum) azyma omnia exgurganda erant; atque ita fermentum omne è domibus antequam agnus mactabatur, ceſſabat, ut comedi amplius non poſſet. Credo tamen etiam, morem in populo fuiſſe, imprimis inter religioſiores, ut tota iſta die etiam à fermento abſtinere inciperent, & ſic diem iſtam etiam diem azymorum vocari ſolitam fuiſſe.

Præcepti forma ſi videatur, qua tria hæc continentur; *Ceſſare facietis fermentum è domibus veſtris, verſ.* 15: *Non invenietur fermentum in domibus veſtris, verſ.* 19: *Non apparebit fermentum in omnibus terminis tuis: cap.* XIII. 7. & *Deut.* XVI. 4: exacta ſane & rigida eſt; qua non ratione uſus tantum & eſus, fermentum ceſſare jubetur, ſed & prorſus atque omnino excludi. Ea res fecit ut Judæi, imprimis hodierni, ad miraculum uſque ſuperſtitioſi, uſque adeo anxia & ſolicita diſquiſitione fermenti utantur, ut accenſis aliquot facibus, ſcopiſque atque everriculis adhibitis, domum totam omneſque angulos & rimas ejus perſcrutentur, an quid fermenti uſpiam latitet, & à muribus hîc illic relictum ſit micarum panis vel minimum quippiam; utque poſt curioſiſſimam hujuſmodi luſtrationem & micas igne exuſtas, tandem paterfamilias hæc verba pronuntiet: Quicquid fermentati in manu mea eſt, & à me viſum non eſt, & quod ita quoque non amovi, id omne ſurſum deorſum verſum pulveri terræ ſimile habetor. Ego præterito Feſto Paſchatis ſummæ iſtius curioſitatis experimentum ipſe cæpi: Acceſſerat me Rabbinus quidam, vir ſane eruditus & ſcriptione librorum aliquot non vulgarium percelebris, cui cum propinarem vini hauſtum, obſervabam eum tergiverſari, & tandem ex me quærere, Anne vitrum illud in quo vinum erat, cereviſia unquam repletum fuiſſet; erat enim grandiuſculum: & quia cauſſam non intelligebam cur hoc quæreret, dixit tandem, Non audere ſe bibere per iſtos dies Azymos ex vitro tali, ne forte ſi fermenti ulla vel minima micula in eo hæreret, contra legem peccaret. Profecto etſi ego à ſuperſtitione natura ſum alienior, & omnino perſuaſum mihi habeo non fuiſſe eam Legiſlatoris intentionem, ut ad tam ſcrupuloſam diſquiſitionem conſtringeret populum ſuum; tamen non poſſum quin zelum iſtum non boni modo conſulam,

*Modus.*

Iam, ſed & laudem in carnali iſto populo; ac ſimul etiam optem ex animo ut exemplum eorum imitentur Chriſtiani plerique, in expurgando cum ſumma anxietate & ſolicitudine, fermento omni vitiorum, rimandiſque omnibus conſcientiarum ſuarum angulis, ne quid depravatæ conſuetudinis aut latitet aut adhæreat; atque ita toti coram Deo infermentati ſint. Exiguam enim curam in re tanti momenti tantundem valere ac nullam. Atque hoc pulcherrime credo indicari ab Apoſtolo, cum allegorico ſenſu accommodans præceptum de averruncando omni fermento ad Chriſtianos, in hanc ſententiam loquitur, 1 *ad Corinth.* V. 7. 8: *Chriſtus Paſcha noſtrum pro nobis mactatus eſt. Itaque feſtum agitemus non fermento veteri*, &c.

*Sextum.* VI. Ut in Paſchatis nocte prima ſermonicatio fiat de admirabili egreſſu ſive liberatione populi ex Ægypto: *Exod.* XIII. 8.

Præceptum hoc explicatione non eget. Non modo memoriam liberationis ex Ægypto recentem ſemper eſſe voluit Deus; ſed ne ea unquam excideret, commemorationem etiam tanti beneficii perpetuam eſſe voluit, circa tempus iſtud quo memoria ſive memoriale ejus repræſentabatur; id eſt quando *matzah* ſive placenta infermentata ſuper agno Paſchali & amaris herbis comedebatur, decima quinta videlicet die Niſan. Dies enim vocatur in textu, non quia dies proprie erat, ſed voce diei accepta pro naturali die 24 horarum, quæ à veſpera diei decimæquartæ Sole occaſo inchoabatur Hebræorum more. Commemoratio autem illa jubetur vel abſolutè, vel ſi eam poſtulent filii liberique. Simplex autem jubetur ſive hiſtorica, ad quam ingenio, induſtria, aut acumine judicii opus non eſt, ſed ſola pene memoria rei geſtæ: nec eo ſolum fine ut ſciatur quomodo res geſta ſit, ſed ut ex ipſius rei geſtæ cognitione, colligatur auctorem tanti beneficii eſſe unicum ac ſolum Deum, totius naturæ Dominum, atque Univerſi auctorem: ac proinde eam quam is legem dedit populo ſuo, Dei ſummi Legem eſſe, ad cujus obſervationem populus tantæ liberationis beneficio donatus, totque miraculis divinitatem ejus ſupremam teſtantibus confirmatus, meritiſſimo jure obſtrictum ſe eſſe fateri cogebatur: uti ex *verſ.* 3. 9, aliiſque locis liquet.

*Septimum.* VII. Ut in hac ipſa nocte infermentatus panis comedatur: *Exod.* XII. 18.

Præceptum hoc in textu non eſt, ſi nox prima excluſive ad alias noctes, id eſt excludens noctes ſive naturales dies ſex ſequentes, accipiatur: imo textus diſerte ſatis primæ noctis cæterarumque ſequentium ſex, parem & eandem prorſus conditionem eſſe indicat. Dicit enim, *in veſpera diei decimæ quartæ* (incipiente ſcilicet) *uſque ad diem vigeſimam primam ejuſdem menſis, in veſpera*, exeunte ſcilicet, id eſt, finiente illam. Volunt Hebræi ſenſum verborum horum eſſe, quod Deus jubeat prima iſta nocte veſci pane azymo, ſaltem aliquantillo, etſi quantitatem olivæ non excedat: cæteris vero ſex diebus Deum ut id fiat non jubere, ſed permittere ut fructibus, leguminibus, oryza, aliiſque herbis quilibet pro arbitrio veſcatur: excepto ſi pane veſci velit: tum enim non niſi azymo veſci licere; eoque ex 5 illis ſpeciebus de quibus ante diximus, confecto, ex hordeo, tritico, avena, ſiligine, & ſpelta, ſive farre. Et confirmant hanc ſuam expoſitionem: quia dicitus, *ad veſperam comedetis*. Sed mirabile hoc commentum eſt. Non enim dicitur, prima nocte uſque ad veſperam exeuntem comedetis azyma, ſed in veſpera בערב diei decimæquartæ, id eſt incipiendo à veſpera exeuntis diei decimæquartæ; quia ſtatim additur עד יום uſque ad diem 21, in veſpera ſcilicet deſinentis diei ſeptimæ à prima veſpera, ſive nocte diei decimæquintæ. Quare arbitror ſub præcepto fuiſſe ut totis iſtis ſeptem diebus azymi panis aliquid comederetur: quia paſſim legere eſt, Deum ſerio præcipere ut populus infermentatorum panium recordetur, & verba ipſa ita ſonant ut omnino præcipiendi vim habeant: nec cauſſam ullam eſſe video, cur obligatio iſta ad primam duntaxat noctem referatur.

*Octavum.* VIII. Ut primus dies Feſti *Peſah* ſit dies quietis ab omni opere.

*Nonum.* IX. Similiter ſeptimus ejuſdem Feſti, *Levit.* XXIII. 7. *Exod.* XII. 16.

Præceptum hoc diſertè legitur in textu, & phraſis iſta מִקְרָא-קֹדֶשׁ ubicumque reperitur, ſemper ſignificat diem illum divino cultui ſanctificandum eſſe per abſtinentiam & ceſſationem ab omni opere ſervili, imo eum Sabbatho per omnia æquari: excepto quod in eo cibus præparari & coqui poterat ad victum neceſſarium: *Exod.* XII. 16: quod in Sabbatho non licebat; quippe in quo nec ignem accendere, nec cibos coquere permiſſum erat.

X. Ut à meſſe *Homer* quadraginta novem dies numerentur: *Levit.* XXIII. 15. *Decimum.*

Præceptum hoc neſcio an præceptum dici mereatur. Senſus enim verborum non videtur eſſe, ut numeratio iſta de die in diem fiat uſque ad Feſtum Pentecoſtes. Quis enim id credat? ſed ut cum elapſi erunt 49 dies, à decima ſexta die Niſan, id eſt à ſecundo die Feſti Peſah, (qua falx mittebatur in meſſem hordeaceam, uti ego arbitror: tritici enim meſſis circa Pentecoſten erat,) numerum inchoando, tum demum Feſtum Pentecoſtes ineat & obſervetur. Numeratio itaque non præcipitur, ſed numerus dierum tantum definitur quos immediate excipit Pentecoſte. Atque hoc idem dictum volo de anno Jubilæo. Quare cum ex verbis his præceptum peculiare formant Hebræi, & præceptum quidem quod præciſe obſervatu neceſſarium ſit, erecte in pedes ſtando, atque ita numerandis per expreſſa verba ſingulis diebus, & ſingulis hebdomadibus, unam poſt alteram, in hanc formulam: Hic eſt primus dies *Homer*, hic ſecundus, &c. & cum ſeptimus advenit: Hæc eſt prima hebdomas: cum decimusquartus, hæc eſt ſecunda hebdomas, &c. uſque ad quinquageſimum, quem ipſis numerare non liceat, ſed quem Deus ipſe numerat tanquam ſuum diem, propter myſterium ingens quod in die quinquageſimo latet, quod nulli unquam revelatum eſt, ſed quod ſolus ſibi reſervat: id vero mihi ſuperſtitionis fermentum redolere videtur. Nolim tamen negare condonari poſſe carnali populo anxiam iſtam numerandi ſuperſtitionem: non quia in numero quinquageſimo ingens myſterium aliquod occultatur, (nam hoc foret ſuperſtitionem ſuperſtitione augere) ſed quia numerationem hanc faciunt, aut facere ſe dicunt eo animo ac fine, ut ſignificent quanta cum reverentia, quanto cum deſiderio exſpectent legem divinam, quæ poſt dies iſtos in monte Sinai lata eſt, ipſa die quinquageſima, atque ita lata ut omnes Iſraelitæ iſta die excellentiſſima gloria donati fuerint à Deo, id eſt evecti ad ſupremum prophetiæ gradum, audientes ipſum Deum ſibi clara voce loqui: quamquam & hoc imaginarium quid eſt. Solius Legis divinæ deſiderium, quod numeratione iſta quotidiana identidem teſtatum faciunt, ſuperſtitionem iſtam excuſabilem apud me facit. Nempe, uti Maimonides ait, ad honorem diei quinquageſimi, in quo lex data eſt, pertinet, quod dies à præcedenti ſolemni Feſto Paſchatis ad illum uſque diem numerantur: quemadmodum quis optimum ac fideliſſimum amicum exſpectans, dies & horas numerare ſolet.

XI. Ut quies ab operibus indicatur die quinquageſima *Homer*, quæ eſt Feſtum *Sebuoth*, ſive ſeptimanarum aut Pentecoſtes: *Levit.* XXIII. 21. *Undecimum.*

Præcepti hujus eadem eſt obligatio quæ præcepti de ſervando Feſto Peſah & Tabernaculorum. Tantum in duobus differentia eſt, quod attinet ad modum præcipiendi. In cæteris præcipitur menſis & dies obſervandus: Hic menſis nulla mentio fit, ſed tantum diei quinquageſimi. Cauſa neſcitur. Quod enim id factum idcirco volunt Hebræi, quia in numero quinquagenario profundum ſecretum ſive myſterium latet, id mera conjectura & Cabala eſt. Deinde in cæteris ratio allegatur, ob quam Feſta illa inſtituerit Deus: hic nulla ratio datur. Cur? Quis id certò dixerat? Quod id factum volunt Hebræi, quia iſto die lex dabatur cujus ultima perfectiſſimaque abſcondita & occulta ſunt, id vero merum eorum commentum eſt; quo ipſo uſque adeo abripiuntur in admirationem perfectionis divinæ iſtius legis, ut vix ac ne vix quidem dignentur Religionem & Legem Jeſu Chriſti introſpicere, adeoque ex Lege iſta non modo myſteria eruere, ſed & quæcunque in Religione Chriſti eximia atque egregia ſunt, tum præcepta tum promiſſa, in ea tradita eſſe, etiam per decimam tertiam conſequentiam conentur evincere. Nobis hic libet ἐπίχειν.

XII. Ut ceſſatio fiat ab omnibus operibus prima die menſis ſeptimi: *Levit.* XXIII. 24. *Duodecimum.*

Præceptum hoc clarum eſt: ſed incertum ex textu quo fundamento nitatur. Hebræi fundamentum præcepti hujus eſſe dicunt, quia Deus in eo creati mundi aut potius hominis creati memoriam quotannis refricari voluit. Enimvero aſſerunt pari fere voce ac ſententia, hunc diem eſſe *Roſha Senah*, ita tamen ut ſtatuant ſolum hominem prima Septembris die creatum eſſe: Mundi vero cæteri creationem cæpiſſe 25 menſis ſexti *Elul*, id eſt Auguſti noſtri, circa æquinoctium autumnale: contra quam communis & fere Patrum omnium qui vocantur, ſententia fert, quæ mundum ſtatuit conditum æquinoctio verno, reſpectu ſcilicet habito ad nos populoſque omnes cis æquatorem habitantes: alioquin enim quod ad populos ultra æquatorem habitantes attinet, autumno creatum mundum dicendum foret, ſi noſtræ habitationis reſpectu verno tempore creatus eſt. Quando enim apud nos ver eſt, tum apud illos autumnus eſt, & vice verſa.

verſa. Ego hanc utramque ſententiam non expendam prolixe: In utramque partem argumenta ſunt probabilia. Certum omnino videtur Hebræos in Ægypto menſes ſuos computaſſe ab æquinoctio Autumnali: an quia ab Ægyptiis morem iſtum mutuati erant, an vero quia ante ingreſſum in Ægyptum idem fecerant, incertum. Manſiſſe etiam morem iſtum computandi ab autumno anni initium, in contractibus & negotiis civilibus indubium eſt. Deum tamen à menſe Niſan principium menſium deſumi voluiſſe, in Feſtorum & ſolemnitatum omnium ſacrarum obſervationibus, non minus indubium eſt. Quo fine? an ut aliqua ex parte corrigeret morem ab Ægyptiis mutuatum; an ut tanto majore in pretio ſacra eſſent, & beneficia à Deo accepta celebriora, quis dixerit? Nos etiam hîc malumus ἐπέχειν. Sunt alii qui alios fines inſtitutionis Feſti hujus adſignant, eoſque non improbabiles. ſed quia conjecturis meris nituntur, neque ipſiſmet fatentibus certum aliquod fundamentum in Scripturis habent, eorum opinionibus enumerandis & expendendis non immorabor.

*Decimum tertium.*

XIII. Ut eadem illa die *Scophar*, buccina clangatur: *Numer.* XXIX. 1.

Præceptum hoc de Schophar eſt. Quale inſtrumentum iſta voce ſignificetur nemini certum eſt. Buccinam fuiſſe plerique volunt, id eſt tubam ex cornu bubulo factam. Hebræi arietinam tubam, pro ſua ſuperſtitione: quaſi videlicet in memoriam ſacrificii ſive arietis, qui cornibus ſuis inter fruteta hærebat, loco Iſaaci Deo immolati: quippe Iſaacum volunt hac die natum, & hac eadem die rogo impoſitum fuiſſe. ut ut ſit, cauſſa cur hac die, uti & in feſto Jubilæo hujuſmodi tuba clangere Deus voluerit, in Scriptura non exſtat. Hebræi cauſſam hanc faciunt: quia hac die Deus, univerſæ carnis Dominus, in ſolio ſuo quaſi conſidet, ut opera hominum conſideret, & tandem unumquemque judicet ſecundum opera ſua. At quia homines carnales ſunt, & affectibus ſuis indulgentes ad diem iſtum judicii animum non advertunt, alto quaſi ſomno ſopiti, hinc Deus pro miſericordia ſua, ut ajunt, quotieſcunque dies ille recurrit non modo pœnitentiam annunciari iis curat, ſed & terribili voce ac clangore hujuſmodi buccinæ, lethargo quaſi oppreſſos excitat, ad præparandum ſe ad reſipiſcentiam, ſive ad diem jejunii vel expiationis inſtantem, decimum ſcilicet menſis hujus: juxta illud *Amoſi* III. 6: *Nunquid clangetur Sophar*, id eſt buccina, *in civitate & populus non expaveſcet?* Pie equidem, ſed an recte & convenienter huic textui dubito: quia clangor *Sophar* qui prima hac die fieri jubetur, non videtur triſtitiæ aut terroris ſignum dare, ſed lætitiæ ac gaudii: quia in Hebræo eſt תְּרוּעָה זִכְרוֹן, quod memoriale jubilationis, taratantaræ, triumphi ac feſtæ vociferationis vertunt. Neque enim unquam reperire eſt in Scriptura vocem illam תְּרוּעָה *teruha* aliter quam pro feſtiva vociferatione, & ſono ſtrepituque lætitiæ hilaritatiſque pleno poſitam eſſe: ſicut & Chaldæa vox יְבָבָא *iabbaba*, qua paraphraſtes Chaldæus utitur, non ſignificat niſi jubilationem, triumphum, & lætum ac feſtivum ſtrepitum. Et ſane ſi velimus diem hunc feſtum à Deo inſtitutum fuiſſe in memoriam creationis mundi, veriſimilius eſt clangorem hunc *Schopharot haiobel*, non terribilem ſed lætum ac feſtivum fuiſſe: alioquin certe veroſimilius eſt, Deum juſſurum fuiſſe Schopharot inflari ipſo decimo die menſis, qui pœnitentiæ & jejunii dies erat. Sed quæcunque demum cauſſa fuerit hujus buccinationis, certum eſt ſeptimum hunc menſem celeberrimum menſem fuiſſe, dignumque in cujus principio ſolemni tuba excitaretur populus ad eum rite celebrandum. Nam in eo ſolo plura Feſta inſtituta à Deo ſunt quàm toto reliquo anni tempore. Nempe quatuor ſolemnia feſta habuit: Feſtum tubarum 1 die: Feſtum expiationis 10 die: Feſtum Scenopegiæ 15 die: & Feſtum מִקְרָא-קֹדֶשׁ ſive convocationis ſanctæ 22 die: cum extra eum toto anno non eſſent niſi tria, videlicet primus & ultimus dies Azymorum, ſive Peſah, & Pentecoſte. An quia numerus ſeptimus ſacer eſt? non dixerim.

*Decimum quartum.*

XIV. Ut animam quiſque ſuam adfligat decima die Tiſri ſive Septembris: *Levit.* XXIII. 27. 28. 29. & XVI. 29. 31.

Præceptum hoc de afflictione animarum, non eſt niſi præceptum jejunii. unde alii præceptum hoc ſic proponunt; Ut jejunetur decima die, id eſt nihil edatur nec bibatur. Addunt Hebræi quatuor alia, quibus animas adfligi etiam volunt: videlicet ut abſtineatur à balneis, id eſt ut nemo ſe lavet. 2. ab unguentis, ut nemo ſe odore ullo grato recreet. 3. à calceis coriaceis induendis. 4. ab uxoribus. Sed hæ adflictiones exiguæ ſunt præ jejunio, ac proinde etiam minus curandæ, ſi omnino non negligendæ; uti negligendæ non videntur, ſi cauſſa nulla ſit aut ratio prægnans quæ neglectum ſuadeat. optime enim facere credendus eſt is, qui maxime animam ſuam adfligit, ut tanto majorem peccatorum ſuorum ſenſum ac pœnitentiam coram Deo teſtetur. Id vero hîc tanto magis admittendum & conſulendum videtur, quia Judæis unicum hoc jejunium lege præſcriptum fuit, ut aliis diebus animas ſuas ex præſcripto legis adfligere opus non habuerint: nec ſtata alia jejunia apud eos fuerint, niſi quæ vel voluntate libera ſua, vel poſitiva aliqua lege, vel occurrente aliqua neceſſitate ſive in ſubitis caſibus ad demerendum vel placandum Deum ſibi ipſis imperarent; uti jejuniorum ejuſmodi mentio fit *Zachar.* VIII. 19. 2 *Paralip.* XX. 3. 1 *Eſdræ* VIII. 21. *Judith.* IV. 8.

Cæterum de decima die quod in præcepto dicitur, id accipiendum eſt ſecundum legalem ſupputationem pro die decima, quatenus illa ſcilicet incipit à veſpera diei nonæ, & definit in veſperam diei decimæ: dicitur enim, *à veſpera in veſperam*: non vero ſecundum civilem computationem, quæ veſperam etiam ad diem quemque ſuum refert. Atque hoc ſenſu intelligendum eſt quod dicitur *verſ.* 32: *die menſis nono affligetis animas veſtras*: quia ſtatim additur, *in veſpera.* Judæi tamen ne ullo modo præceptum hoc tranſgrediantur, ante Solis occaſum ipſa die nona inchoant jejunium ſuum: laudandi ſane hoc nomine & imitandi propter legis divinæ reverentiam.

*Decimum quintum.*

XV. Ut ceſſatio detur ab omnibus operibus in iſta ipſa die *Kjpur*: *Levit.* XXIII. 32.

Præceptum hoc diem hunc ſolemnem plane æquat diei Sabbathi, eumque præfert cæteris omnibus Feſtis ſolemnibus, ſive Paſchatis, ut ajunt. Nam in his licebat ignem accendere, cibos coquere & præparare ad eſum. At in hoc feſto *Kjpur*, id minime licet, plane uti in Sabbatho ſolo id non licebat: imo minus in hoc licet quam in Sabbatho. In Sabbatho enim, comedere, lavari, ungi licebat; non in hoc: ut hac ratione etiam ipſi Sabbatho præferri debere videatur. Nec mirum: quia hic ſolus dies, jejunii dies erat, quo abſtinentia à cibo & potu neceſſaria eſt. Diſcrimen tamen inter hunc & Sabbathi diem hujuſmodi video facere Judæos: quod qui dedita opera in Sabbatho opus aliquod faciebat lapidari debebat: qui in die *Kjpur*, exſcindi è populo. At qui in alterutro per errorem peccabat, ad ſacrificium pro peccato offerendum Deo obſtringebatur. Quo jure hoc nitatur, forte non eſt difficile obſervare, ſi velimus reſpicere Judæos ad verba illa textus, *Exſcindam animam illam* (quæ diem jejunii violat) *è medio populi ſui*: cum violator Sabbathi lapidari jubeatur: *Num.* XV. 35.

*Decimum ſextum.*

XVI. Ut ceſſetur ab omni opere prima die Feſti σκηνοπηγίας, ſive Paſchatis *Succoth*: *Levit.* XXIII. 35.

*Decimum ſeptimum.*

XVII. Similiter & in octava feſti ejuſdem die: *verſ.* 36.

Præcepta hæc clara ſunt. 1. Tantum notandum octavam diem qua feſtum interdicti eſt ſolemniter feſtam fuiſſe, quia iſto tabernacula deſtructa erant: ac proinde coitio, ſive congregatio & πανήγυρις totius populi fiebat cum omni lætitiarum genere, ad laudandum & celebrandum Deum, quia è tabernaculis quaſi exierant & civitate à Deo donati erant: ſicque finem iſti Feſto omnibuſque Anni feſtis ſimul imponebant. Qua de cauſa etiam LXX Interpretes diem hanc ἐξόδιον appellarunt, non tantum quia Feſti tabernaculorum exitus aut finis erat, ſed vel quia τὸ πάλαι πασῶν τῶν ἑορτῶν, vel quia certos quoſdam modulos faciebant quibus divinæ laudes & gratiarum actiones continebantur & concinebantur, atque ita Feſtum iſtud cæteraque omnia feſta à Deo inſtituta concludebantur.

*Decimum octavum.*

XVIII. Ut in tabernaculis habitetur per ſeptem dies: *Levit.* XXIII. 43.

Præceptum hoc ad Feſtum tertium Σκηνοπηγίας ſive tabernaculorum pertinet, quod 15 die Tiſri ſive Septembris obſervari Deus præcepit. Nempe voluit Deus ut non modo tabernacula aut tuguria ex ramis arborum contexta erigerentur, ſed in iis etiam habitaretur, aut potius degeretur: ita ut ad minimum in iis prima die fruſtum panis comederetur, ex Hebræorum ſententia; cæteris verò diebus in iis prandium & cæna fieret adeoque etiam cubaretur: quia illo anni tempore maximè tolerabilis eſt commoratio in tabernaculis; eo quod tum neque æſtus, neque pluvia moleſta nimis eſſe ſoleat. Cauſſa autem inſtitutionis hujus fuit, ut Iſraelitæ memoria recolerent qualis fuerit in principio conditio patrum ſuorum in deſerto, quod videlicet per quadraginta annos in eo ſub tuguriis & tabernaculis vixerant, & Deus nihilominus illos omnibus cæli injuriis expoſitos ſub alis ſuis veluti aquila pullos ſuos foverat. Sic enim Deus ipſe; *ut generationes omnes veſtræ ſciant quod in tabernaculis habitare feci filios Iſrael*: uti diſerte textus loquitur. Quæ de qualitate, quantitate, loco, & ſtabilitate tabernaculorum præcipiunt Judæi, ea quia in textu non ſunt, ſtudio prætereo.

Præce-

Præceptum hoc ſolos mares obligat, non vero etiam mulieres.

*Decimum nonum.*

XIX. Ut in prima die hujus Feſti Suchot, *Lulab*, palma geſtetur. *Levit.* XXIII, 40.

Præceptum hoc mirum quantopere ventilent, & quam anxie ſolicitent ac vexent Hebræi, ut oralis ſuæ commentitiæ Legis neceſſitatem adſtruant. Nempe per *Lulab* ſive palmam ſynecdochice quatuor ſpecies frondium ſive ramorum intelligi volunt. Iſtas autem ſpecies adeo obſcuris nominibus denotatas eſſe ajunt, ut impoſſibile ſit ſcire quæ & quales ſint, niſi oralis accedat traditio, quæ dubitationem omnem tollat. Nempe vero quaſi divina intentio fuerit ut ſpecies iſtæ præciſe uſurparentur, aut, ſi intentio iſta Dei fuerit, quaſi conſtet Deum, obſcure ſpecies illas exprimere voluiſſe, ut notitia certa earum non niſi traditione haberetur. quis id credat? aut, ſi etiam hoc admittatur; quaſi multum referat, ſi concedatur ſpecierum iſtarum certam notitiam haberi non poſſe ſine traditionis ope. Quis enim id non facile ac libenter concedat? Rami enim hi; fructus ac frondes, non niſi ab iſtius temporis hominibus cognoſci poterant, & in vulgo tum temporis notiſſimæ erant, ut non niſi vulgari & plebeia traditione opus ſit ad eas cognoſcendas. Neque enim traditione hîc opus eſt, quæ cum autoritate ſpecies has definit; ſed traditione, quæ experimento & teſtimonio ſpecies iſtas in terra iſta ſemper uſurpatas fuiſſe confirmat. Quod unicum ſatis eſt ad convellendum non quamlibet teſtimonialem, ſed iſtam oralis Legis auctoritativam quam Judæi & Pontificii urgent, neceſſitatem. Ubi teſtimonium commune ac vulgare ſufficit ad veritatem rei cognoſcendum, ibi auctoritate opus non eſt. Sed & oralem Legem hac etiam in re non niſi merum ac novitium commentum eſſe, inde liquet, quod inter Rabbinos ipſos ſententiæ ſuper hiſce fructibus varient: qui ſane piaculum credidiſſent in dubium vocare legis oralis deciſionem, ſiquidem eam factam fuiſſe hac in re perſuaſum habuiſſent. Ut jam non dicam de omnibus iſtis *Carraim*, qui oralem hujuſmodi deciſionem à Deo factam fuiſſe negant: quos numero non paucos, & eruditione ac dignitate cæteris Rabbinis non fuiſſe inferiores, quin imo non minimam Synagogæ magnæ apud quam traditionem oralem depoſitam fuiſſe creditur, partem fuiſſe conſtat; quos ipſi Judæi fatentur affirmaſſe olim hodieque, non determinari hac lege ipſas fructuum ſpecies, ſed formoſitatem & pulchritudinem quorumcunque etiam fructuum; aut materiam tantum indicari Synecdochicè (ſpecie accepta pro genere) qua Feſti celebritas confieri poterat. Hæretici nobis ſunt iſti, inquiunt: Fateor: ſed & vos illis hæretici eſtis, eo ipſo quod Dei verbum non credatis ſufficere ad mentem Dei intelligendum; quod Deo Optimo Maximo ſumme injurium videri debet; cum vix homine dignum ſit, imo cum homine indignum ſit, jubere aliquid verbis quæ intelligi non poſſunt ſine interprete aut interpretatione aliena.

His iſta conſtitutis, neceſſe utique non eſt, ut multum laboremus de ſpeciebus his ad unguem definiendis? cum veriſimile ſit Deum non uſurpari voluiſſe ſpecies iſtas nominatim, alioquin eas clare expreſſiſſet omnes: quamquam forte iſto tempore cuilibet in vulgo notiſſimæ erant: ſed exempli gratiâ aliquas tantum nominaſſe, partim in genere, partim in ſpecie, quæ pulchritudine & viriditate ſua ac ſuaveolentia ad lætitiam hilaritatemque demonſtrandam ſervire poterant. In genere dico, ut fructum arboris הדר id eſt pulchritudinis vel decoris, voce הדר appellative ſumta pro pulchra, formoſa & decora, qualiſcunque tandem ea eſſet, ſive citrus, ſive Perſicum malum, ſive alia quæcunque. Eſto etiam, uti Hebræi volunt, citrus, quæ tum in terra Iſraelis pulcherrima erat, & nulli non iſto nomine, arboris ſcilicet decoris, nota, adeoque omnibus obvia. Deinde ramos arboris denſarum frondium, id eſt arboris cujuſlibet quæ denſis frondibus obſita eſt, vel κατ' ἐξοχὴν denſiſſimis, ad indicandum myrtum myrteoſque ramos, vel ſi qui alii denſiores iſtis erant. In ſpecie, ſpatulas תמרים palmarum, ſive, ut Hebræi volunt, tenera & quæ nondum induruerunt germina arboris palmæ, & ſalices torrentis. Senſus itaque eſt: Sumite vobis pulcherrima & ſuaveolentiſſima quæque germina, de optimis etiam terræ fructibus, deque ramis viridiſſimis & præſtantiſſimis, eaque geſtate in ſignum lætitiæ propter exitum ex deſerto, (quod nec locus ſeminis, ficuum, vitium, malogranatorum, citreorum malorum, &c. erat, neque locus aquarum ad bibendum, id eſt fontium fluviorumque ad quorum ripas ſalices ſtant,) in locum arborum fructiferarum & fluviorum. Quatuor autem ſpecies idcirco nominare voluiſſe Deum, ex. gr. credo: 1. Quia temporibus iſtis ubique exſtabant in terra Iſraelis, & à quovis haberi poterant. 2. quia pulchritudine, viriditate & ſuaveolentia ſua etiam (ut citrus & myrtus) hilaritatem augere poterant. 3. quia per ſeptem integros dies viriditatem & humiditatem ſuam retinent: id quod in aliis quibuſdam ramis fructibuſque, ut Malogranatis, Perſicis malis, Aſparagis, aliiſque ſimilibus fieri non poteſt. Allegorias ſuper hac re formant Hebræi tam longe petitas, tam ſublimes arduaſque, adeoque tam ineptas, ut eas referre pigeat. Ejuſmodi allegorias fingere, non tam eſt ingenii judicique, quam puræ putæ ſuperſtitionis.

XX. Ut Iſraelita omnis quotannis Deo offerat dimidium argenti ſiclum: *Exod.* XXX. 13. *Vigeſimum.*

Præceptum hoc in textu non eſt. Nec enim quotannis jubentur Iſraelitæ in textu allegato, viritim offerre dimidium ſiclum, ſed quotieſcunque recenſio & numeratio populi fit; uti ex *verſ.* præcedente manifeſtius eſt, quàm ut probari oporteat, aliaque loca clarè confirmant. An ritus iſte in populo obtinuerit, nolo contendere. Aliud eſt ritus, aliud præceptum de ritu lege divina expreſſum. Hoc non reperio: iſtum facile admiſerim, ſi verum eſt quod Hebræi aſſerunt, idcirco dimidium ſiclum argenti, quotannis imperatum fuiſſe, ut in ærario & gazophylacio eſſet, (quemadmodum innuitur *verſ.* 16.) quo emerentur continua ſive jugia ſacrificia, ſal, ligna, panes facierum, Omer, vacca rufa, hircus Azazel, vittæ hyacinthinæ quæ illi alligabantur, veſtimenta Sacerdotum, quo denique ſtipendium eorum qui miniſtrandi modum in templo docebant, vigilum item ac cuſtodum templi, judicumque ac Magiſtratuum in urbe Hieruſalem, compararetur.

Dimidium autem ſicli argentei, non eſt dubium quin fuerit didrachmum: drachma unaquaque conficiente juxta monetam noſtram, regalem unum, id eſt tres ſtuferos cum dimidio, vel paulo plus, id eſt quatuor vel quinque aſſes, uti jam ante à nobis non ſemel dictum eſt. Quod autem dimidium ſicli textus declarat, *ſecundum ſiclum ſive pondus ſanctuarii*, id non fit idcirco quaſi diverſa fuerint pondera, alia ſanctuarii, alia publica ſive communia, hæcque dimidio illis minora, uti plerique credunt tum Hebræi tum alii. Nequaquam: ſed quod in ſanctuario vel templo unus certus aſſervaretur ſiclus, ad cujus pondus omnes ſicli exigi debebant ac poterant, ubi de juſto valore incideret quæſtio, id eſt ubi privatorum pondera vel detractione vel adjectione minima, ſive imprudenter ſive de induſtria mutata videri poterant, aut alioquin, uti fit, immutabantur. Quæ ſententia, etſi communi & receptæ opinioni refragatur, argumentis tamen adſtruitur minime contemnendis; & vel hoc uno quod mihi ſufficere videtur; quia nulla ratio eſt cur diverſa pondera ſtatuantur, Scripturaque ipſa ubique tribuat ſiclo valorem viginti obolorum. vide *verſ.* 13. & *Levit.* XXVII. 15 omnem æſtimationem ſiclo ſanctuarii ponderari velit, id eſt omnes contractus, emtiones, venditiones juxta pondus ſicli ſanctuarii fieri velit. Ex hoc colligo, didrachma iſtud quod ſolvit Chriſtus pro ſe, *Matth.* XVII. fuiſſe tributum illud quod Herodes Rex viritim imperavit Judæis juxta legem divinam. Stater enim & ſiclus tetradrachmum faciunt, uti manifeſtum eſt ex 1 *Sam.* IX. 8. & 2 *Reg.* VII. 1. 16. 18. *Jerem.* XXXII. 9. *Ezech.* IV. 10. Didrachma autem eſt tetradrachmi ſive ſtateris & ſicli dimidium: quod pro ſe ſolvit Chriſtus.

Notandum tamen cum præceptum loquitur de omni Iſraelita, per omnem Iſraelitam intelligendum dumtaxat eſſe Iſraelitas mares, non fœminas, eoſque qui ad vigeſimum ætatis annum pervenerant, & ultra uſque ad annum ætatis quinquageſimum, (quo rude donabantur & vacationem militiæ habebant,) nullo diſcrimine pauperes eſſent an divites. Tempus anni fuiſſe dicunt primam diem duodecimi menſis, incipiendo menſes à Martio, id eſt 1 Februarii uſque ad 25 ejuſdem menſis. Hoc tempore non obligari præcepto iſto Iſraelitas, ne quidem in terra ſancta, aſſerunt Hebræi; ſed optime eos facere credunt, qui quotannis tantum pendunt in uſum pauperum, ad memoriam præcepti iſtius conſervandum, quantum à Deo imperatum eſt in uſum ſanctuarii. Finis hujus poſitionis ſive tributi fuit, ut eſſet pretium pro ſingulorum animabus Domino, *verſ.* 12. & propitiatio pro animabus eorum, *verſ.* 16. & additur: *Non erit plaga in eis cum fuerint recenſiti*, *verſ.* 12. Unde colligunt quidam, Davidem cauſſam fuiſſe recenſione ſua intempeſtiva, ob quam plaga immiſſa fuit populo, ut caderent 70 millia, quæ videlicet neglexerant ſolvere tributum illud. Sed alia cauſſa allegari videtur 1 *Paral.* XXVII. 23. 24. de qua nunc non agam.

*vide verſ.* 14. *vide verſ.* 15.

CAPUT

## CAPUT VIII, seu

## Domus octava præceptorum affirmativorum, quæ est domus gubernationis & judicii, & XIII præcepta continet.

*Primum.* I. Ut obedientia omni Prophetæ in nomine Domini venienti præstetur, ubique & semper: juxta illud *Deut.* XVIII. 15.

*Quis verus Propheta secundum Judæos.*

PRæceptum hoc sic accipiunt Hebræorum Magistri, ut id ad quemlibet, quocunque tempore verum prophetam ad Dei populum missum ablegatumque pertinere velint. Verum autem prophetam omnem eum esse asserunt, qui insigni atque egregia sapientia, virtute ac sanctimonia præditus, miraculo etiam aliquo missionis suæ divinitatem confirmat: sive miraculum istud sit opus aliquod humanam omnem sapientiam ac virtutem excedens: sive prædictio rei alicujus bonæ, quam eventus ipse per omnia veram esse demonstrat; malarum enim sive tristitium rerum aliam omnino rationem plerique eorum esse volunt. Imprimis vero requirunt, ne propheta iste quicquam aut doceat, aut faciat, quod Legi Mosaicæ tam scriptæ quam orali, ut vocant, aut repugnat aut non conveniens est, nisi forte una vice aut semel: uti Eliam fecisse legitur, cum sacrificium faceret extra urbem Hierosolymitanam. Quid hac de re statuendum sit, in præcedentibus prolixè à nobis indicatum est.

*An Propheta aliquis singularis promittatur Deuter. XVIII. 15.*

Impræsentiarum tantum considerandum venit, cum Deus in loco citato promittit se suscitaturum prophetam è medio populi, quem universus populus audire teneatur, an sub voce *prophetæ*, per enallagen numeri, intelligat non prophetam aliquem singularem, sed prophetas quoslibet, quos suo singulos tempore suscitaturus esset: ut sensus promissionis divinæ sit, Quemcunque & quandocunque prophetam aliquem suscitabo è medio vestri, eum audietis non aliter quam Mosen hodie à vobis audiri volo.

Equidem si verba textus, & scopus divinæ responsionis ad populum, qua eum à consulendis hariolis & auguribus dehortans voluntatis suæ interprete se usurum apud eos videtur promittere, pervideantur, diffiteri non possumus quin sensu isto figurato accipi possint verba, ac fortasse debeant; imprimis si *versus* 20 adjungatur: *Veruntamen propheta qui superbè egerit, ut loquatur verbum in nomine meo, quod non præcepi ei loqui, quique loquetur in nomine deorum alienorum, morietur propheta ille*, &c. Hæc enim verba videntur omnino arguere Deum non de uno aliquo singulari propheta aliquando mittendo, sed de variis prophetis subinde vel successive mittendis locutum esse.

Attamen si propius ac penitius introspiciantur verba, ea omnino videntur arguere Dei scopum & propositum fuisse, indicare, se certum & singularem aliquem prophetam, Mosi quoad Legislationem parem, aliquando suscitaturum esse, sic tamen ut etiam non obscurè indicet se & alios interim missurum esse; ac proinde jubere ut quicunque prophetæ interea mittentur, tanquam Legis Mosaicæ interpretes, cæterum Mosi in Legislatione neutiquam pares aut cum eo conferendi, audiantur, si prædictionis alicujus testata veritate legationem suam confirment; sin minus, rejiciantur & morte mulctentur. quasi legeretur: Suscitabo vobis (id est posteris vestris) Prophetam Mosi plane parem: neque tamen interea prophetæ aliquando alii deerunt vobis, qui magnum istum prophetam venturum veluti anteambulones præcessuri sunt, qui omnes vestigiis Mosis insistentes, Mosaicæque Legis discipuli, unum quasi cum Mose corpus erunt: neque alio loco censebuntur quam si Moses per eos populum doceret, quia tota eorum doctrina autoritatem à Lege Mosaica mutuabitur. Inter eos erunt veri & falsi prophetæ: quos ut dignoscatis certo indicio, ita habete, &c.

Hunc sensum verba non admittere tantum, sed & postulare videntur. Nam 1. textus disertè in singulari dicit נָבִיא prophetam, non נביים prophetas. Si quis enallagen hic esse velit, ei incumbit probatio. Sed & enallagen difficulter admitti posse colligo ex eo, 2. quia textus diserte dicit אָקִים suscitabo: quod sane quoad literam rectius clariusque intelligitur, suscitabo (aliquando scilicet) prophetam illum singularem; quàm si dicas, nunc hoc nunc illo tempore suscitabo prophetam aliquem; aut, quandocunque prophetam aliquem suscitabo, tum illum audietis. Flueret sanè oratio non inepte per enallagen accepta, si futurum *suscitabo* absolutè acceptum significaret, omni tempore sive semper suscitabo post te prophetam aliquem in populo, qui vicem tuam supplebit, & sequester inter populum & me erit uti tu nunc es. At sic accipi non posse verba id unum manifestum facit, quod multa ac longissima tempora sæpe fuerint, quibus propheta nullus propriè sic dictus in populo fuisse legitur. Nam si tempora Josuam consecuta videantur, per trecentos & ultra annos sub judicibus nullus propheta in populo fuit: quæ tamen talia fuisse constat, ut prophetam omnino si ulla alia requirerent. Quod si hoc non sufficit, addo 3, quia disertè textus dicit, כָּמוֹךָ *sicut tu*. At nullus unquam prophe-

ta post Mosen usque ad tempora Jesu Christi suscitatus fuit, qui dici mereatur propheta fuisse sicut Moses. Omnes enim prophetæ quicunque unquam in populo fuerunt, longe dispares ac dissimiles fuerunt Mosi, quia legem nec novam nec inauditam tulerunt populo, uti Moses; sed eam quam populo tulerat Moses, veluti Mosaicæ Legis discipuli atque interpretes, populo commendarunt, & ad eam populi totius mores ac ritus reformatos voluerunt; usque ad ipsum Prophetarum omnium ultimum Malachiam, qui in fine prophetiæ suæ idcirco etiam sic locutus legitur: *Mementote Legis Mosèh servi mei. cap.* IV. *vers.* 4. Quod ipsum non leviter confirmatur verbis istis quæ legere est *Deuter. cap. ultimo vers.* 10: *Neque surrexit ultra* (id est, neque surget, Hebræa phrasi) *propheta in Israel sicut Mosèh:* nempe, usque dum veniat ille propheta qui erit כְּמֹשֶׁה sicut Moses, uti hoc loco dicitur. Item ex eo quod in textu dicatur, *verba mea ponam in ore ejus, & ille loquetur quicquid præcepero ei.* Quid enim attinebat Deum verba sua ori prophetæ istius indere, eique de integro (ut Mosi) quidquid loqueretur præcipere, si nihil ab iis, quæ Moses tradidit, diversum per os ejus populo annuntiare constituisset: Certe post mortem Mosis, quando Deus Josuam populo jam præfectum alloquitur eique mandata dat, longe aliter Deus locutus ad eum legitur; nempe ut omnia agat ac faciat secundum universam legem quam ei præceperat servus suus Moses: *Non recedat*, inquit, *liber legis hujus ab ore tuo: Jos.* I. 8, *&c.* Hoc sane longe aliud est, quam, *ego ponam verba mea in ore ejus*, &c.

Hæc argumenta etiamsi ad convincendum pertinaces Judæos ἀπροσωπολήπτως non sint, talia tamen sunt, ut non sine gravi caussa credi possit scopum Dei fuisse indicare, prophetam aliquando singularem atque eximium à se suscitatum iri in populo, paris atque ejusdem auctoritatis cum Mose, quod spectat rationem docendi populum, eique leges Dei nomine ferendi. Certe quod ad nos Christianos attinet, caussam hac de re dubitandi nullam habemus. Nec enim dubium est quin isto sensu divinam hanc promissionem interpretati sint Apostoli Domini nostri Jesu Christi, quos spiritum Christi habuisse & mentem Dei ac Christi optime perspectam habuisse constat, quique id de se ipsis affirmant; quibus eo ipso quod id jure meritoque dicere potuerint, fides à nobis habenda est absque ulla hæsitatione aut alia ulteriore probatione. Videantur ad hujus rei probationem testimonia evidentissima *Act.* III. 22. & VII. 37: & quæ eis addi merentur loca, etsi non æquè evidentia, in quibus aperte dicitur prophetam aliquem singularem exspectatum in populo fuisse, cumque qui à Mose ipso designatus fuerat, uti *Joan.* I. *vers.* 45 videre est, ubi Philippus Nathanaeli dicit: *Quem* (id est, de quo) *scripsit Moses in lege, & Prophetæ, invenimus Jesum.* At nullum aliud de propheta venturo tam illustre testimonium in Pentateucho reperire est. item *Joan.* VI. 14. ubi turba dixisse legitur: *Hic est vere propheta ille qui venturus erat in mundum:* ad quem alium, obsecro, locum respiciens quam ad hunc ipsum? item *Joan.* I. 21, ubi Sacerdotes & Levitæ interrogasse Joannem Baptistam leguntur, quisnam esset, & inter alia etiam, *An tu es Propheta ille,* ὁ προφήτης ἐι σὺ; quem alium, quæso, designantes articulo isto, quam eum de quo hîc dicitur, *Prophetam suscitabo vobis?*

*Judæi isti præcepto non paruerunt, quando Jesu nostro auscultare detrectarunt, qui omnis veri prophetæ πανηγυρις habebat.*

Esto, inquies: Christiano hæc sufficiunt. At vero Judæo non satisfit. Fateor. Dico itaque coronidis loco: Dato, sed non concesso, sensum istum quem Judæi verbis istis adtribuunt, & præcepto hoc suo expressum voluerunt, verum esse; ex eo solidissime etiam evincitur eos præcepto huic non paruisse quando Jesu nostro non auscultaverunt, nec fidem atque obedientiam ei præstiterunt. Ratio est: quia verus propheta fuit, qui omnia prophetæ veri non ἰσοτίμως tantum sed & πανηγυρικῶς habuit, eaque ipsa quæ ipsimet veræ veri prophetæ πανηγυρις esse volunt. Sapientia enim, pietate, castitate, & virtute omni insignis fuit: miraculis claruit, imò pluribus majoribusque quam quæ unquam, non dico Moses aut prophetæ singuli, sed omnes simul juncti patrarunt, iisque non clam in angulo aut recessu aliquo, sed palam publiceque in omnibus civitatibus, & in oculis totius Israelis gestis. Si dicant: At non debuit quidquam addere vel demere Legi Mosaicæ. Respondeo *primò*: Hoc signum veri aut falsi prophetæ in hoc textu non dari, neque uspiam in Scriptura sancta. Tantummodo *Deut.* XIII. legitur; falsi prophetæ,

etiam

etiam signa & prodigia facientis, signum esse, si populum à veri & unius Dei cultu studeat avertere, (quod sane à Christo nostro alienissimum fuisse constat.) At nusquam legere est, signum falsi prophetæ esse, si quid præter aut contra ritualem aut judiciariam Mosis Legem faciat. Quin & manifestum est prophetas aliquando, re ita postulante, non modo contra ipsam Legem Mosis ritualem fecisse, ipso Deo factum eorum approbante, ut in Elia manifestum est, & ipsi Judæi fateri coguntur: sed & contra judiciariam diserte docuisse.

*Expositio loci Deuter. IV. 2.*

Nec est quod regeras verba *Deut.* IV. 2. ubi Deus dixisse legitur, aut Moses Dei nomine; *Non addetis ad verbum quod ego præcipio vobis, neque diminuetis quidquam ex eo.* Nam 1 ista phrasis, *Non addetis ad verbum, neque diminuetis ex eo*, non necessario significat, præceptum nullum novum verbo addi posse, aut detrahi. Nihil minus; sed significare potest, non transgrediemini præcepta Dei, vel committendo quicquam contra ea; hoc est addere: vel omittendo; hoc est diminuere. Quin & sic debere accipi phrasin istam, manifestum est ex eo, quod statim addatur, *ut custodiatis præcepta Domini Dei vestri:* quasi legatur, & sic custodietis præcepta, id est præceptis meis obedietis. Hunc sensum manifestissime indicat *vers.* 32, *cap.* XII. *Quicquid ego præcipio vobis custodietis, ut faciatis; non addes ad illud, neque diminues ex eo.* 2. Sed & posito phrasin istam sensu isto exponi, nequaquam tamen ex eo sequitur, Deum sibi ipsi legem ponere quominus Legi addere aliquid aut ex ea diminuere possit; ac proinde prophetis etiam Dei nomine ad populum ablegatis non licuisse quicquam præter aut contra Legem Mosis facere, jubere aut promittere. Contrarium patet Sole clarius. Quod enim ad factum attinet; Eliæ exemplum, de quo diximus, instar plurium est. Ille sacrificavit extra templum, contra expressam Mosis Legem. Addidit ergo aliquid Legi Mosaicæ. Dicere, hoc semel tantum factum est, ad rem non facit. Interdictum enim generale & perpetuum est. Quod ad judicia attinet; David filios Saulis suspendi jussit suspensosque in cruce reliquit ad septimestre aut semestre spatium, contra expressam Dei legem. Quod ad promissa attinet; Prophetæ fere omnes gratiam & remissionem ejusmodi peccatorum, Dei nomine aliquando annuntiarunt populo, quæ morte puniri debebant juxta legem Mosis sine ulla misericordia. Quare signum prophetæ veri ut id statuatur ratio non finit. Sed verò *Secundò*: Si omnino concederetur, hoc veri prophetæ signum esse, nihilominus tamen certum esset, Judæos causam nullam habuisse cur rejicerent Jesum nostrum, quando in medio eorum versabatur, seque prophetam illum promissum esse non obscure significabat: quia toto isto tempore nihil quidquam vel docendo vel faciendo divinæ legi Mosis aut additum aut detractum voluit. Quod enim ad doctrinam attinet; apertè professus est se non venisse ut dissolveret legem Mosis, sed ut eam adimpleret: *Matth.* V. 17. adeo ut ne iota vel apicem quidem unum ex lege excidere voluerit, aut excisurum esse sua culpa significaverit. Quod ad vitam ejus attinet; in ea sese Legis Mosaicæ cultorem studiosissimum simul atque observantissimum esse palam publicèque demonstravit. Sed nec etiam quicquam horum à capitalibus ejus hostibus crimini ei datum, aut inter capita accusationis relatum fuit.

*Apostoli Jesu Christi non abrogaverunt legem Mosaicam.*

Si dicant, Apostolos ac discipulos ejus non multo post Legis Mosaicæ abrogationem docuisse, & hìc illic facto abrogasse: Respondeo 1. id ad rem præsentem non facere, quia de Christo ipso constat eum criminis istius à nemine juratissimorum hostium insimulatum unquam fuisse, aut insimulari vel postulari jure potuisse, quia doctrina & vita sua legem Mosaicam cum reliquis Judæis accuratissimè & exactissimè observavit. Ex quo efficitur causam nullam fuisse cur Christus tanquam falsus propheta à Judæis rejiceretur, nedum funestæ mortis damnas judicaretur. 2. Quod ad Apostolos sive discipulos Jesu attinet, falsum est eos vel dicto vel facto Legem Mosaicam abrogasse. Contrarium luce clarius patet ex actis Apostolicis, & nominatim ex *cap.* XXI. *vers.* 21, *&c.* Duo tantummodo ex decreto Synodi Hierosolymitanæ, rebus omnibus diu multumque ventilatis, docuerunt: 1. Gentiles ad observationem Legis Mosaicæ constringendos non esse: 2. Ad justificationem & salutem æternam consequendum sufficere fidem Jesu Christi, sive Religionem Christianam. At sic, inquies, vim justificandi derogarunt Legi Mosaicæ, atque ita ipsam Legem Mosaicam reipsa abrogarunt. Respondeo: Vim justificandi non derogarunt Legi Mosaicæ, quà Lex Mosaica erat, sed quatenus Lex erat præcisè sumta. Nam vim istam derogarunt Legi in universum, propriè ac præcisè accepta voce Legis, quatenus omnimodam, id est perfectam & perpetuam, absque ullius veniæ promissione, mandatorum omnium ac singulorum observationem continet, vel præscribit. Hac ratione non abrogabant Legem Mosaicam. Nunquam enim Lex Mosaica istam vim justificandi habuit: quia nulla unquam Lex istam vim habuit, sed tantum significarunt Deum, qui præcedentibus ætatibus gratiam universalem mundo annuntiari non curaverat, Legesque tantum ferri jusserat, nunc hac aperta ac clara universalis gratiæ prædicatione, testatum facere voluisse, non lege sed gratia justificationem & salutem æternam constare atque obtineri posse. Hoc vero non erat abrogare Legem, sed tantum indicare ex natura gratiæ consequi, rigida observatione legis ad salutem opus non esse; Legis, inquam, cujuscunque, sive naturalis, sive Mosaicæ, sive gentilitiæ. Apparet id ex eo, quòd interea cum id assererent Apostoli, non destiterunt tum ipsi Legem Mosaicam observare, tum aliis Judæis omnibus eandem commendare: adeo quidem ut ipsis etiam gentilibus mandaverint decreto publico atque universali, præcepta quædam Noacho olim data sedulo observare. usque dum Deus ipse Rempub. totam Judaicam funditus evertendo, urbemque & templum radicitus exstirpando sine ulla restitutionis spe, testatum omnibus fecit se finem imponere Reipub. & Religioni Judaicæ, neque secundum Legem Mosaicam ampliùs coli, aut judicia ritusque exerceri velle. Ex illo tempore Religio Christiana sola obtinuit ac viguit, Judæisque pariter ac gentilibus commendata fuit, veluti unica justitiæ ac salutis æternæ consequendæ norma, ab ipso Deo Christoque approbata.

At sic abrogata saltem creditur ipsa Lex Mosaica, inquies. Nequaquam. Abrogatio enim propriè non fit nisi per contrariam rogationem, quæ hìc nulla est. Non est abrogata Lex divino aliquo jussu aut contraria sanctione: sed desiit ac cessavit facto isto divino interveniente, quo Rempublicam, templum, ac populum amplius esse noluit. Desinente enim populo, destructo templo, & eversa Republ. Lex etiam populo isti data, & templo atque reipub. isti affixa, ut desineret omnino necesse erat: eundem plane ad modum quo leges belli desinunt ac cessant, per compositas inducias aut initam pacem. Non abrogantur leges belli tempore pacis, sed finiuntur ac desinunt, natura rei ita postulante, quia necessariæ non sunt & usum non habent.

*Quo sensu lex Mosis æterna dicatur.*

Atqui Lex Mosis æterna & æternum duratura passim dicitur. Respondeo: Sed & templum ipsum æternum, Deique in eo habitatio & requies in seculum permansura dicitur: *Psal.* CXXXII. 14. & Levitæ in eo ministraturi Deo in seculum dicuntur: 1 *Paralip.* XV. 2. cum tamen hæc omnia jam cessent: adeoque ipse Daniel Deo tribuat, quod facturus esset cessare in dimidia hebdomada sacrificium & oblationem: *cap.* IX. 27. Nempe æternum sive עולם non necessario aut semper significat durationem interminatam, sed longum aliquod temporis spatium, quod occultum & incognitum est, vel quod rei cuique debitum est: ita ut æternum & in seculum duraturum aliquid dicatur, quod durabit quamdiu ex naturæ suæ conditione durare poterit. quo sensu ignis aliquando æternus, ἄσβεστος & qui in æternum ardebit, dicitur, quia uret quamdiu materiam ustilem sive pabulum flammæ reperiet. *Esa.* XXXIV. 10. & LXVI. 24. *Jerem.* VII. 30. & XVII. 27. & XXI. 12. *Ezech.* XX. 47. 48. *Judæ vers.* 7. Sic vermis impiorum non moriturus dicitur, quia non morietur nisi deficiente nutrimento. Et sacerdotium ac regnum in familia aliqua dicitur fore æternum, quia durabit quamdiu erunt in familia ista posteri, ad quos utrumque pervenire potest; vel quamdiu Deus ipse id durare volet. quo sensu servi in seculum dicuntur, etiam ii qui non multis ante Jubilæum annis servituti se mancipaverunt: quos tamen ex servitute ista eximebat, vellent nollent, annus Jobel; uti cæteros annus quisque septimus, si vellent. Atque hoc sensu Lex Mosis æterna dici potest, quia duravit quamdiu durare potuit, Deusque eam durare voluit: ita ut nulli homini fas fuerit eam abrogare aut rescindere. Non potuit autem durare quoad ritus & sacrificia, destructo templo: nec quoad judicia, eversa Republica. & quia nec species nec spes restitutionis est, concludendum omnino est, Deum voluisse ut ea desineret prorsus ac cessaret. Moralis enim Lex, (si Sabbathi præceptum excipias quod ego omnino cæremoniale esse arbitror) non tam lex fuit populo Judaico propria sive peculiaris, quam lex juris naturalis omnibus populis communis: ac proinde quæ cessare ac desinere nec poterat nec debebat, hodieque idcirco apud Christianos adhuc durat, & in pretio summo habetur: imprimis prout ea à Christo ipso exposita & extensa est.

*Secundum Non præbavit Deus ut sibi Regem constituerent Israëlitæ*

II. Ut Rex populi eligatur: juxta illud *Deut.* XVII. 15. *Ponendo pones super te Regem.*

Præceptum hoc in textu non exstat. Nec enim dicitur in eo: Quando ingressus eris in terram sanctam constituendo constitues tibi regem: Sed, *quando ingressus eris & dixeris, Constituam super me regem, uti omnes gentes quæ sunt in circuitibus*

*cuitibus meis*, (tum) *constituendo constitues super te Regem talem.* Ista enim oratio non est absoluta sive positiva, sed conditionalis: si videlicet Regem pertinacius peteret postularetque populus. Ex quo consequitur, consilium Dei non fuisse populo positivam legem ferre de eligendo Rege: sed tantum posita ista conditione, determinare modum ac rationem eum eligendi: proinde ista conditione non posita, si videlicet populus in forma ordinarii regiminis lubens acquiesceret, consilium Dei fuisse ut ne Rex eligeretur, sed usitata Regiminis forma perpetim duraret. Contrarium itaque potius ex hoc textu efficitur, Deo non placuisse Regium imperium, nec voluisse ut istud in populo suo peculiari locum haberet, ut hac ratione à cæteris omnibus populis Orientis sequestraretur. De his siquidem apud Tacitum Claudius Civilis ad Batavos suos ait: *Servire Syriam Asiamque & suetum Regibus Orientem*: Indicare tamen voluisse se illud permissurum, aut pertinaciæ eorum daturum, certis conditionibus, quas omnino si Regem vellent ad morem cæterarum gentium (in quibus verbis sine dubio emphasis est & ratio divinæ displiccentiæ) servari velit ac præcipiat. Eundem plane in modum quo repudium, quod per se alioquin Deo displicebat, præscriptione libelli repudii limitatum permisisse Deus legitur. Et sane rationes in Scriptura omnes pro hac expositione militant. Disertè enim legitur *Samuel* VIII. 7. *&c.* & *cap.* X. 19. & *cap.* XII. 17. *&c.* indigne admodum tulisse Deum, quando populus summam rei à Samuele ad Regem aliquem transferri postulabat. *Non*, inquit, *te spreverunt, sed me, ne regnem super eos: cap.* VIII. 7. Et *Abjecistis hodie Deum vestrum*, inquit Samuel *cap.* X. 19. *c.* autem XII. 17. dicitur: *Scitote & videte quod malum vestrum magnum est quod fecistis in oculis Domini, ponendo vocis Regem.* Nempe Respub. Israelis non erat Democratia, nec Aristocratia, nec monarchia, sed θεοκρατία ante creatos Reges. Judices enim in populo qui erant, nihil pro autoritate & potestate sua faciebant, uti postea Reges, sed ad jussum & oraculum divinum. Quo spectat illud *Judic.* VII. 7. *Quando personuerit tuba in manu mea*, inquit Gedeon Judex, *Vos quoque per circuitum clangite & conclamate, Domino & Gedeoni. & ibid. vers.* 20: *Clamaveruntque, gladius Domini & Gedeonis.*

Dices: Ex verbis istis Samuelis non recte colligi, Deo prorsus displicuisse petitionem istam populi qua Regem sibi petebat: quia diserte in loco *Deut.* XVII. 15 dixerat Deus: *Quod si dixeris, Constituam super me Regem*, &c. tum *constituendo constitues super te Regem quem elegerit Dominus Deus tuus*, &c. Atqui hic petunt non Regem simpliciter, sed Regem sibi à Deo dari ex formula ista, per Samuelem. Aliud itaque quid in petitione hac fuerit necesse est, quod Deo tantopere displicuit. Respondeo, Ex ipsis verbis liquere hoc ipsum quod Regem sibi petierint, licet ex formula ista, Deo displicuisse. ex quo efficitur id quod *Deut.* XVII. 15 dicitur, *Constituam super me Regem*, tale quid fuisse quod Deo vehementissime displicebat; sed quod pro indole perversa populi aliquando futurum prævidebat: ac proinde verborum istorum sensum non esse; Quando ista cogitatio vobis incidet de mutanda imperii forma, & Rege eligendo, tum recte facietis, si à me ipso Regem postuletis. Nihil minus. Contrarius plane sensus est: Pessime facietis, & gravissime peccabitis quando in ea quam vobis Reipub. formam ordinavi non acquiescetis, sed ad morem cæterarum profanarum gentium Regium cupietis imperium, meo divino vobis utilissimo vestræque indoli aptissimo, spreto aut posthabito. Dabo tamen hoc vestræ malitiæ ac pertinaciæ, pro mea divina clementia atque indulgentia. Rex vobis dabitur: sed cavete vobis ut arbitrii vestri putetis esse eum eligere. Ego eum dabo vobis in ira mea, ipseque eligam mihi quem volam. Hoc sensu accepta verba optimè conveniunt: quæ alioquin nescio quibus interpretationibus obscurissima fiunt & intricatissima. Vidit hoc doctissimus Rabbi Isaac Abravanel, qui verba hæc sic omnino interpretanda esse prolixe disputat; Aristocraticum, id est paucorum imperium, Monarchico longe præferens: asseritque Deum non jussisse ut Israelitæ Regem crearent, quatenus (uti in Conciliatore suo Rabbi Menasseh sententiam ejus refert) Regum imperia non aliis modò locis, sed apud ipsos Israelitas noxia fuisse experimentis comprobatum est; quippe qui & ipsi peccatores & aliis ad peccata exemplo fuerint. Contra Judices omnes viros pios ac Dei timentes fuisse. Itaque Deum nequaquam voluisse ut Regem crearent, cum ipse eorum Rex esset: sed tantum cum prævideret eos simulatque terram sanctam occupassent, malo proposito Regem sibi postulaturos, præcepisse, ut quando Regem omnino vellent, eum è fratribus suis deligerent. Quoniam autem peccarent id postulantes, à Samuele graviter reprehensos fuisse. Hanc sententiam Abravanelis idcirco hic referre consultum duxi, ut videatis quam absimile à vero sit, quod præcepta hæc crediderit oralem legem Mosis continere, cum diserte contrarium de hoc præcepto affirmare non dubitet. Et addi meretur, quod hæc ejus opinio à plerisque Rabbinis tam congrua verbis Scripturæ credatur, & tam multis solidisque rationibus nixa, ut cæteris aliis omnibus longe præferri mereatur, nisi obstaret traditio. Hoc nempe est propter traditionem commentitiam dedita opera insanire, & cum pluribus malle desipere, quàm cum paucis ex ipso Dei scripto verbo sapere velle. Quare non absimiliter à vero opinari mihi videntur ii, qui asserunt Deum non caritate aut Reipub. cura imperium Sauli dedisse; sed quoniam arrogantiam sævitiamque ejus introspexerat, comparatione deterrima gloriam Samueli quæsiviisse, ut tali successore desiderabilior ille quandoque foret, & quantum imperio regio præstaret imperium prius divinum intelligeretur.

III. Ut judices & judicia sive tribunalia, & præsides apparitoresque, in qualibet civitate populi Israelitici constituantur: juxta illud *Deuter.* XVI. 18. *Tertium;*

Præceptum hoc ad terram tantum sanctam pertinet, & ad tempus quo Respub. Judæorum in ea viguit floruitque, uti ex textu liquet: *Intra omnes portas tuas, quas Dominus Deus dat tibi in omnibus tribubus tuis.* Δικαστήρια autem sive tribunalia hujusmodi tria & trium generum fuerunt. Summum unum & maximum à quo non dabatur provocatio, quodque Hierosolymis tantum erigebatur in ipsa Regni metropoli. Alterum medium & minus à quo provocatio dabatur in criminalibus judiciis, quodque Hierosolymis & ubique in omnibus civitatibus erigebatur. Tertium infimum ac minimum, quod in minimis pagis ac vicis ordinabatur, judiciisque tantum civilibus quibusdam ferendis occupabatur. *Tria inter Israelitas tribunalia.*

Summum & maximum tribunal fuit Tribunal *Sanhedrin*, voce corrupta & derivata à Græca συνέδριον, quod erectum fuit in loco publicorum conventuum, qui primi habiti fuerunt in Schilo, postea vero tanquam in sede stabili & æterna Hierosolymis, idque in ipsa æde sacra, sive in ea templi parte quæ *Gazith* dicebatur. Constabat id ex Septuaginta Senatoribus; qui ab ætate, forte etiam à cura experientiaque ætati isti propria, Senes vocabantur; unde & apud Græcos γερουσίας, & apud Romanos Senatus vocabulum. Collegium sive consistorium hoc in populo fuisse etiam multo ante legem latam, adeoque in ipsa Ægypto, non pauca fidem faciunt, & ex isto selectos fuisse ab Ægyptiis Regibus ἐργοδιώκτας istos, qui quotidiani laboris rationem exigebant à populo, valde verisimile est. Deinde collegium hoc, sive ex collegio isto, etiam de consilio Jethronis soceri Mosis, selectos à Mose fuisse qui minores lites dijudicarent, & controversias leviores dirimerent, supremorum autem judiciorum & relationum cognitionem Mosi relinquerent, non est dubium. At quia tandem etiam Moses querebatur, se isti supremorum judiciorum ac relationum oneri non sufficere, certum quoque est tandem etiam in partem curarum istarum divino jussu LXX adscitos fuisse, nec alios quàm qui doctrina, sanctimonia, & virtute cæteris præstabant. Nobilitatis enim ratio non habebatur, nec originis, tribus, functionisve dignitas in censum veniebat: adeo ut ne Pontifex quidem Maximus in eum ordinem allegeretur, nisi de sapientia atque idoneitate ejus probe constaret, uti Maimonides ait. Adscisceatur אִם היה ראוי בחכמה si cordatus & capiendis consiliis non ineptus esset. Non enim in Senatum ibat suo jure, sed suffragiis admittebatur. Hinc δοκιμασία instituta erat, quæ סְמִיכָה id est χειροθεσία sive manuum impositione obsignabatur, ad exemplum Mosis qui Josuæ & septuaginta Senatoribus manum imposuerat. *Tribunal Sanhedrin.*

Qui autoritate & honore inter omnes hos præcellebant duo erant: unus qui totius Synedrii caput erat, & personam Mosis repræsentabat, supraque illo Septuaginta Senatores numerum unum addebat: (unde Senatores LXXI numerantur.) Hic נשיא *Nasi* & quidem בכל מקום *Princeps in omni loco* dicitur: cujus mentio fit Exod. XXII. 28. Ad hunc pertinebat θεωδεία, & quoties Deus cælitus judices aliquos populo dabat, uti Josuam, Jepthe, Samsonem, Gedeonem, Samuelem, illi dignitatem istam obtinebant, & vocabantur שופטים *Schophetim.* unde apud Romanos Suffetis vocabulum, & fortasse nostrum *Schepen.* Alter huic proximus, sed minor fuit, qui אב בית דין *Ab Beth-din* appellabatur, sive curiæ summæ præses. Hic dexter adsidebat Principi. Cæteri LXIX Senatores sinistri mediam quasi lunam facientes, ut vota ac suffragia singulorum nominatim exquireret ac colligeret.

Ad hunc Senatum pertinebant duo. 1. Judicia omnia Dei, id est maxima, phrasi Hebræa, de quibus cognoscere inferiora tribunalia non poterant: cujusmodi erant hæc: Crimen falsæ prophetiæ: (quo respexisse videtur Servator noster, cùm in Euangelio Lucæ negat fieri posse uti propheta quisquam pereat extra Hierusalem; *cap.* XIII. *vers.* 33. & cùm in *Quænam negotia ad illud pertinuerint.*

cum in Euangelio Matthæi Hierosolymam vocat τὴν ἁγιόπολιν τῶν ἀρχιερέων: *cap.* XXIII. 37.) Crimen perduellionis: Delictum universæ tribus: Delictum Pontificis Maximi: quibus addendum videtur non modo crimen falsi testimonii, ob eum locum qui est *Deuter.* XIX. 16. 17: sed & adulterii, cum deessent testimonia, per poculum מוֹתָה. 2. Judicia omnia provocantium à lata apud inferiores judices sententia. Quod alii addunt ad Senatum etiam hunc pertinuisse jus creandi Regem, belli item pacisque arbitrium, & pomœriorum regni proferendorum, id non usquequaque verum est. Hæc enim quia ejusmodi sunt, in quibus salus omnium & summa Reipub. vertitur, sine populi suffragio non transigebantur, ac non nisi indictis comitiis populi perficiebantur.

*Auctoritas ejus.*

Auctoritas hæc apud Senatum mansit etiam, regno jam constituto: adeo ut ne Regi quidem ipsi licuerit de civis cujusquam capite judicare, quinimo ne in Senatum quidem venire, ne sua sententia aliis censendi libertatem adimeret. Quo pertinere videtur quod dicit Zedekias Senatoribus Jeremiam ad mortem deposcentibus: *Rex contra vos nihil potest: Jerem.* XXXVIII. 5. & quod Josephus annotat, Herodem Regem ad caussam dicendum in jus ab hoc Senatu vocatum fuisse. In exilio Babylonico auctoritas aliqua mansit apud hos LXX, sed non judiciaria, nisi precario & de consensu Regis ac Senatus Babylonici, qualem ἀτιμωλόγητον habuisse constat. Ea iis reversis reddita est ab Rege Artaxerxe, veluti postliminio. Postea armis adversus Antiochum recuperata libertate, summa rerum iterum penes hunc Senatum fuit: unde & Sceptrum regium in curia adservabatur, isto in loco qui consessui Senatus designatus erat. mansitque auctoritas ista continua surrogatione usque ad Pompeii victoriam; post quam Gabinius Syriæ præses auctoritatem Senatus hujus non parum imminutum ivit, aliis quatuor consessibus, Gadaris, Amachunte, Hierichunte, Sephoris creatis, eademque fere, etsi non omnino pari, auctoritate cum Hierosolymitano hoc Senatu donatis. Deinde Herodes magnus, qui Senatores ad unum omnes, unico Samea excepto, interemit, aliosque suæ factionis, sibique ob delatos honores obnoxios, surrogavit. Postea cùm redacta jam esset in provinciam Judæa, à Senatu Romano ei jus vitæ necisque ademtum fuit: donec tandem excisa per Titum Vespasianum urbe, delataque funditus universa Judaica Repub. hic Senatus penitus interiit.

*Duo alia tribunalia Hierosolymis & in aliis oppidis.*

Præter hoc alia duo Concilia sive tribunalia in ipsa urbe Hierosolymitana erant: quorum unum ad portam atrii erat, alterum ad portam qua aditus patebat ad montem templi: alterumque altero dignius & in majori honore ac gloria erat. In utroque viginti tres judices sedebant, qui de capite fortunisque civium jus dicebant, causasque omnes, præter istas quas supra excepimus, & ad solum Sanhedrin pertinere diximus, decidebant: sic tamen ut ab eorum sententia provocare liceret. Et hujusmodi consistoria sive synedria in singulis Judææ sive Palæstinæ oppidis erant, quæ juri dicundo negotiisque publicis curandis constituta erant.

*Collegium trium virorum.*

Tertium, idque minimum, erat Collegium triumvirorum, quod in ista tantum civitate erat quæ centum & viginti incolas non haberet. Coram hoc non nisi lites de injuriis, deque pecuniis & bonis mobilibus disceptabantur.

*Quartum.*

IV. Ut decretis statutisque Magni Concilii *Sanhedrin* obtemperetur: juxta illud *Deut.* XVII. 10.

*Concilio Sanhedrin non erat obtemperandum absolute in omnibus.*

Præceptum hoc in textu esse non diffiteor: de sensu ejus vero lis justa & acris est. Hebræi sensum ejus esse volunt, Concilio isti magno obtemperandum esse in omnibus & per omnia, sive quid statuat de divinorum præceptorum sensu, sive de casibus legis dubiis, sive de conscientiæ scrupulis, sive de causarum negotiorumque fatis: idque sub pœna mortis. Atque hæc eorum interpretatio fundamentum est legis oralis, quam vocant, sive traditionis & cabalæ eorum: cui idcirco ex vi hujus præcepti parem cum lege Dei scripta auctoritatem deferunt. Sed verò ut hunc verborum horum sensum esse credamus nulla necessitas cogit: imò ut contrarium credamus rationes complures sunt. Nulla necessitas est, inquam. Nam nihil vetat ut verba hæc accipiantur de litibus tantum & controversiis forensibus ac cæremonialibus, quarum decisio suprema deferatur isti consessui, ita ut ab eo provocare nemini jus aut fas sit; quia videlicet Reipub. interest ne lites æternæ sint; etiamsi earum decisio fiat non raro pro pessima parte. quasi legeretur: Hujus consessus judicio omnes stare volo, quicquid tandem pronuntiaverit; neque cuiquam fas esto ab eo provocare aut ei obluctari. Hoc enim eodem sensu curiæ supremæ prærogativa eadem apud nos competit, sive malimus, comitiis Ordinum, uti in Regno parlamentis. Si dicas verba generalia esse, & ad omnes lites sive controversias quascunque ex lege ortas pertinere; Respondeo 1 id ex textu neutiquam solide evinci posse, quin & verba *vers.* 8 contrarium non obscure indicare; collata cum locis seqq. *Deut.* I. 13. *Exod.* XVIII. 22. 2. Posito etiam quod verba generaliter accipiantur, tum sane nihil adhuc vetat ea sic accipere, ut cum conditione tacita & subintellecta prolata esse credantur: si videlicet legi divinæ consentanea sint judicia, eique non repugnent. Ratio est: quia in textu dicitur עַל פִּי הַתּוֹרָה *juxta os* vel sermonem *legis* quam docuerint te.

Dices, verba ista sensum alium ferre posse. Esto, inquam: Et hoc largiamur. Addimus itaque rationes complures esse quæ evincunt hoc non isto sensu verba hujus præcepti necessario accipienda esse. *Prima* est: Quia constat Senatum hunc, etiam quando ejus נשיא seu Princeps Moses erat, nunquam quicquam auctoritate sua propria definivisse, vel in leviculis casibus, quando lex clara non erat, sed vel ambigua, vel in silentio casus istius muta: uti supra à nobis probatum est. *Secunda:* Quia constat congregationem sive Concilium hoc totum, non modo errare potuisse in decidendis controversiis, sed & peccare, uti disertè legere est *Levit.* II. 13. *Tertia:* Quia certum est Concilium hoc totum non raro erasse in summis gravissimisque controversiis, quæque ipsum Religionis caput concernebant: uti quando Prophetas ipsos Dei trucidarunt, aut saltem repudiarunt & pro falsis prophetis habendos morteque dignos esse judicarunt: uti in Jeremiæ exemplo manifestum est: & (quod omnium instar est) in exemplo Regis ac Principis sui Messiæ. Judicium enim de prophetis non nisi ad hunc consessum pertinebat, uti diximus. Ex his colligimus non immerito, præceptum hoc vel de caussis forensibus tantum accipiendum esse, in quibus injustæ etiam sententiæ parere pium est non impium; vel si de quibuscunque controversiis etiam ex ipsa lege ortis accipiatur, non aliter quam cum conditione ista accipi posse aut debere quam diximus. Atque hoc ipso sensu accipiendum esse credimus præceptum Domini nostri Jesu *Matth.* XXIII. *vers.* 1. 2. 3. quod huic præcepto per omnia convenit. *Ierem. XXVI.*

*Quintum.*

V. Quando lis hæret & in ancipiti est, ut majori suffragiorum parti accedatur: juxta illud *Exod.* XXIII. 2.

Præceptum hoc nescio quo tubulo interpretationis exsugant ex textu Hebræorum Magistri: vix credo eos, aut sanum quemquam hominem, de sensu isto ex textu eruendo cogitaturum fuisse, nisi purgamentum aliquod prius calcavissent. Nempe tria præcepta in versu hoc fingunt: duo negativa: 1. Non sequeris turbam sive plurimos ad faciendum malum. 2. Non respondebis super lite ad declinandum. Unum affirmativum quod hoc præcepto exprimunt: Post multos ad declinandum, supple, ibis: ita ut interpunctio fiat post verbum לִנְטֹת *ad declinandum*, & paragraphus novus fiat in voce אַחֲרֵי *Post.* Quis non videt hoc esse prorsus coactum & contortum interpretamentum? Non diffiteor tamen hoc ipsum etiam Paraphrastæ Chaldæi interpretamentum esse, qui verba ista ultima sic exponit: Juxta sententiam plurimorum perfice judicium. Sed profecto, sive Chaldæus Paraphrastes, sive alius quis, interpretationis hujus author sit, violenta omnino videri debet interpretatio: quia 1 interpunctio ipsa violenta est. 2. quia verbum sive gerundium infinitivum לְהַטּוֹת *lehattot ad pervertendum*, non nisi violente exponitur, ad inclinandum, id est acquiescendum plurimorum sententiæ: cùm longè alio sensu immediatè ante usurpatum sit, imò sensu contrario. 3. quia periculosa est interpretatio; cum sensus ejus esse possit; ubi videris tot antecessisse aliorum suffragia, quæ sufficiunt ad litem aliquam alicui, licet injustè, adjudicandam, adjunge etiam tuum suffragium: quorsum enim contra nitaris? quo sensu periculosior nullus dari potest. Verum est Hebræos alio paulum sensu accipere verba hæc; ut velint sequendam esse multitudinem quæ reum liberare & absolvere cupit, etiamsi unico tantùm voto major sit; non verò eandem si damnet unico tantum voto superior existens. Cui addunt: Quando lis est de peccunia, votum unum superans sufficit ad absolutionem aut condemnationem rei. At quando lis est de capite & vita hominis, necesse est ut ad minimum duo vota superent partem absolventem, ad condemnandum reum. Sed ut ut sit, violentam hanc esse interpretationem manifestum est, ac fortasse non minus periculosam: quia sive nocens sive innocens reus sit, hoc juberi volunt ut procliviores semper simus ad liberandum & absolvendum quàm ad condemnandum: quod nescio an cum justitia conciliari ullo modo possit, & cum scopo divini hujus præcepti, qui est jubere ut in judicando conscientiæ & justitiæ ratio dumtaxat habeatur, absque ullo personarum respectu sive προσωπολαψία, sive pauci sive plures sint qui contra sentiunt: Gravissimum in judice peccatum esse, vel multitudine suffragiorum, vel gratia vel odio rei abduci ad aliquid faciendum contra conscientiam, vel ad iniquam sententiam ferendum: Nihil magis de-

cere judicem quam animum judicio liberum, & nulli sive homini sive turbæ addictum mancipatumve. Cui sane non repugnat, ut cum plurium suffragio res geritur, ea pars obtineat pro qua plurima vota sunt; eamque etiam partem triumphare judex, licet dissentiens, sinat. Hoc enim natura ipsa rei postulat, ut præcepto id juberi opus non sit, & salva sua cuique conscientia fieri potest.

*Sextum.* VI. Ut qui in judicio ad causam dicendum comparent, æquo & pari jure audiantur & judicentur: *Levit.* XIX. 15: *In justitia judicabis proximum tuum.*

Præceptum hoc etsi sensum plane habeat negativum, ne videlicet ex affectu aut adspectu jus dicatur; tamen ab Hebræis inter affirmativa refertur, numero præceptorum augendo, & subtili magis interpretatione quàm necessaria. Nempe justitiæ ratio in eo posita est, ut suum cuique tribuatur, ac proinde altera pars litis alteri nec præferatur nec postferatur, actu ullo qui προσωπολημψίας alicujus indicium facit: ut ex. gr. si parti uni permittatur pro se dicere quantum libet, alteri jubeatur ut compendio causam suam dicat: Si alteri parti litis benevolentia vultusque serenus ostendatur, alteri frons corrugata vultusque tristior aut illiberalior: Si isti sedere, huic stare jubeatur in judicio. Hoc ipso enim tollitur partium æqualitas, & parti alteri præjudicium fit. quæ talia quid nisi rimam primo, tum januam patefaciunt corruptelæ? Æqualitas & paritas partium in lite ubi integra servatur, ibi affectus à judicio exulare creditur. Inæqualitas statim judicio officit, & affectus præponderant levi momento in animo ejus, qui discriminationem inter partes inaudita & indicta adhuc causa fecit. Quicquid extra causam & rem est, id in judicium judicisque animum ne incidere quidem debet. Personam amici deponere debet is qui judicis sumit.

*Septimum.* VII. Ut qui de re aliqua in judicio verè testari possunt, sine ulla tergiversatione ex conscientia ad testimonium perhibendum judices conveniant: juxta illud *Levit.* V. 1.

*De obligatione ad testimonium dicendum.* Præceptum hoc an in textu sit incertum est. Hebræi verba textus hujus sic interpretantur, ut iis obligari credant quemlibet, quacunque demum in causa, ad testimonium dicendum & perhibendum: hoc tamen discrimine, ut si lis civilis sit, non obligetur ad perhibendum testimonium nisi vocetur, aut in Senatum accersatur, jubeaturque testari bona fide id quod scit verum esse: Si vero capitalis aut criminalis lis sit, in qua de capite, vita, aut de crimine pœna aliqua digno agitur, etiam invocatus adsit, suaque propria sponte ad testimonium dicendum coram judicibus se sistat, reumque accusatum veniat: excepto Sacerdote summo, quem obligatum fuisse negant ad testimonium dicendum, nisi in causa Regis. Quo jure aut fundamento nixi ita statuant de capitali lite, nescio. Si ritu & consuetudine immemoriali, aut in populo semper recepta, non refragor. At si præcepti hujus verbis, causam satis gravem non video. verba enim textus hujus hunc sensum habere possunt: *Si quis peccaverit*, id est flagitium aliquod perpetraverit, & (alius scilicet quispiam) *audierit vocem juramenti*, id est adjuratus sive sub adjuratione in testem à judice advocatus, ut quod certo de veritate rei compertum habet, testetur, *Si testimonium perhibere detrectet*, sive metu sive amore ejus de cujus crimine inquiritur, *& non erit insons nec immunis à crimine.* Certe vox אלה utrumque significat, & juramentum & adjurationem. Chaldæus paraphrastes *adjurantem* reddidit. Hoc sensu accepta verba, non continent obligationem ad ferendum testimonium absolutam, sed conditionalem, si videlicet adjuratio judicis interveniat, & qui adjuratur certo testari possit, (simulque idoneus sit ad testandum; quod hîc præsupponitur & alibi plenius exponetur) quia videlicet או ראה או ידע aut vidit aut certo scit. Non diffiteor interim, rationem quam allegant Hebræi pro sua interpretatione, speciem habere. quod videlicet judicia omnia criminalia ex divino præscripto non equuleis, fidiculis, aut tormentis confessionem exprimentibus, uti hodie apud Christianos, pessimo sane & à Tyrannis veluti per traducem accepto & mutuato exemplo, fit: (nulla enim experimenta incertiora, quam quæ per tormenta extorquentur: & innocentes cogit mentiri dolor.) sed fide duorum aut trium testium nitebantur, qui nisi ad testandum lege aliqua obligati fuissent, judiciorum omnis usus sublatus pene fuisset. Sed vero in animum tamen meum inducere non possum, Deum omnes veritatis conscios, obligasse lege ulla ad ferendum testimonium, de quolibet crimine, aut flagitio, etiam non vocatos citatosque: quia disertè alibi, ac nominatim *Deut.* XIII. id in crimine solo idololatriæ Deum locum habere voluisse legitur. Quod si omnium criminum eadem ratio fuisset, superfluum omnino fuisset adeo severe ac rigide in isto solo crimine id mandare ac præscribere. præterquam quod id, si generatim ita accipiatur, non paucis incommodis obnoxium fuisset, quæ legi naturæ & gentium omnium repugnant. Ex vi enim legis tam generalis, pater filium, filius patrem, uxor maritum testimonio suo gravare necesse habuisset, cujuscunque demum criminis postulati fuissent: quod neutiquam verosimile est; & cujus contrarium apparet factum fuisse à Josepho, Matris D. nostri Jesu marito, idque idcirco quod esset vir justus, & nollet eam adulterii, uti videbatur, manifestam ὑποδειγματίσαι; elogio isto indignus, & contra sine dubio facturus, si justitiæ ratio postulabat ut eam accusaret & testimonio suo gravaret. In crimine idololatriæ solo id fieri Deus voluit, quia istud est summum crimen læsæ divinæ Majestatis. Quare omnino de testimonio, ad quod perhibendum jussio vel adjuratio aliqua judicis interveniebat, hoc in loco agi crediderim. quamquam si quis in enormi crimine, & re admodum dubia, ad gloriam Dei & justitiæ promovendæ ergo, testari sua sponte, judicesque juvare volebat ut malum ex Israele tolleretur, impunitasque pluribus noxia non esset, eum rectè & jure meritoque id facere potuisse, lubens admittam. Sunt & alii interpretes qui locum hunc longe aliter accipiunt, ita ut in eo non agatur, de eo qui testimonium à se in judicio sub religione jurisjurandi petitum præstare renuit aut subterfugit, sed de eo qui proximum blasphemantem non corripit aut non corrigit: sed vel de industria, vel imprudenter, vel alia aliqua ex causa peccatum ejus dissimulat. Quæ opinio si vera est, apparet præceptum hoc cum textu nihil commune habere. Sed, quod pace eorum dictum volo, non videtur ista interpretatio cum verbo יגיד *iaggid* commode satis conciliari posse: quamquam & istud ipsum non parum favere videretur Hebræorum interpretationi, nisi obstarent quæ diximus.

*Octavum.* VIII. Ut testes rigide examinentur, & testimonia eorum magna cum cura expendantur: *Deuter.* XIII. 14.

In textu hoc non agitur de examine testium aut testimoniorum, sed de examine facti, vel inquisitione in veritatem rei, sive rumoris pervulgati, per omnia possibilia documenta, & experimenta quævis obvia; & quidem in speciali casu, de civitatis alicujus idololatria; an videlicet rumor de ea sparsus, etiam sine proprie dicta testificatione, verus sit; quod videlicet alienorum deorum cultui sese dediderit. Interea certum est Deum voluisse, & æquitati consentaneum esse, ut in testes non perfunctorie, in testimonia non obiter, sed cum cura magna & ἀκριβείᾳ inquiratur. Interest enim Reipubl. ut innocentia tuta sit, & pœna non nisi ad reos, & criminis, quantum fieri potest, manifestissimos perveniat: capitis verò pœna non nisi in manifestos, & ubi documenta Sole clariora sunt.

*Nonum.* IX. Ut falsis testibus idem fiat, quod factum aliis innocentibus voluerunt: juxta illud *Deut.* XIX. 19.

*Quinam sint falsi testes.* Præceptum hoc clarum est. Per *falsos testes* intelligo eos, qui falsitatis sive calumniæ manifesti sunt vel convicti: sive calumnia & falsitas directa sit, ita ut eam usurpare proposito malo, sive contra conscientiam suam, ad nocendum innocentibus testes intenderent; qualis fuit calumnia & falsitas Jesabelis, & testium duorum ab illa adhibitorum contra innocentem Naboth: sive interpretativa, id est qua non intenderint quidem malo animo ac proposito, contra conscientiam suam testimonium perhibere, ad nocendum innocentibus, sed qua usi tamen sunt ad nocendum istis qui innocentes erant, seu opinione sua propria, sive persuasione aliena inducti & seducti; cum scire possent ac scire deberent, aut falsum subesse testimonio suo, aut testimonium suum ad noxam quam reo inflictam cupiunt, ferendum non sufficere: qualis falsitas mihi fuisse videtur, testium illorum falsitas qui contra D. nostrum Jesum, & deinde contra Stephanum protomartyrem testimonium dixerunt: *Matth.* XXVI. 60. 61. *Mar.* XIV. 55. 56. 57. 58. 59. 60. *Actor.* VI. 13. 14.

Cæterum ut redargutio & convictio valida sit, non requiritur ut ii qui falsos testes redarguunt, plures numero sint: vel duo sufficiunt pluribus, adeoque centum testibus convincendis: sed necessarium omnino est, sicut Hebræi volunt, ut id ipsum quo falsi testes redarguuntur & convincuntur, ipsam falsorum testium personam tangat, non autem per circumstantias quasdam colligatur: ut, ex. gr. Testati estis, inquient, Titum à Sempronio ista die, isto loco, puta Amstelodami, ista hora occisum esse, cum tota ista die nobiscum in tali loco, putà Rotterodami fueritis? Hæc convictio mera ac vera est, juxta illud, Si vidit vel scivit. Item: Cedo qui nostis hunc illi debere? Si responderint, ipse mihi dixit, Ego isti debeo, nihil testatus est, usque eo dum dicat: Nobis duobus aut tribus præsentibus fassus est adversario suo, se ipsi debere ducentos florenos. Hujusmodi convicti lege hac talionis tenentur; id est, vel mortis, si crimen de quo testati sunt morte plectendum fuerat; vel flagellationis; vel excussionis

sionis oculi, dentis; vel mulctæ cujuscunque pecuniariæ, sive ea lege expressa sit, sive non sit expressa. Item: Cedo qui nostis hunc illi debere? Si responderint, ipse mihi dixit, Ego isti debeo, nihil testatus est, usque eo dum dicat: Nobis duobus aut tribus præsentibus fassus est adversario suo, se ipsi debere ducentos florenos.

*Quando pœna talionis illis sit infligenda.*

Quod vero Judæorum Magistri asserunt, pœnam capitis ex lege (pecuniariæ enim alia ratio est) talionis infligi falsis testibus aut imponi debuisse, siquidem reus sive accusatus nondum capitis supplicio adfectus esset, ob deprehensam falsimoniam; eandem vero pœnam iis infligi non debuisse, post supplicium sumtum, & deprehensam supplicio affecti innocentiam, testiumque falsimoniam: id nullo mihi prorsus jure adferere videntur. Quæ ratio enim ut pœna talionis afficiantur falsi testes, superstite & in vivis adhuc existente reo, sive falsò accusato, eodem vero ob testimonium falsum è vivis sublato mulctatove, à pœna absolvantur? Sic sanè testimonii irriti, aut sine effectu consecuto, major pœna esset quam rati, & exsecutione capitali innocentis confirmati; quod omnino absurdum videtur. Quas in contrarium allegant rationes eæ frivolæ sunt & vanæ: imprimis ista, qua id ita fieri debere volunt, ut Senatus auctoritas non labefactetur ob latam falsam sive injustam sententiam. Ea enim prorsus humanæ considerationis, sive fori humani non divini est, nec ullo modo convenit cum hypothesi eorum, qua Senatum Magnum in statuendo quod videtur, & in judicando quacunque demum re, caussa, aut lite, errare non potuisse contendunt. Sic enim argumentor contra eos: Si Senatus errare & seduci potuit à testibus, eò usque ut innocentes ad mortis supplicium damnaret, quis credat eum in judicando de casibus legis errare non potuisse? Certe totius oralis legis Senatusque supremi auctoritas infallibilis, quam ei adtribuunt, isto argumento valide labefactatur ac convellitur. Ratio verò altera qua maxime istam suam sententiam niti ajunt, quæ sane nupera ac novitia est, ea mihi plane infirma videtur. Ea hæc est: Pœna quam ob commissum crimen aut flagitium in hac vita à judice patiuntur capitis damnati: (alia enim ratio apud ipsos est pœnarum non capitalium. Eas enim sive ante sive post latam & exsecutioni mandatam sententiam subire falsos testes debuisse volunt ex lege talionis, quamquam ratio prima in istis non minus militat quam in pœnis capitalibus, id est judicum vel judiciorum publicorum auctoritas. Esto tamen:) Pœna, inquam, ista expiat eorum peccatum liberatque eos à pœna futuri seculi. Talis est pœna quam falsis testibus, reo adhuc vivo, infligi Deus vult, ut ea scelus eorum hîc expietur. At accusato jam morte affecto ex vi testimonii eorum, scelus eorum majus est quam ut in hac vita mortis pœna expietur. Hinc Deus post latam & executioni mandatam sententiam, condemnari & pœna adfici eadem falsos testes non vult, reservans illis in futuro seculo graviorem & tanto scelere dignam pœnam, à se justissimo judice infligendam. Infirma admodum est hæc ratio. Nam posito id ita se habere, mortem istam violentam delinquentis peccatum expiare: quæ ratio est ut credatur falsos istos testes, falso suo testimonio perhibendo gravius peccare, & peccatum inexpiabile committere, si eapropter innocens pereat, quam si isti ipsi eum manu sua interemissent, aut veneno necassent, aut alia ratione è vivis sustulissent? Et si hoc eorum peccatum expiari poterat pari à judice iis inflicta pœna, cur non & istud? Dices: Illi judices ipsos injustæ cædis auctores faciunt. Respondeo: Non faciunt. Judex enim non est injustæ cædis author si secundum allegata & probata judicet bona fide. Deinde: hoc ipso quod per judices innocentem morte adfici curent, multo majori periculo se exponunt, quàm si clam eum interimant. Denique, ut ut majus aliquomodo peccatum videri possit, quæ ratio ut non possit istud hîc expiari, si gravior etiam pœna in tales decernatur, & pro gradu delicti gradus pœnæ intendatur? Sane omnibus expensis, hoc scelus condonari iniquissimum videtur, & propter exemplum summè periculosum, imprimis apud Sadducæos eorumque ἀμοδίξους atheos, quibus futuri seculi pœna pro deridiculo est. Æquissimum verò ut non pari, sed graviore pœna plectatur, si istud delictum gravius esse creditur, quam cædes quæ destinata propriaque manu committitur. Non jam examino hypothesin eorum, qui volunt pœna capitali crimina ista expiari. Puto enim id non procedere secundùm Euangelium, nisi intercedat vera pœnitentia & fides.

*Decimum.*

X. Ut vitula mactetur, quando cadaver aliquod humanum in agro projectum offenditur, incerto cædis auctore: *Deut.* XXI. *vers.* 1, *&c.*

Præceptum hoc de vitula decervicanda, vel potius degutturanda, in caussa cædis incerto auctore factæ, sine dubio ad seriam homicidii detestationem indicandum pertinuit, serviitque ad detegendum & cognoscendum cædis auctorem. Pertinebat vero præcepti hujus exsecutio non ad LXX senes, nec ad collegium viginti trium judicium, nec ad triumviros, sed ad peculiarem quinquevirorum Senatum. Qui quia multis cæremoniis, exactaque & curiosa in factum inquisitione, solemnique vitulæ ejusmodi decervicatione utebantur, fieri vix poterat, quin plurimi crebrique miscerentur in populo sermones, atque ita vel cædis author deprehenderetur, vel à conscio aut per suspiciones & conjecturas delato proderetur, vel ex signis quibusdam & πυμηρίοις dignosceretur. Præterquam quod dominus terræ istius, in qua cadaver repertum erat, omnem operam atque industriam adhibebat ut homicidam deprehenderet, antequam vitula ipsa decervicabatur; quia locus iste in quo ea decervicabatur, in æternum profanabatur ut nec coli nec conseri posset. damni tanti metus quam non diligentiam in animo domini loci istius; ad auctorem cædis deprehendendum exciviisse credamus?

Adnotat hîc doctissimus Junius percommodè, morem illum apud multos receptum, quo homicidæ indicium quæritur ex sanguinis eruptione, quæ contingat ad præsentiam vel contactum cadaveris confossi, ab aliquo circumstantium factum, non esse imitandum. Si enim ratio ista compertissimi esset judicii, Deus sine dubio eam hîc præscripsisset, & operosam istam vitulæ degutturandæ cæremoniam non instituisset. Ut jam non dicam, non incertum modo nullaque caussa naturali nixum esse experimentum istud, sed & fallacissimum esse: quia non raro observatum est, sanguinem ex cadavere defuncti erupisse ad præsentiam eorum quos in vita sua carissimos sibi habuerat ac conjunctissimos; ut fluxus iste sanguinis non haberet caussam sui præsentis ἀνθρωπάθειαν, sed συμπάθειαν.

*Undecimum.*

XI. Ut sex Asyla sive urbes refugii constituantur, & itinera ad eas præparentur. *Deut.* XIX. 2.

*Urbes refugii.*

Præceptum in hoc textu de sex urbibus præparandis non est, sed tantum de tribus. Sex tamen fuisse indubium est, ex *Jos.* XX. 7. tres citra, reliquas ultra Jordanem, æquali fere intervallo à se invicem dissitas, uti quidam volunt, pariterque in montium cacuminibus exstructas, ut eminus videri possent ac conspici; excepta una, quæ sola erat in plano, sed tamen patente loco ac conspicuo, ut disertè videre est *Josuæ* XX. 7. 8. Itinera ad eas ducentia complanari Deus voluit, ut homicidæ innoxio certa ac tuta etiam in hyeme fuga esset, & ubique obvium refugium: quin & in viarum interstitiis aut divergiis (uti Hebræi annotant ex traditione) magnis characteribus exarata conspici poterat vox מקלט *Miclat:* quasi dicas, Refugium; ne in fugiendo uspiam aut hæreret aut erraret innoxiæ cædis auctor. Innoxiæ, inquam, cædis. Certum enim est asyla ista sive refugiorum urbes, non erigi aut ordinari à Deo jussas fuisse, nisi iis qui casu aut per imprudentiam hominem intemerant, sive, ut Septuaginta exponunt, πολλάκις ψυχὴν ἀκουσίως. In Hebræo est בשגגה *in ignorantia. Deut.* XIX. 4. בבלי דעת *sine scientia,* id est quorum animus ab omni mala voluntate consilioque patrandæ cædis fuerat alienus. Erant ergo ista loca innocentium receptacula & perfugia, non sceleratorum aut voluntariorum homicidarum. Tantum enim abest ut talibus servirent, ut contra iis ne servirent quidem ipsius templi adyta, sacræve aræ cornua, quin & ab iis vel abstrahendi, vel ut quidam etiam volunt, ad eas interficiendi essent. uti videre est *Exod.* XXI. 12. & 14. & exemplo Joabi geminæ cædis voluntariæ rei confirmatum legitur, 1. *Reg.* XI. *vers.* 28.

Neque tamen asyla ista talia erant loca, quæ omnis omnino pœnæ reatum tollebant, auctoremque innoxiæ cædis plane liberum atque immunem faciebant ab omni supplicio; sed veluti carceres in quos compingebantur, aut insulæ in quas relegabantur & exulabant à domo sua, usque ad mortem summi Pontificis: adeo ut interim ex iis ne pedem quidem efferre liceret sine periculo aut metu גאל id est vindicis sanguinis effusi. *Num.* XXXV. 25.

*Asyla Christianorum.*

Ex quo colligere promtum est, quam fæde Christiani isti impingant in divinam legem, qui non quinque aut sex urbes refugii innoxiis hominum percussoribus, sed omnia pene loca sacra, cæmiteria, cænobia, religiosas & Ecclesiasticas domos, hospitalia, &c. asyla faciunt, quæ voluntariæ cædis auctores, imo cuivis flagitio obnoxios, omnibusque sceleribus coopertos, tutentur, atque ab omni noxa præstent immunes. Nempe quanto Deo ipsi pretiosior est sanguis hominis, tanto illis vilior est. Parum clementer scilicet dictum à Deo est; *Si quis studio occidit proximum suum, ab altari meo avelles eum ut moriatur.* Nempe clementiores isti Deo suo sunt & longè indulgentiores, dum jus ἀσυλίας etiam sceleratis percussoribus concedunt. Sed revera dum clementiæ laudem ex ista impunitatis concessione affectant, optimos quosque atque innocentissimos homines sceleratorum libidini exponunt, cum nulla sit peccandi illecebra major, quàm impu-

impunitatis & tam facile parabilis ſpes. In probos crudelis eſt, qui erga improbos mitis. Nos, inquit Varro, barbari ſumus vobis, quod innocentes in gabalum ſuffigimus homines; vos non barbari, quod noxios abſolvitis? Utrumque barbarum: utrumque Deus exſecratur, & qui abſolvit nocentem, & qui innocentem condemnat: *Proverb.* XVII. 15.

Et crudelis hæc clementia tanto deteſtabilior videri debet, quod eandem non modo non indulgeant hæreticis, quos vocant, id eſt hominibus nulla ſua culpa errantibus, & vitæ integris ſceleriſque omnis puris; ſed (quaſi contraria omnia Deo agere conſtituiſſent) quod eoſdem non aliter quàm olim Deus voluntarios homicidas ab aſylis avulſos interimi volebat, ubique perſequantur, & dignos judicent de quibus mereat carnifex, & in quos omnibus exquiſitiſſimis ſupplíciorum generibus ſæviatur abſque ulla gratia aut venia. Quid eſt jus totum divinum evertere ſi hoc non eſt? Hæreticus enim vir bonus eſt, &, ſi errore ſuo inficit alios eoſque interficit hæreſi ſua, ad ſummum tamen non niſi inter homicidas involuntarios referri meretur, & qui per ignorantiam aut errorem animas innocentium occidunt. Nihil enim minus cupiunt quam alios ſeducere aut occidere, imo ſalvare & in rectam viam eos ducere propoſitum habent. Cur itaque his jus ἀσυλίας non detur, uti à Deo olim datum eſt innoxiis percuſſoribus? Scelerati verò percuſſores & occidunt & deliberato conſilio occidunt, ſeque eo ipſo peccare & pœna dignos eſſe fatentur. Cur his aſyla dentur aut ſerviant, cùm Deus ea iis dari vetet? Hoc ſane eſt θεομαχεῖν.

*Duodecimum.* XII. Ut Levitis dentur urbes & ſuburbana urbium in quibus habitent: *Numer.* XXXV. 2.

Præceptum hoc clarum eſt. Urbes hujuſmodi quadraginta octo erant, quarum tredecim Sacerdotibus, cæteræ Levitis cedebant: *Joſ.* XX. Inter has etiam erant ſex urbes refugii, quarum nomina recenſentur, uti diximus, *Joſ.* XX. 7. An ille urbes omnes, etiam refugii urbes fuerint, merito dubitari poteſt: Hebræi & plerique alii id aſſerunt. Ego qua ratione id aſſeratur non video. Quod de ſuburbanis dicitur *verſ.* 4, ea mille cubitorum eſſe debuiſſe per circuitum, & *verſ.* 5 ea bis mille cubitorum menſura metienda fuiſſe, ſpeciem contradictionis habet: ſed quæ facile ſolvitur; ſi videlicet mille cubitorum eſſe debuiſſe ſuburbana intelligatur pro domibus & ædibus Levitarum: duorum verò millium pro campis, agris & vineis eorum. Quæ alii diſputant, aſſis non ſunt.

*Decimum tertium.* XIII. Ut tecta ædium peribolo circumdentur: *Deut.* XXII. 8.

Præceptum hoc explicatione non eget alia quam hac; quod domorum & templorum tecta apud Judæos acuminata & faſtigiata non erant, uti apud nos, ſed plana, vel potius molliter declivia, in iiſque ſolaria ad precationem, deambulationem, confabulationem, & auram captandam: ex quibus facilis prolapſus erat. Huic periculo occurri Deus voluit per loricationem ſive per peribolum, quo tecta iſta juſſit circumdari & ſepiri circumcirca, ne quis per imprudentiam è ſublimi tecto decidens domum ſanguine cruentaret & profanaret. Sic enim Moſes ait: *ut non imponas ſanguines domui tuæ quum ceciderit aliquis ex ea*, id eſt, ne tua iſta culpa lata quiſquam moriatur, & periculum tibi ex iſta cauſſa creetur judicio publico. Civiliter enim reus eſt, qui rem adeo ſalutariter inſtitutam inſuper habet. Hinc facilè eſt intelligere loca illa in Novo Teſtamento, ubi ad hanc formam & fabricam ædium reſpicitur: *Matth.* X. 27. *Act.* X. 9. *Luc.* V. 19.

## CAPUT IX, ſeu

## Domus nona præceptorum affirmativorum, quæ eſt domus doctrinæ, & XXV præceptis conſtat.

*Primum.* I. Ut omni modo exſtirpetur idololatria gentilium: *Deut.* XII. 2.

PRæceptum hoc ad idololatriam gentilium, in terra ſancta habitantium, diſertè refertur in textu hoc & aliis conſimilibus; tum ad populum Dei terræ iſtius dominum jam beneficio & auxilio Dei factum. Nil mirum. Terram iſtam ob idololatriam aliaque horrenda ſcelera exitio devotam, Deus populo ſuo poſſidendam deſtinaverat, dominiumque ei abſolutum in eam concedere decreverat, pro jure ſuo ἀυθεξουσιῳ quo regna aufert & transfert ad quos vult. Majeſtatis divinæ intererat, ne veſtigia ulla paganæ aut gentilitiæ dominationis & ſuperſtitionis in ea reliqua manerent, ut ſolus unicuſque terræ iſtius Dominus, adeoque univerſæ terræ Deus Opt. Max. agnoſceretur, cui cum fictitiis Numinibus commune nihil eſſet. Et populi iſto tam ingente beneficio Dei in terræ poſſeſſionem miſſi intererat, non agnoſcere numen aliud ullum, nedum ſuperius aliquod cui divina Majeſtas aut competeret aut deferretur. Hæc res clara eſt.

*An præceptum de exſtirpanda idololatria, ad cultum decem tribuum applicari debuerit.*

Cæterum an præceptum hoc univerſale ſit, & ad quamlibet quibuſcunque in locis exerceatur idololatriam funditus exſtirpandam referri debeat, non uſquequaque certum eſt. Certe dubitari poteſt, an ad idololatriam etiam illam quæ à decem tribubus, poſt diviſum imperium auctore Hieroboamo exercebatur in Dan & Bethel, referri debeat. Hanc enim à gentilium paganorumque in terra Cananæa antea exercita idololatria, non paulum diverſam fuiſſe diſſiteri non poſſumus, ſaltem objecti ratione & colendi modo: quatenus ſcilicet tribus iſtæ verum Deum Iſraelis pro objecto cultus ſui habuerunt, cultumque ſuum ad inſtar legis divinæ exercuerunt. Sunt enim qui adfirmare non dubitant, Deum cultum iſtum, tanquam Reipub. iſtius ſeparatæ fundamentum, non approbaſſe quidem, ſed connivendo & diſſimulando quaſi permiſiſſe: ac non modo non eum exſtirpari à cæteris duabus tribubus voluiſſe; ſed & eos, qui iſtum cultum uſurpantes cæteroquin pie ſancteque ad legem Dei vivebant, caros habuiſſe ac ſalvare voluiſſe.

Ad me quod attinet, ego ſic ſtatuo: Præceptum hoc prout jacet, ad iſtarum decem tribuum idololatriam aut idola non pertinere. Quia tamen iſte cultus, ſi non paris & æqualis, attamen conſimilis aut proximæ ad primam idololatriæ notam & culpam habebat, nihil dubito quin eum funditus etiam exſtirpatum voluiſſet Deus à populo ſuo Judaico, ſi rerum in eo imperio potitus fuiſſet; idque ex vi etiam legis hujus, vel ſaltem legis ſecundæ Decalogi: uti Reges quidam in Jehuda feciſſe leguntur, atque idcirco Deo valde placuiſſe. (Vide in Aſa auferente altaria alieni, & excelſa confringente, etiam ſtatuas & lucos quos erexerat populus iſte cujus ipſe Rex erat: 2 *Paral.* XIV, collato cum capite præcedenti XIII. Item in Joſaphat 2 *Par.* XVII. 6.) Nec enim dubium eſt, quin magni peccati loco cenſitus fuerit à Deo; quia Jeroboamum in eo non tantum peccaſſe, ſed & populum totum peccare feciſſe, diſertè paſſim aſſeritur. Nec minus dubium eſt, quin eapropter etiam tandem univerſum illud imperium dirutum everſumque ſit: juxta dictum viri Dei in Bethel: 1 *Reg.* XIII. 1. *& ſeqq.* & ſententiam ipſius Dei: *ibid. verſ.* 34. *& cap. ſeq.* XIV. 9. 10. 11. & NB. 15. 16. quia quotquot in eo Reges fuerunt, ii ad unum omnes in cultu iſto damnato, & à Prophetis omnibus juſſu & nomine Dei creberrimè ac ſeveriſſimè taxato, perſtiterunt, imperio ſuo retinendo. Sed quia à Deo fuerat profectum ut regnum Salomonis divideretur: 1 *Reg.* XII. 24. & Jeroboamo altera regni pars data erat, non videtur Deus voluiſſe ut regni iſta pars ei iterum eriperetur: imo cùm Rehabeam id tentaret, diſerte Deum id ei interdixiſſe legitur iſto ipſo in loco. Interea promiſerat Deus Jeroboamo, ſiquidem in viis ipſius ambularet, cuſtodiendo præcepta & ſtatuta ejus, ſicut David ſervus ejus, ſe ædificaturum ipſi domum firmam, ſicuti Davidi fecerat, regnique ejus ſolium ſtabiliturum. 1 *Reg.* XII. 38. Sed quia recedebat à viis Dei, & ipſe ſibi populoque vitulos erigebat, dixit Deus ſe in id vindicaturum: ſed ut per reges Jehudah fieret omnino noluit: quia illi divina voluntate Reges iſtius populi eſſe deſierant.

*An etiam ſub Novo Teſt. locum habere debeat, & ad cultus Pontificiorum extendi.*

An vero præceptum hoc etiam ſub Novo Teſt. locum habere debeat, video eſſe qui diſputant. Ego nullus dubito quin præceptum iſtud, quatenus Judaico populo datum fuit, una cum tota Judaica Republ. cumque ejus lege judiciaria deſierit: ac proinde, quà tale, Chriſtianos populos hodie non obliget. At verò quia idololatriæ interdictum ad legem Moralem pertinet, quatenus ea juris naturalis eſt; Chriſtianique populi maxime intereſt, ut legem iſtam ſacroſanctam habeat; ego etiam nullus dubito, quin Magiſtratus populorum ſibi creditorum Rectores, veritatis divinæ cognitione imbuti, recte atque ex officio faciant, ſi omnem idololatricum cultum averſari ſe teſtentur, & idola araſque idololatrarum (non ipſos idololatras, quod ne quidem in præcepto hoc jubetur) cohibeant ac diruant. Idololatria enim eſt crimen ſummum læſæ divinæ Majeſtatis, & qui id committunt, ii oſores Dei vocantur, proprio quaſi nomine ac peculiari vocabulo in Vet. Teſt. Neque arbitror quemquam hac in re mihi refragaturum eſſe, quando id ita generaliter uti à nobis jam dictum eſt accipitur; id eſt, quando omnino certum eſt & conſtat, cultum illum quem diſturbatum Magiſtratus Chriſtianus vult, idololatricum cultum eſſe.

Quid ergo, inquies: An in iſto ordine cenſendus etiam venit cultus imaginum Deo & ſanctis erectarum, qui nunc uſurpatur à Pontificiis; & diruere etiam, ex vi moralis legis iſtius, tenetur Magiſtratus Chriſtianus aras, & idola Papiſtarum? Quid ni, inquam, ſi cultus iſte idololatricus eſt? At

an ſit

an sit idololatricus lis sub judice est, inquies. Fateor. Sed cur non censeatur, non dico gentilium, sed saltem idololatrico isti Israelitarum cultui similis, non video. Esto, inquies: aliis atque imprimis istis ipsis cultoribus secus videtur. Et hoc fateor. Sed & gentilibus suus falsorum Numinum cultus, idololatricus non videbatur: multò minus suus veri Dei cultus decem Israeliticis tribubus talis videbatur: & tamen eum Deus disturbatum volebat, factoque ipse suo disturbavit post diuturnam ἀνοχὴν. Dices: Sic vis fiet conscientiis. Respondeo: Nequaquam: quia conscientiæ Papistarum non obligantur, nec necessitate præcepti, nec necessitate medii, ad erigendum aut ad colendum imagines Dei aut sanctorum, ex ipsorum propria concessione. Esto, inquies: libertati tamen Deum colendi ex sensu cujusque suo vis fiet. Quid tum, inquam, dummodo libertas cultum ex conscientia præcepti aut medii necessarium exercendi non impediatur? Addo tamen, me credere satius consultiusque multo facturum Magistratum Christianum, si prius omnia spiritualia ac lenia remedia adhibeat, & hoc agat ut cultores isti ultro ac sponte sua, vel in cultus istius desertionem consentiant, vel eum ipsi à se abdicent, non vi coacti, sed rationibus inducti ac persuasi. Leniora enim remedia tutissima sunt, & Christianæ caritatis legi convenientissima.

Atqui, inquies; alia ratio est cultus istius qui Sacramento altaris, id est pani Eucharistico ab iis defertur. Ad hunc enim necessario obligantur Papistæ. Fateor. Sed si quis alius hunc sane cultum ego credo crassissimam esse idololatriam, & cui excusandæ nullus color quæri potest ab eo qui sanis sensibus suis præditus est, sive clericus sive laicus sit, adeoque ex infima laicorum fæce. Ratio est; quia id quod adoratur in Eucharistia illa, non modo mera creatura est, sed & creatura vilissima, inanimata & bruta, ac ne quidem anima vegetativa prædita: nempe non nisi farina aqua subacta, aut panis pistus. Nec ratione aut discursu opus est, nedum molesta aut subtili aliqua consequentia ad id deprehendendum, sed solis tantum quinque sensibus, quibus non minus deprehendere potest Laicus rei hujus veritatem quam Angelicus aut Seraphicus Doctor. Esto, inquies: At illi non credunt panem esse, sed Christum ipsum, sub speciebus panis latentem, aut vi consecrationis adductum in locum substantiæ panis, quæ in nihilum eadem vi redacta sit. Fateor: Sed hoc falsum esse omnibus suis sensibus deprehendere possunt. Esto, inquies: sed sensibus suis non credunt. Hoc vero, inquam, est crimen augere, & cum omnium hominum omnes sensus dicent panem esse quem edunt, velle tamen contrarium credere ne idololatræ videantur. Quid hoc aliud est quam hominem exuere ut sibi ipsis imponant, & ab aliis quemlibet sibi fucum fieri sinant? Quid facies, inquies, talibus? Non enim objectum cultus eorum est creatura panis mera, sed Christus ipse totus Deus ac homo. Et hoc, inquam, auget crimen idololatriæ, quod Christum istic totum fingant præsentem esse, cum ibi Sacramentaliter etiam non sit nisi cadaver Christi. Cadaver autem Christi, qua tale, colere cultu divino sine dubio idololatriam fædam redolet. Dices: unde id liquet? Ex ipsis, inquam, verbis textus, *Hoc est corpus meum.* Corpus autem Christi istic Christus totus non est si verba ipsa urgeas, signa vel species ipsas consideres, & quia uti panis à populo & vino separatus ibi conspicitur, ita credendum etiam est corpus Christi à sanguine separatum ibi esse. In sanguine autem vita seu anima est. Mortui enim Christi memoria ibi celebratur, non vivi, nedum ex morte suscitati & in cælo gloriosis omnibus qualitatibus donati. Sed hoc illi non capiunt, inquies. Fateor. Sed id ex eo non est, quod id capere non possint, aut quod magno ingenio, judicio aut acumine opus sit ut id capiant: sed quia id capere non volunt, volitione sive directa sive interpretativa, quæ non modo latam sed latissimam culpam in se habet, uti jam antè diximus. Quæ enim culpa major esse potest, quam sensibus suis omnibus iisque bene se habentibus credere nolle? At credunt quod non vident, inquies. Contra: Non credunt quod vident, totoque corpore suo palpant. Hoc vero si credibile ac credendum non est, tota Christi Domini ex mortuis suscitatio, qua Religio universa Christiana nititur, pari jure in dubium vocari ab Apostolis cur non potuerit non video. Esto, inquies: Nihil tamen aliud quam Christum ipsum colunt. Contra, inquam: imo id quod Christus non est colunt: quia Christum ad, vel in, vel sub speciebus istis colunt, non aliter quam Israelitæ ad vel in vel sub vitulis Deum colebant.

*Quodnam Magistratus hac in re sit officium.*

Quid ergo, inquies: An in idololatras istos animadvertendum gladio censes? Nequaquam, inquam. Lex Christi nova non se vindicat ultore gladio. Nec ipsa hæc lex, de qua hîc agitur, id præcipit. Tantum dico Magistratum veritatis cognitione imbutum recte atque ex officio facere, si cultum istum prohibeat atque arceat. At quid si contra obnitantur cultores isti, & nulla via aut vi se ab eo abduci sinant, parati extrema quæque pro cultu isto observando subire? Respondeo: Magistratum recte tamen facere, si omnem operam ponat in eo cohibendo ac coercendo frænandoque quantum potest; dummodo abstineat à cæde ac sanguine, lassetque potius cultores quam frangat: nedum capitis supplicio, aut carceribus, relegationibus, vel pecuniariis etiam mulctis in eos animadvertat. Si & hoc omne frustra est, tutissimum esse ut Deo & tempori rem committat. Tantum enim abest ut suadeam triste illud atque horrendum carmen, *Ure, seca*; ut pœnis omnibus ideoque mulctis etiam pecuniariis epicedium scribi malim in casu conscientiæ. At sic vilescet auctoritas publica, inquies. Respondeo: Nequaquam vilescet. Si ista auctoritas in casibus conscientiæ, licet erroneæ, ulterius extendi non debeat, tum præstat in tali casu auctoritatem vilescere, quam ad sanguinem usque venire, aut carcerum, ergastulorum, exilii, vel mulctarum atrocitate sævire. At sic serpet idololatria, inquies. Respondeo: At serpet magis si vim adhibeas. Deinde, contra credo ego, ubi Magistratus quod officii sui est fecerit, soloque sanguinis horrore, conscientiarumque nimium premendarum metu à sevioribus remediis abstinuerit, Deum veluti ex machina potius adfuturum & benedicturum consiliis ac conatibus ejus, quam permissurum ut pestis illa serpat & ulterius grassetur; imo per libertatem istam ipsam, iis quasi extortam, licentiæ isti grassanti frænum injecturum esse, ut libertas libertatis remedium fiat. Hanc spem veluti Reipub. extremam anchoram ego Magistratibus injicere malim quam acriora consilia suggerere; certus non esse Religionis cogere religionem, quæ sponte suscipi debeat non vi: &, si vim adhibere incipias, nec modum nec finem violentiæ esse.

Mantissæ vice sit: Præceptum hoc datum esse populo Dei, speciali privilegio divino terræ istius domino facto; ac proinde præceptum hoc populum non obligasse ad exstirpanda ubique omnia omnium gentium idola; imo nec fas nec licitum ei fuisse, ullas alias idololatrarum regiones sine speciali jussu atque oraculo divino invadere aut bello lacessere, nedum ut id privatis ullis concessum licitumve fuisse credatur. Ex quo consequitur multo minus licere Magistratibus Christianis, religionis promovendæ aut idololatriæ averruncandæ ergo, alienas terras invadere, aut populis gentilibus bellum inferre. Minime vero omnium privatis ullis hominibus licere in sacra idololatrarum involare, eorumque aras, statuas ac delubra violentis manibus convellere, labefactare, diruere ac pessum dare. Si quos tamen purus putus gloriæ divinæ zelus, & acrior conscientiæ (licet erroneæ) stimulus aliquando ad tale quid audendum concitavit, eos licet merita morte culpam istam luisse fateor, à salute tamen æterna idcirco exclusos à Deo esse adserere non ausim. Divino judicio eos committere malo, quam meo vel absolvere vel condemnare. Heroici enim motus quidam sunt, quos Dei solius est dignoscere ac dijudicare: qualis Pinchazi motus erat: *Num.* XXV. 7. 8. qui etiam à Deo ei imputatus fuit ad justitiam: *Psal.* CVI. 31.

II. Ut internecioni dentur omnes cives qui ad idololatriam se induci passi sunt, & civitas eorum incendio tota absumatur. *Deut.* XIII. *vers.* 16. *Secundum.*

Præceptum hoc manifestum est: &, si ex sententia Hebræorum intelligatur, æquissimum. Sententia eorum hæc est. Si rumor percrebuisset seductores aliquos, civitatis alicujus habitatores vel omnes, vel plerosque, vel aliquos induxisse in eam sententiam, ut rejecto Deo Israelis ad exterarum gentium Deos & idola colenda se convertissent, Senatus Hierosolymitanus confestim in eam rem inquirebat, donec certissimis documentis atque testimoniis, de rumoris sparsi veritate edoctus certiorque factus esset. Re comperta, duos statim amandabat ex sapientissimorum ordine, qui cives istos conarentur ad meliorem mentem reducere, & à proposito factoque isto dimovere. Id si obtinebant, venia dabatur civibus, & gloria Deo Israelis. Sin minus, & frustra erant, Senatus universo Israeli mandabat, ut arma expederent, & junctis viribus civitatem illam invaderent atque expugnarent. Ea expugnatâ, inquirebatur in auctores & complices idololatriæ tam nefariæ: Auctores deprehensi lapidibus statim obruebantur. Si omnes cives in eam consenserant ejusque rei erant, omnes gladio interimebantur: Si plures paucioresve, ii cum familiis suis occidebantur, cæteris qui extra culpam erant impune dimissis. Ea re peracta spolia civitatis omnia in unum locum cogebantur: animalia sive pecora omnia trucidabantur: cætera veluti anathemata igne absumebantur, totaque civitas funditus diruebatur & diris devovebatur, ac ne unquam aut reædificaretur aut inhabitaretur edicto publico sanciebatur: ut memoria omnis idololatriæ prorsus deleretur, atque exemplo tam funesto

horror universo populo injiceretur, ne quid simile unquam auderet. Æquissima sane procedendi ratio hæc videri debet: quia summum crimen erat, quod summam pœnam merebatur; quippe fundamentum tum Religionis tum Reipub. totius Judaicæ evertens. Atque hæc caussa etiam fuit, cur Deus adeo severe non tantum voluerit inquiri in auctores tanti criminis primos, sed & eosdem occultos indicari ac deferri ad Senatum, tanquam publicos, hostes ab omnibus ac singulis nullo discrimine, etiamsi sanguinis vel amicitiæ necessitudine ipsis essent conjunctissimi: quod in aliis criminibus Deum non æque voluisse aut jussisse supra diximus.

*Hæc de occidendis idololatris lex, Magistratus Christianos hodie non obligat.*

An Christianos Magistratus Principesque hodieque hæc lex obliget, disputare supervacaneum est. Certum enim est ad nullas hujusmodi leges judiciarias Christianos obligari: quia cum Repub. Judaica eæ desierunt & vim obligandi amiserunt. Non quasi Principes & Magistratus Christiani earum instar ob rationes graves sequi non possint, si velint; sed quod eas idcirco sequi non teneantur, quia olim populo Dei datæ atque imperatæ fuerunt à Deo, (alioquin enim pari jure ad omnes sequendum atque imitandum obligarentur:) & quod ante omnia sequi teneantur legem Domini sui Christi, ad eamque, quia Lex caritatis, clementiæ, & gratiæ est, rigorem ac severitatem legum Judaicarum moderari sanctionis benignioris temperamento, quantum extrema æquitatis ratio sinit. Sed & supervacaneum etiam videri debet istud quæsitum; quia nullus hujus legis usus foret: nullum enim istius criminis periculum est in Christiano populo.

*Neque ex ea rectè colligitur, ipsos extremo supplicio plectere hæreticos teneri.*

Quod verò non pauci Christiani ex hoc loco colligere solent, Magistratus Christianos non posse tantum, sed & debere ex officio, in seductores omnes sive hæreticos (quos vocant) in capitali aliquo Christianæ Religionis articulo, nominatim qui personarum divinarum trinitatem, aut personalem naturarum Christi unionem tangit, errantes, aliisque errorem istum suum inculcare conantes, extremo supplicio animadvertere, id vero operæpretium est ostendere, quam fœde turpiterque ab istis ex hoc loco colligatur: ut jam non dicam de iis, qui ex hoc etiam loco colligunt, Christianos ad Judaismum deficientes hac eadem pœna teneri, ex vi legis hujus; quo profecto stultius nihil colligi potest. Sed nos istis missis, primum quod diximus, pretium operæ esse ostendamus.

Ac *primò* quidem certum est, vel ipsis istius sententiæ patronis fatentibus, collectionem sive consequentiam omnem in legibus (imprimis pœnalibus) periculosam esse; & tutissimum esse inhærere mordicus, & ἀνωτέρω seu præcise stare intra verba legis ipsius: imprimis in legibus de criminibus gravioribus, & quæ severissima pœna sancitæ sunt: partim quia difficilis est criminum collatio, quorum gravitas atque enormitas sæpe æstimatur & pendet, non ex ipso tantum facto, sed ex circumstantiis, & vel circumstantia una, quæ nonnunquam dubia & anceps; sæpe verò etiam occulta & legislatori soli nota est: partim quia pœnæ ipsius atrocitas horrorem conferenti meritò injicit, ut rigorem ejus contrahere malle debeat, & favorem ampliare, in casu non eodem aut non per omnia simili, vel evidenter majore. Exemplum dedit Moses in crimine violati Sabbathi, & expressi nominis divini: *Numer.* XV. 32. 33. 34. & *Levit.* XXIV. 10. 11. 12. Consulere maluit oraculum divinum, quam ex arbitrio suo statuere quicquam; ne per consequentiam (licet valde speciosam) divinæ legis transgressor & injustæ cædis auctor fieret.

*Secundò* dico: Collectionem sive consequentiam quam faciunt, plane ineptam atque absurdam esse. Nam 1 certum est in lege hac agi de seductoribus istis, qui universalem defectionem sive apostasiam à Lege seu Religione tota suadent populo, eumque à Dei vivi ac veri cultu ad falsos Deos pertrahere conantur. Hæretici verò, quos vocant, tantum abest ut ejusmodi defectionem à Religione Christi suadeant, ut contra errorem suum suadeant idcirco quod Religionem Christi ament, & pro ea mori parati sint; quin imo errorem suum lubentes volentesque deserere atque abdicare parati sint, si eum vel minimo Religionis Christianæ apice convinci ac demonstrari sibi posse credant. Quam ingens hîc discrimen sit, quis non videt? Esto, inquies: Non suadent generalem defectionem à Religione Dei & Christi, sed suadent errorem quo tota Religio Christi, ac proinde Dei, evertitur, id est errorem capitalem. Esto, inquam ego. Ergo hactenus saltem ab istis seductoribus differunt, quod isti suadere velint defectionem, hi non modo non velint eam suadere, sed omnino nolint, & à suadere eam volentibus toto animo abhorreant. Neque enim suadent defectionem à capitali isto Religionis Christianæ articulo, quia Christianæ Religionis articulus est: sed contra plane, quia eum Christianæ Religionis articulum esse, ex ipsa Religione Christiana non possunt deprehendere; imo pro certo habent eum Religioni Christianæ repugnare, parati sententiam suam ex ea ipsa adstruere ac probare. Errant, inquies. Esto. At quis nomen unquam sceleris errori dedit, inquit Seneca? Errantem si cætera probus sit, ac Religionis Christianæ retinens, quis scelerato apostatæ à tota divina Religione æquiparaverit! Reducatur in viam, si erret: at ne tollatur ex vita, ne cum errore suo æternum pereat. At reduci se non patitur, inquies. At cur, inquam? An quia non vult reduci? Atqui unde id constat? In te ipsum forte id dictum puta. Pari enim jure tibi reponat; Quod tu reduci non velis, & suadenti meliora nolis cedere. Ut ut sit, judicium de animo cujusque soli Deo competit τῷ καρδιογνώστῃ. An quia caussam & rationem non habet sufficientem cur reduci se patiatur? Si ita est; tum vero tu ipse in culpa & caussa es, quominus reducatur. Nequaquam, inquies. Rationem non unam, sed plures habet, quibus convincitur. Atqui unde id tibi constat? Tum, non malum tantum, sed & pessimum animo sic eum facis. De neutro sane constare tibi potest: & præsumtiones omnes ac protestationes ejus sunt in contrarium. An quia rationes tuas, licet solidas, capere non potest? Esto. errat igitur, & ex infirmitate ingenii ac judicii persistit in errore. An errantem hujusmodi infirmum hominem, in eandem classem cum nefario à Lege Apostata compinges? Quo jure? qua juris specie? Quid ergo, inquies: an permittetur errorem suum impune disseminare? Quid ni, inquam: cum omnia frustra tentaveris? Si impune id ei non licet facere, ex qua lege punietur? ubi & quæ lex in errantes tales statuta est? qua pœna sancita? Ad homicidas non voluntarios connivere nos Deus vult. Tu in eos sævire vis? An non gravi satis pœna tenetur is, qui errore (ut credis) animæ & saluti suæ æternæ noxio tenetur? an alia eum pœna gravari æquum est? At seducet plures. Cave, inquam, ne faciat. Errorem veritate revince. Nemo nisi volens seducitur. Quisque pro se videat ut contra errorem armatus sit. Error vi non reprimitur nec eximitur. Si vim adhibeas, oleum camino addis: eripitur persona, manet error: & ipsa vis errori pabulum sufficit, pluresque ex una pullulare facit errantium propagines.

*Tertiò.* Certum est in lege ista agi de iis, qui antea Religione Judæi erant, & in ista Religione à teneris imbuti institutique fuerant, quique ab ea iterum dimoveri se patiuntur. At hæretici de quibus agitur, plerique tales sunt qui à teneris in isto errore ac hæresi sua enutriti atque educati sunt. An non longe dispar istorum & horum ratio est? Esto, inquies: discrimen fiat inter hæreticos & hæresiarchas. At 1. quomodo discrimen istud feceris? Nam quem hæresiarcham novum reperias hodie? Semper enim & utique sectam reperiet talis, in qua error iste diu ac longe obtinuit. Hæresiarcha igitur non erit. 2. posito etiam discrimen aliquod fieri posse; quid proficeris, manentibus tot hæreticorum sectis, ad quas discrimen illud referri non potest, & quæ magis noxiæ ac periculosæ sunt quam si novus aliquis hæresiarcha oriatur? An eas idcirco destituras ab errore credis? Heu! quam longe aberras! Apud illas valebit istud, *Sanguis martyrum semen Ecclesiæ.*

Sed & posito parem omnino esse rationem horum seductorum, cum illis quos lex designat: Si ex vi legis hujus in tales animadvertendum est, certe ex vi ejusdem legis in tales eadem pœna animadvertendum esse ut fatearis necesse est. Gladio itaque non auctores tantum ipsi, sed & sectatores eorum omnes interimendi, civitatesque, pagi, vici, familiæ & domus eorum, incendio absumendi erunt. Tu si tentes, brevi per totum terrarum orbem vastitiem feceris. At, si id crudele esse tibi videtur, tum necesse sane est ut talium seductorum cædem suadeas, non ex Legis hujus amore, sed quia aliud in caussa est, nimirum proprii ingenii & quietis amor. Atque hoc est ulcus illud quod latere credo, ex quo tam sanguinaria consilia profluunt, puris instar sordidi.

III. Ut septem terræ sanctæ populi deleantur: *Deuter.* XX. 16. *Tertium.*

Præceptum hoc de delendis atque exstirpandis septem populis, puta Chittæis, Girgasæis, Emoræis, Cananæis, Chivæis, Perizæis, & Jebusæis videtur prima fronte crudele esse, & cum jure ipso naturæ pugnare. Sed nequaquam ita est. Justa pœna crudelitate caret: & sontes justa pœna afficere, legi naturæ consentaneum est. Sicut autem Rex quilibet in subditos suos jus gladii habet, quo eos morigeros tueatur, immorigeros pertinaceisque puniat; ita in Reges ac populos summus omnium Rex Deus. Et sicut Regi cuilibet jus est, vel per se vel per alios pœnæ promeritæ solutionem exigere, ita Deo jus fuit pœnæ executionem, quam per se facere poterat, populo Israelitico in hac terra mandare: idque

*An præceptum hoc de delendis septem populis fuerit absolutum, an vero conditionale.*

que post longissimi temporis patientiam; cum jam illarum gentium nefanda sacra, belluina crudelitas, incesta libido, aliaque scelera ac flagitia, quæ vulgo ac passim in sese admittebant, & à quibus recta ratio & natura hominum communis refugit atque abhorret, ad summum perveniissent, & ultricem manum tantum non postularent: uti legere est *Levit.* XVIII. 24. & in *Sapientiæ* libro *cap.* XII. & XIII.

Sed an præceptum hoc absolutum fuerit, an conditionale, quæri potest, & acriter disputari solet. Plerique Theologi volunt absolutam, sine discrimine, & nulla exceptionis lege, proscriptionem populorum istorum à Deo factam esse. Et favere videntur eorum opinioni loca duo in speciem clara: *Exod.* XXIII. 31. 32. 33. & *Deuteron.* VII. *vers.* 1, 2, 3, *&c.* Hebræi plerique contra sentiunt, proscriptionem istam non nisi cum eadem conditione à Deo factam esse, qua cæterarum gentium proscriptio facta à Deo legitur: si videlicet fecialibus de pace missis auscultare renuerent, & belli potius fortunam vellent tentare, quam deditionem facere, & pacem conficere in Israelitarum leges: hoc solum discrimine facto inter hos septem populos & cæteras gentes alias; quod isti, si pacem abnuerent, omnes, tam fœminæ & infantes quam viri, exscindi debebant; cæterarum gentium refractariarum expiationi sola clades virorum sufficeret: uti *Deut.* XX. 16 videre est. Pro hac sententia militant duo etiam non minus speciosi loci. Primus est is qui in præcepto hoc citatur: *Deut.* XX. *vers.* 10. ubi Deus expresse jubet, legatos de pace mitti ad omnes civitates, in quas arma paraturi essent Judæi; nulla prorsus populi ullius exceptione; imo cum non obscura populorum etiam septem horum inclusione: uti ex pœnæ in rebelles expugnatosque statutæ diversitate statim subjuncta apparet.

Dices: Verba ista quæ ad septem populos pertinent *vers.* 16. sensum plane contrarium posse ferre: ita ut non significetur istis septem populos durius tractandos quam cæteras gentes si feciales repudient, sed aliam esse debere populorum septem conditionem quàm cæterarum gentium, etiam in eo positam, quod illis pax offerenda non esset, uti cæteris, sed absque ulla gratiæ aut misericordiæ oblatione delendi essent atque exstirpandi. Fateor verba istum etiam sensum tolerare posse. Sed præterquam quod sensus noster iis multò videatur convenientior, duo obstant, quominus iste sensus concedendus videatur. Primò, locus, (quem secundum esse dixeram) ex lib. *Jos. cap.* XI. 19. ubi sic scriptum est: *Nulla fuit civitas quæ pacem fecerit cum Israelitis præter Chivæos Gibeonitas. Cæteri omnes bello capti sunt. Induraverat enim animos eorum Deus, ad pugnam cum Israelitis conserendam, ut internecione deleret eos, nec fieret illis gratia.* Ex quibus verbis effici omnino videtur, populos istos deletos fuisse, quia belli fortunam tentare maluerunt, quam in pacem consentire: alioquin pari eos conditione futuros fuisse cum Chivæis Gibeonitis, qui pacem petitum venerant. Alterum est, quod videam Rahab ob bene merita sua in gratiam receptam fuisse, & reliquiis horum populorum à Solomone non parcitum modo fuisse, sed habitationis mansionisque jus in populo relictum ac concessum fuisse, sub fide tributi pendendi: 1 *Reg.* IX. 2.

Ex quibus verisimiliter consit, Legem divinam quæ populos istos excidio & internecioni devovebat, ex Legis istius, quæ ex *Deut.* XX. 10 à nobis allegata est, comparatione esse intelligendam: cum hac conditione, ut locum habeat, nisi si qui populi vel sponte sua, vel moniti & per feciales de pace compellati, statim sese dederent, & imperatas aut oblatas conditiones acciperent; id est in tributum pendendum consentirent, & abdicata idololatria sua fœdisque moribus, præceptorum septem Noacho datorum (quæ sic vocantur) religione se obstringerent, si Judaicam forte Religionem nondum amplecti se posse profiterentur. Qui enim oblatam pacem accipiebant, eos vectigales sive tributarios Israelis fieri necesse erat; juxta illud, *Erunt tibi tributarii, & servient tibi;* simulque adigebantur ad idololatriam deserendum, & ad suscipiendum septem præcepta quæ Noacho data esse volunt Hebræi: cæteroquin enim iis inter Israelitas habitare non dabatur, propter verba Dei: *Ne agant in terra tua, ne te faciant peccare.* Atque hac ratione satisfit objectioni eorum, qui ex ratione quæ præcepto de delendis his septem populis addita est: videlicet, *Ne te faciant peccare,* colligunt absoluram prorsus populorum istorum proscriptionem à Deo factam fuisse. Ratio enim illa locum non habebat, si inter conditiones pacis obtinendæ erat, idololatriæ desertio, & consensio in observationem septem præceptorum Noacho datorum, inter quæ etiam idololatriæ interdictum est. Et habitare licuisse talibus in populo Israelis, apparet ex lege *Deuteron.* XIV. 20: ubi Judæis mandatur ut cadaver bestiæ suopte fato emortuæ, comedendum dent peregrino qui intra portas ipsorum erat, (id est domicilium inter eos, etsi jus civitatis non habenti,) aut extraneo (id est cui domicilium extra fines eorum erat,) vendere.

*De facto Gibeonitarum, Josuæ IX.*

Obstat, inquies, huic sententiæ factum Gibeonitarum, cujus mentio fit *Josuæ* IX *cap.* Quid enim necesse erat, ut ii se gentem procul in aliis terris sitam fingerent, astuque & dolo pacem peterent, si conditione certa eam pacisci poterant, & imminens exitium servitute tributi pendendi, præceptorumque septem Noachi admissione redimere? Respondeo: Ex *vers.* 1. *cap.* IX, non obscure liquere, Hivæos (ad quos Gibeonitæ pertinebant) in principio non minus quam reliquos terræ populos, exceptis Girgazæis, feciales Josuæ ad se missos spreviisse, & belli prius fortunam junctis viribus tentare voluisse quam se dedere. Ex illo vero tempore legem de internecione populorum septem adversus eos etiam valuisse. At vero cum deinde (uti videtur) Gibeonitæ eam legem in septem populos latam resciscerent, jamque Josuam expugnata Hierichunte & Ai victricia latè arma intelligerent circumferre, eos respiscentia & metu ductos venienti malo occurrisse; & quia pacem semel ac forte iterum (Hebræi enim tertium feciales missos à Josua fuisse ajunt) spreverant, ac proinde de gratia desperabant, fallaciis atque arte usos esse, tanquam si è longinqua regione, fama inclyti populi & fœderis iciendi amore, venissent. Esto, inquies. At quæ ratio dari potest, quod primores Principesque populi tam graviter ægreque tulerint, quòd eis pepercerant & venia dignati eos fuerunt, si id lege iis licebat? Respondeo: Causa ejus rei non fuit, quod eis pepercissent: (Id enim iis licuisse non est dubium, si qui ipsi se dederent:) sed, quod cum iis tanquam cum peregrinis longeque distitis populis fœdus sociale iniissent; quod lege expresse interdictum erat. Lex enim non prohibebat Judæis, vitam concedere dedentibus se, & conditiones præscriptas ultro & seria (etsi sera forte) pœnitentia ductis, acceptantibus; sed fœdus pangere cum iis, salva scilicet eorum Republ. & religione. Fœdus autem tale pacisci voluisse Gibeonitas, ac pactos etiam cum populo fuisse ex textu liquet. Hinc motus iræque tantæ in populo & proceribus; quæ sine dubio in cædem erupissent, nisi religione juramenti repressæ ac sufflaminatæ fuissent. Esto, inquies. Manet adhuc difficultas hæc, quod cum nullis populis idololatricis fœdus inire populo licitum erat. Quæ ratio itaque ut in horum causa juramenti solam religionem obtenderint? Respondeo: Id non videri constitisse, ac pro indubio habitum fuisse à proceribus populi ipsoque etiam populo; imo verisimile esse eos credidisse, id sibi interdictum non esse: eosque legis divinæ verba sic accepisse, ut ea non pertinerent ad populos longe dissitos, & se ipsos ultro in fœderis societatem, sine prævia obsidione aut belli denunciatione offerentes; sed ad eos tantum qui vel terræ sanctæ inhabitatores erant, vel ad quos armis expugnandos, seu pro imperio seu divino jussu veniissent, vel profecturi essent. In eo itaque error fuit; quod cum verba legis, tum *Exod.* XXIII. tum *Deut.* XX, generatim accipi possent, os Dei non consuluerant quando Gibeonitæ de fœdere cum ipsis paciscendo & pangendo mentionem faciebant, acriterque deinde urgebant: uti diserte dicitur *Josu.* IX. 14. Dices: Gibeonitæ fœdus tale non requisiverunt. Dicunt enim *vers.* 8. *Servi tui sumus.* Respondeo 1. Phrasis ista non necessariò significat, Servire vobis parati sumus, & sub conditione servitutis fœdus pangere cupimus. Sed significare potest: Agnoscimus vos potentes magnificosque dominos, gentemque vestram digniorem, quàm ut cum ea conferri mereatur humilis ac tenuis populi nostri conditio. Longè inferiores vobis sumus, ac proinde velut servi oratum venimus pacem ac fœdus, ut vestro præsidio atque auxilio tuti vivamus ab omnibus hostibus, & à vobis tanquam potentioribus dominis metuere opus non habeamus. Similes phrases videre est *Genes.* XVIII. 3. 4; ubi Abraham transeuntibus viatoribus dicit: *Ne transite servum vestrum. Genes.* XXX. 20: ubi Jacob se & domesticos suos servos Esaui fratris sui vocat. *Genes.* XLII. 13. & XLVI. 34. ubi fratres Josephi se servos vocant Josephi. 2 *Reg.* VIII. 13. ubi Hazael Elisæo dicit: *Sum servus tuus canis.* 2 *Reg.* XVIII. 26. ubi legati Ezechiæ Regis ab Rabsake ajunt, *Loquere servis tuis Syriace.* 2. Posito etiam quod verba illa præcisè accipiantur, de voluntaria subjectione & ultronea in servitutem (id est tributariam seu vectigalem conditionem) deditione, tum sensus erit: Servire vobis parati sumus, cæteris salvis; Repub. scilicet & Religione. Contra, inquies, Josua ipse interpretatur fœdus illud, de Fœdere tantum illo ut sineret eos vivere, *vers.* 15. Respondeo: Vivere istud significat non tantum vitam conservare; sed Synecdochicè, vivere suis moribus, salva Republ. sua & religione; servitute forte sola sive tributi pensione excepta. Credebantur enim esse populi extra fines Cananæos commorantes, ac proinde excidio simili non obnoxii cum Cananæis aliisque, contra quos expeditio armo-

rum jam facta esset : utpote deditiii , atque plane alterius generis & conditionis quam de quibus lex loquitur. Tandem dices : Nulla religio juramenti erat : quia juramentum nitebatur ista hypothesi quod non essent ex numero septem populorum. Ea sublata post fraudem cognitam , cessabat juramenti religio. Respondeo : ita quidem videtur : sed hoc honoris datum fuit nomini divino , religione juramenti interposito , ne Majestas ejus vilesceret & concideret ex semel violato juramento : uti postea ex Saulis facto accidisse legimus , non sine summa Dei offensa : 2 *Sam.* XXI : decretumque ut vita saltem donarentur Gibeonitæ ; & rescisso fœdere sociali juxta legem , servorum deditiorum loco essent : tum etiam culpam doli luerent perpetua eaque molesta atque infami ὑποφορίας καὶ ὑλοφορίας servitute; quam tristi quavis sed brevi morte graviorem ac deteriorem fuisse seu censeri merito potuisse arbitrantur Hebræi. Et hæc quidem sententia quia mitior benigniorque est , Deoque magis glorioſa , mihi præplacet , salvo suo cuique judicio.

*Quartum.* IV. Ut recordenturIsraelitæ omni tempore,eorum quæ ipsis fecit Amalecitarum Rex: *Deuteron.* XXV. 15. 16.

*Quintum.* V. Ut deleatur memoria Amalecitarum : *Ibid.*& *Exod.* XVII. 14.

Præcepta hæc duo curiosè nimis discriminant Hebræi inter se , & à tertio insuper præcepto negativo *Ne oblivisca-rıs* ; de quo agetur in sequenti præceptorum negativorum enumeratione. Primum enim continere volunt jussum , de jugi ac perpete tum injuriæ tum cladis acceptæ ab Amalecitis memoria retinenda : quod etiam observari à se dicunt quotannis ante ipsum Festum *Purim* sive sortium , in festo Estheræ sive Mardochæi ; quia Haman ex Amalecitarum stirpe oriundus erat. Sed revera præcepta hæc tria in unum recidunt : quod est, ut πόλεμος ἄσπονδος sit populo Israelis cum gente Amalecitarum , & memoria horum æterno silentio obruatur , tanquam si in rerum natura non fuissent. Hoc enim sibi vult phrasis , *de sub cœli* ; id est , ac si sub cœlo non fuissent. Ineptum verò est Judæorum quorundam commentum in nomine זכר , uti rectè observavit Rivetus , quod pro punctorum varietate vel *masculum* vel *memoriam* potest significare ; dicentes hac ambiguitate Saulem fuisse deceptum, qui putavit jussum fuisse tantum ut masculi delerentur. Nam Saulem id non putavisse ex eo satis manifestum est, quod Regem ipsum Agag , & quicquid in gregibus atque armentis eximium erat , in vivis servavit : & ut ut forte ita putavisse, verbi istius ambiguitate deceptum , credi posset, clariora erant verba Samuelis quam ut decipi potuerit , quia masculum & fœminam occidione deleri jusserat.

Quæ ratio tam severæ in Amalecitas sententiæ fuerit , quæri solet. Sed vero ea non est obscura. Nam 1 Amalecitæ nulla injuria à populo Israelitico adfecti erant : quia populus nec transierat fines eorum , nec ditionem eorum ingressus erat , ac ne petierat quidem ut transire liceret. Sine causa itaque arma in eum sumserant Amalecitæ , & primi quidem : unde & *principium gentium* (scilicet hostilium , quæ primæ hostili manu lacessiverant populum Dei) Amalec fuisse dicitur : *Num.* XXIV. 20. 2. Quia populum in itinere ipso adorti sunt ; id est , recens ex dura servitute egressum , de via jam lassum , belli adhuc rudem , invalidum , viribusque fractum : *Deut.* XXV. 18. 3. quia non adorti eum dici possunt , ut ereptas sibi terras recuperarent , aut alienas subigerent ; sed vel odio gentis, vel spe prædæ, vel gloriæ de populo quem cæteri omnes populi reformidabant , debellato reportandæ studio : quod sine magno Dei Israelis contemtu aut vilipendio concipi non potuit. 4. quod eam nulla indicta per fecialem causa , more populis omnibus recepto, sed ex insidiis & ex improviso adorti sunt. Denique 5 : quod non æquo certamine cum eo in campum descenderint, sed in extremum ejus agmen irruperint , in quod infirmi , ægri , senes , invalidi , imbelles , & qui cæteros subsequi non possunt,conjici solent. Hæc tantæ indignationi divinæ causam præbuerunt,ut dixerit: *Manus solii Domini,& bellum Domini contra Amalec , erit à generatione in generationem: Exod.*XVII,16. jusseritque memoriam Amalec deleri de sub cœlis.Quod ipsum tamen ex vi legis *Deut.*XX.10 latæ sic accipiendum puto,ut aut occidione delerentur,aut deditiorum essent numero, uti de septem populis jam ante diximus.Præceptum enim hoc sic conceptum est in textu , ut executioni illud mandari Deus voluerit , non statim ab illo tempore , sed quando requiem esset habiturus populus in terra sancta ab omnibus inimicis suis in circuitu. Superstes ergo etiam mansit stetitque populus hic exitio devotus per aliquot secula , usque ad tempus Saulis primi Regis , cui mandatum datum fuit de exequendo hoc divino judicio : 1 *Sam.* XV. *vers.* 3. uti ex verbis liquet. Hinc tanta offensio etiam nata apud Deum , quod Saul in eo exsequendo segnior fuerat , & ipsum Regem in vivis servando prorsus non recordatus fuerat dicti Dominici, *Delebis memoriam eorum;ne oblivisca-ris* ; ut eum regno indignum pronunciaverit , & prosapiam ejus regni jure ac successione privatam voluerit. Clementia enim ista non poterat non cedere in summam Dei ignominiam , qui summa severitate atque inclementia in eos animadverti jusserat ; ut leve hoc peccatum Saulis censeri nullo modo debeat.

*Sextum.* VI. Ut bellum suscipiatur ac geratur ex præscripto legis divinæ : *Deut.* XX. 1, *&c.*

Præceptum hoc ex præcedentibus intelligitur. Præscribit enim modum atque ordinem belli tum suscipiendi tum gerendi , quem in hoc positum esse diximus , ut per fecialem pacis conditiones primum offerantur antequam arma expediantur & vis inferatur. Pacis autem conditiones erant , ut urbes ejusmodi vectigales Israelitis fierent , viverentque non jure suo , sed sub servitutis jugo , abstinentes à falsorum Deorum cultu, & parentes cæteris quæ in commune Adami Noæque posteris erant imperata : liberi tamen à peculiaribus Hebræorum institutis , siquidem vellent. Quæ urbes in has conditiones consentiebant , iis arma non licebat inferre. Quæ consentire renuebant , eas exscindere bello fas erat : & quidem vel universali internecione , uti septem (de quibus diximus) populos & Amalecitas ; vel sola marium occidione, ut cæteras alias.

Præceptum hoc sic generatim de omni bello intellectum, non modo æquitate magna nixum est ; sed & gratiæ clementiæque divinæ , etiam contra professos nominis sui hostes , illustre testimonium est : ut immerito Deum Veteris Testam. Deum crudelem & sanguinarium fuisse , creditum à quibusdam sit. Sciendum enim est , gentem nullam excidio & exterminio devotam unquam à Deo fuisse , nisi post longi temporis patientiam, & ubi ad cumulum pervenerant peccata , eaque in cælum clamarent, fœdissima & ipsi naturæ legi repugnantissima ; ac proinde quavis mala morte dignissima. Hinc *Genes.*XV. 16 dicitur: *Necdum est completa iniquitas Emoræi usque adhuc.* Nemo est qui non fateatur jus Deo esse in gentem talem ultimo supplicio animadvertere , sive per se , sive per Angelos , sive per alios homines quoscunque : quando vero id non facit , multum de Jure suo remittere , & quam sit benignus , clemens ac misericors ista ratione omnibus testatum facere.

Hic agendi modus quo Deus in Vet. Test. uti voluit populum suum in bello gerendo , rudimentum est modi istius agendi , quo Deus in Novo Testamento , uti voluit Filium suum , (& Apostolos ejus) cujus typus fuit Israel , Dei primogenitus unicusque Filius. Sicu. enim istic pacem prius offerri,quam excidium inferri populis Deus jubet, &,si pacem acceptent , ac redimere damno libertatis suæ , & idololatriæ repudio parati sint , veniam vitamque ipsis dari ; sin minus, internecione deleri : Ita etiam in Novo Testamento populis omnibus , ac primum quidem Judæis , (in terra septem istorum populorum habitantibus , quibus & Israel primum pacem denuntiaverat:) deinde aliis cæteris omnibus pacem æternam offerri vult ; &, si eam redimere damno libertatis suæ Christianique jugi susceptione parati sint , veniam delictorum vitamque æternam promitti ; sin minus , æternæ morti devoveri , & sempiterno igni sine ulla venia ac misericordia addici. Hoc si crudele non est ; cur crudele videatur id quod in Veteri Testamento Deus olim feciſſe legitur?

Illustre ergo clementiæ & gratiæ divinæ testimonium erat,quando genti adeo perversæ pacem offerri jubebat,&,si eam acceptaret , vitam salutemque ejus sola servitute & tributi pensione redemtam volebat. Quo fine ? ut clementiæ & misericordiæ suæ divinæ exemplo , populo suo affectionem virtutis ejusdem inserat , & crudelitatem sævitiamque omnem eximat , etiam contra acerrimos inimicos suos , Deique sui osores quovis supplicio dignos : si modo justis æquisque conditionibus se submittere parati sint , & vitam damno libertatis suæ redimere , Deumque Dominum suum solum agnoscere. Ex quo consequitur,iis qui filii Dei vocari amant , pacem ante omnia cordi esse debere , & bello omni præferendam.

*Nulla salus bello pacem te poscimus omnes.*

Præcepto hoc mares soli obligantur : quia mulieres ad bellum non proficiscebantur.

*Septimum.* VII. Ut ex Sacerdotali familia aliquis prælii causa ungatur. *Deut.* XX. 2.

Præceptum hoc etsi in textu clarè non legatur , verisimiliter tamen ex eo colligitur. Nempe in bello tam quod gerebatur pro imperio , quam quod lege divina indictum fuit , Sacerdotem aliquem , non summum illum , sed qualemcunque , ex qualibet familia , aptum atque idoneum , creandum esse ; qui exercitum alloquatur sub tempus prælii ; eumque ungen-

ungendum esse oleo sacro, (hoc tamen in textu non legitur:) qui ea propter משוח המלחמה hoc est, *prælii caussa unctus* dicebatur. Oratio ejus ad populum describitur *vers.* 3. 4. Quæ deinde subjungitur oratio, *vers.* 5. 6. 7. 8, ea non est oratio Sacerdotis hujus, sed præfectorum populi: neque sub ipsam pugnam habebatur, sed tunc cum ad bellum exiret populus: scilicet ad bellum voluntarium, non necessarium, quale erat bellum contra septem populos & Amalecitas. Ad hoc enim omnes obligabantur, nemine excepto, ne sponso quidem aut novo marito. Sed & in bello voluntario, sive quod pro imperio sponte susciperetur, ii quibus domum reverti permittebatur non plane ab omni onere immunes erant, sed iis incumbebat ut de necessariis exercitui prospicerent, vias complanarent, aliaque officia præstarent præliaturis.

*Octavum.* VIII. Ut quilibet in exercitu paxillum semper gestet super armis suis: *Deut.* XXIII. 13.

*Nonum.* IX. Ut locus certus designetur ad requisita naturæ: *Ibidem, vers.* 12.

Præcepta hæc explicatione non egent. Paxillus pro excrementis sive naturæ necessitatibus operiendis erat. locus extra castra esse debebat, arcendo fœtori & sordibus amoliendis, honestatis & sanitatis ergo. Nempe voluit Deus his legibus, non tantum consulere naturali honestati & verecundiæ, sed & reverentiam sui animis omnium inducere: atque insuper etiam ex una parte fidem belligerantium confirmare, cogendo eos indies quasi recordari, castra ista in quibus versabantur esse Dei ipsius castra, quia ex iis exeundum erat ad naturæ requisita. Ratio enim in textu ista est: *Nam Dominus Deus tuus ambulat in medio castrorum tuorum*: ex altera parte deterrere ac dehortari ab omni spurcitie, libidine, scortatione, aliisque vitiis quæ nimis trita ac vulgaria esse solent inter milites, quamdiu à domibus suis absunt, & quæ in castris gentilium impune grassabantur. Hoc enim fore sibi volunt verba ista: *Et sint castra tua sancta, & ne videat in te turpitudinem aliquam, cujus causa à te avertatur.*

*Decimum.* X. Ut quod furto ablatum est, domino restituatur aut reddatur: *Levit.* VI. 4.

Præceptum hoc affirmativum est: non quo prohibetur furtum, sed quo restitui jubetur quod per furtum ablatum est: & quidem per furtum proprie dictum, quo non quævis quomodocunque facta alienæ rei contrectatio & usurpatio, nedum ea quæ bonæ fidei est, intelligitur; sed ea quæ dicitur deliberata & occulta alienæ rei acceptio, inscio atque invito domino. Non quævis dico: quia quæ in casu extremæ vel valde magnæ necessitatis fit, furtum non est: eo quod per necessitatem naturæ ea quæ aliena aut propria personæ alioquin essent, communia fiunt, & dominii proprietate, aut potius usu proprio, excidunt. Jus enim gentium & positivum, per quod divisio rerum introducta est, non potest derogare juri naturæ. Unde *Proverb.* VI. 30 dicitur: *Non spernunt furem si furatus fuerit ut impleat animam suam, cùm esurierit.* Non quovis modo facta dico, contrectatio: quia eripere aliquis alteri quidpiam potest compensandi caussa, quando aliter quod suum est recuperare nequit. Quare quod furto proprie dicto ablatum est restitui jubetur. Existimo tamen de hujusmodi furto in præcepto isto non agi: quia in eo agitur, uti ante à nobis dictum est, de peccatis per errorem commissis: in quo ordine furtum proprie dictum censeri non meretur, nec censeri debet.

*Furti restitutio.* Esto tamen; certum est aliis in locis aperte dici, eum qui furto rem alienam abstulit teneri de restituendo; & quidem vel rem ipsam, si adhuc exstet, vel si non exstet, rei pretium; quod etiam locum habere debet cùm exstet quidem, sed tamen non nisi cum multo maximo damno rei majoris reddi possit, uti tigna, clavi, trabes ex quibus domus jam composita & constructa est. Pœnitentia enim non sufficit exstinguendæ furti culpæ, sed restitutio omnino accedat necesse est: juxta illud, *Non remittitur peccatum nisi restituatur ablatum.* nisi cùm facultas abest, voluntas tamen adest restituendi. Ad impossibile enim qua tale nemo obligari videtur. Ex legis siquidem divinæ, seu indulto seu præscripto, fur talis venundari poterat, ut pecunia ex venditione proveniens restitutioni qualicunque serviret. Quæ res apud Christianos exolevit.

Et quia tota materia Restitutionis, longè aliter se nunc apud Christianos habet quàm olim apud Judæos, operæpretium est ut de diversitate utriusque nonnihil dicamus. Quod ad Judæos attinet: Furtum per errorem commissum, restitutione rei ejusdem furto sublatæ, & quintuplæ partis additione, sacrificioque speciali redimebatur. Furtum verò dedita opera patratum, non eluebatur nisi restitutione multò graviore, & pro ratione rei quæ vel facilius & frequentius, vel difficilius & rarius sub furtum cadebat, multum admodum variabat. Non sine ratione. Nam illorum peccatorum & transgressionum quæ magis frequentes sunt & usitatæ, (ut Maimonides rectè ait) pœnam decet esse graviorem, ut tanto magis se homines ab istis contineant: illarum autem quæ raro & difficilius contingunt, leviorem. Hinc furtum ovium restitutione quadrupli damnatum fuit, post earum videlicet venditionem aut jugulationem, id est, si oves furto ablatæ, aut venditæ aut jugulatæ essent. dupli vero restitutione, si adhuc in specie, ut ajunt, exstarent: *Exod.* XXII. 1. *& vers.* 4. Furtum verò boum restitione quintupli damnatum fuit, si venditæ aut mactatæ essent: at si exstarent adhuc, restitutione dupli, uti furtum ovis. Ratio manifesta est: oves & boves ut plurimum fere sunt in agris, ubi res non tam bene custodiri possunt, quàm ea quæ in media civitate sunt: deinde ne eæ furto ablatæ penes ipsos fures deprehendantur, repente vel vendi solent vel jugulari: Hinc pœna restitutionis major in fures istarum rerum statuta est. Quia vero oves in agris fere gregatim pascuntur, & facile à pastori custodiri possunt, ac vix nisi noctu possunt surripi: boves vero pascuntur hinc inde dispersi, & fere sine pastore, hinc furto magis expositi sunt, ac proinde pœna eorum restitutione graviore aucta est. Si fur restituendo impar esset, venundari poterat: non tamen extraneo aut alienigenæ, sed Judæo, ut post sexennium emanciparetur.

Nihil fere legis hujus divinæ reliquum est apud Christianos: qui restitutionem dupli, quadrupli, quintupli, & venditionem mutarunt in pœnam strangulationis & laquei: indigna sane Christianis sævitia ac crudelitate. Non enim lex Christi severâ Mosis lege rigidior esse debet. Restitutionem tamen de necessitate præcepti (alii etiam, sed inepte, medii) esse volunt: sed eam non tam ex lege Mosis quàm ex naturæ lege æstimare solent.

Quæres, quæ restitutio ergo ab iis requiratur? Respondeo: Rei ejusdem, si exstet adhuc; vel pretii, si perierit. At porro quæres: Aut res furto sublata, exstans adhuc, melior facta est: exempli gratia: pullus equinus, vitulus, bos, ovis, quæ postea apud te adoleverunt: aut deterior facta est; ut si equus, asinus, ovis, bos, in morborum incideriint, frumentum vitiatum fuerit, &c. aut in eodem statu durat adhuc: qualis tum restitutio juxta eos necessaria est? Respondeo: Res exstantes adhuc reddendæ sunt cum incremento suo naturali, & cum sequente damno, aut cessante lucro: puta asinus cum robustior est, vitulus saginatus, & equus bene curatus, &c. deductis tamen expensis, non solum necessariis sed etiam utilibus, industriæ item & laboris adhibiti à fure: quamquam hoc secundum leges fori necessarium non est, expensæque factæ in pœnam furti cedunt: In foro tamen conscientiæ id necessarium videtur. Res exstantes si deteriores factæ sint nulla furis culpa, & tales futuræ fuissent si apud dominum servatæ fuissent, reddere sufficit, uti sunt: quia res accrescunt & decrescunt domino suo. Si res permanserint in eodem statu restituendæ sunt quales sunt: sic tamen ut lucrum cessans & damnum emergens ex iniqua detentione, domino sarciatur.

Quæres: si quis furto sustulerit frumentum aut pecuniam, & detinuerit ea usque dum pretium eorum auctum est & æstimatio accrevit, an teneatur restituere utrumque. Respondeo: Tenetur restituere vel simile frumentum & ejusdem speciei ac monetæ pecuniam, si ea consumsit, vendidit, aut alienavit: vel pretium eorum sive æstimationem qualis tum durat. Quod ad fructus perceptos, vel qui percipi poterant ex agro quem quis mala fide possedit, attinet, tenetur malæ fidei possessor reddere, non modo agrum ipsum, sed & fructus reddere tum perceptos, tum non perceptos; sed quos dominus alioquin singulari sua diligentia percepisset; id est fructus rei, ut vocant: Et *perceptos* quidem deductis expensis quæ factæ sunt, ut ad colendum agrum, alendum equum, &c. & laboris pretio. *Non præceptos*, quia fur sua iniqua detentione caussa est lucri cessantis & detrimenti emergentis; unde restituere illud damnum tenetur. Alia ratio est fructuum, qui vocantur fructus nudæ industriæ: hæc enim si à domino adhibita non fuissent, cum tamen eam adhibere debuisset ad fructus percipiendos, si rem in sua potestate habuisset, fructum domino parere non potest. Nemo enim ex alieno labore, atque industria non sua, locupletior fieri debet. Secus est si dominus industria sua tantundem ex eo verisimiliter lucraturus fuisset. Sed nos hanc materiam non constituimus pertractare: quia intra præcepta Judaica stare decretum nobis est.

Duo tantum coronidis vice subjiciemus. *Primò*, optandum omnino esse ut Magistratus Christianus, in gratiam eorum qui per furta damnum passi sunt rerum suarum, imprimis si ii vel panperes, vel mediocris tenuisve fortunæ sint, ergastula quædam (*tuchthuysen*) erigat, in quæ fures compingi possint, & constringi damnarique ad operas & labores quosdam, pro redimendo damno illato; & post redemtionem *Ergastula pro furibus*

nem factam, pro comparandis iis quæ neceſſaria ſunt, ad ergaſtulorum illorum tum erectionem tum conſervationem & redintegrationem. Etſi enim ergaſtula illa quæ nunc apud nos in uſu ſunt, utilitate ſua non careant: tamen hoc iis deeſſe aut in iis deſiderari videtur, quod ad pœnam tantum furum ſint, non vero in ſolatium aut ſubſidium eorum qui per furta damnum paſſi ſunt. Hoc fine ſi erigerentur, piæ domus meritò vocari poſſent: cum nunc non ſint niſi piſtrina & carnificinæ furibus torquendis, & per eorum labores operaſque ditandis iis ad quos ea pertinent. Quænam iſta ſint quæ Magiſtratus noſtros impediant, quominus hoc conſilio ergaſtula eiuſmodi erigiant, fateor me ignorare. Id certum eſt: Si eo fine erigerentur, Magiſtratus præcepti hujus divini rationem meliorem habituros eſſe. Sed nobis ſufficit, conſilium dediſſe quod putavimus optimum pro hoc tempore, uſque dum rationes audiverimus cur illud probari non poſſit, aut in uſum commode deduci nequeat. Atque hoc conſilium idcirco utiliſſimum forte videri debet: 1. quia ſic optime ac proxime præceptum divinum obſervabitur, quo furi imponitur reſtitutio, &, ſi reſtituere nequeat, quo ejus venditio permittitur aut præcipitur, ut ex venditione ejus compenſatio aliqua damni ab eo illati fiat. Quia enim venditio hominis legibus Chriſtianis abrogata eſt, hæc in ergaſtulum detruſio, ut ibi damnum à ſe illatum labore duro ſarciat, ejus loco introducta dici poſſet. 2. quia ſic quilibet fortaſſe lubenter conferret de ſuo, quæ ad ergaſtulorum ejuſmodi erectionem & refectionem requiruntur. 3. quia ſic quivis lubenter furibus apprehendendis operam ſuam navaret, & ſic furum forte minus eſſet, quia nunc ſolo metu mortis inferendæ furibus ab eo multi abſtinent.

*Simplices fures non eſſe capitis ſupplicio afficiendos.*

*Alterum* eſt, non poſſe nobis probari leges quorundam Chriſtianorum, quæ ultimo capitis ſupplicio animadvertere jubent in fures, ſimplicis furti, & ſæpe leviculi alicujus uniuſque ſolius dumtaxat compertos ac manifeſtos. Præterquam enim quod leges iſtæ, æquitati naturali nullo modo ſunt conſentaneæ, quæ proportionem inter culpam & pœnam requirit; qualis inter bona fortunæ & vitam nulla eſt: certe ratio etiam ipſa poſtulat, ut pœnales leges Chriſtianorum, pœnalibus legibus Moſaicis, quæ æquiſſimæ ſi non ſeveriſſimæ fuerunt, à Magiſtratibus Chriſtianis mitiſſimi Domini Jeſu Chriſti diſcipulis, graviores non ſanciantur. At iſtæ ultra quadrupli aut quintupli reſtitutionem non proceſſerunt; uti ex antedictis patet. Nec refert quod dicant; Creſcentibus delictis pœnas etiam creſcere debere. Hoc enim ut ut admitti poſſit, tamen caritatis & ἰσότητος lex non permittit, ut creſcant ſupra ipſam legem divinam, à Domino ipſo vitæ ac necis ſancitam, ſupraque ipſam pœnæ & culpæ analogiam. Hoc enim eſt in puniendo modum excedere: quia ſimplicis furti crimen Dominus iſte nunquam morte puniri voluit, & furtum illud nunquam tantum eſſe poteſt, ut in æquilibrio appendatur cum pœna qua tollitur hominis vita: quia ut *Jobi cap.* II. 4. legitur: *Cuncta quæ ſunt viro dabit pro anima ſua*, id eſt pro vita ſua. Et rigor hic tanto magis arguendus videtur, quod is à Chriſtianis iſtis ipſis non adhibeatur in adulteros aliosque in quos Deus ipſe ultimo ſupplicio animadverti ſtricte voluit.

*An furta cum violentia conjuncta ita puniri poſſint.*

Quod attinet ad furtum compoſitum, quod cum violentia conjunctum eſt, ſcilicet cum effoſſione aut infractione ædium, eaque nocturna, id neſcio an recte morte & ſupplicio capitis puniri poſſit. quamquam ſe tueantur Magiſtratus, qui id capite puniunt, lege divina; qua patrifamilias permitti videtur ut talem occidat: *Exod.* XXII. v. 2: *Si in effoſſione inventus fuerit vir & percuſſus, mortuuſque fuerit: non erit percuſſor mortis reus.* Nam ex ipſis legis verbis apparet: 1. non concedi, nec permitti, nedum probari, multo minus mandari ut talis occidatur, aut occidendi animo percutiatur; ſed tantum pœnæ ſubduci divina indulgentia eum qui animo abigendi, aut ſe ſuaque defendendi, & ex ira durius forte quam vellet percutienti, ſic eum percuſſiſſet ut inde moreretur. Sic enim ſcriptum legitur: Non, ſi quis occiderit; ſed, ſi invaſor nocturnus percuſſus fuerit, mortuuſque ſit, ſcilicet ex percuſſione iſta, non animo occidendi facta. In quem ſenſum etiam Ulpianus reſcripſiſſe legitur; quando eum qui cum potuiſſet aggreſſorem vel furem apprehendere, maluit occidere, injuria feciſſe cenſet, hoc eſt contra jus, & culpâ teneri. 2. Ex ipſis etiam verbis liquet, patrem familias ſi Sole orto & præſentibus teſtibus furem talem occidiſſet, reum homicidii pronunciari: eo quod fur in tali caſu deprehenſus, ad reſtitutionem tantum debebat cogi. Ex quo non obſcure colligitur ne excuſari quidem poſſe, nedum defendi iſta lege capitalem pœnam in tales decretam; ſed contra potius merito redargui poſſe ac debere ex ea ipſa lege. Quare rectius conſultiuſque facturos Magiſtratus credo, ſi ab iſta ſeveritate ſibi temperent, & intra divinæ legis conſtitutionem ſe contineant; certi tutius eſſe intra eam ſtare quam ultra eam procedere: diligenterque cavere inſuper, ne dum remiſſiores ſunt in eos, in quos lex divina expreſſa mortis ſententia animadverti vult, acriores ſint in eos quos nullâ mortis pœna affici jubet: denique ne in eos Catonis illud uſurpari poſſit: *Fures privatos in nexu & compedibus vivere* (adeoque in funibus & laqueis ſuffixos corvis objici) *publicos vero in auro & purpura.*

XI. Ut ſervus Hebræus, ſervitute, non niſi bene muneratus exeat: *Deut.* XV. 14. *Undecimum.*

Præceptum his verbis contineri malo cum Hebræis credere, quam cum Chriſtianis quibuſdam Theologis, Riveto aliiſque nudam tantum exhortationem ad liberalitatem: imprimis quia diſerte *verſ.* 15 dicitur, *Idcirco ego præcepi* מצוך id eſt præcipio, *tibi hoc verbum hodie.* De ſervo Hebræo (ſub quo etiam ſerva Hebræa comprehendi debet, juxta verba textus *verſ.* 12) hîc agi, non de alienigena, manifeſtum eſt ex textu: quia dicitur, *Frater tuus.* Frater autem popularem ſignificat, uti notum eſt, & proximus aliquando vocatur. Servi autem Hebræi non erant proprie dicti ſervi vel mancipia, quaſi manu capta dicas, niſi Dei ipſius qui eos ſervaverat in excidio Ægypti, ſibique jus vitæ ac necis in eos aſſeruerat: *Levit.* XXIX. 42: ſed mercenarii tantum, atque ad tempus: *ibid. verſ.* 39. qui operas ſuas locabant iis quibus ſerviebant, ſive venundati eſſent, ſive ipſi ſe egeſtate preſſi in ſervitutem dederant.

Exibant autem ſervitute, vel ante præſcriptum à lege tempus, qui videlicet vel à ſuis redimebantur pretio dato, vel ipſi ſe redimebant pecunia ſua, ut habet Lex *Levit.* XXV. 48. ſi videlicet tantum haberent in bonis ſuis ut redimere ſe poſſent: vel exibant tempore à lege præſtituto, quo vel exire poterant ſi vellent, ut ineunte anno ſeptimo, aut quando herus eorum fato conceſſerat; vel exire tenebantur, ut anno Jubilæi.

Præceptum hoc de ſervis primo modo ſervitute exeuntibus non loquitur. His enim dominus non tenebatur ex hac lege quicquam donare, quia peculium ſuum habebant quo ſe ſuſtentare poterant, ut donari eis quidquam opus non eſſet. Sed loquitur de exeuntibus ſecundo modo, qui tempus vel adſignatum vel lege præfinitum ſervierant heris ſive dominis ſuis, peculio omni deſtituti, eo quod omne id quod opera ac labore eorum partum erat, domino totum ceſſerat, nihilque ejus ad eos redierat. His ſervitute exeuntibus Deus voluit non parca ſed larga manu, tanquam operæ bene collocatæ mercedem aliquam dari à dominis, qua ſe ad tempus ſuſtentarent, donec alia ratione ſibi ipſis poſſent proſpicere: æquiſſimo ſane jure. Modum autem ſive menſuram non præſcripſit Deus, ut caritatis & pietatis officio quiſque ſe Deo commendatiorem reddere ſtuderet, & Deus ipſe caritatis experimentum de dominis omnibus, ex ipſius donationis quantitate caperet. Hebræi (pro more ſuo) menſuram poſuerunt ad minimum triginta ſiclorum argenti, ſive triginta florenorum noſtratium: non male equidem in avaritiæ frænum, ſed ex textu patet Deum voluiſſe, ut donatio non libera tantum, ſed liberalis admodum eſſet, & quæ affectum tum gratitudine erga Deum, tum miſericordia ac commiſeratione erga pauperem ſervum fratrem, non leviter tinctum ſed imbutum plane argueret. Quia dicitur: *Onerando onerabis eum* (id eſt, liberaliter impones collo ejus) *de grege tuo, & de area tua, & de torculari tuo, quo benedixit tibi Dominus Deus tuus* (opera ſcilicet & miniſterio etiam ſervi iſtius.) Additur deinde: *Et recordator quod ſervus fuiſti in terra Ægypti, & redemerit te Dominus Deus tuus*; nempe opibus multis auroque & argento Ægyptiorum auctum atque oneratum. Ex iſtius beneficii accepti magnitudine æſtima officii tui debitum. Denique additur *verſ.* 18: *Et benedicet tibi Dominus Deus tuus in omni opere tuo.* quaſi dicat: Pro liberalitate tua, divinæ liberalitatis menſura erit. Benedictionem & munificentiâ tuam, non parca manu factam, liberaliſſima compenſabit. Atque hoc ipſum illud eſt quod paſſim in Euangelio Domini noſtri Jeſu etiam ſcriptum legitur: imprimis *Luc.* VI. 38: *Date & dabitur vobis. Menſuram bonam, preſſam, agitatam, & redundantem dabunt in ſinum veſtrum:* id eſt, dabitur vobis menſura talis: Hebraica Phraſi. *Eadem enim menſura qua metiemini, ad menſurabitur vobis:* ſupple, à Deo. Vide etiam 2 *Corinth.* IX. 6. 7. 8. 9.

XII. Ut pauperi atque egeno mutuum detur: *Exod.* XXII. 25. *Duodecimum.*

Præceptum hoc in textu non eſt: quia textus verba conditionalia ſunt; ac proinde rigide ſumta obligationem neceſſariam non inferunt. Et fatentur ipſi Hebræi, obligationem ex verbis textus non inferri, ſed ex traditione, qua verba iſta in eam ſententiam exponenda eſſe, conſtitutum eſt. Eſto. Traditionem hanc admittamus, quia pia eſt: *Proverb.* XIX. 17. *Pſalm.* CXII. 5: & legi ipſi naturæ conſentanea, qua certum eſt obligari omnes, ut de ſuperfluis ſuis ſuc-

*Quanti faciendi mutui datio.*

ſuccurrant iis quibus neceſſaria ad vitam deſunt. Præſtat enim divitem carere ſuperfluis, quam egentem mori aut miſeram vitam trahere. Nec refert quod forte ſuperflua ſtatui non ſint, ſed ſuperflua tantum naturæ, Præſtat enim ſuperfluis ſtatus carere aliquem, quàm egenum naturæ neceſſariis. Nulla enim eſt proportio inter ſtatum & vitam.

Atque hoc idcirco libentius aſſero, quia video Hebræos hanc mutui dationem uſque adeo deprædicare, ut eam longe præferant eleemoſynis omnibus; & pudorem incutere ac ruborem poſſint Chriſtianis multis, apud quos Lex iſta in pretio tanto non eſt, quique ejus cura, aut nulla aut exigua valde duci ſolent: cum tamen præter hanc legem, (quæ tamen præciſe ipſos Judæos non obligat) etiam expreſſiſſimam ſibi legem à Chriſto datam eſſe non poſſint ignorare: *Matth.* V. 42. *Volentem mutuari abs te ne averſeris.* & *Luc.* VI. 35: *Mutuum date nihil inde ſperantes.* Turpe enim eſt Chriſtianos non adſtringere ſe Legi tam piæ, cum ex præcepti vi ei obſtringi ſe ſciant: Judæos vero ſe ei ultro obſtringere, cum ex vi verborum legis ei obſtringi non videantur, ac proinde exceptione non præcepti ſe tueri poſſint.

Addunt alii huic præcepto, iſtud etiam præceptum quod *Deut.* XXIII. 20 legitur: Mutuum dabis extraneo, vel alienigenæ, ſed cum uſura. Sed duo in eo obſervo: 1. Quomodo præceptum hoc ab aliis omittatur hoc in loco: &, ſi omittatur, quomodo numerus & calculus præceptorum conveniet? 2. Quomodo inter præcepta adfirmativa hoc referatur; cum ex eo ſequatur, ne licere quidem Judæo ex caritate ſuccurrere alienigenæ egenti ac miſero, etiamſi ab eo multis magniſque beneficiis adfectus, ac fortaſſe ejus ope in vita conſervatus, & à præſentiſſimis periculis liberatus ſit; quin imo etiamſi ab eo forte mutuum non raro ſine ulla uſura, adeoque ſine ulla ſortis redditione acceperit. An hæc cauſſa ſit, cur alii hoc præceptum inter præcepta affirmativa hic non retulerint, neſcio. Certe iſta quæ diximus meritò eos movere debebant, ut verbis his non præceptum præcisè obligans contineri crederent, ſed permiſſionem nudam tantum: quaſi legeretur; Sed alieno poteris mutuum dare cum uſura: vel, Si omnino ita velis, jure tuo ut utaris permitto. Quæ ipſa tamen etiam permiſſio, cum moderatione aut ſalis alicujus condimento intellecta videri debet; niſi videlicet ſpecialis aliqua ratio aut æquitas aliter facere ſuadeat, uti in caſibus à nobis indicatis manifeſtum eſt. Nec enim ullo pacto veriſimile eſt Deum, naturalem iſtam æquitatem lege ſua voluiſſe exſculpere aut exſtirpare animis populi ſui; cum ipſe ſit miſericors & fons omnis miſericordiæ atque æquitatis. Sed id fere verpis iſtis proprium eſt, ut leges omnes gratiæ ac miſericordiæ, omneſque adeo diuinæ naturæ proprietates, mirifice exaggerent ac dilatent in gratiam & bonum gentis ſuæ; eaſdem vero, ubi de aliis populis agitur, uſque adeo in arctum redigant & in anguſtum contrahant, ut eas pertinere nolint ad populos iſtos, ne quidem ſi eas ratio ipſa naturalis ad eos pertinere dictet; nulla alia re quàm ſolo pertinaci Chriſtiani nominis odio ducti. Atque hoc ipſum nobis inſtruendis ſervit, ut tanto excellentiorem D. noſtri Legem ac Religionem eſſe credamus, quæ caritatis ac beneficentiæ terminos, quam late poteſt, porrigit: utque proinde tantò magis caritatis omnibus officiis præcellere iis ſtudeamus, quanto illi ab iis abeſſe amant longius.

*Decimum tertium.*

XIII. Ut pignus reſtituatur domino ſuo: *Deuteron.* XXIV. 13.

Præceptum hoc ſic generaliter enunciatum in textu non eſt, & per ſe abſurdum eſt. Nam lege divina licet ei qui mutuum dat proximo pignus accipere, pro mutui aſſecuratione: & pignus iſtud non tenetur reddere, ſi is qui id dedit mutuatarius reſtitui id ſibi non petat: quod pignore iſto non egeat: & pecunia, aut re pro pignore accepta, lucrum poſſit facere, aut facere ſaltem ſtudeat, nullo rerum ſuarum ad victum & amictum neceſſariarum detrimento ob pignoris defectum. Reſtituere itaque mutuator pignus iſtud, lege cur jubeatur? Hebræi præceptum hoc ita limitant, ut fateantur quidem iſto quo diximus modo. ex. gr. à ditiſſimo mercatore pignus acceptum, ex vi præcepti hujus reſtituendum non eſſe. At ſic præceptum hoc iſtis generalibus terminis concipi non debuiſſe, fateantur etiam neceſſe eſt. Sed dicunt; pignus quod poſt gratis mutuo datam rem ſive pecuniam, mutuator ſive creditor pro ſui mutui aſſecuratione vel poſtulat, vel ex domo mutuatarii, id eſt ejus qui mutuum accepit, aufert, ex vi præcepti hujus reſtituendum eſſe. Sed nec hoc ex textu liquet. Tantum liquet Deum præcipere, ne talis mutuator pignoris capiendi cauſſa ædes proximi ingrediatur, atque ita duriter & inclementer pignus ab eo exigat aut extorqueat. Imo ex textu liquet, licuiſſe tali mutuatori, pignus accipere quod à mutuatario extra ædes offerebatur. Et cur non licuiſſet, ſi is qui mutuum accepe-rat, in re, ſi non lauta, commoda ſaltem aut mediocri erat, ut pignore carere poſſet; & mutuator etiam forte, in ſimili aut tenuiori fortuna pignore opus haberet? Quare dicendum omnino eſt, præceptum hoc non ita generaliter concipi, ſed neceſſario ad ſubjectum certum reſtringi debuiſſe; id eſt ad pauperes; uti diſerte in textu ipſo fit: *verſ.* 12. & *Exod.* XXII. 26. 27: qui videlicet pignore iſto carere non poſſunt, ſine maximo vitæ ac ſanitatis ſuæ detrimento atque incommodo. His enim ut pignus iſtud ſuum reſtituatur, ipſa recta ratio mandat: qualecunque tandem ſit, ſi eo vel interdiu vel noctu opus habeant, ad vitam & ſanitatem ſuam tuendam.

Quod vero addunt Hebræi aliique, verba legis de pignore reſtituendo id velle, ut creditori liceat quidem pignus, quo pauper interdiu opus tantum habet, veſperi repetere ac per totam noctem ſibi aſſervare; & contra, pignus quo noctu opus habet, mane repetere ſibique per diem integrum ſervare; ſed teneatur tamen pignus illud ſemper reddere, ut uſurpetur pro tempore iſto quo is eo indiget; id videtur mihi in textu non eſſe, & verò etiam nimis anxium & ſcrupuloſum. Quorſum enim creetur tam multiplex creditori moleſtia? quia ne quidem cum omni iſta anxietate, ſecuritati ſuæ magis conſultum eſſe videt, quam ſi pignus pauperi in totum relinquat. Nam ſi veſtimentum aut ſtragulum erat, id neceſſe erat toties redditum, paulatim uſu ipſo conſumi, & conſumtum pignoris loco eſſe poterat?

Quare ſatius eſſe credo, verba iſta legis, ſic accipere, ut contineant rationem qua abſterrere Deus voluit populum ſuum, à petendo & repetendo quotidie pignore ab egeno: eo quod ſi acciperetur mane, perinde eſſet ac ſi non eſſet acceptum; & ſimiliter ſi veſperi, quandoquidem paulo poſt eſſet reſtituendum. quaſi dixiſſet Deus: aut inutilem iſtam reddendi & repetendi pignoris moleſtiam in vos ſuſcipite iterumque: aut pauperibus relinquite pignus, ſine ſpe reſtitutionis. Hoc præſtat: ne vos ipſos & pauperem affligatis, continua reddendi & repetendi moleſtia, ipſoque tandem pignoris beneficio fruſtremini.

XIV. Ut operario ſolvatur merces ſua præſtituta die: *Deut.* XXIV. 15. *Decimum quartum.*

Præceptum hoc non miſericordiæ propriè, ſed juſtitiæ eſt. Senſus enim eſt: Ne differatur mercedis ſolutio, quæ mercenario ſive operario, tam proſelyto aut advenæ, quam Iſraelitæ debita eſt, ex contractu, vel ex æquitate. Ex contractu, ſi videlicet in diem, menſem, hebdomadam, aut annum conventum ſit. Ex æquitate, ſi opera ejus mercede digna eſt. Intellige ſemper ſi differri alioquin non poſſit niſi eo invito. Invito autem eo differri tum credendum eſt, quando operarius adeo pauper eſt, ut vitam ſuam ſuorumque non poſſit aliter, vel non niſi ægrè admodum ſuſtentare. Alia ratio eſt, ſi vivere alioquin commode poſſit, & ſolutionis dilationem volens lubenſque ferat vel concedat. Nam in textu dicitur: *Quia pauper eſt, & ex eo ſuſtentat animam ſuam.* Hinc enim rectè infertur; Eum qui pauperi tali mercedem ſuam ſolvere differt, idem facere occidenti animam ejus. Quæ cauſſa etiam eſt, cur id ipſum facere inter peccata clamantia referatur: imprimis quia in textu additur: *Ne clamet contra te ad Jehovam:* & cur in peccatum iſtud tam atrociter invehatur Apoſtolus Jacobus: *cap.* V. 4: tanquam in peccatum κράζον ad Deum, & in aures Domini Dei Zebaoth.

XV. Ut mercenario in vinea, arvo, aut horto laboranti, ex fructibus eorum veſci detur ad ſaturitatem: *Deut.* XXIII. 24. 25. *Decimum quintum.*

Præceptum hoc ſic limitatum, aut ad mercenarium ſolum reſtrictum, non eſt in textu: imo nulla in textu mercenarii aut operarii mentio fit. Ratio etiam loquendi, *Si ingreſſus fueris vineam proximi tui:* &, *Quum ingreſſus fueris ſegetem proximi tui,* &c. longe amplius aliquid videtur continere. Denique Joſephus etiam ipſe, ſententiam legis hujus referens, lib. IV Antiquit. Judaic. cap. VIII, ne mercenarii quidem meminit, ſed ad viatorem quemvis, etiam exterum ſive alienigenam, (quamquam textus id non habet) ſecundum vites aut arva (addit etiam arbores fructiferas) iter facientem, eam referendam eſſe diſerte indicat: & ad viatorem quidem, non modo eſurientem aut ſitientem, ſed concupiſcentem etiam, aut fructuum pulchritudine ad guſtandum eos illectum: adeo ut eos qui contra facerent, & comedere volentes illiberaliter acciperent, ſcutica publica ſive plagis quadraginta una minus plectendos fuiſſe aſſerat. Senſus itaque præcepti eſt: Non mercenario in vinea laboranti tantum (de eo enim nemo dubitat: quia ne bovi quidem trituranti os obligari Dominus vult: *Deut.* XXV. 4.) ſed viatori cuivis ſecundum vineas aut ſegetes prætereunti, licere aut fas eſſe uvas de vite, & ſpicas de ſegetibus manu decerpere & ad ſaturitatem comedere; non vero aut uvas in

sinum, vel vestimenti oram, vel qualum indere, aut segetes falce demetere.

Præceptum itaque hoc non tam adfirmativum est quam negativum, inquies. Fateor. Non enim mandatur dominis vinearum aut arvorum, ut ingredientibus vineas aut arva ipsorum dent quod comedant: sed tantum ut permittant, id est non impediant transeuntes ex istis quicquam ad usum & esum decerpere: si videlicet ipsi (imprimis necessitate adacti) ita velint. Quid enim si nolint, aut necesse non habeant quicquam decerpere? At permissio ista, nisi limitetur circumscriptionibus quibusdam, periculosa est & multis incommodis obnoxia, inquies. Fateor. Existimo itaque eam hoc sensu intelligendam esse: voluisse Deum ut ea parte qua viatoribus transitus erat, vel pecorum actus, extrema saltem vineæ & arvi ora, ad usum necessitatemque eorum libera esset: vel ut racemi aliquot ex vinea, & manipuli aliquot ex segete qualibet, exponerentur ad usum necessitatemque transeuntium: de cætero omnino ut abstineretur. Ingredi enim vineam hîc est, non animo laborandi aut operandi in vineam ingredi; sed transire per eam, qua via publica est & communis iter facientibus, vel actus saltem pro jumentis, armentis & gregibus. Atque hoc sensu optime intelligitur id quod discipuli Jesu Christi fecisse leguntur, *Matth.* XII: cum per sata transeuntes spicas vellerent ac confricarent fame pressi. Id enim si ipsis non licuisset, sine dubio non tantum violati Sabbathi, sed & furti postulati fuissent à Pharisæis & Scribis; utpote juratis suis dominique sui hostibus.

*Decimum sextum.* XVI. Ut proximi jumento, sub onere sarcinave lapso, in levando onere auxilium præstetur: *Exod.* XXIII. 5.

Præceptum hoc æquissimum est, & frænando odio maxime datum. De jumento enim אויב *oieb*, & שנא *sone*, id est inimici vel inimicitias & odia exercentis adversus nos, apertè loquitur. Amicus enim amico volens lubensque opem istam præstat. At odio habentes aut inimicitias alentes præcepto constringi necesse est. Tanti autem hoc præceptum faciunt Hebræi, ut si eodem tempore contingat amici & inimici jumenta sub onere ipso esse lapsa, jumento inimici prius quam amici opem ferendam esse, ex vi præcepti hujus adserant: odio scilicet restinguendo aut frænando. Excipiunt tamen hoc præcepto non obstringi senes, & qui in dignitate aliqua sunt, similesque alios: quia hi nunquam jumentis suis ipsi opem aliquam præstant. Neminem autem obligari posse ad ferendum opem aliorum jumentis, qui suo ipse jumento proprio opem non solet ferre. Exceptio hæc an legi conveniat non disputo. Certe lex generaliter loquitur, & exceptio omnis odii fomentum est; nisi vel mera impotentia, vel eximia forte dignitas obesse intelligatur.

*Decimum septimum.* XVII. Ut proximo manum præstemus, in sarcina jumento ejus imponenda: *Deut.* XXII. 4.

Præceptum hoc in textu non est clare expressum. Nil dubium est quin sensus ejus ad præceptum præcedens referri debeat, ut novum hîc præceptum formare opus non sit. Scopus enim Dei est jubere, ut sepositâ omni inimicitiarum memoria, proximi (licet exosi) jumento auxilium feratur; si videlicet sub onere lapsum aut fatiscens sublevatione oneris opus habeat; idemque deinde aut paulo minus onus ei imponatur. Hebræi pro sua curiositate novum hîc præceptum faciunt; idque à præcedente distinctum volunt hoc modo: Quod ibi jubeantur onus, sub quo lapsum jacet proximi inimici jumentum, gratis levare & deponere: hîc vero jubeantur sarcinas, quas jumenti dominus solus imponere non valet, manu admota imponere jumento, non gratis sed pretio sive mercede à domino condicta. Sed nemo non videt quæsitum hoc esse augendo præceptorum numero, & sine ullo fundamento quod in textu sit. Ecquis vero etiam erit qui mercede dignum putabit eum, qui proximum suum juvat in onere imponendo jumento ejus quod sub onere lapsum jacuit, non verò eum qui onus istud adlaborat deponere, jumentumque oneri isti subducere, aut lapsum erigere?

*Decimum octavum.* XVIII. Ut res perdita atque inventa domino suo restituatur: *Deut.* XXII. 1.

Sensus præcepti hujus est manifestus: ex lege naturæ suum cuique reddendum esse, & viri boni officium esse ut rem alterius suam non faciat: & si verum rei dominum norit, eum re sua frustratum nolit. Hoc enim sibi quisque fieri optat ac cupit. Quod si fiat ut amissæ rei dominus ignotus sit, aut absit longius; tum rem omnem perditam, puta asinum, vestem, &c. domi recipiendam esse, & diligenter habendam ac curandam, usque dum requirat eam dominus, eamque refusis sumtibus ad se recipiat. Addunt Hebræi, & recte, per præconem proclamandam (etsi textus id non dicat; nisi forte quis verba ista, *non abscondes te ab illis*, id est non latitabunt apud te, eò trahere velit, quod fieri sanè recte potest,) ut de domino constare possit. Quod vero addunt præceptum hoc non agere nisi de re à Judæo perdita, quia in textu dicitur, *Fratre tuo*, ac proinde non obstringere eos in rigore רעך ad restituendam rem perditam à Gentili aut Christiano, id sane nimis mihi videtur esse Judaicum. Etsi enim certum est vocem *proximi*, & vocem *fratris*, plerumque significare popularem Judæum in Vet. Testamento; tamen ut non nisi eum semper & ubique significare credatur, neutiquam est verisimile; imprimis istis in locis ubi præcepta traduntur quæ juris naturalis sunt, quod omnibus hominibus (tanquam naturæ vinculo sibi invicem proximis ac conjunctis, velutique ex eodem sanguine prognatis fratribus) commune est: ex. gr. in præceptis istis duobus, *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium*: item, *Non concupisces uxorem proximi tui*. Neque enim dubium est, quin Deus per vocem proximi istis in locis designare voluerit, non Israelitas tantum, vel consanguinitate, affinitate, amicitia, aut religione inter se devinctos, sed quosvis omnino homines, naturæ vinculo inter se conjunctos: nisi forte velimus Deum Israelitis tantum interdixisse, falsum testimonium dicere contra populares suos, non vero contra extraneos; & concupiscere uxores populi sui, non vero extraneas: quod absurdum omnino esse, prima statim fronte apparet. Eadem ratio est præcepti hujus; quia juris naturalis omnino est suum cuique tribuere, & rem alienam suam non facere invito domino. Ex eo est quod Ulpianus ait, eum qui rem alienam invenerit, & domino eam restituit ἀφεγγυον non posse petere, id est inventionis præmium.

XIX. Ut proximus peccans corripiatur: *Levit.* XIX. 17. *Decimum nonum.*

Præceptum hoc esse, non omnino mihi manifestum est. Nec sensum verborum horum esse eum quem Judæi hîc indicant, in animum meum induco. Enimvero per proximum sive fratrem peccantem intelligunt quemvis, quocunque demum modo legis aliquod præceptum transgredientem: per correptionem intelligunt quamlibet reprehensionem sive correctionem peccato debitam; quæ blando primum alloquio fieri debeat, ne in ruborem detur peccans, & pudore suffundatur: hoc enim magni peccati loco ducunt. At vero ex textu non obscure liquet, per proximum corripiendum hîc intelligi eum qui offensam dedit & injuriam intulit, atque ita iræ sive odio concipiendo alteri causam præbuit. Ex quo sequitur, meo quidem judicio, (quamquam plerique cum Judæis aliter sentiunt) per correptionem sive reprehensionem hîc non intelligi blandam commonefactionem, sed increpationem & objurgationem, quæ asperis & dolorem ex offensa sensuque acceptæ injuriæ testantibus verbis fiat, ad exonerandum ac deplendum simul ac semel animum concepta bile atque ultionis studio, quo deinde facilius in gratiam redeatur: quia ferè fit ut si prematur ira, altius semper hæreat acriorque fiat; subsidat vero, fecis instar, ubi semel eruperit spumamque ejecerit in mali auctorem. quasi legeretur: Si offensus & injuria adfectus es, vide ne offensam in animum dimittas, intusque in corde ejus memoriam alas, atque ita odium (quod non nisi inveterata ira est) concipias foveasque ob acceptam offensam: Sed hoc permitto atque indulgeo animo tuo offenso, ut eum qui injuriæ author est, acriter castiges, & verbis asperioribus peccati sui commonefacias. (id, ut arbitror, sibi vult phrasis ista, *Corripiendo corripies*, id est severiter & cum aliqua doloris significatione corripere potes: non, uti Hebræi volunt, sæpius corripies & blandè quidem: Intensio enim actionis, non extensio, per eam ordinariè significatur.) Id enim si facias ut animum tuum ira atque odio exuas, fratremque simul officii sui commonefacias, non peccabis in eo. Id enim sibi vult phrasis ista, meo quidem animo. *Et non* (sic enim malim exponere ולא quam ut alii, *& ne*) *feres super eo peccatum*; vel potius, *contra eum*; id est, sic faciendo non peccabis contra proximum tuum. Hunc sensum videntur mihi tantum non postulare antecedentia & consequentia, in quibus diserte agitur de odio non habendo in corde, & de non ulciscendo neque reservando odio contra filios populi sui. Existimo itaque his verbis non contineri præceptum, sed permissionem tantùm, de expectoranda offensa, animoque ira atque ultionis omni studio explendo, vel deplendo potius, ne hæreat injuriæ memoria, animumque & cor intus exulceret. quasi legeretur: Permitto ut id faciatis, si omnino ita velitis. Quo ipso tamen indicatur, Non optime eos facturos si ita faciant. Quasi legeretur: quod si vero etiam nolitis, rectius sine dubio feceritis, si cum corripiatis solo officii sui commonefaciendi studio. Quomodocunque verò feceritis, id semper propositum habetote, ut animum liberum ira reddatis, & vos fratrem non velle odisse testemini. Quæ tamen ad hanc suam sententiam explicandum adferunt Hebræi, ea talia sunt, ut generatim accepta probari omnino

nino debeant, optimeque conveniant cum præcepto Domini noſtri Jeſu Chriſti, quod *Matt. cap.* XVIII. *verſ.* 15 legitur: de quo ſuo tempore pluribus à nobis agetur: excepto eo quod præceptum reprehendendi fratrem, non referant niſi ad popularem Judæum; cæteros vero omnes, veluti רשעים impios, perverſos, reprehenſionis incapaces, & reprehenſione indignos, prætereundos eſſe cenſeant, pro odio ſuo in gentes omnes alias. Sed contra ſuadet caritatis Lex, imprimis Chriſtianæ. Videantur ad hanc rem pertinentia loca, *Proverb.* XXVIII. 23. & *cap.* XV. *verſ.* 10. 24. 31.

*Vigeſimum.*

XX. Ut proximus diligatur: *Levit.* XIX. 18.

Præceptum hoc, prout in Scriptura traditur, non tam eſt ſpeciale aut peculiare aliquod præceptum, quam generale; quo non modo dilectio proximi, ſed officia omnia ex dilectione provenientia, & variis ſpecialibus præceptis tradita continentur. Eſt enim præceptorum omnium quæ ad proximum ſpectant compendium: uti præceptum de diligendo Deum compendium eſt & epitome præceptorum omnium ad Deum ſpectantium, uti Servator noſter indicavit *Matth.* XXII. 40. Quia tamen inter ſpecialia præcepta hic etiam recenſetur, operæpretium eſt ut quo ſenſu ab Judæis accipiatur conſideremus; ac deinde ſententiam noſtram de eo paucis proponamus.

*Quid per proximum & dilectionem ejus intelligant Judæi.*

Per *proximum* intelligi volunt non niſi popularem ſive Judæum quemlibet. Per *dilectionem* autem, benevolam voluntatem juvandi proximum, in omnibus quæ ad vitam, fortunas, & honorem ejus pertinent; nec aliter quàm ſi propria noſtra bona ſint. Dicunt enim hoc Sapientum ſuorum axioma eſſe. *Quod tibi fieri non vis, alterine feceris*; eoque præcepti hujus ſententiam plene contineri. Excipiunt tamen Judæum prævaricatorem & pertinacem. Eum enim non diligendum, ſed odio habendum eſſe, aut odio habere licitum eſſe ajunt.

*Perfectior præcepti hujus expoſitio.*

Ad nos quod attinet, ut ſententiam hujus præcepti intelligamus duo præmittimus. 1. Per *proximum*, primo quidem ac principaliter intelligi popularem Judæum; ſic tamen ut nullo modo excludantur alii, non dico tantum proſelyti & peregrini in medio populi habitantes, ſed alii etiam quicunque ſub cælo homines, qui auxilio noſtro aut omnino opus habent, aut dignos ſe præſtant, aut ſaltem non indignos. Etſi enim in Lege vox *proximi*, uti ſupra diximus, populare fere ſemper ſignificet, tamen laxius tum omnino intelligenda videtur, cùm præcepti quod de fratre agit fundamentum & ratio eſt æquitas ipſa naturalis. Æquitas autem naturalis hîc eſt: quia natura ipſa docet, 1. ut homo hominem diligat: 2. ut in neceſſitate poſitum adjuvet pro viribus ſuis: 3. ut benefacientem amet & beneficio pari ſibi devinciat. At vero quia fieri poteſt, ut multi alii quam populares Judæi tales ſint; dubitari vix poteſt quin ii etiam ſub voce *proximi* comprehenſi ſint. Quos enim natura, neceſſitas, benevolentia, beneficia arctiſſimè invicem ſibi conjungunt, eos proximos ac fratres eſſe aut fieri neceſſe eſt: uti pulchre iſtud exponitur à Chriſto Domino noſtro, *Luc.* X: in parabola de Samaritano. Imò fieri poteſt, ut qui natura aut religione Judæi non ſunt, benevolentia, beneficiis ſe meliores præſtent popularibus Judæis; ſicque mereantur rectius vocari proximi quam Judæi ipſi populares, iiſque in dilectione reciproca anteferri debeant. Cæteroquin, & cæteris paribus, Judæos populares aliis omnibus præferendos eſſe non eſt dubium. 2. Per *dilectionem* intelligi poſſe vel amorem iſtum qui benevolentiæ eſſe dicitur, vel amorem qui dicitur amor amicitiæ. Ille amor eſt affectus quo bene volumus & benefacimus alicui, etſi nobis diſſimili: Hic amor eſt affectus quo volumus conjungi & uniri alicui tanquam nobis ſimili.

His præmiſſis ſic dicimus: Quando Deus populo ſuo jubet ut diligat quiſque proximum ſuum, ſi iſtud de dilectione vel amore amicitiæ intelligatur, tum ſenſum divini præcepti eſſe ut diligat quiſque proximum ſuum: 1 popularem (ſub quo etiam proſelytum complector, quamquam de eo in præcepto proximo agetur) religione vera ſibi conjunctum, id eſt non profeſſione tantum externa religionis ſibi ſimilem, ſed etiam legis divinæ retinentem & religionis ſtudioſum, ſive vita & moribus ſanctum. Profanè enim viventes, & vita ſua profeſſionem ſuam dehoneſtantes, non odiſſe tantum, ſed & perfecto odio haberi poſſe, Deus ipſe & David exemplo ſuo probant. Ex quo ſequitur, ut gentiles alioſque qui paſſim Dei oſores, & proprio vocabulo ſic vocantur, populus ſuus diligeret, Deum non jubere; imò multò minus id jubere. 2. Peregrinos iſtos, qui renunciata idololatria, & religione Noachidarum ſuſcepta, in populo vivebant.

Si de dilectione quæ affectum benevolentiæ notat, intelligatur hoc præceptum, tum dico: Etſi certum eſt iſtud ſic conceptum eo in loco eſſe, ut non niſi ad Judæos populares quoad literam pertineat; tamen ſic rectè intelligi poteſt ut credatur etiam jubere Deum, ut affectus iſte porrigatur ad plures; ſed ordine ſuo. 1. ad populares ipſos, profeſſione licet ſola Judæos, etſi vita profanos: quatenus iis velle debent atque optare bona, imprimis ſpiritualia, id eſt meliorem mentem; & corporalia deinde ad meliorem mentem conſequendum neceſſaria & utilia. Adde, licet levis alicujus offenſæ atque injuriæ nobis illatæ reos: uti diſertè in hoc loco videre eſt. Gravior enim ſi injuria eſſet, puta ſi oculum dentem, &c. excuſſiſſent, jus talionis concedebatur, quod cum dilectione nullo modo conſiſtit. 2. ad eos populos hominesque qui ſanguinis vinculo, licet remotiore, proximi ipſis erant, puta Edomæos ſive Eſaui fratris Jacobi poſteros, licet idololatras & profanos. Sic enim diſerte legere eſt mandatum à Deo: *Deuter.* XXIII. 7: ratione hac addita, *Quia fratres tui ſunt*: ubi obiter notandum eſt, *fratris* vocem latius patere, quam ut ad Jacobæos tantum reſtringi debeat. 3. ad populos hominesque iſtos à quibus beneficio hoſpitii aliquando affecti fuerant; puta Ægyptios, licet idololatrarum deterrimos: ibidem *verſ.* 8. Dicitur enim; *Non habebis odio Ægyptios; quia peregrini aliquando fuiſtis in terra eorum.* Ex quo efficitur diligendos à Judæis etiam eſſe eos hodieque veluti proximos, à quibus beneficia quovis tempore Judæi percipiunt. 4. ad populos iſtos hominesque, tum qui ſe ultro dedebant in ſervitutem, tum qui oblatam ſibi pacem acceptabant: *Deut.* XX. Denique 5. ad omnes omnino populos ad quos expugnandum, vel ex legis præſcripto, vel pro finibus imperii proferendis proficiſcebantur. His enim omnibus pacem à populo Iſraelitico offerri debuiſſe ſupra contendimus. Pacem autem offerre, aliud nihil eſt quam adfectum benevolentiæ & dilectionem ſuam oſtendere. Ex quo efficitur voluiſſe Deum, ut Judæi omnes omnino homines hoc pacto diligerent, qui tanquam proximi gerere ſe volebant, id eſt hoſtilia non patrabant, ſed pacem cum iis aut colebant, aut colere parati erant: ne quidem ſeptem populis, ipſiſque adeo Amalecitis, Ammonitis & Moabitis exceptis: modo à fœdere ſociali cum iis paciſcendo, & ſic ab amore amicitiæ abſtinerent. Signum hujuſce dilectionis ſive benevolentiæ non obſcurum dabant Phariſæi & Scribæ, quando *Matth.* XXIII. 15 dicuntur *mare & aridam circuiviſſe ut proſelytum aliquem facerent.* Et id quod Deus in ipſa præcepti forma expreſſum voluit, non leve argumentum eſt, aut indicium ſaltem, voluiſſe Deum ut limes benevolentiæ hujus ulterius quàm ad Judæos ſolos porrigeretur: quando videlicet dicit: *Diliges proximum ſicut te ipſum.* Iſtis enim verbis, *ſicut te ipſum*, regulam & menſuram quaſi ponit, ad quam dilectio proximi dirigenda eſt. Atqui diligere ſe ipſum, nihil aliud eſt quàm ſibi ipſi bene velle, & optare ac cupere ut bene ſibi ab aliis fiat. Ex quo colligitur, eum qui Judæo bene vult ac bene facit, ab eo viciſſim amandum eſſe, & ſic quidem uti ipſe ſe ipſum amat: ac proinde quemlibet hominem ſic ſe gerentem, Judæo proximum eſſe, dignumque qui ab ipſo pari aut ſimili amore benevolentiæ redametur. Qui enim Judæo ſic bene vult ac benefacit, is tantundem facit atque ipſe Judæus qui ſe ipſum diligit.

*Quid ſit diligere proximum ſicut ſe ipſum.*

Notandum tamen eſt phraſin iſtam, *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum*, ſic non eſſe accipiendam, quaſi proximum jubeat Deus diligere pari & æquali amore quo nos ipſos amamus. Hoc enim forte ex impoſſibilibus eſt: quia nos non modo nos ipſos amamus amore benevolentiæ, ſed amicitiæ: ſed & duos dominos pari amore diligere impoſſibile eſt, uti Servator noſter ait *Matth.* VI: *Alterum enim diliget*, inquit textus, *& alterum odio habebit*, id eſt minus diliget. Aut plus aut minus diligi proximus poteſt: par amor noſtri & proximi impoſſibilis eſt moraliter. Et plus aliquando diligi poſſe ac debere etiam proximum, ex præſcripto Chriſti certum eſt, forte etiam ex rectæ rationis dictamine. De quo ſuo loco. Sed ſic eſt accipienda phraſis, ut ſimili amore proximus jubeatur diligi. Particula enim כ in כמוך nota ſimilitudinis eſt non paritatis. Similitudo autem in tribus eſt: 1. ut quæcunque nobis mala fieri nolumus, ea proximo nec velimus nec faciamus. 2. ut quæcunque bona nobis ipſi cupimus atque optamus, quæ vera & vere bona ſunt, ea cupiamus atque optemus ipſi; & quantum in nobis eſt procuremus. 3. ut ſicut mala à nobis averti, & bona nobis obvenire cupimus bono ac commodo noſtro; ita mala averti à proximo, & bona ei obvenire optemus ac deſideremus bono & commodo ejus, ex affectu ſincero erga proximum: hoc enim eſt diligere. Hac ratione amor noſtri eſt norma & menſura amoris proximi. Intellige tamen ſemper de amore noſtri, non modo qui ad rectam rationem compoſitus eſt: (quia inordinatus amor noſtri non poteſt eſſe norma amoris proximi, cum ſit vitioſus, & ad peſſima quæque inclinet:) ſed etiam qui ſic compoſitus eſt, ut inter debitum

& licitum parem proportionem ſervet: ut, exempli gratia: 1. Diligo me ipſum adeo, ut optem ac cupiam mihi egeno dari neceſſaria, tanquam mihi ab illo debita: Ergo ego etiam dives egeno velle debeo neceſſaria tanquam ipſi à me debita. Sed 2, diligo me ipſum uſque adeo, ut optem mihi ſuperflua dari à divite, non quia ille mihi ea debet, ſed quia illi licet ea dare mihi, & mihi licet ea ſine noxa ejus optare: Ergo etiam alteri, licet non egeno, ego licitum eſſe credere debeo ut ille ea à me optet, & mihi licitum eſſe ut ea ego ei dem. Sed ex eo non ſequitur, amorem illum mei quo meipſum adeo impenſe amo, ut optem mihi ſuperflua etiam à divite dari, regulam eſſe qua ego teneor & conſtringor ad amandum proximum: eo uſque ut ſi à divite ſuperflua conſequar, etiam ſuperflua aliis neceſſitate nulla preſſis dare obliger. Nam licet quidem mihi pro me ſuperflua optare: at licet etiam mihi non optare, nedum dare aliis ſuperflua. Sufficit ſi ex ſuperfluis meis dem alteri quantum ei neceſſe eſt. Quare amor noſtri eſt menſura amoris proximi hunc in modum: Quicunque exiſtimat proximum ſuum obligari ad aliquid ſibi dandum aut faciendum, idem exiſtimare debet ſe obligari ad paria faciendum & dandum proximo. Quicunque exiſtimat proximum ſibi nocere non debere, is debet exiſtimare ſe aliis nocere non debere. Et hæc regula eſt infallibilis ac certa. Sicut enim dubitare non poſſumus quid ipſi nobis fieri velimus ab aliis, id eſt quid alii facere nobis debeant, ita dubitare non poſſumus quid nos aliis facere debeamus.

*Vigeſimum primum. Tria peregrinorum genera apud Iudæos.*

XXI. Ut peregrinus ametur: *Deut.* X. 19.

Per peregrinum quem intelligant Hebræi, obiter diximus in domo v. præcepto VIII. Nunc autem quid de eo nobis videatur paulo fuſius exponemus. Tria peregrinorum ſive ἀλλοφύλων genera erant apud Judæos. Primum genus erat eorum qui una cum circumciſione Judaicam religionem amplexi erant, qui dicebantur proſelyti & Hebræis גרי־צדק *Geretſedec*, advenæ juſtitiæ. & hi duùm erant generum: Alii qui in terra ſancta vivebant, & deſerta patria ac religione ſua in ea domicilium fixerant: Alii qui extra terram ſanctam degebant inter idololatras & profanos. Iſti pari cum Hebræis jure erant, ſive, ut Juſtinus loquitur, erant ὡς ἀυτόχθονες quod attinet ad promiſſa Legis: an verò quod attinet ad jura civilia, diſceptatur à nonnullis. Omnino id veriſimile eſt: hoc excepto quod qui ex Ammonitis & Moabitis erant προσηλύτοι, ad honores non admittebantur niſi poſt decimam generationem: ut eſt *Deut.* XXIII. 3. Hi quia apud alias gentes habitationem & civitatem habebant, nec de Judæorum Repub. erant, non fruebantur eodem civitatis jure cum cæteris Judæis, ſed iſto quod in locis iſtis ubi degebant, obtinebat: niſi forte neceſſitas aliqua eos extra fines terræ ſanctæ compuliſſet vivere. Hoc enim caſu, veriſimile eſt hos eodem loco ac jure cum incolis terræ ſanctæ habitos fuiſſe. Alterum genus erat eorum qui Religione quidem Judæi non erant, ſed à falſorum tamen deorum cultu abſtinebant, & conſentiebant in obſervationem præceptorum iſtorum ſeptem, quæ ita vocant Judæi, & Noacho data eſſe aſſerunt: cæteroquin liberi ab inſtitutis Hebræorum peculiaribus, qui vocantur גרים תושבים id eſt inquilini ſi ve reſidentes in terra ſancta. His enim permiſſum fuiſſe inter Hebræos vivere & domicilium habere, oſtendit apertè Lex *Deuter.* XIV. 20: ubi Moſes imperat, morticinam carnem, ſive cadaver beſtiæ ſuopte fato emortuæ, vendere aut dare peregrino, ſive ἀλλοφύλῳ qui intra portas eorum erat. Sed hi jus civitatis non habebant, carebantque iſtis externis prærogativis ac privilegiis, quibus Judæi incolæ tum nati tum proſelyti gaudebant. Tertium genus erat eorum qui religione gentiles erant, & extra fines Judæorum domicilium habebant, ſubinde tamen commeabant & remeabant in terram ſanctam commerciorum cauſſa, qui נכרים *nocherim* ſive alienigenæ dicebantur.

*Qui peregrini in hoc præcepto intelligantur, aliquine an omnes.*

Quæritur nunc quemnam horum peregrinorum amari Deus hoc loco jubeat, quando peregrinum amari jubet, ſive (uti in textu eſt) את־הגר Hebræi in hoc & ſimilibus aliis locis, *Levit.* XIX. 33. 34. *Num.* XV. 14. 15: primum dumtaxat genus ἀλλοφύλων intelligi volunt: uti diximus in domo v. præcepto 8. Nos vero etſi lubentes fatemur tertium genus ἀλλοφύλων hac voce hîc non comprehendi, aut ſaltem non deſignari; niſi quatenus amor ſignificat affectum benevolentiæ, qui omnibus hominibus ex vi legis naturalis & rectæ rationis dictamine communis eſſe debet, & ubique reciprocus, uti in præcedente præcepto oſtendimus: tamen cur primum tantum genus, id eſt eorum qui προσηλύτοι vocantur, hîc deſignari credamus, cauſa non eſt, nec cauſſam aut rationem ab Hebræis ullam allegari video. Imo cauſſæ duæ ſunt cur credamus, tum proſelytos utroſque, tum inquilinos תושבים intelligendos eſſe. 1. Quia diſerte in genere dicitur, *Levit.* XIX. 33. *Si peregrinatus fuerit tecum peregrinus in terra veſtra* (vocibus *tecum*, *in terra tua*, excluditur manifeſtè ἀλλόφυλος tertii generis) *non opprimetis illum. Tanquam indigena erit vobis peregrinus, qui peregrinatur apud vos, & diliges eum ſicut te ipſum.* Peregrinus autem תושב non minus peregrinus erat in terra iſta quam גר צדק. At ne credatur iſtius aliam eſſe rationem quàm hujus, quòd hic religione Judæus factus erat, non iſte, idcirco addo 2: Deum in præceptis his addere hanc rationem; *quia & vos fuiſtis aliquando peregrini & advenæ in terra Ægypti.* Hoc ipſo enim ſignificat peregrinos iſtos inquilinos, non aliter diligendos eſſe quam ipſi olim in Ægypto peregrinantes dilecti fuerant. At dilecti fuerant ſalva religione ſua, nec aliter excepti tractative quàm ſi indigenæ & αὐτόχθονες eſſent. Eadem itaque humanitate, commiſeratione, benevolentia ut iſti exciperentur Deum voluiſſe credendum eſt. Nolim tamen diffiteri, Deum permiſiſſe ac voluiſſe etiam, ut majore, arctiore & ſtrictiore amore complecterentur proſelytos, quam iſtos. Gradus enim amoris non variat ſpeciem; loquor de amore benevolentiæ. Proſelyti enim non amore tantum benevolentiæ, ſed & amicitiæ digni erant. Quod quidam eos non admiſſos fuiſſe adferunt ut in terra ſancta ſedem fixam haberent, niſi hac lege ut eſſent vel tanquam ſervi & mancipia, vel tanquam mercenarii, vel cum aliqua ſervitute: ex. g. ut ad publica opera & fabricas ſuam operam commodarent, vel certe pretio locare tenerentur, id mihi fundamento certo niti non videtur. Nec loca quæ probandæ iſti ſuæ ſententiæ adferunt, ex 1 *Paralip.* XXII. 2. & 2 *Paral.* II. 17, &c. id ſatis probant. Nam quæ iſthic David & Selomoh feciſſe dicuntur, quando peregrinos adhibuerunt ad templi fabricam ac ſtructuram, ea facti ſunt, non juris; aut ſi juris, non juris cujuſdam ſpecialis in peregrinos, nedum quod hic textus adferat, ſed juris regii in eos tanquam ſubditos: & forte ratio ſpecialis fuit; quia vel idonei magis erant quam alii ulli, vel operam ſuam ipſi ſponte atque ultrò Regibus obtulerant. Dices: Apparet tamen *Act.* X. *verſ.* 28, Petrum Cornelio dicere, nefas eſſe Judæo accedere ad alienigenam, quia pollutus eſt. Reſp. 1 Apoſtolum loqui non de ἀλλοφύλῳ primi aut ſecundi generis, ſed de ἀλλοφύλῳ tertii generis, uti ex antecedentibus & conſequentibus liquet; nec de ἀλλοφύλῳ inquilino, ſed de eo qui per occaſionem tantum in terra ſancta erat, animumque redeundi habebat in terram ſuam, ſi videlicet cohortem ſuam revocaret Cæſar: nec de eo quod nefas erat ex lege, ſed ex more & conſuetudine: Denique (quod omnium veriſimillimum eſt) de propriore arctioreque quadam cum tali conjunctione, quia dicitur ἀθέμιτόν ἐστι ἀλλοφύλῳ κολλᾶσθαι καὶ συνέρχεσθαι. Alioquin enim certum eſt, non licuiſſe tantum Judæis commercia habere cum peregrinis ejuſmodi quæ communis neceſſitas indicebat, eoſque accedere & alloqui, quin & ad menſam ſuam admittere, & ad Judaicæ religionis profeſſionem ſolicitare, uti ex facto Scribarum & Phariſæorum apparet, *Matth.* XXIII. 15: ſed etiam ex legis præſcripto imperatum fuiſſe ut jus iis dicerent, eoſque ad cauſſam ſuam in foro dicendum admitterent: *Levit.* XXIV. 22. Et notandum eſt hoc loco, Morem iſtum non accedendi peregrinos iſtos ſive ἀλλοφύλους, non ex lege fuiſſe introductum, ſed ex accidenti tantùm; quia iſtis licebat veſci omnis generis cibis ac carnibus, etiam morticinis, quæ ſecundum legem immundæ erant & immundabant. Itaque Judæi, ne forte polluerentur, abſtinebant à congreſſu, convictu, menſa, convivio & domo eorum. At quando ejus rei periculum non erat, nulla lege ab iis abſtinere cogebantur. Periculum autem nullum omnino erat, quando hi peregrini eos accedebant aut ab iis invitabantur ad cœnam. Unde hodieque Chriſtianos ab iis invitari ad menſam eorum ſine ſcrupulo ubique videmus: niſi forte horum temporum aliam dicamus eſſe rationem; quia (uti ante diximus) immunditia legalis jam locum non habet.

Qua in re peregrini hujus dilectio conſiſtat, ex præcedente præcepto ſatis intelligitur. Paucis verbis id expreſſit Deus ipſe, quando de ſe ipſo in hoc præcepto ait: *Faciens judicium viduæ & pupillo, diligens item peregrinum, dando ei panem & vinum:* & ſtatim ſubjungit, *Diligite igitur peregrinum:* Sic videlicet uti Deus veſter, dando ei panem & vinum, id eſt benevolendo & benefaciendo ei; non modo parce quoad neceſſaria, ſed etiam liberaliter ad hilaritatem uſque, (id enim vini vox notat) ne anguſtia ei ſit aut oppreſſio: uti *Exod.* XXII. 21. & *Levit.* XXX. 33 legere eſt. Imo ut dilectio vera & liberalis intelligatur, additur: *Diliges eum ſicut te ipſum: Lev.* XIX. 34.

XXII. Ut menſuræ & bilances omnes, ſive trutinæ, exactiſſimæ ſint: *Levit.* XIX. 36.

*Vigeſimum ſecundum.*

Præceptum hoc per ſe clarum eſt, & contra fraudes civili ſocietati maximè noxias datum. Nil attinet de eo multis dicere. Species menſurarum & trutinarum, quæ in textu recenſentur, exponere ſupervacaneum foret, quia eæ apud nos in uſu non ſunt. Id unum notatu dignum eſt, quod Hebræi

bræi à Sapientibus ſuis inſtitutum ajunt, ut fraudibus optima ratione obviam eatur, nihil tutius certiuſque eſſe, quam ut menſuræ trutinæque omnes non fiant ex metallo, puta ferro, plumbo, ſtanno; quæ vel æruginis aut ferruginis vitio obnoxia ſunt, vel abradi, curvari, flecti, &c. poſſunt; ſed vel ex marmore, vel ex vitro, vel ex lapide, vel ex alia aliqua materia fraudibus minus obnoxia. Probe equidem, ſed fruſtra. Nihil enim eſt quod fraudi non eſt obnoxium per humanæ induſtriæ acumen. Sola legum ſeveritate, & mulctarum rigore, contra fraudes opus eſt: ne infinitæ ſint & nimis enormes. Contra ſubtiliſſimas enim vix remedia dantur.

*Vigeſimum tertium.*

XXIII. Ut honorentur divinæ Legis periti ſive Sapientes in lege Domini: *Levit.* XIX. 32.

Præceptum hoc in textu non eſt: quia de ſapientibus in lege, ſive divinæ legis peritis ne γεὺ quidem eſt. Unde & ab aliis præceptum hoc non ſic proponitur, ſed in genere; Honorentur Sapientes quicunque, etiam gentiles. Sed nec vox *Sapientes* in textu eſt. De ſenibus tantum loquitur textus, eoſque honorari jubet: & ſenes quidem non animis, ſed annis, quorum caput nives capillorum inalbant. Quod annoto idcirco ut ex una parte appareat, quam parum veriſimile ſit leges has ſic intellectas à Moſe per manum traditas eſſe; cum non modo in iis proponendis non conſentiant ipſi Rabbini, uti alibi obſervavimus non ſemel, & nunc hîc obſervare eſt, dum hic ſapientes in genere, ille verò ſapientes in lege ponit: ſed etiam res ipſa propoſita nequidem in textu ipſo ſit; utpote in quo non niſi de ſenibus canitie ſua reverendis, quà talibus, agitur. Ex altera autem parte ut appareat, quantopere Rabbini torqueant textus omnes, ut ſapientibus ſuis actoritatem concilient, & oralem legem ſuam ſtabiliant. Horſum enim præceptum hoc præcipue ſic ab eis proponi mihi videtur. Verum enimvero ſimplex præcepti ſenſus eſt: Honorandos eſſe ſenes, ſive ſapientes in lege ſint, ſive non; dummodo improbi non ſint; imò vero etiamſi fiat ut per ætatem, ingenii judiciique vires incipiant deficere, & cum corpore ipſo concidere. Ipſa ſenectus quà talis honore digna eſt. Quis honor iſte ſit, non eſt neceſſe inquirere. Internus, eſt animi reverentia & bona de ſene exiſtimatio. Externus, qui hîc tantum intelligitur, eſt locum ei honorationem dare, aſſurgere venienti, de via cedere obvio, non obloqui irreverenter] aut præfracte, moroſiorem ferre cum ſilentio & benevolentiæ teſtimonio, ubique opitulari & ſuccurrere, &c. Unde illud Ovidii in Faſtis:

*Magna fuit quondam capitis reverentia cani.*

Et Juvenal. Satyr. 13.

*Credebant hoc grande nefas & morte piandum.*
*Si juvenis vetulo non aſſurrexerat, &c.*

*Vigeſimum quartum*

XXIV. Ut honorentur pater & mater: *Exod.* XX. 12.

*Vigeſimum quintum.*

XXV. Ut timeantur mater & pater: *Levit.* XIX. 3.

Præcepta hæc duo clara ſunt, & fere coincidunt: etſi honoris & timoris vocabulo aliquomodo diſtingui poſſe videantur: & in primo pater, in ſecundo mater præmittatur. Utrobique enim eadem res, eaque utrique parenti, pari ſi non ordine, jure ſaltem, debita indicatur: videlicet non modo digna eminentiæ parentum æſtimatio, externis reverentiæ ſignis conteſtata; quæ fortaſſis *honorii* ſive honorifici de eorum perſonis atque officio judicii, ſubmiſſioniſque debitæ vocabulo denotatur; ſed amor etiam, obſervantia, obſequium, auxilium in neceſſitatibus eorum ſublevandis, quæ forte *timorii* vocabulo continentur.

*Sub amore & timore parentum comprehenditur reverentia, obedientia & gratitudo.*

Omnia iſta tribus comprehendi officiis commode poſſunt ac ſolent: Reverentia, Obedientia, Gratitudine. *Reverentia* duplex eſt: Interna animi, & quæ animo ſolo peragitur. Ea eſt digna de parentum ſupra alios omnes homines, Reges principeſque eminentia & ὑπεροχῇ exiſtimatio: quia parentes poſt Deum cauſſa ſunt vitæ noſtræ: uti pulchre id adnotat *Syrach. cap.* VII. 29. *&c.* Hanc exiſtimationem ſequi debet affectus amoris ſive propenſæ in eos benevolentiæ; cui opponitur ἀστοργία, *Rom.* I. 31: contemtus & vilipendium: & lentus ac tenuis affectus erga eos; ex eoque vota pro brevi parentum vita, ſuſpiria de longa, & deſideria pro morte. *Proverb.* XX. 21. Externa reverentia corporis eſt, ſed quæ niſi ex animo etiam proficiſcatur larva tantum eſt. Ea conſiſtit in verbis & geſtibus reverentiam & amorem cum modeſtia teſtantibus; ſub quibus etiam ſilentium oportunum comprehendendum eſt. Verba blanda, oportuna & commoda requiruntur. Blanda, ne unquam nominentur propriis ſuis nominibus: Oportuna, ne interpellatio moleſta fiat: Commoda, ne contradictionem ſapiant aut obmurmurationem. His opponuntur verba aſpera, quibus offenduntur aut contriſtantur parentes: quæ vetantur 1 *Timoth.* V. 20: Maledicta, quæ ſeveriſſimè prohibentur *Exod.* XXI. 16. *Levit.* XX. 9. *Deut.* XXVII. 16. & *Proverb.* XV. 5. & XX. 20. Geſtus decori & modeſtia pleni requiruntur, ut venienti aſſurgere, obvio cedere, aperto capite adſtare, petenti porrigere omnia ſponte noſtra; cum bona venia ejus ſedere & loqui, &c. His opponuntur irriſio, ſubſannatio, & indecori omnes moleſtique parentibus geſtus ac motus. *Proverb.* XXX. 17.

*Obedientia* conſiſtit in duobus: in præſtatione eorum tum quæ jubent, tum quæ volunt aut quæ velle eos ſcimus, etſi non jubeant. De hac legere eſt 1 *Timoth.* III. 4. *Tit.* I. 6. *Epheſ.* VI. 1. *Coloſſ.* III. 20. Intellige ſemper ſi juſſa ſint pertinentia ad neceſſitatem atque utilitatem rei familiaris, vel ad bonos mores vitæque ſanctæ ſtudium; eaque poſſibilia, & non talia quæ impediant aut omnino aut nimis multum pietatis & religionis exercitia, nedum quæ illis ſint contraria. Nam in tali caſu, Obediendum magis eſt Deo quàm hominibus. Sub hac comprehenditur etiam tolerantia caſtigationum: de qua ad *Hebr.* XII prolixe agitur: & *Proverb.* XIII. 1. & XV. 5. Huic opponitur contumacia ac rebellio; quàm ſevere Deus olim punitam voluit, imprimis ad ſolam parentum querelam. *Deut.* XXI. Hîc operæpretium eſſet expendere quæſtiones nonnullas, ad obedientiam filiorum pertinentes: An videlicet filii invitis parentibus poſſint ſe ab eorum poteſtate ſubducere? An invitis parentibus matrimonium poſſint contrahere? Sed de his aliiſque ſuo loco agemus.

*Gratitudo* conſiſtit in variis: 1. in ſuſtentatione & ſublevatione eorum ſi egeant; in conſolatione ſi doleant; in ſupportatione eorum, ſi moroſiores ſint; in auxilio ferendo ſi infirmi & imbecilles ſint; in ducendo & reducendo ſi ſenes ſint; in ſepeliendo mortuos; omnibuſque officiis iſtis quæ Apoſtolus 1 *ad Timoth.* V. 4 comprehendit ſub verbis ἐυπεβεῖν καὶ ἀμοιβὰς ἀποδιδόναι, ob memoriam beneficiorum iſtorum omnium quæ ab iis à primo conceptionis tempore uſque ad provectiorem ætatem percepimus: quod graphice depingit Syracides *cap.* III. libri ſui.

Imprimis verò huc pertinet alimoniæ procuratio: de qua Servator noſter agit *Matth.* XV. 4. 5; & quam ſub honoris parentibus debiti vocabulo comprehendit: taxans acriter Phariſæos qui ſub ſpecie voti, ab iſta officii parte immunes eſſe docebant liberos. Diſerte enim ait de iis: κατεβατώσατε τὸν λόγον τοῦ θεοῦ διὰ τὴν παράδοσιν ὑμῶν. *verſ.* 3. & ἠκυρώσατε τὸν λόγον τοῦ θεοῦ. *verſ.* 6. Qua ratione? Dicentes κορβᾶν, ὅ ἐστι δῶρον, ὁ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς: *Mar.* VII. 11. De quorum verborum ſententia multa lis eſt apud interpretes. Veriſimillima multis, & mihi etiam antehac, eorum ſententia viſa eſt, qui arbitrantur votum hoc fuiſſe, quo liberi parentes ſuos honore, obſequio & utilitate ex ipſis ipſorumque bonis percipienda privabant: quaſi legeretur; Donum Deo dicatum vel oblatio mea ſit vel eſt ſi quid unquam à me boni acceperis: vel (ut alii ob voculam ἐὰν junctam ſubjunctivo ὠφεληθῇς malunt interpretari) cujus ex me utilitatem unquam caperes. Hoc votum cum addita iſta conſecrationis pœna, quo interdicebatur Pater omnibus bonis filii, tanquam re ſacra, Deoque conſecrata; ac proinde tota divini juris facta; validum eſſe cenſebant Phariſæi, peſſimi juris divini interpretes, etiamſi adverſus parentes factum eſſet. quod in loco iſto refellit Chriſtus: in cujus verbis πμᾷν honorare, (apud Matthæum) eſt benefacere, uti liquet ex Marco, & 1 *Tim.* V. 3. 17. Hanc ſententiam Maſii ſequuntur Grotius, Cochus, &c. Poſtea viſa mihi fuit veriſimilior ſententia Ludovici Capelli, qui voce *Corban* negat voventem filium ſignificaſſe ſe Deo conſecrare & devovere id omne quo utilis eſſe poterat parentibus: nunquam enim iſto ſenſu votum *Corban* à Talmudicis Magiſtris uſurpatum aut acceptum legi; aſſeritque non votum proprie fuiſſe, ſed diram quandam execrationis formulam ex ira animoque infenſo & vehementi indignatione commoto, contraque proximum exacerbato profectam, qua interdicebat filius patri uſu rei ſuæ, votoque ſe obſtringebat ſe nulla in re commodo & utilitati patris ſui inſerviturum: ita ut verba formulæ hoc pacto enuncianda putet; Illud omne, quo tibi quomodocunque utilis eſſe poſſem, eſto mihi *Corban* (non, Deo corban eſt) hoc eſt, tam mihi ſit prohibitum ac nefas tibi ulla in re benefacere, quam eſt mihi illicitum ac nefas attingere Corban, id eſt rem ſacratiſſimam, Deo devotam, in uſum meum convertere. Utraque ſanè ſententia tuetur ſe ſimilibus quibuſdam formulis, quas apud Talmudicos Magiſtros reperire eſt. Sed priori obſtat quod à Capello adnotati diximus. Capellus verò etiam nonnulla ſibi objicit, quæ non leviter infirmant dictum Servatoris noſtri: imprimis illud quod in libris *Miſna*, ubi de votis ſive *Nedarim* ex profeſſo agitur, reperiri ait non pauca loca, quæ arguunt Doctores Rabbinos judicaſſe vota ejuſmodi reſcindi poſſe, ſi interveniat pœnitentia, & Rabbini alicujus de agenda pœnitentia, & ſic reſcindendo tali voto ſententia. Reſpondet ille quidem ad iſta loca. Sed quæ tamen non parum veriſimiliter contra Servatoris

*Senſus loci Matth. XV. 4. 5.*

toris dictum à Judæis regeri atque urgeri possunt. Itaque inclino magis in sententiam priorem, qua statuitur votum hoc fuisse ἰνχλὼ ὠφελείας, sive votum de beneficentia, quo filii Deo ad sacrificia & oblationes למזבח super altari offerendas consecrabant res suas, atque ita frustrabant usu earum parentes suos, in necessitate & inopia constitutos, animo religionis aut superstitionis ejusmodi errore à Magistris suis imbuto. Hoc enim votum, quia Deo & Dei ministris quasi fiebat, summo in pretio habitum fuisse ex *Matth.* XXIII. 21. non obscure liquet; & à Capello in initio diatribæ suæ super hoc loco etiam accurate admotatur: cùm distinguit inter vota sacræ rei sive נדרי הקדש, & ea fuisse dicit duum generum; alia ad sarta tecta templi, alia ad sacrificia sive oblationes quæ super altari offerebantur. Utraque hæc fuisse omni homini אסורים sive illicita & interdicta, ita ut nemini liceret ea facere sua, aut in proprium usum convertere. Ista tamen talia, ut redimi possent à vovente & divendi à Sacerdotibus, (ut eorum pretium in sacrum ærarium inferretur) atque ita vendita in cujuslibet usum cedere: Hæc vero nullo modo redimi possent, nec mutari, sed necessario cedere in Sacerdotum usum ac commodum, qui ea sibi propria faciebant. Hoc ego existimo taxari à Christo, si fieret videlicet à liberis indigentiæ parentum suorum conscius, aut de parentibus suis curam nullam habentibus, vel habere volentibus, ex opinione ista quam hauserant à Magistris suis, quod vota ejusmodi valida & Deo grata essent. Et ratio est manifesta: quia vota ista solvebant liberos ab obligatione priore, qua tum ex naturæ tum ex legis divinæ præscripto, etiam sine ullo voto, obstricti semper sunt ac manent ad honorandos parentes suos, iisque non maledicendum, id est non malefaciendum, sive (uti interpretandum id mihi omnino videtur) ad benefaciendum. Simili plane phrasi qua Christus utitur *Marci* III. 4: *Liceatne Sabbathis benefacere, an malefacere* (cuipiam,) *hominem servare, an trucidare?* Hîc enim *male facere* est non juvare, non subvenire misero, & *trucidare* non sanare ægrum, aut male habentem. Atqui nulla ratione, nedum voto, exsolvi quis potest debito sive obligatione, qua tum à natura tum à Deo ipse obstringitur, & obstrictus semper manet. Talis autem est obligatio liberorum ad parentes egenos, & in necessitate positos ac constitutos. Tenentur enim parentibus talibus succurrere. At non tenentur vota ejusmodi facere: sunt enim voluntaria. Invalida itaque ejusmodi vota & rescindenda esse, tanquam naturæ & legi divinæ contraria, judicare debuissent Pharisæi & Scribæ; non aliter quàm Deus olim rata esse noluit, ac rescindi jussit, vota à filiis-familias aut uxoribus, insciis parentibus ac maritis concepta; nedum in damnum ac detrimentum eorum nuncupata. Quod enim initio invalidum est, id nullo tempore nulloque prætextu consolidatur, ut Jureconsulti ajunt.

## CAPUT X, seu
## Domus decima præceptorum affirmativorum quæ est domus Matrimonii sive Mulierum, & XII præceptis constat.

*Primum.* I. *Crescite & multiplicamini*: Genes. I. 28.

*Nullum hîc esse de conjugio ineundo præceptum.*

Hisce verbis præceptum de contrahendo matrimonio vel ducenda uxore contineri, quod universè ac singulis hominibus maribus, omni tempore datum sit, nulla ratio cogit admittere. Neque enim verba ista dirigiuntur ad Adamum solum, neque ad Adamum & Evam cælibes adhuc, sed jam divina voluntate conjugatos, eumque in finem creatos ut conjugum more viverent, & prole ac sobole terram replerent: continentque non præceptum de conjugio ineundo; sed, ad summum, præceptum de conjugii usu, propter prolem & sobolem: aut potius continent benedictionem, vel benedictionis formulam; uti apparet ex eo quod dicitur, *Benedixitque eis Deus & dixit, Crescite & multiplicamini*; qua videlicet fructus ex conjugii usu promittitur, aut benedictione divina proventurus prædicitur. quasi legeretur; Faciam ut crescatis & multiplicemini. Non solis vobis terra condita est. Hinc conjuges vos esse volui, simulque aptos & idoneos gignendis pluribus. Istum naturæ stimulum si sequamini, uti conjuges decet, faciam ut irritus iste non sit, sed fælix ac fæcundus, atque ita multa prole ac sobole rerum omnium dominatrice terra repleatur. Non enim, uti *Esa.* XLV. 18 dicitur, in vanum præparavit Deus terram, sed לשבת ad inhabitandum eam. Hunc sensum postulat ipsa loquendi formula, *Crescite & multiplicamini*. Neque enim præcipi poterat Adamo & Evæ ut crescerent & multiplicarentur. Hoc enim in potestate eorum non erat, sed à sola Dei benedictione pendebat. Atque hoc ipsum eadem loquendi formula usurpata, *cap.* VIII. *vers.* 17, indicat: ubi Deus dixisse legitur Noacho, ut exiret cum uxore, filiis, nuribus, & animantibus omnibus, crescerentque ac multiplicarentur super terra: tam scilicet animantia, quæ paria sive conjugata esse Deus voluerat, quam ipse cum uxore sua & liberis suis jam ante etiam conjugatis. Animantibus autem præceptum de conjugio, aut conjugii usu, datum quis dixerit? Inepte ergo ex hoc loco concludunt Hebræi, omnibus maribus (nisi legis divinæ studio malint incumbere) præscribi conjugium; nullisque fas esse aut licitum à conjugio abstinere, aut cælibem vitam ultra decimum octavum ætatis annum ducere; adeoque ex vi dicti hujus, *Crescite & multiplicamini*, fas esse conjugato ut si uxor decem annis maneat improlis, aliam uxorem ducat ad prolem suscipiendum; nullo discrimine facto inter mundi ipsius primordia, quando terra replenda erat hominibus, & consecuta tempopora quibus terra tota hominibus repleta est. Ad summum enim ex his verbis non colligitur aliud; quam Adamo & Evæ jam conjugio copulatis præcipi conjugii usum, ad prolem tollendum in vacui mundi exordio.

Sed nec minus inepti sunt Pontificii, qui non modo cælibatum aut cælibatus votum inter consilia Euangelica referunt, nullo fere ætatis aut conditionis discrimine; sed & clericis omnibus conjugatis, abstinentiam ab uxoribus abstinentiæque perpetuæ votum imperant: cum manifeste hîc appareat, Deum conjugatis primis parentibus eorumque posteris benedixisse, sacrumque conjugii usum non tantum instituisse, sed & usum ejus promissione sua sancitum voluisse.

Quare media via, tanquam omnium tutissima, tenenda est, quæ hisce regulis sex continetur. 1. Nemini cælibatum aut conjugium absolute præscribi aut interdici à Deo aut à Christo. 2. Nulli fas esse absolutè vovere cælibatum perpetuum. 3. Cælibatum aliquando amari, ac præferri posse conjugio, non tanquam necessarium, sed tanquam commodiorem minoribusque impedimentis atque remoris obnoxium. 4. Conjugium semper licitum esse, & aliquando etiam necessarium. 5. Conjugatis non esse licitum abstinentiæ perpetuæ votum, ne quidem cum consensu mutuo semel inter se facto. 6. Nec ad tempus, nisi cum consensu mutuo. Fundamentum harum regularum est in hoc loco, & aliis quibusdam Novi Testamenti paragraphis. Finis enim conjugii & usus conjugalis in istis locis esse dicitur, proles, fornicationis fuga, & mutuum auxilium. Ratio impellens, sensus propriæ infirmitatis; sive ea oriatur ex amore prolis & auxilii mutui, sive ex temperamenti conditione, *Matth.* XIX. 12. & 1 *Corinth.* VII. 7. Ex quibus duobus, sex istas regulas, quas diximus, oriri necesse est: uti suo loco à nobis demonstrabitur.

*Sex de conjugio & cælibatu regulæ.*

II. Ut conjugium contrahatur cum *Keduβim*, id est cum prævia desponsatione, sive ut nuptias sponsalia præcedant: *Deut.* XXIV. 1.

*Secundum.*

Præceptum hoc in textu plane non est, nec ex verbo לקח recte deducitur. Vide *Genes.* XXXVIII. 2. Aliud ritus, aliud Lex. Ritum istum in populo usitatum fuisse, & prudenter institutum à Reipub. istius ephoris, forte etiam prius consulto Dei oraculo, non facile negaverim. Locus *Deut.* XX. 7. non obscurè tale quid indicat. At ritum istum in textu hoc aliove diserte præscriptum esse, non ausim asserere nec facile credere: cum videam, quod & fatentur Hebræi, toto isto quod Legem antecessit tempore, nullam sponsaliorum prærequisitorum mentionem fieri; & communem ducendi uxores morem fuisse, per sumtionem sive abductionem virginis consentientis in domum, mutuamque cohabitationem, absque ulla alia formula aut cæremonia: & post legem latam nullam קרושים sive sponsaliorum in textu ullo volam aut vestigium reperiri. Quare verisimile mihi est, morem istum ac ritum à Sapientibus constitutum esse, ut religio conjugii sanctior esset, & reverentius haberetur: quippe ad quod non nisi per gradus solemnesque & prævias cæremonias, pervenire fas esset. Sponsalia autem hæc fiebant, vel pecunia, vel Scriptura, vel congressu. quamquam quomodo hoc tertium inter sponsalia referant Hebræi non video. Post congressum enim non est sponsa sed uxor. Pecunia quælibet in manum virgini data, & à virgine accepta, cum hac formula, Esto mihi desponsata hac re secundum Legem Mosis & Israel, idque coram duobus ad minimum testibus, sufficiebat ad desponsationem; etiamsi vel פרוטה id est obolus, vel λεπτὸν id est minuta quævis moneta esset, imo res aliqua monetæ isti æquivalens. Scriptura in pergameno, coram totidem aut pluribus testibus, in eandem sententiam exarata, & virgini aut mulieri tradita, ab eaque sponte accepta ejusdem efficaciæ erat. Sub Scriptura autem quodlibet instrumentum, puta annulus, brachiola, &c. comprehenditur: uti adhuc hodieque apud moratiores omnes populos in usu est. An post desponsationem sponsus sponsam

*An præceptum de sponsalibus sit in lege.*

ſponſam ſuam ſecum abducere ſoleret in domum ſuam, ut virginitatis ſervatæ teſtis ac cuſtos eſſet uſque ad tempus nuptiale; an vero eam non niſi ipſo nuptiarum die abduceret ſecum, incertum quibuſdam & controverſum eſt. Sed locus *Deut.* XX. 7. videtur poſteriori opinioni favere: & exemplum Joſephi *Matth.* I. *cap.* non parum eam confirmat: quamquam verbum ἀνελθεῖν, de conventu non in domum, ſed in thorum conjugalem accipiendum omnino videtur. Quicquid ſit, id omnino certum eſt, eam quæ deſponſata jam erat, eodem loco cenſitam à Deo fuiſſe, ac cenſeri debuiſſe, quo uxorem conjugatam: uti ex *Deut.* XXII. 23. manifeſtum eſt.

*Tertium.* III. Ut maritus novus ſe cum uxore ſua primo nuptiali anno exhilaret, *Deut.* XXIV. 5.

Præceptum hoc æquitatis plenum eſt, & in jure naturali fundamentum habet. Æquiſſimum eſt ut oportunus & tempeſtivus uſus conjugii noviter conjugatis concedatur. Naturæ lex eſt, ut amor conjugalis recens adhuc inſtar tenelli ſurculi, firmetur placida conſuetudine & amica hilarique converſatione. Amor enim ubi ſemel radicatus eſt, idoneos atque ultroneos reddit conjuges ad onera conjugii æquanimiter ferenda, & quæ ad matrimonium fælicitandum facere poſſunt libenter procuranda. Huic fini etiam ſerviebat lex *cap.* XX. 7. lata, quæ novos maritos ab omni onere, ſive militari, ſive civili, immunes eſſe jubet; ne videlicet ab exhilarandis uxoribus ſuis retrahantur, ſed vinculum maritalis conſuetudinis firment per amicam converſationem. Onus militiæ tamen intelligunt Hebræi tantum de bello licito ſive conceſſo, quod extraneis gentibus proferendo imperio inferebatur; quod Hebræi vocant bellum הרשות licentiæ, id eſt licitum: non vero de bello vel militia neceſſaria ſive juſſa, quam vocant bellum המצוה juſſionis aut præcepti, quæ populis ſeptem Cananæis inferenda erat juſſu divino. Ab hac enim nemo immunis erat, uti ajunt; ne ſponſis quidem qui è cubiculo ſuo prodibat, ut ſponſa è thalamo ſuo. Quo jure aut qua lege non video.

*Quartum.* IV. Ut liberi Iſraelis maſculi circumcidantur: *Geneſ.* XVII. 10. & *Levit.* XII. 3.

De hoc præcepto prolixe egimus in præcedentibus. Nunc obiter tantum dicimus: Præcepto hoc obligari Patres (ex Hebræorum ſententia) uſque dum pubertatis annos ingreſſi ſunt filii, id eſt uſque ad annum ætatis filiorum decimumtertium: ſic tamen ut ſi patres præceptum hoc interea negligant, pœna neglecti aut inſuper habiti præcepti, non ad ipſos ſed ad liberos eorum perveniat ac pertineat. Nec mirum. Pœna liberorum eſt pœna parentum: quamquam & parentes etiam pœna manet, quæ communis eſt omnibus affirmativa præcepta tranſgredientibus. Per liberos autem intellige, non eos tantum quos ex uxoribus ſuis ſuſcipiunt, tam primariis quam ſecundariis: ſed & qui ex ſervis & ancillis domi eorum naſcuntur. Quibus adde ſervos emptitios, quos circumcidere neceſſe etiam erat, ſed ea ipſa die qua emti erant, & in poteſtatem eorum venerant. Quod ſi patres aut domini negligerent circumcidere filios aut ſervos ſuos, inquilinos vel emptitios, tum filius natus annos tredecim, curare debebat ſui ipſius circumciſionem; aut ſi etiam ipſe eam negligeret, Magiſtratus ut ea fieret procurabat; juxta *Beth-Din.* & eadem ſervorum ratio erat: puta vernarum & emtitiorum, non vero mercenariorum. Verum de præcepti hujus obligatione, aliiſque ad eam pertinentibus rebus, nunc non agemus, ne actum agamus. Id tantum noto: vix dici poſſe quanti præceptum hoc fiat ab Hebræis. Nulla non myſteria in eo abdita latere credunt; tantamque ejus perfectionem eſſe aſſerunt, ut eam ſacrificium faciant, ſacrificiis omnibus longe præferendum; & cujus beneficio divina lux reſplendet in corpore noſtro veluti in tabernaculo, ut videamus in carne noſtra Deum ipſum: eo fine allegantes verba Jobi *cap.* XIX: *In carne mea videbo Deum:* quem ea protuliſſe volunt ſolius circumciſionis miraculoſæ ſuæ, cum qua natum eum volunt, intuitu ac reſpectu. Sed uſque adeo carni immerſa eſt gens iſta, ut vix aliud quam in carne glorietur, & ſpiritum legemque ſpiritus pene à carne pendere faciat, & ex carne æſtimet.

*Quintum.* V. Ut vidua defuncti ſine liberis mariti, nubat fratri ejus: *Deut.* XXV. 5.

Præceptum hoc eſt de ſingulari jure Leviratus, non noviter latum, ſed quod antiquitus ante legem latam obtinuerat: ut in exemplo Judæ *Geneſ.* XXXVIII. videre eſt. De eo multis agere non eſt neceſſe, quia jus iſtud Leviratus hodie in uſu non eſt, nec ut ſit inter ipſos Judæos, ratio poſtulat. Nec enim alio fine jus hoc olim à Deo conſtitutum eſt in populo Judaico, quam ut poſſeſſionum confuſio vitaretur, & defuncti tum hæreditati tum poſteritati caveretur, ne nomen ejus deleretur ex Iſraele. Dicendum tamen aliquid eſt ad præcepti hujus intelligentiam.

Per אחים *fratres* Hebræi aliique non niſi fratres ex eodem patre, ſive ut Hieronymus & LXX tranſtulerunt, fratres viri ſeu leviros intelligunt, eoſque vivo adhuc patre natos: non vero fratres ex eadem dumtaxat matre. Per יבמה intelligunt fratriam, id eſt uxorem fratris, ſive ea conjugata ei fuerit, ſive tantum ei deſponſata & ante congreſſum vidua facta: dummodo talis non ſit quam defuncti frater ducere lege prohibetur; puta vel filia ejus, *Levit.* XVIII. 17. (patruo enim neptem ducere in uxorem licuiſſe credunt) vel fratria ſive ſororia, id eſt uxoris ejus ſoror. Sororem enim uxoris adhuc viventis ducere lex diſerte prohibet: *Levit.* XVIII. 18. Per בנים ſive *liberos*, intelligunt tam liberos mares quam filias, ſub quibus etiam nepotes comprehendunt, ſive ii ex alia uxore ſuſcepti ſint, ſive ii ſint adulterini, qui *mamſerim* vocantur, dummodo ii in vivis erant moriente patre. Solos tantum eos liberos excipiunt, qui ex ancilla ſive ſerva, aut gentili ſive extranea ſuſcepti erant. Hos enim filiorum loco inquam venire aut cenſeri negant. Per אחד *unum* non intelligunt, uti Sadducæi & cum illis nonnulli alii, primum ſive primogenitum ſolum fratrem, ſed quemlibet alium, ſive unum ex omnibus fratribus ſimul habitantibus.

Hæc ſententia Hebræorum nobis in paucis quibuſdam diſplicet. Dicimus itaque 1. per fratres nos intelligere non modo fratres germanos communes parentes habentes, ſed ſaltem ex eodem patre, etſi diverſas matres haberent. Hos enim primo ac principaliter præcepto hoc obligari dubitandum non eſt: tum quia vox יבם propriiſſime levirum ſignificat: tum quia quæſtio à Sadducæis propoſita Chriſto *Matth.* XXII. 25. de ſeptem fratribus, germanos fratres ex eodem patre natos intelligendos eſſe dictat: denique quia exemplum Judæ filiorum *Geneſ.* XXXVIII. manifeſtius id probat quam ut negari poſſit. Nec obſtare credendum eſt legem *Levit.* XVIII. *verſ.* 6. & 16: quia Deus de lege iſta diſpenſare voluit per hanc legem. Non enim legibus ſuis adſtringitur aut ſe ipſum adſtringit Deus, ſed populum ſuum. 2. Dico per fratres etiam intelligi fratres ex eadem matre, ſi diverſos ejuſdem tribus & familiæ patres haberent; quia hi omnes ejuſdem tribus & familiæ cenſebantur: intellige ſi deeſſent propinquiores. Fratrum enim vox latiſſime hic accipienda nobis videtur, phraſi Hebræa, prout ſignificat omnes tum germanos, tum germanis deficientibus omnes eos qui de eadem cognatione & familia ſunt, etſi diverſorum parentum filii, id eſt, una voce cognatos & adfines omnes, contribules & familiares. Id evincimus ex hiſtoria Ruth *cap.* III: ubi Booz vi hujus legis à Ruth Moabitide in maritum petitur, qui tamen frater (ſtricte ſumta voce fratris) mariti Ruth defuncti Mahalom non erat, uti neque alter propinquus qui jus ſuum cedebat Boozo & tanquam propinquior primo ei jus ſuum cedere debebat. Quare phraſin iſtam, *Si fratres ſimul habitaverint*, non intelligo tantum de fratribus proprie dictis, qui utrumque vel alterum tantum parentem communem habeant, nedum de iis dumtaxat qui in eadem urbe vel villa habitant; ſed etiam de iis, qui cognati ſunt & ad eandem tribum vel familiam pertinent, proinde hæreditatis ejuſdem participes eſſe poſſunt; uti intelligi debere ex hiſtoria Ruth, quæ hujus legis interpretandæ optima norma eſt, non obſcure liquet. Ex hoc etiam ſequitur, per unum ex fratribus non intelligi tantum καθ' ἐξοχὴν primum ſive primogenitum, uti *Geneſ.* I. dies unus pro primo dicitur, & in Novo Teſtamento μία σαββάτων pro die dominico, qui primus eſt hebdomadis, accipi videtur: ſed quemlibet ex illis, tum germanis, tum cognatis ſive adfinibus. Ratio eſt manifeſta: quia cuilibet ſua erat hæreditas ſive hæreditatis portio, quam alienari Deus aut in alias tribus ac familias traduci nolebat. Etſi enim primogenito dupla hæreditatis portio ex primogenituræ prærogativa cedebat, tamen cæteri fratres ac cognati ab omni hæreditate non excludebantur. Unde veriſimile, imo certum eſſe arbitror, non tantum poſteriores natu liberos cognatoſque defuncti improlis fratris cognatique, ſemen ei ſuſcitare debuiſſe, ſed & (ſi neceſſe erat) primogenitum ad poſtgeniti illiberis fratris defuncti ſemen, ut Tertullianus loquitur, ſupparandum obligatum fuiſſe. Illiberem autem ſive improlem eum vocari credendum eſt, qui vel nullos liberos ſuſtulit, vel cujus liberi ante obitum ejus mortui ſunt, vel poſt mortem ejus ante annos pubertatis, aut ante initum matrimonium improles exſtincti ſunt. Quid ſi, inquies, filiam ſuperſtitem reliquiſſet? Cenſeo cum Hebræis eum tum non illiberem ſive improlem deceſſiſſe; quia filiæ, ſi ſolæ erant, hæreditatem patris ſui adibant; ſed ea lege ut extra tribum & familiam ſuam non nuberent, ne hæreditas alienaretur: uti diſerte Dei oraculo conſtitutum fuiſſe legimus, *Numer. cap. ultimo*, in cauſſa filiarum Selaphaad. Alia erat ratio filiarum ἀκλήρων, id eſt earum quæ fratres habebant. His enim extra tribum & familiam ſuam nubere conceſſum fuiſſe, iſtoque ipſo in loco

concedi nobis indubium videtur. Hujus itaque filiæ proles masculà, hæres erat defuncti avi sui materni, quia non erat filius legali æstimatione patris sui naturalis, sed avi sui defuncti, succedebatque in bona ejus simul atque in nomen sive genealogiam, uti non obscure indicant verba illa filiarum Selophaad *Num.* XXVII. 3: *Cur tollitur nomen ejus de familia sua, quia non habuit filium?* Ex hoc colligo; Aliam prorsus rationem fuisse filiorum adulterinorum, spuriorum sive illegitimorum, aut ex concubinis seu secundariis uxoribus genitorum. Hos enim cur hac lege etiam teneri credant Hebræi, non video: cum talibus jus ad paternam hæreditatem non esset, sed tantum bona quædam iis legata dari solerent: uti videre est *Genes.* XXI. 10. & XXV. 5, *&c. ad Gal.* IV. 22. 1 *Paral.* III. 9. ubi de filiis ex uxoribus secundariis genitis agitur: & in exemplo Jephthe, quem spurium sive illegitimum fuisse constat, *Jud.* XI. 2 liquido constat. Itaque per fœminam sive יבמה id est uxorem fratris, uti vocatur *vers.* 7. σύνυμφον à LXX. Ruth *cap.* I. 15: intelligenda est uxor fratris principalis, (vel plures principales uxores, quarum unam eligere, vel quas, si vellet, utrasque ducere poterat frater superstes;) non sterilis, non annosa, non repudiata, non habens liberos ex primo conjugio. An desponsata sufficeret, dubitant non pauci. Ego causam dubitandi non video. Desponsata enim uxor fratris erat, & sponsa etiam uxor vocatur, sponsæque violatio adulterium, uti ante observavimus. Ratio vero quæ pro indubitatione ista adfertur, quod sic frater defuncto fratri semen suscitare dici non posset, nimis arguta & levis est, quin & absurda. Quod Judæi insuper excipiunt: si non sit fratris vivi filia, aut uxoris ejus soror, id omnino valere debere crediderim. Istis enim casibus frater talis si erat proximus, non obstringebatur nec obstringi poterat ad eam ducendam: quia naturali honestati repugnat filiam esse patris sui uxorem; & morali honestati non convenit ut duæ sorores ejusdem mariti uxores sint: quamquam de hac honestate dispensasse aliquando Deum verisimile facit exemplum Jacobi Patriarchæ. Quare subsequentem fratrem lege hac obligari istis casibus crediderim, aut si deesset frater, is qui proximus erat cognatus: uti ex historia Judæ & Ruth liquet. Atque hæc de hoc præcepto sufficiant. Non enim opus est, nec operæ nostræ, omnia in pulverem secare quæ ad exhauriendum præceptum hoc moveri possunt.

*Sextum.* VI. Ut qui Leviratum præstare renuit, discalceationis morem & ritum usurpari sinat, & sputi ignominia adficiatur: Ibid. *vers.* 7.

Præceptum hoc de discalceando & expuendo, quo ritu peragatur sive executioni mandetur, videre est in Synagoga Jud. Buxtorfii cap. 30. Non possum tamen dissimulare longe aliter istud exponi à Rabbinis quibusdam, ritumque illum quem Buxtorfius recenset aliique nihil cum ista expositione commune habere. Nam discalceationem hanc ait Buxtorfius aliique fere cum eo omnes interpretes, fieri solitam vel in signum cessionis juris quod frater habebat in fratriam suam, vel in ignominiæ notam perpetuam, qua ipse deinde semper quasi inustus vocabatur discalceatus, domusque ejus domus discalceati בית חלוץ הנעל ipsaque illa ignominia חליצה, quasi dicat: detractio calcei, non aliter quam stigma: imprimis quia accedebat consputatio, quam in faciem ejus fieri debuisse ajunt adeo crasse ac manifeste, ut à judicibus & testibus in facie sputum conspici posset. At Rabbini quidam hanc totam חליצה sic fieri solitam ajunt, ut vidua calceum leviri sui exuendo eo ritu testaretur se ancillam & servam ejus esse velle, promtam ac paratam ad officia omnia ac ministeria ipsi debita. Si verò levir eum exui sibi non sineret, atque ita testaretur palam se eam nolle, sibique ab ea officia ista deferri aut præstari non cupere, ac proinde dominum maritumque ejus esse renuisse; tum vero eam quasi officio suo functam, liberam ab omni culpa fuisse, & potuisse cui vellet nubere; & in ejus rei testimonium exspuere jussam, non in faciem leviri, sed coram facie ejus in terram; ut sic quasi cum dedignatione quadam significaret, se illum honore & reverentia omni solita indignum judicare, qui fratris sui nomen, fratriæ suæ famam, & legem divinam tam leviter haberet, aut tam parvi penderet. Commoda sane mihi videtur hæc expositio, & præferenda illi quæ discalceationem istam ad hæreditatis jurisque cessionem pertinere vult, qualem eam fuisse constat de qua Ruth *cap.* IV. legere est. Hæc enim alterius generis fuit: quia non à muliere, uti istic, sed à propinquo jure suo cedente ea facta fuit; deinde quia discalceatio hæc à muliere fieri debebat, etiamsi nullus frater aut cognatus esset præter eum qui discalceabatur, cui uxor & hæreditas defuncti cedi posset. Manet tamen hoc dubium: Si vidua ista post factam discalceationem & consputationem istam, libera & sui juris erat, ut cui vellet posset nubere, & si propinqui alii nulli erant, ad quos pervenire posset defuncti hæreditas; anne ergo hæreditas defuncti rediret ad levirum istum licet ignominia ista notatum? Id omnino dicendum videtur: quia alioquin in externam familiam migrasset hæreditas. Et notandum est de discalceatione quæ tali casu fit hîc agi. Nam si alii propinqui erant, quibus cedere proximus frater aut propinquus uxorem & hæreditatem defuncti poterat, tum non fiebat discalceatio à muliere, sed à propinquo, & ista discalceatio cessionem juris aut redemtionis significabat, uti in historia Ruth videre est.

*Septimum.* VII. Ut qui per vim virgini vitium obtulit, eam uxorem ducat: *Deut.* XXII. 29.

Præceptum hoc clarum est, & contra violentos virginum oppressores, in favorem infirmi sexus & tutandæ ejus pudicitiæ latum. Violentus autem oppressor quis haberi debeat difficulter definiri potest. Communis Hebræorum sententia est, ex R. Maimonidæ definitione, violentum oppressorem habendum esse eum, qui extra urbium pomœria in agro aut loco aliquo deserto virginem defloravit: non vero eum qui intra urbem id fecit; nisi testimonia sint in contrarium. Isthic enim imbellis atque imbecillis sexus pudicitia intuta esse creditur, hîc tuta esse præsumitur à violentia: Isthic dissensisse, hîc tacite consensisse judicatur virgo, si clamoris remedio usa non est. utrumque tamen incertum est. sed quia certa consensionis aut dissensionis argumenta ac documenta haberi non possunt, & isto indicio lex divina utitur, in eo consistendum esse arbitrantur. Quod ad casum in præcepto hoc expositum attinet, certum est hîc agi de eo qui vim virgini intulit: non rapiendo eam; (raptus enim capitale crimen erat:) sed oblata occasione aut arrepta, eam vel invitam vel non omnino resistentem apprehendendo, comprimendo & stuprando. Distinguendus ergo est hic casus ab eo cujus mentio fit *Exod.* XXII. 16. 17: ubi de virgine agitur quæ sine vi, blanditiis & speciosa persuasione, forte obtentu futurarum nuptiarum illecta & inducta est à compressore & stupratore: cum hîc agatur de ea, quæ sine illicio blanditiarum vim & stuprum passa est. Id arguunt, 1. verba diversa. Isthic enim verbum pelliciendi aut alliciendi est; hîc verbum prehendendi, unde illic persuasio, hîc impetus factus videtur. 2. Diversa pœna. Isthic enim stuprator non adigitur necessario ad puellam sic ducendam, ut postquam eam duxisset eam non posset unquam repudiare; hîc cogitur eam ducere, ita ut nunquam eam dimittere aut ab ea divortium possit facere. Isthic si pater virginis renueret conjugium, dotem dare virgini tenebatur stuprator; hîc dotem dare non tenebatur virgini, sed 50 siclos argenti, id est quadraginta, aut quinquaginta ut alii volunt, florenos nostrates parenti virginis adnumerare & pendere, propter injuriam parenti illatam per stuprum filiæ. Notandum enim est 50 siclos istos, virgini non dotis vice, sed injuriæ reparandæ & quasi sarciendæ parenti ejus fuisse adsignatos. An dos etiam huic virgini vitiatæ constituenda fuerit incertum est: Mihi verisimile id est: ne conditio virginis violenter oppressæ deterior fuisse videatur, quàm virginis cui consentienti vitium oblatum fuerat, uti *Exod.* XXII. videre est. Philo certe id diserte asserit lib. de specialibus legibus. Addunt Hebræi plura alia virginis pudicitiæ, passioni & damno reparando, à stupratore ad arbitrium judicum & pro qualitate ac conditione virginis pendi debuisse: quod tamen ex textu non constat. Propria pœna hujusmodi stupratoris in textu esse dicitur, quod vitiatam ejusmodi virginem, vellet nollet, ducere cogebatur, absque ullius maculæ exceptione; id est, sive lusca, deformis, gibbosa, aut clauda esset; sive morosa, refractaria, litigiosa, aut incommodioribus rusticisque moribus. Quid, inquies, si formosa, opulenta & commoda; stuprator vero luscus, deformis, aleator, ganeo, pauper & torvus esset? &c. Id textus non dicit, nec mihi verisimile fit, imprimis si renueret pater & refragaretur virgo; quia alioquin stupratoris ejusmodi conditio non deterior facta fuisset per pœnam istam, sed melior per conjugis ejusmodi impetrationem: & occasio data fuisset pessimis ad ambiendum & confectandum ejusmodi stupra, certissima spe optimi & fœliciissimi conjugii, qua alioquin potiri non possent aut excidere eos necesse erat. Quare consensum tum patris offensi, tum vitiatæ virginis accedere debuisse mihi persuadeo in tali casu. Tantum credo in textu indicari, extra talem casum virginem istam à stupratore duci debuisse, volente nolente, & quidem quæ propriissima ejus pœna erat, sine ulla spe repudii, aut licentia dandi *Guet* sive libellum divortii: quæ sine dubio gravissima tum temporis pœna fuit, quo divortia ex divina concessione licita erant. Excipe semper casum adulterii: quamquam casus iste non voluntarii divortii, sed necessariæ mortis causa erat. (Adulter enim & adultera pari morte adficiebantur ex legis præscripto.) nisi forte clandestinum & clancularium adulterium intelligatur.

VIII. Ut

*Octavum.* VIII. Ut qui diffamavit uxorem ſuam, eam uxorem ſibi retineat ſine ſpe repudii: *Deut.* XXII. 19.

Præceptum hoc negativum potius eſt quam adfirmativum, ſi ſenſum non verba ejus videas: ſaltem à præcepto negativo quod Hebræi vocant, & inter negativa referunt, ne per ſpeciem quidem diſtingui poteſt. Senſus enim ejus eſt: Diffamatori uxoris ſuæ nunquam licet uxorem ſuam dimittere, aut ei libellum repudii ſive *Guet* dare. Diffamatio autem ſignificat detractionem ſive imminutionem honoris & pudicitiæ conjugalis, per impoſitionem (uti textus loquitur) verborum malorum, id eſt adulterii intentationem; nullo alio fine, ut Maimonides cenſet, quam ne dotem cogatur ei dare 50 ſiclorum, quæ dos virginum erat definita lege Dei. Argumentum hujus rei certiſſimum eſt; quia ſi voluiſſet, potuiſſet eam repudiare ſecundum leges repudii, abſque ullius criminis ſuſpicione aut infamiæ nota, formula uſitata, *Non invenit gratiam in oculis meis.* Diffamationis itaque cauſſa, odium ſive malus animus eſſe jure præſumitur. unde judicium diffamatoris hujuſmodi, retinere aut ad ſe trahere volentis, quod ſecundum legem uxori ſuæ deberet dare; & furis bona proximi ſui injuſto titulo accipientis; & falſorum teſtium, damnum aliis ſuo teſtimonio inferre cogitantium, licet reipſa nondum intulerint; trium, inquam, horum judicium, in lege divina unum idemque judicium eſſe obſervat Maimonides. Odium autem intelligendum eſt ſummum, cum deſtinato infamis ac probroſæ mortis voto ac deſiderio conjunctum. Diffamatio qnæ ex eo proficiſcebatur, id arguit: quia ea per ſecretos forte & clancularios rumores primum facta, adeo pervicax erat ut palam deinde & coram judicibus ſuſtineretur, ubi ſine periculo infamis mortis ſuſtineri non poterat. Formula ejus erat: Non inveni uxorem meam virginem, ſed vitiatam corruptamque; intellige, poſtquam ea mihi fuit deſponſata, non aliter. Nam virginis cui ante ſponſalia contracta vitium fuerat oblatum, pœna non erat mors, ne quidem, ut Hebræi volunt, ſi virgo iſta filia Sacerdotis eſſet; ſed illius tantum quæ poſt deſponſationem fidem ſuam violaverat, & corpus ſuum alteri proſtituerat. Nec eſt quod regeras, pœnam hanc ſtatutam fuiſſe in virginem, ob deceptum ſponſum, & falſo venditatam virginitatem ſive quod ſe pro virgine geſſerat. Nam deceptio illa non merebatur pœnam mortis ſive lapidationis; neque uſquam pœnæ iſtius in eam ſtatutæ mentio fit.

Quomodo accuſationi huic coram judicibus fides fieri ſoleret, incertum eſt. Hebræi eam per teſtes vel veros ſi res vera erat, vel ſubornatos, uti credo ſi falſa erat, fieri ſolitam aſſerunt. Nolo refragari: quia iſta ratio probandi erat ordinaria, & vix aliter fides accuſationi fieri poterat, etiamſi certa omni modo fieri non poterat. Obſervo quidem à Rabbinis quibuſdam aſſeri, in ſcholiis Ebraicis ad librum Judicum, *cap.* XXI. tres fuiſſe modos probandi ſive explorandi virginem. Primum, quo faciebant eas tranſire ante arcam. Quæ virgo erat, eam arca retinebat: quæ vitium paſſa erat, aut virum cognoverat, eam arca non retinebat. Secundum, quo tranſire eas faciebant coram flore. Quæ imminuta aut defiorata erat, aut virum paſſa, ejus vultus pallebat aut flaveſcebat. Tertium, quo collocabant eas ſuper dolium vini. Subactæ aut vitiatæ odor diffundebatur: virginis non item. Hæc, inquam, obſervo quidem ab iſtis aſſeri: Fides eſto penes auctores. Sed modum probandi virgines jam maritatas, an ad thorum maritalem acceſſiſſent virgines nec ne; uſpiam ab iis indicari aut obſervatum eſſe non comperio. Nec veriſimile eſt ullum talem uſurpatum unquam fuiſſe; quia ſic teſtibus opus non fuiſſet, nedum medio iſto quod textus in hoc caſu uſurpatum fuiſſe ſignificat, ad virginitati ante congreſſum conjugalem ſervatæ fidem faciendum. Medium hoc quale fuerit vix capi aut dici poteſt. Si ſecundum literam intelligatur, dicendum eſt, morem iſtum tum temporis fuiſſe, ut parentes puellæ vel matronæ quædam conjugalem thorum ſolitæ ſternere, novis ſponſis prima vice congreſſuris, ſindonem vel linteamen aliquod candidum ſubſternerent, ut ſanguinem virginitatis puellæ indicem acciperet: quod deinde vel puellæ parentes coram matronis iſtis teſtibus, vel aliis etiam viris teſtibus diligenter conſideratum reciperent, vel, ne qua fraus fieret, alicui adſervandum darent, ad fidem virginitatis filiæ ſuæ in omni occaſione faciendum. Sed literali huic ſenſui tria obſtant. 1. quod indicium hoc incertum eſſe, & non raro fallere, teſtentur Medici, experientia, & ratio. 2. quia ſic nullus veriſimilis accuſationi aut diffamationi ſponſæ locus fuiſſet. Ratio eſt: ad manum & in promtu erant ſigna, quibus redargui & falſi convinci poterat accuſator. 3. quia etiamſi indicium certum erat, & accuſatio vera ac juſta, tamen ad probandum id quod quærebatur non ſufficiebat. Probandum enim erat, virginem poſt ſponſalia vitiari & corrumpi ſe paſſam fuiſſe. Atqui hoc ex eo non probabatur quod virginitatis indicia non erant poſt congreſſum conjugalem, ſive in primo congreſſu. Poterat enim virgo corrupta fuiſſe in domo parentum ſuorum, longe aut multo ante quam de conjugio compellaretur. Verum quidem eſt, ad probandum virginitatem medium iſtud ſervire potuiſſe: ſed ſi medium illud deeſſet, non poterat ſervire ad virginem violatæ poſt ſponſalia fidei poſtulandum. quamquam dicendum etiam eſt, medium iſtud ad probandum primum, id eſt virginitatem, fallere etiam potuiſſe: quia quando à parentibus producebatur linteamen, unde conſtare poterat id verum eſſe & non ſuppoſititium? vel ſi ab alia ſive matrona ſive viro adſervatum proferebatur; cur ſuſpecta non poterat videri, vel fides eorum, vel ſi de fide dubitandi cauſſa non erat, credulitas eorum, quod obtrudi ſibi paſſi eſſent linteamen non verum, vel diligentia in vero adſervando & cuſtodiendo?

Hæc ſane talia ſunt, ut Hebræi aperte adſerant, legem hanc ſecundum literam intelligendam neutiquam eſſe, ſed figuratè ſive metaphorice omnino interpretandam: videlicet parentes puellæ diffamatæ, teſtibus ab accuſatore quaſi marito productis, teſtes alios opponere debuiſſe, per quos teſtes priores tam manifeſtè falſi convincerentur, ac ſi virginitatis ſigna omnia in propatulo eſſent, & pudicitiæ ſervatæ fides coram Sole facta eſſet, expoſitaque veluti pannus qui explicatur & evolvitur oculiſque intuentium ſpectandus datur. Et ne videatur textui refragari iſta expoſitio, addunt vocem Hebraicam שמלה non notare propriè ſtragulum ſive linteum, quod proprie vocari ajunt סדין Sadin, *Proverb.* XXXI. 24. *Jud.* XIV. 12. ſed abſolute pannum, & ordinarie veſtimentum & integumentum quod ex qualibet materia, & fere ex lana, non lino fit: *Deut.* X. 18. *Ama peregrinum, ut des ei panem & שמלה pannum*, ſive veſtimentum, ut clare exponitur *cap.* XXII. 5: *vir ne induitor שמלה veſte muliebri.* Senſus itaque erit: Ea ſigna virginitatis filiæ meæ: & expandent, id eſt, teſtimonia evidentia & aperta proferent ſicut pannum evolutum & explicatum, qui omnium oculis patet.

Ut ut ſit, (fateor enim me hic nonnihil hærere:) ſi parentum cauſſa melior eſſe judicabatur, & virginis pudicitia aſſerta, damnabatur accuſator, 1. ad flagra, quæ per lorum bovinum fiebant. 2. in duplum dotis ordinariæ, id eſt in centum ſiclos, quos dare debebat aut ſocero aut virgini ſi orphana erat. 3. In conjugium ſine ſpe aut licentia repudii ſeu divortii. Hoc tamen cum Philone intelligo cum conditione ex parte uxoris, ſi modo cum tali marito συνοικεῖν cohabitare ſuſtineret: ταῖς μὲν γαμῆ ἰφίησιν ἐπὶ μόνῳ θηλείαις τὸ μένειν καὶ ἀπαλλάττεσθαι, id eſt, His enim lex reliquit liberum abire an manere velint. Maritis, inquit, eadem poteſtas non conceditur, ἀνθ' ὧν ἐνεκαλέσησαν, id eſt propter recentem & manifeſtam calumniam. Nec mirum. His pœna eſſe debebat cohabitandi neceſſitas, non illis innoxiis.

*Nonum.* IX. Ut qui virginem ſeduxit pellexitque ad ſtuprum, ei pendat quinquaginta ſiclos: *Exod.* XXII. 16.

Præceptum hoc continet caſum de virgine non ſponſa ſeducta, promiſſis, blanditiis, & ſorte obtentu ſponſaliorum & futurarum nuptiarum, & conſentiente in ſtuprum. Conſenſiſſe autem ea creditur, quæ in civitate compreſſa, illatæ violentiæ teſtes nequit producere, aut, cum eos nancifci ἐν ἐρημίᾳ non poſſet, clamore diſſenſionem teſtata non eſt. Sed eadem ratio eſt intra & extra urbem. Nam ut recte Philo ait, in lib. de Specialibus legibus: δύναται κατὰ μέσην τὴν πόλιν ἄκουσα βεβιάσθαι, κἀν ἔξω πόλεως ἐκοῦσα πρὸς ὁμιλίαν ἐκδυσμον ἐνδῦναι. Itaque ſi virgo, ſive in urbe, ſive extra urbem, non clamavit; non repugnavit, ſed volens ſe præbuit & conſenſiſſe creditur, quantumvis prætexat culpæ locum ſolitarium. At in hoc caſu de rea conſenſionem fatente agitur, & de reo confitente adhibitam ſuaſionem & perſuaſionem. Hic vi hujus præcepti conſtringebatur ad pendendum virgini corruptæ 50 ſiclos dotis vice. Hæc enim dos virginum lege conſtituta videtur, non quaſi major & luculentior eſſe non poſſet pro qualitate virginis, ſed quia minor eſſe non debebat. Excipiebatur caſus unus: Niſi eam uxorem ſibi poſceret, & communionem omnium bonorum ſuorum vel luculentiſſimam ſaltem dotem offerret: hoc enim ſibi vult, *dotando dotabit eam ſibi in uxorem*: &, quod hic bene notandum venit, ſi conſentiret non virgo ſed virginis pater. Si enim hic diſſentiebat, conſenſio virginis nulla erat, nec conjugium ratum erat. Unde non obſcure colligitur, ad validitatem conjugii filiorum-familias, qui ſunt in poteſtate parentum, plane neceſſarium eſſe parentum conſenſum, nec ad contrahendum matrimonium ſufficere utriuſque partis conſenſum. Hoc caſu liber erat à penſione 50 ſiclorum. Adnotant tamen Hebræi, ſtupratorem hujuſmodi, ſive virginem duceret ſive non, pendere nihilominus debuiſſe virgini quicquid judices conſtituebant, reparando virginis honori & compenſando damno vel φθορᾷ virginitatis, ſive læſæ violatæque pudicitiæ. Paſſionis ſive injuriæ ratio non habeba-

bebatur, quia virgo injuriam pati non creditur, quando libera voluntate consentit in factum sive ὁμιλίαν.

*Decimum.*

X. Ut mulieri formosæ in bello captæ fiat juxta id quod præcipitur lege *Deut.* XXI. 11.

Præceptum hoc permillionem specialem in se habet, contra generalem regulam de non ducenda alienigena. Captivam enim in bello duci permisit Deus, & quidem, ut Hebræi ajunt, quamlibet, sive virgo, sive vidua, sive conjugata esset. Nulla excipiebatur. Nec formosæ rationem haberi proprie volunt, quamquam ita habet textus; sed ita loqui textum ajunt, quia forma & pulchritudo primus quasi concupiscentiæ stimulus est, & amor per oculos potentissimè illabitur. Alioquin formosa est omnis mihi quæ formosa videtur. Unde illud Ovidii:

*Omnibus Andromache visa est spatiosior æquo.*
*Unus qui modicam diceret, Hector erat.*

Et quia concupiscentiæ ardor primo adspectu vehementissimus est, Deus Opt. Max. ne populus segnesceret ad bella Domini gerenda, sed alacri ac lubente animo ad ea semper rediret, indulgentiæ aliquo laxamento uti voluit, eoque populum frui veluti reportatæ victoriæ præmio, permittendo videlicet ut victoris animus ob victoriam elatus inflatusque & prædæ bono gaudens, proindeque vix se continens ab intemperantia appetendi, desiderandi, utendi, fruendi re omni in præda carni suæ grata, si formosa in præda occurreret mulier, licet extranea & alienigena, ejus complexu & congressu expleretur, & semel quidem, nec iteraret; aut si amare eam pergat, intactam eam servaret in penetrali domus suæ, omniaque facere eam juberet, aut fieri ab ea sineret quæ lege hac expressa sunt; sive ea talia esse dicantur quæ Deus fieri voluit, uti videntur credere Hebræi quidam, eo fine ut vilescret mulier, & fæditate multâ visa observatâque concupiscentiæ flamma in sponso restingueretur: sive quæ Deus dumtaxat permitti voluit, in gratiam captivæ mulieris & infirmi sexus, ut isto beneficio affecta, tantò facilius lubentiusque consentiret in desertionem patriæ, & amplexationem Judaicæ Religionis. Id si fiebat, tum vero eam uxorem ducere poterat, si volebat; aut si ducere eam nolebat, dimittere eam intactam, & non nisi bene habitam honoratamque ad parentes suos remittere debebat, uti in textu videre est. Nempe eam non nisi Judæam factam duci voluit, ne semen sanctum profano misceretur, per conjugium scilicet. Nam congressus ille primus cum captiva, commixtio sancti seminis non videbatur, quia à Deo permissus erat: &, si forte ex eo concipieretur nascereturque filius, is nullo unquam tempore pro filio Israelitæ haberetur. Deinde eam reverenter haberi voluit intra ædium penetralia, intactam, luctui & dolori pro arbitrio indulgentem, ac proinde caput radentem, ungues alentem, aut (ut alii, rectius fortasse,) circumcidentem; (utrumque enim in luctu & funere ad dolorem testandum fieri solitum fuisse apud Paganos gentilesque, commentatores prolixe probant.) lege & Religione sua liberè utentem, &, si eam deserere nollet, eam idcirco tamen aut pro ancilla haberi, aut in ancillam vendi noluit, sed dimitti jussit quo vellet, vel honorifice libereque remitti ad suos. Et hujusmodi quidem mulier fuisse videtur Maacha filia Prolomei Regis Gessur, quam David uxorem duxisse legitur 2 *Sam.* XIII. & quæ mater fuit Thamaris & Absalomi. Thamaris, quia Maacha eam conceperat ex marito suo, quando David eam captivam ducebat in uxorem. Gravida enim jam tum fuisse creditur ex eo, & religioni suæ patriæ addicta. Absolomi, quia ex Davide eum concepit quando jam deserta religione patria, Judaicam amplexa erat. Absolom itaque uterinus fuit frater Thamaris, & germanus ex patre frater Amnonis. Amnon itaque nullo modo frater Thamaris, quia Thamar nullo modo erat filia Davidis. Jure igitur recteque dixisse credendum est Thamarem, cum de stupro solicitaretur ab Amnone, parceret pudicitiæ suæ, & consuleret honori utriusque: sin se conjugem sibi vellet, regem adiret, & ab eo impetraret veniam jussumve: eum donaturum ei se in uxorem. Nulla enim lege prohibebatur Amnon ducere Thamarem, utpote quæ nec à parte matris nec à parte patris soror ipsius erat, uti ex ante dictis constat, etsi in textu laxiore sensu soror ejus vocetur non semel.

*Undecimum.*

XI. Ut divortium fiat per dationem *Guet* גט sive scripti libelli repudii: *Deut.* XXIV. 1.

Præceptum de dando repudii libello in causa voluntarii divortii, merito jure inter præcepta refertur. Uti enim repudiare uxorem suam inter permissa lege est; ita repudiatæ libellum in manus dare inter præcepta est. Libellus repudii dicitur ספר כריתת sive βιβλίον ἀποστασίου, libellus abscissionis vel abdicationis. Quæ ad justum, id est juridice validum repudium, sive ad legitimum repudii libellum constituendum requirantur ex Hebræorum sententia, non refero, quia ab aliis adnotata sunt & ubique obvia; nonnulla etiam novum commentum simul ac fermentum superstitionis Judaicæ sapiunt. Textus non requirit aliud quid, quam ut libellus iste ad formulam usitatam & ubique receptam conceptus subsignatusque, dimittendæ, coram testibus verisimiliter, in manus daretur; ita ut eo accepto sui arbitrii esset, res suas sibi haberet & cui vellet nuberet.

*Causæ repudii secundum Judæos.*

Caussa ut in libello isto exprimeretur necesse non erat. Plures esse poterant, & forte quælibet caussa sufficiebat quod ad forum soli attinebat: quando ea displicebat marito & gratiam in oculis ejus non inveniebat. Fæditas enim sive ערות quæ vox in textu legitur, non significat necessariò fæditatem proprie dictam, aut rem vel facinus vel defectum aliquem vere fædum, dignumque ob quod repudiari à viro, isto quidem tempore, merebatur conjux; nedum vitium aliquod vel morale, vel naturale, repugnans intrinsecæ conjugii naturæ aut intentioni, quale est clandestinum adulterium; (manifestum enim morte puniebatur: *Deut.* XXII. 22.) aut adulterii justa suspicio; (contra hanc enim remedium erat per poculum Sota: *Num.* V. *cap.*) aut sterilitas; (de hac enim certò constare non poterat.) Sed significare etiam potest quidlibet, quod etsi fædum aut fædum admodum non erat, fædum tamen videbatur in oculis viri: aut fæditas proprie hoc in loco significat morbum vel vitium aliquod, quod sive in animo, sive in corpore mulieris, sive in utroque simul ad certum tempus latuit, aut de novo supervenit. In animo, superbia, invidia, pervicacia, suspicio, &c. In corpore, gibbus, maculæ, garrulitas, dicacitas, &c. In utroque mores incommodi, odiosi, & plane dissimiles à mariti moribus. Horum aliquod post nuptias deprehensum sive inventum, quia videlicet ante nuptias solicite occultatum & caute dissimulatum fuerat, sufficiebat ad divortium. Hebræi distinguunt inter uxorem primam sive adolescentiæ, & cæteras subsecutas. Fæditatem singularem & magnam necessariam fuisse ajunt ad legitimam primæ uxoris dimissionem, & id indicare verba textus: *Invenerit autem nuditatem sive fæditatem aliquam.* Sensus enim est, inquiunt, in prima uxore. At vero ad dimissionem subsequentium uxorum, quidlibet pene sufficere, ac tantum non illud:

*Non amo te conjunx, nec possum dicere quare:*
*Hoc tantum possum dicere, Non amo te.*

Nimirum respectu istarum dici aut intelligi, *Si non invenerit gratiam in oculis ejus*: quasi dictum sit, satis est si dicat eam sibi displicere, etiamsi nulla fæditas in ea sit ob quam meritò possit displicere. Tale enim non raro aliquid alicui est quale esse videtur, & non amanti aut non volenti amare, etiam pulchra fœda videntur, & dissimilia etiamsi optima sint, displicent ac sordent. Uti enim similitudo amoris, ita dissimilitudo odii mater est. Et accidit non raro ut pene naturalis sit quædam inter conjuges ἀνωμαλία. Sed hæc distinctio in textu nullo modo apparet.

*An repudium sine peccato fieri posset.*

Quæri hîc solent nonnulla quæ solvere operæ prætium est. Primo an repudio isto solveretur matrimonii vinculum, ita ut Judæi possent dimitterere uxores suas non impune tantum sed & licitè, ita ut non peccarent dimittendo? Respondeo: Id omnino adserendum est: non modo ex formula libelli repudii quæ erat, *Esto à me dimissa, & alteri cuique viro permissa.* Hæc enim an licita esset, quæritur: sed ex distertis verbis textus; *cumque egressa alterum virum duxerit*; quæ locutio aperte indicat vinculum prius solutum fuisse, & vinculo isto uxores solvi non impune tantum sed etiam licitè potuisse; & ex eo imprimis, quod diserte prohibeatur Sacerdotibus repudiatam ducere: *Levit.* XXI. 7. & mulieri repudiatæ jamque alteri marito nuptæ redire ad priorem maritum: quod fieri non potuisset nec debuisset si vinculum prius solutum non fuerat. Atqui ex textu isto colligunt alii vinculum solutum non fuisse; quia in eo dicitur, mulierem repudiatam si alteri nubat fieri pollutam & abominabilem coram Deo, quia scilicet nubendo alteri committit adulterium. Resp. Male & falsò id colligunt: quia mulier repudiata non vocatur isthic polluta & abominabilis coram Deo ob secundas nuptias, sive quod alteri viro nupsiffet; sed, post secundas nuptias polluta dicitur priori viro; & res abominabilis coram Deo esse dicitur si priori rursum marito conjugatur, & ad priores nuptias redeat: uti *Jerem.* III. 1. non obscure exponitur: *Si dimiserit vir uxorem suam, & illa recedens ab eo nupserit alteri viro, numquid revertetur ad eum ultra? numquid non polluta & contaminata erit terra, vel in terra mulier illa*, redeundo scilicet ad priorem virum? Hoc enim indicat quod sequitur: *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, sed revertere ad me & ego suscipiam te*, sicut susceptissem sororem tuam cui libellum repudii dederam, si post fornicationem cum idolis ad me reversa fuisset. Adde quod fidem huic assertioni plenissimam nobis Christianis facit, responsum Christi *Matth.* XIX. Pharisæis datum, *vers.* 9. & ejusdem dictum

*Matth.*

*Matth.* V. 32. In isto enim loco legitur: *Si quis dimiserit uxorem suam, nisi ob scortationem, & aliam duxerit, mœchatur.* In hoc dicitur, *Is facit eam mœchari.* In utroque, *& qui dimissam* (sic scilicet) *duxerit mœchatur.* Id enim utrumque arguit, uti dimissa ob fornicationem libera est à vinculo, aliique nubere potest, aut potius, uti fornicariam dimittens & aliam ducens non mœchatur, nec fornicariam adulterari facit: item, uti fornicariam dimissam ducens jam non mœchatur; ita qui uxorem olim dimittebat & repudiabat aliamque ducebat ex legis Mosaicæ concessione, non peccabat, non mœchabatur, nec mœchari repudiatam faciebat; item qui repudiatam ducebat, non mœchabatur. Ergo vinculum solutum erat.

*An rectè illud Christus abrogaverit.*

Secundò quæri solet, an repudium à Deo concessum recte ac merito abrogatum à Christo sit? Ratio dubitandi est, quia repudii libertas commoda multa in se habet: retinendi uxorem necessitas incommoda multa, matrimonii fini, id est paci & concordiæ contraria. Nihil ingratius quam inter rixas & jurgia semper vivere debere. Nil molestius quam incommoda uxore semper uti. Nil durius quam cum mala consuescere & consenescere. Respondeo: Ex commodis & incommodis non æstimandam conjugii perfectionem vel imperfectionem: alioquin incommoda multa & longe plura ex altera etiam parte, scilicet repudii libertate, allegari posse: sed ex natura ipsa rei, quæ postulat, 1. ut credatur id imperfectum esse quod essentiæ conjugii, id est arctissimæ corporum duorum unioni repugnat. Arctissima autem unio est ea quæ individua & indivisibilis manet; quia unio in indivisione posita est. Essentia autem conjugii in eo est, quod duo fiant una caro. Per repudium autem solvitur caro una sine justa causa. 2. ut id credatur imperfectum quod amori conjugali mutuo sive animorum unioni distrahendæ ac divellendæ facit. Tale est repudium. Ipsa enim repudiandi libertas apta nata est amorem imminuere. quod enim amare non teneris, cur impense id ames? & quem impense amando metuere debes ut te deserat aut amare nolit, cur vehementer ames? Ipsa amandi necessitas amoris glutinum est. 3. ut id credatur imperfectum, quod optimis virtutibus ansam præcidit. Tale est repudium. Optimæ enim virtutes sunt, in amando constantia, in ferendo patientia, in condonando indulgentia. At hæ in conjugio indissolubili optime exerceri possunt, & exercitæ suavissimum reddunt conjugium, alioquin in speciem grave. Denique ut id credatur imperfectum quod ab optimis, sanctissimis piissimisque viris studiosissime semper declinatum est, tanquam honori conjugii contrarium aut saltem minime conveniens. Tale est repudium. Rarissime enim ac forte nunquam eo usi sunt qui sanctimonia & pietate in populo eminebant: satius esse credentes consulere honori fœderis conjugalis, tolerando & ferendo vitia & incommodos conjugum mores, & non utendo permisso lege repudio, quam eo permisso utendo rumpere conjugale vinculum. Ex hoc consequitur Dominum nostrum Jesum, abrogando istam repudiandi libertatem ob aliam quamvis caussam quam ob adulterium, conjugii naturæ contrarium & vinculum ejus directe solvens, non solvisse legem Mosaicam, aut ex minimis ejus præceptis aliquod irritum reddidisse; sed perfectionem conjugii in integrum quasi postliminio restituisse, atque ita legem Mosaicam, cujus finis fuit perfectum ordinare conjugium, stabilivisse. Repudium enim inter præcepta legis non erat, sed inter permissa. Permissio autem perfectioni legis aliquid derogat. Fit enim respectu infirmitatis aut σκληροκαρδίας eorum quibus lex lata est, uti recte Servator noster dixit. Infirmitatis autem istius correctio, & σκληροκαρδίας sublatio, legis perfectio est, & Legislatoris intentioni ultimæ apprime conveniens. Intentio enim legislatoris est populum suum reddere quam potest optimum. Accedit quod Christus hac ipsa lege sua, de non repudianda uxore nisi propter adulterium, aliaque non ducenda nisi in isto casu, conjugium revocavit ad perfectionem summam, à Deo ipso in prima conjugii institutione testatam confirmatamque, qua uni viro unica coniunx sive uxor adsignatur. atque ita polygamia, ante & post Legem permissa, Deo ita connivente, ab eo sublata credi debet. Ratio est: Nam si libertatem plures ducendi uxores sublatam non voluisset, profecto vana fuisset ista ejus oratio, *Et aliam duxerit.* Quid enim obstabat quominus is cui lege permittebatur alias plures ducere, etiam duceret, sive repudiaret sive non repudiaret unam ex illis ob aliam caussam quam ob adulterium? Nec est quod dicas Christum pœnam istam constituisse in leves istos & temerarios repudiatores, quod aliam ducere non possent. Nam pœna ista, inquam ego, eludi facile poterat & præveniri, si ante repudiationem plures duceret, aut aliam saltem ex animi sui sententia: &, si illa iterum displiceret, eam non dimitteret nisi alia primum aut pluribus in antecessum uxoribus ductis. Quare polygamiam etiam tanquam

*Polygamia Christo sublata.*

vitium legis perfectionem non parum imminuens, & ad tempus indultum carnali duræque cervicis populo, vetitam ac sublatam à Christo esse quando repudii Judaici libellum sustulit, omnino credendum est.

*Duodecimum.*

XII. Ut cum muliere declinante, sive de adulterio suspecta, agatur ex præscriptio Legis: *Num.* V. 30.

Præceptum hoc non est absolutum, sed (meo judicio) conditionale; si videlicet maritus œstro zelotypiæ incitatus, de veritate rei certior esse velit; non vero si zelotypus non sit, aut suscipioni indulgere nolit: uti diserte in textu legere est, *Si spiritus zelotypiæ transierit super virum.* Nemo enim lege constringebatur ad uxorem suam, licet de adulterio suspectam, traducendum, nedum eam in periculum probrosæ mortis adducendum. Id in crimine idololatriæ solo fieri lex diserte jubet. Hinc Josephus dicitur *Matth.* 1. noluisse uxorem sive sponsam suam Mariam παραδειγματίσαι, *quia justus erat*, id est bonus & clemens: sed eam occultè deserere, quasi in se recipiens desertionis crimen, ne sponsæ infamia aut noxa fieret.

Ad præcepti hujus intelligentiam non excutiemus singula minutatim, quod ab aliis factum abunde est, sed quæ necessaria esse putamus: & quidem tria hæc. 1. Quæ mulier hîc intelligatur. 2. quæ zelotypia sive quis zelotypiæ spiritus. 3. Agendi contra eam ex spiritu zelotypiæ modus, & eventus actionis. Mulier hæc שטה *Sota*, id est *declinans* vocatur, hypothetikῶς scilicet, si declinaverit à suo viro ad alium; sive rea sit declinationis, sed incomperta & nondum manifesta; sive non rea, sed suspecta tamen, non sine caussa aut specie aliqua. Zelotypia autem sive רוח-קנאות *spiritus zeli*, hîc juxta Hebræos non significat communem & familiarem quibusdam viris ὀρμὴν, ex pura puta imaginatione & animo ad suspicandum prono, absque ulla specie veri ortam; sed zelum magna ratione & specie veri nixum; quem præcessit non modo commonefactio uxoris de suspicione, sed aperta etiam declaratio, & protestatio de agendo cum ea summo jure & ex hac lege, nisi caveat sibi ab istis gestibus, nutibus atque actionibus quæ suspicandi caussam dant, & diserte à secreta & clandestina confabulatione cum quoquam mortali, vel si pater sit, vel frater, vel servus, vel eunuchus etiam. Si contrarium faxit, idque testibus probari possit factum vel tantillo temporis quo crudum ovum affari potest, tum demum spiritum zelotypiæ justum esse. Neque enim credunt legem divinum usque adeo indulgere voluisse zelotypiæ cuilibet imaginariæ, ut eapropter tam probrosæ & publicæ ignominiæ prostitueretur quælibet, licet castissima & pudicissima conjunx, aut ut in gratiam suspicacis viri, tam enorme & grave experimentum pudicitiæ conjugalis fieret. Alii plerique Theologi quamlibet zelotypiam hîc intelligi volunt, & Deum ei indulsisse, utque indulgeretur jussisse amore fidei conjugalis & odio adulterii, atque in remedium litium, rixarum, homicidiorum, suavitatem conjugii mirifice conturbantium; ut ostenderet se testem & vindicem fidei conjugalis, protectorem innocentiæ, autorem concordiæ, osorem litium & occultorum scelerum, imprimis adulterii tanquam sceleris gravissimi, & non nisi publica pœna ac confusione plectendi: ut uxores, si non amore castitatis, saltem timore pœnæ & atrocis ejusmodi infamiæ ac confusionis, in officio continerentur. utrumque speciem veri habet. Sed inclino magis in sententiam Hebræorum, ob rationem ab iis allegatam, etiamsi posterior verbis textus & rationibus non improbabilibus nitatur, & quisque eam, si volet, sequi possit sine periculo.

*Qualis zelotypia in hac lege intelligatur.*

Juxta primam istam sententiam, agendi modus hic erat. Monita est hæc uxor mea, caveret sibi ab iis quæ justam caussam mihi præbebant eam vocandi in suspicionem adulterii, atque imprimis ab arcanis cum aliis viris confabulationibus & coitionibus clandestinis. Non paret. Frustra sum. Deprehensa est & manifesta furtivarum & clandestinarum confabulationum cum aliis seu viris seu juvenibus. En testes. Re cognita & auditis testibus fide dignis, mulier hæc *Sotà* sive declinans habebatur, & judicio legis hujus digna, sive de qua experimentum sumeretur juxta legem hanc. Experimentum hoc arbitrantur Theologi plerique è vestigio deinde captum, & jure rigido secundum illud actum fuisse. Contra sentiunt Hebræi. Postquam dies mulieri dicta erat eaque comparuerat coram judicibus, monebatur, inquiunt, ut videret quid ageret: Si innocens esset & insons, confidenter se purgaret: sin adesset conscientia facinoris, culpam ingenuè fateretur: confessionem istam hactenus valituram ut vita donaretur, & permitteretur deinceps sejuncta à viro suo vitam agere solitariam, sed sine viro, sine dote, sine honore ullo. Sin perstaret in sententia se purgandi, extrema experturam. Ego quid verisimilius sit non decido. Ream & confitentem crimen coram ipsis juratis judicibus absolvi potuisse, periculosum est adserere; illecebram autem

*Modus adversus mulierem adulterii suspectam agendi.*

tem

tem iſtam adhibitam ſine ſpe vitæ ingerenda, vix eſt credibile; niſi quis id factum velit ad morem omnium judicum qui illecebra iſta abuti ſolent in noxam confitentium & juſtitiæ patrocinium ob confeſſam culpam. Hinc ſequebantur cæremoniæ iſtæ decem quas ex ordine in textu reperire eſt, & quas narrare aut recenſere operæ non eſt. Cauſſæ & fines propter quos cæremoniæ iſtæ ſingulæ divino juſſu adhiberentur, etſi probabiliter à quibuſdam declarentur, incerti tamen ſunt, & conjecturis potius quam rationibus nituntur. Fruatur quiſque judicio ſuo. Scriptura eos non revelavit: itaque nos etiam malumus ἐπέχειν.

*Eventus ejus miraculoſus.*

Eventus erat plane miraculoſus, exiſtens quidem per cauſſas ſive inſtrumenta media, ſed tamen non vi ac virtute ſua, ſed ſola ſupernaturali, & divina virtute elevata, atque ſic idonea reddita ad effectum iſtum producendum. Miracula enim quatuor generum ſunt: 1. quæ immediate fiunt divina virtute, & cauſſis naturalibus mediis fieri non poſſunt, ut mortuorum reſuſcitatio, &c. 2. quæ fieri quidem poſſunt mediantibus cauſſis naturalibus, ſed tamen per eas non fiunt, ut inſtantanea & repentina morborum magnorum curatio, paralyſeos, lepræ, &c. 3. Quæ mediis naturalibus cauſſis in actu fiunt, ſed iis tamen ad operandum iſtum effectum non diſpoſitis, niſi virtute ſuperiore ſufficientiam agendi tribuente & conferente, ut curatio lepræ in Naamane Syro per aquas Jordanis, & morborum qualiumcunque in piſcina cujus mentio fit *Joan.* v. 1, *&c.* 4. Quæ per media naturalia fiunt, eaque diſpoſita ad agendum & ad effectum talem producendum, ſed tamen non de proximo, niſi ſpeciali concurſu divinæ voluntatis accedente ad effectum iſtum producendum, non permiſſivè tantum ſed effective; ut devoratio tranſlatitiorum Samaritanorum per leones, Judæorum per ſerpentes, puerorum Eliſæum ſubſannantium per urſos. Miraculum hoc tertii generis fuit, niſi forte quis velit quarti. Erat autem hujuſmodi. Aquis iſtis amaris & maledictis à fœmina epotis, protinus expalleſcebat vultus, flacceſcebat femur, intumeſcebat abdomen, & veluti hydrope diſtentum atque inflatum dirumpebatur, concidebatque fœmina, ſed prius ad primi ſigni conſpectum extra templum protracta & exacta, dictum factum, mortua. Addunt Rabbini, ad augendum miraculum, eodem ipſo inſtanti quo adultera moriebatur, adulterum etiam abſentem exſpirâſſe aut exſpirare ſolitum fuiſſe. Fides eſto penes autores. ut & ejus quod ſequitur: Siquidem maritus ejuſdem culpæ reus erat, à pœna ſive morte iſta immunem redire ſolitam fuiſſe fœminam; ſecus, ſi innocens ille & inſons erat. Atque hoc aſſerunt indicari verbis iſtis quæ *verſ. ultimo* leguntur, *Et innocens erit vir iſte ab iniquitate, mulier vero illa portabit iniquitatem ſuam.* Senſum enim verborum illorum eſſe ajunt, non eum quem omnes fere interpretes ei adſignant; quòd facto iſto ſuo vir iſte cauſſa mortis uxori ſuæ fuerit, id ei in culpam non imputatum iri: ſed hunc, Et vir iſte ſi liber ab eodem crimine ſit, tum mulier iſta portabit pœnam adulterii ſui; non vero ſi ſons & reus ſit. Non examino an textus hanc interpretationem ferre poſſit, quia nonnihil coacta videtur. Æqua videtur eſſe interpretatio, ſed quæ parum convenit cum rigore illo præcedente, quo adulterum eodem momento cum adultera extingui ſolitum fuiſſe adſerunt. Cur enim idem adultero marito non acciderit? Sed jam tempus eſt ut domum hanc concludamus. Valeat interpretatio iſta quantum poteſt. Hæc ſufficiunt.

## CAPUT XI, ſeu

## Domus undecima præceptorum affirmativorum, quæ eſt domus judiciorum criminalium, & VIII præceptis conſtat.

*Primum.*

I. Ut criminis non capitalis rei flagris caſtigentur: *Deuter.* XXV. 3.

PRæceptum hoc eſt contra violatores interdictorum iſtorum omnium, quæ non pœna capitis, ſed compenſatione damni dati, ſeu dupli quadruplive, &c. reſtitutione ſancita ſunt; ut 1. interdicti quod exterminium ſive exciſionem animæ comminatur, morti autem corporis non addicit, ex. g. qui adipem, ſanguinem aut fermentatum in Paſchate edit. 2. interdicti quod mortis θανάτου comminatione ſancitur: mors autem hæc levior eſt, ſecundùm Hebræos, quam exterminium ſive כרת. Hæc enim exterminii pœna poſt mortem luitur: Illa vero θανάτου cum vita reatum aufert. Verbi gratia, quando peregrinus ſacra facit, aut pollutus, aut qui eodem die lotus eſt, aut qui non eſt indutus ſacerdotali amictu, aut qui piacularem hoſtiam debet, aut qui illotis manibus pedibuſve, quive ebrius, nudo capite, laceris veſtibus, &c. miniſtrat in templo: ſi videlicet adſint teſtes & præmonitio facta ſit, hunc in modum, ſeparate ab iſto; aut, ne facias, nam tranſgreſſio eſt, & reus eris mortis infligendæ à domo judicii, aut flagellationis, &c. Præmonitionem hanc vocant Hebræi התראה, eſt enim ab Hiphil התרה præmonere, proteſtari. 3. interdicti operis, v. g. de veſtibus lana linoque non texendis, &c. Non enim omnia recenſere operæpretium eſt.

Pœna in tales ſtatuta מלקות vocatur, & aliquando מלקות ארבעים ſupplicium 40 plagarum. Qui enim reus erat vocabatur בן המות filius plagarum, quaſi plagarum neceſſarius hæres ſive plagis dignus, ut filius mortis pro dignus morte, aut mortis neceſſarius hæres. Pœna ergo per plagas fiebat, quæ non ferula, non baculo, nec flagello ex funibus, ſed ſcutica inferebatur. Ea enim voce Joſephus utitur, à voce σκύτος quæ corium ſive pellem aut lorum bubulum ſignificat. Modus puniendi deſcribitur in libro Maccoth cap. 3, & à Buxtorfio in epiſt. dedicatoria præfixa abbreviaturis, & apud alios, quos vide ſis. Pœna hæc à judicibus decernebatur & pro ratione delicti variabat. Palam tamen & in publico non inferebatur, ſed intra domum judicii, & coram judice, uti textus videtur indicare, ac proinde ſine infamiæ aut ignominiæ nota. Neque levis tamen erat pœna, ſed cum ingentibus doloribus ac cruciatibus conjuncta, quos etiam mors aliquando ſequebatur. Numerus plagarum circumſcriptus à Deo erat, ne modus excederetur. Ultra 40 ictus procedere non licebat: pauciores tamen irrogare non erat nefas. Pro delicti modo, pœnæ modum fuiſſe vix dubitari poteſt. Cæterum, an ad ſummum plagarum numerum damnatus, quadraginta numero plagas ex lege accipere teneretur, incertum eſt. Verba textus id videntur evincere. Sed receptum in populo morem fuiſſe ſtare intra quadraginta ictus, id eſt non inferre plures quam triginta novem, indubium eſt: & ex ipſo exemplo Pauli conſtat, qui 2 *Corinth.* XI. 24 dicit, ſe à Judæis quinquies accepiſſe plagas quadraginta μιᾶς πλὴν præter unam. Conſuetudinem hanc inoleviſſe admodum eſt veriſimile, vel ex benigniſſima legis divinæ interpretatione, vel ex religione dicam an ſuperſtitione, ne ſi lictor per errorem unam plagam addidiſſet, aut qui lictorem ferire jubebat hoc verbo *Hakkehu*, id eſt cæde illum, ſive potius tertius qui plagas numerabat, ex inadvertentia, oblivione, impetu animi, aut alia ex cauſſa numerum quadragenarium excederet, violatæ legis reus fieret. Quod Judæi conſuetudinem hanc ipſis legis verbis niti ajunt, quia non legitur ſcriptum, quadraginta in numero voce ארבעים quadraginta præmiſſa, ſed in numero quadraginta, voce במספר præmiſſa, id profecto nimis eſt quæſitum, & verpis dignum. Quod vero etiam ſignum hujus diminutionis faciendæ ex voce אתיך quæ in numeris valet xxxix colligunt; item ex voce טל (*Tal*) quæ ſignificat rorem (benedictionis ſcilicet) oppoſitæ maledictioni per peccatum Adami in mundum invectæ, continenti 39 maledictiones, decem ſcilicet illatas Adamo, decem Evæ, decem ſerpenti, & novem terræ, quia vox טל *Tal* id eſt ros (benedictionis ſcilicet) valet 39, iſta adeo ſunt infrunitæ & inſipidæ Cabalæ ut pigeat pene referre. Veriſimilius eſt quod in Gemara legitur, dixiſſe RabbaQu, am ſtulti ſunt reliqui mortales qui coram libro legis adſurgunt & non coram viro eminente? (ſic vocant Sapientes, maxime capita Synagogæ.) Nam ecce in lege ſcriptum eſt, xl, & venerunt Magiſtri noſtri & detraxerunt unam.

*Numerus plagarum non excedebat 40.*

*Quibus peccatis flagellationis pœna deberetur.*

Operæpretium forte eſſet occaſione hujus legis recenſere omnes & univerſas illas peccatorum ſpecies quibus ex vi hujus legis pœnam flagellationis deberi aſſerunt Hebræi; ſed quia pleraque aut ex traditione pendent, aut ad terræ ſanctæ populum, templique adhuc durantis tempus pertinent, nullo etiam hodie in uſu ſunt, ſufficiet nobis capita tantum indicaſſe & ſumma rerum faſtigia attigiſſe. Sic itaque ſtatuunt Hebræi: *Tria* fuiſſe *genera peccatorum* quibus flagellationis pœna debebatur, ſi adeſſent teſtes, & præceſſiſſet præmonitio ſive proteſtatio. Nam ſi teſtes non erant, aut pœmonitio non præceſſerat, alia ſingulorum erat ratio, uti indicabimus. *Primum genus peccatorum* quod flagellationem merebatur, erat ejuſmodi peccatorum, quæ ſi teſtes non adeſſent, aut præmonitio non præceſſerat, merebantur pœnam exterminii ſive exciſionis animæ, quam כרת vocant: & hujuſmodi erant unum & viginti, quæ hic adnotabo, quia raro occurrunt & forte miranda ſunt.

1. Concubitus cum ſorore.
2. Cum amita ſive ſorore patris.
3. Cum matertera ſive ſorore matris.
4. Cum ſororia ſive ſorore uxoris.
5. Cum fratria ſive uxore fratris.
6. Cum uxore aut potiùs muliere vidua patrui.
7. Cum menſtruata.

8. Eſus

8. Esus adipis.
9. Esus sanguinis.
10. Esus fermenti in Paschate.
11. Edere in die *Kippur*.
12. Operari in die *Kippur*.
13.
14. Edere ex sacrificio damnato.
15. Immundum edere ex carne sancta.
16. Immundum intrare in *Azarah*.
17. Mactare sanctum extra templum.
18. Sacrificare sanctitates.
19. Componere oleum ad exemplar olei unctionis.
20. Ungere se oleo unctionis.
21. Formare aliquid ad exemplar thuribuli.

Qui horum peccatorum rei esse convincebantur per testes, & antea præmoniti erant, sive ii viri essent, sive fœminæ, ad flagra damnabantur sive מלקות incurrebant: Si testes non erant, & præmonitio non præcesserat, exterminii pœnæ succumbebant: Si errore in ea inciderant, sacrificio se expiare necesse habebant. Cæterum quod de speciebus sex concubitus dicitur, id intelligi volunt Hebræi de concubitu cum mulieribus virginibus, viduis, aut repudiatis tantum, non vero de conjugatis. Concubitum enim cum conjugatis strangulationis pœna adfici volunt; ubi autem pœna mors est, ibi flagellationi locum non esse constat. *Secundum genus peccatorum* flagellatione plectendorum, erat ejusmodi peccatorum quæ si deessent testes, & non præcessisset præmonitio, merebantur mortem per manum Dei, sive θεήλατον, quam vocant סיתה בידי שמים id est repentinam & præmaturam, horrendi & insoliti exempli, quam מיתה משונה appellant; etsi alii Hebræi eam etiam vocent מיתת כרת. Si testes essent & præmonitio præcessisset, flagris & scutica plectebantur à Magistratu, & hujusmodi erant septemdecim quæ recensere singulatim non est necesse, quia non sunt nisi peccata contra cæremonialem legem, ab extraneo, Sacerdote aut Levita commissa eo quo diximus modo. *Tertium genus peccatorum* flagellatione plectendorum erat eorum peccatorum, quæ si deessent testes & præmonitio non præcessisset, expiari debebant sacrificio ad id destinato: sin testes adessent, & præcessisset præmonitio, flagris aut scutica puniebantur. Ejusmodi peccata erant juxta Hebræos CIXX, quæ recensere nimis prolixum foret. Addunt Hebræi expiationi huic conjunctam esse debuisse pœnitentiam & contritionem ut coram Deo valida esset.

Unum tantum hic notare lubet: Hebræos quando de pœnis suppliciisque à domo judicii inferendis agunt, duo semper requirere præcedanea. 1. Testes commissi cujuslibet criminis ac flagitii. 2. Præmonitionem. Testes, quia iniquum putant quemquam pœnæ subjici suopte solius indicio sive confessione, eo quod perpetuo liceat suspicari eum, qui de seipso indicium faciat, ad id faciendum, vel animi morbo & mentis quadam alienatione, vel vitæ tædio impelli. Præmonitionem, quia absque ea distinctio fieri non potest, inter peccantem elata manu & peccantem ex ignorantia. Speciem æquitatis videtur habere hæc agendi aut procedendi ratio, quod attinet ad testes. At quoad præmonitionem attinet, ne speciem quidem habet in magnis & capitalibus criminibus, ac flagitiis enormibus, qualia sunt pulsatio parentum, homicidium, adulterium, incæstus, Sodomia, &c. Quid enim præmonitione opus est, ut peccata ejusmodi credantur non commissa ex ignorantia, sed elata manu; cum natura & conscientia ipsa dictet omnibus, imprimis quibus ipsa insuper Lex à Deo data est, ea peccata esse fœda, abominanda, & ab omni recta ratione alienissima? Condonari illis posset hujusmodi prudens & circumspecta agendi ratio in criminibus levioribus, in quibus ignorantiæ locus esse potest aut inadvertentiæ. At in criminibus omnibus, etiam flagitiosissimis, à quibus natura humana abhorret, & quibus per testimonia probatis evictisque, lex divina aperte (nullius præmonitionis facta mentione) pœnam mortis decrevit, ista ratio agendi nihil aliud est, quam fibulam sceleribus laxare, & sceleratis commeatum peccandi facere.

*Secundum.* II. Ut homicida involuntarius exilio mulctetur: *Num.* XXXV. 25.

Præceptum hoc ad terram sanctam pertinet, quia relegatio fiebat in urbes refugii quæ in terra ista erant, non vero extra fines terræ sanctæ. An proprie dicta pœna fuerit non disputo. Honesta potius custodia videtur fuisse, cum afflictione aliqua conjuncta, ob exulandi necessitatem & propriæ domus carentiam; partim ut securitati innoxii percussoris consuleretur à vindice sanguinis; partim ut palam fieret, quanto odio Deo sit homicidium deliberatum aut voluntarium, qui indeliberatum, & non modo non voluntarium, sed involuntarium & invitum etiam à vindice sanguinis liberum esse nollet, nisi interveniente exilio & custodia quasi carceris usque ad mortem summi Pontificis.

Exilium autem hoc decernebatur à Senatu populi, quando percussus aut statim aut non multo post percussionem acceptam moriebatur; secus, si mora temporis inter vulnus & mortem intercedebat. Nec intererat an percussus liber an servus, indigena esset an alienigena, advena an inquilinus. Eodem pariter jure erant. Ne pater quidem excipiebatur, si filium suum imprudens occidisset: Secus vero erat, si castigando eum severius quam par erat, ex castigatione ista præter patris intentionem filius mortuus esset. In tali enim casu exulare patrem non erat necesse, inquiunt; uti neque pædagogum, in casu si discipulum castigans, castigatione ista mortem discipulo intulisset plane præter voluntatem & intentionem suam.

Ratio vero cur Deus voluerit hujusmodi homicidam concluſum teneri in certa aliqua urbium receptus sive refugii, incerta omnino est. Plerique Theologi adserunt rationem principem hanc fuisse, quod Pontifex summus hac in re gereret typum Jesu Christi, per cujus mortem omnia peccata nostra expiantur & omnes unum efficimur cum Deo per mortem ipsius. Hoc vero mihi non videtur verosimile, imo contrarium ejus potius verum est. Non videtur mihi, inquam, verosimile: 1. quia nulla hujus rei, quod Pontifex summus hac in re typum Christi gesserit, mentio fit in toto Novo Testamento. 2. quia morti Pontificis nusquam tribuitur ulla vis aut efficacia ad ullum aliud peccatum ex ignorantia commissum expiandum. Neque de hoc homicida aliud dicitur quam ei non licere exire ex urbe receptus in quam confugit, nisi mortuo Pontifice; qua ratione loquendi designatur, non vis mortis Pontificis, sed terminus tantum exilii. 3. quia etiamsi omnino vis sive efficacia aliqua tribueretur morti Pontificis hac in re, tamen ex eo aliud nihil posset concludi, quam Pontificem summum gessisse typum Christi hactenus in hoc negotio, quod sicuti illius morte interveniente ab exilio liberabatur insons homicida, qui ἀκουσίῳ θυμῷ sive per ignorantiam cædem commiserat; ita etiam Christus morte sua effecturus esset ut peccatorum ex ignorantia commissorum Deus recordari amplius non vellet. Quare contrarium potius credo verum esse: videlicet Deum eo ipso significare voluisse, usque adeo abominandum esse & sibi displicere homicidium, ut nullo sacrificio, ne quidem solemni isto quod Pontifex summus quotannis semel dum viveret in sacrario peragebat, ad expiandum peccata totius populi per errorem aut oblivionem commissa, per Pontificem in tota vita sua illud expiari posset, sed ejus expiationem à sola sua gratia pendere. Nempe non volebat Deus vt homicida iste pedem efferret extra urbis istius pomœria, ne quidem tum cum sacrum templum adeundum erat in ipso solemni expiationis Festo, quo tempore Pontifex Summus in sacrosanctum adytum ingrediebatur ad expiandum peccata universi populi. Mortuo autem Pontifice, quia tum universa populi expiatio pendebat immediate à Deo & divina gratia, hinc factum videtur ut Deus non nisi isto tempore gratiam homicidæ insonti fieri etiam voluerit.

III. Ut supplicio strangulationis afficiantur qui id commeriti sunt: *Levit.* XX. 10. *Tertium.*

Præceptum hoc de prima capitali pœna est, quæ inter capitales levissima censetur fuisse. Notandum enim est fuisse quatuor genera suppliciorum capitalium, quæ mortes vocantur Hebræis. Suffocationem sive strangulationem, decollationem, combustionem, & lapidationem. Suspensionem tertiam pœnam facit Drusius aliique, sed errant, quia suspensio in ligno vel ex ligno fiebat post sumtum supplicium, ut postea videbitur. Levissima pœna omnium erat suffocatio sive strangulatio: Eam sequebatur decollatio: Hanc combustio: Gravissima omnium erat lapidatio. Posteriores duæ expressæ sunt in lege. Priores duæ ex verbis legis deducuntur. Ac prima quidem creditur contineri verbis istis, *Morte morietur*. Quandocunque scilicet lex non definit certum genus mortis, sed in genere tantum loquitur, *Morte adficietur*, levissima omnium mors intelligi creditur, id est strangulatio. Quando vero ad verba ista *Morte plectetur*, lex addit, *Sanguis ejus super eum*, tum gravissima mortium intelligi creditur, id est lapidatio. Quando lex utitur phrasi ista, *vindicando vindicabitur*, gladii supplicium sive decollatio intelligi præsumitur, ex regula sive conditione illa quæ inter tredecim regulas est, juxta quas Lex declaranda est ex Hebræorum scito, *Ubi eadem sententia legitur ibi par ratio est*. Jam autem verba ista, *vindicando vindicabitur*, usurpantur alibi de gladio, ut *Levit.* XXVI. 25. *Inducam super vos gladium ultorem ultionis Fœderis*. Ergo, vindicando vindicabitur, exponendum creditur per pœnam quæ gladio fit. Quando Scriptura de combustione loquitur, tum vel combustio intelligitur

quæ Animæ dicitur: Ea fiebat per plumbum liquidum in os immiſſum & inteſtina omnia comburens illæſo corpore: vel combuſtio corporis quæ per ligna & faſciculos ardentes fiebat. Non examinabo prolixè an recte ita ſtatuant Hebræorum Magiſtri. Breviter tantum dico: non modo admodum veriſimile eſſe quod ingenue ac diſerte fatetur Abenezra, In omnibus ſuppliciis Hebræos ſtare patrum traditionibus; nec poſſe ea ad veritatem educi è Scriptura; ſed etiam certum videri debere traditiones illas, ſi non nuperas ac novitias eſſe, ſaltem cum antiquiſſima Dei lege non convenire. Nam homicidia gladio punienda eſſe docent; & tamen pœna homicidæ in lege ſtatuta exprimitur phraſi iſta, *Morte morietur: Exod.* XXI. 12. At hac ſtrangulationem denotari volunt. Item, Adulteria ſtrangulatione punienda eſſe aſſerunt; & tamen ex *Joan.* VIII. *verſ.* 4. 5, collato cum *Ezech.* XVI. *verſ.* 38 & 40, liquet ea lapidatione puniri ſolita fuiſſe. Veriſimillimum ſane eſt, Deum arbitrio ac prudentiæ judicum relictum voluiſſe, ut pro qualitate criminis & circumſtantiis quam vellent pœnam irrogarent ex iis quæ in populo uſitatæ erant, quando crimini in lege certa aliqua pœna conſtituta non erat, ſed generalibus tantum verbis enunciata, *Morte morietur*, vel *ſanguis ejus erit ſuper eum.* Atque hinc factum aliquando fuiſſe, ut uni eidemque crimini nunc hæc nunc illa pœna decreta & adſignata fuerit. Sed eſto: Noſtra nunc parum refert ſcire, quibus ſuppliciorum generibus ſingula capitalia crimina punita olim fuerint. Ea enim jampridem exoleverunt & ad nos non pertinent. Sufficit ut hac in parte ſequamur fidem aut opinionem Hebræorum.

Strangulationis pœna primo loco ponitur & חנק dicitur. Ea fiebat non ad palum aut ex patibulo ſive furca, ſed in foſſa terræ in quam rei deprimebantur uſque ad poplites, & tum reſte ſudario obvoluta, collo circumdata, per duos teſtes aut carnifices ſuffocabantur, quia ab iſtis utrimque ſudarium trahebatur uſque dum animam efflarent. Et hoc ſupplicii genere afficiebantur ſex hominum genera.

1. Adulteri.
2. Parentum percuſſores.
3. Plagiarii.
4. Senex rebellis.
5. Propheta falſus.
6. Prophetans in nomine idololatriæ, ſive per nomen planetarum.

De ſingulis agetur ſuo loco.

*Quartum.* IV. Ut gladio puniantur qui id commeruerunt: *Exod.* XX. 21.

Gladii pœnam eandem faciunt Hebræi cum ea quæ apud nos in uſu eſt. Ea adficiebantur duo tantum: 1. Homicida. 2. Cives urbis ad idololatriam ſeductæ. Ex hiſtoria tamen Jacobi fratris Domini *Act.* XII, non obſcure conſtat in alios etiam gladio animadverſum fuiſſe. Herodes enim Agrippa cum neutrius criminis reum gladio occidit: qua in re omnino veriſimile eſt eum non receſſiſſe à Judæorum inſtitutis ac legibus. Homicida quicunque voluntarius intelligitur, quocunque demum inſtrumento cædem patraverit, & quemcunque ex Iſraelitis tam advenis quam indigenis, tam ſervis quam ancillis Cananæis percuſſerit, ita ut moriatur intra 24 horas, aut ex lethali per ſe vulnere. De civibus civitatis ſeductæ gladio puniendis, videre eſt *Deut.* XIII. 15. Ibi tamen non agitur de punitione judiciali aut tribunalitia, ſed bellica & quæ per arma fit militaria. quamquam aliter verba iſta accipi ſolere ac poſſe alibi diximus, ut videlicet punitio iſta facta non ſit, niſi ex decreto Senatus.

*Quintum.* V. Ut combuſtionis ſupplicio adficiantur qui id meriti ſunt: *Levit.* XX. 14.

Combuſtionis hoc ſupplicium de combuſtione non corporis, ſed animæ intelligunt Hebræi omnes; quæ fiebat per plumbum in os immiſſum, quod deſcendebat in viſcera & comburebat inteſtina corpore exterius illæſo. Nempe forcipe aperiebant os, aut (ut alii volunt) laqueo guttur à duobus teſtibus ſic comprimebatur ut os aperiretur, atque ita plumbum calidum fuſum aut liquidum infundi poſſet. Hujuſmodi combuſtionem factam volunt in Nadab & Abiuh. Dicitur enim eos exuſtos fuiſſe, & tamen corpora eorum cum lineis indumentis aut tunicis elata à fratribus. additurque: *Omnis domus Iſrael fleverunt combuſtionem quæ combuſta fuit illic*, ſive quam incendit Dominus: *Levit.* X. 6. Quo fundamento id aſſeratur non video. Certe eadem phraſis hîc uſurpatur quæ alibi, quando de combuſtione corporis ſive proprie dicta quæ per ligna & faſciculos fit agitur, uti *Levit.* XXI. 9. ubi tamen niſi fallor Hebræi non pauci combuſtionem proprie dictam intelligi volunt. Eſto tamen: Si iſta pœna obtinuit, per me licet ut ex conſuetudine iſta textus explicetur. Fateor enim me uſque adeo abhorrere à ſuppliciis atrociſſimis, ut ſi verba legis ferre poſſint ullo modo benigniorem pœnam, eam amplecti malim quam ſeveriſſimam urgere. Hac pœna adficiebantur hi ſequentes decem ex Hebræorum placito, etſi non univerſali.

1. Filia ſacerdotis adultera.
   N B. non cælebs & ſimpliciter fornicaria.
2. Qui rem habet cum filia ſua.
3. Cum filia filiæ ſuæ.
4. Cum filia filii ſui.
5. Qui rem habet cum filia uxoris ſuæ.
6. Cum filia filiæ ejus.
7. Cum filia filii ejus.
8. Cum ſocru ſive matre uxoris.
9. Cum matre patris ejus.
10. Cum matre ſoceri ejus.

Adnotant vero Hebræi ſex poſterioribus ſupplicium combuſtionis ex Lege deberi, ſi crimina iſta commiſerint dum uxor eorum adhuc ſuperſtes eſt & in vita. Nam defuncta uxore, ſola pœna כרת ſive exterminii tales manet; nunquam autem mortis ſupplicium per domum judicii. Quo jure, non diſputo.

*Sextum.* VI. Ut lapidibus obruantur qui id commeriti ſunt: *Deuter.* XXII. 24.

Pœna hæc creditur ab omnibus Hebræis fuiſſe omnium graviſſima & atrociſſima: & veriſimile omnino eſt, ſi combuſtionis pœna non alia fuit quam iſta quam adſignavimus ex Hebræorum ſententia; & lapidatio non eo modo facta quo eam fieri ſolitam tradunt Hebræi: Nam iſta ſane tantum abeſt ut graviſſima pœna cenſeri debeat, ut leviſſima fere videri poſſit. Nam eam fieri ſolitam ajunt hoc pacto: Ædicula erat ſupplicio huic deſtinata: In eam antequam introduceretur lapidandus, veſtibus omnibus exuebatur quantum honeſtas ſinebat: Inde teſtibus duobus comitatus in eam ingrediebatur, & ſaxo ingentis molis ac ponderis impoſitus, aut pectore toto alligatus, ex alto præcipitabatur cum ſaxo iſto, & non raro dictum factum moriebatur pondere iſto obrutus & momento pene extinctus. Si ſpiraret adhuc, è veſtigio teſtes ſaxum aliud ingens, quantum duo viri portare valent, in reſupinati pectus projiciebant: ſi deprehendebatur adhuc ſpirare, univerſus populus irruebat, & eum lapidibus porro mactabat atque obruebat. Profecto hoc ſupplicii genus leviſſimum fuiſſe credatur neceſſe eſt, quando præcipitatus homo ex alto, pondere ſaxi tam ingentis obrutus è veſtigio animam efflabat; quod veriſimile eſt creberrime accidiſſe: aut ſi nonnihil adhuc ſpiraret, quando protinus alio, quod ad manum erat, non minoris ponderis ſaxo reſupinus obruebatur à teſtibus. Quis ſupervixiſſe hominem ejuſmodi diu poſt credat? aut populo opus fuiſſe ut lapidibus eum porro obrueret ad vitam homini expectorandum? Sed veriſimile eſt lapidationem iſtam longe aliter olim factam fuiſſe: videlicet poſt conjectos à teſtibus lapides in reum, nimbo omnis generis lapidum in nudum corpus effuſo crebriſque ictibus iterato; quod ſine multis vulneribus acutiſſimiſque doloribus fieri non potuit: idque indicari verbis iſtis, *Sanguis ejus erit ſuper eum: Levit.* XX. 27. quamquam verbis iſtis non ſemper intelligi pœnam lapidationis, ſatis arguit unus locus iſte qui extat 2 *Samuel.* I. 16. Ut ut eſt, hoc ſupplicio plectebantur hi ſequentes octodecim juxta ſcitum Hebræorum.

1. Incæſtum committentes cum matre.
2. Cum noverca.
3. Cum nuru.
4. Cum deſponſata virgine.
5. Peccatum nefandum committentes cum maſculo, ſeu ἀρσενοκοίτας.
6. Cum beſtia.
7. Fœmina quæ admittit vel potius irritat beſtiam.
8. Blaſphemi.
9. Idololatræ.
10. Offerentes ex ſemine ſuo Molocho.
11. Actum *OB* exercentes, ſive Pythones & Pythoniſſæ.
12. Actum *Idonei.*
13. Impoſtores.
14. Seductores.
15. Incantatores ſive magi & arioli.
16. Profanatores Sabbathi.
17. Qui patri aut matri maledicunt.
18. Filius prodigus.

*Septimum.* VII. Ut qui ſuſpendio digni ſunt, patibulo aut furcæ ſuffigantur: *Deut.* XXI. 22.

Præceptum hoc non continet novam ſupplicii capitalis ſpeciem; ſed tantum peculiare aliquod dedecoris atque infamiæ genus, quod poſt ſumtum capitale ſupplicium uſurpari Deus voluit circa nonnullos atrociſſimorum criminum compertos. Textus id manifeſte arguit; quia dicitur, *Et*

*cum*

*cum fuerit in viro peccatum judicii mortis*, מָוֶת *& mortuus fuerit*, vel, occisus aut mori factus, (non, uti plerique legunt, occidendus fuerit: est enim in Hophal) וְתָלִיתָ *& suspenderis aut pendere feceris eum, non pernoctabit cadaver*, &c. Errare igitur credendum est eos, qui suspendium faciunt unum ex quatuor capitalibus suppliciis, aut pro quinto eis addunt; cum non fuerit nisi ignominiæ nota, quæ jam supplicio adfectis, post mortem publicè & palam, insignite supra alios omnes maleficos inurebatur.

Suspendium hoc ad palum arrectitium, superne transversum lignum habentem, fiebat: cui manus arrectæ suffigebantur utrimque, ita ut cadaver ex iis suspensum maneret & ab omnibus conspici posset. Quo fine? Testando summo criminum istorum odio, & horrori omnibus incutiendo. Notandum enim est, hac suspendii nota non omnes supplicio capitis affectos infamari solitos, sed eos tantum qui gravissimo lapidationis supplicio puniti fuerant; eosque non omnes 18 quos recensuimus, sed duos tantum inter eos qui omnium pessimi censebantur, videlicet blasphemos & idololatras. Hæc enim crimina directe lædunt divinam Majestatem sive divini nominis reverentiam & honorem.

Patibulum itaque hoc & patibularis hæc suffixio Judaica lege præscripta, cum cruce & crucifixione Romanorum non habet communia nisi duo: Formam crucis sive literæ latinæ T, & affixionem ad eam. Cætera omnia dissimilia sunt. Cruciarii enim Romanorum vivi suffigebantur cruci, & in ipsa cruce morte lenta, molesta, doloribusque acutissimis lancinati conficiebantur, non raro ἰλιγμῷ, ut Poeta ait, κνίσσῃ διαροῖσι δακόντων, aut fame enecti miseram animam efflabant. Nec in crucem dabantur blasphemi, aut idololatræ, sed latrones, sicarii, falsarii, perduelles, & fere non nisi viles animæ. Atque hoc fuit supplicium quod Servator noster subiit, tanquam perduellis & reus Majestatis judicatus, ac non nisi vilis anima habitus: sine dubio Deo ita dirigente; ut quia capitalium suppliciorum jus penes Judæos non erat isto tempore, ac proinde Christus ab iis dirissimo lapidationis supplicio & turpissima suspendii infamia affici non poterat, similitudo tamen aliqua esset pœnæ & ignominiæ istius legalis. Nempe crucis pœna apud Romanos erat durissima simul ac dirissima. Durissima, quia crudelissima cum sævitia conjuncta. Dirissima, quia non nisi servis, mancipiis, aliisque vilioribus animabus adsignari solita. *Civem enim Romanum verberare scelus erat, prope parricidium necare, quid dicam*, ait Cicero, *in crucem tollere?* Sævitiam itaque hanc & infamiam Christus noster in cruce ferendo, recte dici potest in eo impletum id quod legitur in fine cap. hujus: *Maledictus à Deo est qui pendet in ligno*: non quod maledictus esset à Deo: innocens enim erat & peccatum non noverat; sed quod cruciatum simul atque ignominiam illam, quæ ex lege debebatur hominibus à Deo maledictis, æquo animo in se susceperit nostræ æternæ salutis procurandæ & promovendæ ergo: uti id pulcherrime Apostolus noster ad *Galatas cap.* III. 13 exponit: cum *pro nobis eum execrationem factum* dicit, ita *ut nos redemerit ab execratione Legis*. Quo vero sensu id dicatur suo tempore explicabitur à nobis. Similis huic phrasi est ista quæ legitur 2 *Cor.* V. 21: *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit* (Deus,) *ut nos efficeremur justitia in eo.*

*Octavum.* VIII. Ut omnes capite multati, ea ipsa die sepeliantur. *Deut.* XXI. 23.

Præceptum hoc in textu non refertur nisi ad suspensos ex ligno. Generale tamen esse volunt Hebræi, ut pertineat non tantum ad hos cæterosque maleficos capite multatos, sed ad omnes & quoslibet mortuos suopte fato functos; nisi forte essent quorum mors justa & exequias funebres paulo honoratiores prolixioresque postularet. Rectè an secus non examino. Ratio eorum à majori ad minus desumta, si voluit Deus sepeliri maleficos capite multatos ea ipsa die, ergo multo magis cæteros omnes mortuos, non videtur mihi aliis esse. Ratio quam Deus ipse adsignat, non parum contra facit. Nequaquam contaminabis terram quam Deus tuus dedit tibi. Hæc enim contaminatio non fiebat à mortuo simpliciter: alioquin ob nullam caussam differri posset mortui elatio & sepultura: quod contra esse patet ex multis S. Scripturæ locis, & ipsorum Judæorum paulo ante annotata confessione. Contaminatio autem hæc vel physicè accipi potest, ne videlicet aura occisi fœtore inficiatur; vel Ethice, ne si ista inhumanitate in mortuum utamini contra jussum meum, vos omnes mihi abominabiles faciatis, & terram vestram tanquam pollutam & contaminatam averser atque odio habeam: uti phrasin hanc accipi legimus *Levit.* XIX. 29, *&c.* Quid si dicamus Deum hac lege separare voluisse populum suum à Legibus cæterorum populorum immundorum & profanorum, qui mortuos non solebant de cruce deponere, sed finere ut tabo illic diffluerent & Sole ac pluvia corrumperentur; horrendo sane spectaculo. Contaminari itaque terram suam sanctam ritu isto noluisse. Exempla hujus præcepti observati vide *Josuæ* VIII. 29. & *cap.* X. 26, 27. Addatur his, quòd moris in populo fuisse asserunt, ut non modo cadavera hujusmodi maleficorum sepelirentur ea ipsa die, sed etiam instrumenta ista quibus interemti erant, puta sudarium quo suffocati & strangulati erant, lapides quibus lapidati erant, palus sive crux cui adfixi pependerant. An gladius etiam? Non lego. nec verisimile est.

Dices: quid ergo sentiendum erit de Davidis facto, quod describitur 2 *Samuel.* XXI, quo septem filios Saulis à Gibeonitis cruci suffixos longo tempore, &, si fides habenda Hebræis, à Martio ad mensem Septembrem usque, id est à messe usque ad pluviæ tempus in cruce hærere permisit, nec tolli cadavera jussit regia? Resp. Factum hoc Davidis plane extraordinarium videri debere, & vel à Deo specialiter imperatum fuisse, vel permissum Gibeonitis; quia ut animo ac voto eorum satisfieret, Deus jusserat. Atqui non erat æquum ut eis concederetur quod directe contra legem erat. Fateor. Quare caussam specialem subfuisse credo ob quam Legi isti derogatum fuerit, Deo vel volente vel annuente, quia nuspiam ob istud factum David reprehensus legitur.

Atque hæc sunt quæ pertinent ad judicia Judæorum criminalia, quæ in usu fuisse ajunt, usque ad annum quadragesimum ante secundam templi destructionem, quo captivos abductos fuisse ajunt Senatores Concilii Magni Sanhedrim dicti. Sed quid ea de re sit, diximus in præcepto 111 domus Octavæ, quod vide sis.

## CAPUT XII, seu

## Domus duodecima præceptorum affirmativorum, quæ est domus Judiciorum Civilium, & XVII præceptis constat.

I. Ut cum servo Hebræo agatur ex Lege *Exod.* XXI. 2. *Primum.*

PRæceptum hoc ut intelligatur, notandum est tria fuisse servorum Hebræorum genera. unum eorum, qui se ultro ac sponte sua inopia pressi dabant in servitutem, & operam suam heris addicebant ac locabant. Secundum genus eorum qui ære alieno pressi, ob debita sua in servitutem à creditoribus vendebantur. Tertium genus eorum qui ob furti crimen publico jussu & decreto vendebantur. De primo genere servorum agitur *Levit.* XXV. 29. De secundo 2 *Reg.* IV. *vers.* 1. *& seqq.* ubi vidua deplorat casum suum apud Elizæum, quod creditor tollere vellet filios suos ad serviendum sibi: & in Novo Test. *Matth.* XVIII. *vers.* 25, in parabola Regis qui debitorem suum, quod solvendo non erat, jussit venundari & uxorem ejus & filios & quæcunque habebat. De tertio genere hic proprie in hoc præcepto agi multi ex verbis liquere volunt, quod tamen mihi non liquet, uti postea monebo. Quia tamen servorum Hebræorum, sub quibus etiam servas Hebræas comprehendere necesse est, uti ex *Deut.* XV. 12 liquet, eadem ratio erat quod ad hanc legem attinet; hinc præceptum generale ex hoc loco fecerunt Hebræi. Alioquin non parum diversa ac dissimilis erat singulorum conditio. In hoc conveniebant: Quod sive quis se ultro ac sponte dedebat in servitutem alterique operam suam seque ipsum quasi mancipabat, sive quis ob debitum, sive ob furti culpam vendebatur, ii omnes pariter & eodem jure anno septimo exire poterant, & debebant ab hero dimitti, si vellent exire: Imo si Jubilæus ante annum sextum incidebat, eo ipso anno dimitti debebant vellent nollent. Si tantum etiam in bonis postea haberent, aut ab aliis seu hæreditate seu favore consequerentur ut se redimere possent, exire poterant persoluto pretio. Si herus moriebatur nulla prole mascula relicta liberi erant. Mulieri enim nemo in servitutem addici poterat. In hoc vero discrimen est: 1. Qui se sponte in servitutem vendebat, is servitutis suæ tempus quot volebat annis limitabat. 2. Eum non poterat constringere herus ut servam Cananæam duceret. 3. Ei auris subula perforari non debebat. 4. Eum non tenebatur dominus donis ac muneribus oneratum dimittere. Et eadem credo ratio fuit servorum secundorum. Cæterum qui ob furti crimen venditus erat. 1. eum sex annis, nisi annus Jubilæus interveniret, servitutem servire necesse erat, nec ultra obstringi poterat. 2. Eum herus constringere poterat ad nuptias cum ancilla Cananæa. 3. Ei auris subula perforabatur. Eum herus indonatum non poterat dimittere, sed ad minimum dono triginta siclorum eum remunerari tenebatur quandocunque exibat, sive post annos sex, sive ob Jubilæum, sive ob heri mortem. Hæc Hebræorum sententia est, quam non est operæpretium examinare, quia servitutes jam apud nos in

uſu non ſunt. Id tamen videtur eſſe operæpretium ut expendatur: quomodo hæc lex conveniat cum eo quod *Deuter.* XV. 12 dicitur? Reſp. Conciliatio iſtorum duorum textuum mihi non videtur petenda ex iis quæ adſignant Hebræi in Conciliatore R. Menaſſeh; nec ex eo quod in Exodo agatur de ſervo ob furtum vendito, hîc de ſervo ob pauperiem vendito; quia utrobique generaliter dicitur, ſi emeris, vel ſi venditus fuerit tibi frater, nulla cauſſæ mentione addita: Sed ex eo quod ſervus vel ſerva Hebræa venditi, toti erant herorum ſuorum, ac proinde non ſui juris, excepto matrimonio. Quare ſi ſervus Hebræus tempore ſervitutis uxorem aut dari ſibi permitteret à domino ſive hero ſuo, aut ab eo dari ſibi peteret ſponte ſua, in hanc eum legem conſentire neceſſe erat. Extra hunc caſum lex Deuter. valet, quæ etiam in hoc XXI *cap. Exodi*, V. 2 expreſſa legitur. Et eadem erat lex ancillæ, libera voluntate conſentientis in matrimonium cum ſervo, durante ſervitutis tempore.

*Secundum.* II. Ut herus ſervam Hebræam ſibi deſponſet, aut eam nuptui det filio ſuo: *Exod.* XXI. 8.

Præceptum hoc in favorem imbecillis & innoxii ſexus, in ſervitutem à patre venditi, ſupra ſervos Hebræos datum eſt, ne ad libidinem proſtaret dominis, ſed pudicitiæ ejus conſuleretur. Hinc dicitur, *Non egredientur ſicut ſervi*: (male enim multi legunt, ſicut ancillæ:) id eſt volo ut pudice & caſte habeantur, nec capite careant ubi ex poteſtate patris exiverunt. Nempe quando virgo Hebræa vendebatur, ea emi non poterat niſi hac lege, ut qui eam emebat eam ſibi deſponſaret in uxorem, ſaltem ſecundariam, aut filio ſuo ſe eam traditurum ſponderet ſuppeditata ei veſte, dote conſtituta, & conjugali conſuetudine obſervata. Conſueſcere itaque ei nemo poterat niſi fide conjugii data. Hac ratione cautum ſaltem erat honori & pudori virginis. At ſi poſt deſponſationem aut ſponſionem iſtam alienıore ab ea animo eſſe cœperat, ut eam nec ipſe ducere, nec filio nuptui dare vellet, tum vero jure ſuo in illam privabatur, ita ut eam nec vendere poſſet cui vellet, ſcilicet (in populo ſuo: extraneo enim à Republ. Iſraelis ne ſervus quidem Hebræus vendi poterat:) nec ſervam eam ſibi retinere, ſi ea nollet. Quid ergo? vide ſequens præceptum.

*Tertium.* III. Ut redimatur ſerva talis Hebræa: Ibidem *verſ.* 8.

Præceptum hoc de redimendo ſic accipi poteſt, ut vel ſignificet nudam permiſſionem, ut vel ipſa ſe, ſi poſſit, redimat, vel ut à proximo ſuo redimatur; vel operæ etiam & auxilii præſtationem ut libera exeat; ut ſic non contemta aut expulſa, ſed honeſte dimiſſa videretur virgo ab hero, eo quod rebus ſuis non videbat conducere ut eam uxorem ſuam haberet. Ratio autem hæc redimendi eſſe poterat, ut vel ab ea pretii ſolutionem nullam exigeret, vel non niſi eam quæ uſu recepta erat; qua videlicet fiebat ut virgo ſex libris emta in ſex annos, à tot librarum ſolutione libera eſſet quot annis ſervierat, & pro numero reliquorum annorum, totidem numeraret libras. Si primo ſenſu (qui mihi magis placet) accipiatur redemtio, tum verbum *redimere* ſignificabit liberare ſive liberam dimittere. Si ſecundo, tum proprie ſignificabit λυτρῶσθαι ſive λυτρῶσθαι perſoluto pretio reliquo & accepto dimittere.

*Quartum.* IV. Ut in ſervitutem perpetuam addicantur ſoli ſervi Cananæi aut pagani: *Levit.* XXV. 46.

Præceptum hoc non tam adfirmativum quam negativum eſt. Non enim præcipitur à Deo Hebræis ut ſervos ſibi emant aut adſciſcant paganos ſive alienigenas; nec ut eos in ſervitutem perpetuam ſibi adſciſcant aut emant. quid ſi enim non niſi Hebræos natura, ſervos ſibi velint, contenti ut gaudeant privilegio divinæ legis? quid ſi pagani ſerviri eis nolint? Sed præcipitur tantum, ut ſi quos perpetuos ſibi ſervos volunt, non alios quam alienigenas, ſiquidem ſe in ſervitutem dare velint aut vendere, adſciſcant. Per alienigenas autem ſeu paganos intelligi volunt Hebræi ἀλλοφύλους, ſive non natura Judæos, eoſque non omnes, ſed eos tantum qui vel proſelyti juſtitiæ dicuntur, & circumciſione ſuſcepta Judaicam religionem ſunt amplexi, vel peregrini תושבים ſive incolæ qui idololatriæ renuntiarunt & præcepta Noachi ſeptem illa quæ vocant obſervant. Cæteros enim idololatriam profeſſos, uno dumtaxat anno retineri poſſe in ſervitute conſuetudo Hebræorum confirmat, ſi in idololatria velint perſtare. Nam potuiſſe etiam Iſraelitas ex illis adſciſcere aut emere ſibi ſervos, dubitare non ſinit *verſus* 44. Proſelyti ergo iſti & incolæ ut hîc ab Hebræis pariter intelligantur neceſſe eſt. Ex hoc non abſimiliter à vero colligi videtur, proſelytos hos in populo jus domicilii non habuiſſe, niſi cum conditione aliqua ſervitutis, nedum ut eodem cum cæteris Hebræis jure eſſent, id eſt ut iis ad honores & dignitates aditus pateret, aut cæterorum Judæorum immunitatibus fruerentur, puta libertate, vel perſonali anni ſeptimi, vel reali, de qua alibi diximus. Sed nobis ſecus videtur; cum conſtet proſelytos eadem ſacrorum divinorum communione cum cæteris Hebræis gaviſos fuiſſe. Eodem ergo civitatis jure cur gaviſi non dicantur? Quare exponendum crediderim locum hunc de proſelytis ſive potius ἀλλοφύλοις terram Judæam inhabitantibus, ſed ſuis moribus ac legibus, citra tamen idololatriam viventibus. (Hos enim in perpetuam ſervitutem emi potuiſſe non eſt dubitandum.) Alia ratio eſt proſelytorum juſtitiæ qui vocantur. Religio enim circumciſionis populo Judaico extraneos inſerebat, ut unus cum eo populus fierent. quo fine? niſi ut eodem populi jure fruerentur. Et, ſi textus bene videatur, non niſi de extraneis תושבים ſive in medio populi habitantibus, loqui videtur. Quod poſtea ii opponantur fratribus, id non officit ſententiæ noſtræ: quia proſelyti juſtitiæ facti ſunt filii Dei; ergo fratres etiam Judæorum circumciſionis & Religionis ejuſdem vi ac privilegio. Servi itaque perpetui non erant meo judicio alii quam peregrini iſti ſecundi generis: ſic tamen ut libertate donare eos dominus aut herus teneretur ſi oculum aut dentem eis excuſſiſſet, aut membrum aliquod eorum mutilaſſet: juxta legem *Exod.* XXI. 26.

*Quintum.* V. Ut qui damnum intulit, damnum ſarciat mulcta pecuniaria: *Exod.* XXI. 18. *Levit.* XXIV. 19. 20. *Deuter.* XIX. 19, &c.

Præceptum hoc clarum per ſe eſt, quo is qui lapide aut pugno alterum læſit ab omni pœna corporali immunis eſſe jubetur, & damnatur tantum ad mulctam pecuniariam, pro ratione lucri ceſſantis, & τῶν ἰατρείων ſive impenſarum ad curationem læſi neceſſarium. Ex hoc præcepto æſtimandam putant Hebræi legem ſequentem *verſ.* 24, 25, quæ talionem ſive ὃ ἀντιπεπονθὸς videtur præciſe imperare, oculum ſcilicet pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, &c. Hac enim lege ajunt non præſcribi talionem Pythagoricam, ſive πυθοπάθειαν aut ἀμοιβὴν δι' ἰσου, ſed compenſationem damni juxta arbitrium judicis, pro qualitate perſonarum & ratione circumſtantiarum pecunia æſtimati, ſi reus ſolvendo erat. Ratio eorum hæc eſt: Quia ex vi præcepti iſtius, de quo agimus, percuſſor non tenetur niſi ad compenſationem ἀργίας ſive ceſſationis, & τῶν ἰατρείων. At percuſſio illa ſine vulnere aut livore non erat. Ex eo conſequi ajunt, quando poſtea in lege quæ talionem videtur jubere, dicitur dandum eſſe livorem pro livore, iſtud non niſi de pretio livoris accipi poſſe ac debere: alioquin leges iſtas duas conciliari non poſſe. Eandem itaque rationem cæterorum verborum, de oculo, dente, manu, pede, eſſe oportere. Addunt & hanc rationem: Deus diſtricte ac nominatim prohibet *Num.* XXXV. 31. pretium animæ accipi ab homicida, & ſanguinem effuſum pecunia æſtimari ac redimi; & anima animam, ac ſanguine ſanguinem redimi jubet ac compenſari. Ex eo colligitur, inquiunt, mutilationes ac vulnera quæ citra mortem ſunt, pretio redimi ac pecuniaria mulcta ex arbitrio judicis compenſari potuiſſe, utque id fieret Deum voluiſſe. Rationes hæ ſpecioſæ ſunt & plus quam veroſimiles. Addi poſſunt rationes aliæ complures, quæ mihi id plane perſuadere videntur. Quia talionis lex ſive talis aut paris retributio, etſi apud omnes pene gentes recepta, & legibus XII tabularum apud Romanos ſancita fuerit his verbis, *Si membrum rupſerit, ni cum eo pacit*, id eſt paciſcatur, *talio eſto*: vel, uti apud A. Gellium habetur, *E pacto talio eſto*, id eſt extra pactum vel ſine pacto, id eſt ſi quis non paciſcatur cum eo quem mutilavit, quam legis clementiam idem author appellat: tamen multis & ingentibus incommodis obnoxia eſt. Nam 1. Talio juſta vix eſt poſſibilis, ſive talioni par talio vix datur. Nam ſi daretur, membrum rumpi poſſet ad alterius rupturæ æquilibrium, & vulnus illatum vulnere nec majore nec profundiore compenſari deberet. At quis talionem ad amuſſim ita æquiparet aut in librili perpendat? Tum quid ſi is qui alteri oculum excuſſit cæcus ſit, aut qui dentem excuſſit, edentulus ſit, quæ talio erit? quid ſi quartam partem luminis alteri ademerit, qua ratione quarta pars ei viciſſim adimetur? 2. Periculoſa eſt: ut ſi qui vulneravit infirmioris temperamenti & tenuioris, uti ajunt, texturæ ſit, vulneratus autem vegetæ robuſtæque valetudinis; hic mutilatus eſt ſine ullo periculo aut diſpendio vitæ; iſte ſi ex lege talionis mutiletur periculum mortis incurret & talio non erit. 3. Ex iniquo non parum trahit. Quid ſi enim qui læſit privatus ſit, & læſus, Conſul, Senator, Princeps, an talio æqua erit ſi par læſio fiat? Quid ſi unoculus ſit qui alterum proximo binoculo oculum excuſſit, an talio per reciprocam excuſſionem oculi juſta erit? 4. Reipub. admodum eſt noxia: quia mutulis, cæcis, claudis, cicatroſis, & infamiæ injuriæque illatæ notas palam circumferentibus plena erit. Hæ rationes impellunt me, ut credam cum antiquis Judaici juris conſultis, legem hanc accipiendam non eſſe de Arithmetica talione, ſed de pretio vel oculi vel dentis; ut ſenſus ſit: Qui oculum aut dentem excuſſit, dabit tantundem pecuniæ quantum

*Lex talionis.*

*Ejus incommoda.*

tum æſtimabit judex oculum aut dentem valere. Sub æſtimatione autem illa comprehendo ex vi præcepti hujus noſtri, non tantum ex g. oculi pretium, ſed & ceſſationis ſive lucri ceſſantis, contumeliæ & doloris, impenſarumque medicarum & aliorum miniſteriorum pretium ac valorem.

*An lex hæc judices obſtrinxerit ad pœnam de reo ſumendam, etiam læſo non poſtulante.*

An Lex hæc judices præcisè obſtrinxerit, ita ut animadvertere in reos tales neceſſe habuerint, ſive læſus id poſtularet ſive non, incertum mihi eſt. Hebræi & plerique Theologi id affirmant. Ego fundamentum non video quo nituntur, niſi verba Legis quæ id omnino videntur arguere. Sed vero verba iſta nihil vetat accipere conditionaliter, imo ſic pene neceſſe eſt ea accipere. Nam, 1. ut judices dicantur obſtricti fuiſſe ad animadvertendum in levia iſta omnia injuriarum genera, puta ad dentis excuſſionem, ad livoris incuſſionem, &c. quis credat? 2. cum damni compenſatio pœna eſſet, quorſum animadverſio iſta, ſi qui læſerat compenſare paratus erat? 3. Cum compenſatio illa fieret in commodum læſi, quorſum animadverſio neceſſaria erat, ſi læſus injuriam condonaret & compenſationem fieri nollet? Quare exiſtimo Legem hanc judices non obſtrinxiſſe niſi à læſo compellatos, & ad injuriam vindicandum rogatos monitoſve. Neque enim verisimile eſt, Deum judices ſuos ſeverius animadvertere voluiſſe in levium iſtiuſmodi injuriarum reos, quam gentiles apud quos Lex talionis in uſu fuit. Hi enim permittebant ut reus injuriæ depaciſceretur cum læſo, nec talionem imperabant niſi depaciſci nolenti: uti apud Agell. lib. 20. cap. 1 Noctium Atticarum videre eſt. Adde quod exemplum mulieris gravidæ percuſſæ, quod *verſ.* 22 refertur, non obſcure indicet ad damni compenſationem non conſtringi percuſſorem, niſi ſi maritus gravidæ eam poſtulet & arbitrio deinde judicum ſubmittat.

*Quatenus à Chriſto fuerit abrogata.*

Ut ut ſit: Certum eſt ex verbis iſtis permiſſum fuiſſe ac licitum læſo, percuſſorem injuriarum poſtulare, & vindictam à judice petere, ſive compenſationem pretii membri mutilati aut contuſi, ſi reus ſolvendo erat, aut ſi non erat, rei ſive percuſſoris punitionem ad arbitrium judicis: Judicis autem fuiſſe ex æquo & bono ſtatuere quod videbatur. Hoc poſito facile intelligere eſt, quo ſenſu Servator noſter *Matth.* V. 38. 39 ſuis interdixerit ex lege iſta non agere, ſive oculum pro oculo, &c. non petere à judice. Nam iſta ratione non ſuſtulit Legem Moſaicam, neque quicquam Legi contrarium præſcripſit: alioquin ſine dubio reus damnatæ Legis Moſaicæ, aut ſaltem abrogatæ poſtulari jure potuiſſet, & haud dubie poſtulatus fuiſſet ab acerrimis hoſtibus ſuis; quod contra eſſe manifeſtum eſt: ſed tantum id quod Lex populo carnali ob duritiem cordis eorum permittebat, ſuis indulgere & permittere noluit, corrigendæ iſti duritiei, & imprimendæ cordibus eorum manſuetudini, clementiæ & benignitati iſti quam Moſes ipſe Lege ſua *Levit.* XIX. 17 præſcripſerat. Ex quo etiam efficitur, Chriſtum non opponere iſto in loco præceptum ſuum falſæ Phariſæorum interpretationi, qua non licentiam & indulgentiam tantum concedebant privatis, jure ſummo experiundi & agendi cum iis à quibus læſi erant, ſed qua etiam eos ad id faciendum divino mandato obligatos eſſe docebant: Quis enim credat eos eo uſque prolapſos fuiſſe, contra tam expreſſam legem *Levit.* XIX. 17? Contrarium eos docuiſſe atque etiamnum docere, & quidem lege iſta ipſa adductos, ſuo tempore planum faciemus. Permiſſionem tantum iſtam ab iis inculcatam & commendatam fuiſſe omnino verisimile eſt. Eam vero à Chriſto ſublatam eſſe vix dubitari poteſt: nullo Legis Moſaicæ damno aut detrimento; ſed Legi Moſaicæ & divinæ intentioni, quæ erat ſubditos optimis quoad fieri poterat affectibus caritatis & benevolentiæ imbuere, ſtabiliendæ; cui per iſtam permiſſionem ultionis & vindictæ non parum derogabatur.

*Sextum.*

VI. Ut damnum ab animali bruto illatum ſarciatur, ex lege *Exod.* XXI. 28. 29.

Præceptum hoc de bove tantum loquitur: ſed ſynecdochicè ſub voce bovis complectitur omnia animalia domeſtica, ſi contingat ab iis cædem hominis admitti, ſive cornu, ſive calcibus, ſive morſu. Nam per damnum hîc non læſio dumtaxat, ſed cædes intelligitur. Hæc ſi contigerit, domino non tantum invito, ſed inſcio ac non prædmonito; inſons ac innoxius jubetur haberi dominus, & animal quod cædem fecit lapidibus obrui, & caro ejus pro morticina haberi. Sin conſcio aut fruſtra prædmonito domino contigerit, animal lapidari jubetur: de domino vero dicitur, גם-בעליו יומת *& etiam dominus ejus morietur* aut occidetur. Verſio Vulgata habet, *Et dominum ejus occident*; quod interpretes fere omnes de pœna mortis à judice infligenda accipiunt. Sed Hebræi, more ſuo, verbum יומת de morte θανάτῳ ſive per manū Dei inferenda accipiunt. Verſus tamen qui ſequitur, *Si pretium ei fuerit impoſitum, dabit pro anima ſua quidquid poſtulatus fuerit*, ſententiæ priori favere videtur, etſi cum ſecunda etiam conciliari aliquomodo poſſit. Ut ut ſit de domino; de animali quæritur, quomodo aut quo fine ei talis decreta à Deo pœna fuerit? Sunt qui exiſtimant animalia etiam poſſe delinquere, & à via ſibi naturaliter præſcripta aberrare ac deflectere, proinde merito etiam puniri. Id ſi verum eſt, ratio pœnæ hujus divinæ manifeſta eſt. At qua ratione certa id nitatur ego non ſatis video: imprimis cum conſtet, etiamſi forte ratio aliqua brutis dicatur ineſſe, id in hoc caſu uſum non habere, in quo cauſſa cædis quæ à bruto fit, morbus fere eſt qui brutum infeſtat, & quicquid in eo rationis forte eſſe creditur obnubilat, uti phreneſis & mania rationem in hominibus. In peccato nefaſto aut ἀῤῥήτῳ forte alia ratio eſt. Sed id totum conjectura potius quam ratione nititur; & conjectura forte quæ ex eo ipſo oritur, quod alioquin clementiſſimus Deus non ſubjiceret pœnæ tam atroci innoxium animal aut nullius culpæ reum. Quare verisimile omnino eſt, Deum pœnam iſtam decreviſſe ſummo ſuo vitæ humanæ amori teſtando, & deteſtando homicidio ac cautelæ in futurum. Jumenta propter hominem ſunt: Ea ſicuti ad eſum mactari ab homine poſſunt, ita ad uſum & in exemplum hominis tanquam pœnæ ſubjici poſſunt & triſti morte interimi.

*Septimum.*

VII. Ut damnum ex neglecta putei munitione ſarciatur, ex lege *Exod.* XXI. 33.

In præcepto hoc eadem Synecdoche eſt: Per *puteum* quælibet foſſa, lacuna, ciſterna, aut fovea intelligitur, in quam animal incidens periculum vitæ poteſt incurrere, ſive ea noviter excavata, ſive denuo aperta aut renovata ſit: non enim niſi de damno ſive detrimento animalis bruti agitur. Ex quo facile colligere eſt, non agi hîc de excavatione ſive apertione putei, quam quis facit in proprio ſuo fundo, domo, agro: nemo enim damnum aut jacturam rei ſuæ ſive animalis ſui ſarcire tenetur: nec eſt in alterius poteſtate in alienum agrum aut fundum jumenta ſua dimittere: ſed quæ ſit in publico & communi loco, ad quem aut juxta quem ductus & actus jumentorum ſolet fieri. Denique non agitur hîc de effoſſione debita opera facta, in noxam animalium ad puteum illum tendentium aut juxta tranſeuntium: hæc enim malitia alia pœna digna eſt: ſed de effoſſione cum negligentia, inconſideratione, aut animi ἀφροσύνῃ conjuncta; ita ut ſecuritati tranſeuntium brutorum, aut tranſire innoxie ſuetorum, vel non caveatur vel non ſatis caveatur per debitam foſſæ munitionem aut contectionem. Hiſce poſitis facilis eſt præcepti intelligentia, & æquitatis quæ in præcepto eſt, dijudicatio. Hæc enim incuria, lata culpa eſt, quia in ea non adhibetur ea diligentia quam ejuſdem ſortis homines omnes in ea adhibere ſolent ac debent.

*Octavum.*

VIII. Ut furti judicium fiat ex lege *Exod.* XXII. 1.

Præceptum hoc explicatum à nobis alibi eſt. Breviter ſic ſe habet. Per *furem* intelligitur hoc loco, quicunque alteri invito inſcioque ſuum eripit. Si vel ex domo ſupellectilem, vel ex crumena pecuniam alterius eripiat, vocatur *Ganaf*: Si ereptam rem alterius vendat aut donet alteri, *Gaſlan* vocatur. Judicium utriuſque hoc eſt: Fur omnis tenetur ad reſtitutionem dupli: Si res furto ablata ſit bos vel vacca, eaque aut mactata aut vendita ſit, tenetur ad reſtitutionem quintupli: ſi ovis, ad quadrupli. Si non habet quod reddat, vendi poteſt. Hæc alibi explicata ſunt cum rationibus ſuis. Hodie pœna furti apud Judæos alia non eſt quam reſtitutio ablati aut pretii ejus, niſi forte fur deprehendatur ſe occultaſſe in lacu aut abſcondito aliquo loco cum telo. Hunc enim occidi poſſe ajunt, quia præſumitur habere animum non furandi tantum ſed & occidendi. Et hoc indicatur *cap.* XXII. 2: *Et non erit ei ſanguis*, id eſt non erit mortis reus qui talem occiderit.

*Nonum.*

IX. Ut damnum ſive pauperies quam in alieno agro animal noſtrum fecit ſarciatur: juxta legem *Exod.* XXII. 5.

Præceptum hoc differt à præcepto ſexto; quod ibi agatur de damno ſive noxa ab animali per cornua, calces aut dentes homini illata; hîc de damno per depaſtionem agrorum & læſionem vitium, (ſub quibus duabus ſpeciebus horti, pomaria, prata, oliveta & ſimilia comprehenduntur:) ſatorumque conculcationem & vaſtationem illato, ſine ullo fructu qui ad dominum jumenti redeat. Damnum hoc ſarciri Deus juſſit, reſtitutione precii ejus quod depaſtum, aut corruptum eſt, ſive redditione optimarum rerum quas in vinea vel agro, (horto, pomario, oliveto, prato) ſuo poſſidet, quibus damnum æſtimatum compenſetur. Supponitur enim hujuſmodi dominus jumentorum, agros habere ex quorum ubertate vel venditione reſtitutio fieri poteſt. Dimiſſio autem jumenti dupliciter intelligi poteſt à domino facta; vel de induſtria & deſtinato animo; vel imprudenter & negligenter. Pro cauſæ ratione judicium forte varium fuit. quamquam damnum omne quod jumentum, vel

pedibus vel dentibus facit in alieno agro, censetur tale ac si de industria jumentum in alienum agrum immissum esset. Hinc pœna uniformis & non nisi una à Deo constituta videri potest.

*Decimum.* X. Ut damnum ex incendio datum sarciatur, ex lege *Exod.* XXII. 5.

Præceptum hoc de damno ab incendiariis dedita opera dato, ad prædam cogendum aut vindictam exercendam, non agit; sed de iis qui vel in alieno agro ignem excitant nullo dolo malo, sed in usum suum, eumque negligunt deinde: unde fit ut vel vento excitatus, vel materiam idoneam nactus ignis serpat latius, apprehendatque vel vicinas segetes, vel acervos, vel manipulos, vel metam palearum, vel fœni, vel vineam, vel olivetum, vel sylvam cæduam, villam, &c. atque ita vastitiem ingentem faciat: vel de iis qui in agro suo proprio ignem excitant, nulla habita ratione an id faciant isto in loco, unde facile periculum creari potest vicino agro, aut vineæ, ab incendio. Hi propter incuriam & minorem quam oportuit adhiberi cautionem, damnantur in restitutionem rerum combustarum per æquivalens earum pretium. Nec mirum. Latæ culpæ proxima est tam ingens incuria. Alia ratio est, si quis in agro suo, satis remoto à vicino agro loco, ignem excitaverit. Si enim ex incendio isto damnum sequatur, ad restitutionem non tenetur; quia casus fortuitus esse creditur aut divina castigatio. Mera infortunia nec pœnam merentur, nec ad restitutionem damni obligant.

*Undecimum.* XI. Ut de deposito precario facto & gratis accepto, judicetur secundum Legem *Exod.* XXII. 6.

*Depositorum quatuor genera.* Depositorum quatuor sunt genera. 1. Depositum simplex sive precario factum. 2. Depositum mercedis gratia custodiendum datum aut negotiorum gerendorum. 3. Depositum locationis sive ex conducto. 4. Depositum ex commodato. De primo deposito in hac lege agitur; quod videlicet in gratiam dantis accipitur à depositario, custodiæ præstandæ, nulla mercedis aut conditione aut stipulatione; ut si quis pecuniam, aut vas aliquod seu aureum seu argenteum, seu aliud aliquod suum fidei alicujus committat gratisque ab eo adservari petat. Casus circa hoc depositum incidere potest, ut res deposita vel vitietur, vel amittatur, vel furto auferatur. *Ad quid teneatur depositarius simplex.* Quæritur quid juris sit deponenti in hunc depositarium? Lex est: Depositarius hic non tenetur nisi de dolo malo: id est si vel malitia, aut voluntate ejus deposita res perdita fuerit, vel si ipse depositi partem in usum suum converterit: Sic enim ad redhibendum duplum tenetur: non vero de culpa (quæ tamen dolo proxima non sit,) id est de negligentia vel incuria in solicite custodienda re deposita apud se. Damnum enim ex incuria, si modo non voluntaria aut latissima, ortum, ad deponentem pertinet, cujus erat providere apud quem deponeret rem suam. Doli mali suspicio omnis aberat, quando cum re deposita res depositarii juxta eam positæ aut perierant aut furto sublatæ erant, & fur deprehensus ac manifestus. Contra aut secus si erat, doli mali & fraudis suspicione liberabatur depositarius, per solemne juramentum depositario à judice delatum, cui depositor acquiescere tenebatur. Enimvero depositarius præter fidelitatem nihil recepit. Eam si juramento firmet à se præstitam, & res tamen perierit, cur teneatur ad redhibendum? Certe ex re perdita locupletior non est factus, & rem accipiendo non accepit beneficium sed dedit. Iniquum autem est ut quis ex beneficio damnum sentiat, & qui fidem tantum debet, tutelam etiam debere credatur.

*Quid sit culpa, & quot ejus species.* Ad quæ melius intelligenda pauca de variis culparum speciebus hic apponere visum est. Culpa in genere, est negligentia hominis qua quid fit quod fieri non debuit, & rursus qua non fit quod fieri debuit. Ea duplex est, malitiæ & imprudentiæ. Malitiæ culpa proprio vocabulo dolus appellatur, & aliquando dolus malus. Hic est culpa malitiosa, alterius decipiendi caussa adhibita, sive quævis calliditas, fallacia, aut machinatio, ad circumveniendum, fallendum & decipiendum adhibita. Calliditas fit tacendo: Fallacia mentiendo: Machinatio arte verborum. Huic fraus inest & bona fides opponitur, nec unquam committitur nisi à sciente volente. Culpa imprudentiæ sive in specie culpa dicta, est culpa desidiosa cum imprudentia seu imperitia conjuncta. Hæc duplex est, Lata & levis. Lata culpa, est summa & dissoluta negligentia atque ignorantia, cùm quis non intelligit quod intelligunt omnes: Sive omissio ejus diligentiæ & circumspectionis quam passim homines ejusdem conditionis adhibere solent, ut si quis librum commodatum relinquat ante ostium. In hac culpa est is qui vel omittit quod nullus sanæ mentis omissurus erat, vel facit quod nemo facturus erat, idque per ignorantiam quodammodo, quia sic faciendum vel non faciendum putabat, & rem melius non intelligebat. Hæc in contractibus dolo æquiparatur eique proxima est: quod si effectum spectes verissimum est, non vero si animum, quia ab hac culpa malitia abest. Culpa levis, est qua quis non ad eum modum quem hominum natura desiderat, diligens est; sive qua quis in rebus alienis eam curam non adhibet quam cæteri patresfamilias solent, tametsi in suis minime diligentior sit: vel est omissio ejus diligentiæ & circumspectionis quam solent diligentiores istius artis & professionis adhibere. Huic culpæ custodia opponitur & diligentia, quæ magis & minus recipiunt: secus quam dolus, qui semper uniusmodi est. Unde quot sunt diligentiæ gradus, totidem etiam sunt gradus culpæ. Gradus autem diligentiæ duo sunt, Summus & medius. Summus diligentiæ gradus, est vehementissima & exactissima diligentia & veluti curiositas, cui opponitur culpa levissima. Culpa levissima est omissio ejus diligentiæ & circumspectionis quam diligentissimi & prudentissimi adhibent. Medius gradus est diligentiæ exactæ, quæ opponitur culpæ levi.

Quæstiones ad depositi restitutionem pertinentes hic non excutiemus ne prolixiores simus. Unica tantum ista ventilari præcipue solet: An depositi restitutio aliquando differri aut negari possit à depositario? *An depositi restitutio aliquando differri aut negari possit à depositario.*

Respondent fere Doctores omnes: Non tantum posse sed etiam debere aliquando eam differri aut negari, & quidem in hisce quatuor casibus. 1. quando probabiliter timetur ex restitutione secuturum damnum alicujus momenti spirituale, vel temporale, vel profanum. exempli gratia, si quis sanæ mentis gladium apud te deposuerit, repetat insaniens. Reddere, inquit Cicero lib. 3 Offic. cap. 23. peccatum erit, non reddere officium. 2. quando bona ejus qui deposuit publicata sunt sive fisco addicta. 3. quando res deposita furtiva res est. Eam enim si fur repetat & rei simul dominus, non furi sed domino restituere tenetur depositarius. 4. quando depositarius rem suam ignorans recepit. Rem enim suam nemo restituere tenetur.

Notandum insuper hîc venit, quod in fine *vers.* 9 indicatur verbis istis, *Ad judices veniet controversia amborum, & quem condemnaverint judices reddet dupla suo proximo*, pœnam restitutionis dupli etiam constitutam fuisse in eum qui falso proximum accusasset, quasi depositam rem detineret. Et merito. Quod enim proximo suo quis facere constituit per calumniam, id in ipsum ut vicissim statuatur æquissimum est: juxta illud *Deut.* XIX. 19: *Facietis ei, quemadmodum facere cogitavit fratri suo.* Sed de his verbis infra mox agetur.

XII. Ut de deposito mercedis gratia, sive ex conducto, aut negotiorum gerendorum ergo, judicetur ex Lege *Exod.* XXII. 10. *Duodecimum.*

Ex præcepto hoc depositarius non modo tenetur de dolo malo, sed etiam de culpa cui nullus dolus malus subest. Nempe si mercedem stipulatus pro custodia rei depositæ, aut diligentiam & curam in usu rei locatæ vel oppignoratæ pactus, rem depositam amiserit, aut conductam locatamve sibi negligentius quam par est habuerit, præstare tenetur culpam negligentiæ suæ, & damnum sarcire domino rei depositæ locatæve: excepto si casu tali id acciderit qui nullo consilio, nulla cura aut diligentia, nulla opera humana præcaveri aut evitari potuit. ex. gr. si animal depositum, equus puta, asinus, &c. fato suo exstinctum, vel lapsu mutilatum, vel morbo debilitatum, vel violenta prædonum incursione peremtum aut abactum fuerit, vel denique à fera dilaceratum sit. Id enim si liqueat, sive per testes, sive per rapti laniatique animalis partem aliquam à pastoribus persequentibus interceptam, immunis est depositarius à culpa. Si testes desint & manifesta indicia, juramenti religione interposita absolvitur. Eadem ratio est in deposito locationis. Culpam negligentiæ præstare tenetur locatarius, si res locata, puta domus, navis, prædium, perierit aut amissa fuerit, nisi forte major vis fuerit ejus rei caussa, puta incendium aliunde ortum, naufragium, inundatio aquarum, aut hostilis vis, &c. quæ nulla industria aut diligentia præcaveri potuerunt.

XIII. Ut de deposito ex commodato, judicetur secundum legem *Exod:* XXII. 14. *Decimum tertium.*

Depositarius hic strictissime obligatur ad præstandum non modo dolum & fraudem, sed etiam quamlibet culpam, etsi non latam sed levem tantum. Summa enim cura & diligentia requiritur in commodatario, ad rem commodatam curandam & servandam, tanquam diligentissimi suam propriam rem curare solent: quia utilitas rei istius ad eum solum redit ex beneficio & gratia commodantis. Æquum autem est ut cum ad eum redeat universa rei commodatæ utilitas, damnum etiam rei neglectæ ad eum redeat, ne commodans propter beneficium aut officium præstitum, detrimentum patiatur. Quare ex lege hac quæ æquitate ipsa nititur, commodatarius obligatur ad restituendum commodatum, quocunque demum modo aut casu id fuerit perdi-

perditum. ex. gr. ſi animal ſit, ſive id furto clanculum ſubductum, ſive armata manu abductum, ſive fato ſuo exſtinctum, ſive ex lapſu mutilatum, ſive ex morbo mortuum fuerit: excepto unico caſu, ſi dominus rei commodatæ ipſe præſens fuerit, quando malum iſtud accidebat, quia is videlicet tum ſcire potuit, caſum iſtum aut diligentia humana averti non potuiſſe, aut potuiſſe. Si ſcivit averti non potuiſſe, actionem ſe in commodatarium non habere intellexit. Nemo enim ad impoſſibile tenetur. Si ſcivit averti potuiſſe, & non avertit quantum potuit, culpam & damnum ſibi ipſi ut imputet, æquum eſt: non enim immerito præſumitur rem ſuam curare noluiſſe, aut eam pro derelicta & perdita habere voluiſſe. Addunt Hebræi, quod & veriſimile eſt, exceptioni locum fuiſſe etiam quando dominus ipſe præſens non fuerat, ſi videlicet animal commodato datum mortuum concidiſſet, dum aliud non agebat quam id propter quod commodato petitum erat à domino, idque vel per teſtes vel alia ratione probari poterat.

*Decimum quartum.*

XIV. Ut caſus emtionis-venditionis judicentur ad Legem *Levit.* XXV. 14.

Caſus emtionis-venditionis varii ſunt, quos Lex hæc non exprimit. In genere tantum præcipit, ut nulla fraus in ea committatur, id eſt ut contractus ineatur bona fide, abſque ulla in verbis ſimulatione aut diſſimulatione, in rebus impoſtura vel fallacia, in ſcopo avaritia, qua fiat ut negotiantium aut contrahentium alter ſuo tantum commodo ſtudeat, ſecurus de incommodo & damno alterius, imprimis ſi pauper ſit aut damno ferendo impar: ut pactis conventis ſive conditionibus utrimque ex æquo & bono conſtitutis, ſtet: lucrumque quod facit non ſit niſi conſuetum, ordinarium & notum: ne, uti in textu eſt, opprimat fratrem ſuum, nimium ſcilicet exigendo ab eo per dolum, ſi vendat; vel ſi emat, compellendo eum ut minoris vendat quam res æſtimetur. Plura hîc non addimus. Quod Hebræi dicunt ad caſum hunc emtionis-venditionis pertinere, tanquam peculiare in Repub. ſua jus, quod videlicet nullus emtionis-venditionis contractus validus inter eos cenſitus fuerit, qui conſenſu ſolo, & verbis teſtibuſque præſentibus factus erat; ſed is demum qui facto aliquo vel minimo acceptionis poſſeſſionisve, ex. gr. levationis de terra, apprehenſionisve manu factæ ſigno atque indicio firmatus erat; id non divini, neque rationalis, ſed municipalis juris eorum fuiſſe credendum eſt. Ad nos ſaltem non pertinet, apud quos emtio-venditio inter contractus juris gentium eos cenſetur qui conſenſu perficiuntur, id eſt ad quorum perfectionem non deſideratur ulla rei præſentia, non verba, non literæ, ſed ſolus ſufficit conſenſus.

*Decimum quintum.*

XV. Ut actoris & rei cauſſa judicetur ad Legem *Exod.* XXII. 9.

Præceptum hoc non eſt generale præceptum, ſed de particulari tantum caſu, qui referri poteſt & refertur in textu ad caſum præcepti XI hujus domus XII: quem ibidem indicavimus: ſi videlicet cum vulgato interprete vocem dualem שְׁנַיִם dupla, vertamus per ſingulare duplum, & de ſolo depoſitario accipiamus: ut ſenſus ſit: Depoſitarius qui à judicibus furti vel colluſionis cum fure damnatus eſt, quod rem depoſitam injuſte ſibi voluerit retinere, ſolvet duplum. quem ſenſum ſcopus Legis videtur indicare, etiamſi Hebræus textus de ambobus loquatur: ut quamvis ambo ad judicem veniant & litigent, tamen verba illa, *quem condemnaverint judices*, intelligantur de quolibet accuſato, non accuſante. Vel, ſi vocem Hebræam dualem retinere velimus, præceptum hoc erit de ſpeciali caſu, reſpectu ſcilicet ejus qui falſo proximum depoſitarium poſtulaſſet, eumque falſo teſtimonio ſuo gravatum accuſaſſet, quaſi rem depoſitam detineret: quam ille probare poſſet ſe non habere, neque dolo ſuo periiſſe: quod videlicet talis eadem lege dupli teneatur, & propter calumniam læſamque proximi famam tantundem ſolvere cogendus ſit, quantum à proximo per judices poſtulatum fuiſſet, ſi reus criminis iſtius vere fuiſſet. ut ſenſus ſit: Tam hic reddet duplum, quàm ille reddidiſſet. Quod ſi tamen velimus his verbis generatim indicari, qua ratione tam actoribus quam judicibus in cauſſa quavis obſcura definienda procedendum ſit, non multum refragabor: dummodo referantur hæc verba ad quodlibet delictum furti vel circumventionis; id eſt, non tantum ad furtum rerum inanimatarum, pecuniæ puta vel vaſis, de quo in verbis præcedentibus actum fuerat; ſed etiam ad furtum aſini, bovis, ovis, veſtimenti, omniſque omnino rei depoſitæ, & perditæ à depoſitario: ut ſenſus ſit. Si quæſtio moveatur de iſtis omnibus, ac ſimilibus aliis rebus perditis, quas quis dixerit illas ipſas eſſe quæ apud alium inveniuntur; eadem ratione procedetur à judicibus: nempe ſi teſtes deſint, & actor litem tamen urgeat ac pertendat, juramentum exigetur ab eo qui in ſuſpicionem furti vocatur, & qui furti reus condemnatus fuerit à judicibus, duplum reddet.

*Decimum ſextum.*

XVI. Ut is quem perſequitur inimicus ſuus ad mortem, liberetur ex manu perſecutoris, vel ſi vita perſecutori adimenda ſit: *Deuteron.* XXV. 12.

Præceptum hoc qua trochlea educi poſſit ex textu non video. Senſus præcepti eſt: Si videamus eſſe aliquem qui in eo totus eſt ut alteri vitam ſuam eripiat, eumque interemtum & è medio ſublatum velit, officii noſtri eſſe ut eum præmoneamus, caveat ſibi à tanto ſcelere, & pænæ ſecuturæ metu ac formidine deterreamus: ſi nolit, ac pertendat in propoſito, & perſequi pergat, omnibus quibus poſſimus modis vitæ ejus quem perſequitur conſulamus, ejuſque cædem impediamus, vel vulnere inflicto perſecutori, vel ſi id non ſufficiat, eum interimendo. Vulnerandi licentiam ac juſſum indicari volunt verbis iſtis, *Abſcindes manum ejus*: Occidendi juſſum, verbis iſtis, *Non parcet oculus tuus.*

Profecto Argo oculatior ſit oportet, qui hoc præceptum verbis iſtis contineri videat. Ne γρὺ quidem ejus ego video; imo contrarium potius in iis contineri, aut ex iis colligi, pene juraverim. Ne γρὺ quidem ejus præcepti in verbis iſtis eſſe inde apparet; quòd in iis agatur de duobus viris rixantibus, & ſe invicem percutientibus ſive perſequentibus quocunque demum modo, ſive pugno, ſive fuſte, ſive gladio, ſive quacunque alia ratione. Non enim de perſecutione ad mortem tantum loquitur textus, nec de perſecutione quæ ex parte unius intenta ſit & propoſita, ex parte alterius non intenta, ſed declinata vel fugiendo detrectata: nec de perſecutione quæ ex una parte juſta ſit, ex altera parte injuſta, &c. ſed de rixa qualibet, & ex ea orta, uti fit, pugna ſive duello, in quo uterque pari animo eſt, alterque alterum lædere, vulnerare, aut interimere (quamquam poſtremum hoc vix videtur ex textu colligi) propoſitum habet: ut neſcias uter perſecutor ſit aut dici debeat, imo ut credas utrumque in pari culpa eſſe. Contrarium potius ex verbis colligi id ſuadet, quod in textu maritus mulieris is ſit quem alter perſequitur aut percutit, id eſt percutere in animo habet, aut jam actu percutit tanquam viribus ſuperior; eaque de cauſſa mulier ſive uxor marito ſuo fida accurrat, ut non tam opem ei ferat, quam cædem mariti ſui, aut potius ejus læſionem, ſi pugnis utrimque agatur, impediat. Quare juxta hoc præceptum mulier iſta, etſi inverecundè, non tamen malè egiſſe videri deberet. Nam perſecutori mariti ſui manum abſcindere potuiſſet, imò ex vi præcepti debuiſſet, & ſi nihilominus pertenderet, eum etiam occidere. Id ſanè ſi licebat, imo fieri neceſſe erat, quid vetabat ut alia ratione, licet parum pudica, maritum liberaret à morte & perſecutorem à cæde? Hoc enim multo minus erat quam perſecutori manum præſcindere & vitam eripere. Adde quod verba illa, *Abſcindes manum illius*, pœnam contineant vel exprimant, quàm Deus à Judice inverecundæ mulieri infligi vult. At in præcepto continent non pœnam à judice infligendam, ſed officium cujuſlibet privati, ex vi præcepti iſtius non licitum modo, ſed & neceſſarium. Tum vero verba illa, *Non parcet ei oculus tuus*, in textu referuntur ad præcedentia verba; ut ſenſus ſit, Non parcet oculus tuus mulieri, in abſcindenda manu ejus ſcilicet. At in præcepto verba iſta ſignificant interficere ſive perimere: quaſi legeretur, ſi manu amputata perſecutori, ille nihilominus perſequatur proximum, occides illum. Quæ profecto interpretandi ratio neſcio an ſano homine digna ſit, uſque adeo putida & à ſenſu loci aliena eſt, ut pœne me ejus recenſendæ pudeat, aut recenſitæ pigeat ac pœniteat.

Dices fortaſſe: Mulierem iſtam hîc conſiderari, ut ad mortem perſequentem eum qui maritum ſuum percutit; atque ita Legem ſive præceptum hoc generale iſti caſui ſuperſtrui. Fruſtra, inquam ego. Nam, 1. non conſtat de muliere iſta quod percuſſorem mariti ſui interimere ſtudeat. Tantum dicitur, quod inverecunda manu eum prehendat, iſta parte qua minime decebat pudicam matronam alienum virum prehendere. Hoc vero non de propoſito occidendi, ſed impediendi læſionem ſive cædem mariti intelligi poteſt. 2. Poſito quod id omnino conſtet, non dicitur in textu cuilibet incumbere ut manum mulieris iſtius præcidat; ſed verba textus id poſtulare videntur, ut id incumbere judicibus dicatur, quorum eſt impudicitiæ & inverecundiæ iſti obicem ponere, per pœnæ irrogationem tam inhoneſto facto conſentaneam. Sed pudet hac de re plura dicere.

*Decimum ſeptimum.*

XVII. Ut jura hæreditatum definiantur ex lege *Num.* XXVII. 8. 9. 10. 11.

Inter judicia civilia ſive pecuniaria, etiam ſunt judicia ſucceſſionum ſive hæreditatum, tam ex teſtamento quam ab inteſtato. De his in genere præcipitur, ut in bona defuncti ſuccedant hæredes proximi legitimi, ſive ſui & neceſſarii ob ſanguinis vinculum & communionem; & quidem eo qui in

textu adsignatur ordine : videlicet ut filius prole mascula præcedat ; si filius non sit, ut sequatur filia : si filia non sit, ut fratres hæredes sint, sive potius patrui ; si & hi desint, ut abpatrui hæreditatem adeant ; si ne abpatrui quidem sint, ut ad alios propinquos quicunque tandem sint hæreditas transeat. Nempe hæreditatis ratio integra apud tribules ut servetur Deus voluit. Intellige tamen hæc præcepta de bonis immobilibus, de quibus pater moriens aliter disponere non poterat, ne per testamentum quidem : quia illa alienari aut in familiam aliam transferri non poterat. Bonorum mobilium alia ratio erat. De iis enim pater moriens per testamentum sive aliter disponere poterat ex arbitrio voluntatis suæ : nempe ea vel filiabus relinquere sive legare, vel alienare poterat. At si ab intestato decessisset, eadem illorum erat ratio quæ immobilium, nisi quod pars eorum sive portio aliqua etiam ad filias devolvebatur, non item bonorum immobilium, existente prole sive hærede masculo. Quare ex statuto Legis divinæ in bonis immobilibus, *Primò*, Filius patris sui hæres erat, sive pater vita functus eum testamento hæredem scripserat sive non scripserat, imo alium hæredem instituerat. *Secundò*, Filio nullo existente, filia patris sui hæres erat eodem jure ; sed hac conditione, ne extra familiam suam nuberet, atque ita hæreditatem ad aliam non transferret. Filia enim per matrimonium transit in viri familiam. Ex quo consequitur : 1. Matrem hæredem esse non potuisse, quia ea non conservat patris nomen & familiam, sed mariti sui. 2. Fratres ex matre, sive uterinos, alterum alterius hæredem esse non potuisse, uti fratres germani sive ex eodem patre, erant hæredes alter alterius. 3. Marium hæredem fuisse uxoris suæ, non contra uxorem mariti sui hæredem, sed sola dote & sponsalitiis arrhis gaudere potuisse. *Tertiò*, Filiis pluribus existentibus, primogenitus duplæ portionis hæres erat in bonis paternis omnibus, tam iis quæ jam extabant vivo adhuc patre & adiri poterant, quam quæ nondum exstabant, sed ad patrem necessario redire hæreditatis jure debebant sine controversia. In debitis, quæ incerta bona sunt, par primogeniti ratio erat quæ cæterorum filiorum. Ex æquo portionem suam cum iis dividebat : quia in textu *Deut.* XXI. 17 habetur, *Dabitque ei cuncta duplicia* בכל אשר ימצא לו *in omni quod inventum fuerit ei*, id est vel inventum jam extare in bonis paternis, vel tam certo rediturum quàm si jam exstaret. quod de debitis dici non potest, quia fieri potest ut illa non solvantur. Jus autem primogenituræ ad filium natu majorem ex uxore prima pertinere voluit Deus, quia amor ejus est prior : usque adeo ut affectui nihil dari voluerit in præferendo ei postgenito ex uxore magis dilecta : uti *Deut.* XXI. 15. 16. 17 videre est.

Atque hac quidem ratione concludimus examen præceptorum affirmativorum, quæ in Lege Mosaica contineri asserunt Hebræurum Magistri, & partem faciunt Legis oralis istius, quam à Mose ad Synagogam usque magnam de manu in manum traditam, & in hunc usque diem fideliter conservatam esse statuunt. Sed ex nostro hoc examine patet id non esse nisi commentum quoddam Magistrorum Rabbinorum, qui autoritatem sibi in populo quæsiverunt sub oralis traditionis titulo, ad obstringendum conscientias omnes interpretationibus suis quas super Lege Mosaica fecerunt. Id patet ex hisce :

1. Quia præcepta quædam plane coincidunt.
2. Quia non pauca à textus verbis alienissima sunt.
3. Quia nonnulla prima statim fronte absurda sunt.
4. Quia super nonnullis sententiæ variant.

Et quod caput rei est : quia numerus uterque tam affirmativorum quam negativorum artificiosè & operosè potius elaboratus, quam solidè & cum specie veri constitutus est, scilicet ad numerum ossium in corpore humano, & dierum in anno ; ut Cabalam potius futilem redoleant, quam rationem justam habeant, quam cuivis obvium sit statim deprehendere.

# LIBRI TERTII, SECTIO III.

## De Præceptis negativis.

### CAPUT I, seu

### Domus prima præceptorum negativorum, quæ est de fugiendo cultu Planetarum, & XLVII præcepta continet.

*Discrimen inter præcepta affirmativa & negativa.*

ANTE vestibulum domus hujus stabimus paulisper. Operæpretium enim est indicare, quid discriminis sit inter præcepta Affirmativa, sive potius jubentia, & inter Negativa sive potius vetantia, id est quibus vel commissio vel omissio præcipitur. Discrimen hoc in eo positum est ex sententia fere omnium Theologorum : quod præcepta Negativa sive vetantia omnia ac singula obstringant ad non faciendum id quod vetitum est, semper, ad semper & pro semper : id est, omni tempore, omni loco, & omnes personas tam fœminas quam mares. Nunquam enim, & nusquam & nemini faciendum est, quod Deus prohibuit : ut, non occides, non furaberis : nisi quidem Deus generali interdicto deroget per speciale jussum ac mandatum, ut cum Abrahamo juberet occidere filium suum, &c. Extra hunc casum præcepta hæc adeo rigide obligant, ut ne quidem tum, quando ex eorum transgressione bonum vel commodum aliquod magnum speratur eventurum, ea transgredi liceat. Nunquam enim & nusquam ulli mortalium faciendum est malum ut bonum inde eveniat : *Rom.* III. *vers.* 8. Et hæc tamen potissima, si non unica ratio est, ob quam credere quis probabiliter posset, licere sibi facere quod prohibitum est. Præcepta Affirmativa sive jubentia omnia ac singula non obligant adeo rigide ac præcise omnes personas, omni tempore, & omni loco : id est, semper, ad semper, & pro semper, ut loquuntur Scholastici barbarè. quia, 1. non obligant nisi ex eo tempore quo lata sunt. 2. Præcepta quædam talia nonnunquam sunt, ut simul fieri aut præstari nequeant, imo ut alterum præstandum alterum non præstandum ac negligendum sit : uti moribundum patrem solari, & filium alibi periclitantem de vita juvare. Negativa vero vel vetantia omnia simul præstari possunt. 3. Talia nonnunquam sunt ut præstari à nobis non possint, etiamsi velimus. ex. gr. eleemosynas dare pauperibus, ægros visitare, si videlicet vel ipsi pauperes simus, vel ægri, &c. 4. Talia quandoque sunt, ut ea præstari non sit necesse, ex. gr. eleemosynas dare ubi pauperes nulli sunt. 5. Talia quandoque sunt ut prudentiæ sit ea non observare : ex. gr. si confessio veritatis alicujus non necessariæ ad salutem, postuletur ab iis quos ea in summum detrimentum nostrum abusuros esse novimus, nullo fructu aut emolumento suo.

Notandum tamen hîc diligenter est : 1. Præstationem actuum præceptorum non relinqui arbitrio nostro, ut eos scilicet præstemus quando ita nobis consultum aut ex usu videtur ; sed secundum necessitates & occasiones oblatas eam administrandam esse, id est ut præstemus quod præcipitur, quando vel necessitas ita jubet, vel occasio occurrit quæ præstationem eam suadet aut suggerit : ex. gr. orare, visitare ægros, veritatem promovere, jejunare, &c. Posita enim necessitate præstandi, (sive necessitas ista oriatur ex divinæ gloriæ promotione, bonorum ædificatione, infirmorum scandalo, sive ex conscienriæ bene informatæ dictamine :) item oblata occasione valdè plausibili aut speciosa, prudentiæ omni carnali epicedium scribendum est, nec cum carne ac sanguine deliberandum. Sic non licebat Danieli triginta dies abstinere ab invocatione Dei, nec diviti abstinere ab eleemosyna quando Lazarus præ foribus jacebat inops & miser. 2. Actus externos distinguendos esse ab actibus internis. Ad hos enim præcepta affirmativa obligant omnes homines, omni loco & tempore, puta amare Deum, diligere proximum, &c. Ad istos non obligant præcepta ista omnes, omni tempore & loco, puta ad invocandum Deum, ad juvandum proximum, &c. Adde his, quando præceptum affirmativum sive jubens, & negativum sive vetans directè sunt contraria, sive secundum actum ; ut, dilige Deum, &, ne oderis Deum ; odio habe mundum, &, ne dilige mundum ; sive secundum objectum, dilige Deum, ne dilige mundum ; odio habe mundum, &, Deum ne habeto odio : tum transgressio vetantis præcepti gravior est quam jubentis, quia plus recedis ad obedientia si Deum odio habeas quam si eum non diligas ; &, si mundum odio non habeas, quàm si eum non diligas : & commissio mali vetiti, includit omissionem boni præcepti : ex. gr. odium Dei, non dilectionem Dei, &, non odisse mundum, dilectionem mundi.

*Primum.* I. Ne alium nobis fingamus Deum quam eum qui *Adonai* dicitur : *Exod.* XX. 3.

*Triplex est idololatria.* Præcepto hoc prohibetur idololatria primi generis, eaque crassissima. Triplex enim idololatriæ genus est : unum, quo

quo falsus Deus colitur sine imagine. Secundum, quo verus Deus colitur in imagine. Tertium, quo falsus Deus in imagine colitur. Primum genus idololatriæ est, quo alius Deus colitur, quam is qui verus Deus est. Alius enim Deus quicunque, vere εἴδωλον est Dei veri, quatenus cultus verò Deo debitus ei adtribuitur, id est, vel essentia divina, vel vita, vel proprietates, vel opera, vel gloria divina, tanquam cultus istius fundamentum & ratio.

*Alius Deus potius hic dicendum quàm alii Dii.*

Alium Deum cum dicimus, sensum textus allegati respicimus, non verba. Hæc enim plurali numero אלהים אחרים enunciata, & terminatione pluralia, significatione & sensu tamen sunt singularia: ac si legeretur, Non erit tibi Deus alius: quia in Hebræo est verbum singulare יהיה *Erit*, quod significat nomen plurale terminatione, cui verbum istud jungitur, singulare esse significatione, uti cum de Deo vero *Genes.* I. 1. dicitur ברא אלהים. Hinc Deus alibi verus & vivus dicitur אלהים חיים & אלהים קרשים quod Deus sanctus & vivus, non Dii sancti & vivi vertendum est. In hac enim voce usu venit, id quod in aliis etiam vocibus apud Latinos usu venit, ut licet terminatione plurales sint, significatione tamen non nisi sint singulares, ut literæ, pro epistola una; liberi pro una prole, Athenæ, pro una civitate. quamquam negari non potest, voces istas etiam pluraliter aliquando accipi posse: & sic fatemur etiam cum Procopio, vocem אלהים iisdem literis eodemque numero, & unum Deum significare posse & plures Deos: sed unum Deum tum significare credendum est, quando conjungitur cum verbo singulari: non quod non aliquando etiam vox אלהים conjungatur cum verbo plurali, quando unum ac solum verum Deum notat: (contra enim legere est *Genes.* I. 26, Et ait אלהים *Faciamus*: ubi adjungitur voci *ait* & *faciamus*. *Genes.* XX. 13. & XXXV. 7. & XXVIII. 13. & 2 *Reg.* VII. 23:) sed quod quando verbo singulari adjungitur, unum tantum notet: quod hoc in loco manifestum est; quia scopus Dei est prohibere non tantum plures alios deos coram se, sed alium quemcunque sive unum sive plures habere. Enimvero qui dicit, non erit tibi Deus alius, etiam dicit, Non erunt tibi dii alii; sed non contra. Nam potest aliquis unum Deum falsum colere, de quo vere dici nequit quod colat alios Deos. Ex quo sequitur legendum hic esse, *Non erit tibi alius Deus.*

*Alius Deus tribus vocibus in Scriptura effertur.*

Alius autem Deus in Scriptura dicitur vel אחר vel נר vel נכר. Prima vox alium Deum significat in genere; secunda extraneum; tertia alienum & peregrinum. Vocibus non ita oppositis, ut non aliquando coincidant, & indiscriminatim de Deo non vero usurpentur: attamen sic diversis, ut alius Deus tripliciter intelligi & concipi possit à nobis in Scriptura usurpatus: 1. Pro eo quem ipsi cultores ex proprio suo cerebro sunt commenti; qualis Deus erant vituli Jeroboami. 2. Pro eo quem à patribus suis cultores quasi per traducem acceperunt: quales dii erant dii Rachelis & Labanis. 3. Pro eo quem ab aliis populis adsumserunt; puta à Moabitis Chemos, ab Ammonitis Moloch, à Philisthæis Dagon, ab Accaronitis Beelzebub, à Sidoniis Astartem vel Astaroth: sive id fecerint necessitate aliqua compulsi, sive suasione inducti, sive pura puta voluntatis suæ electione moti. Apparet distinctio hæc ex eo, 1. quod Jeroboam fingendo vitulos pro arbitrio suo, accusetur passim in Scripturis quod fecerit peccare Israelem. 2. quod Scriptura exaggeret crimen idololatriæ, ex eo quod populus Israelis Deum ad zelum commoverit per extraneos deos, quos nec ipsi noverant neque patres eorum coluerant. 3. quod omnium pessimos eos vocet, qui alienorum populorum Deos ad cultum assumserunt: uti de Achabo legitur 1 *Reg.* XVI. 13. quando leve fuisse dicitur ei ambulare in peccatis Jeroboami; abieritque insuper & serviverit Baal, seque ei incurvaverit, &c. quod pejus fecerit in oculis Dei quam omnes qui fuerant ante ipsum.

*Tribus modis potest quis alium habere Deum.*

Alium autem Deum habere quis potest tribus modis: 1. Sola mente sive æstimatione sua per agnitionem & fidem divinitatis in eo. 2. affectu etiam, id est, amore, timore, fiducia, spe in illum. 3. externo etiam effectu sive signo honoris, cultus, adorationis, precum, eucharistiæ, sive laudationibus, sacrificiis, juramentis, votis, excelsorum, templorum, lucorum exstructionibus, altarium erectionibus, festorum dierum institutionibus. Tres hi modi tales sunt ut aliquando concurrere in eodem cultore simul possint, aliquando non concurrere. Fieri enim potest ut quis mente sola alium Deum pro vero Deo habeat, ita ut affectu nullo in eum feratur; non quia eum affectu isto non judicat dignum, (hoc enim impossibile est ut cum divinitatis conceptione consistat:) sed quod eum aut digniorem esse credat, quam ut affectu debito Majestati ejus colatur, aut majorem quam ut vel coli velit, vel cultum qui sibi à creatura sit curare, & præmio vel pœna ulla remunerare. Fieri etiam potest ut quis affectu etiam toto suo colat Deum istum alium, sed effectu sive actu externo ullo affectum istum non testetur; eò quod credat cultum Dei in animo solo positum esse, vel indignum Majestate ejus victimas mactare, thus adolere, per nomen ejus jurare, &c. Fieri etiam potest ut quis hoc postremo modo Deum alium colat, absque ulla veræ divinitatis conceptione aut attributione, eo solum fine dumtaxat ut vel consuetum morem sequatur, & à communi tritaque via non deviet, eumve damnare non videatur; vel ut gratiam eorum ineat quorum alioquin odium metuit; vel ut periculum evadat quod ex negato, neglecto aut contemto cultu isto secuturum aut omnino certum aut valde verisimile est.

Quocunque modo horum trium, alius Deus colatur, is tum pro vero Deo habetur; sive id fiat per erroneum mentis judicium, quo quod Deus non est, pro vero Deo habetur; sive fiat sola cultus illius præstatione externa, quæ ad modum idololatrarum fit, quamquam is, qui illum exhibet, norit eum Deum non esse, & ptoteſtetur se eum pro Deo vero non habere, quia protestatio contraria facto est. Factum enim in vetitis rebus magis in censum venit, quam aut mentis æstimatio, aut oris protestatio: uti id diserte colligere est ex *Esai.* XLIV. 16. 17. & 1 *Corinth.* X. 19. 20. & *Jerem.* II. 27. & ex eo quod in spirituali cultu luxuriosus vocetur idololatra, quia ventrem suum pro Deo habere dicitur *Philipp.* III. 19. & avarus, quia pecuniæ suæ affectum & curam omnem impendit, quæ idolo impendi solet aut potest: *Coloss.* III. 5. *Ephes.* V. 5.

Erroneum autem mentis judicium non tantum in eo collocandum videtur, quod quis alii isti Deo summam ac supremam divinitatem attribuat: hoc enim supremæ Majestati veri Dei summe injurium esse quilibet novit: sed quod ei divinitatem tribuat qualemcunque quæ ei non competit; puta vel parem & collateralem ei quæ vero & uni Deo propria est, vel inferiorem quidem & ministerialem, sed ejusmodi tamen quæ in eo resideat, cum divinæ cujusdam eminentiæ, autoritatis, potestatis & imperii titulo ac privilegio: quale erroneum judicium fuisse in gentilibus manifestum est, apud quos dii majorum gentium & minorum fuerunt in precio; & Angeli, stellæ, planetæ, dæmones, Satyri, &c. culti omni divini cultus genere, non ut summi nec ut collaterales summo dii, sed ut ministri illius, quorum interventu cum summo Deo communicarent: qua de re in superioribus nonnihil à nobis adnotatum est. Etsi enim non defuerint inter gentiles qui plures Deos æternos & æquales statuerunt, distributaque quasi imperia in cælum, aërem, terram, mare, singulis adsignaverunt; tamen plerique unum aliquod supremum Numen esse crediderunt, ex quo cæteri omnes Dii, quos vocabant, dependerent, & per quos ab eo hominibus vel bona tanquam averruncos, vel mala tanquam vejoves immitterentur: quos omnes uno nomine Scriptura vocat dæmonia, *Deuter.* XXXII. 6. 7. & 1 *Corinth.* X. 19. quia videlicet ejus opinionis autor, suasor, impulsor, approbator, & defensor fuit Dæmon sive Satanas, ejusque satellites: uti ex eo constat, quod dæmones isti qui vocabantur, cultores suos non rejiciebant, nec remittebant ad cultum summi Dei, imo eum cultum quantum poterant tollebant, non ferentes ut alius sibi à summi Dei cultu longe dispar cultus deferretur, eosque qui summum sibi cultum non impendebant, sed unius summi Dei cultum introducere satagebant, in odium & indignationem apud Magistratus & populos omnes adducebant. ut jam non dicam, quod eum colendi modum urgerent qui bonam honestamque mentem non deceat, per sanguinem scilicet humanum, per nudorum hominum in templis cursationem, per ludos & saltationes plenas spurcitiæ & nefariarum libidinum: qualia hodieque observantur apud Americæ & Africæ populos paganismi tenebris obsitos. imo, quod est amplius, & olim fuerunt & nunc sunt populi, ut recte Grotius aliique observarunt, qui malas mentes ipsumque adeo Cacodæmonem sive Satanam adorant, quem Satanam esse norunt ac profitentur, ut Arimanium Persæ, Cacodæmones Græci, Vejoves Latini, & nunc alios Æthiopum & Indorum quidam; quo nihil potest magis impium excogitari: quibus addi debent ii, qui ipsa astra & sidera sensu & intelligentia omni destituta, ipsoque homine proinde ignobiliora, imo usibus ejus destinata ac subdita; &, quod pejus est, bruta ac bestias vilissimas, canes, feles, ibides, crocodilos, lupos, accipitres adorant & veluti diis humanas carnes immolant: imo quod pessimum est, allia, cæpas, porrum, legumina Deorum loco censuerunt; non quasi ea summa Numina esse crederent, sed quod per ea vel uti per causas medias summum Numen aut offendi aut placari existimarent. Atque hic est cultus iste quem Deus hoc præcepto prohibet, cum ait: *Non habebis*, ô popule mi, *Deum alium* על-פני *coram me*, vel mecum, vel contra me, vel coram oculis meis aut coram facie mea, si-

ve aſpiciente & obſervante me ; ubicunque etiam habeantur, ſive in animo ſolo, ſive in affectu ipſo veſtro, ſive in ſecreto abditoque loco. Omnia enim etiam arcaniſſima patent mihi & obvia ſunt oculis meis: *Proverb.* XV. 3. *&c.* Certum enim eſt jam tum quando Legem populo ſuo Deus dabat, cultum hunc longè lateque per univerſum orbem obtinuiſſe, imprimis apud Chaldæos, Perſas, Ægyptios. Quo tempore cultus hic primum cæperit non eſt neceſſe expendere. Nos eum ante diluvii tempora cœpiſſe non legimus. Quare poſt diluvium, ac forte non multo poſt, cœpiſſe veriſimile eſt, etſi aliter ſentiunt Hebræi.

*Secundum.* II. Ne ſimulachra ſeu imagines vel ipſi nobis faciamus, vel per alios nobis ipſis fieri curemus: *Exod.* XX. 3.

Præceptum hoc & ſequentia duo proponemus primum, ut quæ de illis Judæorum ſit ſententia indicemus, deinde quid de ſingulis ſentiendum nobis ſit oſtendemus. Præcepto hoc ſimpliciter prohiberi volunt Judæorum Magiſtri fabricationem ſimulachrorum, ſive imaginum omnium iſtarum quæ idololatris ad cultum ſerviunt, aut eo fine ut ad, vel in, vel circa iſtas Deos aut Deum ſuum colant ; ſive fabricatio illa cum cultu conjuncta ſit, ſive non ſit, imo etiamſi nullo eas colendi fine aut animo inſtituatur. Per vocem פסל itaque ſimpliciter quamvis idololatricam imaginem, imprimis ſculptam & edolatam intelligi volunt.

*Tertium.* III. Ne figuram ullam aut imaginem idololatricam pro aliis ſive in aliorum gratiam effingamus: *Levit.* XIX. 4.

Præceptum hoc etſi verum eſt, tamen in textu non eſt, ſed colligitur à Rabbinis ex verbis iſtis. *Non facietis vobis Deos fuſiles. Ego Dominus Deus veſter* : ac ſi legeretur, Non facietis fuſilia ſimulachra idololatrarum more, nec in aliorum gratiam, nec vobis ipſis. Diſtinguunt inſuper inter ſimulachra quæ Judæus facit, & quæ gentilis idololatra. Hæc, ajunt, ſimulatque ſculpta, fuſa, aut edolata erant, protinus igne comburenda fuiſſe, ex vi Legis *Deut.* VII. 25 : *Sculptilia eorum comburetis igne.* Iſta adſervari aut aliis uſibus aptari potuiſſe quamdiu ad cultum uſurpata non fuerant : at ſimulatque culta erant, non aliter quam prima igne comburenda fuiſſe : idque ex verbis iſtis colligi quæ leguntur *Deuteron.* XXVII. 15 : *Maledictus vir ille qui fecerit ſculptile & conflatile abominationem Domino, opus manuum artificis, & poſuerit in abſcondito.* quaſi ſententia ſit, Eum qui fecerit ſculptile, ſed id non poſuerit in abſcondito, ſcilicet ad ſerviendum ei, aut ad colendum iſtud, maledictum non eſſe : ſed eum qui fecerit iſtud, ſimulque ad cultum uſurpare, ac proinde in adyto aliquo aut abdito loco in eum finem collocare auſus fuerit, tum demum maledictum eſſe ac pronunciari à Domino. Sed hæc collectio vana eſt.

*Quartum.* IV. Ne ſimulachrum aut imago ulla fiat ad ornatum tantum : *Exod.* XX. 23.

Præceptum hoc mirabilem in modum exponunt. Dicunt enim Hebræam vocem את׳י ſi legatur cum punctis iſtis & vocalibus quæ nunc ei ſubſcribuntur, *itti*, id eſt *mecum* ſignificare: at ſic legendam non eſſe, nec legi à ſuis quando puncta nulla voci apponuntur, ſed *othi*, cum cholem ſupra א, id eſt *me*. Senſum itaque literalem eſſe, *Non facies me*. Hoc autem impoſſibile cum ſit, cùm Deus nec ſit corpus, nec corpoream figuram ullam habeat ; hinc neceſſario colligi ſenſum horum verborum eſſe, Non facies את׳י *mecum*, id eſt figuram aut ſimulachrum ullum creaturæ iſtius, de qua ego aliquando dixi, quod ad imaginem meam facta ſit : atque idcirco his verbis prohiberi in lege hac ne imago ulla hominis ſculpatur aut edoletur. Sententiam hanc ſuam ut tueantur, verba hæc plenum ſenſum habere volunt, & cum ſequentibus non conjungi debere: idque indicari ajunt per accentum rethoricum Athnah, qui ſignificat pauſam, id eſt ſenſum abſolvi ſeu quieſcere integrum poſt pronomen את׳י. Quis non miretur acumen Rabbinorum & rideat affatim ? Cæterum prohibitionem hanc ſic interpretantur ut figuram omnem humanam, id eſt, non quæ vultum tantum humanum refert, ſed quæ integram hominis figuram fuſam, ſculptam, edolatam, expreſſam refert. Hinc pictas, textas, & inciſas in annulis humanas imagines prohiberi negant: quamquam negant annulis iſtis, qui inciſum aut inſculptum habent vultum humanum, ſignari quicquam poſſe. Quod ad animalia bruta attinet, quæ etiam vultum habent, ea pingi poſſe, nec præcepto hoc prohiberi ajunt, exceptis tantum quatuor figuris iſtis ſimul junctis quæ in viſione Ezechielis apparuerunt: Singulas enim pingi poſſe concedunt. Excipiunt etiam Angelos, Solem, Lunam, Stellas fixas & errantes, quarum picturam illicitam eſſe aſſerunt.

Atque hæc quidem eſt ſententia Hebræorum de præceptis hiſce tribus. Antequam ſententiam noſtram de hac re tota dicamus, verbo indicabimus quid in iſta Hebræorum ſententia nobis diſpliceat. Quinque ſunt imprimis quæ in eam animadvertenda putamus. 1. Quod præcepta hic tria cudant, cum revera non ſint niſi unum præceptum, ipſo Deo autore. Quorſum ? ut ſic excudant numerum ſuum Rabbinicum & commentitium 613 præceptorum. 2. quod præceptum ſecundum & tertium fingant, cum neutrum in textu ſacro ſit, uti verba textus legenti manifeſtum eſt. 3. quod diſcrimen faciant inter ſimulachra idololatrica à Judæo & à gentili facta, quantum attinet ad ea pari modo deteſtanda & è medio tollenda : cum contra potius credendum ſit, longe magis deteſtanda eſſe illa quæ Judæus quàm quæ gentilis facit. 4. quod videantur velle præcepto primo vetari tantum ſimulachra idololatrica, ſive ea quæ ab idololatris uſurpari ſolebant ad cultum deorum : ac ſi non quælibet etiam noviter excogitata, & quæ ad cultum unius veri Dei fabricata eſſent aut fabricari poſſent, iſto præcepto prohiberentur ; cum hæc vel maxime prohiberi hoc præcepto dubitari vix poſſit, ut poſtea videbimus. 5. quod figuræ humanæ ſculpturam etiam ad purum putum ornatum prohiberi velint, & quidem iſtis verbis quæ vel in ſpeciem id non videntur indicare, vel ſi violenta manu eò trahantur, quæ non minus picturam figuræ humanæ quam ſculpturam ejus prohibere dicendum foret. Utrumque hoc quod dixi per ſe liquet. Quis enim credat Deum dixiſſe, Non facies me ? 2, quis, ſi omnino credat id Deum dixiſſe, intelligat vel ſomniet Deum eo ſignificare voluiſſe, Non facies hominem qui velut ego ſum. id eſt non facies figuram hominis qui ad imaginem mei factus eſt ? Cribro opus foret ad hoc divinandum. 3. quis etiam hoc credens, vel ſuſpicetur Deum quando dicit, Non facies hominem, id eſt humanam imaginem, prohibere ſculpturam hominis etiam ad ornatum tantum, non vero picturam ejus & quidem non niſi ad ornatum ? cum verbum תעשון *facietis*, non minus ad picturam quam ſculpturam referri poſſit. Eſt enim verbum generale. 4. Denique quis ita inſrunitæ mentis eſt, ut verba hæc diſpeſcat à ſequentibus, & ea ſenſum completum in ſe habere credat ? Ex accentu Atnach id colligere, eſt ex incerto certum velle concludere. Quis enim accentus illos perpetuo & ſemper locum habuiſſe in textu adſerat ? Tum vel ex hoc ipſo loco cauſſa juſtiſſima datur ſuſpicandi, accentus iſtos multo poſt inventos textuique inſertos fuiſſe, cum per hunc accentum oratio in textu abſurda, & inepta Deo tribuatur, & ſine eo oratio fluat non minus eleganter quam perſpicue. Quid enim clarius pulchriuſve quam, Non facietis mecum Deos argenti, & Deos auri non facietis vobis ? Quid vero inſulſius quam, non facietis me ; vel, non facietis mecum ; ſenſu pendulo & prorſus inſipido ? Hæc eſt noſtra de Judæorum opinione ſententia : quam indicare operæpretium duxi, ut ſpecimen darem Rabbinicæ dicam ſuperſtitionis an vanitatis in præceptorum divinorum expoſitione.

*Quid de imaginum tum Dei tum creaturarum effictione, ſit ſtatuendum.*

Reſtat ut paucis ſubjiciamus ſententiam noſtram de præceptis hiſce. Nos ſic ſtatuimus. I. Simulachra idololatrarum gentilium omnia in univerſum neſaſta atque illicita eſſe. In hoc conveniunt Doctores omnes tam Judæi quam Chriſtiani. II. Simulachra omnia Dei Judæis vetita fuiſſe, juxta id quod legitur *Deut.* IV. 15. *Eſa.* XL. 18. In hoc ſimiliter conveniunt Doctores omnes tam Chriſtiani quam Judæi : inter quos hi illis longe divini præcepti retinentiores videri debent, quod ſola præcepti religione ducti, ab omni divinitatis repræſentatione, etiam ea qua ipſe Deus aliquando uſus videtur, abſtineant atque abhorreant ; cum illi repræſentatione iſta divina abuti non dubitent ad præceti divini manifeſtariam violationem. Actio enim Dei non eſt regula officii noſtri, ſed divinum præceptum. Ex quo conſequitur eos, qui Deum effingunt ſub forma ſenis aut cani hominis, non immerito gentilibus iſtis accenſeri poſſe, de quibus Apoſtolus *ad Romanos cap.* I. *verſ.* 23 ait, quod *mutarint gloriam incorruptibilis Dei in effigiem imaginem* (ἐν ὁμοιώματι εἰκόνος) *corruptibilis hominis.* Nec obſtat ſi dicatur, Deum tamen ipſi Danieli ſe repræſentaſſe ſub iſta forma. Nam 1. Deus ſibi ipſi legem non ponit, ſed nobis. Hinc iſta ipſa Dei actio nunquam Judæis ſuffecit ut propterea præcepto divino locum non debere eſſe crediderint. 2. Iſta ipſa actio Dei ſi ſufficeret, ineptè ſane Apoſtolus damnaſſet tam multo poſt gentiles, quod Deum aut gloriam Dei mutaſſent in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis. Ex quo etiam colligo eos, qui imagines omnes Dei ſub veteri lege illicitas fuiſſe aſſerunt, at non ſub Nova, ac proinde Dei & Trinitatis imagines paſſim in templo, compitis & plateis, pictas, ſculptas, fuſaſve ad ſimilitudinem hominis erigunt, ejuſdem cum gentilibus criminis reos eſſe & damnari ab Apoſtolo, ſi non majoris multo gravioriſque. III. Lege veteri non modo cultum & adorationem ſimulachrorum omnium vetitam fuiſſe, ſed & ſimulachra aut effigies omnes modo accommodato adorationi erectas atque conſtitutas. Modus autem accommodatus adorationi eſt, cum imago depicta aut ſculpta eſt per ſe, non vero vel-

uti

nti appendix & additamentum alterius rei, ad ornatum illius. In hoc conveniunt Judæi & plerique Christiani, interque Pontificios ipsos Vasquez. Ex imagine enim tali periculum idololatriæ est. Ex hoc colligo:

IV. Lege veteri non prohiberi omnem similitudinem aut effigiem quomodocunque, sive brutorum, sive hominis, sive Angelorum, uti non pauci olim Patres credidisse videntur, & Judæos, quantum ad homines & Angelos attinet, credere supra diximus; sed eam tantum quæ ad cultum accommodata est aut relata. Constat enim ex structura tabernaculi & templi Salomonis, Deum quosdam Spiritu suo donavisse qui affabre & elaborate varias figuras Cherubinorum, bcum, & aliarum rerum acu pingerent, manu sculperent, ascia edolarent: quos ista arte non tantum ad structuram templi, sed ad alia multa postmodum usos esse dubitari vix potest. Et ut de Angelis nihil jam dicam, quos propitiatorio superscultos fuisse constat, nulla sane ratio est cur Judæi credant, Deum lege sua vetuisse simulachrum hominis fieri. Nec enim in textu Legis tale quid apparet: & ratio qua Deus utitur, quando imaginem sui fieri vetat, in contrarium militat. Ratio ista est: *Quia imaginem nullam vidistis.* Imago autem hominis semper ob oculos est, nec quidquam vetat eam sculpi, fingi, pingi citra idololatriam aut idololatriæ periculum, ad memoriam, in exemplum, & ad ornatum.

*Omnia sine exceptione simulacra quibus cultus religiosus defertur idololatrica esse.*

V. Simulachra omnia, ex quacunque materia facta, sive ea archetypum rem existentem referant, tum cælestem, puta Deum, Angelos, Solem, Lunam, stellas; tum terrestrem & subterraneam, puta hominem, quadrupes, volatile, piscem, serpentem: sive rem non existentem, sed ex ingenio aut cerebro confictam, puta *semibovemque virum semivirumque bovem:* denique quocunque modo, sive per fusionem, sive per sculpturam, sive per picturam elaborata, ad cultum & religionem sive clam sive palam, sive domi sive in Ecclesia iis deferendam: omnia, inquam, ista idololatrica esse. Apparet id quod attinet ad Solem, Lunam, stellas, hominem, quadrupedes, volatilia, pisces, serpentes, &c. ex universa Scriptura Veteris & Novi Testamenti. Et quod attinet ad imagines ad verum Deum colendum fabricatas, (de iis enim quæ ad falsorum Deorum cultum eriguntur aut finguntur, lis nulla est) id evincitur ex tribus exemplis. 1. ex vitulo Aaronis aureo, quem Aaron precibus populi compulsus in deserto conflaverat: *Exod.* XXXII. 4. qui diserte à Stephano Protomartyre εἴδωλον vocatur. *Act.* VII. 41. *Vitulum* (inquit) *fecerunt in diebus istis, & obtulerunt sacrificium idolo, oblectaruntque se operibus manuum suarum.* Eum autem ad repræsentandum verum Deum Israelis formatum fuisse duo arguunt; 1. quia populus ipse de vitulo hoc pronuntiasse legitur, quod Deus ipsorum esset qui eos eduxisset è terra Ægypti. Atqui persuasissimum populo erat se beneficio Jehovæ ex Ægypto eductos fuisse: quia quando educebantur per Mosam, sub expresso nomine Adonai sive Jehovæ eductos sese fuisse meminerant. Nec obstat quod in plurali numero dictum legatur, *Hi sunt dii tui Israel.* id enim tantundem valet ac si dictum fuisset, Hic est Deus tuus; uti diserte exponitur *Nehem.* IX. 18: ubi in singulari numero legitur dictum, *Hic est Deus tuus qui te eduxit ex Ægypto.* ut jam non repetam quæ antea de voce Elohim dixi. 2. quia Aaron vitulum hunc cultui unius Jehovæ sive veri Dei Israelis consecratum fuisse diserte legitur dixisse, *ibid. vers.* 5: quando festum indicebat extructo coram vitulo altari, his verbis, *Cras erit solemnitas Jehovæ*, sive Adonai. Hoc enim proprium Dei Israelis nomen erat. Neque profecto verisimile est Aaronem, qui alium Deum præter verum Israelis Deum non habebat, aliter id facturum fuisse. Secundum exemplum est simulachrum Michæ, quod diserte *idolum* vocatur *Jud.* XVII. 5, in vulgata versione quæ Pontificiis authentica est, in Hebræo textu תְּרָפִים & פֶּסֶל. Id autem veri Dei Israelis cultui destinatum fuisse, mater Michæ indicat *vers.* 3. quando ait, *se argentum istud sanctificasse Iehovæ ad faciendum sculptile:* & ipse Micha *vers.* 13. qui Levita conducto declarat se Jehovam in eo colere velle, dicens: *Nunc scio, Iehovam mihi benefacturum, eo quod est mihi Levita in Sacerdotem.* Tertium exemplum faciunt vituli Jeroboami in Dan & Bethel erecti: quos consecratos ab eo fuisse vero Deo Israelis id arguit, quod dixisse legatur in hæc verba: *Ecce dii tui*, vel Deus tuus, *ô Israel, qui eduxit te è terra Ægypti.* 1 *Reg.* XII. 28. Cui accedit, quod si aliter fecisset sensissetve Jeroboamus, populus universus ab eo defecturus fuisset, quia patriæ religionis tenacissimus, ascendebat semper Hierosolymam testandæ suæ erga Deum Israelis religioni & fidei. Quia vero periculum defectionis inde metuebat, hinc vitulos istos honori veri Dei Israelis exstruxisse legitur, ne Hierosolymam ascendere colendi verum Deum caussa populus necesse haberet: sed ut eum in & ad vitulos istos commode posset colere. Adde quod historia ipsa testatur, decem istas tribus semper verum Deum coluisse, etiam quo tempore vitulos istos colebant. Hinc Jehu quando Baalis sacerdotes & statuas perdebat, dixisse legitur, 2 *Reg.* X. 26. *Vide zelum meum pro Iehova:* cum tamen à vitulorum cultu non recederet, uti ex *vers.* 29 videre est. Ex quibus colligere promtum est, simulachra omnia, etiam ista quæ ad repræsentandum aut colendum verum Deum efformantur, idololatrica esse, nec necesse esse, uti Bellarminus vult, ad id ut imago aliqua idolum vocetur, ut repræsentet id quod revera non est, sive quod falsum est, quales imagines gentilium fuerunt, quæ Venerem aut Minervam repræsentabant tanquam Deos fœminini generis, quales nec sunt, nec esse possunt: ut jam alia refutando commento isti non adferam. Quis enim negaverit, Solis, Lunæ, stellarumque imagines idola vere ac proprie fuisse, cum tamen eæ non repræsentarent nisi res existentes & ἀληθινὰ realia? Sed de his plenius suo loco agemus.

Ex hoc consequuntur hæc duo. Primo, Nefas esse ingens simulachra vel imagines ullas religiosas in locis religioni divinæ destinatis collocare, ut ad vel circa eas cultus aliquis religiosus exerceatur. Si enim imagines omnes Deum repræsentantes aut cultui ejus dicatæ, idololatricæ sunt ac censentur à Deo, multo magis idololatricæ censendæ sunt imagines eæ omnes, quæ dicantur iis, qui cultus, non dico tantum summi ac divini, sed cujuscunque prorsus sunt incapaces, utpote mortui & cultus omnis nostri ignari; ac proinde quorum cultus divino cultui servire nullo modo potest, sed cum injuria & ignominia divinæ tum Majestatis tum voluntatis sive Legis conjunctus est: cujusmodi imagines sunt, omnes illæ sanctorum & sanctarum imagines, quibus scatent ac redundant Pontificiorum templa atque oratoria, non aliter quam olim gentilium fana ac sacella; magno sane cum Religionis Christianæ opprobrio, scandalo Judæorum, simplicium non modo periculo, sed & pernicie manifestaria. Secundo, Satius & tutius esse nullas prorsus imagines in templis collocari, quam ad ornatum templorum & ad devotionis excitationem erigi: quia cum nullum Dei mandatum vel naturale vel positivum de faciendis imaginibus dari possit, & res per se non sit necessaria, imo cum periculum idololatriæ aut abusûs non leve sit, & res scandali atque offensionis plena, saltem apud eos qui religione divini præcepti hujus seria tanguntur, imprimis Judæos aliosque, profecto caritatis & prudentiæ est ab illis supersedere & prorsus abstinere. Ita sane ante annos fere mille trecentos censuerunt Hispani in Concilio Illiberitano, in quo canonem 36 constituisse leguntur hunc: *Placuit picturas in Ecclesiis esse non debere: ne quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur.* Sed de hac re aliàs pluribus.

V. Ne incurvemur coram idolis ullis: *Exod.* XX. 5. *Quintum.*

VI. Ne serviamus iis. *Ibidem.* *Sextum.*

*Quid Iudei intellexerint dicto de cultu imaginum comprehendi statuant.*

Duo hîc præcepta faciunt Hebræi: quæ sic distinguunt, ut per *incurvationem* intelligant externam religiosæ reverentiæ ac devotionis sanctæ testificationem, quæ coram idolis aut in gratiam idolorum fit; quam quatuor generalibus actibus comprehendunt & circumscribunt: 1. Adoratione sive προσκύνησις, aut corporis totius in terram prostratione, ad morem Orientalium populorum. 2. Sacrificiorum oblatione. 3. Thuris accensione & suffumigatione. 4. Templorum, fanorum, lucorum, aut sacellorum exstructione. Hi enim actus, seu simul exerciti, seu per se singuli, reos faciunt autores suos violati hujus præcepti divini, & pœnæ qua sancitum istud esse volunt Hebræi: sive ii exerciti dicantur animo colendi idola, aut numina per idola repræsentata; sive absque animo colendi ea, ex more aut consuetudine recepta; sive autores eorum primi fuerint gentiles, sive ii ipsi qui eos exercent: quia textus verba interdictum nulla limitatione circumscriptum continent.

Per *cultum* sive servitium, intelligunt, omnes illos religiosæ reverentiæ ritus, qui peculiares & proprii erant certorum quorundam populorum, sive quos ii peculiari instituto gentis suæ ad vel circa idola sua usurpare solebant: cujusmodi exempli gratia erant; manus osculatio, liberorum mactatio, corporis universi nudatio, lapidum projectio, &c. Hosce actus verbo עָבַד *abad*, designari volunt Hebræi; sive ii usurpentur ex religiosa devotione, sive contra; quia videlicet is qui eos usurpat credit eos esse actus vel ridiculos, vel vanos, vel actus non honoris sed dedecoris, non cultus sed contemtus idolorum. Actus enim istos qua tales, volunt esse actus religiosi cultus qui idolis istis defertur, quocunque tandem animo ac fine peragantur, & simpliciter hoc divino interdicto damnari ut idololatricos.

Sententia hæc Hebræorum nostro judicio est verissima, & simplicissimæ Dei intentioni convenientissima, quamquam probare non possum id quod duo hîc præcepta faciant, cum certum

certum sit, Deum ipsum præcepta decem facere, inter quæ si hoc præceptum duo præcepta continere dicatur, iam non decem sed undecim præcepta statuenda essent. Deinde non satis etiam dicere mihi videntur, quando universam externam religiosi cultus testificationem quatuor tantum actibus circumscribunt: quia plures dari ex Scriptura constat, puta votorum nuncupationem, juramentorum præstationem, aliaque. *Deut.* XVI. 20. *Esa.* XIX. 21. Sed hæc parvi momenti sunt. Cæteroquin certissima sunt omnia quæ asserunt: atque imprimis hoc quod contendunt, actus istos externos quocunque animo atque intentione fiant, idololatricos esse & censeri à Deo: ac proinde frustra esse omnes tum exceptiones tum protestationes quæ facto ipsi sive actibus istis externis sunt contrariæ. Tantum enim abest ut exceptiones & protestationes de actibus illis hoc animo, hoc fine exercendis aut exercitis, excusandis istorum auctoribus serviant, ut contra, quia actus istos externos exercent, id est quia se incurvant, adorant, genuflectunt, thus adolent coram imaginibus, eas ipsas pro Diis suis habere à Deo censeantur, etiamsi contra protestentur. Quare si quando procumbentes coram imaginibus, distinctione aut exceptione se excusare satagunt à violatione præcepti hujus, judicandi sane sunt Deum mendacii arguere, & mandatum divinum ludibrio propinare. Mendacii arguere Deum, quia cum Deus dicit procumbentem ante imaginem dicere ligno & lapidi, *Tu es pater meus: Jerem.* II. 26. 27. & *Esa.* XLIV. 17: illi dicunt, se id non dicere, sed contrarium, adeoque credere imaginem istam non esse Patrem suum, nec Deum suum. Ludibrio propinare Dei mandatum; quia si distinctio ista excusando autori suo sufficit, nemo unquam, ne gentilis quidem, licet idololatra maximus, idola & imagines adorans, thus eis adolens, vota eis nuncupans, &c. reus violati hujus præcepti agi posset, nisi secundum suam propriam opinionem judicaverit, imaginem illam vere Deum esse, & propterea se eam fingendo vere & reipsa Deum effecisse: quod ut homini ratione utenti eveniat, omnino impossibile est. Hæc res non parum confirmatur ex eo, quod cultus hujusmodi passim in Scripturis vocetur adulterium, sive conjugalis pacti perfida per spirituale adulterium cum alio viro dissolutio. *Oseæ* IV. 12: *Populus meus à ligno suo oracula quærit*, & baculus *ejus nunciat ei, quoniam spiritus scortationis seduxit eum, & scortati sunt à Deo suo*, &c. Atqui exceptiones & protestationes omnes partis adulteræ ad excusandum adulterii crimen vanæ sunt & ineptæ. Ipse enim actus adulterii per se crimen est, quod exceptionibus & protestationibus facto contrariis non modo non tegitur nec diluitur, sed augetur potius atque aggravatur. Exceptiones enim & protestationes significant, actum illum per se illicitum non destinatò tantum deditaque opera, sed & non consentiente adeoque invita altera parte commissum & paratum; ac proinde cum injuria ejus & pacti conjugalis violatione conjunctum esse.

*Christiani imaginum cultores magno sunt scandalo Judæis.*

Ex hoc concludimus duo. *Primò*, meritissimo jure Christianos illos, qui simulachrorum & imaginum cultu sese polluunt, Judæis exosos esse, & caussam iis non levem præbere cur alieniores maneant à religione Jesu Christi; eamque tantum non aversentur ac detestentur, utpote nimis directe divinæ Legis præcepto contrariam: imprimis eos, qui non contenti imaginum cultu, eo usque audaciæ processerunt ut divinam Legem tradituri, præceptum istud quod imaginum cultum severissime damnat, ex tabulis ejus, expungere non dubitent, tanquam ad se non pertinens: quod profecto piaculare crimen esse nemo sanæ mentis negaverit. Cui merito adjungendum est istud, quod præceptum Decalogi quartum in Catechismis suis mutaverint autoritate sua propria in hujusmodi præceptum, (quod directe Apostolicis præceptis contrarium est:) Observatote Festa Ecclesiæ.

*Examen exceptionum & distinctionum quibus cultum istum excusant.*

*Secundò*, Pontificiorum istorum, qui actus hos omnes externos, ad, vel circa, vel coram statuis, imaginibus & simulachris suis exercent, id est eas genuflexione sive adoratione honorant, sacrificia iis offerunt, thus adolent, vota nuncupant, juramenta deferunt, templa, altaria, & festa constituunt, &c. ut jam alia non addam: horum, inquam, exceptiones & distinctiones ad excusandum cultum istum ab idololatria vanas & futiles esse ac videri debere, cujusmodi sunt hæ:

*1. Inter imaginem & idolum.*

I. Aliud est imago aliud idolum. Nam, 1. hoc merum commentum est. Imago & idolum unum idemque sunt reipsa. 2. Esto. quid hoc ad rem facit? Deus voce *idoli* non est usus in lege sua. Ea vox interpretum est Græcorum, sed vocibus *Pesel* id est sculptilis, וכל-תמונה & *Kol Themunah*, id est similitudinis omnis, quam vocem Græci verterunt ὁμοίωμα: quæ sane usque adeo generalis est ut exceptioni ne species quidem relinquatur.

II. Alius est honor quem Deo deferimus, alius quem sanctis & eorum imaginibus. Ille est honor λατρείας, hic δουλείας & ὑπερδουλείας, pro gradibus excellentiæ, summæ, mediæ & imæ. Atqui 1. voces has ignorat Lex divina, quæ *incurvandi* & *colendi* verbis tantum utitur in Hebræo textu; Incurvationis actum non minus prohibens quam cultum. Incurvatio igitur quæ coram idolis aut imaginibus fit, quo colore ab iis incrustabitur aut fucabitur? 2. Quod ad vocem δουλείας attinet, ea *servitium* significat propriè, & quandoque in S. Scriptura Deo soli deferenda esse asseritur: 1. *Samu.* VII. 3: *Præparate corda vestra Domino, καὶ δουλεύσατε αὐτῷ μόνῳ.* λατρείας autem vox aliquando etiam significat servitium, quod hominibus præstatur: ut *Deut.* XXVIII. 48: λατρεύσεις τοῖς ἐχθροῖς σου. utraque etiam vox promiscuè usurpatur, & nunc summo Deo nunc creaturis aptatur. Summo Deo tribuitur vox λατρείας *Matth.* IV. 10. *Heb.* IX. 14. Creaturis, *Rom.* I. 25. vicissim vox δουλείας summo Deo: 1 *Thess.* I. 9: δουλεύειν θεῷ ζῶντι καὶ ἀληθινῷ. Creaturis, ad *Gal.* IV. 8. ut jam alia non allegem. Ex quibus efficitur, ad rem non facere quocunque vocabulo aut phrasi cultus religiosus exprimatur, sive per verbum λατρεύειν, sive per δουλεύειν, sive per σέβεσθαι, sive per προσκυνεῖν, &c. dummodo reipsa constet cultum religiosum esse; quia Scriptura promiscue & indifferenter verbis istis omnibus utitur. 3. Actus isti omnes, puta sacrificare, suffire, templa, altaria ædificare, vovere, festa, jejunia, peregrinationes instituere, per nomen jurare, cultus sunt non analogici sed univoci & soli Deo vero debiti. quod adeo verum est, ut ipsa προσκυνήσεις, quando non civilem sed religiosum cultum notat, pro toto cultu divino usurpetur, quem Christus Diabolo, & Angelus ipse sibi abjudicat ac deferri prohibet, hoc argumento, quod Dei proprius sit; *Matth.* IV. 9. 10. *Apoc.* XIX. 10. 4. Distinctiones λατρείας & δουλείας, sive cultus qui Deo & qui imaginibus defertur, adeo sunt subtiles, ut inter ipsos imaginum cultores de earum recto sensu ac sententia non convenerit hactenus, nec etiamnum conveniat. Quæ res una sufficere probo cuilibet potest, ad concludendum distinctiones illas non esse nisi περίεργα, & βαῒν τὸ Σαβαΐτ sive ὑπέρογκα μαζιώτητες, quibus color tantum idololatriæ quæritur, verbisque claris ac perspicuis præcepti divini tenebræ suffunduntur, cum maximo imagines colentium non periculo tantum sed & damno. Profecto si Magistris ipsis nondum certo constitutum est quis sit cultus imaginibus debitus, miserrima est conditio indoctæ plebis, quæ adigitur ad cultum dubium, incertum ac controversum. Et, si quid aliud, id profecto summa admiratione dignum est, quod in gratiam saltem miseræ plebis, Ecclesia Romana, sive potius Pontifex Romanus, quem controversiarum omnium infallibilem judicem facit, controversiam istam non decideris hactenus: cum non nesciat, decisionem ejus maximi momenti esse, & absque ea idololatriam, quæ in modo indebito imagines colendi præcipue posita est, evitari non posse. Incertum, supinæ negligentiæ, an malevolentiæ tribui id debeat.

*2. Inter cultum latriæ, duliæ, & hyperduliæ.*

*An eadē sit adoratio imaginis & exemplaris, an verò diversa.*

Nempe controversia hæc est: An eadem sit adoratio imaginis & exemplaris, an vero diversa. Et super hac variant sententiæ mirum in modum. Sententia enim Durandi & aliorum exploditur ab iis pari sententia, qua statuitur imaginem nullo modo in se aut per se adorandam esse, sed solum coram imagine adorandum esse exemplar: juxta id quod versus compositi tempore septimæ Synodi habent, & à Sabellico Poëta referuntur.

*Nam Deus est quod imago docet, sed non Deus ipse.*
*Hanc videas, sed mente colas quod cernis in ipsa.*

*Tres ea de re Pontificiorum sententiæ.*

Quæ tamen sententia est vulgi, & sub qua se excusant vulgo omnes idolorum adoratores. Cæteroquin tres fere sunt communiores de ista controversia opiniones. *Prima*, quæ statuit imagines adorandas quidem esse propter exemplaria, non propter se; sed adorari tamen ut terminum proximum & integrum adorationis, peculiari quadam adoratione qua exemplar non comprehenditur, quæ distincta sit & inferior ab adoratione exemplaris. *Secunda*, quæ statuit imagines cum exemplari eodem motu adorationis adorari; sic ut nec cogitatione sola imago sine illo vel ab illo separata adorari possit: non solum quia necesse est propter exemplar tanquam propter rationem remotam, sicut legatum propter Regem, imaginem coli: Sed quia qui imaginem colit & adorat, in ea quoque & per eam exemplar ut terminum & materiam proximam adorationis, necessario venerari debet. Et hæc est sententia Vasquez. *Tertia*, mediam viam tenet: quæ statuit, imagines ab exemplari divisas inferiori quadam adoratione coli, etiamsi illa propter exemplar tribuatur, ut prima sententia tenet. Quando vero adorantur, per accidens conjunctæ, scilicet cum prototypo tanquam aliquid illius, eadem adoratione latriæ cum ipso exemplari per accidens adorari. Sententiæ hæ intelligi non possunt nisi recte intelligantur termini: Per se, per accidens; propter se,

pro-

propter aliud; propriè & impropriè colere aut honorare. Per se honoratur suppositum in quo est ratio venerationis, puta Rex, ut objectum quod; & ipsa dignitas atque excellentia regia, ut objectum sive ratio quâ. Per accidens honoratur id quod conjunctum est supposito, non ut pars suppositi, neque ut ratio qua, putà purpura, vestes, corona aut diadema regium. Propter se honoratur, quod vere habet in se rationem venerationis, non dependentem aliunde: Sic natura rationalis sola est venerabilis. Propter aliud, quod habet quidem in se caussam adorationis & honoris, sed ita ut caussa illa dependeat ab alio: & hoc modo signa rerum sacrarum sunt venerabilia. Proprie id honorari dicitur, quod verè ratione sui ipsius adoratur aut honoratur. Improprie quod loco alterius honoratur. Sic quando Legatus honoratur ut legatus, ipse quidem propriè honoratur, licet propter alium, id est propter Regem honoretur: quando verò Legatus loco Regis honoratur honore proprio Regibus debito, tunc ipse improprie honoratur, proprie autem Rex in ipso honoratur. Juxta has distinctiones sic dicendum est.

Quod ad primæ sententiæ autores & patronos attinet, ii negant imaginem ullam adorandam esse eadem adoratione cum exemplari, etsi agnoscant nullam ei adorationem deberi nisi propter exemplar, quia imagines propter se & nisi cum aliqua relatione ad prototypum non essent adorandæ. Ratio eorum est, quia quocunque modo consideretur imago, sive pro materia, sive pro repræsentatione, semper est & manet aliquid creatum. Ergo adoratione latriæ adorari non debet: sed alia inferiore. Quod ad tertiæ sententiæ autores & fautores attinet, ii distinguunt inter adorationem imaginis per se & per accidens. Per se dicunt imagines adorari ab exemplari divisas, inferiori quadam adoratione, quamvis eis propter exemplar tribuatur: Per accidens autem eadem adoratione cum exemplari, tanquam aliquid illius, seu partem, seu conjunctum cum eo, sicut purpura & thronus cum Rege, pars cum toto, corpus cum anima. Illa propria, hæc impropria ipsis vocatur adoratio. Quod ad secundæ sententiæ patronos attinet, ii sentiunt imaginem per se, nisi exemplar contineat & cum eo conjungatur, non esse capacem alicujus adorationis, ac proinde non nisi cum exemplari cum quo integrum & proximum adorationis terminum constituit, esse colendam.

Hinc acris lis inter Magistros, & utrimque non sine contumeliis & convitiis. Qui primam opinionem sequuntur, ii hæresin tantum non impingunt posterioribus, quod imaginum adorationem Synodo VII definitam plane evertant, quia imagines adserunt non esse proprie ac per se adorabiles, neque ut totam materiam adorationis, neque ut partem ejus, sed solum abusive & impropriè: cum statuendum sit adorationem ferri in imaginem tanquam terminum, & cum intentione non modo adorandi in ea prototypon, sed etiam ipsam imaginem, etsi alia inferiore adoratione quam qua ipsum prototypon adoratur. Qui secundam opinionem sequuntur, ii tantum non idololatriam apertam primæ sententiæ autoribus tribuunt, quia imago est res irrationalis & inanima, quamtumvis ut imago, sine exemplari tamen consideretur. Rei autem inanimæ sive irrationali sine rationali cultum adorationis deferri, quid aliud est quam idololatria?

Nec referre ajunt si dicatur imagini deberi adorationem per se, non ratione sui, sed ratione exemplaris ad quod refertur, ita tamen ut ille honor non attingat exemplar tanquam id quod adoratur; sicut Legatus colitur propter regem per se, sic ut licet legatus sit terminus honoris, non tamen colatur ratione dignitatis quam ex se habet, sed propter eam quam à rege habet. Rex igitur est ratio cur legato honor deferatur, quamvis Regi non deferatur sed Legato. Hoc, inquam, nihil referre, quia imago quando per se adoratur gratia exemplaris, ipso tamen exemplari non adorato, res tamen non nisi bruta, inanimata, & sensu ac vita destituta est & manet, neque excellentia aut virtus aliqua ab exemplari in eam derivatur, quæ cultus & adorationis per se, ratio sit. In legato Regis alia ratio est, quia in eo est propria quædam excellentia, seu naturalis ut in omni homine, seu etiam in eum à rege derivata, supra eam quam fortuna propria habet. Ad hanc litem alia accedit, quæ est de qualitate cultus illius quem imagini per se deberi volunt Doctores primi, per accidens postremi, An videlicet sit λατρεία an δουλεία. Respondent illi, ut ex Bellarmino liquet, quod ad modum loquendi attinet, præsertim in concione ad populum, non esse dicendum imaginum cultum esse λατρείαν aut imagines λατρείαν adorari debere, sed è contrario eas non debere sic adorari. Si de re ipsa agatur, admitti posse, ut dicatur, imagines posse coli impropriè vel per accidens eodem genere cultus, quo exemplar ipsum colitur. Dicunt autem cultum imaginum nunc ad latriam nunc ad duliam pertinere, pro ratione exemplaris. Si sit imago Dei, ad latriam pertinere ejus cultum: si sancti alicujus, ad douliam: Si Mariæ virginis ad ὑπερδουλείαν, sic tamen ut cultus iste imaginis Dei absolute non sit latria, sed analogice tantum & reductive. Contra alii contendunt cultum istum, quomodocunqe vocetur, simpliciter & proprie fore latriam; quia non datur nisi una tantum eaque soli Deo debita latria. unde colligunt eos jure posse vocari εἰκονολάτρας, & quia latria & servitus in imagine collocatur, ac si numen esset aut excellentiam haberet, εἰδωλολάτρας: sic enim imaginem idolum fieri.

Ex hisce liquet distinctiones has non esse nisi futilia quædam commenta, quibus sibi fucum facere conantur malesani homines, ne manifestarii divinæ legis violatores videantur: cum tamen nec ipsi ea suis subtilissimis collegis probare possint, nec sibi plene satisfacere, inter ambigua & incerta subtilitatum hærentes, & sibi aliisque crucem figentes ex qua suspensi hærent. Nempe in illos quadrant vere ea dicta: *Quum dictitent se sapientes esse, stulti facti sunt: Rom.* I. 22. &, *volentes esse Legis Doctores, ipsi non intelligunt nec quæ loquuntur nec quæ strenue adseverant: 1 Timoth.* I. 9. Signum hujusce vanitatis manifestum est, quia id quod credunt absolute necessarium esse statuere de modo colendi imagines, ne idololatria committatur, absolute tamen doceri, in concionibus imprimis ad populum vetant: contra vero id quod in aliis Doctoribus tanquam hæresin damnant, incautæ plebi simpliciter inculcari jubent, nempe imagines non propter se sed propter personas quas repræsentant in honore haberi, & in ipsis imaginibus personas ipsas coli & adorari, absque subtiliori discussione. Nempe satius esse ajunt coram plebe caute & diserte loqui, remque sub communibus tantum terminis proponere, quam sub Scholasticis terminis qui vix intelligi queant. At quid hoc aliud est quam plebem fallere, & manifesto periculo vel gravissimi (ut credunt) erroris, vel veræ idololatriæ exponere? Quid enim proclivius quam ut imperita plebs, terminis istis generalibus inhærens, incidat in opinionem Durandi & aliorum, quos veluti imaginum colendarum hostes & hæreseos patronos (etsi non hæreticos quatenus opinionem suam submittunt Ecclesiæ judicio) plerique Doctores damnant? aut in sententiam eorum qui imagines per se adorari posse ac debere asserunt, quos damnat Vasquez aliique ut εἰκονολάτρας. Deinde quid difficilius imperitæ plebi, quæ in imaginum cultu Magistris suis longe occupatior est, quam discernere quid sit, non dico jam latria, doulia, & hyperdoulia, sed cultus ille inferior quem imaginibus per se deberi volunt autores primæ sententiæ, qui non sit simpliciter, sed secundum quid, sed analogice, sed reductive, sed impropriè aut imperfectè latria, doulia, & hyperdolia? Quotusquisque in plebe de cultu analogico imaginum cogitat? quæ mensura ei certa est, ad quam ita regulet cultum imaginum, ut dum instituit latriam analogicam, in propriam, atque ita in veram idololatriam, non incidat? Nescias profecto utrum miseriores Doctores sint qui plebem sic instituunt, an plebs miserior quæ tales Magistros ac Doctores nacta est, & sub jugo eorum gemit.

Cætera κεφάλαια jam non tangimus, & vix digna sunt quæ operosè refutentur. Nos omnibus istis unam simplicitatem opponamus, quæ religione præcepti divini contenta, tuta est ab erroris & idololatriæ periculo, ac secura ridet subtilitates, tanquam errorum latebras & idololatriæ compedes. Intra interdictum divinum rigide stare, periculo omni caret. Ab interdicto vel latum unguem abire, periculosæ plenum est aleæ.

VII. Ne filius aut filia Molocho per ignem traducatur: *Levit.* XVIII. 2. *Septimum.*

Præceptum hoc speciale faciunt Hebræi: sine caussa. Etenim certum est id contineri sub præcepto isto generali de non colendo idola, id est de nullo ritu idololatrico usurpando, circa, coram, aut ad idola, quæcunque tandem ea esse possint. Sententia præcepti pendet ex cognitione tum idoli ipsius, tum ritus istius qui idolo isti peculiaris fuit & proprius.

Idolum *Moloch* dicitur, quod proprium Ammonitarum, id est posterorum Lothi ex Ammone filio ejus ex incæstu nato oriundorum, *Genes.* XIX. 38, idolum fuisse constat ex 1 *Reg.* XI. 5. 7. 33. uti Chemos idolum Moabitarum, ex Moab Lothi filio & Ammonis fratre procreatorum, constat ex 2 *Reg.* XXIII. 13. Moloch. Hebraice *Molech*, *Milcom*, & *Milcham*, Regem significat, aut regem eorum: quia videlicet idoli hujus cultores credebant numen eo repræsentatum, esse summum maximumque, & Deum sive ἄρχοντα aut βασιλέα Deorum. Nempe gaudebant Orientales populi mirum in modum vocabulo Regis & regio imperio. Itaque supremo Numini, nec aliud convenientius, nec aliud dignius nomen aptari posse sibi persuadebant. Ei adfine aut par vocabulum, *Adonai* Dominus, & *Baal* aut Bel qui quorundam *Quale fuerit idolum Moloch.*

Deus indigetatus. Saturnum hunc sive κρόνον aut χρόνον (littera enim χ posterioris ævi est, nec in sexdecim Cadmi literis erat,) fuisse pene omnes credunt; quippe quem fabulæ idcirco referunt vorasse filios suos, & ne vagitus puerorum eorumque ululatus audirentur cymbala & tympana quati solita. Ego non velim refragari. Certum est Pænos & Carthaginenses Saturno humanas hostias immolare solitos fuisse, tanto zelo & superstitione, ut (quod ex Plutarcho, περὶ δεισιδαιμονίας docemur) ii, qui illiberes erant, à pauperibus liberos emerent, quos Saturno mactarent: tanta etiam pertinacia ut morem istum retinuerint usque ad Augusti & Tiberii tempora, nec desiterint, usque dum Tiberius Cæsar tantæ crudelitatis aut osor aut impatiens, Sacerdotes cum sacrificiis perdidit. Pænos autem Phœnicum aborigines & coloniam fuisse non minus certum est. At de his testatur Athanas. orat. adversus Græcos: φοίνικες, inquit, καὶ Κρῆτες τὸν κρόνον οὐ ξένοις ἰσχυρίσαντο ἐπιτηδεύμασιν. Hos vero à Syris vicinis cultum hunc accepisse & mutuatos esse, id videtur non obscure arguere quod 2 *Reg.* XVII. 31, Sepharvæis tanquam propria superstitio tribuatur, quod filios suos conburebant igne ipsi *Adramelech* & *Anamelech*, NB. Diis Sepharvæorum. Adramelech autem & Anamelech, unde nisi à Moloch aut Melech? An ab his ad Ammonitas, an contra, pervenerit, incertum est. Scriptura videtur favere opinioni isti quæ censet Ammonitas inventi hujus autores fuisse. Quale fuerit hoc idolum, incertum esse docent variæ & discrepantes de eo conjecturæ, dicam, an fabellæ? Nostra id parum refert. Locus ejus cultui destinatus fuit vallis filiorum Hinnom, ut ex 2 Reg. XXIII. 5, liquet, nemorosus, in agro suburbano & fontibus Siloes irriguus, Hieronymi temporibus: sive sic dictus à proprio nomine possessoris Hinnom, sive derivata voce à נהם id est gemuit, rugiit, à rugitu scilicet sive ejulatu puerorum dum exurebantur: cui convenire videtur vox Tophet, quæ derivata est à תוף id est tympano (unde nostrum Belgicum *Dobbe dobbe, dob*) quod pulsari solebat à sacerdotibus, dum sacra fiebant, ne lamenta ejulantium exaudirentur.

*Ritus illi infantes offerendi.*

De ritu qui præcepto hoc prohibetur non omnino convenit. R. Maimonides & qui eum fere plerique sequuntur, statuunt ritum hunc non fuisse nec mactationem nec crematione liberorum, sed tantum traductionem eorum per flammas utrimque ardentes: vel circumlationem eorum circum rogum aut pyram, ita ut flamma leniter & tenuiter infantes quasi raderet, perstringeret aut lamberet. Traductionis modum hunc faciunt: Duæ pyræ exstruebantur: Illis utrimque incensis, per illarum medium traducebantur liberi à parentibus, & sic veluti februabantur, Sacerdotibus Molochi rem procurantibus. Circumlationis modum hunc faciunt: Pyra una exstruebatur: & pater filium vel filiam Sacerdoti sistebat; Eum Sacerdos Patri restituebat. Tum pater acceptum filium flammæ identidem admovebat, & sic quasi per flammam transire faciebat, nempe à Sacerdotibus persuasus, nisi iste honor igni Regio fieret, infantem ante tempus moriturum, & neglectum religionis morte luiturum intempestiva, uti Maimonides ait. Sententiæ huic favere videtur phrasis Scripturæ, de non traducendo aut transire faciendo liberos, quæ crebro & nominatim in loco unde hoc præceptum desumtum est usurpatur. Aliud autem videtur esse traducere, aliud comburere.

Contra sentiunt alii, etiam inter ipsos Hebræos: qui ritum hunc volunt in eo constitisse, quod parentes liberos suos ita per ignem traducerent ut eos etiam Molocho offerrent vivicomburio mactandos, nempe ut statuæ ejus manibus leviter sublatis iterumque pandis in terram demissis impositi liberi, præcipites delaberentur in subjectum barathrum igne & ejus alimentis plenum, atque ita absumti holocaustum & vivicomburium Deo fierent. Horum sententia longe est verisimilior, propter has rationes: 1. Quia Scriptura non traductionis tantum, sed combustionis per ignem & in igne mentionem facit: *Jerem.* VII. 31: *Et ædificaverunt excelsa Topheth, quæ est in valle filii Hinnom, ut comburerent filios suos & filias suas igne: quod non præcepi nec ascendit super cor meum.* Combustionem autem ibi significare exustionem, versus sequens arguit, *Non dicetur ultra Tophet & vallis Filii Hinnom, sed vallis interfectionis.* Et *Jerem.* XIX. 5: *Ædificaverunt quoque excelsa Baal* (Molochum intelligit: Baal enim & Moloch significatione non differunt; atque idcirco aliquando ea nomina permutantur. Intelligi autem Molochum versus sequens indicat.) *ad comburendum filios suos igni in holocausta ipsi Baal*, &c. *propterea non vocabitur amplius Topheth, sed vallis occisionis.* Occisio autem ibi totalis intelligitur: quod vox holocaustorum indicat, & verba præcedentis versus, (si ea referre huc velimus) *& repleverunt locum istum sanguine innocentum.* Verba autem hæc eò referri debere id arguit, quod iisdem plane in hac de sacrificio Molochi caussa utatur David, ad ritum sacrificii quod Molocho fieri solebat declarandum, *Psal.* CVI. 37: *Nam sacrificaverunt* יובחו, id est proprie mactarunt *filios suos & filias suas dæmoniis. Et effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum & filiarum suarum, quos sacrificaverunt sculptilibus Canaam, & infecta est terra sanguine.* De Molocho quin agatur dubium non est. Constat enim Saturno soli victima humana litatum fuisse. 2 ratio est: Quia ritus Carthaginensium qui Phœnicum colonia fuerunt, & Pæni etiam idcirco dicti fuerunt, quando Molocho faciebant sacra, consistebat in vivicomburio infantum, aut aliorum quorumcunque, sive autoritate aliena, sive voluntate propria ei devotorum, uti ex historiis liquet: atque imprimis post cladem ab Agathocle acceptam, quando decreto publico placuit ducentos optimatum filios Saturno sic immolari, & totidem alii sponte se obtulerunt. Hinc Ennius de Pænis.

*Ille suos Divis mos sacrificare puellos.*

3 ratio est: Quia locus cruciatuum & tormentorum maximorum, adeoque infernus ipse, qui sic dicitur, seu ἅδης valli isti Hinnom non modo assimilatur, sed ipsa vallis sive Gehenna ignis appellari in populo solebat: quod signum est non obscurum, in valle ista non solitos tantum fuisse traduci per ignem liberos, id enim sine cruciatu, saltem sine magno cruciatu fieri poterat, sed & vivos flammis consumtos combustosque fuisse: ut jam non dicam, vix aliter quis usus tympanorum & cymbalorum pulsandorum in sacris istis fuerit, intelligi posse.

Unde tam horrenda superstitio, non dico profluxerit, sed invaluerit, vix dici potest. Ego lachrymas conditioni humanæ impendo, cui uni superstitionem datam conqueritur Plinius. jure sane, si in hos tam cruentos usus. Quantopere eam abominatus sit Deus ex pœna apparet statuta in talem superstitionem, nempe gravissima Lapidationis. & quidem (si Judæis fas est credere, mortalium subinde ineptissimis) si ea semel exercita esset, id est si parens unum tantum filium immolasset: at si plures aut omnes immolasset, crimen fuisse gravius quam ut pœna hujus vitæ expiari posset. itaque ejus pœnam non nisi post hanc vitam æternis ignibus luendam esse. Nec minus etiam mirum id videri debet, quod Hebræi asserere non dubitent, pœnæ hujus reum non esse eum, qui vel fratrem, vel patrem vel sororem vel seipsum traducit per ignem, eo quod hujusmodi actus in specie non contineatur sub isto cultus genere quod idololatriam hanc constituit. Profecto uti in isto, ita in hoc commento prorsus mihi videntur desipere. In isto, quia Scriptura numeri mentionem non facit, & fere in plurali de filiis vel filiabus loquitur. 2. quia sic, qui non nisi unam prolem haberet, lapidandus non esset. Offerret enim omnes liberos suos, non minus quàm is qui multa prole auctus, omnes offerret mactandos Molocho. & quid eis tum fieret, qui plures liberos offerrent una prole excepta? In hoc, quia etsi crudelitas major sit filium suum offerre, quam fratrem, aut patrem, criminis tamen idololatrici specifica ratio non consistit in crudelitatis quantitate, sed in qualitate, id est vel sanguinis innoxii cujuscunque effusione, vel consecratione vivi hominis honori & gloriæ dæmonis & idoli ejus. Sed nos istas ineptias respuere malumus quam refutare.

VIII. Ne actus *Ob* exerceatur.
IX. Ne actus *Ideoni* exerceatur. } *Levit.* XIX. 31.
X. Ne consulatur oraculum *Ob*.
XI. Ne consulatur oraculum *Ideoni*. } *Deut.* XVIII. 11.

*Octavum, Nonum, Decimum. Undecimum.*

Quatuor hîc præcepta cudunt Hebræi, cum vel ad duo vel ad unum tantum redigi possint, & priorum duorum in textu nulla fiat mentio. Esto. pro more suo faciunt, ut numerum 613 præceptorum ex textu extundant atque extorqueant, sexcenta insuper extorturi, si velint.

Intelligentia præceptorum horum pendet ex intelligentia vocum אוב sive אובת & ידעני sive ידעונים. *Ob* prima vox, aliquando significat ipsum Spiritum sive dæmonem responsum dantem: aliquando hominem à dæmone responsum quærentem. Proprie tamen *Ob* Spiritus erat sive dæmon, uti ex *vers. ult. cap. XX Levit.* apparet. Magus vero vel ariolus, sive vir sive mulier esset, dicebatur *Baal*, sive *Baalath Ob*, id est, dominus vel domina *Ob*, vel Spiritus istius, uti apparet ex 1 *Sam.* XXVIII. 7. ubi Pythonissa illa quam consulebat Saul vocatur אשת בעלת אוב *Eshet Baalat Ob*, id est mulier domina *Ob*. Ratio autem consulendi hæc juxta Hebræos erat: Ariolus nidore aliquo certo suffumigatus virgam myrteam manibus tenebat, & verba quædam peculiaria sacris istis pronunciabat apud sepulchrum mortui alicujus: Tum vero derepente vox quædam submissa, & quæ è cavitatibus terræ videbatur egredi, ad ariolum istum deferebatur, non tam quæ aures ejus feriebat, quam quæ phantasiæ ejus imprimebatur, qua responsum continebatur sive oraculum dabatur. Alii aliter paulum consulendi rationem & formam referunt:

runt: videlicet quod *Ob* sive spiritus dæmonis, vel à capite sive axillis arioli aut defuncti; vel ab obscænis, & quæ honeste nominari non possunt, partibus pythonissæ mulieris responsa dabat. Horum opinio fere nititur versione LXX. interpretum, qui ת אובות plerumque vertunt per ἐγγαστριμύθους, semel vero tantum per τοὺς ἐκ τῆς γῆς φθεγγομένους, id est ex ipsa tellure sonum reddentes: *Esa. cap.* XIX. 3. Et sane verisimilis etiam est ista opinio: quia fere solent Pythones & Pythonissæ vocari à Pythone serpente occiso per Apollinem, qui Apollo Pythius vocatus est idcirco, unde oraculum Pythium dictum est, Pythonesque & Pythonissæ vates isti per quos idem Apollo (revera malus genius) responsa dabat; quos Græci ἐγγαστριμύθους & ἐγγαστριμάντεις appellant, & nonnunquam γαστρομάντεις & ὑποφομάντεις; quasi qui è ventre vel pectore responsa darent ac divinarent: Sancti Patres ventriloquos vocant. Atque hanc ob causam arbitrantur multi hariolos istos ita spiritu plenos, & ventre tumido responsa dantes, dictos אובות. Nam venter seu uter inflatus Hebræis dicitur אוב. unde & prisci Latini, in rebus sacris Hetrusca id est Phœnicia origine, prægrandia vasa *Obbas* sive *Ubbas* appellabant. Sunt tamen qui hos proprie volunt intelligi per sequentem vocem. ידעונים *iiddehonim*, de qua postea: אובות autem proprie significare consulentes seu scisitantes mortuos, ut per insomnia de rebus quas scisitabantur, juxta sepulchra pernoctantes fierent certiores, & Pythonissarum ope etiam evocatas eorum species consulerent. quibus historia illa Saulis valde favet, & vocis etymon, quod quibusdam ab אבה. θέλειν, velle, scisitari, est. Et sic transtulerunt vocem illam LXX lib. IV *Reg. c.* XXI. 7. ubi Manasses Rex *Ob* & *Iideoni* restituit, ᾧ ἐποίησε θελητὴν καὶ γνώστας, per θελητὴν scisitantem aut consulentem sine dubio significantes. Per γνώστας autem reddiderunt vocem ידעונים simili de caussa: quia vox ea sine dubio à ידע est, id est, scivit seu novit: uti enim δαίμονες dicuntur quod sint δαήμονες, id est scientes, uti Plato vult; ita *Iideoni* appellati quod fuerint יודעים id est futurorum præscii aut conscii. Et ista caussa est quod LXX Interpretes in Pentateucho pro *Iideoni* substituunt ἐγγαστριμύθους & προγνωστικούς. Hebræi tamen actum *Iideoni* proprium hunc fuisse volunt, quod ariolus osse avis (cui nonnulli figuram humanam tribuunt) ידוע dictæ in os suum posito, post factam luculentam suffumigationem, & variam corporis agitationem, veluti epilepsia tactus in terram decideret, & ad se reversus deinde futura doceret & quærenda solveret. Ut ut est, Magia sive hariolatio & divinatio ista, qualiscunque tandem fuisse dicatur, non modo apud gentiles in usu simul ac pretio magno fuisse videtur, sed etiam subinde hîc illic in ipso populo Dei fidem invenisse, uti in historia Saulis liquet, etiam postquam ea severissime proscripta atque exterminata erat è populo. Unde facile adducor ut credam, dæmonas ejus autores, Deo ita permittente, aut etiam in pœnam populi ordinante, singularia quædam, & quæ ad magnam admirationem in animis hominum gignendam idonea erant, dixisse non raro ac fecisse, eaque ratione usum ejus in pretio atque honore apud multos mansisse. An quæ dicebant aut faciebant talia fuerint ut credi deberent creatas vires excedere, non disputo. Certe si quæ talia fuerunt, ea ab iis dicta, prædicta, aut facta esse statuendum est, quando Deus populum aliquem in potestatem Satanæ dedit ut cum eo agat pro arbitrio suo. Tum enim prædicere potest & facere quæ vult: vel quando Deus populum refractarium, & ad pessima semper declinantem, punire volens, dæmonibus illis utitur tanquam Bileami asina, ad populum extrema commeritum in errore suo relinquendum. ut enim dæmonibus tribuatur vis quæ creatas vires excedit, inceptum est. Caussa quæ me movet est duplex. 1. quia Deus ipse *Ezech.* XIV significat, se aliquando rebelli & idolatræ populo per prophetam falsum responsa daturum esse, ut capiat domum Israel in corde suo, &c. *vers.* 3. *& seqq.* ejusque rei manifestum exemplum est 1 *Reg.* XXII. *vers.* 19. 20. 21, 22. quamquam ibi spiritus mendacii fuisse legitur: quod non modo non imminuit, sed fortius multo confirmat sententiam nostram. Apparet enim Deum aliquando abuti dæmone, ad fallendum populum rerum falsarum prædictione. Cur ergo iis non utatur aliquando ad majorem dolorem & afflictionem eorum qui Deo deserto ad dæmonem confugiunt, per prædictionem rerum futurarum? Aliquando, inquam, quia ordinarie id Deum facere voluisse, inter gentiles imprimis, plane non est verisimile, & contrarium pene plus quam verisimile. 2. Quia in historia Samuelis per Pythonissam evocati, quædam occurrunt quæ vel vires creatas excedunt, & sic non nisi vel Deum ipsum autorem habere possunt: vel creatas vires non excedunt, si Samuelem plane in potestatem Satanæ à Deo datum fuisse statuamus: qualia sunt ea quæ de regni Saulis scissione, id est abscissione, de traditione castrorum ejus in manum Pelisthim, quæ ejus & filiorum ejus excidio prædicuntur: 1 *Samu.* XXVIII. *vers.* 16. 17. 18. 19. Etsi enim neutiquam credo aut Samuelem è mortuis suscitatum à dæmone, aut animam ejus vi magica in corpus sive ipsum sive aliud corpori Samuelis simili reductum fuisse, sed ea omnia in visione tantum & phantasmate repræsentata fuisse, firmiter mihi persuadeo; tamen responsum per phantasma istud datum, non nisi divina revelatione dæmoni ad Saulis majorem afflictionem & pœnam, juxta dictum Ezechielis datum fuisse prorsus in animum meum induco. Ut enim cum rectis rectus, ita cum perversis perversus, id est quasi perversus, Deus esse vult: 2 *Samuel.* XXII. *vers.* 27. Scio Hebræos longe aliter sentire, & nescio quam animæ duodecim post excessum è corpore mensibus commorationem circa sepulchrum fingere, eaque propter fieri potuisse arte Pythonyssæ magica, ut ea in corpus Samuelis nondum in gloriam translati revocaretur. Sed & scio id commentum tam esse futile ac vanum, ut probari ne per speciem quidem possit, ac proinde nec refutari mereatur. ut jam non dicam esse, qui calculo inito adserunt Samuelem jam tum toto biennio ad minimum fuisse mortuum.

XII. Ne respiciamus ad idola: *Levit.* XIX. 4. *Duodecimum.*

Legem hanc speciale præceptum negativum continere volunt Hebræi, quo prohibeatur idolorum, quæ voce אלילים denotantur, & exegetice dii fusiles vocantur, contemplatio. Per contemplationem autem intelligunt non quamlibet subitam aut inopinatam adspectionem, quæ sæpe non est in potestate nostra, & prorsus involuntaria est; sed seriam & morosam ut vocant animi intentionem, vel ad ea considerandum, vel affectuose de iis sermocinandum, vel oculis intuendum & quasi penitus perspiciendum atque respiciendum. Generali tamen verbo פנה Deum idcirco usum esse ajunt, quo nuda etiam eorum adspectio contineri potest, quia indicare voluit quantopere abhorrere ab iis debeamus, tanquam indignis quæ oculis nostris adspiciamus, aut tanquam idoneis ad nos abripiendum in sui amorem simul atque admirationem. Humanum siquidem ingenium proclive est ad idololatriam, nisi fræno acri retineatur: & serius Dei cultor non animum tantum, sed & oculos debet habere continentes. ἐκ τοῦ ὁρᾶν γίγνεσθαι τὸ ἁμαρτάνειν. An hæc sit præcepti hujus propria sententia non disputo. Quin pia sit & rationi rectæ consentanea, nullus dubito. Idololatriæ enim fuga nisi seria sit nulla est: quia idololatria est summum crimen læsæ divinæ Majestatis. atque hoc verisimile est indicari à Deo *Num.* XV. 39: *Ne aspiciatis post cor vestrum, & post oculos vestros post quos vos fornicamini: ut recordemini & faciatis omnia præcepta mea, & sitis sancti Deo vestro.* Hinc Johannes etiam noster in 1 *Epist.* sua *cap.* 5. *vers. ult.* ait: *Cavete*, aut servate vos *ab idolis*. & Paulus 1 *ad Corinth.* X. 14: φεύγετε ἀπὸ τῆς εἰδωλολατρείας. Corollarium quod hinc deducunt, de non inspiciendis aut legendis libris idololatrarum, &, quos vocant, hæreticorum, etsi commode acceptum, de libris scilicet eorum qui vere idololatræ & hæretici sunt, admitti potest; tamen suspectum merito videri debet: quia de Christianorum, omniumque eorum quos ipsi sine caussa idololatras & hæreticos vocant, libris, id ab ipsis intelligi verisimile est. Sane si generale facerent hoc suum corollarium, prohiberentque librorum omnium humanorum lectionem, soliusque divinæ Legis lectionem aut suaderent aut juberent, uti sui unius cultum Deus jubet, & simulachra omnia vel adspicere vetat; speciem haberet quod concludunt. At nunc cum non divinæ Legis solius lectionem jubeant, sed & Rabbinorum suorum libros populo commendent, adeoque ex iis divinæ Legis sententiam infallibilem petere mandent, cæteris omnibus spretis rejectisque, quid aliud faciunt quàm quod sibi ipsis ostium claudant, oculosque eruant ne veritatem videant? alios omnes populos, qui Rabbinos ipsorum pleroscque hæreticis opinionibus refertos esse credunt, animent atque arment in se ipsos; ut libros Rabbinorum omnium proscribant aut legi vetent; populum vero totum suum idololatriæ reum faciant, dum eum adorare jubent magistros suos & eorum placita? Atque hoc est ipsissimum ulcus Pontificiorum, quod suo loco detegemus & aperiemus. Ovum ovo non est tam simile, quam in hac re Pontificius est Rabbino recutito.

XIII. Ne statuam erigamus. *Deut.* XVI. 22. *Decimum tertium.*

Præceptum hoc de statua non erigenda, præceptum speciale non est, si per statuam intelligatur imago sculpta ad repræsentandum vel verum Deum Israelis, vel Deos gentilium. At si per statuam intelligatur quælibet, sive ex lapidibus, sive ex cespite, sive ex ligno constructa fabrica, ad instar sive ad modum altaris vel aræ, coram qua vel super qua cultus fieret, seu vero seu falso Numini; tum vero speciale præceptum videri potest. Hujusmodi enim statuæ

qualeſcunque, ſive eæ erigerentur ad falſos deos colendos, ſive ad colendum verum Deum Iſraelis, abominationi Deo erant; uti non obſcure liquet ex hiſtoria duarum tribuum Ruben & Gad cum dimidia tribu Menaſſeh, *Joſuæ* XXII. contra quas reliquæ omnes tribus offenſionem ſuam teſtabantur, quod ſtatuam ſive altare magnum viſu erexiſſent in confinibus Jordanis, eoque facto iram Dei in ſe & in populum totum concitaſſent: uti *verſ.* 18 legere eſt; veriſimiliter reſpicientes ad verba Legis hujus, imprimis ad ultima, *Quod abominatur Deus tuus.* Nec dubium eſt quin armis experturæ fuiſſent contra tam immemores divini præcepti tribus, niſi intellexiſſent ſtatuam vel altare illud erectum non ad cultum, ſed in conteſſerationis ſignum. Ex quo efficitur, præcepto hoc non prohiberi quarumlibet ſtatuarum erectionem, ſed earum tantum quæ ad cultum divinum aut adhibentur aut ſerviunt: quod etiam non obſcure indicatur *Levit.* XXVI. *verſ.* 1. Quare ſtatua ſepulchri Rahel à Jacobo Patriarcha erecta *Geneſ.* XXXV. 20. & ſtatua in teſtimonium fœderis initi inter Jacobum & Labanem ſtatuta, *Geneſ.* XXXI. 44. 45. 46. aliæque, huc non pertinent. Altare vero à Moſe erectum cum duodecim ſtatuis ſub monte, *Exod.* XXXI. 4, ſpecialis facti eſt, & quod vel ob ſpeciale Moſis privilegium excipitur ab hoc præcepto, vel quia ante hanc Legem datam, ſaltem ante conſtitutum tabernaculum & altare, factum fuit, ad hujus præcepti violationem pertinere non potuit.

*Decimum quartum.* XIV. Ne lapis pictus conſtituatur, ut quis ſe incurvet ei: *Levit.* XXVI 1.

Præceptum hoc ſic exponunt Hebræi, ut per lapidem picturæ quemlibet lapidem, ſeu pictura ſeu ſculptura aliqua inſignitum, ſeu quem natura ipſa marmoreum aut emblemate aliquo vermiculato variegatum fecit. Eum autem prohiberi volunt non ſimpliciter, ſed incurvandi ſe ſuper eo fine aut cauſſa, id eſt animo, ad vel ſuper eo colendi ſeu verum ſeu falſum Deum; nec ubique, ſed in terra tantum ſancta, quia in textu eſt, *Non ponetis lapidem pictum in terra veſtra:* quaſi extra iſtam terram id fieri permittatur; nec in terra ſancta aliter quam quatenus ea à templo ipſo diſtinguitur; quippe in quo lapidem pingi potuiſſe, imo pictos lapides poſitos fuiſſe extra dubium eſt, idque uti ajunt abſque ullo idololatriæ periculo aut ſuſpicione. quaſi legeretur: In terra ipſa, vel ſub dio, vel ſub tecto, quæ extra templum Dei eſt. Expoſitioni huic videtur textus favere. Ad nos quod attinet, nil dubito quin prohibitio fiat, non de ſimpliciter ponendis lapidibus pictis aut ſculptis, ſed de ponendis eis animo aut fine ſe incurvandi ſuper iis, id eſt ſe ſuper iis toto corpore proſternendi, tanquam locis ariſve ſacris, & ſacro cultui deſtinatis eaque propter pictura ornatis. Id enim diſerte in textu legitur. Nec dubito quin incurvatio ſuper tali petra omnis prohibeatur, ſive ea fiat cum animo ac fine colendi verum Deum, ſive cum animo colendi falſum Deum. At ut credam verba iſta, *In terra veſtra*, eo fine textui inſerta eſſe, ut diſtinguatur terra iſta ſancta ab alia omni terra, & ab ipſo Dei templo, cauſſam non habeo. Contra credo, prohibitionem eſſe generalem, non minus quam generalis eſt prohibitio ſecundæ Legis in Decalogo. Per terram itaque veſtram, intelligo terram quamcunque in qua vos eritis. Nuſpiam enim incurvatio illa religioſa licita videri debet, quia eſt idololatriæ actus. De pictis lapidibus in templo quod dicitur, id generali prohibitioni non derogat; quia prohibitio ad nos pertinet. Nobis prohibet Deus lapides pictos ponere. At ſibi ipſi id non prohibet. Hinc in templo ſuo lapides pictos voluit ſibi fieri, aut ſaltem Solomoni conceſſit ut faceret. Actiones Dei non ſunt Lex noſtra, ſed Dei voluntas. Quare ſi Deus ipſe ſpecialiter in templo lapides pingi non juſſiſſet; ex vi generalis iſtius Legis, illicitum fuiſſet nobis ſimpliciter eos pingere; uti ex vi generalis Legis de non ſacrificando extra templum, illicitum fuiſſet Eliæ in monte Carmel ſacrificare. At Deo vel volente, vel ſaltem divino inſtinctu Eliam exſtimulante, contra iſtam Dei Legem generalem nihil faciebat Elias; quia Deus ſibi ipſi Legem non ponit. Quare ex eo quod Deus ipſe aliquando contra juſſum populo datum feciſſe legitur, non recte colligitur nobis idem aliquando citra divinum ſpeciale juſſum facere licere. An tamen in templo lapis ullus pictus aut ſculptus fuerit, ut qui Deum colendi cauſſa ad templum accedebant, ei ſe incurvarent aut ſuper eo adorarent, merito controverti poſſet. Ego negativam ſententiam veriorem eſſe nullus dubito. Ex his manifeſte ſatis intelligitur, quam vana ac futilis ſit iſta Pontificiorum exceptio, qua ſtatuarum, imaginum, altarium, lapidum pictorum, ſculptorum, aut affabre elaboratorum uſum in templis ſuis, eo fine inſtitutum ut coram iis adoretur Deus verus, conantur vindicare à violatione legis hujus ac ſimilium, quod videlicet Lege hac prohibeatur ne lapides erigantur ut adorentur, divinique honores iis deferantur: ipſi verò ſtatuas, aras, imagines non adorent, iiſque divinos honores non deferant, quia ſciunt eas deos non eſſe. Quis enim credat aut Deum vetuiſſe populo ſuo ne lapides iſtos pictos crederent eſſe Deos, aut populum hominemve ullum tam væſanum ſtolidumve fuiſſe aut futurum qui id credat? Tum vox incurvationis ſuper lapide, non ſignificat niſi externum illum actum religionis qui in Oriente uſitatus erat, & in populo Dei quando adoraturi templum intrabant. Adorantes autem Judæos ſuper lapide in templo, ipſum lapidem adoraſſe, ac non ipſum verum Deum Iſraelis, tam eſt à veriſimilitudine alienum ut non poſſit eſſe alienius.

XV. Ne in Sanctuario plantetur ulla arbor: *Deuteron.* XVI. 21. *Decimum quintum.*

Præcepto hoc prohiberi volunt Hebræorum Magiſtri arborum omnium, ſeu frugiferarum ſeu infrugiferarum plantationem in univerſo ambitu tabernaculi ac templi. In textu videtur prohibitio reſtringi ad ſpatium aræ, ſive altari quod in atrio erat, vicinum, quia legitur אצל מובח: ſed valde veriſimile eſt id de tota Azarah intelligendum eſſe: quia interdictum hoc contra gentilium idololatrarum ritum ac morem à Deo datum fuit, (uti pleraque alia præcepta) qui erat ut fana ac templa ſua, araſque etiam ſub dio alioquin futuras in lucis lociſque umbroſis erigerent, ſuperſtitionis quaſi auxilium quærentes à tenebris & horrore loci. Contra autem cum fieri voluerit Deus, vix dubium eſt quin univerſum templum ac ſanctuarium cum Azarah tota arboribus ullis inumbrari vetuerit, ad majorem idololatriæ iſtius ſublucanæ deteſtationem. Exemplum Regis Joſiæ id non obſcure probat, 2 *Reg.* XXIII. 6. ubi eduxiſſe dicitur lucum è domo Jehovæ extra Jeruſalem, & combuſſiſſe eum ad torrentem Cedron. Et teſtantur Rabbini, lege publica conſtitutum olim in populo fuiſſe, ne non modo arbor ulla, ſed ne palus quidem ullus in atrio reperiretur, quia in textu legitur כל-עץ, totuſque templi ambitus & peripatus non niſi lapidibus ſtratum pavimentum haberet.

XVI. Ne juremus per falſos Deos: *Exod.* XXIII. 13. *Decimum ſextum.*

Præceptum hoc in textu non eſt. Nulla enim in Hebræo, Chaldæo, aut apud LXX mentio fit juramenti, ſed tantum commemorationis ſive aſſumtionis in os. לא תוכירו habet textus. Exegeſis autem eſt in verbis ſequentibus לא ישמע על-פיך. *Non audietur in ore veſtro.* Senſus itaque præcepti eſt, non modo prohibere juramentum per falſos Deos, ſed etiam quamlibet de iis, & quæ ad eos pertinent, ſermocinationem, quæ teſtetur aut affectum aliquem erga eos, aut memoriam eorum hærere in animo noſtro. Vult enim Deus ut eos odio habeamus atque abominemur: ac proinde, qui effectus odii & abominationis proprius eſt, memoriam omnem & ſermonem de iis procul habeamus, adeoque aures non commodemus iis qui de iis loquuntur, ne de iis etiam loqui neceſſe habeamus. Exemplum vide *Pſalm.* XVI. 4: *Nec aſſumam nomina eorum in labiis meis.* Huic non repugnat nomina eorum quando in textu Sacro occurrunt, nominatim legere, aut quando cum paganis res nobis eſt, falſam opinionem de eorum divinitate refellere, atque ita eos nominare.

XVII. Ne quis inducat Judæos ad idololatriam: *Ibid.* *Decimum ſeptimum.*

Hîc præceptum ſpeciale faciunt Hebræi ex verbis iſtis: *Non audietur* (nomen ſcilicet falſorum deorum, id eſt, uti illi exponunt, Planetarum) *in ore tuo.* Sine cauſſa: verba enim manifeſte ἰσοδύναμα ſunt prioribus, & non continent niſi ἐξήγησιν verbi זכר commemoro. Senſus enim eſſe poteſt, Ne unquam audiatur nomen eorum, quando vel invocatis Deum veſtrum, vel ei vovetis aliquid, vel jurandum vobis eſt, vel ſacra ulla peragenda, aut tempus (ut ajunt) ſermonibus fallendum eſt. Certum quidem eſt, ſi hoc non licet, multo minus licere, ac proinde etiam prohibitum debere videri, tum hoc tum aliis S. Scripturæ locis, alios inducere ad cultum falſorum deorum, verbis & orationibus ad ſeducendum compoſitis. Sed id hîc agi, ne veriſimile quidem eſt.

XVIII. Ne quis incitet Judæum ullum ad idololatriam: *Deut.* XIII. 6. *Decimum octavum.*

Præceptum hoc ſine dubio ſpeciale eſt, ſed quod à præcedente non diſtinguitur, nec diſtingui poteſt, niſi cum magno acumine, ab Hebræis. Nempe hoc acumen eſt: In præcedente prohibetur, ne quis palam aut clam plures ſimul inducat aut verbis perſuaſivis ſeducat ad idololatriam. Hîc prohibetur, ne quis clanculum vel unum aliquem ſeorſim adhortetur, incitet atque impellat ad idololatriam; ſive incitatio illa ſit cum effectu, perſuaſione ſcilicet; ſive ſine effectu ſola ſuaſione aut hortatione. voluntas enim faciendi ſive effectum conſequendi hîc crimen eſt iſtud quod Deus deteſtatur. Sane ut hîc duo præcepta cudantur neceſſe non eſt. Si enim non licet plures Judæos inducere ad idololatriam, nec licet etiam unum ſolum inducere; vel contra; Si ne

unum

unum quidem licet seducere, ergo nec plures. quamquam, uti diximus, in præcedente præcepto seductionis nulla fit mentio, sive ea ad plures sive ad unum tantum extendatur. Distinguunt etiam inter seductorem sive impostorem, & inter incitatorem sive impulsorem. Illum dicunt vocari מדיח *Maddiah*: hunc מסית *Mesit*. Illum persuadere volunt: hunc urgere sive incitare. Illum rationibus seducere: hunc exemplo atque hortatu suo inducere. Illum palam agere; hunc clam. utrumque parem esse pœnam, lapidationem, si de facto constet. Quin hæc ita distingui possint, dubium non est. Ex *cap. Deut.* XIII id satis liquet, & ex reipsa. De pœnæ etiam æquitate non est quod disputetur. Tales enim seu deprehensi seu manifesti, publici hostes erant & rei summi criminis. At an pœnæ infligtionem præcesserit ac præcedere debuerit legitima caussæ cognitio, & publica judicis authoritas ac sententia, quæri solet. Ego etsi nullus dubito quin ea intercedere semper debuerit; partim, quia aliàs hæ Leges innumeris cædibus occasionem præbuissent, si cuilibet homicidæ satis fuisset prætexere, sese ab altero ad idololatriam aut seductum aut inductum fuisse; partim, quia interpretes LXX pro verbis illis, quæ in Hebræo textu leguntur, *Occidendo occides eum*, reddiderunt, ἀνῃρῆσθαι ἀνῃρῆσεις αὐτὸν: quibus verbis non obscure indicant, accusationem vel denuntiationem apud judicem præcedere debuisse: etsi, inquam, id ita credo, tamen quomodo id locum habuerit aut habere potuerit in casu hoc, si unus unum solum vel seducere vel inducere ad idololatriam conatus fuisset, non apparet. Dico itaque cum Hebræis, modum procedendi hunc usitatum fuisse, quo caussæ cognitio quærebatur. Si quis solus à solo inductus fuerat ad idololatriam, id est vel monitus vel rogatus in hæc verba, Eamus & serviamus diis aliis; aut, si placet, comitare me eò euntem; ejus erat dicere, Ne soli eamus, socios nobis adscisamus alios qui nos comitentur; non eo animo ut plures comitarentur ad exercendum idololatriam, sed ut testes haberet tam nefarii criminis: Si abnuebat impostor, ad judicem eum deferre tenebatur. Is re cognita, id agebat ut statim testes aliqui designarentur, qui absconditi in secreto aliquo loco audirent seductorem in eadem verba loquentem. Si rogatus impostor monitusque ab amico illo suo, ne à veri uniusque Dei cultu ad falsorum numinum idola colenda deficeret, pœnitentia facti sui ductus resipiscebat, aut silebat, immunis erat à pœna. Sin persistebat atque urgebat cultum illum, testium istorum erat Senatum adire, &, quod audiverant, ad eum referre. Eo facto, Senatus sententiam dicebat & pœnam decernebat, ut convictus lapidaretur, & qui primus detulerat, primus in eum lapidem conjiceret tanquam in perduellem & hostem Dei Israelis, ex lege *Deut.* XIII. 9. & deinde testes ex lege *Deuter.* XVII. 7.

*Decimum nonum. Vigesimum. Vigesimum primum. Vigesimum secundum. Vigesimum tertium.*

XIX. Ne amemus impostorem aut seductorem talem.
XX. Ne odisse eum desinamus.
XXI. Ne in periculo mortis ei præstolemur.
XXII. Ne is quem seducere voluit, pro eo intercedat, aut in judicio caussam ejus agat. } *Deut.* XIII. 8.
XXIII. Ne taceat quod ad eum condemnandum facere potest.

Quot verba, tot distincta præcepta hîc esse volunt Hebræi. At vero nihil vetat, omnia ista non nisi unicam rem notare, id est prohibitionem indulgentiæ aut veniæ; stylo Scriptoribus sacris familiari, & ad indicandum criminis enormitatem non inidoneo. Esto. Sensum singulorum hunc faciunt: Primò amorem ac desiderium ejus omne prorsus exuendum esse, לא־תאבה 2. Si flectere ac divertere à persequendo se studeat, non audiendum sed odium pertendendum esse, ולא תשמע 3. Si in periculum mortis incidat, non juvandum eum, sed relinquendum ac deserendum esse ut pereat: *Non parcet ei oculus tuus.* 4. Quando judicio sistitur, nihil gratiæ ejus dandum, aut quod ei favere potest, producendum, ולא־תחמל 5. Nihil dissimulandum esse in gratiam ejus, nihil omittendum quod ad gravandum caussam ejus facere potest, תכסה עליו *Non operies super eum.* Breviter, Perfecto odio eum odio habendum esse tanquam summum Dei hostem, cujus, si persistat in sententia, non vita sed mors, non commodum sed malum summum quæri debeat. Hæc lex horrendi carminis est; quæ etsi expresse abrogata non legitur nova lege, abrogata tamen censeri debet per eam, quia Lex est summæ caritatis & benevolentiæ, quam ad summos etiam hostes salutis nostræ æternæ porrigi jubet; & ultroneæ obedientiæ, quam recusantes æterna morte à Deo ipso puniendi dicuntur. Rectè Tertullianus; *Lex nova neminem ultore gladio vindicat*, errantem scilicet aut errore seductum, cætera probum & in publicam honestatem non peccantem. Alioquin non recte. Error veniam meretur, non crimen, nec scelus, seu facinus, quod malitiam aut voluntatem caussam habet, non errorem.

XXIV. Ne concupiscamus, aut in usus nostros convertamus ea quibus ornantur & vestiuntur idola: *Deut.* VII. 25. *Vigesimum quartum.*

Præceptum hoc nititur præpositione על quæ *super* proprie significat. Nimis certe acutè, quasi videlicet prohibeat Deus non ipsam idoli materiam quæ sæpe merum aurum & argentum est, sed aliquid ei superadditum, puta donaria idolo oblata, monilia aurea & argentea, vestes auro rigentes aut purpura tinctas, laminas quibus idola sunt intecta. verisimilius multo est particulam על non modo *super* sed *in* significare; atque ita tam prohiberi à Deo, ut in usus nostros profanos convertamus materiam idolorum, quam eorum ornamenta. Par enim eorum ratio est. & scopus Dei id postulat, qui est, mandare summam idololatriæ detestationem, uti ex versu sequente apparet. Exempla etiam idem testantur. Moyses vitulum aureum totum in cineres redegit: *Exod.* XXXII. 20. Jacob defodit ipsa idola, (alieni Dii vocantur in textu) cum inauribus & monilibus quæ erant in auribus eorum, (sine dubio ornamenta idolorum) sub terebinthum aut quercum: *Genes.* XXXV. 4. Rex Ezechias confregit serpentem æreum quem fecerat Mosch: 2 *Regum.* XVIII. 4. Josias Rex non ornamenta modo idolorum, altarium, excelsorum, sed & ipsa idola, altaria, excelsa funditus evertit, atque in minutissimum pulverem redegit: 2 *Reg.* XXIII per totum caput. Addatur præceptum sequens:

XXV. Ne vel hilum commodi quæramus ex iis quæ ad idolorum cultum pertinent: *Deut.* VII. 26. *Vigesimum quintum.*

Præceptum hoc an in textu sit, incertum est. Nam abominationem introducere in domum suam, non necessario significat, idola aut quicquam eorum convertere in usum suum privatum; sed significare etiam potest, ea ad cultum domi suæ habere atque adservare velle. Quamquam verisimilior est primus sensus, quia dicitur כי־חרם הוא quia anathema (*Cherem*) est, id est adeo execrabile & invisum Deo quicquid idolorum est, ut nihil eorum vel ad usum domesticum superesse velit, sed omnia eorum non modo ut inutilia, verum etiam ut horrenda & πανολεθρίᾳ devota, perdi atque perire velit. Hoc sensu vox *Cherem* accipitur *Deuter.* XIII. 17: *Non adhærebit manui tuæ quidquam de anathemate.* Et *Josuæ* VI. 17. & *cap.* VII: ubi Deus jubet urbem Jericho fieri anathema, & Achan lapidari quod ex eo quædam in domum sive tentorium suum retulisset suisque usibus reservasset. Quæ porro testandæ majori detestationi hoc præcepto indicari volunt Hebræi, ea pia magis sunt quam certa; videlicet, Non modo hîc prohiberi usum rerum istarum quæ idolorum cultui servierunt, puta, sacrificiorum, vini, odoramentorum, liborum, &c. sed etiam ex. gr. ut quis se calefaciat ad ignem quo arbor idololatrica comburitur, ut quis umbram ejus quærat ad refrigerium sui, ut Musicam pro oblectamento aurium suarum audiat, ac similia. Hæc, inquam, pia magis sunt quam certa. Qui ab his se continet ex præcepti hujus conscientia quam sibi ipsi format, is piè facere jure creditur. At qui præcepti obligationem eo usque non extendendam putat, is contra faciens idcirco impie agere aut violati præcepti manifestus dici non potest: quia obligatio illa non nascitur ex verbis præcepti, sed ex interpretationis extensione, quæ incerta est. Omnis sane extensio circa præcepta cum obligationis vinculo, periculosa & superstitionis parens atque alumna est.

XXVI. Ne civitas ad idololatriam se induci passa, semel destructa unquam reædificetur: *Deuter.* XIII. 16. *Vigesimum sextum.*

Præceptum clarum est, si de reædificatione intelligatur in formam civitatis, sive cum murorum, portarumque instauratione, sive cum ædium aut tuguriorum exstructione, fiat. Exemplum est in Jericho *Josuæ* VI, in fine capitis, ubi dira illa imprecatio Josuæ recensetur, quæ vim suam habuisse legitur 1 *Reg.* XVI. 34. An prohibeatur etiam exstructio hortorum, vinearum, olivetorum super ruinis ejus, incertum est. Hebræi negant. Ego in medio relinquo. Sale enim si obruendæ erant & aspergendæ ruinæ, fortasse etiam voluit Deus, ne quicquam ibi crescret aut ex terra nasceretur, sed ut locus desertus esset.

XXVII. Ne ex spoliis ejus quidquam in usus privatos convertatur: *Ibid. vers.* 17. *Vigesimum septimum.*

Præceptum clarum est, de rebus omnibus ac spoliis mobilibus qualibuscunque. An de fructibus arborum & agrorum, non æque clarum.

XXVIII. Ne quis prophetet falso aut mendaciter: *Deuter.* XVIII. 20. *Vigesimum octavum.*

*Vigeſimum nonum.*

XXIX. Ne metuamus occidere falſum prophetam: *Ibid. verſ.* 22.

Præceptum hoc utrumque reipſa affirmativum eſt. Primum etiam adfirmative in textu propoſitum eſt. Sed ajunt Hebræi præceptum omne quod pœnam ſibi adjunctam habet, includere ſemper in ſe præceptum negativum. Eſto. Senſus præcepti pendet ex voce *Falsò*. Ejus ſignificatio duplex eſt. *Falsò* enim *prophetare*, vel eſt mendaciter prætexere prophetiæ ſuæ divinam revelationem, ſic ut quis dicat Deum ſibi locutum eſſe, cum tamen id falſum ſit; vel revelationem divinam alii factam à quo id reſcivit, ſibi adtribuere eamque tanquam ſibi factam venditare: *Ierem.* XXIII. 30. Per *prophetantem falsò* itaque uterque hic intelligitur. uterque enim actus, eſt actus ſuperbiæ & arrogantiæ inexcuſabilis. unde uterque recte juxta textum per ſuperbiam factus dici poteſt.

Secundum præceptum etſi negative propoſitum eſt in textu, *Ne timeas ab eo*, ſenſu tamen adfirmativum eſt; *Occidito illum intrepide*, atque ita coincidit cum adfirmativo de quo egimus in prima parte. quamquam an adfirmativum an negativum rectius dicatur contendere nolim. Senſus eſt: Nulla reverentia ejus ducitor. Quicunque, qualiſcunque ſit, quicquid videatur habere in vita, aut in proſapia, ſplendidum atque eximium, quod gratiam ipſi conciliare aliquam poſſit, eumque aut reverendum aut verendum reddere apud vos; nihil tamen metuite eum interimere atque è medio tollere. Perduellis eſt & mei reverentiam excuſſit. Me metuite. Ego ab omni metu vos præſtabo immunes. Qui gratiæ ejus litat aut potentiam ejus reformidat, ille mihi diffidit, & nec gratiam meam ſperat, nec offenſam meam metuit. Legis rigor hic eſt, nec ſine cauſſa. Revelatio enim divina fundamentum eſt Legis, & religionis firmamentum. Ea conſtare non poteſt cum libertate & licentia prætexendi revelationem divinam, non modo falſæ atque commentitiæ rei ſed & veræ. Prætextus enim revelationis divinæ non eſt divina revelatio. Is ſi falſus ſit alterutro modo, prætexentem arguit irreligioſitatis, & iis apud quos prætexitur, adimit divinæ revelationis fiduciam ac certitudinem.

*Trigeſimum.*

XXX. Ne quis prophetet in nomine (aut per nomen) falſorum deorum. *Deut.* XVIII. 20.

*Trigeſimum primum.*

XXXI. Ne prophetans talis audiatur: *Deut.* XIII. 2.

Præceptorum horum eadem eſt ratio quæ præcedentium. *Prophetare* eſt revelationem divinam ſibi adtribuere. *Per falſos* ergo *Deos Prophetare*, eſt venditare ſibi revelationem aut ſuggeſtionem à dæmone, ſive à Deo beneficio aut interventu ſtellæ vel ſideris alicujus factam eſſe, de hac aut illa re ſeu facienda ſeu omittenda, de hac aut illa re eventura vel non eventura; ſive venditatio illa oriatur ex commercio cum dæmone, indeque percepto afflatu aliquo & phantaſiæ impreſſo, ſive ex ſorti quadam percepti alicujus afflatus opinione atque imaginatione; ſive ex vanitate quadam & oſtentatione intimæ cum Diis admiſſionis & familiariſſimi congreſſus. Nec refert ſive id propter quod propheticus ille adflatus factus dicitur tale quid ſit quod Legi divinæ non repugnat, imo apprime cum ea convenit; ſive tale ut Legi divinæ plane ſit contrarium; ſive denique is qui afflatum illum prætendit gloriam Dei veri pro ſcopo ſe habere dicat, ſive aliud quid & longe diverſum. Finis enim agentis non juſtificat actionem. Ad prophetationem quæ per falſos Deos fit, ſufficit venditatio revelationis quæ nominatim dicatur facta ab alio quàm à Deo Iſraelis, id eſt vel à Sole, vel à Luna, vel à planeta aliquo, virtutis divinæ ſeu vehiculo ſeu adminiſtro. Hoc enim eſt prophetare in nomine falſorum deorum, uti ego arbitror, quacunque ex cauſſa voluntas prophetandi oriatur, quicquid prophetia contineat, quicunque animus aut finis prophetantis ſit. Solum atque unicum iſtud, quod falſi dii nominatim vocentur autores revelationis, eſt crimen læſæ divinæ Majeſtatis. Revelare enim aut facienda aut futura unius ac ſolius Dei eſt: Facienda præſcribere Majeſtatis eſt Legiſlatoriæ: Futura prævidere, virtutis omniſciæ; & qua Deus ſe ab omnibus falſis diis dignoſci vult: *Eſa.* XLI. 23. Hinc recte ſubjicitur, Prophetam talem ne audiendum quidem eſſe, eo ipſo quod profiteatur ſe in nomine falſorum deorum prophetare. *Non audire* autem non modo eſt non obedire, nec rationes quas adfert admittere: ſed ne aurem quidem velle præbere, aut loquentem ſuſtinere, nedum ſignum aut miraculum aliquod ab eo exigere, uti fieri alioquin ſolet & Deus fieri jubet quando quis prophetat in Nomine Dei veri: *Deut.* XVIII. 22.

*Trigeſimum ſecundum.*

XXXII. Ne ambulemus in ritibus & conſuetudinibus gentilium: *Levit.* XX. 23.

Hîc ſpeciale rurſus præceptum eſſe volunt Hebræi: ſed manifeſte perperam. Generale eſſe ex textu liquet, quia חקת־הגוי id eſt ſtatuta gentium, ſtatutis & judiciis ſuis opponit Deus generatim atque univerſe, omnibus ac ſingulis: & ſtatutorum gentilium ſive morum malorum obſervationem cauſſam eſſe dicit cur eos deteſtatus ſit & ex terra evomuerit, adeoque cur etiam populum ſuum deteſtaturus ſit, & è terra evomiturus ſi in illis ambulet: eodem plane ſenſu qui *cap.* XVIII. *verſ.* 24 expreſſus legitur, uſque ad finem capitis. Quare præceptum hoc videri non poteſt ſpeciale ejuſmodi præceptum, quale Hebræi formant: quo videlicet prohibeantur imitari communes & uſitatas vivendi conſuetudines, puta in veſtiendo, in ædificando, in convivando, &c. Hæ enim per ſe nec bonæ ſunt nec malæ, & proinde pro cujuſque gentis indole variant. Quare ad eas ſe non componere aut ſeorſim ab iis abire ſuperſtitionem, vanitatem aut imprudentiam ſapiat neceſſe eſt. Quod ſi tamen Judæus hoc affectet, ut Judæus id eſt confeſſor Dei ex ipſo habitu ſive veſtitu eſſe cognoſcatur, aut glorioſum ſibi putet ſi à Magiſtratu peculiarem aut notatam induere veſtem jubeatur, næ ego id lubens ei conceſſero, nec gloriolam iſtam ei invidero, dummodo id ſub præcepti hujus divini obligatione neceſſarium eſſe non urgeat. Nihil enim tale ex hoc textu liquet. Nec ſufficit, ſi dicatur, Deum voluiſſe ut populus ſuus eſſet populus ſegregatus & ſeparatus: *Numer.* XXIII. 13. *Levit.* XX. 26. & *Eſaiæ* LXI. *verſ.* 9. prædixiſſe, futurum ut ſemen eorum notum eſſet in gentibus, omneſque qui eos viderent, eos cognoſcerent, quod ſint ſemen, cui benedixit Dominus. Nam ſeparatio iſta non dicitur conſiſtere aut conſtitura eſſe, in ſeparata vivendi ratione à communi quæ per ſe nec bona nec mala ſit; ſed in religione ac vita, ſive moribus diverſis à religione & moribus pravis populorum, quoſque Deus ipſe peculiariter iis præſcripſit atque ab iis obſervari voluit: ſub quibus etiam ritus cæremoniaſque omnes complector. Nec prædictio illa Eſaiæ id habet, fore ut ubicunque Judæi reperiuntur, ibi ex veſtitu & habitu cognoſcantur. Peſſimi enim etiam habitu Judæi videri poſſunt. ſed continet promiſſionem ingentis benedictionis divinæ, qua futurum dicit ut Judæi tam largiter perfundantur, ut populi omnes experimento claro edocti, palam populum iſtum, populum à Deo benedictum eſſe agnituri ſint.

*Trigeſimum tertium, Quid ſit divinatio.*

XXXIII. Ne divini aut divinationes inter nos inveniantur: *Deut.* XVIII. 10.

Quid divinatio ſive addivinatio aut prædivinatio ſit ex Lexicis conſtat. Hoc loco per *divinationem* intelligitur, injuſta divinæ ſcientiæ de futuris quæ ex cauſſis indeterminatis proveniunt arrogatio, affectatio, venditatio. *Injuſta* dico, non modo quia futurorum ejuſmodi contingentium præſcientia aut prænotio ſoli Deo propria eſt; unde divinatio dicitur, quaſi actio divina & divinitati propria, quæ divinum aliquid & ſupra mortalis ſagacitatis ſortem habet, uti videre eſt *Eſa.* XLI. 23: *Annunciate quæ ventura ſunt in poſterum, & cognoſcemus quod Dii eſtis*, &c. ſed etiam quia nullo jure fit & à divino inſtinctu non proficiſcitur, ut diſtinguatur à Prophetia quæ jure fit & Deum verum autorem habet. Addo; *De rebus futuris quæ ex cauſſis indeterminatis, ſive quæ nullam cum in certam connexionem habent, proveniunt*; ut diſtinguatur ab iſtis prænotionibus & prædictionibus quæ ſunt de rebus futuris, vel obſcuris quæ cauſſas habent determinatas, eaſque vel neceſſario eodemque ſemper modo agentes, ut Solis Lunæque eclipſes; vel ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ eodem modo agentes, ut ſunt eæ de quibus Chriſtus noſter ait *Matth.* XVI. 2: *Quando ſerum eſt diei dicitis ἐυδία ſerenitas erit: rubet enim cælum. Et mane: Hodie tempeſtas erit: rubet enim cælum triſte*, &c. Quibus accenſeri poſſunt multæ aliæ, non naturaliter aut phyſicè, ſed Ethice aut moraliter fere ſemper eodem modo evenientes, & quas vir prudens & ſagax pro ingenii ſui perſpicacia prævidere ſolet. quo ſenſu vox *Divinus* קסם ſemel in bonam partem accepta videtur *Eſa.* III. 2. & nomen divinatio קסם *Proverb.* XVI. 10: *Divinatio ſuper labiis regis eſt, in judicio non prævaricabitur os ejus*: id eſt ſapientia & ἀγχίνοια eſt in Rege ut ambigua cauſſarum fata rectè prævideat & ex æquo dirimat: qualis in Solomone locum habuit, 1 *Reg.* III, cum judicium ferret inter duas mulieres.

Notandum tamen eſt, divinationes quæ ex his cauſſis fiunt injuſtas etiam eſſe, ſi abſolutè & cum divinitatis quadam arrogatione concipiantur: quia iſtis Deus impedimentum poteſt ponere, ut à naturali curſu atque ordine ſuo deflectant: uti fecit olim quando temporibus Joſuæ Solem ſtitit & Lunam conſiſtere fecit: *Joſu.* X. 13. & temporibus Ezechiæ quando umbram Solis decem gradibus retrocedere in horoſcopo eius juſſit: 2 *Reg.* XX. 11. His vero tum ipſe Deus impedimentum poteſt ponere; uti fecit quando cælum ad preces Eliæ tribus annis integris & ſemi-anno clauſum obſeratumque voluit: 1 *Reg.* XVII. 1. 2. & claro cælo perque ſudum, tempore meſſis triticeæ, ad preces Samuelis tonitrua & pluviam de cælo cadere juſſit: 1 *Samuel.*

*muel.* XII. 17. 18. tum aliunde, Deo etiam non procurante, intervenire poſſunt obſtacula quo minus eveniant: uti patet ex eo quod res tales ſint quæ non ſemper ſed ut plurimum accidunt. Ex quo conſequitur, divinationem omnem quæ ſimpliciter atque abſolute de rebus futuris fit, illicitam eſſe; ſemperque in omni prædictione locum habere debere vel expreſſam vel tacitam hanc conditionem, ſi Deus voluerit aut permiſerit: quia omnia futura indeterminata ſunt, quatenus ſuſpenſa ſunt vel à Dei voluntate, vel à concurrentium aut non concurrentium rerum incertitudine ac varietate. Interim concedimus divinationem proprie in Scripturis vocari eam, quæ ſignificat arrogationem ſcientiæ futurorum contingentium quæ humano modo cognoſci non poſſunt, quia nullam talem nec cum cauſſa ſua certam ac neceſſariam nedum perpetuam habent connexionem, quam mens humana prævidere poteſt aut deprehendere, nec cum ſignis ac mediis iſtis quæ adhibentur naturaliter cohærent, ita ut certa earum veritas in iis reluceat ac reſplendeat: quæ proinde ſi ſciantur ac prædicantur, non niſi aut expreſſe advocata dæmonis, id eſt ſpiritus qui majore ſcientia quam humana pollere creditur, ope, ſciuntur ac prædicuntur; Deo effectus iſtos dæmoni aut ſpiritui illi permittente, aut dæmone homine ſagaciore effectus iſtos ex variis circumſtantiis perſpiciente aut præſagiente: aut non expreſſe quidem advocata dæmonis alicujus ope, tacite tamen auxilio dæmonis alicujus præſciuntur, quatenus ea futura vel obſcura indagantur aut inquiruntur juxta illa principia, & juxta regulas, ſigna atque indicia iſta, quæ fieri non poteſt quin autorem habeant dæmonem; quia naturaliter cum iſtis connexionem nullam habent, ea quæ juxta eas prædicuntur: ac proinde per tacitam dæmonis ſeu advocationem ſeu ſuggeſtionem præſciri ac prædici neceſſe eſt. Notandum enim eſt, divinationes quas hic & paſſim alibi ſevere prohibet ac damnat Deus, non modo eſſe divinationes quæ plane ſunt falſæ ac vanæ, ſed & eas quæ revera aliquando ita eveniunt uti prædicuntur; ſic tamen ut qui eas prædixit, & qui ob prædictionem earum ſibi ipſi divinitatem aliquam arrogat, eas non prædixerit niſi quia à Dæmone aliquo earum ſcientiam hauſerat, vel ex iſtis ſive cauſſis ſive ſignis prædixerat, quæ naturalem nullam cum eventibus aut futuritionis certitudine connexionem habere per ſe & ſuopte Marte ſcire poteſt ac cognoſcere; ac proinde ad quarum prædictionem dæmonis aut ſpiritus alicujus majoris vim aut ſolertiam ſive ſagacitatem requiri, credere debet atque intelligere poteſt.

*Quam Dæmones futurorum ſcientiam habere poſſint.*

Etſi enim dæmones per ſe non poſſint certo cognoſcere futura, imprimis quæ à libero arbitrio alterius, ſive Dei ſive hominis, pendent: tamen poſſunt nonnunquam ea ſcire, ſi Deus ea ſive in Scriptura ſua ſive per prophetas ſuos alicubi revelaverit, aut eo ipſo tempore quo futura ſunt aut paulo ante eis ea futura eſſe revelet, aut ut ipſi dæmones ea ſuo tempore efficiant vel fieri procurent, ſeu jubeat ſeu permittat: nonnunquam etiam abſque ulla ſeu revelatione ſeu permiſſione, ſeu juſſione tali divina, longe plura de rebus futuris aliiſque occultis poſſunt cognita habere quam homines. 1. quia longiſſimam habent experientiam fere omnium rerum: ita ut millies obſervarint quid ex quo ſequi in cauſſis liberis ſoleat, quibus rebus voluntas humana huc vel illuc impellatur. 2. quia exacte cognoſcunt ac pervident non modo omnes cauſſas naturales & vim earum, puta, Solis, Lunæ, ſiderum, elementorum, plantarum, animalium, &c. unde facile colligere poſſunt qui effectus ex iis ſecuturi ſint, vel abſolutè, vel ſi certo modo applicentur; atque ita prædicere ventos, tempeſtates, naufragia, mortes, &c. ſed etiam temperamenta, inclinationes, mores, clandeſtina conſilia, ſtudia hominum plerorumque, unde ſolerter conjicere poſſunt, quid hiſce aut iſtis poſitis decreturi ac facturi ſint, imprimis ſi præparatas jam videant cauſſas aliaſque res quæ ad gerendum aliquid debent concurrere. 3. Quia vident in longinquis locis remotiſque mundi regionibus, cauſſas jam poſitas vel effectus inchoatos, deliberatoſve quos ob incomparabilem motus ſui celeritatem, hominibus qui longiſſimè abſunt & cauſſas illas ignorant, quaſi futura contingentia prædicentes & præſagientes indicare poſſunt. Sic prædicere ſolebant incrementa Nili in Ægypto, viſa aquarum copia in Æthiopia ubi ſcaturigo Nili eſt. Sic augur iſte Julio Cæſari fatum ſuum fatique ſui diem indicare potuit, & Apollonius Thyanæus, ſi vera eſt hiſtoria, cædem Domitiani & cædis autorem & cædis horam, quamquam longe aberat Roma, Epheſi videlicet in Aſia tanto terrarum & marium intervallo.

*Divinationis ſpecies.*

Species divinationis variæ adſignari ſolent, divinationis voce generatim accepta, prout comprehendit ſub ſe omnem omnino ſuperſtitioſam rei futuræ divinationem quæ ex quacunque re captatur; ſive à dormientibus, quæ ὀνειρομαντεία dicitur; ſive à vigilantibus, quæ ſub ſe complectitur πυρομαντείαν, Aſtrologiam Judiciariam, augurium, auſpicium, haruſpicium, ſortilegium, aliaque: de quibus omnibus agere hoc loco non eſt propoſiti noſtri, quia de iſtis ſpecialia ſequentur præcepta, juxta diſtinctionem divinam, qua aſtrologi, mortuorum conſultores, ſomniorum obſervatores, augures & haruſpices auſpiceſque à divinis fere in Sacro textu diſcerni ſolent ac nominatim diſtinguuntur. Quare de divinationis iſtius, quæ hoc præcepto prohibetur, ſpeciebus nobis dicendum eſt. Eæ autem ſunt hæ ſequentes.

Prima στιχειομαντεία, quæ ex obſervatione elementorum captatur. Ex hac juxta numerum quatuor elementorum quatuor oriuntur divinationum ſpecies. Prima γεωμαντεία, quæ fit ex figura aliqua ſive ſigno aut charactere qui in re aliqua terreſtri, ligno, lapide, ferro polito, planta, apparet aut formatur. Secunda ὑδρομαντεία, quando ex notatis iis quę in aqua ſive liquore aliquo fiunt, futura prædicuntur: quo pertinet etiam οἰνομαντεία, quando futura prædicuntur ex iis quæ in vino aut vaſis vinariis fiunt. Tertia, ἀερομαντεία, cum ex obſervatis mutationibus aëris prædictiones fiunt. Quarta, πυρομαντεία, quando divinationes fiunt ex iis quæ in igne apparent, ſive in rebus ab igne accenſis. *στιχειομαντεία.*

Secunda ſpecies eſt σωματομαντεία, quando divinatio fit ex obſervatione eorum quæ in corpore humano contingunt. Hæc quatuor ſpecies habet: χειρομαντείαν, quæ eſt divinatio ex manuum lineamentis: ποδομαντείαν, quæ ex inſpectione pedum vel linearum in illis eſt: μετωποσκοπίαν, quæ ex lineamentis facici & oris eſt: ὀνυχομαντείαν, quæ eſt divinatio ex inſpectione unguium pueri impolluti: quemadmodum Bodinus lib. 3. de dæmonomania cap. 3 refert fuiſſe Tholoſæ ſtudioſum Luſitanum qui res occultas in ungue pueruli videndas exhibebat. unde fortaſſe noſtrum eſt, *deur het duymken ſien.* *σωματομαντεία.* *Exemplum vide apud Suetonium in Tito.*

Tertia ſpecies eſt χρηματομαντεία, quando divinatio fit ex utenſilium quorundam domeſticorum inſpectione. Hæc varias ſub ſe habet ſpecies: λεκανομαντείαν, cum ex pelvi & aqua immiſſa divinatio fit: κοσκινομαντείαν, quæ per cribrum fit: ἀξινομαντείαν, quæ per ſecures fit: βοσκομαντείαν, quæ per herbas fit: σκιομαντείαν, quæ per umbras fit: ἀστραγαλομαντείαν quæ ex iactu aſtragalorum fit: ſed hæc ad ſortilegium pertinet: κλειδομαντείαν, quæ per clavem fit, & quidem textui alicui ſacro admotam, &c. καπνομαντείαν, quæ ex inſpectione fumi, vel in pyramidem, vel in obliquum, vel ſparſim deſinentis fit: σποδομαντείαν, ſive τεφρομαντείαν, quæ ex cineribus fit: κηρομαντείαν, quæ ex cera liquata fit: δαφνομαντείαν, quæ ex lauri aduſtione fit: ῥαβδομαντείαν, quæ per baculum fit: (quando videlicet quis dicit baculo ſuo, Ibone, an non? deinde metiens baculum ſuum digito aut manu ſua, dicit una vice, Ibo; altera non ibo: quod ſi in fine baculi acciderit, Non ibo, tunc non it. Et hoc eſt quod in Scriptura indicari volunt Hebræi cum dicitur *Oſeæ* IV. *verſ.* 12. *Populus meus lignum ſuum interrogat, & baculus ejus indicat ei.*) γαστρομαντείαν, quæ fit per phialas ventricoſas aqua plenas. Hiſce addi poteſt ἀμνιομαντεία, (quamquam hæc alterius plane ſpeciei eſt:) quæ ex membrana iſta fit qua involutus aliquando fœtus, & caput quaſi galea tectus ex utero materno in lucem prodit, quem nos noſtrate lingua vocamus *Met een helm geboren*: Ex ejus tegminis colore rubicundo vel livido fortunam infantis obſtetrices quædam aniculæ ariolantur, hodieque etiam apud nos talis infans creditur vatidicus futurus. *χρηματομαντεία.*

Quarta ſpecies eſt ὀνομαντομαντία, quando ex nomine bonam ſignificationem habente colligitur fœlicitas & morum bonitas: ex pravo nomine morum perverſitas: ubi tamen ſæpenumero locum invenit ἀλληγορία, ut in Philadelphus, Philometor, Judas, &c. Multum his tribuebant Romani. Hinc quando Cenſor populum, Imperator exercitum luſtrabat, non eligebant ad hoſtias pro populi aut exercitus ſalute immolandas niſi eum quem bonum nomen habere ſciebant: quando Conſules militum delectum faciebant, obſervabant ſedulo ut primus miles eligeretur qui bonum nomen habebat. Huc referre licet ἀναγραμματισμὸς, quando ex permutatione literarum in nomine proprio fiunt aliæ voces, ex quibus de hominis ſtatu & conditione judicatur: qua in re ſumma eſt vanitas. quibus tamen accenſeri non debent iſta ἀναγράμματα quæ fiunt vel in laudem vel in vituperium alicujus de quo jam ante conſtat qualis fuerit aut qualis ſit. Sic enim non fit divinatio ex literarum vario ſitu de re futura *ὀνομαντομαντία.*

vel occulta; ſed fit tantum rei jam ante notæ indicatio: quaſi diceretur, Dignus eſt vir iſte cujus nomen tali anagrammate notatum inclareſcat, quia talis fuit, aut talis eſt.

Hujuſmodi divinationes omnes præcepto hoc divino prohibentur. Non quod omnes hæ tum temporis in uſu eſſent: ſed quod ejuſdem omnes generis ſunt, quatenus fiunt ex iſtis ſive cauſſis ſive ſignis, quæ nullam prorſus cum re quæ divinatur connexionem habent, ac proinde aut diabolicam ſuperſtitionem, aut colluſionem cum dæmone ſapiunt manifeſtariam, quæ Deo exoſiſſima & bonis omnibus merito deteſtanda eſt.

Rejicienda ergo eſt ſententia, 1. Stoicorum, qui divinationes omnes in pretio haberi volunt, quocunque demum modo fiant: aſſerentes Deum natura benignum ac beneficum eſſe, ideoque rebus humanis proſpicere ac futura ipſis prædicere. in qua opinione etiam fuit Pythagoras, qui ſymboli loco uſurpabat hoc, DIVINATIONEM HONORA. Directe enim repugnat hæc ſententia divino huic interdicto. 2. Peripateticorum, qui inter Stoicos & Epicuræos (hi omnes omnino etiam divinas prædictiones ridebant, quia providentiam omnem tollebant,) mediam viam ingredientes, divinationes quidem omnes artificioſas, quæ conjecturis nituntur ingenioſis, aut ex eventuum crebra ſimilitudine fiunt, rejiciebant; ſed vero naturales eventuum præſenſiones non putabant contemnendas, exiſtimantes naturalem in anima facultatem eſſe futura præſagiendi, quæ concitetur nonnunquam, vel ab humore aliquo naturali redundante in cerebro, puta bile, ſive atra ſive alia; unde Sibyllarum & vatum oracula nata eſſe volebant; vel ab humore aliquo morbido ſive non naturali prædominante in cerebro, unde phreneticorum & maniacorum præſagia; vel à cauſſa aliqua occulta, unde ſomniantium quorundam, morionum & morti vicinorum præſenſiones ſunt; quales in animalibus quibuſdam brutis obſervari ajunt, uti cum piſces aliquando nautis tempeſtates, aves agricolis, armenta bubulcis prænunciant; vel inſtinctu quodam naturali, vel humore aliquo facultatem naturalem exſtimulante, concitata. Enimvero, etſi diffiteri nolumus, præſenſiones quaſdam rerum futurarum in hominibus quibuſdam dari, quales in brutis quibuſdam dari videmus, ut quando porci cum grunnitu multo feſtinantes ad haras ſuas & fœnum aut ſtramina geſtantes ore ſuo, hirundines propter terram volitantes, feles ſe diutius lingentes aut repente diſcurſitantes, vermes aridiores è terra prorumpentes, formicæ ova ex nidis ſuis exportantes, anates, anſeres & aliæ aves aquaticæ ſe cum clamore & ſtrepitu aquis immergentes, pluvias præſentiunt. quæ tamen non tam ſunt præſenſiones alterandi aëris aut futurarum pluviarum, quam ſenſationes alterati aëris, & humorum ex impreſſione alterati aëris perturbationes, quas bruta iſta percipiunt in corporibus ſuis; ac proinde quæ non proficiſcuntur ex innata quadam divinandi facultate quæ in anima eorum ſit, ſed ab extrinſeca quadam in corpus eorum impreſſione, quæ etiam in rebus inanimatis locum quandoque habet; uti videmus in parietibus ſudore ſuo, in ſale liqueſcente, in candelæ flamma ſcintillante & ſtridente & paulatim ſe diminuente, pluviam nunciantibus evenire. etſi, inquam, non diffitemur hujuſmodi præſenſiones ſeu ſenſationes aliquando in hominibus phreneticis, ſomniantibus, moribundis dari: tamen eæ nec divinationes ſunt quæ ex innata facultate animo oriuntur, ſed ex temperamenti eorum varia conſtitutione, quæ ex cauſſis quibuſdam ſive extrinſecis ſive intrinſecis temperamentum corporum eorum conturbantibus aut moventibus, atque ita ex ſenſu rerum jam præſentium proveniunt; nec divinationes de rebus futuris contingentibus, quæ vel à ſola Dei voluntate, vel à libero hominis arbitrio dependent, vel à cauſſis ſaltem iſtis quas nec ſenſibus nec ratione ulla certa cum effectis iſtis cohærere ſciri poteſt, ut an conſul, an Rex, an dives, an pauper, an hoc vel iſto genere mortis ſis obiturus. Hujuſmodi enim divinationes niſi à dæmone aut genio aliquo habeantur, qui tamen & ipſi non raro fallunt, non ſunt niſi fallaces & incertæ conjecturæ; quæ ſi quando forte rem aliquam prædicant, ſimiles videri debent jaculatorum iſtorum fortunæ, qui cum per diem integrum jaculando ſe exercent, interdum etiam ſcopum tangunt & recta collineant, licet artis jaculatoriæ prorſus ſint imperiti. Mirumne eſt cum tot ſagittas emittant unam tangere, aberrantibus centenis? Quare inter has divinationes cenſeri etiam non debent Medicorum iſtæ prædictiones, quando ex notis ſenſu acceptis de morbi ſpecie & cauſſis, de naturæ robore, de loco affecto, de ſymptomatibus ſecuturis, de morte aut convaleſcentia juxta artis ſuæ regulas per naturalem quendam συγκρισιν divinant.

*Trigeſimum quartum.* XXXIV. Ne Magia exerceatur, ſive ne Magus inter nos reperiatur: *Deut.* XVIII. 10.

Præceptum ſive interdictum hoc ut recte intelligatur, videndum ſerio eſt quid per *magiam* ſive per *magum* Deus ſignificatum voluerit, Ac primo quidem ſuppono certum eſſe per Magum (quicunque tandem is ſit) intelligi omnem eum qui magicos actus exercet; non autem eum qui artes & actus omnes magicos novit. Aliud enim eſt ſcientia, aliud ſcientiæ uſus. Iſta cum artis actuumque omnium magicorum deteſtatione & abominatione conjuncta eſſe poteſt, & conjuncta fuerit neceſſe eſt in judicibus iſtis qui ex vi præcepti hujus in magos animadvertere tenebantur. Hic ſcientiæ iſtius amorem & approbationem præ ſe fert. Diſcrimen hoc non obſcurè indicatur in textu citato, *verſ.* 9. *Non diſces facere* (id eſt ut facias) *ſecundum abominationes gentium.* & *verſ.* 12: *Abominatio enim eſt Domino omnis qui facit iſta:* qui facit, inquit, iſta, non qui ea novit. Judicis enim intererat ea exactè noſſe, ne cædis injuſtæ autor fieret.

*Magus eſt qui actus magicos exercet, non qui novit.*

Secundo certum eſt vocem מכשף hoc in loco & paſſim alibi ab Hieronymo aliiſque transferri per Maleficum; à LXX interpretibus ubique per φαρμακὸν aut φαρμακέα: quod redditur, veneficus, ut φαρμάσσω veneno, φαρμακεία veneficium: tralatione admodum vicina priori, ſed non prorſus eadem. Maleficus enim, proprie κακοῦργος, dicitur qui damnum infert & nocet alteri: at φαρμακὸς (voce in malam partem accepta) qui per veneficia & incantationes malefacit. Nam φαρμακὸν nomen quando in malam partem accipitur, fere apud Dioſcoridem, Galenum, & totam Græcorum antiquitatem ſumitur pro veneno aut medicamento venenoſo: & qui cum ejuſmodi medicamentis nocere ſtudent, vocantur φαρμακεῖς vel φαρμακοὶ. Sunt tamen non pauci qui transferunt per vocem, Præſtigiatoris. Sed perperam, juxta Hebræos. Præſtigiator enim ex lege, uti ajunt, non punitur, quia nullum opus facit, ſed facere tantum videtur, dum præſtringit oculos, tenens & fallens eos. Nec referre ajunt, quod in textu dicatur etiam eum, qui מעונן dicitur, id eſt præſtigiator, non à עונה tempore, ſed à עין oculo quia oculum faſcinat, abominationem Deo eſſe, quia in textu quidem dicitur, Abominationem Domino eſſe omnem qui facit iſta; at non dicitur, qui facit omnia iſta: loquitur enim de majore parte. Præſtigiator המעונן enim & augur המנחש non ſunt abominatio, neque Deus expulit Chananæos propter iſtas artes. Nam homines deſiderant ſcire futura & occupant ſe in ſapientiis multis conſimilibus ad cognoſcendum ea. Ut ut res hæc ſe habet de pœna præſtigiatorum, id ſaltem ex antedictis patet, Hebræos vocem hanc מכשף diſtinctam velle ab illa quæ præſtigiatorem notat; & quidem hactenus, quod מכשף ſit is qui opus aliquod malum facit; præſtigiator, minime. Hinc in Phefictha מכשף qui facit opus peccatoris. Qui autem tenet oculos, liber eſt, id eſt non adficitur ulla pœna. Opus peccatoris, id eſt, hominis κακοῦργον & malefici. Nam tales peculiariter peccatores vocantur. Et adſtipulatur iſtis Flavius Joſephus libr. Antiq. Judaic. IV. cap. 8. ubi legem hanc, atque imprimis eam quæ exſtat *Exod.* XXII. 18, ubi fœminini generis vox מכשפה eſt, quam tamen maſculino genere reddiderunt LXX interpretes, φαρμακὸν οὐ περιβιώσεται, his verbis explicuit: φάρμακον μὴτε θανάσιμον, μήτε ὃ τῶν εἰς ἀλλας βλάβας πεποιημένον, Ισορριπίτων ἰχθῦν μηδὲ εἷς. ἐὰν δὲ κεκτημένος φονᾶσιν τεθνάτω· τὸν πάσχοντα ὁ διδάσκων ἐκείνῃ καθ' ὃς ὃ φάρμακον ἐπιτηδεύσαμβρον, id eſt, venenum neque letale, neque in alios noxios uſus præparatum Iſi aelitarum aliquis habeat: quod ſi habere deprehenſus ſit, morte mulctetur, & patiatur id quod facturus erat illis, adverſus quos venenum paraverat. Quod ad interpretes LXX attinet, certum eſt eos in tredecim locis, ubi hæc vox legitur, eam reddidiſſe per φαρμακὸς & φαρμακίας. Loca iſta ſunt, *Exod.* XXXII. 18. vel ut alii, *verſ.* 17. *Deut.* XVIII. 10. & 2 *Reg.* IX. 22. & 2 *Paral.* XXXIII. 6. *Eſa.* XLVII. 9. & *verſ.* 12. *Jerem.* XXVII. 8. *Daniel.* II. 2. *Mich.* V. 12. *Nahum.* III. 4. *Malach.* III. 5. Adde locum *Exod.* VII. 11. Quænam priſcis illis temporibus veneficiorum faciendorum ars aut ſcientia fuerit, non liquet ex ullis qui tum vixerunt ſcriptoribus; nedum an ars illa ſive ſcientia humana dumtaxat induſtria reperta, an vero etiam à dæmone aliquo hauſta atque accepta fuerit. utrumque credi poteſt. Si poſteriora tempora videantur, apparet artem iſtam in uſu fuiſſe, ejuſque rationem eam indicatam obſervari quæ ab induſtria ſola humana proficiſci potuit: cui tamen quin ſuggeſtio acceſſerit dæmoniaca nihil vetat. Nempe pharmaca vel venena, ex quacunque materia, ſive ex metallorum, ſive ex ſtirpium, ſive ex animantium vel excrementorum genere, vel ex corporibus mixtis fiebant, quibus propinatis, illitis, aut alicubi reconditis, ut halitu eorum infecto aëre transeuntem ferire poſſent, periculoſi ciebantur morbi cum atrociſſimis ſymptomatibus, ita ut alii in corporis extenuationem viriumque imbecillitatem inciderent, aliis junctarum compages diſſolverentur, alii aliis cruciatibus variè excarnificarentur, nonnulli vero diuturna ægritudine torquerentur, plerique præcipitanter quaſi vitæ

*Quid voce Hebraica* Mecaſcheph, *&* Mecaſchepha *ſignificetur.*

filo

filo mox rupto, interdum & cum intolerabilibus doloribus vitam exhalarent. Exempla vide apud Wierum de præstigiis Dæmonum & de Lamiis. Instar plurium est istud Ovidii in Metamorphosi:

*Non hospes ab hospite tutus:*
*Non socer à genero; fratrum quoque gratia rara est.*
*Imminet exitio vir conjugi, illa mariti.*
*Lurida terribiles miscent aconita novercæ.*
*Filium ante diem patrios inquirit in annos.*

Apud Romanos artem hanc viguisse exempla multa fidem faciunt. Hinc tam crebra Senatusconsulta facta legere est contra veneficos: hinc lex Cornelia de Sicariis & veneficis, &c. Hoc nostro ævo eam adhuc usitari, imprimis apud Italos & Indos, omnis generis exempla docent, & quidem tanta cum industria, ut venenum præberi posse dicatur, quod propinatum haustumque non sentiatur nisi post menses aliquot, & tum vel subito interimat hominem, vel languore multo confectum faciat contabescere atque emori. Hoc sensu intellecta vox מכשה facilem reddit legis hujus interpretationem, & nominatim Legis controversæ istius de qua postea agetur, *Exod.* XXII. 18. המכשפה non sines vivere. Sic enim המכשפה erit venefica, homicidii rea, & digna quæ supplicio ultimo luat sceleratæ artis suæ usum, digniorque quovis sicario aut homicida manifestario, à quo sibi quisque cavere potest.

Veruntamen adduci non possum ut credam Deum voce ista מכשף non alium quam veneficum designatum voluisse. Rationes meæ sunt. Prima: Quia verbum כשף unde מכשה est, non proprie significat veneno nocere, sed præstigias oculis offundere, eo fine ut mirabilia, & miracula tantum non facere videaris, eaque fere cum damno & detrimento alterius conjuncta. Atque hinc arbitror esse quod LXX eam vocem fere reddiderint, imo semper, per φαρμακεύειν, voce φαρμακείας sumta non modo pro veneno, sed pro quolibet maleficio, cum miraculi affectatione conjuncto; uti patet ex eo, quod ubi de Magis Pharaonis agitur *Exod.* VII. 11, ibi vocem istam transtulerint etiam per φαρμακὸς, cum tamen constet Magos istos non fuisse veneficos, sed præstigiatores, qui carminibus vel nefariis artibus apud Ægyptios familiaribus, quædam oculis objiciebant, quæ revera non erant, aut saltem noviter facta non erant, ut divinitatis cujusdam gloria inclarescerent. Similiter 2 *Reg.* IX. 22, ubi Jesabeli φαρμακείας tribuunt: quum tamen illa nunquam legatur venenorum faciendorum artem exercuisse, nec exercuisse verosimile sit; alioquin Nabothum veneno potius quam gladio aut lapidibus è medio sublatura. Altera ratio est, Quia מכשפים video ut plurimum conjungi in Scripturis cum conjectoribus sive divinatoribus, somniorum interpretibus, auguribus & id genus hominibus, imprimis in hoc ipso textu nostro; unde quandam actionum cum iis communionem eos habuisse colligendum omnino arbitror. Denique, quod videam in Novo etiam Testamento vocem illam *Magus*, quam voci מכשה synonymon esse credo, etiam tribui iis qui veneficiis nullis utebantur, sed sola tantum divinitatis æmulatione sese efferebant supra alios, per mirabilium & inusitatorum operum patrationem: ut Simoni Samaritæ isti, *Act.* VIII. 9: *qui dicebat se esse aliquem magnum, & cui auscultabant omnes à minimo usque ad maximum, dicentes. Iste est virtus Dei quæ vocatur magna.* In Græco est ἰσχὺν τοῦ θεοῦ. *vers.* autem 11 dicitur eum ταῖς μαγείαις ἐξεστακέναι solitum fuisse Samaritas, & fuisse μαγεύοντα, *vers.* 9. Item Elymæ, *Act.* XIII. 8, qui magus fuisse dicitur plenus omni fallacia παντὸς δόλου καὶ πάσης ῥαδιουργίας. De veneficio nihil.

*Quibus propriè & specificè conveniat.*

Cæterum quis propriissime & specifica quod dicitur ratione, sive contradistincte à cæteris omnibus qui in textu hoc & alibi recensentur, ex mente Dei Legislatoris per vocem מכשף appellari debeat aut recte possit, non usquequaque manifestum ac certum est. Rabbini horum temporum, aut saltem posterioris ævi, per מכשה volunt intelligi eum qui ex professo affectans familiaritatem cum dæmone, ejus opera & auxilio admiranda quædam & prodigiosa facit, aut futura prædicit, id est qui miracula extra rerum naturam facere videri vult.

*Tria requiruntur ad constituendum eum magum.*

Horum sententia, salvo meliore judicio, non videtur mihi à vero aliena, sed quæ elucidationem meretur. Tria enim arbitror requiri ad constituendum proprie dictum מכשה sive infamem magnum. *Primò*, Familiare commercium cum dæmone, sive cum eo iisve qui se dæmoni familiares profitentur, aut saltem cum libris eorum, quos dæmoni familiares fuisse necesse est credere. Per dæmonem autem intelligo, non Diabolum propriè, qua talem, nedum quatenus apertum Dei hostem: (vix enim credibile est, quemquam sanæ mentis priscis istis temporibus fuisse hodieve esse, sive inter Judæos, sive inter gentiles, qui directe voluerit commercium habere cum Dei hoste:) sed spiritum sive animam intelligentem, quæ superioris excellentiorisque quàm est humana anima, intelligentiæ ac potentiæ esse credebatur, sive ea putaretur per se subsistere, sive astris ineste, sive mundo & singulis mundi partibus indita esse. *Secundò* apertam, liberam & non extortam familiaris istius cum spiritu isto commercii professionem. *Tertiò*, Actus & opera externa, quæ utriusque istius tum commercii tum professionis signa sunt; utpote quæ non nisi spiritus istius ope atque opera fieri possunt: puta, in turbando multifariam aëre, in quacunque specie ostentanda, in rerum abstrusarum aut longissime dissitarum prænotione, prædictione, aliisque similibus posita; & quidem adhibitis istiusmodi sive ritibus ac cæremoniis, sive characteribus, sive verbis minime significativis, sive figuris, sive imaginibus, quæ vel per se nihil prorsus valent ad effectum intentum, vel plane insufficientes sunt, imo ridiculæ; sive eæ adhibeantur ex præscripto dæmonis ad honorem quasi ejus, sive ex commento proprio: quamquam fieri etiam posse fatemur ut opera magica absque ullis ejusmodi cæremoniis, characteribus, &c. exerceantur.

Verum enimvero ut hæc quæ diximus melius intelligantur & errori omnis ansa præcidatur in re tam gravi & obscura, Magiæ totius infamis rationem fusius paulum persequar. Magiam infamem, quæ superstitiosa aliis dicitur, duplicem facio; unam apertam, quæ exercetur cum expressa directaque professione communionis cum dæmone sive spiritu isto quem diximus: alteram occultam sive artificialem, quæ exercetur cum indirecta sive interpretativa istiusmodi communione. Primam Magiam credo esse propriissime istam Magiam, cujus in hoc textu & passim per totam Scripturam mentio fit, quæque specifice constituit מכשה & חמכשפה. Vix enim dubito, quin istis temporibus, imprimis inter gentiles Cananæos, magna de spiritibus sive dæmonibus existimatio fuerit; & quia curiosiora præ cæteris erant istorum mortalium ingenia, ingente studio affectata fuerit eorum familiaritas, ad perdiscendum ab iis mira, inusitata atque arcana pene omnia; uti indicant omnia & varia illa superstitiosorum hominum sacrificia quæ passim in textu Sacro occurrunt, quæ dæmoniis, Satyrisque obtulisse dicuntur, *Deuter.* XXXII. 18. *Levit.* XVII. 7. promerendæ scilicet eorum gratiæ & benevolentiæ. Nec dubito, quin à spiritibus istis non raro obtinentes quod volebant, magis magisque divini Numinis reverentiam posuerint, omnemque cultum atque honorem religionis spiritibus istis transcripserint ac detulerint, quasi Numen aliud non esset, aut tota Numinis Majestas in illis resideret; adeo ut supplicia omnia istis facienda, & ab iis quælibet imploranda esse prorsus in animum suum inducerent, imo iis eorumque tum scientiæ tum potentiæ quæcunque singularia atque admiranda fierent aut fieri possent, adtribuerent: uti ex infinitis Scripturæ locis perspicuum est. Ea res non poterat non cedere in summam divinæ Majestatis contumeliam, imprimis tum quando ipse sibi populum in terra delegerat, à quo solus coli & pro vero unicoque Deo agnosci volebat, spretis omnibus spiritibus ac dæmonibus qui pro diis passim colebantur: uti fiebat tum quando Magi Ægyptii, spirituum sive dæmonum suorum ope faciebant admiranda pene eadem cum Mose & Aarone, quasi divinam Majestatem æmulantes, & non ferentes ut ea spiritibus suis eriperetur. Unde nata tanta in Magos ira, & tam severa in eos statuta pœna videri debet. His accenseri posse ac tantum non debere arbitror eos, qui hodieque licitum, adeoque volupe & gloriosum putant familiaritatem cum dæmone aut spiritu aliquo inire & colere, eo fine ut rationem medendorum morborum alioquin incurabilium, & naturæ arcanorum addiscendorum ab eo consequantur. in qua sententia Theophrastum Paracelsum fuisse ejusque discipulos hodie esse multi non obscuris rationibus confirmant. De Cornelio Agrippa multi idem affirmant. Sed Joannes Wierus, qui eum hospitem & præceptorem suum honorandum vocat, benignius de eo sentit & loquitur, librumque quartum de occulta Philosophia, quo clavis omnium magicarum operationum contineri dicitur, ejus esse negat: quippe quadragesimo post ejus obitum anno in lucem editum, & nil nisi nugas & scopas dissolutas, tanto ingenio indignas, continentem, quas prolixe refert lib. 2 de Præst. Dæmonum, cap. V.

*Magia est duplex;*

*Aperta.*

*Et occulta, seu artificialis.*

Alteram Magiæ speciem occultam sive artificialem Magiam feci ac nominavi. Occultam, quia etsi per eam prorsus eadem ac similia opera, cæremoniæ, ritus, &c. fiant, quæ per apertam Magiam fieri diximus, directa tamen cum spiritu aut dæmone communio in ea occulitur, sive ex professo declinandæ invidiæ & amoliendo odio, etiamsi aliter sit; sive vere & ex animo, quia Magia ars esse creditur & peculiaris scientia rerum occultarum, cujus beneficio admiranda & inusitata ista omnia opera fieri possunt, nullius dæmonis aut suggestione aut operatione interveniente: unde & nos

eam

eam Artificialem vocari posse diximus. Hujus Magiæ fundamenta indicare operæ pretium est, ut quid de ea statuendum sit deinceps expendamus. Primum ejus fundamentum est; Eam esse animæ humanæ conditionem, ut ingenti aliqua ὁρμῇ sive affectu incitata, sufficientem vim habeat ad imprimendum verbis seu artificialibus sive inartificialibus, scripturis, imaginibus, & characteribus, efficaciam & ἐνέργειαν naturalem, ad effectum quem intendit producendum: qui similis sit iis effectibus qui producuntur ex causis naturalibus, aut ex istis quæ ex rebus naturalibus composita sunt; qualia sunt pharmaca ad purgandum, sive bilem, sive pituitam, sive melancholicum humorem, sive humores pariter omnes peccantes in corpore: verbi gratia, Si noxam alicui inferre velit, & adhibeat vel verba vel signa quæ noxam illam aliquomodo designant, idque magno incitata desiderio ac zelo, tum verbis ac signis istis imprimi vim atque efficaciam ad nocendum: item, si ad amandum aliquem incitare velit, & in tabula aliqua duos se mutuo complectentes pingat, eosque magno cum ardore animi intueatur, tum tabulæ sive picturæ isti ab anima imprimi, vel ab anima ita exardescente radiare in tabulam istam vim quandam ἐλκυστικὴν, ad amorem in alio concitandum, &c. Secundum fundamentum est: Imagines & characteres siderum & signorum cælestium, sub congrua sibi constellatione fabricatos, concipere vim siderum ad occultos & mirabiles effectus istos ad quod ipsa sidera valent, producendum.

*Vtriusque inter se affinitas.*

Hæc Magia admodum vicina atque adfinis est primæ, &, si non eodem, proximo saltem ad eam gradu collocanda est. Fieri enim non potest, quin is, qui sanæ mentis est, facillime sentiat, hanc operandi rationem, nullo modo naturalem esse posse, nec artificialem videri debere, sed ficticiam plane ac commenticiam esse; ac proinde vim omnem istam quæ vel à sideribus, vel ab anima characteribus ac figuris verbisque imprimi creditur, effectusque omnes si qui à vi ista proveniunt, aliunde proficisci debere. unde verò, si non à dæmone aut genio aliquo malo? ut enim à Deo vel à genio aliquo bono ista proficiscantur nullo pacto est verisimile. Deum enim opem atque auxilium suum istis rebus adstrinxisse aut adstringere voluisse, quæ non ad commodum sed ad noxam fere hominum adhiberi aut solent aut possunt, quis credat? imprimis cum res istæ, sive rerum istarum scientia talis sit, ut eam impii & profani consequi possint, eamque fere aut exerceant aut sibi vendicent homines nihili, nequam ac non raro pessimi; pii vero ab ea toto animo abhorreant. Certe si à Deo aut genio ejus bono aliquo vis ista proficisceretur, optimis quibuscunque ea contingeret; saltem precibus exoratus Deus scientiam istam sanctissimis suæ Majestatis cultoribus ante alios omnes conferret, quia hoc divinæ ejus Majestati convenientius foret, cum scientia ista impii pessime & in noxam multorum abuti possint ac velint, pii vero ea abuti nec possint nec velint in noxam cujusquam mortalium. ut jam alia non allegem.

Dices: Argumentum hoc procedere, si evincatur, operationem istam non esse naturalem. Si enim ea naturalis est, nil obstat quominus ea à Deo profecta dicatur & piis simul atque impiis communis sit. Resp. Operationem istam utramque naturalem non esse vix probatione indiget. Nam quod attinet ad primum fundamentum: Eam esse animæ humanæ conditionem, ut forti sua imaginatione valeat verbis, characteribus, &c. imprimere vim aut qualitatem aliquam effectricem, id vanissimum esse ex duobus apparet. Primò, ex eo quod tota illa animæ operatio, non sit nisi immanens actio, quæ intra hominem manet, ac proinde res externas sive ab homine separatas alterare non potest. Dices: Porti imaginatione alterari & concitari posse spiritus atque humores in corpore. Fateor. Humores & spiritus isti sunt in corpore, & anima istis immediate præsens atque unita sive immista est: verba vero & characteres sunt extra hominem, & anima non modo ab iis longe distat, sed etiam cum iis commune nihil habet. Dices, Vim istam animæ imaginativam operari per spiritus sive humores in corpore alteratos, & sese extra corpus per aërem in verba & signa ista diffundentes. Resp. 1. Id gratis dicitur. 2. imaginatio ista etiam sine alteratione humorum & spirituum esse potest: & alteratio licet magna, fieri potest sine spirituum humorumque extra corpus diffusione, ut in prægnante liquet. Posito etiam 3 humores istos se diffundere extra corpus, quæ ratio, ut ii in verba, in characteres & signa ista se diffundant potius quam in vicina omnia occurrentia? Humores enim & spiritus isti alterant contactu suo, non arte aut judicio. Sed quod ad fundamentum hoc evertendum maxime facit, est id quod Secundò loco recepimus nos dicturos, videlicet nec verba nec signa alia esse capacia talis physicæ virtutis aut impressionis. Non verba, neque quatenus physicè considerantur, tanquam aër contra dentes reverberatus, & per linguam articulatus: neque quatenus logicè considerantur, ut significativa interiorum animi conceptuum. Primo enim modo verba aliud nihil sunt quam soni meri, & voces evanidæ, quæ nihil in se habent permanens, nedum quod sit aptum recipiendis stellarum virtutibus aut qualitatibus ullis permanentibus, multo minus ad agendum aut efficiendum aliquid idoneis. Secundo modo verba aliud nihil sunt quam significativa. Significatio autem nihil aliud est quam denominatio extrinseca ab institutione hominis quæ præteriit. Denominatio autem extrinseca quomodo capax fiat efficaciæ realis? Dices. Verba tamen quatenus significativa sunt, vim quasi novam accipiunt, & mirabiles vires in animum agendi affectusque fortiter movendi. Resp. 1. verba nuda istam vim non habere, sed sensum verborum oratione integra rite comprehensorum. 2. vis ista omnis non est physica, sed moralis, & quæ non movet hominem nisi mediante voluntate, quæ vim illam sistere potest ac reprimere. 3. verba quibus vis ista tribuitur à Magis, non sunt verba talia quibus sensus aliquis moraliter efficax inesse intelligitur, aut quæ mediante sensu morali iis contento agunt, sed nudæ tantum quædam voces, & quæ non modo non clarum sensum in se habent, sed quæ nihil omnino significant, aut prorsus barbaræ sunt & exoticæ, & factitiæ, ut *Abracadabra, Abraxas*, & similia: denique quæ ex literarum varia positione & συζυγίᾳ operandi vim concipere dicuntur, id est virtutem non moralem sed physicam, ad effectum, qui intenditur, producendum: quod plane magicum est. Eadem est ratio signorum cæterorum, id est, scriptorum characterum, pictarum imaginum, aliarumque externarum formarum aut figurarum artificialium. Ea enim, quà talia, nec sunt materia, quæ proprie virtutis physicæ susceptiva est, sed in materia & per materiam quasi existentia; nec vim aliquam effectivam in se habent disponendi materiam, ut magneticæ cujusdam virtutis ab anima quasi emanantis susceptiva fiat, quia nihil aliud sunt quam lineæ quædam, quarum nulla per se est ad disponendum materiam efficacia. Quod enim ad pictas imagines attinet, eæ vim quidem habent movendi sensus & alterandi phantasiam, sed ea vis non est nisi vis objectiva, quæ imaginibus istis non imprimitur ab anima sive à phantasia: sed quæ in ipsam animam sensitivam sive phantasiam ab objectis ipsis, mediantibus sensibus externis, quasi radiat & influit; sic tamen ut impressæ istius in phantasiam speciei ἐνέργεια retundi possit ac reprimi à ratione & à voluntate hominis, si videlicet species ista ordinetur ad producendum effectum aliquem, qui à ratione & voluntate aliquomodo dependet, uti sunt species istæ omnes, quæ ad amandum aut odio habendum aliquem imprimi dicuntur à picta aliqua figura aut imagine. Adde quod, etiamsi fateamur objecta vehementer afficere posse sensus, & phantasiam alterare, eorum tamen vis atque efficacia valde sit varia ac diversa, pro ratione varia subjectorum recipientium. Si enim subjectum redundet humoribus superfluis, vel biliosis, ut in iracundis fieri solet, vel sanguineis, uti in venereis, vel fuliginosis, atris & luridis, ut in melancholicis & prægnantibus fieri solet, species ab objectis impressæ phantasiæ, ope spirituum animalium sic perturbatorum, variè ac non uno modo afficient subjecta sua. Si contra, subjectum sit bene dispositum, & vel natura, vel educatione, vel habitu virtutis recte compositum, vix ac ne vix quidem movebitur ab objectis ullis nisi quantum ratio recta permittit. At vero si figuris, signis, characteribus & picturis vis quædam physica sive magnetica imprimeretur ab anima, eodem omnia modo semper agerent. Naturalia enim omnia sunt necessaria.

Quod ad secundum fundamentum attinet, id vanissimum esse multis rationibus evinci potest. Nam 1. dato, sed non concesso, astra vires istas habere ac de se diffundere posse in inferiora, & constare certo quænam astra sint quæ has aut illas peculiares vires habeant, denique vires istas colligi, secerni & quasi convasari posse ab homine, quæ omnia tamen ineptissimum est credere; quid absurdius cogitari aut credi potest, quam figuras arte factas, qua tales, esse idoneas dispositiones ad vim sive influentiam astrorum physicam excipiendum? Quid stultius quam credere vires astrorum aliter excipi ab auro, vitro, argento, si in iis figura trigonos, & aliter si tetragonos in iis pingatur, aliter si bos in iis, aliter si Leo in iis sculpatur? Videmus sane, ignem, Solem, & alia æque agere in aurum, vitrum & similia sibi subjecta, qualiscunque demum figura in iis describatur. 2. Quid ineptius, quam credere, in cælo esse figuras istas animalium, quas in iis ponunt Mathematici memoriæ sublevandæ? Certe parum à stultitia abest, qui credit in cælo esse imagines brutorum animantium, plaustrorum, virginis, Bootis, Orionis, &c. & ex animantium istorum natura colligit parem atque æqualem singulis sideribus inditam efficaciam esse. Quod enim

enim Mathematici figuras iſtas in cælo collocarunt, id non ex eo eſt, quod figuræ iſtæ in cælo ſint, aut eſſe ab iis revera exiſtimentur, ſed ut diſtincte omnia aſtra dignoſcerentur, ex aliqua confuſa & rudi ſimilitudine diſpoſitionis aſtrorum cum tali figura. Quamcunque enim figuram voluerunt, eam aſtris adfinxerunt. Neque enim magis inter aſtra iſta, quibus figuram Leonis adſignarunt, figura ſive imago Leonis eſt quam Tauri, quam aſini, quam vulpis; & non magis in iis quibus virginis, arietis, ſcorpii figuram adſignarunt, figura virginis, arietis, ſcorpii eſt, quam lupi, quam elephanti, aut crocodili, &c. Ex quo conſequitur, ad excipiendum virtutem arietis aut Leonis cæleſtis, non magis valere figuram arietis aut Leonis terreni, quam aſini aut canis. 3. Quid vanius concipi poteſt, quam credere, ſtellarum vires magis energeticè agere in res ſibi ſubjectas, quæ non niſi ad breve tempus ipſis objiciuntur, quam in herbas, lapillos & metalla, in quæ longo temporis tractu vires ſuas exerere & diffundere poſſunt? Certe iſti ipſi, qui id credere videri volunt, ſatis teſtatum faciunt, ſe id non credere, quando imaginibus iſtis adjungunt alios characteres, & iis adhibent ſuffitus ex thure, galbano, ſtorace, aloë & ſimilibus, ut vim illam concipiant, & effectus illos, quos intendunt, producant.

Hiſce fundamentis ſublatis, apparet artificioſam iſtam Magiam non eſſe niſi σοφὸν φάρμακον tegendæ veræ & propriè dictæ Magiæ, quæ per commercium cum diabolo exercetur, etiamſi exerceatur ab iis, qui nihil minus quam artem iſtam diabolicam eſſe, in animum ſuum aut volunt aut poſſunt inducere. Exiſtimo tamen hos ſecundi generis magos, prudenter diſtinguendos eſſe à magis primi generis, quatenus ii ſibi perſuadent artem iſtam exerceri poſſe ſine ulla dæmonis aut diaboli ope, eamque ſic à ſe exerceri ingenuè atque ex animo profitentur, tanta cum fiducia, ut nullis tormentis adduci poſſint ut contrarium dicant, adeoque mille mortibus perire malint quam contrarium profiteri. Dices. Ignorantia hæc non eſt mera ignorantia. Fateor. Sed quod latiſſima vel lata, culpa ejus cauſſa ſit, ego nondum poſſum videre. Contrà credere malo, ignorantiam iſtam etſi inculpabilis non ſit, adeoque cum magna culpa conjuncta videatur, tamen culpam ejuſmodi in ſe non habere, quæ prorſus ſit voluntaria; quia rerum multarum naturalium tanta eſt obſcuritas, ut, quæ in iis effecta apparent, quantumvis mirabilia & pene incredibilia, imo quæ aliunde quam à cauſſa ſupra naturam agente proficiſci poſſe non videntur, naturæ & naturalibus cauſſis adſcribere admodum proclive ſit. Natura quippe adeo fœcunda eſſe videtur, teſte experientia, ex una parte, ut quidlibet ex ea gigni poſſit; ex altera parte, tam multa videmus fieri à natura & in natura, quæ adeo rara, admiranda & ſtupenda nobis ſunt, ut propter id ipſum, quod talia à natura fiant, quidlibet pene quantumcunque rarum, inuſitatum, admirandum, imo miraculoſum, ab ea fieri poſſe nobis haud gravatè perſuadeamus.

*Collatio Magorum artificialium cum avaris, voluptuariis, &c. qui idolatræ vocantur.*

Dices. Eandem itaque eſſe rationem hujus culpæ, quæ eſt culpæ iſtius ratio, qua avari, voluptuarii, vocantur idololatræ ab ipſo Dei Spiritu: *Coloſſ.* III. 6. *Epheſ.* V. 5. *Philip.* III. 16. Reſp. 1. Non eſſe eandem prorſus rationem, quia qui voluptatibus aut pecuniæ ſe totos addicunt, cauſſam nullam habere aut in animum ſuum inducere poſſunt, cur credant voluptatum aut pecuniæ inexhauſtum amorem, ſe dignum, Deo gratum, aut aliis utilem eſſe poſſe; ac proinde ſe ex ventre ſuo & arca ſua idolum non facere, circa quod univerſus amor, cura, ſpes, metus, gaudium, dolor, id eſt totum cor ſuum occupatum teneatur. Qui vero Magiam artificioſam exercent, ii cauſſam aliquam habere aut in animum ſuum inducere poſſunt, licet non ſine gravi errore, artem ſolam tanquam præſtantiſſimum Dei donum, aut perfectiſſimum humani ingenii atque induſtriæ opus cauſſam eſſe omnium iſtorum, quos producunt, effectuum. Utrobique error eſt & culpabilis error, ſed iſte à voluntario magis participat, quam hic. 2. Artificioſa Magia triplex eſſe poteſt: una quæ addiſcitur nullo alio animo ac fine quam ad juvandum alios, & mira quædam faciendum vel exiſtimationi comparandæ, vel voluptatis aut exercitii gratia, abſque ulla cujuſquam noxa aut damno. Altera, quæ addiſcitur ad nocendum aliis, & mira quædam faciendum nullius bono, ſed vel lucri tantum vel divinę cujuſdam exiſtimationis ſibi conciliandæ cauſſa. Tertia, quæ addiſcitur tam ad juvandum quam ad nocendum, tam ad voluptatem captandum, quam ad lucrum comparandum, atque imprimis ad divinitatis opinionem ſibi conciliandum. Primæ Magiæ ſectatores, nullo mihi modo conferendi videntur cum avaris atq; voluptuariis. Hi enim aliis prodeſſe nolunt, & ſibi ipſis noxii ſunt. Secundæ Magiæ ſectatores non modo pejores multo ſunt avaris & voluptuariis, ſed & ad peſſimæ Magiæ claſſem pertinent, quia artem addiſcere ut miracula facere videaris tantundem eſt atque ſeipſum Deum facere velle: & artem addiſcere ut nemini proſis ſed ut aliis noceas, tantundem eſt atque in diabolum te ipſum transformare, & quicquid cum diabolo commercium tibi eſſe neges, adeoque diabolos in rerum natura non eſſe tibi perſuadeas, te ipſum tamen diabolum facere. Tertiæ Magiæ ſectatores, pari ſi non pejore cum avaris & voluptuariis gradu colloco, proximoque ad præcedentem & eos quos tum veneficos, tum dæmoniorum conſultores profeſſos eſſe diximus: quando videlicet Magicam iſtam artem non modo addiſcunt ut eam calleant, ſed etiam exercent & in praxin deducunt, ſive cum commodo ſive cum incommodo & noxa aliorum, ſive ad lucrum faciendum, ſive ad opinionem divinitatis ſibi conciliandum, pro re nata aut occaſione oblata. In his enim non eſt merus error mentis, ſed prava voluntas & malus animus, qui alium quam diabolum authorem non habet, ac proinde artem iſtam maximè facit diabolicam. Sed quod paulo ante dixi, id de prima artificioſæ Magiæ ſpecie dictum volui. Ea enim etſi culpa non caret notoria, tamen propterea eodem cum cæteris ſpeciebus artificioſæ Magiæ, nedum cum prima infami & aperta Magia, loco cenſenda non eſt: quia ab ea abeſt nocendi animus, & non modo commercii cum dæmone, (quæ etiam à duabus cæteris artificioſæ magiæ ſpeciebus abeſt) ſed & divinitatis ſive miraculoſæ potentiæ adfectatio. Culpa notoria non caret, quia ſi modo ſanæ mentis eſſent, aut animum adverterent uti oportet, ſcire poſſent ac deberent, artem iſtam aliunde quam à malo genio proficiſci non poſſe; uti antea diximus. à culpa tamen latiſſima ac forte lata excuſari mihi poſſe videntur, quia obnubilata videre poteſt mens eorum, vel opinione quadam craſſa de animæ humanæ perfectione aut idoneitate, non modo ad rimandum naturæ arcana, ſed ad naturalium rerum incognitas vires ſibi ſubjiciendum; vel curioſitate quadam vehemente ad indagandum & perſcrutandum quæcunque ſibi imaginantur poſſibilia in infinitum fere uſque; vel ſuperbia ac faſtu quodam, quo ſupra alios omnes ſtudent atque amant excellere: vel denique vana perſuaſione de infinita rerum naturalium perfectione, quia in multis rebus obſervant occultas & inſenſibiles qualitates, *idiosyncraſias*, virtutes magneticas, *συμπαθείας* & *ἀντιπαθείας*, quarum ope fieri vident quæ alias videntur impoſſibilia eſſe. Quibus ſi accedat, quod ea omnia ſcrutentur nullo alio fine, quam ut vel proſint aliis, vel tempus fallant, vel delectent, vel exiſtimationem ſibi apud alios concilient, nullo divinæ gloriæ imminuendæ aut detrahendæ ſtudio, fit ut mentem magis magiſque obnubilatam habeant, & in arte iſta exercenda ſe ſine culpa aut Dei offenſa totos occupatos eſſe poſſe ſibi perſuadeant.

*Quid de Lamiis ſive Sagis ſit ſentiendum.*

Hiſce ita obſervatis, reſtat ut videamus quo loco cenſendæ ſint Lamiæ ſive Sagæ noſtrates, quæ *Toverejſchen* vocantur. De his ſententiam meam concluſionibus quibuſdam comprehendam, relicta vocum, puta Lamiarum, Sagarum, unde videlicet deriventur, indagine quibus lubet.

*Maleficas & veneficas hodie poſſe dari indubium eſt.*

I. Lamias hodieque dari poſſe & revera dari, quæ maleficæ & veneficæ proprie dictæ ſunt. De his non dubitatur, quin ſint inter מכשפות omnium peſſimæ, & quin ad eas primo ac principaliter pertineat divina ſententia, *Exod.* XXII. 18. *Maleficam non ſines vivere*, vel veneficam, ſi ſequamur interpretes LXX.

*Dantur etiam quæ arte dæmonis mirabilia parant.*

II. Lamias hodieque dari poſſe actuque dari quæ à dæmone artem ſciendi arcana, naturæ inferiori incomprehenſibilia, & faciendi mirabilia quæ ſupra vires & capacitatem humanæ induſtriæ ſunt, conſequi ſtudent; puta artem in ſpeculis videndi præterita & futura, facta, dicta, ſcripta, cogitata; artem colloquendi cum aliquo, per longiſſima terrarum ac marium intervalla, à nobis diſſito, in Luna hic legendi literas quæ apud Antipodes exarantur: artem ſanandi per maximas diſtantias, morbum inferendi per characteres & imprecationes, affigendi cornua, bibendi ex cribro, ciendi tempeſtates, fata transferendi. Haſce ego proprie מכשפות eſſe credo, ſive juvandi ſive nocendi animum habeant. A dæmone enim bona petere aut conſilia quærere ſalutaria ſive in bonum aliorum, eſt à tenebris lucem quærere. Præſtat non ſanare quam diabolica ope ſanare: Et morbos per Satanam curare eſt Satanam per Satanam expellere. Hujuſmodi vero Lamias hodieque dari poſſe, non video quomodo negari poſſit. Fuiſſe olim tales inter Zabios, Caſdæos, & Chaldæos, frequentius tamen inter Ægyptios & Cananæos, ex Scriptura indubium eſt. Magi Pharaonis id docent, quorum opera majora utique fuerunt, quam ut ſine dæmonis aut ſpiritus alicujus ſublimioris ope facta videri poſſint. *Levit.* XX. 27, mentio fit virorum & mulierum in quibus Pytho, id eſt ſpiritus ſive vatidicus dæmon eſt. 1 *Samu.* XXVIII. 7, mulieris pythoniſſæ ſive pythonem habentis

in Endor, futuram cladem & mortem Sauli prædicentis per ſuſcitatam Samuelis larvam. *Act.* VIII Simonis Magi. *Act.* XVI. 16. ancillæ Pythoniſſæ, id eſt dæmonem habentis πνεῦμα πύθωνος, quem ejeciſſe aut juſſiſſe ἐξελθεῖν dicitur Paulus *verſ.* 18. *Act.* XIII. 8. Magi cujuſdam Paulo obnitentis in converſione Proprætoris Sergii Pauli, qui *verſ.* 6. ψευδοπροφήτης fuiſſe dicitur, non quod non niſi falſa prædiceret, ſed quod falsò ſibi arrogaret ſpiritum divinum prophetis Dei proprium. Adde, quæ hac de re R. Moſes Maimonides, qui primus merito inter Hebræorum Rabbinos ineptire deſiiſſe dicitur, in ſuo *More Nebochim* refert, parte III. cap. XXXVII, ubi ritus moreſque Lamiarum ſive Sagarum in Ægypto & Chaldæa uſitatos ad tres ſpecies refert. quæ omnes ac ſingulæ docent Lamiarum ſive Sagarum iſtarum opera (ad quæ videlicet perficienda non niſi mulierum opera ac miniſterio eos uti ſolitos fuiſſe ex libris eorum aſſerit:) ita fuiſſe comparata, ut neque ratio poſſit capere, neque intellectus credere, qua ratione per illa aliquid effici poſſit. ut cum certo aliquo tempore certam aliquam herbam colligerent, vel ex re aliqua certum ac definitum caperent numerum, & ſaltatione, manuum compoſione, clamore, riſu, cubatione vel prona expanſione ſuper terram, rei alicujus combuſtione, fumi accenſione, quorundam verborum denique ſive intelligibilium ſive non intelligibilium prolatione uterentur, ut vel pluviam de cælo derivarent, vel grandinem decidentem averterent, vel fertilitatem agris inducerent, vel ſterilitatem tollerent, aliaque ſimilia procurarent. Addit idem Rabbinus, opera iſta idcirco ab iis uſurpari ſolita, quod crederent ea peculiares eſſe ſtellarum ac ſiderum cultus, quæ talibus actionibus, ſermonibus, verbis, fumis, delectantur, eorumque gratia quicquid optare ſibi poſſunt, lubentes præſtant. Nempe nullum opus Magicum ſine ſiderum reſpectu & conſideratione perfici poterat. Exiſtimabant enim, quamvis plantam ſuam habere ſtellam, quælibet animantia ac metalla ſua habere ſibi proprie dicata ſidera, id eſt genios ſive dæmonas, ſtellarum ac ſiderum ſingulorum animas quaſi, aut motrices intelligentias, ſive Vejoves ſive averruncas, bonorum aut malorum omnium autores, quas offendi ac placari poſſe credebant. Hujuſmodi Lamias, cum ubique fere terrarum omnique pene ſeculo crebræ ac frequentes fuerint, non video cur hodieque exiſtere poſſe & reipſa exiſtere negari jure poſſit.

Eſto, inquies: exiſtere dicantur inter & apud homines ac nationes profanas, ſuperſtitioſas, & à vero Dei cultu alienas, Chinenſes, Guineenſes, Javanos, aliaſque. At inter Chriſtianos ut credantur eſſe poſſe, vix finit credere ipſe Servator, qui de Satana ſive principe mundi ait *Joan.* XVI. quod jam tum cum ipſe adhuc in terris viveret, condemnatus erat: *verſ.* 11. Atqui, inquam ego, iſta oratione Chriſtus non vult ſignificare, Satanam ſic jam tum fuiſſe condemnatum, ut in mundo amplius aut non eſſet, aut ſaltem efficere nihil poſſet in ea mundi parte ubi Religio Chriſti obtentura eſſet. Contrarium enim manifeſtum eſt ex locis ſupra allegatis, ubi ſpiritus Pythonicus dicitur obſediſſe adhuc nonnullos iſtis in locis, ubi Apoſtoli Religionem Jeſu Chriſti plantaverant, à quibus etiam ejectus fuiſſe legitur. Sed ad ſummum id tantum voluit Chriſtus, dæmonem jam tum exautoratum fuiſſe; & imperio Chriſti ita ſubditum, ut in eos qui Religionem ejus vera fide amplexuri erant, non modo jus nullum habiturus eſſet, ſed etiam ad juſſum aut ad preces eorum ejiciendus eſſet & veluti fulmen ex cælo cadit, (ut dicitur *Luc.* X. 18.) ita repente, dictum factum, ex corporibus obſeſſorum exiturus eſſet, ut injuſtus & damnatus poſſeſſor. Ex quo conſequitur, Satanam quidem vim nullam exercere poſſe in iis qui veri Chriſtiani ſunt, & Jeſum Dominum ſuum ex animo agnoſcunt & colunt; &, quod majus eſt, credentes in Jeſum vi ac poteſtate iſta donari à Chriſto, ut dæmonia per nomen ejus ejicere poſſint: *Mar.* XVI. 17. Sed vero ex eo non conſequitur, in terris iſtis, ubi Chriſtiani ſunt ac vivunt, Satanam ſive dæmonem nihil efficere poſſe; ac proinde eos, qui vel Chriſtiani eſſe nolunt, vel ore tenus Chriſti Religionem profitentur, cætera profani & nequam, opera Satanæ uti non poſſe, ad mirabilia quædam patrandum. Contrarium enim non obſcurè indicant iſta loca, in quibus Satan ſeculi hujus Deus, id eſt, eorum qui ſeculum & mundum hunc amant dominus eſſe, vimque eos excæcandi habere dicitur, 2 *Corinth.* IV. 4. princeps, cui poteſtas aëris eſt, & ſpiritus non vi tantum ſed ἐνεργείᾳ præditus atque utens in filiis ἀπειθείας: *Epheſ.* II. 2. & κοσμοκράτωρ τῦ σκότους τέτου, πνεύματα τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπουρανίοις: *Epheſ.* VI. 12, id eſt, quia ſpiritus eſt in ſublimi aëre degens: cui deinde ignita tela tribuuntur, *verſ.* 16. qui & dicitur obambulare inſtar leonis rugientis, quærens quem devoret: 1 *Pet.* V. 8. fractum ſcilicet adverſis, & ſic Religioni Chriſtianæ renunciantem, vitæque mollioris & diſſolutioris delitiis ſe dedentem; ſive, non reſiſtentem animo infracto adverſitatibus, quæ Religionis Chriſtianæ profeſſionem comitari ſolent. quo ipſo ſane ſignificatur, dæmonem ſive Satanam ſic non dici à Chriſto damnatum, ut ex Chriſtianorum terris plane ſit relegatus aut ejectus; ſed ſic dumtaxat, ut quamquam in iis eſt, tamen in Chriſtianos nihil poſſit, ſi modo ii ſeſe ultro ei non dedant, aut conatibus ejus non cedant; alioquin vetere jure atque imperio ſuo utens, tam in ipſos, quam in cæteros alios omnes mundanos profanoſque terræ hujus filios, tanquam dominus & Deus eorum, licet divinæ Jeſu Chriſti poteſtatis fræno coërcitus, utpote ſine cujus permiſſione ne in porcos quidem dominandi jus habet, damnatus ad ejus juſſibus ac nutibus parendum.

*An dentur lamiæ quæ expreſſum cum dæmone fœdus ineant.*

III. Lamias hodie dari, quæ expreſſum cum dæmone fœdus ineant, in quo dæmon à parte ſua operam ſuam eis addicat ac ſpondeat, ipſæ vero à parte ſua Deo & religioni Chriſtianæ renuncient, ſeque totas anima & corpore ei devoveant ac mancipent, mihi non fit veriſimile. Explico me. Non nego fieri poſſe, ut dæmon contrahere quaſi ſtudeat cum homine, & mutua tum ſponſione tum ſtipulatione facta fœdus inire. Abſit. In exemplo Chriſti id ab eo tentatum fuiſſe clarius eſt quam ut negari poſſit. Formula fœderis ſive conventionis propoſitæ à dæmone in terminis legitur *Matth.* IV. 9: *Hæc omnia tibi dabo, ſi proſtratus adoraveris me.* Sed veroſimile mihi eſſe nego, aut dæmonem ſic contrahere ſtudere cum lamiis aut ſagis, ut vulgo creditur, aut lamias ſic cum eo contrahere ac paciſci vel poſſe vel velle. Quod ad primum attinet, dubium mihi non eſt, quin fieri poſſit ut dæmon pios & ſanctos ad paciſcendum ſecum ſtudeat inducere, & blandis promiſſis prolixiſque præmiis ſibi in obſequium conetur addicere: imo dico iſtam eſſe potiſſimam rationem, qua diabolus ad ſeducendum homines uti ſolet, ſive per ſe ſive per alios. Vi enim uti aut cogere non poteſt. Conventione igitur quaſi aut contractu opus habet. Sed ut contrahere dicatur, aut fœdus ſpeciale tale inire velle quale jam diximus, cum iis qui impii aut profani, & jam toti ei mancipati ſunt, non eſt credibile ex parte diaboli. Nam 1 Nunquam & nuſquam in toto mundo, ſic cum ullis profanis nationibus aut hominibus contraxiſſe legitur. 2. quorſum id faciat? An ut eos tanto ſibi reddat devinctiores? At devinctos eos ſatis ſibi habet, quia profanos & divini Numinis irreverentes eos eſſe novit, quibus pro arbitrio ſuo abuti poſſit. 3. Intereſt ejus ne id tentet. Eſt enim contractus adeo horridus, adeo abhorrens ab omni ratione, ut qui ad eum aut adigitur aut ſolicitatur, cauſſam inde levi momento arripere poſſet, de mente tota in melius commutanda, & de profano vitæ genere in univerſum deſerendo atque abdicando. Quis credat vafrum ac verſipellem iſtum genium, tam periculoſo experimento, aut tam horrido tentamento uſurum, quo abalienari à ſe facilè poſſent, quos jam compedibus ſuis conſtrictos ſibique unice devotos habet? Melius ſibi atque imperio ſuo conſultum novit, ſi volentibus iis lubentibuſq; profuſè largiatur quod optant cupiuntque, nulla ſtipulatione facta, quàm ſi horrendam ſtipulationem requirat, qua fieri poſſet ut ex volentibus nolentes fierent, & horrore ſeu faciendæ ſeu factæ ſtipulationis à propoſito vitæ genere reſilirent. Certius multo tutiuſque in fide diaboli retinent profanos, diabolicæ potentiæ ac quaſi benevolentiæ quotidiana experimenta, quam ſua ipſorum propria conſcientia. Iſti malorum ſibi eventurorum improvidi, ἀπρόληπτοι fiunt, & libenter perſeverant in propoſito. Hos ſua conſcientia torquere ac terrere poteſt, ut vadimonium deſerant, & quantum poſſunt deſtinatæ ſe miſeriæ ſubducant atque eripiant. Deſperatio reditus in gratiam cum Deo eos fidos facit, inquies. Contra: Deſperandi neceſſitas ubi nulla eſt, ibi ſpes veluti ſacra anchora facile quæritur, ad evadendum periculum. Atque hæc cauſſa eſſe mihi videtur, cur nunquam de contractu tali cum Magis ineundo aut inito olim ante & multo etiam poſt tempora Chriſti ſcriptum quicquam legatur.

Sed nec mihi veriſimile id fit ex parte ipſorum Magorum ſive lamiarum. Quis enim credat, quemquam ſanæ mentis futurum, qui cum tam ingente corporis atque animæ ſuæ damno contrahere velit, id eſt Deo renuntiare & æternæ ſuæ ſalutis jacturam facere, pro tam levi & brevi emolumento aut vanæ gloriæ aucupio? Dices: Non credunt ſibi eventurum aliud quam quale ſtipulantur exitium, cum violenta forte morte, ſed brevi tamen ac repentina conjunctum, quale eſſe ſolet eorum, qui carnificis aut latronis manu pereunt. At 1. hoc ipſum ſtipulari adeo grave eſt, ut vix in hominem, licet peſſimum, cadat. 2. cauſſam habent credendi, amplius & gravius aliquod malum intendi ab eo quicum contrahunt, quippe quem artem & beneficia ſua (liceat ita loqui) majoris, quam vitæ brevis jactura ac

damno,

damno, quod omnibus iſtorum beneficiorum expertibus commune erit, vendere velle credibile imo certum eſt.

*Num id ſolidè probari poſſit ex earum confeſſionibus.*

Dices: Fruſtra hæc diſputari, cum experientia crebra ſit in contrarium, & ipſarum lamiarum apertæ confeſſiones non ſinant ut dubitationi locus ullus relinquatur. Reſpondeo: Rem ipſam adeo eſſe horrendam atque abſonam, ut merito de ipſa experientia ſive de lamiarum confeſſionibus dubitari poſſit ac debeat, an tales ſint ut ex iis de veritate facti judicium ferri poſſit. Certe ſuſpectæ merito videri debent, ſi ipſi confitentes, ſi ipſæ confeſſiones, ſi denique id quod confitentur, accuratè expendantur. Confitentes fere ejuſmodi homines ſunt, qui vel ex temperamento, vel ex morbo, vel ex caſu, vel ex infortunio aliquo aut animi ægritudine vitiatam aut læſam habent phantaſiam, id eſt, vel humore aliquo lurido, vel quæ ex humoribus ſolet exhalare, atra fuligine obſitam atque obſeſſam, quæ triſtioribus, horridis & malignis ſpeciebus tum recipiendis, tum ſibi ipſi imprimendis aut fingendis idonea eſt; qualis fere eſt phantaſia melancholicorum, phreneticorum, delirorum, morbidorum, zelotyporum, aliorumque, imprimis anuum vetularum & hyſtericarum aut effœtarum fœminarum. Horum confeſſiones ſuſpectæ merito eſſe debent, quia eas proficiſci verifimilius eſt à vitio aut à morbo, quam à ſana aut deliberata mente; imprimis, ſi qui eas faciunt, inſignis ſint malitiæ atque improbitatis, in quos Satanam jus habere certum eſt, ut ſubinde quaſcunque vult ſpecies phantaſiæ eorum alte poſſit imprimere, & adeo ſubdole, ut eas aliunde quam à ſe ipſis proficiſci in animum ſuum non poſſint inducere. Confeſſiones etiam quæ allegari ſolent ſuſpicionem merito augent; quia eæ fere ſunt in equuleo, nervo, cataſta extortæ, in ſqualido, tetro ac tenebroſo carcere natæ, aut diris comminationibus & quæſtionibus aſperioribus exculcatæ: nonnunquam etiam ex tædio carceris longi, ex ſeverioris examinis metu aut horrore ſponte arreptæ, adeo pertinaciter, ut quamquam ſe innoxios eſſe ſciunt, tamen quidlibet confitendo reos ſe mortis facere malint, quam diutius iſtis cruciari aut vexari, brevem mortem longæ miſeriæ & diuturnis moleſtiis præferentes. Id quod confitentur tam eſt atrox, horrendum & retorridum, ut ægræ mentis ſomnium potius videri debeat, quam ſani aut ſibi bene conſtantis hominis factum. Nempe fatentur ſolemnem fœderis cum Diabolo pacti ritum hunc eſſe. Statо die concionem indici: In eam convenire lamias omnes per aërem raptas, quæ jam ſacramentum Diabolo dixerunt. Tum Diabolum ſive Magiſterulum in aſſumpta hominis effigie ſe videndum præbere, & præſidem agere, formulamque fœderis recitare. Exinde lamias aſſurgere, & recens initiandam ſacris ejus, ſiſtere, utque eam commendatam ſibi habere velit rogare. Tum Diabolum ab ea exigere primò ſacramentum fidelitatis, atque in ejus rei fidem poſtulare, ut Deo, Religioni Chriſtianæ, extenſæ mulieri (ſic enim beatiſſimam Virginem Mariam contumeliosè nuncupat, ut ait Wierus,) & Sacramentorum veneration renuntiet in perpetuum. Si eam ad id propenſam videat, tum magiſterulum manum ſuam ei dare, eamque viciſſim ſtipulata manu ſe omnia ex fide præſtituram, polliceri. Tandem ſubjungere Magiſterulum: id non ſufficere, ſed homagium præſtandum eſſe in hanc formulam: Anima & corpore totam me tibi mancipo in perpetuum, ſpondeoque me pro viribus adlaboraturam, ut, quoſcunque potero, utriuſque ſexus, tibi lucrifaciam. Tum Diabolum denique addere, ut certa unguenta, ex oſſibus & membris puerorum, imprimis baptizatorum, ſibi conficiat, per quæ omnia ſua inſtituta ipſius adminiculo perficere poterit. Hæc eſt ſolemnis illa Fœderationis formula quæ in concione lamiarum fieri aut concipi dicitur. Eadem etiam aliquando fieri creditur privatim per colloquium cum Dæmone.

Quis vero eſt tam obeſæ naris, qui non odoretur facile hujuſmodi confeſſionem ſapere aliquomodo Pontificium prorſus equuleum, in quo ea extorta, & conceptis quaſi verbis ab ipſis inquiſitoribus formata eſt, augendæ ſcilicet exiſtimationi Virginis Mariæ, & Sacramentorum Eccleſiæ, quaſi ea maxime oderit Diabolus? Nempe iſto tibicine fulcienda ſunt, & apud credulam plebem fulciuntur commenta vaniſſima. Quid? an vero ſimile eſt, Satanam hoc agentem ut lamias ſcelere novo ſibi obſtringat, ſtipulaturum ut renuntient Virginis Mariæ & Sacramentorum venerationi? cum non neſciat iſtam venerationem eſſe graviſſimam idololatriam quam conſervatam malit quam perditam? & lamiæ eo ipſo innocentiores fiant quod cultui idololatrico renuntient? Tum quis non videt cætum hunc lamiarum non eſſe niſi ludum quendam imaginarium; & confeſſionem hanc, ſi omnino fiat liberè, vitiatæ vel perturbatæ imaginationis idolum? Cedo enim, quis veterum unquam de hujuſmodi lamiarum concione aut Diaboli ſchola vel Eccleſia ſomniavit? Quis tam barbaram, tam crudelem, tam periculoſam ſcholam adire non horreat, ſceleſtiſſimus licet ſit? Quis adeo vitæ ac ſalutis ſuæ prodigus ſit, ut ejus damno emere velit brevis auxilii uſuram? Sed quod hanc rem totam non modo ſuſpectam, ſed & imaginariam prorſus illuſionem eſſe arguit, vel id unum evincit, quod non modo experientia crebra compertum ſit, lamias confeſſas eſſe ſe per aërem raptas hæc & illa mira vidiſſe ac patraſſe, quando certum erat eas diligenter aſſervatas cuſtoditaſque fuiſſe & locum non mutaſſe; Sed etiam obſervatum, illas ipſas confeſſiones earum, quibus confitebantur ſe in tali ac tali lamiarum cætu ac concione conventionem talem cum dæmone feciſſe, falſas fuiſſe; quia conſtabat eas toto iſto tempore familiariter verſatas domi ſuæ, & viſas ſemper coram à ſuis, neque vel pedem domo aut civitate extuliſſe, vel domo unquam abfuiſſe. Adde, ipſis aliquando judicibus accidiſſe, ut cognoſcere atque experiri volentes, anne hujuſmodi lamiarum conciones alibi haberentur, interque eas deprehenderentur eæ quas inter lamias deprehenſum iri aſſerebatur, non modo faterentur, ſed & adſeverarent eas ſibi viſas, interque eas quæ Magiæ ſuſpicione infames erant & adſuturæ ibi dicebantur, cum tamen certum eſſet, eas ibi nec fuiſſe, nec eſſe potuiſſe, quia diligenter aſſervatæ erant & menſam cui adſidere juſſæ erant non modo non mutaverant, ſed ſuaviſſimis invitationibus & confabulationibus exhilaraverant, certiſſimo indicio judicibus iſtis per illuſiones Diabolicas fucum factum atque impoſitum fuiſſe.

Quare ego confeſſionibus iſtis ſtandum nullo modo eſſe arbitror. Alia enim ratio eſt confeſſionum harum, quam eſſe ſolet iſtarum, quæ fiebant ab iis, qui Dæmones credebant eſſe ſpiritus longe excellentioris intelligentiæ, ſapientiæ ac potentiæ quam ſunt homines, & eos ſacrificiis, precibus, ſuffitibus aliiſque cæremoniis ac ritibus ſibi ſtudebant conciliare. Hi enim nec fœdere ullo inito ſe iis obſtringebant, nec ab iis obſtringebantur, nedum fœdere quod non niſi cum ſummo eorum malo ac damno ſanciendum erat. Contrarium enim ſibi perſuadebant. Horum confeſſiones, liberæ erant à ſuſpicione corruptæ imaginationis: ac proinde iis ſtare poterat judex tanquam confeſſionibus à ſana (licet erronea) mente, liberaque voluntate profectis. Noſtrarum vero lamiarum confeſſiones, idcirco ſolum meritiſſimo jure ſuſpectæ videri debent, quod Fœderationem tam horrendam factam eſſe declarent, & fere coactæ ſint atque extortæ, ab iis quæ deliriis melancholicis & phreneticis aut illuſionibus Diabolicis obnoxiæ ſunt, per quas facile fit, ut credant ſibi viſa, audita, facta, quæ viſa, audita, aut facta nunquam ſunt; imo ut credant ſe conventione facta cum Dæmone ſtipulatas eſſe æternum corporis atque animæ ſuæ exitium, non aliter quam ſomniantes cum Diabolo agere ac paciſci aliquando ſibi videntur. Ex hoc colligo, Confeſſiones Lamiarum omnes iſtas, quibus fatentur opera hæc & illa à ſe perpetrata eſſe, quæ humanæ mentis ac virtutis ſortem aut capacitatem excedunt, eodem loco cenſendas eſſe, id eſt inter delirantium & ſomniantium confeſſiones reponendas, nec ſufficere ut eæ efficaces ac validæ cenſeantur, quia ex contractu cum diabolo inito in opera iſta conſenſiſſe videri debeant lamiæ; cum contractus iſte ſomnium ſomniorum potius videri debeat quam valida conventio, aut deliberata conſenſio; & opera iſta ſæpe talia ſint, ut ea à Dæmone facta non ſint, nedum in gratiam earum facta ſint, ſed à Deo ipſo aut à natura profecta, phantaſiæ tantum lamiarum impreſſa ſint, quaſi aut ipſæ ea feciſſent, aut ea in gratiam earum feciſſet Dæmon. Quod ſi vero etiam ſint confeſſiones earum rerum, aut ejuſmodi actionum, quæ non lamiis tantum ſed & ipſis Diabolis ſunt impoſſibiles, eæ ſtultiſſimæ videri debent, & dignæ propter quas cæteræ etiam reddantur ſuſpectiores. Concludo: Iſtiuſmodi demum confeſſiones admittendas eſſe, quæ cum manifeſto ſcelere conjunctæ ſunt, quod deprehendi poteſt eſſe veriſſime perpetratum, ſive ſit veneficium ſive cædes. cujuſmodi ſceleris confeſſio deſcribitur ab Horatio, Epodon lib. Ode VI. ubi Gratidia (quam Canidiam vocat) dicitur patricii cujuſdam Romani filium furto ſuſtuliſſe & mento tenus in terram defodiſſe, ut ex medulla, oſſibus & carne ejus fame enecti, philtra conficeret ſive amatoria pocula vel pharmaca, &c.

*De probatione per aquam, & per inuſta ſtigmata.*

Ex quibus efficitur: Si ſtari non poteſt tutò propriis lamiarum confeſſionibus, quibus non eſt conjunctum manifeſtum ſcelus, multò minus ſtari poſſe probis iſtis atque indiciis, quæ uſitari ſolent ab capitalium rerum vindicibus, & maleficiorum inquiſitoribus; videlicet proba per aquam, per impreſſas à Diabolo notas, in dextro fere, ut ajunt, humero, aut in femore, aut in ſumma fronte, in occipite, in pectore conſpicuas; interdum minus conſpicuas in locis abſconditis, aut inter labia, ſub axillis, ſub palpebris, &c. quem locum ſtigmate notatum ita exanguem eſſe dicunt, ut ne admiſſa quidem acus altiſſimè dolorem faciat, aut ſanguinis

minimum exſudare faciat. Quod enim attinet ad probam quæ per aquam fit, ea prorſus irrationalis eſt & ſtupida. Irrationalis, quia cur aqua à lamia abhorreat magis quam terra, quàm aër, ignis, ſive elementa omnia? cur non abhorrent ab ea cibus, potus & alimenta, imprimis liquida? & ſi ab ea abhorret magis aqua, quam cætera alia omnia, cur ſceleri ejus id tribuatur potius, quam occultæ qualitati quæ ſine ſcelere omni eſſe poteſt? In multis rebus ἀνεπιφθονα quædam naturalis eſt, cujus nulla poteſt dari cauſſa, ut in ove & lupo, in gallo & leone, in vite & braſſica, in adamante & hircino lacte vel ſanguine, in ſtomacho & nicotiana, &c? Sed & ſtupida proba eſt, quia cauſſa ejus, quod fœminæ decuſſatim ligatæ manus pedeſque in aqua fluitent, nec mergantur, manifeſta eſt: partim enim id fit, quia inteſtina earum laxiora & magis ſpongioſa ſunt quam alia; pulmo imprimis earum & mammillæ; quæ ſi corpus earum in modum navigii per vincula quaſi formetur, fluitare eas faciunt; partim quia in aquam conjectæ, vi ſpiritum ſuum intra illa ſpongioſa viſcera fortiſſime continent, atque ita ſe ipſas inflant aëre ut facile aquæ ſupernatent. Sed & poſito Diabolum etiam in cauſſa eſſe, ut aquæ innatent, Deo id ita permittente, an id proba eſt commercii cum Dæmone, aut ſceleris & flagitii alicujus ab iis perpetrati? Cur ergo non eadem proba ſufficiat, ad ſtatuendum Servatorem noſtrum ſceleris reum fuiſſe, quando à Diabolo per aërem raptus fuit, & in ſummitate templi conſtitutus ut inde ſe dejiceret? Inſonti ſi id ſuo Filio fieri atque accidere permiſit Deus, cur non ut idem inſontibus fœminis accidat, permittere aliquando poſſe Deum credatur? Damnanda itaque eſt omnino hæc proba à ſanis judicibus. Quod attinet ad probam per inuſta ſtigmata, ea fallaciſſima atque incertiſſima eſt. Sæpenumero enim notæ ejuſmodi conſpicuæ apparent, quæ à natura, à morbo, à caſu impreſſæ ſunt corporibus; nulla hominum culpa, imo innocentiſſimorum & ab omni ſcelere alieniſſimorum; nec ullum πικμήριον aut σημεῖον dari poteſt, quo hæ ab iſtis quæ lamiarum corporibus impreſſæ dicuntur à Diabolo, dignoſci poſſunt. Res nota eſt & experientia triſtiſſima non ſemel comprobata in iis fœminis, quæ ptopter notas iſtas impreſſas damnatæ ad equuleum, & tormentorum ſeu metu ſeu vi ad confitendum crimen adactæ, ultimo ſupplicio adfectæ fuerunt, quas poſtea deprehenſum fuit inſontes atque innoxias prorſus fuiſſe, ſaltem immunes ab omni ſcelere ac maleficio, & notas iſtas in corporibus ſuis habuiſſe, aut à natura, aut à morbo, aut à caſu, per eos qui ejus rei conſcii atque indubitati teſtes erant. Atque hactenus de Magis lamiiſque egimus, quantum attinet ad intelligentiam interdicti hujus divini. An & quæ pœna in eos ſtatuenda ſit, ſuo loco expendetur, in domo VIII Juſtitiæ, præcepto 38.

*Trigeſimum quintum.*

XXXV. Ne auguria aut omina fiant: לא תנחשו *Levit.* XIX. 26.

Per auguria Synecdochicè intelligi creduntur divinationes omnes, quæ fiunt vel ex avibus & animantibus aliis; vel, quod malim, ex eventibus fortuitis & qui in caſu poſiti ſunt, quæ propriè omina vocantur. Vocem Hebræam נחש *Nichesch* LXX & Hebræi omnes verterunt per οἰωνίζεσθαι. Sed fortè per οἰωνίζεσθαι ominari intelligunt. Omen enim οἰωνὸς etiam dicitur. Si augurium in genere interdici velimus, ejus tres ſpecies conſtitui poſſunt. Augurium propriè dictum, Auſpicium & haruſpicium ſive extiſpicium. *Augurium* quaſi avigarrium dicas, ſit quando ex avium garritu, volatu, cantu, bona aut mala omina capiuntur: puta ſi cornix à læva canat, corvus à dextra. Unde Virgilius Ecl. 1.

*Tres auguriĭ ſpecies.*

*Augurium proprie dictum.*

*Sæpe ſiniſtra cava prædixit ab ilice cornix.*

Plautus in Aſinaria, Act. 2. Sc. 1.

*Picus & cornix eſt ab læva, corvus porro ab dextera.*
*Conſuadent, certum hercle eſt veſtram conſequi ſententiam.*

Si corvi, vultures, aquilæ gregatim convolent, cædem haud dubiam portendi creditur. Si grues volantes à recto curſu deflectant & retrocedant, infanda nautis tempeſtas & mare procelloſum, mox turbines & fluctus prænuntiari. Gallorum gallinaceorum præpoſteros veſpertinos cantus, optimi eventus multi notavere. Contra vero gallinarum. Nam diri aliquid imminere aut futurum incommodum illarum cantus deſignare putabatur. Si quis plura volet hac de re videat Alexandrum ab Alexandro, Genial. dierum lib. v. cap. XIII. & Caſpari Peuceri commentarium de præcipuis divinationum generibus. Auguria hæc quanti fecerint olim plerique populi hiſtoriæ omnes docent: Oraculorum inſtar habita fuerunt. Judæi vero quantopere ea abominati ſint & vilipenderint contemſerintque Moſollamus Judæus exemplo ſuo oſtendit, uti ex Hecatæo Abderita Euſebius refert, de præparat. Euang. lib. IX. cap. 2. Is enim, cum in expeditione Alexandri Magni eſſet, & cum equitibus aliquot Judæis ad rubrum mare uſque exercitum comitaretur, properantemque exercitum augur quiſpiam ſiſteret, quod alitem ſedentem videbat, ex cujus volatu capere omen itineris parabat; è veſtigio, qua erat jaculandi peritia, correpta ingenti ſagitta configebat alitem, atque inſuper amarulento joco ſtultitiam eorum incuſabat, quod miſeram avem crederent alieni fati conſciam, cum ignara ſui eſſet. Pulcre equidem & cordatè uno ictu avem ſimul ac ſuperſtitionem vaniſſimam confodit & ludibrio propinavit.

*Auſpicium* quaſi aviſpecium, quod Græcis eſt οἰωνοσκοπία, fit, quando ex volucrum paſtu, curſu & motu futura divinantur. Puta, Si pulli gallinacei ita avide edebant, ut cibus ore excidens terram paviret, id eſt, feriret, tum pullario & auſpicanti tripudium ſoliſtimum nunciabatur, & fæliciter ceſſurum quicquid ille animo concepiſſet. contra, omnia infauſta portendebantur, ſi eſcam non caperent, aut ex cavea non exirent, aut retro cederent, aut occinerent, aut planctu alarum alimenta refugerent, aut evolarent penitus. Tanti fiebant apud Romanos hujuſmodi auſpicia, ut niſi his præmiſſis ac præmonentibus comitia non haberent, neminem ad honores proveherent, nulli provincias demandarent, non ſenatum conſulerent, non bella vel pacem inirent, nihil denique domi foriſque agerent, quod ab his non prædictum veluti Deorum monitu magna cura penſitarent. Sed prudentioribus ea tanti viſa non fuiſſe exempla eorum docent, qui auſpicia iſta (ubi rei bene gerendæ ſpes affulgebat & occaſio captanda erat) contrarium dictantia, argutâ aliqua exceptione aliovorſum trahebant aut ex animi ſui ſententia interpretabantur, uti Papyrius Conſul in prælio, quod apud Aquiloniam contra Samnites maximum commiſit, & quo vires illorum quam maxime fregit, feciſſe legitur apud Livium, Decad. 1. lib. x. vero ſimile eſt Conſules atque Imperatores ſanioris cerebri ea pro ſtrategematis habuiſſe, quæ domi militiæque uſum habere poterant ad rem bene gerendam, ut oblata occaſione adderetur militibus animus, aut non commoda ſeſe offerente, quaſi interpoſita religionis autoritate, animus demeretur, reſque inauſpicato quaſi non ſuſciperetur.

*Auſpicium.*

*Extiſpicium ſive haruſpicium.* ab harugis ſive hoſtiis, quæ in hara concluſæ detinebantur, ſic dictum, ſit, quando ex volucrum ſive aliorum animantium, extis, inteſtinis, fibris, & viſceribus futura prædicuntur. De hoc videantur autores; Cicero imprimis lib. 2 de Divinatione. Sed vero ſub auguriĭ voce comprehendunt, imprimis Hebræi & doctiores interpretes, divinationem omnem è fortuitis eventibus, id eſt, omina: puta ex verbis fortuito auditis, ex fortuito beſtiæ alicujus fauſtæ vel infauſtæ occurſu. Ita apud Actium, ut refert Suetonius, deſcendenti in aciem Auguſto, aſellus cum Aſinario occurrit. Eutyches homini, (id eſt fælix) beſtiæ Nicon (id eſt victor.) erat nomen. inde omen acceptum victoriæ, & urbs deinde Nicopolis appellata, & in ejus templo Aſini & Aſinarii ſimulachrum poſitum. Ex occurſu Æthiopis. Unde Bruto & Caſſio in aciem prodituris, obvius Æthiops calamitates præſignavit. Ex pedum in limine offenſione, juxta illud Tibulli:

*Extiſpicium ſive haruſpicium.*

*Omina.*

*O quoties ingreſſus iter, mihi triſtia dixi*
*Offenſum in porta ſigna dediſſe pedem!*

Ex oſtii ſtrepitu, juxta illud Claudiani:

——— *Ter cardine verſo*
*Præſagæ cecinere fores.*

Ex aurium tinnitu, juxta veterem Poëtam:

*Garrula quid totũ reſonas mihi noctibus aurĭs?*
*Neſcio quem dicis nunc meminiſſe mei.*

Nempe, Aures mihi tinniunt, ergo abſens aliquis de me loquitur; & ſi quidem dextera auris, amicus eſt; ſin ſiniſtra, inimicus. Ex ſternutatione; nempe ſi ea mane fiat, inauſpicatum eſt; ſi à meridie, bonum ac fauſtum omen eſt. à dextris an à ſiniſtris quis ſternutet, multum intereſt. Si quis, dum ſe calceat, ſternutaverit, redire ad lectum jubetur. Apud Herodotum lib. VI. Hippiæ, dum ſternutat, dens excuſſus magnum omen fecit calamitatis futuræ. Sic ex fulmine & ex tonitru. Nempe ſereno cælo tonuit, intonuit à læva, malum omen, infortunatum auſpicium. De fulmine refert Suetonius in Auguſto, Ictu fulminis ex inſcriptione ſtatuæ *Cæſaris* Auguſti prima nominis litera excuſſa erat. conſulti haruſpices reſponderunt, eum centum tantummodo dies ſupervicturum. Eum enim numerum literam C excuſſam notare; futurumq; ut inter Deos reponeretur, quod *Æſar*, id eſt reliqua pars à *Cæſaris* nomine, Etruſca lingua, *Deus* vocetur. Divinationes has in pretio olim fuiſſe apud gentilium vulgus, mirum non eſt. Videas hodieque eſſe inter Chriſtianos, qui ex ſimilibus aliis eventibus omina captare ſolent. Sed eos qui paulo erant emunctioris naris & mentis, ea riſiſſe ac contemſiſſe certum eſt. Inter eos Julius Cæſar & Cato recenſeri merentur. Malum omen habebatur olim, ex pedis offenſio-

fenſione in terram decidere. Julius Cæſar, ut in vita ejus refert Suetonius, malum omen in bonum vertere non dubitabat. Profectus enim in Africam, & in egreſſu navis prolapſus, quod pro malo omine alii cepiſſent, ille *Teneo te*, inquit, *Africa.* cordatius certè quam Auguſtus, de quo idem Suetonius refert, eum ſi mane ei calceus perperam ac ſiniſter pro dextro induceretur, ut dirum & ferale id habuiſſe. De Catone refertur: quod conſultus à quodam, cui ſorices caligas eroſerant, quique id ominoſum ac prodigioſum habebat, quid ea res monſtri aleret, riſerit & reſponderit: Non fuiſſe iſtud monſtroſum: ſed vere monſtroſum futurum fuiſſe, ſi ſorices à caligis arroſi fuiſſent. Quare mirum videri non debet Sapientiſſimum Deum, tam vanam & ſtultam ſuperſtitionem, quæ omni prorſus ratione caret, populo ſuo interdictam voluiſſe, & inter cætera, populum ſuum hoc etiam nomine gratum ſibi ac favore præſidioque ſuo dignum habuiſſe, quod ab eo exularent auguria & divinationes aut omina, uti *Num.* XXIII. 28 videre eſt: ubi Bileam ait, *Non aſpexit* (id eſt non aſpicit vel non videt) *Deus iniquitatem in Jacob, neque prævaricationem in Iſraele. Jehovah Deus ejus eſt cum eo, & clangor Regis in eo. Deus eduxit eos ex Ægypto, ſicut robur unicornis eſt ei. Quia non eſt augurium in Jacob, nec divinatio in Iſraele.* Hinc 1 *Samuel.* XV. 23. *Rebellio* ſive inobedientia dicitur eſſe *peccatum* (vel, ſicut peccatum) *divinationi*: quia illud populo ſuo exoſiſſimum eſſe ſciebat, uti idolum & teraphim. Tria enim hæc eodem gradu collocantur hoc in loco à Samuele propheta.

*Trigeſimum ſextum.*

XXXVI. Ne divinationes fiant per tempora & horas: *Ibid. Levit.* XIX. 26.

Præceptum hoc ſpeciale ac novum præceptum faciunt Hebræi, quia textus ſpeciale præceptum format לא תעוננו *lo Teonennu*: quod ſignificat, *Non obſervabitis tempora*: עונה enim tempus & horam notat, quod fortaſſe à עין id eſt oculus, eſt, ab obſervando ſcilicet quod oculis ſit. Obſervatio autem temporum ea hic intelligitur, quæ ad Aſtrologiam judiciariam pertinet, non ea quæ ad Aſtrologiam naturalem ſive Aſtronomiam pertinet. Hæc enim prohibita non eſt, nec per ſe illicita, imprimis ea, quæ certis atque indubitatis experimentis neceſſariiſque rerum vicibus nititur, ut obſervatio anniverſaria curſus Solis, Lunæ, ſyderum, eclipſium, conjunctionum, oppoſitionum planetarum, &c. Ea vero, quæ ex aſtrorum, maxime planetarum ortu, occaſu, conjunctione, oppoſitione, varioque aſpectu tum inter ſe tum ad ſtellas fixas, item ex colore, ſcintillatione ſeu micatione, de futuris elementorum affectionibus conjectat, ut de ſerenitate, pluviis, tempeſtatibus, nivibus, grandinibus, æſtu, frigore & ſimilibus; etſi prohibita non eſt, tamen prohibita videri debet, quando ea ultra veriſimilem conjecturam procedit, aut pro ſcientia certa habetur. Eſt enim plane incerta maximam partem & parum utilis, ſi non valde Reipub. noxia, quatenus prædictio juxta eam fit ex aſtrorum aut ſiderum ſuperiorum concurſu. Horum enim virtus eſt valde obſcura: & omnis experientia quæ de illis haberi poteſt adeo incerta, ut vix conjecturalis dici mereatur. 1. quia ſciri non poteſt an hic aut ille effectus proveniat à ſidere, verbi gr. Arcturi, Orionis: adde Veneris, Jovis, an aliunde. 2. quia nunquam à principio mundi in hunc uſque diem idem ſiderum adſpectus reſtitutus eſt, idque ob motum proprium ſpheræ octavæ & nonæ; & ſic nulla experientia capi hactenus potuit. Non redibit eadem cæli conſtitutio niſi magno anno Platonis elapſo, hoc eſt poſt 36000 annos, ut volunt. 3. quia influentiæ ſiderum, ſæpe interventu aliarum rerum, ut ventorum, vaporum, exhalationum, æſtus, frigoris impediuntur. Sæpe enim videmus nubes imbribus fœtas ac turgidas diſcuti à ventis & diſſipari. 4. quia impoſſibile eſt homini ſcire proprias omnes aſtrorum vires, nedum vires eorum conjunctim conſideratas: quid dicam vires eorum in quovis aſpectu & συζυγίαις, quæ infinitis modis variare poteſt. Harum enim aliqua ſi hominem lateat, certo utique ſcire non poteſt, an effectus, qui prædicitur, à latente illa virtute non ſit impediendus, ac proinde prædictio vana non ſit futura. Certè Ephemerides noſtræ docent prædictionum iſtarum futilitatem. Ex mille aliquando vix decem veras eſſe deprehendimus.

*Vanitas & incertitudo prædictionum quæ ex aſtris de tempeſtatibus fiunt.*

*Aſtrologia judiciaria duplex. 1. Genethliaca.*

Aſtrologiam vero judiciariam duplicem facio. Genethliacam, & eam quæ de futuris eventibus à libero arbitrio aliqua ratione dependentibus ex aſpectu ſiderum judicat. *Genethliacam* voco, quæ ex aſtrorum poſitu circa tempus nativitatis, de inclinationibus hominum eorumque temperamentis judicat ac pronuntiat; puta, hunc fore iracundum, melancholicum, ingenioſum, ſapientem, venereum, &c. quia illa ipſa qua naſcitur hora, ſive horoſcopus ejus fuit cum tali taliumque ſiderum adſpectu, quibus virtus ineſt gignendi copiam bilis, melancholiæ, ſanguinis, ſpirituum, &c. Hanc ego hoc interdicto divino damnari etiam credo, non modo quia vaniſſima eſt, ſed etiam atque imprimis quia periculoſa & admodum noxia eſt. Vaniſſima eſt: 1. quia impoſſibile eſt notare exacte horoſcopum, ſive aſpectum ſiderum in cælo, quem quiſque habet in ipſo nativitatis ſuæ momento; quod tamen juxta Genethliacos eſt neceſſarium. Nam ἐν στιγμῇ ſive oculi ictu omnis ſiderum adſpectus mutatur, tum inter ſe, tum reſpectu prolis. Cælum enim octavum intra centeſimam unius horæ particulam pluſquam trecenta millia milliarium conficit, ut ex doctrina Aſtronomorum patet. 2. quia videmus eodem pene momento geminos edi in lucem, quorum inclinationes & temperamenta ſunt diverſiſſima. 3. quia ſic membra pene ſingula citius aut lentius in lucem prodeuntia varia habere deberent temperamenta. 4. quia conceptionis & durationis in utero tempus ſic magis obſervandum eſſet quàm tempus nativitatis; quia aſtra non minus agunt in infantem quando eſt in utero, quàm dum egreditur ex eo; imprimis, quia egreſſus & exitus ſæpe in momento fit, ut obſervari vix poſſit: manſio autem & geſtatio in utero diu durat, & tum fœtus tenerrimus eſt, ac proinde aſtrorum, ſi quæ ſunt, influentiis recipiendis magis idoneus. Denique quia inclinationes magis pendent ex temperamento parentum, & alimento, imprimis matris, quàm ex aliis. *Nota.* Si ſidera ſic agant in corpora humana, cur non etiam in equorum, boum & porcorum corpora ſic agant. Sic certe divinari poſſet equorum alios futuros gradarios, alios ſuccuſſores, veredos alios, hos deſultorios, illos clitellarios, nonnullos ephippiatos, quoſdam jugales, alios molarios: boum etiam hunc aratro, illum macello deſtinatum eſſe, &c. Non poteſt certo ſciri an malus punica hoc anno fructus editura ſit, & ſi editura ſit, quot qualeſve; & ſcire poterit Aſtrologus quid huic aut illi homini accidere debeat? Nugæ. Sed quod maxime me urget, ut credam hanc aſtrologiam damnari etiam hîc à Deo, eſt, quod ea admodum periculoſa ſit & noxia. Videmus enim Aſtrologos hos fiducia hujus ſuæ ſcientiæ eo uſque procedere, ut quidquid ſingulare, miraculoſum, ac prorſus extraordinaria Dei virtute factum unquam eſt, aſtrorum ſitui ac viribus tribuant: adeo ut velint, quin & palam profiteantur, prophetas omnes virtutem prophetandi ſuam à fortunato ſiderum poſitu quando naſcebantur accepiſſe: Ipſumque adeo Dominum Noſtrum Jeſum, horreo dicere! adſerant miraculorum tot ac tantorum patrandorum vim adeptum eſſe, ex eo, quod eum tali fauſto ac potente ſive ἰπηγκλικῷ ſiderum poſitu naſci contigerit; nec dubium eſſe, quin poſt 36 annorum millia, redeunte eodem ſiderum adſpectu, ſimilis ei naſciturus ſit. Quæ res quorſum alio ſpectat, quam ut Religio omnis divina, atque imprimis Chriſtiana, quæ aliam miraculorum iſtorum cauſſam adſignat, pro deridiculo habeatur?

*2. Quæ judicat de futuris eventibus à libero arbitrio aliquo modo dependentibus.*

Altera Aſtrologiæ judiciariæ ſpecies eſt, quæ obſervato horoſcopo judicat de futuris eventis à libero arbitrio aliqua ratione dependentibus; ut de conditione vitæ, de matrimoniis, de liberis, honoribus, opibus, de infortuniis, de inimicitiis, præliis, exilio, carcere, morte mortiſque genere, aliiſque caſibus humanis; interdum etiam de præteritis, ex præſenti conſtellatione, ut quis ſit hujus parens, cujus fortunæ ac conditionis fuerit, quis furtum vel homicidium commiſerit, &c. Hanc proprie atque imprimis eam quę de futuris eventis ſit, divinationem hoc interdicto divino damnari crediderim, ex eo, quod ii qui eam exercent *Eſa.* XLVII. 13 appellentur הַחֹזִים בַּכּוֹכָבִים ſpeculantes ſtellas, & הַבֹּרִים שָׁמַיִם contemplantes cælos. *Stent nunc & ſervent te ſpeculantes cælum, & contemplantes ſtellas, & cognoſcere facientes menſes, ut* (prædicant quæ) *ventura ſuper te ſunt. Ecce erunt tanquam ſtipula, ignis comburet eos, non liberabunt animã tuam de manu flammæ, &c.* Huic Jeremias conſentit, quando *cap.* X. 2 ait, *Viam gentium ne diſcatis, & à ſignis cæli ne metuatis: quamquam* (ſic enim particula כִּי, non autem pro adverſativa *ſed*, ut Vatablus, Paginus, aliique perperam volunt, accipienda eſt) *gentes* (ſibi) *ab iis metuunt. Quia ſtatuta populorum vanitas ſunt ipſa.* Nec mirum. Quia hæc divinatio ſupponit actiones humanas pendere à ſtellis earumque προσταγίοις, & ſic fatum inducitur, ac proinde liberum arbitrium tollitur, Deuſque ipſe peccatorum omnium autor conſtituitur. Dices, Argumentum hoc non procedere; quia conſtellationes illæ non habentur ab Aſtrologis cauſſæ futurorum eventuum, ſed ſigna dumtaxat; ita ut in iis tanquam in libro aliquo à propheta conſignato, appareant eventus omnes quaſi prædicti ac deſcripti; quod libertati non magis officit, quam divina præſcientia aut prædictio prophetica. Reſp. Hoc merum eſt κρυφύλογον. Si enim ſigna ſunt, aut ſigna ſunt naturaliter ſignificantia, aut ex divina inſtitutione. Naturaliter ſignificantia eſſe non poſſunt, quia vel à priori ſignificabunt, vel à poſteriori. Neutro modo ſignificare poſſunt. Non à prio-

ri, quia ſic cauſſæ eſſent eventuum. Nec à poſteriori, quia ſic eſſent effectus eventuum futurorum. quod abſurdum eſt. Nec ex inſtitutione divina arbitraria ſignificant eventus futuros, quia Deum eventus futuros liberos voluiſſe ſignificare per ea quæ neceſſario, uniformiter & eodem ſemper modo fiunt, abſurdum eſt credere. Tum inſtitutionis illius divinæ notitia unde habetur? Certe non ex ipſis illis conſtellationibus. quid enim abſurdius aut magis ridiculum, quam in illis ſtellis, veluti in libro ſcripto, aut ex voce humana deprehendi poſſe, quis, quo loco, quibus parentibus naſciturus ſit: quibus nuptiis, honoribus, opibus potiturus, quæ ſcelera commiſſurus, quæ infortunia ſubiturus ſit? Ex divina ergo revelatione ut habeatur neceſſe eſt. Quis enim ſcire poteſt, quid Deus hoc vel illo aſpectu concurſuque ſiderum velit ſignificari, niſi Deus mentem ſuam ipſe pateſaciat? cum hæc ſignificatio non ſit niſi denominatio extrinſeca ab actu divino, nihil ponens in ipſo ſigno. At unde revelatio hæc aut per quos? Si dicas; Dæmonas aliquando eam hominibus feciſſe; tum neceſſe eſt ut dicas eos malos dæmonas fuiſſe. Boni enim ut id revelaverint, fieri non poteſt, quia Deus Aſtrologiam iſtam aperte damnat ac prohibet, non modo ut vanam ſed etiam ut fallam. Mali vero ſi id revelaverunt, tum neceſſe eſt, ut ſine divina revelatione id ſciverint; at hoc impoſſibile eſſe per ſe liquet; &, quod caput rei eſt, tum neceſſe eſt ut revelaverint tanquam divinum, id quod falſum eſſe ex ipſa divina revelatione conſtat. Atque hæc ſine dubio cauſſa eſt, cur divinationem hujuſmodi Aſtrologicam tantopere averſatus fuerit Deus, tanquam ab hoſte ſuo juratiſſimo in fraudem generis humani & providentiæ ſuæ liberrimæ ignominiam ſive detrimentum repertam & uſitatam.

*Unde fiat ut aliquando eventus reſpondeant Aſtrologorum prædictionibus.*

Dices: Attamen videmus ſæpe eventus reſpondiſſe prædictionibus. Reſp. 1. Caſui id fere eſt tribuendum. Sæpiſſime enim eventus prædictionibus non reſpondiſſe ipſi gentiles ubique aſſerunt. Phavorinus apud Gellium lib. XIV. cap. 1. ait milleſimam partem eorum quæ quotidie prædicunt veram non eſſe. & Cicero lib. 2. de Divin. ait: Promiſerunt Aſtrologi Pompejo, Craſſo, & Cæſari lætiſſima omnia: non niſi jam ſenes domi cum ſumma gloria morituros; at quiſque eorum infeliciter & immaturè periit. Quare prædictiones iſtæ inſomniis ſimiles ſunt, quæ quamquam ſine arte, ſine duce in phantaſia oberrant, tamen interdum fortuitas rerum venturarum ſpecies referunt. Et cæcus ſi vim lapidum ſpargat, aliquando imprudens tangit metam. & ſi crebræ in ſcopum jaciantur ſagittæ, una aliquando tangit aberrantibus centenis. Accedit, quod prodigia cum narrantur, excipi ſoleant favore mirantium; & quamquam non ad verum exacta ſunt, poſtquam ſemel ſcriptorem credulum invenerunt, pluribus placeant, veneratione creſcant, vetuſtate commendentur. 2. In hiſce prædictionibus idem evenire poteſt quod in auguriis auſpiciiſque evenire aliquando diximus. Quia animus hominis cui bona denuntiantur excitatur ad audendum, omniaque tentanda ut quod prædictum eſt adſequatur, perſuaſus ſecundo numine & propitio cælo ſe adſpirare ad fortunam meliorem: Contra, cui mala denunciantur aut prædicuntur, is facile dejicitur in deſperationem, perſuaſus ſe adverſo numine & adverſo cælo contra niti: & ſic mirum non eſt ſi utrique, quod prædictum eſt obveniat: eadem plane ratione qua exercitibus ſæpe fiducia auſpiciorum erectis victoria; aliis auſpiciorum infælicium præſagio dejectis clades evenit. 3. Facilius crediderim aliquod eſſe numen, quod in vindictam impiæ credulitatis, nonnunquam repræſentet mortalibus ea ipſa quæ ſibi non à Deo ſed à cælo ac ſideribus metuerunt. Atque huc referrem id quod de Aſcletarione Mathematico narrat Suetonius, qui & diem & genus mortis Domitiani apud quoſdam dixerat. Vocatus enim à Domitiano, eadem iteravit: quærentique Domitiano, ut eluderet, Tu igitur, qua morte perituros? ille ſtatim, Fore ut à canibus laniaretur. Tum Imperator, ad fidem coarguendam, extemplo abduci, & vivum exuri juſſit, ſive, ut Suetonius ait, prius interfectum. Fit quod juſſum erat, extra urbem via Latina homo uritur; ſcilicet ut nihil reliquum è cadavere eſſet quod canes laniarent. Sed ecce nimbus ſubito ortus rogum extinguit, & miniſtri ſemiuſtum relinquentes diffugiunt. Canes odore ac nidore carnis exciti ſuperveniunt & vorant. Veſpere cænanti Domitiano, inter alias fabellas ejus diei id refertur, & valde eum; ſed fruſtra, commovit. Munit ſe, domi hæret, neminem admittit, ſed ſui cum reperiunt, & Stephanus cubiculariorum princeps cædem patrat. Nempe iſtam prædictionem ratam eſſe voluit Deus, ut Mathematicus iſte profanæ artis exercitæ pœnas daret, & ſimul ad cædem ſceleſti Imperatoris animarentur, qui jam in eum conjuraverant. Denique: Quod prædictionibus iſtis eventus non raro reſpondent, id ex alterutro horum factum veriſimile eſt; vel quod Dæmon profanorum hominum Deus, jam tranſacta inter homines ſecretaque accurate explorans, & ſagaciter de futuro conjiciens, ſub fallaci ſiderum præſagorum obtentu, eventa iſta ſeu vocatus ſeu invocatus ſuggeſſerit iſtis ἐγγαστρίμυθοις, non aliter quam Pythoniſſæ iſti in Endor per Samuelis larvam ſuggeſſiſſe legitur mortem & cladem Saulis: 1 *Samuel.* XXVIII. In hoc ordine colloco prædictiones de morte Julii Cæſaris, de principatu Tiberii, de cæde Domitiani aliaſque. Vel id factum eſt, quod Dæmon aliquando, poteſtate à Deo accepta in certos homines, quolibet pene ſupplicio dignos, uti volens, Mathematicis (tanquam diſcipulis ſuis) prius inſinuaverit quæ à ſe gerenda erant, ut ea ratione nefandæ arti ſuæ fidem faceret, & non à Deo ſed à cælo omnia pendere perſuaſiſſimum omnibus redderet. Mirumne prædici ac ſuggeri à Diabolo ea, quæ ipſi ut victori aut carnifici exſequenda data ſunt, vel conceſſa ut pro arbitrio & quando vult exequatur? Ego certe nullus dubito, quin ſic Apollonio Thyaneo Epheſi in Aſia tanto terrarum & marium à Roma abjuncto, atque in publico diſſerenti, ſuggeſſerit ea ipſa hora qua Stephanus cubiculariorum primus Domitianum occidebat, eum occidi: quin & eum veluti mente mota aliquot paſſus exſilire atque exclamare fecerit, Euge, Stephane, rectè, percute Tyrannum, percute homicidam. Bene eſt, percuſſiſti, vulneraſti, occidiſti: uti cum de divinationis interdicto agebamus etiam à nobis obſervatum eſt.

## LECTORI MONITUM.

*Hic noſter Epiſcopius explicationem præceptorum legis Moſaicæ negativorum interrupit, præ ſtudio Auditores ſuos in Religionem Chriſtianam ſtatim introducendi, ſperans ſe aliquando, poſt abſolutum iſtud penſum, illa reſumpturum. Sed Deo ſummo rerum arbitro aliter viſum eſt. Interim ne operis hujus ſeries hiaret, conſultum duximus reliquorum, quæ tractanda ſuperſunt, præceptorum, textum ſecundùm vulgarem Judæorum diſtinctionem ſubjungere.*

XXXVII. Ne fiant incantationes aut conjurationes: juxta legem *Deut.* XVIII. 11. *Non inveniatur in te divinans divinationes, præſtigiator, & augur, & maleficus.*

XXXVIII. Ne conſilium petatur à mortuis: juxta illud *Deut.* XVIII. 11. *Et* (non inveniatur in te) *quærens à mortuis.*

XXXIX. Ne induatur mulier veſte virili.

XL. Ne induatur vir veſte muliebri: juxta legem *Deut.* XXII. 5. *Non erit inſtrumentum virile ſuper mulierem: neque induet vir veſtimentum muliebre: quia abominatio Domini Dei tui omnis faciens hæc.*

XLI. Ne inſcribatur corpori ſcriptura cavata: juxta illud *Levit.* XIX. 28. *Et inciſionem pro anima non dabitis in carne veſtra: & ſcripturam notæ non ponetis in vobis. Ego Dominus.*

XLII. Ne induatur contextura ex lana & lino: juxta illud *Deuter.* XXII. 11. *Non indues te panno mixto ex lana & lino pariter.*

XLIII. Ne in abradendo capillo rotundentur anguli capitis.

XLIV. Ne corrumpatur barba: juxta illud *Levit.* XIX. 27. *Non in circuitu attondebitis angulum capitis veſtri: & non diſſipabis angulum barbæ tuæ.*

XLV. Ne unguibus ſe lacerent, (aut inciſiones faciant in cute.)

XLVI. Ne avellantur capilli pro mortuo: juxta illud *Deuter* XIV. 1. *Non incidetis vos, neque ponetis calvitium inter oculos veſtros ſuper mortuum.*

XLVII. Ne ambuletur poſt cogitationes cordis, & viſum oculorum: juxta illud *Numer.* XV. 39. *Et non errabitis poſt cor veſtrum, & poſt oculos veſtros poſt quos vos fornicamini.*

## CAPUT II,

### ſeu Domus ſecunda Præceptorum negativorum, quæ eſt de Separatione ab Ethnicis, & XIII præcepta continet.

I. NE feriatur fœdus cum ſeptem populis: (nempe terræ Cananeæ) juxta illud *Exod.* XXIII. 32. *Non percuties cum iis & diis eorum fœdus.*

II. Ne ullus è ſeptem populis ſinatur vivere: juxta illud *Deuter.* XX. 16. *Sed de civitatibus populorum iſtorum, quos Dominus Deus tuus dat tibi in hæreditatem, non vivificabis omnem animam.*

III. Ne

III. Ne misereat nos istorum Idololatrarum: juxta illud *Deuter.* VII. 2. *Perdendo perdes eas* (gentes) *non panges cum eis pactum, neque misereberis earum.*

IV. Ne sinamus eos habitare in nostra terra: juxta illud *Exod.* XXIII. 33. *Non habitabunt in terra tua, ne forte peccare faciant te mihi, cùm coluerit deos eorum; quia erit tibi in laqueum.*

V. Ne connubia ineant cum Ethnicis: juxta illud *Deuter.* VII. 3. *Neque te jungès affinitate cum eis. Filiam tuam non dabis filio ejus, & filiam ejus non capies tuo filio.*

VI. Ne Hammonita & Moabita matrimonium contrahat cum muliere Israelita: juxta illud *Deut.* XXIII. 3. *Non ingredietur Hammonita & Moabita in Ecclesiam Domini. Etiam in generatione decima non ingredietur in Ecclesiam Domini usque in sæculum.*

VII. Ne offeratur pax Hammonitæ & Moabitæ sicut cæteris nationibus: juxta illud *Deuter.* XXIII. 6. *Non quæres pacem eorum, & bonum eorum, omnibus tuis diebus in sæculum.*

VIII. Ne separent se à posteris Esau, nisi usque in tertiam generationem.

IX. Ne separent se ab Ægyptiis, nisi usque in tertiam generationem: juxta illud *Deuter.* XXIII. 7. 8. *Non abominaberis Edomæum, quia frater tuus est. Non abominaberis Ægyptium, quia peregrinus fuisti in terra ejus. Filii qui nascentur eis generatione tertia ingredientur in Ecclesiam Domini.*

X. Ne unquam redeant habitatum in Ægyptum: juxta illud *Deuter.* XVII. 16. *Non addetis ut revertamini per viam istam amplius.*

XI. Ne perdant arbores fructiferas: juxta illud *Deut.* XX. 19. *Si obsederis civitatem diebus multis pugnando adversùs eam, ut capias eam, non disperdes arbores ejus, impellendo contra eas securim: quia ex illius fructibus comedes, & ipsas non succides.*

XII. Ne timeant milites in bello: juxta illud *Deuter.* XX. 3. *Audi Israel, estis hodie propinqui bello contra inimicos vestros: ne mollescat cor vestrum, ne timeatis, & ne paveatis, & ne formidetis à facie eorum.*

XIII. Ne obliviscantur malorum operum Hamalec: juxta illud *Deuter.* XXV. 20. *Delebis memoriam Hamalec sub cœlis: ne obliviscaris.*

## CAPUT III,

### seu Domus tertia præceptorum negativorum, quæ est de honore rebus sacris exhibendo, & XXIX præcepta continet.

I. NE blasphemetur: juxta illud *Exod.* XXII. 27. *Elohim non maledices.*

II. Ne juretur falsò: juxta illud *Levit.* XIX. 12. *Et non jurabitis in nomine meo mendaciter: neque pollues nomen Dei tui.*

III. Ne juretur in vanum: juxta illud *Exod.* XX. 7. *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.*

IV. Ne profanetur nomen Domini: juxta illud *Levit.* XXII. 32. *Et non polluatis nomen sanctitatis meæ.*

V. Ne tentetur Dominus: juxta illud *Deut.* VI. 16. *Non tentabitis Dominum Deum vestrum.*

VI. Ne perdant locos sanctos, veluti Synagogas & similes: neque etiam deleantur nomina sancta: juxta illud *Deuter.* XII. 3. 4. *Et diruetis aras earum,* &c. *Non sic facietis Domino Deo vestro.*

VII. Ne pernoctet suspensus in patibulo: juxta illud *Deut.* XXI. 23. *Non pernoctabit cadaver ejus* (suspensi) *in ligno.*

VIII. Ne cesset custodia circa sanctuarium: juxta illud *Numer.* XVIII. 5. *Et custodietis custodiam sanctitatis, & custodiam altaris, & non erit amplius ira super filios Israel.*

IX. Ne ingrediatur Sacerdos singulis horis in Sanctuarium: juxta illud *Levit.* XVI. 2. *Dixitque Dominus ad Mosem: Loquere ad Aaron fratrem tuum, & non ingrediatur in omni tempore ad sanctitatem, intra velum, coram propitiatorio quod est supra arcam, & non moriatur.*

X. Ne maculatus ingrediatur ad aram: juxta illud *Levit.* XXI. 23. *Veruntamen ad velum non ingredietur, & ad altare non accedet, quia macula est in eo.*

XI. Ne ullus maculatus serviat in Sanctuario: *ibidem.* v. 17. *Loquere ad Aaron dicendo: vir de semine tuo in generationibus suis cui fuerit macula non accedet ad offerendum panem Dei sui,* &c.

XII. Ne serviat qui per accidens aut ad tempus maculatus est: *ibid. vers.* 21. *Omnis vir cui macula è semine Aaron sacerdotis, non accedet ad offerendum oblationes ignitas Domini. Is in quo est macula non accedet ad panem Dei sui offerendum.*

XIII. Ne administrent Levitæ quæ sunt muneris Sacerdotalis, nec Sacerdotes quæ sunt muneris Levitici: juxta illud *Num.* XVIII. 3. *Veruntamen* (Levitæ) *ad vasa sanctitatis & ad altare non appropinquabunt, & non morientur tam ipsi quam vos.*

XIV. Ne ille qui bibit vinum ingrediatur in Sanctuarium, nec doceat legem: juxta illud *Levit.* X. 9. *Et locutus est Dominus ad Aaron, dicendo: Vinum & siceram ne bibas tu & filii tui tecum, cùm intrabitis in tabernaculum Ecclesiæ, & non moriemini. Statutum sæculi in generationes vestras.*

XV. Ne serviat extraneus in Sanctuario: juxta illud *Numer.* XVIII. 4. *Et extraneus non appropinquabit ad vos.* (Sacerdotes & Levitas.)

XVI. Ne serviat Sacerdos immundus.

XVII. Ne serviat Sacerdos qui laverit illa die, usque dum nocteſcat: juxta illud *Levit.* XXII. 2. 3. *Loquere ad Aaron & ad filios ejus, & separentur à sanctificatis filiorum Israel, & non polluant nomen sanctitatis meæ, in his quæ ipsi sanctificant mihi. Ego Dominus. Dic ad eos: In generationibus vestris, omnis vir qui accesserit ex omni semine vestro ad sanctificationes, quas sanctificaverint filii Israel Domino, & immunditia ejus fuerit super eum, & excidetur anima ipsa à facie bus meis. Ego Dominus,* &c.

XVIII. Ne intret immundus in ullam templi partem: juxta illud *Numer.* V. 3. *A masculo usque ad feminam emittetis; extra castra emittetis eos,* (immundos:) *& non polluent sua castra, quorum ego in medio eorum habito.*

XIX. Ne intret immundus in castra Levitarum: juxta illud *Deuter.* XXIII. 10. *Si fuerit in te vir qui non fuerit mundus ob accidens noctis, & egredietur extra castra, non ingredietur intra castra,* &c.

XX. Ne ædificetur ara ex lapidibus politis: juxta illud *Exod.* XX. 25. *Et, si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis eos excisos. Si malleum tuum elevaveris super illud, pollues illud.*

XXI. Ne ascendatur gradibus ad aram: juxta illud *Exod.* XX. 26. *Et non ascendes per gradus ad altare meum, ut non detegatur turpitudo tua super illud.*

XXII. Ne sacrificia offerantur super altari aureo: juxta illud *Exod.* XXX. 9. *Non facietis ascendere super illud sufimentum alienum, & holocaustum, & sacrificium: & libamen non libabitis super illud.*

XXIII. Ne fiat oleum unctionis secundùm descriptionem Legis.

XXIV. Ne se ungat extraneus oleo unctionis: juxta illud *Exod.* XXX. 31. 32. 33. *Et ad filios Israel loqueris, dicendo: Oleum unctionis sanctitatis erit hoc mihi in generationibus vestris. Super carnem hominis non ungetur, & secundùm pondus ejus non facietis sicut illud. Sanctitas est, sanctitas erit vobis. Quisquis confecerit unguentum simile, & qui posuerit ex eo super extraneum, succidetur è populis suis.*

XXV. Ne fiat suffitus sicut suffitus Legis: juxta illud *Exod.* XXX. 37. *Et suffimentum quod facies, secundùm pondus ejus non facietis vobis. Sanctitas tibi erit Domino. Quisquis fecerit sicut ipsum ad odorandum illud, excidetur è populis suis.*

XXVI. Ne extinguatur ignis altaris: juxta illud *Levit.* VI. 12. *Et ignis super altari ardebit in eo; non extinguetur.*

XXVII. Ne educantur vectes ex Arca sancta: juxta illud *Exod.* XXV. 14. *In annulis arcæ erunt vectes: non removebuntur ab ea.*

XXVIII. Ne separetur Pectorale à superhumerali: juxta illud *Exod.* XXVIII. 28. *Et jungent pectorale ab annulis ejus ad annulos superhumeralis filo hyacinthi, ut sit super balteum superhumeralis, & non separetur pectorale à superhumerali.*

XXIX. Ne frangatur pallium Sacerdotale: juxta illud *Exod.* XXVIII. 32. *Ora erit ejus* (pallii) *ori circum, opere texentis; sicut os loricæ erit ei, ne scindatur.*

## CAPUT IV,

### seu Domus quarta præceptorum negativorum, quæ est domus Sacrificii & Sacerdotum, & LXXXII præcepta continet.

I. NE sacrificia offerantur extra templum: juxta illud *Deut.* XII. 13. 14. *Cave tibi, ne offeras holocausta tua in omni loco quem videbis. Sed in loco quem elegerit Dominus in una tribuum tuarum, illic offeres holocausta tua, & ibi facies omnia quæ ego præcipio tibi.*

II. Ne decolletur seu mactetur animal sanctitatis extra templum: juxta illud *Levit.* XVII. 3. 4. *Quicunque è domo Israel mactaverit bovem, vel agnum, vel capram in castris, vel qui mactaverit extra castra: & ad ostium tabernaculi Ecclesiæ non adduxerit eum, ad offerendum oblationem Domino, ad faciès tabernaculi Domini: sanguis reputabitur viro illi: fudit sanguinem: & excidetur vir ille è medio populi sui,* &c.

III. Ne sanctificetur ad aram ulla res maculata: juxta illud *Levit.* XXII. 20. *Omne in quo fuerit macula, non appro-*

*pinquare facietis*, (ad altare:) *quia non ad beneplacitum erit vobis.*

IV. Ne mactetur ulla res maculata in sacrificium: *ibid. vers.* 21. 22. *Et cùm vir obtulerit sacrificium pacificorum Domino, ad solvendum votum, vel ad voluntariam oblationem ex bobus, vel ex ovibus, integrum erit ad beneplacitum: omnis macula non erit in eo. Cæcum, vel fractum, vel concisum labiis, vel verrucatum, vel scabiosum, vel impetiginosum non offeretis Domino. & oblationem ignitam non dabitis ex his super altare Domino.*

V. Ne effundatur sanguis animalis maculati super altari: *ibid. v.* 24. *Compressos habens testiculos, & contusos, & evulsos, aut nervos incisos, non facietis appropinquare Domino, & in terra vestra non facietis.*

VI. Ne offeratur in sacrificium adeps aut reliquæ partes animalium maculatorum: *ibid. vers.* 22. *Et oblationem ignitam non dabitis ex his super altare Domino.*

VII. Ne in sacrificium offeratur animal in quo est macula aliqua accidentalis: juxta illud *Deut.* XVII. 1. *Non sacrificabis Domino Deo tuo bovem, & pecus parvum in quo fuerit macula, omnem rem malam: quia abominatio Domini Dei tui est.*

VIII. Non offeratur in sacrificium animal maculatum, quod acceptum fuerit è manu Ethnici: juxta illud *Levit.* XXII. 25. *Et de manu filii extranei non offeretis panem Dei vestri ex omnibus istis*, (maculatis:) *quia corruptio eorum in eis, macula in eis, non placeant vobis.*

IX. Ne fiat ulla macula in animalibus sanctitatis, juxta illud *Levit.* XXII. 21. *Omnis macula non erit in eo.*

X. Ne fiat oblatio ex fermento, aut ex melle: juxta illud *Levit.* II. 11. *Omne sacrificium quod appropinquare facietis Domino, non fiet fermentatum: quia omne fermentum, & omne mel, non facietis de eo suffire ignitionem Domino.*

XI. Ne offeratur sacrificium sine sale: juxta illud *Levit.* II. 13. *Et omnem oblationem sacrificii tui in sale salies, & non cessare facies sal fœderis Dei tui à munere tuo. in omni oblatione tua offeres sal.*

XII. Ne offeratur Domino pretium (aut donum) meretricis, aut pretium canis: juxta illud *Deut.* XXIII. 18. *Non introduces mercedem meretricis, & pretium canis in domum Domini Dei tui, pro omni voto: quia abominatio Domini Dei tui utrumque est.*

XIII. Ne mactetur eadem die animal cum ipsius fœtu: juxta illud *Levit.* XXII. 28. *Et bovem vel pecus, ipsum & filium ejus, non mactabitis in die una.*

XIV. Ne conjiciatur oleum in munus peccatoris.

XV. Neque injiciatur ei thus: juxta illud *Levit.* v. 11. *Non ponet super eam* (oblationem) *oleum; neque ponet super eam thus: quia ipsa oblatio pro peccato est.*

XVI. Non conjiciatur oleum in munus *Sotæ*, seu mulieris declinantis.

XVII. Neque injiciatur ei thus: juxta illud *Numer.* v. 15. *Et venire faciet vir uxorem suam ad sacerdotem, & afferet oblationem ejus cum ea, decimam partem ephah farinæ hordei. Non effundet super eam oleum, & non dabit super eam thus: quia munus zelotypiarum est, munus memoriæ memorantis iniquitatem.*

XVIII. Ne permutentur animalia sanctitatis: juxta illud *Levit.* XXVII. 32. 33. *Et omnis decima boum & ovium, & cujuscunque animalis, quod transit sub virga, decimum erit sanctitas Domino. Non quæret utrum bonum an malum, & non permutabit illud. Et si commutando commutaverit illud, & erit illud & commutatio ejus erit sanctitas: non redimetur.*

XIX. Ne permutetur sacrificium unum in alterum: *ibid. vers.* 28. *Veruntamen omnis consecratio* (seu anathema, *cherem*) *quam consecrabit vir Domino, ex omnibus quæ sunt ei, ab homine, & animali, & ab agro possessionis ejus, non vendetur neque redimetur. Omnis consecratio sanctitas sanctitatum erit Domino.*

XX. Ne redimatur primogenitum animalis mundi: juxta illud *Numer.* XVIII. 17. *Sed primogenitum bovis, vel primogenitum ovis, vel primogenitum capræ non redimes. Sanctificatio sunt.*

XXI. Non vendantur decimæ animalium: juxta illud *Levit.* XXVII. 33. *Non redimetur.*

XXII. Ne vendatur ager anathematis.

XXIII. Ne redimatur. *ibid. vers.* 28. *Non vendetur neque redimetur.*

XXIV. Ne separetur caput avis expiationis: juxta illud *Levit.* v. 8. *Et adduces eos* (turtures, vel pullos columbæ) *ad sacerdotem, & offeret eum qui est pro peccato primum, & contorquebit caput ipsius contra cervicem ejus, & non dividet.*

XXV. Ne utantur animalibus sanctitatis.

XXVI. Ne tondeantur ista animalia: juxta illud *Deut.* XV. 19. *Non operaberis in primogenito bovis tui, neque tondebis primogenitum pecudum tuarum.*

XXVII. Ne immoletur agnus Paschalis cum adhuc erit fermentum: juxta illud *Exod.* XXIII. 18. *Non immolabis super fermento sanguinem victimæ meæ.*

XXVIII. Ut nihil relinquatur ex agno Paschali; juxta illud *Exod.* XII. 10. *Et non relinquetis ex eo usque mane.*

XXIX. Ut nihil relinquatur ex agno Paschali secundi mensis: juxta illud *Numer.* IX. 12. *Non reliquum facient ex eo usque mane.*

XXX. Ne frangatur ullum os ex agno Paschali: juxta illud *Exod.* XII. 46. *Et os non confringetis in eo.*

XXXI. Ne frangatur ullum os ex agno Paschali secundo: juxta illud *Numer.* IX. 12. *Et os non confringent in eo.*

XXXII. Ne comedatur caro istius agni malè cocta aut elixa: juxta illud *Exod.* XII. 9. *Ne comedatis ex eo crudum, aut coctione coctum in aqua, sed assum igni.*

XXXIII. Ut nihil istius carnis auferatur ex cœtu: juxta illud *Exod.* XII. 46. *In domo una comedetur. Non educes è domo de carne extrà.*

XXXIV. Ne comedat ex ista carne peregrinus, nec mercenarius: juxta illud *Exod.* XII. 45. *Advena & mercenarius non comedet ex eo.*

XXXV. Ne incircumcisus comedat ex ista carne: juxta illud *Exod.* XII. 49. *Et omnis qui habuerit præputium non comedet ex eo.*

XXXVI. Ne comedat ex ista carne Israelita *Mumar*, permutatus: juxta illud *Exod.* XII. 43. *Omnis filius alienigenæ non comedet ex eo.*

XXXVII. Ne asservetur adeps agni Paschalis una nocte: juxta illud *Exod.* XXIII. 18. *Neque pernoctabit adeps agni mei usque mane.*

XXXVIII. Ne asservetur caro manifestationis usque mane: juxta illud *Levit.* VII. 15. *Et caro sacrificii gratiarum actionis pacificorum ejus, in die oblationis ejus comedetur. Non dimittet ex eo usque mane.*

XXXIX. Ut nihil relinquatur ex sacrificiis Paschatis usque ad tertium diem: juxta illud *Levit.* VII. 16. 17. 18. & XIX. 6. *Et si votum vel spontaneum sacrificium oblationis ejus in die quo obtulerit sacrificium suum comedetur, & in crastino, & residuum ex eo comedetur. Et residuum de carne sacrificii in die tertia in igne comburetur. Et si comedendo comestum fuerit de carne sacrificii pacificorum ejus in die tertia, non placebit offerens illud, non reputabitur illi. Prophanum erit, & anima comedens ex eo portabit iniquitatem suam.*

XL. Ne coquantur fermentatæ reliquiæ oblationum: juxta illud *Levit.* VI. 17. *Non coquetur fermentatum.*

XLI. Ne quis immundus comedat rem sanctam; juxta illud *Levit.* VII. 20. *Et anima quæ comederit carnem de sacrificio pacificorum quod est Domino, & immunditia ejus super ipsam, & excidetur anima ipsa è populis suis.*

XLII. Ne comedantur sancta quæ sunt contaminata: juxta illud *Levit.* VII. 19. *Et caro quæ tetigerit omne immundum, non comedetur, in igne comburetur.*

XLIII. Ne comedatur de eo quod remanserit ex sacrificiis: juxta illud *Levit.* XIX. 8. *Qui verò comederit illud iniquitatem suam portabit: quia sanctitatem Domini polluit, & excidetur anima ipsa è populis suis.*

XLIV. Ne quid abominabile (*Pigul*) comedatur: juxta illud *Levit.* VII. 18. *Prophanum erit, & anima comedens ex eo portabit iniquitatem suam.*

XLV. Ne comedat extraneus separationem, (seu sanctificationem.)

XLVI. Ne comedat etiam illam mercenarius Sacerdotis: juxta illud *Levit.* XXII. 10. *Et omnis extraneus non comedet sanctificationem. Inquilinus Sacerdotis, & mercenarius non comedet sanctificationem.*

XLVII. Ne comedat incircumcisus separationem.

XLVIII. Ne comedat Sacerdos immundus separationem: juxta illud *Levit.* XXII. 4. *Quicunque è semine Aaron fuerit leprosus vel fluens, de sanctitatibus non comedet usque quo mundet se.*

XLIX. Ne illam comedat filia Sacerdotis nupta extraneo: juxta illud *Levit.* XXII. 12. *Et filia Sacerdotis cum fuerit viro extraneo, ipsa de oblatione sanctitatum non comedet.*

L. Ne comedatur munus Sacerdotis: juxta illud *Levit.* VI. 22. *Et omne munus Sacerdotis totum erit: non comedetur.*

LI. Ne comedatur caro expiationum quæ intus fiunt: juxta illud *Levit.* VI. 30. *Et omnis oblatio pro peccato, de cujus sanguine adducetur ad tabernaculum conventus, ad expiandum in sanctitate, non comedetur. In igne comburetur.*

LII. Ne comedantur animalia sanctitatis, data opera maculata aut corrupta: juxta illud *Deut.* XIV. 3. *Non comedes omnem abominationem.*

LIII. Ne comedatur decima secunda frugum extra Jerusalem.

LIV. Ne comedatur decima vini.

LV. Ne comedatur decima olei: juxta illud *Deut.* XII. 17. *Non poteris comedere intra portas tuas decimam frumenti tui, & vini tui, & olei tui.*

LVI. Ne comedat Sacerdos primogenitum perfectum extra Jerusalem: *ibid. Nec primogenita boum tuorum, & pecudum tuarum.*

LVII. Ne comedant Sacerdotes expiationes & peccata extra templum. *ibid. Et boves tuas & pecudes.*

LVIII. Ne comedatur caro holocausti, *ibid. Nec omnia vota tua quæ voveris.*

LIX. Ne comedatur caro sanctitatum leviorum antequam effundatur sanguis: *ibid. Nec spontanea tua.*

LX. Ne comedat sacerdos primitias antequam posuerit illas in templo: *ibid. Nec oblationem manus tuæ.*

LXI. Ne comedat extraneus sanctitatem sanctitatum: juxta illud *Exod.* XXIX. 33. *Et alienigena non comedet, quia sanctificatæ sunt.*

LXII. Ne comedatur decima secunda in luctu.

LXIII. Ne comedatur in immunditia.

LXIV. Ne impendatur pecunia istius decimæ in re aliqua quæ non comedatur & bibatur: juxta illud *Deut.* XXVI. 14. *Non comedi in tristitia mea ex ea,* (decima) *neque abstuli ex ea cum immundo, neque dedi ex ea pro defuncto. Obedivi voci Domini Dei mei: feci secundum omnia quæ præcepisti mihi.*

LXV. Ne comedatur cibus, quin inde removeantur separationes: juxta illud *Levit.* XXII. 15. *Et non contaminabunt sanctificata filiorum Israel, quæ elevabunt Domino.*

LXVI. Ne pervertatur ordo Decimarum & Separationum: juxta illud *Exod.* XXII. 29. *Primitias segetis tuæ, cum fuerint maturæ, & primitias vini tui offerre non tardabis.*

LXVII. Ne differantur promissa: juxta illud *Deut.* XXIII. 22. *Si voveris votum Domino Deo tuo, non tardabis reddere illud: quia requirendo requiret illud Dominus tuus à te, & erit in te peccatum.*

LXVIII. Ne eatur Jerusalem ad Pascha sine sacrificio: juxta illud *Exod.* XXIII. 15. *Et non videbuntur facies meæ vacuæ.*

LXIX. Ne violet quisquam promissa sua: juxta illud *Num.* XXX. 3. *Cùm vir voverit votum Domino, vel juraverit juramentum, ligando ligamen super animam suam, non polluet verbum suum: secundùm omne quod egressum est de ore suo faciet.*

LXX. Ne Sacerdos meretricem ducat in uxorem.

LXXI. Ne ducat mulierem corruptam.

LXXII. Ne ducat repudiatam: juxta illud *Levit.* XXI. 7. *Mulierem meretricem, & profanam non capient* (Sacerdotes) *& mulierem repulsam à viro suo non accipient: quia sanctus est Deo suo.*

LXXIII. Ne summus Sacerdos ducat viduam.

LXXIV. Ne cognoscat viduam, etiam id sit sine *Quidduffin:* juxta illud *Levit.* XXI. 14. 15. *Viduam, & repudiatam, & prophanam, meretricem: istas non accipiet. quinimo virginem è populis suis accipiet mulierem. Et non contaminabit semen suum in populis suis: quia ego Dominus sanctificans eum.*

LXXV. Ne ingrediatur Sacerdos in Sanctuarium cum longis capillis.

LXXVI. Ne ingrediatur cum vestibus laceris: juxta illud *Levit.* X. 6. *Capita vestra ne nudetis,* (vel, ne sinatis crescere cirros in capitibus vestris) *& vestimenta vestra ne scindatis, & non moriemini.* Vide etiam *Levit.* XXI. 10.

LXXVII. Ne exeat Sacerdos è templo in tempore quo cultus divinus celebratur: juxta illud *Levit.* X. 7. *Et ex ostio tabernaculi conventus non egrediemini, ne forte moriamini: quia oleum unctionis Domini est super vos.* Vide etiam *Levit.* XXI. 12.

LXXVIII. Ne sacerdos minor contaminet se pro extraneis: juxta illud *Levit.* XXI. 1. *Super animam non contaminabit se in populis suis.*

LXXIX. Ne contaminet se summus Sacerdos, ne quidem pro suis parentibus: *ibid. vers.* 11. *Super patre suo & matre sua se non contaminabit.*

LXXX. Ne ingrediatur ubi fuerit mortuus: *ibid. Et super omnes animas mortui non ingredietur.*

LXXXI. Ne tribus Levi habeat (aut, capiat) partem in terra sancta.

LXXXII. Ne capiat partem in spoliis belli: juxta illud *Deut.* XVIII. 2. *Et hæreditas non erit ei in medio fratrum suorum. Dominus est hæreditas ejus, quemadmodum locutus est ei.*

## CAPUT V.

### Seu Domus quinta præceptorum negativorum, quæ est Domus ciborum, & XXXVIII præcepta continet.

I. NE comedatur animal immundum: juxta illud *Levit.* XI. 4. *Verum hoc non comedetis ex facientibus ascendere ruminationem, & ex his quæ dividunt ungulam. Camelus,* &c.

II. Ne comedatur piscis immundus: juxta illud *Levit.* XI. 11. *Et abominatio erunt vobis; de carne eorum non comedetis, & cadaver eorum abominabimini. Omne cui non est pinna & squama in aquis abominatio erit vobis.*

III. Ne comedatur avis immunda: *ibid. vers.* 13. *Et abominabimini ista ex volatili: non comedetur, abominatio erunt: aquila & griphus,* &c.

IV. Ne comedatur reptile ex avibus: juxta illud *Deut.* XIV. 19. *Et omne reptile volatile immundum est vobis, non commedetur.*

V. Ne comedatur reptile terrestre: juxta illud *Levit.* XI. 41. *Et omne reptile reptans super terram abominatio est, non comedetur,* &c.

VI. Ne comedatur reptile aquaticum: *ibid. vers.* 43. *Ne contaminetis animas vestras in omni reptili reptante, neque polluetis vos in eis, & immundi eritis in eis.*

VII. Ne comedantur vermes terrestres: *ibid. vers.* 44. *Et non polluetis animas vestras in omni reptili quod reptat super terram.*

VIII. Ne comedantur vermes fructuum, cùm prodeunt foras: *ibid. vers.* 42. *Omne ambulans super pectus, & omne ambulans super quatuor pedes, usque ad omne multiplicans pedes, inter omnia reptilia quæ reptant super terram non comedetis ea, quia abominatio sunt.*

IX. Ne comedatur morticinum: juxta illud *Deut.* XIV. 21. *Non comedetis omne cadaver,* (vel, morticinum.)

X. Ne comedatur rapina: juxta illud *Exod.* XXII. 31. *Et carnem in agro raptam non comedetis: cani projicietis eam.*

XI. Ne comedatur sanguis: juxta illud *Levit.* VII. 26. *Et omnem sanguinem non comedetis in cunctis habitationibus vestris, tam de avibus quàm de jumentis. Omnis anima quæ comederit omnem sanguinem, excidetur anima illa è populis suis.*

XII. Ne comedatur adeps: *ibid. vers.* 23. *Omnem adipem bovis, & agni, & capræ non comedetis. Et adeps cadaveris, & adeps rapti fiet in omne opus; sed comedendo non comedetis illum. Nam omnis qui comederit adipem de animali ex quo offeret oblationem ignitam Domino, & excidetur anima quæ comederit è populis suis.*

XIII. Ne comedatur membrum animalis vivi: juxta illud *Deuter.* XII. 23. *Et non comedes animam cum carne.*

XIV. Ne comedatur nervus contractus: juxta illud *Gen.* XXXII. 32. *Idcirco non comedunt filii Israel nervum contractionis qui est in nervo femoris, usque ad diem hanc: quia tetigit* (Angelus) *nervum femoris Jacob, in nervo contractionis.*

XV. Ne coquatur caro cum lacte.

XVI. Ne comedatur caro cum lacte: juxta illud *Exod.* XXIII. 19. *Non coques hædum in lacte matris suæ.* Vide etiam *Deuter.* XIV. 21.

XVII. Ne comedatur caro bovis lapidati: juxta illud *Exod.* XXI. 28. *Et cùm cornu petierit bos virum, vel mulierem, & mortuus fuerit, lapidando lapidabitur bos, & non comedetur ejus caro.*

XVIII. Ne comedatur panis novus donec oblatum fuerit munus *Homer.*

XIX. Ne comedatur triticum tostum, &c.

XX. Ne comedatur triticum in spica, &c. juxta illud *Levit.* XXIII. 14. *Et panem, & polentam, & spicam teneram, non comedetis usque ad diem hanc, donec adducatis oblationem Dei vestri. Statutum perpetuum erit in generationibus vestris, in cunctis habitaculis vestris.*

XXI. Ne comedatur fructus arboris junioris, donec transierint tres anni: juxta illud *Levit.* XIX. 23. *Et cum ingressi fueritis ad terram, & plantaveritis omnem arborem cibi, & auferetis præputium ejus, fructum ejus. Tribus annis erit vobis præputiatus, non comedetur.*

XXII. Ne comedatur mixtura vineæ: juxta illud *Deut.* XXII. 10. *Non seres vineam tuam mixturis, ne forte sanctificetur plenitudo, semen quod seminaveris, & proventus vineæ.*

XXIII. Ne bibatur vinum *Nessech*, libaminis Planetarum: juxta illud *Deut.* XXXII. 38. *Qui adipem sacrificiorum eorum comedunt, bibunt vinum libaminis eorum.*

XXIV. Ne comedatur aut bibatur instar gulosi & ebriosi: juxta illud *Levit.* XIX. 26. *Non comedetis super sanguine.*

XXV. Ne comedatur in die jejunii *chipur*: juxta illud *Levit.* XXIII. 27. 28. 29. *In decimo mensis hujus septimi, dies expiationum est. Convocatio sanctitatis erit vobis; & affligetis animas vestras,* &c. *quia omnis anima quæ non fuerit afflicta in die isto excidetur è populis suis.*

XXVI. Non comedatur fermentum in Paschate: juxta illud *Exod.* XII. 15. *& seqq.* *Septem diebus infermentata comedetis,* &c. *quia omnis qui comederit fermentatum excidetur anima ipsa ex Israel,* &c.

XXVII. Ne comedatur mixtura fermenti: *Ibid. vers.* 20. *Omne fermentatum non comedetis.*

XXVIII. Ne comedatur fermentum veſpera Paſchatis, à medio die: juxta illud *Deuter.* XVI. 3. *Non comedes ſuper eo fermentatum. Septem diebus comedes ſuper eo infermentata, panem afflictionis,* &c.

XXIX. Ne inveniatur fermentum in noſtris domibus: juxta illud *Exod.* XII. 19. *Septem diebus fermentum non invenietur in domibus veſtris.*

XXX. Ne appareat fermentum in noſtra Juriſdictione: juxta illud *Exod.* XIII. 7. *Infermentata comedentur ſeptem diebus; & non conſpicietur tibi fermentatum, & non conſpicietur tibi fermentum in omni termino tuo.*

XXXI. Ne bibat Naziræus vinum, nec quicquam quod ex eo procedat.

XXXII. Ne comedat uvas virides.

XXXIII. Ne comedat uvas paſſas.

XXXIV. Ne comedat nucleos acinorum.

XXXV. Ne comedat cutim acinorum: juxta illud *Numer.* VI. 2. 3. *Vir vel mulier cùm ſeparaverit ſe vovendo votum Nazaræi, ad ſeparandum ſe Domino: à vino & ſechar ſeparabit ſe. Acetum vini, & acetum ſechar non bibet, & omne madefactum uvis non bibet, & uvas recentes & ſiccas non comedet. Omnibus diebus Nazaræatus ſui, ab omni quod fiet è vite vini, ab acinis uſque ad corticem non comedet.*

XXXVI. Ne Naziræus radat capillos: *ibid. verſ.* 5. *Omnibus diebus voti Nazareatus ſui novacula non tranſibit ſuper caput ejus, donec compleantur dies quibus ſeparabit ſe Domino. Sanctus erit, creſcere ſinet comam capitis ſui.*

XXXVII. Ne contaminet ſe Naziræus pro mortuo.

XXXVIII. Ne ingrediatur domum defuncti: *Ibidem verſ.* 6. *Omnibus diebus quibus ſe Nazareum fecerit, ad animam mortui non veniet. Super patre ſuo, & ſuper matre ſua, ſuper fratre ſuo, & ſuper ſorore ſua non polluet ſe eis, cùm mortui fuerint; quia ſeparatio Dei ſui eſt ſuper caput ejus,* &c.

## CAPUT VI,

## ſeu Domus ſexta præceptorum negativorum, quæ eſt domus agrorum & meſſium, & XVIII præcepta continet.

I. NE demetatur totus campus.

II. Ne colligantur ſpicæ quę cadunt in metendo.

III. Ne relictæ à vindemiatoribus uvę legantur.

IV. Ne acini uvarum colligantur: juxta illud *Levit.* XIX. 9. 10. *Et cùm meſſueritis meſſem terræ veſtræ, non finies angulum agri tui metendo, & ſpicas remanentes tuæ meſis non colliges. Et vineæ tuæ non colliges racemos, & baccas vineæ tuæ non colliges: pauperi & peregrino relinques eas. Ego Dominus Deus veſter.*

V. Ne redeant ad ſumendum manipulum per oblivionem relictum: juxta illud *Deuter.* XXIV. 19. *Cùm meſſueris tuam meſſem in agro tuo, & oblitus fueris manipuli in agro, non reverteris ut capias eum: peregrino, pupillo & viduæ erit. ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere manuum tuarum.*

VI. Ne ſerantur ſimul duo ſemina mixta: juxta illud *Levit.* XIX. 19. *Agrum tuum non ſeres mixtionibus.*

VII. Ne plantentur in vinea propagines diverſarum ſpecierum: *ibid.* & *Deuter.* XXII. 10. *Non ſeres vineam tuam mixturis.*

VIII. Ne fiat mixtura animalium: juxta illud *Levit.* XIX. 19. *Animal tuum non facies coire cum altera ſpecie.*

IX. Ne aretur cum bove & jumento (ſeu aſino) junctis: juxta illud *Deuter.* XXII. 11. *Non arabis cum bove & cum aſino pariter.*

X. Ne obturetur os animalis cum laborat in re aliqua quæ editur: juxta illud *Deuter.* XXV. 4. *Non obturabis os bovis eo triturante.*

XI. Ne aretur terra anno ſeptimo.

XII. Ne colantur arbores.

XIII. Ne demetantur ſponte nata ſicut reliquis annis.

XIV. Ne colligantur fructus iſtius anni ſicut in reliquis: juxta illud *Levit.* XXV. 4. *Et in anno ſeptimo ſabbathum erit terræ, ſabbathum Domino. Agrum tuum non ſeres, & vineam tuam non putabis. Sponte naſcentia grana meſſis tuæ non metes, & uvas ſeparationum tuarum non vindemiabis. Annus erit requiei terræ.*

XV. Ne colatur terra in Jubileo.

XVI. Ne demetantur ſponte nata.

XVII. Ne colligantur fructus Jubilei: *ibid. verſ.* 11. *Jobel ipſe annus quinquageſimus erit vobis. Non ſeretis, & non metetis ſponte naſcentia ejus, neque vindemiabitis ſeparationes ejus,* &c.

XVIII. Ne vendatur in terra ſancta ager in perpetuum: *ibid. verſ.* 23. *Et terra non vendetur abſolutè, quia mea eſt terra, quoniam peregrini & advenæ vos apud me.*

## CAPUT VII,

## ſeu Domus ſeptima præceptorum negativorum, quæ eſt domus doctrinæ, & XLV præcepta continet.

I. NE derelinquantur Levitæ: juxta illud *Deuter.* XII. 19. *Cave tibi ne forte derelinquas Levitam omnibus diebus tuis ſuper terram tuam.*

II. Ne mutentur agri & ſuburbia Levitarum: juxta illud *Levit.* XXV. 34. *Et ager ſuburbii civitatum eorum non venditur, quia poſſeſſio perpetua eſt eis.*

III. Ne exigatur debitum cùm præterierit *Semità*, (ſeu annus remiſſionis:) juxta illud *Deut.* XV. 2. *Qui mutuaverit proximo ſuo, non exiget à proximo ſuo, & fratre ſuo, quia vocavit remiſſionem Domino.*

IV. Ne omittatur dare pauperi id quo indiguerit: juxta illud *Deuter.* XV. 7. 8. *Cùm fuerit in te egenus unus è fratribus tuis intra unam è portis tuis in terra tua, quam Dominus Deus dat tibi, non indurabis cor tuum, neque claudes manum tuam à fratre tuo egeno,* &c.

V. Ne omittatur mutuum dare pauperi, propter annum remiſſionis inſtantem: *ibid. verſ.* 9. 10. *Cave tibi, ne forte ſit quippiam cum corde tuo Belial, dicendo: Appropinquavit annus ſeptimus, annus remiſſionis, & malignetur oculus tuus contra fratrem tuum egenum, & non des ei: & clamabit contra te ad Dominum, & erit in te peccatum. Dando dabis ei, & non malignabitur cor tuum in dando ei.*

VI. Ne remittatur vacuus ſervus Judæus, cùm exibit liber: juxta illud *Deuter.* XV. 13. *Et cùm dimiſeris eum liberum à te,* (nempe ſervum Judæum) *non dimittes eum vacuum. Onerando onerabis eum de pecore tuo, de frumento areæ tuæ, & de vino torcularis tui,* &c.

VII. Ne petatur debitum à paupere: juxta illud *Exod.* XXII. 25. *Si argentum mutuaveris populo meo pauperi qui eſt tecum, non eris ei ſicut fœnerator.*

VIII. Ne pecunia detur mutuò Iſraelitæ cum uſura (aut lucro.) juxta illud *Levit.* XXV. 37. *Ne accipias ab eo* (nempe fratre tuo paupere) *uſuram & incrementum, & timebis à Deo tuo: & vivet frater tuus tecum. Argentum tuum non dabis ei ad uſuram, & in incremento non dabis cibum tuum.*

IX. Ne accipiatur mutuo datum ab Iſraelita cum uſura: juxta illud *Deuter.* XXIII. 19. *Non fœnerabis fratri tuo, uſuræ pecuniæ & uſura cibi, uſura omnis rei quæ fœnerabitur.*

X. Ne ſint ſequeſtri (ſeu proxenetæ) inter fœneratores: juxta illud *Exod.* XXII. 25. *Non ponetis ſuper eum uſuram.*

XI. Ne differatur ſolutio mercedis mercenario debitæ: juxta illud *Levit.* XIX. 13. *Non pernoctabit opus mercenarii apud te uſque manè.*

XII. Ne pignus accipiatur à debitore cum violentia aut rigore: juxta illud *Deuter.* XXIV. 10. 11. *Cùm mutuaveris proximo tuo mutuum aliquid, non ingredieris in domum ejus ad capiendum pignus ejus. In platea ſtabis, & vir cui tu mutuaſti, educet ad te pignus foras.*

XIII. Ne retineatur pignus pauperis qui illo indiget: *Ibid. verſ.* 12. *Et, ſi pauper fuerit, non cubabis cum pignore ejus. Reddendo reddes ei pignus in occaſu Solis,* &c.

XIV. Ne accipiatur pignus à vidua: *ibid. verſ.* 17. *Et non capies in pignus veſtimentum viduæ.*

XV. Ne in pignus accipiantur inſtrumenta rei ad ſe ſuſtentandum neceſſariæ: *ibid. verſ.* 6. *Nemo capiet pro pignore duas molas & catillum: quia animam ipſe accipit pro pignore.*

XVI. Ne plagium committatur: juxta illud *Exod.* XX. 13. *Non furaberis.*

XVII. Ne furto bona ulla auferantur: juxta illud *Levit.* XIX. 11. *Non furabimini.*

XVIII. Ne opprimatur proximus.

XIX. Ne per vim bona ei eripiantur: *ibid. verſ.* 13. *Non opprimes proximum tuum, neque rapies.*

XX. Ne quis neget ſe habere facultates proximi.

XXI. Ne quis juret falsò, negando ſe habere facultates proximi: *ibid. verſ.* 11. *Et non negabitis, & non fraudabitis quiſque in proximum ſuum.*

XXII. Ne coarctentur limites proximi: juxta illud *Deuter.* XIX. 14. *Non transferes terminum proximi tui, quem terminaverunt primi, in hæreditate tua quam hæreditabis in terra quam Dominus Deus tuus dat tibi, ut poſſideas eam.*

XXIII. Ne decipiatur in vendendo & emendo: juxta illud *Levit.* XXV. 14. *Et cùm vendideritis venditionem proximo tuo, vel emeritis è manu proximi tui, ne decipiatis unuſquiſque fratrem ſuum.*

XXIV. Ne decipiatur verbis: *Ibid. verſ.* 17. *Et non decipietis unuſquiſque proximum ſuum.*

XXV. Ne

XXV. Ne decipiatur peregrinus verbis.

XXVI. Ne decipiatur in vendendo & emendo: juxta illud *Exod.* XXII. 21. *Et peregrinum non defraudabis, & non opprimes eum: quia peregrini fuistis in terra Ægypti.*

XXVII. Ne affligatur orphanus, nec vidua: *Ibid.* v. 22. 23. 24. *Omnem viduam & pupillum non affligetis. Si affligendo afflixeris eum, & clamando clamaverit ad me, audiendo audiam clamorem ejus. Et irascetur furor meus, & occidam vos in gladio, & erunt uxores vestræ viduæ, & filii vestri pupilli.*

XXVIII. Ne reddatur Domino servus qui fugerit è terra extranea in terram sanctam.

XXIX. Ne defraudetur iste servus: juxta illud *Deut.* XXIII. 15. *Non trades servum Domino ejus, qui confugit ad te à Domino suo. Tecum manebit in medio tui, in loco quem elegerit intra unam è portis tuis, sicut placuerit ei. Non vim inferes ei,* (vel, non defraudabis eum.)

XXX. Ne quis utatur servo Hebræo tanquam mancipio.

XXXI. Ne vendatur tanquam mancipium.

XXXII. Ne exigatur ab eo servitium cum acerbitate.

XXXIII. Ne permittatur ut Ethnicus eum durè tractet: juxta illud *Levit.* XXV. 39. *Et cùm attenuatus fuerit frater tuus tecum, & vendiderit se tibi, non facies servire eum servitute servi,* &c. *vers.* 42. 43. *Non vendentur venditione servi. Non dominaberis ei durè: sed timebis à Deo tuo. vers.* 46. *Vir in fratrem suum non dominabitur durè. vers.* 47. *Et cùm assecuta fuerit manus peregrini & advenæ qui est tecum, & attenuatus fuerit frater suus tecum, & vendiderit se peregrino, inquilino qui est tecum, vel stirpi & familiæ peregrini,* &c. *vers.* 53. *Tanquam mercenarius annus in anno erit tecum: Non dominabitur ei in duritia in oculis tuis.*

XXXIV. Ne vendatur alteri serva Judæa.

XXXV. Ne omittatur dare isti servæ (si fuerit desponsata) tria quæ à lege sunt mandata: juxta illud *Exod.* XXI. 7. 8. 9. 10. 11. *Et cùm vendiderit vir filiam suam in ancillam, non egredietur quemadmodum egrediuntur servi. Si displicuerit in oculis Domini sui, qui sibi non desponsarit eam, & redimere faciet eam populo alieno, non erit potestas ad vendendum eam, cum spreverit eam. Et si filio suo desponderit eam, secundùm morem filiarum faciet ei. Si alteram acceperit sibi, alimentum ejus, operimentum ejus, & habitationem ejus non diminuet. Et si tria hæc non fecerit ei, egredietur gratis absque argento.*

XXXVI. Ne vendatur mulier formosa in bello capta.

XXXVII. Ne quis utatur illa tanquam serva: juxta illud *Deut.* XXI. 14. *Et erit si non complacueris in ea,* (nempe mulier in bello capta) *& dimittes eam suæ animæ, & vendendo non vendes eam pecunia, neque uteris servitio in ea, pro eo quòd humiliasti eam.*

XXXVIII. Ne concupiscatur: juxta illud *Exod.* XX. 17. *Non concupisces domum proximi tui.*

XXXIX. Ne desideretur ulla res aliena: juxta illud *Deut.* V. 21. *Non concupisces domum proximi tui, agrum ejus, servum ejus, & ancillam ejus, bovem ejus, & asinum ejus, & omnia quæ sunt proximo tuo.*

XL. Ne comedat mercenarius quamdiu laborabit in agro.

XLI. Ne mercenarius plus capiat (in agro in quo laborabit) quàm id quod comedet: juxta illud *Deut.* XXIII. 24. *Cum ingressus in vineam proximi tui, comedes uvas secundùm animam tuam, satiando te, & in vase tuo non pones. Cùm ingressus fueris segetem proximi tui, & decerpes spicas in manu tua, & falcem non elevabis in segetem proximi tui.*

XLII. Ne abscondatur res amissa juxta illud *Deut.* XXII. 1. 2. 3. *Non videbis bovem fratris tui, vel pecus parvum ejus errantes, & abscondes te ab eis,* &c: *Et sic facies omni rei amissæ fratris tui, quæ perierit ab eo, & inveneris illa, non poteris abscondere te.*

XLIII. Ne relinquatur animal sub onere: juxta illud *ibid. vers.* 4. *Non videbis asinum fratris tui, vel bovem ejus cubantes in via, & abscondes te ab eis: erigendo eriges secum.*

XLIV. Ne fraus committatur in mensuris & ponderibus: juxta illud *Levit.* XIX. 35. *Non facietis iniquitatem in judicio, in mensione, in pondere & in mensura.*

XLV. Ne habeamus domi nostræ pondera & mensuras falsas: juxta illud *Deut.* XXV. 13. 14. *Non erit tibi in loculo tuo, in domo tua, pondus, & pondus, majus & minus. Non erit tibi in domo tua ephah & ephah, major & minor,* &c.

## CAPUT VIII,
## seu Domus octava præceptorum negativorum, quæ est domus Justitiæ, & XLVII præcepta continet.

I. NE violetur justitia: juxta illud *Levit.* XIX. 15. *Non facietis iniquitatem in judicio.*

II. Ne accipiatur munus concussionis, juxta illud *Exod.* XXIII. 8. *Et munus non accipies, quia munus excæcat videntes, & pervertit verba justorum.*

III. Ne honoretur quispiam in justitia: juxta illud *Levit.* XIX. 15. *Non honorabis faciem magni: in justitia judicabis proximum tuum.*

IV. Ne timeatur in justitia ab homine malo: juxta illud *Deut.* I. 17. *Non agnoscetis faciem viri in judicio. Sicut parvum, sic magnum audietis. Non timebitis à facie viri: quia judicium Dei est,* &c.

V. Ne misereat nos pauperis in justitia: juxta illud *Exod.* XXIII. 3. *Et pauperem non honorabis in causa sua.* Vide etiam *Levit.* XIX. 15.

VI. Ne misereat nos illius qui commiserit homicidium aut aliud crimen: juxta illud *Deut.* XIX. 13. *Non parcet oculus tuus ei, & auferes sanguinem innocentem ex Israel, & bene erit tibi.*

VII. Ne violetur justitia impii: juxta illud *Exod.* XXIII. 6. *Non pervertes judicium egeni tui, in lite ejus.*

VIII. Ne violetur justitia peregrini, viduæ, aut orfani: juxta illud *Deut.* XXIV. 17. *Non pervertes judicium peregrini, pupilli: neque capies in pignus vestimentum viduæ.*

IX. Ne audiatur una pars in absentia alterius: juxta illud *Exod.* XXIII. 1. *Non suscipies auditionem mendacii.*

X. Ne inclinetur post multos in causa animæ, cùm differentia erit tantum unius.

XI. Non condemnet judex ex opinione alterius, sed ex sua propria: juxta illud *Exod.* XXIII. 2. *Non eris post multos ad mala, & non respondebis super lite, ut declines post multos ad pervertendum.*

XII. Ne eligatur in judicem ille qui non est doctus in lege, etiamsi doctus sit in aliis rebus: juxta illud *Deut.* I. 17. *Non agnoscetis faciem in judicio.*

XIII. Ne quis testetur falsò: juxta illud *Exod.* XX. 14. *Non testificaberis in proximum tuum testimonium mendax.*

XIV. Ne justificetur peccator: juxta illud *Exod.* XXIII. 1. *Ne ponas manum tuam cum impio, ut fis testis mendax.*

XV. Ne consanguinei testentur: juxta illud *Deut.* XXIV. 16. *Non morientur patres pro filiis, & filii non morientur pro patribus, unusquisque pro peccato suo morietur.*

XVI. Ne quis condemnetur ob unum testem: juxta illud *Deut.* XIX. 15. *Non stabit testis unus in virum, in omni iniquitate, & in omni peccato, in omni peccato quod peccaverit. In ore duorum testium, vel in ore trium testum stabit verbum.*

XVII. Nemo ad mortem condemnetur ex conjecturis, indiciis, & opinione, sed tantum per testes claros: juxta illud *Exod.* XXIII. 7. *A verbo mendacii elongabis te, & innocentem & justum ne occidas, quia non justificabo impium.*

XVIII. Ne occidatur: juxta illud *Exod.* XX. 13. *Non occides.*

XIX. Ne occidatur facinorosus donec compareat in judicio: juxta illud *Numer.* XXXV. 13. *Et non morietur homicida donec steterit ante congregationem ad judicium.*

XX. Ne accipiatur præmium pro vita homicidæ.

XXI. Ne accipiatur etiam pro eo qui homicidium per errorem commiserit. *Ibid. vers.* 31. *Et non accipietis pretium pro anima homicidæ, qui est impius ut moriatur: sed moriendo morietur.*

XXII. Ne judicet in causa criminali, qui in eadem fuit testis. *Ibid. vers.* 30. *Et unus testis non testificabitur in animam ut moriatur.*

XXIII. Ne quem misereatur persecutoris: juxta illud *Deut.* XXV. 12. *Et manum ejus abscindes: non parcet oculus tuus.*

XXIV. Ne pænas det qui vim passus est: juxta illud *Deut.* XXII. 26. *Et puellæ* (vim passæ) *non facies quicquam.*

XXV. Ne quis sit præsens in sanguine proximi: juxta illud *Levit.* XIX. 16. *Non stabis super sanguinem proximi tui.*

XXVI. Ne relinquatur in domo offendiculum: juxta illud *Deut.* XXII. 8. *Si ædificaveris domum novam, & facies septum tecto tuo: & non pones sanguinem in domo tua, cum ceciderit cadens ex eo.*

XXVII. Ne ponatur offendiculum ante Israelitam: juxta illud *Levit.* XIX. 14. *Et coram cæco non dabis offendiculum.*

XXVIII. Nihil adjiciatur supra *Malcut*: juxta illud *Deut.* XXV. 3. *Quadragies percutit eum* (nempe judex facinorosum.) *Non addet, ne forte si addat cedendo super eum hæc verbera multa, & vilescat frater tuus in oculis tuis.*

XXIX. Ne quis calumnietur: juxta illud *Levit.* XIX. 16. *Non ibis detractor inter populos tuos.*

XXX. Ne servetur odium in corde adversus proximum. *Ibid. vers.* 17. *Ne odio habeas fratrem tuum in corde tuo.*

XXXI. Ne quis pudefaciat Israelitam. *Ibid. Corripiendo corripies proximum tuum, & ne feras super illo peccatum.*

XXXII. Ne quis ulciscatur proximum.

XXXIII. Ne servetur malevolentia (aut injuria.) *Ibid. vers.* 18. *Non ulciscêris te, & non servabis odium cum filiis populi tui.*

XXXIV. Ne accipiatur mater cum fœtu suo: juxta illud *Deut.* XXII. 6. *Cum occurrerit nidus avis coram te in via, in*

omni

*omni arbore, vel ſuper terram, pulli vel ova, & mater cubans ſuper pulles, vel ſuper ova, non capies matrem cum filiis.*

XXXV. Ne tondeatur capillus tineæ: juxta illud *Levit.* XIII. 33. *Et radetur,* (leproſus:) *ſed maculâ nigram non radet.*

XXXVI. Ne tollantur ſigna lepræ, juxta illud *Deuter.* XXIV. 8. *Cave tibi à plaga lepræ, ut cuſtodias valdè*, &c.

XXXVII. Ne colatur areola in qua fuerit decollata juvenca: juxta illud *Deut.* XXI. 4. *Et deſcendere facient ſeniores civitatis ipſius vitulam ad vallem aſperam, in qua non coletur, neque ſeretur: & auferent cervicem ibi vitulæ in valle.*

XXXVIII. Ne ſinatur vivere ſortilegus: juxta illud *Exod.* XXII. 18. *Maleficam non ſines vivere.*

XXXIX. Ne obligetur novus ſponſus in bellum proficiſci: juxta legem *Deut.* XXIV. 5. *Cùm acceperit vir uxorem novam, non egredietur ad bellum, neque tranſibit ſuper eum quicquam*, &c.

XL. Ne quis contumax ſit adverſus Senatum Hieroſolymitanum & ejus traditionem; juxta illud *Deuter.* XVII. 11. *Secundùm ſermonem legis quem docebunt te, & ſecundùm judicium quod dicent tibi, facies: non declinabis à verbo quod annunciabant tibi, ad dextram & ad ſiniſtram.*

XLI. Ut nihil addatur ad præcepta legis.

XLII. Ut nihil diminuatur ex eis: juxta illud *Deut.* IV. 2. *Non addetis ſuper verbum quod ego præcipio vobis, & non diminuetis ex eo, ad cuſtodiendum præcepta Domini Dei veſtri, quæ ego præcipio vobis.* Vide etiam *Deut.* XII. 32. *Non addes ſuper illud, neque diminues ex eo.*

XLIII. Ne maledicatur judici.

XLIV. Ne maledicatur Principi; juxta illud *Exod.* XXII. 28. *Judicibus non maledices, & principi in populo tuo non maledices.*

XLV. Ne cui homini in Iſrael maledicatur: juxta illud *Levit.* XIX. 14. *Non maledices ſurdo.*

XLVI. Ne maledicatur Patri aut Matri.

XLVII. Ne feriatur pater aut mater: juxta illud *Exodi* XXI. 17. *Et maledicens patri ſuo, & matri ſuæ, moriendo morietur.* Et *verſ.* 15. *Et qui percuſſerit patrem ſuum & matrem ſuam, moriendo morietur.*

## CAPUT IX,

### ſeu Domus nona præceptorum negativorum, quæ eſt Domus Feſtorum, & X præcepta continet.

I. NE fiat ullum opus in Sabbatho: Juxta illud *Exod.* XX, 10. *Non facies omne opus*, &c.

II. Ne exeatur extra terminos civitatis in Sabbatho: juxta illud *Exod.* XVI. 29. *Manete unuſquiſque in loco ſuo, ne egrediatur quiſquam è loco ſuo, in die ſeptimo.*

III. Ne exſecutioni mandetur pœna in Sabbatho: juxta illud *Exod.* XXXV. 3. *Non accendetis ignem in omnibus habitaculis veſtris in die Sabbathi.*

IV. Ut nullum opus fiat in prima die Paſchatis.

V. Ut nullum opus fiat in ſeptima die Paſchatis: juxta illud *Levit.* XXIII. 7. 8. *In die primo convocatio ſanctitatis erit vobis: omne opus ſervile non facietis*, &c. *In die ſeptimo convocatio erit ſanctitatis: omne opus ſervitutis non facietis.*

VI. Ut nullum opus fiat in feſto *Sebuhot*, (ſeptimanarum.) *Ibid. verſ.* 21. *Et celebrabitis hanc diem. Convocatio ſanctitatis erit vobis, omne opus ſervile non facietis.*

VII. Ut nullum opus fiat in primo die menſis ſeptimi, *Ros haſanà*: *Ibid. verſ.* 24. 25. *In menſe ſeptimo, in una menſis erit vobis requies, memoriale jubilationis, convocatio ſanctitatis. omne opus ſervile non facietis.*

VIII. Ut nullum opus fiat in die *Chipur*, (expiationis.) *Ibid. verſ.* 30. 31. *Et omnis anima quæ fecerit omne opus in iſto die*, (expiationum) *faciam perdere animam ipſam è medio populi ſui. Omne opus non facietis.*

IX. Ut nullum opus fiat in primo die feſti *Sucot*, (tabernaculorum.) *Ibid. verſ.* 34. 35. *In decima quinta die menſis hujus ſeptimi, ſolemnitas tabernaculorum erit ſeptem diebus Domino. In die primo erit convocatio ſanctitatis. Omne opus ſervile non facietis.*

X. Ut nullum opus fiat in octavo die Retentionis. *Ibid. verſ.* 37. *Retentio eſt: Omne opus ſervile non facietis.*

## CAPUT X,

### ſeu Domus decima præceptorum negativorum, quæ eſt domus caſtitatis & puritatis, & XXIV præcepta continet.

I. NE reveletur nuditas matris.

II. Uxoris Patris.

III. Sororis vel à parte patris vel à patre matris.

IV. Filiæ uxoris patris. *Levit.* XVIII. 7. 8. 9. 11.

V. Neptis, filiæ filii.

VI. Neptis, filiæ filiæ.

VII. Filiæ propriæ, *Levit.* XVIII. 10.

VIII. Mulieris cum ſua filia.

IX. Mulieris cum nepte ſua ex filio.

X. Mulieris cum nepte ſua ex filia. *Levit.* XVIII. 17.

XI. Sororis patris, ſeu amitæ.

XII. Sororis matris, ſeu materteræ. *Levit.* XVIII. 12. 13.

XIII. Uxoris patrui. *Levit.* XVIII. 19.

XIV. Nurus. *Levit.* XVIII. 15.

XV. Uxoris fratris. *Levit.* XVIII. 16.

XVI. Sororis uxoris vivente illa. *Levit.* XVIII. 14.

XVII. Ne cognoſcatur mulier conjugata: juxta illud *Exod.* XX. 13. *Non committes adulterium.*

XVIII. Ne cognoſcatur mulier *Niddà*, ſeu menſtruata: juxta illud *Levit.* XVIII. 19. *Et ad mulierem in menſtruo immunditiæ non accedas, ad revelandum turpitudinem ejus.*

XIX. Ne committatur peccatum nefandum: juxta illud *Levit.* XVIII. 22. *Cum maſculo non coibis, coitu muliebri: abominatio eſt.*

XX. Ne reveletur nuditas patris. *Levit.* XVIII. 7. *Nuditatem patris tui non revelabis.*

XXI. Ne reveletur nuditas fratris patris ſui. *Levit.* XVIII. 14.

XXII. Ne committatur inceſtus cum bruto.

XXIII. Ne ſubjiciat ſe mulier bruto: juxta illud *Levit.* XVIII. 23. *Et in omni animali non dabis concubitum tuum, ut polluas te cum eo. Et mulier non ſtabit ante animal ut coeat cum ea. Confuſio eſt.*

XXIV. Ne ſumatur delectatio cum ulla muliere prohibita: juxta illud *Levit.* XVIII. 6. *Nullus ad propinquam carnis ſuæ accedet ad revelandum nuditatem. Ego Dominus.*

## CAPUT XI,

### ſeu Domus undecima præceptorum negativorum, quæ eſt domus conjugiorum, & VIII præcepta continet.

I. NE ducat *Mamzer* (ſpurius) uxorem Iſraelitam: juxta illud *Deut.* XXIII. 2. *Non ingredietur ſpurius in concionem Domini. Etiam generatione decima non ingredietur in concionem Domini.*

II. Ne ducat eunuchus filiam Iſrael: juxta illud *Deut.* XXIII. 1. *Non ingredietur læſus attritione teſtium, & abſciſſione membri in concionem Domini.*

III. Ne quis mas eunuchus fiat: juxta illud *Levit.* XXII. 24. *Compreſſum, & contuſum, & evulſum, & exciſum non facietis appropinquare Domino, & in terra veſtra non facietis.*

IV. Ne ſit proſtituta in Iſrael: juxta illud *Deut.* XXIII. 17. *Non erit proſtituta è filiabus Iſrael.*

V. Ne qui divortium fecit cum uxore, iterum ducat eam, poſtquam nupta fuerit alteri: juxta illud *Deut.* XXIV. 4. *Non poterit maritus ejus prior, qui dimiſerat eam, iterum capere eam ut ſit ſibi in uxorem, poſtquam polluta eſt*, &c.

VI. Ne fratria nubat cum extraneo: juxta illud *Dent.* XXV. 5. *Cùm manſerint fratres pariter, & mortuus fuerit unus ex eis, & filius non fuerit ei, non erit uxor mortui foris viro extraneo.*

VII. Ne divortium faciat cum uxore qui eam diffamavit in adoleſcentia: juxta illud *Deut.* XXII. 19. *Et ei erit in uxorem, non poterit dimittere eam omnibus diebus ſuis.*

VIII. Ne qui vim intulit puellæ divortium faciat cum ea: juxta illud *Deut.* XXII. 29. *Et erit ei in uxorem, eo quòd humiliavit eam; non poterit dimittere eam omnibus diebus ſuis.*

## CAPUT XII,

### ſeu Domus duodecima præceptorum negativorum, quæ eſt Domus Regni, & IV præcepta continet.

I. NE elegatur Rex ex gente extranea: juxta illud *Deut.* XVII. 15. *Non poteris ponere ſuper te virum alienigenam, qui non ſit frater tuus.*

II. Ne Rex multos ſibi comparet equos: *Ibid. verſ.* 16. *Tantùm non multiplicabit ſibi equos, neque reducet populum in Ægyptum, ut multiplicet equos*, &c.

III. Ne multas ducat uxores.

IV. Ne magnam copiam argenti & auri ſibi accumulet: *Ibid. verſ.* 17. *Et non multiplicabit ſibi uxores, neque declinabit cor ejus; & argentum & aurum non multiplicabit ſibi valde.*

# LIBRI TERTII, SECTIO IV.

## De Messia.

### CAPUT I.

### De promissis Fœderis Mosaici.

HACTENUS egimus de præceptis Fœdere Mosaico comprehensis, prout illa à Rabbinorum Magistris concipi & tradi solent. Restat ut de promissis Fœdere isto contentis agamus.

*Promissa Fœderis Mosaici duplicia, de rebus & de persona Messiæ. Promissum de Messia.*

Promissa Fœdere Mosaico contenta duûm sunt generum: Aut enim sunt promissa de rebus, aut de persona Messiæ sive regis æterni, ex populo isto oriundi. Promissum enim de persona Messiæ etiam Fœdere hoc contineri credimus, contra quam alii sentiunt: quamquam pedem struere cum iis nolumus; quia parum ad rem facit, sive credamus promissum hoc Fœdere isto præcisè accepto contineri, sive credamus id factum isto tempore quo Fœdus hoc duravit, per prophetas Fœderis istius divini interpretes, & propioris divinæ voluntatis internuncios. Hoc enim posterius non diffitentur, nec diffiteri possunt ii, qui prius istud fateri non audent; non tam ratione certa adducti, uti quidem nos arbitramur, quàm hypothesi suæ tuendæ, qua Fœdus novum à Fœdere veteri distingui volunt. Huic distinctioni nobis refragari videntur duo loca ista, ex quibus partim ante ipsum Fœdus Mosaicum, partim sub isto Fœdere, promissum de Messia factum esse ex Novo Fœdere intelligimus. Horum primum est quod legitur *Genes.* XXI. 12. *In Isaac vocabitur tibi semen.* & *Genes.* XII. 7. & XIII. 15. & XXII. 18. Secundum quod *Deut.* XVIII. 15. & 18. exstat, *Prophetam è medio tui, è medio fratrum tuorum, ut ego sum, suscitabit tibi Deus.* Et, *Prophetam suscitabo illis de medio fratrum suorum sicut tu* (es) *& ponam verba mea in ore ejus, & loquetur eis omnia quæ præcepero illi*, &c. Hæc enim loca etsi aliter nunc intelliguntur & explicantur à Judæis horum temporum nonnullis, tamen certum est in hunc de Messia sensum olim semper à populo aut populi Magistris aceepta fuisse; si non primitus & secundum literam, saltem secundario, & secundum Cabalam sive Midrasch divinæ intentioni consentaneam; uti ex eo colligere est, quod alioquin Apostoli ea, ut ad Messiam pertinentia, allegare apud Judæos non tam fidenter ausi fuissent, saltem prudenter satis non allegassent, nisi hypothesi communi Judæorum nixa fuissent. Primum locum citat Apostolus ad *Rom.* IX. 7. cui adde locum *Act.* III. 25. & ad *Galat.* III. 16: *Abrahamo vero dictæ sunt promissiones & semini ejus. Non dicit, & seminibus, ut de multis, sed ut de uno, & semini tuo; qui* (vel quod) *est Christus.* Secundum locum citat Apostolus Petrus, *Act.* III. 22: *Moses etenim ad patres dixit, Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester, ex fratribus vestris, sicut me*, &c. Ex quibus locis liquere arbitramur, promissum de Messia etiam tale esse, ut Fœdere divino Mosaico comprehensum dici possit. quia promissio illa prima, ut ut ante Fœderis Mosaici promulgationem facta fuerit, subinde tamen sub ipso Fœdere etiam repetita legitur, utpote ad populum istum, tanquam Abrahami semen ex Isaaco oriundum, primo sensu sive secundum literam pertinens; etsi secundum Dei intentionem, propriè spectet ad illum Abrahami filium, qui populi istius caput & Rex æternus futurus erat; adscitis etiam in societatem ejus cæteris omnibus mundi populis, per fidem populo isti insertis, & sic unum quasi cum eo semen factis; uti supra à nobis demonstratum est. Ut ut sit, certum & indubium est Messiam populo isti promissum fuisse, per os omnium Prophetarum à seculo, uti passim legere est.

*Promissa de rebus duplicia. Specialia, de bonis terrenis.*

Promissa de rebus sive bonis ac benedictionibus, rursus duûm fuerunt generum, Alia generalia, Alia specialia. Specialia promissa Fœderis observatoribus facta, & Fœderi quasi sigilla appensa, ea omnia non continent nisi bona terrena, tum ad esse tum ad bene esse vitæ hujus præsentis pertinentia; quæ his duobus comprehendi possunt; 1. Fixa sede seu patria, templo ac Republica: eâque foris tutâ ab hostibus, intus redundante omnium bonorum copia, pace, quiete & victoriis illustribus. 2. Valetudine bona & firma, sive immunitate à morbis, plagis & doloribus, vitæ hujus dulcedinem aut imminuentibus, aut longiorem ejus cursum intercipientibus vel intercidentibus. Promissa hæc passim legere est, *Exod.* XXIII. 25. 26. *Levit.* XXVI. 3, &c. *Deuteron.* VII. 12. 13. *Deuter.* XXVIII. 2, &c.

*Generalia, sub quibus futuræ vitæ bona comprehensa fuerunt.*

Promissa generalia ea voco, quæ vel in genere seu generalibus terminis facta sunt, vel in genere quidem facta non sunt, attamen sic concepta ac facta sunt, ut non modo contineant id quod secundum literam continere videntur, sed plura insuper sub litera (tanquam sub cortice nucleos) latentia, & per ea quæ litera exprimit figurata, adumbrata, & rudi quasi Minerva delineata; atquæ ita generaliter bona omnia ac fælicitatem hujus & futuræ vitæ pertinentia, ex Dei intentione sub litera ista pro isto tempore occultata, & nunc clarè manifestata: verosimiliter etiam aut intellecta, aut apprehensa à prudentioribus sanctioribusque in populo isto: de quo tamen nolim contendere. Sperata enim & credita fuisse ab iis certum est, si non sub ratione typorum, saltem sub generalitate promissorum. Generalia promissa sunt: *Ego ero Deus tuus:* vel *ego sum Deus tuus*; *Ego ero merces tua multa valde: Ego benedicam vobis*, &c. Hisce enim promissis sic generatim conceptis atque enunciatis contineri posse quælibet bona, etiam ea quæ non nisi post mortem obveniunt, quis dubitet? Deum enim velle Deum alicujus esse, quid aliud est quam Deum velle divina benevolentia aliquem complecti? Divina autem benevolentia, sive quæ Deo digna est, quid est aliud quam benevolentia summa, & qua major ulteriorque dari non potest; proinde benevolentia duratione longissima, id est, æterna; effectu potentissima, proinde à morte atque interitu liberans? Certe his verbis utrumque istud non tantum contineri posse, sed etiam contentum fuisse, ex Apostolicis scriptis manifestum est. Æternam benevolentiam iis contineri indicat Scriptor ad *Hebr. cap.* XI. 16. *Atqui meliorem expetunt, hoc est cæleſtem* (patriam:) *quapropter Deum non pudet eorum*, id est, *cognominari Deus eorum. paraverat enim eis urbem.* & Apostolus Paulus II. *ad Corinth.* VI. *vers.* 16. 17. 18. addito primo versu *seq. cap.* VII. & Joannes *Apocal.* XXI. *vers.* 3. & 7. Benevolentiam etiam contineri in verbis istis effectu potentissimam: sive à morte liberantem, Servator noster ipse testatissimum fecit, quando ex verbis istis collegit contra Sadducæos, sub lege vel in ipsa Lege Mosis, (cæterorum enim Prophetarum aut Scriptorum divinorum autoritate premi se non patiebantur Sadducæi) etiam resurrectionem mortuorum promissam fuisse: quomodo, inquam? nisi quia generalia adeo sunt verba, ut secundum generalitatem suam accipi non possint, nisi comprehendant etiam tam nobile ac Deo dignum beneficium? Quod tamen sic accipiendum non videtur, quasi argumentatio ex vi verborum generalium prorsus esset demonstrativa & necessaria, eaque Christi esset argumentatio; sed hoc sensu, quod nulla ratio vetet credere, imo ratio recta jubeat pro certo habere, ubi generalia verba sunt, ibi intelligi posse omnia sub generali isto comprehensa, imprimis ea quæ Deo dignissima, & glorioſissimæ ejus bonitati convenientia sunt, meritisque optimorum & Deo gratissimorum hominum, imprimis quando vim aut effectum promissi generalis non experti sunt in hac vita, non incongrua. Hoc enim posito, Sadducæis os obstruere poterat Servator assertione ista sua, quod sub verbis istis generalibus Deus etiam resurrectionis beneficium comprehensum voluisset: quia videlicet de ista divina voluntate persuasissimus erat; & non nisi odiosissimè refragari poterant Sadducæi, quasi aut divinæ benevolentiæ excellentiam imminutum ire vellent, aut Abrahami, Isaaci & Jacobi Patriarcharum, quos in tanto pretio populus habebat, ut de iis optima ac præstantissima quæque affirmari ac credi posse non dubitaret, merita non satis digne pensitarent, supremamque adeo fælicitatem iis invidierent, aut à Deo iis attributum iri non crederent; cum multo post mortem eorum, se Deum eorum esse, id est, futurum esse aliquando, affirmasset. Esse enim eorum Deum post mortem Sadducæi non poterant credere, quia eos totos, quanti quanti erant, per mortem exstinctos credebant, id est, prorsus mortuos, ita ut nihil eorum reliquum esset aut superstes. Animas enim mortales esse, & cum corpore exstingui atque interire, credebant. Deum autem esse Deum mortuorum prorsus, sive penitus exstinctorum, per se absonum atque absurdum est. Quare *Ego esse* ita exponendum docet Servator, ut, pro futurum esse accipi ab ipsis debeat, quando videlicet illi ex mortuis in vitam resuscitati erunt, & quatenus sic resuscitandi, Deo sospitatori & liberatori suo vivunt: prout fuse alibi à nobis, in examine prolixiore loci hujus, in lectionibus nostris Academicis demonstratum est. Per Abrahamum autem, Isaacum & Jacobum,

non

non tantum Abrahami, Isaaci & Jacobi individua sive personas intelligi, sed omnes omnino fideles, ad exemplum eorum Deo indivulse adhærentes, eorumque fidem, obsequium & pietatem imitantes, id unum fidem facere potest, quod alioquin argumentatio Jesu Christi particularis tantum fuisset: ac proinde inefficax ad probandum generalem Thesin de resurrectione mortuorum; nisi forte velimus Sadducæos credidisse, resurrectionem mortuorum impossibilem prorsus esse, ac proinde evicto unum alterumque suscitatum iri, generalem etiam conclusionem admisuros fuisse, imo ultro ac libenter admisisse: quod non absimile videtur à vero; quia cum alioquin exceptionem illam facere potuissent, quod videlicet ex vi verborum istorum non inferri plus possit quam Abrahami, Isaaci & Jacobi personas tantum resurrecturas esse, eam tamen non fecerint, sed quasi vi evidentis argumenti convicti, dicantur obmutuisse.

*Promissa typica.* Promissa typica, quæ etiam inter generalia recensuimus, sic accipi volumus, *ut vel significent promissa*, quæ, typorum instar ac figurarum sive umbrarum, rude atque obscurum aliquod bonorum cœlestium lineamentum habuerunt, quæ temporibus Novi Testamenti perfectissime revelata & annunciata sunt quo sensu totum populum Judaicum, totam terram Canaam, omniaque bona populo Judaico in terra ista promissa, typum fuisse aut habuisse populi Christiani, terræ cælestis, sive cælestis Canaam, & spiritualium sive æternorum omnium bonorum in cælis futurorum, credi merito potest, ac tantum non debet; juxta id quod Scriptor ad Hebræos per totam Epistolam, & Paulus ad Romanos, ad Galatas & ad Colossenses non obscure indicant. Lex enim umbram habuit futurorum bonorum, non ipsam εἰκόνα sive expressam imaginem: quia bona Lege promissa, terrena sunt & temporalia, quæ respectu cælestium & æternorum, nil nisi umbra sunt & rudia lineamenta. Præcepta etiam de cibis populo data, item de festis, noviluniis & sabbathis, umbra sunt rerum futurarum, ad *Coloss.* II. 16. id est, umbratilem tantum ac corporalem religionem præscribentia, quæ nil nisi tenuis tantum veræ pietatis umbra & typus quasi est, præ solida, perfecta & rationali ista λατρείᾳ ac religione quæ præceptis Jesu Christi continetur; quæ propterea corpus vocatur, quia ad ejus præsentiam umbræ istæ evanescunt ac disparent, sive potius tanquam nihil videntur. unde etiam in ea religione (sic enim interpretandam puto vocem Christi versu hoc & *versu* 9 præcedente, uti ex phrasi præcedente, *non secundum Christum*, non obscure liquet; quia Christus ibi, pro Christiana religione acceptus, eleganter opponitur philosophiæ, humanis traditionibus & elementis mundi, id est Mosaicæ Religioni, quæ respectu religionis Christianæ, alphabetaria Religio fuit, pueris in officio continendis, & recens ad colendum Deum vocatis instruendis accommodata; unde & Lex pædagogus dicitur fuisse in Christum, ad *Gal.* III. 24. qui religione Christiana masscula introducta finem habuerit, uti *vers.* 25. subjicitur.) *plenitudo Deitatis*, id est perfectissima ac plenissima divinæ voluntatis revelatio (dilata usque dum venisset tempus plenitudinis, *Gal.* IV. 4. & tempus διορθώσεως, *Hebr.* IX. 10, oppositum tempori Legis Mosaicæ, quod in cibis dumtaxat & potionibus, in diversis ablutionibus ac ritibus carnalibus observandis impendebatur, &c.) *habitare* dicitur *corporaliter*, id est, non umbratiliter aut leviter facta esse, sed solide ac plene. Corpus enim habitare recte dicitur, non umbra, quæ adeo tenuis est ut locum non impleat, adeo fugax ac volatilis ut repente ac quasi momento dispareat atque evanescat. *Vel ut significent promissa*, quæ non aliter quam typi & umbræ fuerunt, servieruntque sub Vetere Testamento iis, qui divinæ Legi per Mosen latæ obtemperantes, ea tamen non obtinebant à Deo, sed contraria mala experiebantur, aut saltem pluribus malis affligebantur quam bonis fruebantur. Sub istorum promissorum bonorum cortice, majora bona istis talibus veluti per transennam ostendere Deus voluit: & cultores ipsi, majora ista bona sub isto cortice latere, atque à Deo abscondita esse, sibi persuaserunt, argumento isto certo moti, si aliter esset, Deum ista ipsa cultoribus suis fidissimis daturum esse: at quia ea non donaret, certissimo inde colligi, Deum ista promittere voluisse, ut summa ac perfectissima illa bona, quæ cultoribus suis destinavit, & majora sunt quam ut capi possint aut exprimi, istorum carnalium ac sensibilium bonorum promissione adumbraret & veluti delinearet. Atque hoc sensu vix dubium mihi est, quin fideles & sancti in populo Dei sub Veteri Testamento promissa divina acceperint, quando vel sub cruce erant, aut adversitatibus premebantur, aut saltem bona externa promissa Lege non consequebantur: de quibus agitur *cap.* XI. *ad Hebr.* vel quamquam nec sub cruce erant, nec malis vexabantur, imo quando iis omnia ex voto fluebant, & bonis omnibus Lege promissis tantum non redundabant, attamen ea aut parum admodum curabant, utpote nec Deo pietatis virtutisque auctore satis digna, nec sibi, tanti Dei cultoribus, & virtutum magis quam voluptatum studiosis, satis grata præmia; aut tanti saltem non faciebant, ut crederent ea esse bona, in quorum possessione aut fruitione pars aliqua veræ fælicitatis collocanda sit; cum tota fælicitas præsentis hujus vitæ posita sit in modica & naturæ consentanea fruitione, quæ cuivis etiam vilissimo homini obvia ac parabilis est. Quod enim superest, id onus est naturæ, & majora fere possidenti pericula, fruenti fastidia, fruitioni incommoda adfert, quam vel gaudia vel solatia. Nempe natura paucis est contenta. Divitiæ aut pericula sunt possidentium aut onus. Honor res tumida, vana, ventosa est, & nullum habet terminum; tam solicita ne quem ante se videat, quam ne alium post se. Confragosa in fastigium dignitatis via est. Multis serviat necesse est, qui carni suæ servit, qui pro illa nimium timet, & ad illam omnia refert. Et hujusmodi nonnullos in populo fuisse, etsi perpaucos, imprimis heroico animo virtutem affectantes, & divini cultus studio flagrantes, quis dubitet? cum videamus inter gentiles ipsos non defuisse, qui bona ista fortunæ, quæ vocabant, non modo in vere bonis non habenda esse censuerunt, sed ea, ut melioris mentis remoras, virtutumque & sanctiorum meditationum compedes aut impedimenta; procul à se esse voluerunt, virtutemque non nisi propter ipsam virtutem amandam esse tum docuerunt, tum severioris austerioriisque vitæ sectatione ac professione palam demonstrarunt, etiam in summa alioquin rerum omnium affluentia & copia, pane & aqua vitam tolerantes, & cupedias ac delitias omnes obvias sibi fugientes ac detestantes.

*An vita æterna promissio in veteri fœdere comprehensa fuerit.* Ex his facile colligere est, quid statuendum sit de quæstione illa famosa, An vitæ æternæ promissio etiam in Veteri Fœdere locum habuerit, vel potius in Fœdere ipso comprehensa fuerit. Si enim speciales promissiones in Fœdere ipso veteri expressæ videantur, fatendum est, nullam vitæ æternæ promissionem distertam in illis reperiri. Si quis contra sentiat, ejus est locum dare ubi illa exstat: quod puto impossibile esse. Sed vero, si promissiones Dei generales videantur, fatendum ex altera parte est, eas tales esse, ut promissio vitæ æternæ iis non subesse tantum videatur, sed ex Dei intentione eam eis subfuisse etiam credi debeat; uti ex antedictis patet. Quia vero generalia omnia obscuriora sunt, imprimis quando ea permixta sunt innumeris pene specialibus promissis, per quæ generalia ista ad certam quandam speciem bonorum restringi, videntur, verisimile est, à paucis admodum in carnali isto populo, istorum imprimis specialium bonorum amore flagrante, generalia ista promissa aliter quàm ut cumulum bonorum specialium continentia, intellecta, nec ultra vitæ hujus spatium extensa fuisse: etsi fieri potuisse ac factum aliquando negari non debeat, eos etiam speravisse post mortem eadem aut similia sibi aliquando obventura esse; ne eos suum instar mortuos esse dicere cogamur, omnesque eos Sadducæos facere necesse habeamus. Quod ad meliores prudentioresque in populo isto attinet, verosimile est, eos seu generalium promissionum vi, seu temporalium bonorum levi æstimatione, seu divinæ bonitatis intuitu, seu animæ suæ, nobilioris quam caduci boni appetentis, consideratione, seu Enochi & Eliæ exemplis, seu rationibus aliis adductos, credidisse Deum præter specialia ista bona, ad hanc vitam pertinentia, & Legibus Mosaicis comprehensa, etiam alia post mortem cultoribus suis fidis largiri velle: etiamsi ejus fidei mentio, vix ac ne vix quidem ulla ante Machabæorum, & deinde consecuta tempora, reperiatur. Vix enim credibile est eos viventes non cogitasse de futuro, & morientes aut nulla aut non nisi imaginaria spe melioris fæliciratis sustentatos fuisse; imprimis quando ii, aut bona vitæ hujus parvi adeoque nihili faciebant, aut adversis Dei caussa prelli, cum ærumnosa ac misera vita perpetim conflictabantur. Hisce enim talibus non dubito, quin vel generalis divina promissio calcar subdiderit, ad credendum & fortiter sperandum melioris vitæ fælicitatem, vel Deus ipse caussam credendi firmam dederit, aut etiam fiduciam animis eorum indiderit, vel ante inditam conceptamve roboraverit auxeritque.

Hæc si ita statuamus, mediam viam ingrediemur inter eos qui apertam claramque, & eos qui nullam prorsus melioris vitæ promissionem sub Lege aut Fœdere Mosaico locum habuisse contendunt, paribus fere utrimque tum animis tum rationibus. Illi quidem, ne fideles sanctosque in populo Dei, suum instar tum vixisse tum devixisse sive mortuos esse credatur. Hi vero, ne Religio Jesu Christi aut par aut inferior statuatur Religione Mosaica, si Mosaica Religio sancita dicatur fuisse promissis utriusque generis, tam cælestibus quàm terrestribus, Religio verò Christi non nisi cælestis præmii promissionem habuisse credatur: Tum ne Christo

ipsi

ipsi injuria insignis fiat, qui *vitam* dicitur *in lucem produxisse & immortalitatem, per Euangelium: 2 ad Timoth.* I. 9. Inter hos media hæc via tutissima est nostro judicio.

I. Deum in Veteri Fœdere, inter promissa specialia, non nisi hujus vitæ commoda terrenamque fælicitatem dumtaxat continentia, etiam generalia voluisse exstare, ut sic quasi per transennam ostenderet, & veluti eminus ac de longe prospiciendam daret, Fœderis sui observatoribus, benevolentiæ ulterioris & plenioris suæ speciem, quàm ejus quæ specialibus Legis promissis expressa erat, & spatiis tantum hujus vitæ terminatur.

II. Deum partim ex vi generalis istiusmodi promissionis, partim ex justitiæ atque æquitatis dictamine, voluisse atque intendisse cultoribus suis fidis etiam præmium æternæ vitæ donare, quando ii aut non consequebantur bona specialia Fœdere Mosaico promissa, aut bona ista tanti non putabant, ut de iis vel consequendis admodum laborarent, vel consecutis magnopere gauderent, Deum Deique cultum digniorem esse arbitrantes, quàm ut bonorum tam vilium spe redimatur aut exerceatur.

III. Fideles & sanctos ex vi generalium istarum promissionum, aliisque multis indiciis divinæ benevolentiæ erga fideles & sanctos, habuisse caussam credendi firmiter, majora beneficia à Deo manere fideles & sanctos, quàm ea quæ promissis specialibus Legis Mosaicæ continentur.

Hæc tria nisi dicantur de promissis Religionis Mosaicæ, fieri vix potest, quin in absurda atrocia incidatur. Neque tamen propterea Religionis Christianæ excellentiæ quicquam detrahitur aut decedit; nedum ut illi gravis injuria fiat. Nam generalis ista promissio, quæ obscura fine dubio & à plerisque non intellecta fuit, clare atque perspicue revelata, & in exertam vitæ æternæ promissionem quasi commutata est, in Religione Jesu Christi; adeo quidem ut vitæ æternæ promissio, in ea specialis promissio facta sit, & tam crebro occurrat, quàm vitæ hujus terrenæ & fælicitatis temporariæ promissio occurrit in Veteri Fœdere. Generalis vero Dei promissio, quæ in Veteri Fœdere continebat promissionem meliorum bonorum quàm quæ hujus vitæ sunt, ea nunc in Novo Fœdere sive Religione Christiana generalis sit, quia continet obscure promissionem bonorum ad vitam hanc pertinentium. Hæc itaque in Novo Testamento tam est obscura, quàm erat promissio futuræ vitæ in Fœdere Veteri; adeo ut commutatio illa, Religioni Christianæ ingens decus & non exiguam ἰσχὺν adferat supra Religionem Mosaicam, non tamen talem ut Religio Mosaica propterea censeri debeat Religio Deo indigna, sanctis probrosa, &, uti quidam loqui amant, Religio puerorum & porcorum.

## CAPUT II.

## Qualia sint promissa de Messia. Probatur Rabbinorum testimoniis tempus adventui ejus destinatum jamdudum elapsum esse, & id circa Jesu Messiæ nostri tempora incidere debuisse.

*Qualia sint promissa de Messia.*

PRomissa de Messia, partim sunt generalibus verbis concepta, partim specialibus, nempe primò in genere eum venturum, deinde venturum certo præfinitoque tempore, ex certa tribu, domo ac familia oriturum, in certo destinatoque loco nasciturum, & ea docturum, facturum, passurumque, eaque ei eventura post passiones & mortem, ex quibus quod is sit verus designatusque à Deo Messias sive æternus Rex dignosci possit.

De singulis his multum agere non est necesse, quia pleraque ea in confesso olim fuerunt apud Judæos, hodieque apud non paucos, si non omnes, tanquam confessa atque indubia admittuntur; etiamsi nonnulli eorum, pro sua seu versutia seu malevolentia in Jesum Dominum nostrum, cujus nomen semper benedictum sit in Ecclesiis ejus, destertis vestigiis majorum suorum, quos alioquin tanto in pretio habent, ut religio ipsis sit vel latum unguem ab eorum placitis discedere, ea in dubium vocare sustineant, & quæ iis firmandis serviunt loca ac testimonia, licet per se manifesta, & tantum non pari voce ac sententia à priscis Rabbinis in istam sententiam accepta allegataque passim, mirum in modum detorquere, & quæsitis elaboratisque interpretationibus obfuscare & luxare non dubitent. Enimvero magnopere curandum non est, quid hodierni Rabbini de istis aliisque ad Messiam pertinentibus testimoniis comminiscantur & scribant, cum certum sit eos odio Religionis Domini nostri Jesu ea comminisci ac scribere, quæ palam est directè contra-venire vetustissimis eorum Scriptoribus, & interpretationibus istis omnibus quæ temporibus Christi & Apostolorum ejus obtinebant in populo Israelis, & quibus ii tanquam axiomatis, & hypothesibus omni exceptione majoribus, usi sunt in allegationibus & disputationibus suis, cum tanta fiducia ac παῤῥησίᾳ ut exceptionem aut contradictionem ullam non metuerent, & μυρίωδες Judæorum vi earum pressas, ad fidem Jesu & amorem Religionis ejus ducerent traherentque. Enimvero eccui verisimile fiet, aut Apostolos ausuros fuisse istis interpretationibus pugnare ac niti, in disputationibus suis contra Judæos, aut Judæos istis assensuros fuisse, nisi in populo passim receptæ fuissent? nedum si istæ, quas nunc Judæi horum temporum locis singulis affingunt interpretationes, pro veris certisque interpretationibus habitæ fuissent?

Quare his missis duo tantum consideranda veniunt, ut aditum nobis faciamus ad Revelationem tertiam. I. An promissus populo Israelis Messias venerit. II. An Jesus Nazarenus quem nos dicimus Messiam sive Christum esse, sit verus ac promissus ille Messias sive Christus. *Duo hic tractanda.*

Quod ad primum attinet; Certum est ex Judæorum plerorumque (paucos enim neotericos & ineptientes insuper habemus, & nauci non facimus) propria confessione, tempus adventui Messiæ destinatum jam multis retro sæculis elapsum esse. Quod ad secundum attinet; Certum est etiam ex veterum Rabbinorum confessione, tempus istud quo ad adventui Messiæ per prophetas præfinitum fuit, in vel circa ista ipsa tempora incidere debuisse, in quæ adventus Jesu Messiæ nostri incidit. Utrumque hoc multis testimoniis firmatur à variis, quæ ex Thargum & ex Thalmude citant. Nobis duo sufficiunt. Prius patet ex dicto illo celebrato & decantato Eliæ, non Thisbitæ illius, sed Rabbini cujusdam ei cognominis, & ab eo descendentis, qui in summo apud omnes Judæos honore ac pretio olim semper fuit hodieque adhuc est. Id exstat in Thalmude, libro Sanhedrim, cap. XI חלק fol. 97. *Duo millia inane, duo millia Lex, duo millia Messias, & uno destructur* (mundus scilicet) וחד חריב. Atqui jam, juxta calculum & computum Hebræorum, elapsa sunt à mundi creatione quinque annorum millia, trecenti & nonaginta quinque anni. Quatuordecim ergo tantum non, aut præterpropter, sæcula jam effluxerunt adventui simul ac durationi Messiæ destinata. Posterius ex dicto Magistri Hebræi Nehumiæ liquet, qui annis quinquaginta præcessit Jesum nostrum, quod eo ipso tempore aperte protulisse & tanquam indubium retulisse dicitur, Non posse ultra eos quinquaginta annos protrahi tempus Messiæ à Daniele significatum. De quo vide H. Grotium, de veritate Relig. Christ. lib. 5. Quibus addi potest, quòd circa ista ipsa tempora, quibus vixit Jesus noster, aut saltem non multò pòst, fama passim & in vulgo percrebuerat, de rege quodam Judæorum, qui universo orbi dominaturus esset. Quæ profecto opinio aliunde quam à Judæis, tempus adventus Messiæ destinatum computantibus, & spe ac fiducia nobilissimi regni sese erigentibus, profecta videri nequit; fatentibus id ipsum tum profanis tum Judæis Historicis. Nempe usque adeo invaluerat ista opinio ac fama, ut non modo Judæos, sed universum orbem; & in eo summos, medioxumos, imosque teneret suspensos arrectosque. Sic enim Suetonius lib. VIII. cap. 4. Percrebuerat Oriente toto vetus & NB. *constans opinio*, esse in fatis ut eo tempore Judæa profecti rerum potirentur. Id de Imperatore Romano prædictum, quantum ex eventu postea patuit, Judæi ad se trahentes, rebellarunt, cæsoque præposito, Legatum insuper Syriæ consularem suppetias ferentem, rapta aquila fugaverunt. In eandem sententiam Tacitus lib. V. Historiarum, cùm de ostentis excidium urbis Hierosolymitanæ præcedentibus agit, inter cætera refert: Expassas fuisse repente delubri fores, & auditam majorem humana vocem, *Excedere Deos*, simulque ingentem motum excedentium. Addit statim: Quæ pauci in metum trahebant: pluribus persuasio inerat, antiquis Sacerdotum literis contineri eo ipso tempore fore ut valesceret Oriens, profectique Judæa (eadem sunt Suetonii verba) rerum potirentur: quæ ambages Vespasianum ac Titum prædixerant. Sed (addit) vulgus, more humanæ cupidinis, sibi tantam fatorum magnitudinem interpretati, ne adversis quidem ad vera mutabantur. Ex istis constat famam de Rege mundi totius jam tum pervulgatam fuisse, eamque subnixam antiquis Sacerdotum, scilicet Iudaicorum, literis, ut Tacitus ait, & fatali aliquo decreto, ut Suetonius loquitur. Quod clarius explicat Iosephus, lib. VII de bello Iudaico, cap. XII. cum dicit: Quod maxime eos ad bellum excitaverat, responsum (χρησμὸς) erat ambiguum, itidem in S. literis inventum, quod eo tempore quidam esset ex eorum finibus orbis terræ imperium habiturus. Id quidem illi quasi proprium acceperunt, multique sapientes interpretatione decepti sunt. Hoc autem *Probatur Rabbinorum testimoniis tempus adventui Messiæ destinatum jamdudum elapsum esse, & id circa Jesu Messiæ nostri tempora incidere debuisse.*

autem plane responso Vespasiani designabatur imperium, qui apud Judæam creatus est Imperator. Responsi mentionem facit quod in S. literis exstaret, & responsi quod Judæi, & inter Judæos multi Sapientes ad se & populum totum pertinere credebant, tanquam proprium suæ genti. Quod ambiguum illud vocet Josephus, id propterea factum videri debet, non quia revera ambiguum erat, aut quia in populo de eo ambigebatur; sed quia cùm id interpretarentur pro ingenio, spe, ac voto suo, de regno terreno, eique eventus non responderet, ambiguum illud potius quidam quam falsum dicere maluerunt: ita ut cum favere illis videretur, in contrariam partem tanquam exitiosum sibi traherent atque interpretarentur, adeoque in capitalissimum gentis suæ hostem, & Reipubl. simul ac Religionis suæ eversorem competere adsererent, fanatico dicam stupore excæcati, an tempori & scenæ servientes, & Principi demerendo. quamquam præter Iosephum, alium nullum inter Judæos fuisse legere est, qui oraculum istud in Vespasianum respexisse adserat. De Apollonio Thyanæo, quem Vespasiano familiarissimum & amicitia conjunctissimum fuisse constat, refertur apud Philostratum, quod oracula pene omnia de Messia, sive Rege promisso Judaico populo, in Vespasianum competere, persuadere omnibus fuerit conatus, ac tantum non persuaserit. Sed impostorem hunc fuisse, & vanum sycophantam, multa arguunt, interque varia hoc ipsum, quod Vespasiano illa omnia aptare voluerit, quo nihil insulsius fieri potest. Sed nec hic Judæus fuit. De Josepho magis mirandum est. Sed eum à Romanis bene habitum, gratiaque & honore apud Imperatorem pollentem, admodum verisimile est aut gratificari Imperatori voluisse, aut assentantium adulantiumque Imperatori turba, ipsiusque Imperatoris in spem maximi imperii, tanquam fato sibi destinati, animum indies erigentis, vocesque adulantium avide captantis, opinione simul ac voto abreptum, in istam tandem etiam sententiam declinasse. Accessit forte id, quod ostenta ac portenta varia spem atque opinionem istam Imperatoris valde firmarent. Non pauca refert Suetonius in vita T. Fl. Vespasiani, cap. v. & inter alia etiam hoc: Apud Judæam Carmeli Dei ocaculum consulentem (Imperatorem scil.) ita confirmavere sortes, ut quicquid cogitaret volveretque animo, quantumlibet magnum, id esse proventurum pollicerentur. Certe Josephum istis aliisque forte rebus abreptum ita fuisse patet, ut, quod ibidem refert Suetonius, cum conjiceretur à Vespasiano in vincula, constantissime adseveraret, fore ut ab eodem brevi solveretur, verum jam imperatore. Et quia de Rege ac Messia prædictum erat, fore ut multa & admiranda atque inusitata opera faceret, eo usque processit adulatio, ut eidem miraculosa quædam opera tribuerentur, quæ apud Tacitum legere est, lib. IV Historiarum. quamquam ea ipsa talia fuisse narrat Tacitus, ut Medici de iis varie dissererent, & quæ iis curarentur ægritudines, humana ope superabiles essent. Verumtamen quam vana ista fuerit Josephi aliorumque, de oraculo vel oraculis Dei opinio, tanquam si ea ad Vespasianum pertinerent, multa nimis clarè arguunt, & vel hoc unum imprimis, quod imperium ejus non ultra decennium potuerit propagari, cum promissi Regis imperium æternum esse debeat. Sed & ipse Vespasianus tandem longe rectius sensisse videtur de oraculis sive vaticiniis propheticis, quod videlicet ea ad se non possent pertinere, sed ad aliquem ex Judaico populo, atque nominatim ex familia Davidis oriundum referenda essent: quia exactè postmodum dicitur pervestigasse universam stirpem & familiam Davidicam, omnesque quos ad eam pertinere resciscebat occidisse; ut Eusebius narrat lib. III. cap. II. ὡς μὴ περιληφθείη τις τῶν ἀπὸ Ἰουδαίοις τῶν ἀπὸ τῆς βασιλικῆς φυλῆς. Quicquid sit, certum est id quod probare volui, circa ista tempora creditum fuisse, Regem populo promissum venturum, ac vaticinia & oracula omnia de rege isto, ad ista tempora pertinere, adeo quidem ut qui inter omnes oraculorum interpretatione præcellere volebant videri, vaticinia ista detorquere ad profanum Regem principemque idololatram maluerint, & ea in eo impleta agnoscere, quam in dubium vocare, uti nunc Judæi, an ad illa tempora pertinerent, uti ex Josepho ipso manifestum est. ut jam non dicam, fuisse istis ipsis temporibus non paucos qui Herodem, alios qui Judam Gaulonitem, alios qui alios pro Messia haberent; nempe persuasionis plenos, quod oracula omnia istis temporibus responderent.

Esto, inquiet aliquis: Pone Judæos esse qui istis documentis non moventur, & experientia tot seculorum inducti, non posse vaticinia prophetarum de Messia istis temporibus aptari, sed ea longe aliter interpretanda esse in animum suum volunt inducere; sive quod traditionibus omnibus παραπαιδύπις fidem habendam esse negent, solisque Scripturis insistendum esse urgeant, quales esse indubium est eos, qui Carraim sive Lectionarii & textuales vocantur; sive quod traditiones illas, quæ in Thargum & Thalmud hîc illic occurrunt, velint esse non traditiones communi Rabbinorum calculo & suffragio receptas stabilitasque, sed peculiaria & propria tantum quædam hujus aut illius Rabbini placita, à quibus sine periculo dissentire possint ac discedere, aut quibus aliorum quorundam Rabbinorum placita contraria, pari jure possint opponere; qua ratione contra tales procedendum est, ut evincatur tempus adventui Messiæ destinatum jamdudum efluxisse? Fateor contra hos alia ratione procedendum esse, & id fiet à nobis paulo post; quamquam certum est, paucos admodum esse ex Carræorum genere, eosque ab iis qui nunc passim in toto orbe reperiuntur Judæi, tanquam hæreticos pessimos, quibus suum H. V. S. longè absit pax, semper impingunt, damnari & rejici. Qui vero traditiones orales in pretio habent, eos non facile recedere, imo recedere piaculum pene esse credere, à celebratorum veterum in Thalmude Rabbinorum placitis, imprimis quæ magno semper consensu approbata fuisse constat, quale est Eliæ placitum de duratione mundi per sex annorum millia, & quæ passim in Thalmude occurrunt de tempore adventui Messiæ præfinito prædictoque. quod vel ex eo apparet, quod plerique hactenus Judæi argumentis istorum pressi, aperte atque ingenue confessi sint, hodieque adhuc confiteri non dubitent, tempus adventui Messiæ præfinitum efluxisse quidem jampridem, sed adventum tamen Messiæ dilatum esse atque etiamnum differri; aut, uti nonnulli ineptiores, non dilatum fuisse adventum, sed Messiam sive regem promissum præstituto tempore natum ac datum, occultatum hactenus esse, & ante fores Pontificis Romani causam agere, imo, ut alii, mendici instar ante portam urbis stirpem petere, aliaque quæ recutitæ gentis commenta, atque ægræ mentis somnia sunt. De quibus vide in Thalmude codicem Sanhedrim in fine sect. 33. juxta Cochium. Communis itaque sententia eorum est, tempus adventui Messiæ destinatum jamdudum elapsum esse atque efluxisse. Addo etiam, istud tempus quo Messias noster vixit, esse istud ipsum tempus quod adventui Messiæ destinatum fuit; non jam dico præcisè, sed præterpropter, quatenus tempus Jesu nostri complectitur totum illud tempus 40 annorum, quod urbis & templi destructio, totiusque Reipub. Judaicæ eversio, & populi universi miserrima ἀλωσις subsecuta est aut immediatè excepit, juxta propheiam Danielis.

## CAPUT III.

### Causæ cur Judæi adhuc hodie Messiam expectent, & eum quem nos agnoscimus non recipiant.

HOc posito quæritur, quid causæ sit, cur Judæi hodieque expectent adhuc Messiam, & eum quem nos agnoscimus, non recipiant? Causæ variæ adsignari possunt, ex parte Judæorum; ex parte Christianorum; ex parte Dei.

Causæ ex parte Judæorum.

Ex parte Judæorum, 1. profunda ac supina sensuum Sacrorum ignorantia: quippe quos omnes κυρίως interpretandos esse existimant. Hanc ignorantiam gignit in ipsis, litera ipsa textus & phrasiologia non satis sedulo expensa, & superficie tenus introspecta. Eandem alit insitus genti Judaicæ vehemens terrenarum rerum amor & spes imperii maximi. Confirmat Rabbinorum, quos in pretio habent, consentiens interpretatio. 2. Affectus: Amor scilicet atque odium; quo utroque adeo fascinantur, ut lippientium instar Solem aut lucem veritatis non ferant aut admittant. Et Amor quidem tum sui ipsius, quo se solos verum Dei populum esse sibi persuadent, quem Deus non patietur unquam tanto errore teneri, ut quæ ad Messiam suum pertinent non intelligat rectius, aut non pervideat acutius, quam aliæ profanæ gentes: Tum majorum suorum ac primogenitorum, quos ut tam ingentium errorum, & tam immanis criminis, quod Messiam suum crucifixerint, reos agant à se impetrare non possunt. Odium ex amore isto fluit, quo feruntur in Christum nostrum, & in Christianos discipulos ejus ac sectatores. In Christum; quia à populo suo damnatus est solemni judicio, & cruci suffixus ut seductor, impostor & perduellis. In Christianos; quod eum iniquissimè damnatum & injuria crucifixum à majoribus suis contendant. Unde fit, ut se Christianos fieri non posse intelligant, nisi majores suos damnent, & tam atrocis injuriæ sceleriscque manifestos aversentur ac detestentur: quod usque adeo grave ac difficile esse credunt, ut culpam totam malint transcribere in unum Jesum, quàm in tot sibi caros dilectosque majores ac progenitores; imprimis quia eos Spiritu divino adflatos semper fuisse

fuiſſe non dubitant, quando de re aliqua controverſa in Senatu magno ſententiam ferebant.

*Cauſæ ex parte chriſtianorum.*

Ex parte Chriſtianorum non una cauſſa eſt. Prima ac princeps eſt, inſcitia eorum in explicatione ſenſuum Veteris Teſtamenti, quam ſæpe hypotheſi ſuæ potius aptant, quàm ſcopo & menti Spiritus S. rati ſufficere ſi ea tantum repugnet explicationi hoſtium Jeſu Chriſti Domini ſui. Unde fit ut crebro parum accurate refutent argumenta Judæorum, & non ſolide ſatis ſua adſerant ac defendant. Omne telum ipſis ſufficit, ſi modo in Judæos jaciatur, & quicquid comminiſcuntur, id pro clypeo contra Judæorum tela eſt. unde Judæos in errore ſuo non modo perſtare, ſed & confirmari, neceſſe eſt. Secunda eſt: Ingens & pertinax, quam inter Chriſtianos vident, de rebus maximis diſſenſio, eaque conjuncta cum graviſſimorum errorum colluvie, cum animorum voluntatumque divortio, cum ſchiſmate quod unum ex altero naſcitur, cum mutua cæde ac laniena; partim per hæreticidia, quæ vocantur, partim per inteſtinas ſeditiones, partim per bella funeſtiſſima & non neceſſaria. quæ omnia, quia credunt repugnare directè iſti ſtatui, qui ſub Meſſia futurus promittitur, facile in iſto ſuo errore confirmantur, quòd Jeſus noſter non ſit promiſſus ille Meſſias. Tertia cauſſa eſt, ſcandalum quod ipſis præbetur non unum à Chriſtianis: inter quæ principem facile locum tenet nefaria ac nefaſta ipſis idololatria, quam vigere vident inter iſtos Chriſtianos, qui ſe ſolos eſſe Eccleſiam Chriſti jactant: (Ex Papiſmo enim totum Chriſtianiſmum æſtimant:) in imaginum erectione in templis, in triviis & compitis; in cultu earundem, in reliquiarum adoratione; imprimis in cruſtuli tritici, quòd in Deum ipſum commutatum creditur vi verborum conſecrationis, veluti magica aliqua arte, non adoratione tantum ſed & religioſa invocatione. Nihil autem eſt à quo magis abhorrent, aut quod magis directe divinæ Legi per Moſen latæ adverſari credunt, quam imaginum cultum, & rerum inanimatarum invocationem: quæ quia per Meſſiam idololatriæ omnis hoſtem ac vindicem tollenda eſſe promiſſum dicitur in Veteri Teſtamento, hinc Jeſum, cujus populus ſe auctore Jeſu iſtum cultum exercere aſſerit, Meſſiam eſſe, non poſſunt in animum ſuum inducere. His adjungantur ſcandala alia multa, quæ in Papatu fere vigent. 1. Blaſphemiæ divini nominis. 2. Crucis & crucifixi Chriſti ſuperſtitioſa compellatio, oſculatio, coram ea geniculatio, &c. 3. Matris Chriſti aſſidua adoratio. 4. Decalogi mutilatio & mutatio in ſecundo & quarto præcepto. 5. Librorum Sacrorum lectionis interdictio. 6. Latinæ tranſlationis prælatio ſupra Hebræum archetypum, aliaque ſimilia. Quarta cauſſa eſt, Chriſtianorum qua in Judæos utuntur inclementia & inhumanitas; quæ tanta eſt ut eos cane pejus & angue oderint, quidvis in eos licere ſibi credant, fænore qua poſſunt eos exhauriant, convitiis proſcindant, ludibriis vexent, ſegreges à reliqua hominum turba vivere, & non niſi notatos in publicum prodire ac per plateas incedere jubeant; & criminum forte quorundam reos, enormibus ſuppliciis excarnificatos mactant, diriſque omnibus devotos atque obrutos è medio tollant. His privatæ aliæ cauſſæ accedunt quæ eos in errore vehementer detinent: inter quas præcipuæ ſunt hæ tres: 1. quod non permittantur liberè dicere ſententiam ſuam de Meſſia. 2. quod libri eorum aut caſtrentur, aut prohibeantur, aut ſupprimantur. 3. quod non liceat illis fieri Chriſtianos niſi ſpondeant ac promittant ſe reſtituturos omnia quæ per fænus & uſuram inique ſibi compararunt bona, id eſt niſi pauperrimi fiant ac tantum non mendici. Judæorum enim opes ex fænore & uſura maximam partem conflatæ ſunt.

*Cauſæ ex parte Dei.*

Ex parte Dei, obduratio eorum, qua fit ut error eorum veluti trabali clavo fixus hæreat. Obduratio tamen hæc non ſic eſt accipienda, quaſi Deus vi aliqua errorem iis inſerat, aut inſertum figat ac ſtabiliat. Nihil minus; ſed ſic, noſtro judicio, ut Deus à parte ſua eos animos ſuos obſtinantes ſibi relinquat, & ſuis animis obſequi ſinat. Hinc enim fit, 1. ut ipſi ſibi lenocinentur, & traditionibus Rabbinorum, velut vinculis ac compedibus, ſe ipſos aſtringant & alligent. 2. ut quicquid contra Chriſtum & religionem ejus facere poteſt avidè conquirant. 3. ut ab erroribus, diſſenſionibus, ritibus, moribus & vita Chriſtianorum, infidelitati ſuæ adjumentum & alimentum quærant. 4. ut imprecationibus & diris ſe ipſos ad perpetuam infidelitatem & contradictionem devinciant. unde fit ut in errore eos permanere neceſſe ſit, niſi Deus nova gratia veluti ἀπὸ μηχανῆς illis ſuccurrat, & ad meliorem mentem redeundi occaſionem præbeat luculentiorem, & iſta quam hactenus præbuit efficaciorem.

Hanc ad rem vehementer conducere poſſunt, ſeriæ & ardentes Chriſtianorum piorum preces ad Deum, pro miſero iſto populo, ejus ut miſereri & cogitationes pacis de eo velit ſuſcipere; & ſedula cura ac ſtudium amovendi obſtacula iſta, quæ ex parte Chriſtianorum hactenus iis data ſunt, atque etiamnum hîc illic dantur: per Scripturarum ſolidam interpretationem; linguæ Sacræ, ſi non exactam, mediocrem ſaltem cognitionem; errorum multorum noxiorum averruncationem, diſſenſionum, ſchiſmatum, & bellorum diſſuaſionem, idololatriæ exſtirpationem, ſcandalorum amolitionem, & pacis, benevolentiæ ac beneficentiæ mutuæ inculcationem. Hiſce enim nebulis amotis ſublatiſque, Religio Chriſti clarior defæcatiorque ipſis videretur, & velamen quod hactenus oculis ipſorum ac mentibus per iſta aliaque obductum fuit, Deo ita permittente, decideret, ut in finem Legis intueri poſſent, & retecta facie gloriam Domini (Jeſu) veluti in ſpeculo adſpicientes, in eandem imaginem transformari ex gloria in gloriam, veluti à Domini Spiritu. Sed hoc uti optare admodum proclive eſt, ita hoc rerum Chriſtianarum ſtatu ſperare vix licet. Adlaborandum tamen cuique eſt, ut quantum in ſe eſt conferat ad tam optatæ rei ſucceſſum ac promotionem. Interea argumentis & rationibus, cum iis agere operæpretium eſt: quod jam etiam nobis propoſitum eſt.

## CAPUT IV.

### Non eſſe dilatum Meſſiæ adventum ob Judæorum peccata. Et promiſſum de illo factum non eſſe conditionale, ſed abſolutum.

QUare ut fruſtra Meſſiam ab ipſis hodieque expectari oſtendam, ſic argumentor contra eos. Si tempus adventui Meſſiæ deſtinatum jamdudum effluxit, ergo Meſſias jam venit. Atqui jamdudum tempus iſtud effluxit. Ergo, &c. Deinde: Si tempore iſto quod adventui Meſſiæ deſtinatum à Deo fuerat, Jeſus venit qui pro Meſſia jure debuit recipi, ergo Meſſias venit, & alius exſpectatur ſine cauſa. Atqui verum prius. Ergo, &c.

Hiſce argumentis preſſi, eò uſque dilabuntur ut Majorem primi ſyllogiſmi & Minorem ſecundi negent, atque ita audaciæ pervicaciam addant. Audaciæ; quod negare audeant id quod negare non poſſunt, niſi Deum mendacii velint inſimulare, & prædictionis promiſſioniſque divinæ veracitatem in dubium vocare. pervicaciam; quod divinæ prædictionis ac promiſſionis impletionem reſpuere non dubitent, & eum quem ad præſtandum promiſſum ſuum Deus iis dedit Regem Chriſtumque, rejicere atque averſari ſuſtineant. Eſto: videamus quo jure. Ut jam de Minore ſecundi ſyllogiſmi non agamus, quæ poſtremo loco à nobis tractanda erit, & ad ſecundum quæſitum pertinet; Ad majorem primi ſyllogiſmi, quæ conſequentiam habet Sole clariorem, reſpondent, eam falſam eſſe; quia etiamſi tempus adventui Meſſiæ deſtinatum effluxerit jam atque exſpiraverit, cauſſa tamen fuit cur Meſſias non venerit præſtituto illo tempore. Si quæras, ecquæ cauſſa illa fuerit. Reſpondent, defectum fidei ac reſipiſcentiæ, ſive peccata populi, in cauſſa fuiſſe atque etiamnum eſſe: Propter ea enim dilatum fuiſſe à Deo adventum Meſſiæ promiſſum. Nempe malunt in ſe ipſos ſententiam dicere, quod videlicet impænitentes & peſſimi peccatores fuerint hodieque adhuc maneant, ne aut Deum mendacii inſimulare, aut quem ille miſit Meſſiam recipere cogantur, quàm veritati cedere & manus dare. Hoc eſt cum opprobrio ſuo nolle ſapere, & per ingentis culpæ confeſſionem, prætextum ſimul & cauſſam ſummæ contumaciæ & pervicaciæ quærere. Sed nos hoc commentum eorum propius videamus.

*An dilatum fuerit Meſſiæ adventus ob Judæorum peccata.*

Dilatum eſſe hactenus ajunt promiſſi Meſſiæ adventum ob peccata ſua. Speciem ſane haberet hæc exceptio, niſi 1. eo ipſo tempore in quod incidebat promiſſi Meſſiæ adventus, veniſſet qui Meſſiam ſe eſſe illuſtribus documentis & omni exceptione majoribus demonſtraſſet. At quia talis eo ipſo tempore in populo apparuit, exceptionem hanc nulla ſpecies veri tegere poteſt. 2. Niſi iſta dilatio poſt tot & tanta pœnitentiæ experimenta, quibus Deum placare ſtudent, per tot ſecula duraret, abſque ulla ſpe aut ſpecie reſtitutionis in integrum. Certè ex *Deut.* IV. *verſ.* 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. & *Deut.* XXX. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. Et *Nehem.* 1. 8. 9. 10. *Jerem.* XXIX. 10. 11. 12. 13. 14. & XXIV. 5. 6. 7. *Levit.* XXVI. 38. 39. 40. 41. 42, &c. uſque ad finem, aliiſque locis compluribus manifeſte liquet, Deum populo ſuo rebelli ac refractario, etiam idololatrico, minari exilium aliaque id genus mala innumera; ſed eidem, ſi quando pœnitentia peccatorum duceretur, & ad obedientiam rediret, promittere gratiam ſuam & miſericordiam, qua fieret, ut quamvis in ultimas ac remotiſſimas mundi plagas diſperſi, redirent in patriam, & bonis omnibus cumulati propitium ſibi Deum experirentur. Atqui jam anni ſunt mille & ultra

quingentos, quod extorres patria ſua vivant, templo careant, & libertate omni orbati ſub miſera ſervitute pene ubique gemant, nulliſque precibus aut jejuniis Deum placare queant. Alterutrum hic dicant neceſſe eſt, aut promiſſionem illam Legis minorem vim habere quam comminationem, aut peccata ſua plura ac majora eſſe, quam ut longa hac ſeriaque reſipiſcentia elui poſſint: (ut enim reſipiſcentiam ac pœnitentiam ſuam fictam ſucatamque eſſe dicant aſſerantque, vix in animum meum induco.) Hoc dicent, inquies, non iſtud. Age ergo & hoc videamus, ut appareat hoc non eſſe niſi προφύλαξιν tegendæ ſuæ pervicaciæ.

*Primum* conſtat eos credere, atque hoc nomine gloriari, quod Jeſum noſtrum qui Meſſiam ſe eſſe aſſerebat, è medio ſuſtulerint nobili facinore. Sane ſi is falſo ſe Meſſiam venditavit, non potuerunt non gratiſſimum Deo ſacrificium feciſſe, quando eum, veluti Dei hoſtem & populi ſeductorem, cruci ſuffixerunt. Et cùm ille ipſe jam à toto fere mundo pro Meſſia habeatur, adeo ut juxta eos mundus per ipſum pene totus ſeductus ſit, non poſſunt non in magna gratia apud Deum eſſe, vel hoc ſolum nomine, quod in illo rejiciendo, ingratiis omnibus, & cum libertatis, fortunarum ac vitæ ſuæ periculo ac damno, per calamitates, miſerias ac diras omnes, infracto animo perſeverent, ſolique quaſi divinæ Legis ac veritatis aſſertores ac vindices, contra tam immanem ſeductionem ubique terrarum immoti, veluti aheneus murus, perſtent ac permaneant. Certe ſi hæc culpa non eſt, non poteſt non eſſe ſumma virtus ac gloria gentis iſtius, digna certe ob quam ad multa ejus peccata conniveat Deus, veritatis tam nobilis amator, & tam immanis mendacii oſor acerrimus. Ex lege conſtat quanta gratia Deus dignatus olim fuerit Pinchazum, quod egregio auſu Iſraelitam & Midianitidem, publicæ ſcortationis manifeſtos, lancea perfodiſſet, & ſimul deprehenſos in tabernaculo ſeu tentorio transfixiſſet. Nempe factum iſtud nobile tanti fecit Deus, ut non modo plagam jam graſſantem in populo ſtiterit, ſed etiam Pinchazo pactum Sacerdotii ſeculi, id eſt perpetui, conſtituerit. *Nempe*, inquit Deus, *Pinehas avertit furorem meum à filiis Iſrael, quum zelatus eſt ipſe zelum meum in medio eorum, & non conſumſi filios Iſrael in zelo meo. Idcirco dic, Ecce ego do ei pactum meum pacis: Et erit ei & ſemini ejus poſt eum, pactum ſacerdotii perpetui, eo quod zelatus eſt pro Deo ſuo, & expiavit filios Iſrael*: Num. XXV. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. Si Deus actum illum Pinchazi unicum tanti fecit, ut populo toti propterea pepercerit, & peccatorum ejus recordari noluerit, quomodo non zelum iſtum ingentem populi ſui contra Jeſu Nazareni religionem totiuſque pene mundi ſeductionem, (ſi ſeductio eſt, prout credunt Iudæi) eumque tam diuturnum, tam conſtantem, tam univerſalem, remuneratione aliqua ſingulari dignaretur aut dignatus jamdudum eſſet? Certe ſi in hoc non errant Iudæi, coguntur utique fateri, ſe non modo à peccato iſto immunes eſſe; ſed & ſolos, in univerſo pene mundo, virtute iſta cæteris omnibus præſtare, dignoſque eſſe qui vel hoc uno nomine præ cæteris Deo grati ſint.

*Nulla peccata poſſe fingi ob quæ totus ille populus adeo ſit Deo exoſus.*

Eſto, inquies: Alia ſunt peccata eorum propter quæ Meſſiæ adventus differtur. Dico itaque *Secundò*: Certum eſt Judæos hoc non poſſe affirmare nec credere de ſe ipſis, niſi vim animo ſuo faciant, & præfractè ſibi perſuadere atque in animum ſuum inducere velint verum eſſe, quod nullo negotio ſcire poſſunt falſum eſſe. Quæro enim, quæ illa peccata eſſe poſſint? per peccata enim non intelliguntur, nec intelligi debent, peccata horum aut illorum in populo, ſed peccata populi totius, ſive maximæ populi partis. Promiſſiones enim & minæ non pertinent niſi ad populum totum, prout ipſi ubique fatentur. Poſito itaque non paucos eſſe in populo malos, & forte etiam peſſimos: (Raro quippe plurimi ſunt optimi in omni Repub. aut ſtatu populi,) id non debet ſufficere ad hoc, ut propterea promiſſio adventus Meſſiæ, ad populum totum pertinens, dilata dici poſſit aut videri mereatur. Populi autem totius Iudaici, prout nunc ſe habet, peccata, quænam ipſorum judicio erunt? Certe nulla pene ſunt, nedum aut plura aut graviora, quam fuerunt peccata populi ejuſdem ſub primo templo, & propter quæ populus iſte à Deo non niſi levi & brevi, præ hac Iudæorum pœna, punitus fuit. Peccata enim omnia aut ſunt contra primam aut contra ſecundam tabulam. Quod enim ad peccata attinet contra legem cæremonialem & judicialem, ea apud eos jam locum habere non poſſunt; quia cæremoniæ pleræque ad terram ſanctam & templum reſtrictæ fuerunt, uti & judicia forique ſtatuta ad civitatem & terram ſanctam. In cæteris, ſi quæ adhuc reſtant obſervandæ extra fines terræ ſanctæ, non modo non ſunt ſegnes negligenteſque, ſed ad ſuperſtitionem uſque rigidi. ut jam non dicam quod traditionum tot tamque variarum jugum ultro in ſe ſuſceperint, ut dubitari merito poſſit, an cæremoniis paucioribus extra fines terræ ſanctæ ſponte ſua onerati vivant, quam à Deo in terra ſancta pene inviti onerari ſolebant. Quod attinet ergo ad peccata contra primam tabulam, certum eſt eos in unius veri Dei cultu perſiſtere, & ab idololatria, criminum omnium maximo, (quod tamen Deus non niſi uſque in tertiam & quartam generationem viſitare ſe velle aperte in Decalogo profitetur) inſontes prorſus ac immunes eſſe; imo à Chriſtiana Religione idcirco quam maxime abhorrere, quod inter ejus ſectatores idololatriam ſive ſimulachrorum cultum vigere ac propugnari videant. Sabbathum quam anxie ſoliciteque apud eos obſervetur, quis neſcit? De perjuriis eorum querelæ non ſunt, & ea abominantur palam publiceque. Quod ad peccata contra ſecundam tabulam attinet: Parentes ac Rabbinos ſuos in ſummo honore habent. Nec cædibus ſe polluunt, nec adulteriis contaminantur, &c. Et ne omnia ac ſingula recenſeam, præceptorum ſexcentorum & tredecim adſidua tum lectione tum inculcatione occupantur, & Deum precibus ac jejuniis qua privatis qua publicis certant placare.

Quid reſtat ad populum hunc immanium peccatorum reum peragendum? Odia, inquies, inter eos vigent eaque acerrima. Memini, fateor, me aliquando ex Rabbino quodam audire, in Thalmude locum exſtare, in quo legatur odia mutua, quibus inter ſe certant Judæi, cauſſam eſſe tam diuturni exilii, & dilationis adventus Meſſiæ. Atqui 1. odia hæc non ſunt peccata populi totius, ſed privatorum, & quorundam tantum in populo. 2. Etiamſi gentis & populi totius peccata eſſent, ea tamen ut cauſſa ſtatuantur exilii tam diuturni, aut dilationis adventus Meſſiæ, ineptum eſt. Odia enim, etſi in Lege prohibentur, nuſpiam tamen pœnæ alicujus comminationem adjunctam ſibi habent, nedum pœnam tam atrocem & tam diuturnam. 3. Odia illa mutua, ſi conferantur cum peccatis iſtis, quæ olim in populo toto ſub priore templo viguerunt, ne conferri quidem merentur. Scelera ea fuerunt & flagitia ſumma atque enormia præ his. Nempe liberos paſſim ſacrificabant Molocho ſive Saturno, adulteria pro nihilo ducebant, viduas & pupillos expilabant, inſontem ſanguinem magna copia fundebant, Prophetas occidebant, aliaque faciebant facinora tot ac tam enormia, quæ paſſim apud Prophetas iis exprobrata legere eſt, ut remediis nullis curari poſſent, Deuſque ſe miſereri eorum amplius nec velle nec poſſe proteſtaretur. & tamen pœna in eos ſtatuta alia non legitur, quam exilium annorum ſeptuaginta: & interea non deſinebat Deus eos per prophetas ſuos alloqui & ſolari ſpe reditus, indicato etiam ejus tempore & temporis quaſi articulo. Quæ ratio ergo eſt ut nunc, propter odia privatorum quorundam in ſe mutuo, credantur tam ſeveræ longæque pœnæ ſubjecti manere: ita ut nullus propheta ad eos veniat, nulla futuri reditus ſignificatio iis fiat, omniaque iræ divinæ atque ultionis diriſſimæ genera, veluti πειρασμὸς καὶ κρίσις ἐπὶ τὸν κόσμον, experiantur, idque poſt ſpretum rejectumque Jeſum noſtrum?

*Et quamvis gravioſimorum reus eſſet, non propterea differendum Meſſiæ adventum.*

Eſto, inquient. Alia inſuper peccata eſſe poſſunt, quæ Deo nota ſunt. Largiamur & hoc iis, (aut eorum ſive impudentiæ ſive pervicaciæ, qua ſe quorumlibet etiam peccatorum reos facere malunt, quamquam eorum reos ſe eſſe neſciunt, quam peccatum illud agnoſcere cujus manifeſte rei ſunt, & poſt quod omnia iſta mala iis hactenus evenerunt:) Nihil tamen effecerint, ut credi debeant propter ea tot ac tanta mala perferre, aut jure exſpectare adhuc Meſſiæ adventum, tanquam ſi is propter ea hactenus dilatus eſſet. Nam 1. Quomodo ob ea dilatus dici poteſt adventus Meſſiæ, cum hoc quoque diſerte prædictum fuerit, ob plurima & maxima populi peccata urbem delendam, templum diruendum, & Rempub. exſcindendam, paulò poſt Meſſiæ tempora; *Daniel*. IX. 24. *Hebdomadæ ſeptuaginta deciſæ ſunt ſuper populum tuum & ſuper urbem ſanctam tuam, ad finiendum prævaricationem, ad conſumendum peccatum, & expiandum iniquitatem, & ad juſtitiam ſeculorum adducendum, ad finiendum viſionem & prophetiam, & ungendum ſanctitatem ſanctitatum*, &c. Ex hoc fluit ratio 2. Quòd paſſim legatur Meſſiam venturum corruptiſſimo & deterrimo ſæculo, & fœdus novum erecturum, quo medicinam faciat peſſimis moribus, & populum à peccatis purget, expietque ab omnibus iniquitatibus: *Jerem*. XXXI. 31. 32. 33. *Ecce dies veniunt, dixit Dominus, & feriam cum domo Iſrael & cum domo Iehuda pactum novum: Non ſecundum Fœdus quod pepigi cum patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos è terra Ægypti: quia NB. ipſi irritum fecerunt pactum meum, & ego dominatus ſum iis, dixit Dominus. Sed iſtud eſt Fœdus quod feriam cum domo Iſrael poſt dies iſtos, dixit Dominus: Dabo legem meam in medio eorum, & in corde eorum deſcribam eam*, &c. *Ezech*. cap. XI. 19. addit: *Auferam cor lapideum NB. de carne eorum, & dabo eis cor carneum, ut in ſtatutis meis ambulent, & judicia mea cuſtodiant faciantque ea*. Ecce tribuitur populo quod irritum fecerint pactum, & cor lapideum habuerint ante & circa dies Meſſiæ, & quod propterea ad cor iſtud tollendum Meſſias venturus ſit, &

ſit, & novum pactum ſanciturus, cumque emundandæ vitæ regulis veniam criminum allaturus. *Eſaiæ caput* LIII totum clarum eſt ad hoc probandum, *verſ.* 4. 5. 6. 8. 9. 10. 11. 12. Dicitur enim ibi Meſſias *vulneratus*, (id eſt, prophetico more, vulnerandus) *propter prævaricationes populi, attritus*, id eſt, atterendus, *propter eorum iniquitates*. & quænam fuerunt illæ? *Omnes enim nos ſicut oves erravimus, unuſquiſque ad viam ſuam declinavit: & Deus occurrere illi fecit*, (aut, conjecit in eum) *iniquitates omnium noſtrûm*, &c. Scio Judæos, imprimis horum temporum, contra quam olim Rabbini veteres fecerunt, hoc caput interpretari non de Meſſia, ſed de populo Iſraelis, & in eo prophetam Eſaiam non ex ſua, ſed ex Regum (nempe gentilium) perſona loqui. Veruntamen præſuppoſito (quod à nobis poſtea probandum erit) in iſto capite de Meſſia agi, certum eſt id quod hîc probare conſtituimus, Meſſiam venturum deploratiſſimis temporibus, & ad expiandum populum à peccatis, & ſcientia ſui multos juſtificandum: quod conceſſa iſta hypotheſi omnino concedendum eſſe, ne ipſi quidem Judæi negare poſſunt; quos propterea credendum eſt novis gloſſematis locum hunc obſcurare voluiſſe, ne hypotheſin iſtam firmandæ ſuæ incredulitati admittere cogantur. quamquam hypotheſin iſtam vehementer firmat, & nova Judæorum gloſſemata non parum labefactat id, quod innocenti atque innoxio populo tot & tanta mala eventura prædici velint hoc in loco; cum non modo Lex tota divina, contraria omnia bona polliceatur populo inſonti & morigero, ſed & teſtimonia complura ſacrarum literarum clament, Judæis nihil unquam mali accidiſſe, quod non ipſum, & inſuper majora multò, ſuis factis eſſent promeriti. Addo his quod de temporibus Meſſiæ apud Zachariam, *cap.* XIII. *verſ.* 1. dicitur: *In die illa erit vena patens domui David & habitatoribus Jeruſalem, in expiationem peccati & in adſperſionem.* & *verſ.* 2: *Succidam nomina ſimulachrorum è terra, & etiam prophetas & ſpiritum immundum auferam è terra.* Quæ verba ſignificant non obſcure, peſſimum tunc ſeculum fore, quando Meſſias veniet ad repurgandum iſtud, quippe in quo expiatione, adſperſione, ſimulachrorum ſublatione, prophetarum deletione, & ſpiritus immundi averruncatione opus erit. Quæ res non leviter confirmatur ex eo, quod Hebræis uſitatum ſit Meſſiam appellare *Iſch Copher*, hoc eſt placatorem. Ex his colligo inepte dici à Judæis dilatum eſſe adventum Meſſiæ propter peccata populi, cum Scripturæ teſtentur Meſſiam propter peccata venturum eſſe, id eſt, eo tempore quo peccatorum maximus foret cumulus, & corruptiſſimus populi ſtatus, ad emendandum populum, & peccata ejus expiandum. Plane enim à ratione abhorret, dicere ob morbum aliquem dilatum id, quod præciſe ei morbo erat deſtinatum, ſive cauſſam dilationis adventus facere id, quod cauſſa erat futura cur non differretur adventus.

*Promiſſionem de adventu Meſſiæ non fuiſſe conditionatam, ſed abſolutam.*

3. Quia ſic ſequeretur promiſſionem de adventu Meſſiæ non fuiſſe abſolutam, ſed conditionatam: Quod contra eſſe his rationibus evinco. 1. Quia gratis hoc aſſeritur. Neque enim ullus in Scriptura locus eſt, qui de promiſſione Meſſiæ agit, in quo conditionis mentio fiat, adeoque vel vola vel veſtiginm exſtat. 2. Quia id veterum pene omnium conſenſui, & paſſivæ totius populi, de definito tempore adventui Meſſiæ deſtinato, ſententiæ refragatur. 3. Hoc directe repugnat Scripturæ, quæ certum tempus ἀποτέλεσμα præfixum & deciſum eſſe teſtatur, puta ſeptuaginta hebdomadas: *Dan.* IX. 24. qui ſane unus locus adeo clarus & illuſtris eſt, ut exceptionem non patiatur, & detorqueri non poſſit, niſi ab eo qui ſtudio ſimul vult & cæcutire & ineptire. quare alia adducere teſtimonia ſupervacaneũ eſt. Sed de hoc loco paulo poſt.

4. Quia Fœderis Novi, quod Deus ſe initurum cum populo ſuo temporibus Meſſiæ promittit, ratio non ſinit, ut Meſſiæ promiſſio ſit conditionata. Nam 1. Fœdus iſtud novum idcirco pangendum & pactum iri dicitur, quia populus in primo & veteri Fœdere non perſtiterat; ſed irritum iſtud fecerat: *Jerem.* XXXI. *verſ.* 32. 2. Fœdus iſtud pangendum dicitur, tum quando populus in priore non perſtabat, eò quòd cor haberet lapideum & non carneum, atque idcirco in ſtatutis Dei non ambularet: *Ezech.* XI. 19. 20. adeoque contaminationibus & abominationibus multis ſcateret: *verſ.* 18. 3. Subſtantia Fœderis Novi in eo ponitur, quod Deus *legem ſuam daturus ſit in medio populi ſui, & eam deſcripturus* vel inſcripturus *ſit in corde eorum*; quod *ablaturus ſit cor lapideum eorum de carne eorum, & daturus eis ſit cor carneum.* Conditio itaque hæc excluditur, ſi videlicet populus per reſipiſcentiam cor lapideum abjecerit, & cor carneum aſſumſerit.

Dices: Atqui ſic ſtatuendum erit Deum promiſiſſe, ſe improbos & ſceleratos ſive profanos adeoque impœnitentes Judæos per Meſſiam convertere velle. Reſp. Nequaquam hoc ſequitur: Tantum ſequitur, Deum promiſiſſe ſe à parte ſua facturum, omne id quod ad populum profanum convertendum, & ad reſipiſcentiam adducendum, non neceſſarium modo & utile, ſed vehementer efficax erat futurum; adeo ut obſtinati & præfracti adeoque incorrigibilis animi indicium eſſet futurum, ſi quis per iſta non converteretur & non reſipiſceret. Id apparet ex duobus clariſſimis locis: *Ezech.* XI. *verſ.* 21: *Et quorum cor ambulat* (id eſt non obſtante iſta mea gratia, quæ ad auferendum lapideum cor & carneum inferendum efficaciſſima erit, perget ambulare) *ad cor contaminationum eorum & abominationum eorum, viam eorum dabo in caput eorum.* quaſi dicat Deus; Quod ſi quis renuere velit & tergiverſari, adeoque quando legem meam daturus ſum & inſcripturus cordibus eorum quantum in me erit, reipſa legem meam admittere, aut ut inſcriptio iſta in corde ſuo fiat permittere nolit. Fieri enim nequit ut verba iſta aliter intelligantur. quibus gemina ſunt quæ *Zacha.* XIII leguntur, *verſ.* 2. 3. 4: *Erit quoque in die illa, dicit Dominus exercituum, ſuccidam nomina ſimulachrorum de terra, & non memorabuntur ultra, & etiam prophetas*, &c. ſtatim enim ſubjicitur: *Eritque, cum quis prophetaverit* (falſo ſcilicet) *adhuc, dicent ad eum pater & mater ejus, genitor ipſius, Non vives, quia mendacium locutus es in nomine Domini, & configent eum pater & mater ejus genitores ejus, cum prophetarent.* Ex quo colligitur, Deum improbos Meſſiæ temporibus non converſurum velint nolint: hoc enim per ſe indecorum, & Deo indignum eſſet: ſed ea curaturum facturumque, per quæ non modo converti poſſint ac debeant, ſed, per quæ ſi non convertantur, inſanabiles prorſus & ἀμεταθετους ſe eſſe, dignoſque extrema Dei ira, ſunt demonſtraturi. Adde, quod natura Fœderis non patiatur, ut parti tantum uni contrahenti, id eſt Deo tribuatur quicquid ad Fœderis conſtitutionem, & obſervationem pertinet. Fœdus enim omne continet ſtipulationem ex una, & promiſſionem ex altera parte. Quare, cum Deus promittit ſe temporibus Meſſiæ Fœdus Novum inituram, & facturum ea quæ *Jerem.* XXXI. & *Ezech.* XI. recenſentur, promiſſio illa aliter accipi non poteſt, quam ſalva ſtipulatione ex parte altera, quæ officium populi continet; id eſt, qua Deus promittit ſe à parte ſua facturum tot ac tam ingentia beneficia rebelli atque indigno populo ſuo, ut miraculum pene futurum ſit, ſi in rebellione ac contumacia ſua perſtet, & beneficiorum tam ingentium ſenſus, non auferat ex iis cor lapideum, contraque cor carneum, id eſt flexile, obſequioſum, ductile & ſequax, non inſerat; proinde cum conditione hac, ſi ſanabilis ullo modo populus erit, aut, niſi ſummè refractarius ſit ac contumax.

Ex hoc efficio: Quia Fœdus hoc novum ſic proponitur, ut tota pene Fœderis obſervatio tribuatur uni Deo, tanquam ab eo ſolo perficienda; populo vero non modo ne γεῦ quidem pœnitentiæ aut reſipiſcentiæ tribuatur, ſed contraria omnia: Fœdus deinde hoc Novum per Meſſiam pangendum ſit, qui etiam idcirco *Legatus Fœderis* vocatur *Malach.* III. 1: fieri non poſſe, ut promiſſio adventus Meſſiæ conditionata ſtatuatur. Conditio enim illa quæ alia eſſe poteſt quam reſipiſcentia populi? Atqui illa ipſa reſipiſcentia & converſio, à Meſſia Fœderis novi internuncio procuranda & perficienda dicitur. Non enim tantum dicitur, quod Meſſias effecturus ſit ut populus poſtea non amplius peccet, aut ut ſic non peccet uti antea; ſed diſerte etiam dicitur, quod Deus per Meſſiam corda eorum lapidea ſublaturus ſit, id eſt, curaturus ut reſipiſcant & ad meliorem mentem redeant. Convertendus itaque erit populus per eum. At ſi convertendus, tum ſane antea non converſus ſupponitur. Conditio itaque converſionis prægreſſæ excluditur.

4. Hanc rem non parum confirmat id, quod de præcurſore Meſſiæ Elia dicit Malachias *cap.* IV. 5. 6: Nempe eum venturum ad populum inconverſum, & præiturum Meſſiæ, *ut convertat cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum:* quo ſine dubio denotatur corruptiſſimum ſeculum, imò, uti ex verbis ultimis apparet, dignitſimum excidio & anathemate: *Ne forte veniam, & percutiam terram excidio.* Accedit ad hoc ipſum veterum Rabbinorum confeſſio, qua Meſſiam venturum dicunt quando corruptiſſimi ac perverſiſſimi mores erunt. Vide librum Sanhedrim in Thalmude, ſectione XXVIII. juxta Cochium.

5. Quia Meſſias & Legatus Fœderis & Rex populi futurus dicitur. Atqui Legatus Fœderis Novi non erit, niſi quia vetus violatum eſt à populo. Ergo non poteſt promiſſus dici ſub conditione, quando Vetus Fœdus à populo obſervabitur. Et Rex erit: Ergo Fœdus iſtud Novum, tanquam Regni ſui Legem, populo feret Veteris Fœderis contemtori, juxta ea quæ dicta ſunt ex *Jerem.* XXXI. & *Ezech.* XI.

Hic notandum obiter venit quam inepti ſint Judæi, quando de Rege ſuo Meſſia loquuntur. Totam atque univerſam Meſſiæ Regis ſui dignitatem atque excellentiam in eo ponunt, quod eos reſtituturus ſit in patriam Palæſtinam in priſtinam libertatem, & beneficiis omnibus ſceptro ſuo Regio

cumulaturus ; nullis vero novis legibus eos obſtricturus, quibus officium eorum erga regem ſuum Meſſiam contineatur. Nempe mala & adflictiones omnes eum ſublaturum credunt, quibus tanquam bonæ mentis obſtaculis impediti, Legem divinam Moſis non obſervant uti decet. Iſtis per eum ſublatis, Regem eum agnoſcent, & reverebuntur ; ſed non aliter quam quia eum benefactorem ſuum ſentient. De cætero, & ipſe & ipſi ad Legis Moſaicæ præſcriptum vivent. Atqui, (ut jam non dicam, id nullo modo convenire cum eo quod alias adſerunt, longum hoc exilium & afflictiones has diuturnas idcirco ſibi à Deo immiſſas, ut per eas flectantur ad ſanctiorem legum divinarum obſervationem, ingrati alioquin & immemores beneficiorum divinorum æſtimatores, uti apparuit non ſemel) contra naturam Regis, Regem ſibi fingunt. Regis enim eſt, non tantum benefacere ſubditis, ſed etiam leges eis ferre : imo Regii muneris eſt, non ante benefacere quam leges ferre, eaſque ſanctas præmiis & pœnis. Quare ſi Meſſias Rex eſt futurus, cujus Lex erit Fœdus Novum, ſane non poteſt dici promiſſus ejus adventus, quando Fœdere Veteri ſe non indignum præſtabit populus, id eſt, cum conditione reſipiſcentiæ. Scio illos nihil ægrius ferre, quàm quod credamus aſſeramuſque Meſſiam Regem novam Legem laturum in regno ſuo, aut aliam quam Legem ipſam Moſis ſanciturum, quam perpetuam Legem & æternam futuram aſſerunt. Sed & ſcio illos cauſſam non habere cur id ægre ferant, & cauſſam eſſe non unam, cur id volentes lubenteſque debeant admittere ; cum diſertè *Jerem.* XXXI, Fœdus quod ultimis temporibus paciſcetur Deus dicatur *Fœdus Novum, & non ſecundum vetus Fœdus* ; quæ verba clariora ſunt, quam ut exceptionem aut detorſionem patiantur. Deinde cum id ad gloriam Meſſiæ Regis, Legati iſtius Novi Fœderis, maxime pertineat, ac proinde ad gloriam Dei ipſius, qui ſe per Meſſiam Novum Fœdus paciſci velle teſtatus eſt in loco prædicto, atque ita Fœderis Veteris, tanquam ſi perpetuo duraturum eſſet, rationem habere nolle. Denique cum Meſſiæ Regis gloria in eo poſita etiam dicatur, quod non Judæorum tantum, ſed & mundi univerſi, populorumque omnium gentilium, Rex ſit futurus. At quomodo Rex eorum erit, ſi novas eis omnibus leges non ferat ? Ut enim gentilibus novas ferat, Judæis vero ſuas relinquat, regni unitas non patitur : ut omnes iiſdem Legibus Moſaicis obſtringat, Moſaicarum Legum ratio non poſtulat, nec liberi populi Regem decet. Quod enim ad Moſaicas Leges attinet, iis nulli obſtringuntur, niſi circumciſi : & nulli ad circumciſionem, niſi qui ex familia Abrahami per Iſraelem deſcendunt. Cæteri omnes liberi ſunt ab iſta obligatione, & non poſſunt ad eam adigi, niſi libera voluntate ſua in eam conſentiant. Ubi autem libertas eſt à legis obligatione, ibi Lex vigere non poteſt. Cumque Meſſias Rex unum regnum, unum populum habiturus ſit per univerſum orbem, quid glorioſius, quid æquius, quid dignius tanto Rege eſſe poteſt, quam ſi unam Novam Legem ab omnibus pariter ſubditis obſervandam ferat ? Ea verò cum Moſaica eſſe non poſſit, profectò non modo ægrè ferre non debent Judæi, ſi Legem Moſis deſituram ſub Meſſia dicatur ; ſed Meſſiæ aut Chriſto Dei hanc gloriam, hunc honorem debent tribuere, quod novam & tanto nobiliorem Legem mundo laturus ſit, quanto ille nobilior dignioreque Moſe, & regnum totius mundi, regno exiguæ terræ finibus, & populi tenuis numero circumſcripto, præſtantius eſt excellentiuſque.

*Concluditur Meſſiæ adventum non fuiſſe dilatum propter peccata populi.*

Atque hæc quidem argumenta ſufficere credimus redarguendæ & refellendæ exceptioni Judæorum, de dilato adventu Meſſiæ propter peccata populi ; *ſive* per peccata intelligant peccatum vituli aurei, uti nonnulli, juxta illud *Exod.* XXXII. 34 : *Ego in die ultionis viſitabo & hoc peccatum eorum.* Unde inter eos celebre illud dictum R. Moſche Bar Nachman : Nulla tibi Iſrael accidit vindicta, cui non ſit admixta uncia peccati de vitulo : *ſive* per peccata intelligant tum iſtud, tum imprimis idololatriam in domo ſecunda perpetratam, ut alii : *ſive* tum iſta, tum quæ in prima etiam domo diu viguerunt, & quæ nunc etiamnum vigere inter ſe contendunt alii. Res eodem redit. Quod enim ad peccata, ſive in deſerto per vituli aurei fuſionem, ſive in prima & ſecunda domo perpetrata attinet, conſtat ex Sacris primum iſtud ſeveriter à Deo punitum fuiſſe excidio populi pene totius, culpæ tantæ rei, per annos XL in deſerto. Iſto enim tempore omnes interiiſſe conſtat præter Joſuam & Caleb : uti & quæ in prima domo commiſſa fuerunt, per deportationem populi partim in Aſſyriam ſine ſpe reditus, partim in Babyloniam per LXX annos, qui ætatem hominis fere complent, & tertiam nedum quartam generationem ex vi divinæ comminationis non excedunt, generationi unicuique ſi aſſignentur 33 anni. Quod ad cætera attinet, in domo ſecunda perpetrata, ea, ſi Meſſiæ Regis rejectionem & cædem excipias, aut tam grandia non fuiſſe conſtat, ut cum peccatis in prima domo perpetratis conferri mereantur, aut ſi paria vel majora fuerunt, ut non gravius multo punita videri debeant, quam priora, per lamentabile & flebile urbis templique excidium, & populi totius miſeram diſſipationem. Ut vero tam diuturna ſit punitio, cauſſam nullam eſſe aut dari poſſe evicimus : cum ex illo tempore, quo exciſus cum urbe & templo ſuo populus fuit, non modo à peccatis iſtis enormibus abſtinuerit prorſus, (quamquam etiam ante ipſum excidium ſtudioſiſſime ſibi ab iſtis cavebat : ) ſed & longa ſeriaque pœnitentia, Religioniſque ſuæ Judaicæ obſtinatiſſima profeſſione, in media errantium & perſequentium turba, ſe Deo commendatum reddere conatus fuerit. Denique ut ut magna atque ingentia inſuper peccata fingant, tantum abeſſe, ut propter ea adventus Meſſiæ promiſſus dilatus dici poſſit, ut contra propter ea ipſa, adventus Meſſiæ non dilatus dici debeat.

## CAPUT V.

### De iis qui nullum certum adventui Meſſiæ tempus præfinitum eſſe in Scriptura putant. & quale tempus temporiſque notæ iſti adventui ſint à Deo præſtitutæ.

COnſtitueramus nunc recta ad ſecundum quæſitum tractationis hujus noſtræ progredi : ſed vero, quia obſervamus horum temporum Rabbinos, forte argumentorum horum vi preſſos, forte ſuopte animo victos, & interim, uti ſunt κεκτεσγυμμενοι & σκληροτράχηλοι, volentes θεον ſuam de Meſſia nondum revelato, ſolo odio Regis noſtri ἀλλοφυλαίτειν, alio commento effugium ſibi quærere ; operæpretium adeóque neceſſarium duximus, ut id paucis expenderemus, antequam ad ſecundum quæſitum noſtrum accedamus.

*Contra eos qui nullum certum adventui Meſſiæ tempus præfinitum eſſe in Scriptura dicunt.*

Commentum eorum hoc eſt : Nullum certum adventui Meſſiæ præfinitum eſſe tempus in S. Scriptura, ſed Deum id arcanum ſibi ſoli reſervatum velle, ut Meſſiam mittat quandocunque volet. In hanc ſententiam allegant illud *Eſa.* LX. v. 22 : *Ego Dominus in tempore ſuo accelerare faciam ſubitò.* Inde quoque natum eſt illud anathema eorum : *Tippach Ruchan ſchelmecha ſehſe hizzin* : Intumeſcat ſpiritus eorum qui ſupputant terminos : vel, uti in Thalmude codice Sanhedrim, cap. XI. ſect. 30 legitur ; Inflata rumpantur oſſa eorum qui periodos temporum computant. Commentum hoc neſcio, an magis à verſuto ingenio, quam ab animo præfracto ſimul ac profano, profectum videri debeat. Certe non niſi ab utroque parente tam monſtroſus fœtus eſſe poteſt. Quis enim credat, fieri poſſe, ut inter Judæos reperiantur, qui rem tam claram, tam conſtanter in populo ab omni retro ævo creditam, tam gratam, tam deſideratam exſpectatamque ἀλλοιῶσαι negent, niſi quos animus ſuus alienavit ab omni veritatis amore ac ſtudio, contradictioniſque ſpiritus totos occupavit, & ingenii ſui fiducia acuit ad omne cavillationis artificium, dicam, an veneficium ? Certè ſi melioribus etiam quibuſdam inter eos tam ineptum ac maleſanum commentum placèt, eos magno ſaltem iſto præjudicii morbo laborare neceſſe eſt, qui omnes verpos tenet, quod Jeſus noſter non ſit Meſſias. Hoc enim faſcinati, pene in eam adiguntur neceſſitatem, ut Scripturæ omnia loca, licet clariſſima, ſolicitent & detorqueant in ſequiorem ſenſum, & nullum commentum tam alienum putent, quod non mordicus apprehendant, ſi modo longiſſime abeat à ſenſu iſto, qui Jeſu noſtro favere poſſe videtur. Inter hæc commenta, etiam hoc eſt de quo agimus. Quod ut pateat, paucula præmonebo, & quidem hæc quatuor.

*Quale tempus temporiſque notæ iſti adventui ſint præſtituta.*

I. Quando de tempore adventui Meſſiæ præſtituto præfinitoque agimus, tum nos non agere de tempore tali, aut talibus temporis notis atque indiciis, quæ nobis non cogitantibus, nolentibus volentibus, in oculos incurrunt, quæ à nemine prorſus ignorari poſſunt, quales notas Judæi cupiunt, quæque Mathematicæ aut Phyſicæ dici ſolent : puta, Meſſias veniet Sole ſtante in meridie, aut lumine ejus Lunæve ſeptuplum aucto ; Eclipſi Solis in plenilunio, monte Dei ſupra omnes alios montes elevato ſubrectoque, &c. Sed de tempore temporiſque notis, quas hiſtoricas vocant, quæ per facta & eventa cognoſci poſſunt, & quæ talia ſunt ut cum attentione obſervari & fide apprehendi debeant.

II. Nos non id agere aut propoſitum habere, ut probemus adventui Meſſiæ præciſum temporis articulum, puta annum, menſem, hebdomadam, diem, horam, conſtitutum à Deo eſſe, & quis ille ſit futurus,

fueritve. Non volumus adeo in arctum redigi, neque ut redigamur necesse est. Sed tantum id, ut ἐν πλάτει probemus, certum tempus adventui Messiæ præfinitum esse, idque tale quod ex variis factis atque eventis luculentissimis, cognosci ac dignosci potest. Hoc enim nunc sufficit, postquam eventa ista apparuerunt, & facta illa visa sunt. Istud non est necessarium: quia quid attinet scire primum temporis articulum, si temporis finis sciatur? Sed & necessarium non esse Deus significasse videtur, eo ipso, quod primum articulum temporis istius, in cujus finem incidere debebat adventus Messiæ, sic enunciaverit aut enunciari curaverit, ut de eo hodieque disputent Judæi Christianique; puta de exitu verbi sive articulo exitus verbi. Cætera vero, ad finem in quem adventus incidere debebat pertinentia, luculentissime describi ac designari voluerit. Quo ipso tamen nihil præjudicatum volumus eorum probationibus, qui ipsum articulum temporis primum etiam à Deo constitutum, & suo tempore in illum ipsum Messiæ adventum incidere debuisse ac revera incidisse statuunt.

III. Nos non agere de signis notisque temporis omnibus, quarum in Scriptura mentio fit, sed de iis dumtaxat, quæ convincendis Judæis serviunt, & ipsos propriè spectant: id enim nobis in præsentiarum sufficit: neque de notis qualibuscunque, quas vel casu, vel nullo cum respectu ad Messiam evenire quis credere posset: sed quæ essentialem cum adventu Messiæ connexionem habent, adeo ut non existerent, nisi Messias venisset, & quia existunt, idcirco Messiam venisse credendum sit; non ex fatali aliquo cursu aut casu, sed Deo ita volente & rem procurante. Ex quo consequitur

IV. Nos cum de adventu Messiæ agimus, per adventum ejus intelligere, non adventus istius initium, sed totum adventum complexim, quatenus conjuncta sibi habet omnia ista facta atque eventa, unde eum Deus cognosci voluit.

Hisce ita præmonitis, sic statuimus contra Judæos hujusmodi: 1. Tempus adventui Messiæ certum à Deo olim in S. Scriptura præfinitum fuisse. 2. Istud ipsum tempus, istis actibus eventibusque descriptum designatumque fuisse, qui cum adventu Messiæ essentialem nexum habituri erant, ita ut de iis cogitari non posset, nisi simul cogitaretur de Messia; si quis nimirum animum vellet advertere, & cogitationem intendere. Sic enim dispensavit Deus promissionem Messiæ, ut complementum ejus fieri voluerit per actus eventusque tales, quos constaret non casu aut fortuito, nec fatali quadam circumvolutione cæli accidere, sed ab ipso Messia & Rege promisso proficisci, & propter quos Messiam fide recipi, & à populo Regni Messiæ studioso avidoque admitti æquum erat.

Hoc ut intelligatur notandum est: Totam populi Israelitici tum constitutionem, tum administrationem propter Messiam factam fuisse. Constitutio populi, per separationem & sequestrationem ejus ab omnibus populis & nationibus facta est. Ea primum cœpit in Abrahamo, tanquam populi totius capite & primordio, cum promissione peculiari seminis, in quo benedicendæ erant omnes gentes terræ, ac proinde per quem separatio illa desitura, & gentes omnes in unum quasi coalituræ erant, & uno eodemque modo Deum culturæ. Semen hoc Messias erat futurus, cujus typus Isaac erat. Certa itaque adventus Messiæ nota erat futura, quando separatio illa desineret, & omnes homines ad unum eundemque veri Dei cultum vocarentur, atque ita ex Judæis ac gentilibus unus novus homo fieret, per unam atque uniformem fidem ac Religionem, à Rege sive Messia illo præscribendam in novo Fœdere.

Administratio populi tribus actibus sive functionibus constitit, Prophetica, Sacerdotali & regia. Tres hæ functiones in Christum sive Messiam respiciebant, tanquam prophetarum omnium scopum, & prophetiarum omnium clausulam ac complementum: tanquam templi Dominum, ac proinde sacrificiorum omnium, propter quæ templum est, finem & tanquam æterni Sacerdotii, quod secundum ordinem Melchisedec est, & simul regni nunquam desituri usque ad finem mundi, hæredem. Certa itaque adventus Messiæ nota erat futura, quando tria ista, prophetia, sacerdotium ac regnum simul cessarent in populo isto, & Respublica simul ac templum esse desinerent, ac prorsus abolita esse constaret.

Notas has illustres, palpabiles, minimeque controversas esse, ex re ipsa liquet. Eas vero etiam ex natura rei fluere, & essentialem cum adventu Messiæ nexum habere, per se constat.

Cæterum tempus adventui Messiæ olim à Deo destinato, notis istis illustribus designatum fuisse probandum restat. Id enim si evicerimus, apparebit manifeste certum tempus, & quod dignosci posset ut tempus Messiæ, à Deo adventui Messiæ destinatum fuisse: & per consequens, si notæ illæ apparuerunt, uti eas apparuisse, & etiamnum apparere, omnibus animum advertere volentibus constare potest, Messiæ tempus jamdudum effluxisse, & Messiam jampridem venisse. Supponimus enim tempus istud dilatum non esse ob rationes jam ante allegatas.

## CAPUT VI.

### Probatur ex Genes. XLIX. 10, tempus adventui Messiæ præstitutum jamdudum effluxisse.

PRobationem nostram desumimus ex hisce locis: *Genes.* XLIX. 10. *Haggæi* II. 7. 8. 9. 10. *Malach.* III. 1. *Daniel.* IX. 24. Locus *Genes.* XLIX. 10. sic habet in textu Hebræo.

לֹא־יָסוּר שֵׁבֶט מִיהוּדָה וּמְחֹקֵק מִבֵּין רַגְלָיו עַד כִּי יָבֹא שִׁילֹה וְלוֹ יִקְּהַת עַמִּים:

Id est: *Non auferetur sceptrum* (Thargũ, sive paraphrasis Chaldaica Onkelos, interpretatur vocem שבט dominator עָבִיד שׁוּלְטָן. Thargum Hierosolymitanum reddit מַלְכִין Reges. Thargum Jonathanis reddit מַלְכִין וְשַׁלִּיטִין Reges Principesque,) *de Juda, neque Legislator de inter pedes ejus, usque dum* (Jonathan vertit, usque ad tempus istud quo) *veniet Silo*, aut Meschicha, aut Rex Meschica, uti omnes Thargumim habent, *& ei* (erit) *aggregatio*, vel obedientia *populorum.*

*Quomodo ex Genes. XLIX. 10. colligatur tempus adventui Messiæ præfinitum effluxisse.*

Ex hoc loco sic argumentor; Non auferetur sceptrum de Juda priusquam veniat Messias. Ergo certa nota erit Messiam venisse, quando sceptrum ablatum erit. Consequentia per se liquet nec probationis indiget. Antecedentis veritas manifestis verbis textus continetur; Manifestis, inquam, Quia consentientibus calculis Chaldæorum, Græcorum, & Latinorum interpretum veterum, tam Judæorum quam Christianorum, in istum quem nos eis adtribuimus sensum, accepta ea fuisse constat. Saltem tres Paraphrastæ Chaldæi: quorum autoritas apud Judæos propter antiquitatem in summo pretio est, (ut jam de Græcis, de LXX interpretibus, de Aquila, de Symmacho, de Theodotione non dicam) in eandem prorsus sententiam interpretati sunt verba ista: ut mirum sit, quomodo ea Judæi novitii, alioquin Thargumim suis addictissimi, tot quæsitis interpretationibus obscurare aut obscura esse ostendere satagant. Certe adeo clara ac perspicua sunt, ut non dubitem, quin si vixissent istis temporibus quibus Paraphrastæ duo, Jonathan & Onkelos, quorum ille paulo ante Christum, hic paulo post Christum floruit, eodem cum illis, modo ea interpretaturi fuissent. At nunc quia Messiam verum à se esse spretum nolunt agnoscere, & interim illum spretum ab iis esse, verba isto proprio veroque sensu accepta non obscure innuunt; quidvis malunt verbis istis adfingere, quavis etiam antiquissimas paraphrases irreverenter respuere, quemlibet interpretandi laborem sibi sumere & aliis facescere, quàm credere istum verbis istis sensum inesse.

*Quatuor Judæorum ad hunc locum exceptiones.*

Ut hoc liqueat, videamus quas tenebras claro Soli horum verborum suffundant. Quatuor fere ab iis ad hunc locum excipi solent. 1. Non posse certo adseri in hoc vaticinio per vocem *Siloh* Messiam intelligi. 2. Si per Siloh Messias intelligatur, non agi hîc de sceptro sive imperio Judaico ejusque duratione usque ad adventum Messiæ; sed contra de populi Judaici castigatione ejusque castigationis duratione usque ad adventum Messiæ. 3. Si etiam de sceptro Judaico hic agi dicatur, in textu non dici, Sceptrum illud ablatum non iri priusquam veniat Messias, sed textus verba sic accipi posse, ut eorum sensus sit, Non auferendum sceptrum à Juda, postquam, aut quando Messias venerit. 4. Si etiam omnino locus hic ad mentem paraphrastarum accipiatur, eum sic exponi posse, ut sceptrum dicatur semper mansisse, atque etiamnum manere in Juda, & tamen Christum nondum venisse, sed adhuc venturum esse.

*Examen primæ exceptionis per Siloh non intelligi Messiam.*

Exceptiones has quæsitas esse prima statim fronte liquet. Sed nos eas expendamus. Per *Siloh* Messiam intelligi non constat, inquiunt. Respondeo: 1. Attamen triplex Thargum, Onkeli, Jonathanis, & Hierosolymitanum, vocem *Siloh* per vocem Regis Messiæ sive Meschicha interpretantur. Sic enim Onkelos: *Non deficiet habens principatum à domo Jehuda*, (*Schultan* principatum significat; unde for-

taſſe noſtrum *Scholt*, aut *Schoutet*, aut *Schout*, id eſt prætor vel præitor eſt) *& Legiſlator de filiis filiorum ejus in ſeculum, uſque dum veniat Meſſias cujus eſt regnum.* Jonathan; *Non deficient Reges & duces de domo Juda, & Legiſlatores docentes legem de ſemine ejus, uſque ad tempus quo veniet Meſſias, parvus filiorum ejus.* Hieroſolym. *Non deficient Reges de domo Juda, neque Doctores docentes Legem de filiis filiorum ejus, uſque ad tempus quo veniet Meſſias.* Hoc argumento lubens pugno contra Judæos, quia major fortaſſe ejus vis eſt apud eos, quam aliorum argumentorum omnium. Huic 2. addo, quod & magni fieri ab ipſis æquum eſt, Cabaliſtas vocem iſtam de Meſſia interpretatos olim eſſe. Sic enim in Thalmude, Codice Sanhedrin, cap. XI, dicto *Chelec*, pag. 98 legitur: *Rab Johanan dixit, Meſſiæ nomen quod eſt? Qui de ſchola R. Schila reſponderunt* שִׁילֹה שְׁמוֹ *Schilo nomen ejus: juxta illud, donec veniat Schilo.* Et in Bereſchit Rabba, *Schilo eſt Rex Meſſias.* Ex Chaſkuni & Pentateucho cum triplici Targum, Cabala hæc deprehenditur, ut Buxtorfius refert, quod verba iſta duo יבא שילה *Jabo Schiloh*, juxta ſingularum literarum computum, eundem plane numerum efficiant aut contineant, quem continent literæ vocis משיח Meſchiah, id eſt numerum 358, indeque concludi merito poſſit, Siloh eſſe ac denotare Meſſiam. Videantur Baal Arba Thurim, R. Solomon Jarſchi, Rabbi Moſche Hadarſan, aliique. R. Bechai in commentario ſuo ad hunc locum hæc verba habet: *Quod autem potius dicit Schilo, quam Benò, eo innuit Jacob ſeſe de Meſſia peculiariter loqui.*

3. Ex ipſis verbis textus non obſcurè colligitur, per vocem *Schiloh* Meſſiam deſignari: quia nota Meſſiæ immediate voci Schiloh ſubjungitur, & ei qui Schiloh dicitur adtribuitur quaſi per periphraſin: *Et ei erit obedientia* vel aggregatio *populorum.* Hanc enim genuinam Meſſiæ notam eſſe, ne ipſi quidem Judæi negant. Dices: In textu non eſſe verba περίφρασιν continentia. Reſp. verba periphraſin continere poſſunt ex uſu linguæ ſanctæ; & hîc continere ratio manifeſta dictat. Prius patet ex eo quod antecedens cum *Vau* non raro pro relativo, *Cujus*, ponatur. ut *Eſa.* IX. 6: *Filius datus eſt nobis, & erit principatus ejus ſuper humerum ejus*: pro, cujus principatus erit ſuper humerum ejus. *Mich.* V. 1: *Ex te mihi egredietur dominator in Iſrael, & egreſſiones ejus*, id eſt, cujus egreſſiones, *à diebus ſeculi.* Hîc itaque cur eadem mens verborum horum non admittatur? Sed & ut ea admittatur ratio manifeſta poſtulat, quod ſecundo probandum nobis ſumſimus. Ea hæc eſt. Niſi periphraſin hîc admittamus ſimilem, putà, *Et ei erit*, pro, cui erit *aggregatio populorum*, & periphraſin quidem quæ characteriſticam notam in ſe habet, ex qua quem per Siloh Jacob denotatum velit colligi poſſit, fieri non poteſt ut intelligatur Jacobi mens ac ſententia, aut quid ſibi per Schiloh voluerit; quod tamen quis negare audeat Jacobum maxime intellectum voluiſſe; cum ab iſtius vocis cognitione tota vaticinii ſententia pendeat, & abſque ea Jacobi prophetia tota ſit ipſis tenebris obſcurior, imo plane fruſtranea?

Enimvero ſumantur interpretationes omnes, quæ ſuper voce Schilo factæ unquam fuerunt, aut fieri etiamnum poſſunt, nullo tamen modo intelligetur quid ſibi velit Jacob voce iſta, aut quid ab eo hîc dicatur. Sume enim Schilo pro τὸ ἀποκείμενον αὐτῷ, ut LXX verterunt; aut pro *cui repoſitum eſt*, ut Tertullianus, Juſtinus Martyr, Irenæus & Ignatius; aut pro, *qui mittendus eſt*, ut vulgatus interpres, voce derivata à *Schalach*, quæ tamen derivatio planè eſt abſurda; aut pro, pacificator, ſalvator, fælix, fortunatus, voce derivata à *Schalah*: aut pro, filius ejus, ut fere Hebræi, ita ut o in fine ſit affixum, voce derivata à שלי"ה *Schiliah*, quæ ſecundinam ſignificat in qua embryo jacet & vivit, unde *Schil* ſit, id eſt filius: Sume, inquam, interpretationes has omnes, ecquis tandem earum ſenſus erit, niſi eis addatur certi aliquid, ex quo intelligi poſſit quis ille ſit, qui ſive per vocem *Schiloh*, ſive per voces illas τὸ ἀποκείμενον, cui repoſitum, ſive per pacificator, ſive per filius ejus deſignatur? Certe ratio poſtulat, ut credatur verba iſta ſubjuncta, *Et ei erit aggregatio populorum*, periphraſin ejus continere qui Schiloh dicitur. Et mirum eſt Judæos horum temporum id non utraq; manu amplecti, & pro indubitato admittere cum veteribus Rabbinis, 1. cum inter Meſſiæ periphraſes hæc etiam non raro occurrat, & adeoque decantata ſit & celebrata, quæ ab obedientia & aggregatione gentium omnium deſumitur; vel ex uno ſaltem dicto illo divino ad Abrahamum, *In te, &, in ſemine tuo benedicentur omnes gentes.* ut jam non adducam alia ex *Eſa.* XI. 10. *In illa die ſtabit radix Iſai in ſignum populorum, & ipſum gentes quærent. Mich.* IV. *verſ.* 1. *Fluent ad eum populi, & properabunt gentes multæ*, &c. 2. cum periphraſis hæc ex collatione antecedentium pene ſua ſponte eluceſcat. Nam *verſ.* præcedente 8, Judæ prædicitur prærogativa & dominium in fratres ſuos, & filios patris ſui: *Laudabunt te fratres tui, & adorabunt te filii patris tui, & dominaberis inimicis tuis: quia ſceptrum non auferetur à te*, &c. De filio autem ejus, ſive de *Schiloh* ex eo orituro dicitur, quod non modo fratres ſui eum ſint adoraturi, ſed etiam populi omnes obſequium ſuum ei oblaturi ſint, & ei ſe aggregaturi; quaſi legeretur, Juda te laudabunt fratres tui, & tu inter eos iiſque dominaberis, prærogativa fratris tui primogeniti Ruben donatus: & durabit hoc tuum dominium ac regnum, donec filius tibi naſcatur qui te major multo erit, & cui gentes ipſæ populique omnes ſe ultro ſubmittent; ut oppoſitio ſit inter fratres Judæ, & gentes ſive populos; quod videlicet illis dominaturus ſit Judas, tantiſper donec filius ejus (ſic enim optime exponi poſſe credo vocem *Schiloh* cum Hebræis R. D. Kimchi, Ben Eſra & R. Bechai, per בנו *beno*, filium ejus) veniat cujus dominium ac principatus erit in omnes populos. Suppono autem ſenſum verborũ iſtorum ולו יקהת עמים *velo ikkeat ammim*, eum eſſe quem indicavimus, quia fere in eo conveniunt interpretes, aut quia interpretationes omnes eò ſaltem recidunt. Sive enim יקהת *Ikkeat* pro obedientia accipiatur, à voce יקה *iakah* quæ ſignificat auſcultare, obedire, ſive pro aggregatione, à voce לקה *lakah*, ut literis tranſpoſitis idem valeat quod קהל, ſive pro munditia à נקה, quod mundare ſignificat, ſive pro expectatione à voce קוה *kauah*, quæ ſignificat attente expectare, & ab aliquo pendere, item congregare; tamen ſenſus eſt, populos omnes filio Judæ ſeſe ſubmiſſuros, eum laudaturos, eum adoraturos, & ei ſe aggregaturos pro expectatione & deſiderio ſuo: *Agg.* II. 8. uti Judæ fratres ſui dumtaxat ſe ſubmiſſuri, eum laudaturi & eum adoraturi erant. Etſi vero in textu non legatur vox גוים ſed vox עמים, tamen certum eſt voce iſta plurali omnes populos comprehendi: quia alioquin in ſingulari numero ſuffeciſſet dixiſſe, erit ei expectatio vel aggregatio populi: quamquam & hoc ſic dictum atque enunciatum, nihil prorſus ſingulare continuiſſet, quod Schiloh ille ſupra Judam patrem ſuum habiturus eſſet, imo id ipſum continuiſſet quod Judæ promittitur, quia promiſſio quæ Judæ hic fit, non ad perſonam Judæ dumtaxat, ſed ad totam Judæ poſteritatem pertinet, ac proinde ad liberos ejus omnes, etiam ad hunc Schiloh Judæ filium. cui ſi nihil peculiare promitti dicatur, ridicula ſane & inſulſa prorſus promiſſio reddatur neceſſe eſt.

Quod ſi denique hæc ratio non ſufficit, tum quæro IV. quem itaque per Schilo velint hoc loco intelligi Hebræi? Hîc ſane produnt ingenium ſuum, quo quidvis fingere malunt odio Regis noſtri, quam verum & pene palpabilem ſenſum admittere. Nimirum varias perſonas proferunt, quibus vocem iſtam aptant. Primo *Saulem*, quem Schiloh dici volunt, quod in Schiloh arca Domini erat, & Saul ibidem ſit coronatus. Atqui id manifeſto falſum eſt: quia Saulis tempore, ſive quando Saul rex creabatur, Arca Domini non erat amplius in Siloh. jam ante enim à Philiſthæis ablata erat, temporibus Heli Sacerdotis, uti ex 1 *Sam.* VII. patet. & Saul non creatus fuit Rex in Siloh ſed in Miſpat, 1 *Sam.* X. 17. & confirmatus in Gilgal, 1 *Sam.* XI. 15. Nec ablatum tum à Juda ſceptrum dici poteſt, & tranſlatum in Benjamin, quia tum regnum Juda nondum ceperat, neque populi regimen in certa tribu adhuc conſtitutum erat. ut jam non dicam inepte Saulem dici expectationem gentium, vel eum cui populi omnes obedientiam præſtiterunt; & ridiculam eſſe conſtructionem, vocem *Siloh* de loco accipere, & vocem *veniat* active de homine aliquo ſumere, qui in Siloh venturus erat ut ibi Rex crearetur, non indicato nomine nec origine ejus. Ineptiſſimum vero de loco dicere, quod veniat, & de Siloh quod veniret, quia locus iſte jam dudum fuerat, & in eo arca Domini jam per trecentos annos ſteterat, jamque arca in eo eſſe deſierat. Per conſequens magis aut ſaltem non minus ſtolide loquuntur ii, qui verbum בא *bo* exponunt per occidit, ac ſi legeretur, Non auferetur ſceptrum à Juda, &c. donec Siloh occidat, id eſt, Siloh deſinat locus eſſe in quo arca ſtet; cum verbum בא nunquam occidere ſignificet.

Secundo, proferunt *Jeroboamum* Regem per quem ablatum eſſe ajunt ſceptrum à Juda, & quem in Siloh regem fuiſſe creatum ac coronatum volunt. Sed & hoc utrumque falſum eſt. Nam tantum abeſt ut Jeroboamus conſpiratione facta cum decem tribubus ſceptrum abſtulerit à Juda, ut contra tum primo ac propriiſſime ſceptrum in Juda ceperit, & populus Dei totus ejuſque regimen Judaicus populus, & Judaica Reſpublica, quæ antea duodecim tribuum ſive Iſraelis dicebatur, dicta fuerit. Deinde Ieroboam non fuit unctus Rex in Siloh, ſed in Sichem, civitate tribus Ephraim, uti indicari videtur 1 *Regum* XII. 25.

Tertio, proferunt *Nabuchodonozorem*, per quem ablatum dicunt fuiſſe ſceptrum à Juda, quando captivum abdu-

xit populum totum Judaicum in Babylonem, templumque & urbem ſolo æquavit. Sed & hoc ſpeciem non habet, ut propterea Nabuchodonozor Siloh ſive fortunatus dicatur, cui aggregatio populorum facta eſt. Nam 1. ut jam non dicam ſic vaticinium hoc non continere votivam promiſſionem, ſed mali potius ſummi prædictionem; Senſus enim ejus tum erit, Non auferetur à Juda ſceptrum, donec veniat is qui vi illud auferat; certum eſt ex ipſorum Judæorum confeſſione, quando populus Judaicus captivus abductus fuit in Babylonem à Nebucadnezare, tum ſceptrum à Juda prorſus ablatum non fuiſſe. Manſit enim quædam adhuc, licet precaria αὐτονομία, penes populum Judaicum, in ipſa media captivitate: quippe qui ſuum ſemper habuit ἀϊχμαλωτάρχλω, quem vocabant אש גלות caput ſive principem captivitatis, cum jure gladii & vitæ neciſque poteſtate; (quod forte hiſtoria Suſannæ & Danielis, licet apocryphæ, non obſcure arguit:) eumque ex tribu Iuda electum; uti ex eo liquet, quod poſt finem annorum 70 redeuntes in terram Palæſtinam, ductores habuerint ex domo Iuda. Adde, etiamſi id negaretur, quod tamen negari nullo jure poteſt, per abductionem & moram illam in captivitate non poſſe recte dici ablatum ſceptrum, ſed tantum interruptum; quia non niſi ad certum tantum præfixumque tempus 70 annorum, duraturam captivitatatem prædictum erat. Interregnum itaque potius quam regni ſceptrique ablatio videri debet. Hanc ſolutionem confirmat id, quod videamus poſt expletos captivitatis annos, populo Judaico in terra ſua redditam fuiſſe ſuam αὐτονομίαν, ut legibus moribuſque ſuis viveret, non aliter quam ante captivitatem, eamque poſt ablatum Babyloniis regnum per ſecula aliquot perduraſſe. 2. Nihil violentius in textum inferri poteſt, quam ſi dicatur per עמים ſive populos, Iacobum intellexiſſe Iudaicum populum, qui videlicet gentilibus acceſſio quaſi fieret & dominium eorum augeret; ac ſi legeretur, Donec veniat Nebucadnezar, & ei tu Iuda cum tua tribu aggregaberis. Deinde ſi dicatur aggregratio ſive obedientia populorum facta Nabuchodonozori, quando ille Iudaicum populum vi & armis invitum ſibi ſubjugavit; cum aggregatio illa ſive obedientia ultronea & voluntaria futura non obſcure indicetur, partim ipſius vocis *Ikkeat* uſitatiore ſignificatione, qua obedientia, expectatio, aggregatio deſiderata notatur; quæ & Meſſiæ tribuitur, quando *deſiderium gentium* vocatur, *Hagg.* 11. 8. partim ex benedictionis divinæ vi, quæ in hac de Iuda prophetia promitti omnino videtur, aut votiva hac prædictione ſaltem videtur contineri. Neque enim ullo modo veriſimile eſt Iacobum benedictionem ſuam precantem filio ſuo Iudæ, & jam fauſta ac fœlicia quæque ei ante & poſt prædicentem, in medio orationis ominoſum aliquid & infauſtum interjicere voluiſſe: hoc pacto: Omnia fauſta evenient filio meo Iuda, uſque dum veniet is qui ei per vim regnum auferat, & quem venire nunquam vellet filius meus: præterquam quod oratio hæc inſulſa admodum foret, & tam luculenta prophetia parum digna. Etſi enim diffiteri non poſſimus, videri in hiſce vaticiniis aliquando conjungi aut prædici ſimul bona ac mala, ut *verſ.* 3. ubi de Rubene agitur, ſed inprimis *verſ.* 7. ubi de Simeone & Levi eſt ſermo; tamen ut idem hîc admittamus nulla ratio eſt. Ibi manifeſta eſt maledictio, & cauſſa maledictionis non obſcura. Hic ne ſpecies quidem maledictionis, nec ratio ulla aut cauſſa. Quamquam & hoc non abſimiliter à vero quis dicere poſſet; Nullas prorſus maledictiones hiſce vaticiniis contineri, aut prædictiones malorum propriè dictorum; nedum in hac quæ de Iuda eſt, quæ à capite ad calcem non niſi benedictiones luculentiſſimas continet. Nam quod ad ea attinet quæ ad Rubenem dicuntur, ea non continent prædictionem mali alicujus ei eventuri, ſed tantum degradationem à primogenituræ dignitate. Quod verò ſpectat ea quæ de Simeone & Levi dicuntur, ea non continent niſi facinoris ab iis perpetrati deteſtationem, & prædictionem diſtributionis eorum per omnes tribus; quæ ut ut pœnæ inſtar videtur prædici, tamen benedictionem potius continet quam maledictionem: quia diſtributio illa poſtea tribui Levi non ceſſit niſi in ingentem benedictionem, gloriam & honorem; & Simeoni proinde etiam, utpote fere tribui Iudæ aut Leviticæ ſemper indivulſe adhærenti, & parem cum illis fortunam ſortienti. Quare benedictiones potius continere dici debent vaticinia hæc Iacobi, quam malorum prædictiones. Et hoc textus indicat *verſ.* 28, cum Iacobus dicitur benedixiſſe filiis, & unicuique juxta benedictionem ſuam benedixiſſe, & quidem benedictionibus quæ *verſ.* 26 dicuntur fortiores fuiſſe, aut futuræ, quam benedictiones omnium ejus progenitorum.

Unum his addo: video à quibuſdam negari conſequentiam argumenti noſtri, quam diximus antea probationis non indigere. Dicunt enim non ſequi, *Non auferetur ſceptrum à Juda, &c. donec veniat Siloh:* ergo auferetur quando venerit. Phraſin enim iſtam, *donec venerit*, id non poſtulare, ut finis indicetur rei iſtius cui ſubjungitur, ſed tantum ut indicetur futuritionis certus eventus, ſive potiùs certa rei futuritio; uti videre eſt *Geneſ.* XXVIII. 15. *Non deſeram te donec fecero quod locutus ſum tibi*: ubi manifeſtum eſt Deum non id velle, ſe impletis promiſſis Iacobum deſerturum eſſe, ſed ſe certo impleturum ſua promiſſa, ita ut ille id experturus ſit reipſa tum, & porro ſemper. Similiaque loca plura ſunt. Reſpondeo: Argumenti noſtri conſequentia non nititur phraſi iſta, quam agnoſcimus iſtum ſenſum aliquando admittere; ſed nititur re ipſa, ſive rei eventu. Neque enim ſic argumentamur: Si non auferetur ſceptrum à Iuda donec Meſſias venerit, ergo quando venerit auferetur; ſic enim niteretur argumentum phraſi iſta: Sed ſic argumentamur: Si non auferetur ſceptrum à Iuda donec venerit Meſſias, ergo certum ſignum eſt veniſſe Meſſiam, quando ſceptrum à Iuda ablatum eſt. Hæc conſequentia Sole clarior eſt, & de ea diximus quod probatione non indigeat.

*Examen ſecundæ exceptionis, hîc non agi de ſceptro dominationis, ſed contra de virga caſtigationum.*

Secunda exceptio Judæorum ad hoc argumentum noſtrum eſt: Locum hunc ſic accipi poſſe, ut in eo non agatur de ſceptro, quod dominationis atque imperii inſigne eſt, ſed contra de virga caſtigationis quæ imperio contraria eſt: ita ut ſenſus ſit, Non tolletur caſtigatio à Jehuda, id eſt ab Iſraelitis, qui vocantur יהורים Jehudim, & legiſlator è medio pedum ejus; hoc eſt, ſemper erunt quaſi in portis eorum inimici, qui leges iis præſcribant, & gravibus exactionibus eos vexent atque urgeant. Ita R. Joel Ben Suel. Vult hic Rabbinus Jacobum prædicere tribui Judæ, uſque ad adventum Meſſiæ, graves calamitates, exactiones, tyrannidem, oppreſſionem, exilium & captivitatem, & quidem hanc ipſam qua hodieque miſeri Judæi detinentur, eamque duraturam eſſe uſque ad Meſſiæ adventum, per quam ab ea liberandi ſint.

Reſpondeo 1. Exceptio hæc novitium prorſus commentum eſt, & omnibus Thargumim ſive paraphraſibus repugnat, uti ex antedictis patet, & ex veteribus Hebræis Thalmudicis Cod. Sanhedrim, lib. 1. pag. 5. & Cod. Horacath. cap. 3. pag. 11. item ex recentioribus quos novem numero recenſet Buxtorfius. 2. Incertum eſt an vox שבט ſimpliciter prolata unquam aut uſpiam in Scriptura ſignificet virgam caſtigationis. Alia enim eſt ratio quando cum verbo viſitandi aut ſimili juncta legitur, ut *Pſal.* LXXXIX. 33. aut quando ex re ſubjecta patet non poſſe aliud quid quam virgam caſtigationis notare, ut *Proverb.* XIII. 24. Saltem duo iſta loca quæ allegari ſolent ex *Eſa. cap.* X. 5. *Aſſur virga furoris mei, & virga quæ eſt in manu eorum, eſt ira mea.* & *Pſal.* II. 9. *Conteres eos* בשבט ברזל *baſchebet barſel, in*, vel cum *virga ferrea*, non neceſſario de virga caſtigationis accipi debere, ſed de dominio atque imperio, poteſtate delendi prædito atque armato, intelligi poſſe certum eſt. Aſſur enim virga furoris Dei dicitur, non niſi per accidens, ratione Dei poteſtate & imperio ejus utentis, ad caſtigationem Iudaici populi ſui. Per ſe autem virga quæ in manu Aſſur erat ſignificat dominium atque imperium Aſſyrium, quo populos ſibi ſubjugare & ſubdere conſtituebat Aſſur. Subjugatio autem illa per ſe eſt ſceptri ſive Majeſtatis actus: per accidens, punitio vel caſtigatio. Majeſtas enim omnis non modo Legibus armata, ſed armis ac pœnis etiam decorata eſt. Sed ego hoc argumento pugnare nolim. Quare dico 3. Etiamſi iſtud concedatur, tamen indubium eſt duo iſta, imprimis ſimul juncta, שבט & מחקק nunquam in malam partem accipi. quod non obſcure indicant Rabbini iſti, qui verba illa ultima, *Et Legiſlator de medio pedum ejus*, exponenda eſſe ajunt in bonam partem, videlicet quamvis caſtigatio à Iuda non ſit auferenda, fore tamen ut in medio pedum ejus ſint Legiſlatores, id eſt, divinæ Legis conſulti ac juriſperiti, per quos edocendi ſemper ſint, ne ſub cruce divinæ Legis obliviſcantur. Et ſane vox מחקק in bonam ſemper partem accipitur, & Legiſlatorem notat vel ſcribam: *Deut.* XXXIII. 21. *Eſa.* XXXIII. 22. *Pſal.* CVIII. 9. Exactorem ſignificare vix crediderim. 4. Iuxta hanc expoſitionem ſequeretur, in hoc vaticinio prædici afflictionem, crucem, exilium ſimul ac captivitatem, tribui Iudæ eventuram, non autem cæteris. At quæ crux, quæ afflictio, evenit iſti tribui, quam non habuit communem cum cæteris? Rectius ſanè decem tribubus in Aſſyriam per Salmanaſſarem abductis, ſine ulla ſpe reditus & reſtitutionis in terram ſuam, virga iſta caſtigationis tribueretur. At iis, imo nulli earum, talis calamitas eventura prædicitur in his vaticiniis, ſed contraria omnia. 5. Falſum eſt, nunquam ablatam fuiſſe virgam caſtigationis à tribu Iuda, uſque ad adventum Meſſiæ; Contra, nihil certius veriuſque, quam quod tribus Iuda, non modo non magis fuerit afflicta quam ullæ aliæ tribus uſque ad Davidis tempora;

ſed

ſed etiam quod à temporibus Davidis, Salomonis, cæterorumque regum Juda, uſque ad Sedechiam ultimum Regem Juda, Judaicum imperium præclare floruerit; ita ut vel in alta pace ſteterit, vel utplurimum vicinis omnibus populis, excuſſo ſervitutis jugo, jura dederit, aut terrorem incuſſerit. Saltem dubium non eſt, virgam imperii ac regni Judaici, ex eo tempore ſtetiſſe per annos plus minus quingentos, & quidem cum titulo regio ſive Monarchico: Non quaſi regia illa Majeſtas, proprie dicta, conſtitueret imperium ſive regnum Judaicum: (Sic enim ſtatim poſt Sedeciam abductum in Babylonem deſiiſſet, & ſceptrum ei ablatum fuiſſet:) Sed quia ſtatus ille regius ſive Monarchicus, primus ſtatus fuit, qui in Judaico populo obtinuit: cui etſi tum in captivitate, tum poſt captivitatem ſucceſſerit, uti non pauci volunt, ſtatus Ariſtocraticus, idcirco tamen ſceptrum, ſive majeſtas imperii, ablata ab eo dici non poteſt. Quicunque enim populus ſua quadam Repub. ſive ἀυθρομίας & νομοθεσίας ſuiſque legibus utitur, apud eum eſt ſceptrum & Majeſtas imperii.

Ex quo colligo, Tantum abeſſe, ut virga afflictionis Judaico populo ſemper incubitura dicatur in hoc vaticinio, ut contra, ex illo tempore, quo populus Iſraelis, Judaicus populus, à tribu Juda, (poſt ſeceſſionem videlicet decem tribuum ab ea) proprie denominari cæpiſſet, cum antea Iſraelis ſive duodecim tribuum Reſpublica eſſet & vocaretur, ſceptro ſemper & imperio potitus fuerit, adeoque in ipſa captivitate Babylonica ἀυθρομίαν ſuam & νομοθεσίαν ex indulto Regum Babyloniæ retinuerit. Neque vero refert, quod poſt liberationem ex captivitate Babylonica, populo iſti præfuerunt non ſemper Reges Principeſque, ſed aliquando optimates Pontificeſque ex tribu Levi, aliquando Reges Principeſque. Sub vario enim ſtatu iſto eadem ſemper manſit Reſpub. Judaica, ac proinde eadem populi Judaici Majeſtas, quæ in jure atque in uſu ſummæ poteſtatis conſiſtit: Nam ut Seneca Neroni dixiſſe recte legitur, Reſpublica non eſt Principis, ſed Princeps Reipublicæ. Atque hoc eſt illud, quod maxime reſpexiſſe videtur divinus ſenex, in hoc vaticinio ſuo. Nempe tribui Judæ hoc dignitatis atque honoris privilegium aliquando datum iri, quod Reſpub. Dei tota penes eam ſolam manſura ſit, & ab ea ejuſque nomine, non autem ab ullius alterius tribus nomine Reſpnblica Judaica denominanda ſit. Deinde quod alia ac diverſa ejus ratio ſit futura, quam decem tribuum; quia etſi hæ ſceptrum aliquando & aliquamdiu habituræ ſunt, ab iis tamen illud aliquot ſeculis ante Meſſiæ adventum auferetur: A Juda vero nunquam. Nempe ex eo tempore, quo appellabitur Judaica Reſpub. habitura ſemper ac perpetim eſt Rectores, Duces, Reges, Principes, Dynaſtas ſuos: quicunque aut qualeſcunque ii tandem erunt, penes quos ſceptri atque imperii Majeſtas perduratura erit, uſque ad tempora Meſſiæ. Etſi vero negari non poſſit, ante illud tempus magnam atque ſingularem fuiſſe excellentiam tribus Juda in populo, eique partim ob primogenituræ prærogativam Judæ ſupra Rubenem, Simeonem, Levi à Deo collatam; partim divino juſſu atque oraculo præeunte, primum atque honoratiſſimum ſemper locum adſignari ſolitum, ſive caſtra movenda, ſive munera in templo offerenda, ſive terra diſtribuenda, ſive populus recenſendus eſſet: uti *Num.* x. 14. *Num.* vii. 12. *Joſu.* xv. 1. & 1 *Samuel.* xv. 4, &c. videre eſt. tamen id omne non videtur proprie ſpectare ad hoc vaticinium de Juda. Quia honor iſte non fuit honor ſceptri atque imperii, quod Judæ in populo & à populo datum fuerit: ſed tantum honor ordinis, ob primogenituræ & per conſequens nobilitatis prærogativam. Apparet res hæc ex eo, quod iſta omnia adtributa fuerint tribui Juda temporibus Moſis, Joſuæ, Judicum, Saulis etiam Regis populi à Deo conſtituti. At penes iſtos erat jus imperii ſive ſceptri Majeſtas: quos tamen, duobus exceptis judicibus, Othoniele & Ibtzane, omnes conſtat fuiſſe non ex tribu Juda. Iſtis itaque ſubfuit non præfuit Juda. & populus totus tum nondum dicebatur Judaicus populus, ſed Iſrael; neque populus, Judæ populus erat, ſed duodecim tribuum. Ex quo etiam conſequitur, etſi tribus Juda in Davide primum ad principatus ſummum culmen evecta fuit, & in eo quaſi jure ſceptri atque imperii donata, tamen ne iſtud ipſum quidem proprie eſſe, id quod divinus Patriarcha prædicit hoc in loco: quia etiamſi tum in populo & Repub. iſta imperabat David, qui erat è tribu Juda, tamen idcirco populus & Reſpubl. tota non appellabatur populus & Reſpublica Judaica, non magis quam Reſpub. Iſraelis, Reſpublica Benjaminitica appellabatur, quando Rex ejus erat Saul, qui ex tribu Benjamin erat. Erat & manebat, uti ſub hoc ita ſub illo, Reſpub. duodecim tribuum, & ſceptrum perſonæ aut potius populi erat, non tribus. At quando tribus Juda, ſciſſo in contrarias partes populo, in fide Dei ſui manſit, & ſuam ſibi Rempub. diſtinctam à Repub. decem tribuum, ſive ſeorſim habere cœpit ab Iſraelitis, quam probavit dilexitque Deus, tum vero demum vaticinium hoc impleri cœptum eſt, poſt antegreſſa illa præludia: quia tum Juda proprie ſceptrum habuit, populuſque totus, de ſolo ejus nomine Judaicus dictus fuit, ſive ii qui populum moderabantur, ex hac vel ex illa tribu eſſent, ſive ex hoc ſive ex illo populo. Nec enim dubitandum eſt, quin Reſpub. iſta, quando ei præerant Levitæ Haſmonæi, aut Herodes Idumæus, aut quicunque alius, eamque ex legibus & more populi regebant, Reſpublica ſemper manſerit Judaici populi, eaque nomenclatura ubique venerit, uti ex antedictis liquet, & ex hiſtoria temporum manifeſtum eſt. Quibus ſi addatur quod quidam volunt, Coronam regni ſemper manſiſſe in poteſtate tribus Juda, & penes eam fuiſſe Regis aut ducis electionem, judiceſque & Senatores ex illa, tanquam quæ totius Reipub. fundamentum erat, non paucos ſemper fuiſſe, qui ſummam imperii quibus volebant deferebant, uti Machabæis ob zelum & fortitudinem eam detuliſſe leguntur, vix reſtat aliquid quod ad vaticinii hujus plenam cognitionem, & exceptionis iſtius ſolutionem deſiderari poteſt.

*Examen tertiæ exceptionis: non auferendum ſceptrum à Juda quando Meſſias venerit.*

Atqui tamen, inquies, tertia exceptione utuntur Judæi. Fateor, ſed frigida ſane ac frivola. Ea hæc eſt: Admittunt in verbis his agi, non de virga caſtigationis, ſed de virga ſive ſceptro imperii ac dominii, voceſque שבט & מחקק non niſi violenter detorqueri in malam partem. Attamen verba textus ſic accipiunt, ut iis non indicetur, quod ſceptrum non ſit à Juda auferendum priuſquam veniat Meſſias, quaſi ſcilicet auferendum ſit poſtquam venerit, aut ablatio ſceptri nota adventus ejus antegreſſi ſit futura; ſed contra, ſceptrum à Juda non eſſe auferendum poſtquam venerit Meſſias. Sic enim verba textus legenda eſſe, aut legi ſaltem poſſe ajunt, ut poſt voculam עד interpunctio fiat & pauſa, aut diſpunctio ejus à ſequente particula כי hunc in modum: לא יסור שבט מיהודה ומחקק מבין רגליו עד: כי יבא שילה. *Non recedet ſceptrum de Juda, neque Legiſlator de inter pedes ejus in æternum: Quia,* vel *quando veniet Siloh.* Et lectionem hanc, quæ R. Bechai authorem habet, confirmant ex eo quod accentus Jethif reperiatur in voce עד, cujus vis eſt ſuſpendere ſententiam & à ſequenti voce diſpeſcere. Exceptio hæc ut ut prima ſtatim fronte videatur diluta & quæſita, ſpeciem tamen videtur nanciſci ex eo, quod paſſim in Scripturis Meſſiæ regnum, & propter illud, Judæ, id eſt Judaici populi, regnum æternum futurum dicatur. Quare propius paulum eam videamus. Reſp. itaque 1. Hanc exceptionem, perinde uti duas priores, repugnare Thargumin omnibus, quæ particulas iſtas עד כי *ad Kj*, conjunctim legunt & interpretantur, per עד זמן דייתי id eſt per, *uſque ad tempus quo veniet.* 2. Etſi vocula עד in Scriptura non raro ſignificet, ſeculum & æternitatem, ut *Eſa.* lvii. 15. *Pſal.* xlviii. 15. *Job.* xx. 4. vix tamen unquam, imo nunquam quando conjuncta legitur voculæ כי vel אשר ſignificat æternum, aut ab iſta vocula diſpeſci poteſt. Vide *Numer.* xx. 17. *Judic.* iv. *verſ. ultimo.* Nec exemplum hactenus ullum ab ullo Rabbino allatum vidi in contrarium. De accentu Jetif quod ajunt, contra leges דקדוק ſive Grammaticæ peccant, cum ex eo pauſam faciunt. Tum in textu non eſt accentus Jetif, ſed pauſa Athnach ante voculam עד, quæ ſignificat eam non connectendam eſſe cum præcedentibus, ſed cum ſequente particula כי, cui ordinarie imo ſemper adhæret.

Quod ſi forte has rationes non multum curent Judæi, tum has addimus: 1. Nullo pacto veriſimile eſſe Jacobum hic prædicere ante triginta & tria ſecula, quid eventurum tandem, poſt decurſum incertum quot mille ſeculorum, ſit tribui Juda, cum cæteris omnibus filiis prædicat quæ non multo poſt eventura erant. 2. Nullo pacto veriſimile eſſe, Jacobum prædicere æternum regnum tribui Judæ, poſt adventum Meſſiæ demum erigendum, cum Scriptura paſſim aſſerat Deum Davidi primo ex tribu Juda Regi, æternum regnum promiſiſſe: 2 *Chronic.* xxiii. 5. *Pſal.* lxxxix. 34. 35. 36. & 2 *Sam.* vii. 15. *&c.* Hæc ſane promiſſio, tam longe ante Meſſiæ adventum facta, non obſcure arguit, ſceptrum quod à Juda non auferendum dicitur, ſceptrum eſſe quod Juda ante adventum Meſſiæ in Davide filio ſuo habuit, & quod in Meſſia, Judæ ac Davidis filio, excellentiſſima ratione perpetuandum erat, id eſt, non abolendum proprie, ſed perficiendum. 3. Id quod hanc exceptionem potentiſſime refellit eſt, quod Daniel, *cap.* ix. *verſ.* 26, apertè dicat, futurum ut poſt lxx hebdomadas excidatur Chriſtus, antequam veniat ducis futuri populus, & deſtruat urbem ac ſanctuarium. Inde ſic colligo: Si Meſſias exſcindendus eſt, antequam deſtruatur urbs cum ſanctuario; vel ſi urbs cum templo & ſanctuario exſcindi debuit poſt Meſſiæ adventum; ergo ſceptrum in Juda, non demum poſtquam Meſſias venerit, æternum futurum promittitur. Nam urbs illa ſedes imperii, & regni eſſe debebat, quod & Judæi fatentur. Atqui,

juxta

juxta Danielem, urbs illa cum ſanctuario & templo exſcindetur poſt adventum Meſſiæ, imo poſt ejus excidium. Ergo ſceptrum Judæ poſt adventum Meſſiæ ſemper manſurum non promittitur; ſed contra, tum auferendum eſſe prædicitur. Excidium enim urbis & ſanctuarii, eſt excidium regni, & ſceptri ablatio. Hoc argumentum peremtorium eſt contra Judæos, ſi modo evincatur, in iſto capite Danielis per Chriſtum, Meſſiam Regem promiſſum intelligi; quod ita eſſe poſtea conabimur oſtendere.

Hiſce quæ diximus non obſtat, id quod ante indicavimus, ſpeciem dare huic exceptioni, videlicet quod paſſim in Sacris Scripturis regnum Meſſiæ, & in eo regnum Judæ, æternum futurum dicatur. Nam 1. Regnum illud Meſſiæ non erit regnum Iuda, ſed regnum populi totius, id eſt, duodecim tribuum; quæ antea tribui Judæ conjunctæ conſtituebant, non regnum Judæ, ſed regnum Iſraelis, in quo tribus etiam Juda, licet cæteris prior nobiliorque, continebatur. 2. Regnum Meſſiæ in textu non dicitur futurum unum idemque cum regno Judæ, ſed à regno Juda contradiſtinguitur, imo ei opponitur. Regno enim Juda ſublato, regnum Meſſiæ exſtiturum dicitur, in ejuſque locum ſucceſſurum; non tanquam regnum iſti regno plane contrarium, ſed tanquam multo amplius, dignius, perfectiuſque. Imperfectum enim à perfectiore aboletur. 3. Regnum Meſſiæ ſi omnino dicatur regnum Juda, quatenus Meſſias ex tribu Juda oriundus erat, tamen non dicitur, nec erit regnum Juda, niſi quatenus regnum erit Davidis, quod perpetuum fore promiſſum eſt, quodque ut tale in Meſſia erat perpetuandum. Unde ſic argumentor; Si Davidis regnum perpetuandum eſt in Meſſia Davidis filio, ergo Meſſias venit. Sed perpetuandum eſt in Meſſia Davidis filio: Ergo, &c. Minor hinc liquet: Davidi promiſſum eſt regnum æternum, uti ex antedictis liquet: Ergo niſi in Meſsia perpetuatum ſit, neceſſe eſt ut dicatur interruptum jam eſſe, quia regnum Davidis jam nuſpiam eſt, & per tot ſecula eſſe deſiit. Ut interruptum dicatur & quidem tot ſeculis, fieri non poteſt; quia regnum Davidis ſic interruptum eſſe, ac ſimul æternum eſſe contradictionem implicat notoriam. Sed de hac re paulo poſt uberius agetur. Concludimus ergo veriſimum eſſe, quod Meſsias venerit, in quo, veluti promiſſo Davidis filio, regnum Davidis perpetuatum eſt.

*Examen quartæ exceptionis, ſceptrum manſurum fuiſſe à Juda ablatum.*

Huic tam manifeſtæ veritati quia obluctari ſe non poſſe vident acutiores Rabbini, ad *quartam*, quam diximus, exceptionem confugiunt, veluti ad ultimam & ſacram anchoram. Ea hæc eſt: Concedunt tribui Judæ collatam ſceptri dignitatem, imprimis à Davidis tempore, & dignitatem quæ ab ea auferenda non erat uſque ad Meſsiæ adventum. Sed negant eam unquam ab ea ablatam fuiſſe, hodieque adhuc eam in iſta tribu perdurare in Babylonia, civitate ſive provincia Bagdad vocata, à nomine Monachi cui nomen Bagdad, quam dicunt ſedem eſſe Calipharum Abaſidarum. Id colligunt ex itinerario R. Benjaminis Tudelenſis, quem in Chronico ſuo Abraham Zacouthi magnum illud luminare vocat, cujus Sol toti Iſraeli exortus fuit. In eo ſcribit ſe reperiſſe in civitate Bagdad ferme mille Judæos, tranquillitate ac quiete fruentes, imo gloria magna, ſub maximi Caliphæ imperio; decem Synedria, iiſque omnibus præfectum quendam Danielem filium Haſdai, qui exulum caput vocabatur ראש גלות & Dominus noſter ארונינו, & genealogiam ſuam uſque ad Davidem ſcripto deducere poterat. A Muhammedanis vocabatur, ait, Dominus noſter, filius Davidis. Latiſsimum huic dominium in omnes Iſraelitarum cætus datum à Muhammedanorum Domino ſigilloque ejus firmatum eſſe aſſerit; quin & ab eo Iſmaelitis & Judæis omnibus edictum ac mandatum eſſe, ut obvio aſſurgant & ſalutem dicant; ſi nolint, centum plagis inobedientiam luant. Addit, Quoties magnum regem ſalutatum procedit, eum comitari equites, cum ex gentibus, tum ex Judæis, & præfectos acclamare, Parate viam Domino noſtro, filio Davidis, &c.

Reſpondeo 1. Fides hujus rei pendet ab uno hoc Benjamine, quem merito ſuſpectum habere decet: 1. quia non pauca in itinerario iſto ſuo narrat, non modo non digna fide, ſed prorſus fabuloſa; quale eſt illud de hominibus ſacco vel potius boum pellibus ſe includentibus, &c. pag. 111. 2. quia locus iſte nulli alii unquam viſus aut compertus eſt. 3. quia orientalium locorum ac rerum ſagaciſsimis ſcrutatoribus, de iſta civitate, Davidicæque familiæ proſapia aut ſtirpe, etiam adhibita omni diligentia, ne γεὼ quidem potuit hactenus innoteſcere. 4. quis credat Iudæos hîc illic ſub duro ſervitutis jugo miſere gementes, aut ſaltem Orientales, iſti provinciæ ac civitati viciniſsimos, non eo confertim gregatimque advolaturos, alioſque ſecum tracturos eſſe, ſi perſuaſi eſſent rem ita ſe habere, uti narrat Benjamin? At jam anni tantum non quingenti ſunt à morte hujus Benjaminis, qui obiit anno à nato Chriſto 1173, neque tamen repertus quiſquam eſt, qui aut ad locum iſtum ſe contulit, aut de eo ſimile quidquam teſtatus eſt. Si dicas, ſitum regnorum in deſerto Chabor latere; quæram quomodo itaque ad eum pervenit ac penetravit Benjamin? Sed & non latere ex eo colligitur, quod Benjamin ipſe, hunc Davidis filium uſque adeo extollat, ut ab eo omnes cœtus Babyloniæ, Perſidis, Choreſanis & Schebæ, nec non Diarbech totiuſque Syriæ interamnis, regionis Kot, (cujus incolæ montes Ararat inhabitant) & Alaniæ, totiuſque Turciæ uſque ad Africæ montes, item regionis Gergenorum, uſque ad flumen Gihon (in qua Gergeſæi ſive Georgiani habitant, religione Chriſtiana imbuti) imo uſque ad clauſtra provinciarum & regionum præſtantiſſimarum, ad ipſam Indiam uſque; omnes, inquam, hos Iſraelitarum cætus dicat accipere ab hoc exulum capite poteſtatem, ſibi in ſingulis congregationibus profeſſorem & concionatorem præficiendi. Et addit, Conveniunt ipſum, ut manuum impoſitione poteſtatem accipiant; & ab ultimis finibus dona & munera deferunt. Locus itaque non eſt invius, ſed pervius, imò acceſſu facilis; quippe, in quem commeare & remeare neceſſe eſt tot homines, ordinis ſive poteſtatis docendi adipiſcendæ cauſſa, & in quem deferri poſſunt ac deferuntur tot dona ac munera. ut jam non dicam, Abraham Peritſol in libello ſuo Orchoth Olam, cap. 14. deſcribere accuratè viam, qua eò perveniri tuto poteſt. 5. Quis credat iſtic tam exactam tribuum diſtinctionem & genealogiam familiæ Davidicæ tam accuratam adhuc ſupereſſe, cum per diſperſiones & ἀλλογενεῖς tam crebras, tam enormes, tanta Judæorum cum reliquis nationibus commixtio facta ubique ſit, ut impoſſibile ſit, ipſique adeo Judæi fateantur impoſſibile eſſe, certò ſcire quinam ſint ex tribu Juda, & eos ab aliis ἀκριβογενεῖτας diſcernere.

2. Hiſce addimus rationes duas, quæ Judæorum exceptioni jugulandæ ſufficiunt: 1. Poſito itinerarium iſtud Benjaminis fide dignum eſſe, nulla tamen in eo mentio fit ſceptri, quod iſte filius Davidis habeat in Bagdad. dicitur quidem Calipham ei honorem velle deferri, & renuentibus pœnam Malcut infligi juſſiſſe. At eum jus gladii ei dediſſe nuſpiam legitur. Synagogæ & Synedria in ea conſtituta leguntur, eorumque caput eſſe dicitur hic Ben David: ſed ea ſub voce מחקק comprehenduntur. At præter מחקק etiam שבט promittitur Judæ, id eſt, jus gladii & poteſtas vitæ ac necis. (ut jam non dicam, id ei promitti in terra ipſa ſancta, ac non extra eam, uti res videtur poſtulare.) Hanc autem ibi filium Davidis habere, non aut ſaltem non clare indicat Benjamin. 2. Poſito denique etiam hoc à Benjamine aſſeri, quid fiet Rabbinis iſtis omnibus, qui Scripturæ textus interpretantes, in exilio ſuo omni ſe dominio ac poteſtate privatos ac deſtitutos fatentur? Sic D. Kimchi, in comment. ſuo ad verba *Hoſ.* III. 4: *Dies multos manebunt filii Iſraelis abſque Rege & abſque Principe.* adnotat; *Hi ſunt dies exilii in quo hodie ſumus: nec Regem nec Principem ex Iſraele habemus, ſed in poteſtate gentium ſumus, & in poteſtate Regum ipſorum & Principum eorum.* Abravanel in comment: ad *Eſa.* LIII. 8. ſic ait: *Præterea meminit* (inquit) *tertii generis malorum exilii, nempe quod penes Iſraelitas non ſit regnum, nec dominium, nec ſceptrum judiciale:* Addit inter alia; *nec Synedrium quidem.* Maimonides in Codice Berach fol. 58. *Ab eo tempore quo è terra noſtra migravimus, non habemus occidendi poteſtatem.* Quare deſertum hoc Chabor, & Bagdad hæc Benjaminis, non eſt niſi mera Utopia; ac proinde etiam exceptio Judæorum, ejus narratione ſubnixa, Menippæum ſomnium.

*Examen quintæ exceptionis quæ fieri poſſet; hîc agi de jure Domini, non de facto.*

Unicum forte adhuc reſtat, quod regerere quiſquam Judæorum poſſet, contra principale argumentum noſtrum; vaticinium hoc agere de jure dominii quod penes tribum Juda ſemper manſurum dicatur, non de facto; ac proinde etiam prophetiam hanc ſibi conſtare in hoc eorum exilio, quia reſtituendum illud aliquando erit tribui Iuda. Reſp. 1. Atqui textus non de jure dominii, ſed de facto ſive juris exercitio loquitur, uti ex ſubjuncta voce מחקק manifeſtum eſt. 2. Repugnat hæc expoſitio promiſſionibus illis omnibus, quibus Davidi ſolium & ſceptrum æternum promittitur, uti ex antedictis patet. Dices: Non repugnare iſtis promiſſionibus, ſi dicatur regnum Davidis aliquando interruptum fuiſſe, uti in captivitate Babylonica. Reſp. 1. Atqui omnino repugnaret, ſi tum regnum ſive ſceptrum interruptum fuiſſet. Hinc interruptum eſſe ipſi Iudæi hodieque negant, plerique ſaltem. Et nos idem ſimiliter negamus. Tum enim non ablatum nec interruptum fuit ſceptrum Davidis, ſed tantum tranſlatum. Certum enim eſt, in Babylonica captivitate Iudæos ſuam politiam, ſuos rectores, ſua judicia, tum civilia, tum criminalia, de facto habuiſſe, ipſoque Talmude fatente, ſceptrum tum fuiſſe apud exules, non minus

quam

quam apud reduces, etsi precario & ex concessione regum Babyloniæ, apud quos quanto in honore fuerint, unicum Danielis exemplum satis arguit, quem universo imperio Babylonio, non modo præfectum fuisse constat ex *cap. Daniel.* II. 48. & VI. *vers.* 2. 3. 4. & usque ad finem exilii sive captivitatis, *cap.* VI. *vers. ultimo*; sed etiam qui socios suos ad honores & dignitates evexisse legitur, *cap.* II. 49. ut jam non dicam de Joachino Rege, quem è carcere eductum cæteris omnibus regibus prælatum fuisse, & mensæ regiæ adhibitum, legere est, *Jerem.* LII. *vers.* 32. Et quod hanc rem maxime confirmat, est, quod Daniel ipse diserte dicat, LXX hebdomadas præcisè determinatas esse super urbem & populum. Itaque tum demum regnum desiit, cum desiit esse populus. Atqui in captivitate Babylonica urbs quidem desiit, sed vero mansit populus, beneficio Sanhedrim & αἰχμαλωσίας sui sibi adhærens & cohærens. 2. Si omnino concederetur interruptio aliqua sceptri facta per captivitatem Babylonicam, quid ea haberet commune cum hac calamitate & exilio Judaico? Illa in captivitatem & terram alienam abductio interruptio videri posset, quia non duravit nisi per LXX annos, eosque à Deo prædictos & definitos, cum adjuncta promissione reductionis in terram, & restitutionis in integrum. Hoc exilium vero, qua specie videri potest interruptio? Nempe ea duravit jam non LXX dumtaxat annis, sed plus quam vicies septuaginta annis, & nulla de reductione aut restitutione promissio est. Si imperia atque regna omnia mundi videas, nullum reperietur quod tam diu stetit, nedum floruit. Assyriorum imperio non tribuuntur plures quam mille trecenti anni à Nino, vel mille trecenti & quinquaginta quinque à Nemrodo sive Belo, juxta calculum ipsorum Babyloniorum, quem à sacerdotibus Babyloniis Callisthenes se accepisse scribit ad Aristotelem Alexandri Magni præceptorem. Medico & Persico imperio non tribuuntur nisi sexcenti anni. Græco sive Macedonico non nisi trecenti & triginta anni. Huic vero interruptioni jam mille quingenti, & triginta sex aut triginta novem anni debentur. Quid? an verisimile est interruptionem regni Judaici, longiorem esse ac diuturniorem quam ullius imperii durationem, imò æquare integram ipsius regni Judaici durationem, pene ab ejus primis incunabulis? Ea enim si computetur ab ipsa terræ partitione per Josuam facta, usque ad excidium Hierosolymitanum, non continebit nisi vicies bis septuaginta annos, id est, annos mille quingentos quadraginta. Concludimus ergo: Sceptrum à tribu Juda ablatum esse; quia nulla regni aut imperii species apud eam reliqua est, & ea tam manifeste dissipata est, ut non solum nullam dignitatem obtineat inter reliquas tribus, sed etiam discerni non possint qui ex ea sunt, ab aliarum tribuum posteris. Atque hanc dicimus esse illustrem illam notam, ex qua apparet id quod concludendum nobis erat, Messiam jam venisse, aut tempus adventui Messiæ destinatum multis retro seculis effluxisse.

## CAPUT VII.

### Idem probatur ex Haggæi cap. II. vers. 7. 8. 9. 10. Et ex Malachiæ cap. III. vers. 1.

SEcundus locus est *Haggæi cap.* II. *versu* 7. 8. 9. 10. עוֹד אַחַת מְעַט הִיא וַאֲנִי מַרְעִישׁ אֶת־הַשָּׁמַיִם וְאֶת־הָאָרֶץ וְאֶת־הַיָּם וְאֶת־הֶחָרָבָה׃ וְהִרְעַשְׁתִּי אֶת־כָּל־הַגּוֹיִם וּבָאוּ חֶמְדַּת כָּל־הַגּוֹיִם וּמִלֵּאתִי אֶת־הַבַּיִת הַזֶּה כָּבוֹד אָמַר יְהוָה צְבָאוֹת׃ *versu* 10 גָּדוֹל יִהְיֶה כְּבוֹד הַבַּיִת הַזֶּה הָאַחֲרוֹן מִזֶּה׃ הָרִאשׁוֹן אָמַר יְהוָה צְבָאוֹת׃ *Vers.* 7. 8. *Adhuc unum pusillum ipsum, & ego tremere faciam cœlos & terram & mare & aridam, & tremere faciam omnes gentes: & veniet desiderium omnium gentium: & implebo domum hanc gloria, dixit Dominus exercituum.* Et *vers.* 10. *Magna erit gloria domus hujus novissimæ, plus quam primæ, dixit Dominus exercituum.* Huic loco tanquam parallelum adjungo tertium locum, *Malach. cap.* III. 1. הִנְנִי שֹׁלֵחַ מַלְאָכִי וּפִנָּה־דֶרֶךְ לְפָנָי וּפִתְאֹם יָבוֹא אֶל־הֵיכָלוֹ הָאָדוֹן אֲשֶׁר אַתֶּם מְבַקְשִׁים וּמַלְאַךְ הַבְּרִית אֲשֶׁר אַתֶּם חֲפֵצִים הִנֵּה־בָא *Ecce ego mittens Angelum meum, & præparabit viam ad faciem meam, & statim veniet ad templum suum, dominator quem vos quærentes* (estis,) *& Angelus Fœderis istius, quem vos volentes* (estis.)

*Quomodo probetur ex Haggæi 2. & Malach. 3. tempus adventui Messiæ constitutum præteriisse.*

Ex hisce duobus locis sic argumentor: Non destruetur templum secundum priusquam venerit Messias, ergo certa nota est venisse Messiam, quando istud templum destructum atque eversum est.

Majoris consequentia eadem est cum priore, & pariter per se manifesta. Per *templum* autem hîc intelligitur totum Sacerdotium, uti per sceptrum antea, regnum sive imperium Judaicum intelligi diximus. Sacerdotium enim templo affixum erat, & cum templo ut desineret necesse erat. Regno etiam conjunctum erat, juxta dictum divinum, *Exodi* XIX: 6. *vos eritis mihi* מַמְלֶכֶת כֹּהֲנִים *regnum Sacerdotale.* Antecedens in utroque textu est: Quia dicitur utrobique venturus templo secundo adhuc stante. In illo; dicitur eum venturum brevi, postquam templum exstructum erit, (Haggæo enim prophetante inchoabatur) & templum deinde majore gloria repletum iri, quam primum fuerat repletum. In hoc; nam dicitur venturus in templum suum: quod videlicet tum quando Malachias ultimus prophetarum vaticinabatur exstructum erat.

Quod ad primum locum attinet; asserunt plerique Rabbinos in Talmude olim locum istum de Messia ac diebus Messiæ interpretatos esse. Sic enim legi in libro Sanhedrim, locum hunc exposuisse R. Akiba, attestante istud R. Salomoh Jarchi, ad marginem dicti hujus Akibæ, in hæc verba, Hunc locum R. Akiba de diebus Messiæ exposuit. Hic autem R. Akiba fuit Doctor Misnicus, floruitque duodecimo seculo. Quanto in pretio hic fuerit indicat R. Eliezeris encomium: כל חכמי ישראל לפני כקליפת השום חוץ מן הקוה הזה Omnes sapientes Israelis coram me sunt instar tunicæ allii, hoc calvo excepto, id est, R. Akiba qui calvus erat. Imo tantopere hunc extollunt, ut Spiritum sanctum super eum, sicut super LXX seniores, quievisse asserant: quod tamen minime quadrat cum electione falsi istius Messiæ, Bar-Cozbæ, cujus hic fuit armiger. Sed ne illorum judicio stare videamur, (In codice enim Sanhedrim non reperio ista Akibæ verba:) apparet rei veritas ex textu ipso: quia de gentium desiderio loquitur, idque venturum esse diserte ait, post commotum cælum, terram, mare atque aridam. Per *desiderium* autem *gentium*, Messiam intelligi prorsus vero-simile est, ob has rationes: 1. Iste enim titulus, est titulus Messiæ Regis; qui non modo Israelis, sed & gentium omnium, Rex futurus dicitur, contra distincte ab aliis omnibus Regibus, uti jam ante diximus, & dignus propter quem cælum, terra, mare & arida commoveretur. Ut per *desiderium gentium* intelligantur desiderati ex gentibus, quasi videlicet Deus hos magis quam illos ex gentibus desideret, non convenit Scripturæ phrasi, quæ semper generatim de vocatione gentium loquitur: *Nõ populus meus, vocabitur populus meus: Hos.* I. Ut per *desiderium* חמדת intelligantur ea quæ gentes desiderant, & apud eas in summo pretio sunt, puta aurum, argentum, lapides pretiosi, &c. quasi legeretur; venient gentes cum his rebus quæ desiderantur, quia videlicet verbum באו plurale est, & quia Esaias dicit *cap.* LX. 6, *Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes*; non finit id quod Deus subjicit: *Meum est aurum, meum est argentum.* Id enim significat Deum istarum rerum rationem non habere, tanquam si illa ad gloriam templi sui facerent. Quare verisimilius, si non omnino certum est, per *desiderium gentium* intelligi Messiam; non quidem isto sensu, quasi gentes jam tum desiderarent, atque exspectarent talem Regem; sed hoc sensu, quia cum advenerit Rex, gentes omnes, quasi desiderio regni ejus cœlestis concitatæ, ad eum confluent, & ei se dedent, juxta vaticinia *Esa.* LII. 15. & LXV. *vers.* 1. *Zach.* II. 10. Huic accedit 2. quod locus Malachiæ, quem huic parallelum esse constat, diserte hunc nominet dominatorem illum quem Judæi quærunt, & legatum Fœderis quem optant: tanquam dominatorem verum, qui non modo Israeli, ut David, nec tribui tantum Juda ut cæteri Reges ab eo descendentes, nec in terra tantum Palæstina dominaturus sit, sed terræ universæ dominator futurus est. 3. Quia nisi de Messia accipiatur, fieri non potest ut intelligatur quod Propheta ait, *Majorem futuram gloriam domus hujus*, id est, templi posterioris, τῆς ὕστερον οἴκου τῆς πρώτης, *gloria prioris.*

*Quinque desiderata fuerunt in secundo templo, quæ erant in primo.*

Nam templum primum longo post se intervallo reliquit hoc secundum templum, ut gloria hujus cum istius gloria ne conferri quidem mereatur. Neque differi hoc possunt Rabbini, cum & ipsi agnoscant, quinque divinæ gloriæ signa atque insignia defuisse templo secundo, quæ in primo fuerant, idque indicari verbo ואכבר *veecabda*, juxta glossam R. Solomonis, quo propheta Haggæus usus fuerat *præced. cap. vers.* 8. utpote in quo desideratur scripta litera ה in fine, quæ quinarii numeri nota est: Nempe 1. Urim & Thumim, id est, lapides istos duos, per quos Deus à Pontifice summo consultus, responsa ei dabat, eo quem in præcedentibus declaravimus modo. 2. Arcam Fœderis, ex qua Deus Pontifici summo aut Regi consulenti oracula reddebat voce clara, sed quæ non nisi à consulente audiebatur. 3. Ignem cœlitus delabentem, & veluti leonem in altari cubantem ac vi sua repente consumentem holocausta ac sacrificia. 4. שכינה id est divinitatem; sive per illam intelligatur divina illa gloria,

ria, quæ templum primum aliquando luce aut nube replebat; ſive oleum illud unctionis Domini quo Pontifex ſummus, aut iſtud quo Reges ungi ſolebant, & divinitatis quaſi glorioſæ participes fieri; ſive utrumque ſimul. 5. Spiritum Prophetiæ, quo tum prophetæ tum alii aliquando afflabantur & ad populum ablegabantur. Hæc quinque in ſecundo templo non fuiſſe, palam eſt ex ipſis Hebræorum libris.

*Reſponſio ad Judæorum exceptiones.*

Quare quod Judæi reponere ſolent, ut gloriam templi ſecundi majorem fuiſſe probent gloria templi primi, atque ita impletam fuiſſe hanc prophetiam, quod videlicet ex præſtantiore materia ædificatum, elegantiore ſtructura elaboratum fuerit, & diutius primo duraverit, decem ſcilicet annis; id frivolum vere videri debet. Quid enim gloriæ materia aut forma templi habere potuit, quod non præ quinque iſtarum rerum, imo ſingularum ex iſtis, gloria, exile & vile templi decus videri debet? Certe Deus ipſe id non obſcure redarguit, cum ait, *Meum eſt argentum, meum eſt aurum:* quaſi dicat, An in eo putatis aliquid poſitum eſſe, quod aureum mihi atque argenteum templum fabricare cupiatis? Abſit. Si iſta cuperem, non à vobis ea ſumerem; quia iſta mea ſunt. eodem ſenſu quo *Pſal.* L dixiſſe Deus legitur, *verſ.* 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. *Non accipiam è domo tua juvencum, nec de ſeptis tuis hircos. Quoniam mea eſt omnis beſtia ſylvæ. &c. Si eſuriero, non dicam tibi; quia meus eſt orbis & plenitudo ejus, &c.* Ita hic: Iſta non eſt gloria templi iſtius quod fabricare vos juſſi, ſed gloria templi iſtius à me proficiſcetur. Ego faciam ut templum hoc, licet ejus gloria conferenda non erit cum primi templi gloria, quod ad iſta attinet aliaque, majorem tamen ſplendorem & decus ſuo tempore meo beneficio ſit ſortiturum, quam auguſtiſſimum Solomonis templum unquam habuit, quod auro argentoque obductum undique fuit, & quinque inſignibus iſtis, quæ diximus, intus radians, admirandum ſimul ac ſtupendum viſum fuit. Dices: Hoc intelligendum omnino eſſe de templo ipſo tertio Herodis, quod videlicet Herodes, poſtquam ſecundum à Zorobabele conditum à fundamentis plane diruiſſet, ad Solomonici primi templi formam exſtruxit, teſte Joſepho. Reſpondeo: Diſtiteri nolumus tertium hoc templum Herodis, plane novum fuiſſe ædificium, maximè quia Joſephus id diſerte aſſerit. Sed vero nihilominus dicimus id pro uno eodemque templo cum iſto ſecundo à Zorobabele condito haberi debere, quia ſine dubio ex iiſdem lapidibus aliiſque eis ſuperadditis exſtructum fuit, & ſecundum non ab hoſtibus dirutum, ſed ab ipſo Herode ſponte deſtructum, & nova ac meliore forma tantum donatum fuit. Et hoc ipſum ergo Herodis templum, videri debere illud ipſum de quo Propheta Haggæus loquitur, in quod Meſſias ingreſſus eſt, quodque priore Solomonis templo atque ædificio auguſtius futurum dicitur, *verſ.* 4. hujus capitis ſecundi: *Quis ex vobis reliquus, qui viderit domum iſtam in gloria ſua priore, & qualem videtis eam nunc. nonne ſic eſt, ac ſi non eſſet, in oculis veſtris?* Senſus enim verborum iſtorum eſt; Templum ſecundum priori neutiquam comparandum eſſe, aut comparari unquam poſſe ab iis qui primi templi gloriam viderunt. Scaliger quidem ſic exponit: O ſi quis veſtrûm prioris domus gloriam vidiſſet, eam cum iſta, ubi conſummata erit, contendens, quam nihili eam faceret? ut enim, inquit Scaliger, tum cum hæc propheta Haggæus dicebat, quiſquam ſupereſſet qui domum priorem viderat, plane incredibile eſt; quia ab excidio templi & caſu Sedekiæ, ad hunc annum, fluxerant anni 176, qui excedunt intervallum vitæ humanæ vel maximum. Sed in hoc erravit forte magnus Scaliger, quod exiſtimavit, hanc reædificationem factam tempore Darii Mnemonis qui inter duos Artaxerxes fuit, cum revera inciderit in annum ſecundum Darii Hyſtaſpidæ, ac proinde non effluxerunt tot anni: ſed ad ſummum, ut *Zachariæ cap.* II dicitur, LXX. A diruto enim templo primo, uſque ad annum Cyri XXI, ſunt anni LII: ab iſto anno Cyri uſque ad annum Darii Hyſtaſpidæ ſecundum, XVIII anni, qui ſimul conficiunt LXX annos. Quare fieri potuiſſe ut aliqui ſuperſtites eſſent, qui primum templum viderant, tum cum Haggæus hæc vaticinabatur, nemo facile negaverit. Sed & quis non credat templum primum fuiſſe auguſtius magnificentiuſque, quod opulentiſſimus Solomon condidit, quam quod ab exilio reduces, quæſitis hinc inde opibus operiſque moliti ſunt? At, inquies, de novo iſtud exſtruxit, ac proinde auxit ornavitque mirum in modum Herodes. Eſto. Concedimus Herodem id funditus demolitum eſſe & novum plane exſtruxiſſe, cum Fl. Joſepho. Sed nec hujus opes cum Solomonis immenſis theſauris conferri poterant: & non auxiſſe eo uſque, patet ex duobus: 1. quod templum primum intus & foris auro obductum gemmiſque ac margaritis pretioſiſſimis ornatum fuerit, ut videre eſt 2 *Paral.* III. 5. 6. 7. *& ſeqq.* 2. quod in eo vaſa omnia aurea fuiſſe dicant Judæi, in ſecundo autem ænea. Quod de duratione hujus templi ſecundi longiore dicitur, id nimis leve eſt. Quis enim majore idcirco gloria Deum repleviſſe domum iſtam, &, quod multo eſt abſimilius à vero, quis idcirco Deum tot ante annis prædicere voluiſſe credat ſe cælum, terram, mare, aridam commoturum, & domum iſtam majore gloria repleturum, quia facturus erat ut duraret decem annis diutius quam ædes prima?

Quare cùm ob hæc & ſimilia, domus ſecunda majore gloria repleta dici nequeat, quæ alia ratio eſſe poteſt, quam quod in eam introierit Rex Meſſias, eam reformaverit tanquam filius domum Patris ſui? Certe hæc maxima gloria eſt, qua longe domus ſecunda ſuperavit gloriam domus primæ. Meſſias enim, Iſraelis ſumma gloria eſt: Ipſe gloria Dei Iſraelis: Ipſe eſt character hypoſtaſeos ejus: Urim & Thumim, à quo revelatio divinæ voluntatis, veluti oraculum, prodire debuit: ipſe Arca Fœderis & propitiatorium in ſanguine ſuo: Ipſe qui baptizat Spiritu & igne: Ipſe qui Spiritum ſine menſura accepit, & Moſe cæteriſque omnibus prophetis tanto eſt excellentior quanto excellentius præ illis nomen eſt ſortitus, & ex ejus plenitudine omnes accipere neceſſe eſt gratiam pro gratia: In ipſo ejuſque Euangelio inhabitat omnis plenitudo deitatis corporaliter.

*De pace quæ ſub templo ſecundo promittitur ab Haggæo.*

Atque hoc totum crediderim Prophetam ſignificatum voluiſſe per verba iſta pauca: *Et dabo pacem in loco iſto;* id eſt, Hæc erit gloria quæ domum iſtam priore illuſtriorem reddet, quod is qui veniet in eam, id unum tantum acturus ſit, ut populus meus, totuſque adeo mundus, manſuetior factus in pace vivat, & ſic pace mea hîc & æternum fruatur. Non quod id ſic neceſſario eventurum eſſet; ſed quod is omni ope adlaboraturus eſſet, ut id fieret, eaque facturus eſſet, quibus aptiora & efficaciora ad id perficiendum media ac remedia optari nec dari poſſent. Dices, Judæos hodiernos vocem *pacis* longe aliter accipere, ac propterea concludere, hîc non agi de templo ſecundo, quippe ſub quo pax talis non fuit; ſed de templo tertio, ſi videlicet templum ab Herode exſtructum novum plane templum fuiſſe dicamus, quod ſane verisimile eſt; etſi aliud à ſecundo propterea templum dicendum eſſe neutiquam concedi neceſſe eſt: vel de quarto, uti nunc Judæi quidam contendunt, ab Ezechiele prædicto, *cap.* XL. *&c.* in quod Meſſias ingredietur, & ſub quo pax iſta erit. Ego vero contra regero, 1. fieri non poſſe, ut hic locus aliter quam de ſecundo templo, tum à Zorobabele exſtructo, tum ab Herode rurſum inſtaurato intelligatur; ac proinde vocem *pacis*, eo quo jam dixi ſenſu accipiendam eſſe. Nam agitur de templo iſto de quo antea dixerat, quod cum priore non merebatur conferri, quodque proinde gloriæ paris expers erat futurum. Hoc autem ipſum dicit majore gloria repletum iri. At vero id de Ezechielis templo dici non poteſt, quia iſtud omnium excellentiſſimum erit. 2. uti *verſu* 4, domum primam & eam quæ tunc erat contulerat, ita hîc prioris & poſterioris mentionem facit eodem modo. 3. verba nimis ſunt manifeſta, quando dicitur, את הבית הזה *domum hanc* replebo gloria, τὸν οἶκον τοῦτον habent LXX. & deinde iterum, *Habbajith haſſeh haacharon,* τοῦ οἴκου τούτου τοῦ ὑστέρου. Quot vocabula, tot fere ſunt pronomina demonſtrativa, eandem prorſus ædem ſignificantia. 4. Adde quod propheta ita loquatur, ut tempus non longe abeſſe indicet, quo domus iſta replenda dicitur majore gloria: *Adhuc unum puſillum,* &c. ait: Quomodo id referri poſſit ad templum illud tertium Ezechielis ego non video. Jam effluxerunt à reſtaurato templo ſecundo, quod ccccxx annis ſtetit, uſque ad hoc tempus noſtrum, bis mille & LVI anni. Forte adhuc totidem effluent, & plures, antequam templum iſtud Ezechielis exſtruatur: (ſi exſtruendum unquam eſt.) Cui verisimile fit quod eo reſpexerit Aggæus, cum puſillũ adhuc eſſe dixit, quo futurum erat quod prædicit? *Credat Judæus appella: Non ego.*

*De loco Malach. 3. 1.*

Atque hoc argumentum fortius adſtringitur per verba Malachiæ, quæ ex *cap.* III. *verſ.* 1. adduximus, & cum hiſce Haggæi verbis apprimè conveniunt. In iis de Meſſia agi, prædicique Meſſiæ adventum, fatentur Judæi, & ut fateantur neceſſe eſt: quia verba illa *Dominatoris, Angeli Fœderis,* & *Eliæ* præcurſoris id clare ſatis arguunt atque evincunt. Cæterum de templo iſto ſecundo agi negant. Alii enim per templum hoc intelligi volunt templum ab Herode inſtauratum, ſecundo à fundamentis diruto. Sed hoc unum eſſe idemque cum ſecundo à Zorobabele condito diximus. Alii templum hoc ab Ezechiele promiſſum deſcriptumque *cap.* XL. XLI. *&c.* intelligunt. At vero ſi contextus videatur, is manifeſte indicat, de iſto ipſo ſecundo templo, non vero de tertio Ezechielis templo agi; quia emphaticis ſatis verbis ſignificatur tempus non longe abeſſe, quo futurum ſit quod prædicitur. Dicitur enim 1. הנני *ecce;* quod nota eſt rei brevi futuræ. 2. ופתאם *ſtatim veniet.* 3. *ecce* בא *venit.* Omnia hæc ac ſingula prædicunt rem non diu abfuturam, ſed quæ jam tantum non in procinctu eſt. Non reperientur uſpiam prædictiones tam emphaticè exprimentes brevitatem tem-

poris, de rebus eventibusque post duo annorum millia & plura demum exstituris. De Bileamo legitur *Num.* XXIV, quod prophetaturus & prædicturus Balaco Regi Moabitarum quæ populus Israelis populo ejus facturus esset in diebus novissimis, prophetiam suam sic ordiatur: *video illum, sed non modo: Intueor illum, sed non de prope; procedet stella ex Jacob, & surget sceptrum ex Israele, & confodit angulos Moab, & destruet omnes filios Seth.* Rectissimè sane, si prophetiam istam cum Chaldæo Paraphraste aliisque tum Judæis tum Christianis, ad Christi tempora pertinere velimus. Enimvero inter tempus prophetiæ istius, & Christi tempora, intercedere debebant anni mille quingenti: quod spatium temporis longum esse apparet; ut merito Bileam dixisse videri debeat, se videre (in visione scilicet) non de prope, nec de propinquo, id est ea quæ brevi futura erant; sed de longinquo, id est quæ multis seculis post futura erant. Quomodo ergo verosimile est, Haggæum & Malachiam prophetantes de Messia, dixisse, illum quidem, *Adhuc unum pusillum*, &c. hunc verò, *ecce, statim veniet*, imo, *ecce venit*, si Messiam illum sciebant non venturum, vel potius, si Messias ille adventurus non erat nisi post annos bis mille, quos jam à tempore vaticinii istius elapsos esse constat; imo si non erat venturus nisi post aliquot annorum millia: quis enim Iudæorum hodieque dixerit quando venturus sit? addo, si non erat venturus nisi sub ipsum finem mundi, & paulo ante universalem omnium resurrectionem, uti nunc fabulantur novitii Rabbini? Restat ergo ut concludamus prophetias has loqui de templo secundo, & de adventu glorioſi Regis Messiæ in illud, antequâ destruatur. Inde enim consequitur Messiâ jam venisse, quia templum istud jam ante sexdecim secula deletum funditus & solo æquatum est.

*Comparatio hujus notæ adventus Messiæ cum præcedente.*

Notam hanc non minus esse illustrem, quam prima fuit, facile videre est. uti enim urbi sceptrum sive regnum, ita templo sacerdotium immediate adhærebat ex divino præscripto. Sicut itaque urbis destructio & deletio, illustris nota est Messiam venisse, quia venire eum necesse fuit antequam sceptrum ab ea ablatum esset; ita templi destructio illustris nota est Messiam venisse, quia in templum istud, sive templo isto adhuc stante, juxta prophetias allegatas, Messiam venire necesse fuit. Templo autem sacerdotium adhæsisse & sacerdotio regnum manifestum est, quia regnum sacerdotale fuit. Quæ causa etiam Deo fuit, ut templum non nisi in ipsa urbe, tanquam regni sede, idque unicum tantum, esse voluerit, ut destructo uno utrumque destructum crederetur. unde porro colligitur Deum voluisse ut sacrificia omnia cessarent, atque ita expiationi populi per ea locus amplius non esset. Certum enim est, templum proprie propter sacrificia fuisse, & sacrificia pro expiatione populi, saltem ea quæ in Fæstis solemnibus, ac nominatim in Festo *kippurim* anniversario offerebantur. Verum quidem est, templum etiam orationi & precibus dicatum ac consecratum fuisse, quin & συναγωγὰς & solemnes cœtus ad legem audiendum & docendum populum in eo fieri solitos fuisse; sed tamen non sic, quin eadem etiam extra templum in Synagogis aliisque locis fieri possent; etsi animo vultuque toto ad templum directo. At sacrificia non nisi in templo fieri poterant, post exstructum templum; & Deus offensus populoque infensus, non nisi per ista, in templo oblata, placari poterat. Hæc itaque cum jam desierint, ante annos mille quingentos, quid aliud consequitur, quam ex ista nota recte colligi à nobis, tempus adventui Messiæ definitum effluxisse; cum diserte nota ista adnotata legatur à prophetis, quod venturus esset Messias antequam illa desiissent; uti ex antedictis liquet?

## CAPUT VIII.

## Idem adhuc probatur ex Danielis cap. IX. vers. 24. 25. 26.

QUartus locus est *Danielis* IX. *versu* 24. 25. 26, *&c.* שָׁבֻעִים שִׁבְעִים נֶחְתַּךְ עַל־עַמְּךָ וְעַל עִיר קָדְשֶׁךָ *Septuaginta hebdomadæ decisæ sunt super populum tuum, & super civitatem sanctitatis tuæ*, &c. &c. וְאַחַר הַשָּׁבֻעִים שִׁשִּׁים וּשְׁנַיִם יִכָּרֵת מָשִׁיחַ *Et post hebdomada sexaginta & duas excidetur Messias*, &c.

*Quomodo ex Daniel. IX, 24, 25, 26. probetur Messiam jam venisse.*

Hoc loco Danielis aperte confirmatur utrumque id quod hactenus tribus præcedentibus locis contineri diximus, videlicet Messiam venturum ante ablatum à Juda regnum, & sublatum è medio, sacrificiis sive sacerdotio destinatum templum; ac proinde illustrem notam in scriptura traditam esse, ex qua certo dignosci jam potest, Messiam venisse, nec alium exspectandum adhuc esse. Præter hanc utramque notam, addit Propheta Daniel tertiam insuper, (ut jam de cæteris non dicamus, quæ etiam illustres sunt, sed prolixiore quam pro hoc tractatu nostro explicatione indigent, videlicet de prævaricationis consumtione, de peccati sigillatione, de iniquitatis expiatione, & adductione justitiæ seculorum) videlicet visionis & prophetiæ seu cessationem seu confirmationem. Sed quod à nobis maximè per hunc locum Danielis intenditur, est id quod *vers.* 26 dicitur; Post hebdomadas sexaginta & duas Christum exscindendum esse, & deinde civitatem ac sanctuarium evertenda esse à populo ducis venturi. Ex eo enim sic concludimus:

> Ante urbis & sanctuarii eversionem exscindetur Christus: Ergo certum signum erit Messiam venisse, quando urbs & sanctuarium eversa erunt.

Consequentia Sole clarior est. Antecedens in textu est, *vers. 26. Post sexaginta & duas Hebdomadas* וְכָרֵת מָשִׁיחַ, *& non ei*, (suppleo, hoc nocebit) *&* (id est, sed) *civitatem & sanctitatem corrumpet populus ducis venturi, & finis ejus in mundatione*, &c. id est ipsis exscindentibus Messiam summe nocebit, &c.

Non est necesse hic nobis hebdomadarum harum accuratam rationem inire aut exactum earum computum facere. Non patimur nos in istas anguſtias & salebras compingi. Sufficit nobis abunde, si evincamus ex hoc loco, Christum venire debuisse, juxta hanc visionem, ante destructam urbem, & eversum templum, sacrificiorumque & mincharum cessationem. Atqui omnia ista jamdudum evenerunt, id est urbs est eversa, templum & sacrificia omnia deleta, quomodocunque tandem hebdomadæ istæ computentur, unde earum initium fiat.

*De obsignatione visionis & prophetiæ.*

Quod de *signanda visione & prophetia* Daniel dicit, id etsi ad hoc argumentum nostrum non pertineat, quia signatio ista per & post Christum dici videtur futura, tamen vehementer etiam facit ad scopum principalem nostrum, qui est ostendere illustres notas in Scripturis exstare, ex quibus liquet certum tempus adventui Messiæ præfinitum fuisse. Inter eas etiam hæc nunc obiter, ex occasione loci hujus, à nobis hîc adducitur. Constat enim post eversam urbem, & dirutum templum, visiones & prophetias omnes plane desiisse, &, præter Christum nostrum ejusque sectatores, prophetam aut videntem nullum fuisse, imo quod omni admiratione dignum est, in universo gentilium orbe, totoque adeo mundo, oracula ac responsa dæmonum obmutuisse ac cessasse, non aliter quam si sigillo quodam ora eorum obserata fuissent ac clausa. Per *sigillationem* autem *visionis & prophetiæ*, finitionem sive abolitionem aut clausionem hîc intelligi, vix dubitandum videtur, cum eodem significato versu eodem, paulo ante, verbum istud usurpatum legatur, quando dicitur, *Ad sigillandum peccata:* ubi verbum idem חתם est, & ad finiendum sive abolendum exponi debet. Quare quando Judæi horum temporum, verbum istud, ubi cum visione & prophetia jungitur, in contrarium plane sensum torquent, idque significare volunt roborationem & stabilitionem, sive multiplicationem visionis & prophetiæ, temporibus Messiæ futuram, metaphora desumta à sigillis quæ confirmandis stabiliendisque diplomatis appenduntur, pro more atque ingenio suo facere judicandi sunt, quo quidvis potius arripere malunt, quam admittere quic quam quod vel in speciem Christo nostro favet. quamquam si id omnino etiam iis largiamur, ex eo ipso solide colligi à nobis posset, Messiæ nostro sensum istum optime quadrare. Nam per eum roborata fuit visio & prophetia. Ille Spiritum S. de cælo effudit in omnem carnem, ita ut quod à Ioële olim prædictum fuerat, temporibus Messiæ futurum, id tum in populo Messiæ nostri solo locum habuerit; *Prophetabunt filii vestri & filiæ vestræ, juvenes vestri visiones videbunt, & seniores vestri somnia somniabunt*, &c. Prophetiarum enim & visionum copia quando aut clarior aut uberior fuit? Sed hæc obiter. Redeamus ex diverticulo in viam, & argumentum nostrum principale adstruamus.

*Responsio ad exceptionem Iudæorum; non agi hîc de Messia promisso.*

Procederet, inquies, argumentum istud, si in loco hoc Danielis ageretur de Messia Rege populo promisso. Recte, inquam. At diserte bis ibi nominatur Maschiah, semel cum addita voce נָגִיד *Nagid*, id est, Dux sive Rex, sive princeps, *vers.* 25. & semel absolutè, *vers.* 26. Nec caussa ulla est cur vox ista de alio quam de vero Messia intelligatur, imo caussæ sunt cur de eo intelligi omnino debeat. Dices fortasse, contra primum, quod caussa aut ratio duplex in textu sit, cur de eo intelligi non possit, aut saltem non debeat. Prima est, quia Messias iste נָגִיד *Nagid* dicitur. At ea vox non Regem sed Ducem significat. Atqui respondeo, vocem istam נָגִיד *Nagid* generalem esse, & tam Regem quam Ducem tum significasse. Nec enim tum temporis distinctio illa inter Ducem ac Regem, locum habebat, uti nunc apud nos. Hinc Grammatici vocem נָגִיד à נָגַד derivatam volunt, eo quod populus ponat faciem suam coram Principe suo, eumque quasi adspiciat in omnibus negotiis suis, vel quod princeps populum præcedat, & sic coram populo quasi sit. Et generalem vocem esse, qua etiam Rex significetur, apparet ex

2 *Samuel.* VII. 8. ubi Deus per Samuelem Davidi dixisse legitur: *Ego te accepi* להיות נגיד על-עמי *ut sis Dux* (id est Rex) *super populum meum.* item 1 *Reg.* I. 35. ubi voces מלך & נגיד pro eodem diserte usurpantur. & 1. *Reg.* XIV. 7. ubi Rex Jeroboam נגי׳ד *Nagid* diserte vocatur. vide etiam 1 *Samuel.* IX. 15. & XIII. 14. Similis huic vox est נשי׳א quæ Messiæ sive Davidis Filio, qui propterea David ibi dicitur, (David enim jamdudum mortuus erat) tributa legitur, *Ezechielis* XXXIV. 24.

Secunda ratio in textu ipso est, inquies, quia dicitur Messiam exscindendum esse. At verum Messiam exscindendum esse repugnat omnibus istis locis, quibus regnum Messiæ æternum fore prædicitur ac promittitur. Atqui, inquam ego, id non magis repugnat istis locis, quam repugnat id quod de solio ac regno Davidis dicitur, futurum ut id sit perpetuum, cum tamen id hodie funditus deletum sit atque exstirpatum, nisi id in Messia nostro perpetuatum dicatur. Excisio enim ista Messiæ non est nisi ejus sublatio è terra viventium, sive ejus interemtio, quæ per triduum tantum duraret, post quod in vitam resuscitandus erat, & deinde in solio collocandus, cum potestate ac dominio in universam carnem, imperioque in cælo & in terra, non nisi cum ipso universo mundo desituro, uti nos Christiani credimus. Nec est quod hîc porro objicias, circa tempus istud à Daniele prædictum, Messiam nullum exstitisse, ne quidem eum quem nos Christiani pro Messia habemus. Hoc enim est, quod in quæstione versatur, & ad hanc rem non pertinet, sed ad secundum, quod postea à nobis considerabitur, quando iniquiremus, An hæ prophetiæ non sint impletæ in Jesu sive Messia nostro. Jam id tantum agimus, ut evincamus notas in Scriptura illustres esse constitutas, unde colligi evidenter potest certum aliquod tempus adventui Messiæ præstitutum esse. Id cur ex hoc loco Danielis clare liquere non credatur, caussam nullam gravem esse diximus.

*Cause cur hoc de Messia agi credendum sit.*

Sed & addimus caussam esse non unam cur in eo de vero Messia agi credatur, atque ita clare liquere credi debeat id quod diximus. 1 est quia is de quo loquitur Daniel absolute hic vocatur משי׳ח נגי׳ד & משי׳ח quod signum est verum Messiam intelligi, cui soli κατ' ἐξοχὴν nomen istud vel nomina ista competunt. Hæc ratio non parum confirmatur ex eo, quod nomen משי׳ח, quod per se appellativum est, nunquam cuiquam sive Regi sive Principi sive Sacerdoti adtributum legatur, nisi cum adjectione aliqua, vel אדוני Domini, vel affixi, vel proprii nominis, uti loca omnia fidem faciunt. 1 *Samuel.* XXIV. 7. & XXVI. 23. *Psal.* II. 2. *Psal.* LXXXIX. 39. *Esa.* XLV. 1. *Thren.* IV. 20. Ex quo colligitur non obscure, quando nomen istud absolute ponitur, absque ulla adjectione, tum id nomen, quasi nomen proprium, restringi ad eum qui κατ' ἐξοχὴν Messias est, ac proinde absolute משי׳ח dicitur, & משי׳ח נגי׳ד quia excellentissimus dux est, & excellentissime dux vocatur, voce נגי׳ד generaliter accepta; uti liquet ex *Micheæ* V. 1: ubi מושל vocatur. & ex *Ezech.* XXXIV. 23. 24: ubi רי׳עה pastor, id est Rex & נשי׳א, id est, præfectus, princeps, vocatur. & *Malach.* III. 1: ubi האדון ille Dominus appellatur. Adde, quia nusquam in tota Scriptura Veteris Testamenti vox Messiæ absolutè posita legitur, præterquam in hoc uno Danielis capite, plusquam verisimile esse, in populo Judaico caput hoc Danielis de Messia vero acceptum olim fuisse; atque inde natam constantem illam appellationem Messiæ, quando de Rege promisso agitur; adeo ut Messiæ vox in proprium Regis promissi nomen transierit, nec alius quam verus ille Rex ea designari soleat; quod inter Samaritanos ipsos etiam obtinuisse, colligere est ex loco *Joan. cap.* IV. 25: ubi Samaritana illa mulier Jesu Christo nostro legitur dixisse, οἶδα ὅτι Μεσσίας ἔρχεται, voce Messiæ absolute posita, etiam sine articulo, eodem modo quo hîc apud Danielem legitur. 2. Quia vox ista, de nullo alio quam de vero Messia exponi potest. Quod adeo verum est, ut in hunc usque diem, de quo alio exponi aut possit aut certo debeat, ne inter ipsos quidem Rabbinos certum sit. Lis adhuc sub judice est, dum alii per Messiam Cyrum intelligi volunt, ut R. Salomon; alii Sacerdotem summum Jehosuah, ut R. Levi: alii Nehemiam, ut R. Abenesra; Alii Agrippam, uti mutata priore opinione de Cyro, R. Salomon; Alii Darium, ut R. Saadiah Gaon: Et quod caput rei est, cum expositiones illæ omnes plane sint alienæ, & huic loco quadrare non possint. Nam Cyrum hic non posse intelligi, ex eo evincitur, quia de hoc Messia dicitur, quod post septem & sexaginta duas hebdomadas exscindendus erat: *vers.* 26. At Cyrus jam aliquot ante seculis obierat: Nam ab egressu verbi, quod à Cyro datum fuerat anno imperii ejus XXI, Cyrus non supervixit nisi novem aut decem annis, quo tempore à Tomyre sive Tamyri Scytharum Regina cum exercitu cæsus est. Atque hæc eadem ratio militat contra id, quod per Messiam hîc intelligi alii volunt Iehoschua summum Sacerdotem aut Nehemiah. Nam & hos constat multis ante seculis mortuos esse, & non modo non excisos, sed in pace dies suos obiisse, idque in ipsa terra sancta, post reditum ex Babylone. Agrippam Regem intelligi, etsi speciosissime dicitur, tamen idcirco à vero alienum est, quia ille excisus proprie non est, sed in palatio suo mortuus, aut si excisum eum per manum Dei velis, quia subita & mala morte exstinctus est, uti Josephus narrat, Antiq. Judaic. lib. XIX. cap. VII. & *Act.* XII. refertur, quia propter peccatum arrogantiæ & superbiæ suæ excisus est, & quod rei caput est, multis post sexaginta duas hebdomadas elapsis hebdomadibus. Darium vero non posse intelligi, nec Hystaspidem nec Nothum, ex eo liquet, quod ambo isti multis ante septuaginta hebdomadas elapsas seculis, ad minimum tribus, mortui fuerint, uti ex historia temporum manifestum est. Concludimus ergo verum Messiam hic intelligi, atque ita constare vim argumenti nostri, de quo hactenus egimus.

Addere huic possemus illustrem adhuc notam, quæ desumitur ex quatuor regnorum sive imperiorum successione, qualis à Daniele describitur *cap.* II: quæ Messiæ regnum immediate secuturum dicitur. sed quia ea operoso molimine, & accurata regnorum supputatione, opus habet, deque ea inter Christianos ipsos non levis contentio est, dum alii per quartum regnum, Seleucidarum sive Syro-Macedonum regnum, alii imperium Romanum intelligi volunt; denique quia ista, quæ hactenus diximus, talia sunt, ut, quibus ea non satisfaciunt, iis hæc multo minus satisfactura sint, consulto hîc desinemus, & ad secundum quod probare instituimus, progrediemur.

## CAPUT IX.

### Proponuntur quatuor argumentorum classes, quibus probatur Jesum Nazarenum esse promissum illum Messiam: & quantum roboris singulæ habeant.

ID autem quòd secundo loco probare instituimus, hoc est: An Iesus Nazarenus, quem nos Christiani credimus Messiam esse, sit verus ac promissus ille Messias. Hoc nos asserimus, motivis his rationibus.

*Quatuor argumentorum classes, quibus probatur Iesum Nazarenum esse promissum illum Messiam.*

I. Quia hic Jesus Nazarenus, circa ista tempora, quæ jam adsignavimus ex Prophetis, natus est: nec alius tum ullus qui se pro Messia venditaverit, exstitit.

II. Quia cætera omnia de Messia venturo vaticinia, quoad majores Messiæ, quoad familiam unde oriturus erat, quoad locum ubi nascisturus, quoad modum quo nascisturus erat, &c. omnia hæc simul in eo concurrerunt, & complementum suum habuerunt.

III. Quia ea quæ ipse tum dixit ac docuit, tum fecit, tum tulit ac passus est, tum quæ ei acciderunt post mortem, suscitatio scilicet in vitam & sublatio in cælum, positioque ad dextram Dei, talia sunt, quæ vero ac promisso Messiæ competunt, nec alii competere possunt.

IV. Quia ei ejusque doctrinæ ac prædicationi fides in mundo toto habita fuit.

Hisce argumentis idcirco pugnamus libentius, quia istis ipsis usi sunt Christus & Apostoli. Christus enim semper, *vel* ad Scripturas Vet. Test. provocavit, ut *Joan.* V. 39. *Scrutamini Scripturas*, &c. *illæ sunt quæ de me testificantur. vers.* 46. *Si Mosi crederetis & mihi crederetis. Nam ille de me scripsit. Luc.* XXIV. 44: *Hi sunt sermones quos locutus sum vobis*, &c. *oportere impleri omnia quæ scripta sunt in Lege Mosis & Prophetis & Psalmis de me*, &c. *Vel* ad doctrinam suam, *Joan.* VIII. 46: *Quis ex vobis arguet me de peccato*, id est, de mendacio vel falsa doctrina? *Si verò veritatem*, id est, vera, *dico*, id est, doceo, *quare vos non creditis mihi? Vel* ad opera ac facta sua, tum vitæ prorsus inculpatæ & innoxiæ, uti passim, ab ambitione & gloriæ studio alienæ. *Joan.* V. 41. & VIII. 50. 54. *&c.* tum miraculosa illa ac stupenda: *Joan.* V. 36. & X. 25. 37. 38. & XV. 24. *Vel* ad ea quæ passurus erat, ut Scripturæ implerentur: *Matth.* XVI. 21. *Luc.* XVIII. 31. 32. 33. & *cap.* XXIV. 46. *Vel* ad quæ post passionem ei eventura erant, puta suscitationem à morte: *ibid. Vel* denique ad ea quæ postmodum secutura erant: *Luc.* XXIV. 47. *Et prædicari in ejus nomine resipiscentiam ac remissionem peccatorum apud omnes gentes.* quo fructu? *Matth.* XIII. 31: *Simile est regnum cœlorum grano sinapis*, &c. & *versu* 33: *Simile est fermento*, &c.

Ad eundem modum se gesserunt Apostoli; *vel* ad Scripturas

pturas Veteris Testamenti provocarunt, uti passim in Actis & Epistolis ipsorum videre est. Petrus 2 *Epist.* I. 19. *recte facere* Christianos ait, quod *ad propheticum sermonem attendant, veluti ad lucernam splendentem in obscura loco.* Paulus *separatum* se ait, *ad prædicandum Euangelium Dei, quod ante promiserat per prophetas suos in Scripturis sanctis: Rom.* I. 1. 2. *Nec quicquam dixit, extra ea quæ prophetæ ac Moses futura prædixerunt. Act.* XXVI. 22. vide 1 *Corinth.* XV. 1. 2. 3. 4. *vel* ad opera sive vitæ integræ & innoxiæ, uti passim, sive miraculosa: 2 *Corinth.* XII. 12: *Indicia Apostolatus edita sunt apud vos, cum omni tolerantia, per signa & prodigia & virtutes. Ad Heb.* II. *vers.* 4: *Testimonium illis præbente Deo, & signis & prodigiis variisque virtutibus & Spiritus S. distributionibus, pro sua voluntate. Marc.* XVI. 17. *Signa eos qui crediderint hæc consequentur. Per nomen meum dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, & si quid lethale biberint nequaquam nocebit eis, ægrotis manus imponent, & bene habebunt.* Effectus vel eventus subjicitur *vers. ult. Illi vero profecti prædicarunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante per signa subsequentia.* Ea res tam certa ac nota erat, ut Apostolus 2 *ad Corinth.* XIII. *vers.* 5, non dubitet ad Corinthios in hæc verba scribere: *Tentate vos ipsos an sitis in fide, vos ipsos probate; annon agnoscitis vosmet ipsos,* videl. *Jesum Christum in vobis esse? nisi reprobi estis,* aut potius, judicii expertes, qui videlicet vel non vultis vel non potestis probare ea quæ manifesta sunt. Sensus enim est, non, (uti plerique interpretantur) Examinate vos ipsos an veri fideles sitis; sed longe alius, quia dicitur, *Annon cognoscitis,* id est, intra vos descendentes certi estis, *Jesum Christum,* id est veram Christi doctrinam, *in vobis esse?* id est, in medio vestri prædicatam à me esse. Quis ergo, inquies, sensus est? Certe is ipse quem nos hic intendimus. Apostolus provocat ad mentem & conscientiam Corinthiorum, ut videlicet ipsi in se ipsos descendant, annon signa Apostolatus sui, & virtutes potentiamque Christi, à se & in se exercitam atque exertam, multoties vidissent, sensissent ac deprehendissent, secus quam pseudo-Apostoli iis persuasum volebant. quasi diceret; Experimentum, si vultis, capite in vobis ipsis, an non vera Euangelii fides, id est, doctrina Euangelii viva fide apprehendenda, inter vos prædicata, & tam claris, illustribus, variisque Spiritus S. donorum distributionibus, manu nostra factis, confirmata sit, ut persuasissimi sitis de ejus veritate, non aliter quam si ipse Christus in medio vestri versatus fuisset, hodieque adhuc inter vos (non in vobis, id est in cordibus vestris) versaretur: *Nisi reprobanei estis,* id additur, ut quod dixerat, confirmaret; Tam certa hæc est res, ut si de ea vel minimum dubitetis, mente ac judicio omni vel destituti vel orbati videri debeatis. ἀδόκιμον enim ἕναι hic opponitur præcedenti verbo ἐπιμάζειν.

*Expositio loci 2 Cor. XIII, 5.*

Omnia hæc paucis complectitur Apostolus 1 *Timoth.* III. 16: *Columna & stabilimentum veritatis & sine controversia magnum est pietatis mysterium* (Sic enim connectenda videntur verba priora cum sequentibus, non cum antecedentibus, *Ecclesia Dei vivi*, uti alibi à nobis probatum est) doctrina scilicet Euangelii, de gentibus etiam ad communionem Euangelii vocatis, citra cæremoniarum Legis & circumcisionis observationem. Hanc enim rem in multis locis *mysterium* vocat Apostolus: *Rom.* XVI. 26. 27. *Ephes.* I. 9. & III. 3. & V. 9. *Coloss.* I. 26. Et de hac gentium vocatione ac justificatione, sive receptione in numerum filiorum Dei, hic agere Apostolum circumstantiæ omnes docent. Ac licet veteris interpretis lectio, quam Erasmus sequitur, hic tum potius videtur locum habere, quæ pro ὃς legit ὁ, tamen nihil obstat cur non etiam servari possit vox ὃς, imprimis quia Græci omnes codices eam constanter retinent. Itaque in hoc mysterio summatim continetur quod *Deus manifestus factus sit in carne*, sive per carnem intelligatur caro Christi, sive Apostolorum, sive utraque. Sensus enim est; divinam veritatem, sapientiam, bonitatem, potentiam, gratiam, misericordiam ac gloriam, id est totam divinitatis excellentiam, antea rudi quasi Minerva delineatam, & umbris, figuris ac typis rerum, personarum ac prædictionum quasi involutam, & veluti per transennam tantum leviter apparentem, in clara luce propositam, ostensam ac demonstratam esse in Christo & Apostolis docentibus ac miracula patrantibus: qui non nisi caro, id est, infirmi, vulgares & plebeji homines videbantur: uti videre est de Christo, *Joan.* I. 14. *Heb.* I. 3. *Joan.* XIV. 9. 10. de Apostolis, *Act.* IV. 13. 14. & 1 *Cor.* IV. 13. & 2 *Corinth.* IV. 6. 7. 8. & XII. 9. 10. *Justificatus in Spiritu*, id est per Spiritum sanctum cælitus delapsum, & à Christo ipso demissum in Apostolos, approbatus, vel verax declaratus; contra eos qui Jesum damnaverant, & Apostolos tanquam vanos ac falsos Dei ministros repudiaverant. *Visus ab Angelis*, id est, *vel* ab ipsis Angelis clare cognitus: De his enim dicitur 1 *Pet.* I. 12, quod desideraverint introspicere in ea quæ Euangelio Jesu Christi patefacta sunt; & de his ad *Ephes.* III. 10, legimus, quod iis innotuerit multiformis sapientia Dei per Ecclesiam, quando dicitur, *Sapientiam Dei* πολυποίκιλον *notam fieri imperiis ac potestatibus* ἐν τοῖς ἐπουρανίοις: *vel* per Hebraismum videri factus est ab Angelis (sensu eodem quo 1 Cor. XIII. 12, verbum ἐπιγινώσκω accipi videtur) id est, signis ac prodigiis demonstratus, quæ à Christo & Apostolis edita sunt per manum Angelorum. *Joan.* I. 52: *Ab hoc tempore videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei ascendentes ac descendentes super Filium hominis. Prædicatus gentibus*, id est, non Judæis tantum, sed & gentibus tandem etiam annunciatus: *Act.* XIII. 46. *Gal.* IV. 8. 9. & 1 *Thess.* I. 9. *Rom.* XV. 8. 9. 10. 11. 12. & 1 *Corinth.* I. 23. 24. *Creditus in mundo*, ibidem. *Assumtus in gloria*, id est, cum gloria sive glorioſe admissus, acceptus: non autem in gloriam translatus; quasi videlicet ascensio Christi in cælum hîc designetur. Ascensio enim Christi in cælum præcessit prædicationem Euangelii, quæ gentibus facta fuit, & cujus antea mentio facta est. Glorioſe autem dicit assumtum Deum, id est, Euangelium quo Dei gloria continetur; quia videlicet Euangelium istud Dei glorioſissimum redditum est, ac proinde Deus etiam glorificatus, ex eo quod non obstante quod ab infirmis, imbellibus, Euangelium prædicaretur, quod carni ingratum esset, crucemque & adflictiones discipulis suis prædiceret, nihilque commodi, gloriæ, aut voluptatis in mundo hoc promitteret, sed futura tantum & invisibilia sponderet, nihilominus tamen summos imoſque ex omni gente ac populo, dummodo probitatis amantes & veritatis studioſi essent, in amorem simul atque admirationem sui pertraxerit: 1 *Corint.* I. 23. 24. *Act.* XIII. 48. 49. Ex his liquet, quatuor ista quæ diximus argumenta verbis istis contineri. Si Deus revelatus est in Christo, ergo sic in Christo est revelatus, ut Christus sit is, qui antea sub velo figurarum adumbratus, & sub prædictionum tegumento absconditus quasi latuerat. Si justificatus in Spiritu est, ergo opera & virtutes istæ, quæ per Christum editæ sunt, imprimis missio Spiritus sancti de cælo, comprobarunt eum esse Christum illum, & jure dixisse Christum, ac verum fuisse quod se Messiam doceret. Si prædicatus gentibus, ergo doctrina ejus tota, Messiæ, gentium etiam Regis, doctrina est; & quæcunque docuit ac fecit, quæcunque ei advenerunt in vita, in morte, & post mortem, à Deo comprobata sunt, quia ea gentibus etiam prædicari voluit. Si creditus in mundo, & admissus receptusque est glorioſè, ergo doctrinam ejus divinam esse comprobatum est.

*Expositio loci. 1 Tim III. 16.*

Sed enim antequam ad singula argumenta confirmanda accedimus, duo præmittere operæpretium est. 1. Argumenta hæc talia non esse, quæ nulli cavillo, nulli exceptioni obnoxia sunt, adeo ut impossibile sit contra ea quidquam regerere, si quis pertinaciam pro caussa sua induere velit, & demonstrationes petere quæ omnem omnino fidem excludunt, & vel sensu vel ratione sola constant. Nihil minus. Si quis enim pertendere velit, is omnia in universum negare potest, & dicere, Nihil se eorum credere velle, quæ aut olim de Messia creduntur prædicta, aut à Jesu nostro Nazareno dicuntur facta, aut leguntur tradita. Nolenti videre lucem, ne Sol quidem in meridie lucet: & fidem omnem proscribenti, nihil certum est quam quod ipse aut videt aut palpat. Sed argumenta hæc talia esse, quæ cuivis homini non præfracto, non malo, sufficere debent, ac satisfacere possunt, ad hoc ut ea fide digna, ac propterea admittenda esse sibi persuadeat. 2. Argumenta hæc quatuor non sic à nobis allegari, quasi singula per se sufficiant, aut æque sufficiant, ad concludendum id quod intendimus. Certum enim est alia aliis fortiora esse, alia probatu faciliora, alia difficiliora: nonnulla necessaria quidem ad conclusionem faciendum, sed tamen per se nihil probare; ut si probetur Jesum ex Abrahamo, & Davide oriundum esse, Bethlehemi natum, & quidem circa finem hebdomadum Danielis, &c. Sed sic à nobis allegari, ut simul juncta plenissimam habeant demonstrationem, quæ ad fidem ingenerandum sufficit. quamquam tertium per se tale est, ut etiamsi cætera probari satis non possent, hoc unum probatum sufficeret ad conclusionem invictam inferendum. Et profecto si consilium Dei videatur, omnino credendum est, rem totam quæ ad Messiam pertinet, sic administratam esse à Deo, ut quod ad πληροφορίαν sive plenissimam persuasionem de vero Messia facit, id tum ab ipso vero Messia, tum à seipso solo pendere voluerit, idque eo fine ne quisquam alius, nisi phreneticus, se pro vero Messia venditare aut posset, aut auderet, aut vellet. Nempe voluit ut Messias verus ista sciret, vellet ac faceret, quæ nemo alius, quicunque tandem foret, aut scire, aut velle, aut facere posset; id est, ut propheta esset, qui perfectissimam Dei voluntatem, quam nemo nisi à Deo missus scire potest, annunciaret; quod Samaritana mulier *Joan.* IV. 25, pulchrè indicabat, cum diceret Jesu Christo, *Quum Messias* *Duo in hoc argumentis generatim observanda.*

*venerit, ille nobis annuntiabit omnia.* ut sacerdos esset, qui moriendo & victimam se ipsum pro populo offerendo, grassaretur ad gloriam & ad regnum; quod ut quisquam tentaturus esset, moraliter impossibile est. Ecquis enim mori volet ut titulum Messiæ sibi consequatur, nisi stultus, amens, vecors aut melancholicus? ut miracula faceret tot ac tanta, ad quæ nulla vel industria vel ars humana, imo nec Angelica aut Diabolica sufficit. Denique voluit Deus, ut Messias sola virtute sua divina eveheretur ad regnum, & in solio regio collocaretur, ac proinde ut ex morte in vitam suscitaretur; quod non nisi potentia divina effici poterat. Atqui hac quidem ratione cavit Deus periculo isti, ne quis se pro Messia venditaret, cum aliqua specie veri, aut si se quis temerè venditare auderet, ista divina administratione seu non observata seu spreta, is protinus respueretur, & falsi manifestus non diu perennaret: quod & usu venit. Nam quicunque alii se pro Messia haberi voluerunt, aut habiti sunt, nullam reliquerunt sectam in qua ea opinio perseverarit. Atque hoc argumentum idcirco credo non modo fortissimum esse, sed & per se solum sufficere ad probandum verum Messiam; cum cætera talia sint, ut cadere possint in unum aliquem, & simul in eo concurrere, qui tamen Messias non sit; hoc vero non possit cadere nisi in eum quem Deus ipse approbat, & pro Messia vero haberi atque agnosci vult. Ad hoc si animum adverterent Judæi, fieri vix potest, quin crediturі essent, Christianos habere multò justiorem gravioremque causam, vel idcirco solum credendi Jesum suum esse verum Messiam, quam si alias cæteras omnes causas haberent, quæ ab ipsis recenseri solent, & à nobis deinceps recensebuntur. Sed usque adeo eos sua dementat carnalis opinio, ut non modo totum istud flocci faciant, quod tamen omnium potissimum est, quia nulli imitabile; sed jam nullum pene aliud signum Messiæ reliquum habeant, quam liberationem suam, & pacem etiam inter bestias & belluas: adeo ut si contingeret jam, vel Turcam Imperatorem, vel alium aliquem Principem, isto animo esse, ut Judæos in terram suam restitueret, & instar Augusti Cæsaris terram totam sibi subditam haberet, seque Messiam esse jactaret, eum pro Messia ambabus ulnis amplexuri essent, securi cujas esset, ubi natus, & Thrax an Scytha esset; nec dubium est, quin recuperata tantum libertate, vaticinia omnia, si quæ non succederent, pro arbitrio & ad nutum Principis interpretaturi essent.

## CAPUT X.

### Primum argumentum quo probatur Jesum Nazarenum esse Messiam promissum; quia circa tempus Messiæ adventui adsignatum natus est; nec ullus alius tum exstitit qui se pro Messia venditaret.

SEd nos jam his præmissis argumenta nostra singula ordine adstruamus.

Primum est: quia Jesus noster Nazarenus, circa ista tempora, quæ jam adsignavimus ex Prophetis, natus est, nec alius ullus qui se cum aliqua veri specie pro Messia venditaverit, tum exstitit.

*Judæi fatentur Jesum nostrum à suis ad mortem damnatum ante eversam urbem & templum; idque etiam ex aliis testimoniis constat.*

Argumentum hoc procedit contra Judæos, ex hypothesi & confessione eorum propria; quia fatentur Jesum nostrum, supremi sui senatus incitatione, circa hæc ipsa tempora, id est, ante ablatum à Juda sceptrum, sive vastatam urbem & destructum eversumque templum secundum, à Pilato Judææ procuratore condemnatum & cruci adfixum fuisse; & ut id fateantur necesse est, quia certum est supplicium illud publice sumtum fuisse, circa ipsum Festum Paschatis, adspectante & urgente toto fere populo. & acta ejus universa, à Pilato Judææ præside ad Imperatorem Tiberium & ad Senatum perscripta, duobus post seculis in archivis adservata extitisse, uti constat ex Tertulliani Apologetico, cap. V. cujus verba sunt: *Tiberius ergo, cujus tempore nomen Christianum in seculum introivit, annunciatum sibi ex Syria Palæstina, quod illic veritatem divinitatis illius revelaverat, detulit ad Senatum cum prærogativa suffragii sui. Senatus, quia non in se probaverat, respuit. Cæsar in sententia mansit, comminatus periculum accusatoribus Christianorum.* & ex Justino Martyre, qui ad acta ista, apud Antoninum Pium, ad quem Apologiam Christianorum scripserat, provocasse legitur in hæc verba: *Hæc ita gesta esse cognoscere ex Actis, quæ sub Pilato sunt scripta, potestis.* & postea; *Et qui ista fecerit, ex eis qui sub Pilato scripti sunt commentariis cognoscere potestis.* Hos enim fidenter adeo ausuros fuisse apud Imperatores, provocare ad Acta & commentaria publica, nisi certum fuisset ea in Archivis eorum exstare, neutiquam sit verisimile. Mendacii enim protenus convicti, se & Religionem totam suam prostituissent publicæ & inexcusabili infamiæ. Quod si tamen quisquam adeo sit perfrictæ frontis, ut de veritate historiæ hujus dubitare velit, ei ego aliud responsum non dedero, quàm historiæ hujus veritatem tot testibus ac testimoniis niti ac comprobari posse, ut asserere audeam, aut nullam omnino historiam pro vera admittendam esse, aut si ullam veram esse credi vel possit vel debeat, hanc unam pro verissima omnium habendam atque admittendam esse.

*Non esse necesse ostendere, nativitatem Christi nostri præcisè incidere in illum temporis articulum qui per 72 Danielis hebdomadas designatus est.*

Dices: Argumentum hoc nostrum non procedere, nisi ostendatur nativitatem Christi Messiæ nostri, exactè ac præcisè respondere isti temporis articulo, qui per prophetas, imprimis per Danielem, designatus est, in numero LXXII hebdomadarum. Resp. Etsi non desint, non dico jam inter Theologos Christianos, innumeri, qui exactam illam supputationem temporis faciunt, adeo ut ne hilum quidem prædictio Danielis ab eventu discrepet; quales imprimis sunt ii, qui, exitum verbi accipiunt, non de promulgatione Cyri prima, quæ dum Cyrus in expeditione est contra Tomyrin Schytarum reginam, per turbas Samaritanorum & Kuthæorum, Cambysis autoritate firmatas, effectu caruit, post jacta tantum urbis fundamenta; sed de promulgatione edicti facta per Artaxerxem Longimanum, anno imperii ejus vigesimo, quæ effectum sortita fuit; à qua, usque ad mortem Jesu ducis & Messiæ, effluxisse demonstrant exacte annos CCCCXC, qui constituunt hebdomadas LXXII Danielis; sed inter ipsos etiam Judæos, qui, ante natum Jesum ducem nostrum, asseruerunt, tempus nativitatis Messiæ incidere debere in ipsum illum temporis articulum, quo Messias noster natus est, juxta Danielis prædictionem; inter quos laudavimus jam ante R. Nehemiam, qui Christi ætatem 50 annis antecessit. Addi his posset Porphyrius, Plotini discipulus, Origeni contemporaneus, Philosophus sane eruditus, sed Christianæ religionis hostis acerrimus; qui cum in eo totus esset, ut refelleret vaticinia Danielis, lib. suo 12. videretque omnia adeo clare atque examussim inter se convenire, ut solide nihil opponi aut responderi posset, quasi œstro percitus, eo tandem confugit impudentiæ, ut assereret ea vaticinia non esse Danielis, sed ὑποβολιμαῖα, & impostoris alicujus qui tempore Antiochi Epiphanis vixerat, sibique Danielis titulum venditaverat. Etsi, inquam, hujusmodi autores nobis non desint, quorum accurato sane calculo & exacta chronologia tueri nos possemus, ad instantiæ propositæ solutionem, tamen ingenue profitemur iterum, uti antidhac professi sumus, nos responsionibus istiusmodi nec stare audere, nec stare velle, nec ut stemus necesse esse. Sufficit nobis si evincamus duo hæc: 1. Jesum nostrum natum esse circa prædictum tempus à Daniele, & quidem præterpropter, etsi de ipso prædicti temporis articulo non usque quaque certi simus. & 2. neminem alium circa istud tempus fuisse, qui se cum ejusmodi miraculis, signis ac prodigiis, saltem cum aliqua veri specie, pro Messia venditaverit. Ex his enim magis voluit æstimari Messiam Deus noster, quam ex computo aliquo Chronologico; quod ex eo liquere arbitramur, quia prædictio à Daniele non sic est facta, ut hæsitationi nullus locus reliquus sit. Etsi enim verba plana sunt, & æquo Lectori arbitroque obvia, tamen si quis tergiversari velit, facile reperit ad quod aut hæsitet aut cespitet. Apparet rei hujus veritas, ex multiplice & varia interpretatione primorum, quæ in vaticinio occurrunt, verborum de מצאדבר de exitu verbi; quæ alii de primo Cyri edicto, quod alii primo, alii secundo anno factum volunt, alii de edicto Darii, sive Medi, sive Labonidi, sive Hystaspidis, sive Nothi, sive Mnemonis, alii de edicto Artaxerxis accipiunt; De Artaxerxe interim etiam in diversas sententias abeuntes, An Artaxerxes Longimanus, an vero Artaxerxes Mnemon, sive filius sive gener Darii Nothi sit; alii, uti nunc Judæi horum temporum nonnulli, non de edicto aliquo Regis Persici, sed de dicto sive pronunciato Dei ad Jeremiam, quod legitur *Jerem. capite XXIX. vers. 10. & seqq.* Juxta has varias interpretationes, varia etiam de toto vaticinio, singulisque ejus membris, judicia fiant necesse est. Atque hæc causa est, cur nos, qui chronologiis faciendis tempus impendere frustra nolumus, iis stare non audeamus; sufficere rati si in πλάτει nos continemus, & duo ista quæ diximus evincamus, quæ probo & æquo rerum æstimatori sufficiunt.

## CAPUT XI.

### Secundi argumenti primum membrum, Jesum Nazarenum, ex tribu Juda & familia Davidis oriundum esse.

SEcundum argumentum nostrum est: Quia in Jesu nostro Nazareno cætera vaticinia omnia impleta sunt, quæ ad Messiam pertinent; puta, quod ad majores Messiæ, quod ex tribu Juda, ex familia Davidis; quod ad locum, quod in Bethlehem civitate Davidis; quod ad modum; quòd ex virgine natus sit. quæ omnia in nullum alium, circa ista tempora natum, quadrarunt, aut quadrare potuerunt. Singula hæc prolixè expendere vix est operæpretium, usque adeo claræ ac manifestæ sunt veritatis. Pauca quædam ad confirmationem singulorum allegasse sufficiet.

*Jesum Nazarenum ex tribu Juda & familia Davidis ortum suum duxisse.*

Quod ad primum attinet, Jesum nostrum ex tribu Juda ortum suum duxisse, nemo circa ista tempora quibus discipuli ejus vivebant, dubitavit. Scriptor ad Hebræos, quisquis tandem ille fuit, diserte ait, non modo id δῆλον, sed περίδηλον, id est, omnibus notum, & palam publiceque in confesso fuisse: *cap.* VII. Epistolæ suæ, *vers.* 14: non usurus tanta orationis παῤῥησίᾳ, nisi tum temporis res ista extra omnem litem & controversiã etiam inter Judæos fuisset. Sed quod hanc rem exceptione omni majorem facit, est, quod Jesus noster non modo Davidis filius passim tum vocatus fuerit, sed etiam per Josephum, cui mater ejus desponsata erat quando eum concipiebat utero suo, genealogia ejus deducatur ad Davidem, quem ex tribu Juda ortum esse indubium est; uti ex Matthæo ac Luca manifestum fit.

*An id rectè ex ejus genealogia colligatur.*

Quod hîc Judæi aliique regerunt, ex ista genealogia non recte colligi Jesum nostrum ex familia Davidis fuisse, quia Jesus non fuit filius Josephi sed Mariæ, id assis non est. Nam alterutrum volumus, Aut Mariam contribulem & ejusdem cum Josepho familiæ fuisse: aut non. Si istud volumus, & quidem, uti plerique arbitrantur, quia alioquin Josepho non potuisset nubere, ex vi legis qua virginibus extra tribum & familiam suam nubere vetatur, (quæ tamen Lex nostro judicio nuspiam reperitur) nihil restat quam ut dicamus Mariam fuisse ex tribu Juda & familia Davidis, ac proinde ex eadem tribu & familia natum Jesum nostrum. Si id nolumus, & secundum, quod diximus, verum esse contendamus, argumento forte isto moti, quod Maria dicatur fuisse συγγενὶς Elizabethæ, *Luc.* I. 36, quæ ex filiabus Aaron erat, *Luc.* I. 5, ac proinde ex tribu Levi, nihilominus recte dicetur Jesus noster filius Davidis. Nam Jesus noster natus est ex Maria non cælibe, sed jam Josepho desponsata ac proinde quæ jam transierat in tribum & familiam sponsi sui. Sponsa enim familiam non habet, nisi eam quæ sponsi est. Ex eo sequitur, fructum ventris Mariæ sponsæ, qui in eo absque ulla fœderis conjugalis initi violatione conceptus erat, & à Deo absque viri opera productus, fuisse fructum & filium Josephi. Nam cum fructus ventris, corporis quædam accessio censeatur; maritus autem conjugis, sive sponsus sponsæ suæ, ideoque corporis ejus, jure conjugii dominus sit constitutus; sequitur, ut quod corpori sive ventri Mariæ ex pura Dei donatione accessit, Josepho ipsi accessisse dicendum sit; imprimis si id tale fuerit, uti revera fuit, quod Deus domui & familiæ Davidis, unde Josephus oriundus erat, peculiariter destinaverat, atque accessurum ex speciali sua gratia promiserat. Dices: Jesus revera tamen non erat filius Josephi, nec Joseph, pater Jesu nisi putatitius, uti *Luc.* III. 23 diserte dicitur. Resp. Patrem Physice non fuisse agnosco: Moraliter, ac proinde revera patrem fuisse, ex vi conjugii initi contractique, assero. Id sufficit. Neque enim moraliter fructus ventris alicujus censetur tantum fructus iste, qui physica ratione ex aliquo genitus est, sed etiam iste qui genitus est absque ullo peccato, per puram putam benedictionem divinam, ex ea quæ sui juris esse desiit, & in alterius domum ac familiam vi conjugii transiit. Si enim quicquid boni atque emolumenti ad eam redit, jure pertinet ad cum cujus illa sponsa aut uxor est, cur non jure ad eum etiam pertineat fructus ventris ejus, quo ipsam Deus ipse donat? Adde quod juxta legem ipsam Dei, filius alicujus etiam censeatur, qui ex ipso non modo non est genitus, sed nec gigni etiam potest: *Deut.* XXV. 6. nempe is qui ex defuncti fratris vidua à fratre genitus est. Hic enim non vivi patris, sed fratris defuncti, filius atque hæres ex asse erat. Quanto ergo justius Jesus noster dici potest filius Josephi, qui ex sponsa atque uxore ejus legitima, vivo adhuc Josepho, natus est?

Si dicas, scrupulum tamen adhuc aliquem hærere, in eo, quod sic Christus sive Jesus noster, non proprie erit semen & fructus ventris ac lumborum Davidis, neque surculus ex radice Isai ortus, redibit eadem responsio; quia fieri aliter non poterat ut Jesus esset ex stirpe Davidis quam improprie. Ex virgine enim nasci debebat, quæ proprie familiam non habet, nec genus aut stirpem facit. Dices: At si virgo illa ex familia Davidis erat, ejusdem familiæ fructus ejus censeri debebat. Respondeo: Fructum virginis nunquam censeri fructum ejus, sed semper parentis sive patris fructum. Mulier enim non facit personam: sed si innupta est, ex persona patris censetur; si nupta, ex persona vel sponsi vel conjugis. Hinc in omnibus genealogiis Scripturarum, viri nominantur: mulierum autem genealogia nunquam describitur, aut non nisi per viros, ut genealogia Judith, *cap.* VIII. Si pertendas, scrupulum omnem sic non tolli, tum respondeo, causam nullam esse, cur Maria non possit dici ex tribu Juda & familia Davidis fuisse. Quid enim aut vetat aut obstat, cum genealogia Mariæ in obscuro sit, uti genealogiæ fœminarum omnium? Neque tamen cum iis sentio, qui ex conjugio Mariæ cum Josepho, certo colligi posse asserunt, Mariam idcirco ejusdem tribus ac familiæ fuisse cum Josepho, nisi solide demonstretur Mariam fuisse ἐπίκληρον. Hoc enim unico casu, virgines ad connubia in eadem tribu & familia adstringebantur, uti patet ex *Numer. cap. ultimo.* Mariam autem fuisse ἐπίκληρον, tantum abest ut solide demonstrari posse credam, ut contra tenuissimæ ejus conditionis non levia dari possint indicia, interque ea id unum, quod exactis puerperii diebus, obtulisse dicatur Domino par turturum sive duos pullos columbarum; quæ oblatio esse dicitur ejus, cui tantum non erat in bonis ut agnum offerre posset, uti videre est *Levit.* XII. 8.

Dices: Sic saltem alterum Euangelistarum Mariæ genealogiam recensiturum fuisse. Resp. 1. Euangelistas secutos esse stylum & morem populi in genealogiis recensendis, ubi matris nulla habetur ratio. 2. Non deesse etiam viros magnæ famæ atque eruditionis, qui Lucam non Josephi sed Mariæ genealogiam contexuisse asserunt. Quorum sententiæ etiamsi ego subscribere hactenus non potuerim, caussa tamen nulla est cur vel ego admodum refragari velim, vel Judæus, aut quisquam alius quem genealogiæ utriusque à Josepho deductæ scrupulus urit, suffragari si non debeat saltem non possit. Si enim utraque, tum Josephi tum Mariæ genealogia dicatur ab utroque Euangelista contexta, & ab Abrahamo per Davidem deducta, quid restat ad concludendum, Jesum perfectissima ratione ex tribu Juda & familia Davidis ortum esse; atque ita rectissime summoque jure ab autore Epistolæ ad Hebræos pronunciatum esse, non modo δῆλον sed περίδηλον esse Dominum nostrum ex tribu Juda ortum esse, *Heb.* VII. *vers.* 14. uti in principio diximus?

## CAPUT XII.

### Secundi argumenti secundum membrum, Jesum Nazarenum in Bethlehem civitate Davidis natum esse.

QUod ad secundum attinet, Jesum nostrum in Bethlehem civitate Davidis natum esse, circa ista ipsa tempora, quando de prosapia ac familia Davidis lis adhuc nulla erat, ex historia constat.

*Nativitas Jesum Bethlehem singulari Dei providentia fuit procurata.*

Hæc tanto majori in pretio esse debet, quod nativitas Jesu in Bethlehem non simpliciter tantum acciderit, nedum casu aut consilio deliberato seu Josephi seu Mariæ, sed singulari atque admiranda Dei providentia procurata fuerit, nescientibus, imo non modo non cogitantibus de eo parentibus Jesu, sed tantum non invitis ac contra optantibus ac cupientibus. Nempe Deus totius orbis dominum atque Imperatorem Augustum, pacato jam imperio altaque ubique pace fruentem, nihilque minus quam de vaticinio ad Messiam pertinente, quoad locum nativitatis ejus, complendo cogitantem, excivit ut descriptionem totius orbis Judaici in animum suum induceret. Quo fine? nullo certe in speciem alio, quam ut ista ratione Josephus Nazarethæ habitans, & Maria conjunx ejus jam jam partui vicina, & de Bethlehemo xx milliaribus à Nazaretha dissito ne cogitans quidem, ista ratione Bethlehemum se conferre cogerentur, atque ibi, juxta divinam prædictionem à Michæa propheta factam, enitteretur promissum populo Judaico Regem ac Messiam, eaque res in tabulas publicas relata dubitationem imposterum omnem de impleta prædictione ac promissione eximeret. Non poterat illustriore aut certiore documento tantæ rei fides fieri. Absque illo enim fuisset, 1. in dubium facile vocari potuisset, an Joseph ex familia Davidis fuisset, utpote cujus genus in obscuro erat, & jam ad infimam vitæ conditionem redactum, regii stemmatis nihil

nihil præ se ferebat. 2. ut ut fortassis à Deo excitata Maria Bethlehemi partum enixa fuisset, credi facile aut in suspicionem vocari potuisset, casu illud aut de industria & ex composito factum fuisse, non autem à Deo rem ita divina sua providentia procurante, ad prædictioni suæ fidem faciendum. At vero res hac ratione administrata & procurata, fidem fecit omnibus autorem ejus Deum esse, & prædictionem illustrius compleri non potuisse. Descriptio enim hæc orbis Judaici, nova, inusitata & prima fuisse dicitur. Ea vero cur aut quomodo circa istud tempus, quo pacata omnia in imperio erant, quo à bellis ac seditionibus omnibus intestinis feriabatur Augustus, quo Janus jam clausus erat, in animum ejus inciderit, ne cogitari quidem potest, nedum quomodo inciderit tum cum jam partui vicina erat Maria, & Nazarethæ secura agebat. Divina manus & agitatio hîc ἀπὸ μηχανῆς apparet, qua tum ipse Imperator in eam cogitationem inductus, tum Maria volens nolens compulsa fuit cum Josepho sponso ac marito suo, uterum gerens, per montana & difficilia loca, cælo intempesto, & media bruma iter ingredi, & Bethlehemum migrare, ut ibidem, nihil minus cogitans, juxta vaticinium Michææ Messiam promissum pareret, Davidisque filium enixeretur, & quidem tum cùm ibidem essent præsentes, quotquot ex prosapia & familia Davidis erant; nempe ut quot ibi erant Davidis posteri, totidem haberet prosapiæ suæ Davidicæ conscios ac testes publicos Jesus noster.

Quod verò etiam me in hujus divinæ providentiæ admirationem rapere solet, est, quod rem hanc sic administratam narret historia, ut Maria vel tardius Bethlehemum advenerit, vel quia tenuioris videbatur conditionis, insuper habita fuerit à Davidicæ familiæ purpuratis, atque ita vel neglecta vel contemta, coacta fuerit extra καταλυμα in stabulo eniti filium suum. Nempe ita ego mecum sentio; Id non casu, sed Deo ita procurante, evenisse, ut vel hac etiam ratione Deus testatum faceret filium hunc, Davidis filium esse, paremque cum eo fortunam sortitum atque expertum esse. Enimvero pastor fuerat David, qui vitam suam in stabulo forte, forte, inquam, hoc ipso in loco ubi Iesum Maria peperit, egerat, & quando ad regiam dignitatem vocabatur, gregem Patris sui pascebat, atque ita veluti à stabulo & pabulo ovium ad regium thronum evehebatur, uti disertè ipse fatetur, *Psalm.* LXXVIII. *vers.* 70. 71. 72. In stabulo itaque cum nascitur Filius ejus, annon patrem suum refert? Adde, David in familia patris sui non modo natu minimus erat, sed etiam quia in stabulo & agro non nisi pascendis ovibus vitam obscuram impendebat, vilis contemtusque fratribus suis, quippe qui apud Regem Saulem honore & gratia valebant, in aula versabantur, & fama factisque inclyti erant: uti ex eo patet, quod cum Samuel coram se sisti juberet filios omnes Isai, de Davide veluti parvulo, id est, natu minimo, & nullo adhuc nomine claro, ne cogitatum quidem fuerit. Cui annon prorsus simile sit, quod hîc filio ejus accidit, quis non videt? Hic minimus natu erat, & quasi contemtus spretusque, à fratribus suis & συμπαθεστάτοις negligitur, atque in stabulo relinquitur, quasi meliore conditione ac fortuna non dignus; plane uti hac in parte Davidem patrem suum retulisse videri debeat. Atque hæc quidem divina administratio tam luculenta & evidens est, ut vel ex ea sola jure optimo colligere liceat, Iesum hunc nostrum promissum illum regem ac Messiam esse; quia si prædictio illa Micheæ ad Messiam pertinet, omnino necesse fuit Messiam nasci, quo tempore civitas illa Davidis, non modo, ut Davidis civitas, adhuc exstabat, sed etiam quo tempore illa adhuc eo loco erat, ut inter principes Iuda esset, aut (uti alii prophetiam exponunt) ut si non chiliarcham aut mille milites, saltem aliquot paucos educere atque edere posset, ac sic minima videretur in millibus Iuda. Ut jam istud de Bethlehem dicatur, plane absurdum est. Profecto si quæ alia, hæc una res fumus in oculis Iudæorum est, & qui in istam eos væsaniam hoc tempore agit, ut prædictionem illam Micheæ ad Messiam pertinere, aut ea Messiam Bethlehemi nasciturum prædici, negare non dubitent; homines certe in Deum, in Regem suum, & in se ipsos iniquissimi; qui omnia potius clarissima convellere amant, quam veritati manus dare. Enimvero quod ista Micheæ prophetia ad Messiam pertineat, & locum nativitatis ejus digito designet, in confesso fuisse apud Iudæos omnes temporibus priscis, credere nos cogit responsum quod Herodi, de loco nativitatis Messiæ inquirenti, dedisse leguntur Scribæ ac Sacerdotum principes, legis divinæ consultissimi, *Matth. cap.* II. 4. 5. & turbæ Iudaicæ unanimis fere vox, Scripturam dicere, *Ex semine Davidis, & ex vico Bethlehem, ubi David erat, venturum Christum illum: Joan.* VII. 42. Accedit diserte idem adserens Chaldaica Paraphrasis, & R. Salomon Iarchi, cujus super loco Micheæ interpretatio non est ista quidem, quam nonnulli referunt, ממך יצא לי משיה בן דוד ובן הוא: *Ex te* (Bethlehem) *exibit mihi Messias filius Davidis, sicut ipse,* (supple exivit, id est ortus est ex Bethlehem.) Pronomen enim הוא non terminat orationem, sed ad sequens verbum דבר refertur, sic enim sonat, sicut ipse dicit, lapis quem reprobaverunt ædificantes: sed talis tamen quæ cum interpretatione nostra apprime convenit. Interpretationem R. Davidis Kimchi, quam fere nunc sequuntur Iudæi, violentam esse & ineptam res ipsa docet. Vult enim ille sensum prophetiæ esse, Bethlehem idcirco magnis civitatibus accenseri jure posse, quod ex ea ortus fuerit David, ex cujus semine Messias proditurus erat. Atqui 1. secundum hanc interpretationem dici debuisset, *Ex te exivit,* supple David, non autem *exibit,* supple Messias. 2. Sic ratio magnitudinis atque excellentiæ Bethlemi constitueretur primo in egressu Davidis ex ea, deinde in egressu Messiæ. At primo imo tantummodo constituitur ratio excellentiæ in egressu sive nativitate Messiæ ex ea, absque ulla relatione ad Davidem, tanquam ex ea natum, uti ex verbis liquet. Ex quo apparet, prophetiam hanc Micheæ, optima fide esse recensitam adductamque in Novo Testamento, quia ratio magnitudinis Bethlehemi utrobique redditur hæc, quod ex ea oriturus esset Messias. Verum quidem est, videri aliquam diversitatem esse in verbis, sed revera in sensu nulla prorsus est; si modo, quod rectè à Forstero & Osiandro observatum est, vocula צעיר, quæ propriè parvulum significat, quamque LXX reddiderunt ὀλιγοστὸν, non legas nominaliter, sed, Hebræorum more, qui, quia genere neutro carent, pro neutralibus solent uti masculina aut fœminina voce, adverbialiter pro *parum,* hunc in modum, Parum est mihi, ut sis inter principes Iuda. Sic enim optime convenit cum verbis Matthæi Euangelistæ, vocula *parum* synonymis: *Nequaquam minima es inter Principes Juda,* id est, egregia atque eximia merito habenda es. Hanc Grammaticam expositionem idcirco amplector, quod sic optime oratio hæc cohæreat cum ratione sequente, *Ex te,* (supple, ut Matthæus refert, enim) *exibit,* &c. & prolixis aliis interpretationibus ansa præcidatur; quamquam eas tales esse fateor, ut tuto eas sequi possit quicunque eas nostræ huic præferendas existimat, aut alioquin novam hanc sequi non amat.

*Locum Mich. V. 2 de Messia intelligendum.*

## CAPUT XIII.

### Secundi argumenti tertium membrum, Jesum nostrum ex virgine natum esse, juxta vaticinium Esaiæ VII. 14.

QUod ad tertium, id est, nativitatis modum attinet, Jesum nostrum ex virgine natum esse, juxta vaticinium de Messia, *Esa.* VII. 14, *Ecce virgo concipiet,* &c. ex historia constat.

Hoc tertium membrum secundi nostri argumenti, tanti ponderis est, ut vel solum per se sufficiat, ad principali caussæ nostræ fidem faciendum. Modus enim hic nascendi, ex virgine scilicet, tam divina, excellens & miraculi plena res est, ut Messiæ uni proprius ac peculiaris esse mereatur ac videri debeat. Simile enim ei nullum unquam miraculum reperire est. Nec dubito quin Iudæis ægrius nihil esse possit, quam quod Iesus noster tanto cum miraculo in mundum ingressus dicatur, ac propterea id ii unum agant, ut probent caussam nullam esse, cur à nobis credatur miraculum istud circa Iesum nostrum revera contigisse, aut si omnino istud revera contigisse concedatur, ex eo solidè aut irrefragabiliter concludatur, eum esse promissum Messiam. Ego vero contra assero, Iudæos caussam nullam habere, cur negent, tum contigisse istud miraculum; tum, si id contigisse concedatur, ex eo solidè inferri posse, Iesum nostrum esse Messiam. Quod ad posterius attinet, in eo probando ut jam occuper non est opus; quia nos hîc jam modum hunc nascendi ex virgine, non allegamus tanquam principale argumentum, ad confirmandum thesin nostram, sed tantum, tanquam membrum necessarium, vel rem requisitam in eo qui Messias futurus erat. Neque enim sic argumentamur, Iesus noster natus est ex virgine, Ergo est Messias; sed hoc pacto, Iesus noster natus etiam est ex Virgine, Ergo res etiam hæc non defuit ei, quæ in Messia juxta vaticinia esse debebat. Quamquam profecto, si nascendi hic modus per se consideretur, tantæ dignitatis atque excellentiæ prima statim fronte appareat, ut eo summus Deus neminem alium quam Messiam suum dignaturus videatur; utpote solum illum filium suum, dignissimum qui peculiarem ab omnibus mortalibus nascendi sortem consequeretur, & ab ipsis vitæ suæ primordiis, supra alios omnes homines emineret. Sed id jam non agimus.

*Iudæos cauſam non habere cur Ieſum noſtrum ex virgine videlicet natum eſſe negent.*

Quod ad primum ergo attinet, Judæos videl. cauſſam non habere, cur miraculum hoc circa Jeſum noſtrum revera contigiſſe negent, id eſt hiſtoriam Euangelicam hac in patre falſi redarguant, facile eſt evincere. Nam modus hic naſcendi, nec eſt impoſſibilis, nec Deo indignus, nec Meſſiæ inglorius. Hiſtoriæ etiam de Chriſto membrum hoc, non minus conſtanter ab ipſis Chriſti nati temporibus creditum fuit, quàm cætera alia omnia. Quod enim ad Ebionæos attinet, qui membrum hoc ex hiſtoria Chriſti expunctum voluerunt, & Chriſtum ex concubitu Joſephi & Mariæ natum, veluti ψιλὸν ἄνθρωπον, adſeruerunt, ut Euſebius teſtatur, lib. III. hiſtoriæ Eccleſiaſt. cap. XXI, ii oppido pauci fuerunt, & non modo non perennarunt diu, quia à cæteris omnibus Chriſtianis ſpreti rejectique fuerunt; ſed etiam quia ſemi-Judaizantes erant, & τῷ σωματικῷ τῦτο τὸ νόμου λατρείαν ad ſalutem neceſſariam eſſe contendebant, perinde ac ſi fide ſola in Chriſtum, & τὸ καθ' αὑτὸν βίου, id eſt, vitæ ratione quæ cum illa cohæret, neutiquam ſalvi eſſe poſſent, ſed Legis Moſaicæ obſervatione omnino opus haberent, rejicientes propterea Pauli epiſtolas, πάντων vel πᾶσας, ut Euſebius ait, cumque ἀποστάτην τῦ νόμου ἀποκαλοῦντες, id eſt deſertorem Legis proditoremque vocantes: & ſpeciatim, quia modum hunc nativitatis Jeſu Chriſti ex Virgine reſpuebant, λοιὸν δ' ἐχειρῶν τὸ κοινὸν ἡγοῦντο, κ' ψιλοκόπλων ἠξίουν αὐτὸ μόνον ἄνθρωπον δεδικαιωμένον, ἐξ ἀνδρός τε καὶ γυναικὸς τῆς μαρίας γεγεννημένον, id eſt, Chriſtum non niſi ſimplicem, vulgarem & ſolum hominem cenſuerunt, ex conjunctione viri Joſephi & Mariæ natum, propter progreſſionem tamen quam in virtute fecerat, juſtum ſive juſtificatum; Ebionæi fuerunt appellati, ἐνομαῖοι, ut Euſebius ait, τὸν τῆς ἀληθείας πλοῦτον αὐτῶν ἀποφαίνοντες. πτωχὴ γὰρ ἐπίκλην ὁ πλοῦτος παρ' ἑβραίοις ἐνομάζεται, id eſt, nomine, quod ipſorum mentis & intelligentiæ paupertatem vel tenuitatem proprie declarat. erant enim πλωχοὶ τῷ ζωτεινοὶ τοῖ περὶ τὸν χριστὸν ἐνομαίζοντες τῷ δεξάζοντες: addo ego, nullam prorſus rationem habentes aut allegantes, cur modum hunc naſcendi ex Virgine reſpuerent, & Chriſto non niſi communem ac vulgarem adtribuerent.

Dices: Hiſtoriam hanc non narrari neque admitti, niſi ab iis, qui Chriſtiani fuerunt. Fateor. Ut ea ab aliis narraretur quam Chriſtianis fieri non poterat. Nemo enim hiſtoriam Chriſti narrare bona fide poteſt, quin vel Chriſtianus fiat vel Chriſtianus ſit. Quomodo enim fieri poteſt, ut quis non credat Jeſum eſſe Chriſtum illum promiſſum, & religionem eius toto animo ut divinam non imbibat, qui omnia ea quæ ad Chriſtum pertinent, revera & bona fide ita evenìſſe narrat? & cum Chriſtiana Religio non minus deteſtetur ac damnet mendacium, quam flagitia ac ſcelera alia omnia, nec minus commendet, mandet, urgeatque veracitatem & fidem quàm virtutes alias cæteras, quæ cauſſa aut ratio dari poteſt, cur, quod ab illis qui Religionem iſtam amant ac profitentur, quique ad eam vivere ac ſe totos componere adeo neceſſarium credunt, ut ſalus ſua æterna alioquin in tuto eſſe non poſſit, quin & deſperata prorſus ſit, quique quavis mala morte perire malunt, quam adduci ut contra ſtatuant aut agant; cur, inquam, quod à talibus narratur, unanimiter, conſtanter, ac ſimpliciter, minus bona fide narrari credatur, quam quod ab aliis narratur, quos ſæpenumero nec Religio ſua cogit, nec vitæ ſuæ conditio permittit vera narrare, quin imo quos axiomata ſua politica ſinunt mendaciis publicam utilitatem, vel redimere vel promovere? Certe minor ratio eſt adducendi in ſuſpicionem falſitatis Chriſtianos Scriptores, quam cæteros alios omnes. Quare neceſſe omnino eſt, ut Judæi hiſtoriam hanc de nativitate Chriſti ex virgine admittant, vel rationem allegent, ob quam eam, ut fide indignam, admittendam non eſſe contendunt. Ut à nobis, eam veram eſſe affirmantibus, probationem poſtulent, iniquum eſt. Hiſtoria enim non eſt niſi rei geſtæ hiſtoria ſive narratio. Res autem geſta probari non poteſt, niſi teſtimoniis & fide eorum qui vel rem geſtam viderunt, vel αὐτόπλως rem geſtam compererunt, vel ejus, quod res ita geſta ſit, documenta habuerunt certiſſima & exceptione omni majora, qualia quidem ad rei geſtæ veritatem intelligendum idonea ſunt aut haberi poſſunt. Ea autem primos Chriſtianos à Joſepho & Maria habuiſſe non eſt dubium. Hujuſmodi documenta adeoque hiſtoriam totam hujuſmodi documentis nixam, γυμνῇ κεφαλῇ negare ac rejicere, abſque ulla juſta cauſſa ac ratione, qui audet, is eadem opera, & pari impudentia aut fiducia, hiſtoriarum omnium fidem ut in dubium vocet neceſſe eſt, & prorſus incurabilis eſt. Nolenti credere, nulla documenta ſufficiunt, uti credulo & volenti credere, omnia ac quælibet ſatis ſunt. Inter incredulos & credulos medii ſunt infirmi, quibus ejuſmodi documenta ſufficiunt, quæ ad fidem faciendum idonea ſunt. Infirmitati remedia poſuit Deus, non malitiæ, nec ſocordiæ. Infirmitatis nota eſt, nec præcipitare fidem, nec ſine ratione credere nolle.

*Duæ Iudæorum objectiones adverſus id quod Matthæus dicit, Ieſum natum eſſe ex virgine.*

Dices: Rationem non levem pro Judæis eſſe, quominus credant Jeſum noſtrum hoc modo natum eſſe; eamque ex ipſa hiſtoria petitam; quia videlicet, hiſtoria Euangelica non ſimpliciter narrat Jeſum ex virgine deſponſata natum eſſe, ſed addit, oportuiſſe ac neceſſe fuiſſe ut ſic naſceretur, vel potius *id omne factum eſſe, ut impleretur quod dictum fuerat à Domino per prophetam; Ecce virgo concipiet & pariet filium*, &c. Atqui prophetia illa exſtat *Eſa. cap.* VII, *verſ.* 14. in qua nec de partu virginis agitur, nec ut de partu virginis quo Jeſus noſter in lucem editus eſt agatur, poſſibile eſt. Fateor utramque hanc rationem non levem videri, ac proinde dignam cui ſatisfiat à nobis. Quare in eas propius inquiramus.

*Prima,*

Ratio prima eſt, Prophetam non loqui de Virgine; neque enim occurrere vocem vel בתולה vel נערה, quæ utraque virginem deſignat, ſed vocem עלמה, quæ ſignificat promiſcue puellam juvenem, ſive nuptam ſive innuptam: male ergo reddi à Matthæo per vocem παρθένος. Interpretationem hanc probant Judæi ex *Proverb.* XXX. 18, 19: *Tria ſunt abſcondita à me*, inquit Sapiens, *imo quatuor ſunt quæ ignoro: veſtigium aquilæ in cælo, veſtigium ſerpentis ſuper petram, veſtigium navis in corde* (id eſt medio) *maris, & veſtigium viri* בעלמה: quod videtur non poſſe non deſignare puellam, quæ jam experta eſt virum. Imo LXX Interpretes id reddunt per vocem generalem admodum & laxam, νεότητα, juventutem vel adoleſcentiam. 2. Addunt etiam Judæi, tametſi עלמה ibi deſignet puellam virginem, ſenſum tamen eſſe, illam puellam, quæ vel ante ſermonem prophetæ, vel propheta loquente, virgo erat, concepturam & parituram eſſe: vel, uti nunc Judæi loquuntur, puellam illam, quæ tum temporis præſens erat cum Propheta hæc diceret, imprægnatam jam & gravidam, filium parituram. Ratio eorum eſt, quia in textu non tantum dicitur עלמה, ſed cum היעלמה, הרירה illa virgo, & non dicitur conceptura in futuro, ſed הרה *harah* in præterito, quæ jam concepit.

*Secunda*

*Reſponſio ad primam objectionem, Prophetam Eſaiam à Matthæo citatum, non loqui de Virgine.*

Peſpondeo ad rationem hanc, ſive ad rationis hujus membrum primum dupliciter. 1. Rationem iſtam non procedere, niſi Judæi aſſerant, vocem עלמה nunquam ſignificare puellam quæ vere virgo eſt. Nam alioquin non eſſet ſimpliciter verum, viam viri in עלמה non agnoſci, neque ejus rei veſtigium ullum remanere. unde concludendum eſt, locum iſtum *Proverb.* XXX. 18, 19, non eſſe eo ſenſu interpretandum, quo à Judæis fit; quia ſi vox עלמה ſignificare etiam poteſt ejuſmodi puellam quæ virgo adhuc eſt, tum ſenſus verborum iſtorum, *Abſcondita eſt via viri* בעלמה, talis etiam ſit oportet, qui ad puellam quæ virgo adhuc eſt, non minus pertineat quàm ad defloratam & ſubactam.

*Per vocem* עלמה *Virginem ſignificari.*

Sed 2. tantum abeſt ut ratio iſta Judæorum procedat, & vox עלמה nunquam ſignificet puellam quæ virgo adhuc ſit, ut contra, ea vox, ſi etymon ſive originem & vim vocis videas, propriiſſime non ſignificet niſi puellam quæ virgo adhuc eſt; &, ſi Scripturæ uſum videas, alicubi, ſi non ſemper, quod tamen quidam valde veriſimiliter volunt, ita accipiatur, ut non poſſit aliam quam puellam virginem ſignificare. Addo, tantum abeſſe, ut voces בתולה & נערה ad ſignificandum puellam adhuc virginem accommodatiores fuiſſent, uti Judæi volunt, ut contra voces iſtæ, imprimis vox בתולה, aliquando pro corrupta & vidua uſurpata in Scriptura reperiantur.

Origo vocis עלמה ſine dubio eſt à verbo עלם inuſitato in *Kal* Hebræis, uſitato Chaldæis, quod in *Niphal* נעלם latitavit, abſconditum fuit, unde concreta עֶלֶם adoleſcens, qui cælebs & vitæ conjugalis adhuc expers; abſconditus eſt à fœmina, & עלמה puella, abſcondita & celata quodammodo à viro. Hanc enim propriam verbi *celandi* ſignificationem eſſe crediderim. unde porro efficitur non obſcurè, vocem עלמה propriiſſime denotare virginem viro intactam. Qui verbum עלם, id eſt abſcondit vel נעלם latitavit, abſconditum fuit, ſic exponunt, ut vox ab eo derivata עלמה ſignificet puellam domi latentem, abſconditam, & in publicum non prodeuntem, ſive καθέκλειστον & θαλαμόμβιον, ſive in thalamis à conſpectu virorum ſeorſim educatam, ii, etſi propoſito ac fine bono ita exponere vocem videantur, tamen id, quod contra Judæos fortiſſime facere poteſt, non ſatis attendunt. Etſi enim certum eſt, virgines apud paganos communiter vocari ſolitas fuiſſe ἐν καθέκλειστον, & eas habuiſſe ſuos παρθενῶνας in quibus educabantur ſeorſim à viris, thalamos etiam & γυναικωνίτας ſive gynæceia ſua, in quibus quaſi ſecretæ à viris agebant ſive ἀπόκρυφοι latebant, verecundiæ & pudicitiæ virginali non proſtituendæ in publico; tamen, an idem mos apud Hebræos obtinuerit, non æque certum eſt: imo non pauca ſunt indicia, quæ fidem faciunt, puellarum, ſive virginum ſive aliarum, eandem fere apud eos fuiſſe rationem,

tionem, quæ nunc apud nos est, ut nimirum re ita postulante, in publicum prodirent non minus quam viri, nec καθέλκεσθαι aut ἀκάκρυφοι essent, uti apud paganos, à conspectu aut oculis virorum. Certè servus Abrahami ad Labanem profectus, ut Isaaco Abrahami filio uxorem quæreret, non obscure indicat, moris tum fuisse, ut virgines etiam in publicum prodirent, virisque obviis se conspiciendas darent; cum ait, *Genes.* XXIV. 43, Labani, se eum in finem venisse, ut observaret an fortasse עלמה aliqua prodiret, quam heri sui filio uxorem conciliaret; per עלמה sine dubio intelligens puellam virginem, & viro omni intactam puellam, cæteris virginibus, pro more gentis istius, ad hauriendum jumentis aquam exeuntibus, permixtam. Ad confirmationem hujus rei non parum facit exemplum Dinæ filiæ Jacobi, quæ egressa dicitur fuisse, ut videret filias terræ: *Genes.* XXXIV. 1. non factura verisimiliter id, si præter morem gentis Hebrææ aut populi terræ istius fuisset, ut virgines in publicum prodirent: imo utrobique moris & fas fuisse, ut virgines in conspectum juvenum ac virorum prodirent, id est, καθέλκεσθαι sive ἀκάκρυφοι non essent, aperte satis ex ipso Dinæ facto ac fine colligitur: ut jam de sorore Mosis, quæ etiam *Exod.* XI, 8. העלמה dicitur, & exivisse legitur, ut quæ fratrem suum sors maneret, observaret, deque filiabus virginibus populi Israelitici tympanistriis aliisque Davidi epinicium accinentibus, &c. passim legere est, non dicamus.

Quod ex *lib.* II. *Machab. cap.* III. 19 adferri contra solet, ubi, cum Heliodorus ærarii tribunus, ab Apollonio Cælesyriæ ac Phæniciæ præfecto Hierosolymam missus, ad thesaurum in templi Gazophylacio, ut putabatur, reconditum secum adsportandum, in eo totus esset, ut id effectum daret, tota civitas commota fuisse legitur, & mulieres sub uberibus ciliciis accinctæ vicos impleviſse, interque eas etiam αἱ καθέλκεσθαι τὸ παρθένων aliæ ad portas aliæ ad fenestras concurrisse narrantur; id contra nos non facit. Nam 1. id posterioris ævi est, quando Judæi jam sub potestate Syro-Macedonum & Seleucidarum post Alexandri Magni obitum constituti erant, ac proinde, uti fieri solet, Macedonum, Græcorum, Ægyptiorumque morem in recludendis honestioribus virginibus receperant, absque ullo Judaicæ suæ Religionis damno atque opprobrio. 2. Id universaliter ab omnibus usitatum fuisse non constat, neque ex textu solidè satis colligitur. Atque hoc si ita est, ratio manifesta suadet, vocem עלמה prima ac propria sua significatione, notare hujusmodi puellam quæ virgo est, non quia celata aut abscondita est à conspectu virorum, sed quia virum experta non est, & sic nulli viro cognita est.

Unde quam sit inepta ac perversa Judæorum ἔνστασις, quando ex voce עלמה quæ in textu Esaiæ legitur, colligunt, virginem proprie intelligi non posse, liquido constat; ut jam non allegem, quod vox ista, in loco Esaiæ, ab interpretibus, qui Judæis suspecti esse nequeunt, translata legatur per vocem quæ παρθένον significat, uti in Thargumim Onkeli & Jonathanis videre est, & per ipsam græcam vocem παρθένος à LXX interpretibus, prout non tantum ex ea, quæ nunc apud nos habetur, translatione, liquet, sed etiam ex Justini scriptoris antiquissimi citatione, qui vocem istam, etiam seculo suo sic à LXX translatam, allegat in Dialogo suo cum Tryphone Judæo, ad probandum propriam significationem vocis illius esse, ut virginem notet, ex Hebræorum sententia; quia alioquin, inquit, interpretes isti qui Hebræi natione erant, & aliquot seculis ante Christum exhibitum vixerunt, ausi non fuissent in loco isto, pro voce עַלְמָה, virginem reponere. Ex quo etiam liquet, causam non esse, cur Judæi carpant aut vellicent Matthæi Euangelistæ nostri fidem; quin, ut & cæteros Euangelistas, certum est fidem LXX interpretum secutum esse, ac proinde eadem voce usum esse, quæ tum in editione LXX interpretum legebatur.

Quod vero etiam asserunt, voces בתולה & נערה proprie significare virginem, & si altera istarum vocum in textu isto posita fuisset, ac non vox עלמה, tum vero rationem nostram speciem aliquam habituram; id nescio qua fronte ab ipsis adseri possit, cum certum sit, quod ad voces duas priores attinet, eas aliquando non significare Virginem. Nam בתולה vocatur *Deut.* XXII. 19, virgo corrupta. unde *Genes.* XXIV. 16, ad vocem בתולה additur, *& vir non cognoverat eam.* & *Joel.* I. 8, fœmina lugens maritum vocatur בתוּלַת. Vox vero נערה quæ νεᾶνις transfertur, aliquando etiam significat eam quæ maritata fuit. Hinc Ruth vidua, appellata fuit נערה *Ruth.* IV. 12.

Contra plane se res habet in voce עלמה. Ea enim ex mente & sententia doctissimorum Hebræorum, citra controversiam non nisi virginem significat, in quinque, ubi vox ista legitur, Scripturæ locis; puta *Genes.* XXIV. 34. *Exod.* II. 8. *Psalm.* LXVIII. 26. *Cantic.* I. 3. & *Cantic.* VI. 7. Sextum locum non addo, quia is est locus *Esa.* VII. 14; de quo nunc agimus, & de quo inter nos & Judæos controvertitur. Unicus tantum locus restat, (quia septies dumtaxat vox עלמה in textu sacro occurrit) *Proverb.* XXX. 18. 19. qui contra facere videtur, & quem Judæi imprimis pro sententia sua urgere solent. Eum supra citatum à nobis vide sis. Sed vero (ut jam varias variorum interpretationes non allegemus) nulla necessitas cogit, cur isto in loco vox עלמה pro virgine accipi non possit; imo ratio manifesta in textu est, cur pro virgine accipi debeat. Primum, inquam, Nulla necessitas cogit, ut vox ista aliam puellam quam virginem significare credatur. Nihil enim vetat sensum verborum istorum hunc esse, Non posse magis certo sciri, an quis eam ducat quæ revera virgo est, & illibatæ pudicitiæ, quam sciri ac deprehendi potest, vestigium aquilæ in cælo, &c. non modo, uti quidam verba hæc exponunt, ex aspectu exteriore, quia sæpe evenit, ut quæ virgo esse creditur, virgo tamen non sit; sed etiam quia nulla indubitata indicia sunt, nec à priori, nec à posteriori, quæ aliquam prostitutæ aut delibatæ virginitatis convincere possunt, nisi comperiatur gravida esse & uterum jam ferre. Quod enim *Deut.* XXII. legitur de בתולים sive signis virginitatis, id ipsis Judæis autoribus secundum literam intelligi non debet, & ratio etiam atq; experientia incertum ac fallax esse evincunt, uti in examine loci istius à nobis prolixe demonstratum est. Sed & secundo addo; Rationem in textu manifestam esse, cur עלמה isthic pro virgine accipi debeat. Subjicitur enim statim *vers. seq.* 20. כֵּן דֶּרֶךְ, *Sic via* (est) *mulieris adulterantis.* Particula כֵּן similitudinem significat, non identitatem. At si vox præcedens עלמה significaret puellam sive mulierem adulteram, identitas orationis hîc esset, & exemplum hoc nihil differret à priore exemplo. Itaque non dixisset Sapiens, Sic est via mulieris adulteræ, sed hæc, sive hoc, quod dixi, est via puellæ defloratæ & meretricis. Quia vero dixit, Sic est via mulieris adulterantis, eo non obscure significat, se id voluisse; Tam incerta esse virginitatis seu illibatæ, seu delibatæ vestigia atque indicia, ut ea quæ virgo esse creditur, & quæ pro virgine se venditat, non magis convinci possit à conjuge eam ducente, prostitutæ pudicitiæ, quam fœmina adultera, quæ corpus suum pluribus vulgavit, & casta tamen ac pudica videri vult, adulterii convinci potest: vel, si quis ita malit, Nullum vestigium atque indicium exterius apparere in virgine, unde certo deprehendi possit, eam virginem non esse, postquam virum admisit, non magis quam vestigium exterius ullum apparet in adultera, unde certo deprehendi possit eam adulteram esse: non quod forte à viro aut conjuge aut adultero id sciri non possit aut cognosci, sed quod ab aliis id observari nequeat, aut forinsecus id nemini appareat, non magis quam eminus aut ex specula prospectantibus, apparet vestigium navis in mari, quamquam cominus videntibus id satis appareat. Hactenus ergo de primo membro. Progrediamur ad secundum.

*Locus Proverb. XXX. 18. 19.*

Posito, inquiunt Judæi, vocem עלמה in hoc Esaiæ loco virginem notare; sensus tamen est, per puellam virginem designari certam aliquam virginem, quæ tum ibi præsens erat, & quam veluti digito indicabat propheta, deque ea affirmari, vel quod simpliciter ex sponso suo conceptura & paritura esset filium, vel tantum quod paritura esset filium masculum quem jam conceperat. Sensum autem hunc liquere ajunt ex vocula, הִנֵּה *Ecce*, & ex ה demonstrativo, præfixo voci עלמה, quod significat, *illa*, quasi exerto digito. Hic fateor me nolle admodum refragari Judæis, nec causam videre cur refragari iis debeam. Haud illubenter iis concesſero, Prophetam isthic digitum quasi intendere in certam aliquam virginem, quæ tum ibi præsens erat, & prophetæ aut Achazo Regi, aut alii ex proceribus adstabat, quæcunq; tandem ea fuerit; non tamen prægnantem jam & gravicam: (Sic enim vox עלמה id est abscondita à viro, eo quo diximus sensu, ei non recte adtributa fuisset:) sed quæ sive desponsata sive adhuc desponsanda, brevi imprægnanda & ex conjuge uterum latura erat. Etsi enim in præterito ibi legatur הרה, tamen per enallagen Hebræis familiarem, pro futuro id accipi posse indubium est, & accipiendum esse ex addito atque immediate subjuncto participio יֹלֶדֶת id est pariens, quod pro futuro, paritura, necessario accipi debet, (Neque enim virgo ista tum isthic pariens erat) non obscurè colligitur. Quænam ea virgo fuerit, solicitè rimari nec necessarium nec operæ pretium puto. Sufficit, si dicatur, eam virginem fuisse, & coram propheta loquente stetisse, ut digito designari posset; incertum, desponsatam jam recens, an brevi desponsandam, sed virginem tamen, conjugalis thori adhuc expertem. Ex eo consequitur, eam Achazi uxorem esse non potuisse, utpote quæ jam ei pepererat ante annos novem, filium Ezechiam, qui Achazo postmodum in imperio successit. Nec uxorem Esaiæ prophetæ, quæ jampridem ei pepererat Sear-Jasub filium, qui ibidem astabat patri suo, ut

*Responsio ad secundam objectionem, etiamsi Esaias loqueretur de virgine, non tamen loqui de alia quam de præsente, ubi conceditur id alio quo modo verum esse.*

ex

ex *verſ.* 3, *cap.* VII liquet. Sed aliam prophetiſſam virginem, quam fortaſſe Eſaias propheta, vel poſt defunctam jam uxorem primam, circa iſtud tempus de novo ſibi deſponſaverat, vel viventi adhuc primæ uxori volentique ſuperinducere conſtituerat. Eam autem fuiſſe prophetiſſam iſtam, cujus mentio fit *cap. ſeq.* octavo, admodum veroſimile eſt. Nam 1, ad eam, honeſto vocabulo, ſtatim aut non multò poſt alloquium hoc cum Rege habitum, acceſſiſſe dicitur propheta, eaque ex eo concepiſſe & peperiſſe filium, *verſ.* 3. Tum, omnia ea quæ de filio hoc prophetiſſæ dicuntur *cap.* VIII, apprimè conveniunt, ſi non prorſus eadem ſunt, cum iis, quæ *cap.* VII. prædicta erant de filio, quem הָעַלְמָה conceptura ac paritura erat. Nam de prophetiſſæ filio dicitur, quod nomen ejus vocari Deus voluerit, *Ad feſtinandum ſpolium, acceleravit prædam.* De filio autem quem הָעַלְמָה prædicitur conceptura & paritura, dicitur, quod nomen ejus vocari Deus voluerit, *Immanuel*, quod, ſi ſenſum ac vim nominis videas, plane convenit cum illo, *Ad feſtinandum ſpolium*, &c. Immanuel enim ſignificat, Deus, id eſt, Dei favor & auxilium eſt nobiſcum. Favoris autem & auxilii divini, ſive effectus ſive vis apparet, quando ad ſpoliandum hoſtem, feſtinare Deus jubet. unde etiam eſt, quod ipſe filius prophetiſſe vocetur *Immanuel*, *verſ.* 8. Senſus autem rationem potiſſimum haberi ut credam, adducor tum eo, quod in antitypo, id eſt, Meſſia, quem virgo proprie dicta concepit ac peperit, idem uſu venerit, ut nomen Immanuel ei tributum fuerit, cum proprium ejus nomen eſſet Jeſus, ratione tantum habita ſenſus ac ſignificationis vocis Immanuel, quia is qui ſervaturus erat populum à peccatis, eo ipſo teſtatum facturus erat, Deum, id eſt, divinum favorem, gratiam atque auxilium, excellentiſſima ratione cum populo eſſe; tum eo etiam, quod Deus paſſim in Scripturis nomenclaturam rebus aut perſonis quibuſdam indi jubeat, non habita ratione nominis aut nomenclaturæ ipſius, ſed ſolius ſenſus ſive rei ſub nomine ſeu nomenclatura iſta contentæ; uti videre eſt *Eſa.* I. 26. & XIX. 18. & XLVI. 5. & LX. 14. & LXII. 2. 4. 12. *Jerem.* III. 17. & XIX. 6. & XXIII. 6, &c. 2. De filio prophetiſſæ dicitur, futurum, ut antequam ſciat dicere aut vocare Pater mi, Mater mea, ſpolia Samariæ & Damaſci auferantur, videlicet à Rege Aſſyriæ, debellaturo tam Damaſcum quam Samariam, & interfecturo Rezin regem Syriæ, cujus provinciæ metropolis erat Damaſcus: poſt quem deinde Pekah Rex Samariæ interficiendus etiam erat ab Oſea, qui & ipſe non multo poſt, cum toto populo Iſraelitico, à Salmanaſſere captivus abductus fuit, uti legere eſt 2 *Reg.* XVII, in Aſſyriam. De filio autem הָעַלְמָה dicitur, futurum, ut antequam noverit reprobare malum & eligere bonum, id eſt, dum adhuc lallat puerorum more, & expedite fari non poteſt aut dicere diſtincte אֲבִי אִמִּי Pater mi, mater mea, derelinquatur terra, quam abominabatur Achaz, à facie duorum regnum ſuorum, id eſt à Rezin Rege Syriæ & à Pekah filio Remaliahu, rege Iſraelis: quæ ſane unum idemque ſignificare, quis non videt? Ovum ovo, lac lacti ſimilius eſſe non poteſt.

*Item conceditur, beneficium quod Deus Eſaiæ cap. VII. promittit, ad tempora illa pertinere.*

Dices: Hoc ſi concedatur Judæis, neceſſario etiam iis concedendum eſſe, iſtud beneficium, quod Deus in capite hoc Eſaiæ prædicit & promittit ſe daturum domui Davidis, ſive populo Judæ & regi ejus Achazo, ad tempora etiam iſta ipſa pertinere, ſaltem ad tempora iis vicina ac proxima. Fateor. Argumenta eorum, & eventus prædictioni ac promiſſioni reſpondens, cogunt nos ut id concedamus. Argumenta eorum ſunt: 1. quia de ejuſmodi partu agitur, quem non multo poſt ſubſecutura eſſet liberatio à vi & invaſione duorum Regum, Rezin & Pekah, qui conjunctis ſibi aliis (nam *cap.* VII, fit etiam mentio in hoc propoſito Ægyptiorum) terram Juda plane perdere ac vaſtare decreverant. Dicitur enim Reges illos duos eſſe deſtruendos, vel terram eſſe deſerendam à duobus regibus iſtis, priuſquam puer ille ſciret reprobare malum & eligere bonum: *verſ.* 16. 2. inquiunt, verba illa prophetæ, *Antequam puer ille ſciat reprobare malum & eligere bonum, derelinquetur terra à facie duorum regum ſuorum*, ridicula forent, ſi ſenſus eorum hic eſſet, Antequam elabantur ſeptem ſecula, id eſt antequam naſcatur Meſſias, poſt ſeptem ſecula vos liberabimini, & Reges illi deſtruentur. Id enim tantundem foret ac ſi quis ægro alicui diceret, illum liberatum iri à morbo, antequam excidium mundi ſit adventurum. Eventus etiam prædictioni ac promiſſioni divinæ reſpondens, aperte ſatis favet, tum interpretationi eorum, tum argumentis, quæ jam adduximus. Certum enim eſt, ſecundo aut tertio anno, poſtquam prædictio iſta divina per Eſaiam facta fuerat, Regem Aſſyriæ Tiglat Peleſſer debellaſſe Damaſcum & Samariam, & Rezin Damaſci Regem interfeciſſe: Pekah verò filium Remaliahu, Regem Iſraelis, deinde ab Oſea interemtum fuiſſe, uti legere eſt 2 *Reg.* XV. Ac licet eo ipſo tempore, Rex Aſſyriæ cum exercitu ſuo ulterius etiam in Judæam terram excurrerat, ac vaſtitiem aliquam fecerat, quod & futurum etiam prædixerat Eſaias, *cap.* VII: tamen certum eſt, Judæam tum ab illo ſubactam non fuiſſe, ſed eum poſt factam iſtam vaſtitiem in Aſſyriam rediiſſe, & terræ Judæ poſt cædem duorum iſtorum Regum, quo tempore puer ille prophetiſſæ nondum erat adſecutus annos intelligentiæ, reſtitutam fuiſſe pacem & quietem, tanto cum fœnore, ut puer iſte jam annos diſcretionis attingens, butyrum & mel comedere poſſet, præ copia & redundantia lactis ac mellificii.

*Nec tamen ſequitur locum hunc perperam à Matthæo allegatum, & ad Jeſu nativitatem ex Maria virgine accommodatum.*

Quid reſtat ergo, inquies, quam ut plena manu Judæis etiam largiamur, locum hunc Eſaiæ perperam à Matthæo Evangeliſta adductum & ad tempus Jeſu Meſſiæ noſtri ex Maria Virgine nati accommodatum eſſe? Abſit, inquam ego. Fateor quidem nihil eſſe difficilius, quam Judæis perſuadere, locum hunc à Matthæo rectè allegatum eſſe, ſi literam totam urgere eique mordicus inhærere velint. addo etiam, prorſus impoſſibile nobis fore, id non modo ipſis perſuadere, ſed nobis ipſis; niſi ex eo ipſo, quod locum iſtum Eſaiæ Matthæus Evangeliſta accommodavit ad Jeſum noſtrum, & Mariam Virginem matrem ejus, cauſſam habere-mus credendi, prædictionem iſtam ex conſilio & intentione divina ſic eſſe factam, ut ea aliter quam in Jeſu noſtro & matre ejus, perfectiſſima ratione impleta videri non debeat. Neque enim dubito, quin, ſi indicium iſtud à Matthæo, aut ab alio aliquo divino viro, Spiritu Dei afflato, & divinæ mentis conſcio atque interprete, factum non fuiſſet, quotquot ſunt ad unum omnes, etiam ſagaciſſimi homines, de prædictione hac ad Mariam Virginem matrem Jeſu accommodanda, cum Judæis ne cogitaturi quidem fuiſſent: auſim dicere, forte etiam non aliter quam Judæi eam fuiſſent interpretaturi.

*Non enim ſecundum literam tantùm, ſed etiam myſtice exponi poſſe & debere.*

At vero quamquam hæc lubens fateor, quicquid alii contra obſtrepant atque obganniant; tamen dico, poſtquam & quia indicium illud nobis jam factum eſt, non modo non impoſſibile, ſed non admodum difficile eſſe, Judæis oſtendere, ſi modo non obſtinent animum ac frontem, jure meritoque Matthæum Evangeliſtam noſtrum dixiſſe, in Maria matre Jeſu prophetiam ſive prædictionem illam, Deo ita volente ac dirigente, impletam fuiſſe; vel potius, cauſſam nullam eſſe, cur Judæi præfractè literalem illum, quem jam iis conceſſimus, ſenſum tantum urgeant, & eum, quem Matthæus indicat, ei ſubeſſe negent. Hoc vero ſatis eſſe arbitramur, ad id, quod inſtituimus, probandum.

*Quod ab quod rationibus probatur.*

Rationes meæ ſunt: 1. Certum eſt Judæos concedere, adeoque paſſim profiteri, in Scripturis multa reperiri, quæ ſenſum non unum ſed duplicem habere poſſunt, atque ex ipſa divina etiam mente habent, uti ſupra à nobis prolixè demonſtratum eſt. Inter ea autem, quin potiſſimum cenſeri debeant vaticinia, dubium non eſt; quippe quæ ſic fere concipi Deus voluit, ut res prædicta aliqua ex parte occultaretur, donec ea exiſteret, ex cujus eventu clarè intelligeretur, id prædictum eſſe quod evenit, nec ſine Dei providentia ac decreto eveniſſe. Quare cauſſam non habent Judæi ſugillandi Matthæum, quando ſenſum alium etiam prædictioni huic ſubeſſe aſſeruit, quam literalem: ſaltem cauſſam non habent concludendi hunc in modum, Eſaiæ prædictio ſecundum literam pertinet ad tempora iſta regis Achazi, ergo ſenſu alio non pertinet ad tempora Jeſu. Scio Judæos non admittere ſenſum myſticum ad probandum caput aliquod fidei. Sed nec nos ut id admittant, cupimus aut urgemus. Tantum id aſſerimus, eos admittere, in prædictionibus aliiſque affirmationibus alium aliquando ſenſum latere quam literalem; ac proinde, non procedere ex hypotheſi hac eorum propria, argumentum à poſitione ſenſus literalis, ad negationem ſenſus omnis alterius myſtici. 2. Certum eſt, in Scriptura occurrere vaticinia, quæ, ſi verba eorum quædam obiter introſpicias, prout jacent, aliud nihil videntur continere, quam quod ad perſonam iſtam, ad quam prædictio dirigitur, pertinet. At vero ſi propius etiam alia quædam verba, literalem ſenſum continentia, introſpicias, ad aliam ea omnino perſonam, ac nominatim ad Meſſiam, pertinere dicendum eſt. Non allegabo ad hanc rem probandum, vaticinia multa quæ in Novo Teſtamento occurrunt, quæ id ipſum manifeſtum faciunt: qualia ſunt, *Matth.* II. 15. ex *Oſeæ* XI. 2. *Ex Ægypto vocavi filium meum.* & hoc ipſum de quo nunc agimus, *Matth.* I. aliaque ſimilia. Hæc enim apud Judæos in pretio non ſunt. Sufficit vel unum iſtud, quod inſtar omnium eſſe meretur propter claritudinem ſuam, quod exſtat 2 *Samuel.* VII. & quod Judæi ipſi negare non poſſunt, ad Meſſiam potiſſimum ex intentione divina referendum eſſe, & ab antiquiſſimis Rabbinis eo relatum eſſe conſtat: ubi Nathan Davidi prædicit, futurum ut domus ejus ſit firma, regnum ejus æternum, & ſolium ejus perpetuum,

*Locus 2 Samuel. VII. 12. 13. 14. 15. 16.*

petuum, filiuſque ei naſcatur, qui in throno ejus ſedeat cum imperio æterno, cui Deus in Patrem & qui Deo in filium ſit. Hoc vaticinium auguſtum nimis eſt & excellens, ut ad alium quam Meſſiam, Davidici regni æternum hæredem, referri poſſit: imprimis quia *verſ.* 12, filius ſive hæres iſte dicitur egreſſurus è ventre Davidis, quando jam exacti eſſent Davidis anni, & poſtquam dormiiſſet cum patribus ſuis; quod de Solomone, qui & quia jam natus erat, accipi non poteſt: & tamen ſi verba quædam videas, quæ in textu iſto leguntur, ad alium nullum quam ad Solomonem prædictio iſta reſpicere videbitur; imprimis iſta quæ *verſ.* 13 leguntur; *Ipſe ædificabit domum nomini meo:* & *verſ.* 14: *quum inique egerit, arguam eum virga hominum & plagis filiorum hominum.* Neutrum enim Meſſiæ Dei filio aptari commode poteſt. Quare neceſſe eſt ut credamus, & ut nobiſcum credant Judæi, vaticinium hoc ad Solomonem quidem prlmo ſenſu pertinere, ſed tamen non univerſè ad Solomonem, quatenus ſimpliciter filius Davidis erat, ſed quatenus erat typus Meſſiæ æterni Regis; ac proinde cùm in typo non ſit omne illud, quod in antitypo eſt, verba iſta vaticinii quæ ad Solomonem referri poſſunt, quatenus Davidis filius erat, ad Solomonem tantum referre; & quæ ad Meſsiam, cujus typus erat Solomon, ea non ad Solomonem ſed ad Meſsiam referre, ſive ad Solomonem quatenus typus Chriſti ſive Meſsiæ erat; atque ita ſtatuere, uni eidemque prædictioni divinæ duplicem ſenſum ineſſe poſſe; & quidem ſenſum quem ipſa litera, ſive verba nuda, præ ſe ferunt, indicantque ad eandem quidem perſonam, ſed ſub diverſa ratione conſideratam, quatenus videlicet vel nude tantum, vel ut typus alterius perſonæ conſideratur, neceſſario referenda eſſe.

*Duplex ſenſus vaticinii Eſa. VII. 14.*

Quod cum ita ſit, quæ cauſſa aut ratio eſſe poteſt, cur Judæi negent, idem in hoc, de quo agimus, vaticinio Eſaiæ prophetæ uſu venire potuiſſe? Quid enim vetat, virginem iſtam quæ ex propheta Eſaia, cui jam deſponſata, aut jam jam deſponſanda erat ex divino juſſu, conceptura erat & paritura filium, typum fuiſſe virginis Mariæ, quæ abſque congreſſu viri, & propriiſsime qua virgo conceptura erat & paritura Jeſum Meſsiam? Filium deinde illum, cui imponendum erat nomen Immanuelis, & qui divina benedictione, attamen ſecundum naturæ ordinem naſciturus, ſigni inſtar futurus erat, quod Deus ſpeciali ratione cum populo Judæ agere vellet, id eſt, adeſſe ei contra duos reges à quibus vexabatur, typum fuiſſe, Jeſu Meſsiæ promiſsi, qui ſpecialiſsima ratione, præter naturæ ordinem, ex pura puta virgine naſciturus, & verus Immanuel futurus erat, in quo & per quem Deus ſpecialiſsimum ſuum favorem, opem & auxilium populo ſuo, contra omnes infenſiſsimos ejus hoſtes demonſtrare vellet? Denique liberationem illam populi à regibus, tum temporis populum infeſtantibus, adumbraſſe liberationem illam magnam, quam populus Judæ ab omnibus veris inimicis ſuis, divino beneficio conſecuturus erat, per conceptionem & nativitatem Meſsiæ regis noſtri? Certe nihil eſt quod vetat credere vaticinium hoc ita accipi poſſe.

*Myſtica illius expoſitionis neceſſitas.*

Sed, ut fortiſsimè convincamus Judæos, addimus, in ipſo vaticinio hoc occurrere non levia indicia, quæ pene cogunt credere, verba quibus id conceptum eſt, continere alium & perfectiorem quendam ſenſum, eumque ipſum quem Matthæus noſter inſinuat à Deo intentum, & in Maria impletum fuiſſe.

*Primum indicium* facit vox עלמה, quæ uti jam evicimus, propriiſsimè ſignificat puellam quæ virgo eſt. Quare propriiſsime prædictio ſecundum literam impleta dici debet, quando virgo, qua talis, præter naturæ ordinem concipit ac parit; non vero quando virgo ſecundum conſuetum naturæ ordinem ex viro concipit aut parit. Sic enim proprie virgo non parit, nec concipit, ſed maritata, nec aliter quam ea quæ virgo non eſt. unde conſequitur totam prædictionis & conſilii atque intentionis divinæ ἐνέργειαν non exhauriri, quando per virginem hîc intelligitur uxor prophetæ, aut alia quævis juvencula, ſecundum ordinem naturæ ex viro ſuo concipiens: ſed quando per eam intelligitur virgo, quæ ſine viro concipit; quia ſic quatenus à viro eſt abſcondita concipit, quod proprie vox עלמה denotat. Ea autem fuit mater Domini noſtri Meſsiæ.

*Secundum indicium* facit vox אות, ſigni, quæ ſine dubio hoc in loco ſignificat, non vulgare aliquod ſignum, & quod nihil miri in ſe continet; ſed novum, inuſitatum, & miraculoſum aliquid præ ſe ferens, quodque Deo & divina Majeſtate, Achazo renuenti ſignum petere, dare volente, dignum erat. Hujuſmodi ſignum eſſe aut videri non poterat, conceptio juvenculæ virginis ex viro. Quid enim novi, inuſitati, miri, nedum miraculoſi, in eo eſſe poteſt, quod juvencula virgo concipiat ex fœcundo marito ſuo? Tantum abeſt ut mirum iſtud videri debeat, ut contra mirum potius videatur, ſi juvencula talis non concipiat. Si prædixiſſet Deus futurum, ut virgo ſterilis aut effæta anus, aut fœcunda quidem virgo conciperet, ſed ex ſterili, infœcundo, aut ἀνηρωμένῳ viro, certe iſtud ſigni nomine dignum fuiſſet: ſed juvenculam uxorem ex viro fœcundo concepturam prædicere, ſigni nomine dignum non eſt. Suppono hîc per עלמה intelligi prophetiſſam, quæ Eſaiæ prophetæ nupſit, quem fœcundum parentem fuiſſe proles ejus Sear-Jaſchub indicat: & verba illa, *Ecce ego & pueri quos dedit mihi Deus*, *cap.* VIII. 18. quamquam enallage numeri hîc eſſe poteſt. Dices: Signum non eſſe proprie in eo quod virgo illa conceptura eſſet, ſed in eo, quod conceptura eſſet filium, id eſt marem non filiam. Atqui, inquam, 1. textus utrumque dicit, & virginem concepturam, & virginem iſtam partum non fœmineum ſed maſculum parituram. 2. Elumbe prorſus & frigidum, addo, & divinæ Majeſtati, invito Achazo quaſi nobile aliquod ſignum promittenti, parum conveniens eſſe, miraculum in eo conſtituere, quod vel à ſagacioribus obſtetricibus per conjecturas naturales inveſtigari, vel divinando attingi, vel ſingulari quadam induſtria, fatentibus imo adſerentibus id ipſis Judæis, procurari poteſt. hinc eſt, quod, quando ejuſmodi prædictiones adimplentur, nemo eas pro oraculis habeat, multò minus pro miraculis vel ſignis extraordinariis, ſed eæ vel arti, vel ſagacitati, vel caſui adſcribantur. Dices fortaſſis, ſignum tantum in eo fuiſſe, quod, antequam puer iſte ſciret reprobare malum & eligere bonum, terra Judæa deſerenda eſſet à duobus regibus, & quies deinde ac pax populo reſtituenda. Atqui, inquam ego, hoc non fuiſſet ſignum dare, ſed tantum tempus indicare, quo liberatio populi futura erat. Eodem enim tempore, quo ſignum iſtud extiturum erat, ipſa etiam res ſignata exſtitura erat. Signata itaque res tam fuiſſet ſignum, quam ſignum ipſum; quod abſurdum eſſe ex terminis liquet.

*Tertium indicium* facit vox עמנואל *nobiſcum Deus*, quæ filio tum virginis, *cap.* VII. tum prophetiſſæ, *cap.* VIII, aſſignatur atque inditur. Hæc enim vox auguſtior ſane dignior que eſt, quam ut à Deo impoſita virginis iſtius juvenculæ filio credi poſſit, dumtaxat ideo, quod Deus ejus tempore, favorem & auxilium ſuum præbiturus eſſet, in liberando populum à violenta duorum iſtorum Regum incurſione. Quantulum enim hoc bonum erat? Dices: Pax deinde & quies reddita eſt terræ, poſt vaſtationes Regum Syriæ & Iſraelis, ipſiuſque adeo deinde etiam Regis Aſſyriæ. Sed vero quantula etiam fuit pax & quies iſta? Certè non diuturna, ſed brevis admodum ac dubia; quæ non multo poſt, ſub ipſo Ezechia Achazi filio, miſere turbata fuit per Sennacheribum, ac tandem à Nabuchodonozoro funditus everſa fuit. Certè vix videtur propter rem tantillam, niſi aliud quid ſubeſſet, puero illi debuiſſe imponi auguſtum illud nomen Immanuel, quod propria ſua ac primæva vi ſignificat præſentem Dei favorem atque auxilium, niſi, inquam, ſub nomine pueri illius, prophetico more alius quiſpiam intelligeretur, quo nato & cujus tempore verè ac propriè dici poſſet, Deum cum populo illo eſſe, & divinum favorem ac benignitatem excellentiſſimam illis oſtendere. Huic tertio indicio accedat

*Quartum*, quod puer iſte non modo vocetur Immanuel, ſed etiam ſic vocetur iſto nomine Immanuel, ut terra Judæ *ipſius terra, & extenſio alarum ejus, plenitudo latitudinis terræ ipſius* vocetur, *Eſa.* VIII. 8. Quæ ſane excellentia ac dignitas major eſt, quam ut proprie pertineat ad puerum ſive filium prophetiſſæ. Quomodo enim terra iſta, niſi valde impropriè, imo plenitudo latitudinis terræ, eſſe poterat terra & plenitudo latitudinis terræ filii Eſaiæ, aut prophetiſſæ iſtius Eſaiæ uxoris? Dices: Hoc ſignum eſſe, verba iſta non poſſe pertinere ad filium prophetiſſæ, ſed ad alium aliquem filium referenda eſſe. Ad quem ergo, inquam ego, filium? Ad Ezechiam-ne Achazi filium? Id nullo modo verum eſſe poteſt, quia, cum prædictio de filio hoc fieret, Ezechias Achazi filius jam natus erat, & jam decimum plus minus annum agebat, uti ex ſupputatione annorum imperii Achazi, & anni quo Ezechias regnare cœpit, manifeſtiſſimum eſt. Anne ad filium aliquem, qui quo tempore prædictio hæc fiebat, ex Achazo conceptus ac natus fuit in hac עלמה? Sic quidem R. D. Kimchi vult, ſed fruſtra. Quiſquis enim tandem filius ille fuerit, de quo nihil omnino conſtat, ejus terra Judæ non erat, ſuperſtite Ezechia Achazi filio primogenito ac forte unico; quia alterius alicujus mentio nulla fit in Scriptura. Ezechias enim hic hæres regni erat futurus, & reipſa etiam in regnum patris ſui ſucceſſit, jam annos natus viginti quinque. Ejus itaque terra erat, non vero alterius alicujus poſtgeniti: & ejus terra ita fuit, ut filium regni ſui ac proinde ejuſdem terræ hæredem poſt ſe reliquerit; Manaſſen ſcilicet, cui & ipſe ſucceſſit filius ſuus Joſias.

Hæc

Hæc ſunt indicia illa quæ non obſcure arguunt, Deum longe excellentiorem aliquam conceptionem, & præſtantiorem filium prædicere voluiſſe in hoc vaticinio; & hoc conſilium, hanc intentionem & mentem ſuam, ſub virgine iſta, quæ tum concipiebat & pariebat filium, veluti ſub typo occultatam voluiſſe manere, uſque dum eventus ipſe manifeſtum faceret, conſilium Dei iſtud ſub verbis iſtis quæ in vaticinio exſtant, longe amplius aliquid continentibus quam typus ipſe in ſe habebat, occultatum fuiſſe; quod in Jeſu noſtro contigiſſe aſſerimus. Eum enim virgo ſive עלמה à viro abſcondita concepit ac peperit, quod ſignum miraculi plenum eſſe nemo ambigere poteſt. Ejus terra Judæ erat, quia hæres erat patris ſui Davidis, cujus tota terra Iſraelis erat ante ſeceſſionem decem tribuum & diviſum imperium. Is vere ac proprie Immanuel eſt, per quem Deus populum Iſraelis ab omnibus veris ac proprie dictis inimicis ſuis aſſeruit, & æternam gratiam, benevolentiam ac favorem ſuum, cæleſtibus omnibus benedictionibus cumulatum, ei exhibuit.

Quam ad rem non parum facit conſideratio modi, quo Deus ſignum hoc Regi Achazo & domui Davidis dediſſe legitur. Is modus hic eſt; Achaz Rex cum univerſo populo Judaico, certior jam factus de deliberata decretaque hoſtilis duorum Regum exercitus incurſione, terrore panico conſternatus erat, ut nec de divina promiſſione domui Judæ ac Davidis facta, nec de ope divina in tanta neceſſitate imploranda cogitaret, imo ut de utraque deſperaret. Indignus eapropter erat, cui Deus promiſſionem ſuam in memoriam revocaret, & novo opis ſuæ promiſſo benevolentiam ſuam teſtatam faceret. Quid fit? Quamquam ille infidelis erat, Deus tamen fidus manebat. Itaque fœderis ſui cum domo Davidis initi juramentoque ſanciti memor, conſtituit parcere populo, & terrorem ac conſternationem illam ingentem ei eximere, animumque addere. Hoc propoſitum ſuum jubet Regi ſignificari per prophetam ſuum, & addi, Non ſucceſſurum Regibus conſilium ſuum ex animi ſententia, ſed contraria omnia eventura. Nihil reſtare, niſi ut animos ſumant, & Deo ſoſpitatori ſuo ac liberatori confidant. Quid Achaz? Hæſitat. Terror eum habet, & cum eo trepidat populus totus ac pallet, uſque adeo ut quod Deus promittebat non intelligeret, aut metu nimio fractus promittenti Deo diffideret. Deus Regis populique ingentem conſternationem, ex eaque ortam diffidentiam ὑπιδὼν, & quaſi pro tempore æqui bonique conſulens, novo modo animum iis addere vult. Jubet prophetæ ſuo Eſaiæ, accedat denuo Regem, & certam benevolentiæ atque auxilii ſui fidem ei faciat, ne animum deſpondere pergat; aut ſi dubitare adhuc vel hæſitare velit, ſignum petere ei jubeat, quo de benevolentia atque ope ſua certior fiat; ſe id qualecunque fuerit, ratum habiturum, ac conſternato Regi populoque daturum. Non movetur Achaz: Terror eum totum poſſidet & auxilii deſperatio. utrique prætexit tamen divini Numinis reverentiam; *Non tentabo*, inquit, *Dominum*: quaſi diceret, Faciat Dominus quod vult, ego cauſſam non habeo, cur aut ſperare debeam, aut petere audeam: video omnia retro ſublapſa referri, & ſpem omnem liberationis decollaſſe.

*Luctus ubique, pavor & plurima mortis imago.*

Hæc tergiverſatio diffidentiæ plena, non modo prophetæ, teſtro divinæ gloriæ percito, ſed & Deo ipſi, non poterat non eſſe gravis ac moleſta. Dignus certè propter eam Rex & populus erat, qui à Deo prorſus deſereretur, & cujus rationem impoſterum nullam haberet, imo quem in poteſtatem hoſtium ſuorum dederet. Quid fit? Deus indignatur merito Regi atque univerſo populo: ſed tamen à propria ſua clementia ſuperatus, reſponderi ei jubet hunc in modum: Quamquam tu Rex indignus es, cui ego ullum benevolentiæ meæ ſignum oſtendam, & diffidentia tua de mea quam propenſe ac prolixe tibi obtuli benevolentia atque ope, mereatur ut te deſeram & in hoſtium tuorum manus tradam, tamen ut videas, quam ſerio, quam tenere & conſtanter domum Davidis Regis mei diligam, velis nolis ſignum dabo, non quale tu mereris, ſed quod me dignum eſt, quo non modo continebitur iſta, quam tu deſideras, liberatio, ſed ingens illa adeoque ſumma mea gratia, quam aliquando conſtitui facere domui Davidis. Nempe, Faciam ut virgo iſta, quæ jam hîc adſtat tibi, concipiat & pariat ex ſponſo ſuo filium, quo nato & necdum annos intelligentiæ ingreſſo, liberam reddam terram hanc totam à Regum duorum incurſione. Iſta conceptio, iſte partus, ſignum erit favoris mei, & filius iſte jam adoleſcens, tanquam Immanuel tibi erit, quia in iſto, veluti in ſigno quod ante oculos tuos ſemper erit, cognoſcere poteris, & rei ipſa etiam experieris, me tecum eſſe, & me non modo non paſſurum, ut Reges iſti duo, à quibus tantopere tibi metuis, exitium tibi aut populo tuo inferant, ſed procuraturum, ut ipſi cum regnis ſuis occidant, & univerſali internecione deleantur. At vero, quia hoc beneficium exile, & vix dignum eſt Majeſtate mea, typus erit ingentis iſtius beneficii, & ſingulariſſimæ iſtius gratiæ, qua me verè ac propriè vobiſcum eſſe teſtatum ſuo tempore ſum facturus: ſic tamen, ut ſub ſigno beneficii hujus, quod jam tibi do, abſconditum manſurum ſit hoc ingens tum conſilium tum beneficium meum, uſque ad tempus iſtud, quo eventus ipſe demonſtrabit, id ſub eo abſconditum latuiſſe, & tandem palam factum eſſe. Faciam enim, ut verè ac propriè aliquando עלמה, id eſt virgo à viro abſcondita, concipiat præter naturæ ordinem, & filium pariat vero Immanuelis nomine ac titulo dignum; qui non ſignum erit certum me vobiſcum eſſe velle contra Reges duos terrenos, ſed qui ipſe verus Immanuel veſter erit, & vos ab omnibus inimicis atque hoſtibus veris præſtabit immunes, æternamque pacem ac ſalutem vobis allaturus veniet. Atque hoc ſignum, eſt ſiguum iſtud, quod, quia me dignum eſt, jam do, & ſub typo hoc, qui vix ſignum mea Majeſtate dignum dici meretur, occultatum volo, uti ex vocibus, quibus enunciatur, ſuo tempore eluceſcet. prout eluxiſſe apparet in Virgine Matre Domini ac Meſſiæ verique Immanuelis noſtri Jeſu, cujus nomen ſemper ſit benedictum in Eccleſiis ejus. Hactenus de ſecundo argumento noſtro egimus.

## CAPUT XIV.

### Tertii argumenti primum membrum, Ex iis quæ Jeſus noſter dixit ac docuit, apparere ipſum eſſe Meſſiam promiſſum.

SEquitur tertium: Ea quæ Jeſus noſter ipſe tum dixit ac docuit, tum fecit, tum tulit ac perpeſſus eſt, tum quæ ei acciderunt poſt mortem, talia ſunt, quæ vero ac promiſſo Meſſiæ competunt, nec alii poſſunt competere.

*Meſſiam promiſſum, futurum Prophetam & Doctorem populi.*

Argumentum hoc noſtrum ſic adſtruimus, quod attinet ad primum membrum. Certum atque in confeſſo eſt, *Primò*, Meſſiam promiſſum, futurum prophetam ac Doctorem populi, ex *Deut.* XVIII. 15. & 18: *Prophetam ſuſcitabo illis de medio fratrum ſuorum, ſicut tu* (es) &c. quem locum ad Meſſiam reſpicere ſupra evicimus. Ex *Eſaiæ cap.* LXI. 1: *Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxit me ut euangelizem* vel annunciem *pauperibus*, (ſive manſuetis.) *miſit me ut medear contritis corde, ut prædicem captivis dimiſſionem*, &c. *ut prædicem annum Domini acceptum.* quem locum ad Meſſiam referendum eſſe nos credimus ex *Luc.* IV, 18. Ex *Ezechiel.* XXXIV. 23: *Et ſuſcitabo ſuper eas paſtorem unum & paſcet eas, ſervum meum David, ipſe paſcet eas, ipſeque erit in paſtorem.* cui geminum eſt, quod legitur *cap.* XXXVII. 24: *Et ſervus meus DAVID erit Rex ſuper eos, & paſtor unus erit univerſis ipſis; & in judiciis meis ambulabunt, & mandata mea cuſtodient facientque ea.* vide etiam *Oſeæ* III. 5. Quæ tria loca de Meſſia agere, qui κατ' ἐξοχὴν Davidis filius dicitur, & quia David ejus typus fuit, quatenus Rex totius populi Iſraelis fuerat, proprio *Davidis* nomine hîc vocatur, id unum arguit, quod David jam multo ante mortuus erat, & nemo Davidis nomine dignus eſt præter Meſſiam, per quem populi totius congregatio in unum populum denuo facienda eſſe dicitur, *verſ.* 21. 22. 23. Nec dubito quin ad hunc locum reſpexerit Jeſus noſter, quando ſe bonum illum paſtorem vocat, *Joan.* X. 11, qui non tantum oves perditas domus Iſraelis habebat, ſed & alias inſuper, οὐκ ἔστι τῆς αὐλῆς ταύτης, ex quibus unum gregem erat facturus: *verſ.* 16. juxta hoc Ezechielis vaticinium, & alia complura, *Eſa.* XLIX. 6: quod allegatur *Act.* XIII. 47. & *Eſa.* XLII. *verſ.* 1, &c. quod allegatur *Matth.* XII. 18. & quod de Meſſia loqui negare non poſſunt Judæi, cum *Thargum Chaldaicum* iſtud de Meſſia expreſſè interpretetur. vide ſis etiam *Eſa.* XI. 2, &c.

*Et quidem perfectiſſimum.*

Dico *ſecundo*: Certum eſt, Meſſiam promiſſum, iſtam ſuper alios omnes prophetas ac Doctores ἐξοχὴν habiturum, quod ſit futurus propheta ac Doctor perfectiſſimus, prophetarum ac Doctorum omnium princeps ac Dominus: ἀρχηγὸν dicit Petrus noſter, 1. *Epiſt.* v. 4. & ὁ ποιμὴν τῶν ποιμένων ὁ μέγας, ſcriptor ad *Heb.* XIII. 20. non modo in ordine ad alios paſtores qui eum ſecuti ſunt: ſed in ordine etiam ad alios omnes qui eum præceſſerunt; ne ipſo quidem Moſe excepto, quippe qui poſt Moſem futurus erat propheta, ſicut ipſe Moſes, ac proinde poſt Moſem ſolus docturus ea autoritate, qua docuerat Moſes: quod fieri non poterat, niſi docturus eſſet ea, & iſta ratione, propter quæ Moſe dignior videri deberet. Alioquin enim, cæterorum prophetarum inſtar docens, ad præſcriptum & normam Moſis, non docuiſſet ſicuti Moſes, nec propheta fuiſſet ſicut Moſes, ſeu Moſe longe inferior, & cæteris prophetis, diſcipulis Moſis, par atque æqualis.

Per-

*Triplex perfectio doctrinæ & prophetiæ Meſſiæ.*

Perfectiſſimum autem Doctorem, cum Meſſiam futurum dicimus, tribus modis id intelligimus. Quia videlicet 1. perfectiſſimam ſive ſupremam Dei voluntatem docturus erat. 2. perfectiſſimo modo. 3. & eam quæ ad omnes atque univerſas mundi nationes pertineret. Triplex hæc perfectio paſſim Meſſiæ tributa legitur in Veteri Teſtamento. *Prima*, quando dicitur, Deum poſiturum verba ſua in ore ejus, & eum loquuturum omnia quæ præceptu-rus ei eſt, cum novo mandato, illum audietis: ſic ut quicunque non audierit verba ejus, quæ loquetur in nomine Dei, Deus id ab eo ſit requiſiturus: *Deut.* XVIII. 18. 19. item, ſuper eo requieturum Spiritum Domini, ſpiritum ſapientiæ & intelligentiæ, ſpiritum conſilii & fortitudinis, ſpiritum ſcientiæ & timoris Domini: *Eſa.* XI. 2. Denique quando electus Dei dicitur, in quo ſibi complacitura eſt Dei anima: *Eſa.* XLII. 1. & cujus legem NB. inſulares ſunt expectaturi: *verſ.* 4. Hæc enim arguunt manifeſtè, Meſſiam perfectiorem ipſo Moſe doctorem futurum, quia lex ei tribuitur ſua propria, quam poſt Moſem laturus eſt; quia ſpiritus Domini, qui profunditates Dei ſolus ſcrutatur, ſuper eo recubiturus dicitur, & quia audiri jubetur tanquam electus Dei ſervus, in quo anima Dei ſibi complacuit. quæ omnia talia ſunt, ut Meſſiæ nullo modo poſſint competere, ſi non erat docturus alia aut aliter quam ex præſcripto Legis Moſaicæ. *Secunda*, quando dicitur eum mitem & ab omni contentione & ambitione alienum adeo futurum, ut nec clamaturus, nec exaltaturus ſit in platea vocem ſuam: *Eſa.* XLII. 2. nec remiſſus futurus, nec frangendus animo: *verſ.* 4. item ſcientia ſui juſtificaturus multos: *Eſa.* LIII. 11. *Tertia*, quando dicitur, eum paſtorem univerſis futurum: *Ezech.* XXXVII. 4, id eſt Judæis & gentibus, Ephraimitis ſcilicet ſive decem tribubus, quæ quaſi in unum corpus cum gentibus coaluerunt; item eum gentibus prolaturum judicium: *Jeſa.* XLII. 1. & inſulares legem ejus expectaturos: *verſ.* 4, *&c.*

*Quæ in Jeſu Nazareno apparuit. Prima.*

Triplex hæc perfectio apparuit in doctore noſtro Jeſu Nazareno. *Prima*, quia perfectiſſimam Dei voluntatem docuit, tam quoad præcepta, quam quoad promiſſa divina; quibus voluntas Dei tota continetur. Præcepta ejus perfectiſſima fuerunt, 1. quia ea omnia, quæ Lege Moſis permittebantur, vitia atque imperfectiones ſuſtulit. 2. quia prava, ſuperſtitioſa ac commentitia Phariſæorum ac Scribarum placita emendavit, correxit, imo damnavit, uti paſſim in Euangelio videre eſt. 3. quia reſipiſcentiam & vitæ in melius emendationem, cum malorum omnium patientia ac tolerantia ad finem uſque conjunctam, conſtantiſſime urſit atque inculcavit. Promiſſa ejus perfectiſſima fuerunt, quia reſipiſcentibus univerſalem ac perpetuam peccatorum omnium præteritorum, & conſequentium infirmitatum remiſſionem, Spiritus ſancti gratiam, & vitam æternam, ſic promiſit, ut cætera hujus præſentis vitæ bona, ad victum & amictum neceſſaria, veluti ἐπίμετρον, id eſt, auctarium adjecerit, futurum ſpondens, ut ea nunquam deeſſent, & ut quantulacunque ea eſſent, cum αὐτάρκειᾳ ſemper & animo qualibet ſorte contento poſſiderentur. Quæ omnia talia ſunt, ut plura aut majora Deus non poſſit ab hominibus in hac vita fieri velle, aut iis facere ſeu dare velle; ac proinde perfectiſſimam Dei voluntatem iis contineri ſtatuendum ſit. Meritiſſimo itaque jure, doctrina Jeſu noſtri Euangelium vocatur.

*Secunda.*

*Secunda perfectio* in eo ſita eſt, quod perfectiſſimo modo doctrinam iſtam ſuam Jeſus noſter docuit, & quidem tripliciter. 1. Quia eam docuit, cum divina autoritate, non uti Scribæ & Phariſæi, ſed veluti ἐξουσίαν habens; *Matth.* VII. 29. nec uti Moſes, dicendo, *ſic dixit Dominus*, ſed dicendo, *Ego vero dico vobis: Matth.* V. per totum caput, &c. 2. cum ſumma perſpicuitate & claritate; non ſub umbris & figuris, uti Moſes & Prophetæ; ſed apertè atque explicitè; unde *lux* paſſim vocatur, tum ipſe, tum doctrina ejus: *corpus*, ad cujus præſentiam umbræ diſparent atque evaneſcunt; ἀπαύγασμα τῆς δόξης τοῦ θεοῦ καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ: in quo divinitatis plenitudo habitat corporaliter, adeò ut qui eum videt, Patrem ipſum videat; quia placuit Patri ut in eo omnis plenitudo inhabitaret; ſic ut, qui cum eo verſati fuerunt, aſſerere non dubitarint, ſe vidiſſe, ſe audiviſſe, ſe coram intuitos eſſe, & manibus ſuis palpaſſe ſermonem vitæ, quem is docebat. Parabolis tamen non raro uſus eſt, inquies. Fateor: ſed eæ, quatenus ſimilitudines continebant earum rerum quas docebat, piis ac probis non raro mera lux erant, uti exempla & ſimilia eſſe ſolent, improbis & averſum à doctrina ejus animum adferentibus, ipſorum culpa non niſi tenebræ; quia eæ tales non erant ut non poſſent ab iis intelligi, ſed quia etiamſi optime ab iis intelligebantur, eas tamen nolebant in animum ſuum admittere; imo idcirco maximè eas averſabantur, quod clariores eſſent, quam ut non viderent nec ſentirent eas in ſe dici, & doctrinæ vitæque ſuæ vitia iis tantum non publicè coram toto populo traduci, & veluti τῷ δηγματίζειν. Inde vero fiebat, ut per eas offenſi excæcarentur. Affectus enim nebulæ ſunt, quæ rationem turbant, ut veritatem non magis videre poſſit, quam imaginem in turbata aqua oculus. Dices: Apparet tamen aliquando parabolas ipſis diſcipulis Jeſu obſcuras viſas fuiſſe, uti *Matth.* XIII. 10, videre eſt. Reſp. Parabolas ſive parabolica dicta dupliciter accipi poſſit: *Primò*, quatenus primò ac nude, nulla alia prægreſſa oratione, proponuntur: ſed ab eo à quo aut non alienum aut prorſus alienum animum habemus, quemque ſub iis magnum aliquid aut præclarum & in omnem vitam utile occulere velle certiſſimum eſt. Hoc modo parabolæ propoſitæ, in genere quidem, quid ſibi velint, intelliguntur; ſed quia ſæpenumero prolixæ ſunt aut multimembres; in ſpecie quoad ſingula membra, quid videlicet ſibi velint, non ſtatim neque ita facile intelliguntur, ſed obſcuræ aliquatenus ſunt. Hinc fit, ut qui animum à diſcendo non alienum habent, deſiderio earum ad unguem quod ad ſingula membra perſpiciendarum tangantur, quia præclarum quid iis contineri ſibi perſuadent: qui vero animum alienum atque averſum à Doctore & à diſcendo ab eo habent, iis offendantur, atque ita in cæcitate ſive ignorantia ſua obfirmentur. Ex primo ordine fuerunt diſcipuli Jeſu Chriſti; atque hæc cauſa eſt, cur Chriſtus iis plenam parabolæ *Matth.* XIII. *verſ.* 1. propoſitæ, intelligentiam cupientibus atque orantibus ſcire, dixerit, *vobis datum eſt* (id eſt, jam jam à me dabitur, phraſi Hebræa, qua præteritum pro futuro ponitur,) *noſſe*, (id eſt, notitia ſive pleniſſima intelligentia) *myſteria regni cælorum* (id eſt ſenſuum iſtorum myſticorum omnium, ad regnum cælorum conſequendum neceſſariorum, quos ſub parabola hac, veluti ſub cortice occultatos & per tranſennam volui ſpectandos dare.) De cæteris verò, eam non quærentibus, ſive negligentibus, dixerit, *Illis non eſt datum*, (id eſt, non dabitur iſta à me ἐξήγησις,) quia claram veritatem videre nolunt, adeoque reſpuunt; hanc vero parabolicam audientes, & ſenſum ejus luculentum aut faſtidientes aut intelligere non deſiderantes, teſtantur ſibi veritatem divinam cordi non eſſe, & animos ſe habere à veritate diſcenda alienos atque averſos, quamquam in genere ſciunt veritatem ſive ſenſum egregium ea contineri. *Secundò*, quatenus parabolæ aut ſubnectuntur prægreſſæ alicui orationi ad eam illuſtrandam, exemplorum aut ſimilium inſtar; aut eo fine proponuntur, ut iis acuatur ſciendi deſiderium, in animis eorum quibus proponuntur, cum intentione eas membratim elucidandi, & ad rem principalem accuratè accommodandi, in gratiam eorum qui in illarum ſenſum propius amant deſcendere. Hoc ſenſu Chriſtum per parabolas docentem, clariſſime docere voluiſſe, & parabolas deinde avidis ſecretorum ſenſuum diſcipulis exponentem, clariſſime docuiſſe, nemo jure negaverit. *Tertiò*, Quia docuit ἀληθοπρεπῶς, placide, efficaciter, promte, argute & ſolidè, aliquando blandiſſima orationis ſuada utens, qua invitabat ad doctrinæ ſuæ amorem omnes: *Matth.* XI. 28, *&c.* aliquando nervos adhibens, ut invitos traheret & ferocientes animos componeret: *Joan.* VII. 46. aliquando ſevera utens increpatione, ut *Matth.* XXIII, qua omnis generis, omnium ordinum, ſummarum etiam perſonarum vitia intrepidè taxabat: aliquando ſeria & acri comminatione, qua horrorem ſimul ac terrorem conſcientiis injiciebat, orationem ſuam muniens: aliquando oratione figurata prorſus utens, ac ſymbolica, qua non aliter quam lapide Lydio experimentum capiebat quis probus aut improbus eſſet, aut potius, qua probitatem & improbitatem horum & illorum, ſpecie hac vel illa tectam, in apertum producebat: *Joan.* VI. 26. *& ſeqq.* illorum corda ardere faciens amore ſui; horum nive frigidiora reddens, aut, nivis inſtar, frigida fuiſſe, vel non niſi levi tepore tacta, ac proinde facile ad priſtinum frigus redeuntia oſtendens: aliquando circumventus ſubdolis, præmeditatis & argutis cornutiſque quæſtionibus, extemporanea promta, arguta & ſolida tum reſponſione tum ἀμοιβαίᾳ quæſtione ſe ipſum expediens, qua adverſarios ſuos conſtringebat & convincebat ut obmuteſcerent. Denique ubique demonſtrans ſe δυναστεύοντα λόγῳ coram Deo & hominibus, nulla gratiæ ſpe, nullo offenſæ metu, ſolo tantum divinæ gloriæ amore, & veritatis cæleſtis propagandæ atque aſſerendæ ſtudio, ſalutiſque populi ſui deſiderio motum. quæ omnia divini perfectiſſimique Doctoris πεμπέλια ſunt.

*Tertia.*

*Tertia perfectio* in eo ſita eſt, quod doctrinam docuit, quæ ad omnes atque univerſas mundi nationes in unum populum coacervandas pertinebat. Etſi enim Chriſtus noſter eam non docebat alios populos quam Judæos, quia miſſum ſe ſciebat non niſi ad oves perditas domus Iſraelis; tamen doctrina ejus talis fuit, ut ea non minus ad alias extraneas

Hæc ſunt indicia illa quæ non obſcure arguunt, Deum longe excellentiorem aliquam conceptionem, & præſtantiorem filium prædicere voluiſſe in hoc vaticinio; & hoc conſilium, hanc intentionem & mentem ſuam, ſub virgine iſta, quæ tum concipiebat & pariebat filium, veluti ſub typo occultatam voluiſſe manere, uſque dum eventus ipſe manifeſtum faceret, conſilium Dei iſtud ſub verbis iſtis quæ in vaticinio exſtant, longe amplius aliquid continentibus quam typus ipſe in ſe habebat, occultatum fuiſſe; quod in Jeſu noſtro contigiſſe aſſerimus. Eum enim virgo ſive עלמה à viro abſcondita concepit ac peperit, quod ſignum miraculi plenum eſſe nemo ambigere poteſt. Ejus terra Judæ erat, quia hæres erat patris ſui Davidis, cujus tota terra Iſraelis erat ante ſeceſſionem decem tribuum & diviſum imperium. Is vere ac proprie Immanuel eſt, per quem Deus populum Iſraelis ab omnibus veris ac proprie dictis inimicis ſuis aſſeruit, & æternam gratiam, benevolentiam ac favorem ſuum, cæleſtibus omnibus benedictionibus cumulatum, ei exhibuit.

Quam ad rem non parum facit conſideratio modi, quo Deus ſignum hoc Regi Achazo & domui Davidis dediſſe legitur. Is modus hic eſt; Achaz Rex cum univerſo populo Judaico, certior jam factus de deliberata decretaque hoſtilis duorum Regum exercitus incurſione, terrore panico conſternatus erat, ut nec de divina promiſſione domui Judæ ac Davidis facta, nec de ope divina in tanta neceſſitate imploranda cogitaret, imo ut de utraque deſperaret. Indignus eapropter erat, cui Deus promiſſionem ſuam in memoriam revocaret, & novo opis ſuæ promiſſo benevolentiam ſuam teſtatam faceret. Quid fit? Quamquam ille infidelis erat, Deus tamen fidus manebat. Itaque fœderis ſui cum domo Davidis initi juramentoque ſanciti memor, conſtituit parcere populo, & terrorem ac conſternationem illam ingentem ei eximere, animumque addere. Hoc propoſitum ſuum jubet Regi ſignificari per prophetam ſuum, & addi, Non ſucceſſurum Regibus conſilium ſuum ex animi ſententia, ſed contraria omnia eventura. Nihil reſtare, niſi ut animos ſumant, & Deo ſoſpitatori ſuo ac liberatori confidant. Quid Achaz? Hæſitat. Terror eum habet, & cum eo trepidat populus totus ac pallet, uſque adeo ut quod Deus promittebat non intelligeret, aut metu nimio fractus promittenti Deo diffideret. Deus Regis populique ingentem conſternationem, ex eaque ortam diffidentiam ὑποψίαν, & quaſi pro tempore æqui bonique conſulens, novo modo animum iis addere vult. Jubet prophetæ ſuo Eſaiæ, accedat denuo Regem, & certam benevolentiæ atque auxilii ſui fidem ei faciat, ne animum deſpondere pergat; aut ſi dubitare adhuc vel hæſitare velit, ſignum petere ei jubeat, quo de benevolentia atque ope ſua certior fiat; ſe id qualecunque fuerit, ratum habiturum, ac conſternato Regi populoque daturum. Non movetur Achaz: Terror eum totum poſſidet & auxilii deſperatio. utrique prætexit tamen divini Numinis reverentiam; *Non tentabo*, inquit, *Dominum*: quaſi diceret, Faciat Dominus quod vult, ego cauſſam non habeo, cur aut ſperare debeam, aut petere audeam: video omnia retro ſublapſa referri, & ſpem omnem liberationis decollaſſe.

*Luctus ubique, pavor & plurima mortis imago.*

Hæc tergiverſatio diffidentiæ plena, non modo prophetæ, noſtro divinæ gloriæ percito, ſed & Deo ipſi, non poterat non eſſe gravis ac moleſta. Dignus certè propter eam Rex & populus erat, qui à Deo prorſus deſereretur, & cujus rationem impoſterum nullam haberet, imo quem in poteſtatem hoſtium ſuorum dederet. Quid fit? Deus indignatur merito Regi atque univerſo populo: ſed tamen à propria ſua clementia ſuperatus, reſponderi ei jubet hunc in modum: Quamquam tu Rex indignus es, cui ego ullum benevolentiæ meæ ſignum oſtendam, & diffidentia tua de mea quam propenſe ac prolixe tibi obtuli benevolentia atque ope, mereatur ut te deſeram & in hoſtium tuorum manus tradam, tamen ut videas, quam ſerio, quam tenere & conſtanter domum Davidis Regis mei diligam, velis nolis ſignum dabo, non quale tu mereris, ſed quod me dignum eſt, quo non modo continebitur iſta, quam tu deſideras, liberatio, ſed ingens illa adeoque ſumma mea gratia, quam aliquando conſtitui facere domui Davidis. Nempe, Faciam ut virgo iſta, quæ jam hic adſtat tibi, concipiat & pariat ex ſponſo ſuo filium, quo nato & necdum annos intelligentiæ ingreſſo, liberam reddam terram hanc totam à Regum duorum incurſione. Iſta conceptio, iſte partus, ſignum erit favoris mei, & filius iſte jam adoleſcens, tanquam Immanuel tibi erit, quia in iſto, veluti in ſigno quod ante oculos tuos ſemper erit, cognoſcere poteris, & rei ipſa etiam experieris, me tecum eſſe, & me non modo non paſſurum, ut Reges iſti duo, à quibus tantopere tibi metuis, exitium tibi aut populo tuo inferant, ſed procuraturum, ut ipſi cum regnis ſuis occidant, & univerſali internecione deleantur. At vero, quia hoc beneficium exile, & vix dignum eſt Majeſtate mea, typus erit ingentis iſtius beneficii, & ſingulariſſimæ iſtius gratiæ, qua me verè ac propriè vobiſcum eſſe teſtatum ſuo tempore ſum facturus: ſic tamen, ut ſub ſigno beneficii hujus, quod jam tibi do, abſconditum manſurum ſit hoc ingens tum conſilium tum beneficium meum, uſque ad tempus iſtud, quo eventus ipſe demonſtrabit, id ſub eo abſconditum latuiſſe, & tandem palam factum eſſe. Faciam enim, ut verè ac propriè aliquando עלמה, id eſt virgo à viro abſcondita, concipiat præter naturæ ordinem, & filium pariat vero Immanuelis nomine ac titulo dignum; qui non ſignum erit certum me vobiſcum eſſe velle contra Reges duos terrenos, ſed qui ipſe verus Immanuel veſter erit, & vos ab omnibus inimicis atque hoſtibus veris præſtabit immunes, æternamque pacem ac ſalutem vobis allaturus veniet. Atque hoc ſignum, eſt ſiguum iſtud, quod, quia me dignum eſt, jam do, & ſub typo hoc, qui vix ſignum mea Majeſtate dignum dici meretur, occultatum volo, uti ex vocibus, quibus enunciatur, ſuo tempore eluceſcet. prout eluxiſſe apparet in Virgine Matre Domini ac Meſſiæ verique Immanuelis noſtri Jeſu, cujus nomen ſemper ſit benedictum in Eccleſiis ejus. Hactenus de ſecundo argumento noſtro egimus.

## CAPUT XIV.

### Tertii argumenti primum membrum, Ex iis quæ Jeſus noſter dixit ac docuit, apparere ipſum eſſe Meſſiam promiſſum.

SEquitur tertium: Ea quæ Jeſus noſter ipſe tum dixit ac docuit, tum fecit, tum tulit ac perpeſſus eſt, tum quæ ei acciderunt poſt mortem, talia ſunt, quæ vero ac promiſſo Meſſiæ competunt, nec alii poſſunt competere.

*Meſſiam promiſſum, futurum Prophetam & Doctorem populi.*

Argumentum hoc noſtrum ſic adſtruimus, quod attinet ad primum membrum. Certum atque in confeſſo eſt, *Primò*, Meſſiam promiſſum, futurum prophetam ac Doctorem populi, ex *Deut.* XVIII. 15. & 18: *Prophetam ſuſcitabo illis de medio fratrum ſuorum, ſicut tu* (es) &c. quem locum ad Meſſiam reſpicere ſupra evicimus. Ex *Eſaiæ cap.* LXI. 1: *Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxit me ut euangelizem* vel annunciem *pauperibus*, (ſive manſuetis.) *miſit me ut medear contritis corde, ut prædicem captivis dimiſſionem*, &c. *ut prædicem annum Domini acceptum.* quem locum ad Meſſiam referendum eſſe nos credimus ex *Luc.* IV. 18. Ex *Ezechiel.* XXXIV. 23: *Et ſuſcitabo ſuper eas paſtorem unum & paſcet eas, ſervum meum David, ipſe paſcet eas, ipſeque eis erit in paſtorem.* cui geminum eſt, quod legitur *cap.* XXXVII. 24: *Et ſervus meus DAVID erit Rex ſuper eos, & paſtor unus erit univerſis ipſis; & in judiciis meis ambulabunt, & mandata mea cuſtodient facientque ea.* vide etiam *Oſeæ* III. 5. Quæ tria loca de Meſſia agere, qui κατ' ἐξοχὴν Davidis filius dicitur, & quia David ejus typus fuit, quatenus Rex totius populi Iſraelis fuerat, proprio *Davidis* nomine hîc vocatur, id unum arguit, quod David jam multo ante mortuus erat, & nemo Davidis nomine dignus eſt præter Meſſiam, per quem populi totius congregatio in unum populum denuo facienda eſſe dicitur, *verſ.* 21. 22. 23. Nec dubito quin ad hunc locum reſpexerit Jeſus noſter, quando ſe bonum illum paſtorem vocat, *Joan.* X. 11, qui non tantum oves perditas domus Iſraelis habebat, ſed & alias inſuper, οὐκ ἔστι τῆς αὐλῆς ταύτης, ex quibus unum gregem erat facturus: *verſ.* 16. juxta hoc Ezechielis vaticinium, & alia complura, *Eſa.* XLIX. 6: quod allegatur *Act.* XIII. 47. & *Eſa.* XLII. *verſ.* 1, *&c.* quod allegatur *Matth.* XII. 18. & quod de Meſſia loqui negare non poſſunt Judæi, cum *Thargum Chaldaicum* iſtud de Meſſia expreſſè interpretetur. vide ſis etiam *Eſa.* XI. 2, *&c.*

*Et quidem perfectiſſimum.*

Dico *ſecundo*: Certum eſt, Meſſiam promiſſum, iſtam ſuper alios omnes prophetas ac Doctores ἐξοχὴν habiturum, quod ſit futurus propheta ac Doctor perfectiſſimus, prophetarum ac Doctorum omnium princeps ac Dominus: ἀρχηγὸν dicit Petrus noſter, 1. *Epiſt.* v. 4. & ὁ ποιμὴν τῶν προβάτων ὁ μέγας, ſcriptor ad *Heb.* XIII. 20. non modo in ordine ad alios paſtores qui eum ſecuti ſunt: ſed in ordine etiam ad alios omnes qui eum præceſſerunt; ne ipſo quidem Moſe excepto, quippe qui poſt Moſem futurus erat propheta, ſicut ipſe Moſes, ac proinde poſt Moſem ſolus doctus ea autoritate, qua docuerat Moſes: quod fieri non poterat, niſi docturus eſſet ea, & iſta ratione, propter quæ Moſe dignior videri deberet. Alioquin enim, cæterorum prophetarum inſtar docens, ad præſcriptum & normam Moſis, non docuiſſet ſicuti Moſes, nec propheta fuiſſet ſicut Moſes, ſeu Moſe longe inferior, & cæteris prophetis, diſcipulis Moſis, par atque æqualis.

Per-

*Triplex perfectio doctrinæ & prophetiæ Messiæ.*

Perfectiſſimum autem Doctorem, cum Meſſiam futurum dicimus, tribus modis id intelligimus. Quia videlicet 1. perfectiſſimam ſive ſupremam Dei voluntatem docturus erat. 2. perfectiſſimo modo. 3. & eam quæ ad omnes atque univerſas mundi nationes pertineret. Triplex hæc perfectio paſſim Meſſiæ tributa legitur in Veteri Teſtamento. *Prima*, quando dicitur, Deum poſiturum verba ſua in ore ejus, & eum loquuturum omnia quæ præceptu-rus ei eſt, cum novo mandato, illum audietis: ſic ut quicunque non audierit verba ejus, quæ loquetur in nomine Dei, Deus id ab eo ſit requiſiturus: *Deut.* XVIII. 18. 19. item, ſuper eo requieturum Spiritum Domini, ſpiritum ſapientiæ & intelligentiæ, ſpiritum conſilii & fortitudinis, ſpiritum ſcientiæ & timoris Domini: *Eſa.* XI. 2. Denique quando electus Dei dicitur, in quo ſibi complacitura eſt Dei anima: *Eſa.* XLII. 1. & cujus legem NB. inſulares ſunt expectaturi: *verſ.* 4. Hæc enim arguunt manifeſtè, Meſſiam perfectiorem ipſo Moſe doctorem futurum, quia lex ei tribuitur ſua propria, quam poſt Moſem laturus eſt; quia ſpiritus Domini, qui profunditates Dei ſolus ſcrutatur, ſuper eo recubiturus dicitur, & quia audiri jubetur tanquam electus Dei ſervus, in quo anima Dei ſibi complacuit. quæ omnia talia ſunt, ut Meſſiæ nullo modo poſſint competere, ſi non erat docturus alia aut aliter quam ex præſcripto Legis Moſaicæ. *Secunda*, quando dicitur eum mitem & ab omni contentione & ambitione alienum adeo futurum, ut nec clamaturus, nec exaltaturus ſit in platea vocem ſuam: *Eſa.* XLII. 2. nec remiſſus futurus, nec frangendus animo: *verſ.* 4. item ſcientia ſui juſtificaturus multos: *Eſa.* LIII. 11. *Tertia*, quando dicitur, eum paſtorem univerſis futurum: *Ezech.* XXXVII. 4, id eſt Judæis & gentibus, Ephraimitis ſcilicet ſive decem tribubus, quæ quaſi in unum corpus cum gentibus coaluerunt; item eum gentibus prolaturum judicium: *Jeſa.* XLII. 1. & inſulares legem ejus expectaturos: *verſ.* 4, *&c.*

*Quæ in Jeſu Nazareno apparuit. Prima.*

Triplex hæc perfectio apparuit in doctore noſtro Jeſu Nazareno. *Prima*, quia perfectiſſimam Dei voluntatem docuit, tam quoad præcepta, quam quoad promiſſa divina; quibus voluntas Dei tota continetur. Præcepta ejus perfectiſſima fuerunt, 1. quia ea omnia, quæ Lege Moſis permittebantur, vitia atque imperfectiones ſuſtulit. 2. quia prava, ſuperſtitioſa ac commentitia Phariſæorum ac Scribarum placita emendavit, correxit, imo damnavit, uti paſſim in Euangelio videre eſt. 3. quia reſipiſcentiam & vitæ in melius emendationem, cum malorum omnium patientia ac tolerantia ad finem uſque conjunctam, conſtantiſſime urſit atque inculcavit. Promiſſa ejus perfectiſſima fuerunt, quia reſipiſcentibus univerſalem ac perpetuam peccatorum omnium præteritorum, & conſequentium infirmitatum remiſſionem, Spiritus ſancti gratiam, & vitam æternam, ſic promiſit, ut cætera hujus præſentis vitæ bona, ad victum & amictum neceſſaria, veluti ἐπιμετρον, id eſt, auctarium adjecerit, futurum ſpondens, ut ea nunquam deeſſent, & ut quantulacunque ea eſſent, cum αὐταρκείᾳ ſemper & animo qualibet ſorte contento poſſiderentur. Quæ omnia talia ſunt, ut plura aut majora Deus non poſſit ab hominibus in hac vita fieri velle, aut iis facere ſeu dare velle; ac proinde perfectiſſimam Dei voluntatem iis contineri ſtatuendum ſit. Meritiſſimo itaque jure, doctrina Jeſu noſtri Euangelium vocatur.

*Secunda.*

*Secunda perfectio* in eo ſita eſt, quod perfectiſſimo modo doctrinam iſtam ſuam Jeſus noſter docuit, & quidem tripliciter. 1. Quia eam docuit, cum divina autoritate, non uti Scribæ & Phariſæi, ſed veluti ἐξουσίαν habens; *Matth.* VII. 29. nec uti Moſes, dicendo, *ſic dixit Dominus*, ſed dicendo, *Ego vero dico vobis*: *Matth.* V. per totum caput, &c. 2. cum ſumma perſpicuitate & claritate; non ſub umbris & figuris, uti Moſes & Prophetæ; ſed apertè atque explicitè; unde *lux* paſſim vocatur, tum ipſe, tum doctrina ejus: *corpus*, ad cujus præſentiam umbræ diſparent atque evaneſcunt; ἀπαύγασμα τῆς δόξης τοῦ θεοῦ καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ: in quo divinitatis plenitudo habitat corporaliter, adeò ut qui eum videt, Patrem ipſum videat; quia placuit Patri ut in eo omnis plenitudo inhabitaret; ſic ut, qui cum eo verſati fuerunt, aſſerere non dubitarint, ſe vidiſſe, ſe audiviſſe, ſe coram intuitos eſſe, & manibus ſuis palpaſſe ſermonem vitæ, quem is docebat. Parabolis tamen non raro uſus eſt, inquies. Fateor: ſed eæ, quatenus ſimilitudines continebant earum rerum quas docebat, piis ac probis non raro mera lux erant, uti exempla & ſimilia eſſe ſolent, improbis & averſum à doctrina ejus animum adferentibus, ipſorum culpa non niſi tenebræ; quia eæ tales non erant ut non poſſent ab iis intelligi, ſed quia etiamſi optime ab iis intelligebantur, eas tamen nolebant in animum ſuum admittere; imo idcirco maximè eas averſabantur, quod clariores eſſent, quam ut non viderent nec ſentirent eas in ſe dici, & doctrinæ vitæque ſuæ vitia iis tantum non publicè coram toto populo traduci, & veluti παραδειγματίζειν. Inde vero fiebat, ut per eas offenſi excæcarentur. Affectus enim nebulæ ſunt, quæ rationem turbant, ut veritatem non magis videre poſſit, quam imaginem in turbata aqua oculus. Dices: Apparet tamen aliquando parabolas ipſis diſcipulis Jeſu obſcuras viſas fuiſſe, uti *Matth.* XIII. 10, videre eſt. Reſp. Parabolas ſive parabolica dicta dupliciter accipi poſſit: *Primò*, quatenus primò ac nude, nulla alia prægreſſa oratione, proponuntur: ſed ab eo à quo aut non alienum aut prorſus alienum animum habemus, quemque ſub iis magnum aliquid aut præclarum & in omnem vitam utile occulere velle certiſſimum eſt. Hoc modo parabolæ propoſitæ, in genere quidem, quid ſibi velint, intelliguntur; ſed quia ſæpenumero prolixæ ſunt aut multimembres; in ſpecie quoad ſingula membra, quid videlicet ſibi velint, non ſtatim neque ita facile intelliguntur, ſed obſcuræ aliquatenus ſunt. Hinc fit, ut qui animum à diſcendo non alienum habent, deſiderio earum ad unguem quod ad ſingula membra perſpiciendarum tangantur, quia præclarum quid iis contineri ſibi perſuadent: qui vero animum alienum atque averſum à Doctore & à diſcendo ab eo habent, iis offendantur, atque ita in cæcitate ſive ignorantia ſua obfirmentur. Ex primo ordine fuerunt diſcipuli Jeſu Chriſti; atque hæc cauſa eſt, cur Chriſtus iis plenam parabolæ *Matth.* XIII. *verſ.* 1. propoſitæ, intelligentiam cupientibus atque orantibus ſcire, dixerit, *vobis datum eſt* (id eſt, jam jam à me dabitur, phraſi Hebræa, qua præteritum pro futuro ponitur,) *noſſe*, (id eſt, notitia ſive pleniſſima intelligentia) *myſteria regni cælorum* (id eſt ſenſuum iſtorum myſticorum omnium, ad regnum cælorum conſequendum neceſſariorum, quos ſub parabola hac, veluti ſub cortice occultatos & per tranſennam volui ſpectandos dare.) De cæteris verò, eam non quærentibus, ſive negligentibus, dixerit, *Illis non eſt datum*, (id eſt, non dabitur iſta à me ἐξήγησις,) quia claram veritatem videre nolunt, adeoque reſpuunt; hanc vero parabolicam audientes, & ſenſum ejus luculentum aut faſtidientes aut intelligere non deſiderantes, teſtantur ſibi veritatem divinam cordi non eſſe, & animos ſe habere à veritate diſcenda alienos atque averſos, quamquam in genere ſciunt veritatem ſive ſenſum egregium ea contineri. *Secundò*, quatenus parabolæ aut ſubnectuntur prægreſſæ alicui orationi ad eam illuſtrandam, exemplorum aut ſimilium inſtar; aut eo fine proponuntur, ut iis acuatur ſciendi deſiderium, in animis eorum quibus proponuntur, cum intentione eas membratim elucidandi, & ad rem principalem accuratè accommodandi, in gratiam eorum qui in illarum ſenſum propius amant deſcendere. Hoc ſenſu Chriſtum per parabolas docentem, clariſſime docere voluiſſe, & parabolas deinde avidis ſecretorum ſenſuum diſcipulis exponentem, clariſſime docuiſſe, nemo jure negaverit. *Tertiò*, Quia docuit ἀπροσωπολήπτως, placide, efficaciter, promte, argute & ſolidè, aliquando blandiſſima orationis ſuada utens, qua invitabat ad doctrinæ ſuæ amorem omnes: *Matth.* XI. 28, *&c.* aliquando nervos adhibens, ut invitos traheret & ferocientes animos componeret: *Joan.* VII. 46. aliquando ſevera utens increpatione, ut *Matth.* XXIII, qua omnis generis, omnium ordinum, ſummarum etiam perſonarum vitia intrepidè taxabat: aliquando ſeria & acri comminatione, qua horrorem ſimul ac terrorem conſcientiis injiciebat, orationem ſuam muniens: aliquando oratione figurata prorſus utens, ac ſymbolica, qua non aliter quam lapide Lydio experimentum capiebat quis probus aut improbus eſſet, aut potius, qua probitatem & improbitatem horum & illorum, ſpecie hac vel illa tectam, in apertum producebat: *Joan.* VI. 26. *& ſeqq.* illorum corda ardere faciens amore ſui; horum nive frigidiora reddens, aut, nivis inſtar, frigida fuiſſe, vel non niſi levi tepore tacta, ac proinde facile ad priſtinum frigus redeuntia oſtendens: aliquando circumventus ſubdolis, præmeditatis & argutis cornutiſque quæſtionibus, extemporanea promta, arguta & ſolida tum reſponſione tum ἀμφιβολίᾳ quæſtione ſe ipſum expediens, qua adverſarios ſuos conſtringebat & convincebat ut obmuteſcerent. Denique ubique demonſtrans ſe δυναστεύοντα λόγῳ coram Deo & hominibus, nulla gratiæ ſpe, nullo offenſæ metu, ſolo tantum divinæ gloriæ amore, & veritatis cæleſtis propagandæ atque adſerendæ ſtudio, ſalutiſque populi ſui deſiderio motum. quæ omnia divini perfectiſſimique Doctoris πυμάτια ſunt.

*Tertia.*

*Tertia perfectio* in eo ſita eſt, quod doctrinam docuit, quæ ad omnes atque univerſas mundi nationes in unum populum coacervandas pertinebat. Etſi enim Chriſtus noſter eam non docebat alios populos quam Judæos, quia miſſum ſe ſciebat non niſi ad oves perditas domus Iſraelis; tamen doctrina ejus talis fuit, ut ea non minus ad alias extraneas

omnes gentes Deo reconciliandas faceret, quam ad Judæos convertendos. Nam 1. ea ante alia omnia suadebat μετάνοιαν, vitæque emendationem, quæ in moribus posita est, non ritibus. De his enim, uti & de cæremoniis Lege Mosaica præscriptis, vix hilum habet, ex quo eos serio ac fortiter à Jesu inculcatos esse liqueat. Imò si quid de iis observandis in ea legitur, id sic propositum reperitur, ut non obscure colligatur, aut nullam aut non nisi levem eorum rationem habitam fuisse à Jesu nostro: idque ad morem & exemplum prophetarum omnium, qui populum ad resipiscentiam vocaturi, cæremoniarum & rituum externorum observationem quasi insuper habentes, ac tantum non damnantes, ea dumtaxat inculcavisse acriter leguntur, quæ ad mores emendandos faciebant; quasi jam digito significantes, futurum, ut princeps ac Dominus eorum Messias, ejusmodi Religionem traderet ac doceret, quæ potissimum in moribus posita est. Hinc videmus etiam Jesum nostrum, quamquam cum Judæis non nisi Judaicè vivens versabatur, eademque quotidie sacra cum iis in templo obibat ex legis præscripto, tamen de sacris istis ritibus aliisque observandis, vix aliud quidquam dixisse semel, quam *ista non oportet omittere*: *Matth.* XXIII. 23. cætera vero ad mores pertinentia ubique serio & constanter mandasse, ursisse, inculcasse. Nempe futurum brevi videbat, ut Deus Rempub. civitatem, & templum, quibus sacræ istæ cæremoniæ fere omnes affixæ erant, funditus deleret, atque ita Religionem suam in moribus positam stabiliret, gentibusque omnibus ac populis communem faceret, ut sic una Religio, una Lex, unus Dei cultus, in spiritu & veritate, per universum mundum obtineret; atque ita unus grex, & unus pastor Messias esset. 2. Cum jam è vivis sublatus esset Jesus noster, & in cælum evectus, spiritum suum effudisset in discipulos suos, doctrinam istam suam etiam ad gentes extraneas à Repub. Israelis propagari voluit, easque per fidem solam doctrinæ isti suæ adhibitam, nulla cæremoniarum Mosaicarum ratione habita, in civitatem filiorum Dei adscisci atque admitti; certissimo indicio, doctrina ista sua ea dumtaxat tradi ac contineri, quæ in moribus posita sunt, & quæ ad populos omnes rituum ac sacrificiorum externorum usu, veluti intergerino pariete, in colendo Deum disseparatos, in unam ac parilem colendi Deum rationem coadunandos & compingendos faciunt. quod per Messiam futurum, vaticinia omnia pari voce ac sententia prædixerant.

*Futura à Christo prædicta.*

Ad ea quæ à Christo dicta ac docta fuerunt, si referantur etiam quæ ab eo prædicta sunt, perfectio Doctoris ac prophetæ hujus nostri multo adhuc eluceret clarius, imo adeo clarè, ut alii quam Messiæ vero, prophetarum omnium coryphæo, competere posse non videantur. Nempe ea, quæ prædixit, talia fuerunt, quæ verisimilia non erant, & tamen reipsa & ad unguem omnia ac singula sic evenerunt, uti prædicta fuerant. Quando in summa existimatione apud populum erat, & totus pene ei Judaicus populus adhærebat ac favebat, prædixit se passurum, quando, à quibus, & quomodo: *Matth.* XVI. 21. *Luc.* XVIII. 31. 32. 33. Nihil minus videbatur verisimile. Contraria omnia sibi spondebant ipsius discipuli; adeo ut, quando de iis loquebatur Christus quæ passurus erat, ii nihil eorum intelligerent, nec caperent quæ dicebantur, & ea abscondita essent ab oculis eorum, tanquam ab omni vero absimilia & tantum non ἀδύνατα: *Luc.* XVIII. 34. Et tamen singula ad unum usque apicem sic evenerunt, uti eventura ea prædixerat, ne excepta quidem sui ipsius proditione, proditoris sui consilio, proditionis suæ hora ac momento: *Joan.* VI. 70. & XIII. 18. 19. 21. & XVIII. 1. 2. & eam secutura sui trina abnegatione, ab eo facienda, qui nihil minus quam eam facturus videbatur, quique se contra facturum constanter adseverabat & jactabat: *Matth.* XXVI. 33. 35. &, quod omnium maximum erat, subsecutura sui tertia post mortem die resuscitatione, & in Galilæa manifestatione: *Matth.* XVI. 21. & XXVI. 32. Prædixit suis adversa, tristia & infælicia omnia, & speciatim duobus baptismum sanguinis, *Matth.* XX. 23. uni vero etiam vincula ac mortem diram: *Joan.* XXI. 18. 19. Et prout prædixit ea futura, ita evenerunt. Prædixit dissidia ingentia atque acria doctrinam suam secutura, tanquam si non venisset pacem mittere sed gladium; *Matthæi* X. 34. 35. 36. & tamen futurum nihilominus prædixit, ut Religio ac doctrina sua à multis tam avidè arriperetur, tam altè imbiberetur, tam constanter retineretur, ut filii parentum suorum odia subituri, & omnibus carissimis sibi in mundo valedicturi potius essent, quam eam deserturi. Atque hæc ita evenisse constat. Prædixit factum mulieris istius, quæ in domo Simonis leprosi eum pretioso unguento perfuderat, celebratum iri per universum orbem. Quis credat? Factum fœminæ, uti videtur, vulgaris aut plebejæ, factum exile ac parvi momenti, quod in privata domo, coram paucis præstitum erat, magnificè celebratum iri? Et tamen adeo celebre hoc redditum est, ut nullorum unquam potentissimorum Monarcharum facta, quantumvis illustria, tanto præconio, tantis laudibus celebrata legantur, quantis hoc ubique in mundo prædicatur atque extollitur. Adde his prædictionem illam nobilem, qua paulo ante mortem suam Jesus noster prædixit futurum, ut urbs Hierosolymorum, quam æternum mansuram credebat universus populus ex ipso divino promisso, & templum Dei augustum, in quo solus verus Deus colebatur, non modo funditus diruerentur ac solo æquarentur, sed isto ac tali modo, cui examussim adeo respondit eventus, ut non rei futuræ prædictio videatur, sed rei jam tum gestæ narratio: *Luc.* XIX. 43. 44. uti ex collatione eorum, quæ evenerunt in obsidione, & eversione urbis ac templi, cum prædictione quadraginta ante annis à Jesu Domino nostro facta, ex Josepho manifestum est. Prædictiones hæ eventu ipso comprobatæ, non leviter augent dignitatem Jesu Prophetæ ac Doctoris nostri. Etsi enim ex Mose non constat futurum fuisse, ut Messias prædictionibus luculentis se illustrem redderet, tamen, quia certum est, eum futurum fuisse prophetam, sicut Moses fuerat, juxta ipsam Dei per Mosen factam promissionem, *Deut.* XVIII. neutiquam dubitandum est, quin prædictionibus, non minus quam Moses, inclytum se facturus esset, & quia Mose longè major erat futurus, excellentioribus multò ac divinioribus doctrinam ac prophetiam suam confirmaturus esset atque illustraturus.

## CAPUT XV.

### Tertii argumenti secundum membrum, Ex iis quæ Jesus noster fecit, liquere ipsum esse promissum Messiam.

*Miracula Jesu Nazareni.*

QUod attinet ad membrum secundum, id est, ad ea, quæ Jesus noster *fecit*, ea certe talia, tot ac tanta fuerunt, ut nec illustriora, nec plura, nec majora de sidera aut expectari potuerint à Messia, fatente id ipsum turba populi Judaici non exigua: *Joan.* VII. 31. *Christus cum venerit, num signa plura edet in quæ iste edidit?* Certe ipse Jesus, discipulis Joannis scire desiderantibus, annon ipse esset ille quem expectabant Messias, & ea de causa ablegatis à Joanne, ut id scisciterentur, vel potius ex ipso resciscerent, nulla alia re fidem fecit, se Messiam esse, quam operum & miraculorum suorum multitudine, magnitudine, & excellentia: *Matth.* XI. 4. 5. quæ videbant atque audiebant quotidie fieri. Nec quidquam est, quod contumaciæ & pervicaciæ Judæorum augendæ magis fecit, quam quod tot tantisque miraculis adduci se passi non fuerint, ut Jesum crederent à Deo missum esse, imo omnia ejus opera, Beelzebubi Principis dæmoniorum opera, infami nomenclatura appellare maluerint, quam Messiæ aut divini prophetæ esse agnoscere. quod adeo verum est, ut Christus non modo dicat, eos peccatum non fuisse habituros, si opera non fecisset inter eos, quæ nemo alius fecit; *Joan.* XV. 24. imo non credi sibi jubeat, si opera Patris sui non faciat: *Joan.* X. 37. sed eos etiam idcirco, quod ea divina opera esse nollent credere, manere voluerit cæcissimis tenebris immersos: *Joan.* XII. 37. 38. *&c.* & quod ea calumniarentur, ac Diabolorum antesignano transcriberent, peccato se obstrinxisse maximo, quod nec in hoc nec in futuro sæculo iis remittendum esset: *Matth.* XII. 32. *Mar.* III. 29. *&* NB. 30: *Dicebant enim*: *Spiritum impurum habet.* Sanius profecto rectiusque judicabat Naaman Syrus, quando consilio atque ope Elisæi à lepra curatus erat. *Jam enim nunc novi*, inquiebat, *quod non est Deus in tota terra, nisi in Israele*: 2 *Reg.* V. 15. 17. & Sareptana vidua, quando Eliæ operâ ac precibus filium suum mortuum vitæ restitutum videbat; *Nunc jam*, inquiebat, *novi quod vir Dei es, & quod verbum Domini quod in ore tuo est, veritas est*: 1 *Reg.* XVII. 24. & Nicodemus ἄρχων τῶν Ἰουδαίων, quando Jesum de nocte accedens, eum sic alloquebatur, *Rabbi, scimus te à Deo venisse Doctorem. nemo enim potest hæc signa edere, quæ tu edis, nisi Deus sit cum eo*: *Joann.* III. 2.

*Illustriora iis dari nequiverunt.*

Nec mirum. *Illustriora* signa esse non poterant. Non enim fiebant clam, in angulo, in recessu, sed palam publiceque, coram Sole, in triviis, in compitis, in turba, in festis, nuptiis, frequente foro, & in oculis hostium atque inimicorum: *Matth.* IX. 8. & XII. 22. 23. *&c.* passim. *Plura* esse non poterant. Tot enim fuisse, ait Joannes, ut si quis ea καθ' ἓν scripturus esset, mundus integer libros istos capere non posset: *Joan.* XXI. 25. Hyperbole ista multitudinem arguit. Et merito: Plura enim solus fecit Jesus, quam Moses & quotquot unquam fuerunt prophetæ. Elizæus, qui

*Nec plura.*

qui miraculorum gloria præcelluit inter prophetas, vix duodecim miracula fecit. Elias pauciora multò. Et cum iis cæteri omnes prophetæ simul junĉti, non ediderunt miracula nisi septuaginta quatuor. Moses dicitur edidisse septuaginta sex: quæ omnia faciunt centum quinquaginta miracula, spatio tot annorum, id est, à condito mundo usque ad destructionem templi primi, ter mille trecentorum viginti octo annorum, patrata in universum. Quantula & quam pauca ea sunt, præ iis, quæ Jesus noster intra triennii, aut, ut alii volunt, quinquennii solius decursum edidisse legitur? *Matth.* IV. 23. 24. *Mar.* VI. 53. 54. *Act.* X. 38. Sed nec *majora* esse potuerunt. Nam 1. non fuerunt signa tantum, ostenta, ac prodigia horrida, formidolosa, & non multo post evanescentia aut existere desinentia, qualia fere fuerunt miracula Mosis in Ægypto & in deserto; sed beneficia mera, manifesta ac permanentia, à quibus videndis non abhorrebant homines, sed ad quæ, tum videnda, tum percipienda, turmatim advolabant hominum myriades, laudantes ac glorificantes Deum, quod tantam potestatem dedisset hominibus, & talem prophetam mittens, populum suum visitavisset: *Matth.* IX. 8. & XIV. 14. *Luc.* VII. 16. & IX. 11. *Act.* X. 38. 2. Non fuerunt signa vulgaria, quæ vel humana vel diabolica arte præstari poterant: sed inusitata, grandia & quæ non nisi divina virtute fieri poterant; ut instantanea vel repentina morborum magnorum atque inveteratorum, nullis medicorum remediis cedentium, curatio, qualis erat αἱμορροούσης fœminæ à duodecim annis: *Matth.* IX. 20. *Marc.* V. 25. 26. 27. & à spiritu infirmitatis vexatæ ab annis octodecim: *Luc.* XIII. 11. *&c.* paralytici ab annis trigincta octo: *Joan.* V. 1. 2. 3. *&c.* leprosorum: *Matth.* VIII. 2. *Luc.* XVII. 11. hydropicorum: *Luc.* XIV. 1. cæcorum à nativitate: *Joan.* IX. surdorum μογιλάλων: *Mar.* VII. 32. mortuorum in vitam revocatio: ut Lazari, *Joan.* XI. 39. 43. 44. unigeniti filii viduæ in Naim: *Luc.* VII. 11. 12. *&c.* & filiæ Iairi: *Matth.* IX. 18. *Mar.* V. 22. *Luc.* VIII. 40. *&c.* 3. Non fuerunt signa particularia, sive certæ rerum speciei adstricta: sed universalia, & potestatem simul atque imperium in omnes rerum species demonstrantia, in dæmonas, in mare, in ventos, in pisces, in panes, in arbores, porcos. Dæmonas quoscunque, licet sævissimos, ejiciebat, & dæmoniacos omnes, immundos, mutos, lunaticos, cæcos & mutos sanabat: *Matth.* VIII. 28. & XII. 22. & XVII. 14. *Luc.* IV. 33. Mare pavimenti instar esse jubebat, ut in eo non aliter quam in platea ambularetur: *Matthæi* XIV. 26. ventis imperabat, & mare ventis fluctibusque sæviens compescebat: *Mar.* IV. 36. *Matth.* VIII. 24. *Luc.* VIII. 22. Pisces in retia confluere confertim quando voluit, fecit, *Joan.* XXI. 6. & cum pecunia necessaria in litus se dare jussit; *Matth.* XVII. 17. Panes pro arbitrio multiplicavit, ut pauci multis hominum milibus satiandis sufficerent; *Matth.* XIV. 13. *Mar.* VI. 15. *Luc.* IX. 12. *Joan.* VI. 3. *Matth.* XV. 30. *Mar.* VIII. 1. Arborem ficus exarescere fecit momento fere uno, *Matth.* XXI. 19. *Marc.* XI. 13. *&c.* Porcos dæmonum arbitrio permisit, orantium ac supplicantium ut in eos ingredi sibi cum bona ejus venia liceret: *Matth.* VIII. 28. *Luc.* VIII. 26. Adde his repentinam aquæ in vinum optimum commutationem: *Joan.* II. *vers.* 1. 2. 3. *&c.* Denique signa non fuerunt, quæ lenta manu patrata fuerunt, aut ad quæ patranda, operoso molimine pharmaca, emplastra, potiones, antidota aliaque remedia adhibita fuerunt; sed quæ pleraque pene in instanti, verbo solo, nutu, contactu, ab eo, aliquando præsente, aliquando longe absente, facta fuerunt; aut, quando quædam adhibebantur media, ea talia fuerunt, ut ad effectum istum qui intendebatur producendum, nullam in se vim habere cuilibet manifestum esset, quin & si non dicis caussa, eo saltem fine adhiberentur, ut qualibet re se curare ac perficere posse quod vellet ista ratione significaret. Nunquam antea quisquam sic miracula facere visus fuit. Pleraque, quæ fecit Moses, aut ex divino speciali jussu, aut conceptis ad Deum precibus, fecisse legitur. Elias item aliique prophetæ omnes. Quanto molimine usus sit Elizæus in suscitando filio Sunamitidos, ex 2 *Reg.* IV. constat. At Jesus noster leproso dicebat, *Matth.* VIII. 3. *Volo, purgator:* & statim purgata fuit ejus lepra. ventos objurgabat, & mari dicebat, *file*, & quievit ventus, factaque est tranquillitas magna: *Mar.* IV. 39. Centurioni dicebat: *Ego cum ventro, sanabo eum. Matthæi* VIII. 7. & cum centurio agnoscret Christum ea potestate in morbos uti posse, qua ipse in servos suos utebatur, dicendo huic, proficiscere, & proficiscitur: & alteri, veni & venit, & alii, fac hoc & facit; dixisse ei legitur, *abi, &, ut credidisti, ita fiat tibi: vers.* 13. *sanatusque est puer ejus eo ipso momento.* Fimbriam sive oram vestimenti ejus in turba comprimentium, tantum tangit αἱμορροοῦσα, &, dictum factum, sanatur à fluxu suo duodecennali: *Matth.* IX. 20. *Mar.* V. 27. 34. Hæc omnia clare satis arguunt, ea quæ fecit Christus noster, opera ac miracula talia esse, ut in nullum rectius justiusque quam in eum quadrare possint ea, quæ de Messiæ glorioſis operibus exstant vaticinia, & in eo veriſſimè ac perfectiſſimè impletum dici queat id, quod *Esa.* XXXV. 5, prædictum fuisse legitur, quocunque tandem sensu id prædictum dicatur; *Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt; Tunc saliet ut cervus, claudus, & laudabit lingua muti, quia eruperunt in deserto aqua & torrentes in solitudine,* &c.

*Nec majora.*

Non expendam hoc loco, omnia quæ contra hæc opera excipere solent Judæi, quasi videlicet ea vel virtute magica, vel vi divini nominis, sive per *schem hamphoraſch* à Jesu nostro facta fuerint. Nam, si modo concedatur opera ista revera facta esse, nihil restat ad calumniam istam diluendam. Talia enim sunt, ut eo ipso, quod facta sint, autorem suum divinum virum fuisse arguant, omnisque vel Magiæ, vel secretæ cum dæmone conjurationis, vel sublati per furtum divini nominis suspicio protinus evanescat. Ut enim jam non dicam, Judæos caussam non habere, cur credant potius Magicæ artis beneficio Jesum nostrum miracula tot ac tanta feciſſe, quam Mosem suum; imo caussam habere, cur de Mose suo id justius suspicari debeant, ac credere; cum certum sit Jesum nostrum fabri filium fuisse & fabrum, in Ægypto vero Magicæ artis scholâ præcipua non nisi infantem ad exiguum tempus fuisse: Mosem vero suum in aula Regis Ægyptii enutritum, educatum, & magnam ætatis adultæ partem exegisse, atque eapropter artis Magicæ penitissima cognitione imbui potuisse, & à multis imbutum fuisse creditum, uti ex Plinio & Apulejo constat. ut, inquam, jam de hoc nihil dicam, Obsecro quis vel suspicetur leviter, aut Magum ullum potuisse, aut dæmonem ullum voluisse tot opera præstare, quæ non nisi mera fuerunt beneficia generi humano præstita? Quis credat opera ista, aut Magiæ aut dæmonis ope patrata, quæ fiebant ad confirmandum doctrinam istam, qua non minus quam lege Mosaica Magia omnis damnabatur, & Satanæ regnum evertebatur funditus? Collusio, inquies, fuit. At collusio ibi non potest habere locum, ubi colludentes capitales hostes sunt, & alter in alterius perniciem ac συνωμοσίαν conjurat. Amicorum & sociorum est colludere, non hostium. Atqui capitaliorem hostem non habuit dæmon, quam Jesum nostrum ejusque religionem, qua non continentur nisi præcepta ejusmodi ac promissa, quæ Diabolo sunt exosissima & universo ejus in mundo imperio evertendo aptissima. Tum, si Magus erat qui ista faciebat, cur Magiæ postulatus non fuit in judicio? cur criminis istius reus actus convictusque non fuit à Senatoribus Sanhedrim, quos omnes Magiæ consultos fuisse artisque Magicæ peritissimos Judæorum schola adserit? cur quæsita fuerunt crimina, ubi manifestum Magiæ crimen solum sufficiebat ad ejus damnationem? *Exod.* XXII. 18. Sed revera hic accidit, id, quod futurum dudum prædixerat, R. Acha, ut expressè scribit R. Moses, in *Psal.* XLVII. *vers.* 9. nempe generationem scelestorum inter Judæos non crediturum esse, quæ Messias fecerit, sed dicturam quod facta sint arte Magica, & nominibus immundiciei. Atque hoc non minus apparet in eo, quod Jesum nostrum per *Schem hamphoraſch* miracula edidisse quidam asserunt; quod commentum adeo vernile ac putidum est, ut non nisi verpis dignum sit, & refelli non mereatur à nobis, ne otio nostro abuti velle videamur.

*Responsio ad exceptiones Judæorum contra miracula Jesu.*

## CAPUT XVI.

### Tertii argumenti tertium membrum, Ea quæ Jesus noster tulit ac perpessus est arguere ipsum esse Messiam promissum. Ubi prolixè de sensu cap. LIII. Esaiæ disputatur.

TErtium membrum spectat ea, quæ Jesum nostrum tulisse ac perpessum esse diximus. Ea apprimè si conveniant cum eis, quæ Messiam promissum laturum ac perpessurum esse prædixerunt Prophetæ, evictum ferè erit, id, quod argumento nostro tertio adstruere atque evincere voluimus. Sed vero ut hoc evincatur, labor paulo major erit; quia nihil est quod minus prædictum per prophetas credunt Judæi, aut quo magis offenduntur, tum Judæi, tum gentiles: unde crux Christi, Judæis scandalum, gentibus stultitia, jam tum ipsis Apostolorum temporibus fuisse dicitur: 1 *ad Corinth.* I. 23. Quare sic procedimus: Ea, quæ Jesus noster in vita sua tulit ac perpessus est, ad duo potissimum referro: Ad contemtum, & ad mortem; quæ duo crucis nomine venire possunt.

*Duo perpessus est Dominus Jesus, contemtum & mortem.*

*Quid per ejus contemtum intelligatur.*

Per contemtum intelligo vilipendium personæ ejus, &

universum qui ex eo tanquam fonte ac scaturigine potissimum fluxit, contemtum doctrinæ operumque ejus; qui in odium, detestationem, & persecutionem ad mortem usque exivit. Vilipendium natum fuit ex vili in speciem conditione, vitæque statu in quo versabatur, inhonorato atque inglorio, saltem non pro dignitate ac Majestate Regis Messiæ qui exspectabatur. Vilis in speciem conditio ejus erat, quia humili domo ortus, parentibus natus non modo nullius nominis, honoris aut dignitatis in Repub. sed & ad infimam vitæ conditionem redactis: unde ipse *fabri filius* & *faber* audiebat: *Mar.* VI. 3. Vitæ status, ut ut honestus ac decorus, nihil tamen Regii aut patricii stemmatis, nedum Messiæ digni sanguinis præ se ferebat. Ambulabat ille quidem in Judæa, Galilæa, ipsaque principe urbe Hierosolymorum, non prorsus inhonoratus, nec inglorius, nedum vilis atque humilis, sed omnibus ferè suspiciendus; quin & cum Regia aliqua potestate, adscito sibi collegio LXX discipulorum, quasi Sanhedrim aliquo & Senatu majore; deinde XII Apostolorum, quasi duodecim populi totius tribus repræsentante, & stipatus cinctusque fere aliquot millium corona, eaque opera faciens, quæ nemo unquam Rex aut propheta paria fecerat, quæque eum admirandum & stupendum reddebant ubicunque erat: sed tamen sine pompa, sine aula, sine mensa regia, sine purpuratorum aut patriciorum comitatu, sine satellitio, sine procerum Senatu, denique ἄνευ πάσης περιβλησίας principalis aut Regiæ, etiam tum, quando Regis instar insidens asino in urbem regiam invehebatur, salutabaturque à turba tota Filius Davidis, Rex populi, cum acclamatione & celeusmate solemni, quod in inauguratione regum usitari solebat. Plebs eum fere sequebatur & pullata turba. Discipuli & sectatores ex infima ac despecta fæce populi erant; piscatores, publicani, peccatores ac meretrices. Non vivebat ex publico ærario, sed ex privatorum dono ac liberalitate: non tamen sic quasi aliter vivere non posset, sed quia Regis instar omnium rebus tanquam suis utebatur. Id enim Regis Israelis jus esse, constat ex 1 *Samuel* VIII. 11. Non aula illi erat, nec regia, sed jure suo de domo in domum ibat. Solus sæpe pernoctabat sub dio in monte; subinde fugiebat ac latitabat; aliquando non habebat ubi caput reclinaret; nunc à suis deserebatur: jam propinqui ejus in eo offendebantur; tum insidiæ ei struebantur, ut in Judæa tota tuto versari non posset. subinde molesti ei erant jurgiis ac rixis suis discipuli ejus, & proditorem suum veluti serpentem in sinu suo fovebat, avarum illum ac furem, qui cum hostibus ejus clandestina consilia agebat. quæ omnia vilipendium ejus apud proceres augebant, ut nihil de eo magnificum, nihil regium, nedum Messia dignum in animum suum vellent inducere.

Contemtus inde natus est maximus, ut nec docentem eum sustinerent, sed doctrinam ejus qua possent sugillarent, discipulos & sectatores ejus Synagogis suis proscriberent, opera ejus omnia cavillis peterent, convitiis proscinderent, & principi Diabolorum adscriberent; deque eo vinciendo, capiendo, ac trucidando comitia inirent, omniaque tentarent, quæ ad eum pessumdandum atra bilis dictabat. Quæ caussa? Nulla alia, quam quod nullum σχῆμα regium, quale sine caussa cupiebant atque expectabant, in eo apparebat. Quamquam in forma Dei apparebat, & Dei instar cum ἐξουσίᾳ docebat, & quic quid volebat faciebat, tamen hoc totum insuper habebatur spernebaturque, quia ei forma Regis non aderat. Nempe forma Regis tanti erat apud eos, ut forma sive μορφὴ Dei vilis esset in oculis eorum, ipsiusque principis diabolorum forma videretur. Hinc secuta tandem est mors sive cædes Domini nostri Jesu.

*Quid per mortem.*

Per mortem autem intelligo omne istud quod mortem sive cædem ejus antecessit, & ipsum genus mortis quod ignominiosissimum fuit & crudelissimum. Hoc enim omne, est proprie illud quod Jesus noster tulit ac perpessus est, quodque eum reddit apud Judæos & gentes despicatissimum ac contemtissimum. Tum enim, quando ista patiebatur, in forma servi proprie fuit, & dies isti fuerunt potisimum dies carnis ejus, id est infirmitatis ac vilitatis. Antea enim, ut ut multa indigna patiebatur & molesta apud animum suum, tamen nihil proprie patiebatur, quod passionis nomine admodum dignum erat. Nam in forma Dei erat. Quod volebat, habebat, faciebat. Nihil obstabat ei, nisi odium hostium suorum, quod non ipsum, sed eos ringebat, male habebat ac cruciabat. Nemo aut poterat, aut audebat in eum manus injicere. Consilia omnia contra eum vana ac frustra erant. Favor populi eum cingebat ac miraculorum gloria. Non opus habebat metuere sibi à quoquam. Sapientiæ ac Spiritui ejus nemo poterat resistere; strophas omnes sophisticas actutum eludebat; Molimina omnia ad unguem perspecta habebat, ut subducere se posset quando vellet; aut si quando nollet, ipsos molientes in subsellium suum traheret, doctrinæque suæ admiratione perculsos, ab odio in amorem sui tantum non invitos raperet. Nempe hora passionis ejus nondum venerat. Ea vero tum propriè cæpit, quando captus, vinctus, consputus, flagellatus, irrisus, spinis coronatus, cruciarius factus & furcifer, aceto ac felle potatus & cruci suffixus fuit. Tum enim in forma servi proprie fuit, & in potestate tenebrarum, creditusque non Dei filius, nec Rex Messias, sed furcifer, cruciarius & perduellis, hominibusque, id est, vilissimis quibusque ex populi fæce, similis; Samsonis instar, qui, post resectos crines roboris sui, dicebat se futurum *infirmum & ut unum ex hominibus*: *Jud.* XVI. 7. eodem plane sensu, quo *Psal.* LXXXII. 7, dicitur de Principibus, *moriemini sicut homo, & sicut unus*, (quamquam) *Principes, cadetis*; sic enim puto legenda esse verba. Hisce tamen jungenda imprimis est ista σφοδρὰ, quam Jesus noster tulisse dicitur in historia nostra Euangelica, ante captivitatem suam, in horto, ad crepidinem montis olearum, cujus nomen erat Gethsemane: ubi *Luc.* XXII. 44 dicitur fuisse ἐν ἀγωνίᾳ: & *Matth.* XXVI. 37, cæpisse λυπεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν; ἐκθαμβεῖσθαι addit Marcus, *cap.* XIV. 33. ita ut *sudor ejus factus fuerit, quasi grumi sanguinis descendentes in terram*: *Luc.* XXII. 44, id est, vel plane sanguineus, uti quibusdam aliquando præ nimio metu destillasse dicitur; vel ita crassus, ut crassis sanguinis guttis similis esset: (particula enim ὡσεὶ utrumque sensum admittit:) & dixisse, *Matth.* XXVI. 38, *undiquaque tristis est anima mea usque ad mortem.* Quam propassionem ego credo immediatè à Deo illatam ei fuisse, & cumulum in se habuisse omnium istorum tum dolorum tum angustiarum, quæ piis in hac vita evenire solent, quas ἀθρόως quasi & confertim in eum effuderit Pater, ut misericors Pontifex esse posset, & sensu infirmitatum eorum affici, atque ita τοῖς πειραζομένοις βοηθῆσαι, ut est *Heb.* II. 17. 18. & IV. 15. Neque enim adsentimur iis, qui ingentem illum metum ac tristitiam natam credunt, ex mortis atque ignominiæ quæ ei conjuncta erat futura, apprehensione; tum quia mortem suam jam à Patre suo decretam esse sciebat Christus, & eam à se exorari nec posse, nec debere, persuassimus erat; tum quia hanc ipsam angustiam animi exoratam dicitur, ad *Heb.* V. 7. ubi dicitur fuisse ἐξαυδεὶς ἀπὸ εὐλαβίας: & *Luc.* XXII. 43. ubi dicitur *conspectum fuisse ab eo Angelum, qui eum corroborabat*; verisimiliter significans ei, Patris ejus nomine, quod exaudita erat ejus oratio.

Hæc omnia Jesum nostrum tulisse ac perpessum esse, ultro lubentesque confitemur: non quod ad ea ferenda ac perpetienda coactus fuerit à Deo; liberrimè enim & bene præmeditato animo eum se ad ea perpetiendum, Patri suo obtulisse passim observare est: nec quod vi hostili ad ea ferendum adactus fuerit, aut astutia circumventus in ea inciderit tanquam in casses: apparet enim eum facile effugere potuisse manus hostium suorum, quia sciebat, quando & ubi manus injicere vellent, & cum jam manus injecturi essent, eum verbo solo in terram eos non aliter quam mortuos prostraviisse: *Joan.* XVIII. 6: jamque injectis manibus, & defendere eum volenti Petro dixisse, *An putas me non posse nunc precari Patrem meum, qui hic mihi sistat plures quam duodecim legiones Angelorum? Matth.* XXVI. 53. sed ut impleretur quod de Messia scriptum ac prædictum multo ante erat; uti disertè in historia Euangelica legere est, *Matth.* XXVI. 54: *Quomodo ergo implerentur Scripturæ, quæ dicunt sic oportere fieri.* & iterum *vers.* 56. *Marc.* XIV. 49. *Luc.* XXIV. 44. 45. 46, & *ibid. vers.* 25. 26. 27.

*Ea quæ tulit & perpessus est Jesus noster, ipsum juxta prægressa de Messia vaticinia ferre ac perpeti debuisse: & quidem nominatim Esaiæ cap. LIII.*

Ergo hic jam quæstionis status est: An quæ tulit & perpessus est Jesus noster, ea juxta prægressa de Messia vaticinia ferre ac perpeti debuerit. Nos id asserimus cum scriptoribus Euangelicæ nostræ historiæ. Huic adsertioni nostræ probandæ unicum caput *Esaiæ* LIII sufficit, in quo omnia ista pene ad verbum Messiæ eventura prædicuntur, tam quoad contemtum illum quem diximus, quam quoad mortem violentam atque ignominiosam qua affectus fuit. De contemtu diserte agunt *vers.* 2. 3. De morte violenta atque ignominiosa, *vers.* 5. 7. 10. & 11. Nec negant Judæi probationem nostram ex hoc loco solidam esse, si evincatur in eo per servum Dei intelligi Messiam.

*Tribus argumentis probatur illic per Servum Dei intelligi Messiam. Primum.*

Hoc ergo ut evincamus tribus argumentis utimur. Primum: Quia certum est Rabbinorum veterum complures, caput hoc, cum versibus tribus capitis præcedentis, de Messia exposuisse, tam qui ante natum Jesum nostrum quam qui post eum aut circa ejus tempora vixerunt; fatente id ipsum, quod attinet ad Rabbinos qui circa tempora Christi aut non multo post ea exstiterunt, R. Aben-Esra, in commentariis suis super *vers.* 13. *cap.* præcedentis LII. in hæc verba: Multi exponunt hæc de Messia, quia prisci nostri Rabbini dixerunt, ea ipsa die, qua domus sanctuarii (id est templum Hierosolymitanum) destructa est, natum fuisse Messiam. Agi autem in versu isto & seq. de eodem servo Domini, de quo

quo ſtatim deinde *cap.* LIII agitur, non diffitentur Iudæi: quia ab illo fere ordiuntur capitis LIII expoſitionem. De R. Ionathane Uzielis filio, Chaldæo paraphraſte, conſtat, quod verba eadem iſta ad Meſſiam retulerit, & quidem nominatim; uti & iſta, *vere languores noſtros tulit.* Sic enim ea vertit: *Exaudiatur à Deo pro delictis noſtris.* &c, *propter ipſum condonabuntur nobis peccata.* Ad verba vero iſta, *Abſconſio faciei ab eo*, inquit; Quaſi facies divinitatis ab eo remota fuiſſet, quod illum talem videremus, nec animadverteremus, quis eſſet. In Thalmude etiam, lib. Sanhedrin, capite Helec, verba *verſ.* 13. *Exaltabitur, & elevabitur, & ſublimabitur valde*, de Meſſia exponuntur, hunc in modum: Exaltabitur (Meſsias) pluſquam Abraham, elevabitur plus quam Moſes, & ſublimabitur valde pluſquam Angeli miniſterii, ſive miniſtrantes Deo. In eodem cap. legitur, quod ex domo Raf, ſive Rab, dictum fuerit, *Chivvra*, id eſt Languidus, nomen eſſe Meſsiæ, juxta illud *Eſa.* LIII: *vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ſuſtinuit. nos autem reputavimus eum plagis* ſeu ulceribus *affectum* & percuſſum *à Deo.* Plura vide apud Galatinum, alioſque. Hoc argumentum idcirco majoris fieri debet à Iudæis, quia ex eo liquet, caput *Eſa.* LIII non adduci à Chriſtianis ex hypotheſi ſive præjudicio quodam, quia videlicet caput iſtud in Euangelica hiſtoria ad Ieſum Meſsiam noſtrum accommodatur, ſed ex eo ipſo judicio quod de eo jampridem dederunt ipſi hoſtes Ieſu noſtri; quibus ipſi alioquin libenter fidem adhibere, & quorum judicio haud inviti alias ſolent ſubſcribere. Veriſimile autem eſt, ac pene indubium, communem receptamque in populo Iudaico opinionem fuiſſe, caput iſtud totum non niſi de Meſsia agere; ac proinde mirum etiam non debere videri, quod caput iſtud etiam ad Meſsiam retulerit Euangelica Chriſtianorum hiſtoria; & contra ſuſpectum merito eſſe, quod id poſterioris ævi Rabbini aliovorſum trahant, & ad Meſsiam nullo modo referri poſſe contendant. vix enim fieri poteſt, ut id aliunde quam ex odio Chriſti, & partium ſtudio, proficiſcatur; quo nunc multo magis ſe laborare oſtendunt, quam olim ipſis Apoſtolorum temporibus Iudæi, licet Chriſto noſtro infenſiſsimi, laborarunt: quod receptas & Rabbinorum ſuorum veterum pene omnium calculo firmatas expoſitiones, quas libenter temporibus Apoſtolorum admittebant iſti Iudæi, nunc ipſi reſpuant, nulla alia de cauſſa, quam quod eæ Chriſtianis faveant, & cum ſententia eorum apprime conveniant.

Dices: Ex ipſa Euangelica hiſtoria liquere, caput *Eſaiæ* LIII. obſcurum viſum fuiſſe ipſis Apoſtolorum temporibus; quia, cum id legeret Æthiops Eunuchus, Dynaſtes Candaces reginæ Æthiopum, hæſitaſſe dicitur, an propheta de ſe ipſo an de alio quopiam loqueretur: *Act.* VIII. 34. Atqui, inquam ego, aliud eſt obſcurum id fuiſſe viſum homini gentili, peregrino, aulico, &, cætera licet probo Deique reverentia imbuto, Judaicarum tamen legum, atque imprimis prophetiarum, rudi atque ignaro; aliud obſcurum id fuiſſe ipſi populo Judaico, atque imprimis divinæ legis prophetiarumque conſultis in populo. Deinde, aliud eſt obſcurum aliquid eſſe quoad ſingula membra; aliud obſcurum aliquid eſſe in genere. Quin capitis iſtius totius ſententia quoad omnia membra, partes ac circumſtantias, obſcura etiam fuerit pleriſque in populo, adeoque ipſis legis ac prophetiarum interpretibus, vix dubitandum mihi videtur. Ea enim eſt prædictionum & prophetiarum omnium ratio, ut obſcuræ aliquatenus ſint, quamdiu complementum earum non apparet. At obſcurum tum in genere fuiſſe in populo, an caput iſtud, de Meſsia ageret, nec ne, plane ab omni vero eſt abſimile. Quare ſic potius colligendum videtur: Quia id, quod homini gentili obſcurum in genere prius videbatur, ſtatim clarum ac perſpicuum viſum fuit, ubi complementum ejus audivit factum in Jeſu noſtro; nihil eſſe cauſſæ, cur Judæi tergiverſentur, ut caput illud de Meſsia, ac nominatim de Jeſu noſtro agere credant. Ex ipſo enim complemento eos cauſſam habere certum eſt, multo juſtiorem, quam gentilis Æthiops iſte habuit, ut credant prophetiam iſtam de Meſsia accipiendam eſſe.

Secundum. Atque hoc eſt argumentum noſtrum ſecundum, quod priori ſubjicimus; Quia videlicet omnia ac ſingula capitis iſtius membra, adeo exactè reſpondent iis, quæ evenerunt ei qui ſe Meſsiam à Deo miſſum eſſe dixit, ut ne hilum quidem diſcrepent, nec repertus hactenus fuit ullus, cui ea prorſus convenerunt aut convenire potuerunt. Dices: Hoc argumento peti τὸ ἐν ἀρχῇ. Nequaquam, inquam ego, quia ſuppono cum Judæis, fieri non potuiſſe, ut quoad omnia membra ſua complementum ſuum haberet hæc prophetia in eo, qui ſe Meſsiam eſſe diceret, niſi de Meſsia facta fuiſſet. Ratio itaque probans eſt, perfectiſſimum prophetiæ complementum in eo qui ſe Meſsiam eſſe dixit, id eſt, in Jeſu noſtro.

Hanc rationem ut falſam eſſe oſtendant Judæi, omnibus viribus adlaborant. Quomodo, inquiunt 1. ea vera eſſe poteſt, cum de ſervo iſto Domini cap. LII. 13. dicatur, quod ſit exaltandus, elevandus, & valde ſublimis futurus; Jeſus autem noſter ad mortem damnatus fuerit, cruciarii inſtar & viliſſimi è vulgo? Atqui iſta non pugnare manifeſtum eſt, ſi tempora diſtinguantur. Quid enim vetat exaltari aliquem atque evehi è pulvere, è ſtercore, prius contemtum, abjectum, humilem, afflictum? Certe non aliter Ioſeph, Moſes, David, Daniel, in ſublimem dignitatis gradum evecti ſunt, quam poſt dura, aſpera multa, innoxiè patienterque tolerata, ab iis à quibus minime oportuerat. *Objectiones Iudæorum adverſus illud, cum ſolutionibus.*

2. ajunt. Servus iſte dicitur *viſurus ſemen & prolongaturus dies ſuos.* At Ieſus non ſupra triginta quinque annos vixit, & ſemen nullum vidit; neque enim liberos genuit. Quaſi verò vox *ſeminis*, quæ fere collectiva eſt, non poſſit ſignificare quoſcunque poſteros, etſi non carnaliter ex aliquo genitos? An non gentes, circumciſionem Abrahæ ejuſque Religionem ſuſcipientes, *ſemen Abrahæ* fieri dicuntur? an non Judæi deſciſcentes à Moſe dicuntur fieri *ſemen adulterum* ac profanum? An non *ſemen Ephraimi* dicitur *plenitudo Gentium: Geneſ.* XLVIII. 19. Inſtant. At diſcipuli non vocantur unquam ſemen. Eſto. At non raro appellantur filii, ut *filii prophetarum*, 2 *Reg.* II. 3, *&c.* Filii autem & ſemen ſenſu unum idemque ſunt. Et per *ſemen* hîc non poſſe intelligi carnales liberos, non obſcure id arguit, quod in textu dicatur ſervus hic *viſurus ſemen, quando poſuerit animam ſuam* אשם *delictum*, id eſt, hoſtiam ad expiandum delictum: quo ſignificatur eum poſt mortem demum viſurum poſteros ſive ſemen. Atqui poſt mortem quis ſervus generationi operam dabit & de augenda prole cogitabit? Reſuſcitabitur, inquient. At reſuſcitatus an id præmii loco conſequetur, quod multorum liberorum forte pravorum ac rebellium pater erit? Nugæ. Sed de ſervo hîc agi, qui reſuſcitatus demum liberos gignet, non dicent, credo, ne in alia non minus abſurda incidant. Ex hoc etiam apparet ſolutum eſſe, quod de prolongatione dierum ſervi additur. Prolongatio enim intelligitur, quæ poſt mortem ſervi futura eſt. Vita ergo ſervi ſive dies vitæ ejus, ad mortem uſque, longi an breves fuerint nihil refert.

3. Quærunt, quomodo Jeſu noſtro aptari poſſint verba *verſus* 12, *Ideo partem dabo ei cum multis, & cum fortibus dividet ſpolia:* Qui ſunt multi ac fortes iſti, quibuſcum Jeſus noſter diviſit ſpolia? Reſp. Omnes iſti populi, omnes iſti Reges Principeſque, qui ſe jugo ejus ſubmiſerunt, ſuaque omnia, tum ſceptra, tum regna, tum coronas, tum bona, tum corpora, tum animas, veluti devicti ttiumphatique ab eo ejuſque Spiritu, non aliter quam ſpolia ac manubias ad pedes ejus depoſuerunt, parati impoſterum non vivere ex ſuo arbitrio, ſed ex ipſius præſcripto. Atque hoc eſt illud quod de Meſsia ſcriptum eſt, *Pſal.* II. 8: *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.*

4. Servus iſte dicitur vir dolorum & qui infirmitatem eſt expertus. Hoc inquiunt in Ieſu Nazareno locum non habuit, ut qui nullum morbum, nullas infirmitates naturales, ſed tantum adventitias & ab aliis illatas perpeſſus eſt. Reſp. voces מכאבות *maccoboth* & חלי *choli*, non ſignificant tantum dolores & ægritudines quæ ex morbo ſunt, ſive naturales infirmitates, ſed quaſlibet etiam quæ ſine morbo ſunt. De מכאבות vide *Pſal.* XXXII. 10. *Multi dolores impio.* LXX vertunt: multa flagella peccatoris. *Exod.* III. 7: *Novi dolores ejus*; id eſt, afflictiones quas patitur populus meus. De חלה vide *Jud.* XVI. 7. *Proverb.* V. 15, *&c.* tum circumſtantiæ loci omnes ſatis manifeſte indicant, iſtis vocibus non denotari infirmitates naturales, ſive morbos qui ex infirmitatibus ſolent oriri, aut conjunctas eas fere ſibi habent: ſed de afflictionibus & malis, quæ ſervus iſte occaſione peccatorum populi perpeſſurus aut ſubiturus erat.

5. Quia *verſ.* 8. legitur: *A populi mei tranſgreſſione plaga* למו *illis.* At hoc ſignum eſt, de pluribus, ſub ſervi nomine, agi, non de uno. Ergo neque de Ieſu Nazareno, neque de Meſsia. Reſp. Fatendum omnino eſt, pronomen למו eſſe numeri pluralis cum affixo ל ab הוא ipſe, tantum valens ac לחם. ſed id non obſtat, quominus de ſervo uno intelligatur: 1. Quia certum eſt vocem iſtam aliquando ſenſu ſingularis numeri eſſe. Certè iſto ſenſu eam uſurpari in hoc ipſo Propheta Eſaia, *cap.* XLIV. *verſ.* 15, manifeſtiſſimum eſt. 2. quia nihil vetat id factum eſſe ſive per ἐναλλαγὴν numeri, ſive κατ' ἐξοχὴν, propter ſervi ſive Meſsiæ excellentiam: imo alterutrum ut dicatur, omnino neceſſe eſt; quia alioquin ſenſus loci, (ne quidem ex ipſorum Iudæorum mente) conſtare non poteſt. Si enim per למו intelligatur populus ipſe Dei collectivè, tum ſenſus erit, A prævaricatione populi mei, plaga ad populum meum pervenit: qui ſenſus uti per ſe ineptus, ita plane falſus eſt; quia toto hoc cap. ſervus iſte deſcribitur

universum qui ex eo tanquam fonte ac scaturigine potissimum fluxit, contemtum doctrinæ operumque ejus; qui in odium, detestationem, & persecutionem ad mortem usque exivit. Vilipendium natum fuit ex vili in speciem conditione, vitæque statu in quo versabatur, inhonorato atque inglorio, saltem non pro dignitate ac Majestate Regis Messiæ qui exspectabatur. Vilis in speciem conditio ejus erat, quia humili domo ortus, parentibus natus non modo nullius nominis, honoris aut dignitatis in Repub. sed & ad infimam vitæ conditionem redactis: unde ipse *fabri filius* & *faber* audiebat: *Mar.* VI. 3. Vitæ status, ut ut honestus ac decorus, nihil tamen Regii aut patricii stemmatis, nedum Messia digni sanguinis præ se ferebat. Ambulabat ille quidem in Judæa, Galilæa, ipsaque principe urbe Hierosolymorum, non prorsus inhonoratus, nec inglorius, nedum vilis atque humilis, sed omnibus ferè suspiciendus; quin & cum Regia aliqua potestate, adscito sibi collegio LXX discipulorum, quasi Sanhedrim aliquo & Senatu majore; deinde XII Apostolorum, quasi duodecim populi totius tribus repræsentante, & stipatus cinctusque fere aliquot millium corona, eaque opera faciens, quæ nemo unquam Rex aut propheta paria fecerat, quæque eum admirandum & stupendum reddebant ubicunque erat: sed tamen sine pompa, sine aula, sine mensa regia, sine purpuratorum aut patriciorum comitatu, sine satellitio, sine procerum Senatu, denique ἄνευ πάσης ὑποστηρίσεως principalis aut Regiæ, etiam tum, quando Regis instar insidens asino in urbem regiam invehebatur, salutabaturque à turba tota Filius Davidis, Rex populi, cum acclamatione & celeusmate solemni, quod in inauguratione regum usitari solebat. Plebs eum fere sequebatur & pullata turba. Discipuli & sectatores ex infima ac despecta fæce populi erant; piscatores, publicani, peccatores ac meretrices. Non vivebat ex publico ærario, sed ex privatorum dono ac liberalitate: non tamen sic quasi aliter vivere non posset, sed quia Regis instar omnium rebus tanquam suis utebatur. Id enim Regis Israelis jus esse, constat ex 1 *Samuel* VIII. 11. Non aula illi erat, nec regia, sed jure suo de domo in domum ibat. Solus sæpe pernoctabat sub dio in monte; subinde fugiebat ac latitabat; aliquando non habebat ubi caput reclinaret; nunc à suis deserebatur: jam propinqui ejus in eo offendebantur; tum insidiæ ei struebantur, ut in Judæa tota tuto versari non posset. subinde molesti ei erant jurgiis ac rixis suis discipuli ejus, & proditorem suum veluti serpentem in sinu suo fovebat, avarum illum ac furem, qui cum hostibus ejus clandestina consilia agebat. quæ omnia vilipendium ejus apud proceres augebant, ut nihil de eo magnificum, nihil regium, nedum Messia dignum in animum suum vellent inducere.

Contemtus inde natus est maximus, ut nec docentem eum sustinerent, sed doctrinam ejus qua possent sugillarent, discipulos & sectatores ejus Synagogis suis proscriberent, opera ejus omnia cavillis peterent, convitiis proscinderent, & principi Diabolorum adscriberent; deque eo vinciendo, capiendo, ac trucidando comitia inirent, omniaque tentarent, quæ ad eum pessumdandum atra bilis dictabat. Quæ caussa? Nulla alia, quam quod nullum σχῆμα regium, quale sine caussa cupiebant atque expectabant, in eo apparebat. Quamquam in forma Dei apparebat, & Dei instar cum ἐξουσίᾳ docebat, & quic quid volebat faciebat, tamen hoc totum insuper habebatur spernebaturque, quia ei forma Regis non aderat. Nempe forma Regis tanti erat apud eos, ut forma sive μορφὴ Dei vilis esset in oculis eorum, ipsiusque principis diabolorum forma videretur. Hinc secuta tandem est mors sive cædes Domini nostri Jesu.

*Quid per mortem.*

Per mortem autem intelligo omne istud quod mortem sive cædem ejus antecessit, & ipsum genus mortis quod ignominiosissimum fuit & crudelissimum. Hoc enim omne, est proprie illud quod Jesus noster tulit ac perpessus est, quodque eum reddit apud Judæos & gentes despicatissimum ac contemtissimum. Tum enim, quando ista patiebatur, in forma servi proprie fuit, & dies isti fuerunt potissimum dies carnis ejus, id est infirmitatis ac vilitatis. Antea enim, ut ut multa indigna patiebatur & molesta apud animum suum, tamen nihil proprie patiebatur, quod passionis nomine admodum dignum erat. Nam in forma Dei erat. Quod volebat, habebat, faciebat. Nihil obstabat ei, nisi odium hostium suorum, quod non ipsum, sed eos ringebat, male habebat ac cruciabat. Nemo aut poterat, aut audebat in eum manus injicere. Consilia omnia contra eum vana ac frustra erant. Favor populi eum cingebat ac miraculorum gloria. Non opus habebat metuere sibi à quoquam. Sapientiæ ac Spiritui ejus nemo poterat resistere; strophas omnes sophisticas actutum eludebat; Molimina omnia ad unguem perspecta habebat, ut subducere se posset quando vellet; aut si quando nollet, ipsos molientes in subsellium suum traheret, doctrinæque suæ admiratione perculsos, ab odio in amorem sui tantum non invitos raperet. Nempe hora passionis ejus nondum venerat. Ea vero tum propriè cæpit, quando captus, vinctus, consputus, flagellatus, irrisus, spinis coronatus, cruciarius factus & furcifer, aceto ac felle potatus & cruci suffixus fuit. Tum enim in forma servi proprie fuit, & in potestate tenebrarum, creditusque non Dei filius, nec Rex Messias, sed furcifer, cruciarius & perduellis, hominibusque, id est, vilissimis quibusque ex populi fæce, similis; Samsonis instar, qui, post resectos crines roboris sui, dicebat se futurum *infirmum & ut unum ex hominibus*: *Jud.* XVI. 7. eodem plane sensu, quo *Psal.* LXXXII. 7, dicitur de Principibus, *moriemini sicut homo, & sicut unus*, (quamquam) *Principes, cadetis*; sic enim puto legenda esse verba. Hisce tamen jungenda imprimis est ista ἐξουσία, quam Jesus noster tulisse dicitur in historia nostra Evangelica, ante captivitatem suam, in horto, ad crepidinem montis olearum, cujus nomen erat Gethsemane: ubi *Luc.* XXII. 44 dicitur fuisse ἐν ἀγωνίᾳ: & *Matth.* XXVI. 37, cæpisse λυπεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν; ἐκθαμβεῖσθαι addit Marcus, *cap.* XIV. 33. ita ut *sudor ejus factus fuerit, quasi grumi sanguinis descendentes in terram*: *Luc.* XXII. 44, id est, vel plane sanguineus, uti quibusdam aliquando præ nimio metu destillasse dicitur; vel ita crassus, ut crassis sanguinis guttis similis esset: (particula enim ὡσεὶ utrumque sensum admittit:) & dixisse, *Matth.* XXVI. 38, *undiquaque tristis est anima mea usque ad mortem.* Quam propassionem ego credo immediatè à Deo illatam ei fuisse, & cumulum in se habuisse omnium istorum tum dolorum tum angustiarum, quæ piis in hac vita evenire solent, quas ἀθρόως quasi & confertim in eum effuderit Pater, ut misericors Pontifex esse posset, & sensu infirmitatum eorum affici, atque ita τοῖς πειραζομένοις βοηθῆσαι, ut est *Heb.* II. 17. 18. & IV. 15. Neque enim adsentimur iis, qui ingentem illum metum ac tristitiam natam credunt, ex mortis atque ignominiæ quæ ei conjuncta erat futura, apprehensione; tum quia mortem suam jam à Patre suo decretam esse sciebat Christus, & eam à se exorari nec posse, nec debere, persuasissimus erat; tum quia hanc ipsam angustiam animi exorasse dicitur, ad *Heb.* V. 7. ubi dicitur fuisse ἐξακουσθεὶς ἀπὸ τῆς εὐλαβείας: & *Luc.* XXII. 43. ubi dicitur *conspectum fuisse ab eo Angelum, qui eum corroborabat*; verisimiliter significans ei Patris ejus nomine, quod exaudita erat ejus oratio.

Hæc omnia Jesum nostrum tulisse ac perpessum esse, ultro lubentesque confitemur: non quod ad ea ferenda ac perpetienda coactus fuerit à Deo; liberrimè enim & bene præmeditato animo eum se ad ea perpetiendum, Patri suo obtulisse passim observare est: nec quod vi hostili ad ea ferendum adactus fuerit, aut astutia circumventus in ea inciderit tanquam in casses: apparet enim eum facile effugere potuisse manus hostium suorum, quia sciebat, quando & ubi manus injicere vellent, & cum jam manus injecturi essent, eum verbo solo in terram eos non aliter quam mortuos prostraviisse: *Joan.* XVIII. 6: jamque injectis manibus, & defendere eum volenti Petro dixisse, *An putas me non posse nunc precari Patrem meum, qui hic mihi sistat plures quam duodecim legiones Angelorum? Matth.* XXVI. 53. sed ut impleretur quod de Messia scriptum ac prædictum multo ante erat; uti disertè in historia Euangelica legere est, *Matth.* XXVI. 54: *Quomodo ergo implerentur Scripturæ, quæ dicunt sic oportere fieri.* & iterum *vers.* 56. *Marc.* XIV. 49. *Luc.* XXIV. 44. 45. 46, & *ibid. vers.* 25. 26. 27.

*Ea quæ tulit & perpessus est Jesus noster, ipsum juxta prægressa de Messia vaticinia ferre ac perpeti debuisse: & quidem nominatim Esaiæ cap. LIII.*

Ergo hic jam quæstionis status est: An quæ tulit & perpessus est Jesus noster, ea juxta prægressa de Messia vaticinia ferre ac perpeti debuerit. Nos id asserimus cum scriptoribus Euangelicæ nostræ historiæ. Huic adsertioni nostræ probandæ unicum caput *Esaiæ* LIII sufficit, in quo omnia ista pene ad verbum Messiæ eventura prædicuntur, tam quoad contemtum illum quem diximus, quam quoad mortem violentam atque ignominiosam qua affectus fuit. De contemtu diserte agunt *vers.* 2, 3. De morte violenta atque ignominiosa, *vers.* 5. 7. 10. & 11. Nec negant Judæi probationem nostram ex hoc loco solidam esse, si evincatur in eo per servum Dei intelligi Messiam.

*Tribus argumentis probatur hic per Servum Dei intelligi Messiam.*

Hoc ergo ut evincamus tribus argumentis utimur. Primum: Quia certum est Rabbinorum veterum complures, caput hoc, cum versibus tribus capitis præcedentis, de Messia exposuisse, tam qui ante natum Jesum nostrum quam qui post eum aut circa ejus tempora vixerunt; fatente id ipsum, quod attinet ad Rabbinos qui circa tempora Christi aut non multo post ea exstiterunt, R. Aben-Esra, in commentariis suis super *vers.* 13. *cap.* præcedentis LII. in hæc verba: Multi exponunt hæc de Messia, quia prisci nostri Rabbini dixerunt, ea ipsa die, qua domus sanctuarii (id est templum Hierosolymitanum) destructa est, natum fuisse Messiam. Agi autem in versu isto & seq. de eodem servo Domini, de

*Primum.*

quo

quo ſtatim deinde *cap.* LIII agitur, non diffitentur Judæi: quia ab illo fere ordiuntur capitis LIII expoſitionem. De R. Ionathane Uzielis filio, Chaldæo paraphraſte, conſtat, quod verba eadem iſta ad Meſſiam retulerit, & quidem nominatim; uti & iſta, *vere languores noſtros tulit.* Sic enim ea vertit: *Exaudiatur à Deo pro delictis noſtris.* &c, *propter ipſum condonabuntur nobis peccata.* Ad verba vero iſta, *Abſconſio faciei ab eo*, inquit; Quaſi facies divinitatis ab eo remota fuiſſet, quod illum talem videremus, nec animadverteremus, quis eſſet. In Thalmude etiam, lib. Sanhedrin, capite Helec, verba *verſ.* 13. *Exaltabitur, & elevabitur, & ſublimabitur valde*, de Meſſia exponuntur, hunc in modum: Exaltabitur (Meſsias) pluſquam Abraham, elevabitur plus quam Moſes, & ſublimabitur valde pluſquam Angeli miniſterii, ſive miniſtrantes Deo. In eodem cap. legitur, quod ex domo Raf, ſive Rab, dictum fuerit, *Chivvra*, id eſt Languidus, nomen eſſe Meſsiæ, juxta illud *Eſa.* LIII: *vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ſuſtinuit. nos autem reputavimus eum plagis* ſeu ulceribus *affectum* & percuſſum *à Deo.* Plura vide apud Galatinum, alioſque. Hoc argumentum idcirco majoris fieri debet à Iudæis, quia ex eo liquet, caput *Eſa.* LIII non adduci à Chriſtianis ex hypotheſi ſive præjudicio quodam, quia videlicet caput iſtud in Euangelica hiſtoria ad Jeſum Meſsiam noſtrum accommodatur, ſed ex eo ipſo judicio quod de eo jampridem dederunt ipſi hoſtes Ieſu noſtri; quibus ipſi alioquin libenter fidem adhibere, & quorum judicio haud inviti alias ſolent ſubſcribere. Veriſimile autem eſt, ac pene indubium, communem receptamque in populo Iudaico opinionem fuiſſe, caput iſtud totum non niſi de Meſsia agere; ac proinde mirum etiam non debere videri, quod caput iſtud etiam ad Meſsiam retulerit Euangelica Chriſtianorum hiſtoria; & contra ſuſpectum merito eſſe, quod id poſterioris ævi Rabbini aliovorſum trahant, & ad Meſsiam nullo modo referri poſſe contendant. vix enim fieri poteſt, ut id aliunde quam ex odio Chriſti, & partium ſtudio, proficiſcatur; quo nunc multo magis ſe laborare oſtendunt, quam olim ipſis Apoſtolorum temporibus Iudæi, licet Chriſto noſtro infenſiſsimi, laborarunt: quod receptas & Rabbinorum ſuorum veterum pene omnium calculo firmatas expoſitiones, quas libenter temporibus Apoſtolorum admittebant iſti Iudæi, nunc ipſi reſpuant, nulla alia de cauſſa, quam quod eæ Chriſtianis faveant, & cum ſententia eorum apprime conveniant.

Dices: Ex ipſa Euangelica hiſtoria liquere, caput *Eſaiæ* LIII, obſcurum viſum fuiſſe ipſis Apoſtolorum temporibus; quia, cum id legeret Æthiops Eunuchus, Dynaſtes Candaces reginæ Æthiopum, hæſitaſſe dicitur, an propheta de ſe ipſo an de alio quopiam loqueretur: *Act.* VIII. 34. Atqui, inquam ego, aliud eſt obſcurum id fuiſſe viſum homini gentili, peregrino, aulico, &, cætera licet probo Deique reverentia imbuto, Judaicarum tamen legum, atque imprimis prophetiarum, rudi atque ignaro; aliud obſcurum id fuiſſe ipſi populo Judaico, atque imprimis divinæ legis prophetiarumque conſultis in populo. Deinde, aliud eſt obſcurum aliquid eſſe quoad ſingula membra; aliud obſcurum aliquid eſſe in genere. Quin capitis iſtius totius ſententia quoad omnia membra, partes ac circumſtantias, obſcura etiam fuerit pleriſque in populo, adeoque ipſis legis ac prophetiarum interpretibus, vix dubitandum mihi videtur. Ea enim eſt prædictionum & prophetiarum omnium ratio, ut obſcuræ aliquatenus ſint, quamdiu complementum earum non apparet. At obſcurum tum in genere fuiſſe in populo, an caput iſtud, de Meſsia ageret, nec ne, plane ab omni vero eſt abſimile. Quare ſic potius colligendum videtur: Quia id, quod homini gentili obſcurum in genere prius videbatur, ſtatim clarum ac perſpicuum viſum fuit, ubi complementum ejus audivit factum in Jeſu noſtro; nihil eſſe cauſſæ, cur Judæi tergiverſentur, ut caput illud de Meſsia, ac nominatim de Jeſu noſtro agere credant. Ex ipſo enim complemento eos cauſſam habere certum eſt, multo juſtiorem, quam gentilis Æthiops iſte habuit, ut credant prophetiam iſtam de Meſsia accipiendam eſſe.

Secundum. Atque hoc eſt argumentum noſtrum ſecundum, quod priori ſubjicimus; Quia videlicet omnia ac ſingula capitis iſtius membra, adeo exactè reſpondent iis, quæ evenerunt ei qui ſe Meſsiam à Deo miſſum eſſe dixit, ut ne hilum quidem diſcrepent, nec repertus hactenus fuit ullus, cui ea prorſus convenerunt aut convenire potuerunt. Dices: Hoc argumento peti τὸ ἐν ἀρχῇ. Nequaquam, inquam ego, quia ſuppono cum Judæis, fieri non potuiſſe, ut quoad omnia membra ſua complementum ſuum haberet hæc prophetia in eo, qui ſe Meſsiam eſſe diceret, niſi de Meſsia facta fuiſſet. Ratio itaque probans eſt, perfectiſſimum prophetiæ complementum in eo qui ſe Meſsiam eſſe dixit, id eſt, in Jeſu noſtro.

Hanc rationem ut falſam eſſe oſtendant Judæi, omnibus viribus adlaborant. Quomodo, inquiunt 1. ea vera eſſe poteſt, cum de ſervo iſto Domini cap. LII. 13. dicatur, quod ſit exaltandus, elevandus, & valde ſublimis futurus; Jeſus autem noſter ad mortem damnatus fuerit, cruciarii inſtar & viliſſimi è vulgo? Atqui iſta non pugnare manifeſtum eſt, ſi tempora diſtinguantur. Quid enim vetat exaltari aliquem atque evehi è pulvere, è ſtercore, prius contemtum, abjectum, humilem, afflictum? Certe non aliter Ioſeph, Moſes, David, Daniel, in ſublimem dignitatis gradum evecti ſunt, quam poſt dura, aſpera multa, innoxiè patienterque tolerata, ab iis à quibus minime oportuerat. *Objectiones Iudæorum adverſus illud, cum ſolutionibus.*

2. ajunt. Servus iſte dicitur *viſurus ſemen & prolongaturus dies ſuos.* At Ieſus non ſupra triginta quinque annos vixit, & ſemen nullum vidit; neque enim liberos genuit. Quaſi verò vox *ſeminis*, quæ fere collectiva eſt, non poſſit ſignificare quoſcunque poſteros, etſi non carnaliter ex aliquo genitos? An non gentes, circumciſionem Abrahæ ejuſque Religionem ſuſcipientes, *ſemen Abrahæ* fieri dicuntur? an non Judæi deſciſcentes à Moſe dicuntur fieri *ſemen adulterum* ac profanum? An non *ſemen Ephraimi* dicitur *plenitudo Gentium: Geneſ.* XLVIII. 19. Inſtant. At diſcipuli non vocantur unquam ſemen. Eſto. At non raro appellantur filii, ut *filii prophetarum*, 2 *Reg.* II. 3, *&c.* Filii autem & ſemen ſenſu unum idemque ſunt. Et per *ſemen* hîc non poſſe intelligi carnales liberos, non obſcure id arguit, quod in textu dicatur ſervus hic *viſurus ſemen, quando poſuerit animam ſuam* אשם *delictum*, id eſt, hoſtiam ad expiandum delictum: quo ſignificatur eum poſt mortem demum viſurum poſteros ſive ſemen. Atqui poſt mortem quis ſervus generationi operam dabit & de augenda prole cogitabit? Reſuſcitabitur, inquient. At reſuſcitatus an id præmii loco conſequetur, quod multorum liberorum forte pravorum ac rebellium pater erit? Nugæ. Sed de ſervo hîc agi, qui reſuſcitatus demum liberos gignet, non dicent, credo, ne in alia non minus abſurda incidant. Ex hoc etiam apparet ſolutum eſſe, quod de prolongatione dierum ſervi additur. Prolongatio enim intelligitur, quæ poſt mortem ſervi futura eſt. Vita ergo ſervi ſive dies vitæ ejus, ad mortem uſque, longi an breves fuerint nihil refert.

3. Quærunt, quomodo Jeſu noſtro aptari poſſint verba *verſus* 12, *Ideo partem dabo ei cum multis, & cum fortibus dividet ſpolia*: Qui ſunt multi ac fortes iſti, quibuſcum Jeſus noſter diviſit ſpolia? Reſp. Omnes iſti populi, omnes iſti Reges Principeſque, qui ſe jugo ejus ſubmiſerunt, ſuaque omnia, tum ſceptra, tum regna, tum coronas, tum bona, tum corpora, tum animas, veluti devicti ttiumphatique ab eo ejuſque Spiritu, non aliter quam ſpolia ac manubias ad pedes ejus depoſuerunt, parati impoſterum non vivere ex ſuo arbitrio, ſed ex ipſius præſcripto. Atque hoc eſt illud quod de Meſſia ſcriptum eſt, *Pſal.* II. 8: *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.*

4. Servus iſte dicitur vir dolorum & qui infirmitatem eſt expertus. Hoc inquiunt in Ieſu Nazareno locum non habuit, ut qui nullum morbum, nullas infirmitates naturales, ſed tantum adventitias & ab aliis illatas perpeſſus eſt. Reſp. voces מכאבות *maccoboth* & חלי *choli*, non ſignificant tantum dolores & ægritudines quæ ex morbo ſunt, ſive naturales infirmitates, ſed quaſlibet etiam quæ ſine morbo ſunt. De מכאבות vide *Pſal.* XXXII. 10. *Multi dolores impio.* LXX vertunt: multa flagella peccatoris. *Exod.* III. 7: *Novi dolores ejus*; id eſt, afflictiones quas patitur populus meus. De חלה vide *Jud.* XVI. 7. *Proverb.* V. 15, *&c.* tum circumſtantiæ loci omnes ſatis manifeſte indicant, iſtis vocibus non denotari infirmitates naturales, ſive morbos qui ex infirmitatibus ſolent oriri, aut conjunctas eas fere ſibi habent: ſed de afflictionibus & malis, quæ ſervus iſte occaſione peccatorum populi perpeſſurus aut ſubiturus erat.

5. Quia *verſ.* 8. legitur: *A populi mei tranſgreſſione plaga* למו *illis.* At hoc ſignum eſt, de pluribus, ſub ſervi nomine, agi, non de uno. Ergo neque de Ieſu Nazareno, neque de Meſſia. Reſp. Fatendum omnino eſt, pronomen למו eſſe numeri pluralis cum affixo ל ab הוא ipſe, tantum valens ac להם. ſed id non obſtat, quominus de ſervo uno intelligatur: 1. Quia certum eſt vocem iſtam aliquando ſenſu ſingularis numeri eſſe. Certè iſto ſenſu eam uſurpari in hoc ipſo Propheta Eſaia, *cap.* XLIV. *verſ.* 15, manifeſtiſſimum eſt. 2. quia nihil vetat id factum eſſe ſive per *tmaylò* numeri, ſive *xat' ἐξοχὴν*, propter ſervi ſive Meſſiæ excellentiam: imo alterutrum ut dicatur, omnino neceſſe eſt; quia alioquin ſenſus loci, (ne quidem ex ipſorum Iudæorum mente) conſtare non poteſt. Si enim per למו intelligatur populus ipſe Dei collectivè, tum ſenſus erit, A prævaricatione populi mei, plaga ad populum meum pervenit: qui ſenſus uti per ſe ineptus, ita plane falſus eſt; quia toto hoc cap. ſervus iſte deſcribitur

ſcribitur ut innocens, innoxius, & non propter ſua propria, ſed propter aliena peccata adflictus aut plagis adfectus. Ut verba hæc tribuantur gentibus, de populo loquentibus, non ſinunt verba iſta, *Populi mei.* Quomodo enim gentes dixerint, Populi mei? Certe iſta oratio non niſi Deo, aut Prophetis Dei nomine de populo Iſraelitico loquentibus convenit, iiſque uſitata ac propria eſt. Adde, quod LXX, vocem iſtam in ſingulari numero tranſtulerint. Quod ſi nihilominus cuiquam hæc reſponſio non placet, is videat, utrum non ſervato plurali numero, verba hæc ſic exponi poſſint, ut contineant, vel brevem parentheſin aut digreſſionem, qua propheta ſignificat ac prædicit, iis, qui ſervum hunc ſuum erant exſciſuri è terra viventium, id eſt, crudeli morte è medio ſublaturi, graves pœnas, plagæ voce deſignatas, ac ſi legeretur; Abſcindetur è terra viventium: (quamquam iis, qui ſcelus iſtud patraturi ſunt, ob enormitatem ſceleris ac flagitii, plaga, id eſt, atrociſſima pœna ſuo tempore incubitura eſt:) vel ἀιτιολογίαν ſive redditionem rationis, cur exſcindendus ſit è terra viventium ſervus iſte, videlicet, ad auferendum plagam exciſionis quam prævaricator populus meruerat; ac ſi legeretur, Ex, ſive ob prævaricationem (enim) ſuam populus plaga exciſionis alioquin adficiendus fuiſſet, niſi ſervus iſte plagam iſtam ultro in ſe ſuſcepiſſet. Plaga itaque hîc plagam excidii, mortis, exterminii notat, reſpondentem exciſioni è terra viventium, quæ ſervus iſte adficiendus dicitur.

Denique 6 ajunt; explicari non poteſt, quomodo mors Jeſu fuerit cum divitibus. Reſp. Vox *mortis* aut *mortium*, an in textu ſit, incertum eſt. Nam במתיו quod in fonte legitur, ſignificare poteſt, *excelſa ejus*, à במה *excelſum*, & in plurali במות. unde cum affixo ſingulari במתיו *excelſa ejus*, per ἀναπλασμὸν pro excelſum ejus. Sic autem ſenſus liquet: Quia monumentum in quo reconditus fuit Jeſus, in excelſo, id eſt in monte ſive rupe exciſum fuit. Per divitem autem intelligetur Joſeph Arimathæus, cujus illud monumentum erat. Hanc expoſitionem confirmat, id, quod alioquin, ſi במתיו explices per, *in mortibus ejus*, ut ſit vox compoſita ex מות & præpoſitione cum affixo, videtur dicendum, Chriſtum plura ſupplicia tuliſſe, quam unum crucis; cum mortes Hebræis ſignificent, non ipſam mortem, ſed ſupplicia uſitata in lege Dei mortem inferentia. quamquam, ſi aliter exponatur textus, ſenſus etiam ſatis conſtare poſſit.

*Tertium.*

Hæ itaque rationes aſſis non ſunt. Quare ut argumentum noſtrum fortiſſime adſtringamus, addimus, quod tertii argumenti loco erit: Non poſſe dari ſervum ullum Dei, in quem omnia iſta, quæ cap. toto continentur, congruant ac conveniant, ſi Meſſias excipiatur. Hoc argumentum ut evertant, velis remiſque contendunt Hebræi horum temporum, per ſervum iſtum Dei, non modo intelligi poſſe, ſed & reipſa intelligi populum Iſraeliticum, in hac dura ac longa captivitate atque exilio varie preſſum atque miſerè adflictum. Prophetam autem à *verſ.* 1. uſque ad *verſ.* 11. non ex ſua, ſed aliena, nempe Regum gentilium perſona, de populo iſto loqui, in ſingulari numero, tanquam de uno homine aut ſervo, uti aliàs *Eſa.* XLI. 8. *Jerem.* XXXI. 10. *Pſal.* CXXXVI. 22. fieri ajunt.

*Reſponſio ad exceptionem Judæorum, per ſervum Dei intelligi populum Iſraeliticum.*

At *primò*; hæc expoſitio, recens ſanè ac novitium R. Salomonis Iarchi commentum, fundamento omni caret, ob duas rationes: 1. quia manifeſtè liquet, præcedentia verba *cap.* LII, à *verſ.* 13. ad finem uſque, quibus verba capitis hujus LIII. immediatè adhærent, in perſona prophetæ Eſaiæ dici. 2. quia nec acceſſus ad proſopopœiam iſtam Regum gentilium, quam hîc formant, neque receſſus ab eadem, veſtigium ullum in textu apparet. Dicent fortaſſe, mutatæ perſonæ aut novæ hujus proſopopœiæ indicium fieri *verſ. ult. cap.* præcedentis LII, ubi dicitur, *Et loqui faciet gentes multas.* Atqui, inquam ego, verbum יזה à נזה eſt, quod proprie adſpergere ſignificat, quo ſenſu diſerte accipitur *Levit.* XVI. 14. יזה שבע-פעמים *Adſperget ſeptem vicibus*, & alibi ſæpius. Primus Rabbi David Kimchi in libro Radicum expoſuit per alloquetur; quod tamen cum hac expoſitione non convenit, qua gentes ipſe loquuturæ dicuntur ad vel de populo Iſraelis. iſtâ enim contra ſervus Dei alloquuturus dicitur ipſas gentes. verum eſt, in commentariis ſuis exponit hiſpanica lingua, *fara hablar, o parlar*, faciet loqui, ſed nullo autore, nullo parallelo loco expoſitionem illam ſuam fulcit. Contra R. Abraham in Commentariis ſuis, exponit per ſparget, id eſt, effundet gentes multas, id eſt, ſanguinem gentium multarum. Deinde, eſto; expoſitio illa admittatur: an non ſtatim' deinde ſubjicitur in eadem periodo, *Reges claudent ſuper ipſo* (ſervo Dei) *os ſuum?* Hoc ſane ſignum eſt, prophetam non voluiſſe introducere loquentes gentes ſive Reges gentium, ac proinde fruſtra aſſeri ſequentibus verbis ſermonem gentium continuari, ac deinceps pertexi in ſpecie quis ſermo iſte futurus ſit. Adde, quod occaſio ſive cauſſa loquelæ aut ſermonis iſtius gentium (ſi textus iſta expoſitio admittatur) dicatur futura, ipſa ſervi exaltatio ſive glorificatio, quam tribus verbis ſynonymis exaggeraverat propheta, ſignificans eam tantam futuram, ut præ admiratione in vocem erupturæ ſint gentes, & ſilentio ſtatim vocem ſuppreſſuræ, quaſi admiratione nimia perculſæ atque attonitæ.

*Secundò:* Expoſitio hæc nullo modo poteſt conſiſtere, ob hanc rationem: Quia ex ejuſmodi rebus deſcribitur ſervus iſte, ſive talia ei adtribuuntur, quæ nullo modo in populum Judaicum quadrare poſſunt. Quod aliquot argumentis oſtendimus. *Primum* eſt: Quia ſervo illi tribuitur ſingularis & abſoluta quædam innocentia, manſuetudo & patientia. *Innocentia, verſ.* 9. quod *iniquitatem non fecerit, nec dolus fuerit in ore ejus.* Qua fronte hæc innocentia tribuatur populo Judaico? Certe nec eam ſibi ipſis hactenus tribuerunt, & ſi eam ſibi jam tribuere audeant Judæi, neceſſe eſt ut depuduerint; nec eam in iis obſervat aut animadvertit Chriſtianus populus, ſed contraria omnia. ſed nec id convenit cum eo, quod propter peccata ſua differri adventum Meſſiæ adſerant.

Dices 1. Hoc de piis ſanctiſque in populo accipiendum eſt. At pios iſtos populum illum conſtituere, de quo hîc agi volunt, ineptum eſt adſerere. Ii enim oppido pauci admodum ſunt, & tam rari, ut vix in toto populo videantur atque appareant: ſaltem iſtum numerum non faciunt, ut credi poſſit eos gentibus cauſſam dediſſe, ut toti populo propterea ſimpliciter atque abſolutè innocentiam ejuſmodi tribuerent. Sed & inſolens eſt Scriptoribus Sacris, ab exigua iſta parte populum totum denominare. Raro enim, imo nunquam defuerunt pii ac fideles aliqui in populo Dei, etiam tum quando populus ipſe peſſimus fuiſſe legitur, & propter maximam partem, populus rebellis, prævaricator, degener, & legirupa vocatur. At enim futurus fortaſſe aliquando eſt totus populus Iſraelis bonus ac fidelis, inquient, & tum prophetia hæc implebitur. Atqui, inquam 1. ſic ſaltem nondum hæc prophetia ad populum hunc Iſraelis referri poteſt. 2. id non convenit cum eo, quod alias adſerunt, populum Iſraelis peſſimum futurum, quando Meſſias veniet, quia ille veniet, ut tollat ex populo cor ſaxeum, & cor carneum ei indat, ut leges ſuas inſcribat mentibus eorum, & prævaricationes finiat. Quod ſi vero id nunc aliter interpretari velint, pro more ſuo, tum dico 3. expectandum ergo eſſe tempus iſtud, quo totus Iſrael aut maxima ejus pars innocens, inſons, pia ac fidelis erit, ut certo ſtatuere poſſimus hæc verba Iſraelitico populo aptari poſſe.

Dices 2. Per hæc verba, *Iniquitatem non fecit, nec dolus inventus eſt in ore ejus*, indicari tantum juſtitiam cauſſæ populi, non vitæ eorum innocentiam. Reſp. 1. verba manifeſte plus aliquid continere. 2. Cauſſæ juſtitiam nullius pretii eſſe, quando ab ea abeſt vitæ innocentia. 3. Cauſſæ juſtitiam hîc non poſſe intelligi, quia propter hanc ſuam innocentiam ſervus hic dicitur à Deo maximis honoribus præmiiſque ornandus ac decorandus. At Deum populum ſuum ſontem ac ſceleratum, honoribus ac præmiis decorare velle atque ornare, quando ſine cauſſa juſta ab hoſtibus ſuis adfligitur, tantum abeſt ut propheta dicturus ſit, ut contra Prophetæ omnes uno ore clament, eum populum ſuum rebellem ac degenerem, hoſtium ſuorum ludibrio ac libidini tradere velle, ac ſæpenumero tradidiſſe, etiamſi ii cauſſam nullam juſtam haberent cur eos jugo atque imperio ſuo ſubderent, imo etiamſi juſtitia cauſſæ alioquin pro populo ipſo militaret. Fatemur quidem Deum aliquando hoſtes populi ſui, juſtitia cauſſæ longe inferiores, & fiducia virium ſuarum elatos, ſeveriter puniviſſe, populumque ſuum à jugo eorum liberatum in priſtinam libertatem reſtituiſſe; ſed Deum ullo unquam tempore populum ſuum maximis honoribus præmiiſque dignum judicaſſe, quod afflictiones iſtas, quibus eum propter peccata ſua ſubditum voluerat, volens nolens portaſſet ac ſuſtinuiſſet, id vero eſt quod apertè diffitemur. Paſſim enim in Scriptura contrarium obſervare eſt.

*Manſuetudo* tribuitur ſervo huic tanta *verſ.* 7. ut mitiſſimæ & manſuetiſſimæ pecudi, agno vel ovi comparetur, in eo, quod, quemadmodum hæc ad tonſuram aut lanienam ducta, abſque ulla recalcitratione, clamore aut fremitu, tonſori corpus ſuum, & lanio jugulum ſuum præbet, inſons ſimul ac muta, nullum querimoniæ aut doloris indicium faciens, quo injuriam ſibi aliquam inferri ſignificat; ita ille ad necem raptus, inter crudeliſſimos cruciatus & diriſſimos dolores, vocem vindictæ indicem nullam ediderit; ſed ignominiam omnem, convitia omnia, maledicta, opprobria, plagas, verbera, virgas, ipſamque adeo acerbiſſimam ſimul ac teterrimam mortem, admirabili cum æquanimitate & æquanimitatis indice ſilentio pertulerit: hoc ſolum diſcrimine, quod illa ignara atque improvida cædis ac doloris, quin & invita, tonſoris ac lanii ſui manum recipiat atque admittat; ille vero prudens præſciuſque omnium ſibi imminentium

nentium atque eventurarum calamitatum adflictionumque, ultro se furori hostium suorum obtulerit, & volens lubensque mactandum jugulandumque præbuerit. Hujus tamen rei in hoc versu ratio non videtur haberi, sed solius mansuetudinis ac lenitatis, ab ira & vindictæ studio alienæ. Ea vero quando & quomodo, aut quo jure tribuatur populo Judaico nunc exulanti, afflicto atque oppresso? Tantum enim abest, ut placido, leni ac mansueto animo subeant ac perferant quæ à gentibus, ut vocant, sibi inferuntur mala, utque inter adflictiones & dolores silentium teneant, vindictæque nullum signum edant, ovium & agnorum instar; ut contra, animum ira vindictaque turgidum ac tumidum semper gerant contra autores calamitatum suarum, eumque quantis possunt, clamoribus, convitiis, maledictis testatum ubique faciant, quin & testatum facere virtutem ducant maximam; atque ita bubus taurisque cornupetis, quibus cornua à validiore manu contusa aut confracta sunt, quàm ovibus atque agnis similiores videri debeant. Non fæneror Soli lucem. Odiis intestinis usque adeo turgent, ut nullam vel levissimam injuriam inultam sinant, plumbeasque iras gerant; nempe, quia Israelita omnis Rex est, ut ajunt, qui offendi sine gravi scelere non potest, & quem leviter iraci aut offensam ex facili negligere præter dignitatem est. Quo animo itaque eos esse credimus in gentiles sive גוים, quando ab iis injuriam sibi atrocissimam fieri credunt?

Accedit, quod hanc rem non parum illustrat, singularis atque egregia *patientia*, quæ servo huic adtribuitur, *vers.* 12; quod despectus licet contemtusque, vulneratus licet attritusque, omniumque malorum cumulo oppressus obrutusque, quin & ipsis sceleratis sive prævaricatoribus annumeratus, nihilominus tamen pro iis ipsis à quibus ista patiebatur, oraverit atque intercesserit. Patientiæ ἀκμὴ est in actu hoc, quia testatur eam non tantum habere sibi comitem æquanimitatem, sed & benevolentiam qua ipsum malum bono vincitur. Injurias negligere, non vicissim nocere, non male iis velle qui mala inferunt, patientiæ mediocris laudem habet; supremæ, iis etiam bene velle & prodesse, injuriasque beneficio compensare aut superare. Hanc tantam virtutem quomodo sibi tribuere aut possit aut audeat Judaicus populus, ego non video. Nihil magis supra, imo contra indolem Judaici spiritus est, quam pro persecutoribus suis orare, proque Ethnicis aut Christianis intercedere, alio animo, quam ut sibi ab iis bene sit. Absque hoc esset, diris atque execrationibus in eos invehi gloriosum putarent. Preces eorum id testantur, & vota quæ subinde erumpunt, tantoque videri debent atrociora, quanto ea nunc altius premunt, & ne suæ propriæ quieti ac tranquillitati obsint, orationis specioſæ sed dilutæ velo tegunt, qua non pro iis sed pro se ipsis orare judicandi sunt.

*Secundum argumentum*: Quia servo huic tribuitur, quod aliorum languores & infirmitates, id est, pœnas, quas alii meruerant, tulerit ac portaverit; *vers.* 4. Hoc autem Judaico populo neutiquam convenit. ut ut enim non raro multa indigna ac gravia Judaicus populus, id est, pii ac fideles in populo à gentilibus perpessi sunt ac tulerunt, perpessique esse ac tulisse leguntur in Scripturis; nunquam tamen propheta quisquam dixit, eos tulisse pœnas, quas alii meruerant. Hoc novum ac nimis putidum est commentum, quod speciem non habet. Nec refert, si dicant, se injuriâ omnia ista mala, quibus subjacent, perpeti. Aliud enim est, se injuria ista pati, aliud, se, quando injuria ista patiuntur, eo ipso ferre ac portare pœnas eorum, à quibus ista patiuntur. Nam hos sua pœna atque ultio manet, idcirco, quod injuriâ in eos sæviant. Dices fortasse, sensum verborum istorum, *Ipse languores nostros tulit, & dolores nostros portavit*, non esse, quasi servus ille portaverit ac tulerit pœnas istas loco gentilium, ita ut ipsi à pœnis istis immunes sint futuri; sed, quod ille insons istis malis ac doloribus pressus obrutusque fuerit, cum ipsi eis premi atque obrui propter peccata sua debuissent. Resp. Hunc sensum non convenire posse verbis istis, propter ea quæ sequuntur *vers.* 4. & 5, quibus dicitur, servus iste non adfectus plagis, nec percussus aut humiliatus à Deo, sed *vulneratus propter prævaricationes nostras, & attritus propter iniquitates nostras*. Eo ipso enim, quod dicatur, *Nos reputavimus eum plagis affectum & percussum à Deo atque humiliatum*, nullo scilicet bono nostro, sed malo tantum suo, indicatur manifeste, servum istum languores & dolores istos non portasse, quia Deus eum pro voluntate sua eos ferre voluit, aut eum iis percussit, quia ita voluit, nostra ad id utens opera, sed quia & quatenus plagas nobis debitas & à nobis promeritas in eum quasi conjecit ac transtulit, ut nos ab iis ferendis præstaret immunes, quantum in se erat; uti ex terminis liquet, & confirmatur à nobis hisce duobus argumentis, quæ in textu sequuntur. 1. Quia dicitur vulneratus מפשעינו &c. *propter prævaricationes nostras*. 2. quia dicitur sic vulneratus, &c. ut *castigatio pacis nostræ* fuerit *super eum, & livor ejus sanitas* fuerit *nobis*. Istis enim verbis indicatur plagas istas impositas fuisse servo isti, sic, ut plagas istas nos ferre non opus habeamus, imo eæ sic à nobis ablatæ ac sublatæ sint, quod attinet ad consilium Dei, ut pro doloribus pax, id est quies, & pro livoribus quos ferre debuissemus sanitas nobis data ac parta sit.

Dicet fortasse Judæus, rationem nostram primam in textu non esse. Præpositio enim מן, quæ istic usurpatur, non significat *propter*, sed *à* vel *ab*: & sensus ejus esse potest, A prævaricationibus nostris, id est, à nobis prævaricatoribus vulneratus est. Resp. Præpositionem מן aliquando etiam *propter* significare, uti *Psal.* CVII. 17. *stulti* מִדֶּרֶךְ פִּשְׁעָם *propter viam peccatorum* (suorum) ומֵעֲוֹנֹתֵיהֶם *& propter prævaricationes* sive iniquitates (suas) *affliguntur*. מן enim hic aliud quid, quam *propter* significare non potest, & si verba videas, pene omnia eadem sunt quæ apud Esaiam leguntur. *Psal.* XXXVIII. 9: *Debilitatus sum & attritus sum vehementissimè*: rugio מִנַּהֲמַת לִבִּי *propter palpitationem* sive fremitum *cordis mei*. Deinde, expositio illa, *à peccatis nostris*, id est, à nobis prævaricatoribus, coacta est & sine exemplo; denique, aliena est à sensu loci. Nam 1. per eam tollitur ἀντίθεσις ista, quæ in textu exprimitur, inter opinionem quæ de servo isto ejusque statu ac conditione concepta dicitur, *vers.* 4, & inter rei ipsius veritatem. Opinio fuisse dicitur, quod servus iste, quando à populo suo despiciebatur & affligebatur, nullo populi sui bono, sed suo tantum malo ac damno, ut sons & reus sceleris alicujus affligebatur. Veritas autem erat hæc: Nullo merito suo, nullo malo ac damno populi sui, adfectus fuit; sed innoxie & bono populi maximo. Hujus ἀντιθέσεως emphasis & ἐπαναφορὰ gratia perit, inquam, per istam expositionem. Dices; Ἀντίθεσις constat satis evidenter, hunc in modum; Putabamus eum à Deo jure puniri, nosque in eo contemnendo, vilipendendo, vexando & affligendo, recte facere; Atqui jam videmus nos peccasse, & Deum aliter judicavisse; proinde peccata nostra caussam fuisse malorum istorum omnium quæ tulit. Resp. Ἀντίθεσις quidem hactenus constat; sed ea tamen non est tota illa ἀντίθεσις, quæ in textu est. Quia ἀντίθεσις ista adeo nuda est, ut non connotet ullum bonum, quod præter opinionem, iis, qui eum credebant afflictum ac percussum Dei, id est, à Deo esse, (genitivo in talibus caussam efficientem denotante, ut *Job.* XIV. 1. *Natus mulierum*, &c.) imo qui ipsi eum affixerant, eo animo, ut consilio Dei quasi obsequentes, favorem divinum sibi conciliarent, evenerit. Hoc vero ἀντίθεσις, quæ in textu est, connotare, planissimum est; quia statim bonum istud, tanquam eventus vel effectus, quod attinet ad consilium Dei, subjicitur: *Castigatio pacis nostræ super eum, & livor ejus sanitas nobis fuit*, (à livore scilicet.) Pax itaque & sanitas, id est, summa fælicitas, effectus est istius vulnerationis & percussionis, quod attinet ad consilium Dei. Ex quo efficitur, phrases istas, *Mippeschanenou* & *Megnavonotenou*, non significare à peccatis, sed pro sive propter peccata nostra, tollenda scilicet aut expianda, ut pax & sanitas ista haberi posset. Peccata enim pacis omnis & sanitatis sive fælicitatis obstacula sunt. Atque hæc est ratio mea 2 qua evinco, expositionem illam Rabbinicam prorsus alienam esse à sensu loci; quia ex verbis immediatè sequentibus liquet, fructum perfectionum servi & livorum ejus, statui, pacem & sanitatem: unde efficio, particulam מן non significare hic caussam efficientem, sed vel finalem, vel meritoriam, sive caussam impulsivam αἰτιοκατακλυσμικὴν: ut sensus sit: Propter transgressiones nostras vulneratus est, &c. id est, ad expiandum & tollendum transgressiones nostras, atque ita liberandum nos à plagis, quæ livorem incutiunt, & pacem ac tranquillitatem, ab omnibus intus forisque ærumnis liberam, nobis cum Deo restituendum. De modo ac ratione, qua id factum sit, jam non disputo. Non est scholæ, nec loci hujus. Ex hoc concludo etiam contra Judæos, non posse per servum hunc Dei, intelligi populum Dei, & per eos qui hîc loqui creduntur, gentiles. Nam qua, obsecro, ratione id verum esse credi aut intelligi potest, quod afflictio populi Judaici gentilibus pax & sanitas fuerit? Nam quod ad animum & voluntatem Judaici populi attinet, populus sane Judaicus nihil minus propositum sibi habuit, quam ut per afflictiones suas gentilibus, juratis hostibus Dei ac suis, pacem & salutem adferret aut procuraret. Si eventum etiam & fructum passionum istarum, quas in exilio hoc suo ferre hodieque cogitur, videas, quid? an ille fuit aut est pax & sanitas gentilium? Tantum abest, ut fructus talis inde exstiterit apud gentes, ut contra caussa cur ad gentes, atque imprimis Christianos, fructus iste non redundet, hoc ipsum sit, quod tam diu affligantur, & jam per tot secula sine templo, sine Re-

pub. ſine cæremoniis legibuſque extorres vivant, tanquam à Deo ſuo repulſi deſertique ob ſpretum Meſsiam ſuum. Dices: Eſto: Si eventus iſte ac fructus nondum exiſtit, exiſtet aliquando. Quando, inquam? Nam afflictio iſta jam diu duravit, & ſæviſsima fuit, nec ſævior forte ſecutura eſt. Dices: Quando Meſsias veniet, tum fructus iſte exiſtet ac videbitur. Contra, inquam. Tum fructus iſte non exiſtet ex afflictionibus, ſed vice verſa exiſtet ex liberatione populi Judaici ab afflictionibus, & ex ipſa pace ac ſanitate quam Meſsias ei allaturus creditur. At hîc dicitur, juxta Rabbinos, ipſam caſtigationem ſervi, id eſt, populi Judaici, pacem futuram gentilibus, & livorem ejus ſanitatem iis fore (à livoribus ſcilicet.) Quare expoſitio hæc Rabbinica nil niſi merum πρίσμα eſt.

*Tertium argumentum*: Quia de ſervo illo dicitur, quod *poſiturus ſit animam ſuam pro delicto*, ſive peccato: *verſ.* 10. Nam in textu dicitur אם־תשים אשם נפשו *Si poſuerit delictum anima ejus*, vel animam ſuam, אשם autem hîc delictum ſignificare non poteſt, quæ propria ejus eſt ſignificatio; quia ſic ſequeretur, ſervum hunc non ut inſontem & innoxium conſiderari, quippe cui ponere, id eſt, deponere vel abjicere peccatum ſuum opus eſſet; cum tamen de eo verſ. præcedente dictum fuerit, quod iniquitatem non fecerit, nec dolus in ore ejus inventus fuerit. Neceſſe ergo eſt, ut ſignificet hoſtiam ſive oblationem pro delicto ſive delictis aliorum, phraſi uſitata in Veteri & Novo Teſtamento. In veteri paſsim, ac diſertè *Levit.* VII. 1: *Hæc eſt lex* האשם *delicti*, id eſt, oblationis pro delicto. & *verſ.* 2: *In loco, in quo jugulabunt holocauſtum, jugulabunt* את־האשם *delictum*, id eſt oblationem pro delicto. *Levit.* V. 6: *Et adducet* את־אשמו *delictum ſuum*, id eſt, oblationem pro delicto ſuo. In Novo Teſtamento 2 *Cor.* V. 21: *Eum qui non noverat peccatum, Deus peccatum fecit*, id eſt, ſacrificium pro peccato. eodem ſenſu, quo ad *Galat.* III. 13, *Chriſtus* dicitur *factus* κατάραμα, id eſt, *piaculum* ſive piacularis hoſtia. utrumque enim Latinis ſignificat vox *piaculum*, tum crimen ipſum, tum eum qui triſti morte ſua, veluti piacularis hoſtia, crimen expiat, & reatum tollit. Alio ſenſu vocem אשם uſurpari in ſacris non liquet. Jam autem quid abſurdius, quam de populo Iſraelitico dicere, quod poſuerit animam ſuam pro delicto gentilium piacularem hoſtiam? Nam 1. animam ponere non eſt populi ſed perſonæ unius; nec uſpiam alibi id populo tributum legere eſt. Anima enim populo non tribuitur, nec populus moritur. 2. Poſito etiam id de populo dici poſſe, animam ſuam ponere, non ſignificat ſimpliciter mori, ſed ultro ac ſponte ad mortem ſe offerre, ſive mactandum ſe præbere; veluti piacularem hoſtiam: id enim eſt תשים אשם quod *verſ.* 12 enunciatur per הֶעֱרָה לַמָּוֶת נַפְשׁוֹ *effudit in mortem animam ſuam.* 3. Quomodo & pro quo delicto expiando ſe ultro morti obtulit populus Iſraeliticus? An pro ſuo proprio? Certe quicquid hactenus paſſus eſt, quicquid hodieque patitur nonniſi invitus patitur. Deinde plane contrarium à gentibus aſſeri paſſim in hoc textu videre eſt, ſi gentes hîc, de populo Judaico loquentes introduci velimus. Quare tranſlatio Hiſpanica Rabbinorum, quæ habet, *Si puſiere por emmenda ſu alma*, nullo modo admittenda eſt, ſi hoc ſenſu intelligatur, ſi ad peccata ſua propria expianda ſeque magis magiſque purgandum ab iniquitatibus, mori potius voluerit quam contra agere, prout intelligi mihi videtur debere. An pro delicto gentilium? Certe nihil minus unquam propoſitum ſibi habuit populus Iſraeliticus, nihil minus hodieque propoſitum ſibi habet, nihil minus hactenus præſtitit quam ut delicta gentium expiaret aut expiaverit. Nec dubium eſt, quin perſuaſiſsimum ſibi habeat, gentes idcirco divinam ultionem nulla hoſtia expiandam manere, quod ab iis affligatur, & ſibi licere idcirco iis diras & maledictiones omnes imprecari. Sed nec uſpiam in tota Scriptura crediderim indicari, aut iſtum eſſe finem afflictionum populi Judaici, ut per eas expientur peccata gentilium; aut iſtum eſſe earum fructum, qui ad gentes redundaturus ſit. ut ut eſt, certè nullus inde fructus hujuſmodi ad gentes hactenus redundavit.

*Denique* de hoc ſervo Dei dicitur, quod *poſt mortem ſuam, verſ.* 10. & quia mortuus eſt, ſive *ex* vel *poſt* vel *propter laborem animæ ſuæ, verſ.* 11. & *eo quod effudit in mortem animam ſuam, verſ.* 12. *viſurus ſit ſemen, & prolongaturus ſit*, vel, quod prolongaturum eſt, *dies ſuos*. Viſurus, inquam, dicitur ipſe, non habiturus dumtaxat. Ergo victurus iterum dicitur, & glorioſe victurus, quia in vita iſta ejus dicitur *voluntas Domini per manum ejus proſperatura, verſ.* 10. tanto cum ſucceſſu, ut ipſe copia ſeminis ſui *ſaturandus* dicatur, *verſ.* 11. & non paucos, ſed *multos cognitione ſui ſit juſtificaturus, ipſe juſtus, & eorum iniquitates portaturus*, id eſt, plagas, quas peccatis ſuis promeruerant, aſportaturus ſive ablaturus. Ut hæc populo Judaico ſuo aptent Iudæi impoſsibile eſt. Quid enim? an populus Iudaicus poſt mortem ſuam victurus eſt, & viſurus tale ſemen? an id viſurus eſt, quia ad mortem uſque adflictus fuit? & quinam illi multi ſunt, quos cognitione ſua, id eſt, doctrina ſua, juſtificaturus eſt poſt mortem ſuam? Evadere hunc ictum non poſſunt, niſi alterutrum dicant, aut populo Iſraelitico tanquam uni perſonæ tribui, quod viſurus ſit ſemen poſt mortem ſuam, quia iis qui ſecuturi ſunt ex populo hoc poſteri, qui unam cum eo quaſi perſonam conſtituunt, ſtylo Scripturæ uſitato, fælicitas iſta obtinget: aut populum totum Judaicum, qui nunc adfligitur, ex morte aliquando revicturum, & tum fælicitate illa fruiturum. At neutrum ſpeciem habet, Non primum: quia verba plane repugnant, ſaltem non niſi coacte ſenſum iſtum ferunt. Etſi enim concedi aliquo modo poteſt, de populo integro dici poſſe, quod multis magniſque plagis adfectus, deinde quaſi revixerit, & priſtinæ ſanitati ac paci reſtitutus fuerit; etſi adflictio iſta non pertineat niſi ad partem illam populi, quæ diſtincta eſt ab ea parte populi, quæ in meliorem ſtatum reſtituta eſt; tamen coactum nimis eſſet, ſi pars iſta poſterior quæ adflicta non eſt, ſibi ipſi tribueret, quod poſt adflictionem & mortem ſuam, in vitam & in tranquillitatem reſtituta eſſet. Deinde quia ſenſus totius vis atque emphraſis ſic diluitur, imo eliditur. Nam quid hoc quæſo ad mortuos in populo facit, ſi poſteri eorum ſemen videant? deinde, poſteri iſti, quibus iſta fælicitas obtinget, non erunt illi qui vulnerati erunt, qui mortui erunt, aut quorum anima laboravit, nedum qui idcirco quod mortui ſunt, aut propter laborem animæ ſuæ, ſemen videbunt. Adde, quod ex eo conſequitur, ſic ad gentiles ipſos qui populum Judaicum affixerunt, major utilitas redundatura eſſet, quam ad iſtos Judæos, qui ab iis adflicti & mortibus omnibus adfecti fuerunt. Iſtis enim pax & ſanitas obveniret, his tormenta & mors. Non ſecundum: Nam dato, non conceſſo, hîc indicari populum Judaicum aliquando ex morte revicturum, & tum fælicitate tanta potiturum; quid? an gentiles tum de populo iſto ſic locuturi ſunt? Et qui quæſo gentiles? an ii qui adflixerunt populum? At ii ſine dubio pœnas peccati iſtius ſui tum dabunt ex ipſorum Judæorum ſententia. Atqui quomodo tum caſtigatio populi iſtius, caſtigatio pacis eorum fuerit, & quomodo à livoribus populi iſtius ſanitas gentilibus iſtis fuerit, (à livoribus ſcilicet aut pœnis?) Hæc non cohærent. Futurum autem ut gentiles iſti tum pœnas dent peccati iſtius ſui, Hebræi adſerunt, quia bellum iſtud, quod tum geretur contra Gog & Magog, eo fine geſtum iri ajunt, ut Deus eo vindicet atque ulciſcatur ſuperſtites gentiles, qui Iſraelitas ſuos peſſimè tractarunt, uti diſerte legere eſt in tractatu R. Menaſſeh, de Reſurr. mortuorum, lib. III. cap. V. pag. 282. An alii qui populum non adflixerunt? at quomodo tum ii in hoc capite loquentes introduci creduntur? Ad eos enim nihil eorum, quæ hic dicuntur, pertinet. Tum, ii neceſſe eſt ut ſtatuantur eſſe vel pii vel impii. Si pii, quomodo eorum dicatur eſſe hæc oratio? Si impii, quomodo illis pax & ſanitas erit, præterita iſta populi adflictio, præſertim cum ejus autores ii non fuerint? Sed & poſito, eos tum ad meliorem mentem ac frugem redituros, (quod tamen veroſimile non eſt, cum ii ad Gog & Magog pertineant,) cauſſa tamen iſtius eorum emendationis non foret tum, adflictio populi Judaici, ſed ejus ab afflictione liberatio, & in fæliciſſimum ſtatum reſtitutio, uti ante diximus.

Atque hiſce quidem rationibus arbitramur nos abunde ſatis eviciſſe, ſervi Dei nomine, cujus in hoc & ſine præcedentis capitis fit mentio, populum Iſraeliticum intelligi non poſſe. Ex quo conſequitur, cum nemo alius hactenus repertus ſit aut excogitari poſſit, in quem omnia iſta, quæ ſervo iſti tribuuntur, quadrent, aut quadrare poſſint: ea vero omnia ac ſingula examuſſim conveniant aut quadrent in Jeſum Nazarenum, quem nos Chriſtum noſtrum eſſe dicimus: per ſervum iſtum itaque Jeſum noſtrum intelligendum eſſe, eumque pro Rege ac Meſſia illo eſſe habendum, quem vates tot ante ſeculis venturum prædixerunt.

*Reſponſio ad objectionem, Meſſiam in Prophetis prædici venturū cum Regia Majeſtate & gloria.*

Dices fortaſſe, rationibus iſtis omnibus obſtare hanc unam principalem: Quod paſſim in prophetarum ſcriptis Meſſias dicatur venturus cum regno Regiaque Majeſtate & gloria, tanquam dominator in Iſrael, & ſceptro regio dominaturus à mari ad mare, à fluvio uſque ad fines terræ: *Zach.* IX. 10. ſuper populum ſuum, & ſuper omnes gentes populoſque, uſque ad ultimos fines terræ: *Pſal.* II. & CX. & cujus regnum dominiumque æternum erit in domo Davidis. Reſpondeo: Hæc ratio noſtris rationibus non obſtat. Fatemur enim lubentes id veriſſimum eſſe, quod de Meſſia paſſim magnifica ac glorioſa prædicantur in prophetis. ſed, etſi alia non eſſent, quæ jam non allegamus, ex hoc unico capite Eſaiæ liquet, Meſſiam illum ad iſtum ſublimem gloriæ, dignitatis, ac Majeſtatis regiæ ſtatum non niſi per adflictiones, crucem, ignominiam & mortem perventurum eſſe; ac pro-

proinde primum ejus ſtatum debuiſſe eſſe ſtatum ignominiæ atque humilitatis; ſecundum vero ſtatum, gloriæ ac Majeſtatis: qualis duplex ſtatus in Jeſu noſtro Nazareno locum habuit. Et certè adeo clarè liquet hoc quod dicimus, ut hoc ipſum, quod in prophetis duplex ſervo huic Dei, de quo in hoc capite agitur, ſtatus adtribuatur; unus humilitatis, alter gloriæ atque exaltationis, priſci Rabbinorum Magiſtri, quibus hodierni ſuffragantur, ne humilem Regem expectare viderentur, duos Meſſias finxerint atque commenti ſint; unum humilem, quem filium Ephraim ſive Joſephi vocant, qui mala multa in prælio cum Gog & Magog pateretur, in eoque tandem funeſta ac cruenta morte caderet: alterum glorioſum, quem filium Davidis vocant, cui omnia proſpere cederent, omniaque glorioſa Meſſiæ elogia competerent. Inepte illi quidem, cum apertum ſit de uno eodemque ſermonem eſſe, nihilque repugnet unum eundemque per adverſa & mortem ad ſupremum gloriæ culmen graſſari, nulla dignitatis aut excellentiæ ſuæ imminutione; attamen eo ipſo teſtatum facientes, ea quæ de Meſſia in prophetis dicuntur, non eſſe omnia talia, ut non niſi gloriam, dignitatem ac Majeſtatem contineant; ſed non pauca occurrere, quæ tam longe abſunt ab iſta gloria ac Majeſtate, ut in unam eandemque perſonam ea ſimul cum iſta gloria concurrere non poſſe judicaverint; non errore ducti, nimis enim craſſus foret error iſte, ſed ſolo Jeſu noſtri odio, quod eos transverſos agit, abripitque ab omni veritatis amore ſimul ac ſtudio. Enimvero ſi bene ſecum reputarent, quæ ſummis ſanctiſſimiſque viris in populo Dei acciderunt, vix aliquem ad illuſtrem dignitatis gloriæque gradum evectum obſervarent ac deprehenderent, qui non ante cum variis malorum generibus conflictatus, & ex iis cum labore, moleſtia, & non raro morte pene ipſa difficilioribus anguſtiis aut periculis eluctatus fuerit. Abrahamum videant populi ſui patriarcham; Jacobum duodecim tribuum ſuarum parentem; Joſephum vitæ libertatiſque ſuæ conſervatorem; Moſen populi totius ducem primum ac principem; Joſuam vicarium ejus ac ſucceſſorem primumque terræ promiſſæ vindicem adſertoremque. Omnes hi non alia certè via, quam per ſudorem, laborem, adflictionumque & periculorum dura atque aſpera, ad honoris, dignitatis, Principatuſque faſtigium graſſati ſunt; &, quod merito mirere, quæ iſti pertulerunt adverſa, acerba, atque difficilia, (ſola morte excepta, quæ omnibus matura ac placida obtigit) ea tot ac tanta fuerunt, quin & talia pleraque, ut cum iis, quæ Jeſu noſtro evenerunt, ſi ordine videantur, apprime conveniant, nec aliter, quam ſi ii qui ea pertulerunt, jam olim perſonam Jeſu noſtri repræſentaſſent, & veluti in proſcænio quæcunque ei eventura erant, eminus quaſi ſpectanda dediſſent, ab ipſis vitæ ſuæ incunabulis, ad mortem uſque. Luberet equidem rei hujus veritatem in ſingulis demonſtrare luculenta deductione, ſed prolixitatem vito. Unum tantum addo: videant ſummum maximumque Regem ſuum Davidem, Meſſiæ parentem. Quis illo Rege clarior digniorque in populo, quis Deo carior aut acceptior? Et tamen nemo inter omnes Reges Principeſque populi fuit, qui, non dico parem, ſed ſimilem vitæ fortunam expertus eſt. Nempe natu fratrum minimus ac vilis erat in oculis eorum primis vitæ annis, & jam oleo ſacro unctus, inviſus eis fuit: Ac licet rem ubique præclare gereret, virtutemque ſimul ac fidem ſuam Regi populoque probaret, exoſus tamen, ſpretus, pulſus, fugatus, calumniis, obtrectationibus oneratus, inſidiis petitus, & anguſtiis, doloribus vexatus adeo fuit, ut nuſpiam pene tutus ac ſecurus, in ſpeluncas ſe abdere, in deſertis latitare, apud hoſtes populi ſui perfugium ſibi ac domicilium quærere cogeretur. Per hæc odia & probra, per has anguſtias & ſalebras, per hæc diſcrimina & pericula, per has tam multas, tam diuturnas, tam acerbas adflictiones, tantum Regem ſuum eluctatum tandem vident ad regium faſtigium. Mirumne adhuc iis videri poteſt, ſi eandem cum patre ſuo fortunam expertus dicatur Meſſias noſter aut experturus filius Davidis Meſſias? Et cum odia illa, probra ac mala omnia, tantus Rex à populo ſuo, cui jam deſignatus à Deo Rex erat, de quo adeo bene meritus erat, inſons, innoxiuſque tulerit; mirumne etiam adhuc videri iis poteſt, ſi Meſſiam ejus filium, odiis, probris, contumeliis, à populo ſuo, de quo optime meritus fuerat, mactatum prius obrutumque videant, quam ad regiam dignitatem evectum? Dices: Sed & crudeli morte eſt peremtus. Fateor. Hac in parte dignior eſt parente ſuo. Hunc enim Deus iſto honore dignatus non eſt, quod eum ex morte & tumulo ipſo ad Regium thronum evexerit. Hîc favor Meſſiæ debebatur, quia regnum ejus morte finiendum non erat, ſed poſt mortem demum inchoandum, ſecus quam in Davide patre ejus acciderat.

*Alia prophetarum loca in quibus Meſſiæ perpeſſiones prædicuntur.*

Hiſce, quæ hactenus à nobis dicta ſunt, ſi adjungantur ea, quæ alibi de Meſſia prædicta ſunt, ac nominatim tribus vel quatuor locis, nihil pene eorum, quæ Jeſus noſter tulit ac perpeſſus eſt, erit, quod non ante à prophetis prædictum eſſe apparebit. Inter iſta loca, palmarius facile eſt *Pſalmus* XXII, quem de Meſſia agere priſci Rabbini non dubitarunt, & argumenta compluria fidem faciunt. Epigraphe quidem Davidem præfert autorem; ſed pleraque eorum, quæ vel in Davidis perſona geſta, vel gerenda deinceps dicuntur, ea fere talia ſunt, ut illius perſonæ minime congruant; quod & agnoſcunt Rabbini fere omnes, etiam horum temporum. Quod vero hi in hoc Pſalmo, Davidem Regem adſerunt ſuſtinere populi ſive ſubditorum perſonam, id recens commentum eſt, cujus nulla ratio dari poteſt, & quod colorem non habet; cum manifeſtum ſit ex toto Pſalmi contextu, perſonam ejus, qui loquitur, à populo Iſraelitico diſtingui, uti *verſ.* 23. videre eſt, ubi dicit is, qui loquitur, *Narrabo nomen tuum fratribus meis in media congregatione*, ſe ipſum narrantem aperte diſcriminans à fratribus ſuis & congregatione eorum, qua ſine dubio populus ipſe totus ſignificatur. & *verſ.* 25, ubi is qui loquitur, ait, *Metuite eum omne ſemen Iſraelis*; per ſemen Iſraelis, populum intelligens, eumque à ſe diſtinguens, non modo per iſtam proſopopæiam, ſed & his verbis, *Quia non deſpexit nec averſatus eſt adflictionem pauperis*, id eſt, meam Regis ac Domini veſtri, idque commodo ac bono veſtro. Deinde, id quod *verſ.* 17. & 19 dicitur, *Foderunt manus meas & pedes meos: Diviſerunt veſtimenta mea ſibi ipſis, & ſuper veſtem meam projecerunt ſortem*, nullo modo, nec Davidis perſonæ, nec Davidi perſonam populi repræſentanti, congruit. Neutri enim, nec Davidi, nec populo, iſtorum quidquam evenit. Jeſu autem noſtro ad literam iſta eveniſſe certum eſt, quippe cui in cruce perfoſſæ fuerunt manus & pedes, & cujus veſtimenta, id eſt, per enallagen numeri, veſtimentum, ἱμάτιον ſive toga aut pallium diviſum fuit per milites, & ſuper cujus veſte ἱματισμῷ, ſynecdochicè ſic dicto, qui verſ. præcedente & alias, χιτὼν ſive interior tunica aut ſubucula dici ſolet, projecta ſors fuit, quia erat ἄῤῥαφος, ἐκ τῶν ἄνωθεν ὑφασθὲς δι' ὅλου, propter quod etiam in eo impleta dicitur Scriptura Pſalmi hujus, *Joan.* XIX. *verſ.* 23. 24. Verum quidem eſt Rabbinos neotericos negare in *verſu* 17. exſtare verbum *foderunt*. Non enim legi ajunt iſtic כָּרוּ, ſed כְּאַרְיֵ *ſicut leo*. ſed qua injuria ſatis ſolide demonſtrarunt multi, interque eos nuper Sixtinus Amama, Antibarbari Biblici ſui lib. III. pag. 721: quam rectè ego non diſcepto. utut enim ſe res habet, ſive legatur כרו ſive כאריֵ, manifeſtum eſt, ſenſum eodem recidere, & voces iſtas vel cum Chaldæo paraphraſte ſimul legendas eſſe, vel vocem כאריֵ ſupplendam verbo quod æquipollet voci כרו (Res enim loquitur verbum deeſſe) ſive illud ſit, momorderunt, ſive contriverunt, ut *Eſa.* XXXVIII. 13 legitur; quamquam cur alio verbo, quam *foderunt*, non ſuppleatur, ratio videtur poſtulare, quod ſic manifeſte liqueat, hoc dictum de Meſſia ad literam non minus impletum eſſe, quam id quod de diviſione veſtimentorum, & projectione ſortis ſuper veſte ejus dicitur, in Jeſu noſtro impletum eſſe legitur. Hoc tamen Judæos parum movet. Eſto. Satis nobis eſt, ſi id evicerimus quod jam evictum eſſe arbitramur, Pſalmum hunc non poſſe intelligi de Davide perſonam populi ſuſtinente, & proſopopæiam hanc ad Deum formante, ſed intelligi debere de Meſſia Davidis filio, cujus perſonam geſſerit, aut cujus typus fuerit David pater ejus, quatenus videlicet David ea, quæ in iſto Pſalmo commemorat, per hyperbolicam quandam elationem ſibi tribuit, cum ea ad literam nunquam in perſona ejus, ſed in perſona Meſſiæ filii ejus vere implenda eſſent, & jam reipſa impleta ſint in Jeſu noſtro.

Secundus locus eſt *Zach.* IX. 9. *Exulta valde filia Sion, jubila filia Jeruſchalaim: Ecce Rex tuus veniet tibi, juſtus, & ſervan ſipſe, mitis*, (vel pauper, eſt enim עָנִי non עָנָן quamquam hæ voces non raro commutantur) *& ſedens ſuper aſinum, & ſuper pullum filium aſinæ*; aſinarum habet textus Hebræus, hoc eſt natum una aliqua aſina, uſitato loquendi genere, quod reperire eſt *Geneſ.* VIII. 4. *Judic.* XII. *verſ.* 7. *Matth.* XXVI. 8: *Videntes autem diſcipuli ejus, indignati ſunt*; cum unus tantum diſcipulus Judas indignaretur, ut *Joan.* XII. 14, videre eſt. *Matth.* XXVII. 44. *Marci* XV. 32. collatis cum *Luc.* XXIII. 39. De hoc loco non eſt dubium ullum quin de Rege Meſſia agat. *Zach.* IX. 9.

Tertius locus eſt *Zach.* XII. 10: *Et adſpicient ad me quem confixerunt*. Et hunc locum referunt ad Meſſiam vetuſtiores Rabbini aut Thalmudiſtæ priſci. eo plane ſenſu quo Evangeliſtæ noſtri ad Jeſum noſtrum lancea perfoſſum; uti fatetur ipſemet R. David Kimchi. *Zach.* XII. 10

Quartus locus eſt *Zach.* XIII. 7. *Percute paſtorem, & diſpergentur oves*. Si quis alia inſuper loca adjicere velit, per nos licet. Nos ex hiſce credimus liquere abunde, ea quæ Jeſus noſter paſſus eſt, pene ad apicem omnia prædicta olim *Zach.* XIII. 9.

eſſe,

esse, &, quia id, Apostolorum Jesu nostri temporibus indubitatum erat, aut in confesso, ex locis istis allegatis, idcirco etiam apertè atque confidenter ab iis ad singula ista, quæ Jesus noster passus est, ista ipsa prophetarum loca accommodata esse, ut ea reipsa in Jesu nostro impleta esse constaret. Rem paucis testem demus, per subjectum hunc parallelismum.

I. Messias sive Rex populi venturus dicitur עני pauper, vel humilis, vel mansuetus, πραΰς, sedens super asinum & pullum ejus, id est super uno aut altero eorum: *Zach.* IX. 9. Sic venit Jesus noster tum docens: *Matth.* XI. 29. tum Regem se ostendens: *Matth.* XXI. 1. 2. 3. 4. 5.

II. Messias multa pati, & pro nihilo haberi debebat, sive ἐξουθενωθῆναι, uti *Marc.* IX. 12 dicitur, & ex *Esa.* LIII, & *Psalm.* XXII. manifestum est. Id in Jesu nostro impletum esse constat ex tota historia.

III. Messias in specie despici, contemni & rejici veluti ἀφίψημα & περίψημα virorum debebat: *Isa.* LIII. 3. *Psal.* XXII. 7. *Ego sum vermis, & non vir, opprobrium hominum & contemtus populi*, &c. quibus convenit locus *Esa.* L. *cap. vers.* 6. & 7. Hujus contemtus ac vilipendii signum fuit etiam venditio ejus, quæ triginta minis argenteis, quo pretio venibant mancipia, facta fuisse dicitur, *Matth.* XXVII. 9. ex *Zachar.* XI. 12, qui etiam Jeremias vocatus dici potest, quia spiritus Jeremiæ dicitur in Zacharia esse ipsis Hebræis, atque adeo Jeremias idem esse qui Zacharias. Id Jesu nostro in vita tota sua evenisse à primoribus populi, & speciatim coram Herode, atque in prætorio Pilati, tandem in cruce, constat ex *Matth.* XXVII. 28. 29. 30. 31. *Marci* XV. 17. 18. 19. 20. *Joan.* XIX. 1. &c.

IV. Messias vulnerari, confodi, configi debebat: *Esa.* LIII. 5. *Psal.* XXII. 17. *Zach.* XII. 10. Id Jesu nostro accidit in prætorio, & in cruce: *Joan.* XX. 25. & XIX. 34.

V. Messias subsannari debebat: subsannantes eum moturi erant caput & dicturi, *Devolvit* (res suas) *ad Deum; eruat eum, eripiat eum, quoniam complacet sibi in eo: Psal.* XXII. 8. 9. 10. &c. Id in Jesu nostro impletum est: *Matth.* XXVII. 39. 40. 41. 42. 43. *Mar.* XV. 29. 30. 31. 32. *Luc.* XXIII. 35. 36. 39.

VI. Messias exclamaturus erat, *Deus meus, Deus meus, cur me dereliquisti: Psal.* XXII. 1. Vide id impletum apud omnes Euangelistas.

VII. Messias sceleratis adnumerari debebat: *Esa.* LIII. 12. His adde, aceto & felle potandus erat: *Psal.* LXIX. 22. Hunc enim Psalm. etiam ad Messiam referri à priscis Rabbinis ex Midrasch *Ruth.* III. *vers.* 14 apparet. Vide primum impletum, *Mar.* XV. 27. 28. *Luc.* XXII. 37. Secundum apud omnes Euangelistas: *Matth.* XXVII. 48. *Mar.* XV. 36. *Luc.* XXIII. 36. *Joann.* XIX. 29.

VIII. Messias mori debebat, & *effundere in mortem animam suam* אשם victimam *pro delicto: Esa.* LIII. *vers.* 10. & in mortem quidem violentam, quia *abscindi* debebat *è terra viventium: vers.* 8. & *Daniel.* IX. 26. & mactari veluti agnus: *vers.* 7. confodi manus pedesque, & configi latus, *Psal.* XXII. 17. *Zach.* XII. 10. Sic mortuus est in cruce Jesus noster: *Matth.* XXVII. 50. *Marc.* XV. 37. *Luc.* XXIII. 46. *Joan.* XIX. 37.

IX. Messias pro peccatoribus orare debebat: *Isa.* LIII. 12. Id Jesus noster fecit, *Luc.* XXIII. 34.

X. Messia capto percussoque dispergendæ erant oves: *Zach.* XIII. 7. Id evenisse Jesu nostro capto percussoque, ex historia liquet: *Matth.* XXVI. 31. & *vers.* 56.

XI. Messiæ vestimenta sua scindi debebant, & super veste ejus sors jaci: *Psal.* XXII. 19. Id impletum dicit Historia Euangelica, *Joan.* XIX. 23. *Matth.* XXVII. 35. *Mar.* XV. 24. *Luc.* XXIII. 34.

XII. Denique Messias debebat languores nostros vere ferre, & dolores nostros portare: *Esa.* LIII. *vers.* 4. Id impletum fuisse in Jesu nostro apparet ex *Matth.* VIII. 17.

*Matthæum cap. VIII. vers. 17. non applicare perperam verba Esaiæ, cap. LIII. vers. 4.*

Dices: verba ista Esaiæ, longe alio sensu ab ipso Matthæo, in citato VIII *cap.* adduci, quam quo ab ipso Esaia, nostropte proprio judicio, adducta sunt. Phrasis enim *Languores nostros ferre, & infirmitates nostras portare*, ab ipso Jesu, sive ab Apostolo ejus Matthæo, accipitur, pro, morbos atque infirmitates tollere atque auferre: ut ἐβάστασεν, Matthæo aliud nihil sit quam ἐπεβάστασεν, verbo simplici pro composito sumto; more Hebræis familiari, qui compositis verbis carent, uti ex verbis סבל & נשא quibus utuntur Scriptores sacri variis in locis manifestum est. Atqui Esaias, phrasin *languores nostros tulit & infirmitates nostras portavit*, primò ac propriè accipit, pro, ipse in se suscepit; non quidem morbos, sed pœnas sive afflictiones illas, quas nos peccatis nostris merueramus; quæ pœnæ, languorum & dolorum vocibus denotantur & exprimuntur; uti in versu sequente, vocibus *vulnerationis*, & *attritionis*, *castigationis*, & *livoris*. & *vers.* 8. voce *plagæ*. Etsi vero ex eo quidem consequitur Messiam etiam ablaturum à nobis mala ista omnia, tamen id ex primario sensu ac scopo Esaiæ non est.

Resp. Nolo diffiteri verba Esaiæ non citari à Matthæo ex primo ac proprio sensu Esaiæ. Sensus enim primus ac proprius Esaiæ omnino esse videtur is, qui in objectione adsignatur: uti ex eo liquet, quod alioquin inepte subjiceretur statim; *Nos autem reputavimus eum plagis adfectum & percussum Dei*, (sive à Deo) *& humiliatum.* Id enim ex eo quod Jesus homines à morbis & infirmitatibus liberabat, & sanitati pristinæ restituebat, non modo non poterat colligi, sed plane contrarium ex eo colligi debebat, quod videlicet Deo gratus & acceptus esset. Nemo enim poterat ista opera facere, nisi Deus esset cum eo. Tum, verba etiam sequentia, *vers.* 5. indicant, languores & dolores illos, quos tulisse ac portasse *vers.* 4 dictus fuerat, à vulneribus, & ab attritione, à castigatione quæ super eum fuisse dicitur, sive à plagis quæ ei, id est, ei infligtis profectos fuisse. Sed vero ex eo nego consequi, verba Esaiæ perperam, id est, vel contra vel præter principalem præcipueque intentum sensum Esaiæ, à Matthæo citata esse. Tantum abest ut id verum sit, ut contra ea ad principalem Esaiæ sensum exprimendum accommodata fuisse à Matthæo certissimum sit; quia cum præfatione accommodata leguntur, *ut impleretur quod dictum est per Esaiam prophetam.* Ea enim significatur, quod plena ac perfecta principalis Esaiæ sensus consummatio facta sit, quæ voce *impletionis* denotatur. Principalis autem Esaiæ sensus est, sine dubio, quod Messias ferendo contemtum, opprobria, contumelias, livores, plagas, dolores, cruciatus, vulnera ac mortem, quæ omnia nos commeriti eramus peccatis nostris, nos ab iis præstiturus esset immunes ac liberaturus; quia diserte addit, *castigationem ejus*, sive quæ super eum futura erat, *pacem nostram* futuram esse, & *livorem ejus, sanitatem nobis* (à livoribus sive plagis quæ livorum causæ sunt.) Quare cum Matthæus verba ista, *Ipse dolores nostros portavit, & languores nostros tulit*, ad Jesum liberantem populum suum, aut permultos in populo suo, à morbis & miseriis variis, accommodat, ita, ut facto isto impleta ea esse dicat, ad principalem sensum respiciendo, qui est ablatio malorum sive pœnarum à nobis, perperam utique ea accommodasse videri non debet, sed scopo ac sensui principali prophetæ convenienter. Sensus enim principalis proprie impleta dicitur, sive sensu principali impleto, verba proprie impleta dici possunt, id est, plenissime perfecta. Recte, inquies; si modo primus ac proximus sensus etiam impleatur, aut impletus antea sit. At quando ægros sanabat à morbis Jesus noster sensus iste prior impletus nondum erat. Resp. Sufficit, si sensus iste primus ac proprius in citatione verborum non excludatur, imo præsupponatur. Non enim est necesse utrumq; sensum semper directe comprehendere qui verbis inest, sed sufficit, ut alteruter, atque imprimis principalis sensus, comprehendatur, & eo impleto, dicatur completum esse quod verbis istis præcipue continetur; etiamsi tum non impleatur totum quod in verbis est. Verbi gratia; Si quis prædixerit ac promiserit captivo se ἀπολύτρωσιν pro ipso soluturum, eumque ex carcere liberaturum; & tempore ad id præstituto eum primo ex carcere liberet, is promissum suum implet etiamsi ἀπολύτρωσιν nondum solverit, sed postea id persolvat. quanto magis ergo impletum dici potest promissum, quando is qui id promissum impletum esse dicit, etiam id quod naturæ ordine videtur præcedere debere, aliunde, atque imprimis isto in loco ubi verba ista usurpantur, præsupponit id impletum tum esse, aut in eo cui sensus principalis adtribuitur antea impletum fuisse: uti sine dubio hîc à Matthæo præsuppositum id fuit. quia quando ille historiam hanc suam scribebat, jam tum Jesus noster, dolores, cruciatus ac mortem perpessus fuerat in cruce, seque hostiam pro delictis nostris expiandis, id est, doloribus nostris auferendis obtulerat.

Dices: Atqui ne sic quidem recte accommodata videntur verba, quia passionis Christi finis non erat futurus, ut liberaret homines à morbis corporalibus aut à temporali morte, sed à malis spiritualibus, id est, à peccatis, quæ animæ morbi sunt, & à condemnatione ac morte æterna, quæ peccati pœna est. Resp. Rectissime atque appositissime accommodata videri debent, tum statui populi ac temporis, tum prophetæ verbis, statui populi ac temporis convenientibus. Statui po-

tui populi ac temporis, inquam, quia ſtatus erat veteris Fœderis, quod ſancitum erat non ſpiritualium aut æternorum ad futurum poſt mortem ſeculum pertinentium malorum aut maledictionum comminationibus, ſed temporalium ac corporalium, ſive ad hoc præſens ſeculum & ad hanc vitam pertinentium pœnarum; inter quas non minimam partem faciunt morbi morborumque varia genera: uti *Levit.* XXVI. 16. & *Deut.* XXVIII. 27, videre eſt. Prophetæ verbis; quia iis non continentur niſi mala corporalia, quæ expiaturus & ablaturus dicitur Meſſias, & non niſi bona temporalia ſive hujus ſeculi quæ allaturus dicitur, quæ *pacẽ ac ſanitatẽ*, id eſt, immunitatis ab omnibus externis internisque malis, vocibus comprehenduntur; ſtylo non modo conveniente ſtatui populi ac temporis, ſed & prophetis omnibus uſitato, qui omne atque univerſum bonum, quod Meſſias allaturus ſecum erat, non niſi iſtorum bonorum, quæ Fœdere iſto, ſub quo vivebant, continebantur & promittebantur, ἀφορίσεις enunciare ſolent ac comprehendere; quia iſta rudi, ſervili, ac carnali iſti populo, ſumma eſſe videbantur. Non quod id ita eſſet, aut prophetis ipſis id ita eſſe videretur: Vix enim dubium eſt, quin prophetæ non modo crediderint majora multo bona ac beneficia Deum per Meſſiam ſuum dare velle, etiamſi qualia aut quanta ea eſſent non intelligerent, ſed & reipſa etiam ſenſerint, quando divino Spiritu adflati prædicebant quæ Meſſias populo ſuo bona facturus erat. Prædictio enim fiebat tanta cum ὑπερβολῇ rerum, tanto cum verborum phraſium que exceſſu ac cumulo, ut potius admiratione nimia extra ſe rapti videantur loqui, quam prædicere quod ad literam implendum putarent, aut intendi à Deo crederent. Quare ex eo ipſo quod à Matthæo noſtro dicatur impletum Eſaiæ prophetæ dictum, quando Jeſus noſter verbo curabat ac ſanabat πάντας τὰς κακῶς ἔχοντας, non eſt concludendum, Meſſiam tantum venire debuiſſe, aut Jeſum noſtrum idcirco dumtaxat veniſſe, ut morbos corporis tolleret, & ab infirmitatibus, doloribus ac languoribus nos præſtaret immunes; ſed altius pergendum eſt, & concludendum, iſta morborum ab hominibus ablatione, veluti typo quodam ſignificatum eſſe, Meſſiam venire debuiſſe, & Jeſum noſtrum veniſſe, ut nos à peccatis, malorum omnium cauſſis, liberaret, & à pœnis omnibus peccatorum, imprimis æternis adſereret, bonorumque omnium, æternorum, cæleſtium & Deo dignorum cornu copiæ cumularet. Atque hoc eſt illud, quod uni Jeſu Domino noſtro paſſim tribuit noſtra Scriptura Euangelica, & ſub verbis capitis hujus Eſaiæ comprehenſum etiam fuiſſe indicat Apoſtolus Petrus, 1 *Epiſt.* II. *cap. verſ.* 22. 23. 24. 25. inter quæ verba etiam legere eſt hæc, *qui peccata noſtra ipſemet ſurſum tulit in corpore ſuo ſuper lignum, ut peccatis mortui juſtitiæ viveremus, cujus vibicibus ſanati eſtis.* ubi tamen non eſt veriſimile, verba iſta, *ipſe peccata noſtra ἀνήνεγκεν, ſuſtulit*, reſpicere ad verba hæc de quibus jam agimus, *Ipſe languores noſtros tulit*, ſed ad verba *verſus* ultimi 12, *Ipſe quoque peccatum multorum tulit.* Sed de hoc membro ſatis dictum eſto.

## CAPUT XVII.

### Tertii argumenti quartum membrum, Ea quæ Jeſu noſtro poſt mortem evenerunt, evincere ipſum eſſe promiſſum Meſſiam.

*Quatuor Jeſu noſtro poſt mortem evenerunt.*

QUartum membrum ſpectat ea, quæ Jeſu noſtro poſt mortem evenerunt. Ea autem omnia Meſſiæ eventura, à prophetis prædictum fuiſſe, ſi evincamus, argumento noſtro tertio in ſolidum adſtruendo nihil deeſſe manifeſtum eſt. Ea, quæ Jeſu noſtro poſt mortem evenerunt quatuor ſunt: 1. Sepultura corporis ejus. 2. Suſcitatio ejus ex morte & ſepulchro. 3. Sublatio ejus in cælum. 4. Poſitio ejus ad dexteram Patris ejus. Sub quatuor iſtis itaque tum ea quæ poſt mortem Jeſu noſtri evenerunt; tum quæ poſt ejus poſitionem ad dextram Patris contigerunt, non comprehendo. Priora enim iſta, non tam evenerunt Jeſu noſtro, quam circa Jeſum, aut in gratiam ejus à Deo facta ſunt: qualia fuerunt, ſciſſio τοῦ καταπετάσματος τοῦ ναοῦ εἰς δύο, ἀπὸ ἄνωθεν ἕως κάτω: terræ motus, diſruptio petrarum, & monumentorum apertio: *Matth.* XXVII. 51. 52. 53; ſive ei dicatur fuiſſe conjuncta egreſſio corporum ſanctorum defunctorum, quæ in monumentis iſtis repoſita fuerant, ex monumentis iſtis, ſed quæ tamen non niſi poſt reſurrectionem Jeſu Chriſti, in ſancta urbe viva ſe multis oſtenderunt; ſive ea dicatur reſurrectionem demum conſecuta, ita ut monumenta eorum tantum poſt mortem aperta fuerint, & toto ſabbatho ſequente aperta fuerint relicta; corpora vero in iis repoſita, poſt Jeſum ſuſcitatum vivificata fuerint, & viva conſpecta in ipſa Hieroſolymorum urbe. utroque enim modo verba Matthæi exponi poſſunt. De tenebris quod legitur, eæ non poſt mortem Jeſu factæ dicuntur, ſed vivente adhuc eo cæpiſſe, & duraſſe à ſexta hora, id eſt, ab ipſa meridie, uſque ad horam nonam, qua exſpiraſſe dicitur Jeſus; ſive ὅλην includat etiam ipſam horam nonam, id eſt, tertiam pomeridianam, ſive excludat, id eſt, ea ipſa tenebræ deſierint. Id enim incertum eſt. Ut ut eſt, ingentia ſine dubio & ſtupenda fuerunt hæc eventa, dignaque quæ in admirationem Jeſu raperent vel obſtinatiſſimos Jeſu hoſtes, ſaltem ſequiorem, quam de eo conceperant, opinionem, animis eorum eximerent atque extorquerent, melioremque inderent. Ex textu hiſtorico ſane liquet, ea ſic etiam affeciſſe nonnullorum animos, ut timuerint, & in voces has eruperint, *Verè filius Dei erat iſte*, ut Matthæus de Centurione, & qui cum eo ſtabant ad ſervandum Jeſum, *cap.* XXVII. 54 refert: & Lucas *cap.* XXIII, non modo de Centurione quem *glorificaſſe Deum*, ait, dicendo, *Verè hic homo juſtus erat*: *verſ.* 47. ſed & de πᾶσιν τοῖς συνπαραγενομένοις ὄχλοις ἐπὶ τὴν θεωρίαν ταύτην, narrat, eos verberantes pectora ſua quaſi attonitos à ſpectaculo illo reverſos fuiſſe: *verſ.* 48. ſive eos velimus fuiſſe probioris indolis Deique timentiores; ſive malos illos quidem, ac, fortaſſe, Jeſu ante infenſos atque inimicos, ſed non peſſimos tamen, ac proinde tantarum rerum contuitu veluti vi quadam ἐλκυστικῇ in diverſam melioremque de Jeſu opinionem raptos. Peſſimos enim iis admodum commotos non fuiſſe, manifeſtum eſt, quia nihilominus pertenderunt odia ſua & molimina hoſtilia. Poſteriora non evenerunt Chriſto, ſed ab ipſo Chriſto facta ſunt: ut miſſio Spiritus S. ſuper Apoſtolos in Feſto Pentecoſtes, & quæ eam conſecutæ ſunt apparitiones & miracula, quæ ad confirmandum iſta, quæ diximus, quatuor, tanquam efficaciſſima adhibita fuerunt. Hæc, inquam, etſi per ſe ſatis valida ad demonſtrandum Jeſum noſtrum Meſſiam illum Dei fuiſſe, non comprehenſa volumus ſub iis quæ Jeſu noſtro poſt mortem evenerunt.

Sepultura itaque Jeſu, primum eſt eorum, quæ Jeſu noſtro evenerunt poſt mortem, & ſepultura tridui, quæ ſine corruptione ac putrefactione carnis ejus facta fuit. Hujuſmodi ſepulturam Meſſiæ eventuram eſſe, prædixerant prophetæ. De ipſa Meſſiæ ſepultura prædixerat Eſaias, *cap.* LIII. 9: *Et dedit cum impiis in ſepulturam ejus*: quia cum latronibus, id eſt, ita ut latrones ſepultus fuit. *Dedit* enim perſonaliter exponi debet, pro data eſt ei ſepultura, ut latronibus cum eo crucifixis dabatur. Supponimus enim jam de Meſſia hæc dici aut prædici, Hebræa phraſi, qua præterita pro futuris ſumuntur, propter futuritionis certitudinem: uti alia omnia præcedentia in hoc capite ſumta eſſe indubium eſt. De ſepultura tridui, ſunt qui exiſtimant prædictum fuiſſe ab Oſea, prophetarum ſexdecim primo ipſoque Eſaia priore: *cap.* VI. 2. ſed ſub perſona populi, cujus caput erat Meſſias, aut qui aliquando typum Meſſiæ gerit, uti *Oſeæ cap.* XI. 1. & alibi: *Vitæ reſtituet nos poſt biduum; die tertio eriget nos, & vivemus coram eo.* Et favet horum interpretationi non unus Rabbinus, quos accenſitos vide apud Galatinum, lib. III. cap. 12. Sed quicquid de hoc Oſeæ loco ſit, nos eam potiſſimum prædictam eſſe credimus, in genere, *Pſalm* XVI. 10: ubi David Meſſiæ typum gerens, dixiſſe legitur, *Non derelinques animam meam in ſepulchro, nec permittes miſericordem*, aut ſanctum *tuum videre corruptionem.* Derelictio itaque quæ ultra triduum duratura non erat, intelligitur; quia quarto die putiſcere incipit ac fœtere cadaver: uti colligere eſt ex dicto Marthæ ad Jeſum ſuſcitaturum cadaver Lazari fratris ejus, *Joan.* XI. 39: *Domine, jam olet*: τέταρτος γάρ ἐστι, id eſt, *quatuor enim dierum eſt.* In ſpecie, ſub typo Jonæ prophetæ, quem conſtat à cæto abſorptum & in ventre cæti (vivum quidem, ſed mortuo tamen potius, quam vivo ſimilem) per triduum defoſſum ſepultumque latuiſſe ac jaciſſe; ſed divina voluntate ac virtute veluti in vitam revocatum ex eo prodiiſſe. Hoc enim, quod Jonæ ſic eveniſſe legitur, diſertè à Jeſu Domino noſtro tanquam ſignum, id eſt, typum ejus, quod Meſſiæ eventurum erat, Judæis datum fuiſſe, diſerte aſſeritur, *Matth. cap.* XII. 39. 40. & *cap.* XVI. 4. & *Lucæ cap.* XI. 29. 30. Eo ipſo enim, quod dicit, *Non dabitur aliud ſignum*, indicat, ſignum illud, ſive potius id quod Jonæ evenit, tanquam ſignum à Deo antea præmiſſum fuiſſe ac propoſitum, ex quo quid Meſſiæ eventurum aliquando eſſet, deprehendi vellet ac facile poſſet. Nec dubitandum videtur, quin, quo tempore id dicebat Jeſus, vel recepta in populo fuerit opinio, Jonam ea in re Meſſiæ typum geſsiſſe. nam Meſsiam multa paſſurum eſſe vulgo credebatur, ſed tamen non moriturum, Jonæ inſtar, quem vivum manſiſſe conſtat. Vel ſi id nolimus, haud illubenter à populo fuerit admiſſa iſta Jonæ cum Meſsia comparatio; quippe qua non evertebatur opinio iſta communis de æterna Meſsiæ duratione, ſive de Meſsia non moriturо;

*1. Sepultura.*

&

& interim eximium ac miraculoſum aliquid Meſſiæ adtribuebatur. Ratio quæ me movet, cur id aſſeram eſt, quod hoc ipſum exemplum Jonæ hodieque Rabbini non dubitent adferre, etſi per allegoriam, tanquam typum reſurrectionis mortuorum, & quidem quæ poſt biduum futura, id eſt, tertio die ſecutura ſit: allegantes eo ipſo fine, dictum Oſeæ, quod ſupra citavimus, *cap.* VI. 2: *Vitæ reſtituet nos poſt biduum; die tertio eriget nos*; uti diſerte legere eſt in libro R. Menaſſeh Ben Iſrael, hoc ipſo anno edito, de Reſurrect. Mortuorum, lib. I. cap. V. ſub finem capitis.

*Quomodo Jeſu dicatur triduum fuiſſe in ſepulcro.*

Dices: Atqui ipſe Jeſus Nazarenus typum illum Jonæ ſic allegat, ut dicat, *Sicut Jonas fuit in ventre ceti tres dies & tres noctes, ita filium hominis futurum in corde terræ tres dies & tres noctes: Matth.* XII. 40. quum tamen ipſe in ſepulchro non exegerit niſi unum integrum diem, & horas aliquot unius noctis ac diei alterius. Reſp. Phraſin iſtam, *tres dies, & tres noctes*, non eſſe æſtimandam ex ſenſu grammatico, ἀπὸ μέρους, ſed κατὰ τὸ ἀξίωμα, ſive potius Synecdochen, quæ manifeſte apparet, tum in communi & familiari forma loquendi, qua pars pro toto ſumi non raro ſolet, ut cum quis dicitur nocte dieque ſtudere, annos aliquot ſtudiis impendiſſe, &c. tum in aliis ejuſdem Jeſu dictis, quæ crebro reperiuntur hac ipſa de re; ut, cum de filio hominis ait, *oportere eum reſurgere tertia die: Matth.* XVI. 21. & XVII. 23 & XX. 19. *Mar.* IX. 31. & X. 34. *Luc.* IX. 22. & XIII. 32. & XXIV. 7 & 46. Ex iſtis enim liquet, Jeſum noſtrum phraſi iſta, *Tres dies & tres noctes*, uſum non eſſe, ut præciſe tempus moræ ſuæ in ſepulchro deſignaret. alioquin enim non tertia ſed quarta die oportuiſſet reſurgere filium hominis, poſt, videlicet, expletos tres integros dies & tres integras noctes; ſed ſynecdochice & familiari loquendi ratione, quam & ipſi Rabbini coguntur agnoſcere, quando Jonæ typum pro reſurrectione mortuorum confirmanda citantes, allegant Oſeæ dictum, in quo dicitur, Deum populum ſuum vivificaturum poſt biduum, & tertia die erecturum; quod ſane cum typo Jonæ, qui tres dies & tres noctes integras in cæto detentus fuiſſe legitur, non convenit. Ex quo apparet etiam, loca iſta, in quibus dicitur, Chriſtum reſurrecturum μετὰ τρεῖς ἡμέρας, uti *Mar.* VIII. 31. & *Matth.* XXVII. 63. ſic intelligenda eſſe, ut μετὰ τρεῖς ἡμέρας idem ſignificet, quod intra tres dies, ſive tertio poſt die: eodem ſenſu, quo *Geneſ.* XL. 19: Joſeph principi piſtorum dixiſſe legitur, בעוד שלשת ימים *In adhuc tres dies*, id eſt, intra dies tres, quod LXX verterunt, ἐν τρισὶν ἡμέραις, *auferet Pharao caput tuum à te*, cum tamen id ipſo die tertio eveniſſe dicatur, commate ſequente 20: *Fuit autem die tertio, die natali Pharaonis*, &c. Phraſis itaque hæc ad vivum reſecanda non eſt, ſed benigne interpretanda, & communi, ſed figurata, loquendi ratione accipienda.

*2. Suſcitatio ex morte.*

Secundum, quod Jeſu noſtro poſt mortem ſuam evenit, eſt, ſuſcitatio ejus ex morte. Hanc ſuſcitationem vere factam fuiſſe, ſupra prolixè à nobis demonſtratum eſt. Actum non agam. Hic nunc id agimus, ut probemus, eam juxta prægreſſa de Meſſia vaticinia Jeſu noſtro obtigiſſe. Prædictum autem fuiſſe per prophetas ſive divinos viros de Meſſia, quod ex morte ſuſcitandus eſſet, multa poſſunt evincere. Primò, omnia iſta teſtimonia, quæ promiſſiones continent de glorioſiſſimo, ampliſſimo, atque æterno regno ac dominio Meſſiæ. 2 *Samuel.* VII. 12. 13. 14. 15. 16. 1 *Reg.* VIII. 25. *Pſal.* LXXXIX. 29. 30. 36. 37. 38. *Pſal.* CXXXII. 11. Ad hoc enim ut eveheretur ac perveniret, eum ex mortuis ſuſcitari neceſſe fuit; & neceſſe fuiſſe Prophetæ indicant, quando eundem Meſſiam multa indigna perpeſſurum, & tandem triſti ac violenta morte exſcindendum eſſe prædicunt. Hoc enim ut intelligatur de Meſſia in regium ſuum thronum evecto, & jam dominium iſtud glorioſum exercente, impoſſibile eſt; quia ſic æternum non foret regnum Meſſiæ, quippe atra ac funeſta morte finiendum; nec glorioſum, utpote paſſionibus & afflictionibus multis vexatum ac refertum. Quare de regno, quod poſt paſſiones ac mortem toleratam, Meſſiæ obventurum eſſet, ut intelligatur omnino neceſſe eſt. Inter mortem itaque Meſſiæ & regnum ejus, intercedere debuit ſuſcitatio ex morte. Secundò, Omnia iſta loca, quæ gloriam iſtam Meſſiæ poſt mortem demum innoxiè toleratam, ultroque ſuſceptam, datum iri apertè declarant: inter quæ principem locum tenet *Eſa.* LIII *caput*, atque exertè *verſ.* 10. 11. 12 capitis iſtius, quibus propheta futurum prædicit, ut ſervus ille Dei, per quem Meſſiam intelligi evicimus, *ſemen videat, & prolonget dies ſuos, & voluntas Domini per manum ejus proſperè* ac feliciter *ſuccedat, quum*, vel poſtquam, vel quia, *poſuit animam ſuam* ſacrificium *pro delicto*, aut uti *verſ.* 11 dicitur, *propter laborem animæ ſuæ*: & clariſſimè *verſ.* 12, *eo quod effudit in mortem animam ſuam.* Nihil horum fieri poterat ſine ſuſcitatione ex mortuis. Ergo, &c.

Tertio, in terminis pene aut evidentiſſimè *Pſalm.* XVI: in quo de Meſſia agi Rabbini, & comprimis R. Moſes Hadarſchan, propalam affirmant. Petrus vero Apoſtolus Jeſu noſtri, de alio quam de Meſſia, id eſt, de Davide aliove ullo homine, non poſſe agi, invicto probat argumento, *Act. cap.* II: ſi verba accipiantur proprie ac ſecundum literam; uti accipienda ea eſſe, id unum evincit, quod alioquin hyperbole ſit ſtatuenda, quæ nimium orationis exceſſum & ab omni veriſimilitudine alienam κατάχρησιν contineat: quæ nullo prorſus modo admittenda eſt, quando ſenſus literalis non modo locum habere poteſt, ſed & reipſa impletus in aliquo eſt, uti in Jeſu noſtro Nazareno impletus apparet. In eo autem dicitur, Deum non derelicturum animam ſancti ſui, id eſt, Regis ac Meſſiæ ſui, εἰς ᾅδου ſupple ὄντα, id eſt, corpus ſive cadaver ejus in ſepulchro, ἐν ᾅδῃ. (Animam enim aliquando pro corpore ſive cadavere accipi, ſupra evicimus ex variis locis, ac nominatim ex *Levit.* XXI. 11. *Num.* VI. 6. Cum quo conſentit illud Virgilii, Æneid. 3.

*Animamque ſepulchro*
*Condimus.)*

*Nec permiſſurum ut videat corruptionem*, ſupple caro ſive cadaver ejus: (Anima enim non corrumpitur nec putreſcit.) *imo ſcire eum facturum ſemitam vitæ.* quæ ſane talia ſunt, ut non obſcure ſignificent, Deum, Meſſiam ſanctiſſimum Regem ſuum mortuum ſepultumque, ſuſcitaturum eſſe, antequam caro ejus putredinem aut corruptionem viſura, id eſt expertura eſſet, præter communem mortuorum ac ſepultorum quorumcunque, etiam excellentiſſimorum Regum principumque, ſortem: eumque ſic à vinculis mortis ſolutum liberatumque, ex imimo quaſi terræ ſinu, in quem defoſſus fuerat, evecturum in thronum patris ſui Davidis, immortalem & æterna gloria decoratum, nullaque aut morte aut corruptione finiendum; uti pulchrè ac ſolidè id demonſtratum legere eſt à Petro, *Act.* II. *à verſ.* 25, *uſque ad verſ.* 33.

Tertium eorum, quæ Jeſu noſtro poſt mortem evenerunt, eſt ſublatio ejus in cælum. Prædictum autem olim à prophetis fuiſſe de Meſſia, fore ut in cælum attolleretur, Rabbini quidem priſci diſertè probant ex *Micheæ cap.* II. 13. & ex *Pſal.* LXVIII. 19. Chriſtiani plerique. An rectè ac ſolidè, dubito. Quod enim ad Micheæ locum attinet, in eo videtur agi de Zedechia ultimo Judaici populi Rege, & qui cum eo fugam capeſſebant ut evaderent manus Regis Babel, vitæque ſuæ & Regis ſui conſulerent. De his enim legitur *Ezech.* XII. 12. quod parietem perfregerint ad educendum Regem ſuum. Hiſtoria exſtat 2 *Reg.* XXV. 4. Quod attinet ad LXVIII. 19. qui etiam citatur in Epiſtola ad *Epheſ. cap.* IV. 8, in eo de Deo Patre agi videtur, cujus nomen longo tempore ſpretum contemtumque, & veluti pedibus pene conculcatum, atque ita in infima terræ quaſi deſcendiſſe ac depreſſum fuiſſe dicitur; ſed illuſtribus de hoſtibus victoriis reportatis, adeo celebre, glorioſum, ac magnificum evaſiſſe, ut non aliter Deus quam triumphans in cælum aſcendiſſe viſus fuerit. Quod vero verba iſta Pſalmi ad Jeſum referat Paulus, id incertum eſt, an non per alluſionem ſive accommodationem quandam, Scriptoribus ſacris Novi Teſtamenti non infrequentem, ab eo factum ſit, qua verba illa Pſalmi emphatica uſurpare maluit, quam ſua propria, ad exprimendum id quod volebat, ſive ad ſignificandum tale aut ſimile quid Chriſto Jeſu eveniſſe, quale olim David de Deo ceciniſſe legitur: videlicet quod quemadmodum Deus olim primum ante victoriam populo datam, contemtus ſpretuſque in populo ſuo, poſt reportatam de hoſtibus victoriam glorioſiſſimus ac illuſtriſſimus evaſit, non aliter quam ſi ex ipſo terræ profundo in altiſſimum cælum fuiſſet evectus; ita nunc Jeſus, vilis primum ac deſpectus in populo, quin & morte mulctatus, ac tandem in terræ ipſius viſceribus abſconditus, & detruſus in ſepulchrum cum latronibus, tanquam furcifer aut perduellionis reus, in cælum adeo glorioſe aſcendit, ut Spiritu divino plenus factus, gratiaſque pro arbitrio ſuo diſpenſans, omnibus manifeſtum faciat, ſe regnare, & Deo Patri ſuo cariſſimum eſſe. Non deſunt tamen qui contrario plane ſenſu verba Pſalmi interpretantur: inter quos R. David Kimchi eſt, qui per aſcenſum Dei in cælum, auxilii divini ſubductionem intelligi vult, quoties Deus non videtur curare, nec providere hominibus; ita ut ſenſus ſit, Deus aſcendit à nobis, id eſt, benignitatem & providentiam ſuam à nobis abſtulit. Cum enim præſentem ac propitium ſe Deus populo ſuo exhibet, deſcendere dicitur. Per abductionem captivitatis itaque, intelligi vult populi Iſraelitici captivitatem. Sed quia locutio illa, *Aſcendere in altum* nuſpiam in Sacra Scriptura iſto ſenſu uſurpatur, & à Propheta Davide hic non threnus aut querimonia, ſed triumphus & victoria canitur, omnino rejicienda eſt iſta interpretatio. Hæc quamquam ita ſunt, nolo tamen diffiteri, eos mihi videri propius ad mentem Pauli accedere, qui ajunt, Apoſtolum verba iſta citare, ut oſtendat, id, quod in Pſalmo de unico vero Iſraelis Deo prædictum fuerat, in perſona Jeſu Chriſti filii ejus

*3. Sublatio in cælum.*

*Locus Mich. II. 13. exponitur.*

*Locus Pſal. LXVIII. 19. exponitur.*

lucu-

luculentiſſime fuiſſe impletum; non aliter, quam ſi Deus Pater in Pſalmo iſto, id quod in filio ſuo futurum aliquando, aut ipſe facturus erat, exprimere ac prædicere voluiſſet; nempe aliquando fore ut Jeſus filius ejus, & unum quaſi cum eo, ejuſque perſonam ſingulariſſima ratione repræſentans ac ſuſtinens, in infimas terræ partes, id eſt, in ſepulchrum, phraſi Hebræa, *Pſal.* LXIII. 10. & *Ezech.* XXVI. 20. & XXXII. 18. 19. & XXXI. 14. (pro utero matris accipitur *Pſal.* CXXXIX. 15.) ſpretus contemtuſque à ſuis deſcenderet, id eſt, detruderetur; attamen beneficio ac virtute ejus divina, non modo ex eo reſurgeret, ſed & in altum aſcenderet, atque inſtar triumphantis in ſublime evectus, ductiſque in triumphum morte, atque inferno, gloria ac Majeſtate regia decoraretur; & in ſignum ejus, dona ac munera varia, more in Regum inauguratione & triumphis uſitato, in populum diſpergeret. Juxta hunc ſenſum Deus ipſe deſcendiſſe atque aſcendiſſe dicetur, in perſona Jeſu filii ſui, majori certe jure, quam olim Deus ſurgere, ingredi, aſcendere, venire, requieſcere, dicebatur, quando arca, quæ divinæ præſentiæ ſymbolum erat, levabatur, ingrediebatur, veniebat aut requieſcebat: ut jam non dicam, ſententiæ hujus autores obſervare, verba hæc non efferri de Deo Iſraelis, ſed de alio à Deo diſtincto: quia referuntur ſine dubio ad eum, qui præcedenti verſu nominatus fuerat, quem certum eſt in Hebræo iſto textu non vocari *Adonai*, ſed *Elohim*; quæ vox etiam Jeſu Chriſto homini, propter ſublime imperium, gloriamque ac potentiam quam à Patre ſuo ſupra alios omnes deos, id eſt, Reges principeſque adeptus eſt, merito tribui poteſt, atque attributa videri debet. Hunc autem ab *Adonai*, ſive à ſummo Deo, Patre Jeſu Chriſti, diſtingui in textu, ex eo liquet, quod, Deo illo cum curribus ſuis nominato, addatur, *Dominus*, ſive Adonai, *in eis*, id eſt, Dominus eis favore ac robore ſuo adeſt.

Sed ut nos iſto argumento in hac cauſſa pugnemus, neceſſe non eſt. Etſi enim alia non eſſent, quæ de aſcenſione Meſſiæ in cælum loquuntur vaticinia, id unum abunde iſti comprobandæ ſufficit, quod de Meſſia prædictum legatur *Pſal.* CX futurum, ut *ſederet ad dexteram Dei.* Hoc enim fieri non poterat, quin aſcenderet in cælum, divinique throni ac ſolii particeps fieret, id eſt, ibi eſſet ubi Deus glorioſiſſimus eſt, ſedet ac habitat, uti paſſim in Scripturis dicitur. quod pulcherrimè indicatur à Petro, *Actor.* II. 34: *Non enim David aſcendit in cælum, ſed dicit ipſe, Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis*, &c. quaſi diceret, Sedere non potuit Meſſias à dextris Dei, niſi in cælum aſcendiſſet. Quia vero ſeſſio ad dexteram Dei, quartum eſt, quod Meſſiæ eventurum diximus, hinc recta ad id adſtruendum progrediemur. Eo enim adſtructo atque evicto, tertium etiam noſtrum, quod diximus, una eademque opera evictum erit.

4. *Seſſio ad dexteram Dei. Pſalmus CX ad Meſſiam pertinet.*

Quartum itaque eorum, quæ Jeſu noſtro poſt mortem evenerunt, quod in ſe tertium etiam membrum continere diximus, eſt, Poſitio ejus ad dexteram Dei. A vatibus autem prædictum olim fuiſſe, fore, ut Meſſias ſederet ad dexteram Dei, ut operoſe probetur, non eſt neceſſe. Pſalmus CX vel ſolus ad id probandum ſufficit. Nec cauſſam habent Judæi, cur probationem hanc non admittant, cum certum ſit, Rabbinos veteres non paucos Pſalmum hunc de Meſſia interpretatos eſſe; uti ex Rabbi Jonathanis Thargum, ex Midras Tehillim, id eſt, vulgata apud Hebræos Pſalmorum interpretatione, ſuper *Pſalm.* II. *verſ.* 7. & ſuper *Pſal.* XVIII. *verſ.* 36. ex R. Moſe Hadarſchan, ſuper lib. *Geneſ. cap.* XVIII. 1. probat Galatinus, de Arcanis Catholicæ veritatis, libro 8. cap. 24. quem vide ſis, alioſque. Dices: At longe aliter ſentiunt Rabbini poſterioris ævi, & imprimis recentiores horumque temporum. Fateor; ſed id mirum videri non debet. Poſtquam enim Chriſtianorum nomen in odio apud ipſos eſſe cæpit, id unicum operam dederunt nuperi Judæi, ut novas comminiſcerentur explicationes, partium ſtudio, veteresque & olim receptas, quia cum Chriſtianorum ſenſu ſatis conveniebant, negligerent aut reſpuerent. Hinc natæ ſunt tam diſſimiles, tam diverſæ, & tam elaboratæ explicationes, ut neſcias fere, an ſibi ipſis, an aliis crucem figere ſtudeant, ex qua ſuſpenſi hæreant. Punctum omne tuliſſe ſibi videntur, ſi ſenſum modo iſtum, qui Jeſu noſtro favet, detorqueant, & ſenſum deinde quem volunt, verbis textus extorqueant, etſi non niſi violenta manu id fieri ab ipſis, quilibet pene ex trivio ſentiat. Id in hujus Pſalmi nuperis ac novitiis explicationibus liquet; quæ uſque adeo variant, ut ſenſus potius à ſenſu priſcorum ac ſaniorum Rabbinorum diverſus quæri ab iis videatur, quam verus verborum ſenſus inquiri: Saltem ubi conſiſtant, & in quo ſenſu acquieſcant, nondum liquet. Primi, qui à veteribus Rabbinis diverſi abierunt, Pſalmum hunc compoſitum fuiſſe dixerunt à Melchiſedecho in laudem Abrahami, & eſſe *διγαμικὸν* pro victoria divinitus conceſſa Abrahamo de quinque Regibus, quæ deſcribitur *Geneſ.* XIV. Senſum itaque verborum primorum Pſalmi, נאם אדני לאדני *Dixit Dominus Domino meo*, eſſe, dixit Deus Abrahamo Domino meo. Sed hic ſenſus quia prima ſtatim fronte abſurdus videbatur: (Melchizedecum enim Regem ſimul ac ſacerdotem Abrahamum, qui non niſi privatus homo erat, vocaturum Dominum ſuum, quam veri ſpeciem habet?) ſucceſſerunt alii, qui dixerunt Pſalmum hunc ab Eliezere ſervo Abrahami compoſitum fuiſſe. Sed cum & hic ſenſus ineptus videretur; (Etſi enim ſervus iſte Abrahamum vocare jure poterat Dominum ſuum, tamen non niſi ineptè eum vocare poterat Regem, *virga fortitudinis*, id eſt, ſceptro regio, *de Sion præditum*, imprimis vivo ac ſuperſtite Melchizedeco Rege Salem, quam Sionem fuiſſe volunt; nedum Sacerdotem, & quidem æternum:) fuerunt alii, qui aſſeruerunt Pſalmum hunc à Davide ipſo compoſitum eſſe. ſed, cum & ſic ſtatim appareret, inepte tum dici, *Dixit Dominus*, id eſt Deus, *Domino meo*, id eſt mihi Davidi; dixerunt verba iſta, *Domino meo*, non de ipſo Davide intelligenda eſſe, ſed vel de Abrahamo, vel de Ezechia rege. Sed cum & hoc ineptum ſtatim eſſe appareret, ex eo, quod, ſi ad Abrahamum referatur illud, *Domino meo*, tum David Abrahamum Dominum ſuum & Regem ac Sacerdotem vocaſſet, cum nihil horum fuerit; &, ſi ad Ezechiam pluſquam duobus ſeculis poſt Davidem naſciturum eique in throno regio ſucceſſurum referatur, tum David Ezechiam Dominum ſuum eumque ſacerdotem vocaſſet; quod utrumque per ſe abſurdum eſſe liquet: Hinc alii fuerunt, qui dixerunt, Pſalmum hunc non eſſe à Davide compoſitum, ſed ab alio quodam in honorem Davidis, ut illud לדוד non ſignificet *Davidi*, ſecundo, ſed, *Davidis*, in tertio caſu; quaſi legas בעבר *begneved*, propter, vel in gratiam Davidis. Sed cum multi alii Pſalmi, non de Davide, ſed à Davide ipſo conſcripti, eandem habeant ἐπιγραφὴν ſive inſcriptionem, novum hoc etiam ἐπίγραμμα eſſe apparet. Fateor tamen horum expoſitionem cæteris veroſimiliorem videri. Sed & hi diverſimode admodum expoſitionem faciunt. Alii enim, ut R. D. Kimhi, & qui eum ſequuntur, vocem לאדוני pro Davide accipiunt: ut ſenſus ſit, in gratiam ſive propter Davidem. quo ſenſu particulam לי acceptam dicunt *Geneſ.* XX. 13. אמרי לי *dic mihi*, id eſt propter me, *Frater meus eſt*. & *Pſal.* XX. 1. משמור לדוד id eſt, Davidis gratia conſcriptus Pſalmus. Alii לאדני Saulem interpretabantur, & ל pro ש *propter* etiam accipiunt: ut ſenſus ſit, Dixit Dominus propter Saulem Dominum meum. Sed hi neceſſe eſt ut Pſalmum hunc à Davide ipſo conſcriptum dicant. Variant tamen mirificè in adſignando tempore & cauſſa propter quam Pſalmus hic compoſitus ſit. Qui maxime novitii ſunt, ii R. Kimhi ſequuntur, in eo quod Pſalmum hunc compoſitum eſſe dicant à Muſico aliquo vate in gratiam Davidis: ſed in tempore & cauſſa Pſalmi adſignanda valde diſſentiunt. Kimhi enim videtur Pſalmum hunc ad totum tempus Davidici regni referre, &, ſedere Davidis ad dextram Dei, intelligere non per quieſcere à bello gerendo, ſed per fidere divino auxilio. Hi vero ſedere per quieſcere à bellis gerendis interpretantur, & Pſalmum hunc compoſitum eſſe nomine principum ſive primorum populi, quo tempore David prælio decertans cum Philiſtæis in ſummum vitæ diſcrimen adductus fuerat, lanceaque aut haſta Iſbibenob Gigantis Philiſtæi trajectus ac confoſſus fuiſſet, niſi ictum prævertiſſet ac præoccupaſſet nepos ejus ex ſorore Zeruiah, Abiſai. Exinde enim ſtatim acceſſiſſe ad Davidem dicuntur viri ejus, & juraſſe ei, dicendo, *Non egredieris ultra in prælium nobiſcum, ne extinguas lucernam Iſraelis.* quæ hiſtoria deſcribitur 2 *Sam.* XXI. 15. 16. 17. Hinc Pſalmi hujus ſenſum hunc eſſe volunt, quod vates iſte Muſicus, ſub perſona virorum Davidis, quaſi divino afflatu, ad Davidem monendum & à periculis ſimilibus immunem præſtandum, impulſorum, in gratiam Davidis cecinerit, dixeritque: Dominus Deus per os virorum iſtorum Davidis, *Dixit*, id eſt juſſit *Davidi*, *Domino meo*, *Sede ad dexteram meam*, id eſt mane domi tuæ, & ne exeas in prælium impoſterum, nixus robore ac potentia mea, qua ego te protegam, & pro te impoſterum bella geram per principes ac ſatrapas tuos. Regni tui curam gere, & bella gerant alii. Ego efficiam ut victricia ubique arma circumferas, & domineris in medio inimicorum tuorum, &c.

Verum enimvero, quicquid ſit de his expoſitionibus Judæorum, eæ omnes Chriſtianorum expoſitioni non officiunt, ſi modo conſtet, tum temporis, quo Jeſus noſter & ipſius Apoſtoli verba iſta Pſalmi allegabant, communiter receptum creditumque fuiſſe, Pſalmum iſtum eſſe propheticum, qui non tam hiſtoriam rei geſtæ contineat, quam prædictionem de Meſſia, eumque à Davide fuiſſe compoſitum. Id autem ita ſe habuiſſe, & extra dubium poſitum fuiſſe, non obſcure hoc argumento evincitur; quod alioquin quæſtio Jeſu noſtri Scribis ac Phariſæis propoſita, *Matth.* XXII. 42. 43, &c. ex hoc ipſo Pſalmo; *Quid vobis videtur de Chriſto, cujus filius eſt? Dicunt ei, Davidis. Dixit ei; Quomodo ergo David*

*in Spiritu*, ſive per Spiritum, id eſt, adflatum divinum, *vocat eum Dominum*, (ſcilicet ſuum) dicens, *Dixit Dominus Domino meo, Sede ad dextram meam*, &c. quæſtio, inquam, hæc frivola fuiſſet, utpote aut falſæ aut dubiæ hypotheſi innixa, nedum quæſtio, ad quam à Doctoribus & Magiſtris iſtis reſponderi non potuiſſet. Quid enim promtius faciliuſque iis fuiſſet, quam hypotheſin iſtam negare, & ſimul Jeſum (uti nunc Judæi ſolent facere) ſupinæ ignorantiæ ac ſtupiditatis, quin & effrontis impudentiæ arguere? Ut eos dicamus auſos non fuiſſe Chriſtum redarguere, aut quæſtionem ejus futilem eſſe oſtendere, nequaquam eſt veriſimile. Nimis enim avide eum carpere geſtiebant; & eo fine, ut carperent eum, ad eum acceſſerant. Rectiſſimè enim de iis Lucas ait, etſi alia occaſione, *cap.* XI. 53. 54. quod ſolerent δεινῶς ἐνέχειν, καὶ ἀποστοματίζειν αὐτὸν περὶ πλειόνων, ἐνεδρεύοντες αὐτὸν, καὶ ζητοῦντες θηρεῦσαί τι ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ ἵνα κατηγορήσωσιν αὐτοῦ. Atqui ad hanc quæſtionem non ſiluiſſe modo dicuntur, ſed & nemo eorum vel verbum habuiſſe legitur quod poſſet reſpondere: *verſ.* 46. certiſſimo indicio, apud omnes communiter certum atque in confeſſo fuiſſe, Pſalmum iſtum de Meſſia agere, & à Davide compoſitum eſſe. Nec dubium eſt, quin hoc ipſo fundamento nixus ſcriptor ad Hebræos, toties Pſalmum hunc ad Meſſiam accommodet, non facturus id procul dubio, imprimis apud Hebræos, niſi tum temporis pro indubio habitum fuiſſet, eum ad Meſſiam pertinere. Dices: Contra facere videtur, quod Petrus *Act. cap.* II. 34, Pſalmum hunc allegaturus, dicat, *Non enim David aſcendit in cælum, ſed dicit ipſe, Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis*, &c. Sic enim loquendo, videtur innuere, verba iſta de Davide vulgo accepta fuiſſe, non vero de Meſſia; alioquin enim quorſum dixiſſet, *Non enim David aſcendit in cælum?* Reſpondeo primo, verba iſta Petri ſic accipi poſſunt, ut non contineant dubitationem aliquam quæ de Pſalmo iſto in vulgo erat, quaſi non de Meſſia ſed de Davide ageret; ſed contra, hypotheſin in vulgo conceſſam ac confeſſam: quaſi ſic eſſent concepta, Non enim David aſcendit in cælum, ſed dicit ipſe, uti vos ſcitis omnes & creditis. 2. Si omnino verba iſta dubitationis alicujus indicium facere velimus, fieri potuit, ut tum temporis quidam procaciores, contentionem aliquam contra receptam in vulgo opinionem, de ſenſu Pſalmi iſtius movere cæperint, eumque ad Davidem tantum pertinere adſeruerint; quos tanquam obiter & ἐν παρόδῳ taxaverit Petrus, dicendo, *Non enim David aſcendit in cælum*; quaſi diceret, uti quidam veſtrum nunc, ut Jeſu noſtro obſtrepant, videntur velle credere ac dicere. Hoc ut credam, eo maximè adducor, quod videam à Petro operoſo molimine aut prolixè antea id actum, ut demonſtraret Pſalmum XVI, cujus eadem quæ hujus ratio videri poteſt, non de Davide, ſed de Meſſia accipiendum eſſe; quod mihi non facturus fuiſſe videtur, niſi fuiſſent qui eum de Davide accipiendum eſſe contendiſſent. Sed eos tamen & paucos fuiſſe, & à communi receptaque ſententia diverſos iviſſe, vix dubium eſt. Quod attinet ad Judæos poſteriorum temporum & noſtri hujus ævi, ii certe non modo cauſſam non habent, cur credant Pſalmum hunc de Meſſia non agere; ſed & cauſſæ ac rationes juſtiſſimæ ſunt, cur eum de Meſſia agere credere debeant.

Cauſſam non habent: 1. quia nihil in iſto Pſalmo eſt quod non ſit dignum Meſſia: quod ex eo liquet, ipſis confitentibus, quia quæ in eo ſunt, ea omnia Davidi tanquam excellentiſſima & glorioſiſſima aptant. Meſſiæ autem majori jure ea competere, quæ glorioſiſſima ſunt, dubitare non debent, imprimis cum Davidem Meſſiæ typum non raro gerere agnoſcant. 2. Quia etiamſi primo ac principali ſenſu, ſive κυρίῳ & ἰδίῳ, à nobis dicatur Pſalmum de Meſſia agere, idcirco tamen non negatur à nobis, eum etiam ſenſu minus principali ad Davidem pertinere, ſive perſonæ Davidis aptari poſſe. Senſum autem duplicem admittendum aliquando eſſe in Sacris, non diffitentur, imprimis quando de typis agitur, aut aliquid tributum rebus vel perſonis legitur, quæ vel quatenus typi ſunt. In hujuſmodi enim locis ſenſus principalis ad antitypum pertinet, minus principalis ad typum. Hujuſmodi duplicis ſenſus indicium eſt luculentum, quando verba ad typum relata talia ſunt, ut non niſi figurate ei aptari poſſint, & fere hyperbolen aliquam contineant; ad antitypum vero relata, talia, ut proprie ei conveniant, & ſine figura ulla ei aptari poſſint. Id ergo ſi hîc uſu veniſſe dicamus, cauſſam non habent Judæi, cur Pſalmum hunc de Meſſia agere, nobis non concedant.

Sed & cauſſæ ſunt cur nobis ultro id largiri ac concedere debeant. Nam 1. Habemus confitentes Rabbinos non paucos, nec novitios χθὲς & πρῴην natos, nec ſubſellii infimi aut de hæreſi ſuſpectos: ſed complures, priſci ævi, & eruditione famaque celebres; quos candidius ſinceriuſque credendum eſt in textu ſacro perſcrutando verſatos eſſe, quam poſterioris & noſtri ævi Rabbinos, quos odia affectuſque ſui faſcinatos tenent, ut quæ in aperto poſita ſunt aut videre nolint aut videre non poſſint. Iſtis itaque ut accedam potius quam his ratio ſuadet. 2. Nullum hactenus certum ſenſum adſignare potuerunt, quo quidem nituntur & in quo acquieſcunt. Senſus vero omnes iſtos, quos fingunt, tot vident laborare difficultatibus, exceptionibus, & contortis phraſium expoſitionibus, ut hærere ipſos ſubinde neceſſe ſit. Nam quod attinet ad ſenſum illum, quem cæteris veriſimiliorem dixi mihi videri; qui depromtus eſt ex hiſtoria quæ deſcribitur 2 *Samuel.* XXI. iſte ipſe non parvis laborat difficultatibus. Nam 1. incertum eſt an non ante iſtam hiſtoriam Pſalmus conſcriptus ſit; quia nullius veterum Pſalmum hunc ad eam reſpicere vel per ſomnium cogitavit. 2. Incertum eſt, an id, quod tum viri Davidis feciſſe ac dixiſſe, quia & juraſſe Davidi dicuntur, recte ac bene fecerint, nedum an divino inſtinctu atque afflatu id fecerint, ut is, qui Pſalmum iſtum conſcripſiſſe creditur, ipſum Deum id per os eorum dixiſſe, jure canere potuerit. 3. Incertum eſt an Davidi id placuerit, ipſeque iis morem geſſerit. 4. Inſitatum eſt phraſin מִזְמוֹר לְדָוִד interpretari, Pſalmus Davidi dictus, non à Davide, cujus an exempla alia dari poſſint nondum ſatis liquet. Saltem ante Aben-Eſram, qui commenti hujus author creditur, phraſis iſta non aliter quam ex communi uſu accepta fuit, pro, Pſalmus Davidis, id eſt à Davide ipſo ſcriptus, paucis exceptis qui in computum non veniunt. 3. Quia impoſſibile eſt ut omnia quæ in Pſalmo iſto dicuntur, ulli alii perſonæ quam Meſſiæ propriè aptentur. Davidi ea proprie aptari non poſſe, quod tamen hodie fere Judæi faciunt, ac fieri debere contendunt, manifeſtum eſt ex his rationibus. Prima: Davidi proprie aptari non poteſt, quod ſederit ad dextram Dei, aut quod ei Deus juſſerit ſedere ad dextram ſuam. Quos enim propriè ad dextram ſuam Reges, Principes ac magnates ſedere jubent, eos ſummo ante alios omnes honore dignantur, tanquam ſolo ſolio regio ac principali inferiores, uti in facto Solomonis matrem ſuam à dextra ſua ſedere jubentis, 1 *Reg.* II. 19, manifeſtum eſt. Iſto autem honore Deum fuiſſe dignatum Davidem, dici non poteſt, quia David ſine dubio Meſſia multo erat inferior, ac proinde Meſſiæ filio ejus honor iſte propriè competebat, ut dexter Deo adſideret, id eſt, proximo poſt Deum loco ac gradu honoris eſſet. Dices: Sæpenumero tamen Davidi tribuitur, ipſeque David ſibi tribuit, quod Deus ſemper ei erat à dextris, &c. Reſpondeo: At verò ego longe aliud eſſe credo, Deum eſſe Davidi à dextris, quam Davidem ſedere à dextra Dei; &, aliud Deum dicere, aut Davidem de Deo dicere, quod ſit à dextra ejus, quàm Deum jubere Davidi, Sede à dextris meis. Hoc poſterius non puto uſpiam alicui tributum reperiri, videlicet quod ſedeat à dextra Dei, aut quod Deus ei ſedere jubeat, quam huic uni, de quo hîc agitur. Iſtud prius non raro tribuitur, non tantum Davidi *Pſal.* XVI. 8. & CIX. 31. ſed & ſanctis piiſque quibuſlibet. Hi enim omnes dextra Dei protegi, ſub vel in dextra Dei eſſe, Deum à dextris ſuis habere, ac conſpicere dicuntur, quia Deum ſibi faventem, divinamque opem ac potentiam, quæ dextrâ Dei denotatur, ſemper quaſi præſto ac præſentem ſibi habent, ne à quoquam lædi poſſint aut injuria adfici, ſaltem impune. Notandum tamen, uti nulli tribuitur quod ſedeat ad dextram Dei; ita nunquam ulli tribuitur quod Deus ſedeat à dextra ejus, ſed bene quod ſit, quod ſtet à dextris ejus. At quem in dextra ſua Deus ſedere jubet, eum non ſedere ibi jubet, ut ſua protectione eum dignetur, ſicuti fit, quando Deus à dextris alicui eſſe dicitur, ſed ut eum honore iſto adficiat, quo major proximiorque ſolio ejus honor dari non poteſt, eique, ſi regnare eum ſecum vel loco aut nomine ſuo velit, ea omnia conferat, quæ ad tuendum honorem dignitatemque iſtam neceſſaria ſunt. Quis aut qualis iſte honor ſit, aut qua in re conſiſtat, ego jam non expendo. Sufficit ut intelligatur, phraſin iſtam *ſedere ad dextram Dei*, ſignificare, proximum à Deo honoris ac dignitatis locum tenere: de quo non puto dubitari jure à quoquam poſſe, qui exemplum Solomonis ritumque gentium ac populorum omnium obſervat; quem in ipſo etiam Dei populo, Jeſu noſtri tempore, uſitatum fuiſſe, filii Zebedæi, ſive mater filiorum Zebedæi non obſcurè ſignificat, quando pro filiis ſuis intercedens, Jeſum rogat, ut alter eorum ad dexteram ejus, alter ad ſiniſtram ſedeat in regno ejus: *Matth.* XX. 21. Nempe id orat, ut, quando Jeſus regnum ſuum auſpicaturus erat, quod ſine dubio jam præ foribus quaſi eſſe credebat, filii ſui principem ac primum poſt ipſum, dignitatis locum habeant, ante alios omnes. Ritum hunc etiam obſervare eſt ex libro *Eſdræ* III. licet apocrypho, *cap.* IV. 29. & *Eccleſiaſtici cap.* XII. 12.

*Non verò ad Davidem magis Davidi propriè non convenit ſedere ad dextram Dei.*

Dices: Hoc ſenſu nullo modo pertinere poterunt hæc Pſalmi verba ad Davidem. Reſp. Eſto. Id cauſſæ noſtræ non modo non officit, ſed vehementer favet. Ne tamen

non

non videamur ultro lubenteſque largiri adverſariis, quicquid ſine cauſſæ præjudicio, iis largiri poſſumus; Reſpondeo, Pſalmum hunc, ſive verba Pſalmi hujus, ad Davidem non poſſe pertinere, ſi ſenſus eorum de ſenſu proprio ac pleno accipiatur, concedo. Si de improprio ac ſemipleno ſenſu, qui ſenſus proprie eſt typorum, accipiatur, nego. Fatendum enim omnino videtur, aliqua ratione ſive impropriè verum eſſe poſſe, Deum Davidi etiam dixiſſe, Sede ad dextram meam; ſi videlicet concedamus Pſalmum hunc ab alio quam Davide ipſo conſcriptum ac decantatum eſſe, vel à populo toto in honorem Davidis cantari ſolitum: quamquam ut id concedamus nulla ratio cogit. David enim præ aliis omnibus regibus terræ, Deo proximus Rex fuit; quia populi Dei ex omnibus in terra populis electi Rex fuit; & præ aliis omnibus regibus etiam electus à Deo fuit, ut populi totius iſtius electi Rex fieret, & ad regnum alia longe gravioreque via, quam Regum alius ullus, perveniret, & in regno longe illuſtriore nobilioreque modo collocaretur, quam quiſquam Regū alius; videlicet non efflagitatus à populo, ut Saul, non ſucceſſionis jure, ut Salomon, &c. ſed à Deo ipſo datus ac deſignatus, tanquam vir ſecundum cor Dei: adeo ut neminem ſibi parem habuiſſe dici poſſit, ac proinde Deus eum ſolum, inter & ante alios omnes Reges, iſto honore dignatus videatur, ut ſolus veluti dexter Deo, id eſt, Angelo ejus, populi Iſraelis cuſtodi, adſederit, quaſi poſt Deum principatum ſolus & ſupra alios omnes ſummum habens, nulli ſecundus: nempe ſolus Regum pene gerens typum Meſſiæ; quatenus videlicet regium honorem adeptus eſt, qui non niſi in Meſſia immediate, tanquam in Filio ejus, non vero mediate, tanquam in Regum aliorum ſucceſſore, continuandus & propriè implendus erat. Hinc enim Meſſias ſolius Davidis filius paſſim vocatur, & olim vocari ſemper ſolebat, non vero aliorum Regum à Davide deſcendentium. Hic vero honor, quia Davidi conceſſus non fuit, niſi in hac terra, imo exigua terræ hujus portione, ſuper exiguum, & cum reliqua hominum multitudine non conferendum, populum, ad exiguum denique & breve tempus, cum tempore aliorum quorundam Regum, Azæ, Uziæ, Manaſſis, non comparandum, ſi tempus pleni perfectique regni ejus ſuper omnes tribus populi conſideretur, profecto non niſi improprie meretur vocari honos iſte, qui auguſta phraſi ſeſſionis ad dextram Dei continetur; quippe qui Meſſiæ ſoli propriè competit, quem Deum in cælis glorioſe eſſe, & dextra ſive potentia ſua nunc uti, & ſublata populorum diſtinctione mundi totius Deum eſſe æternumque manſurum conſtat. Atque hæc cauſſa eſt, cur verba hæc Pſalmi ad Davidem proprie referri non poſſe dixerimus; & cur ſcriptor ad *Hebr. cap.* I. 13, dicat, *Ne Angelorum quidem ulli unquam dictum fuiſſe*, id eſt, honorem hunc datum, *Sede ad dextram meam*; & cur paſſim in Scriptura Novi Teſtamenti, poſitio Jeſu noſtri ad dextram Majeſtatis Dei in excelſis, tanquam ſupremus honoris dignitatiſque gradus, qui ei à Patre adtributus eſt, conſtituatur. Quem tamen eo uſque extendendum non puto, quo Jeſuita Maldonatus vult: quaſi videlicet per ſedere ad dextram Dei, non ſolum æqualitas honoris & dignitatis, ſed quiddam etiam æqualitate majus ſignificetur, quatenus & quia videlicet Deus functionem omnem regendi atque imperandi Meſſiæ ſic dedit, ut ipſe quaſi ea ſe exuerit, eamque à ſe abdicaverit, tranſlata in Meſſiam omni poteſtate, eaque abſoluta, ſuprema, & ſuæ veluti poteſtati exemta; ſic ut illi nullo modo velit intercedere: juxta illud *Joannis* V. 22. *Pater neminem judicat, ſed omne judicium dedit Filio.* & 1 *Corinth.* XV. 28: *Poſtquam vero ſubjecta ei fuerint omnia, tunc & ipſe filius ſubjicietur ei*; quaſi dicat, qui jam ei ſubjectus non eſt. Hoc enim nec phraſis *Sedendi ad dextram*, poſtulare, nec divina Majeſtate dignum eſſe, nec loca allegata arguere aut evincere mihi videntur. Sedere enim ad dextram, quod quidem juſſu ſupremi Regis principiſque fit, non ſignificat honorem habere ſupra ipſum Regem principemque jubentem; quia aliàs Rex ſolio ſuo proprio eum dignaretur: uti David dignatus Solomonem legitur, quando eum Regem creari juſſit: 1 *Reg.* I. 35. Solium enim Regum ſemper ſupremæ Majeſtatis ſedes atque indicium eſt. Deinde plane veriſimile non eſt Regem, qui Rex manet, ſuam dignitatem ſupremam in alium transferre. Quod Maldonatus ait, cum tres ſimul ſedent, omnium more gentilum, qui honoratiſſimus eſt ſedet in medio; cum autem ſedent duo, qui honoratior eſt ſedet ad dextram: id ſane verum non eſt. Quod enim ad tres ſimul attinet, conſtat ex Joſepho, Jud. Antiquit. lib. XIV. cap. XXVI, Herodem à Senatu Romano Regem renunciatum, medium iviſſe inter Antonium & Cæſarem Auguſtum, nulla Antonii aut Cæſaris dignitatis imminutione. Dices: At non dicitur, ſediſſe Herodem medium. Reſp. Nec negatur: & eadem ratio cur non ſit in incedendo, quæ eſt in ſedendo, ego non video. Quod ad duos attinet, contrarium apparet in Nerone, apud Suetonium, cap. 13: qui Tiridatem perduxit in theatrum, ac rurſum ſupplicantem juxta ſe latere dextro collocavit; non præferendo eum ſibi; (Nemini enim dubium erat, Imperatoris Romani locum, ubicunque tandem eſſet, ſummum eſſe:) ſed eum præ aliis honorando. Majeſtate divina dignum non eſſe, ut quis illa dicatur ſuperiorem dignitatem habere, ex reipſa liquet. hinc dicitur Filio omnia ſubjecta eſſe, *præter eum qui ſubjecit ei omnia*: 1 *Corinth.* XV. 27. & hinc ita Rex dicitur Filius ut etiam Sacerdos ſit, qui precario Regiam dignitatem habet, & quaſi intermediis precibus ac ſuppliciis exequitur munus ſuum, veriſimiliter Patrem ſubinde conſulens, aut Patris juſſa accipiens, ad paternæ Majeſtatis gloriam ſartam tectam ſervandum.

Sed ex altera parte honorem ſeſſionis ad dextram Dei eò uſque non puto deprimendum, aut non altius extollendum quam nonnulli ſemi Iudaizantes volunt; quaſi gradus iſte dignitatis regimen atque imperium actuale excludat, & non niſi honorem cum otio ac quiete conjunctum notet; ac ſi ſenſus ſit, *Sede*, id eſt, quieſce, feriare impoſterum innixus dextræ, id eſt, potentiæ meæ, (quia in dextra robur ac potentia præcipua ſita eſt,) qua ego omnia acturus ſum pro te, & debellaturus bella omnia. Nam 1. phraſis illa, ſedere ad dexteram alicujus, nunquam accipitur pro quieſcere, ſive alienæ opi ac curæ rem totam committere, & ipſe interim nihil agere. 2. Ex ipſo hoc Pſalmo patet, phraſin ſic accipi non poſſe. 1. quia ad eundem ad quem Deus *verſ.* 1, dixerat, *ſede ad dextram meam*, dicit *verſ.* 2. *dominare in medio inimicorum tuorum.* Senſus enim eſt, Tu dominaberis inimicis tuis, ſubjugando & ſubjiciendo eos tibi. Dominari autem & quieſcere ſive feriari ab omni regni cura, ſunt contraria. 2. quia de eodem dicitur, *Deum eſſe ad dexteram ejus*: *verſ.* 5. Ad dexteram autem quando Deus alicui eſſe dicitur, auxilium divinum intelligitur, quo juvatur is, qui dextera ſua, id eſt, robore omni ſuo utitur ad debellandum hoſtes ſuos. Sedere itaque ad dextram Dei hîc non ſignificat quieſcere. 3. Quia *verſ. ultimus* videtur non obſcure indicare, eum, ad quem Deus dicit ſede ad dexteram meam, ſic præliaturum cum hoſtibus, ut præ multo ſudore in præliando contra hoſtes contracto ſitim ſuam quavis obvia aqua ſit conaturus reſtinguere ac ſedare; quod ſane cum ſeſſione quæ quietem notat, nullo modo poteſt conſiſtere. Adde, quod omnia ea quæ in Pſalmo dicuntur de inimicis adhuc debellandis, de vulnerandis regibus in furore divino, de judicandis gentibus, de implendo omnia loca cadaveribus, &c. talia ſunt, ut ad tempora iſta pertineant, quibus David plurimis bellis præliiſque occupatus fuiſſe videtur; non vero ad iſtud ultimum tempus, quo Judæi noſtrates eum volunt de conſilio & ſententia tribunorum ac centurionum ſuorum, ſuperſediſſe à bellis gerendis. Hoc enim tempus, quamquam de eo nihil conſtat, incidit fere in finem vitæ Davidis, quo jam bella fere omnia confecta erant, populuſque tantum non alta pace fruebatur, uti ex hiſtoria liquet. Dices; Attamen verba pſalmi ſic ſonant, quaſi Deus ipſe impoſterum inimicos Davidis omnes ſcabellum pedum ejus poſiturus eſſet, Davide ſcilicet domi & in curia ſua ac palatio regio quieſcente, ſive ad prælia non exeunte. Reſp. Si velimus verba accipere prout ſonant, tum dicendum foret, Deum immediatè debellaturum hoſtes Davidis; quod abſurdum eſſe per ſe liquet, & confitentur expoſitionis iſtius autores. Si dicas, verba ſic accipi poſſe, ut non excludantur alii per quos Deus Davidis hoſtes debellaturus eſſet, tum cauſſa etiam non eſt, cur per ea dicatur excludi David ipſe. Nec enim repugnant, ſedere Davidem ad dextram Dei, & eundem virtute, ope, atque auxilio divino fultum, bella Dei gerere, atque ita Deum dextera ſua, id eſt, virtute Davidi, ejuſque præfectis communicata, hoſtes Davidis debellare, imo illa apprime ſunt conſentanea. Id apparet ex eo, quod David ipſe paſſim victorias omnes ſuas, quas de hoſtibus ſuis reportavit, in ſolidum Deo tranſcribat, quia nimirum vires ſibi & robur conſiliumque ad eas reportandas dederat, uti ex pulcherrimo ejus cantico, 2 *Samuel.* XXII liquet, per totum caput. Hinc Scriptura etiam dicit, 1. *Reg.* V. 3. Deum poſuiſſe hoſtes omnes Davidis *ſub plantis pedum ejus*; non quieſcente utique aut feriante Davide; ſed, uti in citato cantico, *verſ.* 40 dicitur, accincto fortitudine à Deo ad præliandum; & ſic, uti *verſ.* 30 dicitur, *in Deo*, id eſt, cum Deo, conterente hoſtiles exercitus, & tranſiliente muros eorum, &c. quo eodem ſenſu Iſraelitæ de Deo cecinisſe leguntur, *Pſal.* XLVII. 4: *Ducit populos ſubtus nos, & natjones ſubtus pedes noſtros*, nempe vires nobis & robur ſufficiendo ad id præſtandum. Sed & verba aliter accipi non poſſe, ex eo evinco, quia non modo certum non eſt, Davidem à bellis gerendis ex iſto tempore ſuperſediſſe, ſed de eo Scriptura ſic loquitur, quaſi à bellis gerendis nunquam quieviſſet, ſed in iis omne vitæ ſuæ tempus conſumſiſſet, uſque dum ad unum

*in Spiritu*, ſive per Spiritum, id eſt, adflatum divinum, *vocat eum Dominum*, (ſcilicet ſuum) dicens, *Dixit Dominus Domino meo, Sede ad dextram meam*, &c. quæſtio, inquam, hæc frivola fuiſſet, utpote aut falſæ aut dubiæ hypotheſi innixa, nedum quæſtio, ad quam à Doctoribus & Magiſtris iſtis reſponderi non potuiſſet. Quid enim promtius faciliuſque iis fuiſſet, quam hypotheſin iſtam negare, & ſimul Jeſum (uti nunc Judæi ſolent facere) ſupinæ ignorantiæ ac ſtupiditatis, quin & effrontis impudentiæ arguere? Ut eos dicamus auſos non fuiſſe Chriſtum redarguere, aut quæſtionem ejus futilem eſſe oſtendere, nequaquam eſt veriſimile. Nimis enim avide eum carpere geſtiebant; & eo fine, ut carperent eum, ad eum acceſſerant. Rectiſſimè enim de iis Lucas ait, etſi alia occaſione, *cap.* XI. 53, 54. quod ſolerent δεινῶς ἐνέχειν, καὶ ἀποστοματίζειν αὐτὸν περὶ πλειόνων, ἐνεδρεύοντες αὐτὸν, καὶ ζητοῦντες θηρεῦσαί τι ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ ἵνα κατηγορήσωσιν αὐτοῦ. Atqui ad hanc quæſtionem non ſiluiſſe modo dicuntur, ſed & nemo eorum vel verbum habuiſſe legitur quod poſſet reſpondere: *verſ.* 46. certiſſimo indicio, apud omnes communiter certum atque in confeſſo fuiſſe, Pſalmum iſtum de Meſſia agere, & à Davide compoſitum eſſe. Nec dubium eſt, quin hoc ipſo fundamento nixus ſcriptor ad Hebræos, toties Pſalmum hunc ad Meſſiam accommodet, non facturus id procul dubio, imprimis apud Hebræos, niſi tum temporis pro indubio habitum fuiſſet, eum ad Meſſiam pertinere. Dices: Contra facere videtur, quod Petrus *Act. cap.* II. 34, Pſalmum hunc allegaturus, dicat, *Non enim David aſcendit in cælum, ſed dicit ipſe, Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextrâ meâ*, &c. Sic enim loquendo, videtur innuere, verba iſta de Davide vulgo accepta fuiſſe, non vero de Meſſia; alioquin enim quorſum dixiſſet, *Non enim David aſcendit in cælum?* Reſpondeo primo, verba iſta Petri ſic accipi poſſunt, ut non contineant dubitationem aliquam quæ de Pſalmo iſto in vulgo erat, quaſi non de Meſſia ſed de Davide ageret; ſed contra, hypotheſin in vulgo conceſſam ac confeſſam: quaſi ſic eſſent concepta, Non enim David aſcendit in cælum, ſed dicit ipſe, uti vos ſcitis omnes & creditis. 2. Si omnino verba iſta dubitationis alicujus indicium facere velimus, fieri potuit, ut tum temporis quidam procaciores, contentionem aliquam contra receptam in vulgo opinionem, de ſenſu Pſalmi iſtius movere cæperint, eumque ad Davidem tantum pertinere adſeruerint; quos tanquam obiter & ἐν παρέργῳ taxaverit Petrus, dicendo, *Non enim David aſcendit in cælum*; quaſi diceret, uti quidam veſtrum nunc, ut Jeſu noſtro obſtrepant, videntur velle credere ac dicere. Hoc ut credam, eo maximè adducor, quod videam à Petro operoſo molimine aut prolixè antea id actum, ut demonſtraret Pſalmum XVI, cujus eadem quæ hujus ratio videri poteſt, non de Davide, ſed de Meſſia accipiendum eſſe; quod mihi non facturus fuiſſe videtur, niſi fuiſſent qui eum de Davide accipiendum eſſe contendiſſent. Sed eos tamen & paucos fuiſſe, & à communi receptaque ſententia diverſos iviſſe, vix dubium eſt. Quod attinet ad Judæos poſteriorum temporum & noſtri hujus ævi, ii certe non modo cauſſam non habent, cur credant Pſalmum hunc de Meſſia non agere; ſed & cauſſæ ac rationes juſtiſſimæ ſunt, cur eum de Meſſia agere credere debeant.

Cauſſam non habent: 1. quia nihil in iſto Pſalmo eſt quod non ſit dignum Meſſia: quod ex eo liquet, ipſis confitentibus, quia quæ in eo ſunt, ea omnia Davidi tanquam excellentiſſima & glorioſiſſima aptant. Meſſiæ autem majori jure ea competere, quæ glorioſiſſima ſunt, dubitare non debent, imprimis cum Davidem Meſſiæ typum non raro gerere agnoſcant. 2. Quia etiamſi primo ac principali ſenſu, ſive κατὰ τὸ ῥητὸν, à nobis dicatur Pſalmum de Meſſia agere, idcirco tamen non negatur à nobis, eum etiam ſenſu minus principali ad Davidem pertinere, ſive perſonæ Davidis aptari poſſe. Senſum autem duplicem admittendum aliquando eſſe in Sacris, non diffitentur, imprimis quando de typis agitur, aut aliquid tributum rebus vel perſonis legitur, quæ vel quatenus typi ſunt. In hujuſmodi enim locis ſenſus principalis ad antitypum pertinet, minus principalis ad typum. Hujuſmodi duplicis ſenſus indicium eſt luculentum, quando verba ad typum relata talia ſunt, ut non niſi figurate ei aptari poſſint, & fere hyperbolen aliquam contineant; ad antitypum vero relata, talia, ut proprie ei conveniant, & ſine figura ulla ei aptari poſſint. Id ergo ſi hîc uſu veniſſe dicamus, cauſſam non habent Judæi, cur Pſalmum hunc de Meſſia agere, nobis non concedant.

Sed & cauſſæ ſunt cur nobis ultro id largiri ac concedere debeant. Nam 1. Habemus confitentes Rabbinos non paucos, nec novitios χθὲς ἐκ πρωΐου natos, nec ſubſellii infimi aut de hæreſi ſuſpectos: ſed complures, priſci ævi, & eruditione famaque celebres; quos candidius ſinceriuſque credendum eſt in textu ſacro perſcrutando verſatos eſſe, quam poſterioris & noſtri ævi Rabbinos, quos odia affectuſque ſui faſcinatos tenent, ut quæ in aperto poſita ſunt aut videre nolint aut videre non poſſint. Iſtis itaque ut accedam potius quam his ratio ſuadet. 2. Nullum hactenus certum ſenſum adſignare potuerunt, quo quidem nituntur & in quo acquieſcunt. Senſus vero omnes iſtos, quos fingunt, tot vident laborare difficultatibus, exceptionibus, & contortis phraſium expoſitionibus, ut hærere ipſos ſubinde neceſſe ſit. Nam quod attinet ad ſenſum illum, quem cæteris veriſimiliorem dixi mihi videri; qui depromtus eſt ex hiſtoria quæ deſcribitur 2 *Samuel.* XXI. iſte ipſe non parvis laborat difficultatibus. Nam 1. incertum eſt an non ante iſtam hiſtoriam Pſalmus conſcriptus ſit; quia nullius veterum Pſalmum hunc ad eam reſpicere vel per ſomnium cogitavit. 2. Incertum eſt, an id, quod tum viri Davidis feciſſe ac dixiſſe, quia & juraſſe Davidi dicuntur, recte ac bene fecerint, nedum an divino inſtinctu atque afflatu id fecerint, ut is, qui Pſalmum iſtum conſcripſiſſe creditur, ipſum Deum id per os eorum dixiſſe, jure canere potuerit. 3. Incertum eſt an Davidi id placuerit, ipſeque iis morem geſſerit. 4. Inuſitatum eſt phraſin מִזְמוֹר לְדָוִד interpretari, Pſalmus Davidi dictus, non à Davide, cujus an exempla alia dari poſſint nondum ſatis liquet. Saltem ante Aben-Eſram, qui commenti hujus author creditur, phraſis iſta non aliter quam ex communi uſu accepta fuit, pro, Pſalmus Davidis, id eſt à Davide ipſo ſcriptus, paucis exceptis qui in computum non veniunt. 3. Quia impoſſibile eſt ut omnia quæ in Pſalmo iſto dicuntur, ulli alii perſonæ quam Meſſiæ propriè aptentur. Davidi ea proprie aptari non poſſe, quod tamen hodie fere Judæi faciunt, ac fieri debere contendunt, manifeſtum eſt ex his rationibus. Prima: Davidi proprie aptari non poteſt, quod ſederit ad dextram Dei, aut quod ei Deus juſſerit ſedere ad dextram ſuam. Quos enim propriè ad dextram ſuam Reges, Principes ac magnates ſedere jubent, eos ſummo ante alios omnes honore dignantur, tanquam ſolo ſolio regio ac principali inferiores, uti in facto Solomonis matrem ſuam à dextra ſua ſedere jubentis, 1 *Reg.* II. 19, manifeſtum eſt. Iſto autem honore Deum fuiſſe dignatum Davidem, dici non poteſt, quia David ſine dubio Meſſia multo erat inferior, ac proinde Meſſiæ filio ejus honor iſte propriè competebat, ut dexter Deo adſideret, id eſt, proximo poſt Deum loco ac gradu honoris eſſet. Dices: Sæpenumero tamen Davidi tribuitur, ipſeque David ſibi tribuit, quod Deus ſemper ei erat à dextris, &c. Reſpondeo: At verò ego longe aliud eſſe credo, Deum eſſe Davidi à dextris, quam Davidem ſedere à dextra Dei; &, aliud Deum dicere, aut Davidem de Deo dicere, quod ſit à dextra ejus, quàm Deum jubere Davidi, Sede à dextris meis. Hoc poſterius non puto uſpiam alicui tributum reperiri, videlicet quod ſedeat à dextra Dei, aut quod Deus ei ſedere jubeat, quam huic uni, de quo hîc agitur. Iſtud prius non raro tribuitur, non tantum Davidi *Pſal.* XVI. 8. & CIX. 31. ſed & ſanctis piiſque quibuſlibet. Hi enim omnes dextra Dei protegi, ſub vel in dextra Dei eſſe, Deum à dextris ſuis habere, ac conſpicere dicuntur, quia Deum ſibi faventem, divinamque opem ac potentiam, quæ dextrâ Dei denotatur, ſemper quaſi præſto ac præſentem ſibi habent, ne à quoquam lædi poſſint aut injuria adfici, ſaltem impune. Notandum tamen, uti nulli tribuitur quod ſedeat ad dextram Dei; ita nunquam ulli tribuitur quod Deus ſedeat à dextra ejus, ſed bene quod ſit, quod ſtet à dextris ejus. At quem in dextra ſua Deus ſedere jubet, eum non ſedere ibi jubet, ut ſua protectione eum dignetur, ſicuti fit, quando Deus à dextris alicui eſſe dicitur, ſed ut eum honore iſto adficiat, quo major proximiorque ſolio ejus honor dari non poteſt, eique, ſi regnare eum ſecum vel loco aut nomine ſuo velit, ea omnia conferat, quæ ad tuendum honorem dignitatemque iſtam neceſſaria ſunt. Quis aut qualis iſte honor ſit, aut qua in re conſiſtat, ego jam non expendo. Sufficit ut intelligatur, phraſin iſtam *ſedere ad dextram Dei*, ſignificare, proximum à Deo honoris ac dignitatis locum tenere: de quo non puto dubitari jure à quoquam poſſe, qui exemplum Solomonis ritumque gentium ac populorum omnium obſervat; quem in ipſo etiam Dei populo, Jeſu noſtri tempore, uſitatum fuiſſe, filii Zebedæi, ſive mater filiorum Zebedæi non obſcurè ſignificat, quando pro filiis ſuis intercedens, Jeſum rogat, ut alter eorum ad dexteram ejus, alter ad ſiniſtram ſedeat in regno ejus: *Matth.* XX. 21. Nempe id orat, ut, quando Jeſus regnum ſuum auſpicaturus erat, quod ſine dubio jam præ foribus quaſi eſſe credebat, filii ſui principem ac primum poſt ipſum, dignitatis locum habeant, ante alios omnes. Ritum hunc etiam obſervare eſt ex libro *Eſdræ* III. licet apocrypho, *cap.* IV. 29. & *Eccleſiaſtici cap.* XII. 12.

*Non vel ad Davidem modò & Davidi propriè non convenit ſedere ad dextram Dei.*

Dices: Hoc ſenſu nullo modo pertinere poterunt hæc Pſalmi verba ad Davidem. Reſp. Eſto. Id cauſſæ noſtræ non modo non officit, ſed vehementer favet. Ne tamen

non

non videamur ultro lubenteſque largiri adverſariis, quicquid ſine cauſſæ præjudicio, iis largiri poſſumus; Reſpondeo, Pſalmum hunc, ſive verba Pſalmi hujus, ad Davidem non poſſe pertinere, ſi ſenſus eorum de ſenſu proprio ac pleno accipiatur, concedo. Si de improprio ac ſemipleno ſenſu, qui ſenſus proprie eſt typorum, accipiatur, nego. Fatendum enim omnino videtur, aliqua ratione ſive impropriè verum eſſe poſſe, Deum Davidi etiam dixiſſe, Sede ad dextram meam; ſi videlicet concedamus Pſalmum hunc ab alio quam Davide ipſo conſcriptum ac decantatum eſſe, vel à populo toto in honorem Davidis cantari ſolitum: quamquam ut id concedamus nulla ratio cogit. David enim præ aliis omnibus regibus terræ, Deo proximus Rex fuit; quia populi Dei ex omnibus in terra populis electi Rex fuit; & præ aliis omnibus regibus etiam electus à Deo fuit, ut populi totius iſtius electi Rex fieret, & ad regnum alia longe gravioreque via, quam Regum alius ullus, perveniret, & in regno longe illuſtriore nobilioreque modo collocaretur, quam quiſquam Regũ alius; videlicet non efflagitatus à populo, ut Saul, non ſucceſſionis jure, ut Salomon, &c. ſed à Deo ipſo datus ac deſignatus, tanquam vir ſecundum cor Dei: adeo ut neminem ſibi parem habuiſſe dici poſſit, ac proinde Deus eum ſolum, inter & ante alios omnes Reges, iſto honore dignatus videatur, ut ſolus veluti dexter Deo, id eſt, Angelo ejus, populi Iſraelis cuſtodi, adſederit, quaſi poſt Deum principatum ſolus & ſupra alios omnes ſummum habens, nulli ſecundus: nempe ſolus Regum pene gerens typum Meſſiæ; quatenus videlicet regium honorem adeptus eſt, qui non niſi in Meſſia immediate, tanquam in Filio ejus, non vero mediate, tanquam in Regum aliorum ſucceſſore, continuandus & propriè implendus erat. Hinc enim Meſſias ſolius Davidis filius paſſim vocatur, & olim vocari ſemper ſolebat, non vero aliorum Regum à Davide deſcendentium. Hic vero honor, quia Davidi conceſſus non fuit, niſi in hac terra, imo exigua terræ hujus portione, ſuper exiguum, & cum reliqua hominum multitudine non conferendum, populum, ad exiguum denique & breve tempus, cum tempore aliorum quorundam Regum, Azæ, Uziæ, Manaſſis, non comparandum, ſi tempus pleni perfectique regni ejus ſuper omnes tribus populi conſideretur, profecto non niſi improprie meretur vocari honos iſte, qui auguſta phraſi ſeſſionis an dextram Dei continetur; quippe qui Meſſiæ ſoli propriè competit, quem Deum in cælis glorioſe eſſe, & dextra ſive potentia ſua nunc uti, & ſublata populorum diſtinctione mundi totius Deum eſſe æternumque manſurum conſtat. Atque hæc cauſſa eſt, cur verba hæc Pſalmi ad Davidem proprie referri non poſſe dixerimus; & cur ſcriptor ad *Hebr. cap.* I. 13, dicat, *Ne Angelorum quidem ulli unquam dictum fuiſſe*, id eſt, honorem hunc datum, *Sede ad dextram meam*; & cur paſſim in Scriptura Novi Teſtamenti, poſitio Jeſu noſtri ad dextram Majeſtatis Dei in excelſis, tanquam ſupremus honoris dignitatiſque gradus, qui ei à Patre adtributus eſt, conſtituatur. Quem tamen eo uſque extendendum non puto, quo Jeſuita Maldonatus vult: quaſi videlicet per ſedere ad dextram Dei, non ſolum æqualitas honoris & dignitatis, ſed quiddam etiam æqualitate majus ſignificetur, quatenus & quia videlicet Deus functionem omnem regendi atque imperandi Meſſiæ ſic dedit, ut ipſe quaſi ea ſe exuerit, eamque à ſe abdicaverit, tranſlata in Meſſiam omni poteſtate, eaque abſoluta, ſuprema, & ſuæ veluti poteſtati exemta; ſic ut illi nullo modo velit intercedere: juxta illud *Joannis* V. 22. *Pater neminem judicat, ſed omne judicium dedit Filio.* & 1 *Corinth.* XV. 28: *Poſtquam vero ſubjecta ei fuerint omnia, tunc & ipſe filius ſubjicietur ei*; quaſi dicat, qui jam ei ſubjectus non eſt. Hoc enim nec phraſis *Sedendi ad dextram*, poſtulare, nec divina Majeſtate dignum eſſe, nec loca allegata arguere aut evincere mihi videntur. Sedere enim ad dextram, quod quidem juſſu ſupremi Regis principiſque fit, non ſignificat honorem habere ſupra ipſum Regem principemque jubentem; quia aliàs Rex ſolio ſuo proprio eum dignaretur: uti David dignatus Solomonem legitur, quando eum Regem creari juſſit: 1 *Reg.* I. 35. Solium enim Regum ſemper ſupremæ Majeſtatis ſedes atque indicium eſt. Deinde plane veriſimile non eſt Regem, qui Rex manet, ſuam dignitatem ſupremam in alium transferre. Quod Maldonatus ait, cum tres ſimul ſedent, omnium more gentilum, qui honoratiſſimus eſt ſedet in medio; cum autem ſedent duo, qui honoratior eſt ſedet ad dextram: id ſane verum non eſt. Quod enim ad tres ſimul attinet, conſtat ex Joſepho, Jud. Antiquit. lib. XIV. cap. XXVI, Herodem à Senatu Romano Regem renunciatum, medium iviſſe inter Antonium & Cæſarem Auguſtum, nulla Antonii aut Cæſaris dignitatis imminutione. Dices: At non dicitur, ſediſſe Herodem medium. Reſp. Nec negatur: & eadem ratio cur non ſit in incedendo, quæ eſt in ſedendo, ego non video. Quod ad duos attinet, contrarium apparet in Nerone, apud Suetonium, cap. 13: qui Tiridatem perduxit in theatrum, ac rurſum ſupplicantem juxta ſe latere dextro collocavit; non præferendo eum ſibi; (Nemini enim dubium erat, Imperatoris Romani locum, ubicunque tandem eſſet, ſummum eſſe:) ſed eum præ aliis honorando. Majeſtate divina dignum non eſſe, ut quis illa dicatur ſuperiorem dignitatem habere, ex reipſa liquet. hinc dicitur Filio omnia ſubjecta eſſe, *præter eum qui ſubjecit ei omnia*: 1 *Corinth.* XV. 27. & hinc ita Rex dicitur Filius ut etiam Sacerdos ſit, qui precario Regiam dignitatem habet, & quaſi intermediis precibus ac ſuppliciis exequitur munus ſuum, veriſimiliter Patrem ſubinde conſulens, aut Patris juſſa accipiens, ad paternæ Majeſtatis gloriam ſartam tectam ſervandum.

Sed ex altera parte honorem ſeſſionis ad dextram Dei eò uſque non puto deprimendum, aut non altius extollendum quam nonnulli ſemi Iudaizantes volunt; quaſi gradus iſte dignitatis regimen atque imperium actuale excludat, & non niſi honorem cum otio ac quiete conjunctum notet; ac ſi ſenſus ſit, *Sede*, id eſt, quieſce, feriare impoſterum innixus dextræ, id eſt, potentiæ meæ, (quia in dextra robur ac potentia præcipua ſita eſt,) qua ego omnia acturus ſum pro te, & debellaturus bella omnia. Nam 1. phraſis illa, ſedere ad dexteram alicujus, nunquam accipitur pro quieſcere, ſive alienæ opi ac curæ rem totam committere, & ipſe interim nihil agere. 2. Ex ipſo hoc Pſalmo patet, phraſin ſic accipi non poſſe. 1. quia ad eundem ad quem Deus *verſ.* 1, dixerat, *ſede ad dextram meam*, dicit *verſ.* 2. *dominare in medio inimicorum tuorum.* Senſus enim eſt, Tu dominaberis inimicis tuis, ſubjugando & ſubjiciendo eos tibi. Dominari autem & quieſcere ſive feriari ab omni regni cura, ſunt contraria. 2. quia de eodem dicitur, *Deum eſſe ad dexteram ejus*: *verſ.* 5. Ad dexteram autem quando Deus alicui eſſe dicitur, auxilium divinum intelligitur, quo juvatur is, qui dextera ſua, id eſt, robore omni ſuo utitur ad debellandum hoſtes ſuos. Sedere itaque ad dextram Dei hîc non ſignificat quieſcere. 3. Quia *verſ. ultimum* videtur non obſcure indicare, eum, ad quem Deus dicit ſede ad dexteram meam, ſic præliaturum cum hoſtibus, ut præ multo ſudore in præliando contra hoſtes contracto ſitim ſuam quavis obvia aqua ſit conaturus reſtinguere ac ſedare; quod ſane cum ſeſſione quæ quietem notat, nullo modo poteſt conſiſtere. Adde, quod omnia ea quæ in Pſalmo dicuntur de inimicis adhuc debellandis, de vulnerandis regibus in furore divino, de judicandis gentibus, de implendo omnia loca cadaveribus, &c. talia ſunt, ut ad tempora iſta pertineant, quibus David plurimis bellis præliiſque occupatus fuiſſe videtur; non vero ad iſtud ultimum tempus, quo Judæi noſtrates eum volunt de conſilio & ſententia tribunorum ac centurionum ſuorum, ſuperſediſſe à bellis gerendis. Hoc enim tempus, quamquam de eo nihil conſtat, incidit fere in finem vitæ Davidis, quo jam bella fere omnia confecta erant, populuſque tantum non alta pace fruebatur, uti ex hiſtoria liquet. Dices; Attamen verba pſalmi ſic ſonant, quaſi Deus ipſe impoſterum inimicos Davidis omnes ſcabellum pedum ejus poſiturus eſſet, Davide ſcilicet domi & in curia ſua ac palatio regio quieſcente, ſive ad prælia non exeunte. Reſp. Si velimus verba accipere prout ſonant, tum dicendum foret, Deum immediatè debellaturum hoſtes Davidis; quod abſurdum eſſe per ſe liquet, & confitentur expoſitionis iſtius autores. Si dicas, verba ſic accipi poſſe, ut non excludantur alii per quos Deus Davidis hoſtes debellaturus eſſet, tum cauſſa etiam non eſt, cur per ea dicatur excludi David ipſe. Nec enim repugnant, ſedere Davidem ad dextram Dei, & eundem virtute, ope, atque auxilio divino fultum, bella Dei gerere, atque ita Deum dextera ſua, id eſt, virtute Davidi, ejuſque præfectis communicata, hoſtes Davidis debellare, imo illa apprime ſunt conſentanea. Id apparet ex eo, quod David ipſe paſſim victorias omnes ſuas, quas de hoſtibus ſuis reportavit, in ſolidum Deo tranſcribat, quia nimirum vires ſibi & robur conſiliumque ad eas reportandas dederat, uti ex pulcherrimo ejus cantico, 2 *Samuel.* XXII liquet, per totum caput. Hinc Scriptura etiam dicit, 1. *Reg.* V. 3. Deum poſuiſſe hoſtes omnes Davidis *ſub plantis pedum ejus*; non quieſcente utique aut feriante Davide; ſed, uti in citato cantico, *verſ.* 40 dicitur, accincto fortitudine à Deo ad præliandum; & ſic, uti *verſ.* 30 dicitur, *in Deo*, id eſt, cum Deo, conterente hoſtiles exercitus, & tranſiliente muros eorum, &c. quo eodem ſenſu Iſraelitæ de Deo ceciniſſe leguntur, *Pſal.* XLVII. 4: *Ducit populos ſubtus nos, & nationes ſubtus pedes noſtros*, nempe vires nobis & robur ſufficiendo ad id præſtandum. Sed & verba aliter accipi non poſſe, ex eo evinco, quia non modo certum non eſt, Davidem à bellis gerendis ex iſto tempore ſuperſediſſe, ſed de eo Scriptura ſic loquitur, quaſi à bellis gerendis nunquam quieviſſet, ſed in iis omne vitæ ſuæ tempus conſumſiſſet, uſque dum ad unum

hoſtes omnes confeciſſet; uti 1 *Reg.* V, 3. 4. & 1 *Paral.* XXII. 8. & 18. & paſſim alibi videre eſt. adeò quidem, ut propter iſtam cauſſam prohibitus fuerit ædificare domum, id eſt, templum nomini divino, & Solomoni filio ejus iſta provincia fuerit demandata, idcirco, quia ipſe erat futurus vir quietis, & Deus eum facturus erat requieſcere ab omnibus inimicis ſuis in circuitu: 1 *Paral.* XXII. 9. ita ut nullus ei eſſet adverſarius, neque occurſus ullus malus: 1 *Reg.* V. 4. propter quem videlicet ei arma ſumenda aut prælia tentanda forent. Quare cum Deus hîc dicitur dixiſſe Davidi, Sede ad dextram meam, nullo modo cenſendus eſt dixiſſe, Quieſce tu impoſterum à bello omni gerendo: ſed plane contrarium, Regna mecum ſuper populum meum, & mihi confidens exerce opera regnantis, inimicos debellando, amicis auxiliando, illos evertendo, hos liberando; nec ceſſa, donec ope ac virtute mea fæliciter omnia confeceris, ut pacatum regnum atque imperium tradas filio tuo, cui Schelomoh nomen erit, quia pacem & quietem dabo Iſraeli in diebus ejus. Atque hæc eſt prima noſtra ratio.

*Secundò, quia David non fuit Sacerdos, nedum ſecundùm ordinem Melchiſedech.*

Secunda eſt; Quia Davidi nullo modo aptari poſſunt verba *verſ.* 4. quod videlicet *Deus ei juraverit, juramento cujus eum nunquam pœnitebit, Tu es ſacerdos in ſeculum, ſecundum ordinem Melchiſedech.* Nec enim David Sacerdos fuit, nedum Sacerdos æternus, nedum ſacerdos ſecundum ordinem עַל דִּבְרָתִי Melchizedec.

Argumentum hoc per ſe clarum eſt, ſi modo evincatur vocem כֹּהֵן hîc Sacerdotem ſignificare. Quin uſitata & frequentiſſima vocis iſtius ſignificatio ea ſit, nemo diffitetur. Eadem ſi huic loco propria eſſe dicatur, non video, quomodo ea Davidi proprie aptari poſſit à Chriſtianis nonnullis, invitis licet ac refragantibus ipſis Judæis. Atqui, inquiunt illi, Davidem non Regem tantum ſed Sacerdotem etiam fuiſſe, multa arguunt. 1. Quia legitur uſus aliquando veſte Sacerdotali, quod non niſi Sacerdotibus Lege Dei permiſſum fuiſſe conſtat: *Exod.* XXVIII: nempe Ephod, ſive ſacro amiculo lineo, ſummo Pontifici proprio: 1 *Samuel.* XXX. 7. & 2 *Samuel.* VI. 14. Reſp. 1. Ephod hoc, quo dicitur indutus ſive accinctus fuiſſe David, an fuerit ille ſacer lineus amiculus Pontifici proprius, & quicum ſemel adytum ſacrum quotannis ingrediebatur, incertum eſt. Nihil enim obſtat, ſi dicamus fuiſſe amiculum ſacrum quendam alium, quo oraculum divinum conſulturi, ſive Pontifex, ſive Rex, ſive Senatus, indui debebant; ſaltem Ephod ſummi Pontificis fuiſſe, quo accinctus David coram arca ſaltabat, merito dubitari poteſt. Cur enim non dicamus potius illud fuiſſe ex iſtorum Ephodim genere, quibus Sacerdotes omnes filii Aaron induebantur ad gloriam & decorem, uti *Exod.* XXVIII. *verſ.* 4. legere eſt. & *Samuelis lib.* I. *cap.* XXII. 18, induti fuiſſe leguntur octoginta & quinque viri, à Doeg Idumæo juſſu Saulis interemti? 2. Si idem plane Ephod fuiſſe velimus, & verba iſta, 1 *Samuel.* XXX. 7. וַיַּגֵּשׁ אֶבְיָתָר אֵת הָאֵפוֹד אֶל דָּוִד non interpretari cum quibuſdam, *Et applicavit ſibi Ebiathar amiculum, Davidis cauſſa*, ſed, prout videntur verba poſtulare, *Et applicavit Ebiathar Ephod Davidi*, oraculum ſcilicet conſulere volenti, tum dico, veſtem hanc ſic non fuiſſe Pontifici propriam, ut ea nulli, nullo unquam caſu, liceret uti, ne Regi quidem Deum conſulere volenti: ſed fuiſſe veſtem propriam quidem Pontifici adyta ingreſſuro, cæterum vel communem veſtem omnibus oraculum conſulentibus, vel ſaltem Regi ſpeciali privilegio conceſſam, ut ea pro re nata ad honorem Dei & Reipub. bonum uteretur, tanquam ſacerdotibus & prophetis omnibus major dignioreque, imprimis quando oraculum divinum conſulebat. 2. Quia, inquiunt, David legitur ipſe *obtuliſſe Deo holocauſta & pacifica*, & deinde *populo benedixiſſe in nomine Domini exercituum*: 2 *Reg.* VI. 17. quod tamen utrumque munus Sacerdotum proprium fuiſſe manifeſtum eſt. Reſp. De Davide quidem utrumque iſtud dici in loco allegato, ſed non dici de eo quod utrumque iſtud fecerit immediate. Nihil enim vetat verba iſta ſic accipere, ut David iſta obtuliſſe dicatur, eodem ſenſu, quo omnes Iſraelitæ paſſim dicuntur ſacrificia ſua offerre, videlicet per Levitas alioſque ſacrificiis Deo offerendis deſtinatos conſecratoſque: *Levit.* XVII. 8, *&c.* (quod quis enim per alium facit, ipſe facere creditur ac cenſetur:) & quo David ipſe 2 *Samuel.* VI. 12, dicitur adduxiſſe arcam Dei è domo Obed Edom in civitatem Davidis, id eſt ſuam; nempe per Levitas, quia diſertè 1 *Paral.* XV, 2, legitur dixiſſe, *Non eſt faus quiſquam portet Arcam Dei niſi Levitæ. Illos enim elegit Deus ut portent arcam Dei, & miniſtrent ei in ſeculum.* Quin & ſic Davidem obtuliſſe holocauſta & pacifica, ut credatur, omnino neceſſarium eſt. 1. quia certum eſt, tum ex ipſa lege divina, tum ex eo quod autor ad Hebræos ait, tempore Davidis ſacerdotium lege divina peculiariter deſtinatum fuiſſe tribui Levi, & imprimis familiæ Aaronis; Davidem autem ad aliam tribum pertinuiſſe, ἐξ ἑτέρας φυλῆς ἀφ' ἧς οὐδεὶς προσέσχηκε τῷ θυσιαστηρίῳ, *de qua nullus attendit altari*: *Heb.* VII. 13. 2. quia idem, quod hîc feciſſe dicitur David, feciſſe dicuntur Iſraelitæ omnes: 1 *Paral.* XVI. 1: id eſt, obtuliſſe holocauſta & pacifica coram Deo. Nemo autem dixerit Iſraelitas omnes ſacrificaſſe aut victimas obtuliſſe Deo, aliter, quam per manum Sacerdotum, quorum id munus erat peculiare ac proprium. Obtuliſſe ergo dicuntur, ſive per ſe ipſos, ſive per Davidem Regem ſuum, pecudes, à Levitis mactandas, & à Sacerdotibus offerendas. Dices: At David benedixiſſe dicitur populo in nomine Domini. Reſp. 1. Benedictionis alia ratio fuit, quam oblationis. Benedictio enim etſi mandata ſpecialiter fuit ſacerdotibus, *Num.* VI. 24: tamen non mandata legitur cum excluſione aliorum: niſi fortaſſe quando ſolemnis benedictio in templo facienda erat. Alioquin benedictio communiter conceſſa & uſitata fuiſſe legitur; imprimis Regibus, tanquam populi capitibus, & ſubditis etiam non raro, tanquam ab iis dependentibus. Regem vero populo benedicere, benedictione Regibus peculiari, ac Regia Majeſtate digna, nihil repugnans dicit officio ſacerdotali. Rex enim caput populi eſt, cujus eſt beneficia dare, non accipere. 2. Nihil vetat dicere, Davidem benedixiſſe populo eodem modo, quo dicitur obtuliſſe holocauſta, videlicet juſſu regio per Levitas aut Sacerdotes executioni mandato, ſive juxta præſcriptum divinum: *Num.* VI. 23. 24. 25. 26. 27. ſive juxta formulam ab ipſo conceptam ac dictatam, qualis deinde recenſetur commate 7, ejuſdem capitis, uſurpanda deinceps per manum Aſaph & fratrum ejus. 3. quia conſtat Deum graviſſime offenſum fuiſſe, quin & acriter animadvertiſſe in Reges iſtos, qui jus iſtud ſacerdotale ſibi arrogabant, aut uſurpare quaſi regio quodam titulo ac jure ſibi licitum præſumebant: uti apparet ex hiſtoria Uziæ Regis, 2 *Paral.* XXVI. *verſ.* 21. quem lepra percuſſit Deus, eo quod ſuffitum adolere præſumſiſſet ſuper altare ſuffimenti. *Non enim eſt tuum*, inquiebant Sacerdotes, *verſ.* 18, *Uziah, ſuffire Jehovæ, ſed ſacerdotum filiorum Aharon, qui ſanctificati ſunt, eſt ſuffire.* 3. Quia, inquiunt, non tantum David, ſed & filii ejus ſacerdotes fuiſſe dicuntur: 2 *Samuel.* VIII. 18. Reſp. vocem כֹּהֲנִים proprie iſtic uſurpatam non eſſe per ſe manifeſtum eſt. 1. quia diſerte *verſ.* 17. præcedente, Sadoc & Ahimelech proprie dicuntur fuiſſe ſacerdotes, & 1 *Paral.* XVIII. 16, filii Davidis vocantur non ſacerdotes, ſed הָרִאשֹׁנִים *primarii ad manum regis.* 2. quia filii Davidis aperte ibi conjunguntur cum Benaiahu, Chereti & Pelethi, quos conſtat prætorianos fuiſſe milites Davidis. Iſtis etiam *cap.* XX. ejuſdem libri 2 *Samuel. verſ. ult.* conjungitur Ira Iairites, qui ibidem expreſſe dicitur fuiſſe כֹּהֵן Thargum רַב Davidis. 3. quia certum eſt filios Davidis proprie ſacerdotes eſſe non potuiſſe, non tantum quia ex tribu Levi non erant, ac proinde nec ex familia Aaronis, ſed etiam quia, poſito Davidem ſacerdotem fuiſſe, David ſacerdos in ſeculum eſſe non potuiſſet juxta ordinem Melchizedeci: habuiſſet enim ſucceſſores in ſacerdotali iſta dignitate, non aliter quam Levitici ſacerdotes: quod directe repugnare ſcriptori ad Hebræos manifeſtum eſt. Quare omnino rejicienda videtur hæc Eniedini ſententia; quamquam una hac ſolaque ſpecie fucata, quod alioquin hæc Pſalmi verba, nullo modo Davidi aptari poſſint tanquam Meſſiæ typo: qua in re eum errare ex ſequentibus manifeſtum fiet. Sed & à Judæis eam rejici non eſt dubium, vel ex eo ſolo, quod vocem כֹּהֵן hoc loco non velint ſignificare Sacerdotem, ſed Regem & Principem, ſeu Ducem: ſine dubio ne Davidem videantur facere Sacerdotem. Et firmari videtur eorum interpretatio ex eo, quod ad objectionem ultimam reſpondimus, & in principio hujus noſtræ expoſitionis conceſſimus, vocem כֹּהֵן aliquando ſignificare non ſacerdotem, ſed vel principem, vel primarium aliquem, ſeu lateronem ſeu adſtitem Regis, & tum à Chaldæo transferri per vocem רַב aut רַבָּא, uti ex allegatis locis, 2 *Samuel.* VIII. 16. & XX. 26, manifeſtum eſt. quibus alii addunt, *Iob. cap.* XII. 19: *Ducit Principes* כֹּהֲנִים *ſpoliatos, & fortes ſubvertit. Geneſ.* XLI. 45: ubi de Pharaone dicitur: *Et dedit ei*, Joſepho ſcilicet, *Aſenath filiam Potipherah* כֹּהֵן *ſacerdotis* (aut principis) *On*, id eſt, Heliopoleos, ſecundum Hieronymum. & *Exod.* II. *verſ.* 16. item III. *verſ.* 1: ubi Jethro ſocer Moſis vocatur כֹּהֵן Midian, id eſt, præfectus, princeps locorum iſtorum, רַבָּא legit Thargum, id eſt, dynaſta. Reſp. 1. Etſi diffitendum nullo modo eſt, vocem כֹּהֵן non ſemper ſacerdotem, ſed aliquando etiam, Regem, dynaſtam, aut principem aliquem virum ſignificare, cauſſam tamen non eſſe, cur hoc loco non ſacerdotem ſed Principem ſignificet, præter communiſſimam & receptiſſimam ſuam ſignificationem. 2. cauſſam eſſe manifeſtam, cur non Principem, ſed Sacerdotem, propriiſſima ſua ſignificatione hîc notet, non tamen excluſa principis Regiſque ſignificatione, ob cauſſam quam deinde dicam. Nam manifeſta hic apparet alluſio ad hiſtoriam *Geneſ.* XIV, in qua ſola veluti

uti διὰ μηχανῆς Melchizedeci mentio fit, qui Abrahamo revertenti à cæde Regum, dicitur cum pane & vino obviam iviſſe, & ipſe כֹּהֵן *ſacerdos Dei*, vel *Deo altiſſimo*, eique benedixiſſe, ſcilicet Abrahamo. vocem כֹּהֵן iſtic ſacerdotem ſignificare, non Regem aut Principem, Judæi ipſi non diffitentur, & ex textu liquet. 1. quia diſertè antea Melchiſedec vocatus fuit Rex Salem. Sic enim legitur; *At Melchizedec Rex Salem protulit panem & vinum.* Quomodo & quorſum ergo ſtatim deinde ſubjeciſſet Moſes, *& ipſe Rex Dei altiſſimi?* כֹּהֵן ergo hîc Regem non ſignificat. 2. quia ſacerdotalis actio ei tribuitur, nempe benedictio ſolemni ritu inſtituta, quam non fuiſſe Regiam dumtaxat, nedum vulgarem, ex eo liquet, quia Abrahamus, accepta benedictione, decimas ſpoliorum omnium ei dedit, quæ non niſi ſacerdotibus dari ſolent. Ex his ſic jam colligo: Quo ſenſu vox כֹּהֵן apud Moſen in iſta hiſtoria accipitur, eodem etiam in Pſalmo à Davide accipitur; quia alioquin allufio non eſſet ad hiſtoriam iſtam. At ibi apud Moſen non pro Rege aut Principe, ſed pro ſacerdote accipitur. Ergo. Hæc ipſa etiam collectio ſufficit evertendæ novitiæ interpretationi R. Abraham, qui vocem כֹּהֵן interpretatur per miniſtrum & cultorem, in ſuis ad hunc Pſalmum commentariis. Nam in hiſtoria Melchizedeci vox כֹּהֵן non poteſt ſignificare miniſtrum ſive cultorem. Ratio enim ſive cauſſa cur Melchizedec protulerit panem & vinum, Abrahamoque benedixerit, eſt, quia erat כֹּהֵן Dei altiſſimi. At quæ illa ratio foret, cum Abraham non minus miniſter & cultor Dei eſſet quam Melchizedec; & tamen is Melchizedeco propterea non benedixerit, nec decimas ab eo acceperit? Quare כֹּהֵן hîc majus aliquid præſtantiuſque ſignificet neceſſe eſt, & cum Principem ſignificare propriè non poſſit, ut ſacerdotem ſignificet neceſſe eſt. Eadem itaque in Pſalmo ſignificatio cur non admittatur?

Dices: Si iſta admittatur, tum multo prorſus modo Davidi aptari poteſt. Reſp. ut ei aptetur non eſt neceſſe. Sed, ne videamur largiri nolle adverſariis, quod veri ſpeciem quandam habet, & cauſſæ noſtræ non officit, dico, verba iſta ſic eſſe concepta, ut vel ſenſu pleno accipiatur vox כֹּהֵן, vel ſemipleno. Pleno ſenſu accipitur, quando vox iſta Principem ſimul ac ſacerdotem ſignificat. Semipleno, quando non niſi Principem ſignificat. Hoc ſecundo ſenſu aptari poteſt Davidi, tanquam Regi maximo unicoque in populo, qui parem ſibi nec ante ſe nec poſt ſe habuit; & videri poteſt Melchizedeco iſti, de quo in Geneſios hiſtoria legitur, ſimilis, qui tanquam Phœnix quidam iſto tempore fuiſſe legitur, cui par alius nemo fuit. Primo ſenſu non poteſt aptari Davidi, uti jam demonſtravimus, ſed ſoli tantum Meſſiæ; qui verus unicuſque Rex ac Sacerdos Dei altiſſimi eſt, עַל דִּבְרָתִי מַלְכִּי צֶדֶק quod, ad verbum ſonat, *ſuper verbum meum Melchizedec*, à Latinis omnibus interpretibus fere redditur, *juxta ordinem*, à LXX κατὰ τὴν τάξιν, à Syro interprete, *Bademute*, id eſt, *ſecundum ſimilitudinem:* quæ interpretatio etiam eſt ſcriptoris ad Hebræos, *cap.* VII. 15, κατὰ τὴν ὁμοιότητα: id eſt, ſacerdos non Aaroni ſimilis, nec talis, quales ſunt Aaronici Sacerdotes, qui ad tempus tantum conſtituuntur fungendo ſacerdotio, & quibus morientibus alii ſuccedunt ad perpetuandum Sacerdotium; ſed æternus, qui nec anteceſſorem nec ſucceſſorem ſibi habet; eodem modo, quo Melchizedec Sacerdos fuiſſe legitur, iſto, quo vixit, tempore, planè ἀγενεαλόγητος & ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ, in ſacerdotio ſuo ſcilicet, & ſic ἀφωμοιωμένος υἱῷ θεοῦ, id eſt, Domino Deo Meſſiæ noſtro. Nec Sacerdos ſolum eſt Meſſias, ſed & Rex æternus, quem regnare oportet, uſque dum inimicos omnes ſuos poſuerit ſcabellum pedum ſuorum: 1 *Corinth.* XV. 25. quia *Deus ei daturus eſt thronum Patris ſui Davidis, & ipſe regnaturus eſt in domum Jacob εἰς τοὺς αἰῶνας, & regni ejus non erit finis:* Luc. I. 33.

## CAPUT XVIII.

### Quarti argumenti primum fundamentum, Prædictum fuiſſe per Prophetas, fore ut Meſſiæ adhærerent omnes terræ nationes.

ULtimum argumentum, quo adſtruximus Jeſum noſtrum eſſe promiſſum illum Meſſiam, hoc eſt: Quia Jeſu noſtro, ejuſque doctrinæ prædicatæ fides habita eſt in toto mundo.

Argumentum hoc noſtrum duplici fundamento nititur: Primum eſt: Quia prædictum fuit per prophetas, futurum, ut Meſſiæ adhærerent gentes & nationes omnes terræ, ejuſque legi ſe ſubjicerent ac ſubmitterent. Secundum eſt: Quia ſi Jeſus noſter non fuiſſet Meſſias ille promiſſus, ejuſque doctrina, qua eum promiſſum illum Meſſiam eſſe continetur, divina non fuiſſet, fieri non potuiſſet, ut pro Meſſia receptus, & doctrinæ ejus fides habita fuiſſet in toto mundo.

*Iſti fini primum allegantur obiter tria loca ex Prophetis.*

Primum fundamentum per ſe ſatis liquet ex quamplurimis S. Scripturæ locis, quæ omnia enumerare & confirmare non eſt neceſſe. Non allegabo jam locum *Geneſ.* XVII. 5: ubi Deus *Abrahamum futurum* promittit *patrem multarum gentium*; quem locum Apoſtolus etiam noſter citat hunc ipſum in finem, ad *Roman.* IV. 17. in quo, *multæ gentes* non poſſunt ſignificare, ſi voces ſtrictè ſumantur, multum populum Judaicum; 1. quia populus iſte totus non niſi una gens fuit & unus populus: cum, multæ gentes, proprie varias gentes & diverſos populos ſignificent. 2. quia ne multitudinis iſtius unius populi ratio habita dumtaxat videretur, Deus ipſe maximam populi iſtius partem, id eſt, decem integras tribus, ab eo ſequeſtravit & ſegregavit, cæteriſque gentibus ac populis permiſceri voluit. ut jam alia non addamus. Si dicas: imo iſta ipſa ſeparatione factum eſt, ut apparuerit Abrahamum patrem eſſe multarum gentium: id profecto frivolum eſt. Nam 1. ad ſummum dicendum foret, Abrahamum tum patrem fuiſſe duarum tantum gentium. 2. ſeparatio illa non fuit benedictio ſed maledictio. 3. ſeparatæ decem tribus fuerunt idololatricæ, ac propterea tandem ab Abrahamo divulſæ & alienatæ, ut pater earum idcirco eſſe deſierit. Nec locum *Geneſ.* XLIX. 10: *Et ei erit aggregatio populorum*: ubi per *populos*, ſine dubio non Judæos, ſed alios extraneos populos, ultro ſe ſubmiſſuros Siloh, id eſt, Meſſiæ, intelligi, res ipſa loquitur; & quidem quà populi ſunt integri, non ut ſervi. Si enim ut ſervi aggregarentur, deſinerent eſſe populi. Locum autem iſtum de Meſſia agere ſupra evicimus. Nec locum *Deuter.* XXXII. 21: quem etiam citat Apoſtolus noſter, *Rom.* X. 19: *Ipſi zelare me fecerunt in non Deo, iraſci me fecerunt in vanitatibus ſuis; & ego zelare eos faciam in non populo, in gente ſtulta provocabo eos ad iram*; quem, ex παραθέσεως ſive oppoſitione, conſtat agere de gentibus, iiſque ad Deum per Meſſiam adductis, divinaque benedictione cumulatis ſupra Judæos, atque ita Judæos ad æmulationem quaſi provocantibus, ut fidem earum imitantes, divinæ ejuſdem benedictionis fiant participes.

1 *locus, Geneſ. XVII. 5.*

2 *locus, Geneſ. XLIX. 10.*

3 *locus, Deut XXXII. 21.*

*Deinde alia in quibus major vis eſt. Quæ ſunt Pſal. II. à verſ. 8. uſque ad finem.*

Hæc, inquam, loca jam non allegabo. Sed videatur *Pſal.* II. *à verſ.* 8 *ad finemuſque*: qui etiam citatur in *Actis Apoſtol. cap.* XIII. 33. & *Heb.* I. 5. & V. 5. In eo enim agitur de filio, cui Deus daturum ſe promittit gentes hæreditatem ſuam, & poſſeſſionem ſuam terminos terræ. At filius iſte non poteſt eſſe alius quam Meſſias, nec gentes illæ & fines terræ alii, quam populi omnes in univerſo mundo. Dicet Judæus, Per filium iſtum, Davidem intelligi. Reſp. Multa quidem in Pſalmo iſto ad Davidem referri poſſe, eumque aliquomodo etiam Dei filium vocari poſſe; ſed in Pſalmo tamen non pauca eſſe ſigna atque indicia, quæ ſignificant, per filium iſtum, Davidem propriè intelligi non poſſe, ac proinde Davidem quidem tanquam typum Meſſiæ in Pſalmo iſto proponi, ſed cui (quod proprium typi eſt) nequaquam omnia quæ in Pſalmo iſto ſunt, aptari poſſunt. Nam Deus in fine Pſalmi, *verſ.* 12. Regibus & judicibus terræ mandat, ut *oſculentur filium iſtum, ne forte iraſcatur, & pereant in via, quum vel paululum exarſerit furor ejus.* Quis enim verba iſta Davidi aptet? Etſi enim Davidis potentia magna erat, tamen non erat tanta, ut ad eam uſque adeo contremiſcerent Reges omnes judiceſque terræ; ne quidem (ſi per terram, Judaicam tantum terram deſignari velimus) ii qui adhuc intra fines terræ Judææ dominabantur, nec adeo contremuiſſe eos manifeſtum eſt ex hiſtoria; nedum ut dicatur ad eam contremuiſſe extraneos populos ac Reges, iſtiuſque potentiæ metu Davidem oſculatos eſſe, aut oſculari ſive adorare debuiſſe. Sed quod maxime urget, eſt id quod ſubjicitur: *Beati qui ſperant in eo.* Hoc enim nullo modo poteſt aptari Davidi; quippe de quo dici non poteſt, quod quiſquam unquam in eo ſperaverit, aut quod cuiquam in eo ſperare licuerit, nedum quod qui in eo ſperabant, beati fuerint: cum contra potius maledicti illi dicantur à Deo qui ſperant in homine, aut fidunt Principibus: *Jerem.* XVII. 5. Atque hinc colligitur per gentes, per judices terræ, per Reges, per fines terræ, intelligendos non terræ tantum Judææ, ſed terræ univerſæ fines & populos.

*Pſal. LXXII.*

Huic Pſalmo adde *Pſalmum* LXXII, in quo dicuntur facturi Reges omnes, id, quod Pſalmo præcedente ſecundo facere jubentur. In hoc enim, etſi de Solomone Davidis filio agi negare nolumus; quippe, qui poſt debellatos ſubjugatoſque à patre hoſtes omnes, latiſſimum ſimul atque pacatiſſimum regnum accepit, & Meſſiæ futuri typum etiam geſſit; tamen manifeſtiſſima etiam indicia exſtant, ex quibus apparet, eum totum Solomoni aptari non poſſe; ſed ſoli Meſſiæ, tanquam Solomonis antitypo, ſub verbis figuratis, ſive typicis orationibus, competere. Nam 1. Solomonii aptari non poteſt, quod *verſ.* 11 dicitur, *Et incurvabunt ſe*

*ei omnes Reges. Omnes gentes ſervient ei.* Nec enim Rex Aſſyriorum, Solomone multò potentior ditiorque, ſe incurvavit Solomoni: ut alios Reges complures non recenſeam. 2. Nec Solomoni competit, quod dicitur *verſ.* 7: *Florebit in diebus ejus juſtus, & multitudo pacis donec non ſit Luna.* & *verſ.* 17: *Erit nomen ejus in ſeculum, quamdiu fuerit Sol, propagabitur nomen ejus, & benedicent ſibi in eo omnes gentes.* Nam Salomon non regnavit niſi XL annos: & poſt ejus mortem ſtatim diviſum diſſipatumque fuit ejus imperium, & maxima populi pars ſeceſſit à filio ejus Rehabeamo. Quare 3, Nec in Solomonem quadrat quod dicitur *verſ.* 4: *Timebunt te cum Sole & ante Lunam, à generatione in generationem.* item *verſ.* 9: *Coram illo procident habitatores deſerti.* & *verſ.* 11: *Omnes gentes ei ſervient.* Nam, vivente adhuc Solomone, dicitur ipſe Deus dixiſſe Solomoni, *ſe ſcindendo ſciſſurum ab eo regnum ejus & daturum illud ſervo ejus:* 1 *Reg.* XI. 11. & *verſ.* 14, *ſuſcitaſſe ei adverſarium Hadad Edomæum de ſemine regio,* qui erat in Edom. & *verſ.* 23: Rezon filium Eliada, qui fugerat ab Hadad Ezer rege Sobah, domino ſuo: qui & *verſ.* 25 dicitur fuiſſe *adverſarius Iſraeli omnibus diebus Salomoh.* 4. Nec Solomoni competit, quod dicitur, *Floriturum in diebus ejus juſtum, verſ.* 7. *& colles ob juſtitiam, verſ.* 3. cum conſtet Solomonem declinaſſe à Iehova Deo Iſraelis, & ad deos alienos abiiſſe; uti Deus ipſe ei exprobrat, 1 *Reg.* XI. 9. & hiſtoria facti narratur *verſ.* 7. 8. Ut jam non dicam, Solomonem multis gravibuſque exactionibus exhauſiſſe populum, adeo ut poſt mortem ejus, à filio ejus Rehabeamo ſublevari ab iis poſtularent, confertiſque vocibus contenderent. Ex quo colligo 5, nec Solomoni etiam aptari poſſe, quod *pauperes pro eo ſemper oraverint, totaque die ei benedixerint,* uti dicitur *verſ.* 15. nedum quod *in eo ſibi benedixerint omnes gentes, & beatum eum pronunciaverint*: cum dubium non ſit, quin tot tantiſque oneribus preſſi pauperes ingemuerint, potius quam benedixerint, & gentes ſibi ab eo metuerint. Meſſiæ ergo iſta omnia, typis rerum terrenarum, regni ampliſſimi, fæliciſſimi & optimi, tum conſtitutionem tum conſervationem adumbrantibus ſignificata, competere dubium nullum eſt; ac proinde etiam in iſto Pſalmo prædici, futurum ut gentes extraneæ, populi ac Reges omnes ſe Domino ac Regi Meſsiæ ſubmittant, ſeque beatos tanto Rege & tam divino regno prædicent.

His duobus illuſtriſsimis ſane Pſalmis adjungi poſſunt non pauci alii, quos indicaſſe ſuffecerit. *Pſal.* XVIII. *verſ.* 44. *Pſal.* XXII. 30. *Pſal.* XLV. 17. 18. *Pſal.* XLVII. 8. 9. 10. *Pſal.* XLVIII. 4. 5. *Pſal.* LXVIII. 32. 33. *Pſal.* LXXXVI. 9. *Pſal.* LXXXIX. *verſſ.* 5. 26. 27, *&c. Pſal.* CII. 16. 17. 18. 19. collato cum *Amos* IX. 11. qui locus citatur *Act.* XV. 14. 15. 16. *Pſal.* CX. *verſ.* 2. 3. 4. & imprimis *verſ.* 5.

*Loca ex minoribus Prophetis. Primus, ex Oſea I. verſ.* 10. 11. 12.

Poſt hæc loca videantur Prophetæ, tum Minores tum Majores. Inter minorum prophetarum teſtimonia occurrit primum teſtimonium *Oſeæ, cap.* I. *verſ.* 10. 11. 12. quod hunc in finem citatur ab Apoſtolo noſtro, ad *Rom.* IX. 25. In eo agi de vocatione gentium, ſub perſona populi, qui indignus nomine quaſi Iſraelis, Ieſreel vocatur, non obſcure liquet. Populus enim iſte ſignificat ſine dubio decem tribus, in Aſſyriam captivas abductas à Salmanaſſare, ſub Oſea rege earum ultimo, ſine ſpe reſtitutionis aut reductionis; quia diſerte diſtinguitur à domo Iehuda, & ſic quidem diſtinguitur, ut hujus miſerturus dicatur Deus, illius non miſerturus, ſed æternum obliturus, *verſ.* 6. 7. quia videlicet illum nunquam erat reducturus Deus in terram ſuam; iſtum verò populum Iudæ, in captivitatem Babylonicam abducendum, ſuo tempore erat reducturus. Populus itaque iſte decem tribuum permixtus fuit gentibus, & cum iis quaſi in unum populum coaluit, atque ita non populus Dei factus fuit, ſive populus Dei eſſe deſiit, ita ut inter eum & gentilem populum diſcrimen nullum eſſet. Quare, quando propheta futurum dicit, ut *pro eo quod iſti populo dicebatur, Non populus meus vos, dicatur ei, Filii Dei viventis: & quod congregandus rurſum ſit cum Juda, ſibique poſiturus unum caput: verſ.* 10. 11: non poteſt aliud quid voluiſſe indicare, quàm futurum ut Iudæi ſimul ac gentes, ſub uno Rege Meſsia congregentur in unum Dei populum, & unius ejuſdemque regni Meſsiæ, quod proprie Dei eſt regnum, fælicitate gaudeant. Sic enim verè erit dies iſte, *Magnus dies Ieſreel*, uti *verſ.* 11 dicitur; & vere recteque dixerit propheta, quaſi prævidens decem tribus iſtas in unum populum cum gentibus coalituras, & poſtea reducendas, futurum, *ut numerus filiorum Ieſreel*, ſit, *ſicut arena maris, quæ nec menſuratur, nec numeratur.* Nam ut id intelligatur de reliquiis decem tribuum, quæ Iudaicæ Religioni adhæſerunt, & à gentium religione ac ritibus ſe continuerunt, impoſsibile eſt; cum eæ oppidò fuerint exiguæ, adeo ut earum veſtigia poſt captivitatem iſtam vix ulla ſpiam apparuerint, hodieve adhuc appareant, niſi forte in fabuloſis poſt Caſpios montes Iudæorū *Tamaus*: & Eſaias propheta, *cap.* X. *verſ.* 22, diſertè dicat contrarium, videlicet: *Si fuerit populus tuus Iſrael, veluti arena maris, non tamen niſi reliquiæ ex eo quædam convertentur.* Quare appoſite admodum locum hunc Oſeæ citaſſe videri debet cum Paulo Apoſtolus etiam Petrus, 1 *Epiſt.* ſua, *cap.* II. *verſ.* 10. Quamquam enim non ſcribit, niſi ad Judæos diſperſos per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Aſiam & Bithyniam, tamen, quia illi jam tum rurſum cum gentibus, id eſt, decem tribubus gentibus permixtis, & ſic uno eodemque cum gentibus populo factis, in unam Eccleſiam & populum Chriſtianum coaluerant, merito jure eos dicere potuit, ex non populo Dei populum factum, &, quum ante fidem Euangelio habitam non eſſent conſecuti cum gentibus miſericordiam, νῦν ἐλεηθέντες id eſt, miſericordiam conſecutos. Erant enim tum unus populus cum gentibus, atque ita eodem cum illis loco ac jure ab Apoſtolo Petro cenſentur.

Secundus locus eſt *Ioelis cap.* II. *verſ.* 28, *&c.* quem locum Apoſtolus Petrus *Act.* II. 17. 18, accommodat in apologia ſua contra irriſores, aſſeritque complementum ſuum habere in facto iſto ipſo, quod illi maligne calumniabantur; quia videlicet apparebat donum Spiritus ſancti largiter effuſum ſuper omnem carnem, & donum quidem quod aliunde quam ex cælo & à cæleſti vi profectum non poterat videri. Hoc vero, quia non multo poſt effuſum etiam fuit liberaliſſima manu in gentes, uti paſſim legere eſt, imprimis in Actis Apoſtolorum, in 1 *ad Corinth.* XIV. *ad Gal.* III. 2. ad *Epheſ.* III. & IV. nihil certius videri debet, quam cum *de omni carne* Ioel loquitur, ſub univerſali particula כל *omni*, etiam gentes comprehendi debere; ac proinde Deum prædixiſſe futurum, ut temporibus Meſſiæ gentes etiam ſpiritualis iſtius gratiæ participes fierent, atque ita Meſſiam gentium ſimul ac Judæorum Regem eſſe intelligeretur. Certe Petrus Apoſtolus noſter, cæterique omnes Chriſti diſcipuli, quamquam magno iſto errore diu tenebantur, ad gentes Euangelii ſive Meſſiæ ſacra non pertinere, ſed ad ſolum populum Judaicum, adeo quidem ut gentibus nec Euangelium annunciari debere, præſertim Judæis relictis; nec ſi annunciaretur, eas credituras Euangelio; nec ſi omnino crederent, id illis ad ſalutem profuturum exiſtimarent, ſicut in Actis Apoſt. paſſim videre eſt: (unde fit quod Petrus ipſe dicit Cornelio, ſe credidiſſe, & Cornelium omneſque ejus domeſticos ſcire, fas non eſſe viro Judæo κολλᾶσθαι ἢ προσέρχεσθαι ἀλλοφύλῳ ingredi ad gentes præputiatas, tanquam profanas & βεβήλους, uti eſt *Act.* X. 28.) tamen ubi Spiritum etiam eundem iſtum, quem ipſi acceperant, viſibiliter, effundi viderunt in gentes, aut effuſum eſſe cognoverunt, è veſtigio crediderunt eas ad eandem ſecum gratiam vocari à Deo, & promiſſionem de Spiritu à Ioele prædictam ad eas etiam pertinere, (uti *Act.* X. 45. 46. 47. & XI. 18. & XV. 8. 9, videre eſt) verbaque iſta, *Super omnem carnem effudam de Spiritu meo*, non modo ad Judæos, ſed ad gentes etiam referenda eſſe. Quod adeo firmiter credidiſſe Petrum quidam volunt, ut *Act.* II. 38. 39, non dubitaverit Judæos adhortari ad reſipiſcentiam, & reſipiſcentibus dicere, *Accipietis donum Spiritus S. Vobis enim facta eſt promiſſio, & liberis veſtris, καὶ πᾶσι τοῖς εἰς μακρὰν, quoſcunque* videlicet *advocaverit Dominus Deus noſter.* per τοὺς εἰς μακρὰν intelligens gentiles, eodem ſenſu, quo gentiles *Epheſ.* II. 13, vocantur οἱ ποτὲ ὄντες μακρὰν. Quamquam Petrum jam tum per τοὺς εἰς μακρὰν intellexiſſe gentes, mihi non fit veriſimile; cum conſtet eum multo poſt, & diu adhuc contra credidiſſe, quin & oraculo divino, ut aliter crederet adduci debuiſſe, & adductum fuiſſe, quare per τοὺς εἰς μακρὰν crediderim potius intellexiſſe Petrum iſto in loco, liberos ſive poſteros multò poſt naſcituros. Iſtud certum eſt, Apoſtolum Paulum, ad *Rom.* X. 13, poſtrema hujus prophetiæ Ioëlis verba, etiam ad gentium vocationem referre: quia generalia ſunt, *Quiſquis invocaverit nomen Domini, ſalvus erit,* (*evadet*, habet textus Hebræus, quod eodem redit.) Hinc enim colligit, diſtinctionem nullam eſſe vel Judæi vel Græci, quia pariter invocant eundem Dominum, qui eſt Dominus omnium & dives in quoſvis à quibus invocatur, juxta Ioëlis prophetæ verba; *invocationis* voce accepta pro toto cultu divino, uſitatiſſima Sacris ſcriptoribus locutione.

*Secundus, ex Ioelis II. verſ.* 28, *&c.*

Tertius locus eſt *Amos* IX. *verſ.* 11. 12, quem citat Jacobus Apoſtolus, *Act.* XV. 16. 17, hunc etiam in finem ſecutus proximè, aut Lucas ejus interpres, tranſlationem LXX interpretum, quæ tum in pretio erat, ſaltem eam quæ LXX interpretum vocatur, non vero ipſum Ebræum fontem. Magna quidem inter Ebræum textum & tralationem illam eſſe videtur varietas: ſed ea tamen, ſi bene expendatur, intra verba conſiſtit, ſententia utrobique invariata & ſarta tecta manente: quæ hæc eſt, Futurum ut collabatur & concidat tabernaculum David, abductis ſcilicet in captivitatem Iſraelitis, & ut inſtauretur rurſum ac reſtituatur כימי עולם *ut diebus ſeculi*, id eſt, antiquis, nempe quum ſub Davide ac Solomone

*Tertius, ex Amos IX. verſ.* 11. 12.

ne maximè florebat. quæ tamen verba, quamquam sunt in fonte, non citat Jacobus; forte hac ratione motus, quod multo illustrius longeque latius patentiusque futurum sciebat Davidis tabernaculum sub Messia, quam sub Davide, aut Salomone unquam fuerat, reductis scilicet Israelitis, & cum iis καταλοίποις, id est reliquiis, vel *Edom*, id est, Idumæorum, (quos etiam sive in captivitatem abductos, sive vehementer dispersos fuisse constat ex Obadiæ Prophetia, & per quos fere significantur in Sacris, gentiles:) vel *Adam* (utroque enim modo אדם legi potest, pro ratione punctorum vocalium cum quibus vox ista pronunciatur,) id est, ἀνθρώπων, sicut Jacobus, &, quos ille sequitur, LXX, videntur legisse; quorum conjunctione & accessione ad populum Israeliticum, augustissimum sine dubio reddetur tabernaculum David, id est, regnum Messiæ, quem Davidem non raro vocari certissimum est: imprimis si addatur, id quod subjicitur, tabernaculum illud ingressuras & possessuras omnes nationes, וכל־הגוים, *super quas vocatum fuerit nomen Dei*, id est, quæ Messiæ Dei filio se submittentes, populus Dei vocabuntur; vel cum antea falsorum deorum cultores essent, tum unius veri Dei Israelis cultores se esse professæ fuerint. Etsi enim verba Ebræa paulo aliter sonant, &, non reliquiæ Edom nationesque terræ dicuntur possessuræ tabernaculum istud, sed contra, Tabernaculum Davidis, id est, Israelitæ, possessurum reliquias Edom & nationes omnes terræ, tamen res eodem redit, & sententia eadem est; futurum scilicet ut ad Deum verum reducantur dispersi per nationes omnes Israelitæ, & cum istis Edomæi aliæque à domo Jacobi separatæ gentes, & ex utrisque collapsum Davidis tabernaculum, id est, veri atque unius Dei Israelis cultus, verusque atque unus Dei istius cultor populus, restituatur & reædificetur.

*Typus Ionæ.* In prophetia Jonæ non exstat quidem prædictio ulla de vocatione gentium, sed figura tamen & typus apparet, tum resurrectionis Messiæ, tum vocationis gentium post resurrectionem ejus futuræ, indicante id nobis ipso Domino Iesu Messia nostro, *Matth.* XII. 39. ubi ad Judæos dixisse legitur, *Gens mala & adulterina signum requirit, sed signum ei non dabitur, nisi signum illud Ionæ prophetæ.* quod & ab eo repetitur *cap.* XVI. 4. & re ipsa id demonstrante. Nam apparet totam rem istam, quæ historia Jonæ continetur, à Deo sic administratam esse, ut typus utriusque rei istius illustris exstaret. Enimvero cui verisimile fiet, Deum tam operoso molimine Jonam voluisse adhibere, ad obeundum legationem istam ad Ninevitas gentilem tum populum; & Jonam quidem tergiversantem reluctantemque, quin & legationis onus detrectantem ac subterfugientem, non sine ingente præeunte miraculo, quasi ex morte revocatum ad eos ablegare, nullo certo fine? imo quis alio ullo fine id Deum voluisse credat, quam ut præpararet typum rei illustrissimæ isti quam diximus? Quid enim? Poterat utique Deus Jonam refractarium punire, & alium mittere. Quin & æquitas ipsa postulare videbatur, ut Jonam vel puniret ob inobedientiam, vel rejiceret tanquam indignum, & in ejus locum sufficeret digniorem, magisque morigerum & ultroneum. Neutrum fecit. Ejici eum & præcipitari curavit in mare, non tam ut puniret, quam ut ad vocationem suscipiendum eum lubentem atque ultroneum redderet. A pisce absorberi eum fecit, non ut pisci cederet in cibum, sed ut piscis ei præberet latibulum contra aquæ fremitum. Nec evomi eum statim voluit, sed per triduum & trinoctium eum quasi vivum sepultum in eo jacere voluit, ut quando eum vivum redderet, potentiæ simul ac gratiæ suæ documentum daret. Quo fine? Indignus sane erat Jonas, qui cum tam ingente atque illustri miraculo præpararetur ad legationem istam obeundam ad gentiles Ninevitas: Quare dubitandum nullo modo est, quin Deus hoc omne egerit idcirco, quia Jonam servire voluit typo, tum resurrectionis Messiæ, tum vocationis gentium, quæ per Messiam sive Apostolos ejus, postquam tertia die ex morte suscitatus esset, facienda erat. Atque hoc videtur Christus Dominus noster voluisse significare, quando dixit, Judæis aliud signum datum non iri, quàm signum Jonæ, qui non nisi veluti ex morte redivivus annuntiavit Ninevitis, id est, gentili populo, verbum Domini: refractarius antea, ut Judæos refractarios gentiliumque populorum contemtores repræsentaret; quasi diceret, Idem fiet post triduanam mortem meam, refragantibus & renitentibus Judæis; qui ubi id fieri videbunt, recordari tum poterunt, si modo velint animum advertere, gentes in gratiam adsumtas, & præteritos Judæos, eodem modo, quo Jonæ exemplo præfiguratum fuerat. Adde, quod in exemplo sive typo Jonæ considerandum etiam venit, quod is à Deo ablegatus fuerit, ut Ninevitis excidium post quadraginta dies eventurum annunciaret. Cur vero post quadraginta dies? Nempe verosimiliter, quia constituerat Deus Judæos, si Jesu Filio suo, Messiæ ac Domino ipsorum promisso, cujus typum gerebat Jonas, non auscultarent, Euangelium ipsis annuntianti, post annos quadraginta exscindere ac delere; quod & factum est.

Quartus locus est *Michææ* IV. 1. 2. *&c.* in quo prædicitur futurum, *in novissimo dierum*, id est, temporibus Messiæ, phrasi nota & usitata, *ut mons domus Jehovæ*, id est, Ecclesiæ Dei in qua Deus habitat, *præparatus sit in vertice montium, & altior omnibus collibus sit, ad quem confluxuri sunt populi, ituræque gentes multæ, & dicturæ, Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob: & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus*, &c. Hac enim periphrasi typica significari gentium, à vero Dei Israelis cultu alienarum, accessum ad unius veri Dei cultum ac Religionem, temporibus Messiæ futurum, vix dubitari potest. Ut enim hæc omnia literaliter & καθ' ἑρμηνείαν intelligantur, absurdum esse patet, vel ex eo uno soloque indicio, quod de monte Dei dicatur, futurum videlicet ut ille excelsior altiorque sit omnibus collibus, & supra omnium montium verticem attollatur; ut jam alia non allegemus. Quis enim id futurum credat, aut quis tale miraculum tam leve, tam vile, ex spectet à Deo, Messiæ temporibus? Tum quorsum id fieret? Quanto enim mons est altior sublimiorque, tanto accessus ad culmen & verticem ejus est difficilior molestiorque; imo quanto mons est editior atque evectior, tanto est effætior, ventisque, tempestatibus, fulminibus & tonitribus magis obnoxius. Florentissimæ, tutissimæ, & fertilissimæ urbes sitæ sunt in vallibus aut collibus mediocribus; qualis sine dubio fuit collis Sion, in quo templum Dei ædificatum fuit. Et gratissima sine dubio est Ecclesia ista ad quam accessus non admodum est difficilis. Quare crediderim ista circumlocutione, statui populi ac temporis accommodata, in quo Religio divina in monte Sion exercebatur, significari, Ecclesiæ Dei temporibus Messiæ tantam fore excellentiam, ut gentes omnes, quæ Ecclesias, fana ac templa sua in altissimis montibus aut collibus editissimis habere solebant, in quibus diis & numinibus suis falsis sacrificabant, desertis spretisque illis suis montibus vanisque ritibus, ad eam se sint aggregaturæ; atque ita fiat ut mons domus Dei, quasi cæteris omnibus montibus excelsior sublimiorque, id est, dignior excellentiorque habeatur; id est, divina Religio Messiæ regis, cæteris omnibus Religionibus anteferatur. Et quia Religio Judaica, unius veri Dei erat Religio, eaque sola & unica, cum hæc prædiceret Prophetа, in mundo vigebat, hinc religio illa, quam temporibus Messiæ professuræ dicuntur gentes; istius etiam solius Judaicæ Religionis titulis, ritibus, atque exercitiis exprimitur; diciturque futurum, ut unica in mundo obtineat veri Dei religio, unum templum, unus populus sit, qui uno eodemque modo colat verum Deum, juxta id quod diserte Zacharias ait, *cap.* XIV, 9. Hoc enim sibi volunt verba ista, quæ gentibus tribuuntur, quod dicturæ sint, *Venite & ascendamus ad montem Domini*, &c. nempe pariter & nullo descrimine cultus, qui Judæis cum ipsis communis erit. Nam nisi hoc statuatur, frustra id dixissent gentes. Nec enim iis licuisset accedere ad Judæorum templum & sacra, nisi primum circumcisis; nec ut accederent, permisissent Judæi, gentibus præputiatis infensissimi & infestissimi. Sed & omnia quæ in textu sunt, arguunt non obscure, istum cultum gentibus tribui, quem communem habere cum Judæis possent, imo habituræ essent, manentes gentes, id est, etiamsi peculiari Religioni Iudaicæ sacramentum non dicerent, sive Judaismo sese per circumcisionis susceptionem aut admissionem non obstringerent. Quia dicuntur confluxuræ ad montem Dei, & ad domum Dei Iacob, desertis scilicet falsis diis & numinibus suis, nulla circumcisionis facta mentione; & non dicuntur ibi reperturæ Legem Dei veterem, quæ in monte Sinai promulgata fuerat in deserto, sed Legem novam & communem populis omnibus, quæ recens exiverat de Sion & de Ierusalem; quæ alia sane Lex esse non potest quam Messiæ Lex, distincta à lege illa Mosis, quæ peculiariter populo Iudaico, tanquam ejus ab aliis omnibus populis interscpimentum, & paries intergerinus, data fuerat multo ante in deserto: quam nos dicimus esse Iesu nostri Euangelium. Hoc enim ex Sione cæpit, & ab Hierusalem exivit, quia Apostoli Iesu Domini nostri jussi fuerunt manere in Ierusalem, usque dum induerentur virtute Dei ex alto: *Luc.* XXIV. 49. *Act.* I. 4. qua videlicet idonei fierent ad Euangelium disseminandum per universum orbem, &, uti *Act.* I. 8. dicitur, *testes Iesu Christi essent, incipientes primo à*, vel *in Ierusalem, deinde in tota Iudæa, ac porro in Samaria, denique ad ultimos usque terræ fines:* quod & sic factum esse ex historia liquet. Quod vero *vers.* 5 prophetа subjicit; *Omnes enim populi ambulabunt quisque in nomine Dei sui; nos autem ambulabimus in nomine Domini Dei nostri in seculum & ultra*; id, etsi prioribus prophetæ dictis videatur adversari, tamen apprime cum illis conciliari & expositioni nostræ confirmandæ

*Quartus, ex Michææ IV. 1, 2, &c.*

ſervire poteſt. Senſus enim eſſe poteſt, omnes populi ſive gentes ambulabunt aliquamdiu in nomine Deorum vel Dei ſui, at non ſemper. Illæ mutabunt aliquando Religionem ſuam, & falſa numina ſua deſerent, nempe in noviſſimis diebus, ſeque convertent ad verum Deum, quem nos in ſempiternum colimus, neque unquam deſeremus, nedum pro non vero Deo habituri ſumus. Atque hoc factum completumque eſt temporibus hiſce, quibus unicus ac ſolus Deus Iſraelis, ubique ab omnibus fere populis, Jeſu noſtri Euangelio credentibus colitur: quos antea conſtat omnes & ſingulos falſa numina coluiſſe, & in nomine quemque Dei ſui ambulaſſe, veri Dei Iſraelis vel ignaros vel contemtores, oſoreſque.

*Similia his teſtimonia ex reliquis Prophetis minoribus.*

Gemina his teſtimonia reperire eſt apud omnes Prophetas minores: quæ, quia ex his intelligi facile poſſunt, & hoc loco à nobis omnia non poſſunt eventilari, conſulto jam præterimus. Ea adnotaſſe & indicaſſe ſufficiat. *Nahum.* I. 15. qui locus etiam citatur, *Rom.* X. 15. *Habacuc.* II. 20. *Zephan.* III. 9. *Haggæi* II. 7. 8. 9. *Zachar.* II. 8. 9. 10. 11. 12. 13. & VIII. 6. 7. 8. & XIV, *à verſ.* 8 *ad* 10. & *verſ.* 16. 17. *Malach.* I. 11. cui addi poteſt *Obadiæ verſus ultimus.*

*Nahum. I. 15.*

In hiſce enim locis prædicitur futurum 1. ut quod *Nahum* dicit *ſuper montes ipſos*, id eſt, inter ipſos gentiles, quorum ſacerrima loca ac fana ferè in montibus erant, quique proinde montium nominibus aut collium deſignari ſolent, *pedes euangelizantis & annunciantis pacem* veri Dei cultoribus conſpicerentur, terraque Judæ, id eſt, Dei templum adeo perpurgatũ videretur, ut *nullus per eam impius tranſiturus* aut eam calcaturus eſſet; ſublato ſcilicet omni idololatrico cultu & ſuperſtitione gentilitia; qua periphraſi gentium vocatio deſignatur, quia conſtat, terram ipſam Juda, ſive locum illum in quo populus Judæ feſtivitates ſuas celebrare, & vota ſua reddere ſolebat, ſi καὶ τὸ ῥητὸν verba accipere velimus, jam diu calcatam eſſe hodieque ad huc calcari ab impuris & profanis Mahumedanis. Per Judam autem Judæos gentibus ubique permixtos, & ſic Judæos ſimul ac gentes, tanquam unum Dei populum intelligi, ſtylo prophetico, mirum non eſt.

*Habacuk. II. 20.*

2. ut *ſileat à Domino univerſa terra*, quod dicit *Habakuk*, id eſt, gentes & Judæi omnes cum ſilentio, reverentia & demiſſione audiant verbum Dei, ſervorum inſtar aut filiorum, juſſa ac mandata herorum ſive parentum ſuorum placide & attente excipientium, ſive potius comparentium coram Deo. Nam qui in templo coram Deo comparebant, iis in templo loqui fas non erat: ſilebant, aut alto cum ſilentio ſtabant, vel procumbebant in faciem, præ divinæ Majeſtatis reverentia. *Sophon.* I. 7. *Zach.* II. 13.

*Sophon. III. 9.*

3. ut *convertat ad populos labium purum*, quod dicit *Sophonias*, id eſt, vel purum Dei verbum ſive Euangelium iis prædicari faciat; vel, per hypallagen, ita eos mutet, ut de Deo pure ſancteque ſentiant ac loquantur, eumque religioſe colant, quod poſtremum indicatur verbis ſequentibus, *& invocent omnes*, abjectis ſcilicet falſis diis ſuis, *nomen Domini, eique ſerviant humero uno*, proverbiali oratione, pariter & ſummo conſenſu, tanquam unus populus, cujus cor & anima in cultu divino una erit.

*Hagg. II. 7. 8. 9.*

4. ut quod dicit *Haggæus, poſt puſillum adhuc commoveatur à Deo cælum, terra, mare & arida, & gentes omnes commoveantur*: quem locum citat ſcriptor ad *Heb.* cap. XII. 26, nempe ad auditum Euangelii pacis, quo nova & ſecunda quaſi creatio & reformatio mundi erit. Non enim agitur de commotione gentium ad bellum, ſed ad audiendum *deſiderium*, id eſt, id non quod antea deſiderarunt gentes, ſed quod ſummo deſiderio dignum eſſe intelligent ubi audiverint; & ad pacem, quia ſtatim additur, *& dabo in loco iſto pacem*, æternam ſcilicet quam aurum contra cariorem ducent; & propter quam gloria domus ſecundæ longe major erit in oculis omnium Dei timentium, quam gloria domus primæ.

*Zachar. II. & VIII. & XIV.*

5. ut, quod *Zacharias* prædicit, *congregentur gentes multæ ad Dominum, finisque illi in populum, & ipſe habitet in medio earum*, tanquam favore ſuo paterno, id eſt, ſummo, & honore divino, id eſt, ſummo eos complectens, ex vi fœderis, Ero Deus tuus & ſeminis tui, *Geneſ.* XVII. 7. *Oſeæ* II. 13. prout phraſin hanc explicat Apoſtolus 2 *ad Corinth.* VI. 17. 18. & locum hunc Eccleſiæ gentilium, id eſt, Corinthiacæ applicat: nec male, cum locus hic apertè agat de gentibus multis, id eſt, populis variis; non autem de Judæis multis, quia Judæi non niſi unam gentem & unicum populum faciunt, quod etiam non obſcure confirmatur *verſ. ult.* cum jubetur, *Omnis caro ſilere à conſpectu Iehovæ*, id eſt, omnes gentes ac populi cum ſilentio admittere Meſſiam & Euangelio ejus reverenter ſe ſubmittere. Item, ut *Jehova Rex ſit ſuper univerſam terram*, quia ſcilicet gentibus ad Deum converſis in illa die Meſſiæ, Iehova unus erit & nomen ejus unum, id eſt, à Judæis & gentibus uno eodemque modo per Meſſiam præſcripto coletur, ſublato τῷ μεσοτοίχῳ τῷ φραγμοῦ, id eſt, lege mandatorum, quæ in ritibus poſita eſt, quæ populo Judaico peculiaris ac propria fuerat, uti Paulus noſter ait, *Epheſ.* II. 14. 15. καταργηθεῖσα id eſt abolita.

Quod 6, manifeſtiſſimè liquet ex eo quod *Malachias* prædicit futurum, ut *ab ortu Solis uſque ad occaſum nomen Dei magnum ſit in gentibus, & in omni loco ſuffiatur, nominique ejus purum munus admoveatur*, id eſt, paſſim in gentibus Dei veri cultus obtineat, typo cultus iſtius Judaici adumbratus. Non enim licebat extra templum Deo aut divino nomini victimas mactare, thura adolere, aut munera offerre. Sublatum itaque iri cultum illum peculiarem populi Judaici, tanquam loco & templo urbique uni adſtrictum, non obſcure indicat Malachias, quando Meſſias veniet, & locum omnem ab ortu Solis ad occaſum ſanctificabit, id eſt, non aliter quàm templum cultui Dei aptum atque idoneum declarabit. Et tum ſane nomen Dei, id eſt, Deus verus, magnus erit, quippe qui non coletur in angulo uno terræ, in templo uno & urbe una, ſed ubique per totum orbem habitabilem, peſſumdatis omnibus tum diis, tum deorum, qui antea paſſim coli ſolebant, nominibus. *Malach. I. 11.*

Atque hoc forte etiam *Obadias* ſignificatum voluit, quando futurum dixit *verſ. ult.* ut *regnum ipſi Jehovæ ſit*, id eſt, Jehovah ſive Dominus paſſim agnoſcatur & proclametur, non à Judæis modo in terra ſancta, ſed à gentibus etiam cæteris omnibus, ſolus unicuſque Deus in univerſa terra, omneſque regnum ſive Regiam ejus legem, per filium ſuum promulgandam, confiteantur eſſe ſolam atque unicam legem illam, cui omnibus parendum ſit, qui eum ſibi propitium ac benevolum eſſe volent. *Obad. verſ. ult.*

Paria his habent Prophetæ Majores: Inter eos principem locum meretur Eſaias; quippe qui non uno loco huic rei fidem facit adeo luculentam, ut, quid opponi jure poſſit à Judæis, non videam. Seligemus autem paucula tantum eaque palmaria teſtimonia, cætera adnotabimus. *Locus ex Prophetis majoribus.*

Primum occurrit *cap.* II. 2. 3. Hoc vero plane coincidit cum eo, quod jam ex *Micheæ cap.* IV, adduximus. Sunt enim pene eadem verba, ſive velimus ea ab uno eodemque Spiritu utrique dictata, ſive alteri ab altero communicata fuiſſe, ſive per traducem accepta. Fortè hîc locum habet quod de Zacharia & Jeremia dicunt Hebræi, Spiritum ſcilicet Jeremiæ fuiſſe in Zacharia, ideoque eundem fere cenſeri Ieremiam & Zachariam. unde forte accidit, ut, quod *Matth.* XXVII. 9. dicitur, prædictum à Ieremia fuiſſe, id ideo ab eo prædictum legatur, quia Ieremias & Zacharias pro uno eodemque accipiuntur. Similiter etiam Eſaias & Michæas pro eodem cenſeri poſſent. Tantum id videtur habere peculiare Eſaias hoc in loco, quod *confluxuras* prædicat *omnes gentes ad montem Dei*, pro eo quod Michæas dixiſſe legitur, ſimpliciter aut indefinite *confluent ad eum populi*. Emphaſim iſtam in voce כל adnotare operæpretium eſt. Cætera ex iis, quæ ad Micheæ locum diximus, petantur. *Primum Eſa II. verſ. 2, 3.*

Secundum teſtimonium eſt *cap.* XI. 10. ubi Meſſias dicitur *erigendus in vexillum populorum*, & quod *eum gentes requirent*, quem locum citat Apoſtolus noſter ad *Rom.* XV. 12, juxta tranſlationem LXX interpretum: (quamquam ea à fonte Hebræo non parum diſcrepat, ſed verbis tenus) & quidem hunc ipſum in finem, uti ex connexione verſus hujus cum præcedentibus liquet. Hiſce enim verbis gentium vocationem ad communionem regni Meſſiæ deſignari dubium non eſt; partim ex eo, quod non ſolum dicatur futurum, ut gentes Meſſiam requirant, ſed etiam Meſſiam erectum iri ſive ſtaturum in vexillum aut ſignum populorum: quo fine? ut ad eum tanquam ad ſublatum vexillum caſtrenſe milites, ita gentes populique concurrant: erectus autem in altum Meſſias dicitur futurus, per prædicationem Euangelii regni ejus: partim ex eo, quod gentes iſtæ diſtinguantur à reſiduo populi Iſraelitici, per orbem totum diſperſi, quod revocaturus dicitur Deus, quando dicitur manum ſuam ſecundò miſſurus ad id colligendum, & cum gentibus in unum populum cooptandum & coadunandum. utrumque ergo hîc prædicitur, tum propoſitum aut conſilium Dei de vocandis gentibus; tum eventus divino conſilio reſpondens, quia dicitur, *Et ipſum requirent gentes*. *Secundum Eſaiæ XI. 10.*

Tertium teſtimonium eſt, *cap.* XIX. 18. 19. 20. 21, *&c.* quo continentur omnia illa, quæ clare ſignificant, gentes non modo vocatum iri ad communionem regni Meſſiæ, ſed ejuſdem plane cultus divini cum Iſraelitis, nullo diſcrimine, futuras participes; id eſt, non vocatum iri ad Meſſiam ut ſerviant Judæis, ſed ut Meſſiæ non aliter ſerviant, quam ipſi Judæi, idque bono ſuo proprio. Nempe *loquentur labio Canaam*, id eſt, non ut quidam arbitrantur, lingua Hebræa, (nam loquentur labio iſto in terra Ægypti) ſed lingua loquente Dei magnalia; quod tum, cum Propheta hæc prædiceret, non fiebat *Tertium. Eſa. XIX. 18. 19. 20. 21, &c.*

fiebat nisi linguaCanaam. *Jurabunt per Jehovam exercituum*; Juramenti voce integrum cultum, uti sæpe alias, denotante. *Altare ipsi Jehovæ erit in medio terræ Ægypti.* Colent itaque Deum in suis ipsi terris, non obligati aut obstricti cultui Judaico; ac proinde non ascendentes Hierosolymam, & templum Solomonis frequentantes, in quo altare unum erat, ad quod Israeliticus populus omnia sua adferre ex lege Mosis tenebatur: sed in proprio suo solo, imo terræ suæ meditullio manentes, atque ibi Deum rite colentes; non aliter, quam populus Judaicus Deum colebat in terra sua, in templo suo, & super altari quod in eo non nisi unum erat, in atrio scilicet populi, ad quod victimæ admovendæ erant, & coram quo populus adoraturus stare solebat. Altare enim suffimenti quod in sancto erat, non tam altare populi erat quam Sacerdotum; in quo etiam non nisi thure litabant, aut thus adolebant Deo. Deinde cultus iste, per altare istud designatus, dicitur Deo gratus futurus, nec altari Hierosolymitano ad cultum istum peragendum gentibus opus fore. Altare itaque signum est, populum istum, Dei populum esse; quia universus cultus qui ad vel super, vel apud altare, vel coram altari in templo fiebat, eo designatur: uti ex *vers.* 21. liquet. Nam statim additur: *Et erit in signum & in testem ipsi Jehovæ exercituum, in terra Ægypti*, id est, in toto orbe qui extra terram sanctam est, uti Ægyptus est: & inter omnes nationes, quæ non minus extraneæ sunt à Repub. Israelis quam Ægyptii: uti ex *vers.* 23. patet. Quid amplius requiri possit, non video. Dices fortasse: Altare istud in medio terræ erectum, signum tantum fore cultus ejusdem, quem Ægyptii communem habebunt cum populo Judaico, exercebuntque in terra sancta, quando ad eam ascendent colendi Deum gratia; eodem modo, quo altare in confinibus Jordanis, sive terræ sanctæ, erectum à duabus tribubus cum dimidia, signum & tessera tantum erat unius ejusdemque cultus, cum reliquis in terra sancta habitantibus tribubus. *Josu.* XXII. Resp. Ex textu liquet plus aliquid designari: quia de Ægyptiis dicitur, illos *in die illa sacrificia facturos & oblationem; vota nuncupaturos Jehovæ, & reddituros*; *vers.* 23. tanquam *populum benedictum*: *vers.* 25. nec Ægyptios solum, sed & *Assyrios* cultum istum præstituros: *vers.* 23: *tanquam opus manuum Dei*; *vers.* 25. id est, tanquam à Deo ipso sanctificatos ad colendum ipsum, non minus quam Israelitæ: sic ut non ascensuri sint Hierosolymam, sed, quia communis erit cultus eorum cum Ægyptiis, in Ægyptum ituri, uti & Ægyptii vicissim in Assyriam: uti *vers.* 23 dicitur: *In die illa erit via ab Ægypto ad Assur, & intrabit Assur Ægyptum & Ægyptus in Assur, colentque Ægyptii & Assur.* Sic enim videntur verba esse intelligenda. Non dicitur, in die illa erit Assyriis & Ægyptiis via in terram sanctam. Nulla fit mentio vie talis: additurque, *colent Ægyptii & Assur, & benedictio erit in medio terræ*: supple utriusque. *Hæreditas* tamen *Dei erit Israel*; quia Deus populum illum olim hæredem tertæ suæ scripsit. unde, quando Israel, cum Assyriis & Ægyptiis, per Messiam ad unum eundemque Dei cultum congregabitur, prærogativa Israelis semper hæc erit, quod hæres sit promissionum; cum cæteræ gentes noviter adoptatæ dicentur ad promissiones istas participandum, & corpori quasi Israelis inserentur, ut sic unus populus fiant, unus novus homo, unum templum, una nova creatura, quæ dicetur verus Israel; uti id pulchre indicat Apostolus noster, ad *Ephes.* II. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. & *cap.* III. 6. *ad Gal.* VI. 16.

*Quartum, Esa XLII. vers. 1. & seqq.*

Quartum testimonium est *cap.* XLII. *vers.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9, *&c.* In eo de Messia agi ante evicimus, cùm quid per *servum Dei* in principio capitis hujus intelligatur, examinavimus. De hoc autem servo dicit, futurum, ut *gentibus judicium proferat*: *vers.* 1. ut *Legem ejus insulares exspectent*. *vers.* 4. Per *insulares* autem & per *insulas* passim intelligi gentes, quasi in medio mari à terra secreto habitantes, notius est quam ut probari oporteat. Ne tamen dubium ullum restet, apparet ex duobus: 1. quia Judæis non fuit promissa nisi terra sancta, cujus fines passim describuntur, desertum & mare; desertum, quia id inhabitatum est hominibus, & ferarum quasi habitaculum: Mare, quia ibi quasi terræ finis est. Insulæ ergo in mari, & quæ ultra mare atque insulas sunt, gentes à terra sancta prorsus alienas notant. 2. quia de Judæis dici non potest, quod legem Messiæ exspectent. Si enim per legem Messiæ intelligi velimus Legem Mosis, eam illi jam tum habebant: Et cum Legem Messiæ aliam negent futuram quam Mosis Legem, ut eam exspectare se dicant impossibile est. Si per Legem Messiæ, intelligi velimus legem sive Religionem Messiæ propriam, uti phrasis omnino videtur postulare, (quomodo enim Lex sive Mosis, sive alia, *ejus* Lex dicatur?) tum certe appositè gentibus tribuitur, quod eam exspectaturæ sint; id est, adeo lubenter alacriterque eam sint accepturæ, ac si eam antea cum ingente desiderio ac zelo exspectavissent: eodem sensu quo dixi-

mus Messiam vocari *Aggæi* II. 8, *Desiderium gentium*. Insulares ergo hîc sunt gentiles. Confirmatur hæc nostra interpretatio per sequentia in textu; ut cum *vers.* 6 dicitur, servus hic *datus à Deo in lucem gentium*: quarum vero gentium? *cæcarum, in carcere vinctarum, & sedentium in tenebris*: quæ periphrases sunt non Judaici populi, sed gentilium: imprimis quia *vers.* 8 non obscure innuitur, eas gentes intelligi quæ *sculptilibus* non Deo serviebant, & quæ proinde per servum istum ab idololatria sua revocandæ erant. & *versu* 9: quibus *nova* erant *annuntianda*. & *vers.* 10: quæ *cantaturæ* erant *canticum novum*, dicunturque esse *descendentes in mare & plenitudo ejus, insulæ & habitatores earum. desertum: vers.* 11. *civitates ejus & villæ, in quibus habitat Cedar*, id est, Arabes sive Nomades, qui scenitæ vocantur, id est, in tentoriis, sive plaustris habitantes, tanquam incertis sedibus vagantes palantesque populi, &c. Quibus omnibus periphrastice universum orbem dici accessurum ad Deum, & per servum hunc adducendum esse, quis non videt?

*Esa. XLIX. per totum.*

Similis huic locus est *cap.* XLIX per totum. quem citatum etiam videmus ab Apostolo nostro, *Act.* XIII. 47. tanquam continentem mandatum divinum, de vocatione gentium facienda, post repulsam Judæorum, qua Evangelium sibi annunciatum spreverant, & indignos se ipsos judicarant vita æterna: *sive* velimus verba illa Apostoli, *Ita enim nobis mandavit Dominus*, sic accipere, ut per accommodationem tantum usurpata sint, & quidem accommodationem ἀπὸ μείζονος, hoc modo; Sicut olim Prophetæ Esaiæ mandavit Dominus, ut postquam frustra fuerat apud Judæos, & in vanum prædicando laboraverat, ad gentes se converteret, ita etiam (nunc scilicet speciali mandato mihi) mandavit Dominus, quod mandatum verbis iisdem prophetæ enuncio: *sive* ea velimus sic accipere, ut continentia prædictionem, ejus quod futurum erat & eventurum, non prophetæ Esaiæ, sed Messiæ, sive Apostolis ejus, qui unum cum eo erant futuri; & mandatum, quod executioni dandum erat, quando id, quod eventurum prædicitur, fieret; ut sensus sit; *Sic mandavit nobis Dominus*, id est, Hoc est illud quod propheta vaticinans de hoc tempore, Deum Apostolis Messiæ Regis sui, id est, nobis, mandaturum dixit, quodque nos idcirco nunc, ut mandato isti divino pareamus, exsequimur. Primus sensus placet Musculo in commentariis ad hunc Esaiæ locum. Eum ego non improbarem lubens, si probari posset, quod & Musculus facere adnititur, eum ad quem hîc Deus loquitur, prophetam Esaiam proprie ac dumtaxat esse. Id mihi usque adeo improbabile videtur ut nihil supra. Quamquam enim quædam sunt in capite isto, quæ Esaiæ soli aptari possunt ac forte debent, tamen id quod *vers.* 6 dicitur, & ab Apostolo nostro citatur, tale est, ut Esaiæ proprie, nedum Esaiæ dumtaxat, aptari non possit. Quomodo enim Esaiæ conveniat, non dico, quod servus Dei fuerit, *ad suscitandas tribus Jacob, & ad reducendum desolationem Israelis*: id enim forte non incommodè ei accommodari posset: sed quod *datus fuerit in lucem gentium, ut salus Dei esset ad extremum usque terræ*? Gentes enim, hîc non modo Jacobo, sed Jacobo jam desolato dispersoque opponuntur, & extremum terræ contradistinguitur ab istis terris locisque, unde reducendus erat Jacob, vocaturque *vers.* 1, vocibus *insularum & populorum de longe*; ex quo gentiles hîc significari manifestum est. Quare postremam interpretationem verborum Pauli prætulerim: quamquam haud gravare admisero, caput hoc de Esaia etiam accipi posse, si modo Esaias tum statuatur typus Christi sive Messiæ: ita ut quædam sint in hoc capite, quæ proprie Esaiæ prophetæ non possunt competere, nedum Esaiæ soli aut dumtaxat; sed quæ primò, propriè, ac κατὰ τὸ ἀντίτυπον antitypo competunt; sive Esaiæ, quia & qua typus est; quod in locis typum continentibus, usitatum esse constat. Hoc enim si fiat, tum omnia fluunt; videlicet de gentibus propriè hîc agi, ac proinde Apostolum propriissime accommodasse istis suis temporibus hanc prophetiam.

*Quintum, Esa. LIV. vers. 1, & seqq.*

Quintum testimonium est *cap.* LIV. 1. 2. 3. 4, *&c.* quod etiam citat Apostolus, ad *Gal.* IV. 27. & applicat atque accommodat Hierusalem quæ sursum est, & mater omnium nostrum esse ab eo dicitur, id est, Christianorum ac fidelium omnium, tam ex gentilibus quam ex Judæis oriundorum civitas, non aliter quàm Hierusalem terrena, Judæorum quasi mater & metropolis erat, quæ Judæos omnes matris instar sinu suo fovebat, & gremio suo eos Deum culturos colentesque recipiebat: unde Judæi omnes filii ejus vocari solebant, & filiæ Ierusalem. In eo autem agi de Ecclesia Judaica ad fidem Christi convertenda & multarum variarumque gentium accessione noviter quasi fœcundanda, temporibus Messiæ, pene omnia clamant. Nam propheta loquitur de Ecclesia Judaica, quæ *sterilis esse*, & *non parere* dicitur, sine dubio respiciens ad tempus, quo ea per Chaldæos vastanda, & ab habitatoribus deserta atque inculta erat futura, (more loquendi

quendi prophetico) & mulieris instar effætæ aut sterilis in captivitate mansura; sine viro, id est, Dei gratia, favore ac benevolentia, quæ eam antea complecti solebat, destituta; sine marito, id est, sine communione divinorum beneficiorum, quibus perfundi in terra sua solebat, quando Deum rite colens, eum sibi propitium experiebatur ac benevolum: adeo ut tum fæcunda & populosa admodum esset, civesque haberet & incolas frequentes. Hanc *laudare, erumpere in laudem*, & *exultare* jubet, id est, causam laudandi, erumpendi in laudem & exultandi, habituram prædicit propheta; quia post captivitatem istam futurum erat, ut multo plures filios, cives, incolasque haberet, id est, multo felicior ac populosior esset, quam ante captivitatem fuerat, & quo tempore res ejus bene se habebant. Emphatice deinde ista exaggerat, *vers.* 2. 3. & hyperbolicè *vers.* 11. 12. 13. 14. 15, uti etiam *cap.* LX. *vers.* 1. 2. 3. 4. 5, &c. per totum caput, quod merito huic parallelum dixeris. Quæ omnia ut intelligantur de Hierusalem sive Ecclesia mere Iudaica, & de tempore quod captivitatem immediate subsecutum est, fieri nullo modo potest. Enimvero Ecclesia Iudaica ex isto tempore nec felicior fuit, nec populosior quam antea, nedum quando ea sub Regibus suis vigebat florebatque: quin imo si tempora videantur, quæ non multo post consecuta sunt, sterilis potius & effæta mansisse videri debet, &, quasi Deum maritum protectoremque non haberet, nunc sub Persarum, nunc sub Græcorum, nunc sub Syro-Macedonum, nunc sub Romanorum jugo, tanquam derelicta & dolore affecta spiritu gemuisse. Quare necesse omnino est, ut hæc tam augusta, tam magnifica, intelligantur de tempore Messiæ, quando Ecclesia ipsa Iudaica, id est, exiguæ quædam Ecclesiæ istius reliquiæ, sterilitatis indices, Christo sive Messiæ se subdiderunt, auctæque deinde fuerunt accessione tot populorum, gentium, ac nationum, quæ cum iis unum verum populum Dei sive Israelem constituerunt: ut longe feliciores populosioresque factæ fuerint, quam unquam antea fuerant, confluentibus ad Ecclesiam Messiæ myriadibus gentium, & non jam particulam tantum unam terræ, videlicet Canaam, sed universum orbem terrarum, replentibus, & quaquaversum se diffundentibus, usque in hodiernum diem, & ad finem usque mundi porro sese diffusuris dilaturisque. Dices fortasse; Nec Ecclesiam Iudaicam dici posse eas peperisse, nec eas, quæ ex partu isto natæ sunt Ecclesiæ, recte Iudaicas aut Israeliticas vocari posse, cum multo maximam partem sint gentiles. Imo vero, inquam, & Iudaica Ecclesia istas sola peperit, quia Messias ejusque Apostoli non fuerunt nisi Iudæi, & hi quidem tantum non steriles, id est, ad tam fæliciter pariendum, sive propagandum populum Dei per universum orbem terrarum, si ipsos videas, prorsus inidonei. Et quæ per eos partæ, id est, ad Messiæ regnum ex gentibus advocatæ fuerunt gentes, eæ omnes Ecclesiæ Iudaicæ primum & ante alias omnes vocatæ, quasi palmites, insertæ atque insitæ fuerunt, nomenque simul ac dignitatem veri Israelis, quasi postliminio obtinuerunt: uti pulchrè id declarat Apostolus, ad *Rom.* XI. 16. 17. 18. 19. Cui si addas, quod idem Apostolus eodem *cap. vers.* 25. 26, tanquam mysterium sibi patefactum refert, futurum, ut Ecclesiæ Iudaicæ, quæ toto orbe frequentissimæ sunt, & à Messiæ regno adhuc prorsus alienæ, denuo postquam plenitudo gentium intraverit, revocentur, & Ecclesiis istis Christianis nomen suum dent; quid restat, quam ut credatur, tum perfecte complementum suum habituram hanc prophetiam, & eam, quam refert ibidem Apostolus noster, *Veniet ex Sion liberator ille, & avertet impietates à Jacob*, &c. Tum enim & sic *totus Israel salvabitur.*

Atque hæc testimonia ex Esaia pro hoc tempore sufficiant. Plura si quis velit, is hæc sequentia adjiciat, ex *cap.* LI. 4. 5. ex *cap.* LII. 10. ex *cap.* LIII. 10. 11. 12. ex *cap.* LV. 3. 4. 5. qui etiam citatur *Act.* XIII. 34. ex *cap.* LVI. 6. 7. ex *cap.* LX. 3. 4. 5. 6. ex *cap.* LXV. 1. qui etiam citatur, *Rom.* X. 10. ex *cap.* LXVI. 6. 7. Cætera quæ ex prophetis majoribus citari possunt, jam non expendemus, quia ex iis quæ jam citata à nobis sunt facile intelligi possunt. Ea adnotabimus tantum: Ex *Jeremia, cap.* XII. 14. 15. 16. & *cap.* XVI. 19. 20. 21. & *cap.* XXXI. 22. qui coincidit cum loco *Esa.* LXVI. 6. 7. Ex *Ezechiele. cap.* XVII. 19. 20. 21. & *cap.* XXXVII. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. Ex *Daniele, cap.* VII. 14. & 27. Hisce adjungantur testimonia citata ab Apostolo, *Rom.* XV. 9. 10. 11. 12.

*Regulæ ad intelligendum vaticinia Prophetarum quæ de vocatione gentium per Messiam agunt.*

Verum enimvero, ut omnia hæc & similia testimonia recte intelligantur, operæpretium erit, ut paucis quibusdam regulis comprehendam quæ in eorum examine observatu necessaria sunt, & ad quæ, tanquam ad Cynosuram quandam, animus semper advertendus est.

*Prima.* *Prima regula* est: Cultum illum, qui temporibus Messiæ vigebit, & Iudæis pariter ac gentibus communis erit, describi & exprimi, partim unius veri Dei Israelis cultu in genere; partim in specie, actibus, officiis & exercitiis istis, quæ propria erant carnali Dei populo, quando prophetæ vaticinabantur de cultu temporibus Messiæ locum habituro; post eversam scilicet urbem, destructum templum, terram sanctam vastatam, & populum per universum orbem dispersum: quia certum est; Deum istis indiciis voluisse significare, cultum Iudaicum desiturum, & leges omnes populi Iudaici, templo, urbi, & terræ adfixas, planè cessaturas & evanituras.

*Secunda.* *Secunda regula*: Populum istum, qui Messiæ temporibus cultum illum vero Israelis Deo præstabit, *aliquando* vocari simpliciter Judæ seu Jehudah voce, quatenus Judæi à Deo non rejecti erant ut XII tribus cæteræ, vel primi erant futuri Christiani; utpote primi vocandi ad communionem regni Messiæ, & cæteris omnibus gentibus præferendi, iisque præituri fide atque obsequio; vel sic iis præituri, ut, quotquot deinde succederent & venirent ad Messiam ex gentibus, ii omnes istis, quasi accederent, & iis non aliter quam palmites alieni & oleastri, arbori & radici populi Dei à Deo ipso electæ & plantatæ, insererentur, sicque in populum verum Judæ, id est, verum Deum confitentem, quasi coalescerent; *aliquando* voce Israelis, quatenus Israelis vox propria ac prima sua significatione comprehendit, tum Judaicum populum temporibus Messiæ adhuc superstitem, tum cæteras decem tribus à Deo repudiatas, & in gentes varias dispersas, ita ut cum gentibus in unum gentilem populum coaluerint. utroque enim sensu significatur, populum istum, futurum populum qui ex Judæis & gentibus conflatus erit. Atque hæc ipsa loquendi ratio, est inter cæteras etiam ἰσπιχήλωμμα illud quod Judæos impedit, quo minus credant ea gentium vocationem prædici, sed firmiter sibi persuadeant, sui tantum populi restitutionem ea designari.

*Tertia.* *Tertia regula:* Gentes quæ per Messiam vocandæ, & in Messiam credituræ sunt, aliquando vocari simpliciter gentes גוים, & omnes gentes כל-גוים; aliquando insulas, toto quasi penitus orbe, Iudaico imprimis, divisas secretasque; aliquando insulares; aliquando Edom sive Edumæos, extra terram sanctam habitantes, & Deo quasi exosos, solitudinem montium & dracones deserti pro hæreditate possidentes: *Malach.* I. 2. 3. aliquando Ægyptios & Assyrios, tanquam idololatrarum gentilium coryphæos & antesignanos; aliquando etiam Israelitas, voce Israelitarum accepta pro decem tribubus in Assyriam abductis, & per Colchos, Medos dispersis populoque gentili permixtis, contradistincte à Juda, sive duabus tribubus, apud quas in terra sancta veri Dei Israelis cultus perseveravit, nulla habita ratione, an multi, an pauci ex decem istis tribubus abductis ad eas redierint, iisque sese iterum adjunxerint. Certum enim est, omnes istos Iudæ nomine exinde censitos vocatosque fuisse.

*Quarta.* *Quarta regula*: Vaticinia de populo Israelis per Messiam revocando & in integrum restituendo, non sic præcisè esse accipienda, quasi, quæ ad ea pertinent omnia, jam complementum suum habeant, nedum antehac diu habuerit, postquam gentes ad Messiam vocatæ fuerunt, & Judæi quasi Dei populus esse defierunt, spreto rejectoque Messia; sed sic esse interpretanda ex Apostoli nostri sententia, ut reductio quidem cæpta fuerit temporibus Apostolorum Messiæ, ad populum Iudaicum ablegatorum; sed ad tempus sive ἀπὸ μέρους intercepta divino judicio, propter populi istius infidelitatem, usque dum plenitudo gentium introierit; non vero aut plane abrupta, aut prorsus interciſa: sed revocanda, & suo iterum tempore resumenda sit: & tum demum propriè complementum suum habitura vaticinia omnia, de latissimo, amplissimo, & perfectissimo Messiæ regno, ad quod dicuntur confluxuri omnes populi, & nominatim ipsi etiam Judæi, & universus Israel, & in quo omni felicitate, & rerum omnium desideratissimarum, quæ typis rerum terrenarum & carnalium, tanquam rudimento quodam, adumbrantur & repræsentantur, affluentia sunt gravisuri, ubi scilicet Messiam Regem suum esse agnoverint, & ex præscripto Legis ejus, cum cæteris populis se componere parati fuerint. Cavendum itaque diligenter est, ne, aut consideratione eorum quæ cæpta sunt compleri juxta vaticinia, de populi Judaici restitutione in integrum, credatur, nil restare amplius quod complendum adhuc sit; aut, consideratione eorum, quæ complenda adhuc sunt, credatur nihil hactenus compleri cæptum esse. Media via cum Apostolo nostro tenenda est. Sic enim nec Christianus habet, quod succenseat Judæis, complementum istorum vaticiniorum adhuc requirentibus; nec Judæi, quod succenseant Christianis, vaticinia ista ex mente Messiæ sui interpretantibus; nisi velint, eam esse vaticiniorum omnium conditionem, ut ea simul ac semel complenda sint ubi advenerit Messias; quod eos non

posse

posse velle id unum abunde arguit, quod fateantur ipsi, ubi advenerit Messias, & jam in terram suam reductus erit populus, tum Gog & Magog moturos bellum contra Messiam & populum ejus, & cum magna hominum manu infinitisque militum copiis infestis armis incursuros in terram sanctam, ea spe animoque ut regnum atque imperium illud sibi vindicent, non aliter quam Gothi olim Vandalique opulentissima regna sibi subjecerunt, & de illis triumpharunt; juxta vaticinia *Ezech.* XXXVIII 14. 20. *Joel.* III. 1, *&c. Zephan.* III. *Hagg.* II. 7. *Zach.* XII. 1. 2, *&c.* Addunt, Belli istius contra Gog & Magog, ducem futurum Ben Joseph sive Ephraim, cum in bello isto occubiturum, populumque Israelis cum eo multis calamitatibus afflictum iri, magnamque cladem ac stragem passurum; quin & bellum illud adeo futurum horridum & truculentum, ut septem mensibus integris opus sit futurum, ad cadavera sepeliendum, & ad expiandum terram; quod signum est bellum istud diu duraturum esse.

*Responsio ad objectionem ex Ephes. III. 5 desumtam, contra vaticinia de vocatione Gentium.*

Dicet fortasse aliquis; Omnibus istis quæ hactenus adduximus testimoniis, de vocatione gentium prædicta per prophetas, obstare, quod Paulus ipse ad *Ephes. cap.* III. 5, vocationem gentium *mysterium* vocet, *quod aliis ætatibus non fuit patefactum filiis hominum.* Si non fuit patefactum ante ætatem Pauli, gentes ad communionem regni Messiæ vocatum iri, quomodo id dici potest prædictum fuisse per prophetas, & toties, & tam clare, uti hactenus evincere conati sumus, &, uti credo, evicimus? Resp. 1. Apostolum isto in loco non dicere, aliis ætatibus non fuisse patefactum filiis hominum, futurum ut vocarentur gentes, sed tantum dicere, non fuisse patefactum aliis ætatibus filiis hominum, gentes esse vocatas, gentes esse cohæredes & concorpores consorteſque promissionis ejus in Christo, sive jam esse tempus illud præsens, quo Deus gentes ad communionem regni Messiæ vocari vult. 2. non dicit, id nullo modo patefactum ante fuisse, sed non fuisse patefactum, sic, uti nunc patefactum est sanctis Apostolis & prophetis (Novi scilicet Testamenti) per spiritum ὡς νῦν ἀπεκαλύφθη, inquit. Cur vero? Quia prædictiones prophetarum à Deo quidem fuerunt inspiratæ, sed sine claro adeo ac dilucido interpretamento, quale Apostolis postea per Spiritum sanctum datum fuit. Aliud est prædicere, aliud clare ac plane perspicere totum id quod in prædictione est. Interpretatio prædictionis lux est; hinc ἀποκάλυψιν eam vocat Apostolus, de qua paulo post plenius aliquid dicemus. 3. Nec dicit simpliciter mysterium esse quod vocatæ sint gentes, sed quod gentes sint vocatæ, ut sint σύσσωμοι καὶ συμμέτοχοι τῆς ἐπαγγελίας, per Euangelium, διὰ τοῦ εὐαγγελίου, id est, eo modo, quo Euangelium docet, videlicet per solam vivam fidem, absque ulla ad Legem Mosis observandum obligatione; quod adeo ingens mysterium semper fuit in populo Judaico, ut diu admodum istud ignoraverint etiam ipsi Messiæ Apostoli, deque eo erudiendi fuerint divino oraculo, & postquam jam eruditi & edocti de eo fuerant, non defuerint multo adhuc post alii, etiam inter ipsos professione Christianos, qui contra contenderint, & litem moverint ipsis Apostolis, admittentibus gentes ad Christum sine circumcisione & legalium rituum obligatione. Dicebant enim, uti est *Act.* XV. 1. *Nisi circumcidamini ritu Mosis, non potestis servari.* Et duravit ista contentio multo post tempore, etiam post ipsum Concilium Hierosolymitanum. Usque adeo profunda istius rei ignorantia etiam tum laborabant Judæi Christiani, ut vere dicere potuerit Apostolus Paulus, gentium à Deo Doctor designatus, Deum sibi peculiariter istam rem, tanquam mysterium, per revelationem notum fecisse. unde & is in eo fere totus fuit, ut caput istud contra omnes fere alios Judæos adstrueret ac tueretur; gentibus scilicet non esse imponendum Legis Mosaicæ jugum, sed sufficere solam fidem in Jesum Christum, qua justificentur coram Deo, & promissionum Euangelicarum consortes fiant ac participes. Quare & hoc videri debet mysterium illud de quo hîc agit.

Hactenus ergo ex Scripturis propheticis adstruximus primum fundamentum argumenti nostri ultimi, prædictum scilicet fuisse per prophetas, futurum, ut Messiæ adhærerent gentes ac nationes omnes terræ, ejusque Legi sive Euangelicæ doctrinæ se subjicerent ac submitterent.

*Responsio ad aliam objectionem, Judæos nunc agnoscere prædictum fuisse per Prophetas Gentium vocationem.*

Dices: Non necesse fuisse ut istud hoc tempore adstrueretur operose, quum constet, Judæos agnoscere, prædictum olim fuisse per prophetas, futurum ut gentes etiam Messiæ regno subdantur. Resp. 1. Aliud esse quærere, quid nunc dicant atque agnoscant Judæi; aliud, quid olim aut antidhac dixerint. Certum est ex Actis Apostolorum Christianis, Judæos tempore Christi atque Apostolorum ejus, istud non agnovisse, imo contra contendisse, illicitum esse viro Judæo ἀθεμίτως προσέρχεσθαι καὶ κολλᾶσθαι; *Act.* X. 28. ac proinde nefas esse vocare gentiles ad Messiæ regnum, nisi primum fierent proselyti, id est, nisi prius Mosis religioni se addicerent atque obstringerent, aut clarius, nisi Judæi fierent, sive propria sua sponte, sive persuasi ab ipsis Judæis. Fas enim fuisse ac licitum Judæis, ad gentiles ire, eo animo, ut persuaderentur fieri proselyti, ex *Matth.* XXIII. 15. manifestum est. 2. Aliud longe esse id quod nos hactenus adstruximus, aliud id, quod hoc tempore agnoscunt Judæi. Hi enim agnoscunt quidem prædictum esse per prophetas, futurum, ut gentes etiam Messiæ regno subdantur; sed id sic intelligunt, ut subdantur vi, & vel coactæ subjugatæque armis Messiæ, vectigales illi fiant; vel ultro sese ei dedant in servitutem, majoris excidii metu. Nempe ergo, ex sententia eorum, gentes Messiæ subjicientur, ut servitutem ibi serviant, & mancipiorum instar sint, in usum Regis ac populi, nullo suo bono, sed cum proprietatis rerum suarum, libertatisque suæ damno ac detrimento. Atque hæc forte etiam fuit, tum prophetarum prædicentium, tum Judæorum etiam priscorum omnium opinio, de gentium vocatione. Unde recte dictum videri potest ab Apostolo nostro, id, quod antea allegavimus, aliis ætatibus sic non fuisse patefactum mysterium de gentium vocatione, uti tum temporis Apostolo primum Petro aut Paulo, deinde aliis patefactum fuit. Valde verosimile est, prædictiones prophetarum involucris quibusdam verborum tectas, olim non ita clare intellectas ac perceptas fuisse, uti nunc, postquam prædictiones impletæ sunt, à nobis eæ intelliguntur ac percipiuntur. Involucra ista sine dubio eadem fuerunt, quæ hodieque sunt Judæis, & duo quidem præcipua: Primum, quod aliquando prædictiones videantur agere de gentium subjugatione, per virgam ferream futura, de servitute gentium, & pensione vectigalium, &c. Secundum, Quod vocatio gentium fere prædicatur per nomen Israelis, quod nomen, gentibus non potest competere, ipsorum judicio: unde gentes quasi mancipia Israelis, quæ sui juris non sunt, futuras, prædici sibi persuadent. Quicquid sit, quod illos movet, certum est, eos sic statuere, quando vocationem gentium per prophetas prædictam esse agnoscunt. Ad nos autem quod attinet, nos longe aliter statuimus. Dicimus enim tria per prophetas prædicta fuisse: 1. Gentes etiam vocatum iri. 2. & vocatum iri ad communionem regni Messiæ. 3. & vocatum iri bono tantum suo, non ut Judæis serviant, sed ut pari cum Judæis conditione sint, id est, Messiæ Regi ejusque Legi obediant, atque ita eorundem bonorum omnium ac beneficiorum cum ipsis fiant participes. Atque hæc tria, istis, quæ adduximus testimoniis, luculentur evinci, satis à nobis demonstratum esse arbitror. Hactenus de primo fundamento egimus.

## CAPUT XIX.

### Quarti argumenti secundum fundamentum, Si Jesus noster non fuisset Messias ille promissus, ejusque doctrina non fuisset divina, fieri non potuisset ut pro Messia receptus, & doctrinæ ejus fides habita fuisset in toto mundo.

SEquitur nunc secundum argumenti nostri ultimi fundamentum, quod hoc est: Quia si Jesus noster non fuisset Messias ille promissus, ejusque doctrina, qua eum promissum illum Messiam esse continetur, divina non fuisset, fieri non potuisset, ut pro Messia receptus, & doctrinæ ejus fides habita fuisset in toto mundo.

Hoc secundum fundamentum priusquam adstruamus, ostendenda nobis primum est veritas historica principalis argumenti nostri. Ea enim uti primo fundamento ponitur futura, ita hoc secundo præsupponitur jam facta, sive eventu ipso comprobata. Atque hæc caussa est cur ejus demonstrationem huc usque distulerimus. Experientiam testem hîc facimus, quæ rei gestæ historiam continet. Alia enim via ut hoc ostendatur impossibile est.

*Innumerabilis Judæorum turba Jesum olim pro Messia agnovit, ejusque doctrinæ adhæsit.*

Constat ex historia Euangelica, quæ tempora Jesu nostri, & Apostolorum ejus Acta complectitur, & ex temporum omnium quæ exinde fluxerunt, usque ad hæc nostra tempora, fide indubitata, Judæorum gentiumque ingentem & innumerabilem turbam Jesu nostro ejusque doctrinæ ac Religioni sese dedidisse. Ac primum quidem Judæos; quia ut iis doctrina ac Religio Jesu sive Messiæ promissi ante alios omnes populos annunciaretur atque innotesceret, tum æquum tum necesse erat, uti diserte legere est *Act.* XIII. 46: ὑμῖν (Judæis scilicet) ἦν ἀναγκαῖον πρῶτον λαληθῆναι τὸν λόγον τοῦ θεοῦ. Et Jesus noster ipse testatus est, quando se missum esse

esse dixit, *non nisi ad oves perditas domus Israelis*; *Matth.* XV. 24. suisque Apostolis duodecim Euangelium regni sui, dum adhuc in terris cum iis versabatur, prædicaturis, vetuit *abire in viam gentium & in urbem Samaritanorum*, jussitque proficisci *ad oves perditas domus Israelis*: *Matth.* X. 6. Comparativa enim particula μᾶλλον, quæ in *vers.* 6. legitur, redundans particula est, uti ex interdicto præcedente manifestum est, & negative accipienda est, uti accipitur *Joan.* III. 19: *Dilexerunt homines tenebras* μᾶλλον, *quam lucem*. Sensus enim est, lucem non dilexerunt, sed odio habuerunt. & *Luc.* XVIII. 14. ubi μᾶλλον sine dubio sub intelligitur, quando dicitur, *Descendit iste* (publicanus scilicet) *in domum suam justificatus*, ἢ ἐκεῖνος: Sensus enim est, μᾶλλον ἢ ἐκεῖνος: sic tamen, ut negatio istic sit, non comparatio; voce, justificatus, διδικαιωμένος, proprie accepta, uti ex re ipsa & ex ratione quæ subjicitur, vocem istam accipi debere, manifeste liquet. Sunt tamen alii qui supplemento isto μᾶλλον hoc in loco opus esse negant, & voculam comparationis ἢ, καθαχρηστικῶς pro negativa accipiunt, vertuntque per *non*, eodem modo quo *Psal.* CXVIII. 8. *Bonum est confidere in Deo, non autem in hominibus*; quibus ego non refragor. Fuisse autem Judæorum non exiguam turbam, quæ religionem Jesu nostri amplectebatur, non obscure liquet ex ipso Pharisæorum, tum ore, *Joan.* VII. 49, ubi sic loquuntur, tanquam si tota populi turba, exceptis primoribus, per eum seducta jam esset; tum metu, quem significant *Joan.* XI. 47. 48, quando consentientibus vocibus ajunt, *Quid facimus? Nam hic homo multa signa edit. Si omittamus eum ita,* πάντες πιστεύσουσιν εἰς αὐτόν, *Omnes ei credent.* Et non pullatam tantum turbam, id est, plebem aut fæcem populi fuisse, quæ ei adhæsit, & doctrinæ ejus fidem habuit, sive assensum præbuit, apparet ex *Joan.* XII. 42, ubi dicitur, *ex primoribus* etiam ipsis *multos in eum credidisse*. inter quos Nicodemum fuisse legitur *Joan.* III. 1. qui ibidem vocatur ἄρχων τῶν Ἰουδαίων: & *vers.* 10. διδάσκαλος τοῦ Ἰσραήλ. Et Josephum Arimathæensem, qui disertè vocatur *discipulus Jesu Joan.* XIX. 38. *Matth.* XXVII. 57. & *Luc.* XXIII. 50. dicitur fuisse ἀνὴρ ἀγαθὸς καὶ δίκαιος: & βουλευτὴς, *Matth.* XXVII. 57. & ἐνδοξῶν βουλευτὴς, *honoratus Senator*, *Marc.* XV. 43. Inter ipsas etiam mulieres, quæ magno numero ei adhærebant, apparet fuisse non paucas honoratas & impendio divites, ex *Luc.* VIII. 3: ubi Joanna uxor Chuzæ ἐπιτρόπου, id est, procuratoris Herodis, & Susanna, recensentur nominatim, aliæque fuisse dicuntur, quæ Jesu ministrabant ἀπὸ τῶν ὑπαρχόντων αὐταῖς, in fidei scilicet & benevolentiæ suæ testimonium. Magnam atque illustrem fuisse hanc turbam ex omnium ordinum, omnis sexus, ætatisque hominibus conflatam, nemo facile ambigat. Nec dubium est ex eo, quod *Joan.* XI. 47. 48, legitur, potissimam si non unicam caussam, cur usque adeo exarserint primores populi in Jesum, & de eo interimendo comitia iniverint, fuisse metum, ne tandem ad eum deficeret universus populus, ipsique gratia & autoritate, qua pollebant apud populum, prorsus exciderent.

Si tempora consecuta, & quæ per Apostolos ejus, inter Judæos, post missum de cælo Spiritum sanctum gesta sunt, videantur, eadem veritas luculentius multo patet. Quamquam enim videri poterat nonnihil deferbuisse ingens ille multorum in populo zelus, ob ignominiosam Jesu mortem, ac fortasse etiam in multis jam refrixerat; tamen repente iterum exarsit, & veluti cohibita repressaque ad tempus flamma, novo reperto pabulo, multo erupit vehementius. Simulatque enim Apostoli, viles illi, ut constabat, infimæque conditionis homines, idiotæ & ἀγράμματοι, discipuli tamen Jesu intimi ac familiarissimi, visi sunt, momento quasi uno, in alios homines mutati, & linguarum omnium cognitione rerumque maximarum notitia perfusi, caussam Domini sui Jesu, apud omnes, intrepide & magna cum ἐνεργείᾳ καὶ παῤῥησίᾳ agere, ejusque Religionem & doctrinam adferere, non fucatis quæsitisque, sed veris, clarisque, & omni demonstratione atque exceptione majoribus argumentis & documentis, catervatim turmatimque quasi concursum est ad Religionem Jesu Christi, non obstantibus minis, edictis, ἀπειλαῖς, carceribus, tormentis, omnibus denique extremorum suppliciorum generibus. Petrus Apostolus, prima concione sua, una die, tria animarum millia ad fidem & Baptismum Christi adducit, & erant, qui quotidie deinde accedebant, tanta cum animorum mutatione, ut alii plane homines viderentur, uti est *Act.* II. 41. Non multo post confluunt ad eandem Ecclesiam, rivulorum instar, tam confertim, ut, præter fæminas, virorum pene essent quinque millia: *Act.* IV. 4. Exinde crescebat indies numerus, ut pene esset innumerabilis: *Act.* V. 14. Nec ex plebe tantum, aut in vicis pagisque, sed ex ipsis etiam primis præcipuisque in populo. Nempe in ipsa principe civitate, *multa sacerdotum turba auscultabat fidei*, id est doctrinæ Euangelicæ; ut est *Act.* VI. 7. Sequebantur Galilæa, Samaria, ut vici etiam pagique earum tandem omnes complerentur discipulorum Christi numero: *Act.* VIII. & IX. 31. Hinc erat quod Iacobus, Hierosolymorum Episcopus, Paulo dicebat, *Act.* XXI. 20: *Conspicis, frater,* πόσαι μυριάδες εἰσὶν Ἰουδαίων τῶν πεπιστευκότων. Præter hos quanta fuerit turba τῶν σποράδην ἀλλοφύλων, id est, eorum qui per omnes provincias Romanorum dispersi erant, Epistolæ Catholicæ Petri, Iacobi, Ioannis, fidem faciunt.

Gentilium deinde quanta accesserit multitudo, quis dixerit? Solus Paulus, gentium Apostolus, brevi tempore, per tot terras populosque diffudit Euangelium, tantamque manum gentilium ad fidem adduxit, ut *ab Hierusalem* & circumjacentibus regionibus, *ad Illyricum usque, repleverit omnia loca* Christianæ religionis cultoribus & sectatoribus: *Rom.* XV. 19. & *plus unus laboraverit quam cæteri omnes*: 1 *Corinth.* XV. 10. adeo ut adserere non dubitet, jam tum suo tempore *Euangelium Christi prædicatum fuisse omni creaturæ, quæ sub cœlo est*; *ad Coloss.* I. 23. Magna profecto necesse est ut fuerit, tanto terrarum mariumque intervallo & intercapedine, gentium Christianarum turba. Et ea aucta postmodum usque adeo est, ut Iudæorum, quamquam ingens etiam numerus, pene in computum non veniret, tandemque etiam numerari desierit, coalescentibus paulatim his & illis tam arctè in unam Ecclesiam, ut Iudaicarum Ecclesiarum nomen simul ac memoria nulla reliqua manserit, ac ne vestigium quidem ullum reperire sit, quo tempore ea evanuerit, aut esse desierit. Nempe memoriam paucorum Iudæorum, multitudo gentilium obruit, exstinxit, atque obliteravit. *Item Gentilium.*

Atque hæc quidem ea sunt, de quibus apertè nobis constat ex historia nostra Euangelica. Quibus ut quis addat, quæ Eusebius, Nicephorus, aliique historici referunt, de propagato Euangelio per cæteros Apostolos, in universo pene orbe; per Andream scilicet in Scythia, & ad utrumque usque Pontum Euxinum; per Bartholomæum in Armenia; per Matthæum in Æthiopia, aut, ut alii, apud Anthropophagos, per Thomam in Parthia, &, ut Hieronymus addit, Media, Persia, Carmania, Hircania, & India; per Matthiam in parte Æthiopiæ maxime agresti; per Simonem Cananæum in Ægypto, Africa, Cyrene, Lybia, & insulis Britannicis, ut Nicephorus scribit; per nos licet. Fides esto penes autores. Id certum nobis est, post Apostolorum mortem, longe lateque disseminatum ac propagatum fuisse Euangelium Iesu nostri, & tandem, circa seculum quartum, Cæsares & Imperatores ipsos Christo nomina sua dedisse, & fasces, sceptra, ac regna sua ejus legibus submisisse, adeo ut jam pene nullum regnum sit quod leges Christi & jugum ejus non susceperit, aut ad quod fama Euangelii ejus non pervenerit, paulatim fermenti instar sese diffusura, donec tandem totus orbis Christianus fiat.

Fructus sive effectus prædicatæ Religionis Christianæ in toto orbe fuit: 1. Quod, juxta omnium Prophetarum vaticinia, unus & verus Deus Israelis, creator cæli & terræ, pro Deo uno ac vero agnitus sit. 2. Quod lex Israelitico populo data recepta fuerit pro lege Dei vera, sed populo Israelis data quoadusque populus ille, populus esset, & Respub. Israelis staret, excepta lege Morali, quatenus ea regulam vitæ continet universalem & communem omnibus populis, quæ etiamnum pro lege Dei agnoscitur, omnes ac singulos obligante. 3. Quod oracula omnia dæmonum, istis in locis, ubi Religio Christi recepta fuit, cessaverint atque obturata fuerint; juxta vaticinium *Zach.* XIII. 2. 4. Quod idola & idolorum omnium nomina penitus sublata fuerint atque abolita, & dii deæque omnes gentilium, pro Numinibus fictitiis habiti & prorsus repudiati fuerint. 5. quod odiorum, discordiarum, bellorum semina omnia exstirpata fuerint. Duo tamen hæc postrema turbata iterum fuerunt per Antichristi spiritum. Sed eæ maculæ & probra sunt Religionis Christianæ, & forte per Gog & Magog olim adumbratæ; quæ tandem eluentur & per Spiritum oris Christi ac Christianæ religionis conficientur, pace per universum Christianum orbem reddita ac restituta. *Fructus prædicati Euangelii in toto orbe.*

Hoc jam sic evicto, restat ut adstruamus vim fundamenti sive argumenti nostri secundi. Fieri non potuit, ut Iesus à tot populis ac nationibus pro Messia reciperetur, si ipse Messias ille non fuisset; aut, ut doctrina ejus, qua eum Messiam esse perhibetur, pro doctrina divina, & Regis ac Messiæ promissi doctrina, ab iis admitteretur, si doctrina talis non fuisset. *Fieri non potuisset ut Iesus & ejus Euangelium à tot populis reciperetur, si non fuisset Messias.*

Ratio autem qua hoc nostrum fundamentum adstruimus, hæc est. Obstabant tam fælici ac glorioso successui, tantique successus & incrementi, tum spei, tum possibilitati, tria: Doctrinæ ipsius genius, Doctrinæ ipsius fundatores, Docendi modus. *Quia obstabant tria: 1. Doctrinæ ipsius genius.*

Doctrinæ ipsius genius obstabat: 1. quia contrarias alias omnes

omnes Religiones, ab omni fere retro ævo receptas, patrias, & longo uſu inveteratas, de plano damnabat, &, ut peſſumdarentur extirparenturque funditus, urgebat, tanquam vanæ, fictitiæ, Deo indignæ, & inimicæ. Totidem ergo, per quot viguerant, ſecula, uno momento repudiabantur; & quot Religionum iſtarum fuerant autores aut cultores, totidem rei læſæ divinæ Majeſtatis & damnates pronunciabantur, irretorta ſententia. 2. Præcepta continebat ingrata, moleſta, inviſa carni & carnalibus omnibus populis contraria, abſque ulla vel deliberatorum peccatorum, vel vitiorum, lege rituve antea permiſſorum, indulgentia. Nempe ſui ipſius abnegationem, perfectiſſimi exemplaris imitationem, polygamiæ, & divortii extra caſum adulterii, & juramentorum non neceſſariorum interdictionem, hoſtium dilectionem, malorum tolerantiam, & crucis etiam diriſſimæ atque ignominioſiſſimæ, innoxiam & non invitam ſupportationem. Atque hæc quidem mandata ſancita extremi æternique ſupplicii comminationibus, nixaque primo & principali mandato Fidei in Jeſum Chriſtum, crucifixum & mortuum tanquam Majeſtatis perduellem, & generis humani hoſtem; quod adeo abſurdum in populorum omnium auribus erat, ut Apoſtolus noſter ipſe non dubitet adſerere, iſtud viſum fuiſſe *Judæis ſcandalum, & gentibus ſtultitiam: 1 ad Corinth.* I. 23. 3. Promiſſa continebat, tum generi toti humano incredibilia, tum ſingulis etiam imperceptibilia. Inter incredibilia, etiam præſtantiſſimis in ipſo populo Judaico, Sadducæis ſcilicet, erant, hominis mortui in vitam revocatio: quid dico? in cælum ſublatio & æterna in cælo cum Deo manſio. Nihil minus, ſaltem nihil difficilius homo credit, quam mortuum, in vitam redire poſſe immortalem. Vitam fortaſſe in immenſum produci poſſe, haud gravate ſibi perſuadet. Superſtitem enim conſervari, rationi humanæ non videtur abſonum. At vitam jam extinctam & ejectam reproduci, & poſtliminio in æternum reſtitui, ut ut contra rationem non eſt, ſupra fidem tamen humanam eſt. Hinc *Act.* XVII. 18. 19. 20, concio Pauli de reſurrectione mortuorum, σπερμολογία tantum quædam viſa fuit Epicuræis & Stoicis: cæteris vero Athenienſibus adeo inſolens & nova, ut ξενίζοντά τινα auribus eorum videretur ingerere. Et *Act.* XXV. 19, Feſto præſidi, ridicula tantum non, aut ſuperſtitionis plena, viſa fuit Pauli de ſuſcitato Jeſu oratio. Et ipſi Agrippæ Regi eam incredibilem viſam fuiſſe, forte indicat Paulus *Act.* XXVI. 8: *Quid? incredibile judicatur apud vos, quod Deus mortuos excitat?* Certe adeo incredibile id pleriſque, ſi non omnibus mortalibus, videtur tum fuiſſe, ut inter ipſos Chriſtianos non defuerint, qui poſt reſuſcitatum Chriſtum contenderent reſurrectionem mortuorum non eſſe: *1 ad Corinth.* XV. 12. imò reſurrectionem nullam futuram, ſed jam factam eſſe; quo ſenſu, qua mente, ego non dixerim: *2 ad Timoth.* II. 18. Atque hoc uti in iſtis Chriſtianis profeſſione hominibus admirabile videri debet, ita in illis qui Chriſtiani non erant, quà gentilibus, quà Sadducæis, admiratione magna dignum non eſt. Enimvero in tanto, præter naturæ morem, rei miraculo, quam fidei ſuæ baſin, aut quod rationis veſtigium reperire poterant mortales iſti nullo exemplo, nullo experimento edocti eruditique? Atque hoc eſt, quod ſecundo diximus, promiſſa Religione Jeſu Chriſti comprehenſa talia eſſe, ut ſingulis hominibus imperceptibilia ſint. Nec enim ſunt bona, quæ ad hanc vitam præſentem ſpectant, nedum carni ac ſenſibus grata; ſed bona, quæ non niſi poſt hanc vitam, & fortaſſe ſeculis aliquot poſt mortem obventura demum ſunt; & quæ, tantum abeſt, ut ſenſibus humanis hîc palpari, aut experimento aliquo, qualia & quanta ſint, probari aut explorari poſſint, ut contra, non niſi deſtructa carne, abolitiſque ſenſibus carnalibus, per quos voluptatis præcipuum ac profundiſſimum capitur expetimentum, locum ſint habitura; ac proinde cum corpore iſto, quod carne conſtat, & ſanguine nutritur, communionem nullam habitura. Nempe non in terra hac, carnis humanæ paradiſo & ſenſuum diverſorio, ſed in cælo poſt exuſtam terram hanc, & univerſali παλιγγενεσία deletam, fruitio bonorum iſtorum erit. Nec, quod iſtis fruetur, caro erit aut ſanguis, animale, terrenum, & caducum corpus, longe ſcilicet impar & inidoneum tantis bonis percipiendis; ſed ſpirituale, cæleſte, & à craſſæ terræ fæce, carniſque lutoſæ ſcoria candidatum perpugatumque, & quod immediate ab ipſo in eo habitante ſpiritu vivificabitur, longe ſecus quam hoc corpus noſtrum, quod non modo domicilium atque habitaculum eſt animæ ſive ſpiritus noſtri, ſed inſtrumentum etiam, quo vita ſive anima indiget ad ſui conſervationem & ſuſtentationem. Uti enim ſine ſpiritu corpus non vivit, ita vita ſpiritus in corpore ſupereſſe diu non poteſt, ſine ope corporis; ita ut mutuas hîc ſibi alter alteri operas præſtent. Hæc quam ſint carni inſipida, inſulſa, & terrenis terræque addictis mortalibus, ac tantum non terræ mancipiis, ἀκατάληπτα, quis non videt? Caro ſpei, nedum ſpei in longinquum porrectæ, quid dico poſthumæ? capax non eſt. Futura non ſperat, nedum poſt mortem futura, ſed præſentia tantum ſpirat. Caro enim ſentire, videre, palpare, odorare, guſtare vult. Carnis enim inſtrumenta, ſunt ſenſoria. Quod ſi quæ in Religione Chriſtiana extant promiſſa, ad hanc præſentem vitam pertinentia, ea carnem aut vix, aut omnino non, tangunt, αὐτάρκειαν ſcilicet ſive animus ſua forte contentus in media rerum omnium inopia ac penuria, & futurorum bonorum ſola ſpei certitudine ſuffultus. Iſta quam ſint aut videantur carnali homini exigua, exilia, diluta, ac pene nihili, nemo neſcit. Hiſce ſi addantur, 4. quæ in doctrina Chriſti prædicuntur optimis etiam fideliſſimiſque Religionis Chriſtianæ cultoribus eventura, odia, pericula, afflictiones, damna, opprobria, ærumnæ, & malorum omnium genera, eaque patienter & æquo animo ferenda, quis non concludat, fieri non poſſe, ut doctrina iſta, tot gentes, populos ac nationes, ventri tantum atque abdomini ſuo deditas, in ſubſellium ſuum traxerit, tam brevi tempore, ſi divina non fuit? An credibile eſt, tot gentes, in tam gravia, tam ardua præcepta, conſenſuras, tantam laborum molem, ſine ulla mercede, ſine ullo voluptatum illicio, ſubituras fuiſſe, imo cum præſentiſſimo rerum omnium ſibi gratiſſimarum damno, ad calamitoſam virtutem miſeraſque optimæ vitæ ærumnas pellici potuiſſe? Alterutrum neceſſe eſt ut dicatur, Aut divina eſt doctrina, aut ſtulta. Atque hoc manifeſtius adhuc eluceſcit, ex iis quæ ſequuntur.

Obſtaculum enim ſecundum, quo minus hæc doctrina pro divina à tot populis admitteretur, erant ipſi doctrinæ hujus fundatores. Hi enim qui & quales erant? Certe, ſi cauſſæ non erant, cur non indigni omnino, ſaltem cauſſæ erant, cur non digni ſatis viderentur, quibus fides adhiberetur. a *Doctrinæ hujus fundatores.*

Primus ac princeps Religionis hujus fundator fuit Jeſus Nazarenus, patre uti putabatur fabro natus, & forte ipſe prima ætate faber, nullius nominis, nullius dignitatis, nullius ordinis, nullis præceptoribus uſus, nulla in ſchola eruditus: *Mar.* VI. 2. &, quod caput rei eſt, à proprii populi ſui antiſtibus ac primoribus contemtus ſpretuſque, quin & tandem captivus ductus, & ſervi in morem vinctus, conſputus, flagellatus, furcifer & cruciarius factus, damnatuſque læſæ Majeſtatis divinæ & humanæ, denique perduellis inſtar cruci ſuffixus. Hæc res quin obſtaculum tantum Judæis multis dederit, ut eum promiſſum illum Meſſiam, ejuſque doctrinam divinam eſſe, non modo noluerint, ſed ne potuerint quidem in animum ſuum inducere, vix dubium eſt. Enimvero indubitatum & omni exceptione majus apud eos erat, Meſſiam non modo non moriturum, æternumque victurum, *Joan.* XII. 34, ſed & glorioſe regnaturum, victoremque ac domitorem totius orbis, libertatiſque populi Judaici vindicem atque adſertorem futurum perpetuum. Hujus itaque tam infamis cruciarii Religio, ut iis adlubeſceret, impoſſibile erat.

Nec minus obſtaculum hanc rem gentilibus præbituram cui non fiat veriſimile? Etſi enim illorum non intererat, quid de eo cenſuiſſent Judæi, quos odio mero adductos, ad tantum facinus audendum, credere potuiſſent, imprimis audita totius rei geſtæ hiſtoria; tamen præjudicium ingens in animis eorum gignere poterat, id unum, quod dii permiſſuri non fuiſſent, ut tam infando ſcelere, & tam crudeli ac deteſtando ſupplicio, è medio tolleretur, is, quem ipſi ad homines ablegaverant, ut immortalitatis & æternæ vitæ viam iis panderet ac ſtrueret. Aut enim iniquos infidoſque cenſendos eſſe Deos, qui fidiſſimi Legati ſui curam non geſſiſſent; aut Legatum falſitatis reum agendum, uſurpatæque divinæ Majeſtatis manifeſtum convinci, ex eo quod eum patrocinio ſuo dii deſtituerant, ut de eo mereret carnifex.

Obſtaculum hoc non parum auxerunt, qui principem hunc ſecuti ſunt fundatores Religionis Chriſtianæ, & ſe Apoſtolos Principis iſtius crucifixi palam profitebantur. Ii enim erant homines pauci, XII numero, plebeii, obſcuri, idiotæ, illiterati, piſcatores, publicani, quos nec domus ſua illuſtres, nec fortuna claros, nec potentia ſuſpiciendos, nec gratia caros, nec magnatum favor gratos, nec eruditionis gloria inclytos, nec patricia ulla ars reddiderat flexanimos, & ad alliciendum mortalium animos, aptos atque idoneos; ſed quibus omnia ea, quæ aut ad perſuadendum aut pertrahendum, tam diverſa, tam diſſimilia, tam aliena à Religione Domini ſui ingenia requiri ſolent, deerant, excepta ſola miraculorum gloria, vitæ innocentia, & invicta tolerantia, quibus nemo iis par erat; ſed quorum lux ab iſtis tenebris prioribus obſcurata, vim penetrandi in animos, eoſque potenter afficiendi, non mediocriter deperdebat. Quis credat fieri potuiſſe, ut per iſtos tales homunciones, res tantæ gererentur, iiſque cederent & crederent tot Synagogæ, tot Scholæ,

Academiæ, porticus, tot Philoſophorum agmina, tot ingeniorum acumina, tot roſtra, tribunalia, regna, imperia, ſi is, quem ipſi prædicabant, Jeſus, non fuiſſet verus ille Chriſtus, & doctrina ac Religio ejus non fuiſſet divina, & Deum ipſum ſolum autorem non habuiſſet? Conferantur cum his, quotquot olim fuerunt, celebratiſſimarum inter Philoſophos ſectarum autores & fundatores, qui omnem ingenii atque induſtriæ ſuæ vim adhibuerunt, ut toto orbe inclareſcerent, & placita ſua ac ſectam quiſque ſuam redderet clariſſimam atque illuſtriſſimam, ſive dogmatici ii fuerunt, ſive ἐφεκτικοί, ſive ad primam, ſive ad mediam, ſive ad novam Academiam pertinuerunt; ſive Ionicam, ſive Italicam Philoſophiam profeſſi fuerunt. Nihil illis defuit, ſive ingenii, ſive animi, ad propagandum quaquaverſum Scholam ſuam. Nihil intentatum reliquerunt, ut mundum integrum in partes ſuas traherent, & opinione ſua præ cæteris omnibus ſectis excellerent. Fuerunt qui ex omni fere terrarum orbe diſciplinas & ſcientias omnes venati ſunt, qui ad Arabas, Ægyptios, Chaldæos, & ultimos uſque Indos peregrinando arcana omnia artium ſcientiarumque acquiſiverunt. Fuerunt qui ætatem pene omnem in conſcribendis libris impenderunt, quorum voluminibus trahendis vix plauſtra ſufficerent. Multa ſcripſit Zeno, inquit Diogenes Laertius, plura Xenophanes, plura Democritus, plura Ariſtoteles, plura Epicurus, plurima Chryſippus. Et erant qui Regibus ac Monarchis eruidiendis præficiebantur, aut accepti iis erant, quorum gratia, favore atque autoritate ſubnixi occaſionem luculentam habebant ex omnibus terræ oris ſapientiſſimorum omnium ſcripta conſequendi, & diſſeminandi placita ſua per univerſum terrarum orbem. Ecquis tamen iſtorum omnium fuit, qui, non dico, tot diſciplinæ ſuæ ſectatores, ſed vel milleſimam eorum partem poſt ſe traxit? Certè diſcipuli Jeſu noſtri ſinguli, præ iſtis omnibus ſimul, merito piſcatores hominum videri debent, ac vocari poſſunt.

3. *Docendi modus.*

Et quod maxime mirere, modus docendi, quo utebantur, non erat elaboratus, curioſus, exquiſitus, verborum cæromate aut purpuriſſa fucatus, ſubtilitate conceptionum admirabilis, & fictionibus ad fallendum compoſitus adornatus; verbo uno, non artificioſus, ſed ſimplex, inaffectatus, & rudibus pariter atque eruditis obvius, viſa tantum ipſis & audita continens; ut fraudis & ſimulationis ſuſpicio omnis abfuerit. non quod cothurno, ampullis verborum aliiſque orationis calamiſtris uti non poſſent; ſed quod iis veritatem nudam non indigere, adeoque proſtitui credebant, uti teſtatur is ipſe, cui ad erudionem & eloquentiam nihil deerat, & qui ad pedes Gamalielis tota literatura Judaica à teneris imbutus erat, Paulus: 1 *ad Corinth.* II. 1. 2. 3. 4. 5. & paſſim alibi in Epiſtolis ſuis. Nec vim adhibebant ut cogerent diſſentientes, nec dolum ut fallerent imprudentes, nec minas corporales ut terrerent reluctantes. Liberam fidem cupiebant, aut nullam. Coacta omnia ſervitia deteſtabantur, & quem animus ſuus ad Religionem Chriſti amplectendam non adducebat, eum ſibi relinquebant & tempori. Non corpora hominum, ſed animos, in triumphum ducere Deo & Chriſto ſuo dignum putabant. Suaſione itaque utebantur ſola, ut perſuaderent, nec aliis aut armis aut artibus. Miracula quæ faciebant, ad præparandum animos erant, non ad cogendum. Ea, quia ſtupenda erant & inaudita, admirationem gignere apta nata erant; quia beneficia, amorem & benevolentiam. Sola doctrina ut gigneret fidem, neceſſe erat. Fides enim adſenſus eſt qui doctrinæ adhibetur, & ſpontaneam de ſe parit obedientiam. Quod ſi quæ miracula fecerunt in damnum & noxam quorundam, ea non fecerunt niſi in eorum noxam, qui jam vel in diſciplinam eorum ſe dederant, & criminis ingentis manifeſti erant: *Act.* V. & 1 *Corinth.* V. 3. & 1 *Tim.* I. 20. vel qui diſcipulis aut in diſciplinam eorum ſe dedere volentibus moleſtiam faceſſebant: *Act.* XIII. 8. Severius quidem in iſtos, ne exemplum noceret pluribus, & circa ipſa incunabula (quod facile fieri alioquin ſolet) gloria Euangelii vileſceret. Minus ſevere in hos, ne non ſuadere, ſed cogere viderentur doctrinæ ſuæ hoſtes. Et hoc quidem docendi modo cum pauciſſimi & ſimpliciſſimi iſti mortalium uſi ſint, credimuſne fieri potuiſſe, ut tot urbes atque imperia, tot gentes atque populos, tot inſulas ac terrarum ultimas oras, in aſſenſum ſui traherent, & volentes atque ultroneos ſub jugum Chriſti ducerent, niſi doctrina eorum divina fuiſſet ac vera? Si vim adhibuiſſent, ſi armis, legionibus, cæde ac ſanguine graſſati fuiſſent ad tantam gloriam, vis ſane argumenti noſtri plane enervaretur. Muhamedicæ doctrinæ iſta gloria eſt, quæ propterea meritò ſuſpecta & commentitia videri debet. At armatum totum orbem ab inermibus, infirmis, nullaque potentia, autoritate aut dignitate præditis, ſola ſuaſione ſubigi, id vero doctrinæ, qua id fit, divinitatem arguit manifeſtariam. Diabolo autori ut quis iſta tribuat, impoſſibile eſt. Doctrina enim iſta diabolo & regno ejus plane contraria eſt: nec unquam diabolico regno gravius damnum ac detrimentum illatum eſt, quam ab hujus doctrinæ fundatoribus: nec unquam majore vi obſtitit ac ſæviit Diabolus, quam ubi per eos ſe veteri poſſeſſione ſua deturbari, & non tantum ex idolis omnibus, ſed ex ipſis etiam hominum animis ac cordibus fugari ſenſit. Quid autem abſimilius à vero, quam vaferrimum Diabolum ſui proprii exitii autorem futurum, & in ſui regni excidium conſpiraturum eſſe? Divinæ itaque huic doctrinæ hoc omne tribuendum eſt; ac proinde Jeſus pro vero Meſſia habendus, quod eſt illud, quod concludendum nobis erat.

## CAPUT XX.

## Reſponſio ad leviores quaſdam Iudæorum objectiones, De monte Sion temporibus Meſſiæ elevando ſupra alios montes, Lunæ & Solis luce augenda, lupo cum agno, &c. ſtabulaturo.

Hiſce ita pertractatis, nihil reſtat aliud, quam ut, quæ à Judæis opponi ſolent, paucis expendamus. Ea ad duo capita revocabimus: 1. ad levia & minuta quædam ac frivola, quæ vix ſpeciem aut colorem habent. 2. Ad graviora & quæ ſpeciem quandam videntur habere; tum quæ illi in Jeſu noſtro impleta eſſe negant, tum quæ Religionem Jeſu noſtri falſitatis ſuſpectam reddere affirmant.

Levia hæc ſunt: Temporibus Meſſiæ futurum, ut *mons Sion elevatus ſit ſupra alios omnes montes: Eſa.* II. 2. *Mich.* IV. 2. ut *lux Lunæ ſit ſicuti lux Solis, & lux Solis ſeptulo clarior, ſicut lux ſeptem dierum: Eſa.* XXX. 26. ut *Lupus cum agno, pardus cum hædo, Leo cum pecore ſtabuletur, & cum anguibus ludat infans: Eſa.* XI. 6. 7. 8. & ſi quæ his ſunt ſimilia. Hæc enim levia ac minuta eſſe, quis non videt? Nam 1. in genere, nihil vetat dicta iſta figurata eſſe atque allegorica. Multa enim in Scripturis occurrunt, quæ non ex verborum proprietate, ſed per figuram aut tropum eſſe intelligenda, ne ipſi quidem Judæi negant; quin imo, pleraque prophetarum dicta, imprimis Eſaiæ, quando de populi alicujus vel calamitate vel fælicitate vaticinantur, parabolica & hyperbolica eſſe contendunt; uti prolixe ſatis id fecit R. Maimonides, in ſuo More Nevochim, parte II. cap. XXIX. 2. In ſpecie, hæc dicta figurate intelligenda eſſe, res ipſa loquitur. Nam quod ad primum dictum, de monte Dei ſurrecturo ſupra alios omnes montes attinet, id abunde à nobis demonſtratum eſt parabolicum eſſe, cum de loco *Mich.* IV. 2. ageremus. *De loco Eſa.* II. 2. & *Mich.* IV. 2.

Quod ad locum ſecundum attinet, ipſe Maimonides in citato capite eum parabolicum eſſe aſſerit. Sic enim ait; *Quando Eſaias incipit loqui de ſtatu tranquillo Iſraelitarum poſt mortem Sancheribi, pinguedine item, fertilitate ac inhabitatione terræ ipſorum, regni denique per Hiskiam exaltatione & dilatatione, parabolice hoc ita exprimit, ut inquiat, lucem Solis & Lunæ auctam iri, &c. Quemadmodum enim de victo dixit (ſupra) quod lux Solis & Lunæ ipſi recedat & in tenebras converſatur, ſic de victoribus ait, quod lux ipſorum augeatur. Nam experientia comprobat, oculos hominis in calamitate magna conſtituti obſcurari, neque claram eſſe lucem viſus ejus; quia ſpiritus viſivus, ob nimium vaporum abundantiam, & nimiam ſuam debilitatem ex multitudine luctus & anguſtiæ animæ, tum turbatur. E contra in lætitia, cùm facultates animæ ad exteriora diffunduntur, & ſpiritus clarus eſt, videtur homini ac ſi lux longe clarior fieret, quam erat antea.* Hactenus Maimonides. qui inſuper locum iſtum ad tempora Hiskiæ, poſt profligatum Sennacheribum, dumtaxat refert, & quæ in eo prædicuntur tum impleta eſſe aſſerit, iſto quo declaravit ſenſu. Unde colligitur, &, fruſtra deſiderari adhuc a Judæis eorum complementum ſub Meſſia; &, ſi omnino ea ad tempora etiam Meſſiæ pertinere velint, cauſſam non eſſe, cur alio, quam iſto, quem indicavit Maimonides, ſenſu, ea completum iri exiſtiment. Et ſane ea juxta verborum proprietatem complementum ſuum habitura temporibus Meſsiæ, ratio non ſinit. Quorſum enim Lunæ lux augeretur? An non lumen ejus proportionatum à Deo fuit terræ & climati etiam iſti? Quorſum etiam lux Solis ſeptuplo redderetur auctior? An ad diſſolvendum debitam iſtam proportionem? Certe ſic utraque lux debito intenſior, ad nocendum aptior foret quam ad exhilarandum, ad exurendum terram potius, quam ad illuminandum eam & benigno calore fovendum. *De loco Eſa.* XXX. 26.

Quod ad tertium locum attinet, eundem etiam parabolicum ſive allegoricum eſſe, non obſcurè ſignificat idem Maimonides, ejuſdem libri parte III. cap. XI. imo in eandem *De loco Eſa* XI. 6. 7. 8.

dem cum Christianis sententiam interpretatur, cessatura videlicet temporibus istis odia, dissidia, contentiones, lites ac rixas omnes, quæ ante tempora ista, ob defectum cognitionis Dei, vigebant inter mortales, & concordiam inter se culturos homines, alioquin antea sibi invicem infensissimos & infestissimos; non aliter, quam si belluæ ipsæ, exuta omni feritate, cum cicuribus & innoxiis pecudibus in gratiam rediisse & conciliatæ viderentur. Et sane si ab hoc sensu abeamus, & literam urgeamus, quid sequetur aliud, quàm istos in loco prædictum esse, futurum ut, non modo sub regno Messiæ feræ ac belluæ sint, sed & miseræ sint, aut deteriore, quam ante regnum Messiæ, conditione? Enimvero leoni tum ferina caro cibus non erit, sed fœnum ac palea. Lupus indicet jejunium stomacho & ferias palato suo ab agninæ carnis cupediis, & sanguinem non bibet, quovis potu delicatiorem. Pardus hœdo parcet & dormienti accubabit, qui vigilantis carne ac visceribus ingluviem suam jucunda titillatione solebat sedare. Ursa perpetua hyems erit, non nisi lambendo ungues suos se pascet; & ursa cum vacca stabulabitur, ut sibi vim faciat & voracitati suæ bellum indicat. Quo fine? An ut Judæis aliisque non noceant amplius feræ? At quantulum hoc est? cum feræ extirpari possint, & extirpatæ sæpe sint sola arte atque industria humana. An ut feris ipsis melius sit? At contra esse diximus. An ut inter feras, belluas, ursos, leones, pardos, tauros, securi Judæi vitam transigant, ut pecora? Nempe ergo hæc fælicitas ista erit, quam Messias ipsis adferet. Sed ratio, quæ in textu ipso statim immediate subjungitur, convincere eos potest, longe aliam fælicitatem isthic prædici, quam istam levem ac futilem, quamque verba nuda præ se ferunt. *Quia repleta est* (id est erit) *terra cognitione Jehovæ.* Quid enim hæc cognitio & cognitionis plenitudo, ad belluarum & ferarum concordiam facit? Nisi forte eam ad belluas etiam ipsas redundaturam credant, easque idcirco quod Deum tum cognoscent, feritatem & belluinam indolem suam exuturas, & inter se concordiam ac pacem inituras ac culturas; quod stultum ac risu dignum est. Credere enim belluas tum perfusum iri cognitione Dei, & religionis sensu ac studio ad concordiam cum cicuribus pecudibus colendam adductum iri, est credere, belluas etiam in homines transformatum iri. Quare credendum omnino est, parabolicam esse hanc totam orationem, qua significatur, ut recte observat Maimonides, uti mala omnia & odia quæ inter homines fere solent incidere, ex diversis nempe eorum studiis, affectibus, voluntatibus, sententiis & opinionibus, provenire solent ex ignorantia, sive defectu cognitionis ac sapientiæ, ita bona contraria omnia, pacem, concordiam, & consensionem mutuam ex cognitione veritatis proficisci. Quemadmodum cæcus, qui visu orbatus est, subinde impingit, & non solum se ipsum sed alios quoque lædit, eo quod neminem habeat qui ei viam monstret: sic è qualibet secta inter homines, illi, qui ei addicti sunt, sua ignorantia non solum sibi, sed & aliis mala multa inferunt. Si enim adesset sapientia, quæ ad formam humanam sese habet, sicuti facultas videndi ad oculum, cessarent omnia illa detrimenta. Nam, cum cognoscitur veritas, tum perit odium, invidia, & contentio, quibus se invicem proscindunt, non aliter quam lupus agnum, pardus hædum, leo vitulum, & aspis infantem. Sublata autem contentione, invidia & odio, non aliter rursus in unum coeunt, quam si lupus habitaret cum agno, pardus accubaret cum hædo, cum vitulo stabularetur leo, & cum lactente aspis luderet sine noxa.

## CAPUT XXI.

### Responsio ad Primum ex gravioribus Judæorum argumentis, petitum à dissensionibus, odiis & bellis quæ inter Christianos vigent; contrà quàm Esaias cap. XI, prædixit fore sub regno Messiæ.

*Judæorum argumentum.*

ESto, inquiet Judæus, sensus hic sit parabolicus, & quidem is ipsus qui jam à nobis adsignatus est, eum tamen impletum esse in Jesu Nazareno tantum abest ut appareat, ut contra post eum natum, odia, lites, rixas, contentiones inter ipsos Christianos exarsisse & auctas esse, fatendum sit. Nusquam enim aut majores inimicitiæ, aut graviores contentiones, aut pertinaciores iræ, aut funestiores dissensiones, aut acriores contentiones reperiuntur, quam inter ipsos Christianos. Schismata id testantur & persecutiones, quæ invicem quasi reciprocantur inter eos, & quarum nec modus nec finis est. Atque hoc est primum inter argumenta ista quæ gravia videri possunt, & à Judæis non sine specie & colore objiciuntur, tum Religioni Christianæ, tum Christianis Religionis istius professoribus. Religioni Christianæ, quia primus ejus autor Jesus ipse Nazarenus, ista omnia dissidia & divortia sibi & Religioni suæ tribuit, quando ait, *Matth.* X. 34. *Ne existimate me venisse immissurum pacem in terram; non veni immissurum pacem, sed gladium.* Quod apud Lucam interpretatur, *cap.* XII. 51: *dico vobis, imo διαμερισμὸν*, id est *dissidium*, divisionem aut dividias; supple, veni facturus ut sint; Lucas ait, *Erunt enim ex hoc tempore quinque in una domo dissidentes, tres adversus duos, & duo adversus tres: & dissidebit pater adversus filium, & filius adversus patrem, mater adversus filiam, & filia adversus matrem; socrus adversus nurum suam, & nurus adversus socrum suam*; Matthæus addit, *Et inimici hominis erunt, qui sunt domestici ejus.* Religionis Christianæ professoribus, quia constat eos non dissidere modo inter se, sed dissidiis etiam odiisque suis asperrimis prætexere ipsam Jesu Christi religionem, tanquam justissimam dissidiorum odiorumque suorum caussam. Ubi ergo est, inquiunt, effectus sive eventus iste, qui creditur ab Esaia propheta sub parabolico isto sermone prædictus promissusque temporibus Messiæ extiturus? ubi ista animorum efferatorum concordia, ubi ista consensio voluntatum, ubi ista caritas & mutua dilectio, ubi amabilis ista pax sub Jesu Nazareni regno? Tantum abest ut lupi in agnos, ursi in hædos, pardi in vaccas mutati dici possint, ut contra, agni in lupos, hædi in ursos, vaccæ in pardos, leones & bubalos ac tigres mutati dici debeant; pluraque post Christum natum dissidia orta sint quam composita, & aucta quam sedata, nedum sopita atque extincta.

*Responsio 1, dictum Esaiæ accipi posse non de eo quod definite eventurum erat sub regno Messiæ, sed de proprio doctrinæ ipsius genio, qui talis sit ut lites & contentiones omnes dirimat.*

Resp. 1. Nihil obstare, quominus dictum hoc Esaiæ, aliaque similia, sic accipiantur, ut non significent definitè aut absolutè id quod temporibus Messiæ eventurum est; sed, quod proprius doctrinæ ac Religionis Messiæ genius talis sit, ut caussa nulla dubitandi aut suspicandi supersit, quin, quando ea per Messiam adferetur & revelabitur, eventus ille, qui prædicitur, exstiturus sit: etiamsi fieri possit, per extremam eorum qui tum victuri sunt contumaciam ac malitiam, ut is non existat, aut ex eo non consequatur. Nempe is Religionis Christianæ genius, ea propria ejus indoles, vis atque insita efficacia est, ut non modo in genere apta nata sit atque idonea, eoque fine tradita atque instituta, ut lites, rixas, contentiones, odia, odiorumque omnes caussas dirimat & præscindat, jubeatque facessere ea omnia, quæ antea vel lege vel more populorum indulta ac concessa erant, litium, rixarum, odiorumque seu incitamenta seu fomenta atque alimenta, per caritatis regiæ legem, quam cum omnibus hominibus coli jubet, & ad extremos usque patientiæ & benevolentiæ terminos extendi vult: *Matth.* V. 44. *Luc.* X. *à vers.* 25 *usque ad vers.* 38. *Rom.* XII. 18. Sed & in specie sic comparata, ut ad averruncanda vetera diuque inolita inter Judæos & gentiles dissidia ac divortia, quæ immortalia atque æterna fuissent, sola atque unica sufficiat, per præscriptionem ejusmodi Legum, quæ utrisque, tum Judæis, tum gentilibus, non possunt non videri sanctæ ac divinæ; & per dissolutionem atque abrogationem istarum legum, quæ utrisque propriæ ac peculiares erant, & odiorum inter eos divortiorumque caussæ fuerant, possuntque facile deprehendi esse leges, vel ad tempus tantum datæ, vel populi cujusque ingenio accommodatæ, vel stanti tantum Reipub. attemperatæ, vel ejusmodi omnino, quæ, tantum abest, ut vi sua animum vera religione ac pietate imbuant, ut, contra, etiam à pessimis & impio animo præditis strictissime observari possint; &, tum nimia sua multitudine, piissimum animum possint obruere, ut melioribus pietatis officiis, curis, studiisque vacare nequeat; tum atrocitate & fœditate sua sic possint alienare, ut à Religione tantum non abhorreat, tanquam à sanguinaria officina, & crudeli carnificina, ac quotidiana laniena. Hoc itaque sensu ut dictum Esaiæ accipiatur, nihil vetat. Nulli religioni, nec Judaicæ, nec gentilitiæ, genius iste inest: Soli Religioni Messiæ propius est quarto modo. Itaque effectum illum genio isti convenientem, Religioni Messiæ tribuere, tanquam certo ex ea exstiturum, aut saltem, summè verisimiliter eam consecuturum, rationi consentaneum videri debet, etiamsi contra possit accidere. Sic enim communis loquendi mos habet, ut dicamus, Restituta Republica, reformatis in ea Scholis, Ecclesiis repurgatis, longe aliam Reip. faciem visum iri, cives brevi in melius mutatos, mores emendatos, & vitia profligata, nec furca, nec rota, nec virgis opus fore, omnes sponte sua virtutem culturos, & ultro ad concordiam & pacem mutuam inclinaturos: verbo uno, Rempub. futuram optimam & beatissimam; cum contra possit accidere, & non raro contra accidat, ob civium pervicaciam, & legum aut contemtum, aut neglectum.

*Rationes hujus expositionis*

At ne videamur hoc tantum dicere, rationes etiam sunt, quæ

quæ non obſcure evincunt, verba iſta ſic accipi poſſe, ſi non debere. Prima ratio eſt: Quia alioquin dicendum omnino eſt, prædici ab Eſaia, Deum temporibus Meſſiæ omnes populos, vel, ſi Judæi prædictionem ad populum tantum Judaicum pertinere velint, omnes Judæos, etiam peſſimos, ſceleratiſſimos, profaniſſimos, ſaltem malos perverſoſque, qui tum multo maximam populi partem facient, aut vi irreſiſtibili converſurum ad virtutem & concordiam, aut, ſic eos reformaturum, ut non poſſint non fieri boni ac pacifici. quod profecto quis non videt prima ſtatim fronte à vero abſimile, imo abſurdum eſſe? Nempe ſic comminationes divinæ, etiam juramento confirmatæ, eæque crebræ, in impios, profanos, rebelles vibratæ, nullæ fuerint aut vanæ; quoſque Deus ipſe puniturum ſe juraverat, eos tales reddet, ut punire eos nec velle poſſit nec velle debeat: & Rex Meſſias ſubditos habebit non ultroneos ſpontaneoſque, ſed ſceleratos fere omnes, ſolaque vi divina in melius mutatos, & ad ſerviendum ſibi coactos impulſoſque. Qui hoc ſapientiæ ſimul atque æquitati & juſtitiæ divinæ non convenire non videt, næ is nihil videt. Tum, ſi dicatur, futurum etiam, ut Deus iſtos quos ſic reformaverit, in eadem fide & obedientia, vi eadem ſua conſervet, quod omnino neceſſarium eſt ut dicatur, quorſum tum erit Lex Moſaica? quæ ejus erit neceſſitas? quæ Religio tum erit? Religio tota erit Dei effectus, non populi actus, ad quem ex officii ſui conſcientia obligatum ſe credet, aut quem libera voluntate præſtabit. *Prima.*

Secunda ratio eſt: Quia eundem effectum aut eventum Deus prædicit extiturum, tempore iſto, quod liberationem populi Judaici ex captivitate Babylonica immediate erat ſubſecuturum: *Jerem.* XXXII. *à verſ.* 36, *ad finem uſque capitis.* Et tamen eventus ille non modo non eſt conſecutus, ſed contrà, pejor multò deteriorque populus exinde fuit. Ut dicatur, prædictionem illam ad Meſſiæ tempora reſpicere ac pertinere, verba textus non ſinunt, quæ clariora ſunt quàm ut probatione ulla opus ſit. Ad pœnam libri provoco. Sed & poſito, iſtam prædictionem ad Meſſiæ tempora pertinere, uti quæ in eandem ſententiam prædicuntur. *Ezech.* XI. *verſ.* 17. 18. 19. 20, ad tempora Meſſiæ reſpicere videntur, nondum tamen ſequeretur, ea iſto quo diximus ſenſu accipi non poſſe: imo ex ipſo illo Ezech. loco apparet liquidò, ea in iſtam ſententiam accipi debere; quia ſtatim *verſu* 20 ſubdit propheta, *Et quorum cor ambulat ad cor contaminationum eorum & abominationum eorum, viam eorum in caput eorum dabo, dicit Dominus Iehovah.* Eo ipſo enim ſignificat Propheta, fieri poſſe, ut effectus iſte, quem *verſ.* 18 prædixerat ex actione Dei gratioſa extitutum, videlicet, *Et ingredientur illic, & removebunt omnes contaminationes ejus, cunctaſque abominationes ejus de illa*, non conſequatur, per malitiam eorum, qui nihilominus volent ambulare ad cor contaminationum ſuarum, &c. & juſtam Dei ultionem in caput ſuum accerſere. *Secunda.*

Tertia ratio eſt: Quia in textu ipſo Eſaiæ dicitur, cauſſam tantæ animorum mutationis, & in melius emendationis, futuram, *Dei cognitionem, qua tum terra replebitur, ſicut mare, quando aquis operitur aſſolliturque.* At cognitio Dei, ut ut efficax & valida admodum ſit ad mores corrigendos, & flectendos animos in amorem virtutis ac pacis, tamen voluntatem non ſic determinat, ut contrà velle atque agere non poſſit; alioquin nullum daretur peccatum contra conſcientiam & apertam divinæ voluntatis cognitionem; quod abſurdum eſſe tota Scriptura clamat, & experientia ſeculorum omnium teſtatur. *Tertia.*

Ex hiſce rationibus concludimus, nihil vetare, imo neceſſarium eſſe ut concedatur, dictum hoc Eſaiæ iſto, quo diximus, ſenſu accipiendum atque interpretandum eſſe, ſaltem accipi poſſe: nempe, doctrinam & Religionem Meſſiæ talem futuram, ut miraculum haberi debeat, ſi per eam non reddantur homines omnes piiſſimi ſimul ac manſuetiſſimi, & mutata belluina quaſi indole conſuetaque feritate, cicuribus pecudibus reddantur quam ſimillimi, id eſt, inter ſe affectibus, ſtudiis, & voluntatibus conjunctiſſimi: proinde, certiſſimam improbi & incorrigibilis animi notam ac probam futuram, extremæque divinæ iræ cauſſam, ſi qui tempore iſto maneant refractarii & contumaces. Verbo dicam; Prædictio hæc non abſoluta, ſed hypothetica, ſive tacitam in ſe conditionem continens videri debet, qua eventus certò & ex vi doctrinæ Meſſiæ exſtiturus prædicitur, niſi ſcilicet ſint, qui animum ad malum ita obſirmatum habeant, ut plane ſint inemendabiles & incorrigibiles, id eſt, tales, ut corrigi aut omnino nolint malitia ſua indurati; aut vix poſſint, ἀπλησιάστως facti & ἀδύνατοι, qui nec ipſi probant quod rectum eſt, nec rectis probantur. *De locis Matth X. 34. & Luc. XII. 51.*

Ex hoc conſequitur fruſtra à Judæis ac perperam objici Jeſu noſtro ejuſque Religioni, quod *Matth.* X. 34, & *Luc.* XII. 51, legitur, *Non veni miſſurus pacem, ſed gladium*; aut, ut Lucas ait, *diſſidium*, cum de Meſſia paſſim dicatur, quod pacem & concordiam allaturus veniet, ac nominatim in hoc dicto Eſaiæ: quia iſta ſua oratione Chriſtus non ſignificat finem adventus ſui ad prædicandum Euangelium, ſed eventum tantum per accidens, & præter finem atque intentionem, per & ex prædicatione Euangelii ſui exſtiturum, propter malitiam temporum iſtorum, quam deprehendebat multo eſſe maximam. Eventum autem iſtum non repugnare iſtis, quæ de concordia temporibus Meſſiæ futura exſtant, prædictionibus, apparet ex iis quæ hactenus ad hunc Eſaiæ locum diximus. Nec obſtat, ſi dicas, verba Chriſti ſic concepta eſſe, ut finem adventus ejus per ſe, non eventum per accidens extiturum, ſignificent. Nam 1. certum eſt, orationes ejuſmodi communiter uſurpari ſolere, quando præter intentionem noſtram & contra voluntatem noſtram aliquid fit, occaſione dicti vel facti alicujus noſtri in contrarium plane directi. Hinc iſta loquendi forma eſt, veni ut vos turbarem, pro video vos turbatos eſſe adventu meo, quod factum nollem, &c. 2. Certum eſt, Chriſtum veniſſe eo fine ut ſalutem & pacem populo ſuo adferret. Hinc illud Angelorum canticum, quod recens nato Jeſu cecinerunt, *Luc.* II. 14: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax, in hominibus benevolentia, Δόξα.* & *Joan.* XIV. 27: *Pacem relinquo vobis, pacem illam meam do* (id eſt, commendo) *vobis.* & *Epheſ.* II. 14: *Ipſe enim eſt pax noſtra, qui utraque fecit unum, & intergerini parietis ſeptum ſolvit, inimicitias, id eſt, lege mandatorum, quæ in ritibus poſita eſt, per carnem ſuam aboliit; ut ex duobus illum conderet in ſe ipſo unum novum hominem, faciens pacem & utroſque in uno corpore reconciliaret Deo per crucem, peremtis inimicitiis per eam; Et veniens euangelizavit pacem vobis, tum qui procul, tum qui prope eſtis*, (aut eratis.) 3. Quia certum eſt, Chriſtum nihil minus propoſitum ſibi habuiſſe quam ut gladium mitteret. Gladio enim non modo ſuis interdixit, ſed inimicis etiam bene precari juſſit. Denique certum eſt, Chriſtum ſimili oratione uſum eſſe, quando non finem, ſed eventum tantum, præter finem & intentionem ſuam extiturum, indicare voluit: ut *Joan.* IX. 39: *Ad judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident videant, & qui vident cæci fiant.* Senſus enim poſterioris membri eſt, cæciores ſua propria malitia evadent, uti lippientibus, per Solis intuitum, atque obtutum, viſus hebetari & oculi ſolent reddi debiliores. Cui loco convenit id quod *Joan.* XII. 37. 38. 39. 40, eſt; quem illuſtrat locus *Act.* XXVIII. 25. 26. 27. Apparet verum eſſe id quod dicimus, ex verbis aliis Chriſti, quibus finem adventus & miſſionis ſuæ in mundum indicat, *Joan.* III. 17: *Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum ut damnet mundum, ſed ut mundus ſervetur per eum.* & *cap.* XII. 46: *Ego Lux veni in mundum, ut quiſquis credit in me, in tenebris non maneat. Si quis autem audierit verba mea, & non crediderit, ego non condemno eum. Non enim veni* (in mundum) *ut condemnem mundum, ſed ut ſervem mundum. Qui rejicit me, nec recipit verba mea*, (id eſt, recipere non vult, cum poſſit ac debeat ea recipere) *habet qui condemnet ipſum. Sermo, quem locutus ſum, ille damnabit eum ultimo die illo*; id eſt, ſermo ille ultro ab eo negletus ſpretuſve cauſſa erit condemnationis ejus, juxta id quod *Joan.* III, legitur, *verſ.* 19: *Hæc eſt condemnatio* (id eſt cauſſa condemnationis impulſiva ac meritoria) *quod lux venerit in mundum, ſed homines* (pravi ſcilicet, ut ex ſequentibus patet:) *dilexerunt potius tenebras, quam lucem; quia opera eorum ſunt mala*, &c. Quare ex eventu hoc, qui plane per accidens eſt, non recte colligitur, dictum hoc Chriſti repugnare dicto Eſaiæ, quo concordiam inter homines temporibus Meſsiæ extituram prædicit, finem & genium doctrinæ Meſsiæ indicans, non eventum.

Dices: Attamen Prophetæ Eſaiæ verba abſolute ſonant, nec conditionem ullam conjunctam ſibi habent. Reſp. Aliud eſſe verba, aliud ſenſum. Sæpe verba ac promiſſa quædam abſolute concepta leguntur, quæ ex antecedentibus aut conſequentibus, aut etiam ex ipſo vel ſenſu vel eventu conſtat conditionem in ſe tacitam continuiſſe. Sic creberrime legitur, Deum promiſiſſe abſolute Iſraelitis, ex Ægypto egreſsis, ſe eos introducturum in terram ſanctam, patribus & ſemini eorum multo ante promiſſam: & tamen cum conditione id à Deo promiſſum fuiſſe apparet ex ipſis Dei verbis, quæ multo poſt dixiſſe legitur. *Numer.* XIV. 28. 29. 30: *Vivo ego, dixit Dominus, ſi non quemadmodum locuti eſtis in auribus meis, ſic fecero vobis. In deſerto iſto cadent cadavera veſtra, & omnes numerati veſtri, ſecundum omnem* (id eſt totum) *numerum veſtrum, à filio viginti annorum & ſupra, qui murmuraſtis adverſum me. Si vos ingredieminі terram, pro qua levavi manum meam, ut vos habitare faceremin ea.* quaſi dicat, mendax Deus ero. Et eventus docuit reſciſſam fuiſſe iſtam promiſsionem, ob defectum conditionis: *Num.* XXVI. 64. 65. & 1 *ad Corinth.* X. 6. ad *Heb.* III. 17. 18. 19. Conditio itaque tacita

cita ſubintellecta fuit. Similia promiſſa, vide 1 *Samuel.* II. 30. & XIII. 13. 14. quorum verba etſi abſoluta ſunt & inconditionata, ſenſus tamen conditionatus fuit. Idem cur in hoc Eſaiæ loco factum negetur, nulla cauſſa eſt. ſaltem idem fieri non potuiſſe, non recte concluditur ex verbis ἀπαράτως ſumtis.

*Reſponſio 2. Prophetiam Eſaiæ impleri cæpiſſe, &c. ſi quid adhuc reſtet implendum, id ſuo tempore fieri poſſe.*

Sed vero, dato etiam non conceſſo, dicti Eſaiæ ſenſum prorſus eſſe inconditionatum, tum dico 2. Dictum Eſaiæ, uti & alia propheratum dicta ac vaticinia, indicare quidem, quid tempore Meſſiæ futurum ſit; ſed non exprimere, quod omne ac totum id, quod temporibus Meſſiæ futurum eſt, in inſtanti, aut primis proximiſque Meſſiæ diebus perfecte complendum ſit. Ex quo conſequitur, dictum Eſaiæ latitudinem habere, & ſic exponi poſſe, ut primis temporibus Jeſu noſtri apprime conveniat & recte accommodetur: etiamſi totum id, quod prædictione continetur, tum perfecte completum, ac protinus conſummatum non fuerit: ſi modo certum ſit, tum compleri cæpiſſe. Atqui certiſſimum eſt, per prædicationem Euangelii Jeſu noſtri, pacem iſtam ac concordiam, ab Eſaia prædictam, introduci cæpiſſe, & in Judæa, ſive ſancto Dei monte, id eſt, Hieroſolymis, initium habuiſſe; deinde ulterius per Galilæam ac Samariam ſe diffudiſſe; tandem vero etiam ad gentiles in toto terrarum orbe propagatam eſſe; ſi non ea perfectione, ut prædictio plene effectum ſortita dici poſſit, ſaltem ea fælicitate, & tanto cum ſucceſſu, ut merito ſperare liceat, futurum, ut, ſi quid adhuc ad perfectiſſimam impletionem deeſt, id tandem aliquando etiam impleatur, atque ita prædictio perfectiſſime tandem effectum ſuum ſortiatur. Enimvero hiſtoria Euangelica expreſſe teſtatur, non modo complures Judæos, Jeſu noſtro, doctrinam illam ſingularem caritatis & pacis, quæ *Matth.* V. *Luc.* VI. & paſſim traditur, prædicanti fidem adhibuiſſe, ſeque in diſciplinam ejus tradidiſſe; ſed & poſt miſſum de cælo Spiritum in Apoſtolos ejus, aliquot non chiliadas tantum, ſed etiam myriadas Judæorum, antea mutuis odiis flagrantes certanteſque, repente & veluti ex machina in pacis concordiæque leges adeo alacriter conſenſiſſe, ut fierent unum cor & una anima, utque in ſignum ac teſſeram concordiæ ac pacis mutuæ, omnia bona facultateſque ſuas in commune conferrent, diſtribuerentque, καθότι ἄν τις χρείαν εἶχε: *Act.* II. 44. 45. neque quiſquam aliquid eorum, quæ habebat, ſuum eſſe diceret; *Act.* IV. 32. Deinde, ubi gentes etiam acceſſerunt, & ex oraculo divino clarum certumque fuit eas ad Eccleſiam populumque Meſſiæ non minus quam Judæos pertinere, certum eſt, inter Judæos & gentiles, odiis alioquin capitalibus & pluſquam Vatinianis inter ſe invicem laborantes, eandem animorum concordiam atque amicitiam coaluiſſe. ut vere dici potuerit, lupum cum agno, pardum cum hædo, leonem cum vitulo in gratiam rediiſſe.

*De diſſidiis quæ fuerant in Eccleſia Apoſtolica.*

Dices: Magnæ tamen inter eos diſſenſionis ac diſcordiæ mentio fit in hiſtoria Euangelica. Fateor: ſed ea in principio tantum fuiſſe dicitur, & nata ex ignorantia divinæ voluntatis, quam communis & popularis error jam olim inſeverat, non autem affectus ullus malus de novo indiderat. Difficile autem eſt veterem & communem errorem, protinus exuere. Et tamen, omnis quæ ex illo errore nata erat diſſenſio ac diſcordia, ſtatim repreſſa fuit cognitione divinæ voluntatis, uti prædicit Eſaias futurum. Oraculo enim divino, quod Deus Petro dederat, audito cognitoque, ſtatim acquieviſſe omnes dicuntur, *& glorificaſſe Deum, dicentes; Nempe etiam gentibus Deus reſipiſcentiam dedit ad vitam.* *Act.* XI. 18. Dices: Attamen duravit multum diuque poſt diſſenſio ac contentio, uti ex Actis patet. Reſp. Non iſta, ſed alia ex ſimili & pervulgato errore nata. Non enim diſceptabatur amplius, an gentes etiam ad Meſſiæ regnum pertinerent; ſed, An gentes incircumciſæ, & Moſaicæ Legi non uti Judæi obſtrictæ, ad illud eſſent admittendæ: uti videre eſt *Act.* XV. & in Epiſtola *ad Galatas* I, & V, & VI *capp.* Sed hæc lis non multo poſt compoſita fuit, ſuavi adhibita moderatione, in Synodo Hieroſolymitana; de qua vide *Act.* XV. Ac licet poſtidea multa adhuc contentio interceſſerit Paulo cum nonnullis ea ipſa de re, tamen ea non niſi cum paucis ei interceſſit, iiſque, ſeu præfractis Judæis, ſeu Pſeudo Apoſtolis. Conſtat enim Eccleſias omnes unanimiter conſenſiſſe in decretum Synodi Hieroſolymitanæ, & Paulum ac Silam, pertranſeuntes Eccleſias omnes, iis tradidiſſe ſervanda inſtituta illa, quæ decreta fuerunt ab Apoſtolis & presbyteris, qui Hieroſolymis erant; uti eſt *Act.* XVI. 4. 5. Tandem vero ea prorſus fuit extincta, atque omnino evanuit, imprimis poſt deſtructum templum, & everſam funditus totam cum urbe Rempub. Iudaicam. Tum enim Deus ipſe publicitus demonſtravit, ſe religioni Iudaicæ locum impoſterum eſſe nolle. Quæ interea fuerunt contentiones, eæ aut peculiares tantum fuerunt quorundam ἀθέων καὶ πονηρῶν, ſive δυσχόλων, hominum pertinacium ſcilicet & malevolorum: *ad Theſſ.* III. 2. *& 2 ad Tim.* II. 16. 17. vel profanorum, & fidem operibus bonis vacuam jactantium: de quibus videre eſt *Jacob* II. & 2 *Pet.* II. vel vitilitigatorum, & circa curioſas atque ineptas quæſtiones genealogicas mordicus occupatorum. *Tit.* III. 9. 10. 11. vel diſſenſiones potius ſententiarum, quam animorum contentiones: 1 *ad Corinth.* XV. 12. aliæque ab Eccleſiis ipſis Chriſtianis rejectæ damnatæque.

*De diſſidiis ſequentium temporum.*

Eſto, inquies: At quanta & quam acria & dira deinde inter integras Eccleſias, Orientales & Occidentales, Romanam & Africanas, mota ſunt diſſidia & divortia? Propter Paſchalis diei obſervationem omnes Aſiaticas Eccleſias excommunicationis fulmine percuſſit Victor Romanus Epiſcopus. Propter ab hæreticis baptizatorum anabaptiſmum, propter tranſmarinas appellationes in partes iverunt Italia & Africa. Reſp. Fatemur. Pœnitenda iſta potius & flenda ſunt, quàm aut excuſanda aut defendenda. Religio Chriſti iſta non peperit, ſed ſolius Epiſcopi Romani faſtus ac tumor. Nec Eccleſiarum Chriſti iſta fuerunt diſſidia, ſed ſolorum Epiſcoporum, qui jam tum in Eccleſias Chriſti dominium non affectabant tantum, ſed exercebant, & Tyrannorum inſtar eas in vota ſua aut invitas deſcendere aut imprudentes conſentire cogebant, ſolo autoritatis poteſtatiſque ſuæ torrente aut abreptas aut obrutas. Abſque illo fuiſſet, mera in Eccleſiis fuiſſet malacia & tranquillitas, quæ ab iſtis typhonibus & follibus agitata & turbata fuit, uti à ventis fluctibuſque tranquillum & placidum mare. Res teſtis eſt. Stetit lis iſta tantum inter Epiſcopos, & concilia Epiſcoporum, plebe aut ignara aut ſecura, tantorumque motuum incapace, niſi quando in partes etiam trahebatur, aut vellet nollet tranſire cogebatur. Et diſſidia fuerunt de rebus pene dixerim futilibus ac nihili, ſaltem quæ ad eſſentiam religionis nequaquam faciunt; proinde quarum, uti ſcientia nulli ad ſalutem prodeſſe, ita ignorantia nemini ad ſalutem obeſſe poteſt. Quid enim refert plenilunio ipſo Paſcha celebres, an poſt? imo quid refert Paſcha celebres nec ne? An, Ab hæreticis tinctos denuo aqua tingas, an pro rectè aqua tinctis habeas? Nec enim, utrum dicas, propterea laborat Religio Chriſtiana, quæ ſemel an iterum ſæpiuſve quis baptizandus ſit, non definit uſpiam vel verbulo uno. Tranſmarinæ appellationes ad Religionem Chriſti non pertinent. Quid enim refert an eas indulgeas an damnes? Sententia in appellantem lata nihilominus rata manet. Si appellatio pro interceſſione eſt; juſta eſt: cur damnatur? ſi pro reſtitutione, ſive cauſſæ nova cognitione; injuſta eſt: cur retractetur ſententia? ſi pro cauſſæ potius reſumtione, & reviſione; pia eſt: cur reſpuitur? Nec enim iniquum eſt ut is, cujus intereſt, novam cauſſæ ſuæ cognitionem petat; nec indignum Epiſcopis, cauſſam ſemel judicatam denuo cognoſcere; ut, ſi recte judicata eſt, judicii æquitas tanto magis liqueat, aut, ſi ſecus judicata eſt, ſententia lata reſcindatur. Dices: At aliud tum agebatur ab Epiſcopo Romano. Appellationem ad ſe admittebat, non ut benigne placideque pro reo intercederet, ſed ut autoritatem ſibi conciliaret, & in Eccleſias alias omnes uſurparet juriſdictionis poteſtatem. Fateor: atque hoc nomine recte feciſſe cenſendæ ſunt Eccleſiæ Africanæ, quod tyrannidi iſti obviam iverint, & in herba naſcenti obſtiterint, ne adulta remedio impar fieret, & medelam omnem reſpueret. Tyrannis enim, caritatis, concordiæ & pacis Chriſtianæ internecinum venenum ac præſentiſſimum eſt deleterium. Hæc vero tyrannis, quia Epiſcopi Romani & cleri ejus, ut vocant, propria ac peculiaris fuit, non videri debet ſufficere ad hoc, ut propterea Chriſti Eccleſiarum concordia & pax turbata fuiſſe credatur, nedum ut, ſi forte ab Epiſcopo ad Eccleſias Chriſti etiam iſta diſcordia dimanavit, Religio Ieſu Chriſti cauſſa ejus fuiſſe dicatur.

Idem omnino dicendum arbitror de ingentibus iſtis diſſidiis, divortiis, ac ſchiſmatis quæ ſeculis aliquot poſt inter Eccleſiarum antiſtites nata ſunt, ac nominatim quæ in generalibus quatuor Conciliis multiſque aliis provincialibus ac particularibus apparuerunt. Diſſidia enim iſta, non Eccleſiarum ſed Epiſcoporum fuerunt diſſidia; & ſchiſmata iſta, non tam Eccleſiarum quam Epiſcoporum fuerunt ſchiſmata, qui in Eccleſiis dominabantur, & jus Eccleſiarum univerſum ſibi ſolis vindicabant. Plebs in iis ne audita quidem fuit, nec conſenſus plebis in ea quæ decreta erant expectatus aut rogatus, ſed imperatus & per vim extortus fuit: &, quod caput rei eſt, ea quæ deciſa in iis ſunt, talia non erant, ut ad eſſentiam Religionis conſtituendam & ad ſalutem prorſus eſſent neceſſaria; ſed quæ ſalva animorum concordia, in utramque partem, ſine ſalutis periculo, diſceptari poſſunt. Rem teſtem do. Nullum deciſionis iſtius aut fundamentum aut veſtigium eſt in Scriptura Sacra. Nuſpiam de-

cisio ullorum istorum dogmatum, tanquam ad salutem præcise necessariorum, in Scriptura vel expresse facta legitur, vel per necessariam consequentiam facienda colligitur. Nec vola etiam aut vestigium eorum exstat in symbolo Apostolico, quod vocatur, quo tamen omnia ad fidem necessaria contineri Antiquitas omnis credidit, & quod communis Christianorum fidei tessera omni ante & retro ævo habitum fuit. Tum, decisiones ipsæ adeo sunt obscuræ, ambiguæ, subtiles, & intellectu difficiles, ut de earum propria mente ac sententia in variis Conciliis non semel disceptatum laboratumque sit; voces que ipsas, quibus decisiones continentur, sectæ pene omnes tanquam ἀμφιβόλους in partes suas traxerint, & placitis quæque suis obtenderint. Vide quæ hac de re scripsit Andreas Fricius Modrevius, Secretarius Regis Poloniæ, in quarta Sylva sua, cap. 1. ad Jacobum Uchanium, Archiepiscopum Gnesnensem.

Quare tantum abest ut dissidia ista Religioni Christianæ imputari debeant, ut contra, ea ne ad Religionem quidem pertinuerint, & in mediis quæ ex istis natæ sunt turbis Religionis Christianæ substantia sarta tecta constiterit. Turbatæ vero propter ea concordiæ autores fuerunt Episcopi, seu recens ex stoa, porticu, aut peripato in Ecclesias ingressi una cum veteribus suis placitis, seu arrogantia innata adnatave tumidi, seu honoribus ac dignitatibus turgidi, seu præ ignorantia, inertia, ignavia stupidi, seu æmulatione inflati, seu contentionis & victoriæ studio elati, seu præ tædio inquirendi torpidi, seu pœnitentiæ & retractationis odio excæcati, seu injuriis irritati, seu placentini denique & pedanei, non veronenses arbitri. Inter istos solos lis stetit, melioribus, sanctioribus, & pacis concordiæque studiosis, tam ex antistitibus quam ex plebe, quorum multo maximam partem fuisse crediderim, eam aut dolentibus aut detestantibus, & pro pace Ecclesiarum Jesu Christi vota ac supplicia facientibus: quos ego verum Jesu Christi gregem tam certò fuisse mihi persuadeo, quam certò credo Episcopos istos fuisse pus, saniem, maculas ac vibices gregis istius; qui primi pomum ἔριδος jecerunt, quod hodieque Ecclesias Christi agitat, & in varias partes distrahit, non sine optimi cujusque scandalo, & pessimi gaudio. Et jure nunc dicere liceat, quod olim Sulpitius Severus, qui vixit & scripsit anno 400 post natum Christum, de sui temporis Episcopis dixit in fine historiæ suæ sacræ: Et nunc cùm maximè discordiis Episcoporum turbari & misceri omnia cernerentur, cunctaque per eos odio aut gratia, metu, inconstantia, invidia, factione, libidine, avaritia, arrogantia, desidia essent depravata; postremo plures adversum paucos bene consulentes insanis consiliis & pertinacibus studiis certabant; inter hæc plebs Dei & optimus quisque probro atque ludibrio habebatur.

Sed enim, ne aut soli aut primi videamur hæc ita asserere, videantur quæ tum de dogmatibus, tum de Episcopis in Conciliis istis congregatis ante nos alii censuerunt. Constantinus Imperator, qui in Concilio Nicæno primo ipse præsedit, in Epistola ad Alexandrum Episcopum Alexandriæ, & ad Arrium ejusdem Ecclesiæ presbyterum, quæ ab Eusebio refertur, de vita Constant. lib. 2. cap. 67, aperte declaravit, controversias ab iis motas non modo non esse necessarias, sed ἀνωφελεῖς ἀρχὰς ἰδιοτρόπους, id est, inanis otii certationes, & quæ vulgi auribus credi non debent, quæque argutæ sunt ac subtiles, &c. De Episcopis sive patribus Conciliorum quorundam œcumenicorum, aliorumque, sic loquitur Petrus Martyr in commentariis suis in 1. lib. Reg. cap. XII. In Nicæna Synodo etsi de Patris & Filii consubstantialitate rectè decretum est, magna tamen semina impietatis, quoad satisfactiones, & pœnitentiæ tempora, inserta fuerunt. Ut vero affectibus Patres illi commoti fuerint & agitati, satis ex eo declaratur, quod ceu ἀλάστορι & furiæ in se mutuo invehebantur, atque accusationibus, libellis famosis, & calumniis pium Imperatorem incitabant & inflammabant adversus collegas; ut mirum fuerit eum potuisse illorum intemperiem ferre. Convocati erant ut de Religionis præcipuo capite (cur vero, inquam ego, præcipuo capite?) agerent, & hoc omisso, bili & stomacho tantum indulgebant. In altera Synodo Ephesina, non tantum in dogmate turpiter erratum est, sed ad manus venerunt, ut Flavianus Episcopus Constantinopolitanus ibi calcibus oppressus sit, &c. Calvinus vocat patres Concilii Nicæni *fanaticos*, lib. de vera Eccles. reformatione, inter opuscula pag. 480. Musculus in locis communibus, de Ministris, pag. 193. ait eos *à Satana fuisse instigatos*. Beza in Epistola Novo ejus Testamento præfixa, & Illustrissimo Principi Ludovico Borbonio, Principi Condensi, &c. inscripta, fatetur *optimis temporibus istis, (si cum posterioribus nostris conferantur) eam fuisse Episcoporum partim ambitionem, partim futilitatem & ignorantiam, ac multorum etiam apertissimam ac desperatissimam improbitatem, ut Satanam plane cæcibus eorum præfuisse vel cæci ipsi facile perspiciant*. Plura non addimus. Partium studia in Conciliis istis nimis sunt quam manifesta; φιλονεικίας & φιλαρχίας vestigia ubique sunt obvia: Factionum, pravarum artium, ambitionis, intemperantis zeli plena sunt omnia; imprimis postquam Ecclesia Imperatoris gratia & favore opus habere cœpit. Exinde eruditionis gloria, Episcopatuum splendor ac luxus pro scopo fere fuerunt, & sequebatur litis æternæ tædium, & contendendi molestia. Atque hæc sufficiant ad primum Judæorum argumentum, quod inter gravia retulimus.

## CAPUT XXII.

### Responsio ad secundum Judæorum argumentum, non conspici altam illam & generalem pacem in toto orbe, quæ temporibus Messiæ futura à Prophetis prædicitur.

SEcundum argumentum, & quod huic affine est, interque gravia censeri meretur, est: Quod prædictiones exstent, de alta & generali pace in universo orbe futura temporibus Messiæ, & quod bella omnia tum sint cessatura: *Esa.* II. 4: *Et judicabit inter gentes, & arguet populos multos, & contundent gladios suos in ligones, & lanceas suas in falces; non levabit gens contra gentem gladium, & non discent ultra bellum. Micheæ* IV. 3: ubi eadem fere verba sunt, additur, *Et manebunt quisque sub vite sua, & sub ficu sua, nec erit qui exterreat; quia os Jehovæ exercituum locutum est. Oseæ* II. 18. *Et percutiam eis fœdus, in die illa, cum bestiis agri, & cum volucribus cæli, & cum reptilibus terræ, & arcum & gladium & bellum conteram de terra, & dormire eos faciam secure*, &c.

Resp. Argumentum hoc ejusdem est cum præcedente generis ac ponderis. Quare eadem responsio sufficere possit: sed pressius paulum agemus, & responsionem antea datam nonnihil illustrabimus, & ex ipso tum textu, tum Judæorum ore confirmabimus. Duo præsupponuntur in hoc argumento: 1. Prædictiones citatas esse absolutas & prorsus inconditionatas; ac proinde 2. Eas ad totum populum Israelis, qua probum, qua improbum pertinere. Neutrum ex textu evincitur, & contrarium non obscure ex textu liquet. Quod ad primum attinet; Etsi verba absolute enuntiata sunt, nihil tamen vetat, sensum eorum esse hypotheticum, uti ex iis, quæ ad præcedens argumentum diximus, manifestum est. Eadem enim horum, quæ illorum verborum, ratio esse potest. Quod ad secundum attinet: Ex textibus non liquet, per eos, qui dicuntur conciscuri gladios suos in ligones, & lanceas suas in falces, intelligi universum populum Israelis, qua probum, qua improbum; sed istum populum, de quo antea dixerunt Esaias & Michæas, quod *confluxurus sit ad montem Sionis, & dicturus, venite & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus*: quemque Deus per Messiam suum arguet & corripiet, unde futurum scilicet est, ut sic loquantur: & de quo Oseas dixerat, quod *ad cor ejus loquuturus esset Deus*: cap. II. 14. ita ut vocaturus sit Deum *Ishi*, virum meum, nec ultra eum vocaturus Baali, Dominum meum, *vers.* 16. contradistincte ab illis, qui, ut *Ezech.* XI. 21, legitur, nihilominus *ambulare volent ad cor contaminationum suarum*, &c. Ex quibus contrarium non obscure colligitur; Prædictiones has cum conditione intelligendas esse, & non pertinere nisi ad populum, sive ad illos in populo, qui se dociles præbebunt, & lubentes volentesque Messiæ legem ac doctrinam suscipient. Hoc enim posito, certum est, salva ista prædictione fieri posse, ut sint complures in populo, qui rebelles maneant ac refractarii, quique non modo non contundant gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces, id est, bellare desinant, sed acriores infestioresque fiant istis Messiæ subditis, & pacificum Messiæ jugum detrectantes, tum in eos, tum inter se acuant arma simul atque odia sua, atque ita bellare non desinant. Atque hoc est istud ipsum, quod in præcedente responsione nostra diximus; Prædictionibus istis non indicari, quid præcisè ac necessariò futurum sit Messiæ temporibus, sed quis doctrinæ istius, quam Messias populo suo adferet, genius sit futurus, & quis, si ei pareatur, effectus ex genio isto sit consecuturus; secus quam ex ullius alterius Religionis, sive Iudaicæ sive gentilitiæ, genio, aut consecutus antea fuerat, aut consequi possit. Religiones omnes odiorum & bellorum omnium causæ fere fuerant; & nullum odium justius putabatur, quam quod Religionis ergo suscipiebatur, & pro Religionum sacris ac diis gerebatur. Contra, Religionis Messiæ genius proprius est, pro Religione non bellare, nec armis eam adferre ac propa-

*Prædictiones de pace universali esse conditionales, & non pertinere ad eos qui legem Messiæ libenter amplectentur.*

propagare, ſed amore & patientia. Religiones omnes jus talionis liberum faciunt, & injuriarum ſuarum omnium vindicationem cuique indulgent: Religio Meſſiæ injurias non vindictâ reprimi, ſed beneficentiâ ſuperari jubet. Hoc eſt bella dedocere, & efficere ut gladii in vomeres & ſicæ in falces commutentur. Privatæ enim injuriæ odiorum fere ſunt cauſſæ, & publicis, quæ dicuntur, prætexitur fere Religio, ne privatæ videantur. Nec facile publicæ vindiciæ ſequentur, ſi privatæ ſerio negligantur, aut in publicas tranſiiſſe non credantur. Radix bellorum fere eſt privata Regum cauſſa, aut eorum, quorum intereſt, ut gerantur.

Hoc ſenſu itaque, ſi prædictiones hæ accipiantur, tum clarum fit, rectiſſime dictum à Prophetis, futurum ut Meſſiæ tempore gens contra gentem gladium non levet; quia non modo per Meſſiæ Religionem, quam tanquam Propheta populis omnibus primus annunciabit, non ſtabit, quominus populi omnes in univerſo mundo, bella bellorumque omnium cauſſas procul habeant; ſed etiam à Religione ejus cauſſam habituri ſunt omnes, ut odia omnia iraſque exuant, & à vindicta omni ſuperſedeant; ſic, ut, qui inter omnes erunt aut docili proboque animo, aut ſaltem non omnino malo perverſoque, eam avide arrepturi ſint, & ſimultates omnes ſtudiumque injurias vindicandi protinus atque ultro lubenterque ſint depoſituri, atque ita gladios ac lanceas ſuas, ad perdendum alios comparatas, quaſi in vomeres ac falces, aliorum bono commodoque ſint converſuri; qui vero improbo præfractoque animo manebunt, palam ſint oſtenſuri, ſe idcirco Meſſiam Regem reſpuere, & ſubditos regni ejus eſſe nolle, quod animum habeant indocilem, & à pace alienum, id eſt, eum pro propheta & doctore à Deo miſſo admittere non velint. Atque hoc manifeſte ſatis indicare mihi videntur prophetæ Eſaias & Michæas, quando dicunt, futurum, ut Meſſias Legem ſuam de Sion promulget, & verbum Domini de Jeruſalem: quo fine? *ut arguat, ut corripiat, ut judicet populos multos*, (hoſtilibus odiis inter ſe certantes, ſcilicet eo quod Lege aut Religione nulla ab iis cohibebantur) uti eſt *verſ.* 3 *Mich.* & 4 *verſ. Eſaiæ.* Correptioni enim illi qui aurem præbebunt, ii demum erunt, qui concident gladios ſuos in ligones. quare? *& non diſcent*, id eſt, quia illi ſunt qui lege Meſſiæ inſtructi bellum dediſcent, & odiis omnibus epicedium ſcribent; cæteris, qui diſcere nolent, tam ineptis ad diſciplinam iſtam meliorem addiſcendum, quam indignis meliore Meſſiæ regno. Niſi in hanc ſententiam exponantur hæ prædictiones, tum neceſſe omnino eſt, ut dicatur, Meſſiam venturum eo animo ac fine, ut Judæos omnes, quà probos, quà improbos, qua dociles, quà indolices, quà morigeros, quà rebelles, vel cogat, vel neceſſitet ad pacis amorem & bellorum odium, efficiatque non tam, ut ſponte ſua velint exuere odia & arma deponere, quam ut non poſſint non ea exuere & deponere, quamquam nolint & contra obnitantur; quod indignum eſſe Deo & Chriſto ejus per ſe liquet. Peſſimi enim aut præfracti contumaceſque puniri merentur, non vi flecti, nedum cogi ad obſequium. Et Deum tales punire velle, non autem flectere, ex *Pſal.* II. 12, liquet: *Oſculamini filium, ne forte iraſcatur, & pereatis in via, quum exarſerit vel paululum furor ejus. Beati omnes qui ſperant in eo.*

Dicet fortaſſe quis, Argumentum hoc procedere, ſi prædictiones dicantur factæ ex decreto abſoluto, de determinandis Judæorum omnium voluntatibus per Meſſiam ad pacis ſtudium; at non, ſi dicantur factæ ex præſcientia ejus quod libere facturi erant Judæi. Hac enim præſuppoſita, certum omnino erat, Meſſiæ tempore nulla bella amplius extitura eſſe; ac proinde rectè concludi, Jeſum noſtrum non eſſe promiſſum illum Meſſiam, quia tempore ejus bella non modo non ceſſarunt, ſed potius aucta ſunt & incruduerunt. R. Fateor. Sed 1. Prædictiones iſtas ex præſcientia tali factas eſſe non liquet. 2. Etiamſi liqueret, nondum tamen ſequeretur id quod volunt Judæi. Nam ex prædictionibus non apparet aliud, quam, temporibus Meſſiæ bella omnia ceſſatura eſſe. Atqui hoc verum eſſe poteſt de temporibus Jeſu noſtri, etiamſi bella non ceſſaverint ſtatim primis proximiſve adventus ejus temporibus. Primis enim an ultimis Meſſiæ temporum periodis id futurum ſit, non prædicitur. Sufficit ergo, ſi dicamus, id adhuc impletum iri, ſi quidem ex præſcientia certæ futuritionis prædictionem factam concedamus. Nec habent quod reſponſioni huic reponant Judæi; quia fatentur, pacem hanc non ſtatim habituram locum, ſimulatque Meſſias advenerit, ſed contra, primis ejus temporibus, Judæos ipſos, duce Meſſia ſuo, graviſſimum ac diuturnum bellum geſturos contra Gog & Magog, & quidem non ſine magna clade ac ſtrage multorum qui in exercitu Judæorum erunt.

At vero ne videamur exceptione hac ſola uti, addo 2. Prædictiones non diſerte continere, quod bella omnia prorſus atque omnino abolenda ſint ex mundo, ſed quod ceſſatura ſint in populo iſto, qui ad montem Dei confluet, & Legi ex Sione promulgatæ ultro ſe ſubmittet, eique firmiter adhærebit: quia Lex illa, caritatis Lex erit & pacis, quin & patientiæ ac tolerantiæ. Per populum autem iſtum, Meſſiæ populum ex Judæis ac gentibus conflatum intelligi, ſupra demonſtravimus. Jam vero dico, populum Jeſu noſtri ſive Chriſtianum, eſſe populum iſtum, in quo prædictiones iſtæ effectum ſortiri cæperunt, ſolo Legis iſtius beneficio, quam ipſe ex Sione & ex Hieruſalem per Apoſtolos ſuo Spiritu adflatos promulgavit. Statim enim, quotquot Legi ejus ſe ſubmittebant, una cum vitiis bellandi animum exuebant, & quamquam antea ad bella proni ac dediti exercitatique in armis fuerant, offenſæ cujuſlibet memores & vindictæ tenaces, patientia armabantur, & injuriarum oblivione certabant cum inimicis ſuis, malum bono malentes vincere, quam negligendo dumtaxat contemnere, nedum à malo vinci.

Ac ne quis exiſtimet neceſſitate id factum non conſilio, quia Chriſtiani ſcilicet pauci erant, & bello gerendo impares, eadem patientia munitum gerebant animum, etiam quando hoſtibus ſuis, non modo numero ac viribus pares, ſed ſuperiores longe evaſerant. Non deerant ipſis legiones, non excercitus, ſi armis experiri voluiſſent. Nec tueri tantum ſe contra oppreſſores ſuos potuiſſent, ſed & opprimentes invadere, ſi voluiſſent. Sola voluntas bellandi deerat, non poteſtas. Nec vincula, nec tormenta, nec injurias atrociſſimas, nec malorum omnium genera, quæ fortiſſimos aliquando dejicere ſolent à recto ſtatu mentis, & patientiam in furorem vertere, ſufficere credebant, ut innocentiæ ſuæ patrocinium ab armis quærerent belloque ſe expedirent. Et cui, ut rectè Tertullianus ait, bello non idonei, non promti fuiſſent, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidabantur? ſi non apud iſtam diſciplinam magis occidi liceret, quam occidere? Tantum verò abeſt ut copiis impares fuerint, ut jam tum Chriſtianos dicat loca omnia impleviſſe, urbes, inſulas, caſtella, municipia, conciliabula, caſtra ipſa, tribus, decurias, palatium, Senatum, forum. Sola reſtabant templa Romanorum, quæ à Chriſtianis vacua manebant. Potuiſſent, inquit, & inermes, nec rebelles, ſed tantummodo diſcordes, ſolius divortii invidia adverſus Cæſares dimicaſſe. Si enim tanta vis hominum in aliquem orbis remoti ſinum ab iis abrupiſſet, ſuffudiſſet utique dominationem eorum tot qualiumcunq; amiſſio civium; imo etiam & ipſa deſtitutione puniviſſet. proculdubio expaviſſent ad ſolitudinem ſuam, ad ſilentium rerum & ſtuporem quendam, quaſi mortuæ urbis, quæſiſſent quibus in ea imperaſſent. Plures hoſtes quam cives iis remanſiſſent. tum vero pauciores hoſtes habebant præ multitudine Chriſtianorum pene omnium civium, pene omnes cives Chriſtianos habendo. Hactenus Tertullianus, qui poſt natum Chriſtum vixit anno 203. Fierine poteſt ut quis adhuc credat prædictiones iſtas, de bellis ceſſaturis in populo Meſſiæ, non luculente, non evidenter impletas aut impleri cœptas eſſe in populo Chriſtiano? quum is tam ingente numero auctus, ut proterere atque obruere hoſtes ſuos potuiſſet ſola multitudine copiarum ſuarum, non modo non de armis ſumendis cogitaverit, ſed & ſola innocentia ac patientia de hoſtibus ſuis triumphare voluerit? Et ſecula pene quatuor fuerunt, quibus iſta eorum duravit innocentia, & quam nulla potuit iis expectorare aut crux aut violentia. Certatim moriebantur inulti atque imbelles, & non vindicando, ſed patiendo provocabant in certamen victoriæ hoſtes ſuos, perinde quaſi gladii & mucrones eorum in vomeres & falces converſi fuiſſent. Nec quicquam tamen proficiebat exquiſitior quæque crudelitas, quæ in eos exercebatur: illecebra erat magis ſectæ; plures efficiebantur, quoties metebantur: ſemen erat ſanguis eorum. & quotquot eis accedebant, ii omnes pariter erant animati ad ferendum potius quam ad feriendum, & ſanguinem potius ſuum quam alienum effundendum: nulla alia ratione adducti, quam ſola legis Jeſu noſtri conſcientia.

*De bellis Chriſtianorum.*

Eſto, inquies: At quæ exinde ſecuta ſunt ſecula, longè aliter ſe habuerunt, & forte oſtenderunt, Chriſtianis non defuiſſe ad bellandum animos, ſed duces tantum, Imperatores ac Principes. Simulatque enim Conſtantinum Imperatorem, fidei ſuæ conſortem & ſectæ ſuæ ducem ultoremque nacti fuerunt, repente evanuit martyrii gloria, & patientiæ decus. Exinde Chriſtiani ad bella non minus quam ad templa provolarunt; nec diſſuaſerunt Imperatori bella, ſed conſuluerunt; & non in hoſtes tantum imperii, ſed etiam in fratres ſuos & tota Religione ſibi conſentientes atque unanimes, ſed opinione tantum unica diſpares ac diſſentientes; adeo ut qui antea patientiæ laudem & gloriam videbantur affectaſſe, tum quaſi mutatis rerum vicibus, & pœnitentia ducti, non modo ferrum ſtringerent in Religionis

ſuæ adverſarios, ſed etiam in ſe invicem ſævirent reciprocis odiis, tandemque manus ſuas imbuerent ſanguine diſſidentium. Reſp. 1. Etſi fatendum eſt, temporibus iſtis, Chriſtianos gratia & favore Imperatoris ſuffultos, cæpiſſe degenerare à priſca illa innocentiæ & patientiæ gloria, diu tamen adhuc poſt inter eos veſtigia ejus remanſiſſe certum eſt. Nam quod ad bella attinet, uti ea non omnino damnaverant iſti, ita nec hi non damnaverunt niſi non neceſſaria & palam injuſta. 2. uti iſti ea ſubditis omnibus contra Rectores & Magiſtratus ſuos interdixerant, ita & hi. Nec male. Religio enim Chriſtiana, nec Magiſtratum damnat, cujus officium eſt tueri ſubditos ſuos, etiam armis, ſi aliter fieri non poſſit; nec ſubditorum probat rebellionem contra Magiſtratum ſuum, licet iniquiſſimum, & Tyrannum potius quam Regem. Nec credendum eſt prædictionibus iſtis prophetarum contineri, Magiſtratum nullum futurum temporibus Meſſiæ, qui autoritate ſua populos in officio ubique contineat, &, ſi neceſſe ſit, armis eos tueatur ac defendat. Tantum dicitur, eos, qui ſubditi Meſſiæ erunt, & ſub Magiſtratibus ſuis vivent, innoxios futuros, & neminem offenſuros, aut primos arma expedituros in noxam aliorum. Quod interim ante Conſtantini tempora & poſtmodum etiam Chriſtiani fere militiam omnem prorſus detrectaſſe leguntur, nonnulli etiam tantum non de plano damnaſſe, id eo evenit, quod illorum temporum Imperatores à militibus exigerent, aut expreſſam à Chriſto ejuſque Religione diſceſſionem, aut tacitam, dicto ſcilicet ſacramento per deos, vel per Imperatorem ut Deum; aut etiam, quod propoſitis contra Chriſtianos edictis, quotidie ad ea exſequenda manu militum uterentur; quod ut jam pluribus probem non eſt opus. Hactenus ergo degenerationis à priſca innocentia nullum eſt veſtigium.

Sed verò ſævitia deinde graſſari cœpit in diſſentientes & ſegreges à communione τῆ μεγάλης ἐκκλησίας, & paulatim gradum ſibi fecit ad ſummum culmen. Nam cum primis ſeculis non niſi ſpiritualibus remediis uterentur Epiſcopi, & intra ſolas Eccleſiaſticas excommunicationes ſtarent, ulterius à temporibus Conſtantini iri cœptum eſt. Ac primum quidem in ſegreges cœtus à magna Eccleſia, multa pecuniaria ſtatuta eſt à Conſtantino; deinde aliæ atque aliæ à ſecutis eum Imperatoribus, prout ii judicabant rebus ſuis expedire. In eos qui hæretici judicabantur, relegatio decreta, incertum ſuadentibus Epiſcopis, an non refragantibus, uti in Arrium, Macedonium, Neſtorium, Eutychetem. Non multo poſt ſecutæ ſunt aliæ corporales pœnæ, quas Epiſcopi non improbarunt, licet ſeveræ ſatis eſſent, dummodo pœnitentiæ tempus relinquerent. Solæ capitales diu excipiebantur, forte, ob memoriam paganæ ſævitiæ: donec tandem Imperatores Ariani, & ejuſdem ſectæ Africæ Reges, inſtigantibus Epiſcopis, iis utentes, cæteris Epiſcopis anſam dederunt, ut iiſdem in diſſentientes à ſe Arrianos alioſque talionis quaſi jure animadverterent. Quæ poſtea ſecuta ſunt tempora, non opus eſt referre. Sævitiæ nec modus nec finis fuit. Non quælibet mors viſa ſufficere, ſed in exquirendis ſuppliciis ingenium ſuum exercuit ſævitia. Anathemata non in homines dumtaxat, ſed in populos pronunciata; &, ne bruta eſſent fulmina, accenſi Reges, ut ferro flammiſque provincias exſcinderent, nullo ætatis, nullo ſexus diſcrimine. Hinc inter ipſos Chriſtianos bella acerrima ſimul ac funeſtiſſima nata ſunt; iſtis aliud remedium non reperientibus, quo ſectam ſuam ſtabilirent, niſi à ſe diſſentientes vi exſtirparent; his viciſſim patientiam diu læſam in furorem vertentibus, & principem aut ducem ſectæ ſuæ nactis, ſub obtentu publicæ autoritatis vim vi propulſantibus: utriſque deinde in mutuam lanienam conſpirantibus, & Cadmæis victoriis ſe invicem conficientibus, tanta cum animorum pertinacia, partiumque ſtudio, ut pacis omnis ſpes decolloret; atque idcirco de bellis iſtis inteſtinis conſopiendis, hactenus aut omnino non ſerio, aut fruſtra deliberatum fuerit, hodieque adhuc totus pene Chriſtianus orbis à cæde & ſanguine ſuorum rubeat, funeſtiſſimumque drama Judæis profaniſque omnibus ſpectandum præbeat.

Hæc ſane tam ſunt fœda, tam turpia, tam deteſtanda, ut quis color iis obduci poſſit, non videam. Certe alterutrum fatendum ingenuè nobis eſt, aut eos quibus iſta crudelia conſilia, ſtudia, bellaque placent, iiſque aut ſe immiſcent, aut, qua poſſunt, non intercedunt, conſiliis, precibus, votis, ſtudiiſque pacis, degeneres eſſe Chriſtianos & Religionis Chriſti probra ac maculas; aut Judæos cauſſam juſtiſſimam habere, cur à Religione Chriſtiana abhorreant. Iſtud ſi fateamur, fides prædictionum conſtat, & Religionis Chriſtianæ gloria in tuto eſt. Cur autem iſtud non fateamur? Pauci enim oppido ſunt, iſti bellorum tam immanium tum autores tum fautores, præ turba Chriſtianorum quibus iſta diſplicent. Regum fere Principumque, & quibus res anguſta eſt domi, iſtæ factiones ſunt, non populorum; plane uti antea ſchiſmata vetera, ſolorum fere Epiſcoporum, non autem Eccleſiarum ſchiſmata fuiſſe diximus. Et fæx ac ſentina plebis ſequitur, non flos populi. Illa turbis gaudet & motibus, prona in tumultus & aura mobilior ad ſeditiones: Hic pacem, atque idcirco vomeres & falces amat, non gladios aut ſicas. Atque hunc ego verum Chriſti populum eſſe habendum cenſeo, ad quem prædictiones pertinent; cæteros non niſi deformes ſtrumas ac verrucas populo Chriſti adnatas.

## CAPUT XXIII.

### Reſponſio ad tertium Judæorum argumentum, Nullam temporibus Meſſiæ in mundo fore idololatriam, nullos falſos Porphetas aut ſpiritus immundos, prædictum eſſe à Prophetis: quod tamen impletum non conſpiciatur.

TErtium argumentum Judæorum eſt: Juxta vaticinia prophetarum nulla in mundo erit temporibus Meſſiæ idololatria, nulla falſa prophetia, nullus falſus propheta aut ſpiritus immundus. *Zachar.* XIII. 2: *Erit quoque in die illa, dicit Jehovah exercituum, ſuccidam nomina ſimulachrorum è terra, & non memorabuntur ultra, & etiam prophetas & ſpiritum immundum auferam è terra.* *Eſa.* II. 17. 18: *Et incurvabitur elatio hominis, & humiliabitur altitudo hominum, & elevabitur Dominus ſolus in die illa; & idola penitus concidet.* & *verſ.* 20: *In die illa projiciet homo idola argentea ſua, & idola aurea ſua, quæ fecerunt ſibi, ut incurvarent ſe* (imaginibus) *talparum & veſpertilionum* *Zepha.* II. 11: *Terribilis* (erit) *Dominus adverſus illos, quoniam attenuabit omnes deos terræ, & adorabunt eum quiſque de loco ſuo, & inſulæ gentium.* Atqui temporibus Jeſu Nazareni non modo non deſiit in mundo omnis idololatria: Quis enim neſcit, quam multi populi toto orbe paſſim idolis adhærere perrexerint. hodieque adhuc per quindecim poſt natum Jeſum ſecula in idololatria perſeverent? ſed etiam iſtis ipſis in locis, ubi Religio Jeſu admiſſa atque recepta dudum erat, idololatria per tria ſecula duravit; &, quod omnium turpiſſimum eſt, in ipſis eorum, qui ſe unicam Jeſu Chriſti Eccleſiam eſſe contendunt, templis, ea palam publiceque exercetur, tanquam Religionis Jeſu Nazareni corculum atque ornamentum.

*Prædictiones de abluione idololatriæ, &c. eſſe hypotheticas.*

Reſp. 1. Prædictionum harum eadem eſt ratio, quæ præcedentium. Nam 1. etſi verbis abſolutæ videntur, ſenſu tamen ſunt hypotheticæ, quod ex primo textu Zachariæ tam clare liquet, ut hic vel unus ſufficiat ad confirmandum id omne, quod hactenus de prædictionibus ſimilibus diximus. Diſerte enim *verſ.* 3, ſequente dicitur: *Et erit quum prophetaverit quiſpiam ultra, dicent ad eum pater ejus & mater ejus genitor ipſius, Non vives, quia mendacium locutus es in nomine Jehovæ*, &c. uſque ad *verſ.* 7. Fieri ergo poſſe ſignificat Propheta, ut cum iſta prædictionis executione, id eſt, quando Deus per Meſſiam è terra ſuccidet idololatras, falſos prophetas, & ſpiritum immundum, nihilominus conſiſtat idololatria, falſa prophetia, & immundus ſpiritus, id eſt, ut tamen ſint qui perſeverare volent in ſuis vanitatibus, & Deo ſuccidere eas volenti, &, quantum in ſe eſt, ſuccidenti, morem non gerant, malintque adfectus moreſque ſuos ſequi, quam Deo & Meſſiæ ejus obſequi: eodem plane modo ac ſenſu, qui legitur *Ezech.* XI. 21. Senſum etiam hunc prædictionum harum eſſe, evincit eadem qua in præcedentibus uſi ſumus, ratio; quia alioquin ſequeretur, prædictionibus his contineri, quod Deus temporibus Meſſiæ idololatras & profaniſſimos quoſque coacturus ſit ad ſui unius cultum, & Meſſiam Regem facturus ſit, non ſpontanei, ſed per vim ſubacti populi, quem ſcilicet non ſua propria voluntas, ſed divina vis, Meſſiæ, invitum quaſi & refragantem ſubdiderit; quod abſurdum eſſe per ſe liquet.

*Nec ſtatim ſimul & ſemel implendas.*

2. Si omnino velimus prædictiones has abſolutas eſſe, certum tamen eſt, in iis non exprimi, quod omne ac totum id, quod iis continetur, ſtatim ſimul ac ſemel futurum aut eventurum ſit; quod & non diffitentur Judæi. Quare ſufficit, ut prædictiones illæ dicantur convenire temporibus Jeſu noſtri, ſi tria hæc conſtent: 1. ejus Religione ac lege, aperte atque ex profeſſo idololatriam omnem non modo prohiberi ut illicitam, ſed & damnari ut æternæ ſalutis peſtem. 2. Religionis ejus vi ac beneficio eam paulatim exſtirpatam ac prorſus deletam eſſe in cætibus omnibus tam gentilium, quam Judæorum, ſimulatque nomen dederunt Chriſto noſtro. 3. eandem etiam paſſim in mundo, ad quem fama Evangelii Jeſu noſtri pervenerat, hactenus deſiiſſe

*Et ſufficere ſi conſtet de his tribus.*

fiisse, quod oracula omnia obmutuerint, & responsa omnia dæmonum desierint.

1. Religione Christiana damnari omnem idololatriam.

Primum constat manifeste satis ex omnibus istis locis, ubi idololatræ cælo proscribuntur, non minus, quam scelerati omnes: 1 *ad Corinth.* VI. 9. *ad Gal.* V 20. 21. *Ephes.* V. 5. *Apocal.* XXI. 8. & XXII. 15. quibus adjungi possunt omnia ista loca, in quibus Apostoli non modo idololatriam inter ἀγήμιτα ponunt, 1 *Pet.* IV. 3. & inter ἀλισγήματα, *Act.* XV. 20. eamque non lento pede aut gradu deseri tantum, sed celeri fuga vitari mandant: 1 *ad Corint.* X. 14: & 1 *Joan.* V. 21. verum etiam, gentiles primis suis concionibus ab ea statim totis viribus avertere adlaborarunt: *Act.* XVII. 29. utpote quæ caussa fuerit, ob quam Deus eos tam severiter puniverat, ut *traditi fuerint cupiditatibus suis ad impuritatem: ad Rom.* I. 24. & εἰς πᾶσαν ἀμμίαν, *vers.* 26. & εἰς νοῦν ἀδόκιμον, *vers.* 28.

2. Ipsius efficacia eam paulatim extinctam fuisse.

Secundum non minus manifestè liquet; *partim* ex eo, quod Apostoli ipsi, Religioni Jesu Christi gentibus annunciatæ effectum istum tribuunt, quod videlicet per eam à cultu idolorum, ad cultum unius veri ac vivi Dei traducti fuerint, *ad Galat.* IV. 8: *Imo tum quidem, ignorantes Deum, serviebatis iis qui natura non sunt dii. At nunc cum cognoscatis Deum, imo potius cogniti sitis à Deo,* &c. 1 *ad Thess.* I. 9: *Siquidem ipsi de nobis annuntiant, qualem ingressum habuerimus ad vos, & quomodo converteritis vos ad Deum, relictis idolis, ut serviretis Deo vivo & vero,* &c. 1 *ad Corinth.* VI. 11. & XII. 2. &c. *partim* ex eo, quod post Apostolorum mortem, Christiani non modo ab idololatricis cultibus omnibus in cætibus suis alienissimi fuerint, sed nec prece, nec pretio, nec rota, nec equuleo, nec igne, nec laqueo, nec ullis tormentis adduci potuerint, ut in ullum vel minimum idololatriæ actum consentirent. Quavis morte perire malebant, quam in gratiam cujusquam ullis diis supplicare, ullis idolis vel micam thuris adolere, in solemnibus Cæsarum coronam capite gestare, imo verbis uti quæ idololatriæ speciem habent, qualia sunt Mehercule, medius fidius, & non modo jurare per idola sed adjurati acquiescere, sive per litem dicerent, Jupiter tibi sit iratus, sive responderent, Imo tibi; denique permittere ut per deos nationum sive gentilium ipsis benediceretur: exempli gratia: si eleemosynam accipiens Ethnicus, deos suos propitios Christianis imprecaretur, respondendum ajebant, Dei caussa id factum esse: uti ex Tertulliani libris de Idololatria, de corona Militis, manifestum est: item ex Apologetico ejus, aliisque.

3. Et oracula Ethnicorum obmutuisse.

Tertium ex ante à nobis dictis patet, cum de oraculorum post natum Christum clausione ageremus. Quod adeo verum est, ut Plutarchus, scriptor Ethnicus qui temporibus Trajani, id est 100 post Christum natum annis vixit, Trajanique præceptor fuit, peculiarem librum scripserit περὶ τῶν ἐκλελοιπότων χρηστηρίων, de oraculorum defectu: ubi in prorsus novæ ac inauditæ adeoque miraculosæ hujus rei causas inquirit. Et Juvenalis ei fere coætaneus, scriptum de oraculo Delphico (oraculorum omnium maximo celebratissimoque ab ipsis Cræsi Lydorum Regis temporibus) reliquerit, Satyra sua VI.

*Quicquid*
*Dixerit Astrologus, credent à fonte relatum*
*Hammonis, quoniam Delphis oracula cessant.*

Cicero suis temporibus, quæ accurate descripserat, oracula ubique defecisse testatur, & caussam ejus refert in loci vetustatem (lib. 2 de Divinat.) unde anhelitus ille fieret, quo pythia mente incitata ederet oracula. Verum, quæ vetustas est, quæ vim divinam conficere possit? vera caussa fuit Messiæ adventus, quo prædictum fuerat oracula omnia cessatura esse, & idola omnia evanitura.

Atqui tamen, inquiet Judæus, tribus adhuc seculis post duravit idololatria in variis locis, ubi Christiana Religio jam obtinebat. Resp. 1. Oracula & responsa idolorum multo ante desierunt: uti ex Plutarcho liquet, ex Cicerone, ex Strabone, qui Sacerdotes Delphicos ad mendicitatem ideo redactos scribit, quod oraculum exaruisset. Quo forte pertinet illud in genere de diis, apud Virgilium, 2 Æneid.

*Excessere omnes adytis sacrisque relictis*
*Dii, quibus imperium hoc steterat.*

2. Ritus idololatrici paulatim magis magisque eviluerunt, & parcius primò, deinde neglectius habiti, tandem contemtui esse cæperunt ac prorsus evanuerunt. Neque enim ea prædictionum mens est, fore, ut idololatria omnis statim, atque è vestigio, vel una hora, vel die una, vel anno uno, aboleatur, & quidem in universo orbe, extraordinaria & miraculosa vi; sed tantum fore, ut ab idololatria alienentur animi mortalium omnium, per Euangelii Jesu Christi prædicationem, (quos scilicet transversos non aget sua propria incredulitas aut improbitas:) ejusque indicium & auspicium quasi fieret per oraculorum obturationem & clausionem vi divina inchoandam, deinde per ipsos Jesu ministros sive discipulos Christianos, perficiendam. Ac divina quidem vis apparuit statim sub Augusto, sub quo natus Christus. Ei enim Apollo, consulenti quis post eum regnaturus esset, respondisse dicitur:

*Puer Hebræus jubet me, Dis beatis imperans,*
*Has ædes relinquere, & statim in Orcum abire.*
*Cæterum abi tacitus ab aris nostris.*

Augustus vero ideo aram erexit in Capitolio, cujus inscriptio, *Ara primogeniti Dei.* Deinde sub Tiberio, sub quo Jesus crucifixus est, magnus Pan mortuus est, uti ex libro Plutarchi apparet, ubi memorabilem illam historiam refert de Epitherse, quem Echinades Insulas præternavigantem, vocem (à cæteris quoque epibatis exauditam) ex quadam insula profectam intellexisse ait, *Nunciate magnum Panа mortuum esse*; quam gemitus inenarrabiles & infinita lamenta, variique ejulatus illico consequebantur. Quæ quidem cum Tiberio Imperatori nunciata fuissent, de iis certior fieri voluit, & Philosophos undique accersitos percunctatus est, qui tandem ille Pan esset. Pana autem apud gentiles, vel principem Dæmoniorum, vel universam illam vim ac virtutem Dæmoniacam, quæ per oracula & responsa idolorum exerebatur, fuisse, vix dubium est ex ipsius vocis etymologia; & ex eo quod falsos gentium deos hircos sive Satyros Scriptura Veteris Testamenti vocet. Christianorum verò vis ac virtus apparuit passim. Hinc Apollo respondit Diocletiano, Justos illi os obturare quominus oracula edere posset; & Sacerdos, justos, interpretatus est, Christianos: quos idcirco Imperator persequi cœpit. Et vim istam agnoverunt capitalissimi Christiani nominis hostes, Celsus Epicureus, qui diserte fatetur oraculum Clarium, Delphicum, Dodonæum, &c. obmutuisse. quomodo vero? Porphyrius; Non mirum, inquit, quod urbes peste vexentur, cum Æsculapius & Dii ab iis procul absint. nam ex quo Jesus colitur, nihil jam utilitatis à Diis consequimur. Hinc Lactantius: Si quando diis suis immolarent, & Christianus forte adesset, non litabant. unde inductam in mysteriis vocem illam apud Lucianum legimus, *Exeant Christiani.* Et hæc Christianorum virtus tam erat indubitata, ut Tertullianus in Apologetico suo non dubitaret petere ab ipsis Imperatoribus Ethnicis, ut periculum ejus rei facerent. Edatur hîc aliquis, inquit, sub tribunalibus vestris, quem dæmone agi constet; jussus à quolibet Christiano loqui spiritus ille, tam se dæmonem confitebitur de vero, quam alibi Deum de falso. Æque producatur aliquis ex iis qui de Deo pati existimantur, qui aëris maleficum numen ex nidore concipiunt, qui nictando curantur, qui anhelando profantur, &c. nisi se dæmonem esse confessus fuerit, Christiano mentiri non audens, ibidem illius Christiani procacissimi sanguinem fundite. Quid isto opere manifestius? quid hac probatione fidelius? Simplicitas veritatis in medio est: & præ sequuntur. Non multo post tempore, cum idolis ipsis sacrificia omnia desierunt: non ea quæ constabant humanis victimis, & Saturno fiebant: (ea enim jam Tiberio imperante in Africa interdicta, eorum que Sacerdotes ad sacros lucos suspensi erant, & sub Imperatore Adriano plane exoleverant:) sed cætera alia; adeò ut Augustinus temporibus suis non dubitaret quærere ex paganis; ubi sunt dii vestri? ubi prophetæ? ubi oracula? ubi auguria & sacrificia? item: videtis simulachrorum templa partim sine reparatione collapsa, partim diruta, partim clausa, &c. ipsaque simulachra vel confringi, vel includi, &c. & ipsas seculi potestates victas & domitas, non à repugnantibus sed à morientibus, &c.

*De idololatria quæ superest apud Indos.*

Dices: Attamen complura adhuc sunt in mundo regna ac loca, ubi idola & sacrificia, quæ dæmonibus fiunt, locum habent. Quid mirum, inquam, cum Jesus ibi noster ignotus sit? cum de Euangelio ejus ne fando quidem isthic auditum sit? Dices: De istis populis loquor, ad quos fama Jesu & Euangelii ejus jam pervenit. Quomodo, inquam ego, & per quos? An per Christianos? an religionis Christianæ propagandæ studio? an modo religione Christiana digno? Nihil horum. Latrones potius & scurras ac nebulones dixeris quam Christianos, istos, qui ad utrosque Indos famam Jesu nostri protulerunt; non modo indignos, quibus fidem adhiberent cæcæ istæ nationes; nec modo ineptos, atque inidoneos, qui eam istis persuaderent; sed dignos à quibus tanquam à monstris hominum abhorrerent. Religio iis curæ non erat, sed regio. Non sitiebant animas, sed argenti & auri fodinas; Nec rationibus persuasuri fidem, veniebant, sed vi, ferro, flammaque gentem exstirpaturi, ut soli rerum potirentur; Nec idola sublaturi, sed mutaturi, & pro uno fano plura introducturi, non minus stolida quam superstitiosa, advolabant; non ut errantibus opem ferrent, sed ut divitibus opes auferrent; & non ut volentes ducerent, sed ut nolentes

lentes atque invitos subjugarent. Mirumne est, dæmonem per tales dæmoniacos ex locis istis expulsum non esse, veteremque idolomaniam isthic adhuc hærere, ubi Verres & scurræ isti, crudelesque idololatræ, Christum prædicatum venerunt, quos non nisi insatiabilis sua libido exstimulavit, & belluina sua feritas adegit ad exscindendum universum pene populum, ne restarent, qui Christum discerent? An sint meliores, melioreque animo ac studio ferantur, qui ex nostris hisce locis ad eos navigant, ipsi viderint. Ego non dubitaverim, quin, si is eorum animus esset ac scopus, qui erat primorum Christianorum, si ea vitæ innocentia, ea modestia, ea vigilantia, cura ac suada esset, si animæ quærerentur, non opes, si ad idololatriam non armis aut vi expugnandam, nedum simili aut pejore interpolandam, sed rationibus & prudentia expectorandam eo iretur, repente non minus idola conciderent, quam olim in noto nobis orbe ea concidisse diximus.

*Et inter Christianos.*

Esto, inquiet Judæus: Manifesta nihilominus est idololatria ista, quæ nunc viget palam publiceque, in Ecclesia ista, quæ se Apostolicam & Catholicam Jesu Nazareni, Ecclesiam indigetat, adeoque Ecclesiarum omnium Christianarum matrem columnam & fundamentum, Romana scilicet sive Pontificia.

Resp. Fateor lubens, cultum istum, qui in Ecclesia ista viget, qui videlicet defertur tum imaginibus sive Dei, sive sanctorum, qui vocantur, tum reliquiis istorum sanctorum, tum pani Eucharistico, tum Pontifici ipsi, non modo esse cultum idololatricum, sed adeo fœdum ac pudendum, ut color ei nullus dari possit. Sed vero fateri etiam cogor, eapropter (ut alia jam non allegem) Ecclesiam istam, non Christi sed Antichristi Ecclesiam esse, saltem non magis mereri Ecclesiam Jesu Christi dici, quam olim Israelitarum Ecclesia, quæ verum Deum Israelis colebat in vitulis, Ecclesia Dei dici merebatur. Rationes, quæ me cogunt id fateri, jam ante à nobis allatæ sunt, & suo tempore ac loco plenius adferentur. Quare tantum abest, ut Ecclesia ista cæterarum omnium Christianarum Ecclesiarum mater censeri debeat, ut contra vomica potius sit, quæ pure suo Ecclesias omnes inficere apta nata est, & gentilibus simul ac Judæis justam causam præbet, cur à Religione Jesu nostri toto animo abhorreant. Atque hoc impræsentiarum sufficere debere arbitror Judæis, ut ex ea non æstiment Religionem Jesu nostri, aut propter idololatriam Ecclesiæ istius, contendant, vaticinia prophetarum de idolorum & idololatriæ averruncatione per Messiam facienda, in Jesu nostro impleta non esse; cum cæteræ omnes Ecclesiæ Jesu, numero frequentissimæ, per universum terrarum orbem, non modo non consentiant in eandem cum Ecclesia Pontificia idololatriam, sed eam detestentur palam tanquam Religionis Jesu Christi probrum & maculam, ac propter eam communia cum Ecclesia ista sacra habere se nec posse nec debere, publicè profiteantur.

*De loco Jerem. XXXII. 40 & Ezechielis XXXVII. 23.*

Nec est quod dicant, prædictionibus etiam contineri, futurum, ut sub Messia non recedat populus à Deo suo: *Jerem.* XXXII. 40. nec polluat se ultra idolis suis: *Ezech.* XXXVII. 23. Nam id non de eventu ipso, sed de vi singularis istius gratiæ, qua per Messiam afficietur populus, quæ effectu vel eventu etiam carere potest, intelligi, ex antedictis constat: & ex *Zachar.* XIV. 16. 17. quin & ex ipsis istis duobus locis non obscure colligitur. Locus enim Jeremiæ agit de gratia illa, non quam Messias adferet, sed qua Deus populum statim post captivitatem Babylonicam donaturus erat: & isti gratiæ tribuit effectum sive eventum illum tum temporis exstiturum. Atqui ab illa tamen iterum defecit populus, adeo ut propter defectionem suam tandem ex terra ipsa ejectus, & cum Repub. tota sua eversus sit. Locus verò Ezech. disertè de eadem gratia agit. Eadem itaquè ejus cum præcedente loco ratio est. Si vero etiam videatur caput *Ezech.* XI. 24, collato cum *vers.* 21, in quo de gratia Messiæ agi concedimus, (quamquam caussæ esse possint, cur de eadem illa, de qua jam diximus agi, isthic prophetam loqui credi potest) apparet prophetam significare, fieri posse, ut gratiam istam quidam respuant, & iram Dei gravem in se provocent. Unde efficitur, fieri etiam posse, ut, qui semel gratiam illam receperunt, ab ea deficiant, & ad ingenium simul ac vomitum suum redeant. Atque hæc etiam caussa est, cur Jesus noster prædixerit, futurum, ut Antichristus veniat, & multos post se trahat, qui à fide desciscent, magnaque illa defectio & ἀποστασία deinde sequatur, quando revelabitur, ὁ ἀνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας: 2 *ad Thess.* II. 3. 4, *&c.* Quæ prædictio cum impleta manifestè appareat, & forte ea ipsa in re & in ea ipsa Ecclesia, quæ huic Judæorum objectioni materiam præbet, profecto majorem caussam habent Judæi, ut credant, vel idcirco Jesum nostrum esse promissum illum Messiam, quam ut propter eam nolint credere, aut Religionem Jesu nostri tanquam idololatricam aspernentur ac respuant.

## CAPUT XXIV.

### Responsio ad quartum Judæorum argumentum, Messiam, juxta Prophetarum vaticinia, populum Israeliticum in terram suam reducturum: quod Jesus noster non fecit.

QUartum argumentum Judæorum est: Juxta Prophetarum vaticinia Messias reducturus est populum Israeliticum in terram suam, & in integrum eum restituturus: *Jesaiæ* XI. 11. 12. 13, *&c. Ezech.* XXXVII. 25. 26. 27. 28. & XXXIX. 25. 26. 27. 28. *Joel.* II. 27. & III. 1. *Zachar.* II. 10. 11, *&c.* Atqui per Jesum nostrum populus non modo non est reductus in terram suam, sed non multo post ejus adventum ejectus è terra sua, & omnibus calamitatum generibus afflictus vexatusque.

*Non videri prædictam à Prophetis restitutionem Israelis in terram suam per Messiam.*

Resp. 1. Incertum mihi omnino videri, id, quod Judæi pro indubitato hodieque habent, prædici à prophetis, restitutionem populi Israelitici in terram sanctam per Messiam faciendam esse. Id enim non video, unde solide evinci possit. Certe prædictiones, quæ ex Esaia, Jeremia, Ezechiele, Joele, &c. adductæ sunt, & adduci fere solent, eæ mihi non videntur loqui, nisi de restitutione & reductione populi, non Israelitici totius, sed Judaici tantum, in terram suam, ex captivitate Babylonica; quæ juxta prophetarum morem ac stylum magnifice extolli, & phrasibus metaphoricis atque hyperbolicis exaggerari solet. In singulis prædictionibus indicia admodum sunt luculenta, quæ huic rei fidem faciunt. Præterquam enim, quod prophetæ isti partim ante, partim in aut sub ipsa captivitate Babylonica prophetaverunt, prophetiæ etiam eorum, i. fere mentionem faciunt annorum LXX; ut *Jerem.* XXV. 11. 12. 2 Regis Babel: *ibid.* & *cap.* XXXII. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 3. eorum omnium qui populum Dei afflixerunt. 4. gentium quæ benedictionem istam divinam visuræ sunt, aliarumque rerum, quæ non possunt nisi ad istam reductionem ex Babel referri. Impletio prophetiarum istarum, si literam urgeas, facta non est. Fateor, sed nec prophetiæ istæ continebant promissionem futuræ istius impletionis simpliciter atque absolute; sed tantum futuræ ex genio & vi beneficii istius, qua futurum prædicitur, id quod videbatur non posse non fieri; ac proinde cum conditione tacita intelligendum erat; si videlicet populus beneficium istud perpetim ac jugiter sibi ob oculos poneret, non aliter quam si recens primum fieret; uti apparet ex eo, quod promissum istud statim post reductionem populi vim suam exerebat & effectum sortiebatur. Tanta enim tum in populo reducto obediendi alacritas erat, ut non posset esse major. Quare, si istius beneficii, sive promissi à Deo præstiti, memoria recens semper mansisset in animis & oculis populi, quin eadem alacritas obediendi Deo, in populo permansura fuisset, dubitandum non est. Atque hoc vult Deus per verba ista, quibus prædictio & promissio ista concepta est.

*Vel hypothetice tantum esse promissam.*

Sed vero posito etiam, sive istis, sive aliis, ut Aggæi & Zachariæ, qui post solutam captivitatem prophetarunt, vaticinationibus, contineri promissionem de restitutione populi Judaici in terram suam facienda per Messiam; tum dico 2. Caussam non esse, cur promissio ista sic absolutè facta dicatur, ut non contineat hanc hypothesin, si videlicet populus Messiam istum promissum reverenter dignabitur recipere, & regno ejus se submittere: imo caussam esse, cur conditionem sive hypothesin illam continere credatur, ne scilicet rebellis atque involuntarii populi Rex dicatur futurus Messias. Quare, si promissionem illam in Jesu nostro impletam nondum esse dicant Judæi, ut sibi ipsis id imputent, necesse est. Non enim æquum est, ut tantum beneficium detur ac conferatur rebellibus, nedum ut invitis & nolentibus obtrudatur. Invitum qui servat, idem facit occidenti.

*Et posse adhuc impleri.*

3. Ex hoc sequitur, fieri adhuc posse, ut prædictio ista ac promissio aliquando impleatur; ac proinde non recte concludi, Jesum nostrum non esse promissum illum Messiam, propterea quod ea impleta nondum sit. Promissionis enim præstatio nulli temporis articulo præcise alligatur; & si conditionis impletio præcedere eam debet, ut ulli certo articulo temporis, conditione non præstita, alligetur, impossibile est.

*Vel intelligendam esse non secundum literam, sed secundum spiritum.*

Sed 4. dico: Non pauca esse, quæ arguunt prædictiones & promissiones istas, siquidem eas ad Messiæ tempora pertinere velimus, non aliter esse accipiendas, quàm statui & regno

regno Messiæ convenienter, id est, non secundum literam, sed secundum spiritum; quatenus & quia Messias erat futurus Rex, non terrenus, sed spiritualis, non caducæ hujus & fluxæ vitæ, non terræ hujus inferioris, & tandem aliquando conflagraturæ cum universis bonis suis, sed æternæ vitæ, & novæ terræ cælestisque patriæ Dominus; ac proinde, quæcunque in istis prædictionibus continentur, ea allegorica esse, & sub phrasibus statui istius populi ac temporis, quo prædictiones istæ dabantur, accommodatis, depingere quasi ac delineare universam illam fælicientem, quam Messias populo allaturus erat; quia videlicet populus iste carnalis, & promissis carnalibus dumtaxat assuetus & inhians, nihilque prius aut potius ducens quam terram Canaam, divitias, victorias, splendorem, dominiumque in cæteros populos, nuda spiritualium bonorum promissa aut non percepisset, aut pensi non habuisset, adeoque flocci fecisset, uti hodieque ea adhuc flocci facit; ac proinde in literali ipso sensu penitus defixus hæret, ultra terram hanc & sensus suos aut non sapiens, aut sapere etiam nolens.

Inter ista hæc sunt: 1. quod reductio illa non describatur aliter, quam ut pertinens tantum ad eos, qui tempore isto, quo Messias veniet, victuri sunt, cæterorum qui ante illud tempus defuncti erunt, nulla mentione facta: quod unum sane sufficit, ut Judæi considerent, an promissiones istæ non sint allegoricæ. Verum quidem est, eos ut ictum hunc effugiant, asserere, mortuorum resurrectionem præituram, aut conjunctam fore adventui Messiæ; sed id ex ejusmodi locis eruere atque evincere conantur, ut cuivis liquere possit, vel cæco etiam, eos pedem, quod dicitur, calceo aptare, id est, sententiam illam suam non ex textibus haurire, sed textus ipsos sensibus ac sententiæ suæ adaptare, & Scripturis vim facere, ut thesin sive commentum suum possint ἀλαφυλάπτειν. Soli lucem non fæneror. Videantur viginti quatuor loca, quæ nuper Rabbi Menasseh coacervavit ex Pentateucho, Prophetis & hagiographis eum in finem, & res clara erat. Memini etiam quando librum istum videram, me quærere ex eo, an ullum locum esse à se allegatum crederet, qui ἀπόδειξιν contineret, aut demonstrativam conclusionis suæ probationem, & respondentem eum audire, Nullum, nisi cabala aut traditio accedat. Duo fere palmarii sunt quos ex *Ezech.* XXXVII. & *Daniel.* XII. citat. sed ii tam sunt debiles atque infirmi, quam cæteri omnes; quod, quia alibi à nobis demonstratum est, jam indicasse tantum sufficiat. 2. quia, si omnino Judæi velint reductionem illam populi ad totum populum Israeliticum pertinere, id est, tam ad eos, qui tum in vivis & superstites adhuc erunt, quàm ad eos qui antea mortui sunt, & tum in vitam resuscitabuntur, ea plane impossibilis est. Nam terra Canaam angusta nimis est, quam ut tantam populi multitudinem capiat; imprimis cum generationi prolis istic adhuc locus sit futurus, & mors plane sit desitura. 3. Quia glorioſæ Majestati Messiæ parum convenit ejusmodi reductio. Enimvero, quantulum hoc est, si Messias dicatur reducere populum Israeliticum in terram suam? An idcirco Messiam tam multis ante seculis prædici ac promitti oportuit? an idcirco tam operose describi eum Deus voluit, quoad natales, parentes, locum aliaque? unus Josua, unus Gedeon, una Debora, una Esthera, una Juditha isti rei sufficisset. Et ne hoc videamur soli dicere, ipse Deus quam hoc exile ac tenue sit declarat, *Esa.* XLIX. 7: *Leve est, ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Iacob, & ad reducendum desolationem Israelis, etiam dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Unde colligo 4. tantum abesse, ut Majestate Messiæ digna sit ejusmodi reductio, ut contra Messiæ majestas in eo collocanda sit, quod gentibus non minus quam Judæis imperet, atque ita non unius exigui territorii, sed terræ totius Dominus sit, eique populi omnes ubique fidem atque obsequium præstent, sub spe non terrenæ sed cælestis remunerationis ab eo consequendæ; quæ continetur omnibus istis bonorum cumulis, quibus prophetæ ad hyperbolem usque eam adumbratam voluerunt, tanquam excellentiorem majoremque, quam ut à carnali populo aliter intelligerentur. Quod si ne hæc quidem Judæo satisfaciant, tum dico 5. nihil obstare, cur non credamus, promissa illa, aut impletum adhuc iri, quando populum Israeliticum spreti Messiæ sui pœnitebit, quod futurum adhuc speramus; aut si hoc non fiat futurumve non sit, magni beneficii loco à Judæis haberi debere, quod Deus, non obstante præfracta eorum contumacia, nihilominus per Messiam suum, Jesum scilicet Dominum nostrum, cælestis æternæque hæreditatis spem omnibus facere voluerit, & terrena promissa sua quasi convertere in cælestia & sempiterna. Quæ profecto gratia tam est eximia & egregia, ut major à Deo aut exspectari aut desiderari non possit, aliaque omnis præ ea merito sordere debeat, & pro nihilo haberi. Benedictus sit Deus, qui eam nobis fecit per Jesum nostrum, quem idcirco ex mortuis suscitavit & in cælo ad dextram Majestatis suæ collocavit, ut fides ac spes nostra firma esset, fore ut ejusdem aliquando immortalitatis & gloriæ cum eo fiamus participes, & in throno ejus sedeamus post debellata omnia, victores mortis atque inferni.

## CAPUT XXV.

### Responsio ad quintum Iudæorum argumentum, Iesum non esse promissum Messiam, quia Elias Propheta ejus adventum non præcesserit, secundum prædictionem Malach. IV. 5. 6.

QUintum argumentum Judæorum est: Juxta vaticinium *Malachiæ, cap.* IV. 5. 6. *Elias Propheta mittetur* ad populum, *antequam veniat dies Jehovæ magnus & terribilis, & convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum.* At Elias Propheta missus nondum est. Ergo Jesus non est Messias ille promissus.

*De vaticinio Malach. IV. 5. 6.*

Resp. Hoc argumentum, quod fortasse inter levia censeri meretur, idcirco tamen ultimo loco inter gravia ponimus, quia, si quod aliud, hoc certè solidè confutatum, magnopere facere posse credimus, ad hoc, ut Judæi causam valde gravem se habere intelligant, cur Jesum nostrum esse promissum illum Messiam existimare ac credere debeant. Quare quod attinet ad vaticinium Malachiæ, nihil est, quod cogit, per Eliam prophetam, ipsam Prophetæ Eliæ Thesbitæ personam intelligere. Etsi enim verba ita sonant, tamen certum est, tum apud sacros, tum apud profanos Scriptores, & in familiari sermone, sæpenumero eodem nomine vocari aliquem, qui idem ac simile aliquid ei præstet, cujus id nomen est. Sic Messias, qui seculis aliquot post Davidem Regem nasciturus erat, & populi Dei in universo mundo peculiaris Rex erat futurus, uti David in terra tantum Cananæa fuerat, non semel David ipse vocatur. *Ezech.* XXXIV. 23. 24. *Et suscitabo super eas* (pecudes) *pastorum unum, & pascet eas, servum meum David, ipse pascet eas, ipseque erit in in pastorem. Ego autem Jehovah ero eis in Deum, & servus meus David princeps in medio eorum. Ezech.* XXXVII. 24. 25. *Et servus meus David erit Rex super eos,* &c. *& David servus meus erit princeps eis in seculum.* Apud profanos scriptores ἀντονομασία hujusmodi frequens est. Sic si vir prudens & bonus aliquis audiat, alter Cato esse dicitur, sive Cato ipse. Si Orator aut Comœdus quis eximius sit, Roscius in scœna esse dicitur aut pro tribunali. Hinc illud poetæ Virgilii, Eclog. IV. quod ad rem hanc nostram propius facit, quia prædictionem in se habet:

*Alter erit tum Tiphys, & altera quæ vehat Argo*
*Delectos heroas; erunt etiam altera bella,*
*Atque iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.*

Per Tiphyn enim, ut Servius vult, (quamquam alii aliter) gubernatorem Tiphy similem; per Argo, navem vel classem similem navi isti qua Argonautæ vecti fuerant; per heroas delectos, viros Argonautis heroibus, qui cum Iasone Colchos navigaverant aureum vellus petituri, peritia militandi similes; per Achillem fortissimum Græcorum contra Trojanos Ducem, Achilli fortitudine & robore similem ducem intelligit.

*Ioannem Baptistam fuisse Eliam promissum.*

Eodem sensu per Eliam prophetam, hoc loco, prophetam sive virum Eliæ similem intelligi nihil vetat. Talem autem à Deo missum fuisse qui πρόδρομος & præcursor esset Jesu nostri ex historia nostra constat. Is Joannes Baptista fuit. Nam de eo dicitur, *Luc.* I. 17: *Ipse præcedet ante faciem ejus* (Jesu scilicet) *cum spiritu & virtute Eliæ*, id est, cum robusto, forti, imperterrito & ardente spiritu sive zelo, spiritui aut zelo Eliæ simili. Spiritus enim & virtus hic non sunt duo diversa, ita ut spiritus zelum, virtus signa & miracula significet. Joannes enim Baptista nullum signum edidit, *Joann.* X. 41. sed per figuram ἀν ἀλλοίωσιν, Scriptoribus sacris frequentem & familiarem, fervidum ardentemque zelum significant, qualis Eliæ zelus fuisse legitur; 1 *Reg.* XIX. 10. 14. *ut convertat corda patrum in filios, & rebelles ad prudentiam justorum, ut paret Domino populum instructum.* Ex quo ipso patet, sicut etiam ex ipsius Joannis Baptistæ testimonio, quod legitur. *Joan.* I. 21. ubi se Eliam esse negat, Malachiæ locum non de ipsa Eliæ persona, sed de aliquo Eliæ simili propheta intelligendum esse; atque idcirco etiam Jesum dixisse discipulis suis, Eliam jam tum venisse, Joannem nempe designando: *Matth.* XVII. 12. 13. imo expresse asseruisse eum esse Eliam: *Matth.* XI. 14: *Et, si vultis recipere, ipse est Elias ille qui venturus erat.*

Recte, inquies, si historia vera est. At vero, inquam ego, quæ

quæ ratio de veritate historiæ dubitandi est? Nam certum est, non modo ex historia nostra, sed etiam ex historia Josephi, omnia quæ historia nostra Joanni tribuit, eadem fere à Josepho ei tribui; vixisse cum scilicet temporibus Jesu nostri, & fuisse virum optimum, Judæos excitantem ad virtutum studia, & imprimis pietatis ac justitiæ, simulque ad Baptismi lavacrum; quod ita demum Deo gratum ajebat fore, si non ab uno tantum alterove peccato abstinerent, sed, animis per justitiam prius mundatis, adderent & puritatem corporis. verba sunt Josephi, lib. XVIII. Antiquit. Judaic. cap. VII. Magnum populi concursum fuisse ad eum factum, & ab Herode propterea, (in hoc differt à sacra nostra historia) interfectum, quamquam utrumque simul verum esse potest; Herodem scilicet metu defectionis adductum, Joannem in carcerem compegisse; & religione deinde juramenti, Herodiadis filiæ facti, quasi occasione quadam arrepta, vel accepta, in cædem ejus consensisse. Quæ profecto talia sunt, ut merito credi possit, Joannem Baptistam fuisse Eliam illum, quem Deus se missurum prædixerat, Messiæ præcursorem. Nam isto tempore, quo vivebat is, qui se Messiam esse dicebat, vixit ac docuit, vita ejus plane similis fuit illi vivendi generi, quo Elias usus est; 2 *Reg.* I. 8. Doctrina sancta, seria, & ad severiorem disciplinam morum inculcandam comparata, nulli mortalium obnoxia, procul omni gratia & odio. Mores graves, austeri, & severitate singulari castigati, nil nisi pœnitentiam & zelum Dei præ se ferentes, plane uti Eliæ spiritus in eum migrasse, & alter Elias videretur. Et quod de venturo Elia prædictum fuerat, id in eo impletum fuit. Nam cor patrum convertit ad filios, & corda filiorum ad patres eorum, sive multos filiorum Israel convertit ad Dominum Deum ipsorum, adeo ut pœnitentia anteactæ vitæ ducti, & publice peccata sua confitentes, sese dederent in disciplinam ejus, & animum ad justitiæ & sanctimoniæ studium componerent; sicque antea patribus suis dissimiles propter vitæ impuritatem, non modo iis similes redderentur vitæ integritate & puritate, sed etiam cum iis quasi in gratiam redirent, & cordibus paribus quasi coalescerent. Multos vero tales fuisse ex utraque historia liquet, & plures sane, quam suo tempore ad Deum convertisse legitur Elias. Multa millia eum sequebantur, dicit historia nostra sacra, *Matth.* III. 5. & *Mar.* I. 5: *Hierosolyma & tota Judea, omnisque regio circumjacens ad eum exibat.* quin & populus universus adeo ei erat addictus, ut nemo contra hiscere auderet: *Matth.* XXI. 26. ipsique adeo primarii sacerdotes, & populi principes, silentium sibi ipsis mallent, inviti licet, imperare, quam Joannis Baptismum culpæ alicujus insimulare. *Omnes enim habent Joannem ut prophetam*, inquiebant. Josephus vero tantum populi concursum ad eum factum fuisse scribit, præ aviditate audiendæ doctrinæ ejus, ut Herodes metueret, ne tanta hominis autoritas defectionem aliquam pareret: quod crederentur nihil non facturi ex ejus consilio: uti ex citato cap. VII. lib. XVIII. ἀρχαιολογίας apparet. Addit vero, eam quam populus de eo conceperat opinionem, etiam post mortem & cædem ejus permansisse: adeo ut cladem & stragem istam, quam passus fuerat Herodes in prælio cum Areta Arabum rege, injustæ cædi Joannis imputaret. Apud Judæos, inquit ibidem, fuit opinio, justa ultione Numinis deletum Herodis exercitum, propter Joannem qui Baptista cognominatus est. Et discipulorum quos post se reliquit ingens admodum multitudo, ad confirmandum id facit. Professi enim sunt se discipulos ejus esse, & non minus fideliter constanterque doctrinæ ejus adhæserunt post mortem ejus, quam ei sese in vita ejus promte lubenterque addixerant, uti ex historia nostra sacra passim constat; adeo ut nec pauciores, nec minus sancti, si non multo plures sanctioresque, doctrinæ suæ sectatores, Joannes hic post se reliquisse dici debeat, quam filios prophetarum Elias olim reliquisse legitur. Quibus omnibus si accedat id quod historia nostra refert, Joannem hunc, non modo palam publiceque professum esse tum apud populum, tum apud populi primores ad se ablegatos, non minus quam populum (*Luc.* III. 15.) suspicantes hæsitantesque numnam ille esset ille Christus sive Messias promissus: *Joan.* I. 19. se non esse Messiam illum, *Joan.* I. 20. sed, *vocem clamantis in deserto, Parate viam Domino*, &c. *Joan.* I. 23. *non sponsum ipsum, sed sponsi paranymphum, qui missus erat ante faciem ejus*: *Joan.* III. 18: *se baptizare quidem aqua, sed pone se adesse, qui baptizaturus esset Spiritu & igne: cujus dignus non erat qui corrigias calceamentorum solveret*: *Matth.* III. 11. *se missum esse ut Jesus manifestus fieret Israeli.* *Joan.* I. 31. & quidem cum jam cælitus edoctus esset per descendentem & manentem super Jesu Spiritum, eum esse *filium illum Dei*, id est, promissum illum Messiam: *vers.* 33. 34. sed etiam dixisse, ac digito monstrasse discipulis suis Jesum nostrum, cum hoc elogio: *Ecce ille agnus Dei*: *Joan.* I. 36. quin & hortatum esse ac monuisse eos *ut in eum qui veniebat post ipsum crederent*, id est, in Jesum Christum: *Act.* XIX. 4. quid restat aliud, quam ut concludatur, Joannem hunc fuisse etiam istum, de quo Malachias prophetarum omnium ultimus vaticinatus est, & Jesum nostrum promissum illum Messiam?

*De loco Matth. XI. 2. 3. 4. ubi Joannes dubitasse videtur an Jesus esset promissus ille Messias.*

Dices: Contra facit quod legitur *Matth.* XI. 2. 3. 4. ubi Joannes ipse dubitasse legitur, an Jesus Messias ille esset: quia ablegat ex carcere duos ex discipulis suis, cum mandato ut ex ipsius Jesu ore quærerent ac resciscerent, An Jesus esset is, qui venturus erat, an alium expectari oporteret? Responderi communiter solet ad hoc objectamentum, Joannem discipulos hos non ablegasse sua caussa, quasi incertus adhuc esset, aut jam in vinculis detentus hæsitare inciperet ac dubitare, an Jesus ille Messias esset. Id enim nullo modo verisimile est. Incertus esse non poterat, qui tam illustri revelatione & signo cælitus edoctum se fuisse noverat, & tam sæpe ac prolixe de eo testatus fuerat. Nec hæsitandi aut dubitandi nova caussa erat, quia in textu dicitur, caussam sive occasionem ablegationis hujus fuisse, quod Joannes in vinculis audiret τὰ ἔργα τοῦ χριστοῦ. Ea enim ad confirmandum potius Joannem, quam ad dubitationem novam animo ejus injiciendum faciebant. Non itaque sua caussa Joannem discipulos hos ablegasse volunt, sed caussa discipulorum suorum, ut videlicet eos fortasse propter vincula sua nonnihil nutantes, aut contra forte Jesu gloriæ æmulos, nimiumque præceptori suo addictos, in disciplinam Jesu meliorem transmitteret, & plenius ei erudiendos daret; quasi dixisset, Nolite mihi credere, sed ipsum coram videte & audite. Et sane responsio hæc sufficere potest bonis & æquis veritatis arbitris. Sed vero, quid vetat etiam verba hæc aliter accipere, ut iniquis & curiosioribus aut molestioribus etiam satisfiat? Nempe ut dicantur verba illa, σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος, id est, phrasi Hebræa, ὁ ἐλπιζόμενος, non prolata ἐρωτηματικῶς, sed absolute sine interrogatione: ut sensus sit, Præceptor noster Joannes misit nos, ut nunc in carcere, sicut antea sæpe fecit, testimonium tibi per nos perhiberet, quod tu sis Christus ille, quem prophetæ venturum olim prædixerunt. Ut id credamus, cogunt argumenta ista, quæ supra in prima responsione allata sunt, quibus adjungi meretur, quod *Joan.* III. *vers.* 26. legitur de discipulus Joannis, quod videlicet Joanni ipsi dixerint, *Rabbi, is qui tecum erat apud trajectum Jordanis, cui tu testimonium perhibuisti*, &c. Sciebant ergo discipuli Joannis, quod de Jesu testatus fuerat. Adde, quod in textu non legatur, verbum ἐρώτησεν, sed εἶπεν αὐτῷ. quod Lucas enunciat, *cap.* VII. 19, ἔπεμψε πρὸς τὸν Ἰησοῦν, λέγων, id est, non interrogans, sed simpliciter dicens. Denique quod Christus, post discessum istorum Joannis discipulorum, tam præclare de Joanne loquatur, id non obscure arguit, eum sic accepisse verba ista, ut non dubitationem, sed affirmationem, & constantem Joannis in testimonio sibi perhibendo ad mortem usque perseverationem, contineant. At vero dices; quid tum sibi volunt illa verba, quæ statim adduntur, ἢ ἄλλον προσδοκῶμεν; *An alium expectamus?* Resp. Sensus eorum esse potest: An alium adhuc expectaremus? sive, quem alium adhuc expectamus? An alius major te esse potest, quem adhuc expectare velimus? quasi dicant, Absit ut id quisquam nostrum credat. Nimis enim magnus est Joannes præceptor noster, quam ut testimonium ejus in pretio non habeatur. Voluerunt fortasse hac ratione adhuc tueri dignitatem simul atque autoritatem præceptoris sui, quod testimonium ejus adhiberent ad rem tantam confirmandum. Et hæc forte caussa est, cur Jesus discipulos Joannis, nimium adhuc præceptori suo addictos, remittere voluerit ad Joannem, cum responso ejusmodi, quo tacite quidem probatur Joannis in testando constantia fidelitasque, sed ita tamen, ut simul etiam innuatur, isto testimonio sibi opus non esse. Dicitur enim in textu, Jesum respondisse, vel respondentem, id est, ad dicta eorum, quæ jam nomine Joannis exposuerant, vicissim aliquid reponentem, (sic enim verbum ἀποκρίνεσθαι in Novo Test. uti & verbum ענה & nomen מענה responsum in Veteri Testamento pro quolibet dicto non raro accipi, notius est quam ut probari oporteat:) locutum esse in hanc sententiam, Ite & renuntiate Joanni, &c. id est, Dicite Joanni præceptori vestro, testimonium ejus verum quidem esse, sed id tanti tamen à vobis fieri non debere, ut propterea ei adhæreatis. Ea enim jam geri ac fieri videtis quæ multò majora, & ad confirmandum me esse illum, quem ille me esse testatur, longe sunt efficaciora, videlicet opera illa, quæ vos non tantum auditis ex aliis à me facta esse, uti Joannes, sed etiam coram videtis, & oculis vestris usurpatis à me fieri, quod Joanni in vinculis constituto non licet. Ut conveniat cum eo quod legitur *Joan.* V. 33. 34. & 36. *Vos misistis ad Joannem, & is testimonium dedit veritati. Ego autem ab homine testimonium non capio*, &c. *Majus habeo testimonium, testimonio Joannis; opera enim quæ dedit mihi Pater, ut ea perficerem, ipsa, inquam,*

*quam, opera quæ ego facio, teſtantur de me, quod Pater miſerit me.* Senſus ergo eſt; Facite de his certiorem Joannem præceptorem veſtrum, tanquam rerum harum, quæ geſtæ ſunt & geruntur, αὐθέντην, & videte, ne idcirco Joannem credatis eſſe me majorem, ob teſtimonium iſtud quod mihi dat; ſed ex operibus iſtis quæ à me fiunt, qualia nulla Ioannes unquam fecit, colligite, me eum eſſe, quem Ioannes me eſſe teſtatus eſt, & qui quando hæc ex vobis audiet, proculdubio de me teſtari perget. Beati eritis, id eſt, non parum in via ſalutis profeciſſe vos oſtendetis, ſi doctrinæ meæ fælici ſucceſſu, operumque, quæ ego facio, æmulatione aut invidia non offendamini, quia impenſius addicti eſtis præceptori veſtro; id eſt, ſi non doleatis me ſupra præceptorem veſtrum inclareſcere. Sic enim accipi poſſunt verba hæc, etiamſi aliter etiam accipi poſſe, alibi in notis noſtris ad Matthæum oſtendimus. Quod ſi cui hæc noſtra, de diſcipulorum Ioannis miſſione, miſſionisque mente, interpretatio non placet, is ut primam reſponſionem ſequatur per nos licet, aut commodiorem, ſi quæ talis videbitur. Sufficit enim ad ſolutionem argumenti Iudaici, ſi conſtet, non modo ex iis quæ paſſim Ioanni in Euangelica hiſtoria tribuuntur, ſed etiam ex antecedentibus & conſequentibus textus hujus, nullo pacto veriſimile eſſe, Iohannem hæſitaſſe aut dubitaſſe de eo, an Ieſus eſſet Meſſias ille promiſſus, etiamſi quo animo ac fine legationem hanc fieri voluerit, præciſe definiri non poſſit. Ex antecedentibus autem & conſequentibus textus ipſius id conſtare liquet, tum ex occaſione legationis, quæ *verſu* 2 dicitur fuiſſe, quod *Joannes audiſſet in δεσμωτηρίῳ opera Chriſti*; tum ex præclaro Ieſu teſtimonio, quod apud turbam populi, poſt diſcipulorum Ioannis diſceſſum, de Ioanne perhibuiſſe legitur: *verſ.* 6.7.8.9.10.11.12.13.14.15. in quo illud imprimis ad confirmationem reſponſionis noſtræ facit, quod Ioannem ſolit haberi pro arundine, quæ agitatur à vento, id eſt, pro eo, qui in perhibendo teſtimonio ſibi non conſtet aut fluctuet.

Atque hac quidem ratione credimus nos abunde ſatisfeciſſe omnibus iſtis objectionibus, quæ à Iudæis aut fieri ſolent, aut fieri poſſunt, contra ea quæ hactenus pro Ieſu Meſſia noſtro adduximus argumenta. Reſtaret nunc, & forte operæ pretium eſſet, ut ea etiam argumenta expenderemus, quæ allegare ſolent Iudæi ex ipſa Religione & doctrina Ieſu noſtri, ad eam, ſive falſitatis, ſive abſurditatis ſuſpectam reddendum. Sed quia ea res prolixam admodum tractationem requirit, quam Schola hæc noſtra non patitur, ab ea impræſentiarum ſupersedebimus.

# LIBRI TERTII, SECTIO V.

## *De Libris Veteris Teſtamenti.*

### CAPUT I.

### De Libris Moſis, Joſue, Judicum, Ruth, Samuelis, & Regum.

RECTA ergo ad revelationem per Ieſum noſtrum factam, ſive ad Religionem Chriſtianam progrediemur; ſi id tantum oſtenderimus, (quamquam id forte in principio, quando de revelatione Abrahamo & Moſi facta agere incipiebamus, oſtendere conſultius fuiſſet:) ea quæ hactenus de Revelationibus à Deo factis diximus, contineri libris iſtis, qui vulgo Biblia, ſive Scriptura Veteris Teſtamenti nuncupantur; non Apocryphis illis, qui vocantur, ſed Canonicis, id eſt, qui in canone ſive regiſtro aut catalogo illo ſunt, quos conſtat neminemque latet, à viris divinis, & exceptione omni majoribus, conſcriptos eſſe; quos Ebræi vocant עשרים וארבעה id eſt, viginti quatuor, à numero ſive catalogo τῶν βιβλίων, Syſtemati ſive volumini toti nomen imponentes. quibus æquum eſt, ut nos Chriſtiani libentius quam ullis aliis fidem adjungamus, quia certum eſt, inter privilegia, quæ iis tribuit Apoſtolus noſter, τὸ πρῶτον, id eſt, non ordine primum, ſed quod inter cætera principem facile locum meretur, collocari *ad Rom.* III. 2, quod iis ἐπιστεύθησαν τὰ λόγια τοῦ θεοῦ, id eſt, oracula divini fœderis, non voce tantum recitata, ſed ſcripto etiam conſignata, & quæ tum, cum id ſcribebat Apoſtolus, in omnium manibus erant, & in Synagogis ex ambone ſolebant prælegi, κατὰ πᾶν σάββατον: *Act.* XV. 21. & nunc *Moſis*, ut *ibid.* & *Joan.* V. 46. nunc *Moſis & Prophetarum*; *Luc.* XVI. 29. 31. nunc *Legis*; *Matth.* V. 18. *Joan.* VII. 49. nunc Legis & prophetarum; *Matth.* V. 17. & XI. 13; nunc *Legis Moſis, Prophetarum & Pſalmorum*; *Luc.* XXIV. 44; nunc *Scripturarum*; *Joan.* V. 39. aut *Scripturæ*; *Joan.* VII. 42. vocibus promiſcue in Novo Teſt. deſignari ſolent. Quos vero ſimile eſt, Eſdram, ſive ſolum, ſive una cum æqualibus, inſigni pietate & eruditione viris, cœleſti ſpiritu adflatum, ex diverſis annalibus & diariis, apud populum Dei conſervatis, in volumen unum compegiſſe; quod nos nunc idcirco βιβλία, id eſt, libellos, in unum tomum digeſtos, vocamus. Archiepiſcopus Spalatenſis recte lib. VII de Repub. Eccleſ. cap. I. ſect. XXIII. *Nunc igitur quod ſpectat ad veterem Scripturam, nulla mihi videtur facilior, nulla certior regula, ad diſcernendam propriè Canonicam, h. e. vere & indubitanter divinam, à non canonica, nec divina, quam hæc; ut canonica illa ſit & divina, quam ut canonicam & divinam tunc legebat Synagoga, quando Chriſtus prædicabat. Ille enim illam citabat, & ut illam ſcrutarentur Iudæi, monebat, & conſequenter illam Chriſtus ut verè divinam approbabat. Quæ autem illa tunc eſſet, facile eſt, tum ex Judæorum Biblia ſtatuere, tum etiam ex catalogis divinorum librorum, quos antiquiſſima Chriſtiana Eccleſia habuit, quia Apoſtoli Judæi & fideles ex Judæis ab Apoſtolis ad Chriſtum converſi, illa ſacra Biblia proculdubio habebant, quæ tunc apud Judæos legitima erant, à Chriſto, ut dixi, atque affirmat Chryſoſtomus in Epiſt. ad Heb. hom. 8, approbata, & Apoſtolicæ prædicationi uſui inſervientia.*

*Diviſio librorum Veteris Teſtamenti in tres claſſes.*

Libros hos diſtinguunt Hebræi in tres claſſes. Prima claſſis dicitur ab illis תורה *thora*, id eſt, Lex, ſive doctrina continens libros Legis, à parte præcipua, quæ in iis eſt. Lege ſcilicet ſic denominatos; quos חמשה חומשי תורה quinque quintas legis vocant, Græci πεντατεύχους; & à Moſe conſcriptos eſſe ajunt, ne quidem ultimis ſex verſibus quinti libri, id eſt, Deuteronomii exceptis, qui continent hiſtoriam obitus Moſis. Eam enim ab ipſo etiam Moſe prophetico ſpiritu ſcriptam eſſe volunt. quamquam veriſimilius eſt, eos adjectos eſſe, vel ab ipſo Ioſua, vel ab Eleazare filio Aaronis; uti, meo quidem judicio, non pauci alii deinde ab Eſra hîc illic inſerti fuerunt, ſicut & paſſim in cæteris libris. Nam ut iſtos à Moſe conſcriptos eſſe credam, ratio non ſinit. ex. gr. *verſus* 3. *cap.* XII. *Numerorum: At vir ille Moſeh erat manſuetiſſimus omnium hominum, qui erant ſuper faciem terræ.* Quis enim credat Moſen de ſe ipſo ſic ſcribere voluiſſe? nec verſus iſti omnes, ſive verba iſta quæ in verſibus iſtis occurrunt, quæ locorum nomenclaturam continent, quæ multò poſt tempora Moſis in uſu eſſe cæpit; ut *Geneſ.* XXXV. 19. & XLVIII. 7. aliaque complura. *Quinque libri Moſis.*

Secunda claſſis eſt נביאים *prophetarum*; quos iterum diſpeſcunt in duos ordines. Primus eſt נביאים ראשונים *prophetarum priorum*; per quos intelligunt iſtos libros hiſtoricos, qui poſt obitum Moſis, ante imperii diviſionem, id eſt, tribuum decem à tribubus duabus ſeceſſionem, conſcripti ſunt, & miniſterio diverſorum prophetarum Eccleſiæ Iudaicæ conſignati. Hi ſunt:

*Liber Joſue.*

Liber *Joſuæ*, ſive à Ioſua, ſive à Pontificibus, ſive ab iſtis viris, qui vocantur *Numer.* XXI. 27. המושלים, primum diariorum in morem conſcriptus, ſed poſtea ab Eſdra, uti veriſimile eſt, in librum unum digeſtus. Idem enim hîc, quod in pentateucho accidiſſe diximus, locorum quorundam nomenclatura, quę recentioris ęvi eſt, abunde arguit. Cui adde, quod negari non poſſit, verſus quinque poſtremos *cap. ult.* XXIV. à Ioſua aut ei coætanæis conſcribi non potuiſſe, ſed vel à Samuele trecentis & pluribus poſt annis; vel, quod mihi fit veriſimilius, ab Eſdra multo poſt tępore additos & adjectos fuiſſe.

*Liber Iudicum.*

Liber Iudicum שפטים ad quos Senatus καθεδρία pertinebat. Quoties enim Deus cœleſti judicio aliquem populo præficiebat, qualis fuit Ioſua, Gedeon, Iephtes, Samſon, Samuel, is referebat Moſem, & Senatus καθέδρᾳ erat. Vocabantur autē tales reipublicæ liberæ ſummi Magiſtratus שפטים, quod nomen etiam vicinæ gentes uſurparunt. Nam & Tyrii interreges ita vocabantur, ex quorum archivis id probat Ioſephus: ubi vocem iſtam per δικάσας retulit. Nam & Chartaginenſes Tyriorum coloni idem nomen retinuerunt: quod Romani Scriptores Suffetem pronunciant: unde fortaſſe noſtrum *Schepen*, Latinè Scabinus eſt. Liber hic incertum eſt quo autore ſit conſcriptus. Samueli fere tribuitur, qui trecentis quadraginta annis poſt mortem Ioſue principatu apud Iſraelitas fungi cœpit. Sed veroſimilius eſt, diaria vel annales, quibus ſingulorum Iudicum res geſtæ breviter continebantur, ſive

eæ à Judicibus ipſis, ſive à Pontificibus & Sacerdotibus, aliiſve viris ſanctis annotatæ erant, ab Eſdra compilatos, & in unum volumen, quod Iudicum dicitur, congeſtos eſſe. Capita XVII, XVIII, XIX, XX, & XXI, etſi poſteriore loco repoſita ſunt, quibuſdam videntur tamen continere hiſtoriam rerum non multo poſt exceſſum Joſuæ geſtarum: quamquam alii aliter cenſent; qui iſta ſic poſt Simſonis mortem geſta eſſe volunt, uti in hiſtoria leguntur. Si iſtud velimus, tum Pinchazo ea tribui poſſent quæ ei tribuuntur, nec neceſſe foret aut Pinchazo tribuere ætatem trecentorum annorum; aut breve adeo ſpatium inter excidium tribus Benjamin & Saulis regnum conſtituere. A Samſone enim uſque ad Saulem ad ſummum anni ſunt ſeptuaginta. Si hoc velimus, tum neceſſe eſt, ut concedamus tribum Benjamin brevi tempore admodum auctam fuiſſe, & Pinchazum ætatem produxiſſe uſque ad tempora belli Benjaminitici, & trecentos annos expleviſſe: quod uti fieri potuiſſe, ac forte factum fuiſſe non nego, ita prius veriſimilius eſſe judico.

*Liber Ruth.* Liber רות *Ruth* veriſimiliter à Samuele ſcriptus, totus referendus eſt ad familiam Davidis, & genealogiam Meſſiæ, hoc modo.

Booz filius Rahab Ierichuntinæ, ex Ruth Moabitide ſuſcepit
|
Obed: hic
|
Iſai: hic
|
David.

Ex hoc Jeſus Chriſtus natus eſt. Hiſtoria autem temporis ſic conſtitui poteſt, Si Boozum concipias natum anno LV Rahab, ita ut illa XV annorum fuerit cum exciperet exploratores, incidet nativitas Boozi in annum XXIII Hothnielis. unde ad initium Deboræ ſunt anni XCVII. Addantur his priores XX anni Deboræ, jam erit Booz CXVII annorum, cum ex Rutha juvencula, uti patet ex *Ruth cap.* III. 10, ſuſcepit Obedum. Obed quoque & Iſai neceſſe eſt centenarios fuiſſe, quum gignerent, ille ex juvencula itidem Iſai, hic Davidem, filiorum ſuorum ultimum, ſive natu minimum. Ita ad Samuelis uſque tempora legitime continuabitur annorum ſeries, & trecenti ac ſexaginta ſex anni, qui inter Salmonem, Boozum, Obedum, Iſai & Davidem interceſſerunt, commode diſtribui poſſunt. Ego tamen non puto gravem ſatis cauſſam eſſe, cur cum Lyrano credere potius non liceat, plures fuiſſe Booz, ſeu nepotem & pronepotem Salmonis cognomines filio ejus. Immediata enim iſta generatio non neceſſario attendi ſemper aut debet aut ſolet; cum videamus in genealogia Chriſti tres reges prætermiſſos eſſe, *Matth.* I. 8. & Oziam ſtatui genitum à Joramo, cùm inter utrumque interceſſerint Achazias, Joas & Amazias: & quia alioquin omnino recurrere opus habemus ad generationes aliquot centenarias, quæ valde ſunt improbabiles.

*Libri Samuelis.* Libri *Samuelis* duo, quorum prior uſque ad caput XXV. tribuitur Samueli, conſcriptus ab eo in illo ſuo receſſu in Ramatha, poſt depoſitum Principarum, Saulemque regem creatum. Sequentia uſque ad finem illius libri creduntur eſſe Gadis prophetæ. Poſterior uſque ad *verſum* 8. *cap.* XXIII, adſcribitur Nathani, reliqua Gadi; quo fundamento, incertum, niſi quod verba 1 *Paral.* XXIX. *verſ.* 29 id videntur innuere.

*Libri Regum.* Libri מלכים *Regum* duo, non מַלְכִיּוֹת Regnorum, ut Græci ſcribunt, qui quatuor libros numerant βασιλίων, cum βασιλίων dicere debuiſſent; neque enim deſcribuntur regna, ſed reges. Latini totidem libris titulum Regum præfixerunt: quam partitionem Hebræi ignorant; quia libros Samuelis duos inter libros regum non referunt. Prior liber Regum, qui hiſtoriam continet CXVIII annorum, varios autores habet. Sunt qui capita decem priora Nathani adſcribunt: 1 *Paral.* XXIX, 29. Caput XI Ahiæ Siluntino; quia ejus in capite iſto, *verſ.* 29. &c. mentio fit & facti ejus hiſtoria eſt. Extremam ejus partem, & ſequentem hiſtoriam Roboami & Abiæ Regis, Semeiæ & Hiddo prophetis: 2 *Paral.* XII. 15. & XIII. 22. Hiſtoriam Aſæ & Baaſæ, prophetæ Azariæ, cujus mentio fit *cap.* XV. *verſ.* 1. *lib.* II. *Paralip.* Caput XVI, Jehu filio Chanani, vel Hanani ipſi, *verſ.* 7. Reliqua Michæ filio Iimlæ, cujus mentio fit & *cap.* XVIII, *lib.* 2 *Paral. verſ.* 7. Sed vero ſententia horum ab aliis non improbabiliter redarguitur. Incerta ea mihi omnino videtur. Veroſimillimum eſt à variis, vel vivente quolibet Rege, vel mortuo, *partim* accuratè conſcripta fuiſſe quæ ipſo regnante contigerunt, (inter quæ refero ea quæ 1 *Paral. ultimo* recenſentur, *verſ.* 29. aliaque quæ vel temporum injuria, vel cura Regum principumque, ſeu melioribus ſe Regibus invidentium, ſeu progenitorum ſuorum dedecora narrari ægre ferentium, vel denique tyrannorum & hoſtium, ſeu Chaldæorum vi, per incendium aut vaſtationem; ſeu tyrannide Antiochi, jurati populi Judaici hoſtis ac perſecutoris, interciderunt;) *partim* breviter & ſuccincte, annalium inſtar ac diariorum, conſignata fuiſſe, & in compendium redacta, Deo ita dirigente, ut temporum ſeries conſtaret. Idem cenſeo de ſecundo ſive poſteriore libro Regum, qui hiſtoriam habet CCCXX annorum. quamquam ſunt qui priora capita octo adſignant Elizæo prophetæ, ſequentia Zachariæ, Jeſaiam dicunt inde uſque ad tempora Manaſſe ſcripſiſſe, id eſt, uſque ad caput XXI. Jeremiam reliqua, ſicuti liquere ajunt ex cap. XXV. quod totidem verbis apud Jeremiam legitur, cap. XXXIX. 1. &c. ſed hæc incerta conjectura & hariolatione nituntur. Clauditur liber narratione deportationis Judæorum, quæ facta eſt annis CXXXIX. poſt deportationem decem tribuum.

## CAPUT II.

## De Libris Prophetarum, tum majorum trium, tum minorum duodecim.

SEcundus ordo prophetarum eſt eorum, quos vocant אחרונים, id eſt, *poſteriores*, quia omnes poſt diſceſſiones decem tribuum à duabus, floruere in utroque regno, tam Iſraelis, quam Judæ, & miſſi à Deo fuerunt, nunc ad decem tribus, nunc ad duas, quæ domui Davidis adhæſerant, nunc ad utraſque; ut cultum divinum reſtituerent, peccata arguerent, imminentemque Dei ultionem contumacibus prædicerent; hoc eſt, decem tribubus deſolationem & vaſtitiem ab Aſſyriis inferendam; duabus tribubus, à Chaldæis aut Babyloniis captivitatem annorum LXX. reſtitutis vero è captivitate, officii ſui partes prædicarent; aliquando etiam ut aut ad populos extraneos, aut contra eos prophetarent, ut contra Edom, Moab, &c.

*Diviſio liberorum Prophetarum.* Solent hi non incommodè diſtingui in majores tres; (Danielem enim in Prophetis non cenſent) & minores duodecim, δωδεκαπρόφητοι, non (ut recte Ruffinus ait) pro meritis, ſed pro numero verſuum. Nos utilius eſſe credimus, ſi diſtinguantur, tum ratione regni, in quo prophetarunt; tum ratione temporis, quando prophetarunt. Alii enim in Iſraelitico regno, alii in regno Judæ; alii ante captivitatem Babylonicam, alii imminente & durante captivitate, alii poſt captivitatem ſolutam prophetarunt.

In regno Iſraelis prophetarunt iſti:

*Liber Jonæ.* *Jonas*, Ιωνᾶς, qui ad Ieroboami poſterioris tempora referendus eſt; ſiquidem Jonas initio prophetiæ ſuæ, ſe dicit Jonam filium Amithai (vetus lectio dicit Amathi; ſed in nomine Amithai ſignificatio eſt veritatis, quaſi veracem aut veridicum dicas,) & ejus mentio fit 2 *Reg.* XIV. 25, Ieroboami Regis Iſraelis & Iothami Regis Judæ tempore ejuſdemque prophetiæ ad Regem Ieroboamum, cui illuſtrem illam victoriam de Syris reportandam prædixit. Et vero iſto tempore florebat adhuc regnum Aſſyriorum, non vetus illud monarchicum, quod dicitur, id enim jam ante 1 annos cum Sardanapalo everſum erat temporibus Ichu; ſed novum, quod Arbaces regulus Medus poſt everſum Sardanapalum primus obtinebat. Regni hujus Aſſyrii metropolis erat adhuc Ninive, cujus excidium prædicebat Jonas; ſed quam pœnitentia ſua deſtinatæ exemit ſententiæ: poſtmodum vero ad priſtina vitia relapſam, regnante apud Judæos Iojakimo, Medorum Rex Cyaxares, ſive Aſſverus ſubjugavit & vaſtavit, anno Iojakimi quarto. Deinde Cyrus, mulus ille oraculo Delphico deſignatus, quia ex Cambyſe Perſa obſcuri generis (ut ait Juſtinus) filio Achæmenis, à quo Perſæ poſtea vocati Achæmenidæ, & Mandane Aſtyagis Medorum Regis ultimi filia naſciturus erat, imperio Perſarum ſubdidit.

*Liber Hoſeæ.* *Hoſeas*, qui ſub eodem Ieroboamo vaticinatus eſt, ſed & deinceps ſub Uzia, Iothamo, Achazo & Ezechia, regibus Iuda, totos annos LXX: *Hoſeæ cap.* I. aut diutius, ut alii ſupputant. Creditur hic omnium prophetarum, qui prophetias ſuas nobis ſcriptas reliquerunt, primus fuiſſe, (an Iona etiam, incertum mihi videtur) & ipſum etiam Eſaiam cæteroſque prophetas majores anteiviſſe; hoc potiſſimum argumento, quod Eſaias ad tempora Manaſſis pervenerit, à quo ſerra medius diſſectus eſt: unde veriſimiliter colligitur, cum ſub finem regni Uziæ (qui & Azarias dicitur) prophetare cœpiſſe; quia ab initio regni Uziæ, uſque ad ultimum Ezechiæ, ſunt anni CXII: quibus ſi addantur anni aliquot Manaſſis, dicendum foret Eſaiam ultra centum & XV aut plures annos prophetaſſe; quod à vero abſimile eſt. Hoſeas vero neceſſe eſt ut prophetaverit etiam primis Uziæ regis Judæ temporibus, quia ipſe dicit ſe prophetaſſe in diebus Ieroboam filii Joas regis Iſrael: ergo vivo adhuc & ſuperſtite Ieroboamo. At Ieroboam regnavit ante Uziam;

quia

quia anno XXVII Jeroboami cœpit regnare Uzias, uti legere eſt 2 *Reg.* XV. 1. (Uziam enim ibi per Azariam denotari, certum eſt ex collatione *verſus* 21 *cap.* XIV, *lib.* 2 *Reg.* cum *verſ.* 1, *cap.* XVI, *lib.* 2. *Paral.*) nempe ſine tutoribus; cum antea, mortuo patre, ſub tutoribus conſtitutus, regio tantum titulo præditus fuiſſet per duodecim annos præterpropter. Cum autem Uzias regnaverit annis quinquaginta duobus, & Jeroboam uno & quadraginta, neceſſarium omnino videtur, ut Hoſeas ante exactam ab Uzia dimidiam in regno annorum partem, cœperit prophetare, ſi vivente Jeroboamo id factum ſit; atque adeo Eſaiam prophetando anteceſſiſſe, neque potuiſſe ad tempora Manaſſis, quæ Eſaias attigit, perveniſſe. Quod vero nullam faciat mentionem Zachariæ, Sellum, Manahem, Phacea, Pheca & Hoſeæ filii Ela, qui poſt Jeroboamum regnarunt, id ideo factum videri poteſt, vel quia iſti brevi admodum tempore regnarunt, cædibus ſe mutuo conficientes, inclinantis jam in ruinam ſuam imperii ſigno; vel quod, quæ de Iſraelitis vaticinatus eſt, ea omnia prædixit ſub Jeroboamo, quo tempore regnum decem tribuum erat florentiſſimum; licet multis poſt annis prophetaverit de iis, quæ tribui Judæ acciderunt.

Liber Amos. *Amos*, Ἀμώς, עָמוֹס non Eſaiæ Pater, qui vir fuit nobiliſſimus & regii ſanguinis, ſed pecuarius, ſic dictus quia (ut Hebræi volunt) עָמַס, id eſt balbus aut impeditioris linguæ erat, quaſi dicas עָמוּס oneratus lingua. Illo eodem tempore & ſub iiſdem regibus quibus Hoſeas prophetavit, ſed biennio ante terræmotum, quem prædicit *cap.* I. 1. & cujus meminit *Zach. cap.* XIV. 5. An is acciderit vivo adhuc Jeroboamo, an defuncto incertum eſt, nec refert utrum dicatur.

Liber Joel. In Regno Judaico prophetarunt ante captivitatem Babylonicam *Joël*, Ἰωὴλ, יוֹאֵל qui Amozo aut σύγχρονος fuit aut prævixit. Nam prædicit *cap.* I, ſiccitatem, quam Amos *cap.* IV, ob malitiam & depravationem hominum fruſtra eveniſſe conqueritur, irrito divinorum conſiliorum eventu, ob Judæorum contumaciam. Sub iiſdem ergo, cum præcedentibus prophetis, regibus, vaticinatus eſt: quamquam alii aliter cenſent, quia nullam decem tribuum ſive Iſraelitici populi mentionem facit.

Liber Eſaiæ. *Ieſaias*, Ἡσαΐας, יְשַׁעְיָה, qui ſub iiſdem regibus prophetavit, uti ex initio prophetiæ ejus patet. vir nobilis & è ſanguine regio, quem ſtylus pene arguit, heroicus plane ac regius; frater regis Amaſiæ, vel nepos ex fratre Amotz, uti Hebræorum traditio habet: &, ut Hieronymus ait, ſocer Manaſſis, à quo ſerra tamen diſſectus eſt. Prophetavit ergo ante captivitatem Babylonicam pluſquam centum annis; quia ab initio regni Manaſſis, uſque ad captivitatem Babylonicam, ſunt anni centum & undecim, vel decem: & non ſub principium, ſed ſub extremum regni Uziæ; quia ab initio regni Uziæ, uſque ad Manaſſem regem, ſunt anni CXIII, quo toto tempore non eſt credibile vixiſſe Eſaiam, nedum prophetaſſe. Fere ſolent prophetiæ ejus adſignari anni LXIV, ſed id incertum omnino eſt & conjectura mera.

Lib. Michææ. *Michæas*, Μιχαίας, מִיכָה, qui vaticinatus eſt ſub Jothamo Uziæ filio, Achazo, & Ezechia, uti ex initio prophetiæ ejus patet. Hic alius omnino eſt ab illo Micha ſive Michæa propheta, cujus mentio fit 1 *Reg.* XXII. 8. & 2 *Paral.* XVIII. 7. Hic enim prophetavit temporibus Achabi regis Iſrael, & Joſaphati regis Judæ, id eſt, centum & quadraginta annis ante illum, de quo jam agimus. Meminerunt hujus Michææ ſeniores Juda apud *Jeremiam*, *cap.* XXVI. 18. ejuſque prophetiam factam Ezechiæ regis tempore è *cap.* III. 12, Michææ proferunt; adduntque nihil ei propterea mali eveniſſe. quod non obſcurum indicium mihi eſt, eum ab altero iſto Micha diverſum eſſe, quippe qui ob prophetiam ſuam dicitur, non modo à falſorum prophetarum uno alapa in maxillam percuſſus, 1 *Reg.* XXII. 24. ſed & ab Achabo rege in carcerem conjectus, & ad panem arctum atque aquam arctam damnatus fuiſſe: *verſ.* 27.

Liber Sophoniæ. *Sophonias*, Σοφονίας, צְפַנְיָה, qui tempore Joſiæ regis vaticinatus eſt. vide *cap.* I. *verſ.* 1. quo anno incertum eſt; veroſimile eſt, ante reformationem quæ à Joſia facta eſt, quia in infamem idololatriam, graviaque ſcelera Sacerdotum & principum populi invehitur, divinamque ultionem iis comminatur: quod, reformatione cultus ac morum ſolemniter jam facta per Joſiam, neceſſe non erat, adeoque ſuperfluum omnino fuiſſet.

Liber Nahum. *Nahum*, Ναοὺμ נַחוּם, qui Ninives propinquum certumq; excidium vaticinatus eſt multo poſt Jonam tempore, quando ſcilicet jam ad ingenium & mores priſtinos, ad ſua latrocinia, rapinas, gentium oppreſſiones, aliaque ſcelera, quæ ad Jonæ prophetiam videbantur exuiſſe atque excuſſiſſe, redierant. De tempore, quo ſcripſit prophetiam ſuam, varie diſceptatur. Veroſimillimum eſt, prophetiam ejus ſcriptam eſſe, non prima adductione duarum tribuum cum dimidia, quæ per Tiglat-Phulaſſar facta eſt, qua Tobias abductus fuit: Ea enim in annum ultimum Uziæ regis, patris Jothami, ſub quo Jonas prophetavit, incidit: nec ſecunda, quæ per Salmanaſſarem facta eſt, qua reliquæ tribus in Aſſyriam abductæ fuerunt; Ea enim incidit in annum Regis Ezechiæ ſextum, (alii volunt nonum:) & trigeſimo poſt primam anno accidit: ſed tertia, quæ contra Judam per Sennacheribum tentata fuit, anno Ezechiæ decimoquarto, ſed irrito conatu: ſaltem non diu ante illam Jeroſolymitanæ urbis obſidionem: quod confirmant interpretes omnes, qui magno conſenſu primum caput Nahumi exponunt de clade Sennacheribi, quam in Judæa accepit, decimoquarto anno regis Ezechiæ. Ninives autem everſio conſecuta eſt, anno primo Nabuchodonozori, ut Ebræi tradunt, qui quartus fuit Joakimi regis Judæorum, ut ex Jeremia videre eſt. Enimvero poſt Sardanapalum regnumque Aſſyriorum everſum, reguloſque & ἀνδροκίαν in Media & Aſſyria conſtitutam. Phraortes filius Dejocis, primi Medorum reguli, obſedit Ninivem, caput Aſſyriæ ἀνδροκίας. Ejus vero filius Cyaxares, qui in Scriptura vocatur Ahaſverus, & à Græcis Axyares ſive Oxyares, ſublata ſyllaba Perſica *Ciu*, quæ dynaſtam ſignificat, cœpit Niniven, & Medorum imperio ſubjecit, eamque vaſtavit ac delevit. Huic ſucceſſit Aſtyages, poſtremus Medorum Rex, avus Cyri regis Perſici, qui devicto avo ſuo Aſtyage, Mediam primo ſubjugavit, deinde etiam expugnavit Babylonem, & tria regna Medorum, Aſſyriorum & Babyloniorum, Perſico imperio ita ſubjecit, ut in unum coaluerint.

Liber Habacuc. *Habacuc*, Ἀββακοὺμ חֲבַקּוּק, qui nec ipſe tempus ſuum indicat, nec in Chronicis Euſebii & Hieronymi, teſte Auguſtino lib. XVIII. de Civit. Dei, cap. 31, quando prophetaverit, invenitur. Creditur ab Ebræis vaticinatus eſſe in diebus Menaſſeh; ab aliis ſub extremis temporibus Joſiæ Regis, aut filiorum ejus tempore; minatur enim deportationem Judæis: ab aliis etiam temporibus Ezechiæ. ſed quia temporibus Ezechiæ & Joſiæ cultus Dei & pietas vigebant, ad ea non poteſt referri prophetæ hujus vaticinium; quia temporis ſui impietatem videtur deplorare, in initio prophetiæ ſuæ, à *verſ.* 2. *ad verſ. uſque* 6. quare ad Manaſſis impii tempora ut referatur neceſſe eſt. Unde etiam colligitur hunc prophetam non eſſe eundem cum Habacuko iſto, qui dicitur cum prandio miſſus ad Danielem conjectum in lacum leonum, ſi hiſtoria iſta vera eſt. Hic enim ut in captivitate ipſa Babylonica fuerit neceſſe eſt: cum iſte, de quo hic agimus, centum & pluribus annis ante eam prophetaverit, ſiquidem eum ſub Manaſſe vaticinatum eſſe velimus.

Liber Abdiæ. *Abdias*, Ἀβδίας, עֹבַדְיָה, qui quo tempore prophetaverit dici non poteſt. Alii eum σύγχρονον faciunt Amoſo, quia illum in ordine, quem Hebræi ſequuntur, proximus conſequitur: juxta canonem autem Hieronymi, propheta omnis, qui prophetiæ ſuæ tempus non adſignat, cenſeri debet prophetaſſe eodem tempore, cum illo, cui immediatè ſubjungitur. Sed quia canon hic nullo certo fundamento nititur, ex eo certa probatio peti non poteſt. Alii eum prophetaſſe volunt ſub Achabo, & eundem eſſe cum eo, cujus mentio fit 1 *Reg.* XVIII. 4. ſed & hæc conjectura eſt. Alii eum prophetaſſe volunt eodem tempore quo Jeremias & Ezechiel. ſed & quia hæc hariolatio etiam mera eſt, nos in medio rem relinquendam eſſe arbitramur; uti & illud, quod Judæi eum aſſerunt Idumæum fuiſſe natione, ſed poſtea veræ religionis luce illuſtratum, & Spiritu prophetiæ donatum, exitium & interitum popularibus ſuis multo ante denunciaſſe. Et hoc veroſimilius eſt; quia verbis pene iiſdem utitur quibus Jeremias, *cap.* XLIX. 14. Sed ſi hoc ita eſſe volumus, tum neceſſe eſt ut dicamus eum prophetaſſe poſt captivitatem.

Imminente & durante captivitate Babylonica prophetarunt Ezechiel & Jeremias. Captivitas autem triplex omnino ſtatuenda eſt. Prima quæ accidit anno Nebucadnezaris X. Ea abducti fuerunt Daniel & ſocii ejus: inciditque in tempus Jojakimi Regis. Secunda, quæ accidit octavo anno Artaxerxis, inciditque in tempus Jojakimi regis. Ea abductus fuit Ezechiel, qui exinde prophetavit in Chaldæa; & Mardochæus: *Eſth.* II. Tertia, quæ accidit anno Nebucadnezaris XIX, quando ille Zedekiam Regem, qui ad Pharaonem improbe & contra juramenti religionem defecerat, ex urbe aufugientem clam, anno regni ejus undecimo, ex fuga retraxit, excæcavit, & catenis vinctum Babylonem abduxit, templo, regia, turribus vaſtatis & ſolo æquatis. Nebuzar-Adan deinde reliquias Judæorum, homines primum DCCC, deinde DCCXLV tranſtulit in Babylonem. *Jerem.* LII, uti & 2 *Reg. ult.* & 2 *Paral. ult.* videre eſt.

Liber Ezechiel. Primus ergo *Ezechiel* eſto, non tempore ſed ordine, quia Babylonem abductus ibidem maxime prophetavit, cum Jeremias Hieroſolymis ageret, & vaticinaretur, eadem de re,

eæ à Judicibus ipsis, sive à Pontificibus & Sacerdotibus, aliisve viris sanctis annotatæ erant, ab Esdra compilatos, & in unum volumen, quod Judicum dicitur, congestos esse. Capita XVII, XVIII, XIX, XX, & XXI, etsi posteriore loco repositа sunt, quibusdam videntur tamen continere historiam rerum non multo post excessum Josuæ gestarum: quamquam alii aliter censent; qui ista sic post Simsonis mortem gesta esse volunt, uti in historia leguntur. Si istud velimus, tum Pinchazo ea tribui possent quæ ei tribuuntur, nec necesse foret aut Pinchazo tribuere ætatem trecentorum annorum; aut breve adeo spatium inter excidium tribus Benjamin & Saulis regnum constituere. A Samsone enim usque ad Saulem ad summum anni sunt septuaginta. Si hoc velimus, tum necesse est, ut concedamus tribum Benjamin brevi tempore admodum auctam fuisse, & Pinchazum ætatem produxisse usque ad tempora belli Benjaminitici, & trecentos annos expleviſse: quod uti fieri potuisse, ac forte factum fuisse non nego, ita prius verisimilius esse judico.

*Liber Ruth.* Liber רות *Ruth* verisimiliter à Samuele scriptus, totus referendus est ad familiam Davidis, & genealogiam Messiæ, hoc modo.

Booz filius Rahab Ierichuntinæ, ex Ruth Moabitide susceptit
|
Obed: hic
|
Isai: hic
|
David.

Ex hoc Jesus Christus natus est. Historia autem temporis sic constituì potest, Si Boozum concipias natum anno LV Rahab, ita ut illa XV annorum fuerit cum exciperet exploratores, incidet nativitas Boozi in annum XXIII Hothnielis. unde ad initium Deboræ sunt anni XCVII. Addantur his priores XX anni Deboræ, jam erit Booz CXVII annorum, cum ex Rutha juvencula, uti patet ex *Ruth cap.* III. 10, susceperit Obedum. Obed quoque & Isai necesse est centenarios fuisse, quum gignerent, ille ex juvencula itidem Isai, hic Davidem, filiorum suorum ultimum, sive natu minimum. Ita ad Samuelis usque tempora legitime continuabitur annorum series, & trecenti ac sexaginta sex anni, qui inter Salmonem, Boozum, Obedum, Isai & Davidem intercesserunt, commode distribui possunt. Ego tamen non puto gravem satis causam esse, cur cum Lyrano credere potius non liceat, plures fuisse Booz, seu nepotem & pronepotem Salmonis cognomines filio ejus. Immediata enim ista generatio non necessario attendi semper aut debet aut solet; cum videamus in genealogia Christi tres reges prætermissos esse, *Matth.* I. 8. & Oziam statui genitum à Joramo, cùm inter utrumque intercesserint Achazias, Joas & Amazias: & quia alioquin omnino recurrere opus habemus ad generationes aliquot centenarias, quæ valde sunt improbabiles.

*Libri Samuelis.* Libri *Samuelis* duo, quorum prior usque ad caput XXV. tribuitur Samueli, conscriptus ab eo in illo suo recessu in Ramatha, post depositum Principarum, Saulemque regem creatum. Sequentia usque ad finem illius libri creduntur esse Gadis prophetæ. Posterior usque ad *versum* 8. *cap.* XXIII, adscribitur Nathani, reliqua Gadi; quo fundamento, incertum, nisi quod verba 1 *Paral.* XXIX. *vers.* 29 id videntur innuere.

*Libri Regum.* Libri מלכים *Regum* duo, non מַלְכֻיוֹת Regnorum, ut Græci scribunt, qui quatuor libros numerant βασιλιων, cum βασιλιων dicere debuissent; neque enim describuntur regna, sed reges. Latini totidem libris titulum Regum præfixerunt: quam partitionem Hebræi ignorant; quia libros Samuelis duos inter libros regum non referunt. Prior liber Regum, qui historiam continet CXVIII annorum, varios autores habet. Sunt qui capita decem priora Nathani adscribunt: 1 *Paral.* XXIX, 29. Caput XI Ahiæ Siluntino; quia ejus in capite isto, *vers.* 29. &c. mentio fit & facti ejus historia est. Extremam ejus partem, & sequentem historiam Roboami & Abiæ Regis, Semeiæ & Hiddo prophetis: 2 *Paral.* XII. 15. & XIII. 22. Historiam Asæ & Baasæ, prophetæ Azariæ, cujus mentio fit *cap.* XV. *vers.* 1. *lib.* II. *Paralip.* Caput XVI, Jehu filio Chanani, vel Hanani ipsi, *vers.* 7. Reliqua Michæ filio Iimlæ, cujus mentio fit & *cap.* XVIII, *lib.* 2 *Paral. vers.* 7. Sed vero sententia horum ab aliis non improbabiliter redarguitur. Incerta ea mihi omnino videtur. Verosimillimum est à variis, vel vivente quolibet Rege, vel mortuo, *partim* accuratè conscripta fuisse quæ ipso regnante contigerunt, (inter quæ refero ea quæ 1 *Paral. ultimo* recensentur, *vers.* 29. aliaque quæ vel temporum injuria, vel cura Regum principumque, seu melioribus se Regibus invidentium, seu progenitorum suorum dedecora narrari ægre ferentium, vel denique tyrannorum & hostium, seu Chaldæorum vi, per incendium aut vastationem; seu tyrannide Antiochi, jurati populi Judaici hostis ac persecutoris, interciderunt;) *partim* breviter & succincte, annalium instar ac diariorum, consignata fuisse, & in compendium redacta, Deo ita dirigente, ut temporum series constaret. Idem censeo de secundo sive posteriore libro Regum, qui historiam habet CCCXX annorum. quamquam sunt qui priora capita octo adsignant Elizæo prophetæ, sequentia Zachariæ. Jesaiam dicunt inde usque ad tempora Manasse scripsisse, id est, usque ad caput XXI. Jeremiam reliqua, sicuti liquere ajunt ex cap. XXV. quod totidem verbis apud Jeremiam legitur, cap. XXXIX. 1. &c. sed hæc incerta conjectura & hariolatione nituntur. Clauditur liber narratione deportationis Judæorum, quæ facta est annis CXXXIX. post deportationem decem tribuum.

## CAPUT II.

### De Libris Prophetarum, tum majorum trium, tum minorum duodecim.

SEcundus ordo prophetarum est eorum, quos vocant אחרונים, id est, *posteriores*, quia omnes post discessiones decem tribuum à duabus, floruere in utroque regno, tam Israelis, quam Judæ, & missi à Deo fuerunt, nunc ad decem tribus, nunc ad duas, quæ domui Davidis adhæserant, nunc ad utrasque; ut cultum divinum restituerent, peccata arguerent, imminentemque Dei ultionem contumacibus prædicerent; hoc est, decem tribubus desolationem & vastitiem ab Assyriis inferendam; duabus tribubus, à Chaldæis aut Babyloniis captivitatem annorum LXX. restitutis vero è captivitate, officii sui partes prædicarent; aliquando etiam ut aut ad populos extraneos, aut contra eos prophetarent, ut contra Edom, Moab, &c.

*Divisio liberorum Prophetarum.* Solent hi non incommodè distingui in majores tres; (Danielem enim in Prophetis non censent) & minores duodecim, δωδεκαπροφητον, non (ut recte Ruffinus ait) pro meritis, sed pro numero versuum. Nos utilius esse credimus, si distinguantur, tum ratione regni, in quo prophetarunt; tum ratione temporis, quando prophetarunt. Alii enim in Israelitico regno, alii in regno Judæ; alii ante captivitatem Babylonicam, alii imminente & durante captivitate, alii post captivitatem solutam prophetarunt.

In regno Israelis prophetarunt isti:

*Liber Jonæ.* *Jonas*, Ιωνας, qui ad Ieroboami posterioris tempora referendus est; siquidem Jonas initio prophetiæ suæ, se dicit Jonam filium Amithai (vetus lectio dicit Amathi; sed in nomine Amithai significatio est veritatis, quasi veracem aut veridicum dicas,) & ejus mentio fit 2 *Reg.* XIV. 25, Ieroboami Regis Israelis & Iothami Regis Judæ tempore ejusdemque prophetiæ ad Regem Ieroboamum, cui illustrem illam victoriam de Syris reportandam prædixit. Et vero isto tempore florebat adhuc regnum Assyriorum, non vetus illud monarchicum, quod dicitur, id enim jam ante L annos cum Sardanapalo eversum erat temporibus Ichu; sed novum, quod Arbaces regulus Medus post eversum Sardanapalum primus obtinebat. Regni hujus Assyrii metropolis erat adhuc Ninive, cujus excidium prædicebat Jonas; sed quam pœnitentia sua destinatæ exemit sententiæ: postmodum vero ad pristina vitia relapsam, regnante apud Judæos Iojakimo, Medorum Rex Cyaxares, sive Assverus subjugavit & vastavit, anno Iojakimi quarto. Deinde Cyrus, mulus ille oraculo Delphico designatus, quia ex Cambyse Persa obscuri generis (ut ait Justinus) filio Achæmenis, à quo Persæ postea vocati Achæmenidæ, & Mandane Astyagis Medorum Regis ultimi filia nasciturus erat, imperio Persarum subdidit.

*Liber Hoseæ.* *Hoseas*, qui sub eodem Ieroboamo vaticinatus est, sed & deinceps sub Uzia, Iothamo, Achazo & Ezechia, regibus Juda, totos annos LXX: *Hoseæ cap.* I. aut diutius, ut alii supputant. Creditur hic omnium prophetarum, qui prophetias suas nobis scriptas reliquerunt, primus fuisse, (an Jona etiam, incertum mihi videtur) & ipsum etiam Esaiam cæterosque prophetas majores anteivisse; hoc potissimum argumento, quod Esaias ad tempora Manassis pervenerit, à quo serra medius dissectus est: unde verisimiliter colligitur, cum sub finem regni Uziæ (qui & Azarias dicitur) prophetare cœpisse; quia ab initio regni Uziæ, usque ad ultimum Ezechiæ, sunt anni CXII: quibus si addantur anni aliquot Manassis, dicendum foret Esaiam ultra centum & XV aut plures annos prophetasse; quod à vero absimile est. Hoseas vero necesse est ut prophetaverit etiam primis Uziæ regis Judæ temporibus, quia ipse dicit se prophetasse in diebus Ieroboam filii Joas regis Israel: ergo vivo adhuc & superstite Ieroboamo. At Ieroboam regnavit ante Uziam; quia

quia anno XXVII Jeroboami cœpit regnare Uzias, uti legere eſt 2 *Reg.* XV. 1. (Uziam enim ibi per Azariam denotari, certum eſt ex collatione *verſus* 21 *cap.* XIV, *lib.* 2 *Reg.* cum *verſ.* 1, *cap.* XVI, *lib.* 2. *Paral.*) nempe ſine tutoribus; cum antea, mortuo patre, ſub tutoribus conſtitutus, regio tantum titulo præditus fuiſſet per duodecim annos præterpropter. Cum autem Uzias regnaverit annis quinquaginta duobus, & Jeroboam uno & quadraginta, neceſſarium omnino videtur, ut Hoſeas ante exactam ab Uzia dimidiam in regno annorum partem, cœperit prophetare, ſi vivente Jeroboamo id factum ſit; atque adeo Eſaiam prophetando anteceſſiſſe, neque potuiſſe ad tempora Manaſſis, quæ Eſaias attigit, perveniſſe. Quod vero nullam faciat mentionem Zachariæ, Sellum, Manahem, Phacea, Pheca & Hoſeæ filii Ela, qui poſt Jeroboamum regnarunt, id ideo factum videri poteſt, vel quia iſti brevi admodum tempore regnarunt, cædibus ſe mutuo conficientes, inclinantis jam in ruinam ſuam imperii ſigno; vel quod, quæ de Iſraelitis vaticinatus eſt, ea omnia prædixit ſub Jeroboamo, quo tempore regnum decem tribuum erat florentiſſimum; licet multis poſt annis prophetaverit de iis, quæ tribui Judæ acciderunt.

*Liber Amos.* *Amos*, Ἀμώς, עָמוֹס non Eſaiæ Pater, qui vir fuit nobiliſſimus & regii ſanguinis, ſed pecuarius, ſic dictus quia (ut Hebræi volunt) ψελλὸς, id eſt balbus aut impediti oris linguæ erat, quaſi dicas עָמוּס oneratus lingua. Illo eodem tempore & ſub iiſdem regibus quibus Hoſeas prophetavit, ſed biennio ante terræmotum, quem prædicit *cap.* I. 1. & cujus meminit *Zach. cap.* XIV. 5. An is acciderit vivo adhuc Jeroboamo, an defuncto incertum eſt, nec refert utrum dicatur.

*Liber Joel.* In Regno Judaico prophetarunt ante captivitatem Babylonicam *Joël*, Ἰωὴλ, יוֹאֵל qui Amozo aut σύγχρονος fuit aut præivit. Nam prædicit *cap.* I, ſiccitatem, quam Amos *cap.* IV, ob malitiam & depravationem hominum fruſtra eveniſſe conqueritur, irrito divinorum conſiliorum eventu, ob Judæorum contumaciam. Sub iiſdem ergo, cum præcedentibus prophetis, regibus, vaticinatus eſt: quamquam alii aliter cenſent, quia nullam decem tribuum ſive Iſraelitici populi mentionem facit.

*Liber Eſaiæ.* *Jeſaias*, Ἡσαΐας, יְשַׁעְיָה, qui ſub iiſdem regibus prophetavit, uti ex initio prophetiæ ejus patet. vir nobilis & è ſanguine regio, quem ſtylus pene arguit, heroicus plane ac regius; frater regis Amaſiæ, vel nepos ex fratre Amotz, uti Hebræorum traditio habet: &, ut Hieronymus ait, ſocer Manaſſis, à quo ſerra tamen diſſectus eſt. Prophetavit ergo ante captivitatem Babylonicam pluſquam centum annis; quia ab initio regni Manaſſis, uſque ad captivitatem Babylonicam, ſunt anni centum & undecim, vel decem: & non ſub principium, ſed ſub extremum regni Uziæ; quia ab initio regni Uziæ, uſque ad Manaſſem regem, ſunt anni CXIII, quo toto tempore non eſt credibile vixiſſe Eſaiam, nedum prophetaſſe. Fere ſolent prophetiæ ejus adſignari anni LXIV, ſed id incertum omnino eſt & conjectura mera.

*Lib. Michææ.* *Michæas*, Μιχαίας, מִיכָה, qui vaticinatus eſt ſub Jothamo Uziæ filio, Achazo, & Ezechia, uti ex initio prophetiæ ejus patet. Hic alius omnino eſt ab illo Micha ſive Michæa propheta, cujus mentio fit 1 *Reg.* XXII. 8. & 2 *Paral.* XVIII. 7. Hic enim prophetavit temporibus Achabi regis Iſrael, & Joſaphati regis Judæ, id eſt, centum & quadraginta annis ante illum, de quo jam agimus. Meminerunt hujus Michææ ſeniores Juda apud *Jeremiam*, *cap.* XXVI. 18. ejuſque prophetiam factam Ezechiæ regis tempore è *cap.* III. 12, Michææ proferunt; adduntque nihil ei propterea mali eveniſſe. quod non obſcurum indicium mihi eſt, eum ab altero iſto Micha diverſum eſſe, quippe qui ob prophetiam ſuam dicitur, non modo à falſorum prophetarum uno alapa in maxillam percuſſus, 1 *Reg.* XXII. 24. ſed & ab Achabo rege in carcerem conjectus, & ad panem arctum atque aquam arctam damnatus fuiſſe: *verſ.* 27.

*Liber Sophoniæ.* *Sophonias*, Σοφονίας, צְפַנְיָה, qui tempore Joſiæ regis vaticinatus eſt. vide *cap.* I. *verſ.* 1. quo anno incertum eſt; veroſimile eſt, ante reformationem quæ à Joſia facta eſt, quia in infamem idololatriam, graviaque ſcelera Sacerdotum & principum populi invehitur, divinamque ultionem iis comminatur: quod, reformatione cultus ac morum ſolemniter jam facta per Joſiam, neceſſe non erat, adeoque ſuperfluum omnino fuiſſet.

*Liber Nahum.* *Nahum*, Ναοὺμ נַחוּם, qui Ninives propinquum certumq; excidium vaticinatus eſt multo poſt Jonam tempore, quando ſcilicet jam ad ingenium & mores priſtinos, ad ſua latrocinia, rapinas, gentium oppreſſiones, aliaque ſcelera, quæ ad Jonæ prophetiam videbantur exuiſſe atque excuſſiſſe, redierant. De tempore, quo ſcripſit prophetiam ſuam, varie diſceptatur. Veroſimillimum eſt, prophetiam ejus ſcriptam eſſe, non prima adductione duarum tribuum cum dimidia, quæ per Tiglat-Phulaſſar facta eſt, qua Tobias abductus fuit: Ea enim in annum ultimum Uziæ regis, patris Jothami, ſub quo Jonas prophetavit, incidit: nec ſecunda, quæ per Salmanaſſarem facta eſt, qua reliquæ tribus in Aſſyriam abductæ fuerunt; Ea enim incidit in annum Regis Ezechiæ ſextum, (alii volunt nonum:) & trigeſimo poſt primam anno accidit: ſed tertia, quæ contra Judam per Sennacheribum tentata fuit, anno Ezechiæ decimoquarto, ſed irrito conatu: ſaltem non diu ante illam Jeroſolymitanæ urbis obſidionem: quod confirmant interpretes omnes, qui magno conſenſu primum caput Nahumi exponunt de clade Sennacheribi, quam in Judæa accepit, decimoquarto anno regis Ezechiæ. Ninives autem everſio conſecuta eſt, anno primo Nabuchodonozori, ut Ebræi tradunt, qui quartus fuit Joakimi regis Judæorum, ut ex Jeremia videre eſt. Enimvero poſt Sardanapalum regnumque Aſſyriorum everſum, reguloſque & ἀνῤῥησίαν in Media & Aſſyria conſtitutam. Phraortes filius Dejocis, primi Medorum reguli, obſedit Ninivem, caput Aſſyriæ ἀνυποτάκτως. Ejus vero filius Cyaxares, qui in Scriptura vocatur Ahaſverus, & à Græcis Axyares ſive Oxyares, ſublata ſyllaba Perſica *Ciu*, quæ dynaſtam ſignificat, cœpit Niniven, & Medorum imperio ſubjecit, eamque vaſtavit ac delevit. Huic ſucceſſit Aſtyages, poſtremus Medorum Rex, avus Cyri regis Perſici, qui devicto avo ſuo Aſtyage, Mediam primo ſubjugavit, deinde etiam expugnavit Babylonem, & tria regna Medorum, Aſſyriorum & Babyloniorum, Perſico imperio ita ſubjecit, ut in unum coaluerint.

*Liber Habacuc.* *Habacuc*, Ἀββακοὺμ חֲבַקּוּק, qui nec ipſe tempus ſuum indicat, nec in Chronicis Euſebii & Hieronymi, teſte Auguſtino lib. XVIII. de Civit. Dei, cap. 31, quando prophetaverit, invenitur. Creditur ab Ebræis vaticinatus eſſe in diebus Menaſſeh; ab aliis ſub extremis temporibus Joſiæ Regis, aut filiorum ejus tempore; minatur enim deportationem Judæis: ab aliis etiam temporibus Ezechiæ. ſed quia temporibus Ezechiæ & Joſiæ cultus Dei & pietas vigebant, ad ea non poteſt referri prophetæ hujus vaticinium; quia temporis ſui impietatem videtur deplorare, in initio prophetiæ ſuæ, à *verſ.* 2. *ad verſ. uſque* 6. quare ad Manaſſis impii tempora ut referatur neceſſe eſt. Unde etiam colligitur hunc prophetam non eſſe eundem cum Habacuko iſto, qui dicitur cum prandio miſſus ad Danielem conjectum in lacum leonum, ſi hiſtoria iſta vera eſt. Hic enim ut in captivitate ipſa Babylonica fuerit neceſſe eſt: cum iſte, de quo hic agimus, centum & pluribus annis ante eam prophetaverit, ſiquidem eum ſub Manaſſe vaticinatum eſſe velimus.

*Liber Abdiæ.* *Abdias*, Ἀβδίας, עֹבַדְיָה, qui quo tempore prophetaverit dici non poteſt. Alii eum σύγχρονον faciunt Amoſo, quia illum in ordine, quem Hebræi ſequuntur, proximus conſequitur: juxta canonem autem Hieronymi, propheta omnis, qui prophetiæ ſuæ tempus non adſignat, cenſeri debet prophetaſſe eodem tempore, cum illo, cui immediatè ſubjungitur. Sed quia canon hic nullo certo fundamento nititur, ex eo certa probatio peti non poteſt. Alii eum prophetaſſe volunt ſub Achabo, & eundem eſſe cum eo, cujus mentio fit 1 *Reg.* XVIII. 4. ſed & hæc conjectura eſt. Alii eum prophetaſſe volunt eodem tempore quo Jeremias & Ezechiel. ſed & quia hæc hariolatio etiam mera eſt, nos in medio rem relinquendam eſſe arbitramur; uti & illud, quod Judæi eum aſſerunt Idumæum fuiſſe natione, ſed poſtea veræ religionis luce illuſtratum, & Spiritu prophetiæ donatum, exitium & interitum popularibus ſuis multo ante denunciaſſe. Et hoc veroſimilius eſt; quia verbis pene iiſdem utitur quibus Jeremias, *cap.* XLIX. 14. Sed ſi hoc ita eſſe volumus, tum neceſſe eſt ut dicamus eum prophetaſſe poſt captivitatem.

Imminente & durante captivitate Babylonica prophetarunt Ezechiel & Jeremias. Captivitas autem triplex omnino ſtatuenda eſt. Prima quæ accidit anno Nebucadnezaris X. Ea abducti fuerunt Daniel & ſocii ejus: inciditque in tempus Jojakimi Regis. Secunda, quæ accidit octavo anno Artaxerxis, inciditque in tempus Jojakimi regis. Ea abductus fuit Ezechiel, qui exinde prophetavit in Chaldæa; & Mardochæus: *Eſth.* II. Tertia, quæ accidit anno Nebucadnezaris XIX, quando ille Zedekiam Regem, qui ad Pharaonem improbe & contra juramenti religionem defecerat, ex urbe aufugientem clam, anno regni ejus undecimo, ex fuga retraxit, excæcavit, & catenis vinctum Babylonem abduxit, templo, regia, turribus vaſtatis & ſolo æquatis. Nebuzar-Adan deinde reliquias Judæorum, homines primum DCCC, deinde DCCXLV tranſtulit in Babylonem. *Jerem.* LII, uti & 2 *Reg. ult.* & 2 *Paral. ult.* videre eſt.

Primus ergo *Ezechiel* eſto, non tempore ſed ordine, quia Babylonem abductus ibidem maxime prophetavit, cum Jeremias Hieroſolymis ageret, & vaticinaretur, eadem de re, *Liber Ezechi.*

& eodem ſpiritu, neque Babylonem unquam abductus fuerit. Creditur non propheta tantum, ſed & ſacerdos fuiſſe; atque idcirco non ante prophetiæ quam ſacerdotii munere fungi cœpiſſe: & quia ſacerdotio nemo fungi poterat ante annum ætatis ſuæ trigeſimum, hinc triceſimo etiam anno cœpiſſe vatem agere. Quia vero etiam prophetia ejus multa continentur, quæ arcana atque abdita ſunt, imprimis ea quæ in principio ad opus *Mercavah*, id eſt, currum, & in fine libri ad ſtructuram templi tertii, & ad ſacra cæremoniaſque & religionum ſolemnia pertinent, longe ſine diverſa ab iis quæ Moſes præcepit, neque unquam à Judæis uſurpata, hinc nata Judæorum traditio, ut nemo ante annum ætatis trigeſimum hujus prophetæ principium & finem legeret. Narrat Joſephus lib. x. Antiq. Judaic. cap. x, Ezechielem vaticinia ſua Babylone ſolitum mittere in Judæam: ea verò continuiſſe Regem Sedekiam nunquam viſurum Babylonem, contra quam Jeremias Hieroſolymis vaticinabatur, fore ut Sedekias Rex captivus Babylonem abduceretur. Inde factum ut Rex Sedekias, videns iſta vaticinia non convenire, neutri fidem haberet, quamquam uterque verum vaticinabatur. Nam juxta Jeremiæ vaticinium Sedekias ductus eſt captivus Babylonem, & juxta vaticinium Ezechielis non vidit Babylonem, quia oculis orbatus & cæcus Babylonem ductus eſt. An narratio hæc vera ſit, ego vehementer dubito. Contrarium ex prophetia Ezechielis tam manifeſte liquet, ut nihil ſupra. utrumque enim legitur ſcripſiſſe Ezechiel, Sedekiam abductum iri in Babel, & tamen eum non viſurum Babylonem, imò in Babylone moriturum: quod qua ratione in iſtam ſententiam à Sedekia accipi potuit? videatur *caput.* XII. 13. & XVII. 20. Quare hoc Joſephi commentum videri debet.

*Liber Jeremiæ.* *Jeremias*, ירמיהו, qui filius fuit Helkiæ magni Sacerdotis, cujus mentio fit 2 *Reg.* XXII. 8, & juvenis admodum vaticinari cœpit, uti colligi videtur ex *cap.* I. *verſ.* 6. ſub Joſia, ab anno Joſiæ decimo tertio, uſque ad triceſimum primum, annos novemdecim: *Jerem.* XXV. 3. ſub Joachas tres menſes, ſub Joakim annos undecim, ſub Iechonia menſes tres, ſub Sedekia annos undecim; id eſt, annos unum & quadraginta cum ſex menſibus. Quo tempore capta Hieruſalem, & Sedecia rege oculis orbato, optio illi data fuit, quamquam jam catenis inter cæteros vincto, utrum manere vellet cum pauculis in terra Iudæ relinquendis, an Babylonem ire, experturus Regis gratiam & favorem, quod autor fuiſſet Regi Sedekiæ ac populo, ut ſe Babylonio Regi dederent. Elegit autem manere in terra ſancta, ut eſt *cap.* prophetiæ ejus XL. & qui relicti erant Iudæi, iis autor fuit ut ibidem permanerent: *cap.* XLII. & ne in Ægyptum deſcenderent: *ibid.* prædicens Ægypti vaſtitatem à Rege Babel brevi faciendam, & anno quinto poſt ſecutam: ſed fruſtra. Hinc cum illis in Ægyptum, ſeu ſponte, ſeu vi pertractus, deſcendit. ubi cum eos ad idololatriam viderer deflectere, acriuſque eo nomine caſtigaret, exitiumque imminens prædiceret, uti eſt *cap.* XLIV, non multo poſt creditur lapidibus fuiſſe obrutus. Veriſimiliter antequam Rex Babyloniæ Ægyptum vaſtavit. Id enim factum fuiſſe apparet ex Joſepho Antiq. Iud. lib. x. cap. XI, anno quinto ab everſa urbe. Non obſcurum iſtius rei indicium eſt, quod Baruch, qui cum Ieremia in Ægyptum deſcenderat, quemque autorem atque incitatorem Ieremiæ fuiſſe ad vaticinandum, principes viri ac ſuperbi omnes dixerant, *cap.* XLIII. 3. anno iſto Babylone erat, uti ex libri ejus initio apparet. credibile enim eſt eum cæde Ieremiæ perculſum, aut ſubduxiſſe ſe clam ex Ægypto, aut conſultum non duxiſſe diutius in Ægypto hærere, certum perſuaſumque verum eſſe, quod de Ægypto per Regem Babel vaſtanda Ieremias vaticinatus fuerat: aut tam profligatæ proteriviæ diffidentem, idololatriæque pertæſum, non potuiſſe iſtic nec voluiſſe diutius ſubſiſtere.

Poſt ſolutam captivitatem Babylonicam prophetarunt in Iudæa iſti:

*Liber Haggæi.* *Haggæus*, Αγγαῖος, חגי, qui ſe prophetaſſe ait anno ſecundo Darii Regis, quo opus ædificationis templi, poſt ædictum Cyri, anno regni ejus XXI. inchoatum; & dum in expeditione contra Tomyrin Scytharum Reginam Cyrus eſt, per vicinos Samaritanos, impetrato contrario edicto ab Aſſuero, *Eſdr.* IV. 6. (is Cambyſes fuit) impeditum turbatumque, redintegrari cœpit, ut eſt *Eſdræ* IV. 24. Ex quo colligi videtur, Darium hunc, fuiſſe Darium Hyſtaſpis filium, qui poſt interfectos magos, aut magum Smerdin, regnum tenuit. Sed quia veroſimile eſt, eo regnante idem eveniſſe quod evenerat regnante Cyro, videlicet dum ille externis bellis gerendis domo abeſt, ut & filius ejus Xerxes, non ita fæliciter ſucceſſiſſe ædificationem, & fuiſſe, qui eam turbarunt, quantum potuerunt. Hinc alii tutius arbitrantur ſtatuere, per Darium hunc intelligi Darium Longimanum, qui & Artaxerxes Longimanus dicitur; quia diſerte legere eſt *Nehemiæ* I. 2, anno ejus vigeſimo, Nehemiam triſtem adhuc fuiſſe, quod intellexiſſet ex iis, qui ex Iudæa in palatium regis Babel venerant, eos, qui jam in Judæam Babylone commigraverant, aut reliqui adhuc ibi manſerant, in magno malo atque opprobrio eſſe; &, ut ut templi ædificatio proceſſerat, muros tamen urbis dirutos, & portas inædificatas manere; eumque tandem anno Artaxerxis Longimani XX, impetraſſe ab eo veniam in Iudæam concedendi, & poteſtatem muros urbis reſtituendi. Sed vero, crediderim ego, annum iſtum Darii ſecundum, de quo Aggæus ait, eſſe annum Darii Hyſtaſpidæ, ſub quo templum cœptum fuit reſtitui, & populus per Aggæum atque Zachariam exſtimulatus, contra eos qui Dario abſente turbare vellent, ne animum deſponderent, ſed viriliter agerent. Tandem vero ſub Longimano anno ejus ſexto abſolutum; anno vero XX, urbem muris cingi cœptam fuiſſe: atque inde initium LXX hebdomadum Danielis ſumendum eſſe; utpote à quo ad mortuum Chriſtum exacte numerantur anni CCCCXC, per LXX hebdomadas deſignati.

*Liber Zacharias.* *Zacharias*, Ζαχαρίας, זכריה, qui eodem cum Haggæo tempore, ſed duobus tantum menſibus poſt eum prophetavit, uti ex initio prophetiæ ejus liquet, & ex *Eſdræ cap.* V. 1. & *cap.* VI. 14. Prophetiæ ſubjectum in utroque plane idem eſt. unde per Darium, eundem Darium Hyſtaſpidem, medium inter Cambyſem, qui Aſſverus & Artaſaſthe vocatur, *Eſdr.* IV. 6. 7. & 23. & Xerxem, qui & Artaxerxes dictus fuit, intelligendum eſſe per ſe liquet.

*Liber Malachiæ.* *Malachias*, Μαλαχίας, מלאכי, qui quo tempore prophetaverit, admodum incertum eſt. Eum poſt Aggæum & Zachariam prophetaſſe, & quidem templo jam ædificato, conſtans omnium eſt opinio; & ex prophetia ejus liquido patet; quia conqueritur de profanitate ſacerdotum & populi, ſceleraque, quæ in templo jam ædificato admittebantur, non ſegniter reprehendit; uti ex *verſ.* 10. *cap.* I. apparet: *Quis etiam ex vobis eſt, qui claudat fores* (atrii ſcilicet) &c. Quare admodum veroſimile eſt, eum, vel ſub Dario Notho, vel ſub Artaxerxe Mnemone vaticinatum eſſe. Abuſus enim & ſcelera illa, quæ taxat, credibile eſt non ſtatim poſt ædificatum templum, ſed paulatim irrepſiſſe.

## CAPUT III.

## De libris Chronicorum, Eſtheræ, Eſdræ, & Nehemiæ.

*Quinam ſint libri ἀγιόγραφοι.* TErtia claſſis eſt eorum librorum, quos Hebræi vocant כתובים *Ketubim*, id eſt, ſcriptos. Græci vocant Hagiographos, quia ſcriptos illos eſſe dicunt per Spiritum quidem Sanctum, ſed non in prophetia. Differentiam autem inter Spiritum S. & prophetiam quam faciunt, ſupra indicavimus. Eam breviter ſic refert Elias Levites, in *Thiſbi*, id eſt, in libro ſic vocato, à numero ſeptingentarum & duodecim vocum Rabbinicarum, quas in eo explicat, quem conſtituunt literæ תשכי in numeros collectæ. Per Spiritum Sanctum ſcribit quis, quando integris manentibus ſenſibus, uti alius homo ſcribit: ſed excitat ipſum ſpiritus, id eſt, vis ſive facultas quædam ſanctior, id eſt, ſublimior, ſuggeritque menti ac manui ejus verba, vel laudis & confeſſionis, puta hymnos & Pſalmos; vel utilia ac ſalutaria recte vivendi præcepta, vel res civiles & politicas, vel denique divinas continentia. In prophetia autem ſcribit quis, quando ſpiritus propheticus ſuper eum venit, ſeu in ſomnio, ſeu in ecſtaſi, ſenſibus & viribus omnibus alio abreptis; ita ut videatur ſibi vel audire virum ſecum loquentem, vel videre imagines repræſentantes id quod ſcribit, vel audire vocem ſecum loquentis, &c. Hac ratione illi quidem libros hos à propheticis diſtinguunt: jure an injuria, rectè an ſecus, jam non diſputo.

Hujuſmodi libros faciunt numero undecim.

*Libri Chronicorum.* Duos libros, quos vocant, דברי הימים, *Verba dierum*, Græci παραλειπόμενα & χρονικὰ, eodem fere ſenſu; niſi quod vox χρονικὰ propius accedat ad Hebræorum titulum, qui per דברי in plurali numero, acta & res geſtas notare ſolent; χρόνοι autem & הימים fere coincidunt: vox vero παραλειπομένων, præterita vel prætermiſſa ſignificet, quia videlicet his libris non pauca continentur, quæ in præcedentibus libris Samuelis & Regum, aut ſilentio præterita ſunt, aut quia conciſius enarrata ſunt, prætermiſſa dici poſſunt. Autor horum librorum ignoratur. Veroſimile eſt, eos ex ſchediaſmatis, annalibus & diariis ſacris, in populo repertis, concinnatos eſſe ab Eſdra, poſt reditum ejus ex Babylone in terram ſanctam. Nam eos poſt captivitatem Babylonicam ſcriptos aut compoſitos eſſe, non obſcure evincitur ex duobus poſtremis verſibus cap. ultimi, 2 libri Paralipom. ubi men-

*Liber Eſdræ*

mentio fit Cyri Regis Perſarum, & promulgationis edicti, quæ jam tum facta fuerat per eum, quo poteſtatem fecerat Judæis revertendi Hieroſolymam & inſtaurandi templum: niſi forte quis velit, iſtam appendiculam, poſt captivitatem, ab Eſdra aut alio aliquo additam fuiſſe. Ut ut eſt, hos libros non eſſe eoſdem cum iſto, qui appellatur in libris Regum, *liber verborum dierum Regum Iſraelis*, uti 1 *Reg.* XVI. *verſ.* 5. & 20. & 27. & *cap.* XXII. 39. & 2 *Reg.* X. 34. & XIII. 8. & XIV. 15. & XV. 6. 11. 21. 26. 31. 36, dubitandum non eſt. Nam certum eſt pleraque iſtorum omnium, quæ in iſto libro ſcripta fuiſſe dicuntur, in hiſce libris paralipomenon non reperiri; ac proinde librum iſtum, continuiſſe plenam & luculentam rerum omnium geſtarum hiſtoriam, quæ interciderit; hos vero libros paralipomenon epitomen tantum hiſtoriæ iſtius eſſe, incertum quo autore concinnatam, & eoſdem plane cum iſto qui dicitur liber Regum, & liber Regum Iſraelis & Juda.

*Liber Eſtheræ.*

Poſt hos eſt liber *Eſtheræ*, Ἐσθὴρ, מגלת אסתר volumen, faſciculus (aut liber) Eſther, ſcriptus veriſimiliter à Mardochæo patruele Eſtheræ, conjugis Ahaſveri; quem Scaliger contendit fuiſſe Xerxem, Darii Hyſtaſpidæ filium, eò quod Herodotus ei tribuit uxorem Ameſtrin, quod nomen prorſus affine eſt nomini Eſtheræ; ſed perperam, cum conſtet Ameſtrin illam fuiſſe genere Perſicam mulierem, filiam Onophæ, qui unus fuit ex ſeptem principibus Regni Perſici, qui conſpirarunt contra magum Smerdin; Eſtheram autem fuiſſe Judæam, uti & Mardochæum. ut alia jam non allegem, quæ de Religione ac moribus Ameſtris refert Herodotus, lib. VII. longe diverſis à religione & moribus Eſtheræ. Quare ſtatuendum omnino videtur, hunc Aſſverum fuiſſe Artaxerxen Longimanum, prout Joſephus hiſtoriarum ſuæ gentis peritiſſimus etiam ſtatuit. ſed fatendum etiam tum eſt, Mardochæum non fuiſſe cum Jojakimo ſive Jechonia abductum in captivitatem Babylonicam, ſed vel avum vel proavum ejuſdem nominis, ex quo deinde in captivitate Babylonica natus fuerit Mardochæus: quia aliorum dicendum foret, Mardochæum fuiſſe annorum centum & ſeptuaginta, quando in locum Amanis ſufficiebatur, & in excelſa iſta dignitate conſtituebatur. Nam à Jechonia uſque ad deportationem Babylonicam ſunt anni x: A deportatione uſque ad edictum Cyri anno LXX. Edictum autem Cyri factum anno ejus XXI, quo Babylonem cæpit. Ab iſto tempore uſque ad mortem Cyri ſunt anni IX. Cyrus enim triginta annis imperavit. Poſt Cyrum Cambyſes rexit VIII annos. Poſt Cambyſen Smerdis menſibus aliquot. Poſt eum Darius Hyſtaſpis filius imperium tenuit annis XXXV. Poſt hunc Xerxes regnavit annis XX. Inde Artaxerxes Longimanus, cujus anno ſeptimo (ſive quo cum Xerxe abſente, ſive, quod veriſimilius eſt, quo ſolus poſt mortem Xerxis regnavit) Eſdras Babylone in Judæam profectus eſt. Ante tempus hoc veroſimile eſt hanc hiſtoriam ſcriptam. Ergo CLXX anni præterpropter Mardochæo tribuendi eſſent: quod plane abſimile à vero eſt. Imprimis vero quia alioquin Eſtheræ etiam tribui deberet valde magna ætas, quando adamabatur ab Artaxerxe Longimano, ſi eam velimus fuiſſe patruelem Mardochæi; uti apparet eam fuiſſe, ex *cap.* II. *Eſt. verſ.* 7. & 15. quamquam Latinus textus eum patruum fuiſſe dicit. quod tamen etiam, ſi concedatur, nihilominus plane abſimile adhuc à vero erit, eam tum ſpecioſam adeo videri potuiſſe Artaxerxi, cum ad minimum tum dici debeat fuiſſe annorum centum aut centum & decem, &c. Deinde fatendum etiam tum omnino videtur alterutrum horum, aut edictum illud, quod Haman impetraverat ab Artaxerxe Longimano, ſubreptitiè atque obreptitiè impetratum ab eo fuiſſe, cum conſtet ex *cap.* VII. *lib.* I *Eſdræ*, Artaxerxem Longimanum ab initio regni ſui admodum faviſſe Judæis, & Deum verum coluiſſe. quis enim credat eundem illum tam facile induci potuiſſe ab Amane, ut in Judæorum omnium necem conſentiret, & quidem hoc argumento: *Eſt populus per omnes provincias regni tui diſperſus ac diviſus inter populos, quorum leges ſunt diverſæ ab omni populo, nec leges Regis faciunt?* uti legere eſt *Eſth.* III. 8. Aut ſi hoc nolimus, fatendum eſt edictum illud impetratum antea fuiſſe à Xerxe, & Xerxem confundi cum Artaxerxe Longimano, quia Longimanus abſente patre ſuo Xerxe, & bellum in Græcia gerente decem annis, rerum quidem potiebatur in Babylonia & Perſia, ſed patris ſui edicta rata eſſe ſinebat, uſque dum mortuo Xerxe ſolus regnaret. exinde vero faviſſe Judæis & Hamanis conſilia turbaſſe. Apparet enim ex *Nehemiæ cap.* II. 1. anno Artaxerxis vigeſimo demum impetraſſe Nehemiam veniam abeundi Hieroſolymam, & muros urbis inſtaurandi: Eſdram verò anno ejus ſeptimo, poſtquam videlicet ſolus ille, mortuo Xerxe patre ſuo, imperium tenuerat.

*Liber Eſdræ.*

Heſteram excipit liber *Eſdræ*, Ἔσδρας, ספר עזרא, ab ipſo ſine dubio Eſdra conſcriptus, poſt reditum ejus Babylone in terram ſanctam, quem veroſimillimum eſt accidiſſe, circa octogeſimum à ſoluta captivitate annum, ſub Artaxerxe Longimano, circa annum ejus regni ſextum: ſive potius anno regni ejus ſeptimo, primo die menſis primi, ut habetur *Eſdr. cap.* VII. 8. 9. ſaltem inter ſextum & inter vigeſimum annum, quo Nehemias miſſus fuit ad condendos urbis muros. Scripſiſſe autem Eſdram non diu poſt reverſionem ſuam in terram ſanctam, non obſcure arguit argumentum libri ejus, quo narrantur nonnulla, quæ abſente eo, & in Babylonia adhuc commorante, contigerant, à ſoluta captivitate; nonnulla etiam, quæ acciderant eo præſente. Creditur fuiſſe in Babylonia *Naſi*, ſive princeps Senatus iſtius, qui in Babylonia inter Judæos ſupremus erat. & Synagoga magna vocabatur: quem Græci ἀνχμαλωτάρχην vocant. Is conſtabat ex centum & viginti Senatoribus; quorum aliqui erant ex numero eorum, qui Hieroſolymis de Senatu Sanhedrin fuerant, & adhuc in vita erant ſuperſtites; alii noviter electi; & imprimis prophetæ, Haggæus, Zacharias, Malachias, Daniel, Hananias, Miſael & Azarias, Nehemias, Mardochæus, Belzan, Zerubabel aliique.

An veroſimile ſit Eſdram fuiſſe *Nazi*, ego dubito. *Nehemiæ* VIII. *verſ.* 1. 2. 3, *&c.* dicitur fuiſſe Scriba & Sacerdos; ſed eum Senatus principem fuiſſe non dicitur; nec credibile videtur, illuſtres iſtos qui tum vivebant propheras, ſub eo fuiſſe, aut inferioris ſubſellii: quamquam de eo nolo contendere.

*An libri ſacri in incendio Hieroſolymorum omnes perierint, & ab Eſdra fuerint reſtituti.*

Sunt qui arbitrantur Eſdram hunc divinos omnes libros, quando urbs à Nabuchodonozore cum templo vaſtabatur, incendio abſumtos, poſt reditum ſuum ex memoria reſtituiſſe. ſed id plane abſimile eſt à vero. Nam libros omnes incendio fuiſſe abſumtos quis credat? Tot erant Sacerdotes, tot prophetæ ante abducti in Babyloniam, & poſt abductionem Jeremias remanebat in ipſa terra ſancta, cum jam everſa urbs & templum deletum eſſet. quis credat eos omnes ſine ſacro ullo codice fuiſſe? Tum ubi omnium rerum à Chaldæis aſportatarum in Babylonem mentio fit, *cap.* XXV. *lib.* 2. *Regum*, & *cap.* XXXVI. *lib.* 2. *Paral.* & *Jerem. ultimo*; ibi codicum ſacrorum exuſtorum nulla plane fit mentio: quod tamen vix dubium eſt, quin fuiſſet commemoratum, ſi codices omnes ad unum exuſti fuiſſent. ut jam non dicam, quod Joſephus lib. XI. Antiquitat. Judaic. refert, Cyro Regi oſtenſam Eſaiæ prophetiam, qua ipſius nomen, *cap.* XLV. *verſ.* 1. diſertè expreſſum continebatur, ipſique amplifſimum imperium promittebatur. Iſta igitur prophetia captivitatis tempore remanſerat. Cui adde quod Daniel ipſe, *cap.* IX. 2. meminerit prophetiæ Ieremiæ, & librorum Moſis, *verſ. ſeqq.* unde colligere eſt exemplaria codicum iſtorum captivitatis tempore reliqua fuiſſe, nec neceſſe fuiſſe, ut ea ex memoria ſua reſtitueret Eſdras. Quare verius eſt, Eſdram eos libros divinos, qui Chaldæorum vaſtationem, & templi rerumque pene omnium conflagrationem evaſerant, in ordinem redegiſſe, & collatis variis codicibus à mendis repurgaſſe, & ubi duæ lectiones erant probabiles, alteram margini adſcripſiſſe, quæ קרי vocatur, alteram textui inſeruiſſe, quæ כתיב dicitur: loca etiam illa, ſive potius locorum iſtorum nomina, quæ reperiuntur in Pentateucho, temporibus Moſis incognita, & multo poſt ætatem Moſis uſurpata, elucidationis cauſſa adjunxiſſe, & charactere novo, id eſt, illo, quo nunc utimur, longe diverſo à charactere Samaritano, quo ante captivitatem Babylonicam Hebræi uſi fuerant, Biblia conſcripſiſſe: ſive ut à Samaritanis, quos pro hæreticis hoſtibuſque ſuis infenſiſſimis habebant, etiam characterum figura ſecernerentur Judæi, ſive quod his characteribus jam in Babylonia adſueti eſſent per LXX annos. Eoſdem enim eſſe characteres Hebræos & Chaldæos, manifeſtum eſt.

*Liber Nehemiæ.*

Sequitur *Nehemias*, Νεμίας, ספר נחמיה, qui etſi aliquando etiam ſecundus liber Eſdræ vocatur, vel propter materiæ affinitatem, vel quia cum primo Eſdræ libro in unum volumen compingi ab Hebræis ſolet, Nehemiam tamen non Eſdram autorem habet. Continet epitomen actorum publicorum, quæ poſt ea, quæ ab Eſdra ſcripta ſunt, acciderunt, uſque ad tempora Darii Codomanni, ultimi Perſarum Regis, & Alexandri Macedonis, à quo ille debellatus eſt, & Perſicum imperium ad Macedonas tranſlatum. Quo tempore eam ſcripſerit Nehemias, non liquet: An à prima ſua profectione in terram ſanctam, quæ anno Artaxerxis Longimani vigeſimo facta fuiſſe dicitur, *cap.* II. An à ſecunda, quæ acciditſſe dicitur anno ejuſdem Longimani trigeſimo ſecundo, *cap.* XIII. 6. 7. Veroſimile eſt Nehemiam ſcripſiſſe ſingula ſingulis temporibus, quando Hieroſolymis erat, tum quæ coram ipſe videbat, tum quæ certo comperiebat abſente ſe geſta ac facta eſſe.

## CAPUT IV.

## De libris Pſalmorum, Proverbiorum, Eccleſiaſtis, & Cantici canticorum.

*Liber Pſalmorum.*

*Pſalmorum* liber, ספר תהלים, ψαλτήριον Græce inſcribitur, ſive ψαλμοὶ, atque etiam apud veteres ὕμνοι: quamquam hymnus propriè eſt cantio ſacra quæ ore peragitur, & שיר vocatur Hebræis: Pſalmus verò cantio quæ inſtrumento Muſico ſtringitur & carpitur, & מזמור Hebræis dicitur. A ſummo argumento ſuo vocatur ספר תהלים liber laudum, pro *Tehilloth*. Eſt enim vox iſta origine Hebraica ſed forma ſeu terminatione Chaldaica. Autor ejus non eſt unus. Sed nec unus videtur eſſe qui eos primitus collegit Duo ejus autores nominantur, 2 *Paral.* XXIX. 30. David & Aſaph. Horum Pſalmos temporibus Ezechiæ Regis conjunctos fuiſſe, apparet ex textu, ubi dicitur, *Ezechiam & Principes juſſiſſe Levitis, ut laudarent Dominum ſermonibus David, & Aſaph Videntis.* An iſti ſint omnes iſti Pſalmi CL, quos nunc habemus, incertum eſt. Veroſimile eſt pauciores fuiſſe, iiſque adjectos deinde, ſive ab Eſdra, ſive ab aliis magnæ Synagogæ viris, cæteros. An Aſaph etiam ſit idem ille, qui paſſim cantorum Davidis princeps fuiſſe dicitur, uti ex 1 *Paral.* XVI. 5. 7. 37. & *cap.* XXV. 1. 2. 6, videre eſt, dubitari poſſet: cum iſte diſertè 2 *Paral.* XXIX. 30, *Videns*, id eſt, propheta vocetur: hic autem cantorum Davidis coryphæus ſive dux: 1 *Paral.* XVI. 5. per cujus & fratrum ejus manum David Pſalmos ſuos cantari curabat: 1 *Paral.* XVI. 7; id eſt, in cymbalis ſuavi modulatione accini, ut eſt *verſ.* 5. Veriſimile forte non eſt, prophetam ſive videntem, id tantum feciſſe, ut vel Pſalmorum argumentum à Davide acceptum metrico carmine redderet, ſive carminum modulis ac pedibus adſtringeret; vel adſtrictum jam ante à Davide, cymbalorum tantum fidibus reſonare faceret, ut ut eſt, ſi velimus, per Pſalmos iſtos Davidis & Aſaph, totum, quem nunc habemus, Pſalmorum librum intelligi; & per Aſaph Videntem, eundem Aſaph, qui cantorum Davidis dux aut Princeps fuiſſe dicitur; omnino neceſſe eſt ut fateamur, per Synecdochen id accipiendum eſſe, quia plurimorum Pſalmorum autores ſunt David & Aſaph. Sunt qui ex appendicula iſta, quæ legitur in fine *Pſalmi* LXXII, *Deſinunt laudes ſive cantiones Davidis, filii Jeſſe*, colligunt, non plures quam LXXII, & eos quidem omnes à Davide compoſitos eſſe; ſed non rectè. Nam inter iſtos LXXII Pſalmos, apparet reperiri Pſalmum L, quem Aſaphi eſſe conſtans omnium eſt opinio. Et inter eos, qui ſequuntur Pſalmum LXXII, non paucos Davidis eſſe Pſalmos, nos Chriſtiani non dubitamus, qui Pſalmum XCV. CIV. & CIX. & CX. alioſque Davidi nominatim fere adtribui in Novo Teſtam. novimus. Sunt, qui iſtos tantum Pſalmos Davidis Pſalmos eſſe contendunt, qui ἐπιγραφὴν ſive inſcriptionem iſtam habent מזמור לדוד Pſalmus Davidis: Cæteros autem ἀνεπιγράφους Davidis non eſſe. Sed illos falli manifeſtum eſt: cum conſtet Pſalmum ſecundum ἀνεπίγραφον eſſe, & tamen eum Davidi tribui *Act.* IV, 25. uti & primum, quem Davidis eſſe nemo dubitat, quamquam inſcriptionem nullam habet; & ἐπιγραφὰς etiam alias occurrere, in Pſalmis quibuſdam, quos Davidis eſſe Chriſtiani & Judæi fere omnes fatentur: uti in *Pſalm.* XVI מכתם לדויד, inſigne aureolum Davidis, vel Davidi; & is tamen Davidi tribuitur *Act.* II. 25, in *Pſal.* XXXII. לדוד משכיל Davidi intelligentia; & is tamen Davidi adſcribitur *Rom.* IV. 6. In *Pſalmo* LXIX, qui Davidi adſcribitur *Rom.* IV. 6. In *Pſalmo* LXIX, qui Davidi adſcribitur *Rom.* XI. 9. In *Pſal.* XCV, qui Davidi tribuitur, ad *Heb.* IV. 7. Quare ſic omnino videtur ſtatuendum, omnes iſtos Pſalmos Davidis eſſe, qui ἐπιγραφὴν Davidis habent, ſive in ſecundo ſive in tertio caſu לדוד vox efferatur, niſi forte quid aliud impediat. Dices: Occurrunt inſcriptiones quæ duo nomina prænotata habent, ut *Pſal.* XXXIX. & LXII. qui præferunt nomina Ieduthun & Davidis; & *Pſal.* LXXVII, cui præfiguntur nomina Ieduthun & Aſaph. Ita eſt. Sed ex modo loquendi videtur dicendum nomen Davidis autorem Pſalmi notare, alterum cantorē. Dicitur enim *Pſal.* XXXIX, *victori ipſi Jeduthun, canticum Davidis.* Sic enim Hebræi omnes exponunt titulum: quo indicatur, Pſalmum illum Davidis eſſe. ut enim verba legantur hoc pacto, victoris Ieduthun, canticum Davidi, ſcilicet dictum aut cantatum, non ſinit communis & conſtans Hebræorum omnium interpretatio. Eſto, inquies: occurrunt ἐπιγραφαὶ ſive inſcriptiones, quæ autores alios quam Davidem præferunt; ut in Pſalmis iſtis omnibus, qui tribuuntur filiis Corah ſive Core. Fateor; ſed eorum eadem ratio eſt quæ Ieduthun. Cantores enim Pſalmorum iſtorum, non autores ſeu ſcriptores fuerunt; quod vel ex eo confirmatur, quia neutiquam veroſimile eſt, eos vel omnes ſimul, vel ſingulos ſeorſim, eodem Deo inſpirante, eoſdem Pſalmos compoſuiſſe. Sed vero, inquies, occurrunt & alii Pſalmi, qui peculiares autores præferunt, ut *Pſal.* XC. qui Moſen autorem præfert; & *Pſal.* LXXXIX, qui Ethan Eſrahitam. Fateor. Præter hos, & duodecim, qui Aſaph inſcribuntur, nempe 1, & LXXIII, cum decem ſequentibus, crediderim cæteros omnes, ſive ἐπιγραφὴν habentes ſive ἀνεπιγράφους, Davidis Pſalmos eſſe, ſalvo ſuo cuique judicio. Quod ſi quis excipere etiam velit Pſalmum LXXXVII, qui Emani videtur tribui; & Pſalmos XXXIX, & LXII, qui Jeduthuni adſcribi videntur, non refragabor admodum; cum videam 2 *Paral.* XXXV. 15, Jeduthun vocari Videntem, id eſt, prophetam Regis. & à LXX interpretibus, Aſaph, Heman, & Jeduthun prophetas. Reddiderunt enim Hebræum, חוזה Regis, in plurali numero, per τῶν προφητῶν τῦ βασιλέως. nec mirum. Cum conſtet, Hemanem & Ethanem cenſeri inter ſapientiſſimos ſeculi iſtius; adeo ut Solomonis ſapientia eo nomine maxime prædicetur atque exaggeretur, quod ſuperaverit ſapientiam ipſius Ethan Eſrahitæ, & Heman: 1 *Regum* IV, 31.

*Liber Proverbiorum.*

Sequitur *Proverbiorum* liber, qui Hebræis dicitur משלי, à משל quod dominari ſignificat. Continet enim omnis generis illuſtres ſententias, quæ in oratione dominantur; quo pertinent παροιμίαι, quæ tamen idem ſignificant quod proverbia, adagia ſive adagiones, παραβολαὶ, γνῶμαι, ὑπογράμμους, ὑποθήκας, χρείας, ἀποφθέγματα, &c. Hic liber Solomonem autorem habet à *cap.* 1, uſque ad *caput* XXV, γραφὴ ἣ συμπίπτει ſimul: à *cap.* autem XXV, uſque ad *caput* XXX, γραφὴ quidem, ſed non συμπίπτει; quia ex initio *cap.* XXV, liquet, quinque iſta capita collecta eſſe à ſervis Ezechiæ Regis, & tranſlata ſive tranſcripta. ſic enim LXX interpretes verterunt verbum הֶעְתִּקוּ, ὡς ἐξεγράψαντο, id eſt, quas tranſtulerunt ſive tranſcripſerunt, cum antea eſſent ἀδιάκριτοι, id eſt, ſine certo ordine ac judicio hìc illic diſperſæ in variis ſcedis ſive membranis, à Solomone conſcriptis, & in unum contulerunt volumen. Triceſimum caput eſt Agur, non Solomonis; (niſi velimus Agur non eſſe nomen proprium, ſed appellativum, eoque Solomonem ipſum deſignari,) ultimum Solomonis, qui Lemuel dicitur, id eſt, ad Deum, uti Schemuel, quod eum mater à Deo petiiſſet; quia videlicet à Deo rex fuerat ordinatus, unde & ab ipſo Domino dictus eſt ידידיה quaſi dilectus Domini præ fratribus omnibus ſuis: 2 *Samuel.* XII. 25. Nec enim legimus in Iſraele fuiſſe regem ullum, qui Lemuel dictus fuit. Quo tempore hæc ſcripſerit Solomon, controvertitur: veroſimillimum eſt, eum hæc ſcripſiſſe iſto tempore, quo Sapientiam à Deo conſecutus fuerat, in regni ſui initio: uti non obſcure colligere eſt ex 1 *lib. Reg. cap.* IV. & ex 2 *Paral.* IX. & ex iis quæ leguntur in *Eccleſiaſtico Jeſu Syrach. cap.* XLVII. *à verſ.* 16, *ad verſum uſque* 27. Hieronymus contendit eum hæc ſcripſiſſe poſt lapſum & pœnitentiam ſuam. ſed locus iſte quo maximè nititur, *Proverb.* XXIV. 32, perperam ab eo citatur iſtum in finem ex verſione LXX interpretum: *Noviſſimo ego egi pœnitentiam, & reſpexi ut eligerem diſciplinam*; longe aliter habet in textu Hebræo, ubi nec lapſus Solomonis, nec pœnitentiæ ejus ullum continetur veſtigium. Sic enim ſonat; *Et vidi ego, & poſui cor meum; vidi* (inquam) *& accepi eruditionem.* Quia vero admodum incertum eſt, an poſt turpes iſtos amores & fœdam ſuam idololatriam pœnitentia ductus reſipuerit Salomon, malim ego credere, proverbia hæc ab eo ſcripta eſſe ante lapſum ejus, quo tempore eum ſapientia claruiſſe, & admirabilem viſum omnibus ex hiſtoria conſtat. Tum enim dicitur, 1 *Regum* IV. 32, locutus tria millia parabolarum, ſive adagionum, quarum præcipuas hìc excerptas legere eſt. Vix enim mille verſus aut diverſa proverbia toto hoc libro continentur.

*Liber Eccleſiaſtes.*

*Eccleſiaſtes*, qui Hebræis dicitur קהלת, id eſt congregator, concionator, maſculino genere, (vel fœminino congregans ſive congregatrix, ſcilicet anima Solomonis, *cap.* VII. 28.) quia continet ea, quæ Solomon palam & convocata concione, uti 1 *Reg.* VIII. 1, factum legitur, dixit & locutus eſt. unde eum etiam אגור *Agur* aggregatorem dictum quidam putant, ac proinde Agurem illum, qui *cap. Proverb.* XXX. præfigitur, Solomonem ipſum eſſe opinantur. An Solomon ipſe librum hunc ſcripſerit tam incertum eſt, quam certum ea, quæ libro iſto continentur, Solomonis eſſe, ex ipſo libri initio. De tempore quo hæc à Solomone dicta vel ſcripta ſunt, lis adhuc ſub judice eſt. Plerique ſtatuunt, ea à Solomone jam ſene ac decrepito, ac poſt lapſum & pœnitentiam, vel in pœnitentiæ ſignum conſcripta eſſe. Quin ea ſcripta ſint in ætate jam proveĉtiore, & experientia rerum multarum edocta, vix dubitandum videtur: ſed ea iſta ætate demum ſcripta eſſe, qua pœnitentiam jam egerat aut reſipuerat, non æque indubium eſt; magiſque inclino in ſententiam eorum, qui ea ante lapſum ejus ſcripta eſſe credunt; quia nec vola nec veſtigium in iis exſtat aut peccatorum ejus,

ejus, ſive idololatriæ, ſive impuræ libidinis, aut pœnitentiæ ſive doloris de peccatis tam enormibus & flagitioſis. imprimis *cap.* II; ubi omnia quæ ad voluptates vanitateſque mundi pertinent, à ſe delibata & deguſtata narrat, domos ſcilicet, vineas, hortos, pomaria, piſcinas, ſervos, ancillas, armenta, greges, opes, cantatores, cantatrices, menſæ ſupellectilem, palati delitias, &c. non dubitans interim *verſ.* 9. adſerere ſapientiam etiam tum perſeveraſſe apud ſe; quod mihi non leve indicium eſt, hæc ab eo ſcripta eſſe, antequam in fædos amores & deteſtandum idololatriam inciderat. Librum hunc ſi quis cum prudentia & judicio velit legere, is prælibet præfatiunculam quam ei in Bibliis ſuis præfixit Sebaſtianus Caſtellio, quæ amuleti inſtar eſſe poteſt, contra faſcinum, quem ſententiæ quædam ſeorſim ſpectatæ & à reliquo corpore avulſæ, ſeu profanis ſeu imprudentibus poſſunt inducere; quamquam vel ſoli tres ultimi verſus (ut alios hîc illic timorem Domini ſerio ingerentes non adducam) *cap. ultimi* XII, per ſe ſufficiant ad rectam ſcopi autoris & libri totius intelligentiam conſequendum.

*Canticum canticorum,*

*Canticum canticorum*, quod Hebræis eſt שיר השירים Græcis ἆσμα ἀσμάτων, Solomonem autorem præfert. Quo tempore id à Salomone conſcriptum ſit; non conſtat. Certe ſi prima fronte inſpiciatur, & ad literam expendatur, epithalamium nuptiale potius videtur, quam ſcriptum ſacrum, & à Solomone compoſitum jam amoribus potius, quàm divinis meditationibus immerſo. Nec enim vel Dei, vel ſacræ ullius rei ac curæ, veſtigium in eo ullum occurrit. Sed vero, quia certum eſt de hoc cantico dubitatum nunquam eſſe, quin ſacrum ac divinum eſſet, adeoque cæteris omnibus libris ſacris fuerit prælatum, ut קדש קדשים *ſanctitas ſanctitatum* vocatum fuerit; veroſimile eſt, id à Salomone conſcriptum, quando in amores fædos & idololatriam nondum erat prolapſus, & cantica illa mille & quinque pangebat, quorum mentio fit 1 *Reg.* IV. 32. Allegoricum autem ſive parabolicum & ænigmaticum totum cum ſit, difficile eſt judicare, quis genuinus ac proprius ejus ſenſus myſticus ſit. Fruatur quiſque judicio ſuo; dummodo à duobus ſibi caveat: Ne vel ſenſum myſticum ex eo extorqueat, qui ſive tempori, ſive ſtatui populi iſtius, cujus Rex erat Salomon, parum convenit, imo qui conditionem utriuſque longe excedit; vel, verba phraſeſque myſticum ſenſum continentes curioſius indagare velit, quam par eſt, ut caſtum ſemper ac pudicum animum ex earum tum lectione tum meditatione referre poſſit. quamquam ego haud gravate omnibus conſuluerim, ut ab cantici hujus lectione prorſus oculos animumque abſtineant, ne per verba rerum pudorem dediſcant; imprimis ii, quos ætas ſua cereos ad vitium facit, & caro ad libidinem pronos, quique animum ad virtutem obfirmatum nondum habent. Quod ſi tamen cuiquam lubet, curioſiore forte ingenio prædito, penitius in iſtud deſcendere, ei ego autor fuerim, ut Thomæ Brichtmanni, Theologi Angli, commentarium in Canticum Canticorum prius adeat, qui mihi videtur proxime Solomonis ſenſum tetigiſſe, & caſtiſſime textum tractaſſe: quamquam in primam monitionem noſtram non raro peccaſſe mihi videatur, quod omnino ei condonandum eſt. Ex eo ſane id percipi poteſt utilitatis (quod contra Judæos notandum puto) quod res ſpirituales, & quæ longe alterius generis ſunt quam quas præ ſe ferunt verba, quibus eæ exprimuntur, ſæpe lateant ſub cortice verborum, & longe excedant ipſorum verborum corticem. Id quia hîc apparet, cur non eodem modo credatur, res ſpirituales omnes, per Meſſiam noſtrum mundo allatas, eſſe illas ipſas res quæ ſub cortice rerum temporalium, quæ vaticiniis prophetarum exprimuntur, latuerunt & occultatæ quaſi fuerunt?

## CAPUT V.

### De libro Job.

*Iobum revera exſtitiſſe.*

LIber *Iob*, ספר איוב à Jobo nomen habet, quia hiſtoriam ejus continet. Hiſtoriam dico, non parabolam ſive δρᾶμα aliquod poeticum aut tragi-comœdiam, uti quidam volunt: non tantum quia in eo recenſetur urbs, patria & proles Jobi, ſed etiam quia *Ezech.* XIV. 14. & *Jacob.* V. 11. diſerte vixiſſe legitur, & ſanctis accenſetur, quos vixiſſe indubium eſt, Noacho ſcilicet & Danieli. Quo tempore vixerit incertum eſt, & multimodis controvertitur. Sunt qui aſſerunt eum vixiſſe temporibus patriarcharum, & vel fuiſſe pronepotem Eſaui, eundemque illum cujus mentio fit *Geneſ.* XXXVI. 34. quamquam is non Job ſed Jobab vocatur. idque colligunt maxime ex ſocio ejus Eliphazo Themanite, quem ex filio Eſaui Eliphazo, cui ejuſdem nominis filius Eliphaz fuiſſe dicitur, *Geneſ.* XXXVI. 11. 12. natum eſſe veroſimile eſt. Alii arbitrantur eum deſcendiſſe ex ſtirpe Nachor, fratris Abrahæ: quem duos ſuſcepiſſe filios, Utz primogenitum, & Buz, ex Melchia filia Haran ſorore Saræ, narratur *Geneſ.* XXII. 21. Ac ex Utz quidem deſcendiſſe Job, ex Buz vero Bileam, qui in libro Job dicatur Elihu filius Barachel Buzites. Alii ſtatuunt eum vixiſſe multo poſt Moſen tempore, idque colligunt ex *verſ.* 17. 18. 19. *cap.* XV. ubi tanquam de re olim facta, mentio fieri videtur Iſraëlitarum adductorum in terram Chananæam, aliiſque. Prior ſententia omnium nobis videtur veroſimillima: quamquam pedem propterea ſtruere cum quoquam nolimus.

*Quis tempore vixerit.*

*Quis autor ſit hujus libri.*

Autor, libri hujus creditur eſſe Moſes, quo jure, incertum. Qui ejus Jobum ipſum autorem faciunt, voluntque eum à Jobo Syro-Arabico ſermone conſcriptum primitus fuiſſe, ſed à Moſe in Hebræum idioma tranſlatum, ii neceſſe eſt ut fateantur, non pauca à Moſe hîc illic inſerta, & quæ in fine de obitu ejus leguntur, adjecta eſſe. Ut ut eſt, hiſtoria quæ eo continetur, admirabilis eſt, ſive afflictionem Jobi, ſive judicia ſociorum de afflictione ejus, ſive integritatem Jobi eximiam, ſive eventum videamus.

*Cauſſa afflictionis Iob.*

Cauſſam adflictionis ſuæ Job paucis expreſſit, *Deus dedit, Deus abſtulit.* Ratio quam Hebræi adſignant, cur Deus Jobum ſic adflixerit, fabella videri debet & commentum Rabbinicum; nempe, quia cum Moſes puer adhuc coronam Regis Pharaonis capiti exemtam ſuo aptaſſet, judicaverat pœna quidem dignum eſſe Moſen, ſed non capitali, uti ante eum judicaverat Bileam, verum mitiore, quod non malitia ſed puerili quadam licentia id à Moſe factum fuerat; ſolo Jethrone diverſum arbitrante, puerum ſcilicet pœna nulla dignum eſſe, cui propterea Deus etiam gratiam iſtam fecerit, ut ſocer Moſis fieret. Commentum enim hoc ſe ipſum redarguit futilitatis & vanitatis.

*Quatuor in hujus libri lectione obſervanda.*

Cæterum qui in hiſtoriæ hujus lectione utiliter & cum fructu occupari vult, is animum ſemper advertat ad hæc.

I. Ne dicta ſociorum Jobi confundat cum dictis ipſius Jobi; nedum ut ex iis argumenta petat ad fidem ſententiæ vel dogmati alicui faciendum. Certum enim eſt, Deum ipſum in fine libri teſtatum eſſe, *cap.* XLII. *verſ.* 7. tres eorum non eſſe locutos de Deo rectè, ſicuti ſervus ejus Job locutus fuerat.

II. Ne dicta Jobi omnia pari loco habeat, aut ad vivum reſecet; ſed accurate diſtinguat ea quæ dolor & mæror ei extorſit, ab iis quæ præſentiam animi manifeſtam arguunt.

*Sociorum Iobi de cauſa afflictionis ipſius quatuor ſententiæ.*

III. Ut quæ ſingulorum ſociorum cum eo colloquentium ſententia ac mens ſit, diligenter attendat. Non enim videtur una eademque omnium eſſe ſententia, ſed forte (difficile enim eſt diſcrimen obſervare) quadruplex. *Prima*, Eliphazi Themanitæ, quæ eſt; Jobo præter meritum nihil accidere, nec, ut accidat, juſtitiam Dei permittere. Hujus ſententia proprie exprimitur *cap.* XXII. 5. 6. 7. *&c. Secunda*, Bildadi Suchitæ, quæ eſt; Si omnino quid Jobo præter meritum accidat, aut acciderit, Deum id majore tandem bono eſſe compenſaturum, & ut compenſet, æquitatem divinam poſtulare. Hæc refertur *cap.* VIII. 6. 7. *Tertia*, Tzopharis Naamatitæ, quæ eſt, quicquid Jobo acciderit id æquo animo ferendum eſſe, nec quæri debere viam æquitatis vel decretum ſapientiæ in actionibus divinis, ſed ſolam tantum ſpectandum eſſe divinam voluntatem, Deoque relinquenda libera omnia judicia ſua, ut faciat id quod vult, nulla alia cauſſa quam voluntate ſua motus. Hæc exſtat *cap.* XI. *verſ.* 5. 6. 7, *&c. Quarta*, Elihu, qui junior cæteris fuiſſe dicitur, ac proinde decore ſententiam ultimo dixit, quæ eſt; Deum aliquando pios etiam vehementer affligere, ita ut morti vicini fiant, ſed Angelum aliquem unum ex mille, (quo Deus ſcilicet inſtrumento utitur ad eos affligendum) pro iis patienter afflictionem ferentibus intercedere, & interceſſione illius veluti propitiatum Deum moveri, ut affligere eos deſinat, & Angelo mandet, Redime illos ne deſcendant in corruptionem; inveni propitiationem, &, redde homini juſtitiam ſuam. Hæc clarè ſatis proponitur, *cap.* XXXIII. *verſ.* 23. 24. 25. 26. additurque *verſ. ſeqq.* idem fieri ſi quis propter peccata ſua adflictus à Deo reſipiſcat, & ad Deum ſe convertat, ac ſub potente manu ejus ſe humiliet: *verſ.* 27. 28. 29. 30.

Sententias has quatuor inter ſe diverſas eſſe manifeſtum eſt. *Prima* enim ſtatuit afflictionem omnem divinam non eſſe niſi talionem, ſive retaliationem pœnæ, quæ culpæ debetur ex juſtitia diſtributiva. *Secunda* ſtatuit, Afflictionem non neceſſario eſſe retaliationem pœnæ, ſed actum dominii, qui circa pium & conſtantem in pietate exercitus, requirit poſt ſe retaliationem præmii, ex juſtitia eadem diſtributiva. *Tertia* ſtatuit, Afflictionem eſſe merum dominii ἀυτοκρατορικὸν actum, quem Deo liberum eſt exercere circa quoſcunque

vult. *Quarta* ſtatuit, Afflictionem divinam, quam Deus per Angelum aliquem ſuum exercet, eſſe quidem actum dominii ſupremi, ſed hac æquitate temperati, ut, ſi in pium & tenacem ſancti propoſiti virum incidat, Angeli iſtius interceſſione ſola ſuſpendatur; ſi in peccatorem, pœnitentia ejus, & interceſſione Angeli, duabus aut tribus vicibus facta, revocetur, & præmii magni retributione compenſetur.

De quarta hac ſententia judicium nullum fertur. Nec enim aut probatur, aut improbatur. Tres priores diſertè improbantur à Deo, *cap.* XLII. 7. adeo ut dicat Eliphazo, *Exarſit ira mea contra te, & duos ſocios tuos, quia non eſtis locuti de me rectum.* Certum autem eſt ex *verſ.* 9. per duos iſtos ſocios Eliphazi, duos priores intelligi. Quia tamen additur, *ſicut ſervus meus Job*, fortaſſe non obſcure indicatur, etiam quartam à Deo improbatam fuiſſe; quia alioquin dicturus veriſimiliter fuiſſet Deus, ſicut Elihu & ſervus meus Job: ſed quia ea à juniore profecta fuerat, eam condonatam fuiſſe ætati ejus, &, qui ætatem virentem adhuc comitari ſolet, fervido zelo, judiciique infirmitati; aut contra forte, quod proxime abeſſet à vero, & Jobum non urgeret ad criminis aut flagitii ullius confeſſionem, ſed tantum ad humilitatem & ſubmiſſionem animi, ſive flagitii alicujus conſcientia teneretur ſive non; atque imprimis ad revocationem dicti ſui, *Non proderit viro quando ambulaverit cum Deo*: uti videre eſt *cap.* XXXIV. 9. & *cap.* XXXV. 3. Hoc ipſo enim Jobum præcipue peccare, videtur innuere, cum Deo deberet committere judicium ſuum, & ſperare in illo: *verſ.* 15. Notandum enim eſt, tres priores ſocios Jobi, etſi ſententiis diffidebant de cauſſis afflictionum divinarum, in eo tamen ſimul conſenſiſſe, quod Jobus peccatorum & flagitiorum quorundam enormium reus erat, & afflictionem iſtam ei idcirco à Deo immiſſam fuiſſe; uti ex ſermonibus eorum liquet; quibus tamen multa permiſcentur quæ ſimilitudinem quandam ſententiarum videntur per omnia arguere.

*Jobi de eadem ſententia.*

IV. Denique, quæ propria fuerit Jobi ſententia. De hoc ſic ſtatuendum mihi videtur.

I. Sententiam Jobi principalem non eſſe æſtimendam aut colligendam ex iis quæ hic illic dixiſſe legitur. Certum enim videtur eſſe, Jobum quædam dixiſſe ex doloris acerrimo ſenſu, & quaſi per ecſtaſin mentis; non autem ex proprie dicta animi impatientia, quæ eum dejecerit de ſtatu mentis recto aut virtutis ſtudio, nedum de bona, quam de Deo conceperat, opinione. Id videtur mihi indicari clare ſatis *cap.* I. *verſ.* 22. *In toto hoc non peccavit Job, nec attribuit quidquam inſulſum Deo.* & *cap.* II. 10. quaſi legeretur, uti poſtea aliquando factum fuit, ex doloris ſenſu: quod tamen Jobo nuſpiam exprobratur, quia certum eſt id in computum non venire apud Deum, non magis quam in computum venire ſolet apud medicum, quando ægèr vi morbi, aut doloris nimio ſenſu obrutus, impatientius quiddam in eum effutit aut præcipitat. Unde ergo inquies? Ex iis quæ ſedatiore & compoſito animo reſpondiſſe dicitur ſociis ſuis, & continenter atque uno eodemque modo dixit. Quæ enim iis aliquando immiſcentur, ea paroxyſmum potius ſapiunt quam lucidum intervallum.

II. Diſtinguendum eſſe inter ſententiam Jobi, quam habuit ante auditum ac viſum Deum; & inter eam, quam habuit poſt auditum ac viſum Deum; cujus mentio fit *cap.* XLII. 5. 6. Tum enim dixiſſe legitur, *Abjicio* (ſcilicet meam opinionem vel me ipſum) *& pœnitet me in pulvere & cinere.*

Ad ſententiam Jobi, quam habuit ante auditum ac viſum Deum quod attinet, ea duplex fuit. Prima, quam habuit ante adflictionem ſive in ſtatu ſuo proſpero. Ea fuit hæc, Pios Deo cordi ac curæ eſſe, & ex Numinis divini reverentia pietatem ac juſtitiam colendam eſſe: impios Deo exoſos eſſe, atque idcirco impietatem fugiendam eſſe. Iſtis bene, his male eſſe ex divinæ providentiæ ratione: uti videre eſt paſſim, imprimis *cap.* XXIX. Hinc nata magna illa integritas atque innocentia vitæ, quam ipſe ſibi paſſim tribuit, imprimis *cap.* XXXI. & Deus ipſi, *cap.* I. *verſ.* 1. 8. & *cap.* II. 3. *&c.* Secunda, quam habuit ſub afflictione ſua; quæ rurſum duplex fuit: una, quam habuit adhuc poſt afflictionem primam, quia fortunis ſuis omnibus exutus, liberis orbatus, & ulceribus oppletus fuit. Antum in eadem ſententia perſtiterit incertum eſt: ſaltem *perfectionem ſuam retinuiſſe* adhuc dicitur, *cap.* I. *verſ.* 21. & *cap.* II. *verſ.* 3. & *ne quidem peccaſſe labiis ſuis, verſ.* 10. Altera, quam habuit afflictione vel durante vel invalescente magis magisque, & poſt acceſſum ſociorum ſuorum ad eum conſolandum & ei condolendum. Videtur enim Jobus non tam adflictionis vi ac vehementia, forte credens eam brevi tranſituram, & veluti tempeſtatem repente deſituram, quia ſe vitæ integrum & ſceleris purum eſſe ſciebat, atque idcirco Deo cordi ac curæ eſſe perſuaſum habebat, quam diuturnitate fractus, ſententiam mutaſſe de divina Providentia, animum interim ad virtutem Deique reverentiam obfirmatum, & vitiis inacceſſum, retinens ac ſubinde muniens.

Sententia autem ejus hæc fuit. Ex iis quæ in mundo fieri atque accidere videmus, cauſſam aut rationem nullam nobis occurrere, cur credi debeat, hominem Deo curæ eſſe, aut diſcrimen aliquod providentiæ divinæ eſſe circa pios & impios. Parem eſſe conditionem piorum & impiorum, in fælicitate & miſeria vitæ hujus. Illis ſuam pietatem ſæpe non prodeſſe ad majorem fælicitatem; His ſuam impietatem non obeſſe ad miſeriam. Fortunam utrorumque eſſe ἄκρον ἀκρὸς ἄκρον, id eſt viciſſitudinariam & reciprocam. Hæc Jobi ſententia diſertè exprimitur *cap.* IX. 22. 23, *&c.* & XXI. *per totum*: & apertè ei adtribuitur ab Elihu, *cap.* XXXIV. 9. Et confirmat eam Jobus exemplo ſuo. Se enim vitæ integrum vixiſſe ſemper, & à malo omni continuiſſe oculos, manus, pedes, totumque adeo animum ſuum ſceleris purum conſervaſſe, & tamen tam duriter affligi, tam diu deſeri & negligi à Deo: *cap.* XIX & XXIX & XXX & XXXI. & paſſim alibi. Fatetur quidem ſe nec velle, nec poſſe contendere cum Deo, quippe cui ſoli ratio ſuæ voluntatis conſtat; ſed negat tamen exertè cauſſam ullam dari poſſe, ob quam credatur, pios Deo magis curæ eſſe quam impios, ex iis quæ utriſque accidunt in hac vita. Et hanc ſententiam ſuam opponit ſententiis ſociorum ſuorum omnibus, hunc in modum. Si juſtitia Dei poſtulat, ut piis vel ſemper vel tandem hîc bene ſit, impiis male, cur experientia contrarium teſtatur? *Cur*, inquit, *impii vivunt, ſeneſcunt, etiam pollent opibus? Semen eorum ſtabile eſt, &c. In domibus eorum pax eſt à timore,* (id eſt à malo omni quod timetur) *nec eſt virga Dei ſuper eos*: *cap.* XXI. 7. 8. 9. 10. 11. 12. Nec eſt quod dicas, tandem aliquando viſitabit eos Deus virga furoris ſui. Contra enim, *verſ.* 13: *Conſumunt in bono dies ſuos & in momento deſcendunt in infernum*, (id eſt, in ſepulchrum) id eſt ſubito & ſine ullo dolore moriuntur, cum tamen ſint palam impii. *Dicunt enim Deo, Recede à nobis: ſcientiam viarum tuarum nolumus*, &c. *verſ.* 14. 15. Nec eſt quod dicas, Rependet piis aliquando poſt mortem ipſorum in liberis & familiis eorum fælicitatem, tanquam virtutis ac pietatis eorum præmium. Nam, inquit, quæ erit iſta retributio, quæ poſt mortem eorum liberis eorum ac poſteris dabitur? *verſ.* 21. Quia *quæ erit complacentia piorum erga domum eorum poſt ipſos, quum numerus menſium eorum truncatus erit?* id eſt cum mortui fuerint. Poſt mortem nullus ad eos fructus redibit, nec poſterorum fælicitas ſolatio iis eſſe poteſt, qui jam eſſe deſierunt. vide *cap.* XIV. 21. Tum me videte, Ego enim nullius mali mihi conſcius ſum, *Appendat me Deus in ſtatera juſtitiæ, & agnoſcet perfectionem*, id eſt, integritatem vitæ meæ: *cap.* XXXI. 6, *&c.* & tamen ego nunc adeo affligor, ut impius nullus in hac vita adfligi magis poſſit.

Dices: Attamen occurrunt non pauca Jobi dicta, quibus videtur ſibi promittere liberationem ex adflictione iſta, & compenſationem dolorum ac triſtitiarum omnium ſuarum, fortunarumque ſuarum in melius commutationem: uti *cap.* XIII. 16. & *cap.* XIX. 25. 26. 27. Reſpondeo: verba capitis XIII. 16, videri non verba Jobi, ſed ſociorum ejus; quaſi legeretur, Dicitis vos, ipſe mihi erit in ſalutem; non enim in conſpectum ejus intrabit impius. Statim enim ſubjicitur Jobi reſponſio, ex qua ſententia Jobi elucet, qua ſignificat, nullam ſe cauſſam habere per quam de compenſatione iſta certior fiat. Ac ne compenſationem illam poſt mortem futuram credatur dicere, ſubjicit *cap.* XIV, poſt mortem hominis ſpem omnem decollare, & vitam fæliciorem fruſtra exſpectari: *verſ.* 12. 13, 14. non quod eam abſolute negaret Job, ſed quod cauſſam nullam haberet ſatis gravem, cur eam ſibi certo certius ſponderet ac promitteret.

Dices: Attamen *cap.* XIX. 25. 26. 27, eam ſibi certo ſpondet. Reſpondeo: verba iſta Jobi non modo non neceſſario continere certam de reſurrectione, & poſt reſurrectionem ex morte, præmii retributionem: (Ad ſummum enim continent ſpem reſtitutionis ſui ex miſeria & calamitate iſta in meliorem ſtatum, quæ in hac vita ei adhuc obventura eſſet: quaſi dixiſſet, Scio aliquando tandem Deum me reſpecturum, & converſurum hanc afflictionem meam in fælicitatem & gaudium, ita ut ſano oculo, qui jam præ mœrore multo quaſi excæcatus eſt & emarcuit, & carne, quæ jam pene à vermibus, ſcabie, & vitiligine exeſa eſt, redintegrata viſurus, id eſt, experturus ſim ejus erga me benevolentiam & favorem:) ſed ſic accipienda videri, ut ex hypotheſi tantum

*Locus Job XIX. verſ. 25. 26. 27.*

tantum prolata videantur, Si videlicet Deus compenſaturus eſt, aut, uti vos dicitis, compenſat ex juſtitia ſua piorum adflictiones, pari vel majore fælicitate, ego ſpondere mihi audeo, Deum etiam mihi compenſaturum eſſe hanc affictionem, uſque adeo mihi conſcius ſum de vitæ meæ integritate atque innocentia: ſed, cur id certo futurum credam, cauſſam non habeo. ut ut enim id lubens volo credere ac ſperare, tamen terreor, & *renes in ſinu meo deficiunt, verſ. 27. quin & tremor apprehendit carnem meam, cap.* XXI. 6. quando recordor & video, longe aliter omnia in mundo accidere, & impiis ad extremum uſque vitæ bene eſſe, piis vero omnia contraria fluere, nihilque ex voto atque animi ſui ſententia evenire. Nam *perfectum & impium Deus* (pariter) *conſumit: cap.* IX. 22.

Hæc eſt Jobi ſententia, quam habuit in mediis afflictionibus & doloribus ſuis, antequam Deus cum ipſo locutus fuerat. Veriſſima ſane & contra quam fruſtra adeo conteſtati fuerant ſocii ejus; hoc fundamento nixa, quod de divina voluntate certi nihil ſtatui poſſit, abſque divina revelatione, ac proinde Dei ipſius judicium ac ſententiam exſpectandam eſſe, eique fidendum & virtuti fortiter adhærendum, etiam quando nulla cauſſa fiduciæ apparet, aut ratio nulla occurrit cur in virtutis tramite gnaviter ſit pergendum & perſeverandum. quod Jobum, licet afflictiſſimum, ſemper propoſitum ſibi habuiſſe, apparet ex *cap.* XIII. 15: *Ecce occidet me; non ſperabo. Verumtamen vias meas in conſpectu ejus arguam.* Quam ſit hoc difficile Jobus paſſim indicat, quando terrore ſe & tremore multo percelli ait, quotieſcunque recordaretur impiis hîc bene & piis male eſſe.

Cæterum longe alia ac diverſa fuit ſententia Jobi poſt alloquium Dei ad ipſum, &, quod inde conſecutum eſt, divinæ erga ipſum benevolentiæ ac favoris experimentum. Ea fuit, Deum ſemper piorum curam gerere, & afflictiones eorum fortiter toleratas vertere velle in bonum & fælicitatem eorum: uti ex *cap.* XLII. 4. 5, manifeſtum eſt. Quod autem pœnituiſſe eum prioris ſententiæ ſuæ legitur, *verſ. 6.* id mihi non videtur idcirco dictum, quod eam concipiendo peccaſſet, aut ſecus de Deo ſenſiſſet, quam ſentire eum oportuerat; ſed quod meliorem antea non edoctus, erraſſe ſe intelligeret, & errore, licet inculpabili, adductus, non ſatis digne de Deo ſenſerat. niſi quis malit pœnitentiam hanc referre ad ea, quæ dolor ei aliquando nimius expreſſit; quamquam ea Deus ei pro ſua gratia non imputabat. Æger enim animus doloris ſenſu non raro veluti torrente quodam aut abripitur extra & ultra ripas moderationis, aut ſubito obruitur. Argumentum quod me movet, ut id ita interpreter, ex textu deſumo, in quo *verſ. 7.* Deus ipſe Jobo tribuit, quod rectum aut rectè de ipſo locutus fuerat, quatenus ſcilicet rei naturæ convenienter locutus fuerat, nulla adhuc revelatione divina inſtructus, ſecus quam ſocii ejus fecerant, qui abſque ulla divina revelatione, Deo tribuerant, quod ei tribuendum eſſe certò ſcire non poterant, ac proinde Jobum etiam ſceleris ac flagitii alicujus reum egerant; quod ex iſta eorum ſententia conſequi omnino neceſſe erat. In hoc enim quin graviſſime in Iobum peccaverint, dubium nullum eſt. Verba autem illa, *Recte de me locutus eſt Job*, referenda eſſe ad iſtas omnes orationes & ſermones, quos Iob cum ſociis ſuis ultro citroque commutavit, ex antitheſi eorum cum ſermonibus ſociorum ejus, per ſe ſatis liquet. ut enim ea referantur ad iſtos ultimos dumtaxat ſermones, quos Iob pœnitentia ductus habuiſſe dicitur, ratio non ſinit; partim, quia incertum eſt an eos audiverint ſocii ejus; partim, quia ſi eos audiviſſent ex divina revelatione profectos, non minus iis adſenſuri fuiſſent quam Iobus ipſe, atque ita non minus rectè de Deo locuti fuiſſent, quam Iob. Et vero manifeſtum omnino eſt, ex *verſ. 9.* eos à Deo monitos, non minus quam Iobum pœnitentia ductos fuiſſe, & ſententiam ſuam de Iobo ſimul ac Deo mutaſſe, aut eam præcocius & immaturius quam par eſt, à ſe prolatam eſſe agnoviſſe: cum de Deo diviniſque ejus actionibus nemini quicquam certò conſtare poſſit, abſque divina revelatione. Atque hæc quidem prolixius paulum de libro Iobi diſſerere hac occaſione conſultum duximus.

## CAPUT VI.

## De libro Danielis, & de Lamentationibus Jeremiæ.

*Liber Danielis.*

*Danielis* liber, Danielem ipſum autorem habet; ſaltem Danielis hiſtoriam & vaticinia continet. Is ſine dubio ſcriptus eſt Babylone: quo tempore, an captivitatis, an poſt captivitatem, incertum. Conſtat enim Danielem, ſive puerum ſive adoleſcentem, captivum fuiſſe abductum Babylonem, una cum rege Ioachimo, quæ prima captivitas fuit, ibidemque ætatem omnem ſuam exegiſſe, & quia patricius erat, imo regii ſanguinis, carum imprimis fuiſſe regibus Babyloniæ; deinde etiam propter vaticinia arcanorumque omnium interpretandorum ſcientiam, in ſumma apud eos gloria ac fama. Et hanc veroſimile eſt fuiſſe cauſſam cur Jeroſolymam non redierit. Centenarius ut fuerit neceſſe eſt, ſi ſeptuaginta annorum captivitatis Babylonicæ initium faciamus ab urbe capta & everſa cum rege Zedekia. Nam anno tertio regni Jojacim abductus fuit Babylonem: *cap.* I. *verſ.* 1. Ab illo autem anno uſque ad decimumnonum Nebucadnezaris, quo urbs everſa eſt, uti legere eſt 2 *Regum ult. verſ.* 8. & *Ierem. ult. verſ.* 12. ſunt anni viginti; quia quartus annus Jojakimi eſt primus annus Nebucadnezaris: *Jerem.* XXV. 1. qui anno Jojakimi tertio, nomine patris ſui Nabopolaſſaris, urbem cœperat, & Danielem captivum cum cæteris viris primariis Babylonem abduxerat. A capta urbe uſque ac Cyrum Babyloniæ regem ſunt anni ſeptuaginta. Poſt iſtos vixit adhuc Daniel; quamdiu incertum. Nam *cap.* X. 1, mentionem facit anni tertii Cyri, quo revelationem ſibi factam ait. Ex his confiunt anni nonaginta tres; quibus ſi addantur anni ſeptem vel octo ad minimum, quos habebat, cum captivus abducebatur Babylonem, neceſſe eſt ut dicatur, eum centum vitæ annos expleviſſe, ſi non plures.

Danielem hunc inter prophetas, ſive נביאים, non cenſent Hebræi, ſed inter Hagiographos ſive כתובים. non quod minorem ei idcirco autoritatem quam prophetis attribuendam exiſtiment, aut prophetam eum ſimpliciter eſſe negent; ſed quod juxta regulas ſuas, quas ipſi pro arbitrio commenti ſunt, undecim prophetiæ gradus faciant, & prophetas non vocent, niſi qui ſaltem ad tertium prophetię gradum pervenerunt. Is autem eſt, 1. cum dicitur verbum Domini ad aliquem factum eſſe; quemadmodum Eſaias, Jeremias, cæterique minores prophetæ ſolent dicere; iſta autem loquendi formula Daniel non utatur. 2. cum revelatio prophetis facta in ſomnio, non amplius ſomnium appellatur: eæ autem revelationes quæ Danieli factæ fuerunt in ſomnio, etiam poſt factam revelationem nihilominus adhuc ſomnia vocentur. quæ ſane Rabbinorum ſomnia eſſe videntur. Enimvero vix quemquam ego dari poſſe crediderim, cui majori jure conveniant omnia ea, quæ ad prophetam excellentiſſimum conſtituendum requirere ſolent Hebræi, quam hunc Danielem. Intellectum habuit puriſſimum, & majore rerum omnigenarum ſcientia præditum, quam quiſquam alius: *Daniel.* VI. 3. unde proverbium natum, *Daniele ſapientior*; quod refertur *Ezech.* XXVIII. 3. Facultatem imaginatricem in nativitate exactiſſimè conformatam, adeo ut vix ex ephæbis egreſſus prophetaverit. Affectus ſubactiſſimos & defæcatiſſimos ab omni ſenſuum contagione & gloriæ ſtudio; uſque adeo & non modo Ezechiel eum *cap.* XIV. juxta Noachum & Jobum; illum in generatione ſua perfectum, *Geneſ.* VI. 9. hunc, cui ſimilis non erat in tota terra, *Job.* I. 8. & II. *verſ.* 3. collocet, interceſſioniſque privilegio ac dignitate utrique æqualem faciat: ſed hoſtes etiam ejus infenſiſſimi, tantam ei in Deum pietatem, in Regem fidem, in rebus omnibus integritatem tribuerint, ut faterentur, nullam criminandi ejus vitam occaſionem à ſe reperiri poſſe, niſi quod Legis Dei ſui retinentiſſimus eſſet: *Daniel.* VI. 5. Vaticinia verò ejus adeo ſunt illuſtria, ut cum alii prophetæ fere omnes de uno tantum regno, ille de omnium regnorum exordiis, incrementis, converſionibus, deque ipſo Meſſiæ regno æterno vaticinatus ſit; neque quiſquam ea penetrare facile poſſit, niſi qui omnium hiſtoriarum, Latinarum, Græcarum Chaldæarumque cognitione non leviter eſt imbutus. Quare meritiſſimo jure eum prophetam vocari poſſe crediderim, & vocari in Scriptura Novi Teſtamenti, *Matth.* XXIV. 15. *Mar.* XIII. 14. ceetum eſt.

*Hebræi immeritò Danielem è Prophetarum numero expungere.*

Ultimus liber eſt liber *Lamentationum Ieremiæ*, qui non alium habet titulum Hebraicè quam איכה *Quomodo*, quod ab eo verbo incipiat liber; uti liber Geneſeos non alium titulum habet, quam בראשית, quia ab illa voce incipit, uti & ſequentes. Solent eim Hebræi à prima dictione libro titulum dare. Rabbini eum vocant קינות *lamentationes*, Græci θρῆνος, planctus. Quo tempore eas Jeremias ſcripſerit, non ſatis conſtat. Si eædem illæ ſunt, quarum mentio fit 2 *Paral.* XXXV. 25, tum neceſſe eſt ut eas ſcripſerit multo ante urbis templique everſionem, & quidem epicedii ſeu teſſi vice in obitum Joſiæ Regis, cujus regni anno decimo tertio prophetare cœperat, uti eſt *Jeremiæ* XXV. 3. Si non ſunt eædem illæ, tum veroſimillimum eſt, eas ſcriptas eſſe poſt excidium urbis, & Zedekiam captum abductumque: quia non continent niſi planctum & lamenta ob templi urbiſque everſionem. Atque hanc ſententiam ego priori prætulerim. Quia verba illa quæ leguntur *cap.* IV. 20: *Spiritus narium noſtrarum Chriſtus Domini captus eſt in foveis eorum*, magis proprie pertinent

*Lamentationes Ieremiæ.*

nent ad Zedekiam, quam ad Josiam. Josias enim captus non est, sed in prælio Megiddensi à Nechao rege Ægypti cæsus sive vulneratus lethaliter: 2 *Paral.* XXXV. 23. 24. Zedekias vero est captus & ex fuga retractus, cateniſque vinctus Babylonem abductus: 2 *Reg.* XXV. 5. 6. Non refert, si dicas Lamentationes has etiam continere deplorationem excidii urbis, non ut jam facti, sed animo prævisi. Verba enim nimis clare videntur exprimere luctum super re jam gesta, & quæ dolendi materiam ac causſam justissimam præbuerat. Ut ut est, non possunt lamentationes hæ videri liber iste, cujus mentio fit *Jerem.* XXXVI. 23. quem à Jeremia dictatum, à Barucho scriptum, & in templo audiente populo universo, prælectum, deinde vero coram populi primoribus relectum, denique coram Rege Joakim aliquousque lectum, Rex cultello discidit & in ignem conjecit; quemque postea Jeremias iterum scripsit, & alia vaticinia prioribus adjecit, ut præceperat ei Deus: *vers.* 28. & 32. Ratio est; quia quæ in isto libro dicuntur scripta fuisse, *vers.* 29: *Veniendo veniet Rex Babel, & vastabit terram hanc, & cessare faciet ex ea homines & animalia*; ea in hisce threnis & lamentationibus non reperiuntur. unde alterum sequitur, librum istum fuisse propheticum, & de rebus futuris prædictiones continuisse; cùm lamentationes hæ non habeant rerum futurarum prædictiones, sed super rebus jam factis threnos & comploratones.

## CAPUT VII.

## De libris Apocryphis, qui sunt Tobias, Judith, Sapientia, Ecclesiasticus, duo Machabæorum, Baruch, cum supplementis Estheræ & Danielis.

ATque hi sunt libri isti omnes, quos certum atque inditatum est, apud omnes, tum Judæos, tum Christianos, esse libros Veteris Testamenti Canonicos, id est, in canone sive regiſtro divinorum scriptorum comprehensos, ex quo fidei vitæque, temporibus Veteris Testamenti necessariæ, infallibilis regula peti potest ac debet. Cæteri alii omnes Apocryphi sunt, quia in canone sive regiſtro illo nunquam fuerunt reperti aut positi ab Hebræis & à primis priſciſque Christianis: etsi postliminio à quibusdam, autoritate imprimis Romani Episcopi, in eum fuerunt cooptati & adscripti, ingratiis omnibus doctioribus melioribusque ac priſci moris retinentissimis viris, imprimis in Concilio nupero Tridentino, quod celebratum fuit Anno demum Christi MDXLV usque ad annum LXIII. in quo in canonem, hunc adsciti fuerunt, sess. IV, Tobias, Judith, Sapientia, Ecclesiasticus, sive liber Jesus Syrach, duo Machabæorum libri, primus & secundus, Baruch, cum partibus & supplementis Estheræ & Danielis, uti ex fine canonis liquet. & quidem quia præiverant, uti ajunt, Concilium non modo Florentinum, habitum Anno Christi M. CD XXXVIII. & XXXIX. seculo scilicet ante, & quod excurrit: sed etiam provinciale Carthaginense III. canone XLVII. quod celebratum est, Anno Christi CCCXCVII. cui interfuit Augustinus, qui & eidem Canoni subscripsit. quodque in Concilio generali in Trullo celebrato confirmatum esse ajunt. Sed vero quam hæc sint levia atque infirma argumenta pro antiquissimorum librorum istorum Canonica authoritate, prima statim fronte apparet. Priora enim duo Concilia recentia prorsus sunt ac novitia, infinitisque exceptionibus & nullitatibus obnoxia. Carthaginense vero etsi antiquum videri potest, non tamen est ex antiquioribus, & provinciale dumtaxat, &, quod caput rei est, Canonem istum non habet. Iste enim canon editus est nonnullis post annis, jam tempore Bonefacii, ut ex ipso Canone constat. Sed esto: canon iste ibi fuerit. quid tum? Concilium istud non fuit œcumenicum: Nec refert, quod in generali sive Oecumenico Sexto Concilio Constantinopolitano, in Trullo habito, & ab Episcopo Romano approbatum sit: cum in eodem Laodicenum etiam provinciale Concilium, celebratum anno Christi CCCLXIV, triginta & tribus annis ante Concilium Carthaginense, approbatum sit, in quo tamen, Canone LIX. libri isti à Canone excluduntur. Quare de hisce sic statuendum arbitror.

*Argumenta contra libros Apocryphos.*

Longe admodum ac multum præponderare argumenta sive testimonia ista, quæ libros istos, vel omnes simul, vel plurimos saltem eorum in Canonem non referunt, imo ab eo excludunt; quam quæ eos inter Canonicos recensent. Quod ut pateat, brevem eorum synopsin oculis subjiciam.

Ac primo quidem certum est, libros hos ab Ecclesia sive synagoga Judaica nunquam in Canone censitos fuisse, tam ante Christi tempora, (nec enim exstant in paraphrasi Chaldaica) quam post Christi tempora in hunc usque diem. Josephus lib. 1. contra Appionem, disertè adserit non nisi duos & viginti esse libros, quorum fides justè admittitur. Ruth comprehendit ille sub libro Judicum, & Threnos Jeremiæ sub Jeremia.

Quod attinet ad Ecclesias Christianas, earum judicium cum Hebræorum judicio fere semper convenit, sive Orientales videantur, sive Occidentales.

Orientalium Ecclesiarum judicium ex his apparet.

1. Ex Asia Minore, quæ in Concilio Laodiceno solos illos numerat, & cæteros Apocryphos legi vetat.
2. Ex Sardicensi, cujus Episcopus fuit Melito, qui floruit sub M. Aurelio, anno Domini CL, & quem Tertullianus ut prophetam à Christianis habitum fuisse ait. Is in Epistola sua ad Onesimum, quæ extat apud Eusebium, lib. 4. cap. 25. non recenset alios. Sapientiam quidem videtur etiam inserere: sed variat lectio. Sunt enim qui legunt, pro ἡ σοφία, ἡ καὶ σοφία, quasi epithetum & elogium τῶν παλαιῶν προφητῶν, quibus subjicitur: ut Russinus: alii pro ἡ cum spiritu, seu pronomine *quæ*, legunt ἢ, id est, *aut*, *vel*. & sic Eusebius, lib. 4. cap. 21, in fine.
3. Ex Cæsareensi, cujus, uti totius Palestinæ metropolitanus fuit Eusebius Pamphili, floruitque anno Christi CCCXX. Is lib. 4. Histor. Ecclesiasticæ, cap. 25. non obscure Melitonis canonem probat, tanquam ὁμολογουμένων τῶν παλαιῶν ἀβιβλίτων γραφῶν, quem isto loco recensere necessarium dicit fuisse.
4. Ex Hierosolymitana, cui Episcopus præfuit Cyrillus anno Christi CCCLXV. Is in Catecheſi illuminatorum quarta, non nisi viginti duos libros Canonicos Vet. Test. esse ait, eosque diligenter legi jubet, additque, Nihil apocryphum legas.
5. Ex Cypria, cujus urbs præcipua fuit Salamis, cujus Episcopus fuit Epiphanius, anno Christi CCCLXX. Is alibi & bis in libro de mensuris & ponderibus, exerte non nisi viginti duos Canonicos libros recenset. Concludit enim enumerationem suam his verbis, ἐπληρώθησαν ὧν οἱ πάντες εἰσὶν δύο βίβλοι: quamquam iis Baruch inseritur.
6. Ex Lycaonica, cujus metropolis Iconium, ejusque Episcopus Amphilochius, qui vixit Anno Domini CCCLXXX. Is solos Hebræorum censet in canone. Tantum de Esther monuit à quibusdam addi, ἵνα δὴ καταγκλείσωσι πλὴ ἐσθήρ: forte additamenta intelligit.
7. Cappadocica, cujus urbs Nazianzum: ejus Episcopus Gregorius Nazianzenus, anno Christi CCCLXX, Canonem Hebræum carmine Græco expressit: cum initio unumquemque hortatur ad eos libros evolvendos, tum lingua, tum mente, cavendos verò Apocryphos. Conclusio ita habet:

Ἀρχαίας μὲν ἔθηκα δύω δ' εἴκοσι βίβλους,
Τοῖς δ' ἑβραίων γεγράμμασιν αὐδήσαντας.

8. Ex Constantinopolitana, in qua Prælatus Monachorum Joannes Damascenus ann. Christi DCCXXX lib. 4. cap. 18. Orthodoxæ Fidei, non alios in Canone censet quàm XXII.
9. Totius Ecclesiæ Orientalis, congregatæ in sexta Synodo Constantinopolitana in Trullo, judicium, merito horum omnium Patrum judicia confirmat. In ea approbati & constabiliti sunt Canones Concilii Laodiceni, cujus antea mentio facta est; cujus canon LIX sic habet: *Non oportet libros qui sunt extra Canonem legere, nisi solos Canonicos Veteris & Novi Testamenti. Quæ autem oporteat legi & in autoritatem recipi hæc sunt.* & deinde Canonem Hebræum recenset.

His adjungatur judicium Africanarum Ecclesiarum.

1. Ægyptiacæ, cujus Catechistes fuit Origenes, anno Christi CCXXVI. Is in commentario suo in 1 Psalmum, ut refert Eusebius lib. 6. Histor. Ecclesiast. cap. 19. Scripturarum Veteris Testamenti enumerationem facit his verbis; οὐκ ἀγνοητέον δὲ ὅτι καὶ ἐν Ἑβραϊκοῖς βίβλοι, αἱ ἐβραῖοι παραδιδόασιν, δύω καὶ εἴκοσιν, ὁσῶ ὁ ἀριθμὸς τῶν παρ' αὐτοῖς στοιχείων ἐστίν. Tum infert numerum & nomina singillatim, Græcè & Hebraicè.
2. Alexandrinæ, cujus Episcopus Athanasius Synopsin scripsit, in qua totidem volumina in Canonem redacta esse ait, eaque nominatim recenset. Inter ea autem quæ vocat ἃ κανονιζόμενα μὲν, ἀναγινωσκόμενα δὲ μόνον τοῖς κατηχουμένοις, refert Sapientiam Solomonis, Sapientiam Jesu Filii Sirach, Esther (græca intelligit additamenta quæ in Hebræo non sunt) Judith,

dith, Tobit. Machabæos vero nullo prorſus loco, quaſi non noviſſet.

Occidentalium Eccleſiarum judicium ex his liquet.

1. Aquitanicæ, cui præfuit Epiſcopus Hilarius Pictavienſis, Anno Domini CCCL. in prologo in Pſalmos.
2. Romanæ Eccleſiæ, cujus presbyter fuit Hieronymus Stridonenſis, Anno Chriſti CCCXC. Præfat. in libros Solomonis, in Prologo Galeato, in Epiſtola ad Paulinum, & alibi.
3. Aquilejenſis, cujus presbyter fuit Ruffinus, Anno Chriſti CCCXC. in expoſitione Symboli, quæ exſtat inter opera Cypriani.
4. Brixienſis, cujus Epiſcopus fuit Philaſtrius, Anno Chriſti CCCLXXX. in Catalogo hæreſium, cap. LXXXVIII.
5. Romanæ Eccleſiæ, in qua Epiſcopus fuit Gregorius Magnus, Anno Chriſti DC. in Moralibus in Jobum, lib. XIX. cap. VIII. Hunc ſecuti Hugo Cardinalis. Hos Antoninus Epiſcopus Florentinus, Thomas, Cardinalis Cajetanus, Author Catholici, Pagninus.
6. Germanicæ, in qua fuit Radulphus Flaviacenſis, Anno Domini DCCCC LXXX. Præfatione in Comment. in Levit. lib. 14.
   Dionyſius Carthuſianus, prologo in Eccleſiaſten, Tobiam, & Comment. in 1 cap. Machab.
   Joannes Ferus Moguntinus in examine ordinandorum.
   Nicolaus Lyranus (quem alii Brabantum alii Anglum eſſe contendunt) in Præfat. expoſ. in Tobiam, & prologo primo in Biblia ſacra.
   Richardus à S. Victore, exceptionum lib. 2. cap. 9.
   Sixtus Senenſis, Driedo, de Script. & Dog. Eccleſ. lib. 1. cap. ult.
7. Gallicæ, in qua Hilarius, de quo ſupra: & poſt illum Doctores Galliæ, ut patet ex Epiſtola alterius Hilarii Arelatenſis, qui vixit Anno Chriſti IↃXLV, præfixa opuſculo de prædeſt. Sanctorum.
   Robertus Stephanus in editione Pariſienſi.
8. Anglicæ, in qua Beda, de ſex ætatibus mundi. Is fuit coætaneus Joan. Damaſceni, Anno Domini, DCCXXXI.
   Guilielmus Occam, Scoti diſcipulus, Anno Domini M. CCC. XX. in Dialogis, parte 1. tract. 1. lib. III. cap. XVI.
9. Hiſpanicæ, in qua ſic ſenſit F. Ximenius Archiepiſcopus Toletanus, in Præfatione Bibliorum Complutenſium.

Harum certe tot Eccleſiarum, aut Epiſcoporum Doctorumque omni exceptione majorum teſtimonia ac judicia, totidem ſunt præjudicia pro Canonicorum iſtorum quos recenſuimus autoritate ac numero: quibus quæ opponuntur alia, longe ſunt non modo pauciora, ſed adeo levidenſia ut pene nulla ac nihili videri debeant.

Addo tamen coronidis loco. Etſi in hac re longe ſuperior eſt cauſſa noſtra, nullam tamen ſatis gravem cauſſam me videre, cur acriter de numero Canonicorum librorum cum Pontificiis digladiemur, & Apocryphos, quos illi in Canonem referre volunt, uſque adeo averſemur: quaſi fides ac Religio Chriſtiana propterea vacillatura ſit, ſi illi in canonem admittantur. Etſi enim non nego eſſe in iis quædam, quæ vel contradictionem, vel falſitatem, vel abſurditatem quandam manifeſtariam præ ſe ferunt, & difficulter aut cum iis quos Canonicos eſſe utrimque in confeſſo eſt, conciliari, aut cum hiſtoriæ veritate, aut cum recta ratione in gratiam reduci poſſint; tamen non modo nulla eſſe in iis credo, per quæ dogmatis alicujus ad ſalutem neceſſarii veritas labefactari poſſit, ſed & non pauciora eſſe in iis mihi perſuadeo quæ convellendis Pontificiorum erroribus faciunt, quam quæ iis aut fulciendis aut ſtabiliendis ſervire poſſunt. Atque hæc impræſentiarum ſufficiant de revelatione ſecunda, & libris quibus prima & ſecunda revelatio continentur.

FINIS.

# INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM LIBER QUARTUS,

## De Revelatione per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum facta.

### SECTIO PRIMA,

*De Libris Novi Teſtamenti.*

#### CAPUT I.

**Libris qui novi Teſtamenti nomen præferunt, Religionem Chriſtianam contineri.**

*Revelationis tertiæ per Ieſum Chriſtum factæ perfectio.*

PER hunc Jeſum promiſſum illum Meſſiam, Deum ac Dominum noſtrum, facta eſt Revelatio tertia, quæ idcirco Religio Chriſtiana dicitur. Eaque eſt revelatio omnium perfectiſſima: 1. quia Jeſum Chriſtum, id eſt, Meſſiam, divinæ voluntatis perfectiſſimæ, perfectiſſimum interpretem atque internuncium autorem habet. 2. quod ad revelationis modum, extra comparationem eſt cum aliis omnibus prægreſſis revelationibus. 3. quod ad ipſam rem ſive doctrinam revelatam, parem non habet, ac ne habere quidem poteſt. Eſt enim univerſaliſſima, & ultima, Univerſaliſſima, quia nec ad familiam tantum unam pertinet, uti prima, quæ intra ſolam Abrahami familiam conſtitit; nec ad populum tantum unum ſpectat, uti ſecunda, quæ Judaici dumtaxat populi finibus circumſcripta fuit: ſed ad familias & populos terræ omnes extenditur; ſucceſſive quidem facienda, ſed facienda tamen & perficienda ex divino conſilio & decreto, juxta ſapientiam & æquitatem adminiſtrando & exſequendo. Ultima, quia poſt eam non modo nulla alia nova revelatio divinæ voluntatis facienda eſt, ſed nec plenior nec certior fieri poteſt, nec humanæ tum excellentiæ, tum infirmitati accommodatior.

*Quibus libris ea contineatur.*

Hoc ingens procœmium ut ſolidè adſtruamus, ante omnia conſiderandum venit, quinam ſint libri iſti, quibus revelatio hæc tertia continetur. Ex iis enim petenda ſunt, quæ ad procœmium hoc adſtruendum faciunt, & eorum in ipſo Revelationis hujus tertiæ frontiſpicio recenſionem facere conſultum ducimus, retrogrado licet ordine; partim ut libros omnes, quibus revelationes tres continentur, conjunctos ob oculos ponamus; partim ut, ubi oſtenderimus libros iſtos, quibus revelatio tertia continetur, eſſe libros divinos ac fide dignos, eadem opera eviciſſe atque oſtendiſſe nos liqueat, libros iſtos quibus duas præcedentes revelationes contineri diximus, divinos & pari fide dignos eſſe, eo quod eorum tum autoritas tum fides poſterioribus hiſce ſtabilita ſit ac confirmata.

Libri iſti ſunt, qui volumine iſto continentur, quod nunc καινὴ διαθήκη, id eſt *Novi*, ſeu *Teſtamenti* ſeu potius *Fœderis*; nunc *Euangelii Jeſu Chriſti* titulo inſigniri ſolet: incertum quibus autoribus. Titulos enim iſtos, non eſſe titulos, quos ipſi librorum autores ſuis libris præſcripſerunt, ſed eorum, qui libros ſive βιβλία ſingula in unum codicem compegerunt, vix dubitandum videtur. Unde ſupervacaneum & nullius operæ pretium eſſe ducimus, contendere, recte an ſecus tituli iſti libris iſtis impoſiti ſint. quamquam cauſſa mihi non modo nulla ſatis gravis eſſe videtur, cur non recte impoſiti videantur, ſed & juſta ſatis ac gravis adferri poteſt, cur rectè impoſiti videri debeant. Sed hæc lis tanti non eſt, ut propterea in hujus tractationis limine altercandum ſit.

In hoc volumine continentur varii libelli, non qui ſinguli ſingulas Religionis Chriſtianæ particulas in ſe habent, & conjuncti totam Religionem Chriſtianam complectuntur ac conſtituunt; ſeu veluti partes eſſentiales totum, adeo ut ſi unus tantum deficeret aut deeſſet, Religio Chriſti tota deſtruenda & plane deſitura aut defutura eſſet: ſeu veluti partes integrales, ita ut librorum iſtorum uno aut pluribus deficientibus, Religio Chriſti mutila & trunca eſſet futura. Nihil minus: Plures enim ſunt libelli, qui nihil continent, quod non in aliis & ſæpius & luculentius reperitur: & ſunt qui nihil ad Religionem Chriſtianam magnopere faciens continent. Denique certum eſt, libellos hos in codicem ſeu volumen unum digeſtos fuiſſe non divino juſſu aut impulſu, ſed conſilio ſtudioque humano, licet ſancto pioque: ſed qui tum hiſtoriam, tum doctrinam Jeſu Chriſti & diſcipulorum ejus, prout primo tradita, confirmata, & ex occaſione nunc hac nunc illa propagata, illuſtrata, defenſa & explicata eſt, adeo copioſe, perſpicue & varie referunt, ut ad plenam totius Religionis Chriſtianæ intelligentiam deſiderari nihil poſſit.

*De eorum nonnullis nunquam dubitatum, de aliis vero dubitatum fuiſſe.*

Veruntamen ut res hæc plenè intelligatur, ſic ſtatuendum eſt. Hoc volumine contineri libros varios: Nonnullos, de quibus dubitatum nunquam fuit, nec inter Chriſtianæ Religionis ſectatores, nec inter Paganos, nec inter Judæos, quin iis contineretur doctrina ſive Religio Chriſtiana, & quin eſſent libri eorum quibus plane pleneque cognita ac perſpecta erat Chriſti Religio.

Nonnullos de quibus dubitatum aliquando, aliquamdiu, & à multis fuit, & qui proinde ab initio pariter recepti non fuerint; ſed tandem tamen re comperta, & teſtimoniis omni exceptione majoribus evicta, dubitari olim deſitum eſt: uti ſunt ſecunda Petri Epiſtola; ea quæ Jacobi & Judæ eſt duæ poſteriores Epiſtolæ ſub nomine Joannis presbyteri; Apocalypſis ſub nomine Joannis Theologi; & Epiſtola ad Hebræos. Qua de re vide Euſebium Hiſtor. Eccleſ. lib. 3. cap. 3. & 25.

Nonnullos de quibus dubitari olim quidem deſitum eſt, ſed tamen ſeculis aliquot poſt, dubitari denuo cœptum eſt à paucis quibuſdam, iiſque non ſolida aliqua ratione adductis, ſed præjudicio quodam imbutis, quod cauſſæ ac ſententiæ iſti quam tuebantur, & quam in iis de quibus dubitatum nunquam fuerat libris expreſſam eſſe credebant, adverſari viderentur: ut Epiſtola Jacobi, qua juſtificari dicimur ex operibus, & non ex fide tantum; quod contravenire videtur ſententiæ Apoſtoli Pauli, qua juſtificari paſſim dicimur ex fide, abſque operibus Legis; Epiſtola ad Hebræos, qua lapſis venia denegari videtur, quæ paſſim tamen in aliis libris concedi lapſis dicitur; Apocalypſis Joannis, qua Chiliaſtarum error ſtabiliri videtur.

Nonnullos, de quorum ſeu capitibus, ſeu periodis, ſeu verſiculis quibuſdam dubitatum diu multumque fuit, hodieque adhuc à quibuſdam dubitatur; uti ſunt, *cap.* XVI *Marci*, in quo ἀνθολογία quædam cum Matthæo eſſe videtur; quia hic dicit veſpere veniſſe mulieres ad monumentum, ille vero mane id factum orto jam Sole. Hiſtoria ſive periodus hiſtoriæ Lucæ, quæ exſtat *cap.* XXII, de ſudore Chriſti ſanguineo, & Angeli confortantis Jeſum apparitione; quæ infra dignitatem & conſtantiam Jeſu Chriſti, adeoque probroſa & contumelioſa Chriſto narratio eſſe videtur, uti & illa qua Chriſtus fleviſſe dicitur; *Luc.* XIX. 41. quam propterea vocem *Flevit* nonnulli eradendam putaverunt, ut autor eſt Epiphanius in Ancorato ſuo. Hiſtoria de muliere adultera, quæ Joan. VIII legitur. Initium cap. primi Euangelii ſecundum Joannem, uſque ad *verſ.* 6. & *verſum* 7. *cap.* V. prioris Epiſtolæ Joannis.

Nonnullos denique, de quorum ſcriptoribus dubitatum quidem fuit diu multumque, hodieque adhuc dubitatur, ſed non de ipſis libris ſcriptis; uti ſunt altera Petri, duæ poſteriores Joannis, & Epiſtola Pauli ad Hebræos, Apocalypſis Joannis.

Hoc vero quamquam ita ſtatuendum eſſe fatemur, nihil tamen officit theſi iſti noſtræ, quam poſuimus, videlicet libris his, qui Fœderis Novi titulum præ ſe ferunt, contineri univer-

universam revelationem tertiam, quæ Religio Jesu Christi dicitur. Nam sive admittantur, sive non admittantur libri, capita, periodi, & versiculi isti, de quibus controversia olim incidit, hodieque adhuc incidere potest, certissimum nihilominus manet, cæteris, qui extra controversiam omnem positi sunt, abunde satis contineri universam doctrinam & Religionem istam, quam revelationem tertiam esse diximus. Nullus enim in istis omnibus controversis apiculus est, qui singulare aliquid in se habet, quod in aliis indubitatis desideratur, imo non abunde iis continetur, ad religionis & doctrinæ Jesu Christi tum perfectionem tum integritatem pertinens. Quod si vero etiam in iis aliquid esse creditur, quod diversum videtur aut repugnans istis, quæ indubitatis libris continentur, id eo ipso admittendum non esse intelligitur, quia cum indubitatorum librorum sententia non convenit: aut si admittatur, cum ea benigna interpretatione conciliandum necessario est. Dubium enim ad normam indubitati exigendum & dirigendum est.

Atque hoc sufficere debet, ut credatur Religionem totam Christianam, istam esse, quæ indubitatis istis libris continetur. Nec ratio ulla sinit, ut non credatur, libris istis contineri Religionem Christianam, de quibus Religionis Christianæ sectatores, ab ipsis religionis incunabulis nunquam dubitarunt, quin ea iis contineretur; imo quam iis contineri, professi semper sunt pari voce ac sententia; ex quibus eam hanrire alios omnes voluerunt; & quam ipsam, quatenus iis continebatur, nec aliter, religionem totam suam esse, inter ipsa tormenta & supplicia atrocissima constantissimè semper testati sunt. Æquissimum sane est, ut isti credantur esse veri ac genuini cujusque sive bonæ sive malæ sectæ libri, quos ipsa tota agnoscit ac recipit, quibusque dogmata suâ propria contineri, tam palam ac publicitus quam ultro lubenterque profitetur, & à primo sectæ suæ ortu professa semper est inter acerrima tormenta & supplicia.

## CAPUT II.

### Scriptores librorum Novi Testamenti tales fuisse, ut nemo suspicari jure possit, quin vera scribere & voluerint & potuerint.

*Autores librorum Novi Testamenti potuisse vera scribere.*

SEd quod omnem dubitandi ansam præscindit, hoc est, quod, qui librorum horum autores fuerunt, ejusmodi qualitatibus testandi prædíti fuerunt, quæ eos fide dignissimos faciunt, & propter quas extra omnem falsimoniæ suspicionem poni merentur. Nempe tales fuerunt, ut suspicari nemo jure possit, quod aut potuerint aut voluerint scribere alia, quam quæ pro comperto habebant & persuasissimi erant ita se habere & vero veriora esse.

Utrumque sic evinco. Primum, quod potuerint scribere ea quæ verissima erant, ex eo liquet, quia certissimam eorum quæ scribebant scientiam non habere tantum poterant, sed reipsa habebant. Non enim vivebant tantum isto tempore, quo gesta erant & gerebantur ea quæ scribebant, sed & istic erant ubi gesta erant & gerebantur, ut auriti simul & oculati testes esse possent. Oculatos testes cum eos esse potuisse dico, non id tantum volo, quod per occasionem, & re ita ferente, aliquando ista videre potuerint & viderint; sed quod intimæ familiaritatis & admissionis fuerint apud eos à quibus ea gerebantur, adeoque eum in finem admissi assumtique fuerint, ut coram omnia viderent audirentque, & de visis auditisque testarentur bona certaque fide.

Rem claram demus, Matthæus, Joannes, Jacobus, Judas, Petrus, statim ab ipso prædicatæ religionis Christi exordio, ab ipso Jesu adsumti & electi fuerunt, ut eorum omnium, quæ ab ipso dicenda ac facienda erant, testes essent, uti legere est *Joan.* XV. 27: *Et vos testabimini, quia à principio mecum estis.* Item: *Act.* I. 21. 22. Hinc illud eorum, 1 *Joan.* I. 1: *Quod erat à principio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod* (coram) *adspectavimus, & manus nostræ contrectarunt, de sermone illo vitæ,* &c. *id annuntiamus vobis.* Hoc enim Joannis dictum, etsi pet ἐνικῶς numeri ad Joannem solum referri videatur, revera tamen ad omnes dictorum factorumque Jesu αὐτόπτας Apostolos referri debet.

Nec est quod dicas, Marci & Lucæ aliam esse rationem, eo quod ii non fuerint oculati testes eorum quæ scripserunt, nec ab ipso Jesu in Apostolorum collegium adsciti. Nam 1. Euangeliorum, quæ ab iis conscripta sunt, ea non est necessitas, ut propterea, si illa deessent, non sufficerent Euangelia Matthæi & Joannis, Apostolorum Jesu. 2. Certum est eos non scripsisse ista sua Euangelia, nisi ex relatu eorum, qui oculati testes fuerant eorum quæ istis continentur. Certe Lucas diserte fatetur in procœmio suo, se Euangelium suum scripsisse ὡς παρέδοσαν ἡμῖν, οἱ ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται καὶ ὑπηρέται γενόμενοι τοῦ λόγου, *vers.* 2. & quidem ut διήκριβωκότι πᾶσι πληροφορημένοις πράγμασιν: *vers.* 1. Et ex utroque Evangelio patet, nihil iis contineri quod non examussim convenit cum istis quæ sunt in Euangeliis Matthæi & Joannis. 3. Nec dubitandum videtur, Euangelia ista ab Apostolis approbata fuisse, & sic in authenticorum scriptorum censum relata. Quod enim ad Marcum attinet, constat eum fuisse individuum Achatem & comitem Apostoli Petri, ex cujus ore rescire potuit & rescivit quæcunque scripsit, haud dubie calculo & suffragio deinde ejus confirmata & approbata, non aliter quam si ab ipso Petro consignata fuissent. Quod ad Lucam attinet, eadem ejus ratio est; quia non minus constat eum Paulo semper hæsisse comitem, quam Marcum Petro: præterquam quod natus in proximis locis, & per ipsam Palæstinam peregrinatus, complures habuisse se testatur, ex quibus ἀκριβῶς τὰ ἀσφάλειαν rerum à se scriptarum hauserat, sic ut non sola Pauli, qui oculatus earum testis non fuerat, sed aliorum αὐτοπτῶν & ὑπηρετῶν τοῦ λόγου fide ac testimoniis nixus fuerit. Cætera pari fide ac notitia ab eo scripta esse quis dubitet? Certe ea, quæ ad Paulum pertinent, exploratissima notitia scribere potuit, quia ea ipsus omnia coram viderat, & pars eorum magna fuerat, utpote adsiduus & individuus itinerum Pauli comes.

Quod ad Paulum attinet, is non scripsit, nisi ea quæ certo habebat explorata & comperta, sive ea dogmata erant sive vaticinia. Neutra scripsit aut tradidit sine speciali revelatione sibi à Domino Jesu facta. cujus rei manifestum signum dedit, quando ea, quæ ut vir prudens in medium consulebat, diserte à se solo tradi & scribi dixit, distincteque ab iis quæ à Domino Jesu acceperat. his verbis: *De isto præceptum Domini non habeo, γνώμην δὲ δίδωμι, sed sententiam meam dico:* 1 *Corinth.* VII. 25. item, *Iis qui matrimonio juncti sunt, denuntio, non ego, sed Dominus,* &c. *Reliqui autem ego dico, non Dominus: ibid. vers.* 10. 12. Rerum gestarum ignorantia falli non potuit, quia non narrat nisi ea, quibus ipse interfuit, adeoque bona fide, ut quando optimas sibi revelationes narrat factas, ingenue fateatur, *nescire se an in corpore, an extra corpus suum eæ factæ sibi fuerint:* 2 *Cor.* XII. usque adeo ad non dicendum, nisi quod verum erat, compositus, ut non affereret nisi quod habebat compertissimum.

Quod ad cæteros Apostolos attinet, Jacobum scilicet, Petrum, Joannem, Judam, eos non scripsisse, quam, quæ vel ex ipso Domini sui ore ac disciplina se hausisse sciebant, vel per Spiritum ejus edocti erant, cur dubitetur non video.

Apocalypseos scriptor, non alia habet quam quæ sibi visa, & per divinam revelationem patefacta esse ait, qua certior notitia nulla dari potest.

Scripror ad Hebræos, ea etiam dumtaxat scribit, quæ ab ipso Domino Jesu primum enarrata, deinde ab iis qui ipsum audiverant confirmata fuerant; quæ omnia is, quisquis fuit, & plene scire & plane exponere potuit. *Ad Hebræos cap. II. vers.* 3. 4.

Ex quibus evincitur, nullam aut dubitandi aut suspicandi causam esse, quod librorum istorum autores alia scripserint quam ea, quorum certissimam atque exploratissimam habebant notitiam; aut potius quod ea, quæ scripserunt, verissima & certissima esse nesciverint, & vel ex incerto rumore, vel ex nimia facilique credulitate, vel ex aliorum scriptorum fide ea propalaverint. Constat enim eos & vixisse tum temporis, & istic egisse, & ipsosmet interfuisse, quando, & ubi ea dicebantur ac gerebantur quæ scripserunt, ut ex incerta fama pendere, anxie in res gestas inquirere, & fide aliorum niti opus non haberent: sed suismet ipsi oculis sensibusque stare possent ac fidere, quotidie audientes ac videntes ea, quæ non in angulo aut recessu, sed in turba conferta, & coram Sole dicebantur ac gerebantur. Qua certe in re, librorum horum scriptores, alios scriptores omnes usque adeo longe superant, ut vix credam dari posse, quorum scripta, non dico majori, sed vel pari fide digna videri queant, quod attinet ad notitiam rerum istarum quas memoriæ prodiderunt. Quotusquisque enim scriptor est, qui non alia narrat quam sibi visa, & quibus ipse interfuit? Herodotum, Diodorum Siculum, Titum Livium, Suetonium Tranquillum, Qu. Curtium, aliosque seu Assyriarum, seu Persicarum, seu Græcarum, seu Romanarum rerum scriptores, non cito, qui pleraque multis ante seculis, & in alio pene orbe gesta narrant. Unum tantum Cornelium Tacitum videte, ubi ille supremum urbis Hierosolymæ diem narraturus, primordia ejus Iudaicæque gentis originem aperit, libro scilicet historiarum suarum ultimo. Vix credi potest, quam multa ille celebratus historicus scribat isto in loco vana, stolida, puerilia, apertissimeque falsa, quæque talia esse facile rescire poterat in ipsa urbe Roma ubi degebat, unde quotidie migrabant, ad quam commeabant

bant & remeabant urbis ſanctæ præſides, captivorum Iudæorum millia aliquot, ubi Joſephus Flavius nobilis imprimis author, & rerum ad populum gentemque ſuam pertinentium peritiſſimus, ſtatuamque ob ingenii gloriam in urbe meritus, hiſtoriam populi ſui ediderat, quæ Veſpaſiani Titique filii juſſu jam in publica urbis bibliotheca exſtabat. Cur? quia profunda dicam ignorantia, an ſupina negligentia laborabat, ſive quod gentis odio nimium daret, ſive quod Appioni Grammatico, quem Tiberius cymbalum mundi appellabat, nimis temere fidem adhiberet, atque idcirco notitiam rerum à ſe ſcribendarum nullam certam haberet. unde non immerito Tertullianus, uno ferme ſeculo minor, in Apolog. cap. XVI. eum mendaciorum loquaciſſimum vocat. Hactenus ergo primum membrum evicimus, quod videlicet autores librorum horum vere ac certo potuerint ſcribere ea quæ ſcripſerunt, ſive ignorantia non falli aut decipi.

*Atque etiam voluiſſe.*

Secundum membrum ſic evinco: Quod videlicet non voluerint alia ſcribere, quam quæ vera eſſe ſciebant ac certa, ſive quod nulla juſta cauſſa de hac re dubitandi eſſe poſſit. *Primò.* Quia iſtius ipſius, quam conſcribebant, doctrinæ, religione impediebantur: Ea enim falſimoniæ omnis ac mendacii odium, veracitatiſque ſtudium acerrime inculcatur; adeo, ut adſeverare quæ neſcias vera eſſe, aut quæ ſcias apertè falſa eſſe, ad fallendum alios, inter crimina non niſi æternis ignibus luenda cenſeatur. ut autem ſcriptores iſti ſe conſulto deditaque opera tam ingentis criminis damnatique maleficii reos facere voluerint, nullo pacto credibile videri debet. Si dicas; Et hoc ipſum ſciebant falſum eſſe, falſoque priori fucando, & veluti tegulam tegendo adhibuerunt; tum dico *ſecundò*, Piſonis iſtud merito hìc reponi poſſe. Cui bono? An ut famam inde ac gloriam novæ ſectæ venarentur? At eam eadem religione quæ ſcriptis eorum continetur, non minus venari prohibebantur, quam mentiri. An ut fallerent mundum? At fallere ut fallas, nullo tuo bono, vix in hominem cadit, nedum in tam multos vitæ integros ſcelerumque puros. Addo *tertio:* Cui non malo? Incommoda enim & pericula omnia non tantum inde expectanda ipſis erant, ſed & ſectatoribus religionis iſtius prædici in eadem religionis doctrina non ignorabant. Tum ea certo ſibi eventura ignorare non poterant. Nam cum falſa eſſent quæ ſcribebant, & falſa ſe ſcribere ſcirent, eo tempore quo iſta facta eſſe quæ ſcribebant palam adſerebant, nullo negotio falſi convinci poterant, & mendacii manifeſti poſtulari: quod non tantum apud bonos omnes deteſtabile eſt, ſed Romanis etiam legibus capite puniebatur. Famæ itaque, fortunarum & vitæ ſuæ prodigi fuiſſent. Nec eſt quod dicas, eandem illorum potuiſſe eſſe rationem quæ fuit Philoſtrati, deſcribentis hiſtoriam Apollonii Thyanæi impoſtoris iſtius, qua toti orbi terrarum impoſitum fuit. Nam hiſtoria iſta non niſi unius Philoſtrati eſt, & quæ nec ipſi nec ulli incommodum aut periculum aliquod creare potuit. Non enim continet niſi hiſtoriam quæ curioſitati paſcendæ facere poteſt; at mortalibus cæteris legem vivendi non ponit, ſancitam æterni mali comminatione niſi ei pareatur. Talis vero eſt hiſtoria horum noſtrorum ſcriptorum: quæ proinde ad odium tantum mortalium omnium contra eos acuendum comparata fuit, non vero aut ad ſpem melioris conditionis ſcriptoribus ipſis ingenerandum conducere, aut ad metum periculorum & incommodorum averruncandum facere, aut denique ſectatores in ſpem fortunarum aut gloriæ pelliciendum ſervire potuit. Quare nihil eſſe potuit quod eos ad tam miſeram ac periculoſam malitiam invitaſſe atque impuliſſe dicamus; ac proinde eos ea quæ ſcripſerunt, non tantum ex certa rerum earum notitia & conſcientia, ſed & honeſto ſanctoque veritatis ſtudio ſcripſiſſe credamus. Nemo eos affectati tam ingentis mendacii reos agere poteſt, niſi eos faciat ſtultiſſimos ſimul ac peſſimos. Stultiſſimos, qui nullo ſuo bono, certiſſimoque malo ſuo mentiri voluerint, contra ipſa religionis ſuæ quam ſcribebant dogmata. Peſſimos, qui mentiendo univerſum mundum fallere voluerint nulloque ipſorum bono eos ſecum malis omnibus involvere.

*Librorum iſtorum eos veros auctores eſſe quorum nomina præ ſe ferunt.*

Recte, inquies, argumenta hæc procedunt, ſi conſtaret eos ipſos, quorum nomina libri præ ſe ferunt, librorum iſtorum autores eſſe. Reſp. 1. Quæ ratio dubitandi eſt? Si nulla, cur dubitatur? Dubitare enim non eſt, nolle credere, nec ſine cauſſa hæſitare, ſed cauſſam dubitandi habere. Alioquin dubitare eodem jure quis poterit de omnibus ſcriptoribus, & dubitandi finis non erit, nec dubitationis remedium. Si enim ſcriptores iſti, quorum nomina libris præſcribuntur, ſcriptores librorum iſtorum ſemper habiti ſunt, cur jam non habeantur? Et ſi quis jam dubitare velit, quo quæſo argumento eruditur? Impoſſibile eſt ut poſtquam autor ipſe in vivis eſſe deſiit, aliunde cognoſcatur eum autorem eſſe quam ex titulo, aut ex iis qui ex ipſo autore eum autorem eſſe reſciverunt, niſi ſint argumenta in contrarium, aut teſtimonia gravia fidem teſtantibus derogantia. Quod ſi id fieri nequit, defendendus eſt liber veluti in poſſeſſione autoritatis ſuæ. Jam vero dico 2. autores iſtos, qui libris ſingulis præfiguntur, citra controverſiam librorum autores & ſcriptores habitos fuiſſe, ab iſtis ipſis temporibus uſque quibus eos autores & ſcriptores eſſe deprehendi poterat; uti apparet ex eo, quod qui viciniſſimi fuerunt eorum temporibus, eos libros ſub his ipſis nominibus laudent; qualis fuit Juſtinus, qui ſeſqui ſeculo poſt, Irenæus, qui anno CLXXX poſt, Clemens qui anno CCIV. vixit, aliique. cui accedit, quod Tertullianus qui tertio poſt ſeculo floruit, aliquot librorum ipſa archetypa ſuo adhuc tempore ait exſtitiſſe. Adde 3. quod Eccleſiæ omnes Chriſtianorum, ubicunque locorum fuerunt, antequam ulla adhuc generalia Concilia habita eſſent, pariter & ſine controverſia eos autores eſſe crediderunt, adeo conſtanter & uniformiter, ut iis nulla unquam ea de re, aut à Judæis, aut à paganis controverſia mota ſit. Quare ut iidem à nobis autores eſſe credantur cauſſa juſtiſſima eſt. Aut enim nulli ſcriptores, eorum ſcriptorum quorum eſſe dicuntur autores habendi ſunt, aut ſi qui habeantur, ut hi ſacrorum horum librorum autores habeantur, æquiſſimum eſt.

## CAPUT III.

### Ex hiſtoriæ librorum Novi Teſtamenti veritate, ſequitur Religionem Chriſtianam non tantùm veram eſſe, ſed etiam perfectiſſimam & ſolam Deo gratam.

EX hoc fundamento ſic demonſtrato neceſſariò conſequitur, id quod in prooemio diximus, Religionem, quæ libris iſtis continetur, & hiſtoriam qua reſertur, quomodo Religio iſta tradita, confirmata, expoſita & defenſa eſt, veram & divinam eſſe, nullamque aliam ei parem, nedum perfectiorem expectandam eſſe uſque ad ipſum mundi finem. Ratio eſt; Quia Religionem iſtam à Deo traditam eſſe in libris iſtis adſeritur, & ejuſmodi operibus, miraculis ac prodigiis confirmatam eſſe narratur, quæ alium quam Deum autorem habere non potuerunt, & poſt ac ſecundum eam univerſale mundi totius judicium futurum ac peragendum eſſe dicitur.

*Hiſtoria librorum Novi Teſtamenti veritas, Atheis, Judæis, Paganis & Turcis convincendis ſufficit.*

Atque hoc ipſo argumento ego optimè adſtrui poſſe credo Scripturæ Novi Teſtamenti, ſimulque etiam Veteris Teſtamenti, (quippe quæ eadem illa confirmatur) autoritatem, contra omnes tum Atheos, qui univerſe Religionem omnem negant; tum Judæos, tum paganos, tum Turcas, quorum ſuam quiſque Religionem optimam & perfectiſſimam eſſe volunt. Enimvero ſi vera eſt hiſtoria, quæ libris ſcriptis Novi Teſtamenti continetur, tum ſequuntur hæc omnia: Deum eſſe: Deum curam gerere rerum humanarum: Religionem dari, ad cujus præſcriptum Deus vitam hominum componi vult; præmium in cælo poſt hanc vitam à Deo promiſſum eſſe religionis iſtius cultoribus, & pœnam ejus contemtoribus denuntiatam: & utraque æternum duratura nulloque divino decreto revocanda eſſe. Denique, Religionem illam, nec eſſe Iudaicam proprie dictam, nec Turcicam ſive Muhamedanam, nec paganam ſive gentilitiam; quia nulla earum eſt iſta Religio, quæ libris iſtis Novi Teſtamenti continetur, & ſingulæ non pauca habent, quæ Religio iſta aut improbat, aut damnat; omnes vero tres pariter eam eſſe negant perfectiſſimam ſenſus cultuſque omnis religioſi normam ac regulam, ideoque ſuam ei quiſque præferunt.

*Alia omnia argumenta, iſto fulcro deſtituta, levia ſunt pondere.*

Non diffiteor equidem, rationes alias complures adduci poſſe ac ſolere, quæ ſervire poſſunt convincendis Atheis, Deum & Religionem eſſe, & evicto, Deum & Religionem eſſe, hanc quæ his libris continetur religionem omnium videri optimam ac perfectiſſimam. Nos ipſi aliquot ejuſmodi rationes in principio hujus noſtri operis adduximus. ſed & fateor, complures eſſe operoſiores, & molimine magno opus habere, ut ritè adhibeantur convincendis ingenioſioribus, & ſpecioſis exceptionibus omnibus diluendis: & ut ut ejuſmodi quædam ſint, quæ ſufficiunt ad demonſtrandum Deum eſſe, & religionem aliquam dari, nullas tamen eſſe poſſe, quæ ſufficiant ad demonſtrandum, hanc vel illam Religionis formam eſſe omnium optimam, aut quæ ſola Deo grata ſit; quippe quod ab ipſa Dei libera voluntate dumtaxat dependet; quæ ut per rationem ſolam humanam nulla ſpeciali gratia revelationis adjutam indubitatò cognoſcatur, impoſſibile eſt. 1 *ad Corinth.* II. 11. & 16. *Matth.* XI. 27.

XI. 27. *Rom.* XI. 34. 35. 36. Nulla vero mihi videtur, aut minoris operæ, aut majoris roboris ad exceptiones omnes vel diluendum vel obstruendum; & rudibus pariter atque eruditis persuadendum omnia ista simul quæ diximus vera esse, quam est ea, quæ ex historia libris Novi Testamenti comprehensa petitur, hunc in modum; Si vera est historia ista, ergo vera sunt omnia, quæ negat Atheus vera esse; ergo sola Christi Religio, non vero Judaica, Turcica aut pagana, est vera & unica ista Religio quæ Deo placet. Atqui historia ista vera est, uti jam evicimus. Ergo. Contra hanc excipere nemo potest, nisi qui aut cavillator esse vult, aut præfracte malus est, & fidei omni epicedium scribere mavult quam credere quidquam verum esse.

*Etiam illa quæ petuntur ex sensuum libris istis contentorum excellentia.*

Ex hoc etiam colligo, argumenta omnia ista, quæ deduci solent ex ipsis librorum horum sensibus, quod ad dogmata & promissa attinet, absque eo, quod, qui istos tradiderunt, eos sibi à Deo revelatos esse adseruerunt, divinisque operibus confirmarunt, id est, absque historiæ istius, quæ de ipsis refertur, tanquam indubitatæ præsuppositione, sive solida adsertione, etsi momentum non leve habeant, revera tamen tanti momenti esse non posse, ut convincendis vel Atheis, vel Turcis, vel Paganis vel Judæis per se sufficiant. Unica enim exceptione hac se tueri possent contra ea: Religionem illam solam divinam videri debere & perfectissimam omnium, quæ ab ipso Deo revelata est. Solam divinam revelationem præponderare omnibus istis argumentis quæ ex rationum verisimilitudine depromuntur. Deo soli relinquendum esse judicium de Religione aut cultu suiipsius. Quod si insuper eorum quisquam, exempli gratia Judæus, ex ipsa ista divina revelatione probare se posse confidat, Deum religionem istam à se revelatam æternam esse velle, quo, obsecro, argumento adducetur, ut eam Religionem non credat esse solam veram ac divinam, nisi alia nova revelatione persuadeatur de sensu divino, quo eam æternam futuram esse dixerit? Quare ex hoc ipso fundamento, quod revelatio nova à Deo facta fuerit, & quod historia, qua revelatio ista facta dicitur, vera sit, vis omnis demonstrationis petenda omnino est. Atque hæc caussa est, quod in principio operis nostri hujus, quando contra Atheos disserebamus, partem unam historiæ hujus, quæ de Resurrectione Jesu agit, tanquam palmarium argumentum attulerimus, & jam etiam totam historiæ veritatem prolixius adstruxerimus. Hoc enim adstructo, constat, revelationem quæ historia librorum istorum continetur, divinam esse, & libris istis competere divinam autoritatem, & canonicam ὑπεροχὴν supra alias omnes religiones.

*Item ex doctrinæ hujus efficacia.*

Denique, ex hoc ipso fundamento colligo, argumenta ista quæ deducuntur ex doctrinæ hujus efficacia, id est, ex religionis, quæ historia hac continetur, admirabili planeque stupenda propagatione per universum terrarum orbem: quod videlicet ea si personæ per quas, si modus quo, si doctrina ipsa quæ propagata est, si temporis brevitas, locorum capacitas, &c. videantur; per paucos, viles, infirmos, rudes, simplices, à fingendi non modo fraude sed & suspicione alienissimos, nullo eloquentiæ adjumento instructos, nullo simulationis artificio eruditos, spretos denique contemtosque: Sola persuasione, sine ullo autoritatis subsidio, sine favoris publici præsidio, sine armorum auxilio, per mille mortes ac discrimina, cum invicta tolerantia, brevissimo tempore, ubique locorum, inter omnium ordinum, sexus, nationis homines diffusa adeo sit ac dilatata, ut integri populi, relictis patriis religionibus, in quibus nati erant & educati, sine spe commodi, cum certa incommodorum omnium exspectatione, & extrema malorum tolerantia, ei adhæserint; religionesque omnes, (una sola Judaica excepta, quia ea sola divina erat) quæque iis stabiliendis serviebant oracula & responsa dæmonum defierint ac pessum iverint, frustra obnitente Satana & toto mundo Satanico; Religio, inquam ista, quæ affectui & carni humanæ ingrata erat, adeoque adversa ut comparata potius videretur ad repellendum omnes ab assensu sui, quam ad pertrahendum quemquam in miserum ac calamitosum sui amorem. Argumenta, inquam, hæc, etiamsi gravia merito haberi debeant, talia tamen non esse, ut per se sufficiant ad conclusionem hanc inferendum: Ergo Religio sive doctrina ista vera ac divina est, eaque sola Deo grata est. Etsi enim effecta ista talia sunt, ut vix alii Religioni competere possint quam ei quæ divina est, tamen inter ea & divinam Religionem, tanquam caussam eorum immediatam, non est necessaria connexio. Nec dici potest effecta illa exstitisse ex Religione ista, quatenus scilicet sanctissima mandata & excellentissima promissa continet. Nil enim certius est, quam ea exstitisse ex religione ista, quatenus ea nitebatur historiâ ista, qua eam divinam esse primitus demonstratum fuerat. Absque ea enim fuisset, religio ista verisimiliter, non tam feliciter currere statim cæpisset, & dilatari per universum orbem. Sed historiâ veluti tibicine fulta, gradum sibi fecit ad tam ingentem gloriam, & curriculo facto, tot urbes atque imperia, tot gentes atque populos, tot insularum ac terrarum ultimas oras pervasit, ut jam nullæ fere sint quæ non in aliis rebus plerumque discordes, in ejus tamen fide consentiant, ejusque autoritatem lubentibus animis admittant.

*Quæ tamen supposita historiæ veritate maximum momentum habent.*

Verum enimvero, etsi fateor argumenta ista talia non esse, ut, citra historiæ indubitatam fidem, sufficiant ad persuadendum Religionis Christianæ divinitatem; talia tamen esse credo, ut multum admodum referat, ea cum argumento ex historia petito conjungere, adeo quidem ut si quis id faciat, omne punctum tulisse videri debeat. Ita enim se res habet: Si sensus isti, id est, dogmata & promissa tam divina non inessent historiæ; si effecta ista non fuissent consecuta tam divinorum sensuum prædicationem, fieri potuisset ut historiæ totius fides vacillaret, aut saltem historia in minore pretio fuisset habita hodieque haberetur. At verò quando historiæ ipsi ineste dicuntur tam divini sensus, & eam consecuti tam præclari fructus, vix quidquam, imo fidenter adsero, nihil esse potest, quod ultra desiderare possit ingenium humanum, aut potentius, aut liquidius, ad compellendum omnes in adsensum & amorem sui, quam talis Religio, quæ tali historia nititur, tam divinis sensibus corstat, & tam præclaros virtutis atque efficaciæ suæ fructus dedit ac peperit. Cæterum nobis jam sufficit, ostendisse, libros hos sacros eos habere autores, quorum nomina præ se ferunt. Ex eo enim consequitur libris istis autoritatem divinam competere. De hac igitur librorum horum autoritate deinceps nobis disserendum est.

## CAPUT IV.

### De fundamento auctoritatis librorum Sacrorum Novi Testamenti.

AUtoritas horum librorum nihil aliud est, quam jus ac dignitas eorum peculiaris, propter quam merentur à nobis recipi ut veri, & obligandi nos vim habentes ad præstandum assensum in iis quæ dicunt aut prædicunt; obsequium in iis, quæ jubent & vetant: fidem in iis quæ promittunt & comminantur.

*Fundamentum auctoritatis librorum Novi Testamenti. Proximum.*

Fundamentum hujus autoritatis proximum, & formalis quasi ratio, est divinitas horum librorum, id est, quod autorem Deum habeant, qui jus habet obligandi homines ad adsensum præstandum dictis suis, obsequium mandatis, fidem promissis; & qui jure suo meretur adsensum in iis quæ dicit aut prædicit, ob infallibilem veracitatem suam: Obsequium in iis quæ jubet, & vetat, ob irrefragabilem suam potestatem: Fidem, in iis, quæ promittit & absolutè comminatur, ob immutabilem suam fidelitatem, ob inflexibilem suam justitiam, ob irresistibilem suam potentiam, & ob invariabilem suam æternitatem.

*Remotum. Triplicis generis res in iis contentæ.*

Remotum sunt res ipsæ quæ in libris istis dicuntur, jubentur aut vetantur, & promissionibus ac minis sanciuntur. Res istæ trium generum sunt. Nonnullæ tales, ut ratio humana aut Angelica industria eas fingere aut excogitare suopte Marte non valeat. Nonnullæ tales, ut, licet eas ratio humana aut industria Angelica fingere quidem posset, caussa tamen nulla appareat, cur eas fingere aut excogitare vellet, imo caussæ sint, cur eas fingere nollet. Nonnullæ tales, ut, licet eas ratio humana aut industria Angelica fingere tum posset tum vellet, caussam tamen non haberet, ut auderet iis credere aut eas eventuras sibi serio imaginari. Omnes tamen hæ res tales sunt ut nec prorsus impossibiles, nec plane incredibiles aut videri debeant aut videri possint: alioquin nec sub præceptum nec sub promissum cadere possent, nec enunciatæ, fide dignæ essent.

Primi generis res sunt, exempli gratia, partus virginis; morborum inveteratorum & incurabilium sanatio instantanea, & quæ verbo solo fiat; suscitatio ex morte; ventorum & tempestatum subita & in momento facta sedatio; dæmonum expulsio, &c. Secundi generis res sunt præcepta Religioni isti propria, sive considerentur actus ipsi qui præscribuntur, sive personæ quibus præscribuntur, sive modus quo præstari jubentur. Actus sunt, qui vel judicio humano particulari stulti & ridiculi sunt; quales sunt, Crede in Jesum Christum à populo suo proprio ut perduellem cruci suffixum: vel communi & naturali hominum adfectui & inclinationi plane sunt contrarii & repugnantes, quales sunt, Dilige inimicos tuos, benedic iis qui tibi maledicunt, precare pro iis qui te persequuntur, & paratus esto pro Jesu crucifixo proque fratribus tuis, bona, fortunas adeoque vitam tuam profundere. Personæ quibus actus hi præscribuntur,

ſunt ſine diſcrimine omnes & ſinguli homines, cujuſcunque ordinis, ſexus aut conditionis, ſive reges aut principes ſint, ſive plebei, ſive ſummi, ſive infimi ex fæce vulgi ſubſellii. Modus quo præſtari jubentur, eſt, ut fiant ex toto corde, ex fide non ficta, conſcientia bona, ex amore & caritate. Tertii generis res ſunt promiſſa ejuſmodi bonorum, quæ non niſi poſt mortem totiuſque hujus adſpectabilis univerſi conflagrationem obventura, in cælorum altiſſimo poſlidenda, & æternum duratura, nulloque aut dolore ſolicitanda aut morte finienda ſunt.

*Ea ad nullum alium auctorem quam ad Deum referri poſſunt.*

Hæ tres res ſunt præcipuæ iſtæ quæ libris his continentur; & non ſemel ſed ſæpius, non leviter ſed graviter, non ludicre ſed ſeriò, cum inaffectata dictionis ſimplicitate proponuntur, inculcantur, urgentur, & perurgentur. Eæ ut alium quam Deum autorem habeant fieri non poteſt. Quis enim ſive homo ſive dæmon ſibi ipſi aut cuiquam alii perſuaſum eat, virginem parere poſſe, morbos inveteratos & nulla arte curabiles verbo ſanari poſſe, ventos verbo compeſci poſſe? imo quis (niſi exemplum dediſſet Deus) finxiſſet non iſta dumtaxat, ſed & alia ejuſmodi innumera eodem tempore ſimul facta eſſe? Supra captum & fidem humanam ſunt res tantæ, ſi exemplo careant, aut experimento. Quis vero etiam, ſive homo, ſive dæmon, etiamſi poſſit, ejuſmodi velit fingere religionem, quæ præcepta contineat apta nata ad repellendum omnes à ſui adſenſu, pleraque ingrata carni, difficilia præſtitu, toti humano generi inviſa, & à communi hominum judicio abhorrentia, & quæ an ex animo præſtentur nec ne, nec homo nec dæmon ſcire poteſt?

*Non ad hominem.*

Certe non tam iniquus in ſe ipſum eſt homo, ut ſibi ipſi tam duram legem figere velit, nec tam ſtultus aut fatuus, ut eam aliis figere ſe poſſe credat cum ſpe ſucceſſus, aut ut fruſtra eam aliis ponere velit, & ſummis quidem imiſque nullo diſcrimine; aut tam ſuperbe arrogans, ut cordium etiam ac conſcientiarum omnium arcana ad examen vocet, animoſque præceptis obſtringat fictis & commentitiis. quid dico, ut ad virtutis ærumnas & miſeram patientiam inflammare velit mortales omnes, ſpe aut illecebra bonorum quæ non modo longe excedunt obſequii humani dignitatem, & plane officio, licet exactiſſimè præſtito, improportionata ſunt, ſed & quæ ideo ſupra capacitatem humani ingenii ſunt, ut, quamquam ea ardentiſſimè cupiat & optet, in animum tamen ſuum inducere non audeat, fieri poſſe ut ea unquam adſequatur, niſi experimento certo edoctus, vel revelatione clara illuſtratus ſit ab eo quem omnia poſſe perſuaſiſſimum habet: qualia ſunt, ſuſcitatio ex morte, evectio in cælum, & immortalis vitæ gaudiique æterni communicatio?

*Non ad dæmonem.*

Et ad dæmonem ſive diabolum quod attinet, malitia ejus, & quo tenetur, humani generis odium, non ſinunt, ut ſanctiſſima ejuſmodi præcepta fingere voluiſſe credatur, & tam ingentium bonorum promiſſione ſolicitare atque impellere mortales ad perfectiſſimam ſanctimoniam. Vafrities vero & calliditas ejus non permittunt, ut Religionem fingat ingenio ſuo adverſam, & regno ſuo per ſe noxiam. Subditos ſimiles ſibi amat, non hoſtes. At religione iſta dum ſubditos ſibi quæſiviſſet, hoſtes feciſſet & perduelles, animis, ſtudiis ac moribus. Recte, inquies, ſi vera fuiſſent promiſſa, & præcepta ex animo data. Imo vero, inquam, promiſſa ipſa ſive vera ſive falſa, per ſe apta nata ſunt inducere homines ad amorem ſanctiſſimorum præceptorum, ſive ea ex animo ſive dicis cauſſa dumtaxat datorum. Sanctimoniam itaque invitus procuraſſet, regno ſuo contrariam, & pro fœderatis ac ſociis, inimicos habere voluiſſet, & non ſibi ſed Deo ſubditos feciſſet. Regeres; At præcepta adeo ſciebat eſſe difficilia, ut deſperatione eorum præſtandorum ab iis alienandi eſſent mortalium animi, atque ita ingens regno ſuo acceſſio fieret per plurium, ſi non omnium, defectionem. Atqui, inquam, promiſſa tam ſciebat eſſe ingentia, ut deſperatio facile in ſpem verteretur, quæ præceptorum omnium onera redderet facilia. Nihil enim tam grave eſt, quod non leve facit tanta ſpes, & quod non libenter ſuſcipiat quem tam ingens poſthumæ ſpei fiducia animat & firmat. Nihil ſe poſſe deſperat, qui laboris ſui præmium immortalitatem ſperat. Dices: At incredibilia ſunt, quæ ſperantur. Fatua ergo, inquam, fuiſſent promiſſa & fruſtranea. Sed vero cur incredibilia ſunt? Sane, uti ea libris iſtis continentur, non tantum non ſunt incredibilia, ſed digniſſima quæ credantur & ſerio ſperentur. Exemplum enim & experimentum in iis libris datur, quo promiſſorum certa fides facta eſt, ut tuto certoque credi ac ſperari poſſint. Quid? an & hoc exemplum finxerit veterator, ut mortalibus calcar ſubderet ad ſanctiſſimorum præceptorum obſervationem? Incredibilia ergo credibilia fecit, ut illudendo hominibus ſpe ac fide vana, ſanctiſſimos eos redderet? Profecto ſtultitiæ apex eſt, dum tibi ipſi prodeſſe vis, ea dedita opera urgere, quæ maxime tibi obſunt, & obeſſe non ignoras. Ut tam ingens ſtultitia tribuatur dæmoni, plane abſurdum eſt.

Quare dicendum omnino eſt, ſenſus illos, qui libris ſacris Novi Teſtamenti continentur, quoſque Scriptores ſacrorum librorum à Deo ſibi revelatos eſſe aſſeruerunt, tales eſſe, ut alium quam Deum autorem habere non poſſint; quia alioquin ſenſus eſſent ſtulti & ridiculi, quoſque alius nullus ſeu homo ſeu dæmon fingere aut poſſet aut vellet: contra vero, quando ii Deo autori tribuuntur, omnium excellentiſſimi ſunt ſoloque Deo digni; quippe, qui pro omnipotentia ſua res primi generis facile poteſt efficere: pro ſupremo jure ſuo res ſecundi generis, id eſt, præcepta dare poteſt carni ingrata & inviſa, explorandæ obedientiæ aut dignoſcendis probis ab improbis; pro ſanctiſſima voluntate ſua, velle poteſt dare præcepta quæ ſanctiſſima ſunt; pro inexhauſta ſua ſcientia exigere animum & cor hominum: pro magnificentia ſua promittere æterna & immortalia præmia quæ officium hominis præſtitum longe excedunt, quæ pertinent ad res tertii generis. Et hi ſenſus ſic conſiderati ſunt fundamentum ſecundum, ſive materiale potius autoritatis iſtius de qua agimus.

*Nullos in his libris ſenſus occurrere falſos, aut qui ignorantiam ſcriptorum vel memoriæ lapſum arguant.*

Dices: At occurrunt ſenſus quidam in libris iſtis, qui divini eſſe & divinam autoritatem habere non poſſunt, quia vel contradictionem cum aliis ſenſibus manifeſtariam involvunt; vel abſurditatem palpabilem in ſe habent; vel ignorantiam ſcriptorum, vel lapſum memoriæ eorum, vel mendacium arguunt. Reſp. Senſus omnes ſive ad ſubſtantiam Religionis ipſius pertineant, ſive non pertineant, nullo negotio à contradictione, abſurditate & mendacio vindicari poſſunt. Qui ignorantiam aut lapſum memoriæ ſcriptorum arguunt, ii tales ſunt, ut verſentur non circa religionis eſſentiam, id eſt, circa aliquid divina fide credendum, nec circa facti aut rei alicujus narratæ ſubſtantiam; ſed circa facti aut rei narratæ circumſtantiam, quæ non habetur ex revelatione, ſed ex ſola humana, per ſenſus accepta, & per memoriam conſervata notitia; quæ, uti omnia humana, diminui & perire poteſt, nullo veritatis principalis, quæ in ſubſtantia facti & re divina fide credenda eſt, incommodo aut detrimento. Nihil enim vetat, ut concedamus, Spiritum Dei ſanctum reliquiſſe ſcriptores ſacrorum librorum humanæ conditioni & fragilitati ſuæ, in narrandis iſtis quæ ad circumſtantiam facti pertinebant, ad quæ ſufficiebat ſenſata notitia & memoria, quamquam ea lapſui obnoxia erat. Certe ex *Joannis* VI. 19. liquet, Spiritum S. Joanni non ſuggeſſiſſe quot ſtadiis remigaſſent diſcipuli Domini, ſed ei reliquiſſe judicium ſuum proprium de ſpacio remigationis, quando dicitur, *Cum remigaſſent quaſi ſtadia viginti quinque aut triginta.* Idem cur non concedamus aliquando factum in nomine, in autore, in circumſtantia loci aut temporis alicujus, quæ extra ſubſtantiam rei ſunt, ego ſane non video. Quod ſi cui tamen id videtur durum, is amplectatur, ſi velit, interpretationes tales, quæ aptiſſimæ dari poſſunt ad vindicandum ſcriptores ſacros ab omni ignorantia & memoriæ lapſu, & quæ piis mentibus ſufficere poſſunt, etſi rigidioribus ingeniis non ſatisfaciant. Præſtat enim rigore depoſito, piam quamlibet interpretationem, licet cavillo aut difficultati alicui obnoxiam amplecti, quam lapſum ullum, etiam levem, & qui circa rei narratæ circumſtantiam ſolam verſatur, admittere. Piam autem interpretationem cum dico, nolo intelligi, eam, quæ nimis horrida, cruda, violenta, coacta, & ab omni ſpecie veri aliena eſt. Satius enim tutiuſque, & calumniæ minus obnoxium forte eſſet, liberaliter lubenterque levem lapſum memoriæ agnoſcere, ne manifeſte abſurdis & contortis favere videamur, quam abſurda nimis interpretatione uti ad lapſuum leviorum excuſationem: alioquin ſuſpicio lapſus non modo non tollitur, ſed augetur, & quia culpa non agnoſcitur, non bona fide veritas à nobis quæri, ſed pertinacia pro cauſſa qualibet indui videtur: quod non poteſt ac non debet non videri Chriſtianæ Religionis profeſſoribus eſſe quam probroſiſſimum. Sed per piam interpretationem intelligo eam, quæ etſi ſcrupulo aliquo non caret, talis tamen eſt ut pio homini, etſi non rigidiſſimo cavillatori ſatisfaciat. Cavillatio enim finem non habet, & animum arguit indocilem & ab ἀκακίᾳ alienum.

Dices: Si admittatur ſemel, ſcriptores ſacros in minima aliqua re potuiſſe labi, & reipſa lapſos eſſe memoria, periculum eſſe ut in gravioribus, adeoque graviſſimis, idem aliquando aut accidiſſe aut accidere potuiſſe, ſi quis urgeat, admittendum videatur. Reſp. 1. ut ſupra. Si periculum iſtud evitari poſſit commoda & pia aliqua interpretatione iſtorum locorum, in quibus lapſus memoriæ circa res leviores contigiſſe videtur, præſtat ut ſcriptores ſacros nunquam memoria lapſos eſſe aſſeramus. Si non poſſit niſi incommoda & contorta interpretatione fieri, ſatius eſt agnoſcere lapſum, ne videamur ἀκαταγνώμονες. 2. Periculum, ut in

gra-

gravioribus ſenſibus idem accidiſſe, aut accidere potuiſſe, admittere cogamur, nullum eſt. Senſus enim graviores, qui utiliſſimi ſunt ad religionem, & graviſſimos, qui de religionis eſſentia ſunt, non permiſit Deus labili ſcriptorum memoriæ, nec à naturali eorum ac ſenſata notitia dependere voluit, ſed à ſua propria ſeu inſpiratione ſeu adſiſtentia & adſidua directione. Ratio eſt, Ab his enim pendet æterna hominum ſalus, quam certam & extra omne periculum poni gloriæ Dei intererat; quippe qui ſalutis hominum cauſſa religionem iſtam annunciari fecerat. Certa autem eſſe non poterat, niſi ſenſus iſti certi & indubitati eſſent, ſine quorum cognitione ac fide ſalus obtineri non poteſt. Ut itaque ſenſus tales Deus ab infallibili ſeu inſpiratione ſeu directione ſua divina pendere faceret omnino neceſſarium erat. Cæterum aliorum iſtorum ſenſuum, quos an ſcias an neſcias nihil aut parum ad ſalutem refert, alia ratio eſt. In his enim lapſus memoriæ periculum nullum ſaluti hominum adferre poteſt. Quare ab his ad illos concludere plane eſt impertinens. Adde quod ſenſus graviſſimi ſive neceſſarii tam crebro & frequenter in his libris occurrant, ut lapſus memoriæ in iis metui non poſſit, pluribus abunde ſufficientibus, ad demonſtrandum unum alterumve, ſi quod forte μνημονικὸν σφάλμα in hoc aut illo exſtare videretur, non ſcriptorum ſacrorum σφάλμα, ſed aliorum exſcriptorum eſſe debere. Tam abunde proſpexit humanæ ſaluti Deus Opt. Max. ut neceſſarios ſenſus non voluerit in arctum redigi, aut verſiculo uno alterove, facile vitiabili contineri, ſed eos per univerſum corpus ſcriptorum paſſim hîc illic diſperſos voluerit, ut ſcientia eorum tuta foret, & extra dubitationis periculum ac ſuſpicionem σφάλματος μνημονικοῦ. Tum ea eſt ſenſuum neceſſariorum ratio, ut non dependeant à vocula una, à circumſtantia loci, temporis, nominis, numeri, aliiſque, in quibus lapſus memoriæ facile poteſt accidere; ſed ſua vi conſtent, adeoque plani ſint & perſpicui, ut error vel lapſus memoriæ, aut non poſſit in iis locum habere, aut ſi forte quis ſtudio eum adulteratum velit obtrudere, error ſtatim deprehendi poſſit à quolibet ſanæ mentis, & qui ſine affectu judicat. Quod adeo verum eſt, ut non dubitem affirmare, ſi quis ſenſum aliquem neceſſarium ad ſalutem iis ineſſe dicat, qui prima fronte abſurdus & rectæ rationi repugnans eſt, is eo ipſo judicandus ſit ſenſum falſum adfingere, & ſolo aut præjudicio aut malitia rectum & clarum ſatis ſenſum pervertere.

## CAPUT V.

### Iſtorum librorum auctoritatem non pendere quod ad nos à teſtimonio Eccleſiæ.

*Scripturæ auctoritatem eſſe independentem ab omni alia auctoritate.*

EX his ita poſitis conſequitur, Autoritatem horum librorum eſſe prorſus independentem ab alia omni autoritate, quocunque tandem nomine ea venire poſſit, ſive divina, ſive humana, ſive humano-divina dicatur: ſic ut nulla alia autoritate opus ſit ad certo ſciendum & firmiter credendum, libros iſtos divinos eſſe, quam iſta una, quod qui ſcriptores iſtorum librorum fuerunt, divini viri fuerunt, quos divina inſpiratione & motione actos fuiſſe conſtat, ad dicendum & faciendum ea quæ libris iſtis ſcripta & comprehenſa ſunt, ſi vera eſt, uti jam probavimus, hiſtoria, quæ libris iſtis continetur. Ratio per ſe manifeſta eſt. Divini libri Deum autorem habent. Impoſſibile autem eſt ut autoritas divina aliunde pendeat. Divinum enim eſſe, eſt independens eſſe. Dices: Eſto. Ex hoc conſequitur quidem libros iſtos ex ſe & in ſe divinos eſſe & ſic autoritatem divinam habere, at non eos quoad nos autoritatem divinam habere. Imo vero, inquam, autoritas nihil abſolutum dicit, ſed relationem importat ad nos in primo conceptu ſuo: quia autoritas aliud nihil eſt quam jus obligandi nos ad aſſenſum, obſequium, & fidem eorum quæ dicuntur, mandantur, promittuntur. Rectè, inquies: At non importat relationem ad nos, niſi media ſcientia, qua certi primum reddimur, libros iſtos divinos eſſe, ſcriptos à divinis iſtis viris, quorum nomina præ ſe ferunt. Iſta ſcientia ex libris iſtis haberi non poteſt, ſed aliunde ut habeatur neceſſe eſt. unde verò, niſi ex teſtimonio Eccleſiæ? Ab illo itaque ut eorum autoritas in ordine ad nos pendeat neceſſe eſt. Reſp. Hic πρῶτον ψεῦδος latet, quod detegendum nobis ſerio eſt. Dico itaque, Aliud eſſe, ſcire ac credere librorum horum ſcriptores, fuiſſe hos aut illos: Aliud librorum horum ſcriptores, fuiſſe viros divinos, & qui non niſi divino aut inſpirante aut adſiſtente Spiritu ſcripſerunt. Ad iſtud ſciendum & credendum teſtimonio opus erat, & humanum dumtaxat ſufficiebat. Ad hoc nequaquam.

Quod ſic demonſtro; 1. Quod ſcriptores librorum iſtorum ii eſſent, quorum nomina libri præ ſe ferunt, exempli gratia Euangelii ſecundum Matthæum, Matthæus & non Andreas, Euangelii ſecundum Joannem, Joannes & non Bartholomæus, Philippus, &c. ſciri poſt mortem eorum non poterat niſi ex teſtimonio eorum, qui vel coram ipſos id dicentes audiverant, vel autographa eorum viderant, vel ex amanuenſibus aut familiaribus eorum id reſciverant. 2. Teſtimonium iſtud præbere poterant non modo familiares intimi, & per omnia in fide ac ſententia eis ὁμόψηφοι, ſed & ii qui cum iis converſati erant, etſi ab iis diſſentiebant, ſive tota Religione, ut gentiles & Judæi, ſive ſola opinione, ut Diotrephes, aliique hæretici, &c. Et teſtimonium utrorumque valere debebat; horum verò etiam longe prævalere illorum teſtimonio, ſi idonei modo teſtes erant, de quorum certa ſcientia & fide in teſtando dubitari jure non poterat. Ad teſtimonium enim perhibendum aliud nihil requiritur quam teſtantis certa ſcientia, & fides minime ſuſpecta ab odio aut gratia. Vide Digeſta, lib. XXII. tit. V. parag. 3. Si teſtimonium ſuſpicione careat vel propter perſonam à qua fertur, quod honeſta ſit, vel propter cauſſam, quod lucri, gratiæ, aut inimicitiæ cauſſa non fiat, admittendus eſt teſtis. Ex his duobus ſequitur: Ad ſciendum qui fuerint librorum ſingulorum Scriptores, quoad nos nunc attinet, non requiri autoritatem teſtandi, ſed tantum ſenſatam notitiam, ſive humanam ſcientiam quæ à ſenſibus pendet, eamque quæ etiam cadere poteſt in eos, quibus nulla teſtandi autoritas competere poteſt, dummodo ea competant quæ ad teſtimonium fidele perhibendum ſufficiunt, cujuſmodi ſunt hæretici aliique, quando eo ipſo adducuntur, ut teſtentur, libros hos illius aut hujus eſſe ſcriptoris, quia ejus opinionem iis contineri ſciunt à qua ſe profeſſi ſunt & profitentur diſſentire, nihil affectui in alteram partem dantes. Adde, quod teſtimonium eorum magis fide dignum videri debeat, quorum non intereſt ut hi aut illi ſcriptores iſtorum librorum habeantur, quam quorum intereſt; maxime autem eorum, quorum intereſt, ut non hi ſed alii ſcriptores eſſe cenſeantur, imo ut iſta nunquam ſcripta ſint quæ libris iſtis continentur, quæ à talibus à quibus diſſentiunt, ſcripta eſſe ipſi evidentia veritatis convicti agnoſcunt, & ultro teſtantur ab iis ſcripta eſſe; cujuſmodi ſunt hæretici, hoſtes & inimici, ſive religionis, ſive opinionis iſtius quæ libris iſtis continetur. Eo ipſo enim quod iſti, quos ipſi agnoſcunt & fatentur ſcriptores eſſe librorum iſtorum, revera eorum ſcriptores fuerint, maxime gravatur eorum ſeu Religio ſeu opinio, quod eos viros divinos fuiſſe exploratum omnibus erat & indubitatum, unde eos ab iis diſſentientes errore teneri recte colligebatur.

*Quid requiratur ad ſciendum ſcriptores librorum ſacrorum eos eſſe quorum nomina libri præ ſe ferunt.*

Quod ad alterum attinet: Ad ſciendum & credendum ſcriptores librorum iſtorum viros divinos & fide dignos fuiſſe, nec teſtimonio opus erat, nec teſtimonium ullum ſufficere poterat. Teſtimonio opus non erat; quia ſcriptores ipſi non tantum aperte in ipſis libris iſtis profitentur, ſe ab ipſo Deo divinoque ejus ſpiritu ſcientiam eorum accepiſſe, ſed & Deus ipſe tot divinis factis, miraculis, ac virtutibus per ipſos editis id teſtatum fecit, ut divinioribus teſtatius id facere non potuerit: adeo ut eo ipſo, quod autores eorum librorum eſſent viri iſti, ea quæ ſcriptis eorum libris continentur, divina eſſe abſque ullo alio teſtimonio omnibus eſſet perſuaſiſſimum. Eſto, inquies: Ex eo ipſo conſequitur, quod ii, qui eos librorum iſtorum ſcriptores eſſe teſtabantur, eadem opera teſtabantur eos divinos eſſe, & ſcripta eorum divina. Reſpondeo: Id conſequi non per ſe, ex vi teſtimonii iſtius, tanquam divini, ſed per accidens reſpectu eorum qui teſtabantur. Non enim teſtabantur quod divini eſſent, ſed teſtabantur quod ab iis ſcripti erant, qui divini erant, ſive eos divinos eſſe agnoſcerent, ſive non agnoſcerent. Teſtabantur enim, exempli gratia Euangelium Matthæi eſſe à Matthæo ſcriptum, non qua Matthæus Apoſtolus aut vir divinus erat, ſed qua Matthæus erat, non autem Andreas, Philippus, Bartholomæus, Thomas, &c. Hoc enim teſtimonium nitebatur ſenſibus eorum, aut ſenſata experientia, quæ communis eſſe poterat omnibus oculatis auritiſve teſtibus, etiam iis, qui eos divinos viros eſſe non agnoſcebant, & tamen eos librorum iſtorum ſcriptores eſſe certiſſima experientia, & omni exceptione majore exploratum habere poterant. Ex quo colligo ſecundum: Quod teſtimonium hujuſmodi ſufficere non potuiſſet. Nam ad teſtandum ſcriptores aliquos, divinos viros ſive à divino Spiritu adflatos fuiſſe, & ſenſus à Deo dictatos ſcripſiſſe, ſenſata notitia ſufficere non poterat, ſed alia nova divina revelatio requirebatur. Nemo enim certo ſcire poteſt Deum alteri locutum eſſe, niſi Deus ipſe id ei revelet.

*Quid requiratur ad ſciendum eos viros divinos fuiſſe.*

Eſto, inquies: Revelatio iſta facta eſt Eccleſiæ, ut ea id teſtaretur. Atqui, inquam ego, unde id conſtat? Nam id nec opus erat fieri, nec poſſibile, niſi in infinitum eatur. Non

opus erat ut id fieret, quia posito testimonio tantum isto, quod isti scriptores revera scriptores erant istorum librorum qui iis inscribuntur, certum erat atque indubitatum libros istos divinos esse. quid itaque alio testimonio opus erat? Sed nec possibile erat ut id fieret, nisi in infinitum progredi velimus. Nam aut volumus suffeciſse ad hoc, ut scriptores illi divini haberentur, quod testimonium ipsis à Deo perhibitum esset, vel quod ipsi de se testati fuerant se divinitus edoctos fuisse ea quæ scribebant, aut nolumus. Si volumus suffeciſse, tum utique possibile videri non debet, ut Deus alio testimonio ad id confirmandum uti voluerit. videretur enim voluisse significare, testimonium istud prius sufficiens non esse. Nec est quod hîc dicas Deum ex superabundanti testari voluisse. Nam hîc agimus de testimonio quod necessarium fuisse dicitur ad certo sciendum, quod autores isti divini essent. Superfluum autem non est necessarium. Quare si dicamus alterum, videlicet non suffeciſse istud divinum testimonium, sed aliud insuper necessarium fuisse, præterquam quod sine summa Dei ignominia, & scriptorum istorum injuria, id dici non possit, dico insuper nec hoc sufficere posse. Nam ut constaret hoc etiam testimonium divinum esse & divinæ autoritatis, omnino necessarium erat. At divinum esse & divinæ autoritatis ut constaret, alia autoritate aut testimonio divino rursum opus erat in ordine ad nos, & sic porro in infinitum. Cur enim hoc testimonium sufficiat, & non illud, imo cur hoc magis quam illud, & illud magis quam aliud? &c. Tum, aut volumus testimonium istud in ordine ad nos sufficere, idcirco quod scriptores librorum istorum, istud testandi jus de libris suis ratum esse velint, aut idcirco quod qui id testantur, jure suo id facere possint ac faciant. Si prius dicatur, tum necesse est, ut horum testimonium dependeat à testimonio librorum istorum, atque ita testimonium librorum ipsorum per se sufficiat atque independens sit. Si posterius, tum quæritur unde de jure isto testantium proprio nobis liquido constare possit, ut in ordine ad nos autoritatem habeat? aut cur jus istud testandi independens sit, aut magis independens, quàm est jus istud testandi, quod scriptores ipsi sibi tribuunt? Non est quod dicas; quia autores isti sive scriptores de se ipsis testantur; quia idem regeram fieri, quando dicitur, eos, qui de ipsis testantur, de se ipsis testari, quod à Deo testandi jus ac potestatem habeant. Jam sumus ergo pares. Concludo: Nisi in primo consistatur, in nullo stari posse, sed in infinitum eundem esse. Ex hoc etiam consequitur fruſtra esse, si dicas, diversam esse testandi rationem; libros enim sive autores librorum sacrorum, qui de se ipsis testantur, mortuos & mutos esse testes; Ecclesiam vero esse testem loquentem & vivum. Nam ad rem non facit, sive testis sit mortuus sive vivus, sive loquens sive mutus. Si mortui testimonium alio testimonio opus habet, quia de se ipso testatus est; profecto & loquens testis alio testimonio opus habeat necesse est, quando de se ipso testatur. Loquela enim per se non facit ad testimonio vim ullam conciliandum. Est enim ex iis quæ testimonio accidunt, quod testimonium videlicet aut voce aut scripto fiat. Quin imo scriptum aliud nihil est quam vox scripta, sive sensus scriptus, qui voce prolatus fuit aut proferri potest. Quare, qui testi mortuo testandi autoritatem derogat quæ apud nos valida sit, idcirco, quia de se ipso per scriptionem testatur, is eadem opera & pari jure autoritatem loquenti testi derogat, quia de se ipso loquendo testatur.

*De Pontificiis qui Scripturæ autoritatem pendere volunt ab autoritate Ecclesiæ Romanæ, seu Papæ.*

Ex dictis colligo, Sententiam Pontificiorum, qui Scriptorum horum sacrorum, sive S. Scripturæ autoritatem pendere volunt ab autoritate Ecclesiæ suæ Romanæ, sive potius Papæ sui, tanquam capitis Ecclesiæ Catholicæ, testantis eos divinos libros esse, testimonio judiciali & infallibili, ut alia jam non allegem, absurdam esse & quæ se ipsam plane destruit. Nam primo eo ipso quo autoritatem Scripturæ derogat, etiam Ecclesiæ suæ eam derogat. Jus enim testandi quod sibi tribuit Ecclesia, cur potius aut potentius seu validius censeatur jure testandi quod sibi tribuit Scriptura? utrobique par ratio est, ergo par jus. Et si hoc jus non agnoscunt Scripturæ competere, aut saltem testimonium ejus non sufficere quoad nos, certe agnoscant necesse est, jus idem non competere Ecclesiæ, sive testimonium ejus quoad nos non sufficere. Tam enim dicam mihi incertum esse, An Ecclesia Romana istud testandi jus habeat, quam ipsi nobis incertum esse dicunt, An Scriptura jus istud habeat. Deinde, Ecclesia qua Ecclesia est, autoritatem testandi habere non potest, nisi Scripturæ autoritatem divinam absque ullo alio testimonio Ecclesiæ admiserit & fide receperit. Per fidem enim Scripturæ adhibitam, Ecclesia habet quod sit Ecclesia. Alterutrum enim ut dicat Ecclesia necesse est: Aut quod autoritate Ecclesiæ alterius adducta sit ad fidem habendum Scripturæ tanquam divinæ; & si hoc dicat, ut illa iterum Ecclesia alterius Ecclesiæ autoritate adducta dicatur ad id credendum, necesse est; & sic in infinitum ibitur. Aut quod ab & ex ipsis Scripturis eam autoritatem testandi acceperit; & sic Scripturam ipsam autoritatem ante habuisse, in ordine ad Ecclesiam istam testandi de divinitate sui concedat oportet. Neque enim dare potest Scriptura quod ipsa non habet. Dices: Ecclesiam autoritatem testandi accepisse immediatè ab ipsis Apostolis. Resp. Esto: At unde id certum esse constat in ordine ad nos? Nam & Scriptura autoritatem testandi ex se & in se habet, ut ipsi fatentur, & tamen in ordine ad nos id certum esse posse negant, nisi interveniat autoritas Ecclesiæ. Quæ ergo autoritas interveniet, qua nos certi reddamur de eo, quod autoritatem istam immediatè ab Apostolis acceperit Ecclesia. utrumque enim in ordine ad nos æque incertum est. Deinde dico, Ecclesia autoritatem istam accepit, aut antequam Ecclesia erat, aut cum jam Ecclesia facta erat. Ut Ecclesia autoritatem istam testandi accepisse dicatur, antequam Ecclesia adhuc esset, per se absurdum est. Ut dicatur eam accepisse cum jam Ecclesia esset, non minus absurdum videri debet: quia tum Scripturarum ipsarum autoritate, absque ullo alio testimonio adducta fuisset ad credendum iis, aut si absurdum non est, cur eadem autoritate nos jam adduci non possumus ut Scripturas divinas esse credamus? Dices, Ecclesiam ab ipsis Apostolis accepisse, quod scriptores istorum librorum essent ii, quorum nomina libri præ se ferunt. Rectè, inquam. hoc est illud quod nos hactenus contendimus, Ecclesiam primitus certo resciviſse ac deprehendiſse, quod libri isti sacri, autores haberent eos quorum nomina præ se ferunt: sed id Ecclesiam non resciviſse proprie qua Ecclesia erat, sed quatenus homines erant, qui sensu atque experientia, aut documentis certis atque idoneis instrui poterant: & instructi qua homines, non qua fideles homines, id est, non qua Ecclesia vera erant, testari poterant de eo quod resciverant. Testimonium ergo eorum non fuit nisi testimonium humanum ea in re, quod sensibus nitebatur atque experientia: quod sane omnino distinguendum est à testimonio, quo ii testati dici possunt sensus istis libris comprehensos, & autores istorum librorum divinos esse. Hoc enim testimonium à sensibus pendere nullo modo potest. Tum, aliud sanè est testari, aliud testandi autoritatem habere. Autoritas testandi vim testimonio addit, per quam testimonium eo ipso quod testimonium sit, validum per se redditur. At testimonium etiam verum dari potest, absque ulla superaddita testandi autoritate; quia etiam ab infidelibus testimonium perhiberi potest, non minus, si non magis fidele ac legitimum, quam est illud quod à fidelibus datur, de eo quod à sensibus atque experientia certa pendet: quale erat testimonium de autoribus sacrorum librorum. Et hoc ipsum est testimonium illud universum, quod Ecclesia Christianorum continua traditione & successione dat, de libris istis, quod videlicet eos acceperit ab Apostolis eorumque coætaneis, tanquam libros ab ipsismet vel scriptos vel approbatos, quibus religionem suam contineri ait: non quod Ecclesia vel traditio positive eos discernat, & suo quodam peculiari labore per Spiritum sanctum cognoscat, sive cum autoritate & judiciaiter testetur eos divinos esse, sed quod eos ab initio ab autoribus istis acceperit, & per continuatas successiones conservatos, pro ejusmodi semper libris agnoverit & habuerit. Et hac quidem in re nullum speciale privilegium habet Ecclesia Romana, aut Occidentalis, sed maximum merito habet Orientalis, si non unicum, utpote in qua libri istri primitus fere scripti & conservati sunt. Unde non immerito tyrannidis manifesta est Ecclesia Romana, quæ tum sola sibi privilegium istud testandi supra alias omnes arrogat, tum sola insuper autoritatem usurpat, ut in Canonem sacrorum librorum adsumat quos vult, & statuat infallibiliter tam de libris quam de librorum sacrorum sensibus, qui & quot ad salutem creditu aut non creditu necessarii sint: qua major & immanior tyrannis dari non potest.

*Responsio ad objectionem, de perfecto Scripturæ Canone.*

Hinc patet 1. quam frivola sit illa solemnis & pervulgata Pontificiorum objectio: Habere perfectum, integrum, & completum canonem, est maxime necessarium ad fidem & religionem. At sine autoritate Ecclesiæ perfectus, integer, & completus canon haberi non potest. Ergo. Ut enim jam de majore nihil dicam, quæ hujus loci non est, & ex mente Pontificiorum accepta falsa est. (Canon enim ex mente eorum non significat nisi corpus Canonicum, quod ex libris illis quos jam habemus, veluti partibus essentialibus aut integralibus compositum sit. Tale enim corpus sive totum completum habere ad salutem necessarium non est. Potest enim fidei ac vitæ canon perfectus haberi, etiamsi non habeantur hi aut illi libri, qui corpus istud Canonicum consti-

conſtituere dicuntur. Et in principio naſcentis Eccleſiæ non fuiſſe tale quale nunc habemus, corpus Canonicum, dubitari non poteſt. Diu enim multumque de nonnullis libris apud Eccleſias complures hæſitatum fuiſſe ex hiſtoria Eccleſiaſtica liquet. Sed nec neceſſe eſt præciſe ſcire aut credere quod corpus tale ſit, aut quod hi & illi libri ad corporis iſtius conſtitutionem & complementum pertineant: imo iſtud ſcire ac credere, non eſt ſcire ac credere aliquid quod divina ſcientia ac fide ſciendum ac credendum eſt; ſed quod humana dumtaxat fide credendum eſt. quia non dependet à divina aliqua autoritate, id eſt, ſeu revelatione ſeu præſcriptione, ſed tantum ab humana induſtria & cura, quæ ne libri ſinguli, aut facile perirent, aut difficulter cuſtodirentur, eos in unum corpus redactos, & ſimul conjunctos in uno eodemque volumine ad manum cuique eſſe voluit.) ut, inquam, de Majore hac jam non amplius dicam: Minor falſa etiam eſt. Nam tale corpus Canonicum habere, nihil aliud eſt, quam iſtos omnes ac ſingulos libros, qui in regiſtro ſive catalogo eorum librorum, qui ab Apoſtolis aut Apoſtolica cum approbatione ſcripti fuerant, in unum corpus digeſtos habere. At hoc non dependet ab autoritate Eccleſiæ, poſitive & poteſtative judicantis eos divinos eſſe; ſed à ſenſata cognitione & indubitata experientia, quod illi libri à viris Apoſtolicis ſcripti ſint; & quidem ab experientia eorum qui id primitus nunc de hoc nunc de illo libro reſciverunt, ſive ii ad Eccleſiam pertinerent, ſive non pertinerent. Hos libros, ubi accurata facta diſquiſitione cognitum reſcitumque fuit autores tales habere, Eccleſiæ Chriſtianæ omnes, primum eæ à quibus accuratior illa diſquiſitio facta fuerat, inde aliæ iſta ipſa diſquiſitione cognita, pro talibus receperunt, & in canonem, id eſt regiſtrum ſive catalogum ſcriptorum Apoſtolicorum retulerunt: & quia per ſe certum erat ſcriptores iſtos divinos viros fuiſſe, perpetuo & ſedulo eos, tanquam κειμηλια quædam, in cætibus ſuis conſervarunt; non peculiari quodam judicio ſuo confirmantes eos divinos eſſe, (id enim opus non erat) nedum autoritate aliqua ſua eos Canonicos eſſe & pro Canonicis haberi jubentes; (id enim non modo non erat opus, ſed cum ignominia & injuria ſcriptorum iſtorum ſumma conjunctum:) ſed tantum eos pro talibus agnoſcentes, & quidem ut id agnoſcerent adductæ iſtis documentis & experimentis, quæ ad convincendum quemlibet idonea ſunt atque ſufficiunt; ut autoritate ulla alia ad id opus non ſit. Idem teſtantur hodieque Eccleſiæ Chriſtianæ omnes, non qua ſunt Eccleſiæ, aut quia ſunt Eccleſiæ Chriſtianæ, nedum quia aut qua ſunt Eccleſiæ hæ aut illæ, puta Romana, Antiochena, Hieroſolymitana, &c. (Sic enim ſuſpectum potius quam validius redditur teſtimonium earum;) Sed qua fidæ ſunt cuſtodes & promicondæ iſtorum librorum, quos cognitum olim fuit à viris Apoſtolicis conſcriptos eſſe. Nec teſtantur hoc cum autoritate aut poteſtate aliqua judiciali, qua ſtandum neceſſariò eſt, & idcirco ſtandum quia ab iſtis datur; ſed humano dumtaxat modo, & quem cum omnibus idoneè teſtantibus communem habent: quia videlicet eos ab iis acceperunt, qui diligenti inquiſitione facta, tandem certo certius reſciverunt, quod librorum iſtorum autores ii eſſent, de quorum canonica in ſcribendo aut approbando autoritate nulli dubium erat.

*Spiritus S teſtimonium internum non requiri ad hoc, ut credamus Scripturæ libros eſſe divinos.*

2. Hinc patet ineptos eſſe eos, qui vel præter vel citra teſtimonium Eccleſiæ, requiri ajunt internum Spiritus ſancti teſtimonium, ad hoc, ut libros hos divinos eſſe, & autoritatem divinam habere intelligamus. Nam 1. Spiritum ſanctum eſſe, qui teſtetur, nec ſcire nec credere quiſquam poteſt, niſi primum ſciat ac credat libros hos divinos eſſe. Nuſpiam enim alibi iſtud quam in libris iſtis traditur, & ut ex natura illud habeatur impoſſibile eſt. 2. Certum eſt ex libris his, Spiritum ſanctum non dari niſi iis, qui jam credunt libros iſtos divinos eſſe, imo qui ſenſibus illis qui libris iſtis continentur, jam adſenſum adhibent, & ad eos ſe componere parati ſunt, uti videre eſt *Joan.* VII. 38. & XIV. 17. *Act.* V. 32. *ad Gal.* III. 2: & IV. 6. *Act.* XV. 7. 8. 3. Dato etiam, non conceſſo, Spiritus ſancti teſtimonio interno ad eam rem opus eſſe, id tamen non ſufficeret in ordine ad nos de autoritate divina iſtorum librorum certiorandos. Ad ſummum enim teſtimonium iſtud certos tantum redderet eos, qui Spiritus iſto teſtimonio donati eſſent; ſed verò ad alios ea de re certos ac ſecuros reddendos, nullam prorſus vim haberet. Nemo enim vim teſtimonii iſtius capere poteſt, niſi qui eam ipſe percipit, aut qui teſtimonium iſtud accipit. Adde 4. Sed nec ſufficeret ad eum ipſum, qui teſtimonio iſto ſe donatum affirmaret, debitè ac legitimè certum ac ſecurum reddendum de librorum ſacrorum divinitate: Debitè, inquam, ac legitimè; quia abſolutè fieri poſſe non negamus, ut Deus aliquem teſtimonio tali ſuo certum reddat ac ſecurum. Nam aut volumus eum certum ac ſecurum reddi teſtimonio iſto, quia credere atque in animum ſuum inducere vult, teſtimonium iſtud eſſe teſtimonium Spiritus Sancti, & divinum afflatum; aut, quia ſcire ac ſentire ſe dicit eſſe teſtimonium ſancti Spiritus, & non aliud quid. Si prius volumus, tum ſane debite ac legitime certus non eſt; non magis quam debite ac legitime certus dici poteſt, qui contrarium credere atque in animum ſuum inducere vult. Si poſterius volumus, tum ſane debite etiam ac legitime certus non eſt, quia ſcientiam ac ſenſum iſtum teſtificantis Spiritus ſibi vendicat, antequam certus eſt, Deum teſtimonio tali ad id perſuadendum & certum nobis reddendum uti velle. Nondum enim credit aut certo ſcit verbum illud divinum eſſe. Scit itaque ſine verbo & ſine fide verbo ulli divino, ex quo de teſtimonio Spiritus S. certus reddi poteſt ac legitime reddi debet, adhibita, teſtimonium hoc eſſe S. Spiritus teſtimonium: quod profecto eſt non debite, nec legitime ſcire, ſed opinari & φαντάζεσθαι. Enimvero quæ eſt regula iſta divina, ex qua, aut ad quam cognoſcit illam ſuam, quam appellat, ſcientiam, eſſe rectam ſcientiam, & divinæ voluntati conformem? ſive, quæ eſt nota illa characteriſtica, per quam diſcernit, iſtam ſuam perſuaſionem non eſſe meram opinionem, & mordicus arreptam imaginationem, ſed ab ipſo Spiritu S. inditam & impreſſam perſuaſionem? Pone enim, ex. gr. Judæum aut Mahumedanum aſſerere pari animo ac fiducia, Spiritum Dei ſanctum ſibi teſtari libros iſtos non eſſe divinos, quam viam inibit, ut ſuum vel quod ſibi datum ait, teſtimonium verum, horum vero falſum eſſe doceat. Omnino par utrobique erit ratio & par jus, nec diſcriminis ulla nota aſſignari poterit. Dices: Illi ſine verbo & præter verbum id ſibi perſuadent. Idem, inquam, ille facit, qui libros hos divinos, divinum verbum eſſe, negat ſciri poſſe, niſi accedat teſtimonium Spiritus S. Teſtimonium enim illud neceſſe eſt ut ſibi dari credat ac dicat tum, quando nondum ſcit ac credit verbum divinum eſſe. Sine verbo ergo & præter verbum ut iſtud teſtimonium habeat neceſſe eſt. Dices: Ex ipſis illis libris colligit teſtimonium Spiritus S. neceſſarium eſſe. Atqui, inquam, hoc ipſum etiam eſt, quod nondum ſcit aut credit eſſe divinum verbum, & ad quod ſciendum ac credendum opus eſſe ait teſtimonio Spiritus ſancti. unde vero; niſi quia ſine verbo id ſibi ipſi perſuaſum ire vult? Itaque in eodem cum Judæis, Turcis, aliiſque, perſuaſionis imaginariæ luto hæreat neceſſe eſt.

Dices: Et tamen in ipſis illis libris dicitur Spiritum ſanctum teſtari in cordibus fidelium. Recte, inquam. Sed ex eo ipſo conſequitur, fieri poſſe, imo neceſſe eſſe, ut quis prius credat divino verbo, libris iſtis comprehenſo, quam teſtimonium iſtud Spiritus S. aut habeat aut percipiat; ac proinde teſtimonium iſtud internum ad fidem habendum divinis iſtis libris neceſſarium non eſſe. Et ſane niſi hoc dicatur, tum neceſſe utique eſt, ut aſſeramus, verbum divinum non eſſe medium ſive inſtrumentum, quo Deus uti vult ad fidem in nobis efficiendum, aut ad nos regenerandum. Ratio eſt: Quia teſtimonium iſtud Spiritus S. quod neceſſarium eſſe dicitur ad credendum libros hos divinos eſſe, non datur per verbum ſive per libros iſtos, ſed de verbo ſive de libris iſtis. Hoc autem quam directe adverſetur Scripturæ S. ſive verbo iſti, ex locis iſtis colligere eſt, ubi verbum iſtud, *ſemen* eſſe dicitur, per quod ſive ex quo regignimur: 1 *Pet.* I. 25. Verbum autem, de quo loquitur Petrus, eſſe verbum hoc ſcriptum, apparet ex eo, quia dicit: ***Hoc eſt autem verbum illud quod euangelizatum eſt inter vos.*** Euangelizatum autem & ſcriptum verbum unum idemque verbum eſt. Item ubi *ex auditu verbi* iſtius *fides* dicitur gigni, ſcilicet verbi prædicati, ut ex textu liquet, quod idem cum ſcripto eſt: *Rom.* X. 17. ut alia jam non allegem.

*Libros ſacros ad nos incorruptos pervenisse.*

Sed digreſſi paulum ſumus ab inſtituto principali noſtro, quod erat, demonſtrare, ad hoc ut certo ſciamus libros hos divinos eſſe, ſufficere, ſi certum ſit eos ſcriptos eſſe ab iis autoribus, quorum nomina præ ſe ferunt. Iſti enim quin divini fuerint viri, & à Deo electi, inſpirati, directi, ad docendum & tradendum ea quæ libris iſtis continentur, dubitari non poteſt: ſi modo vera eſt hiſtoria quæ de iis refertur. Hac enim adſtructa, (quod jam à nobis factum abunde arbitror) tum neceſſario ſequitur, nec Eccleſiæ, nec interno Spiritus S. teſtimonio opus eſſe, ad hoc, ut ſciamus ſenſus libris iſtis comprehenſos divinos eſſe. Addere audeo, eoſque, in iis quæ ad Religionis eſſentiam pertinent, incorruptos & minime interpolatos ad nos perveniſſe, & ad finem uſque mundi permanſuros. Etſi enim multa ſunt quæ ad hoc ultimum membrum confitmandum faciunt, & nihil eſt quod in ſpeciem contra adferri poſſit, tamen hoc unum æquo cuilibet homini ſufficere poſſe arbitror, quod ab omni plane ratione alienum ſit, credere Deum, qui tanto cum adfectu gratiæ ac miſericordiæ filium ſuum in mundum miſit

sit ad Euangelium annunciandum ; qui viros certos ab eo eligi voluit, per quos Euangelii istius annunciatio propagaretur ; qui inter eos quosdam adflare voluit Spiritu suo ut ad conscribendum illud impellerentur, eo fine ut quid ab ipsis annuntiatum esset, post mortem eorum omnibus indubitato constaret ; Deum, inquam, hunc permittere aut voluisse aut potuisse, ut hi libri in rebus ullis ad salutem mundi cognitu necessariis, & ad gloriam sui divini nominis summam spectantibus, corrumperentur, adulterarentur aut vitiarentur, ad æternam generis totius humani perniciem, & ad indelebilem Religionis tam sanctæ ac divinæ maculam. Fieri mihi non posse videtur, ut, qui credit tam ingentis rei exordium à Deo esse, non etiam simul credat, Deum imposterum curam voluisse specialem gerere, ad rei tantæ conservationem & promotionem.

## CAPUT VI.

### Nullum esse in terris infallibilem controversiarum fidei judicem: sed unicuique incumbere, ut, si decipi nolit, omnia ad Scripturæ normam expendat.

DEnique 3. Ex his consequitur : Nihil ut divinum sive cum autoritate divina aut obtrudendum aut admittendum esse, quod ab his ipsis libris autoritatem non habet ; ac proinde.

I. Nulli personæ, nulli Ecclesiæ, nulli cœtui, nulli societati jus aut fas esse, autoritatem ullam divinam sive irrefragabilem potestatem judicandi, statuendi, decidendi de rebus fidei pro arbitrio suo, sibi arrogare, nisi eam sibi competere aut delatam esse in his libris evidenter possit ostendere.

II. Nulli cœtui, nulli personæ, nulli societati licere, vel deferre vel admittere ullam autoritatem ejusmodi divinam, nisi eam autoritate horum librorum sancitam ac stabilitam esse manifestissimè appareat. Nec sufficere ullam licet valde probabilem rationem, ad id, ut autoritatis divinæ jus alio aut transferat aut transferri permittat.

III. Omnibus ergo Christianis & singulis non licere modo, sed & incumbere ex officio, ut ab omni alia autoritate provocent ad horum librorum autoritatem, tanquam ad supremum tribunal, apud quod exigendæ & disceptandæ sunt omnes lites ac controversiæ, quæ circa fidem & religionem Christi divinam incidere possunt, & à quo petenda est divina sententia de omnibus ac singulis scitu ac creditu ad salutem necessariis ; quia videlicet constat ex iis quæ hactenus diximus istud esse Dei tribunal, & libris istis divinam ultimamque sententiam de salute hominum pronuntiatam contineri.

*Responsio ad 1. objiciorum argumentum, Deum non satis Ecclesiæ suæ securitati prospexisse, nisi aliquem summum & infallibilem controversiarum fidei judicem constituerit.*

Contra hæc quæ regeri aut solent aut possunt, ea assis non sunt : etsi cum specie aliqua obtendi incauti plebi soleant.

Primum hoc est : nisi statuatur autoritatem aliquam judicandi & decidendi uni alicui seu personæ seu Ecclesiæ competere, Deus non satis prospexerit Ecclesiæ suæ securitati, in iis, quæ ad æternam salutem ejus necessaria sunt scitu ac creditu. Resp. Imo vero, inquam, idcirco satis prospexit quia libros istos exstare voluit, qui norma sunt certa eorum omnium quæ scitu ac creditu necessaria sunt. At norma ista posita, inquies, incertus adhuc esse potest, quænam ea sint, quæ scitu ac creditu necessaria sunt. Imò verò, inquam, certissimus de iis reddi potest, quia norma non certa tantum sed & clarissima est. Atqui de sensu normæ lites sæpe sunt. At, inquam ego, decisio litium per eam facta est. Atqui de decisione ista ipsa lis est, inquies ; quia quis verus decisionis sensus sit disceptatur. Resp. Etiam istius ipsius disceptationis dijudicandæ norma ibi est, quia verus Dei sensus ibi exstat. Quo vero medio, inquies ? Ipso illo, inquam, vero sensu rite & recte expenso & dijudicato. A quo inquies ? A quolibet, inquam ; quia cujuslibet interest sensum istum rite expendere & recte dijudicare. Salus enim cujusque sua æterna in eo recte dijudicando vertitur. At sic quilibet sensus istius judex erit, inquies ? Ita est, inquam : Cujuslibet est judicare de eo quod tenetur credere ut æternum salvetur. At judicium hoc falli potest, inquies. Fateor. Sed cujuslibet est providere serio, ne fallatur. At ut ne fallatur alio judicio opus est, inquies. Id vero ego nego. Si affectum ad judicandum non adferat, sed normæ inhæreat, non falletur, ac ne falli quidem poterit ; usque adeo clara est norma & facile ac certum judicium. At ne affectibus abripiatur alio judice opus habet qui sine adfectibus judicet. At judicem istum si admittat, falli se putabit, quia frustra alioquin mandari sibi credet ut sine adfectibus judicet. Quorsum enim illud mandaretur, si judici illi simpliciter parendum sibi esse intelligeret ? Judicium enim judicis istius infallibile prorsus esset & sine affectibus. Ita est, inquies. Ergo, inquam ego, 1. Sic nullo proprio suo judicio opus habebit. 2. ut ne erret prius certus esse debet de eo quod infallibili judicio aliquo opus sit ; quia ubi de eo certus est, tum eo ipso judicium omne suum sibi adimi intelliget. 3. unde certus erit penes quem infallibile & peremtorium istud judicium sit ? Penes aliquem aut aliquos ut sit, necesse est, inquies. At de eo quis & qui isti sint, & ubi sint omnino & ante omnia certus esse debet, ne fallatur, aut ut infallibili judicio nitatur. Quomodo vero de eo certus reddetur ? An judicio rursum suo proprio ? At sic redit eadem difficultas. An sine judicio omni suo ? At quomodo tum certus reddetur ? Autoritate opus est, inquies. At qua, inquam, autoritate, humana an divina ? Humana certus reddi non potest ; quia ea fallere potest & falli. Divina, inquies. At ubi, inquam, eam reperiet extra libros hos divinos, quos solos divinæ autoritatis esse demonstratum sibi dicet ? Si dicas extra eos eam quærendam esse, tum maxime in incerto ponetur. Nam aut de autoritate illa controversia erit, aut non. Si erit controversia, qua alia autoritate aut judicio certus reddetur de vera controversiæ parte ? Si non est controversia, an jure non sit, quæret. Quo vero judicio certus reddetur de eo ? ut enim non fallatur, certissimo & infallibili judicio opus habet. Si dicas ; argumenta & judicia sive notas accipiet, ex quibus de eo certus reddatur ; nihil dices, aut eodem recides. Nam aut argumenta & notas illas accipiet ut eas approbet judicio suo proprio tanquam veras, aut ut eas admittat sine proprio judicio suo. Si prius dicas, tum judicio suo privato ut rursum stet concedas necesse est. Si posterius, quorsum tum argumenta & notæ istæ ? Non enim movebitur istis ut argumentis & notis, sed quia, velit nolit, iis eum autoritative moveri necesse est : quia alioquin autoritate non moveretur, sed argumentis, & quidem judicio suo approbatis, quod absurdum esse disputator asserit.

Necesse certe est ut tandem dicas, in istis ipsis libris autoritatem illam quærendam esse. Esto. At tum redeunt eædem difficultates. Nam 1. tum de illa ipsa autoritate judicandum ipsi erit ex libris istis privato ac proprio judicio, 2. quid si de sensibus istis, quibus autoritas illa contineri dicitur, lis incidat, ad quem judicem confugiet, aut quo judicio infallibili utetur ? Suone proprio ? At illud falli potest. Alieno ? Quo ? Hîc necesse est ut hæreant, qui infallibile judicium, & judicem aliquem loquentem ac peremtorie lites omnes dirimentem in Ecclesia esse debere contendunt. Addo jam 3. ut eos magis adhuc hærere liqueat ; Quid si in libris his divinis nec volam nec vestigium autoritatis hujus deprehendere se posse serio contendat ? Certe hoc uno argumento omnibus instantiis crucem fixerit. Enimvero sic argumentabitur. Si judice & judicio aliquo infallibili opus est, ad lites & controversias omnes de Religione dirimendum ; Si ad providentiam divinam pertinet, litium omnium finem esse, tum certè Deus librorum istorum sacrorum author, in iis expresse id cavisset, ut judicium aliquod tale semper fieret, ut judex aliquis talis certus esset, imo, quis & ubi ille semper futurus esset disertissime designasset ; adde, ut id unum tantum certissimum omnibus temper & ubique ex libris istis esset, operam dedisset. Ab hoc enim uno capite omnia dependent. Hoc fixo ratoque semel constituto, de nulla alia re magnopere laborandum est. Et sane quorsum tot ac tam multa alia in libris istis divinis tradita à Deo essent, tam diserte, tam crebro ac solicite, & istud unum omnium præcipuum ac maxime necessarium neglectum adeo fuisset, ut ne γεν quidem ejus uspiam exstaret ? Certè argumentum hoc tanti mihi ponderis ac momenti videtur, ut facilius mihi videatur credere Deum non esse librorum istorum autorem, aut libris istis non contineri quæ ad salutem generis humani faciunt, quàm credere Deum non facturum fuisse ullam mentionem tantæ rei, ex qua una fere tota salus & pax humani generis pendet, si Deus autor istorum librorum est, aut, si eam necessariam esse judicasset, & judicem loquentem in Ecclesia sua locum habere voluisset. Contra tutius certiusque esse imo tutissimum ac certissimum esse, credere Deum nolle ut lites ac controversiæ omnes hîc dirimantur judicio aliquo infallibili, sive ut judex aliquis certus infallibiliter omnia dijudicans sit in Ecclesia ; quia in istis libris nullum aut judicii aut judicis talis indicium fecit. Dices : Consequentiam non valere, quia natura rei postulat ut judex aliquis sit, ubi lex & norma est. Quorsum enim lex sine judice ? Lex enim se ipsam non dijudicat. Resp. Deus judex erit & non minus interponet judicium suum de re omni, quam olim interposuisse

fuisse legitur inter Jobum & amicos ejus tres: *Job.*XLII.7. *Exarsit ira mea contra vos, quia non locuti estis de me rectum, sicut servus meus Job.* Atqui, inquies, judicium hoc non fert Deus in hac vita. Resp. Nec natura rei postulat ut id feratur in hac vita. Hoc enim pure pute dependet à voluntate ejus cujus est judicare. Attamen, inquies, Deus istud judicium tulit de Jobo & amicis ejus in hac vita. Fateor. Sed 1. Deus id immediate ipse tulit, quia id tum ei sic visum fuit. Si tale judicium Dei etiam hîc velimus locum habere, expectandum nobis erit usque dum Deus simile judicium ferat. 2. Natura rei videbatur postulare ut id fieret, quia Deus tum nondum certam aliquam normam ac legem scriptam dederat, ad quam judicium quisque suum dirigere poterat, nedum ut tum expresse jusserit ad eam judicium quemque suum formare, & falsum à vero discernere, uti nunc fecisse ac jussisse eum scimus. Unde non obscurè colligo, Naturam rei non modo non postulare, ut judex aliquis sit, qui in hac vita de qualibet re judicium ferat, sed contra postulare, ut judex aliquis talis non sit in hac vita: quia alioquin Deus ipse tum non judicasset immediatè, sed per alium judicem, quem tum nullum fuisse manifestum est. Deinde hoc tempore quo judex talis constitutus esse dicitur, non modo non necessaria ac frustranea, sed stulta atque inepta essent omnia illa monita ac jussa divina, quibus omnes ac singulos obstringit ad probandum omnia, ad explorandum Spiritus an ex Deo sint, ad cavendum sibi à seductione, ab errore, ab impostoris & mendaciis. Quorsum enim ista, si judicem aliquem loquentem, & omnia infallibiliter judicantem Deus in Ecclesia sua semper hic esse voluisset? Quid ambagibus fallacibus aut infallibilibus opus est, ubi recta ad judicem infallibilem via est? Et quis superfluo labore se fatigare volet, ut expendat, probet, examinet, cum cura, studio, & industria omni sua, id quod recte decisum habere potest quando vult; & quod decidi contrà, id est aliter posse credit, quam ipse multo adhibito labore ac studio deciderit forte apud animum suum?

In Republ. tamen, inquies, judex est litium omnium, & unusquisque nihilominus legum scientia imbutum animum habere studet. Ita est. Sed judicis & judicii istius longe alia ratio est, quam hujus de quo nos agimus. Ille non raro ipsa legum scientia exacta caret, & instructione ab ipsis litigantibus opus habet. 2. Ille sive instructus, sive non instructus, judicat prout sibi videtur, non vero semper prout res judicari meretur. Non raro enim in judicando errat, & errasse se postmodum intelligit, & errorem suum publica sententiæ retractatione profitetur. Unde quilibet officii sui esse credit operam dare ut judicem istum bene instruat, atque ita caussæ suæ securitati, quantum in se est, consulat. Esto, inquies. Attamen peremtoriè tandem judicat, & sic litem dirimit. Fateor. Peremtoriè judicat, quia Reipub. interest lites perimi & litigantes dirimi. sed non judicat infallibiliter; nec judicium suum pro infallibili haberi jubet, nec ut à litigantibus habeatur necesse est. standum quidem & acquiescendum est utrique parti judicio isti; quia, qualecunque istud sit, ferendum est æquo animo, sive justum sit sive injustum; sed integrum unicuique relinquitur, de eo sentire prout videtur, & ab eo dissentire; quin &, si fieri possit ac liceat sine Reipub. noxa, ab eo provocare, aut data oblatave occasione ejus revisionem & retractationem postulare, etiam ab ipsis illis qui id tulerunt, tanquam à melius postidea informatis instructisque, nullo autoritatis aut tranquillitatis publicæ damno aut detrimento. Alia longe ratio est judicii hujus, de quo nos agimus, & quod in Ecclesia necessarium esse contenditur. Hoc enim ut non modo peremtorium, sed infallibile etiam sit necesse est, quia ab illo sic suspenditur litium diremtio, ut conscientiarum securitati & animarum saluti absque eo consultum esse non posse credatur. Hunc ergo judicem sic instructum esse oportet de omnibus, ad conscientiarum securitatem & salutem animarum pertinentibus litibus ac negotiis, ut in judicando de singulis errare nullo modo possit, & hoc ipsum ut ab omnibus ac singulis quorum interest, indubitato cognoscatur, prorsus necessarium est. Non posse autem hoc indubitato sciri ac cognosci, imo contrarium indubitato sciri ac cognosci posse ab omnibus præjudicio & affectu liberis, hactenus evicimus.

## CAPUT VII.

### Responsio ad locum *Deut.*XVII.8, *& seqq.* quo probatur Deum velle ut sit aliquis in tertis summus controversiarum fidei judex.

COntra dices: Posito utrimque librorum sacrorum autores esse eos, qui iis præscribuntur, & autores illos, divinos viros fuisse, & in medio relicto, an natura rei postulet ut judex aliquis sit in Ecclesia loquens, & infallibiliter omnes lites dirimens: ex ipsis libris sacris non obscurè liquet, Deum velle ut judex aliquis infallibilis autoritatis sit in Ecclesia, ex cujus judicio pendere omnes ac singulos necesse est. Quod his argumentis aut locis evincitur.

Primo: Quia ex libris Veteris Fœderis ab ipso Deo judicem talem constitutum esse apparet: *Deuter.*XVII.*vers.*8.9. 10.11.12.13. *Si laturerit te aliquid in judicio, inter sanguinem & sanguinem, inter caussam & caussam, & inter plagam & plagam, in rebus rixarum intra portas tuas, tunc surges & ascendes ad locum, quem elegerit Jehovah Deus tuus; Et venies ad Sacerdotes, Levitas, & ad judicem qui fuerit in diebus illis, & quæres, & indicabunt tibi verbum judicii; Et facies juxta verbum quod indicaverint tibi, è loco illo, quem elegerit Dominus; & observabis facere juxta omnia, quæ docuerint te. Juxta legem quam docuerint te, & juxta judicium quod dixerint tibi, facies; non declinabis à verbo quod indicaverint tibi ad dextram aut ad sinistram. Vir autem qui fecerit per superbiam, ut non obediat Sacerdoti qui steterit, ut ministret illic coram Domino Deo tuo, aut judici, morietur vir ille, & auferes malum ex Israele: ut universus populus audiat & timeat, & non superbe agat ultra.* *Locus Deuter. XVII.8. & seqq.*

Resp. Dato, sed non concesso, Deum voluisse ut in populo suo, tempore Veteris Fœderis judex aliquis esset qui lites omnes, etiam de Religione ac fide, infallibiliter dirimeret, & à populo toto pro judice tali agnosceretur, idque ex hoc loco liquere, ex eo tamen non recte colligitur; ergo Deus etiam voluit ut tempore Novi Testamenti, in Ecclesia Christi judex aliquis talis semper esset. Contrarium potius ex eo colligitur, Deum id noluisse: quia si voluisset, non minus expressum ea de re mandatum dedisset in Novo Testamento, quam in veteri dedisse asseritur. Atqui nullum tale mandatum in Novo Testamento exstare certum est.

Dices: Hoc mandato semel dato, novo mandato non erat opus. Resp. Imo vero novo opus erat, quia mandatum istud cessaturum erat destructo populo & eversa Republ. imo abrogandum erat per introductionem novæ Legis & novi Sacerdotii: uti jam abrogatum illud esse & cessare manifestum est. Esto, inquies. Abrogandum erat quoad personas & peculiarem populi statum, at non quoad formam, ordinem, sive rem principalem quæ mandato continetur, id est regimen ad populi securitatem faciens. Resp. Hoc vero est illud ipsum quod quæritur: & contra facit, quod ad formam & ordinem sive principale regimen pertinebat locus in quo judex ille conveniendus erat. Isto autem loco diruto, forma regiminis postulabat ut locus alius certus designaretur, in quo judex iste novus conveniri deberet. Deinde judicibus istis sublatis, novi judices designandi erant, quibus autoritatem eandem competere aut adtributam esse à Deo omnibus certum fieret. Dices: Idem populus est, & eadem populi utriusque ratio; hoc dumtaxat interest, quod ille Judaicus, hic Christianus est populus. Resp. Imo verò hoc ipsum etiam est propter quod forma, ordo & regimen aliud, ac longe diversum in hoc quam in illo populo requiritur; ac proinde propter quod prius regimen non tantum quoad personas, sed etiam quoad formam abrogandum fuisse, atque ita novo mandato ad regimen populi novi constituendum opus fuisse res ipsa loquitur. Nam 1. populus ille, Judaicus populus erat, id est, uni terræ Judææ sic adfixus, ut in ea sola Rempub. posset habere ac templum. 2. Populus iste non tantum erat populus qui cœtum, id est, Ecclesiam dumtaxat faciebat, sed etiam qui Rempub. & regnum constituebat. 3. Populus iste erat populus carnalis, qui non modo severis legibus, edictis atque interdictis in officio continendus erat, sed etiam pueri impuberis instar, & sub tutoribus ac curatoribus adhuc constituti, non nisi jussibus & statutis superiorum adstringendus erat, ne quid perperam ageret pro ætate atque ingenio suo, uti passim in Epistolis Pauli observare est. Denique populus iste, erat populus cui, convenienter ætati atque ingenio suo, promissa erant data carnalia, per quæ Respub. eorum tuta esse poterat, & secura ab omni motu intus forisque: intus, per judiciorum sive tribunalium autoritatem; foris, per imperii majestatem & victoriarum gloriam. Huic tali populo leges ejusmodi dari facile poterant, & ut tales darentur, tum æquum tum necesse erat. Una dumtaxat erat Civitas, unus locus ad quem convenire universo isti populo facile erat: unum erat supremum tribunal, à quo eum rerum suarum administratorem nondum satis gnarum, pendere æquum erat. Et quia carnalis populus erat, qui facile in iras, jurgia ac lites exardescebat, ut judiciorum autoritate compesceretur, necesse erat, ne Respub. dissidiis diffluerer, & tranquillitas ejus in incerto semper fluctuaret. At populi Christiani alia longe ratio est. Populus enim Christianus, qua talis, nulli glebæ, nulli certæ terræ affixus est; nullam Rempub. *Id quod populo Israelitico conveniebat, male applicatur Christiano, propter diversam utriusque populi rationem.*

Rempub. facit, nullum regnum. Accidit enim populo Christiano quod Rempub. faciat. non enim qua Christianus eam facit, sed qua populus tantum est: quia etiam sine Repub. Christianus esse potest, id est Ecclesia Christi vera. Nullis vitæ aut terræ hujus carnalibus promissis donatus est: sub tutoribus & curatoribus non est, & vitæ suæ ac fidei normam plane novam habet, & ab universa illa tum Reipub. tum Ecclesiæ Judaicæ servitute legibusque servilibus liber est. Quare quod ejus & populi Judaici eadem ratio sit, dici nullo modo potest.

*An Christus non tam bene prospexerit Ecclesiæ suæ sub Novo Testamento, quam prospectum olim erat Israeliticæ, si in ea summum aliquem controversiarum judicem non constituerit.*

Atqui, inquies; posito id ita esse, tum sane Christus non tam bene prospexerit Ecclesiæ sponsæ suæ in Novo Testamento, quam Deus olim prospexit populo suo Israelitico in Veteri Fœdere. Resp. Hoc jam est μεταβαίνειν εἰς ἄλλο γένος. Non enim jam quæritur, an Christus sic agendo non prospexerit optime Ecclesiæ suæ, saltem tam bene, uti Deus olim populo suo prospexisse legitur, dando ei judicem ad quem in omni lite confugeret. Sed quæritur an sic prospexerit, aut prospicere voluerit, & an ex libris Novi Testamenti sic eum prospexisse liqueat. Hoc enim si non liquet, tum sufficere utique nobis debet quod Christo ratio istius sui facti constet; nec ratione nostra abuti debemus ut eum aliter facere debuisse judicemus. Imo contra concludendum est, idcirco quia hoc non fecit Christus, melius prospectum fuisse Ecclesiæ in Novo Testamento quam in Veteri prospectum fuit: alioquin enim & locum designasset certum statumque, & judicem ad quem Ecclesia semper confugeret: quod certum est in Veteri Fœdere à Deo factum fuisse, in Novo autem Fœdere factum non esse.

Nec ratio deest, cur credi debeat Christum melius prospexisse Ecclesiæ suæ, non dando ei judicem unum à quo pendere debeat, quam si talem dedisset. Certum est, illum esse optimum prospiciendi modum, qui proxime & optime convenit cum scopo & intentione Jesu Christi, liberam Religionem postulantis. At ejusmodi modus, est iste modus qui non excludit laborem, diligentiam, & studium cujusque proprium, ut religionis istius normam scrutetur, & ad eam se componat. Id apparet ex eo, quia modum istum in religione sua Christus omnibus ac singulis præscripsit. Iste autem modus plane tollitur si judex aliquis infallibilis dicatur constitutus, ex cujus judicio omnes pendere necesse est, uti ex ante dictis patet. Liberrima sane religio est omnium optima, quia optime tum liquere potest, quis religionis studio ducatur nec ne. ubi adstricta sunt judicia, servitus regnat. Et ista servitus in Veteri Testamento necessaria erat, quia populus iste servi instar erat; uti diserte videre est ad *Gal.* IV. 1. 2. 3. Etsi enim hæres erat, tamen puer & infans erat, qui à servo non differt, & pædagogo opus habet. Unde ad *Gal.* III. 24, Lex ipsa pædagogus fuisse dicitur, qui populum istum sub elementis mundi detinebat, ut est ad *Coloss.* II. 20. In Novo vero Testamento servitus ista sublata est, & religio tradita quæ liberos ingenuosque decet, & pædagogo opus non habet. Itaque liberum cujusque officium ut in ea locum habeat, ipsa religionis perfectio, & eorum à quibus liberum istud officium exigitur, matura ætas postulant. Servile autem & ingenuo liberoque & maturæ ætatis populo indignum est, cum legem claram habeat, judicem adhuc unum habere ex quo pendere debeat, ut legem istam intelligat. Et divinæ legis gloriæ atque autoritati non parum injurium est, si judice adhuc opus esse dicatur, ut lex ista, aut legis istius sententia, recte & ex mente legislatoris intelligatur; quasi ipse legislator aut non potuerit, aut non voluerit dare legem, quæ à quolibet cui ea data est, æque possit intelligi. Tum, multo sanè melius prospexisse omnibus & singulis dicatur Christum necesse est, quando ab omnibus & singulis ex æquo legem suam dijudicari voluit, quam si eam ab uno aliquo judice dijudicari, & omnes ac singulos ex illo uno pendere voluisset. At, inquies: si unus certus atque infallibilis judex est, certum atque infallibile est judicium omnium & singulorum, non contra. Resp. Imo verò, si unus est infallibilis judex tum servum est judicium omnium ac singulorum. Esto, inquies; præstat servum esse quam incertum. Resp. Imo verò præstat liberum esse & certum. At certum, inquies, non est. Imò verò, inquam, certum est, adeoque certissimum, sed ea certitudine, quæ ingenuo liberoque homine digna est, & ad quam habendum liberi ingenuique hominis studium & diligentia, adfectumque male-sanorum abdicatio requiritur: non vero ea certitudine, quæ per negligentiam, securitatem, & malitiam nostram incerta reddi non potest. At vero hoc non est certum esse, inquies, sed certum esse posse, si homo sibi ipsi non obsit. Fateor. Hoc est certum esse & simul liberum. At, inquies, si certum esse potest, potest etiam esse incertum. Respondeo; Sane, inquam: alioquin liberum non esset. At libertas illa, inquies, hominibus noxia esse potest. Sane, inquam, sed non nisi vitio ipsorum proprio, quod sibi ipsi judicantes imputent, non normæ vitio, ad quam judicare debent & judicare recte possunt. At vitium hoc tollitur, inquies, si judex certus sit. Imò, inquam, ut vitium hoc non tollatur nisi per ipsos homines, æquum est, quia alioquin culpa in homine esse non posset, & sic judicium Dei tolleretur de homine, an in culpa fuerit nec ne, quod legem ejus non expenderit, non didicerit: quod judicium Deo adimere, universæ S. Scripturæ, quæ passim legis divinæ ignorantiam & negligentiam hominibus exprobrat, directe repugnat. Atque hoc inde solum est, quod Deus liberum cuique suum judicium esse voluerit, ne non voluntariè sed serviliter quisque Deo paruisse aut non paruisse videatur. At videmus, inquies, quam varie de lege divina homines judicent. Resp. Esto. At omnes & singuli recte judicare tenentur, & judicare possunt. At, inquies: quia judicia ista tam multa variant, lites manere necesse est. Esto, inquam. lites istæ tum non possunt esse noxiæ Reipubl. aut Ecclesiæ Christianæ; quia sic nemo alienæ fidei dominus fit, sed suum cuique judicium liberum relinquitur. Ergo cum ista libertate, salva atque illæsa manet caritas, quæ Reipub. & civium omnium Ecclesiæ vinculum est & coagulum. Ista libertate sublata, misera servitus locum habet, qua fit, ut ingenia maxime ingenua & libera, mancipia fiant alieni sensus & alienæ libidinis. Quare idcirco melius Christum prospexisse Ecclesiæ suæ dici potest, quia quemlibet de lege sua judicare accuratè voluit, & inter judicia, licet diversissima, caritatem sartam tectam retinere, usque dum summus judex judicet.

*Ex Deuter. XVII. 8. non apparere Deum voluisse ut inter Israelitas semper esset aliquis summus & infallibilis controversiarum fidei judex.*

Atque hactenus quidem sic disputavimus, quasi certum esset, Deum in Veteri Fœdere, ac nominatim in loco illo qui allegatus est ex *Deuter.* XVII. 8, voluisse, ut in populo suo judex semper aliquis esset, qui lites omnes, etiam de Religione ac fide, infallibiliter dirimeret. Nunc vero respondemus, secundo: Id non modo non liquere ex textu hoc, sed etiam apertè falsum esse. Utrumque sic probo. Primum quidem, id non liquere ex textu. 1. quia in textu, Fidei & religionis, sive litium de fide & religione, nulla fit mentio. Dices: fit mentio *causæ & causæ*: ergo cujuslibet causæ. Resp. In textu est vox דין sive *judicii*, quæ significat causam jam ante delatam ad inferioris subsellii judices, ut ex *vers.* 8 liquet: *Si laturit quid in judicio inter hominem & hominem*, &c. Atqui ista causa, causa fidei esse non poterat. Causa enim fidei nunquam ad inferioris subselli judicem referebatur, sed coram summo tribunali disceptanda erat. Aut si hoc negetur, significare potest quamlibet causam, quæ inter contendentes & litigantes disceptabatur coram inferiori judice, sed quam ille decidere non poterat. In isto causarum ordine, causas fuisse de fide & religione non liquet; quia nusquam in toto Pentateucho, aut alibi ubi de judiciis agitur, causæ fidei mentio fit. 2. Quia si inter causas istas etiam referre velimus lites de fide & religione, sive lites propriè ad fidem & religionem pertinentes, tum affirmandum esset ex textu liquere, & in textu dici futurum ut judex iste infallibiliter judicet de litibus istis. Atqui tantum abest ut id in textu dicatur, ut nihil aliud dicatur, quam judicem istum constitutum esse, ut verbum judicii quærentibus indicet. Contra, inquies: mandatur omnibus & singulis ut judicio à judice isto lato acquiescant sub pœna capitis aut ultimi supplicii. Fateor. Sed istud acquiescere, non significat isti judicio tanquam indubie vero subscribere, in illud consentire, aut illud animo adprobare; sed ei non se per vim ullam aut seditionem opponere turbandæ Reipubl. Ratio est: quia fieri poterat ut in judicando de rebus omnibus erraret, id est, vel falsam vel iniquam sententiam ferret. quod Sole clarius patet: 1. Ex eo quod *Levit.* IV. 15, dicitur: *Si tota Synagoga Israel erraverit, & latuerit res in oculis congregationis* (quæ vero res?) *& fecerint unum ex omnibus præceptis Domini quæ non sunt facienda & deliquerint.* 2. Ex eo quod Deus passim Sacerdotes, Levitas, judicesque omnes solicite hortatur ut rectum judicium judicent, ut personam in judicio non accipiant, ut à muneribus & beneficiis sumendis manus oculosque abstineant, aliaque. *Exodi* XXIII. 1. 2. 3. 6. 7. 8. *Levit.* XIX. 15. *Deuter.* I. 17. & XVI. 18. 19. 20. quorsum? si fieri non poterat ut per ista ad falsam aut injustam sententiam dicendum abriperentur, aut si Deus id volebat efficere ut abripi non possent? 3. quia de Sacerdotibus & Levitis (qui in hoc loco adiri iubentur) & quorum *labia Malachias cap.* II dicit *custodire scientiam*, & *ex* quorum *ore legem requiri* vult, *quia legati sunt Iehovæ exercituum*, ipse propheta affirmat, quod *recesserint de via, offendiculo multis fuerint in lege, & corruperint pactum Levi: vers.* 8. cui loco infinita alia consonant.

Dices: Non agi istis in locis de judicio quod ii ferebant de Legis sententia, sed de vita eorum profana, qua legem transgrediebantur. Contra: Agitur ibi de Sacerdotibus judi-

judicium ferentibus de lege falsum atque iniquum, quia iis tribuitur *vers.* 9. quod *faciem* sive *personam in lege accipiebant*. Personam autem sive faciem in lege accipere, aliud nihil est, quam in gratiam alicujus legem perperam interpretari, ut in judicio triumphet, & ut is cujus causa melior est, sed facies ingratior, causa cadat: quod indicatur clarè satis *vers. seq.* 10: quando dicuntur *quisque spernere fratrem suam*, cujus scilicet causa melior est, & secundum legem præferri debet causæ ejus qui contra eum judicio experitur: additur enim, *violando pactum patrum nostrorum*. Adde quod manifesta fiat oppositio inter hos sacerdotes, & primos à Deo designatos Levitas ac Sacerdotes ad judicandum inter causam & causam, in eo etiam, quod *in* horum *ore* fuerit *Lex veritatis*, & *iniquitas non* fuerit *inventa in labiis eorum*, nempe docentium legem, & judicantium secundum legem, *vers.* 6. & quidem quia sola nominis divini reverentia ducebantur *vers.* 5. In illorum vero ore iniquitas fuerit, tum quà docentium, quia *corrupisse pactum Levi* & *violasse pactum patrum* dicuntur, *vers.* 8 & 10. tùm qua judicantium, quia *accepisse faciem in lege* dicuntur, & *sprevisse quisque fratrem suum: vers.* 9. & 10. quin & *perverti judicium peregrini: cap.* III. 5. sola Dei irreverentia ducti, quia *non timuisse Deum* dicuntur; *ibid. vers.* 5.

Dices: At ibi non agitur de causis aut negotiis ad fidem & religionem pertinentibus. Esto, inquam. At lex allegata ex *Deut.* XVII autoritatem illis tribuit judicandi de omnibus causis ac negotiis, & ut judicio eorum de omnibus stetur mandat. Itaque si fieri potuit, non obstante ista lege, ut in causis quibusdam dijudicandis errarent, id est perperam judicarent, imo si actu errasse, aut saltem perperam atque inique judicasse à Deo ipso adserantur, utique tum certissimum est id quod diximus, Legis illius sensum non esse, quod autoritas judicandi infallibilis judicibus istis data fuerit, sed tantum peremtoria: cujusmodi judicandi autoritas ac potestas hodieque in omnibus regnis, ac Rebuspub. obtinet. Unde colligo, ex hac lege non modo concludi non posse, quod autoritas infallibilis judicandi data fuerit judicibus istis in causa religionis & fidei, posito etiam sub causa & causa, de qua in lege dicitur, comprehendi causam omnem, etiam quæ circa fidem & religionem est: sed contrarium potius concludi debere, fieri scilicet potuisse, ut non minus in causa religionis & fidei perverse judicarent, quam in aliis causis. Lex enim universaliter loquitur, & causam nullam excipit, juxta eos ipsos, contra quos nunc disputamus. Si specialem causæ fidei rationem esse dicant, ea ex alia lege adferenda est. In hac enim lege nulla specialis ratio occurrit: imo specialis ratio in contrarium dari potest; quia non minus de fide est, & de substantia legis divinæ, faciem in judicio non accipere, quam hoc aut illud non credere. Quare qui in isto fidei negotio errare, aut illud pervertere poterant, actuque errarunt & perverterunt post acceptam istam, quæ hac lege continetur, autoritatem, cur non etiam in hoc aut illo de religione aut fide judicio errare, aut judicium in gratiam hujus aut illius pervertere potuisse credantur? Tum, quis credat judices illos in causis fidei obscuris sæpe ac dubiis errare non potuisse - aut procul omni gratia & odio judicare semper voluisse, qui non dubitabant in causis liquidis & claris ex lege, gratiæ vel odio judicium suum violandum dare? Fundamentum hujus nostræ responsionis est: Non tantum requiri in judice ejusmodi supremo, de quo agimus, certam & infallibilem scientiam rerum omnium ac litium quæ in judicium veniunt, sed etiam rectam, constantem & invariabilem voluntatem judicandi secundum istam infallibilem scientiam. Si altera desit, judicium incertum est, & falsum atque injustum esse potest. utraque hac qualitate donatos non fuisse judices ex dictis liquet. Ut ut est, satis arbitror à nobis demonstratum esse, ex textu legis hujus non liquere, judices hos constitutos fuisse à Deo, ut lites omnes, etiam de Religione, infallibiliter dirimerent. Non diffiteor quidem fieri potuisse, ac factum sæpe esse, ut in isto judicum consessu etiam essent viri divini, prophetæ scilicet & qui divino regebantur Spiritu, & istos in judicando de fide errare non potuisse: sed id omnino per accidens fuisse certum est. Nam sæpe etiam tales non fuerunt in Senatu isto; & quando tales erant ii judicandi erant non posse errare, non qua pars Senatus istius erant, sed quia prophetæ erant, qui qua tales pars Senatus non erant. Nam talis vel unus sufficiebat ad causam omnem dijudicandum, ut Senatu opus non esset. Quamquam nihil etiam vetat dicere, fieri potuisse, ut isti ipsi prophetæ non minus degenerarent ac deficerent à recta via, ac paulatim muneribus, partiumque studiis corrumpi se sinerent, quam Sacerdotes cæteri, & Sacerdotum principes, atque ita judicium eorum infallibile judicium esse desineret.

*Imò id apertè falsum esse.*

Sed vero jam ad alterum accedo, videlicet apertè falsum esse, Deum id lege ista voluisse ut judex aliquis sic, uti diximus, infallibilis semper in populo esset, & per consequens judicem aliquem talem semper fuisse in populo. Quod sic evinco: Si Deus id voluisset, tum certe aut ipse procurasset, aut saltem fieri nullo modo permisisset, ut alii in Senatum istum adlegerentur quam sapientes, integri & incorrupti judices. At Deum id non procurasse ex eo liquet, quia judices istos à populo sive à populi primatibus eligi voluit, cum mandato, ut non eligerent nisi idoneos. A judicio itaque illorum electionem istam pendere voluit. At ii infallibiliter judicare non poterant de illorum idoneitate. Et si Deus ipse immediata sua gratia procurare volebat, ut idonei atque infallibiles essent ii, quos electuri isti erant, quorsum mandat iis severe ut non eligant nisi idoneos? Dices: Mandare id poterat Deus, & interea immediate dirigere eos quando eligebant. Atqui 1. sic nunquam electi fuissent judices nisi idonei. 2. qui semel electi fuerant, idonei & integri semper mansissent per istam ipsam directionem divinam; sic, ut non tantummodo propter scientiæ infallibilitatem certò judicare omnia possent, sed etiam propter voluntatis rectitudinem & constantiam, rite semper judicare vellent. Jam vero contra, creberrime videmus factum, quod corruptissimi in eo Senatu judices fuerint, uti querelæ prophetarum omnium testantur. Consequentia argumenti totius per se patet; quia alioquin frustra Deus voluisset judicium tale semper esse, si non voluisset procurare ut idonei judices semper essent. Dices, Consequentiam non procedere; quia sufficiebat à Deo procurari ut unus aliquis summus judex esset, qui infallibiliter, integrè atque incorruptè judicaret in Senatu isto: Atqui, inquam ego, autoritas illa dari dicitur in textu legis, non uni soli dumtaxat, sed omnibus qui ad Senatum istum pertinebant. Dices: Atqui *vers.* 9. dicitur, *& ad judicem qui fuerit in diebus illis*. Resp. At enallagen ibi esse numeri manifestum est. 1. quia vox *judicis*, quæ in singulari numero ibi legitur, ea in plurali legitur *cap.* XIX. 17: *Tunc stabunt duo illi homines, quibus est lis, coram Domino, coram Sacerdotibus & judicibus qui fuerint in diebus illis. & inquirent* NB. *Judices diligenter*. 2. quia in textu non tantum est, venies ad judicem, sed etiam, venies ad Sacerdotes Levitas, & ad judicem qui fuerit in diebus illis. 3. quia judicium quod ferri aut ferendum dicitur ab isto judice, id in plurali numero semper effertur; *& indicabunt tibi verbum judicii, & facies juxta verbum quod indicaverint, juxta legem quam docuerint*, &c. Denique eadem pæna mortis decernitur contra eum, qui sententiæ à judice latæ non acquiescit, quæ decernitur contra eum, qui Sacerdotis sententiæ se non submittit, sed ei se per superbiam opponit: *vers.* 12. certissimo indicio, uti per *Sacerdotem* in singulari numero ibi Sacerdotes judices omnes intelliguntur, quod ex *vers.* 9 liquet; ita per *judicem*, omnes judices intelligi qui Sacerdotes non erant; & per utrosque Senatum totum, qui ex judicibus Sacerdotibus, & judicibus non Sacerdotibus constabat, uti ex *cap.* XIX. 17. liquet.

Dices: Esto. Consequentia in eo laborare videtur, quod non requirebatur ut Deus procuraret in Senatum istum non adsciscerentur nisi judices incorruptos: Sufficiebat ut non adsciscerentur nisi judices in Religione & fide infallibiles. Resp. Imo utrumque requirebatur, videlicet ut judices non modo infallibilis scientiæ, sed & incorruptæ voluntatis essent, id est qui non modo certo scirent quid judicandum esset, sed & recte judicare vellent. Quid enim scientia juris juvat si voluntas absit recte judicandi? Jam vero, ii, qui corrupti moribus, & corruptibiles erant muneribus, facile adduci poterant, ut in fide etiam corrumperentur, & sic fallerent. Imò fieri vix potest, ut qui moribus corrupti, & muneribus vænales sunt, non etiam in fide hallucinentur, aut fidem & Religionem saltem flocci faciant. Contra, inquies; Passim legere est, Sacerdotes & judices moribus fuisse corruptos, at in fide nunquam. Atqui, inquam ego, contrarium quatuor indicant: 1. Quia certum est, veros Dei prophetas plerosque in & à Senatu isto condemnatos, & falsos prophetas non raro ab eodem approbatos fuisse. Prophetæ enim & causa prophetarum non dijudicabatur nisi à Senatu isto. unde Servator noster rectè ajebat, *Luc.* XIII. 33: *Non contingit Prophetam è medio tolli extra Hierosolymam*: (ubi Senatus iste erat.) Atqui causa prophetarum, inquies, non erat causa fidei. Resp. Esto, causa eorum saltem divina erat; &, si infallibiliter isti judices de rebus divinis judicabant, certe ut in dijudicanda divinorum prophetarum causa non fallerentur, prorsus verisimile, imo necesse erat. 2. Causa eorum non raro erat causa fidei; quia accusabant populum & Sacerdotes defectionis à Deo, per cultum alienorum deorum; & defectionis à lege, per enormium peccatorum patrationem; & nihilominus condemnabantur ut lapidibus obruerentur; *Matth.* XXIII. 37. At propterea non condemnabantur, inquies. Esto. At propterea judicari debuis-

sent

sent veri prophetæ esse, & qui in eo ab iis dissentiebant, falsi prophetæ. Contra tamen factum fuisse legimus; quod certum signum fuit, judices eorum nec legis divinæ nec conscientiæ rationem habuisse, sed pro affectibus studiisque partium, quibus favebant, judicasse. Sed vero ut prestius agam & propius urgeam, dico 2. Si judicem talem dedisset Deus, fieri non potuisset ut dissensiones in populo nascerentur de fide, aut diu permanerent; quia ad manum erat judex; & judicis autoritate ista à Deo ipso prædicti intererat ut dissensiones istas in herba opprimeret. At dissensiones de fide fuisse in populo, sectæ tum Pharisæorum, tum Sadducæorum, tum Essæorum, quas ante Christum natum in populo fuisse Josephus scribit, satis testatum faciunt. Et judicem istum, si quis fuit, non interposuisse unquam autoritatem suam, ad dirimendum istas dissensiones, manifestum est. Sed nec potuisse, nec voluisse, inde liquet

3. Quia certum est in Senatum istum adscitos non raro fuisse Sadducæos, quos in fide erasse manifestissimum est, ex ipso Christi dicto, *Errati nescientes Scripturas*: *Matth.* XXII. 29. ut de Pharisæis jam non dicam, de quibus idem non obscure affirmat Servator noster, *Matth.* XVI. 12. & XV. 3. quod fermentata erat eorum doctrina, & quod per eam Dei mandatum annihilabatur. Et hi fere totum istum Senatum constituebant.

*Summum Judæorum Senatum in fide erasse, cum Iesum Christum tanquam falsum Prophetam damnavit.*

4. Quia certum est in & ab Senatu isto condemnatum esse Messiam, tanquam falsum prophetam, & Majestatis reum; qui error in fide maximus fuit, unde & infidelitati principum Senatus istius, totiusque adeo Senatus & populi, factum hoc à Jesu tribuitur, tanquam causæ ex qua condemnandi iste animus, & condemnatio ista profectæ fuerunt: uti videre est *Joan.* V. 42. 43. 44. 45. 46. 47. & *cap.* XV. *vers.* 22. 23. 24. Infidelitas autem posita erat, non tantum in eo quod non crederent Scripturis, tempus adventus Messiæ adsignantibus, & admiranda omnia illius tempore, qualia tum fieri videbant, gerenda prædicentibus: *Matth.* XVI. 2. 3. 4. sed etiam quod totam Jesu Christi Religionem sive doctrinam recipere nollent, & opera omnia ejus, quæ non poterant non divina videri, calumniarentur tanquam opera Beelzebubi, Dæmoniorum principis; ipsum vero etiam Jesum, Samaritanum, amicum publicanorum & peccatorum, ac Dæmonio plenum infectarentur: uti passim videre est. Hoc argumentum adeo evidens est, ut sinceriores, qui inter Pontificios sunt, ingenue fateri non dubitent (sunt enim alii qui non erubescunt dicere, errorem in fide hîc nullum fuisse) Synagogam Judaicam, sive Concilium populi supremum, hac in re falsum atque iniquum judicium tulisse. Sed ne thesin suam videantur deserere velle, addunt, Extraordinarium quid hîc accidisse. Cur vero? Quia Deus volebat permittere ut judicium hoc infallibile Senatus desineret, eo quod hora instabat qua Synagoga Judaica abolenda erat. At vero hoc gratis dicitur & merum φάντασμα est. Nam unde apparet Deum id voluisse? Tum si Deus id voluit, necesse utique est, ut in antecessum istam suam voluntatem Senatui & populo significaverit: alioquin enim nullius culpæ reus fuerit, nec Senatus, quod Messiam suum rejecerit, condemnaverit, ac crucifixerit; nec populus, quod condemnationi ejus adstipulatus fuerit, & crucifixo insultaverit, maledixerit, &c. Nam si Senatus ex vi promissionis istius divinæ, quam à Deo hoc in loco Deuteronomii accepisse creditur, certus erat se in judicando errare non posse, & populus ex vi ejusdem promissionis, quin & mandati etiam specialis divini, tenebatur parere, atque exsequi decreta ac jussa Senatus, tum profecto criminis nullius aut culpæ rei agi possunt quod Jesum damnaverint, nisi Deus significaverit ipsis antea se amplius gratia Spiritus sui infallibilis Senatui isti adsistere nolle, & se vetare ne populus Senatui isti imposterum pareat, aut saltem ista in re obtemperet. Hoc cum factum à Deo non sit, aut saltem factum esse nullo ex indicio liqueat, palpari facile potest, effugium hoc non esse nisi merum commentum, & contra verosimillimum, imo verissimum esse, id quod hactenus contendimus, Deum scilicet hoc in loco, de quo hactenus egimus, non constituere judicem aliquem in populo, cum promissione aut prædictione futurum ut ille semper, & de omni re quæ in judicium adducetur, ex infallibili scientia & cum incorrupta voluntate judicet; sed tantum ordinare Senatum aliquem supremum ad quem res omnes graviores referrentur dijudicandæ judicio peremtorio, à quo provocatio nulla fieri posset, sed cui tum judices minores omnes, tum privati quicunque parere deberent, statuta etiam pœna in contumaces aut refractarios.

*De Senatus Israelitarum supremi autoritate.*

Senatum hunc ut augustior videretur, sedem suam Deus habere voluit in loco publicorum conventuum, qui primum Schilunte, deinde Hierosolymis fuit. ut incorruptior esset, magno Senatorum numero constare voluit, & Senatorum ex omnibus tribubus selectissimorum, qui cæteris scientia & sanctimonia vitæ præstarent; serio ac severiter mandans, ut in electione eorum accurata utriusque istius rei ratio haberetur. Ac licet contra fieri poterat, & factum postea non raro est, ut tales non eligerentur, aut ut tales primitus electi, tales esse desinerent; tamen ut Respub. quieta esset, autoritatem Senatus istius sartam tectam esse voluit, adeo ut quod ab illo, sive consentientibus calculis, sive de majoris partis sententia responsum vel decretum esset, id fixum ac ratum haberi vellet, & per superbiam non convelli aut sugillari, statuta in nec parentes mortis pœna; nisi tale quid esset quod Deo & Legi ejus injurium esset. In tali enim casu singulorum officium erat dicere cum Apostolis, *Obedire oportet magis Deo quam hominibus.* In privatis enim injuriis, damnis atque incommodis, simpliciter acquiescendum erat omnibus, etiamsi notoriæ essent injuriæ, & judicia ex pura puta αὐθαιρετολαψία profecta esse constaret. Non erat probanda quidem sententia, sed nec tamen quicquam contra eam agendum erat per superbiam, ne autoritas Senatus supremi vilesceret.

*Et de illius Præside.*

Ex hoc non obscure apparet, quam longe à vero abeant Pontificii isti, qui ne videantur toti isti Senatui, sive singulis Senatus istius membris, infallibilitatem judicandi, contra tot claros textus contrarium testantes, adtribuere velle, sive potius ut commentitiam Papæ unius Monarchiam in Ecclesia stabilitum eant, adserunt, supremum Senatus istius præsidem solum autoritatis infallibilis in judicando fuisse, eumque fuisse non Regem, aut principem aliquem, sed summum Sacerdotem. Hoc enim plane omni colore caret, & violentum αὐθάσμα est. Nam 1. Si unus ille erat judex infallibilis, quorum ergo erant tot reliqui Senatores, qui falli poterant omnes & fallere? Sola præsidis istius unius sententia sufficiebat: cæterorum vota erant inania & superflua, & quæ tralaticiè ac dicis tantum caussa fiebant. 2. Nullum apparet in hoc textu vestigium aut indicium hujus rei. Dices; Mentio fit Sacerdotis & judicis, *vers.* 12. Resp. 1. Sed & mentio fit Sacerdotum in plurali numero, & judicis in singulari, *vers.* 9. & *cap.* XIX sacerdotum & judicum simul in plurali numero: *vers.* 17. 2. Per Sacerdotem istic intelligi summum Sacerdotem non liquet; imo admodum verosimile est, per Sacerdotem ibi vel Sacerdotes omnes ac singulos istos intelligi, qui ad consessum & Senatum istum pertinebant, & juri dicundo præfecti erant; uti per judicem intelliguntur omnes isti Senatores, qui Sacerdotalis ordinis non erant, & judices tamen in Senatu isto cum Sacerdotibus sedebant. Quod si verba singularis numeri pro te facere urgeas, tum Respondeo 3. Ne sic quidem recte colligi, ergo Sacerdos summus sive Pontifex intelligitur. Quid enim vetat per Sacerdotem coram Deo ministrantem, intelligi præsidem Senatus istius, qui Sacerdos est, sive alium quemcunque qui Senatus istius membrum est, & ad Senatum causam referre potest, cognitaque Senatus sententia responde re consulenti? Certe de summo Sacerdote ut id accipiatur nulla necessitas cogit. Et praxis Judæorum non parum contra facere videtur, si Maimonidæ credere licet, qui diserte adserit, in Senatum istum neminem adlegi solere, ne quidem summum Pontificem, nisi de sapientia ejus probe constaret; ad quam rem δοκιμασία non levis adhibebatur, quæ manuum impositione obsignabatur. Sed vero etiam, posito, per Sacerdotem, intelligi summum Pontificem, nondum tamen ex textu evincitur, Pontifici summo autoritatem judicandi infallibilem istic dari aut tribui, nedum soli Pontifici: quia in textu hoc, & alibi passim, judiciorum fit mentio quæ à Sacerdotibus, Levitis, aliisque in Senatu isto ferebantur, & quæ vel Sacerdos, vel judex, id est Sacerdotum præses, aut pater domus judicii referebat nomine Senatus, uti ex verbis in plurali numero enunciatis liquet. Deinde soli Pontifici hîc autoritatem dari quomodo probatur? Contrarium potius evincitur: quia Sacerdoti & judici simul sententiæ pronuntiatio istic, nempe de Senatus sententia, tribuitur, non vero Sacerdoti soli, aut uni dumtaxat Pontifici. Si dicas particulam ו *Vau* ibi non esse copulativam, sed ἐπεξηγητικὸν; quasi legeretur, id est, judici; sumis id quod in quæstione positum est, & solide probandum erat. Contra facit, quod nuspiam summus Pontifex vocetur judex, שֹׁפֵט, & quod Sacerdotes tum istic tum alibi, judici ac judicibus juncti legantur. Esto, inquies; attamen necesse est, ut vox judicis etiam ad Sacerdotem pertineat, quia alioquin Sacerdos judex non fuisset in Senatu isto. Fateor, inquam; nec dubito quin particula *Vau* ו hîc sit non copulativa, sed disjunctiva, id est pro *Aut* posita videri debeat: quia diserte *vers.* 12. per אוֹ id est, *aut*, exponitur: non excludendo Sacerdotem à judicio, sed sub voce Judicis comprehendendo Senatum totum, quando videlicet fiebat, ut Senatus istius præses esset aliquis, ex tribu alia quam Levitica oriundus, sive qui Sacerdos non erat, nec esse poterat; uti antea sub voce Sacerdotis

dotis comprehensus fuerat totus Senatus, quando fiebat, ut ejus præses esset aliquis ex Sacerdotali ordine, sive is esset summus Sacerdos, sive non summus, sed rerum divinarum sacrique juris consultissimus, atque idcirco isto honore ac munere dignus, præ ipso Sacerdote summo. Fateor tamen sic etiam accipi posse verba, ut per Sacerdotem intelligantur, judices Sacerdotes, qui ea quæ ad sacra cæremoniasque pertinebant, optime dijudicare poterant; per judicem cæteri, qui juris potius civilis periti erant, & de criminibus maxime idonei erant responsa dare. ut ut sit, certum est ex hoc loco contrarium potius colligi, quam id, quod colligunt Pontificii.

Dices; Secundum postremam istam acceptionem statuentur diversa judiciorum genera, alia Sacerdotum, alia judicum sic dictorum, & per consequens diversi distinctique consessus. Resp. Id vero ego prorsus nego consequi. Tantum consequitur, in uno illo eodemque Senatu sedisse Sacerdotes, & alios non Sacerdotes; utrosque super qualibet caussa (nullum enim caussarum discrimen in textu fit) judicium tulisse, & sententiam dixisse: Sed istos ut plurimum & præsumtive peritiores rerum ad templi Sacra & cæremonias pertinentium, ac proinde consultos super istis aptiores promtioresque ad respondendum: hos contra, civilium caussarum aliarumque fuisse consultiores, promtioresque ad lites, quæ circa illas incidebant, dirimendum. quamquam fieri aliter poterat, nempe ut Sacerdotes essent non minus rerum caussarumque omnium civilium peritissimi, quam sacrarum; & contra, cæteri non minus sacerdotalium quàm civilium apprime gnari, imo isti gnari, hi ignari, & vice versa. Et verosimile est semper in usu fuisse, quod Hebræi testantur uno ore, præter summum Præsidem Senatus, fuisse alium ei dignitate proximum, qui dicebatur אב בית דין, pater domus judicii, & nunc hunc nunc illum consuli atque adiri solitum, quando de Senatus sententia quærebatur. Cæterum duos fuisse diversos consessus, & per consequens duo diversa judiciorum genera, universa Reipub. Judaicæ historia redarguit, & omnes Hebræorum Magistri constanter negant; quod ex Josepho contra Appionem, ex Philonis libris de vita Mosis, & de Principe, ex Maimonide aliisque eruditiores probant. Deinde patet id clare satis, ex historia Josaphati Regis, 2 *Paral.* XIX. à quo constat, tam inter Hebræos, quam inter recentiores interpretes, restituta fuisse judicia collapsa, ad vetus instar: non tantum ea, quæ in singulis civitatibus exerceri solita erant, *vers.* 5. sed etiam magnum ac summum istud, quod Hierosolymis, urbe publicorum conventuum, ex præscripto Legis hujus celebrari debebat. Enimverò hîc constituisse Rex dicitur, *vers.* 8. è Levitis & Sacerdotibus (inter quos peritorum hominum seges erat & copia) & è principibus familiarum Israelis, ad judicium Domini, & ad caussam; eosque omnes ac singulos, pariter & nullo discrimine, tanquam ejusdem consessus membra, serio admonuisse officii sui: per *judicia Domini*, Hebraismo noto ac familiari, graviora judicia intelligens, nimirum ista, de quibus minores judices cognoscere non poterant, quæ supra recensuimus; sic ut vox *Dei* hîc fit ὑπερλικὴ, uti alibi, *montes Dei*, *cedri Dei*, *ventus Dei*, pro montibus valde altis, pro arboribus proceris, pro magno ac gravi vento, accipitur: per *caussam*, intelligens lites omnes minores, quæ ob sui obscuritatem ad Senatum istum referebantur. Nullum hîc judiciorum discrimen, nullum caussarum, nullum judicum fit. Iidem judices sunt qui caussis Dei & qui litibus aliis præficiuntur; nulla caussarum fata excipiuntur ab eorum cognitione, *vers.* 9. & una eademque ad eos dirigitur admonitio, eaque distincta solum ab admonitione, quæ antea *vers.* 5. 6. ad judices singularum civitatum directa fuerat.

Contra, inquies, distinctio judicum & caussarum manifestè fit, *vers. ult. Ecce Amarias sacerdos summus super vos, in omni re aut negotio Domini; & Zabadias filius Ismael, dux domus Judæ, in omni re aut negotio Regis.* Resp. 1, Distinctio judicum & judiciorum, quæ in separatis cætibus aut collegiis seorsim ferantur, nulla hîc fit, sed tantum distinctio personarum, quæ in eodem consessu erant, quatenus singulæ peculiari aliqua qualitate ad judicia rite formanda præditæ erant, ut cæteris in dicenda sententia de rebus gravioribus præire & facem quasi præferre possent; Amazias tanqnam Senatus princeps, quod vir esset in judiciis versatissimus, & idem Sacerdos; sive summus Pontifex is esset, sive alius ex Sacerdotali ordine: (Ex textu enim id non liquet, quia non vocatur כהן חגרול Pontifex Maximus, sed כהן הראש Sacerdos caput sive princeps, scilicet Senatus vestri, quicunque tandem is esset:) & Zebadias tanquam אב בית דין, quod is vir esset apprime versatus in iis rebus, quæ magis ad civilem prudentiam quam ad juris cognitionem pertinebant, & dignus qui in eo deliberandi genere primas obtineret. Tantum autem abest, ut ex textu liqueat, eos vel in diversis distinctisque cœtibus judicia pronunciasse, vel in eodem cætu ac consessu infallibiliter judicasse, ut contra ex textu manifeste appareat, eos & in eodem cætu ac Senatu sedisse atque agitasse caussas utrasque, tum Dei, tum Regias; & non judicasse nisi de sententia majoris partis in Senatu, quia diserte in eodem isto Senatu adsessores eorum fuisse dicuntur, tum Levitæ & Sacerdotes, tum familiarum principes, *vers.* 8. multarum artium peritia excellentes; & quidem eo fine, ut judicia Domini & lites judicarent, uti ibidem legere est; & ex præcepto Dei manifestius patet, quo iis injungitur, ut judicent *in timore Domini*, *in fide*, *& in perfecto corde*: *vers.* 9. quod & repetitur ab *Ezech. cap.* XLIV. 24. quorsum vero inquam? Si aut hi judices non sedebant; aut si hi judicia ferentes corrigi semper poterant, actuque corrigebantur ab supremo judice infallibiliter judicante? Ecquis enim eorum aut voluisset, aut ausus fuisset aliter, quam æquo bonoque operam dare in judicando, cum certi essent, judicium suum frustra alioquin futurum, & correctum semper iri à judice infallibiliter judicante? Quis munera iis dare voluisset ut judicium perverterent, quod perverti non posse sciebant, posito infallibili uno judice? quorsum ii munera accipere voluissent, si certi erant se in gratiam munera dantium, aut in fraudem legis nihil agere posse? Denique, quia alioquin dicendum foret, non minus infallibiliter judicasse in caussis regiis Zebadiam, quam in caussis Dei Amariam; utriusque enim parem rationem esse ex textu liquet. At vero hoc nemo facile dixerit. Ergo cur illud adseratur nulla ratio est. 2. Nulla etiam hîc fit distinctio caussarum isto sensu, quasi aliæ caussæ ad Sacerdotes, aliæ ad judices cæteros pertineant, nedum quasi aliæ caussæ uni Amariæ, aliæ uni Zebadiæ dijudicandæ deferantur: Sed tantum hoc sensu, quod in caussarum istarum dijudicatione, Senatus universus primum exquireret sententiam atque opinionem Amariæ Sacerdotis, tanquam viri in judiciis versatissimi; & Zebadiæ, tanquam viri civili prudentia instructissimi, antequam judicium ferret; non quod singuli non possent contra aut secus opinari, aut quod suffragari iis omnino tenerentur: (disertè enim contrarium videre est à Deo ipso præscriptum, *Exodi* XXIII. 2.) sed quod tutissima illa esset & æquissima judicandi via, imprimis in caussis gravissimis, quæ caussæ Domini Hebræa phrasi vocantur, & in litibus, quibus dijudicandis inferiores judices pares non fuerant. Per *caussam* autem *Domini*, non necessario intelligi caussas solis Sacerdotibus mandatas, palam liquet ex 1 *Paralip.* XXVI. 30. 31. 32. ubi Hebronitæ quidam narrantur à Davide præfecti fuisse partibus Rubenis, Gadis & Menatlis, impositique omni negotio tum Dei tum Regis. Poterant ergo utriusque generis judicia ac negotia ab iisdem hominibus, etiam non Sacerdotibus, tractari; quamquam non diffitemur, adeoque certum esse credimus, in Senatu magno isto, quem Josaphat instituit, Sacerdotes bonam partem fecisse, eorumque sententias, ante alias omnes, anquiri solitas fuisse, in controversiis quæ ad sacra cæremoniasque pertinebant, & quæ negotia Domini, contradistinctè à negotiis Regis, appellari possunt. Atque hactenus quidem de hoc Veteris Testamenti palmario loco satis dictum arbitramur.

## CAPUT VIII.

### Responsio ad locum *Timoth.* III. 15. ubi Ecclesia Dei vocatur columna & stabilimentum veritatis.

ALter locus est, qui ex Novo Testamento citari solet. Is exstat 1 *ad Timoth.* III. 15: *Quod si tardius ventro, ut noris quomodo oporteat in domo Domini versari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & stabilimentum veritatis.* Ex hoc loco inferunt, Ecclesiam errare non posse, ac proinde judicium infallibile Ecclesiæ competere, quia alioquin columna & firmamentum veritatis esse non posset. Erroneum enim judicium, veritatis fulcrum ac stabilimentum esse non potest.

Resp. 1. Ex textu non liquere, Ecclesiam appellari στῦλον καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας. Nihil enim vetat, verba ista, *vulgari*, στῦλον ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, conjungere cum vers. sequente, *textum* mutata tantum interpunctione; (uti enim versus, ita interpunctiones arbitrariæ sunt:) atque in hunc modum ea legere: *Columna & stabilimentum veritatis & revera magnum est pietatis mysterium*, &c. Nihil, inquam, vetat verba ista sic connectere; nec ratio deest, cur verba ista sic connecti non tantum posse, sed & debere, credantur. Nam conjunctio καὶ, id postulare omnino videtur, quæ alioquin plane redundaret. Etsi vero non raro conjunctio illa redundat in textu, tamen

*Alia à 1 Tim. III. 15. interpunctio.*

men cur redundare hîc dicatur cauſſa nulla eſt, cum optime cum præcedentibus verbis connecti poſſit. Deinde, quia niſi ſic connectatur, dicendum omnino foret, Timotheum non fuiſſe Eccleſiæ iſtius doctorem & paſtorem, ſed diſcipulum; utpote quæ columna & ſtabilimentum eſſet veritatis iſtius, quam docebat, & à qua, tanquam à columna & ſtabilimento veritatis, ipſe doctrinæ ſuæ ſoliditatem & firmamentum habere atque accipere debebat; contra quam ipſe Apoſtolus, *cap.* IV. 16, ait: *Id ſi fecerit, te ipſum ſervabis & eos qui te audierint.* & *cap.* III. *Epiſtolæ ſecundæ, verſ.* 14: *At tu maneto in iis quæ didiciſti, & quæ concredita tibi ſunt, ſciens à quo* (ea) *didiceris.* Non enim dicit ab Eccleſia eum iſta didiciſſe, ſed à ſe Apoſtolo ad Eccleſiam fundandam miſſo à Chriſto.

*Vox Eccleſiæ in Scriptura accipitur tantum pro Eccleſia auditorum. Locus Matth. XVIII. 17.*

2. Poſito etiam verba iſta, uti ab interpretibus fere fit, connecti cum verbis præcedentibus, *quæ eſt Eccleſia Dei vivi*, nequaquam tamen ex eo, quod Apoſtolus Eccleſiam vocet columnam & ſtabilimentum veritatis, conſequeretur, Apoſtolum ſignificare voluiſſe, Eccleſiam errare non poſſe, aut in Eccleſia eſſe judicem, qui infallibiter veritatem ſtabiliat. Nam *primò*, nuſpiam in tota Scriptura Eccleſia ſine controverſia aliud quid ſignificat, quam Eccleſiam auditorum contradiſtinctè à Paſtoribus, Doctoribus, & Eccleſiæ præfectis. Eccleſiam autem ſic acceptam errare non poſſe aut judicio infallibili præditam eſſe, nemo dixerit. Dices: Contra facit locus *Matth.* XVIII. 17. Reſp. Hic locus unus fere eſt qui contra allegari ſolet; ſed nec ſine controverſia, nec jure ullo. Non ſine controverſia; quia nihil vetat per Eccleſiam iſthic intelligi cætum fratrum plurium, completum ſive incompletum, qui offenſæ atque injuriæ reum officii ſui monet, contradiſtincte à teſte aut monitore uno, duobuſque aut tribus deinde aſſumtis, qui in monendo ante fruſtra fuerunt, quaſi legeretur: Fac quantum potes, ut injuriæ reum facti ſui pœniteat; &, ſi per te, primum, deinde per duos ac tres ei fini tibi adjunctos, adduci eò non poſſit, fac ut in conventu fratrum plurium, ac ſi pote omnium, qui Eccleſia vocantur, palam redarguatur, officiique ſui moneatur, quia culpæ manifeſtus eſt, ut eum pudeat ac pœniteat facti ſui. Si fruſtra es, & plures ac tantum non omnes recte ac jure monentes reſpuat, habeto eum pro inſanabili & indigno fratris nomine. Ethnico & publicano ſimilior eſt, quam fratri aut Chriſtiano. Nihil profecto vetat hoc ſenſu interpretari vocem Eccleſiæ. & cum Eccleſiæ vox nunquam aliter accipiatur in ſacris, quam pro Eccleſia ſive cætu auditorum, doctrinam Chriſti profitentium, & ad ſalutem evocatorum, æquius profecto & tutius eſt, ut hoc in loco eodem ſenſu vox Eccleſiæ accipiatur, quam ut propter hunc unum, cæteri omnes loci aliter accipiendi eſſe dicantur. Sed nec jure ullo allegatur hic locus, quia certum eſt in eo 1. non agi de cauſſa aliqua fidei controverſa, quæ ab Eccleſia tanquam judice decidenda ſit, ſed de manifeſta ac notoria, quin & confeſſa injuria, quæ ab Eccleſia redarguenda ſit. Atqui ad redarguendum injuriam, & injuriæ manifeſtum, Eccleſia quatenus infallibili judicio aut infallibili judicandi autoritate prædita eſt, opus non eſt, ſed ſufficit Eccleſiæ monitio, quatenus Eccleſia cœtum plurium fratrum facit, qui ſalutis fratris ſui ſtudio ducitur. Id apparet ex eo, quia eadem autoritas, idem jus, quod hîc Eccleſiæ dari videtur, antea datum fuerat tum offenſo ſoli, tum duobus aut tribus teſtibus ab offenſo aſſumtis: Iis enim non minus auſcultare poterat ac debebat offendens, quam Eccleſiæ; &, ſi iis auſcultaſſet, reatu culpæ ſuæ animam ſuam liberaſſet atque exſolviſſet, ut Eccleſiam ei audire neceſſe non fuiſſet. 2. Quia certum eſt, ipſi Petro hîc mandari à Chriſto ut Eccleſiam adeat in tali caſu, eique dicat, id eſt, indicet cauſſam ſuam, Eccleſia ergo contradiſtincte à Petro ut paſtore Eccleſiæ accipitur. Nec eſt quod dicas, Eccleſiæ voce Apoſtolos etiam cæteros intelligi; Nam præceptum hoc Chriſti ad omnia tempora & loca pertinet. Itaque ad Petrum etiam pertinebat, ut præcepto iſti morem gereret, quando fieret ut Eccleſiæ uni alicui præeſſet, licet ad tempus, puta Antiochenæ, Romanæ, &c. ſaltem ſic ad paſtorem quemlibet, ut jam pertinere dicatur, omnino neceſſe eſt. Sed redeamus unde digreſſi ſumus.

Dico *ſecundò*: Certum etiam eſt per vocem Eccleſiæ hîc ab Apoſtolo Paulo non intelligi, niſi Eccleſiam auditorum; 1. quia eam diſtinguit à Timotheo; tanquam paſtore in ea verſante. Non verſabatur autem Timotheus in alia quam auditorum Eccleſia. In repræſentativa enim ut eum verſari dixerit Apoſtolus, per ſe abſurdum eſt. 2. quia eam vocat *domum Dei vivi.* Domus autem Dei, eſt Eccleſia auditorum: quia ea, ut ſic, contradiſtinguitur ab Apoſtolis, Prophetis, Euangeliſtis, Doctoribus & paſtoribus, tanquam domus iſtius architectis & fundatoribus: ad *Epheſ.* IV. 11. 12. 13. & *cap.* II. 21. 22. & 1 *ad Cor.* III. 9. 10. & 1 *Pet.* II. 5.

*In loco 1 Tim. III. 15. intelligitur Eccleſia particularis.*

Sed vero, dato etiam, at non conceſſo, per Eccleſiam hîc intelligi Eccleſiam repræſentativam, id eſt, cætum Epiſcoporum & paſtorum Eccleſiam repræſentantem, aut Eccleſiam una cum Eccleſiæ paſtoribus, tum dico *tertiò*: nihil adhuc ex hoc loco concluderetur. Nam in eo non agitur niſi de Eccleſia Epheſina, cui præerat Timotheus, & in qua verſabatur. At ea, ſenſu iſto, quem objectio infert, columna & ſtabilimentum veritatis eſſe non poterat; quia particularis erat Eccleſia, quæ errare poteſt, & erravit defecitque paulatim à caritate; uti *Apocal.* II. videre eſt. ac tandem à fide ac veritate.

*Sed etiamſi intelligeretur Eccleſia Catholica, non ſequeretur eam errare non poſſe.*

Si dicas per Eccleſiam hic intelligi Eccleſiam Catholicam, tum dico *quartò*: Id gratis aſſeri & ſine fundamento, imo id falſum eſſe, quia veritas ipſa eſt columna & ſtabilimentum Eccleſiæ; non contra. Eccleſia enim eſt ſundata ſuper doctrina Prophetarum & Apoſtolorum, quæ ipſa veritas Euangelica eſt; *Epheſ.* II. 18. Fieri autem non poteſt, ut Eccleſia ſit id cui ſuperſtruitur veritas, & ſimul id quod veritati ſuperſtruitur. Dices: Iſta duo non pugnant. Veritas enim eſt columna & ſtabilimentum Eccleſiæ in ſe & per ſe; at in ordine ad nos Eccleſia eſt columna & ſtabilimentum veritatis. At nos jam hoc commentum refutavimus; quia impoſſibile eſt, ut Eccleſia ſit columna & firmamentum veritatis in ordine ad nos, niſi certi primum ac perſuaſi ſimus, Eccleſiam eſſe veram Eccleſiam, & jure iſto ſtabiliendi veritatem à Deo donatam eſſe. Atqui unde certitudinem & perſuaſionem iſtam divinam hauriemus? An ab Eccleſia? At ſic Eccleſia ſui ipſius columna & ſtabilimentum eſſet, non veritatis quæ nobis adhuc incognita eſt; quo quid vanius dici poteſt? Tum, ſi per Eccleſiam hîc intelligi dicatur Eccleſia Catholica, nihil adhuc efficietur. Quæ enim iſta eſt? & ubi? Catholicæ vox individuum vagum eſt, & titulus quem omnes ſectæ pedi ſuo aptant. Certe ut per eam intelligi Romanam Eccleſiam dicatur, tot probationibus opus habet, tot hypotheſibus & poſtulatis, ut nihil ſupra. Contrario probando tam multa, tam clara, tam ſolida argumenta ſerviunt, ut facilius ſit credere Eccleſiam Romanam eſſe ſentinam ac cloacam errorum ac ſcelerum, quam columnam & ſtabilimentum veritatis, ſi Pontifices ejus videantur. Et, ſi alia non eſſent, unum caput ad *Rom.* XI, ſufficeret plus quam ſatis, ad oſtendendum Eccleſiæ Romanæ iſtud privilegium à Chriſto datum non fuiſſe, poſito omnino quod Eccleſiæ alicui privilegium iſtud columnæ ac ſtabilimenti veritatis datum eſſe concedamus. Nam Eccleſiam Romanam Apoſtolus ſeriò monet, ut metuat excidi, eodem modo quo Eccleſia Judaica propter infidelitatem ſuam exciſa fuerat, id eſt, à Deo abdicata ac rejecta fuerat: *verſ.* 20. 21. 22. & ſeveriter comminatur ei, *futurum, ut ſic excidatur, ſi non permaneat in benignitate: verſ.* 22: Atqui, ſi privilegium iſtud Eccleſiæ Romanæ datum à Chriſto dicatur, quod futura eſſet columna & firmamentum veritatis, fieri non poterat ut excideretur; ſaltem, ut unquam excideretur, Chriſtus noluiſſet. Columnam enim & firmamentum veritatis eſſe, &, excidi atque abjici, ſunt repugnantia. Columnæ enim & firmamenti proprium eſt ſtare ac ſuſtentare; at excidi eſt cadere, & ſibi ipſi, nedum alii, ſuſtentando non ſufficere; unde & cecidiſſe dicuntur Judæi infideles, & caſuri dicuntur Romani fideles, ſi glorientur, animos efferant, & in benignitate Dei non permaneant. Atque hæc hactenus de hoc etiam loco ſatis ſunto.

*Genuinus loci 1 Tim. III. 15. ſenſus.*

Quæres tandem, quis ergo loci hujus genuinus ac proprius ſit ſenſus. Nobis ſic videtur: Si primam connexionem verborum horum cum ſequentibus amplectamur, tum ſenſus eorum duplex eſſe poteſt: Primus, ut phraſis illa, *columna & firmamentum veritatis*, Hebraiſmum continere dicatur, non inuſitatum SS. ſcriptoribus, quo genitivus rei alicujus pro re ipſa, cum appoſitione vocis ſubſtantivæ ejus ἐξηγητικῶς denotantis, accipitur: quaſi legeretur; veritas autem (cujus ſcil. tibi, Timothee, imprimis ratio habenda eſt, quando in domo Dei verſaris. Sic enim mihi ſupplenda videntur verba antecedentia, *ut ſcias quomodo verſari debeas in domo Dei*, ſcilicet ut illam plenè de veritate divina inſtruas atque erudias:) quæ columnæ & ſtabilimenti inſtar eſt, &c. hac ſumma comprehenditur: *Deus manifeſtatus in carne*, &c. Hebraiſmos ſimiles obſervare paſſim eſt: uti cum ſpes gloriæ, pro gloria quæ ſperatur; corona gloriæ, pro gloria quæ coronæ inſtar erit; lavacrum regenerationis, pro regeneratione quæ lavacri inſtar eſt; & ſignum circumciſionis, pro circumciſione quæ ſignum eſt, accipitur. Et hic Hebraiſmus admodum conveniens eſt huic loco; quia Apoſtolus per *veritatem* intelligit veritatem Euangelicam, quam *columnam & firmamentum* vocat, oppoſitè ad veritatem Moſaici Fœderis, quæ umbratilis erat, evanida atque inſtabilis, ac tandem tota abroganda. Veritatem ergo intelligit quæ duratura erat, & firma atque immobilis permanſura ad finem uſque

que mundi: cui inniti tuto ac ſecure poſſet Timotheus, & qui ipſum audituri erant. Atque hanc veritatem indicat articulus ἡ, ut veritas κατ' ἐξοχὴν intelligatur, ſcil. Euangelica. Secundus ſenſus eſt, ut verba accepta prout ſonant, aliud nihil contineant, quam hoc: veritatis univerſæ Euangelicæ columna & firmamentum, id eſt, fundamentalis ſumma continetur, his pronunciatis, quæ deinde recenſentur, quæ revera etiam magnum ſunt pietatis myſterium, id eſt, magnam atque inſignem illam pietatem, quæ in myſterio aliquando abſcondita fuit in Veteri Fœdere, expreſſam in ſe habent, ſive quæ arcanum quaſi eſt totius Religionis Chriſtianæ, propter quod reverentia & honore digna eſt, tanquam quod nulli unquam mortalium, nedum vulgo hominum innotuit: eodem ſenſu quo *verſ.* 9, doctrinam Euangelicam vocaverat *myſterium fidei*: & 1 *ad Corinth.* II. 6, *ſapientiam non ſæculi hujus, neque principum ſeculi hujus, qui abolentur, ſed ſapientiam in myſterio,* τὴν ἀπεκεκρυμμένην. quamquam hæc verba ad primum membrum aptius fortè accommodari poſſunt.

Si ſecundam & communem connexionem ſequamur, tum ſenſus eſt, Eccleſiam Dei vivi, quà talem, quatenus ſcilicet eſt cætus vere fidelium & Dei timentium; fide, profeſſione ac vita ſua veritatem Euangelicam, alioquin inter homines collapſuram ac dilapſuram, ſuſtinere ac firmare, non aliter quam tibicines, columnæ ac fulcra ædificium aliquod ſuſtinent ac ſuſtentant. Abſque Eccleſia enim, id eſt, abſque cœtu fidelium amor veritatis hujus, & ſic veritas ipſa Euangelica difflueret. Nimirum ergo hæc erit dicti loci paraphraſis: Hæc ſcribo tibi, mi Timothee, ut intelligas, qua ratione gerere te debeas in domo Dei, id eſt, in Eccleſia ejus. Nimirum, noli inculcare Eccleſiæ tuæ, operoſo molimine, cæremonialia & umbratilia quædam dogmata, ſed ſolidam illam Euangelii veritatem, aut potius, veram & perfectam illam pietatem, quæ hactenus omnes latuit, quam antea deſcripſi, quæ videlicet verſatur in confutandis vanis & quæſtionariis doctoribus, in fidelibus ad aſſiduas preces pro omnibus, adhortandis & commonefaciendis, in ratione orandi quam viros & mulieres ſequi oportet, in officio Epiſcoporum, Diaconorum, &c. rite recteque obeundo, & c. Eccleſia enim, quæ ſe diſcipulam veritatis profitetur, illa eſt, in qua ſemper vera hæc doctrina vigere debet, & cui hæc veritas ſerio ſemper ſolideque inculcanda eſt, neglectis aut ſpretis cæteris omnibus, quæ umbræ potius veritatis, quam ipſa veritas ſunt. In illa enim, non alibi, vera pietas locum habet, in illa ſedile ſuum habet hæc veritas, quippe quæ extra eam ab cæteris mortalibus reſpuitur, contemnitur, &, veluti arenoſo ſolo inædificata domus, concidit ſtatim ac collabitur. Juxta hanc paraphraſin, *Eccleſia Dei* dicetur *columna & firmamentum veritatis*, quatenus ea eſt cætus vere fidelium & Dei timentium, qui veritatem in pretio habet, & in ea credenda ac profitenda perſtat, columnæ ac firmamenti inſtar: non vero quia aut quod Eccleſia, quæ ſemel eſt Eccleſia Dei, ſemper maneat Eccleſia Dei, & firmiter veritati inhæreat: nedum quod veritati fulcrum aut fulcimentum aliquod præbeat autoritate ſua. eodem plane ſenſu, quo Chriſtus de omnibus ac ſingulis fidelibus, qui vicerint, adfirmat *Apocal.* III. 12, quod facturus ſit, ut ſint columnæ in templo Dei ſui; non quod firmamentum aut fulcimentum aliquod cœlo, id eſt templo Dei, præbituri ſint, aut in cælo aliis fulcrum præſtituri; ſed quod firmiter ſive æternum in cælo permanſuri ſint. Nempe ſic ſolus grex fidelium ac Dei timentium, eſt columna ac firmamentum veritatis, quatenus ille ſcilicet firmiter ſtat ac perſtat in veritatis illius agnitione ac profeſſione. Quod ſi quis tamen volet, is poterit etiam non incommode verba hæc referre ad Eccleſiam omnem Chriſtianam, ſive ea in veritate perſtet ac permaneat, ſive non. ſed tum ſenſus eſſet; Eccleſiam eſſe columnam ac firmamentum veritatis, quia videlicet officium ejus eſt, veritatem illam conſtanter retinere, & teſtimonio ac profeſſione ſua fulcire ne dilabatur. Non eſt autem inſolens, rei aut perſonæ alicui adtribuere aliquid excellens atque eximium, quod tamen ſæpe rei aut perſonæ ipſi non ineſt, nullam aliam ob cauſſam, quam quod rei aut perſonæ ineſſe debeat; quod probari opus non eſt.

## CAPUT IX.

### Status quæſtionis de perfectione Sacræ Scripturæ. Et, quænam ad ſalutem ſint neceſſaria.

REſtat, ut reſpondeamus ad rationem, quæ iis, quæ à nobis adſerta ſunt, opponi ſolet. Ea hæc eſt: 1. Scriptura non continet omnia ad ſalutem ſcitu, creditu, ſperatu, factu, neceſſaria, pro ſemper & ad ſemper. 2. Eorum quæ continet multa talia ſunt, ut clara non ſint & perſpicua, ſed obſcura ac difficilia intellectu. Ergo judice aliquo opus eſt, qui autoritate ſua defectum neceſſariorum pro temporibus ſingulis ſuppleat, & interpretatione ſua infallibili obſcura elucidet, difficilia ſolvat, & perplexa evolvat. Hæc argumenta duo ut ſolide refutemus, quamquam ſola antecedentis inficiatio poſſet ſufficere, agemus deinceps de Scripturarum tum perfectione, tum perſpicuitate. Ac primum quidem de Perfectione.

*Omnia ad ſalutem neceſſaria ſacra Scriptura eo nomine*

Defungi poſſemus hoc labore, uti diximus, ſi probationem poſtularemus antecedentis argumenti iſtius quod in præcedentibus adduximus; quod quanquam phraſi negativum videatur, ſenſu tamen adfirmativum eſt. Qui enim negat Scripturis contineri omnia ſcitu, creditu, ſperatu, factu, neceſſaria, is affirmat eſſe aliqua ſcitu, creditu, ſperatu, factu neceſſaria, quæ tamen Scripturis non continentur; ac proinde quænam illa in ſpecie ſint adſignare tenetur. Affirmanti enim incumbit probatio. Sed nos ne rigide nimis videamur agere, non tantum probationem petimus & adſignationem eorum quæ dicuntur eſſe neceſſaria, & quæ tamen ſcripturis non contineantur; ſed & aſſerimus, omnia ea, quæ univerſis & ſingulis hominibus, ad quos Scriptura hæc pervenit, ex æquo omni tempore ad ſalutem æternam conſequendum ſcitu, creditu, ſperatu, factu, neceſſaria ſunt, & neceſſaria unquam erunt, plene perfecteque ea contineri, adeo ut nullus ad mentem, voluntatem, adfectuſque recte componendos, id eſt, ad fidem & ad mores debitè informandos, apex, cuiquam præciſe tenendus ſit, qui non Scriptura contineatur, id eſt, libris iſtis ſcriptis, de quibus hactenus egimus, imprimis Novi Teſtamenti, imo iis ſolis.

*Quænam ſint ad ſalutem creditu vel factu neceſſaria.*

Neceſſaria cum dicimus, ea tantum intelligi volumus, quæ præcisè neceſſaria ſunt, id eſt omnibus & ſingulis, ſive unicuique adulto ſenſuum ſcriptorum capaci, ſemper & ubique credenda & facienda ſunt, in quocunque ſtatu verſetur, ſive nondum credat ſive jam credat; ſive credens lapſus ſit in errorem aut peccatum, ſive non ſit lapſus; ſive ſine cruce, ſive ſub cruce vivat; ſive Rex, ſive ſubditus; ſive Pater, ſive filius; ſive herus, ſive ſervus; ſive dives, ſive pauper; ſive æger, ſive ſanus ſit; breviter, omnia in vita & morte ſive ad mortem uſque tenenda.

Hæc præcisè neceſſaria quando Scripturis contineri dicimus, non id volumus, quaſi alia nulla quam iſta contineantur Scripturis, aut quod omnia quæ Scripturis continentur, ex æquo præcisè neceſſaria ſint; ſed quod inter ea omnia, quæ Scripturis continentur, etiam ea contineantur quæ præcisè neceſſaria ſunt. Certum enim eſt, non pauca alia Scripturis contineri, quæ, vel per ſe valde utilia quidem ſunt ad neceſſariorum ſcientiam, fidem, ſpem, & obſervationem in animis noſtris, excitandum, alendum & augendum, non tamen præcisè ſunt neceſſaria; vel ſi non utilia ad neceſſariorum aut utilium iſtorum inculcationem, uſum tamen ſuum habent in polienda aut acuenda mente noſtra in rerum divinarum cognitione; cujuſmodi duûm generum ſunt. Alia ſpeculativa, quæ in meram mentis ſpeculationem deſinunt, ſive ea verſentur circa arduas ac ſublimes res, ſive circa res minus arduas, humileſque, ſive ſpeculatio nitatur rationibus veriſimilibus, ſive hypotheſibus, definitionibus & poſtulatis in Eccleſia aut Schola receptis, ſed tamen non prorſus veriſimilibus, adeoque dubiis & incertis; uti ſunt hiſtoriæ quædam, genealogiæ, vaticinia, aliaque ejus commatos plura. Alia practica, quæ circa ritus, cæremonias, & conſuetudines, occupantur; quæ videlicet præciſe mandatæ non leguntur, ſed ad tempus tantum in gratiam horum aut illorum imperatæ, & tales ſunt ut ſine ullo ſalutis periculo in hanc aut illam ſententiam accipi facile poſſint; cujuſmodi ſunt ea quæ de obſervatione diei Dominicæ, de abſtinentia à ſanguine, ſuffocato, & idolothytis traduntur. Vel denique pure pute ſunt occaſionalia, & nulli prorſus fini per ſe ſerviunt; cujuſmodi ſunt, quæ de penula, de membranis & ſchediaſmatis ſuis narrat Paulus, aliaque ſimilia.

Plenè autem ac perfectè omnia neceſſaria Scripturis contineri, quando dicimus, id ſic intelligi volumus, ut contineantur non tantum ea quæ neceſſaria ſunt, ſed etiam ſub iſta ratione formali, quod ſint neceſſaria, ac proinde etiam quod materialiter ſint neceſſaria; ſic tamen ut non cuilibet etiam præfracto ac contumaci, ſed pio dumtaxat, æquo & veritatis ſtudioſo ea talia eſſe conſtare poſſit. quod tamen ad ſecundum potius membrum noſtræ diſputationis referri debet, puta ad caput de perſpicuitate Scripturæ. Ratio autem iſta formalis in eo poſita eſt, quod quæ neceſſaria creditu aut factu ſunt, vel abſolutè & ſerio ac paſſim mandentur; vel cum appoſita promiſſione vitæ æternæ & mortis comminatione mandentur; vel propter ea non præſtita homines aut rei agantur inobedientiæ & condemnationis, aut rei agendi dicantur à Deo in die judicii ultimi; vel denique quod talia eſſe dicantur, quæ ſufficiunt ad hoc, ut conſcien-

tia ſua cuique vel ad excuſandum, ſive à reatu mortis abſolvendum, vel ad accuſandum, ſive ad mortis reum poſtulandum ſerviat.

Sub hiſce neceſſariis comprehendo etiam ea, quæ, etſi per ſe ſint ἀδιάφορα ſive indifferentia, ratione tamen circumſtantiarum, id eſt, temporis, loci, qualitatis, id eſt, infirmitatis, perſonarum, &c. neceſſaria fiunt. In hiſce enim generalem regulam Scriptura continet, quæ abunde ſufficit ad ea tum ſcienda tum facienda, & qua melior certiorque dari non poteſt, id eſt, regulam caritatis & prudentiæ, ad quam qui ſe componit, fieri non poteſt, ut in iſtis erret. Caritatis autem actus in ſpecie deſignat Apoſtolus, 1 *ad Corinth.* XIII. Prudentiæ actus non item: partim quia illa dependent ab iis quæ extra nos ſunt, ſecus quam caritas quæ voluntatis noſtræ ſolius actus eſt; partim quia actus iſti aut non ſunt admodum difficiles, aut ſi quando abſint, parum obſunt, ſi caritatis defectus non adſit, quippe quæ perfectionis vinculum eſt, & conſummatio Legis.

Denique ſub his comprehendo non tantum ea quæ generatim neceſſaria ſunt, ſed etiam ea quæ ſpeciatim & in ordine ad caſus omnes, qui circa fidem & mores incidere poſſunt, neceſſario tenenda ſunt. Sic enim ſtatuo: Fruſtra perfectionem Scripturarum defendi, niſi ea etiam ad caſus omnes neceſſarios credendos & faciendos extendatur. Quid enim juvat Scripturam perfecte continere hanc enunciationem, Abſtine à malo & fac bonum: Crede in Jeſum Chriſtum & ſerva mandata ejus, niſi boni & mali accurata determinatio, & niſi mandatorum etiam perfecta deſcriptio in ordine ad caſus omnes neceſſarios in ea facta dicatur? Si dicas, caſus tamen poſſe tot ac tam varios incidere, ut impoſſibile ſit eos omnes Scripturis contineri: Reſpondeo: Caſus omnes qui incidere poſſunt, aut ſunt caſus, qui cum caſibus in Scriptura expreſſis, ſeu manifeſtam habent ἀναλογίαν, quæ prima ſtatim fronte deprehendi poteſt; ſeu ex iſtis caſibus per evidentem neceſſariam conſequentiam dependent: aut ſunt caſus, qui neutrum iſtud habent, & de quibus adeo variantes poſſunt incidere opiniones, ut neſcias cui parti aut opinioni tuto poſſis & certo debeas inhærere. Iſtos caſus ſolos neceſſarios eſſe dicimus, & Scripturis contineri adſerimus. Hos, eo ipſo, quod Scripturis non contineantur, aut cum caſibus Scriptura contentis evidentem ἀναλογίαν aut affinitatem neceſſariam non habeant, neceſſarios non eſſe, idcirco credimus, quod neceſſaria omnia Scripturis contineri ex ipſis Scripturis perſuaſi ſumus. Id quod jam demonſtrandum nobis venit, ſi hoc tantum addamus aut præſupponamus, quod omnino faciendum eſſe arbitror: Neceſſaria tantum eſſe ea, ſine quorum explicita fide, ſcientia, & obſervatione, impoſſibile eſt ut quiſquam æternum ſalvus ſit, juxta Scripturæ ſtylum. Hinc enim ſequuntur hæc:

I. Nullum errorem dici poſſe aut debere fundamentalem, nullum actum præciſe damnabilem, niſi directe affirmare audeas, eum qui errorem iſtum errat, aut actum iſtum patrat, ſi in eo perſtet ac perſeveret, æternum damnatum eſſe ex ſententia S. Scripturæ. proinde ineptos eſſe eos, qui cum de præciſe neceſſariis articulis loquuntur aut ſcribunt, alioquin rigidiſſimi etiam leviſſimorum errorum cenſores ac vindices, neſcio quam ἐπιείκειαν adhibere videri volunt, in ferenda ſententia, contra eos, quos errore fundamentali, aut peccato notorie enormi teneri credunt. Hoc enim tantundem eſt atque ex neceſſariis non neceſſaria facere, & ſententiam à Deo latam in Scriptura, quaſi humaniore commiſeratione quadam mitigare velle. Ubi Deus ſententiam dicit, ibi nobis intrepide ſequendum eſt. Si perſonarum, ſi temporum, ſi occaſionum, ſi aliarum circumſtantiarum ratione, error aut actus ille excuſari poſſe videtur, id Deo relinquendum eſt, qui nobis iſtis de rebus circumſpectionem illam non mandavit, ſed ſibi uni tanquam juſtiſſimo & æquiſſimo judici reſervatam voluit. Alioquin enim nunquam quiſquam ſententiam ſuper aliquo aut errore aut ſcelere ferre poſſet aut auderet; ſaltem non ſuper aliquo ſeu errante ſeu peccante, id eſt ſeu idololatra, ſeu avaro, ſeu homicida, ſeu alio quocunque ſcelerato, cum circumſtantiarum ratione habita, cujuſque hominis pene error & ſcelus excuſari poſſint. Quare qui juxta Euangelium credit, aliquem perſtare in errore fundamentali, aut actu damnato, is credere debet ac pronunciare, eum ſalvatum non iri juxta Euangelium: relinquens Deo judicium ultimum ac peremptorium de cauſſa, occaſione, & circumſtantiis, quæ excuſando errori, aut ſceleri imminuendo quo hic aut ille tenetur ſervire poſſunt. Judicium enim noſtrum, uti de erroribus & peccatis juxta Euangelii ſententiam definitivum eſt, ita de errantibus & peccantibus non eſt niſi interlocutorium, quia definitivum judicium ſoli Deo competit, utpote qui ſolus non tantum de erroribus & peccatis, ſed & de errantibus & peccantibus. quod attinet ad omnes requiſitas ad reum aliquem æternæ mortis pronunciandum circumſtantias, poteſt infallibiliter ſtatuere ac decernere. Solus enim Deus ſcrutatur corda ac renes, & novit omnia.

II. Neceſſaria quæ Scripturis continentur, talia eſſe omnia, ut ſine manifeſta hominis culpa ignorari, negari, aut in dubium vocari nequeant: quia videlicet tum ſubjectum, tum prædicatum, tum prædicati cum ſubjecto connexio neceſſaria in ipſis ſcripturis eſt, aut expreſſe aut æquipollenter. Certiſſima itaque & compendioſiſſima via dijudicandi an aliquod enunciatum ſit non neceſſarium, hæc eſt, ſi appareat ſtatim 1. ejus ſubjectum & prædicatum nec expreſſe nec æquipollenter in Scripturis contineri. 2. Poſito utrumque Scripturis contineri, ſi appareat tamen connexionem prædicati cum ſubjecto nec expreſſe nec æquipollenter ibidem contineri. Quod utrumque adeo religioſe tenendum ſtatuimus, ut nullum actum humani judicii, quo aut æquipollens aliquid vel ſubjecto, vel prædicato, vel toti enunciationi & connexioni, aut conſequentia aliqua inter neceſſaria collocentur, aut neceſſario credenda urgeantur, niſi æquipollentia & conſequentia adeo ſit evidens & neceſſaria, ut qui de ea dubitare, aut eam negare velit, in mera meridie cæcutire velle videri debeat; nullum, inquam, actum judicii humani ad neceſſarii alicujus dogmatis conſtitutionem intervenire permittamus: quia omne humanum judicium errori obnoxium eſt, ſaltem incertum & à ſuſpicione erroris non liberum. Adeo enim perfecte contineri neceſſaria omnia Scripturis credimus, ut, quia aliquid abſque ullo noſtri judicii actu in Scripturis non contineri dicitur, iſtud eo ipſo neceſſarium non eſſe ſtatuamus, niſi judicium iſtud tale ſit, ut judicio Dei expreſſo in Scripturis aut omnino æquipolleat, aut ex judicio iſto per evidentem & neceſſariam conſequentiam fluat.

Huic noſtræ ſententiæ duo hominum ordines refragantur. Libertini ſive potius Spirituales, qui vocantur, & Pontificii; contra quos ut eam adſeramus, videndum venit quæ eorum propria ſententia ſit, ut contra utramque deinde ſimul & eadem opera noſtram adſtruamus.

*Libertinorum ſeu ſpiritualium ſententia de perfectione Scripturæ.*

Libertini, qui appellantur rectius Spirituales, quales ſunt author Theologiæ Germanicæ, Caſparus Swencfeldius, Sebaſtianus Francus, David Georgius, & Henricus Nicolai; (quantum quidem colligere licet ex ſcriptis ipſorum allegoricis vereque enthuſiaſticis,) ſtatuunt, libros ſacros ſcriptos, ſive Scripturam aut Scripturæ literam, ut loqui amant, non eſſe verbum illud divinum, quod ſenſus Dei ad ſalutem neceſſarios creditu perfecte continet; ſed eſſe ac requiri aliud quoddam verbum internum, quod Deus intus & immediate animis hominum ſuggerit atque revelat, cujus beneficio atque inſtinctu ſenſus omnes divinos intelligunt ac percipiunt, & ad quod ipſos ſacrorum librorum ſenſus expendunt atque explorant, ſive potius tanquam imperfectos, & præparandis tantum ad meliorem divinorum ſenſuum intelligentiam hauriendum, rudiorum animis ſcriptos, corrigunt. Nimirum parvi admodum faciunt libros ſcriptos, & verbum quod externum ac σωφρονικὸν eſt. Iſtos volunt non eſſe niſi literam mortuam, inefficacem, inſufficientem, crepundia, elementa, & rudimenta, alphabetariis & infantibus ſolis in Chriſto inſtruendis, eorumque mentibus præparandis ad altiores ſenſus percipiendos idonea: Hoc non niſi corticem, vaginam, thecam, umbram & cadaver Spiritu vacuum, inidoneum atque invalidum ad ſenſus divinos, ad ſalutis noſtræ perfectam conſummationem cognitu neceſſarios, mentibus noſtris imprimendos. Hinc interno verbo & Spiritus immediato alloquio opus eſſe ajunt, cujus ſolius vi ſenſus divinos neceſſarios mentibus noſtris offerri & imprimi poſſe contendunt.

*Sententia Pontificiorum.*

Pontificii ſtatuunt præter libros ſacros ſcriptos, ſive traditiones libris iſtis ſcriptis comprehenſas, neceſſarias eſſe traditiones non ſcriptas, quæ parem cum Scriptura autoritatem habeant; & ſine quibus, ea, quæ ad fidem & mores neceſſaria ſunt, ſciri nequeunt. Has dividunt in Apoſtolicas & Eccleſiaſticas.

Apoſtolicas traditiones vocant, quæ ab ipſis Apoſtolis immediatè traditæ ſunt, & tamen expreſsè in Scripturis

peturis non habentur, parem nihilominus cum Scriptura autoritatem habent. ad has ſpeciatim etiam referunt certas quaſdam traditiones, tum de dogmatibus fidei, tum de moribus ſeu ritibus externis. Eccleſiaſticas vocant, quæ poſt tempora Apoſtolorum à Prælatis Eccleſiæ introductæ ſunt. Has, tametſi parem cum Apoſtolicis autoritatem non habere fatentur, merito tamen à Chriſtianis ſervari debere aſſerunt.

## CAPUT X.

### Spiritum Sanctum Apoſtolis omnia ad ſalutem Eccleſiæ neceſſaria revelaſſe, eoſque illa verbo externo docuiſſe, & plenè ac perfectè libris ſuis comprehendiſſe.

UTramque hanc ſententiam ut ſimul & una eademque opera confutemus, ac noſtram adſtruamus, ſic in genere procedimus. Utraque ſententia directe repugnat ſententiæ iſti, quæ libris iſtis ſacris, puta Novi Teſtamenti, (de Vetere enim ut idem probemus non eſt neceſſe) quorum divinitatem hactenus adſtruximus, continetur: quod certum ſignum eſt utramque falſam eſſe. Id hac ratione evinco.

Tria in libris iſtis ſacris diſerte adſeruntur:

I. Deum aut Jeſum Chriſtum per Spiritum Sanctum autoribus librorum iſtorum, ſive potius Apoſtolis & prophetis ſuis, omnia quæ ad ſalutem Eccleſiæ, ſcitu, creditu, ſperatu, factu neceſſaria ſunt, & neceſſaria erunt uſque ad finem mundi, perfectè inſpiraſſe ac revelaſſe.

II. Apoſtolos ac prophetas Novi Teſtamenti omnia iſta fic neceſſaria verbo externo enuntiaſſe & docuiſſe.

III. Eadem omnia ita neceſſaria plene ac perfecte iſtis eorum libris ſcriptis comprehenſa eſſe.

Hæc tria ſi probentur, concidit ſententia tum Spiritualium, tum Pontificiorum. Priora tamen duo contra Pontificios probari non eſt neceſſe. Pontificii enim non minus quam nos, diſerte ea contra Spirituales adferunt. Quare ſi poſterius duntaxat probetur, collabitur ſententia Pontificiorum. Ac licet poſteriore hoc probato antecedentia etiam duo probata videri poſſunt, tamen ex ſuperabundanti malumus tria hæc ſimul probanda ſumere, ut plenius ſententiæ noſtræ veritas elucefcat, & utriuſque oppoſitæ ſententiæ falſitas pateat.

*Spiritum S. omnia ad ſalutem Eccleſiæ neceſſaria Apoſtolis revelaſſe.*

Primum adferitur omnibus iſtis in locis, in quibus tum Chriſtus ipſe prædicit ac promittit Apoſtolis ſuis Spiritum ſanctum ſuum, cum hoc expreſſo additamento; *Ille vos docebit omnia quæ dixi vobis: Joan.* XIV. 26. *Ille vos introducet in omnem veritatem; Joan.* XVI. 13. *Non enim loquetur à ſemetipſo, ſed, quæcunque audierit, loquetur*, (nempe quæ à me audierit) *quia de meo accipiet & renunciabit vobis: verſ.* 15. tum Apoſtoli ipſi fateneur, ſe non modo Spiritum illum accepiſſe, ſed ſibi omnia ea per Spiritum iſtum revelata eſſe: 1 *ad Corinth.* II. 10. *ut ſcirent quæ Deus ipſis gratificatus eſſet: verſ.* 12. & non ipſis tantum, ſed *quæ præparavit Deus iis omnibus à quibus ipſe diligitur: verſ.* 9. imo ut ipſam *mentem Chriſti perſpectam haberent: verſ.* 16. *totamque* adeo *illam ſapientiam loqui poſſent, quam præfinivit Deus ante ſecula in gloriam noſtram: verſ.* 7. & qua continentur τὰ τοῦ Θεοῦ βάθη, id eſt, divinæ voluntatis profunditates: (Nihil enim profundius in Deo eſt, quam libera Dei voluntas, quæ præceptis & promiſſis imprimis continetur:) & *quæ non dijudicant niſi ſpirituales*, & οἱ τέλειοι ſive *perfecti: verſ.* 15. & 5. ne præparatoria tantum quædam inſpiratio intelligi credatur.

Ex his locis manifeſte evincitur primum, quod in libris ſacris diſerte adſeri diximus, hoc pacto. Spiritus ſanctus docuit Apoſtolos omnia quæ ipſis dixerat Jeſus, introduxit eos in omnem veritatem quam ab eo Spiritus ſanctus acceperat, & veritatem quidem, qua ſapientia ſpiritualibus & τελείοις etiam digna continetur, totaque Jeſu Chriſti mens perfectiſſima habetur, eaque quæ ad gloriam omnium diligentium Deum ſempiternam facit. Ergo Apoſtolis omnia quæ neceſſaria cognitu ad ſalutem ſunt, eruntque ad finem uſque mundi, omnibus ac ſingulis, revelata atque inſpirata fuerunt. Ratio conſequentiæ plana eſt. 1. Qui docet omnia, is nihil omittit docendum. 2. qui docet omnia, quæ dixit Chriſtus, is docet omnia quæ Chriſtus à Patre ſuo audivit, juxta illud Chriſti, *Joan.* XV. 15: *Non amplius dicam vos ſervos, quia ſervus neſcit quid faciat herus ejus. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæ audivi à Patre meo nota feci vobis.* & *Joan.* XVII. 8: *verba quæ tradidiſti mihi; tradidi eis.* & *verſ.* 6: *Manifeſtum feci nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi è mundo.* & *verſ.* 26. *Et notum feci nomen tuum & notum faciam, ut caritas, qua dilexiſti me, ſit in eis, & ego in eis.* Atqui Chriſtum Jeſum omnia omnibus & ſingulis ad finem uſque mundi neceſſaria audiviſſe à Patre ſuo, omnia iſta loca probant, quibus dicitur, 1. quod *Pater eum ſanctificaverit & miſerit in mundum*, cum hoc elogio, *Hic eſt filius meus dilectus, ille in quo mihi complacitum eſt; Hunc audite. Matth.* XVII. 4. quod *Pater filium amet & omnia ei in manum dederit: Joan.* III. 35. quod *Pater neminem judicet, & omne judicium dederit Filio ſuo: Joan.* V. 22. quod *ſicut Pater vitam in ſe ipſo habet, ita Filio etiam dederit vitam habere in ſe ipſo: ibid verſ.* 26. quod *Pater amet Filium, & omnia monſtret ei quæ ipſe facit: ibid. verſ.* 20. quod Filius ipſe dicatur *in ſinu Patris* eſſe, *Joan.* I. 18, id eſt cor & arcana omnia cordis Patris ſui (quod in ſinu eſt) perſpecta habere: ita ut *plenus* dicatur *gratia & veritate, ibid: verſ.* 14. quod ſit *ſplendor gloriæ ac character hypoſtaſeos Patris: Heb.* I. 3. *imago Dei:* 2 *Corinth.* IV. 4. *in quo placuit Patri ut omnis plenitudo inhabitaret*, & *plenitudo* quidem *Deitatis corporaliter: Coloſſ.* I. 19. & II. 9. qui *factus eſt nobis à Deo ſapientia, juſtitia, ſanctificatio, & redemtio.* 1 *Cor.* I. 30. 31. quod *judex ſit vivorum & mortuorum definitus: Act.* X. 42. denique quod *magna illa ſalus*, id eſt, immortalis vita, *per eum ut Dominum, primitus ſit annunciata: Heb.* II. 3. Et ne nova quædam nunc his nunc illis revelaturus credatur, quod *omnibus ubique hominibus per eum denuntiari fecerit ut reſipiſcerent, eo quod ſtatuit diem quo juſte judicaturus eſt orbem terrarum, per eum ipſum Act.* XVII. 31. quod *per eum locutus fuerit ultimis temporibus*, tanquam *hæredem omnium & futuri ſæculi Dominum: Heb.* I. 1. 2. quaſi ſcilicet ultima tempora dicat, quæ futurum duntaxat ſeculum, nullum vero aliud hic in terris, ſecuturum eſt: *Heb.* II. 5. quodque eum non modo ut Prophetam, ſed etiam ut *Teſtatorem* loqui voluerit, ac proinde *Teſtamentum ejus, morte ejus confirmatum, abrogari aut antiquari noluerit: Teſtamento enim nihil addi poteſt aut debet: Heb.* VIII. 13. quod *ſanguine ac morte Teſtatoris obſignatum eſt*: proinde quod *ſine abolitione manſurum eſt:* 2 *Cor.* III. 11. & quod *prædicabitur in univerſa terra, ut teſtimonio ſit omnibus populis, uſque dum finis veniat: Matth.* XXIV. 14. & *conſummatio ſeculi*, *Matth.* XXVIII. 20. non Judaici tantum ſed & univerſi mundi quia autor illius *judex erit univerſæ terræ*, & *juxta Euangelium* ſive Teſtamentum *ſuum: ad Rom.* II. 16. *Apoc.* XX. 12. 13. 14. 15.

Ad totum hoc quod diximus confirmandum, vel una hæc ratio ſufficit: Quod Jeſus jam jam in cælum adſcenſurus Apoſtolis ſuis mandaſſe legatur, *Matth.* XXVIII & *Mar.* XVI ut *in mundum univerſum irent*, & *docerent omnes gentes.* (Marcus ait πᾶσαν κτίσιν, *omnem creaturam*, doctrinæ ſcilicet capacem) & quæ? *omnia ea ſervare quæ præcepi vobis.* quæ Marcus enumerat his verbis; *Qui crediderit & baptizatus fuerit, is ſalvus erit. Qui non crediderit, condemnabitur.* cum adjuncta promiſſione expreſſa, *Ego ero vobiſcum uſque ad conſummationem ſeculi: Matth.* XXVIII. *verſ. ult.* & *inducmini virtute Dei ex alto: Luc.* XXIV. 49. Hoc mandatum iterat Apoſtolus Petrus, *Actorum* X. 41. 42: *Præcepit autem nobis ut prædicemus populo, ac cum teſtificatione denuntiemus, Chriſtum eſſe qui definitus à Deo ſit judex vivorum & mortuorum.* & *cap.* XVII, 30. Similiter Paulus 2 *ad Corinth.* V. 18. *Hæc omnia ſunt ex Deo, qui reconciliavit nos ſibi per Jeſum Chriſtum, deditque nobis miniſterium reconciliationis.* Huic mandato locus eſſe non potuit, niſi certum ſtatuatur, Apoſtolos omnia quæ docenda erant plene perfecteque à Chriſto edoctos fuiſſe, quando ad prædicandum mittebantur.

*Apoſtolos omnia neceſſaria verbo externo docuiſſe.*

Ex hoc fluit ſecundum, quod in ſacris libris afferi etiam diximus: videlicet Apoſtolos mandato iſti morem geſſiſſe: ac proinde eos omnia iſta fic neceſſaria verbo externo enuntiaſſe & docuiſſe.

Hoc adſeri conſtat ex locis compluribus.

1. Ex *Mar.* XVI. 20; ubi Apoſtoli profecti, dicuntur πανταχοῦ *prædicaſſe*: ſcilicet poſt acceptum Spiritum S. & *Spiritu* profectionem eorum dirigente aut eam ſuggerente vel adminiſtrante *tanquam Chriſti vicario*, & *qui ſemper cum ipſis manſurus erat: Joan.* XIV. 16. Prædicaſſe, inquam, *Domino cooperante, & ſermonem* (eorum) *confirmante per ſigna ſubſequentia.*

2. Ex *Epiſt.* 2 *ad Corinth. cap.* V. *verſ.* 20: *Itaque nomine Chriſti legatione fungimur, ac ſi Deus vos hortaretur per nos, oramus Chriſti nomine, Reconciliamini Deo*, & ad *Heb.* II. 3: ubi *ſalus*, id eſt, ſermo ſalutis, *primum annunciata à Domino Jeſu, deinde confirmata in ſe fuiſſe* dicitur (ἐβεβαιώθη) *ab iis qui eum audiverant*, id eſt ab Apoſtolis. Quomodo vero? Sic ut fidenti ore ac calamo aſſerent: *Quod vidimus, quod audivimus, quod* (coram) *adſpeximus*, &c. *id annunciamus vobis:* 1 *Joan.* I. 1. 2. 3. *Non enim poſſumus non loqui quæ vidimus & audivimus: Act.* IV. 20.

3. Ex manifeſtis verbis Pauli 1 *ad Corinth.* II. 13. *Nos vero non Spiritum mundi accepimus, ſed Spiritum, qui ex Deo* (eſt) *ut ſciamus quæ Deus nobis eſt gratificatus: quæ etiam loquimur, non ſermonibus, quos docet humana ſapientia, ſed quos docet Spiritus S.* Rei veritas ex hiſtoria Actorum Apoſtolicorum & ex Epiſtolis conſtat.

Eos vero omnia neceſſaria annuntiaſſe & docuiſſe, & neceſſaria quidem uſque ad finem mundi permanſura, ex ipſis his libris liquet. 1. quia cum ſententia vitæ & mortis æternæ ubique prædicaſſe dicuntur, & eo fine *ut nos cum Patre & Filio communionem haberemus:* 1 *Joann.* I. 3. & *ſalvemur ex natione prava: Act.* II. 40. & *ut nos ſiſterent perfectos in Jeſu Chriſto: ad Coloſſ.* I. 28. unde *Euangelium* eorum dicitur *ſermo reconciliationis:* 2 *Corinth.* V. 19. *ſermo ſalutis: Act.* XIII. 26. *verbum vitæ*, vel verba vitæ: *Act.* V. 20. *potentia Dei ad ſalutem omni credenti: Rom.* I. 16. *Odor vitæ ad vitam, & odor mortis ad mortem:* 2 *Corinth.* II. 16. *ſemen incorruptibile ex quo regignimur, & quod manet in æternum:* 1 *Pet.* I. 23. 25. Quomodo vero? Sic ut *ſi quis euangelizaverit præter id quod euangelizarunt Apoſtoli, ei anathema* dicat Apoſtolus, *ad Galat.* I. 7. 8. 9. & *Jeſum Chriſtus, ad Heb.* XIII. 8. (prædicatus per eos de quibus verſ. præced. dixerat) *fit heri, hodie idem, atque in ſecula*, id eſt, Euangelium & doctrina Chriſti, quæ tum non ita pridem cæperat, manere ſemper debeat una eademque, nulla ſcilicet nova aut meliore doctrina abroganda unquam aut perficienda. hinc enim additur ſtatim, *Doctrinis variis & peregrinis ne circumferamini.* 2. quia Paulus diſerte ait, *Act.* XX. 27. ſe Epheſinæ Eccleſiæ *omne Dei conſilium annuntiaſſe*: iic ut, quia id fecerat, *ſe purum eſſe ab omnium ſanguine* adſerat. & Corinthiis prædicaſſe *Euangelium, per quod, ſi id retinerent* tantummodo *uti acceperant, ſalvandi erant:* 1 *ad Corinth.* XV. 1. 2. quod idem in omnibus ejus Epiſtolis obſervare eſt & per totam Scripturam ſacram, ubi Euangelium eſſe dicitur, nunc *ſemen quo regignimur:* 1 *Pet.* I. 23. nunc *lac quo recens geniti alimur:* 1 *Pet.* II. 2. nunc, *panis ille cæleſtis* quo ſuſtentamur: *Joan.* VI. nunc *caro & ſanguis* Jeſu Chriſti: *ibid.* (Chriſtus enim pro Euangelio & doctrina Jeſu Chriſti accipitur iſto in loco, quia edere Chriſti carnem & bibere ejus ſanguinem per credere in Chriſtum exponitur) nunc *gladius*, aut potius *promtuarium univerſæ* illius *armaturæ* vocatur, quæ ad muniendos nos ipſos & ad hoſtes propulſandos neceſſaria & utilis eſt, ut *reſiſtere poſſimus in die malo, & omnibus confectis ſtare; Epheſ.* VI. 13. 14, *&c.* nunc omne illud eſſe dicitur quod *ad coagmentationem ſanctorum, ad ædificationem corporis Chriſti* facere poteſt, *donec evadamus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei, in virum adultum, ad menſuram ſtaturæ adulti Chriſti; Epheſ.* IV. 12. 13. nunc *vis* illa *intus agens pro menſura cujuſque membri*, cujus beneficio *totum corpus congruenter coagmentatum & compactum per omnes ſuppeditatas commiſſuras, incrementum capit corpori conveniens ad ſui ipſius exſtructionem: ibid. verſ.* 16. nunc denique *ſermo* ille ἀμφότερος *qui poteſt animas noſtras ſervare: Jacob.* I. 21.

Ex his ſic colligimus: Apoſtoli annunciarunt & prædicarunt omne Dei conſilium, verbum illud, quod in ore eorum à Chriſto ipſo poſitum erat, quod eſt verbum ſalutis, quo veluti ſemine regignimur, veluti lacte nutrimur, veluti pane, cibo ac potu confirmamur, veluti carne ac ſanguine implemur, veluti armis munimur, & veluti ſpiritu, nervis, muſculis, ac toris, roboramur, ad conſequendum ſtaturam adulti Chriſti; & ſic iſtud annuntiarunt, ut qui præter illud, aliud quidquam addendo, detrahendo, aut mutando euangelizaturus eſſet, is anathematis reus eſſet futurus. Ergo omnia ad ſalutem neceſſaria, uti diximus, annuntiarunt & docuerunt.

*Omnia ad ſalutem neceſſaria plenè & perfectè Apoſtolorum & Euangeliſtarum libris contineri.*

Reſtat ergo, ut probemus tertium, quod in libris ſacris adſeri diximus; videlicet, Eadem omnia ita neceſſaria plenè ac perfectè iſtis Apoſtolorum & Euangeliſtarum libris ſcriptis comprehenſa eſſe.

*Joan.* XX. 31: *Hæc autem ſcripta ſunt ut credatis Jeſum eſſe Chriſtum illum, Filium illum Dei, & ut credentes vitam habeatis per nomen ejus.* & 1 *Joan.* V. 13: *Hæc ſcripſi vobis, qui creditis in nomen Filii Dei, ut ſciatis vos vitam æternam habere & ut credatis in nomen Filii Dei.*

Ex his duobus locis ſic colligo: Omnia ad ſalutarem fidem, ſive ad fidem illam cum qua ſalus æterna ex vi decreti Dei certò conjuncta eſt, neceſſaria, ſcripta ſunt. Antecedens probo. Quæcunque ſcripta ſunt, ea ſcripta ſunt eo fine, ut iſta fides tum conciperetur tum aleretur, per quam ad æternam vitam certò perveniri poteſt, ac neceſſariò debet. Ergo omnia ad ſalutarem fidem neceſſaria ſcripta ſunt. Conſequentia patet: quia alioquin fruſtra ſcripta eſſent. Quorſum enim ſcribatur, ut credamus in nomen Filii, ſi ea quæ ad ſalutarem fidem conſtituendam & alendam neceſſaria ſunt, non ſcribantur? ut enim dicas ea ſcripta eſſe propter eos qui tum vivebant; & doctrinam Chriſti ex ore Apoſtolorum audire poterant, abſurdum eſt. Quia iſti tam miracula & alia ex ore Apoſtolorum audire poterant, quam doctrinam Jeſu. Quorſum ergo iſtis miracula iſta ſcribebantur? Et, ſi aliis iſtos ſubſequentibus ſcripta iſta dicantur, fruſtra iis ſcripta forent, niſi etiam doctrina ipſa tota ſalutaris ſcripta eſſet. Nam alioquin ſcriptis iſtis cauſſam non habuiſſent certam credendi doctrinæ, & ſic æternam vitam conſequendi. Non enim ſequitur; Iſta ſcripta ſunt ut credatis nobis Apoſtolis; Ergo eadem ſcripta ſunt ut credatis noſtris ſucceſſoribus & doctrinæ eorum.

Dices: Ex loco tamen primo Joannis non probari id quod probandum eſt. Quia Johannes iſthic non agit niſi de miraculis à ſe recenſitis, tanquam argumentis & motivis ad fidem doctrinæ Chriſti habendum nos inducentibus. At probandum erat, ipſam doctrinam credendam totam ſcriptam eſſe, tanquam fidei iſtius objectum. Reſp. At miracula iſta non recenſuerat Joannes nuda, ſed cum doctrina Jeſu Chriſti ſalutari conjuncta, & ſimiliter à ſe recenſita ſcriptaque. Ergo miracula iſta, ut doctrinam Jeſu Chriſti à ſe ſcriptam confirmantia, tanquam plenum perfectumque motivum ad ſalutarem fidem concipiendam ſufficiens, adduxit. Id confirmatur manifeſte ex loco ſecundo, ubi idem Joannes ſe ſcribere dicit ad eos, qui jam crediderant in nomen Filii Dei, ac proinde jam ad credendum miraculis adduci opus non habebant, ut videlicet crederent, id eſt, perſeverarent in credendo iſtis, quæ tum in Epiſtola iſta ſcribebat; quæ ſane miracula non continebant, ſed ſalutarem doctrinam ipſius Jeſu Chriſti. Quare vocem ταῦτα, neceſſe omnino eſt exponere de omnibus à ſe aliiſque ſui ſimilibus ſcriptis, ad fidem in Jeſum Chriſtum neceſſariis: quaſi dixiſſet Apoſtolus, Hæc autem quæ hactenus ſcripſi, & quæ his ſimilia ſunt (quæ à Joanne Apoſtolorum ultimo viſa approbataque eſſe aſſerit Hiſtoria Eccleſiaſtica Euſebii, cap. XVIII. lib. III.) eo fine ſcripta ſunt, ut cauſſam habeatis credendi, & quæ nam illa ſint quæ neceſſario credenda ſunt, plene exacteque ſciatis. Non enim miracula ſola Jeſu continentur Euangelio Joannis, ſed & doctrina Jeſu Chriſti; &, ſi alia Euangelia & Acta ei conjungantur, omnia omnino quæ à Jeſu dicta & facta fuerunt, quantum nimirum ad fidem ſalutarem ei & doctrinæ ejus adhibendum ſufficit, plene perfecteque iis perſcripta ſunt; ut ex procemiis Lucæ, quæ Euangelio & Actis Apoſtolicis ſuis præſcripſit, clare ſatis liquet. Dices: Attamen Apoſtolus non facit mentionem niſi ſolius fidei in Jeſum Chriſtum. Reſp. Imo vero idcirco quia fidei ſolius in Jeſum Chriſtum mentionem facit, eique vitam æternam, ſive certam vitæ æternæ adeptionem, conjungit, idcirco per vocem ταῦτα non tantum ſignificare voluit miracula à ſe perſcripta, ſed omnia quæ à ſe aliiſque de Jeſu Chriſto jam ſcripta erant, ſine quibus aut quorum fide, vita æterna haberi aut ſperari non poterat. Iſta enim omnia tum temporis neceſſaria erant ad fidem iſtam concipiendam, cum qua vitæ æternæ adeptio conjuncta erat futura. Iſta autem fides eſt fides illa, quæ viva fides eſt, & per caritatem efficax. Hæc enim eſt ſola illa quæ in Chriſto valet, ut Apoſtolus ait, *Gal.* V. 6. viva autem eſt quæ opera ſibi bona conjuncta habet; *Jacob.* II. 20. 26: & obſervationem mandatorum Dei: 1 *Corinth.* VII. 19: novamque creaturam facit: *Gal.* VI. 15. Iſta fides doctrinæ Jeſu Chriſti adhibetur, quæ fidem ſimul ac caritatem præſcribit, juxta iſtud quod Joannes ait, 1 *Epiſt. cap.* III. 23: *Hæc eſt doctrina ejus ut credamus nomini Filii ejus Jeſu Chriſti, & diligamus alii alios*; ἐντολὴ mandatum, in textu eſt, ſed ἐντολὴ, pro doctrina, ſive ἐντολὴν Euangelicarum epitome & ſumma, accipitur, uti ex reipſa liquet: alluſione facta ad Legis divinæ ſummam, quæ *dilectione Dei & proximi* abſolvitur. *Ab iſtis* enim *duobus mandatis tota Lex & Prophetæ pendent*, uti Chriſtus ipſe docet *Matth.* XXII. 40. Non quod præciſe iſtis duobus mandatis univerſa Religionis Chriſtianæ ſumma contineatur; ſed, quod fide Jeſu Chriſti, ſive fide qua creditur in nomen Jeſu Chriſti, id eſt, in Chriſtum & doctrinam ejus, comprehenſa velit omnia, quæ ad diligendum Deum, ad nos ipſos abnegandos, & ad diligendum proximum pertinent. Dilectionem autem ſolam iſtam, qua alii alios, id eſt, qua nos fratres diligimus, fidei conjungit; quia eam commendare in tota Epiſtola propoſitum habuit; eaque non minus fide illa continetur, quam in ſingulari numero ἐντολὴ ſive mandatum Jeſu Chriſti vocat, quam dilectio iſta, qua omnes alios, etiam inimicos, diligere debemus, & nos ipſos; ita ut utriuſque iſtius dilectionis norma ſemper ſit dilectio Dei, & fides in Chriſtum, quæ illo præcepto nititur, *Qui vult diſcipulus meus eſſe, abneget ſe ipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me: Matth.* XVI. 24.

item

item *Matt.* V. 44: *Ego verò dico vobis, diligite inimicos vestros*, &c. Per *fidem* itaque hoc loco *Joan.* XX. intelligitur totum Christiani hominis officium, uti passim in Scripturis accipitur: *Qui credit in filium, habet vitam æternam. Qui non credit*, in textu Græco est, ὁ ἀπειθῶν, id est, qui non obtemperat sive credere non vult, aut non obedit, *Filio*, id est, mandatis & doctrinæ Christi universæ, *non videbit vitam*: *Joan.* III. 36. Cui conveniunt omnia ista loca, in quibus *fide justificari* dicimur, id est, religionis Christianæ observatione, *non lege*, id est, non legalium mandatorum quæ Religionem Judaicam proprie spectant, obedientia. Hinc remissio peccatorum, sive justificatio, aliquando tribuitur *respiscentiæ*, *Act.* III. 19. aliquando *confessioni peccatorum nostrorum*: 1 *Joan.* I. 9. aliquando remissioni isti qua nos alii aliis peccata sive offensas atque injurias ἀφιέναι remittimus: *Remittite, & remittetur vobis. Si remiseritis hominibus suos lapsus, remittet etiam vobis Pater ille vester cælestis. & si non remiseritis hominibus ipsorum lapsus, nec Pater vester remittet vobis offensas vestras*: *Luc.* VI. 37. *Matthæi* VI. 14. 15. *Matth.* XVIII. 35. *Luc.* XI. 4. Hinc *religio pura & incontaminata apud Deum & Patrem*, dicitur in eo consistere, quod *visitemus orphanos & viduas in afflictione ipsorum, &*, quod *immaculatos nos servemus à mundo Jacob.* I. 27. Hinc *pietas* dicitur *habere promissionem hujus & futuræ vitæ*: 1 *Timoth.* IV. 8. Hinc *beati* dicuntur, qui hæc & illa faciunt aut patiuntur: *Matth.* V. 2. 3. 4. 5, &c. Hinc *in Christo valere tantum* dicitur *mandatorum Dei observatio*: 1 *ad Corinthios* VII. 19.

## CAPUT XI.

### Summa doctrinæ fidei ad salutem æternam consequendum necessariæ, quæ Sacris Novi Fœderis libris plenè & perfectè continetur.

EX hoc ita præstructo sic porro concludo: Libris hisce sacris continetur plena ac perfecta descriptio fidei istius, quæ ad salutem æternam necessaria est, & cum qua salutis ac vitæ æternæ adeptio certo conjuncta est. Ergo iis continentur omnia ad salutem necessaria. Antecedens probo. Totum & adæquatum fidei istius objectum, omnia istius objecti adtributa necessario credenda, omnes atque universi fidei istius actus, antecedens, formalis, & consequentes, istis continentur. Ergo. Antecedens probo per singula membra.

*Fidei objectum adæquatum est Deus & Christus.*

Totum & adæquatum fidei salutaris objectum est Christus Filius ille Dei. Ergo Deus & Christus Filius Dei. Id liquet ex textu hoc, *ut credatis Jesum esse Christum illum, Filium Dei.* & imprimis ex ipso Christi dicto, *Joan.* XVII. 3: *Hæc est vita æterna ut te cognoscant, unum illum & verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* Cui adstipulantur ista loca, quæ disertè hæc duo continent; *Creditis in Deum, & in me credite*: *Joan.* XIV. 1. & 1 *Pet.* I. 21: *Per eum* (Christum scilicet) *credentes in Deum, qui suscitavit eum ex mortuis, & gloriam ei dedit, ut fides ac spes vestra in Deo esset.* Et 1 Ioan. II. 22: *Quis est mendax nisi qui negat Jesum esse Christum illum? hic est Antichristus, qui negat* (id est, non credit in) *Patrem & Filium. Quisquis negat Filium, nec Patrem habet. Qui agnoscit Filium, etiam Patrem habet.* 1 Ioan. V. 10: *Qui credit in Filium Dei, habet testimonium in seipso, qui non credit Deo mendacem eum fecit, quia non credidit testimonio quod testificatus est Deus de Filio suo. Est autem hoc testimonium, quod vitam æternam dedit nobis Deus: & hæc vita in Filio ejus est. Qui habet Filium, habet vitam, qui non habet Filium Dei, non vitam non habet.*

*Attributa Dei.*

Attributa omnia utriusque istius objecti, quæ quidem ad fidem utrique objecto habendum necessaria sunt, ea hæc sunt. Quod ad Deum attinet; Deum esse & remuneratorem eorum, qui ipsum quærunt, uti diserte autor *ad Hebræos* ait; *Qui accedit ad Deum, eum oportet credere, Deum esse, & præmia largiri iis, qui ipsum quærunt*: *cap.* XI. 6. Hæc passim de Deo scripta exstare certum est: & hæc duo talia sunt, ut singula necessario in conceptu suo involvant attributa omnia de Deo credenda. Deum enim esse nemo concipere aut credere potest, nisi eum unum concipiat, nisi summum, nisi sapientissimum, nisi optimum, nisi justissimum, nisi potentissimum, nisi æternum eum concipiat, & nulli creaturæ similem, ac proinde nulla effigie efformabilem. Qui eum remuneratorem credit, is necesse est ut eum cum iisdem prædictis attributis concipiat, si inter remunerationes etiam referatur æterni boni collatio: & insuper concipiat ut providentia sua & cura versantem circa cultores nominis sui, sive quærentes se. Qui eum remuneratorem se quærentium credit, is necesse est ut eum concipiat sanctissimum & sanctitatis amatorem cultorumque sui amantissimum, simulque cordium renumque scrutatorem. Et tamen omnia hæc ac singula passim de Deo etiam in terminis scripta esse in his libris indubium est. Quibus alia addi necesse est, cuæ similiter passim de eo scripta legere est: Quod sit Pater Jesu Christi, quod Jesum Filium suum miserit, Spiritu suo S. unxerit, voluntatem suam ei totam patefecerit, quod eum pro peccatis nostris in mortem tradiderit, ex mortuis excitaverit, in cælo ad dextram suam collocaverit, & potestatem ei omnem in cælo & terra dederit.

*Attributa Jesu Christi.*

Quæ omnia talia sunt, ut credi omnino debeat, attributa etiam ista, quæ ad fidem Jesu Christo habendam necessaria sunt, Jesu Christo competere, & in libris his sacris plene descripta esse: ac proinde etiam credendum esse Jesum Christum esse, & præmia largiri iis qui ipsum quærunt. quamquam certum est eadem omnia ac singula etiam in terminis Jesu Christo adtributa in istis scriptis legi; salvo tamen semper jure supereminentiæ quod Pater ex se & à se habet. quod indicatur istis phrasibus, quibus *Filius nihil à semetipso operari posse* dicitur: *Joan.* V. 19. & similibus. quibus *Pater major esse* dicitur *Filio*: Ioan. XIV. 28. quibus *Filius ipse* dicitur *nescire diem & horam judicii extremi, sed Pater* (solus scilicet) *Mar.* XIII. 32. quibus *Christo nomen datum esse* dicitur *supra omne nomen*, &c. *ut omnes linguæ confiteantur Dominum esse Jesum Christum, ad gloriam Patris*: *ad Philip.* II. 11. aliisque similibus. Hæc per omnia Scripturæ loca discurrenti, ita obvia sunt, ut dubitandi nulla reliqua causa sit.

Unde sic colligo: Nullum potest proferri objectum in quod credendum sit, quod Scriptura non continetur, præter Deum & Christum. Nullum potest produci adtributum objecto sive subjecto hujusmodi conveniens, (quod quidem de illo necessario est credendum) quod Scriptura istis non adtribuat. Ergo Scriptura, quantum ad objectum fidei attinet, omnia ad salutem nostram æternam necessaria credi tu comprehendit.

*Antecedens fidei actus.*

Actus fidei omnes, iis contineri planum est. Antecedens Fidei actus est notitia sive cognitio Dei & Christi, quoad personas, adtributa, opera & voluntatem eorum. Hanc passim requiri, & quidem in terminis, notius est quam ut probari oporteat: *Joan.* XVII. 3: *Hæc est vita æterna ut te cognoscant unum illum & verum Deum*, &c. Etsi enim per *cognitionem* hîc tota Deo Christoque debita Religio intelligatur, tamen quia ista *cognitionis* voce denotatur, idcirco eam etiam sine cognitione esse non posse, non obscure indicatur. quod etiam in omnibus istis locis notandum venit, ubi tota Religio Jesu Christi, notitiæ Dei vocibus designatur, quæ supra à nobis adsignata sunt.

*Formalis fidei actus.*

Formalis fidei propriè dictæ & strictè acceptæ actus est adsensus deliberatus ac firmus, qui doctrinæ Christi adhibetur, qui quia ex desiderio boni summi oritur, spem de se immediate gignit; ac proinde cum fiducia sive confidentia, quæ aliud nihil est quam spes roborata, conjunctus est; id est, uno verbo, adsensus fiducialis, quo certo statuitur, Deum obedientibus Filio suo, ex mortuis redivivo, æternam fælicitatem præmii loco daturum. Hujusmodi adsensum requiri à Deo, scriptum legere est, ad *Roman.* X. 9: *Si credidern in corde tuo, quod Deus eum* (Jesum scilicet) *excitaverit ex mortuis, salvus eris.* Sensus enim hujus loci est, Si Jesum Christum, qui obedientibus sibi æternam fælicitatem à Deo Patre suo decretam ac destinatam esse docuit, ex mortuis excitatum, & sic veracem ea in re à Deo ipso comprobatum esse, proinde firmiter certoque ejusmodi fælicitatem à te sperari, cumque enimi fiducia ac πληροφορία exspectari posse credideris, si ei obedias, salvus eris: quia fieri non poterit scilicet, ut non obedias Christo isti, id est, doctrinæ ejus, quam Deus tam illustri actu sibi probari gratamque esse demonstravit. Fiducia tamen hæc, confidentia potius est voluntaria, quam fiducia, quæ propria est iis, qui jam ista confidentia fulti, doctrinæ Christi obtemperant. Hæc enim potius est necessarium aliquod obedientiæ consequens quam actus obedientiæ voluntarius, qui nobis mandatur passim. Istius fiduciæ, tanquam à fide distinctæ, mentio fit ad *Ephes.* III. 12: *In quo habemus libertatem & aditum* (id est, aditum liberum) *cum fiducia per fidem ipsius.* Quia vero doctrina Jesu Christi etiam requirit Fidem in Jesum Christum, necesse utique est ut adsensus hîc etiam feratur in ipsum Christum, non tantum qua prophetam nomine Dei promittentem æternam fælicitatem, sed etiam qua Mediatorem & Dominum, ex cujus manu fælicitas ista expectanda & accipienda est, quia jus in eam sanguine suo obtinuit.

*Actus fidem consequentes, seu ejus effecta.*

Actus fidem consequentes, & fidei propriè dictæ effecta, sunt omnes virtutes Christianæ; quæ tribus vocibus designantur ad *Tit.* II. 12, *pietatis, justitiæ, & temperantiæ*; & generatim ubique fere vocabulis *amoris Dei, amoris proximi, & sanctimoniæ. Pietatis* voce relata ad mandata quæ Dei & Christi personam respiciunt; quorum observatio quia libera,

bera, spontanea & ultronea esse debet, amor Dei & Christi dicitur. *Justitiæ* voce relata ad mandata proximum concernentia; quorum observatio, quia candida, sincera atque ἀνυπόκριτος esse debet, Rom. XII. 9, dilectio proximi vocatur. *Temperantiæ* voce relata ad mandata nostri ipsius directionem spectantia; quæ quia ab omni contagione & communi mundanisque hominibus familiari vivendi consuetudine separata esse debet, sanctimoniæ sive ἁγιασμοῦ titulo venire solet.

Actus hi, actuumque horum omnium ac singulorum modi, perfecte descripti continentur hisce libris: quod ex deductione præceptorum tum adfirmativorum, tum negativorum, circa quæ actus hi occupari & exerceri debent, manifestum erit ex iis quæ posthac de iis dicturi sumus. Summa eorum est.

*Actus pietatis erga Deum & Christum Interni. Honor. Amor.*

Actus pietatis sive ἐυσεβείας, λατρείας, θρησκείας & δουλείας, quos Deum & præcepta Deum spectantia respicere diximus, tam interni, quam externi iis continentur. Interni sunt, *Honor*, quatenus ille animo peragitur, & significat seriam & honorificam de divina tum Dei tum Christi persona existimationem: *Joan.* V. 23. *ut omnes honorent Filium, prout honorant Patrem. qui non honorat Filium, non honorat Patrem, ut qui miserit eum. Amor*, quatenus serium promtumque affectum, & studium indefessum placendi Deo & Christo significat; *Matthæi* XXII. 37: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota anima tua, & ex tota cogitatione tua.* Sic *Rom.* VIII. 28: *Novimus autem iis qui diligunt Deum omnia* (adversa scilicet) *in bonum cedere.* 1 *ad Cor.* II. 9: *Prædicamus, sicut scriptum est, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in mentem hominis venerunt; quæ præparavit Deus iis qui ipsum diligunt.* De Christo: *Joan.* XIV. 21: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo.* Hinc Christus Petro dicebat, *Joan.* XXI: *Diligis me plus quam hos*: (Sic enim malim legere, quam, plus quam hi.)

*Timor. & Reverentia.*

*Timor* & *reverentia*, quatenus significant deliberatum propositum vitandi offensam Dei & Christi, ne ab eorum gratia ac favore separemur: *Matth.* X. *vers.* 28. & *Luc.* XII. 4: *Ne timete eos qui trucidant corpus, & postea non habent, quod amplius faciant. Prædemonstrabo autem vobis quem timeatis. Timete eum, qui postquam trucidarit, potestatem habet conjiciendi in gehennam.* (Matthæus addit, *corpus & animam.*) *utique dico vobis, hunc timete.* Similia loca sunt, 1 *Pet.* II. 17: *Deum timete.* Hoc, *cap.* III. *vers.* 15, vocat *Sanctificare Dominum Deum in cordibus suis*: oppositè scilicet ad timorem hominum: *Timorem eorum ne timete, neque turbemini. Apocal.* XIV. 7: *Timete Deum, & gloriam ei tribuite.* & *cap.* XI. 15. Christi eadem est ratio; quia *Pater neminem judicat, sed omne judicium dedit Filio.* Hinc tota religio Christi, φιβ☉ τῦ πνεύμ vocatur, *Act.* IX. 21. Hi sunt actus interni, qui ad pietatem, quatenus à fide propriè dicta contradistinguitur, pertinent, quos omnes Deo præstari, & Christo propter Deum, Scriptura diserte jubet, cum excellentia & ὑπεροχῇ, quatenus iis solis & insupremo gradu sive supra alia omnia, atque ex omnibus viribus, præstandi sunt. Christo tamen semper infra Deum posito.

*Externi. Adoratio.*

Externi pietatis actus sunt: Primus, *Adoratio* Dei & Christi. Illa, nempe Dei adoratio præscribitur *Matth.* IV. 10: *Dominum Deum tuum adorabis. Apocal.* XIV. 7. *Adorate eum qui fecit cælum, terram,* &c. & XIX. 10: *Deum adora,* & XXII. 9. Hæc, id est, Christi adoratio, *Heb.* I. 6: *Adorent eum omnes Angeli Dei. Philipp.* II. 11: *ut in nomine Jesu omne genu se flectat, cœlestium, terrestrium, ac subterraneorum.* Hæc adoratio comprehendere potest omnia illa externi honoris signa, quæ religiosam submissionem & reverentiam Deo & Christo debitam testantur ac præ se ferunt: quæ in genuflexione, manuum elevatione, capitis apertione, corporisque totius inclinatione aut erectione posita sunt. Secundus actus est *Invocatio*, quæ complectitur tria: beneficii aut auxilii implorationem Pro auxilio impetrato aut pro beneficio accepto gratiarum actionem: Juramenti ad divinam veritatem confirmandum, & bonam conscientiam testandum præstationem. Horum actuum mentio expresse passim fit in Scriptura. De imploratione beneficii & opis sive auxilii divini: 1 *ad Timotheum* II. 1: *Adhortor ergo ante omnia, ut fiant deprecationes, preces, intercessiones, gratiarum actiones pro omnibus hominibus,* &c. nempe ad Deum & Christum; quia, uti *vers.* 5. dicitur: *Unus est enim Deus, unus etiam Mediator Dei & hominum homo Jesus Christus. Jacob.* I. 5: *Si cui deest sapientia, is postulet eam à Deo,* &c. *Matth.* VII. 7. 8. 9. 10. 11. *Petite, & dabitur vobis,* &c. *Philipp.* IV. 6: *De nulla re soliciti estote; sed in omni re, precibus & supplicatione, cum gratiarum actione, petitiones vestræ innotescant apud Deum.* Vide etiam *Lucam* XVIII. 1. & XXI. 36. & 1 *Thess.* V. 17. De gratiarum actione, 1 *ad Thessal.* V. 18: *In omnibus gratias agite, hæc enim est voluntas Dei per Christum Jesum erga vos.* 2 *ad Thessal.* I. 3: *debemus semper gratias agere Deo de vobis, ut par est,* &c. De utraque conjunctim, *ad Philipp.* IV. 6. ad *Coloss.* II. 7. & IV. 2. & quidem directa tam ad Deum quam ad Christum ipsum; *Apocal.* V. 8: *Et prociderunt coram agno, habentes singuli citharas & phialas aureas plenas suffituum, quæ sunt preces sanctorum. Ibid. vers.* 13: *Sessori throni & Agno, benedictio & honor & gloria & robur in secula seculorum.* Et alibi passim. Directa ad Deum, per Christum: *ad Ephes.* I. 20: *Gratias agentes semper de omnibus, in nomine Domini nostri Jesu Christi, Deo & Patri. Coloss.* III. 17: *Et quicquid egeritis sermone aut facto, in nomine Domini Jesu id facite, gratias agentes Deo & Patri per eum.* Precationum ad Deum & Christum directarum exempla passim obvia sunt, in initiis Epistolarum, ubi gratiam & pacem à Deo Patre & à Domino Jesu Christo Apostolus precatur Ecclesiis; & nominatim quidem pro beneficiis spiritualibus, 2 *Thess.* II. 16: *Ipse Dominus noster Jesus Christus, & Deus Pater noster, qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam, & spem bonam in gratia, consoletur corda vestra, & confirmet* (vos) *in omni sermone & opere bono.* Pro temporalibus, 1 *Thess.* III. 11. 12: *Ipse autem Deus & Pater noster, & Dominus noster Jesus Christus, dirigat viam nostram ad vos.* Ad Christum etiam solum directarum precum exempla sunt, *Luc.* XVII. 5: *Domine adauge nobis fidem. Mar.* IX. 24: *Domine succurre incredulitati meæ. Matth.* VIII. 25: *Domine serva nos, perimus.* & XX. 31: *Miserere nostri Domine, fili David.* & *Act.* VII. 59. 60: *Et lapidabant Stephanum invocantem, ac dicentem, Domine Jesu suscipe Spiritum meum. Positis autem genibus clamavit voce magna, Domine ne statuas illi hoc peccatum.* 2 *Corinth.* XII. 8: *Super hoc ter rogavi Dominum ut abscederet à me,* Satanas scilicet. *Sed dixit mihi; sufficit tibi gratia mea. nam potentia mea in infirmitate perficitur.* Potentiam autem Domini Jesu intelligi, patet ex fine versus; *Libentissime igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me potentia Christi.*

*Juramentum.*

De Juramenti adhibitione, qua gloria Dei & Christi, aliorumque salutis promotio intenditur, exempla sunt, 2 *Corinth.* I. 23: *Deum testem invoco in animam meam, quod Corinthum non venerim ut parcerem vobis.* 2 *Cor.* XI. 31: *Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, laudandus in secula, novit me non mentiri.* Similia loca sunt ad *Rom.* I. 9. & *Rom.* IX. 1. *Philip.* I. 8, & 1 *Thess.* II. 5. & 1. *ad Timoth.* II. 7.

*Invocationi divini numinis contraria est idololatria.*

Actus hi perfecte descripti reperiuntur in his libris, adeo ut iis non modo contrarii & indebiti actus damnentur, ἀσεβείας puta, seu impietatis, ἀθεΐας divinæ, irreligiositatis, idololatriæ, perjurii, & non necessarii juramenti, aut ut non dumtaxat actuum horum seu contemptus seu neglectus prohibeatur; sed & requisita omnia, ad actus istos debitè ac legitimè præstandos, in iis exarata legantur; sive dispositionem ejus qui actus istos præstat, sive præstationis modum, sive alias circumstantias videas; quod discurrenti per singulos manifestum est. Exemplum tantum unum sumite ab invocatione sive precatione divini Numinis. Ei directe contraria est idololatria, sive invocatio personarum aut rerum istarum, quæ vel divinum nullum imperium in nos, vel divinam nullam qualitatem in se habent, adeoque inanima, bruta & stupida sunt. Ista passim in his libris damnatur: 1 *ad Corinth.* X. 7. 14: *Fugite ab idololatria.* 1 *Joan.* V. *vers. ult. Filioli cavete vobis ab idolis. Act.* XV. 20. & qui eam exercent, cælo proscribuntur: 1 *ad Corint.* V. 10. 11. & VI. 9. *ad Gal.* V. 20. *ad Ephes.* V. 5. *Apoc.* XXI. 8. & XXII. 15. Invocatio personarum, quæ divinum nullum in nos imperium habent, etiamsi creaturarum præstantissimæ sine & Deo proximæ, adeoque semper vivæ & immortales, damnatur, quando Angelorum ipsorum cultus omnis interdicitur, & adoratio ipsorum prohibetur: *ad Coloss.* II. 18. & *Apoc.* XIX. 10. & XXII. 9. Unde facile colligere est, quanto magis interdicta à Deo videri debeat rerum inanimatarum, imaginum scilicet, hominum vita defunctorum, & reliquiarum plane brutarum adoratio. Contemtus & neglectus precum disserte taxatur *Jacob.* IV. 2. & omnibus istis in locis ubi jubemur *indefinenter orare*: 1 *ad Thess.* V. 17. τῇ προσευχῇ προσκαρτερεῖτε, *Roman.* XII. 12. *vigilare in precibus*: *Luc.* XXI. 36. *vigilate & orate: Matth.* XXVI. 41. *omni tempore precamini per spiritum, εἰς αὐτὸ τοῦτο ἀγρυπνοῦντες: Ephes.* VI. 18. *Luc.* XVIII. 1.

*Contemptus precum.*

*Dispositio precantis.*

Requisita ad justam Deoque gratam precationem passim occurrunt: Dispositio precantis semper & ubique prærequiritur. Nempe primò, ut animum habeat pietate imbutum, saltem à pietate non alienum: *Joan.* IX. 31: *Scimus quod Deus peccatores non audit; sed si quis Dei cultor est, & facis quod ille vult, hunc audit. Iacob.* V. 17. *Multum valet deprecatio justi efficax.* 1 *Pet.* III. 12. ex *Psal.* XXXIV: *Oculi Domini sunt* (intenti) *in justos, & aures ejus in deprecationem eorum; vultus vero Domini adversus eos qui faciunt mala.* Vide etiam 1 *Tim.* II. 8. & 1 *Ioan.* III. 21. Secundò, ut cor habeat fide firmatum ac suffultum: *Iacob.* I. 6: *Postulet cum fide, nihil addubitans. Matth.* XXI. 22. *Mar.* XI. 24. Tertiò, ut affectum adferat, 1. serium, attentum & intentum in id quod orat. Id enim Scriptoribus sacris est, per Spiritum, in sive cum

Spi-

*Sub qua comprehenditur: Imploratio opis.*

*Gratiarum actio.*

Spiritu & veritate, id est cum vero Spiritu orare & vigilare in precando. 2. Ab ira & vindicta liberum, *Matth.* V. 23. & VI. 14. 3. Scopo & fini malo non addictum: *Jacob.* IV. 3. sed bono, id est divinæ gloriæ, nostræ & aliorum saluti promovendæ.

*Modus precationis.* Modus deinde precationis debitus requiritur: Nempe 1. precatio ipsa recte composita esse debet, quæ præ se ferat non verborum inania, sed rerum pondera, non βαττολογίαν gentilem & affectatam, quæque summis tantum labris hæret aut innatat, sed dictionem affectuosam, & à rebus ipsis mutuatam aut potius adspiratam, *Matth.* VI. 7. & XV. 8. 2. quæ referat non ostentationem & ambitionem vanam: *Matth.* VI. 5. nedum gloriationem cum aliorum contemtu conjunctam, *Luc.* XVIII. 9, 10. 11, *&c.* sed submissionem & reverentiam ex sensu indigentiæ profectam; *Jacob.* I. 5. 6. 7. & V. 13. & divina Majestate dignam.

*Res quæ peti possunt.* Quod attinet ad res quæ oratione petuntur, cum exauditionis certa fiducia, ut eæ sint secundum Dei voluntatem, requiritur, 1 *Joan.* V. 14. qua phrasi certum est designari omnes ejusmodi res, quæ divinæ voluntati sunt consentaneæ, sic, ut Deus gratum habere velit eas à se postulari, & libenter ac liberaliter eas, orantibus cum fiducia, largiri decreverit: cujusmodi res sunt, quæ vel ad gloriam nominis sui, vel ad salutem nostram, aliorumque æternam promovendum & adjuvandum necessariæ sunt. Has enim Deus, semper & ubique, orantibus, dare vult; *Jacob.* I. 5. *Matth.* VII. 7. & 1 *Joan.* III. 21. Quæ præter hæc sunt, eorum quædam sunt directe contra Dei voluntatem revelatam: *Jacob.* IV. 3. ut voluptatum, vindictæ, iræ, aliarumque malarum passionum expletio. Quædam, non quidem contra revelatam Dei voluntatem, sed tamen contra decretum aliquod divinum, quod Deus jam ante apud se constituit, & per preces nostras irritum fieri non vult, quod nos quidem latet: sive decretum illud factum sit de puniendis nobis, 1 *Joan.* V. 16. sive de nobis probandis: 2 *Corinth.* XII. 8. 9. sive de nobis bono isto adficiendis, quod non concedere velit nobis, quamquam supplicibus, ea quæ, data nobis & à nobis impetrata, damno potius nostro quam commodo servire possunt, quamquam nos aliter nobis ipsis persuasum volumus.

*Precationis actus, ex 1 Tim. II. 1.* Actus precationis omnes expressos vide 1 *Timoth.* II. 1: per Δεήσεις, προσευχὰς, ἐντεύξεις, εὐχαριστίας. Prima vox: Δεήσεις, deprecationes malorum significare potest: προσευχαὶ petitiones omnium rerum optabilium, quæ vel ad hanc, vel ad futuram vitam necessariæ sunt. ἐντεύξεις, intercessiones pro aliorum salute aut bono. Εὐχαριστίας, gratiarum actiones pro acceptis beneficiis, omnisque generis laudationes & celebrationes ad Deum directas aut Deo dicatas consecratasque.

*Actus justitiæ & dilectionis proximi.* Actus *justitiæ*, qui circa proximum versantur, & caritatis aut dilectionis proximi actus vocari solent, quia ex caritate proficisci debent, his libris etiam continentur perfectè quantum ad salutem satis est.

Actus justitiæ vocantur, quia per eos suum cuique tribuitur, quod ei vel ex lege naturæ, vel ex lege Christi debetur. Ejus quod cuique ex lege naturæ debetur, regula continetur præcepto isto generali, *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*; *proximi* voce accepta non ex sensu Veteris Fœderis pro filio ejusdem populi & religionis, sed ex sensu Novi Fœderis sive Jesu Christi, qui cum lege naturæ proximè convenit, & extat *Luc.* X. 36. pro quolibet homine. *Matth.* XXII. 40. *Marc.* XII. 31. Cujus præcepti quasi quædam ἐξήγησις continetur duobus istis enunciatis; *Quæcunq; volueritis ut faciant vobis homines, eadem & vos iis facite*: *Matth.* VII. 12. & *Luc.* VI. 31. &, *Quæcunque volueritis ut vobis homines non faciant, eadem & vos aliis ne facitote*; quod ex eo sequitur, etsi id textui insertum non legatur: exstatque etiam in libro Tobiæ, licet apocrypho, *cap.* IV. 16. Istis enim continetur omne id, quod naturæ lex à nobis requirit. Si dixisset Servator, Facite omnia quæ justa sunt, regulam quidem generalem præscripsisset, qua comprehenduntur omnia specialia juris naturalis præcepta; at nihil dixisset, ex quo certo colligi à nobis potuisset, quid circa singulas res & negotia justum esset. Sed cum dixit, *Quæcunque vultis ut faciant vobis homines, eadem illis facite*, & contra, regulam dedit ex qua certi esse possumus, quid in qualibet re justum sit. Sicut enim certi esse possumus, quid ipsi nobis fieri ab aliis velimus, quod quidem nobis ab iis deberi credimus; ita vicissim dubitare non possumus, quid aliis facere debeamus. Sic enim accipienda sunt verba Christi, ut non tantum voluntas ibi intelligatur recta & ordinata, sed etiam voluntas, qua nos volumus nobis fieri ab aliis aliquid; tanquam nobis debitum. Possumus enim velle nobis aliquid ab aliis fieri aut dari, quod licitum est ut nobis dent aut faciant, ut tamen vicissim non teneamur aut obligemur ad idem aliis dandum aut faciendum: quamquam ista propriè velleitas est, non voluntas, de qua hic agitur. Debitum autem cum dico, non volo intelligi id præcisè quod stricto jure debitum est, sed quod debetur ex æquitate sive ἐπιεικείᾳ, quæ stricti juris moderatio est. exempli gratia, nos volumus, ut alii homines omnes candidè & sincere nobiscum agant, fidem datam servent, in contractibus fraude, mendacio & fallaciis nos non circumveniant, debitum præstent aut solvant, si solvendo non simus jure summo nobiscum non experiantur, sed temporis aliquam moram indulgeant, donec solvendo pares simus, in necessitatibus positos consilio, auxilio, solatio, precibus juvent, &c. Idem ergo ut aliis in iisdem ac similibus casibus etiam præstemus, æquum est.

*Erga superiores, pares, inferiores.* Extendi potest hæc æquitatis lex ad omnes homines, tum superiores, tum pares, tum inferiores. Superiores si sumus, puta, vel parentes, vel Magistratus, vel domini, vel tutores & patroni, vel Magistri, obsequium & honorem nobis deferri volumus: Si pares, amorem & fidem: Si inferiores, favorem, benevolentiam, clementiam, opem, auxilium & consilium. Ergo vicissim æquissimum est ut paria faciamus, superioribus, paribus & inferioribus; quantum quidem in nobis est, id est, si paria non possimus gradu, saltem specie paria, & quod ad voluntatem attinet, paria gradu. Quantum enim fieri nobis ab aliis volumus, tantum etiam debemus velle aliis facere; ita ut, si in nostra potestate non sit, in voluntate tamen sit æqualitas & paritas dilectionis.

*Mensura dilectionis proximi.* Mensura ergo dilectionis hujus est dilectio nostri: unde consequitur: juxta hanc legem, neminem teneri alium diligere aut pari aut majore dilectione quam ea qua se ipsum diligit. Quare qui ante legem Christi alios supra se dilexerunt, aut diligendos esse, saltem diligi jure posse statuerunt, ii non ex vi legis hujus, sed ex rationis alicujus specialioris dictamine id statuisse judicandi sunt. Nempe uti specialis quædam lex naturæ patrem impellit ut liberos suos magis quam se ipsum diligat, paratus morte sua eorum vitam redimere; ita specialis quædam ratio est, quæ impulit quosdam, ut viros propter singulares dotes Reipubl. utilissimos, aut à quibus magnis fuerant affecti beneficiis, plusquam se ipsos amarent, vitæ ipsorum suas vitas postponentes, & in gratiam eorum sese præsentissimis ac tantum non mille mortibus objicientes. Sed de hac re alias.

*Ordo in dilectione servandus.* Ex hac lege æstimari etiam facile potest, quis ordo in dilectione aliorum servandus sit. Cum enim alii aliis proximiores simus, æquitas ipsa postulat, ut gradui propinquitatis gradus dilectionis accommodetur; & quia propinquitas sanguinis, cedere omnino debet propinquitati illi, quam cum virtute & cum hominibus virtute præditis habemus, ut huic illa succenturietur & subordinetur; denique quia plurium salus longe unius atque alterius aut paucorum salute præponderat; ut hæc semper illi præferatur, & qui ad hanc promovendam utiliores sunt, aut plus industriæ, sapientiæ, prudentiæ, virtutisque conferunt, magis diligantur, quam qui multo minus, aut nihil prorsus ad eam conferre possunt. Nempe arctus quidem est nexus parentum ac liberorum, fratrum ac sororum, cognatorum atque adfinitate junctorum; arctior amicorum, quos virtus & integritas conciliat; sed arctissima est necessitudo eorum, quos sua tum industria ac prudentia, tum virtus atque integritas, digniores magisque idoneos reddunt ad procurandum, non modo parentum, liberorum, cognatorumque nostrorum, sed universi, cum quo vivimus, populi salutem atque incolumitatem.

*Hos omnes justitiæ & dilectionis proximi actus lege Jesu Christi præscriptos esse.* Atque hæc quidem omnia lege etiam Jesu Christi, quæ libris his continetur, disertè tradita esse certum est: uti patet ex inductione locorum istorum omnium, quibus jubemur.

In genere, *Nemini quicquam debere nisi hoc ut diligamus alii alios*: *Rom.* XIII. 8. *proximum non adficere malo*: *ibid. vers.* 10. *cum omnibus si fieri potest, quantum in nobis est, in pace vivere*: *cap.* XII. 18. *Beneficos esse erga omnes*: *Gal.* VI. 10. &c.

In specie, quatenus referimur ad alios, vel tanquam pares, ut *eos non lædamus*: *Rom.* XIII. 10. *non circumveniamus.* 1 *Thess.* IV. 6. *non fallamus mendacio*: *Ephes.* IV. 25. *fœnore non exhauriamus*: *Luc.* VI. 34. *egentes sublevemus*: *Matth.* V. & XXV. *Rom.* XII. 13. *cum gaudentibus gaudeamus, cum flentibus fleamus*: *Rom.* XII. 15. *si injuriam intulerint, iis condonemus. Matth.* VI. *vers.* 14. & XVIII. 35. *Coloss.* III. 13. *Matth.* V. 24. *errantes in viam reducamus*: *Hebr.* XII. 13. *Jacob.* V. 20. peccantes ad pœnitentiam adducere conemur: *Matth.* XVIII. 15. *ægros consolemur*, &c. 1 *Thess.* V. 14. *Coloss.* III. 12. 13.

Vel tanquam superiores; si parentes sint, *ut in benefaciamus*: *Matth.* XV. 1. 2. 3. 4, *&c. vicem rependamus*: 1 *Timoth.* V. 4. *obsequium præstemus, quia id justum est*: *Ephes.* VI. 1. & *Coloss.* III. 20, *quia id Deo gratum est.*

Si

Si Magiſtratus, *ut eos honoremus*: 1 *Petr.* II. 13. *in auſcultemus*: *Rom.* XIII. 1. 6. *tributum pendamus*, *verſu* 7. *Matth.* XXII. 21.

Si domini aut heri, ut *in morem geramus cum timore & tremore, etiamſi iniqui ſint aut duri*: 1 *Tim.* VI. 1 *Coloſſ.* III. 22. *Epheſ.* VI. 5. & 1 *Petr.* II. 18.

Si Epiſcopi aut presbyteri, ut *in obſcundemus*: *Heb.* XIII. 17. *duplici eos honore adficiamus*: 1 *Timoth.* V. 17. *alamus*: 1 *Corinth.* IX. 7. & *corporalia ſubminiſtremus*: *Galat.* VI. 6. & *quam maxime charos ducamus*: 1 *Theſſal.* V. 12.

Vel tanquam inferiores; ſi liberi, ut *eos enutriamus in doctrina & monitu Domini*: ad *Epheſ.* VI. 4. *non exacerbemus*: *ibid.* & *Coloſſ.* III. 21.

Si ſubditi, ut *eos protegamus ac defendamus*: *Rom.* XIII. 4. ut *qui probis infeſti ſunt puniamus*; *ibidem.* & 1 *Petr.* II. 14.

Si famuli, ut *in benigne imperemus, remiſſis minis*: *Epheſ.* VI. 9. *æquitatem & æquabilitatem in exhibeamus*: *Coloſſ.* IV. 1.

Si diſcipuli, licet refractarii, ut *cum lenitate eos erudiamus*: 2 *Tim.* II. 24. ſi morigeri, ut *in non dominemur*: 1 *Pet.* V. 3. & iſtis omnibus qualitatibus prædiți ſimus quæ deſcribuntur, 1 *Timoth.* III. 3. *Tit.* I. 7.

Maxime verò *benefaciamus in qui domeſtici fidei ſunt*: *Gal.* VI. 10, id eſt, qui Chriſtiani ſunt.

Sed vero etiamſi hæc omnia lege Jeſu Chriſti diſerte non eſſent tradita, ratio tamen manifeſta eſt, cur ea omnia etiam Chriſti lege contineri dicendum ſit. Si enim illa ſunt *Lex & Prophetæ*, uti Chriſtus ait, *Matth.* VII. 12, id eſt, ſi ſumma præceptorum ad proximi dilectionem ſpectantium, quæ lege Moſis & Prophetarum libris continentur, iſtis abſolvitur, multo magis eadem præcepta lege Chriſti continentur, cujus ſumma multò perfectior abſolutiorque eſt. Enimvero ex lege Chriſti juſtitiæ ratio poſtulat, poſtquam immortalitatis & vitæ æternæ promiſſio publicata eſt, ut non modo diligamus proximum ſicut nos ipſos, ſed magis quam nos ipſos; non tantum idcirco, quia jubet nos *diligere adeo fratres noſtros*, id eſt, religione Chriſtiana nobis conjunctos, ac proinde ejuſdem nobiſcum immortalitatis hæredes, *ut vitam pro illis profundere parati ſimus*; 1 *Joan.* III. 16, (hunc enim adfectum forte imprimere apta nata eſt naturæ lex, quæ non modo Religionis conſanguinitatem, ſed virtutis atque honeſtatis adfinitatem carnali conſanguinitati propriæque adeo noſtræ incolumitati præferendam eſſe docet:) ſed ideo maxime, quia jubet nobis ut *inimicos noſtros diligimus*, ut *benedicamus iis, qui devovent nos*, ut *benefaciamus iis qui oderunt nos*, & ut *precemur pro iis qui infenſi nobis ſunt & nos perſequuntur*: *Matth.* V. 44. Hoc enim uſque adeo longe ſuperat dilectionem iſtam, qua nos ipſos diligimus, & qua nobis ipſis ab aliis bene fieri cupimus, ut contra non modo nolimus nobis bene fieri ab iis qui nos oderunt, ſed & benefacta eorum nobis gravia, moleſta, & maleficii alicujus aut voluntatis malefaciendi ſuſpecta ſemper ſint, juxta iſtud, ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα. Ac licet aliquando eo uſque ſine hac Chriſti lege adduci poſſimus, ſive naturæ noſtræ bonitate tracti, ſive inimicitiæ longæ tædio fracti, ſive puſillanimitate quadam noſtra dejecti, ſive ſpe magni alicujus boni quod ad nos ex inimicitiis ſublatis redundaturum credimus erecti, ut hoſtem noſtrum aut nobis conciliatum velimus, aut ipſi eum beneficiis quibuſdam nobis conciliare ſtudeamus, tamen ut iis in inimicitia hoſtiliter perſeverare volentibus bene facere cupiamus, aut bene fieri optemus, nedum ut id cupiamus aut optemus, aut faciamus ipſi, bono illorum non noſtro, nulla plane ratione fieri poteſt. Hinc non modo Chriſtus, Judæis legem hanc laturus, inquit, *Ego vero dico vobis*: *Matt.* V. 44. ſed & Paulus Romanis gentilibus legem hanc tanquam παράδοξον aliquod adeo ſerio & quaſi reduplicata vice inculcat, *Rom.* XII. 14: *Benedicite in qui vos inſectantur, benedicite* (inquam) *& ne imprecemini.* & *verſ.* 20: *Si eſurit inimicus tuus, ciba eum; ſi ſitit, da ei potum*, &c. & *verſ.* 21: *Ne vincitor à malo, ſed vince bonum malo.*

*Imò etiam ut vitam pro fratribus ponamus, & inimicos diligamus.*

*Temperantia.*

Actus qui verſantur circa nos ipſos dirigendos, *temperantiæ* nomine veniunt, quæ Σωφροσύνη dicitur, ἀπὸ τοῦ σώζειν τὴν φρένα, quia mentem à perturbationibus immunem præſtat & incolumem ſervat. Hi omnes perfectè ſacris his libris præſcribuntur, & quidem vel in genere, vel in ſpecie. In genere, quando jubemur *abſtinere à malo, & facere bonum*: 1 *Petr.* III. 11. *abſtinere à carnis cupiditatibus*; 1 *Pet.* II. 11. *exuere veterem hominem, qui cupiditatibus deceptionum corrumpitur.* &, *induere novum hominem, qui ſecundum Deum conditus eſt, in juſtitia & ſanctimonia veritatis, & renovari Spiritu mentis noſtræ*: *Epheſ.* IV. 22. 23. 24: *ſecundum carnem non ambulare, ſed ſecundum ſpiritum*: *Rom.* VIII. 1. & 12. *Spiritu actiones carnis mortificare*: *ibid. verſ.* 13. &, *carnem crucifigere cum affectibus & concupiſcentiis*, & *Spiritu incedere*: *Gal.* VI. 24. 25. Denique *nos ipſos abnegare*: *Matth.* XVI. 24. quibus alia in eandem ſententiam dicta infinita ſuffragantur.

In ſpecie, quando jubemur occupari in moderanda utraque animæ noſtræ ſenſitivæ facultate, concupiſcibili ſcilicet & iraſcibili; quatenus ſcilicet utraque facultas non ad proximum, ſed ad nos ordinatur.

*Moderatio facultatis concupiſcibilis.*

*Moderatio facultatis concupiſcibilis præſcribitur in ordine ad omnia iſta objecta, circa quæ concupiſcentia noſtra inordinatè occupari poteſt. Ea ſunt bona mundi hujus, quæ Joannes 1 *Epiſt.* ſua *cap.* II. 16, in tria genera diſpeſcit, in divitias, quas *cupiditatem oculorum* vocat: in honores, quos vocat *faſtum vitæ*; in voluptates, quas *cupiditatem carnis* vocat. Omnes has ſimul una voce *mundum* vocat, & has inordinatè concupiſcere, vocat *mundum diligere*; quod dupliciter accipi poteſt; Primò, ut *mundum diligere* ſit, mundana iſta omnia per fas nefaſque quærere, quæſitis comparatiſque aut anxiè & impotenter incubare, nulloque ſuo aut aliorum commodo, uti; aut intemperanter & prodigaliter iis frui & abuti, cum famæ & valetudinis, ſæpe etiam cum vitæ propriæ vel diſpendio vel detrimento. Hac ratione mundum diligere ipſa recta ratio vetat, & homine indignum eſt; quare ut id ſcrupulosè vetitum ab Apoſtolo dicatur, non eſt verosimile: quamquam, quin crebro id in libris his ſacris vetitum ſit, nemo dubitare poteſt. Secundò, ut *mundum diligere* ſit, mundana iſta omnia admirari, in pretio habere, optare, ambire, avide amplecti, poſſidere, iis frui, delectari, recreari, & vehementer affici ac titillari; licet id fiat ſine injuria alterius, & ſine noxa valetudinis noſtræ, dummodo id fiat nullo alio fine, quam ut nobis inde bene ſit, non autem ut iſtis potiti unquam aliis proſimus, niſi forte per accidens, & noſtræ voluptatis aut utilitatis cauſſa. Hac ratione mundum diligere vetat Apoſtolus, & Scriptores omnes ſacri, quod in ordine ad divitias, honores & voluptates, manifeſtum eſt.

*Mundum non diligere.*

*Divitiæ.*

Quod enim ad divitias attinet, quarum amorem Joannes vocat *cupiditatem oculorum*, diſertè Chriſtus ipſe eas quæri vetat; *Matth.* VI. 20: *Ne recondite vobis theſauros*, ſive potius, ne theſaurizate vobis, &c. & Paulus, *eos qui volunt* (id eſt, tota voluntate ſua in id adnituntur, ut poſſint) *diteſcere*, acriter taxat, 1 *ad Timoth.* VI. 9. noſque *ſorte noſtra contentos eſſe* jubet, *ſi modo habeamus quo alamur & tegamur.* Autor ad *Hebr. cap.* XIII. 5, vult *mores noſtros eſſe* ἀφιλαργύρους, id eſt, *alienos ab amore pecuniæ*, id eſt non modo alienos ab avaritia, ſed etiam, quæ propria vocis φιλαργυρίας ſignificatio eſt, à cupiditate aut amore pecuniæ, uti patet ex 1 *ad Timoth.* VI. 10. quæ etiam πλουτεῖν dicitur, id eſt, cupiditas diteſcendi, ſive multa aut ſemper plura habendi; *Luc.* XII. 15. cui fieri poteſt ut avaritia proprie dicta non adſit; uti ex exemplo ſive parabola quæ ſtatim à Luca ſubjungitur, non obſcure liquet. Deinde, quando divitiæ vel hæreditate, vel donatione aut legato, vel per matrimonium, vel ſpeciali aliqua divina benedictione, alicui obveniunt, earum uſum rectum, ubique tradi in libris his conſtat, quando divites vetantur *efferri animo*, & *ſpem ponere in incerto divitiarum*; 1 *ad Timoth.* VI. 17. & ut hoc appareat ab iis non fieri, quando jubentur ἀγαθοεργεῖν, πλουτεῖν ἐν ἔργοις καλοῖς, εὐμεταδότοις εἶναι, κοινωνικοῖς, & ἀποθησαυρίζειν ἑαυτοῖς θεμέλιον καλὸν εἰς τὸ μέλλον, *ibid. verſ.* 18. 19. *Amicos ſibi facere de Mammona injuſtitiæ*, id eſt, de divitiis, quæ facile juſtum ſuum dominum deſerunt & ad injuſtum tranſeunt; reſpicitur enim ad protaſin parabolæ: *Luc.* XVI. 9. Sed hæc ad juſtitiam potius ſpectant: Denique, quando Chriſtus non modo jubet ut caveamus nobis ἀπὸ τῆς πλεονεξίας a pluri habitione, ut ita dicam, iſto argumento, quia vita hominis ex iis, quæ ipſi ſuppetunt, in eo ſita non eſt, quod redundet, ἐν τῷ περισσεύειν; ſive id ſignificet, vitam hominis non ali ſuperfluo ſed neceſſario tantum; ſive vitam hominis ad momentum produci non poſſe ſuperfluorum beneficio, quod parabola ſequens videtur indicare: *Luc.* XII. 15. 16. 17. 18, &c. ſed & addit πλεονεξίαν eſſe *idololatriâ* & *excludere nos ex regno Chriſti & Dei*; *Epheſ.* V. 5. eoſque *qui ſerviunt Mammonæ*, *non poſſe ſimul etiam Deo ſervire*: *Matth.* VI. 24: & quod caput rei eſt, *impoſſibile eſſe*, id eſt valde difficile eſſe, *ut qui pecunias habent*, id eſt, *qui confidunt in divitiis*, ut Marcus id exponit, *cap.* X. 24. cui convenit id quod *Luc.* XII. 21, dicitur, *qui theſaurizant ſibi, nec in Deo divites ſunt, introeant in regnum Dei*, *Matth.* XIX. 23. 24. 25. 26. *Mar.* X. 23. 24. 25. *Luc.* XVIII. 24. 25.

*Honores.*

Quod attinet ad honores, quos *faſtum vitæ* Joannes appellat, quo omnis ſupra alios excellendi inordinatus appetitus continetur, eorum concupiſcentia paſſim prohibetur: *Matthæi* XX. 25. 26. 27. *Scitis Principes gentium κατακυριεύειν αὐτῶν*, id eſt, dominii eminentiam affectare, & magnates κατεξουσιάζειν αὐτῶν, id eſt, ἐξουσίαν ſive ὑπεροχὴν ſupra illas cupere ac velle obtinere; uti apparet ex occaſione ambitioſi poſtulati

matris

matris filiorum Zebedæi, antea recensiti. *Verum non ita erit inter vos; Sed quicunque voluerit inter vos magnus esse, esto minister vester*, &c. & *Matt.* XXIII. 8. 9. 10. 11. 12: *vos vero ne vocemini Rabbi*, &c. *ad Gal.* V. *vers.* 26: μὴ γινώμεθα κενόδοξοι. ad *Philipp.* II. 3. *Nihil gerentes* per κενοδοξίαν, &c. eo quod vel divites simus: *Jacob.* I. 10. 11. & 1 *ad Timoth.* VI. 17. vel vestibus splendidioribus aut χρυσοδακτύλοις incedamus; *Jacob.* II. 2, &c. vel privilegio aliquo donorum specialium gaudeamus, 1 *ad Corinth.* IV. 7. & 2 *ad Corinth.* XII. 6. vel virtutibus aut bene factis quibusdam aliis præcellamus, aut præcellere nobis videamur: *Luc.* XVIII. 9. 10. 11. 12. 13. 14. vel munere aliquo digniore fungamur: 1 *Petr.* V. 3. vel autoritate & gratia apud plures valeamus: 3. *Joan. Epist. vers.* 9. 10.

Contra vero, passim inculcatur humilitatis studium, quod ταπεινοφροσύνη dicitur; & quidem vel in genere, μὴ τὰ ὑψηλὰ φρονοῦντες, ἀλλὰ τοῖς ταπεινοῖς συναπαγόμενοι: *Roman.* XII. 16. πάντες δὲ ἀλλήλοις ὑποτασσόμενοι, τὴν ταπεινοφροσύνην ἐγκομβώσασθε: 1 *Pet.* V. 5. ὅτι ὁ Θεὸς ὑπερηφάνοις ἀντιτάσσεται, ταπεινοῖς δὲ δίδωσι χάριν: *ibid.* & *Ephes.* V. 21. *Ea modestia, ταπεινοφροσύνη alios alium se præstantiorem existimet: ad Philipp.* II. 3: imo *honore alii alios præcant*: *Rom.* XII. 10. *Amen dico vobis, nisi vos conversi fueritis & fiatis ut pueruli, nequaquam ingrediemini in regnum cælorum. Quisquis igitur submiserit se, pueruli instar, iste est maximus in regno cælorum*; *Matth.* XVIII. 3. 4. Vel in specie, Modestia in opinione, quam quis de se ipso in animo suo concipit; *Rom.* XII. 3: *Ne quis sapiat supra quam oportet sapere: sed sapiat ad sobrietatem.* 1 *Corinth.* IV. 6. Hæc modestia tum elucet, cum quis adeo se demittit, ut etiam ad lavandos aliorum se inferiorum pedes abjicere non dedignetur, ad exemplum & præceptum Christi; *Joan.* XIII. 14. 15. 16. 17. Modestia in ostensione sui ipsius ob peculiares sive animæ sive corporis dotes; 1 Cor. I. 31: *Qui gloriatur in Domino gloriator.* ex *Jerem.* IX. 23: *Ne jactet se sapiens in sapientia sua, nec jactet se se potens in potentia sua, neque jactet se dives in divitiis suis; Sed in hoc jactet se se, qui jactat se, quod intelligat & cognoscat me.* Modestia in sui ipsius demonstratione ob fortunæ dotes: *Jacob.* I. 10: *Qui dives est*, (glorietur) *in submissione sui, quoniam veluti flos herbæ præteribit*, &c. Modestia in cultu ornatuque corporis, præter & supra, si non vires, saltem dignitatem moribus patriæ convenientem, & infirmorum scandalis non obnoxiam. Hæc imprimis præcipitur fœminis & virginibus, quia ad ornandum & comendum se procliviores esse solent, & excusationem mereri sibi videntur ob infirmitatis propriæ conscientiam, & in virorum procorumve gratiam: 1 *Timoth.* II. 9: *Itidem* (volo) *mulieres amictu honesto, cum verecundia & modestia, ornare se se, non cincinnis, vel auro, vel margaritis, vel* ἱματισμῷ πολυτελεῖ, *amictu pretiosa*, 1 *Pet.* III. 4: *Fœminarum ornatus, ne fit externus ille, in nodis capillorum, in circumpositione auri, vel palliorum amictu.* Ex hoc quæ virorum modestia in cultu corporis esse debeat, imprimis Episcoporum aliorumque, qui populi exemplaria esse debent, facile colligitur. Recte ille, *Forma viros neglecta decet*, id est non nimis accurata, & quæ negligentiæ quam curiositati propior est. Denique Modestia in sermone sive oratione, ita ut ab ea absit multiloquentiæ magistralis adfectatio: *Jacob.* III. 1. 2. Raræ & vanæ eloquentiæ ostentatio: 1 *ad Corinth.* II. 1. 2. 3. 4. & *cap.* IV. 18. 19. 20. Ambitiosa sui ipsius, & donorum sibi collatorum depreciatio, aucupandæ gloriæ & augendæ existimationi suæ; quæ superbiæ hypocrisis est & hypocriseos ubique damnatæ crimen in se habet, opponiturque ταπεινότητι, sive gravitati illi quam Tito commendat Apostolus, *Tit.* II. 7. Denique vilipendentia alienorum donorum factorumque, quæ vel cum aperto contemtu conjuncta est, vel cum qualicunque depreciatione eorum; quæ fere ex invidia nasci solet, comitemque sibi plerumque habet, cavillandi pruriginem, contradicendi libidinem, & suspicandi omniaque in pejorem partem trahendi æruginem; unde jurgia, lites, schismata, & dividias animorum oriri necesse est. 1 *ad Cor.* I. 10. 11. 12. & *ad Gal.* V. 26: *Ne simus inanis gloriæ cupidi, alii alios provocantes, alii alii invidentes.*

*Voluptates.* Quod attinet ad voluptates, quarum amorem Joannes vocat *Cupiditatem carnis*, quia caro sensibus prædita iis maxime titillatur atque afficitur, earum concupiscentia passim in libris his vetita legitur; non tantum crassa, vaga, belluina & propudiosa illa, quam naturæ lex & populorum omnium ab humanitate non degenerantium consensus, adeoque mundus fere totus damnant; qua fit, ut homines, non aliter quam ventris atque abdominis sui mancipia, certatim sese volutare ament in cæno voluptatum, velut Epicuri de grege porci, quibus anima pro sale data est, susque deque habentes honesti omnis inhonestique discrimen, & quid turpe ac fædum ab aliis censeatur, dummodo ipsi animum suum expleant, & genio suo morem gerant; quales describuntur ad *Rom.* I. *à vers.* 26 *ad finem usque. ad Ephes.* IV. 19. & 1 *Pet.* IV. 2. 3. 4. & 2 *Pet.* II. 12, &c. & in Epistola *Judæ* tota. Non tantum, inquam, hæc concupiscentia carnis vetatur, sed etiam ea, quæ communiter in vitio poni non solet, & consistit in desiderio habendi & fruendi iis, quæ carni grata sunt, & eo fine, ut carni nostræ inde bene ac volupe sit. Fruendi dico, non utendi, ut voluptatis perceptio non sit medium, quo disponimur ad meliora exercitia, sed finis & terminus in quo acquiescimus, & concupiscentia nostra desinit. Per fruitionem autem intelligo, non excessum illum, de quo ante egimus, qui voluptatum ipsarum suavem sensum obtundit superfluitate sua, multaque sæpe mala & incommoda ipsis veris voluptatibus plane contraria secum adfert; sed jucundam illam titillationem sensuum, quam is maxime percipit, qui voluptatibus istis in solidum potiri studet, sine valetudinis suæ incommodo, sine rerum suarum jactura, sine alterius injuria, & sine famæ nominisque sui macula: verbo dicam, cujus scopus est, carnis suæ voluptas, sive, uti Apostolus loquitur, *Rom.* XIII. 14: σαρκὸς πρόνοιαν ποιεῖσθαι, id est, *curam habere carnis ad concupiscentias*, scilicet cum voluptate & jucunditate ex pendas.

Quia vero voluptas hæc maxime percipitur duobus sensibus, gustu & tactu, quia hi maxime carnales sunt, & objectum totum sibi proxime unitum postulant, hinc concupiscentiæ hujus frænatio & cohibitio potissimum consistit in moderatione gustus circa cibum & potum, & tactus circa res venereas. Illa dicitur Sobrietas: Hæc Castitas, sive pudicitia. Cæterorum sensuum ratio non habetur, quia tenuior est quæ per eos percipitur voluptas, & quia fere omnis eorum voluptas ordinatur ac refertur ad voluptatem gustus & tactus, quod Scriptura indicat, quando ait, *Si quis adspicit mulierem ut concupiscat eam*, &c. *Matth.* V. 28. & 2 *Pet.* II. 14: *Oculos habent plenos adulterii*, &c.

*Sobrietati studere.* Sobrietas in cibo & potu passim in his libris inculcatur, non tantum ea quæ excludit ebrietatem, id est, immoderatum usum cibi & potus, qui animum aggravat & rationem turbat, aut (si quis, vel natura validior, vel consuetudine diuturna confirmatior sit, ut à cibo & potu multo non facile turbetur) qui voluptatis non necessitatis caussa fit, nec aut restaurandæ aut retocillandæ aut mediocriter recreandæ naturæ, sed carnali cupiditati explendæ & consuetudini observandæ servit. *Luc.* XXI. 34. *Rom.* XIII. 13. *ad Ephesios* V. 18. & 1 *Thess.* V. 6. 7. 8. sed etiam quæ comessationes excludit, κώμους vocat Apostolus, eosque distinctos à μέθαις, id est, ebrietatibus: *ad Rom.* XIII. 13. *ad Galat.* V. 21. quibus significantur omnia illa intempestiva convivia, symposia, & contubernia, quæ eduliorum & cupediarum abliguriendarum caussa instituuntur, & non nisi carnalibus voluptatibus fovendis serviunt. Has enim comessationes, non minus quam ebrietatem, inter opera ista carnis recenset Apostolus, quæ nos excludunt ex regno cælorum; si videlicet iis indulgeamus: *ad Gal.* V. 21. Quia vero sobrietatis hujus magna vis est ad animum hominis dirigendum & erigendum ad divinarum rerum meditationem & precum devotionem, hinc est, quod Scriptura solicitè eam, non modo omnibus in genere Christianis præcipiat ac commendet, sed etiam singulis pene hominum ordinibus: *ad Tit.* II. 2. 3. 4, &c. iisque non Episcopis tantum aut presbyteris: 1 *Timoth.* III. 2. *Tit.* I. 7. quos in hac virtute cæteris præstare ac præire æquum est; sed & aliis, ipsisque adeo senibus atque anibus, licet ætas eorum pene incapax sit contrarii vitii: adolescentibus imprimis, quibus aliud nihil inculcari jubet, quam τὸ σωφρονεῖν; *vers.* 6. quia videlicet ætas eorum maxime opus habet isto munimento, contra ardorem & ebullitionem sanguinis, sensuumque vim ac vigorem: 2 *Timoth.* II. 22. Neque hoc tantum, sed & rationem modumque indicat passim, quo virtus ista alenda & nutrienda est, quod *jejunium* commendat ad restinguendum voluptatum ardorem, & carni subducendum voluptatum sensum: *Matthæi* VI. 18. & XVII. 21. & 1 *ad Corinth.* VII. 5. jejunioque addi vult preces & vigilantiam, *Matth.* XXVI. 41. & 1 *Pet.* IV. 7. vigilantiam, quæ opposita est somnolentiæ, non figuratè modo sed & proprie, quatenus somnolentia vigorem spirituum obtundit, efficitque ut *spiritus quidem promtus* (in se) *sit, sed caro infirma*: *Matth.* XXVI. 41. ut spirituum scilicet vigorem admittere aut suscipere non possit, ob somni quietisque dulcedinem. Preces, quia voluptatum blandimenta & irritamenta tam valida, crebra, & varia sunt, ut resistere iis non sufficiamus, nisi divino auxilio subinde fulciamur & sustentemur. Ex his abunde liquet, Scripturâ perfectè contineri ea quæ ad hanc concupiscentiam edomandam & moderandam necessaria sunt.

*Castitati.* Castitatis eadem est ratio: Præcepta de ea passim sunt obvia, & quæ cuique ad eam debitè riteque servandam scitu sunt necessaria, sive vitam cælibem ducat, sive in connu-

bio

bio vivat. Nam in genere damnatur omnis ἀκαθαρσία, impuritas, quæ locum habere potest, tum in iis qui in matrimonio, tum in iis qui extra matrimonium vivunt. *Ephes.* V. 3. *Galat.* V. 19. *Coloss.* III. 5. & contra *sanctificatio* noſtri præſcribitur, quæ impuritati iſti contraria eſt: 1 *ad Theſſ.* IV. 3. 4. 5. vivendique rationem impollutam & incontaminatam ab impuris omnibus libidinibus ſignificat; *qua glorificari Deus* dicitur *in corpore noſtro*; 1 *ad Corinth.* VI. 20. & *membra noſtra, quæ antea fuerant ſerva impuritati & exlegitati, ſiſti* dicuntur *ſerva juſtitiæ ad ſanctimoniam*; *Rom.* VI. 19.

In ſpecie caſtitas præſcribitur in ſpiritu, in ſermonibus, in geſtibus, in operibus. *In ſpiritu*; ut mens ipſa libera ſit ab impuris cogitationibus, & voluntas ab impuris ἐμπαθῶν, curis ac ſtudiis. 2 *Corinth.* VII. 1. & 1 *ad Corinth.* VI. 20. & VII. 34. Nempe ſpiritus rector eſt animæ & corporis totius. Hoc puro, *omnia pura ſunt*: *Tit.* I. 17. *Spiritus* enim, *anima* & *corpus* ſunt omne id, quod ſanctificandum eſt in homine: 1 *ad Theſſ.* V. 23. Sanctificatio autem ſpiritus, quæ *renovatio ſpiritus mentis noſtræ* vocatur, *Epheſ.* IV. 23. eſt ſummæ puritatis & caſtitatis index. A ſpiritu enim omnis in anima & corpore motio eſt. *In ſermonibus*; quando mandat, *ne ullus unquam ſermo putridus ex ore noſtro egrediatur*: *Epheſ.* IV. 29. putridum autem ſermonem vocat, ſpurcum, fœdum, turpem, & libidinoſum imprimis, qui ex carnis proluvio in os redundans, putrem quaſi halitum adflat auditoribus, inficientem animas eorum, ut libidine diffluant veluti putres cloacæ cæno. *Corrumpit enim bonos mores ὁμιλία colliquia prava*: 1 *ad Corinth.* XV. 33. *ne ſcortatio aut ulla impuritas in os ſumatur*: quaſi dicat, ut à ſcortatione aut impuritate uſque adeo abhorreamus, ut pudeat pene vocibus iſtis uti: *Epheſ.* V. 3. ut ab obſcœnitate, αἰσχρολογία, *Coloſſ.* III. 8. αἰσχρότητα, *Epheſ.* V. 4. μωρολογία ἢ εὐτραπελία alieniſſimi ſimus, tanquam quæ ſanctis ſunt ἀνοίκοντα: *ibid. verſ.* 4. per μωρολογίαν ſcurrilitatem, id eſt, impudicos & impudentes ſcurris proprios ſermones: per εὐτραπελίαν impudicos quidem, ſed ſale quodam orationis conditos & veluti per jocum ac ludum feſtiviter ut baneque jactos, ad riſum excitandum intelligens. Denique ut *ſermo noſter ſit ſale conditus cum gratia*: *Coloſſ.* IV. 6. *qui commodus ſit ad ædificationem utilitatis*, vel neceſſitatis, id eſt, utilem vel neceſſariam, oppoſite ad putrem qui inutilis & noxius eſt) *Epheſ.* IV. 39. *ut gratiam adferat auditoribus*, id eſt, non gratioſus tantum ſit, ſed adeo gratus ut ex eo doctior, melior & prudentior redeat auditor. quod ipſum puto ſignificari voce εὐχαριστίας, *cap.* V. 4. & εὐχάριστοι, *ad Coloſſ.* III. 15. ut εὐχαριστία idem ſit quod ſermo gratioſus ſimul, & gratus: εὐχαρίστει ſermone grato ac gratioſo utentes: oppoſite ad eos qui putres, ſcurriles ſermones ac jocos impudicos uſurpare ſolent.

*In geſtibus*; quando jubet, in genere, ut *ambulemus veluti in die* εὐσχημόνως, *decenter*, honeſtè; *Rom.* XIII. 13. & 1 *Theſſal.* IV. 12. μετὰ πάσης σεμνότητος, *cum omni gravitate*; 1 *Timoth.* II. 2. & III. 4. quæ non modo ſordibus, & luxui, in inceſſu, veſtitu & corporis habitu opponitur, ſed & ἀσελγείαις, id eſt, laſciviam, petulantiam & levitatem ac ſalacitatem excludit, quam inter opera carnis manifeſta refert Apoſtolus *ad Gal.* V. 19. & inter opera tenebrarum, *Rom.* XIII. 13. quæque maxime apparet in adſpectu, in contactu, in oſculis, in choreis, in rhythmis & cantionibus, aliiſque corporis motibus ad libidinem compoſitis. In ſpecie, quando jubet ut oculos, manus, pedes, continentes habeamus, & *mulierem non adſpiciamus ut eam concupiſcamus in corde noſtro*: *Matth.* V. 28. 29. 30.

*In operibus*; quando jubet paſſim, ut in vita cælibe *ſcortationem fugiamus*: *Act.* XV. 20. & 1 *Corinth.* VI. 18. & X. 8. & 1 *Theſſ.* IV. 3. *ad Gal.* V. 19. *Epheſ.* V. 4. *Coloſſ.* III. 5. &, ſi uſtio ſentiatur, conjugium quæramus: 1 *ad Corinth.* VII. 9. In conjugio, quando jubet ut illud *contrahamus in Domino*: 1 *Corinth.* VII. 39. ubi contractum jam eſt, ut non modo adulterium fugiamus, & polygamiam, *Matth.* XIX. 9. & 1 *ad Corinth.* VII. 2. 3. 4. quæ ante publicatum Euangelium ob populi duritiem à Deo permiſſa erat: ſed vero ſectemur etiam, ad caſti coniugii & thori immaculati conſervationem, ἀμοιβῇ ſive ἀντιδόσει τῆς ὀφειλομένης εὐνοίας; 1 *ad Corinth.* VII. 3. μὴ ἀποστερεῖτε ἀλλήλους, niſi ex conſenſu mutuo: ut vacemus jejunio & precibus: *verſu* 5.

Ex his patet, perfectè in ſacris libris tradi omnia quæ ad virtutem hanc exercendam neceſſaria ſcitu ſunt. Quibus ſi addantur ſeveræ iſtæ omnes comminationes, quæ in impuros, laſcivos, ſcortatores, adulteros vibratæ leguntur, quid ad perfectionem deſiderari amplius poteſt? 1 *ad Corinth.* VI. 9. *Gal.* V. 19. *Heb.* XIII. 4. *Jacob.* IV. 4. *Apoc.* XXI. 27. Hactenus ergo de moderatione facultatis concupiſcibilis egimus.

*Moderatio facultatis iraſcibilis.*

*Moderatio facultatis iraſcibilis* præſcribitur in ordine ad omnia iſta objecta, circa quæ ira noſtra occupari poteſt, quatenus ea ſignificat affectum depulſionis; non quo injurias nobis ab hominibus illatas depellere & propulſare ſtudemus, quæ ad juſtitiam pertinet, ſed quo mala alia omnia, quæ nobis imminent, avertere, & quæ jam incumbunt, amoliri atque amovere nitimur, & contraria bona ardua ac difficilia conſequi aut conſervare.

Mala iſta ſunt, aut omnia iſta, quæ prædictis bonis, in quæ cupiditas noſtra fertur, contraria ſunt; aut ea inſuper etiam, quæ præter iſta accidere piis tum poſſunt tum ſolent. Iſta ſunt, paupertas, quæ divitiis opponitur; ignominia & contemtus, qui honoribus repugnat; dolor, qui voluptatibus. Hæc ſunt, pericula, calamitates, & mors.

Moderatio facultatis iraſcibilis in ordine ad omnia iſta *Fortitudo.* *Fortitudo* eſt, quamquam quod ad priora mala, *Magnanimitas* potius videtur dicenda, quæ in rerum humanarum deſpicientia verſatur, & tum læta tum triſtia æquo erectoque fert animo, paupertatem, contemtum & dolores contemnit, omnia caduca infra ſe poſita credit, nec ſuam virtutem illis ſubmittere dignatur. Nos tamen eam fortitudinem jam appellamus, cum Apoſtolo Joanne, 1 *Epiſt.* II. 14: quia ea *Malum illum victum* & ſuperatum eſſe dicit, id eſt, Satanam, quatenus malorum iſtorum omnium author aut ſuaſor eſt.

Fortitudo hæc in genere præſcribitur 1 *ad Corinth.* XVI. 13; *Vigilate, ſtate in fide, viriliter agite, eſtote fortes.* *ad Epheſ.* VI. 10, *&c.* & exempla illuſtria ſunt 2 *ad Corinth.* VI. 4. 5. 6. &c. *ibid. cap.* XI. 23. 24, &c. *ad Philipp.* IV. 11: *Ego didici, in quibus ſum, in contentus eſſe. Novi deprimi, novi etiam abundare. ubique & in omnibus initiatus ſum, & ad ſaturitatem & ad eſuritionem, ad abundantiam & ad inopiam. Omnia valeo per eum, qui me corroborat*, (nempe) *Chriſtum.* 1 *ad Corinthios* IV. 11.

In ſpecie fortitudo circa *paupertatem* præſcribitur, *Jacob.* I. 9: *Porro frater, qui propter eſt, glorietur in ſublimitate ſua.* Pauper autem ibi eſt qui diviti opponitur, ut ex *verſ. ſequ.* liquet: & præclarè commendatur *cap.* II. à principio uſque ad finem, & *Matth.* VI. 3. *Luc.* VI. 20. collato cum *verſu* 24.

Fortitudo *in contemnenda ignominia*, virtutis & bonæ conſcientiæ cauſſa, præſcripta & commendata eſt omnibus iſtis in locis, ubi odia, opprobria, convitia & contumelias, aut æquo animo ferre pii jubentur: *Matth.* X. 22. 24. 25. 26. *Joan.* XV. 18. 19. 20. & *cap.* XVI. 1. 3. 4. *Heb.* XII. 1. 2. & XIII. 13. aut beati dicuntur, quando eas perferunt, *Matth.* V. 11. & 1 *Pet.* II. 19. 20. 21. 22. & quidem ad exemplum Chriſti. *ibidem.* & *ad Heb.* XII. 2. 3. & 1 *Petr.* IV. 14. aut gaudere & lætari quando eas tulerunt: *Act.* V. 41. & 1 *ad Corinth.* IV. 14. & 2. *Corinth.* VI. 8. & contra, mancipia gloriæ humanæ ſevere caſtigantur: *Matt.* XXIII. 5. 6. 7. *Joan.* V. 41. 42. 43. 44. & XII. 42. 43.

Fortitudo *in ferendis doloribus* præſcribitur, *Matt.* V. 4. *ad Heb.* XII. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. & 1 *Pet.* II. 19. 20. & IV. 12. *Jacob.* V. 11. ubi exemplo Jobi illuſtratur; cui addi poteſt, præter exemplum Chriſti, exemplum Pauli, 2 *ad Corinth.* XII. 7. 8. 9. & *cap.* VI. 10. *ad Heb.* X. 32. 33. Sed fortitudo proprie dicta hîc à nobis intelligitur, iſta quæ *circa pericula, calamitates, & mortem*, (ignominioſam ſcilicet ac crudelem) verſatur: quæ cum patientia eorundem pro ſuprema fælicitate, pro divina gloria, pro aliorum ſalute conjuncta eſt. Hæc perfectè præſcribitur & commendatur in his libris; 1. per prohibitionem utriuſque extremi, inconſultæ ſcilicet temeritatis in adeundis periculis: *Matth.* X. 17: *Cavete vobis ab hominibus. &* verſ. 23: *Quum autem perſequuntur vos in una urbe, fugite in aliam*, &c. quod & factum legitur ab Eccleſiis, *Act.* VIII. 1. & à Paulo ac diſcipulis, *Act.* IX. 25. & ſupinæ, incompoſitæ profligatæque timiditatis, quæ ex præcipite, non neceſſaria, noxia, ſcandaloſa & pertinace fuga liquet: *Matth.* X. 28. *Luc.* XII. 4. 5. & 1 *Petr.* III. 6. 14. 15. & 1 *Joan.* IV. 18. *Apocal.* II. 10. 2. Per adhortationem ad tolerantiam & adflictionum variarum patientiam: 1 *Petr.* IV. 15. *Luc.* XXI. 19. *Hebr.* X. 26. ad conſtantiam in patiendo; *Matth.* X. 22. *Jacob.* I. 12. & V. 7. 8. 10. 11. *Apoc.* II. 10. argumentis deſumtis, *Primò*, ab exemplo Chriſti, *ad Heb.* XII. 1. 2. 3. & 1 *Petr.* II. 21. 22. & III. 17. 18. *Secundò*, à laude patientiæ, quod *perfectum opus habeat*, *Jacob.* I. 4. quod *gratiæ* ſit divinæ ad patiendum pro nomine ejus vocari, *ad Philipp.* I. 29. & 1 *Pet.* II. 19. 20. 21. quod per eam fiat optima *fidei* noſtræ *exploratio*: 1 *Pet.* I. 6. 7. & *cap.* IV. 12. *Apocal.* II. 10. quod per eam fiat, ut *ille gloriæ & ille Dei Spiritus ſuper nos requieſcat*, quaſi ſummo voto ſuo hic potitus: *ibid. verſ.* 14. *& per nos glorificetur*, *ibid.* tanquam *potentior ſpiritu illo qui in mundo eſt*, quod *patientia experientiam, experientia vero ſpem efficiat quæ non pudefacit*: *Rom.* V. 4. 5. quod *laudi nobis & gloriæ & honori ſit futura in patefactione Chriſti*: 1 *Petr.* I. 7. *Tertiò*, à laude eorum qui eam

eam exercuerunt, ut Jobi: *Jacob.* V. 11. Fidelium Hebræorum: *ad Heb.* VI. 11. 12. & *cap.* X. 32. 33. 34. Ecclesiarum, Ephesinæ, Smyrnensis, Pergamenæ, Thyatyrensis & Philadelphiensis: *Apocal.* II & III *capp.* Prophetarum: *Matthæi* V. 12. *Jacob.* V. 10. & eorum omnium qui *cap.* XI. *ad Hebræos* recensiti sunt: *ad Heb.* XII. 1. *Quartò*, à fructu sive præmio æternæ fælicitatis: *Matth.* V. 10. 11. 12. & *cap.* X. 22. & 2 *ad Corinth.* IV. 17. *Jacob.* I. 12. *ad Heb.* X. 36. & 1 *Pet.* III. 14. *Apocal.* II. 10. & *cap.* III. 12. & 21.

Ad hanc fortitudinem & patientiam consequendum vehementer præter argumenta ista conducere potest, si nos adsuefaciamus adfiduo ad virtutes illas, quas *fructus spiritus* Apostolus appellat, *ad Gal.* V. 22. quatenus eæ ad perficiendum animum nostrum, absque ullo bono quod inde ad alios redire posset, faciunt; puta ad *gaudium*, quod tetricæ morositati & pronitati ad murmura, querimonias, & λυπουμένοις opponitur. Ad *pacem*, id est ad pacis studium, quod prurigini litigandi, cavillandi, dissentiendi, & rixandi opponitur, animumque à perturbationibus vacuum testatur. Ad *mansuetudinem* sive longanimitatem, quam μακροθυμίαν vocat, quæ animum non facile irritabilem, sed ad iram tardum & lentum quasi reddit, ut stimulum iræ aut levi momento non sentiat, aut ubi sentit protinus obtundat. Ad χρηστότητα, quæ animum ad se suaque bona omnia aliorum usibus in necessitate impertiendum impendendumque pronum notat. Ad ἀγαθωσύνην, quæ ingenuam & sibi semper similem morum simplicitatem significat, qua fit ut tractabiles simus & placabiles, & in omni conversatione nostra amabiles. Ad πραότητα sive *lenitatem*, quæ in eo posita est, ne ob quamlibet offensionem, etiam quæ sine injuria est, irascamur cum non oportet; ne irascamur vehementius quam oportet; neve irascamur diutius quam oportet, sed sedatum & imperturbatum animum à subitis motibus & ὁρμαῖς geramus. Ad ἐγκράτειαν sive *continentiam*, qua fit, ut nos intra terminos contineamus, sive gaudii, quando bona nobis adfluunt, sive tristitiæ, quando ea nobis effluunt, sive desiderii, quando ea nobis desunt. Hisce virtutibus præparatus subactusque animus noster generosus redditur, & fortis ad quemlibet fortunæ impetum, & ad crucem tum subeundum tum ferendum, quando ea idoneis mediis declinari, & sine periculo divinæ gloriæ, nostræ aut aliorum salutis evitari non potest: imprimis si subinde atque identidem muniatur meditatione vanitatis mundi, inconstantiæ rerum mundanarum quæ fluxæ ac caducæ sunt, & facile aut ad alios dominos transeunt, fraude, fænore, rapina, aut momento evanescunt, vel vitio suo, vel incendio, vel naufragio, vel alio aliquo infortunio: vel denique inutiles nobis redduntur, morbo, doloribus, tristitia: vel noxiæ etiam, per insidias, per invidiam, in quas propter eas facile incurrimus; vel graves, cum somnus quæritur, & mors aut urget, aut imminet. Avelli enim ab iis molestum est. Atque hoc totum indicat Scriptura quando ait, 1 *Joan.* II. 17. *Mundus præterit & cupiditas ejus. Qui verò præstat voluntatem Dei, is manet in æternum.* & 1 *ad Corint.* VII. 31. παράγει γὰρ τὸ σχῆμα τοῦ κόσμου τούτου. *Itaque qui uxores habent, sint ut non habentes, & qui flent, ut non flentes, & qui gaudent, ut non gaudentes, & qui emunt ut non obtinentes, & qui utuntur hoc mundo, ut non abutentes.*

Atque hac quidem ratione adstruximus antecedens argumenti nostri principalis, omnia atque universa, quæ ad fidei salutaris descriptionem plenè perfecteque habendam necessaria sunt, libris sacris contineri. unde consequi necesse est, omnia ad salutem necessaria scitu, creditu, speratu, ac factu, libris istis contineri. Præter ista enim, quæ jam adduximus, alia ulla necessaria esse negamus.

Quæ ad cæremonias Baptismi & Sacræ Cænæ Dominicæ pertinent, ea libris istis perfecte tradita esse omnibus constat. quare ut ea iis contineri confirmemus, necesse non est. Et sane tanta est hæc librorum horum sacrorum perfectio, ut non dubitemus adserere, eum, qui ista omnia, quæ hactenus iis contineri diximus, scit, credit, facit, & sperat, omne punctum Christiani hominis tulisse, &, si qui forte casus incidant, in quibus rectè dijudicandis, post adhibitam omnem, uti par est, industriam ac diligentiam, eum errare aut falli contingat, eos ad salutem scitu, creditu, speratu, ac factu necessarios non esse; aut si forte necessarii sunt, eos idcirco saluti ejus noxios futuros non esse, quod libris istis expressi non sint, & per culpam ejus non fiat, quod in iis rectè dijudicandis erraverit, aut adhuc erret.

## CAPUT XII.

### Ostenditur quam falsa, absurda & pernicioſa sit Spiritualium de Scripturæ perfectione sententia, & ad præcipuas ipsorum objectiones respondetur.

EX his non obscure jam liquet, quid de sententia tum Spiritualium sive Enthusiastarum, tum Pontificiorum statuendum sit. Utramque scilicet non modo falsam, sed & summè periculosam ac noxiam esse. *Falsitas sententiæ spiritualium.*

Ac primo quidem quod ad sententiam Spiritualium sive Enthusiastarum attinet, ea non falsa modo, sed & vana ac stulta est.

Falsa est, quia negat verbum istud scriptum, de quo hactenus egimus, sufficienter ac perfectè continere sensus omnes, omnibus ac singulis ad salutem creditu, scitu, speratu, ac factu necessarios, cujus contrarium hactenus ex hoc ipso verbo adstruximus.

Vana insuper ac stulta est; Quia aut volunt verbum istud internum, quod vocant, sensum in se habere intelligibilem, aut non habere sensum intelligibilem. Si volunt verbum istud in se habere sensum intelligibilem, necesse utique est, ut concedant, sensum istum intellectu perceptum enunciari atque exprimi posse verbo προφορικῷ. Hoc concesso, sequitur necessario, sensum illum scribi posse. Quod enim ore enunciari potest, id cur non possit scripto exprimi? At sensus ille scriptus, tum rursum erit aliud nihil, quàm verbum externum sive προφορικὸν, quod literis consignatum, aliud nihil juxta ipsos erit quàm litera sive scriptura atramentaria, quam negant ad salutem sufficere. Si volunt verbum istud internum nullum in se sensum habere intelligibilem, nedum enunciabilem, aut qui scriptura exprimi potest, tum necessario sequitur, verbum illud non esse verbum, aut non nisi vanum ac stultum verbum esse. Verbum enim, quod nullum sensum significat, verbum non est, sed quovis phantasmate vanius atque inanius. Si dicant, verbum illud non percipi, nisi ab eo, cui à Deo immediatè id imprimitur; tum dico rursum, aut imprimitur sine sensu aliquo intelligibili, aut cum sensu aliquo. Si imprimitur sine sensu aliquo intelligibili, tum redit eadem difficultas, quod videlicet verbum istud vanum atque inane esse debeat. Si cum sensu imprimitur, quid obstat quominus exprimatur & scribatur? Atqui si scribatur, quid differt à verbo illo scripto, de quo nos hactenus egimus? Dicent fortasse, verbi hujus interni eandem esse rationem quæ *calculi* istius *albi* est, cujus mentio fit *Apocal.* II. 17: Et *dabo ei calculum album, & in calculo nomen novum scriptum, quod nemo novit, nisi qui accipit.* Atqui, inquam, dispar plane ejus est ratio; quia per *calculum* istum *album*, & per *nomen novum calculo isti inscriptum*, metaphoricè denotatur, non tam verbum aliquod divinum, quo sensus Dei continetur, quam res, sive qualitas, sive vis quædam ex verbo divino percepta, & quasi sensata, id est, gaudium, voluptas, hilaritas quæ in animo ejus existit, quem Deus se absolvere significat à reatu mortis & condemnationis æternæ. quod ex eo apparet, quia verbum justificationis, sive absolutionis à reatu mortis æternæ, quod per *album calculum* designatur, quo rei absolvi solebant prisco more gentilium, tam Græcorum quam Romanorum, à sententia mortis, est verbum præmii sive retributionis, ex quo summum gaudium, voluptas & delectatio oritur, quæ *nomini novi*, id est æterni, quod novum semper mansurum est, & nunquam inveterascet, putà filiationis, sive potius æternæ hæreditatis vocabulo notatur, quæ ipsa hominis beatitudo est; cujus dulcedo quanta sit, nemo rectius nosse potest, quam qui eam ipse persentiscit ac percipit; sicut nemo rectius scire potest, quanta sit dulcedo mellis, quam qui id ipse gustat. voluptas enim & dolor ex eorum genere sunt, quæ non nisi experiundo cognoscuntur. Verbum itaque absolutionis, cum nomine novo, id est, cum beatitudine, quæ Dei filiationis nomine vocatur, & quæ absolutionem illam à reatu mortis consequitur, conjunctum accipitur. Verbum absolutionis autem intellectui sive menti impressum, tale non est quod exprimi aut enunciari non potest. quid enim facilius quam dicere, se à Deo absolutum esse? sed quæ ex eo percipitur voluptas, ea frustra enunciatur atque exprimitur, quia eam nemo potest intelligere quanta sit, nisi qui experimentum ejus ipse capit. Quod fortasse indicatur ab Apostolo, quando 2 *ad Corinth.* XII, 4. dicit, *se raptum in paradisum, audivisse ἀῤῥητα ῥήματα*, id est, verba continentia tam grandia, tam sublimia mysteria atque arcana, ad cælestem paradisum & paradisi gloriam pertinentia, ut ea verbis mortalium statui accommodatis enunciare, tantundem esset atque ea de- *Vanitas ejusdem & absurditas.* *Locus Apocal. II. 17. de calculo albo.*

preciare velle & vilia reddere. uti apparet ex eo quod ſtatim addit, *ἃ οὐκ ἔξον ἀνθρώπῳ λαλῆσαι, quæ non licet homini eloqui*: quia videlicet intra dignitatem eorum eſſet, quicquid de iis verbis humanis, ab hominibus in carne hac verſantibus, proferretur. Per *verba* autem intelligo Metonymicè rem, ſive gaudium quod ex verbis iſtis perceperat Paulus, non autem ſenſum ipſum verbis comprehenſum. Per τὸ ἔξον vero, tum potentiam tum poteſtatem. Potentiam; quia gaudium iſtud fando explicari non poterat. Poteſtatem; quia fas non erat, ut iſtud aliter quam condignè & pro majeſtate ei debita enunciaretur. Quod enim ad ſenſum verborum attinet, quid obſtabat aut vetabat, ut quem Paulus in corpore etiam ſuo exiſtens (hoc enim indicat fieri potuiſſe, ac forte factum eſſe) ſenſum perceperat, eum etiam non poſſet exprimere? niſi cum de ſenſu agitur per τὸ οὐκ ἔξον intelligi velimus negationem poteſtatis, non potentiæ. Nos verò cum hic agimus de verbo interno, non agimus de re vel qualitate aliqua quæ ex percepto verbi iſtius interni ſenſu oritur, gaudio puta ac voluptate; ſed de ipſa ſenſus, qui verbo iſto contineri creditur, perceptione, an videlicet ea talis ſit, aut ſic fiat, ut exprimi aut enunciari non poſſit: quod ſane abſurdum eſſe per ſe liquet.

*Item pernicies.* Ex hoc conſequitur, ſententiam hanc eſſe ſummè periculoſam ac noxiam; quia per eam non modo externa omnis Religionis præſcriptio vilipenditur, ipſaque adeo Religio Chriſtiana mirum in modum depreciatur; ſed & non niſi vaga atque incerta religio introducitur, quin imo Religio omnis tollitur. Vaga religio introducitur; quia verbum iſtud internum, ſive ſpiritum iſtum peculiarem quiſque ſibi vendicare poteſt pari jure. Incerta; quia nulla norma certa eſt, ad quam verbum iſtud internum explorari aut poſſit aut debeat, an divinum ſit ac certa fide tenendum. Judicium enim ſuum cujuſque norma eſt, & cum judicium ſuum cujuſque variare poſſit in infinitum uſque, utique incerta fit omnis religio, quæ ad verbum internum iſtud, quod aliud nihil eſt quam ſuum cujuſque judicium proprium, componitur. Unde neceſſario conſequitur, per eandem ſententiam Religionem etiam omnem tolli; quia cauſſa nulla eſſe poteſt, cur quis verbo iſti interno tribuat, quod nulla ſit Religio, ſi eam nullam eſſe in animum ſuum velit inducere, aut ea de re ſe perſuaſum eſſe aſſerat: quàm cauſſa ulla eſt, cur quis verbo iſti interno tribuat, quod religio aliqua ſit, ſi aliquam eſſe ſibi perſuaſum ire velit. Ecquæ enim cauſſa eſſe poteſt, cur aliter ſentiat aut in animum ſuum inducat? Alienum judicium cauſſa eſſe non poteſt, quia alienum judicium ſuum non eſt, imo ſuo judicio & ſpiritui contrarium eſt. Rationes aliæ, cauſſæ eſſe non poſſunt; quia ſic verbum internum non eſſet norma rationum, ſed rationes norma verbi interni, quod abſurdum eſſe præſupponitur per iſtam ſententiam; quia juxta Spirituales, verbum iſtud internum immediatè inſpiratur, & à nulla alia re tanquam norma aut regula dependet, ſed omnium omnino rerum ac rationum menſura eſt. Ex hoc porro conſequitur, omnem peccati conſcientiam, omnem conſcientiæ morſum, omnem ex conſcientiæ morſu metum, dolorem aut triſtitiam tolli per hanc ipſam ſententiam; quia religione ex animo ſublata atque exſtirpata, hæc omnia tanquam inſomnia & ægræ aut potius verbo interno nondum adſpiratæ mentis ludibria ac πρίλυματα habentur, quæ evanefcere neceſſe eſt. Quod ſi qui aliter ſentiunt, ii judicandi ſunt aut non intelligere ſententiam ſuam, aut ſi eam rectè ſe intelligere adſerant, rationem allegare debent ad quam ſententiam ſuam compoſitam eſſe oſtendant. At ea ipſa ratio tum norma & regula erit ipſius illius verbi interni quod jactant. unde conſequi neceſſe erit, verbum iſtud internum judicii ſui normam non eſſe, adeoque non eſſe niſi verbum pure pute commentitium. Aut enim ratio illa, ad quam verbum illud internum compoſitum eſſe aſſerent, erit ratio, quæ nullo alio verbo nitetur, aut quæ nitetur alio aliquo verbo. Si nullo verbo nitetur, incerta erit. Si verbo alio ullo nitatur, iſtud verbum erit aut internum aut externum. Si internum, in infinitum ibitur. Si externum, ecquod aliud eſſe poterit, quam id quod libris noſtris ſacris ſcriptum exaratumque eſt? Verbum itaque noſtrum ſcriptum interni verbi iſtius norma erit; quod eſt illud ipſum, quod hactenus conati ſumus evincere, & cum bono Deo nos eviciſſe credimus.

*Tria argumentorum capita quæ Spirituales pro ſua ſententia afferunt.* Quæ contra hæc pro ſententia ſua allegare ſolent, ea tam ſunt aut prodigioſa, aut inepta, ut operoſa refutatione opus non ſit. Poſſunt autem non incommode ad hæc tria argumentorum capita revocari; quorum primum eſt, quod deſumunt ex natura & proprietate verbi divini; quam in eo ſitam eſſe dicunt, quod verbum divinum ſit ipſa divina eſſentia, ac proinde æternum, infinitum, incorruptibile, ſpirituale, quodque nulli perituræ chartæ inſcribi, nullis characteribus, ſyllabis aut literis includi poteſt, quia illæ externæ, carnales, ſine vita & ſpiritu ſunt. Secundum eſt, quod deſumunt ex locis quibuſdam Scripturæ, quibus externo Dei verbo videtur vis, efficacia & ἐνέργεια omnis ſpiritualis & vivifica detrahi & derogari. Tertium eſt, quod deſumunt ex ipſius verbi ſcripti conditione: quia videlicet iſtud imperfectum, obſcurum, dubium, ambiguum, & contradictoriis ſenſibus refertum, ac proinde litium & controverſiarum ſeminarium eſt.

*Reſponſio ad primum caput, verbum Dei eſſe ipſam divinam eſſentiam.* Quod ad primum caput attinet: Prodigioſum eſt dicere, verbum Dei eſſe ipſum Deum, ſive divinam eſſentiam, qua talem. Eſſentia enim divina, qua talis, eſt abſolutum quiddam & incommunicabile. At verbum Deo tributum relationem & communicationem in ordine ad nos importat & connotat; quia verbum, quà verbum, eſt ſignificativum conceptionis ſive ſenſus ac mentis ejus cui verbum tribuitur. unde verbum Dei aliud nihil eſſe poteſt, quam Deus, qua loquens, ſive mentem ac ſenſum ſuum aliis ſignificans; uti ex natura rei liquet. & quia locutio Dei, quomodocunque tandem illa fiat, actus eſt liberæ divinæ voluntatis, fieri non poteſt ut ea ſit ipſe Deus, ſive eſſentia ipſa divina. Cæterum quia in omni verbo tria concurrunt, 1. conceptus mentis, ſive ſenſus qui verbo exprimitur; 2. ſenſus ſive conceptus interioris communicatio: 3. id per quod communicatio illa fit: hinc eſt, quod ſingula iſta non raro verbum vocentur. Et eadem eſt ratio verbi Dei. Aliquando verbum Dei ſignificat ſenſum divinum verbo expreſſum. Aliquando ipſam Dei actualem locutionem, qua ſenſum ſuum exprimit; ſive ea ſit irradiatio quædam, quæ Spiritui propria eſt, ſive vocalis oratio, quæ ad homines fit. Aliquando Scripturam, qua ſenſus divinus verbo enunciatus continetur. Quando verò quæritur an Scriptura ſit verbum Dei, tum id propriè non quæritur, an locutio illa divina, quæ præteriit, ſit Dei verbum, ſive an characteres, literæ & ſyllabæ iſtæ, quatenus atramento ſcriptæ ſunt & chartæ impreſſæ, verbum Dei ſint, & veluti magica quadam vi præditæ in nos influant. Abſit. Etſi enim illæ etiam verbum Dei vocari poſſint, tamen tum de illis non eſt quæſtio: ſed tum propriè quæritur, an ſenſus divinus, locutione expreſſus, & Scriptura conſignatus, ſit ipſum Dei verbum, id eſt, ipſa divina mens, voluntas, conſilium & beneplacitum, quod nobis revelatum voluit, tanquam fidei vitæque noſtræ normam ac regulam æternam ac perpetuam, ad quam omnia alia verba, ſcripta, ſomnia, omnes revelationes, propheriæ, apparitiones, quibuſcunque tandem titulis veniant, exigendæ & expendendæ ſunt. Hoc nos adſerimus, & hoc pacto verbum Dei acceptum, dicimus aliquando vocari, tum Deum ipſum, tum Chriſtum, (uti ſcripta Moſis aliquando Moſes ipſe vocantur) tum ſapientiam, tum virtutem ac potentiam Dei, tum vitam æternam, tum voluntatem Dei, tum Spiritum Dei, &c. quia omnia iſta in eo revelantur & patefiunt: eaque, fide, prout revelantur, apprehenſa, ſpiritualem vim & ἐνέργειαν divinam habent nos quaſi deificandi, ſive in homines divinos convertendi vel transformandi, id eſt, adeo ſanatis affectibus, ſtudiis, moribus imbuendi, ut divini potius, & Dei filii, aut ex Deo videamur, quam homines; in ſpiritu eſſe, non in carne; in cælo πολίτευμα noſtrum habere, non in terra; in mundo eſſe, ſed non ex mundo; Chriſtum induiſſe adeoque Chriſtus ipſe eſſe. Hoc ſenſu, Scriptura ſive verbum ſcriptum non eſt verbum inſtabile, variabile, inefficax, aut vita & ſpiritu deſtitutum; ſed firmum, immutabile, efficax, & vivum, quin & vivificum verbum; uti ex eo apparet, quod id Petrus vocet *ſemen illud incorruptibile, & manens in æternum, ex quo regignimur*; 1 *Epiſt.* I. 23: oppoſite ad σπορὰν φθαρτὴν; Paulus *potentiam Dei ad ſalutem*: *Rom.* I. 17. Scriptor ad Hebræos, *vivum & efficax, ac penetrantius quovis gladio ancipiti*, &c. *cap.* IV. 12. ex cujus auditu (ſive lectu) fides ita gignitur, ut aliter gigni nequeat: *Rom.* X. 14: *Quomodo enim credent de quo nunquam audiverunt?* id eſt, quomodo fieri poteſt ut credant, niſi verbum iſtud audiant prædicari, (ſive ſcriptum legant: prædicati enim & ſcripti verbi eadem eſt ratio:) additur enim, *quomodo audient* (id eſt audire poſſunt) *ſine prædicante?* &c. *Ergo fides eſt ex auditu, auditus autem per verbum Dei.* Quicquid ergo de ſcriptione, de literis, ſyllabis, characteribus tanquam fluxis, caducis & per ſe ineficacibus rebus, dici ſolet ad depreciandum hoc verbum, id omne vanum atque ineptum eſt. Iſta enim non ſunt niſi ſenſus divini vehicula, per quæ ſenſus iſtius communicatio fit, & ad aures primum noſtras, deinde vero ad mentem noſtram defertur: quæ uti per ſe inefficacia & ſterilia ſunt, ita ſenſu iſto, veluti anima & ſpiritu, informata & adſpirata, admirabilem vim habent ad movendum & permovendum nos, ut novi homines & novæ creaturæ efficiamur, utque in novitate vitæ ambulemus, & ad finem uſque perſeveremus: 1 *ad Theſſ.* I. 5. collato cum *cap.* II. *verſ.* 13.

Scommata vero etiam illa, quæ Scripturæ impingunt, quando eam verbum nigrum, Scripturam atramentariam, enu-

enucleatum corticem, pharetram vacuam & inanem thecam indigetant, non minus sunt puerilia, quàm atrocia. Quid enim scriptura sive scriptio vel addit vel demit divinitati verbi? Scriptione non maculatur sensus, perinde uti charta atramento, nec illustratur aut nobilitatur per eam. Scriptio enim aliud nihil est quam modus peculiaris sensum repræsentans, sine ulla sensus variatione, immutatione aut imminutione. Alioquin, cur ipsi etiam verbum suum internum, quod jactant, non credent eodem jure maculari & conspurcari per Scripturam suam atramentariam, qua libros suos infectos edunt in lucem, nempe Epistolas & paradoxa sua, Arcam auream, septem sigilla, speculum justitiæ, &c. quibus verbi istius interni naturam, proprietatem, vim & excellentiam, usque adeo prolixis quæsitisque & ecstaticis phrasibus delineant, extollunt atque exaggerant, ut credere pene cogaris, eos ab ipsa scriptione, quæ tumida, pompatica & elaborata tota est, potius mutuari ac fœnerari voluisse lucem & splendorem verbo suo interno, quam ab ulla alia re; imo, ut ego credere cogar, totam verbi interni, quod jactant, majestatem, nuspiam alibi, quam in ista elaborata scriptione, positam esse, & literas, characteres, syllabas istas, quibus nullus bene intelligibilis sensus continetur, sed hyperbolicus tantum & allegoricus, Platonicisque numeris obscurior, stylus & styli typhus, esse totam ac quarto modo propriam verbi istius divini aulam ac regiam, ut, quod in verbum Dei scriptum jaciunt scomma, quando illud scripturam atramentariam vocant, id in ipsorum verbum internum propriè quadret: utpote quod sensibus & rebus vacuum, non nisi inanium phrasium fastu & scriptionis atramentariæ pompa inflatum est ac turget, utris instar in quo nil nisi ventus est.

*Responsio ad secundam caput, ex quatuor Scripturæ locis constans.*

Quod ad secundum argumentorum caput attinet, id consistit in allegatione locorum quorundam Scripturæ, quibus Scripturæ, sive externo Dei verbo, videtur vis, efficacia & ἐνέργεια omnis spiritualis & vivifica detrahi. Inter ista loca quatuor sunt præcipua, quæ proram pene & puppim ubique faciunt in libris eorum; ex quorum confutatione cæterorum omnium infirmitas facile intelligetur.

*Primus locus est, Joannis VI. 45.*

Primus locus est, *Joan.* VI. 45: *Erunt omnes docti à Deo.* Doctrina ergo, inquiunt, illa demum ac sola divina est, qua & quam Deus ipse suos docet. Resp. 1. In textu non dicitur, *Erunt omnes docti à Deo*, sed tantum dicitur, *Erunt omnes διδακτοὶ τοῦ Θεοῦ*, id est *docti Dei*; eadem phrasi qua docti aleæ, trochi, Musicæ, &c. dicuntur, non qui ab alea, trocho, aut Musica docentur, sed qui aleari, trocho ludere & Musicam canere didicerunt. Genitivus itaque *Dei*, non significat hic caussam efficientem, sed objectum sive subjectum, in quo versatur sive circa quod occupatus dicitur is, qui doctus est. Deus itaque erit idem hîc, quod divina lex & divina voluntas lege revelata, sive Fœdere veteri perscripta; & *docti Dei* hic erunt, qui divinæ legis & voluntatis istius scriptæ, studiosi sunt, adeoque solida voluntatis divinæ cognitione & amore imbuti. unde sequitur, contrarium potius hîc asseri, quam quod Spirituales volunt, videlicet ipsâm cognitionem ex lege à Patre lata orituram esse, & eam caussam futuram, cur ad Christum venturi sint ii, qui eam consecuti sunt, ut porro ex nova ejus lege, id est Euangelio ejus, instruantur & erudiantur ad majorem vitæ perfectionem. Quod non obscure confirmatur ex eo, quod subjicitur immediate verbis istis, ab ipso Domino Jesu, *Quisquis ergo audivit & didicit à Patre, it venit ad me.* Audire enim à Patre & discere ab eo, quid potest aliud significare, quam divinæ legis & voluntatis Fœdere veteri revelatæ notitia atque amore imbutum esse, animumque paratum habere, ad quamlibet aliam disciplinam, quæ Deum Patrem autorem habet, libenter admittendum. Qui enim ita compositò subactoque animo est, is idoneus est ut fiat discipulus Jesu Christi, qui Patris filius est, & ut totum se in disciplinam ejus dedat, id est, Euangelio ejus fidem adhibeat.

2. Sed posito etiam in textu esse, erunt omnes docti *à Deo*, nihil tamen ex eo solide pro ista sententia sua colligerent Spirituales. Nam non sequitur ex eo, Ergo omnes erunt immediatè docti à Deo. Quid enim vetat dicere, doceri à Deo eos, qui per Dei ministros docentur, aut qui per legem divinam docentur? Certe longe aliter statuit Apostolus 1 *ad Corinth.* III. 5. 6. 7. 8. 9. & passim scriptores sacri. Imo si ipsa vox *docendi* videatur, conjuncta cum voce *discendi*, fieri vix potest, ut doctio alia hîc intelligatur, quam ea quæ mediatè fit à Deo: quia doctio sive doctrina per auditum percipi dicitur. Auditus autem dicitur fieri adeoque aliter non posse fieri, quam per verbum prædicatum: *ad Roman.* X. *vers.* 16. uti supra probavimus. Tum ad immediatam doctionem, non requiritur ut quis discat; quia illa vi irresistibili fit, qua posita discere non est necesse. Atque hoc argumentum idcirco magis valere debet, quod videamus passim in Euangelio, caussam, cur multi ad Christum non venirent, id est, in disciplinam ejus se non traderent, istam adsignari, quod ex Deo non essent, quod legi Patris Christi non parerent, quod veritatem non amarent, quod Mosi non crederent: & contra, caussam, cur aliqui ad ipsum venirent, hanc dari, quod veri Israelitæ essent, quod veritati operam darent, quod voluntati Patris ejus auscultarent, & legis divinæ amore imbuti essent. Atque hinc etiam est, quod Christus hîc dixerit, *Qui audiverit & didicerit à Patre*, id est, qui sic legem Patris mei audiverit, ut eam in animum suum demiserit, & pietatis studium veritatisque amorem inde hauserit, is venit ad me: eodem plane sensu, quo ante dixerat. *Nemo potest ad me venire, nisi quem Pater traxerit*, id est, nisi quem paternæ legis amor sic occupaverit, ut Patrem & Patris mei voluntatem sequi paratus sit. Patet enim pro Lege Patris, uti Moses pro Lege Mosis, & Christus pro Euangelio Christi, hîc accipitur: uti & *vers.* 65, ubi dicitur, *nisi ei fuerit datum ex Patre meo*, id est, nisi acceperit primò animum paratum, promtum ac docilem per legem patris mei, quæ ei, uti & toti populo Judaico data est. Sed quia hæc responsio cum prima coincidit, in prima malumus itare; quam non parum etiam confirmat parallelus locus, 1 *ad Thess.* IV. 9: *Ipsi namque θεοδίδακτοί estis ad diligendum alii alios.* θεοδίδακτος enim isthic vix aliud quid significare potest, quam *docti Dei* estis, id est, divinæ voluntatis, per Christum nomine Dei revelatæ in Euangelio, cognitione tam solida imbuti estis, ut à me doceri non habeatis opus ut diligatis alii alios. Doctrina enim illa de mutua aliorum dilectione, non erat doctrina immediatè à Deo impressa eorum cordibus, sed per Euangelium præscripta & commendata, uti videre est *Joan.* XIII. 34. & XV. 12. & 1 *Joan.* III. 11. 23. & scripta deinde ab eodem Joanne, qui mandatum illud tum non novum sed vetus vocabat, utpote à principio ipsius Euangelii ab ipso Domino Jesu serio præscriptum, & identidem inculcatum: 1 *Ioan.* II. 7. Quando enim Joannes hanc Epistolam scribebat jam senior erat & ætatis adultæ, ut, quod tum inculcabat præceptum, merito jure antiquum & vetus videri posset.

*Secundus locus, Lucæ XVII. 20.*

Secundus locus est, *Luc.* XVII. 20: *Interrogatus autem* (Jesus) *à Pharisæis quando venturum esset regnum Dei*, respondit eis & dixit; *Non veniet regnum Dei μετὰ παρατηρήσεως, ita ut observari possit*, sive cum externo majestatis splendore ex quo agnosci possit; *Neque dicent, Ecce hic aut ecce illic*, (supple, est regnum.) *ecce enim, ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ ἐντὸς ὑμῶν ἐστιν.* Hinc sic inferunt: Regnum Dei non est externum. ergo neque verbum Dei externum est, quod observari possit. At 1. consequentia nulla est. Posito enim, per regnum Dei non intelligi nisi spirituale regnum sive dominium, quo in cordibus nostris regnat Deus, neutiquam tamen sequitur; Regnum istud totum est spirituale & internum; ergo verbum quo regnum istud efficitur, secundum totum sui spirituale atque internum est. Sufficit enim ut verbi istius anima & spiritus, quasi spiritualem efficaciam in se habeat, ad effectum spiritualem producendum, etiamsi verbo isti accidat, quod externe prædicatum vel scriptum sit. Prædicatio enim & scriptio verbi istius sive sensus spiritualis verbo isto comprehensi, sensum ipsum non immutant, nedum quod sensum istum ex spirituali carnalem faciant; sed tantum modum peculiarem notant, quo sensus iste communicatur, & eum quidem accommodatum aut attemperatum capacitati eorum ad quos sensus iste pertinet. Sed vero 2. tantum abest, ut per regnum hoc Dei intelligatur regnum pure pute spirituale Dei, ut contra intelligatur regnum illud Messiæ, quod Deus per prophetas promiserat, & quod spirituales quidem homines, tanquam subditos regni istius beneficio dignos, comprehensurum erat, sed externe tamen & visibiliter appariturum erat in mundo, planè uti Rex regni istius visibiliter appariturus erat, & per externam Euangelii prædicationem illud fundaturus. Id apparet ex eo, quod Jesus ipse, post prodromum suum, regni istius appropinquationem externa voce annunciaverit, & prædicaverit, & Apostolos suos primo in terram Judaicam, inde in universum terrarum orbem ad istud regnum prædicandum ablegaverit.

Quod verò dicitur in textu non venturum regnum istud μετὰ παρατηρήσεως, id tantum dicitur oppositè ad carnalem & mundanam Pharisæorum aliorumque Judæorum sententiam atque opinionem, qua statuebant regnum istud sic appariturum, ut Rex ipse regia Majestate & potestate præditus statim agnosceretur à toto populo, & universo terrarum orbi Regiæ suæ potestatis documenta daret, asserendo Judæos omnes in libertatem, & regibus terræ omnibus terrorem incutiendo, ut aut ultro ei submitterent fasces & secures suas, aut victi cederent caderentque. Hanc παρατήρησιν formam regno Messiæ promissam negat Christus. At παρατήρησις omnem externam tantum abest ut promissam neget Christus, ut contra nullius majoris criminis arcessat primo-

res populi Judaici, quam quod Messiæ præstitutum tempus non observarent, eodem modo quo observabant signa temporum externa, ἐνδίαν & χειμῶνα significantia: *Matth.* XVI. 1. 2. 3. 4.

Quod vero dicitur Regnum Dei *intus in vobis* est, id isto sensu non dicitur, quasi significare Christus velit, regnum Dei totum internum, ac non nisi spirituale atque in animo esse, perinde ac si, ἐντὸς ὑμῶν, significaret in cordibus vestris. Falsum enim est regnum Dei in Pharisæorum aliorumque Christi inimicorum cordibus fuisse: nec ulla ratio cogit, ut pronomen ὑμῶν pro quibusdam vestrûm accipiatur. Sed phrasis ista aliud nihil notat, quam, in medio vestri jam palam publiceque regnum Dei prædicatum annuntiatumque est, & Rex promissus cum subditis sibi regnoque suo additis versatur, etiamsi vos nihil minus vobis persuadeatis quam id verum esse, quia aliam scilicet magnificam φαντασίαν futuram vobis imaginamini, quæ cum pompa sæculari conjuncta sit, & splendorem plus quam communem regium præ se ferat. unde consequitur, tantum abesse ut phrasis ἐντὸς ὑμῶν, Spiritualium opinioni faveat, ut contra isti refutandæ planè serviat. Phrasin autem istam non necessario significare istud, quod intra ipsos homines est, sed non raro quod quocunque modo apud aut circa eos, vel in medio eorum est & videri percipique potest, lexica tam clarè probant, ut verbum non sim additurus. Sic Apollonius ἐντὸς ἄστεος, pro, in media urbe, dixit: & eodem sensu ἐν ὑμῖν sæpe, pro, inter vos accipitur: ut *Matth.* XX. 26. per Hellenismum qui etiam Ciceroni arrisit, ubi dixit, In oratoribus, pro, inter oratores. *Luc.* XVI. 15: Τὸ ἐν ἀνθρώποις ὑψηλὸν, quod inter homines sublime est. *Rom.* XVI. 7: ἐπίσημοι ἐν τοῖς ἀποστόλοις. 1 *Corinth.* II. 6: ἐν τοῖς τελείοις. *Rom.* VIII. 29: πρωτότοκον ἐν πολλοῖς ἀδελφοῖς. Et ut ut lexica non sufficerent istis Spiritualibus, sensus phraseos hujus tam clare atque evidenter evincitur ex *Matth.* XXI. 43, ut nihil supra: *Propterea dico vobis, tolletur à vobis regnum Dei, & dabitur genti quæ ferat ejus fructus.* Tolli utique non poterat nisi apud ipsos esset, & quasi in medio eorum; nec cum tolleretur, pœna esset quæ illos admodum cruciare poterat, si regnum istud non nisi internum, invisibile atque in animis paucorum quorundam fuisse dicatur. Regnum itaque Dei tantum abest ut non nisi internum fuerit, ut contra externum fuerit, & per externum verbum Euangelii constitutum erectumque in isto populo; quia Rex & populus ejus palam publiceque in medio populi totius versabantur, profitentes regnum illud & se regni istius subditos, aliosque omnes ad regni istius communionem verbo externo vocantes & solicitantes.

*Tertius locus, Heb. VIII. 8, &c.*

Tertius locus est, *Hebr.* VIII. *vers.* 8. 9. 10. 11. 12. qui desumtus est ex *Jerem.* XXXI. 31. 32. 33. 34: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & feriam cum domo Israel & cum domo Juda fœdus novum. Non secundùm fœdus quod pepigi cum patribus eorum, &c. Sed istud est fœdus quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus, Dabo legem meam in medio eorum, & in corde eorum inscribam illam, &c.* Hinc sic colligunt, Tempore Novi Fœderis *Deus ipse indet vel inscribet leges suas mentibus & cordi populi sui, & non docebunt singuli proximum suum, aut singuli fratrem suum, dicentes, Cognosce Dominum. nam omnes cognoscent Dominum à minimo ad maximum usque* Ergo verbum externum tum non amplius locum habebit, sed verbum aliud, & internum illud quod ipsi verbum Dei esse asserunt. Respondeo *primò*, Locus hic eos nullo modo juvat, quia certum est eum agere de tempore isto quod Jesu Christi Messiæ tempus erat, per quem Novum Fœdus sive Testamentum conditum ac constitutum est. At eo ipso tempore, Messias ipse externo verbo utebatur & docebat populum, dicens; Cognoscite Dominum. Deinde, ejus Apostoli non docebant modo, sed & scribebant Leges Novi Fœderis ad docendum populum; quin & ipse hujus Epistolæ author, idem faciebat, quando ad erudiendum Hebræos eam scribebat, & in ea hunc ipsum Jeremiæ textum allegabat. *Secundò*, promissio quæ hoc loco continetur, ad omnes homines, imprimis vero, si non solum modo, ad populum totum Israeliticum directa est, qui in Veteri Fœdere non perstiterat. Atqui nec omnes homines, nec populus totus Israeliticus verbo isto interno, quod vocant, donatus est; quia alioquin omnes homines, & populus totus Israeliticus, jam spiritualis populus essent. Nec est quod dicas, promissionem hanc, etsi generalis videatur, & ad omnes homines totumque Israelis populum pertinere, particularem tamen esse, & non nisi ad paucos quosdam pertinere: quia ratio qua utitur Apostolus, ut ostendat quid Deum moverit ad Fœdus illud novum pangendum, universalis est, & ad totum populum Israelis pertinet, ac per consequens ad omnes homines referri debet. Ratio ejus est: quia populus in priore Veteri Fœdere non perstitit, & Deus eos idcirco despexit. Quare, si promissionem hanc ad paucos quosdam referas, quæ vis erit rationis istius? Tum, pauci illi quinam erunt? *Aut* enim erunt isti, qui speciali quadam gratia electi erant à Deo. At ejusmodi electos non agnoscunt hi Enthusiastæ: & tales etiam erant ante pacti hujus constitutionem, juxta eos qui Prædestinationem absolutam statuunt, iique ante hanc mortui, in fœdere perstiterant. *Aut* erunt alii quidam pii ac fideles. At nulli tales esse poterant sine verbo interno, quod solum vivificum est, quod verbum hic demum post dies illos promitti dicitur. Ergo ad omnes ut pertinere dicatur necesse est. At omnibus verbum istud internum tempore Novi Fœderis datum esse, nemo nisi vecors dixerit. Contrarium enim manifestum est. Ex quo efficitur *tertiò*, Necesse omnino esse ut dicamus, hoc loco tale verbum internum, quod plane à verbo Euangelii externo diversum sit, non promitti: quod vel ex eo liquet, quia hîc promittitur legum divinarum inscriptio in cordibus. Leges autem divinæ, quænam aliæ esse aut intelligi possunt, quam eæ quæ à Deo ipso, externo ore prolatæ, & scripto consignatæ sunt? Lex enim, lex non est, si lata & publicata non sit. Legis naturalis ratio hîc non habetur, quia ea à natura ipsa cordibus omnium hominum inscripta est ab ipsa mundi creatione. Quare, ut per leges divinas intelligantur, vel leges istæ quæ à Deo populo Israelitico latæ sunt, & quas transgressus esse, sive in quibus non perstitisse populus dicitur, saltem eæ quæ ad mores pertinent; vel leges, quæ sub ipso Fœdere Novo à Christo latæ sunt, & Euangelio scriptæ continentur, omnino necesse est. Quascunque dixeris, certum erit, per eas verbum internum istud, de quo agitur, intelligi non posse. Deinde, Ex textu ipso non obscure etiam colligitur, per inscriptionem legum divinarum in cordibus, non intelligi insitionem aut inditionem verbi interni in corda, quæ effectu carere nullo modo possit, aut necessario cum eventu conjuncta erit, nedum quæ immediata & irresistibili vi facienda sit; sed ejusmodi inscriptionis modum, qui fit per externa quædam Dei facta ac beneficia, quæ non modo apta nata sunt hominem ad amorem Dei excitare, sed etiam quæ propter multitudinem, præstantiam & excellentiam suam, peculiarem vim ἐλκυστικὴν habent, qua homines, licet alioquin refractarios, in amorem Dei rapi pene necesse est: adeo ut qui ista tot ac tanta percipiunt, & per ea amore Dei non inflammantur, monstrorum instar habendi sint, qui hominem totum & cum homine sensum omnem exuerunt, feris deteriores, quæ beneficiis cicurari & mansuefieri solent, quin & benefactorum suorum amore tangi ac duci. Hoc non obscure apparet ex ratione quam subjicit scriptor ad Hebræos *vers.* 12: *Ero enim propitius iniquitatibus eorum, & peccatorum ipsorum & iniquitatum ipsorum non recordabor amplius*: q. d. Gratiam summam, impromeritam, indebitam, adeoque demeritam faciam iis, & experientur me Deum ac Patrem suum esse velle, qui omnia iis largiar quæ ad fælicem, beatamque atque immortalem vitam optare possunt ac desiderare. Huic tam ingenti beneficio tribuit istam vim, quod facturum sit, ut omnes homines, ad quos beneficii istius cognitio pertinget, nisi plane insanabiles sint, ultro ac libenter, nullo alio exstimulante aut urgente, Dei leges præstituri sint. Hoc enim est, cognoscere Dominum, cognitione scilicet practica. Sed quia de hoc loco & sensu ejus, supra prolixe & alibi sæpius actum nobis est, jam plus dicere necesse non est.

*Quartus locus, 2 Cor. III. 6.*

Quartus locus est 2 *ad Corinth.* III. 6. *Nam litera occidit: Spiritus autem vivificat.* Inde colligunt, verbum Dei externum non esse nisi literam, &, si secundum literam intelligatur, non modo inutile, sed & noxium esse, adeoque occidere; proinde alio verbo interno opus esse, quod spirituale sit ac salutare seu vivificum. Resp. Detorsio loci hujus manifesta est. Nam 1. per *literam* non intelligitur in eo, omne verbum Dei externum, sed Lex tantum sive Fœdus Vetus, quod potissima sui parte tabulis lapideis incisum, & literis quasi manu Dei exaratis ἐντετυπωμένον, populo rebelli ac refractario in monte Sinai in deserto traditum est; oppositè ad Euangelium sive Novum Fœdus, quod *Spiritus* dicitur & *ministerium Spiritus*, quatenus scilicet per annunciationem administratum & scriptum est. Unde efficitur manifestè, nihil obstare, quominus verbum aliquod Dei externum sit, quod idem tamen, non modo non sit litera, nedum litera occidens, sed contra Spiritus, & Spiritus vivificans: ac proinde tantum abesse, ut locus hic Spiritualibus faveat, ut directè eorum sententiæ funditus labefactandæ sufficiat. Et mirum sane merito videri debet, quod ii, qui omne verbum externum literam esse volunt, & literam occidentem, nihilominus tamen non modo verbo externo, sed & chiliadibus librorum scriptotum, commendare studeant verbum suum internum. Annon libri & scripta ista omnia totidem sunt literæ occidentes Spiritum & suffocantes verbum istud internum? Sic agendo ipsi se ipsos & hanc suam interpretationem jugulant. 2. Lex non dicitur idcirco litera, quod digito

Dei

Dei ſcripta, & literis tabulæ lapideæ inciſis exarata eſſet; quia alioquin etiam hæc ipſa Epiſtola Pauli non fuiſſet niſi litera, & totum ejus miniſterium non niſi vox & litera, quia non niſi prædicando & ſcribendo iſtud adminiſtravit. 3. Multo minus idcirco lex vocatur litera, quia literalis ejus ſenſus plane erat inutilis & nullius prorſus efficaciæ. Quid enim eſt lex, quæ non niſi inutilem ſenſum habet? 4. Multo minime vocatur *litera occidens*, quod ſecundum ſenſum literalem intellecta & præſtita occideret. Contrarium enim diſertè Legi tribuitur, quod *qui fecerit eam, vivet in ea*; *ad Galat.* III. 12. ex *Levit.* XVIII. 5. *Deut.* XXX. 10. *Ezech.* XX. 11. Sed Lex dicitur *litera*, ſive *miniſterium in litera*, & ἐντετυπωμένη ἐν λίθοις; *verſ.* 9. quia non erat niſi tenue quoddam rudimentum divinæ voluntatis, quale pueris literas & elementa prima diſcentibus dari ſolet. unde *pædagogus* dicitur, *ad Gal.* III. 24. *elementa mundi*, *Coloſſ.* II. 8. & *tutor ſeu curator* qui impuberibus adhuc dari ſolet: ad *Gal.* IV. *verſu* 1. 2. 3. *nihilque ad perfectum adduxiſſe*: *ad Heb.* VII. 19. *Litera* verò *occidens* dicitur & *miniſterium mortis* dupliciter: 1. quia etiam ſic præſtita, non tamen abſolvere à reatu mortis cultores ſuos poterat. Remittere enim reatum & abſolvere reum non eſt Legis, ſed gratiæ. Lex non poteſt non reum damnare, uti eſt *ad Rom.* VIII. 3. Hinc promiſſa Legis, ſive Veteris Fœderis, non ſunt promiſſa abſolventia à reatu mortis ſimpliciter, ſed, ſi literam tantum videas, promiſſa ad vitam hanc fæliciter traducendam pertinentia, ſed ad mortem uſque, nulla expreſſa vitæ immortalis poſt mortem adipiſcendæ mentione facta, quippe quæ per Chriſtum & Chriſti Euangelium clarè primum promittenda & promulganda erat, ne Legi, ſed gratiæ ac miſericordiæ ſoli tantus effectus tribueretur. 2. quia etiam ſic præſtita, efficere tamen non poterat, ut peccatores à dominio peccati ſic liberarentur, ut verè ac prorſus ſpirituales eſſent, ſed hoc tantum efficiebat, ut vel ab enormibus quibuſdam actibus cohiberentur, veluti fræno equi ſolent; *ad Gal.* III. 19. præſidio milites aut cives: *verſ.* 23. & pædagogo pueri: *verſ.* 24. vel, ad præclaros, generoſos & heroicos quoſdam actus patrandos exſtimularentur, ſed qui ſpiritum carneum potius & terrenum quam divinum ac cæleſtem ſaperent. ut in exemplo Moſis, Phineæ, Eliæ, & Apoſtolorum liquet: *Luc.* IX. vel, exactè etiam quidem & inculpate in viis divinæ Legis incederent, uti de Zacharia & Elizabetha legitur, *Luc.* 1. & de compluribus Regibus populi Judaici, deque ſeipſo Paulus loquitur, *ad Philipp.* III. 6. ſed ſic tamen, ut de illis dici poſſet, quod Paulus de ſe ſub lege adhuc poſito vel conſiderato dicit, *ad Rom.* VII. 14, quod carnales nihilominus eſſent, & qua tales venundati ſub peccato: quia ſcilicet deſtituti erant vi iſta ſpirituali, quæ per Euangelium ſubminiſtratur, quod propterea *miniſterium Spiritus & vitæ* dicitur, oppoſitè ad Legem, quæ *miniſterium literæ & mortis* vocatur, & *caro*, *ad Rom.* VIII. 2. & *Lex carnalis mandati*, *ad Heb.* VII. 16. quæ abolenda erat διὰ τὸ ἀσθενὲς αὐτῆς καὶ ἀνωφελὲς, *verſ.* 18. quod attinet ad percificiendum hominem eumque verè ſpiritualem reddendum, uti ex *verſ. ſeq.* 19. liquet: *Nihil enim perfecit Lex, ſed ſuperintroductio ſpei melioris, per quam appropinquamus Deo*; nempe clara atque aperta vitæ immortalis promiſſio, quæ per Euangelium facta eſt; 2 *ad Timoth.* I. 9. 10. Atque hoc totum etſi Veteri Fœderi tribui videatur, quatenus id præcepta dumtaxat cæremonialia eiſque accommodata habebat promiſſa carnalia; tamen quia toti propriè Veteri Fœderi tributum dici debet, etiam quatenus pars ejus erat Lex moralis peccatori lata, certe etiam Legi morali aptari poteſt ac debet, quatenus totum Fœdus Vetus ſancitum fuit promiſſis iſtiuſmodi, quæ vel prorſus carnalia ac terrena erant, vel typi tantum erant, ſub quibus occultabatur divinæ voluntatis propoſitum, de vita meliore piis Fœderis iſtius obſervatoribus, quod per Chriſtum tempore ſuo revelandum ac patefaciendum erat, danda ac communicanda. Euangelium itaque quatenus publicatum & ſcripto ad nos tranſmiſſum eſt, eſt unicum illud verbum Dei, quod vi iſta ſpirituali præditum, & ſic etiam vivificum eſt, ut aliud aliquod verbum internum fingere velle, aliud nihil videri debeat, quam Euangelium totum annihilare, & ex Spiritu vivificante literam occidentem facere.

*Reſponſio ad tertium caput argumentorum.*

Quod attinet ad tertiam argumentorum claſſem, eam expendere non eſt hujus loci, quia argumenta omnia quæ ea continentur, directa ſunt non tam contra Scripturæ ſacræ perfectionem, quam contra ejus perſpicuitatem, de qua deinceps nobis agendum erit, ſi tantum monuerimus quædam ad ſecundam ſententiam Pontificiorum pertinentia.

## CAPUT XIII.

### Libertinorum & Pontificiorum ſententiæ inter ſe conferuntur, & ad aliquot Scripturæ loca reſpondetur, quibus Pontificii probare nituntur Eccleſiæ ſummum controverſiarum fidei judicium competere.

*Collatio ſententiæ Libertinorum & Pontificiorum.*

QUod ergo ad ſententiam Pontificiorum attinet, ſtatuendum eſt eos pari cum præcedentibus errore teneri, ſed tamen non prorſus ſimili. Pari errore tenentur, quia utrique pariter Scripturam S. imperfectionis arguunt, atque idcirco præter & ſupra Scripturam, aliam aliquam fidei ac vitæ normam ſtatuendam eſſe contendunt. Diſſimilis tamen horum & illorum error eſt, in hoc; Quod Libertinorum error vagæ & diſſolutæ Religioni fundamentum ſternat; Pontificiorum non adſtrictæ modo ſed violentæ ac tyrannicæ. Quod enim verbum internum eſt Libertinis, id Pontificiis eſt autoritas Eccleſiæ. Internum verbum, quia cuique proprium eſt, nulliuſque alterius extra ipſum verbo veluti norma dirigitur, ſuum cuique liberum ut concedatur neceſſe eſt. Hinc vaga religio oritur. Quot enim capita tot ſenſus & verba interna dari poſſunt. Eccleſiæ autoritas, quia externo verbo tanquam communi norma dirigitur, ſuum nemini privato judicium liberum relinquit, ſed communi privatum cujuſque adſtrictum ſubditumque eſſe cogit. Ac licet diſſimilitudo ſententiarum harum duarum in eo etiam videatur collocari poſſe, quod Libertini uni aliquando homini verbum internum, ac proinde normam veritatis dijudicandæ infallibilem tribuant; Pontificii vero toti Eccleſiæ Catholicæ autoritatem judicandi deferant; tamen, ſi propius Pontificiorum ſententia, atque imprimis ex mente Ieſuitarum videatur, diſſimilitudo ejus à ſententia Libertinorum non tam in eo eſt, quod hi uni homini, iſti verò toti Eccleſiæ Catholicæ jus & autoritatem infallibilem tribuant; quam in eo, quod illi unicuique, hi vero non niſi uni homini eam adtribuant; quem Eccleſiæ totius Catholicæ caput & ſponſum vocant, à quo Eccleſia tota Catholica vitam, ſenſum & motum accipiat, neceſſe eſt. Eccleſiæ enim, Eccleſiæ Catholicæ, Eccleſiæ Oecumenicæ voces, non ſunt niſi phaleræ ad populum, & quæ faſcinandæ incantæ plebi uſurpantur. ubi ad rem ventum eſt, & apex controverſiæ tangitur, tum vero unus ac ſolus Pontifex Romanus eſt cui jus atque authoritatem illam ex aſſe competere contenditur. Uti itaque Libertini iſti, tot Papas faciunt, quot ſunt homines qui verbum internum ſibi arrogant; Ita Pontificii non niſi unum Papam faciunt, à quo cæteros omnes homines pendere neceſſe ſit, tanquam à capite & Monarcha, cui plenaria & abſoluta poteſtas ſit, ſtatuendi de iis, quæ ad fidem ac mores pertinent, ſive quod Scripturæ deeſt, ſupplendi & perficiendi.

*Tria capita argumentorum, quibus Pontificii probare conantur Eccleſiam non Scripturam eſſe ſummum controverſiarum fidei judicem.*

Et horum quidem argumenta pro iſta ſententia ad totidem pene capita revocari poſſunt, id eſt, ad tria hæc.

Primum caput, eſt iſtorum argumentorum, quæ deſumuntur ex titulis ſive elogiis quæ Scriptura tribuit Eccleſiæ, quod videlicet ſit *columna ac firmamentum veritatis*; 1 *Tim.* III. 15. *Sponſa Chriſti*; *Apoc.* XXI. 2. *mater omnium noſtrum*; *Galat.* IV. 26. *contra quam portæ inferorum non prævalebunt*; *Matth.* XVI. 18. imprimis vero quod *qui eam audit, ni Chriſtum ipſum audiat, & qui eam non audit, pro Ethnico & publicano ſit habendus*; *Matth.* XVIII. 17. & alibi.

Secundum caput eſt iſtorum argumentorum, quæ deſumuntur ex iſtis Scripturæ locis, quibus traditiones (non ſcriptæ ſcilicet) commendantur & retineri jubentur, & præter Scriptum verbum alia quædam adhuc ore tenus docenda eſſe, innuitur.

Tertium caput eſt iſtorum argumentorum, quæ deſumuntur ex ſcripti verbi obſcuritate & difficultate, quæ communia habent cum Libertinis.

*Explicatio locorum ubi Eccleſia vocatur ſponſa Chriſti, &c.*

Quod ad primi capitis argumenta attinet, ea jam ante maximam partem à nobis confutata ſunt. Cætera aſſis non ſunt. Quod enim Eccleſia vocetur, *ſponſa Chriſti*, *virgo uni viro deſponſata*, *uxor Chriſti*, quid ad rem iſtam facit de qua nunc agimus? Nam 1. Metaphorica locutio non eſt argumentativa: nec Metaphora eſt ulterius extendenda, quam ſimilitudinis ratio patitur & ſubjecta rei materia. Similitudinis autem ratio in eo manifeſta eſt, quod uti Chriſtus Eccleſiam ſibi deſponſavit verbo promiſſionis, ita Eccleſia vicißim fidem & conſcientiam ſuam obligavit Chriſto ſponſo ac Domino ſuo. Mutua itaque obligatio & mutuus amor utriuſque metaphoræ hujus fundamenta ſunt. Ut ulterius ſimilitu-

militudinis hujus ratio extendatur, saltem eo usque ut Ecclesiæ autoritas aliqua & potestas in sensu verbi divini sive Euangelii Jesu Christi rectè tradendo aliisque præscribendo competere dicatur, quia sponsa Christi est, natura rei non patitur. Nam sponsa, qua talis, est adhuc virgo, & liberos nondum habet, quibus aliquid præscribat: proinde jure & dominio adhuc uti non potest, & non nisi relationem habet ad sponsum tanquam dominum suum, nullorumque adhuc liberorum patrem, ideoque solam dumtaxat relationem subjectionis & reverentiæ, quam sponso debet. 2. Quid similitudo hæc ad Pontificem Romanum facit? Nam ille qua ratione sponsa dicetur? & posito sponsam dici, si fidelis esse creditur Christo, ad summum non magis sponsa Christi dici potest quam quilibet alius qui Christo fidelis est. Posito enim quod ille caput Ecclesiæ dicatur ac sit, non tamen erit sponsa Christi, qua caput, sed qua membrum est. Sponsa enim, quà talis, caput non est. Par erit itaque conditio Pontificis Romani cum conditione cujuslibet membri, quatenus sponsa Christi est. At vero si infidelis, profanus, scelerum omnium cloaca ac sentina sit, quomodo sponsa, virgo casta, uxor tam sancti sponsi dicetur? Certe non magis sponsa esse potest, quam Ecclesia Israelitica sponsa erat, quando meretrix facta erat, & libellum repudii à Deo sponso ac marito suo acceperat: *Jerem.* III. 1, &c. 3. Ecclesia non dicitur sponsa, quatenus repræsentativa Ecclesia est, sed quatenus Ecclesia singulos veros fideles notat, qui per veram fidem membra sunt Christi, & immediatè Christo capiti suo uniuntur, uti in præcedentibus à nobis probatum est, & ratio ipsa postulat. Fideles enim, qua tales, non uniuntur Christo mediante Ecclesia repræsentativa, nedum repræsentativæ Ecclesiæ capite, quod dicitur, uti corpus capiti per collum conjungitur; sed immediate, quia fides, per quam sunt fideles, primo atque immediate in ipsum Christum tendit. Non enim credunt nisi in Jesum Christum. Unde omnes ac singuli fratres ac sorores vocantur, qui non mediante fratre aliquo parentibus suis, sed immediate pariter & ex æquo cohærent atque uniuntur. 4. Per Ecclesiam quæ sponsa dicitur aliquando intelligitur particularis tantum Ecclesia: uti manifestum est ex 1 *Corinth.* XI. 2: respectu scilicet fidelium singulorum qui in Ecclesia ista sunt. Denique S. Ecclesia non dicitur sponsa, nisi quia aliquando sponsa & uxor Dei ac Christi futura est. Hîc enim non nisi sponsalia promittuntur, & desponsatio futura dicitur, sub conditione vitæ impollutæ atque intemeratæ, usque ad tempus conjugio & communioni bonorum in domo cælesti destinatum. Tum ergo demum sponsa revera sponsa erit, & in thalamum mariti veniet, cum impolluta & incontaminata vixerit, & in fide sponsi sui mortua fuerit. Per præoccupationem itaque aut per Hebraismum, propter futuritionis certitudinem, sponsa dicitur & uxor Christi, quia tum proprie sponsa atque uxor erit. Interea igitur sponsæ titulus nihil tribuere potest Ecclesiæ, quod attine quidquam habet ei quo de nos nunc agimus. Certum quidem est, Deum dici aliquando desponsare sibi populum aliquem, uti *Ose.* II. & Ecclesiam Christo aptari ut virginem uni viro: 2 *ad Corinth.* XI. 2. sed desponsatio illa non est desponsatio nisi quæ cum conditione fit, ac proinde pro desponsatione futura, & conjugio aliquando consummanda, accipi debet: uti ex verbis textus apparet, ubi Deus in futuro tempore dicit, *Desponsabo te mihi in æternum*, &c. &, *aptavi vos, ut sisterem vos virginem puram Christo.* Unde efficitur, tantum abesse ut titulus sponsæ, jus atque autoritatem aliquam Ecclesiæ conciliare dicendus sit, ut contra meram subjectionem, sponsoque debitam tantum reverentiam, sub spe futuri conjugii importet: qua cessante aut desinente, sive in totum sive ex parte, sponsæ vox nonnisi inanis nomenclatura sit. Atque hinc est quod Apostolus ait *ad Ephes.* V. 24: *Itaque sicut Ecclesia sese subjicit Christo, ita & uxores sui viri se subjiciunto in omnibus.* Cur vero? Quoniam *vir est caput uxoris, ut & Christus est caput Ecclesiæ*, & is qui salutem dat, id est, dabit aliquando, corpori.

*Mater.* Quod attinet ad titulum *matris*, qui Pontificiis fere semper in ore est, & quo se jactat Ecclesia Romana, tanquam augustissimo, se sola digno, quin & in speciem suavissimo, eum ego nusquam in sacris libris Ecclesiæ tributum esse comperio, nec credentes aut vere fideles Ecclesiæ filios appellari usquam lego. Apostolos quidem lego vocari patres eorum quos primi docuerunt Religionem Christianam, & qui eorum doctrinæ fidem habuerant, filios eorum; sed Ecclesiam vocari matrem, & fideles filios Ecclesiæ, nusquam deprehendo. Unus locus *ad Galat.* IV. 26, legitur, in quo *Hierusalem* vocatur *mater omnium nostrum.* sed, per *Hierusalem* isthic intelligi Ecclesiam, quæ hic in terris sit, tam alienum à vero est, ut contra non intelligatur nisi ipsum cælum, quod Ecclesiam ipsam, quæ hîc in terris est, & liberorum voce designatur, non quos Ecclesia gignit, sed quos genitos jam, & in fide Jesu Christi mortuos defunctosque, sed per resurrectionem nova vita donatos aliquando veluti pia mater sinu suo accipiet, fovebit, & bonis omnibus cumulatos amplectetur; uti ex textu manifestum est, quia vocatur ἡ ἄνω Ἱερουσαλὴμ, Jerusalem, non quæ de sursum est, ἡ ἄνωθεν, sed quæ ἄνω. id est, sursum est, quæque sterilis vocatur, & nec pariens nec parturiens: *vers.* 27. opponiturque Hierosolymæ terrenæ, quæ contigua erat & contermina montibus sive montium tractui isti, qui in deserto Arabiæ erat, & Sinæ, montis Agar, voce notatur, *versu præcedente* 25. Res hæc meretur indicari, quia nullo fascino fælicius utuntur præposteri quidam Theologi, atque imprimis Pontificii, quam ementitis & emendicatis hujusmodi titulis, ad incautam plebem in servitutem redigendum, & sibi mancipandum. Nempe sola *matris* vox sufficit ad constringendum & cogendum filios, ut debitam Ecclesiæ reverentiam, subjectionem & obedientiam præstent, nisi tanquam immorigeri & rebelles matri suæ filii atrocissimè puniri velint. Et tamen nusquam Ecclesia mater esse dicitur, nec ut dicatur possibile est; quia alioquin Doctores Ecclesiæ, matris suæ doctores essent, & quod omnium absurdissimum est, matris suæ patres ac genitores. Radix hujus erroris est, quod Ecclesiæ vox ab iis fere nunquam aliter accipiatur, quam pro Ecclesia repræsentativa; cum in tota S. Scriptura nunquam, saltem vix semel, isto sensu usurpata reperiatur; sed semper pro cœtu fidelium, qua talium, & contradistinctorum à pastoribus & doctoribus, qui Ecclesia repræsentativa inepte aut saltem non sine magna catachresi vocantur. Quare Ecclesiam vocare matrem, tantundem est, atque filiam vocare matris suæ parentem. Quod si cui tamen tolerabilis videtur hæc πολύχρησις, & Ecclesiæ vocem *matris* tribui figurata aliqua ratione posse velit, is videat, ne titulo isto abutatur ad suam aliorumque perniciem, & ut quem ex eo abusum ad dominium & tyrannidem tum in ipsum Dei verbum, tum in conscientias usurpandum, jam natum videt, corrigat atque emendet, pro virili sua, aut, quantum in se est, invalescere non sinat.

Ejusdem commatos est argumentum, quod depromi solet ex *Matth.* XVI. 18. ubi dicitur, *Portæ inferorum non prævalituræ contra Ecclesiam.* Nam tantum abest ut per Ecclesiam hîc intelligatur Ecclesiæ caput Pontifex Romanus, ut ne quidem per eam intelligi possit Ecclesia repræsentativa tota, cum capite suo, quod vocatur. Ratio est manifesta: quia *portæ inferorum* hîc aliud nihil significant quam inferos, sive mortem & perditionem æternam, quam nulla beata resurrectio consecutura est: eodem sensu, quo *portæ mortis* pro morte ipsa ac perditione accipiuntur, *Psal.* CVII. 18. & πύλαι ᾅδου pro sepulchro, aut statu mortuorum in sepulchro, imo pro morte, apud profanos & sacros scriptores nonnunquam accipi leguntur. Sic apud Homerum Odysseæ lib. XIV. ξ. accipitur phrasis hæc,

ἰχθ· σὲ γάρ μοι κεῖνον ὀμώς ἀΐδαο πύλῃσι
ὃς χ' ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ βάζει.

Et quod ad Scriptores sacros attinet, phrasis hæc semel usurpata tantum legitur, & non nisi hoc sensu: *Esa.* XXXVIII. 10: *vadam ad portas inferni*, id est, moriar, uti vocem שְׁאוֹל, ᾅδου expositam à LXX, interpretantur Arias Montanus, Xantes Pagninus, F. Vatablus & S. Munsterus, & interpretandam esse ex textu liquet. Eodem sensu phrasim hanc usurpatam legimus apud scriptorem librorum Apocryphorum, qui Machabæorum vocantur, *lib.* III. *cap.* V. *vers. ultimo, ut interventu suo misereretur eorum, qui jam ad portas inferni pervenerant.* & *Sapient.* XVI. 13: *Tu vitæ necisque potestatem habes, & ad portas inferorum deducis ac reducis.* In his tamen duobus locis per *portas inferorum*, non tam mors quam pericula morti vicina intelliguntur, quæ quasi ipsa mors vocantur. Ex hoc consequitur, Ecclesiam hîc non posse significare Ecclesiam repræsentativam, qua talem; quia Ecclesia repræsentativa, qua talis, non moritur. Ecclesia enim repræsentativa, qua talis, est cœtus hominum. At cœtus, qua cœtus, non moritur. Mors enim individuorum & singularium est, non universalium. Quare sensus est, fideles, qui singuli conjuncti Ecclesiam faciunt, id beneficii consequentur, per fidem Euangelio Petri & Apostolorum adhibitam, quod immunes futuri sint à mortis dominio, & perditione æterna: juxta id quod Christus ait *Joan.* XI. 25. 26. & Joannes, 1 *Epist.* III. 14, &c.

*Et ubi dicitur portæ inferorum non prævaluisse contra eam. Matth. XVI. 18.*

CA-

## CAPUT XIV.

### Examen locorum Scripturæ in quibus traditiones non ſcriptæ commendantur & retineri jubentur, & præter ſcriptum verbum alia quædam ore tenus adhuc docenda eſſe innuitur.

QUod attinet ad capitis ſecundi argumenta, quæ deſumuntur ex iſtis Scripturæ locis, quibus traditiones non ſcriptæ commendantur & retineri jubentur, & præter ſcriptum verbum alia quædam ore tenus adhuc docenda eſſe innuitur, ea cum cura magna expendi à nobis non eſt operæ pretium, partim quia ab aliis prolixè ſatis refutata ſunt, partim quia leviora ſunt quam ut prolixè refutari mereantur.

*Loca Scripturæ in quibus traditionum non ſcriptarum ſit mentio.*

Loca, quibus traditiones non ſcriptæ commendari & retineri jubentur, hæc ſunt: 1 *ad Corinth.* XI. 2: *Laudo vero vos, fratres, quod omnia mea meminiſtis, & ſicut tradidi vobis, traditiones retinetis.* & *verſ.* 23: *Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis.* & *verſ.* 34: *Reliqua cum venero,* διατάξομαι, *diſponam.* 2 *ad Theſſ.* II. 15: *Nempe igitur, Fratres, perſtate & tenete traditiones quas edocti eſtis, ſive per ſermonem ſive per epiſtolam noſtram.* 1 *ad Timoth.* VI. 20: *Timothee,* τὴν παραθήκην *φύλαξον, depoſitum cuſtodi.* & 2 *ad Timoth.* I. 13: ὑποτύπωσιν, *expreſſam formam teneto ſanorum ſermonum, quos à me audiviſti:* & *verſ.* 14: & *Præclarum illud depoſitum ſervato per Spiritum S. qui habitat in nobis.* & *cap.* II. 1. 2: *Tu igitur, fili mi, corroborare per gratiam quæ eſt in Chriſto Jeſu; & quæ audiſti à me per multos teſtes, hæc committe fidelibus hominibus, qui ſint idonei ad alios quoque docendos.*

*Reſponſio generalis ad illa.*

Reſp. Quid in his locis omnibus eſt, quod Pontificii pro ſententia ſua allegare poſſunt aut allegant, præterquam ſola vox παράδοσις? At vero vox illa quid in rigore aliud ſonat, quam communicationem quamlibet, & qualemcunque, quocunque demum modo ea fiat? Traditio enim quæ ſcripto fit, cur minus traditio eſt, quam quæ voce aut ore fit? Non enim æſtimandæ ſunt voces ex ſenſu, poſtmodum introducto aut uſurpato, ſed ex ipſarum vocum proprietate aut propria ſignificatione. Propriam autem ſignificationem vocis παράδοσις, apud Apoſtolum, non eam tantum eſſe, quæ voce fit, ſed etiam quæ ſcripto fit, ex his ipſis locis liquet: quia inter eas refert etiam traditiones iſtas, quæ per epiſtolam factæ erant, uti ex 2 *ad Theſſ.* II. 15, manifeſtum eſt. & quæ tum, antequam eas traderet Apoſtolus, ſcriptæ erant, & quas tum, cum eas ſe tradidiſſe dicit ipſe, ſcripto deinde, conſignatas à ſe refert, eundem in modum quo antea perſcriptæ erant à quatuor Euangeliſtis, uti ex 1 *ad Corinth.* XI. 23 liquet; ubi id, quod ſe tradidiſſe Corinthiis dicit, nihil aliud eſt, quam Cœnæ Dominicæ inſtitutio, quæ jam ante ab Euangeliſtis perſcripta erat, & ad unguem ſic ab eo deinde ſcribitur ac recenſetur, uti antea perſcripta fuerat, cum ait: *Quod Dominus Jeſus ea nocte, qua proditus eſt, acceperit panem,* &c. Deinde, per traditiones ſive παραδόσεις, certum eſt non poſſe intelligi alias, quam quæ ad ſalutem ſcitu ac creditu vel ubique, ſemper & omnibus præcisè neceſſariæ ſunt; vel non neceſſariæ, ſed ad εὐταξίαν tantum utiles pro loco & tempore. Si primi generis traditiones intelligantur, quid abſimilius à vero, quam Apoſtolum, cui ſalus Eccleſiarum maximè cordi erat, varia ac diverſa ad Eccleſias ſcribere voluiſſe, quæ ſcitu ac creditu neceſſaria ipſis non erant, & neceſſaria memoriæ tantum earum concredere? Dices: Attamen in ſingulis Epiſtolis omnia neceſſaria præſcripta non ſunt. Reſp. Eſto; id neceſſe non erat. Sufficiebat ut ea aut ab aliis perſcripta exſtarent, aut in diverſis Apoſtoli Epiſtolis ſcripta eſſent. Non enim ſequitur, Omnia neceſſaria in ſingulis Epiſtolis ſcripta non ſunt, ergo in iſtis omnibus libris qui ab Apoſtolis ſcripti ſunt, neceſſaria omnia ſcripta non ſunt. Si ſecundi generis traditiones intelligantur, quæ ab Apoſtolis profectæ ſunt, non quatenus divino Spiritu impulſi locuti ſunt, ſed quatenus humana prudentia præditi fuerunt, juxta id quod legere eſt 1 *ad Corinth.* VII. 12. & 25, ejuſmodi traditiones omnes ſcripto conſignatas eſſe, ut dicamus non eſt neceſſe. Et veroſimile admodum eſt, inter eas referendas eſſe etiam iſtas, quæ comprehendi videntur verbis iſtis, quæ leguntur 1 *ad Corinth.* XI. 34: *Reliqua cum venero* διατάξομαι. Per διάταξιν enim iſtas, ut neceſſaria ſcitu dogmata, quæ ad fidem & mores pertinent, intelligantur, nec vox ipſa patitur, nec natura rei; quia, non modo certum eſt, Apoſtolum multo ante Corinthios docuiſſe neceſſaria omnia, ſed & ab omni veroſimilitudine alienum eſt, Apoſtolum, qui tam multa non neceſſaria ſcribebat Corinthiis, ſcriptionem eorum, quæ ad ſalutem ſcitu credituque neceſſaria iis erant, in reditum ſuum ad eos differre voluiſſe. Quis enim non potius credat, Apoſtolum non neceſſariarum rerum ſcriptionem dilaturum fuiſſe, quam earum quæ ad ſalutem ſcitu neceſſariæ erant? Certe has res Apoſtolo ſupra alias omnes curæ ac cordi, fuiſſe, ex cæteris allegatis locis liquet, quibus Timotheo mandat ut ὑποτύπωσιν λόγων ὑγιαινόντων, id eſt, ſermonum non ſanorum tantum, ſed ſanantium, ſive ad ſanandum vi & ἐνεργείᾳ quadam inſita comparatorum, ſemper ob oculos habeat, ut τὴν καλὴν παραθήκην custodiat: 2 *ad Timoth.* I. 13. 14, & *quæ per* (ſive inter) *multos teſtes audiverat, fidelibus hominibus traderet:* 2 *ad Timoth.* II. *verſ.* 5. 2. per ὑποτύπωσιν & παραθήκην illam intelligens neceſſaria iſta omnia dogmata, quæ ipſi commendaverat, & præcedente Epiſtola ſcripto conſignata miſerat, uti ex *cap.* VI. *verſ.* 2. 3 manifeſtum eſt. Quod autem Timotheum ea ex ſe audiviſſe dicit, id eo ſenſu dictum putare, quaſi auditionem ſcriptioni opponat, aut per auditionem ſcriptionem excluſam velit, nimis eſt abſurdum, uti ex tota præcedente & hac ſcripta Epiſtola liquet. Audiviſſe maluit dicere, quia forte, ante hanc Epiſtolam ſcriptam, non niſi docentem audiverat Apoſtolum; aut, ſi forte ab Apoſtolo aliquando Epiſtolas acceperat, quia creberrime aut multo crebrius docentem & erudientem Apoſtolum audiverat, quam ſcriptas eius Epiſtolas legerat. ut ut eſt, ὑποτύπωσιν & παραθήκην illam duabus his Epiſtolis, ad vivum perſcriptam eſſe, neſcio quis negare audeat.

Loca, in quibus præter ſcriptum verbum, alia quædam ore tenus adhuc docenda eſſe, innuitur, duo ſunt. Primus eſt, *Ioan.* XXI. 25: *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Jeſus, quæ ſi ſcribantur κατ' ἕν,* id eſt, *ſingulatim, ne mundum quidem ipſum opinor capturum, eos, qui ſcriberentur, libros.* Secundus eſt, *Ioan.* XVI. 12. *Adhuc multa habeo vobis dicere; ſed nunc non poteſtis portare.* *Locus Ioann. XXI. 25.*

Reſp. Prima ſtatim fronte apparet, hæc loca ad rem non facere. Nam primus locus manifeſte agit de iis, quæ fecit Jeſus, id eſt, uti *cap. præced.* XX. 30. dictum fuerat, de ſignis multis aliis, quæ Jeſus edidit in diſcipulorum ſuorum conſpectu. At nos agimus de dogmatibus ad ſalutem ſcitu neceſſariis. Signa autem omnia iſta, quæ ſcripta non eſſe dicuntur, nec dogmata ſunt, nec neceſſaria ſigna ad dogmatum confirmationem, uti apparet ex *verſ. ult. cap.* XX; ubi ea ſigna quæ ſcripta ſunt, ſufficere dicuntur ut credamus Jeſum eſſe Chriſtum illum, & ut credentes vitam habeamus per nomen ejus.

Secundus locus ad rem etiam non facit. Nam, aut volumus per *multa* iſta, intelligi ea quæ ſcitu omnibus ac ſingulis ad ſalutem neceſſaria ſunt, aut alia ad confirmationem eorum dumtaxat utilia. Si iſta velimus intelligi, nihil aliud ex hoc loco concludetur, quam Apoſtolos ea ante acceptum Spiritum S. ignoraſſe, & poſt acceptum Spiritum ſanctum plene perfecteque cognita habuiſſe. Ea vero ab iis perſcripta non fuiſſe, poſt acceptam ejuſmodi perfectam cognitionem, quomodo ex hoc loco vel probabiliter evincetur? Certe contrarium potius concludi poteſt, quia cognitionem iſtam perfectam Apoſtoli per ſanctum Dei Spiritum ſine dubio acceperunt, quà Apoſtoli, proinde eo fine, ut eam ſibi non retinerent, ſed aliis, quà poterant optima ratione, communicarent, fideliſſimeque retinendam traderent. At, cum multa non neceſſaria aliis ſcripto communicaverint, quid veriſimilius credi poteſt, quam eos non voce tantum, ſed ſcripto etiam neceſſaria omnia communicaſſe? Cur enim voce & ſcripto tradiderint non neceſſaria, voce autem tantum docuerint neceſſaria, cum fidelior multo ſit Scriptura, quam memoria? Sed vero, ſi per *multa* iſta, alia præter neceſſaria velimus intelligi, tum locus plane ad rem non facit. Atque hoc quidem mihi veroſimilius videtur. 1. quia certum eſt Jeſum Chriſtum ipſum, *cap.* XV. 35, aſſerere, ſe omnia, quæ audiverat à Patre ſuo, nota feciſſe Apoſtolis ſuis, tanquam amicis intimæ admiſſionis. 2. quia durum admodum eſt dicere, Apoſtolos, non potuiſſe portare ea quæ ipſis aliiſque omnibus ad ſalutem ſcitu neceſſaria erant. Quæ enim alia aut facilius poterant portare; aut lubentius voluiſſent portare? 3. quia inter iſta *multa* ponuntur, ſi non ſola fere eſſe dicuntur, τὰ ἐρχόμενα, quæ ventura ſunt, & quæ eis Spiritum S. renunciaturum dicitur; inter quæ ſine dubio fuerunt, 1. gentilium ad fidem vocatio per ipſos facienda, quam etiam poſt acceptum Spiritum S. difficulter admodum portare poterant Apoſtoli, adeo ut ſpeciali Spiritus S. revelatione ad eam faciendum corroborari opus haberent. 2. magnæ iſtius Apoſtaſiæ futuræ prædictio, quæ ſine dubio ægre & male admodum eos habuiſſet, &, quam difficillimè portare potuiſſent, ſi ea ipſis tum à Chriſto facta fuiſſet. 3. aliaque multa ad difficultatem muneris, quod obituri eſſent per mille diſcrimina, ſi ea diſertè in eandem *Locus Ioan. XVI. 12.*

ſententiam prædicta fuiſſent. Quare quod hic dicitur, *Spiritus Sanctus introducet vos in omnem veritatem*, id non exponerem de veritate præcisè ad ſalutem ipſis & cuilibet alii homini ſcitu neceſſaria; ſed de veritate iſta, quæ ipſis, tanquam Apoſtolis & Legatis Jeſu Chriſti, ad veritatis neceſſariæ propagationem & confirmationem, pro temporum, occaſionum, locorumque ratione uſui futura eſſet; &, quia infirmiores erant, tantum non neceſſaria, ad muneris tam ardui functionem libenter & cordate ſubeundam atque obeundam. cui tamen etiam cohærebat veritatis neceſſariæ, quam antea Chriſtus eos ore docuerat, altior impreſſio, revocatio in memoriam, & nova quaſi inculcatio, quæ per Spiritum ſanctum facienda erat; uti diſerte legere eſt, *Joan.* XIV. 26: *ille vos docebit omnia, &c.* id eſt, *in memoriam revocabit omnia, quæ dixi vobis*; quia *cap.* XV. 35 dicit, ſe omnia quæ audiverat à Patre ſuo notaſſe feciſſe. Veritas itaque non nova docenda dicitur, ſed ea quæ jam docta erat à Chriſto, per Spiritum renovanda, & de novo quaſi ſuggerenda memoriæ Apoſtolorum.

Atque hoc non leviter confirmatur eo, quod poſt acceptum Spiritum ſanctum nullum novum dogma, quod omnibus, ubique & ſemper ad ſalutem creditu neceſſarium ſit, traditum legatur ab Apoſtolis, quod ante acceptum Spiritum ſanctum Chriſtus Apoſtolos ſuos non docuerat. quod adeo verum eſt, ut ipſe Apoſtolus Paulus non dubitaverit aſſerere, quod iis, quibus ſe *omne Dei conſilium* de ſalute eorum aperuiſſe ait, nihil tamen dixerat *extra* aut præter *ea, quæ Prophetæ ac Moſes futura prædixerant*; *Act.* XXVI. 22. nempe in ſcriptis ſuis libris; quos etiam tanto elogio dignatur, in 2 *ad Timoth. Epiſt. cap.* III. 15, ut δύναμιν illis tribuat, *quemvis ſapientem reddendi ad ſalutem per fidem quæ in Chriſto Jeſu eſt*, id eſt, quemvis, qui Scripturas illas juxta Euangelium Jeſu Chriſti interpretatur & accipit, atque ad eas ſic creditas, tum ipſe vitam ſuam componit, tum alios vitam ſuam componere docet.

*Nullum dogma ad ſalutem neceſſarium proferre poſſunt Pontificii, quod per ſolam traditionem non ſcriptam habeamus.*

Omnium fortiſſimè confirmatur hoc totum contra Pontificios, quia ii nullum dogma aut producunt aut producere poſſunt, quod poſt Apoſtolorum exceſſum ex hoc mundo, per traditionem ab Eccleſia ſic acceptum eſt, ut ab univerſa Eccleſia ſemper & ubique pro dogmate neceſſario receptum ſit. Nam, ut jam non dicamus, de Miſſis, indulgentiis, ſanctorum demortuorum cultu ac veneratione, imaginum, reliquiarum, atque imprimis Mariæ virginis, & panis Euchariſtici adoratione, Purgatorio, Papæ primatu, Sacerdotum cælibatu, quadrageſima, aliiſque quæ à traditionibus Apoſtolicis arceſſere velle, tantundem eſt atque à tenebris lucem petere; omnia inſuper iſta, quæ ex profeſſo ad traditiones divinas & Apoſtolicas referre ſolent, ſive eæ perpetuæ ſint, ſive univerſales quæ vocantur, eæ nullum omnino dogma continent, quod univerſaliter, ubique & ſemper ab Eccleſia Chriſti pro neceſſario dogmate habitum eſt. Hoc ut à nobis operosè demonſtretur, non eſt neceſſe. Videantur tantum omnia iſta dogmata, quæ non niſi per traditionem Apoſtolicam Eccleſiis innotuiſſe aſſerit, & nominatim recenſet Jeſuita Becanus. Ea hæc ſunt. Tria, inquit, ſunt principia fidei maxime neceſſaria, quæ non habentur ex Scriptura, ſed ex traditione. *Primum eſt*, Quod tota Scriptura Veteris ac Novi Teſtamenti ſimul ſumta, ſit verbum Dei. *Alterum*, quod tota illa Scriptura, præſertim in iis quæ ad fidem & ſalutem neceſſaria ſunt, maneat nobis ſalva & incorrupta. *Tertium*, quod habeamus verum ac legitimum ejus ſenſum. Si admittimus, inquit, hæc principia fidei, neceſſariò admittimus traditionem, per quam illa accepimus. Si non admittimus, vana eſt fides noſtra. At vero, inquam ego, de dogmate aliquo certo quæritur, non de principiis fidei quæ inter præcognita cenſeri ſolent. 2. poſito etiam hæc ipſa principia pro dogmatis haberi, non quæritur de dogmatis, quæ ex ſenſata traditione habentur atque haberi debent, ſed quæ ex traditione & non niſi ex traditione revelata credi debent. Inter iſta dogmata & principia ſunt duo iſta: 1. libros Sacros Veteris & Novi Teſtamenti, à viris iſtis ſcriptos eſſe, quos divinos fuiſſe omnibus iſtis qui cum iis verſabantur, ſenſu atque experimento conſtabat. 2. & libros iſtos incorruptos ad nos perveniſſe. Ad hæc cognoſcendum, nulla ſpeciali revelatione opus erat, nulla fide divina. ſenſata notitia & fides humana ad id ſufficiebant, hodieque ſufficit ſola ſenſatæ iſtius notitiæ teſtificatio, abſque ulla teſtificantis autoritate. 3. Falſum eſt, iſta principia fidei maxime neceſſaria creditu ad ſalutem, per traditionem Apoſtolicam cognoſci. Nam circa primum, traditio admodum varia fuit. unde de his & illis libris non leves olim controverſiæ exſtiterunt, hodieque adhuc agitantur. Quare, ut de omnibus & ſingulis libris Veteris & Novi Teſtamenti credatur, eos ſimul ſumtos verbum Dei eſſe, principium fidei videri non debet, nec per traditionem manifeſtum quæ ab Apoſtolis revelata ſit, ſed quæ per ſenſum & experimenta omni exceptione majora innotuit. Quod ad ſecundum attinet, Nulla traditio aut exſtat aut requiritur ad hoc, ut credamus Scripturam totam, præſertim in iis quæ ad fidem & ſalutem neceſſaria ſunt, manere nobis ſalvam & incorruptam. Sola traditio iſta ſufficit, qua traditur libros iſtos ſic ab Apoſtolis eſſe ſcriptos, uti eos nunc habemus, quæ ſenſata traditio eſt. Iſta poſita, ſenſus omnes ad ſalutem neceſſarios iis contineri, ex ipſis libris abſque ulla alia traditione ſciri poteſt ac cognoſci debet. Quod ad tertium attinet, falſum eſt, quod per traditionem habeamus verum ac legitimum Scripturæ ſenſum. Quæ enim illa traditio eſt? An conſentiens Patrum, qui vocantur, interpretatio? At ea nec datur, nec dari poteſt, nec ſi detur, traditio veri ſenſus dici poteſt; quia omnes iſti Patres ſive interpretes, in eo conſentiunt unanimiter, quod interpretatione ſua, tanquam traditione certa, neminem ſtare velint, ſed cuilibet interpretationem ſuam ad ipſos libros ſcriptos expendere ex profeſſo jubeant, ipſique adeo interpretationes omnes ad eos ſe expendere debere apertè profiteantur.

*De ſymbolo Apoſtolorum.*

Præter hæc, inquit, ſunt alia quæ per traditionem habentur. Primum; quod Symbolum fidei ſit vere Canonicum atque Apoſtolicum. At 1. Poſito id verum eſſe, traditio illa non foret niſi traditio ſenſata, & quæ ei adhibetur fides, non niſi humana fides. 2. Symbolum hoc fidei quod nunc habemus eſſe Apoſtolicum, id eſt, ab Apoſtolis aut viris Apoſtolicis conceptum ſcriptumve, ac proinde divinæ & canonicæ autoritatis, tantum abeſt ut per traditionem conſtet, ut contra, nec traditio ulla reperiatur, apud antiquiſſimos Patres, in qua hujus noſtri ſymboli mentio fiat, ſed apud Ruffinum ſolum, qui multo poſt Apoſtolorum tempora floruit, anno ſcilicet CCCXC. (cujus ſcripta mendaciis referta & labyrinthum vocant ipſi Pontificii, ut judicari haud facile poſſit, cujuſnam ingenii aut fidei fuerit;) nec tempus certum, quo iſtud compoſitum fuit, aſſignari à quoquam poſſit. quinimo indicia non levia ſint, ex quibus colligitur, iſtud non ſimul ac ſemel, ſed paulatim ac procedentibus temporibus, variorum articulorum adverſus exorientes hæreſes adjectione auctum, ac tandem in eam, quam nunc habemus, formam, redactum compoſitumque eſſe: quod alibi à nobis probatum & à variis luculenter admodum demonſtratum eſt.

*De bâptiſmo infantium.*

Secundum, ait, eſt, quod infantes ſint baptizandi. At 1. hoc propriè non eſt dogma, ſed ritus. 2. Poſito etiam dogma eſſe, nego neceſſarium eſſe, ac proinde ad hanc controverſiam non pertinet. 3. Nego traditionem ullam dari poſſe ante ſeculum quartum, id eſt, ante tempus Concilii Milevitani, quod celebratum eſt anno Chriſti CCCCXVIII, in Africa, qua neceſſitas Pædobaptiſmi conſtituta eſt. 4. Nego traditionem univerſalem ac perpetuam uſurpati Pædobaptiſmi in Eccleſia ullam dari poſſe; imo certum eſt non pauca loca ac tempora deſignari poſſe, quibus dogma iſtud aut non creditum aut non receptum fuit; quod alibi etiam à nobis fusè probatum eſt. In Aſia Pædobaptiſmum multò ante Milevitanum Concilium in uſu non fuiſſe, imo nec legitimum nec licitum judicatum, apparet ex Canone VI Synodi Neocæſarienſis, quæ celebrata legitur Anno Chriſti CCCXV, id eſt ſeculo integro, & quod excurrit, ante Concilium Milevitanum, πρὸ τῆς ἀναφορᾶς, de Baptiſmo prægnantis aut gravidæ, quo conſtitutum fuit, prægnantem baptizari rite poſſe, eo quod baptiſmus ad matrem ſolam, quæ profeſſionem de ſe edere poteſt, pertineret, non vero etiam ad uterum ſive prolem, quippe quæ non poſſet τὴν ἰδίαν ἀφιερῶσαι ἐπὶ τῇ ὁμολογίᾳ δυνηθῆναι. In media Africa & Græcia multi Patres fuerunt, qui Pædobaptiſmum, licet jam apud eos in uſu eſſet, ſibi non uſquequaque placere teſtati ſunt; uti Tertullianus, qui anno Chriſti CCIII vixit: prout apparet ex libro ejus de Baptiſmo, cap. XVIII. Gregorius Nazianzenus, qui vixit anno Chriſti CCCLXX. prout apparet ex oratione ejus XL, quæ eſt in Sanctum Baptiſma. Uterque hic differri Baptiſmum judicavit conſultiſſimum uſque in ætatem, quæ interrogationi percipiendæ & reſponſioni reddendæ idonea eſſet: ille quidem, in ulteriorem illam quæ adultior eſt, & ad Chriſtianæ religionis profeſſionem faciendam apta; hic, in tertium ætatis annum, aut aliquanto brevius vel longius temporis ſpatium, quod πανύστερος excedit, niſi caſus neceſſitatis aut periculum mortis urgeret. Hinc parentes Auguſtini, Hieronymi, & Ambroſii diſtulerunt eorum Baptiſmum uſque in annum ætatis eorum trigeſimum; uti & ipſe Conſtantinus Imperator in ætatis annum LXV, cum jam extremum ſibi diem imminere ſentiret. Ex Concilio Gerundenſi, habito anno 1XVII, apparet pueros catechumenos non niſi in Feſtis Paſchatis & Pentecoſtes baptizari ſolitos. Admodum veroſimile eſt Auguſtinum, primum poſuiſſe

*Examen trium iſtorum quæ Becanus affert in Contrarium, quod ad Scripturam S. attinet.*

posuisse fundamentum necessitatis Pædobaptismi postquam cum Pelagio collidi cæpit: uti alibi ostendimus.

*De perpetua Mariæ virginitate, formula Baptismi, Sacramentorum numero, peccati originalis remedio.*

Cætera, quæ de perpetua Mariæ Matris Jesu virginitate, de formula Baptismi, de numero Sacramentorum, de peccati Originalis remedio, adfert, ea nimis sunt frigida & futilia. Nec enim traditio ulla certa, indubia, ab ipsis usque Apostolorum temporibus accepta, & ubique ac perpetim in Ecclesiis observata vel recepta, de istis dari potest; nec, si daretur, quidquam ad rem hanc faceret. Nam, posito traditionem esse de perpetua Mariæ virginitate, (quæ tamen nuspiam nisi ex fabulis, atque, ut Hieronymus loquitur, insomniis Apocryphorum, à Basilio imprimis petitur:) quid refert, scias eam an nescias? Neque enim traditio ulla est, qua id necessario omnibus ac singulis sciendum ac credendum esse, traditur. unde nec Helvidius, eo nomine, quod eam impugnaverit, hæreticus fuit, sed ad summum parum prudens, aut forte etiam temerarius. Tum quid refert qua formula Baptismi utaris, nisi traditionem Apostolicam alleges, qua hac non illa, ista tali non alia, utendum esse sub pœna damnationis æternæ, præscriptum sit aut traditum? At talem adsignare ullam traditionem, posito etiam traditionem de formulæ usu dari, impossibile est. Quid refert, quot Sacramenta facias, cum ipsa Sacramenti vox ex traditione Apostolica non sit, &, si omnino esset, definitio vocis sacramenti essentialis tradita nuspiam sit? Quid refert, remedium peccati originalis certum scire, cum quid peccatum originale sit, per nullam traditionem indubiam constet, imo an peccatum originale ullum sit ex traditione antiquissima haberi nequeat, adeoque ex ea luculentius probetur non esse, quam esse? Denique cùm certum sit peccata omnia peccatoribus pœnitentibus per gratiam divinam remitti, nullo alio intercedente externo remedio quam verbo, cui fidem adhibent, & cui ex fide obediunt. Baptismus enim quem pœnitentes recipiunt, non est remedium peccati, sed signum dumtaxat remissionis sive gratiæ divinæ, & pœnitentiæ sinceræ ac seriæ.

Exemplum aliud addit Bellarminus. In Testamento Veteri, inquit, remedium peccati Originalis erat pro masculis, circumcisio; quale ergo erat pro fœminis, imo & pro masculis ante octavum diem morientibus? Resp. At unde constat circumcisionem fuisse remedium peccati originalis, cùm nihil vanius sit, quam peccatum originale in præputio sive carne illa cui præputium adest, statuere? nihil enim certius est, quam Judæorum circumcisorum libidinem neutiquam esse minorem, si non majorem multo, quam incircumcisorum. Nihil etiam verisimilius est, quam, si remedium peccati originalis aliquod externum dare voluisset Deus, remedium fuisset daturus commune utrique sexui. unde ego colligo contrarium potius verum esse, nec peccati originalis, nec remedii alicujus contra peccatum originale, rationem ullam haberi in circumcisione. Sed vero posito etiam, quod aliqua utriusque ratio habita esset, cur ignorari illud non posset; certè eo ipso, quod circumcisionem maribus tantum aptam Deus præscribere voluerit, Deum testatum facere voluisse videri merito potest, quod judicium & consilium suum, cui fini servire vellet circumcisionem, nobis occultum esse voluerit, aut necessarium non esse, ut nos istud sciremus, indicare propositum sibi habuerit. Sed vero nihil ineptius est, quam circumcisioni pelliculæ, vim aliquam tribuere contra peccatum qualecunque, cum illa in carne fieret; peccatum autem non sit nisi in anima. Ineptissimum vero omnium, finem institutæ circumcisionis, non improbabilem modo & nulli revelatum, sed & absurdum quærere, cùm finis ejus in propatulo sit & palpabilis, & quem videlicet universus populus Judaicus, pro fine à Deo intento, absque ulla semper dubitatione aut hæsitatione esse credidit, nimirum, quod sit fœderatorum ex Abrahamo oriundorum signum, ac proinde Fœderis cum Abrahamo & semine ejus initi indubitatum indicium ac Sacramentum infallibile, quod nemo alius, ad familiam Abrahami non pertinens, ullo modo imitari nisi væcors vellet, utpote in speciem pudendum & revera sanguinarium & cum magno doloris sensu conjunctum.

## CAPUT XV.

### Tria circa traditiones non scriptas observanda. Et quinque Bellarmini de iisdem regularum rejectio.

QUare ut fundamenta responsionum nostrarum clarè videantur, & quæ ad quæstionem hanc de Traditionibus Apostolicis spectant paucis ob oculos ponamus, hæc tria animadvertenda sunt.

*Primum in traditionibus observandum.*

*Primum*; quando de traditionibus non scriptis quæritur, tum non quæri de traditionibus quibusvis, sed de istis tantum, quæ dogmaticæ sunt, & ad salutem semper, omnibus ac singulis ubique scitu, creditu, & observatu necessariæ: proinde quæ tales non sunt, eas, etiamsi pie credi & observari possint, ac fortasse etiamsi pacis ac concordiæ caussa admitti atque observari debeant, tamen ac principalem hanc quæstionem non facere.

*Secundum.*

*Secundum* est; Per traditiones non intelligi traditiones istas, quæ sola sensata & experimentali notitia nituntur, sed eas quæ speciali divina revelatione cognoscuntur. Ad illas enim fides tantum humana requiritur; ad has divina. Quare etsi concedatur ac concedi omnino debeat, traditione opus esse, ut sciamus, an libri sacri autores istos habeant, quorum nomina libris istis præscribuntur; an plura sint Euangelia, quàm quatuor ista quæ nunc habemus, quia ad scientiam istam habendam non requiritur aliud quid, quam sensus & experientia, eaque sola sufficiunt; tamen id ad caussam principalem non facit, quæ in eo posita est, An traditio aliqua non scripta necessaria sit, quæ sola divina revelatione constat, & autoritativè ad credendum nos obligat, quia scilicet iis facta est, qui istam aliis tradendi autoritatem habere dicuntur.

*Tertium.*

*Tertium* est; Traditiones rerum necessariarum ad salutem, & quæ eum autoritate ad credendum obligant, nullas admittendas esse, quam quas certum est, sic semper, ubique, & ab omnibus Christianis Ecclesiis receptas esse, uti libros sacros non controversos ab omnibus Ecclesiis Christianis, ubique, & semper, pro divinis & Apostolicis libris receptos esse constat. Quæcunque traditiones harum notarum, Antiquitatis scilicet sive perpetuitatis, Consensionis, & universalitatis, unâ carent, eæ inter traditiones humanas & Ecclesiasticas censendæ sunt. Qua de re vide Vincentium Litinensem in commentario adversus hæreses, cap. 3. lib. 2. Quia vero prorsus impossibile est ullam hujusmodi traditionem dogmaticam allegare, quæ tres istas notas simul habeat, & quæ Scriptura non contineatur, omnino necessarium est, ut concludatur, nullam traditionem præter & extra scriptum verbum sub necessitatis obligationisve titulo jure obtrudi, aut pie admitti posse.

*Quinque Bellarmini regulæ.*

Ex hoc consequitur, regulas illas quinque, quas adsignat Bellarminus, Tomo 1. de verbo Dei, lib. IV, cap. IX. ad veram legitimam & authenticam traditionem dijudicandum & confirmandum, quarum per se singulas vult sufficere, neutiquam admittendas esse, eo quod tres istæ notæ, *ubique*, *ab omnibus*, & *semper*, in omni traditione conjunctæ requirantur, ut sit vera, legitima & authentica traditio; in regulis autem Bellarmini, eæ omnes conjunctæ non inveniantur.

*Prima.*

Prima regula est: *Quando universa Ecclesia aliquid tanquam fidei dogma amplectitur, quod non invenitur in divina litera, necesse est dicere, id ex Apostolorum traditione haberi; quia Ecclesia universa errare non potest.*

Atqui in hac regula non invenitur nisi unica sola nota universalitatis, sive, *ubique*, quæ per se non sufficit: quia traditionis Apostolicæ vox, radicem & originem suam refert ad ipsos Apostolos, cum continuata successione, & derivatione sive traduce ad posteros; ac proinde vi sua includit & connotat & *semper*, (retrocedendo, scilicet ab isto tempore, quo Ecclesia universa aliquid credere dicitur, ad ipsa usque Apostolorum tempora:) id est, dogma per manus in primitiva tota Ecclesia acceptum, & posteris successivè traditum, ab iisque unanimi consensione receptum creditumque. Nisi ergo ostendatur, dogma illud, quod nunc universaliter in Ecclesia creditur, creditumque adeo esse dicitur annis exempli gr. abhinc mille & ultra, in primitiva ipsa Ecclesia traditum creditumque esse, frustra traditio Apostolica prætextitur aut prætenditur. Deinde nullo modo sequitur, universa Ecclesia aliquid amplectitur tanquam fidei dogma, quod tamen non invenitur in S. literis, ergo istud ex traditione Apostolica est. Res patet in exemplo isto ipso, quod allegat Bellarminus. Universa Ecclesia jam credit, inquit, perpetuam B. Mariæ virginitatem. Esto. Ergone credi debet id ex Apostolica traditione esse? Cur enim id non possit credere universa Ecclesia, quia nullam satis gravem caussam habet, cur contra credat; etiamsi nulla prorsus traditio Apostolica sit, ex qua id verum esse convincitur? Et sane nulla traditio est ex qua id evincitur vel in speciem. Nec Ecclesiæ est, statuere necessario aliquid credendum esse, quod non ante persuasa est, Apostolica seu autoritate seu traditione infallibili nixum esse. Nec Ecclesiæ fides facit ut aliquid traditio sit; sed quia traditio est, idcirco Ecclesia credere debet esse traditionem. Adde: Ecclesia universa Catholica (sic enim credit Bellarminus) dogma de communione Laicorum sub una specie recipit & credi jubet; ergone ex traditione Apostolica id esse recte concluserit? Con-

tra-

tra, certum est, istius dogmatis traditionem Apostolicam non modo nullam allegari posse, sed novitium prorsus ὄνυμα esse, & duodecimo, imo decimo quarto demum post Apostolos seculo natum, & primitivæ Ecclesiæ traditioni, adeoque ipsarum Scripturarum Apostolicarum tenori directe contrarium. Eadem est ratio dogmatum de cælibatu Ministrorum, de privatis Missis, &c. Adderem de transsubstantiatione, de purgatorio, de invocatione Sanctorum, imaginum adoratione seu veneratione, (quam ex traditione esse disertè hoc ipso capite asserit Bellarminus) Papæ primatu, aliisque: sed quia Bellarminus hæc pleraque dogmata esse credit, quæ Ecclesia universalis, sive Catholica, quam vocat suam Ecclesiam, amplectitur quia in divinis literis inveniuntur, (quamquam absurdissimè) ea ad hanc classem non referam. Tantum eo fine id dictum volui, ut appareat, tantum abesse, ut propterea quod Ecclesia, quam Bellarminus vocat, Catholica sive universa, aliquid amplectatur tanquam dogma fidei, quod non invenitur in divinis literis, necesse sit dicere, dogma istud ex Apostolorum traditione haberi; ut contra, id non modo non sit necesse, sed etiam, propterea quod Ecclesia universa, dogma aliquod fidei amplectatur, eo quod in divinis literis id inveniri ait, necesse nullo modo sit dicere, id eam ex divinis libris habere, sed fieri posse, ut divinis literis non contineatur, adeoque tum iis, tum rectæ rationi, tum traditioni primitivæ Ecclesiæ contrarium sit ac repugnans. Quare ratio, quam regulæ huic suæ subjicit, *Quia Ecclesia universa errare non potest*; vana atque inepta est. Vana, quia non modo falsum est, Ecclesiam universam errare non posse, sed & certum, Ecclesiam universam illam, quam Bellarminus suam Catholicam vocat, de facto errare in non uno fidei quod vocat dogmate, uti ex antedictis patet. Inepta, quia dato, sed non concesso, præsentem Ecclesiam universam errare non posse, ex eo tamen non sequeretur, quando Ecclesia ista dogma aliquod fidei amplectitur, quod non invenitur in divinis literis, Ecclesiam dogma istud habere ex traditione Apostolorum. Ad summum tantum sequeretur, dogma istud verum ac certum esse, quacunque demum ratione Ecclesia de eo certior facta fuerit. Deinde si hæc ratio admittatur, quid opus est vel Scriptura vel traditione, ad hoc ut aliquid vel divinum vel Apostolicum esse credatur? Nullo alio tum argumento opus est, ad dogmatis alicujus divinitatem, id est tum veritatem tum necessitatem adstruendum, quam hoc, quia Ecclesia universa id credit, sive id ex Scriptura sive ex traditione probetur, sive non probetur. Denique, si hæc ratio militat, Ecclesia universa præsens errare non potest, ergo dogma fidei quod amplectitur extra aut præter Scripturarum autoritatem, ex traditione Apostolica profectum dici debet, tum alterutrum dicendum est, aut fieri posse ut universa Ecclesia erret, aut fieri posse ut unum idemque sit ex traditione Apostolica & non ex traditione Apostolica. Ratio est, quia de facto Ecclesia universa, juxta Pontificios, aliquando amplexa est dogma aliquod fidei quod in Scripturis præcisè mandatum non inveniri non diffitentur Pontificii, ex. gr. communionem Laicorum sub utraque specie, quam universa Catholica præsens Ecclesia jam improbat ac vetat. Ergo vel prisca ista, vel hæc nova Catholica Ecclesia errare dicenda est: vel, si neutra erravit, verissimum itaque esse utrumque contradictorium hoc, communio sub utraque specie est ex traditione Apostolica, & non est ex traditione Apostolica; quod absurdum esse quis non videt? Contradictoria enim impossibile est ut simul vera sint.

Secunda. Secunda regula Bellarmini est: *Quando universa Ecclesia aliquid servat, quod nemo constituere potuit nisi Deus, & nusquam invenitur scriptum, necesse est dicere, ab ipso Christo & ab Apostolis esse traditum.* Ratio eadem, uti ipse Bellarminus fatetur, quæ supra est; *Quia universa Ecclesia errare non potest, neque in credendo, neque in operando.*

Regula hæc, quia eadem prorsus est cum præcedente, & eadem ratione nititur, eadem etiam responsione refellitur. In eo tantum à præcedente differre videtur, quod præcedens regula agat de dogmatis credendis, hæc de ritibus agendis observandisque in Ecclesia. Amborum eadem est ratio, quando par eorum necessitas urgetur ex Apostolica traditione. Atqui, uti (quod antea diximus) non sequitur, Ecclesia præsens universa amplectitur dogma aliquod tanquam dogma fidei, quod tamen in divinis literis non invenitur; ergo necesse est dicere, dogma illud esse ex traditione Apostolorum; ita non sequitur; Ecclesia universa præsens amplectitur ritus aliquos tanquam ritus necessario observandos, qui tamen in divinis literis non inveniuntur scripti; ergo necesse est dicere, ritus illos ab ipso Christo vel ab Apostolis ejus esse traditos. Sicut enim Ecclesia dogmata aliqua amplecti potest, quæ tamen probare non potest ex traditione ipsa Christi vel Apostolorum esse, quæque ex traditione Apostolica non sunt; ita eadem Ecclesia ritus aliquos amplecti atque observare potest, quos tamen ex traditione Apostolica esse nullo modo probari potest, imo quos ex Apostolica certa traditione non esse manifestum est. Ex. gr. Ritus celebrandi Pascha die Dominico post plenilunium, id est, decimamquartam diem Martii, est ritus qui nunc in universa Ecclesia observatur, & qui in Scripturis divinis non invenitur mandatus jussusve; & tamen ritus hic propterea haberi non debet pro ritu, qui ex Apostolica traditione profectus est, quia alioquin dicendum foret Apostolicas traditiones sibi invicem contrarias dari. Romanus enim Episcopus in Occidentali Ecclesia ritus istius originem referebat ad traditionem Petri & Pauli; contra Polycrates, Polycarpus, & Asiatici omnes in Ecclesia Orientali, ritum suum, quem damnabat Anicetus, decimoquartanum scilicet, referebant ad traditionem à Joanne, Philippo, aliisque Apostolis profectam. Ac licet horum sententia ac traditio multo esset certior, aut saltem probabilior, tamen Ecclesia universa tandem, non istum, sed illum ritum amplexa est, & in Concilio Nicæno ratum habuit ac stabilivit: non utique ex Apostolica traditione, quia alioquin Ecclesiæ universæ Asiaticæ traditionem contrariam Apostolicam non allegassent, sed ex ratione ac sententia sua propria, quam judicavit optimam ac tutissimam, ad discernendos Christianorum ritus à ritibus Judæorum, atque ita divertendos Christianorum animos, ne ad Judaismum facile relaberentur. Dices: Regula Bellarmini non agit nisi de ritibus, quos nemo constituere potest nisi solus Deus. At, quæro ego, quinam isti ritus sunt, & qua ratione aut signo dignosci possunt ritus, quos constituere possunt homines, ab istis ritibus, quos nemo constituere potest nisi Deus? Impossibile est, nisi ad Ecclesiæ autoritatem recurrant, de qua hic quæritur, quæ videlicet regula sit, ex qua cognosci certo possit, quinam sint ritus isti, quos nemo constituere potest nisi Deus, & proinde quos necesse est dicere, quando ab Ecclesia universa observantur, ex Apostolica traditione esse. Talis, inquit, est ritus baptizandi parvulos, & non rebaptizandi ab hæreticis baptizatos. Atqui, quod ad ritum primum attinet, ostendimus supra, tantum abesse, ut ritus iste, etiamsi ab universa Ecclesia jam observetur, ex Apostolica traditione profectus dici debeat, ut contra manifestum sit, ritus istius necessitatem non modo non esse Apostolicæ traditionis, sed ne quidem ante quartum seculum in Synodo Milevitana in Africa locum habere cæpisse. Quod ad ritum secundum attinet, tantum abest ut is propterea, quod jam ab universa Ecclesia, juxta Bellarminum, receptus sit, idcirco ex Apostolica traditione profectus dici debeat, ut certum sit, eum non modo à Cypriano, sed ab omnibus fere Africanis Episcopis, & quidem in variis Conciliis, tanquam illicitum atque illegitimum reprobatum ac damnatum esse; adeo ut Cyprianus ipse, quem alioquin in traditionum commendatione mirifice commendare solent Pontificii, & propter martyrii fidei que Catholicæ gloriam in beatorum sanctorumque ordinem adsciverunt, orantes, Sancte Cypriane ora pro nobis, in ista sententia sua ad mortem usque, ipso Augustino teste, perstitisse videatur.

Tertia. Tertia regula est: *Id quod in universa Ecclesia, & omnibus retro temporibus servatum est, meritò ab Apostolis creditur institutum, etiamsi illud tale sit, quod ab Ecclesia potuerit institui.*

Hæc regula plane coincidit cum regula nostra, quam antea ex Vincentii Lirinensis commonitorio adversus hæreses, cap. 3. adduximus, & hæc una sufficit, cæteræ aliæ omnes sine hac fallacissimæ sunt & insufficientes. Sed tantum abest, ut tale aliquod dogma, sive ad fidem sive ad mores pertinens, quod in Scripturis divinis non inveniatur, dari possit, ut ne quidem ritus ullus talis, qui in universa Ecclesia, & omnibus retro temporibus, id est, ubique, ab omnibus, & semper servatus sit, adduci possit. Quod enim attinet ad jejunium quadragesimæ, quale nunc obtinet in Ecclesia Romana, quod in exemplum à Bellarmino adducitur, istud in universa Ecclesia & omnibus retro temporibus servatum esse, tam longe abest à veritate, ut Cassianus, collatione XXI, cap. 30 referat, senem Theonam, cujus sanctitatem admirari se ait, dixisse, in hæc verba, *Sciendum jane hanc observantiam quadragesimæ, quamdiu Ecclesiæ illius primitivæ perfectio inviolata permansit, penitus non fuisse*, &c. Atque hoc ita esse, non obscure indicant loca ista omnia, quæ ex Irenæi Epistola ad Victorem Papam, (prout ea legitur apud Eusebium, lib. v. cap. 23.) item ex Dionysio Alexandrino, Tertulliano, Sozomeno, Socrate, aliisque adducuntur, quæ disertè arguunt, nullam prorsus uniformem jejunii aut legem aut rationem temporibus ipsorum fuisse; sed arbitrio cujusque libero relictum fuisse, si non ipsum jejunium, saltem jejunandi tempus & durationem; multos tamen, imprimis autem Cle-

*De jejunio quadragesimæ.*

Clericos, id est, Episcopos, Presbyteros, & Diaconos, adstrinxisse se ad tempus quadraginta horarum, ante diem Paschatis Dominicum, ob dictum Christi, *Matth.* IX. 15: *Dies venient, quibus sponsus auferetur à vobis, & tum jejunabitis.* Sponsus autem Jesus Christus ablatus credebatur à discipulis suis per quadraginta horas, quæ inter mortem & resurrectionem ejus intercesserant. Ritum vero jejunandi per quadraginta dies, & quidem dies ipsos Dominicos ante Pascha, non modo non fuisse universalem, sed plane novum, & contrarium communi ritui, quo diebus Dominicis jejunare illicitum habebatur, eo quod tum sponsus Ecclesiæ redditus fuit, & ante diem Veneris similiter, quia tum sponsus nondum ablatus erat. Sed & ritum istum jejunandi per tantum tempus, id est, per tempus quadraginta dierum, paulatim superstitione potius quàm religione introductum esse, aut potius observatum à quibusdam, nulla ad faciendum lege aut traditione, sed propria dumtaxat sua devotione adductis, testimonia quæ ex istis ipsis scriptoribus citari solent, Sole clariora, fidem faciunt. Ex quo evincitur, fieri non posse, ut jejunium quadragesimæ quale nunc celebratur, juxta hanc regulam ex traditione Apostolica sit, cum tale in primitiva Ecclesia omnibus retro temporibus observatum non sit, adeoque nullus jejunii certus, constans & uniformis ritus, in tota Ecclesia locum habuerit, ipso Augustino teste, qui in Epistola LXVIII, ad Casulanum, hunc in modum scribit: *Quibus diebus sit* jejunandum, nec à Domino nec ab Apostolis definitum est. quodque caput rei est, jejunium cujusque arbitrio libero permissum fuerit, & nulla lege aut consuetudine primis duobus seculis adstrictum. Quamquam quod ad ritus attinet, non magnopere contendere velim, an ab Apostolis per traditionem ad nos devenerint, neque gravate admodum concesserim eos, in quos Ecclesia universa consentit, neutiquam respuendos aut adspernandos, imo servandos ac retinendos esse, si modo tales sint, qui ubique & ab omnibus Ecclesiæ membris servari possunt. Sed dogmatum ad fidem & mores pertinentium, atque ad salutem necessariorum, alia ratio est. Ea enim, nisi ex Scripturis divinis probentur, aut ubique, ab omnibus, & semper in Ecclesia pro dogmatibus necessariis tradita ac recepta esse constet, Ecclesia universa præsens constituere nec potest nec debet.

*Quarta.* Quarta regula est: *Cum omnes Doctores Ecclesiæ communi consensu docent, aliquid ex Apostolica traditione descendere, sive in Concilio Generali, sive seorsim in libris, illud credendum est Apostolicam esse traditionem; quia si aliter esset, tota Ecclesia posset errare.*

Regula hæc plane inepta est. Nam si per Doctores omnes Ecclesiæ, eorumque communem consensum, intelligantur collectivè Doctores omnes, qui omnibus retro temporibus fuerunt, ab ipsis usque Apostolorum temporibus, eorumque communis consensus in eo collocetur, quod dixerint scripserintque, aliquid, ubique, ab omnibus & semper traditum observatumque esse, tum regula hæc, aut est illa ipsa regula, quam nos ex Vincentio Lyrinensi adduximus, aut saltem regula ista nostra nititur, quia, nisi verum certumque sit, id, in quo Doctores consentiunt, ubique, ab omnibus, & semper traditum receptumque fuisse, utique consensus eorum non faciet, ut id aut verum certumque sit, aut pro vero certoque recipi debeat. Quid enim vetaret, consensum illum ortum natumque esse, non ex certa Antiquitatis, Perpetuitatis, Universalitatis, & Consensionis scientia, sed ex credulitate ab uno aliquo profectâ, cui deinde cæteri omnes adsensum præbuerunt, sola unius illius sive autoritate sive testificatione nixi, absque ulla alia aut probatione aut certitudine? Certè, id ita accidere sæpe solere experientia docet, & accidisse olim testis est consensio Patrum antiquissimorum fere omnium, in opinionem illam de millenario Christi regno in hac terra futuro; quæ profecto aliunde nata non fuit, quam ex pura puta credulitate, quæ adhibebatur narrationi unius Papiæ Episcopi Hierapolitani, Joannis Apostoli auditoris, & Polycarpi Smyrnensis Episcopi familiaris, hominis, ut de eo ex scriptis ejus judicavit Eusebius, lib. III. Hist. suæ Eccles. cap. 33. *ingenii pertenui, & qui peregrinas multas Servatoris parabolas, novasque doctrinas, scriptis sua, tanquam traditione non scripta ad se delatas, miscuit finxitque. Hic*, inquit, *plerisque Ecclesiasticis, qui hominis antiquitatem pro suarum partium defensione citabant, perfimile erroris autor exstitit.* Sane ita est. Consensus omnium ex isto uno natus est. Nempe Irenæus, Clemens Alexandrinus, Justinus Martyr, Origenes, Lactantius, & alii multi eum secuti sunt, & ab eo sibi imponi passi fuerunt; prout apparet ex eo, quod sententia illa tanquam falsa postidea ab universa Ecclesia rejecta & communi calculo reprobata est. Si vero, per *Doctores omnes Ecclesiæ*, intelligantur Doctores isti omnes, qui in Concilio aliquo generali, communi consensu statuerunt aliquid ex Apostolica traditione descendere, tum certè regula hæc per se sufficere non potest, ad tantæ rei fidem faciendum; quia certum est: 1 Concilium generale nullum esse posse, quod non uno & eodem loco ac tempore celebratur. 2. nullum generale Concilium dari, nisi quod constitit ex Episcopis istis, qui subditi fuerunt imperio Romano. 3. nullum tale generale Concilium dari quod ante Nicænum Concilium convocatum ac celebratum sit, id est trecentis & viginti annis post Apostolorum tempora. At Concilium istud, quomodo sufficere potest ad fidem certam faciendum, quod istud, quod ex Apostolica traditione descendere asserit, semper, ubique, & apud omnes perseveranter creditum observatumque fuerit? Quod si vero dicatur, judicium Concilii generalis idcirco pro certo habendum esse, quod in eo sequatur judicium Patrum omnium consentientium, quod ex scriptis eorum liquet; tum dico regulam hanc non minus esse ineptam, quia impossibile est judicium aliquod tale dare; aut si detur, ostendere, consensum istum judiciorum omnium, esse consensum, quem singuli non ex uno aliquo hauserunt, aut alii ab aliis per traducem sibi ingenerari passi sunt, uti supra dicebamus, sed in quem omnes pariter per certam scientiam atque experientiam adducti sunt. Prius patet: quia plurimi Patres non scripserunt, & qui scripserunt, ii Patrum omnium numerum non explent. Nec ratio ulla sinit, ut istis dumtaxat patribus, qui scripserunt, standum & firma fide innitendum esse credi debeat; cum videamus omni pænè ævo, & nostro etiam hoc sæculo, nullam infideliorem aut incertiorem veritatis probationem adferri posse, quam eam quæ ex scriptis eorum adfertur, qui autoritate publica adjuti, consenserunt communibus calculis in partis istius, quam suppressam voluerunt, condemnationem & extirpationem, aut sententiæ suæ, quam ratam haberi voluerunt, propagationem. Et ejusmodi sunt scripta fere omnium, quos nunc habemus, Patrum.

*De imaginum veneratione.* Fidem huic rei non levem facit exemplum consensionis Patrum, quod in hac caussa allegat Bellarminus, videlicet exemplum Doctorum sive Patrum Ecclesiæ qui congregati fuerunt in Concilio Nicæno II. quod celebratum est anno Christi DCCLXXXI, vel, ut alii, DCCLXXXVI, anno VIII Constantini & Irenes, & asseruerunt imaginum venerationem ex Apostolica traditione descendere. Nam 1. certum est primam Apostolicam Ecclesiam prorsus imaginibus caruisse. 2. Patres & Doctores multos Ecclesiæ fuisse, qui adeo ab imaginibus fingendis ingendisve abhorruerunt, ut eorum alii artem omnem sculptoriam & pictoriam idcirco damnarent illicitamque crederent, alii imagines omnes aperte improbarent vetarentque. 3. Synodum integram, Illiberitanam scilicet, vetuisse id quod adoratur, in parietibus pingi. 4. in Synodo hac, imaginum ipsarum tum fabricationem, tum venerationem, Patres sive Doctores ex ipsis Scripturis voluisse deducere, atque ejusmodi loca inde citasse, quæ non modo inepta sunt, sed & indigna quæ à tyronibus in Theologia allegentur. 5. huic Synodo contradictum aperte fuisse in Synodo Francofordiensi, magno tum Gallorum, tum Germanorum numero. vide quæ ad hanc rem de Imaginibus, à nobis allegata sunt testimonia, in libello nostro de vera Antiquitate.

Neque vero satis est, quod Bellarminus addit, omnium patrum consensum posse colligi, etiamsi aliqui tantum, nec multi, adseruerint aliquid, si contradictores non habuerint. Nam 1. unde constare potest contradictores nullos fuisse? An quia scripta eorum non exstant? At unde constat tutum fuisse ut scriberent; aut si tutum fuit, scripta eorum suppressa non fuisse? Certè negari nullo modo potest, scriptores pene infinitos fuisse omni seculo quorum scripta nunc non extant; quæ qua ratione alia quam per vim, suppressa deletaque esse ab iis, qui rerum potiebantur, & quibus ea displicebant, dici possit, ego non video. Quare tuta non est regula ista, quæ certam fidem rei alicui facere dicitur ex scriptis paucorum quorundam, eo quod istis contradictum non sit, aut contradictum esse probari nequeat. Ecquis enim tuit aut fuisse legitur, qui Irenæo, Justino Martyri, Clementi Alexandrino, Origeni, Lactantio in opinione de millenario Christi regno contradixit? Et tamen opinionem istam ex traditione Apostolica non descendere, Bellarminus ipse, & cum eo tota Catholica Christi Ecclesia credit.

*Quinta.* Quinta regula est: *Id sine dubio credendum est ex Apostolica traditione descendere, quod pro tali habetur in illa Ecclesia, ubi est integra & continuata successio ab Apostolis.*

Regula hæc, ipso Bellarmino velit nolit fatente, incerta ac fallax ex. Quia 1. ipse confitetur lib. IV. de Notis Ecclesiæ, cap. VIII. argumentum à successione legitima adferri à se suisque (*præcipue* quidem addit, sed perperam) ad probandum non esse Ecclesiam, ubi non est talis successio, quod quidem evidens esse ait: ex eo tamen, inquit, non colligitur necessario, (ex his verbis patet vocem superiorem *præcipue*, perperam additam esse fallendis incautioribus,) ibi esse Ecclesiam

cleſiam ubi eſt ſucceſſio. Hoc ſi ita eſt, quomodo non ipſi Bellarmino fallax eſt hæc regula? Si enim fieri poteſt ut ibi non ſit Eccleſia ubi eſt ſucceſſio, ſive, ſi non neceſſario ibi eſt Eccleſia, ubi eſt ſucceſſio, quomodo aſſeri poteſt firma fide, ſive, ſine dubio, uti regula habet, credendum eſſe, quod Eccleſiæ iſtæ ſtatuunt, in quibus ſucceſſio locum habet. Si dicat, ſe non modo de Eccleſiis iſtis loqui, in quibus *continuata ſucceſſio* eſt, ſed etiam in quibus *integra ſucceſſio* eſt, nihil omnino dicet. Nam, ſi per *integram ſucceſſionem*, intelligit doctrinæ totius ad ſalutem neceſſariæ ſucceſſionem, tum principium petit & circulum facit. Enimvero cum traditio omnis Apoſtolica ad ſalutem creditu neceſſaria ab eo ſtatuatur, neceſſe utique eſt, ut ubi integra doctrinæ totius ad ſalutem neceſſariæ ſucceſſio eſt, ibi etiam traditionum omnium Apoſtolicarum ſucceſſio ſit. At verò, ſi hic Bellarmini ſenſus eſt; tum regulæ ſenſus erit; Id pro Apoſtolica traditione indubiò haberi, quod in Eccleſiis illis pro tali habetur, quæ traditiones & dogmata omnia Apoſtolica integra retinuerunt. En principii petitionem & circulum. Hoc enim Eccleſiarum iſtarum teſtimonium, quo utor ad fidem faciendum aliquid ex traditione Apoſtolica deſcendere, æque mihi incertum eſt atque eſt iſtud, quid ſit ex traditione Apoſtolica? Quia Eccleſiarum iſtarum teſtimonium non eſt certum mihi teſtimonium, niſi ſciam prius, traditiones Apoſtolicas omnes in Eccleſiis iſtis eſſe ac retineri. Quorſum ergo teſtimonium iſtud mihi erit, aut quomodo regula erit? Si dicat, ſe per *integram ſucceſſionem*, intelligere non interruptam ſucceſſionem perſonalem, ut vox *continuata* ſequens non ſit niſi ἐξηγητικὴ, tum vero hæc regula non modo non ſufficit ipſius Bellarmini judicio, ſed plane inepta eſt. Quid enim perſonalis ſucceſſio facit, ad fidem faciendum aliquid ex traditione Apoſtolica ſine dubio eſſe, cum id ad doctrinæ neceſſariæ ſucceſſionem pertineat; ſucceſſio autem perſonalis eſſe poſſit, ubi non eſt ſucceſſio doctrinæ ſalutaris, quia ſucceſſio perſonalis affirmative non eſt nota veræ Eccleſiæ? 2. quid incertius quam ſucceſſionem integram & continuatam demonſtrare? Certe non minus difficile eſt hanc demonſtrare, quam oſtendere an aliquid ex Apoſtolica traditione deſcenderit. 3. Quid falſius, quam id pro Apoſtolica traditione habendum eſſe, quod pro tali habetur in illis Eccleſiis, ubi ſucceſſio perſonalis integra eſt & continuata? Nam certum eſt, Antiochiæ, Alexandriæ, & alibi integram ac continuatam fuiſſe ſucceſſionem, eo ipſo tempore, quo hæreſes docebant iſtorum locorum Epiſcopi. Dioſcorus certe in Eccleſia Alexandrina erat ſucceſſor Marci Euangeliſtæ, per non interruptam ſucceſſionem. Quid? an indubio erat habendum pro Apoſtolica traditione, quod in ea pro tali habebatur? Si dicas, per introductionem hæreſeos ſucceſſionem interrumpi cæpiſſe, ac proinde tum deſiiſſe in Eccleſia iſta regulam hanc locum habere; tum dico, Regulam hanc vaniſſimam eſſe, quia nulla jam uſpiam terrarum Eccleſia eſt, in qua aut incorrupta, aut per hæreſes, ambitum, ſcelera, & fraudes non interrupta ſucceſſio dari poteſt. Fatetur hoc Bellarminus de aliis omnibus Eccleſiis, excepta ſola Romana. At non pauci alii, licet inter Pontificios acerrimi, non dubitant id etiam de Romana fateri, & etiamſi nemo eorum ea de re vel dubitare auderet, vel dubitaret, res tamen adeo clara eſt, ut facilius ſit credere, in qualibet alia Eccleſia ſucceſſionem legitimam perſonalem, licet nobis indemonſtrabilem, locum habuiſſe, quam eam, quæ in Romana Eccleſia demonſtrabilis eſſe dicitur, legitimam, & non per hæreſes, Simoniam, & ſceleſtiſſima facinora, creberrime interruptam fuiſſe: prout alibi à nobis demonſtratum eſt.

*Judicium de hu omnibus regulis ſimul.*

Mantiſſam ad has omnes regulas hanc addo: Satis liquere Regulas has confictas ac fabricatas eſſe dominationi & tyrannidi ſtabiliendæ in Eccleſia. Nam quibus aliis eæ ſervire poſſunt, quam Doctoribus, Magiſtris, & Monachis, aliiſque quibus otium, ingenium, & animus eſt, Eccleſias omnes perreptare, temporum omnium arcana rimari, ſcriptorum omnium volumina perluſtrare, atque inde eruditionis ſimul atque autoritatis gloriam venari; nempe ut eam admiretur ignara atque ignava cætera plebs, & admiratione concitata, deinde tota ex iis pendeat? Nempe ad plebem regulæ iſtæ non pertinent. Ecquis enim ex plebe idoneus eſt ad tot tantarumque rerum, Eccleſiarum, temporum, Conciliorum, Doctorum, ſcriptorumque arcana explorandum, quæ vigilantiſſimi cujuſque ætatem atque induſtriam univerſam exercere poſſunt? Nempe hoc agitur: Regulæ fabricandæ ſunt omnium operoſiſſimæ, & ad quas adſtruendas ea requiruntur quæ omnia plebi deſunt: ut deſperatione fracta plebs ultro lubenterque obtrudi ſibi patiatur, quicquid volunt ii, quibus credit adeſſe omnia adminicula, ad rectam regularum iſtarum veritatem indagandam, quæ ſibi deeſſe ſentit. Hoc pretio credulæ plebis obſequium ſimul ac ſervitus emitur.

Concludo itaque, Regulam iſtam noſtram, quam ex Lyrinenſi adduximus, unicam ac ſolam eſſe, qua tuto ſtare poſſumus, ut traditiones veras à falſis, bonas à malis, veteres à novis ſecernamus. Et quia ſecundum iſtam nulla traditio Apoſtolica dari aut inveniri poteſt, quæ Scriptura non continetur, ſolam ergo Scripturam ſacram eſſe regulam perfectam, ad quam omnia ad doctrinam fidei ac morum, atque ad ſalutem æternam neceſſaria, exigenda ſunt atque examinanda; quod eſt illud ipſum quod hactenus probandum ſumſimus.

## CAPUT XVI.

### Status controverſiæ de Perſpicuitate S. Scripturæ. Et primum pro illa argumentum, quòd Scriptura ipſa de ſua perſpicuitate teſtetur.

REſtat, ut jam reſpondeamus ad alteram partem rationis ſive objectionis iſtius, quam iis, quæ à nobis adſerta ſunt, opponi poſſe ac ſolere ſupra diximus, quæ hæc eſt: Poſito ſenſus omnes neceſſarios ad ſalutem contineri S. Scripturis, certum tamen eſt, eorum multos tales eſſe, ut clari non ſint ac perſpicui, ſed obſcuri ac difficiles intellectu; unde efficitur, judice aliquo opus eſſe, qui obſcuros elucidet, difficiles ſolvat, & perplexos evolvat. Ad rationis hujus ſolutionem deinceps nobis de S. Scripturæ perſpicuitate agendum erit.

*Veruſtatis controverſiæ de perſpicuitate Sacræ Scripturæ aliquot theſibus expoſitum.*

Dicimus ergo, Scripturam S. non tantum perfectè in ſe continere ſenſus omnes, qui univerſis & ſingulis ad ſalutem ſcitu, creditu, ſperatu ac factu ſunt neceſſarii, ſed eoſdem etiam omnes perſpicuè, dilucidè, & clare omnibus & ſingulis proponere, ut à quolibet homine, non tantum ii qui neceſſarii ſunt, ſed etiam ſub ipſa formali neceſſitatis ratione, id eſt, quod ſint neceſſarii, facile intelligi poſſint.

Hanc theſin etſi probandam nobis ſumere, opus non habeamus, quia ſola rationis ſupradictæ inficiatione tueri nos poſſemus, tamen ne rigidè nimis agere velle videamur, & intra ſolam inficiationem ſtare, victoriæ magis ſtudio quàm cauſſæ fiducia, argumentis aliquot eam ſolidis adſtruemus. Sed verò ad eam rectè intelligendam, & ſimul etiam ad juſtum controverſiæ ſtatum perfectè conſtituendum, terminos quoſdam ejus explicabimus, quos utrimque in confeſſo eſſe debere credimus.

Ac *primò* quidem; quando ſenſus omnes ad ſalutem ſcitu, creditu, ſperatu, ac factu neceſſarios, perſpicuè Scriptura ſacra contineri ac proponi dicimus, eo ipſo nos ab hac controverſia excluſos velle ſenſus omnes non neceſſarios. Neceſſariis autem accenſeri patimur, eos, qui adeo ſunt utiles, ut ad ſenſus neceſſarios quam proxime accedant.

*Secundò*: Quando ſenſus hujuſmodi neceſſarios ſummeque utiles, Scriptura S. proponi dicimus perſpicuè ac clarè, tum id nos non velle, quod ſenſus iſti, ubicunque locorum contineantur, ibi perſpicue, dilucidè, ac clare, vel æque clarè ac perſpicuè propoſiti occurrant; ſed quod alibi, & non uno in loco adeo clarè ac perſpicuè ſint propoſiti, ut ſicubi aliàs obſcurius paulum propoſiti occurrant, ex perſpicuis iſtis facile intelligi ac cognoſci poſſint.

*Tertiò*: Quando ſenſus iſtos dilucidè, perſpicuè ac clarè propoſitos in S. Scriptura eſſe aſſerimus, tum id ſic nos intelligere, quod ſenſus iſti omnes ac ſinguli, iſtiuſmodi verbis ac phraſibus, ſeu propriis ſeu figuratis ſint expreſſi, ut ad earum ſignificationem propriam ac genuinam rectè percipiendum, nullo alio aut interno aut externo lumine opus ſit, quam vel naturali, vel ſaltem à gratia iſta quæ univerſalis & communis omnibus eſſe dicitur, adjuto, id eſt, ſolo rationis rectæ dictamine, ſive gratiæ univerſalis beneficio.

Ex quo conſequitur, rationem rectam non modo non eſſe exautorandam, quando de propria ac genuina verborum phraſiumque S. Scripturæ mente ac ſententia adſequenda quæritur, ſed eam primo ac per ſe eſſe neceſſariam, quin & per ſe ſufficere, adeoque eam unam ac ſolam aptiſſimum eſſe medium ad rectam verborum phraſiumque S. Scripturæ, quibus neceſſaria ſignificantur, intelligentiam conſequendum. Proinde cauſſam nullam aliam eſſe poſſe, cur verborum phraſiumq; propria ac genuina ſignificatio non attendatur, quam quod recta ratio vel præjudicio imbuta, vel affectibus obnubilata, vel negligentia infirmata, vel malitia depravata ſit, ſive recta eſſe deſierit; non quidem in ſe, ſed in actu atque exercitio ſuo, oculi inſtar, quem aut lema infecit, aut catharrus vitiavit, aut nervus detorſit, at faſcinum præſtrinxit, ut corpus recta non poſſit dirigere.

*Quartò*: Quando ſenſus omnes neceſſarios à quovis homine

mine facile intelligi posse dicimus, tum aliud nihil volumus, quam percipi atque apprehendi, adhibita sola recta ratione, posse, quæ sit verborum, quibus sensus isti necessarii expressi sunt, tum qui sint, tum quod necessarii sint, mens atque sententia. Intelligentiam itaque sive καθάληψιν hanc distinctam omnino esse volumus, ab ipsa sensuum prima inventione sive excogitatione, qua fiat, ut homo proprio Marte suo sensus istos excogitare, &, sine ulla prævia revelatione, ex ingenio & industria sua naturalibus viribus depromere possit. Hoc enim uti plane impossibile esse statuimus omni mortali homini, ita illud, non possibile tantum, sed facile omni ac cuivis homini, ratione recta utenti, esse credimus, adeo ut si quis sensus necessarios verbo expressos non intelligat, per solam ejus voluntariam & vincibilem culpam, quin & latissimam culpam id fieri atque accidere necesse sit.

*Quinto*: Quando sensus omnes necessarios à quovis homine facile posse intelligi dicimus, eo ipso significatum nolumus, sensibus istis jam intellectis perceptisque, fidem & adsensum à quolibet homine facile, aut æque facile adhiberi posse. Aliud enim est credere, aliud intelligere. Ad intelligentiam sensuum perspicuorum, nihil aliud necessarium est, quam vis apprehendendi & percipiendi verba, quibus clarè & significanter sensus isti expressi sunt. Ea vis naturalis est, & omnibus ratione recta aut sana præditis communis in omni statu. Ad fidem vero sive ad adsensum sensibus intellectis adhibendum, sola ista vis non sufficit, sed animus insuper probus ac docilis requiritur, non quod ab illo vis sive potentia credendi adsentiendique sit, sed quod vis credendi adsentiendique absque illo frustra sit; attestante ipso Christo Jesu, *Joan.* V. 44: *Quomodo vos credere potestis, qui alii ab alio gloriam quæritis?* & alibi passim, imprimis *Joan.* VI. 45: *Quisquis ergo audivit à Patre, & didicit*, (is) *venit ad me.* & VIII. 47: *Qui ex Deo est, verba Dei audit. propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Vide etiam *Joan.* III. 20. 21. & X. 26. & XII. 39. 40. collato cum *Act.* XXVIII. 26. & *Act.* XIII. 48: & 2 *ad Thess.* III. 2.'

*Falsus controversiæ status.*

Ex his ita indicatis, apparet, statum controversiæ rectè à nobis in prima nostra thesi constitutum esse. Eum vero non recte constitui ab iis, qui quæri ajunt;

I. An Scriptura Sacra absolutè & in se considerata non sit clara, perspicua, ac dilucida? Quis enim id quærat? imo quis id asserat, si eam claram, dilucidam, ac perspicuam esse non intelligat? Nemo Solem clarum, aut lucem perspicuam adserere potest, nisi claritatem Solis, & lucis perspicuitatem viderit. Cæco, Sol etiam clarus non est.

II. An Scriptura Sacra quoad nos, tota quanta est, adeo sit clara ac perspicua, ut ab omnibus nobis in omnibus sensibus suis facile intelligi possit? Quis enim id asseruerit nisi stolidus?

III. An necessarii S. Scripturæ sensus, clari sint & dilucidi iis, qui per Spiritum Dei Sanctum collustratam mentem habent? Quis enim de eo dubitet? Hoc sensu Scriptura tota, quanta quanta est, clara est ac dilucida.

IV. An Scriptura S. adeo perspicua ac clara sit, ut quæcunque continent fidem & mores vivendi, spem scilicet & caritatem, apertè adeo in Scripturis posita inveniantur, ut ea omnes pro vocatione & fidei mensura dijudicare & salutariter sibi applicare possint? Hæc enim quæstio plane extra oleas & statum controversiæ est, imò ipsum controversiæ statum subvertit. Extra oleas est, quia de nuda sensuum intelligentia quæritur, non verò de sensuum intellectorum per adsensum appropriatione, & per fidem dijudicatione. Subvertit vero statum totum, quia non obscure innuitur, dimensio specialis alicujus gratiæ (quæ vocatio dicitur) & fidei mensura opus esse, priusquam Scripturæ Sacræ sensus, ad salutem necessarii, spirituali evidentia quasi cognosci & intelligi possint. Specie verborum tegitur genuinus status, veluti fuco, ne transpareat, atque ita indirectè subvertitur.

*Primum argumentum pro Scripturæ perspicuitate. Loca testantia de perspicuitate Legis.*

Thesin itaque nostram his rationibus adstruimus: Prima ratio est; quia ipsa Scriptura S. multis locis sibi ipsi testimonium præbet suæ perspicuitatis & evidentiæ, tum respectu Legis veteri populo latæ, tum respectu Euangelii, quo Novum Fœdus comprehenditur.

Respectu Legis *Deut.* XXIX. 29. *Hæc nobis & filiis nostris sunt revelata, ut faciamus omnia verba Legis hujus.* & *cap.* XXX. 11: *Hoc mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, non est occultum à te, neque remotum est. Non in cælo est, ut dicas, Quis ascendet* (pro) *nobis in cælum, ut tollat illud nobis, & recitet nobis illud, ut impleamus illud? Neque trans mare est, ut dicas, Quis transfretabit* (pro) *nobis mare, ut adferat illud nobis, & recitet nobis illud, ut impleamus illud? Sed propinquum est tibi verbum valde, in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illud. Psal.* XIX. 8: *Lex Domini perfecta, convertens animam; testimonium Domini fidele, sapientem efficiens parvulum. Præcepta Domini recta, lætificantia cor; præceptum Domini purum, illuminans oculos. Psal.* CXIX. 105: *Lucerna pedi meo verbum tuum, & lumen semitæ meæ. Proverb.* VI. 23: *Quia lucerna* (est) *mandatum, & Lex lux.* 2 *Pet.* I. 19: *Et habemus firmiorem sermonem Propheticum, cui rectè facitis quod attendatis, veluti lucernæ splendenti in obscuro loco.*

*Responsio ad exceptiones Bellarmini.*

Loca hæc clariora sunt, quam ut exceptione ulla obscurari possint. Nec habet sane quod iis objiciat Bellarminus, nisi hæc duo: 1. In locis istis, saltem in loco illo notabili qui citatus est ex *Deuter.* XXX. 11: non agi nisi de Decalogo, cujus præcepta, quia sunt naturalia, facile intelligantur. At contra est: Agitur de tota Scriptura, sive de mandatis omnibus populo veteri datis; quia *versu* 16, disertè sub iis quæ *hodie*, id est, tum præcipiebat Moses Dei nomine præcepta, statuta & judicia Dei comprehenduntur: quibus tribus universa Veteris Fœderis Scriptura continetur. 2. quia istud mandatum propositum dicitur, cujus observationem vita, bonum & benedictio populi totius; & cujus transgressionem mors, malum & maledictio secutura dicitur populi totius: & quidem mansura ac duratura semper in terra ipsa Canaam: *vers.* 15. 16. 17. 18. 19. 20. Atqui Decalogi solius observatio populo toti in terra sancta non sufficiebat ad vitam, & ad benedictionem à Deo promissam consequendam; sed cæterorum etiam cæremonialium & judicialium præceptorum observatio requirebatur, uti passim liquet: & ex eo ipso fundamento, quod ponit Bellarminus, non obscure colligitur, quòd alioquin Judæorum & gentilium eadem fuisset ratio in consequenda vita & benedictione populo Israelitico promissa: videlicet per observationem præceptorum istorum quæ naturalia sunt, qualia Decalogi præcepta (rectè an secus jam non disputo) omnia esse asserit. Naturalia enim præcepta ex æquo ad omnes homines pertinent.

2. Bellarmini exceptio, quæ ad omnia allegata loca spectat, est: Scripturas quidem omnes Veteris Fœderis dici lucidas, imo lucernam & lucem; sed non idcirco quod facile intelligantur, sed quod intellectæ cum fuerint, mentem illustrent & hominem dirigant in operando. At 1. Si hoc dumtaxat sensu Scripturæ dicerentur lucidæ, tum obscurissima quæque somnia, visiones, vaticinia, ænigmata, allegoriæ, parabolæ, & intricatissima quæque, Ezechielis, Danielis, Apocalypseos mysteria, lucida & lux pari jure vocari possent; quia ea intellecta & cognita, mentem illustrant. 2. Ex textibus omnibus liquet, Scripturas omnes, lucidas & claras, non isto proprie, nedum isto dumtaxat sensu, dici, sed propriissimè, atque imprimis ratione mentis atque intellectus, quod cognosci atque intelligi haud difficulter possent à populo toto, si modo animum ad eas adverteret. Nam de Scripturis istis agitur, quæ præcepta continent, & præcepta obvia, quæ cælitus aut aliunde conquiri non est necesse, ut de novo recitentur, tanquam inaudita & incognita, sive non intellecta, & quæ eo fine dantur, ut præstentur, quæ denique præstari jubentur sub vitæ & benedictionis promissione mortisque ac maledictionis comminatione. Præcepta autem ista lucida dicuntur, non occulta, non remota, prope in ore & in corde esse, quia intellectu facilia & præstitu non erant gravia. Si enim lucida tantum dicerentur, quia intellecta mentem illustrant, primæ ac justissimæ exceptioni locus reliquus manssisset in populo. At obscura sunt; non intelligimus præcepta. Atque huic Mosen occurrere voluisse in loco isto nobili, & Davidem in Psalmis suis occurrere, ratio ipsa statim credere jubet. Quid enim juvat docere præcepta intellecta illuminare mentem, si non prædicas aut præsupponas præcepta intellectu esse facilia? aut saltem ita clara ac perspicua ut intelligi possint? Tum, quæ vis inest orationi isti, qua præcepta ista propinqua ac non occulta nec remota esse dicuntur ad persuadendum ut ea præstentur & impleantur, quando scilicet intelliguntur, nisi addas ea clara esse ut intelligi possint? Addit quidem Bellarminus, Judæos facile potuisse præcepta ista scire, quia Mosem ea explicantem audiverant, & confessi fuerant se percepisse omnia, & promiserant se ea observaturos. At explicationis istius à Mose factæ nullum in textu indicium est, tantummodo traditionis sive repetitionis à Mose factæ mentio fit *Deut.* V. 27. & quidem eorumdem omnium quæ ipsi dixerat Jehova, & quatenus ea dixerat, quæ deinde à Mose perscripta sunt; prout ex eo apparet, quod Moses semper populum commonefaciat Legis divinæ istius, quam ex ipso Dei ore audiverant in Horeb, & Deus statim post Legem istam à se traditam non dicat, Quis det ut populus Legem istam meam intelligat? sed, quis det ut sit cor eorum istud illis ut timeant me, & custodiant omnia præcepta mea omnibus diebus, ut bene sit illis & filiis eorum in seculum? q. d.

Certum enim est eos præcepta Legesque meas bene intellexisse & percepisse, adeo ut nihil restet, quam ut eas præstent & secundum eas vivant. Loquitur autem non de sola illa Lege in monte lata, sed de omnibus præceptis, statutis & judiciis suis Deus, uti ex *vers.* 31. 32 liquet; quæ eadem prorsus ratione custodiri jubet quemadmodum ipse ea iis præceperat.

*De Davide petente Psalm. CXIX. sibi dari intelligentiam Legis divinæ.*

Contra, inquies, facit quod David ipse à Deo sæpe petat, ut *docere ipsum* velit *statuta & judicia sua*: *Psal.* CXIX. *vers.* 12. & *revelari oculos suos ut adspiciant mirabilia Legis divinæ vers.* 18. *non abscondi à se præcepta Dei*: *vers.* 19. *Viam*, inquit, *præceptorum tuorum fac me intelligere, & meditabor in mirabilibus tuis*: *vers.* 27. item, *doce me Domine viam statutorum tuorum, & custodiam eam usque in finem. Da mihi intelligentiam, & custodiam legem tuam, & custodiam illam toto corde*, &c. Resp. Fieri non potest, ut credamus Davidem istis in locis à Deo petere primam ac simplicem divinarum Legum statutorumque intelligentiam, propterea quod ea obscura ipsi essent, & intellectu difficilia; quia passim in toto illo Psalmo de se ipso fatetur, quod ea non modo plane satis pleneque intelligeret, ex iis intelligentiâ sibi comparasset *præ docentibus omnibus, præ senibus ipsis*: *vers.* 104. 99. 100. quod *lucerna pedi ejus, & lumen semitæ ejus essent*: *vers.* 105. quod *viri consilii ejus essent*: *vers.* 24: sed quod *ea etiam custodiret, ab iis non recederet, ea omnia labiis suis enarraret, in iis præstandis gauderet toto corde ut in omnibus divitiis*: *vers.* 14. *præ auro & obrizo ea diligeret*: 127. adeoque *omnia præcepta omnium* (præceptorum legis) *recta esse censuisset.*

Quid ergo petit David, inquies? Ego sic existimo, Davidem *primo* orare ac petere à Deo experimentalem divinæ Legis intelligentiam, id est, ut posset Legis divinæ, quam optimè intelligebat & fidelissime observabat *vir secundum cor Dei*, adeo ut *faceret quod rectum erat in oculis Domini, neque declinaret ab ullo eorum quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ suæ, præterquam in re Uriæ Hittæi*: 1 *Reg.* XV. 5. sive potius promissionum ac comminationum quibus Lex Dei sancita erat, effectum sive experimentum, tum in se, tum in hostibus suis, oculis suis coram videre atque intueri. In se, per liberationem sui manifestariam ab insidiis, vi, & persecutionibus hostium suorum, quibus subinde, tanquam si Legis divinæ transgressor esset, premebatur & obruebatur. In hostibus suis, per punitionem & extirpationem eorum, tanquam Legis divinæ contemtorum & Dei inimicorum, juxta comminationes divinas, quibus Lex sancita est. Harum, inquam, tum promissionum tum comminationum divinarum, quibus legem divinam sancitam esse optime sciebat, quia exemplum & experimentum nec in se ipso, nec in hostibus suis manifestum ac clarum satis videbat propheta ac Rex divinus, hinc orat supplex Deum, ut oculos suos illuminet, per exemplarem sui ipsius liberationem, & hostium suorum oppressionem; ut sic quam veræ ac certæ sint divinæ ejus tum promissiones, tum comminationes, oculis suis intueatur, ac reipsa coram experiatur; uti passim ex Psalmo hoc toto aliisque patet. *Fere consumserunt me* (inimici persequentes me,) inquit *vers.* 87. 88. *in terra. Ego tamen non dereliqui præcepta tua. Vivifica me & custodiam testimonium oris tui.* & *vers.* 115. 116. 117: *Recedite à me maligni, & custodiam præcepta Dei mei. Confirma me secundum verbum tuum & vivam, & ne pudore afficias me ab exspectatione mea. Sustenta me & servabor, & delectabor in statutis tuis semper. vers.* 124: *Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam, & statuta tua doce me. Servus tuus sum, da mihi intelligentiam, & sciam testimonia tua. Tempus faciendi* (est) *ô Jehova. Nam dissipaverunt legem tuam. vers.* 132: *Aspice ad me, & miserere mei secundum consuetudinem tuam erga diligentes nomen tuum. Gressus meos dirige, & ne dominetur mihi ulla iniquitas. Redime me ab oppressione hominum, & custodiam præcepta tua. Faciem tuam fac lucere super servum tuum*, (id est benevolentiam tuam in me liberando ostende mihi,) *& doce* (sic scil. aut sic docebis) *me statuta tua*, (certa scilicet ac fidelia esse.) Vide etiam *versus seqq.* 39. 40. 41. 42. 43. *vers.* 50. 51. 52. 53. *vers.* 61. 74. 75. 76. 77. 78. *vers.* 81. 82. 83. 84. *vers.* 169. 170. 171. Magna sane claritate Legem Dei intelligit, & magnam causam habet legi divinæ alacriter adhærendi, qui experiundo sentit ac discit, observationem Legis in sua propria persona promisso præmio compensari, & negligentiam ejus statuta pœna puniri aut castigari. Contra, non levibus subinde hæsitationibus, dubitationibus & suspicionibus urgetur atque inquietatur, an videlicet Legi divinæ alacriter adhærere debeat, etiam cum optime eam intelligit, qui vim promissionum & comminationum divinarum in se ipso non experitur, contrariaque fere omnia sibi, licet divinæ Legis retinentissimo, evenire videt: non quod sensum legis divinæ non intelligat, sed quod sensus istius, quem optime intelligit, effectum nullum reipsa persentiscat.

*Secundò*, existimo dici posse Davidem orare Deum pro intelligentia divinæ Legis, non theoretica sive speculativa, sed practica; sive potius, pro auxilio & gratia divina, contra varia impedimenta & obstacula, per quæ fieri facile poterat, ac forte subinde fieri sentiebat, ut Legem divinam ob oculos sibi non poneret, atque ita Legis divinæ notitia quasi careret, facileque hic illic, cæci instar, errantisque sine lucerna ac lumine, impingeret. prout manifeste apparet ex variis istius ipsius Psalmi locis. *vers.* 35: *Deduc me* (ait) *per semitam mandatorum tuorum, quia in ea est beneplacitum meum. vers.* 10: *Toto corde meo exquisivi te; ne finas me errare à mandatis tuis. vers.* 5: *utinam firmentur viæ meæ ad custodiendum statuta tua. vers.* 8: *statuta tua custodiam: ne derelinquas me diutius. vers.* 19: *Advena ego sum in terra: ne abscondas à me præcepta tua. vers.* 36: *Inclina cor meum ad testimonia tua, & non ad avaritiam. Averte oculos meos ne videant vanitatem.* & *vers. ult. Erravi sicut ovis quæ perit; quære servum tuum, quia mandatorum tuorum non sum oblitus.* Hunc illuminationis modum agnoscit ipse David, quando per ea quæ sibi à Deo evenerunt, adversa ac tristia, se revocatum fatetur ab errore viarum suarum, & didicisse quasi de novo statuta Dei, reputando vias suas & convertendo pedes suos ad Dei testimonia. *vers.* 67: *Priusquam humiliarer ego errabam; nunc autem eloquium tuum custodio. vers.* 71. *Bonum mihi est quod adflictus fuerim, ut discam statuta tua. vers.* 58. *Deprecatus sum faciem tuam toto corde; miserere mei secundum eloquium tuum. Reputavi vias meas & converti pedes meos ad testimonia tua. Festinavi & non tardavi custodire mandata tua.* Et sane ita est. In vita humana tot evenire atque accidere homini possunt, prospera, adversa, tristia, læta, per quæ affectus ejus adeo aut voluptate acuuntur, aut dolore obtunduntur, ut mens obnubilata vix officio suo fungi possit in voluntate recte dirigenda, atque idcirco voluntas, veluti cæca, abripiatur sæpenumero perturbatorum affectuum vi extra limites officii sui, nisi fræno aliquo novo coërceatur, atque ita ad se veluti reducta, aciem deinde mentis acuat occupetque ad affectuum nebulas discutiendum, & veritate rerum introspecta pristinum fidei ac spei vigorem recipiendum. Hoc frænum, Spiritus divini auxilium est, à quo Deus voluntatem nostram pendere semper vult, quodque idcirco adsiduis ab eo precibus ambiendum atque efflagitandum est; imprimis, contra occasiones subito occurrentes, contra vehementes adfectuum ἐμφὰς & ebullitiones, subinde ex tristium lætorumve sensu irruentes, contra hæsitationes & dubitationes, non raro, aut ex judicii imbecillitate, aut ex rationum quarundam probabilitate, aut ex divinorum judiciorum operumque incomprehensibilitate, aut ex inadvertentia nimiave credulitate enascentes & nos affligentes; denique contra infirmitates, uniuscujusque sive temperamentum, sive morbum, sive grave ac molestum vitæ statum, sive muneris officiique ardui conditionem consequentes. Hæc enim sunt præcipua impedimenta, per quæ fieri facile potest, ut homo impos sui fiat, & voluntas ejus aut abstrahatur aut distrahatur, ne mentem occupet in rerum divinarum, veritatis, officiique sui seria meditatione; utque proinde istis irretita & intricata, non aliter agat quam si mentem illuminatam ante se non haberet. Auxilium itaque Spiritus divini, quod auxilium illuminationis dicitur, & precibus à se Deus impetrari vult, non tam est auxilium novi luminis, quod menti à Deo infunditur, (lumen enim istud in mente ejus qui precatur jam est) quàm auxilium sive frænum voluntatis, quo voluntas ita in officio suo continetur contra impedimenta ista, ac si mens perpetuo illuminata esset, & adsiduo intenta ductui ac regimini voluntatis; uti suo tempore pluribus cum bono Deo demonstrabimus. Non quod negemus fieri posse, ac fieri interdum solere, ut Deus aliquando ad preces piorum novum lumen accendat, aut lumen quod in iis jam est enubilet atque exsuscitet: Absit. Sed quod præcipua ac potissima Spiritus divini operatio circa voluntatem eorum versetur, eo quo diximus modo. Hactenus ergo evicimus, Scripturam S. respectu Legis ipsius, perspicuitatis atque evidentiæ testimonium sibi ipsi præbere.

*Loca testantia de perspicuitate Evangelii.*

Respectu Euangelii Scripturam S. sibi idem testimonium præbere non minus apertum est: quia Euangelium, sive Christum Euangelium suum docentem, passim *lucem* vocat, uti & Apostolos Euangelii Christi præcones. *Joan.* I. 4, de Christo quatenus Euangelii primus author erat, dicitur, *In ipso vita erat: & vita illa, erat lux illa hominum.* &, *lux in tenebris lucens*: *vers.* 5. quamque *tenebræ non comprehenderunt*, id est aut comprehendere noluerunt, cum possent ac deberent eam comprehendere; aut, *non suppresserunt*, id est supprimere non potuerunt, quamquam supprimere eam totis viribus adnitebantur. *vers.* 9: *Lux illa vera, quæ illuminat omnem hominem venientem* (vel, *veniens*) in hunc mundum; id est, ad illuminandum omnem hominem, illuminationis capacem, idonea ac sufficiens. *Joan.* III, 19: *Lux quæ venit in mundum. Joan.* VIII. 12: *Lux illa mundi*, quam *qui sequitur, non ambulat*

*bulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Joan.* XII. 35.36. & XIII.46. *lumen gloriæ Christi, qui est imago Dei:* 2 *ad Corint.* IV. 4. quod splenduit in cordibus Apostolorum, πρὸς φωτισμὸν τῆς γνώσεως τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ ἐν προσώπῳ Ἰησοῦ χριστοῦ: *vers.*6. qui propterea etiam ratione prædicati istius Euangelii nomine Christi, *lux gentium* dicuntur, *Act.* XIII. 47. *ad aperiendum oculos earum, & convertendum eas a tenebris ad lucem, & a potestate Satanæ ad Deum: Act.* XXVI. 18. quodque adeo clarum fuisse ait Apostolus, 2 *ad Corinth.* IV. 2: ut *apud omnem conscientiam hominum*, (minime scilicet malorum malevorumve) eluceret, eique convincendæ sufficeret. Addit enim *vers.*3.4: *Quod si tectum est Euangelium nostrum, in qui pereunt tectum est; in quibus Deus hujus sæculi excæcavit mentes, nempe in infidelibus, ne irradiet eos lumen Euangelii gloriæ Christi.* Nec mirum. Per illud ἐπιφάνη *illuxit gratia illa Dei,* ἡ σωτήριος, *quæ salutaris* vel salutifera *est,* πᾶσιν ἀνθρώποις, *omnibus hominibus,* παιδεύουσα *erudiens nos* (puerorum instar) *ut abnegata impietate & mundanis cupiditatibus* (valere jussis) σωφρόνως *prudenter*, vel, *temperanter, juste, & piè vivamus in præsenti sæculo; expectantes beatam illam spem & illustrem illum adventum gloriæ magni illius Dei, ac Servatoris nostri Jesu Christi,* &c. *Ministerium Spiritus:* 2 *ad Corint.* III. *vers.* 6. 7. 8. per quem dicitur Deus retexisse Apostolis suis ea omnia, *quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in mentem hominis venerunt*, (id est, quæ nemo antea aut ipse excogitare, aut ab aliis mortalibus accipere potuit.) *Spiritus enim scrutatur omnia*, (id est, omnia scrutantium instar explorata ac perspecta habet,) *etiam profunditates Dei*, id est, arcana liberrimæ Dei voluntatis; quia nihil profundius in Deo esse potest, quam liberrimæ Dei voluntatis propositum. Nec hoc tantum, sed per quem etiam eadem illa locuti sunt Apostoli, *non sermonibus, quos docet humana sapientia, sed quos ipse ille Spiritus eos docuerat: vers.* 13. quos eosdem deinde ab iis scriptos esse manifestum est ex supradictis, & ex ratione clara, quia ejusdem Spiritus instinctu, quo docuerunt, scripserunt quæ ad salutem Ecclesiarum scitu necessaria erant.

*Responsio ad objectionem ex loco* 2 *Pet.* III. 16. *in Epistolis Pauli esse quædam difficilia intellectu.*

Contra, inquies, facit, quod Apostolus Petrus ipse adferat 2 *Epist. cap.* III. 16, *in Epistolis Pauli esse quædam* δυσνόητα, *quæ indocti & instabiles detorquent, uti & reliquas Scripturas, ad suum ipsorum exitium.* Resp. Id contra nos non facit, quia non repugnant. In Epistolis Pauli esse δυσνόητα καὶ ἄλογα, imo plurima adeoque omnia scitu necessaria in iis esse δύσνοητα. Deinde, incertum est, an Petrus dicat in Epistolis Pauli esse δυσνόητά τινα; an vero in istis rebus, quæ pertinent ad adventum Christi & conflagrationem universi hujus, de quibus egerat Petrus, dicat esse δυσνόητά τινα. Verba enim ista ὡς καὶ ἐν ταῖς, manifestè referuntur ad proxima verba ὡς ἐν πάσαις: quia ad Epistolas, quæ vox fœminini generis est, referri non possunt, nisi enallagen generis facias, quæ, licet inusitata non sit Scriptoribus sacris, tamen sine gravi caussa ut admittatur, necesse non est. Quamquam quod ad me attinet, haud gravate eam hic admiserim; partim, quia eodem res tandem recidit, eo quod Petrus istas ipsas etiam res Pauli Epistolis contineri dicit, sive Paulum de istis in omnibus fere Epistolis suis loquutum esse ait; partim, quia statim addit Petrus, ὡς καὶ ταῖς λοιπαῖς γραφαῖς: quasi dicat, non tantùm Pauli scriptas Epistolas, sed etiam cæteras Scripturas, id est, cætera δυσνόητα quæ in aliis Scripturis occurrunt. De manifestis enim clarisque Petrum loqui nequaquam verosimile est. Ea enim detorqueri sine magno periculo non poterant, ac proinde, ut aliqui ea detorquere vellent, non est credibile. Per ἀμαθεῖς autem καὶ ἀστηρίκτους, intelligit Petrus non indoctos, ineruditos, aut rudes literarum sive idiotas & Laicos; sed homines nulla aut levi admodum rerum necessariarum cognitione imbutos, & ingenio tantum suo abutentes in rerum non necessariarum aut abstrusarum reconditarumque scrutinio & ventilatione, ad ostentationem & pompam, vitæ interim suæ ac salutis securi ac prodigi, cujusmodi inter literatos & eruditissimos non pauci, si non plurimi, ubique & omni ævo esse solent. Et hi fere sunt ἀστήρικτοι, qui levi momento nunc in hanc nunc in illam partem fluctuant, & quod ingenio, moribus studiisque suis, licet parum castigatis, accommodatum vident, mordicus arripiunt, &, tanquam si in eo prora ac puppis salutis suæ versaretur, amplectuntur & depereunt; quod quia in rebus arduis & δυσνοήτοις cum specie aliqua zeli & studio veri fieri potest, hinc est, quod de iis Petrus ait, eos pervertere ista ad suum proprium exitium; quia aut necessaria non curant, dum in istis scrutandis nimium occupantur; aut in istis scrutandis eo animo ac fine occupantur, ut habeant, vel quod securitati rerum necessariarum obtendant, vel quo nequitiam suam alant ac foveant, vel quod apostasiæ & defectioni suæ à tota Christi religione prætexant, homines cothurno versatiliores. Videtur enim Petrus hoc postremum indicare *vers. sequente*, cum ait, *Cavete, ne illorum* ἀθέσμων πλάνῃ *abducti excidatis à propria stabilitate*, id est, stabili illa, quam hactenus demonstrastis, professione Religionis. Per ἀμαθεῖς itaque intelliguntur non indocti proprie, sed qui, vel non discunt, vel discere nolunt, vel discere non curant stabilem religionem, sed in omnem partem versatilem habent animum, sive docti sive indocti sint; quia iidem ἄθεσμοι, id est, ἄνομοι vel exleges vocantur, quales describserat *cap.* II. 7. & hoc eodem *cap. vers.* 3. ad eos enim respicere hic videtur Apostolus. Utcunque est, contrarium potius ex hoc Petri loco sequitur, quam quod ex eo objicitur; videlicet, Quia in Epistolis Pauli δυσνόητα ἄλογα sunt, quæ scitu necessaria non sunt; ergo cætera, aut plurima, quæ in iis sunt, εὐνόητα sunt, proinde dilucida ac perspicua, imprimis ea quæ scitu necessaria sunt.

## CAPUT XVII.

### Secundum & tertium argumentum pro Sacræ Scripturæ perspicuitate, inde petitum quod Deus ab omnibus eam legi vult, & ei fidem adhiberi.

*Secundum argumentum pro Scripturæ Sacræ perspicuitate, quod Deus eam legere omnes jubet.*

SEcunda ratio nostra est: Quia passim in Scriptura occurrunt expressa Dei mandata, quibus non Sacerdotes duntaxat & Levitæ, sed universus populus Scripturam S. legere aut audire jubetur: ut *Deut.* VI. 6. 7. & *Deut.* XXXI. 11: *Quum venerit universus Israel, ut appareat coram Jehova Deo tuo, in loco quem elegerit, leges legem istam coram universo Israele, in auribus eorum. Congrega populum, viros & mulieres, & parvulos & peregrinos tuos qui sunt intra portas tuas, ut audiant & discant, timeantque Dominum Deum vestrum, & custodiant faciendo omnia verba legis hujus. Et filii eorum qui non noverunt, audiant & discant timere Dominum Deum vestrum.* Speciatim ac nominatim Rex ipse id facere jubetur, adeoque sibi ipsi propria manu legem literatam scribere, quam penes se aut ante oculos suos positam semper habeat, & *in qua legat omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum*, ut custodiat omnia verba legis istius, & statuta, *ut faciat illa: Deut.* XVII. 18. 19. vide idem mandatum Josuæ datum: *Jos.* I. 7. 8. Atque hoc ipsum omnibus & singulis in populo imperatum fuisse, ex *Deut.* XXXI, 19, colligunt Rabbini, hodieque usitari apud eos certum est. Sane Esaiæ temporibus id usitatum fuisse non finit nos dubitare *vers.* 16, *cap.* XXXIV. *Requirite ex libro Domini, & legite*, &c. Similiter temporibus Christi, Scripturas legi solitas ab universo populo, manifestum est ex *Joan.* V. 39: *Scrutamini Scripturas*, &c. ex *Luc.* XVI. 29: ubi Abraham fratres divitis remittit ad Mosem & ad prophetas, id est, ad scripta Mosis & prophetarum, quæ legi & audiri jubet, ut inferni pœnas vitent. ex 2 *Pet.* I. 19. ubi recte facere eos dicit, ad quos scribit, quod *attenderent sermoni prophetico, veluti lucernæ splendenti in obscuro loco*; imprimis ex 2 *ad Timoth.* III. 15: uti Paulus Timotheum ἀπὸ βρέφους (*à puero*) *sacras literas novisse*, & *vers. præced.* didicisse asserit, idque non à patre suo, qui Græcus erat: *Act.* XVI, 1. sed ab avia sua Loide, & matre Eunice, in quibus *habitaverat fides*, quam commendat & imitandam proponit Apostolus Timotheo, 2 *Timoth.* I. 5. ut alia plura loca jam non allegem. Præter hæc mandata, & consuetudinem mandatis divinis convenientem, occurrunt in Scriptura testimonia complura, quibus *beati* prædicantur tum *qui interdiu ac noctu in lege Dei meditantur*: *Psal.* I. 2. tum *qui legunt & audiunt sermones prophetiæ, & servant quæ in illa scripta sunt*: *Apocal.* I. 3. & in quibus laudantur tanquam εὐγενέστεροι τῶν ἐν Θεσσαλονίκῃ Judæorum, Berrhœenses, quod scrutarentur quotidie Scripturas, an eæ sic se haberent, uti scilicet eas allegaverat Paulus: *Act.* XVII. 11. Ex his sic colligo: Deus Scripturam sacram ab omnibus & singulis promiscue audiri, legi, examinari, disci jubet: Deus audientes, legentes, examinantes, discentes eam, laudat ac beatos prædicat: ergo clara ac perspicua est. Ratio consequentiæ apud adversarios manifesta est, quia idcirco eam promiscue legi atque examinari vetant, quia obscuram eam esse contendunt; & per se liquet, quia sapientiam ac bonitatem Dei non decet, ut frustra aliquid præcipiat, nedum ut præcipiat, quod maximo potius damno ac detrimento per se esse potest, iis quibus præcipit, quam bono ac commodo. At frustra præcepisset omnibus legere, audire, examinare & discere, quæ intelligere non poterant; & damnose id præcepisset, si per lectionem, auditionem, & examen istud, longe facilius à veritate seu vera legis sententia abduci poterant, adeoque necessario abducendi potius erant in errores & hæreses exitiales, quam in rectam viam deduci, & ab errorum hæresiumque lethalium seu periculo seu contagio immunes præstari.

*Responsio ad exempla quæ afferuntur in contrarium, discipulorum Jesu Christi, & Eunuchi Reginæ Æthiopum.*

Nec contra faciunt exempla, quæ allegari solent ex *Luc.* XXIV. 45: ubi Christus *aperuisse* dicitur discipulis suis *mentem*,

*tem, ut intelligerent Scripturas*; & *Act.* VIII. 30: ubi Philippus Euangelista Æthiopem Eunuchum, Dynasten Candaces Reginæ Æthiopum, LIII Caput Esaiæ legentem, interrogasse dicitur, *nempe intelligis quæ legis?* & ille respondisse dicitur, *vers.* 31: *Quinam enim possim, nisi quis mihi præierit?* &c.

Nam exempla ista non agunt de Scriptura tota, aut de sensibus Scripturæ omnibus, sed de peculiaribus quibusdam sensibus, iisque, qui isto tempore scitu necessarii non erant; nempe, de sensibus ad Messiæ statum & conditionem pertinentibus, quæ tum sub involucro typorum verborumque ac phrasium prosopopæicarum volumine abscondebatur, Deo ita dispensante, usque dum Messias ipse adveniret, per quem typi isti implendi, & absconditi sub verborum involucris sensus revelandi & in lucem quasi educendi erant. Isti itaque sensus, eo ipso quod obscuri & absconditi essent, ut intelligerentur necessarium non erat. Sufficiebat ut in genere intelligeretur credereturque, Messiam venturum esse, & omnia annunciaturum revelaturumque quæ in Mose & prophetis de eo scripta erant; & qui id ex animo credebant, ii protinus divinæ per Messiam revelationi factæ adsentiebantur, & ad ei adsensum præbendum apti erant atque idonei; secus quam ii, qui typis istis, non aliter quam rebus ipsis expressis, mordicus volebant inhærere, & sensus sub illis contentos præjudicio potius suo aptare, quam ex ipso Messia addiscere malebant. Ex primo ordine fuit Æthiops eunuchus, qui sola Scripturarum reverentia ducebatur, & nullo adhuc de Messia præjudicio imbutus, statim Philippo locum Esaiæ exponenti, & Jesum sub involucro isto verborum designatum annuncianti, aurem præbuit fidemque adhibuit. Ex secundo ordine fuerunt, *tum* discipuli Jesu, quos non animus suus affectusve, (erant enim homines probi, & Dei Scripturarumque divinarum reverentes,) sed præjudicium, quo à teneris imbuti erant, inceptos reddiderat atque inidoneos ad intelligendum, quæ à Domino ipsorum Jesu, licèt apertè satis distincteque, de futura Messiæ conditione dicebantur: digni proinde, quorum mentem præjudicio isto aliquando exueret Jesus, ut Scripturas de Messia loquentes sub verborum typorumque involucris, sive potius intentionem mentemque Dei sub istis latentem, & in mysterio quasi absconditam, clarè perviderent atque intelligerent. *Tum* Pharisæi, Scribæ & refractarii omnes Judæi, quos non præjudicium dumtaxat suum inidoneos reddebat, ad Scripturas de Messia loquentes rectè intelligendum, sed animus etiam pravus, indocilis, & non minus opinione propria quam vitiis variis inflatus turgidusque, alienos prorsus reddiderat à Jesu, ita ut iis, quæ ab eo docebantur, nec aurem nec animum adhibere vellent, quasi scilicet certi persuasique, eum seductorem esse; quamquam ea, quæ faciebat admiranda opera, talia esse videbant, ut majora ac plura à Messia ipso expectanda non essent, adeoque digna satis propter quæ doctrina ejus ut divina admittenda videretur. Hos animus suus improbus insanabiles reddebat, ita ut præjudicium, quo tanquam velamine, in lectione Mosis & prophetarum, mens eorum obtegebatur, eximi ipsis non posset; quippe ei adeo præfractè ac pertinaciter inhærebant, & inhærere volebant, ut non modo non vita Jesu innocentissima, doctrina ejus sanctissima, monita ac responsa ejus prudentissima, ad quæ obmutescere non raro cogebantur, miracula pene infinita, & omni exceptione majora, quæque omnia mera erant beneficia, eximendo isti præjudicio sufficerent; sed isto ipso præjudicio animarentur ad sugillandum vitam Jesu purissimam, ad doctrinam ejus arrodendum, responsa ejus negligendum, & miracula ejus omnia calumniandum, quodque animi summe improbi apex erat, principis ipsius dæmoniorum virtuti ea adscribendum, uti passim in Euangeliis videre est. Summa est: Istis temporibus necessarium non erat, ut latens reconditusque sub verborum tegmine sensus divinus in prophetiis, de Messiæ statu futuro, intelligeretur; sed satis erat, ut verba acciperentur intelligerenturque prout jacent ac sonant, dummodo animus semper probus docilisque adesset, ad sensus divinos reconditos libenter admittendum recipiendumque ab eo, qui se Messiam divinæque voluntatis arcanæ fidelem interpretem esse irrefragabiliter demonstraturus esset.

*Tertium argumentum pro S. Scripturæ perspicuitate, quòd omnes teneantur illi credere.*

Tertia ratio nostra est quam ex natura rei desumimus. Omnes & singuli homines, ad quos Scriptura S. pervenit, obligantur ad credendum sive ad adsentiendum & obtemperandum sensibus omnibus ad salutem necessariis ea comprehensis, sub pœna æternæ mortis ac condemnationis. Ergo sensus isti necessarii, clarè, dilucidè ac perspicuè in ea expressi sunt, ut ab omnibus & singulis intelligi possint.

Antecedens non probo, quia utrimque illud in confesso est, & ratio ipsa id dictat verissimum esse ex terminis ipsis. Necessitas enim ratio obligationis est. Consequentia etiam ex terminis patet. Nemo obligari potest ad adsentiendum atque obtemperandum sensibus obscuris, incertis, dubiis, & controversis, quorum certam cognitionem atque intelligentiam habere non potest. Adsensus enim & obsequium sine certa scientia & intelligentia ejus, cui adsentiendum & obsequendum est, esse non potest. Adsensus enim mentis, sensum mentis requirit. Deinde, Nemo reus fieri potest pœnæ, nedum æternæ pœnæ, eo quod non adsentiatur aut non obsequatur sensui, quem intelligere non potuit quid sibi velit.

Excipies fortasse; Consequentiam hanc procedere, nisi aliud remedium datum sit, quo sensus Scriptura comprehensi elucidentur & perspicui reddantur. Tale autem remedium datum esse à Deo, videlicet Scripturarum interpretationem quæ per Ecclesiam fit, eaque posita, tum rectè dici, omnes ac singulos obligari ad sensibus istis adsentiendum & obtemperandum. Resp. 1. Frustra hoc excipi. Nam & hic sensus, quod videlicet Ecclesia aliqua sit, cui interpretatio sensuum Scripturæ infallibilis perpetuo sit commissa, necessarius sensus est, quem scire atque intelligere omnium ac singulorum interest. Hunc itaque sensum, aut volumus clarè, perspicuè, ac dilucidè Scriptura expressum esse, aut non. Si hunc clarè, perspicuè ac dilucidè expressum non esse volumus, necesse utique est, ut aliud tum remedium datum dicatur, quo sensum illum verum ac certum esse, clarè intelligamus, ac certò credamus. Atqui nullum tale dari potest, nisi in infinitum abeundo, remedium aliquod definitum dari posse credamus; quod absurdum est. Si sensum hunc volumus Scriptura S. perspicue ac dilucidè expressum esse, tum certè necesse est, ut eum clarè ac perspicuè ab omnibus ac singulis quorum interest, intelligi posse fateamur; quod non tantum est illud ipsum, quod nos volumus, sed etiam quod ad Thesin nostram confirmandum per se sufficit. Nam si hoc unum verum est, tum ut alius sensus ullus clarus ac perspicuus omnibus ac singulis esset, necessarium non esset. Cæteri enim omnes sensus, præter istum unum, quantumvis obscurissimi, ex ipsis Scripturis petendi non essent, sed ab interpretibus istis, quibus cura eos elucidandi data esset; imo satius fuisset nullam Scripturam extare, aut saltem nullam aliam, quam hanc, *Ecclesiam audite*. Quorsum enim Scripturæ tot obscuræ, unde tot controversiæ, tot lites, tot dissensiones, tot quæstionum examina nasci possunt, & enata jampridem sunt, cum tanto Ecclesiarum periculo & tot animarum damno? Sed vero addo 2. absurde hoc excipi, 1. quia remedium tale à Deo datum esse, non modo non probatur ex Scripturis, sed contra ex Scripturis non obscurè probatur, remedium tale à Deo datum non esse, eo ipso quod Scripturas Deus ab omnibus & singulis legi & expendi, in Scriptura jusserit. Scripturæ vero loca, ex quibus remedium istud à Deo datum esse colligitur, adeo sunt ad minimum obscura, ut à nemine, nisi ab alienæ libidinis mancipio, aut mentis suæ impote, eò trahi possint. 2. quia si remedium tale Deus dare voluisset, remedium utique dedisset, quod plenum perfectumque esset. At remedium plenum perfectumque non est, si dicat, uti dixisse creditur ab adversariis, Ecclesiam veram ejusque interpretationem audiendam esse; nisi etiam addat, quæ & ubinam Ecclesia ista vera semper futura sit, ut tutò & securè ab omnibus & singulis adiri possit. Quid enim juvat scire judicem aliquem, aut medicum in terris esse, qui litium omnium dirimendarum, & morborum omnium curandorum remedia penes se habent, nisi qui & ubi illi sint sciatur? 3. Quia posito omnino, Deum in Scripturis S. apertè ac dilucidè dixisse, Ecclesiæ veræ interpretationem in sensibus difficilibus intellectu & obscuris sequendam esse, aliunde tamen constare certò non potest, quæ sit Ecclesia vera, quam ex ipsis Scripturis sacris. Vera enim Ecclesia esse non potest, nisi quæ salutarem veritatem amplectitur & profitetur. At quæ salutaris veritas sit, aliunde quam ex Scripturis Sacris intelligi non potest. Ex quo 4. consequitur, nullo modo verisimile esse, Deum tale remedium dare voluisse; quia eo ipso omnes ac singulos negligentes ac securos reddidisset, ut de salutari veritate inquirenda solliciti non essent, atque ita præcepta sua omnia de probandis omnibus & retinendis quæ bona sunt, de probandis spiritibus an ex Deo sint, de legendis scrutandisque Scripturis, prorsus enervasset. Quorsum enim exploret, scrutetur, ac probet aliquis operosa cura atque indagine, ea quæ ex alieno infallibili judicio dependent? Quid ambagibus molestis opus est, ubi rectâ ire licet? & quis adeo fatuus est, ut se ipsum torquere velit superfluis laboribus? & quis non supersedeat lubens ab istis curis, quas non multo post videre potest, non inutiles modo, sed noxias sibi fuisse? Nemo incerta, nedum periculosa, medici ullius experimenta quæret, qui certam medicinam in promtu habet.

CA-

## CAPUT XVIII.

### Quartum ejusdem rei argumentum, inde petitum quod nulla obscuritatis Scripturæ ratio reddi possit.

*Quartum argumentum pro S. Scripturæ perspicuitate, quod nulla cur de ea dubietur ratio afferri possit.*

QUarta & ultima ratio est: Si sensus S. Scripturæ ad salutem necessarii non sunt clari ac perspicui, tum necesse est ut caussa ejus sit, vel in ipsis sensibus, vel in iis, quibus sensus isti proponuntur. Neutrum dici potest. Ergo. Consequentia per se clara est; quia ratio obscuritatis omnis, est, vel ab objecto, vel ab eo, cui objectum offertur. Medii enim ratio hic locum non habet, quia medium inter objectum & intellectum, sive hominem qui intelligere debet, nullum est. Modum enim propositionis sensuum, sub ipsis sensibus propositis comprehensum nos velle, ex tertia nostra præsuppositione patet. Minorem sic probo. Si caussa obscuritatis sensuum necessariorum in ipsis sensibus est, quoad sensus ipsos, tum sensus isti semper & ubique obscuri erunt, nec erit, qui eos in se claros reddat ac perspicuos. Quod enim in se & per se tale est, id aliter esse non potest, nisi accedat mutatio, ut ita dicam, substantialis; qua fiat, ut id quidem non aliter sit quam est, sed ut aliter aut aliud fiat quam est. Si quoad modum proponendi, tum ratio obscuritatis erit à parte proponentis Dei, quod vel non potuerit vel non voluerit sensus istos clare proponere. At utrumque hoc jam antea redarguimus. Si caussa obscuritatis dicatur esse in iis, quibus sensus isti proponuntur, tum necesse est ut dicatur, caussam ejus rei esse, *vel* voluntariam eorum culpam, qua fit ut sensus istos intelligere aut nolint, aut non curent. At sic Scripturam dicere obscuram esse quibusdam, est reipsa agnoscere, Scripturam claram ac dilucidam esse, eo quod præsupponatur, eos qui eam aut nolunt aut non curant intelligere, reipsa tamen ac facile posse intelligere. Nolitio enim locum habere non potest, quæ culpæ crimen in se habet, ubi mera impotentia est. Quis enim dicatur culpabiliter nolle, quod non potest velle? *vel* necesse est, ut dicatur, culpam esse naturalem, & inemendabilem sine speciali ac novo gratiæ irresistibilis lumine. At si ita se res habet, tum sane Apostoli promiscue docentes turbam, inconsulto docuerunt, & inconsideratè rudibus adhuc imperitisque Epistolas suas scripserunt, & nec parentes culpari, redargui, notarique sine caussa aut culpa eorum ulla voluerunt jusseruntque. Ecquis enim lucem offerat cæcis? ecquis cæcos lucem oblatam non videntes, culpet, accuset, aut redarguat? Atqui hæc omnia apertè fieri videmus in Scripturis. Ergo cur eæ claræ ac perspicuæ non sint, tum in se, tum iis quibus eæ proponuntur, nulla dubitandi caussa est.

*Responsio ad objectionem de obscuritate rerum quæ in scriptura habentur De Trinitate.*

Quæ contra hanc rationem excipi solent, ea, etsi multa sunt, tamen mihi nullius ponderis videntur. Omnia ista contraxit paucis Bellarminus, tom. 1. lib. 3. cap. 1. & quidem his duobus. In Scripturis, inquit, duo considerari possunt: Res quæ dicuntur, & modus quo dicuntur. Si res consideres, necessario fatendum est, ait, Scripturas esse obscurissimas. Hoc primum est quod nego, si de rebus creditu necessariis intelligatur. Atqui, ait, Scriptura tradit summa mysteria. Quæ, inquam, illa? Primo, ait, de divina Trinitate. Atqui ea, prout Scriptura tradit, nego obscura, nedum obscurissima esse. Addo, ea clara, perspicua, & facilia intellectu esse, prout & quatenus ea in Scriptura traduntur. Distinguo enim inter decreta Conciliorum, conclusiones Doctorum, Patrum (qui vocantur) sententias, & inter ea quæ Scripturis sacris expressa sunt. Ista dico fieri posse ut obscura sint, atque idcirco non necessaria. Hæc dico, quatenus & prout in S. Scriptura expressa sunt, intellectu esse facilia. Deum esse unum per se clarum est ex Scriptura; Patrem, Filium & Spiritum sanctum esse, non minus ex Scriptura clarum est. At qua ratione Pater, Filius, & Spiritus sanctus unum sint, clarum nobis ut sit, necesse esse nego, quia in Scriptura clarè expressum non est, necessarium nobis esse ut id clare intelligamus. Decreta ergo Conciliorum ut ut vera sint, iisque contradicere non velimus, tantum abest, ut idcirco admittenda esse credamus, quia Conciliorum, uti ajunt, universalium decreta sunt, ut contra, ea idcirco censeamus non admittenda esse, quia necessario ea credenda judicarunt sub anathematis interdicto, quæ ex Scriptura necessario credenda esse, probari nequit. Quod enim ex Scriptura probari non potest, id eadem facilitate à nobis rejicitur qua ab aliis asseritur. Secundum est, ait, de incarnatione Verbi. Atqui, inquam, ejus par est ratio. Incarnationis vocem etsi non rejicimus, quamquam ea in Scripturis non est, tamen de verbo incarnato aut incarnationis modo, ut aliud quid credatur, quam quod clare in Scripturis expressum est, necessarium esse pernego. Omnia quæ de mysterio isto extra Scripturæ claram atque apertam decisionem adseruntur, ea ignorari, & sine salutis jactura rectè aut perperam credi posse ajo. Quæ, tertiò, de natura Angelorum, de operatione Dei in mentibus humanis, de æterna prædestinatione ac reprobatione addit, ea futilia sunt. Angelorum naturam intelligere necessarium non est. Sufficit ut eos credamus esse *Spiritus administratorios, sive λειτουργικὰ πνεύματα, qui ministerii caussa emittuntur, propter eos qui heredes erunt salutis: Heb.* 1. 14. De operatione Dei in mentibus humanis nemo Christianus ambigit: de modo operationis Dei ut universe ac præcisè aliquid statuatur, nec necessarium nec possibile est. De æterna prædestinatione ac reprobatione, quemlibet in sensu suo, quem Scripturis optime accommodatum, adhibita omni diligentia, esse credit, abundare permittimus: dummodo sensu isto suo sibi ipsi obicem non ponat, quominus claris apertisque Scripturæ S. mandatis obtemperet, & aliis contra sentiendi libertatem, quantum in se est, non eripiat. Nec negare potest Bellarminus, fas esse ut id permittamus, qui in Ecclesia sua Romana, salvis tantum istis duobus, cuilibet de æterna Prædestinatione & reprobatione, prout videtur, sentiendi libertatem, ab ipso Pontifice indultam esse, hodieque indulgeri, non ignorat. Cætera mysteria quæ arcana & supernaturalia esse ait, quia nominatim non recenset, nos etiam non refellimus; quia, quænam ista sint, ignorare nos lubenter profitemur.

*De natura Angelorum, operatione Dei in mentibus humanis, & prædestinatione.*

Quod ad modum dicendi attinet, si eum consideremus, inquit, inveniemus innumerabiles rationes difficultatis. Quæro, an in sensibus omnibus ac singulis hominibus scitu necessariis? Hoc probandum est. Primò, sunt in Scriptura, ait, plurima quæ prima fronte videntur contraria, ut illud *Exod.* XX. 5: *Ego Deus zelotes, visitans peccata patrum in filios, in tertiam & quartam generationem*; & illud *Ezech.* XVIII. 20: *Filius non portabit iniquitatem patris: sed anima quæ peccavit, ipsa morietur.* Plura alia ἀναλογίαν allegare potuisset Bellarminus, quæ nuper Seraphinus Cumiranus Jesuita in tres tomos congessit; sed frustra fuisset. Nam omnibus ac singulis necessarium esse, ut loca ista, prima fronte pugnantia, sciant conciliare, quis dixerit, cum in conciliandis istis docti reperiant quo industriam suam exerceant? Certe nec id Bellarminus dixerit, utpote qui non ignorat, nullam unquam ejusmodi conciliationem in Ecclesia Romana factam esse, aut ut fiat, ab ea nec fas esse judicatum esse. Loca vero hæc duo quæ citat, necesse esse ut concilientur, nulla ratione probat. Nec possibile est ut probet, quia in illis agitur de ratione divinorum judiciorum, quibus Deus diversimode occupari dicitur circa posteros omnium ac singulorum peccantium. At 1. quid necesse est, ut nobis constet ratio divinorum judiciorum, qua circa alios, quam circa nos ipsos, occupari vult? Sufficere nobis debet, ut ista constet Deo nostro, cujus non est rationem nobis dare judiciorum suorum, quibus versari vult circa alios; dummodo nobis certo constet ratio judicii, quo circa nos occupari vult. Ea vero hic, ut ut loca, quod ad posteros nostros attinet, intelligantur, manifesta est, videlicet, Deum peccata nostra visitare velle, ac proinde ad nos ipsos procul dubio redundaturam peccatorum nostrorum pœnam; quod sufficit nobis ad locorum istorum similiumque intelligentiam, quanta quidem nobis ad salutem necessaria est. Interea an non facile, & qua ratione hæc loca conciliari possint, jam non disputo.

*De ἀναλογίαις quæ occurrunt in Scriptura, ut Exod. XX. 5. & Ezechiel. XVIII. 20.*

Secundo ait: Sunt verba & orationes ambiguæ, ut *Joannis* VIII. 25: petentibus Judæis, *Tu qui es?* respondit Christus, *Principium qui & loquor vobis.* Mirè enim torquent se hîc interpretes omnes, nec adhuc scitur quid illud sit, *Principium, qui*; & in Græco res est adhuc obscurior, ubi *Principium* est accusativi casus, τὴν ἀρχήν. Resp. verba & orationes ambiguas non raro occurrere in Scripturis SS. nemo diffitetur: sed ad salutem necessarium esse, ut earum sensus proprius ac genuinus ab omnibus intelligatur, id vero probandum erat. Si enim sensus necessarius iis non contineatur, quid refert, quo sensu illæ orationes accipiantur, dummodo sensus sit qui probabiliter iis aptari potest? imo quid refert, si quis profiteatur se nescire quis sensus istarum orationum sit, aut quem sensum eis aptare debeat? Dices: At subesse potest sensus necessarius scitu creditque. Resp. Esto, inquam: Ex eo nondum sequitur, orationem istam, cui sensus necessarius subest, scitu intellectuque necessariam esse, nisi dicas, sensum istum necessarium, ista una pluribusve orationibus similiter ambiguis dumtaxat contineri. Alioquin enim, si sensus iste necessarius alibi & pluribus aliis in locis clara ac perspicua oratione expressus exstet, frustra requiritur, ut orationes istæ ambiguæ, quibus idem ille sensus continetur, claræ sint ac dilucidæ. Sed & repugnat dicere, sensum necessarium ambiguis orationibus ejusmodi contineri;

*De verbis & orationibus ambiguis, ut Joannis VIII. 25.*

*De incarnatione Verbi.*

cum ambiguæ orationes tales ſint, ut eo ipſo, quia ambiguæ ſunt, ſenſus plures & non neceſſarios continere poſſint; uti in loco allegato manifeſtum eſt. Verba enim illa, πλὼ ἀρχὴ ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν, ſic accipi poſſunt *primò*, ut Chriſtus iis perſonæ ſuæ dignitatem, vel naturæ ſuæ excellentiam obiter indicare voluerit, uti quidam, imo plerique veteres ea accepiſſe videntur; recte an ſecus jam non diſputo. Sic accepta verba ſenſum continebunt neceſſarium; ſed quem neceſſarium eſſe, ex aliis claris dilucidiſque orationibus probari debet, aut conſtare poteſt. *Deinde* ſic accipi poſſunt, ut ſenſum contineant plane non neceſſarium, ſed meram tantum quandam interrogationem, ad redarguendum dumtaxat ſive ignorantiam ſupinam, ſive malevolentiam interrogantium, σὺ λέγεις εἶ; quaſi dixiſſet Chriſtus, Primum-ne utique etiam vos alloquor? vel ſi articulum πλὼ emphaticum eſſe velimus; hoc-ne principio utique etiam loquor vobis? id eſt, An jam primum? Qui ſic interpretantur, ii 1. orationem hanc Chriſti faciunt ἐρωτηματικὴν ſive interrogatoriam, quod cur fieri non poſſit, cauſſa nulla eſt. 2. voculam ὅτι, non legunt pro ὅ, τι per ὑποδιαστολὴν, pro, *quod*, pronomen, ſed ſimpliciter, prout Eraſmus Græcos omnes codices conſtanter legere aſſerit. 3. voculam καὶ non per pleonaſmum redundare volunt, ſed proprie & ad ſenſum clarius exprimendum additam ajunt. 4. particulam ὅτι volunt poſitam pro ὄντως, revera, certe, utique, equidem, ſicuti particula כִּי apud Hebræos & Helleniſtas non ſemper cauſſalis eſt particula, ſed interdum confirmatoria. & iſto ſenſu eam etiam uſurpatam videre eſt, 1 *Joan.* III. 20. ὅτι μείζων ἐστὶν ὁ Θεὸς τῆς καρδίας ἡμῶν, id eſt, utique Deus major eſt corde noſtro. Denique verbum λαλῶ diſtinguunt à λέγω, id eſt, loquor à dico. *Tertio*, verba hæc ſic accipi poſſunt, ut ſenſus ſit, Id quod à principio dixi me eſſe, hoc etiam nunc dico. Græci enim πλὼ ἀρχὴν, vel ἀρχὴν ſimpliciter, vice adverbii utuntur, uti & voce πάλαι, quod ex Pauſania, Demoſthene ἐν τοῖς μίσει δημηγορικοῖς, & Platone clare ſatis probat Joach. Camerarius, in Notis ſuis ad Novum Teſtamentum; ut merito in Bellarmino hîc notari poſſit Græcæ linguæ ignorantia, quando ſenſum in Græco textu obſcuriorem eſſe dicit, eo quod vocem *Principium* in eo dicat eſſe accuſativi caſus, cum non raro apud Græcos adverbii ſignificationem habeat; quod & Nonnus Panopolitanus in Græcis ſuis paraphraſticis verſibus ſuper Euangelio Joannis indicavit, cum verba, πλὼ ἀρχὴν, expoſuit per ἐξ ἀρχῆς,

Τίς σὺ πόλεις; καὶ χρεὼν ἀπιάχειν ὅτι, πᾶς ὑμῖν ἐξ ἀρχῆς ἐάριζον.

Potuiſſet πλὼ ἀρχὴν dicere, non obſtantibus numeris verſus, niſi paraphraſi quaſi ſua Græcanicam locutionem elucidare voluiſſet. Voculam verò ὅ, τι ὑποδιαστολῇ diſtinxit, ut appareat eſſe duplicatam articulo & nomine infinito, & non ſit conjunctio, ſed provocabulum. Maldonatus ſuper hunc locum ait: *videamus qua ratione explicent, qui quod Græcè eſt πλὼ ἀρχὴν loco adverbii poſitum eſſe putant; quod apud Græcos uſitatum eſſe, nemo Græcè doctus neſcit, & multi multũ profanorum auctorum exemplo probaverunt.* Denique καὶ ſic tum accipitur, ut redundet, qui pleonaſmus Græcis eſt familiaris & elegans admodum; vel ut referatur ad præſens tempus, λαλῶ, emphaticè: quaſi legatur, Ego ſum quod ab initio dixi me eſſe, & nunc etiam dico. Dixerat autem ſe eſſe Filium Dei, σωτῆρα καὶ χριστὸν, uti videre eſt paſſim, *Joan.* III. 16. 17. & VII. 28. 29. Ut ut eſt, apparet orationem hanc ſic accipi poſſe, ut ſenſum contineat plane non neceſſarium ſcitu atque creditu; aut ſi omnino ſic exponatur, ut ſenſum contineat neceſſarium, ſenſum tamen iſtum ea clare expreſſum non eſſe, ſed ex aliis claris & perſpicuis locis eum petendum eſſe, & hac ipſa oratione id diſerte indicari. Unde colligo, tantum abeſſe ut ex ambigua hac oratione colligi poſſit, Scripturam S. in ſenſibus neceſſariis obſcuram eſſe, ut contra ex ea non obſcure colligatur, Scripturam S. claram ac perſpicuam eſſe, quia id, quod in ambigua iſta oratione dicitur, ſic generatim dicitur, ut ſimul indicetur, id alibi clarè, perſpicuè, diſerte, ac ſæpius dictum iteratumque eſſe.

Quæ præter hunc locum ab aliis allegantur, ea perſequi hoc loco noſtri non eſt inſtituti, eaque omnia talia ſunt, ut vel omnino ſine ſalutis noſtræ periculo atque incommodo ignorari poſſint, vel quantum ad ſalutem ſatis eſt, intelligi ab omnibus & ſingulis, qui ſalutis ſuæ cura ducuntur, & nodum in ſcirpo non quærunt.

*De orationibus imperfectis, ut Rom. V. 12.*

Tertio, ait, Sunt orationes imperfectæ, ut *Rom.* V. 12: *Sicut per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt*, & quæ ſequuntur, ubi in tota periodo non eſt verbum principale.

Reſp. Orationes quædam imperfectæ ſunt omnium ſignificantiſſimæ & maximè emphaticæ, uti ſunt iſtæ. *Pſal.* XCV: *Quibus juravi in ira mea, Si introibunt in requiem meam. Mar.* VIII. 12: *Si dabitur genti iſti ſignum.* Senſus enim utrobique eſt, Falſus ego Deus ero, & ego vanus vates. niſi quis orationes has perfectas eſſe velit, quia in formulis jurandi apud Hebræos לֹא negandi vim habeat, uti è contra אִם affirmandi; quod negare nolim. Certe oratio illa Neptuni apud Virgilium imperfecta

*Quos ego, ſed motos præſtat componere fluctus,*

admodum eſt clara & emphatica. Sed quod ad orationem imperfectam illam, quæ citatur ex *Rom.* V. 12, attinet, quia ἀνακολουθία eſt, Reſp. 1. Ad orationis perſpicuitatem non ſemper requiri ut oratio perfectè exprimat omnia membra quæ ad eam pertinent, ſed ſufficit, ut ea, quæ perſpicue exprimit, talia ſint, ut ex iis cætera facile percipi poſſint, quando, qua de re agitur, manifeſtum eſt; uti in parabolis, ſimilitudinibus, & comparationibus videre eſt. ſic dicitur imperfectè, Homo bulla, Homo humus: item, Sicut bulla. Senſus eſt, ſicut bulla, ſic eſt homo, ſic eſt vita, ſic eſt mundi gloria & fortuna. Idem hîc in hoc loco uſu veniſſe nemo negaverit. Dixerat enim Apoſtolus, *verſ. præced.* 11, *Nos per Chriſtum reconciliationem accepiſſe.* Inde facile colligere erat, quando Apoſtolus deinde ſubjicit, *Sicut per unum hominem peccatum intravit in mundum*, &c, κἀπὶ δεῦτον iſtius ἀναθέσεως aliam eſſe non poſſe, quam hanc, ſic per unum iſtum hominem, de quo ſcilicet ante loquebar, juſtitia intravit in mundum, &c. ut jam non dicam, Apoſtolum deinde *verſ.* 14, diſerte dicere, Adamum fuiſſe *typum illius qui venturus erat*, (id eſt, Chriſti, qui ad tempora iſta Adami relatus, venturus adhuc erat) videlicet ratione poſterorum iſtorum, qui ex Adamo deſcenderunt uſque ad Moſem: & ut deinde alia non allegem quæ ſequuntur, imprimis *verſ.* 18. 19, ex quibus clarè liquet, κἀπὶ illam, quæ *verſ.* 12 expreſſa non fuit, ab Apoſtolo deinde clare expoſitam eſſe. 2. Poſito omnino, orationem loci hujus obſcuram eſſe, idcirco quia imperfecta & incompleta eſt, nego ſenſum orationis iſtius, quatenus iſthic imperfectè proponitur, ad ſalutem ſcitu neceſſarium eſſe: Quatenus, inquam, iſthic imperfectè proponitur. Poſito enim ſenſum etiam iſthunc, qui imperfecte ibi proponitur neceſſarium eſſe, neutiquam tamen ſequitur, eum, quatenus ibi proponitur, neceſſarium ſcitu eſſe. Nihil enim vetat, ſingula orationis iſtius imperfectæ membra, alibi clare ac perſpicuè propoſita eſſe, imo ea clarè alibi propoſita eſſe liquet, uti in loco illo 1 *ad Corinth.* XV. 21, videre eſt; *Quia enim per hominem mors, per hominem quoque reſurrectio mortuorum. Sicut enim in Adamo omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes vivificantur.* Addo, etiamſi imperfectæ iſtius orationis membra omnia alibi clarè ac perſpicue propoſita non eſſent, totius tamen iſtius orationis ſenſum, planè ſcitu intellectuque neceſſarium nobis non eſſe. Quid enim refert ut ſciamus, quod, non dico ſimili ratione ad nos per Chriſtum perveniat juſtitia & vita, ſicut per Adamum peccatum & mors ad nos petvenit, ſed ſimpliciter, quod per Adamum peccatum intraverit in mundum, & per peccatum mors, dummodo ſciamus nos peccatores eſſe, & nos Chriſti juſtitia ac vita opus habere, ut à Morte æterna liberemur, & vitæ æternæ ſpem concipiamus? Certe, ſive ſciamus ab Adamo peccatum in mundum ingreſſum eſſe, id eſt, peccandi originem cæpiſſe, ſive neſciamus; ſive ſciamus mortem per peccatum Adami in mundum introductam eſſe, ſive neſciamus, ſive ſciamus Adamum Chriſti typum geſſiſſe, ſive neſciamus, id parum aut nihil refert; ſi modo ſciamus nos ipſos peccati ſervos, & per peccatum mortis reos eſſe, idque ex animo confiteamur; ac proinde fieri non poſſe, ut ex iſta peccati ſervitute & mortis reatu liberemur, niſi per unicum Dominum ac Servatorem noſtrum Jeſum, qui *factus eſt nobis à Deo ſapientia, juſtitia, ſanctificatio ac redemtio*: 1 *ad Corinth.* I. 30. Hoc enim eſt totum atque univerſum illud, quod nobis ſcitu credituque neceſſarium eſt; adeo ut Apoſtolus ipſe *cap. ſeq.* II. *verſ.* 2, dicat, *ſe nihil ſtatuiſſe ſcire præter Chriſtum, eumque crucifixum.* Comparatio Chriſti cum Adamo, id eſt, juſtitiæ & vitæ per Chriſtum introductæ, in locum peccati & mortis ab Adamo profectæ, utilis quidem eſt homini Chriſtiano, ſed non neceſſaria. Chriſtianus enim Chriſto indiget, quatenus ipſe propria ſua culpa peccator & mortis æternæ reus eſt: 1 *ad Timoth.* I. 15. *Luc.* XV. *per totum. Matth.* XVIII. 11. *Tit.* II. 14. & III. 5. *Matth.* I. *verſ.* 21, *&c.*

*De orationibus præpoſteris, ut Geneſ.* X. 1.

Quarto, inquit, Sunt orationes præpoſteræ, ut *Geneſ.* X. 1: *Iſti ſunt filii Sem, ſecundum cognationes & linguas & regiones in gentibus ſuis.* Nam continuo ſequitur initio *cap.* XI. 1. *Erat autem terra labii unius & ſermonum eorundum.* Reſp. Certum eſt orationes multas in Scripturis occurrere, quæ præpoſtero ordine fiunt, & familariſſimam eſſe Hebræis figuram, quæ περίληψις vel ὕστερον πρότερον dicitur. Sed quid hoc ad rem facit? Poſito enim, figuram eandem uſurpari etiam in ſenſibus

ſibus neceſſariis, uti fere fit in narrationibus & hiſtoriis, quid refert, priore an poſteriore loco ſenſus iſti collocentur? an ex eo ſequitur, Scripturæ ſenſus obſcuros eſſe? Certe nihil vetat, eos claros eſſe, ſive primo ſive ultimo loco per figuram quandam referantur. Prior enim & poſterior locus non faciunt, ut id, quod dicitur, obſcurum ſit. Et neceſſarium eſſe, ut ſciatur quid prius quid poſterius ſit, quis dixerit, dummodo id, quod primo poſtremoque loco dicitur, ſciatur? Non diffitemur, ad hiſtoriæ accuratum ordinem habendum & intelligendum, requiri ut ſingula apte temporibus ſuis reſpondeant; ſed hiſtoricum ordinem ad ſalutem omnibus ſcitu neceſſarium eſſe nemo niſi effrons dixerit. Loca vero quæ allegat Bellarminus, tantum abeſt ut id probent, ut ne quidem in iis ulla ἀνισαρνείας ſpecies appareat. Nam *Geneſ.* X. 1, non dicitur, uti vulgata verſio habet, Iſti ſunt filii Sem, ſed tantum, וְאֵלֶּה תֹּלְדוֹת *Et iſtæ generationes*. Verbum, *ſunt*, non eſt in textu. quare nihil vetat orationem iſtam ſuppleri hoc pacto; Et iſtæ (poſtmodum fuerunt) generationes Sem. Sed in re plana verbis non eſt opus.

*De Hebraiſmo.*

Quinto, inquit, ſunt orationes ſive phraſes propriæ Hebræorum, ut *Pſal.* LXXXVIII. 30: *Thronus ejus ſicut dies cæli*, & *Pſal.* CXVIII. 139: *Anima mea in manibus meis ſemper*. Reſpondeo: Negari non poteſt, Hebræam gentem ſuos habere idiotiſmos, & linguam ſacram proprias ſibi phraſes. ſed tantum abeſt, ut idcirco concludi poſſit, Scripturam S. obſcure à Deo traditam fuiſſe, ut contra, clarè eam traditam eſſe exinde evincatur. Judæis enim tradita fuit, quibus idiotiſmi iſti luce clariores erant, uti ſui cuique genti idiotiſmi omnium ſunt clariſſimi. At nobis, inquies, iſti obſcuri ſunt. Reſp. Idiotiſmi iſti, vel ſua luce clari ſunt, vel non clari. Si clari, habemus quod volumus: ſi non ſunt clari, tum dico, iſtos aut non uſurpari in ſenſibus neceſſariis, aut ſicubi uſurpentur, ex aliis claris & omni genti notis perſpicuiſque locis innoteſcere aut intelligi facile poſſe. Nec enim credimus ſenſus neceſſarios, uno dumtaxat alterove Scripturæ loco, in quo idiotiſmi ſoli Hebræi uſurpati ſint, contineri; ſed per totum Scripturæ corpus crebro & identidem repetitos occurrere, ut ab idiotiſmis, qui hic illic intercurrunt, periculum obſcuritatis nullum eſſe poſſit; quod diſcurrenti per omnes ſenſus neceſſarios manifeſtum eſt. Nec enim parca aut egena manu ea quæ ad ſalutem hominum neceſſaria erant, & quæ ſub pœna æternæ mortis credi voluit Deus, ſubminiſtravit, ſed liberali ac tantum non prodiga, ne infidelitati & incredulitati ſuæ, quod à parte Dei prætexeret, homo haberet. Loca quæ Bellarminus adducit, talia etiam ſunt, ut phraſes, quæ illis continentur, non modo non ſint difficiles, ſed claræ etiam & emphaticæ, & ut ut obſcuræ eſſent, ad rem non facerent, quia ad ſenſus creditu neceſſarios plane non pertinent.

*De orationibus figuratis.*

Sexto, inquit, Sunt orationes figuratæ plurimæ, Tropi, Metaphoræ, Allegoriæ, hyperbata, Ironiæ, & alia id genus, ſine ullo numero. Reſp. 1. Et hoc agnoſcimus; ſed tantum abeſt, ut, ſi illas figuras in ſenſibus neceſſariis uſurpatas etiam concederemus, propterea fatendum nobis foret, Scripturas obſcuras eſſe, ut contra, eam ipſam ob cauſſam perſpicuas ac dilucidas eſſe à nobis affirmari jure poſſet. Grammatici enim & Rhetores omnes, ipſas figuras, tropos & ſchemata appellant orationis lumina, quæ non obſcurandi, ſed illuſtrandi & ornandi gratia adhibentur. Sed vero 2. dicimus; Figuras & tropos in ſenſibus neceſſariis paſſim & ubique non modo non reperiri, ſed contra eas plerumque in iis non reperiri; &, ut ut eæ alicubi occurrant, nullos tamen ſenſus ad ſalutem neceſſarios dari poſſe, qui non crebro, imo creberrimè, propriis & obviis cuique phraſibus expreſſi ſint; & quæ etiam occurrunt phraſes figuratæ, eas omnes aut ſua luce claras eſſe, aut claritudinem ſuam à propriis obviiſque cuilibet phraſibus facile mutuari poſſe. In cæteris ſenſibus, qui ad ſalutem intellectu creditуque neceſſarii non ſunt, ut idem accidere atque uſu venire ſtatuamus neceſſe non eſt; quamquam inter eos, qui admodum ad neceſſariorum ſenſuum intelligentiam utiles ſunt, cur idem accidere atque uſu venire diffiteamur, cauſſa nulla eſt. Soli ſane iſti ſenſus, qui nec neceſſarii nec utiles ſunt, quique nec ſcientem juvant, nec ignoranti nocent, obſcuri ut credantur, per nos licet, quos videlicet ipſe Deus, vel ſub typorum umbrarumque involucris abdere, vel allegoriarum tenebris involvere, vel ſomniorum, viſionum, vaticiniorum, parabolarum, ænigmatum operimentis tegere ex profeſſo voluit; vel quos longa temporum ſeries, hiſtoriarumque in ſpeciem diverſa narratio, incertos, dubios, ac perplexos reddit. Et hujuſmodi eſſe ſenſus iſtos omnes, quos obſcuros eſſe Bellarminus quoad modum proponendi aſſerit, ex locis iſtis omnibus, quæ in exemplum ad ſingulorum modorum ſex confirmationem adducit, manifeſtum eſt.

## CAPUT XIX.

### Reſponſio ad objectionem, Commentarios Doctorum in Scripturam, & diverſas quas afferunt expoſitiones, arguere illius obſcuritatem.

ULtimo loco ſubjicit argumentum petitum ab adverſariorum teſtimonio, quod, velint nolint, ait, huic veritati coguntur perhibere. Nam ſi S. Scriptura eſſet tam clara ut ipſi dicunt, cur tot commentaria Lutherus & Lutherani ſcriberent? cur tam variè Scripturam explicarent?

*Diverſæ S. Scripturæ expoſitiones.*

Reſp. Argumentum hoc, ſi ad ſenſus non neceſſarios referatur, per ſe concidit. Hos enim obſcure ſæpenumero in Scripturis SS. expreſſos eſſe, utrimque conceditur. quare cur ſuper iſtis Scripturæ locis, quibus iſti continentur, commentaria varia cudantur, & commentatores variè diſſideant ac diſſentiant, ratio manifeſta eſt. Si vero referatur ad ſenſus neceſſarios, uti referri à Bellarmino videtur, ex eo quod ſubjicit; Certe Oſiander in confutatione Scripti, quod adverſus eum Philippus ediderat, teſtatur, viginti ſententias diverſiſſimas de Juſtificatione ſecundum Scripturas, verſari inter ſolos Confeſſioniſtas: & quod ſequitur de Luthero: Juſtificationis mentionem ſolam facit, quæ ſine dubio ad ſenſus neceſſarios pertinet: ſed ſub ea, alia etiam ad ſenſus neceſſarios pertinentia dogmata ab eo referri, dubitandum non eſt. Reſp. 1. Argumentum hoc adeo ſpecioſum eſt, ut vix aliter aut melius quam per pœnitentiam & culpæ confeſſionem dilui poſſit; & pœnitentiam quidem, quæ fiat, non à Lutheranis dumtaxat aliiſque, qui ſeculo abhinc contra Pontificios contenderunt Scripturam claram eſſe, ſed ab omnibus iſtis Scriptoribus & Doctoribus, qui quindecim abhinc ſeculis conſecuti ſunt, & Scripturam S. pari voce ac ſententia claram ac perſpicuam eſſe adſeruerunt, quorum exemplum & ſententiam ſecuti ſunt Lutherani. Vix enim dici poteſt, quantopere multi eorum, gentiles Judæoſque complures alienarint à lectione ſimul atque ab amore Scripturæ S. Novi Teſtamenti, commentariorum ſuorum obſcurorum molibus, & diſcrepantibus paſſim ſententiis atque explicationibus. Nec dubium mihi eſt, quin multi, quibus alioquin Scriptura forte viſa fuiſſet clara ac dilucida, ab iſta commentariorum mole ac diverſitate occaſionem arripuerint, ſeu ſuſpicandi, ſeu credendi, Scripturam totam obſcuram atque intellectu difficilem eſſe.

*Earum cauſſa.*

Sed vero, ut ut id eſt, quia pœnitentia ad diluendum argumentum non ſufficit, Reſp. 2. Argumentum non procedere, quia in eo eſt fallacia à non cauſſa, ut cauſſa, ſive potius fallacia accidentis, qua ab eo quod per accidens eſt, concluditur ad id quod per ſe eſt. Interpretes iſti, qui Scripturam S. claram ac perſpicuam eſſe contendunt in ſenſibus ad ſalutem neceſſariis, multimodis variant in ſenſuum neceſſariorum interpretationibus: ergo ſenſus neceſſarii per ſe clari non ſunt. Interpretum enim vitio accidere poteſt, ut id, quod per ſe clarum ac perſpicuum eſt, non videant. Solem clarum cæcus non poteſt videre, lippus non poteſt ferre, & qui oculis ſuis palpebras obducit, Solem dicet ipſas eſſe tenebras. Eadem ratio interpretum eſſe poteſt, ut vel nimio propriæ opinionis amore, vel alienò præjudicio cæcutiant, vel negligentia aut ſocordia lippiant, vel faſtu turgeant in Scripturarum interpretationibus. Per amorem propriæ opinionis, intelligo affectum iſtum, quo quis fertur in opinionem iſtam ſuam, quam non ex ipſis Scripturis hauſit, ſed ſuopte Marte concepit, & cui tanquam normæ ac regulæ, ſenſus Scripturæ quovis modo ſtudet aptare atque accommodare. Amorem iſtum obſervare atque animadvertere facile eſt, quia, qui iſto ducitur, is fere in eo totus eſt, ut clariſſima loca Scripturæ levi pede prætereat, & quæ vel obſcuritate aliqua videntur laborare, vel ſpecie aliqua favere opinioni ſuæ, ea urgeat, & clariſſimis Scripturæ locis veluti nubem obducat, non aliter quam ſi clariſſimis locis lucem inde fœnerari oporteat; unde fit, ut clariſſima loca obſcuriſſima non raro videantur. Uti autem opinionis iſtius proprie mater eſt φιλαυτία, ita eadem opinionis iſtius nutrix & alumna eſt. In ſpeculativis, φιλαυτία iſta eſt ingenii proprii fiducia. In practicis eſt ſuus cuique peculiaris, ex temperamento inſitus aut per educationem inditus, adfectus. Hic amorem iſtum gignit & genitum fovet: unde fieri neceſſe eſt, ut quanto amor iſte eſt intenſior, tanto magis clariſſima Scripturæ loca ad eum dirigantur, atque ita obſcura reddantur, ne ab iſtis & ad iſta eum corrigi neceſſe ſit. Per alienum præjudicium, intelligo affectum, quo quis judicium

ſuum dirigere amat, aut ſuſpendere ex arbitrio & judicio aliorum, quos vel doctiores vel meliores ſe eſſe credit, aut credere vult. Hinc fit, ut quod iſtis clarum non fuit viſum, huic idem obſcurum videatur, quia ingenio ſuo diffidens, & judicio proprio renuncians, mavult credere obſcurum eſſe, ob alienum judicium, quod clarum eſt, quam clarum eſſe, quod ſuopte proprio judicio intelligit clarum eſſe. Per negligentiam, intelligo remiſſionem voluntatis, qua fit, ut quis vel directè non ſtudeat, aut non curet ſolicite inquirere ſeu expendere clariſſima Scripturæ loca, ſed libenter acquieſcat in ſententia & opinione iſta, quam rebus ſuis utiliſſimam eſſe videt; vel indirectè ea expendere aut ad ea animum advertere negligat, quia, vel pro voto ſuo auctus eſt opibus, honoribus, fama & gloria eruditionis; vel ætate jam confectus, moleſtiam diſputandi non tam vult ſubterfugere, quàm ferre quaſi non valet; vel ſimpliciter, ſive tædio ſive odio litium, & rixarum, ſcandalorum novorum metu, & tranquillitatis amore, paciſque & concordiæ qualiſcunque tandem ſtudio. Per faſtum intelligo, iſtam animi elationem, qua fit, ut quis clariſſima quæque aut ſtudio ignorare, aut ingenioſe obſcurare malit qualibet quæſita & elaborata interpretatione, quàm ſententiam mutare. Ea proximè accedit ad malitiam, cui remedium Deus ponere non vult, & quæ pene inſanabilis eſt. Ea enim in Sole tenebras & in luce nebulas quærit. Hæc reſponſio noſtra nititur fundamento à nobis in principio poſito, quod Scriptura clara ſit omnibus ac ſingulis hominibus, ſi modo ad ejus lectionem adferatur animus probus ac docilis. Quæcunque ergo obſcuritas in clariſſimis S. Scripturæ locis eſſe videtur, ea à vitio improbitatis aut indocilitatis eſt, quod à quatuor iſtis cauſſis, ſive ab una iſtarum, quas jam adſignavimus, oriri ſolet.

Sed ut preſſius agamus, Reſp. 3. Non modo non procedere conſequentiam argumenti, ſed & antecedens probatione indigere: videlicet interpretationes, commentaria & explicationes Euangelicorum, circa ſenſus omnibus & ſingulis ad ſalutem creditu neceſſarios, varias, diverſas aut contrarias eſſe. Contra ſtatuimus: utcunque variæ aut contrariæ multæ ſint interpretationes Euangelicorum, varietatem tamen illam non obſtare, quo minus videri debeant in neceſſariorum ſenſuum ſubſtantia unanimiter conſenſiſſe.

*Articulus de Juſtificatione.*

Rem teſtem demus in exemplo ſive ſpeciali articulo, quem Bellarminus allegat, de Juſtificatione, ſcilicet ex Oſiandro. Non negamus fuiſſe inter Confeſſioniſtas, multas eaſque diverſiſſimas de Juſtificatione ſententias: Fuerint tum viginti ut Oſiander ait, & plures nunc adhuc ſint. Eas omnes dicimus conſiſtere poſſe, ſalvis ſenſibus iſtis quos ex Scriptura clare conſtat neceſſarios eſſe: quod ſic oſtendimus.

Neceſſarium ad ſalutem creditu eſt, neminem juſtificari ex operibus legis ullius præciſe ſumtis, quatenus operari ſignificat univerſali ac perpetua ἀναμάρτησία præditum eſſe. In hoc conveniunt omnes.

Neceſſarium ad ſalutem creditu eſt, Juſtificationem non eſſe ex operibus Legis Moſaicæ, ſive per ſe, ſive cum fide Jeſu Chriſti conjunctis. In hoc conveniunt omnes.

Neceſſarium ad ſalutem creditu eſt, Juſtificationem eſſe ex fide quæ Jeſu Chriſto aut Euangelio ejus adhibetur. In hoc conveniunt omnes.

Neceſſarium ad ſalutem creditu eſt, Juſtificationem non eſſe ſine remiſſione peccatorum & imputatione juſtitiæ. In hoc conveniunt omnes.

Neceſſarium ad ſalutem creditu eſt, Fidem mortuam ad juſtificationem non ſufficere. In hoc conveniunt omnes.

Neceſſarium creditu eſt, Fidem mortuam eſſe, quæ ſine bonis operibus, aut ſine ſancto ſerioque bene operandi ac vivendi propoſito eſt. In hoc conveniunt omnes.

Neceſſarium creditu eſt, Fidem in Jeſum Chriſtum non eſſe ſine adſenſu deliberato, quo ſtatuitur Jeſum Chriſtum eſſe ſummum atque unicum Prophetam ac Doctorem noſtrum, à quo uno, ſive ex cujus unius Euangelio, plena divinæ voluntatis, id eſt, divinorum tum præceptorum tum promiſſorum notitia petenda nobis eſt: Summum atque unicum Sacerdotem noſtrum, cujus ſanguine atque interceſſione liberamur à reatu mortis & condemnationis æternæ: Summum atque unicum Regem noſtrum, cujus verbo ac ſancto Spiritu regimur in hoc mundo, cujus vi ac virtute tandem adferemur à morte, ac transferemur in regnum cæleſte, atque ita per eum perfecte ſervabimur ab omni malo, bonique ac fælicitatis æternæ reddemur compotes. In hoc conveniunt omnes.

Atque hæc ſunt omnia ea, quæ neceſſario de Juſtificatione per fidem credenda ſunt, & Scripturis adeo clare ac dilucide continentur, ut nemo Euangelicus fere ſit, qui de iis dubitet. Interpretationes itaque, commentaria & explicationes variæ, quæ ſuper iſto capite, præter & ſupra hæc, olim factæ ſunt hodieque fiunt, inter ea referendæ ſunt, quæ creditu ad ſalutem neceſſaria non ſunt: cujuſmodi ſunt explicationes, quæ fiunt ſuper ipſo juſtificationis actu, ſuper natura fidei juſtificantis, uti vocari ſolet; ſuper phraſi, Juſtificari per fidem ſine operibus; ſuper juſtificationis actu; aut quando quæritur, An juſtificatio conſiſtat in ſola remiſſione peccatorum, an vero etiam in imputatione juſtitiæ, tanquam actibus inter ſe formaliter aut realiter diverſis; &, ſi etiam in imputatione juſtitiæ, an in imputatione juſtitiæ Chriſti; & cujus juſtitiæ, an activæ, an paſſivæ, an utriuſque ſimul. Hæc aliaque non neceſſaria eſſe, ut in alteram partem decidantur, manifeſtum eſt. Quid enim refert, ſcias an neſcias, credas aut non credas, juſtificationem in uno aut in pluribus actibus conſiſtere, ſi modo certo ſcias ac credas eam continere in ſe beneficium ſummum, quod à Deo deſiderare potes, quodque in eo poſitum ſit, ut acceptus ei gratuſque ſis, & ab eo tracteris juſti inſtar? ſive id fiat, quia Deus tantum remittere tibi vult omnia peccata tua, tam commiſſionis quam omiſſionis, atque ita imputare tibi totam integramque juſtitiam; ſive juſtitiam etiam imputare tibi inſuper velit, & quidem vel univerſam ſuam, vel Chriſti filii ſui, activam ſimul paſſivamque. Actus iſte eſt judicis actus, quem ſcire noſtra non intereſt nec refert. Beneficium quod ex actu illo ad nos redundat, ad nos pertinet, & hoc ſi ſciamus eſſe beneficium maximum, deſideratiſſimumque, ſufficit.

*De Fide.*

Similiter ſe res habet in quæſtionibus ſive explicationibus ſuper natura fidei, An videlicet Fidei natura propria ſita ſit in adſenſu ſive fiducia obſequioſa, an in nuda appropriatione gratiæ ac miſericordiæ divinæ, aut in mera apprehenſione fiduciali meritorum ſive juſtitiæ Jeſu Chriſti? Quid enim refert, hoc ſcias an neſcias, dummodo ſcias ac credas, Fidem, qua juſtificaris, non eſſe debere mortuam, ſed vivam fidem & quæ per caritatem ſit operans, vel cum operandi ſerio ſanctoque propoſito conjuncta? Hoc ſufficit. Denique, cum quæritur, An fides juſtificet, quæ viva eſt, an qua viva eſt? an opera neceſſaria ſint ad juſtificationem neceſſitate efficientiæ, an neceſſitate præſentiæ? Quid enim refert alterum horum definitè credere, dummodo ſcias ac credas, fidem mortuam non ſufficere ad juſtificationem, & fidem quæ bonis operibus caret eſſe fidem mortuam? Neceſſe ergo eſt ut viva fides ſit, quæ conjuncta ſibi habet bona opera, ſive opera illa cum fide concurrant ad actum juſtificationis obtinendum pari efficacitate, ſive diſpari, adeoque nulla prorſus; ſive fidei tribuatur juſtificandi vis, quatenus operum iſtorum fons ac mater eſt, aut potius quatenus actu opera iſta efficit; ſive vis iſta tribuatur fidei per ſe ſoli, quatenus apprehendit meritum Jeſu Chriſti, etſi ſolitaria non ſit.

In his ac ſimilibus ergo, quamquam diverſimode admodum ſentiunt ſcribuntque interpretes, tamen ex eo perperam concluditur, eos diverſimode ſentire ac ſcribere, quod attinet ad ſenſus neceſſarios clare in Scripturis expreſſos. Dices: Attamen ſinguli interpretationes ſuas neceſſarias faciunt, quod ſchiſmata ob eas nata teſtantur. Reſp. Hoc lachrymis dignum eſt. Hoc pus Reformationis fuit, vel eo ſolo nomine deteſtandum, quod cum certatim & pari voce contenderent contra Pontificios, Scripturam in neceſſariis ſenſibus claram ac perſpicuam eſſe, ſententias ſinguli ſuas neceſſarias facere non dubitarent, cum adverſis frontibus pugnarent inter ſe, & alter alterius ſententiam non modo non contineri Scripturis, ſed eis aperte repugnare adſereret. Quare non parum inciderunt nervos Reformationis, & ludum jocumque adverſariis ſuis præbuerunt. Hoc enim eſt fundamentum Reformationis præcipuum, quod ante omnia ſartum tectumque ſervandum fuerat, & cui conſentance omnia dicenda erant faciendaque. Sic enim ſeceſſionis ab Eccleſia Romana factæ juſtitia ſimul ac neceſſitas clare ſemper conſtitiſſet, & novis ſeceſſionibus ac ſchiſmatis, ſine clara Scripturæ autoritate, anſa omnis præciſa fuiſſet. Utinam id vel hodie intelligeret Chriſtianus orbis! Nec enim dubito, quin ſchiſmata æterna & ſeceſſiones immortales futuræ ſint, niſi ab iſto primo fundamento Reformationis, remedium petatur, atque idcirco ſchiſmatis omnibus iſtis epicedium ſcribendum eſſe credatur, quæ ob ejuſmodi ſive opiniones ſive cæremonias inſtituta ſunt, vel inſtitui adhuc poſſunt, quarum, non modo veritas, ſed & credendarum obſervandarumque neceſſitas, claris Scripturæ teſtimoniis adſeri non poteſt, nec evidenter demonſtrari.

CA-

## CAPUT XX.

### De S. Scripturæ interpretarionibus & versionibus, quantaque sit earum necessitas & utilitas.

*De necessitate & utilitate interpretationum Scripturæ.*

EX his sic pertractatis, colligo: 1. Interpretationes Scripturarum, in quibus sensus ad salutem scitu credituque necessarii clare, ac perspicue proponuntur, per se ac præcisè non esse necessarias. Quod enim per se omnibus ac singulis clarum ac perspicuum est, id, ut interpretatione clarum ac perspicuum reddatur, necesse non est. Sed vero, quia iidem isti sensus non raro impropriis, figuratisque verbis enunciati in Scripturis occurrunt, colligo 2. Interpretationes Scripturarum istiusmodi, per accidens esse necessarias, & per se semper utiles: imo propter istas primarum etiam Scripturarum, quibus sensus necessarii clarè continentur, interpretationes per accidens necessarias etiam esse. Hoc ex eo liquet, quia multi sunt, qui vel Scripturam ipsam legere nesciunt, puta ἀναλφάβητοι: vel, cum Scripturam legere quidem sciant, eam tamen non legunt, sive ex incuria: sive curis aliis distracti ac distenti: vel Scripturam legentes, non satis attentè & cum judicio, id quod legunt, perpendunt: vel attentè satis eam legentes, adfectus pravos aut præjudicia secum adferunt, quibus excæcati aut non vident quæ clara sunt, aut claris obscura obducunt, ne clara videantur, aut obscuris quibusdam adeo mordicus inhærent, ut clara videre negligant, aut visa respuant ac rejiciant. Propter hos necessariæ sunt interpretationes. Propter primos, ut legendi impotentiam sublevet rerum sensuumque legendorum adsidua & copiosa efficacitate tantum non exuberans propositio. Propter secundos, ut superfluas eorum curas, diffusioris paulum interpretationis gratia diluat ac divertat, vel incuriam socordiamque tollat, quæ ei inseri potest seu falsitudo seu suavitas. Propter tertios, ut frequentiore majoreque quasi claritudine interpretationum circumfusi, sentiant se sibi ipsis obesse, quominus clarissima videant. Fit enim non raro, ut qui ad consueta sibi & familiaria verba cæcutiunt, eadem altius admittant in animum ac respicere incipiant, si eadem oratione paulum flexanima, & ad affectum movendum composita, subinde ingeras; plane uti qui ad cibos quosdam consuetos nauseant, & quasi ἀπορξίαν quadam laborant, affici non raro solent iisdem cibis, si idoneo tantum gratoque jusculo conditi edulcatique apponantur. Fami tollendæ solus cibus sufficit, nauseæ remedium est condimentum ac varietas, uti similitudo fere est mater fastidii.

*De eatundem modo.*

Interpretationes hujusmodi utilissimæ sunt, si justus in iis modus servetur. Modus justus servabitur, si in iis vitetur defectus & excessus. Defectus ut vitetur, adlaborandum sedulo est, ne 1. Minus dicatur quam par est, id est, quam tum veritas tum necessitas singulorum sensuum postulant. 2. ne minus graviter ac decore quicquam dicatur, nedum dilute, sordide, aut futiliter. 3. ne quidquam dicatur obscurè, aut anxiè, aut ineptè. Excessus ut vitetur cavendum diligenter est, ne interpretationes 1. Superfluæ sint, & ad pompam potius atque ad ostentationem quam ad demonstrationem & illustrationem compositæ. 2. Ne adfectatæ sint, quæ subtilitatem potius redolent, quam majestatem. 3. Ne locis Scripturæ dubiis aut controversis, iisque in cumulum longa serie coacervatis fulciantur aut exaggerentur. 4. Ne rationibus incertis aut non apodicticis firmentur. 5. Ne similibus ornentur speciosis potius quam solidis, obscuris & ab ultima antiquitate petitis potius, quàm claris & obviis, nedum frigidis, insulsis, indecoris, aut turpibus. 6. Ne muniantur humanæ ullius autoritatis præsidio, quod vel ex Symbolis quæ generalia vocantur, vel ex Conciliis quæ Oecumenica aut Catholica dicuntur, vel ex Confessionibus in Ecclesia receptis, vel ex analogia quadam Fidei longa consuetudine hic illic roborata, petatur, quasi videlicet, absque eo esset, interpretationes ex scopo, materia subjecta, antecedentibus & consequentibus, &c. per se infirmæ atque invalidæ futuræ essent. 7. Ne turbentur quæstionibus non necessariis, objectionibus molestioribus quam utilibus, intricatioribus & difficilioribus quam ut responsione solida ac facili iis occurri possit, disputationibus frivolis magis quam seriis, & Philosophicis magis quam Theologicis, & doctis magis quam piis & ad ædificationem Ecclesiæ facientibus.

Quod attinet ad interpretationes sensuum Scripturæ, nec præcise necessariorum, nec admodum utilium, (hos enim sub sensibus necessariis comprehensos etiam volumus, uti ante diximus) eæ etiam utiles esse possunt in Ecclesia, si modus etiam in iis debitus servetur. Ut in his debitus etiam servetur modus, curandum est ne sint. 1. Nimiæ aut nimium frequentes, quasi in earum intelligentia corculum & medulla Theologiæ posita sit. 2. Ne sint adstrictæ sed liberæ. Adstrictas voco, non eas quæ urgentur tanquam necessariæ scitu ac creditu, quibus contradicere fas non sit, (hoc enim plane absurdum est:) sed quæ urgentur tanquam veræ, à quibus dissentire non liceat, sine falsitatis suspicione, aut ab amore veritatis defectione. Liberas voco, à quibus cuique sine salutis periculo, sine ruptura pacis, licet dissentire ob rationes probabiles, & quæ cuique maxime videntur verosimiles. Sine rationibus enim dissentire, non tam est dissentire quam velle dissentire, quod à Christiano animo alienum esse debet. 3. Ne fensibus necessariis non modo directè repugnent, sed nec indirectè officiant, eorumque vim ac vigorem aliquomodo elidant aut suffocent.

*De versionum Scripturæ necessitate & utilitate.*

Quæ interpretationis, eadem tum necessitas, tum utilitas est versionis, sive translationis SS. Scripturarum ex idiomate Hebræo & Græco, in suam cuique linguam vernaculam. Eadem est necessitas, videlicet quæ per accidens est necessitas, non per se; quæ oritur ex imperitia idiomatis Hebræi & Græci, sive linguarum Scripturæ authenticarum. Hæc inculpabilis omnino est respectu istorum populorum, quibus idioma istud utrumque peregrinum est, & qui à Religione utraque tum Mosis tum Christi alieni sunt. Ad hos convertendos, sine dubio per se necessaria erat sensuum Scripturis contentorum prædicatio, quæ vernacula eorum aut communi ipsis lingua fieret; &, si adduci se patiebantur, ut linguas istas quibus sensus isti perscripti sunt, addiscerent, translatio necessaria non erat; sin minus, quia id grave nimis jam adultis ac senibus videbatur, aliisque alias ob causas molestum, per accidens necessaria erat translatio in eorum gratiam. Sed verò non æque est inculpabilis respectu istorum populorum, quibus Religio utraque jamdudum innotuit, & qui in ea à teneris educati sunt atque instituti, quibusque omnia adminicula adsunt, ut idioma utrumque, quo Religio ista utraque perscripta est, addiscant, & familiare sibi pene ac vernaculum reddant, atque ita ex ipso fonte petant fidei Religionisque suæ scientiam. Fieri enim vix potest, ut horum imperitia non habeat culpabilem aliquam causam, videlicet vel discendi tædium, vel sumtuum impensarumque metum, vel credulitatem nimiam, qua facile lubenterque credunt iis, quos idiomatum istorum scientia præditos esse audiunt, vel simile quid. Culpabilis hic sine dubio causa est. Quid enim prius potuisque esse debet homini Deum amanti, & sensus divinos salutares scire cupienti, quam ut ex ipsius Dei ore hauriat verba quibus isti expressi sunt, ut ab alio pendere opus non habeat? Quis labor minus gravis, quæ impensæ nimiæ videri possunt, quibus tam ingens thesaurus acquiri potest? Certe Judæi hac in re facem omnibus præferunt, qui Testamenti Veteris Scripturam non legunt, nec legere docent suos, nisi ea ipsa lingua qua perscripta est. In Synagogis eorum nefas est audire lectionem aliam, quam linguæ sacræ, & eam à teneris annis lallare incipiunt eorum infantuli, vixque disciplinæ capaces pene ad unguem callent. Hinc, juxta nonnullos, nata olim creditur acris ista lis & contentio inter Hebræos & Græcos sive Hellenistas, in media Hierosolymorum urbe & passim alibi: quod hi quamquam erant γνήσιοι Judæi, tamen in Synagogis suis, Alexandriæ, per totam Ægyptum & Europam, quin & Hierosolymis, ubi amplissimam habebant Synagogam, Scripturam non legerent idiomate Hebræo, sed Græco à LXX interpretibus perscripto; quæ ipsa lis cessasse non videtur inter eos, quando jam ad Christum conversi erant, uti ex eo quod Lucas *Act.* VI. 1, memorat, colligi videtur. Nempe solam atque unicam istam linguam, qua Deus locutus fuerat per suos prophetas, adeo reverenter habendam esse existimabant, ut aliam audire non sustinerent, nec audiendam putarent, quamvis eosdem sensus contineret. Scio Religionem hanc degenerasse paulatim in superstitionem, qua factum fuit, ut in ipsis literis apicibusque nescio quæ arcana latere crediderint; sed istud alterum extremum est, quod æque vitare debuerant. Ad nos quod attinet, qui Christi Religionem profitemur, vix video, qua ratione excusari possit languor sive incuria ista supina, in, si non perdiscendis, saltem delibandis idiomatis istis, quibus sensus Religionis nostræ perscripti sunt. Ut ut id est, propter hoc vitium nostrum necessaria fuit hodieque est S. Scripturæ translatio in linguam nobis vernaculam, ne lectionis adminiculo destituti, in rerum divinarum ignorantia tandem miserè obbruteſcamus, vel, quod præcipuum est, stulta credulitate quidvis nobis obtrudi patiamur, & ex alieno ore, quod fallere ac falli potest, suspendamus fidem ac salutem nostram æternam.

Dices: Per versionem sive translationem id obtineri non potest; sed ea posita, eadem nihilominus manet difficultas, quia versio omnis authentica autoritate caret; unde consequi-

sequitur, eum qui Scripturam legit in suam vernaculam linguam conversam aut translatam, fidem ac salutem suam suspendere ex autoritate, scientia, & fide humana, translatoris scilicet quem falli ac fallere posse indubium est. Resp. 1. Fatendum est consequentiam argumenti hujus procedere non minus quam priorem nostram, si quis eam præcise ac rigide urgere velit. Hanc quia prævidebam, idcirco dixi, versionem Bibliorum non esse necessariam per se, sed per accidens, propter vitium nostrum, quod authenticas Scripturarum linguas addiscere, operæ-pretium non putemus: non quasi isto versionis remedio, malo omni, quod ex vitio isto oriri necesse est, occurratur, sed quod ei occurratur, quantum occurri per humanam prudentiam potest. Malo enim isti non occurritur, quod fides nostra suspendatur ex humana autoritate & scientia, quæ errare & falli potest. Occurritur tamen ei eo usque, ut propius ei occurri vix possit, ne ex humana autoritate suspendi videatur fides ac salus nostra. Optime occurri malo omni potest, si dicamus, causam nullam esse, cur, quod à Judæis omnibus fit, idem non fiat à Christianis, ut videlicet Scripturæ S. linguam à teneris unguiculis discant, atque ita ex versione sive translatione ulla alia humana pendere opus non habeant. Ut id impossibile dicatur, absurdum est. Cur enim, quod à Judæo fit, à Christiano fieri non possit? Ut id vel indecorum, vel inutile vel minime operæpretium credatur, multo est absurdius. Nihil magis indecorum quam pendere ex alio homine, qui errare aut fallere potest, cum æternæ salutis negotium vertitur. Nihil magis utile aut decorum, quam Dei os consulere, & ex oraculo ejus infallibili pendere velle. Pretium verò operæ facere eum, qui sacratissimos sensus tanquam thesauros inæstimabiles ex ipso penu divino amat petere, res loquitur. Nulli vel improbissimo labori parcere, pro tantorum thesaurorum consecutione, hoc demum est operæ pretium facere. Quolibet pretio redimi meretur salutis nostræ æternæ, aut divinæ voluntatis de salute nostra æterna, à nulla humana autoritate suspensa certitudo. Et sane, nulla tam vilis projectaque anima est, quæ, si consequi se posse speret decem talentorum millia, si linguam Hebræam & Græcam dumtaxat addiscere velit, laborem ullum gravem sibi putabit, ut linguarum istarum cognitionem sibi comparet. Citius credo unam & viginti linguas cum Mithridate, imo septuaginta duas linguas cum Senatoribus Sanhedrim, non gravaretur discere, quàm ut tanto damno se ipsam multare vellet. Et grave erit ulli mortalium, linguas istas duas discere, per quarum scientiam, ex ipso Dei ore haurire ac petere potest thesauros immortalitatis nullo pretio æstimabiles? Sed vero, quia isto seculo vivimus, quo ἀκηδεια sive incuria rerum divinarum adeo altas radices egit, ut exstirpari non possit, aut quo linguarum sacrarum addiscendarum cura usque adeo aut elanguit aut eviluit, ut eam Judæis solis relinquere pene glorioſum credatur, quolibet reperiente quod incuriæ suæ prætexat, dicimus secundo, malo sive vitio isti occurri adhuc posse, quantum moraliter satis est, per versionem sive translationem Sacrarum linguarum in suam cuique vernaculam linguam; adeo ut per eam certus quilibet reddi possit de sensibus divinis, ea certitudine, quæ prudenti viro satis esse potest, ne ex humana scientia aut autoritate fidem ac salutem suam videatur suspendere. Etsi enim translatio sive versio ista non est nisi humana, tamen, si quis, uti par est, ullam vel mediocrem diligentiam adhibere velit, scire potest eam bona fide & ex vero factam esse; ac proinde etsi materialiter, sive quoad verba, humana sit, tamen quoad sensus, in quibus proprie ac formaliter verbum Dei situm est, pro divina habendam esse. Scire enim potest verba Hebræa & Græca uno ore & calamo sic transferri, 1. ab iis, quibus linguæ istæ sunt vernaculæ, & de quibus omnibus, quod decipere, id est, aliter ea, quam oportet, transferre velint, nulla suspicandi causa est. 2. A variis eruditis, candidis & linguarum peritis hominibus. 3. Ab ipsis sensuum, qui verbis istis continentur, professis adversariis. 4. à multis variisque, qui locorum intervallis, sententiis & opinionibus, quin & animo studiisque à se invicem dissident. 5. Ex ipsis Lexicis & Dictionariis colligere potest, si modo adnitatur, verba omnia eodem modo reddi ac verti vernacula sua lingua, qua translata ac reddita leguntur in Scripturis. Hæc & alia similia, ad eandem rem pertinentia, observare potest; quæ omnia talia sunt, ut dubitatione aut exceptione ulla justa dilui nequeant. Etsi vero tota hæc disquisitio, non faciat nisi fidem humanam, ac proinde, quæ ei innititur certitudo, non sit nisi certitudo humana quæ cavillo obnoxia esse potest, tamen ea talis ac tanta est, ut sufficere merito possit ac debeat ad hoc, ut prudenter quis certus sit, qui laborem istum, ut Sacras linguas ipsas intelligat, impendere aut non potest, aut necesse non putat.

## CAPUT XXI.

### De variis S. Scripturæ versionibus, putà Chaldaicis, Græcis, Latinis, Syriaca, Belgica, &c.

*Versiones librorum Veteris Testamenti.*

QUod ad versiones Bibliorum sive librorum Scripturæ S. attinet, observandum est quot fuerint, & quid de iis sentiendum sit. Versiones Bibliorum Veteris Testamenti multæ fuerunt. Primæ sunt eæ, quæ factæ sunt in gratiam dispersorum Judæorum, tum inter Chaldæos, tum inter Græcos; inter quos populos Judæi commorantes, paulatim adsuefiebant linguis istis, quæ apud populos istos in usu erant.

*Paraphrases Chaldaicæ.*

Quæ in gratiam Judæorum in Chaldæa commorantium factæ sunt versiones, eæ appellantur Targumim sive paraphrases Chaldaicæ. Hujusmodi paraphrases duæ fuerunt: Una quam fecit Rabbi Jonathan Ben Uziel, anno ante Christum natum xxx; estque paraphrasis in Prophetas IV majores & XII minores. Altera, quam fecit Rabbi Aquila, quem Onkelos vocant, filius, uti volunt, fororis Titi Vespasiani Imperatoris, circa annum post Christum natum XC, id est, non multo post excidium urbis, & templi secundi destructionem: estque paraphrasis in Pentateuchum dumtaxat. Ea proxime accedere dicitur ad textum Ebræum. In his Thargumim multa reperiuntur, quæ Christianis servire possunt contra Judæos, in capite præcipuo de Messia, locisque qui ad Messiam pertinent.

*Versiones Græcæ sex.*

Versiones quæ in gratiam Judæorum ἑξαπλῶν sive Græcientium factæ sunt, sex numerantur. *Prima* & augustissima omnium fuit versio, quæ LXX interpretum vocatur: quæ facta fuit anno ante Christum natum CCLXVII. *Secunda* Aquilæ Sinopensis Pontici, qui vixisse creditur sub Hadriano Imperatore, circa annum Christi CXXXVII. In ea, ait Hieronymus, multa esse, quæ faciunt ad fidem nostram corroborandum. *Tertia* (ordine temporis) Theodotionis, quem Tatiani auditorem fuisse tradit Euthymius, sed postea Marcionitam factum, tandemque ad Judæos defeciſſe. Eum Ebionæum appellat Eusebius, & Semi-Christianum Hieronymus. Hæc facta fuit sub Commodo Imperatore, Anno Christi CLXXXIV. *Quarta* Symmachi, quem Samaritam fuisse testantur Epiphanius & Theodoretus. Ebionitam fuisse dicit Eusebius, Semi-Christianum Hieronymus. Ea facta fuit sub Severo Imperatore, circa annum Christi CXCIII. De tribus his versionibus Hieronymus præfat. in lib. Job ait: Apud Græcos Aquila, Symmachus & Theodotio, vel verbum à verbo, vel sensum à sensu, vel ex utroque commixtum & mediè temperatum genus translationis expresserunt. Eusebius autem lib VI. cap. 16. apud Græcos tres illas versiones, post versionem LXX interpretum, magis communes & vulgatas fuisse narrat. *Quinta* fuit incerti autoris. Ea inventa fuit sub Antonio Caracalla, Severi filio, inclusa dolio in urbe Jericho, anno Christi CCXX: uti legere est apud Eusebium, Hist. Eccles. lib. VI. cap. 17. & apud Epiphanium, in libro de ponderibus & mensuris. *Sexta* similiter fuit incerti autoris, &, si Epiphanio credimus, similiter inventa Nicopoli apud Actium in doliis occultata, medio tempore imperii Alexandri, anno Domini CCXXX. Has duas quæ anonymæ erant, ab Origene inventas asserunt, qui instituta in Græciam profectione, omnes editiones, quæ reperiri poterant, conquisiviſſe legitur. Sed antequam eas reperiſſet, jam adornaverat opus proprium suum, quod nos appellabimus, versionem *septimam*, sive potius versionum quatuor priorum diligenter collatarum paralleliſmum. Nam versiones quatuor, nempe LXX, Aquilæ, Symmachi, (hunc enim Origenes Theodotioni præposuit) & Theodotionis, in unum volumen compegit, & quatuor columnis parallelis distinxit. Et hæc erant Origenis τετραπλᾶ. Ea postmodum auxit, additis duabus aliis columnis, quarum prima continebatur textus Ebræus characteribus Hebræis exaratus; altera idem textus characteribus Græcis scriptus. Et hæc erant Origenis ἑξαπλᾶ. Denique, postquam duas istas anonymas reperiſſet, easdem prioribus adjecit, novis duabus columnis à cæteris distinctas; & hæc erant Origenis ὀκταπλᾶ, quæ anno Domini CCXXXI edidit. Opus ingens, laborioſum, utiliſſimum, & maximo Ecclesiæ malo amiſſum. Hoc versio *Septima* vocatur. His addunt plerique, *Octavam*, Luciani cujusdam Antiochenæ Ecclesiæ presbyteri & martyris, quæ, teste Hieronymo, Constantinopolitanis usque ad Antiochiam probata fuit: cujus exemplar manu propria martyris exaratum inventum fuisse dicitur Nicomediæ, in arca quædam marmorea, vel, ut quidam volunt, in pariete, vel, ut alii, in turre quadam calce illita. Hic vixit post Origenem, circa tempora Diocletiani, & martyrium

tyrium subiit anno Christi cccxi. Et *nonam* Hesychii, quæ Ægyptiis & Alexandrinis vehementer placuisse dicitur. Atque hæ versiones omnes, saltem quoad prototypa periere, adeo ut non nisi rudera & vestigia tantum quædam earum compareant in scriptis Patrum antiquorum quorundam: sive id factum sit bello Alexandrino Cæsaris, sive tempore Diocletiani, sive tempore Theodosii senioris, quando, ut refert Ruffinus, à Christianis dirutum fuit Serapidis templum, in quo Serapeum erat, sive bibliotheca à templo isto denominata.

*De versione LXX interpretum.*

Atque hoc ipsum verum etiam esse credimus de versione LXX interpretum, quæ vocatur. non quod tota plane interierit aut evanuerit, sed quod sive Judæorum Græcensibus ob translationem istam factam infensorum odio, sive exscriptorum suis adfectibus indulgentium, & pro adfectibus suos subinde sensus infarcientium, sive complurium, quæ deinde secutæ sunt, versionum commixtione, adeo vitiata ac corrupta fuerit, ut non eadem, sed alia omnino videri debeat; ut recte probat Bellarminus argumentis aliquot evidentibus: 1. testimonio ipsius Hieronymi. 2. quia versio LXX accuratissima fuisse dicitur, & ad verbum facta, testibus Philone & Aristea. At vero, ea quæ nunc dicitur versio LXX interpretum, pluribus in locis dissentit ab Hebræo, multa habet quæ non sunt in Hebræo, & contra multa non habet quæ sunt in Hebræo. Dissensionis exempla tria allegat. Primum ex *Genes.* V. ubi secundum Græcam editionem Mathusalem invenitur vixisse XIV annos post diluvium, cum tamen in arca non fuerit. Solum enim octo animæ in ea salvatæ sunt, id est, Noe, Sem, Cham & Japhet, cum uxoribus eorum, ut est *Genes.* VI. 18. & 1 *Pet.* III. Secundum ex *Genes.* XXVI. ubi LXX habent, *Non invenimus aquam*, cum Hebræi codices habeant, *Invenimus aquam.* Tertium ex *Jon.* III. ubi LXX habent, *Adhuc tres dies & Ninivæ subvertetur*; cum Hebræi codices habeant, *Adhuc quadraginta dies.* Posterioris exempla non adfert, sed ea Hieronymus aliique adnotarunt, uti sunt hæc: *Ex Ægypto vocavi filium meum. Videbunt in quem compunxerunt. Quæ oculus non vidit & auris non audivit*, &c. atque his similia, quæ LXX non habent. Contra *Esa.* LXV. 2, Ebræus textus habet, *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum.* LXX addunt, *& contradicentem. Psal.* XXII, Ebræus textus habet, *Deus, Deus meus, quare dereliquisti me*: LXX addiderunt, *Deus, Deus meus, respice in me; quare me dereliquisti*, &c. Hisce adde quod Origenes post edita sua ἑξαπλᾶ, aliam editionem LXX adornare aggressus fuerit, quia eam adeo vitiatam esse comperiebat, ut non pauca in ea extare videret, quæ in Hebræo textu non leguntur, & non extare quæ in eo leguntur; atque ita indicaret quid ab aliis interpretibus adjectum, quid detractum esset. Adjecta obelis sive obeliscis aut verubus confodiebat, detracta, aut quæ ex Theodotionis versione irrepserant, asteriscis notabat, quasi luce indigentia, aut contra veluti stellulis illustrata: Discrepantes lectiones variorum librorum consensu firmatas, lemnisci signo; paucorum testimonio approbatas, hypolemniscis indicabat. Harum notarum specimen expressit Andreas Masius, ex vetustissimo codice Syro, in præfatione suo ad Græcam editionem Josuæ. Hanc obelis, asteriscis, & lemniscis Origenis notatam editionem, exinde omnes fere describebant, adeo ut non multo post reliquæ translationes omnes neglectui haberentur, atque ita paulatim vilescerent & interciderent ad unam omnes: usque adeo ut Hieronymus, in Epist. ad August. tom. 2. conquereretur suo tempore, id est, sesqui seculo post Origenem, in omnibus Ecclesiarum Bibliothecis vix unum atque alterum inveniri potuisse exemplar, in quo illa τῶν ἱβδομήκοντα duo intetpretatio, simplex & absque asteriscis, hoc est, non suppleta Theodotionis verbis, supereſſet.

Hoc cum ita sit, necesse utique non est, ut solicitè inquiramus quid sentiendum sit, tum de historia, qua interpretatio ista à LXX interpretibus procurata traditur, ex Aristea, & qui Aristeam secuti sunt Josepho & Philone; tum de interpretationis istius autoritate. Ut ut enim historia ista vera esse credatur, certum tamen est interpretationem istam jam non exstare, ac proinde autoritatem ejus plane nullam esse posse. Sufficiat paucis indicasse, quid nobis videatur de historia. Quicquid ea magno autorum consensu stabiliatur, verisimilior tamen mihi videtur eorum sententia, qui interpretationem istam non volunt factam, autore sive Ptolomæo Lago, sive Lagi filio Philadelpho, suasore Demetrio Phalereo Bibliothecæ Alexandrinæ præfecto, per requisitos non sine magnis muneribus ab Eleazaro tum Hierosolymis Pontifice, & ab eo ablegatos LXXII interpretes, ex unaquaque tribu sex, qui Ebræas & Græcas literas accurate docti, in Pharo insula, sive bini, sive singuli, cellulis peculiariter ad id fabricatis inclusi, sive simul juncti, Scripturas sacras in Græcam linguam transtulerint, paribus verbis ac sententiis. Rationes hæ sunt. 1. quod historia ista tota ex Aristea sumta sit, quem certum est, non pauca narrare, quæ dubia, falsa, ac fabulosa sunt: adeo ut liber ejus ab Helleniſtis potius confictus videri debeat, quam ab Aristea conscriptus. Res liquet: Demetrius Phalereus procurator hujus totius negotii apud Philadelphum statuitur in libro isto, cum iste apud eum in maximo odio fuerit, & statim initio regni ejus relegatus, morsu aspidis perierit. 2. Seni interpretes ex singulis XII tribubus missi dicuntur ab Eleazaro. Atqui tempore isto duodecim tribus fuisse Hierosolymis non constat. saltem constat, si qui ex decem deportatis in Assyriam tribubus forte Hierosolymis erant, eos tribubus duabus Judæ & Benjamin permixtos fuisse, & nullo in honore, tanquam tribus peculiares constituentes, habitos fuisse. Ut LXX Senatores Sanhedrim sive Synedrii Magni eo missi dicantur, neutiquam verisimile est, quippe penes quos erat Reipub. totius supremum regimen; &, si omnino eo missi fuissent, non tamen inde sequeretur missos fuisse senos ex singulis tribubus, imo contra sequeretur, cum Senatores isti non modo ex singulis tribubus seni non essent, sed vel omnes vel plerique ex tribu Levi & Judæ. Adde, quod parum simile vero videatur, Regem Philadelphum voluisse accersere Hierosolymis interpretes, cum in regno suo, in Ægypto, & Alexandriæ imprimis, haberet Judæos omni scientiarum genere instructos, & non minus si non multo magis, quam Hierosolymitani erant, idoneos ad Scripturas in Græcam linguam transferendum. Aristæas ipse ait Philadelphum tum in regno suo habuisse centum millia Judæorum, eosque omnes libertate donasse suasu Demetrii. 3. Fabulosum prorsus est, quod scribit Aristeas, Ptolomæum post approbatam interpretationem, jussisse, ut, ex more usitato, LXX interpretes diras adhiberent atque execrationes, si quis ex ea quidquam aut subtraheret, aut adderet, aut immutaret, ut sic incorrupta servaretur translatio. Nec enim probari potest in more positum fuisse Græcis, ut diras adhiberent aut fieri cuperent, nisi rebus plane desperatis, aut in magna necessitate rebusque magni momenti. 4. Quia si Eleazari summi Pontificis opera, & consensu magni Synedrii, versio ista facta fuisset, sine dubio dies iste, quo versio absoluta erat, fælix, faustus, lætusque fuisset Judæis Hierosolymitanis. At contra fuit. Inter tristissimos & summe execrabiles iis habitus fuit; adeo, ut propterea solemne jejunium & angariam octava die Thebeth, qui mensis nobis December est, instituerent, eo quod immani scelere ac flagitio Lex divina & Sacra ejus Scriptura polluta esset ac contaminata. Hæ rationes sane non sunt leves. Quid ergo, inquies? Fabula-ne tota est, quod de versione LXX tam diu constanterque creditum est? Resp. Fabulosa non pauca esse omnino statuendum videtur, ob rationes prædictas; quibus adde, quod si quis propius videat ingenium & mores Philadelphi, vix credere possit, aliquam rerum sacrarum curam animo ejus insedisse, nedum ut honorifica legatione & magnis muneribus acciverit LXX Judæos, uti Pseud Aristeas narrat, vel ut legem Judæorum Græcè haberet quam purissimè, tot cellulas fabricari curaverit in insula Pharao. Certe si vita ejus legatur, apparet eum fuisse hominem truculentum & sordidum, quippe qui duos fratres suos ex Euridice natos interemit, mores eorum exosus, an consortis impatiens? ut merito per ἀνδροφόνον φιλάδελφον appellatus videri possit. Contra, sororem suam Arsinoen, non fraterno sed incesto amore dilexit, & uxorem duxit. Unde ergo est, inquies, versio LXX quæ vocatur? Valde verosimile est, eam regnante post Lagum Philadelpho, factam esse ab Alexandrinis Judæis, in gratiam popularium suorum, qui sub imperio Ptolomæorum Græce loqui, scribere, omniaque negotia sua agere cogebantur, adeo ut Ebreæ linguæ tum notitia tum studium plane apud eos exoleſceret. Quare ut ne prorsus ab amore Legis divinæ sacrarumque Scripturarum desciscerent atque alienarentur, Græcam paraphrasin ediderunt; cui, ut autoritatem conciliarent, finxerunt, eam autoritate Philadelphi procuratam, summo cum consensu LXX virorum, eum in finem selectorum, magnisque muneribus & honorifica legatione accitorum, institutam absolutamque esse. Addiderunt deinde, ut commento fidem facerent, narratiunculas de cellulis totidem, quas sibi visas Justinus Martyr, sine dubio à Judæis seductus persuasusque, testatur, de mirabili consensu in verbis omnium ac singulorum, seorsim legem totam interpretantium, &c. quæ pene in totidem miracula exeunt aut desinunt. Causſa ut sic agerent verosimiliter fuit, quod translationem istam Hierosolymitanis Judæis invisam atque execrabilem esse viderent, seque ea propter odiis & maledictis atque diris mactari à suis. quare ut translationi suæ autoritatem contra ista odia diraſque conciliarent, sub titulo Aristeæ historiam commenti sunt, istam de qua hactenus egimus. Nullius ergo usus aut existimatio-

mationis, inquies, fuit ista versio? Imò vero, inquam, magni usus atque existimationis fuit. sed in Synagogis dumtaxat Hellenistarum Judæorum, ubicunque eæ erant, etiam in ipsa urbe Hierosolymitana, & quidem, ut nonnulli volunt, per octingentos annos integros. Nec dubitandum mihi videtur, quin ea paulatim vulgo Judæorum adlibuerit, & apud maximam populi partem in usu esse cæperit, cui commercia cum Græcis & Græciensibus per totam Ægyptum & Europam dispersis facienda erant; imprimis postquam Græcorum, deinde Romanorum, Græce tum etiam, uti verosimile est, cum ipsis Judæis loquentium, jugo pressi fuerunt. Ratio quæ me movet, est, quod videam Apostolos & Evangelistas, citantes aut narrantes dicta Veteris Testamenti, plerumque sequi interpretationem Græcam LXX. Quod factum ab iis verosimile est, non tantum idcirco, quia ipsi Græcè scribebant, sed etiam, idque potissimum, quia interpretatio ista Græca tum temporis apud vulgus Hebræorum in usu magnaque existimatione erat; utpote facta non à Græcis aut profanis hominibus, sed ab istiusmodi viris, qui natione Hebræi fuerant, & extra omnem fallendi, aut textum sacrum immutandi, suspicionem, etiam isto seculo habebantur: quamvis proculdubio non deessent, tum ex proceribus, tum ex vulgo, quibus ista Græca versio non modo displicebat, sed exosa simul atque invisa erat, uti ex antedictis patet. atque inde erat, quod eum qui ea utebatur vocarent הקיראנפתית *hacore giphtith*, id est legentem Ægyptiace, hoc est, uti glossa Thalmudis habet, למפרע *lemephrang*, præpostero ordine, nempe à sinistra ad dextram.

Ex hoc colligere facile est, quid de interpretatione ista sentiendum sit, sive quæ ejus autoritas apud nos Christianos esse debeat. Nempe siquidem ea pura ac non interpolata ad nos devenisset, non minor ejus autoritas apud nos esse debuisset, quam textus Ebraei, ac proinde non minus nos ea stare eique fidere debuissemus, quam Apostolos ea stare voluisse observamus, in citationibus & allegationibus testimoniorum Veteris Fœderis. Adde, quod nonnulli volunt, ea Ebræo textui præferenda à nobis esset, hoc tempore, quo Judæos credunt in textum Hebræum corruptionis nonnihil induxisse, solo Christianorum odio; quod tamen ut facile credam, non adducor. Hoc non dubito asserere, tanti faciendam esse hanc versionem nobis Christianis, ut si hodie aliquid reperiatur in textu Hebræo, diversum ab eo quod citatur in Novo Testamento, ubi ratio habita est editionis LXX interpretum, statuendum omnino sit, veram lectionem, esse potius istam, quæ apud scriptores Novi Testamenti legitur, quam eam quæ in codicibus Ebræis hodie exstat: &, si quid in Novo Testamento citatur, quod in veteri Hebræo non exstat, id ex novo supplendum esse. Sed vero nec hoc contentiose admodum urgere velim, quia certum est, translationem veterem LXX, puram ac non interpolatam ad nos non devenisse, uti ex antedictis manifestum est.

*Versiones Latinæ. Italica vetus.* Ex græcis his versionibus factæ postmodum sunt versiones Latinæ, eæque ut Augustinus ac Hieronymus ajunt, pene innumerabiles. Earum antiquissima, prima, & præstantissima, cæterisque aliis diu antehabita fuit Itala, sic dicta, quia, ut Augustinus ait, verborum tenacior erat cum perspicuitate sententiæ. Ea quia vulgo recepta erat, vulgata, & quia versione Hieronymi antiquior erat, vetus dicebatur.

*Hieronymi.* Hanc excepit versio Hieronymi, quæ duplex fuit, Veteris Testamenti ex Hebræo, & Novi Testamenti ex Græco; quæ tamen non tam nova versio fuit, quam veteris Latinæ sive Italicæ versionis emendatio ad Græci textus ἀκρίβειαν. Hæc à multis quidem recepta fuit & approbata, sed à non paucis etiam gloriæ Hieronymi æmulis, forte tiam novitatis odio, rejecta & repudiata, ne in Ecclesia legeretur. Tractu tamen ac decursu temporis invaluit in plerisque Ecclesiis utraque; sic tamen ut versio vetus Psalmorum, qui in templis cani solebant, retenta fuerit: in reliquis libris ex duabus una facta sit, partim vetus, partim nova: vetus in libris Ecclesiasticis, id est, apocryphis, retenta fuerat: nova in prophetis minoribus admissa, in reliquis mixtura duarum in unam facta sit.

*Vulgata hodierna.* Ex his duabus, Italica scilicet & Hieronymiana, tractu temporis conflata est ea, quæ dicitur & jam in usu est apud Ecclesiam Romanam versio vulgata. Non enim, uti fatetur Bellarminus, lib. 2. de verbo Dei, cap. 11. est unius autoris, sed quædam habet ex Hieronymo, quædam ex Luciano, quædam ex Theodotione, quædam ex alio interprete anonymo. Ex quo colligitur eam ipsissimam Hieronymi versionem non esse. Quod ipsum rationes complures evincunt, quas apud alios videre est. Earum præcipuæ sunt hæ tres. 1. Quia Hieronymi versio Veteris Test. accuratè & exactè ad veritatem textus Hebræi facta fuit, uti ipse Hieronymus passim profitetur, provocatque ad Hebræos judices, quos Augustinus, de Civitate Dei, lib. XVIII. cap. 43. fatetur, de versionis fidelitate prolixe testatos esse. At vulgata versio infinitis locis δι' ἀλλοτρίων dissentit à veritate textus Ebraici. Eadem est ratio versionis sive emendationis vulgatæ versionis Novi Testamenti, quæ ab Hieronymo, autoritate vel instinctu Damasi Papæ, facta est ad τὴν ἰκκλησιαστικὴν ἀκρίβειαν, quæ in vulgata versione passim desideratur. Syllabum locorum discrepantium in utraque versione apud multos reperire est. 2. Quia vulgata versio non pauca habet, quæ diserè reprehendit Hieronymus, & longe aliter vertenda esse judicat, in quæstionibus Ebraicis, in libro de optimo genere interpretandi, in commentariis in Psalmos, in Ecclesiasten & prophetas. 3. Quia plurimum discrepat ab illa versione quæ in operibus Hieronymi exstat. Adde quod non pauci Pontificii contrarium publicitus fateantur. Sed vero demus ultro versionem istam vulgatam esse ipsissimam Hieronymi versionem, caussa tamen nulla est, cur non dico authentica videri debeat, sed cur præferri debeat versionibus aliis, licet recentioribus, quæ ad veritatem Hebraici & Græci textus accuratius sunt exactæ. Nam 1. Hieronymus ipse prophetam ab interprete distingui vult, seque interpretem dumtaxat non prophetam esse profitetur. 2. quia ipse passim versionem suam ad fontes ipsos expendi vult; in quo Patres omnes cæteros antiquos sibi consentientes habet. 3. quia certum est Hieronymum in multis erasse & non leviter hallucinatum esse. Ex quibus etiam clare elucet, eam nullo modo esse posse authenticam, nec per ullum decretum humanum authenticam reddi, aut ut authenticam Ecclesiis obtrudi posse; proinde Concilium Tridentinum perperam & inconsultò egisse, quando eam authenticam fecit, & ipsis Hebræis Græcisque fontibus præferendam esse judicavit. Quod etsi per se satis liquet, tamen non leviter confirmatur ex eo, quod post istud Concilii Tridentini decretum, ea ipsa vulgata editio bis ipsorum Romanorum Pontificum autoritate correcta fuerit & emendata; nempe à Sixto V. anno à Decreto facto quadragesimo quarto: & duobus post annis à Clemente VIII. Cui adde, Quod post hanc utramque correctionem, non pauci majorum gentium Pontificii confiteantur, complura adhuc restare eaque non levia corrigenda atque emendanda: uti ex Catalogo Lucæ Brugensis Decani Audomarensis liquet, quem continere ait alias lectionum varietates in Bibliis Latinis, ex vetustis M. S. S. collectas, quibus post geminam Sixti V, & Clementis VIII expurgationem, possit perfectior reddi feliciter cæpta correctio, si accedat Romani Pontificis autoritas. In præfatione sua citat duas Epistolas, Bellarmini Cardinalis unam, alteram Joannis Baptistæ Bandini, præfecti Bibliothecæ Vaticanæ, in quibus eos confiteri ait, multa quæ mutanda videbantur, immutata relicta esse in Bibliis Clementinis, ex. g. *Genes.* VIII. 7. in Ebræo textu & sex antiquis manuscriptis codicibus, uti Sacroboscо ait, legitur de corvo quod egressus fuerit *eundo & redeundo*. Contra, vulgata editio legit, *eundo & non redeundo*. Correctores Romani, inquit Lucas Brugensis, non judicarunt notam negationis omittendam esse. Alia non allego, quæ adeo multa ac enormia sunt, ut non pauci Theologi Pontificii ea excusari non posse censuerint, aperteque protesti fuerint passim in libris & commentariis suis. Ac ne viderentur Concilii Tridentini decreto adversari, de genuina ac propria mente seu sententia Canonis in Concilio sanciti litem moverunt: videlicet: An Latina illa vulgata versio authentica sit declarata absolutè ac simpliciter, ita ut omnis plane erroris expers sit, nullamque prorsus in ullo vel minimo apice immutationem patiatur: An verò isto sensu, quod in rebus ad fidem pertinentibus & ad doctrinam morum, nullum contineat errorem. Et hanc quidem sententiam amplexi sunt omnes isti, qui conferentes vulgatam editionem cum fontibus Ebræis Græcisque, facile animadvertebant eam in multis à fontibus istis diversam abire, & ista mente Canonis præsuppositа, sine ullo periculo corrigi atque emendari à mendis istis posse ac debere judicabant, quæ ad fidem ac mores non pertinerent.

Præter hanc vulgatam, plures aliæ versiones in lucem prodierunt, quarum catalogum apud diversos Scriptores reperire est: ut Santis Pagnini Lucensis, quæ edita est anno M. D. XXVIII, authore vel hortatore & sumtus ad eam necessarios subministrante Leone X Pontifice Maximo; & à variis non infimi subsellii Pontificiis Doctoribus, ipsisque adeo Lovanienſibus Theologis, nec non Parisiensibus, approbata, tanquam inter eas quæ recens editæ sunt commodissima tutissimaque. Ea postea Benedictus Arias Montanus Hispalensis in Regia Biblia, quæ vocant interlinearia, transtulit, & ubi Ebræum textum ad verbum non exprimebat, suam propriam in textu substituit, rejecta ad marginem S. Pagnini versione. Et hæc versio à Lovanienſibus Theologis regiorumque librorum censoribus approbata fuit: quibus

*S. Pagnini.* *Arias Montan.*

bus ſuffragium ſuum addiderunt Doctores Pariſienſes, quorum etiam judicio Latina S. Pagnini verſio Bibliis Regiis addita fuit.

*Iſidori Clarii.* Poſt S. Pagninum & Montanum verſionem aliam edidit Iſidorus Clarius Briſxianus Epiſcopus Fulginas, anno M. D. XLII. & quidem, uti inſcriptio præ ſe fert, ad Ebraicam & Græcam veritatem. Et hæc editio non fuit improbata à Cenſoribus Theologis, niſi quod prologum & prolegomena ei præfixa præcidenda ab ea dumtaxat cenſuerint: quod & poſtea factum eſt anno M. DC. XIV, in alia editione Veneta.

*Sebaſtiani Munſteri.* Pagninum & Iſidorum præceſſerat Baſileæ Sebaſtianus Munſterus, qui tribus ante Pagninum annis verſionem Bibliorum ſuam in lucem dederat, anno ſcilicet M. D. XXV. ſed eandem poſtea anno M. D. XXXIV, & tandem anno M. D. XLVI, auctam & emendatam edidit. Eodem tempore, anno ſcilicet M. D. XXXV, Joannes Oecolampadius interpretationem totius pene Veteris Teſtamenti publici juris fecerat. Hunc ſecutus eſt Leo Judæ, vir Ebraicæ linguæ peritiſſimus, non ex Judæo Zuinglianus, uti Genebrardus & ex eo Serrarius volunt, ſed ex Monacho, imò Monachis in eremo præfecto paſtor Tigurinus factus. Is Tiguri cæpit verſionem Bibliorum, ſed morte præventus eam abſolvere non potuit. Theodorus Bibliander in laboris partem ſucceſſit, & ſubadjuvantibus Conrado Pellicano, (qui & ipſe annotationes in univerſa Biblia ſcripſerat, Latinamque vulgatam verſionem interpolaverat) & Petro Cholino, opus inchoatum abſolvit, Anno M. D. XLIV. Hæc editio quia Tiguri adornata & in lucem data eſt, Biblia Tigurina vulgo indigetari ſolet. Hanc, uti refert Thuanus Curiæ Pariſienſis præſes, biennio poſt, ad vulgatam veterem adjecit Robertus Stephanus, ſuppreſſa eorum qui in ea laborarant, mentione: (additis annotationibus, Fr. Vatabli, Ebraicarum literarum Profeſſoris celeberrimi; quæ propterea tranſlatio citari ſolet nomine Vatabli, cum ea ſit Leonis Judæ, &c.) & Hiſpani Theologi diu poſt recognitam per Gulielmum Rovillium Lugduni denuo excudendam curaverunt.

*Ioannis Oecolampadii. Leonis Judæ.*

*Sebaſtiani Caſtellionis.* His ſucceſſit Sebaſtianus Caſtellio vel Caſtalio, qui verſionem Bibliorum Genevæ aggreſſus anno M. D. XLII, eam perfecit anno M. D. L, id eſt novem annis. Et prodiit Baſileæ, anno ſequenti, novo, terſo, & pura Latinitate donato ſermone tum Hebræo tum Græco. Hujus præſtantiſmi viri laborioſam induſtriam, piam curam, & in idiotiſmis tum Ebræis tum Græcis, accurata, diſerta, facili, dilucida, ſuavi & concinna oratione Latina exprimendis diligentiam, ad alliciendum quælibet, imprimis delicatiora ingenia, ad Scripturarum Sacrarum amorem & lectionem, majoris faciendam eſſe arbitror, quàm putidum eorum judicium, qui ſive novitatis odio, ſive malevolentia in hominem ab opinionibus ſuis diſſentientem, ei exprobrant audaciam profanam, puerilem interpretationem, ut Albericus Gentilis, inſolentem temeritatem, ut Thuanus, & quod impuras manus ad ſacra tractanda attulerit: quæ omnia approbat calculo ſuo Andreas Rivetus, in Iſagoge ſua ad Scripturam ſacram. Quid enim in judicio iſto eſt aut æquitatis aut modeſtiæ? Nempe Latina & Ciceroniana, id eſt florida oratione ubique uti voluit, & Angelos per Genios, & baptizabat per lavabat reddidit, aliaque. Quid enim, obſecro, in eo eſt, quod merito ægre ferri debeat? In verbis iſtis error non eſt: nec Latinitatis puræ ſtudium convitio mactari meretur. Nemo ideo erraſſe dicendus eſt, quiſquis erravit, ut recte cenſuit Laurentius Humfredus Anglus, quod Latine & eleganter ſtuduerit ſacros libros traducere. Errorum aliæ ſunt cauſſæ, eloquentiam nemo jure accuſandam cenſet, nedum ut qui eâ ornare atque illuſtrare ſtudet divina eloquia, ſine ſenſuum ſacrorum detrimento, impuras manus ad tractanda ſacra adferre credendus ſit. Cur enim alibi compti, hîc incompti, alibi politi, hîc polluti, alibi Ciceriones, hic Scoti & Barbari erimus? Cur cæteræ artes humanæ & profanæ niteſcere, ſola vero Scriptura horrere debet? Si rem recte exiſtimare velimus, hic finis omnium eſt, Dei gloria, quæ illuſtratur, ſi illuſtrior ejus reddatur oratio. Quare cur à lectione verſionis hujus præſtet, præſertim minus exercitatis, prorſus abſtinere, uti Rivetus ait, cauſſa nulla eſt. Contrà ego cenſeo, Præſtare ut ea ab omnibus, præſertim minus exercitatis, ſed piis, & affectuum pietatem excitandorum deſiderio motis, legatur, vel hoc ſaltem nomine, ut recte Melanthon in Epiſtola ſua ad Caſtalionem, qua judicium ſuum de verſione ejus ad eum perſcripſit, ait, ὅτι καλὸν φίλον ἐστί. Paucis poſt editam Latinam verſionem annis, idem Sebaſtianus Caſtellio Biblia etiam Gallicè tranſtulit, idque non minori fide & elegantia quàm Latinè fecerat, ita ut utrumque opus ejuſdem parentis eſſe prolem facilè agnoſcas. Sed pro gratia quam tanti meruerant labores, nihil ferè aliud pius ille vir quàm odium & contumelias à pleriſque reportavit. Interque alios à Theologis Genevenſibus, qui in præfatione ſua in Novum Teſtamentum Gallicum, anno M. D. LXVI, in fol. & ſæpe alias diverſis formis excuſum, ſcribere non dubitarunt Caſtellionem Satanæ impulſu Biblia tranſtuliſſe, cujus ſelectum ſit inſtrumentum ad omnia volatica & imprudentia ingenia trahendum. Quod quàm ſit non ſolum à veritate, ſed etiam à Chriſtiana charitate alienum, omnibus bonis & harum rerum intelligentibus judicandum relinquo.

*Tremellii & Iunii.* Poſt Caſtalionem Tremellius & Junius Biblia in Latinum ſermonem tranſtulerunt, & tranſlationem ſuam evulgarunt anno M. D. LXXIV: quæ deinde ſecunda, tertia, & quarta cura Franciſci Junii ſic illic immutata, expolita & illuſtrata annotationibus, edita eſt Genevæ anno M. D. XC. & poſtea Hanoviæ, anno M. DC. II. Judicia de tranſlatione hac varia fuerunt, atque etiamnum ſunt. Eam Theologis Anglis haud uſquequaque placuiſſe, ex eo conſtat, quod eam in Anglia prælo ſubjectam, & ad umbilicum pene perductam, quia ſine maxima typographorum jactura ſupprimi omnino non poterat, non ſine obelo & veru præfixo in lucem edi permiſerint, utpote multa continentem, quæ humanum ingenium ſapiunt, & quæ non uſquequaque probantur; uti ex cenſura editioni iſti præmiſſa obſervare eſt. Ea impreſſa eſt Londini, anno M. D. XCIII. Nos ſententiam noſtram non interponimus, niſi quod mirari ſatis non poſſimus judicium Riveti, aliorumque quorundam Theologorum, qui poſtquam acriter ſatis cenſuerunt tranſlationem Sebaſtiani Caſtalionis, Ciceronianam ſcilicet uti illi per ludibrium eam vocant, hanc tranſlationem laudare & commendare non dubitant, quæ ubique pene affectatam nimis & inuſitatam Latinitatem ſapit, eſtque non tam μετάφρασις accurata, quàm, uti recte cenſuerunt Angli, paraphraſis, per quam, rejecta ad marginem verborum proprietate, ipſorum Tranſlatorum ſententia ſuper ea, textui ſacro, tanquam genuina Spiritus S. ſententia, inſeritur, & annotationibus illuſtratur, quæ ſententiæ iſti, non ſine magno textus S. præjudicio, ſuperſtruuntur; quod vitium in metaphraſte magnum eſſe, nemo prudens negaverit. Hoc autem dicimus, non quod idcirco quidquam detractum velimus magnis iſtis nominibus, eorumque præclaris operibus, laboribus, ac meritis; ſed ut oſtendamus, eos qui ubique æquitatem & modeſtiam in judicando de viris iſtis, quos ipſi in pretio habent, ſolicite admodum requirunt, parum recte atque ex officio ſuo facere, quando de laboribus aliorum, quos à ſe diſſentire opinionibus quibuſdam ſciunt, non modo non modeſtè, ſed vix ſine convitio & inſectatione amarulentiæ plena judicant. Æquum profecto eſt, ut qui aliis monſtrant viam, ſibi ipſis primi ſemitam ſapiant.

*Verſiones vernaculæ.* Atque hæ ſunt verſiones Latinæ, quibus utrumque tum vetus tum Novum Teſtamentum Latinè redditum eſt. Iis adjungi poſſunt verſiones aliæ, quæ in ſuam cuique vernaculam linguam ſunt factæ: quas certum eſt omni retrò ævo complures fuiſſe, & alias ex aliis natas, in uſum populorum, qui divinæ Religioni Jeſu Chriſti nomina ſua dabant. Noſtro & patrum noſtrorum ævo quamplurimæ verſiones vulgares, & cuique genti vernaculæ, prodierunt, Italicæ, Gallicæ, Germanicæ, Polonicæ, Hungaricæ, Anglicæ, Danicæ, Iſlandicæ, & noſtrates Belgicæ; quarum aliæ aliis accuratiores ſunt, prout vel propius vel longius abeunt à fontibus ipſis Ebræis & Græcis. Inter eas quæ minus accurate factæ fuerunt, cenſenda eſt noſtra Belgica, cujus uſus hactenus fuit in Fœderato Belgio. Ea enim plane non fuit exacta ad fontes Hebræos, ſed maximam partem, ſi non omnino, ex Germanica Lutheri verſione traducta: adde, (quod Philippus Marnixius, Dominus de S. Aldegonde, non dubitavit ſcribere) multò quàm Germanica Lutheri, deterior reddita. Errores ejus pene innumeros clarè detexit non ita pridem ὁ μακαρίτης Sixtinus Amama Friſius, Profeſſor Hebreæ linguæ in Franequerana Academia, vir longiore vita, ſi Deo placuiſſet, digniſſimus, in diatriba ſive collatione ſua Biblica, anno M. DC. XXIII. Amſtelodami edita. *Belgica vetus.*

*Belgica nova.* Atque hæc potiſſimum cauſſa fuit, quæ Ordines Fœderati Belgii movit, ut, poſt fruſtra hactenus tentatas cæptasque partim à Philippo Marnixio, partim à Wernero Helmichio novas verſiones, ſive veteris verſionis emendationes, conſultum duxerint juſſerintque, novam & accuratam, proximeque ad fontes ſacros exactam verſionem adornari, non pœnitendo exemplo. Eam ad rem deputati fuerunt in & à Synodo Dordracena, habita anno M. DC XVIII. & M. DC XIX, quindecim-viri, qui in ea adornanda & elaboranda octodecim annos deſudarunt, ac tandem hoc ipſo anno M. DC XXXVII. eam in lucem ediderunt, commentariis & annotationibus ſuis ingentibus ſane ac prolixis, ſuffragiiſque Theologorum quorundam ὁμολογήσων ab Ordd. Fœderatis ad eas revidendas accitorum, comprobatis, au-

ctam &, si diis placet, illustratam. Quid de ea judicaturus sit Christianus orbis, tempus docebit. Ad me quod attinet, qui brevi hoc tempore non nisi obiter tantum loca quædam, tum controversa, tum in veteri versione emendanda, lustrare potui, si ὁν τῷ κρατῖδι ἀφὶ πυὸς τῷ ὑφάσματος, sive ex fimbria de contextu toto judicare liceat, verbo uno dixerim; Quanto in locis istis quæ percurri hic illic, emendatior melioreque est nuda versio, tanto mendosiores deterioresque sunt notæ, quæ versioni adjunctæ sunt, ut nesciam, an majus emolumentum ex versione, an vero majus detrimentum ex notis ad Rempub. Christianam redundaturum sit. Nempe, eruditi homines, & quibus divinorum verborum sententia curæ ac cordi est, non tam notas & animadversiones, quas cuique liberas relinquunt, æstimant, quam ipsam propriam ac genuinam verborum sacrorum versionem. ineruditi, qui fontes sacros adire propter imperitiam suam nequeunt, & opinionibus atque affectibus suis magis quam judicio ducuntur, non tam versionem an ex fide veroque facta sit, quam notas ipsas æstimant, & quia autoribus earum potius libentiusque quam sibi ipsis fidunt, iis multo tenacius pertinaciusque, quam versionis veritati aut proprietati adhærent. Quare cum ab hisce multo gravius detrimentum veritatis sacrorumque sensuum metuendum sit, quam ab istis, consultius multo facturi mihi fuisse videntur, tum Reipub. Christianæ, tum famæ suæ, bonorumque omnium spei atque exspectationi, interpretes hi novi, si versionem suam sine notis, quam si eam cum notis suis edidissent. Quod tamen sic accipi nolim, quasi aut versionem eorum totam probem, aut notas omnes improbem. Est enim in utrisque, quod (salvo semper meliore judicio) probandum & quod improbandum censeo.

Quod ad versionem attinet, ea etsi longè præferenda mihi videatur versioni veteri, non tam quia ex ingenio, industria, aut prima interpretum horum observatione, quam quia ex aliorum eruditissimorum Theologorum indiciis simul ac judiciis ante datis facta est, tamen in ea probari mihi non potest. 1. quod in vocibus seu vocabulis quibusdam, ubi nulla necessitas est, Belgice reddendis, anxiè nimis laboratum sit, non rarò etiam Belgici idiomatis gratia neglecta: ut cum *Genes.* I. 16, pro eo, quod habet vetus editio, *Ende God maeckte twee groote lichten, een groote licht dat den dagh regeert*, &c. verterunt, *dat groote licht tot heerschapije des daghs, en dat kleyne licht tot heerschappije des nachts.* & *cap.* II. 7: pro eo quod in veteri versione est, *God maecte*, verterunt, *God hadde* (niet, gemaeckt, maer) *geformeert*, &c. 2. quod in phrasibus quibusdam vertendis, ubi sine periculo id fieri potest, pudori & honestati sæpe non consuluerunt: ut *Genes.* II. 20, &c. Hæc tamen levia sunt. 3. quod versionem tum vocabulorum tum phrasium nonnullarum, ubi ab iis periculum aliquod peculiaribus suis placitis atque opinionibus metuebant, non aptaverint verborum phrasiumque proprietati, & divinæ sententiæ, sed istis ipsis suis opinionibus, quantum ullo modo potuerunt, non sine manifesta tum præjudicii, tum temeritatis, declaratione. Exempli gr. *Exod.* XXXII. 33, quod in Hebræo textu est, *Eum qui peccavit mihi delebo* אֶמְחֶנּוּ *è libro meo*, verterunt ad exemplum translationis Junii & Tremellii, per, Delerem: *Ick soude uyt mijn boeck delgen.* Cur verò? Ne absolutæ Prædestinationi ejusque infallibitati sive inevitabilitati inde periculum creetur, uti ex notis additis, quæ ex notis Junii descriptæ sunt, patet. Sic enim habent: T. W. *indien ick iemant uyt mijn boeck wilde delgen.* Junius sic habet, Si, ut dicis, ullus mihi delendus esset, pro summa mea justitia eum delerem, qui peccavit. Quæ vertendi ratio an non manifestum sapiat præjudicium, addo & temeritatem, aliorum judicio lubens relinquo. Futurum enim indicativi modi vertendo in optativi modi tempus præsens, non modo proprietas vocis negligitur, sed & divina affirmatio tantum non in negationem commutatur. dicere enim, pro delebo, id est, volo delere & actu delebo; ego delerem, est tantundem dicere, ac, Non volo delere, nec actu unquam delebo semel libro meo inscriptos; sed si delere aliquos vellem, delerem peccantes mihi, & quidem pro summa justitia mea, id est si prout rigide exigit justitia agere vellem. Accedit, quod hæc ipsa versio tum in manifestam veritatem, tum in se ipsam impingat. Alterutrum enim ex ea sequitur; Aut eos, qui semel libro Dei (id est divinæ, uti translatores intelligunt, electionis) inscripti fuerunt, nunquam sic peccare ut deleri mereantur, aut si sic peccent, falsum esse, Deum delere illos velle ex libro isto suo. Sed hoc obiter hîc indicasse sufficiat, Hujusmodi loca complura passim observare est, quæ nunc non allegamus.

Quod ad notas versioni in folio editæ adjunctas attinet, de iis merito dicere mihi liceat,

*Sunt bona, sunt quædam mediocria, sunt mala multa.*

Certe, qui eas prima fronte introspicit, is non potest non credere, eas pure pute Calvinianas esse, & eo dumtaxat nulloque alio fine, magna cum solicitudine elaboratas, quam ut in sensibus istis, qui ad fidem & mores pertinent, universa Biblia nihil aliud videantur continere, quam quod cum doctrina de absoluta Prædestinatione, in Synodo Dordracena nuper sancita, & cum placitis scitisque Calvinisticæ sectæ, aut potius interpretum ipsorum, quos Calvinisticæ sectæ coryphæos fuisse constat, per omnia examussim convenit. Quod unum mihi tam ingens non dico σφάλμα sed ἁμάρτημα esse videtur, ut non dubitem, quin propter notas istas, universa, si quæ est, versionis gloria, evanitura sit: & quidem duabus de caussis. 1. quod in notas istas impacturi sint omnis generis Theologi, diversarum aut contrariarum sententiarum, dentes, ungues & calamos suos, earumque occasione, versionem ipsam, ubi ubi poterunt, sugillaturi, & suspicione seu præjudicii manifesti, seu malæ fidei maculaturi. 2. quod manifeste jam appareat, omne illud quod hactenus tanto cum molimine, non postulatum modo, sed flagitatum pene est ab Ordinibus Fœderatis, ut correctior emendatiorque Bibliorum versio aliqua cuderetur, non tam eo fine flagitatum fuisse, ut correctior emendatiorque versio haberetur, quàm ut magnis cum impensis Notæ scriberentur & coacervarentur, non, quibus ratio mutatæ emendatæque versionis veteris contineretur, (id enim ut fieret æquum erat) sed quibus Dordracena fides & universa Calvini Theologia quasi sanciretur & animis legentium insinuaretur. Nempe sic versio propter notas, non autem notæ propter versionem factæ sunt atque elaboratæ, tanto cum temporis sumtuumque impendio, tanto cum veritatis præjudicio, tanto cum caritatis nocumento. Dices: Remedium isti malo allatum esse per editiones alias ejusdem versionis sine adjectione notarum. Resp. Quid remedio isto opus erat? Hoc est post vulneratam caussam remedium quærere, & antidotum dare postquam venena se remediis miscuerunt, aut remediis ita permixta aut conjuncta fuerunt, ut curiositati ad venena ipsa tum impense quærenda, tum imprudenter haurienda ansa data sit, & utraque manu porrecta. Nimirum non pauca sunt loca in Bibliis, quæ notarum quarundem lucem desiderant, & in Notis his non paucæ etiam sunt, sive ex ipsorum interpretum ingenio atque industria, sive ex aliorum Theologorum multo ante datis indicationibus, profectæ observationes, quæ lucem quibusdam obscuris locis adferunt. Eæ acuere facile possunt curiosum Lectorem, ut notas istas consulat, & si adlibeant, ut ad cæteras consulendas animum adjiciat, atque ita remediorum ante perceptorum sensu & amore præoccupatus, paulatim cum remediis venena imbibat. Quod tamen sic dictum nolo, quasi illicitum sit biblia edere cum notis, quæ cuique optimæ videntur. Nihil minus: sed sic solum, quod iis, quibus propositum est publica autoritate versiones ante factas à mendis vitiisque repurgare, & emendatiorem versionem in gratiam Christiani populi moliri, merito verti vitio possit ac debeat, quando non tam id agunt, ut versionem accuratam & emendatissimam moliantur, sine cujusquam offensa aut gratia, bono omnium Christianorum publico ac communi, quam ut Theologiam suam per notas adjectas instillent atque disseminent, cum offensa plurimorum, & adversionem animorum à legenda amandaque versione alioquin meliore atque emendatiore. Fere enim ac facile evenit, ut, quando in notis manifeste partium studium elucet, in suspicionem etiam vocetur interpretum fides & sinceritas, atque ita ab ipsius, licet emendatissimæ, versionis tum amore, tum lectione alienior reddatur plerorumque animus. Hinc laudandæ mihi videntur supra modum versiones S. Pagnini, B. Ariæ Montani quæ sine notis ullis editæ sunt, ac proinde ab omnibus promiscue leguntur. Post has sunt versiones, quæ notas aliquas adjunctas habent, ut versiones Leonis Judæ, sive Tigurina, Vatabli, Castalionis, &c. sed notas profecto, quæ avide ab omnibus leguntur ac desiderantur, quia vix ullum in iis apparet præjudicium, adeo ut notæ istæ faculæ potius in obscuris quibusdam locis positæ, & in communem usum accensæ videri debeant, quam ex ullo peculiari affectu insertæ, & per vim quasi illatæ præjudicationes. At, quæ his Bibliis noviter translatis additæ sunt notæ, eæ pleræque tales sunt, ut ubique extent manifesta quæsiti præjudicii vestigia, adeo ut, ubicunque loca occurrunt, quæ ad loci alicujus communis in Theologia seu confirmationem seu illustrationem pertinere hactenus ab ipsis aliisque judicata sunt, ea aut pro nihilo habitis, aut posthabitis rejectisque aliorum longe melioribus interpretationibus, suo præjudicio primum gravent, ne aut perperam aut inconsulto eam ad rem adhibita aut usurpata fuisse credantur. unde factum fuit, ut non raro clarissimis per se locis, & ad contrariam suæ sententiæ opinionem confirmandam idoneis,

neis, tenebras quasi de industria suffuderint, nulla aut veritatis aut caritatis æquitatisque reverentia. Atque hic præcipuus fuit horum interpretum scopus, ad quem obtinendum tantum temporis insumtum, & impensarum tantum factum fuit. Quanto satius fecissent, si ad exemplum multorum, atque imprimis Sixtini Amanæ, versionem veterem emendassent, & rationes emendationis suæ adjecissent, suum cuique judicium liberum relinquentes, ne viderentur versionis incorrectæ emendationem affectasse, ut sub ejus obtentu privatos sensus suos quasi autoritate publica firmatos Lectori obtruderent, & Theologiæ suæ, inducto notarum mangonio, pretium fænerarentur, & incautioribus fucum facerent. Hoc interpretum bonorum & interpretationis sinceræ clarissimum fuisset documentum simul ac κανὼν λίαν. Nunc cum aliter, imo contra fecerint hi interpretes, vix video qua ratione notam aut dicam neglectæ sinceritatis, & bonæ fidei desertæ, effugere possint.

Sed vero ut ut hæc res habet, multum admodum non refert. Quæcunque enim & qualescunque tandem versiones ac notæ versionibus adjectæ in lucem edantur, illud semper apud me extra controversiam manet, nullas versiones extare, in quibus non ea omnia quæ necessario omnibus ac singulis scienda, credenda, speranda, ac facienda sunt, clare satis ac perspicue exposita reperiuntur, adeo quidem, ut quod ad intelligendum ista attinet, quæ cui præferri mereatur, vix appareat. Et quia ea non uno dumtaxat alterove loco extant, sed passim obvia sunt, fieri non potest, ut vel versionis hic illic minus correctæ vitio, vel notarum hic illic adjectarum præjudicio, ita depraventur, ut vel quæ necessaria ad salutem sunt, non necessaria esse, vel quæ non sunt necessaria ad salutem, necessaria esse, cuiquam pio ac probo videri possint. Atque hoc unum satis est, ut tum à versionibus, tum à notis, quæ versionibus adjiciuntur, periculum nullum salutis cujusquam metuendum sit; qua in re divina de salute omnium cura ac providentia admiranda simul atque adoranda venit.

Quia tamen præter necessaria, multa alia sunt ad necessariorum seu clariorem intelligentiam, seu vehementiorem amorem acriusque studium excitandum utilia; & quia probi cujusque ac Deum timentis est, omnem divinam veritatem, quam proxime potest, indagare ac consequi, non potest ac non debet non labor eorum utilissimus videri, qui ut id obtineatur operam suam navant, vertendo divina oracula, quam possunt proxime ad veritatem & mentem divinam: & omnino rectè facere judicandi sunt ii, qui laboribus istorum sine affectu favent, & cum delectu utuntur. Delectus autem in hoc uno positus mihi videtur, quod versiones istæ cæteris omnibus præferantur, quæ proxime accedunt ad Sacrorum autorum verba, sive quæ de verbo ad verbum reddunt textum sacrum, absque ulla elegantiæ adfectatione, & privati propriique sensus seu interpositione seu immistione; cujusmodi versio est Bened. Ariæ Montani, quam ego longe cæteris omnibus, eam unam ob causam, præferendam esse existimo, quia per eam nec dictioni Spiritus S. nec mortalium cuiquam fit injuria; sed contra, Spiritus S. dictio reverenter habetur, & de sensu ejus suum cuique judicium liberum relinquitur. Ad has proxime accedunt eæ, quæ textus sacros non quidem reddunt de verbo ad verbum, sed verbis tamen adeo religiose insistunt, ut adscititiæ omnis aut adfectatæ elegantiæ cura nulla magna duci comperiatur; cujusmodi versio est S. Pagnini, & Leonis Judæ sive Tigurina versio. In his seligendis delectum positum esse cum dico, id sic intelligi volo, quod eæ merito præferendæ sint cæteris, quando aut cum adversariis disputandum, aut accuratius loci alicujus seu obscuri seu controversi sensus indagandus, aut curiosius aliquid ventilandum venit, ab iis qui fontes ipsos sacros adire nequeunt. Cæterum, ut ab iis, qui solo pietatis studio ducti, animos suos amant pascere Sacrorum sensuum dulcedine, & neglectis levioribus scrupulis, spretis quæstionum litiumque salebris, posthabitisque curiositatis illecebris ac lenociniis, adfectus tantum pios & sanctas ὁρμὰς exprimere atque haurire desiderant ex lectione divinorum eloquiorum, ut, inquam, ab iis præferantur versiones istæ, in quibus elegantioris styli & floridæ orationis, quantum sine dispendio veritatis fieri potuit ratio habita fuit, per me volentem lubentemque licet. Inter eas cur non referatur, si non præferatur, versio Sebast. Castalionis ego non video.

*Versiones Novi Testamenti. Syriaca.*

Atque hoc etiam judicium meum est de versionibus Novi Testamenti, quarum quatuor sunt præcipuæ. Prima & vetustissima omnium Syriaca, quæ, ut Tremellius testatur, ex archetypo Græco eoque antiquissimo codice majori ex parte expressa est. Autor ejus incertus est. Maronitæ, & fere Orientales populi apud quos ea in usu publico est, eam tribuunt Evangelistæ Marco; sed sine argumentis aut indiciis probabilibus. Nec levia argumenta sunt in contrarium. Ut ut est, antiquam eam, & forte, sola Græca excepta, omnium antiquissimam esse, constans fere omnium opinio est; & quia ea ipsa lingua tum Servatorem ipsum, tum Apostolos in Judæa versantes, ut vernacula usos esse, indubium est, eam merito suo cæteris omnibus præferendam esse, eruditi omnes judicant, solis exceptis Pontificiis quibusdam, qui vulgatam suam Latinam ei præferunt: quamquam vulgatæ Latinæ Novi Testamenti versioni eam nonnulli laudem tribuunt, ut non raro Syriaca longe sit accuratior, etiam ubi barbara aliquando videtur. Notandum autem in Syriaca antiquissima versione, non extare secundam Epistolam Petri: 2 & 3 Joannis, Judæ, Apocalypsin Joannis, historiam de adultera Joan. VIII. & vers. 7. cap. V. prioris Epistolæ Joannis, etsi eæ postmodum à Maronitis adjectæ & suppletæ in quibusdam editionibus recentioribus reperiantur.

*Erasmi.*

Secunda est, Latina versio à Desiderio Erasmo Roterodamensi, sub Pontifice Leone decimo conscripta, cui etiam opus istud dedicatum legitur: & à quo istud ipsum non permissum tantum indultumque, sed commendatum fuisse, apparet ex Brevi sive diplomate Pontificis Leonis X, ad Erasmum, ejusdem editioni præfixo, & judiciis Theologorum, omnis fere generis. Versionem hanc subinde & acriter satis perstringit Theodorus Beza, sed tam levibus sæpe ratiunculis adductus, ut exiguam gratiam eam ob rem iniverit apud eruditiores, & graviter ipse aliquando vapulet à suis, alioquin fidei suæ mordicus addictis hominibus.

*Theodori Bezæ.*

Tertia est, Theodori hujus Bezæ, quæ etsi laudem non exiguam meretur, tamen eo maxime nomine quibusdam displicet, quod manifesta nimis præ se ferat indicia præjudicii in versionis modo, propter inserta infartaque hic illic vocabula, non tam ad ipsius S. Scriptoris, quam ad sensum suum proprium exprimendum & quasi repræsentandum.

*Ben. Ariæ Montani.*

Quarta est Benedicti Ariæ Montani, quæ de verbo ad verbum facta est, optimo sane & utilissimo omnibus opere ac labore. Atque hanc ego cæteris omnibus lubens præfero, quicquid alii contra obganniant: sic tamen, ut propter ea quæ cæteris debetur, laus & gratia, detractam iis nolim, sed ut suo quisque loco ac gradu collocem, ex animi mei sententia. Indignus utique essem, qui tantorum virorum præclaris egregiisque laboribus uterer-fruerer, nisi quam iis, ea propter velle debeo gratiam, lubens etiam velim.

# LIBRI QUARTI, SECTIO II.

## *De Deo.*

### CAPUT I.

### De cognitione Dei in genere.

*Sensus S. Scripturæ contenti.*

Diximus hactenus eam quæ debetur SS. Scriptoribus autoritatem, & scriptis eorum libris fidem ac reverentiam. Sequitur ut videamus ea, quæ libris his continentur, sive sensus, imprimis istos qui omnibus & singulis ad salutem scitu, creditu, speratu, factu necessarii sunt. ex quibus clarius adhuc patebit, quo jure tam prolixi fuerimus in adserenda sua Scriptoribus sacris debita autoritate, & scriptis eorum reverentia ac fide. Sensus enim omnes, qui iis continentur, imprimis ii, qui aut prorsus ad salutem necessarii, aut vehementer admodum utiles sunt, ejusmodi profecto sunt, ut diviniores non possint aut à Deo ipso hominibus offerri, aut ab hominibus à Deo ipso jure desiderari. Atque intra hos potissimum sensus consistet ea, quam porro breviter traditurus sumus, Theologia. Interest enim omnium Christianorum ut in his recte intelligendis, meditandis, observandisque operam suam collocent. Theologiæ vero S. candidatorum, ut eos non modo ad unguem calleant, sed & accurate sciant aut studeant discernere à non necessariis, inutilibus, aut parum utilibus, propter quos fere turbatur orbis Christianus; imprimis à perniciosis ac noxiis, idque tum potissimum, quando ii non modo ut veri, sed ut ad salutem necessarii urgentur, & populo inculcari

jubentur, repudiatis damnatisque, si non necessariis, saltem veris, & ad necessarios rectius meliusque tum intelligendos tum præstandos, utilibus. Hac enim discretione semel accuratè ac sollicitè instituta factaque, tanquam lapide Lydio uti possunt, ad quem dirigant non tantum doctrinæ institutionisque suæ modum, sed & omnia sua studia ac consilia ad pacem in mediis & tristibus hisce Ecclesiarum Christianarum dissensionibus ac divortiis pertinentia. Quod ad institutionis doctrinæque suæ modum attinet, ut necessarios sensus, omnibus, ubique, fideliter, serio & graviter inculcent atque imprimant, μὴ πάσης ἐπιστήμης: *Tit.* II. *vers.* 1. & 15. & III. 8. *&c.* ut utiles subinde, qua tuto possunt, suaviter ingerant & prudenter admisceant: ut inutiles & vanos negligant, ac, quantum possunt, cohibeant: *Tit.* III. 9. ut periculosos ac noxios, ubi id tuto fieri potest, apertè redarguant, & ubi offensionis, scandali, aut turbarum periculum est, modestè & veluti per cuniculos suffodiant, subruant & evertant quasi insensibiliter; memores semper prudentiæ & caritatis. Quod ad studia & consilia pacis attinet: Ne unquam aut ipsi turbent, aut turbatis partibus se immisceant propter sensus non necessarios, aut saltem non usque adeo utiles, ut proxime ad sensus necessarios accedant. Ne unquam paciscantur cum iis, qui vel necessarios sensus doceri vetant, vel non necessarios, sub necessitatis ratione doceri jubeant; nedum cum iis, qui non modo sensus falsos pro veris, inutiles pro utilibus, noxios & damnosos pro serio inculcandis sensibus; aut contra, sensus veros pro falsis, utiles pro inutilibus, adeoque noxiis & damnosis minimeque populo inculcandis haberi volunt; sed & falsos, inutiles, imo noxios pro veris, utilibus necessarioque docendis sensibus, aut teneri aut retineri præfractè contendunt. Hos terminos sibi ipsi constituent,

*Quos ultra citraque nequit consistere rectum.*

*Ii comprehenduntur cognitione Dei & Jesu Christi.*

Sensus Scriptura S. contenti tam necessarii quam utiles comprehenduntur ab ipso Jesu Christo *Ioan.* XVII. 3. *cognitione Dei & Jesu Christi.* In cognitione hac ponitur salus & vita æterna. Ex quo colligo, cognitionem hanc non esse theoreticam aut speculativam, sed practicam, non tantum quæ praxim pro fine habet, sed cum qua praxis ipsa conjuncta est; quia cognitio theoretica impiis, adeoque diabolis, cum piis Dei & Christi cultoribus communis est: qui tamen vitæ æternæ spe omni destituuntur ac destituti semper manent. Id autem recte à nobis colligi, aliis aliquot argumentis supra clarum fecimus. Sed vero, quia cognitio practica præcedaneam sibi semper habet aut habere debet cognitionem theoreticam, ordo postulat, ut de hac primum agamus, & qua in re cognitio ista respectu utriusque objecti, Dei scilicet tanquam primarii, & Christi tanquam secundarii & vicarii, sita sit, expendamus.

*Cognitio Dei consistit in tribus, nempe cognitione naturæ, operum & voluntatis Dei.*

Cognitio Dei ut primarii objecti consistit in tribus: 1. in cognitione naturæ divinæ, ac divinarum, quæ naturæ divinæ immediatè ac primo insunt, proprietatum. 2. in cognitione divinorum operum. 3. in cognitione voluntatis divinæ, quæ lege aliqua continetur aut expressa est. Naturæ divinæ ac divinarum proprietatum cognitio ante omnia præire debet, ut appareat, Numen istud, cui natura divina, & divinæ proprietates istæ insunt, propter istam naturæ proprietatumque excellentiam ac prærogativam, dignum esse quod practica cognitione cognoscatur, id est, pro vero summoque Numine agnoscatur, ametur, honoretur, colatur. Operum divinorum cognitio ut deinde subsequatur necesse est. Ea enim, si talia sint quæ vere divina sunt, tum ei, cui natura ista competit, per opera ista datur, &, ut ita dicam, acquiritur jus ac potestas postulandi ac præscribendi, pro arbitrio suo, quem vult, tum cultum sui tum cultus modum. Voluntatis divinæ cognitio accedat tandem necesse est, ut postulantis mens, postulati qualitas, & obsequendi necessitas ex mente postulantis & ad postulati qualitatem intelligatur. Priora duo eò pertinent, ut certi simus ac persuasi Deum recte meritoque coli posse, & jure cultum à nobis exigere posse. Posterius, ut credamus nos ad colendum Deum teneri atque obligatos esse.

*Eaque est vel generalis:*

Hæ cognitiones, cum ita subordinatæ sibi invicem sint, ut una ad alteram dirigatur, & naturæ quidem divinæ, operumque divinorum cognitio requiratur ad hoc, ut obedientia cultusque Deo dignus debitusque præstari possit, quem immediate præscribit divina voluntas, facile apparet, quod harum trium cognitionum non sit par nec æqualis necessitas. Voluntatis enim divinæ cognitio perfecta absolute est necessaria ad æternam vitam consequendum. Naturæ & operum divinorum perfecta cognitio non est necessaria. Sufficit talis, ac tanta, quæ nobis persuadeat Deum dignissimm esse qui à nobis colatur, & jure postulandi cultum se dignum sibique debitum aut proportionatum præditum esse; ac proinde, nos, si jure isto uti velit, ad cultum istum quem exigere vult, juri isti suo convenienter, obligatos esse atque obstrictos. Persuasio tamen hæc, sphæram latitudinis habere potest, ut alia sit generalis & simplex, solis pronunciatis & axiomatis Scripturæ S. absque ulla ulteriore inquisitione, nixa; quæ popularis persuasio est. Ea per se sufficit & omnium tutissima est, quia simplicissima & divina revelatione contenta, atque ab ulterioris incertæ inquisitionis periculo libera est ac immunis; sive ea in aliquo sit, ex defectu ingenii, quòd ad ulterius quidquam de natura Dei ejusque operibus inquirendum, inidoneus sit: sive ex diffidentia proprii judicii, quod ulterius quidquam inquirere non audeat; sive ex mera animi reverentia, quod, etiamsi ingenio judicioque suo fidere posse videatur, ab ulteriore tamen inquisitione abstinere malit, ne vel supra Deum sapere velle, vel litibus & controversiis, quæ ex ea fere nasci solent, & jampridem crebræ enatæ sunt, immiscere se velle videatur, vel ne nimio quærendi sciendique desiderio à conscientiæ bonæ studio magis magisque acuendo abripiatur, vel scientiæ opinione inflatus sibi ipsi aliisque obsit. Certe

*Nescire velle, quæ Magister Optimus*
*Nescire nos vult, erudita insciitia est.*

*Vel particularis.*

Alia particularis, quæ insuper ex principiis & axiomatis quibusdam, sive natura notis, sive in Scholis Philosophorum receptis, sive peculiari aliqua indagine exploratis compertisque hauritur. Hæc persuasio, etsi necessaria non est, utilis tamen esse potest, tum ei, qui eam habet, quatenus per eam persuasio ex revelatione divina hausta firmatur altiusque animo ejus infigitur; tum aliis, qui per eam ad divinæ revelationi fidem adhibendum adduci possunt; dummodo ea ad majorem divini Numinis reverentiam acuendum, cultumque ei debitum alacrius exercendum serviat, & ea, si non præferatur divinæ revelationi, paris tamen ejusdemque cum divina revelatione necessitatis certitudinisque non habeatur nec urgeatur. Alioquin in ea periculi plus quam utilitatis esset. Otiosa enim & quæ ad cultum non dirigitur scientia, non inutilis modo est, sed & noxia. Et quæ divinæ revelationi præfertur, aut paris cum ea necessitatis certitudinisque esse statuitur, ea periculosa, & tum divinæ revelationi, tum caritati injuria est. Divinæ revelationi, quia per eam fit, ut divina revelatio credatur non sufficere. Caritati, quia per eam adstringuntur ad credendum & ad persuasionem istam habendum omnes, etiam ii, qui principia ista, unde ea haurienda est, aut ignorant, aut in dubium vocant, aut negant, nulla alia caussa moti, quam quòd ea, quia humana sunt, pro certis & indubitatis habere non audeant, contenti sola divina revelatione; aut quod ea, quia hic illic in controversiam ab aliis vocari vident, suspecta habeant, aut, quia rationes se habere credunt, propter quas ea pro principiis certis habenda non esse sibi persuadent, negare ea potius quam admittere velint, nedum ut iis adstringantur permittere. Hic itaque locum haberet illud Apostoli, *Scientia inflat: Charitas ædificat.*

## CAPUT II.

## De essentia Dei, an ejus ratione nomen יהוה ipsi tribuatur, & de illius unitate.

*Consideratur Deus vel abstractè, vel concretè.*

COgnitio naturæ divinæ dupliciter consideranda venit. Primo abstractè, qualis natura ista sit. Secundo concretè, cui subjecto natura illa competat. Prima cognitio necessaria est, ut intelligatur quæ ratio sit, ut aliquid dignum esse cultu optimo ac divino credatur. Secunda necessaria est, ut intelligatur quod subjectum illud sit, quod cultu isto dignum est, ne animus noster fluctuet ac vagetur circa objectum incertum atque incognitum.

*Et abstractè iterum duobus modis.*

Quod ad primam cognitionem attinet, duo in ea consideranda occurrunt. 1. Natura ipsa divina, cum proprietatibus sive attributis, quæ ei, ut tali, competunt. 2. Quæ sit singularum proprietatum sciendarum vel credendarum sive necessitas sive utilitas, in ordine ad officium nostrum, ut videlicet hoc juxta principalem ac ptoprium Theologiæ, quam practicam fecimus, finem, debite ac decenter præstari à nobis possit.

*Natura Dei.*

*Natura divina* juxta quam verus Deus distinguitur, *ad Galat.* IV. 8. ab iis qui φύσει seu natura non sunt dii, sub duobus distinctis conceptibus diversimode potest considerari, ut est, & ut vivit: id est, sub conceptu essentiæ nude ac per se consideratæ; & sub conceptu vitæ, quæ essentiam actuosam facit, distinctam à mortua & spiritu omni ac virtute destituta.

*Essentia. An ratione ejus tribuatur Deo nomen*

*Essentia Dei* aliud nihil est quam qua Deus est id quod est, & existit extra nihilum. Ratione hujus essentiæ dicitur Deus in sacris ὁ ὤν, *qui est: Apocal.* I. 4. 8. & IV. 8.

An ratione hujus essentiæ tribuatur Deo in Sacris nomen יהוה tetra-

tetragrammaton יהוה, disquiri permittimus. Nobis contra videtur, vel ob hanc unam rationem, quia *Exod. cap.* VI. 3. Deus ipse diserte dicit, se Abrahamo cognitum quidem fuisse in nomine אל שדי, id est, Dei omnipotentis sive sufficientis, at non in nomine יהוה. Quomodo vero vel in nomine Dei omnipotentis Deus Abrahamo potuit esse cognitus, vel in nomine יהוה non cognitus, si nomen יהוה primo atque immediate significat essentiam ipsam divinam? Contrarium potius sequeretur, Deum Abrahamo cognitum fuisse in nomine יהוה prius, quam cognitus ei erat in nomine אל שדי. Omnipotentia enim vel sufficientia essentiam omnino præsupponit, imo conceptus essentiæ natura prior est alio omni conceptu. Quid interim nomine illo designari credamus, in præcedentibus fuse diximus. Ipsa etymologia indicat dominium potius notari quam essentiam, si lectionem Ebræorum usitatam & puncta literis subdita attendamus, quando videlicet legunt אדני. Si vero ipsum nomen prout à Deo ipso usurpatum primo, ac deinceps diu post in populo usitatum fuit, videlicet in tertia persona יהיה (quod postea sive ex δλιβία & reverentia divinæ Majestatis, ne augustum Dei nomen vulgaris verbi istius usu profanaretur, sive ex alia caussa aut superstitione lectum fuit, cognata voce *Iebeveh* vel *Iihveh*, penultima litera ה commutata in י, quæ literæ apud Hebræos ejusdem pene figuræ & significationis sunt, facileque inter se permutantur:) videamus, constantiam potius, si non dumtaxat, in promisso servando significat, quam essentiam simpliciter, aut essentiam vi sua existentem. *Ero* enim *qui ero*, sive in tertia persona, *Erit*, aliud significare non potest, quam servabo ac præstabo promissum meum, Ego mei similis ero, sive idem mihi ipsi, Ostendam me eum esse quem me futurum dixi. Et quia Abrahamo promissum istud fecerat, sed effectum ejus nondum actu ipso sive experimento sentire dederat; hinc se Abrahamo in nomine isto cognitum nondum fuisse ait, sed posteris Abrahami, tanquam unum cum Abrahamo, ut patre suo, corpus ac populum constituentibus, isto nomine יהיה *Erit*, sese cognoscendum dare voluit. Atque hoc nomen ab aliis *Jehova*, ab aliis *Iehovi*, ab aliis *Iehve*, ab aliis *Iihje* enuntiari solet, cum revera aliud mihi sit quam tertia persona futuri יהיה *Erit*, quod Deus ad Mosem loquens enunciaverat in prima persona, אהיה *Ero*. Moses autem populo renuncians exprimere solebat in tertia persona יהיה *Erit*. Eam autem vocem usitatam diu fuisse populo Hebræo, non obscure arguitur, ex eo, quod sacra omnia sua Græci ἱερὰ appellabant: voce sine dubio deducta ab *Hie*, cujus in sacris usus erat, quando numen sibi propitium comprecabantur: ut ex Athenæi lib. Deipnosoph. liquet. ὁ πίλαιος (inquit) ὃ δαμόνιον ἴλεω, αἰζῶνες χαίδαν, ϖαιήφιν. ἰὴ, ἰὴ: unde autem ἰὴ, nisi ab hac voce Hebræis familiari, יהיה? certe Pæan, Græcorum sacer hymnus, omnium fere deorum communis honos, id confirmat; quia is fieri solebat cum acclamatione ἰὴ ἰὴ, & ϖαιανφώνια hæc, *Eleleu bie hie*. At vero quid ϖαιανφώνιος ista juncta voci ἰὴ, aliud quam Hebræorum usitatum hymnum sapit, *Allelu-Iah*, vel יה׳יה? Ex ista voce deinde sine dubio paulum aliter lecta, orta sunt nomina Dei apud Græcos, *Iao*, *Iavo*, *Iaou*, *Iou*, unde, *Iovὴ*, & cum adjectione Patris *Jupiter*. uti ex vocibus *El* & *Elohim*, sine dubio ἥλιος Sol est. Id apparet ex oraculo sive responso Apollinis Clarii, quod consultus, ut est apud Macrob. Saturnal. lib. 1. cap. 18. quis deorum esset, qui vocaretur *Iao*, dedisse dicitur hunc in modum:

Φράζεο τὶν πάντων ὕπατον θεὸν ἔμμεν ἰαὼ,
Χείμωνα μὲν τ' ἀΐδηλον, Δία δ' οὖαρ ϖρηχόμενον,
Ἥλιον δὲ θέρεος, μετοπωρίτιν δ' ὑβρὶν ἰαώ. id est:
*Cunctorum dicas supremum Numen Iao:*
*Hic tibi vere novo sit Jupiter, Helius æstu,*
*Dῆ cum sævit hyems, Autumno mollis Iao.*

Ex voce eadem est Bacchus, qui Græcis dicitur ἴακχος: Ianus etiam tanquam totius anni dominus: Diana etiam, &c. Hæc idcirco dico, ut intelligatur fortasse caussa sive ratio vera, cur ipsa vox, sive nomen hoc quod ipse Deus sibi imposuit, usurpari desierit; adeoque ipsum nomen paululum immutatum *Jeheveh*, ad discernendum à vulgari *Iihieh*, in vulgari etiam ac genuina significatione non frequentatum amplius reperiatur uspiam in textu sacro, nisi apud *Ecclesiasten* XI. 3. ubi tamen non legitur *Ieheveh*, sed *Iehu*. Valde verosimilis est conjectura Parkeri, Hebræos ab illo nomine sonando tum demum atque idcirco abstinuisse, quando & quia id videbant ab exteris gentibus ad idola traductum esse. unde Josephus venia dignus censendus est, quod sibi, quippe Ebræo, nefas esse scripserit de nominis appellatione quidquam efferre. Non enim credibile est Josephum id voluisse dicere, quod Hieronymus ait, nomen Dei tetragrammaton tale esse, ut scribi quidem possit, dici autem non possit, aut nefas esse ut illud ore efferatur. Nihil minus. sed verosimile est, eum religione ista eadem, sive superstitione potius, se obstrinxisse, quæ jam in populo Hebræo obtinebat, ut ab isto nomine enunciando abstineret. quia certum est, nomen istud priscis temporibus non à sacerdote summo dumtaxat, nec in sanctuario tantum, nec in benedictione ista solemni in die *Kippur* solummodo, sed ab omnibus promiscue & ubique scriptum, lectum, usitatumque fuisse; adeo ut inter ipsos gentiles passim non modo innotuerit, sed idolis eorum etiam ipsis inditum fuerit. Quo tempore in usu esse desierit incertum est. Cur vero istud aut à Judæis, aut à Christianus unius illius ejusdemque Dei cultoribus, in usum revocetur aut non revocetur, causssam nullam satis gravem video. quamquam causssa, cur in usum non revocetur hæc dari potest, quod nomen istud Deus sibi ipsi imposuerit, eo fine, ut ostenderet se fidelem esse in præstando promisso Abrahamo dato, se scilicet posteris ejus daturum terram Canaam. quia vero jam terra ista, posterorum Abrahami terra esse desiit, forte non absurdè quis dixerit, Deum jam nomen istud sibi amplius tribui nolle. nisi forte quis istud generale facere velit, ad indicandum, Deum promissis suis omnibus de cælesti patria fidelibus per Christum danda, cujus typus fuit terra Canaam Abrahamo aut posteris ejus data, stare velle decreto immutabili.

Eadem ratione qua Judæi nomen τετραγράμματον pronunciare desierunt, etiam olim apud Græcos Δῆ, (verisimiliter à *Schaddai* Hebræo derivata) quod summi Dei vocabulum esse solebat, paulatim evanuit, idcirco (uti creditur) quod syllabam sibi cognominem haberet, sive adverbium Δὶς, cujus usus vulgaris familiarisque nimis erat, ac proinde excellentiæ divinæ nimium deterebat. Itaque in locum ejus successit ζεῦς, ea tamen lege ut ejus declinatio indicium faceret primi vocabuli. Genitivus enim nominis Δὶς, est Διὸς. vocabulum tamen Δὶς ex Græcia in Latium migravit, ubi non modo idem priscum nomen receptum fuit, sed & prisci nominis ab Hebræa voce שדי, id est sufficientiæ derivati, & satietatem, abundantiam & copiam significantis vestigium. Divites enim sunt à *Dites* vel *Dite* Deo opulentiæ sic dicti. Dis enim & Pluto unus idemque Deus est. Pluto autem à πλοῦτος quin sit nemo dubitat.

Secundum hanc essentiam Deus considerari potest duobus modis. In se ipso absolute: & in ordine vel cum relatione ad alia, quæ aut sunt entia realia, aut ut talia tantum finguntur & concipiuntur.

In se ipso Deus absolutè consideratus primò *unus* est, id est, non tantum unitate ista, qua indivisus est in se & divisus ab omni alio; (quæ unitas cujuslibet singularis essentiæ proprietas est, divinæque essentiæ cum aliis omnibus essentiis singularibus communis est:) sed etiam unitate ista, per quam Deus solus atque unicus est, id est essentiam habet quæ expers est multiplicationis & divisionis, & cui alia essentia nulla æqualis aut par est. Id Scriptura exprimit passim, quando Deum unum esse & præter eum alium nullum esse asserit. ut *Deut.* VI. 4: *Audi Israel, Jehova*, (vel Dominus, Deus) *noster, Jehovah* (vel Dominus sive Deus) *unus est.* qui locus citatur *Mar.* XII. 29. ἄκουε Ἰσραὴλ, κύριος (sic enim in Græcis Novi Testamenti libris ex versione LXX redditur vox *Jehova*) ὁ Θεὸς ἡμῶν, κύριος εἷς ἐστι. *Deut.* IV. 35: *Tibi ostensum est, ut scires quod Jehova* (vel Dominus) *est Deus, & non est ultra præter eum.* Cui loco consentiunt alia plura: ut *Deut.* XXXII. 39: *Videte nunc, quod ego, ego sum, & non sunt Dii mecum.* 2 *Samuel.* VII. 22. & 1 *Reg.* VIII. 60. *Esa.* XXXVII. 16. & XLIII. 10. 11. 12. & XLIV. 6. & XLV. 5. 6. 21. 22. & XLVI. 9. *Oseæ* XIII. 4. *Deus est unus.*

In Novo Testamento: *Joan.* XVII. 3: *Hæc est vita æterna ut te cognoscant unum illum & verum Deum. Rom. cap.* III. 30. & 1 *ad Corinth.* VIII. 4. 5. 6: *Scimus nullum esse Deum alium nisi unum. Nam etiamsi sunt qui dicuntur dii & in cælo & in terra, (sicut sunt dii multi & domini multi) nobis tamen unus* (est) *Deus, Pater ille, à quo omnia & nos in ipso. Ad Gal.* III. 20: *Internuncius autem unius non est, Deus vero unus est. Ad Ephes.* IV. 6: *Unus Deus & Pater omnium, qui est super omnes, & per omnes, & in omnibus vobis.* 1 *ad Timoth.* II. 5: *Vnus enim est Deus, unus etiam Mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus.*

Unitas hæc essentiæ divinæ sine dubio unitas est numerica. quæ tamen non excludit, nostro judicio, omnem communicabilitatem, sive potius, omnimodam sui ipsius diffusionem aut communicationem; sed eam dumtaxat quæ subordinatione caret, per quam fiat, ut is, qui essentiam suam communicat, non sit unus, id est, solus summus; ac proinde si non temporis, naturæ saltem ordine major dignior que eo qui essentiam sibi communicatam habet. unde qua ratione cum hac unitate consistere possit, consistatque Personarum Trinitas, colligi potest; prout videbimus, cum ad locum de Trinitate pervenerimus. Verbo hîc dicimus. Communitas essentiæ, quæ sine communicatione est, repugnat huic unitati; non autem

tem ea quæ per communicationem eſt. ut enim una ſit eſſentia, una etiam communicans eſſentia ut ſit neceſſe eſt. Ea in Patre ſolo eſt: qui propterea etiam major eſſe dicitur Filio, *Joan.* XIV. 28. & ubique ſolus Deus, & ὁ Θεὸς κατ' ἐξοχὴν vocatur, vereque eſt ἀυθεντικῶς.

## CAPUT III.

### De Spiritualitate eſſentiæ divinæ.

*Deus eſt ſpiritus.*

SEcunda proprietas: Deus eſt *Spiritualis eſſentiæ*, quæ non modo omni corpulentia & craſſa mole ſenſilique materia caret, expers omnis concretionis, condenſationis, rarefactionis, aut mixtionis: (talis enim etiam eſt eſſentia Angelorum, & ſpiritus ſive animæ humanæ:) ſed & puriſſima eſt inter eſſentias ſpirituales, quatenus in his corporeitas aut corporeitati alicui reſpondens magnitudo, figura & partes, ſaltem imaginabiles, locum aliquo modo habere videntur; quarum nulla divinæ eſſentiæ convenire poſſunt. Hinc Scriptura Deum *ſpirituum patrem* vocat, *Heb.* XII. 9. & figuram omnem ſenſibus corporeis, five externis ſive internis, perceptibilem, id eſt, ſive ſenſilem ſive imaginabilem, Deo adtribui ſevere prohibet *Deut.* IV. 15. 16. *Eſa.* XL. 18. *Act.* XVII. 29. *Rom.* I. 23.

*An id ſolidè probetur ex loco Ioan. IV 24*

An locus *Joan.* IV. 24, πνεῦμα ὁ Θεὸς, ſolide allegari poſſit ad probandum Deum Spiritum eſſe, diſquiri permitimus. Videntur rationes non leves eſſe in contrarium. 1. quia ſic non ſatis videtur conſtare ratio Chriſti, Deus eſt ſpiritualis eſſentiæ, ergo ſpirituali cultu colendus eſt. Non enim eſſentiæ divinæ proprietas eſt fundamentum modi ſive rationis colendi Deum, ſed divina voluntas: quia alioquin cultus nullus corporalis, ſed ſolus tantum ſpiritualis, Deo deberetur: deinde cultus etiam Deo deberetur conveniens cæteris divinæ eſſentiæ proprietatibus, nempe, inviſibilis, æternus, &c. 2. Firmatur non parum hæc ratio, ſi attendatur, verba hæc Chriſti referenda eſſe ad dictum mulieris Samaritanæ, quæ in monte Garizim adorandum eſſe Deum credebat, tanquam continentia directam Chriſti ad dictum iſtud reſponſionem: nempe horam venire, & jam adeſſe, qua adoratio talis, ſive Samaritana, ſive Judaica, deſitura prorſus ſit, & in locum ejus ſucceſſura adoratio Dei quæ ubique in ſpiritu vero, ſive in ſpiritu & veritate, id eſt, ſine umbris & typis ejuſmodi cæremonialibus, quales in utroque iſto templo hactenus locum habuerunt atque uſitatæ ſunt, peragatur. Inde effici videtur, fieri non poſſe, ut Chriſtus deinde verba illa ſubjungens, πνεῦμα ὁ Θεὸς, intellexerit per Spiritum, ſpiritualem Dei eſſentiam. Nam ſi idcirco adorationem in ſpiritu fieri debere aut futuram dicere voluiſſet, quia Deus eſt Spiritualis eſſentia, tum ſequeretur cultum illum, qui ſi non in monte Garizim à Samaritanis, ſaltem Hieroſolymis in templo exercitus fuerat exercebaturque à Judæis, aut cultum à Deo inſtitutum non fuiſſe, aut ſi à Deo inſtitutus fuerat, in ſpiritu & veritate etiam exerceri potuiſſe atque exercitum fuiſſe; proinde fruſtra dixiſſe Chriſtum, horam jam tum venire imo adeſſe, qua demum cultus iſte peragendus eſſet. 3. Non dicitur in textu, Deus eſt Spiritus: verbum enim ſubſtantivum ibi non exſtat, & ut verbum ſubſtantivum inſeratur non eſt neceſſe. Nihil enim vetat repetere verbum præced verſ. uſurpatum, ζητεῖ, vel ſimile aliquod ἀγαπᾷ, ἰσυνᾷ, βλέπει, &c. ita ut vox πνεῦμα accuſativi caſus ſit non nominativi, hoc pacto: Spiritum Deus, quærit ſcilicet & veritatem, id eſt cultum ſolidum umbris & typis cæremoniarum hactenus uſitatarum vacuum. & hac ratione acceptum Chriſti dictum, ſolidam in ſe habet reſponſionem ad Samaritanæ fœminæ dictum; videlicet tempus inſtat, & jam præ foribus eſt, quo Deus cultum ſui cæremonialem iſtum, qui monti aut templo certo adſtrictus eſt, ceſſare faciet, quia ſpiritualem deinceps volet, tanquam iſto multo potiorem dignioremque. Voluntas itaque divina, non autem eſſentiæ divinæ proprietas, ſpiritualitas ſcilicet, fundamentum eſſe dicetur cultus novi ſpiritualis.

Nec ratio quæ contra allegari ſolet ſufficere mihi videtur. Ea hæc eſt; Si oratio hæc Chriſti dicatur ἀδιαφορικὴ eſſe, & Spiritus accuſativo caſu legatur, tum idem bis repeteretur, & quod antea clarè ſatis dictum fuerat, iiſdem verbis denuo diceretur. Hæc ratio non videtur mihi ſufficere: quia non eſt inuſitatum SS. Scriptoribus Veteris & Novi Teſtamenti, idem ſæpe iiſdem verbis dicere, quando id ſerio inculcatum volunt.

*Aſſtrmantes.*

Hæ rationes quamquam graves ſatis videntur, eo tamen fine non allegantur à nobis, quaſi fieri non poſſe credamus, ut commode verba hæc Chriſti exponantur ſenſu paſſim recepto, ita ut Deus hic dicatur Spiritus eſſe, & iſtud ipſum quod Deus eſt Spiritus, ratio eſſe ſtatuatur, cur, qui adorant Deum, in Spiritu & veritate eum adorare debeant. Nihil minus. Commoda enim & ſolida hæc eſſe poteſt ratio ſi recte intelligatur: videlicet cum præſuppoſita Dei voluntate, hunc in modum. Deus vult ſine dubio aliquando optimum ſibi cultum deferri. At optimus eſt cultus, qui divinæ excellentiſſimæ naturæ eſt convenientiſſimus. Excellentiſſima autem natura eſt ſpiritualis, quæ nihil carnis corruptibilis habet. Cultus vero qui in mundo ante Chriſtum viguit, etſi aliquatenus ſpiritualis etiam fuit: *Lex* enim (moralis ſcilicet) *ſpiritualis* erat; *Rom.* VII. & cultus omnis reliquus ſub lege in ſpiritu & veritate exerceri debuit ex præſcripto divino; tamen multo maximam partem carnalis fuit, conſtititque non tam in ipſo ſpiritu, quam in carnalibus fere ritibus ac cæremoniis, quæ ſine ſpiritu etiam ullo ſive ſpirituali affectione exerceri potuerunt. Hujuſmodi cultus Deo vix dignus fuit, & à Deo idcirco non niſi ad tempus imperatus, elementorum & rudimentorum inſtar, quæ ætati mundi infantili, & nondum maturæ atque adultæ, tum inſtruendæ, tum in officio continendæ, tum ad meliorem cultum præparandæ, tradita fuerunt, uſque dum plenum tempus & tempus διορθώσεως adveniſſet, in quo ſpiritus robuſtior eſt aptiorque ad functiones obeundas atque exercendas, tum Deo tum ſe dignas, id eſt, ad exercendum λατρείαν λογικὴν. Cur vero? Quia Deus carnem non habet, ſed totus purus putus ſpiritus eſt; & quia hominis pars optima ſpiritus eſt; viliſſima caro. Quod ipſum tamen ſic accipiendum non eſt, quaſi Deus jam ab homine coli non velit mediante corpore, aut corporali ullo exercitio. Abſit. ſed quod nunc cultum ſui maxime ſpiritui adſtrictum eſſe velit, ac proinde ubique libere exerceri abſque ullo cæremoniarum carnalium, hic illic præciſe adſtrictarum, jugo: ſecus quam olim ſub Veteri Fœdere, ubi ſpiritum etiam quidem Deus requirebat, ſed adſtrictum maxime carnalibus mandatis & cæremoniarum δυσβαστάκτων & pene innumerabilium, in uno loco exercendarum, jugo atque oneri. Hoc ſenſu acceptum hoc Chriſti dictum optime conſtare poteſt. Et firmando ei atque illuſtrando ſervit quod tota Judaica Religio paſſim fere vocetur *Caro: Lex carnalis mandati, in cibis dumtaxat & potionibus, & diverſis ablutionibus ac ritibus* carnalibus, uſque ad tempus directionis impoſita: *Heb.* VII. 16. & IX. 10, *&c.* & quod ipſe Jeſus jam ex hoc ipſo, quo hæc loquebatur, tempore, populum Judaicum quaſi à carne ad ſpiritum vocare inciperet, obſervando quidem adhuc cum populo toto legem carnalem, quæ poſt plane à Deo ipſo abolenda erat, ſed in præceptis mandatiſque ſuis nunquam aut vix obiter carnalium ullorum mandatorum mentionem faciendo, ſed ejuſmodi dumtaxat, quæ ad ſpiritum hominis pertinerent, & Deo Patre ſuo, qui ſpiritus eſt, digna erant. Et in hanc ſententiam dictum hoc Chriſti acceptum, luculentiſſimum eſt teſtimonium quo probatur Deum Spiritum, id eſt ſpiritualem eſſentiam eſſe.

*Rationes negantes.*

*De membris corporeisque Deo in S. Scriptura tribuuntur.*

Simile alibi in Scriptura tota non eſt reperire; quod mirum forte alicui videri poſſet: & vel maxime idcirco, quod Deus paſſim in Scriptura deſcribatur hominis inſtar, humano corpore membriſque omnibus fere humanis præditus, & quod homo ipſe dicatur, factus fuiſſe ad Dei ipſius imaginem ſive ſimilitudinem. Sed admiratio hæc facile tollitur, ſi cogitemus, Scripturam de Deo loquentem, dicta factaque omnia divina capacitati noſtræ aptaſſe, non aliter quam ſi Deus homo eſſet; quia nos nec concipere poſſumus ſpiritum aliter, quam ſub ratione corporeitatis aut corporis; nec actiones operationeſque ſpiritus, ſive internas, ſive externas, ſive immanentes, ſive tranſeuntes, aliter quam per modum illum, quo anima humana in corpore, & per corporea membra operatur. Hinc nata atque orta eſt hæc perpetua pene in Scripturis figurata locutio, quæ ἀνθρωποπάθεια dicitur. Atque hoc ita eſſe de induſtria à Scriptoribus SS. factum, argumento eſt id unum, quod illa tantum humani corporis membra Deo tribuant, quæ homines omnes credunt eſſe vel actionum hominis nobiliſſimarum principia, vel ad actiones homine dignas exercendas inſtrumenta, vel perfectæ cujuſdam maturæque ac reverendæ in homine ætatis indicia. Exempli gratia: Ex membris internis humani corporis nullum expreſſe Deo attribuitur niſi cor, quia ſcilicet cor eſt principium vitalium operationum, &, juxta Scripturas, ſedes ipſa intellectus ac facultatis rationalis. Pulmo, hepar, lien, renes, Deo non attribuuntur, niſi quis ea omnia comprehenſa eſſe velit voce *viſcerum*, מְעִים & *multitudini viſcerum*, quę Deo attributa leguntur *Ierem.* XXXI. 20. *Eſa.* LXIII. 15. &c. ſed cur per *viſcera* non intelligatur cor, quod inter viſcera præcipuum ac princeps eſt, cauſſa nulla eſt, cum David ipſe de corde ſuo ſolo loquens, *Pſal.* XL. 9, viſcerum vocabulo utatur, *Lex tua in medio viſcerum meorum*, id eſt, in medio cordis mei, vel in corde meo quod viſce-

viscerum meorum quasi medium est. Sic nec stomachus, nec intestina, nec arteriæ, nec venæ, quæ sunt organa nutritionis & alimenti, & quæ cibis & alimentis capiendis, digerendis distribuendisque inserviunt, Deo uspiam adtribuuntur. Nam illa, simulatque apprehenduntur, statim manifesta præ se ferunt imperfectionis signa atque indicia. Si membra externa videantur, Deo nuspiam tribuuntur humeri. cur vero? quia certum est eos non servire nisi portandis oneribus, & homines iis summopere defatigari. ut jam alia non addam membra, quæ imperfectionis manifestiora sunt indicia, sive quæ generationi serviunt. Ea enim serviunt corrumpendo individuo & conservandæ speciei. Quod attinet ad reliqua membra, ea creduntur vulgo esse organa & instrumenta perfectionem aliquam indicantia, ut pedes, manus, brachium, digiti, aures, oculi, palpebræ, os, labia, lingua, nares sive nasus. Hæc enim vel serviunt ad motum localem, qui vitæ indicium est; vel ad apprehensionem sive intelligentiam, quæ sensatio esse creditur & per sensus primo fit; vel ad communicationem boni alicujus, quæ per sermonem & loquelam fit. Hæc ergo Deo attribuuntur, nullo alio fine, quam ut exprimantur vel facultates, vel actiones istæ, quæ Deo conveniunt, similes illarum quæ membris scilicet istis insunt, vel per ea exercentur, quæ à nobis pro perfectionibus habentur. Actiones illæ sunt, apprehendere, intelligere, quæ per videre & audire denotantur. Intellectio enim est perfectio. Hinc phantasia, aut imaginatio Deo non tribuitur, quia in imaginatione imperfectio est & confusio. Hinc etiam gustatio & tactus propriè Deo non tribuuntur, quia nullæ actiones magis sunt corporeæ, aut corpori propinquius unitæ. Lingua enim non adtribuitur Deo quod ea gustet quippiam, sed quod ea sensa animi sui quasi proferat. Et similiter se res habet in cæteris. Organa corporea Deo attribuuntur ut doceamur de functionibus eorum. Functiones organorum istorum Deo adtribuuntur, ut doceamur, aliam quandam perfectionem divinam per istas denotari, quæ à nobis aliter quam per istas humanas functiones apprehendi nequit. Atque hoc est quod recte Rabbini dicunt, Lex loquitur lingua filiorum hominum. Præter hæc tribuuntur etiam Deo quædam si non membra, saltem membrorum appendices, ut capilli, barba cana, &c. quæ imperfectionem quandam potius notant quam perfectionem, (sunt enim excrementa tantum corporis:) sed quæ tamen talia sunt ut perfectionis alicujus indicia sint, puta cani capitis capilli, indicia sunt perfectæ ætatis, & ad Majestatem augendum reverentiamque alicui conciliandum faciunt. Hinc ista à Daniele etiam in visione visa esse in Deo dici mirum non est.

*De imagine Dei ad quam factus est homo.*

Quod attinet ad alterum, Quod videlicet homo dicatur factus ad imaginem Dei; (Sic enim sonant verba *Genes.* I. 26; Faciamus hominem, *Bidmutenu Kidmutenu*, id est, *in imagine nostra ad similitudinem nostram*;) id sane speciem quandam videtur habere, ad concludendum, Deum eandem quam homines habere formam & figuram, ac proinde Deo corporeitatem aliquam competere, imprimis si addatur, quod in Scripturis passim homo in summo apud Deum pretio esse ostendatur. Nam propter hominem Deus universum hoc condidisse dicitur: propter hominem universum hoc regere, homini universa hæc tanquam domino subjecisse, eique utenda fruenda dedisse: propter hominem filium suum unigenitum in mundum misisse, & regimen universi hujus in cælo ac terra tradidisse, ac voluisse ut Angeli ministratorii Spiritus essent eorum, qui inter homines æternæ salutis participes essent futuri. unde colligi videtur posse, ipsam hominis formam externam proxime ad divinam accedere; ac proinde Deum humana corporeaque forma delectari, & propter eam tanto in pretio supra alias creaturas omnes à Deo haberi hominem.

Sed vero ratio hæc nobis neutiquam satisfacit, ut propterea Deum corporeum esse & corporeitate humana præditum esse credi debeat. Nam 1. ut jam non dicam distingui à Rabbinis voces quasdam quæ omnes rei alicujus formam significant, videlicet voces דמות & תאר צלם: Sic tamen ut earum prima תאר nihil aliud sit quam externa species, figura & repræsentatio alicujus rei, quæ nunquam Deo tribuitur, & cujus respectu nunquam dicitur, quod homo factus sit ad Dei formam sive imaginem: Secunda צלם *Tzelem* tantum sit forma naturalis, id est, res per quam aliquid existit & est id quod est, quæ nihil aliud est quam ipsa essentia sive differentia aut forma rei specifica, & secundum hujus vocis propriam significationem de homine recte dici, *Genes.* I. 26, *In imagine Dei*, id est sua *creavit ipsum*, quia in homine res, hoc est, forma illa specifica est id cujus virtute in homine existit apprehensio intellectiva: Tertia, דמות *Demuth*, à radice דמת adsimilari, significet dumtaxat similitudinem in aliqua re, non vero in forma & figura rei externa; ut, in quam, de harum vocum distinctionibus non agam, & in iis non fundem responsionem, quia incertum est an istarum vocum distinctio non sit arguta magis quam solida; imprimis cum non pauca occurrant loca, quæ contrarium videntur innuere, quorum unum atque alterum in voce צלם allegat R. Maimonides in suo *More Nebuchim*; & cum elaborata ista distinctio eo tantum pertineat, ut ostendatur hominem dici factum ad imaginem & similitudinem Dei: non quia Deus habet corpus & formam externam humanam, sed quia homo proprietatem aliquam in se habet, quæ ipsi soli convenit, neque in ulla alia creatura sub sphæra Lunæ reperitur, Facultatem nempe intellectivam, quæ nullo sensu vel opera corporis utitur, ac proinde intellectui creatoris similis est. Nam hæc ratio non sufficit; quia 1. sic de Angelis etiam recte diceretur, multoque rectius, quod creati sint ad imaginem Dei, quod tamen nuspiam scriptum legitur; aut si id recte de Angelis dici posse credamus, sic homo ad imaginem sive similitudinem Angelorum creatus factusve potius dicendus fuisset quam ad imaginem Dei. Quare ut hac ratione non expediam me, Respondeo 2. Ex textu liquere, hominem dici factum ad imaginem Dei ratione dominii in res creatas, sive propter similitudinem divini dominii, quod tanquam Deus in res creatas potestatem habebat aut habiturus erat ex divina voluntate, quæ tamen jus atque potestatem illam coarctare semper poterat. Ad hujus dominii exercitium, necessarius quidem erat homini intellectus & ratio, sed in ea tamen imaginis divinæ ratio non fundatur in textu. quamquam, si quis eam etiam imaginis divinæ partem facere velit, non admodum refragabor. An ad eam rem externa figura & forma corporis non etiam aliquid contulerint non disputo. Id sufficit, si dicamus formæ istius ac figuræ externæ corporeæ ratione hominem ad imaginem Dei factum dici nullo modo posse, ob hanc caussam, quia Deus expresse formam sive figuram sui visam nunquam esse asserit, atque idcirco etiam figuram ullam sui fieri vetat; diserte mentionem faciens figuræ hominis, sive masculi sive fœminæ: *Deut.* IV. 15. 16, *&c.* Quæ omnia sine dubio falsa atque inepta forent, si homo ratione figuræ ac formæ suæ externæ diceretur factus ad imaginem Dei. Sic enim imago, figura ac forma Dei quotidie videretur, & visa fuisset quando Deus eam visam à populo suo esse negabat. Cui adde, quod Deus aperte dicat gentiles *transformasse gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis hominis corruptibilis*. *Rom.* I. 23. Hinc colligo, Deum vere spiritualem substantiam esse, non corpoream, nedum carneam aut humanam. De imagine vero Dei in seqq. dicemus quantum satis est.

## CAPUT IV.

### De Dei invisibilitate.

*Probatur Deum esse invisibilem.*

TErtia proprietas est: Quod *Deus sit invisibilis*. Hæc fluit ex præcedente, quia videlicet Deus Spiritus est, proinde dimensionibus, figura, partibus sive sensibilibus sive imaginabilibus corporeis, &, qui non nisi corpori insunt atque ex varia corporum seu dispositione seu mixtione oriuntur, coloribus caret. Hinc Scriptura Deo hanc proprietatem disertè attribuit, *Exod.* XXXIII. 20. *Non poteris videre faciem meam. Non enim videbit me homo & vivet*; id est, nemo homo vivens videre me potest. Non enim sensus est: Nemo homo, qui me viderit, in vita diu superstes esse potest, aut omnis homo, postquam aut simulatque me viderit, dictum factum, vel non multo post morietur: (quo sensu acceptum tamen olim fuisse in populo Dei videtur, etiam quando non ipsum Deum, sed Angelum Majestatem Dei repræsentantem dumtaxat se vidisse intelligebant: ut *Judic.* VI. 22. & XIII. 22, videre est:) sic enim tacite indicaretur, Deum videri posse, cum contra disertè dicat Apostolus 1 *ad Timoth.* VI. 16: *quem nemo hominum vidit, sed nec videre potest*. unde & ejusdem *epist. cap.* I. *vers.* 17. inter cætera Deo adtribuit, quod sit ἀόρατος, invisibilis. uti & scriptor *ad Hebr. cap.* XI. 27.

*Responsio ad loca in quibus dicitur Deus vidisse ab hominibus.*

Dices: Attamen non pauca sunt loca, in quibus legitur, 1, Deum corporeis oculis sine ulla videntium læsione visum fuisse: & 2. in quibus Deus ipse legitur promisisse sanctis & fidelibus, quod Deum visuri sint prout est. Quod attinet ad priora loca, ea exstant inter alia, *Exod.* XXIV. 9. 10. 11. *Ascenderat Moseh & Aaron, Nadab & Abihu, & LXX è senioribus Israel. Et viderunt Deum Israel. & sub pedibus ejus erat velut opus lapidis Sapphirini, & sicut adspectus cæli in serenitate. Ad principes autem filiorum Israel non misit manum, & viderunt Deum & comederunt atque biberunt*; id est, viderunt sine noxa ulla, integri ac sani manentes, idque edendo & bibendo, id est, pellucibiliter epulando indicantes ac testatum facientes; vel potius,

tius, quia poſtea cibum potumque ſumſerunt, ſanæ vegetæque valetudinis certo indicio. *Geneſ.* XXXII. 30, dicit Jacob, *Vidi Deum facie ad faciem, & liberata eſt* (vel evaſit) *anima mea*; id eſt, vidi Deum ſine ullo detrimento, damno ac noxa, ſeu vitæ ſeu valetudinis meæ. *Geneſ.* XXVI. 2: *Et viſus eſt ei Dominus*: יהוה eſt in textu, Iſaaco ſcilicet. *Judicum* VI. 22: *Ah ah Domine Deus*, (mori jam me oportet dicere vult Gideon,) *quia idcirco vidi Angelum Domini facie ad faciem.* Dixitque ei יהוה *Dominus*: *Pax tibi, ne timeas*: *non morieris*: *Iud.* XIII. 22: *Dixitque Manoah* (pater Simſonis) *ad uxorem ſuam, Moriendo moriemur, quia Deum vidimus. Dixitque ei uxor ſua*: *Si Dominus voluiſſet occidere nos, non ſuſcepiſſet de manu noſtra holocauſtum & oblationem*, &c. 1 *Reg.* XXII. 19: *Et ait* (Micha ſcilicet) *Idcirco audi verbum Domini, vidi* את יהוה *Dominum ſedentem ſuper ſolium ſuum*, &c. quod ipſum ſic refertur 2 *Chronic.* XVIII. 18. In hiſce locis tria verba occurrunt ראה, הוה, הביט quæ de viſione oculi proprie accipienda ſunt, vel ſaltem de viſione in phantaſia. Reſp. Per vocem *Dei* vel *Domini* in his locis non intelligi ipſum Deum, ſive ipſius Dei benedicti ſubſtantiam aut eſſentiam, ſed *vel* Angelum, Dei vicem ac perſonam gerentem, & ſub humana ſpecie. quod in loco *Geneſ.* XXXII. 30, manifeſtum eſt, ſi conferatur cum *Oſeæ* XII. 3. 4. *Prævaluit in fortitudine ſua Deo. Prævaluit*, inquam, *Angelo & ſuperior fuit, flevit & rogavit eum.* Quod enim *Geneſ.* XXXII. 28. dicitur, *Princeps fuiſti cum* אלהים *Deo*, id apud Oſeam dicitur *verſ.* 4. primum iiſdem verbis *Prævaluit* את אלהים *Deo*, ſive princeps fuit cum Deo; deinde וישר אל מלאך ויוכל *& princeps fuit in Angelum, & prævaluit* (Angelo ſcilicet) qui *Geneſ.* XXXII. 24, vir fuiſſe dicitur, quia Angelus in viri forma cum eo luctabatur. In locis vero *Judicum* VI. 22. & *Judic.* XIII. 22, manifeſtiſſimum eſt, ubi ſine dubio Angeli iſti humana ſpecie induti apparuerunt. *Vel* Angelum non humana & facile adſpectabili forma indutum, ſed gloria admodum magnifica & divinam Majeſtatem referente circumdatum, propter quam Deus ipſe viſus dici poterat; ſive viſionem illam factam dicamus oculis corporeis, (quod veroſimile eſt accidiſſe in loco *Exod.* XXIV. 10.) ſive in viſione exſtatica, ſive in ſomnio; quod veroſimile eſt factum in locis *Geneſ.* XXVI. 2. & 1 *Reg.* XXII. 19.

Hæc ita eſſe colligitur veriſimiliter, 1. quod ad poſtrema loca duo attinet, *Geneſ.* XXVI. 2, Iſaaco dicitur viſus fuiſſe Dominus, & dixiſſe, id eſt, dicendo, vel oraculum dando ei apparuiſſe, ſive in viſione, ut Abrahamo patri ejus apparuerat Deus, hoc ipſum pene oraculum dans, *Geneſ.* XV. 1. ſive in ſomnio, ut eidem, *ibid. verſ.* 12. & Jacobo filio ejus, *Geneſ.* XXVIII. 11. 12, &c. & huic ipſi Iſaaco in hoc eodem *cap. verſ.* 24, &c. vel denique per Angelum, uti Abrahamo patri ejus acciderat, *Geneſ.* XXII. 11. Non enim aliter Patriarchis apparuiſſe Deum legitur. 2. Quod ad locum 1 *Reg.* XXII. 19, attinet: per viſionem Dei, Propheticam viſionem, ſive in ſomnio, ſive vigilanti Michæ oblatam, intelligi apparet ex textu; quia eodem modo dicit Micha, ſe vidiſſe Dominum in ſolio ſedentem, quo viderat Iſraelem totum diſperſum ſuper montes, veluti oves, quibus non erat paſtor. At Iſraelem ſic non viderat univerſum diſperſum viſione proprie dicta, ſed per repræſentationem tantum in phantaſia, vigilanti an dormienti factam, incertum. 3. Quod attinet ad locum *Exod. cap.* XXIV. 10. non poſſe iſthic intelligi viſionem divinæ eſſentiæ, (quamquam eſſentia nulla videri poteſt, accidentia enim ſola videntur, color ſcilicet & lumen) id unum ſatis arguit, quod Moſes & Aaron etiam Deum vidiſſe dicantur, & proprius quam principes filiorum Iſrael, quia hi non appropinquare (ſcilicet ſicut Moſes, de Aarone enim id non legitur) juſſi fuerant, *verſ.* 2. Atqui certum eſt, Moſi petenti obnixè, ut videre poſſet Dei gloriam, *Exod.* XXXIII. 18. reſponſum fuiſſe *verſ.* 20, *Non poteris videre faciem meam*, id eſt, me ipſum; ut apparet ex ſeqq. verbis: *Non enim videbit me homo, & vivet.* Quomodo veroſi jam ante, Deum ipſum cum principibus filiorum Iſrael viderat, nec mortuus fuerat? Quare ſenſus eſt, viderunt Deum, id eſt, viderunt glorioſum aliquod divinæ Majeſtatis, qua veſtitus erat Angelus, ſignum atque indicium. Confirmatur hic ſenſus non parum ex eo, quod *Num.* XII. 6. 7. 8, inter apparitiones divinas excellentiſſima dicatur eſſe ea, qua Moſes à Deo donabatur; cui tamen expreſſe dictum fuit, Non poſſe eum videre Deum, aut Dei faciem. Ergo viſiones illæ omnes quibus viſus Deus fuiſſe dicitur, ſive ab Abrahamo, ſive ab Iſaaco, ſive à Jacobo, ſive à Prophetis, ſive à principibus filiorum Iſrael, non poſſunt eſſe proprie dictæ Dei viſiones. Dices: Eſto. Attamen de Moſe dicitur, quod *non aſpiciet per ænigmata, neque per ſimilitudinem, Dominum videbit.* Reſp. Hæc de re ſatis actum eſt in præcedentibus. Jam verbo dicimus: Nobis non probari expoſitionem iſtam Maimonidæ aliorumque Rabbinorum, qui verba hæc ſic exponunt, ותמנת & ſimilitudinem vel figuram ejus aſpiciet, Moſes ſcilicet voce תמנת accepta pro veritate ipſa: quaſi ſenſus ſit, Et (Moſes) veritatem Dei apprehendet, id eſt naturam ejus: quia an uſpiam vox תמנת accipiatur de vera aliqua re, quæ intellectu apprehenditur, incertum eſt; & quia an Moſes ſic Deum apprehenderit non minus dubium atque incertum eſt. Nam ut de figura ſive ſimilitudine Dei externa accipiatur, plane abſurdum eſt, & repugnans divinæ ſententiæ qua figuram ſui nullam viſam eſſe aſſerit, *Deut.* IV. & qua quærit *Eſa.* XL. *Cui me aſſimilabitis?* Quare reſponſio noſtra eſt, verba iſta convertenda eſſe cum præcedentibus, hunc in modum: *Ore ad os loquar cum Moſe*, id eſt familiariter & coram cum eo agam, non aliter quam amicus ad amicum loquitur, ut eſt *Exod.* XXXIII. 11. Non repræſentabo phantaſiæ ejus quæ ad populum nomine meo relaturus eſt, non in ſomnio ſive viſione qua prophetis meis me repræſentare ſoleo; ſed in viſione quæ ſine ænigmatis, ſimilitudinibus & parabolis eſt, dicam illi quæ volo, verbis claris atque apertis. Ita ut verba iſta conjungantur ולא בחידת ותמנת יהוה יביט *Et non in ænigmatis & ſimilitudinibus Domini videbit.* quem ſenſum manifeſta verborum connexio poſtulat. Itaque non ſomnianti, non vigilanti Moſi meam voluntatem ſignificabo, uti prophetis ſoleo, ſed familiariori multo ratione, qua ille me loquentem quidem coram audiet videns vigilanſque, ſed tamen me non videbit. Hoc enim jam ante dixi fieri non poſſe. Hinc patet ſolutio primi argumenti.

Quod ad ſecundum attinet, pro eo faciunt loca iſta omnia, quibus Dei ipſius viſio, tanquam præmium ſanctis ac fidelibus promittitur: ut *Matth.* V. 8: *Beati mundo corde, quoniam Deum videbunt.* 1 *ad Corinth.* XIII. 12: *Cernimus enim nunc per ſpeculum in ænigmate; tunc autem coram cernemus*: in Græco textu eſt, πρόσωπον πρὸς πρόσωπον, *facie ad faciem*, juxta Hebræam phraſim פנים אל-פנים 1 *Joan.* III. 2: *Chariſſimi, nunc filii Dei ſumus, ſed nondum patefactum eſt* (id) *quod erimus; ſcimus autem fore, ut quando* (vel ipſe, vel iſtud quod erimus) *patefactum fuerit, ſimiles ei ſimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt.* Additur locus *ad Heb.* XII. 14: *Pacem ſectamini cum omnibus: & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Dominum*; ſed quia voci κυρίου iſthic additur articulus, propterea quibuſdam videtur Chriſtum Dominum ibi deſignari ex Novi Fœderis uſitata locutione. Reſp. Phraſin iſtam, *videre Deum*, non ſignificare aut proprie divinæ ſubſtantiæ adſpectionem, ſive intuitionem quæ oculis corporis fit, aut improprie cognitionem divinæ eſſentiæ intuitivam dumtaxat, quæ intellectu fit: ſed ſynecdochice univerſam illam tum divinæ præſentiæ, tum divini favoris ac benevolentiæ, quæque ex ea ad nos redundatura ſunt, jucundiſſimorum beneficiorum fruitionem; eodem ſenſu, quo *videre vitam, videre dies bonos, vitam æternam habere, non videre mortem, videre regnum Dei*, pro æterna fælicitate frui paſſim accipitur. Non quod in iſtis videndis poſita ſit æterna fælicitas; ſed quod ſine iis fælicitas eſſe non poſſit, & quod iis conjuncta ſit futura æterna fælicitas, ſive ſuavis & jugis voluptas, quæ ex jucunda rei cognitæ aut viſæ fruitione oritur. Hæc itaque viſionem & cognitionem ſibi præviam habet, uti viſio & cognitio cibi, guſtum, odorum, odorationem, &c. adeo quidem ut viſio & cognitio eſſentiæ divinæ minima fælicitatis portio futura eſſet, niſi ab eſſentiæ divinæ, ſeu cognitæ ſeu viſæ à nobis, tum ſapientia tum virtute ad nos redundaret divinæ tum ſapientiæ tum virtutis ac potentiæ ſuavis, conſtans, permanens ac perpes fruitio, ſive (ut ita dicam) ſenſatio, aut perceptio. Senſatio enim ac perceptio illa eſſe aliquo modo poſſet, etiam in iis qui viſione & intuitiva iſta cognitione deſtituti eſſent; uti voluptatis quæ in cibo ac potu conſiſtit fruitio eſſe poteſt, etiamſi quis nec cibum nec potum videat, nec quæ ad cibi potuſve eſſentiam aut naturam pertinent, intelligat. Videre itaque Deum, tanquam præmium fidei ac puritatis & ſanctimoniæ promittitur, non quia τὸ videre Deum, eſt vel oculis corporis vel oculo animæ (intellectu ſcilicet) Dei eſſentiam intueri; ſed quia viſio Dei, qualiſcunque ea demum ſit futura, quod noſtrum non eſt ſtatuere, duo ingentia bona notat. 1. Præſentiam & familiarem perpetemque converſationem in domo Dei, qualis eſt aut Archangelorum, qui dicuntur videre faciem Dei qui in cælis eſt: *Matth.* XVIII. 10. (an contradiſtincte à cæteris electis Angelis, an ſecus, quis niſi prædidens dixerit?) aut filiorum in domo patris ſui: *Joan.* VIII. ad quos dicitur, *Omnia mea tua ſunt. Luc.* XV. 31. Diſtinctam ergo à ſubita aut brevi tranſeunte viſione, qualis eſſe ſolet viſio Regum & Principum in ſolemnibus ſtatiſque epulis, triumphis, aut inaugurationibus. atque hoc indicari videtur 1 *Joan.* III. 2, quando dicitur, *videbimus eum ſicut eſt*, id eſt, ſicut in domo ſua & palatio ſuo divino cum gloria ſua ſemper eſt: contradiſtincte ab omni alia apparitione, qua Deus aliquando quaſi obiter & per tranſennam oſtendit gloriam

*Et ad ea quibus promittitur pius, fore ut aliquando ipſum videant.*

gloriam ſuam. 2. Fruitionem bonorum iſtorum omnium, quæ in domo iſta ſua Pater filiis ſuis fruenda ſine fine, ſine ſatietate dabit, ſive ex ſapientiæ ſuæ, ſive ex bonitatis, ſive ex potentiæ ſuæ penu inexhauſto: quæ pulchre, ſed metaphorice, declaratur *Apocal.* XXII. 1. 2. 3. 4. ſed hac de re alibi à nobis dictum eſt fuſe. Quæ præter hæc de viſione Dei beatifica, ut loquuntur, à Scholaſticis adſeruntur ea mihi non admodum probantur: quia viſionis iſtius modum non tantum adeo præſidenter definiunt, ac ſi ejus perfecta cognitio hic haberi poſſet; ſed & adeo tenuiter circumſcribunt, perinde ac ſi ea tota poſita eſſet in intellectuali cognitione neſcio quarum rerum, nulla habita ratione ad corpus ſpirituale, ad quod non minus redundatura ſunt effecta divinæ tum ſapientiæ, tum bonitatis, tum potentiæ, quam ad animam ſive facultatem animæ intellectivam, ut homo totus anima & corpore Deum videre dici poſſit. Sed hac de re ſuo tempore.

Præter hæc loca ſunt alia in quibus *videre Deum*, metaphorice ſignificat cognoſcere Deum, non ſic ut divina eſſentia ejus cognoſcatur, ſed ut divina ejus voluntas, mens ac ſententia de ſalute hominibus impertienda penitiſſime adeo intelligatur, ac ſi coram oculis corporis adſpiceretur. Loca iſta ſunt, *Joan.* I. 18: *Deum nemo vidit unquam.* Senſus enim eſt: divinam voluntatem nemo unquam plenilſime perſpexit ac cognovit: uti apparet ex eo quod additur, *Filius qui eſt in ſinu Patris*, id eſt, qui cor patris, quod in ſinu eſt, & cogitationum decretorumque ſedes eſt, introſpicit, (id nobis ſcilicet) ἐξηγήσατο; clare expoſuit. ἐξήγησις autem ad dandum cognitionem non viſionem, facit. Et huic loco explicando ſervit optime is qui eſt *Matth.* XI. 27: *Nemo noſcit Filium niſi Pater: neque Patrem quiſquam cognoſcit niſi Filius, & cui Filius voluit revelare. Ioan.* XIV. 9: *Philippe qui me vidit, is vidit Patrem.* ubi per *videre* aut vidiſſe ſignificari cognoſcere, antecedentia & conſequentia adeo manifeſte arguunt, ut dubitari non poſſit. Eodem ſenſu Chriſtus dicitur *ad Hebr.* I. 3. ἀπαύγασμα τῆς δόξης & χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως Θεοῦ. & 2 *ad Corinth.* IV. 4: εἰκὼν τοῦ Θεοῦ: quia ſcilicet tum in ipſius perſona hîc in terris verſante, tum etiam poſtquam in cælum ſublatus fuit, in Euangelio ejus, veluti ob oculos poſita omnibus eſt divinæ bonitatis, potentiæ, gratiæ & voluntatis univerſæ notitia. quod indicant verba ſequentia; φωτισμὸς ſcilicet τῆς γνώσεως τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ ἐν προσώπῳ Ἰησοῦ χριστοῦ. In eandem ſententiam plura loca ſunt quæ jam non allego.

## CAPUT V.

## De Dei Omnipotentia.

*Deum eſſe omnipotentem probatur Scripturæ teſtimoniis.*

QUarta proprietas eſt: Quod *Deus ſit potens*, ſive *Omnipotens*, id eſt virtute & vi ſibi propria inſitaque, aut activitate potius & ἐνεργείᾳ naturali præditus ſit, cui nihil aut nemo poteſt reſiſtere. Hujus directrix ac moderatrix eſt vita ipſa divina, id eſt, ſapientia, quæ in intellectu divino eſt, & libertas quæ in voluntate divina eſt. Potentia enim ſive vis agendi per ſe & primo eſſentiæ videtur competere, non vitæ, quia datur etiam potentia maxima in iis, quæ non vivunt. Directio à vita eſt: quia eſſentia, quæ activa eſt, qua talis, agit ſecundum ultimum potentiæ ſuæ, aut ſecundum totum ſuum poſſe, niſi à ſapientia dirigatur, aut à libera voluntate determinetur ad hoc vel illud, ad ſic vel aliter agendum.

Potentiam autem ſive Omnipotentiam Deo competere ex variis locis S. Scripturarum liquet: *Geneſ.* XVII. 1: *Ego Deus omnipotens, Ambula coram me, & eſto perfectus. Geneſ.* XXXV. 11: *Ego Deus omnipotens, Creſce & multiplicare. Geneſ.* XLIII. 14: *Deus omnipotens det vobis miſericordiam ante virum*, &c.

In hiſce locis non eſt quidem ipſa vox, Omnipotentiæ, aut Omnipotentis, ſi Ebræus textus videatur, ſed אֵל שַׁדַּי: quæ voces ſufficientiam, copiam & abundantiam, ſive ἱκανότητα proprie videntur denotare. Nos tamen Omnipotentiæ voce eas reddidimus, quia vox אֵל juncta voci שַׁדַּי potentiam ſimul ac ſufficientiam ſummam importat; &, ſi vox שַׁדַּי derivetur, uti nonnulli volunt, à verbo שָׁדַד quod nobis eſt, *vaſtare*, magis etiam ratio potentiæ haberi videatur, quam ſufficientiæ, ſive exuberantiæ ac copiæ divitiarum atque opum. Certe utrumque indicari vocibus iſtis veroſimile eſt. unde Latini omnes interpretes eas reddiderunt per vocem, *Omnipotens*, & Græci interpretes LXX apud Jobum perſæpe per vocem παντοκράτωρ, & *cap.* VIII. 3, per ἀδίκημα, τὸ δὲ παντὸς ποιήσαντος. Cæterum vox παντοκράτωρ ſive παντοκράτης diſerte legitur in Novo Teſtamento 2 *ad Corinth.* VI, 18: *Et ero vobis pro patre, & vos eritis mihi pro filiis ac filiabus, λέγει κύριος παντοκράτωρ. Apocal.* I. 8. & IV. 8. & XVI. 17. & XIX. 6. 15. & XXI. 22. Res ipſa quæ voce iſta continetur, eſt, *Luc.* I. 37: ubi Angelus Gabriel ad Mariam ait, *Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum*; Hebræa phraſi, *Non omne*, pro nullum; & *verbum* pro re. ut ſenſus ſit, Nulla res, ſive nihil Deo eſt impoſſibile. *Matth.* XIX. 26. & *Mar.* X. 27. ubi Chriſtus ipſe ait, *Apud Deum omnia ſunt poſſibilia.* Quæ duo teſtimonia, quia ab autoritate teſtantium, tum Archangeli, tum ipſius Jeſu Chriſti, maximam vim habent, & per ſe clara ſunt, hîc ſufficiant. Nam verba illa Chriſti quæ leguntur *Mar.* XIV. 36: *Abba Pater, omnia tibi ſunt poſſibilia*, ſi conferantur cum verbis, quæ apud *Mattheum* leguntur, XXVI. 39, videntur non de potentia hac Dei, ſed de poteſtate ſive jure divino accipienda eſſe; quaſi legatur hunc in modum; Pater, res omnes tuo juri ac poteſtati ſubditæ ſunt, ut de illis ſtatuere tibi liceat quod libet: Si contra non ſtatuiſti, transfer hoc à me poculum. atque id volunt verba, *Si fieri poteſt, tranſeat à me hora hæc.* Nec enim dubium eſt, quin Deus facere potuiſſet, ut ab eo hora illa (triſtitiæ, anxietatis & angſtiæ) tranſiret, niſi decretum ejus obſtitiſſet.

*Latitudo potentiæ divinæ.*

*Potentiæ* hujus *latitudo* quanta ſit quis dixerit? *Infinita* dupliciter dici poteſt. *Extenſive* ratione objecti; *Intenſive* ratione actionis tranſeuntis. Ratione objecti, quia non producit tot effectus, quin plures poſſit producere. Ratione actionis, quia non operatur tam perfectè quin poſſit perfectius operari; ſive quia non facit tam perfecta opera, quin poſſit perfectiora adhuc facere. Hæc omnipotentia etiam recte dicitur; quia extendere ſe poteſt ad omnia objecta poſſibilia, & ſe intendere ad omnes operationis perfectiores ſemper modos ac gradus, in infinitum uſque, quatenus etiam hi poſſibiles ſunt.

*Ea extenditur ad omnia poſſibilia.*

Ratio ergo Omnipotentiæ divinæ ut intelligatur, neceſſario conſiderandum venit quid *poſſibile* ſit, quid *impoſſibile*, non comparatè in ordine ad hanc vel illam potentiam, quia ſcilicet ab hac vel illa potentia fieri poteſt, aut non fieri; quo pacto poſſibile eſt homini ambulare, impoſſibile volare: ſed abſolute, quia ſcilicet ex natura ſua tale eſt ut poſſit aut fieri aut non fieri. ex. g. poſſibile eſt ut albedo videatur, & ſonus audiatur; impoſſibile eſt ut albedo audiatur, aut ut ſonus videatur. Nam albedo natura ſua talis eſt ut videri poſſit, & audiri non poſſit: Soni contra natura eſt talis ut audiri poſſit, videri non poſſit. Ex hoc enim ſequitur, Divinam Omnipotentiam in eo poſitam eſſe, quod poſſit facere omne illud quod abſolute ac ſimpliciter eſt poſſibile, ſeu quod ſecundum ſe tale eſt, ut fieri poſſit.

*Non vero ad ea quæ implicant contradictionem.*

Illud autem omne eſt abſolute poſſibile, quod non implicat contradictionem. Nam implicatio contradictionis nihil aliud eſt quam repugnantia terminorum, ſive repugnantia connexionis prædicati cum ſubjecto, & ſubjecti cum prædicato. At vero quod repugnat ſic fieri, hoc impoſſibile eſt fieri: & quod ſic non repugnat, id poſſibile eſt fieri. Hinc ſequitur potentiam Dei extendi ad omne id quod non implicat contradictionem, & non extendi ad id quod implicat contradictionem.

Implicat autem contradictionem aliquid dupliciter: 1. ex parte objecti faciendi. 2. ex parte facientis ſive agentis. Ex parte objecti faciendi, aliquid implicat contradictionem duobus modis, *primò*, quod ſtatim ſimulatque enunciatur, repugnantiam in terminis continet, ſeque ipſum deſtruit; ut ex. gr. ſi quid dicatur eſſe ſimul & non eſſe, creatum aliquid eſſe & non creatum, factum & non factum. In hoc conveniunt omnes tum Philoſophi tum Theologi. *Secundò*, quod per manifeſtam conſequentiam repugnantiam continet: ut ex. gr. ſi dicatur, unum totum corpus in pluribus per intervalla à ſe invicem longe disjunctis diſſeparatiſque locis eſſe poſſe. Etſi enim non dicatur in terminis, corpus unum totum quod in hoc loco eſt, non eſſe in hoc loco, ſed tantum eſſe in hoc loco & ſimul in alio, tamen eo ipſo, quod dicatur corpus iſtud unum & totum eſſe in hoc loco, & totum in alio, repugnans aliquid dicitur tum uni corpori tum toti. quia unum eſt quod indiviſum eſt in ſe & diviſum ab omni alio, & totum quod replet iſtud ſpatium tantum ibi eſt, juxta omnes partes ac dimenſiones ſuas. Repugnat autem ut unum ſit non unum, & totum extra ſe totum. unum autem non eſt, nec totum, quod in ſpatiis diſſitis unum ſimul eſt ac totum. Ratio: Spatia enim diſſita duo ac plura, imo infinita ſunt, quibus inexiſtit ſive coexiſtit unum iſtud ac totum, quod dicitur, corpus. Sic, ſi dicatur accidens eſſe ſine ſubjecto, repugnans aliquid dicitur per conſequentiam: quia etiamſi accidens ens eſt, non eſt tamen niſi accidens. At accidens dicere ſine jubjecto, eſt dicere accidens non eſſe accidens, ſed ſubſtantiam, ſive ens per ſe ſubſiſtens. Sic, ſi dicatur, ſubſtantiam mutari in ſubſtantiam quæ antea fuit, panem videlicet Euchariſtiæ in corpus Domini jam præexiſtens, repugnans aliquid dicitur, per conſequentiam, quia factum aliquid dicitur quod jam erat, ſive factum quod factum non eſt. Sic, ſi dicatur, Corpus unum idemque poſſe uno eodemque tempore, ſive in eodem inſtanti, moveri motibus

bus contrariis, frigidum esse hîc & alibi calidum, vivum hîc, alibi mortuum, repugnantia dicuntur, quæ palpari pene possunt.

Alterum quod diximus implicare contradictionem, est ex parte facientis sive agentis, quod videlicet repugnat naturali perfectioni essentiæ ejus. Sweigratia, Implicat contradictionem, si dicas Deum ægrotare, mori, indigere, dormire, obliviscì posse, &c. quia hæc imperfectionis indicia sunt & impotentiæ: adeo ut si illis obnoxius Deus esset, dicendum esset Deum non esse Deum. Atque hæc sunt ea, quæ, ut ita loquar, physicè implicant in Deo contradictionem. Præter hæc sunt quædam alia, quæ, ut ita loquar, Ethicè seu moraliter implicant contradictionem in Deo: qualia sunt duûm generum. Primum genus est eorum, quæ repugnant divinæ isti perfectioni, qua Deus est suprema veritas & bonitas: ex. gr. mentiri, fallere, se ipsum abnegare, promissis non stare, peccare, ad peccandum hominem cogere, seu necessitare, seu inducere. Hinc *Tit.* I. 2, dicitur Deus *ὁ ἀψευδὴς*, id est, *mentiri nescius*. & 2 *ad Timoth.* II. 13, qui *ἀρνήσασθαι ἑαυτὸν οὐ δύναται*, *se ipsum abnegare non potest*. & *ad Hebr.* VI, 18. in promissione & jurejurando suo constans, adeo, ut in iis *ἀδύνατον* sit *ψεύσασθαι Θεόν*. cui loco conveniunt duo ista loca nobilia, *Num.* XXIII. 19: *Non est homo Deus ut mentiatur, & filius hominis ut pœniteat eum: ipse dixit, & non faciet? loquutus est, & non præstabit illud?* & 1 *Samuel.* XV. 29: *Ecce fortitudo Israelis non mentietur, nec pœnitebit illum; non enim homo est, ut pœniteat eum.* quamquam in hoc loco utriusque tum comminationis Sauli factæ, tum promissionis Davidi datæ ratio haberi videtur. Hinc *Jacob.* I. 13. dicitur, *Nemo cum tentatur*, id est, ad malum sive peccatum faciendum ita tentatur ut tentationi consentiat, *dicat, à Deo tentor, ὁ γὰρ Θεὸς ἀπείραστος ἐστὶ κακῶν, πειράζει δὲ αὐτὸς οὐδένα.*

Secundum genus est eorum, quæ repugnant 1, divinæ æquitati & justitiæ; ex. gr. ut Deus in æternum sive infinita gratia utatur circa rebelles, refractarios & insanabiles peccatores: non quia id Deus absolute non potest, sed quia id facere non decet universi judicem. 2. Divino decreto & jam deliberatæ voluntati, ex. gratia, ut mundum hunc diluvio perdat, & igne non comburat. Nec enim dubium est quin id posset Deus, nisi contra decrevisset. 3, utrique, tum æquitati, tum decreto: ex. gr. ut pios sui nominis cultores æternum perdat & in Gehennam conjiciat, impios vero à perditione & flammis gehennæ æternis præstet immunes. Ecquis enim dubitet, an ista potentia istudque robur in Deo non sit? Sed implicat contradictionem, ut Deus faciat id, quod æquitati & voluntati divinæ suæ è diametro repugnat.

## CAPUT VI.

## De Primitate Dei.

HActenus egimus de iis quæ Deo aut divinæ essentiæ absolute in se consideratæ competunt. Restat ut agamus de iis quæ Deo in ordine vel cum habitudine aut respectu ad alia tribuuntur: id est, vel in ordine ad causas quibus caret, vel in ordine ad spatium quod replere dicitur, vel in ordine ad tempus, quo durat.

*Loca Scripturæ in quibus Deus dicitur Primus.*

In ordine ad causas efficientes externas Deus *Primus* est, quia ante eum nullum aliud ens prius fuit, & ipse ante alia entia omnia exstitit. unde essentia ejus *ἀνωλέθρου καὶ ἀνάλλου* est, id est libera ab omni objectiva & passiva potentia. Loca quæ ad hoc confirmandum citari solent sunt ista, *Esa.* XLIII. 10: *Ante me non est formatum quippiam, à Deo* (scilicet alio:) *& post me non erit. Esa.* XLIV. 6: *Sic dixit Dominus Rex Israelis & redemtor ejus, Dominus exercituum; ego primus & ego novissimus, & præter me non est Deus. Esa.* XLI. 4: *Ego Dominus primus, & cum novissimis ego sum. Esa.* XLVIII. 12: *Ego sum, ego primus, etiam ego novissimus. Apoc.* I. 8: *Ego sum, α & ω, principium & finis, dicit Dominus, qui est, & qui erat & qui venturus est, ille*, inquam, *omnipotens.*

Loca autem, inquam, hæc etsi præcise non videantur urgeri posse ad absolutam essentiæ divinæ primitatem, ut ita loquar, probandum; sed 1. ad primitatem dumtaxat operum sive beneficiorum divinorum, quibus Deus populum Israelis à reliquis omnibus populis segregavit, sibique in populum peculiarem adscivit: & 2. ad primitatem juris, potestatis, atque autoritatis super populo isto, quæ ex beneficiorum istorum primitate fluxit: tamen non incommode etiam ad confirmandum primitatem essentiæ divinæ adduci possunt; quia ista ipsa opera ac beneficia talia fuerunt, ut à Deo illo Israelis perfici non potuissent, nisi essentia primus fuisset; quia iis ipsis operibus ac beneficiis superstruitur non modo jus postulandi totum atque integrum cultum tanquam unì sibi debitum, sed & postulatum cultus istius, cum renunciatione & abdicatione cultuum omnium, qui ab aliis populis diis suis deferebantur, tanquam profanorum & prorsus illicitorum, adeoque abominandorum & damnandorum, imo idololatricorum. Quomodo autem fieri potuisset, ut Deus ille Israeliticum populum istum sic à populis cæteris segregaret, & ad sui unius cultum obstringeret, damnatis repudiatisque cæteris omnibus populorum diis eorumque cultibus, nisi primus fuisset, & essentiam à nullo alio priore dependentem habuisset? Atque hoc indicare mihi videtur ipse Deus, quando verbis istis, *Ego* (sum) *primus, ego novissimus* (sum,) adjicit generalia ista, *Et præter me non est Deus*; quibus verbis ita primitatem sibi vendicat Deus, ut unitatem etiam ea comprehensam velit, & quidem Deitatis, quæ aliud nihil est quam divina natura sive essentia. Nec dubitandum videtur, quin phrasis ista, *Ego sum primus, ego sum novissimus*, etsi præcise accepta referatur ad populum Israelis, quatenus Deus eum sibi in peculium adscivit, & nullius alterius ope aut opera, sive ante sive post, adjutus, beneficiis omnibus suis cumulavit; tamen si conjungatur cum phrasi sequente, *Præter me non est Deus*, absolutè intelligenda sit; ac si legeretur, Ego ita sum populi istius Deus, ut, vel quia, ego unus ac solus Deus sum, ante quem Deus nullus alius fuit, post quem Deus nullus alius erit.

*Quomodo iste tituli accipiendus sit cum tribuitur Christo.*

Ex quo sequitur, quando Jesu Christo Mediatori iidem tituli tribuuntur, quod videlicet sit *ὁ πρῶτος*, *καὶ ὁ ἔσχατος*, *Apocal.* I. 17. & *τὸ Α καὶ τὸ Ω, ἀρχὴ καὶ τέλος, ὁ πρῶτος καὶ ὁ ἔσχατος*, *Apocal.* XXII. 13, ex titulis istis non præcisè inferri aut concludi posse, quod Jesus Christus Mediator sit primus essentiâ, ac proinde unus ac solus Deus; sed tantum, quod sit primus mediator essentia, ac proinde unus ac solus Mediator Dei atque hominum, ante quem mediator nullus alius fuit, & post quem nullus alius erit. Certum enim est ex textibus, istos titulos Christo tribui, *qui mortuus fuit, & ecce vivit in sæcula sæculorum*: *Apocal.* I. 18. At Christo mortuo & in vitam æternam suscitato primitas essentiæ divinæ competere non potest. Unde etiam titulis istis non subjicitur *ἐξήγησις* sive ratio illa, *Et præter me non est Deus.* ut jam non dicam, titulum primi sive *τοῦ πρώτου* essentia, Christo Jesu ne quidem tribui posse quatenus Dei filius est, sed soli Patri, à quo Filius essentiam suam habet, & cui prærogativa ista primitatis, quod videlicet essentiam suam à nullo alio habeat, ac proinde etiam Filio major sit ea in re, vere competit.

Æternitas itaque sive sempiterna Mediatorii Jesu Christi muneris duratio istis etiam titulis non denotatur: quia certum est Mediatorium Jesu Christi munus finem habiturum ac desiturum, quando videlicet *tradiderit regnum Deo ac Patri suo, & abolevarit omne imperium & omnem potentiam & virtutem*, &c. *& subjectum fuerit ei, qui subjecit ei omnia, ut Deus sit omnia in omnibus*: ut est 1 *ad Corinth.* XV. 24. & 28.

Ex quo colligi etiam posse videtur, titulis istis, quando Deo tribuuntur, æternitatem divinæ essentiæ præcise atque absolute non designari; quamquam ex natura rei, quia tituli isti proprie dictam essentiam divinam connotant, ea, qua diximus, ratione, eam rectè colligi fatendum est.

## CAPUT VII.

## De Dei simplicitate, & indivisibilitate.

*Quomodo essentia divina sit Simplex.*

IN ordine ad causas internas, essentia divina est *Simplicissima*, quia non est compositа ex principiis inter se mixtis, confusis, unitis, aut conjunctis, nec ex partibus sive materialibus integralibus, quantitativis; sive formalibus, actu & potentia, materia & forma, esse & essentia, id est ex perfectibili & perficiente. Omnis enim compositio dependentiam aliquam involvit, quia in omni compositione unum componentium vel supponitur alteri, vel est principium alterius, vel perfectius altero, vel saltem ex utroque totum compositum dependet. Per simplicitatem itaque hîc non intelligimus, nisi istiusmodi divinæ naturæ sive essentiæ perfectionem, quæ excludit omnem, ut ita loquar, duplicitatem, id est compositionem ex duobus aut pluribus, seu principiis, seu partibus essentiam constituentibus. Quare quæstiones istæ, An in Deo non sint relationes, liberæ volitiones, &c. quæ cum essentia divina conjunctæ compositionem aliquam faciant, ad hanc rem non pertinent. Aliud enim est quærere, an essentia Dei sit simplicissima: aliud quærere, an cum essentia divina non etiam conjungantur relationes & volitiones ac decreta libera. Hoc enim concesso, nihilominus essentia ipsa divina in se manet simplicissima. Nec sequitur ullo modo, cum divina essentia conjunguntur relationes & decreta libera, ergo essentia ipsa divina in se composita est. Conjunctio enim illa relationum, & decretorum sive volitionum liberarum, cum essentia, non facit ut essentia ipsa divina sit compositа ex relationibus & volitionibus liberis:

sed

sed ad summum facit, ut essentia divina in se simplicissima manens, propter relationes cum respectu & ordine quodam ad alia consideretur, & propter volitiones ac decreta libera, ut se ipsam promovens, absque ulla sui ipsius alteratione aut immutatione, concipiatur. Nemo enim recte dixerit, quando homo filium gignit, aut currere vult, tum essentiam hominis componi ex paternitate & volitione currendi. Qua ratione autem tum relationes, tum volitiones liberæ in Deo esse possint, aut conjungi cum essentia divina, ita ut Deus sit Pater & actum liberum de se producat, salva manente essentiæ divinæ simplicitate, suo loco pluribus dicetur. Nunc hoc dixisse sufficiat, Relationes non conjungi cum essentia divina, tanquam si novam quandam realem sive essentialem perfectionem essentiæ superadderent, sed quatenus modum tantum sive habitudinem essentiæ ad alia important: volitiones liberas non conjungi cum essentia divina, tanquam si essentiam ipsam divinam in se complerent, actuarent ac perficerent, sed tanquam essentiam ipsam completam declarantes & ostendentes. Volitiones enim liberæ non sunt proprie in ipsa essentia divina, ut actus perficientes in perfectibili, sed ab essentia divina, sive voluntate perfecta in se, radiant atque emanant. Ac licet volitiones istæ nec sint modi entis, nec entia rationis, sed entia realia, conjunctio tamen earum cum essentia divina non est compositio essentiæ, nedum compositio quæ imperfectionis est indicium, sed quæ perfectionem essentiæ summam arguit, quatenus ea libera voluntate prædita est; uti suo loco plenius docebimus.

Simplicitas hæc divinæ essentiæ in Scripturis videtur non incommode denotari vocibus, *Lucis & ignis*, quia lux & ignis inter res creatas simplicissimæ ac purissimæ perfectionis esse videntur, quippe quæ admisceri sibi nihil patiuntur & defæcatissimæ sunt.

*Et indivisibilis.*

Hinc concluditur quod divina essentia etiam sit *Indivisibilis*, quia nec resolvi in principia, nec secari in partes potest. Nihil enim dividi, aut resolvi potest in alia, quam in ea, ex quibus componitur.

## CAPUT VIII.

## De Dei Immensitate.

*Quomodo Deus sit immensus.*

RESpectu spatii Deus recte *Immensus* vocatur, quia nec certis spatii terminis circumscribi, nec in certo ubi definiri, nec finibus aut extremitatibus concludi potest. Quod Scriptura enunciat, cum *cælum pro solio, & terram pro scabello pedum* Deo adsignat, *Esa.* LXVI. 1. cum dicit, *Deum replere* aut implere *cælum & terram*, *Jerem.* XXIII. 24. cum Deum *inferno profundiorem, mari latiorem, & terra longiorem* esse affirmat, *Job.* XI. 7. 8. 9. cum Deum ait esse Deum *non de longinquo*, sed *de propinquo*, *Jerem.* XXIII. 23. quomodo vero? quia ut est *Act.* XVII. 27, *non longe abest ab unoquoque nostrûm. In ipso enim vivimus, movemur, & sumus*, unde recte Psalmista *Psalm.* CXXXIX. 7. admirabundus quærit, *Quo ibo à Spiritu tuo, & quo fugiam à facie tua? Si ascendero in cælum, tu ibi es. Si stratum fecero in inferno, ecce tu ades. Si adsumam alas auroræ, & habitem in novissimo maris, etiam illuc manus tua deducet me, & apprehendet me dextera tua.*

Dices: In locis istis non agitur de essentiæ divinæ immensitate, sed de potentiæ, virtutis, scientiæ ac sapientiæ providentiæque divinæ infinitate. Resp. Ita sane videtur. sed qua ratione potentia, virtus ac scientia divina ab ipsa essentia divina discriminentur, quis dixerit? Certe virtus divina aliud nihil quam extensa essentia esse videtur; saltem, cum de divinæ potentiæ virtutisque præsentia loquitur Sacer textus, tum ita loquitur, ac si virtus illa ipse Deus esset & divina essentia, quare ut nos, ad instar istud loquamur, absurdum nemini videri debet. Balbutiendum nobis est, cum vel de essentia, vel de virtute, Spiritu ac potentia divina loquimur; & cum Spiritu ipso divino, balbutire, hoc demum est sapere. Rectè, inquies. sed annon ex eo sequitur, Deum extensum esse & quantum? Resp. minime. tantum sequitur, Deum sic nobis describi in SS. literis ac si quantus esset, & proinde nos de Deo cum SS. literis loquentes Deum sic concipere. At si quantus & extensus concipiatur, divisibilis erit, aut ut divisibilis concipietur. Resp. Sane si quantitas & extensio corporeæ alicujus molis Deo tribueretur: sed contra est. Deo enim tribuitur simplicissima & spiritualis essentia, quæ divisionis & dissolutionis omnis expers & incapax est. At ubi extensio est, ibi est pars extra partem, inquies. Respondeo: Id nego in essentiis simplicibus & spiritualibus in ordine ad spatia locum habere. Anima sine dubio quanta & extensa est, uti & Angelus. In anima tamen & Angelo non est pars extra partem. Cur vero non, inquies? Respondeo: Partes aliæ sunt physicæ & reales, sive substantiales sive integrales, eæque vel homogeneæ vel heterogeneæ, ita constituentes totum, ut ex iis quasi componatur totum, & in eas resolvatur aut resolvi possit, sive sint per compositionem, sive per mixtionem, sive per fluxionem continuam copulatæ & unitæ. Aliæ sunt quæ simplicissimæ & indivisæ entitati per solam tantum mentis extrinsecam denominationem tribuuntur, in ordine ad spatium cui coextensa concipitur, in cujus parte una concipit aliquid ejusdem integræ entitatis, quod non concipit in alia, hinc partes appellat. Priori modo quidquid partem extra partem habet, ex partibus compositum dici potest: Non posteriori. Nam potest aliqua simplicissima essentia esse per spatium aliquod extensa, quod veras partes non habet, sed partes tantum denominativè habere dicitur, ob nostrum concipiendi modum, quo certas & varias spatii partes concipimus. Imaginariæ itaque illæ partes sunt, non veræ & reales.

Quicquid id sit hac de re, impossibile nobis est Deum cum modo aut proprietate Immensitatis concipere, aliter, quam sub ratione spiritualis extensionis: quæ tamen revera non magis sit divisibilis quàm atomus est aut punctum. Si enim aliter conciperetur, necesse utique esset, ut conciperetur sub ratione puncti. Atqui punctum, ut punctum, concipere cum modo immensitatis, est ex puncto non punctum facere, aut punctum concipere ut non punctum: ut jam non quæram cur punctum perfectionem in se habeat? Dicamus ergo: *Deus magnus est, sed magnitudinis ejus non est investigatio*: *Psal.* CXLV. 3. & concipiamus Deum in cælo, tanquam in solio gloriosæ suæ Majestatis, sedentem, sequo virtute sua diffundentem, Solis instar, qui radiis suis ubique lumen & vim suam diffundit. Hoc sufficit, dummodo caveamus, ne Deum aut sic immensum statuamus, ut nihil sit aut concipi à nobis possit, quod non sit Deus; aut immensitatem ei talem tribuamus, quæ certis spatiis circumscripta, & mole ac corporea certa quantitate limitata est & concluſa. Certum enim est, Deum sic immensum esse, ut si exempli gratia innumeros quasi mundos conderet, omnibus istis præsens futurus esset, omnesque illos virtute sua divina repleret. De spatiis imaginariis quæ disputantur, ea curiosis libens reliquo, & imaginosis hominibus imaginanda.

## CAPUT IX.

## De Dei Æternitate & Immutabilitate.

*Quomodo Scriptura Dei æternitatem exprimat.*

RESpectu temporis sive durationis Deus est *Æternus*, quia nec principium essendi habet, nec finem essendi habiturus unquam est; sed totus & perfecte se ipsum possedit, possidet & possidebit, sine ulla sui mutatione, aut partium semper vel subinde accrescentium successione, sed continua & nunquam interrupta sui totius & indivisi duratione. Hoc Scriptura passim testatur, cum Deum vel simpliciter vocat τὸν αἰώνιον καὶ ἄϊδιον: *ad Rom.* XVI. 26. *Isai.* XL. 28: *Nunquid nescis, aut non audivisti, Deus sempiternus Dominus, qui creavit terminos terræ.* vel cum triplici temporis aut durationis differentia utitur, ad æternitatem illam proprie dictam designandum; *Apocal.* I. 4. 8. & IV. 8. & XI. 17. & XVI. 5. ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος. vel cum dicit, Deum *à sæculo & usque in sæculum esse*: *Psal.* XC. 8. vel cum cum, *Regem sæculorum*, 1 *ad Tim.* I. 17. *antiquum dierum, Daniel.* VII. 13. nuncupat. & denique cum eundem esse, *permanere*, & *annos ejus non defecturos esse* affirmat, *ad Heb.* I. 12, ex *Psal.* CII. 27. 28.

*An ab ea omnis successio excludenda.*

Ad æternitatis hujus constitutionem sufficit perpetua essentiæ & nunquam interrupta vel interrumpenda duratio sive permanentia. An de ratione æternitatis sit *successio* quæri solet. Negant fere omnes Scholastici: qui æternitatem punctum esse volunt, quod coexistat omnibus & singulis temporum differentiis totum ac simul, eaque ratione ab ævo & tempore distinguunt. Sed quæ ratio solida eos moveat non video, cum duratio omnis ex natura sua importet fluxum momentorum per prius & posterius distinctorum, qui sine successione esse aut concipi non potest. Momentanea enim duratio, proprie duratio non est. Momenta autem sibi invicem succedentia non sunt reale aliquid, sed finguntur tantum ad fundandum denominationem durationis, quatenus res aliqua concipitur in ordine ad ista momenta vel præsens fuisse, vel futura esse. Quando itaque infinita momenta concipiuntur, infinita duratio esse dicitur, sive res existens infinitis momentis præsens fuisse aut futura esse. Præsens enim non dicit principium existentiæ, sed extrinsecum tantum existentiæ respectum, & conjunctionem cum νῦν. & futurum esse, non dicit existentiæ propriè dictam futuritionem, sed existentiæ præsentis conjunctionem futuram cum νῦν sive momentis fluentibus aut fluxuris; quæ tamen ipsa reale nihil sunt, sed ut talia concipiuntur: uti apparet ex præteri-

to

to tempore, quo fuisse res dicitur. Fuisse enim non dicit essentiæ aut existentiæ desitionem, sed tantum desitionem respectus sive denominationis aut conjunctionis extrinsecæ, ipsius essentiæ sive existentiæ, cum momentis istis, quæ efluxerunt sive desierunt; non ita quasi momenta ista fuerint entia realia, quæ desierunt aut annihilata sint; sed ita quod ista momenta, quamquam entia rationis in se & per se, à nobis tamen non aliter quam entia realia apprehensa aut conficta, evanuerint: uti ex eo apparet, quia jam adhuc à nobis apprehenduntur & confinguntur, sive in intellectu nostro apprehensa & conficta manent tanquam si entia realia essent, ad fundandum denominationem præteritæ durationis. Rei enim non competit quicquam, quam id quo ipsa res est: id autem præsens tantum sit necesse est: & quicquid in ordine ad extrinsecum aliquid, imprimis nihil, refertur, hoc rationis tantum ens est.

Quæres: An ex hoc consequatur, in re ipsa etiam, quæ æterna est, successionem dari. Resp. Successio duplex est; una in re ipsa, quæ imperfecta existens partem acquirit post partem, suæ tum essentiæ tum quantitatis, donec compleatur tota ac perficiatur, uti in iis quæ moventur, & in potentia sunt ad actum & terminum suum, videre est. Altera in re perfectissima, quæ sine ulla sui aut mutatione, aut alteratione, aut innovatione, aut perfectione, tota & perfecte invariata existens, concipitur coexistere spatio alicui per certa sibi succedentia momenta distincto & extenso: quæ cum denominatio extrinseca tantum sit, nullam omnino imperfectionem rei existenti addere potest, non magis quam æternitati tempus, cui æternitas à Scholasticis coexistere dicitur, imperfectionem ullam addere potest. Dices: Sic æternitas saltem nihil erit reale & absolutæ aut intrinsecæ perfectionis in Deo. Sane æternitatis, ævi, temporis eadem est ratio. Nihil horum reale est: sed ad summum tantum sunt modi essendi, connotantes extrinsecam denominationem, qua essentia concipitur in ordine ad momenta, vel pauca, vel plura, vel infinita, quæ revera nihil sunt, sed finguntur ad fundandum denominationem. Præterita enim momenta nihil sunt, & futura nihil sunt: quia illa fuerunt quasi; hæc non sunt, & quasi futura sunt.

Dices: Juxta hanc sententiam Deus jam non potest dici æternus: quia denominatio æternitatis à punctis sive momentis posthæc sine fine fluxuris ei nondum competit. Resp. Si vox *Æternus* accipiatur pro essentia, quæ non modo ab æterno duravit & in æternum duratura est, sed quæ tantæ est perfectionis ab intrinseco, ut non potuerit non esse ab æterno, & non possit non durare in æternum, atque inde denominatio æternitatis fiat, tum vero id plane nego. Sic enim certum est, Deum nunc & in omni instanti æternum esse. At si vox Æternus accipiatur, prout complectitur totam atque universam durationem quæ principio caruit, & jam in hoc instanti fine caret, tum dico, impossibile esse, ut sic nunc dicatur Deus Æternus, quia certum est etiamsi duratio essentiæ divinæ à parte ante æterna fuerit, eam tamen nondum esse æternam à parte post. 1. quia alioquin falsum esset quod de Deo Scriptura dicit, *Qui est, qui fuit, & qui erit*, sive, *futurus est*. 2. quia sic, si, per impossibile, Deus nunc esse desineret, nihilominus tamen æternus fuisset. 3. quia sic sequeretur, jam hoc momento præsentia esse omnia quæ nondum sunt, in æternum & in infinitum usque tempora. Ita est, inquies. Ista est æternitatis ratio specifica, qua distinguitur ab omnibus aliis durationibus, quod ei omnes ac singulæ temporum differentiæ totæ ac simul coexistant. Atqui, inquam ego, id plane absurdum est. Nam si id verum est, tum 1. differentiæ illæ temporum existerent simul & non existerent. Existerent, quia æternitas illis coexisteret: ut enim aliquid coexistat non existenti, impossibile est. Non existerent, quia non coexisterent toti æternitati; alias enim differentiæ istæ, non essent differentiæ temporum, sed omnia tempora non nisi unum præsens tempus essent. 2. sequeretur spatia in innumeras partes divisa uno indivisibili puncto contineri, id est, maximum minimo; quia indivisibile quodvis, quovis divisibili minus est. 3. Sequeretur non vitam nostram ad æternitatem collatam, nec tempora quævis respectu æternitatis, licet Nestorea & Mathusalemica, instar puncti esse; sed contra, vice versa, æternitatem ipsam respectu vitæ nostræ & temporum quorumcunque, etiam brevissimorum, puncti rationem habere: quod prima statim fronte absurdum esse intelligitur.

*De loco Psal. XC. 4. & 2. Pet. III, 8.*

Scriptura tamen ipsa, inquies, sic loquitur de divina æternitate *Psal.* XC. 4: *Mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna quæ præteriit: & custodia in nocte.* quæ verba imitatus est Apostolus Petrus, 2 *Epist. cap.* III. 8: *unum autem hoc ne vos fugiat, dilecti, unum diem apud Dominum* (perinde) *esse ut mille annos*, & *mille annos* (perinde) *ut diem unum.* Contra, inquam, ex ipsis illis verbis liquet Scripturam tribuere æternitati divinæ tam longam ac diuturnam durationem, ut ei comparata quæcunque alia vitæ humanæ annorumve, licet longissima & millenaria duratio, brevissima, & vel diei unius, vel vigiliæ nocturnæ, id est, trium horarum duratio videri debeat. Æternitatem itaque non facit Petrus punctum breve, aut momentaneam & instantaneam durationem puncti instar indivisibilis; sed vitam ipsam humanam, quamquam maxime & supra communem sortem, adeoque extraordinariam olim quibusdam (uti multis placet) extensam vivendi metam, puncti instar esse asserit, si comparetur cum divina æternitate. Sensus enim Psalmi est; Deum vitam brevem satis homini daturum fuisse, si eam millenariam facere, & in multos annos prorogare constituisset. quid enim sunt mille anni vitæ, & quantula illa est portio vivendi, si conferatur cum æternitate divinæ vitæ? Vix diei unius aut trihorii vita fuisset. quasi dicat, Tantillum dedisset Deus mortalibus, & dedit olim præterpropter quibusdam. at vero tantum abest ut vitam millenariam Deus nobis det, ut ne quidem centenariam det, & eam ipsam insuper etiam non raro, propter peccata nostra, in furore suo atque indignatione præcidat præscindatque. Mille anni itaque, sunt anni mortalium, non anni Dei.

Recte, inquies. Sed Petrus addit, *& dies unus velut mille anni.* Per mille annos itaque annos Dei, & per diem unum, diem Dei ipsius notat. Resp. An eodem sensu Petrus verba illa referat, quo à Davide aut à Mose in Psalmo hoc prolata primum sunt, dubitant nonnulli. Sed hoc ad rem hanc non facit. Quocunque enim sensu ea Petrus referre credatur, id tamen certum manet, eum per annos mille, & diem unum, idem voluisse significare cum Mose aut Davide, videlicet annos, non quos Deus ipse vivit, sed qui hic in terris effluunt & ab hominibus numerantur; quia scopus Petri alius nullus est, quam indicare, non esse causam desperandi aut dubitandi de promissionibus Dei, promissionumque divinarum impletione, propter lapsum moramque temporis diuturnam, qua omnia interim promiscue, &, nullo piorum aut impiorum discrimine, eodem prorsus modo ire ac procedere videntur: prout inferre ac concludere paulo ante *vers.* 3. 4. irrisores in suis cupiditatibus incedentes dixerat; quia tantundem Deum impedit, quominus promissa sua expleat, longissimum tempus, quam brevissimum; tam facile Deo est post mille annos explere & præstare quod dixit, quam post unum diem, aut unam etiam horam. ut proverbialis omnino videatur hæc oratio Petri esse, qualis hæc est; quando Deus victoriam largiri vult, unus miles ei est ut mille, & mille milites ut unus dumtaxat. cui similis est oratio Asæ Regis Juda, 2 *Paral.* XIV. 11: *Non est ô Domine apud te ut auxiliem* (differentia) *inter magnum, & eum cui non est fortitudo.* q.d. perinde est tibi sive fortes sive infirmi, sive pauci sive multi bellatores sint, per quos auxilium præstes tuis. Huic etiam similis est oratio illa, qua Jacobo pro Rachele servienti septem annis, dicuntur *Genes.* XXIX. 20. *septem* illi *anni* fuisse *in oculis ejus* (uti in Hebræo textu est) *ut dies singuli.* כְּיָמִים אֲחָדִים: *eò quod diligeret eam.*

Quare ut ex his verbis inferatur, apud Dominum Deum per se nihil inter utrumque temporis spatium interesse, sive æternitatem puncti instar omnia tempora complecti, ita ut in ea nihil sit prius aut posterius, absurdum est. Si enim verba ista, *Mille anni* apud nos *sunt ut unus dies* apud Dominum, (sic enim sumenda sunt: quia alioquin unum idemque bis diceretur) rigide sumta urgere velis, ut probes tempora longa & diuturna respectu æternitatis in unum quasi momentum contrahi, posito etiam per diem unum, momentum unum intelligi: quod tamen violentum est dicere: ego contra urgebo verba illa, *unus dies apud Dominum sunt ut mille anni* apud nos: ut probem ipsam æternitatem, sive momentum illud quod in æternitate esse dicitur, extendi & coextendi spatio mille annorum nostratium, ac proinde in æternitate ipsa non minus esse successiorem per prius & posterius, quam successio est apud nos in annis mille.

Si quæras, quid itaque sibi velit Petrus, cum dicit, unum diem apud Dominum esse ut mille annos apud nos; dicam (salvo meliore judicio) Apostolum fortasse eo indicare voluisse, à Deo exigendam non esse rationem factorum suorum; quia etiamsi aliquando ita loquatur, ut adventum suum brevi & quasi uno post die futurum dicat, nonnunquam tamen causam habet, cur breve illud tempus porrigat & proroget ita, ac si diem unum in mille annos commutaret, quia in bonum hominum ut id cedat, propositum sibi habet. Atque hoc mihi videtur indicare verbis sequentibus, *Non tardat Dominus promissum, (ut nonnulli tarditatem,* quando ita facit, *ducunt:) sed longanimis est erga nos*, &c. quasi dicat, Pro clementia & benignitate sua differt adventum suum, & quasi procrastinat id quod promisit, (sub promissorum minas etiam comprehendo) non aliter quam si unum diem in mille

in mille annos extenderet, pro amore ſuo ſingulari quo ſalutem noſtram deſiderat & procurat; manens tamen ſemper in eodem conſilio ac propoſito, ut aliquando præſtet indubitato id quod promiſit & comminatus eſt, quodque ſe facturum prædixit in illuſtri adventu ſuo.

*Dei immutabilitas.*

Ex harum divinarum proprietatum conditione & conjunctione oritur *Immutabilitas* ſive ἀφθαρσία eſſentiæ divinæ. Quia enim eſſentia divina prima eſt, à priore aliqua deſtrui non poteſt. Quia potentiſſima eſt, à nulla alia lædi aut debilitari poteſt. Quia ſimpliciſſima eſt, intus corrumpi aut alterari non poteſt. Quia immenſa eſt, motu augeri non poteſt, nec diminui. Quia æterna eſt, perire aut deſinere non poteſt. Hæc immutabilitas aliud nihil eſt quam incorruptibilitas. unde Deus expreſſe dicitur, ἄφθαρτος θεός, *Rom.* I. 23. & βασιλεὺς τῶν αἰώνων ἀφθάρτῳ, 1 *ad Timoth.* I. 17. Hæc ἀφθαρσία vitæ attributa, proprie ἀθανασία eſt, ſive immortalitas, quæ Deo etiam ſic tribuitur, ut non modo καὶ ἐξοχὴν dicatur *Deus vivus*, & *Deus vivens in ſecula ſeculorum*, *Jerem.* X. 10. & 1 *Theſſ.* I. 5. *Act.* XIV. 14. quatenus nimirum ipſe *vitam habet in ſe ipſo*, *Joan.* V. 25. (unde & jurandi illa formula, Deo uſurpata, *Vivo ego*: & illa hominibus, *vivit Dominus:*) ſed & diſerte appelletur, μόνος ἔχων ἀθανασίαν, 1 *Timoth.* VI. 16. Sed de hac re poſt agetur.

## CAPUT X.

### De neceſſitate credendi Deum eſſe unum, & eſſe ſpiritum.

ATque hæc quidem attributa ſicuti eſſentiæ divinæ competere certiſſimum eſt, ex fundamentis iſtis quæ adduximus, ita eadem eorumque modos & rationes ſobriè, & verbis potius Scripturæ Sacræ, cum ſolicita reverentia & timore ac tremore, quam ullis aliis humanis, dubiis, controverſis, licet in ſpeciem auguſtis & ſublimibus, atque in Schola receptis, cum præfidentia & tumore enuntiari debere, & tutiſſimo definiri poſſe, judicamus; quia Spiritus ipſe Dei procul omni dubio naturam ſuam (nobis alioquin incomprehenſibilem) optimè exprimere potuit, & quantum ſatis eſt intelligi pro benevola ſua erga nos miſericordia voluit; quem præeuntem tantiſper ſequi nos decet, donec eum ipſi in beato ſeculo iſto coram videbimus & cognoſcemus, prout ipſe nos cognoſcere faciet; ſic enim expono id quod dicitur 1 *ad Corinth.* XIII. 12, καθὼς καὶ ἐπεγνώσθην. Attamen ut utilis ſit & prodeſſe nobis poſſit hæc auguſtiſſimæ eſſentiæ divinæ cognitio, attendendum præcipuè nobis eſt, quæ & quanta ſit horum ſingulorum attributorum ſciendorum vel credendorum neceſſitas, in ordine ad Religionem, quæ nulli alii quam divinæ Majeſtati debetur.

*Neceſſarium eſt creditu ad ſalutem Deum eſſe unum.*

Præſuppoſito ergo, Deum eſſe, & neceſſarium ad ſalutem ſcitu ac creditu eſſe, Deum eſſe, *Accedentem* enim *ad Deum Dei* (id eſt, neceſſe eſt, oportet: non enim θεῖ hic pro decet accipiendum eſt) *credere Deum eſſe*, *Heb.* XI. 6. Quæritur, an neceſſarium ad ſalutem creditu ſit, *Deum unum eſſe*. Reſp. Omnino. Quia ad ſalutem neceſſarium eſt, unum Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus viribus amare, colere, timere, adorare, & honorare obſequio, ſpe ac fiducia; juxta diſerta præcepta: *Dominum Deum tuum adorabis, & ei ſoli ſervies*: *Matth.* IV. 10. vox, μόνῳ, à Chriſto additur, quia textus Scripturæ Veteris Teſtamenti ad quos reſpicit, cùm dicit, *Scriptum eſt*, vocem iſtam poſtulant; ſi videlicet integri legantur. *Deut.* VI. *verſ.* 13. cum adjuncto *verſ.* 14. & *Deut.* X. 20. cum ſequentibus verſibus compluribus; quibus innumeri alii textus conſonant. Rationis hujus vis per ſe liquet ex tribus his: Si plures dicantur eſſe Dii, ſive ſuperioris, ſive paris ejuſdemque divinæ Majeſtatis, tum 1. unus ob naturæ ſuæ excellentiam dignus non eſt, qui ſolus ex toto corde, & ex omnibus viribus colatur atque honoretur. 2. unus jus nullum habere poteſt poſtulandi ab omnibus & ſingulis nobis totum atque univerſum ſui unius cultum atque obſequium. 3. Nec nos etiam ad unum tantum Deum cultum noſtrum dirigere aut jure poſſemus, aut neceſſario teneremur. Nemo enim cultum duobus pluribuſve dominis ex æquo debitum, ad unum ſuo jure transferre poteſt, ſine crimine læſæ Majeſtatis alterius ſive cæterorum. Nemo etiam obligari poteſt ad cultum & obſequium duorum pluriumve dominorum, quia obligaretur ad impoſſibile, juxta dictum Jeſu Chriſti Servatoris, *Matth.* VI. 24: *Nemo poteſt duobus dominis ſervire; aut enim unum habebit odio & alterum diliget; aut uni adhærebit & alterum contemnet.* Ita eſt. Nec refert, an domini iſti conſentiant inter ſe eouſque ut contraria non jubeant; ſufficit, ut qua domini, pro jure ſuo eodem tempore diverſa aut diſparata jubeant. Sic enim, ut utriſque ab uno eodemque mos geratur, fieri non poteſt. Unus dominus pluribus ſervis, licet inter ſe diviſis ac diſſentientibus, imperare poteſt. At ut ſervus unus pluribus dominis, licet conſentientibus inter ſe, toto corde atque ex omnibus viribus ſuis ſerviat, eorumque imperata exſequatur, impoſſibile eſt.

*Item eum eſſe Spiritum.*

An neceſſarium eſt ſcitu ac creditu *Deum Spiritum eſſe*, ſive eſſentiæ ſpiritualis & non corporeæ? Reſp. Omnino ita videtur ob duas cauſſas. 1. ut ſpiritualem cultum à Deo poſtulari poſſe, & à nobis præſtandum eſſe cum poſtulatur, certo ſtatuamus. 2. ut Deum ſpiritualia bona, quæ promittit, communicare poſſe non diffidamus, ſed cum fiducia & πληροφορίᾳ mentis ea ab illo, juxta promiſſum ejus, ſperare atque exſpectare audeamus. Sicut enim à nemine dari vel accipi aliud aut melius quid poteſt, quam ipſe habet, ita ab eo ſolo, qui quidem cum ſuprema poteſtate habet, & ſperari & exſpectari, dubio procul omni, & poteſt & debet.

Rectè, inquies; ſed an neceſſarium ſcitu ac creditu eſt, quid ſit ſpiritus ſive ſpiritualis eſſentia? Reſp. Non, quia definitio ſpiritus nuſpiam nobis à Deo tradita eſt, & humano ingenio incomprehenſibilis eſt; quippe quod non niſi per ſpecies à ſenſibus receptas, & phantaſiæ impreſſas, quæ corporeæ ſunt, in naturæ cujuſque rei cognitionem devenire poteſt. Sufficit, ut divina eſſentia concipiatur per modum negationis, ſive remotionis corporeitatis, aut craſſæ molis, carnis, ſanguinis, oſſium, à divina eſſentia.

*Nefas eſt ei certam aliquam formam aut figuram tribuere.*

Dices: An præcisè neceſſarium eſt, ut ſic Deus concipiatur? Reſp. Id non auſim dicere: dummodo Deo certa aliqua forma ac figura non tribuatur quæ ipſi quaſi propria ſit. Hoc enim expreſſe ac diſertè vetatur, *Deut.* IV. 15. 16. *Eſa.* XL. 18. *Act.* XVII. 29. *Rom.* I. 23. & quidem ſub pœna exterminii aut indignationis divinæ: quia dum id fit, *mutari* dicitur *gloria incorruptibilis Dei in efformatam imaginem*, ſive εἰς ὁμοίωμα εἰκόνος φθαρτοῦ *corruptibilis hominis, & volucrium, & quadrupedum, & reptilium*; eamque ob rem, ii qui id fecerunt, licet gentiles, *traditi à Deo dicuntur cupiditatibus cordium ſuorum*, &c.

Dices: Et tamen Deus non tantum paſſim ſe ipſum in Scripturis deſcribit hominis inſtar: ſed & aliquando ſe ſub hac & illa forma, figura, ac ſpecie humana prophetis ſuis ſpectandum dedit, uti *Daniel. cap.* VII, ſub ſpecie ſenis & antiqui dierum, *verſ.* 13. Reſp. Ita eſt. Sed idem ille Deus, qui ſic ſe ipſum deſcribi fecit, & ſe Danieli ſic repræſentavit, formam ſive figuram ullam ſui fieri ſevere prohibuit, & quidem idcirco quod ea nulli unquam viſa eſſet & videri non poſſet: Forma, inquam, certa ac divinæ eſſentiæ propria. Certa tamen, inquies, forma Danieli repræſentata fuiſſe dicitur. Reſp. Aliqua forma repræſentata fuit Danieli, ſed non certa, aut talis ſub qua Deus tanquam ſub forma ſua propria repræſentari poſſit. Id apparet ex eo, quia forma illa ſenis, ſive antiqui dierum, Danieli repræſentata fuiſſe dicitur in viſione ſive ecſtaſi, in qua ænigmatica, parabolica forma, non vero propria repræſentari ſolet. Id autem quod ſic repræſentatur, non repræſentatur tanquam quod ſenſibus externis percipi poteſt, ſed quod ſenſibus percipi non poteſt: quia, quo tempore repræſentatio illa fit, ſenſus ſibi non conſtant, ſed ab officio actuque omni ſentiendi abducti, & quaſi extra ſe rapti ſunt. unde formam illam ſenſibus corporeis ſibi conſtantibus repræſentare velle, eſt ænigmaticam formam in propriam commutare: quod facere abſurdum eſſe ex eo uno liquet, quod Apoſtolus Paulus, non obſtante eo, quod Danieli viſio hæc contigerit, diſertè nihilominus aſſerat, 1 *ad Timoth.* VI. 16, *Deum à nemine homine viſum eſſe, nec videri poſſe.* & *cap.* I, ejuſdem epiſtolæ, Deum ἀόρατον eſſe. Adde quod nunquam figura vel forma Dei repræſentata ſit inanimata aut mortua, ſed ſemper animata ac viva, qualem nemo homo fingere aut effigiare poteſt.

*An ſine ſalutis jactura nemo poſſit Deum repræſentare ea forma qua olim apparuit.*

Quæres: An ergo Deum, ad exemplum ſive viſionem Danieli factam vel pingere vel ſculpere, ſub forma ac ſpecie cani ac reverendi ſenis, cum periculo ac jactura ſalutis conjunctum ſit? Reſp. 1. Ex prædictis apparet id fieri non poſſe eadem ratione qua Danieli Dei forma repræſentata fuit; quia ea fuit animata forma ac viva. 2. Alia forma inanimata id facere velle, quin cum periculo, & cum magno periculo conjunctum ſit, dubium nullum eſt; quia verba divini interdicti ſic concepta ſunt, ut incertum ſit, an non omnis qualiſcunque divinæ eſſentiæ effigiatio, ſive accedat religioſus cultus, ſive non accedat, iis prohibeatur, imo ut veriſimilius ſit, eam prohiberi, ſi non pariter, ſaltem una cum ipſo religioſo cultu. unde ſequitur, ſine ingenti periculo eam fieri non poſſe, & periculi iſtius cauſſam idcirco majorem videri debere, quod qui contra facit, id eſt effigiem Dei formet, eo ipſo demonſtret, ſe religione interdicti divini ſeria non duci, ſed animo ſuo obſequi velle: cum certum ſit, tu-

tissimum ac facillimum esse abstinere ab omni divinæ essentiæ effigiatione, & tam longe abire à periculo idololatriæ eum, qui à divinæ essentiæ effigatione abstinet, quam prope ad eum accedit, qui ab ea abstinere non mavult. Abstinendo nemo peccat. Non abstinendo, fieri potest ut quis mortaliter peccet, aut ad mortaliter peccandum adducatur: quia effigiationi divinæ essentiæ vicina, imo proxima est idolatria. Facile enim ex effigie quæ augustissima esse creditur idolum fit. Sed vero ut cum certa salutis æternæ jactura id conjunctum esse asseram, nondum adducor. 1. quia certum prorsus non est, interdicti divini eam esse sententiam, ut non minus damnet imaginum sive idolorum divinam essentiam repræsentantium fabricatores, qua tales, quam fabricatarum ejusmodi imaginum cultores, aut fabricantes imagines ad colendum per eas & in iis aut coram iis Deum aut divinam Majestatem. 2. Quia passim in Scripturis cælo excludi leguntur εἰδωλολάτρας, sive εἰκονολάτρας: nusquam, quod scio, εἰκονοποιούς sive εἰδωλοποιούς.

Ergo, inquies: certa res est, & quæ necessario credi debet, eos, qui imaginem Dei colunt ac venerantur religiose, sive, in, ad, aut coram imagine Dei sacrificia, vota, preces ac supplicia faciunt, ei templa dedicant, festa consecrant, thus adolent, coram ea jurant, actusque omnes religiosos exercent, cælo exclusos esse, quamdiu tales manent? Resp. Omnino. Nulla res certior clariorque est in textu sacro, tam Vetere quam Novo. In Vetere quid certius clariusque dici potest, quam quod legitur (ut jam alia infinita loca non adducamus) distertis verbis *Deut.* IV. 15. 16. & in secundo Decalogi præcepto, *Non facies tibi ullam imaginem*, mei scilicet, &c. *Ego enim sum Deus zelotes*, &c. *Exod.* XX. 5. & *Deut.* V. 6. In Novo, quid exertius distertiusque, quam *idololatras regnum Dei non possessuros?* 1 *ad Corinth.* VI. 10. *ad Galat.* V. 19. *Ephes.* V. 5. *Apocal.* XXII. 14.

*De cultu imaginum apud Pontificios.*

Unde facile colligere est quid sentiendum sit de istis Pontificiis Doctoribus, qui non modo imagines Dei & Trinitatis religiose venerantur, sed easdem sub interdicto anathematis venerari jubent, & nec parentes quavis mala morte puniendos esse asserunt; qui certe idololatriæ apex est. Et crimen eorum non parum augetur ex eo, quod passim in libellis suis devotionum, Catechismis & formulis, Decalogum recensituri, secundum præceptum de imaginibus nullis faciendis, ex Decalogo eradant, ut manifesti divini interdicti conscientia paulatim aboleatur deleaturque ex vulgi animis; tanto certe majore cum scelere, quanto facilius est incauto, & à lectione sacri textus severa lege prohibito vulgo imponere, & quanto periculosius est, impositum ita vulgus summi criminis simul atque extremæ pænæ reum facere.

Dices: Cultus imaginum Dei, quem Pontificii imperant, non est cultus idololatricus. Cur vero, inquam ego? Dices; Quia imagines istæ Dei non sunt idola. Cur, inquam, iterum ego? εἴδωλον enim juxta primam suam originationem, significat quamlibet imaginem repræsentantem prototypum sive exemplar suum. Sicut enim simulachrum à similitudine, sive ab assimilatione (unde etiam simulatio derivata videtur) ita εἴδωλον à primitiva voce εἴδω derivatum est, quæ generaliter quamlibet formam seu speciem aliquid repræsentantem notat, non cum diminutione, ut post Tertullianum Bellarminus vult, quasi εἴδωλον diminutiva vox sit, & parvam tantum speciem, seu, ut Tertullianus, formulam notet; sed uti Etymologus doctissimus observat, eadem ratione, qua δύχαλη, pro δύχη, παυσωλὴ pro παῦσις, φαιδωλὴ pro φαιδὼ, accipi solet. εἴδωλον ergo, εἴδω, ὁμοίωμα, εἰκὼν, simulachrum, imago, re ipsa unum idemque sunt. εἰδωλολάτρης ergo & εἰκονολάτρης ne hilum quidem differunt. Nec refert sculpta, fusa, an picta sit imago. Modus enim rei non variat rem. Argumento est, quod LXX interpretes & Chaldæus Paraphrastes aliquando reddiderunt vocem פסל quæ proprie γλυπτὸν sive sculptile notat, per vocem צלם sive צלמא quæ generaliter significat imaginem: ut *Esa.* XL. 18. & 20. & *Hab.* II. 18. & vice versa vocem צלם reddiderunt per εἴδωλον, *Num.* XXXII. 52. & 2 *Paral.* XXIII. 17.

Sed vero absque hoc esset, quid certius, quam Deum in secundo Decalogi præcepto prohibuisse non tantum בל-פסל, sed & addidisse ובל-תמונה *& omnem similitudinem*, quam vocem Græci voce ὁμοίωμα verterunt isto in loco, & sic verti debere nemo jure dubitaverit, qui tantum animum advertit ad locum Apostoli *ad Rom.* I. 23. ubi gentiles dicuntur *mutasse gloriam incorruptibilis Dei* ἐν ὁμοιώματι εἰκόνος, id est, *in similitudinem imaginis corruptibilis hominis*, &c. quibus duabus vocibus sine dubio gentilium idola denotantur.

Esto, inquies. At quæ sit propria & essentialis idololatriæ definitio, non liquet. Resp. 1. Nempe ergo Deus idololatriam prohibens, sub cultro reliquit nos, ut quid sibi vellet intelligi non posset. Hæc in Deum contumelia est. Idololatria definitione opus non habet. Est actus externus, palpabilis, & qui in oculos sensusque omnes nostros incurrit, ut mortalium nulli, nisi sibi ipsi oculos aut eruere aut claudere volenti, ignotus esse possit. 2. definitionibus si standum est, nullus fere dabitur aut peccator aut peccatum. Quisque enim definiet quidlibet prout volet, & sua sibi definitione palpum obtrudet, ne sibi aliisque peccator talis esse videatur, qualis revera est. ex. gr. scortator, ebriosus, avarus, adulter, sola suæ definitionis exceptione se tegent ne tales videantur. Definitiones arbitrariæ, sunt latebræ peccantium, & peccatorum illecebræ simul ac fomites. Hinc dubium mihi non est, quin exquisitæ & elaboratæ definitiones. cum res plana est, in causa sint, cur multo maxima mundi pars in peccatis hæreat, ex iisque sese bona fide expedire non studeat, atque ita æternum pereat.

Attamen, inquies, solus actus externus ad idololatriam non sufficit; si absit colendi animus, & adsit contraria protestatio. Resp. Contra est; Solus externus actus sufficit, sive adsit sive absit animus colendi. Ex facto æstimatur animus, & æstimandus omnino est, quando factum sive actus externus diserte vetitus est. Nec contraria protestatio sufficit, quando protestatio contraria est facto. Quod adeo verum est, ut si contra statuamus omnino dicendum sit, stultos fuisse martyres istos omnes, qui cum animum integrum & ab omnibus idolis alienum habere sibi possent, nihilominus mori maluerunt, quam actu ullo externo, puta, grani thuris in thuribulum conjectione, genuflexione, in solemnibus Cæsarum januarum suarum adornatione per lucernas aut coronas laureas, de quibus Tertullianus prolixe agit, signum aliquod cultus edere aut præ se ferre. Cui adde; Quod religiosiores hac in parte Judæi videri debeant istis Christianis, qui idololatriæ manifestum lapidibus obruendum esse ajunt, non minus eum, qui externo ullo actu reverentiam & honorem idolis sive imaginibus defert, eo animo ut iis illudat, quam eum, qui idola animo simul ac corpore reveretur.

Esto; At requiri omnino videtur ad idololatriam, ut actus iste externus fiat coram idolis, id est, imaginibus falsorum Deorum, sive Numinum. Resp. Contra, Deus diserte idololatriam exerceri dicit, quando actus iste externus exercetur ad vel coram imagine sui, qui verus erat Deus, *Deut.* IV. & passim. Hinc idololatriæ postulati à Deo fuerunt omnes Israelitæ, sive decem tribus, quæ verum Deum in vitulis adorarunt, ut supra demonstravimus. Recte, inquies, quia vitulus, brutum animal non poterat esse imago Dei. Resp. At 1. nulla res imago Dei quoad substantiam propriam est. *Esa.* XL. 18. *&c.* 2. Deus vetat omnem sibi imaginem fieri, non tantum brutorum animantium, sed diserte sive masculi sive fœminæ: *Deut.* IV. & Apostolus reos idololatriæ agit gentiles omnes, tam eos qui gloriam Dei incorruptibilis mutarunt in similitudinem corruptibilis hominis, quam eos qui eam mutarunt in similitudinem quadrupedum, reptilium & volucrum, *Rom.* I. 23. Sed hæc aliaque prolixius persecuti sumus in explicatione præcepti tertii domus primæ præceptorum negativorum Veteris Test.

## CAPUT XI.

### Utrum necessarium sit creditu, Deum sic esse prorsus invisibilem, ut à nullo homine unquam videri possit,

*Non est necessarium credituDeum nunquam visum iri.*

SEquitur de *Dei Invisibilitate*: An videlicet ad salutem necessarium sit scitu ac creditu, *Deum* sic prorsus *esse invisibilem*, ut à nemine homine ullo unquam tempore videri possit? Resp. Nequaquam: quia, etsi loca sunt, quæ diserte affirmant Deum esse ἀόρατον & à nemine homine videri posse, sunt tamen etiam non pauca alia loca, quæ Deum non videri tantum posse, sed & visum aliquando iri asserunt. Ex quo colligo: Si quis ad conciliationem istorum locorum ἀναλογίαν, distinctione hac utatur, Priora agere de eo, quod natura sua fieri non potest; posteriora de eo, quod ex speciali gratia divinæ voluntatis futurum est; eum sine ullo salutis suæ periculo id facere posse. Nihil enim vetat, loca ista in speciem repugnantia sic conciliare. Nec periculum est, ut inde aut fidei, aut pietati, aut caritati detrimentum aliquod accedat, si quis dicat, eam esse humanæ naturæ fragilitatem atque imbecillitatem, eam corporis humani temperaturam, ut glorioſum Deum in hac vita, oculo, animali spiritu dumtaxat prædito, videre nequeat: At eam esse divinæ gratiæ virtutem, ut post hanc vitam, homini fragilitate ista exuto, & corpore non animali sed spirituali donato, concedere possit, ut Deum videat.

*Quid de iis statuendum qui putant Deum in hoc seculo videri posse.*

Esto, inquies; At quid statuendum est de iis, qui credunt Deum

Deum etiam in hac vita, in hoc corpore animali, oculo carnali videri posse? Resp. Hi errare mihi videntur, quia Scriptura contrarium diserte dicit, sed cur error eorum lethalis aut intolerabilis censeri debeat, non video. Dices: Isti tales Scripturæ apertæ contradicunt. Esto. At non contradicunt animo contradicendi; sed animo Scripturam sic interpretandi, ne interpretatio divinæ tum potentiæ tum gratiæ injuria videatur. Nempe loca ista, quæ Deum à nemine homine hîc videri posse in hoc terrestri & animali corpore negant, (sic enim ea accipienda esse concedunt, oppositè ad ista loca, quæ Deum visum iri affirmant, videlicet in futuro seculo) istam ajunt admittere posse interpretationem, ut dicatur, in iis agi de eo quod naturaliter, ex conditione corporis terrestris, infirmi, & animalis fieri nequit; non vero de eo quod prorsus ac simpliciter fieri nequit, etiamsi Deus supernaturaliter velit agere, & corpus natura sua infirmum, sive oculos per se nimium debiles, roborare, intendere, & ad eliciendum visionem glorioſæ divinæ Majestatis idoneos reddere. ut sensus locorum istorum dicatur convenire cum sensu orationis hujus: Nemo homo potest recta Solem intueri, & aciem oculorum suorum in Solis lumen dirigere. Sensus enim orationis hujus est: Eam esse oculorum humanorum conditionem, ut lumen Solis non possint ferre in claritudine sua, sive natura id fieri non posse. At sensus non est, Deum (si velit) non posse eam vim oculo humano conferre, ut Solem obtutu directo intueatur. Cur enim id homini conferri à Deo non possit, quod aquilæ à Deo collatum esse intelligitur?

*Locus Exodi XXXIII. 29.*

Interpretationi autem huic suæ colorem dant, ex eo, quod eo ipso in loco, in quo legitur Deum Mosi dixisse, *Non poteris videre faciem meam: Non enim videbit me homo & vivet: Exod.* XXXIII. 29: Deus dixisse legatur, *se misereri cujus voluerit, & clementem esse, in quem sibi placuerit.* Sensus enim divinæ istius orationis esse videtur: Sola divina miseratione & clementia obtineri posse, quod natura sua fieri non potest; uti apparet ex eo, quod miserationi Dei tribuatur, quod Moses posteriora Dei viderit, cum non minus impossibile sit homini naturaliter posteriora Dei videre, quam Deum ipsum. Etsi vero hæc ratio non admodum stringit, tanti tamen facienda videtur, ut, si quis ea motus credat, supernaturali gratia fieri posse, ut in hac vita oculo corporeo glorioſus Deus videatur, is errorem lethalem propterea errare censeri non debeat. Recte, inquies: si de visione transitoria superficiaria & tantum non momentanea id asseratur, qualis visio illa Mosis fuit, & qualis est visio qua nos repente & subito semel Solem intuemur, aut manum per flammam ignis traducimus. At 1. inquient; si simpliciter impossibile est Deum videri oculo corporeo, ne momento quidem uno videri potest. 2. exempla etiam videntur esse eorum, qui in hoc mortali corpore existentes familiariter cum Deo versati sunt & Deum viderunt.

*De Paulo qui Jesum glorificatum, & de Jesu qui Patrem vidit.*

Nempe Pauli Apostoli, qui de se ipso affirmat se D. Jesum, in gloria scilicet sua, vidisse: 1 *ad Corinth.* IX. 1. & se in tertium cælum vel in Paradisum raptum ea audivisse quæ homini effari non licet: 2 *Cor.* XII. 2. 3. utrumque enim hoc eodem tempore factum verosimile est. visio enim illa, quæ Paulo in via Damascum petenti cælitus obtigit, sic describitur, ut Paulus in ea non vidisse Jesum, sed audivisse tantum dicatur: *Act.* IX. & *Act.* XXII. Etsi vero non dicatur in textu Paulum in corpore suo mortali eo usque evectum fuisse, tamen certum est textum indicare, fieri potuisse ut in corpore id ei accidisset, quia dicit, *An in corpore, nescio; an extra corpus, nescio; Deus novit:* 2 *ad Corinth.* XII. 2. 3. Nam si id ei in corpore accidere nullo modo potuisset, non equidem ista oratione usus fuisset, *An in corpore nescio;* quia ex ea colligitur in corpore id ei accidere potuisse. Alterum exemplum est Jesu Christi, quem dicunt ante trigesimum ætatis suæ annum à Patre suo in cælum raptum fuisse, & cum Deo familiariter conversatum, & ab eo edoctum fuisse omnia quæ deinde nobis exposuit. Horsum referunt loca ista, quibus dicitur, *Christum exivisse à Patre & venisse in mundum. iterum relinquere mundum, & ire ad Patrem: Joan.* XVI. 28. *descendisse de cælo: Joan.* III. 13. *ascendere in cælum ubi erat prius: Joan.* VI. 62. Patrem vidisse: *Non quod Patrem viderit quisquam, nisi is qui est à Deo. Hic vidit Patrem*, &c. *Joan.* VI. 46. Dices: Exempla hæc demonstrative non probant, Deum aut à Paulo aut à Jesu Christo homine visum esse. Fateor. Nam quod ad exemplum Pauli Apostoli attinet; 1. Non est necesse ut illud quod se vidisse Jesum Christum ait, accidisse dicatur, quo tempore in Paradisum raptus fuit. Nam id non incommode referri potest ad illud tempus quo Jesus ei Damascum petenti in via apparuit: ubi etsi Jesum non vidit, tamen vidisse dici potest, vel per κατάχρησιν, qua videre pro audire, non raro accipitur in Sacris: vel per metaphoram, qua videre pro percipere, experimento cognoscere & quasi præsentem palpare accipitur, vel si id eò referre nolumus, aliud est videre Jesum, aliud videre Deum glorioſum. Deinde in eo quo se raptum in paradisum ait, nulla fit mentio visionis divinæ, aut visi Dei, sed tantum auditionis eorum quæ homini nefas est effari. 2. Paulus non dicitur præcise raptus fuisse in tertium cælum, sed ἕως τρίτου οὐρανοῦ *usque ad tertium cælum*, id est ad cæli quasi vestibulum usque: quamquam si quis verba ista interpretari velit per, in ipsum usque tertium cælum, ego nolim contra admodum contendere. sufficit si verba non prorsus postulare istum sensum indicemus.

Quod attinet ad exemplum Jesu Christi: Ex locis istis, quæ adducta sunt, non necessario colligitur, Jesum Christum hominem natum in cælis fuisse, & cum Patre suo familiariter versatum esse antequam ministerium suum auspicaretur; sed ad summum tantum, Jesum in cælis fuisse, de cælo descendisse, à Patre exivisse, nulla modi indicatione, quo id factum fuerit. Nihil sane vetat ista verba accipere, vel de Jesu Dei Filio, qui in principio apud Patrem fuisse dicitur, & apud Patrem gloriam habuisse priusquam hic mundus fieret, carnemque ex Maria Virgine constituto à Deo tempore adsumsit: vel de ipso etiam Jesu homine quatenus Propheta ac Doctor hîc in terris futurus, cum Deo Patre suo familiariter versatus est, haud aliter quam si in cælis ipsis in domo Patris sui educatus atque institutus fuisset: eodem sensu quo nos πολίτευμα nostrum in cælis habere dicimur, etiam dum hic in terris versamur: *Philipp.* III. 20. Et non parum confirmari videtur hæc expositio ex eo, quod loca ista in quibus dicitur Jesum vidisse Deum aut Patrem, neutiquam videantur accipi posse de visione Dei quæ oculo corporis fiat; sed de cognitione voluntatis divinæ, quæ mente atque intellectu percipitur, per revelationem & communicationem, quæ cum visione Dei proprie dicta commune nihil habet.

Hæc, inquam, regeri possunt ad exempla ista. Sed vero ut ut est, non obscure liquet, interpretationem istam, etsi demonstrativa non sit, talem tamen esse ut plane improbabilis videri non debeat: ac proinde eos, qui istam amplectuntur, atque inde colligunt, Deum etiam supernaturali virtute in hac vita oculo corporis videri posse, eo loco censendos non esse, ut propter istam opinionem damnates sint futuri, & cælo excludendi à nobis sint: imprimis cum in principali articulo consentiant cum omnibus Christianis, visionem Dei, quatenus significat beatitudinem æternam, quæ in gloriæ divinæ fruitione consistit, nemini concessum iri in futuro seculo, nisi in spirituali corpore: quia, ut ait Apostolus 1 *ad Corinth.* XV. 50: *Caro & sanguis non possunt regni Dei hæreditatem consequi, neque corruptio incorruptæ naturæ hæreditatem.* quod exponitur clarius *vers.* 53. *Oportet enim hoc corruptibile induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* Hactenus de Invisibilitate Dei, aut potius de necessitate eam credendi.

## CAPUT XII.

### De necessitate credendi Deum esse omnipotentem.

*Necesse est credere Deum esse omnipotentem.*

SEquitur ut de Omnipotentiæ divinæ credendæ necessitate agamus. Quæritur ergo, An necessarium ad salutem scitu ac creditu sit, Deum esse ens entium omnium potentissimum, id est, Deum posse 1. omnia quæcunque entia omnia tum singula tum simul juncta possunt. 2. Deum posse plura & majora quam entia omnia possunt. 3. Deum, si velit, omnibus ac singulis entibus uti posse pro arbitrio suo, ita ut nihil eorum ei possit resistere, sed omnia ac singula ad nutum & obsequium ejus præsto esse debeant. 4 denique; Deum omnia ac singula mutare, destruere atque annihilare posse. Resp. Omnino. Quia 1. alioquin certi esse non possemus, Deum, ea quæ nobis promittit bona, &, ea quæ comminatur mala, præstare posse, nedum præstiturum esse. Cum *bona* dicimus, ea intelligimus bona, quæ non tantum ad esse nostrum, sed vel maximè ea, quæ ad bene & æternum bene esse nostrum pertinent. Hæc enim ut certò nobis à Deo obventura credamus, impossibile est, nisi potentia Deo tribuatur, quæ potentia omni alia major sit. Cum *mala* dicimus, contraria omnia intelligimus, per quæ vel vita, vel vitæ nostræ tum præsens, tum futura æterna fælicitas, impeditur aut destruitur. Hæc enim nisi à summa Dei potentia purè putè dependeant, frustraneam eorum comminationem esse posse ut credatur, necesse est. 2. Nisi ista summa potentia Deo tribuatur, frustra à nobis auxilium divinum implorari posset, tum pro bonis istis aut accipiendis, aut conservandis, aut augendis; tum pro malis

istis aut auferendis, aut mitigandis. Sicut enim ab infirmo frustra auxilium promittitur, ita ab infirmo inutiliter, imo frustra, aut peritur, aut speratur, aut exspectatur. 3 denique: Potentia ista summa Deo tribuenda est, ut summe timeri à nobis atque amari possit. Qui enim potentissimus est, ita ut vel in nihilum prorsus redigere, vel æternum anima & corpore punire nos possit, is merito summè metuendus est: *Luc.* XII. 4. 5. & vice versa, qui ista potentia præditus est, ut nulla re obstante, summum atque æternum bonum nobis dare possit, is merito summe amandus est.

Esto, inquies. At quæro, an ad salutem necessarium scitu ac creditu sit Deum esse omnipotentem? Resp. Omnino; si modo per omnipotentiam intelligatur non omnis potentia, sed omnium possibilium potentia. Hoc ex priore sequitur. Si enim possibilia illa essent, quæ Deus non posset facere, de nulla re, seu promissione, seu comminatione divina comprehensa, absque omni formidine certi esse possemus, & fides ac spes nostra in implorando divinæ potentiæ auxilio fluctuaret; quia an hoc, an illud ad potentiam divinam pertineat, dubitaremus. Si enim unum possibile, Deo impossibile esse crederetur, nulla causa credendi esset, cur hoc, non vero illud possibile Deo sit, nisi per sensum atque experimentum, quod fidei universam conditionem sive vim tolleret.

At vero, inquies; cùm rerum possibilium & impossibilium tùm definitio, tum cognitio, dependeat ex cognitione naturæ & essentiæ cujusque rei in particulari, An videlicet implicet contradictionem, si res hæc dicatur fieri posse, sive, An repugnet naturæ atque essentiæ rei, si dicatur fieri posse, & contra; quæritur; An ad hoc, ut credatur Deum esse omnipotentem, requiratur cognitio naturæ omnium ac singularum rerum in particulari, quæ Deo possibiles dicuntur. Resp. Naturæ sive essentiæ rei cujusque cognitio ad hoc ut implicare contradictionem, sive repugnare ei intelligatur, si dicatur fieri posse, aut non posse fieri, meo judicio per se cuique obvia est. Nemo eam non statim pene sentit, si modo animum judicio liberum advertat. exempli gr. ut dicatur eadem res esse & non esse, viva & mortua esse, idem corpus esse hîc & simul alibi, sursum & deorsum esse, prorsum & retrorsum moveri uno eodemque instanti, accidens esse sine subjecto, &c. Et tamen, inquies, multi sunt, qui ista posteriora credant possibilia esse, & non implicare contradictionem. Causam autem cur contra credatur, asserunt esse, quod ignoretur quæ sit essentia & natura loci, quantitatis, accidentis, &c. Fateor. sed vix credo, eorum quemquam futurum, qui id crederet, (ausim dicere vix quemquam cordatum esse qui id firmiter credat) nisi ab Ecclesia adstringeretur, aut ipse sese Ecclesiæ obstrinxisset, ad tuendam hypothesin quæ in Ecclesia de fide est, & tamen nil nisi merum humanum commentum est: videlicet hypothesin de panis Eucharistici Transubstantiatione. Hæc quia salvari non potest sine istis absurditatibus & contradictionibus, malunt Ecclesiæ istius mancipia contradictionibus manifestis colorem quærere. & apertas repugnantias conciliare, quam non ἀφυκτότερον τῷ τλῶ θέειν. Quid ergo, inquies, de opinione ista eorum sentiendum est? Resp. Si mera opinio esset, ferenda utique esset. Neque enim piaculum aut crimen est, Deo plus per reverentiam tribuere, quam ei competit, aut de Deo affirmare, quod possit etiam illa quæ possibilia non sunt, si quis ea possibilia esse credere velit. Sed si opinio illa urgeatur eo fine, ut idololatria aut impietas per eam introducatur, aut quæ introducta est sarta tecta servetur, neutiquam ferenda aut toleranda mihi videtur. Neminem sua damnabit nuda, licet erronea, opinio: nisi qui per eam adducitur ad faciendum, aut omittendum, id quod ex divinæ legis sententia reum eum facit æternæ damnationis. Quare periculum nullum est si de possibilium aut impossibilium natura variæ sint sententiæ, aut si quis ad Omnipotentiæ divinæ gloriam magis extollendum, divinæ potentiæ plus tribuat quam natura possibilis entis fert, dummodo sibi caveat. 1. ne, dum potentiam Dei ultra limites suos longe dilatatam cupit, incidat aut in neglectum divinæ voluntatis, aut in contemtum legis alicujus divinæ specialis, sine cujus observatione servari non potest, aut in fictiones tam vanas quæ aptæ natæ sunt omnem Religionem animo suo eximere, aut in tyrannidem istam ut opinionem suam ad salutem necessariam faciat.

*Quod tria præcipue complectitur.*

Sed vero, ut prorsus atque omnino ab omni periculo hujusmodi immunes simus, quæritur, quid omnino simpliciter atque absolutè creditu necessarium sit de divina Omnipotentia, ad hoc, ut Deus propter eam dignus credatur, qui à nobis ametur, colatur, atque honoretur? Resp. *Tria* mihi sufficere videntur. *Primum* est: Deum tanta potentia præditum esse, ut dare & conferre nobis possit omnia illa, quæ ad cultum & obsequium, quod ei à nobis præstandum est, necessaria sunt. Nam si illa nobis Deus dare non potest, nos etiam ei obsequium præstare non possumus. Si ea vel à nostris propriis viribus, vel ab alterius potentia dependeant, tum Deus dignus non est, qui à nobis colatur aut honoretur. Hinc Scriptura passim Deo tribuit hanc potentiam, imo hujus potentiæ usum fundamentum cultus sui ponit. Inter ea, quæ necessaria nobis sunt, ut Deum possimus colere, est 1 vita, sub qua essentiam nostram, & facultates omnes animæ nostræ, imprimis rationalis, comprehendo. Has omnes à Deo & divina potentia ad colendum Deum nobis datas esse Scriptura diserte testatur, *Act.* XVII. *vers.* 24. 25. 26. 27. 28. 29. Quæ 2. præter hæc necessaria sunt, ea omnia nobis à Deo data esse, vel unus Petri locus abunde probat, 2 *Epist.* I. 3: *Prout divina vis ipsius omnia nobis donavit quæ ad vitam & pietatem* (supple, necessaria sunt,) *per agnitionem illius, qui nos vocavit per gloriam & virtutem*, id est gloriosa sua vi ac virtute. Pluribus testimoniis ad hanc rem opus non est. Sunt enim complurima, & passim obvia. *Secundum* est: Deum tanta potentia præditum esse, ut impedire possit, quominus nobis jam eum colere in animum inducentibus, aut cultum ejus inchoaturis, vis inferatur ab hostibus ejus, per quam fiat, ut vel prorsus inepti, vel omnino alieni rursus reddamur ab omni eum colendi studio. Cum vim dico, vim proprie dictam intelligi volo, physicam scilicet sive irresistibilem, quæ ex. gr. consistat in violenta excæcatione mentis nostræ, voluntatis distorsione, aut induratione, aut alienatione à cultu omni Numinis, cupiditatum omnium incitatione ad actus pravos, &c. quam vim Diabolus quibusdam habere creditur in homines desperatæ improbitatis & prorsus inemendabiles. Vim enim illam quæ in corpus tantum exercetur, & persequendo Dei cultores exeritur, aliaque ejus generis incitamenta, ad seducendum nos comperta, objectivæ tantum efficaciæ esse, ac moralis ut loquuntur ἐνεργείας per se notum est. Hinc vis ista ut per potentiam divinam inhibeatur, non postulo. At ut prima impediatur, omnino necesse est. Quis enim tentabit Deum colere, si Diabolus, Dei & noster hostis, ista vi præditus est, ut nos vel prorsus ineptos, vel omnimo alienos possit reddere à Dei cultu? Hinc est, quod Scriptura non modo potentiam istam Satanæ non tribuat, (nisi forte circa solos insanabiles peccatores) sed ei etiam (licet versutissimo spiritui) moralem suadendi ac persuadendi vim adimat: si modo generosa fide, & solicita vigilique cura ei resistatur: 1 *Pet.* V. 8. 9. *Jacob.* IV. 6. 7. Multo ergo minus vis ista ac potentia tribuenda est malis perversisque hominibus, tyrannis ac persecutoribus: quippe qui Satanæ instrumenta sunt; & spiritu ejus animantur; ac proinde nulla alia vi uti possunt, quam ea ipsa qua Deus, dominus ac princeps eorum utitur, id est, morali sive objectiva, quæ in eo posita est, ut ad amandum mundum nos solicitent, ita ut, vel spe bonorum istorum, quæ in mundo sunt, voluptatis puta, honorum, & divitiarum; vel metu contrariorum malorum, adducamur sponte nostra ad deserendum aut negligendum Dei cultum, vel animo toto, vel actibus istis exercitiisque externis, quæ ad cultum Dei requiruntur, & à Deo ipso aut præscripta aut vetita sunt cum æternæ mortis interminatione, & vitæ promissione. *Tertium* est: Deum ista potentia præditum esse, ut quæ cultoribus suis promisit bona, tum in hoc tum in futuro seculo, reipsa præstare ac dare possit; & quæ vel contemnentibus, vel negligentibus, vel deserentibus cultum sui comminatus est mala, tum in hoc tum in futuro seculo, absque ullo obstaculo executioni mandare possit; id est, Deum esse Dominum vitæ ac mortis, cæli atque inferni, ἀνυπεύθυνον καὶ ἀνυπεξαιρέτως. Hanc potentiam Deo passim idcirco tribuit Scriptura, eique necessitatem colendi Deum superstruit: *Luc.* XII. 4. 5. *Jacob.* IV. 12. & 2 *Timoth.* I. 12. *ad Rom.* VIII. 38. 39. *ad Ephes.* I. 19. 20, *&c.*

Atque hæc sunt tria ista, quæ ego omnibus ac singulis hominibus, de divina Omnipotentia, creditu necessaria esse judico, & quæ sufficere mihi videntur ad hoc, ut Deus cui ista competunt, tanquam Omnipotens Deus dignus habeatur, qui à nobis religiosissimo cultu colatur atque honoretur. Quæ præter hæc de Omnipotentiæ divinæ formali ratione, infinita extensione, aliisque, scrupulosè solent quæri ac decidi in Scholis, ea non modo non videntur mihi necessaria esse, sed talia, ut nesciam an utilius, an periculosius tum inquirantur tum decidantur: quia non modo pure pute speculativa sunt, & ad praxin, sive ad cultum Dei aut ingenerandum, aut excitandum prorsus non faciunt; sed & fere talia, ut dubiis, controversis, ac non raro falsis fundamentis sive hypothesibus Scholarum nitantur: & (quod caput rei est) quia eorum nihil, ne γρὺ quidem, in Scripturis legere est. ut ex. gr. an potentia Dei sic sit infinita ut ab æterno potuerit creare mundum; item, ut infinitos mundos

possit

possit condere; item an Deus possit efficere ut præterita non fuerint, aliaque similia, quæ vide sis apud Erasmum in annotationibus in 1 *ad Timoth. cap.* 1. quæ ibi legi malim, quam à me hic recitari omnia. Duo aut tria videte: An Deus possit quodvis malum, etiam odium sui præcipere, & omne bonum prohibere, etiam amorem & cultum sui. An possit actu infinitum secundum omnem dimensionem producere. An possit producere hominem qui peccare nullo modo queat. An possit naturam universalem producere & conservare sine singularibus. An possit ex facto facere infectum, ac per hoc ex meretrice virginem. An possit respectum producere sine fundamento & termino, &c.

## CAPUT XIII.

### De necessitate credendi Deum esse omnipræsentem.

*Necesse est ad salutem, credere Deum esse ubique.*

SEquitur ut de Immensitatis sive Omnipræsentiæ divinæ credendæ necessitate agamus. Quæritur ergo: An ad salutem scitu ac creditu necessarium sit Deum esse omnipræsentem, sive ubique præsentem in hoc mundo? Resp. omnino, quia absque eo esset, 1. Deus cultum sui ubique & ab omnibus exigere non posset: quia nec de cultu eorum judicare ubique posset, nec ubique in necessitatibus cultoribus suis succurrere aut opitulari posset. Deinde 2. Nulli homines de colendo ubique Deo admodum solliciti essent: quippe incerti, an cultus sui inspectorem haberent Deum, id est, an absens an præsens esset Deus isthic, ubi eum colerent. Quare nec causam satis gravem se habere crederent, aut vitandi ubique peccatum, aut ubique metuendi vel offensam vel vindictam Dei, aut ubique fiduciam in divina præsentia collocandi. Hæc causa est, cur Scriptura Deo omnipræsentiam ejusmodi passim tribuat, qua fit, ut cælum & terram implere, non longe esse ab unoquoque nostrûm, imo nos omnes in eo vivere, moveri & esse dicatur: uti in præcedentibus indicavimus. Omnipræsentia enim divina, metum Numinis ubique omnibus ingenerare apta nata est; quin & avocare ab omni peccato, quod non nisi in oculis ejus tum committi potest, denique fiduciam addere, ut in omni necessitate ad eum confugiamus, ab eo opem petamus, & in eo toti acquiescamus.

*Sed non hunc modum, Deum ita esse ubique, ut substantia sua omnia implet.*

Dices: Hæc recte quidem procedere, ut probetur, necessarium creditu esse ad salutem, Deum ubique præsentem esse ratione potentiæ suæ, qua omnia in mundo producit, conservat ac gubernat; ratione providentiæ, qua rebus omnibus prospicit, rerumque atque imprimis hominum omnium, maxime licet piorum, curam gerit; ratione scientiæ, qua omnia etiam occultissima intuetur ac pervidet. Sed quæritur, an ad vel præter illam divinam omnipræsentiam, non necessario etiam requiratur fides præsentiæ istius divinæ, qua præsens Deus sit per suam substantiam & entitatem, omnia loca & spatia hujus mundi per immensitatem substantiæ suæ intime implendo? Resp. Nullo modo. 1. quia nuspiam Scriptura istum modum adsignat, nedum ut eum necessario credendum esse dicat. 2. Quia modi istius divinæ præsentiæ fides, ad Religionem, id est ad cultum Dei in animis nostris aut ingenerandum aut confirmandum nihil facit. 3. quia modus isto non modo incomprehensibilis nobis est, sed adeo subtilis & intricatus, ut aptus natus sit, viles, sordidas, & indignas divina Majestate cogitationes injicere animis, non infirmis modo, sed etiam robustioribus, & quibus cum Atheis aut profanis hominibus pro divinitatis gloria certare curæ ac cordi est. Vix enim effugere possunt quin audiant, Ergo Deus per essentiam suam non tantum est in locis sordidissimis, cloacis fœdissimis, idolis spurcissimis, sed & in diabolis, in inferno, & damnatis omnibus spiritibus. Item: Ergo nos ambulamus, sedemus super essentia Dei, nos edimus, bibimus essentiam divinam, vomimus, exscreamus, &c. divinam essentiam: &, quod caput rei est, Quicquid est in mundo id est Deus, vel divina essentia. Denique, quia ad colendum Deum sufficit certa fides divinæ præsentiæ, non vero requiritur fides modi præsentiæ divinæ. Non enim idcirco colo Deum, quia scio eum sic aut sic mihi præsentem esse; sed quia mihi præsens est, quocunque tandem modo præsens sit.

*Respondetur objectioni primæ pro isto modo.*

Dices 1. At modus iste præsentiæ est modus perfectissimus & perfectio simpliciter simplex. Resp. 1. Et hoc incertum est. Contrarium forte verissimum est. Cur enim indistantia & immediata præsentia perfectio sit simpliciter simplex, & non potius distantia & perfecta tamen operatio sit perfectionis excellentissimæ indicium? 2. Esto. At istum modum esse modum præsentiæ perfectissimum, nego esse ad salutem scitu necessarium. Quotusquisque enim eum esse modum perfectissimum aut intelligit aut intelligere aptus est? imo quotusquisque istum modum præsentiæ Deo adtribuit? vix extra Scholas mortalium quisquam. Regeres. Nisi modus iste præsentiæ Deo tribuatur, fatendum necessario erit, Deum alicubi esse per aut secundum essentiam suam. Respondeo 1. Id neutiquam sequi, quia fateri quis potest, se modum divinæ præsentiæ nescire posse, & quia Deus eam non revelavit inquirere nolle. Sufficere sibi si Deum præsentem esse credat, etsi modum nesciat, certus si scientia modi certi ad salutem necessaria esset, Deum modum istum in Scriptura revelaturum fuisse. Curiositatem omnem periculosam esse, quæ, supra id quod scriptum est, sapere vult, cum fieri facile possit, ut dum modus rei curiosè quæritur, aut certo statuitur, qui Scriptura definitus non est, tot occurrant dubia atque absurda, ut tandem de summa rei tota, quæ scripta est, dubitetur. Simplici ergo fide se contentum esse malle, quæ certis Scripturis nititur, quam non necessariæ, imo forte periculosæ curiositati indulgere. 2. Credo etiam sine salutis periculo fieri posse, ut quis Deum per essentiam suam credat alicubi, puta in cælo esse, & ubique in cætero toto mundo per vim tutem, providentiam, & scientiam suam; nulla alia re motus, quam quod Spiritus sanctus passim in S. literis ita loquatur, cum videlicet Deum *in cælo, in alto, in excelsis sedere, habitare & esse* dicit; cum *cælum domum Dei, sedem Dei, civitatem & habitaculum Dei, domum Patris, thronum Dei*, esse ait: cum Deum *de cælo, de loco sessionis* sive habitationis *sanctitatis suæ, prospicere super filios hominum, respicere, attendere, exaudire, servare* asserit: & contra, cum *Deum in templis manufactis non habitare*, imo *in terra non habitare* diserte affirmat: & (quod caput rei est) cum oculos & manus ad Deum in cælis, & cum ista προσφωνήσει, *Pater noster qui es in cælis*, attollendas esse docet. Quod vero attinet ad loca illa, quibus Deus dicitur *cælum & terram implere, cælum pro throno & terram pro scabello pedum suorum habere, cælum & cælos cælorum Deum non continere*, aut non sustinere, si ea sic accipiat, ut non contraveniant istis jam ante indicatis apertis manifestisque de Dei in cælo habitatione locis, ac proinde ut iis vel Majestatis, dignitatis & gloriæ divinæ excellentia extollatur, & cum ὑπεροχῇ prædicetur, quod ea videlicet tanta sit, ut ne cæli quidem altissimi satis apti aut satis digni sint, qui habitaculum ipsi accommodum præbeant, quique ista ratione ipsum sustentent, aut qui propiorem ipsius præsentiam aut inhabitationem sustinere possint: vel divinæ efficaciæ, scientiæ, ac providentiæ amplitudo, quæ se extendat ad omnia in cælo & terra, non aliter quam si ipse omnibus coram adesset, & rebus omnibus interesset, cælum scilicet pro solio & terram pro scabello pedum suorum habens, id est, ad utrumque protendens potentiam, imperium & providentiam suam; eodem fere sensu, quo nos Regibus longas manus esse dicimus, quia eorum potentia longe extenditur; & Regis oculos in toto regno esse, quia regni curam solicitam gerunt & rebus omnibus quantum possint, provident ac prospiciunt. Dices 2. At si credatur Deum secundum substantiam suam in cælis esse, tum credi simul non potest, Christum cum in terris versaretur fuisse verum Deum. Resp. Nego consequentiam. Instabis: Quia Christus est verus Deus per hypostaticam naturæ sive personæ divinæ cum humana unionem. At unio hypostatica esse non poterat, si natura divina in cælis erat & humana in terris. Resp. 1. Distinguendum esse, aut distingui posse, inter naturam Jesu Christi divinam, quatenus ea Jesu Christo propria est, & inter naturam divinam simpliciter: quia certum est, naturam divinam quæ in Jesu Christo, sive qua in Jesu Christo est, unione hypostatica cum natura humana Jesu Christi unitam fuisse, non autem naturam divinam simpliciter; quia alioquin etiam natura divina sive essentia quæ in Deo Patre est, unione hypostatica cum natura humana Jesu Christi unita fuisset, & sic Pater etiam incarnatus fuisset. 2. Nego unionem hypostaticam formaliter in indistantia sive substantiali naturarum conjunctione sitam esse; quia alioquin non modo S S. Trinitas (quippe essentialiter ubique præsens) vere incarnata fuisset; sed etiam quilibet homo, imo quælibet bestia aut planta, addo quælibet creatura, imo minimus quisque pulviculus (quippe in quo tota Deitatis essentia ex vi immensitatis istiusmodi essentialis inesse dicitur) unionis hypostaticæ revera particeps esset: quorum utrumque merito inter absurda maxima numeratum fuit. 3. Posito etiam rem aliter se habere; dico tamen, neutrum ad salutem scitu ac creditu necessarium esse; videlicet: Aut Christum non nisi per hypostaticam unionem Deum esse: Aut posito, eum per hypostaticam unionem Deum esse, hypostaticæ istius unionis modum alium non esse, quam eum, qui consistit in naturarum duarum indistantia, sive conjunctione substantiali. Dico enim fieri posse, ut quis credat, Jesum esse verum Deum, & tamen nesciat,

*Et objectioni secundæ.*

sciat, quomodo natura ipsius humana cum natura divina ejus unita sit, aut quomodo ea in hypostasi τῷ λόγῳ subsistat; an videlicet per arcanum personalitatis τῷ λόγῳ influxum sive illapsum; an per singularem aliquam Deitatis operationem, per quam humana Christi natura ad hypostasin τῷ λόγῳ intime quasi attracta sit, & perpetuo in ea conservetur ac sustentetur; an per extraordinariam quandam Dei dispensationem, qua Deus olim singulariter in Christo homine habitaverit; an per alium aliquem nondum satis explicabilem & arcanum modum. ut enim id factum dicatur per indistantiam solam naturæ sive personæ divinæ, à natura humana, prorsus ἀπροσδιόριστον est; quamquam ut & hoc ἀπροσδιόριστον esse sciatur, plane necesse non est.

*Non est necesse credere Deum esse extra hunc mundum.*

Quæres ergo, An ad salutem scitu ac creditu necessarium non sit, Deum etiam esse extra hunc mundum, in spatiis imaginariis in infinitum usque extensis ac diffusis. Resp. Nequaquam. Nam 1. de Dei extra hunc mundum immensitate ne γρὺ quidem in S. Scriptura est, nedum quod id ad salutem scitu necessarium sit. 2. Hoc ad Religionem plane nihil facit. 3. Hoc non modo prorsus est ἀπροσδιόριστον, sed etiam valde absurdum, quia totum atque omne illud spatium, quod extra hunc mundum esse dicitur, nihil omnino reale est, sed pure putè imaginarium, & prorsus nihilum. ut autem Deus esse dicatur in pure pute imaginario & in nihilo, per se absurdum est; quia *esse in* dicit realem habitudinem aut denominationem ab eo in quo quid existit: Realis autem habitudo aut denominatio à nihilo sive ab eo quod nihil reale est, accipi nullo modo potest. Dicere, Deum ibi habere intrinsecam & absolutam præsentiam, qua in se ipso realiter existit, est fingere præsentiam, sine relatione aut denominatione ad id cui quid præsens esse dicitur; quod implicat contradictionem. Intrinseca enim sive absoluta præsentia, qua quid in se ipso realiter existit, non est præsentia in nihilo, sed mera essentia sive existentia extra nihilum. Nihil enim sibi ipsi præsens esse potest.

Dices: At sic Deus statuetur finitus, id est, cælo & terra terminatus. Resp. Si finitum dicatur, quod terminos sive fines suos habet, quibus ab alio omni ente distinctum, & sic numero unum est, nihil dubium est, quin Deus sic finitus dici debeat, alioquin enim omnia entia Deus essent. At si finitum dicatur, quod tale est, ut virtus ac potentia ejus intra certos terminos coarctata sit, extra quos se diffundere non possit, tum sic Deum finitum esse, falsum est. Ea enim est divinæ essentiæ Majestas, ut virtutem suam diffundere possit, seque ipsam promovere ad omnia loca & spatia, etiamsi milleni aliquot mundi ab ea crearentur, & ex nihilo producerentur. Hæc causa est cur quamplures Scholastici dixerint, Deo ab æterno non convenire actu esse ubique, imo nec alicubi, quia ab æterno nihil erat, ubi esset. Immensitas ergo non est attributum, ut Vasquez loquitur, actualis existentiæ in rebus, sed aptitudo illa, ut Deus ubique sit, quando nimirum aliquid ponitur, in quo Deus esse possit. In nihilo enim ut dicatur esse, vel præsens esse impossibile est. In nihilo enim existere tantundem est ac nullibi esse.

*Nec instar puncti ubique.*

Ergo, inquies, multo minus ad salutem scitu ac creditu necessarium erit, Deum sic esse immensum, ut totus substantialiter instar individui puncti & atomi sit in re qualibet, etiam minima? Resp. Omnino ita est. Nam 1. nullus in Scriptura apex est, unde vel probabiliter colligitur atopica & atomica ista divinæ essentiæ immensitas, nedum ejus ad salutem sciendæ ac credendæ necessitas. 2. Quia immensitas ista, non modo nullum plane usum aut utilitatem, ad Religionem sive cultum divini Numinis excitandum, in se habet; sed è contra, apta nata est, Religionem ac cultum divini Numinis exinanire, atque in animis hominum suffocare, propter non dico difficiles, & inexplicabiles tantum nodos quæstionum, quos secum trahit, sed & periculosas admodum de divina Majestate cogitationes, quas animis nostris injicit.

Difficiles & inexplicabiles nodi quæstionum sunt: 1. Si Deus sic est immensus, tum Deus eidem rei simul & æqualis & inæqualis, infinities major & minor erit. Æqualis, quia nulla res erit, nullaque rei ullius pars, quæ divinæ essentiæ plena non erit, & nihil essentiæ divinæ, quod in ea re & rei parte totum non erit. Infinities major erit, quia essentia Dei infinita esse dicitur, cætera autem omnia finita. Infinitum autem quovis finito infinities majus est. Minor erit, quia tota essentia Dei in atomo erit. Atomus ergo essentia divina major erit. 2. Si Deus sic est immensus, tum Deus totus infinities totum se ipsum continebit. Quia cum totus sit in una minima re, & totus etiam in omni alia qualibet re, necesse utique est, ut totus infinities se ipsum contineat, atque ita totus intra se existens, infinities totus extra se existat, sicque infinities seipso major, & minor sit, & nihilominus æqualis. 3. Si Deus sic est immensus, tum respectu ejusdem planè rei, & secundum eandem rei cujusvis partem, totus extra & intra, totus supra & infra, totus ante & post, totus ad dextram & ad sinistram erit; imo non tantum respectu aliarum rerum, verum etiam respectu sui ipsius, quod absurdum prima statim fronte esse videtur.

Periculosæ cogitationes de Majestate Dei sunt hæ: 1. Si Deus sic est immensus, tum non minus totus in Diabolis & in inferno est, quam totus in Angelis & in cælo est; per consequens, tum non minus gloriæ divinæ participes sunt Diaboli quam Angeli, & beatitudo, quæ ex gloriæ divinæ præsentia ac fruitione est, non minus in inferno, quam in cælo est. Ratio est: quia essentia divina in se & per se gloriosissima est, ita ut gloria ab essentia divina separari non possit. Ergo ubi essentia divina est, ibi gloriosa est. Gloria itaque divina in Diabolis & inferno non minus esset, quam ea est in Archangelis beatis & cælo cælorum. 2. Si Deus sic est immensus, tum necesse est, ut tota divina essentia & Personarum Trinitas, sic non tantum sit in rebus omnibus ab ipso Deo creatis, sed & in omnibus, tum impudicis sermonibus, tum spurcis gestibus, tum infandis omnibus sceleribus ac flagitiis quæ ab hominibus fiunt; quia ea etiam, cum fiunt, entitatem habent & non sunt nihil. Dices, impudicitiam, spurcitatem & malitiam, quæ in actionibus, sermonibus & gestibus est, non esse nisi privationem, ac proinde essentiam Dei iis non inesse, nihil est. Sic enim ne bonis quidem actionibus Deus interesset; quia bonitas non magis est reale quid, quam malitia in actione. uti enim illa qua talis, est conformitas cum lege; ita hæc, qua talis, est difformitas à lege: uti autem difformitas est privatio rectitudinis, sive conformitatis cum lege; ita conformitas si quis rigide loqui velit, qua talis, revera aliud nihil est, quam privatio difformitatis sive disconvenientiæ cum lege. Conformitas autem cum lege, & difformitas à lege, in actibus per se bonis aut malis, non sunt distinctum quid ab actibus ipsis, sed sunt actus ipsi cum relatione tantum ad legem considerati, & sic in se ipsis boni aut mali, puri aut impuri. Unde colligo. Si Deus sic dicatur immensus, ut essentia ejus ubique in singulis entibus tota sit, Deum tum non minus secundum essentiam in sceleribus & actibus omnibus per se pravis, quam bonis esse. 3. Si Deus sic est immensus, tum nulla causa est, cur precemur illum cum titulo isto, *Qui es in cælis*, cur in cælum dirigamus oculos & attollamus manus nostras, cur ad cælestia adspiremus & Deum judicem è cælo exspectemus. Denique si essentia Dei sic immensa est, tum intelligi non potest quomodo & ubi aliqua creata essentia esse possit. Essentia enim creata non est essentia divina; ergo, aut est extra essentiam divinam, aut si non est extra eam, est ipsa essentia illa, & sic omnia sunt Deus & divina essentia. Ex qua sententia, quam proclivis prolapsus sit in Atheismum, facile videre est. Atque hæc est nostra de hac quæstione sententia. Quam sic accipi nolumus, quasi eam omnino sequendam arbitremur, sed quod eam credamus tutissimam ac facillimam esse. Quare si qui sunt, qui aliter censent, aut tam subacto ingenio ac judicio sunt, ut difficultates has omnes aut concoquere aut enodare se posse credant, ii fruantur judicio suo. Ego malim hic ἰσχνογνωμονεῖν cum Scripturis, & decisionem de modo divinæ immensitatis relinquere Deo & futuro isti seculo, in quo videbimus Deum, sicuti est.

## CAPUT XIV.

### De necessitate credendi Deum esse æternum.

*Necesse est credere Deum esse æternum.*

SEquitur ut de Æternitatis divinæ credendæ necessitate videamus. Quæritur ergo: An necessarium ad salutem scitu ac creditu sit, Deum esse æternum? Resp. Omnino. Quia si Deus æternus non esset, tum 1. non posset cultoribus suis jure æternum bonum promittere, nec, si promitteret, reipsa aut de facto dare: cui cohæret, quod inobedientibus aut rebellibus nec posset jure comminari æternam pœnam, nec reipsa infligere. 2. Nec cultores Dei certa fide exspectare aut sperare à Deo possent æternum præmium; nec æternam pœnam possent aut opus haberent metuere ac formidare rebelles.

Dices: Ex hoc consequitur quidem, necessario credendum esse, Deum esse æternum à parte post, sed non consequitur necessario credendum etiam esse, Deum esse æternum à parte ante. Resp. Id ex natura rei consequitur, si antedicta videantur, id est si æternitas à parte post Deo tribuatur tanquam primo enti, & quod æternitatem istam à se, ex se, sive à nullo alio habet: quod à nobis præsupponitur, & voce Dei denotatur, expressiusque à nobis denotatum est, cum Deum diximus esse *Primum entium omnium*. Quod enim tale est, illud causam sui nullam habuit aut habere potuit; nec quicquam in se habet aut habere potest,

quod

quod aut per quod esse desinere possit. Prius patet, quia si quid prius primo fuisset, id nihilum fuisset. At nihilum non est nec esse potest caussa efficiens entis realis, nedum entis realis perfectissimi. Posterius patet, quia quod neque ex nihilo, neque ex alio ullo priore ente est, id natura sua tale est, ut nec in nihilum desinere, nec in aliud prius ens resolvi aut dissolvi possit: uti contra, quod aliquando non fuit, id natura sua tale est, ut possit iterum non esse, vel quando à caussa efficiente sua destruitur, vel quando à caussa sua efficiente non conservatur, sed permittitur relabi aut redire in pristinum statum suum. Ex quo colligo, Non modo necessario credendum esse, Deum esse æternum à parte ante, sed & prius credendum esse Deum esse æternum à parte ante, quam Deum esse æternum à parte post; quia ratio, cur certo credi possit, Deum esse æternum à parte post, est, quia Deus est æternus à parte ante: non contra. Quod enim nunquam non fuit, id non potest nunquam non esse. Id enim absoluta necessitate oportet fuisse, nec causssam suæ aut essentiæ, aut existentiæ habere potuit.

Dices: Hoc ἀκαταλήπτως & incomprehensibile est. Resp. ἀκαταλήπτως quidem nobis est totum illud spatium quod æternum est, quia infinitum est & pertransiri non potest; sed non est nobis ἀκαταλήπτως, spatium illud, quod æternum dicitur, infinitum esse debere, & tale ut à nobis pertransiri non possit; ac proinde fieri non posse ut ens ullum detur, nisi unum detur quod sic infinitum atque æternum sit, id est, quod ab omni æternitate exstiterit, & aliorum entium omnium caussa sit; quodque necesse sit existere & durare sine fine ac termino.

Dices: Scriptura istius æternitatis ab ante parum admodum meminit. Resp. Fateor Scripturam S. parum admodum ejus meminisse, & de infinito atque æterno illo, quod creationem antecessit, spatio, aut ævo, distincte describendo non multum laborasse. Quorsum enim id fecisset? Si laborasset de eo quicquam distinctius tradere, nunquam satisfieri potuisset humano ingenio, & curioso animo, qui altius semper ascendendo, in ipsa æternitate principii quandam rationem desiderat; ne cogatur hærere in eo quid in priore ævo actum fuerit, quia æternitas pertransiri mente non potest. Quare Scriptura S. satis habuit, æternitatem Deo absolutam tribuere ex una parte; & ex altera parte asserere, Deum entium omnium primum, & entium omnium cæterorum principium ac causssam esse. Ex hoc enim consequitur, Scripturam jure Deo æternitatem tribuere, quia primo prius dari non potest à quo productum sit; & quia principio, causssæ atque opifici entium omnium entia omnia subordinata sunt, sic ut ab eo dependeant in esse & conservari. ex quo efficitur, ens istud ex se durasse, durare, & duraturum in æternum cum entibus istis quibus æterna duratio à parte post adsignabitur; sic tamen, ut etiam durare possit ac duraturum esset, etiamsi entia ista, cum cæteris omnibus, in pristinum nihilum redigerentur.

*An necesse sit credere æternitatem ab ante & à post esse attributum solius Dei proprium?*

Esto, inquies: An necessarium ad salutem scitu ac creditu est, Æternitatem ab ante & à post, esse attributum tale quod soli Deo proprium est? Resp. Omnino: si æternitas non tantum attributum essentiæ dicatur, sed & vitæ. Nullum enim ens vivum, intellectu scilicet & voluntate præditum, æternum statui potest, quin idem statuatur Deus esse. Instabis: Sed an ergo sine salutis jactura credi posset, ens aliquod non vivum Deo coæternum fuisse, ex. gr. materiam primam, sive prima rerum omnium creatarum elementa? Resp. Sine errore id credi non posse dixerim, sed sine salutis æternæ jactura id credi non posse, non ausim dicere. Sine errore id credi non posse, dixerim; quia si ens aliquod Deo coæternum statuatur, fieri vix potest, ut non multum detrahatur tum excellentiæ divinæ essentiæ, quatenus ea sic, qua talis, coævam sibi essentiam habere statuitur: tum absolutissimo illi juri ac dominio, quod Deo in entia omnia competit, quatenus videlicet ista, quæ coæterna Deo statuuntur, à Deo in esse dependere non possunt, ac proinde, Deus proprium ac legitimum in ea jus ac dominium habere non potest, nisi quatenus ea ut vacua, primi occupantis Dei fiunt: unde consequitur etiam, ea destrui aut annihilari à Deo non posse. Adde, quod sic non parum detrahatur divinæ potentiæ, quatenus Deum extra se operari non potuisse statuitur, nisi statuantur entia talia quædam ei coæterna, ad suscipiendam ejus operationem idonea, ex. gr. materia prima & elementa. Idcirco enim ea æterna esse asseritur, quia aliàs Deus operari non potuisset, extra se, deficiente scilicet potentia passiva, quæ omni activæ respondet. Denique, quod sic Deus videatur ad operandum extra se quasi necessitatus. Nam alterutrum istorum necessario sequitur: Aut plane atque omnino frustra erunt entia ista Deo coæterna, si Deus in ea non operetur: Aut ne frustra plane sint Deum in ea operari necesse fuit. Quæ contra hæc regeri possunt aut pro errore isto stabiliendo adduci, ea jam non examinabimus, quia ad locum de creatione pertinent. Sufficit jam obiter indicasse cur nobis videatur id sine errore credi non posse, quod materia prima aliqua Deo sit coæterna.

*Materia prima non est Deo coæterna.*

*Neque tertium cælum in quo Deus habitat. Locus Hebr. IX. 11.*

Esto, inquies: At de cælo extimo, quod tertium cælum vocatur & Dei domus ac domicilium esse dicitur, id credere, quod Deo videlicet coæternum sit, error esse non potest. Cur vero? Quia, inquies, disertè *ad Hebr.* IX. 11 dicitur, *Majus & perfectius illud tabernaculum*, (quod Mosaico opponitur, & sine dubio nihil aliud est, quam ipsum cælum, in quod Christus ingressus est, uti in eodem *cap. vers.* 24. affirmatur,) non esse τούτου τῆς κτίσεως, *hujus creationis*. ergo istud increatum, ac proinde æternum esse, dicere voluit author divinus. Resp. Contrarium potius ex loco isto colligitur, cælum scilicet istud creatum quidem esse, sed non creatione illa, qua Deus creavit res omnes has visibiles, ex quibus conficiuntur omnia quæ manibus hominum fiunt, sed alia quæ creatione hujus mundi longe est præstantior: cujus nempe tum materia tum forma alterius longe sunt generis, hac, quam videmus, longe pulchrior, purior, subtilior, & stabilior. Hunc sensum pene postulat phrasis, οὐ ταύτης τῆς κτίσεως. Ea enim τούτου τῆς κτίσεως distinguit à κτίσεως alia, quæ hanc uti tempore verisimiliter præcessit, ita dignitate ac perfectione longe superat: quamquam nihil vetat, verba ista sic accipere, ut significent, non ejusdem illius structuræ, & sic ἐξήγησιν contineant, ejus, quod dixerat, οὐ χειροποιήτου, non manufactum: voce κτίσεως generaliter posita pro qualitabet fabrica, structura ac compage, quod non est inusitatum. Certe eodem sensu Apostolus Paulus 2 *Corinth.* V. 1, corpus glorioſum nostrum, quod post mortem habituri sumus, vocat οἰκίαν ἀχειροποίητον, id est non ejusdem illius κτίσεως sive structuræ, cujus est hoc corpus nostrum, quod vocaverat antea ἐπίγειον οἰκίαν τοῦ σκήνους, τὸν χοϊκὸν τοῦτον: unde & ἐπιδύσασθαι τὸν τοῦ Θεοῦ vocat. Non allego nunc quod Calvinus, & qui eum sequuti sunt Beza, Pareus, aliique, asserunt, per tabernaculum hoc non intelligi cælum, quippe quod à sacrario distinguitur, quo sine dubio cælum significatur, sed ipsum corpus sive naturam Christi humanam, quæ & caro Christi *Heb.* X. 20. dicitur; quam dicunt recte vocari posse ἀχειροποίητον, & non hujus creationis, id est, non generatione cæteris hominibus communi, sed speciali operatione Spiritus S. productam esse; quia non videtur mihi satis gravis causssa esse, cur id fieri debeat. Nec enim in tota Epistola, quando corpus Christi aut caro Christi nominatur, caro aut corpus Christi quatenus est ex Spiritu S. conceptum intelligitur; sed quatenus corpus & caro Christi sanguine adspersa, id est mortua fuit. Sed & manifesta loca sunt in contrarium, quæ opinionem hanc erroris convincunt. Duo hæc vide sis. 1. *ad Heb.* VIII. 2. ubi Christus dicitur *sanctuarii minister ac veri illius tabernaculi quod fixit Dominus, ac non homo.* verbum ἔπηξεν compegit proprie significat, qua creationem cæli indicari nemo jure dubitaverit. 2. *cap.* XI. ejusdem. *Epist. vers.* 10; ubi cælum vocatur *civitas illa quæ habet fundamenta*, (id est fixa, compacta, indissolubilis est) *cujus τεχνίτης καὶ δημιουργὸς* dicitur ὁ Θεός. Quæ duo loca clariora sunt quam ut iis opponi quicquam solidi possit.

*Id tamen credere neminem damnat.*

Existimo itaque errare eos qui Deo aliqua coæterna esse statuunt, sed ut erroneam istam eorum opinionem cum jactura salutis eorum æternæ conjunctam esse statuam, à me nullo modo impetro. 1. quia Scriptura nusquam in terminis aut sine controversia adserit, quod attinet ad materiam primam, eam ex nihilo factam esse. Loca enim illa duo quæ id videntur asserere, ad minimum controversa sunt. Locus videlicet *ad Rom.* IV. 17: ubi Deus dicitur *vivificare mortuos, & vocare ea quæ non sunt tanquam sint.* Hic enim quin de vocatione illa, qua Deus non populum suum, populum suum vocare, sive gentiles adscisscere sibi in populum potest, intelligi possit, quis negaverit? tum quis vocationem hîc significare creationem, & τὰ μὴ ὄντα, *nihilum*, solide adstruxerit? Locus alter est 2 *lib. Machab. cap.* VIII. 28: ubi mater septem filiorum, minimo natu dixisse legitur, *Postulo à te, Fili, ut in cælum suspiciens terramque & omnia quæ in ea sunt contemplans, agnoscas Deum fecisse ex nihilo.* Hic enim liber, quin sit apocryphus, causssa nulla est cur dubitetur. tum verba illa *ex nihilo*, quæ Latinus codex habet, in Græco leguntur, οὐκ ἐξ ὄντων, ex non entibus; quibus non necessario significari nihilum, illud videtur arguere, quod statim subjicitur, *eodemque modo genus humanum fit*, quod tamen ex nihilo procreatum non esse constat. Quod attinet ad cælum supremum, Scriptura quædam dicere videtur, quæ opinioni isti favent; & ratio naturalis pro opinione ista probabilis ac verisimilis militare videtur, quæ est, locum esse entis cujusque generale attributum, existentiam illius necessario consequens: ac proinde æternum Deum verisimiliter cælum pro æterno domicilio suo habuisse: ut enim aut aliud domi-

cilium habuisse, aut nullum ab omni æternitate habuisse, antequam hoc crearet Deus, credatur, non fit verisimile. Ac licet rationes hæ solidæ non sunt ad opinionem istam stabiliendum, tales tamen sunt, ut opinio istis nixa, videri non debeat lethalis, aut æternæ saluti noxia. 2. quia per opinionem istam non constituuntur entia æterna alia, quam quæ inanimata, bruta, & pura puta passiva potentia prædita sunt: ac proinde Deo nihilominus adtribuitur excellentia summa, tum vitæ, tum potentiæ activæ, unde juris ac dominii supremi in entia ista prærogativam consequi credunt. Ex hac colligo 3. Opinionem istam cultui Dei non officere, sed cum ea religionem & cultum Dei totum atque integrum consistere posse; ac proinde caussam non esse, cur propter eam quis cœlo excludi mereatur. Salva enim Religione, salutis spes in tuto, & salus ipsa salva est.

*Non est necesse credere æternitatem esse durationem instantaneam.*

Restat ultima quæstio: An ad salutem necessarium sit scire ac credere, æternitatem esse durationem instantaneam, id est, quæ indivisibilis & tota simul sit, neque partes aut momenta habeat sibi invicem succedentia, quorum alia præterita sint, alia futura, sive (ut verbo dicam) in qua nihil sit prius aut posterius? Resp. Non modo non necessarium mihi videtur ad salutem hoc scire ac credere; sed sine ullo salutis periculo credi posse arbitror id verum non esse; & longe verosimillimum, in æternitate prius & posterius locum habere. 1. quia Scriptura, cum de æternitate loquitur, semper in ea expressas temporum, seu omnium, præteriti, præsentis, futuri, seu duorum tantum, præteriti & futuri scilicet temporis differentias adsignat, nunquam vero & nusquam eam ut instantaneam durationem proponit. 2. quia istud sine multis magnisque difficultatibus & speciosissimarum contradictionum objectionibus adseri non potest: hoc vero à quolibet homine non minus facile intelligi quam adseri potest. & nullam prorsus contradictionis speciem in se habet. Absurditas inquies illa in ea est, quod sic tribuatur Deo successio, quia æternitas est ipse Deus. Resp. Absurditas ista non nisi Scholastica subtilitas est, & quæ nullo negotio dilui potest, ut ante à nobis ostensum est. 3. Istud credere periculo non caret, vel hoc uno & non levi, quod videlicet si tota æternitas in uno momento constituatur, ex eo consequatur, si ponatur per impossibile, Deum momento exstitisse & desiisse, Deum æternum nihilominus vixisse, quatenus videlicet in momento illo omnes temporum differentiæ fuerunt totæ ac simul. Scio ad hæc responderi quædam: sed ea talia sunt, ut subtiles potius quædam fictiones & verborum inania videri debeant, quam planæ ac dilucidæ veritatis expositiones. Quæres: An ergo id non credere necessarium prorsus est? Resp. Nequaquam. Neutrum necessarium est ut credatur, aut certo adseratur. ac licet mihi videatur facilius tutiusque esse id quod diximus, tutissimum tamen omnium est, æternitatem credere, & modum æternitatis Deo relinquere & tempori, salva dissentientium pace & concordia.

## CAPUT XV.

### De vita Dei.

*Deus est ens vivum.*

HActenus de primo Naturæ divinæ momento egimus, id est, de essentia Dei simpliciter, nude ac per se considerata. Restat ut agamus de secundo naturæ divinæ momento, videlicet, de *vita Dei*, sive de essentia divina quatenus vita prædita est, & ut sic contradistinguitur ab essentia mortua, bruta, & spiritu omni ac vigore interno destituta. Hæc enim nisi essentiæ priori modo consideratæ addatur, essentia tota, licet in speciem excellentissima, divina essentia non esset, nec digna religioso cultu atque obsequio. Quid enim essentia est, si bruta, inanima mortua sit? Parum equidem distat à nihilo, & revera nil nisi idolum est. Hinc est, quod simulachra gentilium omnia, quin & Judæorum sculptilia, licet in honorem & cultum veri Dei erecta, passim in Scripturis idola vocentur, & qui circa ea exercebatur cultus, idololatria, nullam aliam ob caussam, quam quod ea bruta, & anima, vita ac spiritu destituta essent; sive quod non essent, nisi merum lignum ac saxum. uti *Jerem.* X. 14. diserte legitur: *stultus factus est omnis homo à scientia, confusus est artifex omnis in sculptili: quoniam falsum est quod conflavit, &* (id est, etenim) *non est spiritus in eis.* cui testimonio multa alia consonant: *Jerem.* II. 27. *Esa.* XLII. 17. 18. & XLIV. 9. 10, &c. *Psal.* CXV. 4. 5. 6. 7. & CXXXV. 15. 16. 17. Atque hæc etiam caussa est, cur, quando Deus simulachris istis opponitur, vix alio titulo iis opponatur, quam titulo *vivi* ac *veri*, id est, titulo vitæ & vitalium facultatum atque operationum; uti videre est *Jerem.* X. 10. & 1 *ad Thess.* I. 9. *Act.* XIV. 14. Vita ergo Deo tribuenda est, ut essentia divina cultu digna credi possit. Quod enim non vivit, id indignum est quod colatur, quia frustra coleretur: & qui ipse vivens est, dignior est, quam ut se posternat aut subjiciat rei mortuæ aut inanimæ, quæ ipso multo est indignior.

*Quid per ejus vitam intelligatur.*

Vita Dei quid sit nec necesse nec forte possibile est nobis in hac vita scire. Quid nostra vita, & vitæ nostræ caussa, Anima sit, quis novit aut certo definiat? Sufficit, si vitam Dei concipiamus ut actum sive vigorem & efficaciam internam ac continuam, qua essentia divina sese intus agitat, & extra se exire sive se ipsam ad operandum extra se promovere apta est. Vita enim est fundamentum omnis fruitionis, & principium omnis operationis. Vita itaque Dei, qua Deus se ipsum intus agitat, est ratio sive caussa, qua fit ut Deus seipso fruatur, & summe fælix ac beatus sit: & quando agitatio illa volendo extra se agere fit, tum vita ista, mediante potentia divina, est rerum omnium caussa.

Tantummodo opera danda est, ut quando de vita divina agitur, caveamus nobis, ne vitam Dei credamus esse ejusmodi quendam vigorem, qui, veluti actus ad essentiam accedit, unitatis instar quæ unitati addita facit binarium. Sic enim vita divina ab essentia ejus separari posset; aut effectum quendam, à spiritu aliquo, qui essentiæ junctus compositum constituat, resultantem, qualis est vita hominum, quæ per separationem spiritus à corpore, sive compositi dissolutionem, perire aut cessare potest; aut denique tale aliquid quod à caussa alia priore dependet, sive efficiente, qualis est vita Angelorum; sive ab efficiente simul ac materiali, qualis est vita brutorum animantium, & plantarum, quæ alimento uti flamma olio indiget. Sed vero vita divina sic nobis concipienda est, ut, quæ essentiæ divinæ diximus competere, eadem etiam vitæ divinæ competere credamus; videlicet quod vita Dei sit una, prima, spiritualis, simplicissima, immensa, æterna, id est, independens ab omni alia priore caussa efficiente, sive externa, sive interna, ac proinde durans vi sua propria, sine defectu, sine fine ac termino. Atque hoc sensu Deus aut Dei vita distinguitur à vita omni alia, tum Angelorum, & beatarum animarum, qui etsi mori non possunt, *Luc.* XX. 36, destrui tamen possunt & in nihilum redigi: tum hominum & brutorum & plantarum, quæ & mori & in nihilum redigi possunt; quia omnium horum vita dependet sive immediate sive mediatè, à vita ipsa divina. unde Deus non tantum de se ipso dicit, *Ego vivo*: sed & *ego vivo in seculum*: *Deut.* XXXII. 40. & Scriptura de Deo loquens, non tantum dicit, *vivit Dominus*; sed &, *Deus vivens in secula seculorum*: *Apocal.* IV. 9. 10. & X. 6. &, *solus habens immortalitatem*: 1 *Timoth.* VI. 16. & quod rem hanc clarissime confirmat, *omnibus dans vitam & halitum & omnia. Act.* XVII. 25. Vita itaque Dei cum isto supereminentiæ modo considerata, Deo est per se propria, & prorsus incommunicabilis. Est enim ab intrinseco independens à parte ante & à parte post. cujusmodi vita nulla alia datur, aut dari potest; ne quidem à parte post immortalis ista quam Deus cultoribus suis daturus est, & Angelis beatis jam dat; quia etiamsi illa ab extrinseco independens videatur, quatenus Deus eam nunquam volet nec velle poterit destruere; ab intrinseco tamen dependens est, quia si, per impossibile, Deus vellet eam destruere, aut nollet eam conservare, Deus posset eam destruere, & sic ea protinus esse desineret & interiret.

## CAPUT XVI.

### De intellectu sive scientia Dei: & primùm de ejus objecto.

*Vitæ Dei duæ sunt facultates, intellectus sive scientia, & voluntas.*

VIta divina duabus facultatibus sive duobus actibus internis se agitat: Intellectu, qui facultas, aut scientiâ potius quæ intellectus actus est: & voluntate, quæ intellectus extensus quasi est ad habendum aut ad faciendum. Per scientiam apprehendit Deus & concipit res intra se. Per voluntatem promovet se ipsum, vel tendit actu aliquo suo in res apprehensas. Nos de scientia Dei primum ergo agamus, prout nudam tantum rerum apprehensionem significat, nullumque actum voluntatis quo in rem apprehensam, vel amando, vel aversando, vel approbando, vel reprobando, &c. fertur, conjunctum sibi habet.

*Scientia Dei quid sit, & quænam in ea sint consideranda.*

Scientia hæc est actus divinæ vitæ, quo Deus apprehendit & cognoscit omnes omnium objectorum scibilium veritates, præsentissima, distinctissima, & naturis objectorum consentanea apprehensione & cognitione. Hujus scientiæ objectum primo considerandum venit, deinde ordo, & modus.

*Objectum scientiæ divinæ.*

Objectum scientiæ hujus divinæ est omne scibile, id est, omne id, quod sub aliqua entitate, seu veritate, objici & repræsentari potest intellectui: sive id sit Deus ipse, sive alia omnia, quæ vel in Deo, vel à Deo, vel extra Deum concipi à nobis possunt.

Deus

*Deus ipse.* Deus ipse est objectum hujus scientiæ, tum secundum naturam suam, tum secundum omnes perfectiones & proprietates, quæ vel in ipsa vel de ipsa sunt, quæque vel formaliter vel eminenter ei conveniunt. Hoc evincitur ex manifesto dicto Apostoli, 1 *ad Corinth.* II. 11: *Ea quæ Dei sunt nemo novit nisi spiritus Dei.* & *vers.* 10. præcedente, *Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunditates Dei.* τὰ scrutatur enim isto in loco, non tam est scrutari facit, quam, exactissime & penitissime perspectas habet, scrutantium instar, qui angulos & rimas omnes explorant, atque identidem pervestigant, ne quid vel minimum ipsos aut lateat aut effugiat. Per *profunditates* autem *Dei*, etsi libera Dei decreta potissimum intelligi videntur; eo ipso tamen quod illa decreta profunditates βάθη τοῦ Θεοῦ vocantur, non obscure innuitur, cætera omnia quæ in Deo sunt tanto facilius cognosci posse, quanto minus sunt profunda, aut profunditatis nihil in se habent, si cum decretis liberis comparentur. Hoc posito tum dicendum necessario est, quod Deus intime noverit ea omnia quæ ad ipsum pertinent, & quæ veluti summæ perfectiones naturæ ejus competunt, quatenus ea consideratur ut religionis causa & objectum. Nempe, ut noverit eas esse in se perfectiones & proprietates, quæ necessario requiruntur in eo, qui non modo religionem & cultum præscribere, sed & sui unius perfectissimum cultum cultusque modum severiter vult exigere. Ac primo quidem naturæ suæ excellentiam supra alia entia omnia, propter quam meretur cultu optimo honorari. Deinde jus, authoritatem & potestatem suam, quid, quousque, quomodo præscribere, statuere, promittere, permittere & comminari possit. Tertiò, Potentiæ suæ limitem, quænam videlicet autoritati & potestati suæ stabiliendæ convenienter efficere possit, quæ olim effecerit facturusve unquam sit. Quarto, Æquitatem qua fieri omnia deceat, sive cum res nondum sunt, sive cum jam factæ sunt; videlicet, quibus creaturis, quæ lex, qualis, quousque ferri possit, quo præmio & pœna eam sanciri oporteat, quo auxilio, concursu, motu, permissu opus sit. Denique quos actus, & quo ordine, respectu singularum rerum, secundum substantiam, quantitatem, qualitatem, situm, tempus, &c. oportune exerceri deceat. Et hæc quidem scientia non tam scientia est quam sapientia, quippe quæ non pure theoretica & contemplativa est, quæ in nuda rerum cognitione posita est; sed practica potissimam partem, consistens in dispositione & directione consiliorum, decretorum atque operum omnium divinorum, talique rerum omnium administratione, qua omnia juxta earum exigentiam, quo scilicet ordine ac modo fieri debeant, prudentissime decernuntur. Sapientiæ hujus divinæ descriptio pulcherrima est *Proverb.* VIII. 22, &c. Ratione hujus Deus in Scripturis, non sapiens tantum, sed solus sapiens esse dicitur, *Rom.* XVI. 26. & 1 *Tim.* I. 17. *Judæ vers. ult.* adeo ut Daniel *cap.* II. 20. 21. 22. dicat, *Dei esse sapientiam.* & Hannah mater Samuelis, *Deum esse Deum scientiarum*: 1 *Samuel.* II. 3. id est, non tantum sapientissimum ac scientissimum, sed & autorem ac fontem, quin & exemplar omnis sapientissimæ ordinationis, gubernationis ac directionis: quod in omnibus ejus operibus elucet, uti in sequentibus à nobis demonstrabitur. Sapientiæ hujus mentionem idcirco facere voluimus, quia fundamentum ejus est rerum omnium simplex scientia. Sapientia enim perfecta sine perfecta rerum scientia esse non potest.

*Alia omnia, qualiacunque ea esse possint.* Alia omnia quæ non sunt ipse Deus, id est quæ ad naturam & naturales aut essentiales Dei perfectiones non pertinent, etiam sub objecto divinæ scientiæ sunt, qualiacunque ea esse possint. Quod adeo verum est, ut Scriptura generatim & sine ulla exceptione de Deo dicat, *Eum nosse omnia*, 1 *Ioan.* III. 20. Sed vero ut quænam alia ista omnia sint distincte intelligamus, ea in tria genera dispescimus; In ea quæ vel in Deo sunt, vel à Deo, vel extra Deum.

*Decreta Dei libera, quæ non sunt ipsa Dei essentia.* In Deo sunt omnia Dei decreta libera. Hæc enim non sunt actiones Dei transeuntes, sed immanentes, & tamen non sunt ipsa Dei essentia. 1. quia essentia Dei una numero est; decreta numero plura. 2. quia essentia Dei necessaria est; decreta libera. 3. quia essentia invariabilis est: decreta varia, imo sibi invicem contraria esse possunt, & reipsa contraria sibi sunt; ut decretum de creando, & decretum de abolendo mundum, &c. 4. quia essentia est independens ab omni alio principio: est enim à seipsa, id est, à nulla alia causa: decreta sunt à voluntate, & à voluntate dependent, quia sunt voluntatis actus atque effectus.

Deum hæc decreta sua scire, ac cognita exploratáque habere, quis dubitet? Certe Apostolus id diserte asserit, cum *neminem nosse ea* dicit, *quæ Dei sunt, nisi Spiritum Dei*, & *Spiritum Dei scrutari Dei profunditates*: 1 *Corinth.* II. 10. 11. Per *profunditates* enim *Dei*, isto in loco, uti & per ea quæ *Dei sunt*, intelligi decreta Dei libera, ante fundamenta mundi concepta, & Euangelio revelata, ex antecedentibus & consequentibus clarius liquet, quam ut probari oporteat. Quin cæterorum decretorum divinorum eadem sit ratio, causa nulla est cur dubitetur: quamquam, quod ad nos attinet, sufficere nobis posset, si ex Euangelio nobis constaret, Deum decreta sua Euangelio comprehensa nosse, & præsentissimo semper intuitu perspecta atque explorata habere. Cæterorum enim decretorum divinorum notitia ad nos non pertinet. Certum tamen ratumque etiam apud nos est, Deum omnia decreta sua nosse, notitia stabili & firma quæ oblivione omni caret; unde memoria etiam Deo tribuitur in Sacris, qua meminisse dicitur eorum quæ apud se decrevit & constituit aliquando dare aut facere; & tum pacto ac fœdere inito testatum fecit, tum juramento addito confirmavit se daturum ac facturum esse. Sic *Psal.* CV. 8, dicitur, *Memor fuit in seculum pacti sui, verbi sui quod præceperat in mill. generationes*, &c. & *Luc.* I. 72: *ut memor esset fœderis sui sancti, & jurejurandi, quod juravit Abrahamo Patri nostro, se daturum nobis.*

*Quomodo recordatio & oblivio Deo tribuantur.* Dices: Attamen ibidem, & in multis aliis locis Scripturæ dicitur, Deum recordatum esse pacti sui; quod oblivionem præcedisse arguit. Resp. *Recordationem* uti *oblivionem* Deo aliquando tribui, non eam quæ defectum memoriæ præsupponit, quæque ad facultatem mentis speculativam pertinet: sed quæ defectum amoris & benevolentiæ aut ante se aut in se habet, quæque ad facultatem voluntatis sive adfectivam pertinet. Ita ut *recordari* quasi de novo dicatur Deus *pacti sui*, quando ex speciali quadam gratia ac favore affectum amoris, ob violationem pacti sui intermissum abruptumque quasi, renovat; non aliter quam si pacti à se initi memoriam prorsus omnem exuisset aut deperdidisset; & contra *oblivisci* dicitur Deus, quando animum adfectumque suum adeo alienum gerere videtur à violatoribus pacti sui, ac si nullam prorsus aut memoriam aut curam pacti fœderisque sui haberet: locutione Metonymica, quæ Scriptoribus sacris admodum est familiaris, qua antecedens pro consequente & contra poni solet; quaque voces ad mentem aut sensum pertinentes, usurpantur pro verbis actionem voluntatis aut adfectum significantibus; ut hic *recordari* sit, pro, in bonum recordari, id est, ex certa pacti memoria gratiam novam facere velle, perinde ac faciunt ii, qui recordantur pacti ac fœderis cum aliis initi; & *oblivisci* sit nolle benefacere, aut rationem habere, sive in bonum recordari, non aliter quam si pacti initi memoria omnis evanuisset ac deperdita esset. Eodem hoc sensu dicitur Deus passim *non nosse*, id est, non amare populum suum fœdifragum; & eundem ad meliorem frugem redeuntem aut reductum *nosse*. Eodem sensu dicitur sæpe populus *oblivisci Dei sui*, & contra *recordari Dei sui*, quando vel à cultu divino deficit, vel ad cultum Dei verum revertitur, oblivione scilicet aut recordatione non speculativa, sed practica, sive adfectiva.

*Actiones omnes Dei externæ.* A Deo sunt tum actiones omnes externæ, quas Deus decretis suis convenienter facit, tum res illæ omnes, quæ per actiones illas fiunt, factæque conservantur, gubernantur, & diriguntur. Sub actionibus autem comprehensam etiam volumus permissionem, quæ actionis divinæ negatio quasi, id est voluntaria remissio, suspensioque divinæ actionis est. Actiones suas omnes has Deum optime nosse Jacobus diserte asserit, *Act.* XV. 18. Γνωστὰ ἀπ' αἰῶνός ἐστι τῷ Θεῷ πάντα τὰ ἔργα αὐτοῦ: *Nota sunt Deo ab* (omni) *ævo omnia opera sua.* Variant quidem nonnihil lectiones versus hujus, uti interpretes observant, sed sensus omnium idem est; videlicet, vocationem gentium, de qua isthic agitur, esse opus divinum, non novum, sed quod multo ante constituit Deus facere, quodque proinde, uti omnia opera sua, cognitum exploratumque habuit; quod etiam nobis jam liquet esse opus divinum ex prædictione illa prophetæ Amosi, cujus sensus hactenus soli Deo fuit cognitus, & qui jam nobis per Dei Spiritum revelatus est, & ex impletione ipsa cognoscitur. Res hæc probatione multa non indiget. Duo manifesta indicia ejus exstant in Scriptura. 1. Quando Deus in Scriptura opera omnia sua ex ordine recenseri & ingrato atque immemori populo in memoriam revocari jubet per prophetas suos: *Deut.* XXX. & XXXII. *Esa.* XLI. & XLII. & XLIII, &c. 2. Quando judicaturum se dicit populum propter neglectum, contemtum, aut vilipendium operum ac beneficiorum suorum omnium: *Deut.* XXXII. *Esa.* V. *Jerem.* VI. &c.

*Res omnes ab eo factæ.* Res omnes reliquæ, quæ ulla ratione à Deo per actionem aliquam divinam fiunt, considerari possunt, vel quatenus simpliciter sunt, id est, essentiam peculiarem habent, vel quatenus affectæ sunt qualitate aliqua, vel quatenus beneficio sive interventu qualitatis alicujus aut agunt aut patiuntur.

Res omnes, quatenus simpliciter sunt, Deus novit, maximas & minimas, quæ vel sub sensum vel sub intellectum tantum cadunt, sive esse solum habeant, sive vitam insuper, sive præter

præter esse & vitam, motu etiam, sensu, ac ratione præditæ sint: puta Angelos, homines, bestias, stellas, quarum numerum numerare, omnesque nominibus suis vocare Deus dicitur *Psal.* CXLVII, plantas, ipsosque etiam capitis pilos, quos in numerato habere dicitur, *Matth.* X. 30: phrasi quidem metaphorica, sed ejusmodi tamen, quæ providentiam ad ipsos usque capitis pilos extendi indicat, quatenus in iis & per eos læsio aliqua piis accidere potest. Hæc singula probari non est necesse. In genere dicit Psalmista, *Psalm.* CXLVII. 5: *Intelligentiæ Dei non est numerus.* & Scriptor divinus *ad Hebræos, cap.* IV. 13: *Nec ulla res creata est, quæ non sit manifesta in conspectu ejus, imo omnia sunt nuda & τετραχηλισμένα τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ.* Sub rebus his comprehendo etiam eventa omnia, non modo præterita & possibilia, qua talia, sed futura etjam, quatenus ea à Deo sunt, & quidem dupliciter; vel absolute, ex decreto aliquo divino absoluto, aut immediate exequendo: Sic Deus Pater novit diem judicii ultimi: *Marci* XIII. 32. aut mediate per secundarum caussarum determinationem vel directionem executioni mandando: Sic Deus sciebat olim futurum diluvium, futuram conflagrationem sive excidium Sodomæ, Gomorrhæ, &c. futuram famem in Ægypto, & præcedaneam sertilitatem septem annorum, futurum dominatum Josephi, servitutem populi, liberationem ejusdem, captivitatem secuturam, & liberationem ex captivitate, futuram pestem Davidis tempore, futuram regni Davidici divisionem, &c. vel ex hypothesi futura, eaque duplici, seu ex hypothesi concursus caussarum secundarum contingenter (id est, absque ullo divino decreto absoluto eas determinante, etsi non absque decreto permittente) extituri; Sic novit Deus futuram pluviam, siccitatem, fertilitatem, sterilitatem, morbos, pestem, inundationes, terræmotum, aliaque respectu singularum caussarum contingenter quidem, sed respectu concursus caussarum omnium necessario futura: seu ex hypothesi liberæ voluntatis sese suopte arbitrio sic determinaturæ, ut eventa ista consecutura sint: quamquam hæc eventa omnia huc non pertinent; quia eorum multa à Deo non sunt, nisi tantummodo permittente, aut dirigente ea vel in commodum, vel in noxam, vel in præmium, vel in pœnam hominum. Sic Deus noverat Pharaonem induraturum cor suum contra plagas suas: Cœlenses tradituros fuisse Davidem Sauli: 1 *Sam.* XXIII. Ægyptios afflicturos semen Abrahæ quadringentis annis: *Genes.* XV. 13. populum Israelis rebellem sibi futurum post mortem Mosis: *Deut.* XXXI. *per totum.* Eundem incredulum futurum temporibus Messiæ: *Esa.* LIII. 1. Messiam & Regem suum interfecturum: *ibid.* Tyrios & Sidonios se conversuros serio fuisse: *Matth.* XI. 22. gentes Euangelio filii sui crediturras, & turmatim in Ecclesiam confluxuras: *ibid. Joan.* X. 16. Judam Dominum suum proditurum, &c. *Joan.* VI. *vers. ult.* lupos in Ecclesiam Ephesinam ingressuros post mortem Pauli: *Act.* XX. 29. Antichristum venturum, & filium perditionis revelatum iri. 1 *Joan.* II. 18. & 2 *ad Thess.* II. 3. Denique venturos extremis diebus irrisores in cupiditatibus suis incedentes, &c. 2 *Pet.* III. 3. Quibus adde omnia ea quæ futura dicuntur in toto Apocalypseos libro. Horum omnium respectu crediderim Deum sibi attribuere hoc quasi divinæ suæ Majestatis ἀξίωμα ab aliis omnibus populorum commentitiis diis, sive potius fallacibus dæmonibus: quod prædicere possit futura. *Esa.* XLI. 22. 23. *Accedere faciant, & annuncient nobis quæ futura sunt, priora quæ fuerunt annuntiate, & ponemus cor nostrum, & sciemus novissima eorum, aut quæ futura sunt, narrate nobis. Annuntiate quæ ventura sunt in posterum, & cognoscemus quod Dii estis.* Et hæc scientia est præscientia illa, quæ dicitur præscientia futurorum contingentium: quam Tertullianus ait, tot habere testes, quot Deus fecit prophetas.

*Qualitates rerum omnium.*

Qualitates rerum omnium, quibus eæ adfectæ sunt, Deus planissime novit. Nempe habitus & dispositiones, naturales potentias & impotentias, passiones, patibiles qualitates, figuras & formas. Habitus rerum omnium non tantum artificiales, sed morales etiam novit, id est, virtutes, & quæ ad virtutes ducunt dispositiones hominum omnium. Virtutes: sic de Abrahamo dicit Deus, *Genes.* XVIII. 19: *Ego novi eum propterea præcipiet filiis suis & domui suæ post se, ut custodiant viam Domini, faciantque justitiam & judicium.* De Mose *Num.* XII. 7: *Non sic servus meus Moseh, qui in tota domo mea fidelis est.* *Apocal.* II & III *capp. per totum*, Jesu Christo tribuitur ista scientia. Dispositiones ad virtutem novit: uti videre est, 1 *Reg.* XIV. 13. ubi in filio Jeroboami Deus invenisse dicitur quod sibi gratum erat. Sic Davidem scivit virum esse secundum cor suum. *Matth.* XI. 22: *Si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes istæ resipuissent,* &c. *Matth.* XXI. 43: *Dabitur genti quæ ferat ejus fructus. Joann.* X. 16: *Alias oves habeo, quæ non sunt de ovili hoc; illas quoque oportet me adducere. nam vocem meam audient.* *Act.* XVIII. 9. 10: *Ne time, sed loquere, & ne tacueris. Est enim mihi populus multus in hac urbe.* Hæc scientia Christo tribuitur. Ergo multo magis Deo. Habitus vitiorum, ut & dispositiones ad vitia ducentes huc non pertinent, quia illi à Deo non sunt. De istis postea agemus plenius. Nunc hæc tantum loca videantur, ex quibus constat Deum etiam habitus & dispositiones vitiosas nosse. *Esa.* XLVIII. 4: de populo Israelitico dicit Deus: *Jam novi quod durus es, & ut nervus ferreus cervix tua, & frons tua ut æs.* & *vers.* 8. *Novi quod prævaricator ab utero vocatus sis.* id quod exponitur *Deuter.* IX. 24: *a die qua cognovi vos. Jerem.* XIII. 23: *Nunquid mutabit Æthiops pellem suam, & pardus maculas suas? Vos quoque poteritis bene facere, adsueti male facere?* Dispositiones vitiosas novit. Sic Deus per Mosem de populo Israelitico ait *Deut.* XXXI. 21: *Novi enim ingenium ejus & quid ipse faciat hodie.* Unde colligit, futurum, ut populus iste à Deo suo deficiat & irritum aliquando reddat pactum Dei sui. Sic Christus *Joan.* VIII. 44, de Pharisæis & Scribis ait; *vos ex patre Diabolo estis, & cupiditates patris vestri vultis explere.* & *vers.* 47: *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* & *cap.* X. 26: *Sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis.* Sic *Apocal.* III. 15, dicit Angelo Ecclesiæ Laodicensis, *Novi opera tua, sed neque frigidum esse, neque fervidum, sed tepidum,* &c. Et harum dispositionum, tum bonarum tum malarum, intensionem & remissionem nosse dicitur Deus. Sed vero quia hæc omnia sub voce cordis & καρδιογνωσίας comprehendi solent in Sacris, id circo hæc sufficiant jam hoc loco.

Potentiarum & impotentiarum naturalium notitiam quis Deo non tribuat, patibilium item qualitatum, passionum, &c. qui eam ab homine longo usu acquiri posse, & Solomoni aliquando à Deo ipso datam esse non dubitat? Tantum addo, cum potentias & impotentias rerum Deo cognitas esse dico, me non intelligere potentias & impotentias dumtaxat substantiarum, atque imprimis hominis, sed vires etiam & efficaciam rerum omnium aliarum, imprimis instrumentalium, puta, verbi divini, legis, Euangelii, promissionum, comminationum, præceptorum, hortationum, suasionum, &c. non tantummodo qualis ea in se ipsa sit, sed quantum & quid eæ possint in ordine ad hominem sub hac vel illa dispositione, cum hac vel illa circunstantia, in hoc vel illo statu seu positum seu consideratum. Sic sciisse dicitur Deus Pharaonem non pariturum voci sive mandato suo, id est non dimissurum populum Israeliticum, nisi in manu forti: *Exod.* III. 19. & contra, sciisse seniores Israelis obedituros voci Mosis: *ibid. vers.* 18. Sic sciisse dicitur Christus se à Juda proditum iri; *Joan.* VI. *vers. ult.* & frustra futuras omnes suas ad virtutis caritatisque amorem adhortationes, atque ab omni malo dehortationes. Sic Deus sciebat frustra futurum prophetam suum Esaiam cum omnibus suis ad populum concionibus, quando eum mittebat, *Esa.* VI. 9. collato cum *Act.* XXVIII. 25. 26. Et contra sciisse dicitur Christus futurum fuisse ut Tyrii & Sidonii in sacco & cinere sedentes resipiscerent, ad prædicatum Euangelium: *Matth.* XI, &c.

*Omnes actiones.*

Actiones etiam omnes objecta sunt divinæ Scientiæ: sive eæ sint internæ, consilia scilicet, cogitationes, deliberationes, decreta, ubicunque, quandocunque, quomodocunque ea concipiantur: sive sint externæ, dicta scilicet, vel facta. De hac utraque scientia divina Scriptura partim in genere, partim in specie testatur. In genere, quando dicit *Psal.* XCIV 9: *An qui plantavit aurem, non audiet? an qui oculum finxit, non videbit? An qui corripit gentes, non arguet? an, qui docet hominem scientiam, non cognoscet?* q. d. Necesse est ut ille exactissime & perfectissime omnia sciat, qui hominibus instrumenta dedit, per quæ in cognitionem rerum, quæ per instrumenta illa apprehendi possunt, deveniunt. Loquitur autem de omnibus hominum operibus, usque ad ipsas eorum arcanas cogitationes, quas Deum cognoscere ait, *vers.* 11. *quod sint vanitas. Psal.* XXXIII. 15; *Qui formavit simul cor eorum, considerans omnia opera eorum.*

*Internæ.*

In specie, quoad internas hominum actiones: quando corda hominũ nosse dicitur, & scrutari corda ac renes. 1 *Sam.* XVI. 7: *Homo adspicit quæ sunt præ oculis, Dominus adspicit quæ sunt in corde.* 1 *Reg.* VIII. 39: *Tu enim solus nosti cor omnium filiorum hominum. Psalm* VII. 10: *Tu qui probas corda & renes, Deus juste. Proverb.* XV. 11: *Infernus & perditio sunt coram Domino, quanto magis corda filiorum hominum.* & *cap.* XVI. 2: *Omnes viæ viri mundæ sunt in oculis suis: sed qui ponderat spiritus* (sive corda) *est Dominus.* & *cap.* XXIV. 12. *Si dixeris profecto ignoramus istud; nõne qui ponderat corda ipse intelliget? & qui custodit animam tuam, ipse cognoscet, reddetq; homini secundum opus suum? Jerem.* XVII. 9. 10. *Profundum est cor præ omnibus rebus & perversum, quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, probans renes, ut dem unicuiq; juxta viam suam, & juxta fructũ operum suorũ.* His consonant alia plura loca, quæ vide sis *Luc.* XVI. 15. *Act.* I. 24. *Act.* XV. 8. *Rom.* VIII. 27.

&

& 1 *Theſſ.* II. 4. Specialius adhuc de ſcientia hac divina Scriptura teſtatur, quando Deum cogitationes, conſilia, deliberationes, & decreta hominum ſcire aſſerit. *Pſalm.* XXXVIII. 10: *Domine, coram te eſt omne deſiderium meum, & ſuſpirium meum non eſt à te abſconditum.* *Pſal.* XCIV. 11. *Pſal.* CXXXIX. 2. *Ezech.* II. 5: *Quæ aſcendunt in ſpiritu veſtro ego novi.* Exempla vide in Daniele divino Spiritu revelante Regi Babel ſomnia: in Eliza revelante Regi Iſraelis conſilia & deliberationes Regis Syriæ, quas in penetrali cubiculi ſui agitabat: 2 *Reg.* VI. 12. & quæ his ſunt ſimilia. imprimis quod legitur *Eſa.* X. 7. de ſcientia Dei, qua quid Rex Aſſyriorum animo ſuo meditaretur ac propoſitum haberet, Deum perſpectum habuiſſe diſerte indicatur. Et quid mirum? De Jeſu Chriſto in terris adhuc verſante dicitur, *Joan.* II. 25. *non opus fuiſſe ut quiſquam ei teſtaretur de homine, quia ipſe ſciebat quid eſſet in homine.*

*Externæ.* Quod attinet ad externas actiones hominum, eas Deo notas eſſe, nemo facile negabit, qui internas & arcaniſſimas cordis humani conceptiones Deo notas eſſe intelligit. Quare ut hanc ſcientiam Deo competere probemus, multis non eſt opus. Sufficit ut quæ occulte abſhominibus & in abſcondito tum dicuntur, tum patrantur, Deo nota eſſe paucis oſtendamus. *Job.* XXXI. 4: *Nonne ipſe videt vias meas, & dinumerat greſſus meos?* *Pſal.* XCIV. 7: *Et dixerunt, Non videt Jah, neque intelligit Deus Jacob. Intelligite ſtupidi in populo, & fatui quando intelligetis?* *Pſal.* XXXIII. 15: *Qui enim formavit cor hominum, conſiderat omnia opera eorum.* *Prov.* V. 21. *Coram oculis Iehovæ ſunt viæ viri, & omnes ſemitas ejus ponderat.* *Eſa.* XXIX. 15. 16: *Væ qui profundi eſtis corde, & abſconditis à Domino conſilium, quorum ſunt in tenebris opera, & dicunt; Quis videt nos, & quis novit nos?* additurque ſtatim; *Perverſa eſt hæc veſtra cogitatio.* *Jerem.* XXIII. 23. 24: *Nunquid Deus de propinquo ego ſum, & non Deus de longinquo? Num occultabit ſe quiſpiam in occultis, & ego non videbo eum, dicit Dominus? annon cælum & terram ego impleo, dicit Dominus?* His addatur *Pſal.* CXXXIX fere totus; & quod dicitur *Matth.* VI. 4. 6. 8: *Eleemoſyna tua fiat in occulto. Pater autem tuus, qui te aſpicit in occulto, reddet tibi in propatulo.*

*Peccata.* Quæ extra Deum ſunt ſola peccata ſunt. Hæc enim nec in Deo, nec à Deo, ſeu efficiente, ſeu gratiam neceſſariam ad peccatum evitandum aut negante aut ſubtrahente, ſeu mandante, ſeu ſuadente, ſeu approbante ulla ratione eſſe poſſunt. Et hæc tamen omnia & ſingula, ſingulorumque ortus, incrementa, decrementa, graduſque videt & cognoſcit, quin & obſervat, animadvertitque Deus. Id infinita loca probant. *Pſal.* XIV. 2. 3: *Jehova è cælis proſpectat ſuper filios homonum, ut videat an ſit ullus qui intelligat, qui exquirat Deum. Omnes receſſerunt, ſimul putidi facti ſunt omnes, non eſt qui faciat bonum, non eſt vel unus.* *Jerem.* XVI. 17: *Quia oculi mei advertunt ad omnes vias eorum, non ſunt abſconditæ à facie mea, neque eſt abdita iniquitas eorum à conſpectu oculorum meorum.* Ortum & incrementa peccatorum Deum ſcire apparet ex *Geneſ.* VI. 5. 11. 12. & *cap.* XV. 16: *Necdum completa eſt iniquitas Emorrhæi uſque adhuc.* *Exod.* XXXII. 7. 8. 9. Similia loca plura ſunt. Videantur duo capita *Apocalypſeos*, II & III.

*An ea nihil ſint?* Neque vero ſtatuendum videtur peccata omnia, qua talia, nihil omnino eſſe, ac proinde ſcientiæ divinæ objici non poſſe niſi indirecte. Nam ut ut hoc verum eſſe dici poſſit de peccatis omiſſionis, quæ proprie nihil ſunt; (nam non velle, non agere, qua tale, nihil eſt:) tamen cur de peccatis commiſſionis dicatur quod nihil ſint, cauſſa nulla eſt: cum peccata iſta ſint actus quatenus lege vetiti ſunt, quibus entitatem, ac proinde bonitatem metaphyſicam tribuere, & ſimul moralem ſive Ethicam tantum malitiam, non tantum non licet, ſed plane neceſſarium eſt. Atqui, inquies, Ethica illa malitia nihil eſt: eſt enim mera privatio. Reſp. Nunquam malitia iſta ſeorſim, qua talis, in cenſum venit apud Deum, ſed actus ipſe, qua talis, cui ex relatione ad legem accidit malum eſſe, id eſt difformem legi. Difformis autem actus iſte non magis nihil eſt, quam actus virtutis, cui ex relatione ad legem, ſeu naturæ, ſeu ſcriptam, accidit conformem eſſe legi. Actus itaque iſte, qua talis, eſt bonus, aut malus; quia non malitia, qua talis, ſed actus qui legi difformis eſt, prohibetur à Deo, adeo ut qui actus iſtius cauſſa eſt, is eo ipſo malitiæ etiam, quæ actui iſti poſita lege neceſſario ineſt, cauſſa ut ſtatuatur neceſſe eſt. Peccata autem omiſſionis, etſi revera nihil ſunt, tamen ut actus poſitivi concipiuntur, quia ipſum omittere lege non minus vetitum eſt, quam committere. Sed hac de re plenius agetur in ſequentibus.

Abſurdum vero eſt credere, ſi fœda ac deteſtanda omnia ſcire dicatur Deus, idcirco aut vileſcere aut contagione aliqua inſici mentem divinam. Contrarium enim potius ſequitur. Nam uti perfectionis ſummæ eſt, univerſa quæ intelligi poſſunt, intelligere; ita poteſtatis ſummæ ac judiciariæ eſt, ſcire & obſervare ea omnia quæ contra legem fiunt. Tum, peccata qua cognita non poſſunt inficere aut polluere mentem, alioquin judex peccata cognoſcens peccator fieret; ſed qua volita tantum, & quidem contagione non Phyſica, ſed morali, qua ſola voluntas primo inſici poteſt. *Concupiſcentia enim poſtquam concepit,* (conſenſum ſcilicet ex voluntate) *parit peccatum*: *Jacob.* I. 15.

## CAPUT XVII.

### De Præſcientia futurorum contingentium.

EX his liquet quam longe lateque ſe diffundat Dei ſcientia, & merito jure eam omniſcientiam vocari poſſe. Nec ſcio quemquam Theologum, ſeu Judæum, ſeu Chriſtianum eſſe, qui non hujuſmodi ſcientiam Deo tribuat, paucis exceptis qui futurorum contingentium præſcientiam, ad ſcientiam Dei pertinere negant; non quod divinæ Omniſcientiæ detractum quidquam velint, ſed quod futura contingentia ſub objecto ſcientiæ comprehendi, id eſt ſcibilia eſſe, non poſſint comprehendere, &, quod poſita iſtorum præſcientia, libertatem voluntatis locum habere poſſe nullo modo poſſint in animum ſuum inducere; quodque præcipuum eſſe videtur, quod per eam omnibus ſeriis Dei mandatis, hortationibus, promiſſis, comminationibus, optationibus, &c. nervus incidatur, totaque adeo Religio in hiſtrioniam commutetur. Sic enim argumentari ſolent: Si omnia determinate ab æterno fuerunt cognita, etiam contingentia, tum nihil in rerum natura erit quod abſolute ſit contingens, ſed omnia erunt neceſſaria. Deinde: Si omnia determinate Deo ſunt cognita, etiam contingentia, quomodo fieri poteſt ut Deus ſerio moneat, hortetur, oret, ſupplicet, & obteſtetur homines ut ſe velint convertere & reſipiſcere, cum jam ante certo ſciat non aliter futurum, quam ut hi convertantur, illi vero converti nolint? Addunt: complures eſſe locos Scripturæ S. qui nullo modo intelligi aut explicari poſſunt iſta præſcientia admiſſa; imo, ſi ea admittatur, multa quæ Deo in SS. literis tribuuntur, vel falſo tribui, vel ipſum Deum ejus imprudentiæ, quæ ne in hominem quidem cadere (niſi dementem plane) poteſt, omnino coarguere. Loci iſti ſunt varii. 1. quod Deus propter hominum iniquitatem contriſtatus dicitur, *Geneſ.* VI. 6. 7. & alibi. 2. quod Deus ait ſe cognoviſſe vere Abrahamum timore Dei eſſe præditum, tum demum cum filium ſuum cariſſimum ſibi immolare non recuſavit: *Geneſ.* XXII. 12. 3. quod dicit ſe expectaſſe à populo ſuo ut uvas faceret & fecerat labruſcas: *Eſa.* V. 4. 7. Id quod verum eſſe poſſe, vel Deo dignum negant, eſt, quo Deus dicitur juraſſe ſe introducturum in terram populum ſuum, & tamen propter ipſorum peccatum atque incredulitatem ſe amplius id non facturum: *Num.* XIV. 12. 22. 23. 28. 29. 30. Quis enim, inquiunt, ex ipſis hominibus ita amens eſt, ut ex animo juret ſe aliquid facturum, quod ſe facturum minime eſſe jam probe norit, ſeu cauſas, cur id nullo modo facturus ſit, jam exploratiſſimas habet? Aut quid Deo indignius, quam ſe aliquid facturum jurare, non animo, ſed verbis tantum?

*Argumenta eorum qui præſcientiam futurorum contingentium Deo detrahunt.*

Horum ſententia, ut ut ſpecioſis rationibus nixa, probari nobis non poteſt, nedum ut eam receptæ & paſſivæ omnium Theologorum ſententiæ præferendam eſſe arbitremur. Ratio potiſſima, quæ me movet, & quæ meo judicio nullam juſtam inſtantiam patitur, unaque ac ſola diluendis omnibus exceptionibus, ſufficit, hæc eſt: Deus prædicit contingentia certo atque infallibiliter futura eſſe. Ergo certo atque infallibiliter ea futura eſſe præſcit.

*Ratio paſmaria in contrarium, deſumpta à prædictione futurorum contingentium. Primum illius exemplum.*

Ratio conſequentiæ per ſe clara eſt; ſi per contingentia (quod omnino neceſſe eſt) intelligantur ea quæ merè contingentia ſunt, non ἐνδεχόμενα ſolum, ut Ariſtoteles videtur loqui, ſed proprie μιξοαναγκα, qualia ſunt ea, quæ purè putè dependent à libera hominis voluntate; ſive abſolutè ſpectata, ſive conſiderata ſub conditione. Antecedens liquet ex iis quæ ſupra diximus; ſed ut iſtud clare hîc videatur, ſic procedo. Deus prædicit multo ante hunc & illum populum, hos & illos homines peccaturos eſſe, & peccatis ſuis ultionem divinam in ſe concitaturos: idque ſic reipſa evenit. Ergo.

Probo antecedens: Prædixit Deus *Geneſ.* XV. 13, Ægyptios afflicturos ſemen Abrahami quadringentis annis, & eos, populum ſic affligendo, peccaturos eſſe, quin & peccando iram Dei in ſe provocaturos; quia additur *verſ.* 16: *& gentem etiam, cui ſervient, judico ego.* Idque ita accidit. *Exod.* II. 23. 24. Unde apparet, iſtam non fuiſſe monitionem tantum, aut conjecturalem prædictionem, quæ humano modo à Deo facta ſit, ſed certam atque infallibilem prædictionem, quæ aliam quam certam atque infallibilem præſcientiam, cauſſam ſui habere non potuit. Dicere, Deum aliquando peccata peccatis punire, atque ita afflictionem & ſervitutem

à Deo

à Deo ordinatam & decretam fuisse in pœnam idololatriæ & aliorum scelerum Ægyptiacæ gentis, proinde sic etiam à Deo fuisse prœcognitam ac prædictam, glossa est quæ non convenit textui. ut enim jam non dicam crude atque audacter asseri, Deum peccata peccatis solere punire, (quod sine multo sale admitti non potest:) Esto: Pœna ista à Deo decreta fuerit Ægyptiis; at pœna ista decreta, ut executioni mandaretur quadringentis post annis. Præscita ergo ut fuerint peccata etiam istorum Ægyptiorum, aut istius gentis quæ tum exstitura erat, quadringentis ante annis omnino necesse est. Ut enim decreta iis pœna, & quidem in pœnam peccatorum fuerit, sine ulla prævisione culpæ aut peccati istius gentis quadringentis annis post futuræ, prorsus absurdum est. Hoc tamen ut ex ista exceptione consequatur necesse est: Quia Ægyptii illi, qui circa aut post annum quadringentesimum, idololatrica & scelerata gens futura erant, nondum erant nati, quando hæc Deus prædicebat, ac proinde maligni nondum erant; & posito etiam, quod jam tum nati fuissent, & revera omnes idololatræ, perversi, ac maligni essent, prædictio tamen illa certa esse non potuisset, nisi præsciviisse dicatur Deus, eos per tot annorum decursus pertinaciter in ista idololatria & perversa voluntate perstituros esse, & quidem quadringentis annis integris. Dicere; Hoc loco animadvertendum esse, decreviisse quidem Deum, ut populus suus ab una aliqua gente adfligeretur, sed ut ea gens Ægyptii forent, neminem adfirmare posse Deum ante decreviisse, quam in Ægyptum populus translatus est; non sufficit ad vim rationis nostræ elidendum, & revera nil nisi speciosum commentum est. Non sufficit. Nam, sive prædictio illa de una aliqua gente aut individuo populo vago, sive de certa ac nominatim Ægyptiaca gente facta dicatur, semper tamen certum manet, prædictionem illam certam, natam fuisse ex certa præscientia, quod gens illa, qualiscunque tandem esset, affligendo populum peccatura esset & maligna futura, ultionemque divinam in caput suum propriis suis sceleribus accersitura; quod sufficit ad vim rationis nostræ adserendum pro præscientia facti. Speciosum etiam commentum videtur, quia quid absimilius à vero, quam Deum judicem pœnam decernere, & nescire cui? Deum scire, fore sceleratos & malos, & nescire quinam sint futuri? Denique, cum fieri possit, ut malorum posteri ad bonam frugem redeant, præsuppositâ voluntatis libertate, & Dei gratia, quomodo fieri potest, ut de gentibus ullis, tam multo ante prædicatur futurum, ut hoc vel illo modo peccent, & peccando reos se divinæ ultionis faciant?

*Secundum.* Hunc locum prolixius paulum excutere consultum duxi, quia cæterorum plane eadem est ratio; uti loci *Deut.* XXXI. 16. ubi Dominus Deus ad Mosen dixisse legitur. *Ecce tu dormiturus es cum patribus tuis: postea surget populus iste, & fornicabitur post Deos alienigenas terræ, ad quam pergit ut habitet in medio ejus; & derelinquet me, irritumque faciet pactum meum, quod pepigi cum eo.* & *vers.* 21: *Novi enim ingenium ejus, & quid ipse faciat hodie.* Non potest prædictio de futuro contingenti, id est, de futura libera prævaricatione populi, clarioribus verbis concipi. Dicere, Deum hæc verosimiliter tantum prædicere, est ex prædictione fallacem conjecturam facere, sine ulla ratione, & vix sine injuria divinæ Majestatis. Atqui, inquies, eandem prædictionem facit Moses paulo post, *vers.* 27: Ego *enim novi rebellionem tuam, & cervicem tuam duram; ecce, adhuc me vivente vobiscum hodie rebelles estis Domino, & quanto magis postquam mortuus fuero?* Hæc prædictio, inquies, non nisi mera conjectura est, quam Moses ut vir prudens verisimiliter faciebat. Resp. Ita sane videretur, nisi præcessisset divina prædictio, quam certam atque infallibilem esse non dubitabat Moses; uti statim deinde apertis verbis indicat, *vers.* 29: *Novi enim*, scilicet à Deo, *quod postquam mortuus fuero, corrumpendo corrumpetis vos, & recedetis de via quam præcepi vobis.* addit enim; *Unde eveniet vobis malum in novissimo dierum, quum feceritis malum in oculis Domini, irritando eum opere manuum vestrarum.* Ex quo colligo, prædictionem hanc Mosis non esse nisi repetitionem divinæ prædictionis, de futura prævaricatione populi, & quidem in specie de idololatria ejus, &, quæ eam consecutura erat, pœna. Quam prædictionem certam atque infallibilem fuisse, eventus docuit prædictioni isti per omnia respondens.

*Tertium.* Eadem est ratio prædictionum aliarum omnium, quæ frequentes occurrunt, imprimis apud prophetas, de populi Israelici rebellione & contumacia. Inter quas eæ maxime excellunt, quæ agunt de incredulitate populi futura temporibus Messiæ deque populi propter eam futura rejectione; & contra, de gentium in eorum locum vocandarum fide, & assumtione in populum Dei; quas salvare sine præscientiæ divinæ certæ atque infallibilis præsuppositione, mihi pene videtur impossibile. Quod enim ad prædictiones de incredulitate populi futura temporibus Messiæ attinet, (de istis enim, quæ de vocandarum gentium fide sunt, jam non agimus; quamquam & eæ nobis pro argumento solido servire possent) certum est, prædici populi incredulitatem temporibus istis futuram, (ne jam multos locos allegemus) *Esa.* LIII. 1: *Quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui est revelatum?* quasi dicat, Nemo tum credet Messiæ Domino ac Regi, quando ille annuntiabit Euangelium regni sui; phrasi Hebræa, qua præteritum *credidit*, pro futuro *credet*, & *nemo* pro paucis admodum usurpari solet. Et hæc incredulitas tanta futura esse prædicitur, ut Regem suum Messiam despectui sint habituri, & contemturi, quin & vulneraturi, acerbissimaque & ignominiosissima morte è medio sublaturi, prævaricatoribusque & sceleratis adnumeraturi; *ibid.* per totum caput. & *Daniel.* IX. 26. Atque hoc omnino certum esse patet, non tantum ex eo, quod omnia ea quæ in isto *cap. Esa.* LIII, prædicuntur, Messiæ Jesu Domino nostro applicentur in Novo Testamento; sed insuper etiam ex eo, quod ipse Jesus Messias ille promissus, tum in populo isto versaretur, omnia ista quæ primores populi istius in se admissuri erant, scelera ac flagitia, singulatim prædixerit, & quidem cum isto additamento, *oportere ista omnia sic fieri*: *Matth.* XXVI. 54. *Luc.* XXIV. 7. & 44. 45. 46. aut ut Lucas ait *cap.* XVIII. 31: *Sic perficiuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas, de filio hominis.* Loca quæ id continent sunt *Marc.* X. 33. Ipse vero, assumtis rursus duodecim illis, cæpit eis dicere, quæ sibi erant eventura, dicens; *Ecce adscendimus Hierosolymam, & Filius hominis tradetur primariis Sacerdotibus & Scribis, & condemnabunt eum morte, tradentque eum gentibus, & illudent ei, & inspuent in eum,* (Matthæus *cap.* XX. 19. addit, *& flagellabunt eum,*) *& trucidabunt eum.* Matthæus *cap.* XVI. 21. & Marcus *cap.* VIII. 31. addunt, *oportere Filium hominis multa pati,* (Marcus addit & *reprobari*, quod tamen alio loco Lucas etiam addit, *cap.* videlicet XVII, 25.) *à Senioribus, primariis Sacerdotibus & Scribis*; nempe, juxta prægressas de eo prophetias: uti passim legere est, & diserte Petrus asserit, 1 *Epist. cap.* I. 11. ubi *scrutatos*, ait, *prophetas, in quem aut qualem temporis articulum, prænuntius ille, qui in ipsis erat, spiritus Christi, declararet, τὰ εἰς χριστὸν παθήματα, καὶ τὰς μετὰ ταῦτα δόξας. παθήματα* autem unde, nisi à maligno populo & ingratis parricidis, uti Christus non obscure sub parabolico schemate significasse legitur, *Matth.* XXI. *a vers.* 33. *usque ad finem.* Quibus si addas prædictionem ejusdem Jesu, de futura sui proditione, & quidem juxta Scripturas, per unum aliquem è domesticis suis, *Joan.* XIII. 18. deque ipso proditore futuro, *Joan.* VI. 71: *Loquebatur autem de Juda Simonis* (filio) *Iscariota; futurum enim erat* ἷς ἐκ (est in Græco) τῶν δώδεκα, *ut ipsum proderet, qui unus erat ex duodecim*; non video quid desiderari possit ad hoc, ut credatur, prædictiones illas certa futuri contingentis præscientia nixas esse. Neque enim ad rem facit si dicas, prædictiones prophetarum de proditione Messiæ futura, non necessario sic esse accipiendas, ut de ipso Juda nominatim eam facturo etiam intelligantur. Nam, quamquam hoc non videtur convenire cum verbis Petri, *Act.* I. 16, ubi expresse ait, *oportuisse impleri Scripturam hanc, quam prædixit Spiritus S. per os Davidis, de Juda*, &c. tamen esto, nihilominus prædictiones sunt de futura proditione, quæ sine dubio enorme & speciale peccatum est, quicunque tandem eam facturus esset. At unde poterat prædictio illa certo fieri sine præscientia? Suppono enim Deo eam tribui non debere, quia alioquin Deus peccati autor esset, & proditor pœna indignus, contra quam Christus ipse dicit, *Matth.* XXVI. 24: *Væ homini illi per quem Filius hominis proditur. Bonum erat homini illi si natus non fuisset.* Et quod attinet ad ipsum Judam, certum est D. Jesum prædixisse se ab illo proditum iri, verisimiliter multo antequam Judas adhuc in animum suum saltem firmiter induxerat eum prodere; uti videtur à Joanne indicari, *cap.* XIII. 2. cum ait, vel tum cum cœna peracta esset, vel paulo ante, quod videtur velle particula ἤδη, *Diabolum in cor Judæ immisisse ut proderet eum*, id est, Judam diabolico ausu paulo ante obstinasse animum & constituisse firmiter eum prodere. Quomodo vero prædictio ista Christi vera esse potuit & certa, nisi statuatur, Christum Jesum præsciviisse, Judam esse illum, in quem prædictio prophetarum respiciebat? Dices; Jesum potuisse scire, & dici sciviisse animum Judæ avarum & furacem; atque ex eo colligere potuisse Judam proditorem illum futurum. Sed id non satisfacit, quia collectio illa non nisi verisimilis conjectura fuisset, quæ fallere potuisset, præsuppositâ arbitrii libertate, quæ positis omnibus ad agendum requisitis, etiam posito in ipsa voluntate habitu malo aut bono, semper tamen aliter adhuc agere potest; imprimis si argumenta offerantur ad divertendum animum à proposito malo, non idonea tantum, sed fortia etiam ac valida; qualia Judæ quotidie à Jesu Christo oblata fuisse nemini dubium esse potest. Dicere etiam

iam Judam à Deo coactum fuisse ad prodendum, in pœnam avaritiæ & furacitatis suæ, & sic præscitum à Jesu fuisse illum proditorem sui futurum; est apex temeritatis, & proditionem Judæ à culpa, ipsumque proditorem à reatu pœnæ absolvit; quod directe contravenit dicto Jesu Christi, supra à nobis allegato, ex *Matth.* XXVI. 24.

Atque hæc sufficiant pro confirmatione Antecedentis nostri. Plura his addi possunt loca, quæ prædictiones continent de adventu falsorum Doctorum & Prophetarum, de adventu Antichristi, &c. quæ vide sis *Matth.* XXIV. 5. *Marc.* XIII. 6. *Luc.* XXI. 8. *Act.* XX. 29. & 2 *Thess.* II. 3. & 1 *Timoth.* IV. 1. & 2 *Tim.* III. 1. & 2 *Pet.* II. 1. *Jud. vers.* 4. & nominatim de futura securitate hominum tempore adventus filii hominis, simili ei quæ fuerat tempore isto quod diluvium antecedebat: *Matth.* XXIV. 37. 38. 39. & *Luc.* XVII. 26. 27. 28. 29. 30. Cui tempus etiam istud quod antecedebat excidium Sodomæ ac Gomorrhæ adjungit, & de universali incredulitate in terra futura, *Luc.* XVIII. 8. Sed quia hæc fere eodem recidunt, & quæ ad ea responderi solent ex jam dictis facile æstimari possunt, hinc nos ab iis penitus examinandis & adstruendis supersedebimus, & corollario hoc uno tractatum hujus quæstionis absolvemus.

Posito hoc unico & solide adstructo, Prædictiones certas atque infallibiles dari de futuris mere contingentibus, tum fundamenta & argumenta omnia, quæ ad Præscientiam futurorum contingentium evertendam allegari solent, simul ac semel concidunt.

*Eversio fundamenti eorum qui præscientiam contingentium impugnant.*

Fundamenta sententiæ eorum qui præscientiam Dei impugnant, sive potius fundamentum sententiæ eorum, hoc unicum est: *Futura contingentia non habere in scipsis determinatam veritatem, ac proinde determinate sciri non posse.* Hoc plane concidit, si detur futurorum contingentium certa prædictio. Certa enim & determinata prædictio nulla esse potest, nisi id, quod prædicitur, certò ac determinate futurum sit; sicuti vera nulla prædictio esse potest, nisi vere futurum sit id quod prædicitur. Dices: Ex parte rei repugnat, ut aliquid sit determinate futurum, & idem tamen sit contingens, quod fieri possit ac non fieri. Itaque prædictiones de futuris contingentibus, sic sunt interpretandæ, ne repugnantiam illam admittere necesse sit. Resp. Hoc argumentum hîc jam non procedit: quia suppono secundum antedicta, prædictiones certas dari de futuris contingentibus. unde colligo, dari propositiones de futuris contingentibus determinate veras, ac proinde futura contingentia in se ipsis, sive ex parte sua, habere determinatam veritatem. In hac responsione lubens me contineo, quia fateor, sublatis prædictionibus, aut prædictionum divinarum de futuris contingentibus certitudine atque infallibilitate non extra omne dubium posita, haud facile esse demonstrative, sive à priori, ostendere, qua ratione futura contingentia, sive quæ à libera voluntate dependent, determinatam possint habere veritatem. Haud facile, dico; quia, ut id prorsus impossibile esse credam, nondum adducor. Video enim esse argumenta quæ id valde verisimiliter probant, & quæ contra adferuntur argumenta, ea talia non esse, ut contrarium prorsus evincant, etsi populo & vulgo persuadendo idonea magis videantur.

*Probatur futura contingentia esse determinatè vera.*

Argumenta quæ id verosimiliter admodum probant hæc sunt. 1. Hæc propositio est vera & necessaria, Judas prodet Dominum, vel non proder. Sed Judas non potest utrumque facere, quia sunt contradictoria, quæ simul esse non possunt. Ergo alterum tantum facturus est. Ergo, si affirmassem ego tempore Davidis, illud ipsum futurum esse quod Judas facturus erat, vera fuisset mea affirmatio. Dices: In propositionibus de futuro contingenti, non valere istam enunciationem, Fiet aut non fiet, Judas prodet aut non prodet. Quæ ergo, inquam ego, valet? An hæc, Nec fiet, nec non fiet? Atqui ista enuntiatio manifeste falsa est, quia impossibilis.

2. Id quod nunc actu & determinate fit, hoc antea revera futurum fuit. Ergo sicuti nunc verum est dicere, Hoc jam determinate fit, sic antea verum fuit dicere, Hoc determinatè futurum est.

3. Quia in contradictionibus universalibus, altera determinatè vera, altera determinatè falsa est; Ergo etiam in singularibus; quod sic ostendunt. Ex his duabus contradictoriis, Omnis homo salvabitur, Aliquis homo non salvabitur, prior est determinate falsa, & posterior determinatè vera: Ergo, ratione alicujus determinati singularis, qui non est salvandus sed damnandus, universalis est falsa, & particularis vera, ut patet ex regulis dialecticis. Ergo determinata veritas est in ipsis singularibus contingentibus, & inde manat ad terminos seu conceptus universales. Ideo enim salvabitur homo, quia Petrus exempli gratia salvabitur, & non contrà.

4. Quia ex contraria sententia sequitur, omnem propositionem affirmativam de futuro contingenti esse determinate falsam: quod est contra Aristotelem, qui dicit, nec determinatè veram, nec determinatè falsam esse, sed indifferentem ad utrumque. Consequentia patet; quia ex eo quod res est, vel non est, enunciatio vera vel falsa judicari debet. Ergo si quis dicat, aliquid determinate futurum esse, quod reipsa indifferens est ut sit vel non sit, falso id affirmabit. Ergo ipsius propositio de futuro contingenti erit determinate falsa, quod est contra Aristotelem. Hoc argumentum idcirco adferunt, quia omnes fere tum Philosophi, tum Theologi, qui præscientiam futurorum contingentium impugnant, axiomate illo nituntur, quod Aristoteles tradidit, propositiones de futuro contingenti nec veras, nec falsas esse, lib. 1. de Interpret. cap. VIII. vel parte 2. cap. X.

Argumenta, quæ in contrarium adferri solent, ea fere omnia, imo omnia ad hoc unum redigi possunt: Si propositio de futuro contingenti est determinate vera, vel falsa, ergo non est indifferens, ergo neque contingens, ergo tollitur rerum contingentia & omnia necessario eveniunt. Sed vero ad hoc argumentum respondent præscientiæ Dei assertores hunc in modum; Consequentiam argumenti hactenus procedere, Si propositio de futuro contingenti est determinate vera, ergo non est indifferens ad verum & falsum, nec indifferens ad futurum & non futurum. Sed non procedere eo usque, ut propterea dicatur non contingens. Nam duo ista ajunt posse simul consistere; nempe, effectum aliquem posse esse contingentem, & tamen determinate futurum. Dicitur enim contingens propter indifferentiam caussæ & virtutis à qua emanat. Dicitur autem determinatè futurus, quia caussa quæ potest operari & non operari, reipsa operatura est. unde dicunt patere, effectum determinate futurum, non excludere indifferentiam caussæ & virtutis ejus, sed tantum actionis. Indifferentia caussæ in eo consistit, quod sit indifferens ad operandum & non operandum; determinatio actionis in eo, quod actio sit secutura, etiamsi posset omitti. Breviter: Actionem concipi vel nudè ac simpliciter, vel cum modo suo, id est, cum libertate: Actionem simpliciter sumtam, determinatè veram esse: At cum modo suo sumtam, contingenter se habere. Deum autem præscire utramque simul, id est, actionem simul ac modum agendi.

*Responsio ad objectiones contra præscientiam contingentium.*

Restat ergo ut respondeamus etiam ad objectionem, quæ mihi videtur omnium gravissima & speciosissima. Ea est, quam supra insinuavi ex prælectionibus Socini:

*Si omnia etiam futura contingentia libera Deo determinatè sunt prænognita, 1. quomodo fieri potest, ut Deus serio moneat, hortetur, oret, supplicet, & obtestetur homines, ut se velint convertere & resipiscere? 2. quomodo dici potest, Deum contristari propter hominum malitiam & contumaciam? 3. Quomodo dici potest, Deum exspectasse ab hominibus, ut uvas facerent, cum fecerint labruscas? 4. Quomodo dici potest, Deum juravisse se introducturum populum suum in terram sanctam, & tamen propter populi incredulitatem se id non facturum esse? Consequentia argumenti per se liquet.*

Ad hoc difficile sane argumentum respondent quidam: Præscientiam Deo quidem competere, sed eam, quæ subjaceat divinæ voluntatis imperio; id est, Deum præscire quidem posse futura omnia contingentia si velit, sed & posse non præscire, si ea præscire nolit, eadem plane ratione, qua omnipotentia Deo competit, qua facere omnia potest, si modo velit. Hæc responsio solvendæ objectioni quidem sufficit, quamvis impar ratio sit præscientiæ & omnipotentiæ, in eo, quod etiamsi Deus omnia dici possit facere si velit modo, tamen dici non possit, omnia non posse, si modo nolit; uti omnia dicitur Deus juxta hanc responsionem posse non præscire, si ea nolit præscire. Sed vero, præterquam quod paradoxum admodum sit in Philosophia, scientiam, quæ actus intellectus simpliciter necessarius est, ac proinde præscientiam, cujus eadem quæ scientiæ ratio est, voluntatis imperio subjacere, id maxime mihi suspectam facit hanc responsionem, quod videamus in Scripturis prædici multo ante, ea etiam, quæ Deus tamen deinde serio dehortatur ne fiant, propter quæ deinde contristari, conqueri, expostulare cum hominibus dicitur; uti in variis à nobis supra allatis exemplis videre est. Quare alii respondent; Deum quidem actu & necessario omnia præscire, sed tamen quando hominibus leges dat, iisque legum suarum obediendiam cum promissione præmii, & comminatione pœnæ præscribit, ita se gerere, ac si ea quæ facturi sunt non præsciret. Et jure quidem Deum ita agere posse ajunt, quia præscientia illa sua nullam illis imponit aut infert necessitatem sic agendi, uti ipse eos acturos præscit, sed libertatem iis plenam atque integram relinquit sic aut aliter agendi, perinde ac si quid acturi sint nesciret. Præscientia enim est actus in Deo immanens, & qui extra Deum nihil operatur. Sed vero, ut

ut speciosa hæc videatur solutio, tamen difficultatem non exhaurit, quia non modo idem istud, quod antea de divinis prædictionibus contra primam responsionem adduximus, hic etiam solutioni huic obstat, sed etiam id quod maximum in objectione pondus habet, hac via non expeditur; videlicet quomodo Deus serio nihilominus se gerere possit, in monitionibus, hortationibus, obtestationibus, querelis, supplicationibus, &c. quas facit, cum præsciat quid futurum sit? Recte quidem in responsione dicitur, Deum jure ita se gerere posse, etiamsi quid futurum sit præsciat, sed aliud est, Deum ita jure se gerere posse, aliud, Deum serio se ita gerere posse.

Quare existimo pressius respondendum esse, & quidem hunc in modum. Tantum abesse, ut præscientia divina obstet, quominus Deus non jure modo sed & serio ita agere posse dicatur, uti objectio habet; ut contra, idcirco, quia Deus præscientiam istam habet, non posse nec debere aliter agere dicendus sit. Ratio est manifesta. Quia præscientia divina non est tantum præscientia ejus, quod homo facturus vel non facturus est, sed & præscientia eorum omnium, quæ præcessura sunt, id est, quæ Deus ipse facturus est, quibus præsuppositis, vel præmissis, homo hoc vel illud facturus aut non facturus est. Ex vi itaque divinæ præscientiæ necessarium prorsus est, ut Deus serio moneat, hortetur, oret, supplicet, contristetur, &c. prius quam præsciat hominem pariturum aut non pariturum divinis istis actibus suis atque operibus. Obedientia enim & inobedientia, rebellio, contumacia, &c. non possunt locum habere, nisi istis præsuppositis aut præmissis. Ergo nec præscientia obedientiæ, inobedientiæ, rebellionis, contumaciæ, &c, nisi præscientia istorum præcedat aut præsupponatur.

Dices: At quæ ratio verisimilis dari potest, ut Deus credatur decretum fecisse de actibus talibus exercendis circa homines, posita tali præscientia? Resp. Quæstionem hanc esse alterius generis, & ad nos, nedum ad causam hanc non pertinere. Aliud enim est quærere rationem, quæ Deum moverit aut movere potuerit ad decretum tale faciendum; aliud vero quærere, an posito isto decreto, præscientia divina obstet, quominus Deus serio id quod decrevit, exsequi possit. Decreti rationem dare nostrum non est, nedum aliorum eam à nobis exigere. Ea pertinet ad sapientiam divinam, cujus reconditas rationes sæpenumero nec nos persequi debemus, nec adsequi possumus. Sufficere nobis debet, quod Deo decreti sui rationes constent: nostrum est eas adorare & admirari. At vero, decreto isto posito, quicquid ad divinæ Majestatis gloriam augendam facere potest, id lubenter admittendum concedendumque est. Id hîc usu venit. Præscientia enim futurorum omnium contingentium, ad divinæ Majestatis gloriam augendum exaggerandumque maxime facit. Nec ulla aut iniquitatis aut indecentiæ suspicio eam minuere potest; quia certum est, si ponatur Deum nescire futura contingentia, eum non aliter cum hominibus acturum esse, quam nunc agit, posita præscientia. Præscientia enim, uti diximus, est actus in Deo immanens, qui extra Deum non operatur. Hoc ut manifestius liqueat, contra eos qui præscientiam futurorum contingentium idcirco Deo tribuendam esse negant, quod ea nullo modo conciliari possit cum seria ista, quam objectio indicat, rerum humanarum cura ac providentia, sic procedo ex hypothesi eorum, & ex hypothesi admodum verisimili. Certum est Deo tribui passim in Scripturis, quod populos & homines multos serio invitet, hortetur, & urgeat ad resipiscentiam, quos tamen, utpote cordium inspector infallibilis, aut suapte propria culpa tantum, intus & in cute novit esse deploratissimos & desperatissimos; aut, uti authores isti volunt, divino insuper judicio ita induratos excæcatosque, ut resipiscere prorsus nequeant. In his, aut circa hos, si juxta eos locum habere possunt seriæ Dei hortationes, monitiones, obtestationes, querelæ, sine ulla justitiæ divinæ violatione, aut sapientiæ divinæ imminutione, cur in cæteris locum non habeat? Par enim utrobique futuri eventus certitudo & infallibilis præscientia, imo, ex hypothesi eorum contra quos disputamus, major hic quam illic certitudo, & certior hîc quam illic præscientia, ob præsentem jam cordis animique constitutionem, quam videt Deus, & ex qua quid secuturum sit, prævidet non minus certo, quam, uti Christus ait *Matth.* XII, quis certo prævidet, *Bonum hominem ex bono thesauro cordis bona prolaturum, & malum non nisi mala.* Si dicas, diversam esse rationem, quia posita tali cordis constitutione mala, fieri tamen potest, ut ea per divinas actiones istas in melius commutetur. Resp. 1. Id de induratis istis, quos autores isti sic vocant, dici nullo modo posse. 2. Quod attinet ad alios desperatæ improbitatis homines, etsi nondum induratos, ut ut ego negare absolute nolim, imo potius credam, eos in melius per divinas istas actiones commutari posse, tamen id usque adeo parum verosimile est, juxta S. Scripturæ stylum, ut pene impossibile videri debeat, & ex eorum hypothesi, contra quos agimus, prorsus impossibile sit; quando scilicet Deus ipse cordium inspector, de iis tanquam desperatæ improbitatis hominibus loquitur; uti videre est *Joan.* III. 19. 20. & V. 44. & VIII. 43. 44. 47. & X. 26. ubi Christus, qui quid in homine esset præsciebat, *Joan.* II. *vers. ult.* de Judæorum atque imprimis de Pharisæorum improbitate desperata loquitur. Addunt autem, quando Deus aut Jesus ita loquuntur, ne quis existimet, licere nobis, qui cordium inspectores non sumus, unquam de mortalibus ullis statuere, quod aut indurati aut desperatæ improbitatis sint, quodque idcirco aut vanæ aut inutiles sint futuræ omnes hortationes & commonefactiones, ut ad meliorem frugem redeant. Huc referri etiam possunt loca illa omnia, in quibus Deus dicitur tentare homines, & explorare animos ac corda eorum per præcepta quædam singularia, cum tamen corda eorum, ut ut profunda, penitissime perspecta habeat. Atque hæc de præscientia divina sufficiant.

## CAPUT XVIII.

### An creditu sit necessarium Deo præscientiam futurorum contingentium competere Et, si non, quænam igitur de divina scientia creditu ad salutem sint necessaria?

SUpereſt ut inquiramus duo. 1. an ad salutem æternam consequendum scitu crediuque necessarium sit, Deo præscientiam talem competere, adeo ut qui Deo eam competere, aut negat, aut affirmare non audet, salute æterna propterea excidat? 2. Si non, quænam itaque ista sint, quæ de divina Scientia scitu crediuque omnibus ac singulis necessaria sunt?

*Non est necessarium ad salutem credere Deum futura contingentia præscire.*

Quod ad primum attinet; In genere, nos id ad salutem scitu crediuque necessarium esse negamus. 1. quia nullum necessitatis indicium, aut vestigium ejus in Scriptura reperire est, sive indicium illud dicatur esse clarus textus, sive consequentia per se evidens. 2. quod absque ejus seu scientia, seu fide, Religio cultusque divini Numinis sartus tectus constare possit, & apud innumeras hominum myriadas sartus tectus constet. De primo non est necesse ut soliciti simus. Qui contra adfirmat, ei incumbit probatio. Quod ad secundum attinet, Religionem sartam tectam constare posse, ex eo liquet, quia Deus, ut cordium renumque nostrorum inspector & scrutator, nihilominus coli potest, id est, nihilominus præceptis ejus obediri, promissis ejus fiducia adhiberi, & comminationibus ejus reverentia præstari potest; sive, ut duobus verbis dicam, quia Deus ut legislator & ut judex à nobis honorari & metui nihilominus potest. Neque enim ratio colendi, honorandi, metuendi Deum, spemque ac fiduciam in Deo collocandi est, quod Deus præsciat multo ante, quid ego facturus sim, aut non facturus, sed hæc sola, quod, ubi lex mihi data est, certus sim, Deum scire, utrum ego faciam fecerimve, quod lex mihi præscribit, & eo modo ac fine quo præscribit, an non: & secundum istam scientiam dumtaxat me judicare velle, ac tandem aliquando judicaturum esse: non vero secundum præscientiam ejus, quod facturus aut non facturus eram, antequam in rerum natura essem. Præscientia enim non habet pro objecto factum aut non factum in præterito, qua tale, nedum facti aut non facti conscientiam, sed futurum tantum, qua futurum, aut non futurum. At futurum, qua futurum, aut non futurum tantum, in judicium non venit, sed factum, qua factum, aut non factum, & quidem cum facti aut non facti conscientia. Myriadas etiam hominum absque ista scientia & fide Religionem exercere, Deum sincerè colere ac revereri, quis dubitet? Certe quod ad scientiam hujus rei attinet, vix credo millesimum Christianum dari, qui eam aut habeat aut sibi tribuat? Inter ipsos eruditissimos Theologos lis adhuc sub judice est, an scientia ejus haberi possit? Quod ad fidem attinet, etsi ea in vulgo fere est, tamen ea non nisi opinio, aut potius implicita fides est, & adeo quidem diluta, ut eam vix, ac ne vix quidem, in se sentiant, nedum ut per eam adducantur ad colendum Deum. Quare addo secundo in specie; Tantum abesse, ut credam, scientiam aut fidem hanc, quod Deus futura omnia contingentia præsciat, ad salutem necessariam esse, ut contra credam, respectu eorum, qui præscientiam Dei causam rerum omnium faciunt, aut ex ea necessitatem rerum actionumque omnium consequi firmiter credunt, atque idcirco, præceptorum, promissionum, & comminationum divinarum usum ac vim omnem

nem tollunt, multo ſatius tutiuſque ſit, præſcientiam iſtam non credere quam credere: dummodo ſcientiam iſtam Deo tribuant, quæ ad Religionem rite exercendam ſatis eſt, & qua ſe moveri maximè ſentiunt ad Religionem exercendum, ſive ad Deum ex præſcripto ejus colendum, abſque ulla in divinam Majeſtatem, & quidem quod attinet ad hoc ipſum caput de divina Præſcientia, ſi quis eam Deo competere aſſerat, irreverentia. Hactenus de primo egimus.

*Duo de ſcientia Dei ad ſalutem ſunt creditu neceſſaria.*

Secundum eſt: Quænam iſta ſint, quæ de divina Scientia omnibus ac ſingulis ſcitu credituque ſunt neceſſaria? Reſp. Hæc duo. *Primum*: Tenemur ſcire ac credere, Deum ſcire ea omnia, quæ à divino aliquo decreto ſuo dependent, quæ videlicet Deus conſtituit, vel, per omnipotentiam ſuam ſive immediatè ſive mediatè efficere; vel per ſapientiam ſuam dirigere ut fiant: quatenus videlicet nihil in rerum natura eſt, quod vel omnipotentem Dei actionem, vel ſapientiſſimam ejus directionem impedire poteſt. Ratio eſt, quia hanc ſcientiæ perfectionem Deus ſibi tanto cum zelo adtribuit, & adtribui vult, ut per eam, & propter eam, ſe diſcernat diſcernique velit ab omnibus dæmonibus, gentiumque diis atque idolis, tanquam verum unicumque Deum, qui ſolus idcirco ſummo honore, cultu & obſequio dignus ſit. uti videre eſt ex *Eſa.* XLI. 23: *Annuntiate quæ ventura ſunt in poſterum, & cognoſcemus quod Dii eſtis.* Et hac quidem de re nullus mortalium, qui aliquo divinitatis ſenſu ducitur, dubitat.

*Secundum* eſt: Tenemur credere, Deum ſcire ea omnia, quæ in judicium aliquando adducenda ſunt, propter quæ, aut quorum ratione, præmio vel pœna adficiendi ſumus. Ea autem ſunt opera omnia noſtra, ſeu bona, ſeu mala, eaque vel præterita, vel præſentia. Præterita qualiacunque ea ſint Deum ſcire, atque in numerato ſemper & veluti memoriæ mandata fideliterque inſcripta ob oculos habere, tenemur credere, ut conſcientia benefactorum hilares ac læti, ſperare poſſimus promiſſum præmium hujus & futuræ vitæ; & contra, malefactorum conſcientia anxii ac trepidi, metuere poſſimus ſeveri judicis ultionem ac ſupplicium, tum in hac, tum in futura vita. Iſtud primum indicatur *Malach.* III. 16. ubi pii dicuntur ſe ſolari invicem hac oratione, quod *Deus videat atque obſervet facta eorum, & ea veluti libro memoriali inſcripta ob oculos ſemper habeat.* & paſſim alibi. Hoc poſterius, aut potius utrumque, legitur *Eccleſiaſtæ* XII. *verſ.* 13. 14: *Finis verbi eſt auditum: Deum time & mandata ejus cuſtodi, quia hoc eſt omnis homo. Quia omne opus Deus adducet in judicium, quod erit ſuper omni occulto, ſive bonum ſit, ſive malum* quibus locis infinita alia Veteris & Novi Teſtamenti conſentiunt. Præſentia Deum ſcire ac videre, tenemur credere, eaque non manifeſta tantum, & quæ in oculos hominum etiam occurrunt, quæque proinde homines etiam ſcire poſſunt; ſed occultiſſima etiam, & quæ vel in abdito ſecreti licentiam nacti, vel ſoli apud ſe, ſeu ſecum apud animum ſuum cogitando patrant homines, id eſt, deliberationes, conſilia, deſideria, ſuſpiria, vota, cogitata omnia, dicta ac facta, eorumque omnium circumſtantias, quo modo, quo fine, qua occaſione, quoties, quibus ex cauſis ſingula fiant. Breviter, Deum ſcire ac perſpicere cor noſtrum totum, omniaque quæ ex corde noſtro proveniunt, quomodocunque ea homo tegere, incruſtare, & palliare adnitatur: quæ omnia Deo nota eſſe ſupra demonſtravimus, & ſcitu creditque neceſſarium eſſe, ea Deo nota eſſe, per ſe ſatis liquet. Hæc vero etiam ſufficere ad hoc, ut quis verus Dei cultor eſſe poſſit, & digne ſatis de divina ſcientia, quantum ad Religionem exercendam ſatis eſt, ſentiat, ego quidem nullus dubito, vel hoc unico argumento motus, quod ſi ea Deo adtribuatur, tum 1. jus Deo ſuum conſtet poſtulandi & præſcribendi religionem, quæ ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus viribus noſtris fiat. 2. quod tum religionis talis exercendæ neceſſitas nobis incumbat quando eam Deus poſtulat. 3. quod nos eam exercentes, conſcientia rei bene geſtæ ſecuri, Deo fidere, ad Deum in neceſſitatibus confugere, fiduciam exauditionis concipere, & promiſſum præmium certo exſpectare poſſimus. Contra vero, eam non fideliter aut non conſtanter exercentes, cauſam habeamus juſtiſſimam deſperandi de divina gratia, & cum acri aſſiduoque conſcientiæ malæ morſu, metuendi Dei judicis ac vindicis extremam iram atque ultionem. Verbo dicam; Quia ſcientiæ hujus divinæ certiſſima perſuaſio ſufficit contra ſecuritatem & deſperationem: quæ duæ ſunt peſtes omnis Religionis. Indicium hujus rei certiſſimum eſt, quod Deus ſecundum iſtam ſcientiam univerſum mundum judicaturus ſit: uti paſſim videre eſt, *Joan.* V. 28. 29. & 2 *Cor.* V. 10. *Rom.* II. 16. & 6. 7. 8. 9. 10. *Apocal.* XX. 12. 13. 14. 15. &c.

## CAPUT XIX.

### De ordine & modo ſcientiæ divinæ.

HActenus egimus de objecto divinæ ſcientiæ. Sequitur ut videamus de ordine, quo ſciuntur iſta quæ divinæ ſcientiæ objecta ſunt.

*Triplex Dei ſcientia.*

Ordo hic ut recte intelligatur, obſervandum venit, triplicem Deo ſcientiam tribui ſolere. Unam, quæ *neceſſaria* eſt, & *practica* atque *ſimplicis intelligentiæ* dicitur, quæ ex natura ſua omni voluntatis liberæ actu prior eſt, qua Deus ſe ipſum & alia omnia poſſibilia intelligit. Alteram *liberam*, quæ *viſionis* dicitur, & actu voluntatis liberæ poſterior eſt, qua Deus omnia, quæ facere aut permittere decrevit, eodem ordine novit, quo ea decrevit facere aut permittere ut fiant. Tertiam, *Mediam*, qua Deus novit quid homines aut Angeli pro ſua libertate facturi eſſent, ſub conditione, ſi cum his aut illis circumſtantiis, in hoc vel in illo ſtatu aut ordine conſtituerentur. An hæc divinæ ſcientiæ diſtinctio recte fiat, nos non expendimus. Quin ea commode & doctrinæ gratia fieri poſſit, neutiquam dubitamus. Quare ſecundum hanc diſtinctionem, hunc in objectis divinæ ſcientiæ ordinem conſtituimus.

*Ordo ſcientiæ neceſſariæ.*

Quod ad primam ſcientiam attinet: Objecta divinæ ſcientiæ quæ neceſſaria eſt, & practica ſive ſimplicis intelligentiæ dicitur, aut habent naturalem & neceſſariam connexionem inter ſe, ita ut unum ab altero dependeat; aut non habent. Prioris generis objecta hoc ordine cognoſcit Deus, ut prius cognoſcat iſtud à quo alterum naturaliter dependet: poſterius iſtud cognoſcat, quod ſic ab altero dependet. Sic ſubjectum prius cognoſcit Deus quam accidens, aut proprietatem quæ ineſt ſubjecto; prius rem quam actum qui circa rem verſatur; prius cauſſam quam effectum; prius legem latam, quam obedientiam aut inobedientiam; prius culpam, quam pœnam, &c. Ratio eſt. Scientia, quæ non eſt accommodata naturis rerum quæ per eam ſciuntur, non eſt vera ſcientia. Poſterioris generis objecta, nullum ordinem habent, quia quorum alterum ab altero non dependet, eorum unum non cenſetur prius cognitum quam alterum. Talia objecta ſunt, lupus, ovis, leo, equus. Nec enim prius cognoſcit Deus lupum quam ovem, leonem quam equum, &c.

*Libera.*

Quod ad ſecundam ſcientiam attinet: Objecta ſcientiæ divinæ, quæ libera & ſcientia viſionis dicitur, iſto eodem ordine cognoſcuntur à Deo, quo ſunt à Deo per liberrimum Dei decretum volitæ. Ex quo conſequitur, ordinem hunc non ſumi debere ex naturali connexione & dependentia rerum inter ſe, prout ordinem priorem ex ea ſumendum eſſe diximus, ſed ex ordine cauſſalitatis, quem res inter ſe habent ex arbitrio & diſpoſitione divina: de quo ordine dicemus cum de voluntate divina agemus. Certum enim eſt, Deum poſſe velle, ut duæ res, quæ inter ſe non habent connexionem & dependentiam naturalem, habeant tamen ordinem cauſſalitatis inter ſe. Verbi gratia, ut fides in Jeſum Chriſtum crucifixum ſit medium ad conſequendum ſalutem æternam, & ſalus æterna ſit fidei præmium: cum tamen ex natura rei non ſit connexio inter fidem & ſalutem æternam.

*Media.*

Quod ad tertiam ſcientiam attinet: Idem ordo in objectis quæ per hanc ſcientiam cognoſcuntur, locum habet, qui in præcedentibus: quia ſcientia media partim ſequitur ordinem rerum cognitarum per ſcientiam naturalem, partim ordinem rerum cognitarum per ſcientiam liberam. Media enim ſcientia idcirco dicitur, quia participat aliquid ab utraque.

*Modus ſcientiæ divinæ.*

Reſtat ut de modo agamus quo Deus omnia novit. Modus intelligendi & cognoſcendi, Deo tribuendus eſt talis, qui perfectiſſimus, ſimpliciſſimus, & facillimus eſt. Qualis eſt, qui nec imperfectionem diſcurſus à noto ad ignotum, nec laborem inquiſitionis, nec moram aut remoram abſtractionis, nec ambages recordationis, nec difficultatem applicationis in ſe habet; ſed quo res ipſæ non tantum ſecundum eſſe quod in cauſſa prima eminenter habent, ſed ſecundum ſpeciale ſuum eſſe quod in ſe ipſis habuerunt, habent, habituræve ſunt, clarè ac perſpicuè videntur & comprehenduntur.

Neque tamen facile aut temere, citra manifeſtam Scripturæ autoritatem, quis hic modus ſit definire audemus; ne forte quid aut non ſatis decens, aut non ſatis glorioſum divini Numinis Majeſtati tribuamus: quippe cui competere diximus ſcientiam, non tantum rerum optimarum, ſed & vilitſimarum; non tantum virtutum, ſed & vitiorum; non tantum poſſibilium, ſed & impoſſibilium; non tantum factorum,

ctorum, vel eorum quæ fiunt aut juxta aut contra legem, sive ea sint arcanissima cordium hominum cogitata, sive secretissima dicta, sive occultissima opera, sub quibus etiam quæ omittuntur comprehendimus; sed & futurorum contingentium, non tantum eorum, quæ futura contingentia dicuntur absolute, sed & eorum quæ ex hypothesi futura essent, etsi futura non sunt. Horum enim tam est tenuis & debilis entitas, ut quod cognoscibilia sint vix humana mens adsequi posset, nisi prædictionum divinarum infallibili certitudine, quasi à posteriori, ad id credendum moveretur, nedum ut quomodo ea omnia ac singula cognoscantur, adsequi aut statuere possit. Apex enim & fastigium divinæ scientiæ est, scire contingentia. Quocunque tamen modo Deus dicatur cognoscere, certum est, scientiam Dei nec esse, nec esse posse rerum ipsarum causam; quia scientia, quà talis, id est, quatenus non habet sibi annexum liberum divinæ voluntatis decretum, circa res ipsas tanquam circa objecta sua versatur, quæ actibus, qui circa ea occupantur, priora esse necesse est.

## CAPUT XX.

### De voluntate Dei, tum pro facultate, tum pro actu volendi accepta.

*Quid sit voluntas divina.*

VOluntatem diximus esse alteram divinæ vitæ facultatem, sive actum potius secundum, quo vita divina se agitat sive promovet ad habendum aut ad faciendum; quamquam hic actus non tam voluntas, quam volitio est. Scaliger vocat voluntatem intellectum extensum. Non incommode. Voluntas enim non est facultas quædam distincta, nedum diversa ab intellectu, uti neque intellectus facultas aut potentia quædam est diversa à vita divina, ne quidem, meo judicio, in Angelo aut homine, sed extrinseca tantum denominatio cum fundamento in re, qua vita divina, aut anima humana relata ad objectum scibile, istud dicitur posse intelligere, relata vero ad objectum volibile, istud dicitur posse velle. Vita enim divina, & anima humana, immediatum sunt tum intellectionis tum volitionis principium: quod vel ex hoc uno argumento mihi videtur liquere; quia, si voluntas est potentia distincta aut diversa ab intellectu, tum necesse est ut voluntas & volitio omnis cæca sit, & stulta sive irrationalis, prout suo tempore demonstrabimus fusius.

*Ea tribus modis considerantur.*

Quare de divina voluntate acturi, quatenus ejus intelligentia usui nobis esse potest ad Religionem sive cultum divinum, doctrinæ potius quam speculationis Metaphysicæ gratia eam considerabimus, & quidem tribus modis, quibus voluntatis notio accipi potest & fere solet. 1. quatenus voluntas significat facultatem volendi, sivè δύναμιν θελητικὴν. 2. quatenus significat volitionem sive volendi actum, aut θέλησιν. 3. quatenus significat objectum θελητὸν, sive rem volitam, quæ lege aut sententia aliqua divina, qua quid ipse facere, & quid à nobis fieri velit, continetur. De hoc tamen non nisi generatim agemus, quia specialis ratio hujus voluntatis, quatenus ea peculiaria præcepta, promissa, &c. continet, considerandi veniet post opera divina, uti ante diximus. Primo modo nusquam, quod scio, voluntatis vox Deo tribuitur in Scripturis. Secundo modo ei tribuitur admodum raro; *Apocal.* IV. 11. *Dignus es Domine, qui accipias gloriam & honorem & virtutem, quia tu creasti omnia, & per voluntatem* (vel, propter voluntatem) *tuam sunt & creata sunt.* Tertio modo frequentissime & passim Deo tribuitur. *Joan.* VI. 41. 42. 43: *Quia descendi è cælo, ut exequar non voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me,* &c. *Rom.* II. 18: *Tu nosti voluntatem ejus,* &c. & *Rom.* XII. 2: *ut probetis quæ sit voluntas Dei, bona illa, accepta ac perfecta.* 1 *Thess.* IV. 3: *Nam hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestri,* &c. & passim alibi.

*Voluntas divina, quatenus facultatem volendi significat, dupliciter considerandа est.*

Voluntas Dei primo modo accepta dupliciter considerandа venit: 1. quatenus natura seu facultas naturalis est, appetitu prædita, non vegetativo, qualis est in plantis aliisque rebus physicis vita præditis; non sensitivo aut animali, qualis in bestiis est; sed rationali, qualis in Angelis & hominibus est. 2. quatenus est principium electionis; quo sensu consilium voluntati Dei tribuitur, *ad Ephes.* I. 11: quando *omnia efficere* dicitur *secundum consilium voluntatis suæ.* Secundum primam acceptionem, voluntas Dei appetendo fertur in objectum suum necessario; Secundum alteram acceptionem liberè, & libertate quidem propriissime dicta, quæ immunitas est ab omni, tum interna necessitate, tum externa violentia, tam quoad specificationem, quam quoad exercitium actus, ut loquuntur.

*Objectum ejus est bonum.*

Objectum facultatis hujus utroque modo acceptæ adæquatum, est *bonum cognitum*, & *reipsa tale*. *Cognitum* dico; quia ignoti nulla est cupido. *Reipsa tale*, ut distinguatur à voluntate creata, cujus objectum aliquando est bonum apparens, quod reipsa sæpe malum est, etsi sub ratione mali à voluntate non expetatur, nec eligatur, imo nec expeti nec eligi sic possit.

Bonum hoc est tum Deus ipse, tum omne illud quod Deo & divinæ naturæ consentaneum est, quia in utroque nulla ratio mali proprie dicti locum habere potest. Istud tamen, quia primum ac summum bonum est, Deus primo, per se, & propter se vult. Hoc, quia aut quatenus primo ac summo est conveniens, Deus secundario & propter primum vult: uti enim *Deus omnia operatur propter semetipsum, Proverb.* XVI. 4. ita omnia etiam vult propter seipsum.

*Non malum culpa.*

*Malum* itaque proprie dictum, quod *malum culpæ* sive peccatum vocatur, sub objecto facultatis hujus divinæ ut comprehendatur, impossibile est. Hinc Scriptura S. testatur, *Deum non velle iniquitatem*, sive ἀνομίαν: *Psal.* V. 5. Sic enim reddiderunt vocem Hebræam isto in loco LXX interpretes. Dices: Isto in loco non est verbum *volendi*, sed *delectandi*, חפץ. Fateor. sed præterquam quod omnes veteres, & ipsi LXX interpretes eam ipsam vocem reddiderunt per verbum θέλειν; ista loquendi ratio, Deus non delectatur iniquitate, non continet μείωσιν, sed ἄνεσιν potius divini contra iniquitatem odii; eodem sensu, quo in familiari sermone dicere nos solemus, nos non delectari hac aut ista re, hoc aut isto homine, quando eam aut eum vehementissime odimus, aversamur & fugimus, nihilque nobis cum ea aut eo commune esse volumus: & quo sensu Deus dicit se non delectari holocaustis arietum, adipe pinguium, & sanguine juvencorum, agnorum & hircorum, quem ipsi offerebant profani Judæi: *Esa.* I. 11. Negatio ista delectationis (ibi enim idem verbum חפץ est, לא חפצתי) vehementissimam voluntatem, sive displicentiam aut aversationem ibi notat, prout apparet ex *vers.* 13. *seq.* ubi Deus dicit, *Ne addatis adferre munus mendacii, suffimentum mihi abominatio est.* & quo eodem sensu Deus dicit *Ezec.* XVIII & XXXIII, se *non delectari morte morientis*, pro eo quod est, se ab ea qua tali toto animo abhorrere. Hoc eodem sensu orationes istæ negativæ crebro occurrunt, *Non videre mortem, non mori*, pro certo victurum esse, & summa fælicitate aliquem fruiturum. Atqui inquies, Aliud est, non velle, aliud non delectari. Fateor, inquam, si grammaticam sequamur; at non, si sequamur stylum Scripturæ, & communem loquendi morem. Dices: stylus Scripturæ ex re ipsa sumendus est potius, quam aliunde. Esto, inquam, concedamus hoc. Dices: Atqui secundum rem ipsam non statim is qui non delectatur re aliqua, dici potest eam non velle: ex. g. Æger non delectatur potione aliqua amara, quam ei præscribit Medicus, potionem tamen istam vult. Resp. Ita est. Sed hoc simile hic nullo modo quadrat. Nam potionem istam non vult æger, nisi quia sanitatem suam vult, ad quam recuperandam potionem illam credit esse idoneum remedium. Dices: At sic Deus etiam peccatum vult, quia gloriam justitiæ suæ vindicatricis vult, ad quam consequendam peccatum idoneum medium est. Resp. Esto. At si æger potionem illam credat necessarium unicumque esse medium ad recuperandum sanitatem, non minus volet istam potionem, quam sanitatem suam. Esto, inquies. Attamen ea non delectabitur. Imo vero, inquam, si sanitatem suam summe amat, ea delectabitur ut medio necessario ad sanitatem, qua maxime ac summe delectatur. Abhorrebit tamen ab ea, ut à potione amara, sed non ut à medio ad sanitatem necessario. Ergo, inquam, à pari consequetur, peccatum esse necessarium medium ad illustrandum gloriam divinam, & Deum non minus peccato indigere ad consequendum gloriæ istius suæ illustrationem, quam æger potione amara indiget ad consequendum sanitatem. Ita est, inquies. Ergo, inquam, non minus necesse est respectu Dei ut fiat peccatum, quam necesse est respectu ægri ut amara potio bibatur. Certe, inquies. At, inquam, peccatum, qua necessario fit, non potest esse medium ad illustrandum gloriam divinam. Qui sic, inquies? Gloria divina est gloria justitiæ, inquam. Cujus obsecro justitiæ? Distributivæ, inquies, istius, qua vindicat & punit peccatum sive peccatorem. At, inquam, vindicta sive pœna locum habere non potest, ubi culpa non est. Rectè, inquies. At culpa esse non potest, inquam ego, ubi necessitas est, & ubi id, quod culpa esse dicitur, volitum esse creditur ab eo, qui punire vult, tanquam medium necessarium ad pœnam infligendam. At, inquies, Culpa ista volita est, non qua culpa est, sed qua medium est ad finem destinatum consequendum. At, inquam ego, finis iste est pœna sive punitio. Sane, inquies. At culpa, inquam ego, qua culpa, medium est ad pœnam jure infligendam requisitum, & necessarium. Culpa enim & pœna sunt relata sive ὑπεξαίρουσα. In hoc absurdo standum est: quod sane absurdum palpabile est, & adeo repugnans Scripturis (ut jam de ra-

*Quod probatur ex Psal. V. vers. 5.*

ratione recta nihil dicam) ut eæ non modo non adſerant, Deum peccato aut peccatore indigere ad illuſtrandum gloriam ſuæ juſtitiæ, (quid enim abſurdius, quam illuſtrari gloriam juſtitiæ per id, vel actus iſtos qui juſtitiæ directe contrarii ſunt?) ſed contra adſerant, Deum ne quidem indigere punitione peccati aut peccatoris, ſed optare, cupere ac deſiderare, ut peccator convertatur, ne punire eum opus habeat; uti loca illa *Ezech.* XVIII & XXXIII manifeſte docent. Hic ergo primus locus ex *Pſal.* V. 5. deſumtus recte allegatus videri debet ad probandum, objectum voluntatis divinæ non eſſe peccatum. Cui adde, quod in eodem Pſalmo dicatur, Deum odiſſe מְעַוְלֵי, id eſt uti LXX verterunt τὸν κατεργαζόμενον, quin & *abominari virum ſanguinis & doli*; quod pulchre effertur *Sapient.* XIV. 9: *Nam peræque invifi Deo ſunt, impius ejuſque impietas.* Propheta Habacuc addit, *Deum mundum eſſe oculis, ut non cernat malum, & adſpicere pravitatem non poſſit*: *cap.* I. 13. Zacharias *cap.* VIII. 17. dicit, *Deum peccata omnia odiſſe.* Et Jacobus Apoſtolus rem totam exhauriens, dicit, *cap.* I. 13. ὁ θεὸς ἀπείραστός ἐστι κακῶν, πειράζει δὲ οὐδένα: *Deus tentari malis non poteſt, nec ipſe quenquam tentat.*

*Et aliis Scripturæ locis.*

*Ex permiſſione peccati non ſequitur Deum id velle.*

Atqui, inquies, Deus poteſt velle permittere peccatum, & permittit actu; ergo etiam poteſt velle peccatum, & vult peccatum. Reſp. Nego conſequentiam, quia qui poteſt permittere peccatum, is poteſt quidem velle peccati permiſſionem, ſed is non idcirco vult aut velle poteſt peccatum. Deinde, Qui poteſt velle permittere peccatum, ita ut permiſſione ſua peccatum non tantum liberum, ſed & licitum faciat homini, is poteſt velle peccatum. Sed tum antecedens ſive Minor propoſitio falſa eſt. Deus enim non permittit poteſtati hominis peccatum, ſic ut licite iſtud facere poſſit; ſed permittit tantum potentiæ ejus, ut poſſit libere facere peccatum, ſi velit, damno ſcilicet ſuo. Quod inde patet, quia cum permiſſione hac conſiſtit ſeria Dei prohibitio ſancita comminatione pœnæ, quæ cum illa conſiſtere nullo modo poteſt. Denique, Permiſſio dupliciter accipi poteſt, etiam ea, qua potentiæ alicujus aliquid permittitur. Primum, ut permiſſio ſignificet eam divinæ voluntatis remiſſionem ſeu relaxationem, qua poſita, hominem in peccatum incidere omnino neceſſe eſt; ita ut homo, ea poſita, non tantum poſſit peccare, ſed & non poſſit non peccare; quam permiſſionem efficacem appellant Calviniſtæ. Secundo, ut permiſſio ſignificet ejuſmodi voluntatis remiſſionem, qua poſita, fieri poteſt, ut homo libere peccet aut non peccet. Si prima permiſſio intelligatur in argumento, tum conceditur Major, ſed negatur Minor. Si ſecunda intelligatur, tum negatur Majoris conſequentia. Certum enim eſt, non conſequi, ſi Deus vult permittere peccatum ea permiſſione, qua poſita, fieri nihilominus poteſt ut homo liberè vel peccet vel non peccet, ergo Deus vult peccatum. Ex altera parte certum eſt, recte colligi, Si Deus vult permittere peccatum, ea permiſſione, qua poſita hominem peccare neceſſe eſt; Ergo Deum velle poſſe & actu velle peccatum. Quia qui velle poteſt actuque vult antecedens, ex quo conſequens neceſſario ſequitur, is in virtute antecedentis conſequens etiam vult. Quare hujuſmodi voluntas permittendi malum Deo tribuenda non eſt.

*Deum ne quidem per accidens vult peccatum.*

Hoc tanta religione credendum eſt, ut Deum mala aut peccata illa ne quidem per accidens velle poſſe affirmandum mihi videatur. Etſi enim malum aliquod per accidens, propter ſapientiſſimam Dei directionem, boni alicujus occaſio fieri poſſit, tamen propterea Sanctiſſimum Deum velle aut procurare poſſe, ut malum fiat, dicendum non eſt. ut circumſpectè admodum & cautè accipiendum ſit id quod à Theologis dici ſolet, Deum aliquando peccata peccatis velle punire. Id enim ſimpliciter acceptum, falſum eſt: uti ſuo loco pluribus demonſtrabimus.

*Quod mala non vult, de malo propriè dicto intelligendum eſt.*

Mala autem cum dicimus, ea tantum intelligi volumus, quæ proprie mala ſunt, ſive mala culpæ, quæ diximus, id eſt, quæ aut rectæ rationi & æquitati naturali, tum divinæ tum humanæ, aut normæ & regulæ à Deo poſitæ diſſentanea aut contraria ſunt, quæ moralia mala appellantur. Intellige ſemper per normam & regulam à Deo poſitam, normam quatenus & quamdiu eam Deus pro norma habere vult, ſecundum quam hominem ejus tranſgreſſorem judicare ac punire vult. Fieri enim poteſt, ut Deus aliquando aliquid fieri velit jubeatque fieri, quod normæ ac regulæ iſti, qua tali, contrarium eſt. ex. gr. ut jubeat Abrahamo, occidere filium; Iſraelitis mutuari vaſa Ægyptiorum, ſine animo ea reſtituendi, &c. ſed tum norma iſta, norma eſſe deſinit, ſecundum quam Deus judicare ſeu punire vult. Et licet actiones iſtæ, quæ ſecundum normam iſtam fiunt, omnes rectæ ſunt ac bonæ; tamen nonnullæ earum tales ſunt, ut intrinſecam in ſe bonitatem talem non habeant, ita ut fieri non poſſit, quin is, qui contrarias mandat, ſi ſupremus Dominus ſit & legiſlator, ſive normæ autor, propterea intrinſecam malitiam mandare cenſendus ſit. Nihil minus, uti ſupra non ſemel diximus. Normæ iſtæ non ſunt normæ ipſum legiſlatorem obligantes, ut eas abrogare nunquam poſſit; ſed normæ tantum, quæ eos obligant quibus eæ latæ ſunt ac datæ, quamdiu durare eas legiſlator vult: & quæ quamdiu eas durare legiſlator vult, ipſum etiam legiſlatorem hactenus obligant, ut velle aut jubere non poſſit quidquam contra eas fieri, ab iis, quos ſub pœnæ comminatione ad eas præſtandas obligatos manere vult.

*Mala phyſica Deus velle poteſt, & reipſa etiam vult.*

Quod ad phyſica mala attinet, quæ alicui tantum mala, id eſt, noxia ſunt, ea proprie dicta mala non ſunt. Ea itaque velle etiam poſſe Deum dubitandum non eſt, ſic ut vel ipſe ea immittat, vel ab aliis inferri ſinat; Tum piis ac fidelibus ſuis ſervis, ut vel frænorum inſtar ſint quibus à peccando cohibeantur; vel calcarium inſtar quibus ad virtutem tolerantiæ, contemtum rerum mundanarum, & ardorem precum exſtimulentur; vel fornacium inſtar quibus probent & explorent ſe ipſos, quo animo, qua fiducia, virtutem colant atque exerceant, Deoque obediant; vel cotium inſtar, quibus acuant ſegnes, torpentes, ſtupidoſque, aut jam fractos debilitatoſque animo, ad ſui imitationem: Tum impiis, aut tepidis, ut vel iſtis corrigantur, vel ſi corrigi nolint, puniantur. Hæ pœnæ, quia noxiæ tantum ſunt ei qui eas peccando commeruit, non mala ſimpliciter, ſed *mala pœnæ* appellari ſolent à Theologis: in Scriptura vero etiam mala ſimpliciter, & quæ Deus ipſe vult, quæque facere dicitur, adeoque creare. *Eſa.* XLV. 7: *Ego Deus formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem & creans malum. Ego Jehova faciens omnia hæc. Thren.* III. 38: *An ex ore Altiſſimi non egrediuntur bona & mala? Amos* III. 6: *An erit malum in civitate, & Jehova non fecerit iſtud?*

Etſi vero Deus aliquando in Scripturis dicatur pœnas has infligere ægro atque illubente animo, quando videlicet dicitur *non ex corde affligere* aut dolore afficere *filios hominum*, *Thren.* III. 33. imo *alienum* quaſi *opus facere* & non ſuum: *Eſa.* XXVIII. 21. quia videlicet tenerrime creaturas ſuas amat, quamdiu aliquid ſpei adhuc ſupereſt ut ad frugem redeant; tamen alibi etiam in eadem Scriptura punitione ſive malorum pœnæ illatione lætari, delectari, & voluptate affici, ridere ſeque conſolari dicitur. *Deut.* XXVIII. 63: *Sicut ante lætatus eſt Dominus ſuper vos, bene vobis faciens voſque multiplicans, ſic lætabitur diſperdens vos atque ſubvertens. Prov.* I. 26: *Etiam ego in contritione veſtri ridebo*; *ſubſannabo quum venerit timor veſter. Eſa.* I. 24. *Ezech.* V, 13. quando videlicet malitia & contumacia hominum ad faſtigium progreſſa, Deum ultorem flagitat at requirit. Tum enim æquitas poſtulat, ut Deus magis delectetur juſtitiæ ſuæ exercitio, quam amore ſuæ creaturæ; quia Deus magis amat juſtitiam, quam creaturam; & magis odit peccatum, quam peccatorem diligit.

*Omnia præter peccatum poſſunt eſſe divinæ voluntatis objectu.*

Quia vero præter peccata aliud nihil eſt, aut eſſe uſpiam poteſt, quod propriè malum ſit; hinc efficitur, ut cætera omnia, quia bona ſunt, ſub objecto divinæ voluntatis contineantur; ſive ſit divina eſſentia cum omnibus proprietatibus ſuis; ſive ſint alia omnia extra Deum, quæ umbram, imaginem aut radium aliquem divinæ bonitatis ab illa hauſerunt & acceperunt.

*Summum bonum vult neceſſariò, cætera liberè.*

Diſcrimen tamen in eo eſt, ut diximus, quod voluntas Dei ratione objecti hujus in genere, quatenus videlicet bonum eſt, ſive illud ſit ſummum, ſive non ſummum, neceſſario ſe habeat, & naturali neceſſitate ad id volendum feratur. Deus enim non poteſt non amare id, quod bonum eſt, quà tale: ſed quia ſummum bonum non poteſt non eſſe bonum, & ſemper unum ac ſummum bonum eſt, hinc voluntas Dei circa iſtud nullo libertatis actu vel uſu occupari unquam poteſt. At vero ea quæ ſumma non ſunt bona, qualia omnia ſunt quæ extra Deum ſunt, quia ea ſcilicet totum ſuum eſſe, ac proinde bonum omne ſuum habere debent ab ipſo Deo, ſive ſummo bono, circa ea voluntas Dei libera eſt, ita ut non tantum libere ad hoc vel illud, ad ſic vel aliter volendum, quæ dicitur libertas ſpecificationis ſeu contrarietatis, ferri poſſit; ſed etiam ab omni & quolibet eorum volendo, abſtinere potuerit, quæ eſt libertas exercitii & contradictionis. Nihil enim extra Deum eſt, quodcunque tandem illud ſit, quod neceſſariam cum Deo connexionem habet: quia nihil eſt, quod vel eſſentiam Dei conſtituit, aut conſervat, vel beatitudinem ejus, ſi abſit, diminuit, vel ſi adſit, auget.

*Quid per libertatem divinæ voluntatis intelligatur.*

Libertas hæc, quia voluntatis proprietas eſt, perfectiſſima etiam in Deo ut ſtatuatur, neceſſe eſt, ita ut ea non ſit ſola ſpontaneitas, ſecundum quam Deus libere dicatur velle quando id vult, quod ſibi lubet aut libet: (Spontaneitas enim hæc ſumma eſſe poteſt neceſſitas. Summum enim bonum etiam ſponte amatur, & tamen ſummè neceſſario amatur:) Nec ſola immunitas ab omni coactione. (Voluntas

enim ut cogatur, prorsus impossibile est. Fieri enim non potest, ut voluntas nolit quod vult, aut velit quod non vult:) Nec potestas eligendi aut sequendi id omne quod ratio consultatione facta conducibilius judicat, sive potestas, quam præcedit judicii indifferentia. Sic enim libertas voluntatis non esset nisi extrinseca quædam denominatio, quæ voluntati ab ista judicii indifferentia tribueretur; proinde non proprietas voluntatis, sed intellectus, in quo ista judicii indifferentia est; quod absurdum esse quis non videt? Sic enim intellectus non radicaliter tantum, sed & formaliter, liber esset; quia voluntas id quod intellectus, indifferentiam istam judicii in se habens, per præcedentem deliberationem & consultationem optimum esse judicat, necessario sequitur. Quid ergo? Necesse est ut libertas hæc dicatur esse ejusmodi voluntatis perfectio, qua fit, ut voluntas positis omnibus ad agendum requisitis, & posito quolibet judicio in intellectu, nihilominus tamen aliter possit agere, & aut hoc aut illud agere. Et hæc libertas Deo tribuitur, quando dicitur secundum δύναμιν, aut secundum τὸν βουλὴν τοῦ θελήματος αὐτοῦ agere. Sed de voluntatis libertate sive arbitrio libero, infra agemus fusius.

*Voluntas Dei, quatenus pro volendi actu accipitur, quid sit, & quomodo sit libera.*

Voluntas secundo modo accepta, prout principium electionis est, actum volendi sive volitionem significat; quæ revera aliud nihil est, quam facultatis liberæ usus, sive extensio ad habendum, faciendum, vel permittendum. De hac id semel bene retinendum est, quod volitio hæc, sive usus hic potentiæ liberæ, non sit actus, quo libera voluntas determinatur ad unum, sed ipsissima libertas actualis, sive exercitium potentiæ liberæ, ut libera est; ut recte inter Scholasticos observavit P. Hurtado de Mendoza. Quando itaque potentia libera seipsam determinare dicitur ad unum, per exercitium sive usum libertatis suæ; tum sensus non est, Potentiam liberam seipsam determinare per usum istum, tanquam per aliquid habens rationem actus primi, quo fiat, ut ipsa voluntas non maneat in actu primo indifferens. Nihil minus. Sic enim usus aut actio ista voluntatis libera non esset. Sed sensus est, Potentiam liberam se determinare per actum suum secundum, qui est ipsissima libertas actualis, sive exercitium potentiæ liberæ, ut libera est. Virtus itaque activa completa voluntatis, manet virtus activa completa, in actu primo indifferens, etiam tum cum agit; quia nihil in ea est, quatenus virtus activa est, quod petat, ut loquuntur, operationem magis quam ejus carentiam, aut quod necessario cum actione ista nectatur.

*Volitiones Dei liberæ differunt ab essentia divina.*

Cæterum quod ad liberas voliriones Dei attinet, certum est, uti supra diximus, eas non posse esse idem, quod ipsa essentia divina est, eo ipso, quod eæ 1. liberæ sint, ac proinde possint non esse, sive abesse ab essentia divina. 2. quod eæ plures esse possint numero. & 3. plane sibi invicem contrariæ; cum essentia divina non possit non esse, & una numero tantum sit, & proinde sibi ipsi contraria esse non possit.

*Exceptio Scholasticorum expenditur.*

Contra fere sentiunt omnes Scholastici, sed absque ulla ratione solida. Fundamentum, quo nituntur responsiones eorum, ad argumenta præcedentia, est. Quod actio divina, sive volitio Dei libera duobus modis consideranda sit: 1. quoad esse reale suum. 2. quoad terminationem ad objecta creanda vel creata. Primo modo volitionem liberam dicunt esse ipsam divinam essentiam, sed per modum actus vitalis significatam, ac proinde necessariam. Secundo modo dicunt eam liberam esse. At vero quis non videt distinctionem hanc non esse nisi frivolam fictionem? Nam 1 per eam petitur τὸ ἐν ἀρχῇ. Quærere enim, an volitio libera, qua talis, sit ipsa essentia divina, idem plane est, quod quærere, an volitio libera, quoad esse suum reale, sit ipsa essentia divina. Nihil enim liberum esse potest, nisi quoad esse suum reale. 2. Quod ad terminationem attinet, ea non est effectus resultans ex essentia ipsa & relatione ad objecta, nisi media determinatione voluntatis. Non enim ideo libere se determinat voluntas ad objecta creata, quia ad ea terminatur, sed ideo ad ea terminatur, quia ad ea voluntas se libere determinat. Volitio enim proprie non est terminatio, sed determinatio, quæ cum terminatione conjuncta est: & rigide loquendo, terminatio necessaria est, determinatio vero libera; quin imo rigidissimè loquendo, terminatio ipsa nihil est, aut non nisi merus respectus rationis, quatenus videlicet actio sive volitio, quæ determinatio voluntatis dicitur, à voluntate libera profecta, desinit in objecto hoc aut illo; desinere enim est terminari. Desitio autem non potest esse reale quid, nec respectus realis; quia alioquin reale aliquid liberum esset, & idem illud, quod necessarium esset, qua tale, liberum esset; quod absurdum esse volunt ipsi contrariæ sententiæ propugnatores.

*Et objectiones diluuntur.*

Dices 1. Si volitio Dei quoad esse reale suum distincta est ab essentia divina, ergo compositio datur in Deo. Ad hoc respondimus supra, per negationem consequentiæ. Tantum sequitur, Ergo aliquid est in Deo, quod junctum divinæ essentiæ fundare potest prædicationem, qua de Deo simplicissimo aliquid prædicatur. Hoc vero ad rem non facit. Attamen, inquies; compositio dabitur aliqua. Resp. Esto. At non dabitur compositio, quæ imperfectionem includit, qua essentia Dei composita dicatur ex materia & forma, ex perfectione & perfectibili, ex potentia & actu, ex principiis aut partibus, sive essentialibus, sive integralibus, sive accidentalibus perficientibus aut ornantibus essentiam divinam. Sed ad summum compositio dabitur, qua essentia divina simplicissima in se manens, agens dicetur, & sic cum actione quasi compositionem aliquam faciens. quamquam quid adeo absurdum dici potest, quam essentiam aliquam compositam esse cum actione sua, quam de se producit? ex. g. hominem qui currit, qui ratiocinatur, compositum esse ex substantia, & ex cursu sive ratiocinatione? aut si omnino hîc compositio aliqua admittatur, eam includere in se imperfectionem, & non potius eam notare perfectionem sive essentiam perfectam, quæ currere potest aut non currere, ratiocinari aut non ratiocinari pro libero suo arbitrio? Certe sic sequeretur, hominem imperfectum reddi, aut imperfectionem homini accedere, cum aliquid agit quod poterat non agere.

Dices 2. Sequetur esse aliquid in Deo, quod potest in Deo non esse. Resp. Concedo, dummodo id quod in Deo est, & tamen potest non esse in Deo, non sit aliquid vel constituens vel perficiens essentiam divinam, sed eam tantum perfectam esse declarans. Dices: At illud quod in Deo est, & tamen in Deo potest non esse, aut est substantia, aut accidens. Non potest esse substantia. Ergo accidens erit. Resp. volitiones, quia veræ sunt actiones, accidentia ut sint necesse est, sed non physica ejusmodi, quæ inhærent substantiæ veluti qualitates, quæ alterant subjectam substantiam, id est eam vel perficiunt & ornant, vel corrumpunt aut deformant: sed quæ solummodo egrediuntur & emanant ex perfecta essentia, ejusque perfectionem demonstrant. Actiones enim ab essentiis fluunt, non vero inhærent essentiis; proinde fundamenta tantum sunt, ut prædicatio fieri possit, qua tale aliquid, quod abesse poterat, vere alicui tribuitur, ita ut ab ea vere volens vel agens denominetur, & sic compositus dicatur, vel potius composita de eo enunciatio formetur. Actiones enim non perficiunt agens, sed perfectionem ejus declarant; sive eæ sint immanentes, ex. g. velle, ratiocinari; sive transeuntes, ut loqui, scribere, docere, promittere, &c.

Dices 3. Sequetur Deum mutabilem esse, quia ex non volente fiet volens. Resp. Mutatio duobus modis accipi potest. Primò, ut significet meram tantum eamque liberam transitionem voluntatis ad actum volendi, absque ulla essentiæ immutatione. Secundò, ut significet, vel essentialem mutationem, qua fiat ut essentia Dei sit obnoxia seu generationi seu corruptioni: vel accidentalem, qua essentia Dei melior, major, aut perfectior reddatur: vel ejusmodi mutationem in voluntate, qua fiat, ut Deus volitionem sive decretum suum mutet, quia vel ex incogitantia, vel ex imprudentia, vel ex nova quadam majoris, sive utilitatis, sive excellentiæ, oblata occasione, ad non volendum id quod primum voluit motus fuit: vel denique qua per vim ad aliter volendum, sive ad mutandum primam suam volitionem cogitur. Horum trium postremorum modorum ullo mutationem Deo tribui negamus, quando ex non volente volens fit. Singuli enim manifestam imperfectionem involvunt in primo conceptu suo. At primo modo quasi mutationem Deo tribuere, quia est liberrimum agens, quid vetat? quamquam transitio voluntatis ad actum volendi non est proprie mutatio, sed actus sive exitus voluntatis, absque ulla mutatione. Ecquis enim recte dicat eum mutari, qui cum certo judicio & prudenter actionem aliquam producit, sive volitionem aut decretum aliquod apud se format? Certe, si quis omnino hic mutationem aliquam esse velit, is mutationem istam, perfectionem potius, sive potius perfectionis declarationem, quam imperfectionem esse, ut fateatur necesse est.

*Ordo inter divinas volitiones.*

Sequitur jam ut de ordine, qui inter divinas volitiones est, agamus; qui dicitur ordo prioris & posterioris; non quidem actu ex natura rei, sed nostro intelligendi modo, cum fundamento in re.

Ordinem hunc meliores Scholastici recte dicunt desumendum esse, non quidem ex naturali connexione rerum inter se, sed ex ordine causalitatis, quem res inter se habent: ita ut quando duæ res habent inter se ordinem causalitatis in tempore, tunc illud censeatur prius volitum à Deo, quod habet rationem causæ; posterius vero illud, quod habet rationem effecti & causati.

Dices:

Dices: Huic repugnat id quod dici ſolet, *Primum in intentione, ultimum eſt in executione.* Reſp. Nequaquam: quia dicto iſto tantum confertur ordo cauſſalitatis cum ordine temporis, ſignificaturque tantum, id quod eſt prius ordine cauſſalitatis in intentione, eſſe poſterius ordine temporis, in executione; quod certiſſimum eſt. Hoc vero, quod nos dicimus, ordinem cauſſalitatis ſolum reſpicit, non autem ordinem temporis, quia volumus eundem ordinem eſſe inter divinas volitiones ab æterno, qui eſt inter res ipſas in tempore, ordinem ſcil. cauſſalitatis. Quod ut melius intelligitur, ſic habendum. Ordo cauſſalitatis eſt inter finem & media. 2. inter media ipſa comparata inter ſe. 3. inter ſubjectum & formam. 4. inter ipſas formas accidentales.

*Reſpectu 1. finis & mediorum.* Quod ad finem & media, ordo cauſſalitatis, qui inter iſta eſt, in eo vertitur, quod finis rationem habeat cauſſæ in ordine ad media; quia media ſunt propter finem, non contra. Hinc conſequitur, volitionem ſive intentionem finis, quà finis eſt, priorem eſſe volitione ſive electione mediorum, qua talium, reſpectu illius, qui finem per media ſibi conſequendum proponit. Volitio enim finis, eſt cauſſa volitionis, ſive electionis mediorum: quia non eligit aut vult media ad finem, niſi ex amore & deſiderio finis.

Dices: Ex hoc fundamento concludetur, Deum, quando efficaciter aut abſolute vult ſive intendit finem, etiam conſequi ſemper finem ſuum. Fateor; quamquam certum eſt, conſecutionem finis non eſſe effectum proprie intentionis, ſive volitionis finis, quaſi videlicet volitio ſive intentio finis, efficax dicenda ſit reſpectu finis, quem conſequitur. Volitio enim finis non dicitur efficax volitio, niſi reſpectu effectus ſui immediati. At effectus immediatus volitionis finis, eſt ſola mediorum electio. unde conſequitur, efficacem intentionem finis, ſemper eſſe priorem electione mediorum: Mediorum autem effectum eſſe conſecutionem finis.

Eſto, inquies: At ex eo ſequetur, volitionem Dei qua ſalutem hominum vult, quaque eos creavit ad gloriam ſuam, & ſalutem eorum intendit, priorem eſſe prævisione fidei ſive obedientiæ; & quia volitio iſta prior eſſe non poteſt, niſi in ratione cauſſæ, idcirco fidei ſive obedientiæ dationem, aut prævisionem, eſſe effectum volitionis ſive intentionis divinæ, qua ſervare eos vult. Reſp. Finem dupliciter conſiderandum venire: 1. Per modum finis. 2. per modum præmii. Volitio efficax, qua Deus finem per modum finis vult, in eo ſita eſt, quod Deus ex amore finis moveatur ad eligendum media, quibus finis obtineri poteſt. Hæc volitio ſemper prior eſt electione mediorum ad finem conſequendum neceſſariorum, & eſt cauſſa iſtius electionis. unde conſequitur, quando Deus vult ſalutem hominum per modum finis, eum conferre velle hominibus media gratiæ ad finem iſtum neceſſaria. At volitio efficax, qua Deus finem vult non per modum finis, ſed per modum præmii, in eo ſita eſt, quod Deus efficaciter velit conferre præmium ei, qui præſtat id, quod ad præmium obtinendum præſcriptum eſt. Hæc volitio ſive intentio finis efficax, non eſt prior prævisione fidei & obedientiæ, quæ eſt id quod ad conſequendum præmium præſcribitur & prærequiritur, ſed poſterior reſpectu Dei qui conferre vult præmium. Non enim eſt efficax ſive abſoluta volitio dandi præmium, niſi ex hypotheſi fidei & obedientiæ. Verum quidem eſt intentionem ſive volitionem ſalutis vel gloriæ æternæ, reſpectu noſtri efficacem etiam dici poſſe per modum finis, quando nimirum nos ex amore & deſiderio ſalutis ac gloriæ æternæ movemur, ut Deo credere atque obedire velimus. Sed vero eadem illa gloriæ ac ſalutis æternæ intentio, ſive volitio, non dicitur efficax reſpectu Dei, niſi quando & quatenus Deus illam dare vult ex prævisa fide & obedientia, quia tum ſalus ac gloria æterna rationem habet præmii reſpectu Dei, qui gloriam ac ſalutem tanquam præmium dare vult, ex præſuppoſita fide atque obedientia noſtra. Ex quo conſequitur, volitionem illam, qua Deus omnes homines ſalvos fieri vult, quæ omnem prævisionem fidei & obedientiæ præcedit, non eſſe abſolutam & efficacem hominum omnium electionem ad gloriam, ſed ſimplicem & inefficacem dumtaxat voluntatem, aut divinæ benevolentiæ ſeu complacentiæ adfectum, qui effectu carere poteſt, etiam poſt adhibita omnia ad gloriam conſequendum hominibus neceſſaria media. Hactenus ergo de ordine prioris & poſterioris inter finem & media.

*2. Mediorum inter ſe.* Ordo prioris & poſterioris, qui eſt inter media ad ſe invicem relata, & quæ omnia ad finem ordinantur, hic eſt. Iſtud medium prius cenſeri debet volitum, quod fini eſt propinquius & vicinius: poſterius id, quod à fine longius eſt remotum. Propinquius autem cum dicitur aliquod medium fini, non intelligendum eſt, quod propinquius eſt dignitate, ſed quod propinquius eſt cauſſalitate. Ratio eſt: Medium enim ad conſequendum finem non idcirco eſt medium, quia præſtantius aut nobilius eſt in entitate, quam hoc aut illud, ſed quia maxime conducit ad conſecutionem finis. Illud ergo quod maximè, aut potius quod proximè conducit ad finis conſecutionem, cenſetur eſſe medium fini propinquius: ex. gr. creatio hominis ad imaginem Dei, cum libertate ut peccare poſſet aut non peccare, medium eſt propinquius ad bonitatis & gloriæ divinæ illuſtrationem, quam eſt datio Jeſu Chriſti Mediatoris ad redimendum hominem, qui jam peccator factus eſt; etiamſi datio Mediatoris dignitate & nobilitate prior ſit, & potior, quam eſt creatio. Dices: At datio Chriſti volita eſſe poterat à Deo, etiamſi homo non peccaturus erat. Reſp. Fateor. Sed tum datio Chriſti, non fuiſſet datio Chriſti ut Mediatoris inter Deum & hominem peccatorem, ſed ut Mediatoris inter Deum & hominem, per quem ſalvandus erat homo, ſi non peccaret, aut conſervandus, ne peccaret.

Ordo prioris & poſterioris, qui eſt inter ſubjectum & formam accidentalem, ſive id quod ſubjecto accedit, hic eſt. Subjectum ſemper prius eſt volitum, quam forma quæ ſubjecto accedit. Sic prius vult Deus hominem creare, quam ei gratiam aut gloriam vult dare. Impoſſibile enim eſt, ut gratiam aut gloriam quis dare velit ſubjecto, quod nondum vult eſſe. Dices: At poteſt Deus primum velle dare gratiam & gloriam ſecundum ſe ſpectatam, deinde eam alicui dare. Reſp. At volitio iſta per ſe inepta foret. Fieri enim poſſet ut gratia illa fruſtra volita eſſet, ſi exempli gratia non eſſet qui gratia opus haberet. Et eadem eſt ratio gloriæ. Hæc enim etiam fruſtra volita eſſet, ſi exempli gratia non eſſet, qui gloria iſta dignus eſſet. utrumque autem fieri poterat, ſuppoſita libera voluntate hominis, quæ in homine innocenti in primo ſtatu ab omnibus ſupponitur. *3. Subjecti & formæ accidentalis.*

Ordo prioris & poſterioris, qui eſt inter ipſas formas accidentales ſubjecti, hic eſt. Prior ſemper eſt illa forma, quæ ad aliam veluti cauſſa ſe habet; Poſterior, quæ ſe habet ut effectum. Ita prior ſemper eſt gratia vocationis, quam juſtificationis; & gratia juſtificationis, prior quam gratia glorificationis; qua gratia juſtificationis & glorificationis ſe habet ad vocationem, non per modum finis abſolute intenti, ſed per modum præmii, uti in primo ordine diximus. Ex quo conſequitur, formam fidei, qua vocationi reſpondetur, priorem eſſe forma juſtitiæ & gloriæ, quæ fidelibus datur. *4. Formarum accidentalium inter ſe.*

## CAPUT XXI.

## De voluntate Dei, quatenus objectum θελητὸν, ſeu rem volitam ſignificat.

REſtat tertia voluntatis acceptio, qua voluntas accipitur pro objecto θελητῷ, ſive pro lege ac ſententia divina, qua continentur præcepta quæ Deus à nobis fieri vult: & promiſſa ſimul ac comminationes divinæ quas Deus ipſe exſequi vult; quatenus hæ etiam præceptis divinis accenſeri poſſunt, quibus credendum & fidendum eſt. Alioquin enim ad ſecundam voluntatis notionem referri debent. Hæc voluntatis notio ut rectè ac ſolide intelligatur utiliſſimum eſt. Voluntas enim duobus prioribus modis conſiderata, objectum potius eſt ſpeculationis quam praxeos. Hæc recte intellecta praxeos & officii noſtri regula eſt, quatenus ea præceptis ſcilicet ac promiſſis ſpecialibus, quibus praxis officiumque hominis Chriſtiani dirigitur, expreſſa eſt. Etſi vero nos de ſpecialibus præceptis ac promiſſis iſtis jam nondum agere conſtituimus, tamen dicenda jam quædam ſunt, quæ, ut præceptis iſtis promiſſiſque pareatur, de hac tertia voluntatis acceptione ſcitu, ſi non prorſus neceſſaria, attamen utiliſſima, ac fere dixerim neceſſaria ſunt.

*Voluntatem pro re volita acceptam eſſe veram & propriè dictam Dei voluntatem.* Ac primum quidem, de hac voluntatis notione tenendum eſt; voluntatem Dei hoc tertio ſignificato acceptam, eſſe atque in Scripturis diſerte vocari, veram ac proprie dictam Dei voluntatem. Loca quæ id evincunt clara ſunt. Ea ſupra adduximus ex *Joan.* VI. 41 42 43. *ad Rom.* II. 18. & XII. 2. & 1 *ad Theſſ.* IV. 3. quibus adde *Matth.* VII, 21. & XII. 50. *Joan.* VII. 17. & IX. 31. *Act.* XIII. 22. *Epheſ.* VI. 6. *Heb.* X. 36. & XIII. 21. & 1 *Joan.* II. 17. & multa alia ſimilia.

Hoc contra eos tenendum eſt, qui voluntatem Dei veram ac proprie dictam nullam agnoſcunt, niſi abſolutam & efficacem quam vocant, id eſt, eam quæ effectum ſemper ſortitur. quod quam ſit falſum apparet. 1. ex locis Scripturæ S. jam allegatis. 2. ex natura rei, quia alioquin ſequeretur 1, incertos nos ſemper eſſe, an Deus quicquam eorum, quæ

nobis ſub promiſſio æterni præmii, & ſub comminatione æternæ pœnæ præcipit, revera ac ſerio velit. 2. Certum eſſet, eos, qui præcepta divina tranſgrediuntur, non peccare contra Dei proprie dictam voluntatem. 3. Fieri poſſe ut Deus proprie nolit id, quod ſerio & ordinarie præcipit, & propriè velit id quod ſerio & ordinariè prohibet. 4. Certum eſſet Deum peccata omnia quæ fiunt, proprie velle. Non poſſunt enim fieri ſi Deus ea proprie nolit, vult ergo ea proprie, quia fiunt. Quæ profecto omnia, etſi fere eodem recidunt, abſurda ſunt palpabilia, & confutatione vix digna.

*Non omnem Dei voluntatem eſſe efficacem.*

Fundamentum quo nititur iſta opinio, revera nullum eſt. Nempe hoc eſt: *Nulla eſt voluntas Dei niſi efficax.* At quæ ratio? Contra ego aſſero: Si nulla eſt Dei voluntas niſi efficax, nulla datur Religio. Nam tum nec obedientia, nec inobedientia; per conſequens, nec præmium, nec pœna datur. Id ſic evinco. Contra Dei voluntatem efficacem nihil fieri poteſt. Ergo omne quod fit, ex voluntate Dei efficace fit. Obedientia ergo aut inobedientia, quando præſtatur, eæ ſunt effectus efficacis voluntatis Dei. Effectus autem efficacis voluntatis Dei, impoſſibile eſt ut ſint liberi obedientiæ aut inobedientiæ actus. De obedientia res clara eſt. de inobedientia ſimiliter ſtatuendum eſt. Sic enim colligo: Inobedientiam proprie Deus aut vult aut non vult. Si eam Deus proprie non vult, fieri non poteſt ut quis inobediens ſit. Tam enim noluntas divina eſt efficax, quam voluntas. Noluntas enim etiam voluntas eſt. Si eam Deus proprie vult; ergo fieri non poteſt ut quis ſit non inobediens, in quo iſtam inobedientiam Deus eſſe vult. Obediendi ergo & inobediendi neceſſitas, effectus eſt voluntatis Dei proprie dictæ. Neceſſitas autem & Religio ſunt duo incompoſſibilia. Ubi neceſſitas dominatur, ibi nec virtuti nec vitio, nec præmio nec pœnæ locus eſt. At ubi religio præſcribitur, ibi virtuti & vitio, præmio & pœnæ, locus ut ſit, neceſſe eſt. Dices; voluntatem Dei proprie dictam efficacem etiam eſſe reſpectu inobedientiæ; non quatenus eam Deus immediate vult, ſed quatenus Deus inobedientiam vult permittere. Reſp. Eſto. Sufficit ſi efficax ſit mediante permiſſione, id eſt, ſi inobedientia non minus neceſſario ex permiſſione, ſive poſita permiſſione conſequatur, quam effectus neceſſario efficitur à cauſſa ſive voluntate efficiente. Neceſſitas enim neceſſitas eſt, quocunque demum modo ea exiſtat. Et neceſſitas repugnat Religioni, non quatenus ea hoc vel illo modo exiſtit, ſed quatenus neceſſitas eſt. Religio enim ſine libertate eſſe non poteſt. At neceſſitas, quà neceſſitas, libertati repugnat: quia libertas contingentiæ ſpecies eſt: Contingens autem & neceſſarium contradictoriè opponuntur. Breviter: Si nulla eſt voluntas Dei, quæ non ſit efficax, tum bona omnia & mala vel erunt effecta divinæ voluntatis, uti Calvinus vult Inſtitut. ſuarum lib. I. cap. XVIII. ubi diſputat contra eos qui Deum *permiſſu otioſo*, (ſic enim voluntatem permittendi appellat) peccata velle contendunt: vel ad ſummum, bona omnia erunt effecta neceſſaria divinæ voluntatis; mala vero effecta vel conſequentia neceſſaria effectus divinæ voluntatis, id eſt, permiſſionis efficacis, ut nunc loqui amant (offenſioni dumtaxat vitandæ) Theologi Calviniſtæ: quo nihil ad Religionem omnem evertendum efficacius dici poteſt.

*Reſpondetur ad objectionem ex Pſal. CXV. 3. & CXXXV. 6.*

Objiciunt: Atqui diſerte dicitur *Pſal.* CXV. 3: *Certè Deus noſter in cælo eſt, omnia quæ voluit fecit.* quod idem repetitur *Pſal.* CXXXV. 6. Reſp. 1. Ex hoc loco, ſi verba præciſe aut rigide urgeantur, ſequeretur, Deum non tantum permittere peccata, ſed & facere; quod Calvinus urget, at per ſe falſum eſt. 2. ex collatione utriuſque loci manifeſte patet, agi iſthic non de omni eo quodcunque Deus aliquo modo & vere quidem vult, ſed de omni eo dumtaxat, quod Deus vult facere, ſive exequi aut ad exitum perducere. Nam utrobique opponitur Deus ſimulachris gentilium, in eo, quod ſimulachra iſta ſenſu omni ac motu deſtituta, prorſus impotentia ſint ad quidquam aut volendum aut efficiendum. Deus autem velit & faciat quod vult, & in ſpecie *Pſal.* CXXXV. *verſ.* 6. 7. 8. 9. 10, *&c.* recenſentur voluntatis divinæ opera atque effecta ejuſmodi mirabilia, quæ Deus ipſe facere voluit, non vero ea quæ Deus fieri voluit aut fieri vult à nobis. Et ratio manifeſta eſt, cur credi debeat iſtis duobus in locis, ſub voce *Omnia*, non intelligi omnia omnino, quæ Deus quomodocunque aut jam vult, aut unquam voluit: quia alioquin falſum eſſet, quod aliis in locis non ſemel dicitur, multa facta non eſſe, quæ Deus tamen fieri voluiſſe dicitur; & contra, multa facta eſſe, quæ Deus dicitur vere noluiſſe. Prioris generis loca infinita ſunt, in quibus dicitur tum Iſraeliticum populum noluiſſe obedire voluntati divinæ, actuque non obediviſſe, & non reſipuiſſe, cum tamen vellet Deus ut reſipiſceret & viveret: *Ezech.* XVIII. & XXXIII. tum Deum ipſum non feciſſe, quod facere non modo voluerat, quodque ſe facturum promiſerat; ſed & quod interpoſito juramento ſive levata manu ſe facturum affirmaverat: uti *Num.* XIV. 30 videre eſt: *Si vos ingrediemini terram; pro qua levavi manum meam, ut habitare facerem vos in ea.* q. d. vanus & mendax Deus ero. & 1 *Sam.* II. 30: *dicendo dixeram, quod domus tua,* (ad Eli loquitur Deus) *& domus patris tui ambularent coram me* (id eſt, Pontificatum gererent) *uſque in ſeculum; nunc autem dicit Dominus* (id eſt, ego dico:) *Abſit à me; quia honorantes me honorabo, contemnentes autem me contemnentur.* Quibus locis addere licet ea, quibus Deus dicit ſe pœnitentia duci velle, id eſt, non facere quod antea voluerat, ac voluiſſe ſe declaraverat: uti *Jerem.* XVIII. 7. 8. 9. 10. 11. & pœnitentia propoſiti ſui ductum fuiſſe: 1 *Sam.* XV. 11. His adde locum *Matth.* XXIII. 37: ubi Chriſtus dicit, *Jeruſalem, Jeruſalem, quoties volui congregare liberos tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & vos noluiſtis!* Poſterioris generis exempla ſunt *Eſa.* LXV. 12: *Feciſtis malum in oculis meis, & quæ nolui, elegiſtis.* & LXVI. 4: *Vocavi, & nemo reſpondit; locutus ſum, & non audierunt, feceruntque malum in oculis meis, & quæ nolui, elegerunt.* Similia plura ſunt, *Jerem.* XIX. 5: *Ædificaverunt quoque excelſa Baal, ad comburendum filios ſuos igni in holocauſta ipſi Baal; quod non præcepi, nec locutus ſum, nec aſcendit ſuper cor meum;* id eſt nullo modo volui, nec velle potui. & *Jerem.* XXXII. 35. & *cap.* VII. 31. ubi eadem verba ſunt.

*Et ad aliam ex Roman. IX. 19.*

Objici deinde ſolet id quod *ad Rom.* IX. 19. legitur: *Nam voluntati illius* (Dei ſcilicet) *quis reſtitit?* Sed perperam admodum. Verba enim iſta non ſunt verba Pauli, aut ſcriptoris alicujus divini, ſed Judæi alicujus refractarii, & qui Pauli dicta impugnat, eaque exceptione aut conſequentia quadam conatur eludere. ad quam deinde reſpondet Paulus, vanam eam eſſe oſtendens, & à mente aut vera eorum, quæ ante dixerat, ſententia alienam. Cui adde, poſito, quod ea verba, Pauli aut Dei verba eſſent, ea tamen aliter accipi non poſſent, quam de voluntate Dei, qua per omnipotentiam aliquid efficere vult. Nam ſi de omni voluntate Dei ea accipiantur, falſa erunt; quia certum eſt ex Scripturis, de multis dici, quod voluntati divinæ reſtiterint, quando videlicet dicuntur voluiſſe quod Deus noluit, & noluiſſe quod Deus voluit, non obtemperaſſe, imo non voluiſſe obtemperare Deo aut divinæ voluntati, reſtitiſſe Spiritui Dei Sancto, ad iram provocaſſe Spiritum Dei Sanctum, irritum reddidiſſe adverſus ſemetipſos conſilium Dei, aliaque infinita plura.

*Item ex Eſa. XLVI, 10.*

Attamen dices: *Eſa.* XLVI. 10, legitur, quod Deus de ſe ipſo dicat, *Conſilium meum ſtabit: & omnem voluntatem meam faciam.* Reſp. Ita eſt. ſed eo in loco non agitur de omni conſilio & voluntate Dei in genere, ſed de conſilio & voluntate ſive bene placito omni iſto, quod jam tum Deus apud ſe firmiter decreverat ad exitum perducere, id eſt, de Rege Core, ſive Cyro adhibendo ad vaſtandum Babylonem, & populum ſuum, captivum hactenus in imperio iſto, liberum dimittendum, & in ſtatum priſtinum, unde per LXX annos exciderat, reſtituendum: uti ex antecedentibus & conſequentibus clarius liquet, quam ut probare iſtud opus ſit.

*De voluntate ſigni & beneplaciti, arcana & revelata.*

Hactenus oſtendimus fundamentum, quo nititur opinio iſta, voluntatem Dei nullam proprie dictam in Deo eſſe, quam eam quæ efficax eſt, nullum prorſus eſſe. Quod ideo ſerio monendum putavimus, ut diligenter nobis caveamus à diſtinctionibus quibuſdam voluntatis divinæ, quæ ab autoribus opinionis iſtius, ſiniſtre ac perperam admodum fieri ſolent, quatenus fundamento iſti ſuperſtruuntur: cujuſmodi ſunt diſtinctiones hæ duæ. Prima, qua voluntas Dei diſtinguitur in *voluntatem ſigni & beneplaciti.* Secunda, qua voluntas diſtinguitur in *voluntatem arcanam & revelatam.* quæ tamen duæ eodem recidunt. voluntas enim arcana ipſis dicitur voluntas beneplaciti ſive placiti; voluntas vero revelata, voluntas ſigni. Has enim diſtinctiones eo fine adhibent, ut doceant, voluntatem ſigni, ſive revelatam, ſic diſtingui à voluntate beneplaciti, ſive arcana, ut, quæ Deus voluntate ſigni ſignificat, & voluntate revelata ſe velle oſtendit, id eſt, vel præcipit, vel prohibet, vel enunciat, vel promittit, vel comminatur, pro vera ac proprie dicta voluntate Dei haberi non debeant, niſi effectum ſortiantur; quia fieri poſſe ajunt, ut Deus voluntate beneplaciti fieri nolit ea, quæ voluntate ſigni ſignificat ſe velle fieri, & ut arcana voluntate fieri nolit, quod revelata voluntate declarat ſe velle fieri. ex. gr. ut voluntate beneplaciti nolit ſalutem eorum, quorum ſalutem voluntate ſigni ſignificat ſe velle; & ut voluntate revelata declarat ſe velle, ut homines omnes peccatores reſipiſcant, credant & obediant Euangelio, cum voluntate arcana nolit omnes reſipiſcere, credere & obedire Euangelio. Quare? quia ſcilicet voluntate beneplaciti & arcana multo maximam hominum partem ob omni æternitate à ſalute ad exitium reprobavit, mediiſque ad ſalutem conſequendum neceſſariis, id eſt, gratia omni ſalutari

tari deſtitutos relinquere horrendo decreto conſtituit.

Hoc pacto ergo diſtinctiones hæ acceptæ, diligenter vitandæ ſunt. Alioquin diffiteri nolumus, diſtinctiones has admitti poſſe, ſi dextrè & opportunè adhibeantur; nempe in caſu tentationum, quando videlicet Deus tentare, probare, aut explorare vult fidem, & obedientiam alicujus; uti in exemplo Abrahami videre eſt, quando ei ſignificavit præcepitque ut mactaret filium ſuum. Hic certe diſtinctio hæc locum habet. Nam voluntate ſigni & revelata videbatur Deus velle ut Abrahamus filium ſuum mactaret. At voluntate beneplaciti & arcana nolebat ut mactationem actu ipſo perficeret. Volebat enim eam impedire, & actu impedivit. Quare? Tentare tantum volebat Abrahamum; uti diſerte dicitur *Geneſ.* XXII. 1. Tentationis autem ea eſt ratio, ut is qui tentat, aliud reipſa velit apud animum ſuum, quam videtur velle, aut ſigno exteriore præ ſe fert: prout per ſe clarum eſt, & à nobis prolixè ſatis ſupra oſtenſum, cum de tentatione Abrahami ageremus. Extra hunc caſum tentationis, vitandæ ſunt ſerio hæ diſtinctiones; imprimis cum de ordinaria Dei voluntate agitur, juxta quam Deus ſignificat & revelat ſe ſervare aut damnare æternum velle. Ut enim hac voluntate Deus dicatur perpetuo tentare velle homines, tentatione tali proprie dicta, non permittunt nec bonitas, nec juſtitia, nec ſinceritas divina. & ut hoc dicant autores iſti, contra quos agimus, ridiculum & ſtultum eſt. Quomodo enim, obſecro, reprobos tentari à Deo dicent, cum impoſſibile prorſus ſit, ut reprobi neceſſariis ad reſipiſcendum, credendum & obediendum mediis omnibus deſtituti, reſipiſcant, credant & obediant? Tentatio non poteſt locum habere in impoſſibilibus. Quis enim tentet cæcum an viſurus ſit, mortuum an ambulaturus ſit, &c? Addo: Diſtinctionem hanc idcirco repudiandam eſſe in hac cauſſa, quia illa ipſa voluntas quæ ſigni eſſe dicitur, in Scriptura voluntas beneplaciti vocatur; ut videre eſt *Rom.* XII. 2: *ut probetis quæ ſit voluntas Dei, bona illa, ἐυάρεστος & beneplacens*; additur τελεία, id eſt, *perfecta*, conſummata, & (ut ita loquar) peremtoria. quæ voces tentationis omnem actum excludunt. Tentatio enim non eſt perfecta, conſummata, & peremtoria voluntas; ſed imperfecta voluntas, ſive voluntatis quædam (ut ita loquar) ſimulatio. Huic loco ad Romanos convenit locus *ad Epheſ.* V. 10: *Probantes quid ſit εὐάρεστον τῷ Θεῷ, Deo beneplacitum*, vel quod Deo beneplacitum eſt.

Eadem eſt ratio diſtinctionis in arcanam & revelatam. Etſi enim ea commode ſic accipi poſſit, ut voluntas Dei revelata dicatur, qua Deus vult præcepta ſua ſervari: Arcana, qua omnia moderatur, & in finem ſuum dirigit: tamen periculoſiſſima & peſſima eſt, quando ea ſic accipitur, ut dicatur Deus exempli gratia prohibere peccata per voluntatem revelatam; præfinire tamen & decernere per voluntatem arcanam ut ea fiant, ut ſic habeat occaſionem exercendi juſtitiam vindicativam. Sic enim duæ contrariæ voluntates in Deo ut ſtatuantur neceſſe eſt: una qua vult, altera qua non vult fieri peccata. quod adeo profecto non dico indignum Deo eſt, ſed & nobis abſurdum & ἀκαθάλητον, ut Calvinus ipſe, lib. I. Inſtit. cap. XVIII. parag. 3. cum iſtud fortiter aſſeruiſſet, tandem concludat in hunc modum: *Quomodo Deus idem diverſo modo nolit fieri & velit, non capimus.* Quare nos ita concludamus: Quia omne id quod Deus præcipit, prohibet, &c. ſerio ac vere vult fieri, omnem voluntatem ſigni eſſe etiam voluntatem beneplaciti, reſpectu ſcilicet ejus quod Deus intendit: & omnem voluntatem beneplaciti, quæ quidem nobis revelatur, eſſe voluntatem ſigni. Non enim poteſt nobis innoteſcere niſi per aliquod ſignum. Signa autem voluntatis quinque ſolent numerari, hoc verſu comprehenſa;

*Præcipit, ac prohibet, permittit, conſulit, implet.*

*Diſtinguitur Dei voluntas 1. in abſolutam & conditionatam. Abſoluta quid & quotuplex.*

Reſtat ut videamus alias quaſdam diſtinctiones, quæ ad rectam voluntatis divinæ, tertio ſignificato acceptæ, cognitionem admodum ſunt utiles. Eæ omnes, forte, ad unam reduci poſſunt, id eſt, ad diſtinctionem voluntatis in eam, quæ dicitur *voluntas abſoluta & conditionata*. Sed vero quia diſtinctio voluntatis in *antecedentem & conſequentem*, ex ſententia & mente Damaſceni & Scholaſticorum vix commodè ad eam referri poteſt; idcirco nos duplicem voluntatis Dei diſtinctionem doctrinæ gratia faciemus. Prima eſt, In voluntatem Abſolutam & Conditionatam. *Voluntas* Dei *abſoluta* eſt, qua Deus ſimpliciter aliquid vult citra relationem ad volitionem vel actionem hujus aut illius creaturæ. Hæc duplex eſt. Una qua exempli gratia Deus vult fideles ſive credentes ſalvare, nulla habita ratione præſcientiæ, an aliqui crediturí ſint nec ne. quæ tamen voluntas diſtingui non incommode poteſt in voluntatem firmam & non firmam. *Firma voluntas* eſt, qua vult ſervare credentes, & in fide ad finem uſque vitæ perſeverantes. *Non firma*, qua vult ſalvare credentes ſimpliciter, nulla habita ratione præſcientiæ, an credentes iſti in fide perſeveraturi ſint nec ne. quod ad intelligendum multa Scripturæ loca admodum eſt utile. Hæc voluntas etiam antecedens aliquo modo vocari poteſt. Altera eſt, qua exempli gratia Deus prævenire hominem vult per gratiam vocationis ſuæ. Hæc voluntas etiam antecedens & efficax Dei voluntas non incommodè vocari poteſt.

*Conditionata.*

Conditionata voluntas eſt, qua Deus vult aliquid cum relatione & reſpectu ad creaturæ volitionem vel actionem, ſive ſub conditione, ut loquuntur. exempli gratia, qua Deus vult omnes & ſingulos ſervari ſub hac conditione, ſi pie vivant, ſive ſi legi pareant, vel Euangelio credant, & in fide ad finem uſque vitæ perſeverent; contra qua vult contumaces & incredulos damnari, ſi in contumacia & incredulitate permaneant: Ninevitas exſcindi, niſi reſipiſcant. Hujus voluntatis divinæ mentio fit in Scriptura infinitis pene locis. *Geneſ.* IV. 7: ubi Caino Deus dicit, *Nonne ſi bene feceris erit elevatio vultus tui? Sin malefeceris, in foribus cubat peccatum tuum. Geneſ.* XVIII. 26. *& ſeqq.* ubi Deus Abrahamo dicit, *Si invenero in Sodoma quadraginta, imo decem dumtaxat juſtos, parcam univerſo loco iſti propter iſtos. Exod.* XIX. 5. ubi Deus Iſraeli dicit; *Si audieris vocem meam, & cuſtodieris pactum meum, eris mihi peculium in cunctis populis*, &c. 2 *Chronic.* XV. 2, ubi Propheta Azariah nomine Dei dicit; *Dominus vobiſcum erit, quamdiu vos eritis cum ipſo. Et, ſi quæſieritis eum, invenietur à vobis. Si autem dereliqueritis ipſum, derelinquet & vos.* 1 *Chron.* XXVIII. 9. ubi David Salomoni filio ſuo dicit; *Si quæſieris Deum invenietur à te. At ſi dereliqueris eum, abjiciet te in æternum.* Similes conditionatæ orationes in Vet. Fœdere ſunt. *Eſa.* I. 19. 20. *Jerem.* XVIII. 3. *& ſeqq. Ezech.* XVIII. 21. *& ſequentibus.* In Novo Fœdere non pauciores reperiuntur. *Job.* XV. 7. 10. 14: *Si manſeritis in me*, (ait Chriſtus diſcipulis ſuis) *quidquid volueritis, petetis, & accipietis.* Et; *Amici mei eritis, ſi feceritis; quæcunque ego mando vobis. Rom.* VIII. 13: *Si juxta carnem vixeritis, moriemini. Sin ſpiritu actiones carnis mortificaveritis, vivetis. Rom.* X. 9: *Si confeſſus fueris ore tuo Dominum Jeſum, & corde credideris, quod Deus eum excitavit ex mortuis, ſalvaberis. Coloſſ.* I. 23: *Siſtet vos* (Jeſus) *ſanctos & irreprehenſos & inculpatos coram ſe, ſi quidem permaneatis in fide fundati & firmi. 2 ad Timoth.* II. 11. 12: *Si cum eo mortui ſuerimus, etiam cum eo vivemus. Si toleraverimus, etiam cum eo regnabimus. Sin abnegamus, etiam ipſe abnegabit nos. Heb.* III. 6. 14: *Cujus domus ſumus nos, ſi modo fiduciam & ſpem, de qua gloriamur, ad finem uſque firmam retinuerimus. 1 Joan.* II. 24: *Si permanſerit in vobis, quod audiviſtis à principio, etiam vos in Patre & filio manebitis.* Sexcenta hujuſmodi loca paſſim reperire eſt. Verum quidem eſt, in locis iſtis non reperiri exertè vocem, voluntatis Dei, ſed, quin actus omnes iſti, qui ſub conditione promittuntur, & comminationibus denuntiati exprimuntur, certiſſima non tantum ſigna, ſed & effecta divinæ voluntatis ſint, nemo dubitare poteſt.

*2. Inter antecedentem & conſequentem. Voluntas antecedens quid?*

Præter hanc diſtinctionem voluntatis divinæ, ab aliis adfertur juxta Damaſcenum diſtinctio alia, in voluntatem antecedentem & conſequentem. *Voluntas antecedens* dicitur illa voluntas, qua Deus vult aliquid ſecundum ſe, non habita ratione circumſtantiarum; quo pacto Deus vult omnes ſalvos fieri. Hæc voluntas revera eſt conditionata voluntas, ante præſcientiam; & abſoluta poſt præſcientiam. Etſi enim Antecedens dicatur, quia Deus vult ſalutem omnium hominum ſecundum ſe nulla habita ratione circumſtantiarum, ac proinde in ordine ad eos quos Deus præſcit conditionem amplexuros, conſequens voluntas dici debere videatur; tamen hæc etiam Antecedens voluntas dicenda eſt ex mente Damaſceni: quia accedente conditionis impletione, voluntas ſalvandi omnes non mutatur, ſed confirmatur; & quæ antea erat voluntas conditionata reſpectu omnium, tum fit abſoluta reſpectu iſtorum præſcitorum. Ratio hæc allegatur; Quia voluntas antecedens non eſt conjuncta cum velleitate oppoſiti: ſed ex pura bonitate & miſericordia proficiſcitur, qua fit ut Deus velit ſalvare omnes homines ſi credant, & credentes quando credunt, quia bonus & miſericors eſt.

*Conſequens quid?*

*Conſequens voluntas*, eſt voluntas, qua Deus aliquid vult non ſecundum ſe, ſed habita ratione circumſtantiarum; cujus contrarium vellet, ſi non eſſent tales circumſtantiæ. Hac voluntate vult Deus damnare aliquos habita ratione peccatorum, quæ ſi non eſſent, vellet eos ſalvare. Diſtinctio hæc voluntatis exemplo declaratur. Judex vult omnes cives ſalvos eſſe & incolumes voluntate antecedente, etiam eos qui male ſe gerunt in Repub. At voluntate conſequente vult aliquos morte adficere, ſpectatis eorum ſceleribus; manente tamen velleitate, qua eos in vita conſervatos vellet ſi per leges id fieri poſſet. Exemplum mercatoris adducunt ex Ariſtotele alii, qui voluntate antecedente omnes merces ſuas ſalvas eſſe vult: conſequente eas in mare vult projicere, conſideratis periculis in quibus verſatur, manente tamen ſemper velleitate eas conſervandi. Quare juxta hos conſe-

quens

quens voluntas Dei, non eſt dicenda ea voluntas, qua Deus aliquid vult ſimpliciter, cum reſpectu ad omnem antecedentem volitionem vel actionem creaturæ, ex. gr. qua vult Petrum credentem ſalvare, Judam proditorem damnare, &c. (Prior enim illa voluntas ipſis non eſt conſequens voluntas, ſed abſoluta voluntas) ſed ſola poſterior voluntas, ipſis eſt voluntas conſequens: nempe voluntas Judam peccatorem & alios impios damnandi; quia ea ſemper eſt in Deo conjuncta cum velleitate oppoſiti: quatenus ſcilicet Deus aliquos damnare quidem vult habita ratione peccatorum, ſed ita tamen, ut eos ſalvare vellet, ſi peccata non eſſent, & voluntati ſalvandi per ea obex aut impedimentum non poneretur; quæ velleitas oppoſiti, in voluntate ſalvandi locum non habet.

*Harum diſtinctionum uſus.*

Diſtinctionum harum utilitas permagna eſt. Juxta eas enim Scripturæ loca multa admodum in ſpeciem pugnantia commode conciliari poſſunt. Ex. gr. *Deus vult omnes homines ſalvari, & ad agnitionem veritatis pervenire*: 1 *Timoth.* II. 4. *Deus neminem vult perire: ſed omnes ad reſipiſcentiam χωρῆσαι*, id eſt, *contendere*, 2 *Pet.* III. 9. *Deus non vult mortem morientis*, *Ezech.* XVIII. voluntate ſcilicet antecedente & conditionata, item Deus & Chriſtus voluit congregare Judæos uti ſub alas ſuas gallina congregat pullos ſuos; *Matth.* XXIII. 37. eadem ſcilicet voluntate. Contra Deus vult impænitentes perire & perdere, voluntate conſequente. Item Deus vult fideles ſervare voluntate abſoluta. Deus vult gratiam dare neceſſariam ad credendum, vel immediate aliquando, abſoluta & antecedente voluntate; vel aliquando mediate, ſi donis naturæ non abutantur, voluntate conditionata, &c. Hactenus ergo de voluntate Dei in genere ſatis actum à nobis eſt.

## CAPUT XXII.

## De attributis divinæ voluntatis quæ affectus vocantur; & primum de bonitate, & amore.

*Affectus Deo quomodo tribuantur.*

EX hac generali voluntatis divinæ conſideratione manifeſtum ſatis eſt, eſſe quædam in Deo attributa, quæ voluntatis incentiva quaſi ſunt aut calcaria, quæ *Affectus* vocari ſolent, & Affectuum humanorum nominibus in Sacris literis deſignari ſolent, propter ſimilitudinem & analogiam quandam, quam habent cum affectibus qui ſunt in hominibus: per quos ii incitantur aut exſtimulantur ad volendum & agendum. Quod tamen ſic accipiendum non eſt, quaſi affectus nulli proprie ac per ſe Deo competant. Contra enim credimus, eſſe affectus quoſdam in Deo, qui ſimpliciter perfectionem in ſe continent: (etiamſi ii, quatenus in Deo ſunt, rectius fortaſſe alio, quam affectuum nomine ac vocabulo, ſi quod daretur, exprimi mererentur; quia affectuum nomen paſſionem, commotionem, aut perturbationem quandam videtur importare.) Sed tantum, quia natura divinorum affectuum vix aliter à nobis concipi atque æſtimari poteſt, quam ex natura affectuum humanorum, ſive per ſimilitudinem & analogiam quam habent cum affectibus humanis. Sed quia ii fere cum paſſione, commotione, aut perturbatione aliqua, non raro etiam cum impuritate, inordinatione, aut imbecillitate aliqua conjuncti ſunt, ſemperque adeo alterationem ſanguinis, aut ſpirituum commotionem ſecum trahunt, atque idcirco imperfectionis quidpiam etiam ſemper in ſe habent, quam ab affectibus divinis ſecretam ſemper eſſe volumus; hinc ſimilitudinem & analogiam tantum quandam affectus divinos cum humanis habere dicimus, omneſque affectus iſtos, quatenus aliqua imperfectione laborant, Deo per *ἀνθρωποπάθειαν* adtribui volumus. Antequam vero de affectibus ſingulis in ſpecie agamus, notandum de iis in genere eſt.

*Quædam in iis generatim notanda.*

I. Affectus, qui Deo in Scripturis, ſive propriè ſive figuratè tribuuntur, raro aliter Deo tribui, quam quatenus voluntatis actus ſunt, id eſt, quatenus cum decreto aliquo divino, ſive efficiendo, ſive jam effecto, quaſi in unum coaluerunt. Sic amor, benignitas, gratia, miſericordia, pro decreto benefaciendi, & ira pro decreto puniendi, ipſaque pœna tanquam decreti effecto poni ſolet; ac viciſſim divina beneficentia per affectum gratiæ, divina punitio per affectum iræ exprimi ſolet.

II. Affectus hos ſic conſiderandos eſſe, ut quoad uſum & exercitium ſemper ſubjaceant ſapientiæ divinæ, cujus eſt ſingulis ordinem, modum, medium, finem, circumſtantiaſque alias præſcribere, cui præ reliquis agendi partes ſint concedendæ: puta, an bonitati, an gratiæ, an miſericordiæ, an amori, an odio, an iræ, &c.

III. Affectus hos non aliter à nobis conſiderari, quam in ordine ad objecta quæ extra Deum ſunt, aut alia à Deo, non vero cum relatione ad Deum ipſum.

*Primus Dei affectus eſt Bonitas.*

Ad Affectus ergo in ſpecie quod attinet, eorum omnium primus eſt *Bonitas*, non illa qua Deus ſummum bonum eſt; ſed qua Deus bonus eſt, id eſt, adfectus & propenſus ad communicandum bonum ſuum, non ſummum illud, quod incommunicabile eſt, ſed boni iſtius portionem ſive effectum aliquem. Hic affectus non modo proprie ac per ſe Deo competit: quippe qui ſimpliciter perfectus eſt, adeo ut Deus *ſolus bonus* dicatur, *Matth.* XIX. 17. ſed & prior eſt aliis omnibus affectibus, qui in Deo ſunt, & ut primus omnium ſit neceſſe eſt. Primum enim objectum ejus ad extra eſt nihilum. Primus ergo ejus effectus, ut ſit ens neceſſe eſt. At circa entia qua talia affectus omnes cæteri verſantur. Entis autem productio ex nihilo, quia creatio proprie eſt, hinc primus actus bonitatis eſt *creatio*, accedente ſcilicet voluntatis imperio. & quia ens productum à producente ſemper dependet, hinc ſecundus bonitatis actus eſt *conſervatio*, quæ creationis quaſi quædam continuatio eſt, ſive potius rei creatæ non deſtructio, aut propenſionis ad rem creatam deſtruendum negatio. Ex quo colligo, Nullum actum priorem his actibus duobus Deo tribui poſſe, quia nullus affectus prior in Deo eſſe aut concipi poteſt, ex quo actus ille prodiiſſe dicatur: & actum omnem his actibus priorem, circa nihilum qua nihilum occupari neceſſe eſt.

*Secundum eſt Amor.*

Hunc bonitatis egreſſum neceſſario ſtatim excipit Affectus ſecundus, qui eſt *Amor*, quo Deus fertur in rem creatam, veluti in rem ex aſſe ſuam, ac proinde ſibi ſimilem. Eam enim qua talem odio proprie dicto à Deo haberi poſſe impoſſibile eſt: quamquam, quia libera voluntate aut volitione ad affectum accedente producta eſt, eam Deus rurſum deſtruere aut annihilare poteſt, eadem libertate ac poteſtate qua produxit. Ex quo colligo: Reprobationem, quæ ſummi odii actus eſt, quod odium cum amore hoc non magis conſiſtere aut conciliari poteſt, quam ignis cum aqua, hîc locum nullo modo habere potuiſſe. Hinc recte autor libri Sapientiæ ait *cap.* XI. 25. 26: *Diligis* (Domine) *omnia quæ ſunt, & nil odiſti eorum quæ feciſti. Nec enim odiens aliquid conſtituiſti aut feciſti*, &c. Sed de affectibus amoris & odii paulo poſt agetur plenius.

*Varii bonitatis divinæ efluxus, præcipuè erga hominem.*

Nunc de *Bonitatis* affectu, quod cæpimus, perſequamur. Eſt enim fons uberrimus qui longe lateque diffundere ſe poteſt, & divinam voluntatem quaſi ad diffundendum & communicandum ſe irritare. Ens ejus primum effectum ſive efluxum eſſe diximus; At quot in ente ſunt perfectionis gradus, tot effluxus Bonitatis ut ſtatuantur neceſſe eſt. Gradus entium in univerſo ſunt eſſe, moveri, vivere, ſentire, & intellectu ac voluntate, ſive ratione ac libertate, præditum eſſe. Gradus hic ultimus proxime ad divinitatem accedit, & qui ad eum evecti ſunt, propius abſunt à Deo quam ens à nihilo. Hi ſunt Angeli & homines. Sed vero hic non ſtat Bonitas divina. His quidem omnibus perfectionum gradibus homines (de Angelis jam non loquimur, quamquam ad eos etiam præcipuus gradus refertur) donati in entitate excellunt, & cum aliis entibus collati proxime ad Deum accedunt, ſed nondum in fælicitate ſive entitatis duratione, aut potius immortalitate beata, qua ita prope ad Deum accedunt, ut propius non poſſint; adeo ut per eam divinæ naturæ conſortes fieri dicantur. Quare & ad hanc hominibus communicandam ſe extendere propenſa eſt Bonitas divina. Et hic Bonitatis terminus eſt. Ultra æternitatem enim & felicitatem, aut beatitudinem, ut ſe extendat, impoſſibile eſt. Sed vero quia bonitatis hunc egreſſum Deus fieri non vult in creaturam qua talem, ſed in creaturam quatenus religionem exercet, ſive obedientiam præſtat, ad quam præſtandam libertate voluntatis ſupra alias creaturas donata eſt, hinc eſt, quod hic proprie incipiat habere locum affectus Amoris, cui odium proprie dictum oppoſitum eſt, & amoris quidem quatenus adjunctam ſibi habet bonitatem, quippe ſine qua Amor ſterilis eſſet.

*Amor Dei quid. Ut eſt duplex.*

Amor hic eſt affectus unionis, & communionis cum re ſibi ſimili & conveniente. Similitudo enim eſt mater amoris. Amorem autem cum dico, amorem amicitiæ intelligo. Duplex enim Amor Deo tribui ſolet, *Amor benevolentiæ*, & *Amor Amicitiæ*, ſeu complacentiæ. Sic enim jam Dei amorem diſtinguimus, quamquam alii aliter. *Amor Benevolentiæ*, qui potius amor Boni volentiæ eſt vocandus, eſt affectus quo Deus movetur ad bonum aliquod volendum & faciendum creaturæ ſuæ primum qua tali, nulla habita ratione virtutis aut obedientiæ, quæ in creatura ſit, quem affectum nos ſub affectu bonitatis hactenus comprehendimus. Propter hunc amorem Joannes, 1 *Epiſt.* IV. 8, Deum vocat *caritatem* ipſam, id eſt ipſiſſimam bonitatem. Deinde quo Deus benevult, ſive potius bonum aliquod facere vult creaturæ ſuæ, licet indignæ, imo odio dignæ, id eſt hominibus, non obſtante

*Amor Benevolentiæ.*

ſtante peccato, propter quod alioquin odio digni eſſent. quo ſenſu Deo tribuitur χρηστότης & φιλανθρωπία, *Tit.* III. 4. & ἀγάπη ſive dilectio, *Joan.* III. 16. qua *dilexiſſe* dicitur *mundum*, nempe *in malo* ſive peccato *totum poſitum*, 1 *Joan.* V. 19. *peccatores, quum adhuc impii & inimici Deo eſſent*: *Rom.* V. 5. 8. & 1 *Joan.* IV. 10. & 19. & alibi. Hujus amoris effectus dicitur *datio Filii in mortem pro peccatoribus*: *Joan.* III. 16. & *Rom.* V. 8. & 1 *Joan.* IV. 10. *reconciliatio* eorundem, conjuncta cum remiſſione ſive non imputatione peccatorum omnium antecedentium: *Rom.* III. 24. 25. & 2 *Corinth.* V. 19. & poſtulatio non operum legis, ſed reſipiſcentiæ & fidei: ut paſſim videre eſt.

*Sub quo comprehenditur miſericordia.*

Quia vero per peccatum homines miſeriæ obnoxii erant, juxta juſtum Dei judicium; hinc affectus hic benevolentiæ ad illos homines juvandos *Miſericordia* vocatur, quæ proprie eſt affectus ſubveniendi miſero; non quod iſto ſemper ſenſu in Scriptura uſurpetur vox Miſericordiæ; (ſæpenumero enim vox Miſericordiæ pro qualibet Dei benignitate accipitur: uti *Pſal.* CXLV. 9. *&c.* tam ea qua Deus erga pios, quam qua erga impios, & propter impietatem miſeros, utitur. uti *Pſal.* CIII. 8. 15. & alibi videre eſt.) ſed quod vocis ipſius ſignificatio ea ſit, & ea non raro ſic uſurpetur: uti *ad Epheſ.* II. 4. 5. 6. 7. & 1 *Petri* I. 3. & II. *cap.* 9. 10.

*Et gratiâ.*

Hujus amoris & bonitatis adjunctum eſt *Gratia*, ſecundum quam Deus affectos eſt ad communicandum bonum ſuum, & ad amandum homines, propria ſua ſponte, non ex merito aut debito, aliave ulla cauſſa extrinſecus impellente; neque ut ipſi Deo aliquid accedat, ſed ut bene ſit illi, cui ea fit. Gratia enim nihil aliud eſt quam indebitus & impromeritus favor. Hinc Apoſtolus *Rom.* IV. 5. ait: *Ei qui operatur, merces non imputatur ex gratia, ſed ex debito.* Gratia ergo non modo meritum, ſed & debitum, ſive obligationem ex priore aliquo beneficio profectam, excludit, & quod *cap.* XI. 6, clarius adhuc effertur: *Si gratiâ, jam non ex operibus*, (legis ſcilicet) *alioquin gratia jam non eſt gratia.* & *ad Epheſ.* II. 8. 9: *Gratia eſtis ſalvati per fidem*: & *hoc non ex vobis*, (nempe quod ſic ſalvemini:) *Dei donum eſt. non ex operibus, ne quis glorietur.* Nempe gratiæ, id eſt, indebito atque impromerito Dei favori, Apoſtolus tribui vult univerſum ſalutis noſtræ negotium; tum quod Deus nos, licet peccatores, ſalvare velit; tum quod nobis ad ſalutem conſequendum non præſcribat legem operum, id eſt, perfectam & perpetuam ἀναμαρτησίαν, ſed legem fidei, quæ ſolam damnat impœnitentiam, & deliberatam tum peccandi voluntatem, tum non peccandi negligentiam. Hoc utrumque beneficium appellat, τὸ ὑπερβάλλον τῆς χάριτος τοῦ Θεοῦ ἐν χρηστότητι ἐφ' ἡμᾶς, per Metonymiam cauſſæ pro effectu: uti non raro in Scripturis vox gratiæ pro donis ex gratia datis ſolet uſurpari, vide *Joan.* I. 16. *Rom.* I. 5. & XII. 3. & XV. 15. & 2 *Corinth.* VIII. 1. & IX. 8. *Epheſ.* IV. 7. & 1 *Pet.* V. 10: ubi Deus à Petro appellatur *Deus omnis gratiæ*, id eſt, omnis gratiæ ſeu beneficii fons ac ſcaturigo. Hoc ſenſu metonymico etiam fere gratiæ vox apud Scholaſticos uſurpari ſolet, quum de gratia gratum faciente, & de gratia gratis data loquuntur, item de gratia habituali & actuali, &c. Sed nos de gratia hîc tantum agimus quatenus ea affectus in Deo eſt, qui gratuitorum omnium donorum ac beneficiorum fons eſt, quique ad Amorem benevolentiæ à nobis refertur, quia uſque adeo arcte ei conjunctus eſt, ut unum fere cum eo cenſeri debeat. Hinc enim Amoris, Benignitatis, Miſericordiæ, & gratiæ voces fere ſynonymæ ſunt in Sacris, & promiſcue uſurpantur.

*Amor Amicitiæ, Ejus objectum duplex, quod & quo.*

*Amor Amicitiæ*, ſive complacentiæ, eſt affectus, & cum affectu conjuncta voluntas, qua Deus fertur in creaturam juſtam, quâ talem. Objectum hujus amoris eſt duplex: Quod, & quo. *Objectum quod* eſt creatura ſive homo, qui creatura Dei eſt. *Objectum quo* ſive formale eſt juſtitia. Primum ergo objectum hujus amoris eſt juſtitia, quam Deus gratam per ſe habet, & propter quam creaturam ſibi gratam habere vult: quia in ea, tanquam bono ſibi proximo conveniente & amico, delectatur ſibique complacet. *Pſal.* XI. 7: *Quoniam juſtus Dominus, juſtitias diligit, rectum videt facies ejus.* & *Pſal.* XLV. 8: *Diligis juſtitiam, & odio habes impietatem.* qui locus citatur in Epiſtola *ad Heb. cap.* I. 9. Juſtitiam autem cum dico, intelligo proprie juſtitiam moralem, quæ in obedientia poſita eſt; ſive illa ſit juſtitia, quæ in homine integro & nondum lapſo eſt, ſive quæ eſt in homine peccatore, ſed ad juſtitiam converſo, quæ reſipiſcentia dicitur; uti *Ezech.* XVIII. & XXXIII. videre eſt, & paſſim alibi. Pro ratione autem majoris vel minoris juſtitiæ & reſipiſcentiæ, variant etiam amoris hujus gradus, tam quoad intenſionem quam quoad extenſionem. Ergo ſecundum objectum (quod) amoris hujus, eſt homo juſtus, tanquam amicus Dei, cum quo Deus uniri & bona ſua communia fieri amat. Amicorum enim omnia ſunt communia. Sic Chriſtus ait, *Joan.* XV. 14: *Vos amici mei eritis, ſi feceritis quæcunque ego mando vobis. Non amplius dicam vos ſervos: quia ſervus neſcit quid faciat Dominus ſuus; ſed vos dixi amicos, quia omnia quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Sic Petrus dicit, *Act.* X. 35: *In quavis gente acceptus eſt Deo, qui Deum timet, & operatur juſtitiam.* Sic Abrahamus per fidem dicitur vocatus fuiſſe *amicus Dei*: *Jacob.* II. 23. & 2 *Paral.* XX. 7. Videte ſimilia loca *Joan.* XIV. 21. 24. & XV. 9. 10. & X. 17. & VIII. 29. *Pater non reliquit me ſolum, quia ego quæ placita ei ſunt facio ſemper.* Hinc Jeſus etiam dicitur *Filius ille dilectus, in quo Patri complacitum fuit*, ἐν ᾧ εὐδόκησεν: *Matt.* III. 17. & XII. 18. & XVII. 5. & 2 *Pet.* I. 17. & *Filius dilectionis Dei*: *Coloſſ.* I. 13. In genere autem loquitur David *Pſal.* CXLVI. 8: *Dominus diligit juſtos.* & Chriſtus, *Joan.* XVI. 27. de diſcipulis ſuis ait: *Ipſe Pater amat vos, quia vos me amaſtis, & credidiſtis quod ego à Deo exivi.*

Amoris hujus effectus eſt communicatio bonorum, quæ pro ratione Fœderis utriuſque, tum Veteris tum Novi, variat, tam quoad intenſionem, quam quoad extenſionem, prout ex promiſſis utrique Fœderi appoſitis videre eſt. In utroque tamen extenditur uſque ad communicationem æternæ vitæ, id eſt uſque ad ultimum bonitatis divinæ egreſſum ac terminum: ſed in illo tacite, ſub generalibus verbis, aut ſub typis; in hoc expreſſe & nominatim. Sed de eo aliàs.

## CAPUT XXIII.

### De Odio Dei.

*Odium Dei quid.*

AMori huic, id eſt, amori amicitiæ, oppoſitum eſt *Odium* proprie dictum: (odium enim quod affectui vel amori benevolentiæ opponitur, odium eſt improprie dictum, ſeu potius minor quidam amor:) quod eſt affectus diſplicentiæ & ſeparationis à re aut perſona diſſimili & ingrata. Hujus natura ex contraria Amoris natura facile intelligitur, Amoris inquam Amicitæ. Objectum enim hujus itidem duplex eſt, Quod & quo. *Objectum quo*, quia id ratio formalis odii eſt, non poteſt aliud quid eſſe, quam injuſtitia ſive peccatum. *Objectum quod*, eſt creatura ſive homo in injuſtitia ſive peccato perſeverans. Iſtud odium, dicitur *Odium abominationis*. Hoc, *odium inimicitiæ*, De odio abominationis plena eſt Scriptura, quando dicit in genere Deum *odiſſe injuſtitiam, & iniquitatem*: *Pſal.* XLV. 8. & in ſpecie peccata quædam nominatim recenſet, quæ dicit Deum odiſſe & abominari. *Proverb.* VI. 16. *Jerem.* XLIV. 4. *Zach.* VIII. 17. *Levit.* XVIII, 22. 26. 29. *Deut.* XII. 31. & XIII. 14. & XVI. 22. & XVII. 4. & XVIII. 9. 12. & XXIII. 18. & XXV. 16, &c. De odio inimicitiæ ſimiliter loca multa ſunt. In genere, *Pſal.* V. 7. dicitur Deum *odiſſe omnes operantes iniquitatem.* *Pſal.* XI. 5: *animam Dei odiſſe impium & diligentem iniquitatem.* In ſpecie, *Levit.* XXVI. 30, dicitur *animam Dei abominaturam excelſorum & imaginum cultores.* 1 *Reg.* XXI. 26. *Oſeæ* IX. 15. *Pſal.* XIV. 1. & LIII. 1. & *Jacob.* IV. 4: *Adulteri & adulteræ, an neſcitis amicitiam mundi, inimicitiam eſſe adverſus Deum? Quicunque ergo voluerit amicus eſſe mundi, inimicus Dei conſtituitur*: id eſt, is tum inimicus Deo eſt, tum ei inimicus Deus eſt. De utriuſque odio ſimul, inquit autor libri Sapientiæ; *Peræque inviſi Deo ſunt, impius, ejuſque impietas*: *cap.* XIV. 9. Quod adeo verum eſt, ut Scriptura dicat Deum etiam odiſſe atque abominari iſta ipſa impiorum facta atque opera, quæ alioquin Deo grata, imo ab ipſo Deo præcepta ſunt; qualia ſunt ſacrificia, preces, &c. *Proverb.* XV. 8: *Sacrificium impiorum eſt abominatio Domino. Oratio autem juſtorum* aut rectorum *beneplacitum ejus.* & *cap.* XXI. 27: *Sacrificium impiorum eſt abominatio; quanto magis ſi cum ſcelere obtulerint illud?* & *cap.* XXVIII. 9. *Qui removet aurem ſuam ne audiat legem, etiam oratio ejus erit abominatio.* Vide prolixe hoc idem deductum, *Eſa.* I. 13. 14. &c. Per impium itaque & injuſtum, qui odii objectum eſſe dicitur, intelligendus eſt non tantum is qui juſtus nunquam fuit, aut pietatis nullo ſtudio ductus unquam eſt; ſed & qui vel externo quodam pietatis ſtudio duci videtur, revera tamen animo à juſtitia & pietate alienus eſt; vel juſtitiæ ſtudio aliquamdiu ductus, ad injuſtitiam delabitur & impœnitens eſt.

*Ejus objectum eſt duplex, quod & quo.*

*Effectus odii divini.*

Effectus hujus odii eſt averſio ſeu ſeparatio creaturæ à communione bonorum iſtorum, quæ ex divinæ Bonitatis fonte fluere neceſſe eſt; quæ pro ratione gravioris aut diuturnioris impietatis & impœnitentiæ, gravior & diuturnior eſt. Graviſſima ſeparatio eſt, qua ultimus Bonitatis egreſſus, id eſt, vitæ æternæ communicatio, ſiſtitur, ita, ut ſpes eam conſequendi etiam præcidatur; quod fit, quando etiam primus omnium egreſſus divinæ bonitatis ſiſtitur, ita ut homo in impietate atque impœnitentia ſua moriatur. Hoc enim ſummi odii ſignum eſt, quo Deus oſtendit ſe ita averſari hominem, ut felicitatem ejus odio habeat, nihilque ei cum

beatitate

beatitate commune esse velit, spe omni in gratiam redeundi, & ad felicitatem perveniendi, ei præcisa atque ademta per mortem. Hoc enim nihil aliud est, quam ipsam creaturæ miseriam amare; quod tum fieri credendum est, quando homo insanabilem & inemendabilem se præbet. Ex his colligo duo hæc consectaria.

*Duo consectaria. Primum, adversus electionem absolutam.*

I. Odii divini vim non terminari tantum ad impietatem aut impœnitentiam, sed etiam ad ipsas hominum impiorum aut impœnitentium personas; adeo ut Deo impossibile sit personas ipsas summo amore amare, & simul impietatem & impœnitentiam eorum, quæ in ipsis est, odisse. Ratio est, quia Deus justitiam & pietatem magis amat, quam creaturam suam ejusque felicitatem. unde consequi necesse est, Deum magis amare miseriam ejus, quando injustitiæ totum se mancipat, quam felicitatem ejus; proinde magis etiam odisse felicitatem ejus, quam ipsam amare creaturam. Hoc contra eos notandum est, qui asserunt & contendunt, Deum eos quos absolutè ac nominatim electos ad vitam æternam esse ajunt, amare amore summo, & non posse odio summo odisse, quamvis in scelera atrocissima incidant, in iisque aliquamdiu pertinaciter perseverent: quod Scripturis directe contravenire ex antedictis liquet. Dices: Atqui Deus potest illis remittere peccata sua, ac proinde eos non obstantibus peccatis istis amare. Resp. At Deus non vult, imo non potest, iis peccata remittere quà talibus, sed quà pœnitentibus & resipiscentibus. Esto, inquies: At quia eos elegit ad vitam æternam, efficiet etiam in iis ut pœniteant ac resipiscant. Resp. 1. At hoc non sufficit, ut dici possit Deum eos amare amore amicitiæ, qui summus amor est, quamdiu non resipiscunt. Deinde 2. Quando Deus in ipsis efficit vi sua pœnitentiam, tum illi non resipiscunt; quia resipiscentia quæ libera & voluntaria non est, non est resipiscentia à peccatis libere commissis, nedum quæ à Deo haberi potest pro resipiscentia Lege aut Euangelio præscripta atque imperata: sed resipiscentia ista non est nisi effectus purus putus divinæ actionis, quæ resipiscentia nomine tenus est; cum resipiscentia quæ officii nostri actus est, sola eo nomine digna sit. Denique 3. Tantum abest, ut Deus sic in istis, quos vocant, electis, operari velit resipiscentiam, ut contra, quia impietatem summe odit, eamque per liberam pœnitentiam, ac voluntariam solicitamque resipiscentiam correctam atque emendatam vult, ejusmodi resipiscentiam sic operari nec velit nec possit velle, ne vanus injustitiæ ofor, & non verus resipiscentiæ proprie dictæ amator esse videatur. quod clare patet ex *Ezech.* XVIII & XXXIII *capp.* & ex formula præceptorum, *Resipiscite, convertimini ad me, discite bene agere*, &c.

*Secundum, adversus reprobationem absolutam. Respondetur objectioni ex Rom. IX. 11.*

II. Consectarium est. Odii divini proprie dicti, tum abominationis, tum inimicitiæ, objectum, non posse esse hominem quà talem, sed tantum quà propria sua sponte, & non inevitabili voluntate, peccatorem.

Prius patet: Quia homo qua talis nil nisi bonum est, quod odii proprie dicti objectum esse non potest. Dices: Attamen ad *Rom.* IX. 11 dicitur; *Nondum natis pueris, cum nihil fecissent boni vel mali, &c, dictum est, Jacobum dilexi, Esau odio habui.* Resp. Ita est. Sed non dicitur, Esau odio habui, odio proprie dicto; nec dicitur, Esauum puerum nondum natum, quum nihil adhuc fecisset mali, odio habui: sed tantum dicitur, oraculum (non hoc, *Jacobum dilexi, Esau odio habui*: Hoc enim oraculum non fuit, sed tantum Malachiæ ultimi prophetarum omnium dictum est, quod seculis multis post à propheta scriptum fuit; uti in textu aperte legitur; sed istud,) *Major serviet minori*, editum fuisse antequam pueri isti duo nati essent. At vero *Major* ibi non significat Esauum ipsum, sed populum ex Esauo primogenito orturum, ac proinde majorem. Dicitur autem eum, id est, Edomæum populum, serviturum *minori*, id est, populo ex Jacobo secundogenito orituro: uti ex historia *Genes.* XXV. 23. in terminis liquet, ad quam sine dubio respexit Apostolus. Ejus autem confirmatio, & quasi illustratio est, quod ex Malachia deinde additur: quippe quem etiam de duobus populis loqui manifestum est. Tantum vero abest, ut dictum istud, *Esau odio habui*, si de odio propriè dicto accipiatur, ad Esaui personam referri possit (quid enim absurdius quam Esauum innocentem, & quà innocentem, antequam scilicet mali quidquam fecerat à Deo odio proprie dicto habitum fuisse?) ut ne quidem ad eam referri possit, si de odio improprie dicto accipiatur; quia certum est, Esauum non servisse fratri suo Jacobo; etiam post venditam primogenituram, sed contra potius, Jacobum ei veluti majori ac digniori se submisisse, eique ut sic loquar serviisse: *Genes.* XXXIII. 3. Addo: dictum istud, ne quidem de populo ex Esauo orto, sive Edomæo, universe accipi posse; quia eum Israelitico populo serviisse aut vectigalem factum fuisse non constat, nisi multis demum post seculis, tempore scilicet Davidis, & sera quidem ejus ætate, ut videre est 1 *Paral.* XVIII. 12. 13. Quare si oraculum istud eo demum tempore impletum dicatur, nulla certe cum specie id ad personam Esaui, omnesque ejus posteros, referri potest; quasi nimirum ille ejusque populus, qui Jacobi tempore aut aliquamdiu post ex eo ortus, in montibus Seir principatum tenuit, odio aut proprie aut improprie dicto habitus fuerit. Nolim tamen negare odium hoc, etiam ad personam Esaui ejusque populum referendum esse hactenus, quod ille ejusque populus, cum primogenitus esset, & ex jure primogenituræ, hæres terræ Canaam fieri debuisset, Deo ita volente ac dirigente, ab hæreditate ista seclusus fuerit, montesque deserti Seir in hæreditatem ei quasi cesserint; uti Malachias non obscure id exponit. Sed vero hoc odium, non est proprie dictum odium, sed minor tantum quædam dilectio, quæ odii voce aliquando solet significari: ut *Deut.* XXI. 15. *Proverb.* XIII. 24. *Matth.* VI. 24. *Luc.* XIV. 26. & alibi videre est. quod ex eo apparet, quia eo non obstante, quod ad ipsum Esau attinet, ille magnus in terra hæreditatis suæ Princeps fuit, principumque ac Regum multorum pater: uti *Genes.* XXXVI videre est. Quod vero ad populum ejus attinet, ille non ingens modo & inclytus fuit potentia & opibus, sed multorum etiam sapientum piorumque & Deo gratorum nutritor & alumnus, ut in Jobi historia videre est. Sed hæc sufficiant hoc tempore. Qua ratione autem hoc dictum Malachiæ, & quod præcessit oraculum, ad scopum Apostoli pertineat, non est hujus loci inquirere. Sufficit si constet jam, dictum hoc de odio proprie dicto accipi non posse; quia sive de Esauo, sive de populo ex Esauo orituro accipiatur, certum est nec Esauum, nec populum nondum natum, & nullius adhuc mali autorem, objectum odii proprie dicti esse potuisse.

Dices: Argumentum hoc non procedere, quia etsi Esau & populus Edom nondum natus erat, quando oraculum istud dabatur, Esau tamen jam conceptus erat. Ergo quæ conceptus objectum odii proprie dicti esse poterat: quia in peccato originali conceptus erat. Respondeo itaque, Quod ad posterius membrum consectarii nostri attinet; Objectum odii Dei proprie dicti non posse esse hominem, qui non sua propria sponte & evitabili culpa peccator est. Ratio est; quia nemo peccator esse potest nisi sua propria voluntate, eaque libera. Nihil magis voluntarium est, quam peccatum, sive culpa cui pœna debetur. Si enim datur peccatum ullum involuntarium, aut quod voluntarium dicitur aliena voluntate, aut peccatum illud erit peccatum adulti, aut infantis. Adultus peccare non potest aliena, aut non prorsus sua propria voluntate. Infans non modo non potest aliena voluntate peccare, sed ne quidem sua propria: quia infans judicio caret, & legis incapax est. Quanto minus itaque infans nondum natus, aut conceptus dumtaxat, quid dicam nondum conceptus, sed post mille aliquot annos concipiendus primum ac nasciturus? odio itaque proprie dicto non modo non dignus, sed indignus est; imo dignior, quam ut tali odio habeatur. Ita certe Deus ipse judicavit in Lege sua, *Deut.* XXIV. 16: *Non interficientur patres pro filiis, neque filii interficientur pro patribus: quisque pro peccato suo morietur.* qua lege motus Amazias Rex dicitur 2 *Reg.* XIV. 6: ut non interficeret filios percussorum patris sui. Et eidem legi se obstrinxisse dicitur Deus *Ezech.* XVIII. 20: *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur. filius non portabit iniquitatem patris, neque pater portabit iniquitatem filii.* Sed pluribus hac de re aliàs. Hactenus ergo de amore & odio Dei egimus.

## CAPUT XXIV.

### De Dei desiderio & fuga.

*Desiderium Dei quid sit.*

Affectus qui ex amore Dei oriuntur sunt desiderium & spes. *Desiderium* Dei, aliud nihil est quam affectus habendi ab homine quod sibi gratum est, quodque amat amore amicitiæ, & faciendi homini quod ei gratum est, & ad quod faciendum ex amore benevolentiæ erga hominem, propensus est. Id quod Deus ab homine habere desiderat, est bonum obedientiæ & perseverationis in obedientia; vel, ubi neglecta aut intercisa est obedientia, bonum resipiscentiæ aut conversionis. Id quod homini Deus facere desiderat, est bonum tum terrenæ felicitatis, tum beatitudinis cælestis.

Per

Per bonum obedientiæ intelligo obedientiam, quæ bonum morale est, sive ea præstita non sit, sive ea præstanda sit, sive ea actu præstetur: sic enim contradistinguitur à perseverantione in obedientia actuali. Hoc desiderare Deum dicimus ab homine, quia est id, quod homo ex officio dare tenetur Deo, tanquam actum suæ voluntatis, quem liberum Deus ei reliquit, ut exercere eum, & sic eum Deo dare; vel non exercere, & sic eum non dare vel negare Deo (etsi non sine peccato) posset. Hunc itaque actum quando exercet homo, tum eum Deus habet, non sibi, id est, bono suo, sed tantum gratum sibi; & sic eum desiderat habere, non bono suo, sed bono hominis; quia ex actu isto nihil ad Deum redundare potest quod Deum perficiat aut beatiorem reddat; sed quia omne quod in eo bonum est, id ad hominem perficiendum facit. Perfectio autem hominis quanto major est, tanto est Deo gratior atque acceptior.

Hujusmodi desiderium, una cum affectu benevolentiæ conjunctum, Deo tribui in Scripturis testantur seriæ & frequentes illæ Dei optationes, sive vota, precationes, obtestationes & increpationes; quæ omnes non nudum Dei desiderium tantum, sed desiderii divini tum vehementiam, tum sinceritatem arguunt.

*Id Deo convenire ostendunt ejus optationes.*

*Optationes* sive *vota Dei* duûm generum sunt: Aliæ, quæ præteritum tempus respiciunt: uti *Psal.* LXXXI. 14: *Utinam* (לוּ est in Hebræo) *populus meus obtemperasset mihi, Israel in viis meis ambulasset! Brevi tempore inimicos eorum humiliassem*, &c. *Esa.* XLVIII. 18: *utinam attendisses ad mandata mea; tunc fuisset sicut flumen pax tua & justitia tua veluti fluctus maris*, &c. (In Hebræo est לוּ cum א) Aliæ quæ futurum tempus respiciunt: uti *Deut.* V. 29: *Quis det*, (מי יתן) *ut sit cor eorum istud illis, ut timeant me, & custodiant omnia præcepta mea omnibus diebus, ut bene sit illis & filiis eorum in seculum. Deut.* XXXII. 29. *Utinam* (in textu Hebræo est לוּ) *sapientes essent!* (tum) *intelligerent hoc, intelligerent novissimum suum.* Hisce divinis optationibus adjungi meretur optatio illa Jesu Christi, quæ præsens etiam tempus respicit, *Luc.* XIX. 42: *O si vel tu* (Jerusalem) *nosses, hoc saltem tuo die, quæ ad pacem tuam faciunt!* Optationis hujus tum vehementia, tum sinceritas ex eo patet, quod ea in medio triumpho cum profusis lachrymis Jesu Christi conjuncta fuisse legatur.

*Precationes.*

Quod ad *precationes Dei* attinet, eæ ingens etiam desiderium Dei testatum faciunt. cujusmodi sunt, *Esa.* LXV. 2. ubi Deus dicit se *expandisse manus suas* (instar precantis & obsecrantis scilicet, uti ritum istum adhiberi docet Scriptura, quando homines precantur: *Exod.* IX. 29. & 1 *Reg.* VIII. 22. *Job.* XI. 13. *Psal.* LXIII. 5.) *tota die ad populum perversum, qui graditur per viam non bonam, post cogitationes suas*, &c. 2 *Corinth.* V. 20: *Itaque nomine Christi legatione fungimur; & ac si Deus vos per nos oraret, oramus Christi nomine, Reconciliamini Deo.*

*Obtestationes.*

*Obtestationes* etiam seu *querimoniæ*, desiderii indices sunt. *Ezech.* XVIII. 23: *Nunquid desiderando desidero, ut moriatur impius, dixit Dominus Deus? & vers.* 31: *ut quid moriemini domus Israel? Quia nolo mortem morientis, dixit Dominus Deus. revertimini facite igitur & vivetis.* quod idem fere repetitur *Ezech.* XXXIII. 11. *Mich.* VI. 3: *Popule mi quid feci tibi, & in quo laborare feci te? loquere contra me*, &c. *Ierem.* II. 5: *Quid invenerunt patres vestri iniquitatis in me, quod elongaverunt se à me, & ambulaverint post vanitatem, & vani facti sint?* Increpationum plena est Scriptura tota.

*Quæ cum absoluta conversionis impossibilitate aut necessitate consistere non possunt.*

Desiderii hujus divini, & quæ ex eo oriuntur optationum, precationum, obtestationum, & increpationum divinarum vim ac sinceritatem prorsus enervant, imo abolent ii, qui absolutam reprobationem, irresistibilis conversionis necessitatem, gratiæ insufficientiam, sive internam inefficaciam, & obediendi impossibilitatem urgent ac tuentur. ubi enim absoluta reprobatio præcessit, ibi non modo non potest habere locum desiderium obedientiæ, sed ibi locum necessario habere debet, non desiderium obedientiæ, ne vana ac frustranea sit reprobatio, & desiderium non contraveniat jam ante deliberato decreto. ubi irresistibilis conversio necessaria est, ibi desiderium obedientiæ est desiderium frustraneum ac stolidum. Libertas enim in necessitate quæritur ac desideratur. Ubi gratiæ insufficientia est, ibi desiderii prætensio mera histrionia est. Desideratur enim sufficiens effectus ab insufficiente causa. Ubi obediendi impossibilitas est, ibi obedientiæ desiderium, est desiderium rei simpliciter impossibilis. Desideratur enim vita à mortuo & ambulatio à cadavere. Quæ omnia sunt absurda & ἀσύστατα. Desiderium enim verum ac sincerum non est, nisi rei gratæ ac possibilis. Dices: Atqui dictum fuit, Deum etiam optare ac desiderare ut factum sit quod factum non est, ac proinde fieri impossibile erat. Ad præteritum enim non datur potentia. Resp. Non fuit dictum, Deum optare ut fiat id quod præteriit, sed ut factum fuerit id quod factum non fuit. Id enim quo tempore non fiebat, possibile erat fieri. Instabis: Christus, uti dictum est, optavit, ut Hierusalem sciret quæ ad pacem suam faciebant; quod tamen impossibile erat, quia dicitur, *Sed hoc nunc absconditum est ab oculis tuis.* Resp. Ex ipsa optationis Jesu Christi formula apparet, Christum non de potentia aut possibilitate sciendi agere, sed de actuali scientia. Optat enim, non ut Jerusalem scire possit quæ ad pacem suam faciant, sed ut actu ea sciat, & ad ea animum advertat. Quod autem subjicitur à Christo: *Sed hoc nunc absconditum est ab oculis tuis*, id non cogit ut dicamus, ea verba à Christo eo fine subjici, ut ostendat, istud tum impossibile populo Hierosolymitano redditum fuisse. Nihil enim vetat ista verba sic accipere, ut contineant nudam tantum enunciationem, qua Christus significat populum ista aut nescire, aut nescire velle. quasi dixisset: Sed, proh dolor! ista, quæ ego opto ut populus sciat, plane nescit populus, ac ne scire quidem satagit: atque hoc ipsum, quod ista tam supina profundaque ignorantia laboret, seque ex ea expedire non studeat, cum tamen expedire se possit ac debeat, causa est, quæ me movet, ut doleam, & commiseratione seria atque intima tangar super eo. Hoc sane sensu phrasis hæc occipitur *Luc.* XVIII. 34. *Ipsi vero nihil horum intelligebant, erantque ea verba abscondita ab iis, nec cognoscebant quæ dicebantur. Luc.* IX. 45: *Ipsi vero ignorabant dictum istud, eratque absconditum ab iis, & timebant eum interrogare de eo.* Ignorantiam itaque Christus populo adtribuit, non levem sed magnam, non simplicem seu puræ negationis aut privationis, sed pravæ dispositionis, ac proinde seu directè, seu indirectè aut interpretativè volitam atque affectatam; uti ex fine *vers.* 44. clarius liquet, ubi pro causa excidii futuri allegatur, *Eo quod non noverit*, id est, quod non studueris, non volueris, aut quod neglexeris nosse, & sic animum advertere ad tempus illud visitationis tuæ. quod tempus sine dubio tempus gratiæ fuit, ex qua visitatio illa profecta fuit. *Luc.* I. 68, *&c.* 78. 79. *Luc.* VII. 16. & 1 *Pet.* II. 12. & tum, cum hæc optabat Christus, adhuc durabat, quia dicitur, *vel hoc tuo die*, id est, qui salutaris tibi adhuc illucet, & non sine speciali signo ac testimonio, quasi meridie splendet, quo ego Rex vester à turba salutor & proclamor, juxtaque prophetarum vaticinia asinæ pullo insidens Hierosolymam invehor, acclamante populo pene toto, ut vos officii vestri, si pote, vel hoc argumento ducti, recordemini. Sed hac de re satis.

*Dei fuga.*

Desiderio huic opposita est *fuga*, quæ oritur, non ex non desiderio obedientiæ aut respiscentiæ seu conversionis hominum peccatorum; Hoc enim quamdiu homines vivunt & obedire aut respiscere adhuc possunt, nunquam (meo judicio) in Deo desinit; quia ut Petrus ait 2 *Epist.* III. 9, *patiens est*, aut μακροθυμεῖ, *erga nos; nolens ullos perire, sed omnes ad respiscentiam contendere.* & *Rom.* II. 4. & ut Ezechiel ait *cap.* XVIII. & XXXIII. non vult, aut *non delectatur morte morientis, sed ut convertatur & vivat.* ita oritur ex odio abominationis, quo peccata, sive inobedientiam & irrespiscentiam, sive ut est *Rom.* II. 5, σκληρότης καὶ ἀμετανόητον καρδία odit: & ex odio inimicitiæ, quo peccatorem contumacem & inemendabilem odit. Hanc fugam testatur Deus, quando declarat se non desiderare adeoque non cupere, ut ulla optatio, intercessio, aut precatio pro populo fiat: ut *Jerem.* VII 16: *Tu ergo ne ores pro populo isto, neque adsumas pro eis clamorem & orationem: & ne deprecetis me, quia non exaudiam te. Jerem.* XI. 14. & XIV. 11. aut si ulla omnino precatio aut intercessio fiat, licet à sanctissimis Deoque gratissimis viris, se non exauditurum: *Jerem.* XV. 1. *Si steterint Mose & Samuel*, (Ezechiel addit *cap.* XIV. 14. *Noah, Daniel & Job*, quamquam non orantes) *coram me, non erit anima mea ad populum istum*, scilicet præfractum ac rebellem, qualem, supple, semper; nisi populus ipse tandem respiscat; uti ex *Jerem.* XVIII. 7. 8, liquet. quod ipsum à Deo semper desiderari serio, etiam cum jam pro populo non respiscente orari vetat, ex prophetis manifestum est, imprimis ex ipso illo *Jerem.* VII *capite, vers.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. in quo non multo post Deus Jeremiæ vetuisse legitur, ne pro populo oraret. Vide similia loca apud eundem prophetam, *cap.* XVII. 24. 25. *cap.* XXI. 12. *cap.* XXII. 3, &c.

## CAPUT XXV.

### De Dei spe, ejusque oppositis.

*Quid sit Dei spes.*

DEsiderium Dei excipit *Spes*, quæ desiderio superaddit persuasionem de bono verisimiliter futuro. Est enim Spes aliud nihil, quam attenta boni desiderati, & verisimiliter extituri, exspectatio. Per bonum desideratum intelligo obedientiam aut respiscentiam, gratitudinem ob præstita beneficia, opis & auxilii implorationem in adversis,

aliaque officia hominis. Per τὸ *verosimiliter futurum*, intelligo obedientiam, resipiscentiam, gratitudinem, &c. quæ ab homine libera voluntate præstabitur, consideratis omnibus istis, tum circumstantiis, tum divinæ gratiæ auxiliis, quæ requiruntur ad hoc, ut effectus verosimiliter extiturus videri possit, id est ut ipsa obedientia, resipiscentia, aut gratitudo actualis hominis secutura credatur. Hoc, sive τὸ *verosimiliter futurum*, apud me de essentia hujus adfectus est, sive spei est ipissimum objectum. Spes enim illa, quæ nititur indubitata atque infallibili promissione Dei, quæque proinde pro objecto suo habet bonum certo futurum, ad hanc spem non pertinet, & ea non tam spes quam fiducia, quæ roborata spes est, censeri debet; unde & in Scripturis πληροφορία, πεποίθησις, παῤῥησία ei tribuitur; *Heb.* VI. 11. *ad Ephes.* III. 12.

*Objectum ejus non est id quod impossibile est aliter fieri.*

Ex quo consequitur, objectum spei esse non posse id, quod impossibile est aliter fieri, id est, id quod vel prorsus necessario, sive necessitate consequentis, sive necessitate consequentiæ futurum est; vel quod impossibile est, sive ex natura rei, sive ex impedimento irresistibili aut inevitabili, ut fiat. Necessaria aut impossibilia sperare stultum ac ridiculum est. Spei ergo hujus divinæ objectum, est obedientia hominum verosimiliter futura, uti diximus.

*Ac proinde non potest consistere cum absoluta electione & reprobatione.*

Unde sequitur, vehementer ac turpiter errare eos, qui spem Deo tribuunt, & simul ejusmodi absolutam quorundam hominum electionem & reprobationem credere se profitentur, qua fiat, ut electos istos Deus velit irresistibiliter convertere, reprobos vero istos non convertere; cum utrisque per se æque impossibile sit ut convertantur sine gratia irresistibili; Illos ergo, quando gratia ista donantur, non posse non converti; Hos, quia ea non donantur, non posse converti. Circa quos ergo spes Dei versabitur, juxta eorum opinionem? Circa neutros. Sperare enim ut convertantur, qui aut non possunt, aut non possunt non converti, tantundem est, atque sperare ut ignis, qua ignis, non calefaciat, aut, qua calidus est, refrigeret.

*Sed quidem cum præscientia.*

Quæres: An certa Dei præscientia cum spe possit consistere, aut conciliari? Resp. Posse, quia præscientia nihil mutat in objecto spei. Est enim actus immanens sperantis. Quamdiu ergo objectum sperabile tale manet, ut, consideratis omnibus circumstantiis, verosimile sit eventum consilio divino, & fructum operæ responsurum, tamdiu spei formalis ratio integra manet. Præscientia certa, quæ in Deo est, facit quidem, ut Deus sciat non futurum quod speratur; sed non facit, ut id, quod futurum non est, tale non sit, nec maneat, quod verosimiliter futurum fuisset, natura rei & causarum omnium ac circumstantiarum concursu considerato. Hisce enim per præscientiam Dei non impeditis, manet nihilominus sperabile, id, quod non futurum præscitur, imo non minus sperabile, quam si præscientia in Deo nulla esset.

Non diffiteor quidem, spei rationem clarius & liquidius apparere, imprimis apud plebem & vulgus hominum, si Deo non tribuatur certa futurorum contingentium præscientia. sed vero ut propterea Deo perfectio ista summa, præscientiæ futurorum contingentium infallibilis, adimatur, nondum à me impetro, vel ob hanc unam rationem, quod videam Deo in Scripturis etiam tribui actum spei, id est, exspectationem resipiscentiæ, ubi diffiteri non possunt etiam ii, qui certam Dei præscientiam negant, ejusmodi in Deo scientiam sive præscientiam fuisse, ut probabile aut verosimile prorsus non esset, resipiscentiam sive emendationem vitæ secuturam; uti in loco 1 *Epist. Pet.* III. 20, videre est; ubi Petrus ait, *Longanimitatem Dei exspectasse semel in diebus Noe*: scilicet resipiscentiam eorum qui tum vivebant. Si quis enim istius temporis statum, id est, universalem & inveteratam malè vivendi consuetudinem animadvertat, probabile non erat, aut saltem vix probabile, futurum, ut istius temporis homines, licet Noacho serio & assiduo hortante & urgente, ab ista consuetudine diverterentur, ad mores in melius commutandum. Hinc rectè Crellius vocem *exspectationis Dei*, pro desiderio resipiscentiæ hominum, moram ac spacium illorum emendationi concedente, potius quam pro spe aut exspectatione vera isthic accipere vult. Non enim, inquit, tam speraſſe videtur Deus hominum illorum resipiscentiam, tanquam probabilem, quam simpliciter desiderasse, ut rem sibi gratam, & sat diuturnum temporis spatiũ ei indulsisse: lib. 1. de vera Religione cap. XXXI. pag. 317.

*Locus 1 Pet. III. 20.*

*Esa. V. 2. 4. 7.*

Eadem etiam ratio locum habet apud Esaiam *cap.* V. 2. 4. 7. ubi Deus à *vinea* à se plantata & exculta, id est, à populo suo Israelitico, variis beneficiis à se aucto, & ad pietatem multis modis veluti exculto ac præparato, *exspectasse* dicitur, *ut faceret uvas*, id est, uti *vers.* 7 dicitur, *ut faceret judicium & justitiam*: quarum loco illa *protulerat labruscas*, id est, *iniquitatem & clamorem*, sive injustitiam & injuriam ad Deum clamantem. Nec enim dubium est, quin isto etiam tempore corruptissimi fuerint populi mores, uti ex 1 *cap.* & versibus statim in hoc V. *cap.* sequentibus Sole clarius liquet; ac proinde exspectatio sive spes hæc Dei, non tam exspectatio, quam desiderium potius Dei videri debeat. Ex quo colligo, causam non esse, cur præscientiam Dei cum spe sive exspectatione resipiscentiæ hominum conciliari non posse, videri debeat, iis, qui in hisce locis præscientiam Dei adeo certam locum habere agnoscunt, ut probabile aut verosimile non fuerit, futurum id, quod Deus exspectasse in iis dicitur. Idem forte etiam dicendum videtur de eo, quod sub parabola ficus significare voluit Servator noster, *Luc.* XIII. 6. 7. 8. 9. quamquam spes sive expectatio, ut ea indulgentiam anni unius nacta, fructus ferret, non ipsi Domino ficus, sed vinitori, in ea adtribui videtur.

Dices: At spei vocabulum nusquam in his locis occurrit. Resp. Fateor. Nec crediderim in tota Scriptura vocem Spei Deo tributam reperiri. Sed vero ἐλπίζειν ei vox est exspectationis, sive verbum exspectandi, quod Deo tributum etiam reperio, præterquam in duobus supradictis locis, *Esa.* XXX. 18. *Propterea exspectat Jehova, ut misereatur vestri.* & in 2 *lib. Machabæorum*, licet Apocrypho, *cap.* VI. 14. *Non enim, uti in aliis gentibus, lenitate Dominus exspectat, ut tum demum, quum ad cumulum peccatorum pervenerint, in eas animadvertat*, &c.

*Confidentia Dei.*

Exspectationis hujus ἀρχὴ est *Confidentia*, qua fit, ut Deus magno atque ingente spiritu, bonum quod vehementer desiderat, expectet, cum futuritionis apprehensione & persuasione, propter summam rei verisimilitudinem, & futuritionis tum æquitatem tum probabilitatem. Hæc confidentia Dei fundamentum est multarum enunciationum, quæ absolutæ esse videntur, & absolutè fiunt, cum prædictione certæ ac pene necessariæ futuritionis, cum revera tamen sint hypotheticæ & conditionatæ. uti sunt illæ *Jerem.* XXXI. 33. 34. qui locus citatur *Heb.* VIII. 10. *Jerem.* XXXII. 37. 38. 39. 40. *Ezech.* XI. 17. 18. 19. 20. & aliæ quibus Deus dicit, se *novum Fœdus initurum cum domo Israel & cum domo Juda*; & tale, ut *daturus sit legem suam in medio eorum, & in corde eorum eam descripturus*, &c. *ablaturum de carne eorum cor lapideum, spiritum novum inditurus visceribus eorum, & timorem suum daturus in cordibus eorum, ut non recedant ab eo*, &c. quas omnes enunciationes conditionatas esse, supra prolixè cum de Messia ageremus evicimus. Sensus enim earum est, Deum tot beneficiis cumulaturum populum suum, ut ab eo (nisi ingratissimus sit) aliud nihil exspectaturus sit, quam spontaneam, liberalem & continuam obedientiam, considerata scilicet multitudine, magnitudine, vi & efficacia beneficiorum impromeritorum & insperatorum, à qua eam obedientiam productum iri, tam erat verosimile, ut contrarium fieri pene impossibile videri deberet. Potuisse tamen contrarium fieri eventus ipse docuit, obstinata scilicet populi Judaici rebellio, & quæ eam consecuta est, etiam post eversum templum, civitatem & Rempub. deletam, usque in hunc diem induratio, sive contumax in rebellione perseveratio. ut jam alia argumenta non allegem.

*Metus Dei.*

Spei opposita sunt duo, Metus & desperatio. *Metus* vocabulum in tota Scriptura Sacra Deo non nisi semel tribuitur. *Desperationis* nunquam. Analoga tamen utrique adfectui isti, Deo hic illic adtribuuntur. Ad metum quod attinet, is Deo tributus legitur *Deut.* XXXII. 26. 27: *Dicerem, dispergam eos per angulos, cessare faciam ex hominibus memoriam eorum. Nisi iram inimici metuerem, ne forte extraneè* (id est, præter modum superbè atque insolenter) *se gerant hostes eorum, ne forte dicant, Manus nostra excelsa, & non Dominus, operatus est omnia ista.* Quæ verba per ἀνθρωποπάθειαν quidem dicta sunt, sed talem tamen, quæ analogum aliquid metui in Deo esse arguit, quo fit, ut Deus à faciendo aut non faciendo hoc aut illud abhorreat, unde consecuturum verosimiliter videt aliquid, quod vel ingratum sibi est, vel consilio aut desiderio suo adversatur; non quia aut quasi istud alioquin impedire aut avertere non posset, si vellet, sed præsupposita libera voluntatis humanæ facultate, quam tollere Deus non vult.

*Ejus objectum est malum aliquod.*

Metus ergo hujus objectum est, malum aliquod, quod consideratis omnibus considerandis facile evenire potest, aut quod verosimiliter eventurum videtur: non physicum quidem, quod Deo noceat, aut damnum vel detrimentum aliquod adferat: Absit. Sed tale tamen quod Deo ingratum, injucundum, & molestum aliquomodo est; quodque idcirco declinare aut avertere vult. Malum hoc esse potest aut malum morale sive culpæ, quod homo libera sua voluntate committere potest; aut malum pœnæ, quod Deus occasione mali culpæ ab homine perpetrandi inflicturus ei esset, nisi ab eo infligendo abhorreret; aut neutrum quidem, sed tale tamen quod etsi homini malum aut noxium non esset, imo gratum, utile ac jucundum foret, Deo tamen gratum non est, quia consilio ejus adversatur.

Metui

*Cui adhæret cura malum, istud avertendi.*

Metui huic divino adhæret sive conjuncta est cura aut prævertendi aut avertendi mala ista, per actuum quorundam aut præstationem aut omissionem, qui vel vi sua impedituri sunt mala ista, vel qui ad ea avertenda apti sunt atque idonei; sic tamen ut contra fieri atque accidere possit, contraque aliquando fiat atque accidat, in malo scilicet culpæ, ac per consequens in malo pœnæ. Indicium hujus metus divini est locutio ista, Scriptoribus sacris familiaris, פן *Ne forte*: cujus sensus sine dubio est, Metuo ne hoc contingat.

*Exempla istius metus & curæ.*

Exempla autem metus hujus, & quam ei conjunctam esse diximus, curæ præcavendi aut avertendi, respectu trium istorum, quæ recensuimus, malorum, obvia sunt. Quod attinet ad malum culpæ, sive ea sit inobedientia, sive superbia animique elatio, sive alia aliqua culpabilis malitia, hæc loca vide sis. De malo inobedientiæ: *Exod.* XXXIII. 11, *Ecce ego ejiciam à facie tua Emorrhæum & Chananæum*, &c. *Cave tibi ne forte percutias fœdus cum habitatoribus ejus regionis ad quam ingrediaris es, ne forte fint in laqueum in medio tui*, &c. *ibid. versu* 15. 16. & *cap.* XXIII. 33. ubi affirmative dicitur, *Nam esset tibi in laqueum*, supple, verosimiliter: ut id metuam, causam habeo adeo probabilem, ut pene certo id affirmare audeam, considerato ingenio tuo, atque indole ad declinandum à me prona ac proclivi. Et metum hunc non fuisse vanum, eventus docuit, *Jud.* I. 27. 28. 29, &c. De malo superbiæ, sive iræ aut irritationis, quod ab inimicis populi Israelitici metuebat Deus, siquidem eum pro meritis suis perdidisset, locus supra allegatus à nobis est, ex *Deut.* XXXII. 26. 27. ubi ipsa vox vel verbum metuendi גו est. De malo simili elationis animi, quod Ægyptios & incolas terræ Canaan se elaturos, nomenque ac gloriam Dei calumniaturos metuebat Moses, siquidem non introduceret Deus populum suum in terram promissam, sed in deserto eum universum deleret, legere est *Exod.* XXXII. 11. *Num.* XIV. 13. 14, &c. *Deut.* IX. 28. & dicitur Deus isto metu Mosis motus fuisse, *Exod.* XXXII. 14. ut pœniteret eum super malo quod dixerat se facturum populo suo, quasi videlicet idem metuens verosimiliter ac tantum non certo eventurum esse. De malo rebellionis est *Exod.* XIII. 17: *Non deduxit eos Deus per viam Philisthim, quod propinqua esset. Dicebat enim Deus; Ne forte pœniteat populum quum viderint bellum, & revertantur in Ægyptum.*

De malo pœnæ est *Exod.* XXXIII. 3: *Non ascendam in medio tui: nam populus duræ cervicis es: ne forte consumam te in via.* q. d. Jure metuo, ut à te ad hoc faciendum compellerer. jam enim propter fusum vitulum pene me compuleratis, ut vos omnes delerem, nisi pro vobis intercessisset Moses, uti *cap. præced.* XXXII. 9. 10. 11, &c. videre est, & *Deut.* IX. 13. Angelus itaque sequester erit inter me & te, ne ego ambulans in medio vestri, adigar facile ad vos delendum pro merito vestro. De malo neutro, quod dixi, est *Genes.* III. 22. *Dixit autem Dominus Deus: En homo iste factus est quasi unus ex nobis sciendo bonum & malum. Nunc ergo* (supple ejiciamus eum ex horto Eden) *ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de arbore vitæ, & comedat vivatque in seculum.* q. d. Deus: Metuendum hoc est jure meritoque, quia non tantùm nolo ut illi impune cedat quod perpetravit delictum, nedum ut ille malum promeritum resarciat, sed volo etiam ut male ei sit debitoque modo puniatur.

*Desperatio Dei.*

*Desperationis* vox Deo nunquam in Scripturis tribuitur, sed non raro quod ei analogum est. Desperatio enim aliud nihil est, quam boni desiderabilis & desiderati, sed verosimiliter consideratis omnibus considerandis non eventuri, non continuata sed abrupta expectatio. Per bonum desiderabile & desideratum intelligo obedientiam aut resipiscentiam ab homine, gratia Dei adjuto, libera voluntate præstandam. Hæc desperatio oritur ex pertinaci malitia hominis, gratiæ divinæ se opponentis, & Spiritui Dei S. resistentis.

*Signa ejus quatuor.*

Signa sive indicia desperationis hujus divinæ Scriptura varia adsignat. 1. quando Deum ipsum introducit protestantem, se omnia à parte sua fecisse, quæ ad emendandum pravos perversosque populi sui mores necessaria atque utilia erant, propter quæ merito jure emendatio morum sperari atque expectari potuerat, & tamen se frustra fuisse, & ea propter, tanquam desperata omni emendatione, pœnam decernentem in contumaces & præfractos. *Esa.* V. 4: *Quid faciendum erat ultra vineæ meæ, & non feci in ea? cur expectavi ut faceret uvas, & fecit labruscas? Nunc ergo indicabo vobis quid ego facturus sim vineæ meæ*, &c. per totum caput. *Jerem.* II. 21. 22: *Ego plantavi te optimam vitem, totam ipsam semen verum: & quomodo conversa es mihi in sarmenta vitis alienæ? Quod si laveris te nitro, & multiplicaveris tibi borith, signata est iniquitas tua coram me, dicit Dominus Deus. vers.* 25 id exponitur per hæc verba populi ipsius: *Et dixisti, desperatum est, nequaquam: adamavi quippe alienos*, (Deos scilicet) *& post eos ibo*: id est, actum & conclamatum est de nostri emendatione; nolumus aliter vivere aut mutare mores nostros: uti loqui dicuntur *Jerem.* VII. 16. & XLIV. 16. 17. 18. 19. Hinc *vers.* 30 dicit Deus: *Frustrà percussi filios vestros, disciplinam non receperunt*, &c. vide similia loca *Jerem.* VII. 27: *Et loqueris ad eos omnia verba hæc* (quæ videlicet à *vers.* 23 usque ad hunc versum leguntur) *sed nec te audient, & vocabis eos, nec respondebunt tibi*, &c. ad finem usque capitis. *Jerem.* X. 3. 4. 5. 6. 30. 31. *Proverb.* I. 21. 22. 23. 24. 25. 26. *Esa.* LXV. à *vers.* 2. & deinceps. 2. Quando Deum introducit ita loquentem, ut *fatigatum* se dicat *pœnitere*: *Jerem.* XV. 6. *non adituram se ultra ut misereatur: Oseæ* I. 6. sed *obliviscendo se obliturum. ibid.* quia scilicet desperata & irrita omnia sunt auxilia gratiæ & misericordiæ. 3. Quando Deum introducit loquentem ad populum tanquam desperatæ improbitatis, *Jerem.* XIII. 23: *Nunquid mutabit Æthiops pellem suam, & pardus maculas suas? vos quoque poteritis benefacere, adsueti male facere? Idcirco dispergam eos, tanquam stipulam transeuntem ad viam deserti. Hæc sors tua, & portio mensurarum tuarum à me, dicit Dominus*, &c. *Væ tibi Jerusalem. non mundaberis? post quando adhuc?* q. d. Frustra essem etiamsi expectarem multis posthac annis. Desperatum est. Similis locus est *Oseæ* VIII. 5. *Ezech.* XXIV. 13: *In immunditia tua* (adhuc es, id est in) *scelere: propterea quod mundavi te, & non mundasti te ab immunditia tua. non mundaberis te amplius, donec quiescere faciam iram meam in te. Ego Jehova loquutus sum: Veniet & faciet, non retrocedam, neque parcam, neque pœnitebit me*, &c. Denique 4. quando eadem Scriptura introducit Deum mandantem prophetis suis ut vadant & dicant populo, *Audite audiendo, & ne intelligatis. &, videte videndo, & ne cognoscatis. Impingua cor populi, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude*, (id est, testare meo nomine eum impinguatum esse corde, & aures aggravatas ac oculos clausos habere: unde verosimiliter futurum est, ut ille magis ac magis sese tibi opponat, aureisque tibi præbere renuat:) *ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & convertatur & sanem eum. Et dixit*, Propheta Esaias,) *usque quo Domine? Et dixit*, (Deus scilicet) *Donec desolentur civitates absque ullo habitatore, & domus sine homine, & terra desoletur desolatione: Esa.* VI. 9. 10. 11. *Jerem.* I. 17. 18. 19. & VI. 27. 28. 29. 30. Hæc aliaque plura, quæ passim occurrunt in Veteri Testamento, signa sunt desperationis divinæ.

Dices: Atqui apparet tamen Deum omnibus istis in locis nihilominus populum vocare, hortari, & monere ad emendationem vitæ & seriam resipiscentiam. Resp. Id non repugnat istis quæ jam à nobis dicta sunt. Quia desperationem Dei, diximus esse desperationem de eventu desiderato, non ut absolute ac simpliciter non futuro, aut impossibili ut fiat, aut ut certo certius non futuro ex infallibili præscientia, sed ut verosimiliter tantum non futuro, scilicet natura rei & circumstantiarum omnium, pro isto tempore, quo Deus loquitur, consideratæ. Cum verosimili autem consistere potest contrarii eventus possibilitas, ac proinde contrarii eventus desiderium, & desiderii istius per mandata ac præcepta significatio, etiam quando spei aut parum admodum aut nihil videtur superesse. Præcepta enim ista non tam sunt signa spei de re tanquam probabili aut verosimili, quam desiderii; Spei autem non simpliciter, sed quatenus spes, rei probabilis aut verisimilis spes est, opponitur hæc, qua de hactenus egimus, Desperatio.

## CAPUT XXVI.

### De Dei Gaudio & Dolore: item de ejus Pœnitentia.

*Gaudium Dei quid sit.*

POst hos affectus, sunt affectus Gaudii, (cujus oppositum est Dolor, sive tristitia:) & Iræ. Hos pro more nostro considerabimus, quatenus Deus iis versatur circa actiones hominum bonas vel malas, & propter eas circa homines qui actiones istas præstant. *Gaudium* est affectus qui oritur ex fruitione rei sive actionis bonæ & convenientis, quam Deus vel desideravit habere ab homnibus, vel quam ipse facit circa homines bene aut male se gerentes, quam acquiescentia in eadem; unde Deus dicitur delectari, ridere, & quiescere vel acquiescere.

*Id oritur vel ex fruitione actionis bonæ hominis.*

Gaudium Dei, quod oritur ex fruitione vel habitione actionis bonæ sive obedientiæ aut resipiscentiæ, quam Deus desideravit habere ab hominibus, passim in Scripturis occurrit. Per actionem bonam, intelligo actionem quamlibet Deo gratam, tum cæremonialem, quatenus ea aut ante legem datam ex pio animo sponte præstita, aut deinde à Deo jussa atque imperata est; tum moralem imprimis, quæ Deo per se grata est, quatenus ea aut ad legem naturæ, aut ad Legem Mosis, aut ad Euangelii præscriptum composita est. Actio bona cæremonialis ex pio animo sponte præstita, fuit exempli gratia ædificatio altaris, & oblatio holocausti

ex omni animali mundo, quam Noah fecisse dicitur statim post diluvium, antequam ulla adhuc lex de sacrificiis offerendis lata erat; *Genes.* VIII. 20. Eam Deo gratam fuisse, eaque Deum gavisum ac delectatum, indicatur statim *vers. seq. Et odoratus est Dominus odorem quietis*, id est, odorem gratum in quo acquiescebat, & post quem ab immittendo iterum diluvio cessaturus ac quieturus erat. Eodem referri debent, quæ postea de altaribus ab Abrahamo & Jacobo erectis ante legem Mosis narrantur; *Genes.* XII. 7. & XIV. 4. & XXXV. 7, &c. & speciatim quod de sacrificio Abelis legitur *Genes.* IV. 4. & *ad Hebr.* XI. 4. Actio à Deo jussa atque imperata, cæremonialis tamen, qua Deus gaudere sive acquiescere dicitur, ea describitur *Levit.* I. 9. 13. 17 & alibi passim, vocaturque *oblatio ignita, odoris quietis Domini*: de holocausto enim agitur. Actione morali sive obedientiæ delectari dicitur Deus, quando ea Deo grata esse dicitur: ut actione ad legem naturæ sive ad rectam rationem composita: *Act.* X. 34. 35: *Vere deprehendo Deum non respicere ad personam: Sed in quavis gente acceptum sive gratum esse ei, qui eum timet & operatur justitiam. Ibid. vers.* 4. Actione obedientiæ ad Legem divinam, tum moralem Mosis, tum Euangelicam Jesu Christi quæ spirituale sacrificium vocatur in Scripturis, Deus imprimis gaudere ac delectari dicitur passim in Veteri ac Novo Testamento. 1 *Sam.* XV. 22. 23: *Nunquid voluntas* (vox חפץ ibi est) id est delectatio vel beneplacitum *Domini est in holocaustis & victimis, ut in obtemperando voci Domini? ecce obedire quam sacrificium melius est, & obtemperare, quam adeps. Oseæ* VI. 6: *Quia misericordiam* חפצתי *volo* cum delectatione scilicet) *non sacrificium, & cognitionem* (id est, obedientiam) *Dei præ holocaustis.* qui locus citatur *Matth.* IX. 17. & XII. 7. *Jerem.* VII. 22. 23. *Psal.* L. 14. 15, &c. & LI. 18. 19. In Novo Testamento similia loca sunt. *Rom.* XII. 1. ubi obedientia vocatur θυσία ζῶσα, ἁγία, εὐάρεστος τῷ θεῷ. *Ephes.* V. 2. ubi dilectio Christi, qua semetipsum tradidit pro nobis (& quam nos imitari jubemur) vocatur προσφορὰ καὶ θυσία τῷ θεῷ, εἰς ὀσμὴν εὐωδίας. *Ad Philipp.* IV. 18. *Ad Heb.* XIII. 15. 16. & 1 *Pet.* II. 5. Actione resipiscentiæ gaudere dicitur Deus singulari ratione, *Luc.* XV. 7: *Dico vobis ita fore gaudium in cælo, super uno peccatore resipiscente, majus, quam super nonaginta novem justis, quibus non opus est resipiscentia.* Gaudium autem istud, quod in cælo futurum esse dicitur, de gaudio Dei ipsius interpretor, non autem gaudio Angelorum tantum; quia *vers.* 10, ubi idem hoc repetitur, gaudium istud futurum dicitur ἐνώπιον τῶν ἀγγέλων τοῦ Θεοῦ, id est, coram Angelis qui gaudium istud divinum aspecturi coram sunt, & cum Deo ipso per consequens gaudebunt ac delectabuntur. Deus enim proprie est, qui adsimilatur pastori & mulieri quærentibus, illi ovem perditam, huic dragmam suam unicam: nempe, quatenus per Christum filium suum publicanis & peccatoribus resipiscentibus gratiam & veniam peccatorum annuntiari curabat. Vide simile locum *Ezech.* XVIII. & XXXIII. ubi Deus velle dicitur, ut impius convertatur & vivat. velle autem ibi est delectari in Hebræo.

*Vel ex actione ipsius Dei circa homines:*

Gaudium quod oritur ex actione quam Deus ipse facit circa homines bene se gerentes, aut male, Deo passim tribuitum legitur, quatenus actio ista est actio justitiæ distributivæ, qua Deus præmia & pœnas ex dictamine æquitatis distribuit juxta cujusque opera. Gaudium circa homines bene se gerentes Deo tribuitur, *Deut.* XXX. 8. 9: *Tu ergo revertaris & obedias voci Domini, & facias omnia præcepta ejus quæ ego præcipio tibi hodie: Et abundare te faciet Dominus Deus tuus in omni opere manuum tuarum, in fructu ventris tui, & in fructu jumenti tui, & in fructu terræ tuæ in bonum: quoniam convertetur Jehova, ut lætetur super te in bonum, quemadmodum lætatus est super Patres tuos. Si tamen obedieris voci Domini Dei tui,* &c. Lætari autem in bonum, aliud nihil est, quam lubenter, alacriter, cum lætitia & delectatione bonis ac beneficiis cumulare. *Esa.* LXII. 5: *Sicut est gaudium sponso super sponsam, sic gaudebit super te Deus tuus.* & *cap.* LXV. 19: *Et exultabo in Jerusalaim, gaudeboque in populo meo, nec audietur ultra in ea vox fletus & vox clamoris. Jerem.* XXXII. 41: *Et lætabor super eos ad benefaciendum eis, plantaboque eos in terra hac, in veritate, toto corde meo & tota anima mea. Quoniam sic dixit Dominus; Sicut induxi super populum istum malum grande hoc, sic inducam super eos omne bonum quod loquor super eos. Sophoniæ* III. 17, *Dominus Deus tuus in medio tui potens servabit te, gaudebit super te lætitia, silebit eo quod diligat te, exultabit super te cum cantico.* Totius veri atque sinceri gaudii divini periphrasis hîc est. 1 *Pet.* IV. 14: *Si probris afficimini in nomine Christi, beati estis: quoniam & ille gloriæ & ille Dei Spiritus super vos requiescit*; cum gaudio scilicet, quasi summa voti ac desiderii sui potitus, quæ est patientia boni operis, *Rom.* II. 7. id est, perseverantia in bene agendo, etiam cum adversa ferenda aut subeunda sunt. unde Jacobus *cap.* I. 4: *tolerantiam* sive patientiam *perfectum opus habere* vult.

*Tum bene se gerentes:*

Gaudium circa homines male se gerentes Deo tribuitur: *Deut.* XXVIII. 63: *Erit præterea, quemadmodum Dominus lætatus est super vos,* (bene vos gerentes sc.) *benefaciendo vobis & multiplicando vos; sic lætabitur Dominus super vos* (nisi, ut est *vers.* 58, custodieritis, ut faciatis omnia verba legis, istius, quæ scripta sunt in libro isto, ut timeatis nomen gloriosum & terribile istud Dominum Deum vestrum) *perdendo & delendo vos,* &c. *Proverb.* I. 24: *Propterea quia vocavi & renuistis, extendi manum meam & non fuit qui attenderet; Et cessare fecistis omne consilium meum & increpationem meam noluistis; Etiam ego in contritione vestri ridebo, subsannabo quum venerit timor vester,* id est, malum quod vere timendum est, aut quod, cum imminebit, vehementer timebitis, &c. *Esa.* I. 24. dicit Deus, *se consolationem accepturum super hostibus suis, quando vindicabitur de inimicis suis. Ezech.* V. 13: *se requiescere facturum indignationem suam* (nempe, plena vindicta satiatam) *in eis, & consolationem accepturum,* id est, delectationem ex justa vindicta & sceleribus commensurata. & *Ezech.* XXIV. 13. 14. Sic *Zach.* VI. 8. dicit Deus equos istos qui egressi erant ad terram Aquilonis, *quiescere fecisse spiritum suum, in terra Aquilonis*, nempe, quia Babylonios populi sui oppressores condigne & pro meritis suis egregiè ulti fuerant. Qua ratione hoc gaudium Dei conciliari possit ac debeat cū locis istis Scripturæ, quibus Deus dicitur *non ex corde afficere dolore filios hominum, Thren.* III. 33. imo cum punit, *alienum opus facere & non suum: Esa.* XXVIII. 21. supra diximus: quia verosimile non est, loca ista Scripturæ loqui de peccatoribus, quorum malitia & contumacia ad fastigium progressa, Deum ultorem flagitat ac requirit, sed de iis de quibus adhuc resipiscentiæ spes est: aut, si ea de ejusmodi peccatoribus contumacibus etiam loqui velimus, quia certissimum est, eam esse semper voluntatis consequentis sive punientis conditionem, ut, etiamsi severissima & intensissima sit ob justitiæ amorem, semper nihilominus cum velleitate oppositi conjuncta maneat, ob personæ amorem.

*Tum ma-*
*le.*

*Dolor si-*
*ve tri-*
*tia Dei*
*quid sit.*

Gaudio huic oppositus est Affectus Doloris sive Tristitiæ, qui oritur vel ex apprehensione vel ex perceptione rei alicujus ingratæ & molestæ, seu eventus alicujus inexpectati & indebiti, cum displicentia conjuncta.

Doloris vox Deo non nisi semel tributa reperitur, *Gen.* VI. 6. *Et pœnituit Dominum quod fecisset homines in terra;* Vaitazzebh belibbo, *Et doluit in corde suo*: scilicet ob malitiam præfractam & generalem quæ omnes homines invaserat. Mirabiliter à Rabbi Maiemonide verba hæc exponuntur, ne doloris vox proprie Deo tributa videatur: nempe primo hunc in modū: & indignatus fuit Deus contra homines propter malitiam operum ipsorum, in corde suo, id est, apud se, nulli mortalium revelans aut indicans iram suam quam conceperat. Deinde hoc pacto: Et rebellavit cordi (h.e. voluntati) ejus (Dei:) ut sensus sit, Et rebellavit, vel eo quod rebellaverat homo contra voluntatem Dei. Vocem enim עצב *Azabh* utrumque dicit aliquando significare, irasci nempe & rebellare, in More Nebuchim par. 1. cap. 29. Sed qui non videt istam saltem ultimam interpretationem violentam ac contortam esse, næ is mihi sapere non videtur. Alteram vero etiam non esse necessariam, & parum probabilem per se liquet, quia sine caussa deflectit à proprietate verbi *Azabh*, quod *dolere* significat. Ratio vero cur ab ea deflectatur, specioſa potius est, quam necessaria: nempe ne dolor Deo tribuatur. At vero, inquam, cur ergo etiam ab indignationis vel iræ vocibus non abstinet? Nam & illæ passiones & perturbationes sunt. Dices: Nec illæ proprie Deo insunt. At vero inquā ego, quis dolorem aut tristitiam proprie dictam, quam Cicero ægritudinem animi & morbū appellat, Deo Opt. Max. tribuerit? Sed vero, quando Dolor Deo tribuitur, tum ei non tribuitur dolor proprie dictus ex læsione continui existens, nec tristitia proprie dicta, quę inquietudinem & animi quasi intemperiem quandam secum trahit. utrumque enim, tum dolor, tum tristitia proprie dicta, Dei Majestate indignum, & beatitudini ejus summę adversum est; sed Deo tantum tribuitur analogum aliquid isti dolori ac molestiæ, quæ percipitur à nobis, non ex rebus, nos, id est vel corpus nostrum lædentibus, & sic dolore afficientibus nos; vel animum nostrum intus vexantibus, inquietantibus & turbantibus proprie: sed ex istis, quæ extra nos eveniunt, & desiderio, affectui, ac voluntati nostrę adversantur, & sic ingrata & molesta nobis foris quasi accidunt. Hoc sensu ergo cur verba ista, *Doluit Deus in corde suo*, accipi nequeant non video, nisi ex Deo truncum aut idolum, aut stoicum aliquod animal faciamus, quod eodem semper modo se habet, sive gratum sive ingratum quid ei accidat. Inter duo extrema consistendum est, ne scilicet dolorem aut tristitiam proprie dictam Deo tribuamus; & ne Deo non tribuamus quod dolori & tristitiæ analogum est. Si proprie dicto dolore aut tristitia affici posset Deus, beatus non esset. & non exiguum ex malitia ac rebellione sua gaudium perciperent Diaboli & impii,

& impii, quaſi Deum viciſſim malo doloris ac triſtiæ afficerent. Si nihil dolori aut triſtitiæ analogum in Deo eſt, vix apparet, quomodo ſerio amet juſtitiam, & deteſtetur injuſtitiam; quomodo magis ei diſpliceat qui Filium ſuum dilectum cruci adfigit, quam qui muſcam enecat: quomodo magis abhorreat à flagitio & ſcelere, quam à delicto minimo: quomodo magis afficiatur blaſphemia quam ira. Adde, quod ingentem ad pietatem ſtimulum habeat hæc cogitatio, quod impietate noſtra Deus uſque adeo offendatur, ut dolore afficiatur in corde ſuo, ita, ut intime ei diſpliceamus. Hinc monitio illa: *Ne contriſtate Spiritum Dei Sanctum, Epheſ.* IV. 30. id eſt, non, ut quidam volunt, Ne contriſtate Deum ipſum in ſancto Spiritu atque animo ejus; quo ſenſu dictum legitur *Eſa.* LXIII. 10, de rebellibus Iſraelitis, quod עצבו dolore affecerint Spiritum ſanctitatis, vel ſancti, vel ſanctum Dei: Sed ne contriſtate, vel Deum qui tam liberaliter in vos effudit Spiritus ſui ſancti dona: vel homines ſanctos & Spiritu Dei donatos, quorum triſtitia ad ipſum uſque Dei Spiritum ſanctum redundat: vel (quod malim) ne ſuffocate ſermonibus putridis aliiſque ſpurcis dictis inconditiſque ſalibus dona iſta quæ Deus per Spiritum ſuum ſanctum vobis contulit; unde futurum eſſet, ut Deus ipſe contriſtaretur, tanquam ob rem ſibi ingratiſſimam ac moleſtiſſimam, atque ita à vobis, veluti hoſpes indigne habitus maleque acceptus, recederet, ſeque ſubduceret, maximo malo veſtro. Adſimia huic ſunt iſta omnia enunciata, quibus Deus dicitur labore affici *Eſa.* VII. 13: *Et dixit* (Eſaias ſcilicet Dei nomine) *Audite nunc domus David, nunquid parum vobis eſt labore afficere homines, quod & labore afficitis Deum meum?* (אלהי in Hebræo eſt.) Huic adde locum *Eſa.* XLIII. 24: *Servire me feciſti in peccatis tuis, laborare me feciſti in iniquitatibus tuis, fatigari ferendo* (ſacrificia ſcilicet mendacia, id eſt, quæ cum vero Dei cultu animique emendatione conjuncta non ſunt, aut quæ cordi non reſpondent) ita ut oneri ipſi ſint: *Eſa.* I. 14. *exacerbari, irritari Deum*: *Pſal.* LXXVIII. 40. & 56. *irritari oculi gloriæ Dei: Eſa.* III. 8. *exacerbari Spiritum Dei: Pſal.* CVI. 33. & fieri quod diſplicet in oculis Domini: *Eſa.* LIX. 15. & 2 *Sam.* XI. 27. & 1 *Paral.* XXI. 7. quæ omnia ſignificant, non dolorem modo & moleſtiam, ſed vehementiſſimum dolorem & moleſtiam Deo allatam eſſe, nulla tamen divinæ Majeſtatis læſione, aut beatitudinis ejus ſummæ & immutabilis imminutione.

*Quatenus pœnitentia Deo tribuatur.*

Adſinis etiam hiſce omnibus eſt *Pœnitentia*, quæ Deo etiam, quatenus affectus eſt cum diſplicentia & aliquo quod dolori analogum eſt conjunctus, tributa legitur. *Geneſ.* VI. 6. 8: ויִנָּחֶם *& pœnituit Dominum quod feciſſet hominem in terra.* & *verſ.* 7: *Quia pœnitet me quod fecerim ea.* 1 *Sam.* XV. 10: נִחַמְתִּי *Pœnitet me quod conſtituerim Regem Saul in regem, quia averſus eſt à me, & verba mea* (id eſt, vel juſſum meum de non parcendo Amalecitis, *verſ.* 3. vel verba iſta mea, quæ olim juſſi ſcribi à Moſe pro memoriali in libro, & poni in auribus Joſuæ, quod delendo deleturus eſſem memoriam Amalec de ſub cælo, *Exod.* XVII. 14.) *non confirmavit*, id eſt, vel executus non eſt fideliter; quo ſenſu accipitur verbum confirmandi *Deut.* XXVII. 26; vel tanquam certa & firma, ſerioque à me dicta, ſtare non fecerit, delendo Amalecitas. Idem repetitur eodem *cap. verſ.* 35: *Dominum autem pœnituit quod regnare feciſſet Saulem ſuper Iſraelem.* In priore loco Geneſeos pœnitentia Deo ſic tribuitur, ut ea conjuncta fuiſſe dicatur cum interno animi Dei dolore; additur enim, & *doluit Deum in corde ſuo*; quod vulgatus interpres exponit, *Et tactus* (fuit) *dolore cordis intrinſecus.* unde effici videtur, pœnitentiam proprie dictam Deo iſtic attribui. Nam ad pœnitentiam proprie dictam, ut Scholaſtici ajunt, duo in hominibus concurrunt; 1. Internus animi dolor, qui eſt in voluntate, quatenus ea dereſtatur ſuum factum, id que infectum eſſe vellet. 2. effectus interni doloris. Qui enim ex animo dolet ſe aliquid feciſſe, is conatur deſtruere & retractare factum ſuum, quantum poteſt. Sed vero, quia pœnitentia propriè dicta, quæ in hominibus qui pœnitentia ducuntur eſt, aut ut plurimum, aut ſemper oriri ſolet ex conſideratione rei male geſtæ, aut operis non ſatis conſulto, ſed præfeſtinè aut imprudenter ſuſcepti; hinc eſt, quod pœnitentia hæc divina longe ſeparanda ſit à pœnitentia humana, Deoque non niſi metaphoricè aut κατ' ἀνθρωποπάθειαν tribuenda. Nam pœnitentia Dei oritur non ex conſideratione rei malè geſtæ, nec ex conſideratione operis inconſultò, præfeſtinè, aut imprudenter ſuſcepti; ſed ex conſideratione plane contraria, id eſt, ex conſideratione rei optime geſtæ, operiſque conſultiſſimo ſuſcepti, attamen quod eventus opere iſto plane indignus atque indebitus per accidens conſecutus eſt, ex ſolo liberæ voluntatis humanæ abuſu.

*Locus Geneſ. VI. 6. 7.*

Quocirca quando *Geneſ. cap.* VI. 6. 7 dicitur, pœnituiſſe Deum quod feciſſet hominem, omniaque alia propter hominem, id ſic accipiendum eſt, non quod Deum pœnituerit operis ſui, quaſi vel malè vel inconſultò facti: (Abſit, ut de Deo optimo ac ſapientiſſimo tale quid cogitemus:) ſed quod eum pœnituerit eventus iſtius, qui ex opere iſto per accidens plane exſtitit, quodque proinde opus illud ſuum quod fecerat, deſtruere iterum voluerit, pœnitentis inſtar, qui, quod male aut inconſultò fecit, factum nollet, effectuque ipſo diruit ac deſtruit. Quia tamen erga id quod fecit, affectus eſt amore aliquo magno, tanquam erga rem & creaturam ad imaginem ſui ſapientiſſime conditam, hinc eſt quod eam ſine aliquo dolore deſtruere non poſſit, & quia eam non lubenter nec prono omnino animo deſtruit, id facere dicatur, tanquam ſi pœnitentia proprii ſui licet optimi facti duceretur. Præſcientiæ divinæ ratio, quomodo ſcrupulum hîc facere non debeat, jam ante diximus.

Quod attinet ad ſecundum locum 1 *Samuel.* XV. 10. 35. in eo pœnitentia Deo tribuitur, non conjuncta cum interno animi dolore, ſed quæ pœnitentia dicitur propter effectum, quia videlicet Deus Saulem, cujus regnum ſe ſtabiliturum promiſerat, regno movendo, ſimile quid fecit iis, qui pœnitentia ducuntur; eodem ſenſu, quo alibi viſcera Dei commoveri dicuntur, quando aliquid facit ſimile iis, qui ex miſericordia viſcera ſua moveri ſentiunt. Ratio eſt; Quia Deus Sauli ejuſque poſteris, donec ulli eſſent, regnum addixerat, ea lege, aut ſub ea conditione, ſi fideliter ac conſtanter adhæreret Deo, uti *cap.* XII. 25. & *cap.* XIII. 13. 14. videre eſt. Itaque cum Deo non adhæreret, ſive uti *verſ.* 11. *cap.* XV. dicitur, *averteretur à poſt Deum* (eundo) *ejuſque verba non confirmaret*, Deus regnum ei ademiſſe ex pœnitentia proprie dicta dici non poteſt; niſi dicere velimus, pœnituiſſe Deum, quod iſta lege ac conditione Sauli ejuſque poſteritati quamdiu duratura erat, regnum addixiſſet: quod abſurdum eſt. Huc enim pertinet illud, quod in hoc ipſo *cap. verſ.* 29 Samuel dixiſſe legitur Sauli, *Fortitudo Iſraelis non mentietur, nec pœnitudine ducetur. Non enim eſt homo, ut pœniteat illum*, Nempe hæc Samuelis eſt ſententia, Deum perſtare velle in decreto ſuo, quo conſtituerat Saulem bene ſe gerentem nunquam de regio faſtigio dejicere, & contra, eundem malè ſe gerentem regno exuere ac ſpoliare.

*Locus 1 Sam. XV. 10. 35.*

Et hoc ſenſu accipienda ſunt omnia iſta loca, in quibus dicitur Deum pœnituiſſe, aut non pœnituiſſe hujus vel illius rei. *Amos.* VII. 3. 6. *Jerem.* XX. 16. *Exod.* XXXII. 12. *Pſal.* CVI. 45. & XC. 13. & 2 *Sam.* XXIV. 16. *Jonæ* III. & imprimis locus iſte *Jerem.* XVIII. 3, &c. *Repente loquar adverſus gentem & adverſus regnum, ut eradicem & deſtruam & diſperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, adverſus quod locutus ſum, pœnitebit me quoque mali, quod cogitavi ut facerem ei*: & vice verſa, &c. Pœnitentia enim Dei hîc non eſt propriè dicta pœnitentia, quæ cum dolore animi interno conjuncta eſt, ſed improprie ſeu metaphoricè dicta pœnitentia, qua duci Deus dicitur, quatenus propoſitum ſuum ac decretum, quod abſolutè, ſi litera ſpectetur, enunciatum eſt, pœnitentis inſtar non exſequitur, ſed veluti revocat ac retractat, & quidem eum in modum, ac ſi quod dictum, indictum, quod factum fuit, infectum vellet; cum tamen, ſi decreti ipſius ſententia videatur ex mente decernentis, eam Deus non modo non revocet, nec retractet, ſed eo ipſo facto, quod pœnitentis inſtar facere dicitur, eam ſtabiliat ac confirmet; ac proinde in decreto ſuo, abſque ulla voluntatis ſuæ mutatione, perſtet ac perſeveret, neque ullo modo id infectum velit. Ratio eſt, quia ſententia decreti eſt hypothetica & conditionata. Forma vero ſive modus quo conceptum eſt decretum eſt abſolutus. Decretum autem modo vel forma abſoluta prolatum atque enunciatum, ſed revera tamen ex ſenſu & mente enunciantis conditionatum, non mutatur, quando conditione vel extante vel ceſſante, non eo modo executioni mandatur, quo prolatum eſt. Quare cum Deus dicit, Quando contra gentem nefariam & refractariam locutus fuero in malum, & gens illa pœnitentiam egerit, pœnitebit me mali quod locutus fuero, & vice verſa; ſenſus alius nullus eſt, quam, decreti & ſententiæ meæ, quatenus concepta ac prolata eſt, rationem non habebo, tanquam ſi ejus ſic enunciatæ me pœniteret; ſed ejus tamen ratio, quatenus à me intellecta eſt, apud me ſarta tecta ſemper erit; adeo ut quando abſolute loqui videor ad populum aliquem, ſive in bonum ſive in malum, ſi modo interveniat conditio iſta, ſub qua decretum iſtud apud animum meum conceptum eſt, juxta iſtam (niſi extra ordinem aliquando agere velim) decretum iſtud executurus ſim; etiamſi, quando in malum id executurus ſum, ratio ſemper aliqua velleitatis oppoſiti ſubfutura ſit, uti ſupra diximus. Pœnitentia itaque hæc ad iſtam, qua de agimus, pœnitentiam, quæ affectum animi notat cum dolore aut triſtitia, ſive potius cum eo quod dolori aut triſtitiæ analogum eſt, conjunctum, non pertinet.

*Locus Hebr. VII. 20. 21.*

Interim notandum hoc loco eſt, quando Scriptor ad

*Hebr. cap.* VII. 20. 21. colligit ex eo quod *Pſal.* CX. dicatur, *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum*, &c. ſacerdotium Jeſu Chriſti idcirco æternum aut intranſibile futurum, quia id cum juramento ei delatum fuit, contra quam Sacerdotibus Leviticis evenit, qui citra jusjurandum Sacerdotes facti ſunt, ac proinde quorum Sacerdotium æternum aut ſine pœnitentia eſſe non poſſet: ſcriptorem iſtum, id ea mente aut animo non colligere, quaſi velit dicere, Fieri poſſe ut Deum pœniteat omnium decretorum ſuorum, quando ea juramento ſancita non ſunt. Nihil minus: ſed tantum eo fine id collegiſſe, ut oſtenderet Deum Sacerdotium Leviticum non inſtituere voluiſſe eo animo, ut illud æternum ſemper duraret, & nunquam eſſet abrogandum, ſed contra, ut ei ſuccederet melius ac perfectius Sacerdotium, quodque nunquam abrogandum eſſet aut abrogatum Deus vellet; Diſtinctionis vero iſtius ſignum eſſe voluiſſe jurisjurandi ſanctionem, qua Sacerdotium Levitico ſucceſſurum & ad inſtar Sacerdotii Melchizedeciani compoſitum, æternum fore declararetur; non quod ſine iſta formula æternum futurum non fuiſſet ex vi divini decreti, ſed ut per iſtam formulam decretum divinum quaſi melius innoteſceret, & Sacerdotii Jeſu Chriſti dignitas ſupra Leviticum Sacerdotium luculentius, tanquam res excellentiſſima & nulli alii rei comparanda, inclareſceret. Quod autem jurisjurandi formula decreto alicui divino addita vim iſtam non habeat ut efficiat per ſe, ut decretum divinum ſit ſine pœnitentia, ex præced. *cap.* VI. 16. 17. 18. hujus Epiſtolæ liquet, ubi Deus jusjurandum adhibuiſſe dicitur, quo promiſſionem Abrahamo datam de benedicendo ei & ſemini ejus ſancivit. Id enim ſcriptor factum dicit, non ex neceſſitate, ſed ἀφθονώτερον ex ſuperabundanti, ut hæredibus promiſſionis oſtenderetur τὸ ἀμετάθετον τῆς βουλῆς τοῦ Θεοῦ; quod idem eſt ac ſi dixiſſet, τὸ ἀμεταχώρητον; quod elegantiſſime deinde exprimitur *verſu* 18. *ut per duas res immutabiles, in quibus fieri non poteſt ut mentitus ſit Deus, validam conſolationem habeamus.* Duas res cum dicit, quas ἀμεταθέτους appellat, eo ſignificat juramenti additionem præciſe non fuiſſe neceſſariam ad hoc, ut promiſſio Dei Abrahamo facta, firma atque immutabilis ſive ἀμεταπόητον redderetur, ſed ἀφθονώτερον tantum fuiſſe additum ex divinæ bonitatis redundantia; quamquam alioquin ipſa promiſſio per ſe ſuffeciſſet, ut ſic non certam modo, ſed & validam, id eſt validiſſimam conſolationem haberemus. Quæ autem hujus promiſſionis, eadem decretorum omnium divinorum ratio eſt, ſive ea abſoluta ſunt ſive conditionata. Nunquam enim Deum decretorum ſuorum pœnitet: ſed in omnibus decretis ſuis conſtans eſt & immutabilis manet. Quæ abſolute decrevit, illa abſolute ſemper fiunt. Quæ cum conditione decrevit, ea non niſi poſita vel ſublata conditione fiunt, ſive decretum illud abſolute enunciatum legatur, ſive prolatum legatur cum expreſſe addita conditione. Decreti enim divini ſenſus ſemper à Deo decernente pendet, cuius eſt conditionem vel exprimere vel non exprimere, pro ſapientiæ ſuæ dictamine, & libertate ἀνυπευθύνῳ.

## CAPUT XXVII.

### De Dei Ira.

*Voces quibus ira Dei deſignatur.*

REſtat adfectus *Iræ*, qui Deo paſſim in Scripturis adtributus legitur. Diciturque Hebræis nunc אף contractum quaſi ex אנף ab אנף iratus fuit; item naſus, ſic dictus quod iræ index ſit. *Pſal.* XI. 12. & VI. 1. *Deut.* VI. 15. & XI. 17. *Jerem.* XV. 14. Nunc כעס indignatio. *Deuter.* XXXII. 21. 1 *Reg.* XV. 30. *Jerem.* VIII. 19. *Pſal.* LXXXV. 4. 5. nunc קנא invidia, æmulatio, zelotypia. *Deut.* XXXII. 21. *Exod.* XX. 5. XXXIV. 14. *Pſal.* LXXIX. 5. nunc חרון furor. *Pſal.* LXXXV. 4. nunc עברה excandeſcentia quæ omnem modum excedit. *Pſal.* LXXVIII. 49. *Ezech.* VII. 19. nunc ira furoris, nunc iræ zelus & ignis, nunc omnis & tota ira, *Pſal.* LXXVIII. 38. Græcis dicitur ὀργὴ & θυμός. Hic excandeſcentia eſt, qui ὀργῆς quaſi ἀκμὴ & apex eſt.

*Quo ſenſu ea Deo tribuatur.*

Quo ſenſu ira Deo tribuatur, non eſt neceſſe ut anxie inquiramus. Certum eſt iram, quæ ejuſmodi animi commotionem notat, quæ cum paſſione & perturbatione, ex alterato & accenſo ſanguine à bile circa cor orta, cujuſque index naſus eſt, conjuncta eſt, ſive ea juſta ſive injuſta ſit, ſive moderata ſive immoderata, Deo non poſſe tribui, utpote incorporeo & ab alteratione omni corporea prorſus immuni: proinde quando non modo in Sacris Deo attribuitur ira ejuſmodi, quæ per naſum efflatur aut demonſtratur, ſed & indignatio & furor & excandeſcentia & zelotypia, ea omnia per ἀνθρωποπάθειαν intelligenda eſſe. Cæterum quando ira accipitur pro mera propenſione ſive impetu, ut ita loquamur, voluntatis ad ſupplicium de nocente ſumendum, qui ab omni perturbatione & imperfectione ſecretus & quaſi defæcatus eſt, ſed qui analogum quid habet iſti ſpirituali commotioni, quæ in juſta & moderata ira humana eſt, qualis in ipſo Domino Jeſu fuiſſe dicitur *Mar.* III. 5. cauſſæ nihil eſt, cur ea Deo tribui non poſſit; imo cur ea Deo tribui debeat, cauſſa eſt juſtiſſima; uti recte diſputat & probat contra Stoicos & Epicureos Lactantius Firmianus, in libro ſuo de Ira Dei. Ira enim hæc nihil aliud eſt, quam juſtus & rationalis ſtimulus voluntatis, quo ea quaſi excitatur & incitatur ad demonſtrandum odium ſuum contra injuſtitiam & injuſtos, per debitam & commeritam eorum punitionem.

*Ea accipitur aliquando pro nudo affectu depulſionis mali.*

Quia vero ira hæc nihil aliud eſt quam affectus depulſionis, qui fere aut cum puniendi voluntate, aut cum actuali punitione conjunctus eſt, hinc eſt, quod vocabulum *Iræ* Deo tributum non uno modo accipi in Scripturis ſoleat. Nam aliquando accipitur pro nudo & mero illo affectu depulſionis mali, qui proprie ira dicitur: ut in omnibus illis locis, ubi ira Dei dicitur accendi, aſcendere, irritari, &c. & ubi Deus dicitur longus irarum ארך אפים. *Exod.* XXXIV. 6. *Numer.* XIV. 18. *Pſal.* LXXXVI. 15. *Joel.* II. 13. id eſt, affectus quidem ad puniendum nocentes; ſed nec ſine maturo conſilio, nec ſine juſto moderamine affectum illum exerens, id eſt, nec ante tempus nec ſupra modum, id eſt nec nimium nec nimis diu puniens. Aliquando accipitur Ira Dei pro impetu illo primo adfectus iſtius, quo in actum quaſi erumpere geſtit voluntas, magnitudine mali ſive peccati ſtimulata; ſed cum deliberato firmoque puniendi propoſito non conjuncta. Sic *Exod.* XXXII. 10. dicit Deus Moſi, *Nunc igitur dimitte me, ut excandeſcat furor meus in eos, conſumamque eos.* Hic impetus quia ex deliberato puniendi propoſito non oritur, ſed ex affectu illo primo foris ſtimulato, ſiſtitur aliquando ab ipſo Deo, *ſive* per majorem affectum gratiæ & miſericordiæ: *Oſeæ* XI. 8. 9. *Quomodo dedam te Ephraim* (hoſtibus) *tradam te Iſrael? quomodo ponam te ſicut Adamah, ponam te ſicut Seboim? inverſum eſt in me cor meum, pariter incaluerunt pœnitudines meæ. Non faciam ſecundum iram furoris mei, non revertar ad diſperdendum Ephraim, quoniam Deus ſum & non homo. Oſeæ* XIV. 5: *Sanabo rebellionem eorum, diligam eos ſpontanee: quia averſus eſt furor meus ab eo. Pſal.* LXXVIII. 38. 39. *ſive* per aut propter rationes alias, quas Deus majoris facit, quam adfectum illum ſuum puniendi, licet juſtiſſimum. ut ex. gr. propter nominis ſui gloriam *Pſal.* LXXIX. 9. 10. *Ezech.* XXXVI. 21. 22. 23. propter ſuperbam hoſtium populi ſui elationem & inſultationem. qua de re egimus cum de metu Dei ageremus, ex *Deut.* XXXII. 27. ſive propter intervenientem reſipiſcentiam eorum, qui ad iram eum exſtimulaverant: *Jerem.* III. 12. & IV. 3. 4. & XVIII. *Ezechiel.* XVIII. & XXXIII. *Matth.* III. 8. *Luc.* XIII. 3. &c. ſive propter ſolam tantum externam, ex animo tamen factam, coram Deo humillationem: 1 *Reg.* XXI. 29. *Jonæ* III. & IV. *capp.* ſive propter deprecationem ſeriam, tum eorum qui Deum irritaverant; 1 *Reg.* VIII. *per totum.* 2 *Reg.* XIII. 4. & 2 *Reg.* XIX. 20. tum aliorum Deo gratorum: ut *Geneſ.* XX. 7. *Exod.* XXXII. 11. 12. &c. *Numer.* XIV, *à verſ.* 11. *uſque ad verſ.* 21. ſive denique propter facta quædam aliorum Deo placentia, aut propter factum unum dumtaxat: *Num.* XVI. 46. 47. & *cap.* XXV. 11. 13. *Job.* XLII. 7. 8. 9. quibus addi poteſt reſpectus perſonæ ſive pietatis, propter quam Deus perſonam aliquam adeo amat, ut ejus intuitu iram ſuam avertere velit aut ſiſtere, ne in eos, qui ei conjuncti aliquomodo ſunt, ſæviat: 2 *Regum.* III. 14. & 1 *Reg.* XV. 4. *Matth.* XXIV. 22. *Geneſ.* XVIII. Aliquando accipitur Ira Dei pro deliberato, firmo ac fixo, neque unquam revocabili decreto puniendi. *Joan.* III. 36: *Qui non obtemperat Filio non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum. Rom.* I. 18. *Revelatur enim ira Dei è cælo adverſus omnem impietatem & injuſtitiam hominum, qui veritatem in injuſtitia detinent.* Aliquando accipitur tum pro ipſa actuali punitione, tum pro malis quæ ex divina punitione ſentiuntur. Pro punitione actuali, *ad Rom.* XII. 19. *Non vosmet ipſos ulciſcentes, dilecti, ſed date locum iræ* (ſcilicet divinæ.) *Scriptum eſt enim, Mihi eſt ultio, ego rependam, dicit Dominus.* Ira ergo ibi eſt ultio ſive punitio divina. Pro malis quæ ex punitione divina ſentiuntur paſſim accipitur ira divina. *ad Rom.* II. 5: *Pro duritia tua, & corde quod reſipiſcere non vult, thezaurizas tibi ipſi iram, in diem iræ & declarationis juſti judicii Dei.* Hic tamen iræ vox ſecundo loco poſita punitionem ſive pœnæ diem notare videtur: uti & *Apocal.* VI. 16. 17. *Rom.* II. *verſ.* 8: *Iis qui contentioſi ſunt, & qui veritati non obtemperant, ſed obtemperant injuſtitiæ*, erit θυμὸς καὶ ὀργή, *excandeſcentia & ira*, id eſt, uti *verſ. ſeq.* exponitur, θλῖψις καὶ στενοχωρία, *afflictio & anguſtia*, &c. *Coloſſ.* III. 6: *Ob quæ venit ira Dei in filios inobedientiæ*, id eſt, ob quæ ſcelera & peccata, non tantum mala ac miſeriæ immittuntur iis, qui ubi veritatem Euangelii cogno-

*Aliquando pro primo impetu iſtius affectus, ſine deliberato tamen puniendi propoſito.*

*Aliquando pro irrevocabili decreto puniendi.*

*Aliquando pro ipſa punitione & ejus effectis.*

gnoverunt, & per eam à peccando aliquamdiu abſtinuerunt, iterum tamen ad ea prolabuntur ; ſed etiam iis, qui nunquam veritatis Euangelicæ cognitione imbuti fuerunt, aut ei obedire nunquam in animum induxerunt ; quia nempe ex naturæ lege ſcire poſſunt ea eſſe homini indecora, & à recta ratione aliena. Hoc ſenſu mala, miſeriæ, anguſtiæ, & triſtitiæ populo Judaico in excidio urbis ac templi eventuræ vocantur *ira magna in populo*, *Luc.* XXI. 23. diſerte enim de diebus ultionis divinæ tum exerendæ, agi iſthic apparet ex *verſ.* 20. 21. 22, &c. An iſta, ſit *ira illa ventura*, de qua Joannes Baptiſta ait *Matth.* III. 7. non auſim dicere. Nihil vetat eam accipere de eadem illa ira venturâ, de qua Paulus loquitur 1 *ad Theſſ.* I. 10 : quæ nempe in extremo judicii die incubitura eſt infidelibus, aut impœnitentibus ; quia de igne ὀργὴν loquitur, quo tum demum cruciabuntur miſerè, qui in ventilabro filii Dei paleæ inſtar reperientur.

*An aliquando accipiatur pro malis quæ piis & innocentibus eveniunt.*

Denique quibuſdam ira Dei accipi videtur pro malis & adflictionibus iſtis, quæ fidelibus & piis aut innocentibus aliquando eveniunt, ſive quia ii peccatoribus nulla ſua propria culpa commixti ſunt, ſive quia iis aut neceſſitudine quadam naturæ, ſeu ſanguinis aut fœderis alicujus vinculo conjuncti ſunt, ſive quia iis immittuntur à Deo ad explorandum eorum fidem, patientiam, conſtantiam, &c. ſed perperam meo judicio. Mala enim & adflictiones iſtæ, quæ fidelibus & piis aliquando eveniunt, quia peccatoribus nulla ſua propria culpa commixti ſunt, non ſunt mala quæ ex ira Dei proveniunt, ſed ex ſuprema poteſtate ac dominio Dei, quod habet in creaturas omnes ; qua vel perdere ac deſtruere poteſt, pro libera ſua voluntate, quicquid condidit ; vel perdere ac deſtruere juſtiſſimo conſilio ſuo optimos quoſque, vel bono ipſorum, vel ut tanto magis peſſimos eorumque poſteros puniat ; quo ſenſu *Ezech.* XXI. 3. dicit Deus, *ſe excidere velle juſtum & impium*. & *Eſa.* LVII. 1 : *juſtum perire, & congregari* (ad populum ſuum) *miſericordes, & neminem eſſe qui* (id) *ponat ſuper cor ſuum*. Recte enim Abraham dicit Deo, *Geneſ.* XVIII. 25 : *Abſit à te ut mori facias juſtum cum impio, ſitque juſtus, ſicut impius ; abſit, inquam, à te. numquid judex univerſæ terræ non faciet judicium?* Deinde mala quæ eveniunt innocentibus, quia videlicet ii peccatoribus iram Dei commeritis, vel neceſſitudine quadam naturæ, ſeu ſanguinis, vel fœderis vinculo conjuncti ſunt, non ſunt mala, quæ ex ira Dei ad eos derivantur, pari ratione uti ad nocentes & iræ reos, ſed ex eadem qua jam diximus cauſſa ; quia videlicet ea Deus licet iis non iratus, pro ſuprema poteſtate ſua iis irrogare poteſt, & quia ea inferre iis poteſt, etiam inferre iis vult, ut tanto magis doleant culpæ autores & pœnæ rei. Hoc ſenſu, infantes & reorum conſanguinei, paſſim in Scripturis involuti fuiſſe dicuntur malis iſtis quæ Deus iratus olim peccatoribus immiſit, uti in exemplis diluvii, Sodomæ & Gomorrhæ, Core, Dathanis & Abirami &c. eveniſſe conſtat. In filio Davidis, nato ex adulterio cum Bathſeba Uriæ uxore patrato, res liquet, 2 *Samuel.* XII. & clarius adhuc in filio Jeroboami, 1 *Reg.* XIV. quem Deus morte præmatura è vita ſuſtuliſſe, & ſepulchro dignari voluiſſe dicitur, *verſ.* 13. quod in eo inventa eſſet res grata Domino Deo, in domo Jeroboam. Denique mala quæ immittuntur piis ad explorandum eorum fidem, patientiam, conſtantiam, &c. non ſunt mala quæ ex ira proveniunt, ſed ex generoſo paterni amoris affectu, quo eos Deus per experimenta virtutum evehere vult ad decus & ad gloriam. uti 1 *Pet.* II. 19. 20. & *cap.* IV. 12. 13. 14. 15. 16 videre eſt, & alibi.

Dices : Attamen *Mich.* VII. 9. propheta ipſe Michæas ait : *Iram Domini portabo*. Reſp. Michæas prophetarum more ſub ſua perſona populum Judaicum introducit loquentem, uti ex contextu toto apparet, & ex ratione addita ; *quoniam peccavi ei*. Neque enim de ſuo peccato Michæas id confitetur, ſed de peccato populi totius, quem cecidiſſe verſu præcedente & ſedere in tenebris dixerat. Inſtabis : Atqui David vir ſecundum cor Dei fatetur de ſe ipſo, licet innoxio, & Deum adſiduo orante, *Pſal.* LXXXVIII. 8, quod *ſuper ſe ſuſtentabatur ira Dei*, & *verſ.* 17, quod *ſuper ſe tranſierant iræ Dei*. Pſalmo etiam *ſeq.* LXXXIX. 39. dicit, *Tu autem repuliſti, reprobaſti & iratus es Meſſiæ tuo*. Reſp. Incertum eſt, uti cum de Pſalmorum libro ageremus, diximus, an Pſalmi hi duo à Davide ſint compoſiti, aut ad Davidem pertineant. ἐπιγραφὴ autores alios fuiſſe ſignificat, & quidem Hemanem & Ethanem Ezrahitas, quos circa Solomonis tempora vixiſſe quidam non inepte arbitrantur ex 1 *Reg.* IV. 31. Ethanem vero etiam ſupervixiſſe Solomoni, & ſpectatorem fuiſſe funeſtæ iſtius ſeceſſionis ac diviſionis decem tribuum, quæ poſt mortem Solomonis ſub Rehabeamo filio ejus, autore Jeroboamo accidit, omnium que iſtarum calamitatum, cladium ac cædium, quæ eam conſecutæ deinde ſunt. Alii aliter ſentiunt. Annius commentator Philonis, ut recte annotat Muſculus, exiſtimat Pſalmum LXXXVIII editum & decantatum fuiſſe ſex annis quibus Joiakim fuit in carcere apud Babylonios : Pſalmum vero ſequentem LXXXIX Philo ſcribit editum eſſe ad gratiarum actionem pro conſervatione gentis Judaicæ, cum ab Evilmerodach Joiakim eſſet ex carcere eductus. Ut ut eſt, in eo conveniunt interpretes fere omnes, Pſalmos hos à Davide compoſitos non eſſe, aut ad Davidis tempora referendos non eſſe. Sed vero poſito etiam, eos vel Davidis eſſe, vel ad tempora Davidis referri, tum crediderim dicendum omnino eſſe, Davidem vel ſub perſona ſua populum totum Iſraelis, cum quo tanquam Rex & caput cum corpore ſuo unum quaſi erat ; vel una cum populo ſe ipſum etiam repræſentare, tanquam calamitatum, quæ populo toti eveniebant, autorem, & iræ divinæ reum, ſed tamen adſiduis ſuppliciis Deum deprecantem, & gratiam divinam implorantem. Certum enim eſt, Deum nunquam, ſive Davidi Regi, ſive populo Iſraelitico iratum fuiſſe innocenti & innoxio ; & quæcunque aut Davidi jam Regi à filio ſuo Abſalomo, ab hoſtibus aliiſque adverſariis ſuis, aut populo Iſraelitico ſub Davidis regno atque imperio acciderunt triſtia atque adverſa, ea omnia non niſi occaſione peccati aut peccatorum quorundam enormium, ſive à Davide Rege, ſive à populo Iſraelitico commiſſorum, accidiſſe, tanquam juſtæ iræ divinæ ſigna atque indicia. Quæ enim ante aditum regnum Davidi à Saule Rege evenerunt, ea Davidi innocenti eveniſſe pleraque certum eſt, proinde ut ab irato Deo venerint, impoſſibile eſt. Quod ſi tamen uſpiam (quod nondum deprehendi) mala iſta vocabulis iræ, irarum Domini, indignationis, furoris, David indigetavit, id per καταχρησιν non minorem factum eſſe credendum eſt, quam eſt illa Maronis, qua ſpei vocabulo pro metu uſus eſt, Æneid. IV :

*Hunc ego ſi potui tantum ſperare dolorem,*
*Et perferre ſoror potero.*

Et Juvenalis Satyra IV : *Jam quartanam ſperantibus ægris*. Quamquam alii ſperare hic accipiunt non pro timere aut metuere, ſed pro δοκεῖν, ſive pro exiſtimare ſibi impendere : quod ipſum tamen ἀνυπόλογον ſive καταχρησιν eſſe manifeſtum eſt.

*Objectum iræ divinæ eſt homo nocens, non quà homo ſimpliciter.*

Ex hoc colligo : Objectum iræ divinæ primum atque immediatum eſſe perſonam ſive hominem reum ac nocentem, qua talem : cauſſam proinde iræ proximam atque immediatam unicamque eſſe noxam ſive culpam ira & odio dignam. Iræ enim contradiſtinctè ab aliis affectibus, imprimis ab odio, id peculiare eſt, ut proprie ac primo tendat in perſonam propter perſonæ facta, cum reliqui adfectus propriè ac primo tendant in facta, deinde in perſonas propter facta, ſive ea bona ſint ſive mala. Unde errare eos vehementer credendum eſt, qui audacter aſſerere non dubitant, objectum iræ divinæ eſſe poſſe, imo eſſe hominem, qua talem, in puris naturalibus conſideratum, proinde innocentem & nullius propriæ dictæ culpæ aut noxæ reum. Nulla enim ratio aut cauſſa iræ eſſe poteſt in homine qua tali, ſive in innocente ; quia omne quod in eo eſt, naturale eſt. Naturale autem omne, quà tale, bonum eſt. Bonum autem uti non poteſt eſſe cauſſa odii, ita nec iræ divinæ. Et cum ira ſit adfectus puniendi ; pœna autem omnis injuſta ſit, quæ ſine prævia culpa irrogatur, fieri non poteſt quin adfectus etiam puniendi injuſtus ſit, qui reſpectum ad culpam excludit. Reſpectus autem omnis culpæ excluditur, ubi mera innocentia eſt, & nil niſi naturalis atque à Deo profecta bonitas locum habet. Quare ſupralapſarii, qui ante omnem præviſam culpam hominum, aliquos, imo multo maximam partem, ad æternos cruciatur à Deo ex ira præordinatam eſſe ſtatuunt, jure merito ex Deo Opt. Max. injuſtum Deum facere cenſendi ſunt. Dices : Attamen negari non poteſt Deo jus illud competere, ut perdere ac deſtruere poſſit quod condidit. Non ſane. Sed jus illud non eſt jus iræ, ſed poteſtatis & dominii, quod abſolutum Deus habet in omnia à ſe creata ab omni affectu iræ ſequeſtratum.

*Locus Rom. IX. 22. de vaſis iræ.*

Inſtabis : At quos Deus ſic perdere poteſt & ſic perdere vult, ii appellantur *ad Rom.* IX. 22, *vaſa iræ, coagmentata ad interitum*. Reſp. Nequaquam. Contra eſt. Quæ vaſa iræ ſunt, id eſt, digni in quos ira Dei veluti in vaſa culpa ſua idonea reddita effundatur, ac proinde vel à ſe ipſis vel à Deo ipſo ob præcedentem culpam ſuam coagmentata ad ἀπώλειαν, id eſt, ad pœnam iſtam excidii quam Deus talibus deſtinavit, (niſi ſcilicet reſipiſcant) iſtos Deus perdere vult, id eſt, punire iſta ipſa pœna, quæ iis præparata eſt. Neque enim idcirco quia Deus eos perdere vult vaſa iræ fieri aut coagmentari ad interitum dicuntur ; ſed quia vaſa iræ ſunt, ſuapte propria culpa, idcirco in eos ut vaſa idonea iram ſuam effundere velle Deus dicitur. Vaſa autem iræ eſſe iſto in loco dicuntur ii, qui gratiam Dei ſibi non minus quam aliis indebitam recipere nolunt, ea lege aut conditione qua Deus eam ipſis offert, ſed contumaciter perſeverare volunt in iſto vi-

tæ genere, in istâ justitiam consequendi ratione, quam Deus sibi displicere significat, & propter quam sic ab ipsis pertinaciter volitam, se in eos iram suam effundere velle apertè declarat. cujusmodi erant tum temporis Judæi isti, qui Christi gratiam sibi per Apostolos atque imprimis per Apostolum Paulum oblatam recipere recusabant; qui videlicet non ex fide Christi, id est, per religionis Christianæ observationem, sed ex operibus, id est, per Mosaicæ Legis ac Religionis Judaicæ observationem, quam Deus isto tempore abrogatam volebat, justitiam & vitam æternam sibi omnibusque etiam gentilibus consectandam esse contendebant, uti ex fine capitis hujus, *vers.* scilicet 30. 31. 32. 33. manifestissimum est. Hi itaque, quamdiu & quatenus tales erant ac manebant, vasa iræ erant coagmentata ad interitum, quia ut Christus ait, *Joan.* III. 36, *Qui non obtemperat Filio non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Atqui, inquies, Deus comparatur *figulo*, qui *potestatem habere* dicitur *in lutum, ut ex eadem massa faciat, aliud quidem vas ad decus, aliud ad dedecus, vers.* 21. Recte, inquam, sed id quod voci massæ seu luti, cujus in θεῖσει mento fit, respondet in ἀποθέσει, non est humanum genus incorruptum & insons plane, qua tale; Nihil minus: sed genus Judæorum ac gentilium, quod tum temporis erat, ex quo Deus figuli instar pro arbitrio ac potestate sua suprema, eos, qui religionem Jesu Christi fide viva amplectebantur, sive ii Judæi sive gentiles religione antea fuissent, justitia & salute donare, id est, vasa gloriæ & ad decus facere poterat ac volebat: cæteros vero, qui vel Judaicæ vel gentilitiæ suæ religioni mordicus adhærere, & pertinaciter inhærere volebant, à justitia & salute excludere, id est, vasa iræ ad interitum coagmentata per & propter suam infidelitatem & contumaciam facere poterat ac volebat; uti ex *vers. seqq.* 23. 24. 25 manifeste liquet, & alibi à nobis prolixe confirmatum est.

*Locus Ephes. II. 3. de natura filiis iræ.*

Dices: Atqui Apostolus *ad Ephes.* II. 3, nos omnes fuisse dicit filios iræ natura: *Eramusque natura filii iræ, ut & reliqui.* Resp. 1. Ex loco isto contrarium colligitur, nempe ab æterno alios non fuisse prædestinatos in vasa gloriæ, alios in vasa iræ. Nam alioquin dicendum foret, vasa gloriæ facta aliquando fuisse vasa iræ. Esto, inquies. attamen ex eo rectè colligitur, homines in puris naturalibus consideratos, objecta esse posse iræ divinæ. Respondeo ergo 2. Sed vero quando Apostolus dicit, Judæos simul ac gentiles omnes naturâ filios iræ fuisse, eo non significat, Judæos & Gentiles omnes filios iræ fuisse à nativitate prima, quatenus homines erant, sed contra, eos omnes consideratos ut adultos, in statu illo suo in quo erant antequam Euangelium gratiæ ad eos pervenerat, qui status quasi naturæ status erat, oppositè ad statum gratiæ consecutum, tam respectu Judæorum quam gentilium, tales fuisse indicat per & propter actualia sua peccata, quibus in isto statu obruti jacebant propria sua culpa, ut iræ Dei obnoxii essent; & naturâ, id est, nisi gratia nova accessisset, hæredes æternæ mortis, quæ ex ira infertur, facti fuissent: uti ex versibus præcedentibus clarissime liquet. Deinde; Nihil est quod vetat vocem φύσει, *naturâ*, exponere per, *verè*, cum Hieronymo, aut, uti ipse notat aliquos olim vertisse, per, *omnino* & *prorsus*: ut sensus sit, eramusque *vel* verè aut reapse, tum cum adhuc conversabamur in cupiditatibus carnis nostræ, facientes quæ carni ac cogitationibus libebant, digni ira ac supplicio divino, ut ut nobis forte & aliis secus videbatur. Hoc sensu vox *natura* accipitur *ad Gal.* IV. 8: *Serviebatisque in qui natura non sunt Dii*, id est, non qui à prima nativitate non sunt Dii, sed qui revera non sunt Dii: vel (uti Apostoli verba sonant) qui non natura sunt Dii, ut oppositio indicetur, sed opinione tantum pro Diis colebantur. quasi dicat, Non natura sed opinione. *vel* eramus prorsus & omninò iræ divinæ mancipia. Hoc sensu natura esse dicitur aliquid, quod penitus adest homini. Sic nos aliquem natura nequam, à lacte matris, ab uberibus matris malum & miserum esse dicimus. Sensum hunc non obscure arguit id, quod antea eos, de quibus loquitur, *conversatos* dixerat *in cupiditatibus carnis suæ*, &c. quorsum enim illa exaggeratio præcessisse dicatur, qua præterita eorum peccata usque adeo vehementer exaggerat, si jam ante à nativitate ipsa prima filii iræ fuerant? Absque illis enim, certo certius æternæ mortis ac condemnationis hæredes fuissent. Nolim tamen negare, fieri posse, uti Apostolus hic ad Gentiles tantum respexerit, (quamquam se etiam iis, in prima quasi persona accenseat, quod usitatum est,) eosque natura filios iræ vocaverit oppositè ad Judæos, quibuscum Deus fœdus speciale pepigerat, ratione cujus ii tanquam fœderati promissionum Fœdere isto contentarum, à gentilibus (tanquam ξυνοῖς τῶν διαθηκῶν τῆς ἐπαγγελίας, ἐλπίδα μὴ ἐχόντων, καὶ ἀθέοις ἐν τῷ κόσμῳ, uti *vers.* 12. loquitur) distinguebantur; ut conveniat cum eo quod *ad Gal.* II. 15 legitur: *Nos natura Judæi, & non ex gentibus peccatores.* Sed tum vox *iræ* hoc loco, uti in dicto illo Malachiæ, *Jacob dilexi, Esau odio habui*, vox *odii*, non pro ira propriè dicta, sed pro minore gratia ac favore accipienda esset; quod quia verosimile non est, aut fieri saltem necesse non est, hinc est, quod prioribus responsionibus malimus inhærere, quibus *iræ* vox in propria sua significatione retinetur, & cum quibus nihilominus optime potest consistere, si dicatur Paulum hîc non de Judæis & Gentilibus omnibus in genere, ante vocationem per Euangelium gratiæ factam, communiter & promiscue consideratis, sed de gentilibus solis loqui. quod si verum est, tum certe frustra ii sunt, qui hoc loco peccatum Originale intelligi volunt, ratione cujus dicantur omnes homines natura, id est, à nativitate prima, originale (quod vocant) peccatum contrahere, & sic iræ divinæ rei ac hæredes fieri. præterquam quod eos abunde redarguat vox imperfecti & præteriti temporis, ἦμεν, id est, eramus. Nam juxta eos, omnes homines semper sunt ac manent natura, id est, ex vi peccati originalis quod nunquam plane tollitur, filii iræ, etiam quando jam per gratiam Spiritus S. regeniti sunt. Sed hac de re suo loco agetur fusius.

*Propter quæ peccata ira divina accendi dicatur in S. literis.*

Peccator ergo est objectum iræ divinæ, & peccatum ratio sive caussa iræ divinæ. Quænam autem peccata illa sint, quibus ira divina accendi in Scripturis dicitur, operæpretium est expendere. Rabbi Maimonides in suo More Nebuchim, parte 1. cap. XXXVI. solam idololatriam iræ divinæ caussam esse vult. Sic enim loquitur: *Quod si confideraverit & inspexerit totam Legem, omnesque Prophetarum libros, nunquam invenies has voces, Charon Furor, Aph ira, Caas Indignatio, Kinah Invidia, Æmulatio, Zelotypia, Deo attribui nisi quando agitur de Idololatria. Præterea*, ait, *non invenies etiam aliquem vocari hostem, inimicum, oforem Dei, nisi propter Idololatriam*: & eum in finem allegat tredecim Scripturæ loca. Sed perperam & nimis confidenter meo judicio. Si vocem Kinah, id est zeli, æmulationis, zelotypiæ Deo non adscribi dixisset, nisi quando de idololatria agitur, fortasse dixisset id quod verum est. Fortasse, inquam: non enim usquequaque id mihi certum esse videtur. Utplurimum enim zelus & ignis zeli divini accendi, ardere & fumare dicitur, Deusque zelotes esse, quando idololatriæ peccatum committitur, imprimis ab iis quibuscum Deus arcto fœdere se conjunxit, & qui ex vi Fœderis istiusmodi sese Dei unius ac solius cultui obstrinxerunt. Etsi enim Deus idololatriam tanquam crimen summum læsæ suæ Majestatis divinæ, à quibuscunque ea peragatur, vehementer oderit, tamen maxime & summe ostenditur, quando ea exercetur ab iis, quibuscum fœdere quasi quodam matrimoniali conjunctus est, amoremque suum propiore vinculo firmatum testari voluit, quique ea propter sese totos in fidem & obsequium ejus dediderunt. Hic amor enim tantus est, ut passim Deus ipse eum adsimilet amori illi, quo maritus uxorem suam prosequitur, qui rivalis omnino impatiens est. *Ezech.* XVI *per totum*, & *cap.* XXIII *per totum. Oseæ* II. 19. 20. & passim alibi. Et quando ab iis quos sic amat idololatria committitur, tum adulterium committi dicit: uti passim in Scripturis observare est. Hinc quoties populum suum ab idololatria avocare Deus vult, ut plurimum affectum istum maritalem sibi tribuit, quod sit Deus zelotes & æmulator: cujus zelotypiæ quanta sit vehementia apparet ex *Num.* V, ubi lex zelotypiæ traditur. Sic *Exod.* XX. 5, in secundo Decalogi præcepto, ubi Deus imaginem ullam sui fieri aut coli prohibet, hæc ratio additur: *Ego enim sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes*, &c. & *cap.* XXXIV. 14: *Noli adorare Deum alienum* (seu alium.) *Dominus, zelotes nomen ejus: Deus est æmulator*; qui videlicet alienum Deum tanquam rivalem ferre non potest. Similia loca vide *Deut.* IV. 23. 24. & VI. 14. 15. & XXXII. 21. *Psal.* LXXVIII. 5. 58. 59. Hinc irasci, excandescere, furere dicitur Dominus Deus contra ejusmodi idololatras, *Deut.* XI. 16. 17: *Ne colatis Deos alienos, &c. unde excandescat ira Domini in vos. Deut.* VI. 14. 15. *Non ambulabitis post Deos alienos*, &c. *ne forte irascatur furor Domini Dei tui in te. Deut.* XXXI. 29: *Irritando* vel ad iram provocando *eum opere manuum vestrarum. Deut.* XXXII. 21: *Ipsi zelare fecerunt me in re, quæ non est Deus, irasci fecerunt me in vanitatibus suis*, &c. Similia loca sunt, *Deut.* XXIX. 18. 19. 20. *Ezech.* V. 11. 12. 13. 14. 15. *Ezech.* XVI. 38. 42. *Jerem.* VIII. 19. & XV. 14. *Nahum.* I. 2. &c. Ex his planum est, vocem *Kina* sive zeli & æmulationis, Deo utplurimum tribui, nec raro etiam voces iræ, indignationis, & furoris, quando de idololatria agitur.

Sed vero voces istas postremas, iræ, indignationis, furoris, aliquando etiam Deo tribui, quando non de idololatria, sed de aliis enormibus peccatis agitur, fidem facere mihi videntur hæc sequentia loca. Primo, *Psalm.* LXXVIII. 18. 19. *Et tentaverunt Deum in corde suo, petentes cibum animæ suæ, & locuti sunt contra Deum*, &c. *Ideo audivit Deus, & iratus est, & ignis accensus est in Jacob, & etiam furor ascendit contra Israel, quod*

non

*non credidissent Deo, nec sperassent in salute ejus.* Tentatio itaque ex infidelitate profecta caussa fuisse dicitur tum עברה tum אף, id est, tum iræ tum excandescentiæ divinæ, quæ ignis vocatur. Furoris enim vox à Pagnino reddita in textu non est. אף enim iram, non furorem, proprie significat. *Num.* XVI. 46. dicitur fervor iræ divinæ egressus fuisse in murmuratores istos, qui contra Mosen & Aaronem insurgebant ob deletos & terræ hiatu absumtos Core, Dathan & Abiram eorumque adsecias. vox חרון ibi est: sed & ea vehementem iræ ebullitionem, effervescentiam & despumationem quasi significat, à verbo חרה quod fervere seu bullire ira significat. *Exodi* XXII. 24. dicitur furore accendendus nasus sive ira Dei contra oppressores viduarum & pupillorum, vox חרון אפי ibi est. Nec dubium est quin eadem ratio sit peccatorum omnium, quæ vocantur peccata clamantia ad Deum, id est, vindictam Dei postulantia: de quibus videre est, *Amos* II *per totum caput.* & *Levit.* XVIII. 24. 25. &c. & XX. 22. 23. *Genes.* IV. 10. 11. &c. & XVIII. 20. 21.

Veruntatem, quidquid sit de hac re, in Veteri Testamento, certum est in Novo Testamento iram Dei se extendere ad omnia peccata, imprimis ea per quæ peccatores excludi dicuntur ex regno cælorum. Hinc *Rom.* I. 18. *revelari* dicitur *è cælo ira Dei adversus omnem impietatem & injustitiam hominum, qui veritatem in injustitia detinent.* & *ad Ephes.* V. 8. non modo *propter idololatriam*, sed & *propter scortationem, impuritatem & avaritiam ira Dei venire* dicitur *super filios inobedientiæ.* Similiter *ad Colos.* III. 6. item ob impœnitentiam, *Matth.* III. 7. 8. *Luc.* XIII. 3. 5. & propter infidelitatem: *Joan.* III. 36.

*Mala quæ exira Dei infliguntur, sunt vel temporalia:*

Quia vero mala quæ ex divina punitione oriuntur varia sunt, hinc etiam ira divina, quæ punitionis caussa est, variat. Mala alia sunt temporalia, quæ dicuntur, alia æterna. Ira ergo alia temporalis, alia æterna. Mala temporalia dupliciter intelliguntur. Alia quæ infliguntur homini peccanti, qualiscunque tandem sit, quamdiu & quatenus vitæ ejus tempus adhuc durat. Alia quæ homini vitam etiam hanc temporalem adimunt, eaque ademta hominem sub morte temporali detinent; quæ piis dumtaxat sed peccantibus infliguntur. Ista variant pro ratione varia tum qualitatis peccantis, tum quantitate peccati, tum durationе ejus, quæ tamen etiam sub quantitate comprehendi potest. Qualitas peccantis æstimari debet vel ex munere quod gerit, vel ex majore gratiæ beneficio, quo donatus & affectus est peccans. Hinc ira divina major est contra Magistratus, parentes, pastores, &c. peccantes, quorum munus est continere alios in officio ne peccent, & major contra eos, qui majore gratia affecti sunt, quam qui minore. uti Servator ipse ait *Luc.* XII. 47. 48: *Servus sciens voluntatem Domini*, &c. Quantitas peccati 1. ex objecto æstimatur. Hinc major ira Dei in idololatras, quam in alios: & major in filios parentibus immorigeros, quid dices parricidas? quam in alios: & major in perjuros, quam in alios: & major in incæstuosos, homicidas, innocentium oppressores, viduarum, orphanorum, pupillorum deglubitores, sanctorum persecutores, quam in alios: uti passim in Scriptoribus SS. observare est. quod adeo verum est, ut Hebræi omnes censeant peccata ista postrema, idcirco graviora censeri, quod nec pœnitentia nec morte quidem violenta peccantibus istis inflicta expientur, nisi præcedat ablatorum restitutio, de qua re alias. 2. Quantitas peccati æstimatur ex peccantis animo atque adfectu. Hinc gravior ira Dei in eos, qui elatu manu aut per superbiam peccare dicuntur, quam qui aliter, licet alioquin graviter peccent: & gravior ira Dei in eos est, qui post acceptam cognitionem veritatis peccant ἑκουσίως, quam in alios: *ad Heb.* X. 26. 27. 28. 29. & qui (ut dicitur *ad Heb.* VI. 4. 5. 6. 7.) postquam fuerunt illuminati semel, gustaveruntque donum cæleste, &c. παραπέσωσι, id est, dedita opera prolabuntur ad pristinam dissolute vivendi profanitatem, tanquam si nulla meliore cognitione imbuti unquam fuissent. Duratio peccati æstimatur ex tempore, & iis quæ in tempore isto acciderunt crebris, blandis, severis, ad peccatum impediendum molitionibus. Hinc gravior ira Dei in pertinaces & cedere nescios, quam in alios. de qua etiam passim videre est, & pluribus à nobis agetur, cum de peccatis & peccatorum discrimine agemus. Mala hæc descripta videre est *Levit.* XXVI. & *Deuter.* XXVIII. quæ temporalia mala esse dicimus, quatenus ii quibus ea infliguntur, in vita adhuc manentes superstites, ab æternis nihilominus malis immunes fieri possunt, si eorum sensu moti se emendent, & in gratiam Dei redeant. Hæc itaque communia sunt impiis & piis si in peccata incidant.

*Et inter ea mors piorum.*

Alterum malorum genus quod temporale etiam vocamus, quodque ex ira aliqua infligitur, est id quo peccanti homini vita adimitur, eaque ademta homo sub morte temporali detinetur. Malum hoc non nisi piis infligitur. Impios enim ira æterna manet. Per pios vero intelligo eos, qui veræ pietati, seu per omnem vitam suam, seu serio ac diu studuerunt; sed in peccatum tamen aliquod grave, cujus deinde pœnitentia ducti sunt, inciderunt. In hos enim Deus aliquando ira concitatur occasione peccati istius ab iis commissi, sic, ut vel antequam resipiscant, vel etiamsi interveniat eorum pœnitentia, & divina remissionis æternæ gratia, nihilominus tamen eos isto malo temporario punire velit, id est non morbis tantum, ut peccato suo Deum offensum fuisse sentiant: uti 1 *ad Corinth.* XI. 30 videre est, *Propterea inter vos multi sunt debiles & invalidi.* & *Psal.* XXX. 6. ubi David *momentum esse* dicit *in furore Dei, vitam verò in voluntate* (id est gratia) *ejus: vesperi pernoctare fletum, mane lætitiam esse*: sed morte etiam, ut in eodem supradicto loco 1 *Corinth.* XI. 30. legere est, ubi *dormire quidam* dicuntur, morte scilicet puniti à Deo vel subita vel tristi, ob non exactam satis sui, in reverenter edendo pane Domini, dijudicationem. *Dormire* autem indicat mortem istam non nisi temporariam fuisse mortem; quia qui æterna morte puniuntur, ii dormire nunquam dicuntur in N. T. Et hac etiam morte punitos credo tum Aaronem, tum Mosem, propter infidelitatis sive hæsitationis ex infidelitate quadam profectæ, aut potius speciem quandam infidelitatis apud populum præ se ferentis, peccatum; cujus mentio fit *Numer.* XX. & *Psal.* CVI. 32. 33. Nec alia mors esse videtur, quæ inflicta fuit prophetæ isti, qui in Bethel contra altare jussu Jeroboami erectum fideliter & animose prophetasse dicitur, & seduci deinde se passus fuit à sene illo nequam, ut comederet panem & biberet aquam, contra quam Deus ei mandaverat. 1 *Reg.* XIII *per totum.* Ex quo sequitur, mortem temporalem aliquando pœnam esse peccati alicujus, quæ ex ira infligitur, ut tamen eam non sequatur æterna mors, quæ pœna est quæ ex ira æterna infligitur: & quidem non idcirco, uti nonnulli volunt, quia isti quibus ista temporalis pœna infligitur, absolutè à Deo ad vitam æternam sunt electi, sed quia pii cum fuerint, eorum pietati gratiose donatur aut condonatur æterna pœna, alioquin iis non minus quam aliis irroganda, si Deus jure summo uti vellet. Mors hæc an non etiam pœnæ rationem habeat respectu sanctorum ac piorum, quamdiu & quatenus ea corpus eorum sub servitute corruptionis detinet, ita ut istud in cinerem & pulverem convertat, disquiri merito potest. Plane illud mihi verosimile videtur: quia mors ultimus hostis etiam fidelium nominatur, qui in adventu Domini Jesu demum abolebitur, ut est 1 *ad Corinth.* XV. 26. Contrarium non evincitur eo argumento, quod mors fidelium corporea sit transitus in vitam æternam: quia transitus est animæ non corporis, quod dum in terra sepultum manet, sub dominio mortis tanquam hostis infensissimi, & sub servitute corruptionis detinetur, ut est *Rom.* VIII. 21. à qua etiam ibidem redimi & ἀπολυτροῦσθαι dicitur *vers.* 23.

*Vel æterna.*

Mala æterna, sunt ea quæ ex ira divina æternum duratura, sive quam nulla subsecutura est gratia, infliguntur. Hæc *omnia* & *tota ira Dei* vocantur, *Psal.* LXXVIII. 38. & *ira illa ventura*, 1 *ad Thess.* I. 10. & 2 *ad Thess.* I. 8. 9. ὄλεθρος αἰώνιος, & passim ἀπώλεια, *mors æterna, conjectio in stagnum ignis*, κόλασις αἰώνιος, &c. Ira hæc meo judicio ad hoc seculum non pertinet, quod, quamdiu homo vivit, & vivere à Deo permittitur, seculum gratiæ & resipiscentiæ est. Quare incipere tum primum ac proprie mihi videtur, quando homini vita, & cum vita spes resipiscentiæ ac veniæ adimitur. An tamen sic incipiat, ut animæ eorum qui sic è vita sublati sunt, vel sensu aliquo mali, vel conscientia male factorum, vel metu futuri supplicii torqueantur? an vero in communi custodia & carcere velute conclusæ, & separatæ à spe glorioſæ immortalitatis, sine ullo mali sensu, detineantur, uti plerique Veterum crediderunt, ego in medio & Deo judici relinquo. Sufficit si certo credamus iram sic incipere, ut nulla sit secutura gratia, & effectus ejus propriissime dictus tum incubiturus sit, quando Deus animam simul & corpus conjiciet in Gehennam: *Luc.* XII. 5. Quod tamen sic futurum credendum est, ut gradus malorum sive pœnarum futuri sint, pro quantitate & qualitate tum peccatorum, tum eorum qui peccarunt: uti videre est *Matth.* XI. 22. 23. 24. & *Luc.* XII. 47. 48. Sed hac de re suo tempore latius à nobis agetur. Hactenus ergo de Affectibus divinis.

## CAPUT XXVIII.

## De Justitia Dei universali: Ubi de Jure Dei in homines tractatur.

PRæter hos affectus attribuuntur Deo in Scripturis quædam, quæ virtutum moralium analogiam habent; quorum vis atque efficacia omnis ista est, tum in directione affectuum

fectuum omnium divinorum, tum in iræ, quæ peculiaris affectus divinus est moderatione.

Virtus quæ in affectuum omnium, ac proinde in voluntatis sive decretorum & factorum divinorum, ex affectibus istis existentium, directione sita est, Justitia Dei vocatur: צדקה Hebræis, Δικαιοσύνη Græcis. Non quod hæ voces hoc sensu semper in Scripturis usurpentur; Nonnunquam enim justitia Dei pro beneficentia divina, & justitiæ pro beneficiis; 1 *Sam.* XII. 7. *Psal.* XXXVI. 6. 7. & XL. 10. & LI. 16. & CXII. 9. uti & voces צדקה & δικαιοσύνη simpliciter prolatæ pro eleemosynis accipi solent, *Matth.* VII. 1. & 2 *Corinth.* IX. 9. sed quod hoc sensu Deo non raro tribui soleant.

*Justitia Dei est vel universalis vel particularis.*

Justitia autem hæc Dei duplex est: universalis & particularis: quæ hoc modo discernuntur, quod justitia universalis versetur proprie circa id quod rectum est & Deum decet: Justitia particularis circa id quod alteri convenit: ita ut alteri quod suum est, & jure ei debetur, convenienter tribuatur.

*Universalis quidnam sit.*

Universalis itaque justitia Dei est virtus qua Deus omnia recte ac decenter vult ac facit, quæ etiam æquitas & rectitudo vocari solet: ob quam Deus rectus, justus & æquus in Scripturis appellatur. *Deut.* XXXII. 4: *Perfectum* (id est rectum) *est Dei opus; omnes viæ ejus judicium. Deus veritas est absque ulla iniquitate, justus & rectus. Psal.* XXV. 8: *Bonus & rectus Dominus. Psal.* XI. 8: *Justus Dominus & justitias diligit: rectum* (sive æquum) *videt vultus ejus. Psal.* XCII. 16: *Ad annuntiandum quod rectus Dominus est, fortitudo mea, neque sit iniquitas in eo. Psal.* CXIX. *in Tzade: Justus es Domine, & rectum judicium tuum. Ezech.* XVIII. 25: *Num via mea non est æqua? An potius viæ vestræ non sunt æquæ?* &c. *Sophoniæ* III. 5: *Dominus justus in medio ejus, non faciet iniquitatem,* &c.

Recte autem ac decenter fieri ea dicuntur, quæ perfectioni & dignitati naturæ cujusque rei consentaneè fiunt. Sic recte ac decenter à Sole, ab astris, à plantis, ab animalibus, ab homine fieri dicuntur ea, quæ perfectioni & dignitati solaris corporis, animæ plantarum vegetativæ, animalium sensitivæ, & hominis intellectivæ consentaneè fiunt. Secus enim si fiant, monstrosè fieri dicuntur. Perfectio autem ac dignitas animæ intellectivæ hominis uti est recta ratio, ita naturæ divinæ intellectivæ perfectio, est cognitio non veri tantum & falsi, sed & honesti atque inhonesti, recti & pravi, decori & turpis. Unde consequitur, ea quæ honesta, recta ac decora sunt, tum velle tum facere, justum esse; & contra, injustum esse, velle ac facere ea quæ inhonesta, prava ac turpia sunt.

Justitia ergo hæc est voluntatis actionumque divinarum directrix. Et voluntatis quidem, non qua ea præcisè libera est ad agendum extra se. Objectum enim voluntatis divinæ liberæ, qua libera est, non est honestum aut inhonestum, sed id quod per se indifferens est: unde idcirco non versatur Deus libera volitione circa aliquid extra se, quia justum est ut id velit; sed quia vult, aut potius quia non est injustum ut id velit. Aliud enim est justum aut injustum esse; aliud nec justum nec injustum. In voluntate creandi ex nihilo res per se liquet. & eadem est ratio voluntatis liberæ qua rem ex nihilo conditam aut creatam Deus in nihilum redigere potest, si velit. Hoc enim etiam nec justum nec injustum est, simpliciter sic consideratum. Eadem etiam est ratio voluntatis quæ positiva dicitur. Sed justitia est directrix voluntatis istius, qua versatur Deus circa creaturam suam, vel potius (ne de omnibus creaturis jam agamus, ac ne quidem de iis quæ sensu præditæ sunt, id est brutis animalibus, quæ religionis incapacia sunt, ac proinde ad nos hîc non pertinent) circa hominem qua talem creatum ac consideratum: quatenus videlicet ea causa ac ratio est, tum ut Deus nihil velle possit ac velit circa hominem, quod perfectioni ac dignitati naturæ suæ divinæ adversatur, id est, quod cum pravitate conjunctum est: tum ut omnia velut ac faciat, quæ perfectioni ac dignitati naturæ suæ consentanea sunt, sive quæ sine pravitate omitti nequeunt. Hujus voluntatis divinæ fundamentum quidem est voluntas illa Dei, qua Deus intra se ipsum nihil vult aut velle potest, aut extra se nihil facere, sive per se sive per alios, sive ipse efficiendo, sive approbando quod ab aliis fit, quod tamen approbare intra ipsum Deum fit, quod naturæ suæ dignitati contrarium est, id est, quod intrinsece pravum est. Sed quia voluntatis istius notitia ad nos non pertinet, nisi quatenus ea se promovet ad nos, aut cum relatione ad nos consideratur, hinc est quod alteram illam dumtaxat considerabimus. Sub voluntate autem divina comprehensa volumus etiam facta divina. Uti enim nihil velle potest Deus quod dignitati naturæ suæ adversatur, ita nihil potest etiam facere quod ei repugnat: & uti nihil non velle potest quod dignitas naturæ suæ postulat ut velit, ita nihil nolle aut omittere potest, quod eadem postulat ut velit aut ut fiat.

*Quale sit Dei jus in hominem.*

Justitia universalis hoc modo considerata participat aliquid de justitia particulari; non tantum in eo quod referatur etiam ad alterum, id est, ad hominem; sed etiam in eo, quod sic eâ consideratâ, jus aliquod ex parte hominis in censum veniat, quod non minus quam ipsa naturæ divinæ dignitas, ratio ac causa est, cur Deus non possit velle aut facere quædam, vel non velle aut omittere quædam circa hominem, injuriam scilicet homini facturus, si ea aut faceret aut omitteret. Jus autem hoc, non est jus quod ex benefacto hominis, aut ex fœdere & contractu aliquo inter Deum & hominem inito oritur, sed ex naturæ hominis à Deo creatæ conditione, qua fit, ut juste aut jure aliquid homini à Deo debeatur; non debito propriè dicto, sed quod Deus hominem sic & non aliter creando, ei aliquid debere voluerit, manens nihilominus supremus ejus Dominus. Quod autem naturæ ut sic debetur, id injustum est ut ei denegetur, aut non detur ut sic: nisi fortasse quis hoc debitum considerare ita velit, ut Deus non constituatur actu ullo suo debitor hominis, sed sibi ipsi, seu suæ sapientiæ, ut sic & non aliter circa hominem operetur. ut ut est, jus etiam aliquod hominis hic verti videtur, ratione naturalis congruentiæ & connexionis quam homo habet cum Deo, quæ facit ut jus ac dominium Dei in hominem non sit infinitum, sed partim dignitati naturæ divinæ, partim conditioni naturali hominis commensuratum, & quasi adstrictum.

*Id non permittit ut Deus ex ejus miseria æternæ gloriam aut voluptatem quærat.*

Rem testem demus. Deus nihil velle potest aut facere quod naturæ suæ dignitati adversatur, addo ego quod etiam conditioni sive dignitati naturali hominis repugnat. Exempli gratia. 1. Deus non potest juste gloriam quærere, aut voluptatem capere ex vera miseria aut calamitate hominum innocentium: nedum ex miseria aut calamitate eorum æternum duratura. Ratio est: Repugnat primò dignitati naturæ divinæ, id est, sapientiæ ejus, ut ex crudelissimo actu gloriam sibi quærat. Hoc tyrannorum est, & dementium depravatissimorumque hominum, imo Diabolorum. Repugnat etiam conditioni naturæ hominis. Innocentiæ enim non debetur miseria, imo debetur non miseria. Alioquin præstaret non esse, quam esse & innocentem esse. Melius enim est non esse, quam vere miserum, imo æternum miserum esse. Creatio itaque hominis non foret beneficium, sed summum maleficium, & crudelitatis summæ actus, non bonitatis. Deinde repugnat dignitati naturæ divinæ, id est, bonitati ejus, ut voluptatem capiat ex dolore, miseria & cruciatu innocentium, imprimis æterno & gravissimo. Hæc enim ἀπαγρησία est, quæ vix ac non nisi in scelestissimos cadit: Diabolorumque propria est, qui alienis malis gaudent ac delectantur, nullo suo commodo, nisi quia invidua laborant, vitiorum omnium pessimo, iniquissimo ac maxime spiritu ratione prædito indigno. Repugnat etiam dignitati hominum innocentium, ut non modo debitum innocentiæ eorum solatium iis auferatur, sed & ex indebito innocentiæ eorum dolore voluptas ac solatium capiatur. Injustitia ergo hîc summa est: quia justitia duo involvit, debitum & æqualitatem. Hic autem indebitum plane quid est & inæqualitas summa.

*Hic est primus injustitiæ, quæ à supralapsariis tribuitur Deo, gradus.*

Unde colligo quam fœda ac turpis sit sententia eorum, qui supra-lapsarii dicuntur, qui Deo tribuunt quod hominum multomaximam partem æternis cruciatibus destinare potuerit ac voluerit, absque ulla noxæ aut culpæ eorum evitabilis seu conditione seu prævisione, ex absoluto voluntatis suæ (ut loquuntur) beneplacito, ad gloriam justitiæ suæ, vel (ut alii) ad gloriam liberrimi sui dominii, quod tamen eodem recidit, nisi dominium intelligant injustissimum & crudelissimum. Quod enim aut injustius aut crudelius dominium excogitari potest, quam quo summum malum alicui decernitur, quod ei non modo non debetur, sed quod plane inæquale atque importionatum est ejus conditioni, id est, innocentiæ; cui si non summum bonum, saltem malum nullum proprie dictum, nedum malum summum debetur. Proportio enim innocentiæ ad dolorem summum nulla esse potest. Quid etiam minus ad gloriam divini nominis, imo quid magis ad summam ejus ignominiam facere potest, quam quod justitiæ suæ demonstrationem quærat ex crudelissima tyrannide, & dominii liberrimi ostentationem ex æterno innocentium creaturarum suarum dolore ac miseria? Hic certe injustitiæ & crudelitatis apex est.

*Secundus, quod docent Deum decernere ut homo peccet.*

Dices: Atqui cum Deus decretum hujusmodi facit, simul etiam decernit ut homo peccet, atque ita sua sponte miseriæ reus fiat. Resp. Hic est secundus & non paulo deterior injustitiæ gradus: Hominem nempe destinare ad peccatum eumque innocentem adhuc, ut justitiæ quasi exercendæ occasio aut causa habeatur. Imo hoc ipso primam illam destinationem ad miseriam, quæ omnem peccati conditionem aut prævisionem antecedit, iniquissimam & injustissimam fuisse non obscure evincitur. Quorsum enim peccatum

tum fieri neceſſe eſt, ſi nulla peccati ratione habita, deſtinari homo poteſt ad miſeriam æternam abſque ulla injuſtitia, imo ad juſtitiæ divinæ demonſtrationem & gloriam? Dices: At non deſtinat Deus hominem ad peccatum, niſi quatenus homo ſponte ſua propria peccaturus eſt. At, quæro, quid eſt hominem ſponte ſua peccare? An libere peccare, ita ut poſſit non peccare? At ſic non deſtinatur tum homo ad peccatum, ſed ad poſſe peccare tantum, quod cum actu non peccare optime conſiſtere poteſt. Eſto, inquies. At ut actu homo peccet, neceſſe eſt, ſi demonſtratio juſtitiæ fieri non poteſt, niſi peccato actu poſito. Peccatum enim actu poſitum, medium eſt per quod homo reus ſit miſeriæ ad quam deſtinatus eſt. Neceſſe itaque eſt ut peccatum actu conſequatur, ne fruſtra ſit hominis ad miſeriam deſtinatio. Quid ergo? An fine illo ſuo fruſtrari poterit Deus?

*Tertius, quod ajunt Deum hominem impuliſſe, determinaſſe, neceſſitaſſe ad peccatum.*

Hic jam alii dicunt, Deum ex vi decreti iſtius ſui primi hominem impuliſſe, determinaſſe, neceſſitaſſe ad peccatum. Atque hic jam tertius eſt prioribus duobus multo deterior injuſtitiæ gradus. Qui enim impellit, determinat, neceſſitat, adeoque cogit ad peccatum, quocunque demum modo id faciat, is non modo peccati autor, ſed & ſolus autor peccati eſt, ipſeque proprie ac ſolus peccat: adeo ut qui ab eo impellitur, determinatur aut neceſſitatur ad peccandum, eo ipſo quod impellatur & neceſſitetur, nec peccati autor ſit, nec peccet, ſed ab omni peccato & culpa plane liber ſit atque immunis. Unde conſequitur, ſi dicatur Deum ſic impellendo hominem ad peccandum, cauſſam peccati tamen non eſſe, aut non peccare, quia Deus ex lex eſt, peccatum non eſſe peccatum: quia nec Dei impellentis, juxta illos, nec hominis impulſi, uti ex natura rei liquet, peccatum eſſe poteſt, ac proinde, quando homo ita impulſus à Deo peccat, Deum finem ſuum non poſſe adſequi, id eſt juſtitiæ ſuæ demonſtrationem; quia medium ad finem illum adſequendum eſt peccatum qua peccatum, id eſt peccatum verè ac propriè ad miſeriæ pœnam obligans. Dices: Attamen homo ſponte ac libenter facit id quod ſcit ſibi prohibitum eſſe. Reſp. Eſto. Aliud eſt ſponte ac libenter aliquid facere; Aliud libere. Eo ipſo quod homo ſic impulſus ac neceſſitatus, ut ita loquar, peccatum iſtud facit, libere iſtud facere dici non poteſt, quia non poteſt non facere. Quod interim id ſponte ac libenter faciat, id per accidens quaſi eſt, quia cum iſta proprietate ac conditione naturæ creatus eſt à Deo, ut actum iſtum, quatenus materialiter peccatum eſt, libenter facere velit, puta edere ex pomo viſui ac guſtui grato. At vero hoc non eſt facere peccatum formaliter, ſive libere conſentire in actum vetitum, quæ formalis ratio peccati eſt. Nec enim magis libere conſentire in actum talem vetitum dici poteſt homo, ad actum iſtum neceſſitatus, quia nihilominus libenter exempli gratia edit ex pomo ſuavi ac deſiderabili, quam beſtia libere in eſum iſtum conſentire dici poteſt, quia naturæ inſtinctu ducta ſponte ac libenter ex eo ederet, ſi ei offerretur. Hinc alii cautiores, ſed minus ſinceri, abſtinent à vocibus impulſionis, determinationis, neceſſitationis, &c. & voce permiſſionis tegere ſtudent manifeſtum injuſtitiæ crimen. Sed fruſtra: uti ſupra à nobis prolixe probatum eſt. Permiſſio enim illa divina, reipſa aliud nihil eſt, quam efficax impulſio ad peccandum: quia eſt vel ſubtractio, vel non datio neceſſarii ad non peccandum auxilii, qua poſita hominem non peccare impoſſibile eſt: quod reductive aliud nihil eſt quam efficere ut homo peccet, id eſt, ut faciat id, quod peccatum eſſe dicitur, uti alibi à nobis oſtenſum eſt.

*Quartus, quod Deus primum hominis peccatum cenſeat pro univerſi generis humani peccato.*

Hunc tertium injuſtitiæ gradum excipit quartus non minoris injuſtitiæ: Quod videlicet unus iſtius hominis, ſic ad peccandum impulſi, peccatum cenſeat Deus pro peccato totius atque univerſi generis humani, adeo ut totum genus humanum vere ac proprie in illo uno homine peccaverit, & vere ac proprie reum ſe fecerit ejuſdem pœnæ, temporalis ſcilicet atque æternæ mortis. Quid enim magis repugnat dignitati naturæ divinæ, id eſt ſapientiæ & bonitati Dei, quam ut non dico cenſeat alium in alio, ad peccandum à ſe impulſo, vere peccare: (Nihil enim ſtultius.) ſed ut cenſeat peccare aliquem aliena, & non ſua propria voluntate? ut nondum natos, nondum ullo modo exiſtentes, imo non niſi poſt millia aliquot annorum naſcituros demum atque exſtituros, cenſeat poſſe peccare, imo actu peccare in eo unde naſcituri ſunt? & eoſdem non minus reos eſſe peccati iſtius, ac pœnæ peccato ſtatutæ, quam ſi ipſi propria ſua voluntate actum iſtum peccati perpetraſſent? Tum. quid magis repugnat conditioni hominis nondum nati, quam peccare, aut in peccatum conſentire, & reum ſe facere pœnæ?

*Explicatio loci ad Rom. V. 12.*

Dices: Attamen *mors per unum hominem ejuſque peccatum* dicitur *perveniſſe ad omnes homines*, Rom. V. 12. Reſp. Ita eſt. Sed 1. additur in textu, *quatenus* ἐφ' ᾧ omnes iſti proprie in ſuis ipſis perſonis peccaverunt, etſi peccatis ejuſmodi quæ peccato Adami hactenus diſſimilia erant, quatenus contra expreſſam Dei legem non fiebant. 2. Non dicitur in textu, mortem ad omnes omnino homines perveniſſe, ſed ad omnes *ad Adamo ad Moſen* uſque dumtaxat: *verſ.* 14. 3. Adam in eo, quod mors in omnes ab eo ad Moſen uſque prognatos regnavit, *typus* eſſe dicitur *ejus* (id eſt Chriſti) *qui* (ad Adami tempora relatus) *venturus erat*. Quo ipſo ſignificatur, mortem illam quæ pervenit ad poſteros iſtos Adami ad Moſen uſque, quatenus peccaverant, ſed non ad ſimilitudinem tranſgreſſionis ſive ὁμοιώματος Adami, non fuiſſe inflictam poſteris iſtis, nulla prorſus habita ratione ad propria eorum peccata; ſed tantum, non habita ratione ejus, quod ſimiliter, id eſt, tam perfectè, tam directè contra expreſſam aliquam legem Dei peccaviſſent, ſicut peccaverat Adam. Quorſum? ut typo ſerviret iſtius divinæ gratiæ, quam contra facere decreverat Deus per Chriſtum Filium ſuum, in eo, quod credentes ex Filio ſuo natos regenitoſque, à morte immunes præſtare, & juſtitiæ vitæque æternæ participes facere vellet, etſi non tam perfectè, nec tam continuo, nedum perpetuo ſic ex fide illa obedituri eſſent Filio ſuo, quam ipſe Patri ſuo obediverat. Iſtud ſuum propoſitum Deus indicare voluit, eo, quod totum illud tempus, quod ab Adamo ad Moſen uſque fluxit per octodecim pene ſecula, quaſi ex lex eſſe voluerit, id eſt, abſque ulla lege expreſſe tradita decurrere voluerit, ut typo ſervire poſſet iſtius temporis, quod à Chriſto ad finem uſque mundi fluxurum erat.

Unde perperam mihi videntur colligere ex hoc textu illi, qui per peccatum Adami mortem ad omnes in univerſum homines perveniſſe, hodieque adhuc pervenire volunt, etiam ad eos, qui legem expreſſam à Moſe traditam acceperunt, & quibus deinde lex Euangelii à Jeſu Chriſto revelata fuit. Nec enim dubium mihi eſt, quin mors ad legum iſtarum tranſgreſſores eadem ratione pervenerit olim, hodieque perveniat, qua ad Adamum legem Dei expreſſe ſibi daram tranſgredientem pervenetat. Cur vero? quia ut *verſ.* 13 dicitur, *peccatum non imputatur non exiſtente lege*; unde à contrario ſenſu colligitur, peccatum imputari, ſive pro peccato morte digno cenſeri, quando lex exiſtit. Dices: At ſi peccatum non imputatur non exiſtente lege, ergo ſequitur, mortem, quæ Adami poſteris ab Adamo ad Moſen uſque irrogata fuit, non fuiſſe irrogatam ob peccata poſterorum propria, ſed ob peculiare peccatum unius Adami. Reſpondeo: Quando dicitur non imputari peccatum non exiſtente lege, ſenſus Apoſtoli non eſt quod imputari non poſſit peccatum, ſi videlicet alia aliqua naturalis lex ſit, contra quam peccatur; neque quod peccati nulla omnino ratio habeatur, quando mors peccanti infligitur; ſed quod ejus tam accurata ac ſeria ratio non habeatur, atque ſi expreſſa aliqua lex fuiſſet, contra quam peccatum illud commiſſum fuiſſet. Quomodo ergo, inquies, nihilominus mors inflicta iſtis Adami poſteris fuit, uti Adamo inflicta fuerat? Reſpondeo: Quia Deus Adamum, ex quo peccantes iſti nati erant, typum facere volebat Chriſti Filii ſui, ex quo renaſcituri erant per fidem, qui ſe ei dederent; & peccantes illos, ex Adamo natos, licet non ita perfectè aut ad ſimilitudinem ὁμοιώματος Adami peccantes, attamen revera peccantes, (Nam, ut *verſ.* 13 dicitur, *Peccatum uſque ad legem erat in mundo*:) typum eorum, qui Chriſto Filio ſuo per fidem, licet non ita perfecte uti ipſe, attamen reipſa obedituri erant. Dices: An non repugnat divinæ juſtitiæ, ut Deus eadem morte adficiat peccantes ſine expreſſa lege, qua adficit peccantem contra expreſſam legem? Reſp. Non, propter duas cauſſas. Prima eſt, quia peccata utrorumque morte digna ſunt. Secunda, quia mors etiam quamcunque ob culpam, licet leviſſimam, imo ſine ulla culpa, infligi poteſt hominibus à Deo, non quidem quatenus pœna aut malum pœnale eſt, ſed quatenus tantum privatio aut ablatio, ſeu potius non continuata datio eſt vitæ ſive boni ſemel conceſſi. Nulla enim juſtitiæ lege obligari Deus poteſt ad hominem immortalem conſervandum. Hoc non niſi liberæ ac gratioſiſſimæ voluntatis divinæ eſt. Quare nec juſtitiæ repugnare poteſt, ut Deus mortem pervenire ſinat ad poſteros Adami, licet non ita perfecte, uti Adamus, peccantes; imprimis ſi, quando id facit, typum dare velit ingentis ac ſingularis admodum beneficii, & gratiæ contrariæ, quam ad ſummam nominis ſui gloriam facere judicat: quod hîc locum habere, ex fine *verſ.* 14 & cæteris, quæ ſequuntur commatis, evidenter liquet. Typus autem manifeſtus hic eſt; Uti ad peccantes illos, licet non peccantes tam perfectè uti Adam peccaverat, mors pervenit, quia ex Adamo primo parente ſuo ob peccatum morte punito nati erant; Deo ita rem adminiſtrare voluntate in typo quaſi & figura; ita ad obedientes Chriſto Filio meo, licet non obedientes adeo perfectè ut ille obedivit, juſtitia ac vita perveniet, quia ex Chriſto Filio meo primo juſtitiæ parente, & propter juſtitiam vitæ æternæ

autore

autore constituto, denuo quasi nati & regeniti sunt. Sed de hoc loco satis per hanc occasionem.

*Quintus, quòd propter unicum istud peccatum Deus omnes homines nasci velit corruptissimos, &c.*

Quintus injustitiæ gradus est: Deum velle, ut quotquot ex isto primo parente peccati autore, ut ajunt, licet ad peccandum, sic uti diximus, necessitato, nascuntur homines, ne ipsis quidem infantibus in utero materno adhuc hærentibus, aut natis recens, protinusque iterum denascentibus aut denatis, ex ordine isto exceptis, cum peccato tali proprie dicto nascantur: quo 1. denuo rei fiant æternæ mortis ac condemnationis. 2. cujus vi inutiles sint ad omne bonum, & propensi adeo ad omne malum, ut quæcunque deinde committunt scelera ac flagitia, in ea eos vi istius peccati incidere plane necesse sit, nisi nova & irresistibili gratiæ vi ab illis committendis impediantur. 3. quo ipso fiat, ut qui jam gratiæ irresistilis vi regeniti sunt, non modo propensi maneant ad omne malum, sed subinde etiam cessante gratiæ istius irresistibilis influxu, veluti laxato fræno in fœda & enormia peccata, non raro etiam atrocia scelera ac flagitia, incidant ac prolabantur, quin & incidere ac prolabi necessario debeant; ut sensu & conscientia infirmitatis suæ tacti occasionem semper novam habeant humiliandi se coram Deo, & gratiæ divinæ necessitatem agnoscendi, ejusque novum auxilium per preces, à Deo tamen & divino Spiritu eis suggestas, implorandi. Denique. 4. quo fiat ut scelera ac peccata omnia, in quæ incidere necesse est eos omnes quos Deus gratiæ istius suæ irresistibilis auxilio ac fræno dignari non vult, pro sceleribus ac peccatis ejusmodi censeantur, quæ novam rursus iram Dei & æternam condemnationem mereantur, quia ex impuro isto fonte profecta sunt. Quis, obsecro, non videt, nihil magis rectitudini sive dignitati divinæ naturæ & conditioni innoxii generis humani adversari posse, quam si Deus dicatur velle & procurare hujusmodi necessariam aut inevitabilem peccandi & pereundi, sive peccatum ex peccato, & quidem alieno, contrahendi, damnationemque ex damnatione promerendi, concatenationem? Ex his cætera æstimari facile possunt.

*Quæstiones aliquot ad justitiam Dei circa peccata pertinentes breviter decisæ.*

Quæstiones quæ hac occasione moveri possunt & à nonnullis moventur, An videlicet justitiæ Dei, id est, rectitudini ac dignitati divinæ naturæ non repugnet, ut Deus decernat fieri quædam quæ sine hominum peccato ac pravitate perfici nequeunt? exempli gratia, ut Judas Dominum suum prodat, ut Judæi Messiam suum occidant, aliaque similia. An & quomodo Deus homines malos indurare possit, sine justitiæ læsione, malorumque istorum hominum injuria? An Deus jure peccata peccatis punire possit, & talia hominibus etiam non plane improbis comminari, quæ sine scelere ab iis fieri non possunt? exempli gratia, Petro nimia sui fiducia elato, Dominique sui ac Magistri prædictionibus temere nimium atque audacter resistenti, cæteris que discipulis temeritatis exemplum præbenti, comminari, eum ter Dominum suum abnegaturum. Quæstiones, inquam hæ, aliæque similes, quia partim à nobis hic illic obiter disceptatæ sunt, & prolixius disceptabuntur à nobis in cap. de Justitia ac Providentia Dei in malo, ubi proprie earum sedes est, hîc jam à nobis non movebuntur, sed in illum locum rejicientur. Suffecerit ad eas hoc loco respondisse duo hæc. 1. Justitiæ istius divinæ, qua versatur Deus circa homines malos, & vel quovis vel singulari quodam supplicio culpa sua propria dignos redditos, rationem hic à nobis non haberi, sed ejus tantum, qua versatur circa homines innoxios, nulliusque propriæ culpæ aut pœnæ reos. Ibi enim quia jus hominum propter ipsorum proprium delictum definere incipit, juris ac justitiæ divinæ ratio ita extendi videtur, ut quousque sese porrigat & ubi desinat, non ita planum sit ac perspicuum. Hîc, quia jus hominis, quod diximus, prorsus manet, justitiæ etiam divinæ ratio planior atque apertior est. 2. Etsi ratio justitiæ divinæ qua versatur & versari potest Deus circa malos, non æque clara aut plana est, ac est ratio justitiæ divinæ qua versatur circa innoxios, nihilominus tamen diligenter cavendum esse, ne sub extensioris & latioris justitiæ privilegio aut obtentu, Deo à nobis tribuantur actus ulli, qui intrinsecam pravitatem continent, quippe qui perfectioni & dignitati naturæ divinæ plane adversantur. Proinde ne phrases istæ, quæ in Scripturis occurrunt, & juris istius divini, quod in malos habet, latifundia videntur extendere ad actus aliquos, qui præcise ac rigide accepti intellectique intrinsecam pravitatem continere possunt, ex. gr. phrases excæcandi, indurandi, tradendi in reprobum sensum, decipiendi, errare faciendi, cor impinguandi, præcipiendi ut maledicatur, &c. ne inquam hæ aliæque sic explicentur, ut in justitiam sive rectitudinem Deo & divina perfectione dignam directè impingant: quod fieri omnino necesse est, si actus isti exponantur vel positivè, ita ut caussæ sint errorem, pravitatem & malitiam efficientes: vel privativè, sic, ut notent aut deficientiam, aut subtractionem, aut non dationem auxilii absolutè necessarii ad id ut malitia & pravitas evitari saltem possit, sed ut ea posita malitiam & pravitatem evitari prorsus impossibile sit. utrovis enim modo actus isti exponantur, Deum authorem malitiæ ac pravitatis constitui necesse est; &, si malitiæ ac pravitati isti deinde severior adsignetur pœna, autorem pœnæ injustissimæ. Quare sic eos exponendos esse arbitror, ut non significent aut malitiæ inditionem, aut omnis in universum auxilii ad malitiam aut pravitatem evitandum necessarii, sed vel melioris sive in se efficacioris, vel utilioris in ordine ad malorum ingenium, vel uberioris diuturnioriſque subductionem, aut non dationem; qua posita, difficilius quidem sit hominibus malis, sed non omnino impossibile, à malitia & pravitate ulteriore se continere. Justitiæ enim divinæ perfectio non postulat ut, aut optima semper, aut utilissima, aut uberrima auxilia, nedum ut omnia simul quæcunque ad pravitatem ulteriorem evitandum servire possunt, hominibus conferat; sed ut ea conferat quæ absolute necessaria sunt, si videlicet malitiam istam evitare hominem mandato suo seriò se velle significet, & nisi id faxit, gravius eum punire se velle declaret.

*Uberior de jure Dei in hominem tractatio.*

Ex hoc consequi mihi videtur, justitiæ divinæ rationem respectu malorum etiam hominum sic considerandam esse, ut non tantum circa eos facere aliquid non possit quod divinæ naturæ suæ dignitati repugnat, quia videlicet ei repugnat; sed ut etiam idcirco id facere non possit, quia juri isti, quod habent homines mali, non quà mali sunt, sed qua sunt homines sensu & ratione à Deo ipso donati, repugnat. Quod ut altius & à capite ipso paulum accuratius arcessamus, atque ita ad justitiæ particularis divinæ tractationem progrediamur, operæpretium esse judico.

*Et primò quatenus est ens animale.*

Jus Dei, quod in hominem habet, in eo vertitur, ut Deus facere possit circa hominem id omne, quod se & perfectione naturæ suæ dignum est; & nihil facere aut omittere, quod se & perfectione naturæ suæ indignum est. Indignum autem Deo est omne id, quod intrinsece pravum est; quia id directe repugnat rectitudini objectivæ mente divina conceptæ, & voluntati ostensæ; quæ rectitudo, lex æterna sive regula practica est ratione concepta, judicata ac probata, respectu cujus, Deus ipse Sanctus ac sanctitas ipsa passim in Sacra Scriptura vocatur. Hoc jus Dei necessario in se involvit jus aliquod etiam hominis, ratione cujus Deus etiam non potest facere circa hominem quicquam, quo facto injuria ei fieret: quod proinde distinctum est à jure illo Dei, quod habet in entia cætera omnia sive inanimata sive animata, quæ ab homine distinguuntur, quatenus homo est animal sensu ac ratione præditum. Hisce enim ut injuria aliqua fiat impossibile est. unde consequitur, jus, quod in ea Deus habet, infinitum prorsus esse, quatenus ea in quas vult formas mutare, destruere, annihilare, imminuere, augere potest pro absoluto arbitrio suo, nulla cum eorum injuria. At in entibus quæ præter essentiam & vitam, sensum etiam habent & rationem, jus aliquod entium ipsorum vetti incipit; jusque Dei in ea prorsus & omnimodo infinitum esse definit.

Quod enim attinet ad entia sensu prædita, ea capacia sunt voluptatis ac doloris. Quatenus ea voluptatis capacia sunt, jus Dei in ea infinitum est ac manet, non tantum quatenus ea annihilare, & sic voluptate omni sensuque omni voluptatis privare potest; id enim commune habent cum entibus cæteris; sed etiam quatenus ea voluptate quali & quanta vult adficere potest in infinitum usque, non modo nulla eorum injuria, sed maximo eorum bono. Voluptas enim est bonum, quod quanto majus, tanto est gratius acceptiusque. Quatenus vero ea etiam capacia sunt doloris, jus Dei in ea prorsus infinitum non est, quia ea, qua talia, dolore summo, id est, gravissimo & æternum duraturo, adficere non potest sine summa eorum injuria. Bonum enim sensus, qua tale, multo minus est, quam malum doloris summi; adeo ut multo præstet, sine omni sensu esse, imo non esse, quam cum sensu doloris summi semper esse. Summi doloris, inquam, quia dolor aliquis esse potest levis, cum cujus sensu entia sensu prædita sive animalia mallent semper esse, sive vitam & sensum retinere, quam, ut sine isto doloris sensu sint, vita & sensu omni omnino privari. Hoc modo etsi dolor malum aliquod est quo carere animal optaret, tamen non tam mali rationem habet, quam minoris boni, quatenus ad bonum sensus absolute consideratum refertur, quod habere & retinere animali melius est, quam perdere, ne doloris tantilli malum percipiat aut sentiat. Dolorem itaque hujusmodi levem animalibus, quibus bonum sensus dedit, inferendi jus Deo negari non potest. Ad dolorem autem hunc mors non pertinet, quia mors sine dolore est, sive vitæ sensusque, proinde doloris etiam omnis privatio. unde sequitur Deo jus etiam competere mortem inferendi animalibus sine ulla eorum injuria, quia bonum sensus liberè iis contulit, ita ut

ad

ad istud habendum jus nullum animalia ante haberent; quare, quando id iis iterum aufert, injuria nulla iis infertur, quia ad istud semper retinendum jus etiam nullum habent.

Ex hoc colligo, Jus Dei in hominem, quatenus animal sive ens sensu præditum est, infinitum etiam non esse; ita ut Deus hominem dolore summo etiam adficere possit absque ulla ejus injuria, nullo scilicet præcedente hominis proprie dicto merito: quatenus scilicet is non animal tantum est, sed insuper ratione præditus est, & libertate voluntatis suæ præter & contra rationem rectam non abutitur. Hoc enim casu posito, juris divini ratio alia est, uti postea videbimus. Dolorem tamen aliquem homini, quatenus animal est, inferendi, jus Deo esse idem, quod in cætera animantia habet, ex antedictis liquet; dummodo is dolor tantus non sit, ut homo mallet prorsus non esse animal, quam sic dolere; quod quin de dolore summo certum sit, nemo dubitat. Summus enim dolor, summum malum est, cui nullum bonum æquari potest, quo non carere multo maveliț homo, quam una cum eo diutissime vivere. Hactenus ergo de jure Dei in entia & animalia omnia, deque jure ejus in hominem quatenus animal est.

*Deinde quatenus est ratione præditus.*

Jus Dei in hominem, quatenus homo, id est, ratione recta præditus est, à Deo, etiam ex parte hominis sic considerati, infinitum non est. Aut enim homo consideratur simpliciter, ut ratione tali recta præditus, etsi ea necdum aut recte utens aut abutens. Aut ut ratione illa recta bene utens. Aut ut ea abutens. Primo modo si consideretur homo, jus Dei circa eum infinitum non est. sed injuria homini fieret, si Deus exempli gratia incitaret aut impelleret hominem, seu physice, seu moraliter, ad agendum quidquam contra rectam rationem, sive quod recta à Deo ipso ei indita ratio judicaret turpe atque inhonestum esse; exempli gratia, ut viveret ex arbitrio sensuum bestiæ instar, non vero ex rationis rectæ præscripto hominis instar. Hoc enim tantundem esset, atque efficere seu jubere, ut homo hominem exuat, & animalis instar bruti fiat; quod homini qua tali turpe est.

*Tum quatenus ratione recte utitur.*

Si consideretur homo secundo modo, ut ratione recta jam bene utens, id est, hominis instar vivens, ad rationis rectæ præscriptum, tum jus Deo non est, ut ab homine isto postulet ut contra faciat, & rationi rectæ nuncium remittat, id est committat aut omittat, quod ratio recta dictat turpe, fœdum atque inhonestum esse. Dices: Apparet tamen in exemplo Abrahami id à Deo factum esse, quando Abrahamo jussit, ut filium suum per omnia ex rationis rectæ præscripto obsequentem sibi, vivum mactaret, quod tamen ratio recta dictat turpe, fœdum atque inhonestum esse. Resp. Nego rationem rectam dictare id fœdum ac turpe esse, quando absolutus filii Dominus id postulat. Recta quidem ratio dictat id turpe ac fœdum esse, si fiat aut à patre proprio motu, aut ad jussum vel instinctum aliorum, quibus nullum verum, nedum absolutum in filium, imprimis bene moratum, jus est. Sed si id fieri postulet absolutus Dominus, ratio recta non dictat id fieri non licere: Nec enim intrinsece istud pravum est aut turpe. Dices: At si jus hominis hîc vertitur, & propter illud jus dicatur injustum esse ut contra illud aliquid fiat à Deo. tum saltem jus hoc postulandi Deo non competiit, & Abrahamus à parte sua non fuit obligatus ad parendum Deo id postulanti. Resp. Quando jus hominis hic verti dico, tum intelligo jus hominis, quod homo recta ratione bene utens, qua talis, habet. Ergo si recta ratio non dictabat Abrahamo, id turpe ac fœdum esse, jus Abrahami hîc nullum fuit. Atqui, inquies, recta tamen ratio dictat turpe ac fœdum esse ut pater filium, non innocentem tantum, sed & morigerum sibi, occidat. Resp. Contra censuisse gentiles pene omnes constat ex Antiquitate pene tota, qui jus patriæ potestatis extenderunt ad cædem usque liberorum, donec tandem Romani legibus suis contrarium statuerunt. Sed nos hac exceptione uti nolumus. Quare respondeo, rectam rationem dictare quidem ne pater qua pater filium suum occidat; sed non dictare, ne pater qua subditus est absoluto sui ac filii sui Domino, filium occidat, si Dominus iste id ei jubeat: quia sic non est dominus proprietarius filii sui, nec obligatus ex asse filio suo, sed vasallus & feudatarius, cujus jus in filium desinit, quando Dominus eum tanquam rem ex asse suam sibi reddi ac restitui vult. Atque hæc responsio imprimis quadrat huic exemplo Abrahami, quia is noverat filium illum suum, sibi jam per ætatem infœcundo, ex sterili & effœta uxore à Deo gratis donatum esse, ac proinde jus omne, quod in eum habebat, non esse nisi precarium & gratuitum, usque dum donatori aliter videretur. Recte, inquies; Siquidem Deus ut absolutus Dominus eum ipse occidere voluisset, & sic repetere: Sed hic jussus Domini intervenit, cui Abrahamus ut pareret recta ratio non permittebat. Resp. Imo quia jussus intervenit, recta ratio non permittebat modo, sed & cogebat ut Abrahamus ei pareret. Jussu enim interveniente, Abrahamus non amplius erat dominus filii sui, ac proinde non obligatus ei tanquam rei suæ conservandæ, sed tanquam rei alienæ, ad eam reddendum, quocunque eam modo Dominus sibi reddi vellet. Deinde, Abrahamus ipse priore ac propiore vinculo obligatus erat Deo quam filio suo. Recta itaque ratio jubebat, ut potius jubenti Deo pareret, quam filio suo parceret. Existimant quidam tutius responderi posse, si dicatur, Hanc jussionem non fuisse proprie dictam jussionem, sed tentationem dumtaxat. Verum id mihi non videtur ad rem facere, quia sive jussio sive tentatio dicatur fuisse, (uti revera fuit) certum est 1. si id quod tentare volebat Deus, res per se fœda ac turpis erat, id est, rectæ rationi repugnans, tum tentationem illam ad malum fuisse, quam Deo tribui vetat Jacob. cap. 1. eamque idcirco fuisse pejorem, quod sub jussionis forma facta fuerit. 2. Certum est Abrahamum tota voluntate sua consensisse tentationi isti, eoque nomine laudatum & Deo charum singulariter fuisse. Absurdum autem videri debet, Abrahamum tota voluntate sua consentientem in rem turpem ac fœdam rectæque rationi repugnantem, laudem apud Deum consecutum esse, & Deo idcirco gratum uniceque dilectum fuisse. Quare perstо in solutione data: Jus nullum Abrahamo fuisse, cur refragaretur ad jussum Dei mactare filium suum, nec injuriam ei ullam factam fuisse, quando jubebatur mactare filium suum. Dicet forte aliquis: Sic nihil injustum erit, quando id jubet absolutus Dominus fieri. Resp. Ita est. Sed quia id, quod rectæ rationi per se repugnat, Dominus iste, sine injuria eorum, qui ratione ista bene utuntur, jubere non potest, hinc, ut tale quid unquam iis jubeat, impossibile est.

*Denique quatenus ratione abutitur.*

Si tertio modo consideretur homo, ut abutens dictamine rectæ rationis, sive sub lege naturæ, sive sub lege Mosis, sive sub lege Euangelii, jus Dei in eo dolorifica pœna adficiendo sine dubio variat, pro qualitate & quantitate abusus, sic tamen ut si rigidè jure suo uti velit, abusum quemlibet morte punire possit, sine abutentium injuria. In eo tamen etiam hoc jus divinum cum duobus prædictis modis convenit, quod eo usque extendi non possit nec debeat, ut Deus sine injuria ulla possit abutentes recta ratione, seu physica actione & impulsione, seu morali jussione, suasione aut adhortatione excitare aut instigare ad peccatum, uti jam ante à nobis dictum est.

## CAPUT XXIX.

## De Justitia Dei particulari.

HActenus de justitia universali egimus; Sequitur ut de justitia particulari agamus, quæ proprie est virtus quæ dumtaxat ad alterum refertur.

*Quid sit justitia Dei particularis, & quomodo ab universali differat.*

Hæc definiri solet, virtus, quæ suum cuique tribuit; Quæ definitio ita accipi potest, ut generaliter comprehendat omnem rectitudinem, qua quis tum sibi ipsi tum aliis tribuit quod suum est, ita ut non tantum aliis non inferat injuriam, sed nec ipse quidquam aut velit aut faciat, quod se non decet, aut personam illam suam quam gerit vel sustinet. Hoc sensu justitia particularis Dei complecteretur etiam sub se justitiam Dei universalem, prout justitiam universalem aliquomodo etiam sub se complecti diximus justitiam particularem, quatenus jus Dei circa hominem jus etiam aliquod hominis semper fere complectitur, uti diximus. Et certe usque adeo arctè jus unum alteri adhæret, ut separari vix possint, prout ex iis, quæ diximus, constare potest. Sed nos justitiam Dei particularem hîc dumtaxat considerabimus, prout refertur ad alterum, eique quod suum est, aut jure ei debetur, tribuit. Per *suum* autem quod cuique competit intelligo non illud, quod cuique ex naturæ suæ conditione debetur: hoc enim est jus illud, quod in justitia universali locum habere diximus; sed quod alicui debetur, aut ex hypothesi, si lex ei præscribatur, aut ex lege præscripta. Id quod ex hypothesi, si lex homini præscribatur, homini debetur, est exempli gratia potentia legem observandi, & libertas eam transgrediendi. Ad impossibile enim nemo obligari potest, & frustranea est lex quam transgredi impossibile est. Sed quia jus hoc proprie ad justitiam universalem pertinet, de eo ut agamus non est necesse. Ad justitiam autem universalem Dei jus hoc pertinere ex eo liquet, quia primo & per se Deum non decet ut legem præscribat homini, quam observare non potest, aut quam non potest transgredi, si videlicet eam sanciat seria comminatione pœnæ & promissione præmii.

*In eo consistit ut Deus cuique tribuat id quod ipsi ex lege debetur.*

Justitia ergo particularis Dei in eo sita est, quod Deus unicuique tribuat id quod ei ex lege debetur. Ex lege autem cuique dupliciter aliquid debetur. 1. quod ei debetur ex vi stri-

vi ſtricta, ſive ex rigore legis. 2. quod ei debetur, non quidem ex vi ſtricta legis, ſed tantum ex qualicunque voluntate legem ferentis. Ex vi ſtricta legis, debetur homini aut obedienti præmium, aut inobedienti pœna, ſi videlicet utroque modo ſancita ſit lex. Abſque ſanctione enim, etſi homini legem tranſgredienti pœna debetur, non tamen ei legem obſervanti præmium debetur ex rigore, quia homo ad obediendum Deo ſimpliciter obligatur; uti apparet ex lege prima homini data, quæ ſancita legitur ſola comminatione pœnæ, nulla vero præmii promiſſione, ſaltem expreſſa.

Ex vi Legis ſtrictè ac rigide latæ, cum promiſſione præmii obedientiæ commenſurati, præmium homini propriè deberi Apoſtolus indicat ad *Rom.* IV. 4: *Ei qui operatur merces non imputatur ex gratia, ſed ex debito* (ſcilicet datur.) Per mercedem autem intelligitur, meo quidem judicio, merces operi proportionata, qualis merces Lege Moſis eam obſervantibus, ſaltem ſecundum literam, conſtituta fuit. Ut enim per mercedem intelligatur merces æternæ vitæ, vix adducor ut credam, quia ut ea deberi dicatur, ſive ex debito dari, Legem Moſis aut quamcunque aliam, licet perfectiſſime & perpetuo obſervantibus, (iſta enim videtur eſſe vis vocis *Operanti*) nulla ratio permittit.

*Locus Rom. IV. 4.*

Ex vi legis ſtrictè ſumtæ homini legem tranſgredienti pœnam deberi, apparet ex *Deut.* XXVII. 26. qui locus citatur ab Apoſtolo *ad Gal.* III. 10. *Execrabilis quicunque non manſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro Legis, ut ea faciat.* *Ad Rom.* VI. 23. *Stipendium peccati* (id eſt, quod peccatum tanquam dominus dat) *eſt mors*, Peccatum enim Deo opponitur, & ſtipendium dono, id eſt, mercedi, quam Deus tanquam Dominus fidelibus ſuis cultoribus ex gratia dat; ita ut ſtipendium peccato, id eſt peccatoribus debitum mors dicatur, vita vero æterna, non ſtipendium fidelibus debitum, ſed donum gratuitum.

*Rom. VI. 23.*

Quod homini debetur, non quidem ex vi ſtricta legis, ſed ex qualicunque voluntate legem ferentis, eſt ſimiliter præmium, aut pœna: hæc operibus aut meritis ſemper commenſurata, id eſt ea non excedens: iſtud operum dignitatem aut pretium longe excedens.

*Quomodo præmium reddere ad juſtitiam pertineat.*

Præmium hoc deberi homini dicimus, non debito proprie dicto, nedum merito ſuo, ſed ex vi divinæ promiſſionis liberrimè ac liberaliſſimè ex gratia factæ; quam tanti facit ſacer textus, ut *juſtum eſſe apud Deum* dicat *retribuere relaxationem iis qui affliguntur*: 2 *Theſſ.* I. 6. 7. & *Deum* tanquam *juſtum judicem daturum eſſe coronam juſtitiæ omnibus qui expetiverint illuſtrem ejus adventum*: 2 *Timoth.* IV. 8: imo idcirco Deum *non obliturum operum & laborioſæ caritatis* ſuorum, quia *non eſt injuſtus*: *ad Heb.* VI. 10. Nec mirum. Etſi enim ipſa promiſſio tam ingentis præmii non eſt actus juſtitiæ, ſed gratiæ, liberalitatis & magnificentiæ; tamen promiſſi præmii diſtributio aut datio eſt actus juſtitiæ, tum reſpectu ejus qui promiſit, tum reſpectu eorum, quibus promiſſio facta eſt. Reſpectu ejus qui promiſit; quia promittendo ſe obligavit alteri, eique jus à ſe promiſſum bonum poſtulandi dedit. unde conſequitur, fieri non poſſe, ſi promiſſum bonum ſibi retineat, aut ex eo quidquam diminuat, ut non injuriam faciat ei, cui promiſit. Reſpectu eorum quibus promiſſio facta fuit, quia juſtum eſt, ut jure ſuo, quod in eos tranſlatum eſt, utantur. Promiſſa enim res non amplius eſt promittentis, ſed ejus cui promiſſa eſt. Hoc tamen ſic accipiendum non eſt, quaſi promiſſor ex vi juſtitiæ obligetur ad dandum id quod promiſit, præciſe atque Arithmetice, ita ut injuſte facturus eſſet ſi, aut plus daret quam promiſit, aut alterius generis multoque melius bonum daret, quam quale promiſit. Sufficit enim ut bonum quod dat tale ſit, ut id malit habere qui accipit, quam iſtud quod promiſſum eſt. Nulla enim injuria fieri poteſt alicui, quod majus meliuſque bonum, licet alterius diverſique generis ſit, quam quod promiſſum eſt, ei detur. Promiſſum enim bonum non delectat hominem, qua promiſſum eſt, ſed qua bonum, id eſt, gratum acceptumque ei eſt. Quanto ergo gratius acceptiuſque bonum eſt, quod ei datur, tanto minus injuſte ſecum agi credet ac dicet. Quia autem bonum æternæ vitæ ſummum bonum eſt, quo majus meliuſve homini Deus dare non poteſt, nec homo à Deo accipere, hinc juſtitiæ actus eſt, quando iſtud homini Deus promiſit, ut iſtud etiam & non aliud ei det, tanquam ſuum, quod ei ex promiſſo, licet gratioſo, debetur. Omne enim promiſſum cadit in debitum.

*(Ubi veritas & fides locum habent.)*

Juſtitia hæc in Scriptura Veteris Teſtamenti peculiari nomine vocatur *Emunah*, ſive *Emeth*. In Novo Teſt. ἀλήθεια & πίστις, hoc eſt, veritas & Fides, ſive Fidelitas. Etſi enim veritas, fidelitas, & juſtitia, formali quadam ratione diſtingui poſſunt ac ſolent in Scholis, quatenus veritas aut veracitas convenientiam verborum cum rebus, Fidelitas convenientiam rerum ſive factorum cum verbis, Juſtitia vero æqualitatem proprie rerum & rerum ſignificat; tamen promiſcue & συνωνύμως ea uſurpari ſolent, quia cum promiſſio impletur, tum ea quaſi verificatur, & promiſſoris fides ſive fidelitas in promiſſis implendis cernitur, & quando promiſſis ſatisfit, tum jus ſuum alteri tribuitur. Promiſcue voces has accipi apparet ex *cap.* III. *ad Rom. verſ.* 3. 4. 5. ubi *fidem Dei*, *veritatem Dei*, *juſtitiam Dei* pro eodem accipi manifeſtum eſt: & ex 1 *Joan.* I. 9, *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis & juſtus eſt, ut remittat nobis peccata noſtra, & purget nos ab omni iniquitate*: Fidelis enim & juſtus hic ſynonyma ſunt. Negari tamen non poteſt, quin veritas Dei, cum de promiſſionibus Dei agitur, peculiarem aliquam rationem in conceptu ſuo involvat, propter quam juſtum eſt ut Deus promiſſis ſuis ſtet: quatenus videlicet veritas ſignificat ſinceritatem, ingenuitatem, & candorem animi divini in facienda promiſſione, quæ opponitur fraudi, hypocriſi, & duplicitati cordis, ſive cordi & cordi, quam Scriptura mendacium vocat, quando dicit Deum eſſe ἀψευδῆ, id eſt, *mentiri neſcium*: *Tit.* I. 2. & iniquitatem, *Deut.* XXXII. 4. quando dicit, *Deum eſſe veritatem, & non eſſe iniquitatem in eo.* Hinc enim recte colligitur; Si Deus ſeriò atque ex animi ſui ſententia promiſſionem fecit, juſtum eſſe, ut eam impleat. Quia vero vitæ æternæ promiſſio à Deo aliter quam ſeriò, candidè, ingenuè atque ex animo fieri non potuit, alioquin futura injuſtiſſima illuſio, cum ſumma injuria eorum quibus ea fieret, hinc eſt, quod ejus impletio recte vocetur veritas, *Rom.* XV. 8. & verbum quo illa impletio promittitur, καὶ ἐξοχὴν veritas, *Joan.* XVII. 17. & alibi. Quia vero fidelitas aliud nihil eſt, ex definitione Ciceronis, lib. 1. Offic. quam dictorum conventorumque conſtantia & veritas; hinc etiam eſt, quod ea ſub veritate comprehendatur, & ſic juſtitiæ divinæ rationem quaſi illuſtret. unde reſpectu promiſſionis factæ fidelis dicitur Deus, *Heb.* X. 23. *Fidelis enim eſt qui promiſit*, & quando promiſſionem implet juſtus. *Nehem.* IX. 8. ubi Deus, eo quod terram ſanctam Abrahami ſemini poſſidendam dederat, expulſis ex ea terræ iſtius profanis habitatoribus, prout promiſerat, impleviſſe vel confirmaſſe dicitur verba, id eſt, promiſſa ſua, *quia juſtus eſt.* Hactenus de præmio.

Quod ad pœnam attinet, non eam, quæ ex rigore legis ſtrictæ debetur tranſgredientibus legem, imprimis extremè improbis ac contumacibus, id eſt inſanabilibus, ſed quæ ex voluntate legem ferentis, qualiſcunque ea ſit, debetur, ea ut tranſgreſſori tanquam id quod ſuum eſt tribuatur juſtitia particularis poſtulat: non quod tranſgreſſiones aut peccata ex vi ſua Deum obligent ad pœnam infligendum, & ſic Deum debitorem pœnæ infligendæ conſtituant, eodem modo, quo promiſſa divina ex vi ſua Deum obligant, & debitorem ad ea danda conſtituunt. Nihil minus. 1. Quia in promiſſo Deus eſt debitor, in pœna Deus eſt creditor. Pœnam enim Deo debet homo; unde & qui punitur, pœnas dare dicitur. Creditor autem non obligatur ex vi debiti, ad exigendum debitum. Poteſt enim debitum remittere & de jure ſuo cedere. Tum 2. promiſſa reſcindi non poſſunt ſine injuria eorum quibus ea facta ſunt. At pœnæ ſi non infligantur, nulla fit injuria iis qui eas debent. Quomodo ergo juſtitia particularis pœnam poſtulat? Non aliter quam ex voluntate legem ferentis, quæ comminationibus declarata eſt; nec aliam quam qualem comminationes continent. Neque enim juſtitia Dei poſtulat ut Deus debeat velle punire quoſcunque peccatores. Sed cum punire vult, juſtitia Dei poſtulat, ut non puniat niſi merentem, nec ultra meritum, id eſt, non ultra nec citra quam comminatus eſt, quia comminatio divina ſine dubio juſta eſt. Hoc ita eſſe apparet 1. ex Scripturæ locis variis, *Heb.* II. 2. πᾶσα παράβασις καὶ παρακοὴ dicitur recipere ἔνδικον μισθαποδοσίαν. *ad Rom.* I. 32. dicitur, δικαίωμα τοῦ Θεοῦ hoc eſſe, quod *qui mala committunt aut approbant, digni ſunt morte.* 2 *ad Theſſ.* I. 6. dicitur, *juſtum, δίκαιον eſſe apud Deum, viciſſim reddere iis, qui affligunt* (bonos) *affictionem*, *Apocal.* XVI. 5. 6. dicit Angelus aquarum, *Juſtus es Domine, qui es & qui eras, & qui eris, quod hæc* (ita) *judicaris. Quoniam ſanguinem ſanctorum & prophetarum effuderunt, etiam ſanguinem eis dediſti ad bibendum; digni enim ſunt.* & *verſ.* 7, *Etiam Domine Deus Omnipotens, vera & juſta ſunt judicia tua.* & *Apocal.* XVIII. 6. *Reddite ei ſicut & ipſa reddidit vobis, & duplicate ei duplum ſecundum opera ejus, in poculo quod propinavit, propinate ei duplum. Quantum extulit ſeſe & luxuriata eſt, tantum date ei cruciatum & luctum.* Hebraiſmus eſt in Imperativo *Date.* Activa enim hæc vox impersonaliter accipienda eſt, pro *dabitur*, & quidem à Deo ipſo, per eos quos iſti ſupplicio exequendo adhibiturus eſt: uti *verſ.* 8 videre eſt, *Ideo una die venient plagæ ejus, mors & luctus & fames, & igne exurtur:* quia validus ἰσχυρὸς eſt Dominus Deus ὁ κρίνων αὐτὴν, *qui judicat*, id eſt judicabit vel damnabit eam & puniet. 2. Juſtitia divinarum comminationum apparet etiam ex eo, quod Deus diſpares & inæquales pœnas delinquentibus commi-

*Item pœnam.*

netur,

netur, & pro qualitate ac quantitate delictorum pœnas temperet: uti *Luc.* XII. 47. 48 videre est; *Ille servus qui novit voluntatem Domini sui, neque se comparavit, neque fecit ex ejus voluntate, cædetur multis plagis. Qui vero non novit, & fecit digna plagis, cædetur pauci* (plagis.) *Porro cuicunque multum datum fuerit, multum repetetur ab eo, & apud quem depositum fuerit multum, περισσότερον αἰτήσουσιν ἀυτόν*, id est, *plus ab eo reposcetur*; eodem Hebraismo, qui supra indicatus est. *Ad Heb.* II. 2. *Etenim si sermo per Angelos dictus*, &c. *Heb.* X. 28. 29: *Qui irritam fecerit Legem Mosis, absque misericordia ex duorum aut trium testimonio moritur*, (id est morte puniri debet.) *Quanto* (putatis) *acerbiore supplicio dignus censebitur*, &c. *Ad Rom.* II. 2. 3. 4. 5: ubi non tantum dicitur futurum *Dei judicium secundum veritatem adversus eos qui mala faciunt*; sed etiam, eos, *qui divitias benignitatis Dei, ac tolerantiæ & lenitatis ejus contemnunt*, &c. *thesaurizare*, id est, accumulare & aggravare sibi *iram*, id est per Metonymiam, pœnam, *in diem iræ*, id est justæ punitionis & ultionis, uti statim additur, *δικαιοκρισίας τοῦ Θεοῦ*. 3. Justitia hæc divinarum comminationum apparebit omnium clarissimè in earundem executione, quæ futura dicitur in universali & extremo illo judicio, quod Deus instituet per Jesum Christum, virum illum, quem ei fini definivit, ut est *Act.* XVII. 31. quæ propterea vocatur *ἡμέρα ὀργῆς καὶ δικαιοκρισίας*, vel potius *ἀποκαλύψεως δικαιοκρισίας*, *ad Rom.* II. 5. in qua *Deus orbem terrarum judicaturus est ἐν δικαιοσύνῃ*: *Actor.* XVII. 31. cum *ἐνδικίᾳ*, id est, pœne exactione justa, qua dicitur Deus velle *ἀποδοῦναι*, *Heb.* X. 30. & *κομιδὴν ἕκαστῳ* unicuique *secundum opera sua*, *Rom.* II. 6. *Apoc.* XX. 12. 13. & *σχεῖν ἕκαστον, εἴτε ἀγαθὸν εἴτε κακόν*: 2 *Corinth.* V. 10. *ὡς τὸ ἴδιον ἀπολάβῃ*, prout opus ejus fuerit, *Apocal.* XXII. 12. & *ex iis quæ scripta erunt in libris* (conscientiarum scilicet) qui tum aperiendi dicuntur, *Apocal.* XX. 12. una cum libro vitæ, id est, Euangelio, quod *liber vitæ* Synecdochicè appellatur, à parte ejus præstantissima, quæ est vitæ promissio quam continet, cui tamen etiam mortis comminatio adhæret vel conjuncta est, quæ isto ipso in loco vocatur *conjectio in stagnum ignis*, & passim *ira*, & *ira illa ventura*: 1 *ad Thess.* I, 10.

*Judicium extremum.*

*Quod fiet ἀπροσωπολήπτως.*

Executionis hujus justitia indicatur pulchrè, quando ea futura dicitur fine ulla *προσωπολημψία*, id est fine ulla personarum acceptione, voce *προσώπου* accepta non ex usu Scholarum, qui recentior est, sed ex proprietate sua, qua larvam, sive *μορμολυκεῖον, ἐπίβλημα σχῆμα ὄπτου*, id est, vultui sive faciei obductum tegmen significat; quod etiam persona Latinis dicitur, à personando, id est, clarius sonando, quia cooperimento isto caput & os undique ita tegebatur, ut una tantum via vocis emittendæ aperta esset, ut est apud Gellium. Hinc personati, *οἱ ἐν προσωπείοις* dicebantur, qui ista larva seu persona tecti erant, prout nunc etiam apud nos in scena aliquando apparent histriones & mimi. Quia vero qui sic personati erant, alii videbantur quam erant, (Ex facie enim maxime cognoscitur homo:) hinc per metaphoram, sive translationem, persona sive *πρόσωπον* dicitur id omne, quod aliud quid facit apparere aut videri rem quam est; & personarum sive facierum acceptator is, qui qualitates aut circumstantias eorum qui in judicium veniunt, quæ ad rationem juris aut injuriæ nullum momentum habent, respicit, & secundum eas aut propter eas judicat, id est, larvas sive personas & facies meras pro ipsis hominibus accipit: quales sunt, qui æqualibus in caussa litis tribuunt inæqualia, id est, ex pariter reis unum damnant, alterum absolvunt; vel inæqualibus æqualia, id est, ex duobus unum prorsus innoxium damnant, alterum nocentem absolvunt, propter externam circumstantiam quæ ad litem non pertinet, puta quod ille pauper sit, hic dives; ille munera non dederit, hic dederit; ille peregrinus, hic indigena sit; ille cognatus, amicus, adfinis non sit, hic sit; ille potentia, autoritate, & gratia non polleat, hic contra; ille ignobilis sit, hic nobilis, &c. Hæc enim omnia sunt extra & præter litem, caussarumque in judicium adductarum merita, ad quæ quando à judice respicitur, tum נשא פנים susципiens facies in Veteri Testamento, & *προσωπολήπτης* dicitur in Novo. *Levit.* XIX. 15. *Non suscipies faciem pauperis, neque honorabis faciem magni in judicio. In justitia judicabis proximum tuum. Deut.* I. 16. 17. & XVI. 19. *Proverb.* XVIII. 5. & XXIV. 23. 24, &c. *Jacob.* II. 1. 2. 3, &c. Ab his qualitatibus & circumstantiis, secernendæ sunt qualitates & circumstantiæ istæ, quę ad juris rationem pertinent; ut in contractibus qualitas ætatis, conditio personæ, an videlicet qui emit, qui vendidit, qui promisit, qui vovit, sit minorennis, sub patria aut aliena potestate adhuc positus, necdum emancipatus; In delictis, an qui læsit sit puer, fatuus aut mentis suæ non satis compos; qui læsus est, an sit magistratus, an privatus, pater, an alienus, &c. Hę enim juris injuriæque rationem aut augent aut minuunt, & qui ad eas respicit judex, non dicendus est facies suscipere, sed caussæ & litis merita ex officio considerare atque expendere. *προσωπολημψίαν* autem istam veram, quam diximus, locum nullum habituram in judicio isto divino, apparet ex *Epist. ad Rom.* II. 11. *Non enim est personarum acceptio apud Deum.* Agitur autem isto in loco, si præcedentia respicias, de judicio divino hoc, de quo agimus, quo Deus tum Judæos tum gentiles secundum opera quosque sua judicaturus est, nulla habita ratione an Judæi an gentiles sint: nisi quod Judæos primo, deinde Græcos judicaturus dicatur; & si sequentia videas, de judicii istius æquitate, qua opera expendentur omnium ac singulorum, pro ratione majoris minorisque gratiæ quæ his aut illis facta fuerit. *Quicunque enim sine lege peccaverunt*, &c. *ad Ephes.* VI. 9. *ad Colossi.* III. 25: *Qui injuriam intulerit, referet injuriam quam intulerit. &* (id est nam) *non est personarum respectus*, apud Deum aut Christum judicem. 1 *Pet.* I. 17: *Si patrem cognominatis, τὸν ἀπροσωπολήπτως κρίνοντα κατὰ τὸ ἑκάστου ἔργον, cum timore versemini commorationis vestræ tempore.*

Ἀπροσωπολημψίας hujus futuræ indicia atque exempla sunt *Matth.* VIII. 11. & 12: ubi *multi ab oriente & occidente venturi* dicuntur *& accubituri cum Abrahamo, Isaaco & Jacobo in regno cælorum: Filii vero regni ejiciendi in tenebras exteriores, ubi erit fletus & stridor dentium*; nulla habita ratione quod filii regni fuerint, id est quod ad nativitatem carnalem attinet hæredes eorum, quibus promissio regni, id est non vulgaris, sed regiæ fælicitatis per Messiam adferendæ facta fuit, proinde ista qualitate aut circumstantia externa cæteris gentibus longe præferendi viderentur. *Matth.* VII. 22 dicitur, Deum nullam habiturum rationem ejus, quod *quidam*, imo *multi, in nomine Christi prophetaverint, dæmonia ejecerint, virtutesque multas ediderint*, quamquam ii quando judicabuntur ejus rei rationem habitum iri sibi persuaserunt. *Matth.* XVIII sub parabola aut exemplo parabolico ostenditur, Deum pari judicio judicaturum omnes qui non remittunt ex animo fratribus suis lapsus suos, *Luc.* XVI sub parabol-historia divitis epulonis & Lazari mendici, significatur in judicio extremo divitiarum & paupertatis rationem nullam habitum iri. *Apocal.* VI. 15, *Regum terræ, procerum, divitum, tribunorum, potentium, omniumque tum servorum tum ingenuorum. & cap.* XX. 12, *mortuorum omnium, parvorum & magnorum*, parem futuram conditionem diserte adseritur & ob oculos ponitur, &c.

Judicium ergo hoc justissimum erit: *Primò*, quia universale absque ulla personarum exceptione, proinde quod nemo poterit declinare aut subterfugere. *Secundò*, quia infallibile erit, absque ulla personarum acceptione. Proinde 1. in quo nemo excipere poterit contra incompetentiam judicis. 2. à quo nemo provocare aut appellare poterit propter summitatem judicis. 3. in quo nemo judicem fallere poterit, propter omniscientiam judicis; nemo muneribus corrumpere aut flectere, propter inflexibilitatem judicis: quia, ut est *Deut.* X. 17, *Deus Deorum, & Dominus Dominorum, munus non recipit.* nemo advocatum caussæ suæ malæ reperire poterit, nemo conscientiæ suæ patronum aut quærere audebit, aut habere volet. *Tertiò*, quia irresistibili cum potentia exemtioni dabitur. proinde nemo vi impedire poterit judicium; nemo sententiæ latæ executionem sistere. *Quartò*, quia sine pœnitentia erit: *ad Heb.* XII. 16. 17. Nunquam Deum istius pœnitebit; nulli revisioni, nulli retractationi locum dabit, nullis votis, nullis lachrymis ad pœnitentiam adduci se sinet; sed *ibi erit fletus & stridor dentium*, & *κατάκλυσις διαφθορισμοῦ*.

## CAPUT XXX.

## De Virtutibus iræ & pœnarum moderatricibus, Mansuetudine nimirum & Longanimitate.

*Nomina quibus virtutes iræ moderatrices insignuntur.*

VIrtutes Iræ, & quæ ex ira solent infligi, Pœnarum moderatrices Deo in Sacris literis nunc sub vocabulo χρηστότητος sive τοῦ χρηστοῦ, id est *benignitatis*: nunc sub voce ἀνοχῆς, id est *patientiæ, tolerantiæ*: nunc sub voce *μακροθυμίας, longanimitatis*: nunc sub voce *ὑπομονῆς* solent tribui; promiscue acceptis vocibus; uti *Rom.* II. 4. & XI. 22. & III. 26. & IX. 22. & 2 *Pet.* III. 9. *Rom.* XV. 5. videre est. Duabus vocibus exprimunt has voces Hebræi quando Deum vocant ארך אפים *longum narium*, id est, tardum ad iram: *Exod.* XXXIV. 7. *Num.* XIV. 18. *Psal.* LXXXVI. 15. & CIII. 8. caussam supra diximus. Etsi vero voces hæ aliquando etiam usurpari solent, imprimis voces χρηστότητος & *ὑπομονῆς*, quando agitur de beneficiis divinis, quæ Deus creaturis suis, sive simpliciter, sive officium suum facientibus impertit, vel malum aliquod ab iis avertendo, vel boni aliquid in eas conferendo, vel ad virtutem patientiæ eas hortando; tamen ut plurimum omnes adhiberi solent, quando

do de malis ſive pœnis commeritis, à peccatoribus avertendis, agitur.

*Ea omnes ſub Manſuetudine & Longanimitate comprehendi poſſunt.*

Nos hoc ſenſu de iis nunc agemus. Eas autem omnes non incommode revocari poſſe credimus ad duas principales, id eſt ad Manſuetudinem & ad Longanimitatem.

*Quid ſit manſuetudo, & quomodo a longanimitate differat.*

*Manſuetudinem* vocamus eam virtutem, quæ iram ita temperat, & animum ſic moderatur, ut non iraſcatur, aut ad vindictam non propendeat 1. quando non oportet. 2. non vehementius quam oportet. 3. non diutius quam oportet. Hæc à Longanimitate diſtinguitur eo, quod Longanimitas ſit manſuetudinis quaſi quædam perfectio. Quod enim manſuetudo ſimpliciter præſtat, id præſtat longanimitas diu, additque inſuper ad manſuetudinem, quæ mediocritatem ſervat circa iram in vindicando, tarditatem, qua fit ut Deus ſuſpendat iram, ne properet ad mali depulſionem celeriter, ſimulatque creatura peccatis ſuis id ipſum meruit.

*Tria manſuetudinis divinæ ſigna.*

Manſuetudinis divinæ tria ſunt ſigna atque indicia. *Primum* eſt, quod pœnam non libenter exigat, imo libentius parcat & ignoſcat, quam puniat. quod Scriptura indicat, quando punitionem Dei vocat *opus alienum* à Deo, id eſt, quod non libenter facit, malens ſcilicet non punire. *Eſa.* XXVIII. 21. imo puniens ut ſuum opus faciat, id eſt, ut hominibus ad frugem per punitionem ſuam revocatis benefaciat; & quando dicit *Deum non affligere* aut dolore afficere (puniendo ſcilicet) *filios hominum ex corde*, id eſt, tantum non invitum: *Thren:* III. 33. Dices: Attamen Deus aliquando dicitur in Scripturis, lætari, ridere, conſolationem capere quando homines punit: uti *Eſa.* I. *Proverb.* I. &c. videre eſt. Reſp. Ita eſt. Sed 1. id facere Deus non dicitur niſi poſt ſpretam contemptamque ſuam manſuetudinem per inſanabilem contumaciam. 2. iſtud ipſum ſemper cum velleitate oppoſiti, quæ manſuetudinis actus eſt, conjunctum eſſe ſupra diximus.

*Secundum* ſignum eſt, quod rariſſimè, imo nunquam, ſummo jure ſuo in ſuppliciis exigendis utatur, ita ut gravitas pœnarum reſpondeat ſcelerum magnitudini. *Pſal.* CIII. 10: *Non ſecundum peccata noſtra fecit nobis, neque ſecundum iniquitates noſtras retribuit nobis.* Dices: Atqui hoc non convenit cum iis quæ ſupra de Juſtitia divina dicta ſunt, adeoque directe repugnat compluribus Scripturæ locis, ubi Deus dicitur *redditurus unicuique ſecundum opera ſua*, &c. Reſp. Nos hic non agere de pœnis excidii, nedum excidii in extremo judicio futuri. In illis enim manſuetudo Dei non apparet, nec ut appareat æquum eſt, niſi quatenus etiam tum, uti diximus, velleitas oppoſiti, id eſt, non puniendi, ſi per juſtitiam liceret, locum habet: ſed de pœnis iſtis, quas Deus hic infligit peccatoribus, quamdiu ſpes reſipiſcentiæ aliqua adhuc reliqua eſt. In illis enim manſuetudo Dei locum proprie habet, imò manſuetudinis divinæ opes ac divitiæ non raro apparent. Poſtquam eæ ſpretæ erunt, tum vero manſuetudini divinæ ſuccedet ſeveritas & ἀνυπομονία, eaque certiſſima in extremo die, & non raro etiam in hoc ſeculo, ſed non æque certa, imprimis ſub Novo Fœdere.

*Tertium* ſignum manſuetudinis divinæ eſt, quod facilis ſit ad ignoſcendum, quod iram facile deponat, & placabilem atque exorabilem ſe peccatoribus præbeat. *Jerem.* XVIII. 7: *Repente loquar adverſus gentem aliquam, & adverſus regnum, ut evellam & conſtringam & perdam. Si autem convertatur gens iſta à malo ſuo, contra quam locutus fuero, pœnitebit me mali quod conſtitueram facere ei.* Similia loca plura ſunt. *Jerem.* XLII. 10. *Ezech.* XVIII. 21. 22. 23. & XXXIII. 10. 11. 14. 15. 16. 19. vide *Pſal.* CIII. 9. *Non in ſeculum contendit, nec in ſeculum ſervat* (iram ſcilicet.) *Pſal.* XXX. 6. *Quoniam momentum eſt in furore ejus, vita in voluntate ejus, veſperi pernoctabit fletus, & mane* (erit) *lætitia. Jerem.* III. 5: *Nunquid reſervabit in ſæculum* (iram?) *an reſervabit in æternum? Joel.* II. 13: *Convertimini ad Dominum Deum veſtrum, quia miſericors & miſerator eſt, longanimis & multæ miſericordiæ, & pœnitens ſuper malum.* Exempla ſunt in Iſraelitis, Ninevitis, Achabo, &c.

*Manſuetudinem Deo adimunt Reprobationis abſolutæ patroni, tum Supralapſarii, tum Sublapſarii.*

Hanc manſuetudinem Deo in totum adimunt ii qui aſſerunt, Deum abſoluta voluntate, ante omnem prævisionem peccati aut culpæ, multomaximam hominum partem deſtinaſſe æternis ignibus. Qui enim fieri poteſt ut Deus credatur manſuetus erga peccatores, qui adeo ferus atque immitis eſt contra innocentes? Nec eſt quod dicant, deſtinationem hanc non eſſe punitionem, aut deſtinationem ad pœnam. Nam ut ut eſt, ex deſtinatione illa ſequitur neceſſitas puniendi, ne deſtinatio fruſtra ſit; & quia pœnam præcedit culpa, neceſſitas peccandi, ne punitio ſine cauſſa eſſe videatur. Quid autem manſuetudini magis repugnat, quam decreto proprio ſuo hominibus innoxiis in peccata incidendi, ſibi vero ipſi inevitabilem puniendi neceſſitatem imponere? Deinde Manſuetudinem hanc divinam non parum labefactant ii, qui Dordracenæ Synodi placita ſequi ſe profitentur, & Infralapſarii videri volunt, ne ex manſuetiſſimo Deo immittiſſimum tyrannum faciant ſcilicet; qui contendunt Deum multomaximam hominum partem æternis ignibus deſtinaſſe, *unius ob noxam*, tam immiti animo ac ſententia, ut nunquam iis parcere, nihil de æterno eorum ſupplicio remittere, nequaquam ſe iis placabilem aut exorabilem præbere velit. Ecquis enim manſuetum Deum dicat erga peccatores, propria obſtinataque ſua voluntate non raro diu multumque Deo reluctantes, qui credit Deum plurimos mortales, nulla ſua propria voluntate alieni prorſus peccati reos factos, & peccandi neceſſitati à prima ſtatim nativitate obſtrictos adſtrictoſque, abſque ulla veniæ ſpe, æternis ſupplicii & infinitis doloribus excarnificare velle? Ab iſta certe ſententia multomaxima hominum pars juſtiſſimam cauſſam habet credendi, Deum non modo non manſuetum, ſed ſæviſſimum atque immitiſſimum tyrannum eſſe. Nec dubito quin idem aperto ore dicturi eſſent mortales omnes, niſi quidam fortiter ſibi ipſis perſuaſum ire auderent, ſe ex paucorum iſtorum numero eſſe, quos manſuetudo Dei deſtinatæ plurimis ſententiæ exemit: quos ipſos tamen, dum id ſibi perſuadent, fateri neceſſe eſt, multo majori jure Deum immitem & inclementem vocari poſſe, quam manſuetum, quod ex iiſdem hominibus pariter nulla ſua culpa propria (ut ita loquar) peccatoribus, & peccandi neceſſitati involutis, pauciſſimis velit parcere, longe autem plurimos ſummis & nunquam finiendis doloribus ac pœnis adficere. Hactenus de Manſuetudine Dei.

*Longanimitas Dei quid ſit.*

*Longanimitas Dei* aliud nihil eſt quam manſuetudo Dei longum aut diu durans, ſive longa Dei patientia, qua boni, id eſt, obedientiæ præſcriptæ, quam amat, deſiderat & ſperat, abſentiam; & mali, id eſt, inobedientiæ, quam odit & vetat, præſentiam toleranter ſuffert, & pœnam promeritam diu ſuſpendit ac differt, tum ut judicia miſericordiæ & ſeveritatis ſuæ, quam aliquando exerturus eſt circa iſtos, quos tolerat peccatores, nota faciat, uti videre eſt *Eſa.* V. 4. 5: *Quid faciendum erat ultra vineæ meæ, &c. Nunc itaque indicabo ego vobis quid facturus ſim vineæ meæ. Rom.* IX. 22: *Quid ſi vero Deus volens oſtendere iram, & notã facere potentiam ſuam* (ultricem ſcilicet) *multa lenitate pertulit vaſa iræ coagmentata ad interitum.* tum ut vel ad reſipiſcentiam eos adducat: *Roman.* II. 4. ἀγνοῶν ὅτι τὸ χρηστὸν τοῦ Θεοῦ εἰς μετάνοιάν σε ἄγει. 2 *Petri* III. 9. Deus μακροθυμεῖ εἰς ἡμᾶς, *nolens*, id eſt, ut ita loquar, nollens, *ullos perire, ſed* (vellens ſcilicet) *omnes ad reſipiſcentiam contendere*: vel ſi omnino nolint adduci ad reſipiſcentiam, ut eos tanquam contumaces & inſanabiles æquius & gravius puniat, compenſans non raro tarditatem ſupplicii gravitate. *Matth.* XXI. 33. &c. *Luc.* XIII. 6. 7. 8. *Roman.* II. 5.

*Quibus vocibus exprimatur in Sacris literis.*

Longanimitas hæc Dei ab Eſaia vocatur, *cap.* XLVIII. 9, dilatio furoris Domini, & prolongatio iræ: *Propter nomen meum differam furorem meum, & propter laudem meam prolongabo iram meam tibi*: id eſt pœnam deſtinatam *tibi*, id eſt vel malo, vel bono tuo, ut non ſuccidam te. Propter hanc dicitur proprie Deus, *Exod.* XXXIV. 6. & alibi אֶרֶךְ אַפַּיִם *Deum veniarum*, ſive *propitiationum*, & miſericordiæ multæ, ſive *multus miſericordia*. רַב-חֶסֶד *Pſal.* LXXXVI. 15. *Nehem.* IX. 17. & *magnus miſericordia. Pſal.* CXLV. 8.

*Locus Act. XVII. 30.*

Actus hujus longanimitatis divinæ videntur exprimi tribus vocibus in Scriptura Novi Teſtamenti: videlicet vocibus ὑπεριδεῖν, *Act.* XVII. 30. παρίναι, *Roman.* III. 25. & ἀνοχὴν, ibidem. Videntur, inquam, quia fateor alio etiam ſenſu voces iſtas accipi poſſe. Verbo ὑπεριδεῖν utitur Apoſtolus prædicto loco, quando de gentilibus ait, *Deum ſupervidiſſe*, aut *præter vidiſſe tempora ignorantiæ*, id eſt, diſſimulaſſe, quaſi non videret, ac proinde punire nollet peccata, quæ ab iis committebantur, qui iſto tempore voluntatem Dei perfectam de puniendis peccatoribus ignorabant, quippe cujus revelationem ultimis temporibus reſervatam Deus volebat; uti ex verbis ſtatim ſequentibus liquet. *Nunc denuntiat Deus hominibus omnibus ubique ut reſipiſcant, eo quod ſtatuit diem quo juſtè judicaturus eſt orbem terrarum, per virum iſtum quem definiit.* Nihil tamen vetat verbum iſtud ὑπεριδεῖν ſic accipere, ut ſignificet non diſſimulationem oppoſitam omni viſitationi ſeu punitioni peccatorum, quo ſenſu vox iſta etiam noſtra lingua uſitari ſolet, *Overſien*; ſed dilationem potius iſtius revelationis divinæ de peccatoribus reſipiſcentibus æterno præmio, & nolentibus reſipiſcere æterna pœna adficiendis, juxta Euangelium Domini Jeſu, quod tum prædicabat Paulus. quaſi dixiſſet Apoſtolus: quod ad præterita tempora attinet, ea fuerunt tempora ignorantiæ hujus tam auguſti præconii non ignorantiæ omnis, nedum invincibilis, qua peccare ſe neſciebant, aut peccantes pœnam divinam ſe incurrere ignorabant; ac proinde propter quam Deus eos nullo modo puniebat. Hoc enim directè repugnat iſtis quæ *cap.* 1. *ad Rom.* leguntur, ubi eos *jus Dei cognoviſſe* dicitur, *quod qui talia patrant*

*patrant digni morte sint*: *vers. ult.* & Deum iis se patefecisse adeo clare, ut quando peccarent, *inexcusabiles essent*, & quia *Deum* sic *cognoverant eumque non glorificaverant ut Deum*, idcirco eos à Deo gravissime punitos fuisse. Cum quo convenit id quod *ad Ephes.* V. 6. & *ad Coloss.* III. 6. dicitur, *Propter ista* (peccata scilicet quæ recensuit) *venit ira Dei in filios* τ ἀπειθείας, id est, in ipsas gentes, quæ proprie sunt υἱοὶ τ ἀπειθείας. quanto ergo magis vult dicere Apostolus, in filios Fœderis, & eos qui fidem & obedientiam Christi præceptis debitam profitentur. ὑπερίδὼν igitur hîc significare potest, nolens illos dignari revelatione hac sua ad hoc usque tempus, etsi interim non plane dissimulabat peccata quæ ab iis fiebant. Nolim tamen negare priorem expositionem neutiquam rejiciendam esse; quia punitio divina, qua Deus usus dicitur, ad Rom. I. istis ignorantiæ temporibus, ejusmodi punitio fuit maximam partem, qua permittebantur gentes suis cupiditatibus, ut ambularent in viis suis, omniaque pro libitu quasi suo agerent; quæ punitio etsi in se gravis erat, tamen ipsis peccantibus non acerba, sed suavis videbatur, potiusque erat permissio quædam peccandi, quam inhibitio, & voluptatem magis quam dolorem adferens. Quatenus ergo Deus istis temporibus non infligebat peccantibus supplicia dolorem inurentia, & sua asperitate atque acerbitate peccandi licentiam coercentia, recte dici potest ea supervidisse: non quasi nunquam quosquam suppliciis doloribusque adficeret, sed quod communiter & ὡς ἐπὶ τὸ πολύ ita non faceret; non tamen quod longanimis esset, sed quod tempora ista ratione dispensata ac distributa esse vellet.

*Locus Rom. III. 25.*

Voces πάρεσις & ἀνοχὴ occurrunt in *Epist. ad Roman.* III. 25. *Quem proposuit Deus placamentum per fidem in sanguine ejus, ad demonstrandum justitiam suam, διὰ τὴν πάρεσιν τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων ἐν τῇ ἀνοχῇ τ Θεῦ.* πάρεσις hîc non videtur significare ἄφεσιν sive remissionem, sed transmissionem sive prætermissionem; quæ etsi remissioni vicina est, tamen diversum aliquid continere potest, id est dissimulationem, conniventiam, quæ ultionis dilatio aut suspensio potius est quam remissio. Eadem est ratio vocis ἀνοχῆς. Hoc sensu acceptæ voces hoc loco aliquomodo referri possunt ad longanimitatem Dei, quatenus scilicet Deus peccata ista quæ pœna gravi digna erant, quæque ulcisci graviter pro jure suo poterat, ita dissimulabat, ut impunita ea dimitteret, & nullo terrore pœnæ ab iis patrandis homines revocaret. Sed vero uti hoc proprie non pertinet ad longanimitatem Dei, ita vix video quomodo id ad populum Judaicum referri commode possit, in quo peccata enormia Deum dissimulasse, quamdiu Lex severis comminationibus sancita durabat, quis dixerit? Nisi forte ad ultima illa tempora, quæ adventum Jesu Christi præcesserunt, respexisse Apostolum dicamus. Istis enim videtur Legis vis atque usus aliquamdiu non viguisse. Sed vero nihil vetat locum hunc sensu longe alio accipere, ita ut πάρεσις significet relaxationem sive remissionem peccatorum, & διὰ cum accusativo casu *per*, non proprie *propter*; quamquam plerumque pro *propter* usurpari solet, quando accusativo casui jungitur: Pro *per* enim accipitur *Joan.* VI. 57. Sic enim sensus erit: Deum proposuisse Christum placamentum ἱλαστήριον per fidem in sanguine ejus, per publicam declarationem quæ Euangelio continetur, se credentibus ac resipiscentibus remittere velle peccata omnia, quæ facta erant, ἐν τῇ ἀνοχῇ τ Θεῦ, id est, eo tempore, quo Deus hanc suam de peccatis omnibus, licet maxime enormibus, contra Legem Mosis perpetratis, condonandis gratiam quasi sustinuerat & suspenderat, severe mandans ut qui Mosis legem irritam reddidisset, absque misericordia ex duorum aut trium testimonio morte adficeretur, uti est ad *Heb.* X. 28. Ἀνοχὴ itaque hæc Dei non esset actus longanimitatis, sed severitatis, quia non pœnæ sed gratiæ suspensionem ac dilationem notaret. Et hic sensus optime convenit cum omnibus istis locis, in quibus tempus Legis dicitur fuisse tempus rigoris, non gratiæ; & Lex ipsa non modo infirmata per carnem, adeo ut impossibile ei fuerit peccatores à peccato absolvere, & à peccandi consuetudine liberare: *Rom.* VIII. 3. à peccatis justificare: *Act.* XIII. 39. sed & per eam auctum peccatum: *Rom.* V. 20. sicque peccata, scilicet deliberata voluntate commissa (contra enim alia peccata ex errore, infirmitate, aut casu aliquo commissa, erant constituta sacrificia) manerent, inexpiata scilicet & non remissa, (nisi publica à Deo gratia ac venia eorum, quæ in remissione pœnarum Lege Mosis constitutarum posita erat, nomine Dei promulgaretur: uti factum legimus *Ezech.* XVIII. & XXXIII.) *ad Hebr.* IX. 15. Quod si cui tamen libet voces πάρεσιν & ἄφεσιν primo sensu accipere, non multum refragabor. Sic enim acceptæ aliquomodo videri possunt actus longanimitatis Dei, quatenus Deus tum longo tempore & diu admodum peccata tulit, & pœnam Lege Mosis constitutam distulit, aut plane sustulit, ut tanto uberiorem quasi materiam haberet illustrandæ gloriæ tum benignitatis ac clementiæ, tum veracitatis ac fidei suæ, quando videlicet corruptissimo sæculo publicaturus esset per Filium suum peccatorum omnium per fidem in eum obtinendam æternam remissionem, cum promissione æternæ vitæ conjunctam *Act.* X. 43. & *Act.* XIII. 38. 39.

Exempla μακροθυμίας divinæ passim occurrunt; sed unum est quod exerte notat Petrus, 1 *Ep.* III. 19. 20. *In quo etiam, spiritibus qui in carcere, profectus prædicavit, olim immorigeris, quum semel expectabat longanimitas Dei in diebus Noe, quum appararetur arca, in qua paucæ* (id est octo) *animæ servatæ sunt in aqua*, &c. Exemplum hoc ex historia Geneseos notum est; sed locus hic, qui ad eam alludit, aut in quo ea indicatur, dignus est qui paulum elucidetur hac occasione. Non allegabo varias expositiones variorum, quas apud commentatores videre est, sed tantum indicabo sensum qui mihi videtur optimus ac facillimus. De Christo loquitur Apostolus, quem dicit in Spiritu, id est, per Spiritum in Apostolos suos effusum, (nisi quis ἐν ᾧ accipere velit pro, *propterea*, uti phrasis ista fere sic accipi solet) profectum prædicasse, id est, prædicari curasse, spiritibus (id est per Synecdochen hominibus, qui quia in peccatis mortui, id est, propter peccata sua certæ morti destinati erant, Spiritus vocantur, quasi quorum Spiritus aut anima jam, quod attinet ad divinum decretum, nisi resipiscerent, à corpore separata erat, ut non essent nisi Spiritus. sic autem appellat gentiles omnes idololatras, veri Dei cognitione carentes, & sceleribus omnibus coopertos, qui sine spe, sine Deo erant in mundo, & qui sic passim *mortui in peccatis* vocantur, *Ephes.* II. & *mortui* simpliciter in hac ipsa Petri Epistola, *cap.* IV. 6. Ut enim per *Spirtus* hîc intelligantur animæ defunctorum, absurdum est. Istis enim per Apostolos Euangelium prædicatum fuisse nusquam alibi legitur, nec, ut prædicaretur justitia Dei permittebat; quia istis viventibus resipiscentia mandata fuerat, & sic veniæ spes facta. Post mortem autem resipiscentiæ & veniæ locus non est. Quisque enim reportabit quæ in corpore fecerit, seu bona seu mala: 2 *Corinth.* V. 10.) addit autem τοῖς ἐν φυλακῇ, id est, vel, tam certo æternæ damnationis carceri includendis ac si jam inclusi ei essent; hoc enim sensu increduli jam damnati dicuntur, *Joan.* III. 18. vel, ignorantiæ & peccatorum tenebris veluti carcere aliquo tenebroso conclusis ac circumdatis, unde exire aut eluctari non poterant, nisi auxilio divinæ gratiæ & revelationis: quo sensu dicuntur Zebulonitæ & Nephtalitæ ante prædicatum Euangelium, *populus sedens in tenebris, & in regione atque umbra mortis*, id est, vicinus adeo morti uti umbra vicina est corpori, & carcer supplicio: *Matth.* IV. 16. Addit, *olim immorigeris*. Quomodo, inquies, quid hoc ad rem? Nempe, quia gentiles omnes considerat à temporibus Noachi, (antequam scilicet separatio gentilium facta fuerat in Abrahamo. Ea enim post Noachi tempora accidit) ut unum populum, more Scriptoribus Sacris usitato, adeo ut cum Christum per Apostolos Spiritu S. donatos, ad gentes istas profectum dicit Petrus, quæ post viginti & ultra sæcula tempora Noachi consecutæ sunt, istas ipsas gentes ut unam eandemque gentem, cum ea quæ temporibus Noachi fuit, censeat; non quasi Christus ad eam totam Apostolos suos miserit. hoc enim impossibile erat; sed quod in eadem illa gente, sive posteris gentis istius quæ Noachi temporibus fuit, idem acciderit, quod in ea acciderat olim primis gentis istius temporibus. Sensus ergo est; Christus prædicavit gentibus, id est, gentili populo sui temporis, cujus proceres olim immorigeri fuerant, non obstante eo, vel quamquam Deus pro longanimitate sua semel, id est semel tandem exspectabat, id est, vel eorum resipiscentiam desiderabat cum diuturna exspectatione, addens ad præcedentes annos, adhuc centum viginti: vel pœnam differebat & extendebat in longum tempus exspectantis instar, ac proinde jubentis Noacho, ut in oculis ac conspectu eorum appararet arcam, certissimum futuræ divinæ ultionis signum atque παράκλησιν, si forte eo ipso moverentur ad resipiscendum, & divinæ pœnæ severitatem effugiendum. *Frustra*, vult dicere Apostolus; ut hac ratione occurrat tacitæ objectioni quæ fieri poterat, hunc in modum; Atqui nulla aut exigua nunc apparet Spiritus istius Jesu Christi efficacia inter gentiles, unde constare potest Spiritum illum quo Christus vivificatus fuit, vivificum Spiritum esse. Tacitæ isti objectioni occurrit; quasi dicat, Idem si nunc fiat, id est, si nunc etiam pauci gentiles convertantur, cogitemus idem nunc accidere, quod tum accidebat temporibus Noachi. Paucæ, id est, octo tantum animæ, in arca ista in mediis aquis à morte & interitu conservabantur; (Animas hîc conservatas dicit, eodem modo, quo antea spiritibus prædicatum fuisse dixerat, animæ enim & spiritus per Synecdochen pro hominibus accipiuntur, non inusitato lo-

*Locus 1 Pet. III. 19. 20.*

quendi modo.) Antitypon istius paucorum admodum hominum conservationis per arcam, in mediis aquis cadaveribus undique repletis, quasi elevatam & excitatam, est Baptisma, id est, non aquæ Baptismus, sed doctrinâ illa Euangelii, quam Christus per Apostolos suos Spiritu suo Sancto donatos prædicari facit, adeo firma fide recepta, ut conscientia ipsa per eam intus purgata accedere audeat, vel ad interrogandum Deum quid amplius fieri velit ut purgatissima reddatur; vel ad confidendum fidelissimis promissis ejus, & rogandum ut ea præstare velit. Hæc enim, veluti arca, licet pluvia undique perfusa & Baptizata, inter media tamen cadavera aquis submersa, quasi exsurgens & elevata, nos etiam licet pauciss̃imos, quo tempore omnes morte afficiendi erunt, vivos atque incolumes ab æterna morte aut conservabit aut præstabit, vi ac beneficio resurrectionis Jesu Christi, qui ad dexteram Dei consedit, cum supremo dominio ac potestate in Angelos, potestates, ac virtutes omnes, ut nos etiam aliquando in medio æternæ perditionis diluvio supra mortis aquas elevet, & inter funera ac cadavera pereuntium in altum secum attollat, erigat & surgere faciat immortales. Hæc mihi, salvis aliorum non contemnendis expositionibus, videtur esse loci hujus sententia. Et hæc de longanimitate Dei sufficiant.

## CAPUT XXXI.

## De Dei Severitate.

SEd vero quia iis, quæ à nobis hactenus de mansuetudine & longanimitate Dei dicta sunt, opponi possunt varia, tum testimonia, tum exempla divinæ severitatis, qua Deus non raro usus fuisse, ac uti velle dicitur, in vindicando celeriter hominum peccata, non exspectata etiam eorum resipiscentia, hinc pretium operæ nos facturos credimus, si propius paulum expendamus, quid de Severitate hac divina ex Scripturis statuendum sit, ne mansuetudini & longanimitati divinæ per eam quidquam detrahatur.

*Sacræ literæ meminerunt Severitatis Dei.*

Ac *primo* quidem certum est, Deo in Scripturis tribui non benignitatem tantum & μακροθυμίαν, sed & severitatem, *partim* expressè sive in terminis, ut *Rom.* XI. 22. ubi voce ἀποτομίας utitur Apostolus, oppositè voci χρηστότητος: ἰδὲ οὖν χρηστότητα & ἀποτομίαν Θεοῦ. ἐπὶ μὲν τοὺς πεσόντας ἀποτομίαν, ἐπὶ δὲ σὲ χρηστότητα, ἐὰν ἐπιμείνῃς τῇ χρηστότητι. Ἀποτομίας voce pro severitate accepta, per metaphoram desumtam ab iis qui præcidunt aut excindunt inutiles atque infrugiferos ramos ex arbore, non vero ipsam arborem totam aut radicem arboris; quia arborem sive radicem à Deo inexcisam relinqui ait Apostolus, eique alios ramos inseri: *vers.* 17. 18. 19. Nempe ἀποτομίαν Dei in eo constituit Apostolus, non quod Deus populum totum Judaicum excisum ac deletum velit: sed quod eos qui in populo isto increduli erant, cætera licet Mosaicæ Legis observantissimi, excisos vellet, salva radice, id est, populo, aut iis qui in populo isto fideles erant, quibus quasi adjunctos & insertos esse dicit gentiles in Christum credentes. *Partim* vocibus synonymis, quas legere est *Exod.* XX. 5. *Deut.* V. 9. 10. ubi Deus dicitur *zelotes, visitans peccata patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt ipsum. Nahum.* I. 2: ubi dicitur Deus *æmulator, ulciscens Dominus, ulciscens* (inquam) *Dominus, & habens furorem*, (Heb. Dominus iræ.) *ulciscens Dominus in hostes suos, & reservans iram inimicis suis, & qui mundans non faciet innocentem.* Heb. innocentem faciendo non faciet innocentem, id est quamquam videtur differendo pœnam, innocentes aliquos facere, id est judicare, tamen certo certius tandem aliquando eos nocentes esse ostendet, puniendo eos pro meritis. eodem sensu quo Moses *Exod.* XXXIV. 6. 7. locutus fuerat de Deo. uti & *Num.* XIV. 18. *Psal.* XCIV. 1. *Deus ultionum.* & *Jerem.* LI. 56, *Deus retributionum. Deut.* IV. 24, *Deus ignis consumens.* qui locus etiam citatur *Heb.* XII. 29. & ad quem alluditur *Heb.* X. 27. 28. 29. 30. 31.

*Eiusque ibidem non pauca exempla occurrunt.*

*Secundo*, certum etiam est, exempla divinæ severitatis non pauca in Scripturis occurrere, ex quibus liquet, divinam vindictam celerrimo gradu & quasi ἐν ἀνυβρίστῳ peccata hominum consecutam esse: ut in Aaronis filiis Nadab & Abihu, alienum ignem, id est, vulgarem in sacrarium inferentibus, eoque thura adolentibus, videre est *Levit.* X. 1. Eos enim extemplo consumsit ignis divinus, illæsis, uti videtur, eorum tunicis, *vers.* 2. In uxore Lothi respiciente dumtaxat ad suos, *Genes.* XIX. 26. Repente enim commutata est in statuam salis. In Uza extendente dumtaxat manum suam ad arcam Dei, ut videbatur, nutantem & casui proximam: 2 *Samuel.* VI. 6. Illico enim percussit eum Deus extinxitque repentina morte, *vers.* 7. In viro illo qui collegerat ligna in die Sabbathi: *Num.* XV. 32. Eum enim consestim Deus lapidari jussit. In Mose & Aarone, quos licet alioquin fideles servos in domo & populo suo, Deus in deserto mori voluit, excluso à terræ sanctæ introitu, quia uti est *Psal.* CVI. 33, Israelitæ exacerbaverant spiritum non Dei, ut exponunt multi, sed Mosis. Quomodo vero? Nempe adeo ut exacerbatus Moses labiis suis protulerit verba, scilicet incredulitatem testantia, uti est *Num.* XX. 12. & rebellionem, *Num.* XXVII. 14. quia videlicet, uti verisimile est, ad primum virgæ ictum non videns erumpere aquam, veluti hæsitans & cum populo murmurans dixerat: *Audite nunc, ô rebelles! nunquid de petra hac aquam educemus vobis*, nempe rebellibus & indignis quibus aqua bibenda detur? Non fiet. ecce irritus est pulsus aut ictus virgæ meæ. Deus renuit vobis aquam dare, ut siti pereatis. Hunc sensum videtur nobis suggerere ipse Moses *Deut.* I. 37. & III. 26. quando ait, *Deus iratus fuerat contra me, propter vos.* & *cap.* IV. 21. *propter verba vestra*, id est, murmur vestrum, cum ad primum ictum non efflueret aqua, quo & ego motus fui, ut de voluntate Dei, quamquam aperte mihi indicata, dubitare inciperem, errorem tamen meum statim agnoscerem, quando secunda vice percutiens petram, aquam inde affatim scaturire videbam, uti futurum Deus dixerat. Severitas autem hæc contra Mosem indicatur *Deut.* IV. 23. quando dicitur, Deum adeo iratum eapropter fuisse, ut exorari se à Mose, supplice licet, passus non fuerit, dixeritque, *Sufficiat tibi; ne posthac alloquaris me super hac re*: *vers.* 26. Similia exempla sunt in Novo Testamento. In Anania & Zapphira: *Actor.* V. Eos enim ob unicum peccatum repente ambos tristi fato extinxit Deus ad Petri dictum. Ἔθηξεν, inquit textus *versu* 10. In Herode Agrippa *Act.* XII. 23. quem ἔπαταξεν ἄγγελος κυρίου ἀνθ' ὧν οὐκ ἔδωκε τὸ δόξαν τῷ Θεῷ. additurque, καὶ γενόμενος σκωληκόβρωτος ἐξέψυξεν. Idem etiam forte accidit in Corinthiis quibusdam, quando Apostolus 1 *Corint.* XI. 30 ait; Διὰ τοῦτο ἐν ὑμῖν πολλοὶ ἀσθενεῖς, καὶ ἄῤῥωστοι, & κοιμῶνται ἱκανοί. Sensus enim est: Idcirco quod irreverentius memoriam mortis Domini nostri celebrent quidam inter vos, Deus etiam subitis malis & plagis quosdam adflixit, alios morbis, alios imbecillitate, alios morte subita, ut vos severitatem istam divinam videntes sanctius puriusque agere exemplo istorum discatis, quando ad memoriam mortis Domini celebrandum conventis.

Severitatis hujus divinæ comminationem quidam contendunt contineri verbis istis quæ leguntur, *Deut.* VII. 10: *Et quod ego sim Deus reddens odio habenti me in faciem ejus, ut perdam eum, neque tardabo, odio habenti me, in faciem ejus reddam ei.* verba hæc in vulgata versione sic leguntur: *Et reddens* (Deus scilicet) *odientibus se, statim, ita ut disperdat eos, & ultra non differat, protinus eis restituens quod merentur.* Sed vero verba hæc, *statim*, & *protinus restituens eis quod merentur*, in Hebræo textu non leguntur: sed tantum אל-פניו *ad faciem ejus*: quæ verba non necessario sic exponenda sunt, ut significent *statim*, vel *protinus*, quasi Deus statim simul ac quispiam peccat, eum puniat ac perdat; sed exponi possunt, Deum tanto odio habere scelera, interque ea imprimis scelus idololatriæ (hoc enim propriissime in Scriptura Veteris Testamenti, odium Dei appellari solet:) ut qui in populo suo istud committunt, eos Deus in vita eorum, sic enim Chaldæus Paraphrastes, vertit Hebræas voces, בחייהון *bechaijehon*, punire velit, ut ipsi divinam vindictam coram videant ac sentiant, imo prævideant tanquam ante oculos & faciem suam positam, etiam ad pronepotes usque. Eos enim in vita sua abavus videre potest; ut recte observavit Maimonides ad verba illa Dei, *In tertiam & quartam usque generationem.* Quatuor, inquit, tantum generationum mentionem facit Deus, quia summum quod homo de semine suo videre potest, est generatio quarta. Quando igitur interficiuntur idololatræ civitatis alicujus, tum occidetur senex idololatra, & filius ejus, & nepos & pronepos ejus. Sensus ergo horum verborum nostrorum est, Deum, etiamsi forte non statim idololatras punit, non tamen tam diu cunctaturum, quin iis supplicia ista irroget quæ idololatris comminatus est, & quidem in vita eorum, ita ut ea pertingere videant oculis suis, & quasi ante faciem suam, quousque videri possunt, nempe ad pronepotes usque suos; si videlicet eos habeant, & ii aut vestigiis iisdem idololatriæ insistant, aut ea saltem dissimulent, & ad ea conniveant: uti *Deut.* XIII. videre est.

*Locus Deuter. VII. 10.*

*In extremo judicio Deus illhenna dicitur τὸ πυρός, Hebræis Tophet: Jerem.* VII. 31. per metaphoram satis notam, *Matth.* V. 22. & *Luc.* XII. 5. *Matth.* XXIII. 33, &c. τάρταρος, 2 *Petri* II. 4. profundissimus inferiorum locus, sic dictus quia densissimis ac spississimis tenebris suis horrorem damnatis incutit. unde & qui in eum conjiciuntur, in extimas tenebras conjici

*Tertio*, certum est Severitatis divinæ summæ demonstrationem locum habituram in extremo judicio, uti supra diximus. Si enim locus supplicii consideretur, in quem conjiciuntur tum ac detrudentur rebelles atque insanabiles, is Gehenna dicitur τὸ πυρός, Hebræis Tophet: *Jerem.* VII. 31. per metaphoram satis notam, *Matth.* V. 22. & *Luc.* XII. 5. *Matth.* XXIII. 33, &c. τάρταρος, 2 *Petri* II. 4. profundissimus inferiorum locus, sic dictus quia densissimis ac spississimis tenebris suis horrorem damnatis incutit. unde & qui in eum conjiciuntur, in extimas tenebras conjici

*judicio etiam maximus. Si enim locus supplicii consideretur, in quem conjiciuntur tum ac detrudentur rebelles atque insanabiles, is Gehenna dicitur τὸ πυρός, Hebræis Tophet: Jerem.* VII. 31. per metaphoram satis notam, *Matth.* V. 22. & *Luc.* XII. 5. *Matth.* XXIII. 33, &c. τάρταρος, 2 *Petri* II. 4. profundissimus inferiorum locus, sic dictus quia densissimis ac spississimis tenebris suis horrorem damnatis incutit. unde & qui in eum conjiciuntur, in extimas tenebras conjici

*In extremo judicio Deus illhenna dicitur τὸ πυρός, Hebræis Tophet: Jerem.* VII. 31. per metaphoram satis notam, *Matth.* V. 22. & *Luc.* XII. 5. *Matth.* XXIII. 33, &c. τάρταρος, 2 *Petri* II. 4. profundissimus inferiorum locus, sic dictus quia densissimis ac spississimis tenebris suis horrorem damnatis incutit. unde & qui in eum conjiciuntur, in extimas tenebras conjici

*Deus illam demonstraturus est.*

jici dicuntur, *Matth.* XXII. 13. ubi caligo tenebrarum in æternum servatur. 2 *Pet.* II. 17. *Λίμνη*, id est stagnum ignis ardens sulphure, *Apocal.* XIX. 20. & XX. 10. & 14. in quod conjicientur mors & infernus; id est sepulchrum, & XXI. 8. caminus ignis, ubi erit fletus & stridor dentium, *Matth.* XIII. 42. *ἄβυσσος*, quasi *ἀΐδης*, obscurus, *ζοφερὸς & ἀϊδιος*: *Luc.* XVI. 23. *τὰ κατώτατα*, locus tormentorum, ibid. ubi *ἀδῖνες* esse dicuntur *in tempore flammæ*, *vers.* 24. & è quo ad cælum non est transitus, propter *χάσμα μέγα* quod inter utrumque *ἐστήριχται*, stabilitum est, *vers.* 26. *ἄβυσσος*, *Lucæ* VIII, 31. quasi *ἄβυθος*, sine fundo. *ἄβυθος* enim Jonicè *ἄβυσσος* dicitur. Si pœna etiam consideretur, quæ in eo perpetuenda erit, ea vocatur *Mors secunda*, *Apocal.* XX. 6. 14. & XXI. 8. *conjectio animæ & corporis in gehennam*, *Matt.* X. 28. & *Luc.* XII. 5. *Apoc.* XX. 15. *in caminum* sive fornacem *ignis*, *Matth.* XIII. 42. Quam severa hæc pœna futura sit ex eo uno liquet, quod sit futura perpetua & ineluctabilis. Ignis enim erit *ἄσβεστος*, *inextinguibilis*, *Matth.* III. 12, *Mar.* IX. 45. *ubi vermis non moritur & ignis non extinguitur*, *vers.* 46. & *δίκη* sive pœna quæ in eo *ὄλεθρος αἰώνιος*, 2 *Thess.* I. 9. *κόλασις αἰώνιος*, *Matthæi* XXV. 46. cruciatus sive *βασανισμὸς* in igne & sulphure, cujus fumus adscendet in secula seculorum, ita ut requies non sit futura *ἡμέρας καὶ νυκτός*, *Apocal.* XIV. 10. 11. cujus exemplum videre est *Luc.* XVI. in parabol. historia divitis epulonis.

*Severitas Dei tribus modis concipi potest, quorum ratione cum ejus mansuetudine.*

Hæc cum certissima sint, quæritur, quomodo cum mansuetudine & longanimitate divina conciliari possit hæc tanta Severitas Dei?

Respondeo: Severitas divina tribus modis concipi potest. 1. ut significet habitum sive affectum severe *semper* agendi. 2. ut significet decretum severe *tandem* agendi. 3. ut significet actum severe *aliquando* agendi.

Primo modo accepta severitas, cum mansuetudine & longanimitate illa Dei, qua de egimus, conciliari nullo modo potest. Severitas enim ista requirit, ut Deus nullum peccatum impunitum dimittat, ut nunquam pœnam differat, libenterque adeo pœnam inferat, & severiorem diuturnioremque quam par est. Hoc pacto Deus severus non est. nec esse potest, sine clementiæ & longanimitatis, quam sibi tribuit, injuria. Severum enim esse & tardum ad iram repugnant sibi invicem.

Secundo modo accepta Severitas, optimè cum clementia, mansuetudine & longanimitate divina conciliari ac consistere potest. Hæc enim est decretum de puniendo severè; quod fit post exercitam diu clementiam, mansuetudinem & longanimitatem. Clementia autem, mansuetudo & longanimitas non sunt habitus aut virtutes tales, quæ requirunt, ut nullum unquam decretum fiat de severe puniendo peccata ulla, quæcunque tandem ea sint, aut quantocunque tempore ea durent. Absit. Alioquin enim Deus nulla unquam peccata, licet atrocissima, diutissime patrata, punire posset, aut ut puniat decernere. Tum, ex terminis ipsis Mansuetudinis & Longanimitatis, liquet id absurdum esse. Mansuetudo enim in eo posita est, quod quis non facile irascatur, nec irascatur aut vehementius aut diutius, quam par est. At qui non facile irascitur, tandem aliquando irasci potest; & qui non vehementius, nec diutius irascitur quam par est, is tam vehementer, tam diu tandem irasci potest, quam par est. Longanimitas etiam in eo posita est, quod quis longum differat pœnam, diuque mansuetudinem exerceat. At qui longum diuque pœnam differt, is decretum puniendi non tollit, nec proinde pœnam, sed tandem eam inferre potest, aut ut inferatur decernere. Et huiusmodi decretum divinum intelligitur in Scripturis, quando de severitate Dei ista agitur qua æterni excidii pœna infligitur; quod videlicet Deus facit, post diu multumque spretam mansuetudinem & longanimitatem suam, adeoque post contemtas divitias lenitatis & longanimitatis suæ divinæ, uti videre est. *Matth.* XXI. 33, &c. in parabola patrisfamilias qui plantaverat vineam, &c. *ad vers. usque* 45. *Matth.* XXIV, *à vers.* 30. *ad finem usque capitis*. *Luc.* XIX. 41. 42. 43. 44. *Joan.* VIII. 21. & 24. *ad Rom.* II. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. Hæc igitur est illa *ἀνοχὴ* Dei, qua tandem Deus animadvertere decernit in refractarios & insanabiliter contumaces, quos scilicet mansuetudo divina mansuefacere, & longanimitas ejus flectere non potest ad mutandum animum, vitamque in melius; quos ut semper impunitos dimittat justitiæ æquitatisque ratio non sinit. Æterni autem excidii pœnam cum dico, eam intelligo vel quæ in ultimo judicio infligetur, quæ proprie *δίκη ὀλέθρου αἰωνίου* dicitur, 2 *Thess.* I. 9. & quidem *ἀπὸ προσώπου τοῦ κυρίου, καὶ ἀπὸ τῆς δόξης τῆς ἰσχύος αὐτοῦ*. vel, quæ peculiari aliquo judicio divino in hac vita infligitur populo, sive per excidium populi totius, temporale quidem, uti videtur, sed quod æterni excidii à facie Dei pœna excipiet, qualis fuit *ἀποτομία* Dei circa primum mundum, qui *mundus impiorum* fuisse dicitur, 2 *Pet.* II. 5. per *κατακλυσμὸν* diu dilatum & denunciatum. Circa Sodomam & Gomorrham per *δεῖγμα πυρὸς αἰωνίου*, *Judæ vers.* 7. quia nimirum diu non tantum impie vixerant, alienam carnem sectantes, sed & partim *δι' ἀναστροφῆς ἐν ἀσελγείᾳ*, partim aliis *ἀνόμοις ἔργοις*, animam justam Lothi justitiæ præconis excruciaverant, 2 *Pet.* II. 6. 7. Circa populum Israeliticum, id est, decem tribus, per transportationem earum in Assyriam & Mediam, factam à Salmanassare tempore Hoseæ ultimi Israelitarum regis, post diu admodum, id est, CCLIV vel CCLVII annis, à Deo toleratam earum idololatriam aliaque scelera ac flagitia; uti videre est 2 *Reg.* XVII. *Ἀποτομία* Dei hîc tanta fuit, ut Deus *Jerem.* III. populo isti toti libellum repudii misisse dicatur, eique spem omnem redeundi in patriam suam Samariam intercluserit, utque gentibus permixtus, unus cum iis populus fieret, voluerit, non ante reducendus in spem gratiæ ac veniæ, quam Messias ipse gentibus omnibus Euangelium regni cælorum per Apostolos suos annunciaturus, veniret. An ad *ἀποτομίαν* hanc referri debeat ea, quæ CXXXIII post annis consecuta est, tribus Judæ in Babyloniam abductio per Nabuchodonozorem facta, incertum est. Quin ea severa etiam fuerit punitio, & quæ non nisi post longam Dei patientiam & mansuetudinem facta fuit, dubium non est, ex 2 *Paral.* XXXVI. sed eam *ἀποτομίαν* fuisse quis dixerit; cum tempus captivitatis istius circumscriptum fuerit à Deo spatio LXX annorum? nisi quis forte dicat, spatium LXX annorum esse spatium illud totum, quo ætas humana durare fere solet. Ut ut est, certum est, *ἀποτομίαν* hanc non fuisse populi Judaici, qualis fuerat præcedens populi Israelitici *ἀποτομία*, sed eorum omnium in populo isto, quos severa Dei castigatio non reddebat meliores. Et hujusmodi etiam est *ἀποτομία* illa, cujus mentio fit *ad Roman.* XI. 22. quod attinet ad populi totius Judaici excidium. Hoc enim fieri sic negat Apostolus, ut tamen ramos quosdam ex eo defringi & excindi propter incredulitatem suam adserat. Manet enim populus iste, dilectus adhuc populus, propter Patres, *Rom.* XI. 28 & quidem *κατὰ τὴν ἐκλογήν*, quæ adeo firma stat apud Deum, ut vers. seq. vocetur *χάρισμα καὶ κλῆσις τοῦ Θεοῦ ἀμεταμέλητος*, cujus indicium datur *vers.* 25, quod Deus populo isti obdurationem *ἐκ μέρους* evenire voluerit, id est, ad tempus, usque dum plenitudo gentium introierit. Post istud enim tempus, veniet ex Sion ille liberator, & avertet impietates à Jacob, id est, uti ego interpretor, cum tam singulari gratiæ beneficio, cum tam clara veritatis Euangelicæ luce ad Judæos veniet, ut miraculi instar futurum sit, si ad Christum Dominum non convertantur, & duritiem cordium suorum exuant. *Ἀποτομία* ergo illa quam Apostolus Paulus hîc refert, non est populi totius Judaici abjectio, sed tantum ramorum quorundam in populo isto, id est, incredulorum, quæ tamen distinguenda est ab *ἀποτομίᾳ* illa, qua Deus usus est in populo Judaico captivo in Babylonem abducto, respectu eorum, qui in captivitate ista immorigeri manebant, & vel in ea moriebantur, vel morte aliqua mala à Deo puniebantur: quatenus videlicet pœna hæc erat pœna corporalis, lege Mosis constituta contra prævaricatores: ista vero pœna est æterna, Euangelio propria; quam majorem esse scriptor ad Hebr. testatur, *cap.* X. 28. 29.

Severitas tertio modo accepta, pro actu scilicet aliquo severo, quo Deus *aliquando* in hunc aut illum subito animadvertit, etsi prima fronte repugnare videtur mansuetudini & longanimitati divinæ, tamen revera repugnare dici non potest; quia etiamsi Deus, unius alicujus enormis peccati occasione, repente aliquando in hunc aut illum gravi pœna animadvertit, non exspectata ejus qui illud commisit resipiscentia; tamen nihil vetat credere, imo vix dubium est, quin Deus antea mansuetudine & longanimitate usus fuerit circa istos, in dissimulando alia eorum delicta, ut ut multo minus gravia, aut saltem non tam enormia. ut autem Deus ad omnia & singula peccata semper denuo conniveat, nec mansuetudo nec longanimitas Dei requirunt. In exemplo Herodis Agrippæ, quod citavimus ex *Act.* XII. id liquet. Ad multa enim ejus non delicta modo, sed & scelera ac flagitia, diu Deus multo ante connixerat, quando eum nimia adulatione populi intumescentem, sibique divinitatis honorem referri gaudentem, Deus illico *ἐπλῆξε βρῶσιν* reddidit, variisque & continuis tormentis intestinorum exacerbificatum exanimavit.

Dices; At exempla alia allegata sunt, eorum, de quibus non constat quod mali antea fuerint, & quod in aliis delictis suis longanimitatem divinam sint experti. Resp. Ut ut nobis id non constet, nihil tamen vetat quominus id credamus verum esse, cum nota nobis sit humana fragilitas, & Deo semper adscribenda sit veracitas, qua se tardum esse asserit ad iram. Esto tamen, unum dumtaxat grave peccatum sit,

propter quod Deus severè in aliquem animadvertat, non tamen idcirco quidquam mansuetudini aut longanimitati divinæ decedere credendum est. Nam 1. Is qui peccatum tale unum enorme committit, *aut* tam ingente ac singulari beneficio à Deo adfectus fuit, quali raro adficiuntur ii quos Deus aliquando diu tolerat, adeo ut beneficii istius magnitudo longanimitatis gratiam aut longe superet, aut saltem exæquet; uti exempli gratia uxor Lothi educta ex incendio sulphureo per Angelum, & ne respiceret severiter monita. *Aut* tam eximio honore, tam magnifica atque excellente gratia à Deo donatus est, ut multo plures justioresque causas habeat caute se gerendi, & peccatum tam grande evitandi, quàm ii habent, quos divina mansuetudo & longanimitas quidem tolerat, sed neutiquam tanta gratia atque honore, nedum tot ad peccata evitandum remediis donat atque ornat: ut exempli gratia Nadab & Abihu, quos Deus honore sacerdotii dignatus fuerat, ut in conspectu ejus quasi semper versarentur, & non nisi sacra Deoque devota tractarent; unde quotidie occasionem habebant reverenter semper ambulandi, & caute quasi in oculis divini Numinis agendi. Hinc etiam Deus quando in eos severo supplicio animadverterat, caussam severioris suæ in eos animadversionis hanc esse dicit, quod appropinquassent ipsi, id est, quod eos dignatus esset honore sacerdotii, ut in adyta templi sui aut tabernaculi ingredi possent, quasi ipsius domestici & contubernales. *Levit.* X. 3. *Hoc est quod dixit Dominus, dicendo, sanctificabor in iis qui appropinquant mihi.* Moses, quo nemo mortalium ante Jesum Dominum nostrum Deo aut propinquior aut charior fuit, ac proinde quem tanta Dei gratia, gratiæque tam egregiæ signa ac documenta pene innumera alienissimum facere debuerant à peccato, imprimis incredulitatis.

2. Peccatum tale esse potest, quod facile evitabile & imitabile est, quodque proinde non nisi ex lata culpa, id est, ex magna admodum imprudentia & ἀμελείᾳ, sive incuria, tum divini præcepti, tum officii cujusque sui, committi potest; & damnum ingens aliis adferre, sive exemplum imitandi aliis noxium valde præbere potest. Hoc casu, si severior aliqua animadversio fiat in eum, qui peccatum ejusmodi unum solum grande committit, nihil certe contra mansuetudinem aut longanimitatem divinam fieri videtur. Peccatum enim istud, severam istam pœnam per se meretur, & dum in eum qui illud patravit animadvertitur, pœna ad unum, metus ad plures pervenit, atque ita plurium bono consulitur, divinæque mansuetudini & longanimitati erga plures exercendæ locus datur. In hoc ordine colloco 1. peccatum viri istius, qui lignarum exierat die Sabbathi, *Num.* XV. 32. & quem Deus à Mose consultus; tanquam Sabbathi, id est, quietis divinæ violatorem lapidibus obrui jussit. *vers.* 35. 2. peccatum Uzæ, qui arcam Domini exorbitantem manu sua, ut est 1 *Paral.* XIII. 9. fulcire voluerat, quam tangere aliis quam Sacerdotibus nefas imo capitale Deus esse diserte jusserat, *Num.* IV. 15. & quem Deus שגג pro errore, imprudentia, temeritate ista sua repentina morte exstinxit. 3. peccatum Bethsemitarum, qui sive curiose, sive irreverenter introspexerant in arca Domini, contra jussum ejus, *Num.* IV. 20. quos Deus usque ad septuaginta viros, & quinquaginta millia virorum idcirco subito fato percussit; 1 *Samuel.* VI. 19.

3. Peccatum tale esse potest, quod etsi ex se & prima fronte leve esse videatur, quia contra expressum ac dictum aliquod Dei mandatum non perpetratur, revera autem grave atque enorme videri debet propter circumstantiam temporis; quia videlicet perpetratur isto tempore, quo Deus singularem aliquam gratiæ suæ demonstrationem facit, per signorum, miraculorum ac prodigiorum inusitatam patrationem; quo tempore sine dubio majore atque accuratiore multo quam unquam alias, tum circumspectione tum reverentia opus est, ne tam admirabilis & inusitatæ gratiæ communicatio sperni, aut insuper haberi videatur, aliisque ad eam pro merito suo non æstimandam, reverenterque satis non habendam, occasio præbeatur. Ad hanc classem refero, tum peccatum Ananiæ ac Sapphiræ, cujus mentio fit *Act.* V. *vers.* 1. 2, *&c.* quo ii non per imprudentiam, sed (uti videtur) deliberato animo communicatisque consiliis mentiri voluisse dicuntur Spiritui Sancto, seu potius Spiritum Sanctum, tanquam si videlicet ejus instinctu facerent quæ faciebant, cum revera non nisi Satanæ spiritu atque instinctu ducti, intervertissent aliquid ex pretio prædii quod vendiderant, atque ita, si non animo tentandi, reipsa tamen Spiritum Dei tentassent, supple qui Petro & Apostolis datus erat, anne videlicet tanti sceleris ac maleficii conscius esset. Hoc peccatum, quia non poterat non tendere ad ignominiam & injuriam divini Spiritus, quo tum Apostoli donati erant, quemque passim magnis cum prodigiis exerebant, ut circa incunabula Evangelii severa aliqua pœna plecteretur, ratio ipsa postulabat, ne Majestas divini Spiritus vilesceret, autoritas Apostolorum labefactaretur, & exemplum tam clarum contagionem irreverentiæ daret ad plures. Tum peccatum Corinthiorum, quorum mentio fit 1 *ad Corinth.* XI. 30. qui, quod non reverenter satis se gererent in Cœnæ Dominicæ celebratione, partim morbis, partim imbecillitatibus, partim repentina morte à Deo puniti fuisse dicuntur. Intererat enim Ecclesiæ Christianæ, quæ tum temporis redundabat miraculorum gloria, aliisque Spiritus Sancti donis, ut exemplo severioris alicujus animadversionis sapere disceret, & officii sui commoneretur, ne irreverentia ejus serperet ad plures, & tam sacra Christoque grata ac digna cæremonia imposterum vilesceret aut parvi fieret. Concludimus, ut ut est, Facta hæc divina singularia sunt & extraordinaria, ac proinde per ea divinæ mansuetudini ac longanimitati ordinarie nihil detrahitur: & causssas fine dubio habent singulares ac peculiares, quæ partim nobis notæ, partim soli Deo notæ & nobis ignotæ sunt. Nullæ tamen dari possunt, propter quas severitas ista divina culpari jure mereatur.

## CAPUT XXXII.

## De Deo Patre, Filio & Spiritu Sancto, deque eorum personalitate, divinitate & subordinatione.

HActenus abstractè egimus de Natura divina, id est, de essentia divina & essentiæ divinæ attributis. Consequens est, ut videamus cui subjecto natura ista divina competat & tribuatur in Scriptura Sacra.

*Scriptura mentionem facit Patris, Filii, & Spiritus sancti.*

*Primò*, Certum est in Scriptura trium nominatim mentionem fieri, quibus natura divina tribuitur, Patris scilicet, Filii, seu Sermonis aut Verbi, & Spiritus sancti.

*Matth.* III. 16. 17. *Et baptizatus Jesus ascendit statim ex aqua: & ecce aperti ei sunt cæli, & vidit Spiritum Dei descendentem quasi columbam, & venientem super eum. Et ecce vox adfuit è cælo, dicens, Hic est filius, ille meus dilectus, in quo acquiesco.*

*Matth.* XXVIII. 19: *Profecti ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomen Patris & Filii & Spiritus sancti.*

*Joan.* XIV. 16: *Ego vero rogabo Patrem, & alium advocatum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum.* Similiter *Joan.* XV. 26.

1 *ad Corinth.* XII. 4. 5. 6. *Distinctiones autem donorum sunt, sed idem Spiritus: Et distinctiones ministeriorum sunt, sed idem Dominus: Et distinctiones operationum sunt, sed idem est Deus.*

2 *ad Corinth.* XIII. 13: *Gratia Domini Jesu Christi, & Charitas Dei, & communicatio Spiritus sancti (sit) cum omnibus vobis.*

1 *Pet.* I. 2: *Secundum præscientiam Dei Patris, in sanctificatione Spiritus, per obedientiam & adspersionem sanguinis Jesu Christi.*

1 *Joan.* V. 7: *Nam tres sunt qui testificantur in cælo, Pater, Sermo, & Spiritus S. & hi tres unum sunt.*

Epiphanius in Pneumat. θείαι μία ἡ Μονὰς μάλιστα κατανοεῖσθαι. Δυὰς δὲ ἐν εὐσεβείαις σφόδρα παραινεῖται. Τριὰς δὲ ἐν ἐκκλησίαις φανερῶς.

*Eos describit tanquam personas.*

*Secundò*, Certum est tres hos in Scriptura non quidem diserte nominari, sed tamen apertissime describi tanquam ὑποστάσεις, ὑφιστάμενα & personas proprie dictas, id est, ut individua, subsistentia, vita, intelligentia, voluntate & potentia prædita, operaque personarum vita, intelligentia, voluntate & potentia præditarum exercentia.

De Patre loca clara sunt. Subsistentia ei tribuitur, *Apoc.* I. 4. *Qui est, qui erat, & qui venturus* (id est, futurus) *est.* Vita, *Joan.* V. 26. *Sicut Pater vitam habet in se ipso, &c.* & VI. 57. *Sicut misit me vivens ille Pater, & ego vivo propter Patrem.* Intelligentia, *Rom.* XI. 33, *O profundas divitias tum sapientiæ, tum cognitionis Dei! Matth.* VI. 32. Voluntas, *Joan.* VI. 41, *Hæc est autem voluntas ejus qui misit me, Patris, &c.* Potentia, *Matth.* VI. 13, *Quia tuum est regnum & potentia*, ô Pater! Operationes, *Joan.* V. 17, *Pater meus usque adhuc operatur, & ego operor.*

De Filio itidem clara sunt loca. Subsistentia ei tribuitur *Joan.* I. 1, *Sermo erat in principio, & sermo ille erat apud Deum.* Vita, *Joan.* VI. 57, *Ego vivo propter Patrem.* Intelligentia, *Joan.* I. 18, *Deum nemo vidit unquam: unigenitus ille Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit nobis.* Voluntas, *Matth.* XI. 27, *Et cuicunque voluerit Filius revelare. Joan.* V. 21, *Ita & Filius, quos vult, vivificat.*

*cat.* Potentia, *ad Philip.* III. 21, *Pro efficacitate qua potest sibi omnia subjicere.* Operationes, *Joan.* V. 17, *Et ego operor.*

De Spiritu sancto similia loca sunt. Subsistentia ei tribuitur, 1 *Joan.* V. 7, *Tres sunt in cælo, qui testificantur, Pater, Sermo, & Spiritus.* Vita, *Iob.* XXXIII. 4, *Spiritus Dei fecit me, & spiraculum Omnipotentis vivificavit me. Rom.* VIII. 2, *Nam lex Spiritus vitæ, qui in Iesu Christo est.* Intelligentia. *Spiritus enim scrutatur profunditates Dei,* id est, scrutantium instar, exactissime novit: 1 *Corinth.* II. 10. *Ea quæ Dei sunt, nemo novit, nisi Spiritus Dei, vers.* 11. Voluntas, 1 *ad Corinth.* XII. 11, *Spiritus distribuit dona sua prout vult.* Potentia, *Ephes.* IV. 16, *ut det vobis pro divite sua gloria, ut fortiter corroboremini per Spiritum suum in interiore homine, Esa.* XI. 2, *Et requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intelligentiæ, Spiritus consilii & fortitudinis, Spiritus scientiæ & timoris Domini.* Actiones: quales sunt *creare, Iob.* XXXIII. 4. *Psal.* XXXIII. 1. *conservare, Psal.* CIV. *vivificare,* scientia, fide, caritate, spe, timore Domini, fortitudine, patientia, aliisque virtutibus instruere, irruere in Samsonem, recedere à Saule, supervenire & obumbrare virginem, mittere prophetas, constituere Episcopos, descendere, sicut columba, super Christum, &c. Hisce adde locutiones metaphoricas, quæ Spiritui sancto tribuunt passiones, nulli rei præterquam subsistenti & personæ convenientes, quales sunt contristari, blasphemari, contumelia adfici, exacerbari, &c. *Ephes.* IV. 30. *Matth.* XII. 31. 32. *Heb.* X. 29. *Esa.* LXIII. 10.

Ex his concludo: Non modo nullam gravem caussam esse, cur abhorreamus à vocibus personarum, & trium personarum, sed & caussam justam esse cur personarum voce utamur. Aut enim nihil omnino in rerum natura personæ nomine appellari potest, aut si quid personæ nomine recte appellari potest, etiam tres isti, Pater scilicet, Filius & Spiritus sanctus personarum nomine recte appellari possunt; quia iis omnia ista, quæ ipsa hominum universitas rei subsistenti, & quam sub personæ notione concipit, solet tribuere, diserte in Scripturis adtribuuntur; uti ex dictis liquet. Interea dispurationes Scholasticorum, & quorundam καπηλείαν Theologorum, de personarum harum processionibus, de processionum distinctionibus per intellectum & voluntatem, de Relationibus divinis, 1. An aliquæ in Deo sint. 2. an ex iis sint aliquæ reales, & quænam. 3. quomodo relationes reales inter se distinguantur. 4. quomodo distinguantur ab essentia divina. 5. an sint de intrinseca ratione essentiæ, & contra. 6. an dicant perfectionem præcise consideratæ, quatenus ab essentia virtute distinguuntur. 7. An abstractis subsistentiis relativis, intelligatur relinqui, hæc Deitas, an hic Deus. 8. An personæ sint compositæ ex essentia & relationibus. 9. An divinæ personæ constituantur proprietatibus relativis, an absolutis, & quæ sunt aliæ, eas satius est fugere & evitare tanquam scopulos, labyrinthos, & cruces, ex quibus non ingenia tantum, sed & fides tota suspensa sæpe hæret, quam in eas pedem inferre, nedum eas aut curiosè consectari, aut anxiè inquirere, aut audacter decidere.

*Usque divinitatem tribuit.*

*Tertiò*, Certum est, tribus hisce personis divinitatem, sive divinas perfectiones, in Scriptura tribui. Et nomen quidem ipsum Dei, Patri Filioque tribui manifestum est. De Patre nemo dubitat. De Filio res clara etiam est: quia is appellatur Deus, non attributive tantum, *Joan.* I. 1. *Et sermo ille erat Deus.* sed & subjective: *Heb.* I. 8. 9: *Ad Filium autem, Thronus tuus, Deus, in seculum seculi. Virga recta, virga regni tui. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem; propterea unxit te, ô Deus, Deus tuus oleo lætitiæ supra consortes tuos.* De Spiritu sancto res ita clara non est. Nusquam enim in Scriptura Spiritus sanctus quod scio, in terminis aut diserte Deus vocatur, sed semper aut Spiritus Dei aut Spiritus Filii sive Christi. Addit Erasmus, uti ei impingit Bellarminus, veteres idcirco ausos non fuisse Spiritum sanctum Deum appellare. Sic enim præfatione in libros Hilarii loquitur, Audemus Spiritum sanctum appellare Deum, quod veteres ausi non sunt; prout verba ejus citat Bellarminus in præfatione sua ad librum I de Christo, tomo primo. Sed vero verba Erasmi aliter longe sonant, & quidem hunc in modum; *Audemus Spiritum S. appellare verum Deum, ex patre Filioque procedentem, quod veteres aliquamdiu non videntur ausi*: quæ certe sensum longe alium continent. Certum interim est, Erasmum idem nobis adserere, Spiritum sanctum exerte nunquam Deum appellari, Patrem frequentissime, Filium aliquoties; & Hilarium nusquam in libris XII. de Trinitate quos scripsit, dicere Spiritum S. adorandum, aut vocabulum Dei ei tribuere. verba Hilarii sunt lib. XII. in fine. *Et cum* (Paulus) *universa in Christo & per Christum creata memoraret: de Spiritu sancto sufficientem tibi* (ô Pater) *significationem eam existimavit, quod hunc Spiritum tuum diceret. Cum his ergo proprie electis tibi viris hæc ita sentiam: & sicut nihil aliud ultra sensum intelligentiæ meæ secundum eos de unigenito dicam, quam esse natum, ita quoque ultra ingenii humani opinionem secundum eos nihil aliud de sancto Spiritu tuo loquar, quam Spiritum tuum esse. Neque fit mihi inutilis pugna verborum, sed incunctanter fidei confitens professio. Conserva oro hanc fidei meæ incontaminatam religionem: & usque ad extremum Spiritum mei dona mihi hanc conscientiæ meæ vocem, ut quod in regenerationis meæ symbolo Baptizatus in Patre & Filio & Spiritu sancto professus sum semper obtineam; Patrem scilicet te nostrum, Filium tuum una tecum adorem; & Spiritum sanctum tuum, qui ex te per unigenitum tuum est, promerear.*

Sed vero, ut ut est de nomine Dei, certum est tribus his personis omnibus ac singulis divinas perfectionis in Scriptura tribui, &c. De Patre quidem nemo hic etiam dubitat.

De Filio res indubia est. Omnipræsentia ei tribuitur, *Ioan.* XIV. 15, *Pater & ego ad illum veniemus, & mansionem apud illum faciemus. Matth.* XXVIII. 20, *Ego vobiscum sum ad consummationem usque seculi.* Omniscientia. Quia ei tribuitur, quod noverit omnia. *Ioan.* XXI. 17, *Tu Domine,* ait Petrus, *nosti omnia. Ioan.* II. 25, *Non opus erat ut quisquam ei testaretur de homine; Ipse enim sciebat quid esset in homine. Apocal.* II. 23, *Scientque omnes Ecclesiæ, me esse scrutatorum renum & cordium.* Æternitas, 1 *Ioan.* I. 1, *In principio erat sermo, & sermo ille erat apud Deum, & sermo ille erat Deus. Apocal.* II. 8, *Ego sum primus & novissimus.* Immutabilitas, *Heb.* I. 11, *Tu autem Domine permanes. & vers.* 12, *Tu idem es, & anni tui non deficient.* Omnipotentia, *ad Philipp.* III. 21, *Pro efficacitate, qua potest sibi subjicere omnia.* Majestas denique & gloria divina, *Ioan.* V. 23, *Ut omnes honorent Filium, sicut honorant Patrem. Apocal.* V. 13. *Sessori throni, & Agno, benedictio, & honor, & gloria, & robur in secula seculorum.*

De Spiritu sancto clara etiam sunt testimonia. Omnipræsentia ei tribuitur, *Psal.* CXXXIX. 7, *Quo ibo à Spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam?* &c. 1 *Corinth.* III. 16, *An nescitis vos esse templum Dei, & Spiritum Dei habitare in vobis?* & VI. 19, *An nescitis corpus vestrum esse templum Spiritus S. qui in vobis est?* Omniscientia, 1 *ad Corinth.* II. 10, *Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunditates Dei.* & *vers.* 11, *Nemo novit ea quæ sunt Dei nisi Spiritus Dei.* Omnipotentia, quia est *Digitus Dei, Luc.* XI. 20. & *virtus altissimi, Luc.* I. 35: *qui distribuit singulis dona sua prout vult*, 1 *Corinth.* XII. 11. Æternitas, quia Spiritus est, *qui in Deo est.* 1 *Corinth.* II. 11. *qui à Deo emanat, Joan.* XV. 26. Deique virtus est, sine qua ut Deus unquam fuerit, impossibile est. Majestas denique & gloria divina, quia in nomen ejus baptizari jubemur, sicut in nomen Patris & Filii, *Matth.* XXVIII. 19. quia non minus *communicatio Spiritus sancti* nobis optatur, quam gratia Jesu Christi, & caritas Dei, Patris scilicet, 2 *Corinth.* XIII. 13. quia blasphemia quæ in Spiritum Sanctum committitur, irremissibilis esse dicitur, *Matth.* XII. 32. opposite ad blasphemiam quæ in Filium hominis committitur.

Hinc colligo: Mirum videri non debere, si tribus hisce personis una eademque natura divina tribuatur, cum iis Scriptura divinas istas perfectiones, quæ naturæ divinæ propriæ sunt, tam exerte adtribuat.

*At non collateraliter, sed subordinatè.*

Sed vero addo *quarto* & postremo *loco*, certum esse ex iisdem Scripturis, personis his tribus divinitatem divinasque perfectiones tribui, non collateraliter aut coordinatè, sed subordinatè: ita ut Pater solus naturam istam divinam & perfectiones istas divinas à se habeat, sive à nullo alio, Filius autem & Spiritus sanctus à Patre: ac proinde Pater divinitatis omnis quæ in Filio & Spiritu S. est, fons ac principium sit. Id evincunt, non tantum ipsi termini, sive voces Filii & Spiritus sancti, quæ subordinationem à generante & spirante important in primo conceptu suo; sed & perpetuæ locutiones Scripturæ Sacræ, quibus, exempli gratia, dicitur Filius, (ut de eo ordiamur) *à Patre esse, Ioan.* VII. *vers.* 29. *exiisse à Patre, Joan.* XVI. 28. & passim. *Vivere propter Patrem, Ioan.* VI. 57. *Patrem dedisse Filio vitam habere in seipso, Joan.* V. 19. *Patrem demonstrare Filio opera quæ ipse facit, Joan.* V. 20. *Filium non posse à semetipso operari, nisi viderit Patrem operantem, ibid. vers.* 19. *non posse à semetipso facere quidquam, vers.* 30. *verba quæ loquebatur* (Judæis) *non à seipso loqui, sed Patrem qui in eo manebat, ipsum facere opera, Ioan.* XIV. 10. Quæ etiam caussa est quod Filius jure meritò omnia ad Patrem, tanquam ad illum, à quo ipso omnia quæ habebat, acceperat, referre soleat. Eædem etiam occurrunt locutiones de Spiritu sancto, quando videlicet dicitur de eo, quod ἐκ τῦ πατρὸς ἐκπορεύεται, *Ioan.* XV. 26. quod *ex Deo fit*, 1 *Corinth.* II. 12. quod *à Patre detur, effundatur, mittatur*, passim. quod *à semetipso non loquatur, sed quæcunque audierit, Joan.* XVI. 13. tum à Patre scilicet, tum à Filio: quia statim additur à Filio,

lio, *verſ.* 14, *Ille me glorificabit, quia de meo accipiet & renuntiabit vobis. Omnia quæ habet Pater, mea ſunt. Propterea dixi illum de meo accepturum & renuntiarum vobis.* unde & *Spiritus Filii* dicitur *Gal.* IV. 6. & *Chriſti*, *Rom.* VIII. 9. 1 *Pet.* I. 11. & *Jeſu Chriſti*, *Philipp.* I. 19.

*Quod magna utilitatis eſt obſervare.*

Subordinatio hæc diligenter attendenda eſt. Permagnæ enim eſt utilitatis: quia per eam non tantum funditus tollitur περιτομὴ, quam collateralitas pene neceſſario ſecum trahit: ſed & Patri ſua gloria ſarta tecta conſervatur. Enimvero ſubordinatione hac poſita, certum eſt Patri ſoli proprie iſtam divinitatis perfectionem ſive ἀκμὴν competere, quod eam à ſe ipſo, id eſt, à nullo alio habeat. A nullo enim habere eſſe ſuum, proprie eſt primum ac ſummum eſſe, in quo divinitatis ἀκμὴ eſt & faſtigium. Unde conſequitur, Patrem ſic eſſe primum, ut etiam ſummus ſit, tum ordine, tum dignitate, tum poteſtate. Ordine, quia Filius & Spiritus S. ab illo ut ſint neceſſe eſt. Dignitate, quia principium & cauſa ut ſint ipſi, Pater eſt. Dignius autem eſt, eſſe à nullo, quam eſſe ab alio, & generare quam generari, ſpirare quam ſpirari. Poteſtate, id eſt jure ſive dominio, quia Patri jus eſt mittendi, dandi Filium, effundendi Spiritum ſanctum, neutri vero jus eſt in Patrem. Hinc Pater nunquam miſſus, aut datus, ſed ſemper mittens ſive dans legitur.

Certe ego nullus dubito, quin Filius ipſe Patrem ſuum ob hanc etiam prærogativam & ἐξοχὴν *ſe majorem* vocare potuerit, *Joan.* XIV. 28. & Scriptura paſſim Patrem vocet, nunc *Deum* abſolute, nunc *unum Deum*, 1 *Corinth.* VIII. 4. nunc *unum Deum & Patrem omnium. Epheſ.* IV. 6. nunc *unum & ſolum verum illum Deum*, *Joan.* XVII. 3. nunc *Deum ac Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti*, uti paſſim in Epiſtolarum initiis. Quod enim ad primum attinet, quo Filius Patrem ſuum ſe majorem eſſe dixit, etſi id ad Chriſtum quatenus homo & Mediator inter Deum & homines erat, referri maxime poteſt, tamen nihil verat, id etiam referre ad totum iſtud, quod Filius qua filius eſt. Sic enim etiam minor Patre eſt. Majus enim quiddam eſt, Deitatem habere à ſeipſo, quam eandem habere ab alio ſibi communicatam. Quod ad ſecundum attinet, merito Patri illa divinitatis prærogativa aut ἐξοχὴ tribuitur, quia tota illa natura divina, quæ in Filio ac Spiritu S. eſt, à Deo Patre eſt. unde recte ex eo, per eum, & in eum omnia eſſe dicit Apoſtolus, *Rom.* XI. 35.

Hieronymus Zanchius, Epiſt. lib. 1. in Epiſt ad Joan. Wilhelmum Stuckium ſic de Chriſto loquitur: *Chriſtus eſt ſupra omnes creaturas, ſed infra Patrem triplici reſpectu, ut homo, ut mediator, ut filius. Ut homo, notum eſt omnibus. Ut mediator, conſtat, quia qui intercedit, etiamſi æqualis ſit natura & dignitate illi apud quem intercedit, ut rex apud regem, ratione tamen officii quod facit minor eſt illo. Imò ut filius quoque minor Patre non incongrue dici poteſt, quia plus eſt eſſe à nullo quam eſſe ab alio, & generare quam generari. Et hoc ſenſu multi Patres locum illum, Pater major me eſt, interpretantur. Quin & Chriſtus ipſe ordinem hunc docuit eſſe in divinis perſonis, ut primus locus ſemper detur Patri, ſecundus Filio, tertius Spiritui S. Unde & veteres Patres non dubitarunt dicere, Chriſtianos adorare primo loco Patrem, ſecundo Filium, tertiò Spiritum ſanctum; qui tamen non multos, ſed unum dumtaxat Deum ſe adorare profitentur. Ita neque impium fuerit ſi quis dicat, Deum qui eſt de Deo, inferiorem illo eſſe, qui Deus non eſt de Deo. Majus enim quiddam eſt Deitatem habere à ſeipſo, quàm eandem habere ab alio ſibi communicatam.*

Baſilius Everſorum 3. *Quæ neceſſitas eſt, ſi dignitate & ordine eſt Spiritus, tertium etiam ipſum eſſe natura? Dignitate equidem tradidit fortaſſis pietatis doctrina. Natura vero tertia uti, neque ex ſanctis Scripturis didicimus, neque ex prædictis velut conſequens colligere poſſibile eſt. Sicut enim Filius ordine quidem ſecundus eſt, quia ab illo eſt, & dignitate, quoniam principium & cauſa ut ſit ipſe, Pater eſt, & quoniam per ipſum proceſſus & acceſſus ad Deum & Patrem. natura autem non amplius ſecundus eſt, quoniam Deitas in utroque una eſt. Ita nimirum & Spiritus ſanctus, etiamſi ſequitur Filium, & ordine, & dignitate, ut omnino etiam concedamus, non tamen veriſimiliter velut alienæ exiſtens naturæ.*

Quare periculosè mihi errare videntur, qui Filio & Spiritui ſancto communem quidem naturam divinam cum Patre eſſe contendunt, ſed non communicatam. Communio enim illa non modo tollit generationis Filii & emanationis Spiritus ſancti à Patre eſſentialem proprietatem; ſed & collateralitatem perſonarum introducit, per quam ut tres perſonæ tres Dii eſſe dicantur omnino neceſſe eſt.

*An filius Dei recte dicatur αὐτόθεος.*

Nec minus periculoſe errant, qui Filium Dei αὐτόθεον eſſe contendunt, ſic ut qua Deus eſt, ſit à ſe ipſo, qua Filius eſt ſit à Patre; cum hac ratione ſubordinatio vera inter Patrem & Filium tollatur. Filius enim qua Deus, dicit filius qua à ſe ipſo eſt, id eſt, filium non filium, ingenitum eum qui genitus eſt, & non eſt niſi qua vel quia genitus eſt. Non enim dicit filium quatenus eſſentia eſt, quid enim abſurdius? Aliud enim eſt eſſentia, aliud eſſentiam habens. Deinde Filius, quà filius, non eſt à Patre. Filiatio enim, qua talis, non dicit niſi relationem diſtinctam ab eſſentia. At relatio filii non magis eſt à Patre, quam relatio Patris à relatione filii eſt. Relata enim ſunt ſimul natura, & ſe mutuo conſtituunt. Qui interim vocem αὐτόθεος ſic exponunt, ut ſignificet non eum qui à ſe eſt, ſed qui per ſe Deus eſt, ii oſtendunt ſe periculoſe loqui malle, quam errorem agnoſcere, & ſatius eſſe vocem flectere ad ſenſa ſuæ mentis, quam verum ſenſum vocis proprietati aptare, ne erraſſe videantur, aut ipſi, aut alii quorum honori perperam conſultum volunt. Utique præſtat abſtinere à vocabulis iſtis, quæ non modo non dictavit nobis Spiritus Dei in Scriptura ſacra, ſed & quæ propter homonymiam ſuam periculoſa ſunt, litiumque ac rixarum ſeminaria. Noſtrum eſt ea religiosè ac ſolicitè vitare in hoc auguſto myſterio, vel eo ſolum nomine, quod ab hominibus excogitata, & forte in fervore contentionis imprudenter prolata, apta nata ſint gignere in animis noſtris opinionem iſtam, per quam perſonarum ſanctiſſimæ ſubordinationi, ac proinde gloriæ Patris, quam Scriptura ſacra ubique ſartam tectam conſervatam voluit, & Chriſtus Jeſus exemplo ſuo paſſim unice ſartam tectam conſervare ſe voluiſſe oſtendit, non parum detrahi ac derogari poteſt.

## CAPUT XXXIII.

## De generatione divina, quæ eſt fundamentum ſubordinationis inter Patrem & Filium.

HIſce ita conſtitutis videndum porro venit, ecquod ſit fundamentum ſubordinationis quæ eſt inter Patrem & Filium, & inter Spiritum ſanctum ad Patrem & Filium.

Fundamentum ſubordinationis inter Patrem & Filium eſt generatio. Pater enim generantem, Filius genitum ſignificat.

*Generatio à qua Deus vocatur aut vocari poteſt Pater, quinque modis in Scripturis accipitur.*

Generatio autem à qua Deus vocatur aut vocari meretur pater, non uno modo in Scripturis dici aut accipi ſolet. Nonnunquam enim quamlibet productionem notat, per quam res in eſſe ſuo conſtituitur, ſive ex nihilo ſive ex præjacente materia. Hoc ſenſu etſi in Scriptura productio cæli & terræ generatio ſive generationes תולדות vocetur, *Geneſ.* II. 4. nunquam tamen, quod ſcio, ab ea vocatur Deus Pater cæli & terræ; *Pater* tamen *pluviæ* vocatur à Jobo, *cap.* XXX. 8. ſed productio, qua Deus homines ad imaginem ſui produxit atque efformavit, etſi generatio non vocatur, tamen ab ea Deus Pater hominum vocatur, *Matth.* XXIII. 9: *Et Patrem veſtrum ne quemquam vocate in terra. unus enim eſt Pater veſter, qui in cælis eſt.* & homines, *progenies Dei*, *Act.* XVII. 29. & Adam nominatim *Filius Dei*, *Luc.* III. 37. Ab hac productione, ſed quæ ex nihilo facta fuit, Angeli etiam vocantur *Filii Dei*; *Job.* I. 1. & *Job.* XXXVIII. 7: *Quum laudarent pariter ſtellæ luminis, & jubilarent omnes Filii Dei.* & *Pſalm.* LXXXIX. 7; *Quis in cælo æquabitur Domino, quis ſimilis eſt Domino in filiis Deorum?* vel Dei. Nunquam tamen, quod ſcio, Deus vocatur Pater Angelorum. Aliquando, Generatio à qua Deus vocari meretur Pater, Metaphoricè ſignificat conſtitutionem in gradu aliquo excellentiæ, qui divinæ excellentiæ ſimilis aut proximus fere eſt. Hoc ſenſu Reges, Principes, Magiſtratus in eminentia poſiti, vocantur non Dii tantum, ſed & Filii altiſſimi. *Pſal.* LXXXII. 6: *Dixi Dii eſtis, & filii altiſſimi omnes vos. Joan.* X. 34. 35. 36. Hoc ſenſu etiam David ob regiam hanc Majeſtatem, ad quam à Deo evectus erat, dicit, ſibi à Deo dictum eſſe, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, in qua tamen re geſſit typum Jeſu Chriſti, cujus pater erat futurus. Aliquando generatio Dei ſignificat figurate eductionem populi alicujus ex ſtatu miſero aut vili, conjunctam cum propoſito veluti paterni animi eum educandi, fovendi, curandi, non aliter quam ſi verus ac germanus filius eſſet. Hoc ſenſu ſæpiſſime Deus in Veteri Teſtamento aſſerit ſe genuiſſe, formaſſe, & quaſi in utero ſuo geſtaſſe populum Judaicum. unde & Filius Dei & Filius primogenitus Dei vocatur populus iſte, *Oſeæ* XI. 1. *Deuter.* XXXII. 18. *Eſa.* XLVI. 3. *Exod.* IV. 22: *Sic dixit Dominus, Filius meus, primogenitus meus eſt Iſrael*: & Deus pater populi iſtius, *Deut.* XXXII. 6. *Eſa.* LXIII. 16. *Jerem.* III. 19. & XXXI. 9. *Malach.* I. 6. & *Joan.* VIII. 41. Aliquando generatio pro regeneratione accipitur, quia ea autore Deo & divina gratia fit. Hoc ſenſu dicitur Deus gignere aut genuiſſe pios, 1 *Joan.* V. 1. non immediate, ſed mediate; quia Apoſtolus tanquam Dei miniſter de ſe ipſo etiam ait, ſe filios Deo genuiſſe, ſeque eorum patrem eſſe, 1 *Corinth.* IV. 15. & Petrus verbum Dei prædicatum ſemen illud vocat quo regeneratio peragitur, 1 *Epiſt.* I. 23. & regeneratio iſta

I.

II.

III.

IV.

creatio

creatio etiam vocatur, *Epheſ.* II. 10. Hinc paſſim etiam fideles & pii ex Deo geniti aut nati, Deique filii vocantur, & Deus fidelium Pater: quod probatione non indiget, quia loca ubique obvia ſunt. Aliquando generatio pro reproductione, ſive reductione hominis ex morte in vitam gloriosam, id eſt, pro reſuſcitatione ejus accipitur. Hoc ſenſu pii qui reſurgent dicuntur *filii Dei, quia filii reſurrectionis ſunt*: *Luc.* XX. 36. Nec mirum: quia tum vitæ iſtius autor unicus erit Deus, non mediantibus parentibus, uti in hoc ſeculo vitæ noſtræ autor eſt: & tum eos, quos in iſtam vitam ſuſcitaverit, hæredes conſtituet omnium bonorum ſuorum: *ad Roman.* VIII. 17. ſimileſque ſibi (in immortalitate ſcilicet) quia *videbunt eum prout eſt*, 1 *Joan.* III. 2. Hactenus ergo in genere diximus qua ratione Deus vocetur Pater.

*V.*

*Sed κατ' ἐξοχὴν dicitur Pater Jeſu Chriſti, & Chriſtus Dei Filius. Chriſtus homo quatuor modis vocatur Dei Filius. Primus.*

Sed vero certum eſt, Deum etiam in Scripturis κατ' ἐξοχὴν vocari Patrem Domini Jeſu Chriſti: uti paſſim videre eſt, & proprium Filii Patrem, *Joan.* V. 18. & Jeſum Chriſtum ſimiliter κατ' ἐξοχὴν vocari Filium Dei, & cum demonſtrativo articulo, *Illum Filium Dei*, adde, *Filium Dei unigenitum*, *Joan.* III. 16. *proprium Dei Filium*: *Rom.* VIII. 32. & *filium dilectionis*: *ad Coloſſ.* I. 13.

Quæritur jam qua in re ἐξοχὴ illa ſita ſit? Ut ad hanc quæſtionem reſpondeam, præſuppono id, quod in confeſſo eſſe, ſive in quo Chriſtianos omnes aut convenire, aut convenire debere, aut convenire ſaltem poſſe arbitror; Deum, Jeſu Chriſti Patrem, & Jeſum Chriſtum Dei Patris Filium, etiam quatenus homo eſt, quatuor modis κατ' ἐξοχὴν in Scripturis vocari. *Primus modus* eſt, quia, quatenus homo, ex Spiritu Dei ſancto conceptus eſt, *Matth.* I. 18. & ex Virgine natus eſt. *ibid.* & *Luc.* I. 35: *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit te: Propterea, ſanctum quod ex te naſcetur, vocabitur Filius Dei*, aut (uti *verſ. præcedente* dictum legitur) *Filius altiſſimi*. Hæc ἐξοχὴ propria eſt Jeſu Chriſto homini, cui nulla alia aut ſimilis fuit aut erit unquam. Nec dubium mihi eſt, quin ob hunc modum Deus etiam κατ' ἐξοχὴν vocetur Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti.

*Secundus.*

*Secundus modus* eſt, quia Jeſus Chriſtus, ratione muneris iſtius quod à Patre ſpeciali mandato impoſitum ei fuit, ut Rex Iſraelis eſſet, promiſſus ille per prophetas, & prævisus ante ſecula, Filius Dei vocatur, ut eſt *Joan.* X. 35. 36: *Si illos* (Lex veſtra ſcilicet) *dixit Deos ad quos ſermo Dei factus eſt*, id eſt, quos vel ipſe Deus ſic vocat, vel quos vicario iſto ſuæ Regiæ Majeſtatis ac poteſtatis munere per ſpeciale mandatum dignatur, (vel alluſione facta ad verba *Pſalmi* LXXXII. *Ego*, Deus ſcilicet, *dixi*, quibus Deus dixit.) *& non poteſt ſolvi Scriptura*, id eſt, falſitatis aut blaſphemiæ poſtulari, atque ita enervari & reſpui, vel irrita pronunciari; *Mene quem Pater ſanctificavit*, id eſt, ſegregavit & deſtinavit in Regem Iſraelis, *& miſit* (cum mandato ſcilicet & poteſtate Regia) *in mundum*, *vos* (qui legem noſtis & in pretio haberi vultis) *dicitis blaſphemare*, *quia dixi*, *Filius Dei ſum?* Chriſtus enim hic de ſe non aliter loquitur ad Judæos, quam quatenus illis deſtinatus erat in Regem, & ad illos miſſus erat: uti paſſim *Joan.* I. 11. & *Matth.* XV. 24. *Act.* XIII. 46. videre eſt. Et hæc ἐξοχὴ etiam propria eſt homini Jeſu Chriſto, tanquam Regi & Meſſiæ unico: qui propterea etiam κατ' ἐξοχὴν vocatur Chriſtus ille & Filius ille Dei, cum articulo, & Rex ille Iſraelis, *Joan.* I. 50. & alibi paſſim.

*Tertius.*

*Tertius modus* eſt, Quia à Patre ex mortuis in vitam immortalem ſuſcitatus, & veluti ex utero terræ, nulla mediante matre, genitus denuo eſt. *Act.* XIII. 32. 33: *Et nos vobis Euangelizamus eam promiſſionem, quæ Patribus facta eſt, Deum* (videlicet) *eam expleviſſe filiis eorum, nobis* (ſcilicet) *ſuſcitato Jeſu, ut etiam in Pſalmo ſecundo ſcriptum eſt, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Per ſuſcitationem autem illam intelligi ſuſcitationem Jeſu Chriſti ex mortuis, quamquam alii contra ſentiunt, antecedentia & conſequentia tam clare evincunt, ut nihil ſupra. Et ſuſcitationem illam ex mortuis, generationem recte, figurate licet, vocari poſſe, res ipſa loquitur, & eum qui ſic ſuſcitatur, rectè gigni à Deo & Dei filium vocari poſſe, liquet ex *Luc.* XX. 36. uti antè oſtendimus. Hinc Paulus ad *Rom.* I. 4. *Filium Dei* dicit ὡρισθέντα, id eſt, *conſtitutum* (quo ſenſu verbum iſtud uſurpatum legitur *Actor.* XVII. 31. & X. 42. & *Act.* XI. 29. & *Heb.* IV. 7.) ἐν δυνάμει, *cum potentia, per reſurrectionem ex mortuis. & ad Coloſſ.* I. 18, *primogenitum ex mortuis*, (in vitam ſcilicet immortalem.) Et hæc ἐξοχὴ propria eſt Filio Dei Jeſu Chriſto, unde addit Apoſtolus ibid. ἵνα γένηται ἐν πᾶσιν αὐτὸς πρωτεύων.

*Quartus.*

*Quartus modus* eſt, quia Jeſus Chriſtus ex morte ſuſcitatus, hæres ex aſſe conſtitutus eſt in domo Patris ſui, ac proinde bonorum omnium cæleſtium, & Patris ſui miniſtrorum omnium ſive Angelorum Dominus. *Heb.* I. 4: *Tanto præſtantior factus Angelis* (quatenus nempe, uti ex *verſ. præcedenti* liquet, *Conſederat ad dextram Majeſtatis Dei in excelſis*) *quanto excellentius ſupra illos nomen* κεκληρονόμηκεν, id eſt, dignitatem ac poteſtatem hæreditavit vel ſortitus eſt. *Nam cui dixit* (Deus ſcilicet) *unquam Angelorum*, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, id eſt, uti *verſ.* 6. dicitur, introduxi te primogenitum meum in orbem terrarum, id eſt, in hæreditatem ſive poſſeſſionem cæli, quod εἰσαγάγῃ τὸν πρωτότοκον dicitur *cap.* II. 5. ita ut ſubjecti tibi, tanquam unico Filio atque hæredi meo, futuri ſint Angeli mei: prout idem etiam exponitur in fine *cap. verſ.* 13. 14. & 1 *Pet.* III. 22. Hoc modo Jeſus Chriſtus etiam Filius Dei κατ' ἐξοχὴν, & Deus, Jeſu Chriſti Pater vocatus merito dici poteſt. Atque hiſce quidem ſic ſimpliciter propoſitis, nemo ſanus aut facile aut jure ullo merito refragabitur.

*Jeſum donari hoc Filii Dei titulo ob aliam quoque naturam probatur ex Scriptura.*

Sed vero, his præſuppoſitis, quæſtio adhuc manet, An ἐξοχὴ illa Filiationis ſive Filii Dei, Jeſu Chriſto non competat alia inſuper ac magis peculiari ratione, quæ ad aliquem iſtorum quatuor modorum, ac proinde ad Jeſum Chriſtum, quatenus homo eſt, referri non poteſt.

Reſp. Omnino. Ex Scriptura S. id liquere arbitror, & ex rationibus Scriptura nixis.

Ex Scriptura. Quia ea de Jeſu Chriſto, id eſt, de eo qui Jeſus Chriſtus poſtea dictus fuit, ſic non raro loquitur, ut dubitari vix poſſit, quin Jeſus Chriſtus revera exſtiterit, & ſubſtiterit tanquam vera atque unica Patris ſui proles, antequam ex Maria matre ſua homo naſceretur. Teſtimonia clara ſunt. (Obſcura enim & quæ probabilem aut facilem, id eſt, non coactam, non operoſe elaboratam, non quæſitam exceptionem aut inſtantiam patiuntur, conſulto prætereo.)

*Expoſitio loci Joan. I. 1.*

*Joan.* I. 1 dicitur verbum ſive λόγος ἐν ἀρχῇ, *in principio fuiſſe, & fuiſſe apud Deum, & fuiſſe Deum.* Hic per λόγον à Joanne, qui iſta voce primus ac ſolus uſus eſt, & uti fere amavit, intelligi Filium Dei, omnes interpretes conſentiunt, etſi in adſignanda ratione, cur ea voce uſus ſit, & in vocis ipſius interpretatione, in diverſas ſententias abeant, inter quas nos ſententiam noſtram interponere non audemus, ne aut non ſatis, aut nimium quam ſatis eſt, in re tam ardua atque auguſta dicamus.

Per ἀρχὴν autem ſive principium, in quo fuiſſe dicitur λόγος, intelligi principium exiſtentiæ rerum omnium, maxime omnium veroſimile eſt. 1. quia oratio iſta, ἐν ἀρχῇ, reſpondet orationi ſive locutioni iſti, qua Moſes in principio Geneſios uſus eſt בראשית. 2. quia ſic facillime & planiſſime intelligitur locutio ſive phraſis ſequens bis repetita, καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεόν. Antequam enim quidquam in rerum natura eſſet, non poterat alibi λόγος eſſe quam apud Deum. 3. quia diſerte ſtatim *verſ.* 3. additur, Omnia per λόγον iſtum facta eſſe, & abſque eo factum eſſe nihil quod factum ſit. Unde per πρὸ ἀρχὴν intelligi principium temporis iſtius, quo omnia iſta fieri cœperunt quæ facta ſunt, prorſus veroſimile eſt. Dices: Nihil vetat phraſin iſtam, *In principio erat verbum*, de principio Euangelii accipere; & quæ ſequuntur phraſes, *Et verbum iſtud erat apud Deum*, de Chriſto homine ex Maria virgine nato, miniſteriique Euangelici candidato interpretari, quatenus videlicet ille jam tum cum Joannes Baptiſta prædicare cœperat, à Deo deſtinatus, & reipſa etiam ſingulariter electus erat, ad prædicandum Euangelium, & divinam voluntatem populo annunciandum, ſicque Deo quaſi ſoli notus & carus. Item, *Omnia per eum facta ſunt*, &c. exponere, de omnibus iſtis, quæ tum ad annuntiandum tum ad confirmandum Euangelium facta fuerunt, quippe quæ ipſe λόγος Jeſus Chriſtus, tum immediate aliquamdiu in terris, tum deinceps in cælum ſublatus per Apoſtolos & diſcipulos ſuos fecit.

Reſp. 1. Etſi ſenſum hunc, ſi per ſe conſideretur, verum ac ſanum eſſe negari non poteſt: tamen alterum illum, quem indicavimus, planiorem, & verbis verborumque proprietati magis eſſe conſentaneum, nemo facile diffitebitur, niſi qui hypotheſin iſtam, Jeſum Chriſtum Filium Dei fuiſſe atque extitiſſe, antequam ex Maria matre ſua homo naſceretur, aut negat, aut in dubium vocat. Rationes ſunt. 1. quia phraſis iſta, *Sermo ille erat apud Deum*, & *erat in principio apud Deum*, per ſe planiſſima, non parum obſcura redditur, ſi exponas, per, Sermo ſoli Deo notus erat in principio Euangelii. Nam ſimilem phraſin eo ſenſu uſurpatam alibi non reperias. Deinde quia incommode admodum, in principio Euangelii, cum Joannes prædicare inciperet, ſoli Deo notus fuiſſe dicitur λόγος, cum ab omni æternitate Deo & Patri ſuo notus adeo fuerit, ut *præſcitus* ab eo dicatur *ante jacta mundi fundamenta*, 1 *Pet.* I. 20. & cum recens natus eſſet, innotuiſſe jam tum dicatur Angelis, Paſtoribus, Magis, Zachariæ, Elizabethæ, Simeoni, Annæ prophetiſſæ, quæ de eo etiam locuta dicitur omnibus, qui redemtionem Iſraelis exſpectabant Hieroſolymis, *Luc.* II. 38. ut jam de Maria & Joſepho nihil dicam, quibus in principio etiam iſto, quin notiſſimus fuerit, dubium non eſt. 2. quia verba illa, *Omnia per eum facta ſunt*, ita plana atque aperta ut ſua fere luce omnibus luceant,

ceant, obſcurantur per interpretationem iſtam, qua vox univerſalis *omnia* reſtringitur ad quædam tantum, & quidem ad ea, quæ à Chriſto per triennium aut amplius in terra Judæa præſtita ſunt, ad annunciationem & confirmationem Euangelii per miracula, prodigia, ac ſigna, pertinentia: & verbum ἐγένετο exponitur non de creatione, ſed de mirabilium operum patratione, quæ à Chriſto facta ſint; cum veroſimile ſit Joannem hac in re ſecutum eſſe LXX interpretes, qui verbum iſtud ἐγένετο pro Hebræo היה uſurparunt cum de creatione cæli & terræ agitur, uti *Gen.* I. 3. videre eſt, καὶ εἶπεν ὁ Θεὸς, γενηθήτω φῶς, καὶ ἐγένετο φῶς & *verſ.* 6, ἐγένετο στερέωμα, &c. Ex his patet interpretationem iſtam non planam eſſe ac facilem, ſed quæſitam atque operosè elaboratam; nulla alia de cauſſa, quam quia creditur hypotheſin iſtam quam diximus veram eſſe non poſſe. Unde conſequi neceſſe eſt è contrario, interpretationem iſtam verbis his aptatam periculoſam admodum eſſe, & non parum detrahere Majeſtati ac dignitati Jeſu Chriſti Filii Dei, ſi hypotheſis iſta vera eſt, λόγον fuiſſe in principio creationis apud Deum, & fuiſſe Deum, & per eum omnia condita eſſe, quod verba ipſa prima fronte præ ſe ferunt.

Sed vero, ut ut de hac hypotheſi eſt; Reſp. 2. Interpretationem iſtam non paucis nec exiguis difficultatibus laborare. Nam 1. cui facile fiet veriſimile, Joannem, ſtatim circa ipſa Euangelii incunabula, voluiſſe vindicare autoritatem Euangelii à ſuſpicione novitatis, & novitatis tantillæ, quod tum Chriſtus Euangelii autor in rerum natura eſſet, cum Joannes Baptiſta prædicare inciperet in Judæa? Nec operæpretium id erat, nec neceſſe. Joannes enim ipſe venerat ut teſtaretur de Jeſu, & palam publiceque teſtatus eſt de illo, tanquam multo ſe majore ac digniore, dicens populo, uti eſt *Act.* XIX. 4, *ut in eum, qui poſt ſe veniebat, crederent, id eſt, in Jeſum Chriſtum*: prout etiam in ſequentibus verſibus cap. hujus primi Joannis videre eſt. 2. per interpretationem iſtam, oratio Joannis nil niſi identica & inepta propoſitio redditur. Nam ſi verba illa, *In principio*, exponas hoc pacto, In principio Euangelii cum Joannes Baptiſta prædicare cæpit, tum verbum ſequens ἦν, vel *erat*, idem prorſus continebit, quod, verba, *In principio*, continent. Nam ſenſus erit, In principio Euangelii, quando Joannes prædicavit Jeſum Chriſtum jam adeſſe, adeoque in medio populi ſtare, *Joan.* I. 26. quando Jeſum digito monſtrabat, *Ecce Agnus Dei ille, qui tollit peccatum mundi*, &c. tum erat Jeſus, ſive λόγος, ut Joannes eum vocat. Dices: Atqui aliquamdiu fuit ignotus etiam ipſi Joanni. *Joan.* I. 31. 33. Reſp. Eſto. At quantillo quæſo temporis? Nam diſerte addit Joannes, *Sed ut manifeſtus fiat Iſraeli, propterea ego veni baptizans æqua.* unde conſequitur, Miniſterium ſive prædicationem Joannis in principio, eo potiſſimum fine ac ſcopo fuiſſe inſtitutam, ut Jeſum manifeſtum faceret Iſraeli. Quid ergo ſibi vellet Euangeliſta Joannes, cum dicit, In principio, cum Joannes prædicaret, tum erat Chriſtus? Hoc enim ipſum quod eſſet, quod Jeſus Chriſtus, & quod Filius Dei eſſet, & quod in medio populi eſſet, prædicabat Joannes. 3. Per interpretationem iſtam, verba illa, *Et ſermo ille erat Deus*, tum ſcilicet in principio, tantum non falſa redduntur. Nam tum in principio iſto, nulla divinitatis, nulla imperii aut poteſtatis divinæ indicia dabat Chriſtus. Non niſi fabri filius & fabet audiebat. Ut enim dicas, officio aut deſignatione Deus erat, nimis tenue videtur. Sic enim etiam Deus erat cum in forma ſervi eſſet, cum qua ſervi forma tamen forma Dei non conſtabat uti ad *Philipp.* II. videre eſt. Ut ergo in principio iſto, quo latebat ignotus omnibus, ipſique adeo Joanni, Deus fuiſſe dicatur, vix ſinunt hypotheſes eorum qui hanc interpretationem ſequuntur. 4. Per hanc interpretationem neceſſe eſt verba iſta, *Omnia per eum facta ſunt*, divellere ac ſejungere ita à præcedentibus, ut non contineant quæ in principio iſto facta ſunt, &c. ſed quæ poſt facta ſunt, cum jam Joannes in carcerem conjectus eſſet, & prædicare deſiiſſet. Nam quo tempore Joannes prædicabat, tum aut nihil aut parum admodum factum erat à Jeſu Chriſto. Deinde verba ſequentia, *Et ſine ipſo factum eſt nihil eorum, quæ facta ſunt*, neceſſe eſt referre ad ea quæ multo poſt ab Apoſtolis & diſcipulis Jeſu Chriſti, imprimis poſt ejus ingreſſum in cælum, virtute atque ope ejus facta fuerunt; cum tamen verba ita videantur concepta, ut Chriſto Jeſu ſive τῷ λόγῳ aliquid tribuant, quod in principio ei competebat. Id autem cum non poſſit eſſe, quod multo poſt ei competere cœpit, quando opera admiranda tum per ſe tum per alios fecit, relinquitur ergo ut id dicamus fuiſſe atque eſſe id, quod interpretatio noſtra indicavit.

*Locus Joan. VIII. 58.* Hunc locum idcirco prolixius paulum excuſſimus, ut ex eo æſtimentur cætera, nempe hæc. *Joan.* VIII. 58: *Amen, Amen dico vobis, Antequam Abraham fieret, ego ſum*, vel ego eram. Non raro enim verbum præſens *ſum* vim præteriti temporis habet, imprimis cum res quæ fuit, adhuc durat: ut *Joan.* XIV. 9: *Tantum temporis vobiſcum ſum.* & XV. 27: *Sed & vos teſtabimini, quia à principio mecum eſtis.* Sic Virgilius Æneid. 1. verbum gero præſentis temporis pro præterito accipit:

*Et ſoror, & conjux, una cum gente tot annos*
*Bella gero.*

Quod Socinus contra hunc ſenſum excipit, vocem γένεσθαι aoriſti temporis eſſe, Aoriſtorum vero eam eſſe naturam, ut ſignificationem ſuam mutuentur à verbis iſtis quibuſcum junguntur, ita ut ſi cum præterito tempore jungantur, præteritum; ſi cum præſente, præſens quod in futurum reſpiciat, ſignificent: quoniam vero hoc in loco vox ἀόριστος (γένεσθαι videlicet) cum verbis temporis præſentis juncta eſt, quæ ſunt, λέγω, & εἰμὶ, hinc vi Grammaticæ concludi, eam etiam ſignificationem præſentis, quod in futurum reſpiciat, habere: proinde non interpretandam vocem γένεσθαι per *fieret*, ſed per *Fiat*: id totum à Grammaticis non agnoſcitur: & exempla ſunt in contrarium. Sed vero, ut ut id eſt, certum eſt interpretationem iſtam quam facit Socinus coactam eſſe. 1. quia tum in textu legendum eſſet, non πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι, ſed πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι Ἀβραὰμ ἐγώ, priuſquam Abram fiat Abraham, id eſt, Pater multarum gentium: præterquam quod nunquam Abraham in Scriptura aliter quam nomen proprium ſignificet, & apud Paulum Abraham Pater multarum gentium eſſe dicatur. 2. quia tum ad ἔκθεσιν confugiendum eſt; ſupplendaque verba Chriſti ἐγώ εἰμὶ, per verba, Lux mundi, Servator mundi, ſine ulla aut neceſſitate aut ſolida ratione. Quod alii contra hunc ſenſum noſtrum adferunt, videlicet Chriſtum dixiſſe, ſe fuiſſe antequam Abraham fieret, in decreto & prædeſtinatione divina, id frigidum admodum eſt: quia ſic non Chriſtus tantum, ſed omnia quæ in decreto divino fuerunt, fuiſſe dici poſſent antequam Abraham fieret, & ſic Judæi etiam de ſeſe, quod populus Dei fuiſſent, antequam Abraham fieret, gloriari potuiſſent, atque ita dictum Chriſti eludere.

*Locus Joan. XVII. 5.* *Joan.* XVII. 5: *Nunc igitur glorifica me, tu Pater, apud temetipſum, ea gloria, quam habui apud te, priuſquam hic mundus eſſet.* ut id de gloria illa, quam in decreto & prædeſtinatione divina Chriſtus habuerat intelligatur, (etſi intelligi poſſe abſolute non nego) nondum à me impetro. Sic enim quilibet vere fidelis à Deo petere poſſet glorificari ea gloria, quæ ei ante ſecula prædeſtinata eſt ac decreta, quod non parum dignitati hujus Chriſti orationis videtur detrahere.

*Loca 1 Cor. VIII. 6. Coloſſ. I. 15. Hebr. I. 10. Apoc. III. 14.* 1 *Corinth.* VIII. 6: *Nobis tamen unus eſt Deus Pater, à quo omnia, & nos in ipſo*, (aut in ipſum;) *& unus Dominus Jeſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum. Ad Coloſſ.* I. 15: *Qui eſt imago Dei inviſibilis, & primogenitus omnis creaturæ. Nam per eum condita ſunt omnia, quæ in cælis ſunt, & quæ in terra, viſibilia & inviſibilia, ſive throni, ſive dominia, ſive imperia, ſive poteſtates: omnia, inquâ, per eum & in eum ſunt condita: Eſtque ipſe ante omnia & omnia in eo conſiſtunt. Ad Heb.* I. 10: *Et tu Domine initio terram fundaſti: & opera manuum tuarum ſunt cæli. Ipſi peribunt; tu autem permanes: & omnes ut veſtimentum veteraſcent, ac veluti amictum circumvolves eos, & mutabuntur: Tu autem idem es & anni tui non deficient. Apoc.* III. 14. *Hæc dicit, Amen ille, teſtis ille fidelis ac verax, ἡ ἀρχὴ τῆς κτίσεως τοῦ Θεοῦ*: Hæc loca omnia longe excellentius quid continere videntur, quam quod Jeſu Chriſto, qua homini ex virgine nato, vel in cælum poſt mortem exaltato, competere poſſit. De reformatione mundi, quæ per reductionem Angelorum (utpote novo Domino Jeſu Chriſto ſubjectorum) in gratiam cum hominibus, & per redactionem ſive reſtitutionem populorum omnium, ad unam eandemque Deum colendi & vitam æternam conſequendi rationem, per Filium & Euangelium ejus facta fuit, & ad conſummationem uſque ſeculi, per Filium tanquam futuri novi mundi Dominum deſtruendi, duratura eſt; hæc omnia loca accipere, difficillimæ eſt probationis. Etſi enim veriſſimum eſt, reformationem mundi ſic in Chriſto & per Chriſtum factam eſſe, & ad finem uſque ſeculi duraturam, tamen ut id locis iſtis credatur innui, probari non poteſt, niſi à proprietate verborum & phraſium diſcedatur, & per non neceſſarias interpretationum ambages ſenſus iſte operoſo molimine quaſi eruatur; quo utroque merito ſuſpecta redditur omnis interpretatio, quando planior & facilior obvia eſt. Dices: Niſi hæc interpretatio admittatur, tum ſequetur immediatè, Deum per Filium ſuum condidiſſe non tantum hunc mundum viſibilem, ſed & Angelos etiam Angelorumque hierarchias. Reſp. Ita eſt. In terminis id aſſeritur in ſupra allegatis locis. Atqui, inquies, Deus Pater ſolus paſſim vocatur creator cæli & terræ. Reſpondeo: Subordinata non pugnant; Deus Pater dicitur non creator tantum omnium, ſed & autor & regenerator ſive recreator omnium; quia nimirum ipſe eſt, uti 1 *ad Corinth.* VIII. 10 dicitur, à quo omnia ſunt: Jeſus vero

Chriſtus

Christus is, per quem sunt omnia, quia ipse etiam à Patre & propter Patrem est, id est, ad gloriam Patris sui omnia facit. Quod interim Pater semper fere vocetur creator mundi, Filius vero is, per quem mundus reformatur, & homines ex veteribus novæ creaturæ fiunt, id pertinet ad œconomiam illam Dei voluntariam, qua mundum in tempora duo dispescere quasi voluit; unum, in quo ipse per Angelos suos regeret atque dirigeret omnia: alterum, in quo Filio suo, ex Maria Virgine homini nato, regimen atque potestatem omnem in cælo & terra daturus, eique Angelos omnes suos subjecturus erat, usque dum omnia sibi subjecisset, tum rursum ei subjiciendus, ut est 1 *ad Corinth.* XV. 28. Hinc Christus ipse *Joan.* V. 22. *Nec enim Pater quemquam* (scilicet nunc) *judicat, sed omne judicium dedit Filio:* (in terra scilicet) brevi daturus id *in cælo* scilicet simul *ac terra*, ut est *Matthæi* XXVIII. 18.

*Idem ostenditur duabus rationibus.*

Hactenus adduximus ex Scriptura loca ista, ex quibus liquere credimus, Jesu Christo plus aliquid tribui, quam quod ei quatenus homo ex virgine natus est, competere possit: imo quod eum, antequam ex virgine homo natus esset, fuisse atque extitisse Dei Patris sui Filium, non obscurè arguit. Rationes ex Scriptura desumtæ quæ idem demonstrare videntur, hæ sunt.

*Prima.*

Prima: Ex *Joan.* V. 18. & X. 33. apparet, Jesum Christum sic locutum fuisse Judæis, ut ii aliud nihil aut intellexerint aut crediderint à Christo dici, quam quod sibi majus aliquid tribueret quam quod homini tribui potest. Verba eorum sunt *Joan.* V. 18, *Propterea ergo magis studebant Judæi eum trucidare, quod non solum solvisset Sabbathum, sed & Deum dixisset Patrem suum, æqualem se faciens Deo. Joan.* X. 33. *Responderunt ei Judæi, dicentes, Ob bonum opus non lapidamus te, sed ob blasphemiam*; id est, *quia tu homo quum sis, te ipsum facis Deum.* Nempe identidem Deum vocaverat Patrem suum, quasi καθ' ἰξοχὴν & μοναδικῶς, & se & Patrem suum paulo ante unum esse dixerat. Hinc colligitur, Dominum Jesum sibi aliquid tribuisse, quod longe supra hominem est, quod illi idcirco blasphemiam vocarunt. Dices: Atqui ex apologia Christi in ultimo loco *Joan.* X. 34. 35. &c. apparet, Jesum interpretari dictum suum ea ratione, ut blasphemiæ nullo modo adfine videretur; quod videlicet se Filium Dei dixisset, eundem ad modum, quo Reges ac Principes Filii Dei aut Dii in Scripturis vocantur, quatenus videlicet in Regem ac principem populi, id est, Messiam, à Deo Patre suo designatus erat. Resp. Fateor id ita prima fronte videri; sed & si propius responsio Christi introspiciatur, videri omnino Christum amplius aliquid ad sui defensionem dixisse, idque occultatum sive expressum potius voluisse, sub voce *Pater*. Non enim dixit, Mene quem Deus sanctificavit; sed, quem Pater sanctificavit. Istud autem amplius quod dixit hoc est: Potuisse à blasphemia abunde se excusare, allato isto argumento de sanctificatione sui ad Regiam Messiæ promissi dignitatem. Eapropter enim non minore jure se Deum & Dei Filium appellare sine blasphemia potuisset, quam Reges & Principes dii ac filii altissimi à Deo ipso in Scriptura absque ulla blasphemiæ specie appellati leguntur. Sed vero, quia se non à Deo, sed à Patre suo sanctificatum dicebat, eo ipso majore multo adhuc jure se Filium Dei vocasse innuere voluit, quod ea appellatio Patris speciale aliquod, & Regum omnium Principumque Majestatem longe excedens privilegium, sibi daret, propter quod sine ulla blasphemia se Filium Patris sui vocare jure potuerit. Et in hoc quia persistebat, hinc blasphemiæ crimen ei impingere non desierunt Judæi. Quod si enim aliud nihil Christus dicere voluisset, quam se verum hominem esse, & simul Messiam Regemque populi à Deo designatum, atque idcirco se Dei Filium merito vocari posse, ecquæ ratio esse potuisset ut à Judæis blasphemiæ postularetur? Non enim blasphemia esse poterat, dicere se hominem & Messiam simul esse. Illa enim adeo non repugnant, ut Judæi hodieque alium Messiam non exspectent, quam eum qui homo ex hominibus nasciturus est. Sed vero quia non tantum se Messiam, sed & Filium Dei, Deumque Patrem suum διαρρήδην vocabat, hinc nascebatur blasphemiæ seu opinio seu suspicio in animis Judæorum, quam Christus non videtur directe voluisse eximere, quia oriebatur ex ignorantia dignitatis ac Majestatis veri Messiæ, quæ Judæis clare satis revelata non erat: unde judicavit sufficere, ut eam dilueret atque tolleret, ea quæ ad hominem erat, id est, ad Judæorum captum accommodatissima exceptione, salvans interim sub voce *Patris* suum & Patris sui honorem. Dices: At Deum, Patrem suum vocare potuit sine blasphemia, quatenus homo ex Spiritu sancto conceptus, & sic Patris sui Filius erat? Resp. Fateor. Sed quia, cum se Filium Dei & Deum Patrem suum apud Judæos vocat, ea etiam dicit, quæ ei quatenus à Patre ex Spiritu sancto conceptus fuit, competere non possunt, hinc Christum ad istam sui ex Spiritu sancto conceptionem, & quæ eam consequuta est Filiationem ex Patre, respexisse non est verosimile. Nec certum omnino est, an idcirco blasphemiæ à Judæis postulatus fuisset, aut postulari in speciem ullam potuisset.

*Secunda.*

Altera ratio est: Certum est magnifice admodum efferri atque extolli caritatem ac dilectionem illam Dei, qua Filium suum unigenitum ac proprium in mundum misit, atque adeo in mortem ipsam crucis dedit, ad servandum peccatores iræ Dei filios. *Joan.* III. 16. *Rom.* V. 10. & VIII. 32. & 1 *Joan.* IV. 9. 10. &c. At si Filius Dei unigenitus non significet, nisi Jesum quatenus homo ex virgine natus fuit, ratio, cur dilectio ista tam magnificè efferatur, non ita clare appareat, quam si Filius ille Dei unigenitus significet Filium, quem Pater ante secula genuit. Nam Filius iste ex Maria Virgine natus, idcirco ex ea natus fuit, ut in mortem daretur pro peccatoribus. At quæ dilectionis ἰξοχὴ in eo est, quod Deus istum Filium suum, quem gigni ex Maria & concipi ex Spiritu sancto suo voluit eo fine, ut pro peccatoribus moreretur, in mortem dederit? At vero si Filium Dei concipias, qui ante secula genitus fuit ex Patre, quem mitti in mundum necesse non erat, quem hominem fieri necesse non erat, cujus dignitas major erat quam ut mitteretur, aut in carnem veniret, nedum ut in mortem traderetur, imo qui Patri, utpote unigenitus atque unicus Filius, carior videbatur, quam ut ab eo in hanc miseriam detruderetur, tum vero vehementer elucet divinæ caritatis ac dilectionis erga humanum genus splendor ac gloria.

*Rejectio quæstionum aliquot curiosarum circa modum generationis filii Dei.*

Hisce sic demonstratis, quærat aliquis, quæ & qualis hæc sit generatio, sive quomodo ea facta sit. An videlicet Pater produxerit Filium de substantia sua. Si sic, an produxerit eum de substantia sua tanquam ex materia, ut vult Durandus: an tanquam ex principio consubstantiali & formali, ut sentit Thomas & alii? Tum, an generando Pater communicaverit Filio omnem realitatem ac entitatem absolutam dumtaxat, an vero etiam relativam, id est, paternitatem, cum paternitas sit realitas quædam per quam Pater distinguitur à Filio realiter, quamquam ratione tantum distincta ab essentia sive realitate absoluta. Denique an generatio hæc facta sit per intellectum, an per voluntatem. Si per intellectum, an præcise intelligendo essentiam, sive, ex notitia solius essentiæ, ut vult Scotus, an vero ex notitia essentiæ, personarum & creaturarum, ut vult Thomas & multi Scholastici. Quibus adde, An generatio hæc ita facta sit ante secula ut desierit esse, an vero ea adhuc fiat & continua sit? Resp. Fateor lubens me hæc ignorare & non capere, quin & ab istis tum decidendis tum adstruendis adeo abhorrere, ut metuam increpari à Domino, quod pedem inferre audeam in adyta quæ ipse clausa nobis esse voluit. Scrutator Majestatis opprimetur à gloria. Nec dubito asserere, quando in Scholasticorum quæstiones his de rebus incido, quin in totidem salebras, labyrinthos, Syrtes, Charybdes, ipsaque adeo βυθὸν ματαιότητος, incidere mihi videar. Nempe video subinde eos cruces sibi ipsis figere, ex quibus suspensi hærent, & non raro in eas se induere angustias, tum subtilitatum, tum distinctionum, tum contradictionum, unde se non modo non extricare bona fide possunt; sed profanis, atheis, Judæis aliisque ansa datur sugillandi augustum mysterium; bonis vero etiam, sed imprudentioribus & incautioribus, hæsitandi, dubitandi, quin & in suspicionem falsitatis vocandi, tum istud, tum fidem ac Religionem totam Christianam. Quanto satius tutiusque est, intra Scripturæ limites se arcte continere, & sapere nolle ὑπὲρ τὸ μέτρον φρονεῖν. Ignorare liceat quæ non nisi periculose disputantur, difficillime intelliguntur, & vix sine hæsitatione creduntur. Recte Cyrillus Hierosolymitanus ad hanc rem scripsit Catech. 11. *Quod Deus quidem Filium habeat crede, quomodo autem ne fis curiosus. Quærens enim non invenies. Non extollas te, ne cadas. Quæ tibi mandata sunt, hæc sola intellige. Dic mihi prius, quis sit genitor, & tunc genitum agnosces. Si autem naturam genitoris non potes cognoscere, quin modus geniti sit, ne fis curiosus. Sufficit tibi ad pietatem, quemadmodum diximus, scire, quod unum solum Filium Deus habeat.* *Anno 365.*

*Respondetur ad duas objectiones.*

Duo tamen quædam speciose objici possunt iis, quæ hactenus dicta à nobis sunt; ad quæ breviter respondere non inutile fore putamus. *Primum* est: Frustra est filiatio illa Jesu Christi ex essentia Patris, quod ad Mediatorium munus Jesu Christi attinet. Certum enim est totum illud peractum esse à Jesu Christo, quatenus Filius hominis fuit, juxta id quod legitur 1 *Timoth.* II. 5, *Unus est Deus, unus Mediator Dei & hominum, homo Jesus Christus.* Apparet etiam ex singulis muneribus id ita esse. Propheticum munus obiit, quatenus à Patre Spiritu sancto unctus & missus fuit: *Luc.* IV. 17. 18. 19. 20. Opera sive miracula ad confirmandum istud præstita

tribuit Jesus omnia Patri suo: *Joan.* V. 19. 20, &c. Sacerdotale ac Regium similiter: *ad Heb.* V. 5. 6. & I. 8. 9. Quorsum itaque Filiatio ista divina? Resp. Nullo alio fine, quam ad conciliandum naturæ isti humanæ, in qua Mediatio peragenda erat, dignitatem & excellentiam divinam, eique tribuendum subsistentiam sive personalitatem, cui nulla par aut similis dari posset; ita ut quidquid homo iste facturus, quidquid passurus esset, id Filius ipse Dei facturus passurusque in natura ista humana jure diceretur. Et certe ita res se habuit. Prorsus in natura humana quievit divina persona, omniaque quæ Filius hominis accepit dona, quæ fecit opera, ea Patri & Spiritui sancto tribuit Scriptura; quod notius est, quam ut probatione egeat.

*Secundum* est: Sic erunt duo Filii Dei & duæ personæ; una quæ subsistit antequam nasceretur altera. Resp. Id sequeretur quidem, si Filius hominis subsistitisset unquam per se, extra unionem cum divina persona Filii Dei. Sed vero, quia ea extra illam nunquam per se subsistit, hic unus dumtaxat Filius Dei statuatur necesse est. Dices, Etsi extra eam non subsistit, revera tamen persona fuit, id est, suppositum humanum, vita, intellectu & voluntate præditum. Resp. Recte diceretur, Fuisset; sed non recte, Fuit. Quia enim personaliter unitus semper fuit Filius hominis cum Filio Dei, personæ conditionem non sustinuit; sicut si Angelus mihi à prima nativitate unitus fuisset, ego nunquam persona humana jure vocari possem, sed Angelica, vel homo Angelicus. Dices: At personam personæ uniri absurdum est. Cur vero, inquam ego? Embryo unitur matri suæ, & una est cum matre persona; quamquam unio illa, personalis unio non est. Diaboli uniuntur homini obsesso, quamquam non personaliter. Quid ergo vetat, quominus persona una alteri, quæ si per se subsisteret persona esset, ita uniatur, ut ea non nisi una, cum & in illo subsistat, sive hypostasin propriam non habeat? Non datur simile exemplum, inquies. Fateor. Sed & hoc ad dignitatem & Majestatem Jesu Christi personæ facit, quod similis ei in mundo non sit, nec esse possit.

## CAPUT XXXIV.

## De necessitate credendi modum Filiationis divinæ Jesu Christi.

*Probatur ex tribus argumentis, modum filiationis divinæ Jesu Christi non esse ad salutem credi tu necessarium. Primum argumentum.*

HActenus ergo de veritate Articuli hujus egimus. Restat ut videamus de ejus credendi necessitate: Utrum scilicet præcise ad salutem scitu ac creditu necessarium sit, Jesum peculiari isto, quem adstruximus, modo Filium Dei esse, iisque qui id negant, aut in dubium vocant, ac proinde id confiteri non audent, Anathema sit dicendum?

Resp. Argumenta pro parte negante mihi longè videntur præponderare, & quidem hæc. *Primum*: quia nusquam in Scriptura id necessarium creditu esse adscritur, nec per bonam nedum necessariam consequentiam ex ea elicitur. Hoc argumentum maximi ponderis ac momenti esse debet apud Reformatos omnes, qui necessaria omnia ad salutem scitu ac creditu Scripturis perfecte ac perspicue contineri adserunt. Et confirmatur non parum eo, quod Pontificii qui pro parte adfirmante stant, & si qui alii acerrime eam propugnant, aperte atque ingenuè confiteantur, ex Scripturis non modo non posse probari irrefragabiliter dogma hoc scitu ac creditu necessarium esse, sed ne quidem istud certum atque infallibile esse, nisi accedat Ecclesiæ & traditionis auctoritas.

Dices: Attamen in Scriptura diserte asseritur, necessarium creditu esse Jesum esse Filium Dei: *Matth.* XVI. 16. 17. *Joan.* XX. 31. *Act.* VIII. 37. & 1 *Joan.* IV. 15. & V. 5, &c. Resp. Fateor. Sed à re ad rei modum non valet consequentia. Aliud est credere Jesum esse Filium Dei: Aliud credere Jesum esse isto peculiari modo, etiam Filium Dei: Istud creditu necessarium esse Scriptura asserit: Non hoc. Si Scriptura Jesum Filium Dei esse assereret unico tantum modo, aut si Jesus non posset esse Filius Dei nisi unico isto modo, tum demum procederet argumentum. At cum Jesum, etiam quatenus homo fuit ex Spiritu S. conceptus, Filium Dei vocet, ac tribus porrò deinde aliis modis, quos supra adsignavimus, ex eo colligitur, fieri posse ut quis Jesum credat esse Filium Dei, etiamsi aut nesciat aut non credat, eum esse isto etiam peculiari modo Filium Dei; ac proinde argumentum non procedere. Responsionem hanc non leviter firmant ista ipsa loca, quæ allegata sunt: in quibus verisimiliter locutio ista, Jesum esse Filium Dei, accipienda esse videtur non de filiationis istius ex Patris essentia modo peculiari, sed de regia dignitate ac Majestate Messiæ propria, ratione cujus ille peculiariter Filius Dei futurus credebatur, id est, Regum omnium summus ac primus, Deoque proinde proximus: uti *Joan.* I. 50, Nathanaelis verba non obscurè indicant. Enimvero cui fiat verosimile, Apostolum Petrum, qui Messiæ regnum non nisi mundanum futurum credebat, confessione illa sua *Matth.* XVI. 16, *Tu es Christus, filius ille Dei viventis*, significasse se credere, Jesum ex Patre ante secula genitum fuisse? Certe si id significare voluit, tum non recte confessionem Petri retulerunt Marcus & Lucas. Ille enim Petrum nihil aliud confessum esse refert quam hoc, *Tu es Christus: cap.* VIII. 29. Hic, *Tu es Christus Dei: cap.* IX. 20. Absit autem ut utrumque Euangelistam in referenda Petri confessione errasse credamus: aut præcipuam, imo ad salutem necessariam, confessionis partem omisisse. Deinde tum dicendum est, antea idem istud se credere significasse discipulos, qui cum Christo fuerant in navigio, *Matth.* XIV. 33. Venientes enim adoravisse Jesum dicuntur ac dixisse, *Vere Dei filius es.* Hoc autem quam sit absimile à vero, id unum satis arguit, quod discipuli omnes admodum adhuc rudes erant eorum mysteriorum quæ pertinebant ad personam & ad munus Messiæ. Certe non nisi cum Judæorum turba sapiebant, & carnalia omnia de Messia opinabantur ac somniabant. Et tantum abest ut Judæi tum crederent Messiam Filium Dei vocandum esse, quia ex essentia Dei Patris genitus esset, ut contra quia Jesus se Filium Dei vocabat, & Deum Patrem suum, idcirco eum blasphemiæ postularent, quia cum homo esset, & hominem se esse fateretur, Deum tamen se faceret per specialem aliquam scilicet generationem ex Deo, tanquam ex Patre suo proprio. Quo jure quæso, qua specie? si Judæi jam tum credebant, Messiam Filium Dei idcirco vocatum iri, quod ab æterno ex Patris essentia genitus esset? Nulla. Quare ut id supra turbam Judæorum discipuli omnes Christi statim in ipso principio crediderint, neutiquam verosimile videri debet. Multo vero minus adhuc, quod id crediderit tum Nathanael, nulla adhuc cognitione Messiæ à Jesu Christo imbutus, *Joan.* I. 50. quando dicebat Jesu, *Rabbi, Tu es Filius ille Dei.* tum Eunuchus ille Æthiops, Dynastes Candaces Reginæ Æthiopum, *Act.* VIII. 37. quando Philippo Euangelistæ quærenti simpliciter, An ex toto corde crederet, respondisse legitur, *Credo Iesum Christum esse Filium illum Dei.* Quid ergo, inquies, sibi voluerunt ista locutione, quando confitebantur Jesum esse filium Dei? Certe aliud nihil, quam Jesum esse Christum, sive Messiam aut Regem illum Israelis promissum, quem, quia Rex singularis erat, unctusque oleo lætitiæ (id est, oleo quod, cum Regis capiti superfunderetur, lætam acclamationem populi excitabat, vivat Rex) supra consortes suos, (id est, supra reges alios omnes) Filium Dei κατ' ἐξοχὴν vocarunt; prout patet ex eo, quod Nathanael vocem illam, *Filii Dei*, exponat, *Tu es Rex ille Israelis*; & quod confessionem illam Petri, *Tu es Christus, Filius Dei vivi*, Marcus & Lucas non aliter referant quam hisce verbis, *Tu es Christus*, &, *Tu es Christus ille Dei*, id est, Rex ille Deo unicè gratus & Deo proximus. Unde colligo etiam argumentum hoc; Apostolos & Euangelistas non judicasse ad salutem scitu necessarium esse, ut credatur, Jesum ex essentia Patris sui ante secula genitum esse; quia alioquin Marcus & Lucas confessionem Petri referendo, omisissent id, quod necessarium ad salutem creditu est. Quod cum non sit probabile, concludo ergo, eos judicasse, sufficere ad salutem, ut credatur, Jesum esse Filium Dei, ea ratione, qua ipse est Messias, sive Christus, & Christus Dei.

*Secundum argumentum.*

*Secundum argumentum nostrum* hoc est: Quia honor Christo debitus, id est, Fides & obedientia, quam Deus Pater Jesu Christo attributam vult, sarta tecta constare, id est, Christo tribui potest, absque eo quod cognoscatur isto peculiari modo ex Patre suo genitus esse. Ratio consequentiæ est, quia ad salutem æternam consequendum nihil aliud requiritur, quod ad Christum attinet, quam ut ei credatur & obediatur: uti patet ex *Ioan.* XVII. 3. *Hæc est vita æterna, ut te* (ô Pater) *cognoscant verum illum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Per cognitionem enim hoc loco intelligi honorem & cultum omnem religiosum, id est, fidem & obedientiam illam totam quæ Deo & Jesu Christo debetur, per se planum est. Cognitio enim speculativa hîc intelligi non potest: quia 1. si de confusa cognitione speculativa id accipiatur, ea homini cum Diabolo communis esse potest, imo in Diabolo major est, quam in homine: utpote qui aliquando Dei ipsius domesticus ac contubernalis quasi fuit: & jam tum in Judæa dominabatur, quando Christus in ea docere ac prophetare incipiebat: adeo ut eum recens minister candidatum factum tentasse, & postmodum Christum illum Dei esse palam confessus dicatur. 2. quia ea etiam tribuitur hypocritis, infidelibus, & profanis hominibus: *Matt.* VII. 22. 23. *Rom.* II. 18. *Tit.* I. 16, &c. Si de perfecta & plane distincta cognitione speculativa, ea impossi-

bilis

bilis est in hac vita, imprimis comprehensiva quam vocant. Practica ergo cognitio ut intelligatur necesse est. At ea nihil aliud est quam fides & obedientia Deo Christoque debita. Per simplicem autem vocem *cognitionis Dei*, fidem & obedientiam Deo debitam, in Vetere Scriptura intelligi, sæpe ostendimus ex variis locis liquere; *Jerem.* XXII. 15. *Iob.* XXVIII. 28. *Proverb.* I. 7. *Psal.* CXI. 10. uti etiam ex iis, quibus Deum non cognoscere, aliud nihil significat, quam Deo immorigerum esse; *Jerem.* II. 8. & 1 *Sam.* II. 12. Ex Nova idem liquet: 1 *Joan.* II. 3. 4. & IV. 7. & 2 *Thess.* I. 8. Eadem est ratio Jesu Christi, quia non minus cognitio Jesu Christi ad vitam æternam requiritur in loco isto quam Dei. Eadem ergo cognitio Jesu Christi practica, ut requiri dicatur, necesse est. Atque hoc quamvis per se satis manifestum sit, tamen confirmari insuper potest, omnibus istis pene infinitis Scripturæ locis, quibus vita ac salus æterna tribuitur, tum fidei in Jesum Christum; *Joan.* III. 15. 16. 18. 36. & VI. 42. & XX. 31. tum obedientiæ mandatorum ejus, quæ ex fide præstatur; *Joan.* XIV. 21. 23. 24. & XV. 14. *Matth.* XXVIII. 20. *ad Gal.* V. 6. & VI. 15. 16. & passim alibi.

Antecedens argumenti sic probatur. 1. Quia fides & obedientia, id est, universus honor ac cultus religiosus qui Jesu Christo debetur, in Scriptura dicitur esse honor & cultus, qui Jesu Christo ut legato Patris, & à Patre honore adorationis ac cultus religiosi donato, debetur. At vero hic cultus constare potest sartus tectus, absque eo, quod modus ille peculiaris generationis Jesu Christi ex Patris essentia ante secula factæ, cognoscatur. Ergo, &c. Major patet ex locis istis omnibus, quibus non tantum aperte dicitur, & tricies credo in uno Joanne, Jesum Christum à Patre suo missum esse in mundum, & mandatur omnibus, ut credant eum à Patre suo exiisse, & missum esse, deque iis qui ita credebant affirmatur, quod non in ipsum credebant, sed in eum qui ipsum miserat: *Joan.* XII. 44. 45. & quia id credebant, idcirco eos recepisse eum: *Joan.* XVII. 8. & 25. quin imo omnia quæ istis talibus optabat Jesus, eo fine optasse, ut mundus crederet ipsum à Patre suo missum esse: *Joan.* XVII. 21. 23. Sed in quibus etiam diserte affirmatur, Deum Patrem dilexisse Filium suum & omnia ei in manum dedisse; *Joan.* III. 35. ita ut Pater neminem judicet, sed omne judicium Filio dederit, ut omnes honorent Filium, prout honorant Patrem: adeo ut qui Filium non honorat, nec Patrem honoret, ut qui miserit eum. *Joan.* V. 22. 23. & *vers.* 26. 27. *Sicut Pater vitam habet in seipso, sic & Filio dedit habere vitam in se ipso, eique authoritatem dedit judicium faciendi, quatenus* vel *quia Filius hominis est.* ubi per *dationem* intelligi non generationem ex Patris essentia, quæ naturalis ac necessaria prorsus esse creditur, sed dationem quæ libera voluntate à Patre facta sit, tum vox ipsa dandi, tum aliæ circumstantiæ omnes in textu, tam clarè arguunt ut nihil supra. & ne dubium ullum restet, quia *ad Philipp.* II. 9. vox ista dandi exponitur per verbum χαρίζεσθαι. quod gratuitam aut liberalem & magnificam donationem significare indubium est; imprimis quia ea etiam facta esse dicitur idcirco, quod Jesus Patri suo obediens factus fuerat ad mortem usque, & quidem ad mortem usque crucis. dicitur enim, διὸ καὶ ὁ Θεὸς ἀυτὸν ὑπερύψωσε, καὶ ἐχαρίσατο ἀυτῷ ὄνομα τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα. Argumentum hoc non leviter confirmatur ex eo, quod nusquam in Scripturis generatio Filii ex Patris essentia, quæ ante secula facta sit, pro ratione aut caussa adducta legatur, cur Jesu Christo honor religiosus deferendus, id est, in ipsum credendum eique parendum sit, sed semper, tum missio Filii à Patre in plenitudine temporis facta, ratione cujus se exiisse aut prodiisse à Patre passim Jesus Christus asserit; tum post missionis sive muneris per missionem impositi fidelem executionem, donatio Patris libera ac gratiosa, qua eum omni in cælo & terra potestate, judicandique authoritate præditum esse voluit, & propter istam donatam potestatem, honore adorationis & cultus religiosi dignatus est; & quidem cum diserta additione, non quatenus vel quia Filius Dei est, sed quia filius hominis erat. Unde colligo, tantum abesse, ut ad cultum Jesu Christo debitum præstandum, necessarium creditu sit, Jesum Christum isto peculiari modo ex Dei essentia genitum esse, ut contra, id juxta Scripturam necessarium videri non debeat, sed ad salutem sufficiat, Jesum tanquam legatum Patris sui, & honore adorationis ab eo donatum, colere, adorare, & religioso cultu afficere; quin imo rectius hoc necessarium quam istud videri posse ac debere.

Minor propositio per se patet. Ad hoc enim ut legatus recipiatur, eique fides habeatur, non requiritur præcisè, ut sciatur, quis & qualis iste sit, qui natales ejus, quæ stirps, quæ prosapia ejus sit; sed sola legantis Principis autoritas, & legationis veritas ut intelligatur per se sufficit. Legatus enim, quicunque aut qualiscunque tandem sit, legatus verus est, quem Princeps suus isto honore dignatur, idoneumque judicat. Atque hoc, uti verissimum est in legatis, qui ad extraneos sive fœderatos sive non fœderatos populos mittuntur, quos Jurisconsulti proprie legatos vocant, ita imprimis id locum habet in iis, qui à Principe aliquo ad subditos subjectosque mittuntur; quibus tamen istud peculiare est, quod eos subditi non modo teneantur nomine Principis sui recipere, eorumque literis systaticis aut fiduciariis fidem habere, sed & mandatis justisque eorum, simulatque ea intelligunt, parere ac morem gerere, eumque iis honorem exhibere, quem Princeps iis exhiberi ac deferri imperat, sive ii ignobiles sive nobiles, sive patricii sive plebeii sint.

Dices: Attamen discrimen ingens foret, si Princeps proprium atque unigenitum Filium suum potius mitteret, quam si alium ex plebe aut ex fæce Romuli, aut ex patricia familia oriundum mitteret. Resp. 1. Concedo sane, & addo; Si princeps significaret legatum illum esse filium suum, eapropter certe honore filio principis digno præ aliis legatis afficiendus esset: nec subditorum esset inquirere, an & quomodo filius iste, principis Filius sit aut esse possit: aut si super ea re lis moveretur, eorum non est litem istam dirimere velle, prius quam filium istum principis ut legatum admittere: sed sufficere ipsis deberet, quod princeps eum filium suum esse assereret, & quod eum, ut legatum principis admittere tenerentur, quocunque tandem ille modo filius principis esset. Deinde, ut pressius respondeamus. Plane per accidens est ad legatum, quà legatus est, quod is filius sit, aut alius quivis. Etsi enim filius, quà filius, honore citra comparationem majore quam alius quisquam recipi mereatur, tamen quà legatus est, & jussa ac mandata patris ac domini sui adfert, non alio loco ac gradu à subitis recipi tenetur, quam legatus alius quivis jussa ac mandata principis sui præferens. Neque enim jussis ac mandatis filii, qua filius est, parere tenentur subditi; imo si ea injussu patris sui, nedum nolente atque invito patre recipi ac promulgari velit, id est, qua non legatus est à patre suo, iis subditi non modo non tenentur parere, sed tenentur etiam non parere. Rectè, inquies: Sed si ad legationis autoritatem accedat etiam filii dignitas, tum utique dispar etiam erit honor, quo filius iste à subditis afficietur, quam honor alterius alicujus legati. Resp. Dispar quidem erit honor, quod attinet ad honorem qui consistit in officiis quibusdam humanitatis & politicæ reverentiæ ac submissionis ei exhibendis: quippe quæ ei pro excellentia sua, quateus filius principis est, majora quam alii ulli debentur: sed non erit dispar honor, quod attinet ad honorem qui consistit in fide ei habenda, & obsequio justis bus eius præstando. Iste enim honor ei non debetur qua filius est, sed qua legatus patris sui est. Proinde is ei communis est cum legato alio quovis patris sui, dependetque mere, aut à sola dignitate, Majestate & autoritate patris, non qua pater, sed qua princeps est; aut ab ejus libera & principali voluntate. quod ex duobus indiciis patet: 1. Quia legatus, quà legatus, non minus repræsentat personam principis sui, quam filius, qua legatus est, patris sui. Eadem ergo & par dignitas in utroque est, ratione cujus utrique fides atque obsequium debetur: quia dignitas utraque non est nisi principis, qua legantis, & jus cum mandatis mittendi habentis, dignitas. 2. Quia princeps jus ac potestatem habet mandandi subditis, ut legatum suum qualemcunque, quem ipse scilicet legationis munere dignatur, si non prorsus pari, simili tamen honore afficiant, quo adfecturi essent filium suum, si ad ipsos mitteretur; imo, quod amplius est, simili secum honore adficiant: & subditi ex officio tenerentur principi suo morem gerere, legatoque ejus honorem istum deferre, ob meram principis sui voluntatem. Concludo ergo ad fidem & obedientiam, quæ Jesu Christo tanquam legato Patris sui debetur, præstandum, sufficere, quod sciatur eum verum Patris sui legatum esse, mandataque illa, quæ attulit de fide & obedientia sibi præstanda, Dei ac Patris sui mandata esse; ac proinde necessarium non esse ad salutem, ut sciatur, quomodo Jesus Patris sui Filius sit; sed satis esse, ut sciatur, eum quem Pater Filium suum esse dixit, ad nos salvandos nomine Patris sui missum & ablegatum fuisse, nosque ad ei qua tali fidem & obsequium præstandum ex præscripto Patris ejus, sive legationis jure atque autoritate, teneri. quod est illud quod probandum nobis erat.

*Tertium argumentum:* In primitivis Ecclesiis, quæ ab ipsis usque Apostolorum temporibus, saltem per tria integra secula fuerunt, fides ac professio specialis hujus modi filiationis, ad salutem scitu ac creditu necessaria judicata non fuit; Ergo cur jam necessaria credatur, caussa non est. Ratio consequentiæ per se manifesta est ex regula Vincentii Lirinensis: Quod necessarium scitu ac creditu est ad salutem, id ubique, ab omnibus, & semper, pro tali habitum ac credi-

*Tertium argumentum.*

ac creditum esse in Ecclesia Christi, ut statuatur necesse est.

Antecedens duo probant. Primum, Symbola Ecclesiarum, quibus olim tanquam notis ac tesseris Christiani ab infidelibus discernebantur, &, qui ea se credere profitebantur, albo & matriculæ Christianorum inscribebantur & inserebantur. In iis enim, modi hujus peculiaris fides ac professio nunquam & nuspiam requisita aut facta legitur. Antiquissimum, quodque in prima Baptismi administratione, jam inde ab ipsis Apostolorum temporibus usitabatur, hoc erat, Credo in Deum Patrem, Filium, & Spiritum sanctum; nempe ad præscriptam ab ipso Jesu formulam, *Ite, & docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti.* Symboli hujus ἐξηγήσεις, quæ variæ apud Scriptores veteres, puta apud Irenæum, lib. 1. cap. 2. & 3. apud Tertullianum, lib. de præscript. adversus hæreticos, & de velandis virginibus, &c. reperiuntur, earum nullæ modi hujus professionem continent, nedum ut ejus profitendi necessitatem declarent. Et tamen de Symbolo suo Irenæus ipse ait, id tam esse absolutum, *ut ei peritia Theologica nihil possit addere, imperitia nihil possit detrahere*: de suo etiam Tertullianus, *Nihil ultra scire, omnia scire est*, &c. Symbolum ipsum Apostolicum sic dictum, quod, etsi quo tempore conditum sit non satis constat, paulatim tamen ac successive, nunc his nunc illis articulorum additamentis, ex variarum hæresium occasione auctum esse indubium mihi est, ad instar tamen præcedentium istorum symbolorum compositum adeo accurate est, ut à quibusdam, Pontificiis scilicet, ab ipsis Apostolis, nempe à singulis, singulos articulos per expressionem, & totum Symbolum à quolibet per approbationem consarcinatum, (licet perperam) esse credatur; ab omnibus tamen Ecclesiis Christianis, si non quale nunc integrum legitur, primis tribus seculis, saltem ab ipso seculo quarto ad hunc usque diem, pro indubitata, perfecta & Catholica Fidei Christianæ regula habeatur; hoc, inquam, Symbolum nullam prorsus modi hujus Filiationis peculiaris mentionem facit, sed hac brevi formula contentum est, *Credo & in Jesum Christum Filium ejus unigenitum, Dominum nostrum.* Quod ad cætera post consecuta symbola, quæ in Conciliis œcumenicis, ut vocantur, cusa fuerunt, ea quia recentiora sunt, cum his comparari non merentur. Et, si quod res est dicendum est, ea ab Episcopis inter se magna cum æmulatione jurgantibus & contendentibus ex fervore, si non furore, partiumque studio insano ac maleferiato, præcipitata potius videri debent, quam à compositis animis profecta. Vide P. Martyrem, in Comment. in 1. lib. Reg. cap. XII. Unde & eadem veluti poma Eridos fuerunt in Ecclesia, & non litium tantum ac rixarum, sed tristissimarum dividiarum, seditionum, factionum & persecutionum seminaria fuerunt. Quis enim nescit quam acres in Synodo Nicæna disceptationes, quam præfracta jurgia inter Episcopos excitata fuerint? Docent id accusationes, libelli famosi, & calumniæ quibus nunc hi nunc illi Imperatorem incitabant & inflammabant contra collegas suos. Exinde quis sine lachrymis legere potest, quot contentiones inter Orientales & Occidentales Ecclesias, post conditum Symbolum Nicænum, de voce ὁμοούσιος viguerint? quot etiam inter unius ejusdemque Provinciæ Episcopos, imo & inter eos qui privati erant, certamina excitata fuerint? Videatur Sozomenus, lib. 2. 18. Socrates, lib. 2. cap. 37. Theodoretus, lib. 2. c. 18. 19. 21. &c. Ut ut est, de symbolis his, certum est Apostolicum, quod sic vocatur, summo semper in honore ac pretio fuisse apud omnes Christianas Ecclesias, hodieque pro vera ac certa Fidei Christianorum regula haberi à Christianis omnibus: & eo tamen non contineri apertam modi hujus peculiaris determinationem: quod non leve indicium est, modi istius determinationem de fide non fuisse olim, nec nunc esse debere. Nam si determinatio istius modi necessaria judicata, aut de fide habita fuisset, disertis verbis in Symbolo facta fuisset, adeoque fieri debuisset.

Secundum, quo Antecedens probo, est: Ex Justino Scriptore antiquissimo, quippe qui floruit Anno post natum Christum 61. & pro Christiana Religione Martyre, non obscure patet, Ecclesias Christianas istorum temporum, non modo non judicasse necessariam ad salutem, modi istius peculiaris tum determinationem tum professionem, sed & communionem coluisse cum iis, qui modum istum Filiationis negabant, & Jesum Christum non nisi ψιλὸν ἄνθρωπον, seu hominem ex hominibus, & electione Christum factum esse, se credere profitebantur. Locus Justini unde id liquet extat in Dialogo ejus cum Tryphone Judæo, quem citatum videre est in Apologia Remonst. sub finem respons. ad Censuram cap. III. & prolixè deductum stabilitumque in responsione Remonst. nostra ad Specimen calumniarum, &c. Professorum quatuor Leydensium. Nos, ne actum agamus, ad ista scripta vos remittimus.

Atque hæc sunt tria argumenta nostra, quibus adstruimus fidem & professionem specialis istius modi Filiationis Jesu Christi, non esse ad salutem necessariam: quibus alia in præsentiarum non addimus.

## CAPUT XXXV.

### Respondetur ad objectiones quæ fiunt contra doctrinam præcedentis capitis.

QUæ contra hanc sententiam nostram opponi solent, aut opponi posse videntur, ea varia sunt; sed quæ omnia, meo judicio, in idem recidunt, aut ad pauca quædam reduci possunt: quibus omnibus id fere commune est, quod petant τὸ ἐν ἀρχῇ, id est, quod principii petitione laborent.

Sunt autem hæc. Primum: Si hic modus peculiaris filiationis Jesu Christi non est ad salutem creditu necessarius, tum non potest salvari personarum Trinitas. Resp. Negatur consequentia. Insto: Non potest salvari ὁμοουσία Filii cum Patre & Spiritu sancto. Ergo. Resp. Esto. At absque illa salvari potest Trinitas, id est fides quod revera sit Pater, Filius & Spiritus sanctus. Hoc enim Scriptura diserte asserit. Insto. At non salvatur Trinitas in unitate essentiæ numerica. Ergo non salvatur Trinitas. Resp. Consequentia laborat. Non salvatur Trinitas isto modo: Ergo non salvatur Trinitas. Inst. Atqui sine isto modo Trinitas non est Trinitas. Resp. Hoc est illud ipsum quod hic quæritur. Eo ipso enim quod asseritur, Jesum Christum non esse Filium Dei peculiari isto modo, quia videlicet ex essentia Patris ante secula genitus est, asseritur etiam Trinitatem sine modo isto esse, & simul ipsa Trinitas agnoscitur cum Scriptura. Secundò: Posito etiam sine modo isto Trinitatem non esse, adeoque (ut argumentum adstringam) esse non posse, nondum tamen quidquam contra sententiam nostram ex eo sequitur, nisi etiam probetur, cognitionem modi istius ad salutem necessariam esse. Nec enim sequitur; Ista res sine modo illo non est, nec esse potest: Ergo si res necessaria est creditu, etiam cognitio modi istius necessaria creditu est. Generatio Filii ex Patre, emanatio Spiritus S. ex Patre, sine certo aliquo modo nec est, nec esse potest: Ergo sicut generatio Filii & Spiritus S. emanatio scitu necessaria est, etiam modus iste generationis & emanationis scitu necessarius est. Non sequitur. Distinctio personarum inter se, & ab essentia, sine modo aliquo esse non potest; ergo modi istius cognitio, non minus quam personarum inter se & ab essentia distinctio scitu necessaria est; an videlicet sit realis, modalis, an rationis, &c. Absit. *Resp. ad objectionem primam.*

Instabis: At ex Scriptura patet cognitionem modi istius Trinitatis esse ad salutem necessariam. Respondeo: Id jam rursum est quod hîc quæritur. Dices: Res patet ex *Matth.* XXVIII. 19. coll. cum *Mar.* XVI. 16. & 1 *Ioan.* V. 7. ubi proponitur hic modus tanquam scitu ac creditu ad salutem necessarius. Resp. Ego citius ex pumice aquam quam ex locis istis extunderem modi istius, quod ad salutem creditu necessaria sit, demonstrationem. Nam conferatur Matthæi locus cum duobus sequentibus, quid inde efficietur? Matthæus ait Christum dixisse ad Apostolos suos, *Profecti ergo docete omnes gentes; baptizantes eos in nomen Patris, Filii, & Spiritus S.* Marcus addit: *Qui crediderit & baptizatus fuerit servabitur: qui vero non crediderit, condemnabitur.* Joannes ait: *Tres sunt qui in cælo testificantur, Pater, Sermo, & Spiritus S. & hi tres unum sunt.* quid inde? Forte hoc argumentum est: (conjectura enim hîc veluti cribro opus est:) Matthæus nominat tres personas: Joannes dicit tres illos esse unum. Marcus vero ait, Qui crediderit & baptizatus fuerit, servabitur: qui non crediderit, condemnabitur. Ergo credendum necessario est sub pœna condemnationis æternæ, tres istas personas, isto modo, de quo quæritur, unum esse. Quis non videt argumenti hujus vanitatem dicam, an imbecillitatem? dato enim jam, versum illum qui ex Joannis Epistola citatur, canonicæ ac certæ aut indubiæ autoritatis esse, imo verba ista, *Et hi tres unum sunt*, idem præcisè significare, quod, hi tres una numero essentia sunt, atque ita etiam exponi verba Matthæi, baptizantes eos in nomen Patris, Filii, & Spiritus S. qui tres videlicet unum sunt essentia; quid inde? Ergo, quia Marcus dicit, Qui crediderit, & baptizatus fuerit in tres istos, servabitur, qui non crediderit condemnabitur, etiam necessariũ ad salutem esse asserit id credere, quod isti tres ita unum sint? quis non miretur talem consequentiam? Certe ea manifeste redarguitur ex textu. 1. Quia in textu non dicitur, Qui crediderit id ita esse, id est pro objecto fidei suæ istum Trinitatis

modum

modum habuerit, is ſervabitur; qui vero id ita eſſe non crediderit, condemnabitur. Nihil minus. 2. cum Marcus dicit, *Qui crediderit*, &c. ne mentionem quidem fecit Patris, Filii & Spiritus ſancti, ſed tantum Euangelii prædicandi omni creaturæ. Fidei ergo objectum facit Euangelium prædicatum, non iſtum Trinitatis modum: ut ſenſus ſit; Qui crediderit Euangelio iſti veſtro, &c. Atqui ſi modum iſtum Trinitatis, ad ſalutem ſcitu ac creditu neceſſarium eſſe, & à Chriſto, ſpeciali hoc mandato Apoſtolis dato, ut neceſſarium omni creaturæ prædicandum eſſe per univerſum orbem, indicatum hic velimus, ex collatione loci hujus cum locis ex Matthæo & Joanne deſumtis, tum ſane Marcus, neceſſitatem illam ſolus exprimere volens, per verba iſta, Qui crediderit, & non crediderit, &c. ſaltem trium iſtorum apertam mentionem feciſſet. Atqui id non apparet; nedum ut appareat vel veriſimiliter, eum fidei iſtius objectum feciſſe aut definiviſſe id ipſum, quod tres iſti eo modo unum ſint. 3. Ex eo ipſo quod Marcus ait, *Qui crediderit & baptizatus fuerit ſervabitur*, manifeſte colligitur, Marcum Trinitatis iſtum modum fidei objectum non conſtituiſſe, nedum ut eum neceſſarium ad ſalutem creditu eſſe definiverit. Nam certum eſt, cum fide iſtiuſmodi non cohærere ſalutem æternam, ſed fieri poſſe, ut peſſimus fidem iſtam indubitatam habeat, & cum fide iſta ſua æternum pereat. unde efficitur, Marcum Fidei objectum feciſſe Euangelium. Huic enim quiſquis ex animo credit & obtemperat, eum perire impoſſibile eſt. Dices: At Marcus non tantum dicit, Qui crediderit, ſed & qui Baptizatus fuerit; Baptiſmus autem jubetur fieri apud Matthæum, in nomen Patris, Filii, & Spiritus S. Reſpondeo: Eſto. At baptizari in nomen Patris, Filii, & Spiritus ſancti, eſſe idem, quod baptiſmum ſuſcipiendo, profiteri, Patrem, Filium & Spiritum ſanctum eſſe unius ejuſdemque numero eſſentiæ, unde liquet? Hoc ſine ſolida probatione adſerere, eſt principium petere. Cui adde ex hypotheſi argumentatoris, falſum id videri debere: quia baptiſmum præciſe ad ſalutem neceſſarium eſſe negat. unde ſequitur, profeſſionem illam, quæ in baptiſmo hoc loco juberi dicitur, neceſſariam præcisè ad ſalutem etiam ab eo cenſendam non eſſe.

*Reſp. ad ſecundam objectionem.* Secundò idem patet, inquit argumentator, ex aperto teſtimonio *Joan.* XVII. 3. collat. cum *cap.* XIV. 1. & *cap.* XX. 31. & 1 *Joan.* V. 20. ubi de Filio: & 2 *Corinth.* XIII. 13. ubi de Spiritu ſancto.

Reſp. Argumentum hoc non modo nullam vim habet, ſed ſeipſum potius deſtruit. Nullam vim habet, quia in nullo iſtorum locorum de credendo in Spiritum ſanctum, nedum de credendi in eum neceſſitate mentio fit: aut ſi ejus etiam mentionem factam velimus ſub ſive voto, ſive prece, ſive affirmatione iſta Apoſtolica, *Communicatio Spiritus ſancti* (eſt vel ſit,) *vobiſcum*, ne γε tamen eſt, quod evincat aut innuat ſaltem, de neceſſitate credendi modum illum Trinitatis iſthic agi. Imo indicia non levia ſunt in contrarium. 1. Quia in primis duobus allegatis locis agitur de cognoſcendo Patrem, cum hac deſcriptione, quod ſit, vel qui eſt, *unus ac verus ille Deus*, contradiſtincte à Jeſu Chriſto quem miſit: *Joan.* XVII. 3. Et de credendo in Patrem, qui Deus vocatur, *Joan.* XIV. 1. contradiſtinctè à Jeſu Chriſto; *Creditis in Deum, & in me credite.* 2. Quia certum eſt, in primo loco, *Joan.* XVII. 3. per cognitionem Dei & Jeſu Chriſti non intelligi potiſſimum ſpeculativam eſſentiæ Dei & Jeſu Chriſti cognitionem, ſed practicam, uti ſupra oſtendimus. & in ſecundo loco *Joan.* XIV. 1. per fidem in Deum non intelligi, niſi fidem vivam. utriuſque autem tum cognitionis practicæ, tum fidei vivæ, objectum eſt voluntas Dei & Jeſu Chriſti; ſive voluntas illa Dei quæ per Chriſtum revelata eſt. In ejus enim cognitæ fideli præſtatione vita æterna poſita eſt. In ſpeculativa autem iſta cognitione & fide eſſentiæ utriuſque, tantum abeſt ut vita æterna poſita ſit, ut ea etiam in Diabolis ſit, uti videre eſt *Jacob.* II. 19. quos vitæ æternæ participes futuros nunquam eſſe certiſſimum eſt. Dices: At voluntatis divinæ cognitionem præcedere debet eſſentiæ divinæ cognitio. Reſp. Ita eſt. Aliqua eſſentiæ divinæ cognitio præcedere debet, ſed non omnimoda. Si dicas, Ad aliquam iſtam eſſentiæ cognitionem, pertinere imprimis modi hujus, ſive ὁμοιότης in Trinitate cognitionem: Reſpondeo: Hoc eſſe idipſum quod hic quæritur. Quæres: Quænam ergo eſſentiæ divinæ cognitio requiritur ad hoc ut voluntas Dei & Jeſu Chriſti præſtetur? Reſp. Illa, ſine qua impoſſibile eſt ut voluntati Dei & Jeſu Chriſti ex animo adſentiamur & pareamus: qua ſcilicet Deus & Chriſtus ſibi obtemperantibus gratuitam remiſſionem peccatorum omnium, cum æternæ ſalutis præmio conjunctam, conferre volunt. Inſtabis: At niſi Chriſtus cognoſcatur unius ejuſdemque eſſentiæ divinæ cum Patre & Spiritu ſancto, impoſſibile eſt ut ei ex animo adſentiamur & pareamus, aut ab eo remiſſionem peccatorum vitæque æternæ præmium exſpectemus. Reſp. Hoc rurſum eſt petere τὸ ἐν ἀρχῇ.

Dices: At 1 *Joan.* V. 20. dicitur de Jeſu Chriſto: *Hic eſt verus ille Deus & vita æterna.* Reſp. Ita eſt. At Joannes non dicit, Jeſum Chriſtum iſto, de quo quæritur, modo, verum Deum eſſe, nedum ut dicat neceſſarium eſſe ad hoc, ut Chriſto credamus & obediamus, ut cognoſcamus & credamus eum iſto modo verum Deum eſſe. Nihil enim obſtat credere, Chriſtum eſſe verum Deum, etiamſi ignoretur, quod illo modo verus Deus ſit. Dices: At Joannes dicit Jeſum eſſe cum articulo ὁ, id eſt illum verum Deum. Reſp. ergo ſecundo: Eſto. At, ſi articulus iſte urgeatur, tum neceſſarium plane eſſe, ut verba illa Joannis de Filio, non vero de Deo Patre; aut ſi etiam de Filio accipiantur, proprie & ſine tropo de eo intelligantur, qua ratione probabitur? Nihil certe vetat verba iſta de Deo Patre accipere: & ſi quis ea ſic accipiat, (etſi forte per errorem) nulla juſta ſatis cauſſa eſt, cur is dicatur cum periculo ſalutis ea ſic accipere. Deinde, ſi de Filio etiam accipiantur, quid vetat ut quis ea per metonymiam prolata dicat? Certæ aliquæ cauſſæ videri poſſunt, 1. quia alioquin illa repugnarent directe verbis Jeſu Chriſti, *Joan.* XVII. 3. ubi Pater ſolus ille verus Deus ab ipſo Jeſu Chriſto appellatur, & Jeſus Chriſtus ſe ipſum à ſolo illo vero Deo contradiſtinguit. 2. quia Chriſtus etiam vita æterna dicetur, quod ſine tropo accipi non poteſt. 3. quia Chriſtus diſerte ut Filius Dei, à vero illo Deo in eodem verſu diſtinctus legitur. unde idem hic tropus videri poteſt, qui eſt *Joan.* XVII. 3. *Hæc eſt vita æterna* &c. ut ſenſus ſit, Hic modus eſt quo cum uno vero Deo conjungi & vitam æternam conſequi poſſumus, ſi videlicet in Filio Dei ſimus, id eſt, in Jeſum Chriſtum Dei Filium, & ſic in ipſum Deum credamus.

Hinc colligo Secundò: Argumentum hoc deſtruere ſeipſum. Nam diſerte in loco *Joan.* XVII. 3. & *cap.* XIV. 1. & XX. 31. vita æterna, id eſt, medium ad vitam æternam conſequendum neceſſarium ac ſufficiens, ponitur cognitio Dei Patris & Jeſu Chriſti; ſive fides viva in Deum & in Jeſum Chriſtum Filium ejus, nulla facta mentione Spiritus Sancti. Atqui ſi hoc verum eſt, tum modi iſtius Trinitatis cognoſcendi neceſſitas ex hiſce locis non modo non poteſt certo concludi, ſed contra potius ex iis colligitur, cognitionem modi iſtius Trinitatis, non eſſe neceſſarium medium ad conſequendum vitam æternam. Dices: Atqui citatur etiam locus ex 2 *ad Corinth.* XIII. 13. qui de Spiritu Sancto agit. Reſp. Ita eſt. Sed iſto in loco non agitur de modo iſto, quo Spiritus Sanctus unum eſt cum Chriſto & Deo, nedum ut iſtud ſcitu ac creditu neceſſarium eſſe in eo aſſeratur. Dices: At pari ratione affirmatur aut vovetur communicatio Spiritus Sancti, qua gratia Chriſti & caritas Dei: ergo pari ratione divinam ei eſſentiam competere, qua Chriſto & Deo competit, intelligitur. Reſp. Ut jam non quæram, an communicatio Spiritus Sancti active, quam Spiritus Sanctus facit, an paſſive, pro communione donorum Spiritus Sancti hoc loco accipienda ſit; poſito etiam quod communicationis vox active hic accipiatur, quod ego negare nolim, ad ſummum tamen inde non efficiatur aliud, quam tres eſſe perſonas, à quibus hic aliquid aut petitur aut optatur, ſi videl. ſuppleamus orationem per modum optativum (*ſit*:) vel de quibus aliquid affirmatur, ſi orationem ſuppleamus per præſens indicativum (*eſt.*) At nequaquam inde efficietur, eas perſonas eſſe ſic ὁμοίους, uti adſeritur. Dices: Atqui niſi ſic ὁμοίους ſtatuantur, precatio ad eas pari ratione fieri non poſſet. Reſp. Poſito etiam precationem his verbis contineri, tamen hoc ipſum, an ea ad illas tres dirigi non poſſit, niſi ſic ſtatuantur ὁμοίους, rurſum eſt id quod quæritur, & quod ex hoc ſaltem loco, ut probetur, impoſſibile eſt. Dices: Ratio recta id evincit, eaque Scripturis nixa: Quia nemo invocari poteſt, niſi ſolus Deus. Reſp. Hoc iterum eſt quod quæritur. Inſtabis: *Matth.* IV. *verſ.* 10. id diſerte ab ipſo Chriſto adſcritur, ut jam alia loca non allegem. Reſp. Chriſtus pro more ſuo, imprimis in tentatione iſta poſitus, ſic loquitur, ut gloriam Patris ſui adſerat, quem etiam idcirco, nec alium ipſe ſemper adoravit, & diſcipulos ſuos orare atque invocare juſſit, dicendo, *Vos igitur ita precamini, Pater noſter*, &c. *Matth.* VI. 9. Sed id ita univerſaliter accipiendum non eſt, quaſi diceret Chriſtus nullum alium quam Patrem ſuum, aut qui ſummus omnium Deus eſt, invocari poſſe. Alioquin falſum dixiſſet, abſit blaſphemia, cum non multo poſt ipſe dixiſſe legatur, *Patrem* ſibi, id eſt, *Filio ſuo dedi eſſe omne judicium, ut omnes honorent Filium, ſicut honorant & Patrem*: *Joan.* V. 22. 23. & Paulus *ad Philipp.* II. 9. Deum dicat Jeſu Chriſto, *ideirco quod ſe humiliaverat, & Patri obediens fuerat ad mortem uſque crucis, donaviſſe nomen ſupra omne nomen, ut ad nomen ejus*, (id eſt, ad ipſum nomine tali glorioſo donatum, phraſi Hebr.) *omne genu ſe flectat cæleſtium, terreſtrium,*

*Locus Matth. IV. 10. de ſolo Deo adorando.*

*& subterraneorum.* & Scriptor *ad Heb.* I. 9. Deum *cum introduceret primogenitum* (id est principem filiorum Dei primum ex mortuis in vitam immortalem excitatum,) *in orbem terrarum*, (id est in cælum) dixisse, *Et adorent eum omnes Angeli.* Unde colligo, necessarium quidem esse, ut credatur, Deum solum adorandum & invocandum esse, quatenus is ex se ipso solus dignus est qui adoretur; sed non esse necessarium ut id credatur absque hac limitatione, nisi Deus aliquem isto adorationis honore, quamquam ex se ipso eo dignus non sit, ex gratia ad suam gloriam dignari velit. Qui enim limitationem hanc facit, is profitetur Deum solum adorandum esse, nec alium adorari posse, nisi cui Deus honorem adorationis vult χαρίσασθαι. Dices: At adorabilitas est proprietas incommunicabilis Dei. Resp. Certe adorabilitas, quæ ex natura & essentia fluit, sive quæ ex se & propter se debetur, est proprietas incommunicabilis Dei: sed non adorabilitas quæ ex gratia & donatione libera divina est. Hæc enim non minus communicabilis est, quam immortalitas, bonitas, scrutatio cordium & renum, rerum futurarum scientia & prædictio infallibilis, aliaque quæ passim etiam soli Deo in Sacris literis competere propriaque esse dicuntur. De immortalitate vide 1 *Timoth.* I. 17. & VI. 16. De bonitate, *Matth.* XIX. 17. de scrutatione cordium & renum, *Jerem.* XVII. 9. 10. & tamen eam Jesus Christus sibi tribuit *Apocal.* II. 23. De rerum futurarum scientia & prædictione infallibili, *Esa.* XLI. 22. 23: *Annunciate quæ futura sunt in posterum, & cognoscemus quod Dii estis.* Annunciate, nempe ex vobis ipsis, sine me & mea revelatione; nam alioquin Prophetæ Dei annuntiantes futura dii fuissent. sed quia ea, quæ annuntiabant, ex gratiosa divina revelatione, non ex se ipsis, annuntiabant, hinc ad eos dictum istud non pertinet. Instabis: Ad adorabilitatem requiritur omniscientia & omnipotentia. Resp. Si per omniscientiam & omnipotentiam intelligatur, essentialis, absoluta, omnis omnium rerum scibilium & possibilium scientia & potentia: Nego. Ea enim soli Deo summo propria est. Sed si per ea intelligatur, omnis omniumque rerum istarum scientia & potentia, quæ ad adorantium cogitationes, dicta, & facta pervidendum, ad adorantibus subveniendum, auxiliandum, & ad adorare nolentes aut non adorantes puniendum cognitu necessariæ sunt; concedo. Eam enim Deus sic ex se habet ut eam alii ex gratia communicare possit. Non enim est infinita scientia, nec infinita aut absoluta potentia; sed circumscripta finito hominum numero, finitisque eorum actionibus, & rerum ad eos aut juvandum aut puniendum necessariarum quantitati commensurata. Hujusmodi omniscientiam & omnipotentiam Christo, quatenus homo est, sive humanæ Christi naturæ, imprimis postquam ad dexteram Dei exaltata fuit, communicatam à Deo esse, cur negari possit, non video. Quare si quis aut ignoret aut neget, ex errore scilicet, Jesum Christum ante secula ex essentia Patris sui genitum esse, & interim Jesum propter hanc donatam ei in tempore tum omniscientiam, tum omnipotentiam, non modo adorari posse credat, sed & ex fiducia in eum, cum debita animi submissione, vitæque puritate & innocentia eum adoret & invocet, eum ego ex albo Christianorum non modo non expungendum, sed & inscribendum esse, erroremque quem errat ei haud gravate condonandum crediderim.

Regeres: Ergo idololatræ etiam in Christianorum album referendi erunt. Resp. Nego. Instabis: Qui adorat eum qui verus Deus, id est, unus numero essentia cum Patre & Spiritu Sancto Deus non est, is idololatra est. Resp. Hoc est illud ipsum quod quæritur. Etsi enim certum est, eum qui verum Deum non adorat, sed alium, vel aliud quidpiam quod Deus verus non est, propria sua sponte adorat, idololatram esse; tamen certum etiam est, eum idololatram non posse esse, qui eum; qui verus Deus non est adorat, si Deus ipse eum adorari velit, omniaque quæ ad adorationem ad eum utiliter dirigendam requiruntur ex gratia ei largiatur. Deus enim sibi ipsi legem non ponit, sed nobis. Atqui Deum Jesu Christo hunc honorem dedisse, etiam quatenus Filius hominis est, & quidem ex gratia, id est, ex liberalitate & magnificentia gratiosa, jam ante demonstravimus.

*De Pontificiis qui Sanctos mortuos, Angelos, & panem Missæ adorant.*

Quæres: An ergo Pontificii idololatriæ recte ac jure postulari possint, quando Angelos, Mariam Virginem, Apostolos, aliosque sanctos demortuos, quos etiam verum Deum non esse credunt, sed creaturas meras, adorant. Resp. Omnino, quia certum est eos propria sua sponte id facere, & nec præceptum nec exemplum ullum in Novo Testamento extare, quo id Deum velle, vel Deo gratum esse, probari possit; quod ne alia jam argumenta allegemus, ad hanc causam sufficere potest. Alioquin certum est cultum istum verbo divino Novi Testamenti interdictum esse. Diserte enim ἐθελοθρησκία damnatur, *ad Coloss.* II. 23. & nominatim θρησκία ἀγγέλων, *vers.* 18. Unde facile colligitur, multo magis illicitam ac damnatam censeri debere θρησκίαν aliarum creaturarum, Mariæ puta Virginis, Apostolorum, aliorumque vita defunctorum, qui cum Angelis comparandi non sunt. Dices: Attamen in Veteri Testamento Angelos adoratos fuisse, & honoribus divinis adfectos constat; nec uspiam, qui id fecerunt reprehensos esse. Resp. Fateor, & vel hinc colligo, sufficere ad hoc, ut quis adorari & divino honore adfici possit, ut Deus eum tali honore dignetur, etiamsi non sit verus Deus. Sed vero alia ratio est Veteris, alia Novi Testamenti. Sub isto, Deum seu voluisse, seu permisisse adorari Angelos suos, vel Angelum aliquem suum aliquando, quando videlicet is personam Dei repræsentabat, & ad speciale aliquod ministerium nomine & autoritate Dei exequendum destinatus erat, ex nonnullis locis liquet. *Exodi* III. 5. & XXIII. 21. *Josuæ.* V. 14. 15. *Jud.* XIII. 19. &c. Sed in Novo Testamento id non licere, manifestum est ex *Apocal.* XIX. 10. & *cap.* XXII. 8. 9. Quod tamen Joannes Angelum ad se missum prima instantia pronus adorasse dicatur, id videri potest ex ignorantia profectum, quod morem sub Veteri Testamento usitatum, jam tum abrogatum esse nesciret. quod vero monitus tum ab Angelo, idem iterum nihilominus deinde non multo post fecisse legatur, id ex infirmitate, inadvertentia, aut subita quadam animi perturbatione, quæ vel ex Majestate & splendore Angeli, vel ex læto quod afferebat nuncio, oriri potuit, profectum videri debet.

Esto, inquies: Attamen idololatria Pontificiorum, qua panem Missaticum adorant, idcirco cum ea, qua Christus quatenus homo adoratur, conferri non meretur; quia illi panem istum non adorant, nisi quia illum credunt desiisse creaturam esse, & sub specie tantum ejus Christum quatenus verus Deus est adorant; cum ii, qui Christum hominem adorant, fateantur se eum, quatenus homo & creatura est, adorare. Resp. Plane contra est. Quia enim hi, quamquam sciunt aut credunt Jesum Christum non esse nisi hominem & creaturam Dei, eum tamen adorant, nulla alia caussa quam sola divini præcepti religione ducti, alioquin eum qua talem prorsus non adoraturi: idcirco idololatriæ crimen committere dici non possunt. At Pontificii, quia panem Missaticum, quamquam credunt eum non amplius creaturam meram, sed verum Deum esse factum per consecrationem, nulla tamen præcepti divini religione, sed solo proprio arbitratu suo adorant, & religiosis divinisque honoribus adficiunt, idcirco idololatriæ jure censentur rei, & ab istis toto cælo distant. Neque enim ad hoc, ut quis reus idololatriæ non sit, sufficere videri debet, quod is, qui id quod non nisi mera creatura est adorat, id tamen non creaturam, sed Deum esse credat, & in animum suum inducat: sicut ad hoc, ut quis idololatriæ reus sit ac dicatur, non sufficit, quod ultro fateatur id quod adorat, creaturam esse. Ratio utriusque manifesta est. Quod enim ad primum attinet: Si id sufficeret, jam sua cuique (licet absurdissima) opinio, regula esset legitimi cultus Dei, & idololatra nemo esset, qui saxum, lapidem, Solem, lunam, &c. adoraret, dummodo ea opinaretur aut crederet Deos esse, vel Deum aut divinitatem illis uritam esse. Dices: Alia hic est ratio: Quia opinio sive fides Pontificiorum, non est opinio aut fides mere humana, qualis esset opinio eorum, qui saxum, lapidem, Solem, lunam, &c. crederent Deum esse: sed est opinio ac fides nixa verbis ipsius Christi, *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus.* Resp. Imo vero, quia opinio ista verbis istis Jesu Christi innititur, idcirco opinio ista non differt ab opinione eorum, qui saxum & lapidem, &c, Jovem aut Deum esse credunt. Nam pone omnino panem desiisse esse panem, & mutatum in corpus Christi: tamen eo ipso, quod in corpus Christi mutatum dicitur, non erit nec esse magis potest Deus, quam saxum aut lapis. Corpus enim Christi sine dubio non est aliud quid quam mera creatura; & quia corpus Christi hîc in Eucharistia non potest esse vivum corpus, sed mortuum, sive cadaver, quale fuit in cruce cum Spiritum Christus emisisset, & in sepulchro ante quam suscitaretur, profecto non differt quoad substantiam à saxo & lapide; & qui corpus istud adorat, is non minus in adorando opinione sua fallitur, & idololatriæ reum se facit, quam qui saxum aut lapidem adorat. Nec est quod dicas, divinam naturam corpori isti unitam mansisse, & sic ad corpus istud adorationem sine idololatria dirigi posse. Idem enim dicet idololatra gentilis, se non adorare saxum, aut lapidem, quatenus sunt inanima corpora, sed quatenus eis adest & unita est divinitas, vel divina quædam vis, propter quam odorari mereantur. Adde, quod opinio & fides illa Pontificiorum, vanior multo ac stultior videri debeat, quam opinio gentilium. Hi enim saxum fatentur saxum esse, quia id sentiunt. Isti panem negant panem esse, quamquam omnibus suis sensibus

sibus eum, licet in tenuissimam crustæ farinaceæ laminam, novo plane & alieno à Christi, Apostolorumque facto, Ecclesiisque Christianis per plus quam duodecim sæcula inusitato more ac consuetudine, redactum, palpant, ac percipiunt eum nil nisi verum panem esse. Isti sane quod vident & palpant, credunt ac fatentur verum esse. Hi quod vident ac palpant, verum esse credere nolunt, indigni sane, si Christi & Apostolorum tempore vixissent, quibus Christus, uti Thomæ fecisse legitur, corpus suum ex morte redivivum palpandum daret, ut eum vere ex mortuis resuscitatum esse crederent; quia ne sic quidem eum vere resurrexisse cum eodem, quod antea gesserat, corpore, cum Thoma crediturі fuissent. Et hæc eorum opinio idcirco gravior stultiorque videri debet, quod per eam adducantur ad adorandum Christum Deum sub specie vilissimæ, brutæ atque inanimæ rei, id est, farinæ aqua subactæ latentem: cum Apostolus *ad Rom. cap.* I. 23. stultos factos esse dicat gentiles, idcirco, quod incorruptibilem Deum, sub efformata imagine corruptibilis hominis, (qui certe cum farina mera comparari non meretur) coluerint atque ita servierint rebus creatis præterito creatore, uti est *vers.* 24.

Quod ad secundum attinet, quod videlicet non sufficiat ad id, ut quis idololatriæ reus sit atque dicatur, quod id, quod adorat, credat ac fateatur creaturam, sive merum quoad substantiam hominem esse, id ex eo patet, quia sola autoritas divini mandati sufficit ac cultum talem ab idololatria excusandum, adeo quidem ut, si quis isto divino mandato obstrictus, cultum istum exercere detrectet, eam ob caussam quod sciat aut credat, eum, cui cultum istum deferret, non esse nisi verum ac merum quoad substantiam hominem, is eo ipso rebellionis ac læsæ Majestatis divinæ jure postulandus à Deo sit, tantum abest, ut idololatriæ reus propter cultum istum censeri debeat, aut esse possit.

*Locus Esa. XLII. 8. & XLVIII. 11.*

Dices: Contra facit, quod legitur *Esa.* XLII. 8. *Jehova nomen meum. Gloriam meam alteri non dabo.* quod idem repetitur *Esa.* XLVIII. 11. Resp. 1. Nihil vetat vocem לאחר sic exponere, ut sensus sit, Non dabo alii, vel alteri, gloriam meam, præterquam tibi, scilicet servo meo, cui innitor, in quo complacet sibi anima mea, &c. quem videlicet versibus præcedentibus descripserat. Sed vero nolo in hac expositione consistere. Dico ergo 2. Verbum *dandi* hoc in loco non necessario significare dationem, quæ directa voluntate fit, sed permissionem, quæ quasi indirecta voluntate fit; ut sensus sit, Non permittam ut gloria mea alteri à quoquam detur, impune scilicet. Permisit enim non raro Deus, ut aliis divinitatis gloria tribueretur: sed non permisit, ut id impune fieret: nec, ut id impune quisquam faciat, unquam permittit. Vocem autem *dandi* sic aliquando accipi, apparet manifeste vel ex unico illo loco *Psal.* XVI. 10, *Non dabis sanctum* (vel, misericordem) *tuum videre corruptionem. Non dare* enim hic, est non permittere. Cui adde plures alios locos. *Num.* XXI. 23. *Psal.* LV. 23. & CXXI. 3. *Exod.* III. 19. *Genes.* XX. 6, &c. Certe hoc loco sic accipi Musculus in commentariis suis ad hunc locum adserit. Quin imo ratio postulare videtur, ut hoc loco sic & non aliter accipiatur; quia statim additur, *Nec laudem meam sculptilibus*, scil. dabo. Nisi enim verbum אתן *dabo*, his postremis verbis adjunctum, & οὐκ ἄλλοις repetitum, explicetur per verbum, permittam, tum sensus esset, Deum ultro & sponte sua non daturum sculptilibus, id est, brutis & mutis idolis, gloriam suam. At vero, cui sano homini unquam in mentem veniat, fieri posse ut id Deus ultro unquam velit facere? At si verbum *Dabo* per permissionem explicetur, tum sensus per se clarus est. Poterat enim ambigi, an Deus non esset permissurus, ut id ab aliis fieret, & quidem impune, quasi qui istius sceleris rationem habere nollet. 3. Dico vocem לאחר *alteri* vel *alii*, non sic accipi posse, ut per eam ipse etiam Dei Filius unigenitus, quatenus ex Spiritu Dei Sancto conceptus, & in vitam glorioſam ex morte resuscitatus fuit, intelligatur. Hic enim etsi quoad substantiam alius sit à Patre suo; eo ipso tamen, quia filius Patris unicus & dilectissimus est, non est alter à Patre, sed unum cum Patre suo, uti ipse Filius asserit, *Joan.* X. 30. & XVII. 22. Nemo sane dixerit, Principem aut Regem, si dicat se nemini principatum aut regnum suum daturum esse, eo dicto etiam includere unicum Filium suum & sibi dilectissimum. Filius enim, qua filius est, non est proprie alius aut alter à Patre suo, quia Patris sui necessarius & suus hæres est. Hoc adeo verum est, ut ne quidem per vocem *Alteri*, intelligi debeat Angelus Dei Legatus; quia, quamquam Angelus substantia alius aut alter est à Deo, tamen quia & qua Angelus, sive peculiaris Legatus Dei est, ita unum est cum Deo, ut nomen Dei gerat, & personam ipsam Dei repræsentet. unde & ei etiam Deum in Veteri Testamento olim gloriam suam dedisse, id est, eum non aliter quam se ipsum honorari voluisse, supra diximus: & clarissime liquet ex *cap.* XXIII *Exodi vers.* 21: *Nomen meum* (inquit Deus) *in medio ejus est.* Nomen autem Dei est gloria ipsa Dei. unde non raro Angelus iste, cujus ibi mentio fit, non aliter loquitur, quam si Deus ipse esset; quia scilicet Dei personam gerebat, & Majestatem divinam præ se ferebat, uti alibi à nobis fusè demonstratum est, & ii ipsi, contra quos hîc agimus, diffiteri non audent, quia cum res clara sit, per Angelum hunc, ipsum Dei Filium, qui unius numero essentiæ cum Patre sit, intelligi volunt. ad quos tamen erroris redarguendum, vel unus *ad Heb.* locus *cap.* I. *vers.* 1. sufficit. Verum enimvero, ut ut de Angelis est, per vocem אחר Filium Dei Jesum Christum hominem intelligi non posse, ex antedictis satis liquet; quibus demonstravimus, Deum Patrem Jesu Christo gloriam, id est, honorem cultus & adorationis divinæ tantum dedisse, ut dicarur de Deo, quod *ipse neminem judicet, sed omne judicium Filio dederit, ut omnes Filium honorent, sicut ipsum Deum honorant*: *Joan.* V. 22. 23. quod regnum suum Filio suo dederit, 1 *Corinth.* XV. 24. 25. 26. 27. 28. quod *omnem ei potestatem dederit in cælo & in terra*: *Matt.* XXVIII. 18. adeo *ut omne genu se ei flectere debeat*: *Philipp.* II. 10, &c. Quibus omnibus gloriam Dei contineri quis ambigat?

Dices: Per gloriam Dei intelligendam esse gloriam, quam Deus à seipso independenter ab omni alio habet, & sic generaliter verum esse, Deum eam alteri non dare. Atqui, inquam ego, 1. id ineptum est; quia tum sensus verborum erit, Ego non dabo ulli rei creatæ, quæ à me dependet, ut sit Deus à seipso atque independens à me: quo sensu quod ineptius? Quis enim credat, Deum dixisse, se non daturum, ut id, quod ab ipso est, non sit ab ipso, sed à se? id est, ut creatura, sit non creatura, & ex se dependens, ex se sit independens? 2. Dico id frustra afferri ab iis, qui Filium Dei unius numero essentiæ esse asserunt cum Deo Patre suo; quia ne sic quidem negari potest, Deum Filio dedisse gloriam suam. Filius enim, quà Filius, non est à se, sed à Patre; & quia Filius non est Deus, nisi quà & quia Filius est, divinam etiam essentiam sive naturam suam non potest habere nisi datam & communicatam sibi à Patre suo. Dices: Aliud est, datam esse Filio essentiam, aliud communicatam per generationem. Respondeo: Generare, communicare, dare (quod attinet ad hanc rem) synonyma sunt; prout apparet ex eo, quod is qui generatur, non minus essentiam, sive naturam suam accipiat à generante, quam is, cui aliquid datur, id à dante, accipit. Quare non minus ineptè quis dixerit, Filium habere essentiam suam à se, quam si quis dixerit, eum cui aliquid ab alio datum est, id à se habere. Ergo hic locus contra nos nihil facit.

Atqui, inquies, *Jerem.* XVII. 5. dicitur, *Maledictus qui confidit in homine.* Ergo in Christo homine non confidere, necessarium ad salutem est. Resp. Negatur consequentia: quia homo apud Jeremiam significat non simpliciter hominem quoad substantiam, sed quoad qualitates hominem fragilem, infirmum, merisque tantum humanis viribus præditum; ut apparet ex ἐξηγήσει quæ statim subjungitur, *Et ponit carnem brachium suum*, id est, hominem qui non nisi caro est, id est, ipsa fragilitas & mortalitas; quia, ut *Esaias* ait, XL. 6, *Omnis caro fœnum est.* Hinc *cap.* XXXI. 3, carnem spiritui opponit: *Ægyptus homo, & non Deus*: *equi eorum caro & non spiritus.* Et David *Psal.* LXXVIII. 39: *Recordatus est* (Deus scilicet) *quod caro essent, halitus vadens & non revertens.* Vocem autem *hominis* sic non raro etiam accipi, apparet ex variis locis. *Jud.* XVI. 7. ubi Samson ait, *Si ligaverint me septem virgis viridibus, quæ necdum aruerunt, infirmus reddar, & ero sicut unus ex hominibus*; id est, similis cæteris hominibus vulgaribus, quibus peculiaris nulla divini Spiritus virtus supra alios concessa est; quæ verba deinde bis repetuntur, *vers.* 11. & *vers.* 17. ubi infirmus reddar, exponitur, per, *Recedet à me fortitudo mea. Psal.* IX. 21. *Pone Domine timorem eis: sciant gentes, quod homines sunt*, id est, fragiles, caduci, mortales, qui frustra se tibi & Regi tuo, id est, mihi opponunt. *Psal.* LXXXII. 6, 7: *Ego dixi, Dii estis, & filii Altissimi omnes vos. Veruntamen sicut homines*, id est, sicut alii vulgares, infirmi & debiles omnes homines, *moriemini.* Quando vero de Christo homine agitur, deque fiducia in eo collocanda, tum Christus non concipitur ut homo fragilis, infirmus, mortalis, cæterisque hominibus similis; sed ut homo à Deo glorificatus, & potestate omni in cælo ac terra donatus, atque ita supra omnes, non homines tantum, sed & Angelos evectus atque exaltatus, proinde omnibus istis qualitatibus præditus, quæ requiruntur ad hoc, ut in eo fiducia tuto ac certo collocari possit. Hinc secundus Adam esse dicitur, non è terra, non pulvereus, non factus in animam viventem, non caro & sanguis, sed *Spiritus vivificus*: 1 *ad Corinth.* XV. 45. 46. 47. 48. 49. Deinde dico, verba Jeremiæ non absolute accipienda

Pienda esse, sed comparate, hunc in modum: Maledictus qui confidit in homine, ita ut non in Deo confidat, vel ut magis confidat in homine, quam in Deo. Rationes duæ sunt, Prima est: Quia in textu statim additur, *Et cor ejus recedit à Deo*; quod sane aliud nihil est, quam cor ejus non fidit aut confidit in Deo, prout ex sequentibus *vers.* 7. 13, &c. videre est. Secunda ratio est: Quia nihil impedit, quominus quis Deo confisus, etiam confidat in hominibus istis, quibus Deus tanquam vicariis suis uti vult ad nos juvandum aut protegendum, quosque Deus eum in finem singulari quadam & heroica minimeque vulgari sapientia, robore, aut virtute supra cæteros alios donat. Certè *Exod.* XIV. 31, dicitur de populo Israelitico, cum vidisset manum magnam quam fecerat Dominus in Ægypto, quod *timuerit Dominum, crediderituque* seu confisus fuerit *in Dominum, & in servum ejus Mosen*. Hinc colligo: tantum abesse, ut secundum Jeremiæ mentem maledictus dici debeat, qui confidit in Jesu Christo, potestate omni vicaria in cælo ac terra ab ipso Deo donato, & ad dextram ipsam Dei in cælis collocato, ut omnes eum honorent sicut honorant Patrem, idcirco quia Jesus Christus homo est; ut contra maledictus vere futurus sit is, qui Jesu Christo homini, quatenus & quia tanta gloria atque honore à Deo Patre suo adfectus est, confidere & in eum credere detrectat. Quia *qui non honorat Filium, nec Patrem honorat, utpote qui miserit eum. Joan.* V. 23. Quin autem is qui Patrem non honorat maledictus sit, nemini dubium esse potest.

Hactenus ergo ad præcipua argumenta ista, quæ pro necessitate credendi modum generationis Filii, ex Patris essentia ante secula, adduci solent, respondimus. Quæ præter hæc adducuntur ab aliis, ea tanti non esse mihi videntur, ut ad ea prolixius respondere operæ pretium sit.

## CAPUT XXXVI.

### De spiratione divina, quæ est fundamentum subordinationis inter Spiritum Sanctum ad Patrem & ad Filium; & de ejus credendi necessitate.

RESTAT ergo, ut paucis videamus, ecquod sit fundamentum subordinationis, quæ est inter Spiritum Sanctum ad Patrem & ad Filium.

Fundamentum hoc aliud esse non potest, quam Spiratio activa Patris & Filii. Sed vero quid hæc spiratio sit, quomodo ea differat à generatione, & quo modo ea fiat, an à Patre & Filio immediatè, tanquam ab uno principio; An à Patre mediatè per Filium; An à Patre immediatè & solo, uti generatio Filii; à Filio vero peculiari quadam ratione, quatenus homo Mediator est, & potestatem spirandi Spiritum Sanctum à Patre in tempore accepit, subtiliter potius quæritur, quam solidè deciditur.

*Doctrina de spiratione Spiritus S. tribus conclusionibus comprehensa.*

Nos sententiam nostram tribus conclusionibus comprehendimus: *Prima* est. Certum & clarum est ex Scriptura, Spiritum Sanctum dici procedere, emanare, ἐκπορεύεσθαι τοῦ πατρός: *Joan.* XV. 26: ac proinde fundamentum subordinationis, quæ est inter Spiritum Sanctum ad Patrem, non potest non esse spiratio activa Patris, quia ei respondet emanatio, processio sive ἐκπόρευσις, quæ passiva quædam spiratio est. Hæc conclusio apud omnes Christianos in confesso est.

*Secunda* est. Certum & clarum est ex Scriptura 1. Spiritum Sanctum dici ac vocari non tantum Patris Spiritum, *Matth.* X. 20. & Spiritum Dei, passim: sed & Filii, *ad Galat.* IV. 6. & filii Dei: *ibid.* & Christi: *Rom.* VIII. 9. & 1 *Pet.* I. 11. & Jesu Christi: *ad Philip.* I. 19. Deinde 2. certum & clarum etiam est ex Scriptura, de Spiritu S. di ci quod eum mittat, det, effundat, non Pater tantum, sed & Filius ejus Jesus Christus: etsi cum hac semper subordinationis indicatione, quod Christus eum mittat à Patre suo: *Joan.* XV. 26. vel quod Pater eum mittat in nomine Filii sui: *Joan.* XIV. 26. id est, vel per Filium, vel ad glorificandum nomen Filii; id est, tum ipsum Filium, tum religionem Filii sui adserendum à contemtu omni & vilipendio, per gloriosa Spiritus S. dona. Sed vero conclusio

*Tertia* est. Non æque certum ac clarum est ex Scriptura, tam rectè dici Spiritum S. ἐκπορεύεσθαι, id est, procedere atque emanare à Filio, quam recte dicitur eum procedere à Patre; cum hoc Scriptura disertè asserat, non illud: nedum tam rectè asseri, una eademque numero spiratione, emanare Spiritum à Filio & à Patre. Etsi enim non recte colligitur; Spiritus Sanctus emanare aut procedere dicitur in Scriptura à Patre, ergo non emanat aut procedit à Filio; tamen etiam non colligitur ἀνάπαλιν, Spiritus Sanctus vocatur Spiritus Filii, & mittitur atque datur à Filio: ergo etiam unâ eâdemque numero spiratione, emanat ac procedit à Filio simul ac Patre, cum Spiritus S. Filii Spiritus dici possit, & à Filio dari ac mitti, non ratione naturalis emanationis aut processionis à Filio, sed ratione temporalis manifestationis, qua Filius ut Mediator inter Deum & homines manifestatus, & à Patre in tempore Spiritu Sancto unctus ac donatus est, uti est *Luc.* IV. 18. & *Act.* II. 33. Unde efficitur, Fundamentum subordinationis, quæ est inter Spiritum Sanctum ad Filium, non æque clarum ac certum esse ex Scriptura, quam est fundamentum subordinationis quæ est inter Spiritum Sanctum ad Patrem.

Hinc colligo tria consectaria.

*Unde tria consectaria deducuntur.*

1. Non esse præcise ad salutem scitu ac creditu necessarium, Spiritum procedere à Patre & à Filio, nedum procedere una eademque numero spiratione ab utroque simul, tanquam ab uno eodemque principio; proinde eos, qui id aut in dubium vocant, aut negant, hæreticos dici non posse; cum id nec disertè in Scriptura adseratur, neque ex Scripturis necessaria consequentia deducantur. Dices: Necessaria tamen consequentia id deduci videtur ex dicto Christi, *Joan.* XVI. 13: *Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt.* Ibi enim per *omnia*, intelligenda sunt omnia, excepta solarum relationum oppositione. Atqui cum spiratio activa & filiatio passiva non opponantur relative, necesse est Patrem Filio etiam spirationem activam communicare, & sic Spiritum Sanctum à Patre & Filio unica eademque spiratione activa spirari. Resp. Si hoc argumentum valet, ergo etiam sequetur Spiritum Sanctum non minus generasse Filium, quam Filium generavit Pater. Ratio est: Quia omnia quæ Pater habet, etiam Spiritus Sanctus habet, excepta sola relatione oppositа. Eadem enim est ratio Spiritus Sancti quæ Filii. Tam enim Spiritus Sanctus habet omnia quæ sunt spiratoris sui, quam Filius habet omnia quæ sunt Patris sive generatoris sui, ubi (uti Anselmus loquitur) oppositio relationum non obviat. Atqui generare & spirari non sunt relative opposita, non magis certe, quam, ut est in argumento, spiratio activa & filiatio passiva. Ergo sequetur, Patrem suam activam generationem non minus communicare Spiritui Sancto, quam spirationem activam suam communicat Filio; proinde Patrem & Spiritum Sanctum una eademque generatione generare Filium, sive Spiritum Sanctum non minus esse Patrem Filii, quam Pater Filii Pater est; quod absurdissimum esse nemo non videt, uti recte contra Bellarminum colligit Archiepiscopus Spalatensis: qui insuper addit: *Si hic modus argumentandi admittatur, tum secuturum inde licere asserere, Spiritum Sanctum quoque esse ingenitum, eo modo quo Pater dicitur ingenitus, quia* (verba ejus sunt) *cum Pater communicet omnia sua Spiritui Sancto, quæ oppositionem relationis non habent, in Spiritu autem Sancto nihil sit quod relativè opponatur notioni illi* ingeniti, *quæ est propria perfectio positiva Patris, illam ergo quoque Spiritui Sancto communicavit; quod ecquis sanus Theologus admiserit?* Addit; *Si Filius sua spiratione activa dat esse Spiritui Sancto simul cum Patre, sum communicabit eidem Spiritui omnes suas proprietates; si oppositio relationum non impediat. Ergo communicabit etiam Spiritui Sancto filiationem suam. Nam filiatio & spiratio passiva non magis opponuntur relative, quam spiratio activa, & Filiatio passiva. Quid inde? Ergo Spiritus Sanctus simul cum Filio erit unicus Filius. quæ sane sunt absurdissima. Sic enim Spiritus S. esset cum Patre ingenitus, & cum Filio genitus.* In argumento itaque hoc nulla est necessaria consequentia; præterquam quod consequentia illa tota non nitatur nisi subtilitate Metaphysica, non minus vana quam periculosa. Sensus etiam loci apud Joannem longe alius esse videtur, quia in eo non agitur de essentiali & æterna communione omnium proprietatum divinarum, quæ sit inter Patrem & Filium, sed de temporali communione bonorum istorum omnium, quæ ex decreto Patris necessaria atque utilia sunt ad procurandum generis humani salutem. Non enim agitur nisi de iis, quæ Apostolis in memoriam revocanda, & quasi denuo renuntianda erant per emissum de cælo Spiritum, ut idonei essent ad Euangelium hominibus, post Christi ex terra discessum, prædicandum & annuntiandum. Proverbialem autem esse istam orationem, qua omnia Patris, Filii esse, & vice versa dicitur, nemo nescit. Nempe arctissima consensio, intimus amor, &, quæ ex amore proficisci solet, bonorum omnium familiarissima communio, ea denotari solet, uti manifestum est ex *Luc.* XV. 31: *Fili tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt*: & ex Plauto in Trinummo, ubi filius Lysiteles Philtoni patri suo dicit: *Bene volo ego illi facere, si tu non nevis.* Pater autem Philto respondet, *Nempe de tuo*: Patri vero vicissim filius Lysiteles;

*Sensus loci Joan. XVI. 13.*

*De meo:*

*Nec necessarium ad salutem credere Spiritum Sanctum procedere à Patre & à Filio.*

*De meo: nam quod tuum'ſt meum'ſt. omne meum eſt autem tuum:*

*Secundum: ſufficere ad ſalutem credere Spiritum Sanctum à Patre procedere, & eſſe Filii Spiritum.*

2 Conſectarium.

Sufficere ad ſalutem, ſi credatur firma ſed ſimplici fide, Spiritum Sanctum procedere à Patre, & eſſe etiam Filii Spiritum; quia id utrumque diſerte in Scriptura expreſſum exſtat. quomodo autem Spiritus Sanctus procedat à Patre, quomodo Spiritus Sanctus dicatur eſſe Filii Spiritus, num per emanationem ſive ἐκπόρευσιν, an alio modo, num miſſio ſit idem quod proceſſio, an diverſa à proceſſione, & quomodo proceſſio à generatione differat, aliaque ſimilia, anxie indagare nec neceſſe eſſe, nec operæ pretium; imo, ut cum Archiepiſcopo Spalatenſi loquar, eſſe damnabilis curioſitatis, quia altum his de rebus in Scriptura eſt ſilentium. Periculoſum etiam eſſe, harum rerum tum veritatem tum neceſſitatem arceſſere velle à Theologis, per Metaphyſicam quandam ſubtilitatem ex relationibus, aut per ſcientiam quandam animaſticam, ut loquitur idem Archiepiſcopus, ex actibus intellectus & voluntatis, id unum ſatis arguit, quod actus iſti in Deo ſint longe diverſiſſimi, diverſiſſimæque naturæ ab actibus humanis, ſaltem tales, de quibus ſine divina revelatione, certi aliquid ſciri, nedum aſſeri à nobis poteſt.

*Tertium; de ſchiſmate inter Græcam & Latinam Eccleſiam propter proceſſionem Spiritus Sancti.*

3 Conſectarium.

Schiſma ergo, quod inter Eccleſiam Latinam ſive Occidentalem, & Græcam ſive Orientalem hodieque adhuc viget, & in Concilio Florentino, quod celebratum fuit anno MCCCCXXXVIII, bona fide conſopitum non fuit, nec juſtum nec legitimum cenſeri debere. Etſi enim negari non poteſt, quin Eccleſiæ Græcæ, & quæ cum iis faciebant Eccleſiæ omnes Orientales, Imperatori Græco ſive Conſtantinopolitano ſubditæ, juſtiſſimam cauſſam habuerint conquerendi de Eccleſia Romana ſive Occidentali, quod Symbolo ſecundi Oecumenici Concilii, Conſtantinopoli habiti, in quo ad verba Concilii Niceni, id eſt primi Oecumenici, καὶ εἰς τὸ ἅγιον πνεῦμα, *Et in Spiritum Sanctum*, addita erant hæc verba Macedonio redarguendo, *Qui ex Patre procedit*, addiderat inſuper ſine Græcorum conſenſu, *Filioque*, non aliter, quam ſi in Symbolo Concilii iſtius additum id ab ipſo Concilio fuiſſet. Hoc enim manifeſte crimen falſi eſt, & hieromonarchiæ uſurpationem ſapit, quæ merito intolerabilis videri debet, neque colore ullo à Latina Eccleſia tegi aut dilui poteſt. Etſi enim Eccleſiæ Latinæ ſymbolum proprium conficere ſibi poterant, in quo additionem illam, *Filioque*, facerent, tamen nec fas nec jus iis erat, iſtud Symbolum vocare Symbolum Conſtantinopolitani Concilii ſecundi Oecumenici, in quo illud, *Filioque*, poſitum non fuerat. Etſi, inquam, negari non poteſt, quin Eccleſiæ Græcæ recte id fecerint, tamen, quia hæreſis non eſt, ſtatuere Spiritum S. à Patre & à Filio procedere, cauſſam non ſatis gravem habebant Eccleſiæ Græcæ, cur ea propter in partes irent, & ſchiſma ab Eccleſiis Latinis aut occidentalibus facerent. Quod ad Latinas Eccleſias attinet, nec illæ cauſſam habere potuerunt ſatis gravem aut juſtam, cur ſeceſſionem aut ſchiſma facerent ab Eccleſiis Græcis, ſive negative ſolum ſe habentibus, id eſt, non admittentibus articulum proceſſionis Spiritus Sancti à Filio; ſive poſitive etiam illum negantibus, id eſt, aperte aſſerentibus Spiritum Sanctum non procedere à Filio, ſed à ſolo Patre; quia negare articulum qui de Fide non eſt, modo is non ſit articulus articulo alicui Fidei contrarius, ut exempli gratia negare eſſe Antipodes, non eſt hæreſis.

Dices: At Eccleſiæ Latinæ cenſuerunt hodieque cenſent, hæreſin eſſe, negare Spiritum Sanctum procedere à Filio, & Græcas Eccleſias id negantes, ſive abſolute, ſive de fide eſſe, pro hæreticis habent, eoque nomine ſchiſma ab iis faciendum eſſe ſtatuunt. Reſp. Ergo Eccleſiæ Latinæ hoc nomine ſchiſmaticæ ſunt, non vero Eccleſiæ Græcæ. Inſtabis: Atqui Eccleſiæ Latinæ jure ſe id facere potuiſſe ac poſſe aſſerunt, quia Pontifex Romanus caput eſt totius Eccleſiæ. Capitis autem jus eſt definire ac ſancire res fidei, quando neceſſe eſſe judicat, etiam ſine Concilio. Reſp. Hoc vero eſt ſchiſmatis crimen augere, non tollere. Eſt enim peſtilentiſſima hæreſis, Romano Pontifici tribuere jus condendi aut definiendi res fidei, eique irrefragabilem & ſupremam poteſtatem in Eccleſias omnes, ſive titulum capitis Eccleſiæ totius adſignare. Unde conſequitur, poſtquam id juris Pontifici ſuo Romano Eccleſiæ Latinæ arrogare aut attribuere cœperunt, eoque titulo proceſſionem Spiritus S. à Filio Eccleſiis Græcis neceſſario credendam eſſe imperare voluerunt, Eccleſiis Græcis non modo jus datum fuiſſe, ut à communione Eccleſiæ Latinæ ſeparare ſe poſſent, ſed & neceſſitatem poſitum ab ea ſe ſeparandi, ne in tam deteſtabilem, non dico hæreſin, ſed tyrannidem, conſentire ullo modo videantur; ac proinde totam atque univerſam ſchiſmatis culpam eſſe penes Eccleſias Latinas.

# LIBRI QUARTI, SECTIO III.

## *De Creatione.*

### CAPUT I.

### De creatione Cæli ſupremi & Angelorum,

*Religionis fundamenta.*

Uæ hactenus de natura divina pertractavimus, deque iis quibus divina natura tribuitur in Scripturis, ea primum Religionis fundamentum continent; quod eſt, Deum propter naturæ ſuæ divinæ Majeſtatem dignum eſſe, qui à nobis religioſo cultu honoretur. Videndum nunc ſecundo venit alterum fundamentum, quod eſt, Deum jure à nobis cultum religioſum poſtulare poſſe, noſque, ſi ita velit, ad cultum iſtum religioſum ei exhibendum, totos & ex aſſe obligatos eſſe. Hoc jus divinum nititur operibus divinis, quibus Deus tanquam beneficiis primo primis omnique exceptione majoribus, jus hoc in ſolidum ſibi vindicat.

*Opus creationis & providentiæ.*

Inter ea primum omnium eſt Opus creationis, cui adhæret opus Gubernationis, ſeu providentiæ divinæ. Per iſtud opus homo totus, quantus eſt, eſſe ſuum à Deo habet, ac proinde ſe totum Deo debet. Per hoc ſemper in eſſe ſuo dependet à Deo, tanquam conſervatore & gubernatore ſuo, ac proinde totus & ſemper Deo obſtrictus manet. Unde jus Dei in hominem univerſale & perpetuum eſſe colligitur; & jus hoc eſſe jus patriæ poteſtatis, quia nititur opere, quod primo ac per ſe paternum opus, aut paterno operi ſimillimum eſt, quo homo à non eſſe ad eſſe producitur: unde Adam *Dei Filius* etiam vocatur, *Luc.* III. *verſ. ultimo.* & nos *Dei progenies Act.* XVII. 28. 29.

*Creatio in quo conſiſtat.*

De utroque hoc opere deinceps videamus.

Quod ad Opus Creationis attinet, id ſic deſcribitur in hiſtoria creationis, ut Deus dicatur 1. cælum & terram omniaque quæ in iis ſunt creaſſe, diſpoſuiſſe, ordinaſſe: ut iſtud cælum ſcilicet aptum domicilium eſſet in quo collocari poſſet Angelus; hæc terra ſcilicet aptum domicilium in quo collocari poſſet homo. 2. Ipſum hominem condidiſſe ad imaginem ſuam, idoneum qui in domicilio terræ tanquam Dominus conſtitueretur: ſic tamen ut Deo creatori ſuo ſubditus & ſublex, cultum atque obſequium debitum præſtare poſſet, & quando aut quale id Deus exigere vellet, reipſa præſtare teneretur, ut domicilio altero cæli dignus reddi poſſet.

*Senſus loci Geneſ. I. 1.*

Quod ad creationem cæli & terræ attinet, ea ſic deſcribitur, ut dicatur *Geneſ.* I. 1, *In principio creavit Dii* (id eſt, Deus) *cælos & terram.* Quo procœmio, an prima ſeu proprie dicta creatio cæli & terræ quæ ex nihilo fit deſignetur, an vero creatio ſecunda, impropriè ſic dicta, quæ ſtatim deinde per partes ſubjicitur, id eſt, fabricatio, diſpoſitio, & ordinatio cæli & terræ, quaſi compendio & ſummatim comprehendatur eo omne id quod poſtea conſecutum eſſe narratur, quæri ſolet. Nobis ea res tanti non eſt, ut propterea pedem cum quoquam ſtruere velimus. Quiſque abundet in ſenſu ſuo. Nobis veroſimilior videtur prima ſententia; quia credibile prorſus eſt, Moſen voluiſſe indicare, nec terram, nec cælum cælorum æterna fuiſſe, aut coæterna Deo, ſed ex nihilo à Deo condita eſſe. ut enim ea Deo coæva fuiſſe credantur, ratio non ſinit; prout ſupra diximus, in quæſtione de Æternitate Dei. Nam quod ad terram attinet, in materiam terræ, coævam Deo, ex ſe jus non habuiſſet Deus introducendi formam ſuam, neque ullam introducere potens fuiſſet, utpote æternam & mutationi nulli obnoxiam. De cælo vero ipſo diſerte dicitur, quod ejus πηγάτης & δημιουργὸς ſit ὁ Θεὸς, *ad Heb.* XI. 10. quod Deus iſtud ἔπηξεν, *ad Heb.* VIII. 2. Fateor quidem eos fruſtra eſſe, qui ex verbo ברא ſententiam iſtam adſtruere laborant. Certum enim eſt verbum iſtud, uti & Græcum κτίζειν, vix unquam, ſaltem non niſi rariſſime, ſignificare productionem rei ex nihilo, nedum ut ex vi ſua & per ſe eam ſignificet; frequentiſſime vero, ſi non ſemper, ſignificare, vel novi atque eximii alicujus operis patrationem,

*Cælum & terra fuerunt ex nihilo facta.*

*Id tamen non indicatur verbo creandi.*

nem, vel accidentium mirabilium effectionem, vel refectionem & reſtaurationem rerum, quia Hebræi compoſitis verbis carent: prout patet ex locis variis, quæ hic compilare ex aliis ſcriptoribus non eſt neceſſe. Videantur hæc: *Geneſ.* I. 21. 26. 27. ubi vox hæc pro effectione ſubſtantiæ ex præjacente materia accipitur. *Exod.* XXXIV. 10. *Num.* XVI. 30. *Eſa.* XLV. 7. & LVII. 19. *Jerem.* XXXI. 22. ubi pro accidentium & operum mirabilium effectione accipitur. *Eſa.* LXV. 17. *Pſal.* LI. 12. ubi pro refectione ſeu reſtauratione rerum accipitur. Deinde, certum eſt ברא & עשה ſynonyma & promiſcue de eadem productione dici, *Geneſ.* II. *verſ.* 3. 4. *Eſai.* XLV. 12. *Pſal.* CXV. 16. & CXXI. 2. collato cum *Eſa.* XLII. 5. & XLV. 18. Item *Eſa.* XVII. 7. coll. cum *Eccleſ.* XII. 1. Adde quod LXX interpretes vocem iſtam promiſcue reddant per ποιεῖν & κτίζειν, uti notum eſt. Vide *Geneſ.* V. 1. collato cum *Deut.* IV. 32. & *Geneſ.* I. 1. coll. cum *Pſal.* CXLVIII. 4. 5. Ut ut eſt, hoc loco vocem ברא pro creatione prima, proprie dicta, per quam res ex nihilo producitur, accipiendam eſſe, aut optime accipi poſſe, jam diximus; non ex vi vocis, ſed ex natura rei, & circumſtantia iſta, quod terram etiam quæ informis quaſi mole erat, & תהו ובהו creaſſe Deus dicatur. Ut enim dicatur terra iſta præextitiſſe ab æterno, ac proinde eam, quoad uſque Deus eam diſpoſuit & adornavit, fruſtra ab omni æternitate fuiſſe, & niſi Deus eam elaboraſſet in æternum fruſtra futuram fuiſſe, neutiquam veriſimile fieri poteſt ſano homini.

*Reſp. ad objectionem contra creationem ex nihilo.*

Si dicas: Ex nihilo tamen nihil fieri, & omni potentiæ activæ reſpondere paſſivam. Reſp. Quod ad prius attinet: naturaliter quidem ex nihilo nihil fieri poſſe, quia naturæ vis finita eſt, & rebus creatis immerſa atque alligata: ſed ut per nullam divinam potentiam aliquid ex nihilo fieri poſſit, id adeo falſum eſt, ut contra, præter nihilum, nihil ſit quod primæ communicationis divinæ ad extra capax ſit, in quo divinæ Omnipotentiæ apex eluceat, & ratione cujus jus Dei in omnia abſolutum efficitur. Quod ad ſecundum attinet: Potentiæ activæ omni non neceſſario reſpondere potentiam paſſivam, quæ in præjacente materia ſit, ſed reſpondere poſſe potentiam objectivam; quæ aliud nihil eſt quam non repugnantia ut aliquid fiat, & poſt non eſſe, accipiat eſſe; quæ & obedientialis potentia dicitur, quatenus ea ſignificat negationem omnis repugnantiæ ad exiſtendum, & remotionem contradictionis omnis ad obtinendum realem entitatem. Hujuſmodi potentiam objectivam in nihilo ponere nihil vetat. Non enim repugnat nihilo ut poſt illud fiat aliquid, ſicut non repugnat nocti ut poſt eam dies fiat. Repugnat quidem nihilo, ut ex eo tanquam ex materia aut ſubjecto aliquid fiat; (ſic enim nihilum eſſet reale aliquid antequam eſſet) aut ut ipſum nihilum reducatur ad aliquid; (ſic enim nihilum etiam eſſet antequam eſſet:) ſed non repugnat nihilo ut ei ſuccedat reale aliquid, id eſt, ut ubi vel cum nihilum ante eſſet, nihilum amplius non ſit, dummodo in cauſſa ſufficiens vis, ſive activa potentia ſit, ad efficiendum ut quod nihil eſt, poſt non eſſe accipiat eſſe, ſive potius deſinat non eſſe aut nihil eſſe.

*Quod ſit illud cælum & terra quæ Deus ex nihilo fecit.*

Ex nihilo itaque ſtatuendum nobis videtur creatum fuiſſe cælum & terram. Per *cælos* intelligo cælum quod Deus palatium ſuum eſſe voluit, & domicilium primo Angelorum ſuorum, quos ſcilicet in eo creaturus erat; & hominum deinde, quos in iſtud introducturus erat. Vox enim שמים etſi pluralis numeri ſit terminatione, tamen ſingularis numeri eſt ſignificatione, uti vox אלהים, & aliæ voces apud Latinos, ut literæ, Pariſii, Athenæ, crepundia, liberi, tenebræ, &c. Per *terram* intelligo locum iſtum, quem Deus domicilium hominis facere conſtituerat, ac reipſa poſtea fecit.

*Quodnam ſit principium in quo illa fecit.*

Cælum autem hoc (quod à cælis poſtea ex terra & aqua à Deo efformatis diſtinguendum eſt) & terram hanc dicitur Deus creaſſe בראשית *in principio*: quod interpretor, non de principio illo mundi ac temporis, quod immediate ac proxime ſtatim excepit ſecunda creatio, quæ ſex diebus facta dicitur; ſed de principio illo, quo Deus primum aliquid extra ſe producere ac creare cœpit; ac ſi legeretur, Tum cum Deus aliquid primùm inciperet creare, creavit ante omnia cælum & terram. Exiſtimo enim, creationem cæli & terræ multo ante tempore factam eſſe, quam terræ ipſius, quæ poſtea ſubſecuta legitur, elaborationem ſive diſpoſitionem & adornationem, quæ propter hominem facta fuit. Id mihi non obſcurè videtur indicari, quando de terra ſtatim additur, *Terra autem erat*, id eſt, ut ego interpretor ſalvo meliore judicio, terra autem diu erat, id eſt, jacebat תהו ובהו, id eſt, deſolata & inanis. nempe Deus eam ſuo tempore condere, id eſt, elaborare, perficere, atque adornare volebat, in domicilium hominis, quem ad imaginem ſuam formare conſtituerat. Et ne interea veluti computreſceret, Spiritus Domini, id eſt, vel ventus aliquis magnus ex aquis, unum globum cum terra facientibus elevatus, phraſi Hebræa, qua vox *Dei* ὑψηλὰ eſſe dicitur, ut cum cedri Dei, montes Dei, pro valde excelſis & ſublimibus arboribus ac montibus vocantur: vel agitatio aliqua, divina virtute excitata, dicitur aquis ſupra terram extantibus incubiſſe, ut nimirum eas ventilaret, foveret & à putredine ac corruptione præſtaret immunes.

*Angelos diu ante mundum hunc viſibilem fuiſſe & peccaviſſe.*

Cui adde, quod veroſimile admodum ſit, (Ἀπροδεικτὰ enim argumenta hîc deſunt) Deum, cum cælum hoc condidit, Angelos etiam condidiſſe, non ut Angeli, ſeu miniſtri ſtatim eſſent, ſed tanquam cæli iſtius incolas, & domeſticos quaſi ſuos ac contubernales. Angelos autem iſtos non brevi aut exiguo tempore, in iſto domicilio fuiſſe, ſed diu admodum in eo verſatos, tandem ſive ſuperbia, ſive alia aliqua libertatis ſuæ nimia ut putabant circumſcriptione & limitatione adductos, magnam partem, veluti conſpiratione facta, à Deo defeciſſe, & cælo extruſos in abyſſum ſive tartarum, quem locum terræ tenebris & caligine obſitum nonnulli eſſe ſtatuunt, præcipitatos eſſe, & tandem in ultimam abyſſum præcipitatum iri. Rationes quæ id mihi videntur ſuadere, ſunt. Prima: Quia de Angelis, & magna admodum Angelorum multitudine dicitur, quod peccaverint: 2 *Pet.* II. 4. quod à principio peccent: 1 *Joan.* III. 8. quod in veritate non perſtiterint: *Joan.* VIII. 44. quod non ſervaverint ſuam originem, ſive principatum; in Græco enim eſt τὸν ἑαυτῶν ἀρχὴν; ſed reliquerint ſuum proprium domicilium, τὸ ἴδιον οἰκητήριον: *Judæ verſ.* 6. quod homicidæ fuerint ab initio, mendaces & patres mendacii: *Joan.* VIII. 44. id quod teſtatum fecerunt ſtatim in Paradiſo, ſeducentes Evam & Adamum vixdum in mundo conſtitutos: *Geneſ.* III. & 2 *Corinth.* XI. 3. Peccare autem aut peccaſſe, in veritate non perſtitiſſe ut dicantur, longa & diuturna eorum rebellio requiri videtur, id eſt, non unus dumtaxat peccati actus, ſed habitus & peccandi conſuetudo, præſupponi, ſtylo Scripturis uſitato. quem confirmat Secunda ratio, id eſt, pœna gravis ac diuturna quæ inflicta fuit iis, detruſio ſcilicet ex cælo in tartarum, & æterna atque irreconciliabilis detentio ſub catenis caliginis, in diem damnationis ac judicii uſque: 2 *Pet.* II. 4. quando videlicet in ignem æternum cum reliquis infidelibus hominibus conjicientur: *Matthæi* XXV. 41. Hæc longam & gravem culpam omnino videtur præſupponere.

Atque hæc quidem mea ſententia eſt de hoc procemio Moſis, quam qui volet ſequatur. Non enim nititur niſi veroſimilibus.

Ex ea autem hæc conſequuntur.

*Mundum libere à Deo conditus fuit.*

1. Mundum totum, qui ex cælo & terra conſtat, non ex neceſſitate naturæ à Deo eſſe productum, ſed liberrima voluntate, quia in certo temporis articulo, id eſt in principio eum condidit, & in eo in quo voluit. unde conſequitur

*Nec potuit eſſe æternus.*

2. Mundum æternum aut Deo coæternum non eſſe, addo ego, nec eſſe poſſe; quia quæ ex neceſſitate naturæ divinæ non fluunt ſed ex libera voluntate extra Deum producuntur, ea æterna eſſe non poſſunt. Quæ enim extra Deum producuntur, ea eſſe accipiunt poſt non eſſe, & quidem eſſe, quod tempore poſterius eſt τῷ non eſſe; quia cum producta ſunt, tum ceſſat aut deſinit eorum productio. Ceſſatio autem productionis, neceſſario præſupponit initium productionis. Et cum ceſſatio fiat in tempore, initium etiam productionis ut in tempore factum dicatur neceſſe eſt. Etſi vero ea ſit divinæ virtutis perfectio, ut nullum inſtans temporis dari poſſit, quo non potuerit creare mundum; tamen ea eſt rei cujuſlibet producendæ imperfectio, ut neceſſario ſemper inſtans aliquod temporis requirat, in quo poſt non eſſe accipiat eſſe. eundem plane ad modum quo in numeris ſe res habet. Etſi enim ea ſit virtutis humanæ perfectio, ut homo ſemper, omni numero quantumvis maximo addere aliquid poſſit, imo numerum majorem ſemper numero numerato, ea tamen eſt numeri imperfectio, ut nunquam terminari aut finiri actu poſſit, ſed in infinitum uſque augeri poſſit ac multiplicari.

*Angeli à Deo conditi fuerunt.*

3. Quia Angeli partes mundi totius ſunt, eos etiam à Deo conditos eſſe, & quidem in cælo, quia iſtud eorum ἴδιον διατήριον vocatur, *Judæ verſ.* 6. Eos conditos eſſe Scriptura etiam indicat, cum eos *Filios Dei* appellat: *Job.* II. 1. *Job.* XXXVIII. 7. *Pſal.* LXXXIX. 7. Et ratio recta poſtulat. quia ſi conditi non ſunt à Deo, tum eos non minus à ſeipſis & ab omni æternitate extitiſſe, quàm Deus à ſe ipſo & ab omni æternitate exſtitit, ut dicatur neceſſe eſt. Id vero ſi dicatur, cur non eadem opera dicatur, eos Deo prorſus æquales fuiſſe, cum intelligentia, voluntate, potentia præditi à ſeipſis eſſent, Deoque proinde nihil deberent? Nec ſubjici eos Deo neceſſe erat, quia ſui juris erant: nec eos ſibi Deus jure ſubjicere poterat, quia à ſe ipſis dependebant, nullique obnoxii erant: nec ut ſe ipſi ultro Deo ſubjicerent cauſſa erat, quia ſubjectio illa fuiſſet dignitatis & poteſtatis juriſque abſo-

absoluti, quod infinito ante tempore habuissent à seipsis, diminutio & renunciatio; quæ à summis potestatibus & nobilissimis istis entibus ut facta dicatur plane non est verisimile. Renunciatio enim ista, fuisset supremæ libertatis in servitutem commutatio, quam nemo sapiens prudensve sponte facere in animum inducit. Neque vero metuere opus habebant sui ipsius destructionem, nisi se Deo subjicerent. Nam quia ex se ipsis habuissent vim vivendi infinito ante tempore, (nam ante quodlibet tempus finitum effluxit infinitum) eandem etiam vim cur non retinuissent in seipsis? aut ut ea iis eriperetur, quomodo metuere potuissent? Certe ex hoc consequeretur Angelos immortales fuisse. quod enim ex se ipso semper & infinito ante tempore fuit, id ut semper & infinito post tempore sit, necesse est. Atqui si id ita est, tum falsum est, solum Deum immortalem esse aut immortalitatem habere: quod tamen diserte asserit Apostolus, 1 *Timoth.* VI. 16. Quare ut Angeli à Deo creati dicantur, necesse est.

## CAPUT II.

### De Angelorum natura, officio, & statu.

HOc constituto videndum porro venit, quid de Angelis credendum sit juxta Scripturas. Nos paucis omnia complectemur.

Ac primo quidem, quoad *substantiam* eorum attinet, statuendum omnino est, eos esse ὑφιστάμενα, sive entia completa, perfecta ac per se subsistentia ac permanentia, idque primum contra Sadducæos, qui Angelos aut Angelum esse, id est, entia Angelica permanentia dari negabant, ut est *Act.* XXIII. 8. Credebant enim (uti ego arbitror) eos fuisse aliquando. hoc enim ex Mosis libris apertissimum esse negare non poterant, ubi creberrimè Angelorum fit mentio. Sed & credebant, eos non nisi ad tempus istud esse, quo à Deo mittebantur, cum humanis corporibus, pro tempore certo efformatis, ad obeundum in iis legationem: ea vero legatione peracta, cum corporibus istis evanuisse atque esse desiisse. Secundo, contra eos, qui Angelos aliud nihil esse contendunt, quam vel bonos aut malos animorum motus; vel exercitia potentiæ ad juvandum aut ad nocendum. Apparet enim ex Scripturis, tria istis tribui, quæ substantiarum per se subsistentium & permanentium propria sunt. 1. Intellectum & voluntatem liberam, sic, ut iis lex posita fuisse dicatur, contra quam peccasse quidam dicuntur, & adhuc peccare, uti supra ostendimus. 2. Operationes continuas & quæ etiamnum durant ac durabunt ad finem usque mundi; cujusmodi sunt, quod quidam dicantur ministrare, veluti apparitores & satellites Deo: *Daniel.* VII. 10. stare ante & circum thronum Dei: *Apocal.* V. 11. ministrare sanctis qui hæreditatis æternæ futuri sunt participes: *Heb.* I. *vers. ult.* videre faciem Dei: *Matth.* XVIII. 10. & quidem (nota bene) ἀδιαλείπτως, id est semper. Ascendere & descendere super Filium hominis: *Joan.* I. *vers. ult.* ministrare ei. *Matthæi* IV. 11. consolari eum: *Luc.* XXII. 43. laudare Deum: *Psal.* CIII. 20. *Psal.* CXLVIII. 2. *Esa.* VI. &c. adorare Deum: *Psal.* XCVII. 7. *Heb.* I. 6. castra sua metari circum pios & timentes Deum: *Psal.* XXXIV. 8. custodire eos in viis suis, & in manibus suis portare: *Psal.* XCI. 11. 12. *Matth.* IV. 6. *Luc.* IV. 10, gaudere ob resipiscentiam quorundam: *Luc.* XV. 7. 10. aliaque infinita. quidam eorum dicuntur tentare pios, circuire eos veluti leones rugientes, seducere, excæcare mentes infidelium, potenter operari in filiis inobedientiæ, &c. 3. præmia quæ Angelis qui in veritate perstiterunt in cælo data sunt, & pœnas quæ Angelis rebellibus inflictæ sunt, & infligentur tandem severissimæ, uti supra ostendimus. His addi possunt apparitiones, sermocinationes, obsessiones, ejectiones, confessiones Angelorum, quæ passim occurrunt in Scripturis; imprimis autem petitio sive obnixa Diabolorum supplicatio, quam Christo Jesu feciſse leguntur, *Matth.* VIII. 31, ut nimirum ejectis sibi permitteret abire in porcos, & quod egressi sese ipsos una cum porcis in mare præcipitaverint. cui adde querelam paulo ante factam, quod Christus eos ejiciendo, veniret βασανίσαι αὐτοὺς πρὸ καιροῦ, *vers.* 29: cum adjuncta ἐπιτιμήσαι, ut *Luc.* cap. VIII. *vers.* 31. ait, ne imperaret ipsis ut in abyssum abirent. quod sane apertissimum signum est, Dæmonas sive Angelos istos, legionem integram facientes, ὑφιστάμενα fuisse atque etiamnum esse.

*Angeli sunt vera ὑφιστάμενα.*

Ex his colligo eos, qui, post excessum Apostolorum ex mundo, nullas aut bonorum Angelorum aut malorum dæmonum apparitiones vel operationes admittendas esse censent, causam nullam satis gravem habere. Etsi enim lubens fateor, Jesum Christum ex illo tempore potissimum invisibili providentia Ecclesiam suam regere cœpisse, ac proinde frequentes ejusmodi visibiles apparitiones cessare voluisse; tamen ut propterea omnes omnino apparitiones Angelicas, aut visibiles seu sensibiles eorum operationes cessare voluisse dicatur, non adducor ut credam. Exempla certe esse videntur energumenωn quorundam, aut dæmoniacorum, quæ vix exceptionem aut instantiam admittunt; quamquam pleraque fabulosa ac ficta esse negari non potest. Ut ut est, certissimum est ex antedictis, Angelos tum bonos tum malos hodieque (invisibiliter licet) in hoc mundo versari, & bonos quidem imprimis in Ecclesia Jesu Christo: 1 *ad Corinth.* XI. 10. malos vero in mundo cætero infidelium, inque aëre: *Ephes.* II. 2. & 2 *Corinth.* IV. 4. quin & multis variisque operationibus tam circa pios quam circa impios occupari, Christoque Domino, sive in bonum piorum, sive in malum impiorum, inservire, & visibiliter rursum ab eo missum iri ultimo die, *ut congregent electos ex quatuor ventis cæli, ab extremo terræ ad extremum cæli*: *Mar.* XIII. 27. & *omnia scandala & facientes iniquitatem colligant ex regno ejus, & abjiciant in caminum ignis*: *Matt.* XIII, 41. unde & venturus dicitur Christus in illo die cum omnibus Angelis sanctis: *Matt.* XXV. 31. cum Angelis potentiæ suæ: 2 *Thess.* I. 7. cum tuba Archangeli: 1 *Thess.* IV. 16. Hoc primum est.

Secundò, statuendum videtur Angelos esse substantias spirituales: quia diserte *Spiritus* vocantur, *Matth.* VIII. 16. ubi Christus dicitur ejecisse spiritus malos, scilicet quorum princeps, spiritus vocatur *Ephes.* II. 2. & *Heb.* I. 14. ubi boni Angeli vocantur πνεύματα λειτουργικὰ, *Spiritus ministratores, qui ministerii caussa emittuntur, propter eos qui hæredes erunt salutis.* Qualis tamen sit ista eorum spiritualitas, an essentia divinæ essentiæ similis, & omni omnino corporeitate carens, an vero, cum corporeitate aliqua conjuncta, non crassa illa, ossea ac carnea, non aërea, non ignea, sed tenuissima, subtilissima, purissima, & lucidissima, qualis est cæli istius, quod ipsorum αἰσθητήριον esse dicitur, contradistincte à materia illa terrea, ex qua corpus Adami formatum fuit, quippe cujus domicilium terra futura erat, difficile est asserere. Certe si corporeitas aliqua iis tribuatur, imprimis quæ humanæ similis est, facillimum tum videtur intelligere, quomodo subinde, & quasi in instanti sæpenumero cum humanis corporibus sese videndos dederint, hominibusque non aliter quam homines apparuerint, quomodo in ignem æternum conjiciendi sint. Ut ut est, dubium nullum est, quin subtilissimæ, tenuissimæ ac proinde penetrantissimæ substantiæ sint, quæ se in corpora hominum insensibiliter insinuare, cælos momento quasi penetrare, in ædes clausas, in carceres obseratos ac pene impervios ingredi possunt, & quamvis multi numero sint, imo integra legio, hominem unum obsidere: *Matth.* XII. 45. *Luc.* VIII. 30.

*Sunt substantia spirituales.*

Propter hanc spiritualitatem qualitates illis conveniunt ac proinde tribuuntur spiritui convenientes ac propriæ 1. *Agilitas*, sive celeritas aut pernicitas in movendo se, & loca omnia penetrando. unde veluti venti esse dicuntur, qui spirare dicuntur quo volunt, *Joan.* III. 8. veluti fulmina, quæ ab oriente in occidentem exeunt pene in instanti: *Matth.* XXIV. 27. *Luc.* X. 18. & veluti flammæ ignis, quæ durissima etiam corpora penetrant, & in intima eorum ita se insinuant ut non nisi ignis esse videantur: *Psal.* CIV. 4. quæ Psalmi verba scriptor ad Hebræos, *cap.* I. 7. ad Angelos refert, secutus scilicet versionem Græcam Vet. Test. quæ tum temporis inter Judæos recepta erat, & pro authentica habebatur, quaque proinde in citandis testimoniis Novi Testamenti scriptores plerumque uti solebant. Ob hanc caussam etiam *Cherubim* dicuntur, id est, alati & volucres, tum propter promtitudinem ad divina jussa exsequendum; tum propter pernicitatem, quam alæ volucribus dant, ut celerrime de loco in locum ferantur ac rapiantur.

*Ac proinde agiles.*

2. *Subtilitas*, qua fit ut invisibiles sint & incontrectabiles. *Luc.* XXIV. 39: *Contrectate me & videte. Nam spiritus carnem & ossa non habet, sicut me conspicitis habere.* Fateor quidem mihi videri hoc in loco per *spiritum* non intelligi angelum, aut spiritualem essentiam, sed phantasma sive spectrum; quia (ut jam alias rationes non adferam) *vers.* 37. dicitur, quod discipuli consternati & expavefacti *videbantur sibi spiritum videre*; ubi *spiritus* valde probabiliter nil nisi spectrum sive phantasma est. attamen quia vox πνεῦμα generalis est, & de spirituali essentia non minus quam de spectro ac phantasmate certum est eam carne & ossibus carere, idcirco locum hunc etiam allegari posse credidi.

*Subtiles.*

3. *Efficacitas*, sive potentia & robur. Spiritui enim illa propria est, & ei tribuitur opposite ad carnem, quæ fragilis & impotens est; *Esa.* XXXI. 3. Ea autem consistit in variis ac pene infinitis rebus efficiendis; puta in elementaribus corporibus agitandis, alterandis, sistendis, dissipandis: ex. g. in aëre turbando ventis & tempestatibus: *Job.* I. 16. 17. (hinc dæmonibus potestas aëris tribuitur peculiariter, *Ephes.* II. 2. & pote-

*Potentes.*

& poteſtas, τὸ τῆς ἰσχύος: *Epheſ.* VI. 12.) in igne ſiſtendo ſive reprimendo ne urat, *Daniel.* III. in eodem ex cælo dimittendo & quaſi devocando: *Geneſ.* XIX. & *Job.* I. 16. in terra & mari lædendis: *Apocal.* VII. 2. In hominibus tum juvandis: *Geneſ.* XIX. tum adfligendis: *Exod.* XII. 2. & 2 *Reg.* XIX. in eorum corporibus celerrime per aërem transferendis: ut in exemplo Chriſti, *Matth.* IV, & Philippi Euangeliſtæ, *Act.* X. apparet, in phantaſia eorum turbanda, uti in exemplo Saulis liquet, 1 *Sam.* XVI. 15. in oculis eorum ſcotomate quodam obducendis: *Geneſ.* XIX. 11. in ſenſibus eorum tum externis tum internis alterandis aut immutandis, ſeſeque ſive in ſomnio, ſive in viſione iis repræſentando: *Daniel.* X. quin & efficaciter admodum, etſi non irreſiſtibiliter, afficiendis animis, ac mentibus eorum decipiendis: 1 *Reg. ultimo. Epheſ.* II. 2. in morbis immittendis: 2 *Sam.* XXIV. 16. *Job.* II. 7. *Act.* XII. 23. quo referri commode poteſt, quod de traditione quorundam in poteſtatem Satanæ ab Apoſtolo facta, legitur 1 *ad Corinth.* V. 5. & 1 *Timoth.* I. 20. Breviter: Spirituum horum potentia ingens eſt; unde exercitus Dei eſſe dicuntur paſſim, & Deus *Deus Zebaoth*, ſive exercituum iſtorum; qui, ut eſt *Pſal.* CIII. 20, *Valentiſſimi robore*, & 2 *Theſſ.* I. 7, *Angeli potentiæ Dei* dicuntur. Exemplum autem manifeſtum potentiæ Angelicæ videre eſt, in Angelo iſto, quem Deus populo Iſraelitico præfecit in deſerto, cujus ope ac miniſterio omnia iſta admiranda opera in deſerto facta eſſe crediderim. *Exod.* XXIII. 20. 21, &c. qui propterea *Angelus facici Domini* dicitur, *Eſa.* LXIII. 9, cui itidem opera iſta omnia tribuuntur. ſive ea velimus facta fuiſſe per vim Angelo iſti à prima creatione inditam, ſive per novam quandam & peculiarem ei à Deo communicatam virtutem, quæque in eo poſtmodum eſſe deſiit. Potentia tamen Angelorum infinita videri non debet, ſed limitata & circumſcripta, non extrinſecus tantum finibus imperii divini, *Geneſ.* XIX. 22. ſed & intrinſecus finibus eſſentiæ propriæ ſive creatæ. Unde, ut miracula proprie dicta ab iis facta eſſe, aut fieri poſſe dicantur, ratio non ſinit; quia miracula ſunt opera quæ excedunt. tum ſapientiæ, tum potentiæ creatæ omnis vires. unde *Pſal.* LXXII. 18 de Deo dicitur, quod *mirabilia faciat ſolus*; uti & *Pſalm.* CXXXVI. 4, quod *ſolus faciat mirabilia magna.*

4 Qualitas eſt *Immortalitas*; quæ ſpiritui etiam convenit ab intrinſeco. Etſi enim extrinſecè ſpiritus creatus annihilari poteſt à Deo; tamen ſpiritus, qua talis, mortalis non eſt; uti videre eſt *Luc.* XX. 36. ubi ii qui in reſurrectione mortuorum beata partem habituri ſunt, dicuntur *mori non poſſe*, idcirco quia ſunt ἰσάγγελοι, id eſt, ſpirituales toti, anima & corpore, non amplius facti in animas viventes, ſed in ſpiritum vivificum habitantem in eorum corporibus, non carneis illis & ſanguineis ad generationem idoneis, ac proinde corruptibilibus: (unius enim generatio eſt corruptio alterius;) ſed, cæleſtibus & ſpiritualibus: quæ idcirco etiam ἀφθαρσία & ἀθανασία vocantur, 1 *ad Corinth.* XV. 42. 45. 50. 53. 54.

*Sunt finiti magnitudine.* Tertio, ſtatuendum omnino videtur, Angelos quoad quantitatem eſſe *finitos*: Et quidem quoad quantitatem continuam, id eſt, magnitudinem, circumſcriptos certis eſſentiæ ſuæ finibus; proinde in certo aliquo loco ſive ſpatio, eſſentiæ eorum commenſurato, & virtuti ſive potentiæ eorum adæquato, eſſentialem & virtualem ſuam præſentiam habere; ita ut, ubicunque ſunt, ſemper in determinato & definito ſpatio ſive loco ſint, quem excedere non poſſint, & in iſto ſpatio exiſtentes (nec aliter) virtutem ſuam exerere opus habeant: quæ & ipſa intra certam activitatis ſphæram contenta ſemper manet. unde colligitur, impoſſibile eſſe, ut idem Angelus in pluribus locis ſimul ſit; ſed motione opus habere ut de loco in locum tranſeat: & motione quidem nec moroſa, nec laborioſa, nedum moleſta, qualis eſt corporum noſtrorum; nec prorſus inſtantanea, ſive quæ immediate tota ſimul fiat; ſed quæ temporis aliquo intervallo per prius & poſterius indiget, & tranſitione ab extremo ad extremum per medium. Intervallum tamen iſtud & tranſitio utplurimum vix eſt perceptibilis nobis, quia ſpiritualis eſſentia nullam nobis perceptibilem reſiſtentiam aut reactionem patitur à corporibus, licet craſſiſſimis: uti liquet in cæde primogenitorum omnium in Ægypto per Angelum unum facta, in medio noctis, pene hora una atque altera: *Exod.* XII. 29. 30. 31. & in cæde in Zennacheribi exercitu facta una nocte, qua CLXXXV millia hominum ab uno Angelo, 2 *Reg.* XIX. 35, cæſa fuiſſe dicuntur.

*Maximo numero.* Quod ad quantitatem eorum diſcretam attinet, certum eſt eos numero admodum multos eſſe, ex variis locis Scripturæ, ac nominatim *Daniel.* VII. 10. *Apocal.* V. 11. *Matthæi* XXVI. 53. *Heb.* XII. 22. *Job.* XXV. 3. *Pſal.* LXVIII. 18. Etſi vero numerus iſte non eſt in Scriptura definitus, ac proinde nobis incognitus, Deo vero notus; tamen dubium non eſt quin ſit longe maximus; qui nec minuitur nec augetur, quia nec generantur nec intereunt: *Luc.* XX. 16.

*Ordo & gradus Angelorum.* Inter multos iſtos ordinem quendam eſſe, & graduum in iſto ordine diſparitatem, Scriptura non obſcure indicat: quando inter bonos Angelos Archangeli mentionem facit. (Archangelorum enim in plurali numero mentionem fieri nuſpiam liquet: niſi quis ex *Daniel.* X. 13, id colligere velit, ubi Michael Archangelus *unus è principibus primis* vocatur.) 1 *Theſſ.* IV. 16. *Judæ verſ.* 9. Inter malos Diaboli, cui tanquam principi Angelos ſuos tribuit, *Matth.* XXV. 41. *Apocal.* XII. 3. & XX. 2. (Diabolorum enim in plurali numero mentio in Scripturis non fit.) Cui adde, quod eadem Scriptura diſerte recenſeat *thronos, dominationes, principatus, & poteſtates, ad Coloſſ.* I. 16, quas in cælis collocat; & *virtutes*, *Epheſ.* I. 21. quin & *nomina*, id eſt, dignitates quæ in futuro ſeculo ſint: *ibidem.* Item inter malos Angelos *Dæmoniorum Principem*: *Matth.* IX. 34. & XII. 24. quin & *imperia, & poteſtates, & principatus, Coloſſ.* II. 15. *Epheſ.* VI. 12. Quæ tamen inter hos gradus ſit diſtinctio, curioſum eſt ſcrutari, definire temerarium. Nos eam malumus ignorare ſine crimine, quàm ſcrutari cum diſcrimine. Certè de iis, qui Hierarchiam cæleſtem veluti ex tripode dividunt in ſupremam, mediam & infimam: in unaquaque autem hierarchia collocant tres ordines ſeu choros Angelorum diſtinctos; in ſuprema ſcilicet Seraphinos, Cherubinos & thronos: in media Dominationes, virtutes & poteſtates: in infima, Principatus, Archangelos, & Angelos: de iis, inquam, merito dici poteſt, quod de ſui temporis πρωτοβρβολίαις in cultu Angelorum dicebat Apoſtolus, *Coloſſ.* II. 18. ἃ μὴ ἑωρακὼν ἐμβατεύων.

*Miniſteria eorum.* Veroſimile tamen eſt, ordinis ac graduum iſtorum rationem ordinarie haberi, in functionibus & miniſteriis quibuſdam obeundis ac peragendis; ſic tamen ut non raro & extra ordinem Deus ad eadem miniſteria diverſi ordinis Angelos adhibeat atque uſurpet. Inter iſta autem miniſteria & functiones ut recenſeatur Ariſtotelicum iſtud, quod Angeli ſive intelligentiæ quædam orbes cæleſtes perpetua celerrimaque rotatione ac circumgyratione impellant ac cieant, abſurdiſſimum eſt. Quid enim neceſſe eſt orbes iſtos à motore aliquo extrinſeco impelli, cum nihil vetet eos naturali quadam vi, inſitaque à Deo proprietate, in orbem circumagi, uti gravia naturali proprietate deorſum, & levia ſurſum feruntur? Quid vanius quam aſininum iſtum laborem nobiliſſimis entibus tribuere, eaque veluti Ixionas rotis, & ergaſtularia mancipia molis truſatilibus alligata credere?

*An ſumum cuique bonum miniſtret aſſignatus Angelus.* Sed nec magis inter iſta miniſteria recenſuerim vulgare iſtud, quod ſingulis hominibus ſinguli adſignati ſint Angeli. Id enim 1. ex Scriptura non liquet. 2. Scriptura eos mitti dicit propter eos qui hæredes ſunt ſalutis: *Heb.* I. *verſ. ult.* & quidem non ſingulos propter ſingulos; ſed complures ſæpe, adeoque exercitus integros, propter unum: ut ex *Pſal.* XCI. 11. & *Matth.* IV. & ex Jacobi Patriarchæ, & Elizæi exemplo liquet. item ex Lazari, *Luc.* XVI. 22, & *Luc.* XV. 10. Et aliquando propter paucos: *Pſalm.* XXXIV. 8. *Matth.* XVIII. 10. 3. Scriptura dicit unum aliquando multis dari ducem ac cuſtodem: *Exod.* XXIII. 20. 21. quin & provinciæ integræ: *Daniel.* X. 12. 13. unum autem uni homini, nedum unicuique adſignari, nuſpiam legere eſt. Locus Tobiæ eſt apocryphus. Locus *Act.* XII. 15 eſt dubius. Angelus enim ibi nuncium ſignificare poteſt, & veriſimiliter ſignificat.

*Diſtinctio in bonos & malos.* Quod ad qualitates Angelorum attinet, non metaphyſicas, nec phyſicas iſtas de quibus ſupra egimus, ſed morales propriè dictas, Angelorum alii dicuntur *boni*, alii *mali*; à bono ſcilicet aut malo uſu liberi arbitrii ſui. Bonus autem & malus uſus liberi arbitrii, præſupponit legem quæ Angelis lata ſit, ſive ea naturalis lex, ſive poſitiva, ſive utraque ſimul fuiſſe dicatur. Qualis enim ea lex fuerit ex Scriptura non liquet. At legem fuiſſe neceſſe eſt, quia quidam *peccaſſe* dicuntur, 2 *Pet.* II. 4. Peccatum autem eſt ἀνομία ſive legis tranſgreſſio: 1 *Joan.* III. 4. Bonitas ergo Angelorum eſt conformitas voluntatis & actionum Angelorum cum lege iſta. Malitia contra, difformitas à lege. Ad conformitatem autem aut difformitatem illam habendum, ſuffeciſſe credimus claram legis iſtius cognitionem, & libertatem arbitrii naturalem, legi iſti aut obediendi aut non obediendi. Gratiæ ullius ſupernaturalis, ſive habitualis, ſive actualis excitantis neceſſitatem nullam videmus, nedum gratiæ quæ ex prævisis meritis Chriſti collata ſit aut conferri deberit. Unde conſequitur conformitatem illam voluntatis & actionum cum lege, fuiſſe veram ac proprie dictam virtutem liberrimæ obedientiæ; & contra, difformitatem iſtorum à lege, fuiſſe verum ac proprie dictum peccatum, liberrimæ inobedientiæ. utraque enim profecta dicatur neceſſe eſt ex pari naturali

turali libertate voluntatis; sic, ut illa non extiterit ex gratiæ alicujus specialioris influxu, aut motione physica prævia, libertatem in alteram partem determinante; nec hæc aut ex defectu, aut ex subductione necessariæ alicujus gratiæ, aut ex arcana aliqua motione, sive impulsione voluntatis in contrariam partem, sed ex propria & intrinsece libera voluntatis actionum conformatione cum lege, aut difformatione voluntatis actionumque à lege. Hinc in Scripturis

*Utrorumque descriptio.*

Boni Angeli, vocantur *Sancti*: *Matth.* XXV. 31. *Mar.* VIII. 38, & c. *partim*, quia in veritate, id est, vera obedientia & sanctimonia, in principio steterunt, id est, perstiterunt, non abducti cum cæteris rebellibus Angelis. qui propterea dicuntur non stetisse, id est, non perstitisse (Hebræi enim ut & Syri compositis verbis carent) in veritate: *Ioan.* VIII. 44. id est, vera obedientia, &, quæ ei conjuncta est, vera Dei laudatione, opposita mendacio, id est, obtrectationi & detrectationi nominis divini. Nempe ne sine caussa rebellare & obsequium Deo detrectare viderentur, mendaciis & calumniis divino Numini adspersis, rebellioni suæ fidem addere voluerunt. Hinc mendacium iis Joannes tanquam ἴδιον quid tribuit in eodem versu, & in quo illi adhuc perstant; adeo ut princeps eorum mendax καθ' ἐξοχὴν & pater mendacii, quin & ὁ διάβολος vocetur. *partim*, quia propter istam suam in obedientia constantiam, separati ac sejuncti manent à rebellibus Angelis: utpote qui impuri & immundi spiritus sunt, & vocari solent; & quidem in loco isto sancto, quem ab impuro mundo segregatum Deus esse voluit, & qui sancta Dei ipsius habitatio seu domus esse dicitur, id est, in cælo; unde *Angeli cælorum* vocantur, *Matth.* XXIV. 36. *Mar.* XII. 25. & *Angeli lucis*: 2 *ad Corinth.* XI. 14. quia in cælis lux ista inaccessa est, in qua habitare dicitur Deus, 1 *ad Timoth.* VI. 16. oppositè ad rebelles Angelos, qui vocantur κοσμοκράτορες τοῦ σκότους τούτου. *Ephes.* VI. 12. quorum princeps vocatur *Deus sæculi hujus*: 2 *ad Corinth.* IV. 4. cui *potestas est aëris*, id est, tenebrarum, quia aër nisi à Sole illustretur tenebrosus prorsus est: aut quia lumen quod à Sole accipit, non est lumen Angelis proportionatum, sed veluti cæcis tenebræ meræ. unde & *vinculis caliginis* adstricti servari dicuntur, 2 *Pet.* II. 4. & *vinculis æternæ caliginis*, *Judæ vers.* 6. Nempe quia suam originem, id est, vel statum, vel locum, in quo ab origine positi fuerant, non servarunt, sed proprium, id est, à Deo primitus sibi adsignatum οἰκητήριον, sive domicilium reliquerunt, id est, quasi studio & dedita opera per rebellionem suam inde ejici & detrudi voluerunt; indignos nempe se eo reddentes, & dignos, quibus tartarus sive abyssus pro loco proprio adsignaretur. eodem plane sensu, quo de Juda Apostolo dicitur, *Act.* I. 25. quod ἐξ ἀποστολῆς παρέβη, πορευθῆναι εἰς τὸν τόπον τὸν ἴδιον, id est, ut abiret in statum & locum istum funestum quo dignus erat, & quem quasi proprium suum pessima voluntate sua sibi fecerat; indignus nempe qui, Apostoli instar, ad omnia fere loca mitteretur cum honore & dignitate. Hinc Angeli isti sancti, *electi* etiam *Angeli* vocantur, 1 *Timoth.* V. 21. ἐκλεκτοὶ nominaliter scilicet, id est, ob suam obedientiam eximii, excellentes, & cæteris rebellibus neutiquam conferendi; ut conveniat cum Hebræa voce בחור quæ isto sensu creberrime usurpari solet: uti & vox ἐκλεκτὸς *Matth.* XX. 16. & XXII. 13. & XXIV. 22. *Luc.* XVIII. 7. *Rom.* VIII. 33. *Coloss.* III. 12. &c. vel si quis participialiter accipere velit, pro ἐκλελεγμένοι, quos Deus idcirco, quia in veritate perstiterant, & constanter sibi atque obsequio suo contra rebelles Angelos se mancipaverant, separare atque secernere voluit sibi in peculium & eximiè caros ac dilectos sibi habere; oppositè ad cæteros rebelles, quos à se separare & domo sua ejectos παῤῥησίᾳ voluit. ut enim hic electio & reprobatio aliqua absoluta intelligatur, absurdissimum est.

*An Angelis bonis ex Dei gratia excidere amplius nequeant.*

An vero ex his omnibus consequatur, Angelos omnes bonos, sic descriptos, in statu gratiæ divinæ adhuc esse, unde excidere possint, licet confirmati sint in sanctitate, partim ex intuitu pœnæ, qua Angeli apostatæ adfecti sunt, partim ex sensu auctæ gratiæ; An vero eos in statu gloriæ esse, & perfecta beatitudine frui, unde excidere non possint; non omnino certum est. quamquam, si quis Angelos apostatas videat, quos in statu iræ ac damnationis æternæ jam esse certum est, inque malo proinde, partim ex irati Numinis intuitu, & exinde nata mala conscientia, partim ex propria, &, propter irrevocabilem in ipsos latam damnationis sententiam, inexpugnabili malitia ac contumacia obduratos esse, ut in gratiam cum Deo redire nec velint nec possint; ex contrario non improbabiliter concludi posse videtur, bonos Angelos in statu gloriæ similiter esse constitutos, ut ex eo excidere non possint. quod & confirmari posse videtur ex eo, quod sicut Diabolus cum Angelis suis dicitur conjiciendus in ignem æternum ultimo die, sic boni Angeli & Archangelus ipse dicatur venturus cum tuba Dei, & fideles omnes secum in gloriam Dei & Filii ejus adducturus esse. quod jam immutabilem eorum statum esse videtur arguere.

*De tribus Angelorum gradibus secundum Cabalistas.*

Restaret ut nonnulla adderemus de Judæorum Cabalistarum opinione, qua statuunt tres Angelorum gradus dari: quorum primus est Angelorum sive intelligentiarum à materia separatarum, qui nunquam nisi in prophetica visione apparuerunt, ac proinde visi nunquam sunt, sed auditi tantum, cæteroquin semper circumsistunt thronum divinæ Majestatis. Secundus, Angelorum Ministerii, qui ad regendum mundum conditi sunt, id est, ad sanctis & piis ministrandum, opem ferendum & benedicendum. Hos, quia habitant supra orbes, dicunt vocari exercitus cælestes, & quia ministerii caussa conditi sunt, visibiles quandoque formas assumsisse, & Prophetis virisque sanctis sic apparuisse ac visos esse asserunt. Tertius, Spirituum sublunarium, qui ministri sint & executores divinæ iræ ac justitiæ, id est, uti eos vocare solent, Angeli damni, Angeli mortis, & Angeli tortores sive carnifices, quia de malis sumunt supplicia, & in peccata hominum inquirunt. Hos masculos & fæmineos spiritus esse, cibis vesci, generare, & mori instar hominum, alis præditos esse, interque eos alios astutos & callidos, alios stolidos & fatuos esse asserunt. De hac Rabbinorum opinione dicenda quædam essent, sed vero operæpretium non arbitror eam solicite re fellere; indicasse sufficiat: quia eam non nisi merum commentum & fabulam verporum esse, manifestum est ex iis quæ in Novo Testamento de Angelis dicuntur; & in Veteri Testamento etiam, licet nonnihil obscurius, dicta esse legimus; imprimis *Genes.* III. 1, ubi de serpente Evam seducente, id est, diabolo sub serpentis corpore latente agitur. & 1 *Reg.* XXII. 21, ubi de spiritu mendace & promto ad decipiendum Achabum. 1 *Paral.* XXI. 1, ubi de Satana concitante Davidem ut numeraret populum. *Psal.* CIX, ubi de Satana ad dextram ejus, cui ibi maledicitur, stante, id est, pro arbitrio suo in omnia scelera eum abripiente. & *Iob.* I. 6. 7, ubi de Satana in Iobi viri sanctissimi perniciem promto & parato agitur, &c. Ex istis enim locis non obscure colligere est, Angelos istos mortis & damni, quos vocant, non esse spiritus sic à Deo creatos, sed quales in Novo Testamento esse dicuntur, peccatores, & ad peccandum homines, quibus possunt modis, solicitantes, impellentes, atque ita hostes & inimicos Dei, ejusque iræ suapte culpa obnoxios. De cæteris vero duobus Angelorum gradibus in tota Scriptura nihil dici per se planum est.

## CAPUT III.

### De creatione mundi hujus adspectabilis.

*Terra seu Chaos.*

POst creatum cælum & Angelos, eorumque diutinam, uti ego quidem arbitror, rebellionem, quæque eam deinde justa Numinis vindictâ consecuta est, eorum è cælo in tartarum detrusionem, visum fuit Deo Terram, quæ toto isto tempore, quo Angelorum, ut ita loquar, mundus sive Respub. duravit, desolata & vacua jacuerat, & quia tenebris profundissimis obsita erat, idonea fuerat quæ rebellium Angelorum tartarus sive abyssus fieret, elaborare & adornare in domicilium idoneum, in quo constituerat apud se, collocare hominem quem creaturus erat ad imaginem suam, & in eo aut circa eum demonstraturus omnes gloriosissimarum suarum proprietatum opes ac divitias; secus quam in Angelis suis fecerat: *ad Heb.* II. 16.

Per *terram* autem intelligo globum terra & aqua constantem, juxta phrasin Scripturæ, *Genes.* II. 1. 4. & XIV. 22. *Exod.* XXXI. 17. & 2 *Reg.* XIX. 15. *Esa.* LI. 13. & juxta descriptionem ejus quæ fit *Genes.* I. 2. ubi Spiritus Dei dicitur se agitasse in superficie aquarum, ambientium scilicet & circumquaque terram cingentium, uti ex *vers.* 9 liquet, ubi dicitur terram arefactam apparuisse; haud aliter quam factum legitur post diluvium *Genes.* VIII. 3. 13. 14. Hæc terra dicitur fuisse תהו ובהו, id est, solitudo & inanitas, sive ut LXX vertunt, ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύαστος, deforme chaos quoddam, & rudis atque indigesta moles, nulla pulchritudine aut forma notabili prædita, quo sensu voces illas usurpat Jeremias, *cap.* IV. 23: *Aspexi terram, & ecce, illa erat Tohu-vabohu*, id est, adeo deformis, degener ac deturpatus erat mundus, ut similis videri posset terræ, sive mundo, quando nil nisi chaos vastum adhuc erat, id est, rudis materia nulla pulchra forma vestita aut prædita; oppositè ad mundum, qui postea à Deo pulcherrime adornatus fuit; unde & mundus Latinis & κόσμος Græcis dictus est.

*Unde factus est mundus hic adspectabilis.*

Ex hac terra & aqua creatus, id est, fabricatus, dispositus & adornatus est, mundus hic adspectabilis. Fabricatio autem, dispositio & adornatio hæc mundi facta est, non in instanti, sed

ſed ſucceſſive ſpatio ſex dierum, prout Moſes diſerte narrat, & ratio manifeſta evincit; quia alioquin ſequeretur Deum eodem momento quo condebat omnia, quieviſſe: (inſtans enim, indiviſibile momentum eſt:) & tamen expreſſe dicitur Deum quieviſſe die ſeptimo. Ver an Autumnus fuerit, quo fabricatio illa cœpit, incertum eſt, & ut à nobis anxiè inquiratur non neceſſarium, ut vero etiam præciſe definiatur, temerarium.

*Primo die facta ſunt lux.*

Ac primo quidem die dicitur *Lux* facta; quia antea erant opaciſſimæ tenebræ ſuper faciem abyſſi, id eſt, terræ aquis undique circumfuſæ; ut nimirum fabricationis, diſpoſitionis & adornationis ſecuturæ gloria pateſceret ex una parte; ex altera vero parte, ut beneficio lucis hujus, benignus, temperatus, & terræ ſimul atque aquæ vegetandæ idoneus calor affunderetur, qui ſua ſubtilitate ſe iis inſinuans, Solis cujuſdam inſtar, apta ea corpora redderet, ut ex iis ea quæ deinde producta ſunt producerentur. Lucem autem hanc crediderim fuiſſe qualitatem aliquam, ex & in portione aliqua aquæ, ſeu condenſatæ, uti in cryſtallo, ſive rarefactæ, uti in oleo, vino aduſto, & aquis marinis ad littora repercuſſis videre eſt, reſultantem; quæ per medias aquas per intervalla certa radians, ac diffuſſa nunc in hanc nunc in illam partem, diei ac noctis diſtinctionem fecerit.

*Secundo, expanſio.*

Secundo die facta fuit *expanſio*, Hebræis dicta רקיע à verbo quod expandere ſive extendere ſignificat, veluti cum pellis aut aulæum extenditur, aut metallum malleo diducitur & attenuatur. LXX interpretes vertunt στέρωμα, id eſt, firmamentum; cur, & quo ſenſu, incertum. Expanſio hæc mihi aliud non videtur eſſe quam aquarum diſſeparatio, & quarundam craſſiorum in ſublimem valde locum elevatio, cum medio interſtitio vaſto, à centro aquarum in ſuperficie terræ adhuc reliquarum uſque ad fornicem, ſive ſupremarum aquarum contignationem aut concamerationem, extenſo: quod interſtitium aliud nihil eſt, quam vacuum, aquæ, ſubtiliter attenuatæ & rarefactæ, atque ad firmam & durabilem quandam conſiſtentiam redactæ, portione plenum. Hoc *Aër* nobis dicitur, qui uniformis & continuus eſt uſque ad fornicem ſive concavum ſupremarum aquarum. Hic planetarum, meteororum, nubium, receptaculum eſt, & conveniens ac neceſſarium calori animalium omnium vitali refocillando ſpiraculum, volucriumque in eo vagantium ad pabulum quærendum domicilium. Extima ſive ſuprema hujus aëris regio attingit fornicem illum cæruleum, in quo poſtea die quarta ſtellæ fixæ collocatæ fuerunt; qui fornix cæruleus mihi eſſe videtur aquarum in altum elevatarum, & cryſtalli in morem ſeu condenſatarum, ſeu congliciatarum, cæruleoque colore radiantium, compages, quam Deus veluti aulæum aut ſiparium appendere voluit, palatio ſuo ac domicilio Angelorum ſanctorum ſuorum; quod Scriptura vocat *cælum cæli*, vel cælos cælorum, 1 *Reg.* VIII. 28. *& cælum tertium*, 2 *ad Corinth.* XII. 2. nempe reſpectu interſtitii ſive aëris intermedii, qui cælum primum eſt, & cælum idcirco etiam vocatur, ut cum volucres cæli dicuntur, & apud nos cælum nubilum, ſerenum eſſe dicitur; deinde reſpectu fornicis ſive tabulati aut contignationis extimæ, quæ interſtitii iſtius quaſi limes eſt ac terminus, quæ cælum ſecundum eſt, in quo aſtra ſunt, & cælum omnibus populis fere vocari ſolet. Totum hoc expanſum vocavit Deus, & Hebræis dicitur in duali numero שמים propriiſſime, quia aquæ elevatæ illic ſunt, & totum illud quod in eo eſt, nil niſi aquæ elevatæ portio eſt. unde fornicem iſtum, aqueum etiam eſſe crediderim, ſed à Deo ſic condenſatum extenſumque, ut aſtrorum poſſet eſſe idoneum receptaculum, quæ & ipſa omnia aquea eſſe mihi imaginor, ac proinde igne tandem diſſolvenda & liquefacienda, ut Petrus ait 2 *Epiſt.* III. *cap. verſ.* 11. 12. Ratione hujus fornicis ſive concamerationis extimæ, LXX forte reddiderunt vocem שמים per στέρωμα, ſive firmamentum: eadem ratione qua Homerus χάλκεον οὐρανὸν dixit, & χαλκοβατῆ δώματα. & aliquando διδύμιον οὐρανόν. quamquam ipſum etiam interſtitium, id eſt, aër, στέρωμα, vocari ab iis potuit, quia ſtabilis & uniformis ſemper manet, ſupremamque aquarum compagem veluti ſuſtinet, ſtabilit, ac firmat.

*Tertio, congregatio aquarum. & plantarum productio.*

Tertia die, poſtquam aquæ tanta quantitate imminutæ erant, reliquæ terræ adhuc ſupernatantes, *in unum locum*, id eſt, meo judicio, non in unum numero, ſed ſpecie locum, ſive in cavitates à Deo terræ inſculptas, quæ unus, id eſt, certus aquarum locus eſſent, contradiſtinctè ab aquis, quatenus undique terram cingebant, & quaſi ubique nullis certis in locis erant, congregatæ & coactæ, terræquæ per ſecretos meatus infuſæ ſunt; nempe ut terræ ſuperficies arida reddita præpararetur in uſum imprimis hominis, & aquis iſtis, jam (Deo ita benedicente) luce ac colore perfuſis, veluti fœcundo & prolifico ſemine, in viſceribus ſuis ad fructus ferendos apta redderetur; quod & protinus factum apparuit, per herbarum plantarumque prolifica vi imbutarum germinationem & eruptionem, quæ eadem tertia die facta dicitur. Per congregationem ergo aquarum intelligo non eam tantum quæ Oceanus dicitur, ſed quamlibet etiam aliam, ſive ea cum Oceano cohæreret, ſive non cohæreret, puta quæ Pontus Euxinus dicitur, ſive Arabibus Mare clauſum, Mare Caſpium, aut Mare Hyrcanum; aliaque quæ fluviis, fontibus, lacubus, ſtagnis, æſtuariis & paludibus continebantur. In textu enim dicitur, Deum vocaſſe congregationem aquarum, non mare in ſingulari numero, ſed ימים maria, in plurali: quæ tamen maria omnia non minus recte dici poſſunt unum Mare, quam terra una terra, quamvis per inſulas multas divulſa ſit & diſcreta à ſeipſa, ut continentem unum non faciat.

Per herbas & plantas intelligo ſpecies omnes herbarum & plantarum, quibus ſingulis peculiare ſemen, ac proprium ad individuorum propagationem, attributum eſt; exceptis ſpeciebus ſpinarum, tribulorum, urticarum, &c. quas poſt peccatum per divinam maledictionem ex terræ gremio eductas aut enatas eſſe, arbitror indicari *Geneſ.* III. *verſ.* 17. 18. Quæcunque ergo herbarum plantarumve ſpecies in mundo ſive terra unquam apparuerunt, hodieve de novo apparere quaſi videntur, earum omnium ſemen terræ in principio inditum fuiſſe crediderim. Quæ vero etiam arte & induſtria, ſive cultura humana, per maritationem aut conjugationem variorum ſeminum, ſpecies novæ exiſtere videntur, eas ego non novas ſpecies, ſed ſpecierum variarum commiſtiones eſſe arbitror, uti in animalibus mulus eſt.

*Quarto, Aſtra, Sol, Luna.*

Quarta die efformavit Deus omnia *aſtra*, Solem & Lunam, & ſtellas, ut ex hiſtoria Moſis liquet; & uti quidem ego arbitror, Lunam ex aquis inferioribus, jam quidem in unum locum coacervatis, ſed longe adhuc terræ altioribus, & lucem illam, quæ primo die facta dicitur, quaquaverſum diffundentibus. Has extantes aquas, cum Luce iſta in altum ſublatas, in corpus Lunæ conglobavit, unde terræ & aquæ unus & æqualis globus factus eſt, & in infima aſtrorum regione eam collocavit, mari viciniſſimam, unde tanta Lunæ cum mari cognatio eſt. Stellas fixas Solem, & planetas reliquos, ex aquis ſuperioribus, quæ magna quantitate elevatæ erant ſecundo die, cryſtalli in morem condenſatis, & in corpora quædam vaſta conglobatis, manentibus rarioribus aquæ partibus, tenuis inſtar laminæ, quæ fornicem cæli facerent, in quo ſtellæ fixæ noctu per expanſionem radiare, & lumen ſuum diffundere, conſpicerentur. Sub eo vero Sol & planetæ cæteri eſſent, non certis orbibus infixi, ſed orbes ſinguli ſuo proprio motu quaſi effecturi. Stellarum in genere mentio fit. Solis autem & Lunæ, tanquam duorum grandium luminarium; tum, quia ſecundum judicium oculorum apparent grandia; tum quia magna & peculiaris eorum futura erat virtus & efficacia in hæc inferiora. Finis ſive utilitas eorum triplex aſſignatur à Moſe. 1. ad illuminandum terram. *verſ.* 14. 15. 16. 2 ad diſtinguendum, ſive potius ad inducendum viciſſitudines tum diei & noctis, tum annorum & temporum, *verſ.* 14. veris ſcilicet, æſtatis, autumni & hyemis. 3. ad ſignificandum futuras aëris tempeſtates, ventum ſcilicet, pluviam, ſerenitatem, calorem & frigus; per conſequens oportunitatem ſerendi, metendi, arandi, navigandi, medicandi. quod videtur indicari à Moſe, cum ea facta eſſe dicit, *in ſigna*, *verſ.* 14. Per *ſigna* enim non intelliguntur, ſigna quæ magno labore atque induſtria crebriſque experimentis ſignificare eventa futura dicuntur; puta conjunctiones aſtrorum & planetarum cum Sole hæ aut illæ, quæ pleraque incerta ſunt; nedum quæ Aſtrologi Judiciarii ſigna vocant, unde prænoſci poſſe credunt futura omnia eventa, etiam quæ à libero arbitrio hominum dependent: quæ omnia vana ſunt, & pro vanis haberi vult Deus: *Deut.* IV. 19. ſed ſigna ordinaria, & cuilibet obvia, iſta quæ recenſuimus, ad quæ Chriſtus ipſe reſpexit, *Matth.* XVI. 2. 3. *Luc.* XII. 54. 55. Per *tempora* autem, non intelliguntur tres iſtæ differentiæ temporum, Præſens, præteritum & futurum. Has enim produci ſimul impoſſibile eſt; imo has produci ſimpliciter impoſſibile eſt. Præteritum enim non poteſt produci, quia productionis omnis terminus eſt exiſtentia rei quæ producitur. At præteriti qua talis terminus non poteſt eſſe exiſtentia: quia præteritum non eſt, ſed fuit. Eadem eſt ratio futuri. Quod ad tempus præſens attinet, nec iſtud produci poteſt, quia eodem momento produceretur & annihilaretur. Præſens enim aliud nihil eſt quam unum individuum momentum, aut inſtans indiviſibile. Quicquid autem in momento contingit, ſimul contingit. Momentum ergo illud ſimul fieret, eſſet, & periret. Tempus itaque revera nihil eſt reale uti & locus, prout antea diximus. Sed per tempora intelliguntur quatuor anni tempeſtates, Ver, Æſtas, Autumnus, Hyems. item tempora, meſſis, vindemiæ, &c. feſta etiam neomeniarum, ſabbathorum,

thorum, aliorumque, quorum omnium viciſſitudo pendet ex motu Solis & Lunæ maximam partem. Nam quæ horſum Planetarum reliquorum aſpectibus tribuuntur vires, mera ſunt Aſtrologorum commenta.

*Quinto, piſces & aves.*

Quinta die efformavit Deus *piſces & aves*; nempe, uti ego credo, piſces ex aquæ partibus craſſioribus ac feculentioribus. Aves ex partibus aquæ rarioribus, ſubtilioribus & ad evaporationem aut exhalationem diſpoſitis. utroſque eadem hac die productos textus manifeſtè ſatis indicat. Nec mirum. In multis enim conveniunt aves & piſces; ac potiſſimum quidem, ne de figuræ, mobilitatis, agitationiſque ſimilitudine, aliiſque nonnullis quidpiam dicamus, in quatuor hiſce; quod ovipara fere ſint pleraque non vivipara; quod mammis & lacte careant; quod eminentibus auribus & veſica deſtituta ſint. Sed his de rebus aliiſque ad naturam piſcium & avium pertinentibus, noſtræ ſcholæ non eſt diſſerere.

Proprium hujus diei opus eſt, quod in ea primum producta ſit, ſive ex potentia aquæ, lumine & calore cæleſti perfuſæ, educta ſit anima vivens. unde colligitur non obſcure, cætera omnia, quæ ante hunc diem producta fuerunt, inanimata eſſe, imprimis aſtra, & ipſas etiam plantas. unde errare cenſendi ſunt ii, qui aſtra anima & vita prædita eſſe aſſerunt; & graviter peccare ii, qui ea ut talia & Numinum inſtar adorant, venerantur, & ſacrificiis, libaminibus, thure ac precibus placare, ac propitia ſibi reddere ſtudent. Hinc prophetæ etiam graviter invehuntur in eos, qui Solem orientem adorabant, qui Lunæ tanquam reginæ cæli ſacrificabant, & omnem militiam cæli venerabantur. *Jerem.* VII. 18. & XLIV. 19. & paſſim alibi. Nempe Deus ipſe per Moſem id diſertè ac ſeverè prohibuerat; *Deut.* IV. 19: *Ne attollas oculos tuos in cælum, ut videas Solem & Lunam & ſtellas, omnem militiam cæli, & impellaris, & incurves te illis, colaſque ea, quæ diſtribuit Dominus Deus tuus* (in miniſterium ſcilicet) *omnibus populis ſub toto cælo.* vide etiam *Deut.* XVII. 3, &c.

Quod ad plantas attinet, eæ etſi animatæ eſſe creduntur Philoſophis, tamen ſtylo Scripturæ non vivere, ſed ſeminare tantum dicuntur. Vegetativa itaque anima, quæ plantis tribuitur, non eſt anima vivens, ſed virtus dumtaxat ſeminalis, & quæ vitæ prorſus expers eſt. Nutritio ergo, augmentatio, & generatio, quæ in plantis etiam locum habent, non ſunt actus animæ viventis, ſed ſeminis inanimati, & virtute tantum nutritiva, auctrice & prolifica præditi. Quod vel inde patet, aut non obſcure confirmatur, quia anima vivens Scripturæ Sacræ nulla eſt, quæ non etiam ſenſu prædita ſit, & motu aliquo ſaltem, qui voluntarii aut ſpontanei motus, id eſt, dilatationis contractioniſve arbitrariæ ſpeciem in ſe habet, qualem in mitulis, oſtreis & conchyliis videre eſt.

Cæterum animæ viventis hac die productæ, perfectiones omnes ſive proprietates non indicantur, ſed eæ dumtaxat, quæ excellentiſſimæ ſunt, & ex motu perfectiſſimo, & aliquatenus purè voluntario, ſive prorſus arbitrario, id eſt, progreſſivo, qui prorſum, retrorſum, dextrorſum, ſiniſtrorſum, ſurſum, deorſum fit, arguuntur. Nempe duæ aſſignantur, reptatio in aqua; & volatus in aëre. Illa piſcibus attribuitur, hæc avibus. Reptatio piſcibus tribuitur, quia ſimili fere modo moventur in aquis, quo reptilia ſive ἑρπετὰ in terris, nempe ſupra pectus & ventrem, plerique ſcilicet: quod & de amphibiis, puta crocodilis, aliiſque qui pedibus etiam gradiuntur ſuper terra, verum eſt. Quando enim in aqua ſunt, natant ſuper ventrem, ſicut cæteri piſces, & pedibus ſuis tanquam remis utuntur, cum piſcium remi quaſi ſint pinnæ, & volucrium alæ.

Motionis autem hujus, quæ per reptationem fit, excellentia indicatur eo, quod ea adſignetur cetis magnis, id eſt, piſcibus vaſtiſſima & graviſſima corporum mole præditis, quorum agitatio in aqua difficillima eſſe videtur; ut, nimirum, quanta animæ iſtius viventis, quæ illa corpora vaſta pro ſuo arbitratu celerrime etiam aut tardiſſime movet, & in aqua ſuſtinet, vis ac perfectio ſit, intelligeretur, ad ejus qui eam produxerat gloriam.

Ceti autem magni, qui hîc vocantur, in textu Hebræo dicuntur תנינם *Hattanninim*, id eſt, Dracones, uti plerique volunt. quia enim dracones terreſtres ſolent eſſe magni; & grandiores piſces, ceti ſcilicet aut balænæ, draconum terreſtrium naturam & formam oblongam ac ſinuoſam referunt, idcirco omnes magnos piſces vocari dracones volunt; eadem ratione, qua is, qui late maris imperium tenebat, תנין id eſt draco vocatur, qui in mari eſt: *Eſaiæ* XXVII. 1. & qua Pharao Rex Ægypti, draconi ſimilis fuiſſe dicitur qui in mari eſt: *Ezech.* XXIX. 3. & *cap.* XXXII. 2. Sed tamen ego malim thynnos ea voce deſignari, quæ vox ad Hebræam תנין magis accedit: quos Plinius tradit eſſe vaſtæ magnitudinis ac molis, ut balænas etiam ſuperent, & *Behemoth*, id eſt, καθ' ἐξοχὴν maximum omnium animalium terreſtrium, cujus mentio fit *Iob.* XL. 10, &c. & *Leviathan*, cujus magnitudo & robur inter aquatilia extollitur *ibid verſ.* 20, &c. quique *Eſa.* XXVII. 1. diſtinguitur in Leviathan ſerpentem tranſeuntem, fiumina ſcilicet, & in Leviathan ſerpentem tortuoſum; & à dracone ſive thynno, qui in mari eſt, diſcriminatur, quaſi ſcilicet thynno flumen non ſufficiat, ſed mari integro ad ſe ſuſtentandum ac movendum opus ſit.

Peculiare etiam huic diei eſt, quod in ea primum fiat mentio divinæ benedictionis, qua Deus piſcibus & avibus benedixiſſe dicitur, *verſ.* 22, id eſt, copioſe benefeciſſe, communicando iis prolificam & uberem vim atque inclinationem ad generandum, partim ad ſpeciei ſuæ conſervationem, partim ad individuorum propagationem & multiplicationem; cujus benedictionis vis præſertim in piſcibus apparet, quorum ſingula ova innumera piſcium individua continere ſolent. An benedictio iſta in uſum hominum facta ſit, incertum eſt. Ego, ſalvo meliore judicio, crediderim, eam factam fuiſſe, ut hac ratione gloriam ſuam illuſtraret Deus, quod aquas iſtas, ex quibus cætera omnia pene educta erant, nihilo tamen infæcundiores per id reddi voluerit, nedum ut vis earum exhauſta omnino videri poſſet; ſed contra, ut ut ex ea & ab ea omnia ante facta exierant, (unde aqua forte dicta eſt, à qua omnia) quod nihilominus ea fæcundiſſima, & piſcium, cætera alia omnia animantia tum magnitudine, tum multitudine & copia ſuperantium, feraciſſima futura eſſet: quinimo ipſæ etiam aves, quæ ex ea eductæ erant, idcirco fertilitatis & fæcunditatis ſimilis, ſi non paris, utpote in ea non degentes, participes futuræ eſſent. Quare verba illa, *Creſcite & multiplicamini*, non tam imperativa, quam indicativa ejus, quæ futura erat, fæcunditatis, copiæ & ubertatis, ſive fertilitatis, verba eſſe cum Hebræis crediderim. quaſi legeretur; Creſcetis, id eſt, fœtificabitis, vel fructificabitis arborum inſtar ac plantarum, & multiplicabimini cum magna copia atque ubertate. Recte ergo *Eſdræ lib.* IV. *cap.* VI. *verſ.* 48. dicitur, *Aqua muta & ſine anima, quæ Dei nutu jubebantur animalia faciebat: ut ex hoc* (ô Deus) *mirabilia tua nationes enarrent.*

Hactenus ergo de operibus iſtis egimus, quorum aut ſola aut potiſſima materia fuit aqua.

*Sexto, animalia terreſtria, & hominem.*

Sexta die, terræ materia potiſſimum adhibita fuit in productione animalium terreſtrium, & hominis efformatione.

Quod ad animalia terreſtria attinet, eorum tres claſſes recenſentur à Moſe: *verſ.* 24. 25. *Beſtiæ*, quæ ſunt animantia fera & ſylveſtria, ut leones, urſi, tigres, pantheræ, lupi, &c. *Jumenta*, quæ ſunt animalia manſueta & domeſtica, ut canes, equi, boves, &c. *Reptilia*, cujuſmodi ſunt ſerpentes, vermes, lacertæ, quæ aut ἄπουδς ſunt, aut parvis tantum pedibus præditæ. Sub his ſpecies omnes animalium terreſtrium continentur, uti ex textu non obſcure liquet. Intelligo tamen per ſpecies, non adulterinas ſpecies, quæ ex ſpecierum variarum commixtione poſtea exiſtere cæperunt, cujuſmodi ſpecies ſunt muli ex equo & aſina, leopardi ex leæna & pardo, lyncis ex lupo & cerva, tityri ex ove & hirco; ſed legitimas. Has enim illegitimas eſſe non obſcure evincitur ex divina lege, qua prohibetur diſerte, ne quis procuret hujuſmodi animalium commixtionem. *Levit.* XIX. 19: *Jumentum tuum non facies coire cum alterius generis animantibus.* Quare ſub legitimis his ſpeciebus comprehendo omnia animalia, uſque ad inſecta quæque minima & viliſſima, quorum nullum ex putri materia, ſine proprio ſpeciei ſuæ ſemine, de novo produci, ego mihi perſuadeo. Nec experientia ulla in contrarium ſolidè adferri mihi poſſe videtur; cum certum ſit, nullum eſſe tam vile inſectum, quod non aut per generationem aut per ſeminificationem ſeipſum propaget; nec ratio ulla verosimilis permittat, ut ex putri materia, in qua ſemen nullum eſt, variorum inſectorum, nedum animalium perfectorum, cujuſmodi ſunt apes, mures, glires, &c. individua ejuſdem plane formæ, figuræ, diſpoſitionis membrorum, motionis & agitationis, caſu quaſi elaborari & effigiari credantur. Perfectio illa partium, & ſimilitudo membrorum ac qualitatum actionumque, quæ in ſingulis individuis una eademque aut parilis prorſus eſt, ſpeciem certam aut ſpecies certas arguit, quæ ſuo quæque ſibi proprio atque inſito ſemine ſe propagant & conſervant.

Inter hæc animalia, ſive inter horum animalium ſpecies, an recenſendæ ſint eæ quæ in igne vivere dicuntur, ut pyrauſtæ, beſtiolæ muſcis majores, & ſalamandra? An Gryphes, an Pegaſi ſive equi alati, & Sphinges? An monoceros ſive unicornis, qui ראם *reem* vocatur *Pſal.* XXII. 22. & XCII. 11. *Eſa.* XXXIV. &c. id eſt, animal iſtud de quo tam multa fabulantur hiſtorici naturales, Plinius, Solinus, Ælianus, Albertus M. Iſidorus, aliique? An Baſiliſcus talis qualem deſcribit

scribit Plinius. Basiliſci enim mentio fit *Eſa.* XI. 8. & XIV. 29. *Jerem.* VIII. 17. tanquam venenatiſſimi animalis aut serpentis. sed an talis, qui solo adspectu aut sibilo noceat, qui erectus incedat, & frutices adflatas extinguat, herbas exurat, saxa rumpat, &c? An Dracones alati & ignivomi? An Elephanti, quales describunt Plinius, Ælianus, &c. & ex omnibus Lipsius, cent. I. Epistolarum, quibus sermo & scriptio competat? aliaque, Philosophis & Philologis aut rerum naturalium scriptoribus relinquimus.

Unum istud ex occasione ejus, quod de Elephantis narrant non pauci, de animantibus imprimis terrestribus dici posse videtur, quod inter ea nonnulla, etsi ratione & rationis usu sive ratiocinatione perfecta ac proprie dicta prædita non sint, quæ proprie à spiritu isto est, quem Deus homini inspiravit, non autem ab anima ista vivente, quæ his propriè data fuisse dicitur; tamen facultate quadam, sive imaginatrice, sive quæ imaginatricem longe superat, quocunque illa nomine vocetur, adeo accurata polleant, ut rationis cujusdam imperfectioris sive obscurioris lineamenta in se habere dici possint, & hac una potissimum re infra hominem esse, quod cognitionis honesti & inhonesti, virtutum ac vitiorum, ac proinde Religionis, incapacia sint. ut non male olim dixisse videatur Lactantius, Hominem non tam ratione quam religione à brutis nonnullis distare. De Homine ergo, quem solum in terris, post animantia cætera, Deus Religionis, &, quæ ad Religionem requiritur, Rationis perfectæ sive ratiocinationis capacem condere voluit, deinceps agamus. Nempe hunc ultimum omnium, tanquam operum suorum ἀκμὴν & ἀκροθίνιον, singulari & peculiari ratione efformare voluit; non tantum ut aliis omnibus, quæ propter eum tanto numero, tanto cum ordine, tanto cum ornatu fabricata erant, veluti dominus ac princeps uteretur, frueretur: sed etiam, ut, tum ista, tum se ipsum ratione recta regeret, & Religione imprimis se Deo autori, conservatori ac sospitatori suo subditum ac subjectum esse ostenderet, quando & quomodocunque eam Deus ab eo postulaturus esset.

## CAPUT IV.

## De creatione Hominis, & primum de ejus corpore.

*Cur Deus creaturus hominem dixerit,* Faciamus, *&c.*

CReatio sive productio hominis, longe dissimilis ac diversa fuit à creatione sive productione aliarum rerum omnium. Pro eo enim quod in rerum aliarum productione, dictum tantum fuerat à Deo, vel, *Fiat lux*, *Fiat expansio*, &c. vel, *Producant aquæ reptile animæ viventis & volatile, Producat terra animam viventem*, &c. pro eo, inquam, cum homo efformandus esset, dixit Deus, quasi præstantissimum operum omnium producturus, veluti consilio inito & molimine majore usurus, *Faciamus hominem.* non quod consilio ullo aut molimine majore ad hominem efformandum opus esset, aut quod consilio ullo, vel divinæ personæ inter se, vel Deus cum Angelis suis sanctis usus fuerit; sed ad indicandum tantum operis futuri excellentiam; quippe quod Deus peculiari quadam ratione, & veluti manibus suis atque adflatu quodam suo proprio, distincto à verbo isto, quo solo antea usus fuerat, efformaturus atque elaboraturus esset. Verbum itaque, *Faciamus*, etsi terminatione pluralis numeri est, sensu tamen aut significatione singularis numeri est, & verbum non societatis, aut communionis, sed Majestatis, quali fere Reges ac Principes uti solent, & vulgus etiam aliquando apud nationes quasdam, ut Gallos, *Allons, faisons cela*, &c. Id ita esse apparet ex versu statim seq. ubi in singulari numero dicitur *Creavit itaque Deus* vel Dii *hominem ad imaginem suam.* pro quo *Matth.* XIX. 4. legitur, *Opificem ab initio fecisse marem & fœminam.* & *Mar.* X. 6, *Deum fecisse masculum & fœminam.* & *Act.* XVII. 26, *Deum fecisse ex uno sanguine totam gentem hominum.* Similiter legimus, Christum de se solo loquentem dixisse, *Joan.* III. 11: *Quod scimus, loquimur, & quod vidimus, testamur; sed testimonium nostrum non recipitis*, & statim subjicit in singulari numero, *Si terrena dixi vobis*, &c. Idem apparet ex eo, quod Deus rem aliquam executurus, quasi deliberans & consultans secum ipse, partim in plurali, partim in singulari numero à prophetis introducatur; ut *Esa.* VI. 8; *Quem mittam*, & quis ibit *nobis*? imo non raro etiam, cum Angelis suis, aut cum Spiritibus consultans repræsentetur per ἀνθρωποπάθειαν: 1 *Reg.* XXII. 19. 20. 21. *Iob.* I. 6. 7. & II. 1. 2. 3. Quare, ut Deus etiam hîc, stipatus Angelis suis, tanquam apparitoribus suis, & operum suorum spectatoribus, dixisse credatur *Faciamus*, absurdum videri non debet. sic tamen, ut sensus sit; Jam tempus est ut ad efformandum hominem procedam; ne in communionem operis venisse credantur Angeli.

Creatio autem hæc sive productio Hominis ita se habuisse legitur: Primo efformatum fuit *corpus* ejus, *ex pulvere terræ*, uti ex *cap.* II. *Genes. vers.* 7. עפר enim pulvis minutus est. An pulvis iste rufus sive rubeus fuerit, incertum est. Etsi enim *Adam* proprie rubere significat, tamen eum idcirco Adam dictum fuisse, quia ex אדמה id est terra rufa formatus fuit, non constat. Nolim tamen idcirco contendere. Certum est ex terra formatum esse corpus ejus; ac proinde rectè dici 1 *ad Corinth.* XV. 47, πρῶτος ἄνθρωπος ἐκ γῆς χοϊκὸς fuisse, id est, ex terra terrenum, sive pulvereum. Verosimile autem est, per tetram sive pulverem intelligi, non meram terram aut pulverem, cujus partes non cohærent, sed pulverem aqueo aut feculento aliquo humore mixtum ac maceratum, quo tanquam glutine partes cohærebant, ut ex massa ista corpus unum conflari posset. *Corpus hominis ex terra formatum est.*

Ex hoc consequitur, corpus istud natura sua fuisse atque etiamnum esse corruptibile, & dissolubile in ista ipsa principia, ex quibus compositum est. quod Scriptura passim etiam indicat, cum id mortale esse sive *occidi posse* ait: *Matth.* X. 28. *Luc.* XII. 4. 5. θνητὸν esse: 1 *ad Corinth.* XV. 53. cum *terrestrem domum nostram hujus tabernaculi id* vocat, *quod dissolvendum aliquando est*: 2 *ad Corinth.* V. *vers.* 1. cum seri illud ait ἐν φθορᾷ, id est, corruptioni obnoxium; ἐν ἀτιμίᾳ, ἐν ἀσθενείᾳ: 1 *ad Corinth.* XV. 42. 43. cum vocat illud corpus τῆς ταπεινώσεως ἡμῶν, *ad Philipp.* III. 21. Denique cum ψυχικὸν illud appellat: 1 *ad Corinth.* XV. 44. oppositè ad corpus πνευματικὸν *spirituale*, quod excitandum dicit, ἐν ἀφθαρσίᾳ, ἐν δόξῃ, ἐν δυνάμει, & quidem per μεταχηματισμὸν, *ad Philipp.* III. 21: quo futurum est, ut reddatur *conforme glorioso Christi corpori*; nempe, isti quo in cœlis ad dextram Dei positus, donatus est. quæ gloria non obscurè ab Apostolo 1 *ad Corinth.* XV. 45. 46, &c. collocatur in eo, quod externis rebus ullis, puta cibo, potu, aëre, somno, opus non sit habiturum ad sui sustentationem, & animæ, quæ in eo tanquam in domicilio suo posita est, conservationem. Nisi enim corpus hoc nostrum animale aëre, & alimentis foris adsumtis nutriatur, subsistere non potest: nec anima, quæ in eo est, per se sufficit ad istud in vita diu retinendum, quando illis destituitur. Mutuas enim operas hîc sibi præbent anima & corpus. unde Apostolus ait: *Primum hominem factum esse in animam viventem*: 1 *ad Cor.* XV. 45: id est, tali anima præditum fuisse, quæ ipsa per se in corpore subsistere, aut vitam corpori dare non poterat, nisi acceptis à corpore & per corpus auxiliis istis, quæ ad vitam, veluti oleum ad flammæ vigorem conservandum, necessaria sunt. Disertè enim opponitur *anima* ista *vivens*, *spiritui vivifico*, ζωοποιοῦν, non in se, sed corporis ratione: quia scilicet corpus spirituale, tale corpus erit, quo spiritus sive anima opus non habebit ad se in corpore sustentandum, uti in animali hoc nostro corpore opus habet: sed quod spiritus vi sua, absque ullo vel cibi, vel potus, vel aëris, vel somni adminiculo vivificaturus, sive in vita conservaturus est. Atque hoc sensu crediderim Apostolum etiam dicere *vers.* 50: *Carnem & sanguinem non posse regni Dei hæreditatem consequi*; quatenus, nimirum, caro sanguine indiget ad sui nutrimentum, & sanguis aëre, cibo ac potu, ad sui tum ventilationem, ne putrescat, tum conservationem, ne deficiat ac fatiscat. Disserte enim quasi exponens hoc dictum suum, addit: νῦν ἡ φθορὰ τοῦ ἀφθαρσίαν κληρονομεῖ. φθορὰ autem sive corruptio necessario ibi est, ubi est nutritio: quia nutritio quasi quædam adsidua generatio est; qua fit, ut id quod à calore consumtum & corruptum est, denuo quasi per alimentum foris assumtum reponatur & restituatur. Generatio enim unius est corruptio alterius: unde nutritione cessante, φθορὰ corporis sequi necesse est. Atque hinc etiam est, quod Paulus 1 *ad Corinth.* VI. 13. dicat, *Escas ventri, & ventrem escis destinatum esse; Deum autem & hunc & illas abolituram.* & Christus, in futuro seculo, conjugio, ac proinde generationi etiam locum non futurum: quia *qui isto seculo digni habebuntur, mori non poterunt*: Lucæ XX. 35. 36. *Ac proinde fuit corruptibile.*

Corpus itaque hoc animale, mortale est; non quod à Deo immediate vi omnipotente in vita conservari, aut mediis idoneis à corruptione & morte vindicari non possit. Tale enim medium disertè fuisse dicitur Arbor vitæ in Paradiso à Deo posita: sed quod natura sua dissolubile sit, & nisi aliunde remedium accipiat, dissolvendum sit, & in terram ex qua formatum est, certo rediturum. Atque hoc quidem est præcipuum istud, quod Scriptura considerandum nobis tradit de corpore humano, idque in usum nostrum, ut quam ingens sit beneficium istud Dei cogitemus, quod nos aliquando spirituali, cælesti, & immortali corpore dignari velit; & ut corpori huic fragili, vili, & caduco non aliam curam impendamus, quam quæ rem fragilem, vilem, & caducam decet, ne nimirum nos meliori isto corpore indignos reddamus.

Cui

*In figura corporis humani quinque observanda. Primum.* Cui rei servire etiam possunt hæc sequentia: 1. quod corpori huic Deus figuram erectam adtribuerit; non tantum quia figura ista regiam aliquam Majestatem præfert & ἄξιον τυραννίδος est ἄξιον τυραννίδος; sed ut ea serviret commonefaciendo semper homini, ut terram hanc & terrena omnia, tanquam infra se posita, despiceret, ac vili penderet, cælumque & Deum creatorem suum, tanquam supra se solum positum, suspiceret; secus quam animantia cætera, quæ prona semper in terram & terrena omnia vultum depressum ac defixum tenent. unde ille:

*Pronaque cum spectent animalia cætera terram,*
*Os homini sublime dedit, cælumque tueri*
*Jussit, & erectos ad sidera tollere vultus.*

*Secundum.* 2. quod corpus istud ita formaverit, ut non nisi extrema planta pedis terram attingat; contra quam plantæ, quæ radices suas profunde in terram immittunt, & quasi toto ore suo terræ immersæ, non nisi terram & terrenum succum hauriunt: nempe ut homo terrena omnia calcanda esse pedibus, & non nisi leviter tangenda ac percurrenda esse intelligeret, tanquam longissime à principe corporis parte, capite scilicet, in quo ratio dominatur, distita.

*Tertium.* 3. Quod nudum istud esse voluerit, non villis, non testis, non pilis, non squamis tectum obsitumque; sed tenerum, imbelle, & injuriis aëris aliisque incommodis expositum: nempe, ut homo non modo ad innocentiam se componeret, solaque ratione recta se aliaque omnia regeret, sed ut in habenda corporis cura modum non excederet, nuditatis suæ semper memor. quo argumento utitur Apostolus 1 *ad Timoth.* VI. 7. 8. *Nihil enim*, inquit, *intulimus in mundum, videlicet, nec efferre quidquam inde possumus: sed habentes alimenta, & quibus tegamur, τούτοις ἀρκεσθησόμεθα.* Nuditatis tamen hæc cogitatio in primo innocentiæ statu locum non habebat, quia post peccatum demum, sensisse aut percepisse dicitur Adam, quod nudus esset, seque abscondisse & foliis ficus texisse: *Genes.* III. 7. 10. 11. nisi forte quis dicat, quod & mihi verosimile est, nuditatem vel nuditatis cognitionem, isthic significare pudorem ex sensu libidinis vel tentiginis immodicæ, per esum fructus ex arbore scientiæ boni & mali inditæ, natum ac profectum. quod ipsum tamen etiam servire debet homini, ut nudo & pudendo isti corpori, majorem curam non adhibeat, quam par est; non modo non ad fomentum libidinis, sed nec ad nimium ornatum ejus: partim quia eo, utpote superfluo, indignum est corpus; partim quia nimius corporis ornatus & cultus, pudoris istius quasi detersio est, & impudicitiæ aut impudentiæ, si non affectatio, saltem irritatio aut provocatio.

*Quartum.* 4. Quod nudo isti corpori, & à cæteris aliis humanis corporibus nulla singulari dissimilitudinis nota insigni, vultum dederit qui in infinitum usque variare potest; adeo ut singulis hominibus suus proprius & peculiaris sit, quique certam & manifestam dissimilitudinis ab aliis omnibus vultibus notam præ se fert. quo fine? ut Deus curam se hominum omnium ac singulorum gerere velle ostenderet, utque ii ordinem inter se servarent, legibusque certis regerentur atque in officio continerentur, cupere. Enimvero sublata ista vultuum dissimilitudine, ordini ac legibus locus esse non potuisset. Nec enim discrimen fieri potuisset inter parentes & liberos, consanguineos, affines, amicos, inimicos, fures, scortatores, adulteros, incæstuosos. unde nec legibus locus esse potuisset contra promiscuas libidines, contra injurias, fraudes, cædes, scelera ac flagitia; nec certum esse potuisset, præmia & pœnæ an dignis & merentibus, an indignis & immerentibus decernerentur, nisi ἐν ἀσαφείᾳ deprehensis. Similitudo oris ac vultus incerta omnia redderet & ambigua. Nec sufficeret industria humana ad discrimen faciendum, quod non pari industria eludi & anceps reddi posset ac dubium. Hinc tanta oris vultusque dissimilitudo animantibus brutis data non est, quia ut certo ordine, legibusque præscriptis in officio contineantur, opus non est, aut opus esse Deus non voluit. Adde huic, quod Deus etiam corpori isti linguam indiderit, quæ vocem in infinitum variaret, ad eo ut sua cuique homini peculiaris ac propria vox esse posset, qua distingueretur ab omni alio homine: nempe eodem prorsus fine, ut pro se quisque tum legibus dandis atque accipiendis, tum præmiis ac pœnis referendis se aptum esse intelligeret, judiciorumque de singulis certitudo extra aleam esset & in tuto. unde & hæc vocum diversitas aut notabilis disparitas, singulis animantium brutorum individuis in sua cuique specie data non est, saltem à nobis observari non potest. Nec refert, si dicas reperiri aliquando homines pari prorsus vultu ac voce præditos, adeo ut discerni vix ac ne vix quidem possint à se invicem. Pauci enim isti sunt, qui in censum non veniunt; & paucos istos fortasse Deus extare aliquando vult, ut quam facilis sit hallucinatio in istis discriminandis, quamque periculosa sæpe in istis pro merito tractandis dijudicatio, si alter pro altero sumatur, intelligatur; atque ita quantum beneficium ejus sit, quod humano generi fecit, cum vultuum vocumque diversitate id donavit, ut ordine regi, & legibus certis in officio contineri posset, & citra ullum ambiguitatis periculum, præmiis ac pœnis pro suo quisque merito affici, serio expendatur.

*Quintum.* 5. Quod corpori isti, uti & corporibus cæterorum animantium, sensoria sive organa sensuum insculpserit, quibus anima non uti tantum posset ad apprehendendum, & ad se adtrahendum objecta omnia sensibilia extra se posita, sive immediate, sive mediantibus speciebus per medium in infinitum usque radiantibus; sed etiam per quæ percipere posset aut delectationem aut dolorem: proinde in quibus & à quibus oriretur appetitus qui sensitivus dicitur, prout appetitus hic synecdochice significat non tantum inclinationem aut amorem qui in objecta delectabilia fertur, sed & declinationem sive fugam objectorum contrariorum. quo fine? ut, quia ratione, supra alia omnia animantia, perfecta, liberoque voluntatis usu donandus erat homo, virtuti ac vitio locus esset. Nempe appetitu isto sensitivo posito, lex homini ferri poterat, qua juberetur appetitum istum ratione regere, & dirigere ad præscriptum ac legem Domini sui. Absque eo enim esset, obedientiæ aut inobedientiæ locus esse non potuisset. Obedientia enim in eo proprie posita est, quod homo appetitum suum ac voluntatem frænet ad jussum & voluntatem superioris sui: ita ut, quamquam appetitus ejus inclinetur ac feratur in ea quæ sibi grata sunt, & abhorreat ab iis quæ sibi ingrata sunt: nihilo secius tamen, si superior jubeat, ab iis quæ sibi grata sunt abstinere velit, & quæ sibi ingrata, molesta ac difficilia sunt ferre ac perferre malit, quam aut gratis & jucundis præfractè frui, aut ingrata & injucunda non tolerare in gratiam ejus cujus imperio subest. Contra se habet inobedientia. Nec enim obedire dici potest is, qui aut facit quod libenter facere vult, & ad quod faciendum appetitu naturali inclinatur, ut qui fame pressus edit, siti pressus bibit, somno gravatus dormit: aut qui abstinet ab iis à quibus prorsus & tota quasi natura sua abhorret, puta ab esu ferri candentis, fellis potu, &c. Et apparet rei hujus veritas ex prima legislatione, qua Deus hominis appetitui sensitivo, quo in fructum arboris scientiæ boni & mali, delectabilem illum & desiderabilem oculis, uti est *Genes.* III. 6. ferebatur, frænum injicere voluit, atque ita obedientiæ ejus, in frænando appetitu isto, experimentum capere. frustra sane, si aut ab isto fructu natura sua abhorruisset homo, & ex vi inditi appetitus sensitivi in eum inclinatus non fuisset; aut ratione & libero arbitrio præditus non fuisset, quo ab edendo abstinere se posse ac debere, quia Deus jubebat, intelligeret. Hinc enim brutis animantibus lex talis poni à Deo non potuit, quia in illis nihil est quo appetitum regant, sed appetitus ipse sensitivus summum in iis dominium habet ex Dei ipsius voluntate. Hujus rei consideratio perutilis est ad intelligendum quamplurima Scripturæ loca, in quibus cum de peccato & peccandi imprimis consuetudine agitur, semper fere mentio fit corporis & carnis, adeo ut peccata ipsa *carnis opera*, & actiones corporis, *cupiditates carnis* fere vocentur, peccati instrumenta dicantur *membra corporis*, & peccatores dicantur *vivere*, *ambulare secundum carnem*, *in carne esse*, *secundum carnem esse*, *carnales*, & *caro* ipsa; oppositè ad pios & Dei Christique timentes, quorum actiones appellantur *actiones spiritus*, qui *vivere*, *ambulare secundum spiritum*, *Spiritu incedere*, *in spiritu esse*, *spirituales* & *spiritus* dicuntur: quia videlicet isti non sequuntur nisi ductum sensitivi appetitus sui qui carni & corpori quasi insculptus atque immersus est: hi vero non nisi ductum aut rationis rectæ, quæ hominem, qua homo est, decet, aut rationis à Spiritu Dei per Euangelii cognitionem illustratæ, quæ Christiano homini, qua tali, propria est.

*Vera obedientia & inobedientia requisita.*

Atque hæc quidem sufficere nobis videntur, ad hoc ut corporis humani à Deo efformati ratio intelligatur, quantum quidem ad Theologiam, sive ad Religionis negotium, ejus consideratio pertinet.

Quæ porro ad corporis istius structuram & conformationem, partiumque in eo omnium, tum situm, tum functiones functionumque proprietates, & nominatim privilegia sive prærogativas eis adsignatas attinent, ea Philosophis & Medicis relinquimus, imprimis Anatomicis; quorum est observare, an corpori humano hæc sint propria & peculiaria: præter scilicet staturam rectam, sermonem, risum & ploratum, nuditatem, quod sensu titillationis

præditum sit, quod in inferiore palpebra supercilia habeat, umbilicum visibilem, cuspidem cordis in parte pectoris sinistra, genu antrorsum, palpitationem cordis, sanguinis missionem è naribus, quod erubescat præ pudore, pallescat præ metu, quod ambidextrum sit, aures immobiles habeat, cerebrum copiosissimum, vesicam capacissimam, & si quæ sunt alia.

*An corpus sit pars essentialis hominis.*

Quod attinet ad quæstionem, An corpus sit pars essentialis hominis, an vero instrumentum duntaxat animæ, ejus decisionem credo non esse necessariam scitu aut creditu ad salutem, & quæcunque fiat decisio, eam esse incertam, & hypothesibus in Schola Philosophorum receptis quidem nixam, sed tamen de quibus, cur dubitare non liceat, nulla justa causa est. Quare eam Deo soli relinquendam esse arbitror, & ut quisque de ea, quod optimum videbitur, liberrimè statuat, permittendum esse. Quod non nemo hanc nostram sententiam fugillat eo nomine, quod serviat labefactandæ fidei de resurrectione eorundem numero corporum, id vanissimum est. Nam & hoc ipsum, quod fides de resurrectione eorundem numero corporum præcisè ad salutem sit necessaria, est τὸ κεφάλαιον. Quod si ea isto fundamento, quod corpus sit pars essentialis hominis, niti dicatur, tum incertæ rei certam fidem inniti dicendum est. Deinde, quid refert ad hoc, ut credam eadem numero corpora resurrecturа esse, an credam corpus hominis esse partem ejus essentialem, an instrumentum tantum animæ sive spiritus ejus? Certe, sive hoc, sive istud credam, nihilominus credere possim eadem numero corpora resurrectura esse. Sed vero si quis dicat, præcisè necessarium esse, ut credatur eadem numero corpora resurrectura esse, & credi id certo non posse, nisi credatur corpus esse partem essentialem hominis, illi utriusque istius rei probatio incumbit, quam non video unde possit arcessere. Ex demonstratione Christi *Matth.* XXII. 32, ut ea arcessatur ineptum est. Consequentia enim quæ in demonstratione illa Christi est, Abraham, Isaac & Jacob ex mortuis aliquando suscitandi sunt, quia Deus non est Deus mortuorum sed vivorum, non necessario postulat ut Abraham, Isaac & Jacob idcirco aliquando suscitentur ex mortuis, cum eodem numero per mortem destructo ac corrupto corpore; sed tantum ut cum corpore vero, superstiti spiritui unito, suscitentur. Substantia enim corporis, qua talis, non facit ut corpus aliquod sit corpus hominis; sed corporis cujuscunque unio cum eodem numero spiritu hominis, facit ut homo sit unus numero homo.

Dices: At istud corpus non potest dici suscitari aut resurgere, quod non cecidit. Novum autem istud quod animæ aut spiritui unitur, non cecidit. Ergo. Resp. At hæc non est ratio sive collectio qua Christus utitur in demonstratione sua, sed nova. Eam ego etsi lubens admitto, qui idem numero corpus suscitatum iri credo; tanti tamen esse non arbitror, ut hæreticus videri debeat, qui per suscitationem sive resurrectionem corporum, non proprie dictam eorundem numero corporum, quæ ceciderunt, ex morte & corruptione erectionem & restitutionem designari credit; sed novorum & meliorum corporum aptationem, & cum spiritibus sive animabus iisdem, quæ superstites manserunt, conjunctionem & compositionem, quæ suscitationi ex somno similis sit; eo quod ad hominem unum eundemque numero constituendum sufficere credat, eundem numero spiritum, qualicunque tandem corpori, quod Deus ei aptare volet, unitum & conjunctum: materiam autem sive corpus materiale, de essentia compositi humani non esse, aut compositi istius partem essentialem; sed instrumentum tantum, quod variari & mutari potest pro arbitrio componentis. Sed hac de re pluribus agemus suo loco, si Deus volet.

## CAPUT V.

### De anima hominis; ejusque immortalitate, & intelligendi facultate.

*Deus corpori hominis inspiravit animam viventem.*

CORpori sic à Deo fabricato atque elaborato, inspirasse dicitur Deus נשמת חיים *spiraculum vitarum*, vel potius vitæ, id est, animam viventem; uti videre est cap. II. *Genes. vers.* 7. & 1 *ad Corinth.* XV. 45. Hæc est altera hominis creati prærogativa præ ceteris creatis animantibus, quod anima ei indita fuerit per inspirationem sive inhalationem aut insufflationem divinam, cum cæterorum animæ solo verbo ac jussu divino ex aqua & terra eductæ dicantur: quamquam iis etiam tribuitur flatus spiritus vitæ in naribus: *Genes.* VII. 22.

Quæ, qualis, aut quomodo facta sit hæc inspiratio, nec necesse est anxiè inquirere, nec possibile certo definire, nec tutum hariolari aut conjicere, ne Deo inspiratori aut indignum quid attribuamus, aut dignum detrahamus. Certum est, actione hac particulari, & qua sola atque unica veluti nobili actione Deus uti voluit, excellentiam animæ humanæ supra cætera omnia creata designari; quod videlicet ea ὑφεστηκὸς, id est, forinsecus à Deo corpori humano inducta sit, non autem ex elementari aliqua materia educta: ac proinde quod ea non sit qualitas aut crasis aliqua corporis, quæ à corpore ipso dependeat, veluti flammæ vigor ab oleo aut à candelæ adipe; sed substantia quædam immaterialis, quæ sine corpore aut extra corpus per se subsistere, ac proinde dissolvi à corpore potest, & cum corpore intereunte non interire, sed ad Deum autorem suum redire, functionesque sibi proprias & à corpore independentes exercere. Etsi vero fateor, ex vi inspirationis divinæ, hæc omnia demonstrative colligi non posse; tamen inspiratione hac divina ea omnia designari non obscure evincitur ex locis istis Scripturæ, in quibus adseritur 1. Fieri posse ut anima à corpore separetur actionesque vitales citra vel extra corpus exerceat, uti 2 *ad Corinth.* XII. 2, videre est; ubi Paulus ait, *se hominem nosse, qui ad tertium usque cælum raptum in Paradisum fuit, an in corpore, an extra corpus nescio*, inquit, *Deus novit*, ibique audivit verba ἄῤῥητα, quæ non liceat homini eloqui. Extra corpus ergo spiritum, sive animam hominis istius, id est, suam, subsistere, vivere, & audire potuisse significat: ut enim id de qualitate aut crasi aliqua corporis dictum credatur, ineptum est. 2. *Animam* sive spiritum hominis *occidi non posse*, etiam cum corpus ipsum occiditur, id est, ab anima ipsa separatur ac dissolvitur: *Matth.* X. 28. *Luc.* XII. 4. 5. Manere itaque dicitur anima, etiam post mortem; quod de qualitate & crasi corporea dici non potest. 3. Animam sive spiritum redire ad Deum qui dedit eum; *Eccles.* XII. 7. *Pulvis revertitur in terram quemadmodum erat, & spiritus revertitur ad Deum qui dedit eum.* Spiritum tradi in manus Dei, *Luc.* XXIII. 46. suscipi à Deo aut à Domino Jesu Christo: *Act.* VII. 59. Quæ omnia arguunt, spiritum sive animam hominis à Deo homini inspiratam, substantiam esse, à corpore ita independentem, ut sine eo & extra illud subsistere possit; ac proinde cum eo per mortem extincto aut pereunte, non extinguatur nec pereat: idque verissimum esse, non tantum de prima anima Adami, sed de omnibus omnino animabus, sive eæ à Deo etiam inspirari, sive per traducem ab ea propagari credantur. utcunque enim se res habeat, certum est, ratione animæ de omnibus hominibus dici. *Progenies enim Dei sumus: Act.* XVII. 19.

*Quæ extra corpus subsistere possint.*

Quæres, An ad salutem creditu necessarium sit, Animam esse substantiam permanentem, & quæ cum corpore ipso non desinat esse, aut cum eo non prorsus intereat? Resp. Omnino necessarium creditu ad salutem nobis Christianis hoc est; quia aliàs credi non potest eorundem numero horum resurrectio. Eadem enim numero anima idem individuum numero facit. Forma enim dat esse rei, non materia. At si anima non est substantia permanens, sed qualitas, sive crasis, quæ dissoluto corpore tota perit atque extinguitur, fieri utique non potest, ut idem numero homo post mortem resurgat; quia anima sive forma quæ periit, non potest eadem numero esse cum forma aut anima ista quæ restituitur. Hæc enim alia numero est, quia inter eam quæ periit, & hanc quæ redditur, intercessit nihilum. Quandocunque autem inter duo extrema medium diversi generis interponitur, illa duo non possunt esse idem numero, sed necessario duo sunt numero, etsi specie eadem esse possint. unum enim numero est, quod uno communi termino continetur, ut linea una, quæ non est intercisa aut interrupta, & motus unus, qui non est quiete interstinctus. Atqui nullus communis terminus est inter id quod aliquando fuit, & periit, & inter id, quod rursus deinde producitur. Τὸ enim non ens intercidit utrumque; unde duo entia non unum numero esse istud & hoc necesse est. Frustra itaque forent pii homines, quia non ipsi resurgerent, sed alii pro ipsis. Sed hac de re pluribus suo loco.

*Esque ad salutem creditu necessarium.*

Ex hoc tamen concludi non debere arbitror, perinde aut prorsus etiam necessarium esse ad salutem, ut credatur, animas hominum non tantum superstites manere post mortem, sed & functiones vitales intra se ipsas exercere, ac proinde vel voluptate & gaudio, ex conscientiæ bonitate, & spe futuræ resurrectionis, frui; vel dolore ac tristitia, ex conscientiæ malæ morsu, & metu futuri judicii, torqueri. Etsi enim cur id non credatur caussa gravis nulla mihi sit, & cur id credatur caussæ aliquæ, tum ex ipsius animæ naturali perfectione, tum ex Scripturæ testimoniis, eæque non leves dari possint; tamen ut id ad salutem creditu necessarium statuatur, nulla satis gravis caussa est. Neque enim uspiam credere jubemur, aliud quidquam, quam resurrectionem mortuorum. At resurrectio mortuorum certissima fide cre-

de credi potest, etiamsi ignoretur quid inter mortem & resurrectionem animabus nostris fiat. Sed hæc obiter.

*Anima est substantia spiritualis.*

Anima ergo est substantia independens à corpore, quod attinet ad functiones animæ, qua humana anima est, proprias. Nec dubium est, quin ea spiritualis substantia sit, quia anima non est corpus, sed spiritus. Quid vero spiritualis substantia sit, quæ animæ propria est, fateor me ignorare, quamquam credo spiritualitatem istam, quæ animæ propria est, non prorsus eandem esse cum spiritualitate ista quæ divinæ essentiæ competit. Quare & immaterialem eam esse verosimile est; quatenus immateriale excludit terrenam, crassam, palpabilem & contrectabilem materiam; juxta id quod Christus ait, *spiritus carnem & ossa non habet*: *Lucæ* XXIV. 39. si, ut Theologi fere credunt, per spiritum ibi non phantasma, sed spiritualis essentia intelligatur; de quo tamen dubitari posse supra diximus.

*Sed spatio certo finita.*

Ex hoc consequitur, animam quoad quantitatem etiam circumscriptam esse, non tantum intrinsecis essentiæ suæ finibus, sed etiam extrinsecis; ita ut spatio certo finita sit, & in corpore non tota in toto, neque in qualibet ejus parte tota: repugnat enim ut quod finitum est, totum sit extra se totum. Quod si anima esset tota in toto corpore, & in qualibet ejus parte tota, 1. res una eademque numero esset divisa à seipsa; proinde una res esset duæ aut plures numero: quod implicat contradictionem. 2. Loca divisa inter se, in quibus singulis tota anima esset, in unum contrahi locum adeoque punctum indivisibile oporteret, quod impossibile est. 3. idem numero totum quiesceret simul & moveretur, si videlicet pars una corporis moveatur, altera quiescente. Sed anima tota quoad essentiam suam est in certa corporis parte, sive ea cor, sive cerebrum sit; etsi quoad virtutem suam per totum corpus se diffundat, & per eam corporis omnes partes reliquas animet ac moveat. Certum enim est intrinsecus læso aut vitiato seu corde seu cerebro, animam dissolvi à corpore, non vero læsis aut vitiatis cæteris partibus, nisi quatenus cohærent cum corde aut cerebro per arterias, spiritum sive vitalem sive animalem deferentes, aut per venas sanguinem, qui spirituum sive vitalium sive animalium vehiculum aut nutrimentum est, continentes; quia in sanguine anima est: ut videre est *Levit.* XVII. 11. imo sanguis ipse anima esse dicitur, *Genes.* IX. 4. quod non ad bruta tantum animantia, sed ad hominem etiam referri ex *vers.* 5. *cap.* IX. *Genes.* manifeste satis liquet; & ex usitata Scriptoribus sacris loquendi formula, qua sanguinis fusio vel pro morte vel pro cæde hominis accipi solet; unde & ipsa mors Jesu Christi sanguinis fusio passim vocatur. non quod sanguis qua talis anima sit; sed quod anima sanguine opus habeat, ad corporis & sui ipsius in corpore sustentationem.

*Non est una & communis omnibus anima.*

Animam unam & communem esse omnibus, non modo rectæ rationi repugnat, quia ex eo sequeretur, unam eandemque numero animam, eodem tempore, scire, nescire, velle, nolle, amare, odisse, gaudere, dolere; quod absurdissimum est; sed & Religioni omni, quæ præceptis ac promissis, præmiis ac pœnis constat. Præcepta enim propriam cujusque animæ obedientiam postulant, quia singulis dantur: & promissa non nisi obedientibus singulis fiunt. Præmia etiam & pœnæ ad singulos non aliter pertinent, quam quatenus singuli aut ex anima sua cuique propria obediunt, aut obedire animo & corde suo præcipienti renuunt. Sua itaque ut cuique propria anima data statuatur, creditu omnino est necessarium. Nam ut ait Apostolus, *Rom.* XIV. 12: *unusquisque nostrum de se ipso rationem reddet Deo.*

*Anima dupliciter considerari solet.*

Anima hæc dupliciter considerari solet: Primo, qua actu est in corpore, sive qua corpus informat. Secundo, qua aliunde potest moveri. Qua actu est in corpore, & corpus informat, est immediatum vitæ, sensus & motionis, operationumque omnium tum vitalium, tum animalium principium; fruitionis omnis, tum jucundæ, tum dolorificæ, fundamentum ac subjectum.

*Qua aliunde moveri potest, vocatur modo intellectus, modo voluntas. Quæ non sunt potentiæ realiter ab anima & à se invicem distinctæ.*

Qua aliunde potest moveri, indiget externo aliquo objecto excitante, & per sensus, tanquam per tubulos ac canales, ad se derivato: quod objectum cum apprehendit sub ratione entis, aut sub ratione veri vel boni, sive realis sive apparentis, *Intellectus* dicitur; cum ad illud sese promovet per spem aut amorem, *voluntas* dicitur; sub quo etiam Noluntas comprehenditur, quando ab eo refugit per odium aut metum; sive promotio illa fiat actu dumtaxat directo, sive etiam in se ipsum reflexo.

Intellectus hic & voluntas potentiæ sive facultates vocari solent, quæ distinctæ sint realiter, tum ab anima ipsa, tum inter se. De quo merito dubitari potest. Quid enim vetat credere animam rationalem esse immediatum principium intelligendi & volendi, & immediatum tum intellectionis tum volitionis subjectum? Certe nihil. Etsi enim perfectio simpliciter simplex esse dicatur, immediate per essentiam suam agere, tamen nihil est quod id admittere cogat; cum non immediatio ipsa actionis sit perfectio simpliciter simplex, sed immediatio dumtaxat, quæ independens est ab omni caussa efficiente, qualis soli Deo propria est. Dependentia enim est ratio imperfectionis, non immediatio. Quare nihil obstat, si dicamus, Animam sine ullis intermediis potentiis, ab ipsa & inter se realiter distinctis, proprietate sibi à Deo autore indita, immediate intelligere & velle: Facultates vero, quæ dicuntur, Intellectum scilicet & Voluntatem, facultates dici, quia anima non semper actu intelligit aut vult, neque actu semper deliberat, consultat, & judicat, sed ad intelligendum, volendum, deliberandum, & judicandum potens est, & pro varia quam habet ad objecta relatione, ad alia intelligendum, ad alia volendum scilicet, nunc intellectiva potentia, nunc volendi potentia prædita esse dicitur: quamvis ipsa in se ipsa intellectionem formet, & ad habendum aut faciendum se volendo promoveat.

Sed & ratio non levis est, quæ suadet ut animam immediate seipsa intelligere & velle credamus, aut ut tales realiter ab anima & inter se distinctas potentias in anima non esse statuamus. Ea hæc est. Si tales potentiæ duæ realiter inter se distinctæ statuantur in anima locum habere, tum necesse est ut animæ tribuatur ex una parte potentia intellectiva, cui proprium quarto modo sit intelligere, consultare, judicare; ex altera parte potentia volendi sive appetendi, cui proprium quarto modo sit non judicare, non intelligere, sed velle atque eligere. Id si statuatur, tum necessario sequetur voluntatem tanquam potentiam omnino cæcam, & rationis ac judicii omnis expertem, bruto quodam impetu & motu, id est vel stulto vel desultorio, ferri in objectum ab intellectu monstratum; vel à judicio rationis practico necessario trahi ac determinari, ad volendum & appetendum omne id quod intellectus practicus eligendum esse imperat; quia ipsa bruta & cæca potentia existens, ut pote ab intellectiva potentia realiter distincta, non judicat quare eligat, aut hoc potius quam illud eligat. Hoc vero quid aliud est quam legum omnium, ac proinde virtutis omnis ac vitii, præmii ac pœnæ nervos simul ac semel incidere? Cum enim tota virtutis ac vitii ratio in electione bona aut mala posita sit, sive in electione, quæ legibus præscripta aut vetita est, sub promissione præmii aut pœnæ comminatione: electio autem quæ prorsus cæca, bruta, aut omnino ac simpliciter necessaria est, neutiquam possit esse aut bona aut mala formaliter; quomodo fieri potest ut tali electione posita, virtutis ac vitii, præmii ac pœnæ ratio constet? Nec enim aut virtutis aut vitii est eligere quod nescis an bonum an malum sit, nedum quod non potes non eligere. At si voluntas est potentia realiter ab intellectu distincta, necesse utique est ut rationis, judicii, & intellectionis omnino expers sit & incapax: sicut intellectus, quia realiter à voluntate distinctus esse creditur, necessario expers est & incapax volitionis & electionis omnis, quæ voluntati propria est. Volitio itaque & electio omnis aut bruta & cæca, aut necessaria prorsus erit, & in alteram partem præcise ab intellectu practico determinata. Nulla autem virtus, bruta aut necessaria actio esse potest. Non bruta: Jam enim diximus non esse virtutis eligere quod nescis bonum an malum sit. Non necessaria: quia dici non potest virtutis esse eligere quod non potes non eligere. Qui non potest nolle, non potest dici velle: & qui non potest velle, non potest dici nolle. Tum, qui non potest non eligere quod bonum est, indignus præmio est: Et qui non potest eligere quod bonum est, indignus est supplicio.

Hæc una ratio mihi sufficit, ut credam, tales realiter inter se distinctas potentias in anima non dari. unde non obscure consequitur, potentias etiam quæ realiter ab anima ipsa distinctæ sint, necessario statuendas non esse; sed sufficere ut credatur, unam eandemque Animam esse, quæ immediate intelligere & seipsa velle potest; & quidem volitione prorsus libera, qua vel prudenter sequatur ultimum intellectus practici judicium; vel imprudenter, aut potius impudenter sequi id nolit, gaudere volens motu suo proprio, eoque stulto & bruto, sive plane arbitrario; qui libertatis humanæ apex est, uti paulo post fusius dicemus.

*Intellectio vel est speculativa vel practica.*

Quatenus ergo Anima rationalis objectum sub ratione entis, id est, veri vel boni sibi propositum, sive universale, sive singulare id sit, apprehendit, aut cum aliis objectis conferens, dijudicat, Intelligere dicitur; & quidem vel intellectione mere speculativa, quando videlicet finis sive terminus ultimus intellectionis non est nisi nuda veritatis speculatio; vel intellectione practica, quando finis ultimus est non nuda speculatio, sed praxis, etsi speculatione sive cognitione prævia nixa.

*Ejus actio est necessaria.*

Actus intellectionis, sub qua etiam judicium comprehendo, est actus plane naturalis, necessarius & uniformis, pro

ratione objecti circa quod occupatur. Intellectus enim veluti oculus est, qui non potest aliter apprehendere objectum quam prout se offert, nec judicare aliter de eo quam rationum propositarum natura patitur. Nec hoc solum, sed & non potest non apprehendere objectum propositum, & judicare de eo sibi oblato. Nec enim in potestate intellectus est, velle apprehendere & judicare, aut nolle; non magis quam in potestate speculi est non referre speciem, aut in potestate oculi non repræsentare imaginem rei sibi ex adverso oppositæ. Alioquin certe intellectus voluntas esset.

*Ac proinde formalis ratio libertatis non est in intellectu collocanda.*

Unde errare censendi sunt ii, qui formalem rationem libertatis in intellectu collocant, quasi videlicet libertas in eo posita sit, quod intellectus indifferenter nunc hæc nunc illa objecta apprehendat, & de rationibus, argumentis & mediis, quæ suadere vel dissuadere, probare vel improbare rem aliquam videri possunt, in hanc vel illam partem deliberare, consultare, & dijudicare possit. Hæc enim indifferentia, non est nisi indifferentia passiva; qualis est in speculo ad recipiendum nunc hanc nunc illam in medio radiantem speciem, albam, nigram, flavam, rubram, &c. & qualis est in oculo ad hunc vel illum colorem recipiendum; denique qualis est in sensu communi ad objecta diversorum sensuum tum recipiendum, tum dijudicandum. Quis vero aut speculo, aut oculo, aut sensui communi, propter istam indifferentiam, libertatem tribuerit? Passio sane non est libera patienti. Libertas ergo formaliter in intellectu esse non potest. Nec enim intellectus est liber à necessitate contradictionis, seu quoad exercituum actus, ita ut dominium habeat in actum suum; nec liber est à necessitate contrarietatis, seu quoad speciem actus sui. Non isto modo, quia positis omnibus ad intelligendum requisitis, non potest non intelligere. Id patet ex tribus intellectus operationibus, quæ sunt, simplex objecti apprehensio, judicium compositionis, & judicium illationis. Atqui 1. Intellectus positis omnibus ad objectum apprehendendum requisitis non potest illud non apprehendere, sed necessario apprehendit; ut oculus posito colore & lumine non potest suspendere visionem, sed necessario videt. 2. posita aliqua propositione, seu affirmativa seu negativa, & argumentis seu rationibus quæ convincant alteram veram esse, non potest per se cessare ab assensu, sed necessario adsentitur; aut si neutram partem convincant veram esse, necessario suspensus manet intellectus, & neutrum actum aut adsensus aut dissensus elicere poterit; quia non potest sine objecto operari. 3. proposito syllogismo, in quo conclusio legitime sequitur ex præmissis, intellectus si recte illum apprehendit & intelligit, non potest non judicare conclusionem esse legitimam. Si recte, inquam, illum apprehendit. Nam si non recte apprehendit, contrarium judicare potest, vel suspensus hærere: non quia habet intrinsecam vim & dominium sui actus, sed solum quia objectum non est satis applicatum; uti oculus sæpe judicat aut apprehendit objectum aliquod esse magnum vel parvum, quia non videt illud intra justam distantiam, sive per medium quale requiritur inter objectum & organum visus, ad visionem veram eliciendum.

Sed nec hoc modo, id est quoad specificationem actus, Intellectus est liber. Si enim intellectui proponantur argumenta necessaria, necessario adsentitur, & non potest dissentire: Si probabilia, necessario opinatur; si contraria æque probabilia, necessario dubitat, nisi accedat inclinatio vel imperium voluntatis.

*Nec intellectus est liber radicaliter.*

Sunt qui Intellectum non quidem formaliter liberum esse volunt, sed *radicaliter* tantum, ob istam judicii indifferentiam, quia videlicet ex eo quod intellectus non tantum præsentia, ut sensus, sed etiam futura; nec tantum naturam rei, sed etiam circumstantias varias perpendit, ac proinde pro variarum circumstantiarum momento ac pondere varie judicare potest, & multa simul considerans inter se conferre, & nunc hoc alteri, nunc alterum isti præponere aut postponere: sive in eodem genere, ex. gr. utilis, utilioris, utilissimi; facilis, facilioris, facillimi; honesti, honestioris, honestissimi; sive in diverso genere, exempli gratia, utilis, facilis, honesti: vel honesti, sed ingrati & molesti: vel inhonesti, sed grati & jucundi, &c. ex eo, inquam, voluntatis libertas veluti ex radice oritur, ita ut indifferenter & varie eligere possit, id est, vel rem unam propositam eligere aut respuere: vel, si multæ sint, unam alteri præferre aut postponere. Sed vero incommode & ἀκυρολόγως idcirco dicitur intellectus radicaliter liber: quia indifferentia ista judicii, quæ in intellectu est, non est radix sive caussa libertatis, sed tantum conditio quædam prærequisita ad libertatem, quatenus scilicet voluntas non potest velle aut agere, nisi objectum ei ab intellectu proponatur: Ignoti enim nulla cupido est. quamquam non ipsa indifferentia intellectus, qua talis, conditio est ad libertatem requisita, sed judicium ipsum, sive illud de uno tantum objecto sit, sive de pluribus. Uno enim solo objecto proposito, voluntas etiam libera est, ut possit istud velle aut nolle, aut in illud ferri, vel non ferri, id est actum eligendi suspendere; si videlicet objectum tale sit ut in id non feratur voluntas necessario per modum naturæ, sed libere, exempli gratia, vel divitiæ, vel honores, vel voluptates mundi hujus.

Hinc colligo, Actum intellectus perfectissimum & ultimum esse judicium, tum speculativum, tum practicum: ac proinde vim & efficaciam omnem, quam intellectus habet in voluntatem, consistere intra sphæram judicii. Judicium autem istud, sive sit speculativum, sive practicum, non est proprie dictum imperium, quo intellectus voluntati directe imperet, Hoc omnino tibi est eligendum: (excipe solum summum bonum: hoc enim voluntas per modum naturæ necessariò non tam eligit, quam appetit:) sed, hoc est inter eligibilia bonum, hoc est melius, hoc est optimum: vel, hoc est eligibile, hoc eligibilius, hoc maxime eligibile. Si ultra procedas, & intellectui tribuas non judicium tantum, sed & imperium directum in voluntatem, quo voluntati imperet, Hoc non illud præcise tibi eligendum est; ita ut voluntas ab eo determinetur ad eligendum, sic ut minus eligibile eligere non possit, tum voluntatem servam & ancillam facis intellectus, non aliter quam locomotiva serva & ancilla voluntatis est, aut terra ancilla & serva est influentiarum quæ ab astris & sideribus sunt. Breviter: Sic voluntati necessitas eligendi non libertas propria fit. Quod si tamen imperium hoc dicatur esse non imperium herile aut δεσποτικὸν, sed civile sive πολιτικὸν dumtaxat, quod in potestate voluntatis manet sequi aut non sequi, tum admitti potest. Tum enim imperium hoc non tam imperium est, quam consilium, cujus vis atque efficacia tota non est physica, sed moralis, & dependens prorsus ab objecto, quod admittere aut respuere potest voluntas, quia id vi sua voluntatem non afficit aut trahit, sed per modum consilii tantum voluntati eligendum ab intellectu proponitur.

*Ultimus intellectus actus est judicium.*

## CAPUT VI.

### De voluntate hominis ejusque libertate: item de aliis qualitatibus animæ ipsius inditis aut infusis.

HActenus de Anima egimus, quatenus objectum sub ratione veri propositum apprehendit, componit, & dijudicat, id est, actum intellectionis ex se elicit. Sequitur ut videamus de Anima, quatenus in objectum sub ratione boni propositum tendit, & volitionem elicit, cujus volitionis ratione anima voluntas libera esse dicitur, quatenus Anima volitionem istam ex se producere aut non producere potest, sive quatenus in actum istum voluntas habet plenum dominium, ita ut possit istud aut velle aut nolle, aut hoc non istud velle. Hæc libertas, quia Religionis, quam Deus ab homine postulat, fundamentum est, propius paulum ut à nobis consideretur, operæpretium est.

Qui fatalem rerum omnium, actionum, eventuum necessitatem inducunt, ii necesse est ut libertatem sive liberum arbitrium in anima humana dari negent. Necessitas enim & libertas toto genere differunt, adeo ut contradictionem implicent. Necesse enim est quod nec esse aliter potest. At liberum, quod aliter esse, sive potius, quod aut agere vel non agere, aut hoc vel illud agere potest. Atqui posse non esse, vel posse non agere, & non posse non esse, vel non posse non agere, implicant manifestam contradictionem. Qui distinctionibus hanc necessitatem cum libertate student conciliare, ii inanem operam ponunt. Contradictoria enim non habent medium, sed distant infinitè. Alterum eorum est necessario verum, alterum falsum.

*Necessitas & libertas simul consistere non possunt.*

Ob hanc caussam ii qui oculatiores aliis videri volunt, observantes fatalem necessitatem cum libertate tali consistere non posse nec conciliari, & interim necessitatem rerum omnium ac libertatem arbitrii simul in hoc mundo locum habere sibi persuadent, alio effugio censuerunt opus esse, nempe libertatem arbitrii diversa longe ratione definiendam esse. Hoc effugium ut intelligatur, sic habendum est.

Libertatem Theologi fere triplicem esse ajunt: Unam *naturæ*, quæ libertas est à coactione & necessitate. Alteram *gratiæ*, quæ libertas est à peccato. Tertiam *gloriæ*, quæ libertas est à miseria vitæ hujus. De prima intelligitur illud 1 *ad Corint.* VII. 37: *Qui statuit in corde suo firmum, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis.* De secunda illud *Rom.* VI. 18: *Liberati à peccato servi facti estis justitiæ.* De tertia illud *Rom.* VIII, 21: *Tunc & ipsa creatura* (nova scilicet)

*Triplex dicitur esse libertas.*

licet) *liberabitur à ſervitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei.*

De libertate gratiæ & gloriæ hîc non quæritur. Quæritur enim de libertate quæ communis eſt bonis & malis, ſive quæ homini, qua homini, à natura indita eſt. At libertas gratiæ & gloriæ non eſt communis bonis & malis, neque à natura homini indita. Tum, libertas gratiæ, ſive libertas à peccato; & libertas gloriæ, ſive libertas à miſeria, non eſt libertas propriè, ſed mera tantum vacuitas à peccato & miſeria. At vacuitas à peccato & miſeria, qua talis, non eſt libertas activa, ſed mere paſſiva. At de libertate, quæ indifferentia activa eſt, hîc quæritur. Quare de libertate hîc agitur naturæ, quæ duplex eſt, una à ſimplici coactione; altera à neceſſitate.

*Ad libertatem naturæ non ſuffic. immunitas a coactione.*

Hoc præſuppoſito, quidam ad hanc naturæ libertatem conſtituendam, judicant non requiri indifferentiam activam ad volendum aut nolendum, ad agendum aut non agendum, ſed ſufficere credunt ſolam immunitatem à coactione, non tamen à neceſſitate. At vero ſic neceſſe eſt, ut actiones omnes ſpontaneæ vere ac proprie liberæ dicantur, & libertas non amplius affectio propria ſtatuatur voluntatis, ſed communis potentiis omnibus ſponte agentibus; proinde equus famelicus non minus libere aget cum ad cibum ſe confert, quam homo cum legi obtemperat: Intellectus non minus libere intelliget, oculus non minus libere videbit, quam homo cum divinis juſſibus aut paret aut parere refragatur. Tam enim incoactè equus famelicus ad paſtum ſe confert, intellectus intelligit, oculus videt, quam voluntas vult cum paret aut imperat. Imo, quod caput rei & abſurditatis apex eſt, tum ſtatuendum eſt ea, quæ ſummè neceſſario agunt, maximè libere agere, ſummamque neceſſitatem, puta beatitudinem & ſummum bonum appetendi, aut in cælo Deum amandi, eſſe ſummam libertatem. Adde, cum de libertate voluntatis agitur, quod immunitas à coactione non niſi merum φαντασμα ſit. Voluntatem enim cogi impoſſibile eſt, etiam per divinam omnipotentiam. Si enim cogi poſſet voluntas, tum effici poſſet ut voluntas vellet contra quam vellet, id eſt ut vellet ſimul & non vellet: quod contradictionem implicare ex terminis liquet.

*Neque judicium aliquod rationis practicum.*

Quocirca alii, ut hunc ictum evadant, præter incoactionem, ad libertatem requirunt rationem ſive judicium aliquod rationis practicum, quod non modo præcedat liberam volitionem, ut nimirum à ſpontaneis & irrationalibus aliis actionibus eam diſtinguant; ſed cujus inſuper eam eſſe volunt vim, ut voluntatem ſuaviter ad ſe trahat, eamque ad unam contradictionis partem ſic determinet, ut non velit nec poſſit velle ſeſe flectere in oppoſitam. Hi, libere agere, idem prorſus eſſe volunt, quod libenter agere, & liberum ab eo quod libet, derivant; neque implicare credunt, libere agere & neceſſario agere, libere velle & non poſſe non velle; quin imo, (quod cum priore ſententia coincidit) id quod ſummè neceſſario fit, ſumme libere fieri aſſerunt. Si enim quod libenter & tamen neceſſario fit, eo ipſo quod libenter fiat, liberè fit, utique quod libentiſſime omnium fit, liberrime ut fiat neceſſe eſt. Summum itaque bonum liberrimè amari dicent, & liberius quam alia ulla inferiora bona, quia libentius.

*Ratio qua nititur ultima hæc opinio.*

Horum ſententia, unica ratione iſta mihi niti videtur, quam ſupra tetigimus, & quæ ex hypotheſi falſa, ſed recepta publicitus, colorem habet. Niſi, inquiunt, hac ratione definiatur libertas, neceſſe eſt ut dicatur libertatem ſive libertatis actum conſiſtere in electione prorſus bruta & cæca: quia non erit niſi actio ſive electio quam faciet voluntas. Atqui certum eſt voluntatem brutè agere, imo poſſe malum appetere ſub ratione mali. Fertur enim in omne id quod intellectus ipſi monſtrat. At intellectus monſtrat aliquando malum ſub ratione mali, & ipſa non judicat an malum ſit. Nihil enim æſtimat voluntas. Unde conſequens erit, ut vanæ & ridiculæ ſint omnes ſuaſiones, hortationes, promiſſiones, comminationes, &c. quæ adhiberi ſolent ad flectendum voluntatem in hanc vel in illam partem. Tantundem quippe ſunt voluntati argumenta iſta, atque cæco lux, ſurdo fabula, & bruto Syllogiſmus. Quare ut in ipſa facultate intellectiva, quæ ad conſultandum, deliberandum & judicandum de objectis propoſitis apta & idonea eſt, ſedes libertatis ponatur; & libertatis uſus in appetendo id, quod intellectus ratione & conſultatione adhibita melius eſſe judicavit, conſtituatur, neceſſarium eſſe exiſtimant.

*Ea impugnatur duobus argumentis. Primum.*

Sed vero quod ad me attinet, etſi ſententiam hanc fateor colorem non tenuem accipere à communi & recepta hypotheſi, id eſt, à diſtinctione reali, quæ inter duas animæ rationalis facultates eſſe dicitur; tamen, quia hypotheſin illam falſam eſſe aut vanam ſupra ſum arbitratus, ſententiam etiam quæ ei ſuperſtruitur falſam eſſe ut credam neceſſe eſt. Sed & non deſunt argumenta complura alia, præter ea, quæ ſupra attulimus, ad hoc ipſum comprobandum & confirmandum quæ paſſim apud Scholaſticos, & à nobis in Apologia confeſſionis, & in Examine ſententiæ Cameronis allegata videre eſt. Mihi pro hoc tempore id unum ſufficit, quod per ſententiam iſtam Religio omnis evertatur, & legum, præmiorum ac pœnarum omnium, tum utilitas, tum neceſſitas, adeoque efficacia omnis tollatur. Cum enim non ſit in poteſtate voluntatis habere judicium rationis practicum; & poſito judicio rationis practico, non ſit in poteſtate voluntatis non ferri in objectum per judicium iſtud monſtratum, utique non poteſt voluntati lex poni, de hoc aut illo objecto volendo aut non volendo, nedum lex ſancita præmii promiſſione, ſi voluntas ſequatur id quod lex jubet; & pœnæ comminatione, ſi iſtud ſequi nolit. Quæ enim neceſſario agunt, id eſt quæ ſic agunt ut non poſſint aliter agere, ea non ſubjacent mandato, ac proinde nec præmii nec pœnæ ſunt capacia. Et hoc ipſum eſt certiſſimum ſignum, ſententiam iſtam falſam eſſe. ubicunque neceſſitas mera dominatur, ibi Religioni non eſt locus. Quare ſi Religioni locum eſſe volumus, libertas aliter definienda eſt.

*Secundum.*

Mantiſſæ loco addo unum hoc argumentum: Si libertas voluntatis in indifferentia iſta judicii ponatur, & in lubente judicii practici ſequela quam voluntas facit, tum nullum peccatum contra conſcientiam, nedum blaſphemia in Spiritum ſanctum dari poteſt. Conſequentia per ſe liquet: niſi quis Atheum ſe profiteatur, & contendat non modo non dari peccatum ullum contra conſcientiam, nedum in Spiritum ſanctum, ſed ne peccatum quidem ullum, iſto ipſo fundamento nixus, quod omnia neceſſario ac fataliter fiant. Quod enim neceſſario fit, id peccatum eſſe non poſſe certiſſimum eſt. Nihil enim magis liberum eſſe debet, quam peccare, & per peccatum reum ſe facere pœnæ. At nobis cum Atheo jam res non eſt. Eam itaque ſic adſtruo. Contra conſcientiam agere, eſt contra dictamen ſive ultimum rationis judicium practicum agere. Atqui, ſi voluntas neceſſario ſequitur ultimum rationis judicium practicum, impoſſibile eſt ut contra conſcientiam agat. Dices: Id tamen aliter fieri non poteſt, quam uno aliquo medio movendi intellectui obſervante, quod cæteris omnibus rationibus præponderet. Alioquin enim voluntas appeteret ignotum, moveretur que ſine ratione. Reſp. At hoc ipſum medium, quod cæteris omnibus præponderat, eſt ratio ſive ultimum rationis judicium practicum. Ergo illo moveri, non eſt contra conſcientiam agere, ſed ſecundum conſcientiam. Nam medium iſtud, quod præponderat, non habere, non eſt in poteſtate aut intellectus aut voluntatis: Et iſto medio occurrente aut obverſante intellectui, non eſt in poteſtate hominis eo non moveri ad volendum. Iſto itaque medio moveri, quomodo contra conſcientiam eſſe poteſt? Certe conſcientia ſe habet ut ſcientia. Scientia autem à ratione præponderante eſt. Ergo & conſcientia. Unde conſequitur, non magis dici aliquem poſſe contra conſcientiam agere, qui rationem cæteris omnibus præponderantem, etſi peſſimam, ſequitur, quam is qui ſequitur optimam. Iſte errat, inquies, hic non. Eſto, inquam. At error iſte non eſt voluntarius, ſed neceſſarius ex vi occurrentis objecti, ſive medii præponderantis. Motio enim à præponderante neceſſaria eſt. At vero motio neceſſaria, quomodo contra conſcientiam eſſe poteſt? Quod ſi vero etiam motio illa, quæ ab ultimo judicio rationis practico, ſive à medio præponderante fit, neceſſaria eſt, quomodo fieri poteſt, ut detur blaſphemia in Spiritum ſanctum? (Ea enim, definientibus Theologis Leydenſibus, in Synopſi ſua purioris Theologiæ, eſt contemtus & oppugnatio malitioſa Chriſti, & gratiæ Euangelicæ per externum auditum verbi cognitæ, & per Spiritum ſanctum intus perſuaſæ: vel, ut alii addunt, reſiſtere veritati in hoc ut reſiſtas.) Impoſſibile eſt. Veritas enim, non cognita tantum per auditum verbi extrenum, ſed intus etiam perſuaſa per ſanctum Dei Spiritum, eſt medium intellectui obſervans, quod cæteris omnibus rationibus præponderat. Perſuaſio enim eſt deliberationis & conſultationis omnis finis ac terminus. Perſuaſione iſta poſita, quomodo fieri poteſt, ut voluntas eam non ſequatur, imo directè ac malitioſe contra eam nitatur? *Aut* enim nitetur contra eam, proprio motu ſuo. At ſic ſine ratione movebitur, & appetet id quod ultimo rationis judicio practico non deprehenſum eſt conducibilius eſſe; quod eſt theſin propriam evertere. *Aut* alia perſuaſione ſive ratione mota, nitetur contra eam. At ſic perſuaſa intus non fuerit, & malitioſa non erit veritatis perſuaſæ oppugnatio quam facit, ſed neceſſaria ultimæ perſuaſionis ſequela, quæ non modo non blaſphemia in Spiritum ſanctum, nedum reſiſtentia contra veritatem in hoc ut reſiſtat, erit, ſed ne quidem peccatum contra conſcientiam, imo ne peccatum quidem. Ultimo enim rationis judicio practico ut voluntas moveatur, neceſſe eſt; & ut contra illud moveatur, prorſus impoſ-

impossibile. Contra naturam enim suam & naturæ suæ proprietatem moveretur.

Hæc talia sunt, quæ merito hominem non omnino pertinacem aut refractarium movere possunt ac debent, ut credat longe aliud quid requiri ad perfectam definitionem libertatis istius, quæ ad Religionem exercendum & obedientiam Deo præstandum requiritur, quam solam judicii indifferentiam, & necessarium (licet lubentem) voluntatis sequelam, id est sequelam, ad quam per ultimum rationis judicium practicum voluntas determinari creditur.

*Vera libertatis definitio.*

Id vero quod ad perfectam definitionem libertatis requiritur est: Quod libertas sit potentia activa, ex intrinseca sua vi & natura ita indifferens, ut positis omnibus ad agendum requisitis, nihilominus tamen possit agere aut non agere, aut hoc vel illud agere. Ista libertas, est libertas exercitii, sive contradictionis; Hæc libertas, est libertas specificationis, sive contrarietatis, uti supra diximus.

*Potentiam* esse dicimus, non actum, neque habitum. Non actum: quia si libertas actus esset, ille actus aut esset elicitus à potentia libera; & sic libertas antecederet illum actum. Aut non esset elicitus à potentia libera; & sic actus ille necessarius actus esset, per consequens in eo non consisteret libertas. Non habitum: Quia habitus non dat posse operari, sed operandi facilitatem, neque influit in esse actionis, sed modificat actionem, adeo ut quia potentiam ad agendum facilitat, potius ad libertatem tollendam & evertendam, quam ponendam comparatus sit.

*Activam potentiam* esse dicimus, ut passivam removeamus; quia cum passio qua talis non possit esse libera patienti, nisi quatenus actio illa, unde passio talis provenit, agenti libera est, sequitur eam præcisè & formaliter in potentia passiva non consistere. Quomodo enim intelligi potest, passionem quà sic liberam non esse, & tamen potentiam passivam habere in se dominium & facultatem libertatis?

*Positis omnibus ad agendum requisitis* dicimus; ne agere sit ex mera impotentia. Libertatis enim non est, non posse, sed posse non, & posse. Deinde, ut distinguatur libertas ab aliis omnibus potentiis naturalibus, quæ positis requisitis omnibus, iisque non mutatis, non possunt non agere: deficiente vero aliqua conditione requisita non agunt; non ex potentia, quia possunt non agere; sed ex impotentia, quia non possunt agere. Per requisita vero ad agendum, intelligimus ea quæ antecedenter in actu primo & ante actionem ipsam requiruntur: cujusmodi sunt, interna vis ipsius voluntatis, judicium intellectus, objectum per illud propositum, auxilium Dei conservans & sustentans voluntatem. Hæc enim omnia cum libertate voluntatis optime possunt consistere: & unum horum si desit, caussa in agendo non idcirco libera ex se non est, sed ex accidente, quia deest aliquid ad libere agendum necessario prærequisitum.

*Posse agere & non agere* cum dicimus, id sic intelligendum non est, quod possit simul agere & non agere, ita ut simul possint componi actio & non actio; (hoc enim impossibile est & contradictionem implicat;) sed quod potentia ad agendum simul sit cum potentia ad non agendum, ita ut potentia ad neutrum sit determinata, sed ipsa sese possit determinare ad agendum aut non agendum prout vult, aut cum jam ad agendum se determinavit, ab agendo cessare & actionem suam cohibere ac suspendere. Hoc differt potentia libera à necessaria. Hæc enim constituta in actu primo completo agendi, non est potentia agendi & non agendi, sed agendi tantum. Si vero non est completa, non est potentia non agendi, sed impotentia agendi. Itaque Sol non potest componi cum tenebris, nec ignis cum frigore. Potentia vero libera componi potest tam cum actu quam cum actus carentia.

*Hæc libertas animæ à Deo est indita, & in omni hominis statu manet.*

Hæc libertas est proprie illa libertas quæ animæ humanæ sive voluntati ejus à Deo indita est; quæque non tantum in primo statu integritatis locum habuit, sed in omni statu, etiam in statu peccati in voluntate reliqua manet, quia naturalis, ac proinde inseparabilis à voluntate proprietas est, quatenus voluntas principium electionis est. Peccatum enim, quia liberæ potentiæ actio est, potentiam ipsam liberam tollere non potest: non magis quam virtus, quæ etiam liberæ potentiæ actio est, libertatem potest tollere. Nec enim peccatum, quatenus actio sive effectus est caussæ liberæ, contrarium quid est potentiæ sive caussæ liberæ; sed tantum quatenus peccatum sive actio inordinata est, contrarium est virtuti sive actioni ordinatæ & cum lege convenienti: non sic tamen, quasi peccatum veneni instar qualitate aliqua sua deleteria virtutem extinguat; sed quia quando peccatum patratur, virtutem cessare necesse est; non quia extincta est, sed quia cum peccato simul exerceri non potest. Impossibile enim est ut homo simul peccet & ex virtute agat. Sed de hac re in sequentibus.

*Qualitates cum quibus Adami anima est creata.*

Atque hisce quidem duarum Facultatum prærogativis prædita fuit anima humana supra alia omnia creata; sic tamen *Primò*, ut anima Adami prima, & quæ eum consecuta est Evæ, quoad intellectivam facultatem non fuerit veluti tabula rasa, qualis est infantium omnium recens ex iis natorum, expers quidem omnis scientiæ, capax tamen & idonea ad eam paulatim consequendum; sed scientia actuali prædita earum rerum omnium, quas in statu isto scire hominem intererat, & capacitate ad scientiam ulteriorem adipiscendam, sive per ratiocinationem, sive per experientiam, sive per revelationem & doctrinam ab Angelis aut à Deo professuram. Cum qua tamen simul consistere poterat & actu consistebat. 1. quarundam rerum ignorantia. Nempe nesciebat adhuc Adam se nudum esse, nesciebat adhuc serpentem animal mutum esse, aut eum qui in serpente seu sub serpentis specie ad se loquebatur, malum genium aut diabolum esse, nesciebat adhuc bonum & malum simul, innocens quippe & innoxius, nesciebat adhuc Deum melius sibi velle, quam serpentem, imo serpentem se callidiorem & prudentiorem esse sibi persuadebat. 2. cum ea poterat consistere potentia tum errandi, id est seductionem patiendi, prout in Eva apparuit, *Genes.* III. 13. 2 *ad Corinth.* XI. 3. & 1 *ad Timoth.* II. 13. tum uxorem impensius & inordinatius amandi, ut in Adamo apparuit, *Genes.* III. 12. 1 *ad Timoth.* II. 13.

*Secundo*, Non sic, ut anima Adami prima, quoad facultatem voluntatis antequam ei Lex à Deo poneretur, neutra fuerit, nec recta nec non recta; sed quod rectitudinem & integritatem naturalem habuerit, qua fiebat, ut nec inordinata, nec inordinatè concupiscceret aut concupiscere posset, proinde nec peccare in utendo aut fruendo rebus creatis pro libitu suo. Ubi enim lex non erat potestatem voluntatis circumscribens, ibi potestatis liberrimus usus sine peccato aut culpa omni, adeoque rectus semper est, etiamsi alioquin cum noxa aliqua esse possit. unde & noxæ, si qua ex rerum omnium liberrimo usu exisceret, remedium posuerat Deus, Arborem scilicet vitæ: non positurus procul dubio, si noxa ex peccato & culpa contracta fuisset; uti postea apparuit, cum hominem, postquam peccaverat contra legem latam, ab arbore ista vitæ ejusque fruitione arcuit. Unde colligo, Adamum etiam ista voluntatis rectitudine prædituum fuisse, ut contra legem naturæ aut conscientiam suam non peccaret, ac nec peccare quidem posset; non quod voluntas ejus libera non esset, sed quod incircumscripta voluntatis potestas, & non limitatus libertatis usus, excluderet quamlibet rei illicitæ scientiam & conscientiam. Lex enim naturæ, non erat lex proprie, cui Adamus obedire aut non obedire poterat; sed stimulus tantum atque instinctus naturalis, quo sic ducebatur, ut non luberet ei nisi quod liceret, infantium instar, qui amore naturali parentum suorum ducuntur, & nulla ad transgrediendum legem ullam cupiditate tentantur, contenti uti & frui rebus omnibus quantum satis est; dummodo pro arbitrio suo, procul ab omni gratia, odio, ira, invidia, Dei hominumque aliorum contemtu, id est, naturæ Legi per omnia obsequentes, & eo ipso non peccantes, quod naturæ solius ductum per omnia sequantur, ac proinde nullius malæ cupiditatis, quæ lege aliqua expressa vetita sit, conscientiam aut habeant aut sentiant. Rectitudo itaque hæc in simplicitate & innocentia constitit, quæ ætati isti primæ Adami, tanquam infantili, conveniens fuit.

*An præter eas habitus aliqui supernaturales ei fuerint infusi.*

Quæres: An præter hæc naturalia, non etiam superinfusæ sint animæ Adami, qualitates sive habitus supernaturales; nempe in intellectum scientia rerum non modo naturalium omnium, sed & supernaturalium, conjuncta cum sapientia & prudentia in rebus & actionibus omnibus ad debitum finem ordinandis ac dirigendis. In voluntatem justitia originalis, qua fiebat ut non vellet nisi quod justum esset, & dictamini rationis rectæ sive sapientiæ ac prudentiæ conveniens. In affectus sanctitas, qua motus omnes tum appetitus concupiscibilis, tum irascibilis, contra rationem insurgentes comprimebantur; ita ut nulla esset in homine rationis & sensuum rebellio, sed mera quies & concordia, tum inter corpus & animam, tum inter inferiorem animæ partem & superiorem, tum inter superiorem & Deum ipsum.

Resp. Ita quidem fere Theologi statuunt. Ad me quod attinet, etsi non video id fundamentum ullum in Scriptura certum habere: (loca enim illa tria, 2 *ad Corinth.* III. 18. *Ephes.* IV. 22. 23. 24. *Coloss.* III. 9. 10. quæ fundandæ isti sententiæ adduci solent, non videntur mihi idonea, nedum sufficientia ad eam comprobandam esse;) tamen cur receptæ & passivæ opinioni isti refragari aut velim aut debeam non reperio: dummodo unum hoc diligenter caveatur, Ne habitus istos sic extollamus, ut potentia peccandi, & peccatum quod secutum est, cum illis non videantur consi-

consistere aut componi posse. Sane si perfecte habitibus istis omnibus dicamus præditam fuisse animam Adami, ita ut sapientia errorem & seductionem omnem excluderet ab intellectu; Justitia, à voluntate omnem inobedientiam; Sanctitas, ab affectibus omnem rebellionem, & inordinatum motum; fieri vix potuisse videtur, ut peccaret Adam. Unde enim prima motio ad peccandum oriri poterat? Non ab intellectu, quia sapientia obstabat, qua errori occurri & seductio repelli poterat, adeoque repellebatur. Non à voluntate, quia obstabat justitia, quæ voluntatem frænabat, ut non nisi quod recta ratio dictabat vellet. Non ab affectibus, quia obstabat sanctitas, quæ eos subjiciebat imperio rectæ rationis & justæ voluntatis. Quod si vero deinde videas, quale fuerit peccatum Adami, quod videlicet à serpente aut à Diabolo suggestum, per appetitum sensitivum concitatum, & rationibus falsis contra Dei præceptum directè pugnantibus inflammatum ac promotum est, profecto cogimur pene abstinere ab exaggerandis nimium istis habitibus. Quid enim? An sapientia Adami tanta serpentis astutiam & dolum detegere non potuisset ac refellere? Si serpentem esse credidit, quid? annon sapientia dictasset, Deo magis quam serpenti credendum esse? Si vero etiam Diabolum sub serpente esse credidit, annon sapientia dictasset, ei ne aurem quidem præbendam esse, quia Diabolus erat, qui est pater mendacii & Dei hostis? Et cum fructus adlubesceret, annon sanctitas statim repressisset motum appetitus contra rectam rationem insurgentis, id est contra Dei expressum interdictum rebellare incipientis? Certe nihil hîc est grave aut difficile, quod non dico per habitus adeo perfectos superatum statim fuisset; sed per solam voluntatis in puris naturalibus conditæ libertatem, rationisque mere naturalis dictamen superari non potuisset. Nec enim in peccato hoc inadvertentia, inconsideratio, præcipitatio locum habuit, qua fit aliquando, ut sapientissimi & sanctissimi labantur, sed omnia contraria. Quocirca præstare arbitror ut habitus isti, si qui Adami animæ aut concreati aut superinfusi statuantur, non nimis exaggerentur, sed superinfusi tantum dicantur, non alio fine, nec modo, quam ut homo per eos adjutus, tum facilius comprimere posset motus sensitivos, tum facilius posset rectæ rationis dictamen sequi, & legi divinæ obtemperare. Atque hoc idcirco magis solicite à nobis faciendum est, quia video esse non paucos Theologos, atque imprimis Contra-Remonstrantes, etiam qui subsapsarii videri volunt, qui, ut decretum absolutum Dei de agendo cum hominibus pro arbitrio suo sartum tectum servent, mirifice admodum perfectionem primi hominis in statu innocentiæ exaggerant: partim propter dona naturalia ei indita; partim & maximè propter habitus supernaturales donis istis superinditos, quos tam perfectos absolutosque fuisse volunt, ut verosimile non esset, imo impossibile, Adamum peccare, quamdiu habitibus istis præditus esset. Et quia tamen peccavit, hinc non obscure indicant, eos ei subductos à Deo fuisse antequam peccaret; ut nimirum peccare non tantum posset, sed & non posset non peccare. Sublato enim habituum istorum fræno, & sic homine sibi ipsi relicto, ruere hominem in peccatum tam necesse erat, quam, fræno isto durante, impossibile erat hominem in peccatum incidere. Nempe ergo habitus istos perfectos Adamo Deus dederat ad tempus, ut per eos in statu isto aliquamdiu integer & innocens conservaretur, adeo ut tum peccare non posset. Sed vero, quando Deus jus suum absolutum in hominem ostendere vellet, & homini suam infirmitatem notam facere, tum lege aliqua positiva, qua libertatem ejus circumscriberet, & ad obedientiam sui eum constringeret, uti voluisse, subductis subtractisque ante istis habitibus, quos gratiæ nomine indigetant, sine quibus infirmior erat homo, quam ut obedire, nedum in obedientia perstare posset. Ita dum habitus illos extollunt, ut Dei laudem & gratiam tanto magis evehant, eundem Deum habitus illos auferentem faciunt, ne peccatum non existat. Quo fine? ut nempe Deum faciant ἀνυπεύθυνον, qui jus habet agendi cum homine pro suo arbitrio, id est, dandi habitus per quos à peccato immunis conservetur, & rursus adimendi istos ipsos; ut in peccatum incidere tam necesse ei sit, quam lapidi, super medio se leviore posito, ex alto in imum cadere; id est, ut uno verbo dicam, ut Deum liberum faciant, injustum eum, Tyranno quovis crudeliorem, & Diabolum, id est, peccati autorem faciunt.

## CAPUT VII.

### De Imagine Dei ad quam homo factus est: & de Dei in hominem dominio.

HActenus egimus de Corpore & de Anima hominis seorsim. Nunc de toto homine agendum est.

Totus homo speciali etiam ista prærogativa donatus est à Deo, quod sit factus *ad imaginem Dei*, id est, vel majestatem aliquam egregiam & insignem, divinæque simile m, inter creata omnia gerens: vel jus, autoritatem, imperium & dominium habens in omnia, Dei instar, nempe incircumscriptum & absolutum, licet dependens à Deo, id est, ὑπεύθυνον sub Deo & Dei vice. *Dei imago ad quam homo factus est, in dominio consistit.*

Totum hominem cum dico ad imaginem Dei factum, non propterea id dico, quasi negem hominem, quoad Animam, respectu substantiæ, facultatum & habituum, Dei imaginem esse ac dici posse. Nihil minus. Sed quod Scriptura nusquam in iis imaginem Dei collocet, sed in eo dumtaxat quod in toto homine apparet ac relucet; uti manifestum est ex creationis historia, *Genes.* I. 26. & ex eo quod ob id ipsum quod vir imperium ac dominium habeat in uxorem suam, imago & gloria Dei vocetur, 1 *ad Corinth.* XI. 7. non ratione animæ aut facultatum, aut habituum; quia iisdem, & sæpe melioribus, prædita est uxor quam maritus. unde & nusquam Angelos lego factos ad imaginem Dei, quamquam omnibus istis facultatibus & habitibus prædi ti sunt, & homine ipso digniores longe atque excellentiores; quia nempe dominio isto in creatas res donati à Deo non sunt, & jam etiam homini Jesu Christo subditi ita sunt, ut ejus nomine atque jussu serviant & ministrent fidelibus ejus servis omnibus: *ad Heb.* I. 14.

Ad imaginem hanc constituendam concurrunt Corpus & Anima. Corpus ratione staturæ & figuræ suæ erectæ supra omnia animantia, ut diximus. Anima per beneficium Rationis, qua sola tanquam sceptro dominari potest homo in omnia, non sublunaria tantum sed & supralunaria. Quod ad sublunaria attinet, ut de plantis, herbis, fruticibus, arboribus, metallis, aqua, igne, aëre, &c. nihil dicam, animantia omnia terrestria, quamquam viribus longe iis impar, subigere, domare, regere, flectere, atque ad operas & ministeria sua cogere potest, fræno, stimulo, baculo, flagro, tuba, tympano, fistula, voce, ac vel sibilo. Volucria omnia hominem Rectorem habent, solius industriæ ac Rationis auxilio. Nec alarum pernicitas, nec nidorum sublimitas, nec montium præcipitia, nec unguium acumina, nec rostrorum robora, ea tuta atque immunia præstare possunt ab insidiis, à cassibus, à retibus, à laqueis, à dolo & fraude hominis Dominatoris. Aquatilia, quæ ipsa maris profunditate abscondita videntur, quæ corporum suorum mole tremenda sunt, quæ celeritate sua ac pernicitate effugere hominem posse videntur, ea homo hamis, retibus, sagenis, uncis ex profundo maris educere, & in usum suum convertere potest; adeo ut ne conchylium, ne ostreum, ne mitulus quidem in imo fundo latitare possit, quod ille non sui juris facere possit, si rationem adhibeat, & industriam acuat. Quod ad supralunaria attinet; Solis Lunæque & astrorum lumen usibus suis prout vult aptare potest: admittere, excludere, augere, minuere, intendere, extendere, ad juvandum, ad nocendum adhibere potest. Neque quidquam in rerum universitate dari potest, quo homo aut uti aut frui non possit ope rationis & industriæ suæ ac solertiæ. Per hanc dominantem Rationem homo etiam Dei instar dominatum habet in omnia; alioquin præda & spolium futurus omnium animantium: quia nudus, imbellis, & ferocitate, agilitate, fortitudine, & robore cæteris omnibus aut plerisque brutis longe inferior est. *Quod beneficio potissimum rationis obtinet.*

Nec absimile mihi à vero videtur, ob eandem Rationem Adamum etiam dominatum habuisse in animantia cætera. Non enim video causam, cur dici debeat in principio animalia fera non fuisse fera, sed cicurium instar cum Adamo consuevisse, ut ratione regi ab eo aut in officio contineri ea necesse non esset. Etsi enim credo feritatem ex solitudinibus & sylvis, mutuaque laniandi libidine & laniena auctam paulatim fuisse, tamen cur ea propterea ab iis abfuisse dicatur, ratio non est. De uno serpente, sive de aspide, dicitur quod homini inimica, & hominem sibi inimicum habitura sit: quod ex illo tempore ita usu venisse crediderim, quia antea cum serpente familiariter egerat Adam; sed de aliis brutis id non lego. Nec sufficere mihi videtur ratio eorum qui id adsertum eunt, ex eo, quod Adamus bestias omnes ad se venire fecisse legatur, *Gen.* II. 19. ut iis nomina imponeret. Non enim id fecisse dicitur in textu Adamus, sed Deus ipse; eodem sensu sine dubio, quo postea *cap.* VII. ex præcepto divino animalia munda & immunda ad Noachum venisse dicuntur, ut in arcam reciperentur; nempe Deo omnia ita dirigente ac moderante. Nec enim credibile est tum animantia ista, fera nondum fuisse, quæ nunc fera sunt.

Ad rationem hanc accedebat voluntatis libertas, quæ ad imaginem Dei, id est, dominium perfectum reddendum facere videtur. Per eam enim homo sic dominari aliis omnibus animantibus poterat, ut etiam seipsum posset velle subducere *Et libertatis vel untatis,*

cere atque eximere dominationi divinæ, id est, Dei instar se gerere, ita ut Deo etiam posset non parere velle. Non velle parere dico, non autem non parere, aut non subesse. Subesse enim & parere, id est, facto subjici debet homo Deo, velit nolit. Deus enim cogere etiam hominem per vim potest, quod attinet ad facta exteriora; quamquam homo, quia libera voluntate præditus est, potest etiam tum quando quoad facta cogitur, quoad animum tamen suum attinet, nolle parere, atque ita volendo contra Deum niti, Deique dominationi se nolendo eripere, prout postea factum etiam videmus. Sed de hoc dominio quod homo in se ipsum habeat, non agi mihi videtur, quando homo ad imaginem Dei factus dicitur; sed de dominio tantum quod habet in alia omnia creata; quod utrique Adamo & Evæ commune fuisse non obscurè ex textu liquet, quamquam Adamo in Evam peculiare dominium etiam adsignatum fuisse certum est.

*Dei in hominem jus seu dominium in quatuor rebus consistit.*

Ex hac Hominis creatione oritur *jus* sive *dominium* Dei in hominem: idque primum, quod à nullo alio vel alius dominio dependet: ideoque summum, quo nullum aliud majus esse potest: & absolutum, quatenus omne quod creatura habet, & totum quod est, creatoris beneficio est & habet: ac propterea perpetuum quamdiu creatura existet. De jure hoc divino supra egimus fuse satis. jam dicimus paucis, istud consistere 1. In jure Annihilationis, si Deus velit. Qui enim totum dedit, is totum tollendi jus habet. Nec culpæ nec peccati meritum ut interveniat necesse est. 2. In jure utendi, & de creatura faciendi, quicquid ratio creationis, & æquitas ei innixa, permittit. 3. In jure legislationis, sive voluntatis humanæ potestatem circumscribendi, salvo usu voluntatis liberæ. 4. In jure puniendi creaturam, pro quantitate & qualitate delicti sive inobedientiæ.

*Id non est infinitum.*

Unde colligitur, jus hoc infinitum non esse, nec ulterius extendi posse, quam caussa illa patitur, ex qua totum illud jus est & dependent. Proinde 1. Etiamsi Deus hominem, licet nullius culpæ reum, annihilare possit; non posse tamen jure eum innoxium dolore tanto adficere, ut homini melius esset non esse, quam cum dolore isto esse ac vivere, nedum summo dolore ac malo, id est, infinita & æterna miseria adficere. Reprobationem ergo hominis absolutam injustam esse. 2. Deum jure legem homini ferre non posse, quæ ei imperceptibilis aut impossibilis sit, si lex sancita sit comminatione pænæ. 3. Deum creatura vel homine jure uti non posse, ad peccatum in mundum introducendum, quo per ejus punitionem vel remissionem glorioſus evadat: nec facere de eo jure posse, quidquid per omnipotentiam suam de illo facere potest, in malum dumtaxat hominis. 4. Deum hominem jure punire non posse contra, præter aut supra meritum suum. Quæ omnia supra à nobis fuse demonstrata sunt, & per se liquent.

*Hominis erga Deum obligatio in quatuor rebus est sita.*

Huic juri divino respondet *obligatio hominis quadruplex.* Prima, qua obstringitur ad recognoscendum Deum solum autorem ac Dominum suum, à quo secundum se totum, & totum sui dependeat. Secunda, qua tenetur se ipsum cum omnibus facultatibus suis Deo subjicere, & utendum præbere, ad gloriam ejus & suum majus bonum. Tertia, qua tenetur ad legem Dei recipiendum eique parendum, quando eam sibi ferri à Deo intelligit. Quarta, qua tenetur ad pænam subeundum & ferendum, si non obediat.

Ex parte ergo Dei

1. Falsum est, Deum si destinaret & crearet homines ullos ad æternam miseriam, citra ullam peccati, tanquam caussæ meritoriæ, considerationem, injustitiæ accusari non posse, eo quod absolutum jus dominii in eos habeat.
2. Falsum est, Lumine gloriæ nos intellecturos, quo jure Deus possit innoxios & immerentes destinare æternæ miseriæ.

Ex parte hominis

Falsum est, Hominem obligari, ut in hac voluntate Dei acquiescat; imo vero & Deo gratias agat, quod se fecerit instrumentum gloriæ divinæ, per iram & potentiam in suo æterno exitio demonstrandæ.

# LIBRI QUARTI, SECTIO IV.

## *De Providentia Dei.*

### CAPUT I.

### De primo Providentiæ divinæ actu, qui est hominis & aliarum rerum conservatio.

*Necessitas providentiæ divinæ.*

CREATIONEM hominis, & cæterarum rerum omnium propter hominem, excipit & excipere debet divina Providentia, quæ circa hominem, & propter hominem circa alias omnes res creatas, continuo occupetur; ne dominium & jus Dei, quòd per Creationis beneficium in hominem & cæteras alias res habet, frustra esse videatur: quasi videlicet Deus isto jure ac dominio suo aut uti non possit, aut, quamquam potest, tamen uti non velit. Si enim alterutrum statuatur, frustra est dominium ac jus Dei, ac proinde obligatio hominis ad Deum, tanquam Dominum suum, religioſe colendum, irrita ac nulla. Si enim Deus jure suo ac dominio vel non potest uti, vel uti non vult, quid restat aliud, quam ut homo credatur à Deo sui juris atque arbitrii esse relictus, & incertis casuum ac fortunæ ludibrio expositus, sive jure isto atque arbitrio suo recte utatur, sive abutatur?

At vero, quia ex una parte, nihil indignius aut iniquius de Deo cogitari potest, quam quod dominio ac jure suo, quod in hominem & res omnes creatas sibi acquisivit per Creationem, aut uti non possit, aut uti non velit: Ex altera parte, nihil indecentius aut stultius concipi potest, quam hominem idoneum conditum ad Deum creatorem suum colendum, sibi suoque juri atque arbitrio ita relictum esse, ut vel omnino non, vel frustra saltem ad colendum Deum creatorem suum obligetur; hinc omnino verosimiliter statuendum est, Deum actu Providentiæ continuo ac perpetuo, non tantum posse, quis enim de eo dubitet? sed & velle occupari circa hominem, & propter eum circa creata alia omnia.

Alterum ergo fundamentum juris divini, quod in hominem habet, ad postulandum ab eo cultum sui, id est, Religionem, nobis est Providentia divina; de qua deinceps agendum erit.

*Ea dupliciter consideratur.*

Hanc vero consideraturi sumus, quatenus primò atque immediatè versatur circa hominem, utpote solum Religionis capacem, & cui Religio propria est; deinde mediate, sive propter hominem, circa alias omnes res creatas. Secundo quatenus ea est, non vis sive influentia aliqua ex divinæ naturæ perfectione necessario emanans, tanquam ex causa prima influxu suo hominem resque omnes alias, veluti caussas secundas, ad unum determinante: sed quatenus est actus liberrimæ voluntatis divinæ, quo versari vult circa hominem & res omnes, se decenter, & naturis earum convenienter, ad gloriam suam sive perfectionis suæ divinæ declarationem.

*Ejus actus sunt duo, Conservatio & Gubernatio.*

*Actum providentiæ divinæ*, quo circa hominem versatur, & propter hominem circa alias res omnes creatas, *duplex est*; *Conservatio*, & *Gubernatio*. Conservatio versatur circa essentias, qualitates, quantitates, vires & facultates hominis aliarumque rerum omnium. Permanentium enim rerum proprie est Conservatio. Gubernatio circa actiones & passiones rerum omnium, imprimis circa facta hominum; sub quibus comprehendo tam actiones immanentes, cogitationes scilicet, desideria, volitiones, motusque etiam primos & involuntarios, quam transeuntes, sermones puta & facta; & utrasque tum bonas tum malas, & quidem in principio, medio ac fine. Sub actionibus etiam comprehendo actionum negationes, puta nolitiones, omissiones, &c.

*An conservatio sit actus positivus, an tantum negativus.*

Ad *conservationem* quod attinet, eam appello actum divinæ providentiæ, susque deque habens an actus dicatur positivus, quo Deus influit immediatè in essentias, vires, ac facultates hominis, rerumque aliarum omnium; an actus negativus, quo Deus essentias, vires, ac facultates rerum creatarum non vult destruere, sed eas vigori suo relinquere, quoad vigere ac durare possunt ex vi per creationem ipsis insita. Perinde enim nobis est, utrum credatur. Tam enim qui non vult destruere rerum essentias ac vires cum possit; quam qui per directum atque immediatum influxum eas in esse suo sustentat, conservare res dici potest. Nec minus glorioſum est Deo, isto quam hoc modo res in esse suo conservare. Nec major perfectio rebus creatis tribuitur, si hoc, quam si isto modo semper in esse suo dependere à Deo dicantur. Certè, quantum imperfectionis rei creatæ tribui videtur per influxus istius continui necessitatem, tantum perfectio-

fectionis creationi divinæ tribuitur, per necessitatis influxus istius continui negationem. Sed hæc philosophicæ pulpæ sunt. Sentiat quisque prout vult.

*Probatur ex Scriptura Deum conservare hominem.*

Ex Scriptura Sacra certum est, hominem resque alias omnes divinæ Providentiæ subjici, etiam in eo, quod per eam conserventur in essentia, viribus ac facultatibus suis: uti apparet de homine, primum in genere, quando David ait *Psal.* XXXVI. 7. *Tu*, Deus, *hominem & animal servas*: & Apostolus *Act. cap.* XVII. 25. *Deus dat omnibus, vitam, & halitum, & omnia.* & *vers.* 28: *In ipso* (Deo scilicet) *vivimus, movemur, ac sumus.* Sensus enim Apostoli est, Omnes homines Dei beneficio solo id habere, quod subsistant, vivant ac moveantur. *In Deo* enim, phrasi hebræa, idem est, quod Dei beneficio, auxilio ac gratia. Proprie enim ut accipiatur absurdum est. Similia loca infinita sunt, ubi ב præpositio pro לְ accipitur. *Psal.* XVIII. 30: *Quoniam in te contrivi exercitum, & in Deo meo transiliam murum. Psal.* LX 14: *In Deo faciemus militiam, & ipse conculcabit inimicos nostros.* & ὐ pro λὸ *Matth.* IX. 34: ὐ τῷ ἄρχοντι τῶν δαιμονίων ἐκβάλλει τὰ δαιμόνια. *Mar.* IX. 29: *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur, nisi* ὐ προσευχῇ καὶ νηστείᾳ, in, id est, per *orationem & jejunium. Luc.* XXI. 19: *Actor.* XVII. 31: *Ad Rom.* VI. 11. & X. 5. *Ad Coloss.* II. 15. *Apocal.* I. 5. & X. 6, &c.

In specie, quando 1. Deo tribuitur in Scriptura, quod homines in utero matris formet ac disponat. *Iob.* X. 8: *Manus tuæ finxerunt me ac fecerunt me, simul per circuitum*, (id est totum quantus ego sum:) *& disperdes me? Memento quæso quod sicut lutum fecisti me, & in pulverem reduces me? Nonne sicut lac liquefecisti me, & tanquam caseum coagulasti me? Cute & carne vestivisti me, ossibus & nervis compaginasti me. Vitam & misericordiam fecisti mecum, & visitatio tua custodivit Spiritum meum. Psal.* CXXXIX. 15: *Non fuit occultatum corpus meum à te, quando factus fui in occulto, & variis membris decoratus fui in inferioribus terræ. Imperfectum meum viderunt oculi tui, ac si in libro tuo universa scripta fuissent*, &c. Sensus utriusque loci est: Tuo beneficio debeo quod sim & vivam. Si enim tu impedire voluisses, ego nec conceptus nec natus fuissem. 2. quando Deo tribuitur, quod homini jam nato alimenta suppeditet, per quæ in vita conservatur. *Psal.* CXLV. 15. 16: *Oculi omnium in te sperant Domine; & tu das illis escam in tempore opportuno*, &c. *Act.* XIV. 17: *Deus non se reliquit expertem testimonii, dona tribuendo, dans nobis cælitus pluvias, ac tempora fructibus edendis apta, implens cibo ac lætitia corda nostra. Matth.* V. 45: *Deus facit solem suum oriri super bonos & malos, & pluit super justos & injustos.* 3. quando Deo tribuitur *Psal.* CIV. 29. 30: *cum abscondit faciem suam, quod tum* (homines & omnia) *turbentur; quando spiritum eorum aufert, quod tum deficiant & in pulverem suum revertantur. Quando Spiritum suum* è contra *mittit, quod tum creentur*, (id est, recreentur, refocillentur, redintegretur omnia) *& faciem terræ innovet*; id est homines & prata lætari ac ridere faciat, præ frugum fructuumque copia ac præstantia.

*Et omnes alias res creatas.*

Idem hoc secundò apparet de rebus aliis omnibus creatis; quando non in genere tantum dicitur in Scriptura, Deum conservare non minus animal, quam hominem, uti ex *Psalmo* XXXVI. 7. supra allegato liquet. *Omnibus animantibus escam dare, Psal.* CXLVII. 9. quin & *omnibus vitam & halitum & omnia dare*; *Act.* XVII. 25. sed & in specie, volucria omnia pascere. *Matth.* VI. 26. *Corvos, qui nec serunt, nec metunt, quibus non est cella, neque horreum, alere: Luc.* XII. 24. & *corvorum pullos nutrire*: *Psal.* CXLVII. 7. & 9. passerculos quorum singuli denario væneunt ita curare, ut *ne unus quidem in terram cadat sine ipso: Matth.* X. 29. id est, Deo non permittente. & quod majus est, non tantum fontes rivulosque in montibus & vallibus conservare, pecudibus & hominibus refocillandis in medio æstu, uti *Psal.* CIV. *vers.* 10. 11. 12. 13. 14. legere est, sed & lilia ipsa in agris vestire; quin & gramen ipsum herbamque agri, qua nihil vilius est, quippe quæ hodie demessa cras in clibanum conjicitur, ut pabulum ignis fiat, procurare: *Matth.* VI. 30. & quod omnium maximum est, pilos omnes capitis fidelium suorum ita conservare, ut in numerato eos habere dicatur, *Matth.* X. 30.

*Nec tantum species, sed etiam individua.*

Conservatio ergo tanquam actus divinæ Providentiæ extendit se non modo ad species omnes rerum creatarum; sive eæ contineantur in uno aliquo individuo, cujusmodi sunt species rerum ingenerabilium, & sic incorruptibilium, Solis putà, Lunæ, astrorum, &c. sive in pluribus, cujusmodi sunt species rerum corruptibilium sive generabilium; sed etiam ad individua omnia & singula specierum, quatenus videlicet Deus ea vel actu aliquo suo non vult perimere, vel ut seu alieno actu perimantur, seu vitio suo proprio pereant, permittere. Pereuntibus enim individuis omnibus ac singulis specierum, species etiam ipsas perire necesse est. Species enim, quia universale quid sunt, non existunt extra individua, sive singularia sua. Etsi vero ad specierum singularum conservationem individua collective omnia non sint necessaria, sed pauca tantum quædam sufficiunt; tamen cum videamus innumera fere cujusque speciei individua, vel fato suo perire, vel vi aliena perimi, nihil obstat ut credamus, causam nullam fore, cur non individua omnia pereant, atque ita species etiam annihilentur, si non obstaret divina conservatio, qua tot ac tanta individua, quot ad specierum conservationem sufficiunt, perimi ac perire non finit, cætera vero omnia aut fato suo perire aut alieno perimi permittit.

*Conservatio non est actus mere negativus.*

Ex quo consequitur, Conservationem divinam non esse actum mere negativum, nec merè naturalem, quo videlicet Deus vel non vult tantum res creatas destruere, vel quo non potest non res creatas influxu suo sustentare; sed esse actum voluntatis affirmativum, quo curam gerere vult ac providere rebus creatis, tam quoad species quam quoad individua specierum; non permittendo, aut impediendo etiam, ne alia aut plura in quaque specie individua pereant aut perimantur, quam quæ perire ac perimi propter causas, quas ipse novit, consultum judicat. quod non obscurè à Christo Jesu indicari videtur, *Matth.* VI. & *cap.* X. *vers.* 29. cum de passerculis duobus ait, quod *unus eorum non cadat in terram*, id est, non moriatur, aut perimatur, *sine Deo*, id est, uti diximus, nisi Deus id permittat.

*Sub ea comprehenditur etiam non conservatio.*

Hactenus ergo de Conservatione. Sub qua etiam comprehenditur non conservatio, sive potius voluntas non conservandi hominem & res creatas, sed vel destruendi hominem & perdendi res creatas, vel permittendi ut destruantur & perdantur; non per modum pœnæ, aut cum respectu ad culpam sive peccatum ab homine perpetratum; Sic enim ad gubernationem pertinet; sed per modum dominii, quo fit, ut vel vitam homini auferat; quale dominium apparet in infantibus vixdum natis, & iis qui præcoci & præmatura morte, sive naturali, sive violenta, ex hac vita tolluntur, priusquam rationis usum adepti sunt. Vel facultates ei adimat, sive organa ad facultates exercendum & exerendum necessaria: cujusmodi dominium apparet in fatuis, stultis & amentibus. Vel vires ad actiones homine dignas excercendum imminuat; cujusmodi dominium apparet in mutis, surdis, melancholicis, epilepticis, aliisque. Hæc enim omnia quin providentiæ divinæ effecta sint causa non est satis gravis cur dubitetur: quamquam quo fine ea à Deo fiant, nostrum non est statuere. Deo soli ea committere tutissimum est; quippe cui ratio operum talium suorum constat.

## CAPUT II.

## De Gubernatione, quæ est alter Providentiæ divinæ actus.

ALter Providentiæ divinæ actus, est *Gubernatio*: qui etiam prioris actus, id est, Conservationis, proximus atque immediatus finis est. Idcirco enim Deus conservare vult hominem & res creatas, quia actiones earum gubernare ac regere vult; sive potius, ut eas regat ac gubernet. *Act.* XIV. 15. 16. 17. & *Act.* XVII. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. Ac primum quidem actiones hominis, deinde aliarum creaturarum rerum actiones propter hominem.

*Probatur Deum gubernare hominum, actiones hominum.*

De gubernatione divina in genere, qua circa actiones hominis versari vult, & actu versatur, manifesta sunt testimonia. *Psal.* XXXIII. 13. 14. 15: *E loco habitationis suæ prospicit omnes habitatores terræ, formator pariter cordis eorum respicit ad omnia opera eorum.* Vide etiam *Psal.* VII. 4. 5. 6. 7. *Psal.* XIV. 1. 2. 3. *Psal.* XCIV. à *vers.* 3. *usque ad vers.* 12.

*Proverb.* V. 21: *Quando coram oculis Domini sunt viæ viri, & omnes semitas ejus ponderat.*

*Proverb.* XXIV. 12: *Si dixeris, Profecto ignoravimus istud; nonne qui ponderat corda, ipse intelliget? & qui custodit animam tuam ipse cognoscet, reddetque homini secundum opus suum?*

*Jerem.* XVII. 9: *Fraudulentum est cor præ omnibus rebus & perversum, quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, probans renes, ut dem unicuique juxta viam suam, & juxta fructum operum suorum.*

*Hujus gubernationis duo actus sunt*

Similia loca passim in Vet. & Novo Test. occurrunt: quibus significatur Deum Gubernatoris & Rectoris partes circa hominem agere velle, & in genere quidem duobus actibus: Actu nempe adsiduæ & continuæ inspectionis sive observationis actionum omnium hominis: & Actu judicii, *actus*, quod secundum actiones exercere & ferre vult. Et utrumque actum, voluntarium esse actum indicatur: ita tamen ut prior ad secundum referatur, & propter eum exerceatur, ex divinæ voluntatis arbitrio atque imperio; quod optimæ ac perfectæ Providentiæ signum est. Deus enim in Scripturis,

sive in locis istis allegatis, non dicitur intelligere, inspicere, videre actiones hominum, quia eas non potest non intelligere, inspicere, ac videre, ex perfectione naturali ac necessaria intellectus sui: sed quia directa voluntate sua eas observare vult ac pervidere, ut secundum eas hominem recto judicio judicet. Quatenus ergo eas videt ad judicandum hominem secundum eas, voluntarie eas videre dicitur. Nihil enim obstat, cur credatur Deum potuisse, si voluisset, actionum hominis curam nullam gerere, ita ut quamquam eas videret, secundum eas tamen hominem posset nolle judicare. At quia judicare vult, hinc observatio actionum hominis, Providentiæ actus voluntarius esse dicitur.

*Probatur etiam Deum gubernare res omnes alias creatas.*

De Gubernatione Dei in genere, qua versari vult & versatur actu circa res alias omnes creatas, & quidem propter hominem, infinita sunt testimonia, incipiendo à summis rebus creatis ad infimas imasque. Ab altissimis cælis, quos *veluti cortinam extendere* Deus dicitur, *Esa.* XL. 22. *aperire, claudere*, &c. *Psal.* LXXVIII. 21. *Luc.* IV. 25. *Jacob.* V. 17. Ad Angelos cæli incolas, quos mittere passim dicitur Deus, quibus mandare dicitur, ut manibus suis portent, circumvallent, benedicant, &, verbo uno, ministrent, &c. hominibus, imprimis piis: *Psal.* XXXIV. *Psal.* XCI. *Heb.* I. Ad cælorum exercitus, quos in numero educere, & omnes de nomine vocare dicitur: *Esa.* XL. 26. *Psal.* CXLVII. 4. Ad nubes, pluviam, nivem, grandinem, pruinam, ventos, turbines: *Psal.* CXLVII. 8. 18, *Job.* XXXVII. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. præcipere dicitur, ut efficiant ea quæ præceperit iis super faciem orbis in terra; sive in flagellum, sive propter terram suam, &c. Ad mare, & flumina: *Nahum.* I. 4. Ad volatilia cæli, ad pisces maris: *Soph.* I. 2. 3. *Matth.* VI. ad jumenta & bestias agri: *Psal.* CXLVII. 9. *Psal.* CIV. per totum. ubi leonum, caprearum, ciconiarum, ipsorumque adeo cuniculorum mentio fit. quibus adde, quæ de locustis, erucis, bruchis, hasil, dicuntur apud prophetas, imprimis *Joelem, cap.* I. & de ipsis pediculis: *Exod.* VIII. 17. Ad arbores arborumque fructus: *Psal.* CIV. 17. 18. ad fœnum usque, *vers.* 14. ad herbam agri, ad lilia, denique ad ipsum usque pulverem terræ, quem mensura mensum Deum dicit Esaias, *cap.* XL. 12. & quem percut à Mose justisse legitur Deus, *Exod.* VIII. 17. ita ut verteretur in pediculos in tota terra Misraim.

*Idque propter hominem, quod ex duobus indiciis apparet.*

Sed vero ne quis hæc ita generatim dicta, ad generalem tantum quandam rerum creatarum gubernationem probandum adduci posse credat, specialius paulum ea enucleabimus, ut appareat hanc gubernationem divinam proficisci ex speciali cura divina, qua circa hominem versari vult, ac propter hominem circa res istas omnes.

Duo hujus rei manifesta indicia Deus voluit exstare, ut homo certus esset eum sui curam gerere velle.

*Primum.*

Primum indicium est: Quod nullam pene rem creatam exstare voluit, circa quam exemplum providentiæ suæ non exhibuit in bonum aut malum hominis. A cælo exordium fiat ad infima quæque.

Cælum claudere voluit ad precationem Eliæ per tres annos & semestre, idemque ad precationem ejusdem aperire: 1 *Reg.* XVII. & XVIII. *Jacob.* V. 17. 18. Ejusdem cæli cataractas & valvas quasi reserare voluit per XL dies & noctes, ut diluvio aquarum operiret atque obrueret mundum impiorum: *Genes.* VII. & 2 *Pet.* II. Solem ejusque velocissimum cursum sistere voluit per integrum diem, ad vocem & clamorem Josuæ: *Jos.* X. 13, umbram Solis, ac proinde ipsum corpus vastum Solis, quod terra ipsa centies sexagies sexies majus est, retrotraxit aut retrocedere justit decem gradibus integris, qui in terra faciunt centum quinquaginta milliaria Germanica: *Esa.* XXXVIII. 8. Solem eclipsim pati voluit in plenilunio, Christi sui caussa: *Matth.* XXVII. 45. In aëre sive media aëris regione per sudum tonitrua & pluvias excitavit: 1 *Sam.* XII. 18. & quidem ad Samuelis Prophetæ sui orationem. Ex eodem aëre ignem, sulphur, & picem pluere fecit, ad internecionem peccatorum, sive scelestorum hominum, nec ante quam ex Sodoma exierat Loth cum suis: *Genes.* XIX. Ex eodem aëre ignem decidere voluit ad interimendum momento uno armatos aliquot milites, idque ad preces prophetæ sui Eliæ: 2 *Reg.* I. Mare turbidum, virga hominis percussum, veluti aridam glebam dissilire ac diffindi voluit, ut viam sterneret populo suo, qua evaderet insequentem Regis exercitum: *Exod.* XIV. Flumen Jordanis ad solum plantarum Sacerdotalium tactum dividi, &, dictum factum, siccum aridumque fieri voluit: *Jos.* III. quin & percussum Elizæi pallio, velut cultro dissectum, stare voluit, ut Elizæo transitum præberet: 2 *Reg.* II. 14. Ignem, licet ferventissimum, vi urendi destitui justit, & flammam ejus cohibuit, ne in eam conjectos tres Danielis socios vel leviter adureret: *Daniel.* III. Saxa & rupes aperuit solo virgæ ictu, ut fontium instar ac fluminum per vastissimas siccissimasque deserti arenas redundantium fluerent, potumque myriadibus hominum & jumentorum præberent: *Exodi* XVII. *Num.* XX. & 1 *ad Corinth.* X. 4. ferrum ex imo fluminis fundo, veluti lignum aridum in superficie aquæ natare fecit: 2 *Reg.* VI. 6. Terram densissimam & compactissimam, momento uno hiare & deglutire fecit seditiosos in castris ducentos & quinquaginta Levitas: *Num.* XVI. 31. 32. 33. 34. 35. Piscem vastissimum in mari excivit, qui absorberet Jonam, & illæsum per tres dies ac noctes in stomacho suo detentum in litus vivum atque incolumem evomeret: *Jonæ cap.* II. Asinam, mutissimum & stupidissimum animal, humana verba sonare, & percutientem Bileamum increpare fecit: *Num.* XXIII. Corvos, rapacissima animalia, panem & carnes ad Eliam mane & vesperi deferre jussit, tanquam jentaculum & cænam suam: 1 *Reg.* XVII. 6. Cucurbitam, sive ricinum, in medio æstu, in gratiam Jonæ, cum patulis frondibus ac foliis suis, oriri una die fecit, ut pro umbraculo ei esset contra ardorem Solis; & protinus vermem excivit, qui eandem pene in momento totam exarefaceret: *Jonæ* IV. ex terræ pulvere pediculorum turbam, homines & jumenta omnia infestantem, nasci fecit, solo baculi ictu: *Exod.* VIII. 17. mortuos in vitam redire fecit, aliaque: ut jam miracula innumera, quæ in Novo potissimum Testamento recensita videre est, non adducam. Breviter: Nulla fere res creata est, maxima, medioxuma, minima, in qua non exemplum aliquod Providentiæ & gubernationis suæ Deus dare voluit, & quidem vel in bonum vel in malum hominis, ut omnium ac singularum rerum creatarum curam à se geri, & propter hominem quidem, hominibus testatum faceret. Atque hoc primum Gubernationis divinæ circa res creatas omnes propter hominem indicium est.

*Secundum.*

Alterum hujus divinæ gubernationis indicium, & omni exceptione majus, est, quod Deus aliquando dabit, & datum se, passim, in Novo imprimis Testamento declarat; nempe in judicio universali; post quod, mundum totum creatum, & omnia quæ in eo sunt opera, destructurus, & flamma ignis aboliturus est, uti passim videre est: *Matth.* V. 19. & XIII. 39. & XXIV. 35. & XXVIII. 20. & 1 *ad Corinth.* X. 11. & 2 *ad Corinth.* IV. 18. & V. 1. *ad Heb.* XII. 26. & XIII. 14. imprimis vero 2 *Pet.* III. 7. 10. 11. 12. 13. & 1 *Joan.* II. 17. *Apocal.* X. 6. 7. & XX, 10. 11. 12, &c. & XXI. 1. certissimo indicio, quia id omne post judicatum hominem, nec ante futurum est, Deum mundum totum propter hominem tamdiu regere ac gubernare voluisse; quippe quem propter hominem condiderat.

## CAPUT III.

## Respondetur ad duo sacræ Scripturæ loca, quæ Dei providentiam tollere videntur.

SEd vero, priusquam progrediamur, ad objectiones duas, quæ iis quæ hactenus à nobis dicta sunt, fieri possunt, respondebimus.

*Resp. ad objectionem ex* 1 *Corinth.* IX. 9.

Prima est, quæ ex Scripturis petitur: Quod Apostolus ipse, 1 *ad Corinth.* IX. 9. Providentiam divinam versari neget circa boves, animalia licet mansueta, & ad pastum atque usum hominis utilissima. Si circa ista non versatur divina Providentia, quanto minus circa fera, sylvestria, & homini non modo inutilia, sed & inimica ac noxia? *Num*, inquit, *boves Deo curæ sunt?* Responsio facilis est. Ex verborum contextu liquet Apostolum non modo non negare velle ista oratione sua, quod Deus curam boum gerat, sed contra potius id affirmare velle, & ea quæ à nobis hactenus dicta sunt, confirmare; videlicet Deum circa alia omnia creata, & quidem propter hominem, & in ordine ad hominem, curam sua versari velle. Prius patet ex eo, quod Paulus ex ipsa lege divina, *Deut.* XXV. 4. citet præceptum, quo Deus boum curam se gerere testatur: *Non obligabis os bovi triturranti.* Secundum patet ex eo, quod *versu* sequente 10. statim subjicit, *An hoc propter nos omnino dicit? Propter nos* (certe) *hoc scriptum est.* quasi dicat: Deus isto præcepto suo, quo bubus triturantibus pabulum suffici jubet, aut subduci prohibet, non id solum habuit, propositum, ut bobus prospiceret; sed multo magis id, ut hominibus fideliter laborantibus in vocatione sua, tanto majorem curam impendi debere ostenderet, quanto illi bubus omnibus præstantiores fiunt. Unde verba ista, *Num boves Deo sunt curæ?* sic accipienda non sunt, quasi negationem contineant hanc, Deo boves non sunt curæ; sed μείωσιν quandam, quam interrogatio indicat, hunc in modum. Num putatis Deum præcepto suo isto declarare voluisse, se boum triturantium potius, quam fidelium servorum suorum, curam gerere & geri velle? Absit.

Hoc

Hoc ipso quod boves propter hominem sunt creati, Deus præcepto suo, quod ad boves spectat, significare voluit, præceptum istud ad homines fideliter operantes potius spectare quam ad boves, ac proinde propter ipsos homines à Deo traditum, & à Mose perscriptum esse.

*Et ad alterum ex Habac. I. 14.*

Similis locus objici posse videtur ex *Habacuc* I. 14. ubi Deus homines facere dicitur *similes piscibus maris, similes reptili, cui non est dominator*; id est, uti ex antecedentibus patet, inter justos & injustos discrimen nullum facere; sed eos fortunæ ludibrio aut potentiorum injuriis expositos relinquere, non aliter quam pisces maris & reptilia; quorum illos sagena, retibus, hamis, uncis extrahi industria humana sinit; hæc obteri & pedibus conculcari permittit, non aliter quam si dominio nullo in ea uti, aut curam nullam eorum gerere vellet. Sed vero Responsio hîc non minus facilis est, si dicatur, Prophetam vel loqui populariter, ex eo quod sensibus nostris apparet, & quod ex impatientia imprimis fere dici solet, exprimens in sua persona impatientiam istam humanam. Vel, cum ait, *quibus non est dominator*, eo non negare, quod Deus iis dominetur; sed tantum affirmare, quod magno aliquo pisce, veluti principe ac tutore, careant, quo ab insidiis & laqueis hominum præstentur immunes, aut à vi eorum defendantur & protegantur. Cum hoc autem consistere potest optimè dominium Dei in pisces & reptilia, uti ex scopo loci apparet, qui est indicare, Deum populum suum traditurum esse, aut tradidisse in manus Regis Chaldæorum; illum autem sic dominatum esse aut dominaturum populo, ut justorum & injustorum discrimen nullum sit facturus, quin & idolo suo transcripturus omnem fortunæ suæ aleam. inde verosimiliter constituram, Deo populum suum curæ non esse, sed eum relinquere arbitrio victoris, non aliter quam pisces piscatoribus. At vero tantum abest, ut id verisimiliter inde constare posset: ut contra ex eo ipso concludendum esset, Deum dominari & curam gerere populi sui, tradendo eum in manum hostium suorum, ut ab iis tanquam carnifice suo castigaretur, usque dum limitem eis poneret & fræno quasi eos retraheret. Maimonidem aliquando miratus sum hunc locum in suo Moreh Nebuchim, parte III. cap. XVII. allegare, ad probandum Deum specierum quidem omnium irrationalium in universo curam gerere, sed non individuorum singulorum. Piscibus enim & reptilibus dominatorem esse negat Habacuc, inquit. Sed mirari desii, cum idem Hieronymum in commentariis suis ad locum hunc Habacuc dicere deprehendi. Sic enim ait: *Sicut igitur in hominibus etiam per singulos Dei currit providentia*, (idem fatetur R. Maimonides:) *sic in cæteris animalibus generalem quidem dispositionem & ordinem cursumque rerum intelligere possumus; Verbi gratia quomodo nascatur piscium multitudo & vivat in aquis; quomodo reptilia & quadrupedia oriantur in terra & quibus alantur cibis. Cæterum absurdum est ad hoc Dei deducere Majestatem, ut sciat per momenta singula quot nascantur culices, quot vermiculi moriantur, quæ cimicum & pulicum & muscarum sit in terra multitudo, quanti pisces in aqua natent, & qui de minoribus majorum prædæ cedere debeant. Non simus tam fatui adulatores Dei, ut dum potentiam ejus etiam ad ima detrahimus, in nos ipsos injuriosi simus, eandem rationabilium quam irrationabilium providentiam esse dicentes.* In hanc ipsam sententiam consensisse videtur disertis verbis Thomas de Aquino, in summa sua Theologica, parte I. Quæst. XXIII. Artic. VII. eumque secutus nuper P. Molinæus, in sua Anatome Arminianismi, cap. III. cujus hæc sunt verba: *Nam ut Deus ab æterno decreverit, quot herbæ capillamenta debeant hoc anno in agro Neapolitano succrescere, aut quot de attrito mendici centone fila dependeant, non videtur consentaneum: quia non videntur habere rationem boni aut mali, nec facere ad Dei gloriam aut perfectionem Universi. Idcirco Thomas censet Dei decreto numerum hominum esse definitum; at non numerum culicum* (boum habet Thomas) *aut vermium. Non quod minutula ista Dei cognitionem effugiant, aut quod Deus ad ista non possit extendere providentiam suam, sed quia non videtur conveniens summæ sapientiæ, aliquid decernere, quod nihil conferat ad suam gloriam, aut ad perfectionem Universi*, &c. Quod ad me attinet, ut de Thomæ & Molinæi dictis jam non agam, (neque enim ea tanti mihi sunt, & refutata ea sunt jampridem à I. Corvino, in Mala Encheirisei Novi Anatomici P. Molinei: pag. 11. 12.) nec Maimonides, nec Hieronymus causam mihi videntur satis gravem habere, cur ex hoc loco Habacuc concludant, irrationalium non esse eandem quam rationalium creaturarum providentiam, quod attinet, inquam, non ad diversum aut disparem providentiæ gradum, sed ad ipsam providentiæ seu curæ substantiam. Cur enim singulorum piscium providentia minus Deo tribuatur, quam avium, & quidem vilissimarum, puta singulorum passerculorum? *Matth.* X. 29. quam corvorum & pullorum eorum? *Lucæ* XII, 24. quam liliorum? *vers.* 27. quam denique pilorum capitis singulorum? *Matth.* X. 30. imprimis cùm de piscibus, non minus quam de filiis corvorum, & jumentis singulis, *Psal.* CXLVII. 9. dicatur, quod sperent in Deum, ut det ipsis escam in tempore suo? quod Deus det iis (escam scilicet) & colligant, quod aperiat manum suam & saturentur bono? *Psal.* CIV. 27. 28. figurate quidem aut metaphorice, sed tamen verè. Atque hæc quidem sufficiant ad hunc locum, & ad primam objectionem ex Scriptura desumtam.

## CAPUT IV.

### Respondetur ad primam objectionem ex ratione petitam, A priori demonstrari non posse Providentiam divinam nunc circa homines versari.

*Tres adversus Dei providentiam objectiones.*

ALtera objectio ex ratione petitur, eaque triplici, quæ ad dubitationem de Providentia divina circa homines ingenerandum facere videtur.

Prima est: A priori demonstrari non potest Providentiam divinam nunc dari circa homines.

Secunda est: Nec à posteriori, quia nullum signum, nullus effectus, nulla operatio divinam Providentiam certo demonstrans, dari potest.

Tertia est: Contrarium videtur posse evinci ex eo quod manifeste apparet, & quidem tripliciter.

1. Quia bonis male hîc est. 2. quia malis bene est. aut 3. quia insontes paribus sæpe malis involvuntur cum sontibus; insontes sæpe propter sontes puniuntur; & non raro insontes innoxiique posteri luunt parentum suorum sontium noxas.

Hæ objectiones, quia fere atheorum sunt, quorum ubique maxima turba est, dignæ sunt quæ responsione seria contentur.

*Responsio ad primam.*

Quare ad primam sic respondeo. Difficile, adeoque forte impossibile esse, apodictice à priori demonstrare dari Providentiam, ac proinde nunc etiam dari providentiam circa res humanas. Cum enim Providentia divina non tam significet speculativam quam practicam & operativam rationem, ac proinde voluntatem Dei sibi habeat adjunctam, per quam divina ratio ad opus applicatur: Voluntatem autem Dei à priori demonstrare, impossibile sit, quia ut Deus eam prius revelet necesse est: fieri non posse videtur, ut Providentia divina à priori demonstretur. Existimo tamen eam ita consentaneam esse naturæ Dei, ejusque divinis proprietatibus, sapientiæ scilicet, bonitati, & justitiæ, ut qui eam Deo competere dubitare audet, vix inter sanos & mentis suæ compotes censeri debeat; uti ex iis, quæ in principio tractatus hujus diximus, manifestum est. Quod tamen sic accipiendum non est, quasi Deus ex necessitate naturæ suæ rebus omnibus, imprimis humanis, provideat, adeò ut iis non possit non providere. Sic enim Providentia non esset actus divinæ voluntatis liber, sed plane & absolute necessarius. Sed sic accipiendum est, ut verosimile nullo modo sit, Deum aliter quam ad proprietatum suarum divinarum declarationem circa res imprimis humanas versari velle. Neutiquam enim credibile est, Deum fabri vel artificum instar agere voluisse, qui domum, navem, aut scapham ubi fabricarunt, eas deinde aut vendunt, aut donant aliis, ut pro arbitrio suo iis utantur fruantur, susque deque habentes an bene, an male iis utantur; nec matris instar spuriæ aut infamis, quæ fœtum suum recens natum, omni materna στοργῇ exuta, exponit ad arbitrium quorumvis nutriendum & educandum: sed clementis domini ac patris benigni instar, qui res suas, imprimis liberos ex se genitos, curæ habent ac cordi, atque ut optime habeant adlaborant non minore cum solicitudine, quam pervigili ac pernocte diligentia: hoc solum discrimine, quod pater ad id faciendum teneatur: Deus vero non absolute teneatur; quia absque ulla injustitia & injuria, hominem sibi dirigendo idoneum creatum, sibi potuisset relinquere, ut ex arbitrio suo viveret, propriæque suæ fortunæ bonæ vel malæ faber esset. Potuisset, inquam, absolutè, si voluisset. At non voluisse, constat nobis Christianis evidentissime ex Scripturis SS. ex quibus solis de voluntate Dei judicandus est, & judicio non minus firmo ac demonstrativo, quam quod ex natura rei à priori ferri aut solet aut potest.

## CAPUT V.

### Reſpondetur ad ſecundam objectionem, nec à poſteriori divinam Providentiam demonſtrari poſſe, per aliqua illius ſigna aut effecta.

*Objectio ſecunda contra Dei providentiam.*

SEcunda objectio eſt, Nec à poſteriori demonſtrari poteſt divina Providentia, quia nullum ſignum, nullus effectus, nulla operatio Providentiæ divinæ propria aſſignari poteſt, quæ non ad cauſſam aliquam naturalem referri poſſit.

*Reſponſio 1.*

Reſp. 1. Conſequentia in argumento nulla eſt. Nec enim ad hoc, ut Deus providentia ſua verſari credatur circa res humanas, requiritur ut ſigno, effectu, aut operatione aliqua ſenſibili atque evidente id nobis teſtatum faciat. Aliud enim eſt Deum providere rebus humanis, aliud Deum providentiam ſuam ſentiendam nobis dare. Quid enim vetat Deum inſenſibili, & ſpirituali nobiſque incomprehenſibili providentia uti poſſe, & uti velle? Tantum vero abeſt, ſi hujuſmodi ſpirituali Providentia uti Deus velit, ut ſigno aliquo externo aut ſenſibili opus ſit, ad eam demonſtradum & nobis perſuadendum, ut contra, ſi ſignis externis ea nobis demonſtraretur & perſuaderetur, tota Providentiæ ſpiritualis ratio nulla prorſus eſſet futura. Hæc reſponſio idcirco pondus habet, quod à tempore iſto, quo Deus Jeſum Filium ſuum in cælum ſuſtulit, & ad dexteram Majeſtatis ſuæ collocavit, Providentiam ſuam ſenſibilem atque evidentem, per externa ſigna antea ſub carnalis populi regno demonſtratam, commutatam voluerit in Providentiam pure ſpiritualem atque inviſibilem; nempe eam quæ conſentanea eſſet regno Filii ſui, non mundano, quale antea fuerat in Repub. Iſraelis, ſed cæleſti ac ſpirituali, quale Deus Filio ſuo Meſſiæ typo mundani Iſraelitici regni adumbratum, deſtinaverat. Commutatio autem illa facta fuit, non ſtatim, neque è veſtigio ſimulatque Chriſtus in regnum ſuum introductus fuit. Neceſſe enim erat ut ejus rei, quod Chriſtus in regnum ſuum cæleſte introductus eſſet, certa fides populo fieret, tanquam rei per ſe pene incredibilis; idque per ſigna, effecta, & operationes ſenſibiles atque evidentes, quas ab ipſo Chriſto Rege, nec aliunde proficiſci manifeſtum eſſet; quod & factum eſſe paſſim ex Scripturis liquet. Sed commutatio illa facta eſt, poſtquam Deus judicavit abunde ſignorum factum eſſe, ad id, ut populo conſtaret Chriſtum in cælis regnare. Exinde enim ſigna fieri deſierunt, & Providentia Dei per Chriſtum Regem plane inviſibilis eſſe cœpit; ut Fidei, quæ potiſſima Regis Chriſti lex eſt, locus eſſet, & beati eſſent qui non viderent (externa ſigna ſcilicet Chriſti ſuſcitati) & tamen crederent. Atque hoc mihi videtur Chriſtus non obſcure indicare voluiſſe, *Matth.* XVI. 4. quando Phariſæis & Sadducæis non contentis ſignorum quæ in dies videbant copia, & ſignum pro ſuo arbitrio de cælo fieri poſtulantibus, dixiſſe legitur, *Gens mala & adulterina ſignum requirit: ſed ſignum non dabitur ei niſi ſignum illud Jonæ Prophetæ:* id eſt ſigno iſti ſimile.) Eo ipſo enim innuere mihi videtur, poſt ſuſcitatum Jeſum ex mortuis, & in cærum introductum, Deum non multo poſt finem facturum regni totius illius carnalis ac viſibilis, quale tum in populo Iſraelis erat; & regnum daturum Filio ſuo ſpirituale atque inviſibile, in quo unicum & certiſſimum illud ſignum, quod Deus Jeſum Filium ſuum Regem ac Dominum noſtrum ex morte ſuſcitaverit, & ad dextram ſuam poſuerit, locum eſſet habiturum, ſicut illud unicum hodie in toto Chriſtiano orbe locum habet, externis omnibus aliis ſignis Providentiæ ceſſantibus. Dices: Attamen multa alia ſigna edita fuerunt, & quidem multis adhuc poſt annis. Fateor. Sed, ut dixi, ea non fuerunt edita niſi ad ſignum iſtud unicum confirmandum, quod in principio ut fieret, apud infideles imprimis, neceſſe erat. Eo facto, Providentia Jeſu Regis ac Domini, conſentanea regno ejus cæleſti, ſpirituali, & inviſibili, locum habere cæpit. Nec mirum. Iſtud unicum ſignum, ſic confirmatum ut diximus, per ſe ſufficit ad perſuadendum omnibus hominibus Jeſum regnare, ac proinde providentiam ſuam ad omnia extendere, etiamſi nulla alia ſigna appareant. Ratio eſt: Quia idcirco ex morte à Deo ſuſcitatus eſt, & in cælum ſublatus, ut eſſet judex vivorum & mortuorum. Judex autem eſſe non poteſt, niſi provideat iis, qui judicandi ſunt, de omnibus neceſſariis; niſi obſervet actiones eorum, & pro ſapientia, bonitate, juſtitia, ac potentia ſua eas dirigat. Unde colligo eos, qui iſto ſigno non moventur ad credendum, Deum per Jeſum Chriſtum providentia ſua ſpirituali verſari circa res humanas, ſed ſigna externa & in oculos incurrentia hodieque requirunt, ut de eo perſuaſi reddantur, non minus quam Phariſæos & Sadducæos incurabiles eſſe; nec credituros, etiamſi non dico ex mortuis aliquis reſurgeret, ſed ſigna tantum non infinita fierent. Nullum enim ſignum fieret, quod cum iſto comparari mereretur. Hactenus reſpondimus ad conſequentiam argumenti.

*Reſp. 2. de ſignis & effectis providentiæ divinæ, quæ à quibuſdam poſtulantur.*

Nunc 2. Antecedens exthymematis expendamus.

Nullum ſignum, nullus effectus, nulla operatio Providentiam divinam demonſtrans, nunc datur, quæ non ad cauſam aliquam naturalem referri ac reduci poſſit.

Reſpondeo primo: Signa, effecta, & operationes divinam Providentiam demonſtrantes hodieque dari: puta conſervationem rerum omnium incorruptibilium in eſſe ſuo, in ordine, in viribus, & operationibus ſuis ſibi ſemper conſimilibus; quod ſane nec ſapientiæ, nec potentiæ creatæ ulli, tribui poteſt, ſed ſoli divinæ & increatæ. Naturæ, inquies, hoc opus eſt, cujus vi omnia iſta in vigore ſuo conſtant ac conſervantur. Cujus, inquam ego, naturæ? An univerſalis & communis ex ſingularum iſtarum rerum naturis collectæ? At univerſalis natura extra ſingulares naturas non datur, aut, ſi eam dari volumus, quo argumento aut ſigno id demonſtrabitur? An naturæ cujuſque ſingularis? At natura ſingularum iſtarum rerum bruta & ſtupida eſt, conſilii ac rationis omnis expers. Quomodo autem concipi poteſt, ut natura bruta ſeipſam in iſto vigore, ordine & harmonia perpetim & conſtanter conſervet? Non conſervat ſe, inquies, ſed permanet ac perdurat ex vi ſibi à Deo indita. Eſto, inquam. Neque enim facile hoc negari poteſt. Dico itaque ſecundo: dantur ſigna atque effecta divinæ Providentiæ in rebus corruptibilibus & ſublunaribus, quæ non niſi à Providentia divina proficiſci poſſunt; puta, ſpecierum omnium, jumentorum, avium, piſcium, vermium, inſectorum adſidua & perpetua conſervatio, individuis ſingularum ſpecierum aut fato ſuo aut aliena vi quotidie pereuntibus. Quæ ſapientia, quæ potentia creata iſti rei efficiendæ ſufficit? ecquod providentiæ & ſapientiæ divinæ ſignum illuſtrius dari poteſt? Naturæ hoc tribuere, quæ conſilii & rationis capax non eſt, mera ſtultitia eſt. Natura enim, qua talis, per ſe in ſingulis generum, id eſt, in individuis producendis occupatur, de ſpecie conſervanda non laborat. Per accidens hoc eſt naturæ, quod ſpecies conſervetur in individuis, quæ ab ea producuntur. unde quod infinitis individuis pereuntibus, ſpecies tamen ipſa non pereat; aut quod individua ſemper quædam permaneant, in quibus ſpecies conſervatur, id ad cauſſam aliquam per ſe referri debet. Cauſſa autem illa, quæ alia eſſe poteſt quam Providentia divina?

Datur etiam Religionis iſtius, quam à Deo profectam eſſe innumeris ſignis, miraculis, ac prodigiis confirmatum eſt, conſervatio. Ergo ſignum divinæ Providentiæ datur. Religionem autem cum dico, intelligo ejuſmodi religionem ſecundum quam Deus univerſum mundum judicare vult, & in fine ſeculorum judicaturus eſt, judicio peremptorio, vel vitæ, vel mortis æternæ. Ratio conſequentiæ eſt; quia niſi Deus curam gereret omnium hominum, eorumque facta omnia obſervaret, religio fruſtra eſſet, & judicium nullum. Antecedens experientia docet. ut ut enim homines Religionis omnis jugum ament excutere; ut ut Religionem hanc Gentiles & Judæi omnibus viribus exſtirpatam & peſſumdatam voluerint; ut ut ea per diſſentientium ac certantium ſtudia non parum labefactata, pene intercidere atque enecari videatur, manet tamen ac perdurat; adeoque ſeſe erigit contra inclinantium pondera, palmæ inſtar. quo autore? quo, inquam, alio, quam Deo? procurante ut ſingulis temporibus non deſint viri heroico ſpiritu animati, qui eam nutantem fulciant, labefactatam ac jacentem erigant, erectam ſuſtentent, & deformatam in melius reforment, invito toto mundo Satanico. Soli humanæ induſtriæ ac prudentiæ id adſcribere, temerarium forte eſt. quod ſi tamen quis id contendere velit, tum dicam, non repugnare Providentiæ divinæ, ut cauſſis naturalibus, id eſt, prudentia & induſtria humana, quando ea occurrit, utatur aliquando ad finem quem intendit, adſequendum. Fateor tamen, iſto caſu; actionem illam divinam non poſſe eſſe certum Providentiæ divinæ ſignum.

Dices: Non loquor de hujuſmodi ſignis, ſed de novis, ſive ante uſitatis, ſive inuſitatis, quæque in oculos aut ſenſus noſtros incurrunt. Atqui Reſp. novis ejuſmodi ſignis ut Deus jam utatur, quid neceſſe eſt? An vetera & priora illa non ſufficiunt, quibus per quindecim ſecula integra Deus providentiam ſuam teſtatam fecit in populo ſuo? An credemus cum deſitis iſtis ſignis Providentiam Dei deſiiſſe?

Contra

Contra apparet, quia poſt quinque deinde ſecula, in eodem populo, Deus per Chriſtum Filium ſuum, & per Apoſtolos ejus, innumera rurſum ſigna edidit, ut Providentiam ſuam non deſiiſſe, nec deſituram unquam eſſe, oſtenderet, licet alio modo adminiſtrandam, id eſt, inviſibiliter & convenienter ſpirituali regno Filii ſui, uti ſupra diximus. Etſi enim, ubi ſigna Providentiæ apparent, ibi Providentiam dari recte concluditur; non tamen ex eo ſequitur, ubi ſigna nulla apparent, ibi Providentiam divinam nullam dari. Hoc eſſet Providentiam divinam ſignis adſtringere, quæ non niſi à libera Dei voluntate dependent, cujus eſt ſtatuere, quibus temporibus ſigna fieri velit, quibus nolit. Quid ſi enim Deus tempora diſtingui velit, quibus æquum eſt ſigna fieri, aut non fieri? Sane ſi Scripturæ veſtigia ſequamur, ejuſmodi temporum diſtinctionem factam à Deo eſſe comperiemus. Alia enim tempora voluit eſſe tempora ætatis infantilis, alia ætatis adultæ ſive virilis. Infantilis ætatis tempora, eſſe voluit tempora populi ſui Iſraelitici, & Veteris Fœderis, uti ex Epiſtolæ *ad Galat. cap.* III. & IV. & ad *Hebr.* VII. & VIII. & IX. manifeſtum eſt. Iſta ætate ſigna ut fierent æquum erat. uti enim infantes fulcris & adminiculis opus habent, quibus ſe ſuſtentent, alioquin facile caſuri; ita ſignis opus habebat populus iſte rudis, carnalis & infans, quibus ad officium ſuum faciendum erigeretur & exſtimularetur. unde illud Apoſtoli, *Judæi ſignum petunt*; 1 *ad Corinth.* I. 22. At vero tempora populi iſtius diſperſionem & Reipublicæ ejus deletionem conſequentia, voluit eſſe tempora virilis ætatis, quæ fulcris & adminiculis ad ſui ſuſtentationem non eget: ac proinde providentiam quæ per ſigna fiat, non requirit. Ætati iſti alia & majora argumenta conveniunt, quæ ad explendum ejus deſiderium ſufficiunt, & quæ ad fidem, cujus iſta ætas capax eſt, ingenerandum idonea ſunt; cujuſmodi ſunt inviſibilium & futurorum æternorum bonorum promiſſa, & contrariorum malorum minæ, Spiritus ſancti auxilium, aliæque ſpirituales benedictiones in ſupercæleſtibus. Fidei huic cum ſignis nihil commune eſt. *Beati enim qui non vident, & credunt tamen*, ait Servator noſter Thomæ, *Joan.* XX, 29. Hoc primum eſt.

Alterum quod reſpondeo eſt. Iniquum eſt ut pro te nova ſigna à Deo fieri velis. Nam eo ipſo Deum obſtringis, quantum in te eſt, ut ſingulis pene momentis nova ſigna edat, quibus Providentiam ſuam teſtatam faciat. Ratio eſt. Quia quo jure tu ſigna in gratiam tui à Deo fieri poſtulas, eodem jure omnes homines, in gratiam ſui, ut ſigna fiant, poſtulare poterunt. At cum ſingulis pene momentis novi homines ſint, quid ſequetur aliud, quam ut novis ſemper ſignis Deus poſtulatis hominum omnium ac ſingulorum, omni ætate, ubique ſatisfaciat, atque ita Providentia divina adſtringatur ad continuam & aſſiduam ſignorum ac miraculorum patrationem? Quam hoc iniquum ſit, quis non videt? ut jam non dicam, ex eo conſecuturum, virtutis & vitii, religionis & Fidei, quæ Chriſtianæ Religionis prima ac potiſſima virtus eſt, rationem omnem evanituram eſſe. Quæ enim virtus eſt, Providentiæ divinæ ſe ſubmittere, ad quam agnoſcendam per ſigna cogeris? Quæ fidei vis aut difficultas eſt, ſi credas quod vides, neque antea credere velis, quam videas? Quæ Religionis gloria eſt, quando ea invito extorquetur, & ad quam quis per ſigna adigitur, ut dubitare amplius non modo non velit, ſed ne poſſit quidem? Sed vero progredior. Nova ſigna requiris. Quæ, inquam, & qualia? An ſigna quæ in cælo, aut aëre, aut terra ſemper ob oculos verſentur, puta virgam rubentem peccatoribus ſupplicia minantem, & coronam piis præmia promittentem? Atqui ſi iſta ſigna perpetim ita proſtarent perſtarentque in cælo aut alibi fixa, an credimus fieri non poſſe, aut non futurum unquam, ut ſignorum iſtorum major ratio non habeatur, ad concludendum ex iis divinæ Providentiæ certitudinem, quam nunc ſignorum Solis & Lunæ aſtrorumque omnium ratio non habetur? Quid abſimilius à vero? Pone enim ſigna iſta nunc recens & noviter nobis ob oculos poni, an poſteris noſtris ea nova erunt, ac non potius vetera ſigna? Et hi itaque nova rurſum ſigna poſtulabunt. Tum ſi iſta ſigna credimus iis ſufficere poſſe, cur non credamus potius ſufficere nobis debere Dei ipſius verbum, quod ſemper durat, & apertè promiſſionem & comminationem illam continet?

Dices: Signa ejuſmodi perpetua nollem, ſed quæ ſubinde renovarentur, & in oculos incurrerent; puta, hominum peccatorum exemplarem punitionem, & piorum remunerationem. Eſto. An ſigna iſta quotidie ante oculos tuos fieri non vides? Quam multi improbi homines in peccatis ſuis moriuntur, & mala ac miſera morte pereunt? Hos libido ſua intempeſtiva & intemperata præmatura morte diffluere facit. Illos bilis & ira ſua immodica ante tempus præfocat. Alios crapula, alios vindicta, alios opum, alios honorum nimia cupiditas, alios vindictæ deſperatio præcipitat in miſeras & calamitoſas mortes. Et quam multi ſunt quos Deus per peſtem, per famem, per bella & duella, per inundationes & diluvia funeſtis doloribus excarnificatos Providentiæ ſuæ vindicatricis teſtes facit?

Dices: Inter iſtos etiam non raro probi & pii ſunt, quos eadem cum cæteris calamitas involvit atque obruit: unde providentia divina iſta fieri non videntur. Reſp. Eſto. quin id factum aliquando ſit, & fiat, nolim negare. Sed vero id jam fieri, qui tu certo ſcis, aut ſcire potes? Nec enim dignoſcere potes, qui revera pii ſint. Quos enim tu pios eſſe arbitraris, quid vetat hypocritas eſſe, qui vultu ſeculum tegunt: *Qui Curios ſimulant, & bacchanalia vivunt?* Solius Dei eſt id dignoſcere, qui corda & renes ſcrutatur, ut eſt *Jerem.* XVII. 9. 10. Signo ergo novo opus erit, ut dignoſcas, an caſu, an providentia divina id ita accidat. Fateor, inquies. Signum ergo requiro, quo de ea re perſuaſus fiam. Quale, inquam ego? Ejuſmodi, inquies, quale videmus dari à Magiſtratu, quando ſontes, ex carcere in theatrum publicum eductos, ſupplicio adficiunt. Quando, inquam ego? An quando id peccatores merentur? At ſic ſigno iſto ſingulis momentis opus eſſet. Quando enim tempus ullum eſt, in quo non peccatores graves multi ſunt, ſupplicio divino digni? Quod ſi id fieri ſingulis momentis nolis, quid ergo judicabitur de iis qui interea moriuntur infiniti, ſupplicio & pœna digni? Caſu illud rurſus dices, an divina providentia accideret? Regeres: Providentiæ divinæ manifeſtum ſignum futurum, ſi Deus ipſe, veluti pro tribunali ſuo Magiſtratus ſolet, ſupplicium iſtud exerceret, cum addita ſententia & declaratione criminum cujuſque peccatoris. At vero, inquam ego, quorſum declaratio iſta aut ſententiæ pronuntiatio requiritur, cum de ſententia divina ex verbo ejus manifeſtè ſatis tibi conſtare poſſit? Eam enim Deus aperte in verbo ſuo, & quidem juramento ſuo confirmatam, omnibus hominibus revelavit, uti ex infinitis Scripturæ locis liquet. Si verbo iſti credis, quid de executione latæ ſententiæ ſolicitus es? Hanc judici juſtiſſimo committi æquum eſt. Tum, quid ſi Deus ſigno iſto utens, id eſt, ſententiam ſuam pro voto tuo executioni mandans, non dico te ipſum, ſed amiciſſimos & conjunctiſſimos tibi, uxorem puta, liberos, parentes, cognatos, agnatos, ſupplicio iſto adficeret, annon repente pœniteret te voti & deſiderii tui? Nullus dubito.

Sed vero, inquies, ut pœnas & ſupplicia irrogaret Deus peccatoribus, optare nollem, propter rationes allegatas. Sed hoc optarem, ut Deus illuſtri aliquo ſigno demonſtraret, ſe piorum curam gerere, per publicam & ſolemnem pietatis eorum remunerationem. Reſpondeo: Hoc ſpeciem videtur habere, & quia ea in re momenti aliquid poſitum eſt; hinc etiam eſt, quod Deus ſigno iſto aliquando uti voluerit; in primo quidem mundo, per ſublationem Enochi in cælum, ne mortem videret: in ſecundo, ſub regno populi Iſraelitici, per ſublationem Eliæ in altum: in tertio, ſi ita dicere liceat, per excitationem Filii ſui ex morte, & exaltationem ejus ad dexteram ſuam in locis altiſſimis. Hiſce ſignis Deus uti voluit, conſulens humanæ infirmitati. Et hæc tria cur non ſufficiunt: ut enim ſingulis momentis ſigna iſta exhibeat, nec Religionis, nec fidei natura patitur. Certe ultimum ſignum quod dedit in Filio ſuo, viſibiliter in cælum exaltato, tale eſt, ut per ſe ſolum ſufficere nobis debeat; quia certum eſt, neminem hominem ullam juſtam dubitandi cauſſam amplius habere poſſe, de eo, quod præmio eodem æterno aliquando à Deo afficiendus ſit, ſi Filio iſti obediat; cum Filio iſti, qui præmium iſtud ſibi obedientibus promiſit, præmium iſtud dederit, atque ita ſententiam ſuam de diſcipulis ejus præmio eodem adficiendis, publicè ac palam ratam fecerit; adeo ut de eo tam certi eſſe nunc poſſimus, quam ſi oculis noſtris, id jam conferri fidelibus ac ſanctis Chriſti diſcipulis videremus. Atque hæc ad ſecundam objectionem refellendam ſufficiant.

## CAPUT VI.

### Reſpondetur ad tertiæ objectionis primum membrum, Piis hîc non raro male eſſe.

TErtia objectio ex ratione petita, & quæ non modo ab omni retro ævo priſcos gentilium Philoſophos, ſed & ſanctiſſimos Dei viros, prophetaſque adeo & va- *Tertia objectio tripartita.*

tes vexavit, uti *Job.* XXI. 5. &c. *Psal.* LXXIII. 3, &c. *Jerem.* XII. 1. 2. 3, &c. *Habacuk cap.* 1. per totum videre est. Ea est hæc.

Nullum discrimen sit inter bonos & malos, pios & impios. Confusio ergo hîc est, non ordo, qui Providentiæ index est. Enimvero

1. Piis hîc non raro male est.
2. Impiis non raro bene est, aut melius quam piis.
3. Insontes 1. paribus sæpe malis involvuntur cum sontibus. 2. insontes sæpe propter sontes puniuntur. 3. imo non raro insontes innoxiique posteri luunt parentum suorum sontium noxas & scelera: &, ut Lucretius ait, pœna aut Nemesis,

*plerumque nocentes*
*Præterit, exanimatque indignos, inque merentes.*

Operæpretium est ut singula hæc paulo attentius expendamus.

*Resp. ad primum ejus membrum, Pius non raro male hîc est.*

Quod ad primum attinet: *Pius non raro male hîc est:* Respondeo 1. Id perperam dici. Quia nemini homini constare potest de pietate alterius. Impietas in propatulo est. *Opera enim carnis manifesta sunt: Gal.* V. 19. & qui ea facit, de eo constat, quod impius sit. Impietas enim simulari non potest sine impietate. At pietatis alia ratio est. Ea enim in corde potissimum sita est, quod nemo homo pervidere potest. Actiones externæ solæ pium non faciunt, quando ab iis cor abest. Pietas per eas simulatur, quod impietatis fastigium est. Malus enim, cum videri vult bonus, tum est pessimus.

*1. Nemini constare potest de pietate alterius.*

2. Non sufficit ad hoc, ut vere dicatur alicui male esse, quod mala quædam ei incumbant, quæ vitæ, sanitati, aut fortunis ejus noxia sunt. Etsi enim mala illa, Physicè mala, id est, animali huic vitæ noxia sunt, fieri tamen potest, ut mala ista, Ethicè mala, sive per se animo ac spiritui hominis noxia non sint, sed utilia adeoque optima, iis quibus ea eveniunt, non natura quidem sua, sed ex ipsius divinæ Providentiæ directione, qua fit, ut mala ista serviant, partim gloriæ divinæ illustrandæ, partim bono aliorum, partim denique bono eorum qui ea patiuntur; aut ut ei saltem fini servire possint. Nempe, quando Deus mala ista piis bonisque aut ipse immittit, aut evenire sinit, tribus fere de caussis id facere soler. 1. Propter se ipsum & gloriam nominis sui. 2. propter alios, sive ii impii sint, sive non vere adhuc probi aut pii. 3. Propter ipsos pios sive piorum bono.

*2. Mala Deus piis evenire vult,*

*Ad gloriam nominis sui illustrandam;*

Propter se ipsum id facit Deus, ut videlicet gloriam nominis sui illustret, eo quod subditos sibi facere possit, ac faciat, qui ultro ac sponte sua in mediis malis, adversitatibus & calamitatibus, infracti atque invicti manent, hostique suo, & bonorum omnium infensissimo, extrema omnia pro virili tentanti, ut eos à se avellat, ludibrium faciunt. Hoc quippe est vere ac generose pium esse, in mediis malis Deo indivulse adhærere, & ignita Satanæ tela, cujusmodi sunt tormenta, cruces, & mortes crudelissimæ, umbone patientiæ excipere atque elidere. Rebus secundis & ex animi sententia fluentibus, Deo fidere, virtutem exercere, & pium esse, parum gloriæ in se habet. At cum adversa omnia ingruunt, & veluti onera incumbunt, tum vero animum erigere, & Satanæ non cedere, gloriosissimum est; tum Deo adhærere, est Deum glorificare tanquam Dominum suum unicum & optimum maximumque. Nempe hoc ipse agnoscebat Satanas, cum Jobum tanquam pium & Dei timentem sibi proponi à Deo ipso audiret: *Job. cap.* I. & II. Mirumne est, inquiebat, Jobum tui timentem esse? *An gratis te timet? Nonne tu vallasti eum, & domum ejus, ac quicquid illius est per circuitum? Operi manuum ejus benedixisti, & possessio ejus crevit in terra. Verum mitte nunc manum tuam, & tange quicquid ejus est, nisi in faciem tuam maledixerit tibi.* quasi dicat: dispeream. Quid fit? Deus pium Jobum tradit tantum non in potestatem Satanæ, ut eum malis pene omnibus obrueret. Quo fine? ut Satanas experimentum caperet generosæ pietatis istius, quæ in Jobo erat. Experimentum capit; & ecce ad gloriam suam Deus exprobrat Satanæ, ab experimento redeunti, *Appositine cor tuum ad servum meum Job, quod non sit similis in terra, vir perfectus ac rectus, timens Deum, & recedens à malo? Adhuc,* adhuc inquit, *retinet perfectionem suam, quamvis incitaveris me in eum, ut perderem ipsum sine caussa.* Sed vero deerat Satanæ adhuc experimentum gravius, quod sibi permitti postulat. Et hoc ei concedit Deus. Cur? ut frustratus omni spe Satanas, Deo gloriam relinqueret hanc, quod subditum ultroneum sibi haberet, contra omnia Satanæ tela tutum atque invictum. Et hæc sane gloria Dei maxima erat. unde etiam factum fuit, ut Satanas, post omnia frustra tentata, victus cederet, tropæumque Deo relinqueret; qui & Jobo benedixit longe supra, quam antea benedixerat. Hinc Jacobus ait, *cap.* V. 11. *Tolerantiam Jobi audivistis, & finem Domini vidistis,* gloriosum nempe, & quem benedicendo Jobo testatus est. Certe quando Apostolus Petrus, 1 *Epist.* IV. 14: de afflictionibus Christianorum agit, in eandem sententiam loquitur: *Si probris afficimini in nomine Christi, beati estis; quoniam & ille gloriæ, & ille Dei spiritus super vos requiescit. quod ad illos quidem attinet, blasphematur; quod ad vos autem, glorificatur.* Nempe gloriæ Spiritum (id est gloriosum Dei Spiritum) requiescere, ἀναπαύεσθαι dicit super illis, tanquam qui summa voti sui potitus fuerat, eo quod in mediis indivulsi ipsi adhærerent. Patientia enim perfectum opus habet, & est virtutis omnis apex; adeo ut post eam ab homine Deus amplius quid non possit requirere. Glorificari etiam dicit Spiritum Dei ab ipsis; quia summa Dei contra Satanam gloria est, habere subditos sibi fideles ad sanguinem usque. 1 *Pet.* IV. 16. Concludo itaque, Non modo non recte colligi, idcirco piis ac bonis male esse, quia mala ista iis eveniunt, sed contra potius concludi debere, idcirco iis bene aut melius esse, quia per malorum istorum tolerantiam, instrumenta fiunt illustrandæ gloriæ divinæ: qua re præstantius nihil esse potest.

*Ad alios vel convincendos, vel animandos;*

Secundo: Propter alios mala ista piis evenire non raro vult Deus; Et quidem, vel propter ipsos impios refractarios & contumaces: vel propter eos, qui, etsi impii non sunt, pii tamen & probi revera non sunt. Propter illos; ut impietatis suæ convincantur, & videntes, quantum possit virtutis pietatisque amor in iis, qui, non obstante pietate sua, malis premuntur, vel pudore suffundantur, vel ad similium virtutum amorem inflammentur, vel metu gravioris divini judicii terreantur: uti ex hisce locis Scripturæ colligere est. 1 *Pet.* II. 15. & III. 16. & 1 *Pet.* II. 12. *Matth.* V. 16. & 1 *Pet.* IV. 17. Propter hos; ut ab iis exemplum veræ ac generosæ pietatis petant, non contenti quovis in speciem pio vivendi genere, sed ad istud amplectendum & sequendum parati, quod ii præmonstrant, & quo optime discerni potest, verus pietatis amator, ab eo qui pietatem non usquequaque cordi habet. Nempe adversa virum fortem arguunt: & uti nos eos demum veros amicos nostros esse credimus, qui nobis in adversa fortuna fidi sunt; ita & Deus eos demum amicos suos veros fideleisque censet, qui in adversis eum non deserunt; aut ad adversa æquo animo propter ipsum ferendum totos se componunt, parati cum opus est, quamlibet potius fortunam experiri, quam pietati nuncium remittere, aut virtuti epicedium scribere. Vocant itaque pii malis afflicti, exemplo suo, alios ad generosam virtutem, & veluti limitem signant, per quem eant. Per mala itaque quæ piis hîc eveniunt non modo iis male non est, sed & aliis bene esse potest.

Tertio, & quidem præcipue, propter ipsos pios id fieri vult Deus. & quidem tripliciter, vel ut eos exerceat; vel ut exercitatos probet; vel ut probatos glorioſe coronet.

*Ad ipsorum piorum bonum, ut eos exerceat.*

Quod ad primum attinet: *Exercitium* hoc divinum non est odii sed paterni amoris actus; finis ejus non est piorum læsio, sed fructus. Nempe stadium constituit Deus, quod decurri vult cum labore, sudore, & non raro cum sanguine ac cruore. In isto exerceri, est tanquam in gymnasio institui, ad consequendum athleticum robur & virtutem. Qua de re vide, 1 *ad Corinth.* IX. 24. 25. 26. *Act.* XIV. 22. 2 *Timoth.* III. 12. & IV. 7. 8. 9. *Ad Heb.* XII. 1, &c. Qui molliter habentur, & otio aut luxu foventur, ii inepti sunt ad decurrendum istud stadium. Enervantur animi otio aut luxu. Et matrum fere est indulgenter liberos suos habere, & eos specie dulcium enervare, ut vel otio vel luxu diffluant. Patris est per negotia, per continentiam, per dura & aspera liberos ad virtutem fortiter ac severe erudire. Nempe uti nemo bonus nauta fit, nisi per tempestates edoctus, nemo egregius miles, nisi per pericula exercitus; ita nemo bonus filius, nisi non nimis indulgenter habitus, & nemo bonus Christianus, nisi adversis & malis exercitus vexatusque. Languida & umbratica corpora, quæ rarus Sol vidit, ventus non strinxit, aura tristior non libavit, quælibet vel minima adversitatis aura dejicit ac resolvit. At quæ in pulvere, Sole, vento, lucta, cursu firmata sunt, ea vix concutit aut labefactat magna tempestas. Arbores ventis agitatæ altius radices agunt; ita boni adversitatum flabris aliquoties impulsi, in virtute magis comprehendunt.

*Unde quintuplex ad eos utilitas redit. Prima.*

Exercitium hoc divinum quintupliciter servit bonis ac piis. 1. Isto abducuntur & ablactantur magis magisque ab amore mundi hujus, & rerum omnium mundanarum, infantium instar, quos mater sua amarore absinthii aut sinapios papillis circumlitis, alienos reddit ab amore lactis sui, dulcissimi alioquin & gratissimi. Nempe, cum vident bonis omnibus terrenis, tot miscere se tristia & calamitosa, facilius adducuntur, ut credant, ea tanti non esse facienda, ut propterea sudandum ipsis aut laborandum magnopere sit: nec serio amore digna esse bona ista, quæ tam facile effluunt, & ubi effluxerunt, non tantum triste & inane sui desiderium relin-

relinquunt, ſed & contrariis ægritudinibus, doloribus, cru-
*Secunda.* ciatibus locum faciunt. 2. ut ſic ablactati à terra, diſcant ad cælum & cæleſtia bona adſpirare, animumque ſuum erigere, tanquam ad vera, id eſt, ſolida & ſincera bona; æterna ſcilicet & nullo dolore aut malo perturbanda. uti ſaturis enim cibus non ſapit, licet dulciſſimus; ſed famelicis; ita cæleſtia non ſapiunt, niſi iis, quos terrenorum bonorum deſiderium aut ſatietas hîc non habet, ſed fames aut faſtidium. Quia vero cæleſtia bona inviſibilia ſunt, & futura, terrena vero præſentia & in oculis; unde accidere facile poſſet, ut amor cæleſtium aut dilutior, aut non ita conſtans eſſet uti oportet; (ſiquidem, ut ait Poëta,

*Luxuriant animi rebus plerumque ſecundis,*
*Difficile eſt æqua commoda mente pati:*)

*Tertia.* hinc adverſa ſerviunt 3. ut pii in fide cæleſtium bonorum futurorum & inviſibilium confirmentur, vacillatura ſorte, ſi præſentia adfluerent, & dulcedinis ſuæ ſenſu eam impellerent. Vix enim fidei locus eſt, ubi præſentia omnia ex voto fluunt. *Fides* enim *eſt hypoſtaſis rerum ſperandarum, &* ἔλεγχος *eorum quæ non videntur: Heb.* XI. 1. *Ad Rom.* VIII. 24. 25. Quia vero qui iſta fide ſemel confirmati ſunt, homines nihilominus manent, carne & ſanguine circumdati, & in hoc mundo tanquam carnis paradiſo & ſenſuum diverſorio degentes, quorum fides variis dubitationibus, anxietatibus turbari & labefactari facile poteſt, niſi divini Spiritus ope
*Quarta.* fulciatur ac ſuſtententur; hinc eſt quod 4. adverſa iſta fidelibus iſtis ſerviant, veluti ſtimuli, quibus excitentur ad fundendum ardentiores fervidioreſque preces, pro ope & auxilio divino, quo ſuſtententur adverſus omnia tum ingruentia tum incumbentia mala. Onere iſto preſſi ope indigent, & ad opem petendum tantum non adiguntur, nixuri fortaſſe alioquin ſuis propriis viribus, & caſuri ſi ſecunda omnia evenirent. Difficile enim eſt ſecundam fortunam reverenter habere, aut ab aliena ope pendere velle. 5. Denique
*Quinta.* quia qui hodie pii ſanctique ſunt, aut in deterius prolabi poſſunt, aut aliquando etiam prolabuntur, imprimis dulci fortuna ebrii; hinc eſt, quod adverſa iis Deus non raro evenire ſinat, aut immittat, ſive fræni inſtar ne peccent; ſive flagelli, cum peccarent. Adverſa frænum ſunt, quia materiam & ſomitem vitiorum ſubducunt; uti medici ſanguinem non raro ſanis provide demittunt, non quia ægri jam ſunt, ſed ne in morbos aut ægritudines ex plethora incidant. Sic frænum Apoſtolo Paulo fuit, 2 *Corinth.* XII. 7, σκόλοψ infixus carni ejus, & Satanas qui eum quotidie flagris veluti cædebat, ne excellentia revelationum efferretur.

Adverſa flagellum etiam ſunt, quo caſtigantur, & clementer veluti liberi ſegnes ad meliorem mentem revocantur, & ad ſe redire, quaſi extra ſe rapti, admonentur: *Ad Heb.* XII. 5. 6. 7. 8, &c. *Apocal.* III. 19. Nempe bona aliquando eripit, quia, ſi non ad luxum, tamen non prout oportet iis ſunt uſi: Libertatem, quia ea, ſi non ad licentiam abuſi ſunt, attamen ad carni & voluptatibus indulgendum nonnihil ſunt uſi. Caſtigatio hæc à paterna manu eſt, quæ imprudenter lapſos crebro verberat; non à manu carnificis, quæ tardè quidem, ſed ſemel tamen pro ſemper punit. Frænum etiam iſtud ab eadem paterna manu eſt; quia Deus frænando pios, non ipſos proprie pios tangit, ſed corpus, agros, opes, & omnia externa eorum, ut animabus eorum bene ſit. Hactenus de primo fine Dei diximus.

*Deinde ut exercitatos probet ſeu approbet.* Secundus finis eſt, ut pios ſuos jam ante veluti velites adverſis quibuſdam exercitatos, probet; id eſt, non ut exploret eos, experimentum aliquod novum fidei & patientiæ eorum capiendo; ſed ut approbet eos, id eſt, ut eos egregiis & illuſtribus quibuſdam fidei ac patientiæ documentis, ſibi fidos probatoſque eſſe palam teſtatum faciat: Imperatoris inſtar, qui, ad arduas res gerendas, ad pericula ſubeunda, & ad difficillima negotia experienda, non adhibet niſi veteranos, & virtutis fideique compertæ milites, qui maximo ſibi honori ac gloriæ ducunt, & tanquam publicum virtutis ac fidei ſuæ teſtimonium eſſe credunt, quando ab Imperatore ad graviſſimas res gerendas & conficiendas adhibentur. Hoc ſenſu Deum aliquando probare ſive approbare pios ſui nominis cultores, non obſcure innuit Apoſtolus Petrus, 1 *Epiſt.* I. 6: *Qua in re exultatis, paululum nunc (ſi opus eſt) in variis tentationibus, triſtitia affecti,* ἵνα τὸ δοκίμιον ὑμῶν τῆς πίστεως, πολὺ πολυτιμότερον χρυσίου τοῦ ἀπολλυμένου, διὰ δὲ πυρὸς δοκιμαζομένου, *comperiatur vobis eſſe laudi, gloriæ, & honori, in patefactione Jeſu Chriſti.* Δοκίμιον autem τῆς πίστεως, non hîc eſt (ut Beza vertit) exploratio fidei veſtræ, ſed fides veſtra excellenter approbata, ſive illuſtre documentum fidei veſtræ, quam probari ſibi Deus oſtendit, quando vos dignos judicavit quos per afflictiones varias quaſi in theatrum educeret, in quo probatæ ſpectatæque fidei veſtræ, excellentiori multo quam auro, in igne non explorato tantum, ſed bono comperto & comprobato, teſtimonium, quaſi daretur. Hoc ſenſu verbum δοκιμάζειν non raro pro approbare, ut *Rom.* I. 28. & II. 18. & XII. 2. & XIV. 22. & 1 *Corinth.* XI. 27. *Gal.* VI. 4. *Epheſ.* V. 10. & nomen δόκιμος ſemper pro approbatus in Scripturis accipi legitur. Etſi vero verbum δοκιμάζειν proprie explorare ſignificat, & pro eodem cum verbo πειράζειν accipitur: 1 *ad Theſſ.* V. 21. proinde probatio hæc piorum per afflictiones primo ſenſu à nobis indicato accipi debere videatur; nos tamen id poſteriore ſenſu tantum hîc accipimus, prout etiam verbum δοκιμάζεσθαι manifeſtè accipitur, 1 *ad Theſſ.* II. 4. Probare itaque & tentare etiam aliquando dicitur Deus pios, quando eos non dico explorat, an fidi ſibi ſint futuri in adverſis: (de piis enim loquimur, quorum animos is qui corda & renes ſcrutatur perſpectos habet: & de hac exploratione & tentatione prolixe egimus, cùm de tentatione Abrahami ageremus.) ſed exploratos approbat, & quia approbat eos, probas & tentamina fidei ac patientiæ ſuæ edere vult per graviſſimarum afflictionum tolerantiam. Hoc ſenſu crediderim Chriſtum approbaſſe Paulum, *Act.* IX. 15. quando eum ad Apoſtolatum vocabat, tanquam electum vas, id eſt vas egregium & aptum, ad portandum nomen ſuum coram gentibus, regibus, & filiis Iſrael. *Ego enim oſtendam ei,* (inquit Chriſtus) *quanta eum oporteat pro nomine meo pati.* quod pulchre ita uſu veniſſe apparet, 2 *Corinth.* XI. & XII. Cur? quia, uti ipſe ait 1 *ad Theſſ.* II. 4. οὕτω λαλοῦμεν ὑπὸ τοῦ Θεοῦ: id eſt, quia pro probato & fido miniſtro ſuo me habet Deus, ὁ δοκιμάζων τὰς καρδίας ἡμῶν, id eſt, approbans cor meum. Eſt enim enallage numeri. Et hoc forte etiam ſenſu, Chriſtus in omnibus πεπειρασμένος, ſive tentatus eſſe dicitur, *ad Heb.* IV. 15; id eſt, per tentationum omnium genera demonſtratus, quod fidus Dei legatus & à Deo approbatus eſſet. unde & eum Deus vocat *ſervum ſuum, cui innixurus erat, Eſa.* XLII. 1. & *in quo acquieſcebat anima ejus: ibid.* ut & *Matth.* XII. 18. tanquam in ἐκλεκτὸν ſuo, id eſt, eximio & præ cæteris omnibus ſibi fido. Hoc ſenſu etiam Chriſtum Apoſtolos ſuos, & inter diſcipulos ſuos etiam eos qui electi vocantur *Matth.* XXIV. 24. probaſſe, id eſt, per varia fidei ac patientiæ documenta probatos ſibi eſſe, demonſtraſſe nullus dubito. unde & gaviſi Apoſtoli fuiſſe dicuntur, quando pro nomine Jeſu Chriſti digni judicati erant virgis cædi: *Act.* V. 41. quin & gloriari ſe dicunt de afflictionibus, *Rom.* V. 3. & 2 *ad Corinth.* XII. 9. tanquam de probis atque indiciis fidelitatis ſuæ quam Chriſto debent; quia ſciunt, quod afflictio tolerantiam efficiat, (non vi ſua, ſed vi fidei, qua credunt afflictionem ſibi non nocituram, ſed profuturam. Nempe qui fidem Chriſti dictis habet, eo ipſo quia dura & gravia accidere ſibi videt, ad patientiam ſe animari intelligit; cujus cauſſa quodammodo eſt afflictio. Nam ſi ea non accideret, cauſam gignendi in ipſo patientiam non haberet.) *Tolerantia vero probationem;* δοκιμὴν, inquit textus, id eſt, approbationem; quia ii qui mala iſta patienter ferunt ac tolerant, à Deo tanquam fidi ſubditi, qui quantum Chriſto & promiſſis ejus tribuant, oſtendunt, approbantur, & δόκιμοι habentur, id eſt probati, qui ad ea ferenda idonei & à Deo adhibiti ſunt. Per afflictiones itaque iſtas qui probantur, de iis idem dicendum eſt quod Apoſtolus dicit 1 *Corinth.* XI. 19. de iis, qui cum hæreſes in Eccleſia, id eſt, ſectæ & diſſidia oriuntur non neceſſaria, iis ſe non miſcent, ut nimirum, quia δόκιμοι, id eſt, probati ſunt, manifeſti fiant, quod tales ſint ſciiicet, id eſt non facile mobiles, ſed conſtantes, & caritatem in mediis dividiis animorum fideliter retinentes. Unde concludo, tantum abeſſe, ut propter adverſa aut mala quæ piis eveniunt, idcirco piis male eſſe cenſeri debeat; ut contra pii, propter ea cenſeri debeant Deo probati & fideles, in quibus Deus, quantum fidei ac patientiæ tribui debeat, teſtatum facere vult.

*Deniqué ut probatos glorioſe coronet.* Tertius finis Dei eſt, ut ſic probatos glorioſe coronet, id eſt, proprie dicto æternæ fælicitatis bono tanquam mercede donet. Atque hic finis eſt omnium præcipuus. Niſi enim hic ſequeretur, præcedentia omnia mala proprie dicta mala eſſent, propter quæ pii, malis iſtis preſſi, non miſeri tantum, ſed miſerrimi omnium mortalium eſſent; ut eſt 1 *ad Corinth.* XV. 19. *Si enim,* inquit Apoſtolus, *in hac vita ſolum ſperamus in Chriſtum, miſerrimi omnium hominum ſumus.* Unde colligo, nec actionem virtutis, fidei, & patientiæ ſolam, nec actionem quæ gloriam divini nominis aliorumque hominum bonum pro fine ſuo habet, nec denique ipſam Dei approbationem meram, ſufficere ad hoc, ut, quando piis mala & adverſa eveniunt in hac vita, idcirco concludi poſſit, iis male non eſſe; ſed neceſſario requiri, ut iſtam eorum tolerantiam Deus compenſet bono alio, ſaltem meliore bono quam bonum iſtud eſt, quo carere coguntur, quando malis iſtis adfliguntur. Quando vero bonum iſtud Deus, pro munifica ſua gratia, eſſe vult bonum æternæ fælicitatis & gaudii, tum optime omnium concludi poteſt, bonis idcirco male non eſſe in hac vita, quia malis iſtis temporalibus affli-

guntur ; sed optime esse , quia ista mala tolerando, æternam fælicitatem consequi possunt, ex divino promisso certo consecuturos se sperant , & actu aliquando consecuturi sunt. Hoc vero ita esse apparet ex infinitis Scripturæ locis; inter quæ hæc sunt clarissima. *Matth.* V. 4. 10. 11. 12. & XVI. 25. 26, &c. & XIX. 27. 28. 29. *Act.* XIV. 12. *Rom.* VIII. 17. 18. 19. 20, &c. 2 *ad Corinth.* IV. 16. 17. 18. & V. 1. 2. 3, &c. *ad Philip.* III. 10. 11. 12, &c. *ad Heb.* X. 35. 36. 37, &c. *Jacob.* I. 12. & 1 *Pet.* I. 7. 8. 9. & II. 19. 20. 21. & *cap.* III. 9. & *cap.* IV. 12. 13. 14. *Apocal.* II. 7. 10. 11. & *cap.* III. 4. 5. 21. & *cap.* VII. 14. 15. 16. 17. & XIV. 13. & *cap.* XXI. 7, &c. Hactenus de primo membro objectionis tertiæ ex ratione petitæ.

## CAPUT VII.

### Respondetur ad secundum tertiæ objectionis membrum, Malis non rarò hîc bene esse.

SEquitur expendendum secundum membrum: *Malis non raro hic bene est. Inter eos vide omnium pessimos, Tyrannos scilicet quorum scelera ac flagitia in propatulo sunt. Hos videmus abundare bonis omnibus, opibus scilicet, honore, potentia, luxu & delitiis. Deinde eos quicquid omnino, non dico vitiorum, sed scelerum, injuriarum, cædium patrant, impune esse.*

*Resp. ad id quod improbi non rarò bonis hujus vitæ abundant.*

Resp. Ad primum membrum: *Abundant non raro pessimi bonis omnibus vitæ hujus.* Fateor. At vero an ex eo recte infertur iis bene esse? Nequaquam. Eo ipso enim, quod ii, qui istis bonis abundant, mali sint, bene iis à bonis istis esse non potest ; non magis quam stomacho male habenti, aut laboranti magna intemperie, bene esse potest à cibis variis & superfluis, licet alioquin palato gratissimis. Cur? Nemini bene esse potest à bonis fortunæ, nisi qui iis recte uti novit : uti stomacho bene esse non potest à cibis, licet optimis, nisi bene digerenti. At mali bonis istis uti nesciunt, sed abuti. Animus enim eorum rector male habet ; quia fere laborat aut luxu, aut fastu, aut alio aliquo morbo vel vitio. Quare sicut nemo ditissimum & opulentissimum, fælicem recte vocaverit, cujus animus intus avarus est ; & nemo sanum dixerit eum, quem febris aut podagra habet ac detinet in purpureo strato ; ita nemo ei vere bene esse dicet, qui bonis fortunæ sapienter uti nescit, aut in media fortuna secunda animum adeo ægrum habet, ut clavum recta tenere nesciat. Dices: Quid si iis recte & sapienter uti sciant? At eo ipso mali esse desinent. Nequaquam, inquies. Epicurum vide & Senecam, præter alios complures, Cynicos imprimis, quorum dogmata à Stoicis tunica sola destitisse Juvenalis ait, lib. V. Saty. XIII. Epicurum Atheum fuisse nemo negat. De Seneca idem non obscure affirmat Erasmus in Præf. sua in Senecam. Hi quamquam divites (certe Senecæ tribuit Juvenalis Saty. X. ingentes divitias :

——*magnos Senecæ prædivitis hortos* ;

bonis tamen istis fortunæ abusi non sunt, sed recte usi. Esto, inquam. Abundantia itaque bonorum non magis iis proderat ad fælicitatem, quam si in fortuna mediocri aut tenui constituti fuissent. uti enim Epicurus aqua tantum & cibario pane, sive farina sola aquæ insperſa, ita Seneca in summa opulentia tenuissimo cibo victitabat. Tacitus de eo: *Simplici victu, & agrestibus pomis, ac, si fitis admoneret, profluente aqua vitam tolerabat.* At si cum & ab isto cibo iis bene esse poterat, adeoque bene erat, abundantia itaque bonorum non faciebat ut iis bene esset. Et cum cibus iste ubique facile sit parabilis, non minus bene esse potest bonis in tenuissima fortuna, quam malis in summa rerum omnium affluentia. Adfluere itaque bonis, non est hîc bene esse, non magis saltem quam iis non adfluere : quia ut bene alicui à bonis his sit, requiritur animus probus, & rectus eorum usus : Absque quo bonis abundare, non magis proficit ad bene esse, quam si crumena auro referta incidat in foricam aut sterquilinium. Nam rectè Horatius :

*Vivitur parvo bene, cui paternum*
*Splendet in mensa tenui salinum :*
*Nec leves somnos timor aut Cupido*
*Sordidus aufert.* Item :
*Bene est, cui Deus obtulit*
*Parca, quod satis est, manu.* Item :
*Si ventri bene, si lateri est pedibusque tuis ; nil*
*Divitiæ poterunt regales addere majus.* Rursus :
*Strenua nos exercet inertia : navibus atque*
*Quadrigis petimus bene vivere. quod petis, hîc est.*
*Est Ulubris animus, si te non deficit æquus.*
Claud. in Ruffinum :
*Vivitur exiguo melius : natura beatis*
*Omnibus esse dedit, si quis cognoverit uti.*

Ex hoc colligo, tantum abesse, ut propterea, quod bonis fortunæ non raro abundent mali, nec non pessimi, negandum sit, Deum providentia sua versari circa homines, & res humanas curare ; ut contra, quia bona ista talia non sunt, per & propter quæ homini proprie bene est, idcirco concludendum esse, per divinam Providentiam fieri, ut ea malis etiam obtingant : quia etiamsi bona propriè dicta non sunt, talia tamen sunt bona, per quæ, tanquam per media malis hominibus convenientia, flecti ac suaviter duci possunt, etiam pessimi, ad amorem & obsequium ejus à quo ista proveniunt. Sunt enim beneficia, quibus, etiam ferocia & indomita per vim animalia, cicurari & mansuefieri solent. Nempe ergo providet Deus malis hominibus, etiam cum ista bona iis largitur, ut per ea meliores reddantur. Et sane providentia hæc est congrua & conveniens, tum Deo ipsi, tum malorum ingenio. Ut enim mali cogantur ad virtutem, iniquum & impossibile est : ut mali, malis veluti flagellis à malo faciendo coerceantur, frustraneum est : quia sic veluti feræ irritantur magis ad vitia, quam cohibentur ; saltem alieniores redduntur ab amando Deo, quam proniores ad eum amandum. Quid ergo congruentius Deus suæ, tum bonitati, tum malorum ingenio, facere potest, quam si beneficiis suis malos ad se suaviter allicere studeat? Certe Scriptura sacra divinæ Providentiæ effectum hunc benevolentiæ adsignat passim in Veteri Testamento, & in Novo exertè *Matth.* V. 45 : *ut sitis filii Patris vestri, qui est in cælis. Facit enim ut Sol suus oriatur super malos & bonos & pluit super justos & injustos, Act.* XIV. 17 : *Deus non est passus se esse expertem testimonii,* (etiam in gentibus, quamquam eæ in suis propriis viis incedebant:) *dona tribuendo*, seu potius benefaciendo, ἀγαθοεργῶν, *dando cælitus pluvias ac tempora fructibus edendis apta, implens cibo & lætitia corda eorum.* Cur verò? *Act.* XVII. 27 : *ut quærerent Dominum, si forte palparent eum & invenirent.* quæ verba referenda sunt ad istos malos maxime, qui pluribus & majoribus beneficiis aut bonis vitæ hujus, quam alii à Deo afficiuntur. Hoc si ita est, tum certe finis istius divinæ benevolentiæ est, ut malos istos, si benevolentia etiam ista abutantur, pro meritis eorum puniat. Unde tum certissimè colligitur, Deum Providentiam suam circa homines non tantum in eo dare conspiciendam, quod malis istis sic benefaciat ; sed eum etiam omnium clarissime providentiam suam aliquando testatam omnibus facturum esse, in eo, quod non bonos tantum, sed & malos, judicaturus sit ex usu aut abusu mediorum istorum, per quæ omnes ad se adducere, quamquam diversa aliquando via, pro sapientia sua studuit. Malos itaque istos, quos per bonorum multorum concessionem adducere non potuit ad sui amorem & obsequium, tanto puniet severius, quanto flectere studuit suavius & diutius, utpote ostendentes se insanabiles prorsus & enemendabiles esse.

*Et ad id quod eorum scelera impunita manent.*

Ex hoc fundamento facilis est responsio ad secundum membrum: *Mali, & quidem pessimi mortalium, quorum impietas manifesta est, impunè hîc vivunt, & impune sæpe ex hac vita abeunt, veluti post fabulam actam ex proscænio histriones.*

Resp. Esto : ita sit. Non puniuntur hic : ergo nunquam punientur? Non sequitur. Quod differtur, non aufertur. Nec malefici, licet ἐν ἀνθρώποις deprehensi, è vestigio puniuntur à carnifice ; sed in carcerem compinguntur, in nervis & vinclis detinentur, ut, quando judici videbitur, in theatrum publicum educantur, meritoque supplicio afficiantur. Nec est quod dicas ; Quorum supplicium sic differtur, eos nonnunquam ex carcere effugere, & supplicium evadere. Hujus enim casus hîc periculum nullum est. Nullus fugæ locus, nulla evasionis spes est. Quocunque fugiant mali, semper in carcere suo, in compedibus & vinculis suis manent. Totus mundus malorum carcer est. Quocunque fugiunt, in oculis semper judicis sui sunt, qui eos videt & constrictos tenet, alios laxiore quidem, alios contractiore catena, catena tamen. Attamen, inquies ; dum pœna ista differtur, dum judex in mora est, mali isti homines animo suo indulgent & obsequuntur, gaudent & hilaria celebrant. Nempe uti Majestatis rei & damnates, qui in carcere alea & tesseris ludunt, mox in furcam compingendi, ducendi, verberandi, & obnupto capite infelici arbori suspendendi. Quantulum, & quam non merum, ex mora ista gaudium est? Quis invideat? Nemo, inquies. Certum est, eos qui crimen in pectore gestant, Nemesin semper in tergo habere, & breve nec sincerum gaudium esse, quo tales gaudent, hocque eis indulgeri posse.

Sed vero non gaudent tantum in sinu suo, sed & opprimunt interea, malisque quibus possunt obruunt optimos quosque. Esto, inquam. 1. Eo ipso culpas suas augent, & majoris pœnæ se reos faciunt ; *ad Rom.* II. 5. *Apoc.* XVIII. 5. 6. 7. 8, &c. 2. Eo ipso Deus eos veluti lictores & carnifices adhibet, ad castigandam pravos seculi mores, qui aliquan-

quando crudeles ejusmodi medicos requirunt, per quos ex oculis & conspectu auferantur boni ac probi, quia iis mundus indignus est; *ad Heb.* XI. 38. *Esa.* LVII. 1. 2. Adhibet autem non quia eos sceleribus talibus patrandis destinat, sed quia eos tales invenit, qui idonei & suapte sponte promti ac parati sunt ad quævis scelera patranda, ac proinde judicia Dei exequenda, ut animo saltem suo indulgeant, non ut Deo se præbeant ministros. Nempe non ut impune idcirco abeant, sed ut propter & post scelera ista patrata, ipsi deinde debitas dilatasque pænas majori cum fœnore solvant, ac veluti usurpatæ detritæque virgæ in ignem conjiciantur: ut videre est *Esa. X. vers.* 1. 2. 3. 4, &c. 3. Eo ipso bonis, qui opprimuntur, proprie male non est; uti ante ostendimus. 4. Non raro tales Tyrannos, dum in eo toti sunt ut bonos radicitus extirpent, ultio divina nihil minus quam exspectata incautos opprimit, & mala miseraque adeo morte è medio tollit, ut tristius funestiusque è medio tolli vix possint. Exempla passim obvia sunt, non apud Tragicos gentilium Scriptores tantum, sed & apud sacros. Pharaonem, Nebucadnezarum, Belsasarum, Antiochum, Herodem vide sis, aliosque, non dico Phalarides, Busirides, Atreos, Thyestes, sed Nerones, Caligulam, Othonem, Vitellium, Domitianum, monstra hominum in Romano imperio. Omnes istos ab ultrice manu Dei miserrime oppressos videmus, alios serius, alios ocyus, ut quæ animis destinaverant aut conceperant mala, contra complures bonos, exequi non possent: omnes tamen ea qua supremus Judex constituerat hora, & tanto quemque severius, quanto serius & tardius. Enimvero lento interdum gradu ad vindictam sui procedit Deus, ut tarditatem, supplicii gravitate compenset. τὸ θεῖον χρόνῳ μὲν βραδύζει, inquit Synesius. unde quod Petrus, 2 *Epist.* II. 3. de falsis prophetis dixit, de his etiam dici potest, οἷς τὸ κρῖμα ἐκπάλαι οὐκ ἀργεῖ, καὶ ἡ ἀπώλεια αὐτῶν οὐ νυστάζει. uti etiam id quod legitur 1 *Thess.* V. 3. 4. *Quum dicent, Pax, & tuta omnia, tunc αἰφνίδιος αὐτοῖς ἐφίσταται ὄλεθρος, ficus dolor partus, mulieri prægnanti, & non effugient.*

*Pœna impiorum corporales in hac vita.*

*Exodi XIV. toto. Esa. X. 12, &c. Daniel. IV. toto. & cap. V. toto. 1 lib. Mach. VI. 8. 9. 10. 11. 12. &c. Act. XII. 23.*

Dices: Pœna hæc, si de ista pœna intelligatur, qua Tyranni plerique in hac vita adfecti fuerunt, vix pœna dici meretur. Quantula enim ista est, quam levis, & quam brevis? Quæ proportio inter eam, & merita sceleftorum istorum gravissima sane ac diuturna? vix horulæ unius intervallum sæpe est inter eorum licentiam & mortem. Ictu sæpe uno confossi abeunt ex vita: &, ut Job loquitur, *cap.* XXI. 13. *ubi consumserunt in bono dies suos, in momento ad infernum*, id est, sepulchrum *descendunt*, id est, subita morte, pene sine dolore moriuntur.

R. Certe ita est. Pœnæ istius tum quantitas tum qualitas, cum quantitate & qualitate scelerum, quæ Tyranni isti patrarunt, conferri non potest. Quare cum de dilatione pœnæ dixi, ad hanc pœnam solam non respexi, sed ad pœnam quæ meritis eorum condigna sit. Quin ista ultio, pœna etiam sit, dubitari non potest, & pœna quidem aliquomodo horrenda, vel ea ipsa de caussa, quod ea superbis istis dominatoribus, non modo præter spem, sed & præter opinionem, subito & in momento quasi infligatur, ut de ultione & vindicta sui ne cogitare quidem possint. Sed quin eadem etiam nimis minutula & brevis videri debeat, quam ut par censeatur tot sceleribus & tantis, ratio non sinit. Quare ut alia & sceleribus digna consequatur, necesse est.

At mora etiam ista, quæ inter scelera patrata & pœnam Tyrannorum istiusmodi intercedit, nimis longa est, inquies. At, inquam ergo, 1. mora ista non est longa Deo judici sapientissimo & æquissimo, *apud quem mille anni sunt ut dies unus*: uti ex *Psal.* XC. 4. citat Petrus verba ista, 2 *Epist.* III. 8, id est, qui tam certo puniturus est post mille annos, quam si unus tantum dies effluxisset. Nobis, inquies, ista mora longa est. At quæ Deo longa non est, ea nobis longa videri non debet. 2. Cur longa ea nobis videtur? Nempe quia nos affectibus ducimur, & pœnam promeritam non cum Deo expectare volumus, sed ipsi coram videre. Hoc iræ & ultionis desiderium, non punitionis, sapit. At judex cum punit, tum minime irascitur; quia sine odio, sine affectu malo punit. Cui vero fini servit tam præproperæ ultionis desiderium? An ut ex ultione ista oppressis & per vim ac tyrannidem peremtis, bene sit ac satisfiat? Nihil minus. Isti enim peremti, ultionem istam ut videant, impossibile est. An ut tuo animo ob ultionis dilationem dolenti atque ægro satisfiat? At sic ultionem non desideras ut justitiæ actum, sed ut dolentis ex ira animi tui remedium. An ut ultionis istius horrore ac metu alii à tyrannide avertantur? At eum Tyrannis, licet ultis sæva morte, tyrannis raro extinguitur. Tyrannidi novæ, nunquam desunt novi autores & prætextus. 3. Mora ista, quæ inter mortem & ultimam Tyrannorum pœnam intercedit, non modo non longa, sed brevis adeo est, ut vix mora dici mereatur. Non nisi momentum videri debet. Nullum enim tempus inter utramque à Tyrannis sentitur. Et uti dormienti sine insomnio, nox nulla longa aut brevis est, ira mortuo nullum tempus currit. Hora mortis, hora judicii est. Intervallum inter utramque non nisi punctum est indivisibile.

Hactenus respondimus ad antecedens, per concessionem. Dato scilicet aut concesso malos hîc non puniri, vel saltem non ea pœna puniri, quæ par aut condigna sit eorum sceleribus, etiam cum funesta & non sicca morte è medio tolluntur, non tamen sequi, iis idcirco bene esse in hac vita, quia pœna certa eos manet, & ad eam hîc veluti captivi in carcere reservantur, tanto graviorem atrocioremque futuram, quanto longius ac diutius beneficio dilationis pœnæ, per scelerum accumulationem abusi fuerint. Sed jam progredior & dico secundo, Antecedens falsum esse, Mali hîc non puniuntur. Puniuntur inquam, & non leviter. Atqui, inquies, pœna ista seu punitio non apparet, seu non conspicitur à nobis. Esto, inquam, quid conspici eam à nobis necesse est? Pœna non desinit pœna vera esse, etiamsi ea à nobis non videatur. Eum qui punitur tangit ac ferit. Sufficit si is eam sentiat. Atqui, inquies, contraria omnia signa lætitiæ & gaudii in iis apparent, cum pœna gignat dolorem & tristitiam. At signa ista in publico, & in vultu eorum dumtaxat apparent: Pœnam interim, quæ intus latet, & cor cruciat, non vides. Eam si videres, diceres fictum, fucatum, & simulatum esse gaudium istud omne, quod vultu præ se ferunt, & in propatulo quasi ostentant, ne dolere & cruciari videantur ob scelera sua. At ista pœna, inquies, à quo exigitur? A Dei vicario inquam, *Conscientia* scilicet atque animo ipsorum proprio: *Ad Rom.* II. 15. & 1 *Joan.* III. 20. Juvenal. Satyra XIII.

*Conscientia cruciatus.*

——*prima est hæc ultio, quod se*
*Judice nemo nocens absolvitur; improba quamvis*
*Gratia fallacem prætoris vicerit urnam.*
*Quid sentire putas omnes Calvine recenti*
*De scelere, & fidei violatæ crimine?*

Animus ergo sibi conscius scelerum suorum, tortor & carnifex eorum est, qui eos veluti in equuleo positos, & nervis ac fidiculis excruciatos, intus gaudere non sinit; adeo ut dum spem & gaudium vultu simulant, altum premant corde dolorem. Nempe furiis subinde omnibus agitantur, anxietate, metu, horrore & desperatione veniæ ac gratiæ. Hac pœna quæ potest esse gravior in hac vita? Homo eam exigit à se ipso, & jure se exigere eam à se ipse intelligit: *Quæ venit ex æquo, pœna dolenda venit.* & cum tanto dolore ac cruciatu exigit, ut sentiat se dolere & cruciari; quantoque eam minus à se exigere studet, tanto sæpe magis exigat: adeo ut cum tutum se esse sibi persuadere audeat, securum tamen se non esse sentire cogatur; adeo cognatum, imo innatum omni sceleri sceleris supplicium est! Hinc recte Juvenalis eadem Satyra XIII.

*Cur tamen hos tu*
*Evasisse putes, quos diri conscia facti*
*Mens habet attonitos, & surdo verbere cædit,*
*Occultum quatiente animo tortore flagellum?*
*Pœna autem vehemens, ac multo sævior illis,*
*Quam aut Cæditius gravis invenit, aut Rhadamantus,*
*Nocte dieque suam gestare in pectore testem.*

Testem, inquit Poëta, & suum, & qui in pectore ipso est, & qui nocte dieque testatur. *Testem* Synecdochice vocat: quia is simul est & accusator, *Rom.* II. 15. & causidicus, *Rom.* I. *vers. ult. Eos qui talia patrant dignos morte esse* contendens. & judex qui condemnat, 1 *Joan.* III. 20. & carnifex qui terret, torquet, & minutis continuisque ictibus, cæsim ac punctim ferit. Et testis denique unus, sed qui mille instar testium est. Conscientia enim mille testes. *Suum*, dicit poëta, non alienum, seu pretio conductum, seu ab odio aut affectu sinistro suspectum, seu ignarum aut non bene instructum: sed familiarem, intimum, & scelerum omnium inspectorem certissimum; id est, testem exceptione omni majorem, quippe qui non testatur tantum, sed & non potest non testari, accusare, damnare, cruciare. Et quidem *in ipso pectore* hominis, ubi cor ipsum hominis est, in quo testis & judex ille quasi in tribunali suo sedet, & continuo atque assidue testatur, damnat, & cædit. Circumfertur enim quocunque homo se confert. Quocunque fugit, se ipsum effugere non potest. *Nocte dieque* addit Poëta: quia malus animus semper inquietus est, seu vigilet homo, seu dormiat. Vigil somnum sperat, tanquam inquietudinis suæ remedium. Dormientem spectra atque insomnia terrent & excitant.

Juvenal. Satyr. XIII.

*Nocte brevem si forte indulsit cura soporem,*
*Et toto versata thoro cum membra quiescunt.*

Con-

*Continuo templum & violati Numinis aras,*
*Et (quod præcipuum montem sudoribus urget)*
*Te vides in somnis, tua sacra & major imago*
*Humana, turbat pavidum, cogitque fateri.*
*Hi sunt qui trepidant, & ad omnia fulgura pallent:*
*Cum tonat, exanimes primo quoque murmure cæli.*
*Non quasi fortuito, nec ventorum rabie, sed*
*Iratus cadat in terras & vindices ignis.*
*Illa nihil nocuit, cura graviore timetur*
*Proxima tempestas, veluti hoc dilata sereno.*
*Præterea latens vigili cum febre dolorem*
*Si cæpere pati, missum ad sua corpora morbum*
*Infesto credunt à Numine. Saxa deorum*
*Hæc & tela putant.*

Juvat his adscribere Pictorii epigramma elegans.

*Istud habet damni vitium inter cætera, quod mens*
*Palpitat adsiduo flagitiosa metu.*
*Semper enim, vel si non deprendatur, in ipso*
*Se se deprendi posse putat scelere.*
*Deque suo, alterius quoties de crimine sermo est,*
*Cogitat, & credit se magis esse reum.*
*Inque dies timor hinc crescit, &c.*

Merito ergo Lucanus, lib. VII. exclamat:

*Heu quantum miseræ pœnæ mens conscia donat!*

Dices fortasse: Impios eo usque impietatis pervenire, ut conscientiæ morsum omnem susque deque habeant, imo ipsam conscientiam totam plane suffocent; adeo ut ἀπηλγηκότες, id est, doloris omnis, ex conscientiæ morsu existentis, expertes reddantur: *Ephes.* IV. 19. & conscientiam habeant κεκαυτηριασμένην, sive cauterio ita inustam, ut sensu omni doloris privata sit: 1 *Timoth.* IV. 2. Ad hoc respondimus, quando ex argumento conscientiæ, contra Atheos concludebamus, Deum esse qui res humanas curat. Nunc verbo dico: Loca ista intelligenda esse, non de ipso effectu suffocationis conscientiæ, sed de conatu & studio suffocandi. Conscientia enim scientiam necessario sequitur. Scientiam autem nemo suam suffocare potest. Vel, si malimus, ea exponenda esse non de pleno ac totali effectu suffocationis; sed de semipleno sive aliquali effectu, eoque brevi & non diuturno, id est, de diversione animi à molestis curis, & contentione immergendi se totos voluptatibus, delitiis, libidinibus, comessationibus, conviviis, iocis, ludis carni gratissimis & à solicitudine omni vacuis. In his enim quamdiu sunt, tota quasi carnis mole obruunt conscientiam, ut non secus quam ebrii, somnolenti, & lethargici, conscientiæ aculeum non sentiant, sensuri mox eum, sibi à veterno isto expergefacti fuerint, & tanto altius sibi infixum, quanto contentius eum retundere aut obtundere sunt conati: plane uti ii, qui spinam pedi impactam habent, quanto magis eam premunt, tanto infigunt altius, & tanto inde majorem dolorem sentiunt. Enimvero dormit tantum interea conscientia, at mortua non est. Ebria est à carne, sed non extincta aut suffocata penitus. uti autem ii qui acutis febribus tenentur, nonnihil levamenti ac solatii sibi accipere videntur, si in frigidas aquas se totos immergant; attamen febrium ardorem magno suo malo accendunt; ita qui conscientiæ morsum expectorare sibi student per delitias & voluptates, ut ut ad tempus morsum ejus non sentiant, tamen tantum abest, ut consequantur quod volunt, ut acriorem deinde morsum ac remorsum sentiant. A voluptatibus enim carnalibus remedium petere contra conscientiæ morsum, tantundem est atque dolori à caussa doloris, morbo à veneno, siti à salsis aquis remedium petere. Recrudescit deinde dolor, & intervallum doloris, pœnitudinis simul ac doloris incrementum est. Ut jam non dicam, In mediis voluptatibus non raro ingerere se, nolentibus licet atque invitis, conscientiam scelerum & formidinem mortis, adeo ut cibus, licet delicatissimus, non sapiat, & vinum felle atque absinthio amarius videatur. Venenum in patina, & cicutam in poculo metuunt aureo; nempe

*Venenum in auro bibitur.* &

Tyranni ad suspiciones omnes pavidi sunt; quia, ut Claudianus ait,

*Muniti gladiis vivunt, septique venenis.*

Hinc recte Horatius, Damocli eos comparat,

*Districtus ensis cui super impia*
*Cervice pendet, non Siculæ dapes*
*Dulcem elaborabunt saporem,*
*Non avium citharæ atque cantus*
*Somnum reducent.*

Concludo hæc quæ jam dixi, versibus Claudiani in Ruffinum.

*Sæpe mihi dubiam traxit sententia mentem,*
*Curarent superi terras, an nullus inesset*
*Rector, & incerto fluerent mortalia casu.*
*Nam cum dispositi quæsissem fœdera mundi,*
*Præscriptosque maris fines, annique meatus,*
*Et lucis noctisque vices, tunc omnia rebar*
*Consilio firmata Dei, &c.*

Addit:

*Sed cum res hominum tanta caligine volvi*
*Adspicerem, lætosque diu florere nocentes,*
*Vexarique pios, rursus labefacta cadebat*
*Religio, &c.*

Tandem subjicit:

*Absulit hunc tantum Ruffini pœna tumultum,*
*Absolvitque Deum. Jam non ad culmina rerum*
*Injustos crevisse queror: tolluntur in altum*
*Ut lapsu graviore ruant.*

Et alius:

*Raro antecedentem scelestum*
*Deseruit pede pœna claudo.*

## CAPUT VIII.

**Respondetur ad tertium tertiæ objectionis membrum. 1. Sæpe insontes cum sontibus paribus malis involvi. 2. Sæpe insontes propter sontes puniri. 3. Sæpe sontes præterire pœnam, & insontes posteros parentum suorum scelera post eorum mortem luere.**

*Tertium objectionis membrum, tribus assertionibus propositum.*

REstat ut videamus tertium membrum objectionis tertiæ, quod tribus hisce pronunciatis continetur:

1. Sæpe insontes cum sontibus paribus malis involvuntur.
2. Sæpe insontes propter sontes puniuntur.
3. Sæpe sontes præterit pœna, & insontes posteri parentum suorum noxas & scelera post mortem eorum luunt.

Primum apparet ex *Ezech.* XXI. 3: *Ecce venturus sum ad te, & educam gladium meum è vagina mea, & excidam ex te justum & impium. Et propterea quod succiderim ex te justum & impium; idcirco egredietur gladius de vagina sua, ad omnem carnem ab Austro ad Aquilonem. Et sciet omnis caro, quod ego Dominus eduxi gladium meum de vagina sua; non revertetur ultra.*

Secundum apparet ex exemplis diluvii, excidii Sodomæ & Gomorrhæ, quo quin insontes innumeri infantes, & innoxii pueri involuti fuerint, dubium non est. Adde exempla Achanis, *Jos.* VII. & Davidis, 2 *Samuel.* XXIV.

Tertium apparet in exemplo septem filiorum Saulis, qui propter Saulis patris sui facinus, quo Gibeonitas contra datum juramentum tantum non funditus deleverat, expatibulis suspensi fuerunt: 2 *Samuel.* XXI. in exemplo Solomonis, propter cujus peccata regnum filii Rehabeami divisum, & decem regni partes servo ejus Jeroboamo attributæ fuerunt: 1 *Reg.* XI. in exemplo etiam Achabi, cujus scelera detestanda post mortem ejus luerunt filii & nepotes ejus: 1 *Reg.* XXI. ut jam alia exempla non allegemus.

*Responsio generalis, duo fundamenta continens.*

Ad solutionem horum trium clare percipiendam, duo hæc præmittimus quæ fundamenti loco erunt. *Primum*: Aliud esse occidere, aliud punire. Providentiæ, ordinis & justitiæ rationem non permittere, ut innocens puniatur: permittere tamen, ut occidatur ab eo, qui summum jus vitæ & necis in eum habet. Ratio manifesta est. Occidere est actus dominii absoluti, in quo nulla esse potest injuria. Qui enim vitam tanquam Dominus dedit, is eam jure suo adimere potest. Recte ille:

*Vitaque mancipio nulli datur, omnibus usu.*

Punire est actus judicii, in quo injuria manifesta locum habere potest, quando pœna peccantem egreditur. Pœna enim & culpa sunt relata. Pœna itaque, quæ sit sine culpa ejus propria qui punitur, injusta est. Per eam enim relatum ponitur sine correlato, & suum cuique non tribuitur. Ita certe Abraham apud Deum ipsum argumentatus esse legitur, *Genes.* XVIII. 25: *Absit à te, ut mori facias justum cum impio, fitque impius sicut justus. absit, inquam, à te. Nunquid judex universæ terræ non faciet judicium?* Et Deus Abrahami argumentum approbavit non obscurè. unde & postmodum lege sua sancivit, *ne interficerentur patres pro filiis, neque filii pro patribus, sed ut quisque pro peccato suo moreretur: Deut.* XXIV. 16. qua lege motus Amaliah Rex Jehudah, percussorum patris sui filiis peperciisse legitur, 2 *Reg.* XIV. 6. Hinc Ezechiel etiam nomine Dei idem populo non dixisse modo, sed cum juramento inculcasse legitur, *capp.* XVIII & XXXIII. *Vivo ego, dixit Dominus Deus, si erit vobis ultra, ut parabolice loquamini para-*

*parabolam istam in Israel. Ecce omnes animæ meæ sunt, sicut anima patris, sic & anima filii, meæ sunt,* (jure scilicet absoluti dominii.) *Anima* (supple, tamen ista) *quæ peccaverit, ipsa morietur. Filius non portabit iniquitatem patris, neque pater portabit iniquitatem filii; justitia justi super eum erit, & impietas impii super eum erit.* Hoc primum est.

*Alterum* est: Aliud esse, Puniri aliquando aliquem occasione peccati alieni aut alterius, cujus ipse reus non est: Aliud, prorsus insontem & innocentem puniri. Fieri enim potest, ut, qui immunis est à peccato isto, peccatis interim & criminibus multis aliis teneatur, propter quæ quovis tempore, quo Deo vindici libet, puniri meretur, & ad quæ punienda, occasione hujus aut illius atrocis peccati, licet alieni, Deus quasi adducitur aut adigitur. Prorsus insontem puniri justitiæ repugnat: At sontem & pœnæ reum, occasione peccati alieni puniri, nequaquam. Pœna enim quæ debetur, jure exigitur à creditore vel à judice, sive nunc, sive tunc; sive hac, sive illa occasione exigatur. Non enim in diem debetur, sed statim simulatque peccatum commissum est.

*Resp. ad primum, sæpe insontes cum sontibus partibus malis involvi, & ad locum Ezech. XXI. 3.*

Hisce duobus observatis, responsiones ad singula pronunciata per se liquent. Ad *primum*, ex *Ezech.* XXI. 3. citatum: In eo non dicitur Deum justos cum injustis pari pœna excidii velle plectere: hoc enim injustum esse evicimus. (Et ea forte causa est, quod LXX interpretes, pro eo quod in textu est והכרתי ממך צדיק ורשע verterint ἐξολοθρεύσω ἐν σοὶ ἄδικον καὶ ἄνομον, & Chaldæus paraphrastes: *Migrare faciam ex te justos tuos, & perdam peccatores:* quia videlicet judicabant indignum Deo esse, ut justos simul cum injustis puniat. Sed textus Hebræus plane habet, *Justum & impium.*) sed tantum dicitur Deum, quando pœnam sumturus esset de populo rebelli, pœnam istam rebellium aggravaturum, eo ipso, quod justos etiam è medio eorum sublaturus esset; sive, ut eapropter multo magis rebelles & injusti dolerent; sive, ut qui reliqui mansuri erant in populo, ex eo ipso animadverterent, se justorum talium commercio indignos esse; sive, ut ipsi justi non amplius justas animas suas adfligerent, & impura nefariorum conversatione fatigarent oculos & aures suas, uti de Lotho dicitur, 2 *Pet.* II. *vers.* 7. 8. Certe ex textu non obscure liquet, Deum, quando se justos cum injustis excisurum dicit, sic loqui, ut appareat, eum idcirco id facturum esse, ut quam ingentia & atrocia sint populi scelera, eo ipso demonstret; quod videlicet iram suam redundare facturus sit in eos etiam, qui eam non meruerunt; & quando id fecisset, tanquam propterea nova ira irritatus, gladium stricturus esset ad totalem internecionem & deletionem populi; uti ex *vers.* 4 videre est; *Propterea quod succiderim ex te justum* (non minus scilicet) *quam impium; idcirco egredietur gladius meus.* q. d. Quia & quando id fecero, ad quod vos me sceleribus vestris concitastis & provocastis, ut scilicet justos longiore vita dignos etiam è medio sustulerim, tum vero acuam amplius iram meam, & eam in carnem omnem effusurus sum, tanquam indignam, cui vita, quæ justis nulla ipsorum culpa ademta est, prorogetur.

Quod si cui hæc expositio non arridet, is videat an hæc potior sit; Ezechielem scilicet loqui de justis illis, qui vitæ quidem integri scelerumque puri vivebant in medio corruptissimi populi, sed adeo terræ ac glebæ suæ adfixi manebant, ut quicquid malorum prænunciarent Dei vates, ii tamen de mutando solo, & evitandis malis istis maximis, ne cogitarent quidem; cum tamen eo fine, ut id cogitarent, & serio in animum suum inducerent, prænunciationes illæ fierent. Nec enim dubium est quin Ezechiel in Babylonia, & Jeremias, qui abductus nondum erat, identidem dixerint, id quod dictum legitur *Jerem.* LI. 45. *Egredimini de medio ejus, populus meus, & eruite unusquisque animam suam ab ira furoris Domini.* Vide sis etiam *ibid. vers.* 6. 9, &c. & similem locum *Apoc.* XVIII. 4: *Et audivi aliam vocem è cælo dicentem, Exite ex ea populus mi, ne participes fiatis peccatorum ejus, &* (id est) *ex plagis ejus accipiatis.* Hos itaque quanquam justos, id est, justitiæ & pietatis retinentes, eapropter tamen una cum injustis à Deo punitos fuisse, nihil vetat, quod vatibus divinis non credentes, habitare non desinerent in medio eorum, quos ultio divina in horas pene manebat, & quorum funestissimum excidium indies prænunciabatur. Qui amant periculum, pereunt in eo, suapte sponte & culpa. Hactenus ad primum.

*Responsio ad secundum, sæpe insontes propter sontes puniri: & ad exempla diluvii & excidii Sodomæ & Gomorrhæ.*

Ad *secundum* quod desumitur 1. ex exemplis diluvii, & excidii Sodomæ & Gomorrhæ: certum est istud inductum fuisse, quia *omnis caro corruperat viam suam*; *Genes.* VI & VIII. unde Petrus ait, id inductum fuisse *in mundum impiorum*: 2 *Pet.* II. 5. Hoc verò contigit, quia in tota ista pentapoli ne decem quidem, adeoque præter Lothum forte, ne unus quidem justus erat. *Genes.* XVIII. 32. Esto, inquies. At innumeri isthic fuerunt innocentes, parvuli, ab uberibus matrum adhuc pendentes, quos eadem cum sceleratis pœna obruit atque inundavit. Non, inquam, eadem pœna, sed eadem calamitas. Diluvium idem fuit, sed malis sub ratione pœnæ, infantibus sub ratione calamitatis tantum immissum. Sub ratione pœnæ ut infantibus dicatur immissum impossibile est. Infantes enim, quà tales, innocentes & extra culpam erant: quia ut *Jonæ* IV. 11. dicitur, *ii non noverant* (discrimen scilicet) *inter dexteram suam & sinistram suam.* & ad *Rom.* IX. 11: uti *nihil adhuc fecerant boni*, ita etiam *nihil adhuc fecerant mali.* Tantum autem abest ut Deus eos puniverit, ut Deus ipse *Jonæ* IV. 11. excidium Ninevitis per Jonam denuncians, propter malitiam eorum, & denuntiatum excidium remittens, aut suspendens, quia serio resipuerant, præter pœnitentiam eorum consecutam, inter alias causas hanc alleget, quod *in urbe Niniveh, essent plusquam duodecies decem millia infantium, & animalia multa*; quasi dixisset Jonæ, propter istas saltem innoxias animas, quas alioquin eadem cum cæteris calamitas involvisset, æquum judicare debuisses, ut cæteris pœnitentibus parcerem, eorumque miseratione ducerer. At quis misericordiæ, ubi justæ pœnæ locus est?

*Discrimen inter calamitatem & pœnam.*

Quæres: At calamitas quæ immittitur quà calamitas tantum, quid differt à calamitate, quæ immittitur sub ratione pœnæ? Resp. Multum admodum. Illa à domino qua tali immittitur? Hæc à judice, quà iratus est. Dominus rei, quando vult rem suam sibi vindicat. Judex qua iratus rem prius suam, sed per peccata à se alienatam, à se abdicat, & tanquam suam sibi vindicare non vult. Dices: An ergo Deus innocentes infantes iisdem cum nocentibus calamitatibus involvendo, tanquam rem suam sibi vindicat? Sane, inquam. At, inquies, si eos in vita tanquam insontes conservaret, annon rectius eos sibi vindicare videretur? Ita sane videretur. Sed quia infantes, quà tales, tenerrima parentum suorum portio sunt, & ii propriè nec sontes nec insontes sunt, utpote rationis usu nondum præditi; idcirco iis utitur Deus, ut per eorum cædem, parentibus tanto faciat ægrius, quanto eos amant tenerius. Nempe, tum demum gravissimè puniuntur parentes, quando non se tantum, sed & innoxios infantes suos, quorum mortem sua qualibet morte redimere vellent, propter sua crimina ad necem rapi, & ante oculos suos obtruncari vident. Ista itaque calamitas, pœna parentum est, non liberorum. Ratio est: Quia etiamsi nulla parentum culpa aut intercederet aut præcederet, Deus tamen eadem aut simili calamitate liberos, licet innoxios, ex hac vita tollere posset; uti non paucos ab omni retro ævo, multis longisque doloribus cruciatos sustulit, hodieque tollit. Hinc David mortem filii sui ex Bethsabæa per adulterium nati, non extimuit tanquam pœnam filii sui, sed tanquam sui ipsius criminis pœnam: 2 *Sam.* XII. Et mors præcox inflicta filio Jeroboami, pœna fuit Jeroboami, & uxoris ejus, non filii; uti videre est 1 *Reg.* XIV, 13. Illi enim cum supplices optarent, ut viveret valeretque, repulsam à propheta passi sunt, cum denunciatione malorum maximorum. De puero autem dicitur, quod moriturus esset, & plangendus ab universo Israele, inque sepulchrum suum deducendus, quia iste solus erat ex domo Jeroboami dignus qui sepeliretur, *eo quod in eo inventa esset res grata Domino Deo Israelis.* Longe itaque differunt, morte affici à Deo & à Deo puniri.

*Resp. ad exemplum Achanis, Josua VII.*

Ad exemplum Achanis ex *Josuæ cap.* VII. desumtum quod attinet: Resp. 1. Aliud esse occasione furti Achanis, deletos in prælio cum viris Ai commisso triginta & sex viros: Aliud, eos propter istud Achanis furtum punitos. ut puniti dicantur, ratio non sinit, quia ignari erant commissi criminis. Nemo autem inscius sceleris, reus esse potest pœnæ, imprimis si per ipsum non stet, quo minus conscius ejus sit. Deleri itaque & cadere in prælio potuerunt, vel quia propriis suis peccatis meruerant ut caderent; vel quia Deus cæde & strage istorum uti volebat ad gloriam nominis sui illustrandum, per solemnem furti facti detectionem, quæ occasione stragis istius secutura erat. 2. Quod ad pœnam Achani constitutam attinet; 1. non constat liquido ex textu, eam etiam ad liberos Achanis extensam fuisse. 2. si omnino ex textu id evinceretur, tum necessario adserendum est, eos etiam in participium furti paterni venisse, & sic propria sua culpa reos pœnæ factos fuisse. Ratio est: Quia alioquin Josua contra expressam legem divinam, quæ nullum crimen excipit, filios fecisset portare iniquitatem patris ipsorum: *Deut.* XXIV. 16. pejusque fecisset quam Amasiah, qui, legis istius religione ductus, animadvertere noluit in filios percussorum patris sui: ut est 2 *Reg.* XIV. 6. & 2 *Paralipom.* XXV. 4. Dices: Attamen filios & filias Achanis curavit Josua deduci in vallem Achor. Ita est. Sed quid vetat id factum fuisse à Josua, vel ut tanto magis doleret Achan, in conspectu liberorum suorum lachrymantium lapidandus; vel ut Israel totus, & imprimis ipsi Achanis liberi, horrore & metu tanti supplicii à simili peccato absterrerentur? Regeres: At in textu diserte dicitur, *Eos igne combustos fuisse, & lapidibus obrutos*: *vers.* 25. Resp. Contra, in

textu

textu dicitur, *Et obruerunt eum* (Achanem scilicet) *universus Israel lapidibus. vers.* 25. & 26: *Et statuerunt super eum* (Achanem scilicet) *acervum lapidum usque in diem hanc.* Unde non absimiliter à vero colligitur, non liberos Achanis, sed Achanem solum delicti sui pœnam tulisse. Quod vero dicitur in textu, *Et combusserunt eos igni*, id tum de argento, pallio & virga aurea, furto sublatis, tum de tabernaculo, supellectile, vasis, aliisque utensilibus Achanis intelligendum esse. Id vero quod additur, *Et obruerunt eos lapidibus*, de bobus, asinis, & pecudibus omnibus Achanis accipi debere. Quicquid sit, Si liberos hos Achanis, aut eorum aliquos, infantes adhuc, vel saltem criminis tanti incapaces fuisse volumus, tum ut sic verba textus prædicta accipiantur omnino necesse est. At si eos volumus adultiores, & sui ita compotes fuisse, ut cum judicio in patris scelus potuerint consentire, actuque ipso consenserint, tum nihil vetat, eos eadem cum Patre suo pœna punitos fuisse; & sic ad rem hanc nostram, de qua agimus, exemplum hoc non pertinebit.

*Resp. ad exemplum Davidis, ex 2 Samuel. XXIV.*

Ad exemplum Davidis ex 2 *Samuel.* XXIV desumtum, quo septuaginta hominum millia peste extincta leguntur, propter peccatum Davidis, eadem responsio sufficit. Aut enim volumus, homines istos innoxios plane & culpæ Davidis adfines nullo modo fuisse: Aut noxios fuisse, id est, vel ejusdem cum Davide culpæ & peccati reos; vel, si non istius ejusdem, alterius alicujus criminis, aut aliorum peccatorum quorundam gravium coram Deo reos. Si eos innoxios prorsus fuisse volumus, tum peste illa tanquam pœna è medio sublati non sunt, sed ea veluti veneno quodam extincti à Deo, cui jus est pro arbitrio suo, quosvis etiam innocentissimos, quando ita consultum videtur, ex vita hac tollendi. Consultum autem id tum Deo visum fuisse, ut Davidem ambitione sola concitatum ad numerandum populum, & à multitudine populi sibi quasi jam gratulantem, & tantum non superbientem, severe puniret, quando nimirum tam brevi tempore tot hominum millia sibi & regno suo ademta esse visurus esset. Si noxios eos fuisse volumus, id est, hujus ejusdem culpæ Davidicæ reos, quid mirum tum eos punitos fuisse? Sed vero à culpa ista absolvit eos David ipse, *vers.* 17: *Ecce ego peccavi, & ego inique egi; isti autem sunt oves, quid fecerunt?* quasi dicat, Nihil; quod quidem ad hanc rem attinet. Non enim excusat eos ab omni culpa; id impossibile erat Davidi scire, sed ab hac culpa, quam suam solius propriam esse noverat. Quare si punitos eos hac pœna esse volumus, necesse est, ut culpa iis alia tribuatur, propter quam, etsi fortasse Deus in eos animadversurus nondum fuisset, occasione tamen peccati hujus atrocis, à Davide principe eorum admissi, animadvertere in eos voluerit. Quæ vero culpa, inquies? Quis dixerit? Deo ea sine dubio manifesta fuit, etsi nobis ignota. Sunt qui culpam eorum in eo ponunt, quod, quando numerabantur, & nomina eorum in tabulas publicas referebantur, dimidium siclum ad redimendum animas suas à morte, juxta divinæ legis expressam sententiam, *Exod.* XXX. 12. & *Num.* I. 2. seu dedita opera non solverint, seu solvere saltem per incuriam legis neglexerint. Hoc si verum esset, culpa sane gravis fuisset, & justa pœnæ caussa pateret. Sed eam textus nusquam insinuat, nec in hoc capite, nec 1 *Paral.* XXI. nec *ibid. cap.* XXVII. 23. 24. Ibi enim recensio hæc à Davide imperata, non videtur dici facta eo fine, quo recensio populi à Deo imperata fieri solebat ac debebat; sed alio prorsus fine, ut scilicet David quantitatem populi inde pernosceret, & in ea gloriaretur tanquam ingentis populi Rex: cum tamen ea non fieret sic, ut inde promissionis Abrahamo & semini ejus factæ veritas & gloria eluceseeret. Non enim recensebantur, ut textus ait, qui minores erant viginti annis, qui tamen in populi ordinaria recensione præteriri non debebant: & Joabus ipse non recensuisset tribus omnes, sive, ut textus ait, recensionem non complevisset. Inde enim fieri poterat, ut crederetur, Deum non stare promisso suo, quo promiserat futurum, ut semen Abrahami esset innumerabile sicut stellæ cœli & arenæ maris. Et fuit propter hoc, dicit textus, *ut ira Dei incenderetur, & numerus ille non ascenderet in numerum verborum dierum regis Davidis.* Alii culpam eorum altius petendam censent, & quidem vel ex conspiratione Absolomi contra patrem suum, in quam totus pene populus consenserat: 2 *Samuel.* XV. 12. 13. vel ex conjuratione Sebæ filii Bichri, in qua ut est 2 *Samuel.* XX. 2. totus Israel, id est, decem aut undecim tribus integræ (unica tribu Jehuda excepta) adscendisse, id est defecisse dicitur à Davide, & iviſse post Seba filium Bichri, dicentem, *Non est nobis pars in Davide, neque hæreditas nobis in filio Isai. Quisque revertatur ad tabernacula sua, in Israel.* Hoc postremum non videtur esse rejiciendum, quia in hac conjuratione solus Seba punitus fuisse dicitur capitis supplicio, cum in conjuratione illa prima non Absolom tantum, sed viginti hominum millia cum eo cæsa fuisse leguntur. Quare verosimile est, Dei iram ista rebellione Sebæ vehementer commotam fuisse in populum, & ut ut Deus eam videretur ad tempus dissimulare, tamen oblata hujusmodi occasione veluti inflammatam, in populum sæviisse, & rebellionis istius fautores præcipuos extinctos deletosque voluisse. Atque hoc quidem videtur indicari verbis istis, quæ leguntur 2 *Sam.* XXIV. 1: *Et addidit furor Domini irasci contra Israelem, & concitavit Davidem in eos*; id est, quia videbat Davidem concitatum Satanæ suggestioni (ut est 1 *Par.* XXI.) aurem præbere, ut populum numerare vellet, invitis omnibus proceribus. Nempe quia ista occasione uti se posse videbat, ut populum ob antecedentia peccata sua, gravius adhuc puniret. Quicquid sit, sive hæc sive alia hujus pestiferæ luis caussa fuerit, certum est, culpam gravem præcessisse; aut præcedere debuisse, si eam populi extincti pœnam fuisse velimus. Nec enim apud Deum id valere credo,

*Quidquid delirant Reges, plectuntur Achivi.*

Hactenus de secundo pronunciato.

*Resp. ad tertium, sæpe sontes præterire pœnam, & insontes eorum posteros illam luere. Et ad exemplum septem filiorum Saulis, ex 2 Samuel. XXI.*

*Ad tertium*, quod desumitur ex exemplis tribus, in eandem fere sententiam respondeo; Ex iis neutiquam liquere, *Deum sontibus parcere, & insontes posteros sontium majorum culpas ac noxas post mortem ipsorum luere.* Nam quod attinet ad exemplum primum, desumtum ex 2 *Sam.* XXI. ubi septem filii Saulis, ad postulatum Gibeonitarum, à Davide, Deo ita volente, cruci suffixi leguntur, propter Saulis patris sui sanguinaria consilia & facta contra Gibeonitas admissa. Resp. 1. Certum est, Saulem idcirco non impune abiisse. Non multo enim post, prælio inferior contra Philistæos, non solum strage exercitus sui magna, & carissimorum trium filiorum suorum cæde punitus fuit, sed & ipse manu sua propria vim sibi intulit, & à se ipso sceleris sui pœnas exegit; adeo ut hostibus suis non præda tantum factus fuerit, sed & ludibrium, circumlato ejus corpore aut cadavere per circuitum terræ Philistæorum, armis in fano Veneris suspensis, & capite palo super murum Bethsan infixo, & ad spectaculum vel ludibrium altè erecto: 1 *Sam.* XXXI.

2. Ex textu non obscure liquet, Saulis filios hos, inter quos etiam tres priores cæsos censeo, non consensisse tantum in Gibeonitarum internecionem & excidium, sed & adjutasse patrem in cæde eorum, quia caussa famis triennis, quæ adhuc reliqua erat ex annis famis septem à Deo populo immissæ post Gibeonitarum cædem, fuisse disertè dicitur, *cap.* XXI. 1, non Saul tantum, sed & sanguinaria ejus domus sive familia, quæ Gibeonitas interfecerat. In domo autem seu familia ista, quin etiam censeri debeant filii Saulis, dubitandum non est. Quod si vero etiam id ex textu non liqueret, ratio tamen nos cogeret ut id ita esse credamus. Nam, si filii isti non consenserant in excidium Gibeonitarum, adeoque religione juramenti ipsis à Josua & populo ante trecentos annos præstiti, dissenserant, & patri in proposito persistenti operam suam navare recusaverant, aut saltem non navaverant; neutiquam verosimile est, Deum non Saulem tantum, sed & domum ejus sanguinariam בית הרמים sive *domum sanguinum* vocaturum fuisse: &, quod ratio recta dictat, neutiquam credibile est Deum permissurum fuisse, ut in innoxia ista capita tam crudeli supplicio animadverteretur: cum ex Scriptura constet, Deum parcere voluisse, & perciisse semper filiis idololatrarum, qui paternæ idololatriæ vestigiis renuebant insistere, & idololatriam, quanquam paternam aut avitam, detestari atque abominari se profitebantur; uti in Ezechia filio Achazi idololatræ, & in Josia filio Menasseh videre est. Talibus si Deus parcere voluit, quia inculpati & innoxii erant, cur in hos Saulis filios animadverti voluisset Deus, si culpæ istius paternæ rei aut adfines non fuerant? Idololatria enim est crimen læsæ Majestatis divinæ, & tantum tamque atrox, ut, qui id committunt, Dei osores proprie vocentur, & à Deo puniendi dicantur in tertiam & quartam usque progeniem: (si videlicet talem in vita sua habeant, quæ, si non palam consentiat, saltem aperte non dissentiat ab idololatria paterna aut avita.) In hoc tanto crimine si innoxiis nepotibus parcit Deus, cur non magis parcat in crimine multo minore?

3. Quod si vero etiam contendere quis velit, non satis solide probari posse, hosce septem Saulis filios sceleris paterni participes fuisse, tum dico; si is eos punitos esse à Deo hoc supplicii genere asserat, omnino statuendum esse, id non factum fuisse, propter solam Saulis culpam, sed propter eorum alias ante contractas culpas, ad quas etiamsi connixerat aliquamdiu Deus, occasione tamen hujus paterni facinoris connivere diutius noluerit. Pœna enim, sine omni prævia culpa, injusta est pœna: & culpa unius, non potest esse culpa alterius, qui in eam non consentit propria sua voluntate. Dices: In crimine perduellionis aut Majestatis contra apparet. Qui enim ejus manifesti sunt, eorum liberi, quantumvis innoxii, aut capite plectuntur, aut saltem ex legis senten-

ſententia æterna egeſtate puniuntur; ita ut mors ſit eis ſolatium & vita ſupplicium. Reſp. Legem iſtam eſſe legem Barbaricam, & non niſi à Tyrannis aut paraſitis eorum latam, directe repugnantem divinæ Legi, *Deut.* XXIV. 16. ſupra à nobis citatæ, & laudabili facto Amaziæ Regis, ex ſola Legis divinæ reverentia profecto. 2 *Reg.* XIV. 6. quin & omni rationi rectæ contrariam; dignam itaque quam abominentur Chriſtiani Principes, & Tyrannis relinquant, dignis iſta ipſa pœna, qua mors fiat eis ſolatium & vita ſupplicium.

*Reſp. ad exemplum Rehabeami, ex 1 Regum XI.*

Quod attinet ad exemplum ſecundum, ex 1 *Reg.* XI petitum; Reſp. Etſi ſciſſio regni Solomonis, quam Solomon propter peccata ſua enormia in vita ſua videre meruerat, non niſi poſt mortem ejus in vita filii, Rehabeami ſcilicet contigerit; tamen certum eſt non leviter Solomonem punitum fuiſſe in vita ſua: 1. quod ſciſſionem iſtam ab irato Deo viventi ſibi prædici audiret: 1 *Reg.* XI. 11. 2. quod eam talem futuram intelligeret, ut ex duodecim non niſi duæ tribus filio ejus relinquendæ eſſent, vel, ut *verſ.* 13 dicitur, non niſi una, (Judæ nempe tribus, ſub ea tamen tribu Levi comprehenſa.) 3. quod cæteræ decem vel undecim tribus, ſervo ejus adſignandæ eſſent, non alicui ex regio ſanguine ſeu principali ſtirpe. 4. quod dilationem ſciſſionis iſtius fieri intelligeret in gratiam dumtaxat patris ſui Davidis; quia videlicet ipſe degener filius, tanto patre indignus, alioquin oculis ſuis ſciſſionem ipſam viſurus fuiſſet. Quæ omnia quin acutiſſimo dolore vulneraverint animum Solomonis, eique pœnæ gravis loco fuerint, quis dubitet? Accedit, quod Deus inſuper, vivo adhuc Solomoni, non leves pœnas inflixerit, quando ei adverſarios non contemnendos ſuſcitavit, nunc Hadad Edomæum, regii ſanguinis Principem: *verſ.* 14. nunc Rezon, filium Eliada: *verſ.* 23. nunc Jeroboamum Ephrateum: *verſ.* 26, &c. Denique quando eum ex trecentis uxoribus & ſeptingentis concubinis, non niſi unicum filium voluit ſuſcipere, eumque vix quidquam habentem regiæ indolis aut generoſi ſpiritus. Solomonem ergo ſontem pœna non præteriit, quod primum eſt. Secundò: Diviſio regni, quæ ſub Rehabeamo contigit, non fuit pœna Rehabeami, ſed tantum executio latæ contra Solomonem viventem adhuc ſententiæ ob peccata ejus, & quidem per ſubductionem ſive ſequeſtrationem decem tribuum à tribu Juda, Solomoni jam ante deſtinatam ac prædictam. Eam non fuiſſe pœnam Rehabeami, inde colligo, quod nullum peccatum Rehabeami contra Deum commiſſum legatur, propter quod diviſio illa facta fuerit. Dices; Attamen diſerte legitur *cap.* XII. cauſſam ſeceſſionis populi ſive decem tribuum, fuiſſe ſeverum & tumidum Rehabeami reſponſum, quod ex conſilio juniorum, & qui ſecum adoleverant, Senatorum, populo dederat: *verſ.* 8. 9. 10. 11. &c. Reſp. Reſponſum iſtud non tam cauſſa, nedum juſta cauſſa ſeceſſionis, ſed occaſio tantum fuit, injuſtè à populo arrepta, & à Deo ipſo vel permiſſa vel procurata. Non enim peccatum ullum erat in reſponſo iſto, ſed tantum inconſulta quædam temeritas, & improvida conſilii juvenilis admiſſio. Peccatum in eo nullum erat; quia jus regium eo uſque extenſum à Deo ipſo erat: 1 *Sam.* VIII. *verſ.* 9. 10. 11. 12. &c. nec populo licebat juri iſti, ſi Rex eo uti vellet, refragari aut reluctari. Temeritas tamen in eo erat, quia, ut ut jure iſto uti Rex poterat, tamen ingenium populi tale tum erat, ut jure iſto non uti, quam præfracte uti velle, conſultius ei videri debuiſſet, ex ſententia Senatorum prudentiorum. Hæc ergo temeritas, qua temeritas ſolum, non autem qua peccatum, ſeceſſionis populi à Rege occaſio fuit, non cauſſa juſta, aut jure ullo nixa. Seceſſio ergo populi peccatum fuit, inquies. Omnino: & non obſcure id indicatur *verſ.* 19. At ejus cauſſa dicitur fuiſſe Deus, *verſ.* 15: *Et non exaudivit Rex populum: fuit enim cauſſa à Jehova.* Reſp. In verſu iſto non dicitur, Deum fuiſſe cauſſam ſeceſſionis quam fecit populus, ſed tantum perſeverantiæ ſive pertinaciæ iſtius, qua Rex perſiſtebat in reſponſo iſto duro, à juvenibus ſibi ſuggeſto, & à ſe ſemel dato: uti apparet ex manifeſtis verbis *verſ.* 15: *Et non exaudivit Rex populum*; id eſt, non ceſſit poſtulatis & ſuppliciis populi, ſed perſtitit in propoſito ſuo. In eo autem nullum eſſe poterat peccatum Regis, quia in ipſo reſponſo non erat peccatum. Diſerte enim dicitur 1 *Sam.* VIII. 18. Quando Rex iſte, quem petitis, jure iſto (quod evidenter jam ei tribuo, & vobis intelligendum do) pro arbitrio ſuo rigido utetur, *tum clamabitis à conſpectu Regis veſtri, quem elegeritis vobis*; *& non exaudiet Dominus in die illa.* Dices: Temeritate illa poſita, non tamen certum adhuc erat, ſecuturam regni diviſionem; Ergo, ut ipſius ſeceſſionis populi cauſſa dicatur fuiſſe Deus neceſſe eſt. Alioquin enim quomodo in textu dicitur, *Fuit enim cauſſa à Deo, ut confirmaret verbum ſuum, quod locutus fuerat ipſe per manum Ahiæ*, &c. Reſp. 1. At ſi ſeceſſio iſta peccatum fuit, tum cauſſa ejus Deus eſſe non potuit, nec efficiens, nec ita permittens, ut ea permiſſione poſita non poſſet non ſequi ſeceſſio. 2. Temeritate iſta poſita, ſcire poterat Deus, ac certo ſciebat futurum, ut populus diſcederet. Jam enim ingenium, animum & ſtudia ac molimina populi pervideRat, & quorſum ea exitura eſſent, perſpectum habebat. Eſto, inquies. Saltem ſeceſſio fuit pœna inconſultæ & temerariæ pertinaciæ Rehabeami. Nec hoc dixerim: quamquam ſi id dicerem, parum referret. Seceſſio populi ſive regni diviſio fuit pœna Solomoni denunciata in vita, & poſt mortem inflicta, quatenus redundatura erat ejus ignominia ad Solomonem, tanquam ejus per peccata ſua autorem & cauſſam. Rehabeami vero pœna non fuit, ſed aliquod temeritatem ejus conſequens, vel temerariæ ejus pertinaciæ effectum, quo fiebat ut ex bonis iſtis, quæ per largitionem divinam hæreditariò ei obvenerant, magna pars ei ſubduceretur; ſive quia Deo pro abſoluto dominii ſui jure ita videbatur, ſive quod amplioris majoriſque fortunæ capax non eſſet. Aliud autem eſt adimere, aliud punire. Dominus adimit: Judex punit. Tertii exempli eadem eſt ratio. Nec Achab ſons impunis fuit, nec liberi ejus inſontes puniti.

*Reſp. ad exemplum liberorum Achabi ex 1 Regum XXI.*

Nam 1. Quod ad Achabum attinet, Regum Iſraelis omnium peſſimum, ut eſt 1 *Reg.* XVI. 30. & 33. & 1 *Regum* XXI. 20. 25. eum Deus inultum ex hac vita abire paſſus non eſt. Impetravit ille quidem per profundam ſui humiliationem à Deo, ut malum & infortunium omne domui ſuæ deſtinatum in vita ſua oculis ſuis non videret, 1 *Reg.* XXI. 29. ſed non ut ſuorum propriorum ſcelerum, ad quæ facienda ipſe ſeipſum vendidiſſe bis dicitur, *verſ.* 20. & 25. pœnas non lueret. Enimvero in prælio vulneratus, cum ignominia ex prælio in currum ſublatus, multo effuſo ſanguine in ipſa via animam exhalavit, & ſanguinem ejus ex curru large defluentem linxerunt canes; qua major ignominia Regio ſanguini fieri non poteſt, idque omne juxta verbum Domini, quod locutus fuerat per Eliam; ut eſt 1 *Reg.* XXII. 38.

2. Quod ad liberos Achabi attinet, nec illos inſontes fuiſſe conſtat: imo ſontes fuiſſe manifeſtum eſt. De Ahazia regni hærede & ſucceſſore patris ſui legitur 1 *Reg.* XXII. 53. 54. quod *malum faciebat in oculis Domini, ambulabat in via patris ſui, & in via matris ſuæ*, &c. & in fine *verſ.* 54 dicitur, *Et provocabat Deum Iſraelis ad iracundiam, juxta omnia quæ fecerat pater ejus.* Pœna itaque poſtea ei illata à Deo, inſonti illata videri non poteſt. De fratre Achabi Jehoram, qui nepoti ſuo Ahaziæ in regnum ſucceſſit, quia ei non fuerat filius, ut eſt 2 *Reg.* I. 17. dicitur 2 *Reg.* III. 2. 3. quod *malum faciebat in oculis Domini, etſi non ſicut pater ſuus, & ſicut mater ſua*, &c. Nec hic itaque, à Jehu poſtea in ipſo agro Nabothi Jeſraelitæ cæſus, & canibus objectus, 2 *Reg.* IX. 24. 25. inſons, fratris ſui ſcelerum, ſed ſuorum propriorum peccatorum pœnas luit. quod exerte ſatis ſignificat Jehu, *verſ.* 22. quando rogatus ab hoc Jehoram obvio, *Eſtne pax Jehu?* reſpondiſſe legitur: *Quæ pax? Adhuc fornicationes Jezebel matris tuæ, & veneficia ejus plurima*, (q. d. ad quæ tu Rex, cujus erat ea tollere, connives, & quæ tu ei indulges) *in propatulo ſunt.* Et propter hoc cum Achabo fratre tuo eadem pœna jure meritoque adfici dignus es. Cui adde, quod legitur regi huic ab Eliſæo dictum, 2 *Reg.* III. 13. 14: Quod attinet ad ſeptuaginta filios Achabi, qui intra pomœria Samariæ ſe continebant, tanquam in munitiſſima & fida patri quondam ſuo civitate, quos omnes Jehu occidi juſſit, & quorum amputata capita in cophinis proceres Samariæ ad eum miſiſſe leguntur, 2 *Reg.* X. 6. 7. 8, &c. nihil obſtat, quominus dicamus eos omnes jam tum provectioris ætatis fuiſſe, & veſtigiis patris ſui Achabi, fratris Ahaziæ, & patrui Jehoram, matriſque imprimis Jezebel inſtitiſſe. Provectioris ætatis fuiſſe id arguit, quod poſt mortem patris eorum Achabi, frater eorum primogenitus Ahaziah, jam provectior, quia primogenitus LXX fratrum erat, in regnum ſucceſſerat, & duobus annis regnaverat: 1 *Reg.* XXII. 52. & poſt eum Jehoram patruus jam annis ad minimum duodecim regnaverat, ut eſt 2 *Reg.* VIII. 25. & III. *verſ.* 1. Unde eos id ætatis fuiſſe credibile eſt, ut patris veſtigia ſequi, & peccatis ſuis ſe ipſos reos pœnæ divinæ poſſent reddere. Reddidiſſe autem ſe tales, nihil eſt quod nos cogit dubitare, quia mater, frater & patruus, Reges Iſraelis, non modo tales erant, ſed & ipſum Ahaziah regem Juda, Achabi generum, talem reddiderant ut ambularet per viam domus Achab, uti eſt 2 *Reg.* VIII. 27. & imprimis 2. *Paral.* XXII. 3. 4. *Mater enim ejus conſuluerat ei ut impie ageret. Fecit igitur malum illud in oculis Domini, ſicut domus Achab. ipſi enim fuerunt ei conſultores, poſt mortem patris ſui, ad perditionem ejus.* quem etiam idcirco Jehu eadem cum Achabi domo internecione dignum judicavit, ut eſt 2 *Reg.*

IX. 27. Nec istum solum, sed & quadraginta & duos istos filios fratrum ejus, 2 *Paral.* XXXII. 8. (qui & fratres ejusdem vocantur, 2 *Reg.* X. 13.) *qui desciderant ad salutandum filios regis* (id est, patrui sui) *& Reginæ*, (uxoris scilicet ejus, suæ amitæ.) nam ministrabant ei, ut est 2 *Paral.* XXII. 8. Eos enim omnes jam adultiores, & patrui sui aulæ ac moribus se adaptantes, interfeciſſe Jehu dicitur, *ibidem.* Confirmat hanc rem non leviter, quod in principe urbe Samaria tanta adhuc esset turba prophetarum, servorum & sacerdotum Baaliticorum, quin & templum vastissimum capacissimumque Baali sacrum, etiam postquam non multo ante, luculentissimo signo & evidente miraculo per Eliam Deus testatum fecerat, se abominari cultum istum: 1 *Reg.* XVIII. quin & Elias cccc. sacerdotes Baaliticos trucidari fecerat. Credibile profecto est, cultum istum filiis Achabi omnibus placuisse; ac proinde eos eodem cum patre excidio se dignos feciſſe. Enimvero ea propter Deus patrem eorum Achabum, Regum Israelis omnium deterrimum vocat, quod cultum istum in gratiam uxoris suæ Jezebelis, filiæ Eth-Baal regis Sidoniorum, & altare cultui isti destinatum, quin & lucum primus instituerat, atque erexerat: 1 *Reg.* XVI. 31. 32. 33. Quare si & filios ejus, cultus istius tum fautores tum patronos, & sacerdotes Baalis omnes eorumque sectatores, Jehu tam severa morte multavit, utique pœna ista insontibus irrogata dici nequit: quamquam ea, non tam ipsis, quam petri eorum Achabo, ignominiosissima fuit; utpote qui sceleris istius autor fuisse semper dicitur, & cujus domus, pœnæ istius horrendæ macula ac labe, æternum dehonestata fuit; adeo ut quanto pejor omnibus Israelis Regibus in vita sua fuit Achab, tanto post mortem detestabilior habitus fuerit, hodieque habeatur. Quod si tamen velimus inter filios Achabi alios quidem fuisse adultiores, alios juniores; & quidem vel pueros, vel jam adolescentes, & ex ephæbis nondum egressos, quorum ætas adhuc incapax est culpæ aut criminis; tum dico, istos adultiores propterea quod vel patris sui vestigiis insistebant, vel aliorum peccatorum manifesti erant, pœnæ reos idcirco fuisse, & à Deo judice, justissimè punitos; hos juniores non punitos, sed una cum cæteris fratribus suis è medio sublatos à Deo, jure dominii quod in illos habebat, & quidem occasione peccati Achabi patris ipsorum, ut quantopere sibi istud displiceret omnibus palam fieret.

*Tantum abest ut Deus insontes propter sontes puniat, ut contrarium plane faciat.*

Hactenus ad exempla ista, quæ pro tribus pronunciatis supra à nobis positis facere videbantur, satis respondimus. Mantissæ loco hanc rationem addimus: Tantum abesse, ut Deus insontes propter sontes, sive in vita sive post mortem sontium, puniat, ut contrarium plane Deum facere, Scriptura passim testetur. Nam *primo*, Scriptura passim testatur, Deum tanto amore complecti pios, ut in gratiam eorum, licet longe paucissimorum, etiam pessimis parcere velit. Si decem tantum justi aut pii fuissent in Sodoma & Gomorrha, toti pentapoli pepercisset Deus, ut est *Genes.* XVIII. 32. In gratiam Lothi solius, pepercit Soar uni ex quinque urbibus, quas sulphure & pice exscindere constituerat, ut pro refugio ei contra flammæ ardorem serviret, *Genes.* XIX. 21. 22. Propter Abrahamum, Abimelecho Regi Gerar & domui ejus toti pepercit, sterilitatemque, quam jam induxerat, abstulit: *Genes.* XX. 17. 18. Propter Davidem non semel populo regibusque impiis pepercit, ne regnum Judæ deficeret, aut Regi deesset successor: 1 *Regum* XI. 12. 13. & XV. 4. & 2 *Reg.* VIII. 19. & 2 *Paral.* XXI. 7. Propter Josaphatum Regem pium, parcebat Deus Jehoramo regi Israelis, ne in deserto Moab siti periret; 2 *Reg.* III. 14. Propter patres suos, Abrahamum, Isaacum, ac Jacobum, dilecti adhuc Deo sunt increduli Judæi, ut funditus non exscindantur: *ad Rom.* XI. 28; sed tanquam electus olim populus, superstites serventur ad novam gratiam consequendum, ubi plenitudo gentium introierit: *vers.* 25. & 22. 30. 31. Propter electos, id est, vel propter Abrahamum, Isaacum, & Jacobum, vel propter eos qui inter Judæos singulariter pii erant, decurtati fuisse dicuntur dies (ultionis scilicet divinæ) ne omnis caro, id est, Judæi omnes, excidio universali digni, perirent: *Matth.* XXIV. 22. unde sic colligo: Si Deus impiis parcit propter pios, neutiquam verosimile est, Deum pios aut insontes propter impios & sontes punire velle.

*Secundo*: Eadem Scriptura testatur Deum, quando de impiis supplicium sumere constituit, & exemplum ultionis suæ dare, tum unum horum quatuor facere solere in antecessum. Aut per prophetas suos prædmonere fideles nominis sui cultores, ut à locis istis, in quibus supplicium istud sumetur, vel sibi caveant, vel exeant: uti *Jerem.* LI. *vers.* 6. 9. 45. & *Apocal.* XVIII. 4, videre est; & ante excidium urbis ac templi evenisse Josephus testatur, per vocem in templo auditam, *Exeamus hinc.* Aut medium aliquod suggerere, quo ex perditione se servent; uti Noacho suggesta fuit ædificatio arcæ, qua se à diluvio præstaret immunem: *Genes.* VI. 17. 18. Aut per Angelos suos eos eripere, & tantum non per vim eruere; uti Lothum cum suis hæsitantem ex jam imminente incendio urbis Sodomæ extrusisse per Angelos suos legitur, *Genes.* XIX. 15. 16. Aut denique corda Regum flectere atque emollire, ut pii gratiam inveniant in oculis eorum; & iis Reges, quamvis nemini parcere volentes, haud inviti tamen parcant, & à cæde ac perditione communi immunitatem præstent, aut præstati jubeant; uti Jeremiæ Prophetæ evenit, cui in direptione Hierosolymorum, & vastatione templi atque urbis, Rex Nebucadnezar gratiam fieri jussit, optionemque dedit, utrum manere in terra vellet, an comes ire Regi in Babyloniam, fruiturus gratia & munificentia regia: *Jerem.* XXXIX. 11. 12. 13. & XL. 4. 5. Ex hoc rursum colligo; Neutiquam verosimile esse, Deum justos & insontes propter injustos punire velle, cum tot & tam variis modis pios adeo sibi curæ & cordi esse demonstret, ut, quando impios punit, eos à pœna & vindicta ista immunes præstare studeat, ac reipsa præstet. quod eleganter descriptum legere est *Malach.* III. *vers.* 14. 15. 16. 17. 18. & *cap.* IV. 1. 2. 3. vide etiam 2 *Pet.* II. 9.

*Non aliam esse, quod ad Dei de bonis curam & impiorum pœnas attinet, rationem Veteris Fœderis quam Novi.*

Dices: Hæc ad Vetus Testamentum & ad populum veterem pertinere: Novi Testamenti & Christiani populi aliam esse rationem. Ibi aliquam Providentiæ divinæ speciem apparuisse: Hîc nullam jam videri. Resp. 1. Quæ veri species est, Deo nunc minus curæ esse pios & nominis sui timentes, quam tunc? Nulla. imo cur nunc magis Deo sint curæ quam tunc, Novi (utpote melioris) Fœderis ratio exigit. Quanto enim exactiorem pietatem novum quam Vetus Fœdus exigit, tanto magis curæ Deo ut sint necesse est ii, qui ad istud Fœdus, quam qui ad hoc pii sunt. Sed vero 2. Eandem populi hujus & istius rationem esse, quod ad hanc rem, sive ad curam & Providentiam Dei, attinet, apparet manifestè ex *Apocal.* III. 10. *Quoniam servasti sermonem tolerantiæ meæ*, (loquitur ad Angelum Ecclesiæ Philadelphiensis) *ego quoque te servabo ex tempore tentationis, quod venturum est in orbem universum, ad explorandos incolas terræ.* Contra autem *cap.* II. *vers.* 22, 23. Angelo Ecclesiæ Thyatirensis dicitur de muliere Jezebele, *Ecce ego abjiciam eam in lectum, & eos qui adulterium committunt cum ea, in afflictionem magnam, nisi resipuerint ab operibus suis; Et filios ejus interficiam morte, scientque omnes Ecclesiæ, me esse scrutatorum renum & cordium; & dabo unicuique vestrum secundum opera sua.* 3. Posito diversam esse hujus & illius Fœderis ac populi rationem, quod ad hanc visibilem curam ac Providentiam Dei attinet, nihilominus certum maneret, pœnam istam, quæ Novi Testamenti maxime propria est, talem esse, ut eam Deus innocentibus, nedum piis, aut propter impios piis etiam aliquando, irrogare nec velit nec possit velle, sed impiis solis eam irrogaturus certò sit: ac proinde, quidquid sit de malis vitæ hujus, quæ promiscue aliquando bonis & malis eveniunt, per divinam punitionem, ex sententia Novi Fœderis in ultimo judicii die pios ab impiis sic discriminatum iri, ut certo appariturum sit, Deum nec insontes, nec pios propter impios, punire velle, nec impiis propter pios parcere, sed unicuique secundum opera sua dare. Atque hoc unico præcipue distinguitur ratio divinæ providentiæ sub Novo & sub Veteri Fœdere, quod pœna æterna, quam in Novo Fœdere Deus impiis insanabilibus comminatur, nec differenda, nec mitiganda, nec tollenda sit propter pios, nec piis infligenda propter impios. Pœna vero quam Vet. Fœdere Deus in terminis comminatur impiis Legis suæ prævaricatoribus, piis quidem aut insontibus propter sontes & impios infligenda non sit, sed propter pios tamen aliquando differri, mitigari & tolli possit, adeoque dilata, mitigata, & sublata aliquando dicatur. Atque hæc sufficiant ad tria pronunciata tertii membri, quæ ad Ordinis & Providentiæ divinæ veritatem in dubium vocandam facere poterant.

## CAPUT IX.

### Ex eo quod peccatum est in mundo, non sequi nullam esse Dei Providentiam.

EX hisce sic pertractatis quamquam intelligi satis potest, Providentiæ divinæ tum veritatem tum certitudinem constare, etiamsi mali, id est peccatores & impii multi in mundo sint; tamen quia peccati consideratio obtendi à nonnullis solet, ad negandum & impugnandum divinam Providentiam circa hominem intellectu & libera voluntate præditum, operæpretium duco expendere paulo proprius,

propius, quænam ei subesse possit rationis species, ac deinde ratione solida eam refellere.

*Objectio contra providentiam ab existentia peccati desumpta.*

Species rationis quæ subesse considerationi isti potest, hæc videtur esse. Si datur Providentia, necesse est ut detur Providentia, quæ divinæ naturæ & proprietatibus consentanea est: videlicet sanctitati, bonitati, justitiæ, sapientiæ & omnipotentiæ divinæ. At si talis daretur Providentia, fieri non posset, ut peccatum daretur. Ratio est: Quia proprietates istæ divinæ obstarent, quominus fieret peccatum. Quia enim Deus sanctissimus est, non potest non odisse peccatum. Quia optimus, non potest non abhorrere ab omni eo quod malum est. Quia justissimus est, non potest non aversari omne quod injustum est. Quia sapientissimus, adeoque omniscius est, rationes infinitas reperire potest, per quas fiat, ut peccatum sive malum nullum existat. Quia omnipotens est, facile impedire potest, quominus peccatum fieri possit, aut saltem fiat. Quare cum tamen peccatum detur, proprietatum harum divinarum nulla vis, nullus usus est: ac proinde nulla datur Providentia. Ratio hæc inde non exiguam accipit speciem, quod præstet Deum otiosum, & rerum mundanarum, præsertim quibus libertas arbitrii creaturæ rationalis intervenit, negligentem statuere, quam bonitatis, sapientiæ, justitiæ, sanctitatis, potentiæ gloria carentem Providentiam, ei tribuere.

*Ea duabus falsis hypothesibus nititur.*

Resp. Ratio hæc speciosa est, sed speciosa tantum. Nititur enim duabus falsis hypothesibus. Prima est: Peccatum tantum malum esse, ut ejus coexistentia cum Dei Providentia, Deo prorsus indigna, adeoque per se impossibilis sit; proinde quod Deus tenetur, imo quod non potest non tota sua vi impedire. Secunda: Proprietates istas divinas tales esse, ut quæ secundum eas administratur Providentia, ea secundum ultimum & extremum earum posse, administranda sit. Hæ enim hypotheses duæ si veræ sint, tum sane sequitur alterutrum, Aut posita providentia peccatum non dari: Aut posito peccato, Providentiam non dari.

Sed vero utraque hypothesis falsa est. *Prima*: quia etsi peccatum malum est oppositum bono & sanctissimæ Dei naturæ, tamen tale malum non est, quod summum est, sive quod ex æquo cum summo bono contendit, ita ut summi boni universum ordinem excedat, atque ab illo ipso summo bono in ordinem redigi, & sic ad bonum dirigi non possit; cujusmodi malum olim finxerunt Manichæi, derivantes illud à principio non minus summè malo, quam bonum derivabant à principio summe bono. Ratio est: Quia si peccatum tale ac tantum malum esset, non fecisset Deus creaturam ullam liberam, peccati capacem; quia fecisset capacem mali, quod à se in ordinem redigi, & ad bonum finem dirigi non potuisset; quod absurdum est.

Ex quo consequitur, etiam falsam esse Hypothesin *secundam*. Idcirco enim quia Deus fecit creaturam liberam peccati capacem, consequitur etiam proprietates istas divinas, non modo non requirere, ut Providentia secundum ultimum earum posse circa eam administretur, atque ita peccatum per earum vim impediatur; sed contra requirere, ut Providentia, quæ secundum eas administratur, secundum illud posse earum administretur, per quod creaturæ liberæ proprietas non tollitur, sed sarta tecta conservatur. Ratio est; quia alioquin illæ ipsæ virtutes, per quas creatura libera accepit quod creatura libera sit, in causa essent, quominus creatura libertate ista sibi increata uti posset, atque ita effectum proprium suum, tanquam inutilem & frustraneum, prorsus everterent. Libertatem enim dedissent cujus abusus nullus esse poterat, utpote per vim earum, sive ultimum earum posse impediendus.

Hinc colligo, tantum abesse, ut propterea negandum sit, Deum Providentia sua, secundum istas supradictas proprietates suas versari circa creaturas liberas, quia peccatum detur; ut contra potius concludendum sit, idcirco Deum providentia sua, secundum istas proprietates suas, versari circa creaturas liberas, sive liberas creaturarum actiones, quia peccatum datur. Hoc enim certissimum indicium est ac signum, eam, qua Deus circa creaturas liberas versatur, Providentiam, veram, proprie dictam, & Deo dignam Providentiam esse, quia apparet per eam conservari naturalem creaturarum liberarum proprietatem, per creationem eis inditam, eamque isti proprietati earum sic adtemperatam & accommodatam esse, ut eis proprios suos in utrumque motus relinquat; quam Providentiam omnino judicandi sunt tollere ii, qui Providentiam nullam aliam agnoscunt, quam eam quæ secundum ultimum posse bonitatis, sapientiæ & potentiæ divinæ administratur; ac proinde, quia peccatum in mundo esse & regnare vident, Providentiam omnem negare malunt, quam ullam aliam admittere; cum tamen facile videre possint, istam ipsam, quam solam esse volunt divinam Providentiam, non posse esse Providentiam creationi & creaturarum rerum libertati accommodatam, ac proinde Deo dignam; quippe per quam destruitur & frustraneum prorsus redditur liberum arbitrium, sive liberi arbitrii usus homini à Deo ipso inditus & increatus.

*De iis qui providentiæ divinæ vi omnia tam bona quam mala, necessario evenire putant.*

His accenseo eos, qui Providentiam divinam aliam non agnoscunt, quam eam, quæ est omnipotens & ubique præsens Dei vis, qua fit, ut omnia non bona tantum, sed & mala sive peccata, ita necessario eveniant, ut non possint non evenire. Hi enim, etsi ex una parte peccati ipsius existentiam cum divina Providentia concurrere posse concedant, tamen ex altera parte Providentiam talem Deo tribuunt, per quam fit, ut peccatum Providentiæ divinæ si non effectum, saltem consequens necessarium atque inevitabile constituatur, ac constitui debeat; ac proinde Providentiam, quæ libertatis homini à Deo concessæ proprietati non est commensurata, sed eam funditus tollit ac destruit. Quin hi prioribus deteriores censeri debeant, vix dubito. Satius enim esse arbitror, negare Deum providentia sua curare res humanas, ac proinde hominibus permittere ut suopte libero arbitrio faciant, quidquid volunt; quam adfirmare, Deum res humanas sic curare, ut simul etiam omnipotente & ubique præsente sua vi procuret, ut peccata, quæcunque & quantacunque tandem ea esse possint, fiant, adeoque non possint non fieri. Præstat enim credere, Deum nihil agere, quam Deum quod malum est agere; aut mali, quod punire vult autorem esse. Istud ex prima, hoc ex secunda sententia sequitur.

## CAPUT X.

### Quis sit modus quo providentia divina versatur circa malum antequam fiat.

REstat nunc ut videamus, quis iste modus sit, quo divina Providentia versatur circa malum, sic ut istis suis virtutibus, sanctitati scilicet, bonitati, sapientiæ, justitiæ & potentiæ, & liberarum creaturarum proprietati consentaneè omnia faciat ac provideat.

*Modus providentia circa malum est triplex. Primus est, antequam malum fiat, qui consistit in legislatione, conservatione virium, & submissione rationum.*

Modus divinæ Providentiæ, quo circa malum versatur, variat pro varia Mali sive peccati consideratione. Aut enim consideratur Malum, antequam fiat; aut cum fit; aut cum jam factum & consummatum est.

Modus quo divina Providentia versatur circa malum, antequam fiat, consistit in actionibus istis divinis, quæ idoneæ & sufficientes sunt ad impediendum peccatum ne fiat, cujusmodi actiones tres sunt: Prima, legislatio, qua fit, ut homo sciat quid sibi liceat aut non liceat, sive quod illud malum sit à quo abstinere atque abhorrere debet. Secunda, Conservatio virium & facultatum naturalium, qua fit, ut homo libere possit à malo lege vetito abstinere, & legislatoris sui voluntati obsequi. Tertia, Rationum & argumentorum submissio, quæ idonea sunt & sufficientia ad permovendum voluntatem hominis, ut à malo abstineat & abhorreat.

Hisce tribus actionibus circumscribimus divinam Providentiam circa initium peccati, tanquam necessariis, sufficientibus, & quæ tum divinis virtutibus, tum creaturarum liberarum proprietatibus plane sunt consentaneæ. Per primam impedimentum ponitur exceptioni ignorantiæ. Per secundam, exceptioni potentiæ. Per tertiam, exceptioni insufficientiæ sive potius inefficaciæ argumentorum Legis. Quæ alia aut melior aut accommodatior tum proprietatibus divinis, tum libertati hominis Providentia requiri vel dari potest? Ubi nullæ leges, aut ubi leges impossibiles præstitu, aut ubi inefficaces sive insufficientes sunt, ibi nullo ordine, nullo regimine, nulla providentia opus est. At certissimum ordinis, regiminis, & Providentiæ optimæ signum est, ubi leges vigent, & quæ ad leges observandas necessaria & efficacia sunt subsidia & adminicula omnia adsunt.

*Legislatio qua Deus utitur ad impedien-dum peccatum. Ante da-luvium.*

Hic modus divinæ Providentiæ apparuit manifestè à prima statim hominis creatione, & apparebit ad finem usque mundi. Quod enim ad primam modi hujus actionem attinet, quam diximus esse legislationem, (sub qua comprehensam volumus generatim, omnem, quocunque ea demum modo fiat, divinæ voluntatis revelationem, quatenus per eam officium suum homini indicatur & innotescit;) Adamo & Evæ, simulatque creati fuerunt, Legem Deus in Paradiso tulit, qua officium eorum circumscripsit, videlicet legem de non edendo ex fructu arboris scientiæ boni & mali, sanctam comminatione mortis: *Genes.* III. 1. 2. 3. 4, *&c.* Postquam ii legem istam transgressi erant, nullam quidem legem iis eorumque posteris, eundem ad modum & simili forma sancitam tulisse annis mille quingentis Deus legitur; sed naturæ legem à creatione homini inditam, sive rectæ rationis

rationis dictamen, pro lege iis esse voluit, quam (quia gratiam hominibus facere constituerat) singularibus deinde, tum apparitionibus, tum admonitionibus, tum increpationibus, tum remunerationibus, seu testificationibus & exemplaribus punitionibus firmavit ac stabilivit: uti apparet in exemplo Abelis, cujus religio describitur *Genes.* IV. 4. & quem justum fuisse per fidem scribit author *ad Heb.* XI. 4. cujus opera justa fuisse adscrit Joannes 1 *Epist.* III. 12. In exemplo Caini, *Genes.* IV. 6. 7. cui Deus dixisse legitur, *Nonne si bene feceris, erit acceptatio*, vel *elevatio*, (oppositè ad id quod dixerat Deus, *ut quid concidit vultus tuus?*) *quod si non bene feceris, in foribus peccatum cubat*, &c. (id est, præsto erit pœna peccati sive punitio) & *versibus* 10. 11. sequentibus, ubi Deus Caino fratricidæ pœnam denuntiat, quam eidem inflixisse legitur, *vers.* 14. & *vers.* 15. ubi Caini percussoribus pœnam comminatur. Item in exemplo Sethi, cujus tempore *invocari cœptum* fuisse *nomen Dei* dicitur, *ibid. vers.* 26. In exemplo Enochi, de quo dicitur, quod *ambulaverit cum Deo*, & quod *eum tulerit Deus*, ad se scilicet, *ne videret mortem*, ut est *Genes.* V. 24. *Heb.* XI. 4. quia testimonio ornatus erat hoc, quod *Deo placuisset*, *Heb.* XI. 5. In exemplo Noachi, qui describitur *vir perfectus in generatione sua*: *Genes.* VI. 9. quem Deus *justum coram se vidisse* dicitur: *Genes.* VII. 1. & quem *justitiæ præconem* vocat Petrus: 2 *Pet.* II. 5. certissimo indicio, quod per ejus præconium diu admodum Deus peccatum sistere, & peccatores à peccando, & ad peccati fugam & odium revocare tum conabatur, *cum multa longanimitate*, ut est 1 *Petr.* III. 20. quod & pulcherrime indicat ipse Deus, *Genes.* VI. 3. quando ipsos etiam Dei filios ad profana aut violenta conjugia prolabi videns, unde omnia mala oriri necesse erat, tandem longa & diuturna patientia quasi fractus, ait, *Non disceptabit Spiritus meus* (per Noachi præconium se exerens) *cum homine in seculum, eo quod sit etiam caro*; id est, non semper cum impiis hisce hominibus litigabo per Noachum præconem meum, & querelis, minis, objurgationibus & obtestationibus cum illis agam, quod non resipiscant; sed finem aliquando ponam longanimitati meæ, & tarditatem supplicii, quod jam meruerunt, gravitate compensabo, post brevem centum & viginti annorum indulgentiam, &c. Unde patet homines istius ævi, per divinam Providentiam, honesti & inhonesti, recti pravique norma veluti lege non caruisse; sed partim ex rationis rectæ dictamine, partim per Spiritum Dei, sive per viros Spiritu Dei præditos, satis superque edoctos fuisse de eo, quod rectum pravumque, & Deo gratum vel ingratum esset, pro isto quo vivebant tempore; proinde scire facile potuisse, ac scire debuisse, quod Deum offenderent, & peccatis suis iram ejus in se provocarent, quodque contra, non peccando, imo à peccatis resiliendo, gratiam Dei sibi conciliare & veniam ab ipso impetrare possent. Severa etiam quæ comminationem subsecuta est punitio, idem non obscure arguit, imprimis, quia Petrus eam factam dicit in exemplum sive ὑπόδειγμα μελλόντων ἀσεβῶν: 2 *Epist.* II. 6. Sed hac de re egimus prolixius cum de Religione naturali ageremus.

*Post diluvium.* Post diluvium eadem recti pravique norma mansit, sed addita duo fuerunt præcepta specialia Noacho data, & severa comminatione sancita; Primum, de *non comedenda carne cum anima ejus*, id est, cum sanguine ejus, in quo animam esse passim Scriptura dicit, sive de non comedendo vivi animalis membro aliquo adhuc sanguinolento & à carne recens avulso. *Genes.* IX. 4. Secundum, de *non fundendo sanguine hominis*: *vers.* 6. Eandem autem rectæ rationis normam mansisse, indicat unum quod narratur exemplum filiorum Noachi duorum, Semi & Japheti, qui reverentiam parentibus debitam esse facto suo pio sese intellexisse ostenderunt; & irreverentiam fratris sui Chami eo ipso, tanquam naturæ legi & rectæ rationis dictamini repugnantem, damnarunt; quod & pater eorum Noachus approbasse se ostendit, quando filio Chamo maledixit, & filiis istis suis duobus bene precatus est: *Genes.* IX. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. Post hoc exemplum, non occurrunt exempla, nisi eorum qui circa tempora Abrahami vixerunt, id est, post elapsa præterpropter quatuor secula à diluvio: puta Pharaonis, Abimelechi, qui ex naturalis rationis scito intellexisse dicuntur, adulterium flagitium esse à quo omnes, etiam Reges ipsi, abhorrere debent. *Genes.* XII. 15, &c. XX. 3. 4. 5. & Deum severum ejus vindicem esse velle. Revelatio autem Abimelecho in somnio facta à Deo, & ei addita comminatio, quin & adflictio sensusque immissæ à Deo adflictionis Pharaoni Regi, & regiæ domui ejus, arguunt etiam, Deum tum præter legem naturæ, auxilia alia bonitatis & gratiæ suæ hominibus submistrasse, per quæ à peccato impedirentur, & homines quosdam auxiliis istis adjutos à peccato abstinuisse. Melchizedeci vero exemplum, etiam arguit tantam fuisse apud nonnullos Dei, subinde se revelantis, & sine dubio per continuam traditionem cogniti, reverentiam, ut publice coleretur tum per sacrificia, (verosimiliter ad exemplum Abelis & Caini) tum per preces (verosimiliter ad exemplum Sethi & filiorum ejus.) instituto ad id sacerdotio, & ad sacerdotalis muneris conservationem, decimarum oblatione: *Genes.* XIV. 18. 19. 20. Quo ipso non aliter quam obice & repagulo, Deum peccatum coerceri & reprimi voluisse, quis dubitet? Quia tamen contra omnia ista obstacula, ubique fere redundabat & exuberabat divini Numinis irreverentia, superstitio, unde idololatria nascebatur, & peccati vilipendium, adeo ut ad fœdas libidines, profanas nuptias, violentas rapinas & grassationes, peccata clamantia, imò ad infanda & innominata flagitia homines hîc illic prolaberentur: (de numinis divini irreverentia, vide sis *Genes.* XX. 11. ubi Abraham, dicendo, *Vere non est timor Dei in loco isto*, non obscure indicat, irreverentiæ divini Numinis magna fuisse indicia & signa multa. de idololatria vide *Jos.* XXIV. 2. ubi pater Abrahami & Nathor dicuntur servisse diis alienis, priusquam Deus Abrahamum vocaret è terra sua & domo eorum. & *Genes.* XXXI, ubi Laban Rachelis pater conqueritur de diis suis, sive de idolis suis, *vers.* 30. 34. furto sibi ablatis. de fœdis libidinibus, peccatis clamantibus, incæstis nuptiis, rapinis, aliisque, vide *Genes.* XII. 12. & XIII *per totum.* XVIII. 20. 21. & XIX *per totum.*) Quia, inquam, peccatum usque adeo glisebat, & norma recti pravique pene in animis omnium obliterabatur, idcirco divina Providentia novo & speciali modo peccato, ne porro iret, occurrere voluit; videlicet Fœdere peculiari inito cum Abrahamo, & familia ejus posterisque: *Genes.* XVII. 1. & XVIII. 19. cujus beneficio ac vi idololatria valedicta, sui unius reverentia, obsequium, cultusque Religiosus in familia & progenie ista, sartus tectus conservaretur, & in exemplum populis omnibus imitandum, signi ac vexilli instar extolleretur. addito eum in finem Fœderi signo sive Sacramento Circumcisionis, quo populus ex familia ista proditurus, à reliquis omnibus populis secerneretur, tanquam populus peculiaris Deo vero obstrictus, & à prima infantia signum sive Sacramentum divinæ voluntatis portans in corpore suo. relicta interim populis cæteris eadem lege naturæ, per quam à peccatis istis coerceri poterant ac debebant, ut videre est, *Rom.* I. & *Actor.* XIV. 16. 17. quod & factum in quibusdam esse non obscure colligitur ex exemplis Jobi, & sociorum ejus, & ex exemplo Jethronis soceri Mosis, Sacerdotis in Midian, *Exod.* II. 16. & XVIII. 11. 12. *&c.* Quamquam in plurimis contra fiebat, & in ipsa domo ac familia Abrahami, sola idololatria excepta, peccatum vim suam exerere non desinebat; uti apparuit in irrisore Ismaele: *Genes.* XXI. 9. In Esauo promogenituræ suæ pro pulticula venditore, & conjugiorum contra voluntatem parentum suorum contractore: *Genes.* XXV. 32. 33. & XXVI. 34. 35. & XXVII. 46. & uti *ad Heb.* XII. 16. indicari videtur, scortatore & profano. In Rubene incæstuoso, *Genes.* XXXV. *vers.* 22. In Juda scortatore, *Genes.* XXXVIII. & filiis ejus duobus, altero malo, altero masturbatore infami: *ibid.* In Simeone & Levi crudelibus pudicitiæ sororis suæ violatæ vindicibus: *Genes.* XXXIV. In iisdem, cæterisque filiis septem Jacobi, invidia contra fratrem suum Josephum æstuantibus ac tantum non fratricidis. Quare quarto & quod excurrit post seculo, eadem divina Providentia publica & solemni promulgatione ac scriptione legum, promissis ac comminationibus sancitarum uti voluit & usa est, ut populum istum suum ex Abrahamo ortum, veluti præsidio aliquo muniret, contra reliquorum populorum invalescentes ubique transgressiones, & imprimis contra idololatriam in sui unius cultu & obsequio contineret: *Gal.* III. 19. 23. subinde etiam prophetas suos ad eum ablegans, per quos ad legis istius observationem excitaretur, aut per pœnitentiam & extraordinariam veniæ ac gratiæ promissionem reduceretur. Tandem in plenitudine temporis Filium suum proprium atque unigenitum misit, ut Euangelio suo per universum orbem publicato, omnibus ubique hominibus denunciaret ut à peccatis resipiscerent, atque ex præscripto Filii sui viverent: *Act.* XVII. 30. 31. sicque à peccatis liberati, remissionem eorum æternam consequerentur: *Act.* X. 42. 43. Atque hæc de prima actione divinæ Providentiæ circa malum.

*Conservatio aut datio virium ad vitandum peccatum requisitarum.* Quod ad secundam attinet; certum mihi est Deum, quamcumque demum legem hominibus præscribat, semper vires relinquere ad eam libere transgrediendum suo periculo, aut vires dare ad eam præstandum suo bono & commodo. Hoc posterius ratio docet. Impossibilis enim lex neminem obligat. Deinde id apparet 1. ex summa legum omnium divinarum, *Diliges Deum tuum ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus viribus tuis*, ἐξ ὅλης τῆς ἰσχύος σου. *Deut.* VI. 5. *Luc.* X. 27.

Si ex

Si *ex omnibus viribus*, ergo nec ſine nec ſupra vires. Deinde, *Proximum tuum diliges ſicut te ipſum.* Et hoc ſupra vires non eſt, ſe ipſum diligere; nec eſſe id arguit, quod Apoſtolus Joannes 1 *Epiſt.* III. 16. nos obliget ad diligendum fratres noſtros non tantum ſicut nos ipſos, ſed ſupra nos ipſos, quando ait, *Per hoc novimus charitatem Dei, quod ille animam ſuam pro nobis poſuit; nos igitur debemus pro fratribus animas noſtras ponere*; quod & propoſitum ac factum eſſe à nonnullis Scriptura affirmat; *Act.* XX. 24. & 2 *Corinth.* XII. 15. & 1 *Theſſ.* II. 8. *Apocal.* XII. 11. &, quod omnium inſtar eſt, *ad Rom.* IX. 3. 2. Idem apparet ex parabola Chriſti, *Matth.* XXV. 14. 15. *&c.* ubi Chriſtus, ſub perſona proficiſcentis peregrè, dicitur ſervis ſuis diſtribuiſſe talenta, his quidem quinque, illis duo, aliis unum; unicuique κατὰ τὴν ἰδίαν δύναμιν: id eſt, quantum cuique poſſibile erat per ea lucrum facere ac fœnerari Domino ſuo. Pro virium ergo menſura, officium cujuſque exigitur, non ſupra vires. Alioquin enim Deus metere vellet, ubi non ſeminavit. 3. Nulla lex, nullum legis præceptum dari poteſt, quod impoſſibile fuit aut impoſſibile eſt præſtari eo modo, quo Deus illud unquam exegit, aut hodie exigit. Si eſt, detur aliquod unum.

*Et ad illud patrandum.*

Prius apparet ex eo, quia ubi non eſt libertas aut potentia libera tranſgrediendi legem, ibi Legis, quà Legis, præmio ac pœna ſancitæ, uſus aut finis nullus eſt. Legis enim, quà legis, uſus ac finis eſt, obedientiam poſtulare. At obedire dici non poteſt, qui non poteſt non obedire, ſive potius, qui non poteſt legi inobediens eſſe. Tum, qui non poteſt legi ſancitæ præmii promiſſo ac ſupplicii commination inobediens eſſe, indignus eſt præmio: Et qui non poteſt legi obedire, indignus eſt ſupplicio. Qui non poteſt nolle, non poteſt dici velle, eſt in Regulis Juris.

*Submiſtratio argumentorum avocantium à peccato.*

Quod ad actionem tertiam attinet; Quia Deus novit, quanta ſit hominis infirmitas, quamdiu in hoc mundo, tanquam carnis ſuæ paradiſo, & ſenſuum diverſorio eſt, ad legem præſcriptam vivendi, hinc eſt, quod divina Providentia, ut iſti infirmitati occurrat, leges ſuas ejuſmodi ſemper rationibus & argumentis condiat, quæ ad homines ad obſervationem earum roborandos, & in earum obſervatione ſuſtentandos, & ſic à peccando divertendos, idonea, ſufficientia & valde efficacia ſunt, puta, argumentis ab æquitate, à facilitate, ab utilitate, à neceſſitate deſumtis: quibus adjunctæ ſæpe eſſe ſolent, ſeriæ hortationes & commonefactiones, blandæ ſuaſiones, acres increpationes, triſtes querelæ, lachrymæ, vota & preces. Quæ argumenta pleraque ante legem ullam ſcriptam, ſub lege naturæ à Deo uſurpata etiam fuerunt: Omnia tamen ac ſingula ſub lege Moſis & Euangelio Jeſu Chriſti ſæpius urſurpata à Deo & Chriſto eſſe, manifeſtius eſt quam ut probari oporteat. Sub his comprehendo argumenta à contrario deſumta: videlicet ab iniquitate, ſive ab eo quod æquum non eſt fieri, vel quod inhoneſtum & indecorum eſt, à difficili, ab inutili, injucundo, incommodo, damnoſo: quæ argumenta idonea & valde efficacia ſunt ad perſuadendum homini, ne velit peccare. Exempla horum ubique obvia ſunt. Hiſce adſinia ſunt exempla iſta, in quibus apparet argumentis iiſdem non raro impediri hominem, ne quod jam animo deſtinavit aut concepit peccatum committat, ſive opere ipſo compleat; non quia iis impeditur ne peccare velit; ſed vel ne actum peccati externum deſtinatum patrare audeat, vel ut ab eo abſtinere ſatius ducat; ſive pro actu iſto alium peccati actum aut tutiorem, aut faciliorem, aut utiliorem, aut minus malum velit facere; ſive alium nullum committere ſibi propoſitum habeat, ſive differre tantum eum ad tempus velit, & occaſionem meliorem aut exſpectare aut quærere.

*Hunc modum providentiæ inutilem reddunt, qui illam omnem in omnipotenti actione collocant.*

Atque hic eſt divinæ Providentiæ modus, quo verſatur circa malum ſive peccatum, antequam fiat, ſive potius ne fiat. Hunc modum Providentiæ inutilem prorſus ac ſupervacaneum, quin & futilem ac ridiculum faciunt ii, qui Providentiam divinam circa malum aliam nullam agnoſcunt, quam quæ ſit omnipotens & ubique præſens Dei vis, qua peccatum vel ſic impeditur, ut fieri non poſſit; vel ſic permittitur, ut non poſſit non fieri; uti ex re ipſa liquet.

*Deus nunquam peccatum internum per irreſiſtibilem vim impedit.*

Quæres: Anne ergo divina Providentia non aliquando per omnipotentem & irreſiſtibilem vim impedit peccatum ut fieri non poſſit, vel ne fiat? Reſp. Diſtinguendum eſſe inter peccatum, quatenus internus voluntatis actus eſt, & inter peccatum, quatenus externum factum eſt, ſive quatenus opere ipſo perpetratur. Circa peccatum primo modo ſumtum, divina Providentia non verſatur nec verſari poteſt per omnipotentem & irreſiſtibilem vim, ſine ipſius voluntatis, ſive libertatis, quæ voluntatis proprietas eſt, deſtructione. Aut enim per vim iſtam cogeretur voluntas, aut neceſſitaretur. Si per eam cogeretur voluntas, tum voluntas aut volitio non eſſet volitio: quia quod coacte fit, id fit contra voluntatem. Coacta itaque volitio, eſſet volitio ſimul & nolitio. Si per eam neceſſitaretur voluntas, tum volitio non peccandi, non eſſet libera volitio: ac proinde non moraliter aut formaliter, ſed phyſice ſive materialiter tantum bona; per conſequens nec actus obedientiæ aut officii hominis ex lege debiti ac præſcripti, nedum actus præmio aut remuneratione dignus. At verò

*Sed aliquando externum ejus actum. Quod facit quatuor modis. Primus.*

Circa peccatum, quatenus externum factum eſt, verſari poteſt divina providentia, & non raro verſata eſt, per vim irreſiſtibilem, ſive potentiam coactivam, qua peccatum impeditur ne fiat, ſive ne intus animo & voluntate conceptum, foris & opere ipſo compleatur; & quidem quatuor hiſce modis. *Primò*; Per eſſentiæ & vitæ ablationem, per quam fit, ut homines, quod volunt peccatum, exſequi non poſſint. Eſſentia enim & vita ſunt fundamentum potentiæ. Sic impedivit Deus Pharaonem, ne quos oderat & malevolo prorſus animo perſequebatur Iſraelitas, in poteſtatem ſuam redigeret, ſubmerſo eo & toto ejus exercitu in mari rubro: *Exod.* XIV. Sic Sennacheribum ſuperboſque & inſolentes ejus legatos impedivit, ne Hieroſolyma expugnarent, cæſis centum & octoginta quinque millibus in exercitu ejus per Angelum ſuum, & non multo poſt ipſo Sennacheribo profugo per manum filiorum ſuorum, in terra ſua, imo in ipſo fano Dei ſui, interemto. 2 *Reg.* XIX. Sic impedita Eliæ ad Achaziam Regem abductio per ignem cælitus delapſum, & conſumentem bis quinquaginta viros, ad eum abducendum à Rege ablegatos, 2 *Reg.* I.

*Secundò.*

*Secundò*: Per potentiæ ſublationem, aut virium debilitationem. Sic impedivit Deus Jeroboamum, ne Prophetam ſuum, cui ſine cauſſa infenſus erat, apprehenderet aut læderet, per arefactionem manus ejus: 1 *Reg.* XIII. 4. Sic impedivit Deus per Angelum ſuum Sodomitas, ne Lotho vim facerent, & domum ejus effringerent, atque ita deinde libidinem ſuam neſtam & infandam explerent, percutiendo eos à minimo uſque ad maximum cæcitatibus: *Geneſ.* XIX. 11. Simile exemplum vide 2 *Reg.* VI. 18. 19. Sic impedivit Deus Bileamum ne maledicere Iſraeli, fræno linguæ ejus impoſito: *Num.* XXIII. *verſ.* 12. 26. & XXIV. 13. quin & efficiendo ut non poſſet non benedicere.

*Tertiò.*

*Tertiò*; Per potentiæ majoris vel æqualis oppoſitionem. Sic impedivit Deus Uziam Regem, ne ſuffiret Domino, ſive ne ſuffitumentum, quod jam in manu ſua habebat, ſuper altare ſuffimenti accenſum poneret, per octoginta ſacerdotes, *filios roboris*, id eſt, viros robuſtos; ut eſt 2 *Paral.* XXVI. 17. 18. 19. *Non enim eſt tuum Uziah, inquiebant, ſuffire Domino, ſed ſacerdotum filiorum Aaron, qui ſanctificati ſunt, eſt ſuffire.* & quamquam reſiſtere iſtis velle Rex videbatur, tamen, lepra interveniente, non ſolum à ſuffiendo inhibitus fuit, ſed & compulſus eſt à Sacerdotibus iſtis egredi è templo, quia eum percuſſerat Dominus, ut eſt *verſ.* 20. Sic impedivit Deus Abſolomum perduellem, ne quod animo diu agitaverat, & jam exſequi tentabat contra optimum patrem ſuum Davidem, Majeſtatis & perduellionis crimen, ad effectum perduceret, fugata deletaque magna exercitus ejus parte, ipſoque cæſo ac trucidato: 2 *Sam.* XVIII. Sic impedivit Deus ne Adoniah, cinctus ſtipatuſque Sacerdotis ſummi Principumque plurimorum populi autoritate & potentia, præter & contra voluntatem Davidis patris ſui regnum invaderet, quod non deberi tantum ſibi, tanquam natu majori, ſed & jam ſe in manu ſua habere credebat, per oppoſitam multorum fidiſſimorum Davidi ſervorum potentiam, qua fiebat, ut Salomon Rex renunciaretur, invitiis iis, qui Adoniæ adhæſerant Principibus. *A Jehova enim erat*, inquit ipſe Adoniah: 1 *Reg.* II. 15. vide 1 *Reg.* I. *per totum.*

*Quartus.*

*Quartò*; Per objecti ſubductionem, circa quo peccati actum externum voluntas deſtinat committere. Sic Deus impedivit Jezabelem ne interimeret prophetas omnes Dei, ſubducendo centum eorum ex oculis & manibus Jezebelis, per Obadiah præfectum domus Achabi, qui eos quinquagenos abſcondebat in ſpelunca, & paſcebat pane & aqua, 1 *Reg.* XVIII. 4. Sic impedivit Achabum & Jezabelem ne delerent ſeptem illa millia, quæ Deus reſervaſſe ſe dicebat, *quia non curvaverant genua ſua coram Baal, & ore ſuo non oſculati erant eum*: 1 *Reg.* XIX. 18. Sic impedivit Athaliam ne totum ſemen regium extingueret, ſubducto & occultato à facie ejus, per Jehoſchebam filiam Regis Joram, & ſororem Ahaziæ defuncti regis Judæ, Joa filio natu minimo, una cum nutrice ejus, & per ſex annos in domo Domini abſcondito: 2 *Reg.* XI. 2, 3. Sic impedivit Deus Herodem ne Petrum ſupplicio capitis deſtinato adficeret, ſubducendo eum Herodi, & liberando eum ex carcere: *Act.* XII. Sic impedivit Deus, ne quadraginta viri iſti, qui in necem Pauli conjuraverant, Paulum interimerent, ſubducto per Tribunum Paulo ex oculis & manibus eorum.

*Act.* XXIII. Sic impediti fuerunt Judæi, ne Chriſtum lapidarent, quia Jeſus ſubduxerat ſe è medio eorum: *Joan.* VIII. 59. & ne eum ex ſupercilio ſeu faſtigio montis præcipitem darent, quia tranſibat per medios ipſos (retentis ſcilicet eorum oculis, ne eum tranſeuntem viderent:) *Luc.* IV. 29. 30. Sic impeditus fuit Herodes, ne Jeſum infantulum adhuc, cum cæteris infantibus in Bethlehem interimeret, quia Deus Joſephum in ſomno commonefecerat, ut eum Herodi ſubductum in Ægyptum ſecum abduceret: *Matth.* II. 13. 14.

*Duo alii modi affines.* His quatuor modis accenſeri poſſunt, tanquam valde iſtis adfines, alii nonnulli, qui etſi non impediant externum peccati actum vi aliqua merè coactiva & irreſiſtibili, tales tamen ſunt, per quos Deus non raro actum peccati externum ſic impedire ſolet, ac ſi vi purè putè irreſiſtibili id faceret: & hi quidem duo ſunt. *Primus* eſt, quo Deus peccatum impedit actione aliqua ſua, quæ moralem tantum impediendi vim habet, ſed quæ tamen conjunctam ſibi habet actionem aliquam phyſicam, à qua moralis iſta vis efficacitatem talem novam accipit, quæ actioni coactivæ & irreſiſtibili æquiparari bene poteſt. *Secundus* eſt, quo Deus peccatum impedit actione aliqua ſua, quæ moralis tantum actio eſt, cui phyſica nulla eſt conjuncta, ſed quæ efficacitatem ſuam tam certo & infallibiliter ſortitura eſt, quam ſi irreſiſtibilis & coactiva eſſet actio, quia per ſapientiam talem adminiſtratur, qua Deus, arcanorum omnium ſcrutator, prævidet, eam effectum ſortituram eſſe.

*Priorii exempla.* Prioris modi exempla ſunt: Primum, in Saule Rege, quem Deus impedivit, ne Davidem, quem tam arcta obſidione in deſerto Maon cinxerat, ut incidere eum in manus Sauli neceſſe eſſet, non ſine certo vitæ ſuæ periculo, quia eum oderat Saul, & è medio ſublatum cupiebat; ne, inquam, eum apprehenderet. Quo modo? Per immiſſum in vacuos à præſidio terræ Iſraeliticæ fines hoſtilem Philiſtæorum exercitum, & panicum animo Saulis inditum metum, poſſe, aut futurum fieri, ut, niſi levata obſidione mature hoſtibus iſtis occurreret, magnam terræ Iſraeliticæ partem Philiſtæi non vaſtarent modo, ſed & ſub jugum ac poteſtatem ſuam redigerent, ditioniſque ſuæ facerent. Iſto argumento, & iſto metu, partim per argumentum iſtud, partim per actionem aliquam ſpecialem divinam ſive indito ſive altius impreſſo, ab innoxio Davide apprehendendo & lædendo impeditus fuit Saul: 1 *Sam.* XXIII. retinens interim animum perſequendi Davidem, ut ex *cap. ſequente* liquet. Alterum exemplum eſt in Phariſæis & Scribis, hoſtibus Jeſu Chriſti infenſiſſimis, quos impedivit Deus, ne violentas ei manus injicerent, argumento iſto, quod populum metuerent, à quo eum defenſum & ſe obrutum iri exiſtimabat, quia illum ut prophetam æſtimabat: *Matth.* XXI. 46. quem metum, quia vanus erat, idcirco efficacem in iis fuiſſe veroſimile eſt, quod Deus eum alte animis eorum infigeret, *quia hora Chriſti nondum venerat.* ut eſt *Joan.* VII. 30. & VIII. 20. Poſtquam enim ea venerat, & cum ea, *hora ac poteſtas tenebrarum*, *Luc.* XXII. 53, metus iſte deſiit; & quamquam populus eodem, ſi non majore, quam antea, favore Chriſtum complectebatur, tamen ii prehendere Chriſtum & ad necem rapere tum non dubitarunt; veroſimiliter, quia Deus metum iſtum, quem antea altè impreſſerat, tum imprimere animis eorum deſinebat. Similia exempla plura ſunt.

*Et poſteriorii.* Poſterioris modi exemplum eſt, in fratribus Joſephi, quos, quamquam ii in necem fratris ſui jam conſpiraverant, ab interimendo eo tamen impedivit Deus, nullo alio argumento, quam quod luculentam iis occaſionem offerret vendendi fratrem ſuum Iſmaelitis, iſto ipſo tempore (Deo ita curante) tranſeuntibus, & Ægyptum petentibus, certus de animo eorum, quod occaſionem iſtam amplexuri, & propoſitum de fratre interimendo, aut in puteo, ut fame enecaretur, deſerendo, revocaturi eſſent; quod & contigit: *Geneſ.* XXXVII. Ut enim credatur, Deum indidiſſe fratribus Joſephi voluntatem eum vendendi, nec neceſſe eſſe, nec tutum, nec Deo dignum arbitror; quia voluntas vendendi innoxium fratrem, & in ſervitutem dandi, peccatum & ſcelus erat, etſi peccato & ſcelere occidendi fratrem minus, longeque impar. Plura exempla jam non allego.

Ex his patet, Deum verſari providentia ſua circa externum peccati actum, impediendo eum ne fiat; non cogendo voluntatem ne eum facere velit, ſed eam relinquendo ſibi, & permittendo ut in propoſito peccandi malo perſeveret, & ſolam dumtaxat locomotivam afficiendo, ne quod propoſitum habet voluntas, opere ipſo per eam compleat. Quod adeo verum eſt à Deo fieri poſſe, & factum ſæpenumero eſſe, ut etiam legatur, Deum non tantum impediviſſe iſtis tot modis homines nonnullos, ne peccatum quod vellent perficerent, ſed & coegiſſe eos aliquando, ut contra quam vellent facerent; exempli gratia ut benedicerent, quamquam maledicendi animum ac propoſitum habebant; uti in Bileamo videre eſt, qui mercedem iniquitatis amans, 2 *Pet.* II. 15. ad maledicendum populo Iſraelis in gratiam Regis Moabitarum venerat, & iterum iterumque captis auſpiciis, tentatoque oraculo, maledicere propoſitum ſibi eſſe ſpe mercedis oſtenderat; quem tamen, ſive cujus linguam, Deus coegit, ut pro maledictis benedictiones pronunciaret; quod indicare mihi non obſcure videtur *verſ.* 13. *cap.* XXIV. *Numer. Si dederit mihi Balac plenam domum argento & auro, non potero tranſgredi ſermonem Jehovæ, ut faciam* (id eſt, loquar) *bonum ſive malum è corde meo:* (id eſt, uti ego interpretator, quod ego vellem loqui in gratiam tui ſi poſſem:) *quod loquetur Jehova, hoc loquar* (id eſt, hoc loqui cogor.) Argumento mihi eſt, quod eum Petrus dicat, pravam viam iniviſſe, & mercedem iniquitatis amaſſe; nimirum etiam tum cum benediceret, ac proinde etiam tum optaſſe, ut poſſet maledicere, ne ſpe iſta excideret aut fruſtraretur. Nec dubium videtur, quin eadem iſta ſpe adductus, conſilium poſtea Moabitis dederit, ut per filiarum ſuarum illecebras ac blanditias, populum ad idololatriam ſolicitarent, atque ita opportunum cladi accipiendæ redderent; prout dediſſe iſtud legitur *Num.* XXXI. 16. & non ſine effectu. Sed de iſta re ſentiat quiſque prout volet.

*Nec ex eo quod providentia non impedit irreſiſtibiliter internum peccati actum, ſequitur hominem Deo eſſe potentiorem.* Dices contra ea quæ hactenus allata ſunt: Si Providentia divina ſic verſatur circa peccatum, ut actum peccati externum tantum vi coactiva impedire poſſit, adeo ut, quando eum ſic impedit, voluntas tamen hominis mala & refractaria maneat, annon inde conſequatur, hominem Deo potentiorem eſſe, quia pravam voluntatem ſibi contra Dei voluntatem retinet, non obſtante tota Providentia Dei coactiva circa peccatum ſive peccandi actum externum? Reſp. Nullo modo hoc inde conſequitur. Nam velle aut nolle non ſunt actus potentiæ, quatenus potentia robur ſive fortitudinem notat; ſed facere quod vis. Peſſimus etiam tyrannus male velle alicui poteſt, cui tamen non poteſt nocere. Et qui lecto affixus toto corpore æger eſt, animum trucidandi inimicum ſuum habere poteſt, cui tamen trucidandi eum potentia deeſt. Unde illud Poëtæ:

*Hic Priamus, quamquam media jam morte tenetur,*
*Non tamen abſtinuit, nec voci iræque pepercit.*

Quis latronem, ſicarium, aut perduellem vinctum, etiam infœlici arbori adſtrictum alligatumque, potentiorem Principe à quo ad reſtim damnatus eſt, dixerit, quia adhuc voluntatem latrocinandi, occidendi & rebellandi retinet, jam jam ſtrangulandus ſuffocanduſque? Quis filium aut ſervum in ergaſtulum aut piſtrinum compactum, compedibuſque ferreis vinctum, potentiorem patre aut domino ſuo dicat, quia refractarium animum & immorigeram voluntatem in ipſis vinculis retinent? Non eſt roboris parere nolle; ſed roboris eſt, jubenti parere, ſic reſiſtere poſſe, ut vel parere neceſſe non ſit, vel ut non parentem punire non poſſit pro arbitrio ſuo. Nec roboris ergo eſt peccare velle; ſed roboris eſt, peccatum quod vis, invito quolibet patrare poſſe, & quidem impune. Non eſt itaque Deus impotentior aut infirmior homine idcirco, quia homini peccare volenti non adimit potentiam ſive libertatem pertinaciter perſeverandi in volendo peccare; (quamquam id poſſet ſi vellet, non modo eripiendo ei vitam, ſed eum vel inſanum, vel ſtultum, vel melancholicum efficiendo, uti de Nebucadnezare legitur *Daniel.* IV.) ſive quia adimere homini potentiam iſtam non poteſt, ſalva voluntatis humanæ libertate, per quam volitionem iſtam ad extremum uſque in poteſtate ejus eſſe voluit; ſed idcirco homine potentior eſt Deus, quia peccati, quod homo animo ſuo, licet pertinaciſſime, conceptum tenet, actum externum pro arbitrio ſuo impedire poteſt, & idcirco eum punire, etiamſi ab eo patrando eum impediat. Non enim tam in facto ipſo externo, quam in voluntate peccandi ratio peccati formalis poſita eſt.

*Providentia non poteſt procurare ut peccatum neceſſario eveniat.* Dices 2. Si providentia divina non poteſt verſari circa peccatum, quatenus actus internus eſt, per potentiam irreſiſtibilem impediendo id ne fiat, ſine libertatis deſtructione; nec poterit verſari circa peccatum quatenus actus internus eſt, per potentiam irreſiſtibilem efficiendo ut id fiat, ſine libertatis deſtructione; Reſpondeo, Concedimus: & addimus dicendum eſſe, id fieri non poſſe, aut Deo tribui id non poſſe, ſine ſumma gloriæ divinæ læſione, Religioniſque omnis proſtitutione. Sic enim Deus verus, proprius & ſolus peccati autor eſſet. Eſto inquies: Sed ſequetur etiam, Deum verſari non poſſe circa peccatum tali Providentia ſua, qua poſita, peccatum conſequi tam neceſſe eſt, quam effici ſive conſequi neceſſe eſt id, quod per potentiam irreſiſtibilem efficitur; id eſt, actu negativo impediendi, ſive permiſſivo efficaci, ut alii loquuntur. Reſp. Et hoc concedimus. Par enim eſt hujus & prioris Providentiæ ratio.

Cauſſa

Cauſſa enim deficiens in neceſſariis, reducitur ad cauſſam per ſe efficientem, ex Philoſophorum omnium ſententia, & ex rei ipſius natura. Qui lapidem, quem manu ſuſtinet, cadere ſinit in ſterquilinium, per manus ſuæ ſubductionem, non minus cauſſa eſt lapſus lapidis in ſterquilinium, quam qui eundem vi tota ſua in ſterquilinium projicit. Qui infantulum, ſubducta manu ſua, ex alto decidere ſinit in terram ut moriatur, non minus infanticida eſt, quam qui eum ex alto dejicit aut protrudit. Recte, inquies; ſi is, qui infantulum ſinit cadere, teneatur impedire ne cadat. Imo vero, inquam, id ad rem non facit, an teneatur impedire caſum nec ne. Sive enim teneatur, ſive non teneatur impedire caſum, eo ipſo tamen quod manum caſuro infantulo ſubducit, caſus infantuli ac proinde mortis etiam cauſſa eſt. Hoc enim, quod non teneatur impedire caſum, non facit ut is cauſſa non ſit caſus, ſed tantum quod non ſit cauſſa cum peccato; uti contra, id quod teneatur impedire caſum, non facit ut cauſſa ſit caſus, ſed ut ejus ratio non impedire cum peccato ſeu culpa conjunctum ſit. Quare ſi dicatur, Deum tali actu permiſſionis efficaci negativo uti, quo fiat, ut homo non poſſit non peccare, & peccando reus mortis fieri, certiſſime inde concludetur, Deum eſſe peccati iſtius, ac proinde mortis conſequentis cauſſam, etiam poſito, quod Deus non teneatur alio actu uti, aut ab actu iſto (ſi actus dici poteſt) abſtinere. Sed vero addo jam, Deum etiam teneri ad abſtinendum ab actu iſto, poſito quod id, quod actum iſtum neceſſario conſequitur, peccatum ſit, & peccatum tale, quo Deus hominem valide obligari vult ad pœnam, ſive ſons ſive inſons ſit; hoc enim ad rem non facit. Lex enim divinæ juſtitiæ ſive æquitatis, quæ naturalis perfectio Dei eſt, non permittit ut id, quod ex actu ſive negatione actus divini neceſſariò planè conſequitur, peccatum ſit aut cenſeatur; quia ſic peccatum non modo non eſſet actus voluntatis liber, ſed & neceſſarium actus divini conſequens ſive effectum; quod abſurdiſſimum eſt; nedum ut id tale cenſeatur, quo valide obligatur homo ad pœnam. Obligatio enim ad pœnam valida, ex propria culpa eaque vincibili oritur: quia pœna quam quis in ſua propria perſona pati debet, ſupponit culpam, quam idem in propria perſona ſua contraxit. Pœna peccantem non egreditur, uti ſupra diximus. Ex lege ergo juſtitiæ ſuæ tenetur Deus, tali permiſſione non uti.

*Quid per peccati permiſſionem intelligendum ſit.*

Ex hoc jam facile intelligi poteſt, qualem permiſſionem intelligi velimus, cum de permiſſione peccati agitur, nimirum talem, quæ oppoſita eſt impeditioni iſti, quam diximus eſſe divinæ Providentiæ actum poſitum, quo circa peccatum, quatenus externum factum eſt, verſatur, & quidem privative ſive negative. Permiſſio enim, non qua voluntas permittendi eſt, ſic enim actus etiam poſitivus eſt, ſed qua permiſſio, non eſt actio, ſed privatio, vel negatio actionis ſive impeditionis poſitivæ iſtius, de qua egimus. Permiſſio autem quæ oppoſita eſt impeditioni iſti noſtræ præcedenti, non eſt permiſſio, qua poteſtati hominis liberum relinquitur, pro arbitrio ſuo quod vult facere. Huic enim permiſſioni opponitur legiſlatio, qua poteſtas illa hominis circumſcribitur, & per quam impedimentum diximus poni libertati hominis, ſive liberæ poteſtati ejus, ut ſine peccato ſive legis tranſgreſſione non poſſit facere quod vult. Nec permiſſio, qua voluntati hominis ſua propria & naturalis libertas, libertatiſque uſus & exercitium relinquitur, ita ut velle poſſit aut nolle contra quam lex jubet aut vetat. Hæc enim permiſſio nihil aliud eſt, quam non deſtructio ſive conſervatio facultatis naturalis liberæ, per creationem homini à Deo inditæ, quam neceſſario prærequiri diximus ad hoc, ut homo poſſit dici peccare aut non peccare. Peccatum enim primo ac per ſe in voluntate libera ſitum eſt, & ab ea habet quod peccatum ſit. Libertati autem liberum uſum libertatis idcirco adjungo, quia video eſſe, qui permiſſionem hanc talem divinæ voluntatis actum faciunt, quo facultas ſive volendi potentia homini quidem libera relinquitur, ſic tamen ut uſus potentiæ iſtius liber non ſit; perinde atque homini compedibus, nervis ac vinculis conſtricto, & in carcere concluſo, potentia naturalis ambulandi & exeundi ex carcere non adimitur, ſed libera in ſe relinquitur, etſi ambulandi uſus ei ademtus ſit. Hujuſmodi enim permiſſio in actibus voluntatis elicitis locum habere non poteſt, ſine deſtructione voluntatis, uti jam diximus. unde libertatem, ſive liberam volendi potentiam, potentiæque uſum, unum & idem eſſe reipſa neceſſe eſt. In actibus vero imperatis, etſi permiſſio hæc concipi poteſt, tamen revera non niſi voce tenus permiſſio eſt; quia quamdiu durat iſta coactio, ſive locomotivæ violenta impeditio, potentia ambulandi libera prorſus fruſtra eſt; &, ſi æternum duraret, potentia illa non magis mereretur dici potentia, nedum libera potentia, quam ſi prorſus extincta aut nulla eſſet.

Permiſſio ergo impeditioni iſti, de qua hactenus egimus, oppoſita, eſt remiſſio divinæ voluntatis & potentiæ, qua fit, ut peccati actum externum, actu aliquo potentiæ aut Providentiæ ſuæ poſitivo impedire non velit, ne fiat; id eſt qua fit, ut vel non velit tollere eſſentiam & vitam eorum, qui peccatum animo conceperunt, quod opere volunt perficere: vel non velit iis adimere potentiam, aut debilitare eorum vires, ſalva manente vita: vel non opponere majorem aut æqualem potentiam; vel non ſubducere objectum; vel denique non objicere talia argumenta, nec injicere talia obſtacula, quæ Deus novit, ſi adhiberet, peccatum reipſa & infallibiliter impeditura eſſe.

## CAPUT XI.

### Tres claſſes locorum S. Scripturæ, quibus peccatum per divinam providentiam fieri indicari videtur. Et, quid alii ad ea reſpondeant.

DIces; Tota hæc permiſſio divina eſt inefficax permiſſio, qua poſita, fieri nihilominus poteſt, ut peccatum non fiat. Reſpondeo: Fateor. Attamen, inquies, in Scriptura non pauca loca ſunt, in quibus peccatum per divinam providentiam fieri dicitur, quæ per inefficacem & nudam illam permiſſionem ſalvari non poſſunt. Loca iſta tribus claſſibus comprehendo. 1. in quibuſdam Deo per expreſſa verba tribuitur, quod peccata operetur; & quidem vel generaliter, quando *omnia operari* dicitur *propter ſemetipſum*, *Scripturetiam impium ad diem malum: Proverb.* XVI. 4. *omnia opera ra, in quinoſtra operari: Eſa.* XXVI. 12. *omnia operari ſecundum conſi- bus peccalium voluntatis ſuæ: Epheſ.* I. 11. vel ſpecialiter, quando de *ti efficien-* Deo affirmatur, quod hoc & illud peccatum adeoque flagi- *tia Deo* tium & ſcelus fecerit; ut incæſtum coitum Abſolomi cum *tribui vi-* concubinis patris ſui, 2 *Sam.* XII. 11. 12. collato cum 2 *Samu.* *detur.* XVI. 22. mendacium, ſive mendacem victoriæ prædictionem & promiſſionem, qua deceptus fuit Achab, 1 *Reg.* XXII. 19. 20. 21. 22. 23. numerationem populi à Davide factam: 2 *Samu.* XXIV. 1. maledictionem Simei, quam & juſſiſſe ei Deus dicitur: 2 *Sam.* XVI. 11. Prophetæ falſi deceptionem aut ſeductionem: *Ezech.* XIV. 9. quin & veri: *Jerem.* XX. 7.

*Prima claſſis locorum*

2. In quibuſdam locis tribuit Scriptura Deo actiones, *Secunda.* quæ vel peccati effectrices ſunt, vel quas peccatum conſequi omnino neceſſe eſt: ut actiones *excæcandi*, *Eſa.* VI. 9. 10. *Joan.* XII. 40. *Rom.* XI. 9. 10. *indurandi*; *Exod.* VII. 3. *Rom.* IX. 18. *Deut.* II. 30. *Spiritum ſoporis dandi*; *Eſa.* XXIX. 10. *Rom.* XI. 8. *Spiritum malum immittendi*: 1 *Sam.* XVI. 14. *vertendi corda ad odio habendum populum ſuum: Pſal.* CV. 25. *tradendi in reprobam mentem*; *Rom.* I. 28 *Errare faciendi de viis ſuis, & indurandi cor à timore ſuo*; *Eſa.* LXIII. 17. *tradendi cupiditatibus cordium ſuorum*; *Rom.* I. *verſ.* 24. *immittendi efficaciam erroris*, ſive deceptionis; 2 *Theſſ.* II. 11. & quidem *ut credant mendacio & damnentur.*

3. In quibuſdam locis, dicitur Deus quædam decreviſſe, *Tertia.* ex quibus peccandi neceſſitas conſequebatur: ut *Geneſ.* XLV. 5. 7. & L. 20. ubi decreviſſe dicitur Deus, ut Joſephus tempore ſecuturæ famis familiam patris ſui aleret, & populum multum vivificaret. unde conſecutum dicitur, ut fratres ejus eum venderent in Ægyptum abducendum, ut ibi rerum potitus, Deo ita dirigente, decretum iſtud Dei exſequi poſſet. *Ne ſit ira*, (inquit Joſephus fratribus ſuis) *in oculis veſtris, quod me vendideritis huc; quia propter vitam* (id eſt ut vos aleremini) *miſit me Deus ante vos* (id eſt, eripuit me vobis ut mitterer, &c.) & *verſ.* 8. *Nunc itaque non vos miſiſtis me huc, ſed Deus*, &c. *verſ.* 5. 7. 8. *cap.* XLV. *Vos cogitaſtis adverſus me malum; Deus autem cogitavit illud in bonum, ut faceret ſecundum diem hanc, ut vivificaret populum multum: cap.* L. 20. Sic 1 *Sam.* II. 25. dicitur, Deum decreviſſe occidere filios Eli, atque inde conſecutum, ut non audirent vocem patris ſui, ſed in peccatis ſuis perſeverarent; *Et non audierunt vocem patris ſui, quia Dominus eos volebat* (id eſt, decreverat) *occidere.* Sic *Act.* IV. 27. 28. dicitur, quod manus & conſilium Dei præfiniverat, ut Herodes & Pontius Pilatus, cum Gentibus & populis Iſraelis, Jeſum interficerent, & diſcipulos ejus perſequerentur. *cap.* II. 23. dicitur, Jeſum definito Dei conſilio & præſcito traditum iis fuiſſe, ut facerent ſcilicet quod Deus præfinierat. unde conſecutum eſt, & conſequi neceſſe erat, ut ii Jeſum Chriſtum interficerent, & interficiendo eum peccarent, quia ſceleratis manibus id feciſſe eos Petrus dicit, *ibid. cap.* II. 23. & III. 13. 14. 15. quanquam oratione ad populum tanquam cædis autorem directa. *Reſponſio aliorum ad hac Scripturæ loca.*

Ad has tres locorum Scripturæ claſſes facile omnia alia

Scripturæ loca revocari posse credo. Quare si ad istas responsum fuerit, aliis ut respondeatur aut non necesse, aut operæ pretium non erit. Antequam vero ad eas respondeam, quid alii ad eas responderi posse aut respondendum esse existiment, videamus.

*Prima eorum qui putant ibi solum agi de iis, qui peccatis suis sic à Deo tractari meruerunt.*

Sunt qui existimant, in locis istis omnibus non agi nisi de iis, qui peccatis sive culpa aliqua sua antecedente & gravi promeruerant ut sic Deus cum iis ageret, quemadmodum locutiones & phrases indicant; in plerisque vero etiam locis non nisi de pessimis, sive præfractis & contumacibus agi, qui rebellione & peccandi consuetudine quovis divino supplicio se dignos adeo reddiderunt, ut iis Deus tanquam instrumentis suis, imo tanquam feris, ursis, lupis, ac tauris uti possit ad quodlibet facinus patrandum, absque ulla eorum injuria, aut gloriæ suæ læsione. Proinde phrases etiam istas, quæ in locis istis exstant, quibus Deus circa tales Providentia sua occupari dicitur, simpliciter Deo attributas esse, & sine periculo adtribui rectè posse, imprimis cum disertè David ipse de Deo asserat, *Psal.* XVIII. 26. quod *cum misericorde misericors fit, & cum viro perfecto perfectus, cum mundo mundus, & cum perverso perverse agat*; quod ipsum legitur in verbis Davidis novissimis, 2 *Samuel.* XXII. 26. 27. Horum opinio & responsio etsi probabilis videtur, & diu admodum verosimillima mihi visa fuit, tamen cur ei non plane jam possim subscribere, duæ caussæ sunt. Prima; quod per eam non obscurè concedatur, Deum peccatorum, scelerum & flagitiorum istorum enormium, quorum in locis istis fit mentio, autorem aut procuratorem esse ac merito dici posse. Secunda; Quod per eam concedatur, Deo gloriam justitiæ suæ constare sartam tectam posse, etiam quando tales ob ista ipsa scelera ac flagitia, sic ab ipso procurata, severius punit, adeoque Deum in istis gravius severiusque puniendis gloriam nominis sui quæsivisse. Utrumque hoc mihi non durum tantum, sed Deo optimo & æquissimo judice indignum & injurium videtur. Nec ad excusandum utrumque sufficere credo, si dicatur ista, quæ tales perpetrant peccata Deo procurante, formaliter propter istam divinam procurationem peccata non esse, sed materialiter tantum: qualia sunt ferarum, luporum, ursorum homicidia, furta, rapinæ, incestæ libidines & commixtiones, &c. & pænam severiorem, quæ talibus inflicta dicitur, non esse pœnam proprie dictam, quam ii per peccata ista meruerunt, sed peccatorum antecedentium pœnam tantum, per quæ scilicet meruerant adhiberi & usurpari ad actus tam atroces & fœdos noxiosque patrandos, qui iram & indignationem divinam accendere & inflammare solent, etiam ab ipsis feris ac brutis animantibus (quamquam ea peccare proprie, ac proinde etiam propriè puniri non possint) perpetrata: uti in lege divina videre est. Hæc inquam sufficere non credo; quia actus isti, quos tales perpetrasse in locis istis dicuntur, inter enormia peccata censentur, & quos qua tales Deus ultus est ac punivit, ultione & punitione proprie dicta. Quare ut actus ipsos à Deo procuratos fuisse credam, non adducor, ne Deus ullo modo statuatur tum peccati, tum injustæ pœnæ author.

*Exodi XXI. 28. 29. Levit. XX. 15. 16.*

*Secunda eorum, qui in his locis distinguendum esse putant actum à vitiositate actus.*

Sunt alii, qui statuunt loca hæc aliaque similia, nihil continere, quod Deo indignum est, aut sanctam ejus Providentiam non decet; si distinguatur in peccato actus à vitiositate actus, & ille à Deo effectus aut procuratus, hæc vero eorum fuisse propria dicatur, de quibus in locis istis agitur. Sed vero hæc responsio absurda hoc loco est, quia adeo generalis est, ut per eam divina etiam Providentia ab omni injustitia vindicaretur, si circa hominem innocentem, nulliusque culpæ reum, iisdem actibus, quibus in locis istis plerisque non nisi circa sceleratos occupari dicitur, etiam occuparetur; quod supra non semel ostendimus impossibile esse. Deinde, Responsio hæc inepta est; quia hic non agitur de actibus talibus, in quibus actus à vitiositate actus sic secerni potest, ut actus caussa Deus, vitiositatis caussa solus sit homo; uti in actu eleemosynam dandi manifestum est. Potest enim Deus ad eleemosynam dandum excitare & impellere hominem, ut homo tamen eleemosynam dando peccet, quia homo dare potest eleemosynam eo animo ac fine, non tam ut aliis prosit, quam ut propterea spectetur ab hominibus, ut est *Matth.* VI. 2, *&c.* Sed hîc agitur de actibus talibus, qui per se mali, fœdi ac turpes sunt, in quibus vitiositas ab actu reipsa distingui, & actus à vitiositate actus, posita ac durante lege, secerni non potest, nisi per puram putam mentalem abstractionem, quæ in re nihil ponit, uti supra prolixè disseruimus. cujusmodi sunt adulterium, incæstus, homicidium, mendacium, blasphemia, &c. Hujusmodi actus, ut per divinam providentiam effici aut procurari posse, adeoque in locis citatis effecti aut procurati à Deo dicantur, idcirco falsum videri debet, quod sic Deus proprie peccatorum istorum omnium author statuendus sit. Si enim actuum author est, in quibus vitiositas ab actu reipsa distingui aut separari non potest, etiam vitiositatis ipsius autor est; uti qui author est inæqualitatis pedum vel ambulationis, ei cui inæquales voluit esse pedes, sive qui author est motus in claudo, is author etiam est claudicationis. Qui author est antecedentis, is etiam est author ejus quod ex antecedente necessario consequitur, sive id positivum aliquid sit, sive privativum. Qui autor est Solis, is etiam autor est lucis & illuminationis. Qui autor est interpositionis Lunæ inter Solem & terram, is etiam autor est eclipseos solaris, & tenebrarum inde consequentium, & sic de cæteris. Hîc enim locum habet axioma illud, Qui caussa est caussæ, is etiam est caussa causati. Qui operose hic laborant, ut ostendant in actu lege vetito duo esse, quæ realiter à se invicem distinguuntur, Actum scilicet & vitiositatem actus, atque isto fundamento nixi, tuentur sententiam & thesin suam, quod Deus providentia sua efficace & irresistibili versari possit circa actum lege vetitum, quatenus actus est, non quatenus vitiosus actus est, illi ingenio suo abutuntur & operam ludunt. Ut enim jam non inquiram, An actus lege vetitus sit ipsa inordinatio, sicut actus lege præscriptus est ipsa virtus sive ordinatio voluntatis aut actionis ad legem; ita ut, sicuti virtutis actus non continet aut connotat reale aliquid positivum actui superadditum, & ab eo distinctum, quod ordinatio dicatur; sic peccati actus non contineat nec connotet privativum aliquid, actui superadditum, & ab eo distinctum, quod inordinatio dicatur; ut, inquam, id non inquiram, nihil certius esse potest, quam, posito etiam quod in peccato sive actu lege vetito actus à vitiositate actus reipsa distinguatur, eum peccati autorem esse, qui autor est actus illius, qui lege vetitus est, & qua talis tam necessario cum vitiositate conjunctus est, quam calor cum igne, & mors cum lethali vulnere.

*Tertia eorum qui ad permissionem efficacem recurrunt.*

Hæc caussa est, cur alii phrasium sive locutionum in citatis locis usurpatarum veritatem salvare, & cum justitiæ divinæ rectitudine conciliare studeant, per permissionem, quam vocant, efficacem, qua fit, ut Deus vel non concedat auxilium efficax, actu impediens peccatum: quod auxilium dicunt necessarium absolutè esse ad evitandum peccatum, in omni statu, id est, sive homo peccatis suis promeruerit ut auxilium istud ei non concedatur, sive id non promeruerit: vel, auxilium ad evitandum peccatum absolute necessarium, sive istud efficax sive sufficiens sit, subtrahat & subducat, unde peccare hominem necesse est, imprimis quando, ut istud auxilium ei subtrahatur, peccatis suis promeruit, sive originali solo, ut loquuntur, sive actualibus etiam, sed ex originali necessario ortis. Nec horum responsio probari nobis potest, quia revera idem cum prioribus sentiunt, id est, Deum peccatorum istorum omnium, quæ in locis istis recensentur, verum, proprium ac solum autorem faciunt; hoc tantùm discrimine, quod istam suam sententiam apertè profiteri non audentes, tanquam bonis omnibus exosam atque invisam, eam sub mollioribus vocabulis *Permissionis, subductionis*, aut *non concessionis auxilii, ad evitandum peccatum necessarii quidem, sed indebiti*, ut perperam ajunt, incauto populo obtrudant.

## CAPUT XII.

### Responsio propria ad loca primæ classis, in quibus Deo expressis verbis tribui videtur quod peccata operetur.

*Tres hypotheses sequenti locorum examini præmissæ.*

His ergo responsionibus missis, quid mihi ad citata loca responderi posse & respondendum esse videatur, aperiam, suppositis his tribus, quæ vel apud omnes in confesso, vel per se certa sunt.

*Primò*: Nullam locorum Scripturæ interpretationem Deo magis indignam dari posse, quam eam, per quam ei adtribuitur verè ac propriè dicta, sive physica, sive moralis, peccatorum, scelerum ac flagitiorum, qua talium, efficientia; sive, per quam Deus, verus, proprius ac solus peccati author constituitur; contra id quod legimus *Psal.* V. 5. 6. 7. *Jacob.* I. 13. 14. 15. 16. 17. *Deut.* XXXII. 4. *Habacuc.* I. 15. *Rom.* III. 5. 6. & IX. 14. *Sapientiæ* XIV. 9.

*Secundò*: Istorum locorum, in quibus peccatorum ac scelerum efficientia Deo tribui videtur, quamlibet piam ac non prorsus improbabilem interpretationem, per quam Deus ab ista peccati efficientia plane absolvitur, tutiorem cæterisque aliis omnibus præferendam esse.

*Tertiò*: Ex citatis locis non pauca esse, quæ piam & probabilem interpretationem requirunt; quia alioquin si præcise & κατ' ἰσχὺν accipiantur, vix permittunt, ut Deo non vel phy-

physica vel moralis peccati efficientia adtribui debeat.

Ex his tribus colligo, Optimam ergo ac tutissimam istorum locorum interpretationem esse eam, per quam adtribuitur Deo Providentia circa peccatum, quæ secundum præscientiam est. Per eam enim Deus certissime ac planissimè ab omni peccati efficientia, & homo ab omni proprie dicta peccandi necessitate absolvitur. Præscientia enim non præcedit rei futuritionem, nedum ut rei futuræ seu futuritionis caussa sit; sed futuritionem, tanquam actus, qui circa objectum suum versatur, objectum suum consequitur. Hoc tamen sic accipi nolo, quasi ex hac una præscientia, responsiones nostras ad citata loca omnia petendas esse arbitrer; sed quod, ubi interpretatio aut responsio alia commodior non occurrit, ex ea potius quam ex alia ulla, verbis licet in speciem aptiore, reipsa tamen periculosiore, petenda mihi videatur. Restat ergo ut deinceps citata loca propius expendamus.

*Responsio ad locum 1. ex Proverbiorum XVI. 4.*

Primæ classis locus primus est desumtus ex lib. *Proverbiorum, cap.* XVI. *vers.* 4. ubi generaliter dicitur, *Deus omnia operatur, propter semetipsum, etiam impium ad diem malum.*

Resp. Ne repetamus, quæ prolixe ad hunc locum responsa à nobis sunt in Actis & Scriptis Synodalibus Remonstrantium dogmaticis, parte secunda, pag. 209. in defensione sententiæ nostræ circa primum de Prædestinatione Articulum, pauca hæc respondere jam sufficiat.

Primum; si per vocem כל id est, *omnia*, universaliter intelligantur tam mala quam bona; & per vocem פעל proprie efficere aliquid; tum directè ex hoc loco concludi, Deum ipsorum malorum sive peccatorum, imo tam malorum quam bonorum, & (quod amplius est) *omnium* non minus gravissimorum scelerum, quam levissimorum delictorum, veram ac proprie dictam caussam efficientem esse; quo cum absurdius nihil esse aut concipi possit, ex prima nostra hypothesi, omnino interpretatio ista loci hujus rejicienda est.

Secundum est: Per vocem כל sive *omne* aut *omnia*, non posse intelligi omnia etiam peccata, & per verbum פעל proprie efficere peccata, idcirco, quod hic dicatur *Deus omnia facere propter semetipsum.* Hoc enim si interpretemur, ex communi omnium fere interpretum consensu, per ad vel propter gloriam suam, falsa omnino foret Solomonis hæc enunciatio. Nam ex eo, quod Deus peccata efficiat, nulla gloria ad Deum redire potest, sed contra summa ignominia. Nec enim bonitatis, nec sapientiæ, nec justitiæ, nec potentiæ divinæ gloria in peccato sita esse potest, nec ex peccati efficientia elucescere. Peccatum enim passim malitia, stultitia, iniquitas, infirmitas, & peccatores sive peccatum operantes, mali, stulti, injusti, vocantur; & peccare non est actus potentiæ, sed infirmitas, morbus, imperfectio, vitium & defectus.

Tertium est; Nec versus sequens patitur, ut sic ista verba accipiantur; quia si omnia etiam peccata Deus efficit, aut operatur proprie, necessarium etiam est ut dicatur ac credatur efficere superbiam & elationem cordis: Atqui vers. sequente *Abominatio Domino* esse dicitur *omnis elatus corde, & manus ad manum*, id est, mox sive statim sequetur ultio, vel quicquid moliturus est junctis sibi aliorum superborum operis, *non erit innocens*; id est, non evadet ultionem divinam; *Sequitur superbos ultor à tergo Deus.* Ut autem abominatio Deo dicatur opus suum proprium, aut is in quo proprie superbiam operatus est, per se absurdum est. Deus enim nihil eorum odit, quæ fecit, vel, ut alii legunt, *Nihil eorum, quorum est effector, abominatur: Sapient.* XI. 25. Sic enim Græca sonant: ἀγαπᾷς γὰρ τὰ ὄντα πάντα, καὶ οὐδὲν βδελύσσῃ ὧν ἐποίησας, οὐδὲ γὰρ ἂν μισῶν τι κατεσκεύασας.

Ex quibus colligo: si per vocem כל intelligi velimus omnia tam mala quam bona, tum verbum פעל non posse significare hoc in loco proprie efficere: multo minus ergo *creare*, ut inepte quidam hoc verbum hîc exponunt; imprimis cum ista verbi hujs significatio nusquam alibi in Scriptura citra controversiam reperiatur. Nec minus inepti videri debent novi Bibliorum interpretes Dordraceni, qui verbum פעל, ut thesi ac sententiæ suæ absurdæ aliquatenus velificarentur, per Belgicum verbum *Wercken* sunt interpretati, & quidem in præterito, *Godt heeft alles gewrocht*, sensu verbo præteriti temporis פעל in speciem convenientiore, sed inepto non minus quam vane & ridicule elaborato & affectato, ad incustandum interpretationem suorum Antelapsariorum plurimis odiosam, & bonis omnibus exosam, sed quam sibi probari non obscure significant, qua vocem פעל per *Creavit* exposuerunt. Nempe voce illa odiosa *Scheppen* præterita, reposuerunt vocem minus odiosam *wercken. Godt heeft alles gewrocht* legunt, diverso vocabulo eandem sententiam exprimentes. Quamquam fatendum est, cribro opus esse, ut divines, quid ista interpretatione sibi velint. Quid enim in præterito sibi vult, *Godt heeft alles gewrocht? Wat alles?* bona & mala simul? *en hoe gewrocht?* Etiam impium ad diem malum? An hoc est, *Godt heeft den godlooſen gewrocht?* At Belgica vox *wercken* nunquam cum persona conjungitur. (Nec enim dicimus, *Een menſch wercken*) nisi per impium impietatem intelligi velint. Nam Belgice recte dicitur, *Godlooſheyt wercken*, & non, *Een godlooſe wercken of gewrocht hebben.* At sic hiante rictu se proderet impietas interpretationis. Nec est, quod favere ipsis putemus præteritum tempus verbi פעל quando id exponunt *God heeft gewrocht*, & non, *Godt wereckt*: quia notum est, Hebræos carere temporibus cæteris, præsenti scilicet, præterito imperfecto, & præterito pluſquam perfecto; ac proinde non raro sub tempore præterito nunc hoc nunc illud tempus intelligere; quod tyronibus notum est.

Quare præferenda omnino est interpretatio verbi פעל quando Deo adtribuitur, ista quæ significationi ejus receptissimæ conveniens, & sensui Solomonis accommodatissima est, nullasque prorsus in se habet difficultates, aut odiosas suspectasve consequentias, apta nata est animo injicere. Significatio ista est, quando Deo tribuitur, cum affectu & cupiditate & energeia facere, constituere, ordinare, disponere, dirigere aliquid: ut respondeat verbo Græco ἐργάζεσθαι, Belgico nostro, *Met ernſt en luſt fabrijcken*, of *ſchicken*, of *beſtellen*: uti apparet ex *Esa.* XLIII. 13. *Etiam à die ego ipſe ſum, & non eſt qui de manu mea eruat. operabor & quis revocabit illud?* id est, ego constitui & ordinavi aliquid ut fiat, & quod constitui & ordinavi ut fiat, procurabo ut sic & non aliter invitis omnibus eveniat. *Esa.* XXVI. 12. *Deut.* XXXII. 27. *Pſal.* VII. 14. *Sagittas ſuas, me perſequentibus, operabitur.* Differunt Hebræis (inquit Joan. Forsterus in Dictionario suo Hebræo, in verbo עשה pag. 630.) פעל & עשה. Nam פעל significat agere, *doen.* עשה facere, *maecken.* Significatio hæc si admittatur, apparet manifeste per vocem כל mala sive peccata intelligi non posse, quia alioquin dicendum esset, Deum peccata cum affectu, cupiditate & ἐνεργείᾳ operari, quod absurdissimum est. Est vero significatio hæc aptissima huic loco, si per vocem כל omnia tam mala quam bona intelligi velimus: & imprimis si vocem למענהו exponamus, non prout fere exponi solet, per *Propter ſemetipſum*: (quæ tamen expositio admitti etiam potest;) sed per *reſponſioni ejus*, vel *ſecundum reſponſiones ejus* aut *ſuas*, à verbo ענה quod respondere sive consonare significat, unde מענה responsio, *verſu* 1. hujus ipsius capitis. vide Arcam Noë, sive Thesaurum linguæ sanctæ Novum Marci Marini Brixiani, folio 396. ut sensus sit, Deus omnia sic constituit, ordinat & disponit, ut aptissime inter se quadrent, & proportione debita sibi invicem respondeant ac conveniant. Sic enim eleganter admodum id quod sequitur, dictum erit; *Et malum* sive רשע *ad diem malum*, supple ordinat. Quid enim aptius quadrat in hominem malum, quam dies malus? Pœna enim & culpa correlative sibi invicem respondent. Quod si cum Vatablo malis legere רשע non in quarto sed in primo casu, eadem erit sententia; si modo tum accipiantur hæc verba, ut conclusionem sive exemplum aliquod generalis præcedentis pronunciati continentia, hunc in modum; Omnia Deus apte ordinat secundum suam cujusque rei debitam proportionem; Et hæc ratio est, sive in hoc exemplo vide, quod malus & impius etiam à Deo ordinetur ad malam rem, sive ad pœnam tristem certo aliquo die infligendam, secundum operum suorum merita, juxta comminationes, *Deut.* XXVIII. *Levit.* XXVI. *Deut.* XXXII. 39. *Pſal.* XXXVII. 12. 13. Dies enim malus hîc est dies pœnæ, tristis, funestus & lachrymabilis; uti eodem sensu accipitur, *Pſal.* XXVII. 5. *Abſcondere in die malo.* Et *Pſal.* XCIV. 13. non uti pessime quidam interpretantur, dies peccati, sive peccatum certo aliquo die patrandum. Quid enim absurdius, quam Deum aut facere, aut creare, aut ordinare hominem ad impietatem, sive procurare ut homo ex se innocens & justus, impius & nocens aliquo die fiat? aut facere ut, qui jam impius est, impius fiat? Istud barbarum & tantum non summè blasphemum est: Hoc vero ineptum & stolidum.

Quod si cui libeat receptam interpretationem sequi, *Deus omnia operatur propter ſemetipſum*, non multum refragabor: si modo per vocem כל non generatim omnia etiam peccata ac scelera intelligantur, sed ea tantum omnia, quæ divinæ operationis effecta esse possunt: ut sensus sit, Omnia quæcunque Deus operatur, ea propter se ipsum operatur. Sive enim phrasis illa, *propter ſ. ipſum*, accipiatur, ut caussam συνεκτικὴν seu impulsivam notet, quia videlicet Deo ita placet; sive quia Deus nulla alia re extra se, sed sola propria sua voluntate aut consilio, motus operatur; ut conveniat cum eo quod dicitur, *Epheſ.* I. 11. Deum πάντα ἐνεργοῦντα τὸν βουλὴν τοῦ θελήματος αὐτοῦ. & *ad Rom.* XI. 35. πάντα ἐξ αὐτοῦ καὶ δι' αὐτοῦ καὶ εἰς αὐτόν. Item *Apocal.* IV. 11. Sive, ut

cauſa,

cauſſam finalem notet, *Propter gloriam ſuam*, id eſt, vel ut glorioſas & excellentes naturæ ſuæ proprietates manifeſtas faciat ac declaret. quo ſenſu dicit Deus ipſe apud *Eſaiam* XLIII. 25, *Ego ego ſum*, ô Iſrael, *qui deleo iniquitates tuas propter meipſum*. & *Eſa.* XVIII. *verſ.* 11. *Propter me, propter me faciam, nam quomodo eſſet pollutum nomen meum? gloriam quoque meam alteri non dabo. Daniel.* IX. 17: *Nunc igitur exaudi, Deus noſter, orationem ſervi tui, & deprecationem ejus, & illuſtra faciem tuam ſuper ſanctuarium tuum deſolatum, propter Dominum. verſ.* 19: *Domine exaudi, Domine parce, Domine attende, & fac ne moreris, propter temetipſum Deus meus.* Similiter David à Deo petit *Pſal.* XXV. 11. *Propter nomen tuum parce, Domine, iniquitati meæ, quoniam multa eſt.* Nomen enim Dei & Deus unum & idem ſunt. Vel, ut ab hominibus proprietates iſtæ divinæ celebrentur, & glorioſæ prædicentur. quo ſenſu David dicit *Pſal.* LXXIX. 9. *Adjuva nos Deus ſalutis noſtræ propter gloriam nominis tui, & erue nos & propitiare peccatis noſtris propter nomen tuum. Ut quid dicent gentes, ubi eſt Deus eorum?* &c. quaſi dicat, libera nos ut prædicemus bonitatem tuam ac potentiam, & gentes cauſſam non habeant à nobis, & propter nos, conſilii & auxilii tui prorſus inopes, inſultandi ſancto nomini tuo, quod nos in neceſſitatibus noſtris non modo non velis, ſed nec poſſis juvare, aut ex manibus eorum liberare. Sive, inquam, phraſis *propter ſemetipſum* hoc aut illo modo accipiatur, ſententia loci plana ac pia eſt. Hactenus ergo ad primum locum reſpondimus.

*Reſponſio ad locum 2 ex Eſa. XXVI. 12.*

Secundus locus eſt *Eſa.* XXVI. 12. *Domine diſpones pacem nobis, quia etiam omnia opera noſtra operatus es nobis.* כל-מעשינו פעלת לנו. Reſp. Ex hoc loco nihil concludi poteſt, niſi per *omnia opera*, etiam peccata, ſcelera ac flagitia indicari oſtendatur. Hoc vero ut fiat textus non permittit. Nam 1. in textu dicitur, Deum operatum eſſe omnia opera *nobis*. At quis rectè dicat, Deum ſcelera ac peccata nobis operari. 2. in verbis iſtis, *Quia omnia opera noſtra operatus es nobis*, continetur ratio cur Deus pacem ſive fælicitatem diſpoſiturus ſit populo ſuo. At quis ſic colligat, Domine pacem diſpones nobis, quia *omnia*, etiam peccata ac ſcelera noſtra operatus es in nobis? Contra colligere quis & forte rectius poſſet, Pacem non diſpones nobis, ſed bellum & horrenda omnia mala, quia etiam operatus es in nobis quicquid hactenus ſcelerum perpetravimus, per quæ & propter quæ pax à nobis merito exulare debet, juxta comminationes tuas. Hinc alii per *omnia opera* intelligi volunt omnia bona opera. Sed & iſti expoſitioni obſtare mihi videtur phraſis, *Operatus es* לנו *nobis*: Si, *in nobis*, legeretur, fortaſſe ſpeciem aliquam haberet expoſitio. At cum legatur non בנו *in nobis*, ſed לנו *nobis*, interpretatio iſta omnino aliena videri debet. Sed & rejiciunt eam Calvinus in comment. ſuis ad hunc locum, & Muſculus in ſuis. Ille vero per *opera omnia* hic intelligi vult omnia beneficia, quibus Deus proſequitur ſuos fideles; ac ſi legeretur; Res, negotia, actiones, & quæcunque ſunt ex uſu noſtro, Gallicè, *nos affaires*. Poſteaque addit: *Qui ergo hoc teſtimonio uſi ſunt ad evertendum liberum arbitrium, Prophetæ mentem aſſecuti non ſunt.* Et hanc Calvini expoſitionem ſequuti ſunt interpretes Novi Dordraceni; unde & voces כל & פעלת verterunt. *Ghy hebt alle onſe faecke uytgherichtet.* mirum cur non verterint verbum פעל hoc in loco, ſicuti *Proverb.* XVI. 4. verterunt per Belgicum *wercken*, *Ghy hebt alle onſe wercken ghevrocht?* & cur opera verterint, per *onſe faecken?* nempe quia Calvinum non modo autorem habebant hujus verſionis, ſed & reprehenſorum eorum, qui ex hoc loco contra liberum arbitrium diſputant. Muſculus vero, per opera omnia hoc loco intelligi vult, non beneficia tantum Dei, ſed adverſa etiam, triſtia & gravia quæ evenerant ipſis, id eſt, tum triſtia quæ à Chaldæis, tum læta quæ à Perſis, Cyro ſcilicet ipſis obtigerant. ita ut vox מעשינו non activè ſed paſſivè hic poſita videri debeat. Mihi tamen magis placet, ſi vox *opera* in hoc loco non niſi ad triſtia referatur, tum paſſivè quæ perpeſſi erant, aut quæ ipſis facta erant ab hoſtibus iſtis, de quibus *verſ. ſeq.* dicitur, *quod damnati ipſis ſint*: tum activè quæ ipſi ſub hoſtibus iſtis poſiti exercuerant. Ea enim merito opera, & laborioſa opera dici potuerunt, quia non fuerunt, niſi gemitus, ſuſpiria, lachrymæ, querelæ, ſervitia, obſequia, aliaque moleſta & difficilia liberis hominibus opera ac onera. ut hoc credam, adducor ratione hac, quia opera hæc opponuntur paci, tanquam contraria: In pace enim eſt quies; in afflictione, opus, labor, & moleſtia. unde ſenſus elegans admodum fluit hic, Pacem, quietem, gaudium, & voluptatem nobis diſpones Domine, quia hactenus & jam diu admodum propter peccata noſtra, operari, laborare, gemere, ſuſpirare, & lamentari nos feciſti. & hoc ſibi vult, *Opera noſtra operatus es* לנו *Nobis*, id eſt, feciſti ut opera iſta, id eſt, gemitus, ſuſpiria, querelæ iſtæ, nobis evenirent atque evenerint hactenus. Et ſic convenit hic locus optimè cum tribus iſtis celebratis locis: *Eſa.* XLV. 7. *Ego Deus formans lucem & creans tenebras; faciens pacem & creans malum; ego Dominus faciens omnia hæc. Thren.* III. 37. 38. *Quis eſt qui dicit & fuit, & Dominus non præcepit? An ex Domini Altiſſimi ore non egredientur bona & mala? Amos* III. 6. *Nunquid clangor tubæ in civitate, & populus non expaveſcet, an erit malum in civitate & Dominus non fecerit?* In hiſce enim locis quin per mala intelligantur adverſa, calamitates, & adflictiones, non fortuito, vel caſu evenientes populo, ſed à Deo ipſo procuratæ & immiſſæ, dubitari non poteſt. Ut ut ſit, apparet ſatis manifeſte, locum hunc nihil continere, unde probare poſſit, Peccata etiam à Deo effici.

*Reſponſio ad locum 3. ex Epheſ. I. 11.*

Tertius locus eſt, *ad Epheſ.* I. 11. ubi Epheſii prædeſtinati dicuntur ſecundum propoſitum τοῦ τὰ πάντα ἐνεργοῦντος, μὴ τῶν βουλῶν τοῦ θελήματος αὐτοῦ. Reſp. Argumentum ex hoc loco deſumtum vix dignum eſt reſponſione. Per τὰ πάντα enim, in eo intelligi omnia generatim, tam mala quam bona opera noſtra, tam abſurdum eſt, ut ne quidem de ullis operibus noſtris, quæ Deus in nobis efficiat, in eo agatur. Non enim dicitur Deum omnia operari *in nobis*, actione aliqua tranſitiva; ſed abſolutè, Deum omnia operari καὶὰ τὴν βουλὴν τοῦ θελήματος αὐτοῦ. Nec dicitur, Deum operari ſimpliciter *omnia*, ſed τὰ πάντα, id eſt, iſta omnia, quæ pertinent ad rem iſtam, de qua agitur. Nec ſimpliciter dicitur, Deum operari iſta omnia, ſed cum emphaſi, ἐνεργῶν, id eſt, ita potenter, & efficaciter iſta omnia operari, ut non poſſit non conſequi id, quod conſultum judicavit operari atque ad effectum perducere. Nempe hoc tantum vult Apoſtolus, Totam iſtam atque univerſam gratiam Euangelicam, quam verſſ. præcedentibus deſcripſerat, non ex alio fonte profluxiſſe, quam ex liberrima divina voluntate, qua apud ſe ipſum, nullo alio quam proprio ſuo conſilio motus, conſtituit fideles per Chriſtum Filium ſuum prædeſtinare ad æternam gloriam, & per Euangelium ejus vocare ex incredulitate ſua ad fidem; atque ita conſtanter omnia à parte ſua facere, quæ ad procurandum eorum æternam ſalutem & gloriam neceſſaria ſunt, nullo alio fine, quam ut in iis, qui iſtam ſuam gratiam amplexuri eſſent, divinæ ſuæ bonitatis & gratiæ ac miſericordiæ gloria illuſtretur, & ut ii gratiæ iſtius magnitudine ac dulcedine perfuſi, laudem & gloriam ejus totam ſoli Deo tranſcribant acceptamque ferant; uti ex antecedentibus & conſequentibus manifeſtum eſt. Unde facile patet, ſub vocibus τῶν πάντων peccata comprehendi hîc non poſſe; quia ea non tantum extra Deum ſunt, & divinæ voluntati repugnant, ſed & talia, ut dicere, Deum ea non dico operari tantum, ſed & ἐνεργεῖν, imò juxta conſilium voluntatis ſuæ ἐνεργεῖν, apex impietatis & blaſphemiæ ſit. Mantiſſæ loco hoc addo: Novos Bibliorum interpretes in ſuis ad hunc locum annotationibus, voces τὰ πάντα, referre quidem diſerte ad ea quæ ad ſalutem Judæorum & gentilium pertinent, quin & addere; *de quibus hic agit*, Apoſtolus ſcilicet. Sed vero è veſtigio ſubjicere hæc verba, *Al hoe wel dit oock in 't gemeyn waer is van alle andere dingen: Pſal.* CXV. 1. Quo additamento ſine dubio ſignificant, non modo non diſplicere ſibi ſententiam eorum, qui Deum omnia tam mala quam bona opera efficere ſecundum conſilium voluntatis ſuæ adſerunt, ſed & non magnopere ſe velle refragari iis, qui iſtius ſententiæ fundamento nixi, interpretationem loci hujus ad omnia omnino tam vitia quam virtutes extendunt, etſi ex ſcopo loci interpretationem ſuam primam præferant. Ita venenum ſæpe in cauda interpretationum harum eſt. Quod idcirco moneo, ut in legendis iſtis annotationibus, cautiſſimus ac providi. Vix enim ullam adnotationem reperiemus ſuper ullo loco inter ipſos & alios controverſo, in qua non ſimile quid fieri videre eſt, id eſt, ad ipſorum præjudicia firmanda, aut violenter Scripturæ verba torqueri, aut miſceri quædam vel infarciri, quæ præjudiciis eorum firmandis facere poſſe videntur.

*Reſponſio ad locum 4. ex 2 Sam. XII. 11. 12. & XVI. 22.*

Quartus locus eſt deſumtus ex 2 *libro Samuel. cap.* XII. 11. 12. collato cum *cap.* XVI ſequente, *verſ.* 22. ubi ſpecialiter Deus Davidi dixiſſe legitur; *En ego ſuſcitaturus ſum adverſum te malum, de domo tua, tollamque uxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, dormietque cum uxoribus tuis in oculis Solis hujus. Tu enim feciſti abſcondite, ego vero faciam hoc coram toto Iſraele, & coram Sole.* Eventus hujus prædictionis deſcribitur *cap.* XVI. 22. *Tetenderunt ergo ipſi Abſalom tabernaculum ſuper tectum, & ingreſſus eſt Abſalom ad concubinas patris ſui, in oculis totius Iſraelis.*

Reſp. In hoc loco, ſi bene perpendatur, nulla peccati, nedum infandi coitus aut inceſtus efficientia Deo tribuitur, ſed tantum mali ſive gravis alicujus adverſitatis, in pœnam Davidi adultero & homicidæ deſtinatæ procuratio, quæ in eo conſtitura dicitur, quod Deus uxores ſive concubinas ejus traditurus ſive relicturus eſſet in poteſtate *proximi*, id

eſt,

est, filii sui; (quem obscurè quidem, sed propriissimè tamen *proximum ejus* appellat:) & propalam libidini ejus expositurus, (quod & factum legitur *cap.* XV. *vers.* 16. ipso Davide ita curante) cum adjuncta prædictione, quod proximus iste uxoribus istis abusurus, & palam cum iis sese polluturus esset. Non enim dicitur, Ego faciam ut proximus tuus velit dormire cum iis, sed tantum, *dormietque cum iis*: quasi dictum fuisset, volenti dabo, sive permittam ut, quod volet, faciat. *Dare* ergo *uxores in sinum*, non est, aut velle & irresistibiliter procurare, ut incestus cum iis committatur; aut licitum facere, ut incestus sine peccato committatur: Sic enim Absalomi factum incæstus aut peccatum formaliter esse non potuisset: Sed *dare* idem hîc est, quod permittere libidini Absolomi, sive non impedire velle facinus, licet summè detestandum, (quod alioquin sine dubio Deus impediturus fuisset, si David, quamquam afflictus, tam ingentis culpæ reus tantum non fuisset:) ut tanto profundiùs pænam sceleris sui sentiret David. Nec est quod dicas, In textu legi, *Deum suscitaturum malum*, id est Deum primum malii istius autorem & causam futurum, quin & *facturum ipsum, coram toto Israele & Sole, quod absconditè fecerat David.* In Hebræo est מקים & אעשה. Nam. 1. *Malum* quod Deus se *suscitaturum* dicit, non significat hic peccatum, sed infortunium, adversitatem, aut calamitatem domui Davidis incubituram: videlicet quod uxores ejus quasi prostituturus & permissurus esset libidini nefarii filii sui: quod Deo licere quis dubitet? 2. Id quod Deus se facturum dicit, non est ipse incæstuosus concubitus, sed tantum modus concumbendi, propalam scilicet in publico, coram populo & Sole; quod etiam Deo licere nemo diffitebitur.

Dices: At ista uxorum Davidis prostitutio, quam Deus se facturum dicit, fieri poterat, ut tamen non dormiret cum iis Absalom. Ergo amplius aliquid per phrasin, *suscitabo malum de domo David*, intelligi necesse est. Quid autem aliud intelligi potest, quam incæstuosus concubitus? Id certe indicat prædictio, *Dormietque cum iis*. Resp. Verba suscitandi & faciendi, cum prædictione futuri eventus conjuncta, optime intelligi posse, ut nulla prorsus incæstuosi concubitus efficientia Deo tribuatur. Aut enim volumus jam tum, cum hæc per Nathanem Davidi dicebantur Dei nomine, Achitophelem & Absolomum de regno invadendo consilia cæpisse, & Achitophelem, utpote versipellem & vafrum, jam in animo suo agitasse cogitationem hanc, de procurando ut Davidis uxores in publico stupraret Absolom, ut isto facto irreconciliabilis redderetur populus, atque ita regnum firmaretur in manu Absalomi; Aut non. Si istud volumus, quod fieri potuisse aut factum fuisse nemo facile inficias iverit, qui novit, quam diu ante sæpe agitentur ejusmodi consilia, antequam effectui dentur aut in actum exeant: uti in Absolomi proposito occidendi Amnonem per duos annos intra animum recondito videre est: 2 *Samu.* XIII. 23. & 32. tum, quando Deus dicit se suscitaturum malum, per verbum *suscitandi* intelligetur stabilire, firmare; aut potius ad Deum relatum, non modo nihil opponere, sed curare etiam ut nihil opponatur, quo consilium istud animo conceptum non firmiter inhæreat, fixumque maneat. Nec vero dubium est, quin קום in *Hiphil* firmare, stabilire, aut curare ut stabile aliquid maneat, vel non permittere ut irritum reddatur, significet. Merito autem suscitare malum dici potest Deus, quando id, quod jam animo ab aliis malum conceptum est, impedire non vult, quod alioquin impedire fere solet ne ad effectum perducatur: ut in Abimelecho *Genes.* XX. 6. videre est. Certe non minus recte id *facere* dici potest Deus, quam id quo dicitur Deus dare & tradere filium suum in mortem. Hoc enim aliud nihil est, quam Filium libidini hostium suorum relinquere, sive rem totam sic administrare & dirigere, ut nihil obstet quo hostes ab eo occidendo dimoveantur aut impediantur, quin & occasiones præbere, quas ad conceptam animo cædem exsequendum avidè à malignis & malevolis arreptum iri verosimile erat. Quod si illud nolimus, quia hujus rei, quod jam tum tam ingens scelus & flagitium vel Achitophel vel Absolom animo conceperant, nulla in textu fit mentio, & quia hujus rei prædictio multo antequam Absolomus incæstum hunc commisisse legitur, ad minimum annis IV aut V ante facta fuit: (quod tamen parum apud me valet: Quis enim nescit quam diu sæpe premantur, & quam lente percoquantur consilia, quæ de evertendo regno aut regimine semel constituto suscipiuntur?) tum dico, prædictionem quæ commination aut denunciationi mali subjungitur, *Dormietque cum uxoribus tuis*, non sufficere ad concludendum, Ergo Deus decrevit efficere in Absalomo voluntatem scelus istud committendi & scelus ipsum. Nam prædictioni sua infallibilis veritas ac certitudo constare potest, absque ulla irresistibili Dei in voluntatem Absalomi operatione, ex sola divinæ infallibilis Præscientiæ perfectione, non generali tantum ista, qua Deum omnia sive absolute sive sub conditione futura contingentia prænosse statuimus: sed speciali etiam ista, qua tum temporis Deus intimum utriusque tum Achitophelis tum Absolomi animum penitissime perspectum habebat, & utrumque ita jam comparatum ac compositum esse sciebat, ut extrema quæque tentaturi, & quamlibet occasionem consiliis studiisque suis oportunam avide arrepturi essent & amplexuri; usque adeo ut si ipse facto aliquo suo remoram iis non injiceret, aut conatibus eorum obicem non poneret, quid dico? si ipse luculentam occasionem consilia sua promovendi, iis occurrere faceret? prono ac præcipiti impetu ruituri essent in omne flagitii genus: imprimis in tale flagitium, unde securitati rerum suarum optime consuli posse speraturi essent. Quod quia per pudendum & publicum hunc concubitum, in conspectu populi totius, certissimè fieri posse videbatur, nil mirum sane, si prædictio adjuncta hæc fuerit, *Dormietque cum uxoribus tuis*, & quidem *coram Sole*, &, *coram toto Israele*. Quod si cui tamen videbitur hîc adhuc aqua hærere, tum dicam, prædictionem illam ex perfectione divinæ Præscientiæ profectam fuisse, &, quando alia via non datur locum hunc sine ulla Dei contumelia interpretandi, tutissimum esse, ut per & secundum eam interpretatio fiat.

*Responsio ad locum ex 1 Reg. XXII. 19. & seq. & 2 Paralipom. XVIII. 16. & seqq.*

Quintus locus est desumtus ex *1 libro Reg. cap.* XXII. 19. 20. 21. 22. 23. & *2 Paralip.* XVIII. 16. 17. 18. 19. 20. 21. ubi Micha Propheta in visione sibi facta, Deum sic loquentem facit; *Quis decipiet Achab Regem Israelis, ut ascendat & corruat in Ramoth Gilead?* Et *dixisse* (Deo scilicet) *istum sic, alterum sic. Tunc vero egressum Spiritum, & stetisse coram Domino ac dixisse, Ego decipiam eum. &c. Nam egrediar & ero Spiritus mendacii in ore omnium prophetarum ejus.* Deum vero respondisse, *Decipies & prævalebis etiam. Egredere & fac ita.*

Resp. In hoc loco nullum verbum occurrit, ex quo concludi possit, Deum peccatum ullum operatum esse, nedum omnipotente aut irresistibili vi operatum esse. Quod adeo certum est, ut ne quidem in eo de peccato ullo in Rege Achabo aut efficiendo aut effecto agatur: sed tantum de confirmando Achabo in proposito suo, quod jam animo suo libere præceperat, expeditionem suscipiendi aut bellum movendi contra Ramoth in Gilead. Quod propositum non modo non erat peccatum legi alicui divinæ repugnans, sed contra erat propositum justum ac legitimum, quia pacto convento Rex Syriæ Benhadad non stabat, ut videlicet restitueret civitates Regi Israelis per vim ereptas, aut ex pacti & Fœderis initi lege debitas, inter quas hæc etiam Ramoth in Gilead erat, jam multis ante seculis ex fœdere inter Labanem & Jacobum, *Genes.* XXXI. 52. inito, ad Israelitas ex Jacobo oriundos, & sic ad Regnum ac Rempub. Israelis pertinens. Istud propositum Achabo indere, aut in eo, jam apud Achabum concepto, confirmare Achabum poterat Deus, absque ulla peccati in eo efficientia.

Atqui, inquies, in textu dicitur, Deum procurasse, ut Achabus Rex in isto proposito suo confirmaretur per mendacium sive per deceptionem. Resp. Nego. Non enim dicitur in textu quod Deus Achabum voluerit seduci per mendacium, sive per deceptionem quæ peccatum est; sed tantum decipi sive seduci, id est, Achabum jam ad expeditionem suscipiendam pronum, & victoriæ spe plenum, ad eam concitari, ac tantum non protrudi, per quam futurum erat, ut spe sua excideret, atque ita deciperetur, & scelerum suorum pœnas cruenta morte sua & lamentabili suorum strage lueret. Quare sensus orationis istius divinæ, *Quis decipiet Achabum*, alius nullus est, quam, quis procurabit, ut Achabus expeditionem in Ramoth Gilead suscipiat, aut in ea jam animo susceptа magis confirmetur; quamquam jam spe secuturæ victoriæ totus inflatus & plenus est; ut spe ista scilicet sua frustratus, atque ita deceptus pereat, mihique pœnas det sceleribus suis dignas ac jamdudum promeritas? Sensum hunc verissimum esse, evinco ex *versu* 20 *lib.* I. *Reg.* XXII. ubi disertè ad interrogationem à Deo factam, *respondisse* dicitur, *Iste sic*, & *alter sic*. Per hos enim respondentes, quin Spiritus sive Angeli boni in exercitu cæli designentur, dubium nullum est. At istos voluisse per peccatum aut mendacium decipere Achabum, cui fiet verosimile? Sed & nihil tale voluisse, id abunde arguit, quod Spiritus deinde malus egressus dicatur, & à Deo interrogatus, in quo aut quomodo decepturus Achabum esset? respondisse, *Ego ero Spiritus mendax*, &c. q. d. Mendacio decipiam, non ut hi & isti alia eum ratione decipere volunt.

Hoc eodem sensu crediderim verbum פתה quod in hoc textu usurpatur, (unde Græcum forte ἀπατάω est) à Jeremia propheta usurpatum fuisse *cap.* XX. 7. cum ait, *Seduxisti me Domine & seductus sum: fortior me fuisti & prævaluisti.* Hac enim oratione aliud nihil Propheta Jeremias significare vult,

*Exposit. loci Jeremiæ XX. 7.*

re vult, quam, se ad prophetandum à Deo excitum fuisse, ista spe plenum quod inde nihil sibi mali eventurum esset, cum jam contrarium fieri videret; uti ex verbis sequentibus manifestum est, *Fui in derisum omni die, universus Juda subsannat me.* q. dicat, Aliud longe expectaveram, atque ita seductum me magno meo malo ac damno sentio. Hieronymus (referente Bellarmino lib. 2. de Amissione gratiæ, cap. XIV.) vult Jeremiam sic locutum fuisse, non ob falsitatem, sed ob ambiguitatem divinæ orationis: Nempe inquit, Audiverat Jeremias: Ecce ego Prophetam in gentibus dedi, id est dabo te. & rursus, Ecce constitui (constituam) te super gentes & regna. Itaque libenter munus prophetandi assumserat, tanquam contra Gentes, à quibus populus Domini vexebatur prophetaturus. Advertit tamen postea se perpetuo contra gentem suam, & Reges suos, Domino jubente, prophetare, ex quo multas & varias calamitates patiebatur. Accedit, quod, cum prædiceret urbem Hierosolymam capiendam à Chaldæis, ita loquebatur, ac si statim id esset implendum; unde cum non ita accideret, putabatur mentitus, & à populo tanquam impostor deludebatur. Ita ergo ambiguitate verborum Domini, partim quoad gentes, partim quoad tempus deceptum se dicit, cum aliter videret impleri sermones Domini, quam ante crediderat.

Atqui, inquies, seductio per mendacium facta statim subjungitur. Resp. Ita est; sed seductio non à Deo profecta, verum Deo à Spiritu mendacii autore oblata, & ab eo sola ac non nisi per adflatum sive suasionem moralem procurata. Esto, inquies; sed accessit imperium ac jussus divinus, *Egredere & fac ita.* Resp. Nego verbis istis imperium ac jussum divinum contineri, non magis quam verbis Jesu Christi imperium ac jussus Christi continetur, quibus Judæ proditori suo dicebat, *Joan.* XIII. 27. *Quod facis,* (id est, facere constituisti) *fac cito.* Et rationes in contrarium sunt manifestæ. 1. Quia nulla jussione aut imperio opus erat, sed sola tantum permissione divina. Spiritus enim ille mendax promtus & pronus erat ad cædem & stragem ac lanienam Regis & populi Dei. Fræno magis opus habebat quam stimulo, utpote *homicida à principio, & mendax ac pater mendacii, Joan.* VIII. 44. 2. Quia Deus directe contrarium jubet Prophetæ suo Michæ, nempe, ut expeditionem dissuadeat Regibus, & spe omni victoriæ præcisa, infelicem iis expeditionis successum atque exitum prænunciet, ingratiis atque invitis omnibus falsis prophetis, tanta cum fiducia ac constantia, ut carcerem subire, & mala quavis morte perire mallet, quam spe vana ac falsa Reges decipere.

Esto, inquies. At permissio illa divina efficax erat permissio, qua posita, non poterant non falsi Prophetæ & per eos Achabus Rex seduci. Resp. Nec hoc verum est; nec ex verbis textus colligitur; nec, si omnino ex verbis textus colligeretur, quidquam contra nos faceret. Hoc verum non esse, sola permissionis natura arguit, quæ aliud nihil est, quam remissio voluntatis, sive non impeditio Satanæ, ad utendum ingenio & viribus omnibus suis ad seducendum Achabum. Atqui ingenium & vires omnes Satanæ sufficere non poterant ad hoc, ut Achabum seducerent, sic ut non posset non seduci. Apparet; quia non seduxit immediatè Achabum, sed per pseudoprophetas suos. At per pseudoprophetas Achabum seduci, necesse non erat. Seductio enim eorum non erat nisi moralis seductio, ac proinde non infallibilis. Quid enim obstabat, quominus Achabus Micham potius, quam cæteros falsos prophetas contra Micham consulentes audire & sequi posset? Seduci itaque Achabum necesse non erat, nisi ipse propria sponte sua seduci vellet. Sed nec ex verbis textus colligitur, seductionem illam necessario secuturam, posita ista permissione divina. Dices: *Deus ipse* inquit, *decipies ac prævalebis.* Resp. Sic est: sed istis verbis non indicatur seductionem istam necessario secuturam aut effectum sortituram, sed certo tantum eventuram secundum divinam præscientiam, qua ingenium & animum tum pseudoprophetarum, tum Achabi Regis penitissimè perspectum habebat Deus, renum ac cordium scrutator. Denique, posito etiam, permissione ista divina stante, deceptionem non potuisse non sequi, non tamen ex eo sequeretur quidquam contra nos; quia ex vi istius permissionis deceptio non fuisset sequutura. Erat enim permissio ista divina *per se* prorsus inefficax; nec permissio simpliciter, sed pœnalis permissio, quia ut tali permissione uteretur Deus, Achab sceleribus suis commerucrat; nempe ut totus sibi, id est, ingenio atque animo suo reliqueretur mancipatus, nulla naturalis libertatis imminutione, nulla necessariæ ad contra volendum gratiæ subductione. Quare si omnino sic deceptio secutura erat, ut non posset non sequi, per accidens non per se eam fuisse secuturam dici deberet; quia videlicet incidebat in eum, qui seductioni opportunus erat, & seductionem, id est, id quo seductio fiebat, spes scilicet certa victoriæ, toto animo suo optabat ac cupiebat: quamquam de victoria certa dubitandi causam habebat, quin & diffidere de victoria poterat ac debebat. Quocirca tota tum decipiendi voluntas, tum deceptionis efficacia, partim Spiritui malo tanquam suggestori tribuenda est, partim pessimo, tum falsorum Prophetarum, tum Achabi Regum omnium deterrimi ingenio, animo, atque voto. ubi enim Spiritus iste in talia voluntaria subjecta incidit, ibi potenter solet operari, juxta id quod dicitur, *Ephes.* II. 2. Unde efficientiam ullam peccati hujus Deo tribui non posse, manifestum est; quia Deus in hac hypotyposi sive μιμήσει & προσωποποιΐᾳ, poëtica dicam an prophetica, non repræsentatur aliter, quam judex Achabum punire volens, & ut pœnam jam ei destinatam infligat, Spiritui malo ultro se ad eam procurandum offerenti, tanquam carnifici potestatem concedens, & frænum laxans, ut eum pro arbitrio suo duceret, & linguis falsorum prophetarum, veluti vinculis ac compedibus innexum raperet ad supplicii sui locum, id est, ad locum in quo prælium tentaturus, & spe omni victoriæ ac fugæ frustratus, funesta morte occubiturus, & sanguinem suum canibus lingendum effusurus esset, cum maximo Regii sui sanguinis & falsorum Prophetarum suorum opprobrio atque infamia.

Adfinis huic loco est is quem ultimo loco in hac prima classe posueram, qui legitur *Ezech.* XIV. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. ubi Deus dicit *se populo idololatriæ dedito, & oraculum apud prophetam suum consulenti*, sic responsurum, quod *prophetam suum seducturus*, id est, tale oraculum ei suggesturus sit, quo futurum erat, ut deciperetur populus, & sic in pœnas idololatria sua dignas incideret. *Propheta cum seductus fuerit, & locutus fuerit verbum, ego Dominus seduxi prophetam illum*, &c. Resp. Si locum hunc ex præcedentis loci sententia exponere velimus, tum sensus ejus erit, Deum Satanæ frænum laxaturum, & potestatem permissurum, ut Spiritus mendax fiat in ore prophetæ sui, (si nimirum propheta ille populo tali idololatrico oraculum consulenti respondere velit, nulla ad idola deserenda seria facta adhortatione, adhortationisque prægressa admissione:) & eum prædicere faciat, vel ea quæ falsa sunt, vel quæ eventura nunquam sunt; ut responso isto deceptus populus, præter opinionem ac spem suam, una cum propheta respondente, misere atque incaute opprimatur, malaque morte idololatriæ suæ scelus persolvat. Juxta hunc sensum, Deus hic dicetur, respondere *ipse*, respondere *propter se ipsum, seducere prophetam*, &c. quia videlicet justo judicio suo Satanæ permissurus, aut potestatem concessurus esset, ut prophetam talem officii sui prorsus immemorem, afflatu suo seduceret, & simul per prophetam istum populum fædifragum deciperet, quatenus afflatum istum & oraculum ex eo profectum, etsi falsum, pro divino & vero oraculo habiturus esset, maximo suo damno, uti ex *vers.* 5. *ut capiam domum Israel in corde suo*, & *vers.* 8. *Et dabo faciem meam contra virum istum*, &c. & *vers.* 9. & 10. manifestum est. Permissio hæc divina, quin sit ingens pœna, & per se sufficiat ad hoc, ut propter eam Deus ipse dici merito possit seducere prophetam, & sic respondere per prophetam, ac si ipse ad prophetandum eum adflaret, & se ab eo adflari propheta sibi persuaderet, vix puto dubitari posse. Etsi enim permissio hæc actionem nullam divinam, nedum actionem irresistibilem à Deo profectam connotet, imo propriissimè actionis omnis divinæ suspensio sit; tamen, quia absque ea actio ista tota seductionis non fieret, nec fieri posset, & ea posita, actio ista à Spiritu ad omne malum promtissimo, & nocendi cupidissimo, suscipienda ac perficienda est, merito sane propter eam ista ipsa actio Deo tribui potest; imprimis quia permissionem istam Deus vult, ut sic puniat eum, qui tali pœna dignus est, non minus merito certe quam cædes tribuitur ei, qui bovi cornupetæ, lupo aut leoni famelico frænum laxat, ut in homines, aut gregem ovium incurrant & obvium quidvis dilanient.

*Expos. loci Ezech. XIV. 4. & seqq.*

Sed vero, quia verba textus nimis evidenter videntur indicare, Deum ipsum immediatè responsum Prophetæ suo suggesturum, quia non dicitur tantum, Ego Dominus respondebo ei, ego seduxi prophetam, sed &c. *Ego respondebo* ב propter me, vel pro me, vel in me (quamquam propriè in textu est, *responsebitur ei in me*: נענה לו בי) hinc Resp. 2. Tum sensum loci hujus esse posse, ut emphasis sit in verbo *Respondendi*: quasi dixerit Deus; Non modo non impediam prophetam ne ille respondeat, vel non claudam propterea oraculum meum: sed, si propheta ille respondere tam maligno populo velit, ego faciam ut responsum quodcunque ei suggesserit, & non suggeram nisi quod verum erit; sed ubi hoc evenerit quod suggestum ei fuerit per me, tum vero non multo post sentiet tum propheta tum populus, quod iniquitatem eorum visitaturus sim, & pro eo, quod se mihi gratos esse sibi persuaserint, idcirco quod eos responso meo

meo dignatus fuerim, experientur maximo malo suo se seductos fuisse, & ingratissimos mihi se esse intelligent, quia faciem meam ponam contra eos, &c. Atque hic quidem sensus commodus valde est & Deo dignus. Quod si cui tamen verbum *seducendi*, quod hîc in textu est, prægnantius esse videatur, quam ut isto sensu accipiatur, tum Resp. 3. Sensum loci hujus hunc esse posse: *Ego seduxi* vel seducam *prophetam istum*, id est, vel ego per εἰρωνικὸν orationem, quam ipse pro vera & sincera responsione accepturus est, cum eam εἰρωνικὸν esse facile posset atque ex officio suo deberet intelligere, ei respondebo; quali εἰρωνείᾳ usus fuisse legitur propheta Micha in loco præcedente, 1 *Reg.* XXII. 15. ad Regem Achabum, *Ascende & prospere ages; nam tradet eam* (Ramoth in Gilead scilicet) *Dominus in manum Regis.* vel ambiguo, sive quod ἀμφιβόλως erit, responso decipiam eum, quia videlicet illud, quamquam ex mea intentione contra ipsum faciens, ex ingenio tamen atque animo & affectu suo pro se dictum interpretabitur. quale responsum, quando in pœnam sceleris alicujus datur, Deo non esse illicitum, per se credibile est. Alia vero est ratio oraculorum istorum, quæ Dæmon sive Apollo Gentilium, rei futuræ plane incertus, & nocendi cupidissimus, consulentibus dare solebat, λόξιας idcirco vocatus: Alia istorum quæ Deus, futuræ rei certus, & non nisi vel in bonum vel in malum sive pœnam consulentibns olim dabat. Ista enim fraudulenta; hæc non nisi judicialia aut fere pœnalia tantum erant. Ista immerito & sine ulla caussa dabantur, cum divinæ præscientiæ affectatione; Hæc merentibus & aperto responso suapte propria culpa indignis, ab eo qui alioquin non nisi vera & certa prædicere tum poterat tum solebat. Atque hæc quidem ad loca hæc duo sufficiant.

*Responsio ad locum 6. ex 2 Sam. XXIV. 1. & seqq. & 1 Paral. XXI. 1. & seqq.*

Sextus locus est 2 *Sam.* XXIV. 1. (& 1 *Paral.* XXI. 1. &c.) ubi scriptum legitur, *Et addidit furor Domini irasci contra Israelem; & concitavit Davidem in eos, dicendo, vade numera Israelem & Jehudah.* Numerationem autem hanc fuisse peccatum, agnoscit ipse David, 2 *Sam.* XXIV. 10: *Peccavi graviter in eo, quod feci: Nunc ergo Domine, transfer quæso iniquitatem servi tui, quia stulte egi valde.* Ad peccatum ergo à Deo concitatum fuisse Davidem, ex hoc loco non obscurè colligi videtur.

Resp. 1. Ex textu hoc solide evinci non posse, furorem Domini concitasse Davidem ad numerandum populum, sive furorem Domini caussam efficientem impulsivam fuisse peccati istius, quod commisit David, numerando populum. Nam 1. Etsi verbum illud יסת *& concitavit*, videatur referri ad præcedens אף-יהוה *nasus* sive furor *Domini*; tamen nihil vetat, ut istud dicatur præcedenti subjunctum impersonali modo, persona aut re agente suppressa, phrasi Hebræis scriptoribus familiari: ac si dictum fuisset, Et incitatus est David, à quocunque tandem incitatus sit; sive, & incitavit Davidem, quisquis tandem incitaverit eum. Phrasin autem hanc Scriptoribus Sacris usitatam esse, qua vocis activæ tertia persona, tam præteriti quam futuri, impersonaliter accipitur, agnoscunt Grammatici omnes, & apparet ex variis locis. *Deut.* XXV. 10: *Et vocabunt nomen ejus in Israel, domus discalceati. Jos.* XXI. 9: *Quas vocavit in nomine*, id est, quæ nomine certo aliquo vocatæ fuerunt. *Num.* XIII. 25. *Esa.* IX. 6. ויקרא שמו *& vocabit*, id est, & vocabitur, *nomen ejus.* Item *Gen.* XVI. 14. & XXVII. 36. *Amos* IV. 2. Hebraismum hunc etiam observant Scriptores Novi Test. vide *Matth.* VII. 16. *Luc.* VI. 38. & XII. 20. 48. & XVI. 9. *Joan.* XV. 6 & 1 *Joan.* V. 16.

Hoc sensu verbum יסת hîc acceptum, nullam certam caussam indicat Davidem concitantem ad peccatum hoc. Concitatio enim illa facta esse potuit, vel ab ipsa concupiscentia sive ambitioso corde Davidis, ut Hebræi volunt, quasi dictum esset, Et concitavit Davidem cor sive concupiscentia sua. Sane sic ex Hebræorum mente exponit Vatablus: vel facta esse potuit à Satana, ut disertè exponitur 1 *Paral.* XXI. 1. nisi ibi eandem phrasin locum velimus habere; quod tamen cur velimus, causssa nulla gravis est. A Sathanæ enim suggestione peccatum tale tanquam à prima causssa ortum habuisse, summe verisimiliter ac piè dicitur. Ut à Deo autore, & quidem per furorem, profectum dicatur, per se ἄῤῥητον est; quia de eo Jacobus Apostolus diserte dicit *cap.* I. 13. θεὸς ἀπείραστός ἐστι κακῶν, πειράζει δὲ οὐδένα, quanto ergo minus de eo dici potest, quod concitet & per furorem concitet aliquem ad peccatum, imprimis quando ob peccatum istud deinde irasci, & severiter eum in quo id ipse effecit, punire vult?

Secundò dico, particulam copulativam ו quæ verbo יסת præfixa est, non incommode nec præter morem usitatum, non copulativam aut conjunctivam, sed causssalem esse posse. Hanc enim ex triginta septem significationibus, quas conjunctio copulativa *Vau* habere dicitur, & quas Brunerus in Grammatica sua Hebræa recenset, unam ac valde usitatam esse non est dubium. vide *Esa.* LXIV. 5. uti & conjunctio Græca καὶ non raro pro causali γὰρ accipi solet. Unde deinde sensus elegantissimus, & aucti furoris divini causssam continens, hic fluet; *Et addidit*, id est, auctus est *furor Domini contra Israelem.* Nam Davidem populi jamdudum Deo invisi Principem, cor suum ambitione vanæ gloriæ à Satana inflatum non sinebat quiescere, sed indies magis magisque, ingratiis ac invitis tantum non regni proceribus, incitabat atque exstimulabat ad volendum quod Deo summe displicebat, id est, ad numerari faciendum populum, non ad gloriam Dei & promissorum divinorum fidelitatem prædicandum, sed ad amplissimi Imperii sui vanam ostentationem: quæ simul diffidentiam ejus videbatur testari: quasi Deus qui innumerabilem populum suum futurum promiserat, promisso suo non stetisset, sed numerabilem eum fecisset 1 *Paral.* XXVII. 23. 24. Nihil ergo hic locus contra nos facit.

*Responsio ad locum 7. ex 2 Sam. XVI. 10. 11. 12.*

Septimus locus est, 2 *Sam.* XVI. 10. 11. 12. ubi David Deo bis *vers.* 10. & 11. tribuit, quod dixerit Simei, ut malediceret ei, & quidem verbis disertis, *Maledic Davidi.* Quin autem maledictum hoc Simei peccatum fuerit, contra apertam legem divinam, *Exod.* XXII. 28. *Act.* XXIII. 5. dubitari non potest.

Resp. Textus hic κατὰ τὸ ῥητὸν accipi non potest, quin vel Deus non tantum author, sed & jussor sceleris hujus statuatur; vel maledictio hæc à Simei facta, scelus fuisse negetur aut crimen pœna dignum. Aut enim verbum אמר quo hîc David usus dicitur, propriè accipietur, pro eo quod est, præcipere, jubere, mandare; aut impropriè pro eo quod est, impellere, concitare, efficere, quatenus dicere Dei, est facere: & hoc, *dicere*, ab ipso Davide exponi videtur per *facere, vers.* 10: *Dominus dixit ei, Maledic Davidi; & quis dicet, cur feceris sic?* Utrocunque modo accipiatur, res plana est. Si אמר significat *Præcepit*, tum sane Deus propriè fuerit jussor & mandator sceleris istius; quod absurdum palpabile est; Et quia jussor seu mandator facti istius, id est, maledictionis, tum factum istud Simei, scelus aut peccatum non fuerit, non magis certè, quam mactatio filii, quam Abrahamus apud se constituerat facere, scelus aut particidium fuisset, quia à Deo jussa ac mandata ei fuerat. Præcepto obedire non est scelus, sed virtus; non inobedientia, sed obedientia. Si vero verbum אמר dicatur significare idem quod, Deus etsi non proprie præcepit Simei maledicere, arcana tamen vi ac motione præcipientis instar operatus est, seu effecit in Simei ut malediceret; tum sane Deus non minus author fuerit maledictionis istius facto suo, quam si jussisset, seu jussor ex præcepto suo fuisset; & maledictio non fuerit actus sive effectus proprie Simei, sed Dei, tanquam causssæ primæ ac principalis. Instrumento enim proprie actio non competit: Instrumentum enim non agit nisi in virtute causssæ principalis, ac proinde maledictio Simei non fuerit peccatum, nedum crimen læsæ Majestatis extrema pœna dignum. Atqui maledictionem hanc peccatum & scelus fuisse objectio præsupponit, ex sententia divinæ legis; & David ipse facto suo confirmavit, quando Solomoni filio suo seriò mandavit, propter istud scelus in Simei, sed cum prudentia, animadvertere: 1 *Reg.* II. 9. ita ut eum innocentem non dimitteret, sed canos ejus cum sanguine in sepulchrum deduci curaret pro sapientia sua. אמר itaque hîc non significat, *præcepit* proprie, aut occulte & irresistibiliter effecit. quod non leviter etiam inde confirmatur, quia alioquin dicendum esset, Davidi alterutrum aut utrumque speciali revelatione à Deo patefactum fuisse: unde enim alioquin Davidi id constare potuisset? Nec ex ipso Simei ore, nec ex facto ejus, quia factum erat divinæ voluntati directè contrarium. Quid autem vero minus est simile, quam Deum ista revelatione dignari voluisse Davidem, quando eum severiter isto facto punitum volebat? aut post revelationem istam Davidi factam, Davidem nihilominus postea in Simei animadverti voluisse? Saltem ut id Davidi revelatum credatur, nulla in textu ratio est.

Quare alia omnino interpretatione loci hujus opus esse, per se liquet. Ea autem duplex dari mihi posse videtur. Prima est, ut verbum אמר hîc significet non immediatum instinctum aut jussum divinum, sed mediatum per rumorem specialem & certum nuncium ad aures Simei, Deo ita dirigente delatum, quo dicebatur ac nunciabatur ei, jam tempus esse, nec oportunius dari posse, ut, quam contra Davidem animo conceperat, & magna cum ægritudine apud se continuerat ac presserat malevolentiam ac bilem, eam evomeret atque exoneraret per convitia & maledicta; Impune id jam fieri posse, & cum summo doloris, quem inde percepturus esset David, sensu. Res enim ejus nunc in angusto esse, & regni ac potentiæ ejus totam summam in extrema regula stare, ut ab eo vindice metuendum nihil imposterum sit. *Dixit* ergo tantundem est, ac dici curavit Deus

Simei, non ut vellet maledicere (voluntas enim maledicendi plena ac perfecta jam erat in Simei;) sed tantum, ut quod volebat & valde volebat, jam expectoraret, & voluisse ac velle se toto animo, Davidi testatum faceret; nempe ut flagello isto se puniri sentiret David, intimeque doleret. Sensus ergo orationis Davidis est hic: video hoc, quod nunc agitur, divino consilio & directione fieri: nempe, Deus hunc centurionem, jampridem mihi infensum & regiæ familiæ meæ, per rumorem excivit, ut intelligeret ac protinus resciscceret calamitosum hunc statum meum, indeque occasionem arriperet in me exspuendi bilem omnem suam, quam hactenus celavit intra se, & concoquere non potuit: non aliter quam si ei dixisset, Maledic Davidi, id est, ostende nunc, quam virulentum erga eum animum gesseris hactenus, & quam male adhuc ei velis, quam grata tibi sit hæc ejus calamitas fac ut videat & sentiat David, per omnia contemtus & vilipendii signa, per probra ac convitia; id est, evomendo totam crudam bilem istam, quæ hactenus in te latuit & per vim repressa fuit ne erumperet. Hoc sensu nulla hîc Deo tribuitur efficientia peccati qua talis, sed tantum procuratio sive directio, ut quod jam animo conceptum erat peccatum, & ægerrime intra animum continebatur, palam fieret & erumperet, nullo alio fine, quam ut cederet in noxam & pænam Davidis; quod Deo licere quis neget? Quod si cui tamen hic sensus durior paulum, & ad difficultatem objectionis prorsus exhauriendam non sufficere videbitur; dico *Secundò*: Verbum אמר sic exponi posse, ut significet, Deus tam luculentam occasionem ad maledicendum maledico & ad maledicendum prono Simei obtulit, non aliter quam si dixisset ei, En virum istum ante oculos tuos, cui hactenus maledicere voluisti quidem, sed impune non potuisti. Si stat tibi adhuc animus iste, age maledic illi? quid enim tibi obstare aut obesse potest? Nihil. Hoc sensu, qui commodus & familiaris usitatusque in vulgo est, accepta Davidis oratio, Deum plane liberat ab omni peccati efficientia, Simei reum peccati & pœnæ constituit; ac proinde ejus punitionem, à Davide Solomoni demandatam, justissimam fuisse arguit. Hactenus ergo respondimus ad loca S. Scripturæ primæ classis.

## CAPUT XIII.

### Responsio ad loca secundæ classis, in quibus Deus homines excæcare dicitur.

SEquuntur secundæ classis loca, in quibus Deo tribuuntur actiones, quæ vel peccati effectrices sunt, vel quas peccatum omnino consequi necesse est. Inter eas prima est Actio *excæcandi*, ad quam non sufficit, ut quis non videat vel non credat, sed requiritur insuper, ut non possit moraliter videre nec credere. Cæci enim sunt, non qui non vident, sed qui non possunt videre. Cæcitas autem ista non tantum est simplex carentia luminis; sed affectus pravus, quo quis illustrationes divinas repellit, vel impedimentum ponit, quominus à Deo illuminetur. Qui ergo cæcitatis istius causa est, is etiam peccati causa est.

Resp. 1. Actiones omnes, de quibus hîc quæritur, actiones puta *excæcandi*, *indurandi*, *in reprobum sensum dandi*, &c. præsuppono pæne synonymas esse, sive in idem plane recidere, quamquam formali quadam ratione distingui possent. Itaque responsione solida ad unam, ad cæteras omnes responsum videri potest. 2. Per actiones *excæcandi*, *indurandi*, &c. intelligo hîc actiones tales, ad quas cæcitas, quæ & quà peccatum est, consequitur. De eo enim quæritur, An ex actionibus his divinis concludi possit, Deum peccati causam efficientem ac non tantum permittentem esse. Ab his itaque separari debent actiones *excæcandi*, *indurandi*, &c. quatenus sunt actiones dominii aut judicii etiam divini, sed non tales, ut cæcitas aut durities quæ ab istis est, peccatum sit; sed actus tantum, cujus occasione fit, ut vel subita, vel mala etiam miseraque, sed ante tamen promerita morte pereant, quos perire Deus vult, prout in sequentibus videbitur.

*Quid per excæcationem intelligatur.*

His positis, nego *Excæcationem*, quando Deo tribuitur, sive ex parte Dei, esse actionem talem divinam, quæ vel positivè vel negativè peccati, id est, voluntariæ cæcitatis, sive pravi affectus ad impediendum aut repellendum omnes divinas revelationes, causa sit. Positive dico, id est, immediatè vel irresistibiliter efficiendo cæcitatem & pravitatem istam, aut lumen prorsus extinguendo, unde errorem & pravitatem consequi necesse est: Negativè, id est, sic deserendo & permittendo hominem sibi, ut is non possit non invincibiliter in voluntariam cæcitatem incidere, & à recta via aberrare dedita opera velle. Sed dico excæcationem esse tantum actionem, ut ita loquar, occasionalem, qua posita, valde quidem verosimile est, hominem cæci instar erraturum, & errare voliturum; sic tamen, ut eum errare non modo prorsus non sit necesse, sed ut ab ipsa etiam actione, qua excæcari dicitur, causam non errandi habere possit, ac nisi prorsus malus sit, id est, nisi dedita opera errare velit, vel impense nimis errorem suum amet, aut non erraturus, aut errorem deserturus vel depositurus sit. Cæcitas itaque, quæ per excæcationem divinam fieri dicitur, non est, meo judicio, aut propriè dictus effectus excæcationis, nedum effectus prorsus similis effectui, qui per excæcationem oculi in corpore fit, qua lumen totum oculi extinguitur, & vis sive facultas videndi omnis tollitur: aut prorsus necessarium illius consequens (hoc enim eôdem cum primo redit;) sed eventus tantum, isque non præcisè à Deo intentus, nec actionem divinam per se consequens, sed per accidens tantum; vitio scilicet ejus, circa quem actio ista versatur; quatenus videlicet is ea, pro sua improbitate, aut abutitur, aut non utitur sic prout posset ac deberet uti, atque ita cæci instar magis magisque in devia abripitur, & in errore ac malitia sua confirmatur. Cæcitas itaque hæc, quia prorsus voluntaria est, & à libera hominis voluntate oritur, peccatum sine dubio est. Excæcatio autem, quia per se cæcitatis istius causa non est, non nisi propter eventum istum, & quatenus circa talem, in quo verosimile est eventum istum exstiturum, adhibetur, actio pœnalis est. Hoc fundamento nixus respondeo ad loca allegata.

*Responsio ad primum locum, ex Esa. VI. 9. citatur Matthæi XIII. 14. Marci IV. 12. Luc. VIII. 10. Joan. XII. 40. Actor. XXVIII. 26. Roman. XI. 8.*

Primus locus est desumtus ex *Esa.* VI. 8. 9. 10. *Et audivi vocem Domini dicentis, Quem mittam, & quis ibit nobis? Tunc dixi, Ecce ego, mitte me. Et dixit, vade & dicas populo huic, Audite audiendo, & ne intelligatis, & videte videndo, & ne cognoscatis. Impingua cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude, ne forte videat oculis suis & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & convertatur, & sanem eos.* Hic locus citatur fere uti sonat, *Matth.* XIII. 14. *Mar.* IV. 12. *Luc.* VIII. 10. *Joan.* XII. 40. *Act.* XXVIII. 26. *Rom.* XI. 8. Resp. Ex hoc loco non obscure apparet, verum esse id quod dixi; Excæcationem hoc loco non significare actionem aliquam divinam, quæ vel positivè vel negativè sit efficiens causa peccati, sed quæ occasionalis tantum, ut ita loquar, causa sit. Quia excæcationem hanc facere jubetur Esaias propheta, & quidem per prædicationem suam; quæ non modo non poterat per se esse causa efficiens, sive medium aut instrumentum excæcationis divinæ, sed per se erat medium ad cæcitatem vel impediendum vel tollendum; per accidens vero tantum serviens ad cæcitatem vel efficiendum vel augendum in iis, qui jam voluntaria cæcitate laborabant, & ab ea liberari se nolle factis suis demonstrabant. Excæcatio itaque hæc non ut effectus divinæ actionis, nec ut actionem divinam per se aut necessario consequens, sed ad summum ut eventus tantum, per accidens & præter divinæ actionis indolem aut naturam exstiturus, consideranda est. *Ad summum* dico; quia verba istum sensum etiam ferunt, ut non significent eventum certo exstiturum, sed qui verosimiliter extiturus erat, aut quamquam exstiturus esset; quasi dixisset Deus: vade & prædica, etiamsi istud ingenium populi esse video, ut per prædicationem istam non in melius redituras, sed in pejus degeneraturus, & cæcior futurus sit. Quicquid futurum sit, fac quod facere te jubeo. Si nolint te audire, cæciores fiant & duriores, idque sibi ipsis imputent.

*Triplex hujus loci sensus.*

Sed vero, ut locum hunc contra nos nihil facere, aut saltem ex eo nihil solidi contra nos demonstrativè adferri posse ostendamus, triplicem dicimus hujus loci sententiam dari posse: *Primò*, ut verba hæc, quamvis imperativo modo enunciata, non contineant imperium aut mandatum proprie dictum. Esaias enim excæcare populum non poterat, nec ut excæcatio per prædicationem ejus, tanquam per causam aut medium sive instrumentum ad excæcationem efficiendam per se comparatum, fieret, possibile erat. Ad contrarium enim, id est, ad excæcationem populi impediendum, aut ad cæcitatem ejus tollendum, prædicatio Esaiæ per se idonea & apta erat, sicut lux ad illuminandum non ad obscurandum. Sed ut contineant prædictionem excæcationis, per accidens quidem, sed tamen secundum divinam præscientiam Esaiæ prædicationem certò secuturæ: ac si legeretur, vade & prædica populo quod tibi impero, etiamsi certo scio populum per eam non modo non in melius commutatum iri, quamquam per eam in melius commutari & poterat ac debebat; sed per eam in pejus adhuc degeneraturum, & ex ea occasionem captaturum, qua magis magisque in cæcitate & rebellione sua confirmetur. Est enim populus rebellis & cedere nescius. Hoc sensu novi Bibliorum interpretes Dordraceni hunc locum in suis Annotationibus videntur accipere; videntur, inquam, accipere;

*Primus.*

Nam

Nam revera longe aliter accipiunt; quia poſtquam ſententiam ſuam dixerunt, ſubjiciunt rationem, qua explicationem ſuam totam enervant; hanc ſcilicet, *Om dat Godt dat volck deur ſijn rechtveerdigh oordeel in een verkeerden ſin overgeven ſoude.* Hiſce enim verbis ſignificant, prædictionem divinam niti actione tali (ſive poſitiva ſive negativa) Dei, qua poſita, populum excæcari plane neceſſe erat. Quare prædictio hæc ſic accipienda omnino eſt, ſi prædictionem verbis his contineri velimus, ut non ſit prædictio excæcationis, tanquam effectus ſive conſequentis neceſſario extituri, ſed tanquam eventus certo tantum extituri: quamquam fieri poterat ut eventus ille non conſequeretur; adeoque ut non conſequeretur juſtiſſima ratio erat. Aliud enim eſt certo aliquid prædici poſita hypotheſi, aliud neceſſario futurum quod prædicitur. Excæcatio itaque hæc non ſignificat excæcationem proprie dictam, nedum primam excæcationem, qua populo nondum cæco, ſed ſpirituali adhuc lumine & cognitione prædito, cæcitas (ut ita dicam) inditur, infligitur, aut cognoſcendi omnis facultas adimitur. Contra enim erat. Cæcus jam erat aliquomodo populus, & Deo ſuo valde rebellis. Sed ſignificat cæcitatis aggravationem, & populi cæcitate jam voluntaria laborantis, in cæcitate iſta voluntaria confirmationem. Cæcitas enim ſpiritualis non eodem modo ſe habet, quo cæcitas corporalis. Hæc in inſtanti fit, & totius facultatis videndi privationem notat; Iſta per gradus fit, & incrementa ſua habet, ſalva manente potentia aut facultate cognoſcendi, quæ naturaliter ſemper homini ineſt, & homini, qua homo eſt, propria eſt. Unde prædictionem hanc, licet certiſſimam, optime Deo tribui poſſe manifeſtum eſt, ut nulla tamen Deo tribuatur efficientia proprie dicta, per quam aut cæcitas hæc voluntaria populo primum indita, aut, quæ jam inerat, aucta fuerit, nedum ſic vel indita, vel aucta fuerit, ut non potuerit non indi atque augeri.

*Secundò.* *Secundò* verba hæc ſic accipi poſſunt, ut non tam prædictionem eventus certo conſecuturi contineant, quam ſuſpenſam aliquomodo enunciationem, ejus quod accidere poterat, & veroſimiliter eventurum erat, inſpecto ingenio perverſo & animo populi pravo: quaſi legeretur, vade, & quod jubeo fac, prædica & commonefacito populum officii ſui, nec ceſſa nec deſine id facere, ut ut, vel, etiamſi inde futuri ſint aut futuri eſſent cæciores ac deteriores, pro ingenio animoque ſuo perverſo, & contra ſtimulum ſemper calcitrante. Certe hujuſmodi orationes familiariſſimæ ſunt, in omni populo: ut, cum per interceſſores ad pœnitentiam revocare volumus rebelles aliquos; & interceſſores iſti exceptione utantur hac, Fruſtra erimus, & oleum atque operam perdemus apud iſtos refractarios, quin & exacerbabimus eos, atque ita non fruſtra tantum erimus, ſed & oleum, quod dicitur, igni addemus; ut, inquam, tum in eandem ſententiam loqui ſoleamus: Eſto. Ite tamen & facite quod fieri æquum eſt: ut ut fortaſſe non modo oleum & operam omnem perdituri, ſed & oleum igni addituri ſitis. Ægre ferant interceſſionem veſtram cæciores: quin & duriores ſilice fiant. Suo periculo excæcentur, indurentur, & juſtiſſimæ graviſſimæque ultionis reos ſe faciant. Vos feceritis quod veſtrum erat. Quod ipſi ſibi intriverint malum, iſtud comedent. Hoc ſenſu cur non etiam hæc oratio à Deo facta, & Eſaiæ dicta videri poſſit, cauſſam nullam video.

*Tertiò.* *Tertiò*, Verba hæc ſic accipi poſſunt, ut verba iſta imperativa, *impingua, aggrava, claude*, &c. ad Eſaiam relata, non ſignificent actionem ipſam impinguandi, aggravandi, claudendi, quæ Eſaiæ impoſſibilis erat; ſed declarationem, commonefactionem, & obteſtationem de impinguato, aggravato & clauſo populi corde, ad divinas omnes hortationes, promiſſiones & comminationes. quaſi legeretur; Teſtare, vociferare, clama, & redargue populum, quod cæcus ſit, & cæcus dedita opera manere velit, atque ita certum exitium in caput ſuum ſit accerſiturus. Iſtam tuam ſeriam & aſſiduam increpationem & obteſtationem, ſi arripiant in occaſionem novæ & majoris rebellionis, quid aliud tum feceris, quam quod eos bene agendo impinguaveris, & cæciores ac ſurdiores reddideris? ut ſic quia ſanandi & ad meliorem mentem reducendi eos ſpes nulla amplius appareret, tanquam vinctos ligatoſque propriis ſuis compedibus, merito, & quod jamdiu atque identidem iis comminatus ſum, ſupplicio afficiam: de quo *verſ.* 11. 12. agitur. Certe in hunc ſenſum Deus Jeremiæ Prophetæ ſuo locutus dicitur, *Jerem.* I. 9. 10. *Dixit Dominus ad me: Ecce ego poſui verba mea in os tuum. Vide, conſtitui te ſuper Gentes, & ſuper regna, ut evellas, ut diruas, ut diſperdas & demoliaris; ut ædifices & plantes*; id eſt, ut prædices & denuncies meo nomine ac juſſu gentibus & regibus, futurum tam certo, ſi non reſipiſcant, ut funditus diruantur, evellantur, & exſcindantur; & contra, ſi reſipiſcant & convertantur, futurum tam certo, ut ædificentur & plantentur; quam ſi ego per te eos tota vi mea aut exſciderem, aut plantarem & erigerem; uti videre eſt *Jeremiæ cap.* XVIII. 7. 8. 9. 10, &c. *Repente loquar adverſus Gentem aliquam, & adverſus regnum*, &c. vide ſis etiam *cap.* XLV. 4. 5. & XLII. 10. Certe hoc ſenſu verba hæc Eſaiæ expoſuit Paulus *Act.* XXVIII. 25. 26. 27.

Quæ cui trium harum expoſitio præferenda, ſit, cujuſque eſto arbitrium. Unum tantum tribus expoſitionibus opponi poſſe videtur, quod in textu dicatur, *Ne forte videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & convertatur, & ſanem eos.* כּן enim in Hebræo eſt, in Græco, μήποτε, aut ἵνα μή. Ex eo ſiquidem inferri poſſe videtur, finem Dei fuiſſe, ne populus audiret & ſimul intelligeret, atque ita porro converteretur, & à Deo veniam conſequeretur delictorum ſuorum. Finis autem intentio, neceſſario ſecum involvit medii ad finem neceſſarii procurationem: Procuratio autem medii, efficientiam connotat ejus quod medii iſtius effectum eſt. Effectum autem eſt cæcitas, quæ & qua peccatum eſt. Ergo.

*Reſponſio ad ſecundum locum, ex Joan. XII. 39. 40.*

Antequam ad hanc objectionem reſpondeo, operæpretium eſt, ut prius examinemus locum ſecundum, qui eſt *Joan.* XII. 39. 40: *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Eſaias; Excæcavit oculos eorum, & obduravit corda eorum, ne, ἵνα μὴ* (μήποτε habet Paulus *Act.* XXVIII. 24. & Chriſtus *Matth.* XIII. 14.) *videant oculis, & intelligant corde, & ſeſe convertant, & ſanem eos.*

Ad hunc locum quod attinet, non dicitur in eo, quod Deus excæcaverit oculos eorum, nec, ut id dictum credatur à Jeſu Chriſto, vel à Joanne Apoſtolo, poſſibile eſt; quia hîc dicitur ab Eſaia dictum fuiſſe, id quod hîc refertur. Atqui apud Eſaiam non legitur, Deum excæcaſſe oculos Judæorum ſui temporis, ſed tantum Deum mandaſſe Eſaiæ, ut ipſe eos excæcaret. Sed vero Deus per Eſaiam excæcare populum proprie non poterat; Nec Eſaias excæcaſſe populum proprie dici poteſt; nec ut vel Deus vel Eſaias populum jam cæcum excæcaret neceſſe erat. Quare verbum, *excæcavit*, quo hîc Chriſtus vel potius Joannes Apoſtolus utitur, etiamſi activum ſit, paſſive vel imperſonaliter accipiendum eſt, more, ut paulo ante diximus, Hebræis & Græcis Scriptoribus familiari; ac ſi legeretur, Excæcati enim erant oculi eorum, ſive excæcavit eos quiſquis excæcavit. quod ad Satanam, aut ad ipſos Judæos, propria ſua voluntate ſe excæcantes, cur non referatur, nulla juſta cauſſa eſt; nec à quoquam, quod ſcio, ulla ad contrarium probandum ratio allegatur.

Verum enimvero, quia in hac re cardo controverſiæ ſitus eſt, dico amplius, rationes eſſe graviſſimas, cur locus iſte ſic exponi debeat. Prima eſt; Quia Jeſus Chriſtus ipſe & Paulus Apoſtolus locum Eſaiæ in iſtam ſententiam allegant. Chriſtus, *Matth.* XIII. *verſ.* 13. 14. 15: *Propterea loquor in per parabolas, ut videntes non videant, & audientes non audiant. Propterea impletur in iis Prophetia Eſaiæ, dicentis; Audiendo audietis, & non intelligetis, & videndo videbitis, & non videbitis. Quia craſſum factum* (id eſt ut Eſaias loquitur *impinguatum*) *eſt cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculis ſuis connixerunt, ne quando* (μήποτε eſt in Græco textu,) *cernant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant*, &c. Paulus *Act.* XXVIII. 25. 26: *Recte ſane Spiritus S. locutus eſt per Eſaiam prophetam Patribus noſtris, dicens; vade ad populum iſtum, & dic, Auditu audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non cernetis. Craſſum enim factum eſt cor populi hujus*, &c. In hiſce duobus locis, id, quod apud Joannem activè dicitur, *excæcavit*, ut paſſive ſive imperſonaliter dictum allegatur, *Incraſſatum* ſive *excæcatum* eſt cor populi: & quidem ſenſu tali, qui non obſcure arguit, incraſſationem vel excæcationem iſtam cordis, non à Deo ſed ab ipſo populo rebelli profectam eſſe; quia 1. non tantum dicitur ἐπαχύνθη ſive *incraſſatum eſt cor populi hujus*, ſed & additur, *auribus βαρέως, graviter audierunt*: quo ipſo indicatur ingens animi voluntatiſque populi ab audiendo & credendo verbo averſio, ut veluti pinguedine obſitam & obductam mentem haberent ſuapte propria culpa, atque ita ad intelligendum & faciendum Dei juſſa inidoneos ſe reddidiſſent, juxta illud, παχεῖα γαστὴρ λαπτὸν ὑ πάχει νόον. unde etiam ſequebatur, ut ne auribus quidem niſi moleſtè admodum, adeoque non niſi cum exacerbatione, iſtud admittere vellent: juxta illud, Pinguis venter, non vult audire libenter. Idem etiam indicatur, quando dicitur, *& oculis ſuis connixerunt*; nempe, nolentes veluti lippi jam adſpicere aut ferre lumen verbi, quod ante oculos proponebatur. Voluntaria itaque & malitioſa populi excæcatio ſive incraſſatio hic indicatur. 2. quia incraſſatio hæc facta dicitur, non modo ad ſimilitudinem incraſſationis iſtius, de qua ſuo tempore locutus fuerat Eſaias; ſed ſic etiam, ut impleta hic dicatur, id eſt pleniſſimo

modo verificata prophetia Esaiæ; quasi videlicet quæ perfectius pleniusque quadrabat in istos, de quibus Christus & Paulus loquuntur, quam in eos qui tempore Esaiæ vixerant. Atqui incrassatio cordis de qua agitur *Matth.* XIII. & *Actor.* XXVIII. non obscure allegatur tanquam voluntaria culpa, per quam Judæi se ineptos & impotentes ad credendum Euangelio reddebant. Idem ergo cur non dicatur apud Esaiam locum habere? Certe excæcasse populum sui temporis Esaias non potuisset, prædicando Dei verbum, nisi populus jam ante depravatus adeo fuisset, ut verosimile non esset, eum aures & animum præbiturum prædicationi Esaiæ, atque ita excæcatum potius quam illuminatum iri. Crassities itaque cordis, quæ in populo erat, à voluntate ipsa populi profecta, caussa proprie erat, cur Esaiam prædicantem aversaturi ac contemturi, atque ita magis magisque indurandi essent. Ea enim caussa, si locum habuit in impleta Esaiæ prophetia temporibus Christi & Pauli; cur non habuerit locum in ipsa prophetia Esaiæ temporibus facta, quæ hujus quasi rudimentum aut adumbratio fuit? Cui adde, quod cæcitas sive durities populo Judaico in duobus istis locis tribuatur, non quæ per prædicationem Christi aut Pauli efficienda erat, sed quæ jam populo inerat, & caussa erat ut prædicationem eorum non admitteret, sed præfracte respueret, adeoque cæci & surdi instar ad eam se componeret. In loco *Act.* XXVIII. 25. 26. id per se clarum & manifestum est. In loco Matthæi similiter; Quia in eo dicit Christus, *Idcirco per parabolas loquor iis, quia videntes*, id est, quæ clare ob oculos sibi proponi à me viderunt, *non vident*, id est, videre nolunt; & *audientes*, id est, quæ clarè à me dicta audire, intelligere & in animum suum admittere potuerunt ac debuerunt, tanquam si dicta non fuissent, surda, quod dicitur, aure præterierunt, pro malitia ac duritie cordis sui iveterata. Dices: At in loco Matthæi dicitur, Christum *idcirco per parabolas eis locutum fuisse, quia videntes non vident*, &c. Resp. Ita est. Sed non dicitur Christum id idcirco fecisse, ut excæcarentur per istas parabolas; sed quia jam adeo cæci aut excæcati à se ipsis erant, ut ad clarissima oculos animumque ne advertere quidem vellent, ac proinde indigni erant quibus Religio Christi aliter quam per parabolas proponeretur. Atqui, inquies, Additur statim, *Idcirco impletur in iis prophetia Esaiæ*. Resp. vox *idcirco* non est in textu, sed ὅτι tantum. Esto, inquies. At *Marc.* IV. 12. & *Luc.* VIII. 10. dicitur; Christum per parabolas locutum, *ut videntes non videant*, &c. Resp. Ita est. sed ista locutione, *ut videntes non videant*, &c. nego notari finem à Jesu Christo intentum, sed dico denotari eventum tantum per accidens sequuturum ad istam parabolarum propositionem; ut sensus sit; unde futurum est, vel verosimiliter fiet, ut ipsi sibi, qua sunt malitia, omnem aditum præclusuri sint ad ea, quæ per se clara ac salutaria sunt, quæque iis sæpius proposita fuerunt citra parabolas, percipiendum, vel percipere volendum. Neque vero quidquam est quod huic expositioni repugnet. Particulas enim ἵνα μὴ & μήποτε non raro sic accipi in Sacris nemo negat. Sed & rationes sunt, cur expositio ista alteri præferenda esse videatur. 1. Quia Christus ipse in loco Matthæi eam probat, quando dicit, *idcirco per parabolas in loquor, quia videntes non vident*. & Paulus similiter *Act.* XXVIII. Dices: At aliud est, *Quia non vident*; aliud, *ne videant*. Resp. Imo vero, quia illud hujus caussa fere est, hinc est quod hoc solum, tanquam istud includens, enunciari soleat: quasi legeretur, Idcirco loquor per parabolas, quia indignos se reddunt, ut clare ipsis mysteria regni cælorum pandam atque aperiam. unde quid aliud exspectari potest, quam ut videntes non videant, &c. Evinci id omnino videtur ex eo, quod parabolarum propositio medium excæcandi per se esse non poterat. Quid enim obstare poterat, ut parabolas audientes, & parabolicum sensum non adsequentes, ab ipso Christo eum sibi aperiri ac declarari non potuissent petere, (uti discipuli cæteri id petiisse dicuntur) & sic sensum istum percipere? Certe nisi cæci jam fuissent, & cæcitatem ipsi suam vehementer nimium amassent, cum cæteris discipulis & petiissent & percepissent sensum parabolarum genuinum ac proprium. ut jam non dicam, eos non raro & percepisse & sensisse quæ per parabolas dicebantur, uti videre est *Matth.* XXI. 45: *Et quum audissent primarii Sacerdotes ac Pharisæi parabolas ejus, cognoverunt eas de se* vel in se *dici*. Esto, inquies. At, qui talibus qua talibus parabolas proponit, is intendit eos excæcare per istam parabolarum propositionem. Resp. Nequaquam id sequitur. Quia cæcitas & durities illa, quæ in talibus est, non est cæcitas nec durities plane invincibilis, sed talis cum qua consistere potest potentia, non ad actu videndum & volendum quæ recta sunt, sed ad implorandum auxilium & gratiam, qua à cæcitate & duritie sua ut recta videant liberentur; quamquam id raro fit & experientia fere contrarium ubique demonstrat. Atque inde arbitror nasci locutiones istas, tanquam si perpetuo & per se veræ essent, quæ non eventus tantum prædictionem, sed & agentis finem sive intentionem videntur continere, qualis hæc est, *ut videntes non videant*, &c. quia videlicet ut plurimum ita, ac non nisi rarissime aliter fieri solet, hinc sic enunciantur ac si eventus iste destinato intentus fuisset. Hinc colligo, Cum hæc excæcatio similem ad modum facta dicatur, quo excæcatio per Esaiam facta fuerat; excæcationem ergo de qua Esaias agit, notare, non excæcationem tanquam finem à Deo intentum, sed tanquam eventum per accidens, verum tamen admodum verosimiliter extiturum, in subjectis ad voluntariam suam cæcitatem & malitiam aut firmandum, aut augendum plane dispositis ac comparatis. Ex quo facile videre est, objectionem ante à nobis factam ex particula hebræa פֶּן (& Græcis ἵνα μὴ vel μήποτε:) *Ne forte videant*, de nihilo esse. Quia cum particula ista subjungatur non divinæ, sed ipsius hominis propriæ & voluntariæ excæcationi, fieri non potest ut finem, sed necesse est ut eventum notet apud Euangelistam Joannem; quasi legeretur, Idcirco non poterant credere, quia vel nam, (ἐτύφλωσεν hic esse per se manifestum est; alioquin enim quæ connexio est in oratione hac, Idcirco non poterant credere, quia vel nam Esaias iterum dixerit? Nulla prorsus. ἐτύφλωσεν autem hæc est:) Quia in illis locum habet, quod locum habebat in populo isto, ad quem ad resipiscentiam adducendum à Deo Esaias missus fuerat. Excæcavit illos, id est isti jam excæcati sunt, sive cæcitate & surditate voluntaria laborant, utpote qui sibi ipsis oculos, aures, cor & voluntatem totam audiendi & discendi clauserunt, פֶּן ἵνα μὴ, μήποτε, non eo fine; nugæ; sed eo usque, ut ad omnia clarissima Christi monita advertere animum nolint; quin & digni sint, quibus clarissima non nisi sub verborum involucris occultata proponantur; unde futurum verosimiliter est, ut nunquam in rectam viam redire aut resipiscere, atque ita, uti Marcus exponit verbum ἰάσωμαι, veniam aut remissionem peccatorum suorum à me consequantur. *cap.* IV. 12.

Eadem est ratio loci *ad Rom.* XI. 9. 10. ubi Paulus, præter locum quem ex Esaia adduxerat, de quo agemus in sequentibus, citat etiam locum ex *Psal. Davidis* LXIX. 23. 24. in hæc verba; *Fiat mensa eorum in laqueum, in tendiculam, & offendiculum & talionem ipsis. Obtenebrentur oculi eorum, ut non cernant, & tergum eorum semper incurva*, &c. Nam posito in isto loco agi de obtenebratione oculorum spirituali, de qua hîc inter nos agitur, & Apostolum voluisse locum hunc citare ad ostendendum, nihil se dicere quod novum aut mirum admodum videri debeat, quasi quod populo Israelitico nunquam antea evenerat; nihil certe vetat verba ista sic accipere, ut significent non actionem aliquam divinam, quæ πώρωσιν sive indurationis primæ aut novæ efficiens caussa sit, sed ipsam tantum πώρωσιν continuatam; quasi dixisset Paulus; Quia ita volunt, eveniat ipsis quod volunt & cupiunt. Jam pridem obstinarunt animum contra te & Filium tuum Jesum, nihil pensi habent, quicquid eis ad persuadendum Religionem & fidem Filii tui proponitur, id omne adeo præfracte respuunt ac si callo obductum esset cor eorum. Obtenebrarunt oculos suos & obtenebrati manere volunt. Obtenebrentur quia ita volunt, & lucem justitiæ non consequantur; quo damno majus aut gravius incurrere non possunt. Atque hanc quidem mentem suam Apostolus comprehensam voluit sub istis Davidis, quæ citat, verbis; non quod David in Psalmo isto idem illud futurum prædixerat, sed quod id, quod hîc fiebat, simile quid esset isti, quod David de sui temporis popularibus dixerat: &, quamquam verba Davidis literali sensu accepta, non videntur agere de excæcatione spirituali, sed de calamitate & miseria corporali, quæ tenebrarum & obtenebrationis vocibus exprimi solet, & discrete inter comminationes divinæ Legis, *Deut.* XXVIII. 29. reperitur, quæque (id est, non aliter quam si) tempori & statui populi Israelitici accommodata erat; tamen spiritualem istum sensum, quem Paulus hîc indicat, iis contineri & quasi adumbrari, nihil vetat. Sensus Davidis est; Læta, fausta, & opipara sibi à te ô Deus, præparata fercula beneficiorum tuorum respuunt ac fastidiunt: eveniant ergo iis talionis jure contraria omnia, amara, tristia, non aliter quam si mensa eorum lauta, in laqueum, tendiculam & offendiculum ipsis fieret: omnia ad sanitatem & voluptatem ei imposita edulia & pocula, ipsis cederent in morbos, & morborum omnium nutrimentum. Sensus autem Pauli est, Quia non volunt ab erroribus & peccatis suis liberari, maneant erroribus & peccatis suis, veluti laqueis & decipulis, involuti atque inclusi. Invitos qui servat idem facit occidenti.

*Expositio locs ad Roman. XI. 9. 10. & Psal. LXIX. 23. 24.*

Dices: Atqui optatio vel imprecatio est in Davidis verbis, eaque ad Deum directa, quia in fine dicitur, *Et dorsum*

*eorum*

*eorum incurva* (ô Deus ſcilicet) &c. Reſp. Optatio ſive imprecatio hæc Davidis optationibus propheticis omnibus ſimilis eſt, quæ potius continent ejus, quod futurum eſt, aut fieri ſolet, ſive prædictionem, ſive enunciationem, quam proprie dictam εὐχὴν ſive optationem. Sed vero, ut ut id eſt, Apoſtolus verba hæc non ut optativa allegat, ſed ut talia dumtaxat, ex quibus apparet, nihil nunc novi, ſed idem hoc tempore accidere, quod olim accidiſſe, vel eventurum optando prædixerat de ſui temporis perverſis Iſraelitis David: uti ex ſcopo Pauli apparet. Accidere autem dicere vult, quando Deus tales præfractos finit obſequi animo ſuo. Ad indurationem enim continuam eorum, qui ſeipſos diu multumque præfractè indurarunt, ſola ſufficit divina permiſſio, & gratiæ novæ, niſi per ſerias preces iterum impetretur, negatio.

*Quibus perſonis aut rebus excæcatio hominum tribuatur in Sacris literis.*

Hactenus egimus de excæcatione, quatenus ea Deo tribui dicitur in Scripturis; quamquam ſine exemplo, uti oſtendimus. Quomodocunque ea Deo tribui dicatur, fieri non poſſe diximus, ut ea Deo vel poſitive nel negative tribuatur, quin ſtatuatur cæcitatis, quatenus peccatum eſt, author & cauſſa. Diabolo ea adtribuitur à Paulo 2 Cor. IV. 4: *In quibus Deus hujus ſeculi excæcavit τὰ νοήματα*, &c. non quod vel poſitive vel negative ejus cauſſa ſit, ſed quod moralis ejus cauſſa ſit, ſuggerendo, ſuadendo, conſulendo, & incitando, omnibus, quibus poteſt, rationibus & modis, homines infideles ad ea, quæ excæcandis mentibus eorum facere poſſunt: Alia enim via ut excæcet Satanas, impoſſibile eſt. unde & rebus etiam quibuſdam tribuitur actio excæcandi, ſed non alia quam objectiva, & quæ per accidens eſt, quatenus ſcilicet non aliter quam objecta afficiunt, & vim atque efficaciam ſortiuntur à diſpoſitione eorum prava quibus objiciuntur: alioquin ad contrarium efficiendum per ſe idonea & comparata. Sic *muneribus* tribuitur quod *excæcent videntes, & pervertant verba juſtorum: Exodi* XXIII. 8. vel ut *Deut.* XVI. 19. legitur, quod *excæcent oculos ſapientum, & deſtruant verba juſtorum*; id eſt, eorum quorum eſt, ſapientia & juſtitia, cæteris omnibus præcellere; ſeu, qui ſapientia & juſtitia cæteris præcellerent, niſi avari eſſent & muneribus inhiarent, atque ita ſapientiam & juſtitiam ſuam corrumpi ſinerent. *Oſeæ* IV. 11. *Fornicatio & vinum & muſtum auferunt cor.* Sic Prophetis & Prophetarum verbo, ad illuminandum cæcos per ſe idoneo, excæcandi actio tribuitur, non aliter quam Soli & Lumini magno incidenti in oculos debiles, & ingentis luminis incapaces, ſi contente id intueri & recta adſpicere velint, depoſita quaſi infirmitatis ſuæ conſcientia. Et hiſce quidem omnibus cum excæcatio proprie dicta activa non competat, cur, ſi ea Deo tributa credatur, propriè eam Deo ſoli competere dicamus?

*Ea impoſſibilis eſt ſecundum hypotheſes Prædeſtinatorum.*

Quidquid ſit, ut eam Deo proprie competere aut tribuendam eſſe credant ii, contra quos hîc agimus, nullo modo patitur eorum Theologia. Quid enim? Aut volunt excæcationem illam fieri à Deo in electis, aut in reprobis: In hos enim dividunt totum genus humanum. In electis eam fieri aut fieri poſſe ut credant, impoſſibile eſt. Excæcatio enim eſt effectus reprobationis. In reprobis ut eam fieri dicant, ſimiliter impoſſibile eſt. Reprobi enim cæci naſcuntur, & cæci manent ad mortem uſque, ita ut non tantum cæci eſſe velint, ſed & non poſſint non cæci eſſe. Cæcum autem imo cæciſſimum excæcari poſſe, quis niſi væcors dixerit?

## CAPUT XIV.

## Reſponſio ad loca ſecundæ claſſis, in quibus Deus aliquos indurare, aut ſimile quid facere legitur.

*Quid per indurationem quæ Deo tribuitur in Scripturis ſit intelligendum.*

EAdem eſt ratio *Indurationis*, quando Deo in Scripturis tribuitur. Non ſignificat, noſtro judicio, actionem, cujus effectus vel conſequens neceſſarium & inevitabile peccatum ſit; ſed, quod de excæcatione diximus, actionem mere occaſionalem, ad quam non per ſe aut neceſſario, ſed per accidens, ſequitur peccatum, quatenus videlicet homo jam perverſus & refractarius, ea ipſa actione, quæ ad emolliendum ipſum per ſe comparata eſt, abutitur ad ſe magis magiſque indurandum; atque ita à Deo indurari dicitur, quia occaſione divinæ actionis pro ſua malitia induratur.

*Reſponſio ad locum Exod. VII. 3. Item IV. 21. & IX. 13. & X. 20.*

Nec contrarium probant loca. Non locus *Exod.* VII. 3: *Ego vero indurabo cor Pharaonis, & multiplicabo ſigna mea & portenta mea in terra Miſraim*: quod idem repetitur, *Exod.* IV. 21. & IX. 13. & X. 20. 27. & XI. 10. & XIV. 4. 17. Nam, aut volumus indurationem hanc, qua Deus ſe cor Pharaonis induraturum dicit, fuiſſe actionem, cujus effectus futurus erat durities cordis, ſive obſtinata ad populum non dimittendum voluntas, non quatenus ea erat peccatum formaliter ſive actio aliqua aut voluntas divinæ legis præcepto alicui morali repugnans, ſed tantum, quatenus actus erat repugnans ſpeciali iſti juſſioni ſive potius poſtulato divino, quo populum à Pharaone dimitti jubebat; qui proprie peccatum non erat reſpectu Pharaonis, nec eſſe poterat: quia nec eum, qui jubebat, Deum verum aut Deum ſuum eſſe, nec juſſioni iſti, tanquam divinæ legi, ſibi obtemperandum eſſe, aut intelligebat aut credebat. Si, inquam, indurationem hanc ejuſmodi actionem fuiſſe velimus, tum argumentum ex ea deductum nihil concludet: quia de induratione quæritur, cujus effectus vel conſequens neceſſarium ſit peccatum formaliter ſic dictum. Aut volumus, Indurationem hanc fuiſſe actionem, cujus effectus futurus erat durities ſive obſtinata voluntatis rebellio, quæ & quatenus ea peccatum erat, utpote divinæ voluntati ſive juſſioni, licet ſpeciali, repugnans. Tum dico, eam ex textu nullo modo colligi poſſe; quin & rationes in textu non leves occurrere, ex quibus concluditur, indurationem hanc non fuiſſe actionem divinam proprie, ſed eventum tantum per accidens extiturum, occaſione divinarum variarum actionum & divinæ permiſſionis, quæ per ſe ad emolliendum potius quam ad indurandum Pharaonis cor, niſi ipſe ſe contra eas indurare vellet, ſervire poterant; quaſi dixiſſet Deus; Etſi Pharaonem è veſtigio & prima, quod dicitur, inſtantia cogere, aut ſic percellere poſſem, ut abſque ulla tergiverſatione populum meum, ad primum juſſum meum dimiſſurus eſſet, tamen id non faciam. Signa, prodigia & portenta multa præmittam, faciamque magna ac mirabilia coram Pharaone; quæ, etſi per ſe idonea erunt ad cor ejus flectendum & emolliendum, tamen, quia obſtinavit jam animum ad non dimittendum ſed retinendum populum meum, niſi manu forti cogatur aut deterreatur ab iſto ſuo retinendi propoſito, cor ejus induratura magis ſunt, quam emollitura; unde occaſio mihi dabitur, eum, contra omnia mea monita & admiranda opera inſanabili malitia induratum, ſevera & exemplari pœna ac ſupplicio afficiendi, atque ita gloriam meam illuſtrandi in tota terra Ægypti.

27. & XI. 10. & XIV. 4. 17. *de indurazione Pharaonis.*

Dico ergo, ex textu colligi non poſſe, indurationem talem, quam adverſarii ſtatuunt. Ex voce ſola *Indurationis* eam colligere, abſurdum eſt: quia non de induratione, ſed de indurationis modo quæritur. Modum autem iſtum, quem nos diximus, ex textu evinci per ſe clarum eſt. Nam actionis divinæ, ad quas aut per quas induratio cordis Pharaonis conſecuta eſſe dicitur, tres fuerunt: Plagarum immiſſio; Plagarum immiſſarum ſublatio; &, ut à Magis Pharaonis ſimilia quædam ſigna fierent, permiſſio. Plagas ad indurandum Pharaonis cor nec immiſſas à Deo fuiſſe, nec per ſe ſerviſſe manifeſtum eſt. Per eas enim emollitum ſæpius fuiſſe Pharaonis cor dicitur, adeo ut ad ſingulas pene, quaſi fractus ac perculſus, à propoſito non dimittendi populum revocaretur, & à Moſe peteret, ut apud Deum pro ſe intercederet. Quin & per poſtremum primogeniti & hæredis regni ſui plagam atque internecionem, adeo cor ejus emollitum fuiſſe legitur, ut ſi in populi dimiſſionem animo ſuo non conſentiret, actu tamen ipſo populum dimitteret: *Exod.* XII. 31. 32. 33. Plagarum immiſſarum ſublatio non poterat non modo per ſe ſervire ad indurandum cor Pharaonis, ſed ad emolliendum per ſe ſerviebat. Erat enim beneficium ingens, quod tanquam non modo impromeritum, ſed & demeritum, per preces Moſis & Aaronis ſibi à Deo dari petebat, & per eas à Deo obtinebat. Beneficiis autem & ferè cicurari ſolent. Ab hac tamen divini beneficii indulgentia, ſive plagarum ſublatione, induratio Pharaonis potiſſimum profecta fuiſſe dicitur, in textu *Exod.* VIII. 15. *Videns vero Pharao, quod eſſet reſpiratio, aggravavit ſive induravit cor ſuum*, &c. IX. 34. Quare, ut indurationis modus alius hîc intelligatur, quam qui per accidens eſt, ratio ipſa non ſinit. Beneficiis enim, imprimis talibus quæ non niſi ſeria prece & interceſſione altorum Dei intimorum amicorum impetrantur, quæ ſane per ſe idonea & efficaciſſima ſunt ad cor flectendum, ſi quis non modo non flectatur, ſed induretur magis atque exaſperetur, id plane per accidens, quin & valde inſolens videri debet. Sic per accidens intelligendum eſt illud,

*Actiones tres divinæ quibus Pharao fuit induratus. Ea per ſe nullam indurandi vim habuerunt.*

*Larga patrum ſegnes facit indulgentia natos.*

Permiſſio divina, qua Magis Pharaonis Deus permiſit, ut ſimilia quædam Moſi facerent: *Exod.* VII. 10. 11. 12. 13. 21. 22. 23. etſi vehementer ſervire poterat, & ſerviiſſe dicitur ad indurandum cor Pharaonis, *Exod.* VII. 12. 13. 14. 22. 23. tamen iſtam efficaciatem non habuit, ut, ea poſita, Pharaonem indurari neceſſe eſſet; quod

inde patet, quia permissione ista desinente, & experientia demonstrante Magos paria aut similia Mosi in vilissimo insecto facere non posse, quin & ipsis Magis id attestantibus, & Pharaoni ingenue confitentibus, desisset etiam ipsa induratio. Desinente enim caussa, desinit effectus. At contra accidisse videmus, *Exod.* VIII. 18. 19. ubi diserte dicitur, Magos incantationibus suis non potuisse è pulvere terræ pediculos educere, quin & Pharaoni dixisse, digitus Dei est; & nihilominus tamen Pharaonem roborasse sive induravisse cor suum, & obtemperare noluisse.

Nec mirum. Caussa indurationis propria ac per se intus latebat in ipso animo Pharaonis; nempe, Magnitudinis imperii sui conservandæ ardor intensissimus, qualis Regum omnium animis inhærere semper solet. Inde fiebat, ut de dimittendo populo ne audire quidem vellet, nedum ut ab alio dimissionem istam sibi imperari & à se flagitari, Majestate sua indignum prorsus non esse existimare posset. Ac licet ea quæ edebantur signa ac prodigia à Mose, talia & tam multa erant, ut ingens admodum damnum regno atque imperio suo per ea fieri videret; tanti tamen damnum istud videri non poterat, ut cum damno isto, quod ex dimissione tam magni & numerosi populi ad se rediturum erat, comparari mereretur. Quæ caussa sine dubio fuit, quod Deus cordium scrutator dixisse aut prædixisse legatur, *Exod.* III. 19. non futurum ut Pharao permitteret ex Ægypto exire Israelem, nisi in manu forti. *Ego novi*, inquit Deus, *quod non permittet vos Rex Misraim, ut pergatis, nisi in manu forti.* In Hebræo est ולא ביד חזקה *& non in manu forti*, quod exponunt novi interpretes, per, Ne quidem in manu forti, prout ante monuerat exponendum esse Sixtinus Amama in collatione sua Biblica; contra quam hactenus cæteri interpretes exposuerunt. An recte, dubito, cum diserte legatur contrarium, *Exod.* VI. 1. *Nunc videbitis quæ facturus sum Pharaoni: nam in manu forti dimittet eos, & in manu forti expellet eos è terra*; quod & eventus ipse comprobavit: *Exodi* XII. 31. Itaque malim ולא exponere cum cæteris interpretibus, *Nisi*, vel, & *non* (supple per ἐκτὸς εἰ μὴ *nisi*) *in manu forti.* Ut enim לא *non permittet*, exponatur de voluntate sive animo retinendi populum, quasi dictum esset, Non volet permittere, sive non nisi invitus permittet, quanquam id verum est, nulla tamen satis gravis caussa est. Et ratio, quæ *cap.* III. *Exod.* 20. *versu* subjungitur divinæ prædictioni, videtur omnino postulare, ut לא per *nisi* exponatur; Quia dicitur, *Mittam igitur manum meam, & percutiam Ægyptum omnibus mirabilibus meis, quæ faciam in medio ejus, & postea dimittet vos.* Nempe ergo noverat Deus, animum Pharaonis usque adeo magnitudinis imperii sui retinendæ avidum esse, ut quidvis potius laturus esset ac perpessurus, quam in ejus diminutionem tam notabilem consensurus, nec à proposito isto suo destiturus esset, frigidam animo ejus obfirmando suffundentibus regni proceribus, prius quam proprio suo capiti periculum mortis impendere visurus esset. quod inde apparuit, quia ubi ultima plaga primogenitum filium suum, regni sui hæredem, & sibi proximum, percussum ac cæsum vidit, statim dimisit populum, nec, ut, antea sæpe fecerat, sententiam mutavit; nullo sine dubio alio argumento motus, quam metu, ut si retractaret denuo sententiam, in caput suum faba cuderetur, atque ita manum istam Dei fortem, quæ etiam summa Regum capita ferire potest, summo suo malo experiretur. Nempe nulla major quam vitæ propriæ jactura esse potest. Eam jactura quavis alia, etiam regni totius, redimere quis Rex non cupiat?

*Quomodo induratio, qua Deus induravit cor Pharaonis, sit consideranda.*

Induratio ergo, qua Deus Pharaonem induraturus dicitur, non venit consideranda, ut actio, qua posita fieri non poterat, ut Pharao vellet aut posset velle dimittere, sive actu dimittere populum: sed ut actio sive actionum multarum συμπλοκὴ, quæ, etsi per se idoneæ erant ad emolliendum Pharaonis cor, tamen contrarium eventum sortiturræ erant, ex eo quod tumidus atque elatus ejus animus, illas posthabiturus esset damno isti magno, quod ex dimissione populi tam numerosi se percepturum esse sciebat. Nempe plagæ leviores erant futuræ, & minus damnum daturæ, quam ut cum damno ex dimissione populi ad regnum suum redundaturo conferri posset. Et breviores erant futuræ, quam sensus damni tam ingentis. Et Magi similes quasdam aut in speciem exhibituri erant, aut reipsa inflicturi: & alia ejus generis plura facturus erat Deus, imprimis plagas subinde tollendo, &c. unde durior Pharaonis animus ad non dimittendum populum futurus erat. Hoc sensu indurationem à Deo factam intelligendam esse, rationibus his evinco.

1. Quia Pharaoni expresse tribuitur, quod ipse suum cor induraverit: *Exod.* VII. 13. & VIII. 32. Ipse autem cor suum indurasse non potuit dici, si indurationem sua prævia Deus effecerat, ut non posset non nolle dimittere populum, id est, ut non posset non durum cor habere ad non dimittendum. Durities enim impotentiam notat. Ad quomodo quis à Deo impotens factus, se ipsum impotentem reddat? Hoc perinde foret, atque si cæcus natus vel factus se ipsum excæcare posse diceretur.

2. Quia induratio ista Dei, seu positiva seu negativa, cum serio atque sæpius iterato Dei mandato, ut populum Pharao dimitteret, conciliari non potest. Quis enim sapiens serio ac sæpe mandet ei, quem sua propria actione indurat, ne durus fiat aut durus maneat? Nec justitia offensionis divinæ contra Pharaonem, aut propter durum Pharaonis responsum, divinique mandati sui contemtum, capi potest. Quis enim offendatur jure ob id, quod in aliquo est ex actione sua propria, ita ut in eo non possit non esse?

3. Quia expresse *Exod.* IX. 20. dicitur de servis quibusdam Pharaonis, quod timentes verbum Domini, id est, comminationes à Mose nomine Dei factas, fugere fecerint servos suos & pecus suum in domum, ne scilicet à grandine læderetur, contra quam faciebant alii qui non apponebant cor ad verbum Domini, id est, susque deque habebant comminationes divinas: quod idem tribuitur Pharaoni, *Exod.* VII. 23: *Et vertit se Pharao, & venit in domum suam, nec apposuit cor suum etiam ad hoc.* Induratio itaque intelligitur, non à Deo proprie ac per se effecta, sed ab ipsius Pharaonis corde, timore Domini vacuo profecta. Quid enim alioquin obstitisset, ut idem non fecisset aut facere potuisset Pharao, quod servi isti regii Deum timentes fecisse dicuntur?

Quare verborum istorum, *Ego indurabo cor Pharaonis, ut non dimittat populum meum*, hanc sententiam esse, ex iis, quæ hactenus dicta sunt, colligo; Ego Pharaonem Tyrannum populi mei crudelissimum, quamquam jam dudum pœna excidii dignum, non tamen statim puniam, sed, primum signis & portentis meis mirabilibus, quibus similia Magi ejus præstare non poterunt, de divinitate & potentia mea convictum, & longanimitate ac beneficentia mea induratum, pro malitia sua ac contumacia, qua eum repletum esse scio. Et quamquam eo usque eum adducturus sum, ut populum meum retinere amplius non sit ausurus, visa primogenitorum omnium & primogeniti etiam filii sui cæde, tamen quia invitus id facturus est, & animum retinendi ac reducendi dimissum à se aut extrusum potius populum non est depositurus, uti eum non deposuisse legere est *Exod.* XIV. 4. occasionem ei dabo, quam avide arripiet, nimirum, populum meum in angustias quasi redigendo, ut mare rubrum ante se, & post se desertos montes habiturus sit, absque ulla, si Pharao insequatur cum instructo exercitu, contra inermes atque imbelles, aut fugæ, aut evasionis, aut resistendi potentiæ spe, ut ea oblata, non sit dubitaturus infracto atque indurato animo populum in istas angustias redactum insequi, & per ipsam usque maris abyssum quasi fugientem persequi, ut eo perductus, veluti in theatrum aliquod publicum, supplicio illustri ac spectabili, summaque ejus crudelitate & pertinacia digno afficiam. unde futurum est, ut nominis mei gloria inclarescat, & circumjacentium omnium populorum Dii, gentesque non Ægyptiæ tantum, ad quas ejus rei fama perveniet, cognoscant atque intelligant, me esse unum ac solum Deum illum, qui non modo in populo meo dominor, sed qui etiam possum maximos & potentissimos quosque Monarchas, Reges ac Principes, quando se mihi opponunt, meæque voluntati, quam eis denuntiari curo, parere recusant, cum mihi oportunum videtur, severè atque illustri ratione aliis in exemplum punire.

*Responsio ad locum Roman. IX. 18.*

Atque in hanc etiam sententiam interpretor locum citatum ex Epistolæ *ad Rom. cap.* IX. 18. ubi Paulus ex duobus exemplis, Mosis scil. & Pharaonis, hanc conclusionem infert, *Itaque cujus vult miseretur* (Deus,) *& quem vult, indurat.* Nam in eo Apostolus, (ut jam de primo exemplo, &, quod ex eo deducit, consectario, *Cujus vult miseretur*, non agam, quia ad rem hanc nostram non facit:) per indurationem aliud nihil mihi videtur intelligere, quam indurationem similem isti, qua Pharaonem Deus induraverat; id est, indurationem, quam pro sua longanimitate præire volebat, antequam rebelles & refractarios Judæos, divinæ voluntati (Euangelio revelatæ) contumaciter sese, uti antea Pharao fecerat, opponentes, illustri & spectabili excidio cum tota Repub. urbe ac templo deleret. ut sensus sit, Deus eos qui excidium conmeriti sunt, non statim semper punit; sed, quando ita vult, non nisi longanimitate sua & patientia ac beneficentia induratos, & de voluntate ac divina Religione sua, per signa, portenta ac prodigia omni exceptione majora, diu multumque convictos, plane uti in exemplo Pharaonis apparuit. *Indurat itaque quos vult*, aliud nihil hîc significat, quam, Non punit statim omnes qui puniri merca-

merentur; sed, quando ita ei videtur, multa magnaque lenitate eos tolerat, multis variisque modis eos convincit officii sui, ut, si refragari pergant, tanquam suapte inexpugnabili culpa induratos, tanto deinde severiore, quanto diutius dilato, supplicio afficiat. *Indurat* itaque hîc non est, Duros eos facit; loquitur enim de iis, qui ad exemplum Pharaonis jam duri & refractarii erant; sed, sic eos tractat, ut eos duros & inflexibiles omnino esse ac manere velle, appareat, antequam in eos severa pœna animadvertat. Omnino enim videtur Apostolus mihi indicare, Deum tum temporis cum incredulis Judæis sic egisse, & porro acturum esse, sicut olim cum Pharaone egerat. Uti ille meruerat multo ante exscindi; ita & hi, ab ipsis maxime temporibus Jesu Christi ad hoc usque, quo hæc scribebat Apostolus, tempus. uti Pharaonem per signa multa ac prodigia flectere Deus ad sui obsequium tentaverat; ita & hos. uti Pharaonem, licet refractarium; diu tolerabat & impunitum dimittebat; ita & hos diu impunitos dimiserat & dimissurus ac toleraturus adhuc erat. uti Pharaonem summè induratum tandem illustri supplicio affecit; ita & hos Judæos, diuturna sua rebellione & contumacia induratos, tristi aliquando & funesto excidio puniturus erat; quod eventus non minus illustris quam qui Pharaoni cum toto exercitu suo in mari rubro deleto obtigit, comprobavit; quando videlicet Deus per Titum Vespasianum totum rebellem istum populum, cum tota Repub. sua, tantum non funditus exscindi & exstirpari fecit. Ex hoc consequitur, verba illa, *Quos vult*, non significare, omnes eos, quorum Deus non miseretur, à Deo indurari: sive genus humanum in duos ordines ab eo semper dispesci, quorum alii sint, quorum miseretur, alii quos semper indurat. Nihil minus; sed ut ipsius phraseos proprietas postulat, Deum pro libera sua voluntate agere, &, uti inter eos, qui peccatis suis commeriti sunt exscindi & puniri cum aliis, ex speciali quadam gratia nonnullorum licet valde malorum misereri vult, si sanabiles sese ipsi præbeant: ita inter eosdem, nonnullos insanabiles, non ordinaria pœna è medio tollere, sed non nisi sua longanimitate induratos exemplari & illustri ratione punire velle.

Sensum hunc, quem diximus, hujus loci proprium ac genuinum esse, his rationibus, ut credam, adducor. 1. Quia Apostolus hoc suum consectarium, *Quos vult indurat*, deducit ex Scriptura ista, non qua dixerat Deus, *Ego indurabo cor Pharaonis*: sed ex ista, quæ legitur *Exod.* IX. 16. in qua Deus dixerat Pharaoni, *Et profectò ob id* העמתך *stare feci te, ut ostendam in te potentiam meam, & ut annuntietur nomen meum in tota terrâ*: quibus sane verbis indicatur, Deum Pharaoni, quanquam Tyranno sævissimo, aliquamdiu parcere voluisse, neque statim pro meritis suis, ut ordinarie Deus facere solet, condigno supplicio afficere; sed ad tempus tolerare, ut quam durus & inflexibilis esset omnibus constaret, atque ita illustre divinæ ultionis exemplum, post omnia frustra tentata remedia, fieret, ad divini nominis maximam gloriam. Confirmat hanc rationem, id, quod Apostolus verbum העמתך *stare feci*, constitui te, exponat per ἐξήγειρά σε, *excitavi te*; quod interpretor, non uti ineptissimè nonnulli solent, creavi te, nasci feci te, eo fine ut te indurarem, & sic punirem. Quæ enim gloria Dei in eo esse poterat? aut quæ apud ullos homines mentis sanæ compotes gloria divini Numinis inde poterat eluceſcere? sed, Ego te, quanquam propter immanem tuam tyrannidem & duritiem, qua usus es contra innoxium populum meum, adeo ut nullis ejus precibus & suppliciis flecti potueris ad mitius & moderatius imperium in illos exercendum, aliaque flagitia ac scelera tua, protinus à me exscindi merueras, sicque mortis reus ac tantum non mortuus eras, excitavi te quasi in vitam, & superstitem adhuc esse te volui, ut, quamquam durus satis es, Longanimitate tamen mea induratior factus, pro exemplo extraordinario & illustri mihi servias, in quo iræ meæ justissimæ & potentiæ invincibilis gloria eluceat, quando te cum toto exercitu tuo, & universo Regni tui robore, non armis, non fulminibus, non tonitribus, è medio tolli curabo, sed in mediis aquis istis, per quas sicco pede transiverit populus meus, ad solum virgæ fidelis mei servi Mosis ictum, obrutum suffocabo: & tanquam induratum, qui per ipsas aquarum utrimque quasi in acervum elevatas moles, innoxium populum persequi non dubitabis, notabili pœna funditus delebo. Hinc rectè jam colligit Paulus: Quod Deus in Pharaone Rege fecit, quia ita voluit, idem etiam nunc si in vobis rebellibus Euangelio Filii ipsius, quando ita vult, faciat, mirum videri non debet. Indurat enim quos vult, id est, quando ipsi ita consultum videtur, vos rebelles punire non vult, nisi prius vestrapte propria malitia & ejus impromerita adeoque demerita μακροθυμίᾳ induratos.

*Locus Rom. IX. 17 & Exodi IX. 16. In hoc ipsum excitavi te.*

2. Quia Apostolus ipse hunc indurationis divinæ modum, quem diximus, sive hanc divinam punitionem, quæ prævium sibi habet manifestariam indurationem, adsignat *vers.* 22. *Quid si verò Deus volens ostendere*, τὸ ἐνεγκεῖν, id est, exemplarem iræ suæ ultricis demonstrationem, & notum facere τὸ δυνατὸν αὐτοῦ, quam scilicet severiter possit punire, postquam aliquamdiu punitionem distulit, pertulit ἐν πολλῇ μακροθυμίᾳ vasa iræ coagmentata ad interitum, id est, non homines ex ira ad interitum creatos, aut ab æterno absolutè reprobatos. Nugæ. Nam *propter peccata* tantum (actualia & evitabilia,) *venit ira Dei in homines*, *Coloss.* III. 6. sed jam ante suapte culpâ propria dignos, quin & aptos atque idoneos in quos non aliter quam in vasa affabre coagmentata, (hoc enim verbum vel participium κατηρτισμένα manifeste ad protasin similitudinis pertinet, ut, an à Deo an à sese ipsis coagmentata vasa hîc intelligantur, non sit necesse inquirere aut asserere:) ira divina plena manu effunderetur. Induratio igitur Paulo aliud nihil est, quam non repentina punitio, sive lenis ac longanimis toleratio eorum, qui rebellione & incredulitate sua puniri meruerunt, per quam fit per accidens, ut magis magisque indurentur, & idonei fiant, qui à Deo in exemplum justissimæ ac severissimæ iræ, sive ultionis alicujus illustris, quando ita volet, statuantur. Non obscure hîc Apostolus mihi videtur innuere, talem aut similem ei quæ Pharaoni evenit iram ac ultionem, manere incredulos & refractarios Judæos, Euangelii Jesu Christi & Christianorum osores ac hostes; ac proinde tempus istud omne, quod istam ultionem divinam præcedet, esse tempus lenitatis & μακροθυμίας divinæ, & ratione eorum, qui temporis istius & μακροθυμίας divinæ rationem non habent, tempus indurationis, quod desiturum non ante, videtur indicare Apostolus, quam ira sive pœna in rebelles istos effusa erit. Atque hoc fortasse illud est, quod *cap.* XI. 25. clare enunciat, tanquam mysterium, quod sibi revelatum esse ait, *Obdurationem* sive πώρωσιν *ex parte Israeli evenisse*, id est, ad tempus aliquod, *usque dum plenitudo gentium introierit*. quod cur de introitu gentium plenissimo, qui ante excidium urbis & populi Judaici contigit, accipi non possit, non video; quamquam antidhac aliter semper credidi.

*Locus Roman. XI. 25.*

3. Quia idem hic Apostolus, *cap.* XI. 11. indurationem hanc Judæorum sic exponit, ut, ea non obstante, ad meliorem & saniorem mentem reduci nihilominus possent. Quærit enim, *An ergo impegerunt*, (increduli & indurati scilicet isti) *ut laberentur?* id est, ut plane omni spe gratiæ ac salutis exciderent. πίπτειν enim hic est ἀπώλειαν. Et respondet, *Absit; sed per eorum ruinam salus obtigit gentibus, ut eos ad æmulationem provocaret* (Deus scilet.) Eo ipso enim significat, fieri potuisse, ut ad æmulationem provocarentur, atque ita per eandem cum ipsis gentibus fidem salvarentur. Alioquin enim quæ spes, aut quæ spei species esse poterat, ut ad æmulationem provocarentur, si per indurationem ad æmulandum impotentes prorsus redditi jam erant? Tum, indurationem illam non fuisse potentiæ omnis ad credendum ademtionem, non obscure indicat Apostolus, quando eam etiam per moralem suasionem, id est, per æmulationem tolli potuisse docet. Deinde, Paulus *vers. seq.* 13. asserit, se ministerium suum illustrare, id est, totum in eo se esse ut ministerium suum illustret; per multorum gentilium adductionem ad Religionem & fidem Jesu Christi; ut (non, *experiretur*, ut Beza verbum hoc nimium libere, licet pro more suo, textui infarsit) sed ut quantum in me est, vel, si forte, *ad æmulationem provocem* consanguineos meos, quos, ut in textu est, *carnem* suam vocat, *& servem aliquos ex iis*. Enimvero, quomodo tali oratione uti potuisset Apostolus, si per indurationem, cujus paulo ante mentionem fecerat, uti & *cap.* IX. *vers.* 18. de quo hîc agimus, intellexisset indurationem talem, qua posita, impossibile prorsus erat ut aliquos servaret? Denique, eodem *cap.* 23. *vers.* ait, infideles Judæos insertum iterum iri, si non permaneant in infidelitate sua. Fieri ergo potuisse significat, non obstante induratione, ut non permanerent in infidelitate sua. Alioqui enim tantundem dixisset, ac si dixisset, Futurum id quod impossibile prorsus erat ut fieret, quodque impossibile esse, voce *indurationis* sensu adversariorum accepta, significaverat.

*Locus Rom. XI. 11.*

Atque hisce quidem rationibus adducor, ut credam indurationem, quando Deo tribuitur, non esse actionem, quæ vel efficiens causa sit peccati, vel ad quam peccatum necessario consequitur; quod ad solutionem argumenti ex voce *Indurationis*, in duobus istis, de quibus hactenus egimus, locis usurpata, desumtum erat.

Minimè etiam ad id probandum facit, locus ex *Deut.* II. *cap. vers.* 30. citatus. *Et noluit Sihon Rex Hesbon, ut transiremus per se. induraverat enim Dominus Deus tuus spiritum ejus, & obfirmaverat cor ejus, ut daret eum in manu tua, ut hodie est.* Nam induratio ista non fuit actio, cujus vel effectus vel necessa-

*Responsio ad locum Deuter. II. 30.*

rium conſequens fuit peccatum aliquod, quod commiſit Sihon Rex Hesbon ; ſed tantum actio divina , qua panicus quidam terror ac pavor Regi injectus fuit, ut indicatur *verſu* 25. quo deinde factum fuit, ut ſano conſilio deſtitutus, parumque prudenter Regno & Regni ſui ſecuritati providens, tranſitum populo Dei, rejectis pacificis verbis, quibus utebatur, & æquis conditionibus, quas offerebat ad eum impetrandum, præfracte negare quam prudenter permittere volumus.

Nam (ut rectè Poëta) *malus interpres rerum metus omne trahebat*

*Conſilium pejore via.*

Negatio iſta tranſitus peccatum proprie non erat, ſed tantum parum ſana & inconſulta quædam actio, ex panica à Deo injecta formidine nata, quæ occaſio fuit, qua Deus uti voluit ad Regem iſtum exuendum regno ſuo, & regnum ejus transferendum ad populum ſuum : quod Deo qualibet occaſione liceat facere, quis dubitet?

*Reſ. ad locum Rom. XI. 8. & Eſa. VI. 9.*

Locus, qui in Epiſtola *ad Rom.* XI. 8. ex *Eſa.* VI. 9. ex parte citatus legitur, etſi ſpecioſior paulum videtur, revera tamen ex eo nihil ſolidi contra nos infertur. *Dedit eis* (Deus) *ſpiritum ſoporis, oculos ut non videant, & aures ut non audiant,* inquit textus. Sed vero ex eo non ſequitur, 1. conſilium Dei fuiſſe, ut daret, nedum ut actione ſua id efficeret, unde ſpiritum ſoporis conſequi neceſſe eſſet. Nihil enim vetat, verbum, *dandi*, hîc ſic accipere, ut non notet effectum vel conſequens divini alicujus conſilii ſive operis irreſiſtibilis neceſſarium, ſed eventum tantum, citra, imo præter ac contra conſilium Dei, ex actione divina, ad ſpiritum contrarium, lucidum ac vegetum inſerendum per ſe apta & idonea, natum, ut ſenſus ſit : Pro eo, quod Deus hactenus & fere adſidue egit, ut populum ſuum ad meliorem mentem reduceret, monendo, promittendo, comminando, puniendo, prædicendo, &c. contrarium plane evenit, ut nempe populus per iſtas ipſas actiones, pro ſpiritu excitato, vegeto & alacri ad parendum legi meæ, torpidum prorſus, ſegnem, & veluti veterno obrutum acceperit, ut de mihi obtemperando non magis cogitet, quam ſi ebrius altiſſimo ſomno, aut morbidus caro teneretur. *Dare* enim & *facere* tum in communi ſermone, tum in Scriptura ſacra non raro dicitur quis id, quod ad actionem ejus, etiam præter intentionem ipſius, & contra naturam ac finem actionis ipſius, conſequitur. Sic in familiari ſermone dicimus, Medicum venenum & mortem potandam dediſſe ægro, qui potionem ægro dedit, poſt quam aſſumptam æger moritur, plane præter & contra intentionem Medici, & potionis per ſe ſalutaris naturam. Sic in Scriptura Jeroboam dicitur *feciſſe peccare Iſraelem* ; & *facere* quis aliquid dicitur *ad irritandum Deum*, qui ea facit, per quæ irritari ſolet Deus, etſi non faciat eo fine, ut irritet. 1 *Regum* XIV. 9. & XVI. 2. 13. 26. & 2 *Paral.* XXXIV. 25. *Jerem.* VII. 18. & XI. 17. & XXV. 7. & XXXII. 29. *Pſal.* LXXVIII. 17. &c. In hiſce tamen locis actiones aſſignantur ad irritandum Deum per ſe facientes, etſi agentium eas alia fuerit intentio, ratione cujus intentionis irritatio eventus, non finis, eſt ; uti & quod de Davide dicitur 2 *Samuelis* XII. 14. quod *blaſphemando blaſphemare fecerat inimicos Dei* in negotio adulterii cum Bathſeba, non finem Davidis, ſed eventum actionis ejus veroſimilem notat.

*Dare & facere quo ſenſu aliquando accipiantur.*

Sed vero, poſito etiam, quod per *dare ſpiritum ſoporis*, intelligatur conſilium vel actio aliqua divina, tum 2. dico, Actionem Dei poſſe intelligi, vel talem, cujus occaſione dumtaxat factum fuerat, ut populus rebellis & refractarius ſpiritum hebetem, obtuſum & ſomnolentum accepiſſet, cum eum inde non accipere & potuiſſet & debuiſſet ; qualis erat gentium ad communionem Euangelii vocatio, abſque eo ut lex Moſis ipſis obſervanda imponeretur ; & Judæorum incredulorum, quamquam Legis Moſaicæ zelotarum, à juſtitia & ſalute rejectio. Hiſce enim duabus actionibus uſque adeo turbabantur infideles Judæi, ut tantum non obſtupeſcerent ad Euangelii Jeſu Chriſti famam, & quanto plus de ea audiebant, tanto plus obtunderetur & hebetaretur ſpiritus eorum. Vel talem inſuper actionem Dei dico poſſe intelligi, qua Deus temperamentum eorum aliquomodo turbavit, cerebrumque veluti humore aliquo melancholico, viſcido, terreo & craſſo infecit, unde obtuſus, torpidus & ſegnis ſpiritus ſolet oriri, non quidem talis, qui prorſus ad audiendum & credendum Euangelio inhabilis & impotens eſt, ſed talis tamen qui minus habilis & idoneus redditus eſt ; veluti eſt ſpiritus ejus, qui papavere, opio, ſomnolentia aut morbo aliquo aggravatus eſt, & non niſi difficulter aut ægre erigere ſe atque exerere poteſt. Sic hæc actio divina conveniet cum comminatione iſta, quæ legitur *Deuter.* XXVIII. 28. *Percutietque te Deus amentia, cæcitate & ſtupore cordis ; palpabiſque in meridie, quemadmodum palpat cæcus in caligine*, &c. non quod Deus ſtultos & inſanos eos eſſet facturus, ſed quod ſtupidos & hebetes eorum ſpiritus redditurus eſſet, qualis amentium & ebriorum ſpiritus eſt. Gravis autem & ſtupidus hujuſmodi ſpiritus nec peccatum eſt, nec peccati cauſſa per ſe, nec quem peccatum neceſſario conſequitur, ſed tantum malum pœnæ, quo fit, ut peccatum difficulter vitari poſſit, vitari tamen. Atque hoc indicant non obſcure verba ipſa, *Dedit eis oculos, ut non videant, & aures ut non audiant.* Non eſt in textu, ne videant, aut ut non poſſint videre. Quis enim det alicui oculos, ne videat aut ut non poſſit videre? Non dare oculos, aut oculos eruere, tum præſtaret. Sed, τῦ μὴ βλέπειν, &c. id eſt, oculos graves ſive obtuſiorem mentem quidem, ſed mentem tamen, unde facile fieri poteſt, ut non videant, quamquam videre adhuc poſſunt ac debent.

In hanc ſententiam interpretor locum 1 *Sam.* XVI. 14 : *Spiritus autem Domini receſſit à Saule, & terruit eum ſpiritus malus à Jehova.* Per ſpiritum enim malum hic Metonymicè intelligendum eſſe morbum aliquem melancholicum, quo cerebrum & temperamentum Saulis, ſive ex animi ægritudine, ſive alia ex cauſſa naturali, ſive à Deo ipſo uſque adeo vitiabatur, ut mentem ejus traheret in conſenſum, adeo ut ad ſana & ſalutaria ſibi ac regno ſuo conſilia capienda, durante morbi iſtius paraxyſmo, non eſſet idonea, textus non obſcure indicat, quando dicit, *& terruit eum ſpiritus malus.* Terror enim iſte morbi melancholici aut ſignum aut effectum eſt, quando ejus remedium à Muſica quæſitum & acceptum fuiſſe teſtatur : *verſ.* 16. & 23. Morbus ergo ille peccatum non fuit, nec mala peccandi aut ſcelus aliquod committendi voluntas. Nam tum non à Muſica, ſed à reſipiſcentia, remedium quæri & accipi debuiſſet ac potuiſſet. Sed nec morbus iſte talis morbus erat, quem neceſſario ſequebatur peccandi voluntas. Nam quæcunque ex morbo tali voluntas oritur, ea non poteſt eſſe voluntas peccandi, quia morbi talis vehementia voluntatem liberam eſſe non ſinit. Ratio enim in conſilium adhiberi non poteſt, quando mens atræ bilis fuligine turbata & obnubilata eſt. Attamen, dices, videmus morbum iſtum conſecutam eſſe in Saule malam & perverſam voluntatem contra Davidem. Reſp. Malam & perverſam illam voluntatem in Saule idcirco tantum malam & perverſam voluntatem fuiſſe, quia in Saule erat ac manebat, ceſſante morbi paroxyſmo. Morbus enim iſte habere ſolet, & habuit in Saule lucida quædam intervalla, quibus mens & ratio homini ſua bene conſtat. In iſtis intervallis libera eſt hominis voluntas, & quod tum facit, libere facit. Iſtis ergo poſitis, & ſubinde redeuntibus, poterat ac debebat Saul implorare gratiam divinam, pro morbi iſtius ſui remedio, & in eam, quæ ex morbo iſto nata fuerat, voluntatem non conſentire, atque ita à peccato proprie dicto ſibi cavere : quod quia non fecit, idcirco rectè dicitur, mala ſua contra Davidem voluntate peccaſſe. Morbum autem hunc *ſpiritum malum* appellari, non mirabitur, qui morbum illum, quo mulier illa incurva per octodecim annos afflicta fuerat, *Luc.* XIII. 11. *ſpiritum infirmitatis* appellari legit : & inſaniam, *ſpiritum vertiginis*, & mundanam ſapientiam ac diſciplinam, *ſpiritum mundi*, 1 *Corinth.* II. 12, &c. *Locus 1 Sam. XVI. 14.*

Quod attinet ad locum *Eſa.* LXIII. 17 : *Quare errare nos feciſti, ô Domine, de viis tuis, & induraſti cor noſtrum à timore tuo?* in eo non agitur de actione aliqua divina, cujus finis, effectum aut conſequens neceſſarium erat, ut Iſraelitæ non poſſent non errare à viis Dei, & indurari à timore Dei, id eſt, vel ne timere poſſent, vel ut non poſſent timere Deum. Ratio eſt, quia 1. ut populus Deo tribuerit ſuorum errorum ſive peccatorum (errare enim à viis Dei, eſt peccare,) culpam ſive cauſſam, nullo modo fit veriſimile ; aut ſi quis populum Deo eam tribuiſſe præfracte velit, tum populum in eo non rectè ſed pravè locutum eſſe, dicendum omnino mihi videtur. Neque enim ſequitur, Populus ille pravus id dixit, Ergo rectè id dixit. 2. quia hic ipſe populus, quamquam jam errare factus à viis Dei, & induratus à timore Dei, ut ipſe fatetur, ad Deum ſe convertit, & Deum ſupplex pro venia delictorum ſuorum, pro ſpeciali gratia, & indurationis ſuæ fine ac deſitione orat. Quod ſignum eſt, verbis iſtis, *Errare feciſti nos de viis tuis, induraſti cor noſtrum à timore tuo*, non ſignificari talem actionem ſeu poſitivam ſeu negativam Dei, qua poſita, non poterat non populus perſeverare in errando & durum cor retinendo : quia ſic de deſerendo errore & duro corde exuendo non modo non voluiſſet, ſed ne quidem potuiſſet cogitare, nedum ex timore Dei orare Deum, ut in vias ejus redire, & ſic à duritie cordis ſui liberari poſſet ; quid dico, orare Deum in hæc verba, *Tu pater noſter es, & redemptor noſter à ſæculo*, uti verſu præcedente, & *cap. ſeq.* XLIV. 8. videre eſt. Quare dicendum *Reſp. ad locum Eſa. LXIII. 17.*

dum omnino est, hisce verbis significari actionem divinam non nisi occasionalem; cujus non finis, neque effectum, neque consequens necessarium, sed eventus tantum iste fuit, ut nimirum erraret populus à viis Domini, id est, non errare inciperet, (jam enim antea diu erraverat, & propter errorem suum punitus fuerat:) sed ut non obstante punitione errare pergeret & magis magisque induraretur. Nempe, uti ex tota populi oratione liquet, Deus populum rebellem, in hostium suorum potestatem dederat, & longe à terra ac templo suo in peregrinum solum abductum vivere fecerat, dirutis ac vastatis omnibus civitatibus, interque eas Principe urbe Hierosolyma, temploque cultui suo in ea destinato. unde, quia factum fuerat, ut Deum in templo suo colere, & cultus divini exercitia pro more suo habere non posset, paulatim, ut fieri solet, à colendo Deum alienior, & ad divinæ legis præcepta observandum negligentior factus erat, suapte propria quidem culpa, occasione tamen istius divinæ punitionis Deo populus tribuit, quod errare eos fecerat à viis suis, & cor eorum induraverat à timore suo, uti ex antecedentibus & consequentibus luce clarius patet. vide totum caput sequens, & speciatim *vers.* 8. 9. 10. 11. 12. (maxime autem id quod subjicitur, *Convertere igitur Domine*, id est, pro irato propitium te nobis ostende. Punitio certè ista divina non poterat caussa per se esse, ut populus in errando à viis Dei & indurando corde suo vellet pergere, sed caussa esse poterat ac debebat, ut de viis suis emendandis, & de flectendo corde suo ad Dei obsequium serio cogitaret. Nec finis Dei punientis erat, ut populus ad pergendum in peccatis suis indurarentur; sed contrà ut ista punitione veluti fræno à viis malis suis revocaretur, & ad redeundum in vias Dei, liberationemque ab eo ex adflictione & pœna ista quærendum & implorandum, veluti stimulo excitaretur; prout elegantissime & valde prolixe id Deus ipse testatur, *Levit.* XXVI. *à vers.* 14. *ad finem usque*, & *Deut.* IV. *à vers.* 26. *usque ad vers.* 32.

*Responsio ad locum Psal. CV. 25.*

Similis eventus, & qui plane etiam, si non planius multo, ex actione divina plane contraria, non tanquam ex caussa sed ex occasione sola extitit, indicatur *Psal.* CV. 25. quando dicitur, *Deum convertisse cor eorum*, id est, hostium populi sui in terra Ægypti *ad odio habendum populum suum, & fraudulentur agendum cum servis suis.* Etsi enim verbum Hebræum הפך *convertit* לבם *cor eorum*, sic exponi commode possit, ut significet, cor eorum se convertit, vel conversum est cor eorum, vel convertit cor eorum quisquis id convertit, impersonali modo; prout fatentur ipsi novi interpretes Belgici; tamen quia est continuata quædam oratio, qua actiones divinæ recensentur, & verbum idem הפך Deo etiam tribuitur *vers.* 29. videtur omnino verbum hoc Deo tribuendum esse, etiam hoc in loco. Sed vero manifestum est, verbo isto notari actionem divinam, cujus eventus per accidens fuit conversio cordis Ægyptiorum ad odio habendum populum Dei, eumque durius, quam ante fecerat, adfligendum, quod ex odio fere fieri solet; nimirum, benedictionem divinam, qua fiebat aut factum fuerat, ut populus, non obstante eo, quod eum Ægyptii oneribus durissimis & operis difficillimis obrutum, attenuare & imminuere primum studuerant, deinde per obstetrices masculos omnes ejus in partu interfici, ac tandem frustrati eventu isto, per populum totum Ægyptium eos in flumen projici mandaverant; supra modum & præter consuetudinem usque adeo augeretur & cresceret, ut formidabilis fieret Ægyptiis, & ii sibi ab eo, tanquam numero & viribus quotidie invalescente, metuerent. uti apparet ex *vers.* præcedente 24. *Et auxit populum suum valde, & roboravit eum præ hostibus suis.* & imprimis ex *cap.* I. *Exodi vers.* 7. 9. 10. 11. 12, &c. Sunt qui actionem hanc divinam referunt ad actionem istam, qua Deus jusserat populo suo ut commodato peterat ab Ægyptiis vasa eorum aurea & argentea: *Exod.* III. 21. 22. & XI. 2. atque ita eos spoliaret: ut ex *cap.* XII. 36. liquet: & qua ipsa actione facturum se promiserat, ut gratiam inveniret in oculis Ægyptiorum, & ii, ultro ista sua vasa populo commodaturi essent, ne scilicet, uti est *cap.* III. 21. vacuus exiret populus ex Ægypto. Quia vero Ægyptii vasa ista sua non recipiebant iterum à populo, idcirco volunt dici cor eorum conversum fuisse, ut odio haberent populum, cui antea ad testandum quasi amorem suum ea commodaverant, non tamen (uti verosimile est) sine animo ac spe ea recipiendi. Sed vero eo hîc respexisse Psalmistam mihi non fit verisimile, quia post istam commodationem non legimus Ægyptios machinatos fuisse dolum ullum in servos seu Dei seu populi: quod tamen deinde factum fuisse Psalmista indicat. Ut ut sit, certum est, si ista, quam nos præferimus, actio divina statuatur, qua conversum dicatur cor Ægyptiorum ad odio habendum populum Dei, apparet, non posse actionem istam Dei caussam per se esse conversionis istius cordis eorum ad odio habendum populum; sed tantum occasionem fuisse, cujus eventus per accidens erat odium populi: caussam vero per se fuisse invidiam, ex magna Dei benedictione iniquè conceptam, & ex majoris in dies accretionis populi metu, odium contra omne jus ac fas in animis eorum efficientem; quod satis est ad solutionem argumenti, quod ex hoc loco peti solet contra sententiam nostram.

*Responsio ad locum Roman. I. 24. 26. & 28.*

Ad locum *Rom.* I. 24. & 28, ubi Deus dicitur gentiles, propterea quod, *cum cognoverant Deum, tamen ut Deum non glorificaverant, sed incorruptibili Dei gloriam mutaverant in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrium & quadrupedum & reptilium*, &c. *tradidisse in cupiditatibus cordium ipsorum ad impuritatem: vers.* 24. & *fœdis affectibus: vers.* 26. & *in mentem ἀδόκιμον, ad faciendum quæ minimè conveniunt: vers.* 28. Resp. 1. Per traditionem illam non potest intelligi actionem divinam talem, qua posita, cupiditates, affectus fœdi & mens reproba non poterant non oriri in gentilibus istis. Jam enim cupiditates & affectus isti pravi, cum mente reproba, in istis erant. Traditi enim dicuntur in cupiditates suas, quas jam suas fecerant, & quæ affectus fœdos jam in ipsis genuerant, & mentis reprobæ sive ἀδοκίμου signa erant. 2. Nec actionem talem, qua cupiditates illæ cum affectibus fœdis & mente reproba ista usque adeo augebantur, ut ab illis desistere & desciscere nullo modo possent; id est, actionem, qua obstacula omnia, si quæ erant, per quæ impediti fuerant, & impediri porro poterant, quominus in istis cupiditatibus suis perseverarent, sic tollebantur, ut iis sublatis, eos præcipites in impuritatem omnem ruere prorsus necesse esset; sed actionem divinam talem, qua obstacula quidem ista, per quæ antea factum fuerat, ut non tam proni ac præcipites ruerunt ad flagitia & scelera quævis, sic removebantur ac tollebantur, ut occasionem inde capere possent pro sua malitia, perseverandi in cupiditatibus suis, & de malo in pejus in dies degenerandi. Hæc actio non quidem nuda prorsus permissio est; sed tamen non talis seu positiva seu negativa actio, cujus effectus vel consequens necessarium est perseverantia in cupiditatibus, affectibus fœdis, & reproba mente; sed talis dumtaxat, qua posita non omnino impossibile talibus redditur, ut cupiditates suas deserant; sed tantum difficilius multo ac gravius quam antea, cessantibus istis specialibus repagulis & obicibus, quibus antea per divinam gratiam retinebantur ac reprimebantur, quominus proni adeo ruerent ad scelera omnia: manentibus interim istis gratiæ auxiliis generalibus, per quæ, si non ad meliorem mentem sponte sua redire, novam tamen sibi à Deo oblatam gratiam amplecti, aut ad gratiam divinam implorandum adduci poterant, & sic à cupiditatibus, affectibus fœdis & mente reproba sua liberari. Ratio, qua adducor in hanc sententiam, est: Istos gentiles, jam sic cupiditatibus suis & fœdis affectibus, quin & in reprobam mentem traditos, Deus serio vocavit ad meliorem mentem per Euangelium Filii sui; & ex iis multi vocanti Deo paruerunt, & adsensi sunt Euangelio, desertis & valedictis omnibus istis cupiditatibus, & fœdis suis affectibus, quin & mente ista reproba sic deposita, ut Spiritum plane novum adepti, in contraria novitate vitæ ambularint, Deo & hominibus omnibus approbati. Atqui, si traditio ista in reprobam mentem talis fuisset divina actio, qua posita non poterant non reluctari Euangelio, & in cupiditatibus suis perseverare; utique frustra eos vocasset Deus, aut saltem serio eos vocare ad sanam mentem non potuisset; & falsum omnino esset, multos eorum prædicato Euangelio adsensisse, & ad sanam mentem conversos fuisse. Ut enim id dicatur factum vi divinæ gratiæ irresistibili, apud nos plane absurdum est: & tales sic induratos, & in reprobam mentem traditos, in ordine eorum esse posse, quorum Deus misereri, & quos irresistibili gratia donare vult, absurdum etiam sine dubio videtur iis, contra quos hic agimus. Utrumque responsionis sive rationis nostræ membrum per se liquet. Primum: Gentiles istos vocatos à Deo fuisse per Euangelium Filii sui, nemo negat. Ipse Paulus, qui eos sic in mentem reprobam traditos fuisse asserit, vocationis istius divinæ præcipuum instrumentum fuit, & præ cæteris omnibus Apostolis, inter eos tanquam Apostolus præputii, id est, gentium, ministerium suum illustrare studuit: *ad Galat.* II. 7. 8. *Rom.* IX. 24. & XI. 13. De vocatione gentilium talium, vide *Ephes.* II. 1. 2. 3, &c. 2 *Tim.* I. 9. 10. 11. *Tit.* III. 3. 4. 5. 6. 7. *Ephes.* III. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11, &c. Secundum; Multos ex his gentilibus vocanti Deo paruisse, & Euangelio adsensum præbuisse, constat ex variis locis, & speciatim ex 1 *ad Corinth.* VI. 9. *Ne errare; neque scortatores, neque idololatræ, neque mœchi, neque molles, neque ἀρσενοκοῖται, neque fures, neque avari, neque rapiores, regni Dei hæreditatem possidebunt;*

*hunt* : καὶ, inquit Apoſtolus, ταῦτα τινὲς ἦτε, *Et tales quidam inter vos fuerunt*, ſive tales quidam eraris aut fuiſtis. Beza legit, *Et hæc eratis unuſquiſque* : ineptiſſime quidem, ſed tamen ad id, quod nos contra eum ejuſque ὁμοψήφους jam agimus, confirmandum valde idoneum. Si enim gentiles iſti omnes ac ſinguli tales fuerant, ac proinde etiam non mœchi tantum & idololatræ, ſed & ἀρσενοκοῖται, profecto in mentem reprobam eos etiam omnes ac ſingulos traditos fuiſſe, ex vi loci *ad Rom.* I. de quo jam agimus, concludendum eſt. Et tamen hi *abluti*, *ſanctificati*, & *juſtificati fuiſſe* dicuntur *in nomine Domini Jeſu*, & *per Spiritum Dei noſtri* : *verſ.* 11. Similia loca vide *Epheſ.* II. à principio cap. ad finem uſque. *Coloſſ.* I. 21. Itaque vos, cum eſſetis quodam ἀπηλλοτριωμένοι καὶ ἐχθροὶ τῇ διανοίᾳ ἐν τοῖς ἔργοις τοῖς πονηροῖς, nunc ſane reconciliavit, &c. Quid aliud eſt traditum eſſe in reprobam mentem, ſive τὸν ἀδόκιμον, quam abalienatum atque hoſtem eſſe Dei & probitatis Deo placentis, per mentem, quæ non niſi mala opera probat, & bona opera improbat. Hæc enim eſt proprie mens ἀδόκιμος, quæ nec ipſa quod rectum eſt probat, nec ulli bono aut pio homini probari poteſt. Et hos tamen dicit Apoſtolus Euangelio paruiſſe, ita, ut ſancti & irreprehenſi & inculpati viventes, cum Deo reconciliati fuerint, & ſpe vitæ æternæ donati atque imbuti : uti per totam Epiſtolam videre eſt. Vide imprimis *cap.* III. 5. 6. 7. ubi hi ipſi Coloſſenſes inceſſiſſe & vixiſſe dicuntur antea in peccatis iſtis, quæ *verſ.* 5. enumeraverat, inter quæ etiam eſt πάθος ſive mollities, unde pathici, cynædi ſunt ; & ob quæ iram Dei evenire ait in filios ἀπειθείας : *verſ.* 6. Vide etiam *Tit.* III. 3. & 1 *Pet.* I. 13. 14. 15. & III. 1. 2. 3. 4. 5. 6, &c. loca, in quibus gentiles mortui, & mortui in peccatis paſſim fuiſſe dicuntur, & tamen per Euangelium vocati reſipuiſſe. Quando ergo dicitur, Deus tradidit illos cupiditatibus ſuis, ſive in cupiditatibus ſuis, (volentes ſcilicet ambulare, uti propoſitio ἐν videtur poſtulare, niſi eam velimus redundare, quod eodem tamen redibit) in impuritatem, fædis affectibus ſuis, & in mentem reprobam, ſenſus meo judicio eſt, Deus non modo permiſit ipſis animo ſuo malo & perverſo obſequi, quia ita volebant : *Act.* XIV. 16. ſed & remedia atque auxilia ſua, quibus eos pro gratia ſua ſpeciali aliquamdiu, tanquam adducto fræno, retinere aut retrahere ſæpe ſolebat à grandibus ſceleribus, abſtulit aut ſubduxit ; non ut ſic non poſſent non ruere in ſcelera omnia, etiam qualibet nova oblata gratia, ſed ut difficulter admodum ab iis abſtinere poſſent, abſtinere tamen : uti non obſcure indicatur *Act.* XIV. 17. & XVII. 26. 27. & vocati poſtea per Euangelium, ut ab iis abſtinerent, rationibus & argumentis omni exceptione majoribus, non pauci adduci ſe paſſi ſunt.

*Reſponſio ad locum 2 Theſſ. II. 11. 12.*

Ultimus locus citatus eſt ex 2 *ad Theſſ.* II. 11. 12. ubi *Deus* dicitur *miſſurus iis qui amorem veritatis non receperunt, ut ſalvi fierent*, ἐνέργειαν πλάνης, id eſt, per hypallagen Hebræis familiarem, πλάνην ἐνεργουμένῳ, ſive deceptionem efficacem, *ut credant mendacio*, & *ut damnentur omnes qui non crediderunt veritati, ſed acquieverunt in injuſtitia.* Ad hunc reſpondeo : Per ἐνέργειαν πλάνης non intelligi ſeductionem ſive deceptionem actu ſemper efficacem, nedum actionem aliquam vi ſua neceſſario & irreſiſtibiliter ſeducentem aut decipientem ; ſed actionem valde potentem, ſive aptam & idoneam admodum, ad ſeductionem efficiendum : cum qua conſiſtere tamen poteſt, ut ii, circa quos ea adhibetur, non ſeducantur, niſi omnino ſeduci per eam velint, ac libenter ſeduci ſe patiantur. Unde colligo, verba iſta, *ut credant mendacio*, non ſignificare, aut finem Dei, efficaciam erroris mittentis, aut effectum miſſionem Dei neceſſario conſequens, ſed eventum tantum, per accidens eam conſequentem, vel conſequi ſolitum, vel veroſimiliter conſecuturum. Ratio quæ me movet, ut ſic ſtatuam, eſt : Quia ſeductio iſta aut deceptio, futura dicitur κατ' ἐνέργειαν τοῦ σατανᾶ, & quidem eam, quæ conſiſtit in patratione ſignorum ac prodigiorum mendacium, & in omni ἀπάτῃ τῆς ἀδικίας. Atqui ſeductio, quæ non fit niſi κατ' ἐνέργειαν τοῦ σατανᾶ, etſi valde potens eſt, tamen non eſt ſeductio irreſiſtibilis. Et, ſignorum ac prodigiorum iſtorum, per quæ futura dicitur, ſeductio, efficacia aut ἐνέργεια non eſt niſi efficacia objectiva ; ne quidem, ſi ſigna ac prodigia eſſent vera, & ad veritatem confirmandum per ſe facientia ; quid dico ? ſi ea mendacia, id eſt, divina virtute non præſtita, & ad mendacium confirmandum patrata ſint, qualia ſigna hæc eſſe dicuntur. Objectiva autem ſeu moralis efficacia, non eſt efficacia irreſiſtibilis, niſi objectum tale ſit, quod voluntas natura ſua non poteſt non velle : cujuſmodi objectum in hac ſeductione nullum eſt, nec eſſe poteſt.

Seductionem autem utramque hanc, non eſſe ſeductionem irreſiſtibilem, rationes etiam hæ probant. 1. Quia Chriſtus ipſe, Satanam per Pſeudo-Chriſtos & Pſeudoprophetas ſuos ſigna ac prodigia magna ejuſmodi patrantes, ſeductionem illam conaturum facere, jam multo ante prædixerat, *Matth.* XXIV. 24. cum expreſſa præmonitione, ne crederent diſcipuli ſui, id eſt, ne ſe per eam ſeduci paterentur : *verſ.* 23. & 26. Fruſtra ſane, ſi ſeductionem iſtam irreſiſtibilem eſſe judicaſſet. Sed & non irreſiſtibilem eſſe, non obſcurè indicavit, cum adderet, *Pſeudo Chriſtos* iſtos, *etiam ſeducturos electos*, εἰ δυνατὸν, ſupple, ipſis erit. quo ipſo ſignificat, eos ad ſeducendum quidem facturos quantum in ſe eſſet, ſic tamen, ut fieri poſſet ut ſeductio non reſponderet voto ac ſtudio eorum, ſi incideret in eos, qui prænmonitioni huic meæ fidem habentes, contra ſeductionem iſtam ſeſe veluti egregii & eximii athletæ muniviſſent. Eo ipſo enim ſignificatur fieri potuiſſe, ut ſeductio iſta apud tales eventum non ſortiretur. Similiter etiam contra Antichriſtos, quos jam ſuo tempore multos in mundum ingreſſos eſſe dicebat Joannes, 1 *Epiſt.* II. 19. fideles præmonet, ne ſe ab iis ſeduci patiantur, *verſ.* 26. *Hæc ſcripſi vobis, de iis qui ſeducunt vos*, id eſt, qui vos ſeducere magna vi conantur. uti & Paulus in hoc ipſo, de quo agimus, capite non obſcure *verſ. ſeqq.* 13. 14. 15. 16. 17. facit. Fruſtra utique, ſi ſeductionem illam credidiſſent irreſiſtibilem eſſe. Adde 2. quod ad rem hanc noſtram confirmandum non parum facit, Apoſtolum dicere, deceptionem iſtam futurum τὸν ἄνομον, id eſt, ex lege iſtum hominem, (ſive is dicatur eſſe Antichriſtus in genere, ſive Antichriſtus Romanus Pontifex in ſpecie, ſive alius quis. Certo enim quidquam hîc adfirmare, aut tanquam indubitatum definire, temeritatem potius quam prudentiam & ſcientiam ſapit, & proprie ad noſtram rem non facit :) quia dicit παρουσίαν ejus futuram κατ' ἐνέργειαν τοῦ σατανᾶ. Per hominem autem, licet Satanæ tota vi inſtructum, ſeductionem irreſiſtibilem fieri, impoſſibile eſt. Nec eſt quod dicas, in textu addi, *Deum miſſurum efficaciam deceptionis*, id eſt, facturum, ut deceptio actu & neceſſario conſequatur, alioquin forte non conſecutura. Nam ſi *mittere efficaciam deceptionis* id ſignificaret, quorſum tum efficacitas iſta Satanæ cum omni potentia, ſignis ac prodigiis mendacibus ? Abſque illis enim quælibet deceptio vel leviſſima ſtatim ſequeretur, ſi modo deceptioni efficaciam Deus adderet : quamquam ut Deus dicatur ipſi deceptioni efficaciam addere, iſto ſenſu quo adverſarii volunt, tam eſt ab omni recta ratione alienum, ut vix confutari mereatur. Quare per, *efficaciam erroris mittere*, aliud nihil hîc intelligitur, quam permittere, ut error ſive deceptio, quæ fortaſſe alioquin plane inefficax foret, efficacitatem aliquam magnam accipiat à Satana, per δυνάμεις, σημεῖα καὶ τέρατα ψεύδους, & variarum libidinum & netariarum actionum, quæ hominibus gratæ admodum ſunt, indulgentiam ; non eo fine, ut per eam ſeducantur homines, nec ſic, ut per eam non poſſint non ſeduci ; ſed quia æquum non eſt, ut Deus ſeductionem ejuſmodi, tam præfractis ſalutaris veritatis contemtoribus evenire non ſinat, aut efficacitati iſti obicem ponat, ac modum præfigat, certus eam, tantam non eſſe, ut, niſi per ipſos tantum ſtaret, aut, niſi ipſi decipi ac ſeduci libenter vellent, cum poſſent non velle, ſeductio ipſa poſſet non ſequi, adeoque ſecutura non eſſet. Sed quia ſunt ἀπαρυβρῶτοι, id eſt, quia perire volunt in cauſſa, ut loquuntur, non recipientes, id eſt, præfracte recipere renuentes veritatem aut amorem veritatis, multo majoribus, & verè divinis miraculis, ſignis ac prodigiis, vitæque inſuper puritate & innocentia confirmatæ, ne ſalvi fiant, cum ſcilicet per ejus receptionem ſalvi fieri potuiſſent, quid æquius eſt, quam ut iis Deus ſinat occurrere, falſam, mendacem & impuram quandam Religionem, ſignis ac prodigiis mendacibus ſpecioſam redditam, tantumque non liberum ipſis, quod volunt ac cupiunt, faciendi commeatum dantem, uti, ſi omnino velint, iſti credant, ut cum iſta ipſa religione, fide ac vita ſua damnentur ac pereant æternum ? Hactenus ergo reſpondimus ad argumenta omnia ſecundæ claſſis.

## CAPUT XV.

### Reſponſio ad loca tertiæ claſſis, in quibus dicitur Deum quædam decreviſſe, ex quibus peccandi neceſſitas conſecuta eſt.

*Reſponſio ad 1 locum, ex Geneſ. XLV. 5. 7. 8. & L. 20. de venditione Joſephi in Ægyptum.*

SEquuntur loca tertiæ Claſſis, in quibus dicitur Deum quædam decreviſſe, ex quibus peccandi neceſſitas conſequebatur.

Inter hæc primum locum citavimus ex *Geneſ.* XLV. 5. 7. & L. 20. ubi Deus dicitur decreviſſe, ut Joſephus tempore ſecuturæ famis, familiam patris ſui Jacobi aleret, & populum multum vivificaret. unde conſecutum dicitur, ut fra-

tres

tres ejus eum venderent in Ægyptum abducendum, ut ibi rerum potitus, Deo ita dirigente, decretum istud Dei exsequi posset. *Ne sit ira* (inquit Josephus fratribus suis) *in oculis vestris, quod me vendideritis huc* (abducendum scilicet) *quia propter vitam* (id est, ut vos per me aleremini) *misit me Deus ante vos* (id est, eripuit me vobis ut mitterer, &c. & *vers.* 8. *Nunc itaque non vos misistis me huc, sed Deus, &c. Vos cogitastis adversus me malum, Deus autem cogitavit illud in bonum, ut faceret secundum diem hanc, ut vivificaret populum multum*; *cap.* L. *vers.* 20.

Resp. 1. Agnosco decretum tale à Deo factum, & decreri istius finem fuisse istum, quem ex textu Sacro objectio designat. 2. Agnosco Deum medio illo venditionis Josephi usum fuisse ad decretum istud exsequendum, & finem istum suum consequendum. Sed vero nego ex eo consequi, Deum ex vi decreti & finis istius à se intenti, medium ad eum obtinendum voluisse præcise, esse venditionem Josephi, quam grave peccatum fuisse certissimum est. Scio esse, qui existimant haud gravatè concedi posse, ac tantum non debere, Deum venditionem hanc, tanquam medium fini suo subordinatum, sapienti sua directione procurasse, quin imo ipsam vendendi voluntatem fratribus Josephi indidisse, non quatenus ea peccatum erat, sed quatenus actus tantum erat impediens Josephi jam destinatam cædem, vel actus moraliter quidem malus, sed tamen minus malus actu fratricidii, ac sic rationem boni, tum Josepho tum fratribus ejus utilissimi, induens. Sed vero, quia hæc ipsa concessio, quamquam specioſa, fieri non potest, quin labes aliqua peccati, quam plane nos detersam volumus, divinæ gloriæ adspergatur, & nulla gravis causſa est, quæ ad eam nos cogit devenire, præterquam quod fundamentum ejus sit merè imaginaria distinctio illa inter actum & peccatum, ut supra ostendimus, malo ego subsistere in pura negatione ejus, quod Deus venditionem illam Josephi tanquam medium præcise voluerit ad adsequendum finem suum. Nec enim in textu quidquam est, quod non possit sic exponi, ut Deo nulla prorsus venditionis hujus efficientia aut procuratio proprie dicta tribuatur, sed sola tantum, ad actum homicidii impediendum, idonea occasionis oportunæ ad cogitationem de fratre occidendo immutandum, oblatio, videlicet, Ismaelitarum per ista loca, circa istud ipsum tempus, transitus. Non quod Deus alioquin cædem Josephi impedire non voluisset, aut quod fratres Josephi occasione ista sibi oblata non possent non venditionem fratris sui in animum suum inducere, & sic à fratricidio desistere: sed, quod voluntati eorum malæ, plane liberam volebat relinquere quamlibet peccati cogitationem & electionem, certus se, quicquid eligerent, agerent aut molirentur, ex ipsis tenebris lucem posse educere, atque educturum esse. Quid enim obstare poterat Deo, ut Josephum, si modo à cæde fratres ejus cohiberet, post omnia fratrum licet sceleratissima molimina, tandem in Ægypto ad dignitatem, quam ei destinaverat, eveheret? Certe, nec necesse erat, nec Deo gloriosum, ut id procuraret per peccatum aliquod, nedum per peccatum tam enorme, quale erat, venditio fratris natu minoris, innocentis, Deo & patri suo charissimi, supplicis, & à patre suo ad percunctandum de statu fratrum suorum, ipsisque fælicia omnia precandum, ablegati. Quare existimo, tutissimum esse, si dicamus, Dei providentiam circa hoc fratrum Josephi factum, in eo totam fuisse, ut cædem Josephi impediret, quem ad eam dignitatem evehere atque attollere decreverat supra fratres parentesque suos, ut eum proni adoraturi, & dominum suum agnituri essent; quod sine impeditione cædis ejus fieri non poterat. Quod ad cætera attinet, Deum permisisse fratribus Josephi, ut, quod vellent, agerent, quia quacunque mala voluntate eorum præsuppositа, rem totam sic dirigere se posse sciebat, ut non eveniret nisi quod ipse vellet.

Quod ad impeditionem cædis Josephi attinet, ad eam sufficiebat. *Primò*, consilium fratris primogeniti Rubenis, suadentis & persuadentis fratribus suis, ut ab ea abstinerent, & fratrem potius in puteum præcipitarent, quam interimerent; sive velimus Rubenem, pro ætate, meliore indole, & prudentia sua, qua præ cæteris pollebat, à cæde fratris sui abhorruisse, & pro authoritate sua, tanquam primogenitum, in eandem secum sententiam fratres suos adduxisse; sive, Deum Rubeni istud consilium suggessisse, & bonam istam voluntatem indidisse. Dimissionem enim illam in puteum, non intendebat Ruben, ut minus malum, quam erat fratricidium, etsi fortasse eam sic suadebat, ut facilius persuaderet eam fratribus suis: Alioquin enim non modo manebat fratricidii propositum in cæteris, sed & pejus multo deteriusque manebat, quam si fratrem ictu uno atque altero interemissent; sed ut medium, quo liberare fratrem suum, eumque salvum atque incolumem domum ad patrem suum remittere constituerat, ut est *Genes.* XXXVII. 21. 22. *Deinde* Judæ fratris secundò geniti propositum, ad fratrem suum è cisterna, in qua eum fame & dolore confectum, mori necesse erat, extrahendum, & sic à morte liberandum; quamquam idem Rubeni propositum esse ignorabat. Quia vero non eadem bona Judæ voluntas, quæ Rubenis erga fratrem erat: (De remittendo enim fratre suo ad patrem suum, non videtur cogitasse, uti Ruben cogitaverat; Id enim si cogitasset, de fratre suo vendendo consilium non dedisset, non exspectato etiam Rubenis præmogeniti reditu:) hinc est, quod Deus voluntate ista Judæ, ex parte bona, ex parte mala, tanquam occasione idonea & commoda sibi oblata, uti voluerit ad conservandum Josephum in vita, & per dura ac tristia, sive per angusta ad augusta extollendum. Ac mala quidem voluntas Judæ in eo erat sita, quod fratrem, quem in vita conservatum volebat, ad patrem tamen suum redire nolebat; sed, quam longe poterat, subductum atque abductum ex oculis ejus. Isti voluntati exsequendæ occasio deerat, & obstitisset fortasse Ruben, si eam intellexisset. Quare, absente Rubene, eam Deus occurrere facit Judæ, dum cum fratribus cæteris panem comedit, id est, convivatur & epulatur; non ut eam arriperet, nedum ut eam non posset non arripere; sed ut eam, si omnino vellet, ac perstaret in proposito non remittendi domum fratrem suum, in quo tamen perstare non debebat, & non perstare etiam poterat, veluti ἐφθασμένου ὑποπαρόντος, priusquam Ruben rediret, invaderet, atque ita quam mala adhuc erga fratrem suum voluntate esset, consilio suo testatum faceret; quod & fecisse dicitur *Genes.* XXXVII. 26. 27. dicendo fratribus suis, *Quæ utilitas, si occiderimus fratrem nostrum, & celaverimus sanguinem ejus? Agite, vendamus eum Ismaelitis, & manus nostra ne sit in eum, quia frater noster & caro nostra est; & paruerunt ei fratres ejus.* Voluntatem itaque istam malam Deus Judæ non indidit, nec ut ea Judæ inesset Deus voluit; sed quia jam inerat, & ea Deo ad finem suum adsequendum apprime erat idonea, occasionem tantum obtulit, qua futurum facile præsagiebat, ut mala ista Judæ voluntas in actum vendendi erumperet, in speciem quidem minus turpem ac fædum quam fuisset fratricidium, sed tamen revera non minus sceleratum, & fraterno ingenio atque animo prorsus indignum: attamen Deo oportunum, ad decretum suum, absque ulla in scelus consensione, nedum sceleris tam immanis procuratione aut efficientia, exsequendum. Occasio enim, malæ voluntati imprimis oblata, etsi potens admodum sit ad voluntatem alliciendum, quia occasio etiam aliquando aliquem, licet ad furtum alioquin non propensum, furem facere dicitur; tamen nec ad malum necessitat voluntatem, nec ob eam oblatam, causſa justa est, conjiciendi culpam in eum, qui obtusit, & qui eâ, si oblata apprehendatur, uti aut abuti potest ad finem longe optimum. Neque vero in textu supra has, quas diximus, aliæ ullæ actiones Deo tribuuntur, quarum sive effectus sive consequens necessarium dici possit fuisse peccatum venditionis.

Dices: Actio tamen irresistibilis Deo tribui videtur, *cap.* L. 20. *Nolite irasci; num Dei possumus resistere voluntati?* Sensus enim esse videtur, Nolite vobis ipsis irasci & indignari, quod me vendideritis; Deo enim volente & autore, cujus voluntati & operationi resistere impossibile est, feciſtis quicquid feciſtis. Resp. In textu non sunt ista verba, sed longe alia, אל-תדאגו בי תתחת אלהיכם אני *Ne metuite, nam sub Deo ego* (sum:) vel, nam pro Deo, vel loco Dei vobis (ero:) sensu plane eodem redeunte. Æquum est ut ad Dei voluntatem me componam: video illum voluisse hoc malum factum vestrum, ad meum & vestrum bonum pro sua benignitate convertere: iniquum ergo foret, ut ego id in vestrum malum converterem: video Deum voluisse, ut vos & populum multum vivificarem, vosque servarem in vita, imo vobis populoque, Dei loco essem. Quid? an decet me, ut de vobis perdendis cogitem, & adversus vos insurgam? Absit. Quia Deus ita vult, benefaciam vobis, & injuriam, quam mihi intuliſtis, cum Deo meo beneficiis compensabo. Sensum hunc satis clare indicant *vers. sequentes* 20, & 21, versionis Pagnini, quam sequuntur cum aliis novi Bibliorum interpretes, quæ verba hæc ut per interrogationem facta exponit. Sensus in idem tandem recidit: etsi id quod Sixtinus Amama, quod ad phrasin Hebræam attinet, ad hunc locum annotavit, animadversione dignum est.

Cætera, quæ leguntur *cap.* XLV. 5. 7. 8. & L. 20. *Non vos me misistis huc, sed Deus*, &c. nihil in se habent, unde colligi possit, Deum voluisse aut procurasse efficaciter, tum voluntatem vendendi, tum ipsam actualem venditionem Josephi. Non enim dicitur, Deum misisse Josephum ad fratres, ut eum venderent; sed Deum misisse Josephum, quem fratres impiè vendiderant, in Ægyptum; (sub verbo

Mittere

*Mittendi*, comprehenſis omnibus, quæ miſſionem illam conſecuta ſunt, uſque ad erectionem Joſephi ad principalem, poſt Regem Pharaonem, dignitatem:) nempe ut Joſephus in Ægypto rerum potitus, fratres illos ipſos ſuos venditores tempore famis inſtantis aleret, &c. Eventus iſte glorioſus venditionem conſecutus, Deo & divinæ gratioſæ directioni tribuitur, non venditio. Hæc per ſe tribuitur fratribus; Ille Deo ſoli, præter ac contra vendentium intentionem. Hinc dicitur, *Vos me vendidiſtis*; &, *Vos cogitaſtis adverſus me malum*; *Deus vero miſit me ante vos, propter vitam*, (veſtram *& populorum multorum*, ſcilicet,) *& cogitavit*, id eſt, direxit malum veſtrum factum, *in bonum, ut faceret ſecundum diem hanc*; id eſt, ut vivificaret populum multum, ſicut hodie fieri videtis. Nempe homo proponit, Deus diſponit. & ut Jeremias ait, *cap.* X. 23. *Novi Domine, quod non eſt hominis via ejus, nec eſt viri ambulantis, ut præparet greſſum ſuum*; id eſt, non habet in poteſtate ſua homo, imprimis malus, ut quod vult & deſtinat facere, ſic ſemper eveniat, prout vult; Sed ſæpiſſime fit, ut præter & contra intentionem ejus, actiones, molimina ac ſtudia ejus, alia longe quam ea, quam inivit, via exeant, & contraria animo ejus eveniant.

*Reſponſio ad 2 locum, ex 1 Samu. II. 25. de filiis Eli.*

Secundus locus eſt 1 *Samuel.* II. 25. ubi de filiis Eli dicitur, quod *non audierunt vocem patris ſui, quia Dominus volebat eos occidere*: כי חפץ יהוה להמיתם. Reſp. Nihil vetat particulam כי hoc loco exponere per *idcirco*, ut non ſit cauſſalis particula, ſed rationalis, ab effectu ſic dicta, qui ratio illationis eſt, non cauſſa, ut cum dicimus, Sol ortus eſt, quia dies eſt. Sic vero etiam particulam hanc in Scriptura alias accipi, apparet ex *Pſal.* CXVI. 10. *Credidi* כי דברתי, *quia locutus ſum*, id eſt, credidi, propterea, vel idcirco locutus ſum, uti diſerte vocem iſtam כי etiam expoſuit Apoſtolus, 2 *ad Corinth.* IV. 13. ἐπίστευσα, διὸ ἐλάλησα, καὶ ἡμεῖς πιστεύομεν, διὸ καὶ λαλοῦμεν. Similia loca ſunt *Jerem.* XXIX. 16. *Luc* VII. 47. *Remiſſa ſunt ei peccata multa, quia dilexit multum.* Hoc ſenſu accepta verba, per ſe adeo clara & facilia ſunt, ut inſtantiam non admittant. Joannes Tarnovius in exercitationibus ſuis Biblicis, arbitratur particulam כי hîc exponendam eſſe adverſative pro *Quamvis*, ſive *etiamſi*; & particulam iſtam in Scripturis iſto ſenſu uſurpatam ſæpe eſſe, probat novem Scripturæ Veteris Teſtamenti locis, *Geneſ.* VIII. 21. & XLVIII. 14. *Exod.* XXXIV. 9. *Joſuæ* XVII. 18. & 2 *Samu.* XXIV. 10. *Pſal.* XXV. 11. & XLI. 1. & LXXI. 14. *Habac.* III. 17. uti & duobus Novi Teſtamenti, eodem modo Gtæcam huic reſpondentem voculam ὅτι acceptam eſſe oſtendit: *Act.* I. 17. & 1 *Tim.* I. 13. Sed vero, etſi quædam loca ſenſum iſtum videntur poſtulare, plurima vero eum non modo non poſtulant, ſed, vel eum quem particula כי ordinariè notat, vel ex hypotheſi tantum falſa per ſe, vel non ſine controverſia poſtulant; tamen quia ſenſus, qui huic noſtro loco inde infertur, obſcurior eſt, & ambagibus opus habet, hinc eſt quod priorem quem diximus, planum per ſe ac facilem, ei præferendum eſſe exiſtimem.

Verum enimvero, poſito etiam particulam כי cauſſalem eſſe, ratio tamen non ſinit, ut cauſſa inobedientiæ filiorum Eli immediata ſtatuatur hæc, Quia Deus eos volebat occidere. Quæ enim connexio inter hæc duo eſt, Deus volebat eos occidere; ergo ii non audiebant vocem patris ſui? Neceſſe utique eſt, ad hoc ut connexio ſolida fiat, ut ſub iſta propoſitione comprehendi dicatur alia quædam, & quidem hæc, Ergo noluit Deus; vel, ergo effecit vel procuravit Deus, ut vocem patris ſui nec audirent, nec audire, id eſt, obedire ei poſſent. At vero ſi hæc comprehendi dicatur, tum principium petitur, ſive, id quod in quæſtione eſt, pro probatione adducitur. Nec eſt quod dicas, aliud quid ſubaudiri non poſſe. Nihil enim vetat, longe aliud quid ſubaudiri, & quod connexionem claram & evidentem, nulliſque juſtis exceptionibus oportunam facit, videlicet hoc; Illi non audiebant vocem patris ſui, quia ſceleſtiſſimi, & filii Belial, id eſt, peſſimi nebulones erant; uti ex eo conſtabat, quod jam Dominus eos decreverat occidere. Non decreviſſet autem eos occidere, niſi peſſimi & prorſus inemendabiles fuiſſent. Solet enim alioquin Deus non raro parcere filiis, licet malis, propter parentum ſuorum pietatem & virtutes. at ubi filiorum impietas & malitia ad culmen pervenit, ut in eos, non obſtante parentum pietate, tandem aliquando animadvertat, æquiſſimum eſt. Decretum hoc à Deo factum fuiſſe, textus aſſerit; & Joſephus lib. v. Antiq. Judaicarum, cap. 11. affirmat hoc decretum Samueli Prophetæ revelatum à Deo fuiſſe, & deinde per Samuelem, Eli Sacerdoti, extorquenti & efflagitanti id, indicatum fuiſſe. an filiis Eli idem à patre ſignificatum fuerit, incertum eſt. Filios vero Eli peſſimos fuiſſe, non minus ex textu conſtat, *verſ.* 12. ubi *fibi Belial* fuiſſe dicuntur, qui *Dominum non cognoſcebant*, id eſt, Domini voluntatem & *mandata* ſuſque deque habebant, non aliter quam ſi ea non noſſent. & *verſ.* 17 dicitur *peccatum puerorum Eli magnum fuiſſe coram Deo*; quod in genere demonſtratur per contemtum ſacrificiorum Domini, *verſ.* 17. & in ſpecie à *verſ.* 13. uſque ad *verſ.* 18. uti & *verſ.* 22. ubi dormiiſſe dicuntur cum mulieribus, quæ congregabantur ad oſtium tabernaculi Eccleſiæ, &c.

Ex hoc colligitur non obſcurè, ſenſum verborum iſtorum non poſſe eſſe, quod decretum Dei de occidendis filiis Eli, cauſſa ullo modo fuerit inobedientiæ eorum; aut, quod ex decreto iſto divino ſtuxerit, ſive cum eo conjuncta fuerit actio aliqua ſeu poſitiva ſeu negativa Dei, ex qua inobedientiam eorum conſequi neceſſe erat. Quomodo enim decretum iſtud Dei, in Deo immanens, cauſſa poterat eſſe inobedientiæ quæ extra Deum erat? aut, quid neceſſe erat, ut actione aliqua ſua Deus ex vi decreti iſtius procuraret, ut filii iſti non poſſent non inobedientes eſſe, cum jam peſſimi & ſceleſtiſſimi eſſent, quique jam animum obſtinaverant ad ſcelera omnia? ac proinde quos lenis & mollis patris ſui increpatio, non magis afficere poterat, quam ſurdum fabula, aut rupem levis aura? Quare convenientius & tutius multo eſt, verba iſta conciſa, ſic, uti diximus, interpretari, ut ſubaudiatur, filios Eli peſſimos fuiſſe, ejuſque rei certum ſignum, quod Deus eos jam decreverat, in Hebræo eſt חפץ quod LXX geminatione emphatica expreſſerunt, βουλόμενος ἐβούλετο, occidere. Quia autem peſſimi erant, idcirco eos vocem, id eſt lenem patris increpationem, non audiviſſe, id eſt, curare noluiſſe, ſive tanquam levem auram pro nihilo habuiſſe, ac floccifeciſſe. Et ſanè, ſic conveniet oratio hæc cum familiari iſta, qua in vulgo uti ſolemus, oratione; Iſte nequam & decoctor bonorum patris ſui, non curat fidelia patris ſui monita. Quid mirum? Jam dudum enim pater eum in ergaſtulum compingi decrevit, quia inſanabilem & inemendabilem illum eſſe videt, adeo ut Æthiopem citius lavaret, quam illum ad meliorem frugem reduci poſſe ſperaret. Hæc itaque reſponſio ad locum hunc ſufficiat; etſi ego primam huic prætulerim.

Dignum tamen obſervatu hîc eſt, quod & adnotavit pulcherrimè *Tarnovius Profeſſor Roſtochienſis*, ſupra nobis nominatus, quod in hoc textu legatur verbum Hebræum חפץ, id eſt, *delectatus eſt* (Deus ſcilicet) quod verbum ii, contra quos nunc diſputamus, nunquam de voluntate Dei antecedente, ſed de conſequente accipi debere contendunt. Preſſi enim dictis duobus, *Ezech.* XVIII. 33. & XXXIII. 11. quibus Deus dicit, ſe nolle mortem peccatoris, diſtinguunt inter אבה חצם ut Latini inter delectatus eſt & voluit; ſiquidem multa volumus, quibus non admodum delectamur, imo à quibus tantum non abhorremus, ut potionem amaram pro ſanitate conſequenda: & ſic dicunt, Deum non delectari quidem morte impii, ſed tamen mortem ejus velle. Iſtam diſtinctionem, ſi ſalvam velint, neceſſe utique eſt, ut fateantur hoc loco particulam כי cauſſaliter accipiendam non eſſe, quia expreſſe verbum חפץ ei ſubjungitur; ſic ut Deus non tantum voluiſſe mortem filiorum Eli, ſed & ea delectatum fuiſſe, aut eam impenſiſſime voluiſſe, diſerte aſſeratur; ac proinde argumentum, quod ex eo deducitur, nullum eſſe.

*Reſponſio ad 3 locum, ex Act. IV. 27. 28. de inimicis Jeſu facientibus quod manus & conſilium Dei prius definierat.*

Reſtat ultimus locus, citatus ex *Act.* IV. 27. 28. *Coacti enim ſunt in veritate*, (id eſt, revera) *in hac civitate, adverſus ſanctum puerum tuum Jeſum, quem unxiſti, Herodes & Pontius Pilatus, cum gentibus & populis Iſrael, ad faciendum quæcunque manus tua & conſilium tuum prius definiverat fieri*, ſive ut fierent.

Reſpondeo 1. Certum eſt hoc in loco non agi de morte & crucifixione Jeſu Chriſti, tanquam à Deo prædefinita: Jam enim multo ante Chriſtus crucifixus fuerat; nedum de actionibus iſtis malis ac ſceleratis, quas in crucifigendo & occidendo Chriſtum, Herodes, Pontius Pilatus, & gentes ac populus totus Iſrael exercuerant, tanquam à Deo prædefinitis; ſed tantum ad ſummum de eo, quod Apoſtolis Jeſu Chriſti, & ſic ipſi Jeſu Chriſto, tum temporis eveniebat ex divina ordinatione & prædefinitione: juxta id quod Chriſtus ipſe dicit *Act.* IX. 4. 5: *Saul, Saul quid me perſequeris?* & XXII. 4. 7. 8. & XXVI. 14. 15. 2. Nec in textu hoc dicitur, Coactos fuiſſe tum eos, qui iſtic nominantur, ut facerent, quæcunque Deus prædefiniverat ut facerent; ſed tantum, quæcunque prædefiniverat γενέσθαι, id eſt, fieri: quæ duo ſane multum differunt. Aliud enim eſt prædefinire paſſionem ſive adflictionem Apoſtolorum, aliud actionem ſive perſecutionem affligentium Apoſtolos. Illam prædefinire poterat Deus, & prædefiniverat per ſe: Hanc non poterat prædefinire, nec prædefiniverat, niſi per accidens, quatenus eventus ejus erat adflictio, à Deo per ſe intenta, & ſic per ſe bona; ſed iſtis, qui eam inferebant, à Deo permiſſa, & ſic per ſe mala & culpabilis.

Sed

Sed & III. Posito etiam verba hæc sic exponi, ut dicatur, Deum aut divinam χεῖρα τῆ βυλῆ prædefiniviſſe, ut non tantum fierent ſeu evenirent diſcipulis filii ſui ea quæ tum iis eveniebant, ſed ut ea etiam facerent ii, qui in textu nominantur; tum nihil vetat verba iſta exponere ex hypotheſi malæ & peſſimæ voluntatis eorum, qui iſta diſcipulis inferebant, ut ſenſus ſit: Coacti hîc ſunt Herodes & Pontius Pilatus, &c. ut faciant, id eſt, exſequantur ea, quæ exſequi firmiter apud animum ſuum conſtituerunt, & exſequi tamen non poſſent, niſi Deus prædefiniviſſet, ut, quia ita volebant, ea etiam exſequerentur: Quia ita volebant, & velle eos liberrima voluntate Deus videbat, inquam, non ut non poſſent ea non velle, aut in iis volendis non perſeverare. Prædefinitio enim divina non eſt actio tranſiens, aut extra Deum per potentiam aliquid efficiens, ſed actio immanens in Deo, proinde nihil operans aut efficiens in iſtis hominibus, de quibus hîc agitur. Dices: At non tantum βυλὴ Dei hic fuiſſe dicitur, ſed & χεῖρ ejus. Reſp. Imo vero, inquam, ſi vocem χεῖρ non velimus hîc idem ſignificare quod ſignificat βυλή, tum dicendum omnino eſſe, Deum non tantum decreviſſe, ut Herodes & Pontius Pilatus, cæterique ſcelera iſta patrarent, ſed & per potentiam proprie dictam, quæ per χεῖρα denotatur, ea in iis effeciſſe, adeoque eos ad iſta patranda veluti robore & vi manus ſuæ coegiſſe; quod cum per ſe abſurdiſſimum ſit, ut à nobis multis refellatur, non eſt neceſſe.

Quia tamen τῆ βυλῆ τοῦ Θεοῦ hîc jungitur ἡ χεὶρ ejus, addo IV. nihil eſſe quod admodum obſtet, ut verba hæc paulo aliter legamus aut connectamus, quam legi & connecti hactenus ſolita ſunt, hunc videlicet in modum; Coacti ſunt in hac urbe Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus & populis Iſrael, contra ſanctum Filium tuum Jeſum, quem unxiſti, ut (ipſe ſcilicet Jeſus) faceret quæcunque manus tua & conſilium ſuum prædefiniverat fieri, ſive ut ipſe faceret. Trajectio tantum hîc eſt levicula, & quæ non quæſita eſt, ſed per ſe ex ordine & natura rei tantum non fluens; quamquam ſi omnino ea non admittatur, nihil vetaret, verba illa, Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus & populis Iſrael, tanquam parentheſi incluſa legere, abſque ulla ſenſus læſione: & ſic cum verbo ἔχρισας, conjungere verſ. ſequentem, ποιῆσαι ὅσα, &c. multo ſane majore cum ſpecie, quam ſi verba ποιῆσαι ὅσα, &c. per trajectionem connectantur cum verbo συνήχθησαν, prout hactenus factum eſt. Ut ut eſt, ſenſus, qui ex hac trajectione noſtra ſequitur, purior, evidentior, & minoribus (auſim dicere nullis omnino) difficultatibus obnoxius eſt, quam qui ex vulgata trajectione ſequitur; &, quod caput rei eſt, ſcopo loci accommodatiſſimus. Scopus enim eorum, quorum hæc ſunt verba, eſt indicare partim temeritatem, partim vanitatem hoſtium ſuorum. Nempe hoc volunt, Iſtos hoſtes ſuos id operam dare & eo contendere, ut Filium tuum Jeſum, id eſt, doctrinam, memoriam & nomen ejus, à quo Religio ejus Religio Jeſu Chriſti denominatur, peſſumdent & funditus exſtirpent; atque idcirco ſubinde conſultare, congregari, & comitia ex comitiis facere, &c. ſed fruſtra tamen eſſe: quia quidquid moliuntur, id omne contra ſanctum Filium tuum eſt, quem tu unxiſti, id eſt, gloria & honore Regio ſupra omnes Reges ac Principes coronaſti, ut omne id invitis omnibus hoſtibus ſuis exſequeretur, quod pro tua divina ſapientia decreviſti ut fieret, & quod manu tua, id eſt, potentia tua invicta exſequi per eum conſtituiſti. Et huic quidem ſenſui optime conveniunt ſequentia; *Nunc igitur, Domine, intuere in minas eorum, & da ſervis tuis, ut cum omni libertate loquantur ſermonem tuum; Manu tua à te extenſa ad ſanandum, fiantque & miracula edita per nomen ſancti Filii tui Jeſu.* Quod ſi cui hic ſenſus non arridet, is cogitet forte eum idcirco cæteris præferri poſſe, quod non ſit quæſitus, quod ſit facilis, analogiæ fidei conſentaneus, &, quod præcipuum eſt, nullo modo obnoxius ullis cavillis, nedum obtrectationibus tam enormibus, qualibus communis interpretatio obnoxia hactenus fuit, obnoxia adhuc eſt, & obnoxia ſemper erit.

Atque hac quidem ratione reſpondimus hactenus ad omnia iſta loca, quæ contra ſententiam noſtram de divina providentia circa malum, opponi tum ſolere tum poſſe diximus, quod attinet ad malum antequam fit, ſive ad mali & peccati initium.

## CAPUT XVI.

### Qui ſit modus, quo providentia Dei verſatur circa malum quà fit, & quà jam factum eſt.

*Actus providentiæ Dei circa malum quod eſt tum Directio, tum Determinatio.*

ACtus divinæ Providentiæ, qui verſatur circa progreſſum mali, ſive circa peccatum qua fit, aut animo ac voluntate hominis libera jam conceptum ac conſtitutum eſt, ut in actum educatur, circa objectum aut ad finem aliquem certum, duplex eſt, Directio & Determinatio. De hiſce actibus, quia promiſcue ab omnibus Theologis agnoſcuntur pro actibus divinæ Providentiæ, qui difficultatem nullam habent, & pulcherrime pertractati ſunt in eruditiſſima diſputatione D. Doctoris Arminii, præceptoris olim mei non ſine honore nominandi, *De juſtitia & Efficacia Providentiæ Dei in malo*, pauca tantum quædam ex illa ipſa diſputatione, adpotabimus.

*Directio mali.*

Directio peccati eſt actus Providentiæ divinæ, quo Deus peccatum ſapientiſſimè aut potentiſſimè dirigit quo vult; ſive abducendo ab eo termino ad quem non vult ut tendat, ſive adducendo ad eum terminum ad quem vult ut tendat. Sola enim abductio ad directionem peccati per ſe ſufficit aliquando, nulla accedente adductione ad certum terminum ad quem.

*Quæ eſt in objectum & finem. Directio in objectum.*

Directio hæc duplex eſt, in objectum & finem; ſub qua abductio ab objecto & fine comprehenditur.

Directio in objectum, quatenus abductionem ſolam ab objecto ſignificat, eſt, qua peccatum non permittitur fieri circa objectum, quod creatura pro arbitratu ſuo libero ſibi propoſitum habet. ex. gr. peccatum Abimelecho Regi propoſitum circa Saram aut cum Sara Abrahami uxore: *Geneſ.* XX, 6. cui ſimile fuerat peccatum Pharaonis, circa eandem Saram, *Geneſ.* XII. Abimelechum Deus à peccato iſto abduxit per immiſſionem ſomnii; Pharaonem per plagas & percuſſiones magnas: uti *cap.* XX. 3. & XII. 17. *Geneſ.* videre eſt. Hæc directio etiam apparet circa peccatum XL virorum iſtorum, qui in necem Pauli conjuraverant, qua factum fuiſſe dicitur per Pauli ex ſorore nepotem, & indicium conjurationis Tribuno factum ab eo ex Pauli inſtinctu, ut Paulum interimere non poſſent. *Act.* XXIII. quamquam tota hæc directio ad impeditionem peccati, quam per ſubductionem objecti fieri aliquando diximus, referri poteſt. Directio in objectum proprie dicta, eſt qua fit, ut in certum aliquod objectum, à peccante aliquando vel prorſus non petitum, vel non præciſe petitum, adeoque in ipſum autorem peccatum dirigatur. Quod Scriptura generatim enunciat his verbis, *Cor hominis excogitat viam ſuam, Dominus autem dirigit greſſum ejus; Proverb.* XVI. 9. id eſt, uti nos dicere ſolemus, Homo proponit, Deus diſponit: quia ſæpe alia longe via exeunt conſilia humana, quam qua inita ſunt: cui admodum convenit, quod *Jerem.* X. 23. dicitur, *Novi, Domine, quod non eſt hominis via ejus, nec eſt viri ambulantis ut præparet greſſum ſuum*; cujus loci ſenſum ſupra indicavimus. Speciatim enunciat iſtud Scriptura de corde Regis, *Proverb.* XXI. 1. *Rivi aquarum, cor Regis in manu Dei, ad omne quod vult inclinat illud.* Nempe, quia corda Regum ſæpe adeo ſunt inflata, tumida ac turgida, ut nullo alieno conſilio duci, nullo imperio regi, ſed ſuopte proprio dumtaxat animi motu ferri ac rapi velint, æſtuantium aquarum inſtar. & tamen, inquit Salomon, Deus ea tam levi brachio, tam facili flexu divertit ab eo quod ſuperbe moliuntur, & dirigit eo quo vult, quam pleno quidem alveo, ſed tamen leni fluentes rivulos, aquilex per canales aut tubulos ducit, quo vult ad irrigandum hortos ſuos. Cujus rei illuſtria exempla ſunt, 1: Nebucadnezar, cujus, cum apud animum ſuum conſtituiſſet populos multos ſibi ſubigere, ac dubitaret utrum in Ammonitas moturus eſſet, an vero in Judæos, Deus ita adminiſtravit divinationes, ut ſtatueret ire adverſus Judæos, omiſſis Ammonitis, uti eſt *Eſa.* X. 6. 7. *Ezech.* XXI. 19, &c. 2. Ahaſverus, cujus animum, quamquam Hamani addictiſſimum, Deus ſola lectione Annalium ſui temporis, quibus Mardochæi fides Regi teſtata facta per conjurationis detectionem continebatur, ſic flexit & direxit, ut in Hamanem populi Judaici hoſtem ira ejus exardeſceret, & quem antea præ oculis ſuis dilexerat, ad reſtim damnaret, atque ita cædem Judaico populo univerſo deſtinatam, imprimiſque Mardochæo, in ipſum Hamanem autorem converteret ac dirigeret. *Eſth.* VI. *cap.* 3. Abſalom, cujus cor Deus ita flexit ac direxit, per conſilium Chuſai Architæ, ut, quod Achitophel ad internecionem Davidis & exercitus ejus prudentiſſime ſuaſerat, pro nihilo duceret; atque ita cædem parenti ſuo & ſtragem exercitui ejus deſtinatam, in ipſum Achitophelem primo, deinde in ſuum ipſius caput, & ingentem populi, perduellionem ejus ſecuti, eamque miſerrimam ſtragem converteret. 2 *Sam.* XVII. Similia exempla plura dari poſſent.

*Directio in finem.*

Directio in finem eſt, qua fit ut peccatum non cuivis fini, quem peccator intendit, ſerviat, ſed in illum finem exeat, quem Deus intendit, & qui non raro intentioni & fini peccantis prorſus eſt contrarius. Sic direxit Deus id quod cogitaverant fratres Joſephi in malum ipſius, ut cederet in bonum non modo Joſephi, ſed integræ familiæ Jacobi, &

totius regni Ægyptiaci. *Geneſ.* L. 20. 21. Sic direxit Deus id, quod Rex Aſſyrius intenderat ad promovendam imperii ſui magnitudinem, per ſubactionem & excidium multorum populorum & gentium, ut cederet in punitionem populi furoris ſui, id eſt, populi furore & pœna furioſa ſive grandi digni. *Eſa.* X. 6. 7. *Ipſe quidem*, inquit textus, *non ſic exiſtimabit, nec cor ejus ita reputabit, ſed ad perdendum* (non uti Pagninus inſerit textui, ſe miſſum putabit, ſed potius ſe ſufficere, aut ad regiam dignitatem evectum putabit: vide *verſ.* 13. 14.) *in corde ſuo, & ad excidendum, ſive ſubjugandum ſibi gentes non paucas: verſ.* 7: *Ego vero eum veluti virgam furoris mei ad gentem impiam mittam, & ſuper populum furoris mei: verſ.* 5. 6. Sic dirigit ſæpe Deus perſecutiones hoſtium Eccleſiæ ſuæ, ut eæ, plane præter ac contra finem ſive intentionem perſequentium, cedant in bonum Eccleſiæ, id eſt, vel in flagellum & caſtigationem ſi peccaverit; vel in probam & experimentum fidei, ſpei, patientiæ ac conſtantiæ ejus in adverſis, ſi non peccaverit: vel in exemplum ne alii peccent, ſed virtutes patientiæ ejus ſequantur: vel in liberationem ejus ex hac miſeriarum valle, prout ſupra à nobis prolixè oſtenſum eſt. Dices: Quid ſi peccatores eundem cum Deo finem intendant? Reſp. Nihilominus peccarent. Solus enim finis non juſtificat actionem: alioquin furari liceret ad juvandum pauperes, &c. Ad hoc, ut actio aliqua ſit peccatum, ſufficit quod vetita ſit, quocunque demum fine fiat. Neque vero directio hæc divina idcirco bona ac juſta nobis videri debet, quia ad bonum finem tendit, ſed quia actio eſt, quæ ſupremo creaturæ Domino licita eſt. Nec enim minus, ſi non magis, creatura peccatrix obnoxia eſt Domino ſuo, quam creatura ſimpliciter: alioquin per peccatum creatura ſe poſſet eximere dominio Dei ſui: quod tam abſurdum eſt, quam ſi dicatur, creaturam poſſe ſe ipſam in nihilum redigere.

*Determinatio mali.*

Determinatio eſt actus divinæ Providentiæ, quo Deus permiſſioni ſuæ modum ponit, & peccato permiſſo terminum, ne pro arbitratu creaturæ vagetur in infinitum. Modus iſte & terminus ponitur per præſcriptionem temporis, ſive durationis, & magnitudinis peccati determinationem. Quæ duo nos his tribus enunciatis complectimur.

1. Quod peccator non ante poſſit deſtinatum animo ſuo peccatum exſequi, quam Deo videtur conſultum.
2. Quod non plus poſſit exſequi, quam Deus vult permittere.
3. Quod non diutius poſſit in exſequendo propoſito ſuo malo perſeverare, aut propoſitum ſuum malum exſequi, quam Deus vult.

Quæ tria manifeſte apparet evenisſe in Principe & patre peccatorum omnium diabolo, quando de affligendo Jobo cogitabat. Nec ante eum affligere poterat, quam veniam à Deo impetraverat: Nec plura ei inferre damna: nec diutius in eum ſævire poterat, quam Deus ei permittebat: uti *Job.* I & II videre eſt.

Primi enunciati exemplum valde obvium eſt in Jeſu Chriſto Domino noſtro. Judæi quærebant, id eſt, totis viribus ſuis adnitebantur, ut Chriſtum prehenderent & ad necem raperent: ſed nemo injecit in eum manum, priuſquam venerat hora ejus: *Joan.* VII. 30. Nempe, Providentia Dei intercedebat, & Chriſti ipſius ſapientia ac potentia, ut non ante, quam conſtitutum erat, ei vis fieri poſſet. Aliquando enim ſubducebat Jeſus ſe ipſum per medium eorum, eo ipſo momento, quo Judæi eum ſe in manu ſua habere credebant, ut eum ex faſtigio ſive ſupercilio montis præcipitem darent: *Luc.* IV. 29. 30. Aliquando lictores ad ſe prehendendum & vinctum abducendum miſſos, prædicationis ſuæ ἐνεργείᾳ & ſuavitate ſic demulcebat, ut ipſi veluti vincti ligatique manibus adſtarent, & prehendendi vinciendique animum prorſus deponerent atque exuerent, ſibique ab eo veluti manus injectas eſſe faterentur: *Joan.* VII. 45. 46. Aliquando eos inhibebat populi eum libenter audientis turba, & turbæ metus: *Matth.* XXI. 46. Ubi vero tempus à Deo præfinitum aderat, tum demum quod diu moliti fuerant, exſequi cæperunt; unde Chriſtus iis dicebat, *Luc.* XXII. 53, *Hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum.*

Secundi enunciati exempla etiam paſſim obvia ſunt. Chriſti exemplum præeat; cui ut oſſa ſua frangerentur, non permiſit Deus, quamquam atrociſſima quæque ut in eum deſignarent Judæi, antea permiſerat. Herodi permiſit Deus, ut Petrum Apoſtolum in carcerem compingeret, & duabus catenis vinctum quater quaternis inſuper militibus arctiſſime cuſtodiri curaret, volens eum poſt Paſcha producere populo. Sed ut jam decretum capitis ſupplicium de eo ſumeret, non permiſit, educto per Angelum Petro ex carcere; *Act.* XII. 3. 4, &c. Sic permiſiſſe Deus dicitur, ut hoſtium furor inſurgeret contra Iſraelitas: ſed non eſt paſſus, ut deglutiret eos; *Pſal.* CXXIV. 2. 3. Sic Corinthios tentari permiſit, ſed non niſi humana tentatione, id eſt, tentatione, cui ferendæ facile pares erant, ſive quæ ſupra eorum vires non erat: 1 *Corinth.* X. 13. Sic *premimur*, inquit Paulus, *at non coarctamur: perſecutionem patimur, at non deſerimur, dejicimur, at non perimus:* 2 *Corinth.* IV. 8. 9. Sic 2 *Paral.* XII. 7. 8 dicit Deus de Judæis Hieroſolymitanis, *Non diſperdam eos, ſed dabo illis brevi evaſionem; neque ſtillabit furor meus contra Jeruſalem per manum Siſac. Erunt tamen ei ſervi, ut ſciant ſervitutem meam, & ſervitutem regnorum terræ*, quantum videlicet inter utramque ſervitutem interſit. Sic non permiſit Deus principibus & primoribus populi, ut Jeremiam prophetam, quamquam eum è medio ſublatum aut interemtum cupiebant, majore ullo malo adficerent, quam quod eum detruderent in puteum, mox per Ebedmelechum, conſcio Rege, eripiendum: *Jerem.* XXXVIII. Similia exempla plura ſunt.

Tertii pronunciati exempla ſunt in primo mundo, in quo peccati durationi terminum poſuit Deus ſpatium CXX annorum: *Geneſ.* VI. 4. In Iſraelitis, quorum afflictionem injuſtam in Ægypto Deus determinavit ad annos quadringentos, quando videlicet completa eſſet iniquitas Emoræi; *Geneſ.* XV. 13. 14. 15. 16. In Judæis, quorum captivitatem in Babel determinavit ad annos LXX: id eſt, ad tempus vitæ hominis, quo etiam termino elapſo, ſecuta protinus eſt liberatio, per Cyrum decreta primum, ſed poſt obſtacula varia, & per intervalla deinde ad finem perducta. In Sennacheribo, quem Deus longe lateque Judæam vaſtare, & Hieroſolymam obſidione cingere permiſit, ſed cujus crudelitati tandem terminum ſe poſiturum Deus per prophetam Eſaiam ſignificabat, quando Regi Hiskiæ per eundem denunciabat, *ſe poſiturum hamum in naribus ejus, & camum in labiis, eoque facturum, ut rediret per viam, quâ venerat;* *Eſaiæ* XXXVII. 29. Et hac quidem determinatione utitur fere Deus, tum in malum & noxam peccantium, tum in bonum piorum & innocentium, ne diuturnitate nimia frangantur animo, & murmurando delinquant, veluti rebus omnibus deſperatis fieri ſolet. *Pſal.* CXXV. 5: *Non requieſcet virga iniquitatis ſuper ſortem juſtorum, ne mittant juſti ad iniquitatem manus ſuas. Apocal.* II. 10: *Habebitis afflictionem dierum decem. Eſto fidelis uſque ad mortem, & ego dabo tibi coronam vitæ.* 2 *Pet.* II. 9. *Novit Dominus pios è tentatione eripere, injuſtos autem in diem judicii pœnas dantes, ſervare.* Aliquando tamen alias ob cauſas idem facit, ut *Matth.* XXIV. 22: *Niſi decurtati fuiſſent dies illi*, (afflictionum aut punitionis populi Judaici rebellis, quæ futura erat in excidio urbis) *non fuiſſet ſervata omnis caro*: id eſt, nullus Judæus ſuperſtes manſiſſet; *ſed propter electos decurtabuntur dies illi.* & *Rom.* IX. 29: *Niſi Dominus Sabaoth nobis reliquiſſet ſemen, fuiſſemus ut Sodoma, & Gomorrhæ ſimiles facti fuiſſemus.*

*Actus providentiæ circa peccatum jam factum ſunt Punitio, & Remiſſio. Punitio peccati, qua vel pertinet ad futuram vitam, vel ad præſentem. Quæ infertur in hac vita, eſt vel corporalis, vel ſpiritualis. Hæc conſiſtit in privatione gratiæ, & traditione in poteſtatem mali.*

Actus Providentiæ, quibus verſatur Deus circa peccatum jam factum aut conſummatum, duo ſunt, Punitio & Remiſſio; etſi punitionis actus non proprie verſetur circa peccatum, ſed circa peccatorem; Peccatum enim non punitur, ſed peccator.

Punitio ergo eſt actus Providentiæ divinæ, quod peccatori quà tali & quia tali, rependitur pœna ſecundum juſtam Dei voluntatem ei debita. Punitio hæc vel pertinet ad futuram vitam, vel ad hanc præſentem. Illa eſt, totius hominis æterna à Dei viſione ſeparatio, cum ſenſu ſeparationis dolorifico, peccatorum tum quantitati tum qualitati, id eſt, meritis commenſurato, conjuncta.

Quæ in hac vita inferri ſolet pœna, duplex eſt, Spiritualis & corporalis. Quæ corpus adficiunt pœnæ, eæ variæ ſunt, & paſſim fere in Scripturis occurrunt, atque ad has duodecim fere reduci poſſunt; Ad morbos, dolores, plagas, (cæcitatem ſcilicet inſaniam, λυσσοδιψιαν, melancoliam, apoplexiam, lepram, ſcabiem, &c.) peſtem, famem ſive ſteritatem & ſiccitatem, bellum, captivitatem, exilium, præmaturam mortem, paupertatem, ignominiam & infamiam.

Pœna ſpiritualis conſiſtit in privatione gratiæ & traditione in poteſtatem mali. Privatio gratiæ, eſt vel externæ vel internæ gratiæ. Externæ, puta verbi divini & prædicationis ejus, quæ fames verbi, & amotio candelabri vocatur, fidelium paſtorum, parentum, amicorum, monitorum, &c. *Amos* VIII. 11. *Apocal.* II. 5. *Eſa.* III. 1. 2. 3. 4. Internæ gratiæ, puta quæ ſita eſt in ſuggeſtione boni conſilii, inſpiratione cogitationum piarum, motione adfectuum per honeſtas ἐννοιας, conſcientiæ ſopitæ excitatione, aliiſque.

Traditio in poteſtatem mali, eſt, vel in reprobam mentem & efficaciam erroris, vel in deſideria carnis & cupiditates peccati, vel denique in poteſtatem Satanæ Principis mundi, qui potenter agit in filiis contumaciæ. *Roman.* I. 28. & 2 *Theſſ.* II. 9. 10. 11. *Rom.* I. 24. 2 *Cor.* IV. 4.

De

De utraque hac ſpirituali punitione ſupra egimus. D. Arminius p. m. iſtam punitionem, talem punitionem peccati eſſe vult, ut & inſequentium aliorum peccatorum ſit cauſſa, propter malitiam ejus, cui infligitur; tum ſecundum certam Dei ſcientiam, qua novit, ſi ita puniat, futurum ut illa peccata inde exiſtant; tum ſecundum propoſitum ipſius, quo ſtatuit ita punire, ut propter graviora inde commiſſa peccata ſeverius puniat. Hæc tamen punitio, qua poſita, peccata plura & graviora non poſſunt non fieri ab iis, qui iſta punitione puniuntur, quomodo conciliari poſſit cum juſtitia ſeverioris deinde punitionis propter illa ipſa plura & graviora peccata, ego non video. Aut dicendum neceſſario eſt, ne in juſtitiam Dei impingatur, peccata iſta, quæ, iſta punitione poſita, deinde fiunt, aut ex ea exiſtunt, non niſi materialiter peccata eſſe, & ſic eos, qui ea committunt, non formaliter nec valide per ea obligari ad pœnam, nedum ad graviorem pœnam. Aut, ſi ea formaliter etiam peccata eſſe velimus, punitionis iſtius divinæ vi non fieri, ut peccata iſta exiſtant, ſed cum ea conſiſtere poſſe, ut, quamquam difficulter admodum, peccata iſta tamen evitentur ut non fiant; atque ita ſeveriori deinde pœnæ locus ſit, ſi nihilominus iſta peccata conſequantur aut fiant. Unde concludo, Falſum omnino videri debere, Deum peccata peccatis punire, niſi multo ſale benignæ interpretationis condiatur.

*Remiſſio peccati qua vel ad futurum ſæculum pertinet, vel ad præſens.*

Remiſſio peccati, eſt actus Providentiæ Dei, quo reatus peccati condonatur, & pœna reatui conveniens non infligitur: cui fere adhæret benevola & benefica tractatio peccatoris reſipiſcentis ſcilicet, tanquam ſi peccator non fuiſſet. Hæc remiſſio, ſicuti præcedens punitio, vel futurum ſeculum concernit, vel in hujus mundi ſecula incidit. Illa eſt completa & firma atque irretractabilis reatus condonatio, & non pœnæ tantum ſublatio, ſed contrariæ etiam juſtitiæ imputatio, atque æternæ beatitudinis donatio; quæ non contingit niſi fidelibus & ad finem uſque in fide conſtanter perſeverantibus. Hæc incompleta, vel ſi completa, retractabilis tamen eſt. Incompleta quidem tripliciter, vel 1. quia aliquando ipſa quidem proprie dicta pœna non infligitur, ſed tamen aliquid pœnæ vicem gerens quaſi ſentiendum datur peccatori; uti fiebat, quando Davidi Nathan Dei nomine dicebat, 2 *Sam.* XII. 13. 14: *Etiam Dominus tranſtulit peccatum tuum, non morieris. Veruntamen quia blaſphemando blaſphemare feciſti inimicos Domini in hoc negotio, etiam filius, qui natus eſt tibi, moriendo morietur:* nempe, non, ut filius iſte puniatur pro te, ſed ut tu ex morte ejus dolorem ſentias, atque ita non prorſus impune abeas. Vel 2. quia aliquando pœna jam jam infligenda, non omnino aufertur, ſed tantum ad tempus differtur; uti *Exod.* XXXII. 34. in exemplo Iſraelitarum, qui vitulum aureum ſibi fecerant in deſerto; & 1 *Reg.* XXI. *verſ.* 29. in exemplo Achabi videre eſt. Vel 3. denique, quia pœna quidem in totum aufertur, ſed non niſi ſub conditione, ſi videlicet fides & reſipiſcentia, ratione cujus aufertur, non deſinant, ſed ad finem uſque vitæ durent, alioquin rurſus infligenda: uti diſertiſſimè id ipſe Deus interpoſita juramenti religione expreſſit, *Ezech.* XVIII. & XXXIII. & Chriſtus *Matt.* XVIII. in parabola de duobus debitoribus. Atque hi quidem ſunt modi iſti omnes, quibus Providentia divina nobis circa malum verſari videtur.

## CAPUT XVII.

## Quis ſit providentiæ divinæ modus quo circa bonum & circa bonos verſatur. Et quid in univerſum ſit creditu neceſſarium de providentia quod ad bonum & ad malum attinet.

*Modus providentiæ Dei circa bonum.*

EX iis ſic pertractatis facile colligere eſt, quis ſit divinæ Providentiæ modus, quo circa bonum & circa bonos verſatur. Nempe talis quo poſito, nihilominus malum ſive peccatum libera voluntate hominis committi poteſt; proinde, qui non minus virtuti quam vitio locum relinquit; cujuſmodi Providentia omnino neceſſaria eſt, ubi locus eſt Religionis præſcriptioni, quæ præmii promiſſione & pœnæ comminatione ſancita eſt. Providentia enim inevitabiliter omnia tum bona tum mala determinans, uti cum formali ratione virtutis ac vitii conſiſtere non poteſt, ita religionis ac proinde præmii ac pœnæ omnis propriam rationem funditus tollit.

*Is tripliciter conſideratur.*

Ac modus quidem divinæ Providentiæ iſte, quem diximus, circa bonum eodem modo conſiderari poteſt, quo modum Providentiæ divinæ circa malum hactenus conſideravimus; videlicet tum circa ipſum boni initium antequam fit, aut ut fiat: tum circa progreſſum boni, id eſt, cum jam conceptum eſt ut in actum educatur; tum denique circa bonum, cum jam conſummatum eſt.

*1. Circa boni initium.*

Modus, quo divina Providentia verſatur circa boni initium, conſiſtit primum ac propriè in divinæ voluntatis, tanquam regulæ ac normæ boni quod Deus gratum ſibi habere vult, revelatione, promiſſis & minis talibus ſancita, qualia cuique tempori & ſtatui, pro diſpenſatione Dei libera, accommodata, & ſufficientia ſunt; quæ Gratia Præveniens dici ſolet, niſi quis hanc etiam gratiam velit includere, communicationem novæ potentiæ, quæ peccatoribus fiat, per peccatum ad revelationi divinæ fidem habendum per ſe inidoneis aut prorſus impotentibus redditis. Hunc modum, divinæ Providentiæ modum eſſe, & providentiæ quidem ſeriæ ac non ſimulatæ, arguunt, quæ ei conjunctæ eſſe ſolent, adhortationes, ſuaſiones, obteſtationes, &c. imprimis, ſi quomodo eas fieri dicat Scriptura, diligenter attendatur. Nempe 1. ex affectu φιλανθρωπίας & miſericordiæ, qui per *viſcera miſerationum Dei* exprimitur: *Luc.* I. 78. *Rom.* XII. 1. per *divitias miſericordiæ*: *Epheſ.* II. 4. per materni affectus, ſive *gallinæ pullos ſuos ſub alas ſuas congregare ſtudentis*, exempla aut ſimilitudinem: *Matth.* XXIII. 37. *Luc.* XIII. 34. 2. cum demonſtratione affectus iſtius per extenſionem manuum, per vota, per preces, per dolorem & lachrymas, ſi non ex voto ſuccedat quod intendit. 3. cum crebra & aſſidua pene, atque identidem repetita affectus iſtius teſtificatione, ſive ea per Angelos, ſive per homines, ſive per verbum, quo omnia iſta continentur, fiat ac peragatur.

*2. Circa progreſſum boni.*

Modus, quo divina Providentia verſatur circa progreſſum boni, duplex eſt. Extimulatio ad profectum, & Confirmatio in profectu. Extimulatio ad profectum fit per impreſſum debilitatæ conſuetudinis malæ ſenſum: Per facilitatam jam cœpti boni operis promotionem; Per turpitudinis & pudoris ex cœpti operis boni deſertione extituri inculcationem: Per mali poſt deſertionem metuendi profundam impreſſionem. Quibus aliæ accedere poſſunt, ſive internæ adſpirationes & ſuggeſtiones, ſive externæ adjutationes; quas omnes enumerare difficile eſt.

Confirmatio fit, per ſuavem pulchritudinis boni iſtius, quod pius facit, impreſſionem; Per ſpei inæſtimabilis præmii, ex promiſſione divina conceptæ, profundiorem inſitionem: Per internam Spiritus S. teſtificationem.

*3. Circa bonum jam factum.*

Modus Providentiæ divinæ, quo verſatur circa bonum jam factum, eſt Juſtificatio, eaque vel pertinens dumtaxat ad hanc vitam, ſive ad tempus iſtud vitæ, quo bonum fit. Ea incompleta eſt, quia non durat niſi durante bono facto, & ceſſat eo ceſſante: vel ad futuram etiam vitam pertinens; & ea completa eſt, ac ſub ſe comprehendit præmii promiſſi æternam retributionem.

De hiſce modis impræſentiarum plura non dicam, quia in ſequentibus, cum de vocatione divina, de præceptis, promiſſis & comminationibus agendum erit; ii uberius pertractabuntur.

*Quid ſit ad ſalutem creditu neceſſarium de providentia Dei circa bonum & malum, concluſionibus aliquot declaratum. Prima.*

Reſtat, ut videamus, quænam iſta ſint, quæ de divina Providentia præcisè ad ſalutem creditu neceſſaria ſunt, quod attinet ad bonum & ad malum, id eſt, ad virtutem & ad vitium. Quod enim ad cætera naturalia attinet, de iis difficultas nulla eſt.

Dicam ſuper hac re ſententiam meam breviter per concluſiones aliquot. Ac primo quidem, quod attinet ad Providentiam utramque; Neceſſarium ad ſalutem creditu eſt, Deum providentia ſua verſari circa hominem, & curare actiones ejus tum bonas tum malas. Modos vero controverſos, quibus circa utraſque verſari creditur, quinam quales aut quot ſint, præcisè ſcire ac credere non eſt neceſſarium. Utiliſſimum tamen eſt, non alios agnoſcere Providentiæ divinæ modos, quam tales, per quos ſic Deo ſuprema bonitatis & juſtitiæ gloria tribuitur, ut homini ſimul etiam ſua conſtat libertas; & actionibus ejus liberis adſcribi poſſit ratio formalis virtutis & vitii; cui correſpondeat jure merito ratio formalis præmii & pœnæ. Utiliſſimum dico, quia ut id præciſe neceſſarium creditu ad ſalutem arbitrer, nondum à me impetro. Fieri enim poſſe credo, ut quis modos divinæ Providentiæ etiam tales ſtatuat, cum quibus libertas hominis, & proinde ratio formalis virtutis ac vitii, præmii ac pœnæ conciliari nullo modo poteſt, ut interim tamen eos cum iſta conciliare ſtudeat, (quamquam fruſtra) & piè ac pacificè cum iis, qui modos iſtos non agnoſcunt, vivere velit; cui ego errorem iſtum ſuum à Deo condonatum iri, & à nobis condonari debere, idcirco mihi perſuadeo, quod non leve ſignum ſit, pietatem ac caritatem profunde radicatam eſſe in animo ejus, quem error tam ingens à pietatis ac caritatis tramite tranſverſum non abripit. Judicii infirmitas, tam pio ac pacifico animo ut condonetur, æquum

esse existimo. Atque hoc quidem imprimis dictum volo de eo, qui in providentia divina circa actiones hominum bonas, modum agendi irresistibilem locum habere sibi persuadet, paratus interim tolerare alios ea in re à se dissentientes, & virtuti non minus sedulo ac serio operam dans, quàm si ei liberrima voluntate se operam dare crederet. Ac licet idem plane dicendum videatur de eo, qui eundem modum in divina Providentia circa malum vult locum habere, si videlicet, quamquam ita credit, nihilominus tamen à malo faciendo solicitè abstineat, & bonæ vitæ serio operam det; tamen, quia opinio ista longe Deo est indignior, & per se ad ingenerandum mali odium & boni studium prorsus inidonea, quin imo ad amorem omnem virtutis exstirpandum, & ad scelerum flagitiorumque omnium odium, fugam, conscientiam & pœnitentiam ex animo averruncandum, natura sua comparata & efficax, alterutrum mihi omnino dicendum videtur; aut factum nunquam fuisse, nec futurum unquam, ut quis ista opinione imbutus sese bona unquam fide, aut cum bene deliberato animo ac consilio, ad vitandum peccata & scelera componat: aut si id factum unquam est, portentum potius hominis, sive insanientis, sive præposterè agere volentis, videri debere. cui tamen non repugnat, ut quis opinione ista imbutus videri velit, & tamen à malefaciendo sedulo sibi caveat; quia imbecillitas judicii facit, ut quid ex opinione ista consequatur non videat, aut videre non studeat, adeoque dedita opera sibi ipsi persuasum ire velit, contrarium ex ea consequi.

*Secunda.* Quare Conclusio nostra secunda esto:

Opinionem istam, qua statuitur, Deum Providentia sua sic versari circa malum, ut, quæcunque, ubicunque, quomodocunque peccata, scelera ac flagitia fiunt, ea necessario atque inevitabiliter ex vi providentiæ istius eveniant, sive Deum peccatorum ac scelerum omnium autorem ac caussam esse, per se esse impiam, blasphemam, & intolerabilem, utpote divinæ gloriæ & sanctissimæ Religioni Christianæ summè injuriam, quin & Religionis omnis pestem: eique, qui eam fovet, & secundum eam sic vivit, ut secure male faciat, malefacta sua, & aliorum parvi imo flocci faciat, excuset, seriaque & luctuosa pœnitentia, quia Deo autore facta sint, eluenda non putet, & reipsa non eluat, lethalem ac mortiferam: Per accidens tamen eam tolerabilem & non lethalem esse in eo, qui etsi sententiam istam tenere se profitetur, reipsa tamen per eam ad securè malefaciendum non se patitur abripi, & contra sentientes atque opinantes ferre ac tolerare etiam in eadem secum communione paratus est.

Sic enim omnino statuendum mihi videtur, 1. Opinionum, quæ per se & natura sua non sunt comparatæ ad voluntatem aut animum hominis corrumpendum, sive ad malum convertendum, cujusmodi sunt omnes opiniones merè speculativæ, nullas per se lethales esse. 2. Opiniones, quæ natura sua ac per se comparatæ sunt ad voluntatem sive animum hominis corrumpendum, etsi per se lethales sunt, tamen actu non esse lethales, nisi quatenus animum hominis actu corrumpunt, atque ad istos actus inclinant, quibus æternæ mortis pœna adhæret ex divinæ voluntatis sententia; ac proinde minime lethales esse ei, qui, non obstante aliqua tali opinione, sic vivit, ut ab ea non modo nullam mali contagionem trahat voluntas ejus, sed & à malo ita aliena maneat, ac si sententiam ipse suam damnaret, aut eam damnantes sequeretur.

Tertia conclusio: *Tertia.*

Opinio ista, qua statuitur, Deum aliquando providentia sua sic versari circa peccatores, ut peccata peccatis puniat, distinguenda est ab ea, qua statuitur, Providentiam divinam sic versari circa homines omnes, quà innocentes, quà nocentes, ut, quæcunque ab iis fiunt mala aut peccata, ad ea per istam Providentiam determinentur & necessitentur. Ista enim opinio, etsi falsa nobis videtur, reipsa tamen minus periculosa est, & ad ingenerandum divini Numinis metum, ex tam severa & gravi punitione quæ per providentiam ejus fiat, per se idonea est. Hæc vero opinio periculosissima est, quia per eam statuitur, Deum primum peccati autorem esse: Deum autorem esse ejus quod severissime prohibet: Deum innocentes punire, & punire propter id cujus ipse author est: quæ talia sunt, ut per se sint intolerabilia & lethalia. Per se, inquam; quia fieri vix potest, ut quis capiat, quomodo is, qui ista firmiter credit, non secure peccet; quomodo de peccato doleat, aut vindictam Numinis metuat, quasi factis suis promeritam: aut, si eam etiam metuit vel metuere cogitur, quomodo non desperatione obrutus contabescat, adeo ut vita ei supplicium & mors solatium fiat. Per se ergo est ista opinio mater & nutrix vel desperationis vel securitatis. Quod si in quibusdam aliter fiat, id plane per accidens videri debet, vincente vel natura, vel educatione rectiore, vel alia aliqua caussa tam malignæ opinionis vim ac luem; ne aut irrepat in voluntatem, aut si irrepsit, ne in ea hæreat ac radices figat.

Quarta Conclusio est: *Quarta.*

Præcise ad salutem scitu ac creditu est necessarium, Deum ex vi Providentiæ suæ, actiones omnes hominum, tum bonas tum malas, si non in hoc seculo semper, in futuro tamen, certo & irretractabili judicio judicaturum esse.

# LIBRI QUARTI SECTIO V.

## *De Redemptione.*

### CAPUT I.

### De occasione operis Redemptionis, nempe hominis miseria, & qua in re illa consistat, quamque late pateat.

*Opus novæ creationis, seu redemptionis.*

Postquam primæ creationis, & quod ei adhæret Providentiæ, subjungimus opus secundæ sive Novæ creationis & Redemptionis, per quod Deus novo & illustriore titulo sibi conciliavit jus atque autoritatem postulandi à nobis sui unius cultum atque obsequium: quando videlicet miserum genus humanum, non obstantibus peccatis enormibus & inveteratis, tanquam miseriæ istius caussis, tantopere dilexit, ut Filium suum unigenitum pro eo redimendo, & ex misero isto statu liberando, adeoque veluti de novo creando & reformando, in mundum dederit ac miserit: *Joan.* III. 16. & 2 *Corinth.* V. 17. 18. 19. 20. 21. *Ephes.* II. *vers.* 4. 5. 6. 7. *Tit.* III. 4. 5. & 1 *Joannis* IV. 9. 10. 19.

*Describitur in libris Novi Testamenti, de quibus quatuor notanda.*

Opus hoc divinum, quod ante tempora secularia præfinitum quidem fuerat, sed tamen in Deo absconditum latuerat, *Ephes.* I. 4. 9. & 1 *Pet.* I. 20. *Ephes.* III. 9. & sub Veteri Fœdere non nisi tenuiter & rudi Minerva adumbratum, *Heb.* X. 1. plane & vivis coloribus expressum continetur libris Novi Testamenti, quos vocant. videlicet IV Libris Euangelistarum, Actorum Apostolicorum libro uno, tredecim Epistolis Pauli, Epistola ad Hebræos, Jacobi una, duabus Petri, tribus Joannis, una Judæ, & Apocalypsi Joannis. De quibus autoribus & libris impræsentiarum non dicemus aliud quid, quam hæc quatuor.

1. Nullam esse justam dubitandi caussam, cur librorum istorum autores non sint ii, quorum nomina præ se ferunt, excepta Epistola ad Hebr. quamquam ea fere nullum autoris nomen inscriptum sibi habere solet.

2. Posito, quod scriptores librorum istorum fuerunt ii, quorum nomina libri isti præ se ferunt, nullam justam caussam esse dubitandi de veritate historiæ, & rerum scriptarum divinitate. Fuerunt enim minimè suspectæ fidei, & inculpatæ famæ, ut mentiri & fallere eos quemquam dedita opera nullo suo bono, imo maximo suo periculo ac damno voluisse, minimè sit verisimile. Et quæ scripserunt, ea, ut sibi vel visa, vel compertissimè explorata scripserunt, & quidem iis temporibus, quibus, si quid non veri aut apertè falsi scripsissent, statim mendacii & falsimoniæ convinci potuissent. ut jam alia non dicamus, quæ supra satis dicta à nobis sunt.

3. Quamquam de quibusdam, partim libris, ut Epistola Jacobi, & secunda Petri, II & III. Epistola Joannis, Epistola Judæ, adeoque Epistola ad Hebræos & Apocalypsi Joannis; partim librorum laciniis sive commatis quibusdam, ut principio *cap.* VIII. *Joannis* de adultera; commatibus 7. & 8. *Epist.* I. *Joannis*, *cap.* V, &c. dubitatum pridem est à quibusdam Christianis, hodieque adhuc dubitatur; tamen certum est, Euangelicæ historiæ, quæ in reliquis libris, de quibus dubitatum nunquam est, extat, nihilominus suam sartam tectam constare tum veritatem tum autoritatem, nec periculum esse, ut ei quidquam dece-

decedat, ſi omnino non tollatur dubitatio, quæ de iſtis libris eſt: quamquam, cur pridem, per experimenta varia, dubitandi omnis juſta cauſſa ſublata videri non debeat, rationem nullam video.

IV. Si quæ in libris iſtis videntur eſſe ſibi diſſimilia, aut contraria, ea vel levia admodum eſſe, vel nullo negotio conciliari inter ſe poſſe. Ipſa diſſimilitudo & ἀναλογία argumentum ſunt certiſſimum mihi, libros iſtos bona fide ſcriptos, & non ex compoſito, collatiſque operis elaboratos eſſe, uti fieri ſolet ab iis, qui fabulas σεσφισμένοις μύθοις adornant, uti Petrus ait, 2 *Epiſt.* I. 16.

*Quatuor in opere redemptionis conſideranda.*

Deſcriptio autem operis hujus divini, quæ in libris iſtis fit & quæ excellentiam ejus arguit, quatuor his abſolvi poteſt.

1. Deſcriptione cauſſæ efficientis αἰτιοκαθαρκτικῆς, quæ operis hujus occaſio fuit.
2. Deſcriptione cauſſæ impulſivæ αἰτιογαμβίης, ex qua opus hoc profectum eſt.
3. Deſcriptione cauſſæ inſtrumentalis, per quam perficiendum eſt.
4. Deſcriptione operis ipſius.

*Cauſſa ejus αἰτιοκαθαρκτικὴ ſeu occaſio fuit ſumma hominis miſeria.*

Cauſſa αἰτιοκαθαρκτικὴ operis hujus, deſcribitur paſſim in libris his, ſumma miſeria, in quam humanum genus totum, liberrima & ultronea legum divinarum tranſgreſſione, nulla vi externa, nulla neceſſitate interna adactum, ſemetipſum præcipitaverat. Ergo hic conſideranda venit Miſeria, 1. quæ & qualis fuerit. 2. Quanta fuerit, univerſalis ſcilicet quæ totum genus humanum invaſerat. 3. Quomodo aut unde ea profecta fuerit, ex liberrima ſcilicet hominum omnium tranſgreſſione.

*Quæ duobus malis comprehendi poſſit. Nempe morte ſeu damnatione:*

Miſeria generis humani ſic deſcribitur, ut duobus malis comprehendi poſſit. Malo ſcilicet mortis ſeu damnationis: & malo dominii ſeu ſervitutis peccati. Malum primum vocatur paſſim mors, condemnatio, ἀπώλεια, ὑπόδικοι τῷ θεῷ, & per Metonymiam cauſſæ, ira Dei, inimicitia Dei, &c. Hinc *mors* dicitur *ſtipendium peccati: Rom.* VI. 23. & homines *mortui in peccatis*, id eſt, rei mortis propter peccata. *Epheſ.* II. 1. & *mortui* ſimpliciter, *ibid. verſ. ibid.* 5. & 1 *Pet.* IV. 6. *Matth.* VIII. 22. & *Coloſſ.* II. 13, vocantur. & *totus mundus obnoxius* dicitur fuiſſe *condemnationi Dei; Rom.* III. 19. & *Filius hominis veniſſe* dicitur *ut quærat & ſervet quod perierat*, τὸ ἀπολωλός, *Luc* XIX. 10. & *omnes peccaſſe ac deſtitui gloria Dei; Rom.* III. 23. & *ira Dei revelata ſuper omnem impietatem, Rom.* I. 18. quin & *manere ſuper omnes incredulos, Joan.* III. 36. & *inimici Dei* vocantur omnes, *Rom.* V. 10. uſque adeo ut *ſine ſpe in mundo* & *ſine Deo* eſſent, *Epheſ.* II. 13. Per mortem hanc &c. non intelligitur proprie mors iſta, quam ex primo parente, mortis pœna adfecto, inevitabili naturæ aut generationis lege trahimus, juxta id quod dicitur 1 *ad Corinth.* XV. 21. *Per hominem mors, per hominem reſurrectio mortuorum.* & *verſ.* 22. *In Adam omnes moriuntur.* quia mors illa non eſt pœna peccatorum noſtrorum, ſed naturalis tantum moriendi neceſſitas, orta quidem ex peccato Adami, mortis pœna puniti, ſed nobis tamen non incumbens aut obveniens ut pœna. Sed intelligitur, mors, quæ & qua pœna eſt propria noſtra culpa attracta, & quâ talis nobis incubitura, non cum damno tantum noſtro, ſed & cum dolore & ſenſu mali, peccatorum noſtrorum meritis proportionato. *Omnes enim peccaverunt*, inquit Apoſtolus, *& deſtituntur gloria Dei: Rom.* III. 23. Ecce damnum. Et cruciatus ſive βασανισμὸς eorum in igne & ſulphure dicitur futurus eſſe, *cujus fumus aſcendet in ſecula ſeculorum*, ita ut *requiem non ſint habituri nec die nec nocte*; *Apoc.* XIV. 10. 11. cujus exemplum videre eſt *Luc.* XVI. in parabol-hiſtoria divitis epulonis. Ecce ſenſum mali. Neque tamen dubitandum mihi videtur, quin iſta naturalis moriendi neceſſitas, ſine ulla certa reſurrectionis aut ſecuturæ poſt mortem beatæ immortalitatis ſpe, partem etiam aliquam facere poſſet humanæ miſeriæ, etiamſi nulla alia accederet mors, quæ pœnæ proprie dictæ locum haberet. Etſi enim moriendi neceſſitas miſeria proprie dicta non ſit; (Neque enim miſeria proprie eſt, vivere vitam, cujus finis aliquando mors erit:) tamen ipſa mortis certo ſecuturæ & nunquam deſituræ apprehenſio, non poteſt non ſubinde metum, horrorem & triſtitiam aliquam adferre, & ſic miſera eſſe ei, qui vitæ dulcedinem percipit, & qui æternitatem & immortalitatem impenſiſſime deſiderat. Quæ cauſſa etiam eſt, quod non minima infælicitatis humanæ portio paſſim in Scriptura S. in eo poſita dicatur fuiſſe, quod laborarent ignorantia divinæ voluntatis: à qua ſola immortalitatis, & viæ, quæ ad eam ducit, certa ſcientia & ſpes indubitata dependet, uti contra, fælicitatis humanæ in hac vita, potiſſima pars, ſi non unica & tota fælicitas, ponitur in eo, quod certa immortalitatis & viæ, quæ ad eam ducit, ſcientia ac ſpes indubitata, per divinam revelationem iis facta ſit. Illud videre eſt. *Act.* XIV. 15. 16. 17. & XVII. 30. 31. *Epheſ.* II. 11. & IV. 17. 18. Hoc *ad Epheſ.* I. 9. 10. 11. 12. 13. 14. *Coloſſ.* I. 5. 6. & 2. *ad Timoth.* I. 9. 10. *ad Titum* II. 11. 12. 13. & 1. *Petr.* I. 12. 13. & paſſim alibi.

*Et ſervitute peccati.*

Malum ſecundum vocatur in Scripturis peccatum: unde omnes dicuntur *peccatores, in peccato* aut ſub peccato *jacentes, ſervi peccatorum, in quibus peccatum regnat* aut dominatur, &c. Quod tamen ſic accipiendum non eſt, quaſi eadem peccati ſervitus eodem modo omnes teneat; ſed quod nemo ſit, qui peccati alicujus mortalis reus non ſit, ac proinde nemo non reus pœnæ, & ſic miſer. Primò tamen ac præcipuè iſta intelligitur peccati ſervitus; quæ conſiſtit in habitu & conſuetudine peccandi, id eſt, vel unius, vel plurium peccatorum, continua vel crebra, vel ſaltem ordinaria, ſi occaſio ſe offerat, patratione; quia ſervire peccato proprie eſt, peccati tanquam domini voluntatem noſtram poſſidentis, juſſibus quando ita uſu venit vel nobis placet, obſequi. Hæc vero conſuetudo, quia multo maximam generis humani partem tenet, idcirco ſervitus peccati etiam generatim ſive communiter dicitur eſſe miſeria iſta, cui ſubjecti omnes ſunt. Alioquin certum eſt, omnibus ſeculis fuiſſe nonnullos, qui ſervituti iſti mancipati non fuerunt; quos tamen ab omni peccato, etiam gravi, prorſus ac per omnem vitam liberos atque immunes fuiſſe nemo dixerit; quia de ſolo Chriſto expreſſe dicitur, quod *fratribus ſuis per omnia ſimilis fuerit, excepto peccato: Heb.* IV. 15.

*Hæc miſeria eſt univerſalis.*

Sequitur jam ut ſecundo videamus, quanta ſit hæc miſeria, ſive quam late diffuſa. Univerſalem eam facit Scriptura, ſic ut totum genus humanum involvat; quod voce *Mundi* indicare ſolet, id eſt, omnes omnino ac ſingulos homines, ſupple in quibus miſeria iſta tanquam juſta pœna locum habere poteſt. Infantes ergo, quà tales, uti & fatuos, inſanos, amentes, aut rationis & voluntatis liberæ uſu deſtitutos, ſub iis comprehenſos nolumus. Hi enim, quia peccare non poſſunt, jure etiam puniri, ac proinde miſeriæ tanquam pœnæ obnoxii fieri non poſſunt. Servituti ergo peccati ut obnoxii reddantur, impoſſibile eſt. Naturalis tamen iſta moriendi neceſſitas, quin in iis locum habeat, nihil vetat, & quia illa ipſa aliquomodo miſeria eſt, redemtio etiam ad eos pertinere poteſt, qua fiat, ut à morte ipſa illa liberentur, ex divina ſpeciali gratia.

*Omnes peccarunt.*

Univerſalitatem miſeriæ hujus paſſim inſinuat Scriptura, & ſpeciatim Apoſtolus Paulus, non tantum *Act.* XVII. 30. ubi πᾶσι *omnibus hominibus* πανταχοῦ *ubique denuntiari ait, ut reſipiſcant*, &c. & *Epheſ.* II. 1. 2. 3. 4, &c. *Tit.* II. 11. & III. 1. 2. 3. 4, &c. ſed imprimis *ad Rom. capitibus* I. II. & III. diſtributione totius generis humani facta in Judæos & gentiles: quos utroſque omnes pariter demonſtrat, ſub peccati dominio & condemnatione ſuapte propria culpa obrutos jacuiſſe ante prædicatum Euangelium. Quod ab Apoſtolo ſic adſertum eſſe arbitror, ut non modo nationem ſive populum utrumque Judaicum & gentilem, communiter (exceptis quibuſdam ſcil.) ſub miſeria iſta mortis & peccati concludere voluerit, ſed univerſaliter omnes ac ſingulos in populo utroque, nemine mortalium prorſus excepto. *Omnes enim peccarunt*, inquit, *ac deſtituuntur gloria Dei, Rom.* III. 23. quorum verborum eam eſſe mentem, quod nemo unquam fuerit in mundo qui non vel plurium, vel quorundam, vel unius alicujus peccati gravioris, ſive aliquando, ſive aliquamdiu perpetrati, reus fuerit, ex Scriptura tota manifeſtum eſt. Sic enim Salomon, 1 *Regum* VIII. 46. loquitur ad Deum: *Non enim eſt homo qui non peccet.* & Joannes, 1 *Epiſt.* I. 8: *Si dixerimus nos peccatum non habere, nos ipſos ſallimus, & veritas in nobis non eſt.* & expreſſius *verſ.* 10: *Si dixerimus nos non peccaſſe, mendacem facimus eum, & ſermo ejus in nobis non eſt.* Quæ tria loca de peccatis proprie dictis, non de levioribus culpis aut delictis intelligenda eſſe, res ipſa loquitur.

*Quo ſenſu Philoſophi & Judæi quidam dicantur fuiſſe juſti & perfecti.*

Quare quæ tum de Philoſophis quibuſdam gentilibus, ſive de vita eorum inculpata, tum de Judæis quibuſdam, ſive Regibus, ſive prophetis, ſive ſacerdotibus, ſive aliis ex vulgo leguntur, quod *quæſiverunt Dominum in toto corde, & in tota anima ſua*, uti de Aſa Rege & toto populo dicitur, 2 *Paral.* XV. 12. & quod *cor Aſæ perfectum fuerit coram Deo*: 1 *Reg.* XV. 14. de Davide, quod *cuſtodierit præcepta Dei*; & quod *ſecutus fuerit Deum ex toto corde, faciens quod bene placitum erat in conſpectu ejus*: & quod amplius eſt, quod *non declinaverit ab omnibus, quæ præceperat ei Deus, cunctis diebus vitæ ſuæ.* 1 *Reg.* XI. 34. & XIV. 8. & XV. 5. de Joſia, quod *non declinaverit ad dextram aut ad ſiniſtram*: quod *reverſus fuerit ad Deum in omni corde ſuo, & in tota anima ſua, & in univerſa virtute ſua, juxta omnem Legem Moſis*: 2 *Reg.* XXI. 2. & XXIII. 35. De Zacharia & Elizabeth, quod *incedebant in omnibus mandatis & conſtitutionibus Domini, inculpatè*, &

quod *justi erant ambo in conspectu Dei. Luc.* I. *vers.* 2. de Paulo quod ἄμεμπτος fuerit, *quod attinet ad justitiam quæ in Lege est, Philipp.* III. 6. quod *se exercuerit ad conscientiam habendum sine offendiculo, apud Deum & apud homines,* πρὸς. *Actor.* XXIV. 16. Hæc, inquam, omnia cum grano salis accipienda sunt; Quod videlicet virtutum studio ducti, à multis magnisque peccatis, & peccatorum habitibus, vel se exsolverint, vel se continuerint; sed non ab omnibus semper ac prorsus immunes fuerint. Certe, quod ad Philosophos plerosque, saltem qui inter eos excelluisse creduntur, attinet, non paucis eos vitiis laborasse ex vita eorum liquet. & ex mutua insectatione. Quis non observat caninam in Diogene impudentiam & scurrilem impudicitiam? In Aristippo luxum & lenoniam pene adulationem? Diogenes calcitram Platonis calcans, conculcabat fastum Platonis, sed alio fastu, inquiebat Plato. Si oleribus vesci potuisset Aristippus, non fuisset canis regius, sive non fuisset lenocinatus Dionysio Regi, inquiebat Diogenes. Et si Rege uti, id est Regi & aulæ Regiæ se sciviisset aptare Diogenes, non victitasset oleribus, inquiebat Aristippus. Hic illi prodigalitatem: Ille huic avaritiam objiciebat. Senecæ vitia quanta fuerint ex Erasmi præfatione in opera ejus videre est. Socrates se effœminatum futurum fuisse fatebatur, nisi Philosophia vitium correxisset. & quam fæda est illa, adeoque effœminato homine digna, de uxorum communione, quam ipse urgebat, sententia? Vide Luciani auctionem vitarum, & librum adversus indoctum librorum longa suppellectile tumentum.

Quod ad eos attinet, qui in populo Judaico elogiis tam ingentibus ornantur, ipsa S. Historia testatur, eos sine peccato tamen non fuisse, quin & in gravia quædam peccata prolapsos esse; uti de Asa Rege videre est 2 *Paral.* XVI. per totum. De Davide 1 *Reg.* XV. 5. ubi expresse additum legitur, *præterquam in facto Uriæ.* De Josia 2 *Paral.* XXXV. 2. Præterquam, quod in isto ipso loco, in quo elogium tantum ei datur, dicatur *reversus fuisse ad Dominum*: Aversus ergo aliquomodo fuerat. De Paulo, 1 *ad Timoth.* I. 13. Unde consequitur elogia ista sic intelligenda esse, ut per ea indicetur, serium sanctitatis studium in iis usque adeo viguisse, ut Deus eorum, quæ intercurrerunt aliquando peccatorum, licet gravium atque enormium, rationem habere pro paterna sua gratia noluerit, virtutibusque eorum plurimis ac maximis ea condonaverit aut obtexerit, quia pauca & rara erant.

*An eadem sit Christianorum ratio?*

Quæres, An eadem sit ratio Christianorum, qui ex fidelibus ac piis parentibus nati, & à teneris in fide ac pietate educati & instituti sunt, quæ erat Gentilium ac Judæorum, de quibus agit Apostolus, antequam Christiani facti erant? Resp. 1. Non necesse esse ut hoc concedatur; sed sufficere, si dicatur, eorum plane eandem rationem futuram fuisse, si gratia Euangelicæ educationis & institutionis à primis annis caruissent. 2. Id tamen concedi etiam posse hactenus, quod nemo Christianus, quantumvis optime educatus atque institutus, dari possit, aut datus unquam sit, qui non aliquando in peccatum aliquod lapsus fuerit, atque ita gratia ac venia remissionis opus habuerit. Absque illa ergo gratia si fuisset, miseriæ mortis etiam obnoxius non minus fuisset, si non magis, quam qui à teneris in lege & disciplina Mosaica educati atque instituti, sine peccatis tamen non vixerant, etsi peccatorum etiam habitu non laboraverant beneficio educationis & institutionis sanctioris ac severioris. Nemo id facile negabit, qui, non obstante optima educatione & institutione, naturæ tamen humanæ, imprimis in lubrica, cerea & ad vitium flexili ætate, fragilitatem, affectuum ardorem & impetum, rerum mundanarum occurrentia ubique blandimenta, occasionum illicia, malorum hominum fucata consilia, inopinata incitamenta, exemplorum pondera, aliaque vitiorum irritamenta considerat.

## CAPUT II.

### Fontem hujus miseriæ esse propriam & liberam unius cujusque hominis culpam. Ubi de peccato, quod vocant, originis agitur: & præcipua S. Scripturæ loca quibus inniti creditur examinantur.

*Nemorens est absque propria & evitabili culpa.*

EX his patet tertium membrum: Fontem sive caussam, unde miseria hæc duplex in universum genus humanum profluit, esse suam propriam cujusque hominis culpam, sive potius liberrimam hominis voluntatem; quia impossibile est ut homo aut peccati reus fiat absque propria voluntate sua libera; aut pœnæ sive miseriæ proprie dictæ absque culpa sua, eaque vincibili aut evitabili. Inevitabilis enim culpa, non est nisi materialiter culpa; quæ formaliter aut valide non potest obligare ad pœnam, sive ad miseriam, quà pœna est. Fontem hunc manifeste passim indicat Scriptura, cum peccatis hominum in plurali numero tribuit quod *in iis*, id est, per & propter ea, *mortui erant*, id est, mortis rei, uti *ad Ephes.* II. 1. & 5. videre est. cum peccata eorum multa magnaque enumerat, eaque partim contra conscientiam ex dictamine naturalis rationis haustam, partim contra dictamen supernaturalis revelationis, sive per Angelos, sive per prophetas, sive per Legem Mosis expressam à Deo factæ, perpetrata esse asserit; uti in Epistolæ ad Rom. capp. primis tribus (ut jam alia loca omnia non allegem, quæ paulo ante allegata sunt) videre est. Peccata autem illa omnia, libera voluntate eorum facta fuisse, id est, talia fuisse peccata, à quibus beneficio tum naturalis rationis, tum supernaturalis revelationis, sic abstinere potuerant ac debuerant, ut habitu sive consuetudine eorum non laborarent, ex eo colligitur, quod gentiles ea facientes ἀναπολόγητοι redditi dicantur. Quomodo vero ἀναπολόγητοι? *Quia cum Deum cognoverant, tamen eum ut Deum non glorificaverant; Ad Rom.* I. 21. & *, cum jus Dei scirent, (nempe eos qui talia faciunt dignos esse morte) tamen non solum ea faciebant, sed & facientibus ea applaudebant, vers. ultimo* 32 ejusdem capitis. Deinde, quod ad Judæos attinet, quia cum cognominarentur Judæi, & acquiescerent in lege, & gloriarentur in Deo, & Dei voluntatem nossent, & instituti ex lege probarent τὰ διαφέροντα, confiderentque se esse duces cæcorum, lucem eorum qui sunt in tenebris, eruditores insipientium, magistros infantium, habentes informationem cognitionis ac veritatis in Lege; tamen contraria omnia Legi fecerant, atque sic suapte culpa legis divinæ prævaricatores facti erant, proinde sub peccato & ὑπόδικοι τῷ Θεῷ, ut *ad Rom.* II. *à vers.* 17. *ad finem usque*; & III. *cap. vers.* 9. & 19. videre est. Nec est quod dicas, Gentiles & Judæos ἀναπολογήτους dici, propter scientiam divini juris & legis, ita ut non possent prætendere culpæ suæ ignorantiam. Nam non sola scientia ejus quod fieri debet, jure merito ἀναπολόγητον aliquem reddit, sed & potentia faciendi, id quod scitur faciendum esse. Quid enim scientia ejus, quod faciendum est, juvare potest, ubi impotentia faciendi, quod scitur, adest aut non tollitur? imo vero, quia scientia rei faciendæ ad hoc datur, ut fiat aut præstetur id, quod faciendum esse scitur: præstari autem & fieri aliquid sine faciendi potentia impossibile est; necessario consequitur, non modo frustraneam esse nudam scientiam, ad aliquem ob facta, quæ scivit facienda non esse, ἀναπολόγητον reddendum, sed & justiorem multo ἀπολογίας sive excusationis caussam esse impotentiam, quam ignorantiam: unde recte dici solet, *Ad impossibile nemo obligatur.*

*An bene impotentia attracta possit?*

Dices: Atqui impotentiam illam ipsi sibi attraxerant. Resp. 1. unde id constat? An non & ignorantiam ipsi sibi attraxerant? Certe, ut videre est *Ephes.* IV. 17. 18. unde igitur ista adhuc in ipsis scientia, quam eis tribuit Apostolus? Quod si vero cum attracta voluntariè ignorantia, consistere potest, non modo sciendi potentia, sed & actualis scientia, cur non & cum attracta impotentia consistere potest faciendi potentia? 2. Impotentia proprie attrahi non potest. Actus enim multi, continui, mali, habitum attrahere possunt; sed habitus contractus potentiam non tollit contra agendi; Alioquin ab habitu ad privationem nunquam posset dari regressus; quod contra esse apparet in omnibus habitibus, tam bonis quam malis. Habitus difficultatem contra agendi efficit, sed non omnimodam impotentiam. 3. Posito etiam, quod per crebras actiones malas, impotentia contrarias bonas agendi attrahatur, nihilominus tamen certum foret, peccata illa gentilium & Judæorum, libera voluntate facta fuisse. Non enim aliter consideramus ea, quam ut talia, per quæ ii habitum istum sibi contraxerunt, ac proinde à quibus abstinere potuissent, sic ut habitum istum sibi non contraherent. Quod si ex isto liberè contracto habitu, impotentia nata dicatur fuisse, tanto major miseria eorum fuisse, ut statuatur, necesse est. Sed vero nos tum ante, tum post contractum habitum, potentiam contra agendi, licet cum magna difficultate conjunctam, remanere credimus.

*Nusquam Scriptura peccati alicujus Originalis meminit; nec ut meminerit ratio sunt.*

Quæres: An ergo peccatum, quod vocant Originale, non est caussa miseriæ istius utriusque, de qua hactenus egimus, & prima quidem ac potissima, si non sola atque unica, omnium caussa?

Resp. 1. Scriptura nusquam peccati alicujus Originalis meminit, nedum ut peccatum istud miseriæ hujus caussam, quid dico caussam primam ac potissimam, imo unicam, esse asserat. 2. Nec ut adseruisse id credatur Scriptura, ratio sunt. sinit.

ſinit. Aut enim volumus Peccatum Originale ſignificare ipſum primum origine peccatum actuale Adami; aut peccati iſtius effectum ſive conſequens, quod vocari ſolet univerſalis & à prima nativitate inhærens, totius naturæ humanæ corruptio, qua fit, ut omnes ac ſinguli homines, non tantum naſcantur deſtituti divinæ voluntatis cognitione, ac proinde impotentes & inidonei ad faciendum ea, quæ Deo per ſe grata ſunt, niſi accedat nova divinæ revelationis gratia; (hoc enim quin certum ſit, nemo dubitat:) ſed & uſque adeo diſtorti & pravi, tum voluntate tum adfectibus, ut non niſi ad malum, & ad omne malum, adeoque ad odium Dei & proximi ſint propenſi, ab ipſo ſtatim non nativitatis tantum, ſed conceptionis etiam momento. Utrum velimus, ratio non ſinit ut credatur, Scripturam tale peccatum Originale agnoviſſe. Nam quod ad primum attinet, 1. impoſſibile eſt, ut actuale & perſonale peccatum Adami, originaliter noſtrum ſit peccatum. Peccatum enim, impoſſibile eſt ut peccantem aut voluntatem ejus egrediatur. 2. impoſſibile eſt, ut qui nondum ſunt in rerum natura peccent. 3. impoſſibile eſt, ut quis in alio peccet, niſi accedat vel imperium, vel conſilium, vel conſenſus ſive tacitus ſive expreſſus, vel ſaltem (uti quidem volunt) ſceleris ſive peccati, quod ex lege ad judicem deferri debet, conſcientia. At nihil horum potuit locum habere in peccato iſto; quia ut infans ullum iſtorum credatur feciſſe aut habuiſſe, per ſe abſurdum eſt. quanto minus ergo veroſimile videri debet, homines omnes, non modo nondum infantes, ſed ne conceptos quidem adhuc, imo non niſi poſt peccatum peractum, & forte poſt aliquot annorum millia demum concipiendos & naſcituros, ullum iſtorum in Adamo feciſſe?

Ex quo conſequitur; Alterum etiam ut ſtatuatur, rationem non ſinere. Nam ſi primum iſtud peccatum Adami originaliter noſtrum eſſe non potuit, nec effectum ſive conſequens peccati iſtius, qua talis, originaliter noſtrum eſſe poteſt. Sublata enim cauſſa tollitur effectus, & ſublato antecedente tollitur conſequens. Quod adeo verum eſt, ut etiamſi, per impoſſibile, primum Adami peccatum originaliter noſtrum etiam eſſet, neutiquam tamen ratio permitteret, ut credatur, Scripturam aſſerere, iſtam originariam ſive hæreditariam corruptionem inde natam fuiſſe, & eam eſſe peccatum noſtrum originale. Nam 1. Hæc corruptio foret pœna. Atqui ut peccatum pœna peccati & peccati effectus ſit, per ſe abſurdum eſt. Per pœnam enim nemo pœnæ reus fit. At per peccatum reus quis fit pœnæ. Deinde pœna paſſio eſt, peccatum actio ſive culpa. Denique per pœnam fit delicti compenſatio, per peccatum meretur quis pœnæ compenſationem. Ergo ſi pœna peccatum eſſe poſſet, compenſatio culpæ, compenſationem novam culpæ mereretur. 2. multo adhuc abſurdius eſt, peccati unius ac ſolius pœnam & effectum ſimul eſſe univerſalem peccandi neceſſitatem, & naturæ totius humanæ corruptionem. Nam univerſalis iſta corruptio, effectus eſſet peccati iſtius, aut ex vi peccati qua talis, aut ex ſpeciali aliqua ordinatione divina. Ut ex vi peccati iſtius, quà talis, effectus ſive pœna illa fluere dicatur, abſurdum eſt: quia alioquin idem effectus ſequeretur ex omni peccato. Nec eſt quod dicas, effectum illum fluxiſſe ex peccato iſto, quia primum erat peccatum, & peccatum ejus, ex quo tota humana natura proſeminanda erat. Nam primum peccatum, quà primum & quia primum, vim novam ex primitate nullam, nedum vim talem accipere poteſt; quia alioquin peccatum ſecundum aut tertium, etiamſi primo multo gravius, vi iſta careret; quod abſurdum eſt. Nec idcirco, quia ex Adamo natura tota humana proſeminanda erat, naturam totam ex primo peccato ſic infectam fuiſſe, conſequitur. 1. quia peccatum naturam non inficit, ſed voluntatem tantum ejus, qui peccat, depravat aut detorquet. 2. Actus unus ne habitum quidem gignere poteſt, quanto minus naturam totam inficere? 3. quia, uti juſtitia & virtus proſeminari non poteſt, ita nec peccatum, ne quidem ſi animam per traducem propagari velimus. Nam alioquin filii omnes, qui à parentibus peccatoribus proſeminantur, & naturam ſuam humanam ex iis derivant, naturam etiam eandem peccatricem neceſſario haberent; quod contra eſſe experientia ſatis teſtatur. Ut corruptio iſta univerſalis ex ſpeciali aliqua ordinatione divina fluere dicatur, æquitatis aut juſtitiæ divinæ ratio non permittit: aut ſi omnino eam id permittere velis, unde iſta ordinatio divina liquet? Certe abſurdiſſimum eſt, iſtam corruptionem ex ordinatione divina derivare; cum nec in comminatione, nec in ſententiæ executione, vel hilum de iſta corruptione, ut pœna à Deo ordinata dictum legatur. Denique, Corruptionis iſtius univerſalis nulla ſunt indicia nec ſigna; imo non pauca ſunt ſigna, ex quibus colligitur, naturam totam humanam ſic corruptam non eſſe. vide ſis, ut alia omittam, hoc unum, quod Scriptura ipſa nos velit fieri *pueros malitia*, id eſt, expertes malitiæ, quales pueri ſunt: 1 *Corinth.* XIV. 20. quod nos negat *regnum cælorum ingreſſuros, niſi fiamus ſicut parvuli*, aut infantibus ſimiles: *Matth.* XVIII. 3. quod infantium, ſive *talium*, qui infantibus ſimiles ſunt, *regnum cælorum ſit*: *Matth.* XIX. 14.

Dices: Scriptura tamen aperte teſtatur, *Omnes homines in Adamo peccaſſe*; *ad Rom.* V. 12. & *per inobedientiam unius hominis peccatores multos conſtitutos eſſe*: *verſ.* 19. *An omnes in Adamo peccarint, ex Rom. V.* 12.

Reſp. Nego in textibus iſtis dici, 1. Quod omnes homines in Adamo peccarint. Atqui, inquies, diſerta verba ſunt, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον. Fateor: ſed ἐφ' ᾧ ſignificare iſthic, *in quo*, & quidem ſic ut aliter exponi non poſſit, nulla ratio cogit. Quid enim vetat, ut exponatur per, *eo quod*, vel *quatenus*? Neque enim dubium eſt, quin iſto ſenſu phraſis iſta Græca uſurpari ſoleat apud probatos autores, & uſurpata etiam ſit ab ipſo Apoſtolo, *ad Rom.* VIII. 3. & 2 *Corinth.* V. 4. *Heb.* II. 12. Dices; In iſtis locis legitur ἐπ' ᾧ, non ἐφ' ᾧ. Fateor; quamquam in ſecundo, qui eſt 2 *ad Corinth.* V. 4, Complutenſis editio habet ἐφ' ᾧ. Sed eo ipſo firmatur magis id quod dico; quia etiamſi hic legeretur, ἐπ' ᾧ, tamen argumentum inde nullum effici poſſet, cum iſta ipſa phraſis ἐπ' ᾧ, etiam ſignificare poſſet *eo quod*, vel *quatenus*; quanto magis ergo phraſis ἐφ' ᾧ? quæ ſi non ſemper, uſitatiſſimè tamen ſignificare ſolet, *eo quod*, vel *quatenus*, rariſſime vero ac fortaſſe nunquam, *in quo*; cum videlicet aliquid in aliqua re vel perſona eſſe, aut per eam factum fuiſſe indicatur.

Sed vero manifeſta etiam eſt ratio, cur ſic exponi verba iſta non debeant; quia ante relativum ᾧ, vox Hominis non præceſſit immediatè. Natura autem rei & linguæ uſus non ſinunt, ut referatur ad vocem multo ante poſitam, cum qua in periodo tota non connectitur. Hyperbaton hîc fingere, ſine cauſſa, ſine connexione commoda, eſt textum torquere ad ſenſum ſuum, non ſenſum ſuum textui aptare; præterquam quod hyperbaton foret inſolens admodum, cum verba quæ ſequuntur poſt verba iſta: *Per unum hominem peccatum tranſiit*, &c. non contineantur in iſto verſu tanquam parenthetica inſerta, ſed ut per ſe connexa cum præcedentibus. Repetitio autem ut hîc facienda dicatur, nulla ratione probari poteſt; &, ſi omnino facienda eſſet, tum ὑπερβατὸν locus non eſſet. Hoc ergo ſenſu phraſeos hujus ſublato, relinquitur, hîc per τὸ *peccarunt*, intelligi non perſonale, non originale Adami peccatum; ſed omnium ac ſingulorum hominum (qui quidem peccare poſſunt, in quorum numero non poſſunt eſſe infantes, fatui, &c.) propria ac perſonalia peccata intelligenda eſſe: quod non obſcurè confirmatur ex *verſ.* ſtatim ſubſequente 13: *Nam uſque ad legem peccatum erat in mundo.* Apparet enim manifeſte hoc verſu προλῆψιν contineri, qua objectioni cuidam tacitè occurritur, quæ ex verbis iſtis ultimis, *quatenus omnes peccaverunt*, naſci poterat, hunc in modum. Quomodo vero, inquis Paule, *quatenus omnes peccaverunt*, cum longo tempore Lex nulla in mundo fuerit, contra quam peccari potuerit? & porro quomodo dicit, quod *mors pervaſerit in omnes, quatenus omnes peccaverunt*, cum peccatum non imputetur non exiſtente lege? Eſto, inquit Paulus, peccatum tamen erat in mundo, id eſt, homines tamen ante Legem Moſis ſcriptam peccabant, & ſic mortis rei erant. Quia tamen peccatis eorum mors lege aliqua expreſſe lata adſignata non erat, uti Adami peccato adſignata fuerat, hinc eſt, quod Deus Adamum, & quotquot ex eo ante Legem nati fuerunt homines, pro typo Jeſu Chriſti, & fidelium qui ex eo naſcituri eſſent, ſervire voluerit hactenus, quod ſicut in iſtos homines ante legem natos, etſi non ſimiliter peccatores uti Adam fuerat, peccatores tamen ex perfecto peccatore natos, mors pervaſerat; ita in hos fideles Jeſu Chriſti diſcipulos, etſi non pariter nec ſimiliter uti Jeſus, juſtos & ſanctos, ex perfecte tamen ſancto juſtoque parente Chriſto regenitos, Juſtitia & vita pervaſura eſſet; uti ex *verſ.* 14 manifeſtum eſt, & apodoſis reſpondens particulæ *ſicut*, neceſſario poſtulat, quamquam ea in textu ipſo reticetur.

Per peccatum ergo intelligitur perſonale cujuſque peccatum, quod ante Legem committebatur. Ut originale intelligi dicatur, abſurdiſſimum eſt. Nam quid tum ſibi voluiſſet Apoſtolus, connectendo hunc verſum cum præcedente per particulam γὰρ? Quæ προλῆψις ſive tacitæ objectionis præoccupatio hic erit? Quæ ſententia verborum iſtorum, *peccatum ante legem erat in mundo*? Quid? An dicere voluit Paulus, peccatum originale ante & uſque ad Legem Moſis, non vero poſt eam, erat in mundo? Nugæ. An peccatum originale vult Apoſtolus non imputari, non exiſtente lege? Atqui iſtud jam ante dixerat, uti creditur,

quod *justi erant ambo in conspectu Dei. Luc.* I. *vers.* 2. de Paulo quod ἄμεμπτος fuerit, *quod attinet ad justitiam quæ in Lege est*, *Philipp.* III. 6. quod *se exercuerit ad conscientiam habendum sine offendiculo, apud Deum & apud homines*, ἀπρόσκοπος. *Actor.* XXIV. 16. Hæc, inquam, omnia cum grano salis accipienda sunt; Quod videlicet virtutum studio ducti, à multis magnisque peccatis, & peccatorum habitibus, vel se exsolverint, vel se continuerint; sed non ab omnibus semper ac prorsus immunes fuerint. Certe, quod ad Philosophos plerosque, saltem qui inter eos excelluisse creduntur, attinet, non paucis eos vitiis laborasse ex vita eorum liquet, & ex mutua insectatione. Quis non observat caninam in Diogene impudentiam & scurrilem impudicitiam? In Aristippo luxum & lenoniam pene adulationem? Diogenes calcitram Platonis calcans, conculcabat fastum Platonis, sed alio fastu, inquiebat Plato. Si oleribus vesci potuisset Aristippus, non fuisset canis regius, sive non fuisset lenocinatus Dionysio Regi, inquiebat Diogenes. Et si Rege uti, id est Regi & aulæ Regiæ se sciviſſet aptare Diogenes, non victitasset oleribus, inquiebat Aristippus. Hic illi prodigalitatem: Ille huic avaritiam objiciebat. Senecæ vitia quanta fuerint ex Erasmi præfatione in opera ejus videre est. Socrates se effœminatum futurum fuisse fatebatur, nisi Philosophia vitium correxisset. & quam fæda est illa, adeoque effæminato homine digna, de uxorum communione, quam ipse urgebat, sententia? Vide Luciani auctionem vitarum, & librum adversus indoctum librorum longa suppellectile tumentum.

Quod ad eos attinet, qui in populo Judaico elogiis tam ingentibus ornantur, ipsa S. Historia testatur, eos sine peccato tamen non fuisse, quin & in gravia quædam peccata prolapsos esse; uti de Asa Rege videre est 2 *Paral.* XVI. per totum. De Davide 1 *Reg.* XV. 5. ubi expresse additum legitur, *præterquam in facto Uriæ.* De Josia 2 *Paral.* XXXV. 2. Præterquam, quod in isto ipso loco, in quo elogium tantum ei datur, dicatur *reversus fuisse ad Dominum*: Aversus ergo aliquomodo fuerat. De Paulo, 1 *ad Timoth.* I. 13. Unde consequitur elogia ista sic intelligenda esse, ut per ea indicetur, serium sanctitatis studium in iis usque adeo viguisse, ut Deus eorum, quæ intercurrerunt aliquando peccatorum, licet gravium atque enormium, rationem habere pro paterna sua gratia noluerit, virtutibusque eorum plurimis ac maximis ea condonaverit aut obtexerit, quia pauca & rara erant.

*An eadem sit Christianorum ratio?*

Quæres, An eadem sit ratio Christianorum, qui ex fidelibus ac piis parentibus nati, & à teneris in fide ac pietate educati & instituti sunt, quæ erat Gentilium ac Judæorum, de quibus agit Apostolus, antequam Christiani facti erant? Resp. 1. Non necesse esse ut hoc concedatur; sed sufficere, si dicatur, eorum plane eandem rationem futuram fuisse, si gratia Euangelicæ educationis & institutionis à primis annis caruissent. 2. Id tamen concedi etiam posse hactenus, quod nemo Christianus, quantumvis optime educatus atque institutus, dari possit, aut datus unquam sit, qui non aliquando in peccatum aliquod lapsus fuerit, atque ita gratia ac venia remissionis opus habuerit. Absque illa ergo gratia si fuisset, miseriæ mortis etiam obnoxius non minus fuisset, si non magis, quam qui à teneris in lege & disciplina Mosaica educati atque instituti, sine peccatis tamen non vixerant, etsi peccatorum etiam habitu non laboraverant beneficio educationis & institutionis sanctioris ac severioris. Nemo id facile negabit, qui, non obstante optima educatione & institutione, naturæ tamen humanæ, imprimis in lubrica, cerea & ad vitium flexili ætate, fragilitatem, affectuum ardorem & impetum, rerum mundanarum occurrentia ubique blandimenta, occasionum illicia, malorum hominum fucata consilia, inopinata incitamenta, exemplorum pondera, aliaque vitiorum irritamenta considerat.

## CAPUT II.

### Fontem hujus miseriæ esse propriam & liberam unius cujusque hominis culpam. Ubi de peccato, quod vocant, originis agitur: & præcipua S. Scripturæ loca quibus inniti creditur examinantur.

*Nemo reus est absque propria & evitabili culpa.*

EX his patet tertium membrum: Fontem sive causſam, unde miseria hæc duplex in universum genus humanum profluit, esse suam propriam cujusque hominis culpam, sive potius liberrimam hominis voluntatem; quia impossibile est ut homo aut peccati reus fiat absque propria voluntate sua libera; aut pœnæ sive miseriæ proprie dictæ absque culpa sua, eaque vincibili aut evitabili. Inevitabilis enim culpa, non est nisi materialiter culpa; quæ formaliter aut valide non potest obligare ad pœnam, sive ad miseriam, quà pœna est. Fontem hunc manifeste passim indicat Scriptura, cum peccatis hominum in plurali numero tribuit quod *in iis*, id est, per & propter ea, *mortui erant*, id est, mortis rei, uti *ad Ephes.* II. 1. & 5. videre est. cum peccata eorum multa magnaque enumerat, eaque partim contra conscientiam ex dictamine naturalis rationis hausſtam, partim contra dictamen supernaturalis revelationis, sive per Angelos, sive per prophetas, sive per Legem Mosis expressam à Deo factæ, perpetrata esse asserit; uti in Epistolæ ad Rom. capp. primis tribus (ut jam alia loca omnia non allegem, quæ paulo ante allegata sunt) videre est. Peccata autem illa omnia, libera voluntate eorum facta fuisse, id est, talia fuisse peccata, à quibus beneficio tum naturalis rationis, tum supernaturalis revelationis, sic abstinere potuerant ac debuerant, ut habitu sive consuetudine eorum non laborarent, ex eo colligitur, quod gentiles ea facientes ἀναπολόγητοι redditi dicantur. Quomodo vero ἀναπολόγητοι? *Quia cum Deum cognoverant, tamen eum ut Deum non glorificaverant; Ad Rom.* I. 21. & *, cum jus Dei sciant, (nempe eos qui talia faciunt dignos esse morte) tamen non solum ea faciebant, sed & facientibus ea applaudebant, vers. ultimo* 32 ejusdem capitis. Deinde, quod ad Judæos attinet, quia cum cognominarentur Judæi, & acquiescerent in lege, & gloriarentur in Deo, & Dei voluntatem nossent, & instituti ex lege probarent τὰ διαφέροντα, confiderentque se esse duces cæcorum, lucem eorum qui sunt in tenebris, eruditores insipientium, magistros infantium, habentes informationem cognitionis ac veritatis in Lege; tamen contraria omnia Legi fecerant, atque sic suapte culpa legis divinæ prævaricatores facti erant, proinde sub peccato & ὑπόδικοι τῷ Θεῷ, ut *ad Rom.* II. *à vers.* 17. *ad finem usque*; & III. *cap. vers.* 9. & 19. videre est. Nec est quod dicas, Gentiles & Judæos ἀναπολογήτους dici, propter scientiam divini juris & legis, ita ut non possent prætendere culpæ suæ ignorantiam. Nam non sola scientia ejus quod fieri debet, jure merito ἀναπολόγητον aliquem reddit, sed & potentia faciendi, id quod scitur faciendum esse. Quid enim scientia ejus, quod faciendum est, juvare potest, ubi impotentia faciendi, quod scitur, adest aut non tollitur? imo vero, quia scientia rei faciendæ ad hoc datur, ut fiat aut præstetur id, quod faciendum esse scitur: præstari autem & fieri aliquid sine faciendi potentia impossibile est; necessario consequitur, non modo frustraneam esse nudam scientiam, ad aliquem ob facta, quæ scivit facienda non esse, ἀναπολόγητον reddendum, sed & justiorem multo ἀπολογίας sive excusationis causſam esse impotentiam, quam ignorantiam: unde recte dici solet, *Ad impossibile nemo obligatur.*

Dices: Atqui impotentiam illam ipsi sibi attraxerant. Resp. 1. unde id constat? An non & ignorantiam ipsi sibi attraxerant? Certe, ut videre est *Ephes.* IV. 17. 18. unde igitur ista adhuc in ipsis scientia, quam eis tribuit Apostolus? Quod si vero cum attracta voluntariè ignorantia, consistere potest, non modo sciendi potentia, sed & actualis scientia, cur non & cum attracta impotentia consistere potest faciendi potentia? 2. Impotentia proprie attrahi non potest. Actus enim multi, continui, mali, habitum attrahere possunt; sed habitus contractus potentiam non tollit contra agendi; Alioquin ab habitu ad privationem nunquam posset dari regressus; quod contra esse apparet in omnibus habitibus, tam bonis quam malis. Habitus difficultatem contra agendi efficit, sed non omnimodam impotentiam. 3. Posito etiam, quod per crebras actiones malas, impotentia contrarias bonas agendi attrahatur, nihilominus tamen certum foret, peccata illa gentilium & Judæorum, libera voluntate facta fuisse. Non enim aliter consideramus ea, quam ut talia, per quæ ii habitum istum sibi contraxerunt, ac proinde à quibus abstinere potuissent, sic ut habitum istum sibi non contraherent. Quod si ex isto liberè contracto habitu, impotentia nata dicatur fuisse, tanto major miseria eorum fuisse, ut statuatur, necesse est. Sed vero nos tum ante, tum post contractum habitum, potentiam contra agendi, licet cum magna difficultate conjunctam, remanere credimus.

*An bene agendi impotentia attrahi possit?*

*Nusquam Scriptura peccati alicujus Originalis meminit; nec ut meminerit ratio finit.*

Quæres: An ergo peccatum, quod vocant Originale, non est causſa miseriæ istius utriusque, de qua hactenus egimus, & prima quidem ac potissima, si non sola atque unica, omnium causſa?

Resp. 1. Scriptura nusquam peccati alicujus Originalis meminit, nedum ut peccatum istud miseriæ hujus causſam, quid dico causſam primam ac potissimam, imo unicam, esse asserat. 2. Nec ut adseruisse id credatur Scriptura, ratio sinit.

ſinit. Aut enim volumus Peccatum Originale ſignificare ipſum primum origine peccatum actuale Adami; aut peccati iſtius effectum ſive conſequens, quod vocari ſolet univerſalis & à prima nativitate inhærens, totius naturæ humanæ corruptio, qua fit, ut omnes ac ſinguli homines, non tantum naſcantur deſtituti divinæ voluntatis cognitione, ac proinde impotentes & inidonei ad faciendum ea, quæ Deo per ſe grata ſunt, niſi accedat nova divinæ revelationis gratia; (hoc enim quin certum ſit, nemo dubitat:) ſed & uſque adeo diſtorti & pravi, tum voluntate tum adfectibus, ut non niſi ad malum, & ad omne malum, adeoque ad odium Dei & proximi ſint propenſi, ab ipſo ſtatim non nativitatis tantum, ſed conceptionis etiam momento. Utrum velimus, ratio non ſinit ut credatur, Scripturam tale peccatum Originale agnoviſſe. Nam quod ad primum attinet, 1. impoſſibile eſt, ut actuale & perſonale peccatum Adami, originaliter noſtrum ſit peccatum. Peccatum enim, impoſſibile eſt ut peccantem aut voluntatem ejus egrediatur. 2. impoſſibile eſt, ut qui nondum ſunt in rerum natura peccent. 3. impoſſibile eſt, ut quis in alio peccet, niſi accedat vel imperium, vel conſilium, vel conſenſus ſive tacitus ſive expreſſus, vel ſaltem (uti quidem volunt) ſceleris ſive peccati, quod ex lege ad judicem deferri debet, conſcientia. At nihil horum potuit locum habere in peccato iſto; quia ut infans ullum iſtorum credatur feciſſe aut habuiſſe, per ſe abſurdum eſt. quanto minus ergo veroſimile videri debet, homines omnes, non modo nondum infantes, ſed ne conceptos quidem adhuc, imo non niſi poſt peccatum peractum, & forte poſt aliquot annorum millia demum concipiendos & naſcituros, ullum iſtorum in Adamo feciſſe?

Ex quo conſequitur; Alterum etiam ut ſtatuatur, rationem non ſinere. Nam ſi primum iſtud peccatum Adami originaliter noſtrum eſſe non potuit, nec effectum ſive conſequens peccati iſtius, qua talis, originaliter noſtrum eſſe poteſt. Sublata enim cauſſa tollitur effectus, & ſublato antecedente tollitur conſequens. Quod adeo verum eſt, ut etiamſi, per impoſſibile, primum Adami peccatum originaliter noſtrum etiam eſſet, neutiquam tamen ratio permitteret, ut credatur, Scripturam aſſerere, iſtam originariam ſive hæreditariam corruptionem inde natam fuiſſe, & eam eſſe peccatum noſtrum originale. Nam 1. Hæc corruptio foret pœna. Atqui ut peccatum pœna peccati & peccati effectus ſit, per ſe abſurdum eſt. Per pœnam enim nemo pœnæ reus fit. At per peccatum reus quis fit pœnæ. Deinde pœna paſſio eſt, peccatum actio ſive culpa. Denique per pœnam fit delicti compenſatio, per peccatum meretur quis pœnæ compenſationem. Ergo ſi pœna peccatum eſſe poſſet, compenſatio culpæ, compenſationem novam culpæ mereretur. 2. multo adhuc abſurdius eſt, peccati unius ac ſolius pœnam & effectum ſimul eſſe univerſalem peccandi neceſſitatem, & naturæ totius humanæ corruptionem. Nam univerſalis iſta corruptio, effectus eſſet peccati iſtius, aut ex vi peccati qua talis, aut ex ſpeciali aliqua ordinatione divina. Ut ex vi peccati iſtius, quà talis, effectus ſive pœna illa fluere dicatur, abſurdum eſt: quia alioquin idem effectus ſequeretur ex omni peccato. Nec eſt quod dicas, effectum illum fluxiſſe ex peccato iſto, quia primum erat peccatum, & peccatum ejus, ex quo tota humana natura proſeminanda erat. Nam primum peccatum, quà primum & quia primum, vim novam ex primitate nullam, nedum vim talem accipere poteſt; quia alioquin peccatum ſecundum aut tertium, etiamſi primo multo gravius, vi iſta careret; quod abſurdum eſt. Nec idcirco, quia ex Adamo natura tota humana proſeminanda erat, naturam totam ex primo peccato ſic infectam fuiſſe, conſequitur. 1. quia peccatum naturam non inficit, ſed voluntatem tantum ejus, qui peccat, depravat aut detorquet. 2. Actus unus ne habitum quidem gignere poteſt, quanto minus naturam totam inficere? 3. quia, uti juſtitia & virtus proſeminari non poteſt, ita nec peccatum, ne quidem ſi animam per traducem propagari velimus. Nam alioquin filii omnes, qui à parentibus peccatoribus proſeminantur, & naturam ſuam humanam ex iis derivant, naturam etiam eandem peccatricem neceſſario haberent; quod contra eſſe experientia ſatis teſtatur. Ut corruptio iſta univerſalis ex ſpeciali aliqua ordinatione divina fluere dicatur, æquitatis aut juſtitiæ divinæ ratio non permittit: aut ſi omnino eam id permittere velis, unde iſta ordinatio divina liquet? Certe abſurdiſſimum eſt, iſtam corruptionem ex ordinatione divina derivare; cum nec in comminatione, nec in ſententiæ executione, vel hilum de iſta corruptione, ut pœna à Deo ordinata dictum legatur. Denique, Corruptionis iſtius univerſalis nulla ſunt indicia nec ſigna; imo non pauca ſunt ſigna, ex quibus colligitur, naturam totam humanam ſic corruptam non eſſe. vide ſis, ut alia omittam, hoc unum, quod Scriptura ipſa nos velit fieri *pueros malitia*, id eſt, expertes malitiæ, quales pueri ſunt: 1 *Corinth.* XIV. 20. quod nos negat *regnum cælorum ingreſſuros, niſi fiamus ſicut parvuli*, aut infantibus ſimiles: *Matth.* XVIII. 3. quod infantium, ſive *talium*, qui infantibus ſimiles ſunt, *regnum cælorum ſit*: *Matth.* XIX. 14.

Dices: Scriptura tamen aperte teſtatur, *Omnes homines in Adamo peccaſſe*; *ad Rom.* V. 12. & *per inobedientiam unius hominis peccatores multos conſtitutos eſſe*: *verſ.* 19. *An omnes in Adamo peccarint, ex Rom. V. 12.*

Reſp. Nego in textibus iſtis dici, 1. Quod omnes homines in Adamo peccarint. Atqui, inquies, diſerta verba ſunt, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον. Fateor: ſed ἐφ' ᾧ ſignificare iſthic, *in quo*, & quidem ſic ut aliter exponi non poſſit, nulla ratio cogit. Quid enim vetat, ut exponatur per, *eo quod*, vel *quatenus*? Neque enim dubium eſt, quin iſto ſenſu phraſis iſta Græca uſurpari ſoleat apud probatos autores, & uſurpata etiam ſit ab ipſo Apoſtolo, *ad Rom.* VIII. 3. & 2 *Corinth.* V. 4. *Heb.* II. 12. Dices; In iſtis locis legitur ἐπὶ ᾧ, non ἐφ' ᾧ. Fateor; quamquam in ſecundo, qui eſt 2 *ad Corinth.* V. 4, Complutenſis editio habet ἐφ' ᾧ. Sed eo ipſo firmatur magis id quod dico; quia etiamſi hic legeretur, ἐπὶ ᾧ, tamen argumentum inde nullum effici poſſet, cum iſta ipſa phraſis ἐπὶ ᾧ, etiam ſignificare poſſet *eo quod*, vel *quatenus*; quanto magis ergo phraſis ἐφ' ᾧ? quæ ſi non ſemper, uſitatiſſimè tamen ſignificare ſolet, *eo quod*, vel *quatenus*, rariſſime vero ac fortaſſe nunquam, *in quo*; cum videlicet aliquid in aliqua re vel perſona eſſe, aut per eam factum fuiſſe indicatur.

Sed vero manifeſta etiam eſt ratio, cur ſic exponi verba iſta non debeant; quia ante relativum ᾧ, vox Hominis non præceſſit immediatè. Natura autem rei & linguæ uſus non ſinunt, ut referatur ad vocem multo ante poſitam, cum qua in periodo tota non connectitur. Hyperbaton hîc fingere, ſine cauſſa, ſine connexione commoda, eſt textum torquere ad ſenſum ſuum, non ſenſum ſuum textui aptare; præterquam quod hyperbaton foret inſolens admodum, cum verba quæ ſequuntur poſt verba iſta: *Per unum hominem peccatum tranſiit*, &c. non contineantur in iſto verſu tanquam parenthecis inſerta, ſed ut per ſe connexa cum præcedentibus. Repetitio autem ut hîc facienda dicatur, nulla ratione probari poteſt; &, ſi omnino facienda eſſet, tum ὑπερβατὸν locus non eſſet. Hoc ergo ſenſu phraſeos hujus ſublato, relinquitur, hîc per τὸ *peccarunt*, intelligi non perſonale, non originale Adami peccatum; ſed omnium ac ſingulorum hominum (qui quidem peccare poſſunt, in quorum numero non poſſunt eſſe infantes, fatui, &c.) propria ac perſonalia peccata intelligenda eſſe: quod non obſcurè confirmatur ex *verſ.* ſtatim ſubſequente 13: *Nam uſque ad legem peccatum erat in mundo.* Apparet enim manifeſte hoc verſu ἀπόλυψιν contineri, qua objectioni cuidam tacitè occurritur, quæ ex verbis iſtis ultimis, *quatenus omnes peccaverunt*, naſci poterat, hunc in modum. Quomodo vero, inquis Paule, *quatenus omnes peccaverunt*, cum longo tempore Lex nulla in mundo fuerit, contra quam peccari potuerit? & porro quomodo dicit, quod *mors pervaſerit in omnes, quatenus omnes peccaverunt*, cum peccatum non imputetur non exiſtente lege? Eſto, inquit Paulus, peccatum tamen erat in mundo, id eſt, homines tamen ante Legem Moſis ſcriptam peccabant, & ſic mortis rei erant. Quia tamen peccatis eorum mors lege aliqua expreſſe lata adſignata non erat, uti Adami peccato adſignata fuerat, hinc eſt, quod Deus Adamum, & quotquot ex eo ante Legem nati fuerunt homines, pro typo Jeſu Chriſti, & fidelium qui ex eo naſcituri eſſent, ſervire voluerit hactenus, quod ſicut in iſtos homines ante legem natos, etſi non ſimiliter peccatores uti Adam fuerat, peccatores tamen ex perfecto peccatore natos, mors pervaſerat; ita in hos fideles Jeſu Chriſti diſcipulos, etſi non pariter nec ſimiliter uti Jeſus, juſtos & ſanctos, ex perfecte tamen ſancto juſtoque parente Chriſto regenitos, Juſtitia & vita pervaſura eſſet; uti ex *verſ.* 14 manifeſtum eſt, & apodoſis reſpondens particulæ *ſicut*, neceſſario poſtulat, quamquam ea in textu ipſo reticetur.

Per peccatum ergo intelligitur perſonale cujuſque peccatum, quod ante Legem committebatur. Ut originale intelligi dicatur, abſurdiſſimum eſt. Nam quid tum ſibi voluiſſet Apoſtolus, connectendo hunc verſum cum præcedente per particulam γάρ? Quæ ἀπόλυψις ſive tacitæ objectionis præoccupatio hic erit? Quæ ſententia verborum iſtorum, *peccatum ante legem erat in mundo*? Quid? An dicere voluit Paulus, peccatum originale ante & uſque ad Legem Moſis, non vero poſt eam, erat in mundo? Nugæ. An peccatum originale vult Apoſtolus non imputari, non exiſtente lege? Atqui iſtud jam ante dixerat, uti creditur,

imputatum fuisse omnibus, oratione, uti volunt, diserta atque expressa ista; *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & sic in omnes homines mors pervenit, in quo omnes peccaverunt.*

Contra, inquies, de peccato originali, ut in eo agi dicatur necesse est. Nam de peccato isto agitur, quod Apostolus antea dixerat *ingressum esse in mundum per primum hominem*: At personale non est ingressum in mundum, sed originale. Resp. Imo vero peccatum personale Adami intelligit Apostolus, quando peccatum ingressum esse dicit in mundum, quia istud peccatum intelligit, per quod mors intravit in mundum. Atqui per peccatum personale mors intravit in mundum, non vero per originale, quia originale est peccati primi effectus, & prius personaliter peccavit Adamus, mortisque reus fuit, quam originali labe, ut creditur, infectus. Repugnat, inquies, phrasis, *Intrandi in mundum.* Resp. Nequaquam. *Intrare* enim *in mundum*, nihil aliud est quam peccandi initium fieri, aut peccatum incipere existere & apparere: uti ex usu phraseos istius *Joan.* I. 9. & III. 19. & alibi passim videre est. Absurdissimum vero etiam est, phrasi isti significationem talem tribuere, quod peccati transitus factus sit in homines omnes, sive in universam naturam humanam, inficiendo eam labe sive corruptione originaria, per quam propensa & prona sit ad omne peccatum, & quæ ipsa etiam peccatum sit æterna morte dignum. Ubi enim phrasis ista isto significatu usurpata legitur? Quis phrasi isti color dari potest?

*Locus Roman. V. 19.*

Dices: Color isti phrasi datur ab ipso Apostolo, *vers.* 19. ubi, *per unius hominis inobedientiam, dicit peccatores constitutos esse multos.* Resp. Apostolum hac phrasi colorem dare isti significationi, nullum colorem habet: quia, *peccatores multos constituit*, Apostolo non significat, in multos peccaminosam qualitatem naturali contagione diffundi, per quam peccatores fiunt & constituuntur; sed significat ita tractari, tanquam si gravissimi peccatores essent; phrasi Hebræis usitata, qua condemnare, tractare aliquem ut peccatorem, solent exprimere per verbum הרשיע id est, impiificare. *Proverb.* XVII. 15. *Esa.* V. 23. & per simplex nomen חטאים peccatores scilicet esse. 1. *Reg.* I. 21. etiam quando quis peccator non est, sed innocens & extra culpam. Vide similiter verbum חטה usurpatum *Genes.* XLIII. 9. & XLIV. 32. Primum istud Apostolo non significare phrasin hanc, ex ipso textu liquet; quia eam opponit phrasi isti, qua *per unius obendientiam multos justos constituit* ait; At per phrasin *multos justos constituit*, non intelligit, justitiam veluti contrariam peccato qualitatem diffundi in multos; sed multos justificari, id est, veluti justos tractari & absolutos à peccatis uti ex scopo loci patet. Dices: Atqui tractari aliquem ut peccatorem, præsupponit eum peccatorem esse, alioquin tractatio ista injusta esset. Resp. Fateor. Sed tractare aliquem qui peccator est, & per peccatum suum reus mortis, non aliter quam tractatur is, qui apertæ & pœna mortis sancitæ legis transgressor est, non præsupponit eum talem esse peccatorem & transgressorem, sed tantum eum eodem cum illo loco censeri, & eâdem pœna mortis adfici. Atque hoc sensu videtur mihi Apostolus hoc in capite, phrases istas usurpasse, quia videlicet Deus omnes istos, qui ab Adamo usque ad Legem Mosis vixerant, quos nunc *multos*, nunc *omnes* (supple istos) vocat, quos peccasse & in quibus peccatum fuisse asserit, ideoque dignos morte, quam etiam in iis regnasse dicit, non aliter morte punivit, quam si ad similitudinem Adami perfecte, contra expressam Legem divinam, pœna mortis sancitam, peccavissent, quamquam nulla illis talis Lex lata, ac proinde multo minus per Legem talis pœna mortis in eos statuta fuerat.

Dices: Quo jure? Punitio ista injusta fuit. Resp. Jure hoc facere potuit Deus, quia isti revera peccatores erant & peccata eorum digna morte. Dices: At ea tam aut sic digna morte censere, uti peccatum Adami contra expressam Legem pœna mortis sancitam commissum morte dignum fuerat, injustitiæ actus est. Resp. Nequaquam. Si enim peccata eorum revera morte digna erant, quid injustitiæ in eo esse potest, quod censeantur atque æstimentur ut talia, quibus apertæ Legis sententiâ pœna mortis destinata est? Dices: Æstimatio ista non est secundum veritatem. Respondeo: Nec est secundum veritatem, nec est non secundum veritatem; sed est æstimatio libera, per quam nulla fit injuria iis qui isti æstimationi subjacent. Fateor quidem esse æstimationem non gratiosam, sed & dico esse æstimationem nullo modo injustam. Dices: Æstimationis istius rationem non haberi in textu, quia passim, uni peccato, ἑνὶ παραπτώματι, ἑνὸς παραπτώματος, &c. tribuitur τὸ κρίμα, ὁ θάνατος, &c. Resp. Imo vero idcirco æstimationis hujus ratio habetur in textu, quia uni isti peccato tribuitur totus condemnationis effectus, qui ad istos ex Adamo usque ad Mosem natos pervenit. Etsi enim ii revera peccaverant, tamen peccata eorum, quamquam morte digna, Deus iis non imputavit, habita scilicet ratione meriti peccatorum eorum, quia legem nullam mortis pœna sancitam habuerant; sed quia Deus peccatum istud primum Adami tam enorme esse judicavit, ut qui ex Adamo perfecte nati peccaturi erant, (peccarunt autem omnes) eos licet non tam enormes peccatores, uti Adam parens eorum fuerat, solius istius enormis peccati respectu, morti eidem subjacere voluerit. Cur verò? ut sic Adamus perfectus peccator, & qui ex eo ante Legem Mosis expressam nascituri erant & peccaturi, licet non tam perfecte ut Adam, pro typo servirent Jesu Christi, & eorum, qui ex Jesu Christo per fidem renati, Deo obedituri essent, etsi non æque perfecta obedientia, qualem Christus Deo Patri suo præstiterat. Quomodo vero? Nempe ut, quemadmodum in istis, quamquam non æque perfectis peccatoribus ut Adam, peccatoribus tamen, mors regnatura erat? ita in hos, quamquam non æque, ut Christus, sanctis ac justis, revera tamen sanctis ac justis, justitia & vita regnaret. Dices: At sic omnimoda similitudo erit inter Adamum, quique ex Adamo nascuntur usque ad Mosem peccatores; & inter Christum, quique ex eo regenerantur fideles ac sancti; cum tamen Apostolus versibus sequentibus dissimilitudinem inter utrosque fuisse dicat; *At non ut lapsus, ita etiam τὸ χάρισμα*, &c. Resp. Apostolus non tam dissimilitudinem inter utrosque facit, quam contrarietatem, in hoc, quod qui ex Adamo ante Legem nascuntur & peccatores fiunt, etsi non æque perfecti peccatores, proinde adhuc aliquatenus non peccatores sint, Deus peccata ista non condonet, idcirco quia non æque enormia sunt peccata, uti Adami peccatum fuerat; sed propterea, quod ex Adamo peccatore perfecto nati sunt, ea tanquam peccata æque perfecta atque enormia imputet. At vero iis, qui ex Christo regeniti justitiæ & sanctimoniæ se dedunt, etsi non æque perfecte ac Christus parens eorum, proinde aliquatenus adhuc peccatores, imo non raro gravissimi ante peccatores, peccata ista imputare prorsus nolit, sed eos non obstantibus istis, justitia ac vita donare. Atque hinc deinde colligit Apostolus, multo esse verosimilius, adeoque certius, eos qui Christi imitatores sunt, etsi non perfecti ea perfectione quæ in Christo fuit, justitiæ ac vitæ participes cum Christo futuros, ex vi singularis istius divinæ gratiæ, quàm mortis ac condemnationis participes fuerunt ii, qui ex Adamo nati & peccatores facti fuerunt, licet non æque perfecti peccatores atque Adam, idque ex vi severæ istius divinæ actionis, quæ opponitur priori, tanquam κρίμα & κρίνειν, τῷ δικαιώματι καὶ χαρίσματι, καὶ τῇ περισσείᾳ τῆς χάριτος: *vers.* 15. 16. 17. & τὴν δικαίωσιν ζωῆς *vers.* 18. Multo enim verosimilius est, gratiam divinam redundaturam in fideles Christi, licet imperfectos, imitatores, quam severitas divina redundavit in peccatores ex Adamo natos, & qui tamen ad similitudinem ejus non peccaverant.

*Collationis inter Adamum & Christum explicatio.*

Concludo ergo, (quod & clavis instar esse potest, qua ad collationis hujus, quam Paulus facit, inter eos qui ex Adamo nati morti subjacent, & inter eos qui ex Christo renati justitiæ ac vitæ participes sunt futuri rectam intelligentiam (meo judicio) perveniri potest.) 1. Non conferri hic omnes ex Adamo natos, cum regenitis per fidem ex Christo, sed eos tantum, qui ante Mosis legem vixerunt, ac proinde non æque perfecti peccatores fuerunt, ut Adam; quod puto indicari *vers.* 14. diserte, per id quod Apostolus dicit, *Mortem regnasse ab Adam usque ad Mosem*, (id est, uti *vers.* præced. 13. dictum fuerat, μὴ ὄντος νόμου, *non*, id est, *nondum existente Lege:*) *in eos etiam, qui non peccaverunt ad similitudinem transgressionis Adam.* Non enim puto verba hæc, *Ad similitudinem transgressionis Adami*, connectenda esse cum verbo remoto ἐβασίλευσεν, *regnavit*, sed cum verbo sive participio immediate præcedente, ἁμαρτήσαντας, *qui peccaverant.* Manifestè enim alioquin sibi contradiceret Apostolus, si hic diceret mortem regnasse etiam in eos qui non peccaverant, cum antea pœne eodem spiritu dixisset, *vers.* 12, *mortem in omnes pervasisse, quatenus* aut eo quod *omnes peccaverant.* & *vers.* 13: *usque ad Legem peccatum erat in mundo.* Hoc primum est. 2. quod ex eo consequitur est; Per vocem πάντας, *Omnes*, qua Apostolus deinde utitur in collatione sua, *vers.* 18. non intelligi universaliter omnes ex Adamo natos, sed istos tantum omnes, qui ante & usque ad Legem Mosis vixerant, quos Apostolus τοὺς πολλοὺς vocat, *vers.* 15. & 19. opposite ad πάντας & τοὺς πολλοὺς, qui ex Christo per vivam fidem justi dicuntur constituti. Sicut autem omnes & multi illi, qui ex Christo nati, justi constituuntur, non considerantur ut simpliciter ex Christo nati, sed ut fideles & per fidem ex eo regeniti: ita omnes & multi isti, in quos regnasse dixit mortem Apostolus usque ad Mosis Legem, non considerantur ut simpliciter nati

ter nati ex Adamo, sed ut peccatores, etsi non ad similitudinem Adami, perfecti divinæ Legis morte sancitæ transgressores. Hoc secundum est. Inde consequitur. 3. Per peccatum itaque eorum non intelligi peccatum originale sed propria ac personalia eorum peccata, per se digna morte quidem, sed idcirco tamen non nisi per solam divinam æstimationem morte eadem, quæ Adamo ex Legis vi debebatur, punita: quia peccatum non imputatur non existente Lege, id est, quia non videtur mortis pœna infligi posse iis, quibus Lex pœna mortis sancita lata nunquam est. Non quod Apostolus, velit Legem nullam tum fuisse, contra quam peccaverint isti homines, & juxta quam digni potuerint judicari morte. Alioquin enim falsum fuisset quod dixerat Apostolus, *Nam peccatum erat in mundo*: & ante, *Quia omnes peccaverant*; & certum est tum in iis fuisse Legem naturæ, sive dictamen naturalis rationis, & conscientiæ, ex qua sciebant, non modo quid decorum, quid turpe, quid honestum, quid inhonestum esset, sed & δικαίωμα sive jus Dei, videlicet eos, qui scelera contra conscientiam suam faciunt, dignos morte esse, *Rom.* I. *vers. ult.* & *Roman.* II. 14. 15. Sed quod hoc sufficiebat Apostolo, ut inde inferretur, istos homines, etsi peccatores erant, tamen non ita aperte contra expressam Legem ipsis datam, uti Adam, peccavisse; ac proinde, quod non minus quam Adam morte puniti fuissent, id ex eo factum fuisse, quod Deus peccatum Adami tam enorme peccatum esse judicaverit, ut qui ex Adamo sine Lege tali expressa nati, deinde ipsi suapte sponte peccaturi erant, eos non aliter quam Adamum peccatorem, eadem morte punire voluerit.

Dices fortasse, Ex istis consequi, Eos in Adamo ergo consideratos aut æstimatos fuisse à Deo ut peccatores, ac proinde aliquem in alio peccare posse, etiam nondum natum, aut (quod eodem redit) ut talem tractari posse, quod antea tamen negatum fuit!

Resp. Nullo modo hoc consequitur; Tantummodo sequitur. Eos qui non tam perfectè peccant uti Adamus, quia videl. iis Lex pœna mortis sancita non est lata, jure merito à Deo eadem pœna affici posse, quando peccarunt peccata morte digna, etsi venia mortis iis fieri posset, si Deus pro libertate sua jure suo rigide uti nollet, & non imputare peccatum, quod non est commissum contra expressam Legem mortis pœna sancitam, quamquam commissum contra Legem aliquam, ac proinde morte dignum. Aliud est aliquem æstimare peccatorem, qui peccator ipse non est: Aliud, eum qui peccator ipse est, & pœna mortis dignus, respectu grandis atque enormis alicujus peccati punire, non ex vi comminationis ante factæ, sed pro libera sua voluntate, absque ulla ejus qui punitur injuria, & ad excellens aliquod beneficium præfigurandum. Hoc à Deo factum esse, non istud, asserit Apostolus.

*Responsio ad aliquot quæstiones.*

Quæres *primò*: An ergo post Legem Mosis latam mors non regnavit per & propter unicum peccatum Adami? Resp. Nullo modo. Nam quibus Lex ista lata erat, iis lata erat plane ad similitudinem Legis Adamæ latæ, cum expressa comminatione mortis Legi addita: unde ut in transgressores legis istius mors perveniret, ex vi Legis sive comminationis istius, plane ad similitudinem transgressionis Adæ, necesse erat: uti ex eo quod Apostolus ipse concludit, *Non existente Lege, non imputatur peccatum*, concluditur à contrario: Ergo Lege existente imputatur peccatum.

Quæres *secundò*: An ergo post Mosis Legem latam omnes omnino homines censeri debeant peccasse ad similitudinem transgressionis Adami, etiam ii, quibus illa Lex Mosis nunquam aut innotuit aut innotescere potuit? Resp. Nequaquam. Eorum enim plane eadem ratio est, quæ istorum qui ante Legem illam peccasse dicuntur Apostolo. Quod vero Apostolus dicit, Mortem regnasse ab Adam ad Mosem usque, id dicit idcirco, quia ipsi cum Judæis & gentilibus istis res erat, quibus Lex ista Adamo lata nota erat.

Quæres *tertiò*: An ergo ante Legem Mosis nulla lex à Deo data fuit, cum addita mortis sanctione; Resp. Hoc est quærere, an verum sit id quod hîc Apostolus affirmat. Dices: Si leges tales multæ fuerunt, necesse esse, ut alio sensu dixerit Apostolus, Mortem regnasse ab Adamo usque ad Mosem, etiam in eos, qui non peccaverant ad similitudinem transgressionis Adami. Atqui alias leges plures fuisse ante latam Mosis Legem, videtur apparere, ex ipso dicto divino ad Cainum, *Genes.* IV. 7. ex lege Noacho data, *Genes.* IX. de non comedenda carne cum sanguine, de non occidendo homine; ex lege circumcisionis Abrahamo data, *Genes.* XVII. 9. 10. 11. 12. 13. & aliis pluribus.

Resp. Aut volumus Leges istas universales fuisse & omnibus hominibus latas, aut peculiares tantum quibusdam. Si eas universales fuisse volumus, necesse est ut contradicatur directe Apostolo. Si peculiares fuisse volumus, sive personis certis, sive familiis quibusdam datas, tum necesse est, ut eos, quibus istæ Leges latæ fuerunt, excipiamus ab iis quibus istæ datæ non fuerunt, & sic Apostoli verba cum exceptione aliqua dicta esse statuamus: vel ut peculiares istas Leges, dicamus fuisse non Leges tanquam vitæ totius normas, sed tanquam unius atque alterius specialis facti, quod Deus sibi placere significabat, regulas aut indices; cum quibus consistere potest veritas dicti Apostolici, quod ante Mosis Legem mors regnabat in eos etiam, qui non peccaverant ad similitudinem transgressionis Adami; quia, non obstante istarum peculiarium Legum observatione, peccabant tamen in multis aliis, contra quæ Lex expressa, cum comminatione mortis, statuta non erat.

Sed vero etiam dato, at non concesso, rem ita se habere, quis sensus tum erit dicti istius Apostolici: *Non peccarunt ad similitudinem transgressionis Adami?* Dices: Alius sensus non poterit dari, quam hic: Non peccarunt actualiter, ut Adamus, sed originaliter tantum.

Resp. Atqui 1. Apostolus disertè loquitur de iis tantum, qui ab Adam ad Mosem usque non peccaverant ad similitudinem transgressionis Adami, Quid? an ergo mors non regnavit post Mosem etiam in eos, qui originaliter peccarant? An vero peccatum Originale desiit post Legem Mosis latam? Nugæ. 2. Originaliter peccare est nullo modo peccare; quia est peccare antequam in rerum natura sis, ut in peccatum consentire possis: &, originaliter peccare, est in alio peccare, quod impossibile est. Nam *qui tentatur* (ad peccandum scilicet) *à propria cupiditate sua abstrahitur & inescatur: Jacob.* I. 14. A propria, ὑπὸ τῆς ἰδίας ἐπιθυμίας, inquit, non ab aliena: *Deinde, ubi cupiditas, ἰδία* ista, scilicet) *concepit, tum parit peccatum, peccatum verò peractum gignit mortem*; ut jam alia non allegem.

Regeres: Argumentum non procedere, Qui in rerum natura non est, is non potest in alio quidquam agere; quia *ad Heb.* VII. 9. disertè dicitur, Levi multo antequam in rerum natura esset, decimatum fuisse in Abrahamo, id est, decimas dedisse Melchizedeco, quando Abraham pater ejus Melchizedeco Regi decimas dabat: *Genes.* XIV. 20.

*Quomodo Levi in Abrahamo decimatus dicatur Hebr. VII. 9.*

Resp. 1. Scriptor ad Hebr. diserte satis indicat, se id quod de Levi decimas in Abrahamo dante dicebat, non proprie ac simpliciter, sed tantum certo quodam sensu ac forma loquendi dicere: quia parenthesin hanc inserit, ὡς ἔπος εἰπεῖν, id est, *ut sic loquar*. A modo autem loquendi improprio, concludere ad id quod proprie & revera ita est, valde inconsequens est. 2. Sed vero posito etiam proprie ita locutum esse Scriptorem ad Hebræos, Aliud est filium decimas dare in parente aut avo suo, aliud in eo peccare. Istud ut fieri dicatur, non est omnino à ratione alienum. Hoc ut fieri dicatur, absurdum & impossibile est. Primum inde apparet: quia bona patris aut avi aliquomodo ad filios & nepotes jure hæreditatis pertinent, adeo ut quod ex bonis suis pater vel avus dat, id filius vel nepos bonorum paternorum necessarius hæres, quasi dedisse dici possit de suo, id est, de portione hæreditario jure aliquando ad se devolvenda, & sic sua propria futura. Hoc vero, sive secundum, id est, peccare in patre aut avo suo, ut fieri dicatur, absurdum est; quia peccatum merè personalis actio est, quæ peccantem non egreditur; aut si peccatum etiam velimus fieri in alio, tum necesse est, ut pœna etiam respondens peccato aut culpæ contractæ, in alio ferenda dicatur, & sic peccati simul ac pœnæ formalis ratio in eo, qui in alio peccare dicitur, locum non habeat. Sed & impossibile est, ut quis dicatur in alio peccare, qui nondum in rerum natura est, quia ut ei Lex, quid dico Lex pœna sancita? feratur, moraliter impossibile est. Ne infanti quidem recens nato Lex ferri potest, quanto minus nondum nato. Nec, si Lex ferretur, peccare posset, quia ne adultus quidem, si rationis usu careat, peccare potest, & ratione etiam optima præditus, in alio tamen peccare non potest, nisi in peccatum sive tacite sive expresse propria sua voluntate consentiat.

Contra, inquies, loquitur ipse David *Psal.* LI. 7: *Ecce in iniquitate genitus sum, & in peccato calefacta est de me mater mea.* Resp. 1. David istis verbis non significat, se peccasse in matre sua. quid ergo hoc ad rem? 2. Davidem verbis istis, *In iniquitate conceptus sum*, &c. significare, se in vel cum peccato originali isto, de quo hîc agitur, genitum esse, qua ratione evincetur? Certè, nihil vetat credere hyperbolen, quæ sempet ultra verum aliquid addit, verbis his inesse, per quam David significare voluit naturalem temperamenti sui, sanguinei fortasse, ad libidinem à prima statim ætate proclivis ac proni conditionem, non aliter quam si cum ipsa libidine natus & educatus esset, ut ista scilicet ratione Deum ad misericordiam & gratiam sibi faciendum

*Explicatio loci Psal. LI. 7. Ecce in iniquitate genitus sum, &c.*

ciendum flecteret: Ita ut *in peccato genitum esse*, idem sit, quod genitum esse cum eo, quod libidinis & peccati quasi origo fuit. Nam nec inusitata est ejusmodi hyperbolica loquendi ratio, non dico tantum in familiari sermone, sed & ipsi Davidi aliisque Scriptoribus Sacris. Sic enim *Psalm.* XXII. 10. 11. legitur, *Tu, ô Deus, es eductor meus ab utero, confidere faciens me super ubera matris meæ. Psal.* LXXI. 5. 6. *Quoniam tu es exspectatio mea, Domine Deus, fiducia mea,* מנעורי *à pueritiis meis. Tibi innixus sum ab utero; è visceribus matris meæ tu extractor meus es: de te laus mea semper.* & *Psal.* LVIII. 4. *Abalienati sunt impii à vulva, erraverunt ab utero.* Similiter *Esaiæ* XLVIII. 8. Sic *Job.* XXXI. 18. *Nam ab adolescentia mea crevit mecum tanquam apud patrem,* (misericordia scilicet vel pupillus) *& ab utero matris meæ deduxi illum.* Nisi hîc hyperbole statuatur, utri credemus, Davidi asserenti se in peccato genitum, an Jobo affirmanti virtutem misericordiæ ab utero matris sibi adnatam fuisse? Sed & vide hyperbolem plane similem hyperbolæ huic Davidicæ, *Joann.* IX. 34. ubi Pharisæi cæco à nativitate dixisse quasi cum contumelia leguntur, *Tu in peccatis natus es totus, & tu doces nos?* Quid enim, si in peccatis nasci, est nasci in & cum originali peccato, annon Pharisæis jure à cæco regeri potuisset, & vos in peccatis nati estis toti, & vos me docere vultis? Sed vero, addo 3. Nulla est consequentia, David id dicit de se, Ergo idem de omnibus verum est. Alioquin enim, quando Esaias de legirupis & profanis Israelitis dicit, *Prævaricatores estis ab utero matris vestræ, cap.* XLVIII. 8. similiter per bonam consequentiam concluderetur, non tantummodo idem de omnibus hominibus vere dici posse, sed & de ipso Esaia, Israelitis istud exprobrante & objiciente, non minus, quam de se id dixisse reditur David. Denique, Ratio non sinit, ut verba ista Davidis isto sensu accipiantur: quia sic David culpam omnem enormis sui tum adulterii tum homicidii, in Deum potius autorem, quam in se retulisset. Caussam enim ejus dixisset fuisse originale peccatum, sive corruptionem istam naturalem, quam sibi ex pura puta punitione divina, ob peccatum in Adamo ante tria annorum millia præterpropter commissum, necessario inhærere, peccatorumque omnium necessariam atque inevitabilem scaturiginem esse declarasset, hunc fere in modum; Peccavi, fateor, sed vero, tu Deus, nosti, quæ caussa ejus fuerit; nempe propria pœna tua, qua me, quem antequam essem, in Adamo peccatorem fieri voluisti, propter peccatum istud, aut vi peccati istius, fecisti incidere in tantam naturæ meæ totius corruptionem, ut nisi in me per vim irresistibilem retineas, à peccato nullo abstinere possim, imo ad omne peccatum propensissimus sim. In hoc peccato genuit me mater mea, & istud in me est operatum omnem, quam commisi, iniquitatem. Quis non nauseet, imo quis non abhorreat à tam sordido sensu? imo quis non sanctissimo Deo, & Davidi viro secundum cor Dei, eum summe injurium esse clamet?

*Locus Ephes. II. 3.* Sed vero, inquies, alia plura loca sunt, quæ peccatum tale originale confirmant: uti locus ad *Ephes.* II. 3, ubi diserte legitur: *Eramusque natura filii iræ, ut & reliqui,* item locus *Genes.* VI. 5: *Omne figmentum cogitationum cordis eorum tantummodo malum erat omni die.* & *cap.* VIII. in fine, *Cogitatio cordis hominis, mala est à pueritia sua.* Ad hæc loca ut prolixe respondeamus, non est necesse, quia ad primum sufficiunt ea, quæ respondimus, cum de *ira Dei* ageremus. Ad secundum, cum de Religione naturali in principio operis hujus nostri dissereremus. Nunc verbo dicimus: In neutro loco agi de peccato Originali, ex ipsis verbis colligi posse. Non in primo; quia, ut jam non dicamus, in isto agi de eo, quod Ephesii fuerant ante acceptam Euangelii gratiam, & sic vocem *Naturâ*, non significare id quod fuerant Ephesii à prima nativitate sua, sed quod revera fuerant, simulatque peccare poterant, post videlicet acceptum rationis usum, & liberæ voluntatis exercitium, & antequam per Euangelium vocabantur; prout eadem vox usurpata legitur *ad Gal.* II. 15. & *cap.* IV. 8. & in familiari sermone usurpari solet, quando aliquis naturâ fur, nequam, & malus esse dicitur, qui à primis annis ad mala quædam propensus fuisse apparet. ut, inquam, hoc jam non dicamus, manifeste apparet ex textu, Primò Apostolum non loqui de eo quod à nativitate homini inesse creditur, id est, de peccato Originali, quia dicit, ἦμεν, id est, *eramus.* Hoc enim præteritum imperfectum non potest aliud significare, quam id, quod tum temporis Ephesiis amplius non inerat, sed jam inesse desierat. Atqui peccatum originale nunquam inesse desinit, sed semper manet, tam in regenitis quam in non regenitis. Secundò; Quia directè contrarium alioquin dixisset Apostolus, *ad Gal.* II. 15. *Nos natura Judæi & non ex gentibus peccatores.* Nam si Judæos natura peccatores, & à nativitate ipsa filios iræ esse credidisset, quando dixit, *Eramusque natura filii iræ, ut & cæteri,* etiam hoc in loco Judæos & se natura peccatores esse dicere debuisset. At contra diserte & cum oppositione loquitur. Ergo, &c. Dices: Attamen in prima persona pluralis numeri dixit ἦμεν, id est, *eramus*, nos videlicet Judæi, non minus quam cæteri gentiles. Resp. Imo id sic dixisse Apostolum, quemadmodum qui ad populum loquuntur dicere solent, se ipsos eidem cum cæteris culpæ involventes, ex eo manifestum est, quod in initio versus hujus eadem ratione loquatur, cum ait; *Inter quos & nos omnes conversati olim sumus, in cupiditatibus carnis nostræ, facientes quæ carni ac cogitationibus lubebant*, cum tamen certum sit Apostolum Paulum, utpote Judæum & in accuratissima secta Pharisæorum ad pedes Gamalielis enutritum & institutum, *Act.* XXII. 3. non fuisse versatum in cupiditatibus carnis suæ, &c. imprimis, cum ipse diserte dicat, *ad Philipp.* III. 6: *se, quod ad justitiam, quæ in Lege est,* ἄμεμπτον, id est, *irreprehensibilem vixisse.* Similes locutiones vide *Daniel.* IX. *à vers. 15. ad vers. usque* 20. & passim apud Prophetas. Hisce adde, quod vox ista *Naturâ*, qua hîc utitur Apostolus, non possit significare, naturaliter sive à prima nativitate. Quia naturalis hominis conditio non potest esse ratio iræ, ita ut propter eam filius iræ dicatur. Nasci enim non est liberum, neque in potestate ejus qui nascitur. Ergo nasci cum hac aut illa conditione sive constitutione, non potest esse liberum. Quod autem liberum non est, id culpæ rationem habere non potest. Quod vero culpæ rationem non potest habere, quomodo id potest caussa aut ratio iræ esse? Ira enim per Metonymiam pœna est. Pœna autem & culpa sunt relata.

Sed nec in secundo loco de peccato Originali agi, id unum abunde arguit, quod in eo fiat mentio *figmenti cogitationum cordis*. At obsecro, quis recens natis infantibus cogitationes tribuat, quis figmenta cogitationum cordis, & similia? Nemo nisi fatuus & infante infantior. Ut jam non dicam, Si per *figmentum cogitationum cordis hominis*, intelligatur peccatum Originale, tum dicendum fore 1. Deum caussam habuisse diluvio perdendi mundum statim à temporibus tam Abelis quàm Caini, quia & tum peccatum originale erat. 2. Noacho etiam eadem mala figmenta cogitationum cordis tribui debere. 3. Tum eandem caussam fuisse, propter quam Deus diluvium mundo voluerit immittere, & propter quam deinde diluvium rursus non voluerit immittere. quia utrobique eadem caussa assignari dicetur, *Genes.* VI, & *Genes.* VIII. quod absurdum esse, quis non sentit? Nec est quod dicas, In primo loco peccatum quidem originale dici caussam diluvii, sed non solum istud, quia ei conjuncta dicuntur fuisse peccata multa actualia. Etsi enim id concedatur, tamen eadem prorsus ratio nihilominus militabit. Actualia enim peccata ista non minus necessario fluunt ex peccato Originali, quam calor ex igne, ex hypothesi eorum qui peccatum Originale tuentur. Ergo, inquam ego, Deus, quando dicit se imposterum diluvium non velle immittere mundo, quia homo originali peccato laborat, eo ipso dicit, se diluvium imposterum immittere nolle, etiam propter actualia, ex originali peccato necessario fluentia, peccata ac flagitia. Nam qui non vult immittere propter caussam necessario operantem, is censetur non velle immittere propter effecta necessario ex caussa illa existentia, aut eam inevitabiliter consequentia. Res plana est. *Locus Genes. VI. 5. & VIII. 21.*

Dices: Hæc eadem ratio militat contra nostram sententiam, quia in utroque loco *cap.* VI. & *cap.* VIII. peccata actualia intelligi dicimus. Quid? an non ergo eadem peccata caussa fuerunt immissi diluvii & contrariæ voluntatis de diluvio non immittendo? Resp. Ita quidem videtur, si particula כ utrobique eodem modo accipiatur. Sed nihil vetat, imo res ipsa postulat, ut in posteriore loco exponatur per *Quamvis*, uti alibi diximus, ita ut sensus sit: Non maledicam amplius terræ, sic ut jam feci, etiamsi contingeret ut eodem modo ad adolescentes usque malitia pervaderet & peccatis repleretur.

Sed vero, inquies, Jobus diserte quærit *cap.* XIV. 4. *Quis dabit mundum ex immundo?* id est, non peccatorem ex peccatore? Resp. Quæ consequentia? Dices; Immundus omnis est peccator. Resp. At hoc est quod probandum est. Omnis quidem peccator est immundus, sed non omnis immundus est peccator. Est enim immundities quædam physica, quæ tamen non est immundities moralis sive ethica. Atqui quid vetat Jobum de ista non de hac immunditie agere? Quæ vero, inquies, est immunditia physica, quæ non simul sit immundities moralis? Resp. Immundities physica per Metaphoram est omnis infirmitas, imperfectio, & corruptibilitas; unde nascuntur omnes ægritudines, morbi, miseriæ, dolores, ulcera fœtida, quæ hominem deformem, &, veluti immunda solent, ingratum, invisum, & contemtum red- *Locus Jobi XIV. 4.*

reddunt. Quia vero homines omnes ex mulieribus nati istis infirmitatibus & imperfectionibus obnoxii semper vivunt, hinc est quod Job omnes homines veluti immundos ex immundis nasci asserat, ut isto argumento Deum ad commiserationem sui moveat. Sensus enim Jobi est: tu me Domine tam vehementur affligis. Cur vero? An non & ego homo sum ex muliere natus, eidem conditioni obnoxius, cui omnes sunt obnoxii? Non sane melior est conditio mea quam cæterorum mortalium omnium. Eadem nos omnes immundities, eadem sors premit. Nasci videmur ut flores pulchri, & ecce vix natos nos comitatur infirmitas, qua fit ut paulatim langueſcamus, defluamus, &, veluti aridi ac flaccidi flores, immundi ac turpes reddamur, tandemque ut umbræ evaneſcamus, ſaturi ira, id est, fracti & obruti malis moriamur. Hac conditione, ô Deus! cum natus ego etiam sim, quid est cur me insuper premas magnis & multis hisce malis? Sine me, obsecro, vivere cum naturali saltem ista mea immunditie immunem ab hisce tam diris calamitatibus, usque dum moriar. Quid enim post mortem homini restat? Nil nisi immundum cadaver, & sepulchrum luridum, in quo erit tristissima

*Nox & perpetuò una dormienda.*

Hunc sensum Jobi esse, evincunt omnia tum antecedentia tum consequentia. Dices: Contra esse, & de immunditia morali locum intelligendum, apparere ex *cap. seq.* XV. 14. quia ibi dicitur, *Quid est homo ut mundus sit, & ut justificetur natus ex muliere*, id est, ut justus sit? Resp. 1. verba illa non sunt verba Jobi, sed Eliphazi & sociorum ejus, de quibus dicit Deus ipse *cap.* XLII. 7, *Vos non estis de me locuti rectum, sicut servus meus Job.* 2. verbis istis non dicitur, Homines omnes immundos, id est, pravos esse à nativitate prima, sive peccato originali laborare, sed tantum, Neminem hominem esse, etsi maxime innocens ac pius videatur, qui non in vita sua se polluat, aut polluerit aliquando peccatorum quorundam gravium sordibus, atque ita veluti immundus, Deo causſam præbeat, propter quam eum adfligit, & calamitatibus ac doloribus variis exercet. Inde enim concludebat Eliphaz & socii ejus, Jobum etiam peccatis quibusdam enormibus se polluisse, quibus Deo occasionem dederat tam ingentibus malis eum adfligendi, ut videre est *cap.* XXII. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12, &c. Ex quo efficitur, verba hæc Eliphazi contraria videri debere & oppoſita verbis Jobi, quibus ille dixerat, *Quis dabit mundum ex mundo?* Nam alioquin Jobus idem dixisset quod Eliphazus, cum constet Jobum contra semper pro innocentia & integritate sua locutum esse, & immunditiam istam, quam ipsi impingebant socii, à se removisse, uti prolixe videre est toto *cap.* XXXI. Ut autem originalem immunditiem ei exprobrasse dicantur socii, quis credat? nedum ut eam etiam adflictionis istius magnæ causſam fuisse contenderint. Sensus ergo verborum horum est: Noli, ô Job, respondere Deo te adfligenti. Fatere culpam. Nemo innocens à Deo adfligitur. Et cur non fatearis? Humanum est labi, errare, peccare. Solus Deus purus & mundus est. Cum eo si compares omnia alia, quæ infra ipsum sunt, fragilia, instabilia, & mutabilia sunt omnia: quanto ergo magis homo instabilis, & mutabilis à virtute ad vitium. Fatere ergo & te mutatum, ac vitium aliquod ingens Deo affligendi te causſam præbuisse. Sensum hunc vide *cap.* IV. 17. & deinceps. & XXV. 4. 5. 6.

## CAPUT III.

### De causa redemptionis impulsiva interna, nempe misericordia divina, & ejus cum justitia temperamento, per sacrificium propitiatorium, & resipiscentiæ postulatum.

*Causa impulsiva προηγεμὼν remota redemptionis est liberrima Dei voluntas.*

HActenus ergo egimus de causa impulsiva προκαθαρλικὴ operis hujus divini, id est, de miseria generis humani totius; cujus magnitudinem, latitudinem, & fontem sive causſam vidimus. Sequitur jam, ut deinceps de causſa impulsiva προηγεμὼν agamus.

Causſa hæc, remotè considerata, est liberrima Dei voluntas, propria sponte sua mota, nullo vel consilio alieno inducta, vel instinctu aliunde accepto concitata; nulla vi coacta, nulla propriæ utilitatis spe impulsa, nullo merito aut debito obstricta: quam idcirco Scriptura vocat, ἐυδοκίαν τῦ θελήμαλ@ τῦ Θεῦ: *Ephes.* I. 5. & quidem ἣν προέθετο ἐν αὐτῷ, *quam proposuit in se ipso, vers.* 9: τὸν βυλὴν τῦ θελήμαλ@ αὐτῦ: *vers.* 11. τὴν ἰδίαν πρόθεσιν: 2 *ad Timoth.* I. 9. ita ut *nemo ei ἀνθυπλ@ fuerit, nemo prior ei dederit. Rom.* XI. 34. *sed ex ipso, & in ipsum sint omnia: Rom.* XI. *vers. penult.*

Proxime considerata causſa, est misericordia & gratia. Misericordia, qua impulsus fuit Deus, ut miserrimo generi humano succurrere vellet. Gratia, quâ motus fuit, ut ei succurreret, non modo citra debitum, sed & præter ac contra meritum ejus. Gratia enim nihil aliud est quam indebitus favor, & non raro favor demeritus, sive quo quis meruit non adfici, imo etiam quo meruit privari. Misericordiam passim Scriptura huic operi præficit, uti & gratiam. Istam vocat ἔλεον, σπλάγχνα ἐλέες, πλεσίονπε τὸ ἐλέει, οἰκτιρμὸς τῦ Θεῦ: *Luc.* I. 78. *Ephes.* II. 4. *Roman.* XII. 1. τὸ πολὺ ἔλ@ vocat Petrus, 1 *Epist.* I. *vers.* 3. Hanc vocat Scriptura, nunc χάριν, nunc τὸ πλῦτον τῆ χάριλ@, *Ephes.* I. 6. 7: nunc τῆ ὑπερβαλλονπος πλῦτον τῆ χάριλ@, *vers. eodem.* nunc δωρεὰν τῆ χάριτ@, *Ephes.* III. 7. nunc τὸν ἀγαπῶν, *Joan.* III. 16. & πολὺ ἀγαπῶν, *Ephes.* II. 4, nunc χρηςότηπα, *ibid vers.* 7. nunc χρηςότηπα καὶ φιλανθρωπίαν, *Tit.* III. 4. Uno verbo ergo, causſa operis hujus est gratuita misericordia divina, qua Deus uti voluit ad liberandum sive redimendum genus humanum ex miseria sua. *Proxima, ejusdem misericordia & gratia.*

Verum enimvero gratuita hæc misericordia divina consideranda hîc venit non simpliciter sive absolute, sed ut adjunctum sibi habens temperamentum aliquod justitiæ & æquitatis divinæ, quod Deus liberrime quidem etiam, sed tamen non nisi ex consilio sapientiæ suæ ei conjunctum esse voluit. Quod temperamentum ut intelligatur, sic habendum est.

Potuisset utique Deus, si voluisset, pro absoluto jure & suprema potestate sua, tanquam nulli obligatus, nulli juratus dominus, peccata omnia humano generi condonare, atque ita de proprio jure suo, quo malum miseriamque peccatis promeritam ei poterat infligere, plane cedere. Supremo enim domino quin id liceat, quis dubitet? Jurato & Legibus superioris domini obstricto quin id non liceat, certum est. Hic enim non cederet de jure suo proprio, sed de alieno, quod cum injuria superioris domini conjunctum foret. At qui ἀντικεί@ est, tantum abest ut ei non liceat de jure suo proprio cedere, ut contra quando id facit, summæ id ei laudi & honori ducatur, eique eapropter encomium clementiæ tribuatur, nempe si Princeps id faciat tanquam ἀντικεί@, absque ulla divinæ Majestatis & divinarum legum violatione; alioquin enim cederet non de jure suo, sed de divino; quod sine injuria Dei, tanquam Domini sui superioris, facere non potest. Deo ergo Opt. Max. quin id liceat, dubitandum non est. Neque vero est, quod quis dicat, Justitiam divinam distributivam necessario postulare, ut Deus peccatorem puniat. Quia justitia non postulat præcise, ut Deus teneatur punire, sed tantum ut jure possit punire quando vult, & quando punit, quod tum jure puniat. Alioquin justitia divina non posset consistere cum supremo dominio Dei, id est, cum potestate remittendi pœnam, qui supremus actus dominii est, quo dominus tanquam pœnæ creditor, debitam sibi pœnam non vult exigere. Quod ipsum non leviter ex eo confirmatur: quia si justitia divina necessario obstringeret Deum ad puniendum, misericordia etiam Deum obstringeret ad non puniendum, sive ad remittendum pœnam, & sic Deus simul non posset non punire, & non posset punire; quod absurdissimum est, & supremo Dei dominio derogat ut quam maxime. *Potuisset Deus, si voluisset, omnino gratis peccata genus humanum condonare.*

Potuisset ergo, uti dixi, Deus peccata omnia generi humano condonare, & ut ea condonaret, impellebat Deum affectus misericordiæ & gratiæ, quo afficiebatur erga creaturam suam, qua miseram & gratiæ egenam aut inopem. Sed vero, ne condonaret simpliciter Deus, obstabat affectus justitiæ, quo Deus odit creaturam peccatricem, & suapte propria culpa miseram, id est, sub damnatione & dominio peccati jacentem.

Utrique huic adfectui ut plene satisfieret, impossibile erat: ut tamen aliquomodo eoque optimo satisfieret, æquitas postulabat. Si enim Deus ex affectu misericordiæ absolute ac simpliciter remisisset peccata omnia, nullo modo apparuisset affectus justitiæ, quo Deus odit peccatum & amat justitiam: nullus etiam apparuisset effectus divinæ comminationis sive divinæ veracitatis, qua peccatoribus mortem destinaverat sive comminatus fuerat: &, quod inde sequitur, liber peccandi commeatus semper datus homini fuisset. Si ex affectu, id est, amore justitiæ, & peccati odio, Deus creaturam suam pœnæ subjectam detinuisset, nullus apparuisset affectus aut effectus misericordiæ & gratiæ. Temperamentum ergo ut fieret, sapientia divina constituit. *Temperamentum misericordia & justitia divina in sacrificio propitiatorio & resipiscentia postulatum.*

Temperamentum hoc in eo consistere poterat, si Deus humanum genus miserum, quia sub reatu mortis & sub peccati principatu ac dominio jacebat, non redimeret nisi interveniente sacrificio propitiatorio, quo à reatu mortis immune fieret; & postulato resipiscentiæ, per quod à dominio

minio & jugo peccati liberaretur. Sic enim utrique affectui aliquomodo, imo optime, satisfieri poterat. Interventu sacrificii propitiatorii pro peccato sive pœna peccato debita aliquomodo poterat satisfieri justitiæ sive amori divino, quo justitiam amat & peccatum odit. Postulato resipiscentiæ eidem satisfieri poterat, quia sacrificii istius propitiatorii fructus non perveniret ad genus humanum, sine prævia tyrannidis sive dominii peccati excussione per seriam resipiscentiam. Sacrificio propitiatorio peccati perpetrati impunitas tolleretur. Resipiscentiæ postulato nova peccandi & cum spe impunitatis peccandi licentia impediretur.

In utroque tamen hoc temperamento gratia divina primas semper partes ac potissimas habitura esset. In primo; quia ut sacrificium hoc propitiatorum fieret, sacerdote opus esset. At sacerdotem homo sibi ipsi constituere non poterat; quia nemo homo est, qui non sit reus pœnæ suapte propria culpa. Ergo ut eum Deus ipse constitueret, necesse erat. Constituere autem non poterat nisi ex liberrima sua gratia. Atque hæc gratia, est gratia ista prima divina, quæ passim in S. Scriptura tam magnifice prædicatur, quando dicitur, *Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum dederit*, &c. *Joan.* III. 16. *Commendat autem charitatem suam Deus erga nos*, &c. *Rom.* V. 8, &c.

In secundo; Quia ut homo sub dominio peccati constitutus se ipsum à dominio & jugo isto liberaret, impossibile erat. Tantum enim abest, ut ipse resipiscere suapte sponte & ad meliorem mentem se conferre possit, ut contra, quia servus est peccati, à peccato resipiscere nec velit nec velle possit. Gratia ergo divina eum ut præveniret, & ad resipiscendum idoneum redderet, necesse erat. Atque hæc est gratia illa divina, qua Deus dignatus dicitur in Scriptura genus humanum, quando id per Euangelium vocavit ad resipiscentiam & fidem, sub certa peccatorum omnium per Sacerdotem istum facienda remissione, & apertissima immortalis atque æternæ vitæ promissione. *Ephes.* I. 2. 3. & 2 *Timoth.* I. 9. *Tit.* II. 11. 12. 13. 14. & III. 4. 5. 6. 7. 8.

*Sacrificium propitiatorium optime cum gratia consistere.*

Dices: Sacrificium propitiatorium, quo satisfit divinæ justitiæ, cum gratia consistere simul non potest. Resp. 1. Imo sacrificium propitiatorium pro alio admittere, divinæ gratiæ est. Neque enim Deus, cui sacrificium fit, sacrificium admittere, nedum sacrificium pro sacrificio propitiatorio acceptare tenetur: quia si jure suo uti vellet, ab ipso peccatore, tanquam suapte culpa reo, pœnas sibi debitas exigere jure posset; quod cum vult non facere, utique id soli gratiæ & misericordiæ ejus acceptum referendum est. 2. Ipsum Sacerdotem, à quo sacrificium istud peragendum est, procurare aut dare in bonum peccatoris, sive pœnæ rei, gratiæ divinæ actus est. Neque enim sacrificium istud sibi procurat humanum genus, nedum ut isto, tanquam ex se aut vi sua propitiatorio, ad delendum peccata sua utatur, veluti qui fide jussore dato, aut accepta ab alio pecunia, debitum solvit & expungit. Imo vero, quod amplius est, etiamsi sacrificium tale sibi procuraret homo, quod vi sua propitiatorium esset, tamen sacrificium istud non foret propitiatorium, nisi mediante gratiosa voluntate ejus, qui sacrificium omne respuere, & ab ipso peccatore pœnas exigere posset pro jure suo. 3. Sacrificium propitiatorium consistere posse cum gratia, apparet manifestè ex *cap.* IV. & V. *Levit.* ubi sacrificiis propitiatoriis pro delicto, errore, aut peccato, sive privati, sive Principis, sive Synagogæ oblatis, adjungitur non tantum effectus expiationis, sed etiam effectus remissionis, cum hac fere formula, *Et remittetur ei.*

Dices: Sacrificium propitiatorium dare, & gratiam facere, videntur esse contradictoria, aut saltem absurda. Qui enim dat sacrificium, is sibi ipsi id dat: quod quid aliud est, quam creditorem dare pecuniam, qua sibi ipsi solvat? Resp. aliud est dare Sacerdotem, aliud dare sacrificium. Deus isto temperamento utens dat sacerdotem, sed Sacerdos dat aut offert sacrificium sibi imperatum. Recte, inquies, Distinctio hæc locum habet, quando sacerdos & sacrificium subjectis differunt, uti quando sacerdos pecudem in victimam dat: At hîc Sacerdos & sacrificium unum idemque est. Ergo qui dat Sacerdotem simul etiam dat sacrificium. Respondeo: Non sequitur; quia etiamsi Sacerdos se ipsum det in victimam, totum tamen aut omne id, quod dat, non habet ab eo à quo habet quod Sacerdos sit. Vitam & sanguinem quidem suum ab eo habet, cui offert: sed dolorem, adflictionem, & cruciatum, cum quo eum offert, ultro in se suscipit, & tanquam suum aut de suo, propria voluntate sua Deo offert. Propitiationem ergo quam facit, non facit solum moriendo, id est, vitam & sanguinem suum, quem à Deo habet, profundendo, eique quasi reddendo; sed moriendo cum dolore, tristitia, molestia & anxietate, sive mortis crudelis & ignominiosæ voluntaria in se susceptione & impromerita toleratione. Et hæc quidem propria voluntas, & hîc proprius dolor est id, quod sacrificium proprie facit propitiatorium, & sacrificium, quod de suo sacerdos offert. Dolorem enim non dat sibi Deus, sed sacerdos Deo, quia fert eum ac tolerat ad gloriam Dei. Et hinc dolor iste; ad mortem usque violentam & ignominiosam, toleratus, per metaphoram vocatur λύτρον, ἀντίλυτρον, sive redemtionis pretium: quia uti pretio persoluto debitum extinguitur, & captivus solvitur, ita propitiatorio sacrificio peracto, debitum sive reatus pœnæ deletur. Frustra ergo quæritur, An debitum istud solvatur Deo an Diabolo. Deo enim quin persolvatur dubitari non debet: non tamen sic, quasi Deus pretium istud, veluti creditor pecuniam, dederit, qua sibi ipsi solverit; sed quia iste, quem Deus fide jussorem constituit, suo proprio ac precioso sanguine, cum dolore summo effuso, veluti propria sua pecunia, peccatorem redimit ex mortis debito.

Hanc agendi rationem Deo non esse inusitatam apparet, 1. ex *Genes. cap.* XX. 7. ubi Deus offensus facto Abimelechi Regis in Gerar, quo Saram Abrahami uxorem accipere sibi in conjugem, & cum ea consuescere constituerat, Abimelecho Regi interceſſorem dat Abrahamum, ut pro eo oraret, precibusque suis veniam delicti ejus impetraret. *Nunc igitur*, inquit, *redde uxorem viro, quia propheta est, & orabit pro te, & vives:* id est, si orabit pro te audiam eum, & non afficiam te morte, &c. 2. ex *Jobi cap.* XLII. 7. 8. 9. 10. ubi sociis Jobi Deus mandat, quia exarserat ira ejus contra eos, eo quod non fuerant de eo locuti rectum sicut servus ejus Job, ut sumerent sibi septem vitulos & septem arietes, irentque ad servum suum Job, offerrentque holocaustum pro se, intercedente Jobo, cujus faciem se susceptorum dicebat, ut non afficeret eos ignominia. *& susceptit*, inquit textus, *Deus faciem Jobi, dum orabat ipse pro amicis suis.* 3. Ex sacrificiis Veteris Testamenti, ad quæ offerenda pro peccatis Deus ipse sacerdotium instituit, & sacerdotes ordinavit, cum aperta declaratione se non nisi sacrificiis ex præscripto suo oblatis placari & propitium reddi velle: jubendo tamen, ut ea populus, ad expiandum peccata sua, istis Sacerdotibus sponte sua ac non nisi cum damno aliquo rerum suarum afferret, & ut Sacerdotes cum labore & molestia non levi, sibi ea offerrent. Quibus adde IV. Quod Deus ipse, quamquam populo peccatori gravissime infensus, nihilominus passim populo suo remedium daret ac suggereret, quo iram suam placari, & gratiam ac veniam delictorum, licet gravissimorum, impetrari à se posse significabat. Vide *Esa.* I. *per totum*, & passim alibi. *Mich.* VI, &c.

## CAPUT IV.

### De diversa patefactione gratiæ divinæ à lapsu Adami usque ad tempora Christi.

*Gratiam humanum generis facere constituit Deus ante sæcula.*

GRatiam hanc cum tali temperamento consideratam, dicitur Deus constituisse facere ante secula, πρὸ χρόνων βολῆς ἰδίας, *Ephes.* I. 4. & 1 *Petri* I. 20. πρὸ χρόνων αἰωνίων, 2 *Timoth.* I. 9. *Tit.* I. 2. Sed ejus patefactionem sive apertam declarationem reservasse ad tempora usque ultima, quæ τὰ ἔσχατα τῶν χρόνων vocat Petrus, 1 *Epist.* I. 20. Paulus *Tit.* I, 2, καιροὶς ἰδίοις. Scriptor ad Hebræos, *cap.* I. 1, ἐπ' ἐσχάτου τούτων. & *cap.* IX. 13 καιρὸν διορθώσεως. Paulus *ad Gal.* IV. 4. τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου. Joannes 1 *Epist.* II. 18. ἐσχάτη ὥρα, &c.

*Obscurius tamen fuit patefacta ante adventum Messiæ.*

Obscurior itaque fuit hæc gratia omnibus istis, quæ à lapsu Adami ad ultimum usque tempus Messiæ interceſſerunt, seculis, quæ propterea Scriptura comparatè vocat, tempora sive χρόνους τὰ ἀγνοίας, *Act.* XVII. 30. τὰ νυκτὸς, *Rom.* XIII. 11. 12. τῇ σκότους, 1 *Thess.* V. 5. & τὰ ἀνοχῇ τοῦ Θεοῦ, *Rom.* III. 25. Obscuritas illa, etsi paulatim magis magisque enubilata fuit, tamen tota ista enubilatio, quæcunque fuit, adeo tenuis ac diluta fuit, ut non nisi candelæ instar fuerit, in obscuro loco sive in tenebris & densa ac spissa caligine accensæ, uti Petrus loquitur, 2 *Epist.* I. 19. comparatè ad lumen, quod phosphorus, sive Sol, imprimis supra Zenith nostrum, in meridie præbet, quo umbra & obscuritas omnis tollitur: quale fuit lumen Euangelii Jesu Christi, quo gratia & veritas patefacta fuisse dicitur: adeo quidem, ut ei tribuatur, quod *lux illa vera* fuerit, *Joan.* I. 17. quod fuerit *salutaris illa gratia*, *Tit.* II. 11, quæ hominibus omnibus salutaris futura ἐπεφάνη, ἐφανερώθη, εἰς τὸ καταργῆσαι καὶ φωτίσαι ζωὴν καὶ ἀφθαρσίαν, 2 *Corinth.* IV. 4. 5. & 2 *Timoth.* I. 9. *Lex enim umbram habebat futurorum bonorum, non autem ipsam expressam imaginem*, sive εἰκόνα τῶν πραγμάτων, ut est *Heb.* X. 1. unde *Lex per Mosen data* fuisse dicitur, *gratia autem & veritas per Jesum Christum* (præstita:) *Joan.* I. 17. qui eam non revelavit

velavit tantum, ſed & tanquam unigenitus Dei filius, ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρὸς, ἐξηγήσατο, & ſic quidem, ut σωτηρία πληκάντη dicatur ἀρχὴν λαβεῖν λαλεῖσθαι διʼ αὐτοῦ εἰς τὸν κύριον. *Heb.* II. 3.

Gratia ergo interea temporis locum habuit, ſed obſcurius, & tacite potius indicata quam expreſſe ac clare revelata. Gratia inquam, locum habuit, quia Deus etiam iſtis intermediis temporibus, ſignificavit, ſe juſtitiam amare & odiſſe peccatum, ac proinde ſe bene facientibus bene facere velle, & male agentibus male facere; uti in exemplo Caini & eorum qui ante diluvium vixerunt, per Noachum juſtitiæ præconem teſtatum feciſſe legitur.

*Qua in re obſcuritas illa conſtiterit.*

Obſcurior tamen gratia illa fuit, 1. quia iſtis temporibus actu non dedit gratiæ iſtius autorem atque annuntiatorem, 2. quia per eum nec aperte revelavit præcepta iſta quæ ad immortalem vitam conſequendum neceſſaria ſunt; nec clarè atque in terminis promiſſionem æternæ vitæ iis dedit. in quibus tamen duobus perfectio divinæ gratiæ poſita eſt.

*Qualis gratia locum habuerit à lapſu Adami uſque ad diluvium.*

Tacitam tamen gratiam tum habuiſſe locum, vix dubitandum videtur. Quod enim ad prima quindecim plus minuſve ſecula attinet; eam abſcondere voluit Deus 1. ſub promiſſione generali & obſcura *ſeminis*, cujus calcaneum morſurus erat ſerpens, *Geneſ.* III. *verſ.* 15. Etſi enim hîc non manifeſtè apparet promiſſio aliqua divina, & verba iſta, *Semen mulieris conteret caput ſerpentis*, nuſpiam, ut verba promiſſionem de Meſſia continentia, in Novo Teſtamento allegantur; tamen nihil vetat ea ſic accipere, tanquam ad id indicandum pertinentia, quia poſtea ſemen Abrahamo promittitur, quod *ad Gal.* III. 16 Chriſtus eſſe dicitur. 2. ſub poſtulato reſipiſcentiæ, cum gravium pœnarum tum interminatione tum inflictione, abſque ulla clara immortalis vitæ promiſſione. 3. ſub vitæ melioris & nunquam deſituræ datione, quam bene viventibus ſe dare velle, in exemplo Enochi, abſque ulla aperta promiſſione, teſtatum fecit. Ambulaverat enim Henoch, per tria integra ſecula vitæ integer ſceleriſque purus, cum Deo, & poſtea eſſe deſiit, *quia tulerat eum Deus*, id eſt, abſtulerat *Geneſ.* V. 24. *ne videret mortem*, *Heb.* XI. 5. nimirum, in exemplo iſto unico oſtendens, paratum ſe eſſe ad faciendum gratiam melioris vitæ, piè ac ſanctè viventibus, etiamſi eam non promitteret; nedum ut promitteret eam ſe facere velle poſt mortem, per ſuſcitationem pie viventium ex morte in vitam immortalem. vivum enim tantum Enochum tuliſſe dicitur Deus, non mortuum, imo vivum ne videret mortem.

*De gratia Abrahamo & ejus familia facta.*

Poſt hæc tempora & poſt univerſum diluvio extinctum mundum, in domo Noachi & poſteris ejus eadem gratia locum habere non deſiit; ſed, quia ejus exigua erat efficacia, recidentibus fere omnibus populis Noachidis ad priorem diluvio punitam profanitatem, & inſuper ad Deo maxime inviſam idololatriam, unde fiebat, ut ſui unius Numinis tum cognitio tum cultus animis omnium tantum non excideret; idcirco viſum Deo fuit, gratiæ ſuæ novum indicium facere, in certa domo ac familia, ut in ea ſui unius cultus conſtaret, & ex ea aliquando prodiret is, per quem gratiæ divinæ ſuæ gloriam omnibus clariſſime demonſtrare conſtituerat.

Familia hæc fuit familia Abrahami, cui, licet cum cæteris ad idololatriam delapſæ, & in idololatria educatæ, *Joſ.* XXIV. 2. 3. gratiam facere Deus voluit, & gratiam ſimul etiam eam, quam ultimis ſeculis facere decreverat, obſcurè & veluti per tranſennam quandam oſtendere.

Ad primam gratiam quod attinet, ea in hoc conſtitit, quod Abrahamo, licet idololatriæ, benefacere velle ſe declarabat, ſub hac conditione, ſi deſertâ idololatriâ ambularet coram ſe ſolo, & integer ac perfectus eſſet: *Geneſ.* XV. & XVII. Beneficium autem hoc ſuum, ſive beneficii hujus ſui ſummam, comprehendebat Deus his verbis, *Ego ſecutum & merces tua valde* (ero:) *Gen.* XV. 1. &, *Ego tro Deus tuus & ſeminis tui poſt te*: *Gen.* XVII. 7. Sub iſtis autem verbis Deum obſcure comprehendere voluiſſe promiſſionem vitæ melioris etiam poſt mortem dandæ, Servator noſter aperte aſſerit contra Sadducæos, *Matth.* XXII. 31. 32. & Scriptor ad *Heb.* XI. Etſi enim verba ejuſmodi promiſſionem præ ſe non videantur ferre, ſed potius promiſſionem gratiæ aut beneficiorum ad hanc vitam pertinentium, tamen quia iſta beneficia Abrahamo non obtigerunt. *Heb.* XI. 8. 9. 10. & ut illa ei non obtingerent Deus voluit, idcirco ſub iſtis verbis promiſſionem gratiæ poſt mortem per reſurrectionem ſecuturæ, à Deo abſconditam fuiſſe certum eſt. Gratia itaque divina ibi fuit, ſed ſub generalibus verbis obſcure propoſita.

Ad ſecundam gratiam quod attinet, eam ſimiliter Deus Abrahamo oſtendere voluit, ſed ſub typis duobus occultatam: Sub typo filii Iſaaci, & ſub typo circumciſionis. Sub typo Iſaaci; quia eum ex ſterili & jam per ætatem effæta matre naſci voluit, Abrahamo ſeni & jam de ſemine hærede propter emortuum uxoris ſuæ uterum deſperanti; & ſibi deinde, veluti piacularem victimam in ſacrificium offerri, ſed offerri tantum, non mactari; ut typus eſſet ſeminis iſtius, quod ex virgine proditurum, & in fine ſeculorum, ſive ætate mundi decrepita, revera in ſacrificium propitiatorium, pro totius mundi peccatis mactandum & in crucem agendum erat.

Sub typo circumciſionis; quia eam fieri volebat cum ſanguinis fuſione, & ea parte corporis unde ſemen prodit, ut utraque iſta ratione quaſi repræſentaret in proſcænio venturum ſemen, ſive filium illum, qui gratiam illam ſuam univerſo mundo adferret; & non niſi cum ſanguinis ſui fuſione venturum, idque ex iſta ſtirpe, quæ circumciſionis ſigno à cæteris omnibus populis diſtincta, & circumciſioni ex divina lege adſtricta & obligata eſſet: qua de re prolixe egimus in ſuperioribus. Acceſſit poſtea etiam typus Joſephi, cujus hiſtoria quaſi præludium fuit hiſtoriæ iſtius magni Servatoris Jeſu Chriſti, qui temporibus ultimis revelandus erat.

*De gratia populo Iſraelitico exhibita.*

Utramque hanc gratiam Deus non tantum continuavit, ſed & clarius nonnihil adumbravit in populo ex Abrahamo orto, poſtquam eum Deus ex ſervitute Ægyptiaca in libertatem aſſeruerat, & in populum peculiarem ſibi vindicaverat.

Quod enim ad primam gratiam attinet; Deus voluntatem ſuam populo iſti apertius nonnihil teſtatam fecit per Legem ſcriptam, peculiaria præcepta, ſecus quam antea factum fuerat, continentem; & præcepta quidem tum moralia, tum cæremonialia, tum civilia; eaque ſancita luculentis promiſſionibus felicitatis vitæ hujus, & ſeveris contrariæ mortis comminationibus: ſic tamen gratia temperatis, ut pro erroribus, incogitantiis, & delictis non omnino voluntariis, ſacrificia eſſent; quibus ea expiari poterant ac debebant. Pro voluntariis enim, aut, quæ elata manu fiebant, peccatis, ſacrificia non erant, ne ſtatus ille Legis & populi ſub lege poſiti non eſſet ſtatus typicus & umbratilis; ſed ſtatus gratiæ dumtaxat perfectus eſſet, qui ultimis temporibus demum conſtituendus erat.

Quod ad ſecundam gratiam attinet; In iſto populo Deus non modo certam tribum, familiam, domum & perſonam deſignavit, ex qua naſceretur magnus ille mundi Servator; ſed & rudimentum magnæ iſtius gratiæ, quam is allaturus erat, veluti poſt ſiparium repræſentatum extare voluit; non dico, uti quidam Theologi ſolent, per quotidianum juge ſacrificium, ſive per duorum agnorum anniculorum matutinam & veſpertinam tum mactationem tum oblationem: (Juge enim hoc ſacrificium fuit holocauſtum, non ſacrificium expiatorium pro peccato, uti ſupra oſtendimus:) ſed his duobus ſolemnibus modis; Primo, Per anniverſariam generalem delictorum omnium expiationem, quæ fiebat in die *Kippur*, per Sacerdotem ſummum, cum ſanguine mactati hirci in ſacerrimum adytum templi ingredientem, & pro populo toto offerentem atque intercedentem. Secundò, Per extraordinariam promulgationem pœnitentiæ & veniæ; quam aliquando Deus per Prophetas ſuos feciſſe populo univerſo legitur, nullo peccatorum diſcrimine. *Ezech.* XVIII. & XXXIII. ut jam alia non allegemus.

*Quæ tamen ſub obſcura fuit.*

Gratia tamen hæc, ut ut præcedente clarior, nonnihil tamen obſcura adhuc manſit; quia univerſa illa tum anniverſaria tum extraordinaria veniæ promulgatio, non conſtabat niſi in remiſſione pœnarum iſtarum, quæ tranſgreſſoribus Lege Moſis expreſſe conſtitutæ erant, & in contrariorum bonorum Lege eâdem expreſsè promiſſorum communicatione; abſque ulla ſive æterna remiſſione peccatorum, ſive immortalis vitæ expreſſa promiſſione, prout jam ſæpius diximus.

Æterna enim peccatorum omnium remiſſio, & immortalis vitæ reſipiſcentibus dandæ aperta promiſſio, ad tempus illud pertinet, quod gratiæ tempus vocatur καθʼ ἐξοχὴν; quia perfectio divinæ gratiæ in eo poſita eſt, quod Deus reſipiſcentibus peccatoribus, licet multo maximis, remiſſionem iſtam facere velit, abſque ullo gentilium & Judæorum diſcrimine. Certè ad hanc gratiam comparata quævis alia hominibus facta à Deo gratia, vix gratiæ voce digna eſt. Eſt enim univerſaliſſima & perfectiſſima: qua majorem Deus homini non poteſt dare, nec homo à Deo accipere.

## CAPUT V.

### Examen absoluti Prædestinationis decreti, in quo nonnulli totam divinæ gratiæ gloriam collocant. Et primùm sententiæ Supralapsariorum.

VErum enim vero antequam ad tertium membrum, id est, ad causſæ instrumentalis operis hujus divini considerationem accedamus, operæ pretium erit expendere sententiam eorum, qui gratiæ ac misericordiæ hujus divinæ gloriam in eo sitam esse volunt, quod Deus certas quasdam & singulares personas nominatim ab æterno elegit ac prædestinavit ad salutem & gloriam æternam; & circa eas media ejusmodi adhibere constituit, per quæ inevitabiliter ad destinatam istam salutem perducantur. Etsi vero sententia hæc concedi potest, salva manente gratia ista universali, quam diximus, quæ cæteris hominibus omnibus non sic nominatim electis fiat, tamen, quia sententiæ istius tum autores tum patroni, gratiam salutarem nullam aliam agnoscunt, quam istam absolutæ electionis ad vitam æternam; ac proinde cæteros omnes mortales, contrario, sive positivo sive negativo, decreto divino, ab omni salutari gratia & gratiæ spe seclusos esse volunt, quod contra esse diximus, idcirco propius ea nobis consideranda venit.

*Duplex absoluta Prædestinationis defensorum sententia, Supralapsariorum nempe & Sublapsariorum.*

Duplex est eorum sententia, qui absolutam hujusmodi Prædestinationis gratiam adserunt. Una est eorum, qui statuunt, decretum Prædestinationis absolutè à Deo ab æterno factum esse, ante omnem hominis aut condendi aut conditi, aut lapsi (nedum resipiscentis & credentis) considerationem, vel prævisionem. Hi *Supralapsarii* vocantur. Altera est eorum, qui prædestinationis istius objectum statuunt, homines definitè præscitos, creatos ac lapsos. *Definite*, inquam, præscitos, &c. ut à prima sententia distinguatur, quæ statuit, objectum prædestinationis homines indefinite præscitos, seu (ut D. Gomarus loquitur) creabiles, labiles, reparabiles, salvabiles, hoc est, qui creari ac prædestinari poterant. Et hi *Sublapsarii* vocantur.

*Utriusque convenientia.*

Utraque sententia in eo convenit, 1. quod gratia salutaris non destinetur nisi paucis, nominatim ad eam participandum electis. 2. quod ea iis destinetur, absque ullo fidei aut obedientiæ respectu, voluntate prorsus absoluta & inconditionata. 3. quod ex vi ejus, media ejusmodi à Deo subministrentur, per quæ inevitabiliter isti nominatim electi salvandi sunt, sive ad salutem & gloriam perducendi; cæteris omnibus aliis mortalibus, qui multo maximam mundi partem faciunt, absolute à gratia ista & gloria prorsus exclusis sive reprobatis.

*Et discrepantia.*

Discrepat vero posterior sententia à priore, in eo tantum, quod prior Prædestinationem præordinet lapsui: Posterior eam lapsui subordinet. Illa præordinat eam lapsui, ne Deum insipientem faciat. Hæc subordinat, ne Deum injustum faciat, id est, lapsus autorem.

*Sed tamen in idem tandem recidunt.*

Revera tamen in idem recidunt tandem utriusque sententiæ patroni; quia tam hi quam illi, Adamum necessario lapsum esse volunt; & lapsum Adami totiusque generis humani in eo, considerant, non ut simpliciter à Deo præscitum, sed ut à Deo ipso ordinatum, &, sive per subtractionem gratiæ, sive per permissionem (ut loquuntur) efficacem procuratum; quia, ut absque tali tum ordinatione tum procuratione, Deus lapsurum Adamum præsciret, impossibile esse volunt; unde ut hi & illi in idem tandem recidant, necesse est. Eadem enim incommoda ex utraque sententia sic sequuntur, ut omnino ii, qui ad evitandum quasi manifesta prioris sententiæ incommoda, sequi malunt posteriorem, quæ objectum Prædestinationis facit hominem lapsum, censeri debeant, eam sequi velle, non quia per eam evitari incommoda ista aut credunt aut vident, sed ut evitare ea velle videantur, & incauto vulgo verborum phaleris imponant, ne credat Deum autorem peccati à se statui. Quod non obscure confirmatur ex duobus indiciis. 1. ex eo quod, quamquam hominem non nisi lapsum Deo prædestinanti objiciunt, lapsum tamen sive peccatum, causſam Reprobationis esse aperte negent. unde facile colligere est, perinde esse, sive homo lapsus sive non lapsus Deo prædestinanti objiciatur. qui enim lapsum hominem reprobat, non quia aut quà lapsus est, sed quia absolute reprobare vult, cur non tam reprobare possit hominem non lapsum quam lapsum? 2. quia rationibus pressi, subinde seu inviti, seu imprudentes, supralapsariorum sententiam, argumenta, hypotheses, sic tuentur, ut eam toto animo probare, & non nisi in gratiam vulgi aliquando eam dissimulasse velle videri debeant. Difficile enim est semper simulare aut dissimulare, ut non, quod dicitur, fucus aliquando appareat, & forex suopte se prodat indicio.

Utraque sententia eodem plane ordine progreditur: & decreta divina eodem modo sibi invicem succenturiata habet. Sed nos utramque distincte consideremus.

*Sententia Supralapsariorum explicatio.*

Prima sententia hoc ordine progreditur.

1. Sapientissimus Deus de fine ultimo primum decretum suum fecit, & propter finem deinde de mediis.
2. Finis Dei ultimus fuit, gloriæ suæ demonstratio.
3. Gloriæ divinæ demonstratio excellentissima constitit in declaratione divinarum omnium proprietatum, à prima ad ultimam usque, id est, usque ad misericordiam & justitiam; & misericordiam quidem, quæ in remissione peccatorum & salutis datione consistit; Justitiam, quæ in eorundem imputatione, & peccantium punitione sita est; quæ justitia vindicativa sive punitiva dicitur. Sunt, qui gloriæ divinæ demonstrationem, in liberrimi & absoluti dominii ostensione sitam esse volunt; sed ii tandem eodem recidunt. Demonstrationem autem hanc misericordiæ Deum facere voluisse asserunt, circa certas quasdam, easque paucas, ex cætera hominum turba electas à se personas: & justitiæ demonstrationem, circa cæteras omnes à se reprobatas. Absoluta ergo & inconditionata tum electio tum reprobatio propter & ad hunc finem facta fuit.
4. Misericordiæ & justitiæ punitivæ demonstratio ut fieret, objectum & subjectum miserum aut miseria dignum requirebatur. Misera ergo ut creatura fieret necesse erat.
5. Misera vero creatura ut fieret creationem præcedere necesse erat; & post creationem, legislationem, & legislatione posita, peccatum, quia absque peccato creatura misera fieri non poterat. Miseria enim pœna est, quæ sine antecedente culpa esse non potest.
6. Peccatum ut fieret creatura requirebatur intellectu & voluntate libera prædita: Intellectu, ut legem sibi datam perciperet: voluntate libera, ut legem transgredi posset aut non transgredi.
7. Quia vero libertate posita, imprimis eâ, quæ fræno originalis justitiæ aureo coercebatur, & in ordinem redigebatur; Lege vero lata, incerta erat peccati futuritio, imo certior non futuritio peccati quam futuritio, necesse fuit, ut libertatem creaturæ Deus decreto aliquo suo determinaret in alteram partem, id est, in partem peccati; ne fine suo excideret. Ut enim certo futurum peccatum prævideret, absque antecedente tali decreto suo, impossibile erat juxta eos. Nempe præscientiam futurorum contingentium, tum absolutam tum mediam, dari apertè negant.
8. Determinatio ut fieret, auferendum erat frænum originalis justitiæ, & gratia ad non peccandum necessaria, homini aut subducenda, aut neganda; ut ita homo sibi ipsi permitteretur. Adimi autem aut negari jure poterat homini, ut intelligeret quid ex se ipso possit sine auxilio Dei libertatem ad bonum determinante.
9. Ista permissione efficaci, ut loquuntur, posita, peccatum consequi necesse erat, necessitate prorsus inevitabili; & ex peccato reatum pœnæ, id est, tum damnationis, tum dominii peccati.
10. In peccatum lapso & sic misero homine, ut misericordia electis istis paucis fieret. Mediatorem decerni oportebat, qui pro ipsis satisfaceret, eosque Deo reconciliaret. Deinde, qui eos ad fidem & pœnitentiam sive resipiscentiam à peccato vocaret. Tertiò, qui vocatis, per vim irresistibilem, sive internam efficacem gratiam S. Spiritus, fidem ac pœnitentiam insereret aut infunderet. Quartò, qui fidem illam omni tempore etiam in mediis atrocissimis peccatis vi irresistibili conservaret, & pœnitentiam de peccatis, aut subinde, aut saltem in fine vitæ rursus instauraret. Denique, qui per mortem eos transferret in vitam immortalem.
11. Ut justitia vindicativa sive punitiva circa cæteras non electas personas fieret, sola negatione omnium gratiosorum sive salutarium auxiliorum divinorum, opus erat. Ea enim posita, necesse prorsus erat eas irreconciliatas manere, vocanti Deo non credere, in peccata varia incidere, & in incredulitate ac peccatis suis mori, ac deinde æternum à Deo puniri & cruciari in inferno reprobatas.

Hæc

*Ea refutatur tribus rationibus.*

Hæc ſententia omnino falſa nobis videtur, ob tres principales rationes.

1. eſt, quia ea Scripturis nullo modo eſt conveniens.
2. quia rationi rectæ è diametro repugnat.
3. quia ad ingenerandum religioſum Dei cultum minimè eſt comparata.

*Prima eſt, quod Scripturis nullo ſit modo conveniens.*

Scripturis nullo modo convenit hæc ſententia: 1. quia illæ paſſim adſerunt, Deum ſalutem & vitam æternam decreviſſe hominibus ſub conditione obedientiæ & fidei, vel Legi vel Euangelio adhibendæ, neque ullius alterius decreti inconditionati mentionem uſpiam faciunt. Prius patet ex locis innumeris, in quibus conditio, *Si crediderit, ſi obedierit, ſi reverſus fuerit ad Deum tuum, ſi remiſerit alii offenſas ſuas*, &c. diſerte appoſita legitur decreto & promiſſioni divinæ, de benedictionibus tum temporalibus, tum ſpiritualibus, tum æternis. Poſterius, quia negativum eſt, contraria adfirmatione & probatione confutandum eſt. Loca quæ ad eum finem allegari ſolent, prolixæ confutata videre eſt paſſim, & nominatim in Actis & Scriptis ſynodalibus Remonſt. eorumque Apologia. Actum itaque non agam.

2. Quia repugnat, *partim* univerſalitati gratiæ iſtius, quam jam adſeruimus: pauciſſimis enim gratiam Dei ſalutarem fieri ſtatuit ſententia iſta, quam omnibus in univerſum fieri ex Scriptura concluſimus: *partim* merito ac dignitati magni iſtius noſtri Mediatoris, quam Scriptura ubique prædicat. Ac merito quidem ejus repugnat; quia pauciſſimi iſti, quibus eam meruiſſe ſtatuitur, gratia iſta promerita opus non habebant, quippe quibus ea jam abſoluto decreto deſtinata erat, ut merito alterius eam conſequi opus non haberent. Quis enim mereatur alicui id, quod jam ex aſſe & in ſolidum ei debetur, ex abſoluta & immutabili ejus, à quo id mereri deberet, voluntate ac beneplacito? Dignitati etiam ejus repugnat; quia cum meritum ejus ſufficiat ad promerendum omnibus gratiam, & ad totum genus humanum ex miſeria ſua liberandum, non niſi pauciſſimis, adeoque multo minimæ totius humani generis parti, eum divinam gratiam promeruiſſe adſeritur.

*Secunda, quod rationi rectæ è diametro repugnet.*

Rationi rectæ etiam è diametro repugnat hæc ſententia, & quidem multis modis. 1. quia impoſſibile eſt hæc duo ſimul ponere, abſoluta ſcilicet voluntate ſalutem quibuſdam infallibiter decernere per modum finis; & iiſdem ſalutem non promittere niſi ſub conditione, & per modum præmii, imo iiſdem ſub conditione inobedientiæ, contrariam mortem comminari, tanquam pœnam. Quis enim ſapiens conditionem exigat, poſt abſolutum & inconditionatum decretum? quis mortem comminetur iis, quibus abſoluta & definitiva voluntate decrevit vitam ac ſalutem? Dices; Poſtulatum conditionis cum promiſſione vitæ & comminatione mortis medium eſt quo Deus utitur, ad electos ad ſalutem perducendum. Reſp. 1. Poſtulatum conditionis non poteſt eſſe medium abſoluti decreti: Abſolutum enim decretum à ſola decernentis voluntate pendet: At poſtulatæ conditionis præſtatio, ſuſpenditur à libera voluntate alterius, ſive ejus à quo conditionis præſtatio poſtulatur. Dices: Atqui Deus præſtationem conditionis ipſe in electis ſuis efficit. Reſp. Sic poſtulatum conditionis non eſt medium, ſed præſtatio conditionis eſt merus effectus poſtulantis; Et præſtatio poſtulatæ conditionis, non eſt præſtatio, quæ officii humani actus eſt, ſed mera tantum paſſio, ſive actionis divinæ pure pute paſſiva receptio, quæ κατηχρη. σικὴ præſtatio dicitur, eadem ratione qua aſtra, Sol, & elementa omnia voluntatem Dei præſtare dicuntur. Non enim homo tum conditionem poſtulatam præſtat ex obedientiæ affectu, ſed id, quod conditio per κατάχρησιν vocatur. Deus efficit in homine ſine homine. Per κατάχρησιν, inquam, vocatur conditio, quia propoſitio, qua continetur, conditionalis eſt: At propoſitio, qua conditionalis merè propoſitio eſt, non eſt medium ad ſalutem electorum, quia qua talis, tota eſt inefficax & non niſi moralis ſuaſio, quæ ad fidem efficiendum non plus valet, quam ſi fabula ſurdo narretur. Quis autem medium plane inefficax, medium ad finem adſequendum idoneum dixerit? Apparet rei veritas ex eo, quod poſtulatum conditionis hoc, cum promiſſo vitæ & comminatione mortis, tam reprobis fiat quam electis. Iſtis, ut medium dicatur eſſe ad ſalutem, impoſſibile eſt. Cur vero? Quia medio irreſiſtibili opus habent, non quia aut qua reprobi ſunt, ſed quia prorſus mortui ſunt in peccatis. Et eadem eſt conditio electorum, quando primum vocantur ad fidem, quæ reproborum eſt. Ergo non magis electis quam reprobis, poſtulatum iſtud pro medio ſervire poteſt ad ſalutem æternam. Nempe non magis eſt medium ad fidem ingenerandum, quam ſpongia medium eſt ad lignum aut ferrum ſecandum. Verbo dicam: Quod prorſus non eſt irreſiſtibile, aut quamquam non eſt irreſiſtibile, tamen ſic operaturum non præſcitur, ut reſiſtentiam tollat; id non poteſt eſſe medium decreti abſoluti & inconditionati.

Dices; Deus tamen ipſe in creatione medio tali uſus eſt, quia verbo externo uſus eſt, cum dixit, *Fiat lux*, &c. & Chriſtus tali medio in ſuſcitatione Lazari mortui uſus eſt, quando dixit alta voce, *Lazare adeſdum foras*: *Joan.* XI. 43, &c. Reſp. Poſito per verbum iſtud Dei, *Fiat lux*, verbum externum ſive μεταφορικὸν intelligi, de quo merito quæri poſſet; Aliud eſt verbum quo poſtulatur conditionis præſtatio cum promiſſione vitæ & comminatione mortis: Aliud verbum, quod conditionem nullam in ſe habet, nec præceptivum proprie eſt. De iſto, non de hoc verbo agimus. Neque enim verbo iſto divino, *Fiat lux*, aut verbo iſto Chriſti, *Lazare prodi foras*, ſignificatur Deum præcepiſſe luci, aut Chriſtum Lazaro mandaſſe, ut exiret ex ſepulchro, cum promiſſione præmii ſi lux fieret, aut Lazarus exiret; nedum cum comminatione pœnæ, ſi lux non fieret; aut Lazarus non exiret. Nugæ. Deinde, verba iſta tum Dei tum Chriſti, non tam fuerunt verba operativa, quam operationis divinæ ſtatim ſecuturæ ſigna. Signa autem ut medium operationis dicantur abſurdum eſt. Id ita eſſe, apparet ex natura verborum ſive enunciationum qua talium; Verba enim & enunciationes, qua tales, ſive qua ſenſum audibilem & intelligibilem exprimentes, nullam aliam vim habent quam ſignificativam. Significationis autem tota efficacitas moralis eſt. Quare cum dicitur, Deum dixiſſe, *Fiat lux*, aliud nihil indicatur, quam liberrima & potentiſſima Dei operatio, quæ ſolo voluntatis divinæ imperio, juſſu, & ſimul atque volebat verboque ſe velle teſtabatur, effectum ſortita eſt. Similiter cum Chriſtus dixiſſe legitur Lazaro, *Adeſdum foras*, aliud nihil indicatur, quam Jeſum Chriſtum potentia ſua divina Lazarum excitaſſe, & ut id teſtatum faceret, in ipſo inſtanti operationis ſuæ, voce juſſionem continente uti voluiſſe, & non niſi voce ſive juſſione ad modum operationis Patris ſui; ut eum autorem tanti miraculi eſſe turba intelligeret audiretque; quippe qui poſſet mortuos ſimulatque vellet ac juberet excitare.

Deinde rationi rectæ repugnant è diametro hæc ſequentia: 1. Deum velle ac decernere ut homo miſer fiat, eo fine ut gloriam miſericordiæ ſuæ in eo à miſeria rurſum liberando oſtendat. Id enim tantundem eſt, ac ſi dicas, Deum lædere hominem ac vulnerare velle, ut eum rurſum ſanet. 2. Deum dare homini gratiam ad legem præſtandum, & lege lata, eidem ſtatim gratiam iſtam auferre aut ſubtrahere. 3. Deum comminari pœnam æternam eis, quibus præciſe ac nominatim ſalutem & vitam æternam deſtinavit. 4. Deum reconciliari iis, quos ab omni æternitate immutabiliter decrevit diligere actuque ſemper diligit. 5. Deum velle ut homo peccet, ut habeat cui peccatum poſſit remittere. 6. Deum velle reconciliationem pro peccato, cujus ipſe, per ſubtractionem neceſſariæ ad non peccandum gratiæ, author eſt. 7. Deum exigere obedientiam ab iis, in quibus ipſe actum obedientiæ per vim irreſiſtibilem vult efficere. 8. Deum exigere obedientiam, quæ præſtari non poteſt, niſi vi plane irreſiſtibili divina efficiatur. 9. Deum fidem ſemel inditam per vim irreſiſtibilem conſervare velle, in iis qui contra conſcientiam ſuam peccant, & crebro atque identidem ſcelera ac flagitia enormia patrant. Denique reſpectu reproborum: 1. Deum eos, quos ab æterno præciſe ac nominatim reprobavit à ſalute, & ſalutaris omnis gratiæ ac gloriæ ſpe, vocare ad gratiam & ad ſalutem, invitare, hortari, ſupplicare, obteſtari, promiſſis, minis, lachrymis, querelis, votis, omnibuſque benevolentiæ ſignis ſolicitare. Quid enim id aliud eſt, quam hiſtrioniam cum iis exercere, & cum lapidem manu altera teneas, altera pomum porrigere videri velle? 2. Deum vocatis iſtis jubere ut reſipiſcant, & credant Jeſum pro ſe quoque mortuum eſſe, cum decreverit negare iis gratiam ſuam, ut non poſſint reſipiſcere, & Chriſtum pro iis mori abſoluto decreto noluerit: Quod quid aliud eſt, quam miſeris illudere? 3. Deum iſtos ſic vocatos, eo quod non reſipiſcant nec credant in Jeſum Chriſtum, majoris culpæ reos agere, & graviore quin & graviſſima pœna adficere velle: Quid enim id aliud eſt, quam miſeris, non illudere tantum, ſed & crudeliter illudere? Denique, Deum velle, ut iſti per incredulitatem ſuam in peccata & ſcelera omnia ruant, atque ita æternum anima & corpore pereant. Nec hoc tantum, ſed & Deum aliquando videri velle iis gratiam aliquam facere; cæterum nullo alio fine, quam ut per eam

*Tertia, quod ad ingenerandum religioſum Dei cultum non ſit comparata.*

*——— tollantur in altum,*
*Et lapſu graviore ruant.*

Denique, Sententia hæc non eſt comparata ad ingenerandum religioſum Dei cultum, quem homo ex officio ſuo Deo debeat. Nam quod ad reprobos attinet, non eſt com-

parata ad ingenerandum iis amorem, honorem, timorem, ſpem aut fiduciam in Deum. Non ad amorem; quia reprobatio eſt actus abſoluti & ſummi odii; uti autem odium amorem non ingenerat, ita nec propter odium impromeritum Deus amari meretur, nec homo Deum amare tenetur. Non ad honorem; quia Reprobatio abſoluta eſt actus non ſupremi tantum dominii, ſed ſummæ tyrannidis: Tyrannus autem ut honore dignus cenſeatur, iniquiſſimum eſt. Non ad timorem ſive reverentiam; quia reverentia filiorum eſt; Reprobatio autem eſt actus excludens à filiatione. Non ad ſpem; quia reprobationis effectus, ſive neceſſarium conſequens, eſt æterna de Dei gratia deſperatio: Spe autem omni ſublata, nec fiduciæ, nec obedientiæ, nec gratitudinis, tanquam Deo debitæ, ratio ulla eſſe aut dari poteſt. Quis enim confidat, obediat, aut gratitudinem præſtet ei, à quo non modo nihil habet quod ſperet, ſed à quo perfecto odio habetur, beneficiis omnibus deſtituitur, contemnitur, domo excluditur, & æternis ignibus, nulla ſua propria aut vincibili culpa, cum æterna gratiæ omnis deſperatione addicitur. Reſtat ergo, ut ſententiam hanc dicamus per ſe comparatam eſſe ad religioſum omnem cultum funditus exſtirpandum, quod ad reprobos attinet.

Quod attinet ad electos, ſimiliter etiam ſententia hæc comparata non eſt ad ingenerandum religioſum Dei cultum, quem homo ex officio ſuo Deo debet. Nam nec comparata eſt ad ingenerandum cultum religioſum, quatenus cultus medium ſive conditio requiſita eſt ad conſequendum divina beneficia: Nec quatenus cultus iſte eſt gratitudinis actus, pro divinis beneficiis. Non ad primum; quia beneficium ſummum electionis ad ſalutem, ante & citra omnem reſpectum cultus religioſi, electi jam à Deo habent; & ex vi electionis, tum ipſum cultum, tum cætera omnia beneficia, inevitabili prorſus neceſſitate à Deo conſecuturi ſunt, adeo ut ſuperfluus labor futurus eſſet, ſi de cultu, tanquam medio ſive conditione requiſita ad conſequendum Dei beneficia, curam aut ſolicitudinem ullam ſuſciperent. Unde conſequitur, neceſſe non eſſe, ut vel peccare timeant, vel cum peccarunt, de peccato doleant, & de reſipiſcendo cogitent. Quia per hanc ſententiam ſtatuitur, fieri non poſſe, ut in peccata incidant, niſi Deus gratiam ſuam iis auferat, & quando eam aufert, fieri non poſſe, ut non incidant in peccata; tum quando in peccata jam inciderunt, & in iis longo tempore perſeverant, fieri non poſſe, ut per ea ex gratia electionis excidant, & non aliquando tandem, vel in capulo vitæ, ad reſipiſcentiam à Deo adducantur. Quoquo enim modo ſe egerint, non poteſt erga eos, aliud quam Deus definivit, accidere. Non ad ſecundum: Quia per eam ſententiam ſtatuitur gratitudinem, quæ obedientiæ & cultus religioſi Deo debiti pars eſt, in electis per divinam irreſiſtibilem potentiam effici, uti alia omnia opera bona: Ut autem merus divinæ irreſiſtibilis operationis effectus in homine ſine homine, gratitudinis quam homo ex officio ſuo Deo præſtat actus ſit, plane ἄλογον eſt. Deinde, quia per iſtam ſententiam ſtatuitur, decretum electionis uſque adeo immutabile eſſe, ut per nulla prorſus, quantumvis enormia peccata, tolli aut enervari poſſit. Ex eo enim conſequitur, nec ingratitudinis peccatum efficere poſſe, ut decretum iſtud irritum fiat; ac proinde neceſſe non eſſe, ut electus de peccato ingratitudinis vitando ſolicitus ſit; imprimis cum certus ac perſuaſus jam eſt, non tantum fieri non poſſe, ut per ulla peccata, ac proinde etiam non per negligentiam gratitudinis, excidat ex gratia electionis, & juſtificationis, ſed etiam certo futurum, ut, quamquam hodie ingratus eſt, ſuo tamen tempore rurſus in eo, ex vi decreti ſui abſoluti efficiat Deus, ut gratus quaſi eſſe velit, id eſt, ut effectum divinæ operationis, qui gratitudo per κρόχρησιν vocatur, recipiat. Hactenus de prima ſententia.

## CAPUT VI.

### Examen ſententiæ Sublapſariorum de Prædeſtinatione divina.

*Sententia Sublapſariorum.*

ALtera ſententia, quæ prædeſtinanti Deo objicit genus humanum in Adamo lapſum, ac propterea æternæ morti & condemnationi obnoxium, ex quo certas & ſingulares quaſdam perſonas nominatim ad ſalutem electas, pleraſque à ſalute & ſalutari omni gratia reprobatas, nulla ratione habita reſipiſcentiæ aut irreſipiſcentiæ, fidei aut infidelitatis, obedientiæ aut inobedientiæ, ſolo tantum abſoluto ac præciſo meroque voluntatis divinæ placito eſſe adſerit, eaſque per media, ſive ſapienter, ſive potenter aut inevitabiliter adminiſtrata, ad finem deſtinatum gradatim deduci adſeverat, eodem plane ordine ac modo, quo prior ſententia, progreditur, incipiendo quaſi poſt lapſum. Iiſdem ergo cum prima incommodis atque abſurdis laborat ac gravari meretur.

Quibus adde hoc unum & ingens abſurdum; Quod per eam (uti & per primam ſententiam) univerſa divinarum omnium, circa electos & reprobos tales, actionum adminiſtratio, hiſtrionica, ridicula & ſimulatoria reddatur. Quod ſic probo: Per eam non tantum ſtatuitur, Deum reprobos etiam vocare ad fidem, ad reſipiſcentiam, & ad ſalutem, quos tamen incredulos manere & æternum perire vult; & electos vocare ad officium ſuum faciendum, quos tamen non modo ipſe novit officium ſuum facere non poſſe, ſed & quos perſuaſiſſimos eſſe vult, de eo, quod officium ſuum facere, id eſt, vocanti Deo parere nullo modo poſſint: quæ res ad abſurda priora allegata pertinet. *Per eam univerſa Dei actionum circa electos & reprobos adminiſtratio ſimulatoria redditur.*

Sed per eam etiam ſtatuitur, *Primò*, Quod ad electos attinet, Deum pro officio ſibi ab iis præſtito habere videri velle, id quod ipſe per omnipotentiam in iis ſine iis effecit. Lætatur enim 1. quando electus recte agit, aut poſtquam male egit quando reſipiſcit & ad recte agendum revertitur; perinde ac ſi in eo officii ſui partes faceret. 2. laudat bene agentes tanquam ob bene acta ſua, & gloria atque honore eos dignos judicat. 3. exemplum eorum tanquam imitatione dignum aliis commendat. Denique in extremo judicio eos tanquam fideles & obſequentes operarios ſecundum opera eorum judicabit, & præmio, tanquam ob res bene geſtas, æterno remunerabitur. Quæ profecto omnia, quid aliud ſunt, quam mera hiſtrionia, quâ hominibus tribui videtur, quod ipſis nullo modo competit, ſed quod uni ac ſoli divinæ irreſiſtibili actioni ex aſſe atque in ſolidum debetur? Nempe merum ſuum opus, quod in homine ſine homine Deus operatus eſt, tanquam opus hominis, quod ex officio debito præſtitit, vocabit, laudabit, commendabit, & præmio remunerabitur.

*Secundò*, Quod ad reprobos attinet, per ſententiam iſtam ſtatuitur, Deum eos ſecundum opera ſua judicare, & officii non præſtiti aut neglecti reos agere videri velle, quia ob rebellionem & contumaciam eorum, dolere, iraſci, exacerbari, furere & excandeſcere, quin & in extremo die propter eam damnare & æternis flammis addicere eos videri vult; cum tamen non modo abſolute eos perire & peccare voluerit, ſed & originaria tali labe ac lue infectos naſci fecerit, unde omnia iſta peccata ſcaturire ac fluere inevitabiliter neceſſe erat. Quod quid aliud eſſe poteſt, quam hiſtrionica quædam & ſcenica actio? Revera enim peccata illa, quæ ex originaria iſta lue profluunt, non veniunt in conſiderationem ut dolenda, ut iram, furorem & indignationem divinam merito ſuo provocantia, ſed ut neceſſaria & inevitabilia luis iſtius unius effecta; adeo ut non ſecundum opera iſta ex lue iſta profecta, ſed ſecundum unicam iſtam originariam labem, quam Deus tollere non voluit, Deum reprobos iſtos judicare, & in extremo die judicaturum, dici debeat; ac proinde, quæcunque alia circa eos, propter opera iſta, judicia exerceat, aut exercebit, ea κατάφασιν tantum & μορμολυκεῖον eſſe ſtatuendum ſit.

Judicii ergo divini tum ſinceritas, tum æquitas, circa utroſque, tum electos, tum reprobos, per ſententiam utramque iſtam convellitur. Pluria argumenta, quæ apud varios legere eſt, non allegabimus.

Præcipuam tantum rationem, quæ pro ſententia utraque militare videtur, & qua patroni ejus concorditer & ubique ſtrenue pugnare ſolent, expendemus. Ea hæc eſt: Decretum Prædeſtinationis, id eſt, tum electionis quarundam ſingularium perſonarum ad ſalutem, tum reprobationis longe plurimarum à ſalute, eſt decretum finis & mediorum. Decretum autem finis & mediorum eſt, quo quis præciſe finem conſequi intendit, & ut finem intentum conſequatur, media præparat aut adhibet, quæ ad finem iſtum infallibiliter conſequendum idonea & efficacia ſunt; alioquin enim nec ſapienter, nec ordinatè procederet. Electionis ergo decretum, ut eo ordine, quo dictum eſt, procedat, neceſſe eſt. Similiter etiam decretum Reprobationis.

Reſp. Decretum Prædeſtinationis, eſſe decretum finis & mediorum, nego, quatenus decretum finis & mediorum, ſignificat decretum quo Deus efficaciter & abſolute finem, id eſt, gloriæ ſuæ demonſtrationem, in paucis quibuſdam ſaluti præciſe ac nominatim deſtinandis, & in plurimis nominatim perdendis aut abſolutè ad mortem æternam ordinandis, vult per modum finis; ſic, ut ex amore finis iſtius, moveatur ad volendum media, per quæ tum illi pauci ad ſalutem inevitabiliter deducantur, tum hi plurimi à ſalute abducantur, & ad æternam mortem perducantur. Sed dico eſſe decretum, quo decernitur hiſce talibus ſalus per modum præmii; iſtis vero non talibus mors, per modum pœnæ. Decretum autem quo decernitur ſalus per modum præmii, *Reſponſio ad objectionem de fine & mediis.*

præmii, & mors per modum pœnæ, talibus aut non talibus, non potest esse decretum finis absolute intenti, aut his & illis præcise ac nominatim destinati; sed decretum, quod fit cum respectu ad qualitatem sive conditionem, quæ ad præmium consequendum requiritur, & ad pœnam incurrendum prærequiritur: Alioquin enim decretum inordinatum & insipiens foret.

Atqui, inquies, decreta hæc duo, sunt subordinata decreta: Subordinata autem non pugnant. Resp. Decretum conditionale subordinari decreto absoluto absurdum est, uti jam diximus. Rectè, inquies; sed conditio, quæ in decreto conditionali est, ex vi decreti absoluti irresistibiliter efficitur in eo, à quo conditio postulatur. Resp. Sic conditionale decretum mutatur in absolutum. Quod enim per vim irresistibilem efficitur in eo, à quo conditionis præstatio postulatur, id non est præstatio conditionis, quam ex officio facit is, à quo conditionis præstatio postulatur, sed purus putus effectus postulantis: uti jam ante etiam ostendimus.

Dices: Decretum de præmio & pœna sub conditione, non est decretum Prædestinationis personarum, sed qualitatum tantum. Resp. 1. Decretum conditionatum non potest aliud esse. 2. Decretum conditionatum, consequenter includit decretum prædestinationis personarum, & quidem vel sic, ut ex vi decreti conditionati, prædestinati statuantur, quotquot conditionem decreto conditionali comprehensam aut præstituri aut non præstituri sunt: vel sic, quod nos credimus, ut decreto conditionali posito, Deus præsciverit è vestigio qui conditionem sibi oblatam libera voluntate accepturi & præstituri, & qui eam non accepturi nec præstituri essent. Utrum modum eligas, certum est, posito decreto conditionato, omnes ac singulos, qui vel ad vitam electi sunt, vel ad mortem reprobati, recte ab æterno prædestinatos dici posse ac debere.

Dices: Repugnant huic sententiæ loca ista omnia, in quibus electio, ordinatio ad vitam æternam, &c. à Deo factæ dicuntur ante fidem, imo ad fidem; ergo non præsuppositæ seu prævisæ prius fide. Fides autem est conditio, quam conditionali decreto contineri volumus. Resp. Quod ad electionem attinet, duplex statui solet à Theologis electio, una ad gloriam, altera ad gratiam. Non male quidem, sed, meo judicio, absque caussa & sine necessitate. Si enim Scripturam Sacram consulamus, nusquam in ea occurrit vox *Electionis*, aut verbum *Eligere*, ἐκλέγειν, ἐκλέξασθαι, pro electione ad gloriam usurpata sine controversia. Unicus tantum est locus ad *Ephesios* I. 4. in quo, sensu isto usurpata videri potest, quia facta fuisse dicitur *ante jacta mundi fundamenta*, & quidem, *ut sancti essemus & inculpati coram eo* (seu Deo seu Christo) *in caritate*. Sed vero nihil vetat, verbum *eligendi* isthic accipere de electione ad gratiam; & quia in præterito dicitur, *elegit nos ante jacta mundi fundamenta*, præteritum *elegit*, exponere per decrevit eligere ad gratiam, per metonymiam satis frequentem, quæ consilio dat effectus nomen. eundem plane ad modum, quo 2 *ad Tim.* I. 9. *Gratia nobis in Jesu Christo data* fuisse dicitur, *ante tempora sæcularia*. *Tit.* I. 2. *spes* vitæ æternæ, vel æterna *vita*, *promissa* fuisse dicitur, *ante tempora sæculorum*. 2 *ad Timoth.* I. 9. quo *servasse nos Deus* dicitur, *& vocasse*, id est, servare decrevisse. & ad *Ephes.* II. 5. 6. *vivificasse nos cum Christo, unaque suscitasse ac collocasse nos in cœlis in Christo Jesu*; id est, vivificare, suscitare, ac collocare in cœlis decrevisse. Sed & rationes sunt, cur hoc sensu verbum *elegit*, isto in loco interpretandum sit. 1. quia dicitur, *elegit nos in Christo*; *In Christo*, enim, id est, per Christum, electio ista optime facta esse intelligitur. Ut enim electio ad gloriam absoluta, in Christo sive per Christum facta dicatur, quatenus Christus Deus est unus cum Patre & Spiritu Sancto, absurdum est: quia sic electio etiam in Spiritu sancto sive per Spiritum S. quatenus unus cum Patre & Filio Deus est, facta fuerit; quod contra Scripturæ stylum est. Ut vero etiam electio ad gloriam facta dicatur per Christum, quatenus Mediator, sive in carne manifestandus erat, repugnat ordini decretorum, quem absolutæ Prædestinationis patroni faciunt. Christus enim, quà Mediator est, non est medium sive instrumentum electionis ad gloriam, sed electionis ad gloriam absolutè antea factæ executor. Executionis autem decretum, posterius ordine est (juxta eos) decreto electionis. Nec est quod dicas, electionem ad gloriam in Christo factam dici posse, quatenus Christus fidelium Mediator & intercessor est apud Deum. Nam etsi hoc concedi recte potest, tamen per eam ipsam interpretationem non adstruitur electio absoluta, sed præsupponitur decretum electionis conditionatum, quod in eandem nobiscum sententiam tandem recidit. quamquam, cur prior nostra interpretatio præferri huic non debeat, caussa nulla est, imo cur præferri mereatur, caussa est admodum probabilis; quia statim in textu additur, (quod secundam nostram rationem facit) *ut essemus sancti & inculpati coram eo in caritate*. Id enim, quamquam de sanctitate & inculpata ista vivendi ratione, quæ in seculo futuro locum habebit, accipi etiam potest, & non male convenit cum eo, quod in hac ipsa Epistola *cap.* V. 17. dicitur; *ut sistat* (Christus scilicet Ecclesiam suam) *sibi gloriosam, non habentem maculam ante rugam, aut quidquam ejusmodi, sed sanctam & inculpatam* (in cœlo scilicet:) tamen commodissime videntur exponi de sancta & inculpata vivendi ratione, quæ in hac vita locum habet.

*Expositio loci Ephes. I. 4.*

Confirmat vero non leviter hanc interpretationem nostram, quod verbum *eligere*, nunquam fere absque ulla controversia, significet electionem aliam, quam sequestrationem, separationem, & segregationem, quæ in tempore fit, sive electio dicatur fieri ad regnum, ad sacerdotium, ad Apostolatum, ad legationem aliquam, ad functionem, ad dignitatem, ad prophetiam, ad statum eximium aliquem, ad vitam suavem & diuturnam, ad possessionem terræ uberrimæ, ad Legis cognitionem, sive ad alia.

Locus vero 1 *ad Thess.* I. 4. *ut qui sciamus electionem vestram à Deo esse*, etsi in controversiam à quibusdam trahatur, tamen per se adeo clarus etiam est, ut cur in controversiam vocari possit, videre non possim. Per *electionem* enim isthic, absolutam electionem ad gloriam, & non potius electionem ad gratiam, quæ per vocationem facta erat, intelligi, vix speciem veri habet. Nam 1. *Scimus*, inquit Apostolus, *electionem vestram à Deo esse*. Quid? an sciebat Apostolus, Deum ab æterno elegisse Thessalonicenses omnes, ad quos scribebat, ad gloriam? Quis hoc vel verosimile esse dixerit? Deinde: Si eum omnino id sciviisse volumus, quem sensum tamen tum adhuc habebit illud, Scimus electionem istam vestram *à Deo* esse? A quo enim alio electio ad gloriam quam à Deo esse poterat? Tertiò, Rationem hujus scientiæ suæ hanc esse dicit Apostolus, *Quoniam Euangelium nostrum constitit apud vos, non in locutione dumtaxat, sed etiam virtute & in Spiritu sancto & in multa certa persuasione, sicuti nostis quales fuerimus inter vos*. At quomodo ex hac ratione colligi poterat, certa electionis ad gloriam scientia? Totum enim hoc, quod Apostolus hic se fecisse asserit, vocatis omnibus Thessalonicensibus commune erat; & toto eo posito, fieri nihilominus poterat, ut Thessalonicenses Euangelio tamen eam non adhiberent fidem quam debebant, & quam non nisi electi adhibere creduntur, quin imo quam non adhibuisse nonnullos, ex reliqua Epistola manifestum est. Quis vero non videt, quanto simplicius, solidius, ac clarius orationis hujus aut rationis Paulinæ vis atque emphasis appareat, si per *electionem* intelligatur vocatio Thessalonicensium, per quam ex reliqua hominum turba quasi evocati & segegrati erant, per prædicationem Euangelii, omni argumentorum ac signorum efficacia corroboratam, ad regnum Dei & ad gloriam cælestem participandum? Inde enim manifestè apparebat, vocationem sive electionem Thessalonicensium, à nullo alio quam à Deo profectam esse, ac proinde causssam eos habere justissimam, cur dignè ista electione aut vocatione divina se gererent. *Locus 1 Thess. I. 4.*

Dices: Attamen *ad Titum* I. *cap.* I. fides vocatur *fides electorum*; ergo electio non est fidelium. Resp. 1. Per fidem isthic intelligi fidem proprie dictam, ac non potius Metonymicè doctrinam quæ fidei objectum est, nulla solida ratione nititur. Quin imo ipsi Novi Interpretes Bibliorum, per Fidem, doctrinam fidei isthic intelligi asserunt, stylo, uti planum est, Scripturæ non inusitato, uti videre est in hoc ipso *cap. vers. sequente* 3. & *Judæ vers.* 3. *Actor.* VI. 7. *Rom.* I. 5. *Gal.* I. 23. & III. 23. 25. 2. Per *electos* isthic intelligi eos, qui absolute & nominatim ab æterno ad gloriam electi sunt, qua trochlea ex textu educetur? ἐκλεκτὸς enim non est participium, sed nomen, & nomen quidem quod semper tum in Vet. tum in Novo Testamento qualitatem aliquam eximiam & excellentem connotat, ratione cujus electum aliquid dicitur; ut electæ arbores propter proceritatem, electæ virgines propter pulchritudinem, electi juvenes propter robur & fortitudinem; electi propter assentiendi & sequendi promtitudinem, propter animi probitatem; & electi Dei, propter fidei constantiam & obsequii eminentiam inter fideles cæteros. vide 1 *Samu.* XXVI. 2. & 2 *Reg.* III. 19. *Jerem.* XLVIII. 15. & XXII. 7. *Ezechiel.* XXXI. 16. *Cantic.* V. 16. *Luc.* XVIII. 7. *Matthæi* XXIV. 31. *Mar.* XIII. 27. & 2 *ad Tim.* II. 10. *Coloss.* III. 12. & 1 *Pet.* I. 1. *Rom.* VIII. 33. *Apoc.* XVII. 14. *Locus Tit. I. 1.*

Juxta hanc acceptionem optime intelligitur hæc Apostoli phrasis, *Fides enim non est omnium*, uti 2 *ad Thess.* III. 2. dicitur, id est, non est eorum qui ἄδικοι καὶ πονηροὶ ἄνθρωποι sunt, uti ex verbis immediate præcedentibus liquet: qui etsi credere possent ac deberent, ad credendum tamen ob propriam suam proterviam ac malitiam inidonei sunt; sed eorum, *Una cum 2 Thess. III. 2.*

eorum, qui probitate animi, & ingenii docilitate, ſive ad doctrinam veritatis, quæ ſecundum pietatem eſt, amplectendum, promptitudine præditi ſunt, quos Scriptura appellat homines, qui ex Deo ſunt: *Joan.* VIII. 47: *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Idcirco vos non auditis, quia ex Deo non eſtis. Sed*, uti *verſu* 44. dixerat, *Ex patre Diabolo, & cupiditates Patris veſtri vultis explere.* Qui voluntatem Patris Chriſti volunt facere: *Joan.* VII. 18: *Qui enim vult facere voluntatem Patris mei*, inquit Chriſtus, *ille cognoſcet de doctrina, utrum ex Deo ſit, an ego à meipſo loquar.* cui convenit illud quod *cap.* VI. dixerat Chriſtus, *quem Pater meus traxerit*, ſive qui audiverit & didicerit à Patre meo. *Qui dant operam veritati*; *cap.* III. 18. oppoſite ad eos qui *verſu* præcedente 17. dicuntur *agere quæ mala ſunt.* & (uti in fine *verſ.* 18. dicitur) quorum *opera in Deo*, id eſt, ſecundum Dei voluntatem *facta ſunt. Quiſquis enim quæ mala ſunt agit, odit lucem, nec venit ad lucem, ne arguantur opera ejus. Quiſquis vero veritatem facit, & venit ad lucem, ut manifeſta fiant opera ejus, quod in Deo*, id eſt ſecundum Dei voluntatem, *facta fuerint.* Qui oves Chriſti ſunt. *Joan.* X. 26: *Vos non creditis, quia non eſtis ex ovibus meis, ſicut dixi vobis. Oves meæ vocem meam audiunt*, &c. Qui non ſunt ex mundo, ſed ex Deo, & qui Deum norunt. 1 *Joan.* IV. 5. 6: *Nam qui novit Deum audit nos; qui non eſt ex Deo non audit nos.* Hoc ſenſu Beroënſes Judæi generoſiores εὐγενέστεροι dicuntur fuiſſe iis qui Theſſalonicæ erant; quia recipiebant ſermonem Dei μετὰ πάσης προθυμίας, id eſt, cum omni promtitudine & alacritate: *Act.* XVII. 11. quibus accenſeri poſſunt ii, qui *Act.* II. 41. dicuntur, ſermonem Petri recepiſſe ἀσμένως, id eſt, libenter.

*Fides* ergo *electorum* optime exponitur de doctrina Fidei, quam admiſerant ac receperant libenter, non profani. non maligni, non perverſi homines, ſed ii qui inter profanos cæteros mortales, ſive Judæos, ſive gentiles, animum adhuc probum & docilem retinuerant, & ſic electi, id eſt, egregii, eximii, & Dei timentes erant. Sed & addo 3. Poſito etiam, quod per *electos* hoc loco intelligantur ii, qui à Deo electi erant, nulla tamen adhuc conſequentia eſt; Ergo per electionem intelligitur electio, quæ abſolute & nominatim ab æterno facta eſt, & electio ad gloriam dicitur. Quid enim vetat, per *electos* intelligi hîc electos ad gratiam, ſive gratioſa divina electione vocatos ad fidem, & qui vocanti Deo paruerant. Deinde, poſito etiam hoc, quod electi ad gloriam hîc intelligantur, nullo tamen modo ſequitur; Ergo ad gloriam prius fuerunt electi, quam crederent. Alioquin enim pari jure ſequetur, ſanctitatem etiam fide priorem eſſe, quia *Apocal.* XIII. 10. legitur, *Hîc eſt patientia & fides ſanctorum.* Et *Judæ verſ.* 3. *Decertate pro fide, quæ ſemel tradita eſt ſanctis.* Et vocationem præcedere electionem, quia *Apocal.* XVII. 14. dicuntur cum Chriſto eſſe, *vocati, electi & fideles.* Quod cum abſurdum eſſe fateantur ii, contra quos agimus, nullum pro cauſſa ſua in hoc verborum ordine præſidium eſſe, fateantur etiam neceſſe eſt. Senſus enim optime conſtat, ſi, *fides electorum*, accipiatur pro fide iſta, quam ii profitebantur, quos Deus, poſtquam crediderant ad ſalutem & gloriam elegerat, ſibique quaſi in peculium ſegregaverat. Quamquam, ut concludam, nihil vetat etiam phraſin hanc ſic exponere, ut per *fidem electorum*, intelligatur doctrina fidei, quam Apoſtoli, à Deo & Jeſu Chriſto electi ad doctrinam iſtam propagandum, Judæis ſimul ac gentilibus tum annuntiaverant & adhuc annunciabant. Expoſitionem tamen iſtam, quà per *electos*, probitatis ac pietatis amantes, atque ita eximii & egregii inter mortales omnes intelliguntur, prætulerim ſalvo ſuo cuique judicio.

*Locus Actor. XIII. 48.*

Et hæc expoſitio appoſitiſſime quadrat in locum *Actor.* XIII. 48. *Et crediderunt, quotquot erant ordinati ad vitam æternam:* ſi videlicet per τεταγμένους εἰς ζωὴν αἰώνιον, intelligantur qui apti & compoſiti erant, ſive qui ſeipſos diſpoſuerant & compoſuerant, auxilio generalis gratiæ divinæ, ad vitam æternam quavis propoſita conditione amplectendum & conſectandum: ut ſic nimirum opponantur hi τετυφλωμένοις iſtis qui ſermonem Dei repulerant, & ſeipſos indignos judicaverant vita æterna, *verſ. præced.* 46. Ut enim per τοὺς τεταγμένους, hic intelligantur abſolutè ac nominatim electi ad vitam æternam, colorem non habet, & tot ac tantas abſurditates involvit, ut nihil ſupra. Abſurditates iſtas vide ſis in Actis & Scriptis Synodalibus Remonſt. in Apologia eorum, & paſſim alibi. Quibus omnibus hanc addere libet: Quod ſic plane, non dico enervetur, ſed evertatur tota orationis Paulinæ emphaſis atque efficacia, quæ conſiſtit in oppoſitione credulitatis gentium, & incredulitatis Judæorum. Ratio eſt: Quia quæ vis, qui nervus, quæ efficacia in eo eſſe poteſt? Quia vos Judæi repellitis ſermonem Dei, &c. idcirco convertimus nos ad gentes; & qui ex gentibus electi erant ad vitam æternam, ii crediderunt. Quid enim? annon reponi potuiſſet Paulo, omnes qui inter Judæos electi erant ad vitam æternam, non minus crediderunt, quam qui inter gentes electi erant? Quid itaque eſt, cur convertas te ad gentes? Annon, qui inter gentes non ſunt electi ad vitam æternam, ſimiliter etiam repellent ſermonem Dei, uti jam ſermonem Dei repellunt, qui inter Judæos non ſunt electi? Cur itaque non remanes apud Judæos, ſed tranſis ad gentes, aut cur à gentibus repellentibus ſermonem Dei non reverteris rurſum ad Judæos, aut ad eos qui inter Judæos electi ſunt? Sed operæpretium non eſt diutius in hoc loco morari, qui per ſe adeo planus eſt, ut nebulas Soli ſuffundere velle videatur, qui eum detorquet ad ſententiam abſolutæ electionis inde comprobandum.

## CAPUT VII.

### An ſententia de quorundam abſoluta electione & reprobatione ſit tolerabilis, nec-ne?

COncludimus ergo ſententiam hanc utramque erroneam ac falſam eſſe. Sed vero, ut finem imponamus huic noſtro membro ſecundo, de cauſſa redemtionis ἀσυγχύτῳ, ſubjiciam pro more meo quæſtionem hanc:

An ſententia iſta erronea, de gratia abſolutæ Electionis quorundam nominatim factæ, & de juſtitia abſolutæ Reprobationis cæterorum omnium, ſive ante lapſum, ſive in lapſu, ex decreto divino inevitabili, conſideratorum, tolerabilis ſit; ſic, ut qui eam tenent, pro fratribus noſtris habere poſſimus, & communionem Chriſtianam, ſive potius fraternam, cum iis colere ex officio teneamur?

*Opinio de abſoluta electione & reprobatione eſt valde periculoſa.*

Reſp. Primò in genere: Opinionem aut errorem iſtum admodum eſſe periculoſum, & forte inter periculoſos errores, omnium periculoſiſſimum. Ratio una, ut non omnes allegemus, hæc eſt; Quia ex ſe & natura, ſive genio ſuo proprio, comparatus eſt ad evertendum & exſtirpandum tum neceſſitatem, tum veritatem, tum utilitatem Religionis, non Chriſtianæ tantum, ſed in univerſum omnis, quatenus Religio eſt officium hominis, quod homo Deo præſtare tenetur: quod neſcio an in ullo alio errore locum habeat.

Neceſſitas Religionis omnis per eum evertitur: Quia error iſte per ſe facit, ut credatur ac credi debeat, 1. reſpectu electorum ad gloriam, Deum in iis irreſiſtibili vi ſtudium Religionis effecturum; ac proinde neceſſe non eſſe, adeoque impoſſibile eſſe, ut de ſtudio iſto Religionis, ante iſtam irreſiſtibilem operationem Dei, ſoliciti ſint; & quod ad futurum attinet, Deum in iis aut conſervaturum iſtud ſtudium eadem iſta vi; aut ſi non conſervet, Deum neglectum ſtudii iſtius iis non imputaturum, eo quod neglectus iſte ſolo conſervationis iſtius divinæ defectu accidat, atque ut accidat plane neceſſe ſit. 2. Reſpectu reproborum, error iſte facit, ut credatur ac credi debeat, ſtudium Religionis iis impoſſibile eſſe. Quis autem ſolicitus ſit, aut ſerio deliberet, de neceſſariis & impoſſibilibus?

Ex hoc conſequitur, errorem hunc per ſe etiam comparatum eſſe ad evertendum Religionis veritatem, ſive eſſentialem proprietatem. Ratio eſt; quia Religio tota juxta eum conſtituitur in pura puta actione divina, & mera divinæ actionis paſſione, cujus ſubjectum eſt homo. Paſſio autem mera, quam homo à Deo patitur, ut hominis Religio, ſive officii, quod homo Deo debet, præſtatio ſit, impoſſibile eſt. Religio vera nulla eſt, quæ non eſt officium hominis, ſed merus ejus, qui officium poſtulat, effectus.

Denique, Utilitas Religionis omnis per eum tollitur, quia ſententia vitæ & mortis irretractabilis facta eſſe dicitur, ante imo abſque omni reſpectu religionis ſive exercitæ ſive non exercitæ, ſic, ut neque rejectus ulla induſtria aut exercitio Religionis poſſit intrare, neque electus ulla negligentia Religionis poſſit excidere; uti olim Galliæ Epiſcopi breviter ſententiam iſtam Prædeſtinatorum propoſuerunt; aut, ut Auguſtinus Marloratus apertius adhuc eam enunciavit, in Expoſitione ſua Eccleſiaſtica in *caput Joan.* XV. *verſ.* 11. *Stat igitur firma ſententia: Quemcunque Deus ante conditum orbem elegerit, eum non poſſe perire: quem vero rejecerit, eum non poſſe ſalvari, etiamſi omnia ſanctorum opera fecerit; uſque adeo irretractabilis eſt ſententia.* Hoc poſito, quid neceſſe eſt, aut quorſum utile eſt, hominem de Religione tanquam officio ſuo ſolicitum eſſe, quando errore iſto adductus credit, Religionem totam non eſſe actum officii ſui, ſed merum divinæ operationis in ſe effectum, quem habere aut non habere, non magis in poteſtate ſua eſſe perſuaſus eſt, quam ſe ipſum producere, aut ſtaturæ ſuæ ulnam addere?

re? Sed de his jam ante plura diximus. Rectè & breviter Poëta:

*Solvite, mortales, animos, curisque levate,*
*Totque supervacuis animum deplete querelis;*
*Fata regunt orbem, certa stant omnia lege.*

Confirmatur hæc ratio non parum ex eo, quod error iste non paucos mortales ab omni retro ævo adduxerit, hodieque adducat, aut ad desperationem aut ad securitatem; quæ duo Religionis omnis pestes sunt. Exempla passim obvia sunt; Et antecedens per se liquet. Quod enim ad desperationem attinet, facillimus ex errore isto in eam prolapsus est. Certum enim est multo plures ad mortem absolute reprobatos esse, quam ad vitam electos. Inter plures autem se esse posse, quis non facilius credat, quam inter paucos? Et inter pluros istos se esse etiam, quis non facilius credet, quia nullum certum atque infallibile argumentum aut indicium dari potest, ex quo se inter paucos esse, ac non posse non esse, sibi persuadeat aut persuaderi ab aliis sinat? Quæcunque enim argumenta aut indicia submini-strabuntur, ea reprobis & electis communia esse posse intelliget, & communia esse nonnunquam ex patronis erroris istius audiet.

Quod ad securitatem attinet, non minus facilis ex errore isto in eam prolapsus est: Quæ enim consequentia aut clarior aut certior dari potest, quam ista, qua Lantgravius ille, apud Heisherbachium, lib. 1. de Memor. hist. cap. 27. utebatur, cum ab amicis monitus esset ut vitam mutaret & respiscceret? Si, inquit, prædestinatus sum, nulla peccata mihi poterunt regnum cælorum auferre; si reprobatus, nulla opera valebunt conferre. Solis radio scripta est hæc consequentia. Nec obscuratur aut enervatur per id, quod dici solet, complures tamen esse inter istius sententiæ adsertores, qui desperationis & securitatis omnis hostes sunt, quin & probi ac pietatis studiosissimi. Aliud enim est complures tales esse, aliud eos ex doctrinæ istius genio tales esse. Recte Cicero de Epicureis dixit, lib. 11. de Finibus bonorum & malorum. *Ita vivunt quidam, ut eorum vita probetur, refellatur oratio: atque ut cæteri existimantur dicere melius quam facere, sic hi mihi videntur facere melius quam dicere.* Nec per id, quod addi solet, adsertores istius sententiæ gnaviter etiam & serio à securitate dehortari, & ad studium bonorum operum adhortari suos. Quia aliud est dehortari à securitate, aliud securitatis causam & fundamentum tollere. Recte iterum Cicero contra Epicureos, lib. III. Officiorum: *Quasi*, inquit, *ego curem quid ille ajat aut neget: illud quæro, quid ei, qui in voluptate summum bonum putat, consentaneum sit dicere.* Optime sane de Tiberio dixit Suetonius, cap. LXIX: *Circa Deos & Religiones negligentior erat, quippe addictus Mathematicæ, persuasionisque plenus, Omnia fato agi.* Hactenus de primo: quod latius alibi à nobis pertractatum est: & pulcherrime deductum legere est in libello non ita nuper edito, de Absoluto Reprobationis decreto.

*Quatenus intolerabilis sit.*

Secundo dico ad quæstionem, An error hic usque adeo pernicioſus, nihilominus tolerabilis error sit?

Errorem hunc dupliciter spectari aut accipi posse; Primò per se, quatenus natura atque genio suo comparatus est, ut jam demonstravimus, ad exstirpandum omnem serium Religionis & sanctimoniæ affectum ac studium. Secundò, Relate ad eum qui errorem istum errat, quatenus videlicet error iste in eo vel est conjunctus, sive cum directa voluntate Religionem & sanctimoniam susque deque habendi, id est, cum irreligiositate & profanitate; sive cum indirecta aut interpretativa voluntate, id est, cum incuria Religionis, & sanctioris melioriſque vitæ negligentia, & prava consuetudine, tanquam proprio & genuino erroris istius effecto: vel, quatenus per accidens cum neutra tali voluntate, adeoque cum contrario Religionis & sanctimoniæ studio conjunctus est.

Primo modo error est intolerabilis, quia sic per se causa est irreligiositatis, sive desperationis aut securitatis.

Secundo modo partim intolerabilis est, partim tolerabilis. Intolerabilis, quando conjunctus est cum voluntate, sive directa, sive indirecta, Religionem & sanctimoniæ seriæ studium non curandi aut negligendi. Voluntas enim utraque ex errore isto profecta, causa est irreligiositatis, quæ per se damnabilis est & intolerabilis. Directa quidem proprie ac principaliter. Indirecta interpretative, ut loquuntur. Negligentia enim rei ad salutem necessariæ, pro directa negligendi voluntate & peccandi studio censeri meretur, & censeri ubique solet. Ex vi etiam utriusque voluntatis, ab errore isto profectæ, error voluntarius, & sic per se damnabilis fit. Quod si insuper ad hanc voluntatem accedat voluntas errorem istum sic tuendi & adserendi, ut qui ab eo dissentiunt, eumque detectum ac sublatum ire studeant, intolerabiles judicentur, tum summe intolerabilis fit hic error.

*Et quatenus tolerabilis.*

Sed vero error hic tolerabilis est, quando non est conjunctus cum voluntate, seu directa, seu indirecta, Religionem non curandi, aut dissentientes & errori isti contradicentes non tolerandi; sed contra, quando conjunctus est cum contraria voluntate, sanctimoniam serio colendi, & dissentientes tolerandi, ac pacificè cum iis vivendi: quia tum error iste plane involuntarius, ac non nisi merus error est, qui non ex voluntate ulla mala, sed ex pura puta judicii infirmitate est, quam tolerari & erranti à nobis condonari æquissimum est. Quin imo, idcirco tolerabilior error videri debet, quod is qui eum errat, non modo non ab eo causam ullam vel arripiat, vel accipiat, aut desperandi, aut secure vivendi, sed &, non obstante eo, non minus pie ac sanctè, quin & pacifice, vivere se velle profitetur cum aliis à se apertè, sed cum professione mutuæ tolerantiæ, dissentientibus, quàm si ab errore isto plane immunis ac liber esset.

Hoc fundamento nixi, & hac lege ac conditione, tolerantiam mutuam Contra-Remonstrantibus obtulerunt, & offerre adhuc parati sunt Remonstrantes: quin & eodem modo eandem Mutuam Tolerantiam publico decreto sanciverunt Ordines patriæ hujus nostræ, Anno 1614. Postquam vero Contra-Remonstrantes, non modo tolerantiam istam mutuam recusarunt diu multumque, sed & in Synodo Dordracena, ac post eam, tolerantiæ istius mutuæ consilia omnia repudiarunt & rescinderunt, sic, ut articulos Remonstrantium quinque de Prædestinatione eique annexis condemnarint, eosque, non falsos tantum, sed & intolerabiles esse in Ecclesiis suis judicarint, suos veros falsos, non ut veros tantum, sed etiam necessario in Ecclesiis suis retinendos ac docendos esse censuerint, omnesque ab iis dissentientes, aut iis contradicentes, non modo excommunicandos esse, sed & omni sævitiæ crudelitatisque genere persequendos esse statuerint, quin & ad eos persequendos ipsos patriæ Ordines, Magistratusque civitatum omnium, concionibus tribunitiis, libellis supplicibus, scriptisque variis incitarint, atque ita veritati, pietati, ac caritati nuncium publice remiserint, & remittere hodieque non dubitent: meritissimo jure intolerabiles habendi sunt, & à nobis aliisque veritatis, pietatis, ac pacis innocentiæque Christianæ studiosis habentur, habebunturque, quamdiu ista eorum animis stabit ac sedebit sententia.

## CAPUT VIII.

## De Persona Jesu Christi, & quid de ea sentiant Anabaptistæ Flandri.

SEquitur jam ut de Causa Redemtionis instrumentali agamus, per quam Redemtio, sive nova Creatio aut Servatio, de qua agimus, nomine Dei procuranda, administranda & peragenda erat.

*Jesus Christus est Servator.*

Hæc causa est, Jesus Christus Nazarenus, qui propterea non tantum à primo conceptionis suæ momento vocari jussus est ab Angelo Dei, *Jesus, eo quod populum suum à peccatis suis servaturus erat*: Matth. I. 21. sed & statim simulatque natus fuit, *Servator* ab Angelo ad pastores misso vocatus fuit, *Luc.* II. 11. Ex illo vero tempore, quo in populo suo versari cæpit, & deinceps, disertè sæpius *Servator*, σωτὴρ, & ὁ σωτὴρ, imo ὁ σωτὴρ τοῦ κόσμου, & σωτὴρ παντὸς ἀνθρώπου ab Apostolis & Euangelistis nuncupatus fuisse legitur. vide *Joan.* IV. 42. *Act.* V. 31. & XIII. 23. *Ephes.* V. 20. *Philipp.* III. 20. & 1 *Timoth.* I. 1. & IV. 10. & 2 *ad Timoth.* I. 10. *Tit.* I. 4. & II. 10. 13. & III. 6. & 1 *Joan.* IV. 14. & 2 *Pet.* I. 1. & III. 2. Nec sic tantum, sed & κατ' ἐξοχὴν, à Simeone appellatus fuit τὸ σωτήριον τοῦ Θεοῦ, *Luc.* II. 30. κέρας σωτηρίας à Zacharia, *Luc.* I. 69. ὁ σωτηρία, *Joan.* IV. 22. & αἰῶν σωτηρίας αἰωνίου à scriptore *ad Hebr.* V. 9. Cui affinis est vox ἄρχοντος καὶ λυτρωτοῦ. *Actor.* VII. 35. & ἀρχηγὸν καὶ σωτῆρα: *Act.* V. 31. quia, nimirum, ipse non tantum primus annunciaturus erat palam atque aperte salutem æternam, sed & eandem procuraturus, administraturus & peracturus nomine Dei Patris sui: qui propterea tanquam prima salutis causa, passim vocatur κατ' ἐξοχὴν ὁ σωτὴρ, & σωτὴρ ἡμῶν: 1 *Tim.* II. 3. *Tit.* I. 3. & II. 10. & III. 4. & μόνῳ σοφῷ σωτῆρ ἡμῶν, *Judæ* 25. & à quo Jesus Christus σωτὴρ & αἴτιος σωτηρίας αἰωνίου factus, susceptus & constitutus fuit, *Lucæ* I. 69. *Act.* V. 31. & XIII. 47. & passim alibi. *Nam ex eo, & per eum, & in ipsum sunt omnia: Roman.* XI. 35. Ab eo *factus est nobis Christus sapientia, justitia, sanctificatio & redemtio*: 1 *Corinth.* I. 30. Quod Christus ipse passim fatetur; cum se missum esse dicit à Patre

tre ſuo, apud Joannem imprimis, pluſquam vicies quinquies.

*A Deo conſtitutus.*

Cauſſa itaque hæc inſtrumentalis conſideranda venit, non tantum ut Deo ſubordinata, ſed ut à Deo ipſo ordinata, data & conſtituta ſive miſſa, nempe ut ſic tota gloria ſalvationis à Deo profecta, ad Deum autorem ſuum redeat; juxta id quod dicitur *ad Philipp.* II. 11. & Chriſtus ipſe paſſim, apud Joannem imprimis, aſſirmat, adeo, ut *cap.* V. 41. & VIII. 50 aſſerat, ſe non quærere gloriam ſuam, neque gloriam ab hominibus, ſed gloriam ejus qui miſit ipſum: *cap.* VII. 18.

*In Chriſto duo conſideranda, Perſona & officium. Perſonæ Chriſti dignitas.*

Ordinatio hæc ut intelligatur, duo requiruntur, Perſonæ ordinatæ & muneris ſive officii ad quod ordinata eſt, ſcientia. In perſona ordinata attendenda veniunt duo: Perſonæ dignitas, & (quæ eam ſequitur) Perſonæ idoneitas ad munus ſervationis peragendum.

Dignitas perſonæ in tribus poſita eſt: 1. Quod ſit *proprius* atque *unigenitus Dei Filius*, *Rom.* VIII. 32. *Joan.* I. *verſ.* 14. 18. & III. 16. 18. & 1 *Joan.* IV. 9. cujus *egreſſus eſt*, vel cujus egreſſiones ſunt *à diebus ſeculi*, *Mich.* V. 2. 2. Quod ſit filius hominis, ſic ut ſimul etiam ſecundum naturam ſuam humanam iſtam ſit Filius Dei; *Luc.* I. 35. Spiritus ſanctus enim ſupervenit in matrem ejus virginem, & virtus altiſſimi inumbravit eam, propterea quod ex ea natum eſt ſanctum, vocatum fuit, id eſt, revera fuit, Filius Dei. 3. Quod ſit Filius Dei & filius hominis in una eademque perſona. Quæ tria peculiaria huic perſonæ privilegia ſunt, quæ ſupra omnem comparationem & citra omne exemplum ſunt.

Quod primo modo Filius Dei ſit, demonſtravimus ſupra cum de Patre, Filio, & Spiritu S. egimus. Quod ſecundo modo Filius etiam Dei ſit, & ſimul filius hominis, id jam nobis conſiderandum venit; quia ſic idoneus fieri cæpit, ut eſſet *Dei & hominum Mediator homo Jeſus Chriſtus*: 1 *ad Timoth.* II. 5. & πρῶτον ἐν πολλοῖς ἀδελφοῖς, *Rom.* VIII. 29. quin & πίστις κλίσεως, *ad Coloſſ.* I. 15. & ἡ ἀρχὴ τῆς κτίσεως τοῦ Θεοῦ, *Apocal.* III. 14. Quod Dei & hominis Filius ſit in una eademque perſona, nos quidem credimus, ſed vero, uti quomodo unio iſta facta ſit definire non poſſumus, ita nec eos, qui unionem & modum iſtum unionis aut ignorant, aut non agnoſcunt, damnare idcirco audemus, ſiquidem nos alioſque ea in re à ſe diſſentientes tolerare velint.

*Sententia Anabaptiſtarum Flandrorum, ejuſque examen.*

Cauſſa cur hoc poſtremum adjiciam eſt, quia non deſunt in Chriſtiano orbe, atque imprimis in hoc Fœderato Belgio, homines cætum ingentem facientes, qui Anabaptiſtæ Flandri vocari ſolent, qui non modo unionem omnem perſonalem negant, ſed & neminem eorum qui eam tenent, in communione ſua tolerare volunt; uſque adeo, ut non niſi ſententiam ſuam unioni perſonali contrariam confitentes baptizent, & qui ſententiæ de unione perſonali adhæſerunt, non niſi eidem aperte renunciantes rebaptizent, & in communionem ſuam admittant; perinde ac ſi non niſi per fidem & confeſſionem ſententiæ iſtius ſuæ, ex gentilibus & profanis, Chriſtianæ Religionis veri profeſſores fierent. Sententia autem eorum eſt; Eſſentiam Filii Dei, ſive æterni Verbi, divinam, tranſſubſtantiatam ſive mutatam eſſe in carnem, eamque non ex Mariæ Virginis carne ac ſanguine productam, ſed in Mariæ uterum ex cæleſti aut increata aliqua materia delatam, & quidem ſic, ut Filius Dei manſerit quod erat, & factus fuerit quod non erat. Hos homines etſi errare credo, tamen eos non tam propter errorem iſtum ſuum damnaverim, quam quod una cum errore ſuo ſe reos ſchiſmatis non modo non neceſſarii, ſed & neceſſario vitandi, faciant. Nam modus iſte tranſſubſtantiationis nuſpiam in Scriptura exſtat, nec per conſequentiam ullam veriſimilem ex ea deduci poteſt, nedum ut modum illum Scriptura neceſſario credendum & confitendum eſſe definierit. 2. Quia modum illum tranſſubſtantiationis tueri non poſſunt, niſi ſeipſos alioſque in difficultates inextricabiles compingant. 1. enim, alterutrum neceſſe eſt ut fateantur ſe credere, Aut eſſentiam Filii divinam non eſſe eandem quam Patris eſſentiam, quod tamen videri nolunt credere; Aut ſi eadem eſt eſſentia Filii, quæ eſt Patris, per tranſſubſtantiationem eſſentiæ divinæ Filii, Patris quoque eſſentiam in carnem tranſſubſtantiatam fuiſſe, ac proinde mortuo Filio Patrem quoque mortuum fuiſſe, totumque mundum per triduum ſine Deo vivo fuiſſe, quod fateri erubeſcunt. Deinde manifeſta contradictio in adjecto eſt, Id quod tranſſubſtantiatur manere idem quod erat, & fieri quod non erat. Tertio, Naturæ rei repugnat, ex mere immateriali eſſentia fieri materiam aut materiatam eſſentiam, ex impaſſibili paſſibile, ex immortali mortale, ex ſpiritu carnem, ſanguinem & oſſa. Quarto, neceſſe eſt ut dicant, tranſſubſtantiatum eſſe Filium Dei partim in animam viventem, immortalem & incorruptibilem: partim in carnem & ſanguinem mortalem aut corruptibilem, quia Filius Dei homo factus eſt: Homo autem conſtat anima & corpore. Aut ſi eum non niſi in carnem mutatum fuiſſe volunt, ut tum ſola caro Filius Dei manſerit, & iſta Filii Dei caro aut fuerit ſine ullo vivo ſpiritu, aut carnis ejus rector fuerit anima carni ſuperinfuſa. Quæ profecto difficultates ſunt inextricabiles. Quibus adde ultimo, Neceſſe eſſe ut dicant, Filium Dei, qui ſapientia ipſa Patris æterna erat, ut fatentur, non tantum in hominem mutatum eſſe, ſed & in embryonem, infantem omnium rerum ignarum, & de quo diſerte affirmatur, quod *creverit & profecerit ſapientia, ætate & gratia apud Deum & homines*, *Luc.* II. *verſ. ult.* Quid poteſt dici aut credi abſimilius à vero? Hæc certe omnia talia ſunt, ut merito ſchiſmatis inexcuſabilis rei videri debeant, qui ob ſententiam tam multis & tam ingentibus difficultatibus & abſurditatibus implicitam, nulloque prorſus Scripturæ loco, quo eam non dico veram, ſed neceſſariam ad ſalutem creditu eſſe vel in ſpeciem adferatur, nixam, ſegreges cætus faciunt, alioſque omnes idem ſecum non ſentientes cætus, intolerabiles eſſe & anathemate dignos judicant; adeo ut non niſi ſuper iſtius ſuæ ſententiæ profeſſione quemquam baptizent, nedum ut ad communionem Cænæ quemquam admittant.

*Probatur Jeſum Chriſtum fuiſſe verum hominem, ex homine natum.*

Sed vero, quia multum admodum refert, ut credamus Jeſum Chriſtum fuiſſe verum & vere hominem ex homine natum, atque ſtatim poſt lapſum, Adamo primum promiſſum ſub vocibus *ſeminis mulieris*; Abrahamo deinde, ſub voce *Seminis* in ſingulari numero, non *Seminum* in plurali, uti obſervavit Apoſtolus in *Epiſt. ad Gal.* III. 16. Davidi denique ſub voce *Filii*; operæpretium eſt, ut id ipſum ſolide adſtruamus. Sic enim apparebit, non tantum ſchiſma iſtud, de quo diximus, non eſſe neceſſarium, ſed & injuſtiſſimum, quippe cujus fundamentum non eſt niſi merus ac manifeſtus error. Id rationibus his adſtruimus: *Prima:* Quia Chriſtus non tantum in terminis vocatur *homo*, 1 *Timoth.* II. 5. & alibi; ſed & ipſe ſeipſum vocat *hominem*, *Joann.* VIII. 40. & paſſim; adeoque octuageſies bis *Filium hominis*; veroſimiliter reſpiciens ad locum *Danielis*, *cap.* VII. 13. ubi in viſione noctis ſe vidiſſe ait, in nubibus cæli כבר אנש *ſicut Filium hominis*; id eſt, qui revera hominem ac non niſi hominem repræſentabat, oppoſitè ad Reges, quos ſibi repræſentatos viderat non ut homines, ſed ut feras beſtias, leones ſcilicet, urſos, pardos, eaſque non ex hominibus natas, ſed ex mari emergentes. כ enim hîc non ſimilitudinis tantum, ſed veritatis nota eſt, perinde uti græca particula ὡς, quæ ei reſpondet, nonnunquam accipitur, uti *Joan.* I. 14. *Spectavimus gloriam ejus*, δόξαν ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρός, & alibi videre eſt. Filium, inquam, hominis, venientem ad Antiquum dierum, qui ei dabat poteſtatem & gloriam, & regnum, &c. prout non obſcure id ipſe indicat, *Joan.* V. 27. *Pater ei dedit poteſtatem etiam judicium exercendi*, ὅτι *quia*, (Beza vertit, neſcio qua de cauſa, *quatenus*) *Filius hominis eſt.* Hebræis vero uſitatiſſimum eſſe, homines omnes appellare Filios hominum, בני אדם nemo neſcire debet. Chriſtus ipſe id emphatice indicavit *Matth.* XII. 8. cum ait, *Dominus Sabbathi etiam eſt filius hominis*, id eſt, homo quilibet; quia videlicet Sabbathi ipſius obſervatio, hominis ſaluti ac vitæ poſthaberi debet, atque ita Sabbathum cedere ac ſervire homini tanquam domino ſuo; prout ex *Marci* II. 27. 28. clariſſime apparet; *Sabbathum propter hominem factum eſt, non homo propter Sabbathum. Itaque Filius hominis eſt etiam Sabbathi dominus.* Et res adeo clara eſt, ut non raro Hebræi eos, qui inter homines nihil fere habent aliud, quam quod homines ſint, quia nullo titulo, qualitate, aut honore ſupra fœcem vulgi eminent, filios hominum aut homines vocent, id eſt vulgares homines, qui naturam quidem humanam cum aliis communem habent, ſed præterea nihil. Atque hanc etiam cauſſam nonnulli Rabbini eſſe credunt, cur toties, puta nonagies & bis, Deus Prophetam ſuum Ezechielem compellare voluerit voce *Filii hominis*; ne videlicet naturæ ſuæ & conditionis humanæ immemor eſſet, quando eum tot tamque admirabilium revelationum gratia ac gloria dignabatur, non aliter quam ſi in media ſemper Angelorum ſocietate viveret. Quicquid ea de re ſit, certum eſt, voce iſta Deum uſum eſſe, quia revera non niſi filius hominis erat; unde cauſſam ſemper habebat cogitandi ſe, licet revelationibus Angelicis circumdatum, hominem tamen, ac non niſi ex hominibus natum eſſe. Filius enim hominis non tantum humanam naturam, ſed & nativitatem ex hominibus notat. Hinc homines omnes בני אדם *filii hominis* vel *filii Adam* vocantur, quia ex eo omnes nati ſunt aut deſcendunt. Adam vero nunquam vocatur filius hominis, ſed homo tantum, quia ex aliis natus non eſt; & *filius Dei*, *Luc.* III. *verſ. ult.* quia à Deo ex terra creatus eſt.

Recte,

Recte, inquies; Ergo bene quidem concluditur, Jesum Christum, verum hominem & ex homine natum esse, sed non bene ex eo concluditur, Ergo carnem & sanguinem suum ex hominibus, aut ex homine, sive ex matre sua habet. Ad hoc ut respondeamus, esto hæc ratio nostra *Secunda*; Quia Scriptura in eo tota est, ut Jesum Christum non tantum hominem verum esse aut fuisse dicat, (quamquam non tam id dicit, quam præsupponit, utpote indubium apud Judæos omnes, qui Jesum Christum sive Messiam suum, non aliter, quam, ut cæteros homines, ex hominibus nasciturum credebant:) sed & ex hominibus carnem & sanguinem suum accepisse doceat. Enimvero majores ejus, ad usque primum hominem Adamum refert ac recensel Euangelista *Lucas cap.* III. & eum filium Adami fuisse asserit, non aliter, quam omnes qui ante eum ex Adamo descenderant, filios Adami vocaverat. Atqui filii Adami, omnes alii vocati sunt, quia carnem & sanguinem suum ex Adamo successive alius post alium acceperant. Ergo, &c. Deinde, Jesum Christum eadem Scriptura dicit *esse ex Patribus, quod ad carnem attinet*, *Rom.* IX. 5. quæ duo, *Ex Patribus*, & τὸ κατὰ σάρκα, propius rem istam exponunt; uti & proximè, quod dicatur fuisse promissum istud Abrahæ semen, (Ex semine enim, caro & sanguis est) in quo benedicendæ erant omnes nationes terræ, *ad Gal.* III. *Non enim dixit*, inquit ibi Paulus, *Et seminibus, ut de multis, sed, ut de uno, Et semini tuo, quod est Christus*, *vers.* 16. Deinde, quod dicatur *ex semine David* fuisse κατὰ σάρκα, *secundum carnem*; *Rom.* I. 3. & 2 *Timoth.* II. 8. quod exponitur *Act.* II. 30. *ex fructu lumbi David, quod ad carnem attinet.* Denique, quod dicatur *ex muliere* γενόμενον *factus*, vel γυναικὸς natus, *ad Gal.* IV. 4. & mulier ista mater ejus, quæ eum in utero suo concepit, gestavit, aluit, & definito ad id tempore, ut primogenitum suum Filium peperit, *Luc.* I. & II. & *Matthæi* I. ipse vero filius *fructus ventris ejus*, *Luc.* I. 42. Quibus omnibus, quid clarius aut evidentius adferri possit, ad probandum, Jesum Christum carnem & sanguinem suum ex hominibus accepisse, & sic *Filium hominis*, adeoque expresse *hominem*, 1 *ad Timoth.* II. 5. vocari, ego non video.

Addere licet tamen rationem *tertiam*: Quia Jesu Christo in Scriptura adtribuuntur partes, quæ dicuntur essentiales hominis partes, Corpus puta, constans carne, sanguine, intestinis, &c. & anima, *Matth.* XX. 28. & XXVI. 38. *Joan.* X. 15. 17. & XII. 27. *Act.* II. 27. (quamquam anima istic pro corpore posita videri debet) & passim alibi. Nec partes tantum istæ, sed & partium singularum naturales infirmitates, uti corporis fames, sitis, lassitudo, somnus, compassio, lachrymæ, &c. Animæ gaudium, dolor, tristitia, ignorantia, ira, sapientiæ incrementum, aliaque; adeo ut meritissimo jure Scriptor *ad Heb.* asserat, Jesum Christum *nobis per omnia*, κατὰ πάντα, *similem factum fuisse*, *Heb. cap.* II. 17. *excepto peccato* dumtaxat, *cap.* IV. 15. quin carnis & sanguinis participem factum fuisse, uti *pueri*, id est, fideles omnes, eorundem sunt participes, *cap.* II. 14.

## CAPUT IX.

### Responsio ad loca Scripturæ & rationes quibus Anabaptistæ sententiam suam de persona Christi tuentur.

*Resp. ad id quod Christus longe alio modo conceptus & natus esse dicitur quam cæteri homines.*

CONtra has rationes objici quædam solent, quæ breviter perstringemus. Primo, inquiunt, Christus tamen longe alio modo conceptus & natus esse dicitur, quam cæteri homines. Resp. Ita est. Ex Spiritu sancto conceptus, & ex virgine natus est; quæ duo cum nullo homine alio communia habet. Sed modus diversus conceptionis & nativitatis, non obstat, quominus verus & perfectus homo fuerit, sicut cæteri homines; alioquin enim Adam non fuisset verus & perfectus homo, sicuti homines cæteri sunt, quia à Deo formatus, & ex terra productus est, secus quam cæteri homines. Eadem ratio est Evæ matris omnium nostrum, ex costa Adami formatæ. Dices: At quod dicatur conceptus *ex* Spiritu S. id arguit amplius aliquid, quam peculiarem concipiendi & nascendi modum. Resp. Recte: Si præpositio ἐκ necessario semper significaret aut connotaret materiam, ex qua aliquid fit. At nihil certius quam præpositionem istam frequenter apud Scriptores Sacros, caussam, non materialem, sed vel proprie dictam efficientem, vel efficienti caussæ similem denotare, uti *ad Rom.* XI. *vers. ult*: ἐκ τοῦ Θεοῦ, καὶ εἰς αὐτὸν τὰ πάντα. Alii codices etiam habent, διʼ αὐτοῦ: sed ἐκ præpositio, tum etiam pro ὑπὸ vel ἐν, sive pro efficiente caussa accipienda est, prout apparet ex 1 *ad Corinth.* VIII. 6. ubi præpositio ἐκ diserte ac sola tribuitur uni Deo, ἐξ οὗ τὰ πάντα, contradistincte à præpositione διὰ, quæ uni Domino Jesu Christo adtribuitur, δι οὗ τὰ πάντα, vide *Joan.* VIII. 23. ὑμεῖς ἐκ τῶν κάτω ἐστέ, ἐγὼ ἐκ τῶν ἄνω: *vox ex mundo estis.* & *vers.* 44, *vox ex patre Diabolo estis.* & *vers.* 47, *vos ex Deo non estis*, &c. Deinde, Præpositionem ἐκ non posse hoc loco caussam materialem significare, evincunt hæ duæ rationes. 1. quia sic Christus proprie fuisset filius Spiritus S. quod non modo à Scripturæ stylo alienum est, sed & non minus absurdum, quam si quis nos filios Spiritus S. vocet, quia dicimur ex Spiritu S. gigni aut nasci, id est, regenerari, & renasci. 2. quia sic Christus non nisi spiritus fuisset. *Quod enim genitum* (τὸ γεννηθὲν) *ex spiritu est*, *id est spiritus*; *quod ex carne genitum est*, *id est caro*, dicit ipse Jesus, *Joan.* III. 6. Denique si omnino ex istius præpositionis naturali significatione sequi contendant, Christum ex Spiritu S. carnem suam habuisse, non minus recte sequetur, Christi carnem ex Maria fuisse, sive ex materia carnis & sanguinis Mariæ, quia *Matth.* I. 16. dicitur, ἐξ ἧς ἐγεννήθη Ἰησοῦς. & *ad Gal.* IV. 4. γενόμενον ἐκ γυναικός; quod tamen ii, contra quos agimus, nullo modo volunt admittere. Conceptus ergo quando dicitur ex Spiritu Jesus Christus, id aliud nihil significat, quam quod virtute Spiritus S. divina & peculiari, disponente, fœcundante, & masculam vim sive πλαστικὴν ἐνέργειαν infundente, vel adspirante carni & sanguini Mariæ, conceptus sit; quod honeste nobis indicavit Angelus apud *Lucam cap.* I. *vers.* 35. Caussa ergo existentiæ Christi fuit diversa à nostra, sed materia fuit eadem. quod & manifestius fit ex eo, quod Christus *Matth.* I. 16. ex Maria natus dicatur, non aliter quam Booz ex Rachab, & Phares ex Thamar: & alibi, ex Patribus, ex semine Davidis, ex lumbis ejus, & filius ejus, quod ad carnem attinet. Quod sane verum esse non potest, si materia carnis & sanguinis Jesu Christi, fuerit alia ac diversa à carne & sanguine Mariæ, Patrum ac Davidis.

*Quid phrasis* κατὰ σάρκα *significet.*

Dices; Phrasin istam, κατὰ σάρκα, *secundum carnem*, non necessario significare materiam carnis eandem, sed significare posse idem quod, secundum speciem vel apparentiam externam; quia qui ex muliere nascitur, censetur ex eodem esse semine ex quo mater est: ut conveniat cum phrasi simili, καθʼ ὁμοίωσιν, *secundum hominem.* Resp. Primò, phrasin duplicem usurpari, unam κατὰ σάρκα, alteram τὸ κατὰ σάρκα. Illa phrasis est *Rom.* I. 3. Hæc *Act.* II. 30. *Rom.* IX. 5. Prima etsi sic exponi forte posset, quia sine dubio isto sensu non semel phrasis ista usurpata legitur: *Joan.* VIII. 15. *Rom.* IV. 1. & 2 *Corinth.* I. 17. secunda tamen nullo modo sic exponi potest, ut Græci idiomatis gnaris manifestum est. Secundo dico, Si sic accipiatur phrasis, tum falsum esset Christum ex semine Davidis esse. Non enim qui in ea gignitur, quæ ex semine Davidis est, & qui idcirco videtur quoad externam speciem ex semine Davidis genitus, vere ex semine Davidis est; sed qui ex ea, sive ex carne & sanguine ejus, quæ vere semen Davidis est, nascitur, is revera ex Davidis semine est. Denique, cum eodem prorsus sensu, *ad Rom.* IX. 3. phrasin istam κατὰ σάρκα Apostolus usurpet, quando Judæos fratres suos & συγγενεῖς κατὰ σάρκα vocat, quo statim deinde *vers.* 5. sequente, Christum dicit ex Patribus esse, sive ex Judæis fratribus istis suis, (utroque enim modo accipi possunt verba ἐξ ὧν) τὸ κατὰ σάρκα; nihil certius esse videtur, quam phrasin istam utramque, de proprie dicta ex carne & sanguine patrum sive Judæorum nativitate intelligendam esse. Neque enim aliter Judæi, fratres & συγγενεῖς Apostoli Pauli erant secundum carnem, quam quia Paulus ex eodem cum ipsis semine sive carne & sanguine, ex patribus primis, Abrahamo, Isaaco & Jacobo natus erat ac descenderat; quod adeo verum est, ut Judæi, quando dicebant *Joan.* VIII. 39, Christo, *Abraham pater noster est*, & ipsis Jesus Christus vicissim reponebat, *Si filii Abrahami essetis, opera Abrahami faceretis*, Judæi quasi indignabundi ei regererent, *Nos ex fornicatione non sumus*, eo ipso indicantes, se non tantum ex semine Abrahami, sed etiam ex legitimo conjugio ejusdem cum Abrahamo patre suo carnis & sanguinis participes esse factos.

*Resp. ad locum 1 Joan. I. 1.*

Regerere solent; Si ita est, tum Christus non erit ex essentia verbi æterni. Resp. Concedimus, neque ulla vel vola vel vestigium ejus rei in Scriptura est. Contrà, inquiunt, apparet ex 1 *Joan.* I. 1: *Quod erat à principio, quod audivimus, quod vidimus*, &c. *de verbo vitæ.* Ergo de verbo vitæ erat caro Jesu Christi quam viderant & contrectaverant manibus suis Apostoli. Resp. Magna hîc est Græci sermonis ignorantia. Neque enim in textu dicitur, ἐν aut ὑπὸ aut περὶ τοῦ λόγου, sed περὶ τοῦ λόγου; quæ præpositio aliud nihil significare potest, quam id quod attinet ad Jesum Christum, qui verbum vitæ καθʼ ἐξοχὴν vocatur, quia primus vitam & immortalitatem in lucem produxit per verbum Euangelii sui, quod verbum vitæ propriissime erat, & *verba vitæ æternæ*

Pe-

Petrus vocavit, *Joan.* VI. 68. & verbum τῆς σωτηρίας Paulus, *Act.* XIII. 26. Nunquam enim præpositio ἐκ materialem causſam ſignificat, ex qua aliquid fit. Deinde, textus ipſe ſenſum hunc refutat, quia non tantum dicitur, quod vidimus, quod contrectavimus de verbo vitæ, ſed &, quod erat à principio de verbo vitæ. Atqui, ſi *à principio*, ſignificet ab æterno, vel ante mundum, ſive à mundo condito, uti hi homines diverſimode iſtam phraſin intelligunt, annon ex eo ſequetur, ab æterno vel ab orbe condito carnem Chriſti ex verbo fuiſſe? quid vanius? Dices; Quid ſi *à principio* exponatur per, A principio Euangelii prædicati? Reſpondeo: Tum dicendum foret, carnem Chriſti non fuiſſe de verbo ante principium prædicati Euangelii, & ſic non fuiſſe carnem ex verbo, quando in Maria concepta primum erat: quod abſurdum eſſe ipſi hi homines fatebuntur. Si dicas, *a principio*, etiam referri poſſe ad principium conceptionis; Tum dicam, phraſin iſtam nuſpiam iſto ſenſu uſurpatam eſſe, ac non niſi violenter, propter hypotheſin iſtam, torqueri in ſenſum iſtum.

*Reſp. ad locum 1 Cor. XV. 47.*

Opponere inſuper ſolent loca quædam Scripturæ, quæ non minus contorta ſunt; uti locum *1 ad Corinth.* XV. 47. ubi dicitur, *Primus homo ὁ πρῶτος ἄνθρωπος, ſecundus homo ipſe dominus, ὁ δεύτερος ἄνθρωπος*; ubi præpoſitionem ἐκ in primo membro materiam ſignificare ajunt, ac proinde etiam eandem præpoſitionem in ſecundo membro eodem ſenſu accipiendam eſſe. Sed vero Reſp. Iſto in loco non agitur de Jeſu Chriſto quatenus ex Maria natus eſt, nedum de materia ex qua Jeſus Chriſtus in Maria conceptus & natus eſt; ſed de Chriſto ex mortuis ſuſcitato, & glorioſo ac cæleſti corpore donato, quali fideles omnes poſt reſurrectionem ex mortuis donandos eſſe ibidem aſſerit Apoſtolus, verſſ. ſtatim ſequentibus, uti ex ſcopo capitis totius manifeſtius eſt, quam ut probari pluribus opus ſit: & ex locis parallelis, *2 ad Corinth.* V. 1. 2. 3. & *ad Philipp.* III. 21. clariſſimum eſt. Ratio hæc una ſufficiat contra iſtam horum hominum interpretationem: Si Apoſtolus concludere voluiſſet, aut indicare propoſitum ſibi habuiſſet, Jeſum Chriſtum corpus ejuſmodi cæleſte à prima ſua nativitate in Maria matre ſua habuiſſe ex eſſentia verbi æterni, tria hæc abſurda conſequerentur: 1. tum Apoſtolum argumenti ſui vim prorſus enervare voluiſſe, docendo Chriſtum poſt reſurrectionem cæleſte corpus conſecutum fuiſſe. Quorſum enim, aut quid opus erat, Chriſtum poſt reſurrectionem cæleſte corpus conſequi, ſi iſtud jam à nativitate ſua prima habuerat? 2. Tum ſequeretur, nos etiam poſt reſurrectionem ex eadem eſſentia verbi corpora cæleſtia conſecuturos, quia expreſſe dicitur, *Sicut geſtavimus imaginem terreni hominis* (Adami ſcilicet) *ſic geſtabimus etiam imaginem cæleſtis hominis*, id eſt, Jeſu Chriſti Domini noſtri. *verſ.* 49. 3. Quia ſi Apoſtolus dicere voluit Chriſtum cæleſte corpus à prima nativitate ſua habuiſſe, tum ſequeretur eum immortale corpus habuiſſe, ac proinde mori non potuiſſe. Cæleſte enim corpus opponitur pulvereo, & ut ἄφθαρτον τῷ θνητῷ, *verſ.* 52. 53, 54. Atqui mortuum fuiſſe Chriſtum, ſive corpus Chriſti, ipſi fatentur. Hæc abſurda palpabilia ſunt.

*Reſp. ad locum Joan. III. 13.*

Secundus locus, quem obducere ſolent, eſt *Joan.* III. 13. *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo, Filius hominis qui eſt*, vel ὁ ὢν *in cælo*. Reſp. Hîc textus manifeſte contra ipſos facit. In eo enim dicitur, Filium hominis deſcendiſſe ex cælo. At ſi deſcendere ex cælo ſignificat carnem habuiſſe ex cælo, tum filius hominis fuiſſet caro, antequam in Maria conceptus erat, ac proinde antequam filius hominis natus erat: quod abſurdum eſſe quis non videt? Deinde, ſi, *ex cælo deſcendit*, ſignificat carnem ſecum ex cælo & de cælo, attulit, quomodo tum caro factus fuit? 2. quomodo mortalis eſſe potuit, aut ſi mortalis fuit factus, quomodo idem Filius hominis dicitur ibidem in cælo eſſe aut fuiſſe? Nam *caro & ſanguis non poſſunt regni Dei hæreditatem conſequi, neque corruptio incorruptionem*, uti *verſ.* 50. *capitis* XV. *prioris ad Corinthios* dicitur.

Quæres, Quis ergo ſenſus loci hujus eſt? Reſp. Socinus locum hunc ſic exponit, ut dicat, Jeſum Chriſtum Filium hominis, antequam Euangelium prædicare incipiebat, id eſt, ante annum ſuum trigeſimum, à Patre ſuo in cælum raptum ac ſublatum fuiſſe, atque ibidem, non aliter quam Moſes in monte, & Paulus *in* ſive *uſque* ad tertium cælum ſublatus, à Patre ſuo edoctum fuiſſe, ſive audiviſſe omnia iſta, quæ poſtmodum populo annunciavit. cui fini ac ſenſui loca quædam ſervire ait, ubi expreſſe aſſeritur, quod Chriſtus quæ audiverat & viderat à Patre ſuo, ſive apud Patrem ſuum, ea diſcipulos atque imprimis Apoſtolos ſuos docuerit; *Joan.* III. 11. & VI. 46. & VIII. 26. 28. 38. & XII. 50. & XV. 35. Expoſitio hæc ingenioſa utique & plana admodum ac facilis ſi admittatur, apparet manifeſte locum hunc citatum nihil omnino continere quod pro ſententia iſtorum hominum facere poſſit. Sed vero, quia ea non uſque quaque certa eſt, imprimis cum Scriptura paſſim non niſi unius aſcenſionis Jeſu Chriſti in cælum proprie dictæ, quæ poſt reſurrectionem ejus contigit, mentionem faciat, ego malim verba loci hujus metaphoricè ſive allegoricè exponere, utpote cohærentia cum verbis allegoricis, quibus antea Chriſtus ad Nicodemum uſus eſt; ut ſenſus eorum ſit, *Nemo aſcendit in cælum*, id eſt, nemo homo cæleſtium rerum, quæ ad regenerationem hominis veram requiruntur, plenam ac perfectam cognitionem unquam adeptus eſt, ſive in intimum divinæ voluntatis arcanum penetravit. eodem forte ſenſu, quo antea *verſ.* 3 dixerat, *Nemo poteſt videre regnum Dei.* & *verſ.* 5, *nemo poteſt introire in regnum Dei.* & quo David olim dixerat, *Pſal.* LXXII. *verſ.* 16. 17: *Itaque cogitabam ut ſcirem hoc, ſed labor erat in oculis meis, donec ingrederer in ſanctuaria Dei, & intelligerem noviſſimum eorum.* & Salomon *Proverb.* XXX. 2. 3. *Neque didici ſapientiam, nec ſcientiam ſanctorum novi, quis aſcendit in cælum? quis deſcendit?* &c. *niſi qui deſcendit de cælo.* id eſt, niſi qui eam cælitus accepit à Deo, & quaſi de cælo eam ſecum attulit, ſive qui à Deo cælitus ea donatus eſt, eodem ſenſu forte, quo antea dixerat, *verſ.* 3. *niſi quis genitus fuerit ἄνωθεν*, id eſt, vel deſuper, vel iterum, & *verſ.* 5. *niſi quis genitus fuerit ex aqua & Spiritu*, id eſt, per ὑν ἁγ. πνεῦμ, ex aqua ſpirituali, quæ veluti ſemen ſpirituoſum, non aliter quam pluvia à Deo cælitus, tanquam à Patre luminum & ſpiritualium filiorum deſcendit, & quo *Matth.* XXI. 25 Baptiſma Joannis *ex cælo* fuiſſe indicatur. & *Jacob.* I. 17. Omne donum bonum *deſuper* deſcendere dicitur à Patre luminum. & *cap.* III. 15. 17, Sapientia vera ἄνωθεν κατερχομένη dicitur; & Chriſtus ſe ipſum & carnem ſuam vocavit panem illum vivificum, qui *de cælo deſcendit*, *Joan.* VI. 51. & 58. & Hieruſalem nova *de cælo deſcendere*, *Apoc.* III. 12. & XXI. 2. 10. quibus omnibus reſpondet Græcum illud, deſcendit de cælo γεγόνασι παυθ. Quicquid enim excedit vires humanas, & Deum antorem habet, id in Sacris è cælo eſſe, ex cælo deſcendere, ex ſupernis eſſe dicitur. Et hic dicitur eſſe *Filius hominis*, cum hoc additamento, *Qui eſt in cælo.* malim enim participium ὤν pro participio præſentis temporis accipere, quam pro participio imperfecto, *qui erat*; prout præſens εἰμὶ acceptum videri debet, *1 ad Tim.* I. 15. *quorum* peccatorum *ego primus ſum*, id eſt, aliquando eram aut olim fui. Senſus autem additamenti hujus eſt; Qui etiamſi in mundo hoc ſit corpore ſuo, totus tamen mente, animo ſtudioque ſuo ſemper in cælo eſt, & cum Deo Patre ſuo converſatur, conſcius arcanorum Patris, & favore ac gratia ejus fruens. Ibi enim quis eſſe dici ſolet, ubi animus ejus eſt; & ubi theſaurus alicujus eſt, ibi cor & animus ejus eſt. unde πολίτευμα noſtrum *in cælis eſſe* aſſerit Apoſtolus *ad Philipp.* III. 20. eodem ſenſu fere antea *cap.* I. 18. à Joanne vocatus fuerat, ὁδὸς εἰς τὸ κήλπον τοῦ πατρός. Et ſenſus hujus verſus hic quem jam diximus, optime convenit cum eo, quod Chriſtus ipſe *Matth.* XI. 27, dixiſſe legitur, *Nemo novit Filium niſi Pater; & nemo Patrem niſi Filius, & cui Filius voluerit revelare.* Nec minus convenit cum ſcopo loci, qui eſt, oſtendere Nicodemo, Regeneratione opus eſſe, ad conſequendum divinæ voluntatis, rerumque cæleſtium, plenam ac perfectam cognitionem. Eam autem Nicodemum aliunde non poſſe accipere, quam à Jeſu Chriſto ſolo, cælitus eum in finem à Deo dato, inſtructo, & miſſo ad eam hominibus annunciandam & revelandam. Cumque hoc ei Chriſtus figurata & allegorica quadam oratione indicaſſet, ille vero, prout erat carnalis adhuc, & non niſi carnaliter dicta Chriſti accipiens, facto ipſo demonſtraret ſe non capere aut intelligere orationem Chriſti, ſive proprium & ſpiritualem ejus ſenſum, ſubjicere voluit Chriſtus hæc verba; *Si terrena dixi vobis*, id eſt, tibi, per ἐνταῦθα numeri, &c. quaſi dixiſſet, Nicodeme, quod dixi tibi hactenus ſub figurata quadam oratione, & breviter, de neceſſitate Regenerationis, id levidenſe & veluti carnale aliquod rudimentum eſt, ejus quod ſcitu tibi neceſſarium eſt, & tamen hoc non intelligis niſi craſſe ac carnaliter: Quid fieret, ſi cæleſtia omnia ſecreta, quæ perfecte à Patre meo audivi & edoctus ſum, non aliter quam ſi in cælum ipſum aſcendiſſem, & coram eo audiviſſem ac vidiſſem, atque ex cælo iterum deſcendiſſem, ad ea vobis revelandum, quæque indies adhuc à Patre accipio, non aliter quam ſi in ipſo cælo, cum eo & coram eo familiariſſime converſarer; ſi, inquam, ea panderem tibi, quam difficulter iſta caperes & crederes? Hunc ſenſum præfero priori, & aliis omnibus, ſalvo ſuo cuique judicio. Ut ut enim locum hunc interpretemur, pro cauſſa tamen horum hominum propterea nulla probatio inde peti poterit. Ad ſummum enim ex eo concludetur, Chriſti carnem ex cælo eſſe. at qua trochlea inde educetur, carnem Chriſti ex eſſentia verbi æterna eſſe? Et poſito omnino, quod Chriſti caro ex cælo deſcendiſſe dicatur, non tamen,

tamen, *ex cælo*, propterea significabit, eam ex cæleſti materia eſſe, quia corpus Chriſti non niſi poſt reſurrectionem cæleſte factum eſſe dicitur, id eſt, ex materia cæleſti materiæ ſimili, ſive (ut quidam volunt) ex cæleſti materia compoſitum: 1 *ad Corinth.* XV. 47. Ut autem id quod jam cæleſte erat, cæleſte tum demum factum dicatur, abſurdum & impoſſibile eſt.

*Reſp. ad locum Joan. I. 14.*

Palmarius locus, & quem ſemper in ore habent, eſt *Joan.* I. 14. *Verbum caro factum eſt.* Factum autem eſt, non ſignificat aliud quid quam mutatum eſt in carnem, inquiunt. Quid enim aliud eſt *fieri?* Quod fit, id tranſit aut mutatur in id, quod non erat antequam fieret. Reſp. In textu Græco eſt, ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο. Verbum ἐγένετο, in quo tota vis argumenti eſt, etſi hactenus ab omnibus fere priſcis & novis Doctoribus tranſlatum fuit, per *Factum eſt*, tamen certum mihi videtur eſſe, cauſſam nullam gravem ſatis dari poſſe, cur ſic transferri debeat. Nihil vetat iſtud transferre, per *Fuit*. Sane ſic tranſtulit Syrus interpres. Sic enim habent ejus verba, והלתא בשרא הוא *Et verbum caro fuit.* Et loca ſunt in quibus negari non poteſt, quin τὸ ἐγένετο per *Fuit* transferri debeat: ut *Luc.* I. 6. ἐγένετο τὸ ῥῆμα Ἡρῴδου, &c. *ingreſſus eſt ædem Zacharias.* ubi ἐγένετο non poteſt ſignificare factus eſt, ſed fuit; quia jam multo ante dies Herodis factus fuerat Sacerdos Zacharias. Vide etiam *Luc.* XXIV. 19. & XII. 2. 4. & in hoc ipſo capite primo Joannis, *verſ.* 6. ἐγένετο ἄνθρωπος ἀπεσταλμένος παρὰ Θεοῦ. ubi verbum ἐγένετο, non exponere per *Fuit*, ſed per *factus eſt miſſus*, ut connectatur cum participio ἀπεσταλμένος, eodem modo quo apud nos Belgas dicere ſolemus, *Hy is geſonden geworden*, nimis mihi videtur coactum, & à Græca loquendi ratione alienum. Hoc ſenſu, ſi verbum ἐγένετο transferatur in hoc textu allegato, tum nulla eſt vis rationis adverſarii. Eſto, inquies; at nec ſolide probari poteſt ex textu, verbum ἐγένετο, per *fuit* exponendum eſſe, ac proinde ſatius eſſe, ut verbum iſtud in uſitatiſſima ſua ſignificatione hic etiam accipiatur. Reſp. Sunt qui exiſtimant, rationes eſſe in textu, quæ evincunt verbum ἐγένετο, per *Fuit*, & non per *factum eſt*, explicandum aut transferendum eſſe. Sed ut eas apodicticas eſſe credam, nondum adducor; ſicuti nec adducor ut credam, apodicticè probari poſſe, aut probatum unquam eſſe, verbum hoc per, *Factum eſt*, transferendum neceſſario eſſe. Sufficit mihi, ad infringendum vim argumenti quod ex eo loco petitur, quod verbum iſtud utroque modo ac ſenſu transferri poſſit. Deinde dico; Poſito, quod τὸ ἐγένετο transferatur, adeoque neceſſario transferendum eſſe urgeatur, non per *Fuit*, ſed per *factum eſt*, nulla tamen vis inde argumento accedet. Fieri enim aut factum eſſe aliquid, multis modis dicitur; non uno tantum. Ad omnia decem, prædicamenta referri poteſt τὸ Fieri & factum eſſe. Ad ſubſtantiam, Ex nihilo fit aliquid, ex materia & forma compoſitum, ex patribus eſſentialibus & integralibus totum, &c. Ad quantitatem, Ex parvo magnus, ex puero adoleſcens, adoleſcens fit juvenis, juvenis vir, vir ſenex. Ad qualitatem, Ex albo niger, ex indocto doctus, ex avaro prodigus, &c. Ad relationem, Ex cive Senator, ex Senatore Conſul, ex homine pater, ex cælibe maritus. Ad actionem, Ex ſtante fit ſedens, ex verberante vapulans, & ſimilia. Atqui vox πολύσημος non poteſt ſervire ad probandum unam tantum ſignificationem. Quis enim ſic colligat, Verbum caro factum eſt; ergo iſto uno & non alio modo factum eſt, quia factum eſt, cum factum eſſe ſit πολύσημον? Ut recte concludatur, ſic colligendum eſt; Factum eſſe, non poteſt hîc ſignificare aliud, quam tranſſubſtantiatum eſt; Ergo. At vero, tum alia ratio, ut antecedens iſtud adſtruatur, adhibenda eſt. Ex vi enim verbi *Factum eſt*, ſi id adſtruatur, manifeſta eſt petitio principii, ut loquuntur.

At vero, inquiunt, idem hîc ſignificat, τὸ *Factum eſſe*, quod *Geneſ.* XIX. 26 ſignificat; ubi dicitur, uxorem Lothi reſpexiſſe retro eum, & *factam eſſe ſtatuam ſalis*; & quod *Joan.* II. 9. ſignificat, ubi architriclinus dicitur guſtaſſe τὸ ὕδωρ οἶνον γεγενημένον, id eſt, *aquam factam vinum.* Ego vero quæro cur? quandoquam, ut hoc addam, in textu primo *Geneſ.* XIX. 26. in Hebræo non eſt, & facta eſt ſtatua ſalis, ſed tantum ותהי *Et fuit ſtatua ſalis.* LXX tamen recte iſtud tranſtulerunt, καὶ ἐγένετο στήλη ἁλὸς, *& facta eſt ſtatua ſalis.* Cur, inquam, eodem ſignificatu τὸ *Factum eſt*, hoc in loco accipi debet? ac non potius in eodem ſignificatu quo uſurpatum legitur *Geneſ.* II. 7. ubi eodem prorſus modo Hebræus textus de Adamo ait, ויהי האדם לנפש חיה, *Et fuit Adam in animam viventem*; quod LXX reddiderunt, καὶ ἐγένετο ὁ ἄνθρωπος εἰς ψυχὴν ζῶσαν; quos ſequutus Apoſtolus 1 *ad Corinth.* XV. 45 ait, οὕτω καὶ γέγραπται, ἐγένετο ὁ πρῶτος ἄνθρωπος Ἀδὰμ εἰς ψυχὴν ζῶσαν. Hîc enim, *factus eſt*, non poteſt ſignificare, mutatus aut tranſſubſtantiatus eſt Adam in animam viventem, quia in eodem *verſ.* 7 dicitur, Deum *inſpiraſſe in faciem Adami ſpiraculum vitæ*, & (ſic videlicet dicit textus,) fuit ſive *factus eſt homo in animam viventem.* Inſpiratio autem animæ in corpus non eſt tranſſubſtantiatio in animam. Deinde, Si eodem prorſus ſenſu verbum velint factum carnem, quo uxor Lothi ſtatua ſalis, vel aqua in Cana Galilææ vinum facta fuiſſe dicitur, tum neceſſe eſt ut alterutrum dicant; vel ut concedant Verbum æternum ſive Filium Dei non manſiſſe id quod erat antea, ſed deſiiſſe eſſe id quod erat, & plane in aliam ſubſtantiam fuiſſe mutatum, quod tamen nullo modo volunt admittere; vel ſi velint, quando uxor Lothi dicitur facta ſtatua ſalis, & aqua facta vinum, tranſſubſtantiationem nullam factam fuiſſe, quia corpus uxoris Lothi ſubſtantiâ idem corpus manſit, quando factum fuiſſe dicitur in ſtatuam ſalis, id eſt, obriguiſſe non aliter quam ſi ſtatua facta fuiſſet, & ſalis quidem, id eſt, Hebræo idiotiſmo, firma, ſtabilis, duratura in exemplum incredulitatis. quo ſenſu recte annotat Vatablus, *Num.* XVIII. 19, Fœdus Dei, *fœdus ſalis coram Domino*, Iſraeli ac filiis ejus à Moſe vocatum fuiſſe. Et aqua, quando facta fuit vinum, ſubſtantia aquæ nihilominus manſit; ſi, inquam, id velint, tum neceſſe eſt ut dicant, τὸ *factum eſſe*, quando Verbum caro factum fuiſſe dicitur, ſignificare, vel mutationem talem, qua Verbum vivum mutatum eſt in carnem mortuam, uti uxoris Lothi corpus vivum mutatum fuit in mortuam ſtatuam ſalis, ſive in mortuum corpus inſtar ſtatuæ ſalis, id eſt, ſtatuæ ex ſale metallico & effoſſitio factæ, qui nullo imbre liqueſcit. At ſic Verbum, quando caro factum fuit, mortuum fuiſſet, quod abſurdum eſt: Vel talem mutationem, quæ alteratio tantum ſive qualitatum mutatio dicitur, qualis in aqua, quando vinum fit, concedi poſſe videtur. At ſic 1. vox *Caro* non ſignificabit ſubſtantiam carneam, ſed qualitatem tantum, qualitati iſti, quæ carneæ ſubſtantiæ ineſſe ſolet, ſimilem, & ſubſtantiæ ipſius Verbi æterni immediate inhærentem, uti qualitas vini ſive vinea inhæſiſſe dicitur ſubſtantiæ aquæ, quando aqua vinum facta fuit. Nullam ergo carneam ſubſtantiam habuit Verbum: aut ſi habuit, unde habuit? aut quando, aut quomodo ſubſtantia carnea factum fuit? Dices: Caro tamen non raro in Scripturis ſignificat non ſubſtantiam, ſed qualitatem tantum, puta fragilitatem, infirmitatem, &c. *Eſa.* XXXI. 3. *Jerem.* XVII. 5. *Pſal.* LXXVIII. 39. Reſp. Fateor, ſed tum præſupponitur ſemper ſubſtantia carnea, quæ qualitatis iſtius capax eſt; uti cum dicitur *Eſa.* XXXI. 3. *Ægyptii homines ſunt & non Deus: & equi eorum caro ſunt & non ſpiritus.* Senſus enim eſt, Ægyptii, quia homines ſunt carne & ſanguine præditi, infirmiores ſunt quam ut vos ex manu Dei liberare poſſint, & equi eorum, quia caro, id eſt infirma carne ſunt præditi, & non ſunt ſpiritus, non ſufficient vobis adjuvandis aut ab hoſtibus liberandis. 2. Dico, Sic eſſentiales Verbi proprietates ab eſſentia Verbi ſeparatæ fuerint, ſalva manente eſſentia Verbi: quod contra axioma iſtud eſt, Proprietates eſſentiales ab eſſentia ſeparari non poſſe, ſalva eſſentia; & proprietates carnis, à carne ſeparatæ, tranſierint ad ſubſtantiam Verbi; quod non minus abſurdum eſt. imo verbo dicam, Sic Chriſti incarnatio, mera erit Papiſtica tranſſubſtantiatio, qua eſſentia Verbi ſub accidentibus ſive proprietatibus carnis latuerit, non aliter quam corpus Chriſti ſub ſpeciebus, id eſt, qualitatibus panis & vini eſſe à Pontificiis aſſeritur poſt conſecrationem: quod tamen nullo modo admittere volunt, ii quibuſcum nobis jam res eſt. Denique 3. dico. Si Verbum iſto ſenſu caro factum dicatur, tum nullo modo verum eſt, Chriſtum ex muliere factum fuiſſe, factum fuiſſe ex ſemine Davidis ſecundum carnem, & fructum fuiſſe ventris matris ſuæ, &c. quia nec ſecundum ſubſtantiam ſuam, nec ſecundum accidentia aut qualitates natus dici poterit ex muliere, aut ex ſemine Davidis, nedum nutritus & lactatus ſanguine ac lacte matris ſuæ. Hæc certè talia ſunt, ut omnino certiſſimum videri debeat, quando Verbum caro factum fuiſſe dicitur, per carnem intelligi veram carneam ſubſtantiam, & naturam perfectam humanam, capacem qualitatum illarum, quæ carni propriæ ſunt, id eſt, infirmitatum & defectuum omnium, quibus homines carne præditi obnoxii ſunt. Eæ vero meo judicio, in Chriſto maxime adparuerunt tum, cum traditus fuit in poteſtatem hoſtium ſuorum, & formam ſervi ſuſtinuit. Illi enim dies, dicuntur fuiſſe *dies carnis ejus*, *ad Heb.* V. 7. in quibus obtuliſſe dicitur deprecationes & ſupplicationes cum clamore valido & lachrymis: & iidem illi dies vocantur *Luc.* XXIII. 53 *hora illa hoſtium ejus, & poteſtas tenebrarum*, quia videlicet cum antea, quamquam homo per omnia quoad naturam humanam & fragilitates naturales nobis ſimilis, in forma Dei, id eſt non aliter quam Deus cum imperio, poteſtate & autoritate divina omnia loquebatur & faciebat, ita ut morbis, ventis, mari, diabolis, vivis ac mortuis dominaretur, neque ab ullo hoſte quidquam ſibi metuere opus haberet; tum demum veluti infirmus Samſon, ac in ſervi forma, ſimiliſque

que hominibus, id est, infirmis & vilibus quibusque hominibus similis factus fuit, & consputus, irrisus, flagellatus, captus & furcifer factus, atque ignominiosissime in crucem actus fuit. quæ omnia nullo modo evenire ei potuissent, nisi veram substantiam carnis & naturam vere humanam habuisset.

*Resp. ad loca in quibus dicitur Christum ex Patribus & ex semine Davidis esse secundum carnem.*

Esto, inquies. At phrases istas, Christum *ex Patribus & ex semine Davidis esse secundum carnem*, proprie ac præcise de carnali ex ipsis proseminatione non esse intelligendas, sola Christi genealogia manifeste arguit. Ea enim tum apud Matthæum, tum apud Lucam, non à Maria sed à Joseph deducitur, ex quo tamen certum est, Christum non esse proseminatum. Resp. Sunt qui ad argumenti hujus solutionem asserunt, genealogiam Christi, quæ *Lucæ cap.* III. fit, diversam esse à genealogia, quam Matthæus recenset. Illa enim describi genealogiam Mariæ; hac vero Joseph etiam. Horum sententia si vera est, tum argumentum ex genealogia desumtum plane corruit. Sed vero nos necesse non putamus ad hanc anchoram confugere, nec sententiam istam approbare, cum certum sit, apud Hebræos genealogias non deduci à matribus, sed à viris & maribus sive patribus: & genealogiam matrum sive mulierum desponsatarum, in computum non venire, eo quod desponsatæ & conjugatæ mulieres transierunt in familiam sponsorum ac maritorum, ac proinde id omne, quod ipsis accedit, sive in bonis, sive in prole, cedere ac pertinere ad familiam sponsorum ac maritorum suorum. Genealogia ergo sponsorum & maritorum, est genealogia desponsatarum & conjugatarum. Unde consequitur, fructum ventris, sive prolem, quæ beneficio divino absque ullo peccato desponsatæ, licet virgini adhuc, accedit, ad istud genus & istam familiam pertinere, ex qua sponsus est; sic tamen, ut verus propterea non desinat esse fructus ventris desponsatæ; prout prolixius hoc pertractavimus, cum de Messia agebamus. Sive ergo velimus, genealogiam Christi utrobique apud Matthæum & Lucam, genealogiam Joseph tantum continere, sive nolimus, id perinde nobis est. Certum enim semper manet, Christum carnem & sanguinem suum ex Maria habuisse, &, quia Maria Joseph desponsata erat, fructum ventris ejus, sponsi fructum fuisse, & ad genus ac familiam sponsi pertinuisse.

Dices fortasse, Cur non eadem hîc ratio sit, quæ *Deuter.* XXV legitur: ubi filius quem defuncti frater ex vidua ejus susceperat, non fratris vivi, qui eum suscitaverat, sed mortui fratris filius vocari jubetur, cum tamen ex eo carnem & sanguinem suum non haberet; ut sic etiam Christus Mariæ filius dicatur fuisse, quia Maria Joseph desponsata erat, quamquam carnem & sanguinem suum ex Maria non haberet. Resp. Diversa longe hîc ratio est, quia alia viri, alia mulieris ratio est. Filius iste qui fratris defuncti filius vocari jubebatur, nihilominus filius vere erat viduæ istius, quæ defuncti fratri nupserat, & ex eo eum susceperat. Similiter ergo filius Mariæ, vere filius Mariæ erat, etiamsi ea per desponsationem transierat in stirpem & familiam Joseph, & sic filius ille, Joseph filius esset, etiamsi non magis ab eo proseminatus esset, quam filius ab defuncto fratre. Josephus ergo conferendus hîc foret defuncto fratri, non vero Mariæ. Filius enim nunquam censetur aut æstimatur fictione juris, sive ex legis præscripto, filius matris suæ. Est enim natura & vere filius matris suæ, ut æstimatione nulla prorsus opus sit. In viro alia ratio est. Is mortuus, fictione juris, sive ex Legis præscripto, pater vocari potest, & vocari jubetur, filii istius, quem ex fratre suo vivo ejus vidua susceperat. At matrem viventem, fictione juris censeri aut æstimari matrem filii sui, quem concepit ac peperit, inauditum plane & ἄλογον est.

*Resp. ad id quod legitur in Scriptura, Filium Dei mortuum esse.*

Præter hæc urgere admodum solent, quod toties in Scriptura legatur, *Filium Dei mortuum* esse. Quomodo, inquiunt, Filius Dei mortuus fuisse dici potest, si non mortua fuit nisi caro quam ex Maria Christus susceperat? Resp. 1. Et *caro* Christi *pro nobis in mortem data* fuisse dicitur, *Joan.* VI. 51. & nos *in corpore carnis Jesu Christi per mortem reconciliati* fuisse dicimur, *Coloss.* I. 22. sic ut *recens & viva via dedicata* nobis fuerit *per velum, id est per carnem* (Jesu Christi:) *ad Heb.* X. 20. Petrus Christum dicit θανατωθέντα σαρκὶ 1 *Epist.* III. 18. 2. Nil vetat Filium Dei dici mortuum fuisse pro nobis, quia Christus, quà homo ex Spiritu S. conceptus, etiam Filius Dei fuit, uti *Lucæ* I. 35. videre est, & quà homo mori tantum poterat. Mors enim non est partium omnium destructio sive annihilatio, sed totius tantum compositi in partes dissolutio. Compositum autem dissolubile non potest aliud quid esse, quam homo ex corpore & anima constans, quæ dissolubiles hominis partes sunt. At sic non erit mortuus Filius Dei æternus, sed filius hominis, manente Filio Dei vivo. Resp. Imo vero sic mortuus erit Filius Dei; quia vere dissoluta erit unio corporis & animæ Filii Dei; imo personalis cum toto composito humano unio. Attamen persona Filii Dei æterna, sic manserit viva, inquies. Resp. Unio tamen animæ & corporis non manserit, neque unio personæ Filii cum composito humano. Hoc vero ad id sufficit, ut Filius Dei mortuus fuisse dicatur, Mori enim non est in totum interire, sic ut nihil remaneat ejus, quod moritur: sed mori, est totum interire ut totum. Certum enim est animam sive spiritum manere, eumque vivum, & Christum morientem in manus patris sui commendasse spiritum suum, *Luc.* XXIII. 46. uti & Stephanum, *Act.* VII. 59. Sed vero videntur hi homines non aliam agnoscere mortem, quam eam, quæ est totalis vitæ, non respectu compositi tantum totius, sed & respectu partium omnium, annihilatio; sic ut, quando Filius Dei mortuus esse dicitur, ipsum verbum æternum, & per se immortale, mortuum, id est, vita omni privatum fuerit; & quando homo moritur, tum anima ipsa hominis non minus moriatur, id est, vita omni privetur, quam corpus ipsum aut totus homo, sive, ut verbo dicam, non modo hominem totum, sed & totum hominis mori volunt; quod ut à me hîc refutetur, operæ pretium non est, quia refutatum id à nobis supra satis est, cum de anima hominis agebamus.

Sed vero, ne videar hominibus his impingere quod non credunt, quæram tantum hoc unum ex illis, ut, quod id ipsum credant, fateri cogantur. Si Filius Dei, id est, Verbi divini essentia, ex viva mortua, id est, vita omni destituta facta est, an tum necesse non sit ut fateantur, essentiam illam Verbi æterni, non esse eandem cum essentia Patris, quia alioquin & illa mortua fuisset, & sic mundus sine Deo aut divina viva essentia fuerit, adeoque æternum manserit; nam mortua essentia divina, à nulla alia, nedum à se ipsa mortua, in vitam reproduci poterat. aut si vivam hanc fuisse volunt, annon fateri cogantur, & hanc verbi essentiam non mortuam fuisse, sed vivam mansisse? Hoc posito quæro deinde, An verbum istud divinum, fuerit anima & forma carnis Jesu Christi, an præter illud etiam anima tanquam forma carnis humanæ Jesu Christi fuerit? Si prius dicant, tum quæro, quid ergo anima Christi fuit, quæ Christo passim tribuitur in S. Scriptura? Si posterius dicant, an duæ vivæ formæ fuerint, quæ informaverunt eandem Christi carnem? &, quod caput rei est, an essentia Verbi moriente, anima viva ac superstes manserit, an vero etiam mortua fuerit? Si viva mansit, quomodo tum Filius Dei mortuus fuerit, id est, ex vivo mortuus factus? Tum quæ verisimilitudo dari possit, Verbum æternum mortuum fuisse & non fuisse mortuam animam? Si mortua etiam fuit anima, ergo non immerito illis tribuimus, quod mori ipsis sit, non tantum totum hominem mori, sed & totum hominis, id est, omne id quod vita præditum est, vita privari; & sic moriente Filio Dei, Verbum ipsum æternum, & animam Christi simul, vita omni privata fuisse.

*Resp. ad objectionem, Si Christus carnem suam ex Maria accepit, carnem peccatricem habuit.*

Denique hanc rationem tanquam palmariam solent objicere, Si Christus carnem & sanguinem suum ex Maria habuit, peccatricem carnem habuit; & sic, nascendo, reatum mortis sibi contraxit uti cæteri homines, qui ex peccatoribus nascuntur, atque ita morte sua redimere nos non potuit. Resp. Nulla est consequentia: Peccatum enim non est vitium carnis, sed spiritus: Et caro, quà substantia carnea est, nec active, nec passive peccati capax est. Nec active, quia caro qua caro velle non potest: ergo nec male velle. Nec passive, quia peccatum spiritualis qualitas est, quæ carni inhærere non potest; aut si inhærere velimus, per modum peccati inhærere non potest, quia alioquin peccatum inhæreret carni, absque voluntate, imo absque potentia peccandi. Caro enim sive corpus hominis, non modo non potest velle peccare, sed ne quidem movere aut agitare se, aut quicquam in se aut extra se operari potest. Tantummodo merum instrumentum animæ est, quod non nisi motum ab anima movetur. Quis autem instrumentum merum, sive quod non nisi ab alio movetur, dicat capax esse vitii istius, quod in movente est? exempli gr. cultrum peccati homicidii, quia homicidæ ipstrumentum fuit; venenum peccati veneficii, quia eo venefica usa est? Dices: Attamen peccata appellantur *opera carnis*, passim in Scriptura. Resp. Peccata vocantur *opera carnis*, non quia à carne, sed quia in carne sive per carnem peraguntur à spiritu hominis. Atqui, inquies, & *caro* ipsa dicitur *concupiscere adversus Spiritum*, *Gal.* V. 17. Resp. Caro, quà substantia carnea proprie est, non dicitur concupiscere adversus Spiritum, sed impropriè ac Metonymice, quatenus subjectum sive organon est facultatis sensitivæ, & cupiditatum quæ ex illa facultate proveniunt. Facultas autem sensitiva, non est facultas carnis, sed animæ, quæ per sensoria carni infixa operatur, veluti per organa sua, quæ ex se & per se operationis omnis incapacia

pacia ſunt, uti apparet in dormiente, in apoplectico, & mortui hominis cadavere. Hinc colligo, Subſtantiam carnis non infici à peccato, quatenus peccatum eſt; quia peccatum non eſt niſi ſpiritualis labes, & ne labes quidem, niſi quatenus voluntarium eſt. Quin caro inficiatur ab actione aliqua, quæ peccatum eſt, exempli gratia, ab actione ebrietatis, ſcortationis, adulterii, homicidii, & ab effecto actionis alicujus, etiam qua peccatum eſt, ex. gr. ab ulceribus, ſanie, lepra, elephantiaſi, gonorrhœa, aliiſque fœdis malis, peccati qua talis effectis, dubium nullum eſt. Sed ut caro inficiatur à peccato, quatenus peccatum formaliter eſt, ſic, ut inde ipſa proprie etiam peccatrix caro fiat, id vero impoſſibile eſt.

Dices: Apoſtolus tamen, 1 *ad Corinth.* VI. 18. dicit, *Fugite ſcortationem. Omne peccatum quod fecerit homo, extra corpus eſt; ſed qui ſcortatur, in proprium corpus peccat.* Reſp. Ita eſt. Sed Apoſtolus non dicit, Is qui ſcortatur, ejus corpus peccat; ſed is peccat in corpus ſuum, id eſt, is ſummam injuriam facit corpori ſuo, adeo ut, quamquam cætera omnia peccata etiam in corpore fiant, tamen idcirco extra corpus fieri dici poſſint, quia per ea corpus totum non abalienatur & abdicatur, ita ut plane alterius, ſcorti ſcilicet vel meretricis corpus fiat, prout fit per peccatum ſcortationis; *Qui enim adglutinatur ſcorto, ἓν unum fit corpus cum ſcorto. Erunt enim, qui duo erant, inquit* (Scriptura ſcilicet) *caro una*, ut eſt *verſ.* 16. *In corpus* ergo *ſuum*, vel potius *in proprium corpus ſuum*, (in textu enim eſt τὸ ἴδιον σῶμα) peccare dicitur ſcortator, quia proprium ſuum corpus ſibi retinere non vult, ſed id quaſi totum alienat aut alterius facit, atque ita plane proprietati corporis ſui renunciat: quod in aliis peccatis non fit, quæ idcirco ἐκτὸς τοῦ σώματος fieri dicuntur, quia per ea non fit iſta injuria corpori, ut non maneat amplius corpus ἴδιον, ſive proprium ejus qui iſta peccata peccat, ſed plane alterius fiat, & cujus non debebat fieri. Manet enim ſemper peccatoris cujuſlibet corpus, proprium ſuum corpus, præterquam in ſolo ſcortatore, aut in peccato πορνείας. Concludo ergo, Conſequentiam non procedere, Si Chriſtus carnem & ſanguinem ſuum ex Maria habuit, ergo caro Chriſti fuit peccatrix caro: & addo, Si conſequentiam illam velint procedere, tum neceſſe eſſe nihilominus, ut ipſi fateantur, carnem Chriſti, peccatricem carnem factam fuiſſe, dato etiam, at non conceſſo, Chriſtum carnem & ſanguinem ſuum naſcendo ex Maria non habuiſſe. Ratio eſt, Quia certum eſt, carnem iſtam Chriſti, undecunque tandem prodierit, lacte Mariæ altam & nutritam fuiſſe: *Luc* XI. 27. Lac autem puriſſimus ſanguis matris eſt. Sanguine ergo peccato infecto, ſanguis Chriſti peccator ſanguis factus ut fuiſſe dicatur neceſſe eſt; & quia ex ſanguine caro fit, caro etiam peccatrix facta fuerit. Sed hæc de materia hac ſufficiant.

## CAPUT X.

### Quid de Jeſu Chriſto homine ad ſalutem creditu ſit neceſſarium. Et, an neceſſarium ſit credere ipſum carnem ſuam ex Maria habuiſſe.

*Quatuor de Chriſto homine neceſſario credenda. Primum.*

REſtat ut pro more noſtro expendamus, Quid hac de re ſit neceſſarium creditu ad ſalutem? & ſpecialiter, An neceſſarium creditu ad ſalutem ſit, Jeſum Chriſtum carnem & ſanguinem ſuum ex Mariæ carne & ſanguine habuiſſe?

Quod ad primum attinet, quatuor ſunt, meo judicio, quæ apud omnes Chriſtianos pro indubiis & ad ſalutem creditu neceſſariis ubique & ſemper habita ſunt.

1. eſt: Jeſum Chriſtum verum fuiſſe hominem, nobis per omnia ſimilem, excepto peccato. Ratio eſt: Quia non tantum Paulus, 1 *Timoth.* II. 3. aſſerit, *unum eſſe Deum, unum Mediatorem Dei & hominum, hominem Jeſum Chriſtum*: ſed & ſcriptor ad Hebræos diſerte addit, *cap.* II. 17. Chriſtum *debuiſſe fratribus ſuis per omnia ſimilem fieri*, & quidem idcirco, *ut miſericors & fidelis Pontifex eſſet in iis, quæ apud Deum agenda erant, ad expiandum peccata populi*, &c. & uti *cap.* IV. 16. dicit, *ut accedamus ad thronum gratiæ ejus cum fiducia, ad conſequendum miſericordiam, & ad gratiam inveniendum ad oportunum* (ejus) *auxilium*. Cui adde, quod alioquin nec Chriſtus cum ſua obedientia, ſpe ac fiducia, cæteriſque virtutibus quas Patri ſuo præſtitit, pro exemplo nobis ad eum imitandum ſervire poſſet; nec iis, quæ ipſi tum in vita tum poſt mortem evenerunt, ſpes noſtra fulciri: ut exempli gr. Si ille obediens Patri carus fuit, ergo & nos: Si ille reſurrexit, & nos reſurgemus, &c. quæ tamen paſſim in Scriptura eum in finem nobis proponi certum eſt.

*Secundum.*

2. Jeſum Chriſtum ex Spiritu S. conceptum, & ex Maria natum eſſe. Hoc enim utrumque diſerte aſſeritur in hiſtoria nativitatis ejus, *Matth.* I. & *Luc.* I. & alibi.

*Quid de Joſephitis ſentiendum ſit.*

Quæres: An ergo Joſephitæ, qui Jeſum Chriſtum ex Joſepho & Maria genitum eſſe olim aſſeruerunt hodieque aſſerunt, nulla alia de cauſa, quam quod non videant alioquin, qua ratione Chriſtus fuerit Filius Davidis, ex Chriſtianorum albo expungendi, & à ſalute idcirco excludendi ſunt? Reſp. Nequaquam, ſi opinio iſta eorum, merus error eſſet, & quem Scriptura apertis verbis non redargueret. At vero quia error iſte eorum tanti apud eos fit, ut malint ſine ulla juſta cauſſa aut veroſimili ratione, manifeſtam Scripturam rejicere, & irrefragabilem ejus laciniam detruncare de Scripturæ corpore, quam errorem iſtum ſuum deſerere, vix eſt, ut non tanquam voluntarii Scripturæ S. contemtores habendi ſint. Qui enim tantum ſibi indulget, ut Scripturæ partem, ſive hanc ſive illam, quam opinioni aut errori ſuo manifeſte adverſari videt, rejicere ſine ulla juſta cauſſa audeat, ne videatur errare; qua tandem Scripturæ parte licentiam ſuam frænari aut cohiberi patietur? Nulli errori, nulli peccato obex poni poterit, per ullam Scripturam, ubi iſta licentia graſſari incipiet.

Dices: Recte quidem, ſi licentiam iſtam Joſephitæ ſibi ſumerent pro ſolo libitu & voluntate ſua. Sed vero ratione iſta factum ſuum tuentur, quod alioquin impoſſibile ſit credere & demonſtrare, Jeſum ex ſemine Davidis eſſe ſecundum carnem; quod quia Scriptura non ſemel, ſed paſſim tamen aſſerit, ante omnia etiam firmiter credendum eſſe aſſerunt. Ad hoc reſpondimus ſupra, & diximus, non modo non eſſe impoſſibile demonſtrare, poſito quod Jeſus Joſephi filius non fuit, eum nihilominus ex ſemine Davidis fuiſſe & recte dici poſſe, ſed & facile admodum ut ſupra vidimus. Quod adeo verum eſſe credimus, ut Jeſum etiam ex ſemine Davidis fuiſſe, aut jure dici potuiſſe, demonſtrari poſſe credamus, etiam ſi ſtatuatur Mariam matrem ejus ex filiabus Aaron & non ex familia Davidis fuiſſe; quod tamen ut ſtatuatur, neceſſe non eſt, & forte per ſe omnino falſum eſt. Licentiam ergo hanc eorum merito damnamus. Quod ſi tamen non obſtante iſto errore ſuo, cæteras Scripturas reverenter habeant, & ad illas fidem ac vitam ſuam religioſe componant, ſic, ut præceptis Jeſu Chriſti, tanquam veri atque unici Servatoris ſui, quamquam ex Joſepho, ut credunt, proſeminati, ſerio obediant, ego malim credere, Deum iis tum errorem tum culpam iſtam ex gratia condonaturum, quam eos à nobis idcirco ex albo Chriſtianorum expungendos, & à ſalute excludendos eſſe affirmare; imprimis cum hoc ipſum, quod Chriſtus ex Joſepho etiam genitus ſit, nullo alio fine ſe credere profiteantur, quam ut Jeſum tanto certius pro Meſſia & Chriſto promiſſo recipiant, & ad Legem ejus totos ſe indubitatius componant.

*Tertium.*

3. eſt: Jeſum Chriſtum juxta promiſſionem divinam, patribus Iſraelitici populi factam, ex ſemine Abrahami, ex tribu Juda, & ex domo Davidis ſecundum carnem deſcendiſſe: *Act.* II. 30. & XIII. 32. 33. 34, &c. *ad Rom.* I. 2. 3. *Gal.* III. 16. 19. *ad Heb.* VII. 14. & 2 *ad Timoth.* II. 8.

*Quartum.*

4. Jeſum ex Maria natum, eſſe verum & unicum illum Meſſiam & Servatorem mundi; *Act.* II. 36. & 1 *Joan.* II. 22. *Joann.* XX. 30. *Rom.* X. 9. 10. & 1 *Joan.* V. 1.

Hæc quatuor credo apud Chriſtianos omnes indubia & in confeſſo eſſe, ac ubique & ſemper fuiſſe.

*An neceſſarium ſit creditu Chriſtum hoc aut illo modo præciſè carnem factum eſſe.*

Sed vero quæritur ſecundo, An neceſſarium creditu ad ſalutem ſit, Jeſum Chriſtum hoc aut illo modo præciſe carnem factum eſſe, id eſt, vel in Maria ex ſubſtantia ſive verbi æterna, ſive cæleſti vel increata aliqua; vel ex Mariæ ſubſtantia carnem & ſanguinem ſuum accepiſſe.

Reſp. Tria apud me certa ſunt: 1. utile admodum, & ſpei ac fiduciæ noſtræ fulciendæ per quam idoneum eſſe, credere, Chriſtum carnem & ſanguinem ſuum ex Mariæ ſubſtantia habuiſſe: contra vero credere, aut hoc negare, periculoſum & noxium eſſe.

*Non eſſe neceſſarium probatur aliquot rationibus.*

2. Eos, qui contendunt, non damnoſam tantum, ſed & anathemate damnandam eſſe ſententiam eorum, qui credunt Jeſum Chriſtum ex ſubſtantia Mariæ carnem ſuam habuiſſe, non modo graviter errare, ſed & intolerabiles eſſe, utpote vere ſchiſmaticos.

3. Præcisè tamen ad ſalutem neceſſarium eſſe, ut credatur Jeſum Chriſtum ex ſubſtantia carnis & ſanguinis Mariæ, carnem & ſanguinem ſuum vel aſſumſiſſe, vel habuiſſe,

non adducor ut credam, aut firmiter adseverem. Rationes hæ sunt.

*Prima. Secunda.* Prima: Nusquam Scriptura id necessario credendum esse asserit. Secunda: Nulla enunciatio in Scriptura extat, cum de fide in Christum agitur, in qua non hoc ipsum, quod Jesus Christus ex Patribus, ex semine Davidis, ex Maria sit, pertineat ad descriptionem subjecti tantum, non vero ad descriptionem objecti sive prædicati, id est, ejus quod credi dicitur, nedum ejus quod necessario credendum esse dicitur.

*Resp. ad objectionem ex 1 Ioan. IV 2. 3.* Dices: Contrarium apparet ex 1 *Joan.* IV. 2. 3. *Ex hoc cognoscite Dei Spiritum; Quicunque Spiritus confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est. Et, Quicunque Spiritus non confitetur Jesum Christum in carnem venisse, ex Deo non est; sed hic est ille* (spiritus) *Antichristi.*

Resp. Nihil vetat verba ista, ἐληλυθότα ἐν σαρκὶ, sic accipere, ut contineant non descriptionem prædicati, sive objecti quod confitendum est; sed descriptionem subjecti, id est, Jesu Christi, qui non quà confitendus est: ut sensus eorum hic sit: Quicunque Spiritus confitetur Jesum Christum, *qui in carne*, id est, cum carne *venit*. Et rationes non leves esse mihi videntur, cur verba hæc sic potius, quam aliter accipi debeant. 1. Quia sic melius multo servatur proprietas participii ἐληλυθότα, quam si per infinitivum improprie transferatur. Etsi enim negare nolo, participium aliquando pro infinitivo positum reperiri, uti in hac ipsa Epistola, *cap.* III. 17. manifeste positum reperitur; & forte 2 *Joan. Ep. vers.* 7. ubi participium ἐρχόμενον positum videri potest pro venisse: quamquam potius pro participio perfecto, sive Aoristo primo, ἐληλυθότα, positum meo judicio videtur; tamen quando nulla necessitas urget, cur proprie non possit accipi, ratio postulat ut à propria significatione non discedatur. 2. Quia sic verba propriè accepta sensum continent, qui cum stylo Scripturæ variis in locis usurpato examussim convenit. At per infinitivum translata, nullum parallelum in Scriptura locum habent. Hoc extra dubium est. Istud apparet ex locis istis omnibus, ubi sola Jesu Christi ex fide profecta confessio, absque ullo additamento, dicitur esse id, quod ad consequendum æternam gloriam & vitam necessarium ac per se sufficiens est; *Matt.* X. 32. *Luc.* XII. 8. *ad Rom.* X. 9. 10. & 1 *Joan.* IV. 15. 3. Quia alioquin sequeretur, omnem eum qui confitetur Iesum Christum in carnem venisse, id est, incarnatum fuisse, ex Deo esse. Atqui Judæi id confitentur, & Turcæ, & Diaboli aliquando id confessi sunt, & quamplurimi qui tempore Christi vivebant, & tamen Iesum Christum illum esse aperte negabant, id confitebantur tanquam rem indubiam, vulgarem & omnibus notam. Quis vero eos idcirco ex Deo esse dixerit, aut ex Deo esse, ab Apostolo Ioanne affirmatum esse asserat? At si verba hoc pacto accipias, Omnem eum, qui confitetur Iesum Christum, qui cum carne sive in carne venit, ex Deo esse; tum vero sensum habent luculentum & prægnantem, qui nemini nisi vere Christiano & divino homini aptari potest. Confiteri enim Christum, non est fateri aliquid quod ad Christum pertinet verum esse; sed agnoscere Iesum Christum à Deo missum esse, & Religionem istam quam à Deo cælitus attulit, divinam esse, eamque ore & vita profiteri, quod nemo nisi Christianus facit. Dices fortasse verba illa, *Jesum Christum in carnem venisse*, non significare aliud quid, quam Messiam jam venisse, ut exspectare eum diutius opus non sit. Resp. At sic 1. Iesus Christus non significabit hoc in loco proprie, Iesum Nazarenum, ex Maria natum, & sub Pontio Pilato crucifixum ac mortuum, quem Ioannes prædicabat & dicebat Messiam seu Christum illum promissum esse; sed individuum aliquod vagum, sive appellative eum qui vere Iesus ac Christus erat, quicunque aut ubicunque tandem is esset; quod quis credat Ioannem dicere voluisse? 2. Sic sensus orationis Apostoli foret, eum, qui confitetur Iesum Christum venisse in mundum, ex Deo esse, etiamsi nesciat quis & ubi ille Iesus Christus sit; quod absurdum adeo est, ut, si quis Iesum Nazarenum esse illum Christum, aut nesciisset aut negasset, is, non nisi stulte confiteri potuisset, Christum jam tum venisse in mundum. Quam enim aut unde ejus rei certitudinem habere potuisset? Ex quo 3. ratio sequitur, Ioannem tum dixisse, eum ex Deo esse, qui confitetur Iesum Christum in mundum venisse, absque eo ut crederet ac confiteretur, Iesum Nazarenum esse illum Christum, nec ullum alium dari aut dandum unquam esse; quod à stylo Ioannis & veritate ipsa nimis alienum est. Sed ad rem redeo. Adderem 4. cum quibusdam hanc rationem: quod phrasin istam, *venisse in carnem*, exponere per incarnatum esse, durum admodum sit; & durius adhuc, ἐν σαρκὶ exponere, per εἰς σάρκα. Sed vero, quia eodem res redit, sive ἐληλυθότα exponas per participium, sive per infinitivum, id est, sive legas Jesum Christum veniſſe in carnem, sive legas, Jesum Christum, qui venit in carnem, idcirco ista ratione jam non utar, quamquam fateor, propriam aut saltem receptissimam significationem præpositionis ἐν retinere, non tutissimum modo, sed & scopo Apostoli accommodatissimum esse; qui est, docere, Jesum Christum, non obstante eo, quod in carne, id est, cum humili, vili schemate, sine pompa regia & armis ad subjugandos refractarios apparuerit; quin & ab hostibus suis ignominiosa & acerba morte, non Regis sed vilis instar mancipii affectus fuerit, nihilominus esse verum illum ac promissum à Deo Israelis populo Messiam. Caussa enim potissima, cur multi Jesum pro promisso illo Messia habere nollent, hæc erat, quod cum carne venerat: non quidem absque ulla divina potestate miracula faciendi, sed absque ullo regio splendore & vi humana, non aliter quam si nil nisi vulgaris quædam persona sive vilis caro fuisset; cum contra non exspectarent Messiam alium quam augustum imperatorem & mundi debellatorem. Hoc ita esse inde patet, quia, si cum tali Regio splendore & humana vi venisset, nullo prorsus modo offensi fuissent eo, quod in carnem venisset, id est homo factus fuisset. Non enim exspectabant alium Messiam, quam hominem carne ac sanguine constantem, adeoque ex mixtura viri & fœminæ nasciturum; sed eum, imprimis miraculorum multorum gloria clarum, & prophetis omnibus qui ante ipsum fuerant longe excellentiorem, ultro, lubentes, atque ambabus quod dicitur manibus, pro Messia suo recepissent. Quare cum hîc dicitur, ἐληλυθότα ἐν σαρκὶ, optime id exponitur per, *eum qui venit cum carne*; sic ut caro hîc Hebræo idiotismo significet, non substantiam proprie carneam, sed statum in carne humilem, & malis multis mortique etiam ipsi infami ac crudeli obnoxium; quasi scriptum esset, qui venit cum carne, id est, humilis, vilis, contemtus, nullis regiis insignibus aut honoribus illustris, etsi virtute divina, & mirabilium quorundam operum gloria, quin & patientia vitæque innocentia magnis viris & prophetis non inferior. ut sic ista locutio contineat εἶδος sive caussam, propter quam fiebat, ut multi Jesum Christum non confiterentur; & simul caussam, propter quam, aut qua non obstante, imo qua mediante, Deus volebat, ut Jesus pro Christo reciperetur. Concludimus ergo, verba hæc, ἐληλυθότα ἐν σαρκὶ, potius continere descriptionem subjecti quod confitendum est; quam objecti sive rei in subjecto quæ confitenda est. ut sententia eorum plane eadem sit, cum ista quam antea hic ipse Joannes expresserat, *cap.* II. 22. 23. *Quis est mendax, nisi qui negat Jesum esse Christum illum? Hic est Antichristus, qui negat Patrem & Filium. Quisquis negat Patrem, is nec Filium habet: Qui agnoscit Filium, is etiam Patrem habet.* & postea hoc eodem *cap.* IV. 15. *Quisquis confessus fuerit Jesum esse Filium Dei, Deus in eo habitat, & ipse in Deo.* Hæc est secunda nostra ratio.

Tertia est: Nusquam legitur, Confessionem modi hujus, quod Christus carnem & sanguinem suum ex substantia Mariæ carnis ac sanguinis habuerit, vel exactam vel factam unquam fuisse ab iis, qui per Apostolos primum vocabantur ad fidem, vel ad fidem converti baptizabantur. Nullius alterius confessionis vel exactæ vel factæ mentio fit, quam istius, Iesum esse Christum, vel Iesum Christum esse Filium illum Dei, &c. Videantur hunc in finem conciones Petri habitæ Hierosolymis in festo Pentecostes, *Act.* II. in templo, *Act.* V. coram Senatu populi; *ibidem*: Cæsareæ apud Cornelium, *Act.* X. Concio Philippi Euangelistæ ad Æthiopem Eunuchum, *Act.* VIII. Conciones Pauli conversi, in Synagogis Iudæorum habitæ, Antiochiæ, Thessalonicæ, Athenis, & passim alibi: Barnabæ & Apollos, cæterorumque deinde Apostolorum omnium. Summa earum omnium erat, Iesum esse Christum Filium Dei. Ioannes, qui Apostolorum ultimus aut postremus omnium fuit, & Euangelium suum post alios omnes conscripsisse creditur, finem omnium à se aliisque conscriptorum operum Iesu Christi, dicit hunc esse, ut *credamus Jesum esse Christum Filium illum Dei, & ut id credentes, æternam vitam habeamus*: *cap.* XX. 30. Videantur deinde confessiones eorum qui Christo nomen suum dederant: Nathanaelis, *Joan.* I. 50. Marthæ, *Joan.* XI. 27. Petri, *Matth.* XVI. 16. Æthiopis Eunuchi, *Act.* VIII. 37. Cornelii Centurionis, *Act.* X. qui ambo super ista confessione sua baptizati fuisse leguntur; ille à Philippo, hic à Petro. Hæc tertia est ratio. *Tertia.*

Quarta ratio est: Quia sine certa modi hujus specialis notitia aut fide, imo cum errore aut dubitatione de hoc modo, consistere potest fides in Iesum Christum, & observatio mandatorum ejus. Ratio est: Quia credi nihilominus potest Iesum Christum verum fuisse hominem, & à Deo missum, in quem, ut in verum atque unicum prophetam, Sacerdotem, & Regem nostrum, credendum sit, à quo *Quarta.*

uno

uno salus æterna & peccatorum remissio expectanda sit; ex fide illa Christo obedire, Christum adorare, Christo confidere, & ex ejus manu vitam æternam per patientiam boni operis exspectare possumus.

*Ultima.* Denique, Quia scientia modi hujus pertinet ad carnem Jesu Christi, cujus, postquam ex mortuis in vitam suscitatus, & glorioso corpore donatus à Patre, judexque constitutus fuit vivorum ac mortuorum, Apostolus Paulus nullam pene rationem haberi vult; cum ait 2 *ad Corinth.* V. 16. *Nos posthac neminem novimus secundum carnem*, id est, metonymice, nos non æstimamus, non curamus adeoque nullam ejus rei rationem imposterum habemus, an quis ex hoc aut illo populo secundum carnem sit, an circumcisus an incircumcisus, ex nobiliore an ignobiliore tribu populi oriundus sit; adeo ut ne sciré quidem id laboremus, tanquam si in eo aliquid positum esset, ad hoc ut Deo propinquiores esse videamur. Quod si etiam Christum (jam ante scilicet) novimus secundum carnem, id est, si jam ante etiam nos ejus rei rationem aliquam habuimus, quod ex eodem populo simus oriundi, ex quo Christus Messias ipse ortus est, & forte in populo isto ex eadem tribu Juda, aut, quæ ei vicinissima fuit, tribu Benjamin; quasi idcirco Deo & Christo essemus propinquiores, contribules scilicet ipsius; *Nunc tamen non amplius* (sic eum scilicet) *novimus*; id est, nunc ejus rei rationem nullam prorsus habemus, non aliter quam si eum secundum carnem ne quidem nossemus. *Si quis in Christo est, nova creatura est. Vetera præterierunt, ecce nova facta sunt omnia.* q.d. Ad hoc, ut Christiani simus, sufficit ut novi homines simus, & unus cum eo novus homo fiamus. Quæ ad eam rem pertinent scire, & curare, id demum est vere Christum secundum Spiritum scire & æstimare. Cætera quæ ad carnem, sive carnalem Christi statum, pertinent, sine magno fructu sciuntur, & sine periculo ignorantur. Ea vero etiam magni facere, eorumque scientiam solicite quærere, ne operæpretium quidem est. Ex quo colligo, scientiam modi hujus, quo Christus homo aut caro factus est, quia ad carnem pertinet, ad salutem præcise creditu necessariam non esse. In ea vero momenti aliquid magni ponere, & pro ea acriter contendere ac digladiari, tantundem esse, atque Christum nunc adhuc nosse velle secundum carnem, & ad vetera quæ præterierunt redire.

## CAPUT XI.

## De requisitis in opere Redemtionis. Et de Prophetia Christi in genere.

SEqueretur nunc ex ordine, ut ageremus de officiis personæ hujus, Jesu Christi; sed vero, quia officiorum istorum finis adeoque κατάλυσις est ipsum Redemtionis opus, de quo ultimo loco constitueramus agere, idcirco de ipso Redemtionis opere, & simul de officiis ad Redemtionem hanc ordinatis, deinceps acturi sumus.

*In quo proprie consistat opus Redemptionis.* Opus Redemtionis proprissime consistit in liberatione hominis peccatoris ex statu peccati & æternæ mortis, in statum justitiæ & æternæ vitæ. Ad liberationem ex statu peccati, duo requirebantur: Liberatio à reatu admissi peccati; & à dominio peccati ne amplius admitteretur. Ad liberationem à reatu peccati, etsi sufficere potuisset gratiosa peccati remissio, si Deo ita visum fuisset; tamen, quia eam non nisi per sacrificium ἱλασμὸν fieri Deus voluit, Sacerdote & sacerdotali munere opus erat, quo mediante, liberatio impetraretur per sanguinis effusionem, & in continuo vigore conservaretur per intercessionem, sive sanguinis semel effusi adsiduam oblationem quasi & repræsentationem. Ad liberationem à dominio peccati, requirebatur ante omnia divinæ voluntatis, sive justitiæ peccato contrariæ, clara ac perspicua revelatio. Deinde auxiliorum ad peccati dominium excutiendum necessariorum, & per se sufficientium, suppeditatio. Ad hoc propheta & prophetico munere opus erat. Ad liberationem ex statu mortis in statuto vitæ, duo itidem requirebantur; suprema post Deum autoritas sive potestas, & irresistibilis potentia: Et in ea consistit Regium munus, quo Redemtio proprie absolvitur aut perficitur.

*Prophetia Christi duplici modo considerandus est.* Juxta hanc descriptionem, inquies, necessario opus Redemtionis à munere sacerdotali ordiendum erit. Respondeo. Fateor. Natura rei id postulat: Prophetia enim non potest esse primum medium ad redimendum peccatorem, præsuppositio, Deum non velle peccatorem redimi, nisi interveniente sacrificio, aut sanguinis pro peccato fusione.

Et tamen, inquies, Christus prius prophetam egit & propheticum munus obivit, quam sacerdos fuit aut sacerdotale munus obiit. Resp. Propheticum munus Christi duplici modo considerandum venit: Uno modo, prout est munus quod in statu humilitatis in terra Judæa dumtaxat obiit; Altero modo, prout est munus, quod Regii muneris Jesu Christi in cælo exaltati, & in throno Regiæ Majestatis collocati, actus vel effectus est: quatenus videlicet prophetia Jesu Christi significat publicam, & per universum mundum diffusam, legum suarum promulgationem, quæ Regiæ potestatis actus est, sed prophetiæ nomine dignus.

*Primus modus erat præparatorius ad Sacerdotium.* Quod ad primum modum attinet: haud difficulter adducor ut credam, universam illam prophetiam, quam Christus in carne exercuit, per triennium aut ultra, præparatoriam dumtaxat prophetiam fuisse, quam Deus servire ac præire voluit, ut ea mediante, Christus in Sacerdotem & Regem, atque ita in Servatorem & redemtorem mundi totius constitueretur. In Sacerdotem, qui se ipsum in victimam piacularem ultro mactandum offerret; In Regem, qui per mortem & crucem ad gloriam Regiam grassaturus erat. Qua vero, inquies, ratione? Nempe noverat Deus ingenium populi sui, & extremam ejus malitiam ac contumaciam, adeo ut insanabilis prorsus esset; unde futurum facile prævidebat, ut prophetam istum, sic instar prophetæ tantum, absque ullo splendore & schemate regio docentem, licet doctrinæ puritate, vitæ innocentia & miraculis clarum, respueret, & tandem in crucem ageret. Sic prophetia ista Christi, occasio futura erat, qua Christus in Sacerdotem & tandem in Regem promovendus erat. Et sane si prophetiam totam bene pervideas, videbis plane eam ei fini serviisse. Nam per eam, etsi causam justam non habebant, occasionem tamen sumserunt rebelles & perversi populi proceres, ut eum tanquam κάθαρμα & βδέλυγμα è medio sublatum vellent. Nam 1. intelligebant per eam annunciari regnum Dei jam in propinquo esse, cum nulla regni Dei, quale expectabant, signa atque indicia viderent. 2. audiebant regnum istud Dei intra fines Judææ terræ tantum concludi, & ad oves Israelis domus perditas destinari; cum id non exspectarent, nisi quatenus ad subjugandum totum mundum, & populum in plenam libertatem à jugo Romanorum & infidelium omnium adserendum venturum erat. 3. Sentiebant & videbant per prophetiam istam, doctrinæ & vitæ suæ vitia subinde traduci acriter, atque ita authoritatem & respectum sui imminui: Non raro etiam sub parabolis adeo emphatice & graphice se prostitui, ut in iram atque odium prorsus effervescerent, ideoque prophetam & prophetiam ejus nullo modo ferendam esse decernerent. Et augebat iram atque odium eorum, quod, quicquid agerent atque molirentur, nihil tamen calumniæ obnoxium in eo, aut in doctrina, vita & miraculis ejus reperire possent; quodque turba ingens populi eum admirabatur, sectabatur, & honore omni prosequebatur; quicquid ipsi reclamarent, & eum seductorem esse adsererent.

Hisce accedunt hæ rationes: 1 Quod tempore prophetiæ hujus suæ, Christus passim legatur prohibuisse suis, ne se Christum illum esse propalarent: quia & Diabolis ipsis, qui eum Christum illum esse noverant, ut est *Luc.* IV. 41. Cur vero? Quia occasione prophetiæ hujus suæ futurum demum erat, ut ad Sacerdotale & Regium munus à Deo perduceretur, atque ita in Christum & Servatorem constitueretur. 2. Quod sic subinde docuerit discipulos ac populum, ut alieniores ab eo fierent, & ab eo secederent. Nempe vel per allegorias docebat, ut *Joan.* VI videre est; ubi omnes discipuli ejus ab eo discessisse propter eas dicuntur; vel per parabolas, quarum mysteria non apparebant primum audienti. Cur vero? Quia hac occasione ad sacerdotium obeundum præparabatur. Ista enim occasio fuit qua ad mortem raptus postea fuit. 3. Quod paucis admodum prophetia ista sua Christus profuerit, & iis, quibus prosuit, non tam profuerit ad solidam prophetiæ suæ scientiam & fidem; (Neque enim ipsi Apostoli, quamquam intimæ admissionis discipuli, intelligebant quæ de cruce, morte ac resurrectione sua sæpius dixerat ac docuerat) quam ut præpararentur ad prophetiam ejus per universum mundum promulgandum, postquam in Christum & Servatorem post mortem in cælo ad dextram Dei positus esset! Ex his concludimus, Prophetiam Christi quam in carne exercuit, per accidens, & ex hypothesi divinæ præscientiæ, qua prophetam hunc à contumace populo suo, non obstantibus omnibus rationibus ac remediis in contrarium, rejectum & morti traditum iri veluti piacularem victimam, infallibiliter noverat, serviisse ad præparandum hunc prophetam in Sacerdotem, qui pro mundi salute sanguinem suum funderet, & in Regem, qui per mortem ad Regiam potestatem sive ad Regnum Mediatorium proveheretur.

Quæres: An ergo prophetia ista Christi, per se non serviit ad salvandum & servandum populum Israelis à peccatis suis? Resp. Omnino, quatenus certum erat, eum per

mortem ſuam eos qui crediturí erant redemturum à reatu peccati, & per Regiam poteſtatem in gratiam Dei reſtituturum, ipſamque vitam æternam introducturum. Nec dubium mihi eſt, quin pauci iſti, qui in eum tum vere crediderunt, ex vi fecuturæ mortis, & Regiæ poteſtatis, per eum ſervati & ſalvati revera fuerint. An prophetia iſta Chriſti, per ſe ei fini ſerviverit, ut populus Iſraeliticus per eum ex ſervitute Romana in libertatem reſtitueretur, atque ita legibus ſuis tranquille & pacifice uteretur ac viveret, in medio relinquo. Chriſtus *Luc.* XIX. 42. 43. non obſcure videtur indicare id futurum fuiſſe, ſi prophetam iſtum ſuum, id eſt ſe, recepiſſent, & tempus viſitationis ſuæ agnoviſſent. Sed ut ut id eſt, manifeſtum eſt ex Scripturis, Deum prophetam hunc ſic miſiſſe, & prophetiam ejus ſic exerceri voluiſſe, ut ſimul prædiceret, futurum ut ipſe rejiceretur, & per crucem ad Sacerdotium & Regnum Mediatorium proveheretur; quia nempe noverat ingenium præfractum populi ſui, & quæcunque ad eum ſervandum à peccatis prodeſſe poterant, ea omnia fruſtra à ſe adhibitum ac pro nihilo habitum iri; uti ex infinitis locis manifeſtum eſt.

Si dicas, totum hoc non ex divinæ præſcientiæ certitudine, ſed ex abſoluti decreti divini, & ex decreto conſecutæ procurationis efficacitate petendum eſſe; Tum dico, Si id fiat, ex eo neceſſario conſecuturum, totam Chriſti prophetiam non fruſtraneam modo & inutilem eſſe debuiſſe, ſed & ex vi decreti & procurationis iſtius divinæ neceſſariò factum fuiſſe, ut fruſtranea, inutilis, & mera tantum hiſtrionia eſſet; quod dicere mihi religio & horror eſt. Certiſſimum enim mihi eſt, Jeſum Chriſtum verum Prophetam fuiſſe, & ad populum Iſraelis ſerio à Deo miſſum eſſe, ut eum à peccatis ſuis ſervaret; & prophetiam ejus per ſe ad ſalutem populi inſtitutam fuiſſe; neque per decretum ullum divinum antecedens, aut inefficacem aut irritam fuiſſe redditam; ſed per ſolam liberam contumaciam, & inſanabilem rebellionem populi; quod ex tota Euangelica hiſtoria luce meridiana clarius liquere arbitror. Quia vero id futurum prævidebat Deus, idcirco voluiſſe eum, ut prophetia iſta veluti præparando Chriſto ſerviret, ad prophetiam illam, quam adminiſtraturus erat per Apoſtolos & legatos ſuos in Regno ſuo.

## CAPUT XII.

## De perſonæ Chriſti ad Propheticum munus obeundum præparatione: de ejuſdem miſſione, & de teſtimonio ei à Joanne Baptiſta reddito.

*Tria in munere Chriſti prophetico conſideranda.*

AD prophetici hujus muneris, quo Chriſtus in terra Iſraelis functus eſt, perfectam intelligentiam, attendenda imprimis veniunt tria. 1. Perſonæ ad id munus præparatio. 2. Præparatæ perſonæ miſſio 3. Muneris prophetici perſonæ miſſæ impoſita & ab ea adminiſtrata functio.

*Præparatio perſonæ ad id munus obeundum.*

Perſonæ præparatio ad id munus, à primo ſtatim conceptionis & nativitatis momento adeo fuit admirabilis; ut par ei nedum divinior ulla alia eſſe potuerit. Conceptus enim eſt ex Spiritu S. natus ex virgine; ab Angelis & Angelico choro ſalutata; per imperium Cæſaris, ſupremi in mundo Monarchæ, Bethlehemum deducta, ut ibi juxta prophetias naſceretur; à Magis per novum novæ ſtellæ indicium excitatis atque edoctis, pro Rege Iſraelis agnitus, & muneribus pro more Perſarum honoratus; duodecimo ætatis anno tanta ſapientia præditus, ut in Synagoga, Doctorum & Magiſtrorum populi induſtriam exerceret, & ad admirationem omnium fatigaret. Simulatque vero tempus muneri exercendo idoneum, & in populo Dei à Deo ipſo ordinatum, trigeſimus nempe ætatis annus, venerat, ſolemniter muneri ſuo inauguratus, per cæli apertionem, Spiritus S. in corporea ſpecie ſuper illum deſcenſionem & manſionem, vocemque ipſam Patris cælitus ad eum delatam. Quæ omnia certè omnem omnium Prophetarum dignitatem tam longe excedunt, ut eis nihil, non dico par, ſed ſimile, reperiri poſſit.

*Miſſio Chriſti.*

Hujus perſonæ ſic præparatæ & inauguratæ, miſſio facta fuit ad morem excellentiſſimorum prophetarum & legatorum omnium, qui à Regibus aut Principibus mittuntur cum literis fiduciariis, & cum literis inſtructionis, pleniſſimam voluntatem Dei Patris ſui continentibus.

Literæ fiduciariæ fuerunt, Teſtimonium Joannis Baptiſtæ; & magna, multa, ac varia miracula, ſive admiranda opera, quibus nulla ullorum prophetarum opera, imo ne omnia quidem omnium ſimul, conferri poterant.

*Teſtimonium ei à Joanne perhibitum.*

Teſtimonium Joannis tale erat, ut merito fidem atque autoritatem ei apud populum conciliare poſſet; quamquam non tale ut miraculis & ſignis admirandis non poſthabendum eſſet, & poſthaberi à ſe Chriſtus ipſe adſereret. *Joan.* V. 33. 34.

*Cujus pondus apparet, 1. ex modo nativitatis Joannis.*

Teſtimonium hoc Joannis tale fuiſſe, ex hiſce manifeſtum eſt. 1. Joannem hunc Deus naſci voluit non ſine miraculo, ex patre ſcilicet jam ſene, & ex matre per naturam ſterili, per ætatem effæta, ſive ad prolem gignendum inidonea. Et ut illuſtrius eſſet miraculum, ex patre Sacerdote, & מִשְׁמָר ſuæ ephemerias in templo obſervante, per Angelum de futuro filii partu admonito ac certiore facto, & quia hæſitabat de futuritionis certitudine, ad ſpatium pene integri anni muto facto.

*2. Ex tempore nativitatis.*

2. Joannem hunc Deus in naſcendo præire voluit tanto temporis intervallo, quanto poſtea præiturus erat in teſtimonio huic, tanquam multo ſe digniori, dando, quando ſe primum in miniſterio ſuo Iſraeli oſtenſurus erat.

*3. Ex eo quod præverit Chriſto in ſpiritu & virtute Eliæ.*

3. Joannem hunc juxta prophetiam Malachiæ prophetarum ultimi præire voluit *in ſpiritu & virtute Eliæ, ut converteret corda patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum*, atque ita Domino Jeſu populum inſtructum pararet ac traderet. In ſpiritu autem & virtute Eliæ eum præiviſſe Meſſiæ huic, manifeſtum eſt: quia non minore gloriæ divinæ zelo, nec cum minore vitæ auſteritate, ac libertate dicendi, duci ſe oſtendit, quam Elias antea ductus fuerat, plane ut in illo Elias quaſi renatus videretur. Miracula quidem nulla fecit, ſicut Elias antea fecerat, *Joan.* X. *verſ. ult.* ſed id ipſum idcirco non factum videri debet, ut tanto ſupra illum excellentiorem deinde eſſe appareret eum, cui teſtimonium dederat, & cujus calceamentorum corrigias ſolvere ſe indignum eſſe dixerat.

*Zelus gloria divina in Joanne.*

Zelum divinæ gloriæ oſtendit in tribus: 1. quod populum univerſum, ipſoſque populi proceres, & ſacrorum antiſtites, peccatis variis implicitos, ad pœnitentiam & Dei unius cultum atque obſequium revocare ſtuduerit; addito ſpeciali ac ſolemni reſipiſcentiæ ſymbolo, aquæ ſcilicet Baptiſmo, & comminationibus ſeveriſſimis. 2. quod populum totum jam ſibi addictum, & ſumma quæque ſibi tribuentem, non modo non ad ſe attraxerit ut gloriæ ſuæ litaret, ſed à ſe ablegaverit ad eum, ad cui teſtimonium perhibendum natus erat; *Act.* XIX. 4. gaudens atque exultans, quod ſe imminui, illum vero creſcere audiret, *Joan.* III. 29. 30. 31. &c. Quæ res idcirco majoris momenti videri debet, quod jam tantam de ſe concitaverat in animis pene omnium exiſtimationem, ut eum non pro propheta tantum, *Matth.* XIV. 5. & XXI. 26. ſed & pro Meſſia haberent: *Luc.* III. 15. ipſeque adeo Rex Herodes ſibi ab eo metueret, tanquam qui, ſi experiri voluiſſet, haud difficulter ipſum, populo jampridem inviſum, regno exuere & deturbare potuiſſet: uti fatetur ipſe Joſephus, libro Antiquit. Judaicarum XVIII. cap. 7. 3. Quod in teſtimonio perhibendo tam fuerit conſtans, ut ad mortem uſque in eo perſtiterit; quia intereſſe divinæ gloriæ ſciebat, ut hoc teſtimonium ſuum non retractaretur, atque ita ab eo cauſſam ſemper haberent omnes, ut crederent Jeſum hunc vere eſſe iſtum, quem eum eſſe teſtatus fuerat. quod inde confirmatur non leviter, quia ipſe Jeſus teſtimonio iſto Joannis populum ſubinde redarguit, quod cum Joanni tantum tribuiſſent, tamen ei de ſe teſtanti fidem non haberent, ut *Joan.* V. 32. & alibi videre eſt.

*Locus Joan. V. 34.*

Quod contrà objici ſolet ex *Joan.* V. 34. *Ego ab homine teſtimonium non capto*, id ſic accipiendum eſt, ut non ſit abſoluta ſed comparativa oratio; quia ſtatim additur, *Ego teſtimonium majus habeo.* Teſtimonium ergo Joannis pro maximo aut præcipuo ſe habere negaverit Chriſtus. vel ſi abſolutam velimus eſſe orationem, tum ſenſus ejus erit, *ου λαμβάνω*, id eſt *non requiro.* non capto, id eſt non opus habeo captare vel requirere ab homine teſtimonium; Dei Patris mei teſtimonium per ſe & abunde ſufficit, ad fidem divinæ miſſionis mihi conciliandum.

Quod inſuper deinde objici ſolet ex *Matth.* XI. 1, &c. ubi Joannes ex carcere diſcipulos duos miſiſſe dicitur, ut inquireret, an ipſe eſſet ille qui venturus erat, an alius adhuc expectandus eſſet, ad id prolixe in ſuperioribus à nobis reſponſum eſt, cum de Meſſia agebamus contra Judæos.

*Auſteritate vitæ Eliæ non ceſſit.*

Auſteritate vitæ etiam Eliæ non ceſſit: quia, quamquam ex ſacerdotali familia oriundus erat, & in flagrante gratia apud populum, & ſic ad honores & dignitates, in templo & ſenatu capeſſendum, idoneam & luculentam occaſionem habebat; tamen ab ambitione omni ſe alienum & procul eſſe oſtendere voluit, continendo ſe extra turbam, & in deſerto agendo, ubi prenſationi & ambitioni locus non eſt. A faſtu vitæ alieniſſimum ſe oſtendit habitu vili & villoſo, qualis Eliæ fuerat, 2 *Reg.* I. 8. nempe non holoſerica, non

monilibus & auro variata veſtis ei erat, quam mollem veſtem appellat Chriſtus, *Matth.* XI. 7. & eorum propriam, qui in domibus & aulis Regum ſunt; ſed quæ infra vulgarem erat, & quam prophetarum veſtem vocat Propheta *Zacharias*, XIII. 4. zona ſcilicet ſive cingulum, non acu pictum, nec arte elaboratum, ſed ex obvio cuique corio factum, rude atque impolitum, ad ſtringendum arctius lumbos idoneum. Indumentum ſive ἔνδυμα piloſum & hirſutum; non, uti quidam volunt, ex pilis camelorum affabre contextum ſive undulatum, quod nos vocamus *camelotte*. Nihil minus. ſed ut Marcus optime expreſſit, τρίχας καμήλου, id eſt piloſum & hirſutum. A luxu quam longe abeſſet, quotidianus cibus arguebat: μέλι nempe ἄγριον ſive ἐξοσμίαι, quod noſtrum Manna eſt; & ἀκρίδες, id eſt locuſtæ, quas in Syria eſui fuiſſe olim, hodieque adhuc eſſe, teſtimonia multa evincunt. Panem itaque non edit, ſed locuſtas ſolas cum melle ſilveſtri. Nec vinum nec ſiceram bibit, ſed aqua ſitim levavit. Ideo dicitur *Matth.* XI. 18 *neque ediſſe, neque bibiſſe*, quia ut Lucas id exponit, *cap.* VII. 33. *neque panem edit, neque vinum bibit.* Auſteriore vitæ genere Eliam uſum eſſe quis dixerit? Elias ergo meritiſſimo jure vocari potuit hic Joannes.

*Nec παῤῥησίᾳ.* Sed nec in docendo παῤῥησίᾳ, nec in dicendo libertate minore, quam Elias uſus fuit. Nec enim vulgus & fæcem populi tantum, ſed & ſine ulla perſonarum acceptione, imi, medii, ſummique ſubſellii proceres acriter redarguit peccatorum ſuorum; à turba, militibus, publicanis, *Luc.* III. 10. 11. 12. &c. meretricibus & ſcortis, *Matth.* XXI. 32. ad ipſos uſque Phariſæos & Sadducæos: *Matth.* III. 7. ad Sacerdotes & Levitas, *Joan.* I. 19. doctrinam ſuam porrigens; & tanta ſemper libertate utens, ut, ſicut Elias olim Achabo peſſimo Regi Iſraelis, 1 *Reg.* XVIII. 18. ita hic Herodi, ſceleſtiſſimo Regi non parceret. *Matth.* XIV. 4. 5. eique præter alia ſcelera, infandum etiam incæſtum in os objiceret. quam libertatem etiam, utpote ſummam, carcere ac tandem morte ſua luit, dignus præcurſor ejus, qui morte ſua populi peccata luiturus, & fideles ſuos redemturus erat à morte æterna. Hæc tertia ratio eſt.

*4. Ex eo quod Chriſtus Joanni divino indicio innotuerit.* 4. eſt: Teſtimonium hoc ut à Joanne daretur, voluit Deus ut primum ei innoteſceret Chriſtus, & ut indicio certo ac miraculoſo confirmaretur de eo, quod is, cui teſtimonium perhibiturus erat, vere is ipſe eſſet, quem ei deſignaret; uti *Joan.* I. 31. 32. 33. videre eſt. Nempe intererat, ut Joannes ipſe certior fieret, de eo, de quo teſtaturus erat, ne arundinis inſtar fluctuaret in perhibendo teſtimonio, & certitudine tali quæ exceptione omni major erat, ut conſtaret ſibi in teſtimonio dicendo. Et id ita uſu veniſſe certum eſt. ubi enim indicium iſtud miraculoſum ei factum fuit, ſtatim dixiſſe legitur, *Et ego vidi, & teſtor hunc eſſe Filium illum Dei: Joan.* I. 34. quod pluribus deinde & conſtanter coram populo, *Joan.* III. 28. *Act.* XIX. 4. & coram Levitarum ac Sacerdotum delegatis profeſſus eſt. *Joan.* I. 19. 20. 21. &c. digito deſignans aliquando ipſum Jeſum: *ibid.* & cum hoc elogio, *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi: verſ.* 29. 35.

Hæc omnia arguunt, teſtimonium hoc Joannis, Chriſto jure merito ſervire potuiſſe pro literis fiduciariis, ad divinitatem miſſionis ſuæ confirmandum à Deo datis; quia nihil concipi poteſt, quominus fide dignum & exceptione omni majus videri debeat. Hinc *Joan.* X. 41. dicitur; *Multi veniebant ad* (Jeſum) *& dicebant; Joannes quidem nullum fignum edidit; ſed quæcunque de eo dixit, ea vera erant. Et multi illic crediderunt in eum.* Hactenus de primo teſtimonio.

## CAPUT XIII.

### De miraculis Chriſti. Miracula ſufficere ad fidem veritati & divinæ miſſioni faciendam. Quatuor in veris miraculis conditiones requiſitæ.

*Miracula Chriſti.* ALterum teſtimonium, quod fiduciarias quaſi literas Jeſu Chriſti conſtituebat, ſunt miracula magna, multa, ac varia, quæ nunc τέρατα, nunc σημεῖα, nunc ἔργα, nunc δυνάμεις, nunc δυνάμεις σημείων καὶ τεράτων paſſim vocantur in Novo Teſt. & δυνάμεις μεγάλαι, ποικίλαι, πολλαὶ fuiſſe dicuntur. Hæc enim Chriſtus ipſe teſtimonium Patris ſui vocat; adeo ut qui Jeſum ea operantem videbat, is Patrem ſuum in ipſo operantem videret, atque inde recte colligere ac concludere poſſet, Patrem in ipſo eſſe & ipſum in Patre: ut videre eſt *Joan.* XIV. 10. 11.

*Ea majus erant teſtimonium teſtimonio Joannis.* Et teſtimonium quidem hoc, *majus teſtimonio Joannis* vocat, *cap.* V. 36. idque dupliciter. Primo, in ordine ad Judæos ipſos, quia ii ad fidem alicui qui ſe à Deo ablegatum dicebat adhibendum, ſigna & prodigia requirebant; ut Paulus expreſſe ait 1 *ad Corinth.* I. 22. & Chriſtus ipſe, *Matth.* XVI. 4. adeo ut *Joan.* IV. *verſ.* 48. diceret iis, *Niſi ſigna & miracula videritis, non credetis.* & ſpeciatim, quia Meſſiam non niſi prodigiis ac miraculis clarum exſpectabant; uti videre eſt *Joan.* VII. 31. *Chriſtus cum venerit, num ſigna plura edet iis, quæ ipſe* (Jeſus ſcilicet) *edidit?* Secundo, teſtimonium miraculorum majus erat teſtimonio Joannis, per ſe & natura rei inſpectata. Teſtimonium enim Joannis plane extrinſecum erat Jeſu Chriſto, ita ut ad id nihil ipſe conferret aut ageret. At teſtimonium miraculorum intrinſecum quaſi erat teſtimonium, quo Deum Patrem in ipſo & per ipſum operari manifeſtum fiebat; adeo ut ex eo Chriſtus ipſe colligi vellet, Patrem in ſe & ſe in Patre eſſe, ſe & Patrem unum eſſe, id eſt, tam bene inter ſe & Patrem ſuum convenire, ac ſi una eademque perſona eſſent, in omni eo quod loquebatur ac faciebat.

*Miracula per ſe ſufficere ad fidem faciendum divinæ miſſioni.* Hoc ut paulum elucidemus, operæpretium eſt. Quærere enim aliquis poſſet, An ergo miracula per ſe & natura ſua talia ſint, ut ad fidem veritati & divinæ miſſioni faciendum per ſe ſufficiant? Contra enim facere videtur, quod *Deuter.* XVIII. 21. & XXI. 1. Moſes dicit: & quod Chriſtus ipſe diſcipulos ſuos præmoneat, futurum ut pſeudo-Chriſti & pſeudoprophetæ *edant ſigna magna ac miracula, ita ut ſeducturi ſint ſi poſſibile* (ipſis ſcilicet ſit, id eſt quantum in ipſis erit,) *etiam electos: Matth.* XXIV. 14. & quod Paulus prædicat, *filium peccati, ἄνομον* iſtum quem vocat, *venturum cum efficacitate Satanæ, cum omni potentia & ſignis & prodigiis mendacii, & cum omni fraude injuſtitiæ, in iis qui pereunt: 2 Theſſ.* II. 9. 10.

Ad hoc reſpondeo; Indubium mihi eſſe, vera miracula per ſe ſufficere, ad fidem alicui faciendum, qui ſe à Deo miſſum eſſe dicit, quod revera à Deo miſſus ſit. 1. Quia Chriſtus ipſe per ea fidem ſibi fecit, & propter ea, qua talia, fidem ſibi haberi voluit; uti paſſim videre eſt: *Joan.* X. 37. 38. *Joan.* XIV. 11. & XV. 24. 2. quia miraculis fidem divinæ miſſionis ſuæ adſtruxerunt, Moſes, Joſua, Elias, Elizæus, & quotquot Prophetæ miraculorum gloria claruerunt. Complures enim Prophetas fuiſſe, qui nulla prorſus miracula feciſſe leguntur, indubium eſt, ut Oſea, Amos, Joel, Obadia, Jeremia, Ezechiel, Micha, Nahum, Habacuc, Zephania, Haggæus, Zacharias, Malachias, & tempore Novi Teſtamenti Joannes Baptiſta: *Joan.* X. 41. 3. Si miracula per ſe non ſufficiunt, quid præter ea amplius requiritur? Doctrinæ quam adfert veritas, inquies. Atqui, inquam ego, *Aut* doctrina iſta quam adfert, nova prorſus, & populo iſti ad quem legatus venit, inaudita eſt doctrina. Hæc ut cum miraculis concurrat, ad fidem Legato faciendum quod à Deo miſſus ſit, abſurdum eſt. Si enim nova eſt doctrina, ad quamnam doctrinam veritas ejus expendetur? An ad doctrinam veterem receptam? At ſic nova non erit. An ad veritatem, quæ in qualibet doctrina eſſe debet? Atqui veritas illa miraculis non indiget. 2. Quænam eſt iſta veritas? An veritas natura nota, & quæ apud omnes in confeſſo, indubitata, & immobilis eſt? At ſic nova nulla doctrina dari poteſt. An quæ per ſolam Legiſlatoris voluntatem veritas eſt, & ſola voluntate Legiſlatoris deſinit? At hæc non poteſt eſſe norma doctrinæ novæ, & quam Legiſlator in prioris deſitæ locum vult ſuccedere; non quia prior veritas falſitas eſſe incipit, ſed quia non poteſt diutius durare quam eam Legiſlator durare vult. Novæ ergo doctrinæ confirmatio fieri non poteſt per doctrinæ prioris veritatem, ſed ad eam confirmandum requiruntur miracula vera, & ea per ſe ei fini ſufficiunt. *Aut* eſt doctrina jam pridem in populo recepta, miraculis confirmata, & pro divina agnita. Hæc ut miraculis novis confirmetur, neceſſe non eſt. Attamen quomodo cum miraculis ea concurrere aliquando poſſit ac debeat, poſtea dicetur. *Aut* eſt doctrina recepta quidem, ſed multimodis corrupta & vitiata. Hæc ut cum miraculis concurrat, ad confirmandum, eum qui ad populum doctrinam iſtam profitentem venit, à Deo mitti, per ſe abſurdum eſt. *Aut* eſt doctrina prorſus falſa, & directe repugnans doctrinæ iſti, quæ à Deo approbata & miraculis confirmata eſt, quæque ut talis à populo recepta eſt, cum expreſſa interminatione excidii, ſi quis eam doctrinam deſerat, & falſam eique contrariam amplectatur, etiamſi fieret ut prodigia faceret. Hæc ut concurrat cum miraculis ad fidem legato divino conciliandam abſurdiſſimum eſt.

Dices: Miracula idcirco per ſe non ſufficere, quia fieri poteſt, Deo ipſo non tantum permittente, ſed & prædicente, ut qui falſiſſimam doctrinam adfert, & à vero Deo ad falſorum Deorum cultum abducere populum ſtudet, ſigna & miracula faciat; ut *Deut.* XIII. 1, &c. *Deut.* XVIII. 21.

videre est. Ad hoc respondimus prolixè in principio lectionum nostrarum, cum de propheticis revelationibus agebamus. Nunc ad hoc propositum nostrum breviter dico: Aut volumus miracula ista vera esse miracula, aut falsa. Si vera, tum certissimum esse ea per se non sufficere ad comprobandum eum qui ista facit, à Deo missum esse ad populum istum, in quo doctrina vera & miraculis confirmata jam viget: quia per ea confirmatur doctrina, quæ directè contraria est isti doctrinæ, quam divinam esse populo isti constat; & quæ hoc ipsum, ne istis signis fides habeatur, severe populo interdixit. Hoc verò neutiquam ad rem hanc nostram facere dicimus, qui de miraculis à Domino Jesu factis agimus: quia ea etsi novam doctrinam confirmabant, tamen non confirmabant doctrinam veteri Mosis doctrinæ à Deo profectæ contrariam, sed eam tanquam divinam præsupponebant. Esto, inquies; doctrina ista Christi tamen, erat doctrina per quam Lex Mosis abroganda erat. Quid tum, inquam? aliud est abrogare Legem, tanquam finem & complementum suum jam habentem; aliud eam abrogare tanquam falsam, & contrariam ei legem inducere. Istud fecit Christus, cum honore Legis divinæ; quia honor typi est, rei typo adumbratæ & significatæ præsentia, quæ typi perfectio & complementum est. Per Legem autem Mosis, intelligo doctrinam Mosis totam, quatenus populo Israelitico qua tali lata erat, & præcepta ac promissa populo isti propria ac peculiaria continebat: inter quæ moralia præcepta gentibus omnibus communia, censeri non debent. Hoc non fecit: quod ad hanc rem satis est. Aut volumus miracula illa falsa esse miracula; id est, admiranda quidem signa, sed tamen non proprie quarto modo miracula. Hoc si volumus, tum non recte concluditur, Miracula vera per se non sufficere, ad probandum eum qui vera miracula ista facit à Deo missum esse. Et sane, ut ut signa ac prodigia omnia ista falsa esse aut fuisse aperte ac præfracte asserere nolim, tamen verosimilius est, signa ista ac portenta miracula proprie non fuisse, etsi proxime eis similia fuerint. Multo enim verosimilius est, Deum falsam & suæ Majestati directe contrariam doctrinam non velle miraculis confirmare, quam velle; ne suis miraculis propriis authoritatem ac fidem adimat, vel ea in suspicionem falsi merito vocari posse significet facto suo proprio. Deinde quia Apostolus, 2 *ad Thess.* II. Antichristi sive ἀνόμου istius hominis, prophetarum omnium falsorum principis, παρουσίαν futuram esse dicit secundum efficacitatem Satanæ, οὗ ἐστὶν ἐνέργεια κατ᾽ ἐξουσίαν σημείοις καὶ τέρασι ψεύδους. *Mendacii signa* ea vocat phrasi Hebræa, pro mendacia signa: non signa sive miracula vera, ad mendacium confirmandum futura, sed falsa ac mendacia: quia ea futura dicit κατ᾽ ἐνέργειαν, id est, secundum ultimum posse Diaboli. Ultimum autem posse Diaboli non extenditur ad verum miraculum, quod non nisi divinæ potentiæ opus est: ut est *Psalm.* LXXII. 18. עשה נפלאות לבדו *Benedictus Dominus Deus, Deus Israel, qui facit mirabilia solus ipse.*

*Quatuor ad verum miraculum constituendum requisita conditiones. Prima conditio: ut sit opus creatæ naturæ vires excedens.*

Quæres ergo, Quænam requirantur ad miraculum verum ac proprie dictum constituendum atque à falso discernendum? Resp. Salvo aliorum judicio ego hæc sequentia quatuor requiri arbitror.

Primum ut sit opus supra naturam, sive creatæ naturæ vires excedens; sic, ut vel natura ipsa naturæque vires nullo modo concurrant ad ejus productionem, sed sola tantum supernaturalis vis immediata ejus caussa sit: vel, si concurrant, ut non sufficiant ad id producendum, nisi supernaturali virtute adjutæ, excitatæ, & ad id producendum commotæ. Miraculum ergo non debet videri omne id, quod mirum aut admirabile est. Mirum enim aut admirabile aliquid esse aut videri potest, quod non nisi naturam naturæque vires caussam sui habet, ac proinde uniformiter semper fit, quia videlicet caussa ista vel plane ignoratur, & occulta quædam qualitas est, uti est attractio qua magnes ferrum vel ferrum magnetem ad se trahit; vel si non ignoretur à doctis & peritis, ab iis tamen ignoratur, in quibus admirationem parit, uti eclipsis Solis & Lunæ, æstus maris, aliaque similia, quæ miracula naturæ esse vulgus credit, & ad quæ obstupescit. Nec miraculum videri debet quod præter naturam fit, alioquin monstra miracula essent. Nec denique miraculum statim videri debet quod contra naturam fit; alioquin enim infans, lapidem natura sua gravem in altum jaciens, miraculum facere dicendus esset. Lapidem enim gravem sursum ferri, contra naturam rei gravis est; nisi per, contra naturam fieri, intelligatur fieri aliquid quod plane contrarium est naturæ rei ut fiat, sive ad cujus contrarium producendum natura ipsa comparata est: cujusmodi opera contra naturam, Rabbini quidam volunt fuisse curationem eorum qui in deserto à serpentibus venenatis morsi erant, per intuitum ænei serpentis; cum adspectus æris, venenati morsus efficaciam acuat, & morsum ilico mortiferum reddat: *Numer.* XXI. 8. 9. curationem Regis Ezechiæ peste laborantis, per ficum ulceri pestifero impositam: 2 *Reg.* XX. 7. *Esa.* XXXVIII. 1. dulcorationem aquæ per salem: 2 *Reg.* II. 19. &c. Quæ enim sic fiunt, ea vera miracula esse negari non potest: quamquam an ea sic facta fuerint, ego non adfirmaverim.

*Quatuor genera operum naturæ vires superantium.*

Operum istorum, quæ supra naturæ omnes vires sunt, quatuor mihi cum Medico quodam Romano Paulo Zachia, in quæstionibus ejus Mediolanensibus, genera esse videntur.

Primum genus est operum istorum, quæ nullis mediantibus caussis naturalibus, sive quæ immediata Dei virtute fiunt, & non nisi virtute ista fieri possunt. Cujusmodi opera sunt, mortui in vitam revocatio, cæci à nativitate illuminatio. Istis adjungitur ab aliis, Solis cursus inhibitio, & in medio cælo fixio, Solis retrogradatio aut retrocessio, Solis in plenilunio eclipsis absque nebula, virginis partus, sterilium fœminarum fœcundatio; aliaque similia, quæ an ad hoc genus referri omnia possint incertum mihi est.

Secundum genus est operum istorum, quæ fieri quidem possunt mediantibus caussis naturalibus, sed tamen per eas non fiunt, nisi superior vis accedat; uti sunt, repentina & instantanea morborum inveteratorum, sive curatu difficilium ac pene impossibilium, puta lepræ, magnæ paralyseos, phtisios, apoplexiæ magnæ, &c. curatio.

Tertium genus est operum istorum, quæ mediantibus quidem caussis naturalibus in actu, fiunt, sed iis tamen ad effectum istum producendum non dispositis, solaque superiore virtute ad eum producendum elevatis, & sufficientibus sive idoneis redditis: exempli gratia: Lepræ magnæ curatio per aquas Jordanis, quæ Naamani Syro obtigit: 2 *Reg.* V. morborum pene omnium curatio per aquas piscinæ motas ab Angelo: *Joan.* V. Dulcoratio aquarum amararum, per lignum iis injectum à Mose: *Exod.* XV. per salem insperſum ab Elizæo: 2 *Reg.* II. colocynthidos, per farinæ inditionem: 2 *Reg.* IV. cæci illuminatio, per cæni & salivæ in oculos immissionem: *Joan.* IX. surdi & muti curatio, per digiti in aures insertionem, & salivæ in linguam pauculam adspersionem, vel effusionem: *Mar.* VII. 33. Huc refer miracula omnia à Mose facta mediante virga sua: ab Elia, mediante pallio suo, aliaque.

Quartum genus est operum istorum, quæ fiunt per media naturalia, eaque ad agendum & ad opera ista producendum dispositа quidem, sed non de proximo, ut loquuntur; quia nimirum, etsi dispositа, non tamen productura essent effectum istum, nisi speciali & supernaturali aliquo concursu divinæ motionis excitarentur, & ad operandum impellerentur; cujusmodi sunt exempli gratia puerorum quadraginta duorum Elizæo calvitium suum exprobrantium, dilaceratio per ursos duos ex lustris suis excitatos facta: 2 *Reg.* II. murmurantium in deserto laniatio per serpentes ignitos facta: *Num.* XXV. translatitiorum Samaritanorum ob desertum unius veri Dei cultum vastatio per leones: 2 *Reg.* XVII. & similia. Feras istas naturaliter ad laniandum & lacerandum inclinatas fuisse ac dispositas indubium est: sed quod isto tempore, ista occasione, ad laniandum hos & illos ferrentur ac properarent, miraculosum erat, & non nisi à supernaturali virtute veniebat; quam etiam Scriptura indicat, cum eas à Deo immissas, à Deo excitatas fuisse ait.

Hæc quatuor genera miraculorum proprie dictorum esse arbitror; quia in singulis apparet operatio aliqua vel modus operandi qui supra naturam est: Alterum quidem altero mirabilius videtur: sed in eo conveniunt omnia simul, si videlicet ea una cum modo operandi videas, quod in singulis aliquid sit, quod vel naturam, vel naturæ vires, vel naturæ operationem sive motionem excedit.

*Secunda conditio; ut effectus ejus sit patens, & sensibus percipi possit.*

Secundum quod requiritur ad miraculum verum constituendum, & dignoscendum à falso, est ut effectus ejus sit patens, & talis qui sensibus percipiatur aut percipi potest; ut exempli gratia mortuum vivere, & vitæ actiones exercere; claudum recta incedere, cæcum videre, & colores ac res dignoscere; ut quod amarum erat, gustu dulce esse percipiatur; ut leprosus carnem mundam & à scabie ac vitiligine puram habere conspiciatur. Si enim mutatio nulla per miraculosum opus facta sentiatur, quomodo miraculosum opus esse intelligetur? Hinc populo imponere, & miraculum obtrudere credendi sunt Pontificii, quando panem in Eucharistia, per demurmurationem quinque verborum, in verum atque naturale Jesu Christi corpus miraculose converti asserunt, cum nulla conversi panis in corpus Jesu Christi signa atque indicia appareant, sed panis idem quoad substantiam, quantitatem, & qualitatem, qualis ante consecrationem erat, conspiciatur, videatur, gustetur, ac contrectetur

ctetur post consecrationem factam. Nec est quod dicant, Miraculum hoc esse miraculorum omnium maximum, & unicum in specie miraculosissimum, sed quod fide non sensibus percipitur.

*Quod non sentis, quod non vides,*
*Animosa firmat fides,*
*Præter rerum ordinem.*

Quid enim absurdius est, quam miraculum cum fit, fide percipi? Miracula enim cum fiunt non creduntur, sed sentiuntur. Sunt enim signa sive σημεῖα ad confirmandum id quod credendum est. At signa sive σημεῖα cum fiunt, tum credi sive fide percipi, quis nisi vanissimus dixerit? Certe eodem jure, quis asserere posset per verum miraculum mortuum ex morte in vitam suscitatum, cæco visum restitutum esse, etiam quando mortuus in sepulchro manet, nihilque nisi merum ac putre cadaver esse sentitur, & cæcus plane cæcus manet, neque vel hilum videre potest: sed hoc miraculum esse fide credendum; quo quid absurdius? Certe qui usque adeo fatui sunt, ut miraculum factum credant, ubi non modo nullus miraculosus effectus, nec signum quod miraculi imo miri aliquid vel in speciem habet apparet; sed & ubi omnia eodem prorsus modo post factum miraculum, quo ante factum quod dicitur miraculum, se habere vident, sentiunt, gustant ac palpant, ii dignos se reddunt qui falsis miraculis pascantur, & in potestatem erroris ac mendaci incidant.

*Tertia, ut opus miraculosum fiat in instanti, vel saltem celerius quam per naturæ vires fieret.*

Tertium quod requiritur est, ut opus quod miraculosum vere est, fiat vel in instanti, vel celerius saltem ac citius quam per naturam aut naturæ vires, licet à Medica arte aut manu adjutas, fieri posset. Intellige, quando effectus miraculosus talis est, ut paulatim ac sensim per naturæ vires fieri etiam posset. exempli gratia, Sanatio socrus Petri à febre: *Matthæi* VIII. Febrim enim paulatim desinere, aut naturalibus remediis curari posse, indubium est. Sed vero febrim in ipso paroxysmo & accessu, in instanti & verbo solo tollere ac sanare, ilico dictum factum, febricitantem, miraculosum opus est. Et sic socrum Petri à febre sanatam esse apparet; quia *Matth.* VIII. 15. & *Mar.* I. 31, Christus dicitur manum ejus dumtaxat tetigisse, & *Lucæ* IV. 39 febrim objurgasse, & socrum ilico sanatam fuisse, ac surrexisse. & ministrasse iis qui tum aderant, & pro ea Christum rogaverant. Febrem hanc magnam fuisse Lucas dicit: & Matthæus ac Marcus indicant, socrum Petri tum in ipso paroxysmo febrili fuisse quia eam videbant βιβλαμβάνω τῇ πυρέσσουσαν qui pro ea apud Christum intercedebant, *Matth.* VIII. 14. *Mar.* I. 30. Ad hanc ergo tertiam conditionem referri non debet opus, quod extra omne dubium miraculosum est, quia non nisi immediata Dei virtute fieri potest, etiamsi in instanti non fiat, sed cum mora aliqua & difficultatis specie; quale opus fuit excitatio mortui filii Sunamiticæ viduæ per Elizæum, cum operoso aliquo molimine, & non sine mora aliqua facta: 2 *Reg.* IV. Ut ut enim hæc molimina cum mora aliqua fiebant, tamen certum erat ea tanquam media naturalia non concurrisse ad effectum illum, sed tanquam signa subsecuturæ operationis Deo soli propriæ. Solus enim Deus suscitare potest mortuum in vitam, quia inter mortem & vitam distantia infinita est, ad quam tollendam potentia plusquam finita requiritur. Hinc Deo titulus iste tanquam ei proprius tribuitur, quod *mortuos excitet:* 2 *Corinth.* I. 9. & quod *Christum excitaverit ex morte:* *Act.* XXVI. 8. *Rom.* IV. 17. & 24. *Galat.* I. 1. & 1 *Petr.* I. 21. *ad Heb.* XIII. 20.

*Quarta, ut sit perfectum.*

Quartum quod requiritur ad hoc, ut opus aliquod vere sit miraculosum opus, est, ut sit perfectum; sic ut non tantum mutatio manifesta per id fiat, quod secunda conditio requirit, sed ut mutatio fiat talis, quæ ex omni parte perfecta sit, ut nova quasi quædam creatio videatur: exempli gr. ut aqua in vinum mutata perfectum vinum sit, ut mortuus perfecte vivat, & cæcus perfecte videat, &c. Miraculum ex parte factum, pro miraculo non censetur; ut exempli gratia miraculum quod narratur *Marci* VIII. 22, &c. quo Christus cæcum sibi oblatum, prima, quod dicitur, instantia, eo usque visui restituebat, ut homines tanquam arbores ambulantes videret. Miraculosum aliquid erat, sed nondum miraculum, nisi postquam deinde, per impositas oculis ejus manus Christi, perfecte sanatus fuit, ut procul & dilucide videret omnia, uti *vers.* 25 dicitur. Perfectum autem opus cum requiri dicimus ad miraculum, id tantum volumus, non sufficere ad hoc ut opus aliquod miraculosum sit, ut quis sibi fortiter imaginetur se sanatum esse, aut vi imaginationis fortis alicujus sanus redditus videatur ad tempus aliquod; uti fieri aliquando videmus. Sanitas enim illa non est caussæ morbificæ sublatio, unde perfecta sanitas oritur, sed levis ac brevis tantum quædam morbi suppressio, quæ deinde facile cessat, recrudescente materia morbifica, & in pejus invalescente atque erumpente. Deinde, volumus non sufficere, ut morbus exempli gratia cesset, quia degenerat in aliam morbi speciem, ut apoplexia in paralysin, longa & diuturna febris in quartanam, febris pestilentialis in abscessum, epilepsia in melancholiam. Hæc enim omnia naturaliter fieri possunt, & non curationem morbi miraculosam, sed mutationem tantum naturalem, aut arte Medica procuratam, arguunt. Ad hoc verò, ut perfectum sit miraculum, requiritur ut caussa mali, quod per miraculum corrigitur, perfecte sublata sit, & contrarium malo bonum introductum; sive, ut generalius loquamur, ut mutatio quæ per miraculum fit, omni ex parte perfecta sit, sive ea mutatio diu duret, sive non diu duret, sed brevi desinat atque evanescat. Perfectio enim rei non pendet à duratione rei brevi aut diuturna, sed ab integritate & bonitate quæ rei essentialis est. Homo enim, perfectus homo est, sive longi sive brevis ævi sit. Splendidiora tamen quin sint miracula quæ diu durant & in oculos incurrunt, non est dubium.

## CAPUT XIV.

### Omnes in veris miraculis conditiones requisitas, in Christi miraculis inveniri. Ac proinde ex iis rectè colligi Christum à Deo fuisse missum, & doctrinam ejus esse divinam.

*Miracula Christi opera supra naturam fuerunt.*

Ad has quatuor conditiones, ad verum miraculum requisitas, si exigamus miracula omnia Jesu Christi, vidimus eas omnes quadrare examussim ad miracula ejus. Prima conditio fuit, ut opera, quæ miracula dici merentur, sint opera supra naturam, quæ ad quatuor genera retulimus. Talia fuerunt opera Jesu Christi.

Quod ad primum genus attinet; Christus opera fecit, quæ non nisi divina virtute (qualem à Patre tanquam Mediator acceperat, ut est *Joan.* V. 18. 19. *usque ad vers.* 28. imprimis *vers.* 21: *Sicut enim Pater suscitat mortuos, & vivificat, ita & Filius hominis, quos vult vivificat.* Quomodo verò? *vers.* 26: *Sicut Pater vitam habet in semetipso, sic dedit Filio vitam habere in se ipso:*) fieri poterant; cujusmodi fuerunt, suscitatio Lazari jam πεφθίου in vitam. *Joan.* XI. suscitatio unigeniti filii viduæ in Naim, jam feretro impositi, & ad portam urbis delati: *Luc.* VII. suscitatio filiæ Jairi præfecti Synagogæ, quæ jam per tibicines plangebatur, & ab omnibus vere mortua esse judicabatur, adeo ut quando Christus eis dicebat, *Non est mortua puella, sed dormit,* (nempe quia jam jam suscitanda erat) ab iis omnibus derideretur: *Matth.* IX. 18, &c. multorumque aliorum mortuorum, vivente adhuc Joanne Baptista: *Matth.* XI. 4.

Quod ad secundum genus attinet; Christus opera fecit istiusmodi complura; exempli gratia sanavit socrum Petri à febre per tactum manus & objurgationem febris: *Matth.* VIII. de qua jam ante diximus. Sanavit dysentericam fœminam, quæ per duodecim annos profluvio sanguinis laboraverat, & Medicorum omnium curam, cum impendio fortunarum suarum, non modo frustra sed cum mali argumento, experta erat, per solum fimbriæ vestis suæ contactum, in conferta hominum turba: *Matth.* IX. Curavit fœminam quæ octodecim annis spiritu infirmitatis vexata, etiam incurva facta erat, per solam manuum impositionem: *Luc.* XIII. Curavit paralyticum, qui triginta & octo annos paralysi laboraverat, per solum verbum sive alloquium: *Joan.* V. Purgavit leprosum sola voluntate aut verbo: *Matth.* VIII. & decem leprosos per solum jussum ut se Sacerdoti sisterent, à lepra dum adhuc in via erant mundavit: *Luc.* XVII. hydropicum, *Luc.* XIV. surdum & mutum, *Mar.* VII. denique omnium pene infinitorum morborum genera curavit: quorum mentio fit *Matth.* IV & IX. *capp.* *Luc.* IV. idque in terra Galilæa dumtaxat.

Tertii generis opera sive exempla, vide *Joan.* IX in cæco nato, cui visum Christus restituit per lutum & salivam. *Mar.* VII. in surdo-muto, cui auditum dedit per insertionem digitorum suorum in aures, & per adspersam linguæ salivam, loquelam.

Quarti generis miracula vide *Luc.* V. ubi Christus pisces natura sua dispositos ad natandum & vagandum in mari, confertim & magno cum agmine, solo jussu suo, in instanti pene, confluere fecit in retia discipulorum suorum, postquam frustra per totam noctem piscati fuerant. Simile exemplum est *Joan.* XXI. 3. 4. 5. &c. Vide etiam *Matthæi* XVII. ubi Christus Petro ad solvendum didrachma proficisci ad mare jubet, & hamum mittere, primumque, quem hamo traheret, piscem aperire, & ore ejus quem ibi reperturus erat staterem eximere, eumque pro se & Petro dare,

quod & factum sic est. Hactenus primum requisitum in miraculis Christi vidimus.

*Fuerunt opera manifesta & conspicua.*

Quod ad secundum attinet: Certum est, miracula Christi fuisse opera manifesta ac conspicua, ita ut per ea mutationem factam fuisse sensibilem, & in omnium oculos aut sensus incurrentem, appareret. Certum etiam est, omnia pene ad unum in propatulo, in media turba hominum, in nuptiali convivio, in foro, in Synagogis, in platæis & compitis, in festis publicis & solemnibus facta esse; adeo ut coram oculis pene totius populi complures claudi ambularent, leprosi mundati, & cæci visui, mortui vitæ ac valetudini restituti, dæmoniaci liberati, & ægroti sani cum suis versari conspicerentur. Hinc Christus ista sua opera, tanquam omnibus nota ac manifesta, Joanni Baptistæ per discipulos ejus nuntiari jubet: *Matth.* XI. 3. 4. Et certe tam erant manifesta, & vere miraculosa, ut Sacerdotes, quamquam infensissimi hostes Iesu Christi, leprosos vere mundatos; Pharisæi & Scribæ, cæcum à nativitate visum accepisse, fateri cogerentur; & turbæ subinde Deum laudarent, quod talem prophetam populo dedisset: *Luc.* VII. 16. & tantam potestatem hominibus (id est, homini Iesu,) dedisset: *Matth.* IX. 8. Quod si quædam non ita palam, sed vel clam in domo aliqua, vel seorsim à turba facta fuerunt, ea pauca admodum fuerunt, & ne fraudis aliqua suspicio cuiquam obreperet, cæteriseque aliis manifestis & in publico factis operibus fides derogaretur, ea Christus fere propalari vetuit.

*Omnia fere Christi miracula facta fuerunt in instanti.*

Quod ad tertium requisitum attinet; Miracula Christi omnia fere, (paucula, ac forte, inter innumera, tria tantum aut quatuor excipe) facta fuerunt in instanti; vel solo verbo, sive leni & jussorio, sive objurgatorio; vel sola manuum impositione, vel solo attactu, vel tacita virtute solo fimbriæ vestimenti vel pallii ejus contactu, vel à præsente, vel ab absente etiam Christo. exempli gratia, *Matth.* VIII. leproso dicit Christus, *Volo mundator*; &, dictum factum, mundabatur. *Joan.* XI dicit Lazaro, *Exi foras*: & ille, licet jam πεφτῶι, ilico vivus exsurgit & exit. *Marci* IX. spiritui impuro dicitur, *Exi immunde spiritus, & ne amplius ingreditor in eum.* In textu additur, ἐγὼ σοι ἐπιτάσσω. & ecce exit ad jussum Christi spiritus, & manu Christi levatus statim exsurgit liber, qui à spiritu isto obsessus fuerat. Hinc Christus LXX discipulis suis, reversis à legatione sua, & gaudentibus ob potestatem sibi datam, qua dæmonia sibi subjecerant, dicebat, *Ego videbam Satanam cadentem*, *Luc.* X. 18. id est, ad verbum vestrum ilico exeuntem, & sic veluti potestate sua excidentem, non aliter quam fulgur ex cælo cadit, id est, tam repente, tam celeriter, tam subito ac sine mora exeuntem, quam fulgur ex cælo cadit. *Matth.* VIII. *Marci* IV, objurgat tantum ventos & mare, & silere atque obmutescere jubet, & è vestigio ventus ἐκόπασεν, inquit Marcus, *versu* 39. καὶ ἐγένετο γαλήνη μεγάλη. *Luc.* IV. 35 dæmoniacum: *Matth.* XVII. lunaticum, *vers.* 18, &c. solo attactu, & manuum impositione, sanat socrum Petri febricitantem: Matth. VIII. 14. leprosum: *ibid.* 2. & *Mar.* I. 40. *Luc.* V. 12. unigenitum filium viduæ in Naim, jampridem mortuum, *Luc.* VII. filiam Iairi, *Matth.* IX. cæcos duos, *ibid.* duos alios cæcos in via Iericho; *Matth.* XX. 32. mulierem spiritu infirmitatis laborantem ab annis octodecim; *Lucæ* XIII. 11. hydropicum in Sabbatho; *Luc.* XIV. 1. surdum & μογιλάλον, *Mar.* VII. 32. cæcum, *Mar.* VIII. 25. Tacita virtute sanabat omnes qui eum tangebant; *Luc.* VI. 19. ὅτι δύναμις παρ' αὐτοῦ ἐξήρχετο: & nominatim αἱμορροοῦσαν, non nisi oram vestimenti ejus attingentem; *Matth.* IX. 20. & omnes non nisi fimbriam pallii ejus tangentes; *Matth.* XIV. 36. Absens sanavit Centurionis famulum paralyticum: *Matth.* VIII. 7. decem leprosos in via; *Luc.* XVII. 11. filiam mulieris Cananææ dæmoniacam; *Matth.* XV. 28. filium Reguli: *Joan.* IV. 50.

*Omnia fuerunt perfecta opera.*

Quod ad quartum & ultimum requisitum attinet; Omnia Christi miracula, perfecta fuerunt opera, sic, ut nec à morbo curatis ulla infirmitas, nec mundatis à lepra ulla scabies aut impetigo, nec cæcis sanatis ulla oculorum debilitas, nec mortuis ulla imperfectio adhæreret. Apparet. Is qui à nativitate cæcus fuerat visum sibi restitutum fatetur, vocatur in Senatum, sistit se & videns à Senatu conspicitur. Parentes eum videre, quamquam à nativitate cæcus fuerat, testantur, & oculos ei apertos esse asserunt: *Joan.* IX. Lazarus à morte excitatus, invisitur à Iudæis, conversatur cum iis, edit & bibis cum sororibus suis, *Joan.* XI. & XII. turbæ ad eum videndum confluunt, & quia vivum, sanum ac valentem videbant, credebant in Iesum, tanto cum zelo, ut primarii Sacerdotes invidia & æmulatione ducti, de Lazaro occidendo consilium caperent; *Joan.* XII. 10. Multi à morbis, ægritudinibus, & dæmoniis liberati eum sectabantur; uti Maria Magdalena, ex qua Christus septem dæmonia ejecerat; *Luc.* VIII. quæ omnia perfectæ sanationis indicia erant omni exceptione majora; adeo ut ipsi primarii Sacerdotes & Pharisæi in comitiis suis, de Christi capite deliberantes, quærerent, *Quid facimus? Nam hic homo multa signa edit. Si omittamus eum ita, omnes ei credent: Joan.* XII. 47. 48. Ex his concludimus, Nihil ergo defuisse operibus Iesu Christi, quod ad ea pro veris miraculis habendum requiritur.

*Miracula Christi omnia fere mera fuerunt beneficia.*

Adde his omnibus, 1. quod miracula hæc Christi omnia, (duobus forte exceptis, quando videlicet dæmonibus permisit ut in porcos irruerent, eosque in abyssum præcipitarent; *Matth.* VIII. & quando ficui maledixit, ne unquam ex ea fructus oriretur; *Matth.* XXI.) omnia, inquam, non nisi beneficia, & non tantum potentiæ, sed & bonitatis simul opera fuerint, contra quam Mosis pleraque opera fuerant. Ea enim fere fuerunt terribilia & stupenda quidem, sed horrida & nociva. Ægyptum decem plagis percutit; quarum ultima est, primogenitorum omnium, à primogenito Pharaonis sedenre super solium ejus, (id est sessuro,) usque ad primogenitum captivi qui erat in domo carceris, & omne primogenitum animalis, *Exod.* XII. 29. Mare virga sua percutit, ut Rex ipse Pharao, cum toto exercitu suo in eo submergatur & funditus pereat: *Exod.* XIV. 27. 28. Core, Dathan & Abiram vivos deglutiri à terra, atque à facta voragine absorberi facit; *Num.* XVI. 32. Amalecitarum cædem atque internecionem precibus suis impetrat; *Exodi* XVII. 11. 12. 13.

*Et opera permanentia.*

2. Quod miracula omnia Jesu Christi fuerint opera permanentia & perseverantia in duratione: *Act.* X. 38. contra quam Mosis & aliorum opera fuerunt, quæ non minus repente ex oculis evanescebant, quam fiebant.

*Atque universalia.*

3. Quod miracula Jesu Christi universalia fuerint, ita ut non unam atque alteram morbi speciem curaret, non in pauculis quibusdam rerum generibus virtutem suam exeret, sed in omnibus, puta in dæmonibus, in mari, in ventis, in piscibus, in panibus, arboribus, porcis, morbis, & morte ipsa: uti ex historia manifestum est.

*Imo pene infinita numero.*

4. Quod miracula Christi pene infinita numero fuerint, adeo ut Joannes dicat *cap.* XXI, si ea libris comprehenderentur, ne mundum quidem totum istis capiendis sufficere posse. Et sane miracula Jesu Christi tot ac tam multa fuerunt, ut, si ea conferantur, non dico cum miraculis Mosis, aut Eliæ, aut Elizæi, sed cum omnibus quæ unquam facta fuerunt, Oceanus præ gutta videri debeant. Elias pauca admodum fecit; Elizæus vix duodecim: Prophetæ omnes simul non nisi septuaginta quatuor, juxta ipsum Rabbinorum computum: Moses septuaginta & sex. quæ omnia simul juncta non conficiunt plura quam centum & quinquaginta miracula: eaque facta intra sexcentos circiter annos. Quam pauca ista profecto sunt, præ miraculis Iesu Christi, quæ intra triennium solum fecit? Ne conferri quidem cum his possunt.

*Omniaque ad solam Dei gloriam & hominum salutem resenderunt.*

Denique. 5. quod miracula omnia Iesu Christi facta fuerunt, nullo prorsus gloriæ propriæ, nullo privati commodi aut emolumenti, nullo ostentationis, nullo vindictæ studio, sed pure pute ad gloriam Dei & ad bonum adeoque ad salutem hominum; uti passim in Euangelio videre est, imprimis apud Ioannem *cap.* V. 41. 44. & VIII. 50. 54. Hanc rem tanti fecit Christus ipse, ut *Joan.* VII. 18. asserierit, *Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit. Qui autem quærit gloriam ejus qui misit ipsum, hic verax est, & injustitia in eo non est.*

*Ex miraculis Christi recte colligi ipsum à Deo fuisse missum, & doctrinam ejus esse divinam.*

Ex his ita simul junctis solidissime concluditur, Miracula Christi per se, veluti fiduciarias & συγκλὰς aut indubitatæ missionis literas, sufficisse ad comprobandum quod à Deo missus erat; ac proinde causam ab iis habuisse omnes, ut doctrinæ ejus tanquam à solo Deo profectæ fidem adhiberent. De Naamane Syro legitur 2 *Reg.* V. quod ex consilio & mandato Elizæi, per aquas Iordanis à lepra sua mundatus; unius istius miraculi sensu atque experimento adductus, in hanc confessionem eruperit, *vers.* 15. *En nunc novi, quod non est Deus in tota terra, nisi in Israele. Non faciet ultra servus tuus holocaustum aut sacrificium Diis alienis, nisi Iehovæ.* De vidua Sareptana legitur 1 *Reg.* XVII. quod cum vidisset filium suum mortuum, ad preces Eliæ prophetæ in vitam revocatum, exclamaverit *vers.* 24. *Nunc jam novi, quod vir Dei es, & quod verbum Iehovæ quod in ore tuo est, veritas est.* De Nicodemo legitur *Ioan.* III. 2. quod dixerit Christo: *Rabbi, scimus te à Deo venisse Doctorem. Nemo enim potest hæc signa edere, quæ tu edis, nisi Deus sit cum eo.* De Regulo (fortasse Chusa procuratore Herodis) legitur, quando intelligebat filium suum tantum non animam agentem, ea ipsa hora, qua Christus dixerat, sanatum & valetudini pristinæ restitutum fuisse, *quod crediderit ipse, & domus ejus tota: Ioan.* IV. 53. Similiter de Sergio Paulo proprætore legitur, quod cum solum videret

Ely-

Elymam verbo Pauli cæcitate percuſſum, *credideriť, perculſus ſuper doctrina Domini: Act.* XIII. 12. De commentarienſi legitur, quod viſo ſolo miraculo aperti, in gratiam Pauli, carceris per terræmotum, & laxatorum vinculorum, *in Chriſtum credideriť*, & cum omnibus domeſticis ſuis per Baptiſmum ei ſe conſecratum eſſe velle, profeſſus fuerit: *Actor.* XVI. 33. Hæc ſingula miracula, ſi in ſingulis iſtis tantum potuerunt, credemuſne omnia iſta, quæ recenſuimus, miracula Chriſti, per ſe non ſufficere ad fidem Chriſto habendum, quod à Deo miſſus ſit, & doctrinam ejus pro divina amplectendum? Certe quantum poſſit unicum ingens miraculum, non obſcure indicat Chriſtus ipſe, cum ait *Matthæi* XII. 28. *Si ego per Spiritum Dei ejicio dæmonia, nempe pervenit ad vos regnum Dei.* quaſi dicat, & veſtrum eſt id ex eo concludere. Ejectio enim dæmoniorum, per quem fiat alium quam per Deum, dæmoniorum hoſtem ac dominatorem unicum? Per illam enim Dæmoniacum regnum, utpote regno Dei contrarium, labefactari & peſſumdari certum eſt. Hinc uſque adeo gaudebant diſcipuli LXX. à legatione reverſi, hoc præcipue nomine, quod dæmonia ſibi ſubjecta viderant: *Luc.* X. 17. Et tanti etiam hæc dæmonum ejectio valebat apud Scribas & Phariſæos, ut eam non niſi Diabolorum Principi tribuerent. *Matth.* XII. 24. eo ipſo indicantes, eam aut Dei unius, aut Principis Diabolorum, tanquam potentiſſimi & ſummi Dei hoſtis, imperio ac virtute fieri poſſe. Per imperium autem & virtutem Principis Diabolorum, ejectionem illam à ſe non fieri, pulcherrime Chriſtus demonſtrat; vel hoc unico argumento, quia violenta erat ejectio; ita ut Dæmones inviti exirent, reluctantes, & tergiverſantes, quin & ſupplicantes, ne in abyſſum præcipitarentur, ſed in porcos abire permitterentur: *Luc.* VIII. 31. 32. 33. Nempe in abyſſum præcipitatis ſpes redeundi non erat, aut hominibus dominandi. ubi ejectio ſic fit, ibi diſſenſio eſt, qua regnum omne diſſolvitur, & in ſe colliditur. Colluſio, inquies, fuerit. At inquam ego, ubi ejectio iſta ſervit confirmandæ autoritati, & illuſtrandæ potentiæ ejus, qui hoc unum agit, ut regnum Diaboli funditus evertat, & homines ex poteſtate Diaboli transferat in regnum ac poteſtatem Dei ſummi, Diaboli hoſtis, ibi colluſio locum non habet. Deinde, quid abſimilius à vero, quam Principem Diabolorum, qui homicida ab initio eſt, per colluſionem benefacere voluiſſe hominibus, ejiciendo ex iis dæmonia, ut iſtis beneficiis affecti ægri, excitarentur ad Deum laudandum, & ad amplectendum doctrinam ejus, qui ad deſtruendum opera Diaboli, & à peccato, quod unicum regni diabolici fulcrum ac ſtabilimentum eſt, ad ſanctimoniam, ad innocentiam, divinarumque legum amorem homines revocandum, venerat? Recte ergo dicebat Chriſtus: *Si Satanas Satanam ejicit, adverſus ſeipſum diſſidet. quomodo ergo ſtabit regnum ejus?* &c.

Dices: Atqui Chriſtus eo ipſo in loco ſignificat, etiam filios ſive diſcipulos Scribarum & Phariſæorum tum ejeciſſe dæmonia: *Matth.* XII. 27. & *Matth.* VII. 22 dicitur de falſis quibuſdam prophetis, quod ſibi tribuebant ejectionem Dæmoniorum; quod, ut alia quam diabolica virtute aut colluſione factum fuerit, nullo modo veriſimile eſt. Reſpondeo: Quod ad primum locum attinet, ſunt qui exiſtimant eum ſic accipi poſſe, ut Chriſtus dicere voluerit, dæmonia à populariſbus iſtis ipſorum non ejici, cum tamen illi nihil intentatum relinquerent, aut nihil intentatum relicturi eſſent, ſi id ope Diaboli vel Principis Diabolorum fieri poſſet, ut cum Diabolo colluderent. Et videtur ſenſus hic firmari eo, quod tum temporis, à nullis aliis quam à Chriſto & diſcipulis ejus, aut aliis in nomine Chriſti dæmonia ejiciebantur: uti liquet ex admiratione magna turbæ, quando ejectio iſta fiebat, quaſi propter rem inuſitatam & non alibi aut alias viſam: *verſ.* 23. hujus *cap.* & alibi. Hoc pacto ſi commode ſenſus accipi poſſit, elegantiſſima eſt Chriſti inſtantia; Tum enim verba iſta, *Propterea illi erunt judices veſtri*, ſenſum hunc continebunt: Illi judicabunt male vos feciſſe, quod miracula mea per colluſionem cum principe dæmoniorum facta eſſe mihi opprobraveritis. Dicent enim ſe omni ſtudio id egiſſe, ut Diabolus hac ratione cum ipſis vellet colludere, & ſe id tamen ab eo impetrare non potuiſſe, ac proinde dæmonia ejicere non potuiſſe. At vero ſi velimus fuiſſe tum nonnullos qui dæmonia ejiciebant, & inter hos etiam fuiſſe filios ſive populares hos Scribarum & Phariſæorum; quod non prorſus à vero abſimile eſt, tum ſenſus loci iſtius vel hic erit; Si filios veſtros vobis addictos creditis ejicere dæmonia, non in nomine, ſive non invocato in auxilium Principe dæmoniorum, ſed in nomine veri Dei Iſraelis; quid eſt cur me non niſi per principem Diabolorum ejicere credatis Dæmonia, cum ego non minus quam vos & illi unius & veri Dei Iſraelis cultor ſim, & ad gloriam iſtius unius Dei omnia faciam? In pari cauſſa æquum eſt ut par feratis judicium. Vel, quod ego malim, hic ſenſus erit; quod populares Judæorum jam tum ejiciebant dæmonia aliquando, ſed non niſi in nomine Jeſu Chriſti. Quod enim Grotius cum aliis vult, nullos tum ejeciſſe dæmonia, niſi qui Chriſtum ſectabantur, apparet non eſſe verum ex *Luc.* IX. 49. ubi Joannes Chriſto reſpondiſſe, id eſt, dixiſſe legitur, *Magiſter, Vidimus quendam in nomine tuo ejicientem dæmonia, & prohibuimus eum, quia te non ſequitur nobiſcum.* Et ut credam de hujuſmodi ejectione dæmoniorum, quam in nomine Jeſu Chriſti faciebant filii Phariſæorum, hic agi, adducor hoc argumento: quia Chriſtus *verſ.* 30 ſimilia prorſus verba, cum iſtis quæ *Luc.* IX. 50. leguntur, ſubjicit; *Qui non eſt mecum, adverſum me eſt; & qui non cogit mecum, ſpargit;* quæ & *Luc.* XI. 23. leguntur. Ea enim etſi contrario ſenſu prolata videantur, tamen in eundem plane ſenſum recidunt; quaſi dixiſſet Chriſtus, Qui dæmonia aliter conatur ejicere, quam meo nomine interpoſito, vel ad gloriam nominis mei promovendum, ei ego non permittam ejicere dæmonia, ſed ei tanquam hoſti meo reſiſtam. At vero qui id facit in nomine meo, eum ego non prohibebo: quod *Luc.* IX. 50. dicitur. Unde colligo, Chriſtum de filiis Phariſæorum etiam voluiſſe dicere, quod in nomine ſuo ejicerent dæmonia. Hinc enim ſolide ſequebatur hæc argumentatio Chriſti; Si filios & diſcipulos veſtros, qui non niſi in nomine meo ejiciunt dæmonia, non vultis ea ejicere per Principem Dæmoniorum, cur me ea per Principem iſtum ejicere vultis? *Idcirco illi*, id eſt factum iſtud eorum, *judices veſtri erunt*; id eſt, condemnabit vos falſitatis & malevolentiæ erga me. Conſtat enim omnibus, eos non niſi in nomine meo dæmonia ejicere, etſi me non ſequantur, neque mihi adhæreant. Ex quo porro colligitur, mirum non debere videri, ſi etiam inter eos qui Chriſtum ſectabantur, fuerint qui in nomine Chriſti dæmonia ejiciebant; quamquam tales eſſent, qui diſcipulorum Chriſti nomine digni non erant, & quos pro ſuis Chriſtus non agnoſcebat: de qualibus agitur in loco ſupra nobis objecto, *Matth.* VII. 22. 23. niſi quis velit eos, quando in nomine Chriſti dæmonia ejiciebant, diſcipulos tum veros fuiſſe, ſed poſtea, miraculorum fortaſſe gloria elatos, aut ad primum ingenium ſuum redeuntes, ut diſcipulos Chriſti ſe non geſſiſſe; quod factum fuiſſe dici poteſt ac credi. Ut ut eſt; Si nulla tum fiebat dæmoniorum ejectio niſi in nomine Chriſti, ſive ab iis qui Chriſtum comitabantur, ſive ab aliis exorciſtis, qui filii & diſcipuli Scribarum ac Phariſæorum erant, vis argumentationis, qua Jeſus Chriſtus hic utitur, egregie tum elucet. An poſt mortem & reſurrectionem Jeſu Chriſti, ejectio iſta dæmoniorum in nomine Jeſu Chriſti, aliis quam diſcipulis Jeſu Chriſti veris, ſemper aut diu valde permiſſa ſit aut conceſſa, quæri poteſt. Non diu admodum duraſſe, aut non ſemper ſucceſſiſſe exorciſtis ejuſmodi ejectionem, conſtat ex *Act.* XIX. 12. 13. &c. Exorciſmos interim Judæorum per nomen Dei creatoris, vel per nomen τῦ ὄντος, id eſt nomen πατριάρχικον, vel per nomen Dei Abrahami, Iſaaci & Jacobi, vel per nomen Dei Sabaoth, viguiſſe aliquot poſt ſeculis (incertum an ſemper cum eventu) probat Ampl. Grotius ex Juſtino Martyre, Irenæo, Tertulliano, Theophilo contra gentes, Origene & aliis. Fides eſto penes auctores.

*Locus Matth. XII. 27.*

Cæterum ut miraculorum à Jeſu Chriſto factorum excellentia magis appareat, operæpretium eſt videre diſcrimen inter miracula Chriſti & Apoſtolorum. Hi enim non minus magna, multa & varia miracula feciſſe leguntur; imo hos Chriſtus ipſe, *Joan.* XIV. 12. non tantum paria, ſed & *majora* miracula facturos eſſe prædixit. Diſcrimen hoc in tribus colloco. Primum in eo quod Apoſtoli omnia miracula ſua fecerint in nomine Jeſu Chriſti, id eſt, vel juſſu Chriſti, vel poteſtate à Chriſto accepta, vel fiducia promiſſæ ſibi à Chriſto aſſiſtentiæ, vel ad gloriam Jeſu Chriſti. Chriſtus autem ea fecit in nomine Patris ſui, id eſt, vel poteſtate iſta quam immediate à Patre ſuo acceperat, vel fiducia paternæ erga ſe benevolentiæ, vel promiſſis Patris ſui nixus, vel ad gloriam Patris ſui. De Apoſtolis loca clara ſunt: *Act.* III. 6. 12, &c. *Act.* IX. 34. ubi Petrus dixiſſe legitur Æneæ paralytico, & jam ab annis octo decumbenti in grabbato, *Ænea, ſanat te Jeſus Chriſtus*, &c. Cur vero ita loquitur? quia à Chriſto poteſtatem ſanandi acceperat, juxta Chriſti promiſſum, *Matth.* XXVIII. *verſ. ult. Et ego ero vobiſcum uſque ad conſummationem ſeculi.* quod *Marc.* XVI. *verſ. ult.* impleviſſe Deus dicitur. *Et illi profecti prædicarunt ubique, Domino*, id eſt Chriſto, uti ex *verſ. præced.* liquet, *cooperante, & ſermonem confirmante per ſigna ſubſequentia*: quæ recenſita erant *verſ.* 17. De Chriſto loca etiam clariſſima ſunt: *Joan.* V. 17. 19. 20. 21. 36. 43. *Joan.* VII. 18. *Joan.* X. 25. & XIV, 10. & XI. 42.

*Diſcrimen inter Chriſti & Apoſtolorum ejus miracula, quod triplex eſt. Primum.*

Secundum diſcrimen in eo eſt: Quod Chriſtus non tantum ipſe miracula fecerit, ſed & poteſtatem ac δύναμιν faciendi miracula Apoſtolis ſuis & diſcipulis dederit; uti videre eſt *Luc.* X. 19. *Matth.* X. 8. *Mar.* XVI. 17. 18. Ab Apoſtolis autem virtus iſta nuſpiam aliis data legitur.

*Secundum.*

Ter-

*Tertium.* Tertium discrimen in eo est: Quod Christus miracula fecit, virtute quidem à Deo Patre accepta, sed ita Christo inhærente, ut quando ea uti vellet, pro arbitrio suo uti ea posset. Id indicat Joannes, *cap.* V. 26. *Sicut Pater vitam habet in se ipso, sic & Filio dedit vitam habere in seipso, & potestatem ei dedit καὶ κρίσιν ποιεῖν, quia filius hominis est.* Quomodo vero? Vide *vers.* 21. *Sicut enim Pater suscitat mortuos & vivificat, sic & Filius vivificat quos vult.* quod de nullo unquam propheta vel Apostolo dictum reperietur. Hoc enim, *quos vult*, signum est dominii, quod pro voluntate sua atque arbitrio exercere poterat.

*Resp. ad objectionem ex loco Mar. VI. 5.* Dices: Attamen legere est, ubi Christus dicitur aliquando non potuisse virtutem ullam edere: *Mar.* VI. 5. & tum sanasse aliquos, quando virtus Domini ad sanandum ei aderat, *Luc.* V. 17. Resp. ad primum locum: verba ista, *Non poterat ibi Christus virtutem ullam edere*, non esse accipienda κατὰ τὸν φυσικὸν ἀκρίβειαν, sed κατὰ τὸν ἠθικὸν πλατυσμόν, sic ut *non posse*, non significet simpliciter impotentiam, sed animum à faciendo alienum: eodem sensu quo dicere solemus Latine, Non possum hoc ab animo meo impetrare. Hoc sensu verbum istud δύναμαι non raro accipi in Sacris, & in familiari sermone nostro, certissimum est. In sacris manifesta loca sunt: *Genes.* XIX. 21. & XLV. 3. *Joan.* VII. 7. *Non potest mundus vos odisse*; id est, non alienus est mundus à vobis, quia mores vestri mundanis moribus similes sunt. *Act.* IV. 20. *Non possumus nos quæ vidimus & audivimus non loqui.* 2 *Cor.* XIII. 8. & 1 *Joan.* III. 9. *Qui ex Deo natus est, non potest peccare*, id est à peccando plane alienus est. *Apocal.* II. 2. *Non potes ferre malos.* In familiari sermone res plana est; Docti viri non possunt ferre contemtum: Avarus non potest liberalitatem exercere, &c. Sed & locum hunc sic intelligendum esse ex eo apparet, quia expresse in textu dicitur: quod paucis tamen ægris manus imposuerit, eosque sanaverit: *vers.* 5. Matthæus dicit quod ibi non multas virtutes edebat: *cap.* XIII. 58. & caussam addit, *propter incredulitatem eorum*, quam magnam fuisse indicat Marcus, quia dicit, *Et mirabatur*, Jesus scilicet, propter incredulitatem eorum. Non itaque impotentia Christi caussa fuisse dicitur, quod non ederet istic virtutes; quia nonnullas fecit; sed magna ingratitudo caussa fuit; ut non vellet multas virtutes edere, sed ab istis concivibus suis alienioré esset animo, utpote pluribus beneficiis prorsus indignis. Recte ergo ad hunc locum Chrysostomus: ἅτινα οὖν ποθ' ἁπλῶς δύναμιν τὴν παρ' αὐτοῦ λέγει. τὸ δὲ καὶ ἐν τῇ κοινῇ συνηθείᾳ φυλαττόμενόν ἐστιν ἰδεῖν τις ἂν. ὡς ὅταν λέγει τις, οὐ δύναμαι ἀγαπῆσαι τὸν δεῖνα, τὸ σφοδρὸν τῆς βαλήσεως δύναμιν λέγων.

*Et Luc. V. 17.* Quod ad secundum locum attinet; ejus idem plane sensus est. Dicit enim Lucas, tum virtutem Domini adfuisse, non quia ea aliquando à Christo aberat, sed quia tum nullum obstaculum erat, sed luculenta occasio illustre aliquod miraculum faciendi, atque ita virtutem suam præclare exercendi, uti ex miraculo quod statim deinde factum esse narratur, manifestum est. Aderat itaque, idem hîc est, quod, eximie aderat, sive quod ad eximie se exerendum in oculis Pharisæorum & Legis Doctorum, parata erat. Virtus ergo & potentia faciendi miracula, Jesu Christo inhærens & in eo permanens fuit. Apostolorum vero & discipulorum Jesu Christi alia fuit ratio. Virtus ad faciendum miracula sæpe iis defuit; uti exempli gratia in Paulo apparuit, qui Timotheum discipulum suum, quem tanquam germanum filium suum diligebat, à stomachi sui κακχεξίᾳ, & infirmitatibus multis quibus laborabat, liberare non potuit, sed paculo vino uti justit contra κακοχυμίαν. 1 *Timoth.* V. 23. Epaphroditum etiam fidelem suum coadjutorem, ad mortem usque ægrum, sanitati non potuit restituere, cum tamen ejus opera uti desideraret, & sanitatem ejus animitus optaret: *ad Philip.* II. 27. & 30. quin imo ipse se ipsum à stimulo, sive σκόλοπι illo carni suæ infixo, liberare non modo non potuit, sed ne precibus quidem suis, ut liberaretur, à Christo impetrare, 2 *Cor.* XII. 7. 8. Ex his quam ingens discrimen sit inter miracula Christi & Apostolorum, manifestum est.

Miraculis his à Christo factis, quæ jam recensuimus, si adjungamus miracula illa cætera, quæ vel circa vel propter Christum Deus ipse fecit, nempe in monte eum transfigurando: in morte ejus, Solem in plenilunio & clara die obscurando, aulæum templi ab summo ad imum diffindendo, petras rumpendo, terram valido motu concutiendo, monumenta aperiendo; in sepulchro, eum tertia die ex morte excitando, & post quadraginta dies in cælum, aspicientibus discipulis, attollendo, atque ad dextram Majestatis suæ ibidem collocando, apparebit fiduciarias literas Jesu Christi, quamquam jam ante manu quasi Dei signatas, istis insuper miraculis, veluti sigillo Dei proprio, obsignatas fuisse, ut nulla vel levissima dubitandi occasio, an à Deo missus fuerit, mortalium cuiquam reliqua esse possit. Hactenus ergo de missione Jesu Christi ad Propheticum munus, egimus quantum satis est.

## CAPUT XV.

## De functionibus ad Propheticum Christi munus pertinentibus.

REstat ut de tertio membro, id est de ipso Prophetico munere, id est de functionibus ad propheticum Christi munus pertinentibus, agamus.

Functiones prophetici muneris sunt tres. 1. Doctrina sive institutio. 2. Doctrinæ confirmatio. 3. Pro doctrinæ, & eorum qui eam audiunt, felici successu precatio, & gratiarum actio. Has functiones Christum fidelissime obivisse, dum in terris versabatur, certissimum est. *Tres Prophetici muneris functiones.*

Quod ad doctrinam & institutionem attinet; Ipse se ad evangelizandum pauperibus, id est, non ad horrorem, per rigidam Legis Mosaicæ exactionem, incutiendum, sed ad gratiam, non ἐπαγγελίας sive promissionis, sed Euangelii annuntiandum, venisse professus est: *Luc.* IV. 17. 18. 19. 20. 21. In ista annuntiatione adsiduus fuit; nulla habita ratione locorum, in templo, in media civitate, in platæis & compitis, in conviviis, in Synagogis, in vicis & pagis, in maris littore, in domibus, in desertis locis. & ne quis locus vacuus ab ea esset, post Apostolos etiam septuaginta discipulos suos in totam terram Judaicam ablegavit, ut de civitate in civitatem annuntiationem istam nomine suo facerent, exceptis solis gentium & Samaritanorum urbibus: *Matth.* X. 5. *Luc.* X. 1. 2. 3. &c. Tum in doctrina ista proponenda, 1. summa sapientia & prudentia usus est; adeo ut acerrimi ejus hostes & adversarii, nihil quod in ea jure carperent, quamquam impense volebant, reperirent; quin & subinde veluti obturato ore obmutescerent. 2. ardentissimo zelo erga gloriam Dei Patris sui, & salutem populi. 3. ἀφθαρσιπολυψίᾳ, ὃ μίλων σοὶ ἀφὶ ἑδιτὸς, *Matt.* XXII. 16. 4. Inusitata aliis Doctoribus, etiam ipsis prophetis, autoritate. *Docebat enim ὡς ἐξουσίαν ἔχων, non autem ut Scribæ, Matth.* VII. 29. *Nunquam ita locutus est homo, ut homo iste: Joan.* VII. 46. *1. Doctrina sive institutio.*

Quod ad confirmationem doctrinæ suæ attinet, eam fecit duobus modis. Primo, per Scripturas Veteris Testamenti, Secundo, per omnis generis signa, quibus doctrinæ alicujus divinitas adstrui potest. Per Scripturas Veteris Testamenti frequenter; vel eas, utpote de se loquentes, sibi applicando: vel ad veritatem dictorum suorum confirmandum eas allegando; vel mysticum earum sensum aperiendo; vel per μίμησιν sive allusionem eas doctrinæ suæ accommodando; propter rerum in iis contentarum, cum iis quæ ipse affirmabat, similitudinem. ubique vero & semper earum lectionem & scrutationem, ad veritatem doctrinæ & missionis suæ inde hauriendum, urgendo, & adversariis suis earum ignorantiam subinde exprobrando, aut per quæstiones ex iis desumtas testatam iis faciendo; aut quod iis non crederent, aperte illis significando. *2. Confirmatio doctrinæ.*

Per signa eam fecit tripliciter. 1. Per scientiæ quæ Deo propria est declarationem, itidem triplicem: Nempe cordium inspectionem: *Joan.* II. 23. & passim alibi. Arcanorum revelationem: *Joan.* I. 49. & VI. 70. Et futurorum prædictionem; exempli gratia de morte & resurrectione sua; de afflictionibus quas erant passuri discipuli sui; de excidio urbis Hierosolymitanæ, & templi destructione, calamitatibusque quæ eam comitaturæ erant; de Petri abnegatione; de asino & pullo asinæ, &c. 2. Per potentiæ divinæ demonstrationem, quæ in miraculis, prodigiis ac virtutibus ejus, de quibus jam ante egimus, eluxit. 3. Per tolerantiam malorum, cum innocentia & vitæ sanctimonia exquisitissima, & doctrinæ suæ exactissim respondente, conjunctam; quam etiam inter signa Apostolatus sui refert Paulus, 2 *ad Corinth.* XII. 12. & imprimis per tolerantiam mortis crudelissimæ & ignominiosissimæ, quam volens subivit pro veritate Dei, ut confirmaret promissiones patribus factas, & sanguine suo Fœdus novum sanciret. Hinc *Joann.* XVIII. 37. ait, *Ego ad hoc natus sum, & veni in mundum, ut testimonium dem veritati*, nempe ad mortem usque crucis, quam instare jam mihi scio. Et Paulus 1 *ad Timoth.* VI. 13. idcirco dicit, *Christum testatam fecisse coram Pontio Pilato præclaram professionem*, quia ad mortem usque professionem veritatis sustinuit.

Quod ad precationem attinet, quæ prophetarum omnium functio etiam fuit; Certum est ex historia Euangelica, Christum precibus frequentissimis & ardentissimis usum esse, cum gratiarum actione devotissima; sic ut sæpe in loca solitaria concesserit, ubi noctes integras precando consumsit. Et videre est preces quas fecit pro se, pro suis, pro hostibus suis, passim in Historia Euangelica. *3. Precatio.*

# LECTORI BENEVOLO S.

*Cum huc usque in tractanda Religione Christiana pervenisset D. Episcopius, placuit Deo laboribus ejus & vitæ simul finem imponere. Utinam eadem methodo quæ supersunt doctrinæ capita tractare ipsi datum fuisset! Haberent sanè Christiani opus ad componenda religionis dissidia longe aptissimum, quale nondum à temporibus Apostolorum inter homines conspectum est. Sed tamen quod hîc desideratur suppleri aliquatenus potest ex ejusdem Auctoris Responsione ad* LXIV *quæstiones, Disputationibus Theologicis Leydensibus, & aliis qui sequuntur in hoc volumine tractatibus. Vix enim celebris occurrit ullus in Theologia locus, qui illic, si non plene explicatus, saltem quantum ad frugalem cognitionem & necessariorum à non necessariis distinctionem sufficit, eximiè sit delineatus.*

*Quia verò in Tractatu de Messia, cap.* 3. *breviter tantùm causas incredulitatis Judæorum perstrinxit, visum est ex doctissimis ipsius Concionibus, quas in Joannis* XVII. 3. *de capitibus fidei necessariis paulò ante obitum Amstelodami habebat, trigesimam primam & trigesimam secundam, quæ istud argumentum copiosius explicant, Latinitate donare, & his Institutionibus appendicis vice subjicere.*

## M. SIMONIS EPISCOPII

# CONCIONES DUÆ;

## De caussis incredulitatis Judæorum.

### CONCIO I,

### In qua recensentur caussæ ab ipsis Judæis profectæ, malitia videlicet, errores, & amoris atque odii affectus.

*Inquisitio caussarum cur Judæi Dominum Jesum pro Christo seu Messia promisso amplecti nolint.*

QUERITUR aliquando quid caussæ esse possit, cur Judæi in Jesum Christum non credant, seu quî fiat ut ex tot Judæorum toto orbe dispersis myriadibus tam pauci Christianam religionem amplectantur. Et istud quæri non est mirum. Nam ejus quod cæci & barbari Gentiles aut nullo modo, aut difficulter admodum Christiani fiant, à vero non absimilis ratio reddi potest. Illi nempe nulla de Christo & ejus regno promissa habent, ideoque nullum Christum expectant: sed *alieni sunt à republica Israelis, & extranei quod ad fœdera promissionis, spem non habentes, & absque Deo in mundo: Ephes.* II. 12. *Et ad idolorum mutorum cultum abripiuntur, prout rapi contingit;* 1 Cor. XII. 2. Quod verò Judæi ad fidem Christianam non convertantur, res mira & à ratione aliena esse videtur. *Ipsis enim credita sunt eloquia Dei: Rom.* III. 2. *Illi sunt Israelitæ, eorum est adoptio, & gloria, & fœdera, & legis constitutio, & cultus, & promissiones, eorum sunt Patres, & ex iis est Christus quod ad carnem attinet: Rom.* IX. 4. 5. Illi eundem quem Christiani Deum colunt, & ab eo Christum seu Regem quendam promissum esse credunt, qui secundùm carnem ex se oriundus esset. Imò ex libris sacris quos à Deo per Mosem & Prophetas acceperunt, non obscurè cognoscere possunt quo tempore Christus venturus, ubi nasciturus, quid docturus, quid facturus, & quid ipsi tum in vita tum post mortem eventurum esset. Caussas quoque habent multas, non solum ex Prophetarum prædictionibus, sed etiam ex veterum suorum Rabbinorum expositionibus, cur certi esse debeant promissionum Christi tempus jam dudum esse elapsum. Nullam autem vel verisimilem habent rationem credendi hanc tantummodo esse adventus Messiæ dilationem, quæ ob ipsorum peccata fiat; cum tempus illud diutius jam quàm totum Israeliticum regnum duraverit, imò aliorum omnium regnorum & monarchiarum quæ ab orbe condito huc usque fuerunt ætatem longè superet. Universum enim Israelis regnum, etiam ab eo tempore inchoando quo Josua regionem Cananæam inter duodecim tribus divisit, usque ad ultimum Hierosolymæ excidium, & totius regionis per Vespasianum factam vastationem, supra mille quingentos & quadraginta annos non duravit; comprehensis etiam omnibus servitutis ipsorum annis inter diversos populos, Syrios putà, Moabitas, Philistæos, Ammonitas, Cananæos, aliosque; quæ aliquando septem, octo, decem, viginti trium, quadraginta, imo etiam octuaginta annorum spatium implevit: ipsorum item in duo regna inimica divisione, regnique decem tribuum universali excidio, & in Assyriam transportatione, & exilii Babylonici, quod ab urbis & templi incendio initium sumpsit, septuaginta annis. Omnes alias omitto calamitates, quas sub Imperio Græcorum & sub Romanis sunt perpessi, qui illos tandem in provinciam redegerunt, & jus gladii ademerunt, sicut ipsimet confitebantur, quando dicebant, *Non licet nobis occidere quemquam: Joan.* XVIII. 31. Assyriorum imperium seu prima Monarchia, quæ diutissimè omnium duravit, non multum supra mille & trecentos annos stetit, sive à Nino, sive à Nimrodo, aut Belo ejus ætatem numerare incipias. Medorum & Persarum Monarchia non amplius quam sexcentos annos implevit. Græca sive Macedonica trecentesimum tantum & trigesimum annum attigit. Judæorum autem dispersio jam per mille & sexcentos annos duravit. Cum qua ergo veri specie obtendi potest, istam tantum esse dilationem, aut veluti interregnum, cui hoc vel illud grave peccatum caussam dederit? Adde quod Judæi multas & validas habeant rationes credendi, Jesum illum quem Christiani pro Messia promisso habent, verum & unicum Messiam esse; nullam verò ejusmodi afferant cur alium adhuc expectent: ac proinde omnis ipsorum spes & Messiæ expectatio, vana tantum imaginatione quam totis alunt viribus imitatur. Vident hujus Christi religionem à parvis initiis, per paucos, viles, idiotas & nullius autoritatis homines, per debilia & inermia media, per crucis & persecutionum tolerantiam, adeoque per mille mortes, longe lateque per universum terrarum orbem esse diffusam & propagatam, quamvis ipsi, qui nihil nisi carnalia sapiunt, eam respuant & abominentur. Nullam amplius animadvertunt Legis suæ efficaciam: promissis in ea comprehensis non potiuntur, etiamsi non solum legis præcepta strictè & ad literam, sed etiam onerosas & multiplices Patrum suorum traditiones studiosè observent, &, quod amplius est, omnis idololatriæ capitales sint adversarii. Ubique exosi & dispersi habitant, sine republica, sine sceptro, sine templo, sine sacrificiis, sine regione, adeò ut ubique sint cauda, nullibi caput, & quemadmodum olim Ismaeli contigit, manus eorum sint contra omnes, & omnium manus contra eos. Illorum beneficio & commiseratione vitam trahunt quos diris devovent. Crescunt quidem numero, sed ad servitutem & miseriam. Cujus rei nulla alia verisimilis ratio reddi potest præter hanc, quod suum verum Messiam rejecerint, & ita justam Dei iram in se concitarint, secundùm ipsius minas *Deuter.* XVIII. 19. *Qui verba ejus* Prophetæ, *quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ab eo rationem reposcam;* sive ut Petrus exponit *Act.* III. 23. *exterminabitur de populo.*

Qui hæc omnia apud se considerat & perpendit, caussam habet cum admiratione & dolore cogitandi, unde istud

fiat,

fiat. Gravem enim aliquam esse oportet causſam, vel potius multas, quæ istos homines non solum adeo à reconciliatione & conversione alienos reddunt, sed etiam tam infensos & infestos faciunt esse adversus Dominum Jesum, & ejus religionem; quamvis sola hac via ad felicem & optatum apud Deum & homines statum deduci & possent & deberent. Sunt enim homines alioqui ratione & sensu communi non destituti. Zelo erga suam Legem nemini cedunt. Nihil à pueritia pene aliud agunt quam ut Legem ad unguem addiscant, & ea ipsa lingua qua à Deo acceperunt illam intelligant. Nulla in lege est litera, nullus apex quem ipsi scrupulosè non rimentur. Numero etiam non sunt pauci qui in id incumbunt, & nullis sumptibus aut tempori parcunt ut se invicem in Legis cognitione exerceant. Reperiuntur quoque nonnulli inter ipsos, qui teneræ esse videntur conscientiæ ad omnia sincerè & fideliter expendendum, & veritatem sine affectu investigandum. Et tamen manent quales antea erant, hoc est in odio Domini Jesu & ejus religionis perseverant. Quænam ejus rei causſa esse potest?

Arduum est admodum alienæ voluntatis & actionum veras causſas invenire. Nam quam facile est unicuique nosse quid se moveat ut hoc vel illo modo in religionis negotio aut in suis actionibus se gerat, tam difficile est verum fundamentum & causſas alienorum sensuum & actionum cognoscere. Aliquando intellectui id tribuitur quod est voluntatis; aut contrà voluntati adscribitur id quod est intellectus; aliquando in utrumque culpa confertur, cùm tamen neuter rei de qua disceptatur vera sit causſa, sed affectus aut animi perturbatio. Aliquando unica quæritur causſa, cùm multæ sint; contra aliquando multæ, cum unica sit. Quocunque autem se modo res habeat, certum est motum istum à corde proficisci: id verò profundum est, & facile tegi ac dissimulari potest; ideoque proclive hîc est labi & à scopo aberrare. Sed ne istud nobis accidat in præsenti negotio non est metuendum, idque duabus de causſis. Primò enim claram & nudam habemus descriptionem rationum, quæ Judæorum majores moverunt ut Dominum Jesum, suum Messiam, rejicerent, ejus doctrinam supprimere vellent, & ipsum crudeli atque ignominioso crucis supplicio afficerent, postea ejus Apostolos & Euangelium quod annunciabant persequerentur & radicitus exstirpare contenderent. Hæc descriptio in Novo Testamento nobis relicta est à Jesu ipso, qui *noverat quid esset in homine, nec opus habebat ut quisquam ei de homine testaretur*: *Joan.* II. 25. cui inimicorum cogitationes & consilia statim patebant, ut passim in Euangelistarum libris videre est. Quam descriptionem veram esse experientia comprobavit. Si istud sequamur filum, aberrare non poterimus, & rectè nobis ita concludere licebit: Si Judæorum majores, eo tempore quo Messias inter ipsos versabatur, quo ipse proprio illos ore docebat, & ita docebat ut nemo alicujus ipsum peccati aut erroris convincere posset, *Joan.* VIII. 46. etiam cum ipsi laqueos undique tenderent, insidiantes & cupide aliquid ex ipsius ore venantes, ut eum capere possent, *Luc.* XI. 54. adeo ut sæpenumero os illis obturaret, & nequidem verbum ipsi unum respondere possent: quo ea signa & miracula edebat quæ nullus edere poterat nisi Deus cum ipso esset, *Joan.* III. 2. imo quæ nemo alius unquam ante ipsum fecerat, *Joan.* XV. 24. & omnia ejus miracula, quæ mera erant beneficia, communi totius populi bono inserviebant: quo Deus ipse illum à Judæis occisum è morte suscitavit, in cælum assumpsit, & ad dextram suam collocavit, multiplicibusque signis, virtutibus, prodigiis, & Spiritus S. distributionibus testabatur ipsum Christum & Dominum esse constitutum, ad dandam Israeli pœnitentiam & remissionem peccatorum: Si, inquam, tunc Judæorum majores causſas ipsum repudiandi quærebant, ejusque Euangelio parere detrectabant, mirumne est posteros illorum qui nihil ejusmodi vident, quibus hæc omnia fabulosa esse perpetuo inculcatur, idem facere, & paternæ pertinaciæ hæredes & successores esse? Secundò, nos ipsorum proprias rationes & querelas habemus, quibus cur in Christum credere nolint & ab ejus doctrina abhorreant palam faciunt: adeo ut hîc conjecturis non indigeamus, sed id solum afferendum sit quod ipsi ultro concedunt ejus rei causſam esse, aut quod secundum propriam ipsorum confessionem in hunc numerum accenseri posse putamus.

Cum hæc dico, de Judæis in communi loquor, sive potius de ipsorum Magistris & Rabbinis. Nam quod ad singulos Judæos in specie attinet, multi sunt inter eos, & (ut conjicere est) maxima turba, qui cur Judæi potius sint quàm Christiani nesciunt; sicut in omnibus religionibus & sectis, etiam Christianorum, usu venit. Maxima Pontificiorum pars ignorant cur sint Pontificii, maxima Lutheranorum cur sint Lutherani, maxima Mennonitarum, Arminianorum & Calvinistarum itidem. Suos sequuntur parentes aut consanguineos, viros aut uxores, aut doctores, aut proprium affectum, aut denique commoda quæ huic potius quàm illi cætui adhærendo sese consecuturos sperant.

*Tres incredulitatis Judæorum causſæ.*

Quæ cum ita se habeant, omnes incredulitatis Judæorum causſas sub tribus hisce generibus complectar. Primum erit causſarum quæ à Judæis proficiscuntur, aut in Judæis ipsis hærent: alterum earum quas Christiani Judæis præbent: tertia earum quæ à severo Dei in ipsos judicio ortum ducunt.

*Prima, quæ ab ipsis Judæis proficiscitur, & in tria eorum membra dispescitur.*

Quod ad causſas attinet quæ à Judæis proficiscuntur, aut in Judæis ipsis hærent, aliæ præter istas tres esse nequeunt; aut gravis aliquis error qui intellectum ipsorum excæcet; aut malitia quæ voluntatem inficiat; aut denique vehementes aliquæ animi perturbationes quæ eos transversos rapiant. Ex tribus enim his fontibus omnes oriuntur motus qui in hominis anima observantur.

*Malitia Judæi omnes non sunt promiscue accusandi.*

A secunda initium faciam. Malitiam Judæis non audeo impingere. De voluntate aut corde hominis judicium mihi non assumo: Id soli Deo καρδιογνώστῃ competit. Apertè tamen diffiteri non ausim Dominum Jesum quibusdam ex Judæorum majoribus, qui tempore suo vixerunt, insignem tribuere malitiam, peccatum nempe seu blasphemiam in Spiritum S. quæ neque in hoc neque in futuro seculo sit condonanda; *Matt.* XII. 32. *Marc.* III. 29. Et cùjus Pilatus ipsos habebat reos, qui noverat eos Jesum tradidisse per invidiam, *Matth.* XXVII. 18. Sed tam grandis sceleris omnes sine discrimine accusare nolim, cùm Dominus Jesus ipse de crucifigentibus se dixerit eos nescivisse quid facerent. *Pater*, inquit, *remitte ipsis: nesciunt enim quid faciant*: *Luc.* XXIII. 34. Et Paulus: *Si cognovissent Dominum gloriæ, nequaquam crucifixissent illum*: 1 *Cor.* II. 8. Sed præcipuè quia Petrus disertè testatur, *Act.* III. 17, non solum Judæos generatim, sed etiam *Principes* eorum (paucis fortè quibusdam exceptis) *per ignorantiam* auctorem vitæ interfeciſse. Cùm ergo Christus, Paulus & Petrus ita de ipsis etiam Judæorum principibus senserint, malo ego quoque de hujus temporis Judæis judicare, eos non ex animi malitia, sed ex ignorantia, quamvis facile evitabili, hunc nostrum Jesum & sanctam ejus religionem rejicere & aspernari.

*Duplex ipsorum error; 1. Quod literæ legis nimis sint affixi.*

Duæ ergo tantum aliæ incredulitatis Judæorum causæ supersunt, Error nimirum, seu crassa in intellectu ignorantia, & vehementes affectus, qui vel ex isto errore nascuntur, vel illius causſa sunt eumque alunt & corroborant.

*2. Quod nimio in pretio majorum traditiones habeant.*

Quod ad errorem attinet, is in eo præcipue consistit, quod illi Legem & Veteris Testamenti Prophetas ad literam solùm interpretantur, seu quod servi literæ sunt: 2 *Cor.* III. Ita ut primò, nullum alium sensum pro vero & à Deo intento habeant, præter externum illum quem nuda litera significat: Secundò, quod ipsi sensum illum, etiamsi litera præcisè sumpta eum non requirat, pro vero & proprio sensu habere volunt, qui ab ipsorum Sapientibus & Rabbinis in suo Thalmud, aut à suorum Thalmudistarum Cabala pro genuino sensu habetur. Hac in re Pontificios traditionarios imitantes, & suam legem, quando præconceptis opinionibus adversari videtur, non rationibus ex ipsa petitis explicantes, sed secundum Rabbinorum traditiones comprehensas in Thalmude; quod primum Hierosolymæ, septuaginta post illius per Vespasianum excidium annis, conditum est; deinde circa quingentesimum à nato Christo annum Babylone per Judæorum Sapientes prolixis expositionibus est auctum. Quas traditiones acriter adeo defendunt, ut eas legis animam vocent, & majore in pretio quam Legem ipsam habeant, quæ seorsim à traditionibus sit ipsis instar cadaveris spiritu destituti, laternæ sine candela, putaminis sine nucleo, & ossis sine medulla.

Duplicem hunc errorem Dominus Jesus dicit obstitisse quo minus Judæi ipsum reciperent. Primum quidem, quando ipsos admonet *Joan.* V. 39; *Scrutamini Scripturas; quia vos videmini vobis in ipsis vitam æternam habere, & illæ sunt quæ testificantur de me.* Et *Matth.* XXII. 29; *Erratis nescientes Scripturas, neque potentiam Dei.* quamvis hæc verba propriè Sadducæos tangant, cum quibus Judæi qui inter nos habitant nullum habere volunt commercium, utpote stantes à partibus Pharisæorum, qui mortuorum resurrectionem credebant, ut videre est *Act.* XXIII. 8. Paulus quoque ostendit hanc fuisse causſam cur Judæi Euangelium non amplecterentur, 2 *Cor.* III. 14. 15. *Occalluerunt mentes eorum usque ad hodiernum diem*, inquit ille. Itaque *non est retectum eis in lectione Veteris Fœderis velamen illud quod per Christum aboletur; Sed ad hunc usque diem eum legitur Moses, velamen cordi eorum impositum manet.* Secundum etiam patet ex eo quod Christus dicit ipsis *Joan.* V. 46. *Si crederetis Mosi, crederetis etiam mihi: nam ille de me scripsit. Quod si scriptis illius non creditis, quomodo verbis meis credetis?* hoc est, si ad Mosis mentem rectè attenderetis, & legis quam vobis dedit sensum per glossas & cabalam vestrorum

tum Rabbinorum non depravaretis, meam etiam doctrinam, quæ cum Mosis lege optime congruit, amplecteremini. Nam *Matth.*XV.9. ipse inquit, *Frustra me colunt docentes doctrinas quæ sunt mandata hominum*; hoc est, ut antea dixerat, traditiones per quas Lex irrita reddebatur, & ejus mandata in perversum sensum torquebantur. Ideo etiam eos vocat *cæcos ductores*, & Pharisæorum & Sadducæorum doctrinam *fermenti* nomine insignit, à quo sibi discipulos suos cavere vult; *Matth.*XVI.6. Quod fermentum procul dubio inter eos huc usque remansit, imò multiplici alio novo auctum & dilatatum est: ut ex ipsorum Thalmude videre est, & nostrorum temporum experientia docet.

Quæret aliquis, Qua in re error iste consistat? Resp. In eo quod ipsi omnia Veteris Testamenti loca, quæ de Messia aut ejus regno loquuntur, ita secundùm literam accipiunt, ut aliter ea non intelligant quam nudus literæ sonus fert, aut ipsorum Sapientes & Legis periti volunt intelligi. Ac proinde cùm de Messia dicitur, Eum Davidis filium futurum, alio illud modo non interpretantur, quam ipsum generatione naturali ex Davidis prosapia originem tracturum. Quantumvis ergo miraculosè Jesus ex Davidis semine natus sit, id nullius apud ipsos est momenti. Naturali & communi cum aliis mortalibus modo nasci eum volunt. Quando de Messiæ regno dicitur, ipsius tempore *montem montis Domini præparatum fore in vertice montium, & montem illum supra alios omnes montes exaltatum iri, Esa.*II.2. *Lucem Lunæ futuram sicut lucem Solis, & lucem Solis septies futuram clariorem luce septem dierum; Esa.*XXX.26. *Lupum habitaturum cum agno, & pardum cum hædo accubiturum, & vitulum, & catulum leonis, & bubalum simul, & parvum puerum ducturum eos, & vaccam & ursum una pascituras, & natos earum simul cubituros, & leonem instar bovis paleam comesturum*, &c. *Esa.*XI.6.7. Ipsum *ab uno mari dominaturum usque ad alterum, & a flumine usque ad extremos fines terræ*; *Zachar.*IX.10. *Omnes reges mari & insularum ei servituros, & coram eo procubituros, pulverem terræ lincturos, & ipsi munera oblaturos*; *Psal.*LXXII.8.9.10.11. Eum post Gog & Magog sibi subjectum, generalem orbi terrarum pacem allaturum; *Ezech.*XXXVIII. & XXXIX. Eum tunc *lapideum cor ex Israelitarum corpore ablaturum, & carneum eor omnibus illis inditurum*; *Ezech.*XXXVI.26. Hæc, inquam, omnia loca non aliter accipiunt quàm litera sonat; quæcunque rationes afferantur ad probandum, illa ita præcisè secundùm literam intelligi non posse, quin in palpabiles absurditates incidatur; imò (quod magis adhuc ad eos convincendos valere debet) etiamsi credant pro optima & tutissima istarum Prophetiarum interpretatione habendam esse illam, quam Messias ad quem respiciunt daturus est. Ipse enim est qui Prophetiarum clavem habet, qua occultum illarum sensum referat. Cùm igitur apparet nostrum Jesum hunc esse verum Scripturarum sensum docere, quod sub temporalis gloriæ & felicitatis typis atque umbris, secundum veteris legis stylum, multò major & præstantior gloria adumbrata & veluti depicta fuit, videlicet æterna & cælestis, cujus etiam ipse jam à Deo particeps sit factus; non convenit propter illarum Prophetiarum literalem sonum Jesum rejicere, sed contra propter eam quam affert explicationem, & complementum quod confestim est subsecutum, alio sensu non debent intelligi quàm quo explicavit, & qui in ipsomet impletus fuit. Non enim oportet concludere, Litera promissionis ita sonat, & in Jesu Christo non est ita impleta, Ergo Jesus non est promissus ille Messias; sed sic potius dicendum est; De Jesu testificatus est Deus illum esse Messiam, Jesus verò illam Legis promissionem ita interpretatus est, Et Deus interpretationem illam veram esse comprobavit, ei dando tale gloriosum & cæleste regnum, quale sibi promissum fuisse declaravit: Ergo illa promissionis litera ita exponi debet. Verbi gratiâ, Certò scimus Deum in Novo Testamento æternum & cæleste regnum, civitatem quæ fundamenta habet, & sine manibus exstructa est, hoc est cælum, promisisse suis. Quando igitur Joannes in Apocalypsi, *cap.*XXI, illud regnum & cælum sub ea figura describit quæ ipsi in visione ostensa est, nempe civitatis magnæ, quæ divinam habebat gloriam, cujus lux erat instar splendoris pretiosissimæ gemmæ, in cujus portis duodecim Angeli erant, cujus murus erat è Jaspide, civitas ipsa ex auro puro, & veluti vitrum nitidum, fundamenta ex pretiosis lapidibus, portæ refertæ gemmis, forum ex auro puro & instar vitri splendente, &c. non oportet nos adeo rudes esse, ut sensum ita à Deo depictum & enunciatum, secundum illam figuram explicemus; sed sub ista figura & imagine præstantem & gloriosum illum sensum debemus capere, quem Deus in Joannis phantasia depingere & cognoscendum dare voluit.

Et huic errori prima & præcipua incredulitatis Judæorum caussa est adscribenda. Quæ apud omnes æquos æstimatores gravi reprehensione digna meritò censeri debet; quia illum Prophetiarum sensum, quo ipsis majora, pretiosiora & gloriosiora promittuntur bona, quam eo quem nuda significat litera, pro vero & genuino sensu amplecti recusant; & è contrario literalem, illum sensum omnibus aliis sensibus præferunt, eique mordicus adhærent; hoc est, quia umbram corpori ipsi anteponunt. Si Prophetiarum verba secundum seu mysticum sensum æque clare atque primum seu literalem proponerent, cum specie aliqua pro utroque sensu retinendo pugnarent: sed in verbis nihil est quod eum significet: oportet ipsos velut fidiculis illum inde extorquere: sed frustra, ut apparet. Temporalibus & terrenis bonis inhærent: & universum Messiæ regnum apud eos nihil est aliud nisi terrenus & mundanus status, divitiæ, honores, voluptates. Cælum & cælestia bona atque habitatio mera ipsis sunt figmenta. Terra quam æternum duraturam existimant, Israelis cælum erit & sempiterna sedes. Fac igitur nuda Prophetiarum verba, terræ tantum & terrenæ felicitatis meminisse, & Jesum nostrum declarare Deum sub illa litera, tanquam sub cortice, maximum bonum & millies præstantiorem gloriam & gaudium occultare voluisse, Deumque huic Jesu testimonium perhibere quod veritatem fideliter docuerit, ideoque postquam illius gratia mortem acerbissimam subivit, è mortuis ipsum suscitare, in cælum assumere, & omnia ei bona illa dare, cum pleno jure & potestate eadem omnibus qui ipsum pro illo promisso Rege & Messia amplexuri sunt, impertiendi: quid à ratione magis est alienum, quàm literæ pertinaciter inhærere, & puerorum instar pomum contractui decem mille talentorum præferre? nam quid aliud id foret quam cum Esauo pro vili pulte primogenituræ suæ honorem contemnere?

Posset ad Judæos excusandum afferri, mirum quidem non esse Deum æterna bona sub temporalium figura intellexisse, & rationi consentaneum esse æterna pluris facere quàm temporalia, & cælestia quàm terrena; sed hunc Jesum & ejus religionem crucem & persecutiones minari, (hoc est, omnis generis mala, directè adversus Legis promissiones pugnantia) iis qui Messiæ discipuli esse volent; quod ab omni verisimilitudine sit alienum. Resp. Cur vero? Quando enim constat Deum sub illa litera aliquid longè melius quam ea sonet intellexisse, certum quoque esse debet ipsum id quod litera sonat dare sibi non proposuisse; & cum id sibi non proposuerit, administrationem & dispensationem bonorum quæ promissionis litera continentur sibi reservare potuisse. Et sibi eam etiam reservare voluisse apparet. nam eo ipso quod Deus hunc Jesum per crucis viam & per passiones tantùm in promissi illius sui regni possessionem voluit introducere, significavit sibi placere ut ipsius imitatores per eandem crucis viam in illud regnum contenderent & ingrederentur. Cum dux & rex præcedat, milites & subditos sequi par est. Adde quod cum ejusmodi magna & cælestia bona temporalium & terrestrium loco promittuntur, vix terrena in considerationem veniunt, aut saltem non ulterius quam quatenus iis indigemus ad cælestia consequendum. Sicut cælo adeo minor est terra, ut ad ipsum collata vix puncti rationem habeat, ita quoque sunt sapienti præ cælestibus terrestria bona, cùm cælestium spes cor ipsius replevit. Si mendico acervus auri aut regnum donaretur, an verisimile est ipsum amplius de terunciis, quos ante aliorum fores solebat accipere, numerandis cogitaturum? Qui luce Solis in meridie splendentis fruitur, an candelam ad videndum adhibere volet? Ideo legimus Apostolos, quo tempore nihil adhuc de cælesti Jesu Christi regno noverant, cor terreni regni spe plenum habuisse. Nihil aliud somniabant aut in votis habebant. Ad dextram & ad sinistram ipsius in illo regno sedere affectabant, & inter se quis maximus ibi futurus esset contendebant. Quod Christus de sua passione prædicebat, non intelligebant, sed in oculis ipsorum id erat occultum. Sed statim atque per Spiritum sanctum certiores sunt facti Dominum Jesum in regni sui cælestis possessionem ingressum esse, de legis promissionibus amplius non cogitabant. Et gaudium in iis magnum excitabat hæc cogitatio, se cælum in hæreditatem accepturos. Terra tunc ipsis vile nimis tabernaculum videbatur. Cum ex uno in alium locum cogebantur vagari, lætabantur, imò gloriabantur *sub spe gloriæ filiorum Dei, Rom.*V.2. Cum cædebantur flagris, *gaudebant quod digni fuissent habiti pro Jesu nomine contumeliam pati: Act.*V.40.41. hoc est, eandem cum suo glorificato Domino & Magistro sortem habere. Cùm hic bonam apud Deum & homines conscientiam solùm habebant, & cor præsentibus contentum, de nulla re amplius solliciti erant. Cum pacem cum Deo & animo suo habebant, & indubitatam æterni & cælestis regni spem, se Dei fore hæredes & Jesu Christi cohæredes, Deum sibi in hac vita multò plus dare credebant, quam si omnia illa bona & divitias, quas lex

ſectatoribus ſuis promittit, ipſis donaret. *Omnia*, inquit Paulus, *duco eſſe damnum propter eminentiam cognitionis Chriſti Jeſu, cujus gratia omnibus iſtis meipſum multavi, eaque duco proſtercoribus, ut Chriſtum lucrifaciam*, &c. *Philipp.* III. 8. *Statuo minimè eſſe paria quæ præſenti tempore perpetimur, gloriæ in nobis retegendæ*; *Rom.* VIII. 18. *Momentanea enim levitas afflictionis noſtræ, excellenter excellentis gloriæ pondus æternum conficit nobis*; *dum non ſpectamus ea quæ cernuntur, ſed ea quæ non cernuntur. Nam quæ cernuntur, temporaria ſunt*; *at quæ non cernuntur, æterna*: 2 *Cor.* IV. 17. 18. *Gloriamur ipſi ſub ſpe gloriæ Dei. Neque id ſolum, ſed etiam gloriamur de afflictionibus*; *ſcientes quod afflictio tolerantiam efficiat, tolerantia vero experientiam, experientia autem ſpem, ſpes vero non pudefaciat*: *Rom.* V. 2. 3. 4. 5. *Nam ſpe ſervati ſumus*: *Rom.* VIII. 24. Et id Judæo mirum videri non debet, cùm plerique inter ipſos probiſſimi, ne Prophetis quidem exceptis, quibus ſecundum legem omnes temporales benedictiones promiſſæ erant, omni afflictionum & injuriarum genere à ſuo etiam populo premerentur: qui ſe hac ſuſtentabant fide, quod Deus qui ipſis non dabat quæ legis literali ſenſu promittebantur, multò majus & præſtantius ſibi bonum largiturus eſſet, cui bonum verbis legis promiſſum nulla ratione eſſet æquiparandum: ſicut legimus *Hebr.* II. 39. 40. *Non obtinuerunt illi promiſſum*, (nempe legis:) *quoniam Deus nobis melius quiddam providerat, ne abſque nobis conſummarentur*: hoc eſt, nullâ aliâ quam crucis viâ ad illam pervenirent gloriam, in quam Meſſias & omnes ipſius fideles ingreſſuri erant: ſicut antea ſignificatum fuit de iis qui *liberationem neglexerunt, ut potiorem reſurrectionem nanciſcerentur*: *verſ.* 35. Unde ſequitur promiſſiones legis nequaquam eſſe reſciſſas, quando Deus filium ſuum, Meſſiam promiſſum, & ejus fideles ſubditos per afflictiones & crucem in gloriam vult introducere; cùm gloria illa multo majus ſit bonum eo quod lege promiſſum eſt. Imo inde colligi debet Deum ſub bonis quæ lex diſertis verbis pollicetur, tanquam umbris & figuris depingere voluiſſe multò præſtantiora bona, illaque iis ſolum dare qui ſibi fideliter eſſent obedituri, parati per eandem ire viam per quam ſuus Rex & Meſſias ipſe in ſuum regnum introducendus eſſet. Adeo ut olim quidam non inſcite dixerit; Cæleſtem ſalutem & beatam immortalitatem tantum eſſe bonum, ut potius credi deberet eam obtineri non poſſe, quàm per aliam quam crucis viam obtineri.

Et hæc eſt prima cauſſa cur Judæi ad Chriſtianam fidem non convertantur; quæ in intellectu ſita eſt.

*Amor Judæorum erga ſeipſos & ſuos Rabbinos.*

Secunda cauſa ortum ducit, ut arbitror, ab illorum affectibus, qui aut ex errore iſto procedunt, aut tanquam ſquamæ vel glaucoma ſunt quo ipſorum intellectus magis ac magis obnubilatur & in errore ſuo confirmatur. Hi affectus ſunt amor & odium, eorumque alter ex altero originem trahit. Per amorem intelligo propenſionem illam animi qua Judæi tum erga ſeipſos, tum erga Rabbinos & Magiſtros ſuos feruntur. Amor quo ſeipſos proſequuntur, ſeu ipſorum φιλαυτία, in eo conſiſtit; quod ſibi perſuadeant ſe ſolos electum & Deo dilectum populum eſſe, ſanctum illum gregem, charum illum Dei Iſraelem, quem Deus ex omnibus aliis populis ſelegit, & cui leges ſuas dedit, promiſitque fœdus quod cum ipſorum majoribus pepigit æternum futurum, & tamdiu quam fœdus initum cum Sole & Luna duraturum: 2 *Sam.* VII. *Pſal.* LXXII. & LXXXIX. *Jerem.* XXXIII. Hæc gloriatio ſemper ipſis in ore fuit, adeo ut ſuorum regum temporibus ei ſoli inniterentur, & Deum ſe perpetuo gratia & amore proſecuturum & favore ſemper præſentem futurum ſibi perſuaderent; clamantes ſe eſſe *templum Domini, templum Domini, templum Domini*: *Jerem.* VII. Ita temporibus Joannis Baptiſtæ, ſe Abrahami filios eſſe, & tales in æternum manſuros gloriabantur: contra quos Joannes tonat, *Deus poteſt de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ*, &c. *Matth.* III. 9. 10. Et temporibus Chriſti: *Joan.* VIII. 33. Et temporibus Pauli: *Rom.* IX. 7.

Et Deum quidem tale cum Davide fœdus pepigiſſe manifeſtum eſt. Deum etiam fœdus illud ſervare velle extra controverſiam eſt. Ideo enim legimus Deum dies oppreſſionis populi ſui contraxiſſe, ne *omnis caro*, id eſt univerſus populus Judaicus, exſcinderetur: *Matth.* XXIV. 22. idque *propter electos*, hoc eſt (ut exiſtimo) propter Abrahamum, Iſaacum, Jacobum & Davidem. Ideo Paulus *Rom.* XI. 28. 29. dicit, *Ipſos quod ad Euangelium attinet eſſe inimicos propter Gentiles*; *quod ad electionem autem dilectos, propter Patres*; *eò quòd dona & vocatio Dei ſint ἀμεταμέλητα*: hoc eſt, ea gratia quod Deus populum Iſraeliticum ſemel in populum ſuum aſſumpſit, apud Deum firma & irrevocabilis æternum manebit. Quò reſpiciunt etiam illa, *Obdurationem Iſraeli obveniſſe ex parte*, id eſt ad certum uſque tempus, *tantiſper dum plenitudo Gentium introierit*: *verſ.* 25. Et ſic Paulus myſterium antea abſconditum revelat, Deum ſingulari adhuc gratia Iſraelitas proſecuturum, eximiamque ipſis aliquam ſe ad Deum convertendi occaſionem oblaturum.

Sed quod hinc colligunt, Deum ſe qui electus ejus populus ſint eò uſque nunquam permiſſurum devenire, ut id quod promiſſum ſibi Meſſiam ſpectat ignorent, aut non adeo recte atque profani gentiles intelligant, utpote quod ſit unum è præcipuis fidei ſuæ capitibus, & præſtantiſſimum legis promiſſum; id fundamento caret. Nam quid ad iſtam rem facit, quod Deus ipſos penitus non vult exſcindere, ſed eis propter Patres parcere? Indene ſequitur ipſos ut Dei populum decet ſe gerere? vel idcirco quia Deus à ſua parte fidelis manet, ipſos quoque à ſua in fide perſeverare? Nullo modo. *Quid tum enim ſi infideles fuerunt quidam? num infidelitas ipſorum fidem Dei irritam reddet? Abſit: imo eſto Deus verax, omnis autem homo mendax. Rom.* III. 3. 4. *Si abnegaverimus ipſum, ille quoque abnegabit nos: ſi infideles fuerimus, ille fidelis manet, abnegare ſeipſum non poteſt*: 2 *Tim.* II. 12. 13. Nonne ſæpe legimus ipſos modo vitulum aureum fabricando, idololatriam cum Baal Peor, cum Beelzebub exercendo, filios ſuos Molocho offerendo, Soli, Lunæ & univerſæ cæli militiæ incenſa faciendo, coram vitulis in Dan & Bethel ſe proſternendo, in excelſis, in lucis & prope flumina immolando, modo aliis horrendis ſceleribus, Deum tam ſæpe ad iracundiam provocaſſe, ut ipſos funditus deleturus eſſet, niſi nunc Moſes & Aaron, nunc Pinehas, nunc Samuel aut alii interceſſiſſent? aut niſi Deus propter ſuum nomen & ſua promiſſa, & quod lumen vellet in Iſraele relinquere, ipſis pepercifſet? Imò nonne videmus decem illius populi tribus tandem in Aſſyriam abductas fuiſſe, & Dei populum eſſe deſiiſſe? Nonne etiam reliquæ duæ tribus in Babyloniam tranſportatæ & ad ſeptuaginta annorum exilium damnatæ fuerunt, hoc eſt ad tantum tempus quantum hominis vita extenditur, ut omnes ibi morerentur? Si Deus illos in tantam devenire miſeriam permiſerit, quia ſe ad ipſum convertere nolebant, cur nunc etiam non ſineret in tam perniciosum errorem labi, cum rectam Meſſiæ cognitionem habere detrectent, & ſe quod ad hanc rem attinet cæteris omnibus longe perſpicaciores eſſe falſo glorientur?

Aliud eſt, inquies, quod Deus populum ſuum in peccatum incidere permittit, aliud quod in ejuſmodi gravem errorem in fundamentali religionis capite. Cur, inquam? Nam 1. nonne peccatum errore eſt gravius? 2. Nonne Judæus æque ſua culpa errare, atque ſua culpa peccare poteſt? 3. Deus-ne ipſos magis ab errore quàm à peccato immunes præſtare tenetur? 4. Nonne ipſi agnoſcere coguntur, quod diu inter ſe aliqui, neque ex minimis, ſed qui Magni ſynedrii Senatores aut etiam ſummi Pontifices erant, in eum errorem incidiſſe nullam fore reſurrectionem mortuorum, nullos eſſe Angelos neque Spiritus, quales fuerunt Sadducæi? Nonne oportet ipſos confiteri unum ex ſuis præſtantiſſimis Rabbinis, videlicet Akiba, quem eodem fuiſſe Spiritu donatum credunt qui olim in LXX ſeniores Moſis tempore deſcendit, cum omnibus qui ipſi adhærebant, eo uſque lapſum eſſe ut crederet ſeductorem Barcocheba promiſſum Meſſiam eſſe, & ipſe armiger ejus eſſe non dedignaretur? 5 denique; Quid Deus non fecit, ut hunc Jeſum noſtrum perſuaderet ipſis eſſe Meſſiam promiſſum? Quid amplius poſſent ipſi à Deo optare aut requirere ut de eo certiores redderentur? Quod ergo Deo hac in re non paruerint & ad ſuæ viſitationis tempus non attenderint, ejus non in Deum ſed in ſeipſos culpam debent conjicere. Non ſufficit ut Deus, ipſorum Deus eſſe velit, ſed ipſi quoque operam debent dare ut ſe tanquam populum Dei gerant. quemadmodum dicit eis *Levit.* XXVI. *Si in præceptis meis ambulaveritis, & mandata mea cuſtodieritis & feceritis ea*, &c. *ponam tabernaculum meum in medio veſtri, & non abjiciet vos anima mea. Ambulabo inter vos & ero Deus veſter, voſque eritis populus meus*, (nempe acceptus.) Quod etiam Paulus citat 2 *Cor.* VI. 16. Dicere, Cùm Meſſias veniat, ille Judæorum quantumvis improbi ſint mentem illuminabit, quia cor lapideum ex omnibus illis auferet; idem eſt atque tribuere Meſſiæ quòd Moſis legem ſit abolituros, & omnes illius promiſſiones & minas exauctoraturus: quod ipſi pro ingenti abſurdo habent.

Ad hunc amorem quo ſeipſos & ſuam gentem proſequuntur, accedit alter erga ſuos Majores & Rabbinos: qui tantus eſt, ut exiſtiment Senatum magnum in ferendo quacunque de re judicio in terra Canaan, præcipue Republica & templo ſtantibus, non potuiſſe errare, utpote ſpiritu Prophetiæ & omnium ſcientiarum præditum. Unde fit ut in animum inducere non poſſint, eos in iſto fundamentali capite tam fœde & tam graviter lapſos eſſe, ut ſuum verum & à Deo miſſum Meſſiam injuſtè crucifixerint & morti tradiderint. Et cùm iſtud à ſe nequeant impetrare, in ſuo errore pertinaciter hærent: idcirco maxime quia ipſorum Rabbini, circa annum à Chriſti morte quingenteſimum, in Babylonico

lonico Thalmude ſententiam adverſus noſtrum Jeſum latam ſuffragio ſuo comprobarunt.

Hunc errorem Judæorum converſioni non exiguum afferre impedimentum, unuſquiſque facile animadvertere poteſt. Procul dubio enim illa Meſſiæ rejectio & damnatio pro graviſſimo læſæ Majeſtatis divinæ crimine habenda eſt, quod idololatria, adulterio, inceſtu & aliis ejuſmodi peccatis longe atrocius eſt. Tantum ergo crimen ſuis amicis & ſapientibus, præſertim tanto numero inter ſe conſentientibus, tribuere, aliud nihil eſt quam ipſos pronunciare reos graviſſimæ pœnæ, & diuturni iſtius exilii atque ſervitutis populi Judaici. Novimus quanti hoc argumentum ſit ponderis apud multos, ſpeciatim apud Romano-Catholicos qui aliud fere nihil in ore habent. Profitentur ſe velle credere ſicut majores ſui, & ſicut Eccleſia ſemper credidit; quamvis forte de majorum & Eccleſiæ ſuæ fide id tantum noverint, quod pſittacorum inſtar Paſtorem ſuum narrantem audiverunt; nempe quia perinde ut Judæi in ſua ſtupiditate & ignorantia enutriuntur. Qui de majorum ipſorum ſalute aut de Eccleſiæ Romanæ infallibitate dubitare incipit, ille pupillam oculi ipſorum tangit. Ovum non eſt ovo ſimilius quam Pontificius Judæo. Et ſane ſi quid ſit quod aliquem à veritate amplectenda alienum reddit, primas in eo tenet ſtolidus iſte Patrum amor. Judæus liberos ſuos docet in omnibus fidem adhibere Rabbinis, etiamſi manum dextram aſſererent eſſe ſiniſtram, aut contra. Pontificius itidem vult credere quicquid Eccleſia dicit, quamvis diceret album eſſe nigrum, & nigrum eſſe album.

Ex hoc cæco amore tanta naſcitur ſtupiditas, ut abſurdiſſimas aliquando non vereantur amplecti expoſitiones, & nonnullorum etiam è ſuis præſtantiſſimis Rabbinis contrarias ſententiæ, quæ (ſi attendente vellent) aperiendis ipſorum oculis non parum inſervire poſſet. Unde fit ut Scripturam non ſolum in recto ejus ſenſu non intelligant, ſed etiam in planè contrarium torqueant. Exempli gratiâ, *Geneſ.* XLIX. ubi prædicitur *ſceptrum non auferendum de Juda, donec*, &c. vocem *Schebet* quæ *ſceptrum* ſeu dominationem ſignificat, malunt *virgam* interpretari, & dicere virgam ſeu caſtigationem non auferendam eſſe de Juda, &c. Quod tamen nullam plane veri ſpeciem habet. Cum apud *Eſaiam, cap.* LIII, de uno Dei ſervo, ſeu de uno Meſſia agi Sole clarius ſit, maluerunt tamen ipſi duos confingere Meſſias; quorum uni eventuræ eſſent omnes illæ afflictiones quæ in iſto capite Dei ſervo ante ſuam exaltationem eventuræ prædicentur; & alteri omnis illa gloria quæ ibidem etiam iſti Dei ſervo eventura pronuntiatur: hoc eſt unum Meſſiam ſtatuerunt fore Ephraim aut Joſephi filium, qui in bello adverſus Gog & Magog fortiter pugnans in ipſo prælio occubiturus ſit; alterum verò filium Davidis, qui feliciter pugnaturus & victoriam de Gog & Magog reportaturus ſit. Quamvis ſint alii qui id quod de ſervo Dei ab Eſaia dicitur, malunt de ſeipſis, ſeu de toto populo Iſraelitico interpretari, quam de vero Meſſia, qui ipſos ab omnibus illis malis ſit ſanaturus quibus ob ſua peccata obnoxii fuerunt. Et ita multis aliis in locis.

*Eorundem odium adverſus Chriſtum & Chriſtianos.*

Hunc ſui ſuorumque amorem ſequitur alter non minus vehemens affectus, implacabile videlicet adverſus Chriſtum & omnes Chriſtianos odium. Adverſus Chriſtum; non ſolùm quia Magiſtros ſuos auderet reprehendere, traditiones ipſorum damnare, & ſine illorum conſenſu, imo contra ipſorum voluntatem in templo, in Synagogis, in foro, ad mare, ſæpe in cœtu millenorum aliquot auditorum, tanquam Propheta aut Rex poteſtatem habens docere, quamvis è vili, utpote fabri filius, proſapia eſſet oriundus, & nulla regali pompa comitatus, piſcatores tantum, publicanos & id genus homines in ſodalitio ſuo haberet; ſed præcipuè quia tanquam pſeudopropheta, ſeditioſus & blaſphemus ab ipſis in ſuo Sanhedrin morti adjudicatus, & vilißimi mancipii inſtar maledictæ cruci inter duos latrones affixus fuiſſet.

Quam vehemens ſit iſtud odium facile quilibet animadvertere poteſt. Nullum majus aut implacabilius odium eſt illo quod juſtum eſſe videtur. Quem merito putamus nos odiſſe, illum perpetuo odiſſe volumus. Nullum autem juſtius odium videtur eſſe eo quod fertur in facinoroſum, qui publica ſupremi Senatus ſententia damnatus, & infami capitis ſupplicio affectus eſt; præſertim quando creditur Senatum illum in judicando errare non poſſe. Sufficit enim ad odium ejuſmodi fovendum, ſi credatur judices illos ex jure agere, etiamſi ab errandi periculo non ſint immunes. Publicæ ſententiæ qualeſcunque ſint plurimum valere ſolent apud hominum vulgus, & quia publicæ ſunt eas juſtas eſſe præſumitur. Quid igitur non poſſunt ſententiæ quæ pro infallibilibus habentur? Vide id ſolum in Papatu. Etiamſi ibi mille uno tempore innocentiſſimi & probiſſimi homines crudeliſſimis ſuppliciis, crurifragio, vivicomburio, &c. è medio tollerentur, juſſu Pontificis aut Eccleſiæ, omnes Romano-Catholici ſtatim aſſentirentur, & ſententias illas, quantumvis crudeles, pro juſtis haberent. Imò etiamſi Chriſtus iterum ab ipſis damnaretur & cruci affigeretur, illud pro meritorio opere, & digno quo obtinerentur indulgentiæ, cenſeretur. Multique talis eſſent ſupplicii ſpectatores, qui cum Judæis clamare non vererentur, *Crucifige, crucifige! ſanguis ejus ſit ſuper nos & ſuper liberos noſtros.*

Inde igitur neceſſario procedit etiam odium adverſus Chriſtianos; quia ſententiam illam pro injuſta, ac proinde judices illos graviſſimi quod ab homine committi poſſit criminis reos habent. Quod ipſos non ſolum alieno à Jeſu Chriſti religione animo eſſe facit, ſed etiam adeò exacerbat ut eam cane pejus & angue oderint, quod ſe illam amplecti non poſſe videant quin majores ſuos, una cum omnibus illis qui per mille ſexcentos annos eos ſecuti ſunt, tanquam Meſſiæ interfectores damnent. Et quia Jeſum ejuſque religionem oderunt, Chriſtianis quoque ſunt infenſi qui illi adhærent. Quod Chriſtus ipſe futurum prædixit, *Matth.* X. 17. *Cavete ab hominibus; tradent enim vos in conſeſſus, & flagellabunt vos in ſynagogis ſuis. Et verſ.* 22. *& ſeqq. Eritis exoſi omnibus propter nomen meum*, &c. *Non eſt diſcipulus ſupra Magiſtrum, neque ſervus ſupra dominum. Sufficit diſcipulo ut ſit ſicut Magiſter ipſius, & ut ſervus ſit ſicut Dominus ipſius. Si ipſum patremfamilias Beelzebub vocarunt, quantò magis domeſticos ejus?* Et *Joan.* XV. 18. 19. 20. 21. *Si mundus vos odit, ſcitis me prius quàm vos illis odio habitum*, &c. *Mementote ſermonis illius quem dixi vobis; non eſt ſervus major domino ſuo. Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur: ſi ſermonem meum ſervaverunt, & veſtrum ſervabunt. Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quia non noverunt eum qui miſit me.* Ideo etiam dicit, *Matth.* V. 11. 12. *Beati eritis cum vos convitiis affecerint, & perſecuti fuerint, & mentientes dixerint quidvis mali adverſus vos propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra multa eſt in cœlis. Ita enim perſecuti ſunt prophetas qui* vixerunt *ante vos.* Quod Paulus copioſius aliquantulum dilatat, 1 *Theſſ.* II. 14. 15. 16. inquiens: *Vos imitatores facti eſtis Eccleſiarum Dei quæ ſunt in Judæa in Chriſto Jeſu; quippe qui eadem paſſi ſitis & vos à propriis contribulibus, ſicut & ipſi à Judæis. Qui etiam Dominum Jeſum occiderunt, & proprios Prophetas, & nos exegerunt, neque Deo placent, & omnibus hominibus adverſantur. Prohibentes nos gentibus loqui ut ſerventur, ut ſemper compleant peccata ſua. pervenit enim ad eos ira ad extremum uſque.*

Unde colligere eſt quam injuſtum ſit Judæorum odium quod ejuſmodi fundamento innititur; nempe quia Jeſus ab ipſorum Senatu damnatus & ſupplicio affectus eſt. Nam quod prætexunt, Supremum ſuum Senatum in tali ſententia ferenda errare non potuiſſe, merum eſt commentum. Contrarium ſane inde patet; quod plerique ex ſanctis Dei prophetis ab illo Senatu damnati & interempti ſunt. Nullus enim Propheta ab alio damnari poterat quam à ſupremo Senatu. Inferiora tribunalia judicium de propheta, quemadmodum Judæi ipſi agnoſcunt, non poterant ſibi aſſumere. Ideo narrat Lucas *cap.* XIII. Chriſtum denunciari juſſiſſe Herodi qui ſuæ vitæ imminebat, fruſtra ipſum id tentare; *Ecce*, inquiens, *ejiciam dæmonia, & ſanationes peragam hodie & cras, & tertia die conſummabor. Veruntamen oportet me hodie & cras & perendie iter facere; quia non contingit ut Propheta pereat extra Jeruſalem. Jeruſalem, Jeruſalem trucidatrix prophetarum, & lapidatrix eorum qui ad te miſſi ſunt*, &c. Quid ergo? annon erravit Senatus ille in occidendis Dei prophetis? Et, ſi ea in re erravit, cur etiam non potuiſſet errare in vero iſto Propheta interimendo? Ratio ſane clamat illos hîc multo fædius lapſos eſſe. Prophetæ enim omnes miraculis prophetias ſuas non confirmabant; ſolummodo ſe à Deo miſſos eſſe profitebantur. At Jeſus illud non ſolum aſſerebat, ſed etiam tam multis & magnis miraculis probabat, ut univerſus populus exclamaret, *Chriſtus cum venerit, num plura ſigna edet in quæ iſte edidit?* *Joan.* VII. 31. Et, ſi Senatus ille errare non poterat, cur quidam ex Senatoribus ſententiæ ejus non aſſentiebantur, ut de Joſepho Arimathæenſi expreſſè legimus *Luc.* XXIII. 50. 51. qui etiam poſt exſecutioni datam ſententiam illam, Jeſum injuſtè damnatum eſſe ſe credere oſtendit? Quod Nicodemum quoque ſenſiſſe cura ſepulturæ Chriſti teſtatur. *Joan.* XIX. 39. Omitto quod Senatus ille ex varii generis hominibus conſtaret, inter quos nec pauci, nec minimæ exiſtimationis erant Sadducæi, quos Judæi noſtri pro perverſis hæreticis habent, & cum quibus nullam communionem colere volunt.

Sed ut ipſos magis adhuc urgeam; Si magnus ille Senatus in Jeſu damnando bene ſe geſſit, ac proinde ſi odium illud quo Chriſtum & ejus religionem proſequuntur juſtum eſt, quæ cauſſa ergo eſſe poteſt quod Judæi per tot ſæcula patria extorres, inter alios populos miſere diſperſi manent?

Sanctiusne aut præstantius possent opus facere quam quod adeo constanter & animosè hunc Jesum rejiciunt? Omnes quam longe & late hæc religio toto sit orbe dilatata vident. Si ergo seductorem qui justè morti fuit traditus pro auctore suo agnoscit, quis non inde colligeret Deum Judæos, quantumvis aliorum peccatorum reos, ea tantum de caussa summo esse amore prosecuturum, quia huic se Christo soli propemodum opponunt, & quidvis perpeti malunt quam illam religionem amplecti, eo fine ut totum orbem ad saniorem mentem revocent, & à tam fœda & pernicioſa hæresi liberent? Idololatria se nunc non amplius inquinant; honeste inter gentes vivunt, saltem prout per legem sibi licere putant; Deum indesinenter pro liberatione orant, & in Christi contemptu constanter perseverant. Quæ causſa ergo fingi potest cur Deus ipsos ita spretos & dura servitute pressos sinat jacere, aut cur tam diu Messiæ quem olim promisit missionem differat? Hinc contrarium potiori jure colligo; Quanto accuratius ad doctrinam suam attendunt, castigatius vivunt, idololatriam studioſius fugiunt, Deum ardentius orant, tantò minus sunt illi accepti Deo & exaudiuntur, quia odio adversus Iesum, Dei unctum ardent, & in sanctæ ipsius religionis rejectione sine pœnitentia perseverant.

Quomodo igitur nos erga eos gerere debeamus proxima concione, si Deus volet, ostendam. Nunc uno verbo cum Luthero dicam; Unius Iudæi crucifixi gratia, cunctis Iudæis felicia omnia à Deo precor.

## CONCIO II.

### In qua enumerantur impedimenta Judæorum conversioni à Christianis objecta; item à Deo, illos justè propter peccata durante. Et quomodo omnia ista impedimenta tollenda sint ut Judæi convertantur.

*Christiani non debent odisse Judæos nec perſequi.*

VIx ullos reperias mortales qui alienori à se invicem sint animo quàm Judæi & Christiani. Judæus credit propemodum se nulla in re Christianum injuria afficere posse; similiter Christianus Judæum. Judæo ad odium suum excusandum sufficit dicere, Ille est Christianus; & Christiano, Ille est Judæus. Sed istud in Judæo adeo non est mirum atque in Christiano. Judæi enim Christum pro seductore habentes, sibi non tantum permissum sed etiam imperatum lege sua esse existimant, ipsum & omnes qui ipsi adhærent odisse, execrari & hostili animo persequi; imo ut Christus ipse, *Joan.* XVI. 2. dicit, Christianos trucidando se *cultum præstare Deo* putant. Sed Christiani etiamsi persuasum habeant Judæos turpiter errare, & gravissimè adversus promissum suum Messiam ejusque discipulos peccare, nihilominus etiam credunt se *inimicos suos* teneri *diligere, benedicere in qui ipsos persequuntur*, & *precari pro in qui ipsos infestant: Matthæi* V. 44. adeo ut alienus quem à Judæis gerunt animus, minus excusari possit quam Judæorum adversus illos.

Quam certum istud sit, in Paulo tanquam in claro speculo videre licet, qui cum Apostolus præputii esset, & Euangelii inter Gentiles præcipue annunciandi munus ei concreditum foret, *Rom.* XI. 13. *Galat.* II. 7. ideoque Judæi ab illo tanquam apostata abhorrerent, imò etiam tanquam Jesu Christi Apostolum ferro & igne persequerentur; infensus tamen Judæis non erat; sed contra omnigenis benevolentiæ testimoniis convincere illos conabatur, se quem tantopere odissent & perditum cuperent, boni & felicitatis ipsorum studioſissimum esse. Quo spectant præcipuè hæc tria; Primò, quod Deum assiduè pro iis orabat, ut gratiam & salutem consequerentur. *Fratres*, inquit, *propensa voluntas cordis mei & deprecatio ad Deum super Israele est ad salutem: Rom.* X. 1. Secundò, quod Judæorum infirmitati ubique inserviebat, & ne ullum eis præberet offendiculum, quo à Christo alieni redderentur, summo studio cavebat. *Omnibus*, inquit, *meipsum servum feci, ut plures lucrifaciam: & factus sum Judæus ut Judæus, ut Judæos lucrifacerem*, &c. 1 *Cor.* IX. 19. 20. Imò à Judæis repulsus, & inter Gentiles docens, ita eos ad Christum abducere nitebatur, ut per ipsos, si fieri posset, *Judæos ad æmulationem provocaret, & ex in aliquos servaret: Rom.* XI. 14. ita modo directè, modo indirectè Judæorum conversionem, tanquam præcipuum ministerii sui finem, intendens. Tertiò, quòd præcedentibus duobus supremum hoc charitatis testimonium addit, se infami & crudelissima morte Judæorum salutem redimere paratum esse, ut videre est *Rom.* IX. 1. 2. 3. ubi ipsum non subito aliquo affectu abreptum, sed animo sedato & præmeditate id protulisse verba ejus ostendunt; *Veritatem dico in Christo, non mentior, attestante mihi simul conscientia mea per Spiritum sanctum, magnam mihi tristitiam esse, & perpetuum cruciatum cordi meo*: nempe quod Judæi animo à Christo adeo sint alieno. Et quamvis malitia ista mereretur ut ego itidem eos aversarer, planè tamen aliter sum affectus. *Optarim enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, cognatis meis secundum carnem:* hoc est, non quidem maledictus & à Christo æternum separatus manere, absque ulla Deum & Christum in cælo unquam videndi spe: (hoc enim, mea sententia, modum excederet, & majorem in Paulo charitatem quam in Christo fuisse argueret; imo illicitum & impossibile homini esse statuo:) sed *anathema esse à Christo*, id est, instar execrandi alicujus facinoroſi, seu instar *cherem*, & *anathema maranatha* tractari: *à Christo*, id est, quasi cum Christo aut Messia nullam haberem communionem, tantum abest ut ejus legatus & Apostolus essem: si modo tali morte Judæorum salutem & ad Christum conversionem redimere possem. Hoc erat procul dubio maximi in Paulo erga Judæos amoris indicium, & nobis, à Gentilibus oriundis, quorum Paulus præcipuè Apostolus erat, exemplum præbet quod imitari debemus, si non in supremo illo gradu, ad quem paucis attingere datur, saltem aliqua ex parte. Quæ charitas si in nobis esset, non solum Judæos aversari desineremus, sed etiam omnibus benevolentiæ officiis, salva semper fide & bona conscientia, prosequeremur. Et in nobis reperiremur, si non tria illa simul quæ in Paulo fuerunt, saltem eorum aliqua, assidue Deum pro Judæis oraremus, & totis viribus eos Christo lucrifacere niteremur, caventes ne quam ipsis occasionem præberemus in incredulitate perseverandi, sed contrà dantes operam ut Iesu Christi religio in bono apud eos odore esset, & sic in unum nobiscum ovile congregati æternæ simul felicitatis consortes fierent.

Non ignoramus quidem, imò supra id ostendimus, Iudæos sibi ipsis obstaculo esse, quominus ad rectam religionis Christi cognitionem & amorem perveniant. Sed si Christiani novam præterea eis materiam suppeditent, qua adversus Christum & ejus religionem utantur, inde procul dubio eveniet ut se magis ac magis in suo odio indurent; & (quod longè pejus est) istud odium quod antea injustum & ab ipsis quæsitum erat, justi odii speciem induet, & insanabile reddetur.

Regeret forte aliquis eodem rem redituram, quocunque nos erga Iudæos modo geramus. Iudæi enim (inquiet) sui semper similes sunt & esse volunt. Paulus & reliqui Apostoli nullam ipsis novam præbebant occasionem Christianæ sese religioni opponendi, nihilominus tamen in incredulitate perseverabant. Pertinax illud & durum hominum genus nullo remedio molliri potest. Resp. 1. Tales etiam erant Iudæi temporibus Christi & Apostolorum, & nominatim tempore Pauli: nihilominus ipsi totis viribus in conversionem eorum incumbebant, & nullam studium suum testandi occasionem prætermittebant. 2. Nec fructu caruit talis agendi ratio. Integras enim Synagogas non semel Christo lucrati sunt. Et brevi illo temporis spatio, quo Apostoli Spiritu S. donati inter Iudæos versati sunt, multa eorum millia se ad fidem converterunt. Quod testatur Iacobus sic Paulum compellans; *Conspicis, frater, quot sint Judæorum myriades qui crediderunt: Act.* XXI. 20. Et Paulus solus *replevit Euangelio* paucis annis totum illum terrarum tractum qui est *à Jerusalem & circumsecentibus regionibus usque in Illyricum: Rom.* XV. 19. Et quamvis multi adhuc in duritie sua obstinati manserint, nullatenus tamen dubito quin si doctrina Pauli in sua puritate, & vita Christianorum in primæva illa innocentia permansisset, pauci ex tam multis Iudæorum millibus in sua incredulitate perseveraturi essent; imo existimo si religio Christi iterum ad pristinam simplicitatem, & Christianorum vita ad antiquam illam innocentiam reduci posset, ostium adeo latum apertum iri, etiam absque miraculis, ut per illud centena aliquot Iudæorum millia in ovile Christi ingressura essent.

Dices: Quid ergo impedit quo minus id fiat? Respondeo. Tres ejus rei causas esse antea monuimus. Prima est in Iudæis ipsis. Secundam eis præbent Christiani. Tertia à justo Dei judicio proficiscitur. De prima causa in præcedente concione egimus: nunc de duabus reliquis, Deo volente, verba faciemus. Secunda incredulitatis Iudæorum causſa à Christianis oritur, quæ præcedentem, videlicet errorem & affectus, alit, & illi speciem justitiæ dat, propterea que frequentius Iudæis est in ore, & Christianis objicitur. Sic enim fieri consuevit. Quando aliquis absque ratione alieno à nobis est animo, nihil est quod magis affectum illum alat & corroboret, quam si ex ore, vel ex doctrina, vel ex actionibus nostris, materiam haurire possit qua odio suo speciem justitiæ conciliet. Tunc enim istam quam ei præbemus materiam,

*Secunda incredulitatis Judæorum causſa. quæ à Christianis oritur.*

teriam, tanquam fulcra & tibicines affectui suo subjicit ne corruat. Ad omnia dicta & facta nostra attendit, eaque per apparentiæ cribrum suspiciosè trajicit. Si forte exciderit nobis verbum aliquod inconsideratum, properè illud arripit tanquam lapidem quem in nos conjiciat. Si quippiam fecerimus quod in malam partem accipi possit, apprehendit illud tanquam ligonem simarium, & eo ad odium suum nutriendum utitur: & cum aliquid novi accedit quod justam aversationis caussam præbere possit, quamvis tunc primum aversatio incipere deberet, id tamen non fit, sed præcedens, quanquam injuste concepta, justitiæ speciem assumit.

Id clare animadvertere est in Judæis; alieno sunt animo à Christo & ejus religione, licet Christus & ejus religio nullam hujus aversationis caussam, quæ quidem alicujus sit momenti, eis præbeant. Propterea accipiunt aut quærunt illam in Christianis: & quicquid à nonnullis Christianis perperam docetur aut fit, id quasi Christus aut ejus religio esset apprehendunt, ut hac ratione injusto suo in Christum & ejus religionem odio, aliquam justitiæ speciem dare queant. Cùm tamen contrario plane modo procedere oporteret, & non ex Christianorum (multò minus aliquorum tantùm) doctrina & factis de religione Christi judicare, sed ex Christi religione, de Christianorum doctrina & factis judicium ferre, hoc est. ea vel approbare vel improbare. Doctrina enim & facta Christianorum non sunt religionis norma, sed contrà, religio norma est doctrinæ & factorum Christianorum. Quam graviter autem hîc errent Judæi, inde evincitur, quod pleraque illorum quæ tanquam caussas à Christianis oblatas arripiunt, ut Christum & ejus religionem aversentur, non sint Christianorum, quatenus Christiani, sed horum vel illorum Christianorum tantùm, qui se solos pro Christianis haberi volunt. Qui Judæorum libros legit, aut eos loquentes audivit, comperiet illos ex Romano-Catholicorum doctrina & factis omnes fere aversationis suæ caussas desumere. (Illi enim diu soli pro Christianis sunt habiti, ipsique se solos veram Christi Ecclesiam esse gloriantur.) Quod tamen plane absurdum est. Perinde enim se res habet, ac si aliquis tempore Christi, ex privatis Sadducæorum, aut Pharisæorum, aut Essenorum opinionibus solis, quid Judæi de religione sentirent colligere voluisset. Sed optandum foret, ut à maxima Christianorum parte, nulla ipsis nova sanctam & salutarem Christi religionem aversandi caussa præberetur.

*Nempe ab ipsorum opinionibus & actionibus.*

Quod ut aliquanto clarius intelligi possit, aperte illa omnia recensebo quæ observare potui huc facere, hoc est quæ mihi justam præbere caussam videntur Judæis alienos à Christi religione manendi, aut saltem quæ ipsi pro caussis afferunt, cur Christianam religionem amplecti nolint. Caussas istas sub duobus capitibus comprehendam, nempe sub opinionibus quas quidam Christiani fovent, & sub actionibus, quæ Judæis offendiculum præbent.

*Opiniones quorundam Christianorum, quæ Judæu ansam dant a Christiana religione abhorrendi.*

Opiniones ad duas reducam. Prima erit de quorundam Veteris Testamenti locorum expositionibus. Altera continebit quasdam sententias quæ pro fundamentalibus religionis Christianæ dogmatibus habentur. Quod expositiones Scripturæ spectat, cogimur apertè fateri multos Christianos, præsertim ante hæc tempora, tam supina cum ignorantia, & tam vehementi nihilominus cum zelo, varios Veteris Testamenti locos explicasse, ut Judæi justam inde occasionem sumpserint, & adhuc sumant, credendi Christianos illis turpiter abusos esse, & violenter ad privatas suas opiniones tuendum, & Judæos impugnandum, detorsisse. Dolendum sane est Scripturam ita aliquando perverti, præcipue à Monachis & aliis indoctis aut improbis hominibus, qui se peccare non posse existimarunt, si textus illius aliquos tanquam lapides arriperent, & in Judæos conjicerent. Quemadmodum etiam nunc videmus obtinere inter Christianos, qui in varias divisi sectas, aliud propemodum nihil faciunt, nisi quod aliquot Scripturæ locos colligunt & accumulant, ad speciem aliquam veritatis opinionibus suis conciliandum; licet loci isti plerumque tales sint, ut neque cælum neque terram attingant. Cum ergo Judæi hæc vident, nunquid occasionem habent credendi, Christianos solidis argumentis, quibus se erroris convincant, destitutos esse, quandoquidem tam ineptis & absurdis pugnant? Etiamsi enim aliquando Christiani optimam tueantur caussam, suspectam tamen reddunt veritatem, cum eam infirmis & nullius ponderis argumentis defendunt. Quod ita se habere omnes rerum intelligentes ultro fatebuntur; præcipue cùm multi inter Christianos docti viri, hoc errore animadverso, ei mederi studuerint, & ut Judæis offendiculum de via tollerent, absurdas istas & contortas Scripturæ citationes rejecerint; speciatim post inchoatam religionis reformationem. Unde multi quoque inter Pontificios moti fuerunt ad istum errorem agnoscendum, & perversis ejusmodi expositionibus contradicendum.

Quantum ad opiniones attinet quæ pro fundamentalibus Christianæ fidei capitibus habentur, & Judæos maximè offendunt, eæ quidem multæ sunt, sed quatuor inter cæteras eminent. Prima est caput de Trinitate, sive de tribus in una Dei essentia personis, prout à quibusdam explicatur; præsertim cùm habetur pro capite necessario credendo, sub pœna amittendæ non solum æternæ salutis, sed etiam vitæ & bonorum temporalium, & tanquam doctrina quæ ex Veteri Testamento peti & defendi potest. Nam si quid est quod Judæos graviter offendat, hoc sanè est imprimis, adeo ut statuant eum qui istud credit, nullam in futuro sæculo partem habiturum. Quamvis autem immerito ita sentiant, existimo tamen hunc lapidem offendiculi facile eis amoveri posse, 1. Si de isto capite nihil aliud doceretur, præter id quod Deus ipse in verbo suo, tam Veteris, quàm præcipue Novi Testamenti, de eo clarè pronunciavit. 2. Si privatæ illæ opiniones, & decreta quæ super hac re in Conciliis aut Academiis facta sunt, pro præcisè ad salutem necessariis non haberentur, sed contenti essemus iis quæ Spiritus Dei nos docuit. Opiniones enim illas tanquam necessarias, ex Veteris aut Novi Testamenti Scriptura tueri velle, caussa est & manebit in æternum, ne unquam Judæo aut Proselyto Christiana religio sapiat. Præsertim cùm Pontificii ipsi apertè fateantur, capitis illius veritatem, non dico tantùm ex Veteri Testamento, (quod etiam multi alii concedunt;) sed nequidem ex Novi irrefragabiliter defendi posse, nisi aliqua accedat Ecclesiæ definitio; tantum abest ut ex Veteri Testamento solo, id necessarium ad salutem esse demonstrari queat. Certum etiam est, 1. Nihil in ejusmodi sublimibus mysteriis tutius esse, quam firmiter Dei verbo inhærere, ne si ab eo discedamus, aut plus aut minus, aut altius aut humilius quàm par est de illis sentiamus. 2. Certum est in decisionibus aut decretis, quæ super iis facta sunt ab Ecclesiis & Doctoribus, tam profundas aliquando subtilitates, tam longe petitas consequentias, tam incomprehensibiles distinctiones intercurrere, ut etiam optimorum ingeniorum captum superent, & eorum acies ad hæc retundatur. Si igitur nihil de isto capite pro necessario habeatur, præter id quod Deus ipse in Veteri & in Novo Testamento revelavit, Judæus inde offendiculum justè capere non potest, nec gravem satis à Iesu Christi religione abhorrendi caussam habet. Et istud potest & debet sufficere nobis qui à Papatu discessimus, & ea omnia quæ ad salutem scitu & creditu necessaria sunt, non solum perfectè, sed etiam dilucidè, in Scriptura S. expressa esse credimus; adeo ut neque Ecclesiæ decisione, neque Doctorum conclusionibus, neque Conciliorum decretis hac in re indigeamus.

Secundum caput est doctrina de absoluta Prædestinatione, respectu tum electionis paucorum quorundam, tum absolutæ reprobationis maximæ hominum partis, & quæ his adhærent; præsertim sicut à quibusdam tanquam fundamentale religionis Christianæ caput urgetur. Nihil enim est quod magis adversus Mosis legem, & omnes Prophetarum libros, pugnare credant, & à quo magis sit metuenda omnis religionis eversio, quàm istud dogma. Nihil quod magis pugnet adversus Mosis legem; quia illa ubique promissa sua sub conditione obedientiæ aut resipiscentiæ à peccatis proponit; prout etiam faciunt reliqui Prophetæ. Nihil à quo magis metuenda sit omnis religionis eversio; quia ab una parte desperationem, ab altera verò securitatem parere nata est; illam in iis qui se reprobos, hanc in iis qui se electos esse persuadebunt. Præsertim cùm doceatur etiam, 1. Omnes homines peccatum aliquod originis ab Adamo trahere, quod ipsos ad omne bonum inutiles, & ad omne malum propensos reddat. 2. Vi opus esse insuperabili ut quis bonus fiat, & ad finem usque talis maneat: quæ cum reprobis denegetur, necessario eos malos esse & in malitia sua perseverare. Ac proinde 3. neminem plus boni posse facere quàm faciat, neque plus mali omittere quam omittat. Denique. 4. Eum qui semel bonus redditus est, nullo quantumvis gravi peccato ex electione posse excidere, & qui malus est, nulla pœnitentia & conversione in Dei gratiam redire. Quæ tanti ponderis esse putant, ut si Christus illius doctrinæ sit auctor, fatendum etiam sit Christum & Mosen, imò Christum & omnem Religionem, adversis inter se frontibus pugnare.

Tertium caput est doctrina de Iustificatione, quam Christiani in eo consistere dicunt, ut credatur Christum omnia bona opera, quæ facere tenebamur, pro nobis fecisse, & justitia sua omnes injustitias nostras tegere: adeo ut ad nostri coram Deo justificationem, non necesse sit nos probos aut Dei timentes esse. Quod nihil aliud esse existimant, quam omnia legis mandata irrita reddere, & per fidem Christi omnem bonorum operum necessitatem tollere. Et revera etiam ita se res habet.

Quartum caput eſt doctrina de Euchariſtia, in qua dicitur panem in eſſentiale Jeſu Chriſti corpus, quinque verborum à Sacerdote pronunciatorum efficacia tranſmutari; adeò ut panis non maneat amplius panis, (etiamſi viſus, guſtus, tactus & olfactus merum panem eſſe teſtentur;) & corpus illud mille locis totum, ſicut in cruce pependit, ſit præſens, & à Sacerdote, abſque ulla ſanguinis effuſione, Deo offeratur, ad expiationem peccatorum tam vivorum quàm mortuorum. Quod ipſi è diametro Moſis legi repugnare arbitrantur, in qua ſine ſanguinis effuſione nulla poterat fieri expiatio; & naturæ atque rationi, quæ non permittit ut id verum eſſe credatur quod proprii ſenſus eſſe falſum dictant.

Iſtæ & aliæ ejuſmodi opiniones, adeo inſulſæ & abſurdæ videntur Judæis, ut inde anſam arripiant à Jeſu Chriſti religione abhorrendi. Pugnant enim, inquiunt, contra rationem & religionem; ita ut qui Chriſtianus fieri velit, humanitati & religioni renunciare debeat. Ad me quod attinet, ſi omnes Chriſtiani has opiniones pro fidei capitibus amplecterentur, non vererer dicere magni ponderis eſſe obſtacula, & quæ merito Judæos impediant ne ad Chriſtum convertantur. Sed quia plurimi Chriſtianorum aſſenſum eis non præbent, & privatæ opiniones non ſunt norma ad quam religio examinari debeat, ſufficientes non ſunt cauſſæ cur Judæi adeo Chriſtum & ejus religionem averſentur. Et hæc de opinionibus dicta ſint.

*Actiones eorundem, quæ offendiculo ſunt Judæis.*

Ad opiniones accedunt Chriſtianorum facta, quæ ſub quinque his ſpeciebus complector: 1. Contentiones & jurgia, non ſolum in temporalibus, & nullius aut exigui momenti rebus; ſed etiam in cauſſa religionis, maximam partem ob ſubtilitates captu difficiles, in quibus alii alios amice tolerare deberent. 2. Schiſmata & ſectas, exacerbationis animorum indices, quibus fit ut Chriſtianus à Chriſtiano tanquam à leproſo aut maledicto abhorreat, & Eccleſiæ adverſus Eccleſias erigantur. 3. Bella non neceſſaria, cruenta & diuturna, quæ hic Princeps adverſus illum gerit, cum horrenda & lamentabili agrorum & urbium vaſtatione, morum corruptione, & multorum millenorum hominum, qui in ſuis peccatis & ſanguine pereunt, internecione. 4. Scandala ſeu offendicula. 5. Injurias atque contumelias.

Ejuſmodi ſane factis, Chriſtiani graves Judæis præbent cauſſas à Chriſti religione abhorrendi; cùm tempora Meſſiæ hac nota in libris Prophetarum deſcribantur, quod in illis charitas & pax regnatura ſint. Charitas quidem, quæ animos ab omni diſſidio alienos reddat: & pax, quæ populos inter ſe concordia devinciat: adeò ut una fides, una religio & una lex ſub uno rege vigeat, & alter alterum non amplius lædat in ſancto monte Domini, nec alter alterum fugiat, ſed potius manu aſſumat, dicens, *Venite & aſcendamus ad montem Domini: Eſa.* II. 3. Nullus populus gladium adverſus alterum attollat, ſed contra gladios in vomeres & lanceas in falces commutet: *Eſa.* II. 4. Imò terra cognitione Domini ſit plena: *Eſa.* XI. 9. & omnes à minimo ad maximum Deum cognoſcant: *Jerem.* XXXI. 34. Nullus immundus aut incircumciſus per Ieruſalem tranſeat: *Eſa.* LII. 1. In ſumma, unio in religione, charitas & concordia in animis, pax in mutua converſatione locum habeat. Cùm ergo Chriſtianos vident jurgiis & contentionibus adverſus ſe invicem indulgere, de variis fidei capitibus, quæ exigui ſæpe ſunt momenti, acerbè diſputare; adeo ut inde ſchiſmata & ſectæ oriantur, quæ ſibi mutuo anathema dicant, & ſe ferro atque igne perſequantur; & ſingulos de veræ Eccleſiæ & puræ Chriſti religionis titulo gloriari: Cum animadvertunt Chriſtianos Principes tam ſubito & tam levibus de cauſſis ad arma proſilire, tam diu cruenta inter ſe bella gerere, & odio mutuo incenſos alterum in alterius perniciem & ruinam conſpirare; quis dubitet quin hæc iis velut ſpinæ ſint in pedibus, quæ impediant ne ad Chriſtum accedant, quem Eſaias *Principem pacis* appellandum dicit? Chriſtiani aut Meſſiæ ſubditi, inquiunt illi, etiamſi eſſent lupi, ſecundum prophetias in agnos mutabuntur; etiamſi inter ſigna militaria & arma forent educati, innocentiæ & pacis vexilla ſectabuntur; etiamſi eſſent litibus & jurgiis diviſi, iterum per charitatem unum cor & una anima fient: quomodo ergo fieri poteſt ut ille ſit Chriſtus, cujus ſubditi ex agnis in lupos, ex placidis in turbulentos, ex pacificis in armorum & belli ſectatores degenerant? Haud dubium eſt quin iſta magnam habeant vim, ad Iudæos à Chriſtiana religione avocandos. Nam multos etiam alios, inter Chriſtianos quoque, propterea pendere animi videmus, & neſcire utrum pluris Chriſtianam religionem, quam Iudaicam aut Turcicam, facere debeant: cùm eam metiuntur ad regulas & praxin vulgo nominatorum Chriſtianorum, qui ea tanquam diſſidiorum, ſchiſmatum & bellorum vexillo abutuntur; adeo ut nullum plane diſcrimen inter Iudæorum Turcarumque mores, & Chriſtianorum odia, cædes, rapinas, religionis pallio indutas, animadvertatur.

Scandala quorum Chriſtianos accuſant ſunt multiplicia, eaque non adeo vitam aut mores ſpectantia quàm religionem. Nam iſta non tantopere culpant; utpote qui ſibi tam ſub lege, quam præſertim ſub Meſſia, voluptuoſum & divitiis delitiiſque abundans regnum & religionem promitti exiſtiment. Præcipuum omnium eſt Idololatria, quam publicè ab iis defendi vident, qui ſe ſolos Chriſti Eccleſiam volunt haberi, eoſque profitentes audiunt, illam ſe ab ipſo Chriſto fuiſſe edoctos, ſive per Euangelium, ſive per non ſcriptas traditiones, & Spiritum ſanctum quo Papa & Concilia fuerunt afflati. Idololatriam hanc dicunt conſpici partim in confectione omnis generis imaginum, non ſolum pictarum, ſed etiam ſculptarum & fuſarum; non tantùm hominum, ſed etiam Dei ipſius & ſanctæ Trinitatis; quæ ubique non ſolum domi, in plateis & in compitis, ſed etiam in templis & ſacellis magno numero proſtant: partim & præcipue in ſtricto illo mandato, ſub vivicomburii aut alius atrocis ſupplicii pœna, honorem iis divinum deferendi, genua flectendo aut proſternendo ſe coram iis, orationem dominicam recitando, altaria erigendo, ſuffitus & incenſa adolendo, cereos accendendo, proceſſiones & peregrinationes ad eas ſuſcipiendo, eaſque in omnibus ſuis neceſſitatibus & auguſtiis ſuppliciter invocando. A quibus duobus Iudæi non minus quàm ab Ethnica idololatria abhorrent, tanquam directè pugnantibus cum Dei mandato, quod *Deuter.* IV. 15. *& ſeqq.* & XXVII. 15. atque alibi legere eſt: ſed ſpeciatim in ſecundo Decalogi præcepto, ubi graviſſima in idololatras, Dei oſores, & ſupremæ ipſius Majeſtatis violatores, addita eſt comminatio. Quod non obſcure agnoſcunt iſtius idololatriæ auctores & defenſores, cum in ſuis precationum libris, formulis, & Catechiſmis, Decalogum inſerturi, ſecundum illud mandatum expungunt, idololatriam ſuam ſacrilegio cumulantes, ut tanto facilius populum excæcatum in obſequio detineant. Quod tam grave Iudæis dat offendiculum, ut millies mori parati ſint, quam ejuſmodi ſacrilegæ legis mutilationi aſſentiri.

Huc accedit idololatria, quam vident exerceri in hominum jamdudum defunctorum invocatione, imo & nonnullorum, de quibus incertum eſt an unquam vixerint, aut in rerum natura exſtiterint, nedum an ſancti & Deo dilecti fuerint; eo fine ut illos apud Deum habeant non ſolum interceſſores, ſed etiam patronos & protectores tam regnorum, provinciarum, & munerum, quam privatorum, & in omnibus neceſſitatibus adjutores. Quod Judæi concoquere non poſſunt; ſtultum eſſe exiſtimantes, ab iis qui nihil intelligunt aut norunt aliquid petere, & idololatricum, eos qui juvare non poſſunt ſuppliciter invocare. Inter cultus iſtos eminet idololatria quæ circa Beatam Virginem, Domini Jeſu matrem, exercetur, & tam fœda eſt, ut Judæus juſtiſſimam habeat cauſſam ejuſmodi religionem abominandi. Nulla enim propemodum eſt Dei proprietas quam ipſi non tribuant: imo ejus miſericordia ſupra Dei & Chriſti miſericordiam extollitur. Nullus eſt religionis actus qui ipſi non exhibeatur; fides videlicet, ſpes, amor, timor, obedientia, &c. adeò ut omnes Pſalmi quos David in Dei honorem cecinit, ad Virginem Mariam detorqueantur, & illa multo ſæpius quàm Deus ipſe invocetur. Quid Iudæo majorem poteſt incutere horrorem, quam inſanus iſte virginis cultus? Quanto ergo magis, cum tres adhuc iſtæ idololatriæ ſpecies accedunt? nempe 1. Adoratio oſſium & reliquiarum ſanctorum defunctorum. 2. Incluſio iſtarum reliquiarum in aureis & argenteis capſis, aut ſub altari, & circumgeſtatio in publicis proceſſionibus ad devotionem erga illas excitandam. 3. Adoratio crucis Jeſu Chriſti, præſertim quando recenter benedicta & conſecrata eſt. Ubi non inferiores cultus exercere vident iis, quibus olim Ethnici Iovis aut Saturni ſimulachra ſunt proſecuti.

Denique in Miſſa adoratio buccellæ panis, quæ videri, tangi, guſtari poteſt nihil niſi mortuum panis fruſtum eſſe; quale neſcio an ullus unquam Gentilis veneratus ſit aut coluerit; utpote qui à ratione alienum videbant id quo veſcebantur Deum ſuum eſſe credere.

Poſſem etiam hîc adjungere immodicum illum honorem & cultum qui Pontifici Romano defertur. Sed id non eſt neceſſe. Si oſſa mortua, ungues, calvariæ, lintea, clavi, lignum, & panis divino honore afficiantur, mirumne videri debet, quod homo vivus, quantumvus ſceleratus, religioſè colitur? Cum Judæus Dei timens iſta animadvertit, fierine poteſt ut Chriſtianus fiat? Et, ſi fiat, nonne id argumento eſt eum vel ſtupidum vel improbum eſſe?

Ad facta denique referenda eſt crudelitas & injuriæ quibus multi Chriſtiani, præſertim qui ſuperioribus ſæculis vixerunt, Iudæos affecerunt. Non dicam quod ubique illo-

rum

rum libri prohibiti & ſuppreſſi, aut caſtrati ſeu mutilati ſint: quod Latina Bibliorum verſio in majore pretio habeatur quam Hebræus originalis textus: quod ipſis non permittatur Novum Teſtamentum in Hebraicam linguam converſum legere; ſed tantum Hebraico charactere, in Græca aut Latina lingua quas non intelligunt. Sed de eo tantum mentionem faciam, quod permittatur ut vapulent ſi penes ſe non habent talos luſorios, aut miniſter publicus non adſit qui eos ducat: quòd ſeparatim ab aliis hominibus, leproſorum inſtar, habitare jubeantur; quod in veſtibus notas flavi coloris geſtare cogantur, ut cæteri eos tanquam abominabiles fugiant: & ſpeciatim quod, ſi ſcelus aliquod perpetraverint, inuſitatis & horrendis ſuppliciis afficiantur, vivi pedibus ſuſpendantur inter duos canes à quibus lacerentur; & multa alia his ſimilia, quemadmodum in Germania, Hiſpania, Luſitania, & aliis locis videre eſt; excepta ſolum Roma, Polonia, & Fœderato Belgio.

Forte aliquis dicet; Quid refert qua ratione tractentur Judæi? nonne ſunt omnes in Chriſtum hoſtili animo? nonne ipſum morti tradiderunt, & omni contumeliarum genere affecerunt? nonne poſtea Chriſtianos crudeliſſime ſunt perſecuti, & nunc quibus poſſunt modis fallunt, uſuris exhauriunt? Reſp. 1. Imò quia Judæi ſunt, à Deo diliguntur propter patres, Abrahamum, Iſaacum, Jacobum, à quibus originem ducunt. 2. Quod ipſorum majores Chriſtum cruci affixerunt, non æquum eſt poſteris, qui ſceleris iſtius non fuerunt participes, imputari. 3. Quod etiamnum in Chriſti odio perſeverant, olim magno ipſis conſtabit, cùm incredulitatis ſuæ pœnas luent. vi ipſos convertere non poſſumus: illorum incredulitas ad commiſerationem potius quàm ad crudelitatem movere nos debet: forte nos ipſi in cauſſa ſumus quod infideles maneant. 4. Etiamſi Chriſtianos oderint, Chriſtianorum eſt diligere eos qui ipſos oderunt. 5. Si propter ſcelera & flagitioſam vitam digni ſint qui dure tractentur, cogitare debemus nos digniores eſſe quàm ut à nobis id fiat. Noſtrum eſt malum bono vincere, & ita carbones ardentes in inimicorum caput coacervare, ut meliore quam ipſos ſpiritu nos duci oſtendamus.

*Tertia incredulitatis Judæorum cauſſa, Deus videlicet induratio.*

Dicet quiſpiam; Hoc quidem ſpeciem habet, ſed revera nullius eſt momenti. Alia enim adhuc eſt incredulitatis Judæorum cauſſa, præcedentibus efficacior, adeo ut extra omnem ſanationis ſpem ſint. Dignum iſtud eſt diligentiore inveſtigatione atque examine. Cauſa hæc proculdubio eſt tertia, quam à Deo & juſto ipſius judicio proficiſci diximus, nimirum Judæorum induratio, de qua Paulus variis in locis tractat, ſed ſpeciatim & expreſsè *Rom.* XI. 25: *Nolim vos ignorare, fratres, myſterium hoc, ut ne ſitis apud voſmetipſos ſapientes, indurationem Iſraeli obveniſſe ex parte*, id eſt quæ ad tempus manebit, *tantiſper dum plenitudo Gentium introierit. Indurationem*, inquit, ſeu, ut habet textus Græcus, πώρωσιν, quæ vox ſignificat callum, qualis in manibus & pedibus aliquando ſuccreſcit, & ſenſum aut obtuſiorem reddit aut prorſus tollit; adeò ut etiamſi aculeus ligneus ibi infigatur, aut cutis inde detrahatur, id fine ullo aut exiguo admodum ſenſu fiat: aut (ut alii volunt) callum qui inter confracta brachiorum aut crurum oſſa naſcitur, & duritiem oſſeæ aliquatenus ſimilem obtinet: aut (ut quidam ſentiunt) tophum qui in articulis illorum qui chiragra aut podagra laborant enaſcitur. Quid iſta induratio in animo ſit, unde oriatur, & quiſnam ejus ſit effectus, diverſimodè judicatur: Et de illa prolixè aliàs tractavi. Sed ut nunc ſpeciatim aliquid dicam de Judæorum induratione, in ea duo ſunt obſervanda. Primò, eam non eſſe malitiæ aut obſtinationis in corda Judæorum infuſionem. Nam ſi ita ſe res haberet, id quod ex ea oritur non eſſet peccatum, nedum peccatum gravi pœna dignum. Quod enim ex Dei ipſius operatione exiſtit, non magis peccatum eſſe poteſt, quam lapidis ex alto projecti, in terram lapſus. Secundò; Neque etiam eſt aut totalis ablatio virium intellectus, ne poſſit intelligere quod in Euangelio continetur; aut virium voluntatis, ne illud quod in Euangelio præcipitur aut promittitur poſſit amplecti. Videndi enim facultatem eripere, aut cæcitatem infundere (quamvis cæcitas, quæ privatio eſt, infundi non poſſit,) & volendi potentiam tollere, unum idemque ſunt. Quod igitur ex privatione virium intellectus aut voluntatis ſequeretur, hoc eſt errare & male agere, id peccatum eſſe non poſſet. Nemo enim dixerit illum, cui oculi ſunt effoſſi, peccare quando non recte incedit, aut forte in prætereuntem impingit. Nemo etiam dixerit illum, cui manus abſciſſæ ſunt aut confractæ, peccare, ſi donum ſibi oblatum manu non apprehenderit.

Quid igitur, inquies, eſt iſta induratio? Ego, ſalvo meliore judicio, illam in hoc colloco; quod poſtquam Deus per Filium ſuum Jeſum, & deinde per Apoſtolos, longo & ſufficienti tempore obtuliſſet gratiam ſuam Judæis, ad quos cum ſignis & miraculis eos mittebat, ut legimus *Matth.* XV. 24. *Act.* XIII. 46. & alibi: ſed plane fruſtra: tandem abundantem illam gratiam ad Ethnicos tranſtulerit; & ipſis non minus excellenter, per Apoſtolos miraculorum dono inſtructos, favorem ſuum oſtenderit, quàm antea Judæis fecerat: præcipue ex quo rebellibus Judæis permiſit ut bello laceſſerent Romanos, qui ipſorum metropolim, templum & regionem ita vaſtarunt, ut Hieroſolymis undecies centena hominum millia fame, peſte, incendio, diſcordia & armis perierint, & nonaginta quinque millia ad metalla damnati ſint; adeo ut *nulla caro* (id eſt nullus Judæus) ſuperſtes futura eſſet, niſi Deus illos oppreſſionis dies contraxiſſet; ut legimus *Matth.* XXIV. 22. & Chriſtus ipſe prædixerat *Luc.* XIX. 43. 44. Ab illo enim tempore Judæi ita ubique inter extraneas gentes fuerunt diſperſi, ut lux Euangelii ipſis non amplius affulſerit, & nulli ad eos Apoſtoli, nulli Prophetæ, nulli Doctores, ſicut antea, privatim ſint miſſi. Ita Deus ſivit eos, quemadmodum olim Gentes, in viis ſuis incedere, & ipſos pariter cum gentibus ſub peccato concluſit, ut legimus *Rom.* XI. 32.

Cum ergo Judæi ita exciſi, patria pulſi, & toto terrarum orbe diſperſi, ſe ad Deum & Chriſtum ejus convertere debuiſſet, factum eſt contra, ut indurati ſint. In animum enim ſuum inducere non poterant, Gentiles qui Euangelio crediderant Deo ſe eſſe acceptiores, qui Abrahami ſemen eſſent; ideoque eis ſe oppoſuerunt, & quaſi per vim Dei populus manere voluerunt. Hoc igitur animi propoſito ſe ab Ethnicis, & à Judæis Chriſtianam fidem amplexis, penitus ſeparârunt, & ſuorum Rabbinorum traditionibus tanquam vinculis ſe adſtrinxerunt, imò quidam etiam diris, ſe nunquam Chriſto & ejus religioni adhæſuros, ſed extrema quæque potius paſſuros, quam ut id faciant. Unde accidit ut callus cor eorum obtexerit, qui impedit ne religionis Chriſtianæ efficaciam animadvertere queant; ſed contra, id omne quod in ſua incredulitate confirmare ipſos poteſt avide arripiant; & (quod peſſimum eſt) ex multorum Chriſtianorum, præcipuè Pontificiorum, qui ſe ſolos Chriſti Eccleſiam eſſe jactant, doctrina, cæremoniis, & actionibus, occaſionem arripiunt Jeſu Chriſti religionem averſandi & repudiandi.

*Quomodo ea tollenda.*

De ejuſmodi, ut arbitror, induratione agit Apoſtolus: cujus Dei deſertio occaſio ſolum fuerit, vera autem & propria cauſa obſtinatio Judæorum; talis tamen quæ cum tempore tolli poſſet, & (ſicut Paulus innuere videtur) reipſa etiam aliquando tollenda ſit. Quomodo, inquies? Reſp. Poſtquam plenitudine gentium ingreſſa, gratiæ oſtium Judæis iterum aperietur, quemadmodum oſtium gratiæ Gentibus apertum eſt, cùm Judæi verbum gratiæ rejecerunt. Quodnam gratiæ oſtium, quæſo? Reſp. Non quo tantum aliquis Judæus hîc illic, religionem Chriſtianam amplectendi particularem nanciſcetur occaſionem: (oſtium enim iſtud unicuique Judæo ſemper apertum eſt:) Sed quo univerſa Judæorum natio, religionem Chriſti propius inſpiciendi, eamque cognitam amandi, occaſionem habebit. Non quod oſtium ita apertum eſſe debeat, ut per illud non poſſint non intrare. Gentibus enim non eſt ſic apertum; & Deus ſervos non vult habere qui coactè officium faciant, ſed ſpontaneos ſubditos: *Pſal.* CX. 3. alioqui ſuam legem aboleret, hoc eſt minas quas adverſus rebelles & impœnitentes pronunciavit irritas redderet.

Quomodo igitur iſtud fiet? Reſp. Deus novit. unicuique libenter meditationum ſuarum libertatem permitto. Quod ad me attinet, exiſtimo id futurum per apertionem aut ablationem illorum peſſulorum, obicum, repagulorum & obſtaculorum quæ ipſos impediunt ne Jeſu Chriſti religionem propius inſpicere velint aut curent. Ablatio autem illa fiet per unam ex his tribus cauſſis, aut per eas tres ſimul. Vel enim tædio tam diuturnæ diſperſionis, & vanæ liberationis ſuæ expectationis, inducentur ad cogitandum, annon Chriſtianorum Jeſus verus ſit Meſſias, & num ipſi fruſtra ſe ſe Doctorum ſuorum traditionibus alligent? Vel Deus immediatè cor ipſorum tanget, quò in ejuſmodi cogitationes veniant. Vel doctos & pios aliquos viros inter Chriſtianos Deus excitabit, qui eos ad iſtud cogitandum adducant, & efficaciter ex ipſorum lege & traditionibus ita facere debere convincant. Primus & difficillimus eſt iſte obex, qui tolli ante omnia debet. Quamdiu enim Judæus ſeipſum cabalæ & majorum ſuorum traditionibus adſtringere vult, tam parum ſpei eſt ipſum ad Chriſtum adducendi, quàm Pontificium, qui nihil aliud credere vult præter id quod Eccleſia credit, Reformatum reddendi. Sed quemadmodum qui Pontificium ab iſto propoſito poteſt abducere, eum propemodum lucratus eſt; ita qui Judæo perſuaſit, ne amplius Patrum Cabalam tanti faciat, non difficulter eum ad Chriſti fidem adduxerit.

Hic

*Nec non duæ præcedentes.*

Hic est primus obex; quo sublato, reliqui tanto facilius tollentur, qualis est videlicet literalis Prophetiarum sensus; cum de his duobus seriò cogitabunt: 1. Si iste Jesus esset Messias, annon ab ipso Prophetiarum clavis accipienda foret, utpote qui optimè Dei mentem in Prophetiis, quæ se respiciunt, nosse possit? 2. Si Prophetiæ quæ secundum nudum verborum sensum intellectæ nihil præter temporales benedictiones continent, de spiritualibus & æternis exponantur, annon ad majorem Messiæ gloriam cessurum esset, credere illum æternarum ejusmodi benedictionum auctorem futurum, quàm si temporalium tantum donator esset? Hac enim ratione, velamen Mosis ab ipsorum oculis & cordibus removeretur, & Jesu Christi gloriam, multo pluris quàm legis, secundùm nudam literam acceptæ, æstimarent.

Religione autem Jesu Christi ita apud eos in bonum odorem adducta, non difficulter deinceps reliqua tollerentur obstacula, quæ ipsis ab aliquibus Christianis oblata fuerunt. Videlicet quod ad Christianorum opiniones attinet, Jesu Christi religionem ex horum vel illorum opinionibus judicari non debere; sed contrà, tum opiniones, tum illas credendi necessitatem, ex Jesu Christi religione judicandas esse. Ac proinde illos solos pro veris Christianis habendos esse, qui nullis humanis legibus conscientias in religionis negotio, sed Deo soli & ejus verbo devinciunt: quemadmodum nulli pro veris Judæis sunt habendi, præter illos qui suas conscientias soli legis & Prophetarum testimonio adstringunt: *Esa.* VIII. 20. Et quod spectat opiniones de Deo & divina ejus essentia, de Deo Patre, de Filio, & de Spiritu sancto, sufficere tantundem de iis credere, quantum Deus in verbo suo revelavit: nec ullis Conciliorum decretis, Doctorum decisionibus, aut Scholarum conclusionibus, necesse esse fidem suam obligare.

Quod ad Prædestinationem, Christi religionem nullius absolutæ reprobationis mentionem facere, sed tantum conditionatæ, quæ liberæ incredulitatis & impœnitentiæ conditione nitatur. Similiter neque electionis; quamvis adeo absurdum non sit absolutam aliquam electionem concedere.

Quod ad Justificationem, Religionem Jesu Christi fidem poscere, non mortuam, sed bonis operibus comitatam, seu quæ per charitatem & mandatorum Dei observationem sit efficax.

Quod ad transubstantiationem, eam merum novumque esse commentum, quod sensibus & rationi directè repugnet. Et ita istud obstaculum plane removebitur.

Quod ad facta attinet, Religionem Jesu Christi omnes contentiones, jurgia & lites tanquam carnis opera damnare. Quod ad diversitatem sententiarum & controversias de quibusdam fidei capitibus, istam religionem non posse eas penitus tollere; frænare tamen, ne in nervum erumpant, amicâ & mutuâ tolerantiâ. Et eos qui propterea schismata faciunt, & se invicem oderunt atque persequuntur, tanquam pacis inimicos, & dissidiorum auctores, vitandos præcipere.

Quod ad bella, 1. Ipsam omnia non necessaria bella summopere execrari. 2. Bella propter religionem suscepta non solum pro non necessariis habere, sed etiam penitus damnare. 3. Ab omnibus etiam necessariis bellis eam adeo esse alienam, ut pacem iniquis etiam & onerosis conditionibus existimet potius esse redimendam, quam ad arma provolandum; imò pacem propemodum care satis emi non posse.

Quod ad scandala & offendicula à Papistica multiplici idololatria profecta, religionem Christi ista abominari, & eos qui talia facere docent aut præcipiunt, in illorum numero collocare qui è regno cælorum certò sint excludendi.

Quod ad injurias & contumelias Judæis illatas, eas planè à religionis Christianæ genio abhorrere, & ab illa charitate, qua Deus adhuc populum suum prosequitur; & directè adversus Apostolorum & verorum Christi discipulorum praxin esse.

In summa, Christianam religionem in simplicitate fidei, innocentia vitæ, charitate & pace cum omnibus hominibus consistere. Quæ si prout oportet observarentur, tunc omnes de pacifico Messiæ regno Prophetias complementum suum habituras.

Hisce igitur obstaculis ita remotis, ostium gratiæ latum Judæis putarem apertum fore, & egregiam iis Jesum Christum osculandi, & ejus religionem magnificiendi, occasionem oblatum iri: adeo ut si tunc aliqui adhuc à Christo & ejus religione abhorrerent, id certum foret indicium illos prorsus insanabiles esse.

Utrum autem istud brevi fore sperandum sit, nescio, Fundamenta quidem hujus operis existimo jacta jam esse à multis doctis viris inter Christianos; quemadmodum etiam ex aliquibus Judæorum Rabbinis audivi, Christianos nunc multos alio prorsus secum modo agere quam antea fieri solebat, & sibi multa argumenta eripere, quibus adversus nos pugnare consueverant. Ideoque mutua illa tolerantia quam tantopere Remonstrantes in cætibus suis commendant, ad Christianos inter se uniendos, & omnia non necessaria schismata tollendum, tanto salutarior panacæa mihi esse videtur, quod etiam medium esse possit, quo Judæis aperiatur ostium, per quod ad Christum & ejus religionem ingrediantur. Certè illud spero & ex animo opto, ideoque cum Apostolo, *Rom.* X. 1. dico, *Propensam voluntatem cordis mei & deprecationem ad Deum super Israele esse ad salutem.*

Concludo Davidis regis & Prophetæ verbis, *Psal.* CXXII. *Orate pro pace Hierusalem. Prospere agant diligentes te. Sit pax in antemurali tuo, prosperitas in palatiis tuis. Propter fratres meos & proximos meos loquar nunc pacem de te. Propter domum Domini nostri quæram bonum tibi.* Amen.

M. SIMONIS EPISCOPII

# RESPONSIO AD QUÆSTIONES THEOLOGICAS LXIV,

*Ipsi à Discipulis in privato Disputationum Collegio, Amstelodami propositas.*

## De Genealogia Christi, ex *Matth.* I. & *Luc.* III.

### QUÆSTIO I.

*Tres hasce quæstiunculas tanquam minutulas atque exigui momenti omitto, quibus quæritur:*

I. *Cur Matthæus Euangelium suum vocet* τὴν τοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ γενέσεως βίβλον, *cum & ejus vitam accuratè narret.*

II. *Cur ab Abrahamo genealogiæ initium sumat.*

III. *Cur quatuor mulierum Thamaris, Rachabæ, Ruthæ ac Bersabeæ mentionem faciat.*

*Duas etiam alias quæstiones, difficillimas quidem & admodum intricatas, sed non ad hunc locum, hocque caput, ut mihi quidem videtur, sed propriè ad vetus Instrumentum, ubi primæ de iis agendi datur occasio pertinentes, volens ac sciens prætereo; illas nimirum de quibus acerrimè à Theologis & Chronologis disceptatur.* 1. *qua ratione Boos Salmonis ex Rachaba filius, Obed generasse dicatur ex Ruth, cùm inter tempora Rachabæ ac Ruthæ elapsi fuerint anni minimum* CCC. *Hæc enim vixit paulò ante tempora Samuelis: Illa temporibus Josuæ, ut ex historia Veteris Testamenti liquet.* 2. *Nihil mihi hîc quærendum existimo de duobus regibus, Joramo ac Ozia, ob caussam quam jam dixi.*

*Verùm impræsentiarum tantùm quærere libet: Quomodo primum caput Matthæi cum tertio Lucæ conciliari possit; cùm in illo adeò diversa, imò planè alia nomina sint ab iis quæ in hoc capite referuntur.*

*Cui quæstioni immediata comes esse videtur hæc quæstiuncula, quam coronidis loco adjicio, qua quæritur; Quomodo cùm in partes æquales genealogiam dispescuerit Matthæus, secundæ vel tertiæ parti decimusquartus desit?*

### RESPONSIO.

VT quæstionibus his satisfiat, obiter primùm respondebimus ad eas quæ à quæsitore indicantur, sed studio quasi prætereuntur: deinde ad eas ad quas responsum directè desiderat.

*Quid sit βίβλος γενέσεως.*

Quod ad primam attinet: Non est necesse ut dicamus Matthæum Euangelium suum vocare βίβλον γενέσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ: Neque enim verba ista: βίβλος γενέσεως, titulum libri continent, aut potiùs argumentum ejus, sed tantùm initium capitis primi, sive Euangelii totius: (capita enim in principio non fuisse certum est:) quod à catalogo majorum Christi recensendo fit: ita ut βίβλος hîc non sit liber integer, sed, Hebræorum more, catalogus sive tabella genealogica, quam Hebræi vocant ספר תולדות, uti ab aliis jam prolixe adnotatum est. Quia vero Hebræi solent à primis vocibus librum inchoantibus totum librum denominare, nihil vetat quin eadem etiam ratione Euangelium totum Matthæi βίβλος γενέσεως vocetur. Qui distinctionem faciunt inter γένεσιν & γένεσιν nescio an causam satis justam habeant. Necessariam non habere certum est. Verisimilius & planius est id quod diximus.

*Cur Matthæus genealogia Christi*

Ad secundam quæstionem. Caussa duplex dari potest: 1. quia Abrahamo aut familiæ ejus peculiariter prima de benedicto semine promissio facta fuit. 2. quia populus Judaicus in eo constituebat maximam dignitatem suam, quod ab Abrahamo oriundus esset: adeò ut Abrahamum patrem suum vocaret, *Joan.* VIII. 39. quasi generis sui principium ab Abrahamo duceret, & quæ ad alios ante Abrahamum dicta erant, ea ad alios omnes populos pertinerent: quæ verò ad Abrahamum ea ad se solos pertinere existimarent. Primum autem præcipuumque Abrahamo factum promissum, fuisse de semine in quo benedicendæ erant gentes omnes: ejusque complementum excellentissimum fore in Messia gentium omnium Rege.

*initium ab Abrahamo sumat.*

*Cur quatuor mulierum mentionem faciat.*

Ad tertiam. Ego salvo aliorum judicio existimo, id maximè factum ob hanc caussam, ut hac ratione tacite occurreret Judæorum obtrectationibus, & cavillationibus contra exilem & tenuem Josephi ac Mariæ conditionem: quasi videlicet indignum sit ac stolidum credere, Messiam illum Regem ac dominatorem prodiisse à fabro, aut à tenuissimæ atque humillimæ conditionis virgine, quasi diceret: videantur majores Messiæ, Thamar incœstuosa, Rachab meretrix, Ruth Moabitis, Bersabæa adultera. Quid? an indignum non est Messiæ ut ex istis nascatur? Et indignum putatis eo, quod eum natum dicamus ex Maria virgine, Judæa, honesta, pudica, nulliusque criminis rea? Quæ alii dicunt, ea mihi nimis videntur esse quæsita & aliena.

*De ætate Rachab & Ruth.*

Ad quartam. Ætatem Rachab incidisse in tempora Josuæ, certum est. at ætatem Ruth incidisse in tempore Heli aut Samuelis, incertum, controversum & nullo modo verisimile est, ob eam ipsam rationem quam allegat quæsitor, quòd alioquin inter Rachab & Ruth elapsi essent ad minimum trecenti anni. Quare quod Josephus lib. v Antiqu. cap. XI. historiam Ruth in tempora Heli incidisse narrat, manifestus anachronismus videri debet. Certum quidem est inter Salmonem & Davidem trecentos sexaginta sex annos à Chronologis computari; atque inde controversiam nasci, quomodo hiatus ille expleri possit tribus istis capitibus, quæ intermedia saltem numerantur inter Salmonem & Davidem: nimirum Booz vel Boaz, Obed, & Jesse vel Isai. Sed non displicet mihi solutio ista, qua hiatum istum suppleri nonnulli posse credunt, per singulorum istorum μακροβιότητα, quam ipsa historia singulorum videtur indicare: si id modo excipiatur quod Spanheimius non videtur attendisse, Rachabæ sine exemplo tribui, quod anno ætatis suæ LXXXVI Boozum genuerit. Hoc enim in fœmina miraculosum videri debet, cujus corpus ista ætate est νενεκρωμένον. Salmoni paulò plures anni tribui possunt, si statuatur fuisse annorum LVIII aut LIX cum terram promissam ingrederetur, Rachab verò XV vel ad summum viginti. Sic enim Salmon eam postmodum duxisse dici potest, cum ipse esset annorum LXXXV vel LXXXVIII, ipsa verò XL aut XLV. de Boozo constat eum grandævum fuisse, & Ruth juvenculam, ex Ruth *cap.* III. 10. Similiter de Obedo dici quid vetat? De Isai, quòd Davidem genuerit centenarius, aut provecta admodum ætate, ut credatur caussa in textu est, 1 *Sam.* XVI. Ex hisce ita conjunctis, numerum istum CCCLXVI annorum elici posse dubium non est. Ex quo etiam infero, verisimile non esse ætatem Ruth incidisse in Samuelis tempora: cùm Isai jam tum centenarius esset. & si centenarius Obed fuisse dicatur, quando gignebat Isai; Booz vero etiam centenarius, cùm ex Ruth gigneret Obedum; vixisset Ruth præter propter ducentos annos; quod nullo modo verisimile est.

*De tribus τεσσαρεσκαιδεκάσι Matthæi singulis quatuordecim generationibus.*

Ad quintam. 1. Ego in ista sum sententia. Matthæum τεσσαρεσκαιδεκάδας has non eo animo recensuisse, quasi non nisi in quatuordecim tantum essent usque ad Davidem, cæteras totidem facere voluerit, ut rotundus numerus esset in tribus: proinde cùm dixit Joram genuisse Oziam, tres interjectos, Ochoziam Joam & Amaziam, præteriisse, quia alioquin numerus excrevisset. Id videtur indicari, quando in prima tesseradecade, *vers.* 17 dicitur, πᾶσαι αἱ γενεαὶ ἀπὸ Ἀβραὰμ, &c. In secunda verò dicitur, non πᾶσαι, sed simpliciter γενεαί. Si quibus insuper videtur caussa aut ratio aliqua fuisse, cur prætermissi illi sint, per nos licet: Nos conjecturæ non afficiunt.

*Conciliatio Matthæi & Lucæ ex Africano.*

His præmissis, ad primam principalem quæstionem, quæ alioquin ordine sexta est, respondeo: Conciliationem Matthæi & Lucæ, eam mihi videri optimam, qua statuitur Josephum duos parentes habuisse; unum naturalem, puta Jacobum, cujus stirpem Matthæus à Solomone deducit; alterum legalem, putà Eli, cui semen suscitaverit ex leviratus jure Jacob; qui, ut Lucas indicat, à Nathane Solomonis fratre descenderit. Fundamentum hujus conciliationis nititur autoritate Africani, scriptoris vetustissimi, & Historici inter Christianos primi ac fidissimi: qui, ut est apud Eusebium, Ecclesiast. Hist. lib. I. cap. VII. in Epistola sua ad Aristidem scripta, ait sententiam istam communiter receptam & à cognatis Jesu Christi traditam esse. Cui addi potest, quod author quæstionum ad Orthodoxos, in responsionibus ad quæstionem LXVI & CXXXIII, apertè pro concesso sumat, Josephum propterea dici & esse secundùm Legem filium Eli, quia naturalis pater Jacob, ex ea quæ Eli fuerat eum genuerat. Quod non obscurè indicat, tum temporis neminem inter eos qui orthodoxi habebantur, de historiæ Africani veritate dubitasse. Hinc & Hieronymus eam amplexus est: & Augustinus ubi Africani historiam intellexit, mutatâ priore sententiâ suâ, qua Eli adoptivum Josephi patrem fecerat, in eandem consensit. Huic sententiæ quid opponi possit solidi non video. Qui conciliationem petunt ex eo, quod Matthæus genealogiam Josephi, Lucas genealogiam Mariæ recenseat, ii non videntur mihi ullam gravem caussam habere, cur ab hac Africani sententia resiliant. Et caussæ sunt non leves, cur eorum mihi sententia displiceat.

I. Quia certum est verba apud utrumque Euangelistam sic concepta esse, ut utrobique genealogia Josephi descripta iis videri debeat; neque aliter quam violenta manu detorqueri possint ad eorum mentem. præterquam quod extra ipsam hanc genealogiam, ἀναμφιλόγως Josepho soli tribuatur, quòd ex tribu & familia Davidis fuerit, uti videre est *Luc.* II. 3.

II. Quia certum est nunquam genealogias texi aut deduci à matribus, sed semper ac tantùm à patribus. Si dicant specialem & extraordinariam hîc esse rationem, tum dicam, superfluam adeoque ineptam esse genealogiam Josephi, quippe qui pater Jesu nullo prorsus modo fuerit, à quo genealogia Christi aliquomodo deduci posset. Cui addo:

III. Quia simpliciter supervacanea prorsus videri debet genealogia Mariæ. Jam enim illa desponsata transierat in familiam sponsi sui. Itaque sive ex tribu Juda, sive ex tribu Levi, sive ex alia tribu esset per naturæ generationem, non censebatur tamen nec censeri debebat ex illa, sed ex ista ex qua sponsus erat; ac proinde fructus qui ex ea nascebatur, non erat fructus Mariæ, quatenus ea naturaliter ex hac aut illa tribu erat, sed quatenus erat ex illa tribu in quam transierat. Itaque propriè fructus sive accessio viri aut sponsi. Quare filius Mariæ Christus non potest in genealogia Mariæ censeri, sed tantum in genealogia sponsi ipsius. Nec sufficit si dicas; Id quidem ita se habere quando fructus ille aut filius nascitur ex conjugio consummato: hîc autem aliter longè rem se habuisse. Nam quomodocunque nascatur, si per divinam benedictionem, absque ullo adulterio aut peccato sponsæ nascatur, id accedit sponso aut marito. Ratio est: Quia fructus ventris, est corporis quædam accessio, uti fructus arborum & vitium, accessiones sunt agrorum & vinearum. Sponsus autem sive maritus, dominus constituitur corporis uxoris suæ sive sponsæ per conjugii vinculum. Ergo ei accedit, quod speciali dono divino accedit sponsæ sive uxori ejus.

Atque hæc vel unica ratio mihi sufficit, ut credam sententiam Africani aliis omnibus præferendam esse, & eos qui quæstiones ac nodos nectunt, ut genealogias diversas, id est diversarum personarum, faciant apud utrumque Euangelistam, frustra esse ut thesin suam probent: Judæis se ridendos propinare, & sibi aliisque inanem simul ac gravem molestiam facessere.

*In secunda vel tertia Matthai tessaradecade decimum quartum non deesse.*

Ad secundam principalem quæstionem respondeo: Placere mihi communem solutionem eorum, qui dicunt Matthæum reddidisse duo nomina Hebræa affinia, יהויכין & יהויקים, per unum idemque nomen græcum Jechoniæ. Ille filius fuit Josiæ; hîc pater Salathielis. Ille si adnumeretur secundæ tessaradecadi, hic tertiæ, jam quatuordecim generationes in secunda & tertia tessaradecade esse, manifestum est. De duobus istis nominibus affinibus sibi legere est 2 Reg. XXIII. & XXIV. Etsi verò in vulgatis & Græcis codicibus non reperitur nomen Joachimi expressum, tamen id in correctioribus iisque vetustis quibusdam græcis exstare certum est: uti Rob. Stephanus, & cum eo Stapulensis & Bucerus affirmant.

## An Paulus præter duas quas habemus ad Corinthios Epistolas, tertiam quoque scripserit?

## QUÆSTIO II.

*Num præter duas istas, quæ hodie exstant, etiam tertia conscripta fuerit ad Corinthios Epistola? videtur enim tale quid indicare Paulus* 1 Cor. V. 9. *Et si hæc fuerit exarata, num idcirco Novi Testamenti vacillet auctoritas?*

## RESPONSIO.

*Verisimile est Pauli Epistolas intercidisse.*

FAcilis est ad hanc quæstionem responsio. Verisimile est non tantùm duas istas, quæ hodie exstant, nec tres tantùm, sed & complures alias Epistolas ad Corinthios scriptas esse ab Apostolo, Ecclesiarum istarum quas in Christo plantaverat amantissimo, & salutis earum æternæ studiosissimo; patris instar, qui tenellorum infantium suorum curam gerit adeò solicitam, ut suæ propriæ vitæ ac valetudini eam posthabeat, cujusmodi affectum sibi passim tribuit, imprimis in utraque hac ad Corinthios Epistola. Vide 1 *Epist. cap.* IV. 15. 2 *Epist. cap.* XI. 28. 29. Complures autem hujusmodi Epistolas intercidisse ego nullus dubito.

*Multi Vet. Test. libri perierunt.*

Nec propterea ullo modo vacillat auctoritas Novi Testamenti, non magis quam Veteris Testamenti auctoritas vacillat, ob deperditos complures libros, quorum diversis in locis fit mentio: inter quos fuerunt libri sive verba Nathanis prophetæ & Gad Videntis, 1 *Paral.* XXIX. 29. & 2. *lib. cap.* IX. 29. verba Hiddonis sive potius visio ejus: verba Ahiæ Silonitæ: *ibidem.* verba Hiddonis Videntis, in genealogiis, 2 *Par.* XII. 15. item Schemachiæ prophetæ: *ibid.* Liber recti: *Jos. cap.* X. 13. & 2 *Samuel. cap.* I. 18. Liber bellorum Domini: *Num.* XXI. 14. Liber Chronicorum Regum Judæ & Regum Israelis. & liber Domini: *Esa.* XXXIV. 16.

*Nec ideò nutat auctoritas Novi Test.*

Nec ratio finit ut ideò credi debeat nutare auctoritatem Novi Testamenti. Nam. 1. Auctoritas Novi Testamenti non dependet à quantitate sed à qualitate, id est non à numero sed à perfectione librorum. Quid si enim unum idemque diversis libris comprehensum fuerit? uti exempli gratia id quod hîc ait Apostolus, *Scripsi vobis in Epistola*, idem est quod in hac & aliis Epistolis non semel scriptum legitur, quod ad rem ipsam attinet, ut videlicet non commisceamini cum scortatoribus. Sed, inquies: quid si alia & plura continuerit? Id, dico, probari non potest, eo ipso quod non exstet Epistola. Qui id affirmat, ei impossibile est id probare. Ratio & præsumtio contrarium dictat: idcirco alia & plura necessaria non continuisse, quia alioquin perdi eam Deus salutis nostræ avidissimus non permisisset. 2. Auctoritas Novi Test. non dependet sic à libris istis, qui Canonici vocantur, quasi videlicet libri isti ita simul juncti, veluti partes essentiales, canonem sive regulam fidei perfectam contineant; ita ut liber aut Epistola nulla addi vel demi posset sine Canonis violatione aut truncatione. Nihil minus. Quis enim dubitet, an non possimus carere Epistola ad Philemonem, Epistola Judæ, 2 & 3 Epistola Joannis, aliisque salva Scripturæ Canonicæ integritate & auctoritate? Sed dependet à sensibus illis, quos necessarios creditu, speratu, factu esse constat ex libris istis pluribus aut paucioribus; quia eos scriptos esse ab Apostolis aut Apostolico suffragio comprobatos compertissimum fuit. Hi libri scripti Canonici vocantur, non activè sed passivè: quia videlicet non canonem propriè completum faciunt omnes simul juncti, sed quia in canone, id est in indice sive registro illorum librorum recensiti sunt, quos Apostolicos esse deprehensum fuerat: oppositè ad Apocryphos, quorum auctor ignorabatur, aut quorum auctorem divinum non esse virum constabat; ac proinde qui in istum indicem non fuerunt relati.

*Alia loci, 1 Corinth. V. 9. explicatio.*

Sunt alii, qui ne cogantur concedere libros aliquos seu Epistolas Apostolorum intercidisse, locum hunc sic exponunt, ut dicant Apostolum non loqui de tertia aut alia Epistola, sed de hac ipsa sua; ita ut, ἐν τῇ ἐπιστολῇ, hîc sit, in hac ipsa Epistola: sensu eodem quo Apostolus ad Colossenses *cap.* IV. 6 scripsisse legitur: *Cùm lecta fuerit apud vos ἐπιστολὴ*, id est hæc mea Epistola. Et habent Chrysostomum, Theodoretum, Theophylactum, OEcumenium alioquin sibi suffragan-

fragantes: sed nimis coacta mihi videtur hæc interpretatio, & quæsita sine necessitate.

## Quis sensus sit illius loci, *Nam omnis igne salietur: Marc.* IX. 49.

## QUÆSTIO III.

*Quomodo Christus verba ista rationis loco usurpare potuerit, ut induceret ad exuendos pravos affectus, cum immediatè subjuncta sint comminationi, ita ut illa videantur potiùs continere confirmationem præcedentis comminationis, quàm rationem? Deinde, quid sibi velit phrasis hæc,* Omnis igne salietur, *& quisnam hîc ignis intelligatur.*

## RESPONSIO.

*Quomodo Scaliger hunc locum legi velit.*

LOcus hic Marci, interpretes fere omnes vexat. Quàm variè, apud commentatores videre est. Non videtur nobis operæpretium varias illas interpretationes recensere. Quod ad lectionem attinet, ea à nemine hactenus vexata fuit, nisi nuperrimè à Josepho Scaligero, qui mendosam eam aut depravatam esse asseruit, proque eo quod recepta codicum omnium non Græcorum tantùm, sed & vulgati & Syri & Arabis consensio habet, πᾶς γὰρ πυρὶ ἁλισθήσεται, legendum esse arbitratur, πᾶσα πυρία ἁλισθήσεται. Ad nos quod attinet, malumus communem lectionem retinere, quia ea consensione codicum stabilita est; & caussa nulla est, cur eam de menda suspectam habeamus, cùm non desit idoneus sensus & verbis rectè satis conveniens; ut jam non dicam, esse, qui istam Scaligeri lectionem aut conjecturam, non satis solidam esse demonstrarunt.

Lectione hac retenta, quæ in hac quæstione etiam retinetur, respondeo ad quæstionem hunc in modum. Duo hic quæruntur: 1. Quæ connexionis ratio sit inter hæc verba & præcedentia. 2. quæ verborum sit sententia.

Resp. ergo: utrumque intelligetur ex totius loci sententia: quæ duplex mihi esse posse videtur, eaque altera alteri contraria, pro diversa tum vocis, πᾶς, tum verbi ἁλισθήσεται

*Quid vox πᾶς hic significet, & ad quos referatur.*

acceptione. Vox enim πᾶς, hic *quemlibet* significat, non omnem omnino hominem. Vox verò *quilibet* referri potest vel ad eos, *quorum vermis non moritur; & quorum ignis non extinguitur*; qui videlicet pravos affectus suos non exuunt, aut jactura partis unius totos se non studeant redimere, de quibus antea actum fuerat. πᾶς ergo, subintellige vel θυσθῆς, vel ἀνητὸν. Vel ad eos, contrario planè sensu referri potest, qui discipuli Christi esse volunt, & periculo aut damno isti se volunt eximere, quod experturi sunt ii quorum vermis non morietur, & quorum ignis non extinguetur. Sic versus hic referetur ad totum id, quod de redimendo toto homine jactura unius partis, à Christo dictum fuerat. πᾶς ergo, subintellige μαθητὴς vel μαθητὴν μου, uti vox πᾶς *Luc.* VI. 40, ex præcedentibus supplenda est.

*Quid significet verbum ἁλισθήσεται.*

Quod ad verbum ἁλισθήσεται attinet, id significare potest, vel consumi simpliciter, quod non de salitis tantum ut fert vocabuli origo, sed de aliis etiam rebus dicitur. Respondet enim Hebræo נמלח *Esa.* LI. 6. ubi de cælis dicitur quod veluti fumus נמלחו, ἁλωσόνται vertit Symmachus, pro eo quod est, evanescent, consumentur. Hinc trita vestimenta etiam dicuntur מלחים *Jerem.* XXXVIII. 11. ἁλισθῆτε sive ἁλισθήσεται: vel, non consumi simpliciter, sed veluti sale putredinem arcente, & pravos humores mordacitate sua exedente & consumente, condiri, ne totum absumatur & computrescat. Allusio hîc manifesta esse videtur ad duplices oblationes, quæ tum adhuc Christi tempore fieri in templo solebant, quarum aliæ erant holocausta, quæ tota in testimonium divinæ gloriæ absumebantur, ita ut nihil eorum remaneret, quod in Sacerdotum aut offerentium usum cederet: Aliæ erant quæ è simila fiebant, & sale condiebantur, quæ peculiariter vocabantur Θυσίαι: ita enim habet Lex, *Levit.* II. 13. apud LXX interpretes, quos Marcus sequitur, καὶ πᾶν δῶρον θυσίας ὑμῶν ἅλι ἁλισθήσεται. Secundum has duplices oblationes seu σωτηρίους, duplex consumtionis modus indicatur; Unus, quo oblatio tota consumitur, quæ videlicet per ignem fit, qui πᾶν ἐξαναλίσκει, ita ut nulli parti parcat: Alter, quo pars tantùm aliqua consumitur, & reliquum manet; uti in illis fit quæ sale condiuntur.

Utroque hoc modo accepta Christi verba, duplicem gignunt tum connexionem, tum sensum apprimè commodum & utilem. Si primo modo, vox πᾶς & verbum ἁλισθήσεται, accipiantur, tum connexio est facienda cum versu immediatè præcedente; & sensus erit hic: Ne dubitate de eo

*Prior sensus hujus loci.*

quod dico futurum ut ignis æternum devoret aliquos: πᾶς γάρ. omnis enim, scilicet qui indulgere mavult affectibus suis quam iis renuntiare, holocausti instar erit, quod totum igne absumi solet. Ira enim & vindicta divina, quæ πῦρ ἐξαναλίσκον est, uti legitur *Deut.* IV. 24. & *Heb.* XII. 29. contra eos flagrabit, in iisque perdendis & consumendis tota occupabitur. unde conjiciendi in hoc ipso *cap.* dicuntur εἰς τὸ πῦρ τὸ ἄσβεστον, *vers.* 43 & 45. quo sensu etiam impii, divinæ iræ destinati, victimæ vocantur, *Esa.* XXXIV. 6. *Jerem* XII. 3. & XLVI. 10. *Ezech.* XXI. 9. 10. & XXXIX. 17.

*Posterior.*

Si secundo modo vox πᾶς & verbum ἁλισθήσεται accipiantur, tum connexio facienda erit cum tota antecedente oratione Christi; & sensus hic erit: Quod dixi certum est, Omnis enim, scilicet discipulus meus, aut qui me Dominum suum ac Magistrum habere vult, seque mihi totum dedere ac tradere, ita comparatus animo esse debet, ut victimæ instar se mihi ac Deo Patri meo sistat, imò holocausti instar; non quod totum igne absumitur, uti holocausta in altari absumi solent & conflagrare, sed quod ita per affectuum propriorum renunciationem veluti per ignem absumitur, ut renunciatio ista, sive ignis iste, salis instar sit, quo condiuntur toti & conservantur ab ira ventura super incredulos, & ab igne illo ἀσβέστῳ. Hoc sensu verbum ἁλίζεσθαι eleganter exprimit, id, quod ante Christus dixerat, per jacturam partis unius, quæ veluti ignis est consumens affectuum vitiositatem, conservari ac redimi totum hominem debere; & id quod subjicit Christus: καὶ πᾶσα θυσία ἁλὶ ἁλισθήσεται, *& omnis oblatio sale salietur*, pulchrè tum cohæret cum hic verbis; si modò particulam καὶ, non faciamus hoc loco copulativam, sed comparativam, quod usitatum esse in Scriptura Sacra multis exemplis demonstrat Maldonatus in hunc ipsum locum. Sic enim tum cohærent verba: Non dico igne absumetur omnis discipulus meus, sed salietur, ut sic scilicet sit victima Deo grata, quia omnis oblatio sale salienda est ex præscripto divino. Salietur ergo, id est saliendus est, sicuti victima omnis salienda est.

*Iterum de priori sensu.*

Nolo tamen differi eos qui primum sensum sequuntur, commodè etiam hæc postrema verba connectere cum prioribus verbis, servata aut relicta particula καὶ in proprio sensu suo: quia illi tum θυσίας distinguunt ab ὁλοκαυτώμασι, hactenus, quod ὁλοκαυτώματα impios designari, aut comparari iis velint, quos ignis iræ divinæ totos saliet, id est absumet: θυσίαις vero pios ac fideles, quos pietas sua salis instar integros servabit & immunes præstabit ab ira divina, ne toti anima & corpore conjiciantur in ignem æternum. Nempe iis pietas usque adeo cordi est, ut sibi ipsis planè renuntient, & quicquid est putredinis sive malorum affectuum, id omne lubentes volentesque diligenti cura ac meditatione eximere animo suo studeant, non aliter quàm sale putredinem arcere ac cohibere solent, ita ut sermo eorum sit ἅλατι ἠρτυσμένος, *Coloss.* IV. 6. in quo nihil est σαπρὸν, *Ephes.* IV. 9. quin & animus totus ἄφθαρτος, sive ἐν ἀφθαρσίᾳ, *Ephes.* VI. 24. quem deinde corporis ἀφθαρσία secutura est. *Rom.* II. 7. 1 *ad Corinth.* XV. 42. 51. 53. 54. 2 *ad Tim.* I. 10. Certè hoc sensu pii ac fideles θυσίαις comparantur, quando videlicet jubentur corpora sua sistere Deo hostiam vivam, &c. *Rom.* XII. 1. & offerre πνευματικὰς θυσίας, 1 *Pet.* II. 5.

*Posterior sensus præfertur.*

Sensus tamen posterior mihi præplacet, qui in hoc consistit: Quicunque meus discipulus esse vult, ille hoc sibi faciendum esse cogitet, ut sibi suisque affectibus renunciet, & non dubitet diligenti cura ac studio, veluti igne quodam, quicquid in se est malorum affectuum (quos scandala dixit Christus) exurere: sic tamen ut exustio ista salis instar sit, cujus beneficio totum conservari solet, parte tantum quadam consumta. Sic enim erit grata Deo hostia, quia omnis hostia sale condienda erat juxta legem divinam.

## De Spiritu qui concupiscit ad invidiam, ex *Jacob.* IV. 5. 6.

## QUÆSTIO IV.

An putatis quòd frustra Scriptura dicat: Ad invidiam concupiscit Spiritus qui habitat in nobis? Majorem autem dat gratiam. Ideo dicit, Dominus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. *Duplex de hoc loco solet moveri difficultas: Tum, unde petitus sit; tum quisnam sit genuinus illius sensus: cum in sacris literis nullus occurrat locus, qui verbis vel sensu priori respondeat. Nec satis etiam constat, de Spiritune Dei an hominis hic sermo habeatur, aut quodnam invidiæ genus designet Apostolus. Et quænam con-*

*nexionis ratio erit cum mutilo isto dicto*, Majorem autem dat gratiam? *ut mittam ultima verba in quibusdam codicibus desiderari: quam ob rem Erasmus judicavit ea textui ab aliquo inserta esse.*

## RESPONSIO.

LOcus hic ex eorum genere est, qui in duos eosque contrarios sensus sine periculo accipi possunt. Sensus hi oriuntur ex diversa aut potius contraria acceptione vocum *Spiritus* & *Invidia:* ita ut *Spiritus*, vel corruptum hominis spiritum, vel renovatum ac regenitum significet: *Invidia* autem vel in bonam vel in malam partem accipiatur. Pro varia acceptione harum vocum, variat etiam Scripturæ iste locus ad quem Iacobum respexisse creditur. Plerique interpretes credunt per Spiritum hîc intelligi corruptam hominis naturam, ut sensus sit: An putatis Scripturam frustra dicere, naturam nostram corruptam ferri ac proclivem esse ad omne malum, ac proinde etiam ad invidiam? Et hi credunt Iacobum respexisse ad loca illa duo, *Genes.* VI. 5. & VIII. 21. ubi dicitur, *Figmentum cordis & imaginationem cordis humani tantum esse malam omni die.* Sensus hic par se consideratus admitti potest sine periculo, dummodo rectè capiatur, & corruptio ac proclivitas illa ad malum omne, non significet originariam illam sive naturalem ac necessitantem ad omne scelus corruptionem, quæ peccatum originale dici solet; sed pravam & acquisitam, vel consuetudine inolitam & exemplis firmatam male vivendi rationem, de qua duobus locis citatis agitur. Quamquam quomodo sensus iste huic loco aptari possit non video: cum Apostolus hîc non loquatur ad eos qui nondum regeniti, sive qui irregeniti adhuc & inconversi erant; sed contra ad eos qui jam crediderant, & religionem Christi profitebantur palam, in quibus Spiritum illum, de quo agitur in prædictis locis Geneseos, adhuc esse non rectè poterat dicere Apostolus, nedum ut dixerit eum in omnibus regenitis concupiscere ad invidiam, inque illis habitare: præterquam quod nuspiam cor, vel cogitatio hominis maligna illa, vocetur *Spiritus qui in nobis habitat.*

*Prima expositio eorum qui per Spiritum intelligunt corruptam hominis naturam, quæ ad invidiam feratur.*

*Secunda, eorum qui per Spiritum, divinum Spiritum intelligunt, & per invidiam vitium invidiæ.*

Hinc alii credunt per *Invidiam* quidem vitium invidiæ intelligi, sed per *Spiritum*, intelligi non spiritum humanum sed divinum, quo fideles imbuti sunt; de quo affirmari à Iacobo ajunt, quod ad invidiam non concupiscat aut non feratur: Id enim contineri interrogatione ista: *An ad invidiam fertur spiritus qui in nobis habitat?* quasi dicat: Nequaquam. Et hi volunt Iacobum respexisse ad locum *Num.* XI. 29. ubi Moses inquit ad Iosuam: *Nunquid æmularis, aut invidia duceris propter me*, id est, mea caussa? Sed iste sensus uti per se bonus & sanus est, ita quibusdam non satis videtur convenire textui: eò quod in eo certi aliquid affirmari à Iacobo arbitrantur, idque indicari verbis λέγει ἡ γραφή.

*Tertia eorum qui Spiritum in secundo sensu, sed invidiam in bonam partem accipiunt.*

His itaque placet tertia sententia, quæ vocem *Spiritus* juxta secundam expositionem accipi vult: at *invidiæ* vocem in bonam partem interpretatur: ita ut Iacobum affirmantem faciant, spiritum illum divinum sive sanctum, qui in fidelibus est, omnino ferri ad invidiam, seu contentionem potius, nempe quatenus allidue contra carnem ejusque studia concupiscit. Locum autem ad quem respexerit Iacobus, volunt esse eum qui exstat *Genes.* VI. 3. ubi Deus ait: *Non disceptabit spiritus meus in homine in perpetuum, eo quòd etiam caro est.* Et hæc quidem interpretatio visa fuit mihi semper verosimillima, quia sanctissimum & scopo Apostoli convenientissimum sensum habet. Fateor tamen duram semper mihi visam vocem φθόνου, si ea exponatur de invidia sancta.

*Auctoris sententia, quæ cum secunda expositione fere coincidit, eamque illustrat.*

Quare crediderim optimam esse interpretationem quam nunc dabo, & quæ cum secunda fere coincidit. Ea hæc est: ut per *spiritum* intelligatur spiritus hominis, non naturalis ille, sed qui cognitione divinæ veritatis ac voluntatis illustratus est: id enim mihi videtur vox κατῴκησεν significare, quæ significat propriè migrare, seu migratum venire: Et per *invidiam* invidia propriè dicta, & quæ vitium est: In oratione autem Iacobi attendatur ad ἰσοτύπωσιν formam. Sic enim sensus erit: Hoccine vos docet divinæ voluntatis cognitio, quam à Iesu Christo per nos accepistis, ut alii aliis invideatis? Minimè verò, subintelligo. Aliam longè majorem gratiam, nempe benevolentiam & caritatem, in nobis excitat: sive tantum abest ut doceat invidere, ut contra potius beneficiat, & bona proximi augere studeat novis beneficiis. Nisi forte quis hæc verba ad sequentia referre velit, ut sensus sit: *Dat*, id est caussa est, ut à Deo imploremus & impetremus multò majorem gratiam. In hunc sensum si accipiantur verba, non est necesse ut confugiamus ad Erasmi aliorumque conjecturas, de interpolato textu, aut per oscitantiam vel incuriam librarii parum eruditi, ex margine in contextum translato. Hoc enim etsi aliquando admitti potest ac debet: tamen tum parum rectè fit, quando alioquin sententia textus & filum orationis constare potest & perspicuè intelligi, sive quando ut id fiat, necesse non est. Si quæratur porro: Quis itaque est locus iste Scripturæ ad quem respicit Iacobus: Dicam me id nescire. Fieri enim posse credo, ut Scriptura illa, in qua locus iste tum exstabat, interciderit: aut, si hoc non admittatur, fieri posse ut Iacobus per verba illa *Scriptura dicit*, non verba quædam sic enunciata, sed rem verbis istis comprehensam atque enunciatam intellexerit, paucisque illis varia simul loca complexus fuerit.

## De Christo nolente se à Maria tangi. *Joan.* XX. 17.

## QUÆSTIO V.

*Quæritur hîc*, 1. *Cur Christus Mariam hunc in modum alloquatur*, Joan. XX. 17: Ne me tange: nondum enim adscendi ad Patrem meum, &c. *cum tamen se à discipulis palpari voluerit: &* Matth. XXVIII. 9, *disertè dicatur, Mulieres quasdam ipsius pedes esse amplexas, inter quas etiam Maria fuit.* 2. *Quomodo Christus verba illa*, Nondum enim adscendi ad Patrem meum, *rationis loco usurpare potuerit, cùm impossibile sit, contingere aliquem quando in cælum sublatus est.*

## RESPONSIO.

RESp. Solutio hujus quæstionis duplicis, dependet ex rectâ verborum Iesu Christi intelligentia. Ea nobis videtur hæc esse: Quando Christus Mariæ dicit: *Ne me tangas*, eo non vult significare, se omnem sui corporis contactum prohibere Mariæ, nedum contactum talem, quo Maria certa reddi poterat de vera ejusdem corporis sui resurrectione. Apparet enim manifestè ex locis in quæstione allegatis, Christum ejusmodi sui contactum non tantùm non prohibuisse suis, sed etiam ultro obtulisse, ad confirmandum eos de sui corporis ex morte suscitatione: sed tantùm, non permittere se, pro isto tempore, longum ac diuturnum sui corporis pedumve suorum amplexum, quem Maria aut jam præ admiratione simul ac gaudio quasi extra se rapta faciebat, aut facere se velle præ se ferebat: quippe qui remorari eam facile poterat, quominus confestim ad discipulos suos abiret, eosque tam læti nuntii protinus faceret participes. Tangere itaque hîc est, tangendo, suaviando, amplexando, Christi corpori adhærere, atque ita moras nectere, tempus extrahere, & se inidoneam reddere ad confestim annuntiandum tam lætum nuntium Apostolis, quorum maximè intererat ut illud quamprimum resciscerent. Hoc sensu vox *tangendi* accipitur *Luc.* VII. 39. ubi Pharisæus Simon, Christo objicit, quod sineret se tangi à muliere illa peccatrice (quæ fortasse hæc ipsa Maria fuit.) Atqui mulier ista *vers. præced.* 38, dicitur, Christum non tetigisse tantum, sed lachrymis etiam suis rigasse pedes ejus, capillis capitis sui eos exterfisse, eos deosculata esse, & unguento unxisse. Eodem sensu accipitur verbum *apprehendendi* 2 *Reg.* IV. 27. ubi Sunamitis hospita Elizæi prophetæ, dicitur venisse ad Elizæum & apprehendisse pedes ejus. Apprehenderat autem pedes adeò arctè & solicitè, ut divelli non posset. Additur enim, *Accessitque Gehasi, ut depelleret eam:* quia scilicet Elizæum dimittere nolebat.

*Quis tactus hic intelligatur.*

Quod attinet ad verba Christi ultima, quæ rationem continent cur Christus sic tangi à Maria nollet: οὔπω γὰρ ἀναβέβηκα πρὸς τὸν πατέρα μου, ea Hebraismum continent Scriptoribus Sacris familiarem, quo præteritum pro futuro accipitur: ita ut, *Nondum adscendi*, idem sit quod, nondum adscendam ad Patrem meum. Quasi dixisset Christus: Dimitte jam me, & proficiscere ilico ad fratres meos, & dic eis, Ascendo ad Patrem meum, id est ascendam quidem in cælum, sed videbo eos primùm in Galilæa, uti dixi, ut cum iis aliquamdiu familiariter conversem, eisque me vivum exhibeam, exponamque quæ ad regnum meum pertinent. Interea, temporis satis supererit ut tu me tangas, & cum illis me vivum, experimentis variis omni exceptione majoribus, videas, sentias ac palpes. Iam festinato opus est, ut tecum gaudeant, qui impensè meum ad se reditum ac conspectum desiderant, & quorum opera ego usurus sum, ut mundus totus justissimam caussam habeat credendi, me ex mortuis à Deo Patre meo excitatum esse, ac proinde religionem illam, quam docui, divinam esse.

*Quis sensus sit illorum verborum, Nondum enim adscendi ad Patrem meum.*

De

## De promissa Apostolis introductione in omnem veritatem: Et de eo quod Paulus dicit, Ex parte cognoscimus, &c.

### QUÆSTIO VI.

*Cum promissa sit Apostolis* introductio in omnem veritatem, Joan. XVI. 13. *quomodo Apostolus Paulus ait, se tantùm* ex parte cognoscere & ex parte prophetare? 1 Cor. XIII. 9. *Nam hinc colligi posse videtur, promißionem Christi illis non esse præstitam, ac proinde eos non perfectam omnis veritatis cognitionem habuisse; quod cùm absurdum sit creditu, quæritur, quomodo ista intelligenda sint?*

### RESPONSIO.

*Quid intelligatur per* omnem veritatem:

REsp. Nulla hîc est difficultas, nedum contradictio. Nam quod attinet ad promissionem Christi, de introducendo Apostolos suos in omnem veritatem: 1. per *veritatem omnem* non intelligitur omnis veritas cognoscibilis, nedum veritas omnis quocunque modo aut quocunque in statu cognoscibilis; sed omnis dumtaxat veritas necessaria ad Apostolicum munus rectè gerendum atque exequendum, & necessaria pro tempore ac statu hujus vitæ: uti apparet ex textu ipso, ubi Spiritus, qui Apostolos introducturus dicitur in omnem veritatem, locuturus dicitur, *non à semetipso, sed quæ audierit*, (à Christo scilicet Apostolorum quà Apostolorum Magistro ac Domino:) additur enim statim, *Ille me glorificabit, quia de meo accipiet & renuntiabit vobis*. quod ipsum *cap.* XIV. 26. dictum fuerat hisce verbis: *Spiritus sanctus quem Pater mittet in nomine meo, ille vos docebit omnia, & in memoriam vobis revocabit omnia, quæ dixi vobis*. Caussa in textu hoc allegatur: *Adhuc multa habeo vobis dicenda, sed ea nunc non potestis portare.* 2. Per *introductionem in omnem veritatem*, non intelligitur instantanea, perfecta, & quæ tota simul fiat, veritatis omnis necessariæ ad Euangelii munus rectè gerendum revelatio; sed successiva & quæ per partes ac gradus suos facienda erat. Certum enim est, Apostolos Spiritu sancto donatos, non statim sciviſse omnia, quæ ad Apostolicum munus exsequendum necessaria erant, sed paulatim nunc hujus nunc illius veritatis cognitione instructos fuisse: ut apparet ex eo, quod aliquamdiu post nesciverint gentibus etiam prædicandum esse Euangelium; & deinde disceptaverint de eo, An gentibus per Euangelii prædicationem conversis etiam non esset imponendum jugum circumcisionis, &c. Unde colligitur, Apostolos etiam multas veritates alias, ad Apostolicum munus non pertinentes, ignorasse, & eas omnes quæ ad futuræ vitæ statum pertinent prorsus nesciviſse: quippe quas nec oculus vidit, nec auris audivit, nec mens ulla humana hîc in terris capere potest.

*Et per* introductionem *in illam.*

*Quid sit illud,* Ex parte cognoscimus, ex parte prophetamus.

Huic ergo introductioni in omnem istiusmodi veritatem quam diximus, non repugnat id quod Apostolus dicit: *Ex parte cognoscimus, ex parte prophetamus.* Sed verò nec hoc est illud quod Apostolus dicere vult, quando ait, *Ex parte cognoscimus, ex parte prophetamus*: quasi videlicet sensus ejus sit; Paulatim & successivè cognoscimus ac prophetamus, pro gratiæ mensura majore vel minore quæ nobis hîc datur. Sed per τὸ *ex parte cognoscere*, & *ex parte prophetare*, significare vult, totam atque universam illam cognitionem ac prophetiam, quæ in hac vita, licet perfectissima sit, habetur, non esse nisi μερικὴν, id est, partialem, sive exiguam particulam aliquam, si conferatur cum ista plena & clara cognitione ac visione quæ in futura vita erit: ita ut ὀλιγόστης idem sit, quod μικρότης est, id est tam est imperfecta, tam exigua, tam debilis, tam tenuis cognitio, ut non nisi particula quædam sit, collata ad totum & perfectum istud visionis χάρισμα, quod post hanc vitam nobis conferetur. *Ex parte* itaque *cognoscere & ex parte prophetare*, non opponitur tanquam imperfectum aliquid totali sive perfectæ cognitioni quæ in hac vita haberi potest; sed isti perfectæ cognitioni & visioni, quæ in cælo futura est; ratione cujus etiam perfectissima cognitio & prophetia, quæ in hac vita haberi potest, licet sit introductio in omnem veritatem ad hujus vitæ statum pertinentem, non est nisi μέρος aut exigua quædam portio comparata ad totum aliquod. Id apparet ex duobus similibus quibus hanc rem illustrat Apostolus. 1. Ex simili ætatis infantilis & cognitionis quæ in ista ætate haberi potest, comparatæ ad ætatem virilem vel adultam, & cognitionem quæ in ea haberi potest. 2. ex simili visionis quæ per speculum & in ænigmate fit, collata ad visionem quæ coràm fit, & facie ad faciem.

Cui adde, quod Apostolus subjiciat: *Tunc cognoscam prout cognitus fuero*, quod verisimiliter sic intelligendum est, prout cognoscere factus fuero: Hebræo idiotismo quo verbum Græcum passivum pro transitivo in *Hiphil* solet usurpari, quasi dicat; Tantum differt cognitio illa futura ab ea quam in hac vita consequimur, ut qualis & quomodo ea futura sit, quamque excellens sit, non valeam adsequi, sed experturus sim, quando eam mihi concedet Deus. Est enim jam supra omnem capacitatem meam. Hinc patet solutio ad hanc quæstionem.

*Quid sit,* Tunc cognoscam prout cognitus fuero.

### Quid significet illud Pauli, 1 *Cor.* II. 6. *Sapientiam loquimur* ἐν τοῖς τελείοις.

### QUÆSTIO VII.

*Quæritur, cùm dicit Apostolus*, 1 Cor. II. 6. Sapientiam loquimur ἐν τοῖς τελείοις; *an phrasis illa,* ἐν τοῖς τελείοις *accipienda sit ratione sapientiæ seu doctrinæ Euangelicæ, an vero ratione auditorum? Si ratione doctrinæ, tantundem erit ac si diceret Apostolus, Sapientiam loquimur perfectam, oppositè videlicet ad humanam, quia sapientia Euangelica agit de rebus perfectis, & omnibus modis absolutis, ut de vera Dei cognitione, Christi beneficiis, vita æterna, &c. quod humana sapientia non facit; ac proinde imperfecta est. Sed hoc à scopo Apostoli alienum esse videtur. Etenim Paulus his verbis doctrinam suam non vult commendare à natura rei; sed reprehendit Corinthios, eò quòd prædicationem Euangelicam, ut puerile quid despicerent, quia non eo ornatu verborum proponebatur, quo Philosophi & Rhetores sua dogmata proferre solent. Itaque relinquitur, ut* ἐν τοῖς τελείοις *sit accipiendum respectu auditorum; ita ut sensus sit, se sapientiam loqui inter perfectos, nempe fideles. At tum rursus quæritur, quid per* perfectos *intelligatur? etenim nemo hominum perfectus est, vel ratione notitiæ,* 1 Cor. XIII. 12. Ex parte *tantum* cognoscimus: *vel ratione morum; quia* omnes labimur in multis: Jacobi III. 2. *Deinde, an absolutiore genere docendi, non inter quoslibet, sed inter perfectos usus fuerit? ne videlicet porcis margaritas objiceret, contra illud* Matthæi VII. 6. Ne projicite porcis margaritas.

### RESPONSIO.

*Illa phrasis,* ἐν τοῖς τελείοις, *de rebus potius quam de hominibus accipienda est.*

REsp. utroque modo, qui in quæstione indicatur, phrasis, ἐν τοῖς τελείοις, accipi potest, & parum refert quem cui præferas. Mihi tamen, quidquid plerisque interpretibus & quæsitori huic secus videatur, primus sensus optimus & scopo simul atque antecedentibus & consequentibus accommodatissimus videtur: quo videlicet phrasis, ἐν τοῖς τελείοις, exponitur, non per subintellectam vocem ἀνθρώποις, sed πράγμασι, aut similem: sic, ut sensus sit, loquimur sapientiam, quæ in rebus perfectis, non autem in inanibus verborum fucis, rebusve levibus sita est. Per τὸ τέλειον igitur intelligentur, sensus sive res natura sua perfectæ, quæque summam ac finem voti & desiderii omnis humani in se continent, nulloque orationis colore aut fuco eloquentiæ incrustari opus habent, ut adlibeant. Nempe, quæ continent sapientiam illam, qua Deus homines in viam illam ducere vult, per quam ad immortalitatem & æternam beatamque vitam certò pervenire possunt, & post quam nulla alia sapientia divina revelanda erit, usque ad τὸ τέλος sive consummationem seculorum. Sensum hunc videtur mihi evincere, scopus Apostoli, qui est, ostendere Corinthiis, caussam nullam esse, cur aut offendantur, (siquidem eos offensos fuisse velimus, quod fieri potuisse ac factum forte fuisse non negaverim, quamquam certum non est) aut offendi vel possint vel debeant, (quod malim) simplicitate & inaffectata infucataque sua dictione, qua in docendo & scribendo utebatur, præter morem aliorum Oratorum ac Rhetorum; quibus id potissimum ferè curæ est, ut orationem suam comant, atque ornent verborum calamistris & lenociniis, totaque conquisita & elaborata eloquentiæ pompa ac suada. Cur vero? Quia ea docebat ac scribebat, quæ perfectissima sunt, totamque adeo potentiam & sapientiam Dei, qua perfectior & consummatior alia nulla dari potest, continent; proinde quæ comata aut cynæda ulla oratione non indiget: cùm contra Oratores ac Rhetores non dicerent, nec loquerentur, nisi vana, incerta, frigida, & pene nihili,

& ad summum non nisi humana ; quæque proinde ceromate & fuco orationis indigebant ut persuaderentur atque adlubescerent. Antecedentia & consequentia idem evincunt ; quia in illis disertè agitur de sapientia ista divina, deque rebus istis quæ credendæ omnibus sunt ut æternum salventur : id est, non de rebus quibusdam, quæ iis, qui jam crediderant & majores in fide progressus fecerant, peculiariter aut seorsim sciendæ proponebantur, sed de iis, quæ ubique semper & omnibus scitu ad salutem necessariæ sunt. Antithesis idem evincit, quæ subjungitur *versu seq. Sed loquimur sapientiam Dei ἐν μυστηρίῳ*, id est, uti vocem istam exponit Apostolus, *τὴν ἀποκεκρυμμένην*, scilicet hactenus in ipso Deo, ac proinde Deo soli notam ab eoque hominibus revelandam ut cognosceretur, quia addit, *quam præfinierat Deus ante secula in gloriam nostram* : quæ sapientia non est peculiaris quædam sapientia, quæ fidelibus & jam in fide adultis seorsim proponebatur, sed sapientia divina ad omnes, quibus Euangelium prædicabatur, communiter pertinens, quæque proinde ab Apostolo rudibus pariter atque eruditis, fidelibus atque infidelibus, adultis simul atque infirmis adhuc in fide proponebatur. Quibus adde, quod dicertè sapientia Dei in hoc versu & in toto hoc capite, de una eademque sapientia ista accipiatur, quam revelatam sibi aliisque Apostolis dicit Apostolus : in qua fides fidelium omnium, non verò perfectorum sive adultorum tantum, consistit : uti ex textu liquet, in quo sapientia hæc opponitur sapientiæ seculi & principum seculi qui abolentur, & abolebuntur, scilicet cum universa illa sua sapientia : cùm contra sapientia ista divina, æterna, & nunquam abolenda aut peritura bona revelet. Denique fideles sive spirituales in hoc cap. non dicuntur isti soli, qui inter fideles *τέλειοι* sunt ; sed omnes in universum, quà tales : quia opponuntur simpliciter animalibus sive *ψυχικοῖς ἀνθρώποις*, *vers.* 14. & principibus seculi hujus, *vers.* 6. 8.

*Si illud ἐν τοῖς τελείοις rejeratur ad homines, quæ perfectio intelligatur.*

Quod si tamen cui libet amplecti sensum alterum, id per me licet. Sed tum per *τοὺς τελείους* intelligendi erunt, non qui absolutè perfecti sunt in cognitione & moribus, perfectione graduum simul ac partium. Nihil minus ; sed tantum peritiores, confirmatiores in cognitione rerum divinarum & morum sanctimonia, comparatè ad rudiores & neophytos aut tyrones adhuc in fide & moribus ; quales perfecti etiam alibi nominantur : ut *ad Philipp.* III. 13. *Quotquot itaque τέλειοι sumus hoc sentiamus.* *τέλειοι* ibi manifestè opponuntur rudibus aut infirmioribus, uti ex *vers. seq.* liquet : *Attamen in eo, ad quod pervenimus, eadem incedamus regula.* Indicatur enim alios longius progressos fuisse & ulterius profecisse in fide, alios citerius adhuc constitisse, & infra illos fuisse *Heb.* V. 14. *τελείων δὲ* id est *perfectorum* (sive ulteriùs progressorum) *est solidus cibus ; qui* (inquit) *sensus habent exercitatos ad discretionem boni & mali.* Hos opponit *τοῖς νηπίοις*, *vers. præced.* sive *τοῖς ἀπείροις λόγου δικαιοσύνης*, 1 *Corinth.* XIV. 20. *Fratres, ne estote pueri intelligentia, sed malitia infantes, intelligentia verò τέλειοι γίνεσθε.* Frustra itaque quæritur, quid per *perfectos* intelligatur, cum perfecti non vocentur in Scripturis ii, qui ad summum perfectionis gradum ita pervenerunt, ut ad profectum in cognitione & pietate ulteriorem iis nihil desit aut deesse possit : qui appellari solent perfecti perfectione graduum, sic enim solus Christus perfectus fuit : sed ii dumtaxat, qui non tantùm rerum necessariarum ad salutem (qui appellantur perfecti perfectione partium,) sed utilium etiam cognitione ita imbuerunt animum suum, ut habitum sibi comparaverint, quo facile, quid verum, quid falsum, quid Christianæ religioni conveniens, quid ab ea abhorrens sit, dignoscere possunt ; uti ex loco *Heb.* V. supra citato manifestum est. Cui optimè convenit locus *ad Ephes.* IV. 13. 14. *Donec evadamus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei, εἰς ἄνδρα τέλειον, in virum adultum, ad mensuram* (supple, contendentes & aspirantes tanquam ad scopum perfectissimum) *ætatis plenitudinis Christi* : quod exponitur *vers. seqq. ut ne simus amplius pueri, qui fluctuemur & circumferamur omni vento doctrinæ, in hominum alea, per veteratoriam ad insidiose fallendum versutiam : Sed sincerè nos gerentes in charitate, αὐξήσωμεν εἰς αὐτὸν τὰ πάντα*, id est, omnimodo sive prorsus augeamur aut *adolescamus in eum qui est caput*, nempe *Christum*, &c.

*An Paulus absolutiore docendi genere usus sit inter perfectiores.*

Quare ad id, An Apostolus absolutiore genere docendi non inter quoslibet sed inter perfectiores dumtaxat usus fuerit, quod ultimo loco quæritur : Resp. Id mihi dubium non esse, si absolutius istud docendi genus intelligatur, non de iis, quæ ad salutem scitu ac creditu necessaria sunt, sed de iis, quę ad profundiorem rerum necessariarũ, jam scitarum creditarumque, inculcationem, & majorem confirmationem utilia erant, & singulorum, pro majore aut minore eorum perfectu, captui erant accommodata : prout ex *cap.* VI & VII *ad Heb.* manifestum est. Caussam autem istius rei fuisse, non eam, quam allegat quæsitor, Ne porcis margaritas objiceret ex præscripto Christi, *Matth.* VII. 6. (Per *margaritas* enim intelligit ibi Christus Euangelium suum, quatenus necessaria ad salutem creditu continet : per *porcos* & *canes*, Euangelii hostes, non autem fideles. Euangelium enim suum vetat Christus prædicari canibus & porcis, id est, iis quos certum est id non modo porcorum instar pedibus suis conculcaturos, sed & canum instar rabidorum præcones ejus laniaturos :) Sed caussam ejus fuisse, prudentiam Apostoli, qua ingeniis & captui singulorum aptare poterat quæ utilia atque idonea erant ad eos in fide Jesu Christi magis magisque stabiliendos ; qualia multa, imprimis Apostolo Paulo excellentia revelationum divinarum supra alios dotato ac ditato, & ad tertium usque cælum evecto, cognita fuisse dubium non est.

## Quomodo Christus dicat *Joan.* V. 31 : *Si ego testor de meipso, testimonium meum non est verum.* Et *ibid. cap.* VIII. *vers.* 14, contrà asserat : *Etiamsi ego testor de meipso, meum testimonium verum est.*

## QUÆSTIO VIII.

*Quæritur, qua ratione Christus* Joan. V. 31. *dicat*, Si ego testor de meipso, testimonium meum non est verum *cùm tamen ejusdem Euangelii* cap. VIII. 14. *Pharisæis ei objicientibus, testimonium ejus non esse verum, eò quòd de seipso testaretur, (quæ eorum objectio manifestis verbis Christi nixa, maximi apud eum ponderis ac momenti esse debebat,) in hac verba responderit :* Etiamsi ego testor de meipso, meum (*nihilominus*) testimonium verum est. *Quam responsionem suprà citato ejus dicto è diametro repugnare, atque ita Dominum Jesum propriis telis confossum, suoque à Pharisæis gladio jugulatum, variæ, Protei ac Vertumni instar, formas assumere, Judæorum cæterorumque infidelium turba judicare meritò posset.*

## RESPONSIO.

RESp. Locorum horum duorum *ἀναλυφανῶν* conciliatio, variis ac miris admodum modis, tum à veteribus tum à recentioribus interpretibus fieri solet : Eos apud interpretes videre est. Mihi (salvo aliorum meliore judicio) planâ ac facili viâ institui posse videtur, si modo ad scopum Jesu Christi, quem, cùm ista in utroque loco diceret, propositum sibi habuit, rectè attendatur. Is hic est : Christus passim, imprimis apud Euangelistam Joannem, negat testimonium suum, quod de se ipso perhibebat, quando de se ipso (videlicet) magna cum adseveratione, Amen Amen, testabatur, se esse Lucem illam mundi, se è cælo descendisse, se esse Filium Dei, qui à Patre sanctificatus & missus erat in mundum, ut regnum Dei promissum populo ejus, annunciaret, &c. tale esse, ut, quamquam verè illud de se ipso perhibere posset, nequaquam tamen per se sufficeret, aut sufficere credi deberet, ad convincendum Judæos, ut ei fidem adhiberent, nisi testimonio alio diviniore ab ipso Deo Patre suo confirmatum esset, id est, miraculis ac signis exceptione omni majoribus, & tam divinis, admirandisque, ut, ea Dei ipsius opera esse, negari à nemine nisi præfracto ac contumaciissimo posset. Id patet ex variis locis apud Joannem *cap.* XV. 22. *Si non venissem & locutus fuissem eis* (sic scilicet uti veni & locutus sum : locutionem meam firmando signis ac miraculis, quæ nemo facere potest, nisi Deus sit cum eo :) *peccatum non haberent :* (id est, rei supinæ incredulitatis ac contumaciæ ac proinde promeritæ pœnæ peragi non possent :) *nunc autem non habent quod prætexant peccato suo.* (id est, excusandæ suæ contumaciæ ac rebellioni.) & *vers.* 24. *Si opera non feciſſem inter eos, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, nunc autem & viderunt, & oderunt tum me tum Patrem meum :* Joan. X. 37. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Sin vero illa facio, etiamsi mihi non credatis, operibus tamen credite, ut cognoscatis* (id est certi sitis) *Patrem in me esse & me in eo.* Similiter *Joan.* XIII. 47. 48. 49.

*Solum Christi de se testimonium non fuit sufficiens convincendis Judæis : sed cum miraculis conjunctum fuit sufficientissimum.*

Idem non obscurè patet ex utroque, qui in quæstione allegatur, loco. Nam in primo si antecedentia & consequentia videantur, Christus disertè satis declarat, caussam condemnationis Judæorum validam ipso jure futuram, quod ipsi, cui Pater testimonium perhibuerat per opera & miracula prorsus divina, fidem non adhibuerant ; uti ex *vers.* 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. & paulò post ex *vers.* 39 liquet, ubi

*Sensus loci Joann. V. 31.*

Ser-

Servator ait; *Et sermonem ejus*, (id est, Patris mei, cujus vocem nunquam audivistis, cujus speciem non vidistis) *non habetis*, id est non habere curatis, *in vobis manentem*. Per *sermonem* autem *Patris* intelligit Christus, vel miracula & opera Dei Patris sui quibus tanquam sermone aliquo ac testimonio se carum ac dilectum legatum suum esse confirmaverat. versu enim præced. dixerat, *Et qui misit me Pater, ipse testatus est de me*, (per opera scilicet quæ dedit mihi, ut ea perficerem, *vers. præced.* 36.) *Neque* (tamen scilicet) *vocem ejus unquam audivistis, neque speciem ejus vidistis*: quasi dicat, opera ista veluti sermo & vox Dei fuerunt, quibus ille mihi testimonium perhibuit. (Hoc sensu verbum *Loqui* pro, opera facere, aut loquelam operibus confirmare, accipitur, *Joan.* XIV. 10.) Ita ut sensus sit: Opera Patris mei, quibus ille veluti sermone aliquo suo testatur de me, nihil afficiunt vos, nec efficiunt in vobis eam animi reverentiam quam Patri meo & mihi propter ea debetis: videtis ea oculis tantùm vestris, sed non dimittitis ea in animum vestrum; respuitis ea & contemnitis, atque ita vos justissimæ iræ divinæ reos redditis. Vel per sermonem, intelligat Euangelium suum signis atque operibus istis mirabilibus Dei Patris sui confirmatum: quasi dixisset, Et tamen non magis infigitur animo vestro Euangelium meum, ut ad istud scilicet vos componere velitis, quàm si signa ac miracula nulla vidissetis: unde quid eventurum vobis sit, & quæ pœna vos maneat, facile colligere potestis.

*Sensus loci Joan. VIII. 14.*

In secundo loco idem etiam non obscurè innuitur, voce *judicii*; & verbis legis, quibus ad damnandum & reum pœnæ capitalis aliquem constituendum, sufficere declaratur testimonium duorum (crimen alicui scilicet impingentium) *vers.* 16. 17, & paulò post apertè indicatur, *vers.* 21. quando Christus inquit, *Ego vado & vos quæretis me, & in hoc peccato vestro moriemini*. & *vers.* 24. quando subjicit; *Ideo vobis dixi, vos morituros in peccatis vestris. Nam nisi credideritis* (signis scilicet tot admirandis excitati & convicti) *me esse*, (scilicet Messiam, lucem mundi, &c.) *moriemini in peccatis vestris*.

*Conciliatio utriusque loci.*

Hinc jam via conciliationis horum duorum locorum in speciem contrariorum manifestè colligitur, nempe hæc: Christum in primo loco, *Joan.* V. 31 affirmare, testimonium suum, si solus de se ipso testaretur, qualecunque tandem esset, imo etiamsi verissimum esset, non tamen validum ac sufficiens futurum convincendis Judæis de contumacia, quòd ei fidem non haberent, aut conscientiis eorum ad fidem testimonio isti habendum, constringendis. In secundo autem loco affirmare, testimonium suum, quando de se ipso testabatur, etiamsi validum ac sufficiens per se non esset convincendis ipsis, verum tamen esse. Hæc duo non modò non repugnare sibi invicem, sed consistere simul optimè posse, per se manifestum est. Rem propius explico. *Joann.* V. 31, Christus, ait: *Si ego testor de me ipso* (solus scilicet, absque eo, quod Pater meus testimonium istud meum per opera & prodigia miraculosa, ac prorsus divina, ratum faciat) *tum testimonium meum verum non est*, id est validum ac sufficiens non est ad vos convincendos, ut ei tanquam valido ac sufficienti fidem adhibeatis. Non enim vult dicere Christus, tum falsum ac mendax esset testimonium meum: Quid enim obstaret, quo minus istud testimonium, licet singulare, verum ac fidele testimonium esset, aut saltem esse posset? Sed tantum vult dicere, non esset idoneum satis, ac sufficiens convincendis aut damnandis vobis. Hoc enim sensu vocem ἀληθὴς aliquando accipi, imò hoc loco accipi debere, apparet ex *cap.* VIII. *vers.* 17. *Sed & in lege vestra scriptum est, duorum hominum testimonium verum esse* (ὅτι δύο ἀνθρώπων ἡ μαρτυρία ἀληθὴς ἐστι,) id est, validum ac sufficiens esse ad aliquem reum criminis peragendum, & sic damnandum. Non quod singulare unius testimonium, quatenus unius, falsum semper esset; sed quod id, quamquam verissimum, secundum legem tamen non sufficeret ad condemnandum aliquem, aut pœnam mortis contra aliquem decernendum. *Joannis* VIII. 14. dicit Christus; *Etiamsi ego testor de meipso*, (solus scilicet nullo accedente testimonio divino per opera & prodigia miraculosa) *meum* (nihilominus) *testimonium verum est*, id est, non est falsum nec mendax; quamquam convincendis aut damnandis vobis non sufficit. Quid enim obstat, quominus testimonium singulare ac solitarium verum sit, quod idem tamen alteri testimonio conjunctum verum est? Et quid caussæ est, cur quis testari de se ipso non possit; id est, cum adseveratione affirmare aliquid de se, quod certo scit verissimum esse atque indubium? Nihil. Vide locum *Joann.* VIII. 55. Atque hoc sensu Christum hic vocem, ἀληθὴς, accipere, ex verbis liquet; quia addit hanc rationem; *Ego enim scio unde venerim*; id est, à quo Domino ablegatus & missus sim, cujus jussu & auctoritate sic de me tester: *Joan.* VII. 28. 29. *& quo vadam*: id est, ad quem Dominum redeam, qui testimonium hoc meum, quando ad eum revertar, approbaturus ac ratum habiturus est; nimirum Patrem meum, qui me legatum suum esse voluit, & pro fideli legato suo recepturus est, eo ipso, quod id de me nomine ejus testatus fuerim: prout ex oppositione statim subsequente liquet; *vos autem nescitis*, (id est nescire vultis) *unde venerim*, id est à quo Domino & quo auctore ita de me tester; uti patet ex *Joan.* VII. 28. (nam alioquin noverant unde Christus esset, & unde veniret, id est ex qua domo esset, uti ipse Christus iis tribuit. *venire* itaque hîc est, cum mandatis venire, uti ex verbis liquet.) *& quò vadam*, id est, ad quem Dominum, qui scilicet testimonium hoc meum, me apud se honorificè recipiendo, ratum habiturus est. Vox itaque ἀληθὴς hoc loco propriè ac simpliciter accipienda est, ut significet verum ac fidele testimonium, etsi non sufficiens per se, id est, ut solum ac singulare consideratum, ad constringendum Judæos tergiversantes, ut ei fidem adhiberent, aut ad eos, fidem ei adhibere recusantes, pœnæ reos agendum. Sensum hunc confirmant, quæ sequuntur verba *vers.* 15. *Vos secundùm carnem judicatis*: (id est, secundùm id quod foris in me apparet, quod videlicet sine splendore & Majestate regia ad vos veniam, fabri filius, imò qui faber fui: idcirco pro carnalibus vestris affectibus, damnatis, rejicitis ac respuitis me, neque pro Messia me recipere vultis, imo me quæritis ad necem, & occidere me vultis: *Joan.* VIII. 40.) *ego non judico quemquam*; id est, non damnabo quemquam vestrum idcirco quod mihi soli de me testanti fidem non adhibeat. Ablit: Judicium quod ego contra vos aliquando pronunciaturus sum, verum, id est validum ac sufficiens erit, idcirco, quod Patri una mecum testanti fidem non habueritis. Ratio: *Quia ego solus non sum*, qui scilicet de me testor, *sed ego & qui misit me Pater*. Tale enim judicium juxta Legem vestram proprium validum est, quia testimonio non unius solius, sed duorum nitetur: *Deuter.* XVII. 6. & XIX. 15.

## De Christo ad ficum accedente, ut in ea fructus inveniret, etsi tempus esset alienum.

## QUÆSTIO IX.

Marc. XI. 12. 13. Et postero die quum exissent Bethania, esuriit: quumque procul vidisset ficum habentem folia, venit, si quid forte inveniret in ea, & cùm venisset ad eam, nihil invenit nisi folia. Non enim erat tempus ficuum. *Quæritur hîc, Cur Christus esuriens adierit ficum, quam duplici ex caussa fructibus destitutam esse scire poterat: 1. Ex omniscientia, qua semper eum actu præditum fuisse supponimus. 2. ex ratione illa vulgari & cuilibet obvia, quòd, ut ait Euangelista, non esset ficuum tempus.*

## RESPONSIO.

*Tres expositiones loci hujus.*

Resp. Locus hic ab omni ævo vexavit interpretes, hodieque pene omnes vexat. Nos ne caveas interpretum omnium recludamus, imprimis eorum, qui nescio quibus allegoricis & inconcinnis interpretationibus, eum non clarum sed obscurum potius reddiderunt; tres interpretandi modos assignabimus, qui maximè nobis verosimiles videntur, ex quibus quem, qui volet, sequi poterit & amplecti.

*Primæ Heinsii, qui lectionem mutat.*

Primus modus est, quem nuper primus reperisse videtur Daniel Heinsius, in exercitationibus suis sacris ad Novum Testamentum. Is est, ut in textu Græco non legatur dictum, prout hactenus omnes interpretes ad unum usque crediderunt; *Non erim erat tempus ficuum*: sed planè contrarium, per solam accentus spiritusque variationem, & levem distinctionem, nulla vocum accedente mutatione; hunc in modum: οὐ γὰρ ἦν, (hîc comma fiat) καιρὸς σύκων, id est, ubi enim erat, tempus ficuum, scilicet erat; id est, ibi tempestivæ ac maturæ ficus erant. Pro οὐ itaque negativa particula, legit οὗ adverbialiter; distinctionem verò ponit post verbum ἦν. Accentus enim spiritusque, uti & distinctiones, à veteribus omitti solere ait aut negligi: proinde eos sine periculo mutari posse, quando res postulat. Expositionem autem sive lectionem hanc suam, firmat ex eò, quod hæc res accidisse videatur paulò ante passionis tempus, ipso primo mense, quo & celebratum Pascha: Et quidem ad Bethaniam, non procul à Betphage, ubi ait præcoces ficus nasci solere: atque inde dictam videri Betphage, quasi domum dicas grossorum: Hebræis enim פג grossos dici, quòd non modò plures ibi, sed maturiùs, & præcoces, aut citiùs quàm alibi in Oriente provenirent. Ingeniosa sanè

mihi videtur hæc lectio, & quæ facit tollendæ difficultati isti, quæ præcipuè vexavit olim hodieque vexat interpretes omnes; quomodo videlicet Christus dici possit quæsiviſſe ficus isto tempore, quo ficus nondum esse poterant: quæ difficultas etiam in quæstione allegatur secundo loco.

*Illa expenditur.*

Sed verò fateor eam mihi suspectam esse ob has causſas: 1. Quia constantissimæ & universali veterum omnium lectioni directè contraria est: utpote quæ lectionem negativam, tantum non commutat in affirmativam. 2. Quia dura admodum est lectio. Pro eo enim quod Græcè plano ac facili sensu dictum fuisset ἐκεῖ γὰρ ὧν καιρὸς σύκων, legitur ἦν γὰρ ὧν, & quidem cum ἐκείνων supplemento, καιρὸς σύκων, supple ὧν. 3. Quia incertum est an isto in loco præcoces ficus provenirent. nec certò satis id colligitur ex etymologia vocis Bethphage; quippe quam alii Grammatici longè aliam faciunt. 4. Quia nullo alio fine quæsita & conficta videtur, quàm ad tollendum supra dictam difficultatem: quòd sine causſa ac necessitate mihi factum videtur. 5. Quia non exhaurit omnem difficultatem, quæ in hoc facto Christi esse videtur: nempe non eam quæ in quæstione primo loco adducitur: Quomodo videlicet Christus quæsiverit fructus in arbore, quam fructibus destitutam esse non ignorabat? & eapropter quod spem quasi suam frustrata esset, æternæ sterilitatis quasi damnatum fecerit? Secundum œconomiam id factum dicit quidem Heinsius: sed cur si idem dicatur de eo quod fructus quæsiverit cùm fructuum tempus non esset, quod videlicet secundùm œconomiam factum fuerit, cur inquam, tum opus est nova & dura ista locutione? Ob has causſas ego fateor me nondum posse plane adsentiri ingenioso sane isti commento. Si cui tamen id sequi libet, per me equidem licet.

*Secunda.*

Secundus modus est: ut recepta & passiva lectione verborum retenta, quæ habet, *Non enim erat tempus ficuum*; dicatur, Christum, quamquam certò sciebat tempus ficuum non esse, ac proinde arborem etiam istam tum ficus non habere, nec habere posse; occasione tamen famis, non simulatæ, uti Maldonatus & alii volunt, sed veræ, & quæ naturalem non voluntariam causſam habebat, stimulatum; materiam seu quæsiviſſe seu sumsiſſe differendi de fidei in Deum vi & efficacia. Ne verò materia ista nata & oblata sed ut manifestè quæsita videretur, voluiſſe videri quærere fructus sive ficus in arbore, cùm tamen discipulos etiam suos sciret non nescire, tempus ficuum non esse; ut cùm deinde ficui isti verbo maledicturus esset, id est eam exarefacturus esset: (quò sensu verbum *maledicendi* accipitur *Deut.* XXVIII. 18. *ad Heb.* VI. 8. & hîc accipi debere res ipsa loquitur. Nec enim maledictioni propriè dictæ, ut pœnæ, arbor obnoxia esse potest; quippe quæ nec mereri pœnam potest, nec si mereri posse dicatur, pœnam sentire potest:) discipulis deinde suis causſam ejus quærentibus, aut verosimiliter quæsituris: (idcirco enim eadem via Christum redire voluiſſe postridie crediderim, ut arefactam esse ficum viderent discipuli: *Marc.* XI. 20.) sola fidei in Deum vi id factum fuiſſe doceret; atque ita ad firmiter & constanter fidendum Deo & divinæ potentiæ, omni tempore, eos animaret: uti non obscurè id colligere est ex *Matth.* XXI. 20. & *Mar.* XI. 22. 23. 24. Quare quod Christus quæsiviſſe dicitur, an ficus aliquas inveniret in arbore, id dicis solius causſa, sive ex compositо & de industria, fieri aut factum esse indicat Marcus, quia addit, *Non enim erat tempus ficuum.* Nempe aliud à Christo agi & actum, sive intentum fuiſſe, significare voluit.

*Quæ etiam expenditur.*

Et hæc quidem interpretatio loci hujus ante hac mihi visa fuit omnium commodiſſima. Non diffiteor tamen nunc mihi videri restare scrupulum quendam, qui eam aliquomodo suspectam reddere potest; videlicet, quod apud Marcum diserte dicatur, Christum veniſſe εἰ ἄρα εὑρήσει τι ἐν αὐτῇ, scilicet ad sedandum famem suam. Eo enim Euangelista significare videtur, Christum seriò quæsiviſſe ficus aliquas, ac proinde opinatum esse arborem istam fructus jam habere, istaque occasione, quod nullos reperiret, eam sterilem sive aridam prorsus reddidiſſe. Quare adducor facile, ut credam, alium aliquem interpretationis modum dari posse.

*Tertia.*

Tertius itaque modus, hîc esse mihi posse videtur: 1. ut retineatur recepta & communis lectio, *Non enim erat tempus ficuum.* 2. ut statuatur Christum isto tempore revera nesciviſſe, an arbor ista ficus non haberet; ac proinde seriò quæsiviſſe aut inquiri jussiſſe, an in ea fructus sive ficus aliquæ non essent, σοι, id est, sibi, pro isto tempore ad sedandum famem suam necessariæ. Nihil autem Jesu Christo indignum tribuitur si dicatur eum ignoraſſe isto tempore, quòd arbor ista fructum non haberet; non magis certè, quam Jesu Christo indignum quid tribui ab hoc eodem Euangelista Marco dici potest, quando asserit eum ignoraſſe diem judicii: *cap.* XIII. 32. 3. ut verba illa, *Non enim erat tempus ficuum*, sic exponantur, ut non absolutè significent, tempus istud, fuiſſe tempus plane in portunum ferendis ficubus, sed, ut ut opportunum esset ferendis ficubus, imprimis præcoquis aut præcocibus, sive ante tempus solitum maturis, quas σύκα πρόδρομα appellare solent, quas avidè vorari solere manifestum est ex *Esa.* XXVIII. 4. inter istas tamen arbores, hanc arborem non fuiſſe: quasi dictum esset, Non enim erat tempus ficuum, pro ista (nempe) arbore: quippe quæ non præcoces, sed seras ficus ferret. sterilem enim non fuiſſe, apparet ex formula maledictionis, qua usus Christus esse legitur *Matth.* XXI. 19. *Ne amplius ex te fructus nascitor in æternum.* & clarius *Marc.* XI. 14. *Ne amplius ex te in seculum quiſquam fructum comedat.* 4. Ut credatur Christum ex eo, quod arbor illa dissimilis cæteris, existimationem sive spem ejus esurientis ac dubitantis falleret ac frustraretur, sumsiſſe aut sumere pro more suo voluiſſe occasionem erudiendi discipulos suos, de re maximi momenti, & quam eos animo profunde infigere, multum intererat, idque per arefactionem arboris istius, sive ejus maledictionem. Res autem illa, non erat demonstratio potentiæ suæ, nedum potentiæ in punienda ista arbore. Enimvero, si potentiam suam facto aliquo Christus demonstrare propositum sibi habuiſſet, multo verisimilius videtur, eum facturum fuiſſe, ut arbor ista reperta fructibus vacua, frugifera reddita fuiſſet, imprimis quia ista ratione fami suæ succurrere potuiſſet. Nec enim minus facile fuiſſet Christo, eam verbo frugiferam quam aridam efficere. Ut verò vel impetu aliquo, vel pœnæ arbori infligendæ causſa, eum potentia sua ad eam exarefaciendum usum fuiſſe dicatur, nimis est absurdum & stolidum. Quare rem istam, de qua erudiendi discipulos suos occasionem sumere voluit Christus, ego arbitror hanc fuiſſe: Neutiquam se diffidere Deo Patri suo, etiamsi fame premebatur, & fami sedandæ remedium non reperiebat. Tantum abesse, ut propterea Patri suo diffideret, & ei se minus carum ac dilectum esse crederet, ut quia Patri suo ita videbatur, famem illam libenter se sustinere ac tolerare velle ostensurus esset, arborem nempe illam non frugiferam reddendo, (quod vel vi sua divina efficere, vel precibus à Patre suo impetrare sine dubio potuiſſet) sed exsuccam prorsus & aridam ilico efficiendo. Eo ipso enim ostendebat se Patri suo fidere; ac firmiter credere, non ex solo pane, id est, ex qualibet re, ac proinde etiam ex ficu ad nutrimentum idoneâ, sed ex omni verbo, id est, ex re qualibet, qua Deus uti vult ad nutriendum, hominem vivere; & eum, qui sic Deo fidit, difficillima quæque superare posse; quin & ista virtute à Deo donatum iri, ut non minus nec difficilius, si modo in fide ista constanter perseveret, & precibus apud Deum pro ope & auxilio contendat, graviſſima quæque obstacula atque impedimenta, licet altiſſimorum montium instar sint, sublaturus atque amoturus sit, quàm ficum istam verbo solo aut jussu suo exarefecerat Christus: aut, si propriè & ad literam verba hæc velimus accipere, eum virtute miraculorum faciendorum donatum iri, & quidem maximorum, cujusmodi unum, exempli caussâ, esse dicitur: *Quicunque dixerit monti huic, tollitor & projicitor in mare, &c.* Hoc tamen ultimum tum retulerim ad Apostolos, & ad tempora ista, quibus Deus fideles suos miraculorum faciendorum gratia donare volebat, non verò ulterius. Atque hæc interpretatio mihi nunc quidem accommodatiſſima videtur; & per eam patet quæstionis solutio omnium pleniſſimè. Nempe, 2. non recte supponi, Christum omniscientia actu semper præditum fuiſſe. 2. ex verbis illis, *Non enim erat tempus ficuum*, non necessariò consequi, nullas tum arbores fuiſſe aut esse potuiſſe quæ ficus ferrent, sive omnino intempestivum tum fuiſſe, ut ficus ullæ in arboribus essent, quum contra cum illis verbis consistere possit, tum præcocium ficuum tempus fuiſſe: ac proinde, cum id omnibus, atque idcirco Christo notiſſimum esset, causſam nullam dari posse cur Christus ficum hanc non adire debuerit, & in ea fructus serio quærere non potuerit, ut ex antedictis manifestum est.

An

## An Christus planè ignotus esset Joanni Baptistæ, antequam Spiritus sanctus in ipsum descendisset? ex *Joan.* I. 33. & *Matth.* III. 14.

### QUÆSTIO X.

*Quæritur, qua ratione loca illa* Joan. I. 33, (At ego non noveram eum: Sed qui misit me ut baptizarem, is mihi dixit, *Super quem descendere & manere Spiritum videris, is est, qui Sancto* Spiritu baptizat:) & Matth. III. 14. (Sed eum prohibebat Johannes, dicens: Mihi ut abs te baptizer opus est, & tu venis ad me:) *conciliari possint? Priore quippe loco indicat Joannes, Christum Jesum non nisi post Baptismum sibi cognitum fuisse. Spiritus enim non descendit nec permansit super Christum nisi postquam à Joanne baptizatus fuit. At posteriore loco disertè liquet, Dominum Jesum jam ante Baptismum ab eo agnitum fuisse: siquidem erga alium, qualiscunque fuisset, Joannes tanto scrupulo non fuisset usus. Eo enim manifestè satis indicat, immunem esse à peccato eum, cui Baptismum tantopere denegaret. At neminem mortalium à peccato immunem esse noverat Joannes, nisi solum Jesum Christum, immaculatum illum agnum Dei. Quærimus itaque, quo pacto huic utrique loco sua veritas constare possit?*

### RESPONSIO.

*Christus Joanni Baptistæ primo fuit plane incognitus.*

REsp. Conciliatio horum duorum locorum ἰσωποφανῶν, non est difficilis, si dicatur Joannem, quamquam Christi cognatum, & propter Christum manifestandum Israeli natum, ut est *Joan.* I. 31, à tempore nativitatis suæ, usque ad diem illum, *quo se ostendit apud Israelem* ut est *Luc.* I. 80, Jesum non cognovisse de facie, ac fortasse etiam nesciviſse Jesum natum esse: eo quod Jesus Nazarethi in Galilæa viveret, fabri filius, ac fortasse faber ipse, ut est *Mar.* VI. ipse vero in desertis sive montanis Judææ extra turbam se contineret, vitamque degeret in solitudine inter feras & deserti incolas. Quando vero ad munus suum obeundum à Deo ex desertis apud Israelem sive in turbam populi Judaici impellebatur, tum indicatum quidem & suggestum ei à Spiritu Dei fuisse, Jesum non natum modo esse, sed & *in medio populi jam versari*, uti est *Joann.* I. 26. seque præcursorem ejus à Deo constitutum esse, *ut cum manifestum faceret Israeli, & populum instructum ei præpararet*, quod Zachariæ patri ejus ab Angelo indicatum etiam fuerat, *Luc.* I. 17: cæterum Jesum ei de facie cognitum tum nondum fuisse: atque hoc indicari disertè in loco primo, ex *Joannis cap.* I. 33, in quæstione allegato: *At ego non noveram eum.* Nempe hæc divino consilio ita evenerunt, ut Joanni Christus ignotus esset, ne testimonium, quod suo tempore Christo daturus erat, suspicione aliqua infirmaretur; quasi videlicet ex composito, aut ex affectu familiaritatis, tanquam noto & cognato suo id perhibuisset, ut recte annotat Musculus in Joannem.

*Deinde ei fuit revelatus, & signum datum ex quo ipsum agnosceret.*

Exinde vero, quando Jesus Nazaretho in Judæam ad Jordanem, in turba populi cætera accessurus erat, tum Joanni à Spiritu indicatum fuisse, eum brevi adfuturum ad Baptismum etiam cum cæteris suscipiendum, sed illustri signo cælitus demonstratum iri, quod sit Jesus ille promissus. Signum autem hoc fore, Spiritum sanctum descendentem veluti columbam, & manentem super eum: prout Spiritus scilicet descenderat super patrem ejus Davidem, & super eo manserat, secus quam super Saule à quo ablatus fuerat: *1 Sam.* XVI. 13, 14. Id Joannem visurum, ut certissimus fieret eum esse illum ipsum cui perhibere testimonium posset ac deberet. Joanni enim soli signum istud datum ac visum fuisse, ex verbis textus non obscurè mihi videtur liquere; quia dicitur, *Super quem tu videris*: & paulo post, *Ego igitur vidi.* Si enim cæteræ turbæ etiam signum istud datum aut visum fuisset, potius dixisset Spiritus Dei, Super quem populus totus viderit Spiritum descendere, &c. & Joannes, Non ego tantum vidi, sed & vos omnes vidistis signum istud cœleste ac divinum. Et hactenus quidem Joanni adhuc ignotus de facie mansit Christus: unde secundo repetit Joannes, *Et ego non*, (id est, nondum adhuc, cum id mihi Spiritus indicaret) *noveram Jesum: vers.* 33.

Sed vero non multo post accessit Jesus ad Baptismum: sum verò statim ei à Spiritu S. suggestum fuit, Jesum esse istum illum, super quem descensurus esset & mansurus Spiritus. At tunc quidem primo de facie eum nosse cœpit, ex indicio & suggestione Spiritus: plane uti de Samuele dicitur *1 Sam.* IX. 17, ei, cum Saulem de facie sibi ignotum videret, Dominum dixisse, *Ecce vir iste de quo dixi tibi, iste dominabitur populo meo.* & cum ad eundem David accederet, *1 Sam.* XVI. 12. 13. ei dixisse Dominum, *Surge, unge eum quia iste est.* Et de hoc tempore loquitur Matthæus, in loco secundo in quæstione citato, quando dicit Joannem prohibere voluisse Jesum, aut quantum in se erat prohibuisse, sive acriter obstitisse quominus baptizaretur. In textu enim est διεκώλυε quod vehementer prohibere cum obnisu significat. Certum enim videri debet, Joannem tanquam prophetam, instinctum sive suggestionem illam Spiritus non minus credidisse ac sciviſse divinam esse, quam priorem illam divinam esse senserat; ac proinde de futuritione eventus prædicti non dubitasse; cumque quantus præ se Jesus ille esset non ignoraret, idcirco Jesum sic allocutum esse.

Dices: At in textu Joannis videtur dici, Joanni Baptistæ Jesum non futurum nec fuisse cognitum, nisi ex signo & post signum istud, descendentis ac manentis Spiritus super eo, datum. Resp. Id in textu non dicitur: Sed tantum dicitur, Joannem isto signo (plenissime scilicet ac certissimè) edoctum iri de eo, quod is, super quo signum istud apparaturum esset, Jesus esset. At cum eo poterat consistere, quod Joanni, cùm Christus ad eum accederet, suggeretur Jesum esse istum ipsum super quo signum illud apparaturum erat. Per hanc enim suggestionem noverat quidem Jesum, sed non nisi semiplene: At signo isto accedente, plene ac perfecte noverat eum esse; quia non ex instinctu solo, sed etiam ex eventu respondente prædictioni eum noverat. Nulla ergo hic ἰσωποφανὴς est, si videlicet distinguantur tempora, & pro singulorum ratione, non notitia sive ignoratio Jesu, quam Joannes Euangelista Joanni Baptistæ tribuit. Nempe antequam ad munus suum obeundum vocaretur Joannes Baptista, Jesum plane non noverat, nedum de facie. Quando munus suum obire incipiebat, non modo de facie Christum nondum noverat, sed fortasse ne quidem adhuc venisse, etsi jam jam venturum noverat.

*Joannes nescivit ab initio Jesum baptizaturum Spiritu sancto.*

Quin magnum, & se multò majorem digniorem que futurum, tum noverit, dubium non est: sed an tum etiam, quibus in rebus dignitas atque excellentia ista constitura esset, in universum sciverit, incertum est: saltem dubitari potest, an tum sciverit Jesum baptizaturum Spiritu S. & igne. Certe caussam dubitandi dant verba XII illorum virorum *Act.* XIX, qui rogati à Paulo, an Spiritum S. accepissent, respondisse dicuntur, *imo sine Spiritus sanctus ne audivimus quidem.* Quomodo enim id respondere ab ipsis potuisset, si ex ipso Joanne præceptore suo audiverant, Jesum baptizaturum Spiritu S. & igne? Verosimile ergo est, hos Joannis discipulos factos fuisse, & ex Judæa domum quemque suam reversos, antequam Joanni revelatum fuerat, Jesum baptizaturum Spiritu S. & igne, idque Joannes palam discipulis suis & populo universo prædicaret, uti postea fecisse legitur. Quando vero Jesus ad Joannem accessurus erat, tum Joanni à Spiritu indicatum fuisse, non modo venturum eum, sed & futurum ut ipse baptizaret, non aqua modo, sed etiam Spiritu S. & igne, utque eum in turba accedentem dignosceret talem fore, signum cælitus ipsi datum iri, quo Spiritum S. quo baptizaturus esset super eum descendentem ac manentem videret. Hactenus ergo Jesum de facie nondum noverat, sed eum tamen adesse & talem futurum prædicare cœpit. Quando autem Christus jam accedebat ad Baptismum eumque petebat, tum demum monitum fuisse Joannem à Spiritu, eum esse istum Jesum, quem prædicaverat venturum, & jam in medio populi versari dixerat. Tum vero eum de facie nosse incepit, per Spiritus S. quo ab utero matris repletus erat, instinctum; eodem plane modo quo Elizabetha mater ejus, Spiritu S. repleta, agnovisse legitur Mariam matrem Domini sui, id est, Jesu Christi, eam videlicet utero suo gerere Messiam Dominum suum. Sed vero quia notitia ista, signo promisso confirmata nondum erat, potuit dici Joannes Baptista nondum novisse eum, ista scilicet plenissima ac certissima cognitione, quæ ex signi istius apparitione ac visione extitura erat, & postea exstitit. Sic signi istius promissio non facta erit ad notitiam Jesu Christi primo in Joanne generandum, sed ad notitiam qualemcunque jam genitam confirmandum; eodem plane modo (ut Piscator recte annotat) quo *Exod.* III. 12, Mosi Deus dixisse legitur, *Et hoc tibi signum habebis quod miserim te*, (quo videlicet confirmaberis plenissime ac certissime) *cum eduxeris populum ex Ægypto, immolabitis*, aut servietis, *Deo super montem istum.* Iam ante enim signa plura habuerat Moses, & eo ipso tempore quo Mosem ita Deus alloquebatur, signa non levidensia habebat se à vero Deo Israelis missi.

Cur

## Cur Jesus Christus vetuerit miracula sua publicari.

## QUÆSTIO XI.

*Cum Dominus ac Servator noster Jesus Christus prodigia sua ac miracula ad divinam Religionis suæ veritatem adserendum stabiliendumque ediderit, causſam aliquis jure exposcat, cur se eorum authorem palam fieri tam serio prohibeat:* Matth. VIII. 4. & XII. 16.

## RESPONSIO.

*Christus non prohibuit in universum miracula sua publicari.*

REsp. Quæstio hæc sic concepta est, ac si Christus, duobus istis in locis *Matth.* VIII. 4. & XII. 16, in universum prohibuisset, miracula omnia sua, sive se eorum authorem, palam fieri: quod tamen nullo modo verum esse potest. 1. quia pleraque miracula fecisse legitur in densa & conferta hominum turba, id est, non clam sed palam, adeo ut nec miracula, nec author eorum latere posset. 2. quia *Marci cap.* V. 19 contrarium diserte fecisse legitur, id est, jussisse dæmoniaco, ex quo legionem dæmonum ejecerat, ut domum suam abiret ad suos, & renunciaret iis, quanta Dominus ei præstitisset. 3. quia passim legere est, Christum se & legationis suæ divinæ, tum veritatem, tum authoritatem, tueri miraculorum suorum, quæ patrabat, allegatione; adeo quidem, ut *Joan.* XV. 24 dicat, *Si opera non fecissem inter eos, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem & viderunt* (ea scilicet) & (nihilominus tamen) *oderunt tum me tum Patrem meum.* Palam itaque se auctorem eorum esse; testatus est & agnosci voluit.

*Variis tamen in locis id prohibuit.*

Quare, ut sensus quæstionis recte accipiatur, dicendum est, in ea causſam quæri, cur Christus, quamquam manifestus omnibusque notus miraculorum author, nihilominus tamen istis duobus in locis, miracula sua quæ faciebat, aut clam esse voluerit, aut se eorum authorem palam fieri serio prohibuerit. Loca duo allegantur in quæstione, sed in universum septem aut octo esse arbitror in quibus prohibitio ista facta est: nempe *Matth.* VIII. 4. & IX. 30. & XII. 16. *Marc.* V. 43. & VII. 36, & VIII. 26. *Luc.* V. 14. & VIII. 55. Non quidem quod in istis diversorum miraculorum, ac proinde novæ rursum prohibitionis, recensio fiat; sed quod prohibitionis istius à tribus Euangelistis mentio pariter facta, arguat, prohibitionem istam serio à Christo factam fuisse, ac proinde causſam ejus jure exposci in quæstione potuisse; quamquam ex ipsis locis, hic illic, eam serio & severe à Christo factam fuisse, per se manifestum est.

*Quod modestiæ causa non fecit, sed alias ob causſas.*

Respondeo: Causſæ indicti istis in locis silentii variæ à variis adferri solent, quas apud interpretes, & nominatim apud Maldonatum in commentariis ejus ad primum locum, videre est. Ad me quod attinet, ego arbitror, salvo meliore judicio, eas non aliunde, quam ex ipsis locis & locorum circumstantiis petendas esse. Sunt qui modestiæ exemplum nobis à Christo datum ibi volunt, eoque fine allegant loca ista, in quibus Christus negat se gloriam suam quærere. Sed vero Christum hic modestiæ exemplum dare voluisse, qui passim in turba hominum miracula sua indies faciebat, & ab omnibus ea conspici volebat, mihi non fit verisimile. Quando vero dicitur Christum non quæsiviſſe gloriam suam, eo non significatur, Christum modestia tali usum, qua miracula sua clam fieri volebat; sed ista solum, qua ea opera, quæ palam & in propatulo faciebat, non sibi tanquam auctori primo, sed Patri suo accepta ferri volebat: uti passim videre est, *Joan.* V. 19. 20. 30. 36. & VII. 16. 18. & VIII. 49. 50. & XIV. 10. &c.

*Cur id interdixerit leproso, Matth. VIII. 4. & Marc. I. 43.*

Quare ut ex ipsis locis singulis causſæ indicti silentii petantur, necesse est. Quod ad primum locum attinet, *Matth.* VIII. 4: ubi Christus leproso à se mundato legitur dixisse, ὅρα μηδενὶ εἴπῃς, & quidem ut *Marci* I. 43. est, ἐμβριμησάμενος αὐτῷ, graviter & cum fremitu quasi interminatus ei: in eo non videtur mihi Christus absolutè prohibuisse leproso, ne unquam cuiquam miraculose se sanatum esse abs eo diceret, sed tantum ne id diceret, priusquam se stitiſſet Sacerdoti explorandum, & à Sacerdotibus secundum legem *Levit.* XIV. 4. sanus pronunciatus esset: quod indicant diserte tres Euangelistæ, per doni à Mose imperati oblationem, testatum fieri debuisse. Nempe non volebat tantum Legis divinæ retinens videri Christus, sed & miraculo suo fidem fieri ab ipsis Sacerdotibus; atque ita demum miraculum suum palam fieri. Ut autem fides ei à Sacerdotibus fieret, præveniendi erant, antequam fama miraculi in Galilæa facti Hierosolymam ad aures eorum perveniret; quia alioquin facile, qua erant invidia, contra Christum, si fama hunc hominem antevertisset, eum à lepra mundatum non esse, extra portam urbis ab eo acciti, uti fieri necesse erat, pronunciare potuiſſent. Certe Marcus id non obscurè videtur innuere, quando ait; Christus ἐμβριμησάμενος αὐτῷ, ἐυθέως ἐξέβαλε, id est, confestim eum properare jussit, scilicet ne fama ipsum anteverteret. Eo ipso autem quod id ita jusserit Christus, non obscure significatur, Christum voluisse, ut post factam à Sacerdotibus declarationem & doni à Mose imperati oblationem, miraculum istud palam fieret. Enimvero ex illo tempore licebat homini à scabie lepræ mundato, rursum civitatem ingredi, & in societate hominum conversari: unde (cum id fieret) omnibus palam fieri necesse erat, cum à Christo mundatum esse, quia ut ab alio curatus esse crederetur, impossibile erat. Erat enim proculdubio lepra magna, quæ nulla humana industria curari potest, ut Hebræi fatentur. Atque hinc recte dicitur, Christum hoc mandasse huic leproso, ut si imposterum id negare auderent Sacerdotes, eis, aut hæc ipsa declaratio serviret εἰς μαρτύριον, aut munus post factam declarationem ab ipsis acceptum. Neque enim munus recipiebatur nisi post factam diligenter explorationem valetudinis restitutæ.

*Cur id interdixerit Matth. XII. 16. & Mar. III. 12.*

Quod ad secundum locum in quæstione ex *Matth.* XII. 16. adductum attinet, ejus sensum ex collatione hujus loci cum loco *Mar.* III. 12 arcessendum esse puto. Ex Marci loco constat pronomen αὐτοῖς non esse intelligendum de omnibus recens à Christo sanatis, sed de quibusdam inter illos, qui videlicet spiritu immundo obsessi erant, & priusquam à Christo sanati essent, alta voce in media turba clamabant, *Tu es Filius ille Dei*, quique ei etiam ad genua procidebant. His Marcus non obscure indicat, Jesum graviter interminatum fuisse, ne se manifestum facerent, id est, ne clamando dicere pergerent, *Tu es Filius ille Dei.* Ut enim Jesus prohibuisse dicatur omnibus à se magno numero sanatis, ne beneficia quæ ipsis præstiterat, apud alios divulgarent, neutiquam verosimile est. Quorsum enim istud prohibuisset? Fieri enim non poterat, ut ea, quæ in tam frequente hominum turba faciebat, (magnam enim fuisse turbam ex Marco liquet *vers.* 7. 8. 9.) non dispalcscerent ad plures, etiamsi ii, quibus id prohibuisset Christus, ea non divulgarent. Turbæ autem toti, ut Christus silentium imperasse dicatur, quis credat? Quid ergo, inquies, sibi vult illud πολλὰ ἐπετίμα αὐτοῖς ut Marcus ait? Id sic accipio, vetuisse Christum spiritibus impuris, id est, vel hominibus spiritu immundo obsessis, vel potius spiritibus per obsessos homines clamantibus, *Tu es Filius ille Dei*, ne id pergerent facere. Cur vero, inquies? Nempe etsi Christus ipse se dicebat Filium Dei, ut ex Joanne liquet, tamen nolebat ut quisquam id tum divulgaret, quod esset Filius Dei, seu Christus ille. Discipulis suis ipsis id vetuisse legitur, *Matth.* XVI. 20. *Luc.* IX. 21. quanto magis itaque vetare id Jesum voluisse credendum est dæmonibus seu dæmoniacis, imprimis quamdiu à dæmone adhuc obsessi manebant, ut scilicet dæmones hominem obsidentes adhuc vel homines obsessi à dæmonibus, Christo quasi gratulantes, alta voce gloriosum illum titulum darent: *Tu es Filius ille Dei.* Certe dæmonibus id alibi clamantibus dixisse legitur, *obmutesce: Marc.* I. 25. & *Luc.* IV. 35. ubi additur à Luca *vers.* 41. ὅτι ἤδεισαν τὸν χριστὸν αὐτὸν εἶναι. Ergo ut eum Christum esse inclamarent, vetitum præcipue videri debet. At vero aliud est dicere Jesum esse Filium Dei; aliud miracula ejus divulgare. Istud fieri nolebat Christus; non hoc, quando videlicet miracula in turba fiebant. Et sane per miraculum solemne in publico factum sanati homines, id est per Christum à dæmonibus liberati, ut Jesu gloriam darent, æquum erat. Quis vero etiam sibi persuadeat, Christum, quando in turba dæmoniacos sanabat, post factam sanationem, illis peculiariter vetuisse, ne miraculum istud manifestum facerent? Quod enim in turba fiebat, id manifestum satis erat, & latere non poterat. Aliud ergo est se manifestum facere: aliud miracula sua divulgare. Sic enim statuendum mihi videtur, Christum non voluisse prædicari aut annunciari populo in terminis, quod esset Christus sive Filius ille Dei, ante tempus resurrectionis & exaltationis suæ, (tum enim ut id fieret diserte voluit:) sed ex miraculis suis quæ faciebat in conspectu omnium, concludi & colligi id voluit, usque dum Deus Pater ipsum manifestaturus esset quod esset Filius ipsius dilectus, per suscitationem ejus ex mortuis. Inde enim id potissimum constitutum erat; unde & unicum ultimumque id signum quo convincendi erant Judæi, futurum dicitur, *Matth.* XVI. 4. Quare ut miracula sua quæ publice fiebant vulgari prohibuisse credatur, non est verosimile.

Si quis tamen contendat, Christum omnibus à se sanatis, quin & turbæ toti prohibuisse, ne opera hæc sua admiranda divulgarent apud eos, quos jam in mortem suam conjurasse noverat, ut *Matth.* XII. 14. 15. & *Mar.* III. 6. 7 videre est.

est, non multum refragabor. Sed tum indicti silentii caussa non erit, ne miracula Christi palam fierent apud plures, sed tantum ne dispalescerent ad eos quibus constitutum jam tum erat Christum perdere; nempe, ne ante tempus rabiosorum instar canum in eum irruerent: qua de caussa etiam secessisse Christus dicitur, ut vim & insidias eorum evitaret. Atque hanc quidem duplicem ob caussam, id est, partim ob secessionem Jesu Christi subducentis se ex conspectu hostium suorum ne illos irritaret acrius contra se; partim ob prohibitionem, sic, uti diximus, spiritibus immundis factam, commode satis exponi potest id, quod subjicit Matthæus *vers.* 17. *ut impleretur quod dictum est*, &c. *Esa.* XLII. 1. si modo non totum dictum istud, sed quædam tantum in eo accipiantur, quæ ad id quod diximus directe faciunt: quod in aliis dictis etiam non raro observare est.

*Cur duobus cæcis, Matth. IX, 30. Et unis Mar. VIII. 26.*

Quod ad locum ex *Matth.* IX. 30. desumtum attinet, ubi Christus cæcis duobus, quibus visum restituerat, graviter interminatus fuisse dicitur, ne quisquam ex ipsis id resciscceret, ὁρᾶτε μηδεὶς γινωσκέτω; ejus prohibitionis caussa mihi alia non videtur fuisse, quam ea, quæ in textu est, quod miraculum istud domi suæ intra privatos parietes fecisset; ut est *vers.* 28. Hoc divulgari vetuit, ne fraudis aliqua suspicio subesse videretur, tanquam si cæci isti, cum revera cæci non essent, subornati fuissent à Christo aut à suis, ut miraculose se à cæcitate per eum sanatos esse aliis persuaderent, atque ita famam Jesu Christi exemplo suo illustriorem redderent. Nempe calumniæ & cavillo omni ansam præcidere Christus voluit, certus miracula omnia, quæ in publico faciebat, exceptione omni majora, sufficere abunde posse, ad famæ suæ illustrationem, & Patris sui glorificationem, ut fœnerari majorem, ab iis miraculis, quæ privatim faciebat, opus non haberet.

Quod Maldonatus censet, Hoc à Christo factum ad vitandum Pharisæorum & Scribarum invidiam; qui, inquit, si minora miracula ferre non poterant, quid facturi erant, si mortuos excitari, (adde quod idem postea subjungit) & cæcos curari audivissent? Animadvertendum enim, addit, de solis mortuis suscitatis & curatis cæcis, Christum, ne id sciretur, vetuisse, infra *verficulo* 30, id est, isto ipso de quo nunc agimus, quia cæteri morbi curabiles videri poterant: vitam & visum, nemo ignorabat, non posse ulla arte semel amissum revocari. Hoc, inquam, quod & mihi aliquando placuit, non possum jam probare. Quod enim ad cæcos curatos attinet, Christum prohibuisse semper cæcis à se sanatis, ne id divulgarent, (ut jam de suscitatis mortuis non dicam, quibus certum est, Christum non semper vetuisse, ne id divulgarent, ut ex exemplo suscitati filii viduæ in Naim, *Luc.* VII. 11. 12. &c. & Lazari in Bethania suscitati, *Joan.* XI videre est.) nec verum est, nec verosimile. Non verum, uti patet ex *Matth.* XX. 30, &c. *Marci* X 46. &c. *Luc.* XVIII. 35. &c. & speciatim ex *Joan.* IX per totum in exemplo cæci nati & curati. Nec verosimile, quia cæcos complures in turba ita sanatos esse dicitur in Novo Testamento, exempli gratia *Matth.* XV. 30. 31. ut non modo nullum indicium appareat, vetuisse Christum, ne id sciretur; sed contra, ut Christus ipse discipulis Joannis, ad se missis, cæcorum à se sanatorum complurium, aliorumque miraculorum à se patratorum, quasi publice notorum, exemplo fidem fieri voluerit, quisnam esset & qualis: *Matth.* XI. 3. 4. *Ite & renunciate Joanni, quæ auditis & videtis. Cæci visum recipiunt, & claudi ambulant, leprosi mundantur, & surdi audiunt*, (additur in textu) *mortui suscitantur.* Quare præferenda mihi videtur prima nostra solutio: quæ etiam applicari potest loco *Mar.* VIII. 26, ubi cæco à se curato Christus dicitur vetuisse, ne in vicum Bethsaidam ingrederetur, neque (id scilicet quod factum erat) diceret cuiquam in vico. Nam discrtè *vers.* 23 dicitur, Christum eduxisse cæcum prehensa manu ejus extra vicum. unde quod extra vicum erat factum, eo ipso, quod extra vicum factum esset, cum in ipso vico cæcus Christo oblatus esset, quia calumniæ & suspicioni obnoxium videri poterat, Christus etiam in vico isto divulgari noluit à cæco, verosimiliter in vicum istum aliunde delato, ac proinde incolis ejus ignoto. Quamquam fateor dici etiam posse, Christum noluisse in vico isto cæcum sanare, sed extra vicum; & prohibuisse cæco sanato, ne in vicum istum rediret, quia indigni erant incolæ, qui nova miracula viderent aut fieri audirent, propter ingratitudinem & irresipiscentiam suam. Nota est enim querela & contestatio illa Christi, contra vicum hunc Bethsaidam, *Matth.* XI. 21: *Væ tibi Corazin, væ tibi Bethsaidam. Nam si in Tyro & Sidone editæ fuissent virtutes, quæ editæ sunt apud vos, olim cum sacco & cinere sedentes resipuissent.*

## Quomodo interdictum precandi pro iis qui peccant ad mortem, conveniat cum promissione veniæ credentibus. in Christum facta.

## QUÆSTIO XII.

*Cum Christus* Matth. XI. 28. *omnibus peccatoribus in se credentibus veniam ac remissionem promittat, quare Apostolus Joannes* 1 Epist. V. 16, *vetat pro illis qui ad mortem peccant preces concipi?*

## RESPONSIO.

REsp. Quæstio hæc expedita & soluta est, si dicamus nullam prorsus hîc esse contradictionem aut contrarietatem, 1. quando per *peccantes ad mortem* intelliguntur peccatores credere nolentes. 2. quando in loco Matthæi agi dicitur de peccatoribus nondum conversis; in loco autem Joannis de peccatoribus jam conversis, & post conversionem ad mortem peccantibus: uti agi manifestum est ex eo, quod ibi vocentur peccatores ad Christum; hîc vero fratres vocentur isti, de quibus dicitur quod peccent ad mortem aut non ad mortem. Sed quæstionis forte sensus hic est: Cum Christus *Matth.* XI peccatores omnes ad se vocet, quomodo Joannes vetat pro quibusdam preces concipere? vocare enim omnes, & quosdam excipere, contradictionem videtur implicare. Sed vero contradictio hæc etiam facile solvitur. Quid si enim dicamus Christum *Matthæi* XI vocare quidem omnes ad gratiam, sed tamen exceptis blasphemantibus Spiritum S. quia de his expresse alibi *cap.* XII dicit, *Non remittetur in neque in hoc seculo neque in futuro?* Ex eo enim concludetur, si per peccantes ad mortem intelligantur isti ipsi blasphemantes, uti quidam volunt, non contradictoria dici sed apprime consentanea. At vero fateor solutionem hanc mihi non placere, quod de fratribus dicatur si peccent ad mortem, videlicet fratres adhuc videri volentes, & qui pro talibus habentur adhuc à cæteris. Hi enim blasphemantes Spiritum S. dici non possunt, quia blasphemare Spiritum S. meo judicio est opera Dei digito facta spiritui impuro adscribere, uti est *Mar.* III. quod non nisi juratis Dei & Religionis Christianæ hostibus tribuitur, neutiquam vero iis qui fratres esse & videri volebant.

*Quinam sint peccantes ad mortem, & non ad mortem.*

Existimo itaque contradictionem hoc pacto optime tolli. Per *peccantes ad mortem* dico intelligi tantum eos, qui adeo graviter atque enormiter peccant post acceptam veritatis cognitionem, ut Deus constituerit decreto peremtorio eos non tantum æterna morte punire, sed etiam morte temporaria afficere, id est è medio tollere, absque ulla gratiæ ac veniæ per preces impetrandæ spe. Contra per *peccantes non ad mortem*, eos qui graviter quidem peccant, & morte æterna simul ac temporali dignos se reddiderunt: sed tamen non ita, quin tum suis tum aliorum precibus ab utraque liberationem consequi possint. Phrasis autem ista, *Ad mortem, &, non ad mortem*, hoc quo diximus significato prope, si non omnino, accipitur *Joan.* XI. 4, ubi Lazari morbus dicitur à Christo *non esse ad mortem*: quia decreto divino peremtorio proprie dicta mors constituta non erat Lazaro, sive mors duratura usque ad judicii diem, sed ad tempus tantum, & pro gloria Dei illustranda. Quæres forte hîc: Quinam & quales ergo sunt ejusmodi peccantes ad mortem & non ad mortem? Resp. Fateor lubens me id ignorare. Nec textus arguit id sciri posse, nedum videri. Non enim dicitur in textu nisi, *Si quis viderit fratrem suum ἁμαρτάνοντα*, id est peccantem sive qui peccat; non vero peccare ad mortem. Atque ex hoc intelligitur non recte quæsitorem dicere Joannem vetare ut pro iis preces concipiantur. Sic enim supponitur peccatum istud, sive modum istum peccandi, videri potuisse, & propter discrimen quod manifeste videbatur Apostolum interdictum istud fecisse. At vero in textu interdictum istud non est. quia dicitur tantum, *Pro eo non dico ut oretis.* quod longe aliud est quam si legeretur: Dico atque edico ne pro iis oretis. Sensus enim esse potest & revera est: Non dico ut pro iis oretis eadem successus spe: sive, Non loquor de talibus. Pro istis enim si oretis frustra eritis. quasi occurrens dubitationi & exceptioni contra id quod dixerat, quod non raro orarent pro quibusdam frustra. Nil mirum, inquit: ubi sententia mortis à Deo lata est peremtoria, tum demum frustra estis precando. alioquin preces vestræ sortirentur effectum. Sed hunc locum in Commentariis nostris prolixe exposuimus. Illa vide sis.

Quo-

## Quomodo conciliari possit auctor ad Hebræos omnem veniæ spem quibusdam peccatoribus adimens, cum Ezechiele eam omnibus pœnitentibus promittente.

## QUÆSTIO XIII.

*Quæritur, quomodo cum duobus illis locis, quorum prior exstat in* Epist. ad Hebr. cap. VI. vers. 4. 5. 6, Nam fieri non potest, *&c. Posterior autem* ad Heb. X. 26. 27, Nam si ultro peccaverimus, *&c. conciliari possit locus* Ezech. XVIII. 21. Impius si aversus fuerit, *&c. In locis enim istis ad Hebræos, statui videtur, eos qui per peccata à recta via recesserunt, nullo modo redire posse in gratiam cum Deo, quantamcunque etiam pœnitentiam agant, sed iis exspectandum esse fervorem ignis. Propheta vero Ezechiel dicendo,* Si impius, *&c. satis clare innuit peccatis inquinatos per resipiscentiam posse renovari. Nisi forte quis velit enunciationem hanc conditionalem esse impossibilem, & sic æquipollere neganti: quod absurdum esse cuilibet attentiore judicio textum illum Ezechielis trutinanti facile liquebit.*

## RESPONSIO.

RESp. Quæstio hæc digna est examine, suppositа (uti à nobis fit,) canonica auctoritate Epistolæ ad Hebr. quemcunque tandem auctorem habeat. Alioquin certum est Epistolam eam olim à nonnullis ex Canone expunctam fuisse, inter alia etiam ob hæc ipsa verba, quod videlicet ea aperte Novato & Novatianis viderentur favere, & lapsis spem resipiscentiæ ac veniæ negare: quæ res nobis tanti non est, ut propterea tam divinum Scriptorem in Cæritum tabulas referamus.

Solutio autem quæstionis, & locorum duorum cum Ezechiele conciliatio pendere mihi videtur è duobus. 1. Ex debita locorum ad Hebr. cum Ezechiele collatione. 2. Ex recta duorum locorum ad Hebr. intelligentia. Ezechielis enim locus planior est quam ut intelligentia ejus in obscuro esse possit, etiamsi hypothetica ejus sit oratio, prout recte quæsitor in fine quæstionis notavit.

*Collatio VI & X ad Hebr. cum Ezech. XVIII.*

Collatio locorum duorum cum Ezechiele debita hæc est. Certum est Ezechielem loqui de extraordinaria gratia, qua se uti velle in populo suo Deus isto tempore Ezechieli prophetæ suo revelaverat. Extraordinaria, inquam, gratia, quæ videlicet non modo non expressa erat in Lege Mosis, sed Legis claræ sententiæ repugnabat. Gratia enim quam nomine Dei promittit Ezechiel, aut Deus per Ezechielem, est gratia sive venia peccatorum omnium, licet maxime enormium, quæ ex vi & sententia Legis atrocissima morte absque ulla gratia puniri debebant, & hostia aut sanguine ullo expiari non poterant: putà idololatriæ, adulterii, violentæ pauperum oppressionis, rapinæ, usuræ, &c. aliorumque quæ elata manu fieri dicuntur, sive per superbiam, juxta *Num.* XV. 30. 31. & juxta id quod *cap.* X. *ad Heb. vers.* 28 dicitur: *Qui irritam fecerit Mosis legem, absque misericordia ex duorum aut trium testimonio moritur.* Ex hoc colligo, speciem omnem ἀνυπευθυνίας tolli, si dicatur non promitti quidem in Euangelio expressam veniam peccatoribus gravissimis, sed ei non obstare, quin Deus extraordinariam veniam faciat peccatoribus gravissimis, pro singulari sua gratia ac liberrima clementia. Verba itaque Epistolæ ad Hebræos non continebunt, nisi ordinariam agendi rationem cum enormibus peccatoribus.

Hanc solutionem video placere nonnullis, ut & mihi aliquando placuit, ad tollendam ἀναπολογίαν. Fateor tamen eam jam mihi talem non videri ut in ea plane acquiescam. Ratio mea est: quia extraordinariæ talis gratiæ promissio in Euangelio non exstat, uti sub Lege apud Ezechielem exstare talem legimus. Propendeo itaque in solutionem secundam, quæ hæc est. Verba utriusque capitis, tum VI tum X *ad Hebræos* allegata, si rectè ac commodè accipiantur, ἀντίφασιν omnem cum Ezechiele tollere. Ut autem recte intelligantur, operæpretium est expendere, an uterque locus eandem prorsus contineat sententiam.

*Sensus loci ex capite VI petitus.*

Quod ad locum primum *cap.* VI attinet, interpretes omnes in hoc conveniunt, quod in eo agatur non de peccatis quibuslibet quæ contra Euangelii præcepta committuntur, sed de universali apostasia sive defectione ab Euangelio vel Religione Christi, cum aperta ejus renunciatione, & ex eâ profecta, profana dissolutaque vita. Eam autem indicari verbis παραπίπτειν & ἀνασταυροῦν & παραδειγματίζειν τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ. Id sit ita est, apparet hunc locum non pugnare cum Ezechielis loco, si dicatur, Ezechielis loco non agi de apostatis Legi Mosaicæ in universum nuncium remittentibus, sed de iis tantum qui religione & professione Legis Mosaicæ cultores videri volebant, & tamen interea legirupæ erant manifestarii. Aliud enim est apostata à Lege, aliud Legis transgressor. Apostatis à Lege Mosaica veniam promittere Ezechielem non constat, nec verisimile est. Quare nec Ezechieli contradicere videri debet locus iste ad Hebræos, si in eo non nisi de apostatis ab Euangelio agi dicatur.

*Sensus loci cap. X.*

Quod ad secundum locum *cap.* X attinet, An in eo de apostasia universali agatur incertum est. Sunt qui speciosis argumentis de ea non agi contendunt, atque idcirco loci hujus sententiam non eandem cum sententia *cap.* VI faciunt. Argumenta eorum sunt: 1. Quia Scriptor hoc in loco utitur non verbo *prolabendi*, sed *peccandi*: quo ordinarie solet intelligi non universæ legis renunciatio, aut totalis à lege defectio, sed transgressio Legis quæ cum ejus agnitione ac professione potest consistere aut conjuncta est. 2. Quia occasio & scopus verborum auctoris id postulare videntur. Monuerat namque ut fideles sese invicem adhortarentur: nunc docet quid futurum sit, vel fieri facile possit, si hoc facere negligant; id nempe, ut voluntarie post acceptam veritatis cognitionem peccent, & sic sese pœnę gravissimæ reos faciant. At cum adhortatio late pateat & omnibus peccati generibus opponi soleat ac debeat, verisimile etiam est peccatum hoc, quod ex adhortationis neglectu oriri facile posse docet auctor, late similiter extendendum esse & non ad apostasiam solam restringendum.

Esto, inquies. Hæc itaque sententia directe contraria est sententiæ Ezechielis. Sane prima fronte ita videtur. Sed tamen longe secus res se habet. Quia in textu *cap.* X non dicitur, Eum qui peccat ἑκουσίως post acceptam veritatis cognitionem non posse veniam consequi si resipiscat; quod Ezechiel fieri posse dicit. Nec dicitur fieri non posse ut resipiscat vel ut renovetur ad resipiscentiam, prout in priore loco *cap.* VI de apostata dicitur, cui non contradicit Ezechiel. sed tantum dicitur, Ejusmodi peccanti nullam reliquam esse hostiam, nisi videlicet effectu ipso peccatum istud abdicet, cum antea, id est ante cognitam veritatem, parata esset hostia, per fidem & propositum abdicandi peccata serium, quod effectus ipse subsequi debebat; eumque, quà talem, manere χείρονα πυρείαν, id est graviorem pœnam, quæ fervor ignis dicitur, id est exitium & excidium acerbissimum.

Recte, inquies. Ex eo ipso sequitur id quod volo. Quia adeo arcte atque immediate connectit auctor pœnam istam gravissimam cum isto voluntario peccato sive delicto, ut eam ei conjunctam fore significet: quo innuit pœnitentiam sive resipiscentiam intermediam venire non posse. Resp. Id non sequitur, nec recte colligitur. Ista enim ratione naturam & vim tantum peccati describit, non necessarium eventum. Alioquin cum peccati omnis stipendium dicatur mors, & passim peccatoribus omnibus pœna constituatur exclusio è regno cælorum, dicendum foret fieri non posse, adeoque ista ratione loquendi significari, fieri nequaquam posse ut post peccatum unquam sequatur pœnitentia. Deinde fieri potest & verisimile admodum est, auctorem indicare voluisse, duo ista fere consequi se mutuo, eo quod difficillimum sit ut quis contra scientiam & conscientiam peccatis se dedens, & religionis cognitæ frænum quasi respuens, in viam & ad meliorem mentem redeat: juxta id quod apud Jeremiam legere est, *cap.* XIII. *vers.* 23. *Si mutare potest Æthiops pellem suam, & pardus maculas suas, & vos poteritis bene facere, cùm didiceritis malum.* & passim alibi, nominatim in Euangelio: *Non potest arbor mala bonos fructus ferre*, &c. non quod id nullo modo fieri possit, sed quod id adeo difficile sit, ut pene impossibile videri debeat; ac proinde non immeritò pœna conjungatur cum delicto isto. Eodem modo quo Servator noster verbum *Impossibile* exponit per *valde difficile*, *Matth.* XIX. 23: collato cum *versu* 26, & cum *Mar.* X. 23. *Luc.* XVIII. 28. & Joannes, *non posse*, pro difficillime posse, sive alienissima mente esse à faciendo, 1 *Ioan.* III. 9. Atque hoc ipso sensu arbitror intelligendum esse locum priorem, *cap.* VI. Etsi enim apertè in eo dicatur, quòd tales renovari non possint εἰς μετάνοιαν, quod in *cap.* X non habetur, & difficilius longe sit religionem amissam ac spretam recuperare, quam religione servata retentaque à peccatis ad virtutes iterum se conferre, sicque pene impossibile ex apostasia resurgere, aut redire in viam religionis: tamen vix possum in animum meum inducere, quod id aut prorsus impossibile sit, aut ex decreto sive actione aliqua divina, sive actionis alicujus divinæ negatione impossibile fiat. Prius patet: quia nullus actus, nullus habitus

habitus libertatem voluntatis ſic determinat ut mutari non poſſit. Libertas voluntatis ſub quovis habitu manet, dum videlicet homo hîc in via eſt. Secundum patet ex duobus: 1, Ex eo quod Servator noſter ipſe aſſerat, omne peccatum & omnem blaſphemiam in Filium hominis condonatum iri, ſed unam in Spiritum S. blaſphemiam venia carituram in hoc & in futuro ſæculo: hoc autem loco agatur de blaſphemia in Filium hominis, ſive de iterata ejus crucifixione, qua tales de quibus agitur Filium Dei ſibi crucifigunt, id eſt quantum in ſe eſt rurſus occidunt, mortem & crucem ejus quaſi ludibrio habentes & non curantes. Ei etſi conjunctus eſſe dicatur ἐνυβρισμὸς Spiritus Sancti, tamen is non eſt blaſphemia in Spiritum S. ſed aliquid conſequens Filii contemtum aut Euangelii inobedientiam. 2. Ex eo quod Deus omnes peccatores vocari jubeat ad reſipiſcentiam: quæ vocatio niſi ſerio eſſe dicatur, aut ſi cum exceptione horum & illorum ab ipſo Dei decreto fluente conjuncta ſtatuatur, fieri vix poteſt ut aut generalis reſipiſcentiæ commendatio vim habeat, aut ſpecialis reſipiſcentium conſolatio fructuoſa ſit & efficax. Quare malim hunc textum alioſque ſimiles ſic exponere, ut difficultatem maximam notent, non verò meram impoſſibilitatem, ſive ex parte rei, ſive ex parte Dei. Sic enim ſecuritati & deſperationi obex ponitur, divinæ gratiæ ſua in ſolidum conſtat gloria, & vocationis divinæ ſinceritas in aperto eſt ac propatulo.

## De peccato in Spiritum ſanctum.

### QUÆSTIO XIV.

*In quo conſiſtat formalis ratio peccati in Spiritum ſanctum? An in generali abnegatione ac perſecutione veritatis ſemel agnitæ, ut quidam volunt? An vero in eo, quod dicantur miracula Jeſu, quæ per Spiritum ſanctum Dei facta ſunt, per principem Dæmoniorum fieri, uti videtur indicari* Mar. III. 29. *Quod ſi hoc, quodnam ſit diſcrimen inter peccatum in Deum Patrem, in Filium, & in Spiritum ſanctum? Diſcrimen enim eſſe patet ex eo, quod hoc poſterius nunquam ſit remittendum; priora duo tamen; uti patet ex* Mar. III. 28. 29. *&* Matth. XII. 32.

### RESPONSIO.

*Rejectio ſententiæ Auguſtini.*

DE formali ratione peccati quod in Spiritum ſanctum dicitur, variant Doctorum judicia, quæ apud interpretes Scripturarum & Scholaſticos alioſque paſſim reperire eſt. Vulgaris Theologorum opinio, quæ ſex peccati in Spiritum S. genera ſeu ſpecies ponit, Finalem impœnitentiam, deſperationem, obſtinationem in malo, deliberatam veritatis cognitæ impugnationem & perſecutionem, præſumtionem, & fraternæ caritatis invidiam, ex Auguſtino potius (quem quinquies diverſis in locis diverſas ſententias ſecutum eſſe ait Maldonatus) quàm ex Scriptura nata, rejicienda omnino videtur. 1. quia unius peccati multas ſpecies facit, & tamen 2, inter iſtas non recenſet eam in qua peccati iſtius formalis ratio ab ipſo D. Jeſu conſtituitur. Definitiones pro arbitrio facere in rebus graviſſimi momenti, irreverentiam ſapit. Extenſiones etiam peccati atrociſſimi, & quod omnium peccatorum maximum eſt, in varias ſpecies facere, audaciam nimiam redolet aut ſaltem immiſericordiam.

*Duæ aliæ ſententiæ. Prima.*

Quare definitioni Servatoris noſtri inſiſtentes, dicimus eos proxime ad veritatem accedere, qui in altero horum duorum formalem rationem peccati in Spiritum ſanctum conſiſtere ſtatuunt: Aut in directa, aperta, & contumelioſa miraculoſæ iſtius diſtributionis viſibilium Spiritus S. donorum, quæ per Spiritum S. in Pentecoſtes feſto facta fuit, ad confirmandum Jeſum in cælo Regem eſſe conſtitutum, & Euangelium doctrinamque ejus veluti divinam in cælo approbatam eſſe; rejectione: (Hæc enim blaſphemia directa in Spiritum S. Dei videtur, & graviſſima, quia tum demum perfectiſſimè ſe exeruit virtus divina, id eſt Sanctus Dei Spiritus, adeo ut major aut ulterior aliqua nova Spiritus ſive virtutis divinæ gratiæque operatio eam ſecutura *Secunda.* nunquam ſit:) Aut in directa, aperta & contumelioſa miraculoſæ iſtius & ſanctiſſimæ virtutis, quam Chriſtus in terra adhuc verſans, exerebat, oculiſque Judæorum quotidie ingerebat ac quaſi ſpectandam dabat, variorum adeoque innumerorum miraculorum patratione, inter quæ etiam erat ipſa dæmoniorum impuriſſimorum & invitiſſimorum ſpirituum è corporibus hominum ejectio, quæ ſanctiſſimæ virtutis divinæ indicium erat, abnegatione, conjuncta cum inſigni, nullaque prorſus veroſimili ratione nixa, ac proinde malitioſa plane ac præpoſtera blaſphemia, qua maxime divinæ ac ſanctiſſimæ iſtius virtutis φήμη ἐβλάπτετο, id eſt, fama lædebatur, quod virtus iſta divina, eſſet ipſius principis dæmoniorum virtus.

*Rationes quibus prima niti-tur.*

Primum modum video quibuſdam placere hodie, ob hanc potiſſimum rationem, quod tempus iſtud quo Chriſtus in terris verſabatur humilis ac deſpectus, putent diſtinguendum eſſe à tempore iſto, quo ab eo, jam in cælum ſublato & glorioſa Majeſtate donato, Spiritus S. effuſus eſt: Iſtud primum tempus, totum Chriſti tempus eſſe, ſive potius tempus filii hominis, ac proinde peccatum ſive blaſphemiam iſtius temporis non fuiſſe niſi blaſphemiam in filium hominis, & per conſequens, peccatum ſive blaſphemiam in Spiritum S. tum locum non habuiſſe: Hoc poſterius tempus, eſſe tempus Spiritus S. promiſſi, & à Jeſu Chriſto donati ſive effuſi in Apoſtolos Euangelii præcones futuros, ac proinde in eo propriè locum habuiſſe peccatum in Spiritum S. Et rationem hanc confirmant, 1. quia in textu dicitur, Non, qui blaſphemat, ſed, qui blaſphemaverit Spiritum Sanctum, videlicet tum cum Spiritus S. advocatus meus venerit. 2. quia dicitur à Stephano *Act.* VII. 51, de Judæis, quod tum reſiſtebant Spiritui S. ſicut & patres eorum. 3. Quia ſic optime intelligitur quomodo peccatum iſtud non remiſſum iri dicatur, quia videlicet aliud novum gratiæ tempus non erat ſecuturum, quo Judæi à peccato tali committendo potentius aut efficacius reprimi, aut à commiſſo revocari, proinde veniam ac remiſſionem peccati impetrare poſſent.

*Rationes quibus ſecunda nititur.*

Sententia hæc, etſi ſpeciem veri habet, & per ſe proba eſt, tamen poſterior mihi omnino præferenda videtur, ob has rationes: 1. quia orationi Chriſti multo melius convenit & ſimplicior eſt. Dicitur enim *Marc.* III. 29. Chriſtum oratione iſta uſum fuiſſe, quia dicebant (tum temporis ſcilicet) ſpiritum impurum habet: quæ oratio juxta priorem ſententiam ſic accipienda videretur, quaſi occaſione tantum iſta Chriſtus id dixiſſet, indicans fieri poſſe, ut crederent, Spiritum iſtum, quo Chriſtus dæmonia ejiciebat, impurum eſſe, idque ſine blaſphemia in Spiritum Dei S. dicerent: quod abſurdum mihi eſſe, & prolixæ Chriſti apologiæ nullo modo conveniens videtur. Cui accedit 2, Quod ſic Chriſti oratio in hunc ſenſum interpretanda eſſet: Peccatum hoc veſtrum ſive blaſphemia hæc, nondum eſt blaſphemia in Spiritum S. Cavete vobis diligenter ne aliquando ea in blaſphemiam in Spiritum S. deſinat, quando videlicet ego Spiritum S. miſero in Apoſtolos meos: non taxans eos de præterito aut præſenti crimine, imo eos quaſi excuſans, ſed præmonens tantum contra futurum: quod nullo modo ſeriæ increpationi Jeſu Chriſti convenire per ſe liquet. 3. Quia blaſphemia iſta, quæ ferebatur in virtutem iſtam, quæ immediate ab ipſo Chriſto exibat & oſtendebatur, reſpici potius videtur, quam ea quæ mediate deinde per Apoſtolos, non minus viles, deſpectoſque, imo contemtiores multo, quam ipſe Chriſtus videbatur, exercenda erat aut exercita poſtmodum fuit.

*Reſponſio ad rationes pro prima allatas.*

Nec rationes obſtant. Non prima: quia, *blaſphemaverit*, non futurum tantum tempus ſed & præſens notare poſſe non eſt dubium. Non ſecunda: quia verba ipſa diſertè obſtant, cum Stephanus Judæis exprobret, non quod tum demum reſiſterent Spiritui S. ſed quod ſemper reſiſterent, & non aliter reſiſterent tum quam antea reſtiterant, & quidem uti patres eorum reſiſtere ſemper Spiritui divino per Moſem loquenti ſoliti fuerant. ut jam non dicam ibi agi de reſiſtentia, non qua Stephano miracula patranti per Spiritum S. ſed argumentis & rationibus eos convincenti reſiſtebatur, uti videre eſt *verſ.* 10. *cap.* VI: *Sed non potuerunt reſiſtere ſapientiæ & ſpiritui per quam loquebatur*, (Stephanus ſcilicet) videlicet rationibus atque argumentis: quamquam vi reſiſtebant. Non tertia: quia commoda omnino ratione poteſt explicari quod Chriſtus dicit, *Peccatum iſtud non remiſſum iri neque in hoc neque in futuro ſeculo*, ut iſta qua prima ſententia utitur, ratio neceſſaria non ſit. Atque hæc ratio eſt iſta, quæ diſcrimen facit inter peccatum ſive blaſphemiam in Patrem, in Filium, & in Spiritum S. quod, quale ſit, quæſitor interrogat. Ea hæc eſt: Quod attinet ad peccatum in Patrem, ſive ad blaſphemiam in Patrem, de ea non agitur in textu, forte propterea, quod utrimque tum à Chriſto tum à Judæis Pater agnoſcebatur Deus ille verus, ac proinde in eum blaſphemiam ullam directe jaci non præſumebatur. Quod attinet ad blaſphemiam in Filium, ea eſt blaſphemia quæ in Filium hominis vocatur, quibus verbis continetur ratio diſcriminis blaſphemiæ hujus & blaſphemiæ in Spiritum S. Filius enim hominis, quia & quatenus filius hominis erat, nihilque minus quam divinitatem aut Majeſtatem Meſſiæ dignam præ ſe ferebat, quatenus ſine Spiritu S. id eſt miraculoſa Dei virtute, qua gloriam divinam præ ſe ferebat, imprimis ſancta iſta virtute, qua ſummum Dei hoſtem & impurum ſpiritum, id eſt diabolum ejiciebat, conſiderabatur,

blaſphemari, id eſt, lædi poterat, etiamſi optima doceret, tanquam à Deo non miſſus, aut qui promiſſus à Deo Meſſias non eſſet, ex errore, præjudicio, aut affectu aliquo magno, quo glorioſiſſimus Rex Meſſias expetebatur & expectabatur. At glorioſa, ſancta, & admiranda illa opera, quæ fieri non poterant niſi digito ſeu virtute Dei ſancta, blaſphemare, id vero blaſphemia in Spiritum Dei Sanctum dicitur; quia illa divinæ Majeſtatis, potentiæ ac bonitatis ſanctæque virtutis læſio, proficiſci non poterat ex errore, præjudicio aut alio aliquo affectu inveterato in Meſſiæ Regis gloriam; ſed ex animo pravo ac maligno dumtaxat, cui excuſando nihil vero-ſimile prætexi poterat quod odio atque invidia non laboraret. Atque hoc arbitror clarè ex textu liquere, *Matth.* XII. 33. *& ſeqq.* & ex omnibus iſtis locis in quibus Chriſtus ipſe ait: *Si opera non feciſſem inter eos, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. nunc autem & viderunt, & oderunt tum me tum Patrem meum: Joan.* XV. 24. & *cap.* X. 37. *Si non facio opera Patris mei, nolite mihi credere. Sin vero illa facio, etiamſi mihi non credatis, operibus tamen credite.* Vide quæ hac de re pluribus diſſeruimus in commentariis noſtris ad *cap.* XII *Matthæi.*

## Quæ ſpes ſalutis fieri poſſit peccatori in agone mortis conſtituto.

### QUÆSTIO XV.

*An homini in agone mortis conſtituto, & peccatis emancipato, ſpes aliqua ſalutis ſit facienda, ſi ex animo anteacta vitæ pœnitudine ducatur, quamvis nullos reſipiſcentiæ fructus edere poſſit; an vero illa penitus miſero ſit adimenda? Tum, qua cautione hîc agendum ſit, ut quis ſua & jam jam morituri conſcientia ſatisfaciat?*

### RESPONSIO.

*Spes ſalutis duplex eſt: una qua nititur ordinaria & expreſſa Dei promiſſione.*

RESP. Spes duplex eſt, una, quæ nititur ordinaria, certa atque expreſſa Dei promiſſione: Altera, quæ nititur extraordinaria Dei gratia, & ordinariæ promiſſionis extenſione, qua Deus aliquando uti poteſt & ſe uti velle declarat. Spes, quæ ordinaria, certa atque expreſſa Dei promiſſione nititur, eſt ea, quæ facta eſt non pœnitentibus tantum ſed & reſipiſcentibus, ex firma, bene deliberata ſolidaque fide in Jeſum Chriſtum; cujuſmodi ſunt iſti ſoli, qui, dum vita & vires conſtant, ſe totos anima & corpore componunt ad præſcriptum Euangelii Jeſu Chriſti. Hæc ſpes facienda non eſt iis, qui per omnem fere vitam ſuam ſe totos dediderunt mundo & carni, ſecuri prorſus de voluntate divina ſanctiſque Euangelii legibus, dum ætas ſinebat, & vires conſtabant: lecto vero tandem adfixi, & morti vicini, pœnitudine vitæ anteactæ ducuntur, ſeria licet atque ex animo profecta. Nuſpiam enim diſerta talibus gratiæ veniæque promiſſio, nec certa vitæ æternæ ſpes facta eſt in Euangelio.

*Altera qua nititur extraordinaria Dei gratia.*

Spes quæ extraordinaria Dei gratia & ordinariæ promiſſionis extenſione nititur, qua Deus aliquando uti poteſt pro libero ſuo jure, & uti ſe velle declarat, eſt ea, quæ fieri poteſt & facienda eſt, iis, qui quam proxime accedunt ad pœnitentes & reſipiſcentes iſtos, quibus ordinariæ gratiæ ac veniæ promiſſio facta eſt; cujuſmodi ſunt ii, qui cum per vitam ſuam totam nullo vero ſerioque Dei timore tacti fuerint, tandem morte inſtante, ex animo pœnitudine vitæ anteactæ ducuntur, ſeque indignos confitentes quibus ordinaria gratia fiat, ex fide in Jeſum Chriſtum ad clementiam Dei confugiunt, & gratiam ejus, quanta poſſunt animi contentione ambiunt, parati promtique, ſi vita ſuppeteret viresque permitterent, totos ſeſe componere ad præſcriptum Euangelii Jeſu Chriſti, quo gratiæ Dei ordinariæ compotes fieri poſſent.

*Argumenta quibus extraordinariam hujuſmodi gratiam dari probatur.*

Ut id credam, adducor *partim* parabola qua uſus eſt dominus Jeſus *Matth.* XX. 1. 2. &c. operariorum ſcilicet iſtorum qui undecima diei hora conducebantur ad operandum in vinea, & pari cum cæteris, qui prima luce tertiaque diei hora ad eaſdem operas conducti fuerant, mercede ac præmio adficiebantur, cum tamen otioſi, id eſt, nihil agentes, aut nulli domino ſervientes operamque ſuam impendentes, in foro deprehenſi fuiſſent. Etſi enim ſcopus parabolæ forte non eſt, indicare, Deum aliquando etiam peccatoribus in extremo vitæ agone, quantum in ſe eſt agentibus, veniam & gratiam peccatorum facere velle; tamen ſenſus parabolæ eſt, Deum aliquando extraordinaria gratia circa peccatores uti poſſe & uti velle; quæ, cur ad ejuſmodi, quos jam deſcripſimus, pœnitentes peccatores extendi non poſſit, cauſa nulla eſt. Extraordinaria iſta gratia indicatur voce *electorum* ſive *electionis*; *Multi enim ſunt vocati, pauci electi*, id eſt, ſpeciali iſta gratia à Deo donati, ut quamquam impar longe eſt eorum labor in vinea Domini, labori eorum qui ordinarie vocantur, pari tamen laboris fructu cum illis gaudeant. *Partim* exemplo latronis in cruce, *Luc.* XXIII. 42. 43. cui in extrema vitæ tegula poſito, licèt latroni & homicidæ, forte per omnem vitam ſuam ſceleribus dedito, ſpes gratiæ ac veniæ ab ipſo Chriſto facta fuit, eo quod pœnitudine anteactæ vitæ ductus ad clementiam Domini & ſervatoris ſui confugiebat, quamvis nullos reſipiſcentiæ fructus edere poſſet, quales pœnitentibus præſcribit Euangelium. Etſi enim hoc exemplum extraordinarium & forte miraculoſum aliquid habere videtur, tamen eo fine in Scriptura ab Euangeliſtis propoſitum videri poteſt, ut pro exemplo ſerviat extraordinariæ gratiæ, quæ fieri poteſt pœnitentibus & reſipiſcentibus in fine vitæ ſuæ.

Addo, quod divinæ tum libertati, tum gratiæ ac miſericordiæ detrahi aut decedere non parum videatur, ſi dicatur, Deum non poſſe, aut nullo unquam tempore velle extra ordinem, id eſt, præter aut ſupra quam promiſit, pœnitentium & reſipiſcentium, licet ſeriò admodum, & in capulo quaſi vitæ ſuæ, miſereri. Non enim adſtringitur ſuis legibus propriis Deus, ſed jus ſuum ſupremum ſemper integrum ſibi ſervat agendi pro arbitrio ſuo, prout apparet ex parabolæ ſupra à nobis citatæ verbis; *An non licet mihi facere de meo quod volo?* Ad jus autem divinum hoc pertinet æſtimatio pœnitentiæ & reſipiſcentiæ quæ in fine vitæ fit, pro pœnitentia & reſipiſcentia quæ ſpe veniæ digna eſt.

*Qua cautione opus ſit in ejuſmodi extraordinaria gratia ſpe facienda.*

Sed verò ne quid hîc temere aut imprudenter fiat à nobis, quæritur qua cautione opus ſit, ut quis in hoc caſu, tum ſuæ, tum jam jam morituri conſcientiæ ſatisfaciat? Reſp. Solicita admodum & accurata, eaque duplici. Prima, cum ad ægrum hujuſmodi acceditur antequam de ſeria ejus pœnitentia adhuc conſtat. Secunda, cùm jam de pœnitentia ejus ſeria & ex confeſſione ejus propria, indiciiſque omnibus pœnitentiæ quæ in tali ſtatu haberi poſſunt, quantum fieri poteſt, conſtat. In primo aditu graviter & ſerio ei oſtendenda eſt ordinaria divinæ gratiæ ratio quæ Euangelio continetur; 1. quibus & qua conditione eam Chriſtus promittat. 2. quam ingens iſta gratia ſit, qua peccatoribus in vita ſua reſipiſcentibus veniam generalem peccatorum omnium antecedentium facere vult, & æternæ vitæ hæreditatem promittere. 3. quam æquum ſit ut pro tam ingente præmio, & pro tam grandi indebitaque & non impromerita modo ſed & demerita venia conſequenda, conditio Euangelio præſcripta præſtetur. 4. quam facilis, quam ſancta, quam decora homini ſit conditionis iſtius præſtatio, ad quam nunquam auxilium divinum ſuum homini deeſſe Deus ſinit, ſi pro ea ſeria prece rogatur à nobis. Deinde 5 ſubjungenda eſt ſeria & ſevera Dei comminatio, qua æternam iram comminatur non reſipiſcentibus. Hoc facto 6, indicanda ei eſt anteacta vita ſua, ſi de ea conſtet, aut quærendum ex eo eſt, ſi de ea non conſtet, an ea talis fuerit ut iſtam ordinariam gratiæ divinæ promiſſionem applicare ſibi poſſit, ſpemque tam ingentis vitæ ac veniæ ſibi audeat polliceri; aut ſi vita plane fuerit diſſoluta, quæque non tantum cum negligentia ſed & cum contemtu longo ac diuturno officii debiti, conſcientiaque ſpreti Euangelii, repulſarum omnium adhortationum, promiſſionum, comminationum, exemplorum, concionum conjuncta fuerit, quam longe abſit ab eo, ut ea promiſſione conſolari ſe poſſit, aut ſolatium à nobis petere debeat, & non potius horrere ad divinas comminationes. Hæc ſerio & prolixius ingerenda ei ſunt, ſi vires ferant; ſin minus, ſeriò ea quidem, ſed brevius indicanda ſunt, cum commiſeratione quidem, ſed quæ cum gravitate conjuncta ſit, ne pœnitentia quadam generali, ſi quæ ſequatur, ſibi ipſi lenocinetur æger, & ſic ſaluti ejus non prout oportet conſulatur.

Si id fateatur æger, & quærat an itaque ſpes omnis veniæ præciſa ſibi ſit, & oſtium gratiæ omnis occluſum: Reſpondendum ei eſt, ordinariæ quidem gratiæ promiſſionem nullam ex Scriptura dari poſſe, ſed gratiæ tamen Dei extraordinariæ locum eſſe poſſe, ſi, quantum in ſe eſt, eam ſeria pœnitentia & humilibus precibus ambiat, ex vera in Jeſum Chriſtum fide. Atque hoc eſt, quod ſecunda cautione contineri diximus.

Hæc ſi facere ſe dicat æger, monendus eſt ut cor ſuum bene rimetur, & conſcientiam fideliter excutiat, ne ſibi ipſi imponat aut fucum faciat. 1. quia Deus eſt καρδιογνώστης & novit omnia. 2. quia difficile admodum eſt ſerò ſimul & ſerio reſipiſcere. 3. quia ad ſeriam reſipiſcentiam non ſufficit confeſſio oris, ſed etiam requiritur contritio cordis. Cor enim contritum atque humiliatum non deſpicit Dominus. Et, *ſi cor noſtrum nos condemnet*, (quod videlicet id quod facimus, non faciamus ex toto corde, reverentia Dei

ſolius

solius imbuto) *major est Deus corde nostro & novit omnia.* Si & hoc fateatur æger se certò credere, idque à se fieri affirmet, tum quærendum est ex eo: 1. An si vitam ei prorogaret Deus, paratus sit ex toto animo se componere ad divinæ voluntatis tum sciendæ tum præstandæ studium, id est ad renunciandum anteactæ vitæ, & ad sobriè, justè, pieque vivendum. 2. Si vitam Deus non proroget, an non paratus sit veniam petere ab omnibus, quos aut vitæ suæ impuritate offendit, aut exemplo suo seduxit, aut alia ratione ad eandem secum dissolutè vivendi rationem impulit aut instigavit; monendo, hortando omnes ut exemplo suo cautiores fiant, &, dum licet, ad frugem redeant. 3. An ex animo condonet offensas omnes sibi factas, & à se factas condonari sibi petat. 4. An æquo animo toleret dolores quos sentit, &, si propitium habere dumtaxat Deum possit, mortem libenter subire paratus sit. Si hæc omnia seriò ac libenter à se fieri protestetur æger, monendus tandem est, ut precibus, quantum potest, ad finem usque, extraordinariam divinam gratiam ambiat, ambirique pro se per alios roget. Quod si faciat, ejus spe fulciendus atque sublevandus est, cum assiduis fervidisque ad Deum pro eo precibus, ne cum eo intret in judicium, sed ut sensu favoris ac gratiæ suæ dignari eum velit. Si quæras, An spes hæc certa sit, & quæ non pudefacit: Respondeo. Si non est certissima, aut non æque certa quam est illa quæ ordinariè sanctè viventibus in Euangelio est promissa, adeò tamen prope ad eam, meo judicio, accedit, ut post eam certior alia ulla dari non possit.

## An omnis qui offensas in se commissas remittit, peccatorum suorum omnium veniam à Deo sit consequuturus.

## QUÆSTIO XVI.

*Servator noster* Matth. VI. 14. 15, *inquit:* Nam si remiseritis hominibus offensas ipsorum, remittet etiam vobis Pater ille vester cœlestis. Sin autem non remiseritis hominibus offensas ipsorum, nec Pater vester remittet vobis offensas vestras. *Quæritur quomodo veritas hujus dicti constare possit? Pone enim hominem multis offensis ab alio adfectum, illi, qui offendit, omnes offensas remittere; si ejusmodi gravissimis erga Deum homineque peccatis inquinatus sit; an propter remissionem offensarum in se commissarum, peccatorum suorum omnium veniam à Deo consequetur? Si adsirmes, absurdum hoc inde sequuturum videtur maximum, peccatorem in ultimo vitæ suæ constitutum, remittendo tantùm aliorum offensas, offensarum suarum omnium veniam à Deo consequuturum. Atque ea quidem ratione fiet ut multi, si non omnes, peccatores, pœnitentiam peccatorum suorum non sint acturi; certi quippe, quod si aliorum tantummodo offensas remittant, Deus quoque ipsorum peccata sit remissurus. Deinde, quando dicitur,* Sin autem non remiseritis hominibus ipsorum quoque offensas, nec Pater vester remittet vobis offensas vestras: *quæritur, An si quis alium offenderit, & vera pœnitentia offensæ ducatur (quamvis offensus offensam remittere nolit) à Deo remissionem offensæ certò non sit consequuturus?*

## RESPONSIO.

*Unicum remittendi offensas actus non sufficit ad consequendum peccatorum remissionem.*

Respondeo: Quod ad quæstionis hujus primum membrum attinet, veritas dicti Jesu Christi non constat, si sensus ejus dicatur esse, unicum remittendi offensas actum sufficere ad consequendum peccatorum omnium remissionem. Nam id nullo modo convenit, nec cum perpetuo Stripturæ stylo, nec cum ratione recta. Non convenit cum perpetuo Scripturæ stylo: quia Scriptura passim ad justificationem sive remissionem peccatorum consequendum, non tantùm requirit unum actum remissionis offensarum, sed etiam veram ac vivam fidem in Jesum Christum, quæ cum *observatione mandatorum* omnium Jesu Christi conjuncta sit: 1 *Corinth.* VII. 19. quam appellat nunc *sanctitatem*, 1 *Petr.* I. 15. 16. nunc *purgationem ab omni inquinamento carnis & spiritus*, 2 *Cor.* VII. 1. nunc *veteris totius hominis exutionem, & novi indutionem*, *Ephes.* IV. 22. nunc *portationem fructuum dignorum resipiscentia, mortificationem* aut *crucifixionem carnis cum omnibus affectibus & concupiscentiis*, *Gal.* V. 24. *obedientiam, novam creaturam, bona opera*, &c. Nec cum recta ratione convenit. Unus enim actus remissionis offensarum consistere potest cum multis aliis peccatis peccatorumque habitibus, qui ex regno cælorum excludunt. Non fugit vitium qui ab uno solo se expedit, & pluribus aliis tenetur implicitus. Quod in corpore lethale vulnus est, id in anima est cujusvis vitii habitus, unus solus ad nos damnandos sufficit. Hoc sensu itaque veritas dicti Christi constare non potest, & recte argumentum in quæstione allatum procedit, si isto sensu dictum Christi accipiatur.

*Sensus dicti Christi Matt. VI. 14. 15.*

Sed vero dicti hujus Christi, ut & multorum consimilium veritas optimè constat, si dicatur eo aliud nihil indicari, quam, ad absolutionem à pœna æterna & vitæ æternæ consecutionem necessarium omnino esse, ut etiam hac virtute præditi simus, quasi dixisset Christus: quod in precatione quam vos docui, de remittendis offensis vobis factis, dixi, *Quia*, vel, *sicut nos remittimus debitoribus nostris*, id sedulo à vobis animadversum volo. Frustra enim eritis in precando remissionem peccatorum à Deo, nisi vos jamjam comparetis ad libenter remittendum offensas ab aliis vobis factas. Etiamsi cæteræ omnes virtutes precationem vestram ornarent Deoque commendarent, frustra tamen eæ omnes erunt, si hæc absit. Et si hæc adsit, virtutesque cæteras comitetur, nolite dubitare, quin oratio vestra Deo adeo grata sit futura, ut, quam ab eo petitis remissionem peccatorum, licet gravissimorum, quæque ei conjuncta erit vitam æternam certo certius sitis consequuturi. Hunc hujus dicti Jesu Christi sensum esse, id unum abunde arguit, quod Christus huic præcepto de remittendis offensis, non modo præmiserit præcepta multa alia, quorum singulorum observationi addidit promissionem regni cælorum; sed & immediate statim subjunxerit alia præcepta, sine quorum præstatione salutem sperari posse diserte negat: quod utrumque frustra profecto factum fuisset, siquidem uno remissionis offensarum actu, remissionem peccatorum omnium & salutem æternam obtineri à Deo posse, hoc dicto suo Christus voluisset significare. Adde, quod toties Christus hujus sui dicti veritatem redarguisset, quoties dixerat, exempli gratia, *Beati pauperes spiritu, Beati mites, Beati qui lugent*, &c. Nam si unam quamlibet ex istis virtutibus ad beatitudinem consequendam sufficere dixisset, falsum esset id quod hîc dicit, *Nisi remiseritis hominibus offensas ipsorum, nec Pater vester remittet vobis offensas vestras.* Hactenus de primo membro quæstionis.

*Non est necesse ad veniam à Deo obtinendam, ut is quem offendimus nobis offensam condonet.*

Quod ad alterum membrum attinet: In verbis Christi non continetur id, ad consequendum scilicet remissionem peccatorum à Deo, necessarium esse, ut qui offendit offensum eo usque adducat ut offensam remittat: sed tantum ut qui offensus est, offensam vel ultro, vel rogatus saltem ab eo qui offendit, deponat. Non enim dicit Christus, Nisi remiseritis (vos offensi) offensas vobis factas, non remittet Pater vester offensas iis qui eas vobis fecerunt, sed *non remittet vobis* (scilicet offensis) *offensas vestras*, quibus Deum Patrem vestrum offendistis scilicet. Nec ut id dicto Christi contineatur, ratio permittit. Quia offensum placare & eo adducere ut offensam exuat, ut ut conemur id pro virili, non est in potestate nostra. Quod autem non est in potestate nostra facere id postulare ut à nobis fiat iniquum est. Sufficit ergo, ut, qui offendit, quantum in se est faciat, ut cum offenso in gratiam redeat:

*Ultra posse viri non vult Deus ulla requiri.*

*An remissio offensarum non sit facienda nisi præcedat offendentis resipiscentia.*

Quæri commodè hîc potest, an remissio offensarum non sit facienda nisi præcedat offendentis resipiscentia? Id enim videtur Christus indicare *Luc.* XVII. 3. 4. Respondeo nequaquam. Remissio enim offensarum est actus virtutis aut charitatis, qui simpliciter nobis mandatur hoc in loco, & passim alibi in Scripturis, imprimis *Matth.* XVIII. & *Luc.* VI. 37. & ratio manifesta est, quia jubemur non tantum remittere offensas factas nobis à fratribus nostris, sed & benefacere, bene precari iis qui inimicum erga nos animum gerunt & nos persequuntur: *Matth.* V. 44. *Rom.* XII. 19. 20. 21. & 1 *Thess.* V. 15. uti Christum ipsum & Stephanum fecisse certum est. Quod vero Christus ait *Luc.* XVII. 3. 4, id speciale est respectu fratris, quem Christus jubet à nobis objurgari ob offensam datam nobis. non quasi alioquin remitti ei offensa non debeat: sed ne offensa illa aut culpa eum reum faciat, aut obstrictum teneat iræ divinæ, atque ita frater noster pereat; quando videlicet objurgari à nobis potest, aut objurgationi aurem præbere non renuit. Si enim objurgari à nobis non potest quia absens est aut se à nobis subducit, aut objurgari à nobis omnino non vult, non propterea tamen retinenda nobis est in animo offensæ aut injuriæ cogitatio, nedum retaliationis propositum. Convenit hic locus cum eo qui legitur *Matth.* XVIII. 15. 16. 17. ubi Christus offenso mandat ut offendentem fratrem arguat inter ipsum

& se solum, prima, ut vocant, instantia. quo fine? an ut remissionem offensæ differat usque dum ille resipiscat? Nihil minus, sed ut eum liberet, quantum in se est, à culpa & reatu pœnæ divinæ per offensam contracto: quia dicitur, *Si te audierit, lucratus es fratrem tuum.* Quod si quis tamen verba hæc Christi sic accipere velit, ut, *Remittes ei*, significet, remissum illi esse à Deo peccatum suum declarabis, per me licet.

*Qualis fides ad justificationem nostri requiratur.*

Mantissæ loco hîc addo: Ex his ac similibus locis non obscure colligi, in negotio Justificationis seu remissionis peccatorum, fidem, quæ promissionem remissionis peccatorum adjunctam sibi habet, aliter accipi non posse, quam quatenus fides non mortua sed viva est & fœcunda bonorum operum: ita ut, quando occasio se offert, actu etiam de se producat opera bona: atque ita opera bona etiam ad justificationem consequendam necessaria statuantur necessitate si non efficientiæ, saltem præsentiæ. quamquam locutiones hujusmodi; *Nisi remiseritis hominibus offensas ipsorum, Pater etiam vester non remittet vobis offensas vestras*, manifestam etiam conditionem in se contineant, quæ conditio, ut causa sine qua non, efficientiam aliquam necessario in conceptu suo involvit. Sed hac de re alibi fusè egimus.

## Quid agendum sit peccatori, qui propter religionem in discrimen vitæ venit.

### QUÆSTIO XVII.

*Quæritur, quid homini multis & gravibus peccatis implicito, qui propter discrimen aliquod Religionis à Magistratu morti destinatus est, agendum sit? An abnegabit contra conscientiam sententiam suam, quam credit ad salutem necessariam, ut deinde resipiscat, ac in posterum se meliorem & gratiorem hostiam Deo offerat? An se morte adsci patietur? Si hoc: An propter solum & unicum actum istum, concipere poterit spem consequendi remissionem peccatorum suorum & vitam æternam?*

### RESPONSIO.

*Casus propositus vix potest incidere.*

REsp. Quæstio hæc casum continet, qui aut nunquam aut rarò adeo incidit, ut pene inter impossibiles, aut saltem minimè verisimiles censeri debeat. Ut enim quis peccatis multis gravibusque per totam vitam suam implicitus, in discrimen vitæ se adduci patiatur, adeoque mala morte perire velit, pro fide aut professione dogmatis alicujus, quod ad salutem necessarium esse credit, sive revera tale sit, sive non sit, vix credibile, adeoque plane non est verisimile. Qui enim peccatis multis & gravibus implicitus tenetur, is Religionem totam, aut saltem id quod in Religione præcipuum est, videlicet peccatorum odium sibi cordi non esse ostendit. Ut autem is, qui religionem totam, aut id quod in Religione præcipuum est, cordi non habet, propter peculiaris alicujus dogmatis fidem ac professionem periculum mortis adire velit, ne conscientiæ suæ vim faciat, quis credat? Conscientia toties tam diu tam enormiter læsa, vastata, peccatorumque habitu adobruta, ut admittat ac non potius respuat, tantilli peccati formidinem, vix possibile est. Ubi enim latebit tam ingens ad confitendum dogma aliquod stimulus in conscientia, postquam ei exemti fuerunt omnes contra peccata stimuli? Non sine gravi causa dixit Apostolus Timotheo suo, 1 *Epist.* I. 19. *Retine fidem & bonam conscientiam. Hanc enim quidam ubi expulerunt, fidei naufragium fecerunt.* Nempe tantam tamque arctam inter fidem & bonam conscientiam cognationem esse indicat, ut, qui hanc deserit, id est, contra conscientiam suam peccare non dubitat, is levi etiam momento à fide deficiat, fideique suæ professionem insuper habeat.

*Nunquam versatus est abnegandi.*

Pone tamen, inquies, casum hunc incidere, & latentem hunc stimulum conscientiæ, occasione carceris aut captivitatis erumpere ac se exerere, quamvis rarissime id fieri concedatur, quid agendum est tali homini? An abnegabit contra conscientiam, sententiam suam, quam credit ad salutem necessariam? Resp. Nequaquam. Nunquam cuiquam quidquam contra conscientiam suam facere licet. Si enim *id quod ex fide non fit*, id est, quod non fit ex certa conscientia quod quid licitum sit fieri, *peccatum est*, ut ait Apostolus *ad Rom.* XIV. 23. quanto magis peccatum est, id, quod fit contra fidem, id est, contra conscientiam istam, qua quid creditur non modo verum esse, sed & ad salutem scitu ac creditu necessarium? At abnegabit, inquies, eo animo dumtaxat, ut resipiscendi tempus habeat, posteaque se meliorem & gratiorem hostiam Deo offerat? Resp. 1. Qui dicunt, *Faciamus mala ut inde bona eveniant, eorum condemnatio justa est*, ut ait Apostolus *Rom.* III. 8. 2. Quid scit, an Deus pœnitentiæ ac resipiscentiæ tempus largiturus sit, ac non potius, tum ob antecedentia peccata multa ac gravia, tum ob illud abnegationis scelus, vitæ filum incisurus sit? 3. Quæ spes consequendi à Deo gratiam ad resipiscendum necessariam post tam pudendam conscientiæ violationem, etiamsi forte Deus vitæ tempus prorogaret? Nulla. Per peccata enim gratiam, ad non peccandum peccatorumque remissionem consequendum necessariam, à Deo quærere, tantundem est, ac Deum peccatorum omnium osorem ac vindicem peccando sibi demereri velle.

*Præstat mori quam contra conscientiam peccare.*

Quid ergo, instat quæsitor, An se morte adfici patietur? Resp. Præstat mori quam peccare aut contra conscientiam suam facere. At enormis peccator cum sit, quò confugiet, qua spe se solabitur? Resp. Quantum poterit tempus extrahet, aut à Magistratu concedi sibi supplex postulabit, ut resipiscentiam suam Deo & hominibus probet ac testatam faciat. At si tempus ei non concedatur? Tum verò judicia Dei adorabit & digna meritis suis supplicia se luere Deo confitebitur cum latrone in cruce, confugietque cum eo ad thronum gratiæ ac misericordiæ Jesu Christi. Qua spe inquies? An ea, qua certo sibi promittere poterit, se propter solum & unicum actum istum consecuturum remissionem peccatorum suorum omnium & vitam æternam? Resp. Nequaquam. Spes enim ista nulla divina promissione niteretur: sed ea, qua sperare licet, Deum extra ordinem aliquando gratiam facere posse magnis peccatoribus, & seram pœnitentiam si seria sit, atque imprimis acerbæ & ignominiosæ mortis voluntaria perpessione testata reddatur, pro vera sibique admodum grata habere velle, imprimis si ea non tanti fiat, ab eo, qui eam agit, ut propter eam certam veniam sibi promittere audeat, sed ut una cum ea specialem & extraordinariam Dei gratiam seriis ardentibusque tum suis tum sanctorum aliorum precibus ambiat, eaque se opus habere fateatur. Vide quæ ad quæstionem XV, huic similem, suprà fusius respondimus.

## Quinam actus & habitus peccatorum excludant ex regno cœlorum.

### QUÆSTIO XVIII.

*Quæritur, Utrum per ea peccata, quorum qui vel unius (quod ex notâ disjunctionis manifestum est) reus tenetur, eum hæreditatem regni Dei non possessurum dicitur* 1 Cor. VI. 14. *&* Eph. V. 5, actus *an vero* habitus *intelligatur? Hic autem certum esse præsupponitur,* 1. *Parem omnium esse rationem, quia de omnibus uno ordine recensitis, illud unum prædicatur:* Non possidebunt, *&c.* 2. *Synecdochen eis verbis inesse, per quam Apostolus hæc speciatim peccata, pro cæteris in genere omnibus, nominat. Si per ea peccata habitum illorum intelligi quis dicit,* 1. *Quæro: Quid igitur sit peccare? nisi ut tum quis demum peccare dicatur, postquam sapius, multotiesque antea peccaverit. Prætereaque definiendum erit, quotum unusquisque ad actum in singulis his peccatis, extra culpam & reatum consistere dici possit ac debeat?* 2. *Id valde periculosum esse videtur, & fenestram ad peccatum nonnunquam liberius committendum multis hominibus aperire.* 3. *Etiam idololatra, & ἀρσενοκοίτης, inter peccatores hos damnatos eadem serie numeranter: in quibus habitum minime requiri, quivis concedet.* 4. *Sunt etiam alia peccata, quorum unicum tantum actum semel in vita sua committere homo potest: talia sunt parricidium & αὐτοφονία.*

*Si vero per hæc peccata actum eorum intelligi dicatur, tum quæro; Quâ ratione id cum summâ Dei clementia consistere possit, ut ob unicum non adeò gravis peccati, qualia etiam hîc recensentur, (puta ebrietatis aut μωρολογίας) actum excludere ex cælo, æternumque damnare velit hominem, in quo præter hoc, eorum quæ ad æternam salutem obtinendum requiruntur, nihil desideretur. Præsertim cum inter illos damnabiles actus ponatur ἐυτραπελία ista, quam virtutibus adnumerat Aristoteles lib.* 2 *Eth. cap.* 7. *& lib.* 4. *cap.* 8. *De quâ hoc speciatim quæritur: An non, ut ut sit, de eâdem*

*Urba-*

*Urbanitate seu lepore necessariò hoc vocabulum accipiendum sit? Cum id natura vocis quæ per se benè sonat, requirere videatur, & usquam in malam partem pro scurrilitate, (ut plerique vertunt) accipi, probari non possit: sintque nonnulli, qui sermones hos, ad delectandum solummodò institutos, Christianis illicitos esse contendunt.*

## RESPONSIO.

*Quid hic non quæratur.*

UT quæstioni huic plene satisfiat, tria præsupponenda sunt. Primum: Non quæri hîc de Fœdere Legali, sed de Euangelico; id est, Non quæri hîc, an peccatorum vel peccati unius sive actus sive habitus excludat hominem ex regno cælorum ex vi atque rigore Legis, nulla gratiæ promissione sancitæ. Id enim frustra quæreretur, cum certum sit, quemlibet peccati actum contra Legem perpetrati sufficere, ad eum reum mortis ac maledictionis constituendum, ex formula Legis, *Maledictus qui non manserit in omnibus quæ scripta sunt in libro Legis ut ea faciat*: *Deut.* XXVII. 26. *Galat.* III. 10. *Heb.* X. 28. *Jacob.* II. 10. 11. Sed quæri, An peccati unius actus, an vero habitus dumtaxat excludat hominem ex regno cælorum, ex vi Fœderis Euangelici, quod clementia ac gratia divina temperatum est. Secundum: Non quæri hîc, An actus, an vero habitus peccati unius vel plurium etiam peccatorum, præcisè hominem cælo excludat, etiamsi consequatur vera pœnitentia & emendatio vitæ totius in melius. Certum enim est, sive actus sive habitus intelligatur, hominem peccatorem sub Fœdere gratiæ per veram pœnitentiam & resipiscentiam restitui ac redire posse in gratiam cum Deo, atque ita certam spem hæreditatis regni Dei denuò consequi: uti ex complurimis locis Novi Fœderis liquet: *Matth.* XVIII. 15. 16. 2 *ad Corinth.* VII. 10. *Gal.* VI. 1. *Apocal.* II. 5. & III. 1. 2. 3. 19. 20. *Jacob.* V. 15. 16. 19. 20. Tertium: Non quæri hîc, An sub Fœdere gratiæ, is, qui vera fide semel prædītus, & gratiæ Euangelicæ particeps factus fuit, si in peccati alicujus enormem actum aut in peccandi habitum relabatur, propter actum sive habitum illum sic excludatur à spe regni cælorum, ut ad pœnitentiam & resipiscentiam redire nunquam possit; ne quidem per specialem & extraordinariam Dei gratiam. Contrarium enim ante hac adstruximus.

*Quid quæratur.*

Sed quæri hîc dicendum est, An sub statu gratiæ, sive ex formula Euangelii, qua gratiæ Fœdus continetur, quando peccatorum vel peccati unius aut similis isti, quale exprimitur 1 *ad Corinth.* VI. 10. *Ephes.* V. 5. *ad Gal.* V. 19. 20. 21, mentio fit, cum hac addita sanctione, quod *qui talia faciunt, hæreditatem regni Dei non sint consecuturi*; An inquam per ista peccata, peccati unius actus, an vero peccandi habitus intelligatur: ita ut unus peccati actus non minus hominem actu excludat ex regno cælorum & à spe vitæ æternæ, si non consequatur resipiscentia, quæ alioquin consequi poterat, quam peccandi habitus.

His sic præsuppositis ad quæstionem respondemus per has tres conclusiones.

*Prima conclusio.*

Prima est: Indubium esse, quin per peccata ista, sive per peccatum unum tale, quale in locis citatis in quæstione exprimitur, aut quod istorum uni simile est, ut exponitur ad *Galat.* V. 21, intelligi præcipue debeat peccandi habitus, id est, consuetudo, sive ex directa sive ex indirecta, id est, interpretativa voluntate proficiscens, vel continue hærendi in peccato isto, vel subinde occasione qualibet, aut oblata aut quæsita, in idem istud peccatum relabendi. Hæc enim consuetudo propriissime caussa est, cur quis dici possit ac debeat, peccatum facere. Id enim proprie facere quis dicitur, quod facere solet, id est, non quod aliquando tantum aut raro facit, sed quod facere consuevit. Sic justitiam, liberalitatem facere quis dicitur, non qui unum justitiæ aut liberalitatis actum aliquando aut raro admodum facit, sed qui juste ac liberaliter utplurimum agere solet. unde & hi soli justi, liberales, denominari solent, non illi. Hæc conclusio probatione non eget. Quod attinet ad id, quod in quæstione objicitur, Quotumquisque ad actum in singulis peccatis istis, extra culpam & reatum consistere dici possit ac debeat, id ad hanc rem non facit: quia hîc agimus de iis tantum, qui præsupponuntur habitu peccandi laborare, id est, qui facile, lubenter, ac crebro eosdem actus peccati iterant, quos idcirco cælo & cælestis beatitudinis spe excludi dicimus. An extra culpam & reatum sint propter singulos, etsi non continuatos, actus, in secunda conclusione dicetur. Quousque vero & quam diu extra culpam sint habendi, priusquam habitu peccandi laborare dici possint, dicetur in conclusione tertia.

*Secunda conclusio.*

Secunda conclusio: Inter actus sive peccata ista quæ recensentur in allegatis locis, per quæ scilicet excludimur ex regno cælorum, referuntur actus qui per se adeo turpes, deformes atque enormes sunt, ut, etiamsi collati cum habitibus eorundem peccatorum sive actuum, leviores sint quam ipsi habitus, comparati tamen cum habitibus peccatorum sive actuum alterius generis, non minus si non multò magis enormes, turpes ac fœdi sunt, quam habitus isti, puta, idololatria, incæstus, peccatum innominatum, adulterium, homicidium, veneficium, &c. si conferantur cum habitu ebrietatis, comessationis, litium, æmulationum, &c. imprimis vero isti qui in vita non nisi semel committi possunt, uti in quæstione recte dicitur, puta parricidium & deliberata αὐθφονία. Per hos itaque actus singulos & singulares, hominem non minus dicendum est excludi è regno cælorum, quam per habitus istos excludi in textibus allegatis dicitur. Ubi enim par, imo major ratio & caussa militat, ibi idem effectus ut consequi dicatur, necesse est. Hac ratione periculo isti, quod in quæstione allegatur, abunde occurritur.

*Tertia conclusio.*

Tertia conclusio: Inter actus hos recensentur actus nonnulli, qui etsi per se adeo turpes ac deformes sint, ut non modo Christianum non deceant sed ne hominem quidem, attamen tales sunt, ut in eos etiam Christianus, imo optimus quisque incidere aliquando possit, ex ignorantia, inadvertentia, subita passione, imbecillitate, aut vitio temperamenti, &c. nulla accedente voluntatis depravatione, aut animi malitia, imprimis quæ conjunctam sibi habeat proximi notabilem læsionem: cujusmodi sunt, ebrietas, ira, excandescentiæ, rixæ, contentiones, &c. De his peccatis dici posse videtur, quod non unus eorum actus, sed habitus excludat ex regno cælorum. Habitus enim, sive consuetudo, voluntatem depravatam arguit, quæ cum studio placendi Deo, vitandi peccatorum occasiones, & proficiendi semper in melius consistere non potest. Horum autem peccatorum alia longe est ratio quam enormium istorum, de quibus conclusione secunda diximus. Etsi enim ea etiam ex ignorantia, non dico invincibili, (hæc enim peccata non modo in tantum, sed in totum excusat:) sed vincibili, ex inadvertentia, subita passione, &c. committi aliquando possint à Christiano, & sic commissa leviora videri debeant, quam si prorsus deliberata voluntate committantur; tamen etiam sic commissa adeo turpia atque enormia sunt, ut committi vix posse videantur, quin depravata aliqua voluntas & animus à timore Dei vacuus in caussa sit. Secus se res habet in actibus istis, de quibus in hac conclusione egimus.

Ad id vero quod quæritur: Quotumquisque ad actum in peccatis illis, quorum habitus excludere dicitur homines ex regno cælorum, extra culpam & reatum consistere dici possit ac debeat, respondendum est: Id quidem in specie præcisè definiri non posse, sed in genere id æstimandum esse ex occasione, quæ consuetudinis sive habitus illius caussa fere est. Quando enim voluntas consuetudinis caussa est, ita ut homo occasionem actus istos exercendi aut semper aut ut plurimum quærat, tum peccata illa duplicem malitiam in se habent: unam quæ in voluntate ipsa est; alteram quæ in ipso peccandi habitu sive consuetudine sita est. Pessima autem est malitia, quæ à voluntate est. At vero quando non tam voluntas, quam occasio caussa est consuetudinis istius, tum verò censendus est homo habitu peccandi laborare, quando occasione ista posita aut oblata, actus istos vel semper vel utplurimum facit: etiamsi forte frequentius accidat, ut occasio illa non adsit, quam adsit; ac proinde, ut si rem absolute consideres, homo iste crebrius non peccet, quam peccet in isto peccati genere. Sic ebrietatis, iræ, rixarum habitu laborare dicendus est is, qui in conviviis, in injuriis, in controversiis, etiamsi non admodum frequenter incidant, aut occurrant, simulatque tamen accidunt, vel occurrunt, aut semper aut ut plurimum inebriatur, excandescit, & ad jurgia ac lites amaras atque acerbas abripi se patitur.

*Quid de ἀσελγείαις censendum sit.*

An inter actus hos μωρολογία καὶ ἀσελγείαι recenseantur ab Apostolo *ad Ephes.* V. 4. non satis liquet. Certum est ex *vers.* 5 sequenti, Apostolum inter peccata ista, per quæ excludi ait hominem ex regno Dei, non referre τὸν ἀισχρότητος, τὴν μωρολογίαν, ἢ ἀσελγείαν quæ *vers.* 4 recensuerat; sed non nisi tria ista vel duo potius, quæ recensuerat *vers.* 3. πορνείαν, ἀκαθαρσίαν, ἢ πλεονεξίαν. Deinde certum est, quod de duobus istis, quæ recensuerat *vers.* 4, dixerat; ea esse, ἃ οὐκ ἀνήκοντα. per quæ verba an significare voluerit Apostolus, vitia ista talia esse, ut propter ea excludendus quis sit è regno cælorum, non satis evidenter liquet. Quod si tamen id significare voluisse Apostolum dicamus, tum certum est, per ἀσελγείαν hic non intelligi virtutem illam, quam Aristoteles inter duo extrema, βωμολοχίαν scilicet sive scurrilitatem, & ἀγροικίαν sive rusticitatem collocat; sed extremum quid ac plane idem cum μωρολογίᾳ: uti patet ex eo, quod in textu non le-

gatur καὶ ἀνεπαισχυντία, sed ἢ *sive* ἀνεπαισχυντία, Μωρολογία autem adjungitur τῇ αἰσχρότητι, id est, turpitudini rerum, turpitudo & obscœnitas verborum. ἀνεπαισχυντία ergo, quæ idem est cum μωρολογία, obscœnitas verborum erit, quæ sane turpissimi animi index est. Per hanc itaque ut excludi etiam dicatur quis ex regno cælorum, nihil vetat, si videlicet habitu & consuetudine ejus laboret. Certè Cicero ipse in Officiorum libris sic ait: Verborum obscœnitas si turpitudini rerum adhibeatur, ludus ne libero quidem homine dignus est. Sed &, ut ille ait, per verba dediscitur rerum pudor.

## Quæ perfectio in Christiano requiratur,

## QUÆSTIO XIX.

Estote ergo vos perfecti, ut Pater vester qui in cælis est perfectus est: Matth. V. 48. *Quæritur, quid hic per vocem,* Perfecti, *intelligi debeat? An nimirum ut sine ullo peccato (exceptis vero iis peccatis quæ conversionem antecesserunt) perfectè Dei ac Christi mandatis obtemperemus? Quod si sic, An illud sit necessarium ad beatam vitam consequendum?*

## RESPONSIO.

*Sensus loci Matth. V. 48.*

REsp. Solutio quæstionis hujus pendet ex genuino & germano sensu loci, sive ex recta vocis *Perfecti*, intelligentia. Sensus loci apparet ex illativa particula, οὖν, igitur. Christus enim infert ex iis quæ paulo ante dixerat, dilectionem nostram non dilectioni publicanorum, qui rudimentum aliquod dilectionis exhibebant in eo quod amarent eos à quibus amabantur, quod benefacerent benefacientibus sibi: sed dilectioni cælestis Patris nostri, tanquam perfectiori, imo perfectissimæ regulæ, similem esse debere, in eo quod etiam ad ipsos usque inimicos suos eam exerat. Perfectio itaque hic non significat omnem & omnimodam divinorum mandatorum præstationem: sed unius tantum mandati de dilectione proximi observationem, & quidem non quoad observationis intensionem, sed quoad observationis extensionem; id est, non quoad istum perfectum in observando modum, quo Deus inimicos suos diligit, sed quoad ipsum dilectionis actum, quatenus ad inimicos usque, non tantum ad amicos & benevolos extenditur. uti enim amare eos à quibus amaris rudimentum quoddam est pietatis & caritatis, ita amare à quibus non amaris, imo qui te odio habent, documentum certe est animi defuncti omnibus officiis veræ caritatis. Ex quo consequitur, particulam comparativam ὥσπερ, propriè hoc loco accipiendam esse, & notare veram ac proprie dictam similitudinem dilectionis nostræ, cum divina dilectione; in eo positam quod utraque pariter ad inimicos usque extendenda & porrigenda, non vero intra fines mutuæ amicitiæ coercenda ac coarctanda sit. Quoad diligendi modum, sive dilectionis intensionem attinet, ejus ratio non habetur, nec ut habita credatur, ullo pacto fit verisimile. Quomodo enim dilectio humana, exacte & omni ex parte divinæ par dicatur aut videatur quoad diligendi modum, id est, quoad sinceram & candidam amandi rationem? Fieri posse ut homo inimicos hostesque suos diligat quantum potest, ego quidem nullus dubito, vel solius Pauli testimonio atque exemplo motus. At fieri posse ut homo tantum diligat eos quantum eos diligit Deus, vix credibile est, imo prorsus impossibile.

*Hominem perfecte Dei mandata servare posse.*

Atque hoc quidem occasione hujus quæstionis responsum etiam volo ad id, An homo divina gratia adjutus mandata Dei omnia, etiam quoad perfectum præstationis modum, præstare possit; id est, ut dilectionis voce jam generatim utamur pro mandatorum observatione, an diligere possit, quantum ex præscripto Euangelii aut juxta fœdus gratiæ debet diligere? Ego enim nullus hac de re dubito. Rationes hæ sunt: 1. Deus dilectionem aliam non postulat, quam quæ *ex toto animo, ex toto corde, & ex omnibus viribus* fiat. Præter aut supra vires igitur nil postulat. 2. Deus promittit se populi sui cor circumcisurum, *ut diligant eum ex toto corde, ex tota anima sua. Deut.* XXX *capite*, 6 *versu.* 3. Deus ipse testatur fuisse qui *omnia mandata* ejus, *cunctis diebus vitæ suæ ex tota anima, ex toto corde, & ex omnibus viribus*, idque *in conspectu Dei* observarunt: uti legere est de Aza: 2 *Paral.* XV. 12. de populo toto: 1 *Reg.* XV. 14. de Davide: 1 *Reg.* II. 34. & XIV. 8. & XV. 12. de Josia, 2 *Reg.* XXI. 2. quod *reversus fuerit ad Deum in omni corde suo, & in tota anima sua, & in universa virtute sua, juxta omnem legem Mosis:* 2 *Reg.* XXIII. 25. Atque hæc sub ipso veteri Fœdere talibus tributa à Deo fuisse legimus. Quis itaque eadem sub Novo Fœdere locum habere posse dubitet?

*Distinctio inter perfectionem partium & graduum quatenus admittenda.*

Quare distinctio ista vulgaris, inter perfectionem partium & graduum, amuleto opus habet. Si enim per perfectionem graduum, intelligatur perfectio intensissima, & quæ sic in supremo gradu consistit, ut vel divinæ par sit, vel crescere non possit, nec intendi, tum certum est eam in terris impossibilem esse. Nemo enim homo ad divinę perfectionis gradum assurgit. & dilectionis ea est natura ut non consistat, sed semper proficere velit; neque unquam de exacto, sed semper de reliquo cogitet. At si per perfectionem graduum intelligatur perfectio intensissima illa, quæ in gradu supremo virium humanarum per gratiam adjutarum posita est, & quæ conjuncta est cum proposito proficiendi semper in melius, pro virium auctarum ratione, tum causam nullam esse credo cur ea homini in terris impossibilis dicatur; imo causa est justissima cur sententia ista inter periculosissimas censeri debeat, & securitatis pulvinar haberi possit.

*An perfectio intensissima sit necessaria ad salutem.*

Quæres: An perfectio hujusmodi intensissima præcisè ad salutem sit necessaria. Resp. Perfectio intensissima Euangelica, (de legali enim quæ omnem & omnimodam in supremo gradu ἀναμαρτησίαν complectitur, etiam eam quæ perpetua est, & omnem imperfectionem, infirmitatem, inadvertentiam excludit per omnem vitam, non agimus. hanc enim moraliter impossibilem esse credimus.) duo continet: 1. perfectionem viribus cujusque proportionatam. 2. studium proficiendi semper in melius, & vires magis magisque augendi. Ista perfectio variat, pro ratione incipientium, proficientium, & perfectorum, in divinæ veritatis & charitatis mandatæ cognitione: unde una perfectio intensior alia existit, aut horum perfectio intensior aliorum perfectione. Omnium ac singulorum, sive in omnibus ac singulis, eadem perfectio nec est nec esse potest. Perfectio tamen omnium ac singulorum intensissima ad salutem necessaria est, pro omnium ac singulorum inæqualibus viribus: quam in eo ponimus, ne quis quicquam aut omittat aut committat quod scit se debere ac posse omittere aut committere, id est, ne contra conscientiam suam peccet, qualiscunque tandem ea sit. Hoc, id est studium proficiendi semper in melius, commune est omnibus, atque hoc proinde in omnibus ac singulis, pro cujusque viribus, par & æquale esse debet; ac præcise ad salutem necessarium est, & vel pœnitentiam antecedere debet vel pœnitentiam omnem sequi. utrumque multis admodum testimoniis Scripturarum evinci potest, quæ jam allegare non est propositi nostri, nec scholæ hujus.

## De legis moralis usu, & quatenus ea præstitu fuerit possibilis, aut non.

## QUÆSTIO XX.

*An legis moralis usus & officium sit, faditates & peccata nostra detegere, & impotentiæ atque injustitiæ nos arguere, eo quod exigat talem obedientiam, quam nemo nec præstare potuit, nec potest, ut nos ad veniam reatus expetendam in Christo solicitet. Quod autem nemo præstare potuerit aut possit id quod ea exigit, inde patet, quia nemo sanctorum exstitit, ut verisimile est, qui corpore mortis circumdatus ad istam dilectionis perfectionem pertigit, ut ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ex omnibus viribus Deum amarit: quod tamen lege & Euangelio urgetur:* Deut. VI. 5. Matth. XXII. 37. Mar. XII. 33. *Et Salomon dicit,* Non est homo justus super terram qui non peccet. 1 Reg. VIII. 46. *Nec alia ratione probat Apostolus, omnes qui sub lege sunt maledictioni subjectos esse, nisi quia scriptum est,* Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis: *innuens scilicet neminem permanere posse:* Gal. III. 10. & Deuter. XXVII. 26.

## RESPONSIO.

*Duobus modis considerari potest lex moralis, strictè & minus strictè.*

QUando de lege morali, ejusque usu atque officio (finis enim alia ratio est) agitur, tum dupliciter ea consideranda venit. Primò, strictè ac præcisè, quatenus simpliciter lex est. Secundò, minus strictè, quatenus veteri populo Judaico lata est una cum cæteris aliis legibus, tum cæremonialibus, tum forensibus: id est, quatenus continet præcepta & promissa statui populi Judaici accommodata.

Primo modo considerata lex moralis, obligat, ex sententia quorundam, omnes eos, ad quos pertinet, ad perfectam

*Primo modo considerata est præstitu impossibilis.*

ctam & perpetuam obedientiam, absque ulla tum exceptione vel minimi mandati; tum interruptione, quæ fiat sive per delictum aut culpam aliquam leviorem, sive per peccatum aliquod aut peccata aliqua gravia atque enormia; tum denique indulgentiæ, veniæ aut gratiæ concessione, si unquam contra ullum vel minimum præceptum quid fiat. Hoc modo considerata lex moralis, ut ab homine ullo carne & sanguine, id est, imbecillitatibus & fragilitatibus circumdato, nedum carnali & per carnem, id est, per carnalia opera aut peccata semel aut aliquamdiu infirmato, præstetur, impossibile est. Usus ergo legis hujus sic consideratæ, est, homines omnes tum impotentiæ convincere, tum reos agere peccati atque injustitiæ, quatenus scilicet peccatum atque injustitia materialiter considerantur, non formaliter. Eo ipso enim quod homini prorsus impossibile sit, legem sic præstare, formaliter contra eam peccare, id est, validè ad pœnam sive reatum pœnæ obligari jure nullo potest. Quare an hujusmodi lex ulli unquam populo sic lata sit, & an hoc sensu homines omnes rectè dicantur peccatores, & per ac propter peccata sua rei mortis ac maledictionis æternæ ab Apostolo, ego valde dubito; imo ut non dubitem, causam mihi satis justam habere videor. Quid enim magis absimile à vero, quam Apostolum reos voluisse agere homines mortis ac condemnationis, id est, justissimæ pœnæ, ob violatam aut non servatam legem, quam non violare aut servare iis impossibile prorsus esse judicasset? Nec credibile est, quemquam adversariorum Pauli fuisse, qui non ultro largiturus fuisset Paulo, neminem hominem esse posse, qui legem sic exactè ac semper servet, ut nunquam vel in minimo delinquat, ac proinde sic ex lege legisque operibus neminem justificari aut servari posse; & qui non simul Apostolo objecturus fuisset, male homines omnes reos formaliter agi pœnæ, quando certum est, impossibile iis esse, ut culpam evitent, id est, legem perfecta & perpetua ista ratione servent.

*Secundo modo considerata lex præstari potest, idque dupliciter.*

Secundo modo considerata lex, temperamentum aliquod habet indulgentiæ ac gratiæ divinæ, cujus beneficio atque auxilio lex præstari potest, & quidem vel ex ultima aut remota, sed mystica tamen, id est, non clare revelata Dei intentione, qua, uti quidam volunt, Legem exactè & perpetuo servantibus præmium æternæ vitæ constituit largiri: vel ex proxima, & literâ Legis clarè expressâ, statuique infantilis seu rudis ac carnalis populi Judaici accommodatâ intentione, qua delicta & leviores culpas contra legem commissas condonare, sacrificiisque ad id ordinatis expiari voluit; sicque legem servantes præmio terrenæ fælicitatis adficere.

*Vel respectu ultimæ ac mysticæ intentionis divinæ:*

Respectu ultimæ ac mysticæ intentionis divinæ lex præstari potuisset, si ea apertè ac clarè revelata fuisset, quamquam difficulter admodum, ob fragilitatem humanam. Sed quia ea aperte revelata non fuit, uti lex præstaretur impossibile erat, ac proinde homines rei mortis ac maledictionis agi non poterant ob non servatam legem. Etsi enim absque aperta ac clara revelatione ista, spes concipi poterat vitæ æternæ, tanquam præmii quod Deus clementissimus legem servantibus daturus esset, tamen spes illa debilis nimium erat, quam ut adspiraret hominibus firmam ac constantem voluntatem exactè ac perpetuo legem servandi, aut saltem ut efficeret nunquam interruptam per ullum vel minimum delictum legis observationem.

*Vel respectu proximæ, & literæ legis expressæ.*

Respectu proximæ intentionis divinæ, quæ literâ legis expressa est, lex servari quidem poterat: sed *primùm* non sic ut ex ejus observatione, sive ex vi observatæ legis istius, præmium æternæ vitæ, certo expectari posset. Non enim promittebatur apertè, legem sic observantibus, æterna vita, sed vitæ tantum terrenæ fælicitas: uti ex promissis, quibus lex ista sancita fuit, manifestum est.

*Secundò*, non sic servari poterat à populo isto, ut nullo unquam tempore in delicta & culpas quasdam leviores incideret, quatenus ut infans sub tutoribus & curatoribus adhuc positus considerabatur. Infantes enim facile labuntur in delicta aliqua, & levi ex caussa perperam aliquid agunt. Et quia populus iste, eo ipso quod infans esset ac rudis, etiam carnalis erat, affectibusque suis impense addictus, ab ipsa ista lege sufficientes vires adipisci non poterat, ut ab affectibus istis carnalibus retraheretur, & ad obedientiam constantem firmaretur ac roboraretur. Promissa enim & comminationes quæ legis istius vis erant, non erant nisi temporales & terrenæ, quas contemnere ac posthabere possunt homines affectibus suis, adeo ut his indulgere malint, quam spe aut metu adduci, ut ab iis complendis sibi caveant. quod adeo verum est, ut quando affectus isti adoleverunt & invaluerunt, ipsa lex, licet compescendis istis lata, tamen ad irritandos exstimulandosque affectus istos magis serviat, quam ad reprimendos & in officio continendos, juxta illud, *Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata*; prout pulchre hoc ostendit Apostolus *ad Rom.* VII. *capite.*

*Tertiò*, sic tamen servari poterat, ut à gravibus & enormibus peccatis se contineret populus, aut qui in populo isto probi ac Dei timentes essent. Per gravia autem atque enormia peccata, intelligo peccata contra conscientiam, voluntaria, & quæ elata manu sive ex superbia fieri dicuntur, contra expressam legis literam: non vero ea, quæ juxta Euangelium quidem gravia etiam sunt, attamen secundum literam legis pro talibus haberi non possunt.

*Quod probatur variis argumentis.*

Tria hæc quæ diximus ex Scriptura liquent evidentissime. *Primum*, ex Epistola *ad Gal.* III. 21: *Si data fuisset Lex quæ posset vivificare*, (id est vitæ æternæ præmio donare) *verè ex Lege esset justitia. Ad Rom.* VIII. 3: *Quod impossibile erat Legi*, (nempe liberare homines à lege peccati & mortis) *eo quod infirmabatur per carnem*, (id est, eo quod non nisi carnalia promissa continebat, ut caro hîc idem sit, quod *lex carnalis mandati*, oppositè ad *legem indissolubilis vitæ*, id est Euangelium, *Hebr.* VII. 16. atque ita ad homines carnales liberandum à peccati dominio ac reatu infirma esset. Nempe nec immortalem vitam cælestiave ulla bona apertè promittebat, nec ullius delicti veniam proponebat, quæ liberationem ab æterna morte in se complecteretur.) *Ad Heb.* VII. 19: *Nihil enim sanctificavit Lex:* (in Græco est ἐτελείωσεν, quod est propriè, consummavit, perfecit, absolvit: id est, nemini. οὐδὲν enim neutrum pro masculino οὐδένα positum est, uti & *vers.* 7. perfectam justificationem, seu plenam pœnarum omnium tum temporalium tum æternarum expiationem attulit:) *sed introductio spei melioris, per quam appropinquamus Deo*, supple, hominem perficit, id est, vere beatum reddit. quod idem author *cap. seq.* VIII distertius adhuc exponit, quando Fœdus Novum, id est Euangelium, quo spes illa melior introducta est, præstantius Fœdus vocat, quam Fœdus legale, quia *præstantioribus promissis sanctum est: vers.* 6.

*Secundum* patet ex *Epist. ad Gal. cap.* IV. 1. 2. 3. ubi populus Judaicus infanti comparatur, qui sub tutoribus & curatoribus adhuc est, qui elementa prima adhuc discit, utpote qui, ut est *cap.* III. 24. sub pædagogo adhuc constitutus est: ac proinde pronus ad defectionem & ad lapsum, imo adeo pronus, ut præsidio quodam, veluti rebelles aut ad rebellionem proni cives, opus habeat: *vers.* 23. unde & lex data fuisse dicitur *vers.* 19, *propter transgressiones*, id est, ad cohibendum & reprimendum populum carnalem, ne prorsus deficeret à Deo suo, aut ne ad scelera ac flagitia impunitatis spe prorumperet.

*Tertium* patet ex eo, quod tum in Veteri tum in Novo Testamento de quibusdam disertè asseratur, quod quæ fiverint Dominum *in toto corde & in tota anima sua*; ut de Aza rege & toto populo dicitur 2 *Paral.* XV. 12. Et iterum de Asa, quod *cor ejus perfectum fuerit coram Deo*: 1 *Reg.* XV. 14. de Davide, quod *custodierit præcepta Dei*: 1 *Reg.* XI. 34. quod *secutus Deum fuerit ex toto corde, faciens quod beneplacitum erat in conspectu ejus*: 1 *Reg.* XIV. 8. *quod non declinaverit ab omnibus quæ præceperat ei Deus, cunctis diebus vitæ suæ*: 1 *Reg.* XV. 12. de Josia, quod *non declinaverit ad dextram aut ad sinistram*: 2 *Reg.* XXI. 2. quod *reversus fuerit ad Deum in omni corde suo, & in tota anima sua, & in universa virtute sua, juxta omnem legem Mosis*: 2 *Reg.* XXIII. 35. de Zacharia & Elizabeth, quod *incedebant in omnibus mandatis & constitutionibus Domini inculpate, & justi erant ambo coram Deo*: *Luc.* I. 2. de Paulo, *quod ad justitiam attinet quæ in lege est*, quod ἄμεμπτος, *inculpatus fuerit*: *ad Philip.* III. 6. quod *se exercueris ad conscientiam habendum sine offendiculo apud Deum & apud homines* διαπαντὸς, id est, semper: *Act.* XXIV. 16.

*Responsio ad objectionem in contrarium.*

Dices: Attamen de quibusdam eorum, quibus hæc divinæ legis inculpata & perfecta observatio tribuitur, diserte legitur, quod in peccata quædam, eaque enormia & morte digna prolapsi fuerint: uti de Aza, Davide, Josia & Paulo videre est. De Aza. 2 *Paral.* XVI, *per totum.* De Davide, 1 *Reg.* XV. 5. de Josia, 2 *Paral.* XXXV. 22. de Paulo, 1 *ad Timoth.* I. 13. Resp. 1. Aliud est, eos incidisse in peccata ista: aliud, eos non potuisse non incidere in ea, aut vi divinæ legis ab iis reprimi non potuisse. Istud verum est: Non hoc. Cur enim minus ab iis reprimi potuisse credantur, divinæ legis intuitu atque auxilio, quam à cæteris aliis peccatis, per totam vitam divinæ legis auxilio repressi fuisse asseruntur? 2. Ex eo consequitur, etiam eos secundum strictum legis rigorem mortis reos fuisse & soli speciali atque extraordinariæ gratiæ divinæ deputandum esse, quod non modo juxta legis sententiam pœna mortis adfecti non fuerint, sed & non obstantibus istis peccatis justi pronunciati fuerint, id est, sic à pœna lege constituta immunes præstiti, ac si peccatum nullum contra legem commisissent. Pauli tamen specialis quædam ratio fuit, quia peccata à se facta, ex ignorantia, non legis, (ejus enim zelo ducebatur; &, quæ fece-

fecerat, ea se non modo posse sed & debere ex legis ipsius præscripto facere persuasum sibi habebat:) sed Christi, quem à Deo missum esse ignorabat, (ignorantiâ non omnino inculpatâ, attamen magis ignorantia quam lata culpa, quia ἐν ἀπιστίᾳ, inquit, id est ἄπιστος ὤν, cum adhuc non crederem:) protecta esse asserit, eaque propter se misericordiam à Domino consecutum esse. Hinc colligo ergo, non istos modo, sed omnes eos qui à peccatis enormibus vi legis divinæ non continebantur, jure merito reos mortis ac condemnationis æternæ agi potuisse. Eos vero, qui in peccata enormia non prolabebantur, justitiæ ac vitæ æternæ præmio indignos idcirco judicari potuisse, quod à delictis & levioribus saltem culpis aut erratis immunes non essent. Etsi enim ea, Deo ita gratioso volente, expiabantur per sacrificia; tamen ista ipsa expiatio non tendebat ulterius, quam quod per eam à reatu mortis corporalis, sive malorum temporalium, quæ lege divina contra sic delinquentes statuta erant, absolvebantur.

*Quomodo Apostolus colligat omnes tum Judæos tum Græcos peccatores esse, & ex operibus justificari non potuisse.*

Quæres: Qua ratione ergo Apostolus Paulus colligit omnes tum Judæos tum Græcos peccatores esse; ac propterea nec hos ex operibus legis naturæ, nec istos ex operibus legis Mosaicæ justitiam & vitam æternam consequi potuisse? Resp. Erasmus, & qui cum illo sentiunt, tum ex veteribus tum ex recentioribus interpretibus, existimant, disputationem Apostoli Pauli potissimum directam fuisse contra Philosophos ex gentibus, & contra Pharisæos Scribasque ex Judæis, quod in his plurimum esset fastus, & hi potissimum resisterent Euangelio. Nam Græci, qui sapientiam quærebant, contemnebant crucis stultitiam: & Judæis, qui signa quærebant, crux scandalum erat. Sub his autem hyperbole accommodatâ (quâ summâ vehementiâ deprimenda erat fiducia legis & attollenda vis gratiæ) & generali proloquio Apostolum complexum esse omnes generatim, non universe, juxta Scripturæ linguam & vulgarem consuetudinem, ut numerosissimæ impiorum turbæ suffragaretur rarissima bonorum paucitas; quamquam (addit ex superabundante Erasmus) nec hi sic erant boni, ut omni vacarent malo, & qui verè boni sunt, etiam levem culpam pro magna sibi patiuntur imputari. Argumenta ejus sunt: 1. quia locutiones ejusmodi universales, qualibus utitur Apostolus, creberrimè occurrunt in Scripturis, quas tamen hyperbolen continere manifestum est. *Joan.* III. 32. *Testimonium ejus nemo recipit. Esa.* LXVI. 23. *Joel.* II. qui locus citatur *Act.* II. 17. *Effundam ex spiritu meo super omnem carnem. Psal.* XIV. 2. 3. *Psal.* CXLV. 14. 15. *ad Philip.* II. 21. &c. 2. Quia ea quæ gentibus exprobrantur, non cadunt in singulos, uti aperte fatetur ipse Apostolus, 1 *ad Corinth.* VI, 11. nedum universa & singula. Nec quæ Judæis impinguntur crimina, in Judæos singulos cadunt, ut ex reipsa patet, videlicet ex criminum atrocitate. 3. Quia exstant testimonia de tam multis viris sanctis, quibus tribuuntur directè contraria, uti supra ostendimus. 4. Quia ex ipsis Psalmis allegatis, *Psalm.* XIV. 4. 6. & ex *Psal.* V. 12. 13. item ex *Psal.* CXL. 14. & CXXXVI. 8, apparet necessario de plerisque accipienda esse quæ dicta sunt, id est, generatim non universaliter, ex oppositis scilicet locutionibus. 5. Quia aliàs crimina hæc etiam urgeri possent omnia de singulis, cum non possint cadere in singulos, utpote vel contraria sibi vel naturis quorundam. Ex his aliisque argumentis colligit Erasmus, generalem Apostoli enunciationem referendam esse non ad singula generum, sed ad genera singulorum, & ita quidem, ut intelligatur, nullam nationem sub cælo fuisse, quæ non multò maxima ex parte fuerit corrupta istis vitiis aut similibus. quo tropo dicimus totam civitatem infectam, in qua perpauci sunt non infecti pestilenti contagio. Cum igitur Apostolus omnes nationes gratia ac gloria Dei egere, vellet demonstrare, idque saltem de Judæis, qui legis à Deo traditæ prærogativa gloriabantur, verum non esse cogitari posset, hanc etiam inquinatissimam demonstrans, totum mundum ὑπόδικον Deo esse concludit. Paucitas autem aliorum non talium, non excludit, inquit, generale proloquium, juxta Scripturæ linguam & vulgarem loquendi morem. Addit quidem Erasmus: Si vero dicamus etiam paucos illos non vacasse culpis levioribus, tum universaliter tuto accipi potest quod dicit Apostolus, & vel per hyperbolen accipi dicta Psalmorum, vel à majori ad minus colligi, ex magna & tam gravi corruptione, quæ omnes ferme invaserat, nullum fuisse, qui non aliquo aut quibusdam peccatis infectus fuerit. sed in prima tamen responsione videtur persistere.

*Sententia Erasmi ejusque rationes.*

*Ea expenditur.*

Sententia hæc adeo plausibilis ac facilis esse videtur, ut sæpe dubitem an non illa reliquis omnibus sit præferenda. Sed vero, quominus in ea plane acquiescam, inter alias, hæc caussa est: Quia tum dicendum foret, Apostolum concludere, ex eo apparere legem inefficacem fuisse ad tollendum peccati tum dominium tum reatum, quod legis tempore, natio nulla fuerit, quæ non contaminatissima & peccatorum scelerumque enormium sordibus plane fuerit obruta. Atqui si id concludere dicamus Apostolum, cur non pari jure nunc concludat Judæus, ex eo apparere Euangelium inefficax esse ad tollendum peccati tum dominium tum reatum, quod nulla fere Christiana natio sit, quæ non, maxima ex parte, iisdem aut similibus scelerum peccatorumque sordibus inquinata & tantum non obruta reperiatur? Nec referet, si dicas, Christianos multos esse qui istis non implicantur. Nam & eos, proh dolor! oppido paucos esse dicet Judæus: & idem usu veniisse in populis sub lege, tum naturæ, tum scripta Mosis positis, ante revelatum Euangelium, ex Erasmi, omniumque Theologorum cum eo sentientium confessione propria evincet.

*Auctoris ea de re sententia.*

Quare ego (salvo meliore judicio) non scopum sed sensum disputationis Apostolicæ paulo aliter constituendum esse arbitror, & quidem hunc in modum. Quod enim ad scopum attinet, certum est ex consensu & confessione omnium, eum principaliter in eo esse positum, quod nec per legem naturæ, nec per legem Mosis, sed per solum Euangelium Jesu Christi liberatio quærenda sit à reatu & dominio peccati, id est, justitia & salus æterna consectanda per vivam fidem in Jesum Christum. Quod attinet ad sensum eorum quæ scopo isti consentaneè pertractat Apostolus, eum ego his conclusionibus comprehendo.

*Scopus Apostoli.*

*Sensus ejus quinque conclusionibus explicatus.*

1. Apostolum non præsupponere, Eam demum legis sive Naturæ, sive Mosis observationem Deo gratam, aut observationem lege dignam esse, quæ omnimodo perfecta & perpetua est: eique præmium æternæ vitæ deberi. Nam observatio ista homini simpliciter in hac vita impossibilis est: &, si omnino actu etiam in aliquo reperiretur, non tamen liqueret, nec natura rei postulat, Deum ei æternæ vitæ præmium deberi voluisse. Quod enim, *Rom.* IV. 4 dicitur: *Merces operanti datur ex debito*, ut de mercede vitæ æternæ intelligatur, neutiquam probabile est: uti alibi ostendimus.

Sed 2. Apostolum præsupponere, legem utramque, tum Naturæ tum scriptam Mosis, ab omnibus & singulis beneficio gratiæ universalis, quam Deus nemini negatam unquam voluit, præstari potuisse & præstari decuisse: uti patet ex lege naturæ gentibus data: *Rom.* I. 21. & de scripta Mosis lege, *cap.* II. *per totum*: ac proinde Apostolum jure merito, tum gentes tum Judæos reos agere potuisse & reos egisse violatæ legis, & pœnæ justissimæ, sive inexcusabiles censuisse: uti patet ex 20 *versu* I *capitis*, &c. de gentibus: & de Judæis *cap.* II. & passim alibi.

3. Apostolum demonstrare, neutram tamen legem actu effecisse sive in gentibus sive in Judæis, ut eam præstarent, eo quod destituta esset auxilio specialis istius gratiæ, quam Deus ultimis temporibus reservatam volebat; id est, tum vitæ æternæ clara atque aperta promissione, tum peccatorum contra eam perpetratorum, quæ resipiscentibus fieret, gratiosa remissione. Utrumque patet tum ex lege naturæ gentibus data: tum ex lege Mosis scripta Judæis lata. Quod ad gentes attinet: Eas non modo non ignorasse, sed & scivisse certò asserit Apostolus *ad Rom.* I. 32. δικαίωμα sive jus Dei, *quod qui talia facerent digni morte essent.* sed vero eos, qui eam præstarent, aut vitæ æternæ præmio afficiendos esse; aut, si resipiscerent post non præstitam legem, venia & remissione peccatorum æterna donandos esse, nusquam eos certò scivisse asserit; quamquam nec negat, Deum eos tali gratia afficere voluisse: Quod ad Judæos attinet, eos clariore quidem divinæ voluntatis cognitione donatos fuisse per legem adserit, sed non tamen ista, qua aperta illis fieret promissio vitæ æternæ aut remissionis peccatorum perfectæ. Diserte enim adserit, *Legem non potuisse eos liberare*, id est, non liberasse, phrasi usitata, *a lege peccati & mortis, eo quod infirmabatur per carnem*, id est, per carnalia promissa, quibus etiamsi moveri potuissent ac debuissent ad legem servandam; tamen non facile permoveri se patiuntur homines, imprimis affectibus suis addicti, & carnalibus operibus adsueti: adeo quidem ut potius talibus lex serviat ad affectus eorum magis irritandos quàm compescendos.

Hinc colligit Apostolus: 4. Non modo nationem utramque totam, tum gentium tum Judæorum, sub peccati reatu & dominio fuisse, sed omnes ac singulos in utraque natione, aut plurium, aut quorundam, aut saltem unius gravis peccati reos fuisse, & à dominio ac reatu peccati per legem liberatos non fuisse. Quod enim ad delicta & leviores culpas attinet, de iis non videtur usquam agere Apostolus; & verosimile mihi est, Deum propter eas nunquam quemquam reum mortis ac maledictionis agere voluisse. Quod de Judæis verissimum esse liquet; quia iis sacrificia Deus imperasse legitur, quibus ista expiarentur, ne eorum nullam prorsus rationem habere videretur: & sola ista peccata imputare voluisse legitur, quæ elata manu fierent; quia, ut ea

sacri-

ſacrificiis expiarentur, nullo modo permiſit. Quod interim aliquando per prophetas ſuos etiam eorum veniam populo integro publicari, *Ezech.* XVIII, & XXXIII, aut huic vel illi peculiari homini, puta Davidi, 2 *Sam.* XII. 13. Ezechiæ, *Eſa.* XXXVIII. 5. aliiſque annuntiari fecerit, id ſpecialis gratiæ divinæ fuit, & gratiæ, qua remiſſio pœnæ lege Moſis ſtatutæ fiebat, non verò remiſſio pœnæ, quæ cum æternæ vitæ donatione conjuncta erat, quam Euangelio propriam eſſe Deus voluit. Quare dico, Apoſtoli mentem, quando omnes tum Græcos tum Judæos peccati arguit, ita ut dicat, *Omnes peccarunt ac deſtituuntur gloria Dei*; *Rom.* III. 23. eam eſſe, ut neminem excipiat, qui non vel plurium, vel unius peccati gravioris, ſive aliquando ſive aliquamdiu reus fuerit: atque hoc eſſe illud ipſum, quod Scriptura paſſim aſſerit, & nominatim, ut jam alia loca non allegem, Solomon 1 *Reg.* VIII. 46. qui locus etiam in quæſtione allegatur, ſed malè. Verba enim iſta, *Non eſt juſtus ſuper terram*, non ſunt in textu. Sic enim ſonat, *Si peccaverint tibi: non enim eſt homo, qui non peccet.* & 1 *Joan.* I. 8: *Si dixerimus nos peccatum non habere, nos ipſos fallimus, & veritas in nobis non eſt.* & *verſ.* 10: *Si dixerimus nos non peccaſſe, mendacem facimus eum, & ſermo ejus non eſt in nobis*, quam orationem de peccatis proprie dictis, non de leviori bus culpis dumtaxat intelligendam & prorſus univerſalem eſſe res loquitur, & quæ deinde in iſta Epiſtola *cap.* II. *verſ.* 1 & 2 adduntur. Recte ergo etiam ac ſummo jure dixit Apoſtolus, *ad Gal.* III. 10: *Quotquot ex operibus legis ſunt ii ſub execratione ſunt.*

Ex hoc jam fluit: 5. Merito ergo Apoſtolum concludere, gratiam aliam neceſſariam fuiſſe, per quam, id eſt cujus inſita vi atque efficacitate homines, niſi prorſus refractarii & contumaces manere vellent, à reatu & dominio peccati liberarentur. Eam autem gratiam, eſſe gratiam Euangelii, qua peccatoribus omnibus reſipiſcentibus, & in Jeſum Dei Filium viva fide credentibus, inque fide iſta perſeverantibus, promittitur æterna peccatorum omnium, licet graviſſimorum, à quibus nec per legem naturæ, nec per legem ipſam Moſis, *Act.* XIII. 38. 39, liberari poterant, remiſſio, cum certa æternæ ac beatæ vitæ donatione conjuncta: & Spiritus ſancti gratia, cujus beneficio atque auxilio, in omni occaſione & tentatione qualibet, alacriter atque conſtanter perſeverare poſſint in fide atque obedientia Jeſu Chriſti ad finem uſque. Quod ad levium culparum & delictorum veniam attinet, ea huic cum aliis legibus, uti dixi, communis eſt.

## An locus *Luc.* XVII. 10, de ſervis inutilibus, quicquam faciat pro vel contra opera ſupererogationis.

## QUÆSTIO XXI.

Cum feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite, Servi inutiles ſumus, *&c.* Luc. XVII. 10. *Quæritur, utrum locus hic quicquam poſſit facere ad evertendum opera ſupererogationis & non potius ad eadem ſtabiliendum? Cum hîc videatur Chriſtus oſtendere nos poſſe plus etiam quam præceptum eſt facere, & ſervos utiles fieri: ſicut ſervus hîc parabolicus plus potuit præſtare quam præſtitit, pluſque quam debuit. Evincitur autem hoc ex ſcopo parabolæ, qui eſt, adhortari ne gloriemur cum præcepta ſervavimus, quia etſi mercedem noſtram reportaverimus, nihil tamen ſingulare, nihil egregium patraverimus: uti ſimilis loquendi modus oſtendit,* Luc. VI. 32. *Patet idem etiam ex phraſi,* Servi inutiles: *quæ æquipollet priori,* verſ. 9: *ubi dicitur, Servo illi nullam deberi à Domino gratiam. Gratia autem ibi non denotat mercedem ex pacto pro labore præſtito ac miniſterio ſervo promiſſam debitamque; ſed mercedis cumulum ac corollarium, quod propter gnaviter navatam operam ſupra pactum conventum ſervo ſuperadditur, atque ex domini liberalitate moralique honeſtate ipſi debetur: Non vero prout exactè reſpondet obſervationi præceptorum, & quatenus iis ex rigore legis tenetur obſequi.*

## RESPONSIO.

*Senſus & ſcopus loci Luc. XVII. 10.*

QUæſtionis hujus propoſitæ ratio fundamentalis falſa eſt. Videtur, inquit quæſitor, Chriſtus oſtendere nos poſſe plus etiam quam præceptum eſt facere, & ſervos utiles fieri. Contrarium videri debet verum eſſe; Chriſtum ſcilicet oſtendere, faciendum nobis eſſe omni tempore, quod nobis præcipit atque injungit Dominus, neque propter id quod hactenus recte factum à nobis eſt ad præſcriptum Domini, quieſcendum eſſe ab omni opere ulteriore quod nobis injungit jure ſuo δεσπότης. Senſus enim & ſcopus verborum Chriſti eſt, Domino ſerviendum eſſe indefinenter & juſſibus ejus parendum uſque dum ipſe dicat nobis, accedite & diſcumbite: ſive non cogitandum unquam nobis eſſe de tranſacto officio; ſed tanquam ſi nihil actum à nobis eſſet, de reliquo.

Quod in quæſtione additur ad confirmationem contrarii, *Sicut ſervus parabolicus plus potuit præſtare quam præſtitit, pluſq; quam debuit:* id vero plane falſum eſt. Per ſervum enim parabolicum hîc non intelligitur mercenarius ſive mercede certa ad certum opus & tempus conductus, ſed mancipium quod totum domini eſt & nullo tempore nulloque modo ſui juris; proinde quod ſibi nullo modo ſed tantum domino ſuo utile eſt. Hoc manifeſtum fit & indubium ex eo, quia mercenario ad certum opus conducto certa mercede, & jam labore omni defuncto, non dicit conductor nec dicere jure poteſt, para mihi cænam, & præcinctus miniſtra mihi. Mancipiis id mandari poterat non mercenariis. Atqui id evincitur, inquit quæſitor, ex ſcopo parabolæ, qui eſt adhortari ne gloriemur cum præcepta ſervavimus, &c. Contra, inquam, hîc ſcopus parabolæ non eſt, dehortari ſcilicet à gloriatione, ita ut emphaſis ſit in verbis, Ne dicite, id eſt, ne jactate, ne gloriamini, &c. nedum à gloriatione tali, quaſi ſingulare aliquid atque egregium à nobis eſſet præſtitum: ſed tantum à negligentia ſive incuria præſtandi quod reliquum eſt officii noſtri, ob id quod jam ante præſtitimus quod debuimus, idque hoc argumento, quia id quod adhuc reſtat faciendum ejuſdem generis eſt cum eo quod jam ante actum eſt, ſcilicet debitum domino jubenti atque imperanti: Debitum enim officium debito non ſolvitur.

Nec aliud arguit phraſis, *Servi inutiles ſumus.* Nam ſervus inutilis hoc loco aliud nihil ſignificat, quam ſervum cujus labor omnis anteactus, quia debitus, inutilis eſt ad eum abſolvendum, aut liberandum à reliqua officiorum & miniſteriorum debitorum cura. ut ſenſus verborum ſit; Cum omnia hoc jam tempore, aut ad hoc uſque tempus, recte atque ex officio feceritis, nolite cogitare nihil reſtare vobis impoſterum faciendum, aut pro veſtropte arbitrio vos poſſe ſuperſedere ab omni reliqua parendi Deo ſolicitudine: ſed ita apud animos veſtros perſuaſum habete, (Hoc enim eſt dicite, ſcilicet intra vos, aut vobis ipſis,) Servi inutiles ſumus hactenus: Fecimus enim quod debuimus. Porro pergendum eſt, & curandum quid dominus jubeat, qualecunque tandem illud ſit. Senſum hunc non obſcure colligere eſt ex protaſi parabolæ, in qua dicitur dominum ſervo ſuo poſt exantlatum diurnum laborem, & pro iſto tempore imperatum officium, juſſiſſe, *Para mihi cænam, & ſuccinctus miniſtra mihi.* Quo intelligitur officium ſine dubio à ſervo debitum & quod ſervo jure eodem quo diurnum totum præſcripſerat dominus imperare poterat. Nam ſi debitum non erat, quo jure à domino exigebatur, & qua lege ſervus obligabatur ad illud præſtandum, & quomodo non gratiam debuiſſet dominus ſervo pro indebito officio?

Ex eo colligo, verba iſta, *Num gratiam habebit ſervo iſti, quod fecerit quæ ipſi præcepta,* (non uti Beza legit, *fuerant*, ſed) *fuerunt*, ſic exponenda eſſe, ut per ea quæ præcepta ſunt, ſive διαταχθέντα, intelligantur non ſolum ea quæ antea ſive interdiu ſervus iſte egerat ex præſcripto domini ſui, ſed etiam id quod ſervo iſti domum reverſo, poſt abſolutum præſcriptum diei penſum, injunctum fuit à domino ejus, in hæc verba, *Para quod cænem, & accinctus miniſtra mihi.* Hoc enim ſignificare voluit, meo judicio, uti ex ἀναδίδωμι liquet: Non ſemel ſed ſemper nos parere atque obſequi debere Deo, uſque dum Dominus noſter ipſe dicat, Accede & diſcumbe.

Atque ex hoc ipſo, etſi extra propoſitam quæſtionem eſt, colligendum omnino eſt Chriſtum non velle hoc loco docere, opera iſta noſtra, quando ad finem perducta erunt, inutilia nobis fore. Abſit. Contrarium liquet ex eo, quia tandem dicetur nobis etiam, Accedite & diſcumbite mecum: nedum ut ſignificare voluerit, nos quamdiu hic vivimus inutiles eſſe ad bonum; &, quod multò ineptius eſt, nos propenſos eſſe ad omne malum. Neutrum enim in textu eſt: imo contrarium in eo eſt; quia textus aſſerit nos inutiles eſſe ſervos etiam tum cum omnia fecerimus quæ præcepta nobis ſunt. Huic enim propoſitioni repugnat dicere, Nos inutiles eſſe ad faciendum, non dico bona ſive præcepta omnia, ſed ad faciendum ullum bonum, imò propenſos eſſe, non dico ad non faciendum ſive omittendum aliqua eorum quæ præcepta nobis ſunt, ſed ad omne malum.

## Quid per formam Dei, & formam ſervi Chriſto tributam *Philip.* II. 6. intelligendum ſit.

### QUÆSTIO XXII.

*Quæritur an deſcriptio Chriſti.* ad Philipp. II. 6, ὃς ἐν μορφῇ θεοῦ ὑπάρχων, *&c. pertineat ad tempus quo jam carnem aſſumpſerat, an verò ad tempus quod præceſſit aſſumptionem carnis. Non videtur, juxta Eraſmum, de priore tempore intelligendum eſſe.* 1. *Quia* μορφὴ *tum non eſſentialem, ſed accidentalem formam ſeu ſpeciem tantùm ſignificaret. Atqui hîc eſſentialem formam ſignificat, uti apparet ex antitheſi illa quæ ponitur verſu ſequenti,* μορφὴν δούλου λαβών, *id eſt, formâ ſervi accepta.* 2. *Quia à ſcopo Apoſtoli alienum eſt, cui propoſitum fuit deſcribere divinam & humanam Chriſti naturam: divinam hoc verſu, humanam ſequenti expreſsit.*

### RESPONSIO.

*Eraſmi expoſitio approbatur.*

Respondeo: Etſi expoſitio utraque probabilis ac tolerabilis mihi videtur, tamen ſententiam Eraſmi alteri longè præferendam arbitror; quia ſimplicior, evidentior, & ſcopo Apoſtoli accommodatior eſt: cùm altera horridior, obſcurior, & alienior à ſcopo videatur. Id quod ex his colligo: 1. Juxta ſententiam Eraſmi Jeſus Chriſtus, phraſe in S. Scriptura uſitata, intelligitur de ipſo homine Jeſu, mediatore inter Deum & homines, qui Jeſus & Chriſtus dictus fuit. Juxta alteram ſententiam, per Jeſu Chriſti voces intelligi debet perſona Trinitatis ſecunda, quæ ante aſſumptam carnem Jeſus nullo modo dici poteſt, nedum Chriſtus. 2. Juxta Eraſmi ſententiam facillimè intelligitur quid ſit *in forma Dei*, ſive cum forma Dei eſſe; videlicet cum auctoritate, imperio ac potentia divinæ ſimili, penè in omnia omneſque, in populo verſari. quo ſenſu Heroas Homerus vocat ἰσόθεος, θεοειδεῖς, θεοεικέλους, &c. Juxta alteram ſententiam difficillimè intelligitur, *in forma Dei* eſſe, ſignificare in aut cum natura divina eſſe, imò ipſum Deum eſſe, uniuſque numero eſſentiæ ac naturæ cum Deo. 3. Juxta Eraſmum facile intelligitur Jeſum in forma Dei ὑπάρχοντα, non rapinam duxiſſe, τὸ εἶναι ἴσα θεῷ. At juxta alteram ſententiam, Jeſum illum ante aſſumptam carnem in forma Dei ὑπάρχοντα dici potuiſſe, id eſt in vel cum forma divina fuiſſe, difficillime capitur, ὑπάρξαντα ſi legeretur, facilius intelligeretur. Sed quomodo idem Jeſus poſt aſſumptam carnem non æque dici poſſit ac debeat in forma ſive cum natura divina ſemper fuiſſe, vix explicari poteſt. 4. Juxta Eraſmi expoſitionem cætera omnia fluunt: quod videlicet iſte ipſe Jeſus Chriſtus non duxerit rapinam æqualem Deo eſſe, id eſt non mordicus retinuerit poteſtatem, auctoritatem & excellentiam illam divinam, quippe quam à Patre ſuo acceperat, & qua uti etiam potuiſſet, ſi voluiſſet: item, eum ſe exinaniviſſe, formam ſervi ſumpſiſſe, id eſt ſervi inſtar ſe tractari, vinciri, flagellari, crucifigi permiſiſſe; ſimilem hominibus, id eſt plebeis & vulgaribus hominibus, fuiſſe viſum; Deo ſe ſubmiſiſſe, Deo obediviſſe, &c. cùm juxta alteram ſententiam horridius ſonet perſonam ſecundam Trinitatis, quæ poſt aſſumtam carnem Jeſus fuit & Chriſtus, & unius ejuſdemque numero eſſentiæ divinæ eſt cum Patre, non duxiſſe rapinam naturam iſtam ſuam divinam, aut exiſtentiam naturæ ſuæ extra unionem iſtam perſonalem cum natura humana. Quomodo enim rapinam ducere potuiſſet Chriſtus æternam & coëſſentialem ſuam Deo Patri naturam? tum perſonalem iſtam ſe exinaniviſſe aut inaniviſſe per unionem iſtam, cum per eam naturæ ejus divinæ nihilum quidem decederet, nec magis quam ipſi naturæ Patris, quippe cum qua una eademque numero natura eſt. Dices id de uſu poteſtatis iſtius glorioſæ quæ naturæ iſti propria eſt, non exerto, intelligendum eſſe. At ſic ſe Pater etiam exinaniverit, & Spiritus S. quod horridum eſt dicere. Tum eam ſe Deo ſubmiſiſſe, & Deo obediviſſe, quæ ipſa Deus erat, id eſt ſibi ipſi, ἀκροάλλητον eſt. Denique ſcopo Apoſtoli accommodatiorem eſſe Eraſmi expoſitionem, ex reipſa liquet: quia ſcopus Apoſtoli eſt hortari Philippenſes ad humilitatem & ſubmiſſionem animi, exemplo Chriſti. At exemplum Chriſti hominis ſe Deo Patri ſuo ſubmittentis uſque ad ferendum omne vilipendii, contemtus, injuriæ & violentiæ genus, adeoque mortem ipſam ac crucem, exemplum profecto eſt quod palpari poteſt, & imitatione omni dignißimum eſt: cum exemplum ſecundæ perſonæ ſe per unionem perſonalem cum natura humana, humiliantis, &c. exemplum ſit tranſcendens captum humanum, inexplicabile atque inimitabile, ac proinde inefficax ad movendum, & in quo ſemper hæſitationi aut exceptioni locus relinquitur.

Contra ſentit quæſitor ob duas rationes. ſed eæ jam ex parte confutatæ ſunt. Prima enim ratio aut principium petit, aut, ſi retorqueatur, plane collabitur. Principium petit, quia non minus quæritur an forma ſervi ſignificet eſſentialem formam, quam quæritur an forma Dei eam ſignificet. Collabitur vero ſi tetorqueam eam hoc pacto: Forma ſervi non poteſt ſignificare formam eſſentialem. ergo nec forma Dei. Antecedens patet: quia ſervum eſſe nunquam ſignificat aliud quid quam ſervili conditione eſſe: adeo ut Ariſtoteles ſubſtantiam accidentarium quid faciat ſervo. Et ſane ſervus non differt à domino natura, ſed ſtatu. Ex quo conſequitur Chriſtum formam illam depoſuiſſe, quando ex ſervili iſta conditione in ſummam ſublimitatem eſt evectus, & Dominus eſt factus, uti in textu dicitur. quod ſignum eſt formam ſervi non ſignificare naturam humanam, ſed ſtatum humilem, vilem, ac deſpectum: in quo potiſſimum fuit quando ad necem rapiebatur. Secunda ratio principium petit, & falſa eſt; ſaltem nullo modo veriſimilis, uti ante oſtenſum eſt.

## Quomodo accipiendum ſit illud *Joan.* V. 19, quòd Filius nihil à ſe poſſit facere.

### QUÆSTIO XXIII.

*Cum Euangeliſta Joannes* cap. V. 19 *dicat:* Amen, Amen dico vobis, Non poteſt Filius à ſe ipſo facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem: quæcunque enim ille facit, hæc etiam Filius facit: *Quæritur, quomodo Filius non poſſit dici quidquam à ſeipſo facere, cum ſit æternus æterni Dei Patris Filius, ac proinde Pater & Filius ſint unus idemque Deus, juxta illud* Joan. X. 30, Ego & Pater unum ſumus.

### RESPONSIO.

Quæſtionem hanc facile ſolvunt Arius, Samoſatenus, Socinus: quia tota vis ejus nititur hypotheſi prææternæ ejuſdemque numero Deitatis Filii Dei cum Patre & Spiritu S. quam illi reſpuunt, & quæ non ſatis à quæſitore adſtruitur ex loco *Joan.* X. 30. quia in eo non agitur de unitate eſſentiæ Filii numerica cum Patre, ſed de concordia & conſenſu voluntatis utriuſque, uti recte in locum iſtum annotavit Calvinus. Sed quia hypotheſis hæc periculoſe nimis negatur, & à Theologis fere omnibus extra dubium ponitur, quæſtio hæc ſolvi, ſive interpretatio loci Joannis *capitis* V. 19, dari ab iis ſolet hunc in modum, quod Filius Dei, quia & qua eſt Filius, de ſe rectè dicat, quod non poſſit à ſe ipſo operari quidquam. Etſi enim unius ejuſdemque ſit eſſentiæ cum Patre; tamen quatenus Filius, eam non habet à ſe, ſed per generationem ex Patre. operationes itaque omnes etiam ſuas à Patre habere recte dicitur. Qui Filium ſic ἀυθύπατον faciunt, ut à ſe ipſo ſit, & recte à ſe ipſo eſſe dicatur & operari, ii mortalium ineptiſſimi ſunt, & nunquam ſe bona fide ex quæſtionis hujus nodo expediunt.

Sed nec hæc ſolutio mihi placet: quia verba textus, *Niſi viderit Patrem operantem*, manifeſte notant & ſignificant operationem Patris non ex neceſſitate naturæ, ſed à libera Patris voluntate proficiſcentem. quod confirmant verba verſus ſequentis, *Pater enim amat Filium & omnia monſtrat ei.* Amor ergo & dilectio Patris monſtrationis iſtius cauſſa eſſe dicitur, non natura, ſive neceſſitas operandi per æternam generationem communicata. Quid enim dilectione opus eſt, ubi naturalis operandi neceſſitas per ſe ſufficit & efficit omnia? Quibus verbis ſi addantur ea quæ ſequuntur, res evicta videri debet. Ea ſunt hæc: *Et opera iſtis majora monſtrabit ei, ut vos miremini.* Monſtratio enim operum majorum, dilectionis liberæ actus ut ſit neceſſe eſt: quia alioquin ſequeretur, Chriſto per æternam generationem, qua tota ei divina eſſentia, ac proinde omnipotentia, omneſque naturales Dei proprietates communicatæ ſunt, omnia demonſtrata non eſſe: quod ſententiæ tamen hujus autores omnino certum eſſe volunt. Quo accedit, quod majora illa opera Chriſtus deinde explicaturus, mortuorum vivificatione & judicandi poteſtate ea complectatur, *verſ.* 21 & 22. Atqui ea ſibi ideo data, id eſt, certo datum iri, *verſ.* 27 aſſerit, *quia Filius hominis eſt.* Jam autem nullo pacto veriſimile eſt, Chriſtum voluiſſe dicere, Patrem ſibi majora opera monſtraturum, *quia Filius hominis ſit*, quam ea erant quæ per æternam ex eſſentia ejus generationem acceperat, aut demonſtrata ei fuerant.

Quare

Quare ego existimo, verba hæc Jesu Christi, & similia omnia, non esse intelligenda nisi de Jesu Christo, quatenus Filius hominis erat. cui duplex hoc privilegium supra alios omnes homines competebat, 1. quod ex Spiritu Dei S. conceptus erat, & sic quà Filius hominis, etiam Filius altissimi erat. 2. quod ille ipse Filius hominis, qui per se suppositum humanum sive persona humana esse poterat, personalitatem suam habuerit ab ipso Dei Filio, & sic etiam Filius Dei fuerit. Hac unica personalitate excepta, nihil habuit, nihil accepit, nihil fecit, nihil habet Filius iste hominis à Filio Dei, sed omnia à Patre suo. Solam personalitatem dat ei Filius. Cætera omnia ipse Filius hominis quatenus ex Spiritu sancto conceptus, & sic etiam Filius Dei, facit, exsequitur, virtute à Patre accepta. & sic salvantur commode hæc aliaque omnia dicta, ut nec dignitati Jesu Christi, nec gloriæ Patris quidquam detrahatur. Argumentum etiam quod in quæstione allegatur sic facile solvitur; Quia Filius iste hominis non est æternus æterni Dei Patris Filius, ratione essentiæ divinæ quæ illi communicata fuerit per unionem personalem: quasi videlicet ea in Filio hominis operata sit & operetur etiamnum: sed tantum ratione personalitatis, quia nimirum non subsistit unquam extra eum, ut tanto videlicet dignior excellentiorque persona esset. Etsi itaque suppositum ipsum est Filius Dei, actiones tamen & passiones omnes sunt Filii hominis, quoad naturam & essentiam quam à Patre habet per generationem ex Spiritu S. & virtutem deinde à Patre communicatam.

## Quomodo Christus dicat discipulis se ire paratum iis locum, *Joan.* XIV. 34. quem alibi asserit paratum piis esse à jactis mundi fundamentis.

### QUÆSTIO XXIV.

*Quæritur, quomodo Servator noster jam ex hac vita discessurus, suis discipulis dicat*, Joan. XIV. 2: In domo Patris mei sunt multæ mansiones, πορεύομαι ἑτοιμάσαι τόπον ὑμῖν: *cùm ex* Matth. XXV. 34, *manifeste constet, locum illum piis paratum esse ante jacta mundi fundamenta; dicitur enim* κληρονομήσατε τὴν ἡτοιμασμένην ὑμῖν βασιλείαν ἀπὸ καταβολῆς κόσμου.

### RESPONSIO.

COnciliantur hæc loca per distinctionem inter decretum & exsecutionem decreti. Posteriore loco paratus sive ἑτοιμασμὸς dicitur locus regni cælorum fidelibus, decreto divino, quo constituit Deus Filium suum, in tempore facere Dominum cœli ac cœlestis gloriæ, & non nisi per eum fideles in possessionem ejusdem cœli introducere; ejusdemque gloriæ non aliter secum singulos participes facere, quam si peculiares cuique suas mansiones præpararet, in quibus pro libitu & ex animi sui voto ac sententia viverent ac degerent cum omnium rerum affluentia. Paratum itaque sive ἑτοιμασμὸν dicitur cælum ante jacta mundi fundamenta, eodem sensu, quo gratia nobis data in Jesu Christo esse dicitur ante tempora sæcularia: 2 *Timoth.* I. 9. data, decreto scilicet, quia statim subjungitur, *Sed nunc patefacta per illustrem illum adventum Servatoris nostri*, &c. quo spes vitæ æternæ *à Deo promissa* dicitur *ante tempora sæcularia: Tit.* I. 2. voce promissionis accepta pro decreto promittendi, quia statim additur, *Patefecit autem temporibus suis*, denique, quo nos credentes in Christum, *una cum Christo jam suscitati & collocati in cælis dicimur: Ephes.* II. 6. quia videlicet propter decreti divini certitudinem, tàm certo vivificandi & collocandi in cælis sumus per Filium, quam si jam actu ex mortuis suscitati & in cælis collocati essemus. Priore ergo loco intelligitur decreti istius exsecutio, quam facturum se dicit Christus, juxta decretum Patris sui, cælum metaphorice & ad hominem adumbrans per domum vel aulam spatiosam, in qua cubicula aut mansiones multæ sunt, quæ præparari solent venturis hospitibus, ad commodam & jucundam in iis commorationem. ut sensus sit, Non abeo à vobis incommodo aut damno vestro, sed præeo vobis bono vestro maximo: nempe ut, quam Pater meus non mihi tantum, nedum mihi propter me, sed propter vos mihi & vobis per me ante jacta mundi fundamenta præparari voluit, in summa cæli sui aula, gloriam, jam reipsa capessam, & vobis non aliter quam contubernalibus & domesticis meis, sic distribuam & communem aliquando faciam, uti qui in eadem domo aut regia simul vivunt, & singuli tamen sua sibi peculiariter adsignata habent cubicula, in quibus pro arbitrio suo habent & faciunt quod volunt. Non enim, uti dixi, propria, sed metaphorica est locutio, cum Christus in domo Patris sui mansiones multas esse dicit. An tamen per multitudinem istam mansionum Christus designare voluerit differentias & diversitatem graduum, qui in gloria futuri sunt, pro qualitate & quantitate operum cujusque, incertum est. Inter veteres Clemens Alexandrinus, Stromat. VI. & Tertullianus in Scorpiaco id tanquam sibi certum asserunt: quibus cur refragemur causam nullam video.

## De servis quos Dominus invenerit vigilantes, & quibus præcinctus ministrabit, *Luc.* XII. 37.

### QUÆSTIO XXV.

*Servator noster inquit* Luc. XII. 37, Beati servi illi, quos cùm venerit Dominus, invenerit vigilantes! Amen dico vobis, præcinget se, & faciet ut discumbant, & accedens ministrabit eis. *Quæritur quis sensus sit hujus loci. Utrum per* Dominum *Christus, an ipse Deus Pater intelligendus sit. Deinde quid sibi velint hæc verba*, Præcinget se, & ministrabit eis: *cùm absurditas hisce verbis non exigua ineſse videatur. Non enim dominus præcingere se, servisque ministrare solet: sed servi seipsos præcingere dominoque ministrare consueverunt. Adde, quòd hic locus repugnare videatur* Luc. cap. XVII. vers. 7. 8. 9. *ubi Christus ipse dicit*: Quis autem vestrum habet servum arantem aut pascentem, cui regresso ab agro dicat statim, accede & accumbe. Imò nonne dicit ei, para quod cœnem, & præcinctus ministra mihi, usque dum edero ac bibero, & postea edito tu ac bibito. Num gratiam habet illi, quod facit quæ illi edicta fuerunt? Non puto. *Si itaque dominus servo, qui officium suum fecit, non dicit, accede, & accumbe; imò contra ei in mandatu dat, ut præcinctus ministret sibi: quantò minus Dominus præcinget se, uti* Luc. XII. 37. *dicitur, & ministrabit servis vigilantibus?*

### RESPONSIO.

DUo hîc quæruntur: Primò, utrum per *Dominum* Christus, an ipse Deus Pater intelligendus sit. Deinde, Quid sibi velint hæc verba, *Præcinget se, & ministrabit eis.* Respondeo ad primum: Perinde esse, sive per *Dominum* intelligatur Christus, sive Deus ipse. Christi enim & Dei eadem hîc ratio est: quia servi isti, de quibus agitur, tum Christi tum Dei servi fuerunt, quatenus Christus & Deus unum sunt, adeò ut qui Christo servit, Deo serviat. Hinc de ipso Deo Patre suo etiam Christus dicit *Joan.* XII. 26. *Si quis mihi ministraverit, eum honorabit Pater.* Crediderim tamen hoc in loco, *Luc.* XII. 37, per *Dominum* non tam Deum Parem quam Christum intelligi: quia *vers.* 20, ubi κύριος hujus ἀπόδοσις est, disertè sic legitur: *Et vos igitur estote parati, quia qua hora non putatis Filius hominis venit.* Filius hominis ergo Domino & patrifamilias propriè hic adsimilatur. Sed res, uti dixi, eôdem redit.

*Perinde esse sive Christus sive Deus intelligatur per Dominum, Luc. XII. 37.*

Ad secundum: Certum est verba ista, *Præcinget se & ministrabit eis*, Verba esse quæ ad κύριον similitudinis pertinent, ac proinde non eodem prorsus sensu in ἀπόδοσι esse intelligenda, sed sensu, qui sensui in κύριον expresso, respondet sive analogus est. Nam in futuro sæculo mensam, cibos, mantilia, & ejus generis alia locum habitura non esse certum est; quia, uti 1 *ad Corinth.* VI. 13 est, tum Deus ventrem & cibos abolebit. Analogus autem sensus est, quod tum Deus ac Christus ii erunt, qui fidelibus servis suis præparabunt ac conferent omnia ista, quæ ad plenissima ac perfectissima voluptate ac beatitate satiandos eos facere possunt, & quidem promta adeo & munifica manu ac mente, ut dominis istis comparari mereantur, qui à nuptiis & cænati redeuntes, servis suis vigilantibus & officium strenue sine intermissione aut remissione facientibus, honorem istum habent ut præcincti & transeuntes, id est, obambulantes & ultro citroque euntes, iis ministrent, ad mensam instructam discumbentibus ac cænantibus; inusitato quidem more, sed more tamen, quo uti possunt Domini, qui volunt. Ut enim ad Saturnalia Romanorum Christus hîc alludere voluerit, non adducor ut credam. Atqui sic absurditas non exigua videtur

*Quomodo dicatur Dominum servis illis ministraturum.*

tur ineſſe verbis hiſce, ait quæſitor. Nequaquam: regero. 1. quia ſimilitudo in eo tantum ponitur, quod ſicut domini ultrò præcingentes ſe & miniſtrantes ſervis ſuis, omnia iis ad voluptatem & ad exhilarationem facientia offerunt & conferunt; ita Deus etiam & Chriſtus ultro quidem, ſed & ex promiſſo liberali, fidelibus ſuis omnia ad immortalem fælicitatem eorum facientia ſubminiſtraturi & collaturi ſint. Tota enim & univerſa fidelium fælicitas à Deo & à Chriſto erit. 2. quia non indicatur in parabola, quid facere domini ſoleant, ſed quid facere poſſint ac faciant aliquando, ſi ita velint, domini, pro liberalitate ac munificentia ſua, in gratiam ſervorum ſuorum fidelium. Sed vero, repugnare videtur locus *Luc.* XVII. *verſ.* 7. 8. 9, ait quæſitor. Nullo modo, inquam. Nam, 1. Lucas *cap.* XVII agit de ſervis qui nondum expleverunt omnes officii ſui partes, ſed quibus reſtat adhuc aliquid agendum, id eſt, incænato domino cæna paranda, menſa inſtruenda, & cibus offerendus. In hoc vero *capite* XII agit de ſervis officio ſuo perfunctis, & à quibus nihil ultra deſiderat aut requirit dominus. 2. In *cap.* XVII Lucas negat dominum obligari & teneri, ad honorem habendum mancipio ſuo, ut dicat ei ſtatem, accede & diſcumbe, nedum ad gratiam ei habendum quod fecerit quæ edicta ipſi fuerunt. In *cap.* vero XII tantum indicat quid facere poſſit dominus pro jure, libertate, ac liberalitate ſua, & quid facturus ſit Chriſtus ſuo tempore pro magnificentia ac munificentia ſua tam libera quam liberali: Nempe, quidquid volent, quidquid petent, quicquid deſiderabunt fideles ſervi ſui, id omne dabit, ſubminiſtrabit, conferet, apponet, propinabit, inſtar eorum, qui præcincti menſis miniſtrant, & quod collubitum eſt convivis apponunt, propinant, & infundunt.

## Quomodo concilianda ſunt loca *Matt.* X. 9. 10. & *Mar.* VI. 8. 9. de virga & calceis Apoſtolis ad iter prohibitis & conceſſis.

### QUÆSTIO XXVI.

*Cum Chriſtus Apoſtolis ſuis poteſtatem prædicandi Euangelium feciſſet, dixiſſe eis legitur:* Ne comparate aurum, neque argentum, neque æs in zonis veſtris, neque peram ad iter, neque binas tunicas, neque ſoleas, neque virgam: *Cum tamen* Marc. VI. 8, *eis mandaſſe dicatur, ut nihil ſumerent ad iter* niſi virgam tantum; *quod directè priori dicto contravenire videtur. Deinde* verſu 9, *ut* calcearentur ſandaliis: *cum tamen* Matth. X *expreſſe prohibeatur* ne ſoleas *ſibi compararent. Quæritur ergo quomodo duo hæc loca conciliari poſſint.*

### RESPONSIO.

REſp. Conciliationes locorum horum duorum variæ adferuntur, quas videre eſt apud interpretes. Omnes, quas quidem mihi videre contigit, eò redeunt; ut, *Vel*, diſtinguant, inter ὑποδήματα & σανδάλια, inter ῥάβδον & ῥάβδον: dicentes, ὑποδήματα eſſe calceamenti genus quod totum pedem tegebat; σανδάλια, quæ ſolam tantum plantam pedis tegebant: Illa prohiberi apud Matthæum & Lucam: Hæc concedi à Chriſto apud Marcum. Ῥάβδον, aliam fuiſſe defenſionis & offenſionis, ἀπὸ τῦ βαπίζειν: *Matth.* V. 39. & XXVI. 67. *Marc.* XIV. 65. *Joan.* XVIII. 22. & XIX. 3. aliam ſuſtentationis, ἀπὸ τῦ βαδίζειν: Illam prohiberi apud Matthæum: Hanc concedi apud Marcum. *Vel*, ut quod de ὑποδήμασι ſive σανδαλίοις dicitur apud Matthæum, exponant de duobus calceamentorum paribus, repetendo vocem δύο, ἀπὸ κοινῦ, ut loquuntur: ſicut dixerat, *neque duas tunicas:* Quod autem apud Marcum dicitur, exponant de uno calceamentorum pari: qua expoſitione contradictionem tolli manifeſtum eſt. Adnotat Abrahamus Scultetus in exercitationibus ſuis Euangelicis, lib. 2. cap. 9. Joannem Albam Hiſpanum, novam plane conciliationem excogitaſſe, quod ad virgam attinet. Ea hæc eſt: Scriptores ſacros alludere aliquando ad conſuetudinem quarundam gentium, & ex convictu mutuo conſuetudines aliquot Romanorum ad populum Judaicum tranſiiſſe. Virgam autem apud Romanos fuiſſe aliquam quæ teſſera erat hoſpitalitatis & amicitiæ, uti ex Plauto, Homero aliiſque probat. Chriſtum autem quia is temporibus Romani Imperii vivebat, quibus virgæ iſtius uſus obtinebat, diſcipulis ſuis interdicere ne ob amicitiam jure humano contractam exigant hoſpitium, aut percipiant victui neceſſaria, propter virgæ teſſeram, cui ex conſuetudine & jure quodam populi Romani debentur, ſed ut nonniſi propter ipſum & Euangelium ejus, propter laborem & operam in eo prædicando præſtitam, ea exigant. Alii, quia apud Lucam *cap.* IX. 5. legitur in plurali numera ῥάβδους, virgas, non ῥάβδον virgam, uti Beza in omnibus vetuſtis codicibus, & Camerarius etiam in ſuo vetere libro legiſſe ſe fatentur, cenſent ex eo Matthæum exponendum eſſe, qui non inuſitata ἐναλλαγῇ ſive mutatione numeri ῥάβδον pro ῥάβδους poſuit. Hæc expoſitio non eſt incommoda. Cæteræ mihi videntur aut ſubtiles nimis, aut nimis longe petitæ, aut incertæ, quædam etiam falſæ. Quare ſic exiſtimo: ἐναλλοφώνως hanc optimè & facillime tolli, ſi dicamus, Matthæum referre id quod Chriſtus principio, ut fieri ſolet, generaliter dixerat: Marcum vero id, quod Chriſtus, forte quærentibus diſcipulis ſuis, annon ſaltem virgam & ſcandalia ſecum ſumere poſſent, tanquam rem parvi momenti, & ſcopo ſuo non contrariam, indulſit ac conceſſit. Tanquam rem parvi momenti dico; quia σανδάλια ſive ὑποδήματα, quæ idem prorſus ſignificare ex *Act.* XII. 8. liquet, gerare non poterant proficiſcentes, aut profecturos remorari. & quod ad ῥάβδον attinet, etiamſi virgam ſecum non ſumerent, eam tamen ex qualibet obvia ſibi arbore in ipſo itinere amputare atque adſumere ſibi poterant. Scopo ſuo non contrariam dico: quia ſcopus Chriſti erat, præparare diſcipulorum ſuorum animos, ut toti à providentia ſua divina pendere diſcerent, neque de re ulla ad iter commode ac ſecure conficiendum ſoliciti eſſent, uti apparet ex ratione addita, *Dignus eſt operarius mercede ſua;* & ex eo quod Chriſtus apud Lucam *cap.* XXII. 53 quærit ex diſcipulis ſuis, *Quando vos mittebam abſque crumena & pera & ſolea*, (quia fortaſſe ſoleas quidam non ſumſerant ſecum quando proficiſcebantur) *num quid defuit vobis? Ipſi verò dixerunt: Nihil.* cum quærit, *Num quid defuit vobis?* eo ſignificat, ſe ſolearum rationem non habuiſſe, ſed eas iis indulſiſſe, ſiquidem iis uti vellent. Tantum verò abeſt, ut vel ſcandalia aut ὑποδήματα vel baculus aut virga itineri eorum retardando facere poſſent, ut contra iſtis ὑποδήσαις juberet Petro Angelus, quo facilius ex carcere exiret: *Act.* XII. 8. & filiis Iſrael *Exod.* XII. 11 jubeatur, ut baculum in manu habentes Paſcha comedant, quo ad iter paratos promtoſque ſe eſſe oſtenderent. quamquam an ejus rei ratio habita hîc ſit, ut celeriter & feſtinanter diſcipuli iter conficerent, dubitari jure poteſt; cum ſtatim Chriſtus ſubjiciat, ut ſicubi in civitate aut domo aliquos dignos reperiant, quos ſalutent ſive pace ſua impartiantur, ibidem aliquamdiu hæreant ac permaneant, edentes & bibentes quæ ibi appoſita fuerint, uſque dum exirent inde: quod Lucas exponit, *non tranſeuntes de domo in domum.* Quod verò jubeantur *Luc.* X. 4 ita proficiſci ut neminem in via ſalutent, id non eodem ſenſu crediderim dictum, quo ab Elizæo propheta id dictum legitur ad miniſtrum ejus Gehazi, 2 *Reg.* IV. 29: ſed hoc dumtaxat ſenſu, ut ſalutare in via accipiatur, pro ſalutationibus tempus terere & humanis officiis vacare, neglectis divinis & melioribus, iiſque ſeriò monitis atque imperatis.

Dices: Sed hoc conjectura nititur, quæ incerta eſt: quòd videlicet Chriſtus quærentibus Apoſtolis, an ſcandalia & virgam ſecum non poſſent ſumere ad iter melius conficiendum, ea iis indulſerit. Ita eſt. Sed conjectura iſta uſque adeo veriſimilis eſt, ut pene certa videri debeant. Sic enim fere fieri ſolet, ut quando dominus famulos ſuos aliquò ablegaturus eſt, cum mandatis quæ ſeriò & cum magna cura expediri vult, iis injungat ut nullius alterius rei curam habeant, nihil prorſus ſecum ſumant, ſed iter ingrediantur *gelijck ſe gaen en ſtaen:* certi nihil ſibi in itinere defuturum eſſe, ſed de omnibus abundè proſpectum iri: Si forte famulorum aliquis dicat: Fiet: ſed calceos tantum ſumemus & baculum, quo expeditius proficiſcamus: ut, inquam, tum dominus quod antea generaliter dixerat, reſtringat aut reſtringi permittat, dicendo: Bene. hoc facite, & de cætero ſecuri ſitis.

Quod ſi tamen hæc interpretatio cuipiam non placeat, ille videat an commodior ſit hæc: Quod Chriſtus ipſe aliud nihil dicere voluerit, quàm, ne hoc agite ut de itinere commode conficiendo multum cogitetis, de binis tunicis, de calceamentorum pari, de pera, de commeatu, de reculis iſtis, quas iis qui profectionem aliquam inſtituunt, ad iter quam commodiſſimè perficiendum ſtudioſè ſibi comparare ſolent. Sed prout nunc mihi adſtatis & me comitamini, nullis prorſus ſarcinis, aut impedimentis, aut nummis, aut peris ſinguli gravati: ſandaliis tantùm quidam forte induti, & baculum in manu habentes, præterea nihil: illis quibus induti eſtis calceis, non pluribus: iſta virga quæ ad manum jam vobis eſt, non aliis, utamini. Cætera omnia mihi curæ erunt. Mihi fidite, & verbis meis innitamini. Certè non video quid

in hac

in hac interpretatione possit desiderari. Est enim plana & facilis. Cæteræ omnes nimis mihi videntur anxiæ & elaboratæ. Ea quam nuper in Exercitationibus suis sacris attulit Heinsius, qua particulam εἰ apud Marcum exponit pro *siquidem*, vel *imò*, ut sensus sit, imo non virgam solam, si cui placeat, per me licet. Ego novam, insolentem, & non modò non necessariam, sed & periculosam eam esse arbitror. Quid enim verabit eodem modo me interpretari verba illa *Joannis* XVII. 12, *Nemo ex iis periit εἰ μὴ ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας*, per, Nemo ex iis periit, imò non ipse ille filius perditionis? aliaque similia?

## De non obsistendo malo, & suis prospiciendo, ex *Matth.* V. 39. & 1 *Tim.* V. 8.

### QUÆSTIO XXVII.

*Quomodo illud* Matth. V. 39, Ne obsistite malo, *conveniat cum eo quod dicitur* 1 Tim. V. 8, Quod si quis suis, & maxime domesticis, non providet, fidem abnegavit, & est infideli deterior? *Cum tales non raro casus incidere possint, quin imo sæpe incidant, quibus homo suis & domesticis providere non potest, aut si providere cupit, malo obsistere cogitur.*

### RESPONSIO.

Quæstionis hujus solutio pendet ex recta utriusque loci intelligentia. Quod ad primum locum *Matth.* V. 39 attinet: siquidem is κατ' ἐξοχὴν aut præcise intelligatur, difficilis ejus cum secundo loco erit conciliatio. At si κατὰ διάνοιαν intelligatur, facillima est. Primo sensu intelligi nostro judicio nequaquam aut potest aut debet. Nam, 1. sic quælibet, quocunque demum animo, modo, ac fine fiat resistentia interdici videretur. At quamlibet ejusmodi resistentiam à Christo interdici si dicatur, etiam ea qua Magistratus utitur contra facinorosos, qua pater contra rebellem filium, qua præceptor contra refractarium discipulum, qua dominus contra nequam servum, interdicta crederetur: quod absurdum esse prima statim fronte apparet. Esto, inquies, de privata resistentia agatur: cum ea saltem non poterit conciliari secundi loci sententia. Resp. Sed nec hæc interdicta videri debet hoc loco, quia resistentia quædam ejusmodi est, quæ ex amore & bono ejus cui resistitur & quæ ei utilissima est, fieri potest: ut si quis facinorosum ædibus suis arceat obicibus, repagulis, vectibus & clausris, ne cuiquam noceat; si quis eum vinciat aut in ergastulum, ac pristinum compingat, ne male cuiquam faciat, & per disciplinam severiorem ad frugem meliorem redeat; sive quis id faciat manu sua propria, sive implorata plurium, potentiorum, aut ipsius etiam Magistratus ope. 2. Quia scopus Christi non est isto in loco quamlibet resistentiam privatam suis interdicere, sed eam tantum quæ ex animo vindictæ & talionis cupido proficiscitur, & non nisi injuriæ acceptæ compensationem notat; nullo bono nostro, sed malo tantum ac damno ejus qui injuriam intulit. Id apparet ex oppositione hujus interdicti Jesu Christi ad indultum legis Mosaicæ, quo permittebatur læso, oculum pro oculo, dentem pro dente, &c. per Magistratum postulare aut reposcere. Quo jure? talionis. quo fine? ultionis & vindictæ, nullo bono postulantis, & solo tantum malo ac damno ejus qui læserat, id est oculum aut dentem excusserat. Huic oppositum Christi interdictum, arguit, resistentiam non aliam esse intelligendam quam talem; ac proinde eam quæ non modo nihil cum ea commune habet, sed & plane ei contraria est, puta quæ ex amore lædentis & bono ejus, aliorumque innocentiæ tuendæ fit, sub ea comprehensam à Christo non esse. At hæc ipsa resistentia, inquies, vix aut raro sine læsione fieri potest. Esto. sufficit ut ista læsio non sit ultio, etiamsi per accidens fiat, ut læsio etiam magna sit. Quod enim præter intentionem resistentis accidit, id extra culpam ejus est, etsi cum mortis periculo, adeoque cum morte ac cæde vim inferentis conjunctum sit. Est enim mera & inculpata tutela, quæ cum eo quod lex Mosis permittit, & Christus prohibet, nihil commune habet. Exemplum est in facto Pauli *Act.* XXIII.

Ex hoc jam patet locum secundum cum isto optime convenire etiamsi accipiatur isto quo quæsitor accipit sensu. Si enim resistentia, quæ merè inculpata tutela est, & à vindicta prorsus aliena, non prohibetur à Christo, nec ea prohibita censeri debet qua quis utitur ut suis ac domesticis prospiciat contra injustam vim: imo multo minus hæc prohibita videri debet, quam ista qua ego ad me ipsum tutandum utor. quia minorem speciem vindictæ atque ultionis habet, aliorum innocentiæ tuendæ caussa aggressoribus resistere, quam suæ propriæ: imprimis si læsus jam sis, & dolore aut damno accepto ad ultionem quasi reciprocam provocatus. Sed utut sententia istius loci ea esse possit, non videtur tamen ea loci istius propria esse. Nec enim scopus Apostoli est istic agere de modis omnibus quibus quisque suis ac domesticis suis prospicere debeat; nedum de modo isto qui in eo consistit, ut suos quisque à violentis aggressoribus atque ab omni injuria, pro virili sua præstet immunes, iis resistendo &c. sed tantum de isto modo quo iis de necessariis ad bene beateque vivendum prospiciunt. Quamquam nec hic forte scopus est; sed tantum docere viduarum esse, ut doctrina simul atque exemplo vitæ sancto suis liberis ac domesticis præeant, lasciviaque & petulantia sua iis non officiant ac noceant, atque ita eorum saluti æternæ prospiciant. Pronomen enim αὐτῆς, quod in textu est, non masculino genere, sed fœminino exponendum videtur, ex connexione manifesta; ac si legeretur: viduæ sunto irreprehensæ. Quod si quæ (earum scilicet) suis ac maximè domesticis suis non προνοεῖ, id est cum cura diligentiaque eos instituendi & exemplo irreprehensibilis vitæ præeundi iis non prospicit, &c. vox ἀπίστου quæ sequitur etiam fœminino genere legi potest: &, si omnino legatur masculino, sensus nihilominus quem diximus, constat. Ex quo efficitur, locum hunc cum altero loco optime constiturum, etiamsi vel in altero isto loco resistentiam omnem prohiberi prorsus crederetur. Quod si verò etiam credatur eo omnem resistentiam non prohiberi, tum & hic locus tamen sic accipi potest ac debet ut resistentiæ faciendæ ratio non habeatur. Quam enim resistentiam faciat aut facere jubeatur vidua?

## Qualis obedientia debeatur Magistratibus in tributo pendendo: ex *Rom.* XXIII. 5.

### QUÆSTIO XXVIII.

*Quibus terminis circumscribenda sit præcepti Apostolici obligatio, quod Epistola* ad Roman. cap. 13. vers. 5. *exhibet; ambigunt multi. Nullis prorsus conditionibus definiri vix consentaneum est: quibus verò, in magna circumstantiarum varietate non quivis dignoscit, cujus interest id habere perspectum. Extricare tu posis, U. E. me & alios, quos interdum in civili vitâ & officio cura hujus sollicitat. Si vacat, & non displicet problema hujus argumenti, rogaverim ut ex iis quæ expendenda in hac causa succurrunt, mihi discutias unam pluresve quæstiunculas: maxime ubi humana versutia facilius sibi adulatur, aut quæ speciosè, sive etiam vere, ab hoc præcepto eximuntur; nisi communes regulæ sint, quibus tanquam uno ictu plures nodi secentur. Notabo ea in quibus nec mihi, nec aliis obloquentibus satisfacere potui.*

*Jubemur* ἀποδοῦναι πᾶσι τὰς ὀφειλάς, τῷ τὸ φόρον, τὸν φόρον &c. *Exstructa ex his propositione:* Quod debetur alicui, vel cui tributum debetur, ei id est reddendum: *colligenda assumtio ex antecedentibus est*; tributum magistratui deberi. *quod probatur: Quia* Θεοῦ διάταξις ἐστιν, ὑπ' αὐτῆς πεπυμμένον, ἔκδικον εἰς ὀργὴν τῷ τὸ κακὸν πράσσοντι, φόβον τῶν κακῶν ἔργων, ἐχὶ δὲ τῶν ἀγαθῶν, ἃ ἐξ αὐτῆς, εἰς αὐτὴ τοῦτο προσκαρτεροῦντα, ἔπαινον ἔχει; διὸ ὁ καὶ φόρους πλήρη, &c. *Quæ omnia non quadrare videntur, nisi in veros legitimosque, bonamque & æquam potestatem exercentes magistratus, quibus demum tributa in usum boni publici imperantibus,* ἀνάγκη *sit* ὑποτάσσεσθαι, οὐ μόνον διὰ τὴν ὀργὴν, ἀλλὰ καὶ διὰ τὴν συνείδησιν.

*Igitur quæro an injunctum vectigal tributumve censendum sit* ὀφειλὴ, ἣν ἀνάγκη ἀποδιδόναι, οὐ μόνον διὰ τὴν ὀργὴν ἀλλὰ καὶ διὰ τὴν συνείδησιν: *quam ita stringat, ut etsi sine seditione & detrimento reipublicæ fieri possit, non liceat subditis ullo modo unquamve illa aut palam denegare, aut occasione invitante clam intervertere in commodum privatum. Imo an liceat aliter quam veluti extorta, justo metu gravioris mali in Rempub. manaturi, pendere; quo scias non commune bonum & securitatem publicam, cujus gratia Apostolus dicit nos* φόρους πλεῖν; *non justum legitimumque imperium, non Ecclesiæ pacem, veritatemq; divinam & salutem hominum: sed vi-*

*tia ac iniquitatem regentum, injuſtam violentiam, veraque religionis hoſtes ac oppreſſores communiri? Videlicet:*

I. *Quando magiſtratus non præſtat ſe* Θεῦ Δέκτορον, *ſed* ἀγαθῶν *potius eſt* Φόβος, *quam* κακῶν ἔργων, Φέρων τὴ μάχαιραν εἰκῆ, *&c. Quales Achab, Manaſſeh, Nero, Caligula, &c. Præſertim ſi præſcriptas acceptaſque imperandi leges ſprèverit, ſicuti Philippus II. in Legato ſuo Albano?*

II. *Quando illegitimus eſt, & alienam poteſtatem, ſive inveterata jam paulo, ſive recente injuria, ſive ſuperſtite adhuc vetere veroque magiſtratu, imo reluctante adhuc, ſive ſublato jam è vivis, uſurpat? Exemplo ſint, ſub Athalia Iſraelitæ, item ſub Romanis, ſub Hiſpanis Navarreni, ſub Turcis Græci.*

III. *Quando exigitur tributum in uſum conſilii alicujus, quod ſcimus vel perſuaſi ſumus Eccleſiæ nocere, aut æternæ hominum ſaluti, diſertiſve Dei mandatis repugnare. Ut: ſi tributum decernatur militi ſcribendo ad exſcindendos hæreticos, quos aut tales non eſſe, aut ladere nefas eſſe putem. Aut ab his quorum religio opprimitur, ſtipendia exigantur in præſidiarios, qui ad diſturbanda ipſorum ſacra imponuntur. Quod noſtra memoria Cæſar factitavit in Germania. Aut denique à Mennonitis petatur alimentum & nervus belli, quod, utcumque eveniat, cum cæde & pernicie hominum adminiſtratur?*

IV. *Quando bellum, cujus gratia vectigalia & tributa excogitantur, injuſtum eſſe habemus exploratum. Ut Chriſtiani in Oriente, cum Turca in Chriſtianos innoxios expeditionem ſuſcipit, odio & ambitione exſtimulatus. Item addicti cauſæ noſtræ in ditionibus Philippi?*

V. *Quando populus aliquis vi armorum ſubactus, ex belli dumtaxat jure ſolvere tributum jubetur. Ut Iſraëlita ſub Moabitis, Madianitis, Allophylis. Sub Turcis cives Conſtantinopolitani, urbe expugnatâ, nec non reliqui Græci. Nuper ſub Suecis Boruſſi, ſub Cæſare Cimbri.*

VI. *Si edictum tributarium hac mente concipiat magiſtratus, ut non intendat ex rigore poteſtatis ſuæ religioſæ fidei obſequium præſcribere, ſed civilem obedientiam accipiat, & civiliter vectigalium defraudationes interpretetur, cenſeatque periculo mulctarum &, ſi erumpant, perſolutione totum delictum expiari: Quæritur utrum etiam Apoſtolus cum parere magiſtratui, & eis* ὀφειλὴν *reddere jubet, ſtrictiorem obedientiam exigat alienæ conſtitutionis, quam auctores ipſi, conſcientiæ nihil cupientes præſcribere, ſed civili tantum officio? Deinde an magiſtratus non cenſendus ſi ita interpretari mandatum tributarium, cum intendentem peculatus aut furti crimen comperto fraudatorum vectigalium, calumniæ damnarunt; quod in Gallis & apud Friſios contigiſſe accepi?*

VII. *Si magiſtratus vero ea mens ſit in tributi indictione, ut etiam conſcientias ſubditorum ad ejus adſtringere religionem propoſitum habeat: an nunquam, & nullo modo, & ob nullam cauſam præter dictas liceat ſubdito delinquere?*

VIII. *An nihil inferant hæ circumſtantiæ: 1. Si publicani vectigalia licitantes rationem quoque fraudium habeant. 2. Si fraude abſtinentibus eâ utentes omnem quæſtum ac ſubſidium vivendi intercipiant?*

IX. *An peregrinus magiſtratus ita præſcriptione vectigalium viatorum* συνειδήσιν *devinciat, ut ſi techna aliqua eludere obſervatores poſſint, id non liceat, & non mere tantum civilis hîc ſit obligatio. Præſertim ſi fretum aut Iſthmus aliquis totum vectigali titulum ſufficiat: aut rurſus modum, qui ſecundum Grotium ex impendio æſtimandus eſt, quod magiſtratus ille ad commoditatem & ſecuritatem itinerum facit, excedat vectigal, imo intolerabile ſit & commerciis perniciosum: Aut etiam cum nullo ad merces reſpectu extorqueatur; quod nullam æquitatem pati aſſeverat Grotius: aut cum reſpectu ſutili ac commentitio?*

X. *An hoſtili littori incubanti, nec alio quam belli quodam jure, quia ad hoſtem ejus contendas, vectigal flagitanti, vi reſiſtere, aut ſaltem ei imponere integra conſcientia non liceat, ut nuper in bello Anglorum cum Gallis.*

XI. *An negotiantibus per hoſticum, ſi bellum adverſus hoſtem juſtum ſit, non liceat invertere vectigal: ut cum noſtri Rheno, Moſa, Schaldi mercimonia vectant. Quid vero faciendum, ſi bellum fuerit cum hoſte injuſtum? ut cum Belgæ Hiſpani, perſuaſi nos juſtum bellum gerere, in noſtra telonia incidunt.*

XII. *An liceat magiſtratu prohibente hoſti vectigal pendere, aut agreſtibus incendia villarum redimere, alioqui periclitantium.*

## RESPONSIO.

QUæſtiones has omnes levi brachio percurrere tutum non eſt: brevi vero etiam hoc tempore eas expedire difficillimæ forte operæ eſt. dicemus itaque ad eas nonnulla quæ pro hoc tempore credimus ſufficere; & quidem non ex fundamentis quæ communiter à Theologis poni ſolent, ſed ex fundamento iſto unico quod recte citat quæſitor ex Apoſtolo *ad Roma.* XIII, & quod nobis Chriſtianis debet ſufficere: videlicet quo abſolute ait *φόρους καὶ τέλη* ſolvendum eſſe ei cui debetur, id eſt, qui publica poteſtate præditus eſt, & ſic jus iſtud exigendi habet. Si communis ſententia Theologorum videatur, ii fere ad unum omnes vectigalium & tributorum omnium juſtitiam æſtimare ſolent ex tribus: 1. ex auctoritate ſive cauſſa efficiente. 2. ex fine. 3. ex forma. Aliqui addunt ex materia & ex uſu. Apoſtolus videtur eam ex ſolo auctore ſive juſſu atque imperio ſupremæ poteſtatis exiſtimare. Qui ex fine & forma etiam æſtimandum putant, ii ea demum vectigalia & tributa juſta eſſe volunt, quæ imperantur vel ad dignitatem Principis tuendum, vel ad publicam neceſſitatem aut utilitatem curandum, & proportionata ſunt viribus ac facultatibus cujuſque. Quod alii de materia & uſu addunt, videlicet ea tantum juſta eſſe, quæ imponuntur rebus aliis omnibus, præterquam quæ ad vitam ſuſtentandam neceſſariæ ſunt, quales ſunt panis, caro, cerevisia, &c. & vel dignitati Principis conſervandæ, vel publicæ utilitati impenduntur, id à pleriſque rejicitur.

*Ex ſolo auctore pendet obligatio tributorum pendendorum.*

Nobis vero nec finis, nec formæ, nec materiæ, nec uſus rationem habuiſſe Apoſtolum vero ſimillimum videtur: quia ſimpliciter tributum cui tributum, vectigal cui vectigal debetur ſolvi jubet: debitum iſtud ex poteſtate imperantis, non ex jure imperii æſtimans. quaſi dixiſſet: Rectoribus debetis, ſive jure regant, ſive jus ſibi uſurpent. Rationes ſunt: 1. Quia Rectoribus quatenus ſupremæ poteſtates ſunt & gladium geſtant, non quatenus legitimi aut juſti Rectores ſunt verat reſiſtere. 2. Quia qui legitimi ac juſti Rectores ſint, difficillimæ eſt dijudicationis. 3. Quia Chriſtiani à Petro jubentur parere dominis, non ſolum bonis & æquis, (ἐπιεικέσι) ſed etiam τοῖς σκολιοῖς, id eſt pravis aut diſtortis: 1 *Pet.* II. 18. 4. quia vectigalia ſolvuntur bono Reipub. iſtius in qua vivimus & cujus membra ſumus: ad quod procurandum etiam periculo vitæ & damno fortunarum omnium obſtringimur, & quod procurare præſumitur Princeps ſi non Reipub. ipſius, ſaltem ſui ipſius cauſſa, ne dominio & principatu excidat.

At quæritur, an ſenſus & ſcopus Apoſtoli ſit eorum ſolutionem ſub voce ὀφειλὰς ſive debiti comprehendere, quæ facienda ſit non ſolum διὰ τὸ ὀργὴν, ſed etiam διὰ τὸ συνείδησιν, quamque ita ſtringat, ut etſi ſine ſeditione & detrimento reipublicæ fieri poſſit, non liceat ſubditis, ullo modo, unquamve illa aut palam denegare, aut occaſione invitante clam intervertere in commodum privatum, &c? Sunt qui exiſtimant ſolutionem tributorum & vectigalium non ita eſſe ὀφειλὴν ſive debitam, ut ſubditi ad eam abſolute ac ſimpliciter obſtringantur, ſed alternative vel conditionaliter dumtaxat, puta aut ad eam præſtandam, aut ad mulctam ſtatutam in deprehenſos prævaricatores perſolvendam: ac proinde legem de tributis & vectigalibus pœnalem legem eſſe, cui annexa ſcilicet eſt pœna cadendi in commiſſum: ita ut qui contra eam prævaricantur, non cenſeantur contra debitum ſuum aut legiſlatoris ſcopum peccare, ſi modo paratiſint pœnam ferre deprehenſi, & ſic jus Principi ſuum tribuere.

*Quousque conſcientia illis obſtringatur.*

Sententia hæc autores habet non leves. quæ ſane ſi vera eſt, & à Principe in Repub. iſta in qua tributum imperatur, appro-

approbetur, ita ut legis suæ eam esse mentem testetur, responsione sua ad universas quæstiones has opus non est. Nec pugnabit cum Apostolo prævaricatio sive clandestina tributorum interversio ista, quando dicit parendum esse Rectoribus non tantum propter iram sed etiam propter conscientiam: quia exactio mulctæ istius nec proprie dicta ira est, nec solutio ejus proprie pœna, sed altera tantum officii imperati pars: &, si ad alteram saltem officii imperati partem præstandum quis paratus sit, conscientiæ quicquam contrarium facere dici nequit. At si constet legem istam à Magistratu vel Principe pro pœnali ejusmodi lege non haberi, sed mulcta eam sancitam adseri alios ob fines, tum vero responsio hæc vana est, & Apostoli verbis ac sententiæ clare repugnans. Nec sufficit quod quæsitor quærit, ut tributa non aliter quam veluti extorta, justo metu gravioris mali in Rempub. manaturi, dependuntur. sed necesse est ut solvantur quia imperantur ab eo qui Rector populi est. Sic enim debentur & competunt ei, sive justus majoris mali metus in caussa sit, sive non sit, quia alioquin tota tributorum solutio suspenderetur à subdito ejusque vel judicio, cum videlicet judicaret justum esse metum, non ante; vel voluntate, quando videlicet metum pro justo metu habere vellet. quod foret totam legem tributariam, & Apostoli dictum, illusorium reddere. Sic enim *propter conscientiam*, aliud nihil significaret quam, quando mens sua cuique dictat solvendum esse aut non solvendum: cum plane contra sit, ideo solvendum esse quia conscientia dictare debet, posito Principis jussu, solvendum esse.

Sunt Doctores qui arbitrantur subditos ad solutionem vectigalium & tributorum non obligari in conscientia, quando sunt probabiles rationes dubitandi de justitia & æquitate tributorum & vectigalium. Sed vero id mihi non modo non verisimile, nedum Apostoli scopo conveniens, sed & valde periculosum videtur: quia tributorum solutio sic non ab ea imperante, sed à subditis de eorum æquitate judicantibus penderet: nec deberentur ea Rectoribus nisi quando subditis probabiliter ea æqua esse videretur: quod Majestati imperantis omnino injurium est, & imperii securitati valde noxium. Raro enim deessent probabiles rationes subditis, imprimis rerum novarum avidis, refractariis, avaris, sordidis, & pauperioribus in fæce populi ad murmurandum prona ac proclivi, quominus tributa penderent, & nervum imperii incidorent.

Dices: Quid si vectigalia & tributa sint immodica, & quæ per nova semper incrementa exhauriendo & deglubendo populo, potius quam imperio tutando, faciunt? Respondeo: Alterutrum dicendum est: Aut vis manere in Repub. illa ubi ista immodica tributa imperantur, aut non vis. Si non vis manere, & ex ea exire aut migrare, tibi liberum est. non est quod de immodicis queraris. Ab iis liber es, quando lubet. Si in ea aut manere vis, aut ex ea exire grave tibi est, tum vel humiliter & suppliciter pro moderamine immodicorum tributorum intercedendum tibi est, saltem quoad personam tuam, bona fide repræsentando Principi vel Magistratui vel difficultatem vel impossibilitatem solvendi tributa; vel si nihilominus perstat Princeps tuque frustra supplices, tum ferendum est quod mutari non potest. Enimvero si neutrum vis facere, id est nec intercedere per supplicia, nec ferre imperata, & manere nihilominus Reipub. istius membrum, tum aut fraudanda sunt vectigalia, aut rebellandum Principi. utrumque illicitum est, & periculosissimæ plenum aleæ.

At sic ad egestatem & mendicitatem subditos redigi necesse est, inquies? Resp. 1. Præstat mendicare quam rebellare. Istud infortunium est: hoc turpe. 2. Quid si Deus velit eos ista via pauperes reddere, cum aliis pluribus idem pro arbitrio ac jure suo possit? Sane sive per prædones, sive per tempestates & ventos, sive per morbum, sive per incendium, sive per furtum exuantur bonis omnibus, & ad paupertatem redigantur, sive per iniquam tributorum exactionem, quid refert? Reddendum Deo est quod suum est, quando & per quoscunque id repetat, aut eripi nobis sinat, vel jubeat. Quid enim? Pone Rectores & Magistratus sub quibus vivunt, vel negligentia, vel clandestina cum hostibus conspiratione, vectigalia vel remittere, vel non augere pro necessitate & usu reipublicæ; annon ea, etsi contraria via, periculum incurrunt ut hostibus præda fiant, & exuantur bonis omnibus, ac simul libertate spolientur, & sub durissima tyrannide vitam miseram simul atque inopem ducere cogantur? 3. Istud ipsum ultroneum lubensque obsequium, si non ex justitia, saltem ex obedientia, & amore boni publici ac communis, Deique jubentis reverentia profectum, Deum sine dubio iis, si cætera pii sint, conciliabit, ut vel abunde habituri sint quo vivant, vel minimo etiam contenti futuri, atque ita egestatis incommoda vel non sensuri, vel εὐταξείας beneficio non aliter quam magni thesauri acquisitione compensata esse graviturі sint.

At quid si constet tributa imperari & exigi non eo fine ut commune bonum & securitas publica, cujus gratia Apostolus dicit nos φέρειν πλεῖν, non justum legitimumque imperium, non Ecclesiæ pax veritasque divina & salus hominum, sed vitia ac iniquitas Regentium, injusta violentia, veræque Religionis hostes atque oppressores communiantur? Respondeo 1. Nunquam tributa imperantur sub istis finibus, sed semper boni publici caussa. Aliud est finis, aliud abusus. Aliud scopus, aliud eventus. Imperantium & exigentium alia ratio est quam exactionis. Istos eo fine vel istis finibus tributa exigere non raro, verum est: At exactionis finis nunquam ille prætenditur. Christianus vero semper finem exactionis respicit, non finem exigentium, nedum abusum qui etiam in pessima Repub. ab ipsis Rectoribus damnari solet ac severiter nonnunquam puniri. Id apparet ex eo, quod Apostolus *ad Rom.* XIII, cum serio Christianos monet ut potestatibus sublimioribus obsequium & fidem præstent, quia potestates omnes à Deo sunt, cujus ordinationi non licet resistere, cum tributa & vectigalia iis pendi jubet, nullo alio fundamento nitatur, quam hoc quod Magistratus non sint terrori bonis operibus, sed malis. Atqui tamen tum temporis Romani rerum potiebantur, & bonis optimisque Christianis terrori erant. Nempe non eventum, sed finem ad quem potestates sublimiores institutæ sunt, respicit Apostolus. Is autem alius nullus est, quam bonorum defensio & malorum punitio. Quod adeo certum est, ut qui contra faciunt Rectores, hunc ipsum tamen finem propositum sibi esse contendant, & abusum potestatis suæ istius propositi umbella tegant: nempe malos esse asserentes eos quos puniunt, & bonos quibus patrocinantur, cum contra plane sit. 2. Posito in ipsa exactionis formula finem talem unum vel plures indicari, quales quæsitor III & IV sectione recensет, tum respondeo: Alterutrum faciendum est, aut post omnia licita remedia, per supplicationes & intercessiones frustra adhibita, exeundum etiam cum periculo & damno fortunarum omnium, si necesse sit, ut conscientiam illæsam possideamus: aut si id vel non licet, vel rebus nostris incommodum est, ferendum potius quidlibet est, quam parendum jussibus divinæ voluntati directe adversantibus. Siquidem juxta Apostolum Petrum, *Obediendum est Deo magis quam hominibus. Act.* IV. 19. & V. 29.

## De obvertenda percutienti altera maxilla, & de Christo id non faciente cùm percuteretur à servo Pontificis.

### QUÆSTIO XXIX.

*Quæritur, quomodo verba illa Christi, quæ leguntur* Matthæi V. 39, Percutienti te in dextram tuam maxillam, obverte ei & alteram, *conveniant cum illo, quod legitur* Joan. XVIII. 22. 23. *ubi Christus à servo Pontificis percussus, respondit:* Si malè locutus sum, testare de malo: sin bene, cur me cædis? *ubi Christus non solum non obvertit alteram maxillam percutienti, sed & servum percutientem objurgavit.*

### RESPONSIO.

*Nulla est contradictio inter Christi præceptum, Matth. V. 39. & ejus factum, Joann. XVIII. 22. 23.*

NIhil hîc est, propter quod dici mereatur factum hoc Jesu Christi non convenire cum dicto sive præcepto ejus, quod citatur ex *Matth.* V. 39. Nam 1. quod ad dictum sive præceptum Jesu Christi attinet, eo jubet quidem Christus ut percutienti dextram maxillam obvertatur & altera, sed non jubet, ut illud fiat sine ulla aut contradictione, aut reprehensione, aut objurgatione ejus qui injuria percussit. Factum itaque Jesu Christi, quo injuria se percutientem objurgavit, non repugnat dicto sive præcepto ejus. 2. Quod ad factum Christi attinet, id non arguit, Christum percutienti non obvertisse alteram maxillam. Potuit enim simul & objurgare percutientem, & alteram maxillam ei obvertere, id est, novæ injuriæ & alapæ, imo fortasse graviori plagæ excipiendæ se promtum præbere, post & propter objurgationem, licet jure factam.

*Sensus præcepti de obvertenda percutienti altera maxilla.*

Sed vero (ut rem hanc magis elucidemus) ex hoc ipso, quod Christus *Joan.* XVIII. 22. 23. dixisse legitur, manifeste satis evincitur, dictum sive præceptum Jesu Christi, *Matthæi* V. 39, non esse præcisè κατὰ τὸ ῥητὸν intelligendum; quasi Christus jussisset præcisè, percutienti unam maxillam alteram statim obvertere, & obvertere ultro cum silentio.

Nam Christus eo ipso, quod secus fecit, tanquam legis suæ optimus interpres, significavit se verba legis suæ τῷ ἐπιεικέστερον intelligi velle, & non ἀπότομως urgeri. Et sane, etiamsi factum hoc Christi non exstaret, ratio ipsa recta cogeret, nos verba legis Jesu Christi benignè & non κατὰ τὸ ῥητὸν interpretari. Nam, 1. quid si percutiens maxillam dextram, secundo percutere nolit? quid si volens secundò percutere, sinistram nolit ferire, sed eandem iterum dextram? 2. quod si percussio unius maxillæ adeo gravis sit, ut percussus præ dolore novæ ferendæ impar sit? 3. obversio illa ultronea, irritatio videretur, aut invitatio ad novam injuriam & plagam. 4. Tum non liceret declinare, subterfugere novam injuriam, contra omnem rationem, & contra ipsum Christi præceptum, quo persequentes nos fugere jubemur de civitate in civitatem: *Matth.* X. 23. 5. Ne liceret quidem blando alloquio demulcere ferientem & à nova injuria inferenda divertere; multo minus reprehendere seriò & delicti sui commonefacere, quin & verbis ad severitatem compositis objurgare. quæ sane totidem absurda esse nemo non videt. Quare dictum sive præceptum Jesu Christi cum sale accipiendum est, hunc in modum. Tantum abest ut permittam vobis obsistere, id est, par pari rependere injurioso, (לרשע quod Græci vertunt τῷ ἀδικοῦντι: *Exod.* II. 13.) ut non modo jubeam vobis injurias leviores, imprimis eas quæ cum contumelia & contemtu aliquo vestri conjunctæ sunt: quæ propterea graves videri possunt, uti apud Pacuvium dicebat quidam:

*Patior facile injuriam, si est vacua à contumelia.*

Et apud Cæcilium, alius:

*Facile ærumnam ferre possum, si inde abest injuria;*
*Etiamque injuriam, nisi contra constat contumelia.*

ut, inquam, eas non modò patienter vos ferre jubeam; sed, quo ostendatis animum vos habere ab omni vindicta & paris injuriæ retaliatione alienum, ut postquam omnia ad inculpatam vestri tutelam, tum blandis verbis, tum seriis objurgationibus, tum fuga, tum querela, adhibuistis, & tamen frustra fuistis, potius ad ferendam novam injuriam vos componatis, & maxillam quasi alteram τῷ ἀδικοῦντι præbeatis feriendam, quam acceptam pari injuria ac contumelia propulsetis; quasi scilicet defuncti bene ac satis partibus omnibus officii vestri, & jure quodam novo armati ad vindicandum acceptam injuriam & contumeliam. De vindicta enim, quæ per injuriæ aut contumeliæ, unde ad nos nihil boni propriè dicti, nisi quod in stulta persuasione positum est, pervenit, retaliationem, sive per τὸ ἀνταποδοῦναι fit, agere hoc loco Christum, ex oppositione præcepti hujus, ad id quod in lege veteri Judæis injuria adfectis permittebatur, manifestum est. Et hanc legem suam Christus Jesus adeo sollicite servavit, exemploque suo confirmavit, ut Petrus de eo asserat, 1 *Epist.* II. 23, quod convitiis affectus non vicissim convitiatus fuerit, quum malis afficeretur, non comminatus fuerit; sed causam suam commiserit ei qui justè judicat.

*De Paulo dicente Pontifici,* Percutiet te Deus, paries dealbate: *Act.* XXIII. 3.

Quæri hîc etiam posset non incommode, quomodo id quod Paulus *Actor.* XXIII. 3 dixisse legitur Pontifici Maximo, quando os ejus percuti jusserat in consessu Synedrii, *Percutiat*, vel potius, uti textus Græcus habet, *Futurum est ut te percutiat Deus, paries dealbate*, &c. conveniat cum hoc præcepto Christi? Resp. Facti sive dicti hujus alia & dispar longe est ratio, quam ejus, quod Christus à servo Pontificis percussus, dixisse legitur. In Christi enim dicto non appareret nisi innocua & inculpata sui defensio. At in hoc dicto accessit λοιδορία, convitium sive maledictum, quod expresse non tantum Jesu Christi præcepto, sed & divino in lege dato, & Paulo optime noto, *Exod.* XXII. 28, repugnabat. Quare responsione alia hîc opus est. Varii variè respondent. Plerique, si non omnes, factum hoc Pauli excusare adlaborant, & nemo quidem, meo judicio, accuratius, quam Erasmus in Annotationibus suis ad hunc locum. Sed vero, salvo aliorum omnium judicio, mihi nulla satis gravis ratio obstare videtur, cur non respondeamus cum Hieronymo, Paulo hîc humanitus aliquid accidisse, aut Paulum per gravem & inopinatam injuriam præcipitatum hæc dixisse: quod προλαφθῆναι sive præoccupari ipse appellat, *Gal.* VI. 1. Potuisse enim tale quid ei accidere, quis dubitet? Perfectio Apostolis tanta ut tribuatur, quanta Christo Jesu tribuenda est, non est necesse, neque decorum. Certe παροξυσμὸς iste, qui inter Paulum & Barnabam fuisse dicitur, *Act.* XV. 39, imperfectionis signum non obscurum fuit. Cum verò etiam Apostolo Petro, non tantum ante acceptum Spiritum S. tale quid, si non multo gravius bis accideret, sed & post eum acceptum, quando videlicet una cum Barnaba simulabat, & in gratiam Judæorum gentiles etiam faciebat Judaizare: *ad Gal.* II. 14. quibus etiam idcirco se in os restitisse, tanquam non recto pede secundum veritatem Euangelii incedentibus, Paulus asserit; quid est; cur simile aliquid Paulo accidere potuisse negemus? Et accidisse hîc Paulo tale quid ex ipsius verbis manifestum est; quia maledixisse se fatetur Principi populi sui contra expressam Dei legem. Nec satis est si dicas eum statim subjicere, se nescivisse esse Pontificem Maximum sive populi principem: quia ut ut hoc dictum à Paulo intelligatur, certum est Apostolum facile scire potuisse, istum cui maledicebat, unum ex judicibus esse, quibus non minus quam Principi populi prohibet Deus maledicere: *Exod.* XXII. 28: *Dijs populi tui*, id est judicibus, *non maledices; neque Principi populi tui*, &, si hoc etiam nescivisse velimus Apostolum, sciebat sane ex præcepto Christi, nulli maledicendum esse, etiam gravem injuriam inferenti, quin & maledicenti, prout ipse etiam clare testatur, *Rom.* XII. 14. 17. 19. 21. Sed & Paulum facile scire potuisse, ac scivisse, cum, cui maledicebat, Pontificem Maximum esse, valde verosimile est. Unde colligo, verba ista Pauli, *Nesciebam Pontificem esse*, sic accipienda esse, ut significent; Facto isto indigno commotus non advertebam animum ad id, quod summus esset Pontifex; præcipitatus fui injuriæ atrocitate. Nisi quis velit verba sic legere, *Nesciebam*, id est, non considerabam quod faciebam; quia, est, id est, scio esse Pontificem Maximum; ut οὐκ hîc non redundet quod aliàs sæpe fit, sed caussalis sit particula. Certe verbum illud οἶδα, unde, οὐκ οἶδα, οὐκ εἶδον, &c. isto sensu aliquando usurpari, certissimum est, *Matth.* XX. 22: *Nescitis quid petatis. Luc.* IX. 55: & II. 49. & passim alibi. Præcipitationis tamen hujus culpa idcirco levior videri debet, 1. quod eam secuta statim fuerit ἐπανόρθωσις, sive correctio per agnitionem & confessionem culpæ. 2. quia id, quod dixerat Paulus, verissimum erat, talem videlicet judicem, aut judicii tam augusti præsidem ac principem, parieti dealbato similem esse, si modo abfuisset convitii & maledicti species. Atque hac quidem ratione exponendum credo hunc locum, salva sua cuique de eo aliter opinandi libertate.

## An mortem inferre volentem occidere liceat, &, si liceat, utrum præstet, cædere an cædi?

## QUÆSTIO XXX.

*Quæritur, Utrum Christiano homini graviorem vim liceat privata vi (si publica nempe nec adsit, nec tempestive adesse possit,) repellere? Exempli gratia: Si quis incidat in latronem, non bona modo sed & vitam eripere parantem, & nulla sit occasio ad Magistratum provocandi, nullusque fugæ locus: an, nempe in tali casu, homini privato liceat latronem istum occidere, intra terminos, quod dici solet, inculpatæ tutelæ? Si liceat, utrum præstet & Christiano dignius sit, cædere an cædi?*

## RESPONSIO.

*Nulli privato licere aliquem occidere cum deliberato animi proposito.*

PEr graviorem vim intelligitur hîc vis, qua invasor utitur, non ad contumeliam aut injuriam aliquam, sed ad mortem ipsam inferendum, uti ex exemplo patet. Hanc vim, si alia nulla eam evadendi via sit, privata vi tum præveniri, si certo constet eam nobis illatum iri, tum quando nobis actu infertur, etiam occidendo, repelli posse, communi consensu Doctores ferè omnes tenent, tam Christiani quam gentiles: si videlicet invasor non sit superior, putà pater, princeps, dominus, &c. quamquam etiam ne hunc quidem casum alii excipiunt, ut Lessius de Justitia & Jure, lib. II. cap. IX. dubitatione VIII. Mihi tamen contrarium statuere tutissimum & Christianæ caritati maxime consentaneum videtur. Nulli unquam in ullo casu licere arbitror occidere aliquem, cum deliberato proposito occidendi. de privato loquor. Et in hac sententia est etiam Augustinus, lib. 1. de libero arbitrio, cap. 5. inquiens: *Legem quidem non reprehendo quæ tales* (latrones scilicet invadentes) *permittit interfici: sed quomodo istos qui interficiunt defendam non invenio.* Item Ambrosius lib. X in Lucam, exponens illa verba capitis XXII, *Emat gladium*, dicit licitum fuisse se defendere usque ad Euangelium, non autem postea: *ut sit in lege æquitatis eruditio, in Euangelio bonitatis perfectio.* Quamlibet sui ipsius sive vitæ suæ defensionem licitam esse non dubito, quando & quamdiu ea consistit intra terminos (quod & quæstio indicat) inculpatæ tutelæ sive defensionis. Intra eos autem non consistit defensio sive defendendi animus, quando accedit animus occidendi. Occidere enim plus est quam defendere.

Atqui defensio, inquies, vix fieri potest sine offensione.

Esto

Esto, inquam, aliud est offendere aliud occidere. Offensio invasoris, quam patitur à defendente, ipsi invasori utilissima esse potest: occisio non nisi summè noxia. Pone enim invasorem occidi à me, utique illum sic in peccato suo ego mori facio. Pone eum à me vulnerari, lædi, mutilari, &c. impedio eum ne homicidii actualis reus fiat, & vel ad homicidium perpetrandum reddatur inidoneus, vel ad resipiscendum tempus habeat idoneum, per meæ defensionis actum. Utilis autem multò est lædi & mutilari, quam homicidium committere: & tempus resipiscendi habere, quam in peccato suo occidi. At fieri potest, inquies, ut defensio non adeo sit moderata, ut eam non consequatur occisio. Fateor. Sed ab occisionis culpa liber est, qui non modo non habuit animum occidendi, sed & animum non occidendi, sed tantum vulnere, plaga, aut ictu aliquo, invasorem à cæde destinata impediendi. Ex animo & proposito æstimanda est agentis actio, non ex eventu. Hic per accidens est: ista per se intenta.

Dices: At lædendi animus est: & læsio cum periculo occisionis verosimiliter est conjuncta. Esto. Læsio ista non intenditur ut finis, sive ut actus iræ aut ultionis, sed ut medium ad homicidium tum activum tum passivum impediendum. Aliter lædit latro, aliter carnifex, aliter chirurgus. Læsio hæc chirurgiæ actus est, non vindictæ, non latrocinii, non carnificinæ: Amoris, non odii. Periculum vero occisionis, etsi cum læsione verosimiliter conjunctum est, & ex læsione metuendum, tamen tanti id valere non potest, quanti valet contrarium quod intenditur à lædente, & evenire etiam potest, commodum scilicet conservationis vitæ propriæ, & homicidii certò alioqui futuri impeditio, temporisque ad resipiscendum necessarii quasi procuratio. Præstat enim incurrere periculum involuntariæ cædis, ut tuam vitam serves, & proximum tuum à scelere homicidii cohibeas, tempusque resipiscentiæ & gratiæ ac veniæ ei non præcidas quantum in te est, quam, ne periculum occisionis incurras, tuam vitam perdere, & proximo licentiam gravissime peccandi permittere. Tum, uti præstat membrum gangræna correptum præcidere & corpus mutilare, ne pars sincera trahatur, & totus homo pereat; etsi non raro cum periculo mortis id conjunctum sit, & mors etiam consequatur: cur non idem in hoc casu præstare dicamus? Quando animus occidendi abest, imo animus non occidendi abest, tum moderamen inculpatæ tutelæ non exceditur, meo judicio, in propriæ vitæ defensione. Quando vero animus occidendi adest, tum demum terminus inculpatæ tutelæ exceditur.

*Utrumque pariter vitandum esse, & cadere & cædi.*

Unde responsio ad secundum quæsitum patet. Neutrum præstare, nec cædere nec cædi. utrumque enim si voluntarium sit, illicitum est. Voluntarium autem esse creditur, quando quis, cum posset non cædi, vel cædem sui inculpata sui defensione impedire, cædi tamen se oportunum præbet, atque ita cædem sui vult. Quod si tamen quisquam propter occisionis periculum, abhorreat ab omni invasoris sui læsione, & vitæ suæ defensionem periculo isti posthabere se debere credat, ei, si vitam suam sic institutam & transactam norit, ut quolibet momento mori paratus sit, an præstet cædi quam cædere, sive cum periculo cædis alterius suam vitam defendere, non ausim fidenter asserere. Quamquam si quis tam forti animo sit, ut malit sibi ab invasore vitam eripi, quam vitam suam ejus cæde aut morte redimere, eum ego laude potius aut admiratione dignum, quam necessario imitandum censeo. Si vero quis ea se vitæ integritate non esse sibi conscius sit, ut si cædatur ab æternæ mortis periculo se immunem futurum persuadere sibi non possit, nec debeat, ei præstat contra invasorem sui, licet cum periculo occisionis, se defendere, quam, ne periculum occisionis incurrat, absque ulla sui defensione sibi ipsi præcidere emendandæ vitæ tempus, & sic se in mortis miserrimæ, seu æternæ barathrum præcipitare. Quod si quis tamen talis, solio homicidii à Deo vetiti metu & sanguinis humani reverentia contra saxit, ut cædi malit quam se defendere cum periculo cædis alterius, eum ego divinæ gratiæ committere, & propter tam generosum actum, potius bene de eo sperare quam metuere malo.

## Qualis mediocritas servanda sit in victu & amictu.

### QUÆSTIO XXXI.

*Cum omnia in gratiam hominis à Deo condita sint, cunctis, quæ in mundo reperire est, uti concessum unicuique videtur. Rectè quidem, inquiet fortassè aliquis: modum verò eâ in re servari optimum est. Quæritur itaque, quomodo quis mediocritatem illam tum in victu, tum in amictu assignare possit? Etenim si privato alicui, sed tamen opulento, æquè ac viro in magna aliqua dignitate posito, minores fortè divitias possidenti, cibis delicatissimis, cupediis nimirum, & scitamentis vesci sit liberum, an ratione dignitatis, an ratione opum mediocritas illa, quæ servari debet, petenda erit? Sive autem ab opibus, sive à dignitate eam petendam dicas, difficultas nihilominus manet, an singulis videlicet diebus opiparè se excipere possit, nec ne? Si non singulis diebus, quo Sacræ Scripturæ loco probari queat, non quotidie, sed decies, verbi gratia, vel vicies tantummodò singulis annis lautè vivendum esse? Cæterum quod ad rationem vestium attinet; cum Apostolus Paulus* 1 Timoth. II. 9, *vetet mulierem ornare se ipsam cincinnis, argento, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa, quæritur an verbi divini minister domum alicujus ingrediens, fœminamque, vel virginem, cincinnis, argento, auro, margaritis, & veste pretiosa ornatam conspiciens, ea de causa semper illam arguere teneatur? si tenetur, quomodo omnia propter homidem condita esse jure merito dici possint? Quod si verò idem, uti ante, responsum detur, modum nempe servandum: in quo hic consistat quæstio est: utrum in materia, an in qualitate vestium posit peccari? sive, quod idem est, an nonnullis, & quibus, veste acupicta, Attalica, holoserica, & id genus aliis, variis etiam rebus odoriferis, voluptatis ergò, sine peccato uti, auroque, & argento, gemmisque pretiosis se ornare non à Deo permissum sit? Multumne etiam referat, utrum quis Anglorum, Hispanorum, Gallorum, vel Hollandorum more vestes suas fieri jubeat? ac proinde, an non liceat hoc anno hunc, alio alium vestiendi modum imitari?*

### RESPONSIO.

Quæstio hæc practica est de mediocritate servanda in victu & amictu: qua videlicet in re ea consistat. Supponit quæsitor, mediocritatem consistere posse cum dominio quod homini in res omnes concessum est: & modum in dominandi libertate servari optimum esse. Rectissime. Dominium enim hominis in eo non est positum, quod uti frui possit rebus omnibus prout lubet, ac proinde nunquam abuti iis possit, eo quod earum absolutus sit dominus; sed in eo, quod quando iis recto debitoque modo uti vult, jure suo id facere possit, quia earum dominus constitutus est à Deo. At rectus ille debitusque modus, quomodo possit adsignari, tum in victu tum in amictu, quærit. Respondeo: Modus ille vel modi istius punctum præcisè atque ἀκοτόμως definiri non potest. Quia, quod ad cibum & potum attinet, pro diversa temperamentorum ratione, substantia, quantitas, qualitas ciborum variant; ut quod uni nimium est, alteri nimis parum sit; quod uni sufficit, alteri non sufficiat; & quod uni conducit, alteri officiat. Quod ad vestitum attinet, eadem ratio est. Pro tenuiori aut densiore textura corporis, variat; & ut pro ratione locorum, dignitatis functionisque variet, æquum est.

*Modus in victu & amictu servandus præcisè definiri non potest.*

Existimo tamen, eum præterpropter vel proxime ad veritatem definiri posse, quoad omnes homines in genere, ratione recta; & quoad Christianos, lege Christi, imprimis regia ejus lege, quæ lex caritatis est.

*Attamen aliquo modo definiri potest:*

Ratione recta, quoad omnes homines, definiri potest modus hic per id, quod cibo vestibusque non frui, sed uti debeant, vel uti frui. Fruitio enim finis est, usus mediorum. Fruitio rem commendat: usus dominium, sive utentem. Ratio autem recta jubet mediis non frui sed uti, & finem à mediis distinguere. Jam vero victum & amictum esse media, quæ utenda sunt non fruenda, ex eo patet, quia ad vitam & sanitatem hominis conservandam ordinata sunt. Non enim vivit homo ut edat, sed edit ut vivat ac valeat. Quare is modus in victu & amictu optimus perfectissimusque censendus est, quem vitæ ac valetudinis cujusque ratio postulat, sive qui ad vitam & ad perfectissimam sanitatem, quæ vitæ perfectio est, tum consequendum tum conservandum maximè facit. Vita enim sana hominibus qua talibus servire potest. In ea enim rationis rectæ munia obire, sibi præesse, aliis prodesse atque usui esse possunt. Hic modus inter duo extrema consistit, quorum alterum in defectu est positum,

*1. Ratione recta.*

quando nimirum, nec id, nec tantum, nec tale cibi veſtiſque genus quæritur, quale vitæ ac valetudinis ratio requirit. Alterum in exceſſu, quando videlicet plus quæritur, uſurpaturque, quod oneri potius eſt quam uſui, & luxui potius quam neceſſitati, & ſplendori potius quam honeſtati.

Quod ad victum, id eſt, cibum & potum attinet, hunc modum ratio recta omnibus ſine diſcrimine præſcribit, ſive divitibus, ſive pauperibus, ſive in dignitate majore minoreve poſitis, ſive aliis quibuſcunque. Cibus enim vitæ ac valetudini ſervire debet, nobilioribuſque hominis functionibus ancillari. Ex quo conſequitur,

I. Eum, qui cibos quærit, cupediarum cauſſa, ſive opulentus, ſive in dignitate poſitus ſit, modum excedere, & cibis non uti, ſed frui velle. Cupediæ enim ultra id quod ſatis aut ſanum eſt, procedunt.

II. Eum qui cupediis & ſcitamentis, ſive oblatis, ſive defideratis, ſive à medico imperatis, utitur ſanitatis valetudiniſque cauſſa, modum non excedere. Sub ſanitate autem non modo comprehendo virium naturalium ſive conſervationem ſive reſtitutionem, ſed & earum exhilarationem, quæ aliquando neceſſaria eſt ad ſanitatem, nempe ad diſcuſſionem melancholicorum humorum, & ſpirituum ventilationem ac refocillationem. Ea autem ne nimia ſit, cujuſque eſt animadverte, & quiſque apud ſe ipſum animadvertere atque obſervare facile poteſt.

In veſtitu forte alia ratio eſt. Veſtes enim non modo ad neceſſitatem naturæ contra injurias aëris ſervire poſſunt: nec modo ad honeſtatem, ut naturæ verecunda tegantur: ſed & ad ornandum hominem ſecundum ſuum ſtatum, functionem ac dignitatem. Modus quem recta ratio in iis ſervare jubet ſatis per ſe liquet. Conſiſtit enim inter extrema duo, inter ſordes & luxum. Sordes ſunt, quando homo veſtibus non utitur ad neceſſitatem naturæ, ad honeſtatem & ordinis ac conditionis ſuæ, quæ cuilibet genti propria ac peculiaris eſt, decus conſervandum. Luxus eſt, quando iis utitur pure pute ad ſe oſtentandum, & efferendum ſupra alios. Hic finis animuſque apparet partim in veſtium ſuperfluitate, partim in varietate, partim in novitate, partim in nimio ſumtu qui in eas impenditur. Fieri enim non poteſt quin ingens cura hæc, 1. ſignificet hominem veſtibus frui non uti: veſtes enim non qua veſtes corporis ſunt vult, ſed qua pulchrum aliquid ſunt, in quo ſibi placet aliiſque placere vult. 2. curam aliam animi ac meliorem vel prorſus ſuffocet, vel valde imminuat. 3. Tempus curandæ animæ tollat. 4. excitet in aliis pravam de nobis ſuſpicionem. 5. impediat miſericordiam erga pauperes. 6. irritet oculorum libidinem. 7. ſuperbum reddant atque inſolentem: juxta illud Syracidæ, *cap.* XIX. *verſ.* 27: *Amictus corporis, & riſus dentium, & ingreſſus hominis enunciant de eo.* 8. Denique hominem rerum omnium dominum faciant ſervum ac mancipium bombycum, vellerum, ac lanarum.

2. *Lege Chriſti.*

Quod ad legem Chriſti attinet, Ea modum in utroque tum victu tum amictu adſignat, tum in genere, tum in ſpecie lege caritatis. In genere. 1. quando 1 *ad Tim.* VI. 8, ait: *Habentes victum & amictum hæc nobis ſufficiant.* τούτοις ἀρκεσθησόμεθα. cujus ſententiam Chriſtus ipſe egregiè expreſſit, *Matth.* VI. 31: *Nolite ſolliciti eſſe, quid manducabimus, quid bibemus, aut quo amiciemur? De veſtimento quid ſoliciti eſtis?* &c. *Hæc enim omnia gentes requirunt. Luc.* XXI. 34: *Cavete vobis ne quando graventur corda veſtra crapula & ebrietate, & curis hujus vitæ.* Quibus ſi addantur loca quæ partim de victu, partim de amictu, partim de utroque agunt, apparebit legem Chriſti cum ea quæ rectæ rationis lex eſt, optime convenire. Primus locus eſt iſte quem allegat quæſitor, ex 1 *Timoth.* II. 9. cui parallelus eſt locus Petri 1 *Epiſt.* III. 3. 4. 5. Secundus locus eſt 1 *Timoth.* V. 23. Tertius locus eſt *ad Philipp.* IV. 11. 12.

Hiſce enim locis, manifeſte indicatur, 1. cibum & potum delicatiorem quæri poſſe, ſanitatis cauſſa, quia Paulus Timotheo jubet vino pauculo uti propter ſtomachum ſuum & crebras infirmitates. Propter cupedias ergo vetat quærere; quia etiam in morbo, modico vino uti jubet. 2. Si alia non adſint, contentos nos eſſe jubet victu & amictu naturæ reficiendæ, & nuditati tegendæ, animumque habere ἀνυπόκριτον, 1 *Timoth.* VI. & à curis hujus mundi aut vitæ liberum, *Luc.* XXI: adeoque nec de victu nec de amictu ſolicitum, *Matth.* VI. nedum de cupediis, de ſuperfluitate, de varietate, de novitate, &c. anxium. 3. Si plura adſint ad victum pertinentia, jubet ut caveamus nobis, *ne in graventur corda noſtra*, id eſt, ne animus noſter ad divinarum rerum meditationem, ad vocationis noſtræ curationem, ad precum devotionem ineptus reddatur. Ad veſtes pertinentia ſi adſint plura quam neceſſe habemus, jubet, ut fœminæ ipſæ, quas alioquin ornatus maxime decere videtur, & quibus veluti infirmiori ſexui condonari fere ſolet paulò major cura corporis ſui, non cincinnis, argento, auro, aut margaritis aut pretioſiore ſeu cultiore veſte ſe ornent, ſed modeſtia, pudicitia, ſanctiſque animi moribus. Quanto ergo magis id maribus ſive viris, ſeu juvenibus ſeu adultioribus juberi credendum eſt? Certè id gentiles olim ſignificarunt verſiculo iſto:

*Sint procul à nobis juvenes, ut fœmina, comti.*
*Fine coli modico forma virilis amat.*

Denique ſive occurrant ſive non occurrant cibi plures, delicatiores, iis non affici aliter, quam rebus ad uſum tantum, ad honeſtam recreationem, & hilariorem officii noſtri præſtationem utilibus mediis: ut exemplo ſuo pulchre oſtendit Apoſtolus *ad Philip.* IV. 11. 12. 13. Quod ſupereſt, id ex malo eſt: id per occaſionem monendum: &, ubi conſuetudo invaluit, prudenter taxandum. Quicquid enim levitatem, vanitatem, & petulantiam ſapit, id gravibus Chriſtianorum moribus contrarium eſſe adſerendum eſt. Levitatem autem redolet veſtitus colorum varietate aut adfectato quodam ſplendore inſignis. Gravitatem, veſtitus nigri coloris, aut qui ad eum paulo proprius accedit, niſi conſuetudo aliter poſtulet; toga promiſſior, mundicies frugalior.

## De προσωποληψίᾳ in Eccleſia vitanda, & ſpeciatim in Diaconorum & Seniorum electione,

## QUÆSTIO XXXII.

*Quæritur, An Apoſtolus Jacobus* cap. II Epiſt. *ſuæ,* commatibus I. 3. 9. *omnem omnino perſonarum acceptionem ita in Eccleſiis prohibeat, ut diſcrimen nullum in Diaconis ordinandis aut Senioribus eligendis facere licitum ſit; non dico quod ad ſapientiam quæ in Jeſu Chriſto eſt, ſed quod ad res externas omnes attinet, uti ſunt, opulentia, autoritas mundana, honor, reverentia, &c?*

## RESPONSIO.

*Quid ſit προσωποληψία, quam Jacobum cap. II. verſ. 1. 3. 9, ab Eccleſia abeſſe jubet.*

PErſonarum acceptio, quæ Græcis προσωποληψία, Hebræic dicitur *acceptio facierum* vel faciei, *Levit.* XIX. 15. *Deut.* I. 16. 17. & XVI. 19. *Proverb.* XVIII. 5. & XXIV. 23. 24. eſt vitium ejuſmodi, quo quis judicium facit, non ſecundum rei & cauſſæ quæ in controverſiam venit, aut dijudicatur meritum, ſed ſecundum externam qualitatem, quæ plane extra rei & cauſſæ dijudicandæ meritum eſt, putà, ſecundum quod quis dives vel pauper, nobilis vel ignobilis, amicus vel inimicus, potens vel infirmus, peregrinus vel indigena, doctus vel indoctus eſt, &c. De hujuſmodi vitio quin Apoſtolus Jacobus *cap.* II. agat, dubium non eſt; quando monet, ne ἐν (id eſt, σὺν) προσωποληψίαις *habeamus fidem Domini noſtri Jeſu Chriſti gloriæ*; id eſt, ne nos qui profitemur religionem Jeſu Chriſti glorioſi, vel illam, quæ ſola gloriam, id eſt, excellentiam hominibus ſupra alios omnes conciliat coram Deo, perſonas accipiamus, id eſt, externas qualitates ad religionem iſtam nihil facientes, tanti faciamus, ut propter eas, alterum altero majore honore aut digniorem aut indigniorem eſſe cenſeamus; ac proinde ſi alter in cœtum ingrediatur χρυσοδακτύλιος ἐν (σὺν) ἐσθῆτι λαμπρᾷ cum honoratiore loco conſidere jubeamus; ſi vero alter ingrediatur πτωχὸς ἐν ῥυπαρᾷ ἐσθῆτι, eum contemtim vel ſtare, vel ad ſcabellum noſtrum ſedere jubeamus. Quorum tamen verborum ſenſus non eſt, quod προσωποληψία in eo ſimpliciter poſita ſit, quando honeſtior aut ſuperior aliquis locus in cœtu ſive Eccleſia Jeſu Chriſti conceditur homini diviti, illuſtri, & genere vel natalibus claro, nedum Magiſtratum gerenti vel autoritate ac potentia prædito, ſupra pauperem aut ſubditum. Nec enim Religio Jeſu Chriſti ruſticitatem ſuadet, aut politicum ordinem tollit. Sed ſenſus tantum eſt, tum committi προσωποληψίαν, quando diviti honeſtior locus adſignatur quam pauperi, cum contemtu & vilipendio pauperis, ſive nulla alia de cauſſa, quam quia is cui honeſtior locus non datur pauper eſt: prout ex verbis Jacobi, quibus per μίμησιν quandam proſopoleptarum oratio exprimitur videre eſt; cum ait, *Et dicatis illi,* ſcilicet diviti, *Tu ſede hic* καλῶς *pulchre, & pauperi, tu ſta iſthic, aut ſede hîc ſubter ſcabellum meum:* qua oratione contemtum & vilipendium pauperis indicari, manifeſtiſſimum eſt. Quare ſi ob aliam aliquam cauſſam, quæ cum contemtu & vilipendio pauperis conjuncta non ſit, imo quam pauper ipſe juſtam ſatis ac gravem cauſſam eſſe credat, cur alteri ſive opulentiori, ſive potentiori, ſive nobiliori, honoratior ſupra ſe locus vel adſignetur vel concedatur; puta, quia vel communi uſu receptum eſt, & honeſti ac decori ratio poſtulat ut nobiliores

liores, potentiores, opulentiores honoratione loco collocentur; & si contra fiat, offensio facile inde nasceretur: vel, si quis id nolit in Ecclesia valere aut locum habere, eo quod mos iste receptus vix sine aliqua seu προσωπολημψίᾳ seu προσωπολημψίας specie observari possit, & offensionis metus sive justa causa sit; quia alteri honoratior locus debetur, sive propter merita sua, quia videlicet si opulentus aut dives sit, Ecclesiam liberalitate & munificentia sua, ac proinde pauperes in ea juvat & juvare porro paratus est: si doctus & eruditus, consilio suo Ecclesiæ sedulam operam navat; si potentior, autoritate & potentia sua Ecclesiæ quietem ac tranquillitatem præstat: sive propter muneris quod in Repub. gerit, dignitatem, quæ merito etiam in Ecclesia respicienda & tuenda est: Si, inquam, ob alteram harum duarum causarum locus alicui honoratior in Ecclesia adsignetur vel concedatur, προσωπολημψίαν idcirco in Ecclesiam contra præceptum hoc Apostoli introduci dicendum non est. Facies enim, sive id quod exterius tantum apparet, aut, ut ita loquar, quod pure personale est, tum non respicitur; sed id quod respici per se meretur, vel quod respici dignum est. In pari enim causa, majus certe meritum est ejus, qui vel virtute sua, vel autoritate, vel consilio, vel muneris, quod gerit, dignitate cæteris præstat; imprimis si frater sit & Ecclesiæ membrum. quod adeo verum est, ut si vel invito tali honestior offeratur ac deferatur locus, omnino id sine προσωπολημψίᾳ fieri posse credendum sit. Non enim id fieret nec cederet in contemtum aut contumeliam pauperum, sed in bonum eorum & publicum Ecclesiæ commodum. Addo, & sine προσωπολημψίᾳ futurum, si extraneo, aut ei qui frater non est, Magistratum in Repub. gerenti, aut de Ecclesia bene merenti honestior locus deferretur, isque aliis præferretur. Illi, quia Apostolus diserte jubet *ad Rom.* XIII. 7. ut honorem demus iis, quibus honor debetur: Huic, quia isto ipso officio nostro adduci potest, ut tanto magis lubentiusque bene de Ecclesia porro mereri velit, ac tandem se ipsi adjungere, quod beneficia sua æstimari & memori ac grata mente observari videat. προσωπολημψίαν ergo quam hic reprehendit Jacobus, & ex Ecclesia exesse jubet, est, qua discrimen fit, aut inter fratres, cætera quidem pares, sed in hoc uno dispares, quod alter opulentus & splendidus sit, alter pauper & humilis abjectæque aut infimæ sortis, nulla meritorum aut muneris excellentioris habita ratione: aut inter fratrem fidelem quidem, sed pauperem, & inter extraneum, non fratrem, sed opulentum tantum & splendide vestitum: ita ut opulento honoratior locus adsignetur, non aliam ob causam quam quia opulentus & splendidus est, quasi videlicet idcirco aut melior aut Deo gratior, aut honoratiore loco dignus sit; pauperi vero, non sine aperto vilipendio, locus abjectissimus aut infimus adsignetur, non aliam ob causam quam quia pauper est, & conditionis aut fortunæ infimæ, quæ ex vestitu apparet. Hoc enim propriissime est facies accipere, sive facies, id est, id, quod sicut facies in corpore humano sola patet oculisque subjecta est, ita etiam exterius tantum apparet, & ad digniorem aut indigniorem aliquem reddendum honoratiore loco plane nihil facit. Sunt, qui per divitem, de quo Jacobus loquitur, intelligunt, non divitem simpliciter, eumque fratrem ejusdem cœtus, sed extraneum & qui impius ac profanus sit; per pauperem vero, non pauperem simpliciter eumque fratrem, sed vere pium ac fidelem: quod colligunt ex descriptione divitum quæ *vers.* 6 fit, & pauperum quæ *vers.* 5 & 7 fit. sed nescio an satis recte ac solide. Sane si ea mens Jacobi fuit, tum facillimè intelligitur, quam jure merito προσωπολημψίαν hanc reprehendat ac damnet Apostolus. Nihil enim iniquius aut injustius est, quam impios, quantumvis divites & potentes, eorumque purpuram & annulos aureos in majore honore aut pretio habere, quam pios ac fideles, quantumvis pauperes atque abjectos, nedum hos multo minoris æstimare, adeoque præ illis contemnere ac pro nihilo reputare, tanquam honestiore sede ac loco in Ecclesia indignos.

*Quomodo ea in eligendis Diaconis & Senioribus sit vitanda.*

Ut ut est; sive hoc sensu, sive priore illo, quem nos præferimus, ab Apostolo Jacobo προσωπολημψίαν in Ecclesia prohiberi dicamus, certum est, eandem etiam in Diaconis ordinandis & Senioribus eligendis προσωπολημψίαν prohibitam censeri debere. Quando enim in eadem plane causa, non eadem sententia nec idem judicium fertur ob certam diversarum personarum qualitatem, ad rem aut ad causæ meritum nihil pertinentem, tum vere προσωπολημψία admittitur, id est, facies, sive persona aut larva hominis respicitur. Facies autem sive persona aut larva Diaconi & Senioris est, omne id, quod extra meritum ejus, qui Diaconus aut Senior futurus est, in considerationem venit: cujusmodi sunt opulentia, autoritas mundana, honor, reverentia. Quod ipsum tamen sic accipiendum non est, quasi omnis omnino opulentiæ, autoritatis mundanæ, honoris, reverentiæ, &c. respectus, προσωπολημψίας indicium sit, si cætera in Diacono aut Seniore requisita aut adsint aut paria sint; sed sic dumtaxat, ut quando ea cæteris minime paribus aut prorsus absentibus respiciuntur, & in computum aut censum veniunt, tum persona non rei meritum respici aut accipi intelligatur. Alioquin enim certum est, externas quasdam qualitates, cum virtutibus & qualitatibus in Diacono & Seniore requisitis sic concurrere posse, ut non modo non dedecorandis sed cohonestandis officiis istis serviant; ac proinde ut ii, quibus qualitates istæ, cæteris paribus, adsunt, propter eas reliquis præferri mereantur, & sine justo offensionis ac scandali metu posthaberi aut postponi non possint. Enimvero opulentia in Diacono, & autoritas mundana in Seniore, non modo concurrere possunt cum virtutibus in Diacono & Seniore requisitis, sed usque adeo bene cum illis convenire & pariari, ut si pauperes & rerum omnium inopes, in Diaconatu; nullius aut exiguæ autoritatis homines, in presbyteratu præferantur opulentis & autoritate magna præditis, scandalo atque offensioni non levi obnoxium futuium sit. Tutius enim eleemosynarum distributionem opulento; & fidelius authoritate magna prædito homini, regimen aliorum committi, quam aut inopi aut autoritate omni carenti, si cætera paria sint, nemo nisi væcors negaverit. Suspicionem infidelis administrationis facilius incurrit inops & egenus, etsi cætera probus sit; quam opulentus, cujus probitas in propatulo etiam est: & regiminis boni spem, non tam facile dat, qui autoritate carere creditur, quam is quem autoritas sua aliis jampridem suspiciendum ac reverendum fecit.

## Quomodo obedientia Christi, & Judæorum scelus eum morti tradentium, libera esse potuerint, si utrumque æterno & irrevocabili Dei decreto constitutum fuisse dicatur.

### QUÆSTIO XXXIII.

*Non inter minimas difficultates Christi factis annexas etiam hæc videtur reponenda esse: Quomodo mors atque obedientia Servatoris nostri; & Judæorum facinus eum è medio tollentium, liberæ voluntatis actionibus accenseri possit, si dicatur Deus æterno atque irrevocabili decreto statuisse, ut actiones utrimque incidentes effectus darentur. Fac enim eas plane voluntarias fuisse, tum prædictionum necessariam impletionem,* Luc. XXIV. 26, *& salutis nostræ negotium in ancipiti hæsisse statuas oportet. Pone coactas & necessarias fuisse; sic removebis à Christo omnem obedientiæ laudem, atque à Judæis culpæ crimen, idque in Deum rejicies. Utrum dixeris, contingentiam liberæ actionis decreto inconditionato subordinatam posse esse, admittendum videtur.*

### RESPONSIO.

Resp. Difficultas hæc facile solvitur, si statuatur decretum peremtorium de salutis nostræ negotio, per obedientiam Jesu Servatoris nostri, procurando; & decretum de facinore Judæorum in tollendo Servatorem è medio, non impediendo; atque utroque decreto nixas prædictiones, tum de obedientia Servatoris, tum de facinore Judæorum, non esse factas, nisi ex hypothesi certæ præscientiæ, qua Deus infallibiliter prævidit, futurum, ut Jesus Christus liberè obediret Patri suo, & Judæi libera voluntate eum è medio tollerent. Sic enim contingentia liberæ actionis non subordinatur decreto inconditionato sive absoluto, sed contra decretum inconditionatum & absolutum subordinatur præscientiæ de futuritione certa alterius partis contingentiæ. Nec video qua ratione aliter difficultas hæc solvi possit. Si enim nulla prægressa præscientiâ, Deus dicatur absoluto decreto Jesum Christum Servatorem voluisse constituere, & simul non voluisse eum constituere Servatorem nisi libere obediret, tum totius Servationis negotium in incerto ponitur, & decreti absoluti vis tollitur. Similiter, si Deus dicatur absoluto decreto constituisse, ut Judæi Christum è medio tollerent, & simul constituisse, ut libera voluntate id facerent, nulla prægressâ præscientiâ, futurum ut non hoc sed illud facerent, tum itidem Servationis negotium in ancipiti relinquitur, & decreti absoluti vis tollitur. Si vero dicatur Deus absoluta voluntate sive decreto inconditionato constituisse, ut Christus Servator esset, & simul

mul absoluta voluntate & decreto inconditionato constituisse, ut ille non posset non obedire, & hi non possent non eum è medio tollere, tum nec Christi obedientia obedientiæ nomine digna est, nec in facto Judæorum crimen est. Nec satis est si dicas, Deum, post factum de utroque decretum absolutum, sic rem administrare potuisse, ut & Christus libere obediret, & hi libere facinus istud committerent, id est, eum scelerata manu è medio tollerent. Nam, 1. Administratio illa effectu carere potuisset propter contingentiam liberæ voluntatis, quæ in eo posita est, ut positis omnibus ad agendum requisitis, positaque omni qualicunque administratione, voluntas tamen semper adhuc possit aut non agere, aut aliter agere. 2. Administratio illa sic facta dici posset, ut propter eam multum decederet laudi ac gloriæ obedientiæ Jesu Christi, & crimini cædis atque homicidii Judæorum; cum contra Scriptura obedientiæ Christi gloriam summe extollat, & crimen Judæorum vehementissime exaggeret. Et sane quid miri est in ista obedientia, quæ posita tali congrua administratione mediorum, captatione occasionum, remotione impedimentorum, &c. præstari dicitur? Sic quilibet vulgaris homo Deo facile ac lubenter obediret, & obedientia ista infimi ordinis ac subsellii obedientia esset, si obedientia dici mereatur. Quid vero etiam magni criminis in isto facinore esse potest, quod posita tali congrua vel incongrua administratione, committi dicitur? Mirumne est cadere eum & labi, qui vel in præcipiti aut declivi, vel in lubrico loco semper constituitur, ac subinde ad cursum incitatur, aut oblatis occasionibus allicitur, aut metu compellitur, aut fiducia virium ipse adnititur? Certe lapsus ejusmodi hominis, aut crimen non esset, aut non nisi levissimum crimen. Quare ego ad præscientiam confugere malo, quæ nec Deo ingloria, nec obedientiæ liberæ, nec malitiæ liberæ, nec justitiæ divinæ ullo modo obstat: etsi ejus tatio à nobis aut videri aut comprehendi nequeat: & quidem hunc in modum, ut dicatur:

I. Deum decrevisse fideles & sibi obedientes, licet antea peccatores fuerint, per crucem in gloriam suam adducere, absoluto decreto.

II. Deum decrevisse Jesum Christum ordinare Servatorem ejusmodi peccatorum per liberrimam obedientiam, eumque per crucem in gloriam æterni Sacerdotii ac regni introducere, ex præscientia certa quod obediturus esset libera voluntate Patri suo ad mortem usque crucis: atque hoc forte indicari vocibus istis, quibus dicitur præscitus à Deo, id est, ex præscientia liberæ obedientiæ à Deo in Servatorem ordinatus.

III. Deum decrevisse ut Judæi Christum è medio tollerent ex præscientia quod id libera voluntate facturi essent, atque inde prædictiones certas natas esse.

## Quomodo Prophetiæ de æternitate regni Christi, conciliari possint cum eo quod Paulus dicit 1 *Corinth.* XV. 24, Christum regnum Deo Patri aliquando traditurum.

### QUÆSTIO XXXIV.

*Quæritur, qua ratione* Esa. IX. 7. Daniel. VII. 14, *& passim apud Prophetas prædicatur, regnum Meßiæ futurum æternum, omnique fine carituram; cum tamen certo nobis ex* 1 ad Cor. XV. 24 *constet, Dominum nostrum Jesum Christum Patri tandem regnum traditurum; atque ita regnum ejus finem, contra prædicta vaticinia, habiturum.*

### RESPONSIO.

REspondeo *primò: Æternum* multis modis aliquid futurum esse dici potest: 1. quod fine omni cariturum est. Sic vita beata, æterna futura est. 2. quod ad finem usque rerum omnium duraturum est, nec desiturum priusquam creata omnia desinant. Sic cæli, montes, colles, & sidera omnia æterna dicuntur. 3. quod durat quamdiu aut ex vi sibi insita, aut ex legis præscripto durare potest. Sic arbores, imprimis longævæ, dicuntur æternæ, servitus æterna quæ durabat usque ad annum Jubilæum. Dictatura perpetua quæ ad vitam usque durat. *Servies æternum*, inquit Poëta, *qui parvo nescit uti.* 4. Quod sic durat, ut non succedat ad alios, sed cum ipso illo, cujus est, desinente, desinat. Sic Sacerdotium Melchizedeci æternum vocatur: quia in eo successorem sibi nullum habuit Melchizedecus. *Secundò*: Regnum Messiæ dupliciter accipi potest: 1. pro ipso actuali regimine, sive regiæ potestatis administratione secundum regni Messiæ leges. 2. pro ipso regno, id est, populo illo regio, cujus caput est Messias.

*Quo sensu regnum Meßiæ dicatur æternum.*

His distinctionibus positis, Respondeo: Messiæ regnum, quatenus pro actuali regimine, sive Regiæ potestatis administratione secundum leges regni Messiæ, accipitur, est posterioribus tribus modis æternum: 1. quia non definet ante rerum omnium finem. 2. quia durabit quamdiu durare poterit ex natura sua, id est, quamdiu leges regni durare poterunt. Eæ autem post rerum omnium finem, ut durent, fieri non potest. Post finem enim rerum omnium, nec fide, nec patientia, nec spe, nec temperantia, nec carnis, nec mundi, nec Satanæ victoria opus erit, & omnino non legibus, sed præmiis locus erit aut pœnis. 3. quia in regnum ejus Mediatorium nemo alius Rex successurus unquam est. Quatenus vero Messiæ regnum accipitur pro populo toto isto cujus Rex Messias fuit, eatenus æternum dici potest primo modo: quia tum Rex ipse tum populus ejus regius æternum permansurus est, etiam cessante isto actuali regimine: salva tamen semper debita subordinatione, quæ erit inter utrosque. Utro modo accipiatur vox *Æternum*, sublata est omnis contradictionis species. Si enim in allegatis locis regnum Messiæ dicatur æternum futurum primo sensu; nihil obstat, quo minus Apostolus *ad Corinthios* 1 *Epist.* XV. 24, jure dicere potuerit Jesum traditurum regnum suum Patri suo, post finem scilicet rerum omnium. Si secundo sensu accipiatur vox *Æternum*, apud prophetas & in allegatis locis ubi de Messiæ regno agitur; tum locus Apostoli ad Corinthios qui disertè de actuali regimine loquitur, locis istis non contradicit: quia actuale regimen definere potest, regno, id est rege & populo superstitibus, imo in æternum glorioso victuris ac triumphaturis; quod non est dubium quin Apostolus ipse significare voluerit verbis istis: *Tum Deus omnia erit in omnibus*: id est, tum Rex ipse Messias & populus ejus regius immediate & pariter erunt subditi Deo, & suo singuli ordine ac gradu fruentur æterna gloriæ ejus visione.

*Quomodo promißio Davidi facta de regni sui æternitate intelligenda sit, & complementum habeat in Jesu Christo.*

Libet hac occasione rem hanc paulo altius arcessere. Nec enim dubitandum videtur, quin Esaias & Daniel cæterique prophetæ alii, quando de regno Messiæ æternum duraturo loquuntur, respiciant ad promissionem Davidi Messiæ patri à Deo factam, 2 *Samuel.* VII. 16: *Firma erit domus tua & regnum tuum usque in seculum, thronus tuus erit firmus usque in sæculum.* Quæ promissio repetitur & fusius exponitur *Jerem.* XXXIII. 17. *Quia sic dixit Dominus: Non excidetur ipsi David vir sedens super solium domus Israel.* & *vers.* 20: *Si irritum facere potestis pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, ita ut non sit dies & nox tempore suo: etiam pactum meum irritum fiet cum Davide servo meo, ut non sit ei filius regnans super thronum ejus*, &c. Hanc enim ipsam promissionem Angelus *Lucæ* I. 32, in Filio Davidis Messia effectum sortituram asserit. *Dabit enim ei*, inquit, *Dominus Deus sedem David patris sui: Regnabit in domo Jacobi in æternum, & regni ejus non erit finis.* Quæritur ergo qua ratione promissio ista Davidi facta intelligenda sit, & quomodo complementum suum habeat in Messia, id est Jesu Nazareno Domino nostro. Resp. Promissio Davidi facta de regni ejus æterna duratione dupliciter accipi potest: 1. Sic ut regnum istud externum & mundanum, quale David habuit, duraturum promittatur, quamdiu populus aut Respub. ista, cujus Rex David fuerat, duratura esset. 2. Sic ut regnum istud in familia ipsa Davidis perpetùo duraturum promittatur. Primo modo regnum Davidi promissum, æternum dici potest duobus modis. Primò, ut populus & Respub. ista desitura nunquam esset, & cum populo sceptrum atque imperium quale David habuit. Secundò, ut dicatur non desiturum sceptrum atque imperium, nisi populo aut potius Repub. ipsa tota desinente, sive plane ac funditus eversa. Primo modo regnum Davidi æternum promissum non fuisse, experientia testatur; quia sceptrum atque imperium quale David habuit, non modo non duravit æternum, sed nec diu admodum post Davidis mortem, divulso nimirum regno atque imperio ejus, quod solus in totum Israelis populum habuerat, in regna duo, & minima regni atque imperii parte Davidis nepoti relicta, maxima vero, nempe decem integrarum tribuum, adtributa alteri, quæ non multo post sceptro omni atque imperio exuta funditus deleta est. Deinde, quia sceptrum atque imperium, quod in minima ista populi Davidici parte permanserat, ab eadem per Romanos Imperatores prorsus penitusque ablatum fuit, & jam hodieque per sexdecim sæcula integra ablatum manet; adeo ut nec regni nec Reipub. ulla externa forma vel species ex isto tempore apparuerit in hunc usque diem. Secundo modo, Regnum, quod David in populo isto habuit æternum fuisse dici potest, voce Æternitatis accepta

ex

ex ſenſu ſacrarum literarum & profanis Scriptoribus uſitato, quo æternum durare dicitur, id, quod durat, quamdiu durare poteſt. Durare autem diutius regnum dici non poteſt, quam populus aut Reſpub. durat. Reſpublica enim Regis eſt. Hactenus de prima promiſſionis Davidi factæ acceptione.

Quod attinet ad ſecundum: Promiſſio Davidi facta de regno perpetuo in familia ejus permanſuro, dupliciter etiam accipi poteſt: Primò, ſtrictè ac præcisè ſecundum literam, prout promiſſio ſonat. Secundò, laxè, & ſenſu meliore quam litera ipſa præ ſe fert, quemque litera ipſa quaſi imperfecto quodam rudimento adumbrat. Si primo modo accipiatur, tum abſolutè ea Davidi facta dici non poteſt, ſed cum conditione; quæ non obſcure etiam 2 *Sam.* VII. 14. & 1 *Reg.* IX. 4. 5. 6. *Pſalm.* LXXXIX. 31, & alibi expreſſa legitur. Experientia etiam eam ſic factam non fuiſſe docet: quia non modo interruptum aliquamdiu fuit regnum familiæ Davidicæ, putà in captivitate Babylonica: quamquam ibi ἀιχμαλώτοις ex familia Davidis erant; quia ii nec in ſolio Davidis, nec cum ſceptro ſedebant, quale promiſſio indicat in domo Davidis permanſurum; ſed cum ſolii ac ſceptri ſolius precarii umbra quadam ac tenui ſpecie. Sed etiam in familia Davidis deſiit poſt Ariſtobuli tempora. Tum enim ſolium ac ſceptrum fuiſſe conſtat in domo & familia Levitarum Haſmonæorum, ad uſque Herodis tempora, quem ipſum ejuſque poſteros ex familia Davidis non fuiſſe nemo ignorat. & tamen penes eos regni ſumma fuit uſque ad excidium urbis ac populi totius; poſt quod non modo nullum regnum in familia Davidis fuit, ſed nec Reſpublica ulla nec regni, uti diximus, umbra ulla. Cauſſa autem tanti excidii alia nulla fuit, quam conditionis à Deo prærequiſitæ non præſtatio, id eſt, tum ſumma populi improbitas, tum imprimis rebellio contra Meſſiam ſive Regem & prophetam ſuum iſtum, quem Deus ſe miſſurum populo dixerat, quemque non aliter quam Moſen audiri juſſerat ſub excidii pœna: *Deut.* XVIII. quod Meſſias ipſe indicat *Luc.* XIX. 41. 42. 43.

Si ſecundo modo accipiatur promiſſio Davidi facta de regno in familia ejus duraturo, tum abſolute ea facta dici poteſt: non quod nulla unquam interruptio futura eſſet, uti factam fuiſſe jam oſtendimus; neque quod poſt interruptionem ſceptrum, deinde iterum, ſemper familiæ Davidis ſceptrum futurum eſſet; contra enim accidiſſe ſimiliter jam diximus; neque quod ſceptrum quod permanſurum erat, ejuſdem prorſus generis ſceptrum futurum eſſet, id eſt, mundanum ſive externum, cujus generis Davidis ſceptrum fuit: Sed quod, quæcunque interventura eſſet interruptio, quæcunque ſceptri in familia alia quam Davidis uſurpatio; ſemper nihilo minus manſura eſſet Davidis familia, in qua Dei promiſſio de ſceptro perpetuo familiæ Davidis adſignato complementum ſuum ſortiretur, & quidem diviniore atque illuſtriore multo modo quam litera promiſſionis præ ſe fert; Nempe hoc duplici: 1. Quia regnum ſive ſceptrum Meſſiæ ex Davidis familia orituri, ſceptrum ſive regnum futurum erat ſpirituale & cæleſte, in terra quidem erigendum, ſed de cælo & in cæli ſolio adminiſtrandum, & in cælo conſummandum. 2. quia regnum erat futurum quod aliquatenus quidem cum regno Davidis filiique ejus Salomonis (quamquam ſub hoc jam prædicta erat regni futura diviſio) ſimilitudinem quandam habiturum erat, in eo quod ſicut Davidis regnum excellentiſſimum omnium regnorum fuit, quia regnum fuit ſuper univerſum populum, id eſt, ſuper duodecim tribus Iſraelis, ſecus quam conſecuta omnia deinde cæterorum Regum Iſraelis & Judæ regna fuerunt; ita hoc etiam ſuper univerſum Iſraelem futurum eſſet: nihilominus tamen auguſtius multo & excellentius regno Davidis in eo, quod erigendum eſſet quidem ſuper duodecim tribus Iſraelis, ſed eas uſque adeo per univerſum orbem terrarum jam diſperſas commixtaſque gentibus, ut cum iis in unum corpus jam tum prorſus coaluiſſent: quod proinde etiam extenderetur ſuper univerſum mundum, id eſt, ſuper Judæos & gentes omnes, duraretque quamdiu pactum cum Sole & Luna, id eſt, quamdiu mundus ipſe ſtaret. Utroque hoc modo regnum Meſſiæ filii Davidis ſecundum carnem, regnum Davidis dici poteſt, & impleta etiam promiſſio Davidi facta, ſed illuſtriore multo ratione quam litera prima fronte præ ſe fert. Neque vero cauſſa aut ratio ulla eſſe poteſt, cur promiſſio Davidi facta, dicatur non impleta, quia illuſtriore modo impleta eſt, filioque Davidis regnum multo auguſtius ſublimiuſque datum fuit, quam quale promiſſionis litera præ ſe fert. Alioquin enim qui multo plus & multo melius dat, quam promiſit, exempli gratia, qui cælum dat cum terram promiſerit, qui centum millia dat cum non niſi centum promiſerit, aut χρύσεα χαλκείων loco dat, promiſſionem non implere dicendus foret; quod abſurdum eſt. quamquam promiſſionum veritas non eſt æſtimanda ex verbis prout ſonant, ſed ex mente promittentis, prout nimirum is ea intelligi vult, non nudè, ſed typice, & ſenſum longe excellentiorem adumbrantia.

## Quid ſit baptizari pro mortuis: 1 *Cor.* XV. 29.

### QUÆSTIO XXXV.

Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, ſi omnino mortui non excitantur? Et cur baptizantur pro mortuis? 1 Cor. XV. 29. *Quæritur, quiſnam verborum horum ſenſus ſit, & præcipuè quinam per* mortuos *hîc intelligantur?*

### RESPONSIO.

*Duæ locũ 1 Corinth. XV. 29. expoſitiones.*

LOcus hic vexat interpretes omnes. Tot fere de eo ſunt ſententiæ quot interpretes. Singulas recenſere operæ pretium non eſt, quia eas paſſim apud interpretes omnes reperire eſt. Sententia Pontificiorum ad eliciendum ex eo Purgatorium vaniſſima eſt, uti prolixè à variis, & à nobis alibi, non ſemel demonſtratum eſt. Duæ ſunt quæ mihi videntur veriſimillimæ, adeò ut quam cui præferre debeam vix adhuc videam: quamquam poſtrema, quam dicam, hactenus maximè mihi placuit, quia ſcopo Apoſtoli, qui eſt probare reſurrectionem mortuorum futuram eſſe, efficaciſſimè probando idonea eſt.

*Prima.*

Prima itaque eſt ſententia eorum, qui Apoſtolum hîc volunt reſpicere ad morem quendam qui tum temporis apud quoſdam Corinthios, magnæ auctoritatis & nominis viros, invaluerat, ut ſi fidelium quiſpiam non baptizatus mortuus fuiſſet, ipſimet ejus loco ac nomine baptiſmum ſuſciperent, ne fortè obeſſet piè & in fide Chriſtiana alioqui defuncto baptiſmo caruiſſe. Hi per eos *qui baptizantur pro mortuis* intelligunt mortuorum amicos, & præpoſitionem ὑπὲρ exponunt per *loco*, ac *vice*, vel, in mortuorum bonum ac commodum: per *mortuos* verò eos fideles qui ſine baptiſmo defuncti erant. Expoſitio hæc nititur tribus: 1. Teſtimonio quorundam veterum Scriptorum, qui morem illum tum uſitari ſolitum eſſe aſſerunt, Irenæi ſcilicet & Tertulliani; quibus alii adjungunt Ambroſium & Chryſoſtomum: quamquam eos fide & auctoritate priorum iſtorum duorum nixos id adſeruiſſe veriſimile eſt. 2. Proprietate præpoſitionis ὑπὲρ, quæ ut plurimum, imo ſemper, aut impulſivam aut finalem cauſam notat. Quia verò ea conjungitur cum voce νεκρῶν, quæ articulum ſibi adjunctum habet, hinc per *mortuos*, alios quàm eos qui jam mortem obierant intelligi non poſſe aſſerunt. 3. Mutatione perſonæ, quæ hîc manifeſtè fit in tertiam perſonam, & ſignificat Apoſtolum non loqui de eo quod fidelibus omnibus commune erat, ſed quod peculiariter & ſeorſim à nonnullis, etſi errore quodam ductis, fiebat. Argumentum autem Apoſtoli volunt eſſe argumentum ad hominem; quatenus nimirum Corinthii viris iſtis, quibus id facere in more poſitum erat, & quorum factum in probationem reſurrectionis adducit, multum deferebant, quod videlicet ſine magna ratione & judicio nihil facerent. Ita ut argumenti vis hæc ſit: Si non datur reſurrectio mortuorum, neceſſe eſt ut eximios iſtos viros, qui defunctorum ſine baptiſmo fidelium loco & vice baptizantur, quorum auctoritate & judicio tantum non ſtare ſoletis, pro ſtultis deinceps atque pro inſanis habeatis. Argumento huic ſimile hoc dant: Si quis jam adverſus Pontificios ſic argumentetur; Si plebi pro libris & Doctorum loco ſunt imagines, ſi ad pietatem (uti jactatis) excitant, cur quadrageſimæ tempore, quo potiſſimum ad pietatem excitatur populus, perſtrepentibus viva Doctorum voce ſuggeſtis, imagines velatis & obvolvitis linteaminibus.

Expoſitio hæc valde ſpecioſa & probabilis eſt. Sed ea gravari mihi poſſe videtur nonnullis difficultatibus. quarum prima eſt, quod hæc expoſitio nitatur conſuetudine, quam non conſtat uſquequaque ex hiſtoriis certam eſſe atque indubitatam. Sola enim fide atque auctoritate Irenæi nititur, quam Tertullianus, Ambroſius, & Chryſoſtomus ſecuti videntur. Secunda eaque potiſſima quibuſdam videtur, quod juxta hanc expoſitionem argumentum Apoſtoli niteretur errore ſeu erroneo quorundam facto, quod tantum abeſt ut Apoſtolus ad concludendum id quod volebat, pro ratione uſurpaturus fuiſſet, ut contra tanquam erroneum & falſum id reprehenſurus fuiſſet. Sed quia ad has duas difficultates ſpecioſè ſatis ab expoſitionis iſtius auctoribus reſpondetur, addo ego duas alias rationes. Prima eſt: quod ſecundum iſtam expoſitionem ſtatuendum videatur, eos qui pro mortuis, id eſt mortuorum loco & bono baptizabantur, bis

bapti-

baptizari ſolitos fuiſſe. Nam alterutrum neceſſe eſt ſtatuere: Aut eos qui pro mortuis ſic baptizabantur, baptizatos ante fuiſſe, vel poſt baptizari voluiſſe pro ſe ipſis: Aut quando pro mortuis baptizabantur, tum etiam pro ſe ipſis baptizari voluiſſe. Hoc poſterius abſurdum eſt. Ergo prius omnino ſtatuendum videtur. Cui autem hoc fiat veroſimile? Quod ſi tamen quis id credere velit, ei etiam tum neceſſariò credendum eſſe videtur, eos à quibus iſti qui pro mortuis baptizari petebant baptizabantur, tum Baptiſmum pro mortuis, tum repetitum bis baptiſmum, probaſſe, adeoque neceſſarium judicaſſe; quod multo minus veroſimile eſt. Secunda ratio eſt. Quod in textu dicatur, τί ποιήσουσιν οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν; *Quid facient baptizati pro mortuis?* Nam τοὺς βαπτιζομένους manifeſte diſtinguit ab iis qui βαπτίζονται in præſenti, uti ex addita particula καὶ liquet. τί καὶ βαπτίζονται; ποιήσουσιν autem cum dicit, ſignificare videtur eos qui baptizati erant, non intendiſſe commodum aut emolumentum aliquod mortuorum pro quibus baptizati erant, ſed ſuum aliquod proprium, quod baptiſmum ſuſcipientes propoſitum ſibi habebant; id eſt, ſuam, non vero mortuorum aut jam defunctorum reſurrectionem. Hoc enim videtur ſibi velle phraſis, *Quid facient?* in futuro tempore: quaſi dicatur. Quid ſpei aut fructus ex iſta baptizatione ſui ad ſe redundaturum crederent, vel quid porro opus haberent facere, ſi non crederent ſe reſurrecturos eſſe; aut reſurrectionem mortuorum non futuram? Profecto niſi ſtulti ſint, faceſſere porrò ab omni opere quod baptiſmum ſuſcipientes promiſerunt ſe præſtituros, merito poſſent ac deberent: & qui adhuc vel ad exemplum eorum baptizantur, vel alioquin baptizantur idem ſtipulantes aut ſpondentes ſe facturos, pro inſanis aut fatuis habendi ſunt. Tertia ratio addi poteſt hæc: Quod non dicatur in textu ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, ἵνα ὦ βαπτισμῷ ἀποθανόντων, ſed ſimpliciter ὑπὲρ τῶν νεκρῶν.

*Secunda.* Quare ſecunda aliorum expoſitio eſt: *Baptizari pro mortuis* hîc aliud nihil ſignificare, quam iſto ritu & cum tali profeſſione baptiſmum ſuſcipere, ut jam quaſi mortuorum ac defunctorum vicem geras: paratus 1. dum aquæ immergeris totus non aliter in hoc mundo vivere, quam ſi non amplius eſſes in aut de hoc mundo, ſed omnibus mundanis voluptatibus ac curis valedixiſſes, mortuorum inſtar, qui jam in mundo eſſe deſierunt, nihilque mundanum amplius aut curant aut cogitant 2. cum ex aqua emergis, ſic vivere, ac ſi jam reſurrexiſſes & reſurrectionis futuræ particeps factus eſſes, ut ſenſus hic plane conveniat cum eo, qui legitur *ad Rom.* VI. 3: ubi dicuntur omnes, *qui baptizati ſunt in Chriſtum, in mortem ejus baptizati eſſe, & ſepulti cum eo per Baptiſmum in mortem, ut, ſicut Chriſtus ſuſcitatus eſt ex mortuis in gloriam Patris, ita & ii in novitate vitæ ambulent*, ſcilicet, quaſi jam cæli municipes & πολῖται facti. Senſus hic per ſe facilis ac clarus eſt, & ad probandum reſurrectionem mortuorum futuram, efficax. Nam ii qui baptizabantur, ritu iſto immerſionis & emerſionis teſtabantur ſe mortuorum inſtar eſſe, & ad reſurrectionem adſpirare, quin & eam ſpe præcipere animo ſuo. Et ritu iſto utentes profitebantur ſe impoſterum mundo crucifixos & mortuos vivere velle, mundumque ſibi crucifixum ac mortuum habere velle. Cur vero? Fruſtra ſane utrumque ac ſtolidè, ſi reſurrectio mortuorum non eſt futura. Sic enim colligit Apoſtolus: Fruſtra facient omne, quod ſe facturos promiſerunt qui jam ſunt baptizati, & fruſtra ſunt qui adhuc indies eo animo aut ſic baptizantur.

Scio huic expoſitioni duo objici ſolere: Primum eſt, præpoſitionem ὑπὲρ iſtum ſenſum non admittere. Sed vero quid ſi dicamus præpoſitionem hanc hoc loco præter communem uſum adhibitam eſſe, Latinorum more, qui ſic ſuum *pro* uſurpare nonnunquam hoc ſignificato ſolent, ut cum dicunt, ſublati ſunt pro mortuis, ſepulti ſunt pro mortuis, &c? Alterum eſt: Tum non debuiſſet Apoſtolus voci νεκρῶν præfigere articulum, quod tamen bis facit. Sed vero reſpondeo, Articulum aliquando redundare extra dubium eſt. quamquam cur articulus præfici non potuerit non video, cum Apoſtolus deſignare voluerit, eos, qui baptizari ſolent, vicem quaſi ſubire eorum omnium qui mortui ac ſepulti ſunt. Addunt aliqui; Mutationem perſonæ indicare, Apoſtolum non loqui de eo quod omnibus fidelibus commune erat, ſed de eo, quod à quibuſdam tantum factitabatur. Reſp. Sed vero tum Apoſtolus mihi videtur additurus fuiſſe pronomen ἡμῶν, ut alibi. At vero quia in genere dicit, οἱ βαπτιζόμενοι, nihil vetat credere Apoſtolum ſignificare voluiſſe id, quod ab omnibus fidelibus tum fieri ſolebat: imprimis quia ſi id dicatur, Apoſtoli argumento non leve robur accedit. Concludo: fateri me quidem difficultates has momenti alicujus eſſe. Attamen quia ſenſus Apoſtoli hoc modo acceptus admodum eſt elegans & efficax, aliiſque Scripturæ locutionibus apprime conveniens, ego malim propter ſenſum hunc pulcherrimum difficultates iſtas negligere, quam propter difficultates has, Grammaticas ſane, ſenſum hunc deſerere aut dimittere. Cuilibet tamen in ſenſu ſuo ut abundet, per me licet. Non enim hîc vertitur cardo fidei.

## De Paulo dicente ſe non eſſe miſſum ad baptizandum: 1 *Cor.* I. 17.

### QUÆSTIO XXXVI.

*Quomodo dicat Paulus* 1 Cor. I. 17. *ſe non eſſe miſſum ad baptizandum? cum ipſe non minus quam alii Apoſtoli obſtringeretur generali iſto Chriſti mandato*, Matth. XXVIII. 19. *& eodem cum aliis Apoſtolis fungeretur munere.*

### RESPONSIO.

QUæſtio hæc compendio decidi poſſet hunc in modum: Si dicamus vel Apoſtolum Paulum ſpeciali aliquo privilegio à Jeſu Chriſto à baptizandi onere exceptum fuiſſe, ut tanto magis vacaret atque invigilaret prædicando Euangelio inter gentiles; non aliter quam à menſarum pauperumque cura ſpeciali privilegio excepti fuerunt Apoſtoli: *Acto. cap.* VI. & provincia iſta demandata legitur certis ad id deſignatis Diaconis: vel ſi privilegio iſto Apoſtolum donatum nolimus, tum phraſi iſta, *Non enim miſit me Chriſtus ad baptizandum*, Apoſtolum indicare, iſtam baptizandi curam ſibi non eſſe demandatam tanquam principalem & potiſſimam, ſed veluti acceſſoriam & ſubciſivam; quando videlicet neceſſitas ita poſtularet, aut alioquin per alios ea præſtari non poſſet: cujuſmodi phraſes non paucæ in eandem ſententiam tum in Veteri tum in Novo Fœdere occurrunt: ut cum Scriptura ait *Jerem.* VII. 22: *Non ſum locutus cum patribus veſtris, nec præcepi eis die quo eduxi eos è terra Ægypti* (quicquam) *de holocauſtis & victimis. Sed verbum hoc præcepi eis, dicendo: Obtemperate voci meæ, & ero vobis in Deum & vos eritis mihi in populum*, &c. Similiter *Oſeæ* VI. 6: *Miſerationem volo & non ſacrificium.* qui locus etiam allegatur *Matth.* IX. 13, &c.

Sed preſſius paulum agemus, ob rationem quæſtioni additam, qua ſtatuitur generale mandatum fuiſſe datum Apoſtolis omnibus de baptizando, *Matth.* XXVIII. 19: eoque non minus Paulum quam cæteros Apoſtolos, obligatum fuiſſe, utpote eodem cum cæteris munere fungentem. Sunt qui exiſtimant, in iſto apud Matthæum loco non contineri mandatum generale de baptizando aqua, & quidem ratione hac ipſa potiſſimum moti, quod alioquin Apoſtolus Paulus dicere non potuiſſet, ſe à Chriſto non fuiſſe miſſum ad baptizandum aqua. At uti jam de verbis iſtis Matthæi non agamus, an videlicet iſtis non contineatur mandatum de baptizando aqua, dico rationem illam ex verbis Pauli deſumtam non ſtringere, ad evincendum Apoſtolis mandatum non fuiſſe ut aqua baptizarent; ſed contrario potius probando facere: videlicet cæteros quidem Apoſtolos juſſos fuiſſe aqua baptizare, at Paulum ab onere baptizandi exemtum fuiſſe. Nam alioquin dixiſſet potius Apoſtolus ad aſtringendum argumentum ſuum contra illos ſectatores; Chriſtus non miſit nos Apoſtolos ad baptizandum. At vero quia dicit, *non miſit me*, tacite videtur innuere alios ad baptizandum miſſos fuiſſe. Et quia Baptiſmum tum temporis liquet in magno pretio ac honore habitum fuiſſe, valde veriſimile eſt, creditum tum fuiſſe baptiſmum aquæ à Chriſto mandatum ac præceptum fuiſſe. Attamen eodem, inquit auctor quæſtionis hujus, cum cæteris Apoſtolis munere fungebatur Paulus. Ita eſt. At aliud eſt eodem munere fungi, aliud omnibus ejuſdem muneris partibus fungi: quod pulchre declaratum legere eſt *ad Rom.* XII. 6. 7, 8. Interim fateor ex hoc ipſo dicto Apoſtoli non obſcure colligi poſſe, poſito etiam quod Apoſtolis mandatum generale de baptizando aqua datum eſſe velimus, *Matth.* XXVIII. 19. (quod neſcio qua ratione poſſit negari:) imparem omnino eſſe tum præcepti de baptizando, tum neceſſitatis ex præcepto iſto exiſtentis rationem, cum præcepto de euangelizando aliiſque præceptis univerſaliter ac perpetuo obſervatu neceſſariis. Si enim par omnium præceptorum eſt neceſſitas, tum ſane Apoſtolus non recte dixiſſet, *Non miſit me Chriſtus ad baptizandum.* Diſtinguendum itaque omnino eſt inter præcepta moralia, quæ ſemper & ubique neceſſario ſunt obſervanda, & inter præcepta cæremonialia iſta de quibus indicium aliquod factum eſt quod præciſe neceſſaria non ſint; uti in hoc præcepto ex hoc loco liquet. (Alia enim eſt ratio Cœnæ Dominicæ, quæ imperata omnino eſt, & de qua quod omitti aliquando poſſit, indicium nullum factum eſt:) proinde quæ nec ſemper, nec ubique neceſſaria ſunt, ſed tum & ibi quando & ubi eorundem obſervatio ad præceptorum moralium majorem

majorem profectum procurandum, vel necessaria vel utilis esse creditur. Cæremonialia enim cedere ac servire debent moralibus. Ubi itaque ex eorum observatione periculum vel scandali vel schismatis apparet, ibi caritas, quæ perfectio legis est, & prudentia modum ponere debet in eorum vel usu vel neglectu; uti in hoc ipso Apostoli loco factum esse liquet, in quo Apostolus videns ex cæremonialis hujus præcepti de baptizando nimio amore schismata nata esse, Deo gratias agit, quod pauciſſimos admodum baptizarit, & se à Christo ad baptizandum missum esse negat, non aliter quam si baptismi cæremoniam nullo pene loco haberet.

Hoc idcirco observandum est, ut nobis à duobus extremis caveamus: Ne videlicet aut nimii simus in rigide seu urgendo seu rejiciendo cæremoniæ hujus usu, aut nimis segnes & languidi in eo non usurpando, cum sine periculo aut scandali aut schismatis, adeoque cum spe utilitatis & fructus usurpari potest. Primum fit à Pontificiis: & ab Anabaptistis nonnullis in baptismo adultorum nimis rigidè urgendo, & Pædobaptismo rejiciendo. Illi baptismum adeo rigide urgent, ut eum necessarium omnibus faciant, non necessitate tantùm præcepti, sed & medii: adeò ut sine eo salvari quemquam impossibile esse asserant. qui qua ratione verba hæc Apostoli, *Non misit me Christus ad baptizandum*, exponere possint convenienter sententiæ suæ, ego non video. Hi baptismi adultorum necessitatem adeò præcisè urgent, & Pædobaptismum adeò rigidè rejiciunt, ac si in illius neglectu, & in hujus usu summus religionis apex aut abusus consistat. qui qua ratione ἰσοπειρίαν hanc Apostoli imitentur, aut imitari velle dici possint, ego similiter non video. Si enim Apostolus, quamquam credunt eum baptismum adultorum necessarium judicasse, adeò tamen schismatis odio, & ἰσοπειρίας studio, quin & charitatis ductu raptus fuit, ut gratias Deo ageret quòd neminem baptizasset, & negaret se à Christo missum ad baptizandum, quomodo quæso hi Apostoli hujus imitatores dici possunt, cùm adeò rigidi sunt in rejiciendo Pædobaptismo, & urgendo baptismo adultorum, ut paci ne hilum quidem condonent, & schismata idcirco faciant tantum non innumera? Quanto satius facerent, si cum Apostolo dicerent, non misit nos Christus ad baptibandum, sed ad euangelizandum? Postremum fit ab iis, qui quamquam arbitrantur Pædobaptismum, ac forte baptismum, non esse necessarium sive necessitate præcepti sive medii, tamen ut in gratiam quorundam infirmiorum usurpetur cum expressa non necessitatis præfatione atque agnitione adduci non possunt, & contrà vice versa. Mihi sic statuendum videtur: In ceremonialibus, uti & in hac ceremonia baptismi, utile esse cogitare, Christiano non licere tantùm, sed & incumbere, ut pro ratione commodi aut incommodi, quod ex usu vel neglectu ejus redundare potest in Ecclesiam, dicat vel, Non misit me Christus, vel, Christus misit me ad baptizandum.

## An præceptum generale de baptizando aqua, & adhibita certorum verborum formula, contineatur *Matth.* XXVIII. 19.

## QUÆSTIO XXXVII.

*Servator noster* Matth. XXVIII. 19. *Apostolos ad prædicandum Euangelium emittens, hoc eis mandatum dat,* Μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος αὐτῶν. *Quæritur* 1. *An per baptismum isthic præcisè baptismus aquæ intelligatur? Si sic, iterum* 2. *An mandatum hoc baptizandi peculiare sit mandatum, solis Apostolis, ad eos, qui ex aliena Religione ad Christianum transirent, baptizandum, datum? An autem generale, quod omnes omnino Christianos obliget; etiam eos qui in Religione ista nati & à teneris sunt educati?* 3. *Tum, An & ejusmodi baptizandi formula verbis istis præscribatur, qualis nunc apud Christianos in usu est?* Baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

## RESPONSIO.

*De baptismo aqua, non Spiritu aut doctrina agi Matth. XXVIII. 19.*

REspondeo ad primum, per affirmationem: quia ut alius baptismus quam aquæ sive fluminis, intelligatur, nulla ratio suadet. Aut enim intelligitur baptismus flaminis sive Spiritus S. de quo *Matth.* III. 12. *Act.* I. 5. Aut baptismus sanguinis, de quo *Matth.* XX. 22. *Mat.* X. 32. *Luc.* XII. 50. Aut baptismus doctrinæ & initiationis, de quo est *Act. cap.* XVIII. *vers.* 25. & XIX. 3. *Tit.* III. 5. *Ephes.* V. 27. Non intelligitur baptismus flaminis, sive Spiritus S. 1. quia sic mandasset Christus discipulos suos baptizare Spiritu S. in nomen sive in nomine Spiritus ipsius S: quod absurdum est. 2. Nunquam dicuntur in Scriptura Apostoli vel alii baptizare aut baptizasse Spiritu S. sed vel baptizari vel baptizandi, uti ex locis claris manifestum est. 3. Ipse fluminis sive aquæ baptismus adhibitus est, etiam circa eos qui jam ante Spiritu S. baptizati erant, uti *Act.* XI. 15. 16. 17, videre est. aliquando etiam & ut plurimum ante baptismum flaminis, uti videre est *Act.* VIII. 16. & XIX. 5. Baptismum sanguinis hîc non intelligi, nemo diffitetur.

Quod attinet ad baptismum doctrinæ, non constat satis, an uspiam baptismus vel baptisma, pro doctrina simpliciter in Sacris literis accipiatur. Quod enim ad locum *Act.* XVIII. 15. & XIX. 3, attinet, ibi per *baptisma Joannis* non intelligatur præcise doctrina Joannis, sed doctrina, quæ & quatenus ea sibi habebat conjunctum semper baptizandi ritum. quo sensu etiam *vers. seq.* Joannes dicitur baptizasse *baptismo resipiscentiæ*, quia videlicet doctrina resipiscentiæ, quam prædicabat Joannes, non modo non erat sine ritu baptizandi eos, qui eam recipiebant, sed & ritu isto adeo dilucide ac perfectè repræsentabatur, & veluti obsignabatur, ut ab eo & propter eum doctrina tota Joannis, baptisma Joannis appellaretur: adeo ut, si doctrina Joannis absque aquæ baptismo fuisset, ea baptisma nominata non fuisset. Quod ad locum *Tit.* III. 5, attinet, ibi *lavacrum regenerationis* idem significare quod doctrinam regenerationis, nullo verosimili argumento evinci potest. Nihil enim vetat, per *lavacrum regenerationis* ibi intelligi, usitato Hebraismo, ipsam regenerationem, quæ lavacri instar est, quo à peccatis mundamur; uti signum circumcisionis, pro circumcisione quæ signum est, corona gloriæ, corona vitæ, pro gloria & vita, quæ coronæ instar sunt, aliaque similia, sumi solent. *Lavacrum* itaque ibi non est idem quod baptismus aut aqua baptismi; sed metaphoricè aqua quælibet mundans & lavans à sordibus. Similiter *ad Ephes.* V. 27, per *lavacrum aquæ* intelligi omnino debet, vel lotio à peccatis purissima, per eandem metaphoram; quia scilicet lotio sive mundatio omnis per aquam puram fieri solet, cujusmodi metaphora etiam legitur, *ad Heb.* X. 22. 23: *Accedamus cum vero corde, & certa persuasione fidei, adspersione purgati cordibus à conscientia mala, & abluto corpore aqua pura, teneamus confessionem spei non vacillantem*, &c. ut sensus sit: postquam eam purgasset à peccatis, non aliter quam, vel sicuti lavacro aquæ puræ purgari & mundari omnia solent; ut ἀπόνιψις hîc statuatur particulæ ὡς, *sicut*, quæ ἀπόνιψις non raro obvia est in Sacris, uti in Oratione Dominica, *Fiat voluntas tua in cælo*, pro ὡς ἐν τῷ οὐρανῷ, (οὕτω) καὶ *sic etiam in terra.* Et 1 *Petri*, III. 20: olim immorigeris: ὅτε ἅπαξ ἐξεδέχετο, &c. pro ὡς ὅτε ἐξεδέχετο. Vide etiam 1 *ad Corinth.* X. 17. Et hac ἀπόνιψει admissa, optime tum intelligitur id quod sequitur, οὐ ῥύπου in verbo, ut ῥύπος sive verbum Euangelii dicatur medium istud, οὐ ᾧ, sive δι' ὃ, per quod, purgatio ista facta fuerit, similis purgationi quæ per aquam fit. Sic enim tum fluunt verba: Postquam eam purgasset ἐν, id est, vel λόγῳ, vel σὺν ῥύπῳ, non aliter, quam lavacro aquæ mundo. Quod si tamen velimus præcisè verbis inhærere, & dicere allusionem hîc fieri ad baptismum aquæ, vel potius per *lavacrum aquæ* baptismum intelligi, tum sensus erit metonymicus, quo signo ttibuitur effectus qui rei signatæ competit, id est quo baptismo tribuitur purgatio, quæ fidei propria est, quæque baptismum sive baptismi susceptionem antecedit. Non enim baptizantur nisi fideles: Fide autem purificari corda, sive ante baptismum purificata esse, dicit Petrus *Act.* XV. 9. & metonymici hujus sensus indicium tum erit, quod additur, ἐν ῥήματι, id est, baptismo cum verbo prædicato & credito conjuncto. ἐν enim pro σὺν, non raro accipi manifestum est. Quidquid sit, in neutro loco, doctrina vocatur baptisma, vel baptismus simpliciter, nec uspiam alibi quod scio.

Esto tamen alibi sic accipi; cur hoc loco sic accipi non possit ratio manifesta est: quia alioquin ter idem in tam brevi periodo diceretur, per ineptam admodum πλεονασμίαν. Dicitur enim primo, μαθητεύσατε. Deinde *vers. seq.* διδάσκοντες αὐτοὺς τηρεῖν, &c. Quare si βαπτίζοντες etiam significet docentes, tum dicendum erit, Christum discipulis suis mandasse ut docerent omnes gentes, docentes eas in nomine vel nomen Patris Filii & Spiritus sancti, & docentes eas observare omnia, &c. Quæ profecto πλεονασμία inepta foret. Dices: Μαθητεύσατε non significat proprie docete, sed discipulos facere. Esto, inquam. At discipulos facere non poterant nisi docerent, & quatenus docerent ea, quæ ad Religionem Christi pertinebant. Discipulus enim & Doctor sunt relata. unde Marcus *cap.* XVI. 15, non utitur verbo Μαθητεύειν, sed verbo κηρύσσειν, id est prædicare, sive docere. Deinde

inde μαθητεῦσαι sive Hebræum תלמד non significat hoc loco simpliciter docere tantum, sed docere ita ut discipulos sive תלמידים consequaris: unde Christiani primitus μαθηταὶ sive discipuli vocabantur: *Act.* XI. 26. Id apparet ex *Act.* XIV. 21. εὐαγγελισάμενοί τε τὴν πόλιν ἐκείνην, καὶ μαθητεύσαντες ἱκανούς, id est, cum docendo Euangelium, discipulos multos fecissent, &c. Deinde, ex eo, quod per μαθητεῦσαι istam ad fidem adducebant homines, priusquam eos baptizarent. unde Marcus disertè fidem præmittit Baptismo, *cap.* XVI. 16: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, servabitur.* Aliud ergo baptismus, aliud μαθητεῦσαι. Hæc enim illum præcedit cum effectu fidei conjuncta: Ille hanc sequitur. Unde scriptor constitutionum quæ Clementi adscribuntur, sic explicat verba Christi: Δεῖ ὑμᾶς πρῶτον πᾶσαν αἱρεῖσθαι ἐξελέγχοις, εἶτα τὴν εὐσέβειαν αὐτοῖς ἐγκαβιδάσαι, καὶ τῷ βαπτίσματι ἀξιῶσαι. Hinc de Christo etiam dicitur, *Joan.* IV. 1: quod plures discipulos faciebat (πλείονας μαθητὰς ποιεῖ, in textu est) prius quam baptizaret aqua, seu per discipulos suos eos aqua baptizari aut juberet aut sineret. Notandum tamen est, per μαθητεῦσαι hanc intelligi talem doctrinam vel prædicationem, qua fides prima credulitatis ingenerabatur; quam deinde sequebatur accuratior solidiorque institutio, quæ ultimo verbo διδάσκοντες αὐτοὺς τηρεῖν, &c. indicatur, qua fides profundius inculcatur. Illa fiebat per modum κατηχήσεως sive εἰσαγωγῆς τῶν μυουμένων: Hæc per modum ἀκριβεστέρας διηγήσεως, cujus effectus erat ἐπίγνωσις τῆς ἀσφαλείας: *Luc.* I. 4. & *Act.* XVIII. 25. 26. Colligo ergo. Non intelligitur hîc nec baptismus flaminis, nec baptismus sanguinis, nec baptismus doctrinæ aut initiationis in disciplinam Christi. Ergo intelligitur baptismus fluminis sive aquæ proprie sic dictus. Alia enim baptismi significatio non datur.

Accedit ad hanc rationem etiam altera. Nempe praxis Apostolorum, tempore Joannis Baptistæ, & post ipsum Jesum à Joanne baptizatum, cœpta quidem & inchoata (jussu an injussu Christi, incertum; sciente tamen ac volente Christo, certum,) sed post acceptum hoc mandatum continuata, & non observata tantum, sed & præcepto expresso ab Apostolis imperata, & ab iis qui credebant expetita ac postulata; quod signum omnino est, praxin istam non fuisse nisi executionem mandati à Christo Jesu in hoc capite facti. Loca, unde id patet, clara sunt. *Act.* II. 38, Petrus jubet eos, qui ad concionem ejus compuncti corde erant, & remedium doloris sui desiderabant, non resipiscere tantum, sed & baptizari in remissionem peccatorum. & *vers.* 41 dicitur, *Et qui libenter receperunt sermonem Petri, baptizati sunt. Cap.* X. 47, quando in Cornelium centurionem & domesticos ejus inter docendum illapsus erat Spiritus S. ita ut linguis omnes loquerentur, non tantum baptizat eos, sed & quærit, *Num quis aquam prohibere potest, quominus baptizentur ii, qui Spiritum sanctum acceperunt sicut & nos?* Jubetque eos baptizari in nomen Domini. *Act.* VIII. *vers.* 13, Simon Magus à Philippo baptizatur. & *cap.* eodem, *vers.* 38. Philippus rogatur ab Æthiope Eunucho Reginæ Candaces, jam instructo de Christo ejusque religione; *En aquam! quid prohibet me baptizari?* Et audita ejus fide, cum eo ex curru descendit & baptizavit eum. Idem Philippus in eodem *cap. vers.* 12, tum viros tum mulieres Samariæ baptizasse dicitur, postquam ipsi crediderant Euangelizanti quæ ad regnum Dei & nomen Jesu Christi pertinebant. *Act.* IX. 18, Ananias Paulum baptizat, & baptizari jubet *Act.* XXII. 16. Paulus *cap.* XVI. 15, Lydiam & domum ejus baptizat: & *vers.* 33, commentarienses cum omnibus ejus domesticis. & *cap.* XVIII. 8, Crispum Synagogæ præfectum cum tota domo sua; & *cap.* XIX. 4, duodecim Ephesinos viros, Joannis sectatores, si antiquitati universæ & literæ textus repugnare nolumus. Idem postea usitavisse Apostolos ex Epistolis eorum liquet. *Ad Rom.* VI. 3. & 1 *Corinth.* I. 13. & XII. 13. & XV. 29. *Gal.* III. 27. *Ephes.* IV. 5. *Coloss.* II. 12. Quis credat Apostolos hos, tam serio, tam constanter, ubique, apud omnes, ritum hunc baptizandi non observaturos tantum, sed & imperaturos fuisse, nulla mandati religione obstrictos? Sane, si id autoritate sua, & ex sententia propria, injussu Domini sui eos fecisse velimus, vix est, ut alterum horum non fuisset consecutum: Aut ritum istum, sive seorsim sive in Concilio aliquo, à se institutum esse narrassent: Aut in isto à se instituto ritu tam serio, tam constanter perseveraturi non fuissent. Perseverasse autem adeo certum est, ut nullum post ipsos Apostolos seculum, nulla uspiam Ecclesia Christi fuerit, ad hæc nostra usque tempora, ubi Baptismus veluti ritus à Christo institutus, usurpatus non sit, hodieque usurpetur; solis exceptis Manichæis, Seleucianis, & Hermianis, qui in censum non veniunt & numerum non faciunt. Augustinus Hæres. XLVI de Manichæis: *Baptismum in aqua nihil cuiquam perhibent salutis adferre, nec quemquam eorum quos decipiunt, baptizandum putant.* Idem Hæres. LIX de Seleucianis & Hermianis: *Baptismum in aqua non suscipiunt.* Et ante eum Philastrius: *Seleucus & Hermias hæretici, animas hominum de igne & spiritu esse existimantes, isto baptismo non utuntur, propter verbum hoc quod Joannes Baptista dixit, ipse vos baptizabit in Spiritu & in igne.* Quod Socinus lib. de Baptismo aquæ, *cap.* XV. in contrarium adfert de Novato & Novatianis, id planè erroneum est. Locus est apud Eusebium, Historiæ lib. VII. cap. VII. ubi hæc verba sunt: ἐπὶ πᾶσι δὲ τούτοις ὁ λαμπρὸν ἀφηγεῖτο τοῦτο ὅ ἄμοιρος, ὡς τὸν τε πρὸ αὐτοῦ πίστιν καὶ ὁμολογίαν, &c. Respondeo: At vero certum est Novatum non baptizasse tantum, sed & eos qui in Ecclesia Catholica baptizati erant, iterum baptizasse; quia ab ea baptizatos pro non baptizatis habebat: uti de eo præter Theodoretum & alios testatur Cyprianus in Epistola ad Jubaianum. Quare dicendum est mentem Dionysii apud Eusebium hanc esse, Novatum abrogasse baptismum, quia baptimum Catholicorum non agnoscebat; non autem ἁπλῶς quia baptismum nullum agnoscebat; cum & ipse baptizaret, & nonnunquam rebaptizaret.

Dices: An ergo mandatum continetur istis verbis, βαπτίζοντες αὐτοὺς, &c. Vox enim βαπτίζοντες participium est, non imperativus modus. Resp. Etsi fateor, participium istud sic accipi posse, ut non sit imperativum, sed indicativum, vel concessivum ejus, quod ante à discipulis fieri solebat; quasi dixisset Christus: Ite & docete omnes gentes, usurpantes porro me non refragante etiam ritum istum, baptizandi aqua, quem hactenus usurpare à temporibus Joannis soliti estis. Tamen participium istud hic vim imperativi modi habere, colligo ex eo, quod baptismus iste ante usurpatus, si non jussu Christi, saltem non minus Dei consilio & voluntate usurpatus videri debeat, quam baptismus Joannis, *Luc.* VII. 29, 30. aut, si id non audeamus adserere, (quod tamen cur adserendum non sit, non video) ex eo colligo, quod Apostoli istud per modum imperativum, sive per modum mandati enunciatum, acceperint, prout ex praxi eorum consecuta apparet. Existimo tamen participio isto uti maluisse Christum, quam imperativo modo, idcirco quia mandatum hoc cæremoniale erat, quod obligare non poterat ad semper & pro semper, sed tum tantum, cum baptizandi aquâ occasio esset futura, & sine periculo aut metu schismatis, baptizandi ritus usurpari posset.

Dices: Attamen Apostolus diserte ait, *se non missum esse ad baptizandum, sed ad Euangelizandum: 1 ad Cor.* I, 17: Resp. Imò quia Apostolus id de se solo ita affirmat, eo non obscurè indicat, alios Apostolos ad baptizandum missos fuisse; uti supra ad quæstionem præcedentem respondimus. 2. Nihil vetat, imo necesse fere est, ista verba Apostoli sic accipere, ut non consilium & voluntatem Dei notent; quasi dictum esset, Non voluit Deus me mittere ad baptizandum; Nam diserte se baptizasse postea affirmat: sed eventum tantum. quasi dixisset, Provincia euangelizandi mihi demandata, tantum mihi temporis atque otii ademit, ut de baptizando vix cogitare potuerim, atque inde evenerit ut paucos admodum baptizaverim, manu (ut interpretor) mea propria. Plures enim quam hos à Paulo sive jussu Pauli baptizatos fuisse, ex Actis Apostolorum constat, quæ ante citavimus. Ex eventu autem isto colligo, me *non missum* fuisse *ad baptizandum, ne quis diceret me in nomen meum baptizasse*, ut est *vers.* 15: *sed ad euangelizandum.* Commodè autem & oportunè admodum id evenit, uti nunc video, quia iste ritus si crebrius & apud plures usurpatus à me manu mea propria fuisset, schismati huic non levem fomitem præbiturus fuisset. Sed de hoc loco vide alia plura, quæ ad præcedentem quæstionem respondimus.

Dices porrò: Si verba ista mandatum baptizandi aquâ continent, tum sane Apostoli si id sic intellexissent, juxta mandatum istud se gessissent, & baptismum administrassent in nomen Patris, Filii, & Spiritus sancti. Atqui nunquam & nusquam id fecisse leguntur, sed semper tantum in nomen vel in nomine Christi, sive Jesu Christi, sive Domini Jesu, sive Domini: ubi nominis, in quod vel in quo baptismus ille ministratus fuit, fit mentio. *Act.* II. 38. & X. 4. & XIX. 5. Resp. verba ista βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ πνεύματος ἁγίου, non continent modum loquendi, quo in baptizando uti jubentur Apostoli; sed rem tantum, cujus ratio præcipua in baptizando habenda erat, quocunque demum modo baptizarent. Non enim dicitur, docete baptizantes, id est, quando baptizatis, pronunciantes nomen Patris, Filii, & Spiritus sancti: quod fieri poterat non expresso trium istorum nomine. Optimè autem ac certissimè id fiebat, quando in nomen Jesu Christi, vel Domini Jesu, vel Domini simpliciter, Baptismus administrabatur. Eo ipso enim agnoscebatur Jesum esse promissum illum Messiam, idque testatum factum fuisse tribus testimoniis: Patris, qui eum dilectum Filium suum esse in Baptismo primum, *Matt.*

III. 17.

III. 17. Deinde in monte cum transfiguraretur, *Matth.* XVII. 5. & 2 *Pet.* I. 16. 17. & rursum *Johan.* XII. 28, testatus fuerat. Deinde Filii ipsius Jesu, qui id ipsum passim de se ipso testatus legitur: *Joan.* VIII. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. & *cap.* X. 36. Denique Spiritus sancti in Apostolos effusi, cujus impulsu Apostoli exciti fuerunt, ut Jesum esse Christum, sive Messiam illum, intrepide testarentur palam & coram omnibus; uti Petrus in concione sua prima post acceptum Spiritum sanctum fecisse legitur; *Act.* II. 36. *Certo sciat ergo tota domus Israelis, quod Deus hunc fecerit Dominum & Christum.* & passim alii Apostoli atque Discipuli Christi: uti in Actis Apostolorum videre est, *cap.* IX. 20. 22. & XVIII. 5. 28. Vel, si malimus, *In nomen Jesu Christi baptizari*, aliud nihil esse, quam Religioni isti quæ à Jesu Christo denominatur Religio Jesu Christi, totum se addicere; tum optime etiam baptismus in nomen Jesu Christi sic administratus, continebat nomen Patris & Spiritus sancti, quia ista Religio Jesu Christi, non habebat nec habere poterat alium auctorem quam Patrem, uti passim legere est: & pro Religione à Deo Patre profecta habita non fuisset, nisi Spiritu Dei Patris sancto, id est divina miraculorum incredibilium & nunquam ante patratorum vi ac virtute confirmata fuisset. Quare Apostoli baptizantes in nomen Jesu Christi, si non verbis, quod necesse non erat, saltem reipsa, in nomen Patris, Filii & Spiritus sancti baptizasse dicendi sunt. Nec dubium mihi videtur, quin Apostoli sic in nomen Jesu, vel Jesu Christi baptizaverint, quia mentem Jesu Domini sui eam esse sciebant, ut eum esse Christum illum prædicarent; & qui id crediturі essent, per baptismum ei auctoratos atque addictos esse ostenderent: certi id fieri non posse, quin Patris simul ac Spiritus S. interveniret cogitatio; non autem ut in nomen Patris Filii ac Spiritus S. Baptismum administrari simpliciter indicarent; quia hoc fieri potuisset, ut tamen propterea Jesum esse Christum illum non crederetur, uti ex reipsa liquet. Hoc tamen potissimum ante baptismum credi debuisse, apparet ex *Act.* VIII. 37. & passim alibi. Vide in hanc rem Sozomenum lib. VII. cap. XXVII. ubi Eunomium Cyzici Episcopum pro Eleusio creatum, primum ait ausum fuisse asserere, divinum Baptismatis lavacrum unica immersione debere peragi. quamquam postea in eodem cap. autorem ejus sententiæ faciat Aetium Syrum Eunomii præceptorem. Addit autem istos sic traditionem ab Apostolorum temporibus ad usque istud tempus observatam violasse. Paulo post tamen se revocans sic ait: At verius credo (uti etiam aliis videtur) dicunt hi, qui tradunt, Theophronium Cappadocem & Eutychium istius sectæ fautores, cùm temporibus Imperatoris qui proxime successerat, se ab Eunomio divisissent, nonnulla cum in aliis Eunomii decretis, tum in S. baptismate novare cæpisse, non in Trinitatem sed in mortem Christi baptizandum esse asserentes.

Si dicas insuper: Non videri præceptum de baptizando aquâ verbis istis contineri, eo quod permulti veri & reliquis præstantiores Christiani aquæ baptismo tincti non fuerunt, uti Apollos, de quo *Act.* XVIII. & ipsi Apostoli, ac LXX discipuli; item illi centum & viginti de quibus *Act.* I. 15. & quingenti illi fratres, quibus semel Dominum Jesum, postquam à mortuis resurrexerat, visum fuisse Paulus scribit, 1 *Corinth.* XV. 6. Resp. 1. Ex incertis nihil certum concludi. Nam non sequitur: Non legitur istos baptizatos esse: Ergo baptizati non fuerunt. 2. De quibusdam certum est eos baptizatos fuisse, si non baptismo Christi, saltem baptismo Joannis, ut Apollos sive Apollonem, & Andream qui discipulus Joannis Baptistæ fuisse dicitur, *Joan.* I. 37. 41. quales plures fuisse non est dubium. An autem qui à Joanne baptizati fuerant, iterum baptizari potuerint, vel, si potuerint, an omnino debuerint, controverti solet. Si velimus omnino iterum baptizari debuisse, quid verosimilius, quam eos iterum baptizatos fuisse in nomen Jesu Christi? uti XII Ephesinos viros à Joanne baptizatos primò, à Paulo secundò baptizatos fuisse antiquitas pene tota credidit, & collegit ex verbis *Act.* XIX. 4: *Qui vero illum audierunt, baptizati sunt in nomen Domini Jesu.* 3. Posito etiam Apostolorum & discipulorum LXX neminem, baptismo ullo sive Joannis sive Christi tinctum fuisse, certum tamen est, istud mandato huic præjudicare non posse. Alia enim est ratio eorum, qui immediatè vocantur à Christo ad baptizandum; alia illorum, ad quos ii mittuntur; uti in exemplo Joannis Baptistæ videre est, qui missum se esse dicebat à Deo ad baptizandum: *Joan.* I. 33. & tamen à nemine alio baptizatus ipse est. Quare, uti Joannes quamquam non baptizatus, tamen mandato Dei baptizabat; ita Apostoli & LXX discipuli, quamquam à nemine baptizati, à Christo tamen baptizandi mandatum accipere potuerunt. Ut jam non dicam esse inter Veteres, qui censent Apostolos aut Apostolorum aliquos, nominatim Apostolum Petrum, ab ipso Christo baptizatos fuisse: qui, etsi ordinariè non per se sed per discipulos baptizaret, ut est *Joan.* IV. 2; tamen aliquem vel aliquos potuit baptizasse, ut haberet baptizatos, per quos alios baptizaret. Sed hac in re ego momentum nullum colloco.

Hæc ad primam quæstionem sufficiant. Ad secundam resp. Cum quæritur an mandatum hoc baptizandi, peculiare sit mandatum, solis Apostolis datum, tum sensus quæstionis non est, An nullis aliis quam Apostolis licuerit baptizare? Contrarium enim manifestum est ex variis locis: *Act.* VIII. 12. 13. 38. & IX. 18. & X. 48. Sed sensus est, an ita peculiare sit mandatum, ut tum ad Apostolos quatenus ad incredulos Judæos & gentes mittendi erant, tum ad alios eorum discipulos ad talem vel similem populum ablegatos vel ablegandos dumtaxat pertineat; An vero mandatum ita sit generale, ut ad omnes verbi divini administros, etiam non ad talem populum missos, sed qui ad conversos jam & in Christiana religione natos & educatos mittuntur, pertineat? Breviter: An hoc mandato jubeantur baptizari tantum Judæi & gentiles, ad Religionem Jesu Christi transeuntes, sive id fiat ab Apostolis, sive ab aliis Evangelii Jesu Christi administris? An vero etiam ii, qui ex Christianis parentibus nati & in religione Christi à teneris educati sunt? Respondeo: Aut volumus σύμβαπτισμὸν non esse nisi tesseram, notam, signum vel sigillum, quale diplomatis suis Reges affigere solent, professionis publicæ quod Christiani religione simus; cujusmodi signum in populo Israelis erat Circumcisio. Sic cæremoniæ hujus mandatum erit, non peculiare, tantum ad eos pertinens, qui ab aliena religione ad Christianam transeunt; sed universale, pertinens ad omnes, qui professione Christiani sunt, tum adultos, tum qui ex adultis nascuntur, & in Christiana Religione educantur, quamquam professionis publicæ incapaces adhuc; plane uti Circumcisio tum ad Abrahamum adultum ejusque domesticos, tum ad omnes ex Abrahamo descendentes parvulos pertinebat. Aut volumus, quod certum est, baptismum hunc aquæ signum fuisse resipiscentiæ, & sigillum seu σφραγῖδα remissionis peccatorum ante eum susceptum perpetratorum. Sic baptismi aquæ mandatum primum quidem ac principaliter pertinebit ad eos, qui, vel renunciato atheismo, vel deserta seu patria seu propria religione, per quam peccatores graves constituebantur, transibant ad Religionem Christianam, cujusmodi ab Apostolis baptizatos esse passim legimus. Secundario autem seu minus principaliter pertinebit etiam ad eos, qui, etsi in Religione Christiana nati & à teneris educati sunt, nihilque eorum fecerunt, quæ primos istos fecisse diximus, sic tamen semper non vixerunt, ut non peccatorum quorundam reos se fecerint, quorum pœnitentia duci debeant. Ad pœnitentiam enim & resipiscentiam non requiritur semper transitus ex aliena religione in eam quæ vera religio est, uti apparet in baptismo Joannis, qui erat baptismus resipiscentiæ in remissionem peccatorum, & tamen præcipiebatur Judæis veram & eandem cum Joanne Dei religionem habentibus; at secundum eam non viventibus, quamquam in eadem illa permanentibus & constanter perseverantibus. Quod si tamen quosdam velimus in Christiana Religione natos & à teneris educatos, sic vixisse, ut resipiscentia opus non habeant, quia nullorum sibi peccatorum gravium (infirmitates excipe) conscii sunt, cujusmodi dubio procul pauci admodum sunt, ac forte nulli, ad eos ego mandatum hoc Christi pertinere, non auderem dicere: sed Christi illud dictum referrem, *Matth.* IX. 12. 13, *In qui valent non opus est medico, sed in qui male se habent. Non veni vocare* (nedum baptizare) *justos, sed peccatores ad resipiscentiam.* Suaserim tamen iis, ut Christi potius exemplum imitari velint, qui, quamquam ἀναμάρτητος, sive peccati omnis expers, à Joanne tamen baptizari voluit, ut ritum à Deo institutum & doctrinam Joannis, cui ritus ille adjunctus erat, tanquam divinam & cælestem approbari à se palam testatum faceret. Atque hæc, salvo meliore judicio, ad secundam quæstionem dicta sunto.

*Quatenus omnes ad baptizandum obligentur.*

Quod ad tertiam quæstionem attinet: Formam baptismi istis verbis præscribi aut contineri, uti jam ante indicavi, non video quo argumento probari possit, fatente ipso Bellarmino lib. I. de Baptismo, cap. III, id impossibile esse, nisi accedat traditio Ecclesiæ: & praxi Apostolorum perpetua ostendente, formulam istam non modo nusquam & nunquam usurpatam ab iis fuisse, sed & aliam longe verborum formulam, de qua supra diximus: si tamen istis verbis formulam certam contineri velimus; quod non usquequaque certum est, & fortasse non verum, si considerentur verba Apostoli, 1 *Corinth.* I. 15: *Ne quis dicat me in nomen meum baptizasse.* Quomodo enim dici id à quoquam potuisset, si formula baptismi certa erat & quidem hæc: *Baptizo te in nomen Christi?* Quod quamvis ita sit, ex altera tamen parte non video quid caussæ esse possit, cur inter Christianos formula

*Verbis baptizantes in nomen Patris, & Filii, & Spiritus S. baptismi formam non contineri.*

ista non retineatur hodieque usurpetur, imprimis cum ea post Apostolorum tempora ab omni porro ævo universali Ecclesiarum omnium Christianarum consensu & usu approbata sit: nisi forte quidam cum Pontificiis formulæ isti sic prolatæ vim quandam inesse dicat, qua fiat, ut ei, qui secundum istam baptizatur, quatenus essentialis baptismi forma est, habitus regenerationis infundatur, ut ex non Christiano Christianus fiat, alioqui talis non futurus. Hoc enim magicum aliquid sapit, & incantationem tantum non redolet, à qua abhorrere debet Christianus animus. Mantissæ loco addo verba ista, εἰς ὄνομα τῦ πατρὸς, &c. connecti posse cum verbo μαθητεύσατε, ita ut verba βαπτίζοντες αὐτὸς, quasi parenthesi legantur. Id si fiat, tum certum esse formulam istam baptizandi, *Baptizo te in nomine Patris*, &c. verbis istis βαπτίζοντες αὐτὸς non contineri: atque istam caussam esse, quod formula ista usi nunquam legantur in Scriptura Apostoli, quando baptizabant: quia ex præscripto Christi docebant in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti.

## Quomodo, si certa sit salus infantium in infantia decedentium, longa vita beneficium Dei censeri possit.

### QUÆSTIO XXXVIII.

*Si vere statuitur, Infantes ætate innocenti vita decedentes, beatæ immortalitatis sive regni cælorum fore consortes; quod ex dicto Domini* Matth. XIX. 13. 14, *aliisque testimoniis & argumentis non temere credit pene tota Christiana natio: Quæritur, Quomodo longa vita inter beneficia censeri possit, uti sit in Decalogo Veteris Fœderis, cujus lex repetitur ab Apostolo* ad Ephes. VI. 2. 3. *etsi diverso aliquatenus respectu: imò an non sit potior infantium conditio, concessis etiam gloriæ gradibus quam reliquorum omnium, inter mille corruptelas maximo cum salutis discrimine adolescentium, ut vulgi habet opinio. Quare etiam multi tenuiores, liberos infantes segnius curant, mortem eorum optant & gaudio prosequuntur.*

### RESPONSIO.

EX præsuppositio fundamento, tanquam concesso & confesso, respondeo per has conclusiones.

*Prima.* Longam vitam non censeri inter beneficia legis, tum Veteris tum Novæ, nisi sub ratione promissionis, quæ fit sub conditione obedientiæ lege præscriptæ: uti ex Decalogo & lege ejus quinta ab Apostolo *ad Ephes.* VI. 2. 3. repetita, quæ hic allegatur, manifestum est. Quare beneficium istud ad infantes, quà tales, pertinere non potest.

*Secunda.* Posito, quod longæ vitæ beneficium ad infantes etiam, quatenus innoxii adhuc & nullius inobedientiæ contra legem rei sunt, pertineat, tale tamen beneficium non esse, quod beneficio æternæ & immortalis vitæ conferri mereatur: ac proinde, si pro longa vita, infantibus æterna detur, infantium conditionem idcirco non modo non deteriorem, sed multo meliorem videri debere. quod adeo verum est, ut si adultioribus ad præscriptum legis viventibus, quibus longa vita promissa est, pro longa vita, æterna statim daretur, haud dubiè beneficium minus majore compensatum esse crederent & gauderent. ut jam non dicam, longam vitam non tale esse beneficium, cui non aliquando brevis vita, propter certos casus, à Deo ipso præferatur: uti videre est in filio Jeroboami puero adhuc, ut videtur, quem Deus præmatura morte è vita hac eripuit, *quod inventa esset in eo res grata Domino Deo Israelis, in domo Jeroboam,* 1 *Reg.* XIV. 13. & in Josia Rege piissimo, quem Deus breviore vita, tanquam præmio contritionis & humiliationis suæ coram se dignatus fuisse dicitur, 2 *Reg.* XXII. 20: *Propterea ecce ego recolligam te ad patres tuos, & recolligeris in sepulchra tua in pace, & non videbunt oculi tui universum malum, quod ego induco contra locum istum.*

*Tertia.* Conditio eorum, qui inter mille corruptelas maximo cum salutis discrimine adolescunt, etsi propter periculum inobedientiæ aut defectionis, deterior esse videatur, quam infantium in ætate prima, absque ullo inobedientiæ aut defectionis periculo, è vita decedentium; tamen multo potior aut melior videri debet, ob quinque causas. 1. Quod scire ac certi esse possint, per obedientiam se consequi posse æternam & immortalem vitam. 2. Quod sciant obedientiam istam inter mille corruptelas & tentationes à se præstari posse, & ad præstationem ejus auxilium divinæ gratiæ sibi nunquam defuturum esse, si modo sibi ipsis non desint, & supplicibus precibus id à Deo obtinere adlaborent. 3. Quod sciant, obedientiam sic præstitam, imprimis si ad eam alios etiam adhortentur, aut exemplo suo per eam aliis præluceant, multo esse gratiorem Deo, quam meram infantium innocentiam. 4. Quod obedientiam illam præstantes spe vitæ æternæ ac fiducia divinæ gratiæ toti impleantur, & pace Dei, quæ omnem intellectum superat, tanquam præsidio aliquo in cordibus suis ita muniantur, ut in ipsis malis atque adflictionibus non gaudeant tantum, sed & glorientur, sub spe gloriæ filiorum Dei. 5. Quod pro gradu obedientiæ, Deus admensurus ipsis sit gradum gloriæ. Quæ omnia ignorare ac non percipere posse infantes prima ætate morientes, certissimum est; ut jam non dicam, incertum esse, cujus gradus gloriæ capaces ii sint, nedum quis gradus gloriæ eis à Deo adsignandus sit. Unde consequitur conclusio

*Quarta.* Eos qui liberos suos infantes segnius idcirco curant, aut mortem eorum optant, & gaudio prosequuntur; quod credant eos in infantia morientes beatos esse, pessime agere, aut nescire quid faciant: Qui segnius eos idcirco curant, quam segnitiei suæ speciem possunt prætexere? Nesciunt enim an non supervicturi sint infantes, & superviventes ac segniter curatos in majore salutis suæ discrimine versari sciunt; se vero etiam segnitiei istius suæ gravem rationem reddituros, & durioris supplicii reos actum iri, scire debent. Qui segnius quidem eos non curant, sed mortem tamen eorum optant, sola ista persuasione adducti, quod in ista innoxia ætate morientes, extra periculum inobedientiæ aut seductionis positi erunt, & Angeluli in cælo futuri sunt, ii inconsideratè admodum agunt. Nam nec Deo liberum prorsus relinquunt de vita & morte liberorum suorum arbitrium, sed voto suo id præoccupant; & incerti, quid Deus de eorum vita aut morte statuerit pro sapientia sua, certum pro affectu suo decretum fieri optant. Nec liberos suos serio satis amant, quia voto suo iis præripiunt occasionem illustrandi divinam gloriam, per voluntariam & generosam obedientiam; proximi sui salutem promovendi, vitæ sanctioris suæ exemplo; & contendendi ac grassandi per pericula & adversa, per mille discrimina ad propiorem cum Deo amicitiam, & gradum præmii in glorioso ejus contubernio digniorem atque excellentiorem. Ut jam non dicam, votis istis fere prætexi liberorum amorem, sed otii, incuriæ, vitæque à solicitudine in educandis liberis vacuæ desiderium, in caussa esse. Qui mortem liberorum suorum infantium gaudio prosequuntur, eo animo, quod credant Deum iis benefacere voluisse, præfestinè eos eripiendo ex valle miseriarum & tentationum periculosissimarum ac transferendo eos in beatam requiem suam, ii fruantur isto gaudio suo. At si eo animo mortem eorum gaudio prosequuntur, quod credant, satius potiusque esse, maturè eripi ex vita hac, propter periculum seductionis, quam diu vivere sub spe intimioris cum Deo amicitiæ, & majoris gloriæ; tum falluntur, & nesciunt quid faciant. Multo tamen rectius faciunt, quam ii, qui istius ejusdem persuasionis pleni, nihilominus nimium graviter ac diu infantium suorum mortem lugent, aut mœrore tristi ac diuturno ea propter se conficiunt. Qui vero credunt, electionem & reprobationem absolutam ad infantes in infantia morientes, sive gentiles sive ex fœderatis parentibus natos, etiam pertinere, ii cur ob mortem infantium suorum magnopere aut gaudeant aut doleant, caussam non habent; nisi quod illa ipsa incertitudo funestissima sit, quia metus reprobationis longè spei electionis præponderat, eo quod reprobatorum numerus valde multo major sit quam electorum: unde dolorem ineffabilem facile nasci posse per se liquet.

## An Cæna Dominica à privatis possit administrari, &, An aliquando ab externa Cænæ cum aliis communione sit abstinendum.

### QUÆSTIO XXXIX.

*An vir aut fœmina (modo idonei sint) ubi nullus vel Pastor vel Ephorus Ecclesiæ adest, S. Cænæ administrationem inter suos vel alios peragere possit? Tum. An penitus abstinendum sit externa communione per symbola, ubi Ecclesiæ propositi expressè vel tacitè professiones exigunt quorundam dogmatum, quibus alterius conscientia non adsentitur: vel, ubi synaxis ista tendit ad testandam partis dumtaxat alicujus fœderationem, rejectis aliis Christianis piè ac Christianè credentibus ac viventibus?*

*tibus? ut hoc pacto quis intermissione vel omissione hujus symbolicæ communionis liberius ac solutius exercere possit Christianæ dilectionis officia erga dissidentes.*

## RESPONSIO.

*Ad S. Cœnæ celebrationem non requiri necessariò ut quis eam administret.*

PRima quæstio præsupponit, ad S. Cœnæ celebrationem necessario requiri administrationem, ac proinde personam aliquam certam, quæ administrationem istam peragat, sive sacerdotis in morem, sive præfecti vice, sive ad repræsentandum personam Jesu Christi, & administrationem, quæ ab eo in prima Cœnæ institutione facta fuit. At vero, qua solida ratione præsuppositum istud nitatur, non video. Quin ordinis & δεξιᾶς seu διακονίας caussa id recte fieri credatur, dubium mihi non est: sed ut id necessario fieri debere statuatur, nulla satis gravis caussa est; imo fortasse gravior multo caussa est, ut id multis in locis omittatur, propter ingentem & immanem abusum qui ex eo ritu lapsu temporis natus est, quo administratio illa, quæ priscis temporibus oblatio, id est, oblationis à Christo in cruce factæ commemoratio vocari solebat, per κοίνωσιν in verum ac proprie dictum actum sacerdotalem, quem nemini nisi Sacerdoti ordinato ad id peragere liceat, commutata est.

*Eam olim non fuisse celebratam nisi in cœtu fidelium.*

Sed vero, ut ut id est, certum mihi esse videtur, temporibus Apostolorum, post ingressum gentilium in Ecclesiam Jesu Christi, ritum celebrandi Cœnam Dominicam exercitum non fuisse nisi in cœtu & conventu fidelium, sive is cogeretur in loco aliquo certo cœtibus & conventibus Christianorum dicato, aut destinato, sive in privatis fidelis alicujus ædibus, imprimis quando liberum aut tutum non erat in loco aliquo certo convenire. Hoc puto liquere, *primò*, ex verbis Apostoli, 1 *ad Cor.* XI. 20: *Quando ergo convenitis eodem loci.* & *vers.* 22: *Enimvero num domos non habetis ad edendum & bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis?* &c. & *vers.* 33: *Itaque, Fratres, quum convenitis,* συνερχόμενοι habet textus, *ad vescendum,* id est, ad Cœnam Domini celebrandum, *alius alium expectato. Quod si quis esurit, domi edat, ne ad judicium,* id est, ad gravem aliquam pœnam subeundum justo Dei judicio, cujus mentionem ante fecerat *vers.* 30. 31. 32, *conveniatis. Secundò*, Idem constare potest ex eo, quod Apostolus 1 *ad Cor.* X. 16. 17, &c. dicat Cœnæ Dominicæ celebrationem fieri solitam fuisse ad testandum etiam fidelium inter se communionem, per unam eandemque cum corpore & sanguine Christi, id est, cum crucifixo Christo ejusque doctrina communionem, quæ per participationem panis & vini ejusdem, tanquam corporis & sanguinis Christi symbolorum, in cœtu & conventu eodem testata reddebatur. Sic enim ait: *Poculum benedictionis, cui benedicimus* (omnes pariter scilicet, non cui unus aliquis benedicit) *nonne est communio sanguinis Christi? panis quem frangimus* (pariter scilicet, sive quem fractum edimus) *nonne est communio corporis Christi? Quoniam unus est panis* (id est, per ἀναφοράν, sicut unus est panis οὕτω sic) *unum corpus multi sumus,* (mysticum scilicet) *nam omnes* (simul scilicet & pariter) *ex uno illo pane participamus,* & quæ sequuntur. Ex hoc colligo, eos qui Cœnam Domini seorsim extra cœtum aut conventum fidelium sive plurium sive paucorum celebrant, præter morem Apostolorum & secundarium finem institutionis Cœnæ Dominicæ, qui est communionis fidelium cum Jesu Christo & inter se testificatio, facere. eos vero, qui soli Missas, uti ajunt, privatas celebrant, sine communicantibus, licet in publico aliquo loco aut Ecclesia id faciant, etiam quando liberè ac tutè communicantes adesse possunt, Cœnam Domini in histrioniam commutare.

*Attamen posse aliquando privatim id fieri in una familia.*

Hæc quamquam certa mihi sunt, tamen præceptum aut mandatum aliquod Apostolorum exstare, quo fideles præcisè obstringantur ad non celebrandum Cœnam Dominicam nisi in cœtu & conventu fratrum, id vero mihi non æque clare adhuc liquet; imprimis quia incidere possunt ejusmodi tempora, quibus aut convenire in unum per edictorum severitatem non licet, aut fideles, vel nulli sunt, vel pauci admodum, iique longe à nobis abjuncti, & remoti, adeo ut in una aliqua domo tota fere sit Ecclesia Christiana. Hoc casu Cœnam Domini celebrari in domo ista, ut vetitum ab Apostolis dicam, à me non impetro: quin contra potius credo, eam recte & rite celebrari in domo ista posse, à familia tota Christiana quæ in ea est: dummodo eo animo celebretur, ut, si cœtus fratrum & fidelium aliorum esset, in eo potius quam domi celebrationem facturi essent. Ratio est: Pauci enim isti possunt commemorare mortem Domini inter se, & communionem suam spiritualem isto ritu testatam facere, etiamsi alioquin naturæ aut conjugii vinculo inter se conjunctissimi sint.

His positis ad quæstionem principalem respondeo. 1. Absolutè necesse non esse, ut Cœnæ administratio peragatur ab aliquo Ephoro Ecclesiæ, ac proinde, quia in Christo non est mas nec fœmina, pariter ab omnibus eam peragi posse. 2. ubi ordo ille obtinet, ut Ephorus aliquis administrationem peragat, ordinem istum pacis caussa, & ordinis reverentia, conservandum esse. 3. ubi Ephorus non adest, aut adesse non potest in cœtu publico, licere cuilibet viro, imprimis idoneo, administrationem illam peragere. Quibus enim loqui & docere in cœtu licet, iis cur interdicta crédatur Cœnæ Dominicæ administratio? At viris omnibus loqui in Ecclesia permittit Apostolus, quia mulieres (licet idoneas) excipit; intellige, conjugatas, & quæ viris subjectæ sunt, uti ex utroque textu 1 *ad Corinth.* XIV. 34. 35. & 1 *Timoth.* II. 12, manifestum est. Virgines enim aut viduas non videtur excipere Apostolus, imprimis prophetiæ dono à Deo donatas: 1 *ad Cor.* XI. 5. quia ad eas non pertinent rationes, propter quas Apostolus mulieres vult in conventibus tacere; non docere, sed ἐν ἡσυχίᾳ εἶναι. quamquam certum est, ubi viri (imprimis ideonei) adsunt, æquum esse ut ii mulieribus qualibuscunque præferantur in docendo & administrando. Addo 4 ubi viri nulli conveniunt, sed solæ dumtaxat mulieres religiosæ ac piæ sive fideles, caussam non esse, cur eæ docere se invicem & Cœnam Domini inter se celebrare non possint, cum præceptum memoriam mortis Jesu celebrandi & communionem mutuam testandi, non minus ad fœminas quam ad viros pertineat. *Nam in Christo Jesu non est, neque Judæus neque Græcus, non est servus neque liber, non est ἄρσεν καὶ θῆλυ, mas nec fœmina. Nam omnes vos unus estis in Christo Jesu: ad Gal.* III. 28. Hoc casu ergo, cur mulieri etiam, quæ inter cæteras eminere creditur divinarum rerum intelligentia vitæque pietate, præire non liceat ac pronunciare verba institutionis Cœnæ Dominicæ, siquidem ordinis caussa id credatur necessarium. ego non video. Sane si priscum & antiquum Ecclesiæ morem videamus, quem ex Tertulliano & Tertulliani discipulo Cypriano aliisque allegavit non ita nuper anonymus quidam scriptor, (quem clarissimum Grotium nunc Regni Suediæ Legatum esse arbitror) dubitare vix licet, quin laicis etiam & quandoque fœminis concessum fuerit, utriusque tum Baptismi tum S. Cœnæ administrationem peragere. Hactenus de prima quæstione egimus.

*Etiam ab iis qui nulla munere in Ecclesia fungun-tur, & a fœmin.*

*Cœnæ Dominicæ celebrationem esse præcepti divini.*

Quod ad secundam quæstionem attinet, ad eam duo respondeo. *Primum* est: Cœnæ Dominicæ celebrationem sive externam communionem per symbola, ut vocant, esse præcepti divini proprie dicti, ac non mandati tantum sive instituti divini; quamquam lubens fateor me non nisi per conjecturam intelligere discrimen, quod inter tria ista vocabula est, aut quo sensu discrimen inter ista fecerit vetus Ecclesia, uti supra citatus anonymus autor ait. Rationes multæ dari possent: sed ego intra hanc unam tanquam mihi palmariam consisto. Apostolus 1 *ad Corinth.* XI. 29, &c. diserte præcipit fidelibus Corinthiis, ut operam omnem dent ne indigne celebrent Cœnam Domini: hoc argumento utens, *ne indigne edentes ac bibentes, judicium sibi edant ac bibant*, id est, pœnam aliquam divinam justo Dei judicio in caput suum accersant. Ex quibus verbis sic colligo: Si Cœnæ Dominicæ celebratio non est divini præcepti, tum sane ridiculum & ineptum est argumentum istud Apostoli, quo ad digne celebrandum Cœnam Dominicam fideles hortatur. Quis enim de digne celebranda Cœna Dominica cogitationem aut curam ullam solicitam suscipiat, qui se ad celebrandum Cœnam Dominicam præcepto ullo divino obligari non credit? quis vero etiam adeo demens erit, ut in periculum non dignæ celebrationis, ac proinde gravis alicujus pœnæ ac supplicii se conjecturus sit, qui se sine ulla inobedientia, ac proinde sine ullo salutis suæ periculo ab ipsa celebratione abstinere posse intelligit? Sed vero addo: præceptum hoc esse affirmativum, & cæremoniale quidem, proinde obligandi vim non habere, ex natura præceptorum omnium affirmativorum, imprimis cæremonialium, nisi quando ejus præstandi occasio est. Quare verba ista Pauli, quæ leguntur in 1. *Epist.* ejus *ad Corinth. cap.* XI. 25, *Hoc facite, quotiescunque biberitis, ad meam commemorationem*; non sic accipienda sunt, quasi dixisset Apostolus, Hoc facite, quotiescunque id facere vobis lubebit aut consultum videbitur, non peccaturi scilicet si id non faciatis. Absit; sed facite id, ex vi præcepti divini, quotiescunque ad id faciendum occasio vobis dabitur.

*Quid facienaum sit ubi Ecclesia in partes divisa est, communicandumne cum una sola parte, vel penitus ab externa communione abstinendum.*

*Alterum* est: Quando occasio quidem datur celebrandi Cœnam Dominicam, in cœtu sive publico sive privato, sed qui per schisma aliquod in partes abiit, ita ut celebratio fieri à nobis non possit nisi cum una cœtus parte, tum cautione seria opus est, ne aut solo secessionis factæ odio intermittamus præscriptam nobis à Jesu Christo Domino nostro Cœnæ celebrationem; aut solo Cœnæ celebrandæ studio in partes etiam eamus, ac secessionis & schismatis, quod carnis

opus vocat Apostolus, *ad Gal.* V. 20, per quod excludimur ex regno Dei, correos nos faciamus. Cautio ea hæc est. 1. Aut schisma istud factum est ab una tantum parte, sine justa aut gravi satis caussa, ita ut nos partem istam in culpa esse, solamque schismatis ream persuasum nobis habeamus: Aut ab utraque parte paribus simul animis studiisque factum est, vel si non factum, approbatum tamen simul est; ita ut utraque pars in manifesta culpa nobis esse videatur. Si schisma factum fuerit ab una dumtaxat cætus parte, sive ea major sive minor pars sit, tum vero ego arbitror, fas non esse cuiquam ut supersedeat vel abstineat ab externa communione per symbola cum ista cætus parte, quæ insons & innoxia est, quamque extra schismatis culpam esse persuasum sibi habet. Non licet in hoc casu Christiano ulli neutri esse, ne reverentiam & conscientiam præcepti Domini sui Jesu, de celebranda mortis ejus memoria, sine causa exuat aut deponat; imo necesse esse credo, ut parti innoxiæ se favere & schismatis autores fautoresque, quicunque tandem sint, aversari se, publica cum innoxia parte fœderatione, testetur. Si utraque cætus pars in culpa esse deprehendatur, tum vero etiam ego tanti nobis esse debere arbitror reverentiam præcepti Dominici, ut cum utraque potius parte retinenda sit externa communio quam intermittenda; siquidem per utramque partem liceat id facere, cum professione ac protestatione publica tum displicentiæ tum aversationis & aversionis omnis à partium studio; quando videlicet dissidium natum nobis videtur ex puro puto zelo, qui ex ignorantia aliqua profectus est. Est enim Christiani hominis, operam dare quantum in ipso est, ut tum professione, tum exemplo suo vulneratæ Ecclesiæ Jesu Christi succurrat, partiumque studia aut arceat aut tollat.

Quod si tamen quibusdam secus videatur, qui tutius utiliusque esse credunt in tali casu extra partes omnino se continere, & per abstinentiam à parte utraque, schismatis odium pacisque ac concordiæ suum tum desiderium tum studium testari, ego cum iis pedem non struxerim. Neque enim negandum est, cæremonialium præceptorum observationem cedere debere observationi moralium: ac proinde intermitti etiam posse aliquando & aliquamdiu observationem præcepti de communione externa per symbola, id est, tum baptismi tum Cœnæ Dominicæ celebrationem, quando id fine caritatis fraternæ, quæ præcepti moralis est, violatione aut ruptura fieri aut vix aut omnino non potest. Et hanc sententiam credo fuisse eorum, qui olim veteribus vocabantur Ἀκοιμήτοις, quorum meminit, præter cæteros, Leontius Byzantius de sectis libro, fuitque eorum unus, Joannes ille cognominatus ob id Ἀκοιμήτης, Ecclesiasticæ scriptor Historiæ, commemoratus à Synodo septima, actione quinta. Fuit & sententiæ hujus Joannes Chrysostomus, qui ut refert Socrates lib. VI. cap. 3. Antiochiæ vivens in presbyteratu, cum duæ ibi essent factæ Ecclesiæ partes sub Meletii ac Paulini nomine, ita se subduxit Meletianis post Meletii mortem, ut tamen alterius partis duci Paulino non communicaret, inque ea partium abstinentia quietus mansit per triennium. Quicquid sit, ego prout dixi sic faciendum esse arbitro.

Sed vero quæritur porro, An penitus abstinendum sit ab externa communione per symbola, ubi professioni ac protestationi isti publicæ locus non datur, sed ubi Ecclesiæ præpositi expresse vel tacite exigunt, professionem quorundam dogmatum, quibus non adsentitur alterius conscientia. Respondeo: Si per conscientiam *alterius* intelligatur conscientia nostra propria, omnino ac penitus abstinendum est. Nunquam enim nobis licet profiteri quidquam contra conscientiam nostram, licet erroneam. *Quod enim non fit ex fide, id peccatum est*, ut ait Apostolus *ad Rom.* XIV. 23. Si per conscientiam *alterius* intelligatur conscientia non nostra sed fratris nostri; tum sic distinguo: Aut dogmata ista sunt necessaria creditu ad salutem, aut non sunt. Si necessaria sunt, tum mihi abstinendum nullo modo est ab externa communione per symbola, cum iis qui dogmatum istorum professionem exigunt; eo quod alterius conscientia iis non adsentiatur. Assentiri enim tenetur, alioquin frater non est; si videlicet præcesserit diligens instructio, & infirmitatis ejus ratio aliquamdiu habita fuerit. Si non sunt necessaria dogmata, & eorum tamen ut necessariorum professio acriter & sub excommunicationis interminatione ac denunciatione urgeatur, tum rursus distinguo: Aut ego etiam dogmata ista, licet per errorem, necessaria esse judico, aut non. Si & ego cum Ephoris Ecclesiæ dogmata ista necessaria esse judico, tum mihi ab externa communione per symbola cum iis abstinendum non est, idcirco quia alterius conscientia iis ut necessariis non adsentitur. Mea enim conscientia, licet erronea, mihi lex est, non conscientia alterius, licet optima. Sed vero si ego ea judico non esse necessaria scitu aut creditu ad salutem, & interim professio istorum dogmatum exigitur ut necessaria, tum abstinendum mihi penitus est ab externa communione cum iis, qui professionem istam exigunt, non tam quia alterius conscientia iis non adsentitur tanquam necessariis, quam quia conscientia mea mihi dictat ea non esse necessaria; & non modo non esse fas, ut Ecclesiæ præpositi, ea, quæ non sunt necessaria, necessaria faciant; sed & tyrannidem sapere, adeoque crimen læsæ Majestatis divinæ esse, si non necessariorum dogmatum, tanquam necessariorum, professio exigatur. Nec refert, si dicas dogmata ista vera esse quorum professio exigatur ab iis quorum conscientia iis refragatur, aut illis ut veris non adsentitur. Aliud enim est vera esse dogmata, aliud necessaria esse. Multa vera sunt, quæ tamen necessaria scitu ac creditu non sunt. Tyrannidis autem est, ex non necessariis dogmatis necessaria facere, iisque conscientiam alienam obligare, sive illa non necessaria, vera sint, sive dubia aut controversa. Unde colligo, quando dogmata aliqua creduntur vera esse, cum tamen revera falsa sint, & dogmatum istorum non modo ut verorum, sed ut necessariorum etiam ptofessio rigidè exigitur, sive à nobis sive ab aliis piis alioquin & inculpate viventibus, quorum conscientia iis non adsentitur, imo vero, quibus ut falsis refragatur, tum penitus abstinendum esse ab externa communione per symbola, cum iis, qui professionem istam exigunt.

Neque vero satis est, si qui inter præpositos sint, qui profitentur se falsa ista dogmata non urgere ut necessaria, adeoque eos qui iis refragantur ad communionem externam Cœnæ Dominicæ admittere: quamdiu non constat ea decreto publico ab Ecclesia ista tota, cujus isti præpositi membra sunt, & à præpositis istius Ecclesiæ omnibus, quorum illi sympresbyteri aut collegæ sunt, & à quibus ea ut vera simul ac necessaria creditu in Synodo publica sancita sunt, pro talibus haberi; nedum si contra constet, ea pro talibus etiamnum non haberi, utque decreto contrario retractentur aut revocentur severissime caveri. Qui enim communionem cum præpositis istis profitetur, is non profitetur communionem dumtaxat cum iis, sed cum tota ista Ecclesia, in qua dogmata ista ut vera ac necessaria publico decreto sancita sunt, & quæ contrariorum dogmatum Doctores ac fautores apertos professosque, non modo non ad communionem externam admittendos esse censuit, sed & cætus eorum vi turbandos & doctrinam eorum quovis modo compescendam & arcendam esse statuit, utque arceatur, quà clam quà palam omni ope adlaborat. Cum Ecclesia autem tali, non falsa modo, sed & tyrannica, communionem colere ac profiteri, est falsitatem & tyrannidem istam, si non animo, facto tamen atque exemplo suo approbare, utque ea vigeat floreatque adjuvare: quod nemini Christiano veritatis simul ac pacis amanti facere ullo modo licet.

Quod ad ultimum quæstionis membrum attinet, An penitus abstinendum sit ab externa communione per symbola, ubi communio aut σύναξις ista tendit ad testandum partis dumtaxat alicujus fœderationem, rejectis aliis Christianis piè ac Christianè credentibus ac viventibus, ut hoc pacto quis, intermissione vel omissione hujus symbolicæ communionis, liberius ac solutius exercere possit Christianæ dilectionis officia erga dissidentes. Respondeo: Omnino: sed ea semper lege, ut ubi synaxis non tendit ad testandum partis alicujus fœderationem, rejectis aliis Christianis piè ac Christianè credentibus ac viventibus, sed contra ubi tendit ad testandum fœderationem cum omnibus Christianis piè & Christianè credentibus ac viventibus, ibi intermissio vel omissio symbolicæ hujus communionis desinat: ne religio & reverentia præcepti Jesu, de externa & symbolica hac communione observanda usque dum veniat, prorsus eviloscat: prout omnino futurum esse credendum est, si communionem hanc velimus intermitti aut omitti prorsus semperque posse, propter dissensiones, & quamdiu dissensiones durant; & intermissioni isti vel omissioni prætexamns Christianæ dilectionis officia erga dissidentes. Dissensionum enim finis non erit usque dum Dominus Jesus veniat, easque spiritu oris sui cum Antichristo earum autore conficiat. Quis autem credat, Christum præcipere voluisse mortis suæ celebrationem per symbola, qui dissensiones ad finem usque mundi duraturas noverat & prædixerat, si earum occasione celebrationem istam intermitti & omitti posse judicassetⁿ Sic præceptum sane suum ipse irritum fecisset.

De

## De digna & indigna communione Cœnæ Dominicæ, & de necessitate eam celebrandi

### QUÆSTIO XL.

*Quæritur, Primò, Quibusnam rationibus illi possint adduci ad communionem Cœnæ Dominicæ, qui metu infirmitatis ab ea abstinent, cum dicatur* 1 Corinth. XI. 27. Quisquis ederit panem hunc & biberit poculum hoc, indignè, reus tenetur corporis & sanguinis Domini. *&* vers. 29 *subjungatur*, Qui edit & bibit bibit indigne, sibi ipsi judicium edit & bibit. *Deinde, Quænam requirantur ad dignè celebrandum Cœnam Dominicam. Denique, quid judicii de iis fieri debeat, qui sive ex contemtu, sive ex incuria, sive ex suæ aliorumve infirmitatis consideratione, ab ista communione abstinent, aut se separant?*

### RESPONSIO.

*Metus infirmitatis, quo quidam adducti à participatione cœnæ abstinent, est triplex.*

Respondeo ad primam quæstionem. Præstruendum primo hîc esse, quid per metum infirmitatis intelligatur, antequam, quibus rationibus adduci possint ad communionem ii, qui metu isto infirmitatis adducti, à communione abstinent, percipi queat. Metus infirmitatis tribus modis intelligi potest, pro ratione trium temporum, aut seorsim aut simul sumtorum, in quibus infirmitas illa metuitur. Aut enim tempus esse potest, quod ipsam solemnem Cœnæ Dominicæ celebrationem antecedit: Aut tempus, in quo ritus iste celebrationis peragitur: Aut tempus, quod celebrationem istam consequitur. Quod attinet ad tempus, quod ipsam Cœnæ Dominicæ celebrationem præcedit, id est, non proprie totum vitæ anteactæ tempus, sed id quod vicinum est tempori isti, quo Cœnæ celebratio futura est, sive quod illud proximè aut non longe antecedit. Infirmitas hoc tempore metui potest, ex ea causa, quod tum quis se non satis firmum atque idoneum futurum metuat, ut benè præparato exploratoque animo suo ad communionem accedat, & quidem idcirco, quod vel plane non, vel non satis liberum se adhuc esse sentiat à jugo & habitu peccandi: vel, quamquam conscientiam ab habitu & jugo peccandi liberam se habere aut sentit aut credit; quod excellentiorem tamen & longe digniorem quandam animi præparationem explorationemque ad eam requiri sibi persuadeat, quam cui ipse par sit aut esse possit. Quod attinet ad tempus, quo ipsa Cœnæ Dominicæ celebratio peragitur, infirmitas metui potest, ex defectu sufficientis & ritu isto sacrosancto satis dignæ devotionis, reverentiæ, attentionis & inhæsionis, quas ad eam peragendum requiri credit, ne reus corporis & sanguinis Jesu Christi Domini sui fiat. Quod attinet ad tempus celebrationem Cœnæ Dominicæ subsequens, infirmitas metui potest ex ea causa, quod fieri posse credat, ut postidea vel designet quippiam per quod sanctissima ista actio dehonestetur & dedecoretur, vel saltem ita se non gerat, uti dignum est iis, qui actionem istam publicè & in facie Ecclesiæ totius, adeoque coram Sole ipso, exercuerunt.

*Remedium adversus illum; & quid ad dignè celebrandum Cœnam requiratur.*

Rationes, quibus omnes ac singuli hi adduci possunt ad Cœnæ Dominicæ communionem, elucescent ex responsione ad quæstionem secundam, qua quæritur, quænam requirantur ad digne celebrandum Cœnam Dominicam? Tria autem ego requiri existimo, ad dignè celebrandum Cœnam Dominicam, pro ratione trium istorum temporum quæ adsignavimus. Primum, quod attinet ad tempus istud, quod Cœnæ Dominicæ celebrationem non multo ante præcedit, requiritur animus à peccando alienus, & virtutis ac sanctimoniæ caritatisque fraternæ studio imbutus, cui conjuncta est professio novi Fœderis, quod morte Jesu Christi est sanctum, id est, religionis istius, quæ Novo Fœdere continetur, & Christi morte ac sanguine confirmata est, sincera atque ingenua professio. Ratio est, quia nemo, nisi qui animo ac professione Christianus est, de Cœna Dominica digne celebranda cogitare potest.

Quod attinet ad tempus istud, quo celebratio Cœnæ peragitur; ex duobus in quæstione locis allegatis patet, requiri animum ad sacrum istum ritum peragendum sic dispositum compositumque, ut digne (ἀξίως) eum peragere possit, actuque ipso peragat: id est, non quidem ea re dignum, sed idoneum ad digne, id est, quemadmodum decet ac convenit, eam peragendum. Ut autem digne ritus iste peragatur, duo ante oculos habenda sunt: Finis institutionis, & objectum sive res principalis instituta: Finis institutionis duplex est. Primus, mortis Jesu Christi annuntiatio, non præcise ea quæ verbis cum gratiarum actione fit, sed quæ ipso facto atque usu exercetur, prout olim in ritu Judæorum, qui *Pesach* vocabatur, fieri Deus jusserat & fieri solebat. Secundus, Professio conjunctionis fraternæ, quam cum illis omnibus habemus, qui ex eodem pane nobiscum edunt, & ex eodem poculo nobiscum bibunt, sive, qui societatem nobiscum Christianam profiteri non detrectant, si cætera Christiani sint. Objectum ritus hujus, non tam est panis iste qui frangitur, distribuitur & editur; nec poculum, aut vinum, quod poculo continetur, & ex eo bibitur, quam id quod utroque isto symbolo repræsentatur; id est, tum corpus tum sanguis Jesu Christi, tanquam à se invicem divisa per mortem cruentam, tum bono nostro, tum Ecclesiæ totius, quæ pane isto pascitur & sanguine isto potatur, id est, beneficii Jesu Christi, per mortem ejus acquisiti, per fidem facta est particeps.

Ut ratione utriusque hujus, tum finis, tum objecti, digne ritus hîc peragatur quatuor requiruntur. 1. religiosa, devota atque attenta mortis & beneficii ingentis istius, quod nobis morte sua Christus peperit, meditatio: tum ex parte Dei Patris, qui unigenitum Filium suum sibique dilectissimum, eam licet crudelissimam & ignominiosissimam perpeti pro nobis voluit: tum ex parte Christi, qui eam nulla sua culpa ex mandato Patris sui, pro nobis peccatoribus, adeoque hostibus suis, in gratiam cum Deo Patre suo reducendis subire ultro non renuit. 2. Quæ hanc meditationem excipere debet, religiosa Dei Christique pro tam ingente beneficio veneratio; quæ complectitur, tum internam animi totius humiliationem ac submissionem, tum externam corporis totius factorumque omnium ad religiosam venerationem & seriam reverentiam, compositionem, ab omni tamen superstitione, affectatione, & simulatione sejunctam. 3. Vera ac realis possessio ejus quod professione declaratur, id est, ut id, quod ritum istum celebrantes nos habere aut facere profitemur, reipsa etiam habeamus ac faciamus; nempe duo ista: Primum ut corporis ac sanguinis Jesu Christi, id est, Novi Fœderis religionisque Christianæ revera simus participes. Secundum, ut eos, qui nobiscum Cœnam Domini celebrant, tanquam ejusdem nobiscum corporis membra diligamus. Hoc secundum quid contineat, facile colligere est, ex analogia quæ est inter corpus naturale & mysticum. Quanta enim est consensio & συμπάθεια membrorum inter se in corpore naturali, tanta esse debet consensio & συμπάθεια fidelium inter se in corpore Christi mystico. Sed vero primum istud, ut quis reipsa sit particeps corporis & sanguinis Jesu Christi, non æque facile est colligere. Sic tamen statuendum mihi esse videtur salvo aliorum judicio. Ad hoc, ut quis reipsa sit particeps corporis & sanguinis Jesu Christi, fidem veram ac vivam requiri: Fidem autem veram ac vivam dupliciter accipi posse, ut alia sit roboratior ac firmior, alia imbecillis adhuc atque infirma. Ista fides est eorum, qui in Religionis Christianæ tum exercitatione tum professione adeo confirmati sunt, ut pene non possint peccare, ut conservent se ipsos, & sanctificationem sui in timore Domini tantum non perficiant, adeo ut, si in eo statu perseverent, certo certius sint salvandi. Hæc fides, est eorum qui novitii adhuc sunt Christi nominis professores, & ad religionem Jesu Christi se totos componere quidem incipiunt; attamen, licet aliquamdiu etiam in Ecclesia Christi vixerint, nondum ita peccati habitum exuerunt, ut non aliquando in hoc aut illud incidant; sic tamen, ut peccata illa in quæ incidunt, nec sint ita manifesta, nec crebra admodum, nec valde gravia, nedum scandalosa aliis aut noxia, ut à communione fidelium ac piorum excludi propterea debeant. Hi, quamquam, si in isto statu perseverent, certo servandi non sunt; tamen quando & quia profitentur se eo animo ac consilio ad celebrandum Dominicam Cœnam accedere, ut plane constitutum habeant totis viribus suis jugum peccati omnino excutere, & ad leges Christi vitam suam totam componere, jamque appareat, eos in eo totos esse ut id faciant; hi, inquam, mihi non videntur in eorum ordine censendi, qui prorsus indignè ritum Cœnæ Dominicæ peragant. Nec enim dubitandum videtur, quin, in primordiis nascentis Ecclesiæ Jesu Christi, complures tales fuerint ab Apostolis ad Cœnam admissi, & fratrum nomine censiti, uti patet ex sola *Epistola ad Corinthios prima, cap.* XI. 10. 11. 12. & ex 1 *Joan.* II. 2. & passim alibi. 4. Requiritur dijudicatio corporis & sanguinis Domini; quæ in eo posita est, ut in ipsa ritus hujus celebratione nos ita geramus, quemadmodum rebus tam sanctis, quarum ibi fit commemoratio, dignum est; id est, ut ritum istum discernamus ab aliis vulgaribus edendi ac bibendi ritibus, quibus

corpus & ſanguis Domini non repræſentantur; uti videre eſt 1 *ad Corinth.* XI. 28: ubi verbo διακρίνειν Apoſtolus utitur, quo ejuſmodi dijudicationem, id eſt, excellentiæ rei alicujus præ aliis æſtimationem, notari apparet ex 1 *ad Corinth.* IV. 7. Hæc dijudicatio niſi fiat ab iis, qui ritum hunc celebrant, in ipſum corpus ac ſanguinem Domini peccare dicuntur ab Apoſtolo; ita quidem ut ii rei fiant corporis ac ſanguinis Domini, violati, depreciati & vili habiti ſcilicet, quatenus cibum & potum qui ibi ſumitur, non aliter ſumunt, quam vulgares cibos alios, non autem ut ſymbola corporis ac ſanguinis Domini; atque ita res tam ſacras, prout decet, non æſtimant, neque honorifice ſatis tractant, ſicut tractari merentur. Atque hæc eſt illa probatio, meo judicio, qua Apoſtolus cuilibet mandat ſe ipſum probare; 1 *ad Corinth.* XI. 28: ex occaſione abuſus iſtius, cujus antea mentionem fecerat, qui in Eccleſia Corinthiorum erat, quod videlicet nonnulli in ea ebrii cæremoniam tam ſacram peragerent, nonnulli ſeorſim cum ſuis publice epularentur, & ſic eos, qui cibos ejuſmodi conferre non poterant, pudefacerent & contemnerent, nonnulli vero etiam diſſidia inter ſe alerent, & ſimultates, contentiones ac ſchiſmata foverent. Probatio ergo illa, non tam notat iſthic explorationem ſui ipſius, factorumque omnium ſuorum inquiſitionem, quæ ad univerſam vitam noſtram referatur, quam approbationem animi ſui, factorumque iſtorum, quæ in ipſo ritu celebrationis Cœnæ Domini, requiruntur; ut conveniat cum eo quod *ad Rom.* XIV. 22, dicitur; *Beatus qui non condemnat ſeipſum in eo quod probat.* quamquam hîc Apoſtolus de rebus adiaphoris earumque uſu loquitur. Nolim tamen negare, probationem etiam iſtam, de qua in Epiſtola ad Corinthios agitur ulterius extendi poſſe, ut notet diligentem, ſeriam, adeoque rigidam ſui ipſius factorumque omnium ſuorum exploration em; an videlicet ea talia ſint, ut ad præſcriptum Novi Fœderis, ſive Religionis Chriſtianæ, compoſita videri poſſint, ea, qua ante diximus, ratione. quaſi dixiſſet Apoſtolus, abſque illa prævia inquiſitione & exploratione nemini licere impune ad menſam Domini accedere. Sed verò, ſi verbum hoc διακρίζειν iſto ſenſu accipiatur, tum certum eſt, eo non inquiſitionem aut explorationem meram ac nudam notari, ſed ejuſmodi, quam conſequitur approbatio noſtri ipſius factorumque noſtrorum, quæ à conſcientia noſtra, rectè ſcilicet debiteque informata divinæ voluntatis & Jeſu Chriſti cognitione fit: quo ſenſu vox hæc accipitur *ad Gal.* VI. 4. cui convenit locus 1 *Joan.* III. 21. *Si cor noſtrum nos non condemnet, fiduciam habemus apud Deum.* Nam certum eſt fieri poſſe, ut quis poſt diligentem ſui ipſius factorumque ſuorum examinationem talem ſe eſſe deprehendat, ut maxime adeoque plane ſit inidoneus, qui ad Cœnam dignè celebrandum accedat, id eſt, ut plane ſit profanus atque improbus, aut ſaltem minime vel parum compoſitus ad normam iſtam Novi Fœderis, ad quam examen ſui factorumque ſuorum fecit.

Quod attinet ad tempus celebrationem Cœnæ Dominicæ ſubſequens, iſtud tempus eſt duplex: 1, quod immediate, ſeu non multo poſt celebrationem conſequitur. In hoc requiritur, modeſta, gravis & ſeria ex recente adhuc ſacræ communionis memoria alte impreſſa manente, animi habituſque corporis compoſitio, quæ conjunctam ſibi habeat blandam & liberalem de rebus ſacris confabulationem, & ab omni re vana, ludicra, nedum ſpurca aut turpi & indecora, ſecretam converſationem. Nempe vilipendi videtur, quod facile aut ſtatim animo excidit: & ſterile, quod aut fructum nullum edit; aut non niſi fructum, qui ſimulatque natus eſt, ſtatim iterum perit. 2. eſt tempus vitæ totius noſtræ quod celebrationem conſequitur. Ad hoc non requiritur aliud quid, quam quod ad hominem Chriſtianum conſtituendum neceſſarium eſt, nempe vita, fide ac profeſſione Religionis Chriſtianæ digna, id eſt, pia, ſobria, juſta, cum ſtudio ſemper in melius proficiendi conjuncta.

Hiſce ita conſtitutis, facile eſt colligere, rationibus multis opus non eſſe ad metum iſtum infirmitatis excutiendum aut tollendum. Si enim metus eſt infirmitatis talis, quæ oritur ex ſenſu habitus peccati in nobis adhuc dominantis, quo fieri facile poteſt, ut animum non recte componere poſſimus & præparare ante ritum celebrationis Dominicæ Cœnæ, nec in ipſo ritu, nec poſt ritum, ille metus tollendus non eſt, nec eſt metus infirmitatis, ſed ſenſus habitus dominantis adhuc, cum quo fides ac profeſſio Religionis Chriſtianæ, ac proinde ſpes vitæ æternæ ac ſalutaris cum Chriſto communionis conſiſtere non poteſt. Hic habitus excutiendus eſt ante omnia, ſaltem ut excutiatur magis magiſque adlaborandum eſt: Alioquin in eo permanere, non eſt infirmitas, ſed voluntaria, ſive directa ſive indirecta, in peccato perſeverantia. Si metus ille infirmitatis oritur ex apprehenſione timiæ atque ecſtaticæ cujuſdam perfectionis quæ ad ritum iſtum peragendum neceſſaria ſit, is metus vanus eſt, & putè putè imaginarius, nulla ratione nixus. Hic rationibus his facile tolli poteſt: 1. quia ritum hunc Chriſtianis omnibus à Chriſto præceptum eſſe præſupponitur. Præcepto autem fruſtra obtenditur metus infirmitatis. Nemo enim infirmus eſt ad præcepta Jeſu Chriſti præſtandum, niſi qui ipſe infirmus eſſe vult aut ſua culpa infirmum ſe facit; quia, ut eſt 1 *Joan.* V. 3, *mandata ejus gravia non ſunt.* 2. quia inter præcepta Jeſu Chriſti nullum eſt, quod minus grave aut quod facilius præſtitu eſt, quam hoc cæremoniale. Quis enim dubitet, an facilius ſit ritum hunc ſive cæremoniam hanc peragere, ea qua diximus ratione, quam ſeipſum abnegare, crucem Chriſti portare, inimicos ſuos diligere, & vitam ſuam pro fratribus ſuis ponere? Quare ſi fruſtra obtenditur metus infirmitatis, ad hæc præcepta præſtandum, quomodo non fruſtra atque incaſſum obtenditur metus infirmitatis ad ritum hunc peragendum? Fruſtra autem obtendi metum infirmitatis ad iſta præcepta obſervandum, apparet ex dicto Chriſti, *Matth.* XVI. 28: *Si quis vult diſcipulus meus eſſe,* (poſt me venire eſt in textu) *abneget ſeipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Hic ergo valet illud dictum ſervorum Naamanis Syri, 2 *Reg.* V. 13. *Si rem grandem propheta loquutus fuiſſet tibi,* (id eſt mandaſſet tibi ut faceres) *nonne feciſtes? & quantò magis quum dixerit tibi,* (id eſt, mandaverit levem ſive facilem ſcilicet iſtam actionem) *Lava te, & mundus eris?* 3. Quia fruſtra obtenditur metus infirmitatis ad preces Deo & Chriſto offerendas. Atqui ut illæ rite offerantur, omnia, ſi non plura, quam quæ ad hunc ritum debite peragendum requiruntur, neceſſaria ſunt: quod inde non parum confirmatur, quia potiſſima hujus cæremoniæ pars eſt euchariſtia ſive gratiarum actio, quæ precationis altera nec minima pars eſt, 4. quia metus hic infirmitatis, qui obtenditur, valde nocivus eſſe poteſt. Ex una parte enim reprehenſionem videtur continere eorum qui ritum iſtum celebrant, quaſi arrogantia quadam ducti potius eum celebrent, quam ex conſcientiæ ſuæ debita ſatis informatione: quæ res ad contriſtandum eos facere poteſt. Ex altera parte metum aliis ſimilem injicere, ne de ritu iſto peragendo, ob eandem cauſſam cogitare audeant. Quibus adde 5. quod pleroſque eorum qui infirmitatis iſto metu à communione abſtinuerunt, in fine vitæ ſuæ pœnituerit ſerio neglecti officii ſui, utinam multos non nimis ſero! Fere enim videas eos, qui à communione iſta abſtinent, multa ſibi indulgere, quorum recordatio imprimis in agone mortis gravis ipſis eſt & emendatio valde moleſta ac difficilis.

Hinc colligo reſponſionem brevem ad quæſtionem tertiam. Eos qui ex contemtu à communione hac abſtinent, latiſſimæ culpæ reos eſſe: Qui ex incuria, latæ culpæ: Et utroſque hos prorſus eſſe inexcuſabiles. Qui ex ſua aliorumque infirmitate abſtinent aut ſe ſeparant, eos culpæ quidem reos à nobis cenſendos eſſe, ſed Deo tamen judici relinquendos, qui ſolus corda & renes novit, & ex qua cauſſa per ſe ac proprie infirmitas illa proficiſcatur, penitiſſime exploratum habet. Cujuſque hominis eſt, ſedulo in ſe ipſum deſcendere, & cogitare cum Deo & Jeſu Chriſto vivorum ac mortuorum judice negotium ſibi eſſe, ac proinde curare, ne in ipſum quadret illud; *Non poſſe prætenditur, non velle in cauſſa eſt.*

## De eo quod Chriſtus *Matth.* XXVI. 29. dicit, ſe non bibiturum amplius ex fructu vitis, &c. collato cum *Act.* X. 41.

### QUÆSTIO XLI.

*Quæritur, qua ratione Dominus Jeſus* Matth. XXVI. 29. *dicat, ſe ab eo tempore non bibiturum ex fructu vitis iſto, uſque ad diem ullum, quo ipſum bibiturus eſſet cum diſcipulis ſuis in regno Patris ſui: cum tamen Petrus dicat* Act. X. 41, *ſe cateroſque Apoſtolos una cum Jeſu Chriſto poſt ipſius reſurrectionem & comediſſe & bibiſſe. Qua bibitio veriſimiliter ex fructu vitis fuit, quandoquidem vini potus in iſtis regionibus quotidianus erat.*

### RESPONSIO.

SOlutio quæſtionis hujus pendet ex recta intelligentia phraſeos, *Regni Patris.* dupliciter enim phraſis iſta hoc loco accipi poteſt: quamquam variis in locis aliter accipi ſolet: ut aut ſignificet regnum Patris ſtatim poſt Jeſu Chriſti reſurrectionem inchoandum; aut regnum Patris poſt finem horum ſeculorum conſummandum. Primum ergo ſi volu-

volumus, Dominum Jesum per regnum Patris sui designasse regnum Patris sui statim post resurrectionem suam inchoandum, tum per regnum istud intelligetur tempus istud quadraginta dierum quo conversaturus erat post resurrectionem suam cum discipulis & Apostolis suis, seque iis vivum ἐν πολλοῖς τεκμηρίοις conspiciendum exhibiturus erat: ut est *Act.* I. 3. Tempus autem istud tum vocaverit Christus regnum Patris sui, non quod in eo proprie regnaturus erat Pater, sed quod istud quasi initium erat futurum regni istius, quod ei à Patre destinatum ac promissum fuerat; in quod, quia à Patre suo per suscitationem gloriosam ex morte introducendus erat, hinc pro more suo, ut Patri gloriam omnem tribuat, istud regnum non suum sed Patris sui vocaverit; quamquam Marcus & Lucas non habent vocem Patris, sed Dei; nec Patris mei, sed simpliciter Dei: quod tamen eôdem redit: uti patet ex *Joan.* XX. 17, ubi Christus Patrem vocat Patrem suum ac nostrum; & Deum vocat Deum suum ac nostrum: *Ascendo*, inquit, *ad Deum meum, & ad Deum vestrum: & ad Patrem meum, & ad Patrem vestrum.* An hoc sensu alibi tempus istud vocetur *regnum Dei* vel *regnum Patris Jesu Christi*, non est usquequaque certum. Sunt qui asserunt id sic vocari *Marc.* IX. 1. *Luc.* IX. 27. & *Act.* I. 3. Sed vero ut ut id est (nobis quidem secus videtur) certum est causam nullam esse, cur istud tempus regnum Dei vocatum esse dici nequeat, cum regni, id est, gloriosi istius regiique status Jesu Christi quem Pater ei destinaverat ac promiserat, auspicium isto tempore futurum esset. Si enim non raro tempus istud, quo primum publicandum erat regnum cælorum per Christum & Apostolos ejus in terra Judæa, regnum cælorum appellatum fuit; &, si illa quæ in monte Thabor futura erat transfiguratio Jesu Chtisti, regnum Dei cum potentia appellatur, quia videlicet per eam quasi umbra & imago futuri gloriosi regni Jesu Christi discipulis tribus repræsentanda erat, *Marci* IX. *vers.* 1. *Luc.* IX. 27. sic enim nos loca ista accipimus: quid caussæ esse potest, cur non & hîc initium gloriosi regni Jesu Christi, quod sine dubio plenum regnum Jesu Christi immediate subsecutum fuisset, nisi Apostolorum interfuisset ut de resurrectione vera Jesu Christi certiores redderentur, regnum Dei & Patris Jesu Christi, qui eum regno isti per resurrectionem quasi initiaverat, vocatum dicatur?

Hoc sensu accepta hac phrasi quæstio frustranea est, si velimus Christum post resurrectionem suam cum Apostolis non edisse tantum sed & bibisse, idque ex fructu vitis, sive vinum, quod quæstio præsupponit. Video id quidem à quibusdam serio negari; sed sine ulla gravi caussa, meo quidem judicio; cum verosimile omnino sit Christum, qui non semel cum discipulis post resurrectionem edisse legitur, non siccum aut sine potu ullo cum iis edisse. quorsum enim illud fuisset? & disertè Petrus *Act.* X. 41 dicat, se & testes cæteros à Deo designatos cum Christo edisse & bibisse postquam à mortuis resurrexerat: qui locus in quæstione hac allegatur in eandem sententiam. Quod enim non nemo verba ista Apostoli Petri *Act.* X. 41, sic accipienda esse velit, ut iis non indicetur Christum cum Apostolis bibisse postquam à mortuis resurrexerat, sed tantum istos, qui designati erant testes resurrectionis Jesu Christi, antea cum Jesu edisse ac bibisse, id est, familiariter cum Christo conversatos fuisse, antequam scilicet ex mortuis resurrexerat; ita ut verba illa, *postquam à mortuis resurrexerat*, non connectantur cum verbis immediatè præcedentibus, *qui comedimus ac bibimus cum eo*, sed cum verbis ultimis versus præcedentis, sic, καὶ ἐδωκεν αὐτὸν ἐμφανῆ γενέσθαι οὐ παντὶ τῷ λαῷ ἀλλὰ μάρτυσι τοῖς προκεχειροτονημένοις ὑπὸ τοῦ θεοῦ; id mihi non modo non necessarium videtur, sed & non parum facere ad infirmandum id quod Apostolus addere voluisse videtur ad confirmandum veritatem & certitudinem resurrectionis Jesu Christi, per id quod ii, qui, postquam Christus à mortuis resurrexerat, & cum eo conversati fuerant, documenta & experimenta familiarissimæ cum eo tanquam uno eodemque conversationis, quæ per esum & potum testatæ fit, acceperant, ut idonei & fideles resurrectionis ejus testes apud populum totum esse possent. Sane cum Christus per quadraginta dies idcirco tantum conversari voluerit cum Apostolis ac discipulis suis, ut omnibus modis certissimam suæ resurrectionis fidem iis faceret, quid est, cur eum id facere noluisse credamus per potum, sed per esum tantum cum iis? Etsi enim disertis verbis non legimus Christum post resurrectionem bibisse, si hic locus eo quo author iste facit modo torqueatur, quis tamen nescit usitatum esse Hebræis, ut sub voce panis & sub verbo edendi, frangendi panem, &c. comprehendant omne illud quod in convivio ad nutriendum aut fulciendum cor hominis usurpari solet? ut *Luc.* XIV. 15. *Beatus qui comedet panem in regno Dei.* Quando vero insuper tam clarus locus in Scriptura exstat, in quo aperte adseritur Apostolos cum Christo edisse ac bibisse, quique non nisi violenta manu & cum magno præcipui scopi Apostoli Petri damno aut periculo torqueri potest in sensum alium, retrotractis extra locum suum ac situm posterioribus ad multo ante dicta verbis; quid est cur novitate illa interpretandi gaudeamus? At non dicitur, inquit author, Christum edisse ac bibisse cum Apostolis in loco prædicto, sed tantum Apostolos cum Christo edisse ac bibisse. Quasi vero non unum idemque sit Apostolos cum Christo edisse ac bibisse, ac Christum cum Apostolis edisse ac bibisse! Nempe ergo quando Christus dixit *Luc.* XXII. 15, *Desiderio desideravi hoc Pascha vobiscum edere, antequam patiar*, non recte quis ex eo concluserit, Apostolos cum Christo Pascha edisse, aut Christum ut cum ipso Pascha ederent desiderasse. Sed missas faciamus has ineptias. Constat ex iis, quæ hactenus diximus, frustra quæri, quomodo Christus dicat se non bibiturum ex fructu vitis, nisi in regno Patris sui, si per *regnum Patris* intelligatur tempus, quod resurrectionem Jesu Christi consecutum est, in quo initium regni Jesu Christi fuit; quia in isto regno edit ac bibit cum discipulis suis. Sic enim allegatus locus ex *Act.* X. 41 in quæstione cum dicto isto Christi optime convenit.

Sed vero per *regnum Patris Jesu Christi*, diximus intelligi etiam posse regnum, quod in fine seculorum post desitum regnum Jesu Christi Mediatorium Patrique traditum, Pater ita obtinebit, & administrabit, 1 *ad Corinth.* XV. 28, ut is futurus sit omnia in omnibus, id est, solus immediatè regis instar perfectissimi beatissimique, fidelibus suis subditis communicaturus omnia ac singula ad perfectam & æternam eorum beatitudinem pertinentia. Et sane hoc regnum propriissimè Regnum Dei ac Regnum Patris Jesu Christi vocari meretur, quia tum] desinet regnum Christi, uti jam diximus, & tum proprie cælorum regnum erit; quia terra tota in nihilum regetur, solumque Dei solium, id est, cælum, domus erit fidelium, sanctorumque hominum, non minus quam Christi atque Angelorum beatorum, receptaculum. Vide *Apocal.* XIX. 6.

Si volumus Dominum Jesum per *regnum Patris sui* hoc regnum designasse, tum prima quidem fronte videtur dicto isti Christi obstare, quod in quæstione ex *Act.* X. 41 allegatur; supposito aut pro concesso sumto, quod locus ille contineat sensum istum quem jam approbavimus. sed revera tamen nihil obstat, quia certum est, tum non posse verba ista Jesu Christi, *donec illud bibam in regno Patris mei*, uti in quæstione verba habent, accipi de vino proprie dicto, deque bibitione ex fructu vitis eadem seu genere seu specie cum ista de qua antea locutus fuerat; quia in cælo, uti notum est, vitibus, vino, esui ac potui locus non est. *Venter* enim, uti ait Apostolus, *escis destinatus est, & esca ventri; Deus autem & hunc & istas abolebit*; 1 *ad Corinth.* VI. 13. supple, quando mortuos suscitaverit, & terram cibi potusque alumnam destruxerit funditus, hominemque, factum primum animam viventem, fecerit in spiritum vivificum, uti est 1 *Corinth.* XV. 45. id est, nulla externa cibi, potus aut aëris ope ad sui sustentationem opus habentem, sed vi sua propria sibi à Deo insita subsistentem, ac perdurare semper valentem ἐν ἀφθαρσίᾳ καὶ ἀθανασίᾳ. Et sane si verba Jesu Christi propius videantur, apparet ea sic esse concepta, ut facile intelligi posset ea non de eadem specie bibitione vini agere, sed de alia: quia dicit Christus, *Donec bibam illud novum in regno Patris mei.* Non dicit simpliciter, Donec bibam illud, prout in quæstione verba allegantur, sed donec illud bibam *Novum*; qua voce sine dubio significare voluit, imprimis si per regnum Patris sui intellexit cælum, & quod in cælo isto regnum futurum erit, non vinum novum, id est mustum recens ex uvis expressum; sed prophetarum more, qui sub rebus corporalibus cælestia abscondunt, gaudium novo isto regno, novo isto cælo & nova ista terra dignum: id est non tantum eximium, & quod ob excellentiam sive novitatem admirationem habebit; sed *novum*, id est, aliud sive longe alterius generis & diversum à veteri gaudio quod ex vini potu percipitur. id enim cum terra tota tum præterierit ac desierit. quod enim vetus est, sive quod antiquatur ac senescit, id prope est ut evanescat: *Heb.* VIII. 13. Hinc illud: *Vetera præterierunt: ecce nova facio omnia. Apocal.* XXI. 4. 5. quin & novum semper mansurum dulcedinemque ac suavitatem suam nunquam deperditurum. Hisce sensibus vox, *Novum*, non raro accipi solet. vide *Apocal.* II. 17. & III. 12. & XIV. 3. Repugnat, inquies, huic expositioni, quod in textu pronomen αὐτό legatur. Idem ergo quod præcessit vinum intelligitur. Respondeo 1. Jam diximus, non posse idem genere, specie aut numero, vinum intelligi, si dicatur per regnum Patris, cælum intelligi. 2. *Idem*, vel *istud*, non necessario significat eandem rem specie aut numero quæ præcessit, sed significare interdum potest eandem rem analogia, uti hoc loco significare indicat addita vox, *Novum*.

3. Solet etiam aliquando Christus, uti annotavit Maldonatus, in eadem oratione uno eodemque verbo ambigue uti, ut videre est *Luc.* IX. 60: *Sine ut mortui sepeliant mortuos suos.* Et *Joan.* IV. 13. 14: *Omnis qui biberit ex hac aqua sitiet iterum: sed qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* Malim ego dicere, Servatorem sæpe sub verbis istis, quæ sensum continent rei alicujus corporalis admodum gratæ, & quæ maximi fit, imprimis ab iis qui spiritualibus sensibus nondum sunt imbuti, abscondere sensum longe excellentissimum; ita ut quamvis eandem illam rem videatur exprimere quæ gratissima est sensibus, longe tamen meliorem excellentioremque intelligat, intelligique velit, quemadmodum videmus sæpius à Christo factum esse, imprimis quando de regno suo regnique sui gloria loquebatur discipulis suis, uti in aliis quæstione ostendimus. Quare existimo Christum Jesum quando hæc ad Apostolos dicebat, occasione verborum de non bibendo ex fructu vitis, voluisse perstitere in eadem oratione, iisdemque verbis uti, sed sensum longe alium dignioremque veluti sub cortice isto verborum latentem, addita una saltem vocula, *Novum*, veluti per transennam innuere: quia plenum sensum discipuli sui, regni terreni spe adhuc pleni, capere non potuissent. eundem plane in modum quo paulo ante hæc verba, *versu* videlicet 16 fecerat, cum de esu Paschalis agni loquebatur, *Dico vobis me non amplius comesturum ex eo, usque quo completum fuerit in regno Dei.* Non enim dicere vult, se comesturum ex agno Paschali post completa omnia in regno Dei, id est, vel in fine seculorum, quando plenum ac consummatum regnum Dei erigetur; vel postquam prædictiones omnes de eo, omnesque figuræ ac umbræ completæ erunt evanuerintque: sed tantum, se ultimum cum suis ex agno Paschali edere: non quasi nunquam amplius cum illis victurus, aut gaudio ullo cum ipsis postidea fruiturus esset; sed quod summo cum iis gaudio aliquando in cælo gravisurus esset, non aliquer quam si in celeberrimo Festo Paschatis, quod illi maximum ducebant, cum illis perpetuo Paschalem agnum comederet & hilaria agitaret. Eodem sensu crediderim hæc verba à Christo intellecta fuisse; quasi dixisset: Hactenus mecum vos & ego vobiscum familiarissima consuetudine usi sumus; jam etiam ex fructu vitis simul bibimus vinum quod delectando homini datum est: Sed verò mortis meæ tempus instat: Ego avellar à vobis, & vobiscum non sum amplius vinum bibiturus ad exhilarandum nos & simul gaudendum: sed per mortem transiturus sum in regnum Patris mei: non ut ibi solus cum eo vivam gaudeamque, sed ut aliquando vos ejusdem mecum vitæ gaudiique consortes videam. Tum vero simul vinum bibituri sumus, sed novum, id est longe aliud ac diversum ab hoc, multo magis eximium, admirabile & nunquam evaniturum, sed semper saliens in vitam æternam: id est, summo gaudio simul fruituri sumus; sed novo, & quale regno Patris mei, quamquam vos id ex terreno gaudio totum æstimatis, dignum est. Sic conveniet sensus cum eo quod legitur *Luc.* XXII. 29: *Ego paciscor vobis, prout pactus est mihi Pater regnum: ut edatis & bibatis in mensa mea, in regno meo, & sedatis super thronos, judicantes duodecim tribus Israel.* & *Apocal.* III. 20: *Ecce ego ingrediar ad eum, & cænabo cum eo, & ipse mecum.* vide etiam *Matth.* VIII. 11. *Apocal.* XIX. 6. 7. 8. 9.

## De choreis & ludo alearum, an ea de causa aliquis à sancta Cœna arceri debeat.

### QUÆSTIO XLII.

*An propter choreas, ludum alearum, aut similia, arcendus sit quisquam à communione S. Cœnæ; præsertim si monitus abstinere nolit?*

### RESPONSIO.

QUæstio hæc nimis generaliter proposita est. Aut enim supponit choreas, ludum alearum & similia, esse opera per se illicita, id est, vel à Deo aut Christo vetita & damnata tanquam carnis opera, vel saltem Christianis indigna: Tum enim affirmative respondendum est, eos, qui opera ista faciunt, cælo indignos esse, ac proinde arcendos esse à communione Cœnæ Dominicæ: præsertim si moniti abstinere nolint. Aut supponit ista esse licita: & tum contra negative respondendum est. Aut supponit esse opera indifferentia, sive ἀδιάφορα; & tum respondendum est cum distinctione hac; Aut ea conjuncta esse cum scandalo sive offendiculo infirmorum, qui ea indifferentia esse nondum intelligunt: Aut non esse conjuncta cum scandalo, sive scandali ullius periculo. Si sine scandalo aut scandali periculo fiant, caussam non esse, cur, qui ea faciunt, arceantur à communione S. Cœnæ: Si vero cum scandalo aut scandali periculo conjuncta sint, ab iis abstinendum esse in tali casu, & qui ea, non obstante scandalo isto aut scandali periculo, faciunt, arcendos esse à S. Cœnæ communione, tanquam Christianæ charitatis violatores; præsertim si moniti semel atque iterum abstinere nolint; juxta id quod dicitur *Rom.* XIV. 13. & 15: *Adhibete judicium, ne offendiculum ponatis fratri, aut offensionem. Si propter escam frater tuus tristitia afficitur, non jam secundum charitatem incedis. Ne esca tua illum perdito, pro quo Christus mortuus est.* & *vers.* 21. *Bonum est non vesci carnibus, neque bibere vinum, neque* NB. *quidquam facere in quo frater tuus impingit, aut offenditur, aut infirmus est.* 1 *ad Cor.* VIII. 6: *Videte ne quo modo facultas* (id est libertas) *illa vestra offendiculo sit iis, qui infirmi sunt.* & *vers.* 12. 13: *Ita autem peccantes in fratres & vulnerantes ipsorum conscientiam infirmam, in Christum peccatis. Quapropter si esca facit ut offendatur frater meus, non vescar carnibus in æternum, nec faciam ut offendatur frater meus.* Et *cap.* X. 23: *Omnia mihi licent, at non omnia conferunt: omnia mihi licent, sed non omnia ædificant. Nemo quod suum est quærat, sed quisque quod alterius est.* & *vers.* 28. 29. 32. 33.

Sed vero missa hac quæstionis forma, rem quam quæsitor sine dubio intendit, expendamus: An videlicet choreæ, alearum ludus & similia Christianis sint illicita. Resp. Quod ad choreas attinet, earum, ut & alearum & chartarum lusoriarum usum Lutherani Christianis concessum licitumque esse contendunt, quamquam abusum damnant. Alii contra sentiunt. Ad nos quod attinet, ut de choreis ordiamur; certum est, eas in Veteri Testamento non modo non fuisse simpliciter illicitas, sed & usurpatas sive exercitas à viris & fœminis sanctis, ad testandum animi sui gaudium & lætitiam, cum divini nominis laudatione ac celebratione: *Exod.* XV. 20. & 1 *Sam.* XVIII. 6. & 2 *Sam.* VI. 16. *Judith.* XV. 14. vide etiam *Psal.* XXX. 12. & *Jerem.* XXXI. 4. Quod attinet ad Novum Testamentum, eas etiam disertè in eo ut illicitas damnari non liquet; usitatas tamen unquam fuisse non apparet. *An choreæ sint illicitæ.*

Sed vero, an eæ, etsi non expresè in Novo Testamento ut illicitæ vetentur ac damnentur, censeri non debeant inter ista carnis opera, quæ operibus carnis expresè ab Apostolo Paulo nominatis, *ad Galat.* V. 21, ὅμοια aut similia esse dicuntur, quæri potest. Respondeo: Choreæ cur absolutè ac simpliciter inter opera ista, quæ carnis operibus à Paulo recensitis similia sunt, censeri debeant, non video: nisi etiam choreas Mariæ aut Miriami sororis Mosis & Aaronis; Davidis Ephod lineo induti, & totis viribus, uti textus ait, saltantis coram Domino; & mulierum pæana canentium Davidi reduci à cæde Goliathi, saltantiumque, opera carnis fuisse dicamus. Nec dubito, quin choreæ quædam sic institui possint & fieri, ut cum operibus carnis commune nihil habeant, sed & cum devotione animi singulari conjunctæ sint, & non nisi ad gloriam Dei alacriter celebrandum suscipiantur, imprimis à viris solis, vel à solis mulieribus aut virginibus impermixto sexu: cujusmodi fuisse choreas illas in Veteri Testamento manifestum est. Addo etiam, choreas quasdam, easque inartificiales imprimis, institui posse, vel sola animi caussa, vel exercendo corpori, vel recreando spiritui, vel sanitati tum conservandæ tum reparandæ.

Sed vero, quia choreæ in abusum fere verterunt, & artificiosæ atque operosæ factæ sunt, ad exemplum spurcarum & libidinosarum chorearum, quæ à gentilibus sive in sacris Deorum suorum, sive in prosceniis à minis & pantomimis & histrionibus, sive in conviviis, sive in nuptiis usitabantur, hinc solicita distinctione & cautione opus esse arbitror. Distinctio triplex est: Choreæ aut sunt inartificiales aut artificiales: Aut sunt jocosæ & compositæ, aut leves & incompositæ: Aut sunt solitariæ aut sociæ. Inartificiales, jocosæ compositæque seu verecundæ, & solitariæ, quæ vel exercendo corpori, vel refocillando & recreando animo, vel testando gaudio honesto instituuntur, cur præcisè damnandæ sunt, tanquam opera carnis, nulla justa ratio est. quod & de artificialibus solitariis recte dici posse Musculus asserit non malè, quando in iis servatur modus: ita ut nec nimis frequententur, nec cum dispendio temporis aut sanitatis, nec cum curarum meliorum ac necessariarum vel detrimento vel abdicatione instituantur. Artificiales, imprimis nostrates, eaque non solitariæ, sed sociæ, mixtæque ex diverso sexu, proxime accedunt ad opera carnis. 1. quia fere constant motibus & gestibus obscœnis, spurcis, & ad libidinem mollitiemque veneream repræsentandum & excitandum ingeniosè & scurriliter compositis; adeo ut nudæ veneris & prostitutæ pudicitiæ spectacula potius sint, quam honesta corporis exercitia. 2, quia ad eas addiscendum temporis & sumtuum dispendio opus est. Imprimis quia novæ quotidie & difficiliores excogitantur, ab iis, qui placere aliis studeant,

dent, aut ex arte ista lucrum quærunt. 3. quia vix sine periculo sanitatis, sine pudicitiæ læsione, libidinisque irritatione fieri possunt, imprimis à non jejunis, aut non siccis, sed à madidis & post cibum pastumque, nedum à bene potis, sive post largiores comessationes ac compotationes, uti fere fieri solet. 4. quia saltem ad ostentationem & vanam gloriam ex lubrica agilique corporis agitatione, rotatione & jactatione captandam instituuntur. Denique quia levitatem meram sapiunt, & cum modestia ac gravitate decora commune nihil habent. Quocirca ne facile ad has prolabamur, cautionem hanc addo, 1. Ubi scandali aut offendiculi periculum est, ibi necessarium esse, ut non modo ab his nostratibus sed ab omnibus prorsus saltationibus abstineatur, juxta loca supra allegata. 2. Etsi scandali forte periculum non sit, tutissimum tamen esse ut ab omnibus prorsus choreis abstineatur: quia ut ut omnes non sint opera carnis, tamen fere cum levitate aliqua conjunctæ sunt, quæ gravitati & modestiæ, sive constantiæ Christianis in vultu, motu ac gestu corporis composito dignæ, repugnat, & vicinæ sunt ὀρχησιλίᾳ. Quod enim ὀρχησιλία est in sermone, id in gestu est saltatio. At vero uti Apostolus *ad Ephes.* V. 3. scortationem, omnemque impuritatem aut avaritiam adeo aliena esse vult à Christianis, ut ne nominari quidem ea inter eos velit; ita αἰσχρότητα καὶ μωρολογίαν καὶ εὐτραπελίαν ab iis abesse vult; hoc argumento; quia sunt τὰ οὐκ ἀνήκοντα, *quia non conveniunt.* Per αἰσχρότητα enim non intelligo obscœnitatem proprie, aut scurrilitatem, sed jocosa aut festiva quædam dicta, quibus turpe, impudicum aut obscœnum aliquid veluti per Satyram aut risum miscetur: quæ *cap. præced. vers.* 29. λόγον σαπρὸν vocavit Apostolus. Hisce enim addit μωρολογίαν ἢ εὐτραπελίαν: quibus opponit εὐχαριστίαν, id est, suavem, amabilem & gratam orationem sive sermocinationem, quam *cap. præced. vers.* 29 vocavit λόγον ἁγαθὸν πρὸς οἰκοδομὴν τῆς χρείας, ἵνα δῶ χάριν τοῖς ἀκούσι. Quin itaque choreæ etiam inter τὰ οὐκ ἀνήκοντα in genere gestuum censeri debeant, dubium non est. Nam non conveniunt iis, qui jubentur persequi *Philip.* IV. 8, ὅσα σεμνὰ, ὅσα ἁγνὰ, ὅσα εὐσχήμονα, ὅσα εὔφημα. *Et Coloss.* III. 16. 17, *se invicem commonefacere Psalmis, hymnis & cantionibus spiritualibus, cum gratia canendo in corde suo Domino; Et quicquid agunt sermone aut facto, in nomine Domini Jesu agere, gratias agentes Deo & Patri per eum.* Si juvenes sint, *fugere cupiditates juveniles.* 2 *Timoth.* II. 22. σωφρονεῖν: *Tit.* II. 6. Si mulieres sint, μὴ αἰδοῖ καὶ σωφροσύνῃ κοσμεῖν ἑαυτάς: 1 *Tim.* II. 9. Si senes sint, σεμνοὶ εἶναι καὶ σώφρονες, id est, graves & bene compositi: *Tit.* II. 2. Omnes simul, ut *sive edant, sive bibant, sive quidquam faciant aliud, omnia in gloriam Dei facere:* 1 *ad Corinth.* X. 31. Unde concludo duo. 1. Quo quisque gravior est, & propius ad istorum, quæ diximus, præceptorum observationem se amat componere, tanto magis à choreis omnibus abhorrebit, quippe quæ ad minimum levitatis indicia sunt. 2. Quo quemque ratione ætatis, vocationis, aut professionis suæ major decet gravitas, eo magis eum dedecere choreas & saltationes: cujusmodi sunt senes, Pastores, Presbyteri, Diaconi, Ecclesiarum membra, Magistratus, & qui munus aliquod in Repub. amplum sustinent. Quare si quis hisce non obstantibus choreis indulgere velit, is semel atque iterum serio monitus, nec abstinens, dignum se reddit, qui censeatur inter eos qui inordinate se gerunt, quos notari Apostolus jubet, & cum quibus commercium habere nos vetat: 2 *ad Thess.* III. 14.

*Quid de ludis sit sentiendum.*

Quod ad ludos attinet, non istos, qui constant aut exercitiis corporis, cursu scilicet, saltu, vibratione quintiana (id est hastiludio absque spiculo) lucta & hippodromo, aliisque; aut ingenio, industria & solertia, puta latrunculorum, &c. sed qui fortuna magis quam arte & casu potius quam industria reguntur, puta ludum alearum, taxillorum, tesserarum & chartarum lusoriarum, de iis idem prorsus statuendum esse arbitror. Primò, eos simpliciter inter opera carnis censendos non esse, si modus servetur, temporis & pecuniæ dispendium vitetur, &, si solius animi caussa, ad refocillationem & recreationem fessorum spirituum, quo alacriores deinde ad munia quisque sua redeamus, instituantur. Secundò, necessarium esse, ut ab iis abstineatur, ubi scandali periculum aut metus est. Tertiò, tutissimum esse ut ab iis semper abstineatur; quia, 1 frigere solent, nisi lucri alicujus caussa fiant. At sic pecunia, quæ melius collocari potest ac debet, casui exponitur. 2. quia vix fieri potest, ut non incalescant ludentes, atque ita ludus ludum continuò trahat. At sic tempus inutiliter teritur, quod Apostolus nos redimere atque ἐξαγοράζειν jubet, *ad Ephes.* V. 16. 3. quia fere rixarum, contentionum, convitiorum, & non raro pugnarum occasiones sunt & seminaria. 4. quia ex parte ejus qui vincitur, semper fere ægritudinem & tristitiam aliquam victo adferunt, quæ sanitati, recreationi, & melioribus alacrioribusque deinde curis admittendis noxia est. Quod si tamen quidam sint qui ludos istos faciunt aut facere possunt solius animi caussa, nullo temporis damno, nulla lucri cupiditate aut spe, nullo meliorum curarum detrimento, ad virium restaurationem, spirituum refocillationem, sedata prorsus ac composita mente, caussa nulla est, cur eos aut cælo aut S. Cœnæ communione indignos esse judicemus, nisi scandali periculum sit, quod solicitè vitandum est omnibus Christianis, imprimis iis, quibus Ecclesiarum, Scholarum & Rerumpubl. cura commissa est.

## De ludis Scenicis, & eorum argumento.

### QUÆSTIO XLIII.

*Quæritur, Utrum liceat, honesta oblectationis gratia, theatris publicis interesse, & ludos componere; non dico turpes & indecentes, sed decoros, & adprime cum honestate morali convenientes. Et, si illud liceat, num etiam liceat, historiam sacram ad ludum transferre, ita ut Christus ipse, Sancti Angeli, & pii Dei vates in scenam producantur, & preces ad Deum, lusus gratiâ, concipiantur.*

### RESPONSIO.

REsp. In hac quæstione præsupponitur ludos, sive potius spectacula theatralia, turpia, inhonesta & obscœna, qualia fere fuerunt veterum gentilium dramata, illicita esse & fugienda. Rectissime. Repugnant enim Scripturis & rationi omni rectæ. Scripturis; *ut Ephes.* V. 3. videre est, ubi scurrilitas & stultiloquium & εὐτραπελία censentur diserte inter τὰ οὐκ ἀνήκοντα. Rationi rectæ, quia dramata ista vitiorum multorum incentiva & fomentiva sunt, quæ oculis omnium subduci æquissimum esse ratio recta dictat. vitia enim per se satis fertilia ac fœcunda sunt, ut calcaribus ad ea incitari quemquam non sit opus, sed fræno potius, obice, & repagulo ingenia lubrica, cerea & ad vitium flexibilia ac prona omnino opus habeant. Quare Christianus à ludis istis non abstinere tantum debet, sed & abhorrere; adeo ut non modo eos non componat, nec agat, sed nec iis ubi aguntur interesse velle debeat. Et Magistratus Christiani interest, ne ludi ejusmodi agantur, ne Respub. ipsi commendata detrimentum inde patiatur longe maximum.

*Ludi scenici honesti, non sunt Christiano illiciti.*

Quæritur ergo hîc de ludis decoris, & adprime ad honestatem moralem convenientibus, an Christiano iis interesse eosque componere liceat, honestæ oblectationis gratia? Respondeo: Quod ad me attinet, caussam non video, cur hi illiciti censeri debeant. Ludi enim isti, sive potius dramata illa, tum comica tum tragica, qua talia, non sunt illicita, ut vel decoro vel gravitati, vel honestati hominis Christiani repugnare dici debeant. Sunt etiam ἀλλόφυλα per se. Quod si vero deinde materiam eorum, sive res, quæ in iis repræsentantur, & finem, qui in iis intenditur, videas, in classem potius, non modo rerum licitarum, sed & honestarum atque utilium referendi videntur, quam ad classem illicitarum, inutilium aut vetitarum. Materia eorum est honesta, decora, & ad moralem honestatem tum excitandum tum fovendum idonea. Finis est honestus; nempe non alius, quam honesta oblectatio; quæ non tam percipitur ex levi & perfunctoria quadam aurium titillatione & oculorum recreatione, quam ex rerum ipsarum, modique quo res tum tractantur tum repræsentantur, partim varietate, partim elegantia, & affectuosa imprimis ac pathetica ἐνεργείᾳ, qua affectus intimi commoveri & exardescere sentiuntur ad amorem rerum pulcherrimarum, ad odium rerum turpium, ad spem præmii, & ad metum divinorum judiciorum. Oblectatio autem hujusmodi honesta cur damnari debeat, ego non video. Quod ea non utilis modo, sed & necessaria aliquando sit, natura ipsa & recta ratio dictant.

Accedit, quod præter honestam oblectationem, non levis utilitas redire possit tum ad personas agentes, tum ad spectantes. Ad personas agentes, si modo eæ cum delectu adhibeantur, 1. quod intellectus earum imbuatur cognitione historiarum aliarumque rerum memorabilium. 2. quod voluntas eorum amore rerum honestarum sive pulchrarum, & odio ac fuga rerum turpium accendatur & inflammetur, 3. quod memoria earum excolatur, & ad firmius retinendum, quæ didicerunt, confirmetur. 4. quod lingua earum in loquendo expedita reddatur, & quoad hæsitantiam aut exilitatem corrigatur. 5. quod mores gestusque comtiores reddantur & ornatiores. Ad personas spectatores utilitates hæ non minus redire possunt. Quæ enim oculis subjiciuntur

ciuntur & repræsentata spectantur, ea altius inhærere, firmius retineri, & acrius afficere solent, quam quæ aut leguntur aut auribus solis ingeruntur; juxta illud:

*Segnius irritant animos, demissa per aures,*
*Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus, & quæ*
*Ipse sibi tradit spectator.*

*Nec eorum argumentum ex Sacris literis desumere omnino jas.*

Sed vero quæritur secundò: Si ludi ejusmodi scenici non censentur illiciti, num etiam liceat historiam sacram ad ludum transferre? Resp. Si *ad ludum transferre* accipiatur pro in scena repræsentare, uti accipi debet, quid ni? Nulla enim materia honestior, nulla ad virtutum amorem vitiorumque fugam exstimulandum animos, aut aptior aut efficacior dari potest, imprimis si ea gravitati Scripturarum decenter & convenienter repræsentetur. Sed amplius quæritur; An ita historia Sacra in scenam produci possit, ut Christus ipse, Sancti Angeli, & pii Dei vates in ea personas faciant, & preces ad Deum, lusus gratia concipiantur? Resp. Etsi non video causam, cur hoc illicitum prorsus censeri debeat, si modo deleantur tantum verba ista, *lusus gratia*; In precibus enim ad Deum lusus gratia nulla esse debet: tamen crediderim satius esse, ut abstineatur à Christo repræsentando in scena; non tam quia id per se illicitum mihi esse videtur, quam quod Majestas Christi, digna nimis sit, quam ut per homunciones repræsentetur in proscenio. (Angelorum & piorum Dei vatum alia ratio est: Hos enim in scenam produci nihil vetat.) Periculum, cujus mentionem facit Mariana in libro suo de spectaculis, si Christus in scenam producatur, & exemplum quod allegat quod videlicet fœmina quædam Magdalenæ personam sustinens, deprehensa postea fuerit turpi consuetudine juncta cum eo histrione, qui Christum Dei Filium, voce, gestu & habitu repræsentaverat; tanto utrique cum applausu ut sæpe spectatoribus lachrymas excuterent; hoc, inquam, etsi non leve est, tamen ut propterea repræsentatio ipsa Christi per se ac prorsus illicita censeri debeat, non adducor ut credam. Optimis enim, & per se, non licitis modo, sed & honestissimis rebus, sua aut adstant aut adnascuntur pericula. Eâdem certe opera divini verbi prædicatio illicita censeri posset, quod videamus esse, qui Christum & Apostolos ejus in suggestum adducunt, & verbis, gestibus, atque ore suo tantum non repræsentant cum auditorum omnium admiratione & applausu, & mox in scrobe & sentina scortationum, atque adulteriorum, ita turpiter se volutant, ut pudor sit referre.

*Cautiones in ludis scenicis observandæ.*

Sed vero ne periculum hoc aliaque incommoda & scandala flocci facere videamur, cautiones aliquas subjiciemus, quas in ludis scenicis observandas esse judicamus, ne illiciti & indecori habeantur. 1. Quod ad materiam ludorum scenicorum attinet, ne thema aliquod, seu Scripturale seu profanum, in scenam adducatur, quod oculorum auriumque piarum offensivum esse possit. 2. Quod ad finem attinet, ne per eos ullo modo lædatur Dei gloria, ne religio sancta prostituatur, ne cuiquam scandalum aut nocumentum detur; sed ut omnia contraria intendantur, utque de histrionibus scenicis verum sit, quod de poëtis olim dictum est,

*Aut prodesse volunt, aut delectare poëtæ,*
*Aut jucunda simul & idonea dicere vitæ.*
*Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.*

3. Quod ad personas agentes attinet, ne introducantur personæ repræsentantes mores hominum omnis generis, conditionis, ætatis, voce, gestu, habitu lenonum, meretricum, parasitorum, aliarumque personarum inhonestarum. Deinde, ne virgines aut fœminæ adhibeantur, comtæ imprimis aut fucatæ, quæ vultu aut voce sua flexanima spectatores ad libidinem inflammare solent; aut si introduci eas opus sit, ne introducantur, nisi quæ honesto vultu, oratione casta, gestu composito pudicitiam præ se ferunt. 4. Ne actiones nimis sint crebræ ac frequentes, ut non tam honesta oblectatio, quam otium, jactura temporis, & rerum domesticarum negligentia quæri videatur, ludique fiant mera meliorum curarum diverticula, & crumenarum emunctoria.

## De muliere quæ debet habere potestatem in capite propter Angelos, ex 1. *Cor.* XI. 10.

## QUÆSTIO XLIV.

*Apostolus dicit* 1 Cor. XI. 10, *Mulierem debere habere potestatem in capite propter Angelos. Quæritur* 1. *Cur hoc de quo hic loquitur Apostolus, quod mulier in capite habere debet*, Potestatem *appellet.* 2. *Quænam ista ratio sit, quæ additur verbis istis*, Propter Angelos,

## RESPONSIO.

NOn est dubium quin Apostolus per ἐξουσίαν sive potestatem intelligat κάλυμμα sive καλυπτήριον aut velamen, quo caput mulierum obnubebatur, ita ut vel facies sola oculis pateret; vel, quod vero similius est, tota etiam facies tecta & inconspicua esset: Hoc autem velum ἐξουσίαν vocarit passivè, non activè, quia signum erat subjectionis & submissionis fœminarum erga viros, per Metonymiam rei signatæ pro signo. Nimirum velum istud, uti Ludovicus Capellus in spicilegio suo annotavit, Hebræis vocabatur רדיד, Arabibus ורא, à themate Hebræo רדר, Arabico ררה, quod utrumque significat κυριεύειν sive ἐξουσιάζειν, id est dominari vel potestatem exercere. An vero Apostolus per mulierem hîc intelligat quamlibet fœminam, tam virginem & viduam quam maritatam, non satis clare liquet. Quin de maritata propriissime loquatur, dubium non est. Virgines enim simulatque sponsæ erant obnubi solitas fuisse certum est. unde illud Virgilii Æneidos. 2. *Circum pueri, innuptæque puellæ Sacra canunt.* Et jam conjugatas maphorium gestare solicitas, aut, ut alii, theristrum, ex Scriptoribus variis liquet; adeo ut si matronæ aut maritatæ fœminæ eveniret, ut somniaret dumtaxat se velamine amisso ἀκαλυπτοκεφάλους sive ἀνανδρους fuisse, res mali ominis esse crederetur & viduam eam fore prædiceretur. At virgines, imprimis nondum nubiles, obnubi solitas non usquequaque certum est. Fateor tamen rationes, quibus utitur Apostolus, tales esse, ut etiam ad virgines & viduas referri possint. quamquam quod de coma alenda postea addit, ad omnes omnino fœminei sexus personas referendum esse clarius multò liqueat: uti & quod de coma non nutrienda, ad omnes virilis seu masculi sexus personas. An velaminis hujus usus ex institutione Apostolorum fluxerit, incertum est. Sunt qui exstimant Apostolos, interque eos Paulum, usum & ritum hunc velaminis non tam instituisse, quam observari voluisse, quia is more ac consuetudine, tum Judæorum, tum Græcorum ac Romanorum passim, imprimis in patria sua urbe, Tharso scilicet, quamquam delitiis haud parum eo tempore enervata, usitatus & receptus erat. Quod enim ad Judæos attinet, apud eos ab omni retro ævo, hodieque in more positum est, ut fœminæ omnes velatæ semper & obnubilatæ etiam in oratoriis sint. Ratio datur in libro Musar, cap. VI, uti ex eo annotat J. Drusius in Præteritis suis ad Novum Testamentum, hunc in modum: Cur vir quum exit, caput apertum habet, & mulier tectum? Qui aliquid fœdum commisit, pudet eum, ideo tegit caput suum. Sic mulier, quæ prima peccavit, & propter eam peccatum Adæ, è quo morsus per universum mundum, ideo exit capite tecto. Quod ad Græcos & Romanos attinet, mulieres omnes in publicum prodeuntes velari solitas asserunt; idque in urbe patria Pauli receptum fuisse probant ex Dione Chrysostomo, qui de Tharsensibus mulieribus ait, eas priscæ educationis temperantiam ac severitatem demonstrare eo, quod sic velatæ incederent, ut ne quidem facies adspicientibus pateret, neque in via quidquam earum occurreret oculis cujusquam præter habitum ac vestes. Quid hujus rei sit, criticæ pulpæ est statuere. Ego matronas velari solitas nullus dubito. De virginibus & viduis hæreo. Domi honestiores easque nubiles contineri solitas in propriis œcis, quos Græci appellant παρθενῶνας, cellas virginales, quæ propterea κοιτῶνες dicebantur, lego quidem; sed antequam nuptui dabantur, non nisi obnuptas velatasve in publicum prodire solitas, nondum mihi satis liquet. Tum, an eodem modo, etiam in oratoriis mulieres omnes non nisi velatæ comparerent, incertum est: quia de viris constat, eos, extra sacra, aperto semper capite, nisi forte in luctu, morbo, aut gravi cæli injuria, prodire solitos: in ipsis vero sacris oratoriis, semper tecto capite, rejecta scilicet in caput, vestis lacinia, comparere solitos. Certum tamen est, morem hunc de velandis virginibus & mulieribus in publicum prodeuntibus, tam in sacris, quam extra sacra, hodieque inter Turcas, Muhamedanos, & Orientales, Africanasque & Asiaticas gentes obtinere.

*Quid per ἐξουσίαν Paulus hoc loco intelligat.*

Ut ut est, non videtur mihi statuendum esse, Apostolum ad morem & consuetudinem loci & temporis respicere, aut ritum illum commendare, quod is jam palam receptus esset in populo isto in quo versabantur Ecclesiæ: sed respicere ad ritum & consuetudinem in ipsis Ecclesiis Christianorum jam receptam, & sine controversia usitatam, forte ex Apostolorum institutione, idque propter rationes ex ipsa hominis creatione sive formatione desumtas, quas in textu videre est. Hoc indicant non obscure verba Apostoli, *vers.* 16: *Quod si quis contentiosus esse velit, nos ejusmodi consuetudinem non habemus, neq; Ecclesiæ Dei.* quasi dicat: Si quis contra argumentari velit, cum eo pedem nolumus struere. Sufficiat dicere,

Nos

Nos & Eccleſias Dei iſtum morem & conſuetudinem, (non uti quidam volunt, argutandi aut contendendi, ſed) ſic agendi, id eſt, non velatas vel non comatas mulieres in oratoria admittendi, non habere; veroſimili argumento, morem iſtum non commendari aut probari ab Apoſtolo, quia in populo vulgo receptus erat, ſed quia in Eccleſiis omnibus Dei obtinebat, ex peculiari Apoſtolorum inſtituto. Huic argumento firmando ſervit, quod Apoſtolus, quod ad viros attinet, directe contrarium in Chriſtianorum oratoriis fieri velit, quam in oratoriis Judæorum & gentilium fieri ſolebat. Nempe viros omnes aperto capite prophetare & orare vult, cum contra Judæi & gentiles in ſacris ſuis & oratoriis eos omnes tectos & opertos eſſe juberent, quamvis alioquin extra ſacra in publicum prodeuntes aperto fere eſſe capite ſolerent, niſi vel luctu atrati, vel neceſſitate ſive injuria cœli coacti, vel effœminata mollitie fracti eſſent. Ex quo apparet Apoſtolum voluiſſe, ut Eccleſiæ non modo non ad morem Judæis & Romanis uſitatum ſe componerent, ſed ut contrario prorſus more teſtarentur ſuam in Deo colendo & orando, à Judæorum & gentilium Romanorum more & conſuetudine, qua in ſacris & oratoriis ſuis utebantur, plane alienam ac diverſam rationem; quæ ſcilicet non redoleret triſtem & ſervilem divinitatis metum, qui à δεισιδαιμονίᾳ eſt, ſed ingenuam & liberalem erga divinum Numen reverentiam, conjunctam cum libertate & fiducia comparendi coram eo γυμνῇ τῇ κεφαλῇ: contra quam Judæi & gentiles, tum Græci tum Romani in ſacris ſuis facere ſolebant; quorum Pontifices & Sacerdotes, ſacris operantes, vel pileo vel apice, vel infulis & vittis uti ſolebant: Populus vero, rejecta in caput veſtis laſcinia, obnubilato adſtare capite. Hactenus de prima quæſtione egimus.

*Cur propter Angelos mulieres debeant habere poteſtatem in capite.*

Quod ad quæſtionem alteram attinet: Quænam iſta ratio ſit, quæ additur verbis iſtis, *Propter Angelos*: Sunt qui per *Angelos* hîc intelligi volunt paſtores, & quotquot ad docendum alios mittuntur, qui *Angeli* non raro vocantur: *Hagg.* I. 13, *Judic.* II. 1. *Malach.* II. 7. *Apoc.* II. & III. *cap.* ita ut *Angeli* vox officii nomen hoc loco ſit. Sed quæ iſtius rationis vis tum ſit, non video. Cur enim mulieres tecto capite eſſe jubeantur propter paſtores? viri certe cæteri eodem argumento tecti eſſe debuiſſent. Alii per *Angelos*, intelligunt Angelos quidem natura, ſed malos. Malè; quia Diaboli nunquam Angeli ſimpliciter vocari ſolent. Alii per *Angelos* intelligunt Angelos bonos & ſanctos. Recte, meo quidem judicio. Sed vero rationis vim nonnulli horum in eo collocant, quod Apoſtolus ab exemplo Angelorum argumentum deducat, qui ut eſt *Eſa.* VI, dicuntur facies ſuas obtegere ante thronum Dei, ſuæ erga Deum ſubjectionis teſtificandæ ergo. quaſi diceret, iſtam Angelorum ſanctorum modeſtiam imitentur ſaltem mulieres, quando coram Deo comparent, ut facies ſuas obtegant ac velent. Sed vero ſi hoc argumentum Apoſtoli eſſe velimus, certe & ad viros etiam pertinebit. Cur enim illi non etiam idem faciant quod ſancti Angeli, quibus ſane longe ſunt inferiores & indigniores? aut cur id mulieres magis faciant quam viri? Certe ut iſto argumento fœminæ ſolæ jure obſtringantur mihi non fit veriſimile. Quare placet mihi ſententia illa communior; quod ratio hæc Apoſtoli in duobus hiſce ſita ſit: Primum, quod Angeli Chriſto Jeſu Domino ſuo ſubditi, ab eo mittantur ut cætuum ſanctorum ſuorum curam gerant, fideleſque & pios cuſtodiant, obſervent, & juvent in omni occaſione. Deinde quod Angeli, tanquam legati Domini ſui, fideliter curent & obſervent cætus iſtos, & ſi in iis omnia decenter atque ordine εὐσχημόνως καὶ ἐυκοσμόνως fiant, eapropter gaudeant, ſin contra, doleant ac triſtentur. Utrumque verum eſſe patet: Ac primum quidem ex epiſtola ad *Heb.* I. *verſ. ult. Matth.* XVIII. 10. Secundum ex *Luc.* XV. 7. 10. & XVI. 22. His adde locum *ad Epheſ. cap.* III. 13. Hinc ſic colligit Apoſtolus: Si hominum forte cauſſa velari renuunt mulieres, aut ſi id viris gratius fore credant; aut à viris, ut revelatæ cætibus interſint, induci ſe patiantur, cogitent ſaltem ut Angelis Dei ſanctis ſe potius probent, quam ullis aliis. Nempe illi cætibus interſunt nomine Domini ſui, ut teſtes ſint eorum quæ ibi fiunt. His non minus quam Domino eorum modeſtia grata eſt, &, quæ modeſtiæ contraria eſt, impudentia ac licentia, exoſa. Quare ne illis ægre fiat, aut ne eos in capita ſua, tanquam teſtes & vindices ἀσχημοσυνης omnis, concitent mulieres, reverenter ſe gerant, & convenienter ſexui ac profeſſioni ſuæ. Hæc mihi videtur rationis hujus Apoſtolicæ ſententia ac vis eſſe, ſalvo meliore judicio. Dices forte: Ob hanc rationem non minus viri quam fœminæ velari debuiſſent. Reſpondeo: Nequaquam. Præſuppono enim ritum iſtum de velandis mulieribus, & non velandis viris, in Eccleſia tum receptum fuiſſe. Apoſtolum autem ritum iſtum immutari aut negligi non velle, eo ipſo quod Angeli ἐυσχημοσύνῃ quæ in iſto erat approbarent ac ratam haberent, ac proinde graviter offendendi eſſent, ſi quid in eo mutaretur, nedum ſi is contemneretur.

## De lucro ex nummis aliunde allatis.

### QUÆSTIO XLV.

*An liceat, creſcente nummorum pretio, lucri cauſa aliunde pecunias advehere, quas pluris expendas quàm ſunt, quæſtum faciens cum certiſſimo proximi damno.*

### RESPONSIO.

NUmmorum pretium, aut crevit iſto in loco ubi pecunia expenditur, ſive quod leges non obſtent, ſive quod legum contra incrementa iſta poſitarum vis conſuetudine quadam obliterata ſit: aut non crevit iſto in loco in quo expenditur, ſive quod leges municipales obſtent, ſive quod conſuetudo introduci non potuerit. Primo ſenſu accipi quæſtio non poteſt, quia ubi nummorum pretium crevit, ibi pluris expendi non poſſunt nummi quàm ſunt aut valent quando ſupra incrementum non expenduntur: & quæſtus fieri non poteſt cum certiſſimo proximi damno. Secundo ergo ſenſu ut accipiatur neceſſe eſt. Et ſic ſimpliciter reſpondendum eſt, nequaquam id licere: quia quæſtus ex pecuniæ expenſione, ſupra ordinarium valorem, contra leges aut præter conſuetudinem, quæri non debet, nec fieri poteſt aut ſine injuria proximi, imprimis ſi invito illo fiat, aut ſine damno ejus certiſſimo, ſi pecunia carere non poſſit. Nec valent prætextus, aut alio quodam colore incruſtatæ artes, quæ vel in fraudem legum excogitari ſolent, vel (ſi leges non obſtent) cum injuria aut damno certiſſimo proximi conjunctæ ſunt, propter contrariam conſuetudinem qua fit ut minoris expendere nummos cogatur quàm accepit. Nulla certior lex eſt, qua hæc quæſtus faciendi cupiditas damnata videri debet, quàm prima naturæ lex: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.*

## De collibiſtis ſeu Lombardicis, & de carnificibus, utrum ad ſanctam Cœnam ſint admittendi.

### QUÆSTIO XLVI.

*An collybiſtæ vel Lombardici, imprimis qui ex publico ærario ſtipendium non accipiunt, uti & carnifices, ſine cauſſa inquiſitione vel cognitione quoſvis ſententia judicis damnatos ſupplicio adficientes, ad ſacram ſynaxin ſint admittendi.*

### RESPONSIO.

QUæſtio hæc elucidanda eſt, ut recte intelligatur. Quos enim intelligi velit per collybiſtas & Lombardicos vel Longobardos, imprimis eos, qui ex publico ærari ſtipendium non accipiunt, obſcurum eſt. Collybiſtæ, Græco vocabulo κολλυβισταὶ, vel κερματίζαι, κερματίσται dicuntur, & Latinè nummularii, à nummulis vel minutis nummis, quos pro majoribus dabant, neceſſe habentibus majores minoribus ad quotidianum uſum permutare. κόλλυβος enim minuti nummi ſpecies ac minimi pretii erat apud Græcos, unde Pollux apud Callimachum κόλλυβον eſſe ait νόμισμα ἐλαχίστου: quod quia bovis figuram impreſſam ſibi habebat, etiam βοῦς dicebatur. κολλυβιστὰς ergo ſunt qui parvos nummos æreos multos pro argenteis majoribus dabant, & ex permutatione iſta quæſtum faciebant. Horum mentio fit *Matth.* XXI. 12. *Matth.* XI. 15. *Luc.* XIX. 25. *Joan.* II. 13. Generatim autem accipi poſſunt pro omnibus qui cambium exercent, quia cambium proprie aliud nihil eſt, quam permutatio pecuniæ pro pecunia, quæ lucri faciendi cauſſa fieri ſolet.

*Quid ſint Collybiſtæ.*

Si de his quæratur, an ad ſacram ſynaxin ſint admittendi? Reſp. Quid ni, ſi cætera probi ſint? Nullo enim jure vetita eſt iſta permutatio, & quæ ex ea ſperatur aut redit uſura, ſi ea modica ſit aut legitima. Nec eſt quod dicas, Chriſtum contra cenſuiſſe: quia legitur in locis ſupra allegatis, menſas eorum ſubvertiſſe eoſque è templo ejeciſſe. Nam id factum non fuiſſe à Chriſto, idcirco, quod negotiationis iſtud genus illicitum eſſe judicaret, & negotiatores iſtos indignos qui ad templi ſacra admitterentur, ex eo liquet, quod alioquin à Chriſto etiam damnatam & illicitam cenſitam mercaturam omnem, dicendum foret. Non minus enim di-

*Poſſe eos ad S. Cœnam admitti. Nam adusura, ſi ea modica ſit aut legitima.*

citur

citur ejeciſſe è templo vendentes & ementes, quam nummularios ſive τραπεζίτας, qui tum publicii erant fœneratores. Cui adde, quod Chriſtus diſertè non facta iſta damnare ſe indicaverit, ſed quod ea fierent in loco ſacro, ſive Dei oratorio. Recte, inquies. At Chriſtus videtur iſtos negotiatores vocare λῃστὰς, id eſt latrones, quia addit: *At vos feciſtis domum Patris mei ſpeluncam latronum.* Reſpondeo: Nequaquam. Verba enim iſta Chriſti, deſumta ex *Jerem.* VII. 11, redundare hic dici poſſunt, uti non raro fit quando Scripturæ locus aliquis allegatur; vel ſi ea redundare nolimus, non eum ſenſum neceſſario habent, quem videntur habere apud Jeremiam, qui paulo antea dixerat, *Numquid furabimini, occidetis, & adulterabitis, & jurabitis in vanum, &c. & venietis & ſtabitis coram me in domo hac, ſuper qua invocatum eſt nomen meum, & dicetis, liberati ſumus; ut faciatis omnes abominationes iſtas?* ſed ſimilem, & quidem hunc; Feciſtis eam veluti ſpeluncam latronum, id eſt, facitis ex templo quod latrones ex ſpelunca faciunt. Hi enim cùm in ea ſunt, tutos ſe eſſe credunt, & impune ibi ſe poſſe verſari confidunt. Ita & vos tuto atque impune hæc omnia in templo facere vos poſſe creditis. Et evincunt hunc ſenſum hæ rationes: 1. quia alioquin vendentes & ementes omnes, imprimis ii, qui vendebant oves & boves & columbas in uſum ſacrificiorum, quæ peregrè venientes Judæi emere, & feſtis diebus offerre ſolebant Deo, pro latronibus etiam habuiſſet ac cenſuiſſet Chriſtus: 2. quia alioquin Chriſtus, iſtos, tum nummularios, tum mercatores, etiam extra templum negotiantes, aut turbaſſet aut ſaltem culpaſſet: quod adeo abſimile à vero eſt feciſſe Chriſtum, ut contra videatur non improbaſſe nummularios ſive κολλυβιστὰς iſtos, quia *Matth.* XXV. 27, ſervo nequam iſti, qui talentum ſuum in terra defoderat, dixiſſe legitur, ἔδει σε, oportuit ergo, te tradere pecuniam meam τοῖς τραπεζίταις, & ego cum veniſſem recepiſſem meum cum fœnore. Hactenus de primis qui κολλυβισταὶ vocantur.

*Duo Lombardicorum genera. Primum.*

De Lombardicis ſequitur, ſive potius de Longobardis, qui primi fœnerationis hujus autores fuiſſe creduntur. Quod ad hos attinet, ii duorum generum ſunt: Aut enim improprie ſic vocantur, quales ſunt, qui fœnus percipiunt ex pecunia mutuaticia, quæ à piis viris ad mutuandum pauperibus deputata eſt: quæ pecunia quando ad ingentem ſummam collata eſt, *Mons pietatis* appellari ſolet. cujuſmodi montes ante annos CLX & amplius in multis Chriſtiani orbis locis erigi cæperunt. In his mutuum datur pauperibus dumtaxat ad certam ſummam & ad certum tempus, verbi gratia, ad annum vel paulo amplius, ſed accepto à mutuatariis pignore idoneo, ne videlicet mons exhauriatur, multis non ſolventibus poſtea: & quidem ea lege, ut ſingulis menſibus minutum aliquod ſolvatur pro ſumtibus neceſſariis ad montis conſervationem, ut pro ſtipendio miniſtrorum, qui montem cuſtodiunt & adminiſtrant, ſemperque parati eſſe debent ad mutuandum, ad pignora recipiendum, cuſtodiendum, reddendum, pro conductione domus, pro libris rationum, cæteriſque neceſſariis inſtrumentis: aut, ſi tempore præſcripto non ſolverint, ut vendatur pignus, & quod ex pretio, detracta ſorte & menſtruis detrimentis, ſuperfuerit, illis reſtituatur. Hujuſmodi fœnerationis genus illicitum eſſe nemo recte dixerit; ac proinde, qui id exercent, cur à ſynaxi ſacra arceri debeant, nulla cauſſa eſt. Directe enim ac potiſſimum exercetur in gratiam & utilitatem pauperum, ut majus damnum evitent, & ne cogantur uſurarios accedere; neque fœnus aliud quæritur quam quod neceſſarium eſt ratione expenſarum ad montis conſervationem & adminiſtrationem, idque ut impoſterum etiam iiſdem pauperibus ſubveniri queat.

*Quod admitti poteſt ad Sanctam Cœnam.*

*Alterum.*

Vel ſunt Longobardi, qui ſic proprie vocantur, qui officinas ſuopte Marte inſtituunt, in quibus cuilibet ſine diſcrimine mutuum dant, accepto pignore, quo non ſolum de ſorte ſecuri ſint, ſed etiam de ingente uſura; non ea, de qua jam diximus, quæ neceſſaria eſt pro locatione domus, arcarum, in quibus pecunia ſervatur, emtione, operarum & ſervorum, qui pignora curant, ſtipendiis; ſed quæ percipitur, partim ex nimium gravi æſtimatione pecuniæ, quam mutuo dant, petendo ſolvi ſibi XXX aut XXXIII, aut, uti in quibuſdam locis fit, XLIV vel XLV fiorenos in centum: cum ipſi pecunia indigentes, pro accepta ab aliis mutuo pecunia, in uſum officinarum ſuarum, non ſolvant niſi octo, decem aut duodecim in centum: partim, ſi iſti non ſolvantur, ex venditione pignoris, cujus integrum pretium, etiamſi multo pluris valeat, ſibi reſervant. Quid de his ſtatuendum ſit quæritur? Quod ad me attinet, ego ſic cenſeo: Qui officinas iſtas inſtituunt ſuapte ſponte, abſque ulla authoritate & directione publica, etſi aliquomodo in uſum pauperum, & eorum qui ad negotia ſua gerenda in occaſione certa opus habent numerata pecunia, ea inſtituiſſe videri poſſunt, tamen vix excuſari mihi poſſe videntur à grandi peccato, propter quod

*Quod indignum eſt ut admittetur.*

mereantur prohiberi à ſacra ſynaxi, propter has rationes: 1. quod fœneratoriam iſtam artem exerceant ex profeſſo, & eo potiſſimum fine, ut inde opulenti ac divites evadant. 2. quod nullo diſcrimine perſonarum habito, ab omnibus, etiam pauperrimis, aut qui heris & parentibus ſuis infidi ſint, imo à furibus, & qui ex rapto vivunt, pignora accipiant. 3. quod immodicis uſuris gravent mutuatarios, & pignorum divenditorum, etiamſi multo pluris valeant, pretia integra ſibi reſervent. Attamen diverſa videri poteſt ratio quando officinæ iſtæ inſtituuntur autoritate publica, & adhibita per directionem Magiſtratus limitatione & moderatione legitima, ſaltem tali qua fiat ut uſuræ modum non excedant, intraque certos limites ita coarctentur, ut nec nimium graves ſint mutuatariis, nec mutuantibus ſive daniſtis pro opera atque impenſis non ſatis utiles aut lucroſæ. Hoc caſu excuſari aliquomodo poſſe crediderim. Etſi enim credo longè præſtare, ut ab ejuſmodi fœneratione abſtineatur, tamen, quia, ob defectum caritatis, quâ opulenti & divites commode & facile ſuccurrere poſſent pauperibus, aut mutuatitia pecunia ad tempus opus habentibus, ejuſmodi officinæ aliquatenus neceſſariæ ſunt, & ad eas nemo accedere cogitur, niſi qui vult; cauſſa ſatis gravis eſſe mihi non videtur, cur eæ omnino damnandæ & qui eas aperiunt à Sacra Cœna arcendi ſint, ſi prævia autoritate publica eas aperiant, & in iis conditiones limiteſque à Magiſtratu præſcriptos exactè obſervare parati ſint, certumque inſuper ſit, uſuram, quam iſthic percipiunt, non prorſus illegitimam videri poſſe, conſideratis omnibus conſiderandis & detractis omnibus detrahendis, ſaltem pauperibus non nimis oneroſam, quando in mora ſolutionis eſſe nulla ſua culpa coguntur, & pignorum cum venduntur, redimendorum poteſtatem non habent. Hactenus de Longobardis.

*Excipiuntur qui id faciunt auctoritate publica, & modum non excedunt.*

*Quid de carnificibus ſentiendum.*

Quod attinet ad carnifices, qui ultro ſe offerunt operamque ſuam locant Magiſtratui ad feriendum, jugulandum, capite truncandum, uſtulandum, & quolibet tormentorum mortiumque, licet immaniſſimarum genere, quoſvis ſententia judicis damnatos adficiendum, abſque ulla cauſſæ inquiſitione aut cognitione, & quidem cum ſtipendii pro navata opera ſtipulatione, eos ego non modo non in Chriſtianorum, ſed ne in hominum quidem numerum retulerim. Quid enim à ratione humana omni alienius, quam ſine ulla ratione operam ſuam locare occidendis ſine diſcrimine quibuſlibet hominibus, quà nocentibus, quà innocentibus, dummodo à judice damnati ſint? quid vilius, quam pro iſta opera ſtipendium cupere ac capere? Non dubito, quin iſti Chriſtum interfecturi eſſent, ſi nunc à judicibus damnaretur, & pro cæde ejus præmium ſibi poſcerent. Peſſimi ſane mortales, & nimium fæde turpiterque vænales animæ! Equidem mirari ſæpenumero ſatis non poſſum, quomodo Magiſtratus Chriſtiani eo olim delabi potuerint, & ſemel receptum morem hodieque nuſpiam non retineant, ut hominum non aliter quam brutorum animantium opera, non dico utantur, ſed abutantur, ad ſupplicia ſua exſequenda. Certe inter Judæos Deus neminem ſic carnificem eſſe voluit, ſed teſtes ipſos, non niſi de crimine certos juſtiſſimæ cædis ac ſupplicii autores eſſe voluit. Quanto æquius erat id fieri à Chriſtianis, aut ſi id commode fieri non poſſit, aliam ab iis viam iniri, quam iſtam, qua hominis opera adhibetur ad occidendum damnatos, qui an jure an injuria damnati ſint, non magis intelligit quam equus aut mulus? Quæ, inquies, iſta via eſſe poteſt? Reſpondeo: Ego quamlibet comminiſci malim, quam eam, quæ nunc initur, probare. Quod ſi tamen ab ea recedere conſultum non creditur, & carnifice opus eſt, tum vero ne adhibeatur carnifex niſi audita cognitaque cauſſa, ne forte inſontem, aut de quo an ſons & mortis reus ſit certus non eſt, feriat. Quod ſi quis ultro ſe offerat ad quemlibet damnatum feriendum, ubi Prætor aut Senatus jufſerit, cum ego hominem exuere velle dedita opera, ac proinde inter homines, qui ratione non juſſis ducuntur, ut mancipia & bruta, etiam collocandum non eſſe crediderim: imprimis ſi antea bene præmonitus fuerit, ut ignorantiæ, quamquam vix humanæ, velo ſe tegere nequeat,

## An Musico cantilenas idololatricas canere liceat.

### QUÆSTIO XLVII.

*Quæritur, An liceat Musicæ artis perito, cum Catholicis, aut quovis alio, canere hymnos & cantilenas ejusmodi, in quibus invocantur nomina Sanctorum; cum invocatio Sanctorum sit idololatria, & Deus non respiciat modum quo fiat, nec etiam animum & intentionem hominis, sed solum actum externum?*

### RESPONSIO.

Distinguo inter cantiones & cantiones; inter canentes & canentes. Cantiones aut sunt conceptæ lingua canentibus ignota, aut nota. Canentes aut sunt ita periti artis Musicæ, ut non tantum numeros sive modulos aut tonorum intervalla canere, sed & voces singulas iis aptare & accommodare possint; aut non ita sunt periti. Deinde, aut canunt cum Catholicis, qui præter cantionem, etiam devotionem cantionibus adjungunt, flexanimisque modulis eam student acuere; aut non canunt cum illis, & omissis contemtisve vocibus, ad artem solam Musicam, numeris modulisque suaviter expressam, animum advertunt.

Hisce distinctionibus positis, sic respondeo. 1. Cantiones lingua nota conceptas, & quæ sanctorum invocationem continent, ac præ se ferunt, neutiquam licet canere iis, qui adeo periti sunt artis Musicæ, ut ipsas etiam voces modulis aptatas canere soleant; imprimis cum Catholicis, qui modulationi intervallorum, devotionem adhibent, aut per eam ad attentiorem acrioremque devotionem, quam Sanctis suis deferre solent, sese acuere atque excitare in more habent: quia ab omni specie mali, 1 *ad Thess.* V. 22, imprimis autem idololatriæ, quæ malorum omnium maximum est, serio abstinendum est, ne vilis nobis esse videatur Dei gloria & nostra ac proximi nostri salus: videantur etiam loca duo horsum facientia, *Exod.* XXIII. 13. *Psal.* XVI. 4. Dices: Quid si cum risu & contemtu, sive cum μυκτηρισμῷ cantiones istæ à nobis canantur? Resp. Nec hoc quidem licere ipsi Judæi asserunt, sola divini interdicti religione moti, quo actus omnis idololatriæ externus, nullo prorsus discrimine aut exceptione addita, prohibitus est. Mihi certum est, præstare ut ab iis prorsus abstineatur, idque serio & graviter, additisque rationibus, ubi id tuto atque utiliter fieri potest. Contemtus enim aut μυκτηρισμὸς offendere solet, & alienare animos ab inquisitione veri. Gravitas seria & rationibus nixa ædificare potest, & nonnunquam imprudentes aliquos aut allicere, aut ut animum, ad id quod faciunt, propius advertant, permovere. Supponimus autem in hac quæstione, Sanctorum invocationem, quæ per cantionem fit, esse actum idololatriæ externum, quo cultus religiosus uni ac soli Deo Christoque Domino nostro ex asse debitus, tribuitur Sanctis, iisque mortuis. 2. Cantiones lingua ignota canentibus conceptæ, cani aliquando possunt, seu per numeros solos, seu per voces numeris aptatas, quibus sanctorum invocatio continetur, si modò ii qui eas canendo se in arte canendi exercent, iis sanctorum invocationem contineri planè ignorent. Hoc enim si sciant, satius est ut abstineant ab iis canendis, imprimis cum Catholicis, qui etiam lingua sibi ignota religionem exercere & devotionem testari se posse credunt. 3. Cantionum hujusmodi numeros ac modulos solos, absque ullis articulatis vocibus canere, per se illicitum non est, sed per accidens, si vel scandali periculum sit apud infirmiores, qui eos idololatrarum proprias esse norunt, earumque solis numeris propter idololatriæ abominationem offendi possunt: vel si per istam modulationem Catholicis occasio detur sperandi, ut modulis istis etiam ipsæ voces & res vocibus comprehensæ aliquando aptentur, atque ita idololatria suavi ista modulatione ac vocis flexione irrepat in canentium animos.

Quæres: An modulis & numeris istis aptare voces & sensus ab omni idololatria animum abducentes, & ad verum Dei cultum excitantes, non sit licitum. Respondeo: Ego quidem nullus dubito. Sed verò, utrum quando & ubi istæ idololatricæ cantiones in vulgo percrebuerunt, consultius, id est tutius atque utilius sit, ut id fiat, quàm ut non fiat, in medio relinquo. Atque hæc omnia de impuris, obscænis & sordidis spurcisque omnibus cantionibus, quæ Christianos imprimis nullo modo decent, dictum etiam volumus.

## Unde fiat quòd ex lusoribus aleę quidam semper felices sint, quidam semper infelices.

### QUÆSTIO XLVIII.

*Quæritur, Casu ne an providentia fiat, ut quidam in alea semper felices, quidam vero semper infelices sint? Quocunque enim te vertas, difficultas non levis apparet. Nam ut ad casum referas, quod unus perpetuo aleâ superior, alius vero semper sit inferior; est dicere, casum non esse casum, cum proprium eorum quæ casu fiunt, sit, ut raro contingant. Providentiæ verò divinæ talium actionum curam tribuere, vereor, ne parum divinæ Majestati sit conveniens: cum non Deus sed Diabolus potius iis præsidere videatur; quippe quas jurgia, rixæ, pugnæ ac blasphemiæ ut plurimum comitentur. Nec obstat celebre illud Solomonis dictum*, Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur; Proverb. XVI. 33. *cum non de alea ac lusibus, sed de hæreditatum sortibus tantum hoc in loco agere videatur.*

### RESPONSIO.

Resp. Supponitur hîc casus, qui an in rerum natura sit, incertum est; mihi saltem hactenus inauditum est, in alea casum istum dari, ut quidam in ea aut jacienda aut exercenda semper felices sint, quidam semper infelices. Fieri enim posse ac fieri solere nonnunquam, ut fors quibusdam crebro feliciter cadat; aut si non cadat, arte atque industria ita regatur, ut quidam superiores plerumque in ea evadant, nemo dubitat: quamquam in alea, quæ arte atque industria non regitur, nec regi potest, ut id plerumque, nedum semper, usu quibusdam veniat, merito dubitatur.

Quod si tamen id accidere dicatur, experimentisque variis demonstretur, tum sic respondeo. Alea aut licita intelligitur, quæ scilicet subcisivis horis animi caussa, aut refocillando fesso spiritui, sine temporis jactura, sine meliorum & necessariarum curarum dispendio, sine scandalo, instituitur. In hac fieri posse credo, ut quis, non industria tantum aut sagacitate vel ἀγχινοίᾳ, sed casu etiam, si non semper, ut plurimum tamen superior fiat, Deo casum istum non dirigente nec dirigere intendente, sed permittente dumtaxat. Casu enim aliquid fieri & crebro fieri, non omnino, meo quidem judicio, repugnat. Casus enim præcise consilium excludit, non eventus similitudinem.

Aut intelligitur alea illicita, quæ lucri caussa, cum temporis & meliorum curarum dispendio, nullo scandali respectu, ordinariè instituitur. In hac fieri posse credo, ut aliquando intercurrat, seseque misceat divina dirigens Providentia: Aliquando, inquam; Ut enim Deo aleam & aleatores adsiduo sic curæ esse credam, ut semper divina sua providentia eos dirigat, à me non impetro. Nempe odit & aversatur istos temporis & meliorum curarum salutisque suæ æternæ, non incuriosos modo, sed & prodigos mortales, suisque eos vanis & profanis cupiditatibus relinquit ordinarie, meo judicio; cui non repugnat tamen, quod aliquando circa eos providentia sua dirigente versari velit, & quidem hac ratione. Aut aleatorum alter natura sua alienior est ab alea, & lucri ex alea cupiditate; nec sponte sua, sed tantum non invitus ad aleam venit, solicitatus scilicet diu multumque, & veluti protractus ab altero, sive quia eum offendere non audet, sive quod tergiversari diu non possit, urgentemve à se repellere. In hoc casu fieri posse credo, ut Deus sive per Angelum, sive per Dæmonem, aleam ita dirigat, ut ea plerumque ex una parte fere infæliciter cadat ei, qui invitus ad eam venit, & quidem in bonum ejus, ut imposterum omnino ab alea abstineat, & tergiversandi caussam graviorem habeat, atque ita animum melioribus curis studiisque, ad quæ propendet, applicet. Atque hæc divina directio tum maxime locum habere posse videtur, quando is, qui ab alea alieniore animo est, rebus melioribus & gravioribus publicoque utilioribus gerendis aptus atque idoneus est. Ex altera parte fere feliciter cadat ac cedat ei, qui ad aleam ita pronus est, ut etiam alios reluctantes & ad meliora natos ac pronos, ad eam pertrahere studeat, & quidem in malum ejus, ut nimirum adblandientem quasi fortunam in alea impensius sectetur, atque ita magis magisque cupiditatibus suis irretiatur, unde se postea expedire vix possit. Nempe hoc est, quod *ad Rom.* I. 24 dicitur, Deum aliquando *tradere* homines *desideriis cordium ipsorum.* & *vers.* 28, *quia nolunt in animum inducere, ut Deum,* (id est, Dei

voluntatem) *in notitia retineant* (id est, quam norunt, præstent,) *Deum etiam eos* (quasi talionis jure) *tradere in mentem ἀδόκιμον*, (id est, quæ nec ipsa probat quod rectum est, nec alii ulli bono, nedum Deo probari potest) *ut faciant quæ non decent.* Atque hoc judicium divinum credo non raro intervenire, quando aleatores utrimque sua sponte ad aleam ita propendent, ut nullis monitis, nullis suasionibus, nullis minis dimoveri atque avelli se patiantur ab ejus adsiduo studio ac consectatione. Nempe ut eos regendos tradat Diabolo, cujus deinde ope atque opera fiat, ut, cui is maxime favet, quemque aleandi libidine irretiri atque illaqueari maxime ipsius interest, ei alea ut plurimum feliciter cadat: alteri vero, ut minus idoneo Diaboli mancipio, non secunda sed adversa fere cadat; atque ita ille ad jurgia, ad rixas, pugnas, ac non raro ad vulnera prosiliat. unde accidere sæpe solet, ut uterque aleator, tum victor tum victus, mala ac misera morte pereat, utque ita fructus aleæ, neutri felix, sed utrique funestus ac dolendus sit: aut, si id non eveniat, ut præmium alterius sit infamis & malesuada paupertas; alterius vero molestum ex alieno infortunio gaudium, & similis semper infortunii ex continuata alea metus. Ut ut est: Aleæ istius præses ac director est malus genius: cujus arbitrio, (Deo ita judicia sua justa ei permittente) fieri credendum est, ut alea vel secunda vel adversa cadat, & malo quidem ac damno eorum, qui ei dediti sunt. Lusus iste ludus ejus est, in quo ille imprudentes ludit, & miseris deinde illudit: ita ut, dum casui fortunas suas exposuerunt, casui etiam eventum omnem imputent; cum tamen ipse fortunæ eorum faber sit, & ab ipso victus habeat quod miserè doleat ac ploret; victor, quod ex aliena infelicitate & calamitate gaudeat.

Nec contra facit locus *Proverb.* XVI. 33. ubi *sors in sinum conjici* dicitur, *sed judicium ejus esse à Domino.* Nam aut in illo loco non agitur de sortibus omnibus, tam ludicris, sive eæ aleares sive quasi aleares sint, quam consultoriis aut divinatoriis omnibus, quæ ex Magica quadam superstitione fiunt: sed ad summum de divisoriis, quæ adhibentur quando dubitamus cui aliquid adjudicandum sit in hæreditate, in bonis, in honoribus, oneribus, laboribus, periculis, &c. dummodo eæ fiant ex recta intentione cum prævia divini numinis invocatione, & eventus à providentia ejus libera ac sapientissima exspectatione; ex caussa necessaria, quando non invenitur melior modus difficultatem ac dubitationem tollendi; in materia congrua, ubi nullum est periculum injustitiæ: cum debita reverentia, ut admittatur id quod sors tulerit, tanquam ex divina voluntate profectum. Aut si in loco isto agi velimus de sortibus omnibus, tum judicium earum à Domino etiam esse concedi potest, quatenus Dominus earum eductionem Diabolo permittit ac committit, in pœnam eorum, qui aut abutuntur iis, quæ, nostro judicio, non prorsus sunt illicitæ, aut utuntur iis, quæ vel per se sunt illicitæ, vel ex accidente, id est accedente alia aliqua caussa impulsiva, quam sola animi gratia, aut spirituum fessorum recreatione tum tempestiva tum modica, ut supra ad quæstionem de choreis & alea respondimus.

## De officio Pastorum in invisendis peste laborantibus.

### QUÆSTIO XLIX.

*Quæritur, An Pastores Ecclesiæ alicujus, qui omnem navarunt operam, tam hortando quam dehortando auditores suos, ut sibi caveant à peccatis, necessario teneantur invisere & consolari homines morbo contagioso infectos, licet ab ægris invitati: præsertim cum alii adsint, quibus munus istud consolandi peste laborantes, incumbit. Deinde cum nullus manifestus locus in toto Novo Testamento extet, quo pastores Ecclesiæ ad id faciendum obligantur. Denique, cum à salute pastoris dependeat salus totius Ecclesiæ; & recta ratio doceat, graviora minus gravibus præponderare debere.*

### RESPONSIO.

QUæstio hæc de morbis aut de morbo pestifero, id est, de peste agit, quam præsupponit contagiosam esse, & transitione aliis nocere posse: quod extra controversiam arbitror esse debere. Ea autem sic proponitur, ut non tam quæstio, quam quæstionis in alteram partem decisio videri debeat. Nos vero ad eam, tamquam si mera quæstio esset, respondebimus. Tripliciter ea accipi potest. Primò: An Pastores Ecclesiæ, peste infectos auditores suos invisere & consolari necessario teneantur, ex speciali aliquo præcepto divino. Secundo: An ad id teneantur ex vi generalis mandati divini, quo pastores obligantur ad munus suum recte gerendum in cura ovium suarum, id est, ex officio suo & ratione muneris sui quod gerunt. Tertio: An ad id teneantur ex speciali aliqua caussa, puta vel scandali, quod alioquin nisi id faciant ad Ecclesiam redundaturum est: vel desiderii & requisitionis, quam morbidus facit: vel conscientiæ propriæ suæ qua se ad id obligari credunt. Si primo sensu accipiatur, certum est, speciale nullum atque expressum mandatum, quo ad id pastores obligantur, in Scriptura exstare, quale videlicet datum fuisse legimus Esaiæ Prophetæ, ut Ezechiam Regem peste laborantem accederet; *Esaiæ* XXXVIII. 1. 2, &c.

Si secundo sensu accipiatur, certum est, ex vi generalis mandati divini, & ex natura muneris pastoralis, officium pastorum esse, seriam ac solicitam curam gerere ovium suarum; 1 *Pet.* V. 2. *Heb.* XIII. 17. *Act.* XX. 28. & exerte, si ab ægris advocentur, eos adire & pro iis orare: *Jacob.* V. 14. Certum etiam est, mandari fidelibus omnibus, ut ægros invisant: *Matth.* XXV. 36. infirmos sublevent, 1 *ad Thess.* V. 14. & recordentur παυκχυρίων, ὡς καὶ αὐτοὶ ὄντες ἐν σώματι: *Heb.* XIII. 3. Isto igitur mandato pastores teneri imprimis & ante alios omnes, dubium non est. Adde, quod fideles omnes obligentur ad ponendum animas suas pro fratribus suis: 1 *Joan.* III. 16. multo ergo magis pastores.

*Pastores non semper teneri invisere peste laborantes.*

Hæc certa esse nemo dubitat. Sed vero non immerito quæritur, an ex vi generalis mandati istius, quod tum pastoribus solis, tum pastoribus non minus quam fidelibus cæteris datum est, pastores obligentur in omni casu, imprimis in casu contagiosi morbi, invisere & consolari oves suas contagione ista infectas. Id non videtur. Rationes sunt. 1. Quia contagiosus hujusmodi morbus periculosior multo est quam lepra olim erat in populo Israelitico. Atqui Sacerdotes & Pastores in populo Israelitico, etiamsi ex generali mandato divino oves suas curare solicite tenebantur, non tamen obligabantur accedere ad lepra, magna scilicet, infectos: imò eos tanquam à populo toto segregatos non accedere tenebantur, propter contagionis periculum, uti recepta fert opinio. 2. Quia etiamsi ex vi generalis mandati istius, pastores obligentur etiam ad curam ovium singularum; tamen ex vi ejusdem magis obligantur ad curam gregis totius, id est, vel Ecclesiæ totius, vel multo maximæ Ecclesiæ partis. Quare si à cura ovis unius aut paucarum, cura & salus Ecclesiæ totius aut plurimarum in ea ovium periclitatur, in hanc potius quam in illam incumbere tenentur pastores. Periclitari autem Ecclesiæ salutem, si eam contingat orbari pastoribus fidis & idoneis, dubium non est. A contagione autem fieri posse ut orbetur, certissimum est. 3. Quia fieri potest ut Ecclesia tota aut saltem maxima vel præcipua ejus pars intercedat, oretque pastores, ut sui & potissimum gregis totius sibi commissi rationem habeant; curaturam se, ut idonei alii viri, aut idoneus aliquis curam istam in se suscipiat, ægrisque officia omnia debita præstet. Hoc casu obligari pastores non credo ad contra agendum. 4. Quia fieri potest ut oves morbidæ ipsæ non modo non requirant pastores, sed in gratiam Ecclesiæ iis parcitum velint: quin & eos ad se venire non permittant, ob periculi, quod ad Ecclesiam totam redundare potest, metum. Hoc casu non teneri puto pastores ad invisendum peste infectos. 5. Quia cura pastoralis in morbo isto aut nullius aut exigui fructus est: nimirum, plerumque inidonei sunt, qui morbo isto tenentur, ut cum attentione seria curæ isti animum adhibeant. Fere enim aut in gravi dolore aut in delirio sunt. Intervalla, si quæ intercurrunt, lucida, ea brevia sunt, & raro sine acri febrili ardore, qui mentem aliquomodo turbat, animumque ab audiendo & attendendo distrahit ac divertit. Tum, qui isto morbo infestantur, ii aut sunt pii & vitæ probe anteactæ sibi conscii: hosque Deus satis consolatur & propria sua conscientia: aut vitæ profanioris ac dissolutioris, vel saltem non usquequaque castigatæ: & hi ut alloquio uno atque altero, in istis doloribus, ad frugem revocentur, seriaque vitæ anteactæ pœnitentia ducti cum Deo in gratiam reducantur, parum credibile est. Saltem spes fructus tanti adeo exigua est, ut cum periculo contagionis, quod ad pastores familiasque eorum & ad totam Ecclesiam, si contagione ista infecti pastores moriantur, redire potest, conferri nullo modo mereatur.

Dices: Atqui pastorum imprimis est animas suas ponere, id est, discrimen mortis &, si aliter fieri non possit, in ipsam mortem conjicere pro fratribus suis. Respondeo: Ita est. Sed aliud est animam ponere pro fratribus suis, id est, vel pro omnibus vel pro uno fratre solo dumtaxat æternum servando si necesse sit, aut si aliter fieri non possit, mori paratum

rátum esse : aliud animam ponere pro ovibus suis. Pastor tenetur animam suam ponere pro fratribus suis, id est, pro quolibet fratre, & vel uno solo, non qua pastor est, sed qua frater. At qua pastor est, non tenetur animam suam ponere pro fratre vel ove una, cum periculo & damno fratrum sive ovium plurimorum, nedum Ecclesiæ totius; id est ovium cæterarum omnium. Major enim cura ei esse debet de toto grege, quam de una alterave ove servanda. Dices: At contra parabola Christi, *Luc.* XV. 4. 5. 6, &c. non obscure arguit, unius ovis deperditæ potiorem rationem habendam esse, quam totius gregis. Resp. Sane, quando grex totus in tuto & extra periculum est, aut quando ei alioquin satis prospectum est contra rabiem luporum: id est, ut parabolæ protasin ad ἀπόδοσιν revocemus, quando grex reliquus justus est, ut resipiscentia, & sic cura pastoris, opus non habeat. Per ovem enim perditam intelligit Servator non fidelem morbo tactum & solatio indigentem, sed peccatorem, quem, nisi ad resipiscentiam adducatur, æternum periturum esse dicit, imo qua peccatorem non resipiscentem jam ἀπολωλότα id est, perditum esse testatur; oppositè ad justos, quos in viam justitiæ primum adducere necesse non est, aut qui jam in justitiæ stadio ac studio ita sunt confirmati, ut cura admodum singulari aliorum opus non habeant. Hactenus de secunda acceptione.

Si tertio sensu accipiatur: tum caussæ specialis cujusque momentum considerandum venit. Si caussa specialis est dictamen conscientiæ, quo pastores aut pastor aliquis, consideratis omnibus considerandis, nihilominus impelli atque incitari se credit ad officium ægris istis faciendum, tum vero ex vi conscientiæ istius suæ, licet erroneæ, tenetur atque obligatur ægros istos invisere, eorumque curam gerere.

Si caussa est desiderium & seria requisitio, aut ægri, aut eorum qui ægri salutem cordi habent anxia & acris postulatio, tum duo consideranda veniunt. Primum: An non contra Ecclesia tota, aut magna ejus pars, aut Ecclesiarum ephori & antistites saltem, serio requirant ut pastores ab invisendis talibus ægris sibi caveant, ne Ecclesia per eos detrimentum maximum patiatur, & interim prospexerint ægris de viro aliquo idoneo, qui eorum curam gerat. Hoc casu pastores non teneri credo ad satisfaciendum desiderio & requisitioni ægrorum istorum, sed sufficere arbitror, ut ægris istis satisfiat ea ratione, quam Ecclesia tutissimam esse judicavit. Alterum; An si Ecclesia aut Ecclesiæ præpositi id non requirant, pastores ipsi vel data vel captata occasione præmonuerint Ecclesiam, ut in tali casu contagiosi morbi, non tam sui quam Ecclesiæ totius incolumitati consultum velint, ac proinde in tempore sibi prospiciant singuli de iis, quæ in isto casu conscientiæ suæ tum fulciendæ, tum instruendæ, tum consolandæ servire possunt, ut pastores suos in discrimen vitæ adducere opus non habeant. Id si fecerint, tum vero teneri eos non credo ad invisendum ægros istos sic serio præmonitos. Si id non fecerint, tum vero eos teneri credo. Æquum enim est, ut tum sibi ipsis id imputent, & negligentiæ suæ culpam ferant, adhibitisque seriis ad Deum precibus, se ipsos alacriter totos impendant ægris istis operam suam desiderantibus, & consilium suum requirentibus: cum cautione tamen & prudentia, qua fieri potest, summa, ut à contagione sibi caveant. Uti enim periculum non subterfugere, sed subire, quando id necesse est, caritatis est: ita non amare istud, sed declinare, prudentiæ est. *Qui amat periculum, peribit in eo*; inquit Sapiens. Similiter ergo: Si caussa est manifestarium scandalum, quod jam aut natum est, aut nascirurum videtur apud Ecclesiam, vel totam vel maximam ejus partem, si pastores officium istud ægris eiusmodi præstare detrectent, ejusque caussa sit; quod Ecclesia serio contra scandalum istud præmunita non fuerit à pastoribus ipsis, tum certe ad prævertendum aut divertendum scandalum istud, teneri credo pastores ad curam ægrorum istorum habendum; sive unus aliquis pastor dumtaxat sit, sive plures: cum circumspectione tamen & cautione hac triplice: 1. ut, ubi plures pastores sunt, ibi non omnibus simul provincia ista demandetur, sed uni dumtaxat, qui vel ultro se ipsum offert, vel in quem sortitione facta, sors ista cadit, vel qui de communi sententia fratrum munus istud imponi sibi lubens patitur, ea lege ut interim à publicis functionibus vacet. 2. ut sive unus sive plures in Ecclesia pastores sint, ii qui isti rei se impendunt, non accedant ægros, nisi quando aut mens ipsis constat, aut morbi vis remissior est, aut intervallum aliquod lucidum est, & quam fieri potest rarissimè, tutissimè ac brevissimè; interim, ut optime ægris satisfiat, scripto etiam iis relinquentes quæ subinde legi possint ad ipsorum instructionem & consolationem utilia. 3. ut priusquam ægros accedunt, seriis precibus Deo se commendent, & solicite etiam remediis prophylacticis, antidotis, aliisque contra contagionem se muniant, de cætero securi sint, Deoque committant se totos anima & corpore.

## An per Euangelium sublata sit omnis ciborum differentia, ex locis *Rom.* XIV. 17. & 1 *Corinth.* VIII. *Coloss.* II. 20, &c. collatis cum *Act.* XV. 29.

## QUÆSTIO L.

*Quæritur, An per Euangelium Jesu Christi sublata sit omnis differentia ciborum? Nam* Act. XV. 29 *jubentur gentes ad fidem Jesu Christi conversæ abstinere ab idolothytis, à sanguine & suffocatis. Quibus verbis diserte discrimen ciborum præscribitur. Et rursus illud omne tolli videtur ab Apostolo Paulo,* Roman. XIV. 17. *&* 1 Cor. VIII, *per totum caput, & præcipue etiam ad* Coloss. II. 20, *usque ad finem capitis. Quomodo hæc conveniunt? Neque enim dicendum videtur Apostolum Paulum contravenire decreto aliorum Apostolorum & fidelium, qui illud Hierosolymis dictante Spiritu sancto fecerant, aut id evertere & irritum reddere velle. Adde, quòd nullum tempus nominari possit, quo decretum illud contrario decreto vim suam perdidisse dici possit. Quare dicat quis, etiamnum hodie omnibus promiscuè cibis non esse utendum.*

## RESPONSIO.

EVangelium Christi continet præcepta duûm generum. Unum genus est eorum quæ universalia & perpetua sunt, quæ rursus duûm sunt generum: Alia quæ ad semper & pro semper obligant; cujusmodi præcepta sunt, præceptum fidei in Jesum Christum, & sanctimoniæ sive bonorum operum: Alia quæ non ad semper, sed pro semper obligant. cujusmodi rursum sunt duplicia; Quædam quæ pro semper obligant, quando tempus aut occasio non deest ut ea præstentur; cujusmodi est præceptum Cœnæ Dominicæ, eleemosynæ, &c. Quædam quæ pro semper obligant, quando scandali aut offendiculi periculum est; cujusmodi præcepta sunt quæ versantur circa adiaphora & indifferentia, quæ à quibusdam adiaphora & indifferentia esse non intelliguntur, ob causam aliquam non improbabilem. Alterum genus præceptorum Jesu Christi, est eorum præceptorum quæ non sunt ex se sic universalia & perpetua, sed pro tempore, certa quadam occasione data, cum intentione ac spe ut occasio illa aliquando cesset ac desinat, vel ut jure meritoque cessare debere, aut saltem cessare posse omnibus persuadeatur. *Præcepta Euangelii duum generum.*

Ad utrum genus horum Euangelii præceptorum referendum sit præceptum istud, quod in hac quæstione proponitur ex *Act.* XV. 28. 29, expendi meretur, ut quomodo ad quæstionem propositam respondendum sit appareat. Ego sic statuo: Si historia videatur, in qua narratur, qua occasione præceptum hoc de abstinendo ab idolothytis, à sanguine & à suffocato, (de scortatione enim, cujus in ista historia etiam mentio fit, quæstio proposita omnino silet) conditum est ab Apostolis & ab Ecclesia Hierosolymitana, manifestè satis liquet, occasionem condendi hujus præcepti, fuisse, dissensionem sive στάσιν & συζήτησιν sive altercationem, quæ orta fuerat inter fratres quosdam recens ex Judaismo ad Christianismum conversos, & proinde Legi Mosaicæ adhuc, sed plus æquo addictos, & inter Paulum ac Barnabam gentilium ad Christianam religionem conversorum libertatem à jugo Mosaicæ Legis, cui natura obstricti non erant, strenuè adserentes: *cap.* XV. 1. 2. Litem vero istam componi non potuisse, nisi referretur ejus decisio ad Apostolos & presbyteros Hierosolymis degentes. Deinde, re ad eos delata, manifeste satis liquet, Apostolos & presbyteros cum tota Ecclesia, post multam disceptationem, caussam Judæorum zelotarum istorum qui Paulo & Barnabæ litem moverant improbasse, utpote qui labefactaverant animas gentilium, & verbis eos turbaverant: *vers.* 24. & *ut versu* 19 indicatur, obturbaverant eos qui ex gentibus ad Deum se converterant: & quod autoritatem Apostolorum & presbyterorum Hierosolymitanorum caussæ suæ obtendissent, ægre tulisse: uti ex fine *vers.* 24 liquet, ubi Epistolæ Synodicæ initium est: & contra, caussam Pauli ac Barnabæ, quam mirificè confirmaverat narratio & sententia Apostoli Petri, probasse gratamque habuisse; adeo ut in *Ad quod genus referatur illud de abstinendo à sanguine, &c.*

eandem omnes pedibus conceſſuri fuiſſent, niſi interveniſſet Jacobus Apoſtolus, & pro ſua ſapientia ac prudentia in medium conſuluiſſet, quo nimiæ Judæorum fratrum offenſioni ex deciſione tali tantum non certò orituræ occurreretur. Noverat enim ingenium & zelum eorum, quo legem Moſaicam ſartam tectam cupiebant: uti ex *cap.* XXI. 20. 21. videre eſt: & ex ratione quam Jacobus ipſe allegat, *verſ.* 21. *cap.* XV hujus, manifeſtum eſt. *Moſes enim*, inquit, *jam ab ætatibus antiquis oppidatim habet, qui ipſum prædicent, quum in Synagogis per ſingula Sabbatha legatur*, q. d. Fieri aliter vix poteſt, quin graviſſime offendantur Judæi fratres, ſi nulla prorſus habeatur ratio Legis Moſaicæ, quæ tanta religione & tam longâ diuque inolita conſuetudine ab ipſis celebratur, & in ſummo apud eos pretio eſt. Unde colligo decretum, quod poſt iſtam Jacobi Apoſtoli ſententiam, conditum fuit communibus ſuffragiis, decretum fuiſſe, quod in gratiam Judæorum iſtorum zelotarum, ne ſcilicet nimium offenderentur, factum fuit; ac proinde, eo non tam contineri præceptum, quam conſilium, quod iſto tempore tanquam utiliſſimum, adeoque vitandæ offenſioni maxime neceſſarium videbatur, & jure meritoque ſequendum erat. Ratio eſt, quia fundatur non in eo, quod Moſes Lege ſua iſta gentibus præcipiat, aut quod zelotæ iſti fratres, rectè, Legis Moſaicæ obſervationem gentilibus converſis imponendam eſſe, urgerent. Nihil minus; ſed in eo, quod, quando id facturi eſſent gentiles, eo ipſo demonſtraturi eſſent, non contemni à ſe prorſus Legem Moſaicam, ſed eam hactenus in pretio à ſe haberi, quod ritus Legis iſtius quoſdam non gravarentur libenter uſurpare in gratiam eorum, qui ad legem iſtam totam obſervandum natura & circumciſionis vi obſtricti erant; vel potius, ad quos obſervandum gentiles ab ipſis uſque Noachi temporibus obligatos fuiſſe, perſuaſum ſibi habebant. Hoc enim ſibi vult quod dicit Jacobus, *Moſes enim legitur ab ætatibus antiquis*, &c. id eſt, Pentateuchus Moſis. q. d. Niſi id fiat à gentilibus Synagogam intrantibus, fruſtra omnino legi videretur coram iis, & ſic tandem plane vileſceret Moſes. Moſes autem in pretio videtur haberi tum, quando aliqua Moſaica, ſeu Moſaicis ritibus ſimilia, in pretio habentur ab iis, qui natura ad Legis Moſaicæ obſervationem non obligantur, id eſt, qui natura Judæi non ſunt.

Dices: Atqui ea quæ hic gentilibus imponuntur, *neceſſaria* eſſe dicuntur, *verſ.* 28: id eſt, neceſſario obſervanda ab iis: ubi autem neceſſitas eſt, ſive neceſſaria obligatio, ibi conſilium non eſt, ſed præceptum. Reſp. Neceſſitas hæc reſpectu trium iſtorum, quæ in quæſtionem hanc veniunt, (ſcortationis enim alia ratio eſt) non niſi neceſſitas pro tempore eſt. Ratio eſt, quia idem ille Paulus, qui decretum hoc una cum Juda & Sila primariis fratribus, ad Eccleſiam Antiochenam pertuliſſe legitur ex mandato Synodi, *verſ.* 30. & *cap. ſeq.* XVI. 4, una cum Timotheo Derbæ & Lyſtræ, id urbicatim vel oppidatim tradidiſſe ſervandum Eccleſiis, diſerte alibi non ſemel eo obſtrictos eſſe negat fideles gentiles extra caſum ſcandali, uti apparet ex locis in quæſtione allegatis: quibus adde 1 *ad Corinth.* X. 25, &c. quam Epiſtolam, uti & Epiſtolam ad Romanos, multo poſt habitam hanc Synodum Hieroſolymitanam ſcriptam eſſe non videtur dubitandum. Atqui certum eſt, Paulum optime ſciviſſe mentem Synodi, & quia eam approbaverat, decretumque ejus executioni mandaverat, nullo modo veroſimile eſt, eum directè contra mentem Synodi aut agere aut ſcribere voluiſſe. Neceſſitas itaque iſta non eſt habenda pro neceſſitate univerſali & perpetua, ſed pro neceſſitate temporaria, extra caſum ſcandali. Poſito enim caſu ſcandali ſive offendiculi, neceſſitas iſta ex mente Apoſtoli, ut & omnium rerum adiaphorarum quæ ſine ſcandalo fieri non poſſunt, eſt univerſalis & perpetua. Sic enim inquit 1 *ad Corinth.* VIII. *verſ.* 13: *Quapropter ſi eſca facit ut offendat fratrem meum, non veſcar carnibus* NB. *in æternum.* Ex quo ſequitur, Gentiles omnes omni tempore obligatos non fuiſſe ad hoc præceptum, aut ſi obligabantur eos non fuiſſe obligatos ex vi præcepti hujus, ſed ex circumſtantia accidentaria ſcandali, quæ obligat omnes Chriſtianos, ne libertate ſua abutantur ad perniciem fratrum ſuorum. Fruſtra itaque dicitur in quæſtione 1. non videri dicendum Apoſtolum Paulum decretum Apoſtolorum & fidelium, dictante Spiritu S. conditum, evertere aut irritum facere voluiſſe: deinde, nullum tempus nominari poſſe, quo decretum illud contrario decreto vim ſuam perdidiſſe dici poſſit. Nam decretum pro tempore factum, contrario decreto ut evertatur neceſſe non eſt. Tempore enim iſto ceſſante ſemper & natura ſua ceſſat. & qui decretum pro tempore eo fine dumtaxat conceptum eſſe novit, ut offenſioni vitandæ & offendiculo cavendo ſerviat, is, ſi eadem lege decreti iſtius obſervationem ubique & ſemper urgeat, nec contravenit decreto, nec irritum iſtud facit, ſed confirmat. Extra vero iſtam legem; ſi decretum vim habere negat, pariter decretum ſtabilit, ex intentione eorum qui id condiderunt. Confirmatur hæc reſponſio ex eo, quod Apoſtolus qui Judæus erat, circumciſionem ipſam adhiberé voluerit in gratiam Judæorum, quando Timotheum circumcidit, quia pater ejus Græcus erat, mater vero Judæa, uti *cap.* XVI. *ſeq. verſ.* 1. 2. 3 liquet: eandem vero adhibere noluerit circa Titum, quia ille Gentilis erat, & ad legis totius Moſaicæ obſervationem nec naturæ lege tenebatur, nec vi præcepti hujus Apoſtolici, in quo circumciſionis nulla fit mentio: *ad Gal.* II. 3. 4. Deinde ex eo, quod Paulus in gratiam Jacobi Epiſcopi Hieroſolymitani & Judæorum fidelium quorum tum Hieroſolymis multa erant millia, voto ſe obſtrinxerit, & radi cæſariem ſuam curaverit; quamquam ut id faceret, præcepto nullo obligabatur, ſed ſolo caritatis & prudentiæ conſilio; *Act.* XXI. 26, &c. quia id offenſioni vitandæ ſerviturum videbat, & præceptis, quæ gentilibus data erant, non contravenire intelligebat; uti expreſſe legere eſt *verſ.* 25.

Dices: At neceſſitas hæc videtur eſſe neceſſitas abſoluta & perpetua, quia abſtinentia à ſcortatione etiam mandatur Gentilibus. Iſta autem abſtinentia neceſſaria eſt fidelibus omnibus, ubique & omni tempore, ſive ad ſemper & pro ſemper. Reſp. Argumentum procederet, niſi aliam ſcortationis, aliam idolothytorum, ſanguinis, & ſuffocati edendorum rationem eſſe Paulus docuiſſet. Nam idolothytis veſci, extra caſum ſcandali, imo omnibus, quæ in macello venduntur, inter quæ ſæpe erant farcimina ex ſanguine, & ſuffocata animalia, conceſſit fidelibus; Scortationem vero uſque adeo ſemper prohibuit, ut eam ne nominari quidem inter fideles conceſſerit: *Epheſ.* V. 3. eamque inter opera carnis, quæ nos ex regno cælorum excludunt, recenſuerit, *ibid verſ.* 5. & *ad Gal.* V. 19. *ad Heb.* XIII. 4.

Quæres, An itaque ratio ſcandali etiamnum ſufficiat, ad hoc, ut, ſi quis religione præcepti hujus Apoſtolici ductus, abſtineat, abſtinendumque ſibi eſſe credat ab omni ſuffocato & ſanguine, adde etiam, ubi idolothyta adhuc vigent, ab idololytis, in ejus gratiam nobis ab eſu eorundem abſtinendum ſit? Reſp. Is, qui abſtinet ab eſu iſtarum rerum, aut abſtinet idcirco, quia præcepti iſtius religionem omnibus Chriſtianis adhuc obſervatu neceſſariam judicat; aut ideo abſtinet, quia conſcientiam habet ſibi non licere violare iſtam religionem, eo quod præceptum iſtud credat adhuc durare & vim ſuam habere, relinquens aliis conſcientiam ſuam, qui præcepti iſtius religione ſe jam amplius non obſtringi credunt, ob rationes ex Apoſtolo allegatas. Si quis hoc ſecundo modo abſtinet, in ejus gratiam abſtinendum non eſſe à cibis iſtis per ſe liquet. Nullum enim ſcandali aut offendiculi periculum tum eſt. Si quis primo modo abſtinet, in ejus gratiam abſtinendum quidem crediderim ab eſu iſtarum rerum, ex vi dicti Apoſtolici, *Si eſca mea facit ut frater offendat, non veſcar carnibus in æternum:* NB *in æternum.* Sed & hoc agendum nobis eſſe judico ut ille rectius inſtruatur, & ab infirma iſta conſcientia liberetur: quod rationibus ex Apoſtolo adductis tam evidenter ſolideque fieri poſſe credo, ut, ſi quis iis non cedat, vix à pertinaciæ culpa immunis haberi poſſit: quamquam præſtare ex altera parte credo, ut in ejus, in opinione ſua perſeverantis, gratiam abſtineatur potius ab eſu iſtarum rerum, quam ut pertinaciæ culpa aut crimen ei impingatur.

Quæres: An ea ſit ratio offendiculi, ut abſtinendum prorſus nobis ſit ab omni eo, quo quis offendi ſe ait, exempli gr. à ſuppellectile, veſte paulum mundiore, cibo paulum lautiore, pallio paulum longiore, &c. Reſp. Offendiculum aut habet cauſſam probabilem, aut non habet. Si cauſſam nullam probabilem habet, offendiculum ſuperſtitioſum & melancholicum eſt, cujus ratio non eſt habenda. Si cauſſam aliquam probabilem habet, offendiculi iſtius, tanquam ex infirmitate nati, ratio habenda eſt. Tale autem eſt offendiculum, quod naſcitur ex religione & conſcientia præcepti hujus Apoſtolici, quatenus id ut præceptum perpetuo obſervandum omnibus, etſi per errorem, eſſe creditur: quamquam iis, qui ita offenduntur, abſtinendum etiam eſt, ne facile judicent ac damnent aliorum libertatem, memores præcepti iſtius Apoſtolici, quod legitur 1 *ad Corinth.* X. 29. & *Rom.* XIV. 13. 15. *Cur enim libertas mea damnatur ab alia conſcientia? qui non edit, edentem ne condemnato.* Cui adde, quod fieri poſſit, ut plures & meliores adſint, qui non minus offendantur abſtinentia iſta noſtra, tanquam ſuperſtitione quadam libertati Euangelicæ contraria, aut ea ſaltem indigna, imò jampridem ab Eccleſia tota Chriſtiana aut repudiata aut neglecta. In tali caſu potior ſemper eſſe debet ratio offenſionis plurium & meliorum, quam unius aut paucorum, ſalva tamen ſemper prudentiæ & caritatis lege.

Mantiſſæ loco addo: Ineptos eſſe Pontificios, cum dicunt legem

legem hanc autoritate Ecclesiæ suæ Romanæ, id est, Pontificis Romani, abolitam esse. Nam, 1. certum est Ecclesias omnes Græcas hactenus adduci non potuisse, ut legem hanc abolitam esse adeoque non perpetuo observandam esse credant. Theodorus Balsamon Episcopus Antiochenus, qui vixit circa millesimum ducentesimum à Christo nato annum, vehementer invehitur in Latinos, qui sanguinem & suffocatum indiscriminatim comedebant, adducto canone LXIII Apostolis adscripto 2. Certum est, nullum unquam decretum statutumve adduci posse, quo lex illa abrogata est. 3. Certum est legem hanc ab ipsis Pontificibus Romanis multis post Christum seculis severe stabilitam ac sancitam esse. Nam Leo Papa Magnus, qui vixit circa annum Christi CCCCXL, Epist. LIX. c. 5. cum gravi censura idolothytis vesci vetat, adeo, ut sive fames sive terror suaserit ad edendum immolatitia, pœnitentiæ satisfactione purgari jubeat, qui id fecerint. Tribus post hunc seculis Zacharias Papa, qui septingentesimo quinquagesimo post Christum anno, juxta Baronii Chronologiam, sedit, in Epistola ad Bonifacium Archiepiscopum Moguntinum, quæ exstat tomo 2 Concil. inter alia sic scribit: *De quibus flagitasti à nobis, quæ recipienda quæ respuenda sint; imprimis de volatilibus, id est, graculis & corniculis atque ciconiis, quæ omnino cavendæ sunt ab esu Christianorum; etiam fibri atque lepores, & equi sylvatici multo amplius cavendi*, &c. In eandem sententiam Leo Imperator, Anno octingentesimo nonagesimo quinto, severa cum sanctione statuit, Novella Constit. LVIII, hunc in modum: *Sciat quicunque sanguinem in cibum convertere deprehensus fuerit, se bonorum publicationi subjiciendum; & ubi acerbum in modum flagris cæsus, ac cute tenus fœde tonsus erit, perpetuo patriæ exilio multandum esse.* 4. Quia ipse Cardinalis Baronius, cum agit adversus Græcos, qui in sexto Concilio Constantinopolitano in Trullo habito, novo decreto abstinentiam à suffocato & sanguine sanciverant, non agit autoritate vel Pontificis vel Ecclesiastici alicujus Canonis, sed rationibus, & loco ex Scriptura *ad Rom.* XIV desumto.

Sed enim res ita habet: Lex hæc decreto nullo unquam abrogata est; sed, tanquam Lex pro tempore data, paulatim desiit, alibi maturius, alibi tardius. In sola Græca Ecclesia, uti diximus, etiamnum durat. In Romana Ecclesia per plus quam octo secula viguit, & autoritate Pontificum sancita est. In Hispania eadem Lex sancita quibusdam videtur anno CCCV. in Concilio Illibertino, juxta sententiam Ferdinandi Mendozæ, in libro quem scripsit pro Concilio isto, ubi Canonem XL sic exponit. In Concilio Gangrensi celebrato in Paphlagonia, anno Christi CCCXXIV, spes salutis non obscure adimitur iis, qui vescuntur immolatis, sanguine & suffocato. Augustinus in Africa dicit legem istam suo tempore non modo fuisse abolitam, aut in desuetudinem venisse, sed adeo insuper habitam, ut dicat lib. XXXII. contra Faustum Manichæum, cap. XV: *Quis jam hoc Christianus observat, ut turdos vel minutiores aviculas non attingat, nisi quorum sanguis effusus est? Si qui forte pauci adhuc tangere ista formidant, ii à cæteris irridentur.* Quomodo tamen idem Augustinus alibi, puta Epist. CLIV doceat, Melius esse ut viator fame necessitate victus, nihilque uspiam inveniens, nisi cibum in idoleio positum, ubi nullus sit alius hominum, Christiana virtute id respuat; aliis dijudicandum relinquo.

## De fidem suam confitendi necessitate: ex 1 *Pet.* III. 15.

### QUÆSTIO LI.

*Quomodo Petri verba, quæ in* 1 Epistola, cap. III. vers. 15. *leguntur*, Parati verò semper estote ad respondendum unicuique, qui à vobis poscit rationem spei quæ est in vobis, *cùm intelligenda esse videantur de tali spei professione, quæ semper & ubique ab omnibus omnino hominibus facienda sit; conciliari possint cum iis quæ Christus* Matth. VII. 6, *dicit*, Ne date sanctum canibus, *&c. quod idem esse videtur ac si dixisset, Prudentia opus est, coram omnibus hanc doctrinam profiteri non debetis, sed coram sanctis & piis hominibus tantum: ne si eam mundanis proponatis, vobis vitam eripiant, & doctrinam pedibus conculcent. 2. Si omnino sine discrimine fidem nostram profiteri non teneamur, sed illud cum prudentia fieri debeat, an Magistratui æque ac privato cuilibet petenti illud à nobis, reticere sit licitum. 3. An æquivocationibus uti nobis sit concessum, ut eos fallamus qui fidei ac spei nostræ rationem à nobis eo animo postulant, ut nos eapropter persequantur & molestiis afficiant. 4. An Petri mens hæc fuerit, ut non tantùm ad salutem necessaria aut valde utilia, sed etiam omnia quæ tanti non sunt momenti ad vitam æternam consequendum, apertè profiteri teneamur.*

### RESPONSIO.

COnciliatione verborum Petri & Jesu Christi nulla hîc est opus: quia nullum, uti quidem mihi videtur, est ἀντιλογία. Petrus enim loquitur de ἀπολογίᾳ sive rationis redditione aut responsione quæ fit vel ad interrogationem, vel ad accusationem: Christus verò loquitur de ultronea veritatis Euangelicæ propositione, quam nulla præcedit sive interrogatio, sive occasio. Petrus Christianos omnes paratos esse vult ad defensionem spei aut religionis suæ, quam profitentur, & de qua eorum professione quærentibus aut accusantibus eos, si qui sint, constat: Christus vult discipulos suos, Euangelii præcones, prudentes esse in proponendo & prædicando Euangelio iis qui istud ignorant. Quamquam, si quis verba Petri propius consideret, in iis non tam videtur Petrus mandare Christianis, ut parati sint ad ἀπολογίαν spei sive religionis suæ simpliciter, sed ad modum reddendæ ἀπολογίας, videlicet cum lenitate & timore, id est, cum lenitate tali timida, quæ offendere aut lædere reformidat vel verbulo eum, qui eos accusat; adeo ut quando se purgant ab objectis criminibus ac flagitiis, nullo fere alio argumento utantur, quam spe sua, id est, vel natura doctrinæ ac Religionis suæ, quæ per Synecdochen spes vocatur, quod videlicet ea omnibus sceleribus ac flagitiis inimicissima sit; vel spe sua proprie dicta, id est, per metonymiam æternæ vitæ præmio quod sperant, quoque adducuntur, ut flagitia ac scelera omnia odio habeant, fugiantque, veluti venena præmio isti consequendo adversa. Ex hoc colligo, frustra esse, id quod ultimo quæritur, *An Petri mens hæc fuerit, ut non tantum ad salutem necessaria aut valde utilia, sed etiam omnia, quæ tanti non sunt momenti ad æternam vitam consequendum, apertè profiteri teneamur?* Manifestum enim est ex antedictis, Petrum nec de professione fidei ultronea, nec de aliis profitendis agere, quam de iis quæ ad spem nostram, id est, ad æternam vitam, quam speramus, consequendum, necessaria sunt; aut, ut proximè mentem Petri exprimamus, de iis solis quæ rationem & causam in se continent, cur à sceleribus ac flagitiis omnibus, non tantum simus, sed & videri debeamus alieniſſimi.

*Status quæstionis de necessitate fidem suam confitendi.*

Sed vero quia occasione verborum Petri, duo alia quæruntur, quæ pertinent ad necessitatem confitendi religionem Christianam, sive quamlibet fidem nostram, nos non ad ea tantum, sed ad omnia, quæ ad hanc rem pertinent, paucis respondebimus, quod nobis videtur optimum, salvo meliore judicio. Ac primò, certum est, cum de confitenda fide nostra quæritur, per fidem nostram intelligi posse, aut religionem totam Christianam quam profitemur, tanquam notam & symbolum, quo distinguimur & discernimur ab iis, qui Gentilem, Judaicam vel Mahumetanam Religionem profitentur: aut peculiares quasdam sententias, seu propriam quandam nostram opinionem, quam de his aut illis in Christiana Religione articulis habemus, qua discernimur & contradistinguimur ab istis sententiis & opinionibus, quas alii Christiani, seu re, seu nomine, de iisdem illis articulis tenent ac profitentur; qualis est fides nostra contradistincta à Pontificia, Lutherana, Anabaptistica, Calviniana, Sociniana, &c.

Secundo, Cum de necessitate confitendi fidem nostram quæritur: 1. Necessitatem intelligi posse vel absolutam, quæ ad semper & pro semper obligat, id est, quæ omnes ubique & semper ad confitendum fidem suam sub salutis periculo obliget; vel comparatam, quæ non obliget nisi quando confitendi tempus & justa ac legitima causa est. 2. Necessitatem confitendi intelligi posse, quæ opposita est vel silentio, aut silendi libertati, vel negationi fidei, id est libertati negandi fidem.

*Absolutè necessarium est confiteri Religionem Christianam.*

His positis, hæc quæri possunt. Primò, An Christianus absoluta necessitate teneatur confiteri Jesum Christum & Religionem ejus, eaque confessione se discernere ab aliis Gentilibus, Judæis, ac Turcis, tanquam nota ac tessera sua propria? Respondeo: Omnino. Id patet ex *Epist. ad Roman.* X. 9, 10: *Si confessus fueris ore tuo Dominum Jesum, & credideris in corde tuo quod Deus eum excitavit à mortuis, servaberis. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem.* Quæ verba vim præcepti habere unicuique patet. Iis consonant quæ leguntur, 1. *Joan.* IV, 2. 3. & 1 *ad Corinth.* XII. 3. Sed præcipuè apud *Marc.* VIII. *vers.* 38: *Quemcunque puduerit mei ac sermonum meorum in natione ista adultera & peccatrici,*

catrice, *Filium etiam hominis pudebit ejus, quando venerit cum gloria Patris sui, cum Angelis illis sanctis.* Id quod sic efferunt Matthæus, *cap.* X. 32. 33. & Lucas, *cap.* XII. 8. 9. Matthæus: *Quisquis me confitebitur coram hominibus, eum & ego confitebor coram Patre meo, qui est in cælis.* Lucas dicit, *Filius quoque hominis confitebitur eum coram Angelis Dei.* Matthæus: *Quisquis autem abnegaverit me coram hominibus, eum & ego abnegabo coram Patre meo qui est in cælis.* Lucas dicit, *Abnegabitur in conspectu Angelorum Dei.* Necessitas confitendi Christum, id est, Religionem vel summam Religionis Jesu Christi manifeste hic traditur, quia confessori præmium omnium maximum; secus facienti seu Christum neganti pœna quoque maxima decernitur. An tamen hæc necessitas sit necessitas confitendi, quæ opposita est etiam silentio aut silendi libertati, ita ut Christiano nullo unquam tempore, apud nullos, & nuspiam licitum sit silentio premere se Christianum esse, sive de eo interrogetur, sive non interrogetur, sive speret fructum aliquem ad honorem Dei Christique & aliorum ædificationem ex confessione sua oriturum, sive desperet, adeoque Christi & Christianæ Religionis contemtum, vitæque suæ periculum imminere videat; ego non dixerim; imo dixerim, satius aliquando esse, ut interrogatus non respondeat sed sileat, nedum ut non interlocutus id affirmet. Ex. gr. si quis furiosus, aut si plures maleferiati eductis gladiis insurgerent dicerentque, quisquis se Christianum esse fatebitur, is manu nostra statim confodietur. Alia est ratio, cum spes est, confessionem nostram cessuram in gloriam Dei, & ædificationem proximi. Ubi illa non est, ibi confessio nec necessaria, nec conveniens est. Medii enim necessitas censetur ex relatione quam habet ad finem. Hinc etiam est quod Christus ipse, quamquam hæc Apostolis suis mandat hoc loco, alibi tamen disertè iis vetuisse legitur, ne ulli dicerent se esse Christum illum, *Luc.* IX. 20. 21. & *Luc.* XXII, 67. in ipso confessu Sanhedrim etiam rogatus jussusque dicere, num esset Christus ille, non statim respondit, caussam addens, *Si etiam vobis dixero, nequaquam credetis. Quod si etiam interrogavero, nequaquam respondebitis mihi, neque me absolvetis.* Adjuratus tamen tandem, ut videtur constare ex *Matth.* XXVI. 63, respondit intrepidè. Atque hic forte etiam locum habet id, quod Christus dicit *Matth.* VII. 6: *Ne date quod sanctum est, canibus; & margaritas ne projicite coram porcis, ne quando conculcent eas pedibus & conversi lacerent vos.* Item *cap.* X. 16. 17. *Estote prudentes ut serpentes, simplices ut columbæ. Cavete autem ab hominibus. Tradent enim vos*, id est, periculum est ut, si imprudenter vos geratis, tradamini per eorum malitiam nominisque mei odium, *in consessus*, &c. Ut ut est, certum est necessitatem hanc, si non omnino ac semper necessitatem istam significet, quæ omnem libertatem silendi excludit, semper tamen ejusmodi confitendi necessitatem significare, quæ opposita est libertati seu licentiæ negandi Christum ac Religionem ejus: uti ex locis allegatis & ex natura rei liquet. Tam enim certum est, nulli, nuspiam, numquam licere, negare religionem totam Christi, ut nulli etiam nunquam & nuspiam liceat negare quidquam, tanquam falsum, quod credit firmiter verum esse, aut adfirmare tanquam verum, quod firmiter credit falsum esse. Aliud enim est dissimulare, aliud simulare.

*Quomodo quis gerere se debeat in confessione fidei illius, qua discernitur ab aliis Christianorum sectis.*

Secundo quæritur: An quis absoluta necessitate teneatur ad confitendum fidem illam suam, qua tanquam nota ac tessera discernitur ab aliis Christianis, puta fidem suam Lutheranam, Anabaptisticam, Remonstranticam, Calvinianam, &c. Resp. Fides ista, aut complectitur dogmata quædam, vel dogma aliquod unum, quod præcise ad salutem omnibus ac singulis scitu creditуque est necessarium, aut non complectitur: Si complectitur, tum eadem fidei istius confitendæ est necessitas, quæ religionis totius. Partis enim essentialis, sine qua religio non potest esse perfecta, eadem est ratio, quæ religionis totius. Si non complectitur ejusmodi dogmata, vel unum aliquod ejusmodi dogma, tum necessitas confitendi fidem istam, non est absoluta sed comparata, quæ non obligat pro semper & ad semper, sed tum demum, cum vel divinus honor, vel aliorum salus aut ædificatio id postulant, sive cum confessionis istius omissio honori divino, aut ædificationi & saluti aliorum esset obfutura: quod statuere, conscientiæ, prudentiæ & caritati cujuslibet Christiani committendum esse arbitror. Certæ enim regulæ dari vix possunt. Si tamen aliquæ dari possunt, inter eas ego censeo duas has præcipuas.

*Primò*; Is qui dogmata aliqua peculiaria aut peculiare aliquod dogma tenet, expendere ante omnia debet, an dogma illud, etiamsi præcisè ad salutem scitu ac creditu non sit necessarium, tale tamen non sit, quod per se utile est ad divertendum aut liberandum contrarii dogmatis confessores à gravibus erroribus, in quos facile possunt ac pene per necessariam consequentiam incidere eos necesse est, ex natura ac genio dogmatis istius. Hoc ex una parte expendere debet. Ex altera parte expendere debet, an dogma illud, etjamsi per se utile sit ad liberandum aut divertendum contrarii dogmatis assertores à gravibus erroribus, tale tamen etiam non sit, ut per accidens noxium valde esse possit, tum infirmis, qui in contrarii dogmatis confessione à teneris unguiculis innutriti sunt; & tamen liberi sunt ab erroribus illis gravibus, quos ex eo consequi quidem necesse est, sed consequi tamen aut non vident aut non credunt; tum respectu aliorum zelotarum, qui contrarium dogma tam acriter tuentur atque urgent, ut propter istum turbaturi, omniaque sursum deorsum potius moturi sint, quam passuri, ut contrarii dogmatis confessio introducatur. Inter hæc extrema positus, prudenter expendere debet, quid ad divinum honorem & aliorum ædificationem promovendum, turbasque zelotarum & præfractorum, quæque ex illis nasci possunt scandala, schismata, jurgia, lites, rixasque amoliendum maxime præponderet.

*Secundò*: Quod si omnino amore ac zelo utilis istius dogmatis ductus, & schismatum metu atque odio abductus, inter utrumque tutus velit incedere, diligenter prospicere debet personas, apud quas istius sui dogmatis confessionem edit; an videlicet inidoneæ & propter infirmitatem judicii incapaces non sint, ut eam audiant. Sic enim præstat eam non edere, & locum habere debet id quod Apostolus monet *ad Rom.* XIV. 22, *Tu fidem habes, apud temetipsum habe coram Deo*; id est, preme eam intus in animo tuo ut præter te ipsum nemini nisi Deo pateat, nec illius propositione aut revelatione infirmiores turba. Deinde, an, si omnino idoneæ sint personæ sive capaces ad eam audiendam, dignæ etiam sint, id est ita comparatæ, ut eam libenter avideque etiam audire velint, veritatis studiosæ, & pietatis, eorumque quæ ad pietatem facere possunt, amantes; verbo uno, an sint dociles. Id Christus requirit, ut Apostoli sui Euangelium prædicaturi serio primum observent: *Matth.* X. 11. 12. 13. quanto ergo magis id observandum est, in confitendo dogmate, utili quidem, sed tamen ad salutem scitu non necessario?

Dices; Hæc tuto & commode fieri possunt, quamdiu de aliquo non est suspicio, quod contrarii dogmatis fidem teneat. At quæres, ubi jam suspicio illa nata est, & periculum magnarum turbarum offensionisque ingentis plurimorum gliscere incipit, quæ prudentiæ regula tum sequenda est? Resp. ergo *tertiò*; Quando quis in suspicionem incidit, quæ mera ac pura puta suspicio est, ne dicam aut falsa aut injusta quod contrarii dogmatis fidem teneat, & jam scandalorum ac turbarum ex aperta confessione oriturarum præsentissimum periculum apparet, diluenda potius est suspicio ista silentio, & non neganda quidem aut repudianda fides ista quam de dogmate illo habet, sed dissimulanda potius, & vel sub idvolucris phrasium quarundam communium atque usitatarum, quæ salva fide ejus adhiberi possunt, & offendiculo amoliendo aut tollendo apprime sunt idoneæ, vel alia aliqua commoda ratione tegenda & sic differenda ejus confessio potius, quam palam proferenda, ad exemplum Christi, *Marc.* IV. 33, qui sub involucro parabolarum multarum Judæis loquebatur, prout poterant audire, imo absque parabola iis non loquebatur; privatim autem discipulis suis explicabat omnia: & Pauli, qui coram Senatu Judaico constitutus, ne videretur novæ sectæ author, se Pharisæum & Pharisæi filium esse fatebatur, silens aut dissimulans se Christianum esse: *Act.* XXIII. 6. & XXIV. 21. & XXVI, 6. Alibi idem asserit se Judæum Judæis, & sub lege existentibus, ut qui sub lege esset, factum esse 1 *Corinth.* IX. 20: quin imo, ut talem se ostenderet, Jacobum fratresque omnes Hierosolymis ei consuluisse, eumque consilium istud secutum esse? *Act.* XXI. 20, &c. Et Apostolorum omnium, qui aliquamdiu ad evitandum offensionem & scandalum, apud Judæos ita se gesserunt, ac si legem cæremoniarum per Christum abrogatam non esse crederent, cum tamen revera ea jure ipso abrogata esset. Alia est ratio, si justa suspicandi caussa per imprudentiam nostram aliis data sit. Tum enim, aut ingenue confitenda est fides nostra, si vehementer & jure urgeamur; aut, si fieri potest, caussa ista sic diluenda est, ut non scientiæ certæ sed suspicionis tantum caussa fuisse dicatur. Præstat enim intra suspicionem seipsum continere aliosque relinquere, quam ob non necessarii dogmatis confessionem turbare, aut turbandi occasionem dare, & seipsum promovendæ veritati inidoneum prorsus reddere.

Quæres ergo; An sive suspecti sive non suspecti teneamur fidem dogmatis istius nostri aperte confiteri, cuilibet confessionem ejus à nobis petenti. Resp. Nequaquam. Nunquam quidem neganda est veritas, sed non semper confitenda est. Fieri enim potest, ut is qui petit à nobis veritatis confessionem, non alio animo aut fine eam petat quam

ut nos

tit nos vel vexet, vel rideat, vel prodat, ac deferat, periculisque maximis objiciat. Nemo autem tenetur fidem suam confiteri de dogmate non necessario, (imo forte etiam non de dogmate necessario) si nullam speret ex confessione sua utilitatem veram ad gloriam Dei aut aliorum salutem redundaturam, sed contraria omnia. Hinc ipse Servator noster non semper respondit quæreptibus aut interrogantibus, sed vel siluit, vel obscure & per parabolas respondit, vel quæstionem quæstioni opposuit, vel quærentes ad alios ablegavit. Alia est ratio si quis discendi ex nobis animo nos interroget, qui capax & probus simul ac docilis sit.

*Speciatim, quando a Magistratu ea de re interrogatur.*

Recte inquies: Nullo jure obstringimur ad respondendum ei, qui nullum nos interrogandi & ad respondendum cogendi jus habet nedum si is malo animo ac fine ad nos interrogandum accedat, uti Scribæ & Pharisæi Christum accessisse dicuntur, *Luc.* XI. 53, 54. Sed quid si Magistratus, qui legitimum in nos imperium ac potestatem divino jure habet, confessionem fidei nostræ à nobis exigat, an ad respondendum tenemur? Resp. Si nulla justa caussa à nobis data fuit Magistratui ad exigendum à nobis peculiarem fidei nostræ confessionem, & interim certum nobis est, Magistratum, sive sponte sua & proprio zelo, sive immodica aliorum importunitate adactum, eam à nobis exigere, nullo alio fine, quam ut audita intellectaque confessione nostra in nos severis modis animadvertat, ac mala forte morte perire faciat, tum jure ac legitime ad respondendum non tenemur, sed reverenter ac modeste responsionem declinare licet. Exceptio enim justa est; Nihil peccatum est à nobis contra leges publicas. Nulli causssam dedimus de nobis jure conquerendi. Si sunt qui nos accusant, prodeant: Si non sunt, iniquum est ut ex domo rei petatur confessio. Nulli unquam silentium suum fraudi nedum noxæ ac damno in causssa conscientiæ ac fidei fuit aut jure esse potest, imprimis in Repub. libera. Hic valet illud Pauli: Si quid dignum pœna aut morte fecimus, non renuimus puniri aut mori. *Act.* XXV. 11. Dices: At declinatio illa ex metu periculorum proficiscitur. Resp. Pericula metuere & declinare quæ ex confessione, imprimis rei non necessariæ ad salutem, oritura certo videmus, non modo est licitum, sed & jussum nobis à Jesu Christo, *Matth.* X. 16: *Estote prudentes ut serpentes & simplices ut columbæ*; Nempe prudentes in evitandis periculis serpentium instar, qui caput obtegunt ne lædantur: Simplices in evitandis iis sine vindicta, noxa, aut damno aliorum, columbarum instar, quæ nec rostro nec unguibus, sed alis dumtaxat suis & innocuo volatu se à milvio aut accipitre subducunt & immunes præstare studeant. Tum, absque ulla utilitatis specie periculis se objicere, temeritatem spere, recta ratio dictat: ut jam non dicam, quod caritatis esse videatur, impedire quantum in nobis est, ne alios, quos fidei nostræ hostes esse acerrimos novimus, per confessionem nostram non necessariam, injustæ cædis, aliorumve criminum enormium authores faciamus, & innocentium persecutores. Præstat enim eos ignorare veritatem illam, ne causssam inde persequendi aut occidendi nos sumant, quam per confessionem nostram eam rescisscere aut intelligere, nullo suo fructu & nostro maximo damno.

Dices: Quid si Magistratus vim intentet, & per quæstiones confessionem nobis extorquere se velle minetur? Resp. Tum alterum faciendum esse prudentia suadet; *vel* fortiter subeunda & constanter ferenda sunt extrema quæque ei, qui ad honorem Dei & multorum ædificationem magis futurum credit, si non necessariæ veritatis professio silentio prematur, quam si ea aperte proferatur. Præstat enim, ut is, qui id credit, pericula aliqua subeat, & dura aliqua ferat, propter innoxium suum silentium, ne divino honori & ædificationi aliorum, quæ ex necessariorum fide atque observatione potissimum oritur, obsit; quam ut id, quod verum esse, & tamen simul etiam non necessarium scitu aliis esse credit, cum periculo imminuendi divinum honorem & ædificationem aliorum, proferat, ne periculum ullum subire aut durum aliquid perpeti necesse habeat, imprimis si non minus periculum ei metuendum sit ex aperta professione, quam ex silentii obstinatione. *Vel*, si tanti esse non debere credat silentium non necessariæ veritatis, ut propterea pericula subeat aut dura perpetiatur, interim tamen divino honori & ædificationi aliorum, quantum per conscientiam potest, consultum velit, ac velle se debere credat, tum prudentiæ est, professionem fidei suæ, Magistratu ita cogente, talem edere, quæ minimam offensionem parere potest, & justam nullam causssam præbere Magistratui aliisque in nos sæviendi, & veritatem conculcandi. Quod fieri posse credo per confessionem vel generalibus verbis conceptam, in quæ etiam facile consentiant adversarii; vel verbis ejusmodi à quibus etiam sententiæ nostræ adversarii, saltem aliqui, non omnino abhorrent, & quæ tamen veritati, quam credimus, non sint contraria.

*An liceat in fide confitenda æquivocationi uti.*

Quæres: An ergo in tali casu etiam licebit verborum ambiguitate uti, ad evitandum apertæ confessionis necessitatem? Resp. Sunt qui existimant id licere, quamdiu nulla justa causssa est credendi, quod is, qui ambiguitate ista verborum utitur, sententiam suam ea occulat, cùm certum sit, eum contrariam tenere: de quo casu nos hîc agimus. Quando enim justa causssa ab eo data est, cur id credarur, tum alia ratio est: ut exempli gr. Contra-Remonstrantes in Synodo Dordracena sub ambiguitate verborum occulere voluerunt sententiam suam de mortis Christi particularitate, de gratiæ divinæ irresistibilitate, & de infantium, etiam quorundam ex fidelibus parentibus natorum, reprobatione ad æternum exitium. Nempe Christum pro omnibus mortuum esse asserverunt, sententiam suam occulendo sub voce *sufficientiæ*. Gratiæ efficacitatem adserverunt, occulendo sententiam suam de ejus irresistibilitate, sub voce *certò*, & sub phrasibus, quod per gratiam certo convertantur qui convertuntur. Infantes, imprimis fidelium, ullos ad æternum exitium reprobari aperte negarunt, occulendo sententiam suam contrariam sub vocabulis, *innocentes*, & *crudeliter* aut *tyrannicè*; uti in Antidoto à Remonstrantibus clare est indicatum & ostensum. Hoc modo & hoc casu quando de sententia alicujus constat, sub ambiguitate verborum latere velle, est pudorem veritatis, quam credimus veritatem esse, ostendere, & tantum non apertam veritatem negare. Alia ratio est cum de sententia alicujus certo non constat, aut causssa nulla justa credendi vel suspicandi quænam propria sit ejus sententia, data est. Sunt qui censent, hoc casu non tantum licere ambiguitate verborum uti, sed & caritatem & prudentiam Christianam requirere, ut istiusmodi verbis utamur, quæ receptæ & communi sententiæ proxime accedunt. Præstare enim, ut ii qui nos persequendi animum habent, credant nos communi sententiæ adhærere, ne ob non necessariam veritatem turbent & scelerum multorum rei fiant; quam ut credant contrarium, & sic nos opprimant, seque ipsos iræ divinæ obnoxios reddant, aliisque ostium veritatis arctius occludant.

Sed vero nos sic statuimus: Distinguendum esse inter verba seu sermones ambiguos: Aut enim verba seu sermones isti sic sunt ambigui, ut æque aut etiam magis faveant veritati isti quam credimus: quam falsitati, saltem ut non magis contineant sensum falsum quam verum: Aut sic sunt concepti, ut magis serviant falso sensui quam vero significando, seu per se, propter ordinarium & communem modum quo verba ista usurpari solent; seu per accidens, propter malam verborum sive sermonum istorum acceptionem, quia videlicet non recte intelliguntur, & fere ad falsam aliquam sententiam exprimendum usurpantur. ex. gr. Scripturæ quædam verba, puta, *Hoc est corpus meum*, &c. Prioris generis verbis in hoc, quo de agimus, casu uti licitum esse, dubium non est. Quod ad posteriora attinet, tutissimum est ab iis abstinere, quæ per se, id est, propter communem loquendi usum, falso & non vero, aut potius seu magis falso quam vero sensui exprimendo serviunt. At vero ut ab iis abstineatur quæ per accidens serviunt falso sensui exprimendo, nulla ratio jubet. Verba enim illa possunt esse ipsissima Spiritus Sancti sive Scripturæ S. verba, aut quæ iis saltem non repugnant. Etsi enim ea vulgo non recte intelliguntur, & fere in malum aut falsum sensum detorquentur, tamen ut propterea ab eorum usu abstineatur, iniquissimum est; imo, quod ad me attinet, tantum abest ut credam ab eorum usu abstinendum esse, ut si res illa quæ verbis istis continetur ad salutem scitu necessaria non sit, intra istorum verborum usum presse arcteque consistendum esse credam, nullumque certius ad dirimendas lites ac contentiones omnes, quæ Christianum orbem vexant, remedium dari posse, quam si partes omnes intra usum istorum verborum stricte contineantur, salva sua cuique de verbis istis sententia.

Quæres: At quid si usu isto non contentus Magistratus, verba & formulas loquendi requirat, quibus sententia, quæ nostræ fidei ac sententiæ directe contraria est, exprimi solet? Resp. Quamdiu de sententia mea non constat, si formulæ istæ tales sint aut talibus verbis conceptæ, quæ sensum verum admittunt, etiamsi falsus iis exprimi soleat, ego usum istarum formularum etiam paci condonaverim. At si sensum verum non admittunt, falsaque directe ac per se exprimunt, ego tum consensum in eas aperte detrectandum esse dico, etiamsi extrema ferenda essent, &, ne veritatis fraus fiat, abrumpendum silentium, & Deo gloriam dandam, post omnia ad pacem frustra tentata. Tum enim, Sat patriæ, pacique datum est.

## De conventibus Christianorum non deserendis, etiam contra Magistratus prohibitionem.

### QUÆSTIO LII.

**Cum** *Scriptor* ad Hebr. cap. X. vers. 24. 25, *dicat*, Consideremus alii alios, in provocationem caritatis & bonorum operum, non deserentes adgregationem nostri mutuam; *Quæritur, quid faciendum sit si Magistratus cœtus segreges prohibeat? utrum ea in parte Christianus Magistratui obedientiam præstare teneatur, an non? Sive autem illius esse, Magistratui obedire, sive non esse, dixeris, Christianum in tali rerum casu constitutum, necessario peccaturum sequi videbitur. Etenim si pareat Magistratui, adgregationem deseret; quod scriptor ad Hebræos hîc fieri vetat. Si verò Magistratui resistat*, Dei ordinationi, uti ad Rom. XIII. 2 *legere est*, resistet, *qui autem resistunt, ii ipsi sibi condemnationem auferent. Quod si vero dicas, Magistratui jus prohibendi cœtus ejusmodi segreges non competere, quæritur quibus Scripturæ locis id probari possit? Deinde: si non obstantibus Scripturæ locis, nempe tale jus Magistratui non competere, Magistratus nihilominus, omni molimine conetur impedire, & re ipsa impediat conventus ad religionem exercendam extra publicum templum; utrum præstet, ad audiendum Dei verbum, quod animarum nostrarum alimentum est, publicum frequentare templum, in quo multa docentur, quæ non tantum à veritate aliena, sed etiam magnopere pietati promovendæ adversari statuimus: an vero prorsus ab auditu verbi divini abstinere, & privatim tantummodo Scripturam sacram legere?*

### RESPONSIO.

REsp. Præsupposito, sensum loci ad Hebræos, de non ἐγκαταλείπειν τὴν ἐπισυναγωγὴν ἑαυτῶν, eum esse, qui in quæstione indicatur, tum ex scopo Scriptoris facilis ad quæstionem est responsio. Tum enim per τὴν ἐπισυναγωγὴν ἑαυτῶν intelligitur congregatio fidelium Christianorum, sive eorum qui Christianam religionem profitentur, qui fit per cœtus segreges, sive in cœtibus magnis, parvis, prout res & tempus ferunt, separatis sejunctisque à cœtibus tum Judæorum tum Gentilium, qui Religionem Jesu Christi aversantur, nullo alio fine, quam εἰς παροξυσμὸν ἀγάπης καὶ καλῶν ἔργων, quæ videlicet Religioni Christianæ imprimis propria sunt. Hanc enim ἐπισυναγωγὴν ἑαυτῶν non modo non esse deserendam, uti hic Scriptor ad Hebræos loquitur, sed procurandam & urgendam esse omni modo, nemo non agnoscet, cui Religio Christi salutaris cordi est. Nempe Christus ipse, Apostoli & primitivæ Christianorum Ecclesiæ eam usque adeo urserent, ut, quidquid contra molirentur Judæorum Paganorumque Magistratus, ab ea tamen promovenda ut vel ipsi abstinerent, vel alios abstinere suaderent, summum nefas ducerent, mallentque mala quavis morte perire, quam ut tam salutari pabulo destituerentur, permittere.

*Quales segreges cœtus hic intelligantur.*

Sed vero quia non est dubium, quin quæsitor locum hunc Scriptoris ad Hebræos generaliter accipiat, ac proinde per τὴν ἐπισυναγωγὴν ἑαυτῶν, non intelligat tantum cœtus istos, qui Christiani erant, oppositè ad cœtus tum Judæorum tum Gentilium, Christianæ Religionis & Christianorum cœtuum profligatorum hostium; sed & cœtus omnes segreges, quos Christiani sub imperio ac dominatione Magistratuum, saltem professione, Christianorum constituti, à se invicem opinionibus peculiaribus dissentientes faciunt; hinc propiore paulum atque accuratiore responsione opus est. Dico itaque:

Quod attinet ad cœtus segreges, per eos intelligendos esse non cœtus clandestinos & clancularia conventicula, quæ sub prætextu Religionis purioris & conscientiæ melioris coguntur ad turbandum vel evertendum Reipub. præsentis statum, qualia fuerunt conventicula Anabaptistarum Monasterienſium, & nostratium non ita nuper Amstelodamensium. Nec quæ ad impuritatem & promiscuam libidinem honestati & legibus omnibus, tum divinis, tum humanis contrariam, impune exercendam aguntur; cujusmodi fuisse dicuntur olim Manichæorum, Circumcellionum & Priscillianistarum conventicula, & nuper Torrentianorum. Absit, Nemo enim bonus, nedum Christianus, ea ferenda, quid dico frequentanda? esse dixerit. Sed per cœtus segreges intelligendi tantum sunt cœtus ejusmodi, qui conscientiæ dumtaxat bonæ tum conservandæ tum restandæ caussa fiunt, nullo cum studio aut turbandi publicam tranquillitatem, aut violandi honestissimarum legum autoritatem, aut faciendi quidquam, quod cuiquam noxæ esse possit aut damno; sive ii, qui cœtus istos aut cogunt aut frequentant, justam & gravem satis causssam non habeant, dummodo eam se habere sibi persuadeant: ut, ex. gr. Bruniſtæ, quibus religio est sacros cœtus agere in locis aut templis istis, in quibus idololatria Pontificia exercita olim fuit, quippe quæ Deus dirui ac pessum dari funditus jussit; sive causssam habeant causssve plures gravissimas: exempli gratia vel tres has simul, vel unam saltem harum trium.

*Tres causs. ob quas eos habendi.*

*Prima:* Quia in publicis cœtibus jubentur credere & pro veris habere ea, quæ ex verbo Dei non modo falsa, sed & Deo Christoque valde injuria, & pietati simul ac caritati admodum noxia esse, demonstrare se posse credunt: & vice versa, pro falsis habere, quæ vera esse, liquido se evincere posse persuasum sibi habent. Huic annexæ sunt duæ aliæ majoris ponderis. 1. quia in cœtibus publicis jubentur pro necessariis ad salutem habere ac credere dogmata nonnulla, quæ credunt non esse necessaria. 2. quia pro necessariis habere jubentur ea, quæ non modo non esse necessaria, sed aperte etiam falsa & noxia esse credunt, ac demonstrare parati sunt. *Secunda:* Quia in cœtibus publicis obstringuntur ad exercendos actus, quos sibi à Deo apertissimè vetitos esse, sub pœna exclusionis ex regno cœlorum, certissimè credunt; puta, actum idololatriæ circa Sanctos, imagines, & reliquias Sanctorum, imprimis panem Missaticum, item actum anathematizandi omnes à publica istorum cœtuum doctrina & professione dissentientes, &c. *Tertia:* Quia in publicis istis cœtibus immanissimam omnium tyrannidem, directè, non tantum regiæ caritatis Jesu Christi legi repugnantem, sed rationi omni rectæ adversam, id est, hæreticidium, sive potius errantium quidem, uti creditur; innocentissimorum tamen hominum, uti constat, per exquisitissima tormenta ac supplicia interemtionem, seu palam exerceri & defendi, seu clam probari, aut saltem non apertè & γυμνῇ τῇ κεφαλῇ improbari & dissuaderi vident.

*Non esse deserendos tales cœtus, etiamsi eos Magistratus prohibeat.*

Cœtus ergo segreges sunto omnes ii, qui conscientiæ solius, sive veræ, sive erroneæ causssa fiunt, adeo innoxiè, & procul omni tum seditione, tum impuritate, tum idololatria, tum tyrannide, ut nihil magis optent aut cupiant, quam non latere, ne vel suspecta sit eorum innocentia. Hos si Magistratus prohibeat, quid faciendum sit, quæritur? Dico itaque cum Scriptore ad Hebræos, eos non esse deserendos, non obstante Magistratus interdicto. At sic peccabitur? Nego. Atqui resistetur Magistratui, ac proinde Dei ordinationi, uti est *ad Rom.* XIII. 2. Resp. Non resistetur proprie Magistratui; sed modestè detrectabitur obedientia Magistratui in eo, quod ad eum, ut Magistratus est, non pertinet, imo quod ei jubere aut prohibere non magis licet, quam subdito cuiquam licet prohibere alteri, ne Deum colat, aut jubere ut idolis suffiat. Detrectatio autem illa obedientiæ, non est inobedientia, nedum resistentia; sed tantum supremi juris divini, quod Magistratus sibi injuste adrogat aut usurpat, debita recognitio. Ea enim nisi à nobis fieret, merito postulari possemus læsæ divinæ Majestatis & supremæ inobedientiæ. Dices: Magistratui ergo jus non est prohibendi cœtus ejusmodi segreges? Resp. Non sane. Segreges enim cœtus isti non aliunde oriuntur, quam ex conscientia Deum optimè secundum Christum colendi. At in conscientiam Magistratui jus nullum est: quia ratione conscientiæ suæ Magistratus non minus immediatè subest Deo, quam vilissimus quisque subditus. Par autem in parem nec jus nec imperium habet. Magistratus ergo cœtus ejusmodi prohibens, nec utitur jure ullo suo, nec abutitur; sed alienum jus usurpat, & jus quidem divinum, respectu cujus ipse subditis suis omnibus coæquatur. Nec refert, an Magistratus cœtus istos prohibens orthodoxus sit rectamque fidem teneat, nec ne. Recta enim illa fides, non est fides Magistratus quà Magistratus est, sed singulorum qua privati sunt, & qua privatam sibi quisque conscientiam suam habet. Privata autem sua cuique conscienta nemini jus in conscientiam alterius dare potest; nedum jus quod Deus soli sibi reservatum voluit.

Id vero, inquies, unde constat? Inter cætera Scripturæ loca vide sis duo satis evidentia; *Matth.* XXII. 21: *Date ergo* (dixit Jesus) *quæ sunt Cæsaris, Cæsari; quæ sunt Dei, Deo.* Ubi ergo Dei causssa agitur, non Cæsaris, negligendum est imperium Cæsaris; alioquin Deo nunquam dari posset, quod Dei est. Ne vero hoc ad rem hanc, qua de quæritur, non pertinere credatur, vide sis alterum locum, ubi expresè

agitur

agitur de jure isto, quod sibi Magistratus Judaicus usurpabat in cætus Christianorum segreges, quos faciebant Apostoli, prohibendo eos sub gravis pœnæ interminatione. *Actor.* IV. 19: & ubi Apostoli Petrus & Joannes Senatoribus prohibentibus dixisse leguntur, *An justum sit apud Deum vobis potius auscultare quam Deo, vos ipsi judicate.* quasi dixissent: Iniquum est ut vos nobis prohibeatis quod Deus nobis mandat: Iniquum ergo est ut dum Deo jubenti auscultamus, segreges cœtus in honorem Jesu Christi faciendo, vestrum prohibendi jus agnoscamus, & vobis prohibentibus morem gereamus. Nec dispar videri debet casus hic de quo agitur in hoc loco, ab eo de quo nunc quæritur: ubi enim eadem causa & ratio militat, ibi idem casus censeri debet. Eandem autem causam semper militare ubi conscientiæ forum agitur, satis per se constat. Conscientia enim Deum colendi, non minus manet pura puta conscientia, si contra eam quidquam aut jubeat aut prohibeat Magistratus professione Christianus, quam si idem faciat Paganus.

Nec verò audiendi sunt ii, qui tum demum, nec aliter, conscientiæ vim fieri contendunt, quam quando jubemur aut constringimur facere aliquid quod Deus prohibet; exempli gratia: Missam audire, in genua procumbere coram imaginibus, panem eucharisticum adorare, &c. Nec enim minus conscientiæ vis fit, quando prohibemur facere quod Deus jubet, aut fieri à nobis vult. Conscientia enim non minus obligatur ad parendum Deo jubenti quam prohibenti, Exempli gratia: Conscientiæ vim faciebat Nebucadnezar, mandando adorari statuam à se erectam. *Daniel* III. Sed idem non minus conscientiæ vim faciebat, prohibendo ne quisquam quidquam à Deo aut hominibus peteret intra xxx dies, nisi à se solo: *Daniel.* VI. Item: Conscientiæ vim faciebat Antiochus mandando omnibus subditis suis, ut desertis patriis ritibus atque institutis non nisi una ac parili ratione Deum colerent: 1 *Machab* I. Sed & conscientiæ vim faciebant Pharisæi & Scribæ, prohibendo ne Apostoli ulli homini loquerentur, aut docerent uspiam in nomine Jesu: *Act.* IV. 17. 18: Quia vero Deus etiam in cœtibus coli vult, actusque imperat qui non nisi in cœtibus exerceri possunt, hinc concludendum est, eos qui cœtus ejusmodi segreges prohibent, conscientiis vim inferre.

Esto, inquit quæsitor: quid si non obstantibus Scripturæ locis, quæ jus Magistratus limitant, Magistratus nihilominus omni molimine cœtus segreges istos conetur impedire, actuque ipso impediar, quid faciendum est? Resp. Tentanda primum sunt omnia, quæ leniendo Magistratus animo servire possunt. Si id frustra omnino fit, secreti licentia oportunis, seu tempestive seu intempestive, locis quærenda est. Si nec id tuto aut sine periculo fieri potest, minuendi sunt cœtus & crebro iterandi. Quod si istud etiam non succedat, experiunda potius sunt pericula & damna quædam, quam intermittendum prorsus bonæ conscientiæ alendæ remedium. Nempe constantia & patientia lassandus est Magistratus, ne aliud quid in caussa esse videat quam serium ac constans bonæ conscientiæ studium; quippe quod nec vi frangi, nec blanditiis flecti se patitur, sed solis rationibus. Dices: Quid si carceres, virgas, equuleos, rotas, cruces, laqueos, & gladios intentet adhibeatque Magistratus. Respondeo: Tum vero prudentissimè agendum & obfirmandus adeò animus, ut, si necesse sit, quovis pretio vel sanguinis ac vitæ, redimere malim conscientiæ securitatem, & Dei favorem æternum, quam contra eam quidquam facere in Magistratus gratiam; deserendo nempe cœtus istos, quos conscientiarum nostrarum alimentum suppeditare nobis credimus, & frequentando templum sive τὸν μεγάλην ἐκκλησίαν, in qua contagio à pure & veneno metuenda est; vel saltem continendo nos ipsos intra privatam Scripturæ Sacræ lectionem, & abstinendo ab omni ἑαυτῶν ἐπισυναγωγῇ. Hoc enim diserte vetat hic scriptor ad Hebræos, & in variis culpat serioque taxat, cum ait, καθώς ἔθος τισίν.

## An aliquis propter quinque Remonstrantium articulos, quos ad salutem esse necessarios non putat, persecutionis periculo se exponere teneatur.

### QUÆSTIO LIII.

*Cum Remonstrantes statuant, quinque (quos vocant) articulos, ad salutem scitu ac creditu non esse necessarios; Quæritur, an Minister aut Christianus quilibet, propter eorum confessionem teneatur privationem opum suarum, carceres, mortem, aut aliam aliquam corporis aut famæ injuriam subire ac pati?*

### RESPONSIO.

Quæstio hæc in duas dispesci potest: quarum *prima* est; An Remonstrantes, sive Ministri sive oves sint, articulos istos quinque, quos ad salutem scitu ac creditu statuunt non esse necessarios, ita tamen, ut eos id statuere, nondum palam atque in confesso sit, nihilominus teneantur cum periculo aut damno fortunarum ac vitæ suæ, apertè ac palam profiteri. *Secunda:* An, quando eos jam articulos istos confiteri palam constat, propter eorum confessionem teneantur extrema quæque perpeti potius, quam confessionem eorum deserere, aut dissimulare, nedum contrarios amplecti aut profiteri? Quod ad primam quæstionem attinet, de ea prolixè in responsione ad quæstionem 11, ex loco 1 *Petr.* III. 15. desumtam egimus: ubi etiam non obscurè nonnulla ad solutionem quæstionis secundæ indicata reperire est, quæ hic repetere, supervacaneum foret. Nunc ad hanc disertè respondeo, per has conclusiones.

I. Nunquam est deserenda semel cognita ac persuasa veritas, veritatisque semel nedum diu, à nobis facta confessio. Per veritatem autem intelligo, non modo eam, quæ ad salutem æternam obtinendam necessaria est, sed omnem omnino veritatem, imprimis eam, quæ ad divinam gloriam, salutem nostram, aliorumque ædificationem promovendam utilis est. Ratio est: Semper enim retinenda est bona conscientia, quia ea deserta, naufragium etiam fidei facile sequitur: 1 *Tim.* I. 19. Nulla ergo mala tanti facienda sunt, ut non ea lubentius subire ac perpeti velle debeamus, si necesse sit, quam ut propter ea bonæ conscientiæ tranquilla fruitione nos ipsos orbemus. Unde consequitur, Remonstrantibus, quando constat eos ingenuè ac palam articulos quinque, quos vocant, amplexos esse ac profiteri, ut non modo veros, sed & ad divinam gloriam, suamque & aliorum salutem promovendum apprime utiles, non licere fidem ac professionem istam deserere, etiamsi extrema ferenda sint, ne bonæ conscientiæ damno se ipsos mulctent, & tandem fidei simul ac salutis suæ æternæ naufragium faciant.

II. Multo minus ergo profitendum unquam est quidquam quod contrarium est isti veritati, quam animo toto amplexi & ore palam confessi sumus, ita ut omnibus constet eam probari nobis & contrarium ejus improbari. Ratio est: Quia nunquam licet directe quidquam facere contra conscientiam. Si enim quod ex fide non fit, peccatum est, *Rom.* XIV. 23: multo magis ergo, quod contra fidem, id est, contra bonam, certam, bene persuasam conscientiam fit, peccatum censendum est: & quidem tale, quod cum fiducia in Deum consistere non potest: 1 *Joan.* III. 20. 21: *Nam si nos condemnet cor nostrum, major est Deus corde nostro, & novit omnia. Si vero cor nostrum nos non condemnat, fiduciam habemus apud Deum.* Unde consequitur, satius esse quavis mala morte perire, quam conscientiæ suæ vim facere. Cum mala enim quavis morte fiducia in Deum consistere potest: At cum læsa conscientia, id est proprii cordis condemnatione, consistere nequaquam potest. Quare Remonstrantes persuasi de veritate quinque Articulorum, & eam palam confessi ac confitentes, quidvis potius ferre tenentur ac perpeti, quam contrariæ falsitatis confessionem simulare metu periculorum aut malorum.

Recte, inquies: tenentur non simulare falsitatem; sed an tenentur veritatem etiam non dissimulare? Respondeo ergo conclusione III. Dissimulatio veritatis, quam nos tenere ac confiteri palam est, est tantum non falsitatis simulatio. Distinctione tamen hic opus est. Aut enim dissimulatio illa fit per merum silentium, absque ullo consensionis cum iis, qui falsitatem confitentur, signo aut indicio: Aut fit cum signo aliquo consensionis, puta communione externa per symbola, id est, Cœnæ Dominicæ celebratione, actibusque disciplinæ Ecclesiasticæ qui ei adhærent. Primo modo dissimulatio fieri aliquando potest, quando videlicet cum iis sumus, quos perversos atque insanabiles esse, & per confessionem nostram ad nos acrius persequendum irritatum iri credimus. Prudentiæ enim Christianæ est, sanctum canibus non objicere, & margaritas porcis, ex ipso Christi præcepto, *Matth.* VII. 6, ne conversi lacerent nos. Secundo modo dissimulatio fieri non potest, nec debet: quando videlicet in Ecclesia aliqua veritas ista, quam corde tenemus & ore professi sumus, non tantum falsitatis damnatur, sed etiam falsitas pro veritate ipsa venditatur, & pro veritate necessario tenenda ac profitenda quasi autoratur & canonizatur, contra quam nos credimus, ac profitemur. Eo ipso enim quod nos communionem colamus, publiceque facto ipso colere nos declaremus, per contesserationem communionis exter-

externæ per ſymbola corporis ac ſanguinis Domini, actuum que diſciplinæ Eccleſiaſticæ, qui iis adhærent, quorum unus eſt, acris & ſevera diſſentientium condemnatio, & in eos animadverſio; non modo falſitatem, ſi non ore, facto tamen ſimulamus; ſed & reipſa falſitatem pro veritate neceſſaria, quæ in Eccleſia doceri debeat, obtrudi atque urgeri permittimus, utque in veritatis confeſſores acriter animad vertatur, æquis oculis ferimus: quam diſſimulationem peccatum graviſſimum eſſe, dubitandum non eſt; imprimis ſi ea fiat à Miniſtro Eccleſiæ, aut candidato Miniſterii, qui veritatem palam profeſſus eſt ac docuit, quique contrariam ei ſententiam non modo non neceſſariam ad ſalutem, ſed & falſiſſimam eſſe perſuaſum ſibi habet. Quare pericula potius omnia intrepidè ſubeunda, & mala quævis fortiter toleranda ſunt Chriſtianis omnibus, atque imprimis Eccleſiæ Miniſtris, quam ad iſtam diſſimulationem deveniendum.

Nec refert, ſi dicas: Atqui ego veritatem illam arbitror non eſſe ad ſalutem ſcitu ac creditu neceſſariam. Nam ut ut id arbitraris, & rectè quidem, tamen neceſſarium ad ſalutem eſt, ut arbitreris, conſenſionem fraternam nec ore nec facto aut ſigno teſtandam eſſe, cum iis, qui falſitatem non pro veritate modo, ſed pro veritate tali haberi volunt, quæ vel ad ſalutem ſcitu ac creditu neceſſaria ſit, vel quæ ſola in Eccleſia doceri debeat, cum veritatis aperta rejectione ac deteſtatione, eorumque qui iſtam profitentur inſectatione & perſecutione ad ſanguinem uſque. Hi enim, qui id ſive prudentes ſive imprudentes faciunt, tyrannidem in conſcientias uſurpant, & ad ſanguinem innocentium veritatemque profitentium fundendum, animum comparatum habent, ac proinde ex regno cælorum ſe ipſos excludunt: unde qui cum iis conſenſionem ſuam vel ore, vel facto aut ſigno teſtatam faciunt, eidem culpæ ac reatui ut ſe implicent, neceſſe eſt. Quare Remonſtrantes, quamquam credunt articulos quinque ad ſalutem ſcitu ac creditu præcisè vel ἀποβμως neceſſarios non eſſe: (quin enim proxime & proximus forte quam ulli alii inter Reformatos controverſi articuli, ad neceſſarios accedant, dubium mihi non eſt:) tamen omnes ac ſingulos teneri credendum eſt ad profitendum eorum veritatem, & ad ſegreges cœtus faciendos ab iis qui eam damnarunt publicè, & ejus profeſſionem intolerabilem, profeſſoreſque ejus non modo ex Eccleſia ejiciendos, ſed & quovis potius modo perſequendos, quam ferendos eſſe judicarunt, hodieque adhuc judicant: quin imo teneri ad conſtanter adeo in iis perſeverandum, ut victimæ potius publici odii fieri malint, quam facto ullo aut ſigno, nedum ore, conſenſionem aut communionem fraternam ullam teſtari cum iis, qui non neceſſariam, imo falſiſſimam doctrinam, pro veriſſima adeoque neceſſaria Synodicis conſtitutionibus haberi ac teneri voluerunt, atque etiamnum habent & tenent; quique eos qui contrariam veritatem profitentur, & tyrannidem iſtam averſantur ut intolerabilem, quibuſcunque poſſint modis, quà clam, quà palam inſectari & perſequi non erubeſcunt.

## An liceat Chriſtiano, qui veritatem novit, aliquando Miſſæ intereſſe, in locis ubi inquiſitio viget.

### QUÆSTIO LIV.

*Quomodo quis circa Religionem ſe gerere debeat, qui neceſſe habet vivere inter Pontificios, præſertim illos apud quos inquiſitio in uſu eſt, ut tuto & abſque ullo inquiſitionis periculo vitam ſuam ibi poſſit tranſigere? Et an, (ubi nullum proximi ſcandalum metuitur) Miſſæ eorum nonnunquam (ſalva pietate) intereſſe liceat: utpote quæ ſermone ſibi incognito peragitur: nulla alia de cauſſa, quam ne Inquiſitionis patribus ſuſpectus reddatur?*

### RESPONSIO.

QUæſtio hæc duplex eſſe videtur, ſed revera ſimplex & una ac eadem eſt; & ab aliis ſic breviter proponitur: Liceatne homini Chriſtiano, Euangelicæ doctrinæ gnaro, Papiſticis ſuperſtitionibus ac falſis cultibus, externa ſocietate etiam per ſymbola communicare. In utraque tria præſupponuntur certa: 1. Sacra Pontificiorum, ſi ſacra ea nominare licet, illicita eſſe, ac proinde communionem cum iis, imprimis ubi ſcandali periculum aut metus eſt, fugiendam eſſe. 2. Eum de quo hîc quæritur, qui inter Pontificios vivit, in conſcientia ſua perſuaſum eſſe de eo, quod communio cum ſacris eorum ſibi illicita ſit. 3. A communione iſta tuto & abſque inquiſitionis periculo abſtineri non poſſe. Quartum, quod etiam præſupponi videtur, incertum eſt; Quod videlicet res ejus, de quo quæritur, ita ferant, ut inter Pontificios vivere neceſſe habeat, & quidem inter illos, apud quos Inquiſitio in uſu eſt. Niſi enim iſtud accipiatur eo ſenſu, quod, velit nolit, per vim cogatur inter Pontificios vivere, & ex finibus eorum non exire, ut conſcientiæ ſuæ ſecuritati conſulere poſſit, nulla neceſſitatis vera cauſſa eſſe poteſt. Si enim neceſſitatis vivendi inter Pontificios cauſſa eſſe dicatur, quod alioquin diſpendium & jacturam rerum ac fortunarum ſuarum facere opus habeat, tum certe nulla vera neceſſitas eſt, quæ eum inter Pontificios vivere cogat. Metus enim damni exigui, vim nullam magnam, nedum coactivam, habet, niſi accedat voluntas metuendi. Sed vero, ſive adſit ſive abſit neceſſitas, ſeu ex vi ſeu ex metu orta, res eôdem redit; quamquam omnino videtur excuſabilior is qui extrinſecus mera vi cogitur, quam qui nulla vi coactus, ipſe ſe ipſum, metu damni faciendi, adigi ſinit ad manendum inter eos, ubi ſine periculo offendendi Deum, & conſcientiam ſuam violandi vivere non poteſt; ſi fortè incidat in delictum aliquod contra conſcientiam ſuam; de quo tamen noſtrum non eſt certi aliquid ſtatuere. Nullum tamen malum tantum in hac vita inferri poteſt, cui bonum ſecuræ & tranquillæ ſive bonæ conſcientiæ apud Deum, non longe præferendum ſit; imprimis ab iis, qui firmiore notitia divinæ voluntatis & perſuaſione certiore præditi ſunt. Alioquin, quin firmioris & infirmioris ſcientiæ ac conſcientiæ diſcrimen in cenſum venire debeat, vix dubitandum videtur.

Dico itaque, quod ad principalem rem attinet, & quidem ad primum quæſtionis membrum. Nihil tutum eſſe poſſe, ubi ſeverior inquiſitio in uſu eſt. Tuta ibi omnia timenda ſunt, &, ſi fieri ullo modo poſſit, ſuaſerim illud Medicorum de peſte, cito, longe, tarde, imo nunquam. Si fieri non poſſit, quia vis adhibetur quæ evitari non poteſt, tum iis, de quorum fide ac conſcientia nondum conſtat, diſſimulatione utendum eſſe, quoad uſque fieri poteſt, & occaſionem fugæ quærendam eſſe, quà tum vitæ tum ſecuritati ſuæ conſcientiæ conſulant. Si nec iſtud commodè fieri poſſit, ambiendam eſſe gratiam eorum, per quos à periculo immunes præſtari poſſunt. Quod ſi eorum etiam gratia fruſtra quovis pretio ambiatur, & latendi non ſit remedium, ſed confitendi neceſſitate urgeantur, aperta atque ingenua confeſſione redimendam eſſe, vel cum vitæ periculo ac damno, bonæ conſcientiæ ſecuritatem; imprimis ſi confeſſio contraria fidei ac conſcientiæ noſtræ teſtata ſit facienda actibus vel actu aliquo externo à Deo damnato, & interdicto ſub pœna excluſionis è regno cælorum. Nunquam enim ſimulandum eſt in negotio religionis & caſu conſcientiæ.

*Neceſſitas confitendi fidem ſuam, ubi illa confeſſio ſine abnegatione aut ſimulatione ſubterfugi non poteſt.*

Rationes ſunt. 1. *Oportet Deo magis obedire, quam hominibus: Act.* IV. 19. 2. *Quod ex fide*, id eſt, ex conſcientia certa *non ſit, id peccatum eſt: Rom.* XIV. 23. ergo multo magis quod contra fidem ſive conſcientiam certo perſuaſam fit. 3. *Qui diſcipulus Chriſti eſſe vult, abnegare tenetur ſeipſum, crucem ſuam tollere, & Chriſtum ſequi: Matth.* XVI. 24. Seipſum autem abnegare & crucem ſuam tollere, nihil aliud eſt, quam ſi neceſſe ſit, animam ſuam, id eſt, vitam ſuam Chriſti cauſſa non ſervare, ſed perdere velle, potius, quam cum Chriſti abnegatione, ſive conſcientiæ bonæ læſione, eam ſervare & à periculo mortis immunem præſtare velle; prout ex *verſ. ſeq. Matth.* XVI. 25 manifeſte liquet; & confirmatur inde, quod alioquin nullus unquam locus eſſet cruci, ac proinde nec tolerantiæ aut patientiæ, quæ Chriſtianæ pietatis gloria eſſe paſſim dicitur. Hinc illa ſunt, *Qui me confitebitur coram hominibus, eum & ego confitebor coram Patre meo, qui in cælis eſt. Quiſquis autem me abnegaverit coram hominibus, eum & ego abnegabo coram Patre meo qui in cælis eſt. Matth.* X. 33. Et: *Ne timete eos qui trucidant corpus, animam autem non poſſunt trucidare, ſed timete potius eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehenna: Matth.* X. 28. *Luc.* XII 4. 5, aliaque ſimilia pronunciata innumera. 4. Quia Apoſtolus diſertè & graviter monet Timotheum, ut retineat bonam conſcientiam, & quidem hoc argumento, quod ea expulſa, nonnulli fidei naufragium fecerint, adeo ut ad blaſphemandum prolapſi ſint: 1 *Timoth.* I. 19. 20. 5. Quia Chriſtus exemplo ſuo præivit, non tantum tum, cum à Diabolo in montem ſublimem aſſumtus, & pollicitatione magni præmii provocatus, ad adorandum eum, ſerio ac ſeveriter id renuit facere; *Matt.* IV. 8. 9. 10. ſed etiam quando coram Pontio Pilato teſtatam feciſſe dicitur præclaram illam confeſſionem, quam acerbiſſimæ & ignominioſiſſimæ mortis ſententia ſubſecuta fuit: 1 *Tim.* VI. 13. *Joan.* XIX. 7. *Luc.* XXII. 70. 71. 6. Quia alioquin perperam feciſſe videri poſſent, ex. gr. tres iſti ſocii Danielis, qui in fornacem ignis ardentem conjici maluerunt, quam coram regis Nabuchodonozoris ſtatua, adorationem ſimulantes, ſe proſternere. *Daniel.* III. 16. 17. 18. item Eleazarus

zarus ſenex, qui, uti diſerte legitur, 2 *Machab.* VI. 21, ſeorſim rogatus, ut ſumtis, quibus uti ei licebat, carnibus, quas in ejus gratiam præparaverant, ſimularet dumtaxat ſe veſci ſuilla, ſive carnibus ſacrificii à Rege imperatis, ut hoc pacto mortem effugeret, ſtrenuè iſtud recuſaſſe dicitur, & mori maluiſſe quam ſimulare; *verſ.* 23, 24. & ſeptem illi fratres Machabæi, qui extrema quæque tormenta ac ſupplicia ſubire maluerunt, quam carnibus ſuillis contra legis divinæ præſcriptum veſci: 2 *Machab.* VII quibus tandem etiam mater ipſa, conſtantiæ muliebris in retinenda pro ſe & ſuadenda ſuis liberis bona conſcientia rariſſimum exemplum, comitem ſe præbuit; *verſ.* 41. vide etiam 1 *Machabæorum*, I. 65. Quibus adde, martyres omnes ingente numero, qui cum vitam & dignitatem ſuam ſola grani thuris in aras falſorum deorum injectione redimere potuiſſent, mala quavis morte perire atque excarnificari maluerunt, quam bonæ ſuæ conſcientiæ vim facere. Hos omnes perperam & temeraria quadam præſumtione adductos fuiſſe dicendum videretur, ſi ſimulando, aut externo aliquo communionis ſigno, alieno tantum animo adeoque averſo, conſcientiæ ſuæ ac Deo ſatisfacere potuiſſent. quod contra eſſe apparet, ex eo, quod ſociorum Danielis trium factum diſerte à Deo probatum & miraculo approbatum fuiſſe legatur. Facta vero Machabæorum non obſcure etiam ad *Hebr.* XI, tanquam fidei apertæ teſtimonia laudabilia referantur: Martyrum verò facta nitantur dicto illo pulcherrimo Apoſtoli *ad Rom.* X. 10: ***Corde creditur ad juſtitiam, ore fit confeſſio ad ſalutem.*** Per ***confeſſionem*** autem ***oris***, non intelligitur nuda aut mera oralis confeſſio, ſed quæ facto ipſo, cum neceſſe eſt, comprobatur, uti paſſim videre eſt. Inter facta autem ***patientia*** eſt, quæ ***perfectum opus habere*** dicitur, *Jacob.* I. 4.

*Non licere ei qui Miſſæ cultum idolatricum eſſe credit, illi intereſſe.*

Unde colligo: quod attinet ad ſecundum membrum quæſtionis, an, (ubi nullum proximi ſcandalum metuitur) Miſſæ Pontificiorum nonnunquam (ſalva pietate) ei, qui inter Pontificios vivere neceſſe habet, intereſſe liceat, utpote quæ ſermone ſibi incognito peragitur, nulla alia de cauſſa, quam ne Inquiſitionis patribus ſuſpectus reddatur? Reſpondendum eſſe. Neutiquam id licere ei, qui perſuaſus eſt apud animum ſuum, actus iſtos quos fieri neceſſe eſt ab iis qui Miſſæ interſunt, illicitos eſſe, atque imprimis idololatricos: ſive Miſſa peragatur ſermone noto ſive ignoto: id enim ad rem non facit. Actus enim per ſe illicitos eſſe ſi credatur, id per ſe ſufficit quominus eos facere debeat. *Ab omni* enim ***ſpecie mali abſtinendum*** eſt: 1 *ad Theſſ.* V. 22. Ergo multo magis ab omnium graviſſima mali ſpecie, qualis eſt idololatria. Præſupponitur autem in hac quæſtione, eum, qui inter Pontificios verſatur, de re iſta perſuaſum eſſe, uti in principio diximus, & hîc liquet, quia in parentheſi eſt, *ubi nullum proximi ſcandalum metuitur.* Dices: Ex eo colligi contrarium: eum, de quo hîc agitur, non eſſe perſuaſum omnino, de eo, quod actus qui in Miſſa fiunt, ſimpliciter ſint illiciti, ſed tantum per accidens, ſive ex hypotheſi ſcandali. Reſp. Si iſta eſt quæſtionis mens, tum aliam eſſe rationem. Etſi enim fatendum eſt, ignorantiam iſtam, quod videlicet non aliter perſuaſus ſit, non omnino inculpabilem aut invincibilem eſſe; tamen certum etiam eſt, eo ipſo quod ignorantia iſta facti iſtius cauſſa ſit, de culpa nonnihil per eam diminui; imprimis ubi occaſio melioris certioriſque ſcientiæ aut perſuaſionis conſequendæ non offertur, uti in exemplo Pauli videre eſt, 1 *Timoth.* I. 13. Sed vero quæſtionis eam mentem non eſſe, ex parentheſi altera, (***ſalva pietate***) & eo quod in fine additur, ***Nulla alia de cauſſa***, &c. non obſcure evincitur. Quomodo enim pietas ſalva non manet, & quid cauſſæ eſt, cur quis inquiſitoribus ſuſpectus reddi metuat, quando actus facit, quos perſuaſus eſt, non eſſe illicitos? Dices: Quid ſi dubitet? Reſp. Et tum intereſſe non licet. *Qui enim ambigit, ſi ederit*, inquit Apoſtolus, *Rom.* XIV. 23, ***condemnatus eſt; quoniam non edit ex fide: Quicquid vero ex fide non eſt, peccatum eſt.*** Sed de his jam non agimus.

*Exempla quæ in contrarium afferri ſolent perpenduntur.*

Quæ ſimulationi huic excuſandæ exempla obduci ſolent ab iis qui Nicodemitæ vulgo appellantur, qui hoc unum operam dant, ut ſibi perſuadeant ſe cum venia Dei retinere poſſe gratiam hominum, admodum ſunt aliena atque infirma: Nempe Nicodemi, Joſephi ab Arimathæa, & Naamanis Syri exempla, quæ ſatis nota ſunt. Enimvero Nicodemus, quamquam abunde perſuaſus de veritate doctrinæ Jeſu Chriſti, propter metum tamen Judæorum abſtinuit à publico conſortio Jeſu Chriſti, & in ſacrorum Judaicorum communione perſtitit: *Joan.* III. Joſephus ab Arimathæa propter metum Judæorum occultus fuiſſe diſcipulus Jeſu Chriſti dicitur, & publicè ac palam Judæorum ſacris adhæſit: *Joan.* XIX. 38. De Naamane Syro conſtat quod permiſſum ei à Propheta Elizæo fuerit, ut in templo Remmon coram Diis alienis propter præſentiam Regis ſui, adoraret, quamvis ad cognitionem veri & unici Dei, magno jam & illuſtri miraculo eſſet adductus: 2 *Reg.* V. Exempla hæc cauſſæ ſuæ patrocinari credunt, quod videlicet fides recta intus in corde retineri, & foris communio coli poſſit cum iis, quorum fidem abominantur aut quos fidei ſuæ hoſtes eſſe firmiter credunt.

*Nicodemi, & Joſephi ab Arimathæa.*

Sed vero exempla hæc partim ſunt aliena, partim infirma ad cauſſam hanc defendendam. Aliena ſunt. Nam quod ad exempla Nicodemi & Joſephi ab Arimathæa attinet, certum eſt, eos, etiamſi palam in diſciplinam ac ſocietatem Chriſti ſe non dabant, aut cætui diſcipulorum ejus ſe non adjungebant, ſed Judæorum ſacris ac cætibus adhærebant, nullis tamen illicitis ſacris communicaſſe, neque ullis à Deo vetitis cætibus adhæſiſſe, aut in cætibus iſtis quidquam ſeu adprobaſſe ſeu conſuluiſſe quod non liceret. A cætibus ac Synagogis Judæorum ſuos abſtinere nuſpiam vetuiſſe legitur Chriſtus, ſed tantum à fermento doctrinæ eorum: *Matth.* XXIII. 2. 3. & XVI. 11. 12. Sacris Judæorum ne Chriſtus quidem cum diſcipulis ſuis abſtinuit, quia divinitus inſtituta ſacra erant, & nondum facto abrogata. Nicodemus vero etiam & Joſephus ab Arimathæa, tantum abeſt, ut adprobaverint quæ in cætibus Judæorum fiebant, ut contra ille conſiliis ſtudiiſque Phariſæorum ac Sacerdotum contra Chriſtum in cætibus eorum interceſſiſſe, & quoad ejus licuit ac quantum in ipſo erat reſtitiſſe dicatur: *Joan.* VII. 50. Hic iis non conſenſiſſe, id eſt, diſſenſiſſe legatur, *Luc.* XXIII. 51. Uterque, Jeſu mortuo, tum, cum Apoſtolorum alii fuga ſibi conſuluiſſent, alii intra ſilentium ſe continerent, abjecta omni diſſimulatione palam & confidenter, officium ſepulturæ, quam potuerunt honorificentiſſimè impenderunt: *Matth.* XXVII. 57, &c. *Mar.* XV. 43. 44. *Joan.* XIX. 38. 39, &c. Hi vero Nicodemitæ ſacris Papiſticis communicant, quæ vetita atque illicita eſſe ſibi perſuadent. Quod ad Naamanem Syrum attinet, de eo poſtea. Infirma etiam eſſe hæc exempla, per ſe liquet. Nam hoc ipſum, quod Nicodemus & Joſephus ab Arimathæa palam non confitebantur Jeſum & doctrinam ejus, non obſcurè taxatur apud Joannem, *cap.* XII. 42: ubi dicitur, ex primoribus multos credidiſſe in Jeſum, ſed propter Phariſæos hoc non profeſſos fuiſſe, ne Synagoga moverentur. ***Diligebant enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei.*** Id ſi ita eſt, quo colore tegi poteſt excuſatio eorum, qui non modo non confitentur veritatem de qua perſuaſi ſunt, ſed & ſacris iſtis communicant, quæ utpote ſuperſtitioſa, falſa, atque idololatrica à Deo damnata eſſe credunt? nec alio fine, quam ut cum venia Dei gratiam hominum ſibi retineant; ſive potius, quia gloriam hominum & ſua commoda magis diligunt quam gloriam Dei, aut veritatis divinæ profectum.

*Naamanis Syri.*

Quod ad Naamanis Syri exemplum attinet, videtur quidem prima fronte iſtud magis favere cauſſæ iſtorum Nicodemitarum: ſed revera tamen non minus alienum atque infirmum eſt fulciendæ iſti cauſſæ, quam priora duo. Nam 1. Naaman Syrus non petiit à propheta, ut ſibi liceret fidem ac religionem apud Regem ſuum & populum in Syria ſimulare, perſeverando ſcilicet in ſolita externa ſacrorum idololatricorum cum Rege ac populo ſuo communione. Nihil minus. Contra enim ex textu non obſcurè liquet, eum antequam deprecatione ulla uteretur apud prophetam, pollicitum ac proteſtatum eſſe, ſe nullis poſthac Diis alienis ſacra facturum, niſi uni Deo Iſraelis ſoſpitatori ſuo: 2 *Reg.* V. 17. Pollicitationem autem illam, quis dubitet, ſine publica ſuperſtitionum idololatricarum, quibus quotidie potentiſſimus dynaſtes ad deos ſuos placandum uti fuerat ſolitus, renunciatione, exſecutioni mandari non potuiſſe? Non ergo ſimulare voluit Princeps hic Syriæ; ſed publica à ſacris ſolitis abſtinentia, ita ut ne exiguo quidem thure in vita tota litaret, declarare, ſe idola iſta & cultum eorum plane & contemnere & execrationi habere: quin & in ara iſta, quam ex terra & ceſpitibus, quos ſecum ex domo prophetæ, uti videtur, in Syriam advehi per mulorum par curaverat, exſtrui juſſerat, ſoli Deo Iſraelis facere velle holocauſta ac ſacrificia: quod aliter, quam palam, fieri potuiſſe, non eſt vero ſimile.

Quid ergo, inquies, petiiſſe dicetur à Propheta? Reſp. verba Naamanis Syri, quibus petitio ejus continetur, *verſ.* 18, tribus modis accipi poſſunt. 1. uti ſonant: & ad præteritum tempus referuntur, non ad futurum, ita ut vel venia petatur ejus quod ante fecerat, vel fiducia veniæ declaretur, hunc in modum. Hac in re parcet, id eſt, pepercerit jam, uti confido, vel parcet, id eſt, non imputabit mihi rem iſtam Dominus, ſive propterea me non puniet: vel, ut mihi parcat, oro, quod toties ingrediente Domino meo ædem Rimmon ad adorandum, ibi, ego etiam una cum eo, ut mihi inniteretur, incurvaverim me & Numinibus iſtis vanis falſiſque (uti jam ſcilicet credebat) ſupplex factus fuerim.

Certe

Certe verba ſenſum hunc ferunt, & religioſi animi ſignum fuerit, etiam veniam facti tam enormis, licet in ignorantia præſtiti, requirere à Deo. 2. ut ad futurum tempus referantur, & contineant petitionem, ſive veniæ ſive indulgentiæ, ad perſeverandum in dignitate & munere iſto, quod in Syria gerebat, quaſi ſecundus à Rege aut latere ejus: & quia pars dignitatis ac muneris iſtius erat, Regi ſemper à latere eſſe, & incurvaturo ſe aut procubituro ante aras deorum ſuorum, in æde principali Rimmon idoli ſui, manum aut humerum honoris ac reverentiæ ergo ſubſternere, ſeque una cum eo incurvare, ut liceret ſibi, non quidem adorare idolum, aut ſacra diis iſtis facere una cum Rege ſuo; (Id enim ſe non amplius facturum ſpoponderat:) ſed officium tantum iſtud atque obſequium præſtare Regi ſuo. Nempe adeo religionis veræ exercendæ amore ducebatur, ut etiam ab illo externo actu, niſi expreſſa venia à vero Deo ei fieret, abſtinendum ſibi eſſe crederet. 3. ut non tam contineant apertam veniæ aut indulgentiæ petitionem, quam orationis & interceſſionis pro ſe apud Deum, ſi fortè fieret ut ad actum iſtum civilem præſtandum à Rege ſuo urgeretur; quamquam operam daturus eſſet ne id impoſterum faceret: ut ſenſus ſit; Roga pro me Deum, ut hoc mihi indulgeat & in peccatum non imputet, ſi id facere me Rex meus jubeat aut cogat.

Pro triplici horum verborum acceptione, tripliciter etiam exponi poteſt reſponſio Prophetæ, qua dixiſſe legitur *verſ. 19, vade in pace.* Nempe, ſi primo modo accipiantur verba petitionis, ut Propheta conſenſiſſe ei petitionem ſuam dicatur, & Dei nomine veniam ei feciſſe: quaſi dixiſſet; Eſto bono animo: Quod ante ignorans feciſti, id condonat tibi Deus Iſraelis. Si ſecundo modo accipiantur verba petitionis, ut propheta duo iſta quæ petierat, videlicet, ut terræ portionem ſecum in Syriam poſſet adſportare, ad aram Deo ſoli Iſraelis ſacram ex ea exſtruendum, & in ea vel ad eam Deo vero litandum thure ac ſacrificiis; tum ut civilem iſtum honorem Regi ſuo in æde Rimmon ſacrificaturo aut adoraturo, per incurvationem corporis ſui exhibere poſſet: duo, inquam, hæc ei indulſerit. quaſi dixiſſet: Iſtud prius, quia gentilis es & legi Moſaicæ non obſtrictus, qua nefas eſt, ut uſpiam alibi quam in templo ara Deo ab ullo Iſraelita exſtruatur, indulgebit tibi Deus; & hoc poſterius etiam, ut Regi tuo officia obſequiaque tua reddere non deſinas, vel, ſi neceſſe ſit, & aliter fieri non poſſit, reddas. Si tertio ſenſu aut modo verba petitionis accipiantur, tum reſponſio Prophetæ ſic facta dici poteſt, ut non indulſiſſe Naamani quod petebat, aut veniam nomine Dei feciſſe ei dicatur; ſed promiſiſſe dumtaxat, ſe oraturum Deum ſuum pro eo, ut ad utrumque iſtud connivere velit, & gratiam ei facere. Sunt, qui verba Prophetæ ſic exponunt, ut neutrum conceſſiſſe Naamani dicatur; ſed ad petitionem ejus ſiluiſſe, & verbis tantum uſitatis eum ſalutaſſe, aut ei valedixiſſe, *Vade in pace*: quaſi dixiſſet; Salve & bene vale. Sed mihi neutiquam videtur veroſimile, aut Prophetam ad tam ſeriam petitionem nihil prorſus reſpondiſſe; incertumque animi relinquere voluiſſe tam religioſum Principem, aut Principem tantum à Propheta incertum animi abiiſſe aut abire voluiſſe.

Ut ut eſt, quam alienum ac diſſimile hoc exemplum ſit à facto Nicodemitarum iſtorum manifeſtum eſt. Enimvero Naaman iſte palam profitetur ſe nullis Diis alienis, ſed ſoli Deo Iſraelis ſacra facturum eſſe: Hi eadem ſe ſacra cum idololatris facere velle profitentur, ut vitæ & ſecuritati ſuarum rerum ac fortunarum conſulant ſolo animo & intra ſe quaſi religioſi. Ille non aliam ſibi adorationem concedi poſtulat, quam qua ſe ad Regis inclinationem, quem fulciebat ipſe & ſuſtentabat, accommodaret. Id autem erat non idoli cultum fingere, ſed ſua Regi officia atque obſequia reddere: Hi adorationem ſibi concedi poſtulant, quam corde deteſtantur, & qua idololatricum cultum fingunt, ne ſuſpecti fiant, & ne corde atque animo eum deteſtari videantur.

Si quis dicat, gratis id aſſeri; Naamanem non aliam ſibi adorationem concedi poſtulaſſe, quam quæ civilis officii cauſſa, ad Regem ſcilicet fulciendum ac ſuſtentandum, fieri ſolebat: Nihil enim obſtare, quominus ex verbis textus eadem illa adoratio colligatur, quæ Regi fanum ſuum ingredienti tribuitur, quæ religioſa quin fuerit, dubitandum non eſt. Reſp. Verba quidem utrobique ſimilia eſſe in textu: ſed tamen diverſo ſenſu verbum השתחוה uſurpatum videri cum Naamani quam cum Regi Syriæ tribuitur; & quia in genere ſignificat incurvari & genua flectere, Naamani id tribuatur, non ut religioſum actum, ſed ut civilem & genti iſti Orientali ac Syris imprimis uſitatum denotant; quia diſerte dicitur, Naamanem petiiſſe, ut id ſibi liceret in iſto caſu ſolo, quando Rex in fanum ſuum adoraturus iret, non vero extra caſum illum. Iſto autem caſu officium iſtud civile ab eo requirebatur. Sed vero nolo diffiteri etiam iſto altero ſenſu accipi poſſe verbum incurvandi; ita ut Naaman petiiſſe dicatur, ut liceret ſibi in ipſa æde ſeu delubro Rimmon, una cum Rege idola ſua adorante, Deum verum Iſraelis fortaſſe in terra iſta quam ſecum advecturus erat, genibus ſuis ſubſtrata adorare. Neque tamen iſtud cauſſam Nicodemitarum quidquam juvat. Nam, 1. Naaman non petit ut liceat ſibi actum iſtum religioſum exercere in æde Rimmon ad ſimulandum ſe falſorum Deorum cultorem eſſe. Nihil minus: ſed eo ſolum fine atque animo, ne Regi ſuo teneatur denegare officium iſtud, ut liceat ſibi in ipſa æde Rimmon Deum Iſraelis verum, cujus ſe cultorem palam profitebatur, adorare, & animo oculiſque à falſis Numinibus averſis, coram eo ſe incurvare. At hi Nicodemitæ ſimulandi tantum licentiam ſibi quærunt, idque nulla officii civilis faciendi neceſſitate adacti. 2. Naaman ipſe factum hoc non modo pro indecoro & illicito habet, ſed & pro tali, quod pænam atque ultionem divinam in caput ſuum concitare poterat, ac proinde ſine ſpecialis gratiæ divinæ imploratione ac promiſſione inchoandum aut ſuſcipiendum non erat. Hinc ut Deus parceret ſibi bis & ſerio in verbo iſto, id eſt, in re ſeu facto iſto ad Prophetam dixiſſe legitur. Hi vero Nicodemitæ, non implorata primum Dei gratia, nec exſpectata gratiæ alicujus ſpecialis promiſſione, factum Naamanis imitari videri volunt, cum pejus longè ac deterius faciant. Qua ſpe, qua fiducia veniæ? Dices; Eadem qua Naaman à Propheta donatus fuit. At, 1 par tum debebit eſſe factum, 2 par ſtatus & conditio. Neque enim ſequitur; Gentili homini venia ſpecialis iſta facta fuit; ergo eadem Judæo facta fuiſſet. Multo minus ſequitur; Ergo nunc eadem venia Chriſtiano fiet. Enimvero Naaman erat homo Ethnicus, incircumciſus, Legi Moſaicæ non obnoxius, ac proinde ad eum promiſſa legis non pertinebant: verſabatur in medio idololatrarum, in magno dignitatis gradu apud Regem Syriæ conſtitutus, & ei forte conjunctiſſimus ac chariſſimus; ita ut ab eo penderent omnes ejus opes ac fortunæ, majores forte quam quales ſperare poterat etiamſi legem penitus fuiſſet amplexus. Quid? Mirumne eſt, Deum cum tali homine mitius ac clementius agere voluiſſe, quam cum iis agere vult, quos ſive Legis ſive Euangelii ſui honore ac munere à teneris dignatus eſt? Duo cum faciunt idem, non tamen eſt idem. Quare ut Chriſtiani exemplo hoc veniæ factæ Ethnico tali Principi, ſe in exercendo cultu idololatrico ſolentur, admodum iniquum eſt.

## Quid ſentiendum ſit de iis qui damnant alios in cauſa religionis propter capita ad ſalutem non neceſſaria.

### QUÆSTIO LV.

*Cum Scriptura S. in omnibus ad ſalutem neceſſariis ſit clara, perſpicua & facilis; & quæ neceſſaria, talia, ut ſine explicita eorum fide nemo ſalvari poſſit, & præter ea nulli, ſine ſalutis periculo ac damno, quidquam quà tale, liceat aliis credendum, faciendum, &c. imponere: An, non neceſſario conſequi videtur Chriſtianorum omnium, Reformatorum ſaltem, qui ſuper Religionis articulis à ſe diſſentientes alios recuſant ferre eoſque condemnant, partem alteram certo damnatum iri? Si ſit enim hoc, quod controvertitur, neceſſarium, in ejus fide, ſecundum naturam contradictionis, neceſſario altera pars deficit. Si id non eſt, æque pars altera, quod non eſt, quod ſcit aut facillime ſcire poteſt ac debet neceſſarium non eſſe, pro eo obtrudit; atque ita vinculum caritatis & pacis, propter rem non tanti, cum ſalutis propriæ diſpendio, ſciens volens (præſertim qui eandem de Scripturæ perſpicuitate hypotheſin tuetur) diſſolvit.*

### RESPONSIO.

QUæſtio hæc coincidit cum quæſtionibus nonnullis aliis ſupra propoſitis, ad quas prolixè ſatis à nobis reſponſum eſt. Quare ad eam breviter ſic habete. Inter opera carnis, propter quæ homines regno cælorum excludi affirmat Apoſtolus, *ad Gal.* V. 19. 20, recenſentur etiam hæc duo; Αἱρέσεις καὶ διχοστασίαι. Hæreſis eſt voluntaria & pertinax amplexatio, adhæſio & propugnatio ſententiæ ſive dogmatis talis, quod cum vera in Chriſtum fide & pietate non poteſt conſiſtere, ſed eam funditus evertit; ſive fundamentalis alicujus articuli unius aut plurium negatio, Διχοστασία

eſt

est voluntaria & pertinax renunciatio communionis & fraternæ unionis cum iis qui, sive revera aut errore aliquo in fide, aut vitio in moribus teneantur, sive teneri nobis tantum videantur, errore tamen aut vitio tali non tenentur, quo vel fundamentalis dogmatis veritas omnino tollatur, vel vitæ morumve intolerabilis impuritas introducatur aut foveatur: id est, qui secessionis caussam nec per dogma aliquod pestilens & saluti contrarium, nec per mores minime Christianos ei præbent.

Ex hoc consequitur, Fieri aliter non posse, si natura rei inspiciatur, quam ut ii, qui Scripturam S. credunt ac profitentur esse claram, perspicuam & facilem in omnibus, quo ad dogmata & mores necessariis ad salutem articulis; siquidem (ut de moribus jam non agam) amplectantur, adhæreant, aut propugnent dogma aliquod, quod cum fide in Christum non potest consistere, cælo eapropter excludendi censeantur, aut certo damnandi statuantur: imprimis, si dogma illud aliis tanquam non verum modo, sed & necessario credendum imperent; aut ab eo dissentientes, cæteroquin probos piosque, recusent ferre, quin & condemnent tanquam hæreticos & læsæ necessariæ veritatis reos ac manifestos: Et rursum sequitur, Fieri aliter non posse, natura rei introspecta, quin ii, etsi in necessario aliquo dogmate non errent, cælo nihilominus & pacifici Dei domo indigni censeantur, siquidem ob non necessariæ ad salutem veritatis defensionem, aut ob vitia aliqua in moribus tolerabilia, in partes eant, & per apertam secessionem communionisque Christianæ renunciationem, caritatis & pacis vinculum rumpant ac dissolvant.

Utrumque hoc ita censendum esse natura rei dictat. Fieri enim non potest, ut apud istos, qui Scripturam S. perspicuam ac claram esse credunt in necessariis omnibus, hæreses & αἱρεσεις sive sectæ, aliam caussam habeant quam damnabilem, id est, pravam, distortam ac perversam voluntatem, sive directam (ut loquuntur) sive interpretativam. Ut enim morborum istorum caussa statuatur intellectus imbecillitas & judicii infirmitas, nullo modo est verisimile. In clara enim luce necessariæ veritatis, infirmitati judicii locus non est, aut ut locus non sit, Deus vult ac procurat, quia quemlibet secundum lucem istam judicare vult. *Joan.* XII. 35. 36. & VIII. 12. & passim alibi.

Prompta, inquies, hæc est spongia, qua ex albo vitæ æternæ delentur multæ hominum myriades. Resp. 1. Non nostra hæc est spongia, sed Domini nostri Jesu, & Apostoli ejus fidelissimi, qui eam etiam adhibet ad expungendum ex albo vitæ æternæ, ipsos gentiles idololatras, quibus tamen hæc ipsa Scriptura clara ac perspicua, nondum innotuerat; uti videre est *ad Rom. cap.* I. *à vers.* 18 *ad finem usque capitis*, & passim alibi in Epistolis ejus. Sed vero. 2. de his in quæstione hac non quæritur, neque de istis etiam, qui etsi nomine ac professione Christiani sint, tamen aut dogmata aliqua pestilentia amplectuntur sponte sua, aut Ecclesiæ saltem isti adhærent, quæ dogmata ejusmodi amplectitur, & eos qui per conscientiam illis subscribere se non posse profitentur, non modo ferre recusat, sed & cælo toto proscribit, quin & ferro ac flamma persequitur; quales sunt qui inter Pontificios nati, & à teneris educati, Scripturam sacram, qua spongia hæc continetur, nunquam aut viderunt aut legerunt, ac proinde, qui occasionem cognoscendi divinam veritatem ejusmodi nunquam habuerunt, ut perversitate quadam animi aut pertinacia eorum factum sit, quod pestilentibus Ecclesiæ suæ dogmatis adhæreant, & ab iis dissentientes de plano condemnari permittant: quippe quibus aut in totum lectione Scripturæ S. severissime interdicitur, aut Scriptura S. non nisi ignota lingua prælegitur. De his, inquam, in quæstione non agitur, sed de iis tantum, qui Reformati dicuntur, &, ut in fine quæstionis videre est, quibus non modo Scripturam S. audire & legere palam & clam domi suæ tutò atque impune licet; sed & qui eandem de Scripturæ perspicuitate hypothesin tuentur, & velis remisque contra adversarios suos contendunt adstruere. Addo tamen. 3. Nos spongia hac contra tales uti, si nuda Scripturæ sententia & natura ipsa rei inspiciatur, relinquentes semper Deo, tanquam judici æquissimo, supremam ac peremtoriam de iis sententiam; quippe qui solus corda & renes omnium hominum scrutatur, & penitissimè novit ex quo animo vel qua de causa fiat, ut quis aut in exitialem hæresin prolabatur, aut pacis & caritatis vinculum dissolvat.

## Quomodo maritus infidelis sanctificetur in uxore fideli, & contrà: ex 1. *Corinth.* VII. 14.

## QUÆSTIO LVI.

*Quæritur quis sit sensus hujus loci* 1 ad Corinth. VII. 14: *Maritus enim infidelis sanctificatus est in uxore, & uxor infidelis sanctificata est in viro: alioquin certe liberi vestri impuri essent: nunc autem sancti sunt.*

## RESPONSIO.

MUltæ super hoc loco sunt sententiæ, quas apud interpretes videre est. Nos eas non referemus omnes ac singulas: nec operæpretium est. Certum est in hoc omnes interpretes convenire, quod per sanctificationem hanc tum mariti tum uxoris infidelis, non intelligatur vel sanctificatio vel sanctitas illa salutaris, quæ salutis æternæ promissionem habet: quia nemo adultus, aliena seu fide seu sanctitate sanctificatur, sed sua tantum. *Justus enim sua fide, vivet. Habac.* II. 4. & *ad Heb.* X. 38. Ex hoc consequitur aliam plane sanctificationem seu sanctitatem intelligi, qualiscunque tandem ea esse possit: ac proinde puritatem sive sanctitatem istam, qua liberi postea sancti sive puri esse dicuntur, qui ex isto conjugum sanctificatorum conjugio nascuntur, ejusdem cum illa generis ac conditionis, nec aliam censendum esse. Quænam aut qualis ista sit fortasse non multum refert rigide percunctari, aut operòse expiscari. Quæcunque adsignetur aut statuatur, ea sine periculo admitti potest.

Ego sic statuo, Apostolum considerare & censere Christianum populum veluti populum sanctum, id est segregatum & sequestratum per Christianæ Religionis professionem, à reliquo idololatrico & profano mundo; vel simpliciter, id est, non aliter sanctum quam olim populus Israeliticus sanctus populus, id est externa Mosaicæ legis professione & observatione à reliquo mundo immundo segregatus fuerat: vel relate, quatenus Christianus populus per Abrahami fidem sive Abrahamicæ fidei imitationem populo isti sancto Judaico insertus, & sic sanctitatis istius externæ quasi particeps factus erat, ut unus cum eo populus Dei censeri deberet; uti videre est *Rom.* XI. 16. 17. 18. imo ut populus iste Judaicus infidelis, qui jure sancti populi propterea exciderat, accessione & maritatione seu insertione Christiani populi, quasi sanctus Dei populus ille adhuc mansisse & manere videatur; quatenus videlicet quasi in locum ejus successit, aut ei veluti radici insitus est Christianus populus, atque ita ab eo sanctificatus est quasi de novo populus Judaicus.

Hoc ita esse, videtur mihi non obscure liquere ex variis locis istis, ubi Christiani & fideles dicuntur insiti in oleam, ut non amplius sint oleastri, nec oleastros gignant, utpote pinguedinis bonæ oleæ participes facti: uti adoptati dicuntur in jus filiorum Dei: *Rom.* VIII. 21. jus civitatis consecuti esse, & facti cives sanctorum ac domestici Dei, cum antea essent alienigenæ: *Ephes.* II. 19. coaluisse in eundem populum, in eandem Rempub. Israelis, in idem corpus, in eandem massam & panem, in idem regnum & sacerdotium, unus novus homo facti, & unum templum, & unus verus Dei Israel.

Hoc posito dicendum omnino est, populum Christianum eadem ratione sanctum ab Apostolo vocari, qua populus Judaicus sanctus vocari solebat: Dupliciter nempe, vel externa tantum sequestratione à reliquo mundo, quomodo totus populus Judaicus qualis qualis erat sanctus erat: vel interna sanctitate, quando videlicet sancte ac digne vocatione & segregatione ista sua se gerit, quomodo populus Judaicus specialiter sanctus tum vocari solebat. Cumque de hac sanctitate non agatur, sed de prima, uti diximus, ex eo consequitur sanctificationem hanc, qua maritus infidelis aut infidelis uxor sanctificari dicitur in fideli conjuge aut per fidelem conjugem, aliud nihil significare, quam sequestrationem sive transitionem infidelis in jus sive civitatem populi Christiani; sicuti sanctificatio Ethnici aut gentilis, per externæ circumcisionis susceptionem, aliud nihil erat quam segregatio sive transitio ejus in civitatem populi sancti, & externa ejus jura ac privilegia; ut conjugio huic idem videatur tribuere Paulus respectu partis infidelis, quod circumcisioni tributum volebat Deus respectu Gentilis idololatræ aut profani, transeuntis in Rempub. sive ad populum Dei sanctum.

Quia vero ſanctificationis ſive puritatis & ſanctitatis liberorum, ex conjugio tali naſcentium, eadem eſt ratio: facile colligere eſt, ſenſum verborum iſtorum, *Alioquin liberi veſtri impuri eſſent, at nunc ſancti ſunt*, alium eſſe non poſſe, quam, alioquin ex alterius ſaltem parentis parte Gentiles eſſent: at nunc cum pars illa tranſierit etiam in civitatem & jus populi ſancti, per conjugium, neceſſe utique eſt ut liberi etiam ejuſdem illius populi ſancti concives naſcantur, uti naſcebantur cives populi Judaici, qui ex Gentili circumciſo naſcebantur. Quæres forte quid ſanctitas illa externa ſingulare in ſe habeat? Quæro viciſſim quid ſingulare habuerit populi Judaici externa ſanctitas, quæ uſque adeo magnificè paſſim extollitur in ſacris? Ego nil dubito quin Deus tales conjuges pacificè cohabitantes, & liberos ex conjugio tali natos, benigniore multò oculo reſpexerit, quàm cæteros, iiſque propter partem alteram fidelem, tanquam civibus, aut in eadem ſancta civitate populi ſui habitantibus, beneficia plura ac majora fecerit, quàm cæteris impuris, & nulla prorſus communione cum ſanctis devinctis. Qualia ea fuerint, nemo facile dixerit.

## De ſponſalium & conjugii diſſolutione.

### QUÆSTIO LVII.

*Quæritur, An ſponſalia, legitime inita, diſſolvi poſſint, utraque parte conſentiente? Et, ſi pars una, altera neſciente, novum contraxerit matrimonium, an liceat parti deſertæ atque innocenti, itidem novum inire matrimonium? Ratio dubitationis eſt, quia Servator noſter* Matth. XIX. 9, *adulterium committere dicit eum, qui dimiſſam extra caſum adulterii uxorem alterius duxerit.*

### RESPONSIO.

*Sponſalia ſunt duplicis generis.*

PEr ſponſalia intelliguntur aut ſponſalia propriè dicta, quæ ſolis verbis de futuro, concepta ſunt: ex. gr. Accipiam te in uxorem: &, Nubam tibi: Aut intelliguntur ſponſalia impropriè ſic dicta, quæ concepta ſunt per verba, ut loquuntur, de præſente: ex. gr. Accipio te in uxorem: Nubo tibi: Hiſce verbis, ſi nulla addatur conditio, tum ſponſalia purè facta dicuntur. Si conditio adjiciatur, id eſt, ſi ponatur vel res præterita, ex. gr. ſi pater conſenſit; vel præſens, & ſi hoc vel illud poſſides; vel quæ in futurum reſpicit, eaque vel neceſſario exſtitura, ex. gr. Si cras Sol oritur; vel quam exiſtere impoſſibile eſt, ut, Si cælum digito tetigeris, &c. tum non purè facta dicuntur, ſed ſub conditione.

*Ea quæ concepta ſunt per verba de futuro diſſolvi poſſunt.*

Si per ſponſalia hîc intelliguntur primi generis ſponſalia, ea diſſolvi ac dirimi poſſe aſſerunt omnes tum Civilis tum Canonici juris conſulti: quia aliud eſt promittere, aliud facere, ut Lombardus loquitur. Dirimi autem poſſe aſſerunt, ſi uterque, ſponſus & ſponſa, ſibi invicem promiſſionem factam, etſi cum juramento, remittant. Sponſalia enim hujuſmodi eſſe volunt, ſolemnes etiam adhibita ſtipulatione de accipienda uxore promiſſiones, quibus non plena & abſque omni exceptione ſit futuri matrimonii obligatio, ſed libertas relinquitur recedendi à contractu, tum ſponſo tum ſponſæ, ſi ita utrique placeat. Et ſane per verba, Accipiam te in uxorem, non fit conjugium, ſed promittitur: & qui futuram obligationem promittit, præſumitur jure, quum tacitè ſaltem ſibi ſpatium ad ampliorem deliberationem petat, liberam ſibi retinere mutandi conſilii facultatem, ac proinde ex promiſſo iſto præciſe non obligari; perinde atque is, qui dicit alicui, vendam tibi has ædes, nondum eas vendidit, ſed tantum venditurum ſe promiſit, ſicque tacite jus ſibi reſervavit mutandi promiſſum ſuum. Dices: Attamen in foro conſcientiæ obligatio valida eſt, imprimis ſi juramentum interpoſitum fuerit. Reſp. Fatendum id eſt, ſi conſcientia ejus, qui ſponſalia verbis de futuro conceptis inivit, ſic tamen ea contracta fuiſſe dictet, ac ſi verbis de præſenti concepta fuiſſent. Animus enim promittentis promittentem obligat, non verba proprie. At ſi conſcientia ejus qui promiſit, dictet, idcirco verba de futuro adhibita fuiſſe, ut liberam ſibi retineret facultatem amplius adhuc deliberandi; tum vero ex promiſſione illa etiam in foro conſcientiæ obligatio non naſcitur. Dices: Attamen ipſe Deus deſponſatam, pro uxore haberi vult, adeo ut qui eam violaverit, lapidibus obrui velit, quia humiliavit uxorem proximi ſui: *Deut.* XXII. 23. Reſp. Per ſponſam intelligenda iſthic videtur deſponſata per verba de præſenti; vel, ſi etiam intelligatur ſponſa deſponſata per verba de futuro, tum dicendum eſt, Deum quamdiu ſponſalia iſta conſtant, eam etiam pro tali habere velle ac ſi jam uxor ſponſi eſſet, aut ſaltem ei proximè obligata: ac proinde ſeverius in eum animadverti qui talem violat, quam ſi liberam violaret. Unde colligo, non exigui etiam peccati reos ſe facere coram Deo, qui fidem quoquomodo alteri datam, ſine ulla juſta cauſſa reſcindunt, & coram tribunali divino, adulterii reos eſſe, qui cum animum habuerint ſeſe valide obligandi, pœnitentia poſt ducti, exceptione hac quod verba dumtaxat de futuro concepta fuerint ſe tuentur, atque ita levi de cauſſa à propoſito ſuo reſiliunt, & obligatos ſe eſſe negant.

*Non verò ea quæ concepta ſunt per verba de præſenti, & ubi nulla conditio apposita fuit.*

Si vero per ſponſalia intelligantur ſecundi generis ſponſalia, & quidem pure facta; hæc enim propriè ſponſalia ſunt de præſenti: quando enim adjicitur conditio aliqua, (quæ ſcilicet plane ad conjugium valide contrahendum neceſſaria non eſt, uti ex. gr. neceſſarius eſt conſenſus parentum) tum ſemper is qui conditionem adjicit, in incertum loqui præſumitur, ac proinde non pure ac prorſus liberè in contractum conſentire: hujuſmodi inquam ſponſalia ſi intelligantur, tum dico ea mutuo partium conſenſu dirimi non poſſe, quia per iſta verba conjugium, ſi non de facto, ut loquuntur, de jure tamen contractum ac conſummatum fuit. Conſenſus enim non concubitus facit nuptias. Nuptias autem ſemel contractas, conſenſu mutuo partium diſſolvi non poſſe conſtat ex Chriſti lege, quæ in quæſtione allegatur.

*Si pars una conjugum altera neſciente novum matrimonium inierit, partem deſertam liberam eſſe, ut novum quoque matrimonium inire poſſit.*

Ex hoc patet ſolutio quæſtionis ſecundæ: An, ſi pars una, altera neſciente, novum contraxerit matrimonium, parti deſertæ atque innocenti liceat itidem novum inire matrimonium? Nam cum per novum iſtud matrimonium, utpote directè repugnans formæ eſſentiali matrimonii, ac proinde etiam priori matrimonio quod conſenſu mutuo partium contractum fuerat, prius omnino ſolutum ſit; cur non credatur pars deſerta atque innocens, libera jure ipſo eſſe à priore vinculo, ut ad novas nuptias tranſire ei liceat? Nec referre credendum eſt, an novum iſtud matrimonium facto conſummatum ſit nec ne. Nam ſi primum matrimonium verum ac validum fuit matrimonium ob conſenſum partium mutuum, etiamſi conſummatum facto nondum erat; neceſſe utique eſt, ut novum five ſecundum, ob eundem conſenſum mutuum, pro valido matrimonio habeatur, ſive conſummatum ſit per copulam carnalem ſive non ſit: utque proinde parti innocenti, tanquam à vinculo ſuo liberæ, ſi velit, ad novas nuptias tranſire, ſi non facto, jure tamen liceat. Conſummatio enim matrimonii quæ per copulam ſit, non eſt de eſſentia matrimonii: nec conſummatum rectè dicitur matrimonium tum demum, cum copula ſecuta eſt; ſed cum conſummandi animus adeſt, & in copulam conſenſus datus eſt ab utraque parte, ſive ſequatur copula ſive non ſequatur. Verum quidem eſt per copulam carnalem cum aliena fœmina, ſive ſoluta ſive ligata, etiamſi non acceſſerit expreſſus conſenſus in matrimonium mutuus, vinculum matrimonii facto & jure ipſo diſſolvi; ſed id ex eo eſt, quod is qui in copulam talem conſentit, jure præſumatur, ſi non directa, attamen interpretativa aut tacita voluntate, conſentire in novas nuptias. Ex facto enim iſto, id eſt ex copula quæ finis conſenſionis in nuptias eſt, æſtimatur voluntas conſentiendi. Nec ſufficit proteſtatio in contrarium, quia proteſtatio eſt contraria facto.

Dices: Attamen Servator noſter *Matth.* XIX. 9. adulterium committere dicit eum, qui dimiſſam extra caſum adulterii uxorem alterius duxerit. Reſp. Ita eſt. Sed per caſum adulterii Servatorem tantum deſignare voluiſſe actum adulterii externum, quis dixerit? Fateor vocem πορνείας non deſignare aliud quid quam ipſum fornicationis ſive adulterii actum externum. Sed vix dubitandum videtur, quin Chriſtus iſta voce uſus ſit, quia ſub carnali lege Moſaica adeoque in omni foro ſoli, voluntas nuda non plectitur, neque ſufficiens diſſociationis ſolemnis conjugum cauſſa eſſe creditur, quamquam ratum fixumque apud eos eſt, concubitum nuptias non facere, ſed conſenſum. Quare quamquam ſolum fornicationis actum nominavit Servator, non tamen ea propter videri debet excludere voluiſſe propriiſſimam, qua eſſentia ac forma conjugii per ſe tollitur, cauſſam, id eſt, conſenſionem in novas nuptias: imprimis cum adulterium eo uſque extendat, ut eum, qui alienam (uxorem) aſpiciens eam concupiſcit dumtaxat in corde ſuo, mœchari dicat. Aliud eſt, An parti innocenti & deſertæ liceat jure ad alias nuptias tranſire: aliud, An facto liceat, id eſt ſic, ut Magiſtratus Politicus novas iſtas nuptias ratas habiturus ſit, ſi adulterii actum ab altera parte commiſſum, id eſt, conſenſionem, copulam conſecutam eſſe oſtendi nequeat. Iſtud mihi certum videtur, non hoc: quamquam contra ſentiunt Pontificii Caſuiſtæ & Canonici.

An

## An profugo ob religionem, quem uxor ſequi nolit, aliam ducere liceat.

## QUÆSTIO LVIII.

*Quæritur, An viro ob Religionem è patria profugo, quem conjux ſequi renuat, ſecundas nuptias (ſi præſertim continentiæ dono præditus non ſit) ſuperſtite adhuc idololatra conjuge, ambire liceat?*

## RESPONSIO.

*Status quæſtionis formatur.*

RESp. Caſus hic, ſi bene conſtituatur, rarus eſt, & fortaſſe ex iis qui in vita humana, aut hoc tempore ſaltem, nunquam incidunt: ut enim bene & recte conſtituatur hæc tenenda ſunt. 1. De marito quæri, non voluntariè aut ſine urgente neceſſitate profugo, ſed ob ſummum vitæ periculum ad fugiendum & vitæ ſuæ conſulendum adacto. An quæratur de profugo in locum talem, ubi uxori ſuæ idololatricæ, (de ea enim quæritur) religio ſua idololatrica prorſus tuta non eſt; an vero ubi eam vel ſine ullo, vel ſine pari aut ſimili ſaltem periculo exercere poteſt, incertum eſt. 2. Ob religionem profugus intelligitur, non quia religionis purioris, aut ſaltem quæ ab idololatria aliena eſt, exercitium ei non permittitur, nulla interim ad Religionem idololatricam exercendam accedente coactione; ſed quia conſtringitur ad exercendum Religionem, ſive cultum idololatricum ſub capitis pœna. An per *conjugem ſequi renuentem* intelligatur conjux, quæ nullam aliam renuendi cauſſam habet, quam Religionis ſuæ exercitium; an vero ſimpliciter renuens, etiamſi iſtic, ubi profugus eſt maritus, exercitio Religionis ſuæ, licet idololatricæ, ſine ullo vel ſaltem ſine gravi periculo gaudere poteſt, incertum eſt. Quod ſi duo hæc incerta ad certa redigantur, ita ut per maritum profugum intelligatur maritus, qui profugit in locum ubi uxori ſuæ tuto aut ſaltem ſine graviſſimo periculo, Religionem ſuam quamvis idololatricam exercere licet; & per uxorem renuentem, intelligatur uxor, quæ nullam juſtam aut nullam ſatis gravem cauſſam habet, cur maritum profugum ſequi renuat, alioquin fidei conjugalis retinentiſſima, tum caſus poſitio, ut loquuntur, propria hæc erit: An marito ob ſolam Religionis idololatricæ exercendæ neceſſitatem è patria profugere coacto, in locum, ubi uxor ſua religionis ſuæ idololatricæ exercitium habere poteſt, vel tuto, vel ſaltem ſine magno aut maximo periculo, ſi uxor iſta eum ſequi præfractè renuat, & ipſe domo continentiæ præditus non ſit, ſecundas nuptias ſuperſtite adhuc uxore, ambire liceat? Reſp. Quid in foro humano, dato hoc caſu, liceat, hîc non quæritur. Certum mihi eſt, ſi Magiſtratus tali marito ſecundas nuptias indulgeat, (quod an voluturus unquam ſit non audeo certo affirmare) non indulturum eas, niſi perſuaſiſſimus primum factus ſit, tum de marito, quod ſine uxore vivere non poſſit, & quod omnia ſatis ſuperque tentaverit, quæ uxori permovendæ & ad ſe pertrahendæ, facere poterant: tum de uxore, quod nullis blanditiis, monitis, precibus flecti potuerit, ad maritum ſuum ſequendum. Sed vero, ſive tum indulgeat ſecundas nuptias Magiſtratus, ſive non indulgeat: quid in foro conſcientiæ ſive ex lege Chriſti liceat, quæritur.

*Si uxor fidem conjugalem ſervet, non licere marito aliam ducere,*

Quod ad me attinet, exiſtimo non licere, quamdiu uxor marito ſuo deſtituta fidem conjugalem retinet, ſive adulterio fidem marito ſuo ſemel datam non violat, ſed integram & illibatam ſervat. Ratio eſt, Quia ex lege Chriſti matrimonii vinculum non ſolvitur, nec ſolvere licet, ob ullam aliam ſeu cauſſam ſeu culpam, quam ob culpam adulterii: *Matth.* V. 32. & XIX. 9. *Mar.* X. 11. 12. *Luc.* XVI. 18. & 1 *ad Corinth.* VII. 10. 11. Uxoris autem præfracta contumacia in renuendo ſequi virum ſuum profugum, ſic uti diximus, etſi culpa & gravis admodum culpa eſt, tamen adulterii culpa non eſt. Quin morbidæ & male ſe habentis animæ aut voluntatis vitium ſit, non eſt dubitandum. At ſicut propter morbum corporis, quo uxor alicujus tenetur, viro licet incontinentiſſimo ſecundas nuptias ambire non licet; ita etiam propter vitium ſive morbum animæ aut voluntatis, ut id non licere credatur ratio videtur poſtulare; quia alioquin divortiorum, & ſecundarum tertiarumque nuptiarum, &c. finis non eſſet nec modus. Dices: Morbi corporis & malæ voluntatis diverſam eſſe rationem. Fateor. Ille extra culpam eſt. Hæc culpam habet. Sed culpa uxoris, quâ ſimpliciter culpa eſt, non magis dat marito jus ad ambiendum novas nuptias, quam morbus uxoris, qua morbus eſt. At culpa iſta, inquies, cauſſa eſt, per quam impeditur uſus conjugii marito incontinenti. Et morbus, inquam ego, cauſſa eſt per quam idem fit. Ferendum eſt quod mutari non poteſt. Tum, uti morbum uxoris ſuæ incontinens maritus æquo animo ferre debet, quia à Deo eſt; ita malum iſtam voluntatem uxoris ſuæ, veluti morbum animæ ejus, æquiore animo ferre debet, quia ipſe fortaſſe ſuapte propria voluntate malæ iſtius ſuæ fortunæ faber eſt, quod idololatricem uxorem duxerit; aut, ſi poſt contractum matrimonium idololatrica facta ſit, de non prona aut proclivi ad idololatriam, ſaltem de commoda uxore potius quam de ulla aliâ ducenda, mature aut deliberatius non cogitaverit. Sibi ergo imputare debet, quod morbidam talem uxorem habeat, & morbum iſtum reputare pro pœna inconſultæ ſuæ temeritatis à Deo ſibi inflicta Dices: Talis non erat innupta, ſed nupta omnino in aliam fœminam mutata eſt. Tum reſpondeo, Mutationem quamlibet æquo animo ferendam eſſe, quamdiu fides conjugalis non violatur? & eam quæ ſic nobis evenit, à nobis uſurpandam eſſe tanquam probam & experimentum patientiæ ac conſtantiæ noſtræ in fide conjugali.

Dices: At continentiæ domum non habere dicitur is, de quo hic quæritur. Reſp. 1. Continentiam naturalibus Medicorum auxiliis quærere, aut precibus à Deo ambire ſatius eſſe, quam ad ſecundas nuptias provolare. 2. Continentiæ donum à Deo impetrari poſſe, quando pro neceſſario libidinis inordinatæ remedio petitur, & ſine eo peccatum adulterii evitari non poteſt. 3. Vero-ſimillimum eſſe continentiæ donum ſeriis precibus impetratum iri ab eo, qui religionis & conſcientiæ bonæ retinendæ cauſſa, carere cogitur incontinentiæ remedio à Deo conceſſo & ordinato. Denique tutius eſſe, per crebras vigilias, jejunia, famem, aliaque exercitamenta corpus ὑπωπιάζειν καὶ δουλαγωγεῖν, ad exemplum Pauli, 1 *Corinth.* IX. 27: & eorum qui ſe ipſos caſtraſſe dicuntur propter regnum cælorum, *Matth.* XIX. 12.

*Reſponſio ad objectionem ex 1 Corinth. VII. 15. de uxore infidelis maritum deſerente.*

Dices: Quorſum id, cum Apoſtolus ipſe 1 *ad Corinth.* VII. 15. concedat ſecundas nuptias, quando infidelis uxor non conſentit ad habitandum cum marito ſuo fideli, ſed ab eo diſcedit ſine animo revertendi, & vice verſa. Diſcedere enim à viro & renuere virum ſequi, unum idemque ſunt. *Si infidelis diſcedit, diſcedat*, inquit. *Non eſt ſervituti ſubjectus frater aut ſoror in iſtiuſmodi*, (caſibus ſcilicet) id eſt, liber tum eſt à lege conjugii iſta, ut ei de novis nuptiis cogitare liceat. Reſp. 1. Notandum eſt, Apoſtolum hoc conſilium dare ex ſenſu ſuo proprio, non ex præſcripto Domini Jeſu, uti ipſe fatetur *verſ.* 12: *Reliqui autem dico ego, non Dominus.* 2. Nego, conſilii iſtius Apoſtolici, quod verbis iſtis comprehenditur, *Si infidelis diſcedit, diſcedat. Non eſt ſervituti ſubjectus frater*, &c. ſententiam hanc eſſe, Quando infidelis diſcedit, id eſt, præfracte diſcedere vult, aut viro cohabitare omnino renuit, tum fidelem liberum eſſe à lege conjugis ſuæ, & novam uxorem ducere poſſe, propter ſolutum per iſtam diſceſſionem matrimonii vinculum: ſed hanc, tum diſcedere volentem non eſſe vi retinendam, aut reluctantem & invitam, per aſſiduas rixas, querimonias, & lites non eſſe compellendam ut maneat, & velit nolit cum marito cohabitare pergat, ſed ſibi & ſuo animo relinquendam. Neque enim ſervitutem iſtam ſervire maritum lex conjugii cogit, ut cohabitare ſemper neceſſe habeat cum invita, refractaria, moleſta, rixoſa & querula uxore; ac proinde ut eam prorſus diſcedere volentem domi ſuæ retinere, fugientem ſequi, & reluctantem compellere ad ſecum cohabitandum teneatur: quaſi dicat Apoſtolus, ſic ſuadeo, Si ſponte ſua manere nolit, ſi blanditiis, precibus aliiſque ſeriis ſimul ac ſuavibus alloquiis, monitiſque deliniri ac flecti nequeat, ad cohabitandum, ſine eam obſequi animo ſuo potius, quam ut ſeverius cum ea agas, & eam ad tecum cohabitandum vel minis, vel verberibus, vel vi, vel autoritate publica cogas.

Hanc verborum horum ſententiam ut eſſe credam, his rationibus adducor. Prima eſt: Quia diſerte ſtatim ſubjicit Apoſtolus hæc verba, *Sed ad pacem nos vocavit Deus.* Senſus enim horum verborum eſt; Nos Chriſtianos Deus vocavit & vocatione ſua dignatus eſt, ut pacem ubique colamus, & ubicunque ſumus, pacificum ac modeſtum animum noſtrum eſſe demonſtremus; adeo, ut, quando aliter fieri non poteſt, etiam de jure noſtro cedere parati ſimus, & cum incommodo noſtro (licet magno) redimere debeamus hanc gloriam, quod rixarum hoſtes & pacis amantes ſimus; ſi forte hac ratione animos alioquin à nobis alienos nobis conciliemus. quaſi dicat Apoſtolus: Id imprimis locum habere debet in hoc caſu, ſi contingat infidelem à fideli præfracte velle diſcedere, non obſtantibus omnibus idoneis ad eam divertendum remediis: prout apparet ex eo quod ſequitur, *Ecquid enim noſti uxor, an virum ſis ſervatura*; aut, *ecquid noſti vir, an uxorem ſis ſervaturus?* videlicet ſi pacifice & blande cum ea agas, & diſcedere omnino volentem, animo ſuo obſequi ſinas. Quæ ſane ratio nullius momenti eſſet, ſiquidem Apoſtolus utrique fideli novas nuptias permitteret. Poſt iſtas enim, nec vir fidelis uxorem ſuam, nec uxor fidelis virum

ſuum ſervare poſſet. Secunda eſt: Quia non eſt veroſimile Apoſtolum conſuluiſſe aliquid, quod Chriſti præcepto directè eſt contrarium, imo quod diſerte Apoſtolus paulo ante præceptum Domini Jeſu eſſe dixerat: *verſ.* 10. 11. Tertia: Quia an permiſſio iſta Apoſtoli non repugnaſſet legi publicæ inter gentiles obſervatæ, quæ divortia & repudia ejuſmodi vetabat, quæ cauſſam non haberent ſatis gravem, mihi incertum eſt.

Quod ſi tamen velimus Apoſtolum hoc in loco concedere viro fideli, ut ad ſecundas nuptias tranſeat, quando infidelis uxor cum eo cohabitare, id eſt, cum eo, honeſto vocabulo conſueſcere, aut in eadem domo vivere renuit, atque ideo præfractè ab eo vult ſeceſſionem & divortium facere, uti plerique, ſi non omnes interpretes volunt, adſerentes Chriſtum in præcepto ſuo, de caſu iſto non egiſſe; tum dico caſum iſtum, de quo in hac quæſtione agitur, à caſu iſto quem Apoſtolus aſſignat, plane diverſum eſſe; ac proinde à caſu Apoſtoli ad hunc caſum conſequentiam non procedere. Caſus enim Apoſtoli eſt, quando uxor vel vir infidelis eſt, id eſt, tota fide & Religione diſſidet à viro fideli, adeo ut à Religione viri ſui uxor toto animo abhorreat, & odio Religionis iſtius ſeceſſionem ab eo facere velit: Breviter, quando vir profeſſione Chriſtianus, uxor profeſſione gentilis eſt: nulla habita ratione ejus, an profeſſione ſua digne vivant nec ne. At vero in hac quæſtione agitur de viro & muliere profeſſione Chriſtianis & in fidem ſeu religionem eandem Jeſu Chriſti conſentientibus; ſed quod ad opiniones de Religione & cultum ſecundum illam inter ſe diſſentientibus. Agitur, inquies, de uxore idololatrica. Fateor; ſed & de uxore profeſſione Chriſtiana. Aliud autem eſt prorſus infidelis, aliud fidelis, licet cum errore, profitens, & idololatriam ſuam tanquam fidei non repugnantem exercens. Idololatria tamen, inquies, cum fide & Religione Jeſu Chriſti conſiſtere non poteſt, ergo idololatra & infidelis unum & idem ſunt. Reſp. 1. Aliud eſt reipſa non poſſe conſiſtere cum fide, aliud non poſſe opinione conſiſtere. 2. Aliud eſt non poſſe conſiſtere cum fide, aliud non poſſe conſiſtere cum profeſſione fidei. Apoſtolus agit de infideli, quæ opinione & profeſſione fidei Chriſtianæ hoſtis eſt. At talis non eſt uxor, de qua in hac quæſtione agitur, ſed contra, quæ opinione & profeſſione Chriſtiana eſt, ſed revera tamen idololatrica. Caſus ergo manifeſte diverſus eſt. Sic enim colligo: Si idcirco quia idololatria non poteſt conſiſtere cum fide in Chriſtum, idololatrica uxor pro infideli habenda eſt, aut eodem loco cenſenda, quo infidelis ab Apoſtolo hîc cenſetur; tum etiam eodem loco cenſenda eſt uxor ebrioſa, avara, immorigera, litigioſa, hæretica, falſaria, &c. quia iſta vitia non magis quam idololatria cum fide Chriſti conſiſtere poſſunt. Proinde ſi per uxorem infidelem diſcedere volentem Apoſtolus intellexit omnem ejuſmodi mulierem, quæ facit id quod cum fide Chriſti conſiſtere non poteſt, & quatenus id facit, & fideli viro fas eſſe adſerit ut ad novas nuptias tranſeat; dicendum neceſſario erit, Apoſtolum concedere omnibus fidelibus maritis novas nuptias, quando uxor ebrioſa, avara, &c. cum eo cohabitare non vult: quia etſi profeſſione fidelis eſt, reipſa tamen infidelis eſt. Quod cum abſurdum ſit, etiam alterum iſtud abſurdum videri debet.

## An omnis mors ſit pœna peccati.

### QUÆSTIO LIX.

*An omne genus mortis ſit pœna peccati, etiam mors naturalis & temporalis? Ratio dubitandi eſt. Quia mors dicitur in omnes homines per peccatum tranſiiſſe:* Rom. V. 12. *& ſtipendium peccati eſſe:* Rom. VI. 23. *Rurſus mors piorum dicitur eſſe tranſmigratio:* 2 ad Corinth. V. 8. *Apoſtolus etiam Paulus ſe adſpirare dicit ad mortem:* ad Philip. I. 23. *Verum ad pœnam adſpirare eum ut dicamus, parum veriſimile eſt. Itaque merito dubitatur, quomodo mors conſideranda ſit.*

### RESPONSIO.

DE morte æterna proprie dicta, quæ *Apocal.* XX. *mors ſecunda*, & pœna ſenſus æterni Theologis eſſe dicitur, hîc proprie non quæritur; ſed de morte naturali & temporali. An mors naturalis & temporalis unam eandemque mortem hîc ſignificent, incertum eſt. Nos utramque diverſimode conſideratam ſic diſtinguimus. Mors naturalis aut ſignificare poteſt improprie mortalitatem ſive potentiam moriendi, quæ homini, etiam in primo ſtatu innocentiæ, naturalis fuit; quatenus homo ex elementis contrariis qualitatibus præditis, compoſitus erat; & cibo ac potu, ſomno ac quiete, reſpiratione aliiſque opus habebat ad ſui ipſius in vita conſervationem; quin & arbore vitæ ad virium à calore humidum radicale ſemper depaſcente fractarum aut debilitatarum reſtaurationem; generatione etiam ad ſpeciei ſuæ conſervationem: quæ corruptionem ſemper adjunctam ſibi habet: *Luc.* XX. 36. juxta illud, unius generatio eſt corruptio alterius. quo ſenſu *factus* fuiſſe dicitur *primus homo in animam viventem*, 1 *ad Corinth.* XV. 45. *animalis* fuiſſe, *verſ.* 46. *è terra pulvereus*, *verſ.* 47. φυσικὸς ἄνθρωπος, imo, ὁ φθαρτὸς ἄνθρωπος, *verſ.* 55. Aut ſignificare poteſt neceſſitatem moriendi, quæ ex vi divinæ comminationis, per peccatum hominis naturalis quaſi facta fuit.

*Mors naturalis duobus modis dicitur.*

Primo modo accepta mors, eo ipſo, quia purè purè naturalis fuiſſet ex naturæ ipſius humanæ à Deo creatæ conditione, non potuiſſet dici pœna peccati, ſi Adam innocens in primo ſtatu mortuus fuiſſet: quamquam ſi innocens manſiſſet aut non peccaſſet Adam, eum nihilominus moriturum fuiſſe, nulla ſolida ratione adſtrui poſſe credimus. Veroſimillimum enim eſt, Adamum, licet natura mortalem, aut in vita hac beneficio arboris vitæ conſervandum fuiſſe; aut ex vita hac tandem à Deo non per mortem, ſed per mutationem, quæ diſertè ab Apoſtolo diſtinguitur à morte, 1 *ad Corinth.* XV. 51, in meliorem vitam transferendum fuiſſe. *Primo modo accepta non eſt pœna peccati.*

Secundo modo accepta mors, id eſt, moriendi neceſſitas, ea pœna proprie dicta fuit peccati, quod ad Adamum & Evam attinet: quia ea diſerte, ut pœna, divina comminatione iis facta continebatur: *Quacunque die comederitis ex arbore iſta, morte moriemini*; & ut pœna iis poſtquam peccarunt denuntiata fuit ex vi prægreſſæ comminationis, his verbis: *Pulvis eſtis, & in pulverem revertemini.* *Sed ſecundo eſt pœna.*

Hæc mors, temporalis vel temporaria mors etiam dici poteſt: quamquam mors ambigue temporalis dicitur; vel, quia in tempore homini accidit, & ad tempus tantum durat: vel, quia in tempore quidem accidit homini, ſed tamen ita durat, ut nunquam ſit finienda. Nos non iſto, ſed hoc ſenſu, mortem iſtam Adamo & Evæ ex vi comminationis divinæ debitam, temporalem dici poſſe credimus. Mors enim iſta aliud nihil erat, quam animæ à corpore diſſolutio, quæ pœna ſenſus eſt; & corporis quidem in pulverem redactio: Animæ verò à beata & glorioſa Dei viſione ſeparatio, quæ pœna damni dici ſolet. Hæc mors in tempore quidem eventura erat homini; ſed ſic tamen, ut nullo unquam tempore finienda fuiſſet, niſi gratiam homini Deus facere voluiſſet. Nec enim uſpiam in Scriptura legitur, Deum Adamo æterni ſenſus pœnam comminatum fuiſſe, nec, ut eam Deum Adamo comminatum eſſe credatur, ratio ſinit; quia alioquin executio comminationis factæ non tam fuiſſet iſta, *Pulvis es, & in pulverem reverteris*, quam potius hæc, Ex pulvere ego te in vitam ſuſcitabo, & in ignem æternum præcipitabo te vivum, ut nunquam non, id eſt in æternum ſentias manum meam ultricem. *Mors temporalis duobus modis dicitur.*

Sed vero hæc mors aut moriendi neceſſitas, quæ temporalis, iſto, quo diximus, ſenſu, vocari poteſt, duobus modis iterum venit conſideranda. Primùm, ut pœna proprie dicta, ſive ut malum pœnale peccatori deſtinatum & jure merito peccato debitum. Hoc modo conſiderata hæc mors, ad perſonas Adami & Evæ ſolas pertinet. Pœna enim, qua talis, peccantem non egreditur ex ratione juſtitiæ diſtributivæ, & ex natura relatorum. Pœna enim & culpa ad ſe invicem referuntur, hactenus, quod pœna nulla juſta eſſe poſſit ſine culpa, ac proinde in nullo pœna eſſe poſſit in quo culpa non ſit; quamvis culpa aliquando eſſe poſſit ſine pœna, & peccator ſine punitione, quando ſcilicet gratia & venia ei fit. Hinc ſunt illa pronunciata tum in Veteri, tum in Novo Teſtamento. In Veteri, *Deut.* XXIV. 16, *Non interficientur patres pro filiis, neque filii interficientur pro patribus, quiſque pro peccato ſuo morietur.* 2 *Reg.* XIV. 5. 6. *Ezech.* XVIII. 20. *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur. Filius non portabit iniquitatem patris ſui: neque pater portabit iniquitatem filii ſui. juſtitia juſti ſuper eum erit, & impietas impii ſuper eum erit.* In Novo Teſtamento: *Rom.* VI. 23: *ſtipendia*, vel, *ſtipendium peccati eſt mors.* 1 *ad Corinth.* XV. 56: *Mortis aculeus eſt peccatum.* Quamquam in hiſce locis agi videtur de morte æterna proprie dicta, & non tam de vi aut effectu peccati ſimpliciter, qua peccatum eſt, quam de vi aut effectu peccati, quod in peccandi conſuetudine poſitum eſt, qua fit, ut quis non obſtante luce naturæ & gratiæ Euangelicæ in ea perſeverare atque hærere velit, atque ita indignum ſe reddat gratia divina, & quæ ex gratia ſola habetur, æternæ vitæ ſpe & vita tandem ipſa æterna. Ut ut eſt: Mors dicitur pœna peccati quod quiſque in propria ſua perſona committit, uti in locis illis omnibus videre eſt, ubi omnes homines judicandi dicuntur ſecundum ſua quiſque opera, & ſecundum ea quæ in corpo- *Moriendi neceſſitas, ut eſt pœna, adſolum Adamum & Evam pertinet.*

corpore ſuo quiſque fecerint: *ad Rom.* II. 6. 7. 8. 9. 10. & XIV. 12: *Nempe ergo unuſquiſque noſtrûm de ſeipſo rationem reddet Deo.* 2 *ad Corinth.* V. 10. *ad Gal.* VI. 4. 5. *Apocal.* XX. 12. 13. 14, ubi diſerte mentio fit mortis ſecundæ, quæ in ſtagno ignis erit, in quod infernus ac mors (prima ſcilicet) conjiciendi ſunt.

*Expoſitio loci Rom. V. 12.*

Quare, locum, qui citatur ex *cap.* V. *ad Rom. verſ.* 12. in eandem etiam ſententiam interpretandum eſſe cenſeo; nempe, cum peccatum in mundum ingreſſum eſſe dicitur per unum hominem, & per peccatum mors; ut id non referatur, niſi ad perſonam Adami, (quæ & Evam complectitur.) Ab illa enim peccandi initium factum eſt in mundo hoc, & ſic peccatum in mundum ingreſſum eſt, id eſt, in mundo exiſtere cœpit: & per aut propter iſtud ejus peccatum, mors, id eſt, pœna mortis ſive potius reatus mortis in mundum ingreſſus eſt; quia Adamus per iſtud peccatum ſuum, primus reûm ſe mortis iſtius, quæ comminatione continebatur, facere cœpit. *In mundum* enim *ingredi*, aliud nihil eſt, quam exiſtere incipere, uti *Joan.* I. 9. & III. 19. & alibi videre eſt. Mors itaque hæc, ut pœna, perſonam Adami ſolam, quæ peccaverat, tenuit. Nec minus mors iſta, quæ deinde dicitur in omnes homines pertranſiiſſe ut pœna, homines peccantes, qua tales, tenuit, quia dicitur expreſſe ἐφ' ᾧ, *quatenus*, vel, *eo quod omnes peccaverant.* Sic enim phraſin ἐφ' ᾧ accipi poſſe apparet ex locis parallelis, *ad Roman.* VIII. 3. quamquam ibi eſt ἐν ᾧ. 2 *ad Corinth.* V. 4. ubi Complutenſis editio habet ἐφ' ᾧ. *ad Heb.* II. 13. ubi tamen in Græco eſt, ἐπ' ᾧ, quod ad confirmandum hanc interpretationem noſtram magis facit; quia ſi hoc loco legeretur, ἐν ᾧ. veriſimilior tum videri poſſet interpretatio eorum, qui voces illas ἐφ' ᾧ aut vocem ᾧ relativam eſſe volunt, ad vocem *hominis*, quæ antea poſita fuerat; imo accipi debere ſtructura ipſa verborum convincit, quia ſi dictio *in quo* tanquam relativum ad vocem *hominis* reſpiceret, omnino proxime nullaque oratione interjecta, illi adjuncta fuiſſet. Hoc autem modo poſita, quo eam poſitam videmus, ut ad vocem *Hominis* referatur, nullius linguæ uſus patitur. Per *omnes* autem *homines* hoc loco intelligi omnes in univerſum homines, abſurdum eſt. Diſerte enim *verſ.* 14 dicitur Mors *regnaſſe ab Adam uſque ad Moſem, in eos etiam, qui non peccaverant ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adam*, id eſt, non in infantes etiam, uti quidam volunt; (Infantium enim ratio haberi non ſolet cum de peccato agitur; nec de iis affirmari poteſt, quod mors in eos regnaverit, quatenus peccaverant. Infantes enim, quà tales, peccare impoſſibile eſt; nedum ut de iis affirmari poſſit, quod non peccaverint aut non peccent ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adam, quia infantibus lex, uti Adamo adulto, dari non potuit.) Sed in eos, qui intra tempus iſtud, quod fluxit inter Adamum & Moſen, ſine lege aliqua expreſſe à Deo lata vixerunt; non aliter quam Adamus vixerat, antequam ei lex de non edendo ex arbore ſcientiæ boni & mali à Deo ponebatur; ſub lege ſcilicet naturæ interim ſola conſtitutus, quæ ei cum cæteris iſtis, qui ex ipſo ad Moſem uſque deſcenderunt, communis fuit: ac proinde, qui peccaverant quidem contra naturæ legem, ſed non contra expreſſam aliquam aperteque à Deo latam & mortis comminatione ſancitam legem, uti Adamus peccaverat, & poſt Moſem ac Chriſtum peccaverunt omnes iſti, quibus Moſis Lex & Euangelium Chriſti, comminatione mortis ſancita, lata fuerunt. Id evincunt verba immediatè ſequentia, *Nam uſque ad legem peccatum erat in mundo:* Ergo, quatenus peccabatur, mors uſque ad legem in omnes tranſiit. At vero, *quia peccatum non imputatur*, id eſt, morte puniri non videtur debere, niſi lex mortis ut pœnæ comminatione ſancita exiſtat, hinc in omnes iſtos ſic quaſi exleges homines, mortem tranſiiſſe dicit Apoſtolus per unum iſtud Adami peccatum quaſi; ut ſic Adamus typus eſſet Jeſu Chriſti, per quem & propter quem Deus omnes etiam iſtos, qui ex ipſo renaſcituri eſſent per fidem & obedientiam, vita æterna donare conſtituerat, quamquam non eadem aut æque perfecta ratione uti Chriſtus, obedituri eſſent: prout manifeſtum eſt ex verbis ultimis *verſ.* 14. *Qui Adam eſt typus illius qui venturus erat*, id eſt Chriſti: quem typum deinde pluribus exponit Apoſtolus. Hactenus ergo de primo modo, quo mors temporalis conſideranda eſt, egimus.

*Eadem moriendi neceſſitas quatenus eſt malum naturale ad omnes homines pertinet.*

Secundò, Mors temporalis ſive moriendi neceſſitas, conſiderari poteſt, ut malum aliquod non pœnale, ſed naturale, ut ita dicam, quatenus videlicet omnes qui ex Adamo neceſſariæ mortis pœna adfecto naſcuntur, eidem illi malo ſubjacent ex conditione naturæ iſtius, quam ab eo naſcendo participant; perinde uti liberi, qui ex parentibus, lepra, aut elephantiaſi, à Deo punitis propter peccata ſua, naſcuntur, aut qui ex parentibus à Magiſtratu propter crimina ſua ſervituti mancipatis & per bonorum omnium confiſcationem paupertate punitis generantur, malis illis ſubjacent, non tanquam pœnalibus malis, quæ ipſos etiam ut pœnæ reos teneant, ſed tanquam naturalibus, quæ ex naturæ conditione ad ipſos etiam defluunt, non aliter quam defluerent ſi parentes inſontes prorſus, & nulla ſua culpa, ſervi aut paupere nati fuiſſent. Hoc ſenſu mors hæc, ſive moriendi neceſſitas, malum quidem eſt, & malum, quod ex occaſione peccati Adami, & mortis tanquam pœnæ Adamo propter peccatum inflictæ, ad poſteros ejus omnes, infantes etiam ac pios derivatur, juxta id quod dicitur 1 *ad Corinth.* XV. 21. 22: *Per hominem mors, per hominem reſurrectio mortuorum: Sicut enim omnes in Adam moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur*; ſed malum tamen quod in poſteris ejus pœnæ rationem non habet, non magis quam cæcitas pœnæ rationem habebat in cæco nato, *Joan. cap.* IX. 3: *Neque enim*, inquit Chriſtus, *iſte peccavit, neque parentes ejus*, ut videlicet cæcus naſceretur. Nihil autem obſtare, quominus malum hujuſmodi ad poſteros, licet innoxios & inculpatos, derivetur, id unum abunde arguit, quod Deus etiam malo hoc adficere potuiſſet omnes homines, ipſumque adeo Adamum, etiamſi nunquam peccaſſet. Neque enim tenebatur nec tenetur Deus hominem immortalem facere, aut in vita ſemper conſervare, non magis certe quam cætera animalia vita ac ſenſu prædita, omniſque prorſus peccati ac culpæ expertia, conſervare tenetur ut non moriantur. Mors tamen hæc ſive hæc moriendi neceſſitas, ſic non pervenit ad omnes homines, ut, *Vel* abſolute omnes mori neceſſe ſit. Certum enim eſt, Deum à morte immunem olim ex gratia præſtitiſſe Enochum, de quo Scriptor *ad Hebr.* XI *cap. verſ.* 5, diſertè aſſerit, quod *per fidem tranſlatus fuerit ne videret mortem*, & immunes à morte præſtituturum per Chriſtum omnes fideles, qui in extremo judicii die in vivis adhuc erunt: uti 1 *ad Corinth.* XV. 51. 52. & 1 *ad Theſſ.* IV. 15. 16. 17, videre eſt. *Vel* ſic non pervenit mors ad omnes, ut mors ſemper tanquam malum aliquid, eventura ſit hominibus omnibus. Etſi enim certum eſt, mortem eſſe ultimum hoſtem noſtrum, quem Chriſtus ultimo omnium debellaturus eſt, uti eſt, 1 *ad Corinth.* XV. 26. quia videlicet mors, qua mors, vitam deſtruit, animam à corpore diſſolvit, & corpus ipſum ſub ſervitute corruptionis detinet: *ad Rom.* VIII. 21. 22. 23. tamen certum eſt, mortem etiam in bonum commutari poſſe, & ſemper commutari à Deo, reſpectu piorum & fidelium, quatenus ea terminus eſt ac finis, non vitæ proprie, ſic enim malum eſt ſimpliciter, ſed laborum, moleſtiarum, morborum, miſeriarum, adflictionum, & triſtitiarum variarum, quæ piis in hac vita fere evenire atque accidere ſolent: ſic enim bonum aliquando eſt: Et hoc ſenſu mortem aliquando à piis exoptari, & à Paulo exoptatam eſſe, *ad Philipp.* I. 20, legimus: non tamen ſimpliciter, ſed quatenus eam certo conſecuturam glorioſam ex morte reſurrectionem, & redemtionem corporis ſui ex ſervitute corruptionis, perſuaſiſſimi erant. Nempe diſſolvi cupiebat Paulus, ut cum Chriſto eſſet, & τὸ ἀναλῦσαι καὶ σὺν Χριστῷ εἶναι πολλῷ μᾶλλον κρεῖσσον, *Rom.* VIII. 19. 20. 21. 22. 23. 24: id eſt, pii ac fideles Dei filii, qui *creatura* phraſi hebræa, id eſt nova creatura ſive regeniti à Deo dicuntur, expectant avidè filiorum Dei, id eſt, ſuam ipſorum revelationem; phraſi Hebræis uſitatiſſima, qua antecedens loco relativi ſolent ponere, ut *Geneſ.* I. 27. & 1 *Sam.* III. 35. & XV. 22. & 1 *Reg.* VIII. 1. & XII. 21. & 2 *Paral.* VII. 7. *Luc.* III. 19. & 2 *ad Theſſal.* III. 5. & 2 *ad Timoth.* I. 18, videre eſt. Mors enim etſi ſimpliciter conſiderata malum eſt; tamen ſic conſiderata, non niſi ſomnus brevis eſt, & requies à laboribus & miſeriis vitæ hujus, quibus obnoxii fere ſunt fideles, uti Apoſtolus ait 1 *ad Corinth.* XV. 19. & 2 *ad Timoth.* III. 12. & ſub quibus ἐν τῇ σαρκὶ ὑμῶν dicuntur, *ad Rom.* VIII. 22, *expectantes adoptionem*, id eſt manifeſtationem filiationis ſuæ, ut eſt 1 *Joann.* III. 2. quam Paulus *redemtionem corporis* eorum appellat 2 *verſ.* 23. nempe ex ſervitute corruptionis, (quæ in ſepulchro eſt) *in libertatem gloriæ filiorum Dei*, *verſ.* 21. ſive τὴν ἐλευθερίαν τῆς δόξης τῶν τέκνων τοῦ θεοῦ cui ſubjecti ſunt, non ſponte ſua, ſed propter eum, vel per eum, qui eos ita ſubditos eſſe voluit, *verſ.* 20. Vide quæ ſimiliter dicuntur 2 *ad Corinth.* V. 2. 4. Hinc *Apocal.* XIV. 13. *Beati mortui dicuntur, qui in Domino moriuntur. Etiam, dicit Spiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis, & opera eorum*, id eſt, merces operum eorum, *ſequuntur eos*, id eſt, ſequetur eos.

## De beatis à modo in Domino mortuis: ex *Apocal.* XIV. 13.

### QUÆSTIO LX.

*Quæstio desumta ex* Apocal. XIV. 13. *Tunc audivi vocem è cœlo dicentem mihi, Scribe,* Beati mortui qui in Domino moriuntur, *&c. An scilicet hæc verba,* Ab hoc tempore, *adjungi debeant verbo,* Scribe, *ita ut sensus sit, Scribe ab hoc tempore, Beati sunt mortui, &c. vel præcedentibus,* Tunc audivi vocem, *&c. ut indicetur differentia inter eos qui bestiam secuti sunt, eamque adorarunt, ac proinde æternum misere cruciabuntur igne ac sulphure, &c. & inter eos, qui Domino Jesu Christo ex toto corde morem gerentes, ejusque causâ mortem suscipientes, perpetuò beati erunt. Quod si hoc modo cum posterioribus verbis connecti debeant, quomodo itaque hæc verba,* Ab hoc tempore, *accipienda & intelligenda sint.*

### RESPONSIO.

VArii interpretes variè hæc verba connectunt. Quod ad quæstionem attinet, connexio duplex indicatur, una cum verbo *Scribe*, quod præcessit: altera cum sequentibus. Quæ connexio præferenda sit quæritur. Quod ad me attinet, prima non videtur quidem mihi impossibilis, sed tamen propter nimiam trajectionis asperitatem dura & minus concinna: secunda verosimilior ac propior est. Sed quis tum verborum istorum, *Ab hoc tempore*, sive potius vocis ἀπάρτι, sensus genuinus sit, non satis clarè ab interpretibus expositum videtur. Sensum enim ferè hunc adsignant: quod Spiritus, id est oraculum à divino Spiritu propositum, & voce ad Joannem Euangelistam sive Theologum in ὁπτασίαν seu visione delatum, hunc sensum continuerit, nempe simplicem tantum quandam affirmationem, isti difficili persecutionis tempori, ad animandos fideles ad constantem fidei professionem, aptam ac tantum non necessariam, de certa fideliter perseverantium salute, hunc in modum: A modo, vel, ab hoc tempore, id dicit Spiritus, id est, id affirmando significari aut inculcari vult omnibus, ne quis persecutionibus frangatur, aut animum propter adversa despondeat. At verò mihi amplius quid videtur indicari, & sensus plenior inesse: quia vox ἀπάρτι conjungitur cum voce ναὶ, in qua mihi ponenda videtur ἔμφασις: ita ut nuda affirmatio hîc non sit, sed vehemens assertio, quæ juramenti quadam specie firmata est, quasi legeretur: A modo Spiritus hoc dicit cum magna asseveratione, cum voce addita ναὶ, quæ mihi tantundem hîc valere videtur quod vox *Amen* alibi, & vox ἀμὴν, *certè, ad Hebr.* VI. 14. Hoc sensu particula ναὶ aliquando accipi videtur, non tantum in hoc Apocalypseως, libro *cap.* XVI. *vers.* 7. & *cap.* XXII. *vers.* 20. & *cap.* I. *vers.* 7. (quibus duobus locis postremis cum ἀμὴν conjungitur:) sed & alibi, ut *Luc. cap.* VII. 26. & *cap.* XI. 51. & *cap.* XII. 5. Etsi enim τὸ ναὶ pro simplice affirmatione usurpari dicatur, *Matth.* V. 37. & 2 *Corinth.* I. 17. *Jacob.* V. 12: tamen quandoque vehementiorem adseverationem videtur importare, imprimis quando in oratione cum verbo λέγω conjungitur, aut exaggerandæ rei alicui, orationi inseritur. Hac ratione vox ἀπάρτι conjuncta verbis sequentibus, ναὶ λέγει τὸ πνεῦμα, haud difficulter intelligitur; quia novam quandam & antea inusitatam sive insolitam adseverationem sive adsecurationem tum temporis è cælo factam fuisse arguit. Atque hic quidem sensus vero mihi similis videtur. Forte tamen vero adhuc propior sensus erit, si vox ἀπάρτι nec cum verbo, *Scribe*, nec cum sequentibus nectatur, sed cum verbo quod immediatè præcessit, sive cum participio ἀποθνήσκοντες, hunc in modum: Beati mortui, & qui mortui? qui jam ab hoc ipso tempore tot dura, tot adversa patiuntur, ut quotidie mori potius videantur quam vivere, aut, uti Paulus loquitur 2. *ad Corint.* IV. 10, ut quolibet mortificationem Domini Jesu in corpore suo circumferant, & semper, uti *vers.* 11. dicitur morti tradantur propter Jesum, morsque in iis jam quasi regnet, *vers.* 12. vide etiam *Rom.* VIII. 36. Vocem itaque τῶν νεκρῶν crediderim exponendam non per præteritum, qui mortui jam sunt, sed per id quod sequitur, οἱ ἀποθνήσκοντες quæ vox præsentis temporis est; quasi dixerit Spiritus: Solare illos qui jam veluti morti destinatæ victimæ sunt, & à modo quasi moriuntur, hoc dicto, *Beati sunt*, &c. Ratio speciosa pro hac expositione videtur peti posse ex verbo sequente futuri temporis, quia, ἵνα enim sic valet ἅστε, ἀναπαύσωνται *requiescent*, nempe cum mortui erunt & fideliter ad mortem usque ab hoc tempore perstiterint in fide ac professione Domini sui Jesu. Non dicit ἀναπαύονται vel ἀναπαύσει in præsenti, quemadmodum dicturus fuisse videtur, si per mortuos intellexisset eos, qui jam actu mortui erant, &, si velimus mortuos, quà mortuos, requiescere ab operibus suis: quod tamen video nunc negari à quibusdam, & mihi aliquando etiam durum dictu visum fuit; sed quod tamen cur piè credi non possit non satis jam perspicio, quia Scriptura pios defunctos dormire passim ait: Dormire autem est quiescere à laboribus. Utra harum duarum connexionum eligatur, sententia verborum, *Ab hoc tempore*, sive vocis ἀπάρτι, per se liquet.

*Nota:* Forte omnium tutissima est expositio si legatur vox ἀπαρτί cum accentu in ultima. Sic enim significat, plene, omnino.

## An illi qui doloribus gravissimis & incurabilibus torquetur, liceat se inedia conficere.

### QUÆSTIO LXI.

*Quæritur, An homo doloribus, non nisi miraculo (uti Medicorum filiis videtur) sanabilibus conflictatus, morbo suo alimentum denegare, & inediâ, vitæ sibi ipsi molestissimæ, aliis vero longe gravissimæ, finem tandem absque scelere aut æternæ suæ salutis detrimento, imponere possit?*

### RESPONSIO.

QUæstio hæc dupliciter accipi potest: Primùm de eo, qui cum doloribus, gravibus illis quidem & intensis, attamen non gravissimis, nec ita continuis, quin aliqua nonnunquam lucida aut leviora intervalla intercurrant, conflictatur, sine ulla spe veri levaminis, solatii, aut remedii, id est cum doloribus, qui judicantur à Medicis non nisi miraculo sanabiles: ac proinde, qui volens, prudens, consilio deliberatè inito, ex doloris impatientia & sanitatis desperatione, finem vitæ suæ imponit per voluntariam inediam, & ab omni alimento pertinacem abstinentiam. Secundo, de eo, qui cum doloribus intensissimis iisque continuis & insanabilibus dum luctari incessanter cogitur, nimia dolorum vehementia perturbatus, & totus fere extra se raptus, inedia se conficit, atque ita vitæ suæ filum incidit aut abrumpit.

Quod ad hunc attinet, ego de eo malim bene sperare, si cætera pius sit, quàm tristius aliquid statuere. Nullum enim hîc scelus apparet, imo ne sceleris quidem vestigium; quia id quod facit, non provenit ex doloris impatientia, aut sanitatis desperatione, sed ex nimia doloris vehementia, qua fit ut mens homini sua eripiatur, & recta ratio ita obnubiletur, ut in consilium adhiberi nequeat. Non enim idcirco inediâ se conficit, quia dolores tantos ferre non vult; sed quia dolores istos ferre non valet, inedia se conficere cogitur, aut inediam mente quasi mota & alienata præoptat & præfert. Præsuppono hic, dolores homini evenire posse tam acriter lancinantes, tam continuos, ut homo sui compos non maneat, rationisque rectæ exercendæ & consilii capiendi plane fiat impos.

*Nunquam licere Christiano, ob quantoscunque dolores se inedia interimere.*

Quod ad istum attinet, ejus alia ratio est: Hîc enim deliberatio & voluntas locum habent, & utrijusque causa est, tum doloris, etsi non intolerabilis, impatientia, tum sanitatis desperatio, ex Medicorum sententia. Quin ab hoc graviter & non sine salutis periculo peccetur, dubium videri non debet. 1. quia impatientia dolorum, adflictionum & malorum sensibilium, est peccatum oppositum virtuti patientiæ, quæ Christianis omnibus passim serio præscribitur & commendatur, adeo ut Paulus eos velit esse *roboratos omni robore, secundum gloriosum robur Dei, ad omnem ὑπομονὴν tolerantiam & μακροθυμίαν*, id est *animi lenitatem* seu potius longam patientiam & æquanimitatem cum gaudio: *Coloss.* I. *vers.* 11. vide etiam 1. *ad Corinth.* XVI. 13. *Heb.* XII. 5. 6. 7. 8, &c. *Jacob.* V. 2. & 1. *Pet.* II. 19. 20. & IV. 12. *Jacob.* V. 11. & *cap.* I. *vers.* 4. patientiam Christianorum vult habere *opus perfectum*, id est, non vitiatum, non fractum murmure, querelis, tædiis, sed stabile, constans, & fiducia in Deum roboratum ad finem usque. Patientiæ enim est ferre, at patientiæ perfectum opus est, perferre & non deficere animo, quin & obfirmare animum contra dolores, (quamdiu mens aut ratio constat) per fidem & spem multo maximorum & æternorum bonorum, quæ post eos fortiter ac constanter toleratos subsecutura sunt: *Rom.* II. 7. & V. 3. 4. 5. & 1. *Pet.* I. 7. *Heb.* X. 36. 37.

36. 37. 38. 39. *Jacob.* I. 12. Hanc fidem & ſpem animo ſuo retinere non poſſunt ii, qui impatientiæ ſe dant, & doloribus ita cedunt, ut quovis modo ab iis liberari, ſummam voti ac ſolatii ſui faciant; malintque in ſe ipſos ſævire, quam per eorundem tolerantiam, gloriam atque immortalitatem quærere, non facturi id, ſi firmiter crederent, via patientiæ ſe graſſari ad præmia æterna, & per brevium dolorum impatientiam, ſe fructu tantorum bonorum privari poſſe aut privatum iri. 2. Quia factum ipſum conſulto inſtitutum, eſt injuſtum, tum in ordine ad ipſum hominem, tum in ordine ad Deum. Primò, in ordine ad ipſum hominem: quia dominium ſibi ſumit in ſe ipſum, imo tyrannidem uſurpat in animam ſuam. Atqui nemo dominus eſt vitæ ſuæ. Vita enim mancipio nulli datur, omnibus uſu. Nemo enim noſtrum ſibi ipſi vivit, nemo ſibi moritur. *Nam ſive vivimus, Domino vivimus; ſive morimur, Domino morimur. Sive igitur vivamus ſive moriamur, Domini ſumus;* *Rom.* XIV. 7. 8. Nemo unquam ſuam ipſius carnem odio habuit, (id eſt, jure merito habet aut habere ſolet vel debet,) ſed enutrit ac fovet eam. Inediâ ergo ſive ἀφιδίᾳ, pertinace, carnem ſuam excarnificare, crudelitatis & tyrannidis eſt. Dices: At per inediam quæritur finis doloris iſtius, quo caro proprie excarnificatur. Reſp. Eſto. At inedia iſta voluntaria eſt, per quam dolori remedium quæritur, cum carnis interitu & maximo damno, adeoque παραλογίᾳ. Hoc autem eſt proprie odiſſe carnem ſuam. Dolor eſt involuntarius. Eum conſtanter ferre, eſt carnem amare ne tota pereat, gaudiique omnis omnino fiat incapax, ſaltem cum ea tantiſper conjunctum velle ſpiritum ſive animam, quamdiu poteſt. Dices: At dolorem inſanabilem eſſe ſupponitur. Reſp. A quibus? A Medicis, experientia longa & multa edoctis, inquies. Atqui, inquam ego, falli poſſunt Medici, quia in cauſſa doloris error eſſe poteſt. Similitudo effectuum & ſymptomatum non ſemper eandem cauſſam arguit. Natura ſæpe κατὰ μηχανὴν corrigit & ſuperat, quod ars non poteſt, imo quod ſæpenumero ars exaſperat magis quam lenit aut tollit. Non raro etiam lenibus ac levibus remediis cedunt dolores, alioquin obſtinatiſſimi, & iis inopinato levantur ægri, contra ipſorum Medicorum opinionem ac præter eorum ſpem. Et ut ut non fallantur Medici, precibus ſeriis aliquando à Deo obtineri poteſt, quod à natura aut arte non ſperatur. Sub ſpe ergo contra ſpem ſatius eſt carnem fovere, quàm eam protinus peſſum dare & in nihilum redigere. Denique, ut ut etiam non placeat Deo, licet ſeriis precibus invocato, remedium dare doloribus, noſtrum tamen non eſt, iis finem quærere per injuſtam in nos ipſos tyrannidem; ſed cogitare ſemper, ſufficere nobis debere id, quod Apoſtolo Paulo ſufficere volebat Dominus Jeſus, quando ille ſurculum σκόλοψ infixum carni ſuæ ſibi datum eſſe ſentiebat, & Angelum Satanam, à quo colaphis, id eſt, doloribus magnis cædebatur, jamque ter, id eſt, ſæpius, Dominum Jeſum rogaverat ut ab eo liberari poſſet: nempe gratiam Domini Jeſu: *Sufficit*, inquiebat, *tibi gratia mea:* uti videre eſt 2. *ad Corinth.* XII. 7. 8. 9. Imprimis vero exemplum Domini noſtri Jeſu ſufficere debet nobis, in quem, cum dolores & anxietates omnes veluti ἄθροι & confertim decidiſſent, adeo ut dicatur cœpiſſe λυπεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν, περίλυπος habuiſſe animam ἕως θανάτου, *Matth.* XXVI. 37. 38. ἐκθαμβεῖσθαι habet Marcus, *cap.* XIV. 33. ἐν ἀγωνίᾳ fuiſſe Lucas *cap.* XXII. 44. adeo ut ſudor ejus fieret, (quod agonizantibus ſolet) quaſi grumi ſanguinis deſcendentes in terram; ille tanto intenſius ἐκτενέστερον oraſſe dicitur, & quidem hunc in modum, *Pater mi, ſi poſſibile eſt, abeat à me poculum iſtud: veruntamen non ut ego volo, ſed ut tu* (vis) *Matth.* XXVI. 39. & deinde, *Pater mi, ſi non poteſt hoc poculum abire à me quin bibam ipſum, fiat voluntas tua. verſ.* 42. Hæc patientia eſt virtus eorum, qui cum ſui juris non ſint, etiam non ex ſuo, ſed alterius, cui ſubditi ſunt, arbitrio vivere & mori parati ſunt. Secundo, factum etiam eſt injuſtum in ordine ad Deum, quia ſua ſponte ſe ſubducit Dei ordinationi, qua eum in ſtatione iſta dolorum collocavit, ut in ea perſtet ac permaneat, uſque dum ipſe eum inde emittat aut exire faciat. Nempe, Neſas eſt militi præſidium, cui impoſitus eſt, injuſſu Imperatoris deſerere: &, ut recte ait Lactantius, ſicut in hanc vitam non ſponte venimus, ita rurſus ex hoc domicilio corporis, quod tuendum nobis adſignatum eſt, ejuſdem juſſu recedendum eſt, qui nos in hoc corpus induxit, tamdiu habitaturos donec jubeat emitti.

*Lib. Inſtit. III. cap. XVIII.*

Hæc aliaque plura quæ adferri poſſent, & apud alios autores videre eſt, ſufficiunt, ut credamus eos, qui ad hanc, ſi non ἀνθρωπίνως, attamen σωφρονίως deveniunt, ex doloris impatientia & ſanitatis deſperatione, graviſſime peccare, & non ſine ſalutis ſuæ periculo ἐξαγωγὴν ex hac vita quærere. Addo tamen, non audere me aſſerere, omnes eos, qui eo deveniunt, ſiquidem per totam vitam ſuam ſcelerum puri, vitæque integri fuerint, eapropter certiſſimum ſalutis ſuæ damnum incurrere, ſive æternum damnatos eſſe. Scio quanta ſit doloris ingentis & pertinacis, quique non niſi miraculo ſanabilis eſſe creditur, vis: quantum poſſit deſperatio remediorum, & diuturnioris vitæ in doloribus continuis tranſigendæ metus ac tædium: adeo ut pene in eam ſententiam deveniam, ut credam, eos, qui ἐξαγωγὴν ex doloribus iſtis, imprimis per moleſtiſſimam inediam quærunt, etſi deliberato conſilio id facere videantur, vix tamen ſui compotes eſſe, & mentem adeo habere obnubilatam, ut præcipitare potius propoſitum quam cum ratione ſpiritum deponere velle videri debeant. Quare quid de iis ſtatuturus ſit ſupremus rerum arbiter Deus, ego profiteri malo me ignorare, quam fidenter aſſerere. Obnixè ſemper orandus eſt Deus, ne nos in tantam tentationem inducat. *Fidelis enim eſt Deus, qui nos* (ſi modo pii ſumus) *tentari non ſinet ſupra id quod poſſumus, ſed una cum tentatione præſtabit etiam exitum, ut nos eam poſſimus perferre:* 1 *ad Corinth.* X. 13.

## De æternitate pœnarum inferni.

### QUÆSTIO LXII.

*Ad meritum requiritur proportio inter opus & illud quod operi redditur. Quare mala noſtra opera, ſiquidem æternæ damnationis meritoria ſunt, etiam ei proportionata eſſe debent. Quomodo verò finitum infinito, hoc eſt contumacia cito prætereuntes cruciatibus æternis æqualis eſſe oſtendetur? Atque hoc quidem certum eſt opera noſtra mala in ſe finita eſſe, quia à cauſa finita proficiſcuntur. Reſponderi vulgo ſolet peccata ratione objecti infinita eſſe, quia videlicet adverſus æternam Dei Majeſtatem committuntur: item, quatenus ea, licet actu finita, efficacia tamen & virtute infinitum durant: quam quidem durationem actu ipſo haberent, niſi Deus curſum eorum unà cum vita hominis abrumperet. Verum hæ reſponſiones, ſi propius examinentur, non videntur quæſtioni propoſitæ in ſolidum ſatisfacere. Nam quod ad primam attinet, ſiquidem illa ratio valet, quidni eodem planè argumento concludere mihi liceat, ipſa etiam opera bona infinita eſſe? Imò verò hac ratione utraque tam bona quam mala opera non tantùm duratione ſed etiam eſſentia infinita erunt, quia Deus utroque modo infinitus eſt: cujus abſurditas ex terminis apparet. Præterea ſi ſingula peccata infinita ſunt, quomodo ſatisfiet juſtitiæ Dei? Etenim ponamus aliquem commiſiſſe furtum, homicidium, & adulterium, eumque à Deo propter furtum æterna morte punitum iri; quomodo deinde pro homicidio & adulterio ei ſatisfiet, cùm furtum jam omnem pœnarum infinitatem ex juſtitia ſibi vendicet? Abſurdum verò eſt majora creaturæ delicta ſtatuere, quam creatoris in puniendo potentiam. Denique cum infinitas illa quam actiones ab objecto accipiunt, extrinſeca tantùm ſit denominatio, quomodo quæſo hæc naturali reique ipſi inſitæ qualitati examuſim adæquari poteſt? Neque etiam altera illa reſponſio nodum ſolvit. Nam cùm actus id ipſum quod conſtent, mutentur, ſuſpendantur, ex voluntate habeant, ex ea quoque de actuum conſtantia, mutabilitate, &c. judicium fieri convenit. At verò voluntas natura ſua ſemper mutabilis eſt, indifferens ad utrumque oppoſitum: quæ indifferentia ab ipſa tolli non poteſt niſi ipſa etiam voluntas tollatur. Neque eſt quod quiſquam putet ab habitu hoc effici, ut potentia alias libera immobiliter in ſtatu uno conſiſtat. Etſi enim poſſit ille quidem potentiam ad hoc magis determinare quam ad illud, ſimpliciter tamen determinare ad unum non poteſt, uti notum eſt. Quamdiu ergo opera noſtra mala, qualiacumque illa tandem ſint, actu ipſo in infinitum non prorogantur, tamdiu etiam incerta manet de futuro ſtatu affirmatio, &c.*

### RESPONSIO.

REſpondeo: Quod ad fundamentum quæſtioni præmiſſum attinet, illud extra dubium ponendum eſt, uti author quæſtionis etiam poſuit: nempe ad meritum, videlicet propriè & ſtrictè dictum, requiri inter cætera hoc etiam

iam, ut proportio sit inter opus, & illud quod operi redditur. At eo posito, considerandum venit, qua ratione operibus malis infinita pœna adsignari justè possit, cum inter ea & pœnam proportio nulla concipi possit. Nam, 1. opus malum, sive contumacia, actus est cito præteriens, uti quæsitor dicit, ac proinde finitus duratione. 2. actus à caussa finita proficiscens, itaque finitus etiam intensione. Cui addi potest duplex hæc ratio. Primò, quod peccatum aliud alio gravius sit, & malitia intra eandem speciem, alia major, alia minor. Datur enim inæqualitas peccatorum, non tantum ex objecti ratione, sed etiam ex malitia aversionis seu contemtus. Secundò, quia voluptas quam peccator ex peccato percipit, brevis est, & sæpe momentanea fermè, cui dolor æternus & infinitus proportionari nequit. Ut ad hanc quæstionem rectè responderi possit, notandum est, variare hodie & variasse olim etiam atque antiquitus Doctorum judicia. Fuerunt qui crediderunt hodieque sunt qui credunt, pœnam propriè dictam peccatis aliam quam finitam constitutam à Deo non esse, & quidem pœnam quam appellant damni, quæ consistit in carentia visionis beatificæ, sive exclusione à regno cælorum: æternum quidem durante, sed tamen quæ proprie æterna punitio dici nequeat. Et hi quidem eos qui peccant, & moriuntur, per mortem annihilari statim existimant. Et licet peccantibus, in vita, mala & aliquando pœnas quasdam sensus infligi dicant, ratione peccatorum quorundam, eas tamen nec semper, nec necessario, nec proprie peccatis constitutas dicunt, sed arbitrarias esse statuunt, quas Deus pro sapientia sua, certos ob fines aliquando infligit, pro jure suo & peccati merito. Alii præter pœnam damni, pœnam etiam sensus constitutam dicunt peccatis, ut appellari solent distinctionis gratiâ, mortalibus; quæ peccatori vel in vita sua eveniat, idque vel ex natura actionis illius quæ peccatum est, quam certam quandam pœnam pòst se trahere affirmant, quæ miseram vel brevem efficiat vitam hominis; vel à Deo judice insuper infligatur, & peccatis singulis proportionata sit, & morte tandem ipsa finiatur: vel, ut alii, post mortem demum infligetur à Deo, cum in resurrectione justorum simul & injustorum singuli pro ratione peccatorum ab igne infernali adfligentur, pœna tali quæ proportionata erit delictis ipsis secundum tempus & qualitatem: Post quam pœnam alii liberandos eos & vitæ restituendos existimasse dicuntur, ut Origenes, Hieronymus, &c. alii mortem æternam secuturam statuerunt. Et hi quidem omnes ita judicasse videntur ex eo, quod infinitatem in peccato nullam possent concipere aut imaginari. Verum fuerunt qui proprius considerantes ea quæ in Scripturis dicuntur, cum non tantùm exclusionis à regno cœlorum sed & infernalis etiam ignis cruciatusque perpetui mentionem faciunt, in peccato infinitatem pœnis istis proportionatam quæsiverunt. Unde factum est ut alii peccatum infinitum esse judicaverint ex objecto, quia offensio est illius qui simpliciter infinitus est, &, quantum est in se, destruit Deum, constituendo alium ultimum finem extra Deum. Sed hæc ratio infinitatis rectè reprobatur in quæstione proposita, & juxta eam (ut hoc addamus) peccata omnia æqualia essent, neque proprie essent trangressio legis divinæ, sed essentiæ divinæ violatio: quod absurdum est. Alii infinitum judicaverunt ex eo, quod peccati natura ea sit, ut is qui mortaliter peccavit seipsum suis viribus ab illo malo liberare nequeat, etiamsi in perpetuum viveret. Istorum sententia solide satis refutatur in quæstione propositâ. Alii infinitum judicant ex eo, quod Deus præsciverit eum quem æternum punit æternum etiam peccaturum fuisse, & in impœnitentia sive æterna contumacia perseveraturum, sine fine & termino. Horum sententia nec proponitur nec refutatur in quæstione hac. Sed ut ut verum omne statuatur hoc quod ultima sententiâ continetur, manet tamen semper quæstio de pœna sensus, an ea infinita sit: Et, si infinita, quomodo proportionata illa dici possit peccato.

Ut sententiam nostram dicamus pro hoc tempore, sex sequentibus conclusionibus illam includemus.

I. Pœnam post hanc vitam impiis ac sceleratis inflictum iri, ratio divinæ justitiæ dictat: 2 *Thess.* I. 6. unde impios etiam post mortem judicio sistendos esse evincitur, Scriptura suffragante passim: *Matth.* XXV. 41. *Act.* XXIV. 14. *Joann.* V. 28. 29. & 2 *ad Corinth.* V. 10.

II. Pœnam istam, delictorum ac scelerum quantitati ac qualitati proportionatam fore, justitiæ divinæ ratio etiam postulat. Scelerum autem quantitas ac qualitas ut ex quantitate & qualitate gratiæ collatæ æstimetur, eadem justitia flagitat, & ratio justitiæ per se liquet.

III. Pœnam istam æternam fore Scriptura dictat in terminis: *Matth.* XXV. *vers. ult.* 2 *Thess.* I. *vers.* 9. & *Apocal.* XIV. 11. Nec justitiæ ratio obstat quod attinet ad pœnam damni sive annihilationis. Hoc per se liquet. Quod ad pœnam sensus attinet, dico:

IV. Eam non repugnare justitiæ, si constituatur in nuda ac sensibili privatione perpetua æterni istius boni quod præfracte respuerunt vitæ æternæ contemtores, conjuncta cum æterna istius potiundi desperatione, absque ullo alio dolore qui ei conjunctus sit. Si dicas Scripturam insuper dolorem intentissimum ex æterni ignis ustione adjungere, tum dico:

V. Dolorem intensissimum non posse nec debere aliter accipi, quam quatenus ille commensuratus est delictorum gravitati. Alius enim alio intensior ut sit necesse est, quia peccata non sunt paria. Si dicas, æternum dolorem commensurari non posse delictis temporariis, tum dico:

VI. Dolorem ex ustione ignis æternum dici posse tripliciter: 1. quatenus ignis ille intensissimè semper uret & ustio ista cum intensissimo dolore conjuncta erit. 2. quatenus ignis ille uret & dolorem gignet usque dum consumtus erit: quo sensu *ignis æternus* dicitur, quo conflagravit Sodoma ac Gomorrha, *Judæ vers.* 7. & passim in Prophetis ignis inextinguibilis dicitur qui urit quamdiu potest, & ustilem aliquam materiam habet. 3. quatenus igne illo exstincto, conscientia sceleris ac flagitiorum uret delinquentes, & æterna desperatio gaudii subsequetur.

Quomodo autem Deus pœnam hanc sensus sive dolorem hunc æternum inflicturus sit, ipsi relinquendum est. Sufficit enim si dicamus Deum justissimum ac sapientissimum judicem neminem puniturum præter aut supra meritum. In adsignando modo æternitatis fruatur suo quisque judicio.

## De sessione super duodecim thronos Apostolis promissa. *Matth.* XIX. 28.

### QUÆSTIO LXIII.

*Quæritur, Quidnam peculiare Christus promittat Apostolis suis præ reliquis fidelibus, quando dicit eis,* Sedebitis & vos super duodecim thronos, judicantes duodecim tribus Israel: Matth. XIX. 28: *Si enim hac judicandi ratio sita erit, vel in approbatione latæ sententiæ, vel in condemnatione per proprium Apostolorum fidei exemplum, vel quod in judicio quasi adsessores Christo futuri sunt; tum nulla hic prærogativa Apostolorum, supra alios credentes apparet. Eadem enim & de credentibus omnibus dici possunt, uti ex* 1 ad Corinth. VI. 2. 3. *apparet; cùm tamen Christus hoc illis tanquam præmium abdicatarum facultatum polliceatur.*

### RESPONSIO.

Resp. 1. Nihil vetat dicere, Christum hoc in loco præmittere Apostolis suis peculiare aliquid supra credentes alios omnes, quatenus ii considerantur ut primi Religionis Christianæ fundatores, qui Christo Domino suo ante alios omnes ultroneam & fidelem operam navarunt, relictis simulatque ab eo vocabantur omnibus suis facultatibus, eique constantes adhæserunt, & quidem in media infidelium Judæorum turba, non obstantibus omnibus, quæ Domino suo accidebant, quæque sibi eventura audiebant, adversis, periculis & incommodis. Nec enim dubitandum est, quin gradus aliqui præmiorum, uti & pœnarum, in futuro seculo futuri sint, pro ratione cujusque sive gravioris sive diuturnioris obedientiæ aut inobedientiæ: non quod ratio justitiæ divinæ distributivæ, imprimis in ordine ad præmium, (de pœnis jam non agimus) id præcisè postulet. Præmium enim æternæ fælicitatis ac gloriæ, omnem obedientiam, sive, ut ita loquar, omnit licet gravissimæ ac maximæ diuturnæ obedientiæ meritum, longe excedit. Sed quod Deus ipse id significet, quando fidem, obedientiam, patientiam, constantiam quorundam ad mortem usque supra alios ita commendat, ut eos eo nomine longe sibi gratiores esse asserat. Amoris autem istius excellentiam non demonstret præmii datione, ac ne demonstrare quidem possit in hac vita; Inde enim efficitur, Deum in futura vita istam demonstraturum esse, per præmii dignioris & excellentioris, sive potius per gradus in præmio excellentioris distributionem.

Sed

Sed vero uti nihil est quod vetat hæc verba Christi in hanc sententiam accipere: (Nam locus *1 ad Corinth.* VI: 2. 3. cui addi possunt alii loci, *Apocal.* II. 26. 27. & III. 21. sic exponi possunt, ut salva semper sit Apostolorum prærogativa,) ita nihil est quod cogit ea sic accipere. Nam, 1. In verbis istis non dicitur Apostolos XII privilegium istud sessionis & judicii in XII thronis, habituros supra credentes cæteros, sed supra aut potius super XII tribus Israelis. Per *duodecim* autem *tribus Israelis* intelligo Judæos omnes quaquaversum dispersos ad quos docendos illi mittendi erant: eo fine ut si ii se submittere eorum doctrinæ ac disciplinæ renuerent, non aliter quam judices sententiam condemnationis contra eos pronunciarent, quam Jesus Dominus eorum ratam habiturus, & in extremo judicii die tanquam à juratis suis judicibus meritò jure pronunciatam, exsecutioni mandarurus esset. Sedere itaque Apostolorum super thronis duodecim, ad judicandum XII tribus Israelis, non est privilegium aut prærogativa eorum supra credentes ex tribus illis, uti quidam volunt; qui prærogativam illam in eo ponunt, quod Apostoli sedentes judicaturi sint, non stantes, uti cæteri. quamquam si hoc admittatur, nullum incommodum inde consequatur: sed super credere nolentes & in infidelitate ac rebellione contra Messiam suum ad finem usque vitæ suæ perseverantes. *Judicare* autem hîc propriè aliud nihil est, quia cum sessione in thronis conjungitur, quam judicium quod Apostoli nomine Jesu Christi Domini sui pronunciarunt super incredulos, exsecutioni mandare, quod ipsum Apostolis tribuitur idcirco, quia exsecutio ista fiet secundum judicium eorum, non aliter quam si id ipsi tum pronunciarent denuo, atque exsecutioni mandarent: quamquam judex non tam exsequitur latam sententiam, quam exsequi mandat. Ad summum itaque quod hîc tribuitur Apostolis, non nisi ad Judæos dispersos referri potest; quippe ad quos præcipue XII Apostoli missi fuerunt; uti apparet ex eo, quod Paulus ipse Petro, (sub Petro autem comprehendit cæteros undecim Apostolos) Euangelium circumcisionis concreditum fuisse ait: sibi autem à Petro cæterisque Apostolis contradistinctè, Euangelium præputii: *ad Gal.* II. 7. unde efficitur, de Paulo cæterisque ejus adjutoribus dici posse, quod in thronis super Gentiles sessuri sint, eosque judicaturi, eadem ratione qua XII Apostoli sessuri dicuntur super XII thronis judicantes XII tribus Israelis; & pari, si non majori, jure; quia, ut ipse ait, *1 ad Corinth.* XV. 10, *amplius, quam isti omnes Apostoli, laborabit*: Quamquam certum est, sensum verborum istorum Christi, *vos sedebitis super* XII *thronis*, non esse, vos soli eritis ad quorum judicium Judæi judicandi sunt; uti Paulus & Pauli adjutores soli ii erunt, ad quorum judicium gentiles indicabuntur, id est, damnabuntur: (Etsi enim Petrus, Apostolus circumcisionis vocatur, nihilominus tamen etiam ad Gentiles missus fuit, imo primus omnium Petrus ad eos missus est. Sic etsi Paulus se Apostolum præputii, id est, gentilium vocat, nihilominus tamen etiam ad Judæos missus fuit: & per duodecim tribus Israelis, ex quibus decem in Assyriam abductæ cum gentibus paulatim coaluerunt, populos omnes, tum Judæos, tum Gentiles, intelligi non raro in Scripturis alibi demonstravimus.) sed, judicium vestrum quod pronunciastis nomini meo, ratum habebitur, non aliter quam si vos ipsi instar judicum supremorum in throno sedentium, aut pro tribunali jus dicentium, sententiam ferretis & judicium pronunciaretis, quod exsecutioni statim mandandum erit: eodem sensu quo Moses dicitur accusaturus vel judicaturus Judæos incredulos: *Joan.* V. 45. Confirmat hanc expositionem ratio secunda quæ in quæstione allegatur: Quia idem, quod hic tribuitur Apostolis, alibi tribuitur sanctis & fidelibus omnibus; si non iisdem verbis, saltem eodem sensu, ut *1 ad Cor.* VI. ubi sancti dicuntur *mundum judicaturi*, *vers.* 2. *sessuri in throno Christi Apoc.* III. 21. cum *potestate ingentes*, quas *virga ferrea recturi* dicuntur, & *tanquam vasa fictilia contrituri*, *Apocal.* II. 26. 27. Quare sensus Christi alius nullus est, quam, Apostolos isto honore adfectum iri, ut juxta eorum sententiam, incredulos sint damnandi: non aliter quam si ipsi pro tribunali sedentes sententiam damnationis in eos pronunciarent; si vox *judicandi* proprie accipiatur: vel, si vox *judicandi* pro regere ac triumphare accipiatur, uti quidam volunt, Apostolos veluti victores triumphatoresque sessuros cum Christo in thronis æternæ gloriæ, omnesque eos, qui ipsis rebellarunt, eorumque Euangelium admittere recusarunt, veluti victos subjugatosque, & æternæ mortis damnates, visuros esse.

Caussa autem quæ Christum impulit ut hac metaphorica aut allegorica oratione uti voluerit, hæc mihi esse videtur; quia Christus sciebat Apostolos suos rudes adhuc & ignaros esse regni cælestis sui, cujus eos participes facere volebat, nihilque aut sperare aut spirare aliud, quam regnum terrenum, quale Messiæ promissum putabant ac credebant, communi cum cæteris omnibus Judæis errore. Itaque ut captui aut affectui isti rudi aliquatenus se accommodaret, universam istam cœlestem gloriam ac beatitatem, quam iis daturus erat, exprimere voluit, prophetarum omnium more, verbis ac rebus glorioſissimis, quæ in terreno regno esse possunt; ejusmodi sunt, sedere in thronis, judicare, regere & imperare omnibus veluti subditis, &c.

## An pii se mutuo in statu gloriæ agnituri sint.

## QUÆSTIO LXIV.

*Si pii in statu gloriæ se mutuò sint agnituri, (uti verosimile sit ex eo, quod beatorum anima perfectâ rerum omnium notitiâ collustratæ erunt. Unde fortè etiam* ad Heb. XII. 23. πνεύματα δικαίων τετελειωμένων *nuncupantur. Aut si quæ alia clariora loca in eam sententiam extent.) ac proinde ex mutuâ illâ agnitione impensiùs quoque sint gavisuri; quæritur, An non ex contrariorum natura sequi videatur, ut vicißim quorundam absentium desiderium eos aliquomodo torturum sit, atque συμπάθειαν aliquam in iis excitaturum? Etenim (quæ quæstionis hujus ansa est) multis amices suos ac consanguineos ἐν κυρίῳ seu piè, uti creditur, defunctos acerbè lugentibus magno solatio est, si adferas, fore ut iis, quos jam tantoperè sibi ereptos mœrent, coram denuò in cœlis aliquando fruantur. Verùm, quod solatio huic obstat, tantam sibi felicitatem polliceri vix audent, nisi ab altera simul parte metuant, ne propinquorum quorundam absentia ipsorum beatitudinem quodammodo offuscatura sit. Puta si maritus dilectam olim conjugem, parentes liberos suos, charißima quondam sibi pignora glorioso ac perilluſtri illo Dei intuitu destitutos, inque imas tenebras præcipitatos recordentur.*

## RESPONSIO.

REspondeo per has conclusiones:

*Prima Conclusio:* An pii in statu gloriæ se mutuo sint agnituri, nec ne, inec certò ex Scriptura sciri, nec ratione ulla irrefragabili definiri potest. Ratio, quæ in quæstione allegatur, ultra verosimile non procedit, & revera principium petit. Nec locus ex *Epist. an Heb.* XII. 23 desumtus, ad eam solide firmandam facit. Nam *spiritus justorum consummatorum*, non sunt justi ipsi, jam in gloria consummati anima & corpore; sed spiritus sive animæ eorum, qui jam absolverunt & perfecerunt, sive ad finem usque perduxerunt obedientiæ suæ cursum, ita ut in justitiæ studio perseverantes mortui sint, & tam certò gloriam sint consecuturi, quam si jam eam consummatam haberent. An autem spiritus piorum à corporibus separati, se invicem agnituri sint, hîc non quæritur:

*Secunda Conclusio.* Pios in gloria se mutuo agnituros esse, prorsus est verosimile, quia singuli opera sua scient, ex quotum relatu alter alterum facile poterit cognoscere: sed eos se mutuo agnituros esse sine affectu vel subordinationis vel coordinationis, carnalis præteritæ, qualis est inter parentes & liberos, inter maritum & uxorem, inter fratres & sorores, & inter amicos, inter doctores & discipulos, dominos & servos, &c. quia illa subordinatio & coordinatio per mortem sublata fuit, adeo ut, qui in statu gloriæ sint, meri filii Dei sint, & nemo piorum alter alteri quippiam debeat, propter quod ab illo dependere aut ei subordinari opus habeat. Omnes enim pariter Deum, Patrem suum solum habituri & agnituri sunt. Unde consequi videtur, posita ista agnitione mutua, affectum gaudii & commiserationis ex dispari statu horum & illorum, nullum in statu gloriæ locum habiturum, ac proinde hilarem simul ac tristem præteritæ subordinationis, & per mortem destructæ, recordationem tum etiam cessaturam esse, tanquam statui isti non convenientem. De commiseratione res plana est: Ea enim cum dolore & tristitia conjuncta est, quæ statui isti gloriæ & fælicitatis ac gaudii meri repugnant. Quod ad gaudii augmentum ex mutua illa agnitione oriturum, attinet, etsi id quidem non repugnat statui isti, tamen de eo esto

*Tertia Conclusio:* In statu gloriæ tanta erit & tam continua, quæ ex visione & familiari ac jucunda cum Deo conversatione beneficiorumque divinorum inexhausta fruitione orietur, fælicitas ac voluptas, ut quodcunque aut qualecunque

cunque aliud gaudium, quod vel ex mutua ista agnitione, vel ex alia aliqua caussa oriturum nobis jam videtur, non modo non magnum fælicitatis istius augmentum allaturum sit, sed adeo dilutum ac tenue sit futurum, ut præ ea vix in censum gaudii venturum sit: planè, uti fieri solet in Regum, Imperatorum, Principumque triumphis, & magnificis spectaculorum, epularum aut nuptiarum apparatibus, ubi Regiæ aut Imperatoriæ & Principalis Majestatis intuitus, rerumque omnium splendor ac varietas, usque adeo oculos animosque nostros afficit, ut rerum omnium, quæ unquam in vita nobis evenerunt gratæ ac jucundæ, quin & parentum, liberorum, amicorumque omnium prorsus oblivisc amur, &, si ista voluptas perennaret, in æternum obliturі essemus: quid dico, si adsidue nova, & alia ex alia semper gratior & suavior voluptas sequeretur absque satietate aut fastidio; qualem secuturam esse in glorioso illo statu dubitandum non est? Unde colligo, caussam, cur spes mutuæ istius agnitionis, hîc per mortem intercisæ & in statu gloriæ redituræ, magnum defunctos suos mærentibus solatium adferat, potissimam hanc esse, quod gaudii in statu gloriæ futuri magnitudinem non capiant, aut eam tantam futuram non perpendant, ut nisi gaudium, quod ex mutua agnitione extiturum sibi persuadent, ad eam accederet, fælicitati isti multum defuturum esse judicarent: qui error non levis est. Quia tamen amabilis hic error multos, si non plerosque mortales, tenet, esto

*Quarta Conclusio:* Caussam nullam satis gravem esse, cur admodum refragemur iis, qui amabili & verosimili ista opinione adducti, quod eos, quos jam magnopere sibi ereptos mærent, in statu gloriæ rursus sint agnituri, & eapropter impensius gavisuri, doloris sui acerbitatem diluunt, & spe istius etiam gaudii se solantur; dummodo, non in eo dumtaxat, aut in eo potissimam gaudii in statu gloriæ futuri partem collocent, sed pro accessorio tantum ad principalem fælicitatem id habeant: certi, nec absentium aliorum carissimorum amicorum desiderium, nec ex absentia eorum dolorem tum habiturum locum; quia fælicitatis summæ pars hæc erit, quod in divina voluntate prorsus acquieturus sit beatorum animus, & in ea totus gavisurus, certò persuasus Deo amicos & liberos nostros, multo quam nobis cariores fuisse, & cum ille æquum esse judicaverit, ut isthic gloriæ suæ participes non fierent, æquissimum nobis visum iri, ut absentes nec desideremus nec lugeamus.

FINIS.

# M. SIMONIS EPISCOPII
# TRACTATUS BREVIS,
## In quo expenditur
# QUÆSTIO,
## An homini Christiano liceat gerere Magistratum.

### CAPUT I.

### Status quæstionis. Argumentum adversus illos qui putant illicitum esse Christiano Magistratum gerere.

*Utilitas quæstionis de Magistratu.*

QUÆSTIO de gerendo Magistratu, quæ hodie nonnullos exercet in patria nostra, digna est propiore examine. Ist enim ex earum genere, quæ non occupantur in nuda & sterili tantum speculatione veritatis, quæ sæpenumerò magnos post se trahit animorum motus, non sine ingenti charitatis Christianæ dispendio ac detrimento; sed quæ ad rectam solidamque præceptorum Jesu Christi intelligentiam faciunt, quorum accurata observatio ad æternæ salutis spem concipiendam necessaria est. Deinde habet hæc peculiare pondus ac momentum, quod nisi rectè intelligatur, tam multæ, tam atroces, tam periculosæ ex ea oriantur hinc inde consequentiæ, ut nulla alia ei comparari mereatur. Quare pretium operæ facturos nos putamus, si in eam paulò penitius descendamus, & procul omni affectu ac præjudicio, solius veritatis indagandæ & promovendæ studio, quid in alteram partem statuendum nobis videatur cum bono Deo expendamus.

*Status illius.*

Quæstionis status hic est: Utrum homini Christiano, sive ei qui Religionem Jesu Christi profitetur, in conscientia licitum sit officium Magistratus gerere. Ut autem hic status rectè intelligatur, & in limine non erretur, explicandum est, quid nobis hoc loco sit officium Magistratus gerere. Duo intelligi volumus; Primò an licitum sit homini Christiano supereminentiam tum dignitatis tum potestatis supra alios habere. Secundò an ei liceat functiones sive actus dignitati & potestati isti convenientes exercere, cujusmodi actus sunt legislatio, judiciorum tum civilium tum criminalium administratio, subditorum denique contra manifestos & nullis conditionibus flexibiles hostes defensio.

*Divisio in quinque membra.*

Juxta hanc explicationem status quæstionis simpliciter propositus, hæc membra distincta ordine continebit. 1. Utrum homini Christiano liceat habere supereminentiam tum dignitatis tum potestatis supra alios, sive cum authoritate propriè dicta aliis pluribus præesse. 2. Utrum homini Christiano liceat leges & statuta condere ac ferre iis quibus præest. 3. Utrum Christiano secundum leges latas judicia exercere liceat, & quidem tum civilia tum criminalia. 4. Utrumne ei liceat exercere judicia omnia criminalia, etiam capitalia; id est, in fontes capitis pœna animadvertere. 5. Utrum homini Christiano liceat eos quibus præest, cum necesse est & aliter fieri non potest, armis & vi defendere contra vim publicam inferentes. Et hæc quidem omnia nullo alio fine quàm ut quietam & tranquillam vitam cum omni honestate & pietate vivere possint ii quibus præest. Hisce finibus totus Quæstionis ambitus comprehendi mihi posse videtur: adeò ut si hæc singula diligenter excussa fuerint, exhaustum dici possit quicquid ad quæstionem hanc ritè perpendendum facit.

*Duæ opiniones illorum, qui volunt Christiano illicitum esse Magistratum gerere.*

Qui illicitum esse volunt homini Christiano gerere officium Magistratus, non uno modo sentiunt, sed variant inter se. Sunt (& ii quidem multò maximam partem faciunt) qui arbitrantur; licere homini Christiano officium Magistratus gerere, id est, honorem muneris illius admittere & potestatem habere in alios; actus etiam legislationis & judiciales exercere, civiles omnes & criminales quosdam: puta carceres, ergastula, virgas, flagra, &c. compescendis & emendandis maleficis idonea remedia usurpare & adhibere: sed capitales pœnas statuere, aut vi & armis subditos defendere cum aliorum vera læsione, illicitum ducunt. Sunt alii (sed ii pauci admodum) qui totum hoc quod diximus, illicitum esse credunt homini Christiano, adeò quidem, ut eum reatui æternæ mortis ac damnationis involvi affirment, si officium Magistratus suscipiat, aut postquam suscepit, in eo gerendo perseveret, ullosve illorum actuum, quos diximus, exerceat.

*Utraque improbatur.*

Ego neutri huic sententiæ subscribere possum, etiamsi non diffitear priorem plausibilitatis & coloris plus habere quam posteriorem; cujus patroni, sive contradictionis fervore abrepti, sive teneritudine quadam conscientiæ, verbis & literis Scripturæ S. nimium præcisè inhærentes, sive studio ab oppositа sententia quàm longissimè discedendi, uti fit, in alterum extremum concedere mihi videntur, quod meritissimo jure suspectum semper videri debet. Sed ut ut sit, possem sanè defungi partibus meis, si intra negationem solam consisterem & rationem vel causam propter quam Christiano homini illud, sive in totum sive ex parte, illicitum censeant, postularem. Qui enim id illicitum esse affirmant, eis incumbit probandi onus. Sed ne jure meo uti, aut disputationis & victoriæ potiùs quam ædificationis & veritatis illustrandæ rationem habere velle videar, argumento aliquo utar quo fundamenta eorum, qui id affirmant, eruere & quantum potero elucidare conabor.

*Argumentum ad versus eos.*

Si homini Christiano non licet officium tale, sive in totum, sive ex parte, gerere, necesse est ut id fiat ob alteram harum causarum; Aut quia officium illud totum, vel istorum qui enumerati sunt actuum aliqui, intrinsecè mali sunt, & rectæ rationi atque æquitati naturali omnino repugnant, id est, non conveniunt homini Christiano qua homo est. Aut quia Religio Christiana non permittit ut is, qui eam profitetur, officium tale gerat, vel actus tales exerceat; id est, eo quod officium tale aut actus tales non conveniant homini Christiano, qua Christianus est. Alia causa vera & per se, quod sciam, allegari non potest. De eo enim, An homini Christiano officium illud gerere liceat, quando persuasus certò non est, sed dubitat adhuc, utrum illud Christiano liceat gerere nec ne: vel quando persuasus jam est Christiano non licere, licet adductus rationibus non nisi frivolis aut vanis: vel quando scandalum majus daturus esset suscipiendo aut gerendo illud, quàm omittendo: vel denique quando salutis & conscientiæ suæ lædendæ in statu tali periculum majus sese incurrere, quàm commodum suscipiendo aut administrando illud adferre posse credit; jam non quæritur. Hæ enim causæ sunt ex iis quæ per accidens dicuntur, & ad rem hanc, de qua controvertitur, non faciunt. Non enim faciunt, ut homini Christiano simpliciter sit illicitum gerere officium Magistratus, sed tantum ut huic aut illi id sit illicitum. Non repugnant autem licitum aliquid esse homini Christiano absolutè; Et, mihi aut tibi idem illicitum esse. Consentanea sunt hæc. Nemini enim licet id quod sibi persuadet illicitum esse, etiamsi revera licitum sit. Quod enim fit sine fide & contra conscientiam, licet malè informatam, peccatum est.

Videamus igitur utramque causam quam allegavimus. Intrinsecè sive per se malum esse, Magistratum ita, uti dixi, gerere, non scio quod quisquam eorum, contra quos hîc agimus, unquam statuerit. Et rationes evincunt non obscurè contrarium. Nam, 1. frustra alioquin quæreretur, utrum illud homini Christiano liceat. Quod enim homini qua tali non licet, quomodo an id homini Christiano liceat rectè quæreretur? Atqui nulli homini, sive Christianus is sit, sive Gentilis, ullo unquam tempore licet, quod intrinsecam in se habet malitiam, & rationi rectæ atque æquitati veræ repugnat. Ergo, &c. 2. Alioquin à Deo nunquam institutum aut approbatum fuisset Magistratus officium, nec actus isti judiciales, nedum capitales, ab eo præscripti aut mandati legerentur. Quia quod in se malum est, Deus nunquam vult, nec velle potest. Institutum autem Magistratum à Deo, & capitalia ejusmodi judicia præscripta ac mandata fuisse olim in Veteri Test. manifestius est quàm ut negari possit.

Secun-

Secundum itaque videamus: An videlicet Religio Christi non permittat, ut is, qui eam profitetur, officium Magistratus gerat, aut actus tales exerceat, quales diximus. Nos sic procedimus ut rem eruamus. Si Religio Christi hoc non permittit, tum necesse est ut vel expresè vel tacitè, vel directè vel indirectè, vel specialiter vel generaliter, vel categoricè vel per evidentem consequentiam Christiano id prohibeat; id est, ut officium hoc gerere, aut actus eos quos jam expretissimus exercere, repugnet vel expresso alicui interdicto Jesu Christi, vel naturæ & genio legum illarum, quas Christus ab iis, qui Religionem ipsius profitentur, servari vult, si æternæ salutis participes fieri ament. Expressum interdictum quod in terminis id Christianis omnibus prohibeat, nuspiam extat; &, si alibi extaret, frustra de eo amplius quæreretur; sicut frustra quæreretur hodie, utrum libellum repudii dare quavis de causa, licitum sit homini Christiano, cum id expresè & in terminis à Christo vetitum esse legatur. Necesse itaque est ut dicatur officium hoc talia in se continere, quæ cum natura & genio legum Jesu Christi, quibus Christianus sese subjicit, consistere non possunt. Id an ita sese habeat, videamus, expendendo, quantum possumus singula membra quæstionis hujus, quæ supra enumerata sunt, ad leges & præcepta Jesu Christi, quibus prohibitio talis tacite vel per consequentiam contineri creditur.

## CAPUT II.

### Supereminentiam honoris & potestatis habere supra alios non repugnare Legi Jesu Christi.

*De quali Supereminentia hic quaratur.*

PRimum membrum est; Anne supereminentiam dignitatis, honoris & potestatis sive authoritatis habere supra alios, contrarium sit naturæ aut genio legis alicujus Jesu Christi? Cum de supereminentia dignitatis, honoris & potestatis sive authoritatis quæritur, notandum est non quæri de supereminentia affectata, arrogata, aut usurpata, cum fastu, vilipendio & dedignatione inferiorum conjuncta. Hæc enim vitia esse, & ab ipsa etiam meliori gentilitate taxata ac damnata semper fuisse, nemo nescit; sed de supereminentia voluntariè, ultro ac legitimè delata aut concessa, imò nonnunquam pænè invito alicui obtrusa ab iis quibus præest, quæ fastum, contemtum, & arrogantiam omnem excludit, & quam-proximè ad supereminentiam, dignitatem & authoritatem patriam accedit, à qua vitia ista omnia abesse, manifestum est.

Et videtur quidem omnis supereminentia honoris, dignitatis & authoritatis repugnare partim genio legis illius, quam Christus *Matth.* XX. 25, tulit: partim genio legum illarum omnium, quibus humilitas, modestia, animi demissio, &c. Christianis omnibus mandatur, commendatur, & passim ferè inculcatur. Videamus utrumque.

*Primum argumentum adversus istam Supereminentiam, ex Matth. XX. 25.*

Lex Christi quæ citatur ex *Matth.* XX. 25, ita habet; *Scitis Principes gentium dominari in, & magnates potestatem exercere in eas. Non sic erit inter vos, sed quicunque inter vos voluerit magnus fieri, esto vester minister. Sicut Filius hominis non venit ut sibi ministretur, sed ut ministret.* Ex hisce verbis apparere volunt non obscurè, Christianis omnibus sub Apostolorum persona prohiberi supereminentiam dignitatis, honoris, potestatis, sive dominium & authoritatem potestativam in alios.

*Responsio ad illud.*

Respondeo: si locus propius paulum introspiciatur, manifestum fiet nihil solidi ex eo deduci posse ad sententiam istam persuadendum. Nam aut volumus Christum Jesum hoc in loco intelligere per κατεξουσιάζειν & κατακυριεύειν (quod Principibus gentium aut Rectoribus populorum, sive ii Reges, sive Principes, sive Proceres sint, tribuit) superbum illum dominatum, aut ambitiosam illam regendi & supra alios eminendi libidinem, qui morbus olim Principes Rectoresque populorum fere tenuit, hodieque non paucos etiam Christianam religionem profitentes tenet. Aut volumus eum intelligere simpliciter quamlibet excellentiam, eminentiam, authoritatem, dominium & potestatem supra alios, separatam licet ab ambitionis & superbiæ vitio. Utrocunque modo sumatur, nihil ex hoc loco concludi rectè poterit. Etenim si primo modo locum à Christo intelligi credatur, luce clarius liquet, tum ex eo aliud nihil colligi posse, quam Apostolis, &, si ita velis, sub eorum persona Christianis omnibus, ambitiosam illam dominandi & supra alios eminendi libidinem, hoc in loco à Christo prohiberi. At ex eo nullo modo sequitur, dominium & honorem etiam omnem, sive universum Magistratus officium, Christianis omnibus prohiberi. Tantum abest ut id inde colligi possit, ut contrarium potius inde colligi debeat, non prohiberi tum à Christo honorem, supereminentiam, & dignitatem, cum vitia illa ambitionis & superbiæ tantum ab ea absunt. Abesse autem posse, adeò certum est, ut non defuerint omni ævo, non tantum inter Judæos, sed etiam inter Gentiles, qui procul istis vitiis Magistraturæ honorem gesserunt, quique vitia ista in aliis Principibus acerbè satis taxasse & damnasse leguntur, eaque longissimè ab omnibus hominibus, imprimis autem Rectoribus populorum abesse debere judicaverunt. Et ut ut fortasse hanc ipsam ob causam videri alicui possit, à Christo hujusmodi dominandi libidinem prohibitam hîc non esse, eo quod alioquin nihil amplius vetuisse Christum Apostolis suis credi deberet, quam quod ab ipsis Gentilibus vetitum semper est & damnatum, quod profectò exiguum foret; tamen si locus inspiciatur, non omnino à scopo ejus abire comperientur ii, qui hoc sensu eum exponunt, aut saltem hunc etiam sensum eo comprehensum esse volunt. Occasio ex qua hæc lex Christi nata est, videtur id ferè postulare: Ea fuit quæstio de primatu & præeminentia quæ inter Apostolos agitabatur, aut quam affectabant filii Zebedæi supra alios, uti ex *vers.* 20. 21, *&c.* liquet, & quæ eam deinde indignatio sive æmulatio in reliquis Apostolis secuta est. Non affectabant autem propriè muneris alicujus dignitatem aut excellentiam, nedum muneris ad serviendum & ministrandum aliis comparati, sed honoris tantùm & dignitatis prærogativam supra collegas & socios suos, ut nimirum ipsis tanquam dominis & magnatibus Regiis, uti in aula Principum fieri solet, vel tanquam proximis à Rege sive Bassis, Viziriis, reliqui tanquam inferiores subessent & famularentur; prout ex eo apparet, quod Christus in fine dicit: *Non venit Filius hominis ut sibi ministretur, sed ut ministret.* Inde enim apparet talem dominatum & eminentiam ab iis affectatam fuisse, & à gentibus usurpatam intelligi, quæ eò tantùm tendebat, ut ab aliis honorem, gloriam, servitia & ministeria consequerentur; qualia sibi in regno Messiæ promittebant Apostoli, ipsi verò ad aliis ministrandum nullo modo obligarentur. Huic itaque ambitioni Christum opponere voluisse totam hanc orationem suam valde verisimiliter colligitur, & quidem hunc ferè in modum. Ista malesana ambitio, gloriæque & honoris supra alios affectatio vos legatos meos & discipulos nullo modo decet. Magnatum, Principum & eorum qui Rectores populorum sunt, ea fere propria est, qui solo honoris & gloriæ inanis studio faciunt quæcunque faciunt, ut nimirum Domini, ὑπερέται audiant & Dominorum instar reverentia, metu & officiis omnibus honorentur à subditis suis. Vestrum est titulos istos non ambire, sed contrà servire & ministrare aliis omnibus, neque unquam, quicunque tandem vobis obtingere aliquando possit honor, abstrahi ab officio ministrandi & serviendi aliis; exemplo meo, qui licèt Dominus vester sum, & honorem ac titulum Domini ac Magistri vestri gero, nihilominus tamen, ad ministrandum vobis aliisque omnibus mortalibus, licet vilissimis & qui apud alios nullo loco sunt, in hunc mundum veni. Unde porrò efficitur, tantùm abesse, ut ex hoc rectè colligatur supereminentiam & excellentiam omnem Christianis simpliciter prohiberi à Christo, ut contrarium potiùs concludatur, supereminentiam & excellentiam omnem non prohiberi, eo quod illa cum officio & actu ministrandi bene possit aliquando consistere, uti in exemplo Christi apparet; aut saltem tum non prohiberi, cum ii qui præsunt & præeminent aliis, nihil minus quam gloriam & honorem instar Principum gentium inde quærunt, sed id unum agunt, ut, quantumlibet cum incommodo & damno suo proprio, serviant & ministrent aliis quàm possunt maximè, ut bene ipsis sit anima & corpore: imprimis cum ratio ipsa muneris illius, cui dignitas ista & supereminentia vel invitis ac nolentibus ipsis conjuncta est, ita postulat. Quod si quis hujusmodi Præsides accensere nihilominus velit Principibus istis quos hîc Christus dicit κατεξουσιάζειν & κατακυριεύειν, næ ille vim manifestam textui faceret. De talibus enim dici jure posset, quod ad officium tale gerendum veniant, non ut ipsis ministretur, sed ut aliis ministrent. Veruntamen, si cui fortasse hæc hujus loci expositio non satis arridebit, aut durior paulùm videbitur: age demus etiam ut exponat locum secundo quo diximus modo, ita ut Christus hîc credatur loqui de dominio, supereminentia & potestate simpliciter; nihil tamen ex eo etiam colligi poterit pro sententia ista. Rationes sunt: *Prima*, quia ex textu ad summum tamen non poterit aliud colligi, quam Christum noluisse aut potius indicasse non futurum, ut ejusmodi supereminentia, dominium, principatus & potestas inter Apostolos suos locum haberet: quod ex occasione quæ *vers.* 24 indicatur manifestissimum est. Occasio fuit, quæstio de primatu & principatu nata inter Apostolos, occasione petitionis filiorum Zebedæi; nata, inquam, inter eos, non quatenus Christiani erant, sed quatenus Apostoli, familiares, laterones, & quasi Senatores

Regis

Regis Messiæ erant, qui dignitatem illam sibi ante alios omnes deberi existimabant. Iuter cæteros Christi discipulos illam unquam motam esse nusquam legitur: *Cum* enim, inquit textus, *alii decem hæc audissent, indignati sunt de duobus fratribus. Jesus autem cum eos advocasset ait*, &c. unde apparet opponi manifestè à Servatore hæc verba indignationi illi, qua reliqui ægrè ferebant factum sive petitionem filiorum Zebedæi, æmulatione fortè & zelo succensi, quod quisque eam dignitatem & honorem, quem ipsi consectabantur, sibi deferri cuperet aut deberi crederet. Proinde sensum Responsionis Christi alium ex textu colligi non posse dicendum est quàm hunc: Dominia & principatus alibi locum habent. Qui populis ac nationibus præsunt, illi sunt Domini, & authoritatis retinendæ ac societatis conservandæ in officio, sublimitatem suam ac dominium tueri debent. *Inter vos sit non erit:* id est, Nolo ego, vel certi estote nunquam futuram ut vos Domini ac Principes fiatis, quibus alii serviant ac ministrent. Quanti quanti estis, ad serviendum & ministrandum aliis mecum destinati estis.

Quod si quis hinc ulterius jam inferre velit, Christum nolle aut saltem indicare in regno suo nullos unquam futuros Dominos aut Principes, vel inter Christianos nullum unquam Magistratum, supereminentiam aut excellentiam locum habiturum, ille nullo jure nedum certo fundamento id facere potest. Quod ipsum ratione *secunda* clarius evinco: Quia videlicet ex textu colligi non potest, Christi verba esse verba reprehendentis, culpantis, improbantis aut damnantis potestatem omnem & supereminentiam supra alios, tanquam rem malam & prorsus illicitam; sed accipi posse tanquam verba indicantis naturam & conditionem officii eorum quos Apostolos suos & Legatos esse volebat, distinctam & diversam esse à conditione & natura officii eorum qui aliis supereminebant & præpositi erant: proinde verba esse opponentis conditionem conditioni tanquam dissimilem dissimili, non tanquam malam bonæ: quasi legeretur, illa ratio agendi quam vos affectatis, convenit iis qui vocati & constituti ad id sunt, ut populis præsideant & in eos authoritatem exerceant. Vos verò ad id vocati non estis, ut præsideatis & dominemini, sed ut serviatis & ministretis, docendo, hortando, orando, huc illud eundo, &c. quasi diceret; Si ad id vocati essetis, alia ratio foret.

Addo *tertiò*, rationes esse nec paucas nec leves quæ cogere videntur ut verba Christi hoc sensu accipiantur. Nam si velimus Christum generaliter his verbis damnasse omnem omnino supereminentiam, κυριότητα, ἐξουσίαν & potestatem propriè dictam in alios, eamque Christianis omnibus illicitam fecisse, tum necessarium est ut dicamus, 1. eum tum damnasse rempublicam & politiam totam Judaicam, tanquam directè legibus suis contrariam, quatenus in ea κυριότης & ἐξουσία adhuc locum habebat: ita ut nemini Christiano ex illo tempore Magistratum inter Judæos gerere licitum fuerit, aut ii qui Magistratum aliquem gerebant inter eos Christiani esse non potuerint: cùm tamen contrarium non obscurè pateat ex illis locis in quibus legitur, Ex Primoribus multos in Christum credidisse, Christi discipulos fuisse non exuta dignitate, quam ante gerebant: vide *Joan.* XII. 42. & XIX. 38. Nec refert si dicas, de iisdem illis affirmari quod Christum non profitebantur, aut profiteri non audebant, ne Synagoga ejicerentur. Nam eo ipso indicatur illos verè quidem credidisse, & discipulos veros Jesu Christi fuisse, sed in eo tantùm defecisse, quòd fidem palam ac publicè non profitebantur, & quidem ore ac facto. Ad professionem autem hanc non pertinebat, Magistratus quem gerebant depositio: quia expressè dicitur quòd profiteri Christum non audebant, *ne ejicerentur è Synagoga*. Nec enim metuere tum debuissent ut ab aliis ejicerentur è Synagoga, sed ut seipsos ejicerent, aut potius ut ipsi exirent sponte sua honore & Magistratu quem gerebant. Si enim pars professionis erat abstinere à publicis honoribus & Magistratura omni, utique dici debuisset in textu; Non, ut ejicerentur, sed quod exire necesse esset ex vi fidei quam profitebantur. Nunc verò quia dicitur, *Ne ejicerentur*, certissimè inde concludi potest, eos Christum etiam publicè ac palàm profiteri potuisse, & reipsa professuros fuisse, si metus ille ejectionis abtuisset. Unde deinde colligo; Si propter professionem illam metuebant ejici à Synagoga, & dignitate sua privari, ergo propter fidem ipsam, sive doctrinam cui credebant, non debebant ipsi eam deserere Et, si necessarius aut essentialis fidei ipsius actus est abstinere à Magistratu gerendo, jam profectò non potuissent dici in Christum credidisse, & discipuli Christi esse, nisi depositissent Magistratum, aut saltem deponere velle professi fuissent; uti, exempli gratia, nemo dici potest credere in Christum, aut discipulus Christi esse, qui non abstinet aut saltem non profitetur se abstinere velle à furto homicidio, scortatione, avaritia, rapina, & cæteris à Christo damnatis criminibus ac peccatis. Hæc enim repugnant naturæ fidei & obedientiæ Christianæ è diametro. Quare eadem ratio debuisset valere, si Magistratum gerere Christiano prohibitum aut vetitum esset à Christo. Hæc obiter tantum hìc inserta voluimus. Cæterum Christum jam tum voluisse damnare Rempub. & politiam omnem Judaicam nimis absimile à vero esse in sequentibus plenius ostendetur. 2. Sequitur Christum damnasse tanquam illicitam omnem patriam potestatem, authoritatem & præeminentiam in familia; quod multò adhuc minus verisimile esse illud unum satis docere potest, quod Christus ne quidem sustulerit dominiorum jura & authoritatem in servos; uti evidenter apparet ex omnibus illis locis, quibus adscritur dominia & servitutes etiam inter fideles ipsos multò post locum adhuc habuisse, & cum Religione ac fide optimè constitisse & consistere potuisse. Vide inter alios notabilem locum 1 *ad Timoth.* VI. 1. 2. *Qui fideles habent dominos ne despiciant* (eos) *quod fratres sint, sed potius inserviant quod fideles sint ac dilecti.* Manebant igitur domini & servi etiam cùm fratres essent ac fideles. Ex hoc autem Sole clarius efficitur, multò itaque minus patriam authoritatem sublatam esse à Christo; cum notum sit quantum juris tum inter Judæos tum inter gentes dominis in servos concessum esset. Verum quidem est Apostolum severitatem illam potestatis, tum paternæ, tum imprimis dominicæ, restringere nonnihil, & ad decoram mediocritatem redigere; sed dum hæc facit, certum est eum potestatem & authoritatem ipsam sive supereminentiam (de qua hìc quæritur) integram & intactam reliquisse. 3. Sequeretur ipsum Christum sibi ipsi κυριότητα & ἐξουσίαν in suos Apostolos ademisse; quod argumentum propterea magni ponderis ac momenti videri debet, quia Christus ipse exemplo suo confirmat legem hanc, & ut Apostoli sui ad exemplum suum imitandum sese componerent, hortatur cùm sese non ut ministraretur, sed ut ministraret, venisse asserit; cum tamen certum sit ex *Joan.* XIII. 13, Christum non obstante hoc affirmare, sese Magistrum & Dominum revera esse & appellari; *Vos*, inquit, *me vocatis Præceptor ac Domine: & recte dicitis; Sum enim.* Unde etiam liquet fieri posse ut, nisi specialis vocatio divina impediat, salvo dominio lex hæc Christi de ministrando aliis, sarta tecta constet. 4. Quia sequeretur Christum Jesum lege sua ordinem omnem ex humana societate tollere voluisse, & confusionem atque ἄταξίαν meram in mundum introducere. Ordo enim nullus vigere potest ubi non est dependentia; proinde supereminentia, dominium, authoritas & potestas propriè dicta, uti in sequentibus fusè demonstrabimus.

Ex hisce sic colligo: Si post hanc legem latam nihilominus licita atque integra mansit supereminentia, dominium, & authoritas propriè dicta parentum in familia, dominorum in servos, addo præceptorum in discipulos, maritorum in uxores, idque ut ordo inter homines sartus tectus maneret, &c. nulla ratio patitur ut per eam credamus sublatam aut damnatam esse supereminentiam & authoritatem Magistratus Christiani in subditos, vel potiùs Christum obstringere voluisse Christianos ut Magistratum non gererent, aut cum supereminentia & authoritate aliis non præessent. Quæ enim ratio distinctionis quantum ad supereminentiam attinet? imprimis cùm certum sit, multo minus ordinem, quo omnia constant, conservari, & confusionem universalem evitari posse in humana societate, si hæc supereminentia, &c. tollatur, quàm ordo conservari & confusio evitari potest in familia, domo, schola, &c. si authoritas patria, dominica, &c. in iis locum non habeant. Adde tamen hisce omnibus pro valde probabili ratione: quod alioquin post hanc legem latam nullo modo dixisset Apostolus, ἐξουσίας ὑπερεχούσας esse à Deo, & esse διάταγὴν τοῦ θεοῦ, iisque propterea quod tales sint, non tantùm propter iram sed & propter conscientiam, obediendum esse. Ex malo enim eas esse rectius & verius dixisset, si verum est quod authores hi affirmant. Nec enim à Deo recte dici potest quod Christus Dei Filius jam ante expressè damnavit, vetuit, & tanquam salutis æternæ impeditivum intercixit. Sed hæc ratio in sequentibus plenius tractabitur. Sufficere credimus ea, quæ hactenus dicta sunt, ad ostendendum ex hoc loco nihil peti posse quod ad primi membri sententiam stabiliendam faciat.

*Secundum arcumentum de illum quam modestiam, animi demissionem, &c. Christiani præcipiunt.*

Alterum argumentum sumiter ex natura & genio legum illarum, quæ humilitatem, modestiam, animi demissionem & similes virtutes Christianis passim præscribunt, commendant & inculcant, quæ cum illa supereminentia dignitatis & authoritatis supra alios consistere posse non videntur.

*Responsio ad illud.*

Resp. Si per humilitatem intelligatur animi demissio voluntaria, & promtitudo ad aliis, licet nobis longè minoribus, officia omnia animæ & corpori eorum necessaria & utilia, quæ in potestate nostra sunt, præstandum, & actualis

etiam ipsa auxilii præstatio; tum nego hujusmodi humilitatem cum supereminentia dignitatis consistere non posse. Contrarium docet Christus expressè exemplo suo, *Joan.* XIII. qui cùm Dominus & præceptor esset Apostolorum, quos *vers.*16. servos & legatos sese minores appellat, eò usque se demisit, ut pedes eorum laverit, addens expressè hæc verba: *Exemplum enim præbui vobis, ut prout ego feci, ita & vos faciatis*: cui convenit quod legitur *Matth.* XXIII.11: *Qui major* (aut maximus est) *inter vos, sit minister vester.* Fateor quidem difficile admodum esse, nisi quis sedulam sui curam habeat, æquam mentem retinere in dignitatis isto arduo culmine ac fastigio, & fortunam tantam ita reverenter habere ut non efferaris animo, & spiritus majores sumas, aliosque sub te positos dedignari incipias; eamque ob causam multos ut plurimum isto honoris & dignitatis typho elatos ab humilitatis Christianæ regula deflectere, & officii sui parum recordari. Sed cùm ea personarum vitia sint, & pericula ejusmodi excellentissimos status præcipuè & ferè semper comitari soleant, eorum ratio habenda nobis non est, qui quid rei per se competat, non quid per accidens evenire possit, aut soleat, inquirimus. Certum autem est naturam rei talem esse, ut qui summus maximusque est, humilitatis ista quæ diximus, officia præstare possit. Sed si per humilitatem intelligatur ejusmodi affectus, aut virtus potius, qua quis ita de se sentit tenuiter, ut indignum se & ineptum judicet qui aliis regendis præficiatur, quique propterea omnibus, quicunque tandem sint, se subjicere ac regendum tradere mavult, quam ut regimen ullum in alios aut ipse sibi sumat aut ab aliis sibi deferri sinat, tum concedo hujusmodi humilitatem cum ista supereminentia dignitatis consistere non posse; sed ejusmodi humilitatem nego Christi legibus præscribi & commendari, omnibus sine discrimine Christianis, cùm videlicet humilitatem suis mandat & commendat; quin imò fieri posse dico, ut Christiani multi sint in quibus ea locum habere non potest, imò juxta ipsas Christi leges locum habere non debet. Exempli gratia in patre-familias, in domino, præceptore, marito. Nec enim per humilitatem hujusmodi, pater debet se subjicere liberis suis, sed contra propter eminentiam, quam Deus ei dedit, debet authoritate patria sua domui suæ præesse, liberos suos habere, sive continere ἐν ὑποταγῇ, μετὰ πάσης σεμνότητος, uti ab Episcopis ipsis familiam alentibus (in quibus alioquin humilitas singulariter eluceſcere debet) requirit Apostolus, 1 *Tim.* III. 4. addens rationem *vers.* 5. *Qui enim propriæ domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiam Dei curabit?* Eadem ratio est in marito, qui cùm dominus & caput uxoris suæ sit, & passim vocetur in Scripturis, ab ista humilitatis lege disertè semper excipitur; adeò ut Apostolus dicat, 1 *Tim.* II.12. *Mulieri non permitto authoritatem usurpare in virum.* & *vers.* 11: *Mulier cum silentio discito, ἐν πάσῃ ὑποταγῇ.* Hinc est quod velit uxores subjectas esse viris sive maritis suis, sicut Ecclesia subjecta est Christo, idque quia vir est caput uxoris, ut Christus est caput Ecclesiæ; *Ephes.* V. 22. 23. 24. Vide similia loca, 1 *Cor.* XI. 3. &c. *Ephes.* V. 33. ubi vult ut uxor φοβηται τὸν ἄνδρα, &c. De dominis, præceptoribus, &c. similis ratio est. Certè si humilitas ista secundi generis omnibus Christianis promiscuè mandata esset à Christo, jam necesse foret, parentes omnes ex vi legis istius se subjicere propriis liberis suis, ut humiles sint & in legem Christi non impingant. Deinde frustra liberis, servis, uxoribus toties ac tam solicitè mandaretur ab Apostolis ut se subjiciant, parentibus, dominis, maritis suis, si ex præcepto humilitatis generali tenerentur non magis se subjicere parentibus, dominis ac maritis, quàm hi se tenentur subjicere ipsis. Etenim juxta hanc legem, si ea generalis esset, tam, ex. gr. maritus deberet se subjicere uxori, quàm uxor marito, & sic tam uxor foret aliquando caput viri, quam vir caput uxoris; quod absurdum esse & totam argumentationem Apostoli evertere, quis non videt? Eadem ergo ratione Christianus in legem humilitatis poterit non impingere cùm Magistratum gerit, & aliis cùm authoritate præest; non quod humilis esse non debeat, sed quod humilitas ista secundi generis ab eo non requiratur, idque quia ejus capax esse non potest quatenus & quamdiu honorem & dignitatem illam gerit, nisi rerum ordo penitus invertatur. Unde lex hæc Jesu Christi, *Subjicite vos alii aliis*, uti & aliæ pleræque leges Christi, prudenter & benignè accipiendæ sunt; ne, dum præcisè nimis & κατὰ γράμμα mordicus urgentur, in absurda manifesta & apertas contradictiones incidatur.

Et hæc quidem duo sunt præcipua quæ huic primo membro opponi nobis posse videntur. Si quæ alia adhuc sunt, ea vel sunt levicula, vel talia quæ ex hisce facilè possunt intelligi.

## CAPUT III.

### Non repugnare doctrinæ Christi ut Christianus aliis leges ferat; nec, ut eas præmiis ac pœnis sanciat.

SEcundum membrum est: An repugnet genio doctrinæ Jesu Christi, ut is qui eam profitetur, leges & statuta condat, ac ferat iis quibus præest. Hoc ex præcedenti liquet. Si enim non repugnat doctrinæ Jesu Christi, ut is qui eam profitetur, aliis cum supereminentia & authoritate præsit ac præpositus sit; certe nec repugnat ejus doctrinæ ut talis leges & statuta condat, quæ ad bene esse eorum, quibus præest, faciunt; imprimis si ii, quibus præest, vel ipsi requirant, ut leges & statuta certa condantur, juxta quas sciant se in omni statu componere, vel saltem lubentes volentesque eas sibi ferri atque imponi sinant. Volenti enim non fit injuria. *Probatur Christiano licere leges aliis ferre.*

Deinde leges condere ac ferre licet patri in familia, præceptori in schola, domino in domo, Apostolis in Ecclesia, citra violationem doctrinæ Jesu Christi; cur non ergo Christiano in Republica, quæ nihil aliud est, quàm familiarum, domorum, hominum & Ecclesiarum coacervatio? Certè si in minoribus cætibus id licet, multò majori jure id licere statuendum est in cætibus maximis, ubi ratio prægnantior & evidentior, id est, major legum condendarum necessitas apparet.

Tertiò non repugnat Jesu Christi doctrinæ ut ordinatè ubique omnia fiant, imò ut omnia semper fiant εὐσχημόνως καὶ ἐν τάξει vel κατὰ τάξιν disertè præcipitur, 1 *Cor.* XIV. 40. Neque enim Deus, est Deus ἀκαταστασίας, uti *vers.* 33. dicitur, sed εἰρήνης. Atqui ordo optimus is est, cùm secundum certas & præscriptas regulas omnia fiunt, ita ut is qui præest, sciat quid possit postulare, & qui subsunt intelligant quid facere debeant. Ubi sola voluntas, vel ejus qui præest, vel eorum qui subsunt, vivendi norma est, ibi periculorum confusionis & ἀταξίας plena sunt omnia, & querelarum justarum nec finis nec modus est.

Neque verò valere hîc potest si quis dicat, Christum esse Legislatorem nostrum unicum, itaque novis legibus opus non esse, & Christiano leges accipiendas esse non ferendas. Etenim ex eo ipso quod Christus noster Legislator unicus sit, ex cujus legibus pendere omnes necesse est, tam eos qui præsunt, quam qui subsunt, & nusquam tamen appareat inter leges Christi legem ullam esse quæ vetet, ut in societate domestica, Ecclesiastica, civili & quavis alia ordinis tuendi causa leges fiant; consequitur non repugnare legibus & doctrinæ Jesu Christi, ut is qui eam profitetur leges condat ac ferat iis, quibus præest, dummodo eæ legislatoris supremi legibus non contraveniant. Alioquin enim ex vi argumenti illius sequeretur nullas etiam in familia, schola, imò ne quidem in Ecclesia Christi leges ferri potuisse ab Apostolis, præter eas, quas Christus tulerat, aut ferendas esse ipsis per Spiritum suum dictaverat; cùm tamen videamus eos proprio consilio, authoritate atque instinctu suo, habita aliquando solum naturalis decori ratione, leges quasdam ad εὐταξίαν pertinentes tulisse. vide 1 *Cor.* VII. 12. *Tit.* I. 5. & 1 *Cor.* XI. 13.14.15.16. Deinde Christus est Legislator noster unicus in iis quæ necessaria sunt ad æternam salutem & immortalem vitam consequendum; adeò ut lex nulla, sive generalis sive particularis, ab ullo mortalium condi ullo unquam tempore debeat, quæ ad vitam æternam necessaria credatur. At de iis quæ ad naturalem vitam & civilem conversationem, inter omnes ubique locorum debitè & honestè instituendam pertinent, tantùm abest ut specialia & peculiaria mandata dederit, legesque omnes necessarias tulerit Servator, ut eorum curam singularem vix ullam gesserit. Verum quidem est fundamenta generalia in Euangelio hîc illic à Christo posita & jacta esse, quibus regimen omne, & leges omnes specialiter ad honestatem & pacem ac concordiam cum omnibus colendam facientes, quæcunque tandem sint, superstrui possunt ac debent, & à quibus nullo unquam tempore discedere Christiano homini in ullius gratiam licet; & hactenus etiam Christum legislatorem nostrum unicum, quod ad civilem conversationem attinet, dici posse. Sed particulares leges ac statuta ad eam rem pertinentia admodum pauca à Christo in Euangelio tradita sunt; adeo ut quæ ratione temporum, locorum, personarum, circumstantiarum, occasionum, causarum, aliorumve casuum, qui incidere possunt necessariæ insuper adhuc sunt, aut pernitiles in hac aut illa societate, infinitæ pænè censeri possint. Et hac ratione Legislator noster unicus esse non voluit. Has itaque si condat ac ferat Christianus, utique nihil facere censendus est quod

Legisla-

Legiſlatoris ſui officio ac dignitati ulla in parte præjudicet; imprimis ſi illas condat eum in finem, ut Leges Jeſu Chriſti ad æternam vitam neceſſariæ tanto melius vigeant, iiſque qui adhuc illas ignorant commodius perſuaderi & fælicius inculcari poſſint, atque ita beneficio legum iſtarum adduci queant ut Chriſtiani fiant, & ſic æternæ vitæ participes reddantur.

*Nec non eas præmiis ac pœnis ſancire.*

Ex hoc membro dependet alterum: An videlicet repugnet genio doctrinæ Jeſu Chriſti, ut Chriſtianus leges ac ſtatuta quæ condit, præmiis ac pœnis ſanciat. Reſp. Præmia quod attinet, nullum dubium eſt, quod ſciam, quin iis ſancire poſſit Chriſtianus leges ſuas, ſi modò ea talia ſint, quæ non excedant mediocritatem Chriſtianam, & ad virtutem ac pietatem calcarium ac ſtimulorum loco ſint. De pœnis pœnarumque modis ac gradibus quæri video. Sunt qui concedunt Chriſtianum leges ſuas ſancire poſſe pœnarum comminationibus, ſed ita, ut dicis cauſa magis id faciat, quàm ſeriò & ex animo. Etenim nudo metu executionis in officio contineri ſubditos poſſe concedunt: at comminationes executioni mandari poſſe negant. Et haberet horum ſententia plauſibilitatis aliquid, ſi viri & adultæ ætatis homines larva & μορμολυκίῳ iſto terreri poſſent, uti pueri: Sed aranearum telis ſimiles forent ejuſmodi leges, &, quod dicitur, fulgur ex pelvi darent. In re ſeria ludendum non eſt. Sunt alii qui exiſtimant prorſus illicitam eſſe Chriſtiano homini quamlibet punitionem, & profeſſionem externam corporalis punitionis, licet inanem & ludicram; proinde qui Chriſtiano pœnis ullis ſancire leges ſuas conceſſum eſſe negant. Hi eouſque eunt, ſeu vi argumentorum preſſi, ſive quod ita ſentiant, ut ne quidem parentibus Chriſtianis in familia, corporalem ullam punitionem conceſſam eſſe affirmare non dubitent. Sunt alii qui exiſtimant non repugnare doctrinæ Jeſu Chriſti, ut leges ſanciantur pœnarum comminationibus, ſed pœnas ſolum verbales & reales eſſe volunt, non autem perſonales. Sunt alii qui pœnas etiam perſonales ſive corporales admittunt, ex. gr. ergaſtula, virgas, flagella, ſtigmata, &c. ſed eas excipiunt, quæ cum læſione propriè dicta, id eſt, vel ademtione vel mutilatione neceſſarii alicujus membri conjunctæ ſunt. Alii nec has quidem pœnas omnino damnant, tanquam legibus Chriſti contrarias, ſed ſolam pœnam capitalem ſive mortis inflictionem illicitam eſſe cenſent. Verum tota hæc res ex ſequentibus eluceſcet, cum examinabitur utrum Chriſtiano liceat judicia criminalia & capitalia exercere. Ex illo hujus membri deciſio pendebit: quæ etiam cauſa eſt cur peculiare membrum ex hoc non fecerim. Nam ſi evincatur non repugnare legibus Chriſti, ut Chriſtianus pœnas capitales actu infligat, evictum etiam erit, non repugnare legibus Chriſti, ut leges ſuas pœnis etiam talibus ſanciat. Progrediamur itaque ad membrum tertium.

## CAPUT IV.

### Non repugnare doctrinæ Chriſti, ut Chriſtianus judicia civilia exerceat. Examen loci, *Matth.* V. 40. qui affertur in contrarium.

TErtium membrum eſt: An repugnet genio doctrinæ Jeſu Chriſti ut is, qui eam profitetur, judicia exerceat tam criminalia quàm civilia. Dependet hoc membrum aliquatenus ex præcedente. Nam ſi licet Chriſtiano leges condere & ferre iis quibus præeſt, utique cenſendum eſt ei etiam licitum eſſe judicia ſecundum leges iſtas latas exercere. Alioquin enim fruſtraneæ forent leges iſtæ; niſi ſupponatur fieri non poſſe, aut non futurum unquam, ut legibus iſtis à quoquam contraveniatur. Sed quomodocunque ſe res hæc habeat, videamus quid ſecundum Scripturam de hoc membro pronunciandum ſit.

Sunt qui affirmant abſolutè repugnare genio doctrinæ Jeſu Chriſti, ut is qui eam profitetur judicia ulla propriè dicta in foro exerceat. concedere quidem videntur judicia inter fratres in Eccleſia; ſed ea, non tam judicia eſſe volunt legitima, quàm arbitria virorum prudentium. Et hi ſententiam ſuam duobus ferè Scripturæ locis tueri ſolent: *Matth.* V. 40. & 1. *Cor.* VI. 1. 2. 3. &c. Expendamus utrumque.

*Explicatio loci Matth. V. 40.*

Locus qui ex *Matth. cap.* V. 40. affertur, ita habet; *Et qui vult tecum contendere* (in Græco eſt σὺ κριθῆναι) *& tunicam tuam capere, dimitte ei etiam pallium.* Reſpondeo *primò*, ex hoc loco, ſi omnino præcisè κριθῆναι ſumatur, ad ſummum aliud nihil inferri poteſt, quàm Chriſtiano qui injuriam paſſus eſt, aut cui quis injuriam facere voluit, non licere judicio experiri contra eum qui injuriam inferre voluit: ſed acceptam injuriam æquo animo ferre, & novam potiùs ſuſcipere atque admittere debere, quam propter acceptam judicio agere aut contendere. At verò, etiamſi hoc daretur, inde tamen nondum ſequeretur Chriſtiano non licere, contendentes aut contendere præfractè volentes judicio aliquo dirimere, aut quo minus alter alteri injuriam inferat pro virili procurare; ſicut ex eo quod non liceat rixari & pugnare Chriſtianos, non rectè concluditur, non licere Chriſtiano rixantes & pugnantes dirimere, aut pro virili curare ne lites & rixæ oriantur.

Et in hac quidem reſponſione ſubſiſtere poſſemus. ſed ut ſenſum loci hujus propius paulum expendamus & elucidemus, & conſcientiis tenerioribus, quæ fortaſſe hoc conceſſo ulterius prolabi poſſent, ſatis faciamus; dico quaſi ex ſuperabundanti, *ſecundò*: Non rectè etiam ex hoc loco colligi Chriſtiano homini non licere ullo unquam tempore jure agere contra eum, qui injuriam intulit, quicquid verba ipſa præcisè & κατὰ μόνας ſumta id præ ſe ferre videantur. Etenim 1. incertum eſt & controverſum apud interpretes, an hoc in loco agatur de judicio ullo forenſi. Verbum enim ſive potius phraſis κριθῆναί τοι idem ſignificare poteſt, quod certare tibi, pugnare tibi, id eſt, tecum, ut annotat Beza; tanquam ſi ſenſus eſſet; Si quis pugnando extorquere tibi velit tunicam, permitte tibi potius auferri etiam pallium, quàm ut conſervandæ tunicæ cauſſa vim vi repellas, & ſic teipſum eumque cum quo certas, periculum gravius incurrere facias. Neque aliena eſt hæc expoſitio ab antecedentibus & conſequentibus, ſed optimè cum illis convenit. Sed poſito etiam quod verbum κριθῆναι de judicio forenſi hoc loco accipiatur, (uti ferè accipi ſolet, & hoc loco accipi haud facilè abnuerim:) addo 2 ne ſic quidem ſenſum loci eum eſſe poſſe, ut univerſaliter & ſimpliciter prohibitum credatur Chriſtiano quamcumque demum ob cauſam judicio contendere. nec ſane verba ipſa id ſonant: quamquam legem ſcire, non eſt verba legis, ſed ſenſum ejus rectè tenere. Evinco id ex hiſce tribus: 1. ex ſcopo loci. 2. ex iſto verborum contextu. 3. ex manifeſta ratione.

*Primò*, ex ſcopo loci, quem antecedentia & conſequentia clariſſimè arguunt alium nullum eſſe, quàm Chriſtiano non licere jure talionis agere, & id operam dare ut per Magiſtratum (quod Judæis permiſſum erat tum temporis) injuria aut læſio aut damnum quod paſſus eſt, ſimili, nedum majore, læſione aut damno, abſque ullo ipſius commodo compenſetur, ſed illatam injuriam æquo animo ferre, imò novam potius admittere quam veterem aut illatam retaliare; id eſt ut par pari referatur, curare: & hoc propriè eſſe reſiſtere malo ſive τῷ πονηρῷ. Inde arguo ſenſum verſiculi hujus, ſi ſcopo iſti convenienter exponatur, ut exponi debet, illum eſſe non poſſe, quem authores ſententiæ illius volunt, cum fieri poſſit ut judicio contendant Chriſtiani, ubi nec talionis, nec vindictæ, nec læſionis, nec damni inferendi ulla vel intentio, vel ſuſpicio, vel formido aut metus locum habeat, uti poſtea videbimus. Antecedentia autem ſcopum iſtum arguere manifeſtum eſt. Quum enim Chriſtus verſu præcedente ait, *Qui te cædet in dextram tuam maxillam, obverte ei & alteram*, non jubet Chriſtianis ſimpliciter & univerſaliter, omni percutienti maxillam alteram etiam obvertere, etiamſi verba ita expreſſe ſonent; ſed potius id facere quàm injuriam rependere, & percutientem repercutere, aut curare ut ſimili damno aut malo per judicem adficiatur, idque nullo ſuo commodo, prout Judæis tum temporis facere permiſſum erat. Alioquin enim Chriſtus Jeſus, qui exemplo ſuo legibus ſuis authoritatem & vim ſemper addidit, legis hujus ſuæ vim exemplo ſuo proprio enervaſſe dicendus foret, quo tempore à ſervo Pontificis in maxillarum altera percutiebatur. Etenim non modò non obvertit alteram, (quod tamen verba hæc legis prout jacent mandare videntur,) ſed & percutientem ſeriò increpavit ac redarguit, dicens, uti eſt *Joan.* XVIII. 23: *Si malè locutus ſum teſtificare de malo; ſin bene, cur me cædis?* eo ipſo declarans, fieri poſſe ut quis Chriſtianus maxillam alteram etiam non obvertat percutienti, ſed rationem aliquando reddere percutientem cogat cur percuſſerit, idque coram ipſis judicibus, abſque hoc ut legi huic contraveniat. Idem docet clarius adhuc Pauli exemplum, qui cùm cæderetur à nonnullis in faciem, juſſu Pontificis maximi, non modò non obvertit maxillam alteram, ſed ſeria admodum oratione in authorem invectus eſt, uti videre eſt *Act.* XXIII. 3: *Futurum eſt, ut te percutiat Deus, paries dealbate.* Neque verò eſt quod hîc quiſpiam excipiat, Paulum ſtatim pœnitentia ductum revocaſſe factum; cùm non tam revocaverit factum per ſe, quàm ſolam facti tantùm circumſtantiam, ſive potius factum per accidens, quod videlicet imprudens in eum invectus eſſet, & quaſi maledixiſſet ei, qui judicis partibus pro iſto tempore fungebatur. Non enim fatetur ſe in eo male feciſſe quod non obvertiſſet alteram maxillam, imò ne quidem in eo, quod ejuſmodi oratione uſus fuiſſet contra percutientem aut percuſſionis

authorem; sed tantummodo in eo, quod per accidens Principem sive judicem populi, cui Deus speciali lege maledicere prohibuerat, veluti maledicto isto petiisset, vocans eum *parietem dealbatum*, & futurum dicens ut à Deo puniretur: tacitè illa ipsa sua ὑπωπιάσεις indicans, tantum abesse ut crimen in eo commissurus fuisset contra hanc Christi legem, quod non accepisset novam injuriam aut maxillarum alteram non obvertisset, ut contra ne quidem crimen ullum futurum fuisset, si idem illud maledictum quod Pontifici dixerat, alteri ista, ut ajunt, qualitate destituto dixisset: & id fortasse non obscurè apparet ex eo, quod Apostolus 2 *ad Timoth.* IV, non dubitaverit simili aut pænè eadem oratione uti contra Alexandrum fabrum ærarium: *Is*, inquit, *multa mala mihi exhibuit, reddat ei Dominus secundum facta ipsius.* Legunt quidem alii pro ἀπόδῳη, futurum ἀποδώσει, sed pauci admodum & sine magnis authoribus, adeoque sine necessitate. Nec enim considerat ibi Paulus Alexandrum istum ut sibi inimicum aut gravem quatenus Paulus erat, sed ut sibi gravem quatenus Apostolus erat, ac proinde divinæ veritatis cursui & glorioso Jesu Christi Euangelio remoras magnas quotidie objicientem, velutique hostem Dei & Christi; quæ res facere potest, ut non dicatur impegisse in legem Jesu Christi, quæ vindictam & talionem in propria tantum caussa, sive privatam, propriè prohibet. Deinde si omnino durum id alicui videri possit, non imprecatur ei mala nisi sub conditione, quæ semper subintelligi debet in hisce & similibus propositionibus, nisi videlicet serio resipiscat. Quo sensu etiam intelligendum est quod dicit, 1 *Cor.* XVI. 22. *Anathema maranatha* (esto) *si quis non amat Jesum Christum.* Et quod *ad Galat.* I. 9. ait, *Si quis vobis euangelizaverit præter id quod accepistis, anathema esto.* Et hactenus de antecedentibus. Consequentia arguunt similiter eundem scopum: *Quisquis te angariabit ad miliare unum, abi cum eo duo.* Nec enim potest intelligi hîc simpliciter cuilibet Christiano præcipi, ut semper duo miliaria cum eo abeat, à quo angariatur ad unum. Quid si enim non velit, aut opus non habeat, plura miliaria conficere is qui angariavit ad unum? quid si comitem eum ulterius nolit? quid si benigne postea dimittere velit? quid si persuadere ei aliter Christianus possit? &c. Necessum est ut intelligatur comparativè Christiano mandari à Christo, potius miliare adhuc unum sponte sua conficere cum violento tali exactore, si ita fieri postulet, quàm ei periculum aut damnum aliquod creare apud Magistratum, propter violentam illam & legibus severè vetitam angariationem, & sic jure suo legibus concesso uti. Ejusdem generis est quod sequitur: *Omni petenti abs te dato.* Nec enim intelligi potest istis verbis simpliciter mandari à Christo, ut qui Christianus est omni petenti statim det id omne quod petit, cùm Apostolus disertè dicat 2 *ad Corinth.* VIII. 13, se non præcipere Christianis ad quos scribebat, ejusmodi liberalitatem, per quam fieret ut aliis esset ἄνεσις, ipsis autem θλῖψις; quod tamen necessarium foret, non tantùm respectu eorum, qui eleemosyna opus haberent, & eam ritè peterent, sed respectu cujuslibet petentis, quicunque tandem is foret, si lex hæc Christi simpliciter & καπὰ τὸ ῥητὸν esset intelligenda. Deinde cum fieri alioquin posset, ut unus uno momento à nobis peteret quicquid nostrum est, ad ipsum usque indusium quo corpus nostrum nudum tegitur, sicque nos & nostros omnes ad mendicitatem & extremam famem ac nuditatem quolibet tempore redigere. Denique quia Apostolus disertè prohibet dare panem ei qui segnis atque iners est, & cum manu sua aut arte victum possit sibi quærere, otium amat & securitati indulget: *Ne edat*, inquit, 2 *Thess.* III. 10. Sed sensus clarus est, si intelligatur alterutrum, vel Christum mandare ut omni, non simpliciter petenti, sed flagitanti, & nisi demus quod petit, vim intentanti, aut extrema quæque minanti, demus potius omne id, quod petit, si videlicet (uti Lucas videtur exponere, *cap.* VI. *vers.* 30.) aliter evadere nequeamus; aut saltem si petens iste indignus sit qui accipiat, vel nos, à quibus petitur, non possimus sine nostro nostrorumve incommodo id dare quod iste petit, ad patienter ferendum omne id quod iste intulerit aut inferre voluerit, parati potius simus, quàm ut propterea ei periculum aut infortunium vel damnum ullum nullo nostro commodo aut fructu creare velimus, aut jure talionis cum eo agere, atque ita privatæ ultioni indulgere cupiamus: vel Christum jubere ut non modo demus ei, qui necessitate adductus à nobis aliquid petit, sed omni, id est, etiam ei qui vel nobis, in necessitate constitutis, & opem petentibus, opem suam negavit; vel qui adeo tenuis fortunæ ac conditionis est ut ab eo vicissim opem exspectare in necessitate non possimus: vel denique quem certo scimus nobis, in necessitate positis, opem suam negaturum esse. Hoc enim tantundem est ac oculum pro oculo velle rependere aut rependi, uti non obscure Lucas indicat. Et hac ratione apparet optimè, quomodo Christus hæc sua dicta opponat isti quod antiquis dictum erat, *Oculum pro oculo, dentem pro dente*, &c. De quo dicto plenius agetur in sequentibus.

*Secundò*, evinci id ipsum diximus ex ipso verborum contextu, si quis fortasse non obstantibus iis quæ diximus, verbis ipsis Christi simpliciter & prout jacent, inhærere velit. Etenim si præcisè iis inhæreamus, apparebit Christum loqui de eo tantùm, non qui actu jam iutulit injuriam aut damnum, id est, actu jam tunicam eripuit; sed de eo solum qui inferre iniuriam, id est, togam eripere vult, & operam omnem dat ut eripiat. Hæc enim sunt verba, τῷ θέλοντι σοι κριθῆναι, καὶ τὸν χιτῶνά σου λαβεῖν: ac proinde contra quem judicio agi non potest alio fine aut animo, quàm ut de tali homine vindicta & pœna sumatur à judice, qualis contra violentos aggressores & invasores legibus statuta est, quam certe severissimam fuisse, hodieque esse nulli non constat. Nec enim judicio agi potest contra talem ut repetatur quod ablatum est: Nondum enim abstulit qui auferre tantum voluit. Nec eum tantum in finem ut à judice inhibeatur quominus similiter posthac peccet. Legibus enim aliæ pœnæ in tales statutæ erant. Ergo necessum est ut contra eum agatur solo animo vindicandi, & retaliandi voluntatem inferendi injuriam. Unde concludo ulterius extendi non posse hoc præceptum Jesu Christi, quàm ad hujusmodi casum, si, inquam, verbis ipsis presè insistatur; proinde ex eo inferri non posse prohibitum esse hac lege Christianis omnibus judicio experiri simpliciter & universaliter, nullo casu excepto. Dices fortasse, verba illa, τῷ θέλοντι, ulterius extendi debere, etiam ad eum usque, qui revera togam eripuit: quod Lucæ verba *cap.* VI. *vers.* 29 videntur arguere. Etenim si non licet judicio experiri contra eum qui eripere voluit, id est, tentavit, etiamsi nondum actu eripuerit, multo minus contra eum qui actu jam eripuit, ideoque jam majoris culpæ & consequenter gravioris pœnæ ac supplicii juxta leges reus est. Respondeo: Esto: extendantur verba ad ejusmodi etiam factum, quod tamen concedere non est necesse ex vi horum verborum quæ ex Matthæo citantur: quin & verosimile etiam est, verbum quo Lucas utitur, αἴροντος, sensum eundem habere ac si dictum esset ἀιρεῖν θέλοντος. In hoc enim casu specialis & nova ratio est, ut videlicet repetam meum, quod mihi per vim ablatum est, quod aliquando sine vindictæ studio aut lædendi intentione ulla fieri potest; id quod in priore casu locum non habebat. Esto, inquam, id fiat, necessum saltem erit, ut non accipiantur verba de alio ullo quàm de eo, non qui per juris speciem, aut sub prætextu aliquo juris, sed qui per vim aut manifestariam fraudem togam eripit; ac proinde cui apud judicem periculum aliquod, si accusetur ob factum istud, creari à te possit. Alioquin enim id quod sequitur, dimitte ei etiam pallium, nullam prorsus haberet vim aut ἰσχύειαν. Nam si is qui togam eripuit judicio contendere velit, id est in judicium pertrahi à te non recusset, quod dicat eam jure suam esse, non autem pallium, quomodo & quorsum pallium etiam dimittetur ei? Quod si etiam pallium suum esse dicat, & judicio contendere ac probare velit illud suum esse, non minus debes pallium dimittere quàm togam ex vi ejusdem præcepti; &, sive talis stet sive cadat causa in judicio, nullum tamen inde periculum ei creari potest. Quocirca necesse est ut de aliquo violenter togam eripiente verba hæc intelligantur. Etenim si quis togam eripuit per vim aut fraudem, eaque propter in judicium vocatus culpæ reus deprehendatur, certum est eum grave supplicium & pœnam in tales maleficos constitutam, incursurum esse, ejusque rei tum causam futurum eum à quo in judicium deductus est. Quod ut ne fiat, monet Christus ut potius pallium etiam dimittas ei, id est, sponte tua des, quam ut ei tale periculum crees, & sic tuam vindicandi libidinem cum tam manifesto periculo ejus expleas. Hoc si ita sit, uti revera esse clarum est, evinco verborum Christi sensum non posse esse eum quem isti volunt. Etenim si is qui togam mihi eripuit, nullo dolo malo, sed errore aliquo adductus, id fecerit, quod existimet eam ad se pertinere & suam esse, paratus eam reddere si auditis rationibus eam mihi judex adsignet, quid, an dicendum est Christi legem mihi obstituram, ne judicio experiar cum tali homine, & sententiam judicis postulem? & quod magis est, velle ut dem potius etiam pallium meum, quam quod meum est innoxiè & jure repetam? O duram legem! Deinde, posito quod aliquis per fraudem & vim mihi eam surripuerit, sed tamen rationibus vim & fraudem suam ita tegere studeat & palliare, ut jure ipsius esse videatur, & cui, si omnino causa cadat, certum sit nullum inde periculum creari posse, eo quod speciem juris obtendat, quid, an lex Christi hic etiam mihi obstabit, quominus meum repetere & jure mihi vindicare queam, etiam cum id ad vitæ meæ meorumque sustentationem (quod sæpe fit) necessarium esse intelligo?

Quid

Quid? an mendicandum & fame moriendum mihi meisque potius erit, ex lege Christi, quàm ut meum sine cujusquam injuria, læsione aut damno per judicem repetam? Quis credat tam ἀθεον, odiosa & pœnè dixerim barbara, à charitate, prudentia & æquitate omni aliena, Christum legibus suis sancire voluisse? Quare ultra casus lege expressos non facilè extendenda est lex, (nisi similes prorsus sint & manifestè eadem in illis ratio militet;) imprimis ab iis qui præcisè verbis ipsis eorumque apicibus inhærere volunt.

*Tertiò*, Ratio etiam manifesta, quam jam ex parte tetigimus, evincit, verba ista Christi non posse ita simpliciter & universaliter accipi. Quia alioquin dicendus esset Christus hac lege sua æquitatem & justitiam pœne ipsam proscribere & damnare voluisse, vel illicitum fecisse id in quo non tantum nulla vel minima ratio indecori aut mali apparere potest, sed manifesta justitia & æquitas conspicitur. Quæ enim ratio mali in eo est, aut quid æquius aut justius reperiri potest, quam ut ego id quod meum est sine cujusquam injuria aut læsione repetam, sive id faciam per me, sive per judicem; imprimis si is à quo ego meum repeto paratus sit judicem adire & mecum sententiæ judicis sese subjicere, adeoque etiam æquo animo ferre quicquid pronunciabitur? Deinde posito quod injuriam mihi fecerit & dolo malo rem meam possideat, quid æquius quàm ut ego, si rationibus cedere nolit, per judicem eum ad officium faciendum, id est meum mihi reddendum, adducere coner, si certus sim periculum nullum inde ad eum redundaturum, etiamsi causa cadat, & aliud ego nihil propositum habeam quam ut meum mihi restituatur? Quid æquius quàm per judicem id agere, ut is qui me meosve vulneravit damnum mihi sarciat? Nec enim vindicta, aut læsio ulla ejus qui vulneravit in ea re sita est. Apparet hæc æquitas clarissime, si consideretur fieri posse, ut is qui rem suam repetit, ea ipsa re opus habeat ad vitæ suæ suorumque sustentationem; is vero qui eripuit, illa ipsa carere possit, aut saltem indignus sit cui ea relinquatur ob multas gravesque causas. Certè ratio recta dictat, iniquissimum videri debere ut Christianus, eo ipso quod Christianus est, non possit licitè, in talibus imprimis casibus, suum repetere, cum id sine ullo vindictæ aut ultionis studio, & non tantùm sine vera læsione aut damno alterius, sed etiam sine periculo ullo læsionis fieri potest. Et certè si id omnino illicitum esset, nec licuisset Apostolo ad Cæsarem sive ab uno judice ad alium provocare. Etenim si simpliciter prohibitum à Christo est judicio contendere, prohibitum etiam censeri debet, per provocationem aut appellationem judicio contendere. Et de hoc quidem loco satis.

## CAPUT V.

### Examen loci 1 *Corinth.* VI. 1. &c. qui affertur ad probandum non licere Christiano judicia civilia exercere.

*Explicatio loci 1 Corint. VI. 1. & sequent.*

SEcundus locus est in 1 *Epist. ad Corinth. cap.* VI. *vers.* 1. *& seqq. usque ad vers.* 9. *Sustinet aliquis vestrum, negotium habens adversus alterum, judicio experiri sub injustis, ac non sub justis? An ignoratis sanctos mundum judicaturos? Quod si per vos judicabitur mundus, indigni estis minimis judiciis? An ignoratis fore quod Angelos judicabimus? nedum ut quæ ad hujus vitæ usum pertinent, non judicemus. Itaque si judicia habeatis de iis quæ ad hujus vitæ usum pertinent, eos qui minimi sunt in Ecclesia, eos, inquam, in subsellis collocate. Pudoris causa vobis dico. Itane non est inter vos sapiens, ne unus quidem, qui possit dijudicare inter fratres suos? Sed frater cum fratre judicio experitur, idque sub infidelibus? jam igitur omnino delictum in vobis est quod judicia habetis inter vos ipsos, quare non potius injuriam patimini? cur non potius damnum accipitis? At vos injuriam facitis & damno afficitis, idque fratres.* Hic locus si rectè introspiciatur, tantùm abest ut judicia exercere Christiano (aut etiam intendere simpliciter, quanquam de hac re nunc non quæritur) prohibeat, ut non obscurè contrarium ex eo colligi possit. Quod judicia omnia Christiano non prohibeat apparet satis clarè ex toto capitis filo: Ac primò quidem statim ex ipso capitis initio, cum ait Apostolus; *Audet aliquis vestrum habere negotium* (seu litem) *adversus alterum sub injustis ac non sub sanctis?* Ex illis enim verbis apparet scopum sive intentionem Apostoli esse increpare Corinthios, 1. non simpliciter quod lites haberent, (possunt enim eæ aliquando innoxiè & per errorem, salva manente caritate Christiana, oriri inter optimos & conjunctissimos:) sed quod judicio experirentur sive litigarent sub judicibus injustis, id est, infidelibus, opponuntur enim τοῖς ἁγίοις. 2. quod non ab aliis infidelibus in jus vocati litigarent, sed quod à se invicem frater à fratre in judicium vocati litem alter alteri intenderent coram profanis istis judicibus, cùm ait, *alter adversus alterum*, quod explicatius *vers.* 6. dicitur, *frater cum fratre.* 3. quod id non facerent propter controversias quæ per errorem inter optimos quosque & conjunctissimos aliquando nasci possunt, sed propter causas admodum indignas Christiano nomine, & occasionem injustis illis judicibus dantes Religionem totam Christianam ludibrio habendi, id est, propter *fraudes & injurias* quas alter alteri in judicio exprobraret & intenderet, uti ex *vers.* 8 videre est, ubi ait Apostolus: *At vos injuriam facitis & fraudatis, idque fratres.* Ex hisce sic colligo; si Pauli scopus & intentio fuisset ipsas lites omnes inter Christianos vetare ac damnare, certè in ipso initio reprehensionis suæ aliter longè locutus fuisset, & quidem hunc in modum; Audet aliquis vestrum judicio experiri contra quenquam, adeoque contra fratrem, imò quod turpius est, audetne experiri sub ipsis injustis judicibus? At verò nunc simpliciter loquitur Apostolus, *audetne vestrum quisquam contra fratrem suum experiri judicio sub injustis, & non sub sanctis?* Quod certè indicio est Apostolum illud tantum damnare ac reprehendere quod sub injustis litigarent, non vero si idem illud sub sanctis fecissent. Ex quo consequitur, nullo verisimili argumento doceri posse, ab Apostolo hæc veluti illicita reprehendi hoc capite: 1. ut fidelis, si ab infideli, postquam omnia pacis remedia frustra tentavit, in jus trahatur, coram judice profano aut non Christiano, in jus eat, imprimis si magnum aliquod damnum ei metuendum sit nisi compareat, & infidelis hac via & ratione, si Christianus litem coram Magistratu infideli persequi renuat, conetur consequi quod injustè appetit, & quod ipsius non esse liquido commonstrari potest. 2. ut frater cum fratre, id est, Christianus cum Christiano judicio agat, si judex sit Christianus, fidelis, aut sanctus. 3. ut fidelis sive Christianus judicium exerceat, sive jus dicat inter Christianos litem alter alteri intendentes. Jam vero posterius hoc non modo non reprehendi ab Apostolo, sed non obscurè tanquam licitum & bonum concedi, imò tantum non mandari & seriò urgeri, manifestè satis ex tribus hisce indiciis colligitur. 1. quum Apostolus in principio capitis oppositè loquitur, *ac non sub sanctis.* Eo ipso enim testatur satis clarè sanctos judices esse & judicia exercere posse, & quidem manentes sanctos. Nam si sanctimoniæ sive veri Christiani titulo exciderent eo ipso quod judicia exercerent, jam sub iis judicio experiri, tantundem esset atque sub injustis judicibus litigare. 2. quia Apostolus alioquin tot verba non fecisset ut probaret sanctos, sive Christianos aptissimos esse ad judicandum. Quorsum enim illud serviret, si Christianis judicibus nullo modo esse liceat? 3. quia multo adhuc minus mandasset ut ex ipso Christianorum numero constituerentur judices ejusmodi litium & controversiarum, quales inter eos agitabantur. Mandat autem & urget id Apostolus: imo affirmat præstare ut vilissimi aliqui ex fratrum numero ad jus dicendum inter fratres deligantur, quàm ut infideles Magistratus adeantur. quanquam dicat deinde, necesse non esse ut id fieret, propterea quod non deessent inter eos qui juris dicendi periti essent, & ad ejusmodi controversias dirimendas maximè idonei. Certè si judicia tum intendere tum exercere Christianis prohibuisset Apostolus, non dixisset absolutè, statuantur judices ex ipsis fratribus, cum ejusmodi lites incidunt, sed dixisset: si nullo omnino pacto fieri potest ut Christiani à peccato litigandi cum Christianis abstineant, saltem ne adeantur infideles, & ne majora mala ex morbo illo litigandi pullulent, potius aliqui ex Christianis constituantur, quam insultores illi adeantur, quia illud minus malum est quàm hoc. At quia absolutè & simpliciter in talibus casibus judices ex fratribus constitui debere dicit, satis ostendit, id Christiano illicitum non esse, aut se pro illicito id non habuisse.

Dices fortasse, Apostolum hoc in loco concedere quidem ut ex Christianis constituantur qui lites inter fratres dirimant; sed diremtiones illas non esse judicia sive sententias tribunalitias, sed tantùm arbitria piorum hominum, quæ sine ulla authoritate litibus interponantur. At verò respondeo; verisimile quidem esse Apostolum de ejusmodi tantùm arbitriis hîc loqui, quia Christianis tum temporis judicibus esse, & cum authoritate, nedum pro tribunali, sententiam dicere non licebat. At inde non rectè colligitur prohiberi Christianis ab Apostolo ut judicia ejusmodi exerceant, cùm tribunalium & subselliorum publicorum jus aut copia ipsis datur. Contrarium potiùs collegerit quis; Si arbitria talia locum habere inter Christianos voluit Apostolus ad dirimendas lites natas inter fratres, quo tempore judicia publica exercere ipsis non licebat, sive cùm aliter fieri non poterat, ut lites dirimerentur inter fratres quàm per arbitria; Ergò non prohibet judicia publica esse inter eos, cum ejus rei occasio datur. Quæso enim si rem ex æquo & bono pensitemus, quid differt fidelis & sanctus judex, præ-

sertim cum bona partium gratia aditus, ab arbitro, nisi quod publicè est lectus juris minister? Deinde quod amplius est, si textum Apostoli & rationem ipsam manifestam consulamus, deprehendemus Apostolum voluisse ut arbitria hujusmodi essent ordinaria quædam judicia inter Christianos, id est, ut arbitri hi constituerentur ab Ecclesia, & veluti judices in subselliis collocarentur, qui de omnibus causis ac litibus inter fratres natis, jus dicerent, & sententiam interponerent peremtoriam, perinde uti profani judices faciebant pro tribunali, ita ut ei acquiescere omnes ad cœtum Christianum pertinentes necesse esset; non verò qui ad singulas lites ab utraque parte litigante cum mutuo consensu utrimque semper pro arbitrio deligerentur. Evinco id ex phrasibus omnibus quæ in textu occurrunt, *vers.* 1: *audet quis judicari*, inquit Apostolus, *sub infidelibus, ac non sub sanctis? vers.* 2: *An nescitis sanctos mundum judicaturos? vers.* 3: itaque si judicia habeatis, καθίζετε τοὺς ἐξουθενημένους ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ *vers.* 5: *Itane non est inter vos sapiens, ne unus quidem, qui possit* διακρῖναι ἀνὰ μέσον τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ, &c. Certè hæc arguunt voluisse Apostolum ut arbitri certi & ordinarii constituerentur, qui lites inter partes dirimerent, & quidem sapientissimi & maximè idonei; adeò quidem ut si vel unus sapiens & idoneus esset, is solus semper adhiberetur. Ut dicamus Apostolum voluisse ut arbitri essent, ut ita dicam, arbitrarii, qui singulis momentis ad causas singulas à partibus utrimque deligerentur, non permittit ratio. Nam fieri facilè poterat ut in arbitris deligendis partes non consentirent, vel saltem pars altera imprimis nocens & fraudis conscia, consentire gravaretur, atque ita litium finis non foret, vel per tergiversationem alterius partis occasio rursus daretur judices profanos adeundi. Quis exitus? Quod si itaque arbitria hujusmodi Apostolus esse voluerit ordinaria quædam judicia, à quibus postquam in ea Ecclesia tota semel consensisset appellare aut provocare non liceret, quæso quid ista aliud reipsa erant, quàm judicia proprie dicta? & quæ ratio vel verisimilis excogitari potest, quod Christiano ejusmodi arbitria exercere liceat, judicia autem non item? Utrobique omnia sunt paria, nisi quod hæc publica sint, illa privata. Utrobique enim eadem authoritas judicandi & ambigua litium dirimendi. Certè qui ista ab Apostolo mandata esse vult, hæc etiam concessa saltem esse ab eo, nisi prorsus prævaricari & vitilitigare velit, fateatur necesse est.

Objiciet fortasse quis iis omnibus, quæ hactenus dicta sunt, verba quæ leguntur *vers.* 7. *Jam quidem igitur ὅλως ἥττημα ὑμῖν ἐστὶν ὅτι κρίματα ἔχετε μεθ' ἑαυτῶν: διὰ τί οὐχὶ μᾶλλον ἀδικεῖσθε.* Hic enim judicia omnia inter fratres tanquam ἥττήματα damnantur ab Apostolo, & mandatur ut injuria potius feratur, quàm frater à fratre in jus vocetur. Resp. Sola hæc verba speciosè adferuntur ex hoc loco pro sententia eorum, qui judicia omnia Christiano illicita esse censent: Sed si bene considerentur, revera solidi nihil ad probandum in se habent. Nam 1. ad summum plus ex iis inferri non potest, quàm, litigare cum fratre, sive litem fratri, id est, Christiano intendere esse ἥττημα sive defectum, & melius esse injuriam pati quàm ob illatam apud judices litigare: neutiquam verò esse ἥττημα judicia exercere, sive litigantes dirimere, de quo tamen propriè hic quæritur. Id enim per nullam justam consequentiam inde educi poterit. Sed 2. si rem penitus introspiciamus, apparebit nec istud quidem hîc affirmari ab Apostolo, quod ipsum litigare sive litem fratri intendere per sese prohibitum sit Christiano, & sic ἥττημα sive delictum sit: sed longè aliud quid. Hoc ut intelligatur, dicimus locum hunc multis modis exponi posse, & quidem ita ut illud quod authores isti volunt, nullo modo ab Apostolo intendi aut intelligi manifestum sit. 1. ut Apostolus hîc non doceat ipsas lites delictum esse, sed ex eo quod fratres inter se ita, uti faciebant, litigarent, apparere aliquod delictum inter eos esse, nempe fraudem & injuriam alteri ab altero fieri: non quod ex omnibus litibus id appareret; (quamquam verba indefinitè prolata universalia esse videntur) sed ex istiusmodi litibus quales illi inter sese tum agitabant, de injuria & fraude quam alter alteri intulisset. Ita enim eas expresè describit *vers.* 8. Apostolus, cum ait: *At vos injuriam facitis & fraudatis, idque fratres.* Judicia itaque intelliguntur illa vel talia in quibus de fraude & injuria vitanda agebatur. Unde consequitur verba illa quæ sequuntur *vers.* 7, *Quare non magis injuriam accipitis, cur non magis fraudem patimini?* hoc sensu prolata esse ab Apostolo, ut significent, cur non potius injuriam patimini, & fraudem vobis fieri sinitis, quam postquam fraudem & injuriam feciſtis alii aliis, tandem adhuc etiam litigetis? nisi ὡς litigetis, aut κρίματα ἔχετε, ita accipiatur, ut significet alterum ad litigandum impellere, fraude scilicet atque injuria. adeò ut nullo modo sensus Pauli sit, debere potius hominem Christianum fraudem & injuriam pati, quàm ullo modo litigare aut judicio agere cum aliquo ex fratribus.

2. Quod si cui hic sensus non placebit, ille videat utrum loci sensus hic non sit. Ex his jam igitur concludo: quandoquidem adeò facilè arbitros aut judices constituere potestis ex medio fratrum vestrorum, &, si ita uti facitis, litigetis alter cum altero coram profanis judicibus istis, religionem Christianam probro ac ludibrio quantum in vobis est prostituitis apud eos, utique defectum esse in vobis quod habeatis lites & judicia inter vos, (ejusmodi scilicet coram infidelibus & injustis istis Magistratibus:) ita ut vox *judicia* sive κρίματα hoc loco accipiatur tanquam si legeretur; Talia sive istiusmodi judicia, coram talibus. Et ita accipi debere contextus non obscurè videtur arguere; Quia in eo expresè dicitur: οὐ κρίματα ἔχετε μεθ' ἑαυτῶν, in præsenti indicativo dicit, quia jam ἔχετε, non autem ὅταν ἔχητε, quando illa habetis. Loquitur ergo de iis judiciis quæ tum habebant & exercebant. At si judicia habere simpliciter & absolutè prohibuisset Apostolus, dixisset verisimiliter: defectus est, si inter Christianos judicia ulla locum habeant, sive defectus est in vobis quandocunque & qualiacunque inter vos judicia habetis. Deinde nisi ita interpretemur hæc verba, videri posset Apostolus etiam ἥττημα sive delictum vocare, judicia sive lites habere coram fratribus sive Christianis, & quidem qualescunque eæ etiam esse possint. Generaliter enim loquitur Apostolus: imò verò videri posset Apostolus ipsa etiam arbitria pro delictis habere, eaque illicita censuisse, quæ tamen sanctis antea expresè satis concessit. Si enim Christiano non licet arbitrium deferre, nec licet eidem arbitrium admittere. admitteret enim peccatum. Sed ut ut hoc sit, dicendum certè foret vocari ab Apostolo peccatum, si exempli gratia duo fratres de jure suo incerti, fratres Christianos adeant, aut si aliquis, ut viduam aut pupillum defendat, aut domui suæ consulat, aut ut habeat quod pauperibus largiatur, juri suo confisus ad judicium aut arbitrium fratrum Christianorum provocet, nullo interim odio flagrans, sed æquo animo laturus quicquid judicatum fuerit. Quis æquus rerum æstimator credat Apostolum ἥττημα vocare tam notoriam justitiam & æquitatem?

Quod si quis nihilominus verba indefinitè ab Apostolo prolata, universaliter sive absolutè & simpliciter accipere velit de omnibus sine discrimine judiciis, quod tamen iniquum valde foret, cum indefinita pro natura subjectæ materiæ fiant particularia, aut limitatè accipi debeant, ille sciat 3. dato etiam, sed non concesso, id ita se habere, ex eo tamen ad summum, si verbis etiam præcise insistere velimus, aliud nihil concludi posse, quàm ab Apostolo vocari illud non ἁμάρτημα, sed ἥττημα: quia scilicet sicut præclari atque excelsi est animi suum amittere potius quam judicio prosequi, ita nullum de ea re præceptum Christi extabat. Et confirmabit hanc expositionem non tantùm proprietas aut propria & usitata vocis ἥττήματος qua hîc utitur Apostolus, significatio, quæ etiam à non paucis interpretibus annotata est, sed eidem juncta ratio loquendi, qua statim deinde utitur Apostolus, cum ait: *Cur non potius injuriam patimini; cur non potius damnum accipitis?* Ita enim non loqueretur Apostolus, si Christiano jus suum prosequi & judicio agere nullo modo liceret, sed necessariò ex legis Christi præscripto ab omni judiciali actu prorsus abstinendum foret. Etenim ratio ista loquendi, *Cur non potius*, non importat malè facere aut peccare eos, qui judicia ista habent; sed ad summum minus generosè agere, aut non ita forti animo esse eos, qui jus suum prosequuntur, quam qui jure suo cedere malunt, ne litium molestiis & turbis implicentur; imprimis quæ sine dedecore aut infamia partis alterius finiri vix possunt, quales erant hæ de quibus hoc loco Apostolus agit. Si peccatum propriè dictum id censuisset Apostolus, dixisset, cur id facitis, non autem cur non *potius* hoc facitis quam illud? Neque enim potius virtus facienda est quàm vitium, sed virtus simpliciter facienda, non autem vitium. Non dissiteor quidem videri aliquando particulam comparativam μᾶλλον redundare in Scriptura sacra, sed id in hujusmodi fertis monitionibus & præceptis non facile est admittendum. Interea tamen, ut hoc obiter addamus ad majorem lucem, cum Apostolus dicit, Potius esse ferendam injuriam Christiano quàm jure agendum vel litigandum, notandum est non videri debere ab Apostolo id ita absolute atque universaliter affirmari, tanquam si Christianus optime tum semper ageret, cum ita agit. Casus enim ejusmodi incidere possunt, ut Christianus qui ita agit nec generose nec prudenter agere censeri debeat. Quare amuleto & cautione opus habet hoc dictum Apostolicum, (uti & pleraque talia, quæ per phrasin, *cur non potius?* suaderi solent:) & quidem hujusmodi: Quando videlicet is qui injuriam vel fraudem accepit, suum repetere non potest sine ingenti aliquo damno, aut periculo saltem ejus qui injuriam aut fraudem fecit: puta quan-

ta quando ex lite, alioquin innoxia, magna incommoda, diſſenſiones & divortia animorum, aliave ſimilia mala oritura eſſent: vel cum alioquin damnum quod quis accepit, tantum non eſt, ut propterea ipſum aut eos qui ad ipſum pertinent, & quorum cura ipſi demandata eſt, eſurire aut neceſſariis ad vitam degendum deſtitui neceſſe ſit, & interim damnum aut detrimentum aliquod majus, ſi propter illud litiget, ad Eccleſiam redundare ac provenire poſſe creditur. Quid ſi verò per injuriarum & fraudis tolerantiam, aut negligentiam futurum ſit, ut quis ſeipſum ſuoſque damno rerum neceſſariarum multet, cum alioquin etiam ſine damno, aut damno ſaltem ingente ejus qui injuriam & fraudem fecit, ſuum poſſit repetere, utique nec generoſi nec prudentis animi foret, in tali caſu deſiſtere malle à proſequendo jure ſuo, & cum ſuis ſine neceſſitate eſurire ac ſitire malle, quàm jus ſuum perſequi. Abjecti potius foret ac ſupine negligentis hominis, quique domui ſuæ, vel iis quorum cura ipſi demandata eſt, puta liberorum, viduarum, orphanorum, pupillorum, &c. præeſſe aut non norit, aut non velit, tam parum rerum ſuarum ſatagere. Et hinc emergit ratio etiam manifeſta ac palpabilis, qua evincitur judicia aliquando tum intendere tum exercere Chriſtianis non eſſe interdictum. Actus juſtitiæ quibus ſuum quiſque repetit, aut ſuum cuique aſſignatur, ſine cujuſquam injuria aut noxa, ſunt per ſeſe & ex natura ſua vel intrinſecè boni, proinde Chriſtianis à Chriſto minime vetiti. At judiciorum quæ tum intenduntur tum exercentur actus, ſunt actus juſtitiæ quibus ſuum quiſque repetit, aut quibus ſuum cuique adſignatur, ſine cujuſquam injuria aut noxa. (ubi enim vel vindicta, vel magna læſio alterius intervenit, ibi ſpecialis quædam ratio eſt, quæ plane per accidens cenſeri debet.) Ergo per ſeſe boni & à Chriſto Chriſtianis non ſunt vetiti.

Alia quædam quæ adverſus lites adferri ſolent, ea mihi (ut verbis emphaticis Clariſſimi viri & omnigenæ eruditionis fama ac laude digniſſimi D. Grotii utar, in Annotat. ſuis nondum editis, ad *Matth.* V. 40.) *videntur circumſtantias ſatis frequentes litium magis quam ipſa judicia reſpicere. Nec diffiteor ſane ſi ſpectemus ea quæ plerumque ſolent litibus accidere, animos exulceratos, vafras artes, fines fine ampliatio, impendia, avocatio à negotiis melioribus, odia denique, indubium eſſe quin vir bonus & prudens, ſi poſſit, libentius ſit iturus ad arbitrum, aut etiam quavis tolerabili pactione tot moleſtias redempturus. Non improbat Prætor* (inquit Ulpianus) *factum ejus qui tanti habuit re carere, ne propter eam ſæpius litigaret. Hæc enim verecunda cogitatio ejus qui litem exercturus non eſt vituperanda. Certè de veteribus Chriſtianis, qui non tam ſubtiliter quàm fieri nunc ſolet conſilia à præceptis diſtinguebant, ſed in omnibus rebus id ſectabantur quod erat optimum, dixit Athenagoras, ὁ διορίζονται τοῖς ἀγωνίζεσι.* Idem à Chriſtianis hoc tempore fieri æquum eſt. ac proinde hæc tria diligenter ſemper attendenda iis ſunt: 1. ut quavis tolerabili pactione tranſigere potius ſtudeant, quam ad lites veniant. 2. ut non niſi gravi neceſſitate urgente litem alicui intendant, aut in jus eant. 3. ut animum à propriæ vindictæ & læſionis alterius ſtudio quàm longiſſime ſemper remotum atque alienum gerant.

Sed hæc omnia magis ſpectant eos qui litem intendunt, quàm qui judicia exercent ad dirimendum lites. Hoc interdictum eſſe, ne γνῶ quidem eſt quod vel leviter indicet in loco ſupra allegato. Hæc cauſſa eſt cur alii exiſtiment, Chriſtiano non eſſe interdictum ſimpliciter illa judicia exercere, videlicet civilia, ſive ea ſint verbalia ſive realia, ſed ea tantùm quæ criminalia dicuntur & corporalem aliquam punitionem poſt ſe trahunt, quippe quæ ſine vera læſione proximi conſiſtere non poteſt, quam legibus Chriſti aut genio doctrinæ ejus repugnare aſſerunt. Expendamus itaque, ſi placet, hanc membri noſtri partem alteram.

## CAPUT VI.

### Non repugnare doctrinæ Chriſti ut Chriſtianus judicia criminalia exerceat. Expenditur locus *Matth.* V. 38, quo id prohibitum eſſe putatur.

AN repugnet genio Doctrinæ Jeſu Chriſti ut is qui eam profitetur judicia exerceat criminalia.

Qui id affirmant, ii quantum colligere poſſum, ferè nituntur legibus illis Jeſu Chriſti, quibus Chriſtiani jubentur non reſiſtere malo; *Matth.* V. 38. ſeipſos non ulciſci; iræ locum non dare; malum bono rependere: *Rom.* XII. 19. 21. & pluribus aliis: Diligere inimicos ſuos, &c. *Matth.* V. *verſ.* 43. remittere debitoribus ſuis: *Matth.* VI. & XVIII. *Coloſſ.* III. 13. Denique omnibus illis locis quibus lenitas, manſuetudo, clementia Chriſtianis commendatur & præſcribitur. Videamus ſingula.

*Explicatio loci Matth. V. 38.*

Primus locus eſt *Matth.* V. 38. ubi Chriſtus ait; *Audiviſtis dictum fuiſſe, oculum pro oculo & dentem pro dente. Ego verò dico vobis, ne reſiſtite malo; ſed qui te cædet in dextram tuam maxillam obverte ei & alteram, &c.* Reſp. Locus hic, qui palmarius ferè eſt inter cæteros, ſi paulò accuratius ventiletur & excutiatur, nihil habere ſolidi comperietur ad probandum ſententiam eorum, qui Chriſtiano illicitum eſſe cenſent judicia criminalia exercere. Ut id fiat à nobis, dico primum, mirum meritò videri debere, qua ratione authores hi locum hunc ad ſententiam ſuam adſtruendum allegent. Etenim aut volunt leges has pro ea facere κατὰ τὸ ῥητὸν, prout jacent: aut κατὰ τὸν διάνοιαν ſive ſcopum Chriſti qui eas tulit. Primo modo eas pro ſententia ſua facere, dicere non poſſunt, quia leges generaliter loquuntur ut improbo non reſiſtatur, ut diligatur inimicus, ut remittantur debita, &c. proinde excludunt non ſolam reſiſtentiam criminalem, ſed quamlibet, ſi litera nuda ſpectetur. Si ſecundo modo eas pro ſe facere velint, jam dicant neceſſe eſt & probent ſcopum Chriſti in legibus iſtis ferendis fuiſſe prohibere ſolam & quamlibet improbi punitionem aut caſtigationem corporalem. Hoc ſi ſolide facere nequeant, imò ſi probari poſſit ſcopum Chriſti longè alium fuiſſe, videlicet prohibere ſolam ejuſmodi punitionem, quæ cum vindictæ & retaliationis ſtudio conjuncta eſt, quæ proprie non in iis, qui judicia exercent, ſed in iis qui lites interdunt & in jus veniunt, locum habet, non poteſt hujuſmodi locorum allegatio ullo modo ſervire ad probandum intentum eorum. Dicent fortaſſe ſcopum loci manifeſte ſatis liquere ex eo, quod dictum hoc Jeſu Chriſti, *Ne reſiſtite malo*, opponatur dicto illi, *Oculum pro oculo, & dentem pro dente*; ac proinde exponendum neceſſario ſit, ne reſiſtite malo, ita ut oculum pro oculo, dentem pro dente repoſcatis. Reſp. Eſto. (Habet enim hoc nonnihil probabilitatis.) At nullo certo, imo ne quidem veriſimili argumento, colligitur ex hoc loco Chriſtum opponere præceptum ſuum iſti quod antiquis dictum erat, quateus id Magiſtratum Judaicum & judicia publica ſpectabat, ita ut concludi inde poſſit Chriſtum prohibuiſſe Chriſtianis, ut judicia publica etiam ſecundum legem illam exercerent. Quin imo clariſſima ſunt indicia, ex quibus patet Chriſtum non opponere præceptum hoc iſti, quatenus ad Magiſtratum pertinebat, ſed tantummodo libertati ſive licentiæ illi, quæ privato cuique Judæo permiſſa erat, ut contra eum à quo læſus vel damno affectus erat, jure talionis experiretur, & ab eo oculum pro oculo ſibi effoſſo, dentem pro dente ſibi excuſſo per judicem à Deo authoratum repoſceret. Licentiæ dico & libertati illi, quia veriſimilius, adeoque certum eſſe crediderim, privatis non mandatum, ſed permiſſum fuiſſe, ut per judicem injuriæ acceptæ compenſationem exigerent: quanquam perinde id nobis hoc loco eſt, utrum id illis mandatum ſive permiſſum dicatur. Neque enim de privatis jam agimus; & quod iis interdicatur hoc loco jure talionis agere utrimque in confeſſo eſt, ſive id ipſis antea permiſſum tantum credatur, ſive etiam mandatum. Ad rem: ſi volumus Chriſtum Jeſum opponere ſuum præceptum præcepto iſti, quatenus Magiſtratum ſpectabat, quem Deus juſſerat judicium talionis exercere, id eſt, par pari rependere, tum neceſſe eſt ut dicamus Chriſti præceptum interpretandum eſſe hunc in modum: Audiſtis olim in Lege Moſis mandatum eſſe Magiſtratui ut oculum pro oculo, dentem pro dente repeteret: Ego verò jam vobis Apoſtolis & diſcipulis meis dico & mando, ut vos judicium hujuſmodi non exerceatis, neque ſecundum legis hujus tenorem impoſterum ſententiam feratis. Quam interpretationem quis non videt prima ſtatim fronte coactam & ineptam eſſe? Quomodo enim ſubditis, qui Magiſtratus non erant, imò Apoſtolis, quos Magiſtratus nunquam futuros certum erat, hoc recte & appoſitè dictum credi poteſt? Quod ſi omnino iis id dictum velimus, neceſſariò ſaltem tum ſubaudienda erit hæc parentheſis, Si quando fiat ut Magiſtratum geratis. At quam hoc longe petitum eſt? quam eſt frigidum & dilutum? Deinde an non eo ipſo ſaltem ſupponetur, Chriſtum indicaſſe illos Magiſtratum gerere jure poſſe, & interim non poſſe nec debere reſiſtere hac qua dictum eſt ratione malo? At quàm ſunt hæc duo ἀσύστατα? Deinde ſecundò, id quod immediate ſtatim ad explicationem dicti illius generalis, *Ne reſiſtite malo*, à Chriſto ſubjungitur, manifeſte ſatis arguit, dictum illud ita neutiquam interpretandum eſſe. Obſecro enim cùm Chriſtus ſeipſum ſtatim explicans dicit, *Sed ſi quis te percuſſerit in maxillam unam, obverte ei & alteram*: item, *ſi quis te angariaverit ad milliare unum*: item, *omni petenti da* &c. an illud ullo pacto ad Magiſtratum referri poteſt? Certe Magiſtratui qua tali maxilla non percutitur; nec Magiſtratus qua talis maxillarum alteram poteſt obvertere; nec Magiſtratus

qua talis angariatur aut angariari potest; neque Magistratui tunica eripitur: nec Magistratus proprie dimittere potest pallium; cum Magistratu, qua tali, judicio non contenditur. Hæc omnia nimis clare arguunt Christum præceptum hoc suum dare privatis & subditis, quà talibus; quibus Lex permittebat jure talionis experiri contra eum à quo læsi erant aut damnum aliquod acceperant: ac proinde verba legis illius, *oculum pro oculo, dentem pro dente*, quatenus hîc à Christo citantur, aliud nihil velle quàm oculum alterius pro oculo tuo proprio ab illo effosso, dentem alterius pro dente tibi excusso nolo ut repetas: (hoc enim aliud nihil est quàm vos ipsos tantum ulcisci & purè putè vindictam vestram explere, quia absque ullo commodo vestro, solummodo cum detrimento & incommodo ac damno valde gravi alterius id fiat necesse est, quod turpe & fædum esse ipsa ratio recta dictat.) Non autem, Nolo ut tu Magistratus existens punias quenquam, & si ita necesse sit, oculum effodias illi qui oculum non tuum sed alterius effodit. Hîc enim nulla ratio est; quin imo totum hoc sine ullo vindictæ aut ultionis privatæ studio, ex solo tantùm justitiæ & boni publici amore proficisci, & cum maximo aliorum commodo atque emolumento, quos exemplum istud à similibus peccatis faciendis aptum natum est deterrere atque avertere conjunctum esse potest. Sed quidquid sit, Christum eo respexisse aut id docere voluisse, quod isti volunt, idque potissimum, tam est alienum à textu, quam quod alienissimum.

Excipies fortasse: Christum primâ quidem intentone sua non velle judicia criminalia tollere & prohibere Christianis ne illa exerceant, sed secundariò sive indirectè tamen velle, ut Christiani non adspirent ad officium illud, aut si offeratur, gerere detrectent, ne oculum pro oculo & dentem pro dente reposcere & sic malo resistere cogantur. Respondeo: Id ex verbis hisce colligi nullo modo potest, cùm ex ipsis Christi verbis patere satis liquidò demonstratum jam ante sit, Christum agere de aliis nullis quàm iis qui injuriam patiuntur, & qui obtentu aut beneficio Legis illius, *oculum pro oculo*, &c. talionem damni aut injuriæ acceptæ per Magistratum à Deo ipso ad Legem istam exsequendam constitutum exigere poterant, sive id facerent ex animo vindictæ & ultionis studio inflammato, sive alia quadam causa moti atque impulsi. Hujus enim causæ impulsivæ ratio tum temporis nulla habebatur, dummodo quis non ipse sese sed per Magistratum ulciscerentur. At Magistratus, quà talis, injuriam non patitur: (Nec enim Magistratui oculus effoditur, nec dens excutitur, nec pes mutilatur, &c.) nec Magistratus qua talis postulat talionem aut compensationem injuriæ aut damni sibi propriè illati, id est, non exigit vindictam pro oculo sibi effosso, aut dente sibi excusso, sed tantummodo officium à Deo sibi imperatum facit, & justitiam Lege Dei præscriptam, procul omni odio & vindictæ studio, administrat. Quare ex eo quod vetatur Christiano ut injuriam sibi illatam talionis jure vindicet, non potest nec directe nec indirecte colligi, vetari etiam ipsi ut Magistratum gerat; quia qua Magistratus est, injuriam non accipit, & illatam injuriam vindicare potest & debet sine ullo vindictæ aut ultionis privatæ studio, ex solo amore justitiæ, in bonum societatis cui præfectus est. Deinde, quod magis est, quia fieri non potest ut quà Magistratum gerit, injuriam accipiat, aut, si accipiat, ut qua Magistratus est, injuriam istam vindicare aut jure talionis compensare possit. Hoc enim nec Leges ipsæ gentium, nec divina ipsa Lex permittebat. Quisquis enim injuriam aut damnum acceperat, ei necesse erat ejus talionem, non per seipsum, sed per alium, puta per solum Magistratum, qui in sua persona proprie læsus non erat, ac proinde idoneus ad judicandum erat de facto isto, exigere. Nemini enim in sua propria causa judici esse licebat. Quod si quis nihilominus pertendere contra omnem rationem velit, Christum indirecte hujusmodi etiam judicia abrogare voluisse, is consideret velim hæc duo. 1. An non itaque concedere debeat, ut ego pari jure ex eo concludam & colligam, Christum unius hujus particularis Legis abrogatione, voluisse simul ac semel abrogare totam Rempub. Judaicam, & indicare fieri non posse ut quisquam verus Christianus esset & salvaretur, qui in ea munus ullum judiciarium post illud tempus gereret? Utique. At cui cordato vel verisimiliter persuadebitur, Christum jam tum damnasse totam Rempub. Judaicam ut profanam, & eos qui in ea munus aliquod Magistraturæ gererent à spe salutis Christianis promissæ seclusisse? &, quod amplius est, Christum unius particularis legis abrogatione totam rempubl. & universum Judaici populi regimen, quale tunc erat, labefactare & evertere voluisse? An non Lex ista talionis abrogari poterat, quanta quanta erat, & nihilominus sarta tecta constare Reipub. compages, & judiciorum criminalium exercitium? Quotus quisque populus nonc est ubi Lex talionis viget? Et tamen Magistratura & judicia etiam criminalia ibi locum habent. Deinde 2. an non ex eo etiam mihi concludere licebit eodem jure, Christum indirecte etiam tollere voluisse jus parentum in liberis nocentibus castigandis, aut corporali ulla pœna afficiendis iis qui fratres suos pugnis, fustibus, aliisve modis lædunt: jus præceptorum in discipulis rebellibus, immorigeris, & condiscipulorum percussoribus, aliosve enormi injuria afficientibus, puniendis: Jus dominorum in servis segnibus, præfractis, aut infidis, & conservos suos cædentibus simili supplicio plectendis: ne videlicet hac ratione malo resistant, &, si non oculum pro oculo, saltem livorem pro livore, plagam pro plaga non rependant. Quo quid absurdius, & evertendæ omni disciplinæ atque ordini, in omni societate per quam utili & necessario, efficacius?

Perges fortasse excipere: si itaque Jesus Christus ne quidem indirecte voluit abrogare legem illam, quatenus Magistratum spectabat, poterunt adhuc salvis Christi Legibus locum habere inter Christianos judicia, quibus exigitur oculus pro oculo, dens pro dente, &c. Respondeo 1. Nihil absurdi consecuturum ex eo, si id omnino concederem. Nec enim tum cùm hæc Lex à Christo ferebatur, recte inferri poterat, si Christus læso prohibet supplicium ultionis & vindictæ exigere ab eo qui læsit, ergo statim judici etiam prohibet lege agere, cùm causa talis læsionis in judicium venit. Judex enim non tantum poterat, sed tenebatur lege agere, & sententiam secundum legem dicere, quamdiu lex quatenus ipsum spectat adhuc vigebat, & expresse abrogata non erat. Et contrarium est hic manifestum, quia Mosis Lex isto tempore, cum hanc Legem Christus ferret, manebat adhuc tota, nulla in parte ab ipso infracta aut imminuta, uti ipse fatetur hujus *cap. vers.* 17. Poterat autem Christus salva lege imperare læso ne talionem postularet, quia hoc Lex illi non imperabat, sed concedebat. Nihil autem contra Legem facit, qui concesso non utitur. Ita contra Legem nihil fecit Joseph, quando Mariam noluit παραδειγματίσαι. cùm eam adulteram esse suspicaretur. Dicitur enim id noluisse facere quia justus erat. Potuisset quidem si voluisset jure suo uti, sed Lege non adstringebatur. Alia enim ratio in adulterio, alia in idololatria erat. At judici interdicere, ne secundum Legem judicaret, incolumi lege non poterat; quia hoc Lex non permittebat judicis arbitrio, sed districtè & addita comminatione ei imperabat, uti videre est *Deut.* XIX. 11. Quod si ita sit, consequitur Christianos Magistratus vi etiam Legis hujus à Christo latæ neutiquam obstringi ut Lex hæc, *oculum pro oculo*, &c. inter ipsos locum amplius habere non possit, & ipsis secundum eam Legem sententiam dicere non liceat. Dico vi *huius Legis latæ*. Nam ex alia causa fieri potest, ut Legem illam populo Judaico olim latam à Christianis abrogari æquum sit, quanquam ex altera parte fieri etiam posse fateor, ut talia incidant tempora, & tam effrænes & corrupti mores Christianismum invadant & occupent, ut Legem hujusmodi revocare & ferre iterum necesse sit, si videlicet ingentia quædem mala evitari aliter nequeant. Etsi enim Leges Mosis una cum excidio Reipub. Judaicæ conciderint, tamen cum Christi præcepto non pugnat, ut ii qui ne tum quidem cum eæ publicarentur, iis obstringebantur, easdem aut similes Leges hodie iterum ferant, cum extrema necessitas ita fieri postulat. Unde consequitur iis parendum etiam esse, non quidem quatenus Mosis Leges sunt, sed quatenus Leges sunt eorum qui eas ad bonum societatis cui præfecti sunt, & ad majora mala evitandum, unice necessarias arbitrantur.

Sed dico 2. affirmari posse nullo modo id sequi quod infertur, si verum est quod à quibusdam statuitur, Judaico Magistratui necessitatem nullam impositam fuisse ut Legem hanc exsecutioni mandaret, nisi ipse privatus læsus injuriæ talionem ab ipso poscret. Tali enim casu dato, tum demum vi Legis hujus obstrictum fuisse volunt Magistratum ad jus dicendum secundum Legis hujus præscriptum. Quod si verum sit, apparet eo ipso quod suis discipulis non amplius permittat Jesus Christus talionem exigere per Magistratum; (per se ipsum enim nemini exigere licebat:) Legem hanc inter Christianos locum amplius habere nec posse nec debere; cum iniquum sit ut Magistratus Christianus legem tam rigidam ac severam ferat & exsequatur pro arbitrio, quam ipse Judaicus Magistratus exsequi necesse non habebat, nisi privatus vindictam exigeret. Et adferri possunt rationes pro sententia eorum qui ita sentiunt non omnino improbabiles, quamquam etiam eæ mihi non omnino apodictice esse videntur. 1, Quia *Exod.* XXI, ubi de talionis jure agitur, *vers.* 22. legitur: *Si viri duo rixati fuerint, & percusserint mulierem prægnantem, ita ut egrediantur nati ejus, &c. puniendo punietur*, sed NB. *quemadmodum imposuerit ei maritus mulieris, & dabit secundum judices.* unde verisimiliter colligitur, si maritus mulieris eum non accusaret, aut imponeret ei mulctam

ei mulctam sive pœnam luendam, judices etiam cessaturos fuisse. 2. Quia expresse *Deut.* XIX. 15. 16, &c. usque ad finem, judicibus mandatur, ut cum lis aliqua est inter duos ante tribunal ipsorum, & qui accusat testem adhibet, quo injuriam aut damnum sibi illatum probare nititur, ipsi diligenter inquirant quid de re tota sit, &, si deprehendant testem esse mendacem, faciant ei quemadmodum facere ipse NB. cogitaverat fratri suo, & tum jure talionis contra talem agant: *Animam pro anima, oculum pro oculo,* &c. libera hæc intentatio litis, testium productio & examen, indicare videntur judicem non ante obstrictum fuisse ad jus dicendum, quàm ista primum præcederent. Et ratio fere postulat ut ita fieret: Quia cum læsiones hæ fere privatæ essent inter duos aut tres, si alter alterum accusare nolebat, fieri vix poterat ut Magistratus rem totam & rei qualitatem pro merito cognosceret, & sic justam talionis pœnam penderet. Testes non adhibebantur, ut videtur ex hoc loco, nisi ab accusatore ipso. Hoc deficiente, illorum testimonium parvi admodum erat momenti, aut non exigebatur. Sed quid de hisce rationibus censeri debeat, jam non disputo: sufficit eas indicasse. Neque enim in iis pondus aut momentum aliquod colloco. Ex hisce jam patere satis puto locum hunc non facere ad probandum id quod authores isti intendunt, & aliud nihil continere quàm privatiæ vindictæ & Judæis olim permissæ talionis prohibitionem, sive ea in jure sive extra jus, id est, sive propria manu, (quod tamen Judæis etiam prohibitum erat nisi in uno atque altero casu) sive per Magistratum (quod ipsis concessum erat) exigatur.

Dicet fortasse quis, hanc ipsam ob causam, quod punitio quæ per Magistratum fit, vindicta sive ultio aliqua sit, judicia criminalia, quæ punitionem post se trahunt à Christo prohibita censeri debere. Resp. Si vindictæ sive ultionis & ἐκδικήσεως vox generaliter accipiatur, uti aliquando fit, punitionem, quæ à Magistratu fit, ultionem sive vindictam aliquatenus dici posse, eo quod per pœnam aliquo modo vindicetur crimen commissum: unde *ad Rom.* XIII. 4. Magistratus appellatur ἔκδικος sive ultor εἰς ὀργὴν τῷ τὸ κακὸν πρᾶσσοντι, & 1 *Pet.* II. 14. esse εἰς ἐκδίκησιν κακοποιῶν. Sed si propriè vox ista & ex usu suo communi accipiatur, nullo modo id quod facit Magistratus vindictam aut vindictæ speciem posse appellari. Vindicta enim supponit per se, ex natura sua, injuriam illatam ei, qui vindicat. At cùm Magistratus punit, non supponitur injuria quæ ipsius personæ, sed quæ alteri cum quo ille communionem nullam habet, illata est. Deinde multum admodum differunt ultio & pœna, sive causam & originem, sive adjunctum utriusque sive denique finem videas. Ultio ex ira postulatur: *Judex vero,* ut inquit Seneca, *nunquam minus irascitur quàm cùm punit.* Ultio exigitur cum voluptate, *Namque est vindicta bonum vita jucundius ipsa:* Pœna cum dolore & animi commiseratione intima fere infligitur, etiam sceleratissimis & sævissima quæque supplicia commeritis. Exigitur ultio ut satisfiat animo ejus qui læsus est: Pœna ut satisfiat justitiæ, ut peccans à peccando retrahatur, ut boni & probi vitam transigant quietam & tranquillam cum omni pietate & honestate, & ut cæteri omnes metu istius, si amore virtutis nolunt, in officio retineantur, aut à male agendo cohibeantur. Hæc quàm longe diversa sint, facile videre est. Ex hisce itaque non obscure colligere est, quod loca ista omnia, quibus Christiani jubentur seipsos non ulcisci, iræ locum dare, malum bono vincere, & similia, nihil omnino faciant ad probandum id de quo hîc quæritur. Aliud enim est ulcisci se, irasci, à malo sive injuria illata vinci; aliud punire: Fieri enim potest, imo vult Deus fieri, adeoque fieri debet, ut is qui punit, etiam cùm gravissimè & severissimè punit, seipsum tamen non ulciscatur, & ab ira quàm longissimè sit remotus & alienus. Et is qui punit, adeò ægrè ad puniendum venit, ut nisi majus periculum metuendum foret, à punitione ipsa superfedere & prorsus abstinere mallet, quàm eam infligere; ut in patre filium rebellem castigante & puniente, sole clarius videre est. Is autem qui ultionem quærit & vindictam, nihil prius potiusque habet, quam animum suum explere malo aut damno ejus qui læsus est.

## CAPUT VII.

### Expenditur locus Matt. v. 43, quo Christianis judicia criminalia exercere interdictum esse putatur. Et illa in quibus acceptas injurias condonare jubemur.

*Explicatio loci Matth. V. 43.*

SEcundus locus est in eodem *cap.* V. *Matth. vers.* 43: *Audistis dictum; Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego vero dico vobis: diligite inimicos vestros, benedicite iis qui devovent vos, benefacite iis qui oderunt vos, & precamini pro iis qui vobis sunt infesti & persequuntur vos.* Huic loco junguntur omnia ea quæ dilectionem, caritatem, lenitatem, & viscera miserationum Christianis commendant atque inculcant. Ex hisce concludunt Authores isti, Christiano homini non licere judicia criminalia exercere, quia illa consistere non possunt cum caritate & dilectione inimici, quæ passim, imprimis autem 43. *vers. cap.* 5. *Matth.* præscribitur omnibus. Caritatis enim sive dilectionis effectus est benedictio, beneficentia, oratio, &c. At judiciorum criminalium effectus est læsio: Resp. Ut argumenti quod ex hoc loco aliisque similibus petitur, imbecillitas appareat, redigam illud in formam hoc pacto: Qui diligere debent proximum, imò inimicos suos, &c. iis non est concessum judicia criminalia exercere. Majoris consequentia supra probata est. At Christiani debent diligere inimicos suos, &c. uti ex hoc loco patet. Ergo, &c.

Respondeo: Si argumentum hoc recte formetur, solidissimum est. Formabitur autem recte, si in majore addatur quod addendum est, videlicet iis non est concessum judicia criminalia exercere contra inimicos suos. Hoc enim certum est, & communi omnium gentium suffragio approbatum: Neminem judicem esse debere in causa sua; &, contra judicem inimicum à reo jure excipi posse. Etsi enim fieri quidem absolute possit, ut qui judicia criminalia exercet, in causa inimici sui paratus sit, inimicum suum absolvere, & contra seipsum sententiam dicere, si jus pro inimico suo militare videat, idque motus vel Lege Christi, *Diliges inimicum tuum,* vel Lege ipsa æquitatis: tamen quia præsumtio semper est in contrarium, censetur id illicitum jure communi gentium, & populorum omnium. At si argumentum formetur eo quo nos formavimus modo, & uti formari debet, si ad probandum quippiam, ex hoc loco adsumatur, jam apparet prima statim fronte majoris inconsequentia. Nam quæ ratio est; quod iis qui diligere debent proximum, adeoque inimicos suos, &c. non sit licitum aut concessum judicia criminalia exercere, cum judicia hæc exerceri possint ac debeant in alios quàm inimicos; imò, quod magis est, cùm exerceri possint ac sæpe debeant in eos quos non tantum diligere debent judices, sed quos impensissime diligunt, in amicissimos, inquam, & quos jam unice caros habent: & generatim, cum exerceri possint ac debeant in subditos qua tales, qui inimici Magistratui non sunt nec dici possunt, cum designant aliquid inter se judicio criminali dignum; sicut filii qui parentibus suis, & servi qui dominis suis subsunt, inimici parentibus & dominis suis dici non possunt, cum ipsi inter se discordes committunt aliquid pœna dignum. Magistratus, quà talis, nec amicum habet nec inimicum. Itaque illi etiam non præscribitur ut diligat inimicum; nec ille peccare potest contra Legem de diligendis inimicis, eo ipso quod judicia criminalia exerceat.

Verum ut hæc res clarius paulum liqueat, & argumenti vis magis enervetur, ita procedo. Præcepit Deus Lege sua Judæis omnibus diligere proximos suos, id est, Judæos populares suos, sicut seipsos: & præcepit idem Deus ut inter ipsos Magistratus & Judices essent, qui judicia criminalia, imò capitalia etiam, exercerent, cum necesse esset, contra proximos sive populares suos. Inde sic argumentor: Si potuerunt à Judæis judicia criminalia exerceri contra populares ipsorum, absque violatione Legis divinæ qua jubebantur proximos, id est, populares suos diligere ut seipsos: Ergo nihil obstat quominus à Christianis exerceri judicia eadem possint inter Christianos proximos suos, salva manente etiam Lege charitatis & dilectionis, qua jubentur diligere omnes proximos suos. Ut hîc dicas Christianis præcipi ut diligant etiam inimicos suos, &c. Nihil est, cum uti jam diximus, per judicia criminalia dilectio inimici non tollatur. Amicitia enim & inimicitia inter Magistratus & subditos, quà tales, non habet nec potest habere locum per se & ex natura sua. Inter particulares & privatos ea propriè vigent: adeo ut si inter judicem & reum inimicitia aut amicitia locum habeat, eo ipso judex particularis persona fiat & jus dicere nequeat. Alioquin enim admitteretur personarum acceptio, quæ exulare ab omni legitimo judicio debet. Deinde ipsis etiam Judæis mandatum expresse fuisse legitur, ut diligerent proximos inimicos suos, id est, populares suos à quibus offensi & læsi essent: *Levit.* XIX. 17. *Ne habeas odio fratrem tuum in corde tuo.* Et *vers.* 18: *Non ulciscetis te neque reservabis* (odium) *contra filios populi tui, sed diliges proximum tuum sicut teipsum, Ego Jehovah.* quibus respondent loca *Exod.* XXIII. *Deuteronom.* XXII: ubi jubentur singuli pecora inimicorum suorum, si à via aberraverint, reducere, & si alicubi hæreant aut laborent, juvare & sublevare. Et tamen cum illa ipsa Lege de diligendis inimicis in populo, imò cum illa ipsa dilectione steterunt judicia

dicia criminalia in eodem illo populo; ita ut qui Magiſtratum gerebant inter Iſraelitas, judicia criminalia, imò capitalia, non tantum exercere poſſent, ſed actu etiam exercerent contra populares proximos ſuos, contra filios populi ſui, ſalva dilectione inimicorum, quæ ipſis non minus quàm cæteris Judæis præſcripta erat, id eſt, non impingentes in præceptum, nec violantes legem illam de diligendis inimicis popularibus. Quod cùm ita ſit, Quæ ratio, obſecro, vel veriſimilis, nos conſtringit, ut credere debeamus, Chriſtum idcirco quod dilectionem inimici in Novo Teſtamento ulterius extenderit, & Chriſtianis præceperit ut diligant non tantum inimicos populares ſuos, ſed omnes omnino, cujuſcunque populi ac nationis ſint, judicia omnia criminalia, ex Chriſtiana ſocietate ſublata voluiſſe? Certè nulla. Extenſio enim dilectionis, ſive quod alios plures inimicos quàm populares noſtros jam diligere debeamus, id non mutat ſpeciem dilectionis, neque ex ea rectè infertur, judicia criminalia jam illicita eſſe. Judicia enim criminalia ſi illicita cenſeri debent, illicita cenſeri debent, non quia repugnant dilectionis inimicorum extenſioni, ſed quia ipſi dilectioni inimicorum formaliter, ſive qua dilectio inimicorum eſt, repugnant. At quum non repugnaverint dilectioni inimicorum in populo Judaico; colligitur non obſcure cauſſam nullam eſſe, cur hoc tempore illi repugnare videri debeant.

Ut hîc excipias, Deum olim in Veteri Teſtamento diſtinctas hujuſmodi Leges dediſſe de diligendis inimicis in populo, & ſimul de exercendis judiciis capitalibus: At in Novo Teſtamento diſtinctas hujuſmodi Leges à Chriſto latas non eſſe, ſed unam tantùm de diligendis inimicis, &c. fruſtra es. Neque enim de eo jam præcise quæritur, utrum Lex aliqua ſpecialis in Novo Teſtamento etiam lata ſit ſicut in Veteri de judiciis criminalibus, vel utrum aliqua ſpecialis neceſſaria ſit ad hoc ut judicia exerceantur criminalia inter Chriſtianos; ſed utrum ex eo quod in Lege Chriſti Chriſtianis mandetur ut diligant inimicos ſuos, recte concludatur aut valide ſequatur; Ergo judicia criminalia nulla inter eos licita ſunt. Ego argumentor tantum à pari: Si in Veteri Teſtamento ſtare potuit cum Lege de dilectione inimici in populo, judiciorum criminalium exercitium in populares; nulla ratio eſt cur non ſimiliter in Novo Teſtamento cum dilectione inimici cujuſlibet, quam Chriſtus præcepit, judicia criminalia ſtare poſſint. Neque enim hæc dilectio magis pugnat cum judiciis ejuſmodi quàm illa. Eadem enim ſpecie eſt dilectio: quia dilectio inimici eſt. Si dicas, in Veteri Teſtamento judicia criminalia illicita futura fuiſſe ex vi Legis de diligendis inimicis, niſi Deus expreſſo & novo mandato ea præſcripſiſſet; dices quod probare nunquam poteris. Cur non contrarium potius mihi concludere liceat. Si illa duo præcepta ſe invicem tollerent, aut ſibi mutuò directe contraria eſſent, nunquam ea ſimul tuliſſet, & à populo obſervari voluiſſet Deus; ac proinde cum Deus ea ſimul tulerit, & ſtrictè obſervari voluerit, nullam eſſe cauſſam credendi per unius poſitionem alterum tolli, & non niſi expreſſa lege lata hæc unà cum illis locum habere poſſe. Et certe ſi rem juſta lance ponderemus, videbimus nullam ſolidam rationem eſſe propter quam cenſeri debeat, poſita Lege de diligendis inimicis judicia criminalia locum habere non poſſe, niſi expreſſa de iis Lex fiat, & ſic de novo licita quaſi reddantur. Inimici enim vox non ſignificat proprie eum qui improbus, ſceleratus, divinæ Legis violator, & humanæ ſocietatis turbator eſt: exempli gratia, eum qui fur, adulter, homicida, falſus teſtis, proditor aut perduellis eſt; ſed eum ſolum qui nos læſit, & injuria aut damno aliquo affecit, aut lædere & injuria damnove afficere ſtudet. Jam vero quid obſtat quo minus ego diligere poſſim, id eſt, benefacere, benedicere, beneprecari tali inimico, & interim ſimul etiam judicia exercere poſſim in improbos, ſceleratos, fures puta, latrones, homicidas, &c. à quibus nullam injuriam aut damnum paſſus ſum, imò qui de injuria mihi inferenda ne cogitarunt quidem? Si dicas hoſce etiam inimicos meos eſſe: Reſp. Inimicos quidem eſſe, ſi voce inimicitiæ generaliter quis uti velit: quatenus omnes qui Dei inimici ſunt piorum etiam inimici eſſe debent; ſed non inimicos propriè, qui mihi injuriam aut damnum intulerint aut inferre ſtuduerint, quos diligere à Chriſto jubeor. Quod adeò verum eſt, ut nobis Scriptura expreſſe præcipiat hujuſmodi homines, quatenus tales ſunt, *non diligere, odiſſe, averſari, fugere, & illis Ave non dicere*, & ſi fratres nominentur, *cum illis non edere*. Alia enim eſt improborum, alia inimicorum noſtrorum ratio. Docet id clare ſatis Apoſtolus, cum 1 *Corinth.* XVI. 22, dicit; *Si quis Dominum Jeſum Chriſtum non amat, ſit eſto anathema maranatha*; cùm tamen Chriſtus hoc loco jubeat diſcipulis ſuis ut *inimicis ſuis benedicant*, & ipſe Paulus ſæpius moneat fideles Chriſtianos ad quos ſcribit, *ut benedicant iis qui ipſos infectantur, benedicant*, inquam, *& ne imprecentur*: *Rom.* XII. 14. & alibi paſſim.

Sed ut exceptionem priorem ſtabilias, Dices fortaſſe, Chriſtum cum hanc Legem tulit, ſuſtuliſſe etiam eadem opera totam Legem Moſaicam, ac proindè præcepto & lege nova de judiciis, opus eſſe, eamque à Chriſto Legiſlatore ferri debere. Reſpondeo 1. Etiamſi hoc detur, nihil tamen id ad rem hanc facit, de qua nunc agimus. Non enim quæritur hîc jam, utrum novo aliquo præcepto opus ſit quo judicia criminalia ſanciantur, ſed, utrum vi hujus Legis qua jubemur diligere inimicos noſtros, &c. ſublata dici poſſint judicia omnia criminalia, ſive an judicia criminalia Chriſtianis propter hanc ſolam Legem illicita ſint. Niſi hoc probetur, ad rem hanc nihil dicitur. Deinde dico. 2. etiamſi Chriſtus totam Legem ſuſtuliſſet, nondum tamen ſequi, neceſſum fuiſſe ut denuò ſpeciali mandato judicia hujuſmodi criminalia totumque Magiſtratus officium ſanciret. Sufficit enim ſi probari non poſſit judicia iſta talia eſſe, quæ Legi alicui à Chriſto latæ repugnent: Inde enim conſequitur ea non eſſe illicita Chriſtiano, quatenus Legibus Chriſti ſeſe ſubjicit, imò ea ne per ſe quidem illicita eſſe; ſi modò velimus ea ſolum illicita eſſe, quæ à Chriſto vetita ſunt, uti Authores hujus ſententiæ volunt. Sed 3. dico; hypotheſin illam, qua aſſeritur Chriſtum, cum hanc legem tulit, Legem totam Moſaicam abrogaſſe rationibus admodum leviculis, quas quidem hactenus videre mihi licuit, nixam eſſe, & confidenter atque audacter ſatis aſſumi. 1. quia Dominus Jeſus ipſe diſerte ſatis id ipſum negat *verſ.* 17. noſque id exiſtimare prohibet, cum ait, *Ne exiſtimate me venisse ut diſſolvam Legem aut Prophetas. Non veni ut diſſolvam eam, ſed ut impleam.* Solvere autem legem quid ſit ſatis conſtare poteſt ex parallelis locis *Joan.* VII. 23. & X. 35. & clariſſime omnium ex commate ſtatim ſequente 19: *Quiſquis ſolverit unum ex mandatis hiſce minimis, & ita docuerit homines, minimus vocabitur in regno cœlorum: quiſquis autem fecerit aut docuerit, iſte magnus vocabitur in regno cœlorum.* Hic enim ποιεῖν καὶ διδάσκειν opponitur τῷ λύειν. Unde colligitur non obſcurè, Chriſtum illo tempore Legem nec dicto nec facto ullo vel minima in parte oppugnaſſe, nedum eam plane ſuſtuliſſe. 2. Quia ſi Legem totam ſimul ac ſemel convellere in animo habuiſſet, utique non unum atque alterum Legis præceptum hinc inde excerpſiſſet, meliorumque præceptorum additione vel clariore propoſitione auxiſſet aut illuſtraſſet, ſed aperte atque ingenue profeſſus fuiſſet Legem illam Chriſtiano obſervandam amplius non eſſe, ut videmus poſtea ab Apoſtolis factum eſſe circa præceptum de circumciſione, cibis mundis atque immundis, de Sabbathis aliiſque. Atqui videmus Chriſtum, particularibus tantum quibuſdam præceptis vel augendis, vel, ut alii volunt, illuſtrandis, operam dediſſe: paucula autem quædam abrogaſſe & prohibuiſſe, eaque non quæ Lege præcepta erant, (abſit:) ſed quæ lege ſolum permittebantur ob duritiem cordis populi, aut alias quaſdam cauſas, ex quibus ea non niſi imperfectiones & vitia, labes ac maculas eſſe ſatis conſtare poterat, uti divortium & libellum repudii ob quamvis cauſſam, &c. 3. Quia ſi id voluiſſet Chriſtus, utique legibus iſtis, quæ Magiſtratus officium concernunt, aliiſque pluribus, quæ ab authoribus hiſce Chriſtianæ diſciplinæ maxime adverſari creduntur, & quæ præter mortis æternæ reatum multa alia incredibilia mala & pericula Chriſtianis adferre poſſunt, niſi certò conſtet eas abrogatas eſſe, oppoſuiſſet potius leges ſuas, quàm aliis quibuſdam minutioribus & cum iſtis neutiquam conferendis. At nunc videmus Chriſtum longe contraria ratione agere. Unde colligo Chriſtum nihil minus quàm iſtud propoſitum ſibi habuiſſe. Et certè diffiteri non poſſumus, quin Phariſæi & Scribæ, ſi iis hujuſmodi telum ab ipſo Servatore in manus datum fuiſſet, haud dubiè eo contra ipſum uſi fuiſſent, & quidem magna cum ſpecie & ſucceſſu. Sed uti nihil magis caviſſe videtur Chriſtus, quàm hoc: (intaxandis enim ipſorum vanis præceptiunculis & frivolis traditionibus, iiſque ex ipſa Lege Moſaica redarguendis, ferè totus fuit:) ita illi nihil tale ei unquam exprobrare auſi ſunt, quin imò ut Stephanum fidum ipſius Martyrem ſub titulo aliquo juris è medio tollerent, *falſos teſtes ſtitiſſe*, & *per calumniam ei impegiſſe* leguntur, quod *verba blaſphema contra Legem dixiſſet, & Jeſum mutaturum* (non autem NB. mutaſſe) *ritus quos tradidit Moſes*, docuiſſet. *cap.* VI. *Act. verſ.* 13. & 14. quod profecto qua ratione falſitatis inſimulari potuerit vix video, ſi jam multò ante, imò ſtatim in initio Chriſtus ipſe legem totam abrogaſſe & ſuſtuliſſe ſtatuatur. Quin etenim illud à Diſcipulis ſimiliter doctum atque inculcatum fuerit, dubitari vix debet. Sed de tota hac re in prolixiori & ſpeciali tractatu plenius aliquid dicendum aliquando erit. Nos hæc obiter tantum & ſine ulla neceſſitate, (Neque enim id ad rem quicquam facit, ſive Chriſtus legem jam tum abro-

abrogaſſe, ſive non abrogaſſe, ſive perfeciſſe, ſive illuſtraſſe dicatur.) quaſi εἰς πλεῖον dicta volumus, occaſione exceptionis à nobis allegatæ. Hactenus etgo ſufficienter (uti credimus) demonſtratum à nobis eſt, non repugnare Legi huic Jeſu Chriſti, de diligendis inimicis, ut Chriſtianus judicia criminalia exerceat.

*Pœnas corporales infligere non repugnare perfectioni charitatis.*

Unum tantum prædictis omnibus ſubjiciam, quod ſcrupulum in alicujus animo relinquere fortè poſſet: Utrum non repugnent ſaltem judicia criminalia, & quæ iis decernuntur punitiones corporales, dilectioni & charitati, ſecundum intrinſecam naturam & perfectionem ejus; cum dilectionis effectus proprius ac naturalis ſit, bonum ſeu beneficium: Punitionis autem effectus malum ejus qui punitur. Reſp. Si actus punitionis in ſe ſpectetur nude, certum eſt non poſſe illum dici actum dilectionis aut amoris: at ſi ſpectetur ex fine & intentione ejus, qui actum illum exercet, id eſt, pœnam infligit, ſummo jure dici poteſt actus amoris & dilectionis: (loquimur autem de punitione omni præter eam quæ capitalis eſt:) perinde uti potionem amaram ægro præbere, urere, ſecare membrum aliquod corporis ipſius, ſi ſingula in ſe ſpectentur, amoris actus dici quidem non poſſunt; revera tamen ex pura puta ægri dilectione & amore proficiſcuntur. Et ratio manifeſta eſt, quia ſcopus illius qui hoc modo punit, eſt bonum ejus qui punitur. Si pœna intenderetur à puniente ut aliquid retributivum tantum & compenſativum culpæ, ſive maleficii commiſſi, ex lege juſtitiæ diſtributivæ, jam certè ex dilectione ejus qui punitur proficiſci non poſſet. At cum intenditur pœna ut peccati, & pœnæ ex illo ſecuturæ remedium, ſive ut correctivum & emendativum ejus qui punitur, jam certè boni rationem induit, & ex amore proprie dicto erga eum qui punitur, ortum ducere poteſt. quod pulcherrime ob oculos ponit & confirmat Author *ad Hebr. cap.* XII. *verſ.* 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. Fit autem pœna remedium mali, cum eum qui punitur ſentire facit peccati ſui meritum, & ſic à ſimili peccato impoſterum committendo fræni inſtar cohibet & retrahit: plane uti paternæ caſtigationes facere ſolent, de quibus agere diximus Authorem *ad Hebr. cap.* XII. quaſque propterea parentibus commendatas eſſe, & à liberis magno in pretio haberi idem Scriptor vult. Sed habent punitiones publicæ, (etiam capitales) quæ per Magiſtratum exercentur, ſupra privatas illud inſuper bonum, (quod dilectionis & amoris effectum maximum cenſeri debet;) quod exemplo ſuo ad bonum plurimorum ſerviant, quos alioquin impunitatis fiducia præcipites in omnia vitiorum ac ſcelerum genera dare ac rapere poſſet. Fit enim ut qui amore virtutis aut lenibus rationibus adduci ſe non ſinunt, ut à peccando abſtineant, ſeverioris punitionis beneficio atque exemplo in officio contineantur; tum videlicet pœna ad paucos, metus ad plures pervenit. At licet metus iſte in primo inſtanti ſuo ad virtutem non impellat, fit tamen non raro ut diſponat paulatim magis magiſque hominem ad virtutem amandum, & diſciplinam meliorem admittendum, adeò ut incipiat tandem odio habere peccatum non pœnæ formidine ſed virtutis amore. Alia ratio eſt judiciorum capitalium, de quibus paulò poſt.

Tertium argumentum ſumitur ex locis illis, quibus Chriſtiani jubentur remittere, condonare, Deum orare ut remittat iis, à quibus offenſi & læſi ſunt, peccata ipſorum: *Matth.* VI. & XVIII. *Coloſſ.* III. & aliis locis quamplurimis: adeò quidem ut addatur, *Niſi remiſeritis alii alii offenſas ipſorum, non remittet quoque vobis Pater meus, qui in cœlis eſt: ibid.* Atqui judicia criminalia exercere, ſive reos punire, directè pugnat cum remiſſione. Remittere enim eſt punire nolle: debere itaque remittere eſt debere non punire. Ergo, &c. Reſpondeo: Argumento huic jam ex parte in præcedentibus ſatisfactum eſt, cum de ultione & ira ageretur. Nunc ad id ſpeciatim hoc loco reſpondendum eſt. Scriptura cum jubet Chriſtianis ut remittant & condonent alii aliis, non loquitur niſi de remiſſione qua offenſa ſive injuria alteri ab altero ſive revera ſive opinione tantum facta remittitur, id eſt, vindicandi & ulciſcendi libido ita prohibetur, ut eos malum malo retaliare, & ſic pœnam de eo à quo malum acceperunt ſumere, nolit. Evincit id clarè ſatis vox remittendi, cùm jubentur alii aliis remittere τὰ παραπτώματα αὐτῶν, ſive uti in oratione Dominica dicitur ὀφειλήματα τοῖς ὀφειλέταις αὐτῶν. *Matth.* VI. 12. Remiſſio enim hujuſmodi ſupponit offenſam ei qui remittere jubetur factam; & inde fluens debitum pœnæ, quam dare quaſi tenetur is qui offendit, aut quam de eo ſumere poteſt is qui offenſus eſt; quod emphaticè Apoſtolus *ad Rom.* XII. 19, vocat, *ſeipſos non ulciſci*, μὴ ἑαυτοὺς ἐκδικοῦντες, inquit, & *verſ. ultim. malum*, id eſt, injuriam illatam, *non rependere malo*, id eſt ſimili aliqua noxa, aut damno talionis jure conceſſo. Hujuſmodi ultio & ἐκδίκησις directè eſt contraria remiſſioni. At ἐκδίκησις ſive punitio quam Magiſtratus facit, cum ultione iſtiuſmodi commune nihil habet. Nec enim ulciſcitur ſeipſum, aut injuriam ſibi illatam vindicat. Nihil minus: (ſæpe enim pœnam ſumit de iis, à quibus non modò non eſt offenſus aut læſus vel minima in parte, ſed quos oculis ſuis cariores habet, & à quibus beneficia aut officia quamplurima accepit: quos à pœna immunes præſtare cuperet, ſi abſque juris læſione poſſet; plane uti pater in familia animatus eſſe ſolet erga proprios liberos ſuos, cum eos caſtigat.) Sed injuriam aliis illatam, per pœnam tanquam per oppoſitum obicem ſiſtere ſtudet ac reprimere, ne impunitas & licentia tum ipſum lædentem tum alios complures invitet atque armet, uti fieri ſolet, ad ſimilia aut deteriora etiam peccata, & ſic malum contagionem faciat ad plurimorum perniciem. Et hujuſmodi quidem punitio cum ultione illa, quæ Chriſtianis prohibetur, nihil habet commune: quare nec contravenit ea Legi iſti, qua Chriſtiani jubentur remittere offenſas ſibi factas. Breviter, Remiſſio quæ Chriſtianis omnibus mandatur, non poteſt unquam conſiſtere cum ultione proprie dicta. At cum punitione aliqua poteſt optimè conſiſtere; non quidem quam ipſe læſus facit: (hæc enim ab ultione diſcerni vix poteſt;) ſed quæ à Magiſtratu fit qui læſus non eſt, idque nullo alio animo, fine ac ſcopo, quàm ut à peccando impoſterum reprimatur is qui læſit, & aliorum innocentia tuta ſit, ſive ne ex ſocietate humana latronum, prædonum, ſceleratorum hominum conciliabulum fiat: ſed uti Apoſtolus 1 *Tim.* II. loquitur, ut ſubditi omnes quietam & tranquillam vitam degere poſſint cum omni honeſtate & pietate.

*Judicia criminalia exercere non repugnat præcepto quo injurias nobis illatas condonare jubemur.*

Dices fortaſſe: ſi is ipſe qui læſus eſt, remittere debet, quanto magis itaque qui læſus non eſt; ad quem injuria ac proinde puniendi jus non pertinet? Reſp. Nullam eſſe conſequentiam, quia ei qui læſus eſt expreſſe mandatur ut ſeipſum non ulciſcatur: Magiſtratui autem qui læſus proprie non eſt, nuſpiam mandatur ut ei qui læſit, remittat, id eſt, ut eum nullo modo puniat: id quod ſatis mihi impreſentiarum eſt, ad concludendum fieri poſſe ut Magiſtratus pœnam ſumat de reo citra mandati hujus de remittendo violationem; id eſt, ut tamen non impingat in præceptum hoc quo jubetur Chriſtianus remittere injuriam aut offenſam ſibi factam; eo quod præceptum hoc ad Magiſtratum non pertineat, ac proinde ad remittendum ſive non puniendum eum non obſtringat. Si urgeas porrò: At quia injuria non pertinet ad eum, nec jus etiam puniendi ad eum pertinet: Reſpondebo, imò contrarium eſt verum; idcitco jus puniendi ad ipſum pertinere poteſt, quia injuria non pertinet. Si enim injuria ad ipſum pertineret, remittendum ipſi foret jus ſuum ex vi Legis hujus, Chriſtianis omnibus læſis & injuria affectis latæ. Si porrò quæras; unde itaque jus hoc ad Magiſtratum non læſum pervenerit; dicam 1. id alterius loci eſſe diſquirere, & in ſequentibus id cum Deo indicabitur, quantum neceſſe erit. 2. Ei qui concedit licitum eſſe Chriſtiano Magiſtratum gerere & judicia civilia verbalia ac realia exercere, quærendum id non eſſe. Eodem enim jure quæri poſſit unde id jus Magiſtratum gerendi & judicia ejuſmodi exercendi Chriſtiano competat. In illum labyrintum non eſt neceſſe ut nos induamus aut pertrahi ſinamus. Sufficit, ſi oſtendamus, uti in principio diximus, actus illos, de quibus quæritur, an liciti ſint, non repugnare ulli legi aut præcepto Jeſu Chriſti. Hoc enim evicto, non neceſſe erit inquirere, unde jus hoc Magiſtratui Chriſtiano competat; imo facilè evincetur jus hoc puniendi non poſſe denegari illi, eo ipſo quod Magiſtratus eſt ſocietatis ſive Reipub. ſuæ pater, tutor, patronus & protector, idque, ut poſtea probabimus, Dei nomine. Et certè ſi argumenti ſupradicti conſequentiam admittere neceſſe eſt, vide ſis quæſo, quanta & quàm palbabilia abſurda admittenda ſint. 1. Tenebitur ex vi præcepti hujus, aut rationis potius quæ allegata eſt, multò magis pater remittere filio, id eſt, non punire eum qui exempli gratia fratrem ſuum percuſſit, læſit & injuria ac damno affecit, quàm frater qui ab eo percuſſus eſt & læſus remittere fratri tenetur, quia nimirum pater læſus non eſt. Item dominus tenebitur multò magis remittere ſervo ſuo flagitia, ſcelera, & maleficia omnia, quæ conſervis ſuis intulit, quam ſervi qui ea paſſi ſint, propterea quod ipſe læſus non eſt, hi vero læſi. Eadem ratio præceptorum erit, tutorum, aliorumque. Quibus omnibus quid abſurdius excogitari aut dici poteſt? 2. Eccleſia tenebitur multò magis remittere furibus, homicidis, veneficis, percuſſoribus peccata & crimina eorum, eaque non punire pœna ulla, quàm ii qui damnum inde ullum acceperunt, aut quibus injuria illa facta eſt. Ratio: Si enim læſi ipſi debent remittere, ergo multò magis Eccleſia quæ læſa non eſt. Nec eſt, quod hîc dicas, pœnam quam Eccleſia irrogat, non eſſe pœnam corporalem, ac proinde huic rei non miſcendam. Sufficit enim ſi id quod Eccleſia facit, verè punitio aliqua ſit. Inde enim

enim sequetur, Punitionem aliquam cum remissione mandata consistere posse, aut saltem licere aliquando punire ei, qui propriè læsus non est, cum tamen id ei qui læsus est non liceat. Neque enim jam quæritur, Quomodo, quousque aut qua ratione punire possit is, qui læsus non est, sed an ullo modo punire possit. Deinde si velimus verum esse id quod à non paucis veterum creditum est, Apostolos ipsos & Ecclesiam totam congregatam, aliquando tradidisse ejusmodi homines Satanæ corporaliter flagellandos, morbis, doloribus, cruciatibus, aliisque corporalibus malis vexandos, pro quantitate aut qualitate delictorum quæ admiserant, idque ad interitum carnis, ut spiritus eorum salvus esset in die Domini; uti Apostolus Paulus, cum incestuosum illum Satanæ tradi jubebat, loquitur, 1 *Cor.* V. 5. imò etiam aliquando morti, ut in Anania & Saphira videre est, *Act.* V. apparebit verissimum esse, non semper, nedum maximè teneri remittere aut pœnam nullam corporalem infligere eum qui læsus non est, propterea quod remittere & nullo modo punire debeat is qui læsus est. Quanquam profectò cum Ecclesia simpliciter aliquem ejicit & excommunicat à cætu suo, qui domus Dei est, non minor pœna censeri debeat, quam si pater filium immorigerum domo ejiciat, & Magistratus aliquem proscribat, civitate exire jubeat, & commune secum amplius quicquam habere nolit.

## CAPUT VIII.

### Non repugnare doctrinæ Christi ut Christianus judicia capitalia exerceat. Expenditur objectio, Illa cum charitate Christiana consistere non posse, eo quod tempus pœnitentiæ ad salutem necessariæ peccatoribus præcidant.

REstat jam ut videamus quartum membrum de judiciis capitalibus: Utrum genio doctrinæ Jesu Christi repugnet, ut is qui eam profitetur, judicia capitalia exerceat, id est, in sontes aliquos capitis pœna animadvertat? Qui hoc cum genio doctrinæ Jesu Christi pugnare existimant, ii reliqua pœnè omnia judicia, & quæ iis statui solent pœnæ, ex. gr. carceres, ergastula, virgas, flagellationes, fustigationes, aliaque supplicia, (dummodo per ea membrum homini necessarium ad vitam sustentandum non adimatur;) si necessum sit & societas ac tranquillitas publica aliter conservari nequeat, non inviti concedunt à Christiano exerceri atque infligi posse, servato semper moderamine rectæ rationis & Christianæ æquitatis, lenitatis, ac clementiæ. Et tueri se videntur, quantum possum colligere, nulla quidem speciali lege Jesu Christi, sed sola tantum charitatis ac dilectionis generalis regula, quam in omnibus aliis judiciis & punitionibus, quantumlibet severis ac duris, locum aliquatenus habere posse fatentur: at in solo supplicio capitali penitus extingui ajunt. Illa enim servire posse ad correctionem & emendationem ejus qui punitur instar paternarum castigationum, & aliis pro exemplo, ut à peccando retrahantur. Hoc unum pœnitentiæ tempus homini præcidere, & spem emendationis ad æternam salutem necessariæ plerumque intercipere. Itaque hoc Christiano, cui regula charitatis à Christo præscriptæ commendatissima semper esse debet, illicitum censendum esse.

Plausibilis equidem est hæc sententia, eo quod ex serio & vero salutis proximi amore proficisci videatur, & laudabile mediocritatis studium præ se fert. Uti enim charitatis & dilectionis veræ, quam regiam legem appellat Jacobus, patrocinium suscipit ex una parte, ita ex altera parte, jura & vincula legum, quæ ad conservandam societatem inter homines necessaria videntur, non modo non dissolvit, sed potius sarta tecta custodire conatur. Et commendat eam maximopere, quod videamus Magistratus Christianos non paucos, in exercendis judiciis capitalibus & pœnis infligendis tam longè recedere ab æquitatis, clementiæ & moderationis, non dico Christianæ, sed humanæ, finibus, ut pio animo horrori pœnè sint judicia capitalia. Nimirum judicia Judaica præ Christianorum judiciis lenia & levia videntur. Tribunalia Christianorum passim pellibus humanis tecta sunt & leges eorum, veluti Draconis olim, sanguine scriptæ. De humano capite tanquam de re nihili comitia habentur. Denique immanitate & severitate adeò peccant Christiani, ut de humano corio tanquam de belluino sæpe ludatur, & tam levi momento cruci & patibulo adjudicetur, qui solidos aliquot suffuratus est, quàm gladio, qui hominem interemit. Nemo pius ista sine lacrymis quotidie, inprimis in Anglia, Gallia, aliisque locis, videt & audit; adeò nt mirum nemini videri debeat, si quis ab omnibus judiciis capitalibus abhorreat, & satius esse ducat ab omnibus prorsus abstinere, quàm ulli vel justissimo indulgere. Nec enim ratio habetur sanabile sit ingenium nec ne, an in flore ætatis seductus vel abreptus fuerit, juvenili incogitantia, an consortii, educationis bonæ defectu aut vitio abductus fuerit, nec ne. Juvenes & pœne pueri, æquè ac adulti, nescio ob quæ sæpe crimina cruci suffiguntur: & solus, qui huic immanitati color inducitur, est, quod aliter conservati publica tranquillitas nequeat. Quasi vero adeo sterilia hodie sint ingenia Christianorum ut mitiora excogitari remedia nequeant, aut usque adeò vilis eorum authoritas, ut nisi crucibus, laqueis & præcipitatæ mortis suppliciis adseratur ac stabiliatur, pessum itura sit. Audite judices & advertite. Non desunt qui vobis aptiora & mitiora suggerunt. Si Christiani esse vultis, perpendite & id agite, ut quàm minimo potestis sanguine redimatis tranquillitam publicam. Nulla unquam de morte hominis cunctatio longa est.

*Quam graviter peccent multi Magistratus Christiani in pœnis capitalibus erroganda.*

Sed ad rem: Excutiamus vim argumenti quod ab Authoribus hujus sententiæ allegatur, & quod in eo pondus ac momentum sit, perpendamus. Ut id fiat à nobis, ante omnia observandum est, in quo status vel cardo quæstionis præcisè versetur. Non enim id quæritur, utrum Christiano liceat judicia ista capitalia, quæ nunc in usu sunt, positis talibus & talibus criminibus exercere. Absit. Ista res alterius est disquisitionis. Nec quæritur, utrum Christiano liceat pœnas decernere capitales, si eas dilecta non mereri in confesso, aut in dubio sit, aut crescentibus delictis pœnas augere atque intendere. Nihil horum. Sed hoc unum tantum quæritur: Utrum Christiano *nullo unquam tempore* ad judicia capitalia venire liceat, sive in sontes ullos capitis pœna animadvertere. Qui id affirmant nullo unquam tempore Christiano licere, illi hoc potissimum argumento utuntur; quod Christiani omnes ac singuli teneantur ex regula dilectionis Christi, semper pro virili sua æternam proximi sui salutem procurare & promovere. Eos vero qui capitales pœnas decernunt contra proximos magnorum & gravium peccatorum reos, non modò non procurare & promovere salutem eorum, sed ab ejus spe omni eos secludere, quod tempus pœnitentiæ talibus peccatoribus imprimis necessariæ, eorundem interemtione, iis adimant ac præcidant. *Status quæstionis & objectio adversus supplicia capitalia.*

Ut hoc argumentum funditus à nobis exhauriatur, ita respondeo: Majorem nego, si intelligatur, uti intelligi debet, charitatem & dilectionem postulare ut Christiani omnes & singuli, quicunque tandem sint, sive Magistratus sive privati, salutem proximi sui ita pro virili sua promoveant, ut vitæ ejus semper parcant. Quod ut intelligatur, ita habe: concedo 1. charitatem Christianam postulare ut æternæ salutis proximi ratio potissimum habeatur. 2. ut Christianus proximo peccatorum magnorum aut peccati ingentis reo tempus pœnitentiæ & spem salutis non facilè nec leviter præcidat. 3. ut certum ac justum potius pœnitentiæ tempus ei concedat, quàm mortem ejus præcipitet, cùm scilicet id tutò fieri potest, & necessitas aliter fieri non postulat. 4. concedo capitale supplicium non proficisci ex dilectione erga eum, cui infertur. 5. Nec habere posse pro fine suo emendationem ejus, qui eo adficitur. Sed nego 1. charitatem Christianam postulare ut Christianus qui Magistratum gerit, salutem omnium ac singulorum suorum subditorum ita promoveat, ut eorum, licet flagitiosissimi & sceleratissimi sint, vitæ semper parcat. Quin imò fieri posse dico, ut charitas postulet ne id fiat. Charitas enim sive dilectio, quæ Christiano quatenus Magistratum gerit præstanda est & exercenda, postulat ut totum societatis sive Reipub. cui præfectus est, corpus potius salvetur, quam paucula quædam corporis membra, pœne putrida & corrupta, id est, ut salutem plurimorum vel maximæ partis eorum, quibus præest, innoxiam quidem & civilem vitam viventium, sed tamen parum adhuc Christianorum, potiùs promoveat, ne videlicet tempus & spes sanctioris vitæ ipsis intercidatur, quam paucorum quorundam perditorum & maleferiatorum, qui pæne incurabiles & incorrigibiles longa peccandi consuetudine seipsos reddiderunt. Ratio manifesta est; quia si ex charitate tenetur salutem proximi procurare, ut utique tenetur ex ejusdem charitatis (quæ à prudentia separanda nunquam est) regula, plurimorum & ad æternam salutem melius dispositorum salutem promovere & procurare, potius quàm paucorum & pænè perditorum, si videlicet salus utrorumque simul procurari nequeat; planè uti homo qui omnium & singulorum suorum membrorum salutem atque incolumitatem procurare tenetur, (*nemo enim propriam suam carnem odio habet*, inquit Apostolus, *Ephes.* V. 29.) potius curare debet ut plurima membra salva atque incolumia serventur, quàm unum quod jam gangræna correptum est, aut in periculo est ut corripiatur, & reliqua putredine *Respon-sio.*

ſua inficiat. Atqui, ſubſumo: fieri poteſt & futurum procul dubio eſſet, ut plurimorum & optimorum alioquin ſubditorum ſalutem procurare & promovere non poſſet Chriſtianus Magiſtratus, ſi paucorum ſceleratorum vitæ ex charitatis præſcripto parcere ſemper teneatur. Quod dupliciter futurum aut fieri poſſe oſtendo. Primò: Quia homicidiorum, latrociniorum, cædium ac lanienarum, imprimis quæ circa maximè innocentem atque imbellem turbam fierent, nec modus nec finis foret. Nulli parietes, nullæ cuſtodiæ, nullæ vigiliæ diluvio iſtorum ſcelerum ſiſtendo ſufficerent: Plateæ, fora, compita ſanguine optimorum diffluerent. Etenim ſi tanta cædium frequentia & copia eſt in mediis urbibus, & viis publicis, quæ crucibus, rotis, patibulis, furcis, palis paſſim horrent, imò ferè quotidianis ſuppliciis ac mortibus pænè extemporaneis, veluti totidem repagulis atque obicibus reprimuntur, quid futurum putamus ſublato mortis metu? Nuſpiam tuta foret innocentia. Infinitis myriadibus hominum indies per univerſum orbem Chriſtianum ſpes melioris vitæ præcideretur à ſceleſta iſta hominum maleferiatorum fæce. Ut hîc dicas alia remedia adhibitum iri, nihil eſt. Compleantur ergaſtula, onerentur triremes, farciantur metallifodinæ colluvie iſta hominum: (quanquam nec illa ſufficient:) tollatur unus mortis metus, actum eſt de vita optimi cujuſque. Sola evaſionis ſpes armare unum ſceleſtum poteſt ut mille animas morti & orco tradat, nihilque ſacrum habeat. Deinde cùm plures ferè ſint in omni ſocietate ſcelerati, flagitioſi & improbi, quàm boni & probi, pone caſum, (quid enim eum incidere vetaret?) turbam hanc maleferiatam manu facta in unum conſpirare & junctis viribus graſſari in curias, palatia, loca publica, inque ipſos ſocietatis publicæ tutores ac patronos, diffringere ergaſtula, carceres, triremes & quicquid uſpiam perditorum hominum eſt (uti ſervos olim feciſſe notiſſimum eſt, unde ſervilia bella) ad ſe trahere, perſuaſam ſine mortis aut capitalis ſupplicii ullius metu id ſe facere poſſe; quid futurum credimus? an reſtes, virgas, compedes, flagella, edicta chartacea, minas & verba iſtos reformidaturos putamus, qui contra gladiis, ſicis, bipennibus, furcis, ſclopetis armati venient? Conclamatum eſſet. Nuſpiam quicquam tutum foret. Nihil penſi haberent. Nulli ſexui, ætati, perſonæ parcerent viles iſtæ & efferatæ animæ: Et ſic per vim atque immanitatem ipſorum infiniti mortales qui ad cognitionem & ſpem vitæ & ſalutis æternæ pervenire potuiſſent, ſi per Magiſtratum in vita fuiſſent conſervati, à ſalute & ſpe ſalutis omni ſecluderentur, & præmaturo ac lamentabili admodum exitio perirent, ſalva manente projectiſſima, & putidiſſima iſta hominum ſceleratorum fæce atque excremento. Quod cum ita ſit, concludo, fieri poſſe ut charitas qua diligere totum Societatis aut Reip. corpus potiùs tenetur Chriſtianus Magiſtratus, quàm paucos quoſdam facinoroſos & maleficos, aliquando poſtulet ne parcatur ſemper vitæ flagitioſorum, ſed ut judicia capitalia in eos exerceantur. Obſecro enim ecquid charitati magis eſt conveniens, ut tot animæ bonæ atque innoxiæ cum juſto & promerito exitio paucorum quorundam ſceleratorum ſerventur, & ad ſpem vitæ æternæ pervenire non prohibeantur, quam ut paucorum ſceleratorum & profanorum hominum vitæ, cum iniqua & impromerita cæde tot millium innoxiorum, parcatur, ne à ſalutis æternæ ſpe prohibeantur? Certè res ipſa clamat, & nemo ſanus diffiteri poteſt. Charitas magis poſtulat ut totum corpus ſervetur, quam membrum unum; imò ſi cum periculo corporis totius, id eſt, cæterorum membrorum aliquot membra laborent, poſtulat ut potius membra iſta pauca præcidantur, urantur, ſecentur, & à reliquo corpore detruncentur, quàm corpus totum in periculum adducatur; ac proinde uti in charitatem peccare dici non poteſt is, qui membrum aliquod putridum à corpore ſuo reſecari ſibi curat, ut corpori reliquo bene ſit, ſed in charitatem peccaturus eſſet ſi contra faceret: ita nec in charitatem peccare dici poteſt Chriſtianus Magiſtratus, cum maleficos aliquos, imprimis quorum ingenium inſanabile eſſe videtur, aut qui alioquin capitalis criminis manifeſti ſunt, à reliquo corpore ſeparat & reſecat, ſi aliter periculum majus graviuſque quod corpori toti ab iſtis ſuperſtitibus provenire poſſet atque accidere, evitari poſſe non videatur.

Si dicas, hac tamen ratione præcidi hominibus iſtis tempus pœnitentiæ, quod charitatem Chriſtianam non decet: Reſpondebo 1. fortaſſe Deum velle, ut eis præcidatur tempus pœnitentiæ, ac proinde procurare ut in manus vicarii ſui incidant, idque vel quia obdurati jam ſunt in malo & menſuram ſcelerum ſuorum impleverunt, vel ne licentiam & impunitatem nacti aliis infinitis jam in via ſalutis poſitis aut ponendis tempus vitæ emendandæ præcidant, & ſic multo plures æternum perire faciant. 2. Si obdurati non ſint, ſed ſanabiles adhuc, fortaſſe Deum velle per hoc ipſum medium, id eſt, mortis certæ metum tales adducere ad pœnitentiam & μετανοιαν, quos alioquin impunitas aut certa vitæ perſuaſio, de pœnitentia cogitare nunquam permiſiſſet, imò in ſceleribus & flagitiis obduraſſet & tantùm non ἀνεπιδότους reddidiſſet, prout experientia, proh dolor! nimis quàm teſtatum facit. Quotuſquiſque enim perditorum iſtorum hominum eſt, quem triremes, ergaſtula, carceres, compedes, virgæ, &c. ad meliorem frugem redire aut de vita in melius commutanda ſeriò cogitare fecerunt, etiam poſtquam circa eos adhibita ſunt omnia ferè quæ ad emendandum eos fieri poſſe viderentur? ferarum inſtar catenis alligatarum aut caveis incluſarum, aliquatenus miteſcere aut potius aliquamdiu ſe continere videntur, dum ſub ferula, ſub virga & in oculis Ephororum ſunt; ſed ſecreti licentiam nacti, aut etiam elapſi ex carcere, ad ingenium redeunt & antiquum obtinent omnes. Solus mortis certæ metus dejicit, frangit, & reſpicere eos ſeriò nonnunquam facit, dum effugium nullum patere vident, & ſolam divinam miſericordiam ad ſpem aliquam vitæ melioris imò æternæ concipiendam reſtare ſibi vident.

Hic ſcio quid regeri à quibuſdam ſoleat, patibularem illam eſſe pœnitentiam & metu potius extortam quam ſponte conceptam. Non æſtimandam eſſe illam tanquam quæ Deo grata ſit, & in qua ſpes vitæ melioris fundata ſit. Sed pace illorum dixerim: Moderata & mediocria judicia Chriſtianos maximè decent. Non facilè ad extrema prolabitur æquus & benignus rerum æſtimator. Me quod attinet, minimè equidem adſentior iis, qui leviter admodum ſceleratis quibuſ-vis ſpem veniæ & æternæ vitæ faciunt, & eos ut plurimum latronis in cruce converſi exemplo ſolantur; ſi modo dicant, pœnitet, factum nollem, peccavi, fateor. Credo mihi remiſſa eſſe peccata mea & per ſanguinem Chriſti expiata. Quid enim facilius quam hoc? Seria profecto eſſe debet pœnitentia, & quæ cum lacrymis ac precibus, tum propriis tum ſanctorum, pænè extorqueat divinam miſericordiam. Alioquin ſi ex facili Paradiſus, cælum, & vita æterna ſceleratis quibuſlibet promittatur, nec ipſorum ſaluti conſulitur, nec aliis ad eandem peccandi licentiam feneſtra clauditur, ſed contra porta lata aperitur, & ſtimulus ad eam vehementer incitans ſubditur; dum perſuadent ſibi ſe tam levi momento redire poſſe in gratiam cum Deo, & poſt toleratam exigui temporis pœnam, æternis gaudiis, dictum factum, fruituros; ad quæ Chriſtianos alios non niſi magnis laboribus, longaque carnis mortificatione & ſæpè per crucem, martyria & adflictiones graves ac diuturnas pervenire neceſſe eſt. Viderint blandi iſti medici, & conſolatores placidi, utrum non hæc ipſa agendi ratio inter cauſas ponenda ſit, cur inter ipſos Chriſtianos tanta adhuc ſceleratorum turba reperiatur & ſuppliciis immanibus tam facilè indulgeatur. Sed uti talibus minimè adſentior; ita abhorreo etiam à crudis eorum ſermonibus, qui omnem ejuſmodi pœnitentiam flocci facere & tantùm non nihili habere atque exhibilare ſolent. Scio eam ſeram eſſe, & non rarò ſuperficialem, ſæpe etiam ſimulatam: ſed nullus dubito, quin ſeria eſſe poſſit & ſeria aliquando ſit in iis, in quibus bonæ mentis favilla adhuc ulla reliqua eſt, ſi modò nanciſcantur fidum & ſerium ac prudentem aliquem pœnitentiæ Doctorem. Sed hîc iterum non poſſum non deplorare morem communem, &, quod meritò mireris, inter Chriſtianos ubique receptum, ut judicia capitalia non differantur diu, nec procraſtinentur, ſed maturentur & tantum non præcipitentur, & poſtquam jam ſententia pronunciata eſt, tum demum Doctor & monitor ad miſeros damnatos mittatur, qui ipſos jam terrore mortis conſternatos, & pœne extra ſe poſitos, pauculis ante horis, inſtruat, erudiat & de pœnitentia agenda moneat, aut potius contra mortem liberali vitæ æternæ promiſſo ſoletur atque animet, ut læti & alacres in cælum ſuum deſcendant. Utinam hîc cunctanter agendum eſſe crederent judices omnes Chriſtiani: Melius de quorundam pœnitentia ſperare & judicare liceret. Nunc quod corrigere non licet, flere liceat atque optare. Sed de hoc argumento ſatis.

## CAPUT IX.

### Reſpondetur objectioni, Quod judicia capitalia Chriſtiano non eſſe illicita, nec charitati Chriſtianæ contraria aſſeramus, ut pace in hoc mundo frui poſſimus: quod tamen Chriſtiani quærere non debeant.

TOtum hoc quod diximus conatur quidam enervare hac ratione: Quod finis ille propter quem judicia capitalia

pitalia Christiano non esse illicita & charitati Christianæ non repugnare contendimus, sit pax & tranquillitas in hoc mundo, sive vita pacata & immunis ab afflictionibus & cruce: quum tamen Christianis eam nec intendere nec quærere liceat, eò quod regnum ipsorum, sicut Principis ac Ducis ipsorum Jesu Christi, non sit de hoc mundo; quod eos oporteat per afflictiones introire in regnum Dei; quod abnegare debeant seipsos & tollere crucem suam; Denique eo quod non habeant hîc civitatem permanentem, sed futuram quærant, & propterea πολίτευμα ipsorum in cælis sit. Quæ omnia aliaque pluribus exaggerari & speciosè illustrari possunt ac solent.

Sed respondeo; 1. Argumentum hoc impertinenter objici hoc loco ab iis qui concedunt Christiano licitum esse non tantùm Magistratum gerere, sed & judicia omnia (præterquam sola capitalia) exercere, ad hoc ut pax & tranquillitas publica sarta tecta maneat. Etenim si Christiano nullo modo licet pacem & tranquillitatem hujusmodi intendere aut quærere, utique concedere deberent nec licere etiam illi media ista, imò ulla, adhibere ad istum finem, putà tranquillitatem & pacem obtinendum. Sed ut ut sit, argumentum expendi meretur. Respondemus itaque, 2. Verum quidem esse 1. Christianis in hoc mundo nullum certum regnum, nullam certam ac stabilem civitatem, Rempubl. provinciam aut terram adsignatam esse, uti olim populo Judaico terra Canaan pro hæreditate adsignata & promissa fuisse legitur. 2. Nec promissam etiam ullam quietem aut tranquillitatem externam, ut eam tanquam ex promisso sibi debitam aut certò obventuram intendere aut quærere ritè possint. Sed nihilominus tamen dico 3. nusquam vetitum iis esse ut honestis & legibus pietatis non contrariis mediis eam consectentur & tueri studeant: (si modò parati sint eâ carere cum Deo aliter videbitur, id est, cum studiis ac conatibus ipsorum non benedicere, sed ad crucem eos vocare Deus volet:) id quod satis est ut Christiano illicitum hoc non esse affirmari possit. Ita enim etiamsi Christianis non sit adsignata nec promissa à Deo vegeta, sana & à morbis, doloribus, aliisque miseriis immunis vita, tamen vetitum ipsis non est, ac proinde nec illicitum in id eniti & adlaborare, quin imò omnia quæ possunt media quærere & usurpare ut vitam vegetam, sanam & à morbis ac miseriis immunem vivant. Et hæc certè est non minima tranquillitatis & pacis in hoc mundo pars, quam Christiano quærere illicitum putant authores hujus sententiæ. Addo 4. Apostolum Paulum in 1 *Epist. ad Timoth. cap.* II. *vers.* 1. satis apertè indicare Christianis id neutiquam esse illicitum, cùm ait: *Abhortor igitur ante omnia, ut fiant deprecationes, preces, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: Pro regibus & omnibus qui in eminentia sunt, ut ἤρεμον καὶ ἡσύχιον*, id est, *quietam & tranquillam vitam degamus, cum omni pietate & honestate*, sive decentia. Cujus dicti Apostolici vis in sequentibus, cùm locum hunc prælius examinabimus, fusius à nobis indicabitur. Per quietam autem & tranquillam vitam intelligi ab Apostolo non vitam mollem, delicatam, voluptuosam, immunem à mortificatione & crucifixione carnis, quæ Christianis omnibus communiter & sine discrimine omni tempore præscribitur; sed vitam ab afflictionibus & persecutionibus, sive externis vexationibus & molestiis, liberam, satis significat id quod in textu additur, *cum omni pietate & honestate.*

*Non esse prohibitum Christianum pacem quærere in hoc mundo, eò quod regnum eorum non sit de hoc mundo.*

Nec probant contrarium ea quæ de Christianis in Scriptura affirmantur & paulò ante à nobis citata sunt: 1. *Quod regnum eorum non sit de hoc mundo:* (quanquam non eorum, sed Christi regnum, non esse de hoc mundo dicatur in textu, quod fortasse peculiare quid habet:) Nam cùm Jesus Christus negat regnum suum esse de hoc mundo, certum est eum loqui de regno sibi promisso, quod à Patre certò expectabat, & in quo vera felicitas ac gloria locum erat habitura, quod certè nec in, nec de mundo hoc erat. Atque ita de Christianis etiam affirmari potest regnum ipsorum, quod ipsis veluti Christianis promissum est, & quod à Deo Patre suo per Christum expectant, non esse de hoc mundo, nec in hoc mundo, sed in cælis ubi regnum est Jesu Christi capitis, Domini ac Regis ipsorum, à quo Christiani denominantur. Regnum verò quod eos hîc in mundo habere posse dicimus, non esse regnum quod tanquam Christiani aut quærant aut obtineant, sed quod tanquam homines in societate humana ac civili conversantes, à Deo, uti alia omnia beneficia terrena, ad hanc vitam commodè degendam, aut aliis ut commodè degant procurandam, speciali quadam divina gratia consequuntur. Etenim hoc regnum, etiam si contingat ipsis amplissimum, potentissimum & ditissimum, non est tamen regnum quod ipsis promissum est, in quo fælicitatem ullam veram aut solidam repositam esse credunt, in quo permanere & perpetuo hærere ac commorari cupiunt. Absit; sed tantùm medium aliquod commodum, à Deo gratiosè concessum, quo facilius & commodius ad regnum verum pervenire possunt; planè uti vita sana, vegeta, atque ab afflictionibus libera, quam hîc in carne Dei beneficio vivunt, vita illa vera non est, quæ ipsis promissa est; illa enim abscondita est cum Christo in Deo *Coloss.* III. 3. sed tantum medium commodum atque oportunum, cujus auxilio ad Deo & proximo sine distractione & liberalius serviendum, tum ipsi tum alii per ipsos idonei redduntur. Et hoc ipsum regnum, quatenus ad hunc finem dirigitur, aut in eo & per illud procuratur subditis, ut vitam vivant quietam & tranquillam cum omni pietate & honestate, utrum regnum dici mereatur quod de hoc mundo est, oppositè ad regnum, quod est de altero & futuro nobis mundo, piis omnibus considerandum do. Quin in mundo hoc sit negari nequit; at de mundo hoc esse qui dicit, amplius aliquid dicit: Regnum videlicet quod oppositum est vel cælesti, vel saltem spirituali regno Jesu Christi, quod in cælis aliquando accepturi sunt Christiani, vel saltem quod nunc in terris tenent subjugato mundo & carne sua propria cum omnibus concupiscentiis ipsius. Me quod attinet, cùm subordinata non pugnent, quomodo hoc regnum oppositum possit dici regno isti cælesti vel spirituali non video, cùm totum, quantum quantum est, subordinetur utrique, & tam uni quam alteri promovendo serviat. Certè si hoc regnum de hoc mundo nihilominus dici potest, utique etiam pari jure vita Christianorum quam hîc in carne vivunt, vita de mundo hoc rectè dicetur; ac proinde Christiani, licet sanctissimi, tamen de mundo esse, vitam de hoc mundo vivere dici poterunt; cùm tamen Apostolus dicat Christianos vitam quam vivunt in carne vivere per fidem Filii Dei, imò eos non vivere sed Christum in ipsis, aliaque similia.

*Nec eo quod Christiani per multas afflictiones ingredi debeant in regnum cælorum.*

2. Nec repugnat dictis illis quibus adfirmatur, *quod Christiani per multas adflictiones ingredi debeant in regnum cælorum: Act.* XIV. *Quod dum piè volunt vivere, persecutiones patientur: 2 ad Timoth.* III. 12. &c. Resp. Etenim si hæc accipiamus de afflictionibus, quas Christiani omnes & singuli omni tempore ferre debent à profanis, improbis, irrisoribus, atheis, & diversi generis Religionibus aut sectis addictis, non rarò etiam ab amicis, avaris, invidis, inter quos in hoc mundo versantur, quatenus videlicet vel ad eandem cum illis profanitatem & vitæ dissolutionem non concurrunt, uti Petrus ait 1 *Epist.* IV. 4. vel eandem liberè subinde taxant, & sic ipsorum non tantum scommatis, dicteriis, improperiis, sannis, ludibriis, convitiis, sed & injuriis, calumniis, aliisque indignis agendi modis expositi semper vivere coguntur, eo quod quamlibet illatam injuriam æquo animo ferre & per Magistratum neutiquam ulcisci debeant. Si, inquam, de hujusmodi afflictionibus, quæ sæpenumero graviores sunt, quam quævis aliæ persecutiones hæc dicta intelligamus, ad rem non faciunt. Hujusmodi enim adflictionibus Christiani semper ferè sunt obnoxii, sive sub Regum piorum tutela vivant, sive non. Si vero dicta hæc accipiamus de afflictionibus sive persecutionibus, relegationibus, incarcerationibus, aliisque vexationibus corporalibus, de quibus loca allegata propriè agunt: tum dico, ea non ita præcisè, categoricè, & absolutè accipienda esse, tanquam si Christianis nullis esse liceat qui hujusmodi persecutionibus non sint obnoxii; sed hypotheticè, subaudiendo semper id quod Apostolus Petrus disertè exprimit, 1 *Epist. cap.* III. 17, *Si ita fit Dei voluntas.* Quia verò tum temporis, cum Apostoli ista scribebant, voluntas Dei erat ut affligerentur Christiani, & patientia sua Euangelii veritatem, perfectionem & efficaciam illustrarent ac testatam facerent, loquuti sunt Apostoli ita, tanquam si Christianis id prorsus necessarium esset ut per afflictiones ingrederentur in regnum cælorum: Non autem quasi perpetua hæc esset Dei voluntas ut ubique & semper ita affligerentur. Nam alioquin, 1. quorsum dixisset Petrus, *si ita fit Dei voluntas?* etenim si jam erat & stabat hæc Dei voluntas, non dixisset Petrus, *si ita sit Dei voluntas*, sed, quia hæc est Dei voluntas, ut semper ita fiat. 2. quorsum mandasset Christus fidelibus, ut si quando persecutiones ingruere viderent in urbe in qua viverent, fugerent in aliam? Si enim ubique par eorum futura erat conditio, & tam in urbe ista in quam fugerent, quàm in ea ex qua fugiebant, persecutio ferenda & sustinenda ipsis erat, juxta Dei certam & perpetuam voluntatem, utique frustra eos ex una urbe in aliam fugere, & fugiendo declinare persecutionem, jussisset. 3. quorsum Apostolus adhortatus fuisset fideles ut orarent pro Regibus omnibusque in eminentia positis, ut quietam & tranquillam vitam degerent (aut degant) cum omni pietate & honestate? Etenim sive velimus Apostolum adhortari fideles ut precentur pro Regibus, eum in finem ut sub ipsorum imperio quietam & tranquillam vitam degere possint cum omni pietate & honestate; sive velimus eum adfirmare

mare tantùm, Reges alioſque idcirco in eminentia eſſe, ut Chriſtiani ſub ipſorum auſpiciis quietam & tranquillam vitam degant cum omni pietate & honeſtate; & quidem ſi dicamus id fieri propterea quod id Deus per eos efficere ſemper intendat, aut ſaltem, ut illi ad faciant, cupiat ac velit; ut ut, inquam, hæc verba exponamus, utrumque ineptiſſimè dictum fuiſſet ab Apoſtolo, ſi Dei voluntas abſoluta erat ut Chriſtiani quietam & tranquillam vitam nuſpiam in hoc mundo haberent aut reperirent. Quare concludimus, non rectè ex eo quod afflictiones ferendas eſſe Chriſtianis dicat Scriptura, cum ita Dei voluntas eſt, inferri poſſe, illicitum itaque ipſis eſſe, uti vel frui mediis iſtis, quæ ad quietam & tranquillam vitam cum omni pietate & honeſtate degendam à Deo conceſſa ſunt, aut ſeſe aliquando offerunt: Sed contra potius inferri debere; Cum Deus largitur fidelibus ſuis diu multumque adflictis, vel pro ſingulari gratia ſua, vel ſeriis & diutinis ipſorum precibus motus, Reges Principeſque pios, vel tales ſaltem, quicunque tandem ſint, per quos à perſecutionibus & vexationibus præſtantur immunes, id ſignum eſſe, non eſſe Dei voluntatem ut ita diutius adfligantur; ac proinde licere ipſis per Dei voluntatem quietem & tranquillitatem illam quantum poſſunt tueri ac conſervare, ſine ullo ſalutis ſuæ periculo; ſi modò operam dent, ne quippiam ad eam conſervandam deſignent quod Legibus Domini Jeſu ſit contrarium.

*Nec eo quod Chriſtiani jubentur Abnegare ſeipſos, crucem ſuam tollere & Chriſtum ſequi.*

3. Nec repugnat præcepto Jeſu Chriſti, quo Chriſtiani jubentur *Abnegare ſeipſos, crucem ſuam tollere & Chriſtum ſequi.* Etenim 1. argumentum hoc eodem pœnæ redit cum præcedente, cui jam reſponſum à nobis eſt. 2. Quia abnegare ſeipſum poteſt Rex & Princeps quilibet, etiam cum authoritatem & dignitatem regiam non exuit, & clavum Reip. aut regni, cui præfectus eſt, non deſerit, imò cum ſuppliciis capitalibus animadvertit in ſontes & bene meritos, alium nullum in finem quàm ut ſocietas illa cui præeſt, vitam quietam & tranquillam vivat cum omni pietate & honeſtate. Ratio eſt; quia *abnegare ſeipſum, & tollere crucem ſuam,* aliud nihil eſſe videtur Chriſto, ſi textus rectè introſpiciatur, quàm paratum & promtum eſſe vitam, & quicquid ad vitam hanc pertinet, amittere potius, cùm id ita neceſſe eſt, quam quicquam Religione Chriſti indignum committere, aut profeſſionem illius deſerere, & ſic Chriſtum abnegare. Patet id ex ratione ſtatim ſubjuncta à Chriſto; *Quiſquis enim voluerit animam ſuam ſervare, perdet; quiſquis autem eam perdiderit* NB. *mea cauſa, inveniet eam.* Inde ſic argumentor: Abnegare vitam ſuam commodam ac quietam dici poteſt quilibet privatus Chriſtianus, qui paratus modò eſt eam deſerere cùm neceſſe eſt, aut pati promtus eſt ut ea ſibi violenter potius eripiatur, quam ut Religionis ſacroſanctæ profeſſionem deſerat; cui tamen licet, imò qui tenetur eam non abjicere aut prodigere ſponte ſua, imò qui eam quibus poteſt modis mediiſque retinere & conſervare jubetur, fuga ſibi conſulendo, occultando ſeſe, cavendo ſibi, orando, ſupplicando, &c. Itaque Chriſtianus publicam perſonam ſuſtinens, & quietam & tranquillam vitam ſibi ac ſubditis ſuis oblatam aut conceſſam videns, abnegare ſeipſum poteſt, id eſt, promtus eſſe ad deſerendum potius quàm ad faciendum quicquam Religione Chriſti indignum; etiamſi eam ultro non reſpuat, ſed etiam poſtquam obtigit, retinere eam ſibi ſuiſque ſtudeat quibus poteſt honeſtis, juſtis ac legitimis mediis; inter quæ jam ipſa etiam judicia capitalia recenſeri poſſe diximus.

Dices fortaſſe; Si Chriſtianus Magiſtratum gerens id ſemper curare & operam dare poteſt ut authoritatem, dignitatem & poteſtatem illam ſuam quietè ac tranquillè retineat, plectendo, puniendo & ſuppliciis capitalibus afficiendo eos per quos ea violari poſſet & deſtrui; quando & quomodo Magiſtratus, quà talis, abnegabit ſe ipſum? Reſp. Tum & eodem modo per proportionem, quo pater pius, dominus fidelis, maritus Chriſtianus ſeipſos abnegant, etiamſi authoritatem, dignitatem & poteſtatem in ſuis ſartam tectam retineant, plectendo, puniendo, & caſtigando eos per quos ea violari poſſet & deſtrui. Abnegat enim 1. authoritatem, dignitatem & poteſtatem ſuam, quiſquis iis non fruitur, ita ut iis apponat cor ſuum, in iis ſibi placeat, tanquam ſi ulla ſolida aut durabilis felicitas in iis poſita eſſet; ſed iis veluti miniſter & diaconus Dei utitur eum in finem cui deſtinata ſunt, tanquam ſcilicet idoneis mediis atque inſtrumentis ad bonum ſocietatis procurandum, ut in ea quilibet quietam & tranquillam vitam vivere poſſit cum omni pietate & honeſtate. 2. cùm parato ſemper animo eſt deſerere & libenter abdicare quicquid illud eſt dignitatis & ſublimitatis, quando ſine injuſtitia aut violatione Legum Chriſti retineri non poteſt. Et hac ratione jubemur abnegare, imò odiſſe, omni tempore patrem, matrem, uxorem, fratres, ſorores, amicos, poſſeſſiones, bona omnia, vitam denique ipſam noſtram. 3. Cùm Chriſtianus, ſi fortè fiat ut quidam authoritatem & cum ea imperium invadere ipſique ereptum ire velint, non confidit authoritati ac potentiæ ſuæ, ſed ad Deum Dominum ſuum, cujus eſt dare & auferre regna quibus vult, ſupplex confugit, & ab eo ſolo in tali caſu conſilium, opem atque auxilium implorat, omniaque poſſibilia prius tentat, quæ flectendis, emolliendis & terrendis etiam hoſtium animis facere poſſunt; &, ſi nihilominus fruſtra ſe eſſe videat, nec fieri poſſe, ut ſine injuſta aliqua vi aut fraude aliiſve modis illicitis, certaque cæde & ſanguine ſubditorum ſuorum innocentium, imperium retineatur, ultro potius de throno ſuo deſcendit, ſceptrum deponit, & purpuram exuit, quàm iniquis & Lege Chriſti damnatis mediis retinere Majeſtatem ſtudeat; ſibi ipſi certò perſuadens, aut Deum in melius commutaturum animos hoſtium, aut ſi id ipſi non videbitur, per cruces & adflictionem caſtigare velle ſe & populum ſuum, aut denique obedientiam ſuam ſuorumque per patientiam probare velle æterno ipſorum bono. 4. Abnegare ſeipſum dici tandem poteſt Magiſtratus Chriſtianus etiam in eo ipſo, cùm in ſontes aliquos ſupplicio capitali animadvertit, quia ſibi ipſi quaſi vim facit, dum ad pœnam iſtam procedere cogitur; & non aliter dolet ac triſtatur, quàm ſi membrum aliquod ex corpore ſuo amputare, & illud tanquam non amplius ſuum abnegare & abjicere cogeretur. Certè qui ita invitus accedit ad puniendum & commiſerationis illius paternæ vim ferre ac ſuſtinere cogitur, non immeritò abnegare etiam ſeipſum dici poteſt. Tam enim hoc eſt alienum à voluntate & affectu ipſius naturali, ut, ſi ſalva ſocietate & ſine offenſione Dei ac periculo aliorum plurium abſtinere à tali pœna poſſet, millies lubentius abſtinere malit, quam ad eam venire; patris inſtar quando filium ſuum tenerum caſtigare cogitur. Me quod attinet, ego id homini Chriſtiano non minus grave, difficile atque oneroſum eſſe poſſe atque debere, mihi perſuadeo, quàm multis aliis eſt, ſuſtinere exilium, & pœne dixerim, aliquod martyrium.

*Nec eo quod Chriſtiani dicuntur non habere hîc ſtabilem manentem civitatem, &c.*

4. Nec refragantur nobis loca iſta, quibus Chriſtiani dicuntur *non habere hîc ſtabilem aut manentem civitatem:* Hebr. XIII. 14. *Expectare civitatem quæ fundamenta habet:* Heb. XI. 10. *Patriam quærere:* verſ. 14. & *urbem quam ipſis paravit Deus:* verſ. 16. πολίτευμα ſuum in cælis habere: *Philip.* III. 20. Nam cùm Chriſtiani dicuntur hic *non habere civitatem manentem*, aut ſtabilem *quærere patriam*, &c. id aliud nihil ſignificat, quàm Chriſtianos non habere in hoc mundo felicitatem, commoditatem ullam, vitam denique certam quam ſibi ex promiſſo ullo divino ſpondere poſſint ac pollicerì; & id quidem optimè teſtatum facere eos, qui pii & ſancti cum ſint, nihilominus tamen graviter, Deo ita volente, affliguntur, & per varias calamitates, miſerias atque anguſtias vitam hanc ſuam tranſigere coguntur. Sed inde non ſequitur, Deum nunquam velle ut Chriſtianis ullis in hoc mundo temporalis aliqua commoditas & vivendi proſperitas eveniat, aut Chriſtianos in id eniti non poſſe ut vitam ejuſmodi quietam & tranquillam conſequantur aut retineant, quando id ſine peccato fieri poteſt. Sicut ex eo quod Chriſtiani hîc non habent vitam ſtabilem ac permanentem, ſed fluxam, caducam, & miſeriis omnibus expoſitam, non ſequitur; Ergo Chriſtianos vitam hanc negligere debere, nec operam dare ut eam, quam poſſunt diu, firmam, ſanam, vegetam, atque expeditam cuſtodiant. Deinde certum eſt, uti antea diximus, Chriſtianis non eſſe promiſſam certam aliquam terram, regionem, urbem aut patriam, ſicut olim Judæis terra Canaan promiſſa fuit, in qua videlicet terrenis benedictionibus ſint cumulandi, tutò & ſecurè habitaturi, ab hoſtium incurſionibus, fame, peſte, aliiſque malis immunes ac liberi futuri; ſed inde non rectè concluditur Deum illis nunquam terram aliquam talem dare velle, aut cùm eam Deus dat, eos grato illam animo accipere non poſſe, & retinere quoad piè licet, idque eum tantùm in finem, ut in ea quilibet vitam quietam & tranquillam degere poſſit cum omni pietate & honeſtate: quod tamen illud eſt quod probandum & inferendum erat ut argumentum rectè procederet.

Et hactenus quidem etiam de judiciis capitalibus. Hîc non poſſum quin ſubnectam iterum aurea illa Magni iſtius Grotii verba ex commentariis ipſius quæ in carcere magno Reipublicæ Chriſtianæ bono ſcripſit, quæque πολυπόικιλον ipſius eruditionem, & ſubactum atque accuratum, de rebus etiam divinis, judicium luce clarius teſtatum faciunt. *Veruntamen*, inquit, *ut illa publicorum judiciorum poteſtas exerceatur citra diſpendium Chriſtianæ lenitatis, multùm cautionibus opus eſſe video, quæ paſſim negliguntur. Ut notiſſimi utar exemplo; Legem de necando ob captam feram agricolæ, miror tanta diligentia defendi à Juriſconſultis. Tale etiam eſt quod necari fures jubentur, & quidem in locis, ubi adulterium, tanto extra controverſiam gravius delictum, vix cenſoria nota perſtringitur. Ego ſane non video quid nos cogat Lege Hebræa*

*bræa esse immitiores. In homicidiis ipsis non tam factum nudum spectandum mihi videtur, quàm quæ anteacta vita occisorii fuerit, veneritne impetu an deliberatione ad hoc facinus, &, quod præcipuum est, sitne ingenium sanabile. Quod quidam existimant homicidio naturaliter respondere capitis pœnam, in eo falluntur. Pœnæ enim delictorum non sunt ipso naturæ jure, aut ulla Dei perpetua Lege, constitutæ, sed pro modo imminentis inde periculi intendi ac remitti solent. Docet nos Caini historia, prima illa mundi ætate homicidii pœnam fuisse latam fugam; cujus accessio erat, quod pii purique homines ita contaminatorum aspectum contactumque declinabant. Feritas quæ ante diluvium humanos mores invaserat, occasionem novæ Legi dedit, ut nimirum homicidæ sanguis effunderetur; quæ Lex ut illis temporibus accommodata, à Deo in ipsa humani generis post diluvium instauratione promulgata est. Sed optimus suæ Legis interpres Deus, id refert ad cædem quæ sit deliberato structisque insidiis:* Exod. XXI. 14. *Adde quod hæc est Lex Mosis dura in multis partibus ac severa. Diu stetit & floruit Romana Resp. cum Magistratuum cognitio deportationem non excederet. Postea cùm jam leges latæ essent de morte puniendis homicidis, aliorumque criminum convictis, multas tamen exceptiones usus reperit, ita ut sæpe intra relegationem severitas consisteret. Difficile est exactam servare mediocritatem. At si quid peccandum est, in istam lenitatis partem potius peccandum est. Fortè non pauciores à deliquendo absterreret ad opus damnatio, quàm mors ipsa; & simul, quod præcipuè spectandum est, Christianæ charitati daretur spacium agendi pœnitentiam, quæ nunc plerumque supplicii præcipitatione præciditur.*

## CAPUT X.

## Primum argumentum quo probatur Christiano licitum esse Magistratum gerere, desumptum ex Roman. XIII. 1, & seqq.

REstat jam membrum quintum & ultimum: Utrum homini Christiano liceat eos quibus præest, cùm necesse est, & aliter fieri non potest, armis & vi defendere contra publicam vim inferentes. Sed quia membri hujus decisio maximam partem dependet ex membro præcedente in quo de judiciis capitalibus actum est, prout eos ipsos quorum caussa tractatulum hunc scripsimus fateri intelligo: deinde, quia omnia quæcunque in contrarium adferri possunt ac solent, jam ante fere excussa sunt & ventilata: denique quia quæstio de bello multis odiosis & prolixis aliis quæstionibus involuta est & peculiarem tractatum meretur; ab ea examinanda impresentiarum supersedebimus, parati si necesse videbitur de ea etiam sententiam nostram exponere. Interim sufficere posse credimus hæc paucula quæ attulimus ad ostendendum, non repugnare legibus Jesu Christi aut genio doctrinæ ejus ut is qui eam profitetur Magistratum gerat, id est, dignitatem muneris illius in societate humana (sive Imperium, sive Regnum, sive Respub. sive civitas, &c. sit) sustineat, & actus dignitati ac muneri isti convenientes; putà judicia civilia & criminalia, interque hæc etiam capitalia ipsa exerceat. Et subsistere hîc jure merito possemus, quia Christiano satis esse potest ac debet, si sciat nihil contrarium legibus Christi à se fieri, si Magistratum gerat. At si quis fortasse sit qui rem tantam firmioribus fundamentis niti debere aut fulciendam esse existimet, in ejus gratiam, veluti ex superabundanti, nonnulla adjiciemus, ex quibus, uti arbitror, liquebit, non modò non contrarium esse Legibus Jesu Christi, officium hujusmodi gerere, sed apprime conveniens, quicquid ad illud pertinere in præcedentibus diximus. Ac primò quidem duo Scripturæ palmaria loca, quæ obiter hîc illic tacta sunt, fusius paulum deducemus, eaque instar omnium erunt, quibus arbitramur lucem huic rei & robur non exiguum addi posse.

*Explicatio loci Rom. XIII. 1. & seqq.*

Primus locus extat in Epistola *ad Rom. cap.* XIII. *vers.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. &c. *Omnis anima potestatibus supereminentibus subdita esto. Non est enim potestas nisi à Deo: & quæ sunt potestates à (vel sub) Deo ordinatæ sunt. Itaque quisquis se opponit potestati Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, sibi ipsi judicium auferent. Nam Magistratus non sunt terrori bonis operibus, sed malis. Vis autem non terreri potestate? quod bonum est facito, & laudem ab ipsa obtinebis. Dei enim minister est tuo bono. Quod si feceris quod malum est, metus: non enim frustra gladium gestat. Nam Dei minister est, ultor ad iram ei qui quod malum est fecerit. Quapropter necesse est subjici, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam. Propter hoc enim etiam tributa solvitis: siquidem ministri Dei sunt in hoc ipsum incumbentes. Reddite igitur omnibus quod debetis: cui tributum debetur, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.* In hoc loco videmus tot & tam præclara, tam eximia, tam excellentia ac divina ab Apostolo Magistratui tribui, ut nesciam an amplius aut exertius quicquam dici ab eo, aut à nobis desiderari possit, ut credamus munus illud, cui ista tribuuntur, à Christiano bona conscientia & sine scrupulo suscipi ac geri posse; imò, quod magis est, ut in istam sententiam adducamur, quod illud, prout hic describitur, à nemine rectius geri, quam à Christiano possit. Certè si dimidium tantùm in contrarium dictum fuisset uspiam de officio Magistratus, ratio aliqua foret dubitandi anne id gerere Christiano licitum esset; etiamsi nec pauciores nec minores, imo multo justiores caussæ tum forent suspicandi, quod id non tam de officio Magistratus, quam de officio quatenus à gentilibus & profanis administrabatur, intelligendum esset, quàm nunc habent ii qui hæc tam præclara, de Magistratu tamen Gentili tantùm exponi debere existimant. Me quod attinet profiteri audeo, quotiescunque hæc pronuntiata & elogia Apostolica, aliaque plane similia mecum considero & perpendo, toties eò me adduci ut credam, mirum nemini videri debere, si Christianus orbis *magno, antiquo & planè indurato consensu* (uti quidam loqui amant) crediderit id Christiano illicitum non esse; imò verò alterum horum duorum dici posse valde verisimiliter, aut verum non esse quod quidam credunt, videlicet officium hoc gerere esse rem tam horrendam, tam profanam, tam indignam homine Christiano quàm quæquam alia ulla esse possit; aut si hoc verum sit, tantùm ab Apostolo dici non debuisse quod ad illud summè commendandum faceret, & unde magnus, antiquus & planè induratus consensus natus & roboratus est.

Sed ad rem. Ut elogia hæc & eorum vis rectè ponderentur, notandus ante omnia diligenter est scopus Apostoli, in quo adsignando quantum observare possum, omnes Interpretes conveniunt; qui est hortari & mandare Christianis omnibus, ut potestatibus supereminentibus, summis imisque (uti Petrus exponit, 1. *Epist.* II. 13. 14.) ex animo sese subjiciant, parendo scilicet ipsorum imperiis & jussibus; idque non tantum propter iram, id est, quia illæ inobedientiam & rebellionem punire & vindicare possunt; sed etiam propter conscientiam, quia Deus & recta ratio dictant justum & æquum esse ut illis pareatur, qui non nisi recta & justa jubent. Hic Apostoli scopus si connectatur cum versibus aliquot *cap.* XII. immediatè præcedentibus, lux non exigua toti huic rei dabitur. Apparebit enim quàm parum appositè ac convenienter hujusmodi hortationem & prolixam monitionem istis præcedentibus subjunctam fuisse ab Apostolo dicendum sit, si verum est quod Authores isti volunt, officium Magistratus directè Legibus Jesu Christi, imprimis iis quæ mandant Christianis ut malum bono vincant, & prohibent ne seipsos ulciscantur, contrarium esse. Nam obsecro quomodo appositè hæc cohærebunt? Cùm Apostolus immediatè ante Christianos monuisset ut sese ipsi non ulciscerentur, ut iræ locum non darent, sed Deo relinquerent vindictam, ut inimicos suos esurientes cibarent, sitientes potarent, & (uno verbo) ut vincerent malum bono, ut, inquam, statim deinde subjungat, subjicite vos omnes non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam, illis potestatibus supereminentibus, quæ Leges omnes has Christi violant, quæ seipsas ulciscuntur, quæ locum iræ divinæ non dant, quæ à malo ipso vincuntur, superantur, & non malum bono, sed malum malo retaliant. Quid ineptius? imprimis si consideretur actus illos quos potestatibus supereminentibus tribuit Apostolus, proponi ab Apostolo ut laudabiles, aut saltem ut caussas impulsivas, quæ Christianos ad ultroneum & lubens obsequium præstandum incitare debeant; cùm nihil aliud sint, uti ex præcedenribus versibus liquet, quàm expressæ violationes Legum Christi, & actus non simpliciter modo peccaminosi sive repugnantes divinæ voluntati, sed ex quibus ingentes peccatorum maximorum acervi ac cumuli dependent, si verum est quod Authores hi voluut. Sed ut ut sit de connexione hac, videamus elogia sive fundamenta & rationes quibus hanc suam adhortationem superstruit Apostolus. Hisce enim innititur potissimum nostra argumentatio.

Ratio prima est. Quia potestates omnes non tantùm sunt à Deo, sed NB *non sunt nisi à Deo*, οὐ γάρ ἐστιν ἐξουσία εἰ μὴ ἀπὸ Θεοῦ, id est, non, vel nulla est potestas quæ non sit à Deo; imò, quod amplius est, sunt sub ipso Deo positæ, quasi Dei vicariæ, & solio tantùm, quod dicitur, Deo minores, ipsi immediatè subordinatæ: ita enim exponi potest non incommode, & fortasse ut παλαιόφατα evitetur, commodissime, præpositio ὑπὸ, non pro ἀ, sed pro *sub*, cui respondet præpositio תחת apud Hebræos, quæ aliquando idem significat quod *pro*, uti videre est in locis duobus, *Genes.* XXX. 2. & L. 19. *Nesimeatis. Num enim sub Deo sum?* id est, *pro Deo*, id quod hic etiam accommodari non male potest, ut idem sit sub Deo positas esse, quod, locum Dei tenere, & pro Deo quasi ad generis humani custodiam in hoc mundo constitutas esse: unde & Dii vocantur אלהים, & postea διάκονοι τοῦ Θεοῦ, imò λειτουργοὶ ipsius.

ipsius. Addit Apostolus, quæ ita à Deo & sub Deo sunt positæ, ut qui eis se opponit, (exponerem, qui dicto factove (quamquam expositionem hanc ad argumentum pertinere nolim, imò non posse nec debere sciam) quippiam designat quod ipsorum imperio ac jussibus contrarium est, id est, ut postea exponitur, qui quod malum est facit: hanc enim expositionem postulare videtur ratio subjuncta: *Nam Magistratus non sunt terrori bonis operibus*, id est, facientibus bona opera, consentientia scilicet jussibus ipsorum; sed malis, id est, mala sive contraria præstantibus. Magistratus enim quos à Deo & sub Deo positos esse dicit, non describit aliter Apostolus, quàm ut facientes ea quæ recta sunt & bona, sive bona opera, uti expresse videre est *vers.* 3. & 4.) Qui inquam, ita se opponit potestatibus, eo ipso resistat dispositioni ipsius Dei, id est, eo ipso, imperio & jussibus Dei ipsius, cujus locum ipsæ tenent, refragetur, & sic refragando seu resistendo justam pœnam (ita enim exponerem vocem κρῖμα) in caput suum accersat.

Secunda ratio est: quia officio sunt διάκονοι sive λειτουργοὶ τοῦ θεοῦ. 1. instructæ à Deo, vel saltem nomine Dei, potentia tali armatæ, qua immorigeros punire possunt cum necesse est. Nam gladium gestant, & quidem non frustra, *vers.* 4. 2. voluntate ista præditæ, ut perpetuo in id incumbant ut bonos tueantur & debitis præmiis afficiant, *vers.* 6. ita quidem ut Apostolus dicat expresse. *Non sunt terrori bonis, sed malis*, *vers.* 3. pii reportant laudem, id est, protectionem ab ipsis: *ibid.* Sunt ministri Dei tuo bono, *vers.* 4. & ministri Dei ultores ad iram eis, qui quod malum est, faciunt: *ibid.*

Ex hisce jam sic meritò concludi posse arbitror: Potestas supereminens quæ non est nisi à Deo, quæ à Deo vel sub ipso Deo posita est, quæ Dei διάκονος & λειτουργὸς est, bono tantùm bonis & terrori tantùm malis, cui subjici necesse est non tantùm propter iram sed & propter conscientiam, cui quisquis se opponit, ipsi divinæ ordinationi resistit, & justam suam pœnam ac damnationem in caput suum accersit, illam Christianus suscipere aut admittere bona conscientia potest. Atqui potestas supereminens Magistratuum est talis potestas. Ergo, &c. Major hæc etiamsi clara satis, & propria sua luce evidens sit, firmabitur tamen magis si expendamus quid contra eam excipi soleat ab iis qui Christiano illicitum esse censent Magistratum gerere, quantum quidem nobis observare aut rescisscere hactenus licuit.

Primò, inquiunt, certum est Apostolum hic loqui de potestatibus infidelibus, sive Gentilium, quia tum temporis, imprimis inter Romanos, aliæ nullæ erant. Resp. 1. Esto: etiamsi hoc concedatur, non infringitur tamen hac ratione major argumenti. Sive enim personæ fideles sint sive infideles, penes quas potestas aliqua est, quid hoc facit ad rationem muneris ad quod constituendum fides aut infidelitas præcisè nihil conferunt? Et quid vetat Christianum oblata occasione facere idem quod Gentilis facit, si modò illud divinæ voluntati & legibus Jesu Christi non sit contrarium nec inconvenies? uti hîc nihil tale potestatibus tribui ab Apostolo clarissimum est. Contrarium potiùs colligi posset: Si Apostolus hæc tanta tribuit iis qui Gentiles erant & à fide Christi alieni, quantò magis justiusque ea Christianis attributurus fuisset? Sed 2. dico: Certum quidem esse tum temporis inter Christianos Magistraturam nondum habuisse locum; sed inde non sequitur Apostolum in hac descriptione non respexisse aliò quàm ad personas illas, quæ tum Magistratum gerebant, aut ad officium quatenus ab illis administrabatur. Quæ enim obsecro ratio id vel verisimiliter suadet, nedum cogit? Et hoc tamen saxum illud est ad quod omnes ferè isti impingunt. Contrarium non obscurè probari mihi posse videtur, videlicet Apostolum non considerasse hîc potestates summas, quatenus in his aut illis personis residebant, nec functiones, quatenus ab his aut illis tum temporis administrabantur; sed tantummodo quatenus tales, id est, quatenus munia & functiones erant supereminentes, à Deo in generis humani bonum institutæ aut ordinatæ, sive eæ rectè & uti oportebat, sive secus administrarentur: officii quippe ipsius naturam ac præstantiam talem in se esse indicat Apostolus, ut ejus ratione omnibus omnino quibus illud impositum est, parendum sit & obtemperandum. Rationes meæ hæ sunt: 1. Quia videmus hoc loco ab Apostolo tribui ejusmodi quædam potestatibus supereminentibus, quæ Magistratibus gentilibus, imprimis Romanis, qui tunc temporis rerum potiebantur, nullo jure tribui poterant, & quæ nisi ad potestates ipsas referantur, quatenus considerantur per se, juxta naturam, finem, & scopum officii quod facere debent, Apostolum falsi possent convincere; videlicet cum ait, οἱ ἄρχοντες non sunt terrori bonis sed malis. Quid enim? an non qui tum erant inter Romanos ἄρχοντες, terrori erant non dico bonis, sed optimis? Quid itaque de Nerone, quem Paulus ipse alibi leonem appellasse creditur, altisque monstris populi istius dicemus? Et ne quis putet personas à Legibus, quæ tum vigebant, & secundum quas vivendum propriè erat in politeia ista, distinguendas esse, An non οἱ ἄρχοντες etiam secundum leges suas judicantes terrori erant Christianis, mortalium alioquin innocentissimis, sanctissimis, & facientibus quicquid secundum leges politicas ipsorum sine mandatorum Christi transgressione fieri necesse erat? An poterat tum dicere Apostolus, Si benefeceritis, laudem reportabitis ab iis? Certè si quis hæc attentè consideret, ille (uti quidem mihi persuadeo) tantùm abest ut crediturus sit, hoc loco Apostolum loqui de potestatibus Gentilium, qua talibus, quatenus jam leges suas politicas habebant à nemine infringendas; ut contra facile sibi passurus sit persuaderi, de potestatibus eum loqui, non prout tum erant, sed prout esse debebant, id est optime regulatis secundum naturam & scopum officii ipsius, & pæne dixerim Christianis. Quæ enim potestas hisce elogiis digna fuit, postquam Religio Christi vigere cœpit, si non Christiana? Certè aut hæc sola, aut pænè nulla alia erat, de qua dici poterat ad Christianum, uti hîc Apostolus facit: *Vis non terreri potestate, facito quod bonum est.* 2. Quia videmus Apostolos, cum servis Christianis mandant ut subjiciantur dominis suis, ut non serviant iis ad oculum, sed lubenter, id tantùm facere hoc argumento, quia domini sunt, nulla habita ratione an Gentiles an fideles, an æqui an iniqui, an benigni an duri essent. Quinimò Apostolus Petrus, 1 *Epist.* II. 18. jubet famulis ut subditi sint dominis, cum omni timore; non solùm bonis & æquis sed etiam τοῖς σκολιοῖς, id est, pravis, asperis & rigidis. Solum titulum domini & authoritatis à Deo quidem in populo Judaico approbatum, at à Gentilibus contra ipsum jus naturæ introductum, sufficere volebat ipsis ad obsequii debitum reddendum. Et manebat hic titulus domini in ipsis fidelibus, ut manifestum ante fecimus ex 1 *ad Tim.* VI. 2. cui alii plures loci consonant. Cur quæso eadem ratio hoc in loco non militabit, etiamsi tum temporis fideles nulli adhuc Magistratus essent, cum Magistratura aliud nihil sit, ut ita dicam, quàm dominium extensum, & Magistratus jus in subditos multò benignius, mitius, suaviusque quam erat jus dominorum in servos? quod adeò verum est, ut odiosum olim & invisum esset nomen Domini, & qui Reges, Principes, Dictatores esse gaudebant, Patresque Patriæ appellari non detrectabant, illi Domini titulum prorsus respuerent & aversarentur, ne serviliter imperare, sed ut paternè regere viderentur.

Secundò excipiunt ad Majorem: Ejus consequentiam non esse bonam, propterea quod magna ex parte fundata sit in phrasibus istis, Quod potestates supereminentes sint *à Deo*, quod sint *à Deo*, vel *sub Deo positæ*, quod sint ὑποτεταγμέναι quædam τοῦ θεοῦ, &c. tanquam si nimirum ex iis sequeretur potestates illas à Deo authore profectas esse, aut divinæ voluntati esse consentaneas; cum phrases illæ accipi possint de sola tantùm provida Dei permissione ac directione, qua videlicet potestates illas in genere humano Deus permittit, & ad bonum suorum totiusque generis humani dirigit pro sapientia sua, etiamsi eas nec instituerit nec approbet; eodem prorsus modo quo latronibus & tyrannis nonnunquam utitur ad gloriam nominis sui & suorum bonum, etiamsi nec latrocinia nec tyrannidem ullo modo aut velit aut probet. Resp. An phrases istæ *à Deo esse*, *à Deo* vel *sub Deo ordinatum esse*, de nuda & sola quadam permissione Dei uspiam in Scriptura sacra accipiantur, video esse qui non sine rationibus in dubium vocant. Quæ hîc usurpatæ sunt ab Apostolo tam crebro & densè, prægnantiores mihi videntur, quàm ut ita accipiantur, imprimis cùm Apostolus non tantùm dicit potestates esse à Deo, sed non esse potestates nisi à Deo; item potestates quæ sunt, sub Deo esse positas vel ordinatas, &c. Sed ne ex phrasiologia nuda, quæ mirabiliter sæpe variat, deducere velle videamur vim argumenti; respondemus phrases has, nec de nuda permissione, nec de provida etiam ejus quod permittitur directione, hoc loco accipi posse. Ratio est: 1. Quia si propter nudam Dei permissionem & providam directionem Apostolus dixisset potestates non esse nisi à Deo, utique melius & majori jure dicere potuisset eas esse à Diabolo, quia Deus eas expresse damnat & prohibet Christianis suis, uti authores hi volunt; & plus valere Christiano debent expressa Dei prohibitio & damnatio, quàm nuda permissio & directio; ac proinde sicut illi fundamento quod à Deo sint, superstruit omnia sua adhortamenta, ita huic quod à Diabolo sint, dehortamenta justiora superstruere potuisset. 2. Quia hoc ipsum quod potestates à Deo sunt, pro fundamento sternitur ab Apostolo, cui superstruit conclusionem sive hortatorium suum axioma, tanquam omni exceptione majus. Ergo potestatibus istis ex animo pa-

rendum est, non tantùm propter iram, sed propter conscientiam. At quæ quæso est ratio consequentiæ, si à Deo esse potestates, &c. significet, eas à Deo permitti & dirigi ad bonum nostrum? An illi fundamento superstrui potest hujusmodi conclusio aut hortatio? minimè gentium. Alioquin eodem jure colligi posset, latronibus, conjuratis, factiosis, ipsique adeo Diabolo parendum esse ex animo, quod sæpe illis & huic Deus permittat potentiam in nos, & dirigat omnia opera eorum in bonum nostrum. Deinde eodem jure colligere licebit, Magistratus ipsos ex conscientia teneri parere subditis suis, parentes liberis suis, dominos servis suis, maritos uxoribus suis, quando nimirum Deus tantum permittit subditis, liberis, servis atque uxoribus, ut per violentiam Magistratibus suis, parentibus, dominis, maritis superiores evadant: ac proinde nunquam licere Magistratibus, parentibus, dominis ac maritis occasionem aut quærere aut accipere, etiamsi luculenta se offerat, ut authoritatem suam recuperent & rebelles atque immorigeros istos debita pœna puniant: aut saltem sibi iterum subjiciant; quo quid indignius atque ineptius? Denique eodem jure colligere licebit, iis non esse verbo resistendum, id est, non esse potestates qua tales reprehendas, damnandas & apertè tanquam contrarias Legibus Christi insectandas. Etenim permissio illa vel provida illa directio non faciunt ut potestatem istam gerere desinat esse peccatum, & quidem valde atrox atque horridum: nec efficiunt ut mihi non liceat id insectari, carpere & redarguere; quia aloquin nulla peccata liceret carpere, cùm omnia peccata Deus permittat & providè dirigat. Si dicas hujusmodi resistentiam hoc loco non intelligi, dices id sine ulla ratione; cur enim permissio & provida directio efficient ut mihi non liceat resistere illis facto, & efficient tamen ut mihi non liceat resistere verbo, maxime cum nulla fortasse major, periculosior & nocentior resistentia dari possit, quam hujusmodi resistentia quæ verbo fit? Quare necesium est ut amplius quid dicamus contineri phrasibus istis, quam ejusmodi permissionem & providam directionem, ut argumento Apostoli sua constet vis & efficacia. Ea autem optimè constat si eo quo nos phrases has interpretati sumus sensu accipiatur. Sic enim nec verbo nec facto resistere illis ullo unquam tempore licet subdito Christiano.

Dices fortasse; Cùm à Deo potestates esse & ordinatæ à Deo dicuntur, non intelligi nudam ejusmodi permissionem & directionem providam, qualis jam indicata est, sed voluntatem insuper Dei, qua potestates quas jam in mundo reperit, etiamsi alioquin per se malæ sint, non tollere, sed permanere ac dirigere vult ad optimum finem, & ut iis propterea pareatur, mandat ac præscribit. Resp. 1. Ex hoc quidem sequeretur obediendum esse potestatibus summis, quia Deus vult & imperatur ut iis obediatur: At non sequetur obediendum iis esse quia non nisi à Deo sunt. Deinde 2. si phrases has velimus etiam connotare voluntatem ejusmodi divinam, necesium erit ut dicatur, posita jam ista voluntate divina, vel nihilominus adhuc & gerere Magistratum esse peccatum, vel non esse amplius peccatum. Si hoc dicatur, jam Christiano non potest dici illicitum esse ut gerat Magistratum, sed posse jam id facere sine peccato. Si illud, jam eædem manent difficultates, quæ ante motæ fuerunt, & nominatim hæc, quod Christianis itaque liceat, imò ex officio incumbat potestates illas non aliter quam peccata alia omnia, imò multò acrius, redarguere, carpere, & damnare, tanquam iniquas & Legibus ac voluntati Dei repugnantes, & quas Christianus omni tempore fugere debet, atque aversari. quæ resistentia, utrum non vel idem sit, vel eò referri possit quod Judas vocat κυριότητα ἀθετεῖν. & Petrus δόξας βλασφημεῖν, considerandum darem, si blasphemari posset, nedum satis posset, peccatum tam enorme, tam immane, tam horrendum. Saltem nihil dubito quin hæc sententia, animandæ & irritandæ sceleratorum fæci in Magistratus, tanquam profanos Majestatis usurpatores, vehementer sit idonea. Neque remedii & amuleti satis esse, si dicatur illis tamen non licere resistere. Quotusquisque enim consequentiam illam videbit aut intelliget? Quis eam turbæ novandis rebus intentæ persuadebit? Ad summum sane concludent; Si nos peccamus resistendo, & Magistratus peccat se nobis opponendo, quia id illi non magis licet quam nobis. Et nos, si resistendo condemnationem & pœnam nobis accersimus, & illi non minus accersunt sibi condemnationem nos puniendo, & authoritatem in nos usurpando. Jam sumus ergo pares. En laxata semel authoritatis publicæ fibula, tanquam injustæ, illegitimæ, & à Jesu Christo damnatæ, bone Deus quæ rerum facies! An verisimile est religionem Christianam, quę solicitè vectes, repagula & obices opponere solet peccandi licentiæ, tam atroci periculo fenestram aperire, & tantæ immanitati occasionē suppeditare voluisse? Bone Deus! quò abripimur?

Perges excipere: Si Paulus dicere velit, cùm à deo potestates esse ait, à Deo ipso authore profectas aut institutas esse, tum necesse est ut velit eas institutas esse aut viva aut scripta aliqua voce ac sententia. At neutrum uspiam apparet. Ergo, &c. Resp. 1. sufficere nobis potest ac debet, si Paulus eas à Deo & non nisi à Deo esse affirmet: Quo fundamento nixus id Apostolus dixerit, nostrum non est statuere: Quin verum dixerit dubitari non potest. 2. De Judaicis potestatibus certum est eas à Deo authore profectas, & expresso divino oraculo institutas fuisse. Neque satis est si dicas eas jam à Christo cum Repub. tota abrogatas & sublatas esse. Etenim etiamsi sublatæ sint, quatenus Respub. illa, Judaica Respub. erat, quam Deus his & illis legibus instruxerat; tamen sublatæ non fuerunt omnino, quamdiu & quatenus Respub. simpliciter adhuc Respub. aliqua erat, quia sine potestatibus Rempub. aliquam esse aut diu consistere impossibile est. Unde 3. colligo, quod attinet ad potestates alias omnes, præter Rempub. Judaicam, quatenus in ea ab ipso Deo expressa sententia potestates fuerunt institutæ, non necesium esse ut dicamus aut putemus alterutrum, eas vel viva voce vel scripta aliqua sententia institutas esse, & sic à Deo authore ortum suum habere; sed sufficere si eæ cùm jam essent, à Deo ipso approbatæ sint, & ab Apostolo, qui errare non potest, à Deo esse dicantur; aut si id variis interpretationibus obnoxium putemus, sufficere dicimus ut Deus homines ita creaverit, ut non nisi in societate vivere possint, imò in societate vivere eos velit: In societate, inquam, non barbara, in qua ἰδίοις ἕκαστος ἄνομος, non belluina, ubi cuique quod libet, licet; sed humana, civili, ordinata & composita, in qua honestè, juste, decenter, pieque vivi possit. Hæc ipsa enim conditio cum qua creati sunt homines, veluti tacita quædam lex Dei est, quæ potestates supereminentes inter eos esse jubet, quam non accipiunt, discunt, legunt, verùm ex ipsa natura arripiunt, hauriunt, exprimunt; ad quam non docti sed facti, non instituti sed imbuti dici debent. Etenim societatem talem sine ordine certo ac stabili esse aut vigere impossibile est. Ubi autem ordo locum habet, ibi subordinatio, id est, ratio superiorum atque inferiorum necessariò requiritur. Et hæc stabilis esse non potest, nisi qui sunt superiores, potestate coactiva præditi sint, per quam ordinem istum inviolatum tueantur ac conservent. Et hac ratione potestates omnes non nisi à Deo esse meritissimo jure dicere potuit Apostolus. Et quamdiu humana hæc conditio durat, tamdiu credendum est, legem quandam à Deo veluti expressa voce institutam durare, quæ potestates supereminentes esse jubeat, nec eam à Christo, aut potuisse aut debuisse, nisi humanam istam conditionem omnino mutare, & universalem quandam confusionem & ἀκαταστασίαν ubique eum inducere voluisse dicatur; quod absit ut de sanctissimo nostro Domino cogitemus. Unde patet potestates supereminentes locum habere posse, imò debere, non minus in Christiana societate, quam alia ulla, quod Christiana societas humana esse non desinat. Illud quidem certum est, supervacaneum esse ut potestas aliqua coactiva statuantur inter eos qui ex Christi vivunt disciplina. Nam qui sponte sua rectè faciunt, eos, qua tales, nihil opus est coercere aut cogere ad officium faciendum. Verùm cùm Christiani, 1. in media malorum & improborum turba versentur, quos nisi mali formidine coerceantur, ac intra terminos contineantur à potestatibus superioribus, ordinem omnem turbaturos certissimum est, 2. cum ipsi etiam non sint ex omni parte beati; & 3. si qui sint boni, ii mutata mente mali & improbi fieri possint, uti ipsa Christi religio docet, & non rarò, uti experientia, proh dolor! non semel docuit, pessimi fiant, aut saltem cæteris haud paulo deteriores, nulla ratio est, cur credendum sit inter eos potestates supereminentes, non eodem modo quo inter cæteros homines locum habere posse ac debere. Et confirmarur hæc res non parum ex eo, quod videamus Dominum Jesum non modò non sustulisse patriam potestatem ex familiis, etiamsi eam ad mediocritatem nonnihil redegerit; sed dominicam ipsam potestatem integram, licet legibus suis sacrosanctis subditam, reliquisse inter eos qui jam ad fidem conversi & Christiani facti erant. Inde enim pari, si non majori jure colligi potest, multo magis integram inviolatamque ab illo relictam fuisse potestatem supereminentem, sine qua fieri nequit ut tanta familiarum multitudo sarta tecta maneat, imò ad momentum ferè subsistat, nisi miracula quotidie à Deo fieri velimus. *Quo sensu Petrus 1 Epist. II. 13.*

Objicies fortasse hisce quæ nobis jam dicta sunt locum Petri 1 *Epist.* II. 13. ubi Magistratum appellat ἀνθρωπίνην κτίσιν, humanam ordinationem; quod facturus non fuisse videtur Apostolus, si eam à Deo authore profectam esse credidisset. Resp. Sed hic locus nihil habet unde solidi aliquid in contrarium possit colligi. Sive enim per κτίσιν intelli- *Magistratum appellet*

telligantur personæ ipsæ gubernationem civilem disponentes, sive ipsa civilis gubernationis dispositio; nulla ratio est quæ cogat eas humanas dici & appellari ab Apostolo, quia ab hominibus ipsis profectæ aut humanitus sint excogitatæ: (contrarium certè ab ipsis Gentilibus creditum fuit atque assertum.) Humanæ enim vocatæ dici possunt, tum quod personæ illæ quæ tum temporis in regimine erant, nondum regenitæ erant verbo Euangelii, nondum novæ creaturæ factæ, & sic ultra humanam quasi conditionem necdum elevatæ, quales propterea passim in Scripturis vocantur filii hominum, homines, mundus, caro, & viventes secundum vitam mundi, &c. tum quod ipsa civilis gubernationis dispositio tantum occupabatur circa humana, quæ concernunt homines, quatenus civilem & humanam societatem inter se faciunt. Nec enim tum temporis Reges aut Præsides disponebant alia, quàm ea quæ subditos spectabant, quatenus inter se commerciis, contractibus, pactis, conventis, aliisque civilibus actibus, qui purè putè humani erant, (id est, quos homo, ut purus putus homo, in societate vivens, exercere potest) occupabantur. Distinguuntur autem hujusmodi dispositiones à divinis quod dispositiones divinas Reges non faciant, sed accipiant à Deo, & sic non ipsorum neque humanæ *κλίσεως* sint, sed purè putè divinæ.

Tertiò excipiunt contra majorem: Cum Magistratus dicitur & appellatur à Paulo *διάκονος* aut minister *τοῦ θεοῦ*, ex eo inferri non posse, quod id quod facit ut Magistratus, jussu Dei faciat, aut divinæ voluntati convenienter; sed fieri posse ut eo titulo ornetur, quod Deo serviat, & Deus eo utatur veluti ministro ad efficiendum quod vult; eundem plane ad modum quo olim Diabolo usus est ad tentandum Jobum, Pilato ad occidendum Christum, Nebucadnezare ad populum Judaicum vexandum & in captivitate detinendum. Respondeo 1. Ut hac ratione exponatur quod dicitur Magistratus est *διάκονος τοῦ θεοῦ*, non patitur vox altera *λειτουργὸς*, imprimis si addatur epitheton *εἰς αὐτὸ τοῦτο προσκαρτερῶν*, quam eidem similiter tribuit Apostolus. Hæc enim vox in sacris nunquam, saltem non in Novo Testamento tributa reperietur, nisi iis qui sacras functiones à Deo ipso institutas & præscriptas, aut saltem divinæ voluntati per se convenientes, obeunt. Videantur loca *Act.* XIII. 2. *Rom.* XV. 16. & 27. *Hebr.* I. 7. 14. & VIII. 2. & X. 11. 2. non permittit scopus Apostoli, qui est, ex hoc ipso quod Magistratus sit *λειτουργὸς τοῦ θεοῦ*, veluti ex ratione quæ omni exceptione major est, inferre atque evincere necessum esse ut Magistratui obsequium propterea à Christianis ex animo deferatur, non tantum propter iram, sed etiam propter conscientiam, Dicit enim *διὸ ἀνάγκη ὑποτάσσεσθαι*. At si Magistratus non aliter vocetur & sit minister Dei, quam Diabolus, cum eo utebatur Deus ad probandum Jobum; aut Nebucadnezar, cum Deus eo utebatur ad puniendum populum rebellem, &c. certè ex illo non potuisset tale quid inferre Apostolus: Alioquin enim eadem ratione eodemque jure sequeretur, nos teneri parere & quidem ex animo ipsi etiam Diabolo, cum Deus eo ad probandum & tentandum nos utitur. Alia est ratio cum Deus illo & aliis quibusdam malis atque improbis utitur ad nos puniendum & plectendum, & illi sic *διάκονοι* Dei sunt; alia ratio cum Magistratibus utitur ut nos ei obediamus, & idcirco obediamus, quia hos & tales actus faciunt. In illo enim casu ferendum nobis est id omne quod illi nobis ferendum imponunt: At in hoc casu obedientia præstanda est, propterea quod hæc & illa nobis præscribant: Nunquam autem Deus obedire Christianos jubet iis, qui ipsos persequuntur, puniunt aut tentant, nedum propterea quod ipsos persequantur, aut puniant tententve. At hîc obedire nos jubet Magistratibus, propterea quod actus tales & tales præstant, qui revera laudabiles sunt, uti est bene merentibus laudem tribuere, malè merentibus dedecus atque ignominiam; & quia eo ipso quod eos exerceant *διάκονοι* & ministri Dei sunt, nisi velimus Magistratus eo ipso quod actus tales præscribant Christianis, punire & tentare eos; quod absurdum esse quis non videt? Quia Apostolus hîc non vocat Magistratum diaconum sive ministrum Dei in certo aliquo facti genere, in se quidem malo ac turpi, sed tamen quod Deus permittere velit, & quo justè uti possit ad certum finem quem propositum sibi habet; sed simpliciter diaconum Dei, idque propterea quod faciat & præstet ea quæ per se bona & honesta sunt, id est, defendat bonos & puniat malos, quodque in eo faciendo totis viribus incumbat, *εἰς τοῦτο* enim ait, *προσκαρτεροῦσι*, non aliter quam si Dei locum quasi perpetuò teneret. Certè si hoc ipsum facere est peccare, dicendum necessariò foret Magistratus, cùm id faciunt, totis viribus incumbere in id ut peccent, & nos propterea eis parere debere, quod diligenter & assiduè peccent; quod profectò absurdissimum merito videri debet. Hinc facilè videre est exemplum Nebucadnezaris, quod explicando huic vocabulo magnopere servire quibusdam creditur, huc non pertinere, & perperam allegari. Nebucadnezar enim diaconus Dei esse & dici poterat in isto punitionis quam per eum Deus exercebat genere, quatenus videlicet Deus ei non tantum permittebat & dirigebat eum, ut pro libidine & ambitione sua grassaretur contra populum rebellem, & sic Dei nomine eum puniret, licet aliud longè sibi propositum haberet quam populum rebellem punire, uti est *Jesa.* X. *vers.* 7. sed etiam quatenus speciali ratione Deus decreverat, (idque decrevisse jam se, populo nisi maturè converterentur, per Prophetas suos denunciari ac significari curaverat) ut in potestatem ejus tanquam divini carnificis (qui non punit ut judex malos quia mali sunt, sed lucri tantum & commodi sui caussa) veniret, & jugum ipsius per LXX annos ob peccata sua longa ac diuturna toleraret. Quod ipsum speciale aliquid in Nebucadnezare, uti & in captivitate Ægyptiaca, videri debet. Antea enim Deus quidem aliis quibusdam extraneis Regibus, veluti ministris suis usus fuerat ad puniendum peccata populi sui; verum non prædixerat futurum ut per certum annorum spacium illis populus subjiceretur, & jugum ipsorum ferret. Unde factum etiam fuisse non rarò videmus, ut populus ita sub jugum redactus, primo quoque tempore de excutiendo jugo, vel de orando Deo ut jugum illud sibi eximeretur, cogitaverit. At si nuda permissio & directio Dei sufficere potuissent, ut populo propterea parendum semper fuisset, quod ii à quibus sub jugum redactus erat, ministri Dei essent, necesse fuisset ut iis subjectus semper mansisset, & de jugo excutiendo nunquam cogitasset, idque non propter iram tantùm sed & propter conscientiam. Atqui aliter longè eum egisse, & quidem Deo non improbante, unicum caput tertium Judicum abundè potest docere. At in hoc Nebucadnezaris exemplo, decretum Dei accessisse jam videmus, & decreti jam facti prædictionem, futurum ut per LXX annos sub jugo ipsius detineretur; ac proinde ut de jugo illo excutiendo ante illud tempus nunquam cogitare ipsi liceret. Hinc necessitas parendi & subjiciendi sese ortum ducebat: nunquam autem necessitas parendi petitur apud Ezechielem aut Jeremiam, inde quod Nebucadnezar Dei minister esset in eo quod puniret malos, nec enim ille puniebat ut puniret. Nihil minus quam hoc cogitabat. Perinde illi erat sive boni sive mali essent Judæi. Cogitabat enim tantum populos multos, qualescunque tandem ii essent, subjugare, ut Esaias loquitur *cap.* X. 7. At cum parere nos hîc Magistratui jubet Apostolus, jubet id, quia Magistratus Dei minister est, in eo quod puniat malos, eo ipso quod male agant, & bonos defendat, eo ipso quod boni sunt. Quod non est tantum exsequi simpliciter Dei voluntatem, sed in eo quod facit, dum voluntatem Dei exsequitur, bene facere, & idem facere quod Deus ipse facturus esset, tanquam si Dei ipsius loco esset. Unde nascitur etiam necessitas obediendi perpetua in Christianis. & de hoc quidem loco satis.

## CAPUT XI.

### Secundum argumentum quo probatur Christiano licitum esse Magistratum gerere, desumtum ex 1 *Tim.* II. 1. 2. 3. 4.

ARgumentum secundum desumo ex 1 *Epist. ad Tim. cap.* II. *vers.* 1. 2. 3. 4. *Adhortor igitur ante omnia ut fiant deprecationes, preces, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: pro Regibus, & omnibus qui in eminentia sunt, ut quietam & tranquillam vitam degamus cum omni pietate & honestate*, &c. Si Reges & omnes qui in eminentia sunt, conversi ad Religionem & fidem Jesu Christi æternum possunt salvari non exuta dignitate & potestate Regia, non repugnat Legibus Jesu Christi, ut Christianus gerat Magistratum: Atqui Reges gentiles &c. conversi ad religionem & fidem Jesu Christi possunt salvari non exuta dignitate & potestate Regia. Ergo, &c. *Explicatio loci* 1 *Tim.* II. 1. 2. 3. 4.

Majorem puto per se liquere, & à nemine non admitti. Suppono enim eos qui contrarium tenent, officium Magistratus non habere aut reputare pro simplici aliqua imperfectione, defectu aut vitio, quod Christianum hominem à regno cælorum non excludat, sed pro crimine tam atroci, ut nemo sine certissimo salutis æternæ periculo ac damno Magistratum possit gerere. Minor patet ex textu hunc in modum. Pro quibus Apostolus jubet aut hortatur nos orare ut salventur & ad cognitionem veritatis perveniant, idque eum in finem ut nos sub ipsorum imperio quietam & tranquillam vitam degamus cum omni pietate & honestate, illi possunt salvari manentes Reges, sive non exuta regia di-

gnitate post conversionem. Atqui pro Regibus gentilibus jubet nos Apostolus orare, &c. Ergo, &c. Minor est in textu: Pro Regibus enim orare est orare pro salute eorum ut salventur & ad agnitionem veritatis perveniant, uti ex ratione subjuncta manifestum est. Major etiam aperta est; quia alioquin juberet nos Apostolus frustra orare, imo aliquando contra nos ipsos & in malum nostrum. Etenim 1. Reges & Principes conversi non possunt nobis quietam & tranquillam vitam præstare, nisi Reges post conversionem maneant. Quomodo enim id præstarent exuti authoritate & potestate per quam id fieri necesse est? Deinde 2. in locum conversorum succedere possunt deteriores, imò deterrimi, à quibus contraria omnia exspectanda erunt: atque ita fieri poterit ut dum preces nostræ à Deo exauditæ videbuntur, in eo quod Rex aut Princeps sub quo vivimus conversus sit, non modò non sequatur quietis & tranquillitatis exspectatæ & speratæ ex conversione fructus, sed major rerum perturbatio & tyrannis atque immanitas sævior, sicque nos exauditi dici debeamus contra nos ipsos & malo ac damno nostro maximo.

Quid ad hoc argumentum responderi vel verisimiliter possit hactenus imaginari mihi non potui. Sed dum hæc tracto, incido, uti fit, in exceptionem quæ obscurius alicubi proposita, nunc propius paulum introspecta, & à Beza etiam seriò satis defensa, uti comperio, digna videtur, quæ expendatur. Ea hæc est: In textu non reperiri orandum esse pro Regibus, &c. id est, ut Reges salventur & ad agnitionem veritatis perveniant, eum in finem, ut ii conversi & manentes Reges, nobis quietam & tranquillam vitam præstent ac procurent, prout argumentum adsumit; sed connecti posse hæc verba *ut quietam & tranquillam vitam degamus*, &c. cum participio immediatè præcedente, ὄντων, hoc pacto, In supereminentia positis, vel qui in supereminentia sunt ut nos quietam & tranquillam vitam degamus; ut descriptio hîc sit Regum & eorum qui in eminentia sunt, à fine & scopo quem illi in munere isto suo gerendo habent; non autem precationis nostræ objectum vel materia.

Exceptio hæc etiamsi nonnihil luxare videatur vim argumenti, quatenus id à nobis propositum est, tamen revera non luxat; & existimo esse propter quæ censere debeat suspecta, & à mente Apostoli aliena; ac proinde argumento robur suum constare. Vt enim jam de eo nihil dicam, quod ἐν ὑπεροχῇ ὄντων aliud nihil significet, quàm τοῖς ὑπερέχουσιν, sive Rectoribus aut Principibus, ac proinde non videatur rectè connecti posse cum ἵνα quod sequitur. Quis enim ita loqueretur; orate pro Regibus & Principibus, ut quietam & tranquillam vitam degamus, id est, pro Regibus & Principibus, qui Principes sunt ut quietam nobis vitam præstent? Ratio quæ nos potissimum movet hæc est: Quia juxta illam expositionem sequetur hortationem Apostoli particularem tantum esse, aut jure merito alicui videri posse; quasi videlicet hortaretur Christianos precari pro salute Regum ac principum illorum qui hunc scopum & finem habent, ut subditis suis quietam & tranquillam vitam procurent; ac proinde suspensos hodieque relinqui Christianorum animos, anne orare necesse sit pro Regibus & Principibus qui hunc scopum & finem sibi non habent propositum, sed Christianos & Ecclesias ipsorum ferro & flamma persequuntur, aut alioquin eas oppressas cupiunt. Et tamen dubium nullum est, quin ii qui hanc exceptionem hodie faciunt, à scopo Apostoli id alienissimum esse, & neutiquam de eo dubitare deberi, confessuri sint. Confirmat hanc nostram rationem quod Beza, ut probet verba ista ἵνα ἤρεμον καὶ ἡσύχιον, &c. connectenda esse cum participio ὄντων, non autem cum verbo ποιεῖσθε, hoc ipso argumento pugnet, ne scilicet credamus Apostolum voluisse ut pro omnibus omnino Regibus precemur, tam iis qui persequuntur Ecclesiam, quam qui eam favore suo protegunt; cum videamus (ait) aliquando non posse melius consuli paci Ecclesiæ, quam si Deum adversus Principes interpellet à quibus opprimitur, uti sub Juliano factum fuisse Ecclesiastica historia merito testatur. quæ causa etiam ex parte est, quod pronomen πάντας transferat per distributivum *Quosvis*, non autem per collectivum *Omnes*. Qua in re tantum dissentio à Beza, ut hoc ipsum argumentum existimem valere debere in contrarium, ideo non esse connectenda hæc verba cum participio ὄντων, ne videatur Apostolus incertos reliquisse Christianos de eo, an Christiani pro persecutoribus suis orare teneantur, quum id expresse à Christo præceptum legatur, *Matth.* V. & à primitiva Ecclesia observatum fuisse Iustini, Tertulliani, aliorumque apologetici evidentissime doceant.

At, inquies fortasse, Apostolus tum hic tum *Rom.* XIII, hæc verba tantum apposuit in descriptionem Regum & omnium qui sunt in eminentia, sumtam ab ipsorum communi fine ad quem officium illud tendit, & ipsi omnes saltem aliquatenus declarant, Deus vero semper intendit. Similis descriptio est apud Petrum, 1 *Epist.* II. 13. 14.

Resp. Imò vero inde ego sic colligo. Si Apostolus credatur hîc describere Magistratus ex fine officii ipsorum, jubeatque nos orare pro omnibus, ac proinde etiam pro omnibus omnino Regibus, tum alterutrum necesse esse, aut descriptionem illam frustra tum semper fuisse adhibitam ab Apostolis, cum persuadere isto quasi argumento vellent Christianis ut pro omnibus Regibus orarent, eo quod pauci erant, imò ferè nulli qui officium illud ita ut oportet faciebant, ac proinde incertos omni tempore relinqui Christianos, an ipsis orandum sit pro Regibus tyrannis & usurpatoribus, qui officium istud non faciunt, & nihil minus sæpe quam finem istum propositum sibi habent: aut si hoc verisimile non sit, uti verisimile videri nullo modo debet, tum valde probabiliter ac pene apodictice concludi posse Apostolum his verbis, *ut quietam & tranquillam vitam vivamus*, non descripsisse propriè Reges & eos qui in eminentia sunt, sed finem indicare voluisse cur pro Regibus orare Christiani debeant: ut nimirum Christiani fiant, & sic fructum illum quem Gentiles tum temporis aut non poterant aut non volebant præstare, ipsi præstarent Christianis. Nec enim quisquam mortalium fructum illum melius præstare aut potest aut vult, quàm Christianus Rex. Quod si tamen quis nihilominus existimabit, verba hæc continere descriptionem eorum, qui in eminentia sunt, tum certè statuendum mihi videtur Apostolum descriptione illa usum esse, ut ea veluti aeri aliquo stimulo Christianos incitaret ad orandum pro Regibus & magnatibus ut Christiani fierent: quia tum fructus ille officii, à quo descriptio illa desumta est, tutius certiusque sperari ab illis poterat. Non esse autem indignum Christiano tale quid orare aut sperare, in antecedentibus demonstrativus. Et obsecro, si finem istum Deus ipse semper intendit, procurare per Reges & Principes, & Apostoli cum de Regibus loquuntur, nunquam aliter loquuntur, quam quod ad illum finem & scopum toti quanti quanti sunt omnia sua dirigant, ut videlicet bonis laudem, malis terrorem retribuant, uti dicitur *Rom.* XIII. ut quietam & tranquillam vitam degant omnes, *cum omni* NB *pietate & honestate*, uti hîc dicitur: quod sint οἷς ἐκδίκησιν κακούργων, ἔπαινον δὲ ἀγαθοποιῶν, quid causæ est cur istos tam laudabiles, tam honestos, tam necessarios, tam utiles generi humano actus exercere nequeat Christianus qua talis, ut finem & scopum istum adsequatur? Certè cum illum esse scopum Regum ac Principum in officio ipsorum gerendo dicunt Apostoli, ad muneris ipsorum præstantiam extollendum & exaggerandum id faciunt: quæ causa etiam est cur de Magistratu nunquam loquantur nisi cum honore & reverentia, & multi hodie officium illud tam illiberale, tam detestabile, execrandum & pernicioſum faciunt, ut Christianissimi pæne gloria esse credatur, Magistratum non gerere, & puri Euangelicique Doctoris signum functioni isti contradicere. Quanto satius facturi essent, si aut omnino silerent, aut, Apostolorum vestigiis insistentes pro atris illis calculis albos reponerent; aut si laudare nollent, damnare saltem exemplo Apostolorum dedisceren. Sed de hoc etiam loco satis.

## CAPUT XII.

### Tertium argumentum pro Magistratu, quod nullibi Christus illud munus damnaverit.

TErtium argumentum est: Si Magistratum gerere Christiano illicitum esset, utique verisimile est quod illud ipsum vel apertè vel expresè alicubi à Christo damnatum fuisset: vel saltem indicia relicta fuissent ejusmodi, imprimis cum ejus rei occasio luculenta erat, unde id non obscurè colligi poterat, ita ut dubitationi locus haud facilè daretur. Atqui neutrum factum est à Christo; quin imò indicia non pauca nec levia sunt in contrarium. Ergo, &c. Consequentia hæc nititur hisce fundamentis, 1. quod Magistratum gerere, si illeitum sit, non exiguum, non particulare, non commune cum cæteris mortalibus peccatis malum sit, sed ingens, grande, & catenam multorum atque enormium malorum & peccatorum in se continens; utpote à quo dependent innumeri pæne irreligiosi, profani, crudeles & barbari actus, qui à Christi Legibus ac disciplina creduntur alieniſſimi; puta percussiones, cædes, aliaque mala tot & tanta, ut cum eo nullum, licet atrocissimum, scelus conferri mereatur aut jure possit. 2. Quia Christus & Apostoli peccata omnia mortalia speciatim & in terminis, imò non rarò peccata quædam levia, nedum cum hoc conferenda, exerto digito & nominatim damnaverunt, non contenti ea generali præceptorum suorum regula comprehendisse, ac impli-

implicitè damnasse. Quid, an credibile est Christum Jesum & Apostolos, si hoc peccatum tam atrox, tam enorme, tam immane crimen esse judicassent, non exertè & in terminis alicubi id fuisse damnaturos; sed contra, etiam cùm occasio luculenta illud damnandi se offerret, silentio præterituros fuisse? Nec sufficit, si dicantur clare damnasse generali sua regula & lege charitatis. Nam posito quod id verum esset, an non & cætera omnia peccata, generalibus Legibus Christi satis damnata erant; Et tamen ea passim fere exertè etiam damnata reperias? An non satius fuisset (liceat ita loqui) à nonnullis expressè damnandis, saltem à levioribus & particularibus aut personalibus taxandis abstinere, quàm hoc tantum scelus ubique intactum relinquere, &, veluti inanimadversum, præterire? imprimis cum generalis regula Christi tam diversimodè accipi posset, uti hodie fit, & interim peccatum tam enorme, tam longo tempore perpetraretur, citra opinionem quod peccatum sit aut disciplinæ Jesu Christi non conveniat.

Et confirmatur vehementer admodum hæc consequentia, per alterum quod ei adjunximus membrum; videlicet, quod à Christo officium hoc, si non apertè damnatum fuisset, saltem indicia ejusmodi hîc illic relicta fuissent, unde id Christianus secure colligere posset, imprimis cum occasio id faciendi egregia occurrebat, ex. gr. cùm legitur de non paucis qui Magistratum inter Judæos & gentiles gerebant. quod ad religionem & fidem Jesu Christi conversi fuerunt, alicubi saltem vel semel de hoc aut illo annotatum reperiretur, quod inter cætera resipiscentiæ signa, qualia non rarò ab Euangelistis annotantur, hoc etiam signum dederint, quod Magistratum abdicarint & deposuerint, aut simpliciter saltem quod Magistratum amplius gerere noluerint. Atqui tantum abest ut hoc alicubi factum deprehendamus, ut contrarium annotatum esse comperiamus non semel, videlicet eos qui Magistratum gerebant inter Judæos, pro fidelibus & discipulis Jesu Christi habitos atque agnitos fuisse, etiam cum in Magistratu permanerent, & officio isti neutiquam adhuc renuntiarent. An credimus id Christum permissurum, aut Apostolos ita locuturos fuisse, quamdiu officium illud execrabile gererent, etiam post legem latam *Matth. cap.* V. qua illud damnatum esse creditur? Item, cum Joannes Baptista militibus inter cæteros rationem officii paulo ante præscripsisset, qua Magistratura, imò ipsa quoque militia non obscure ab ipso permissa erat ut licita, an non verisimile est Christum Jesum contraria suis aut militibus accedentibus indicaturum, vel indicia saltem talia relicturum fuisse, unde quæ ipsius voluntas esset, intelligerent, ne in errore tam noxio, tam damnabili hærerent? At nihil horum factum legitur. An non Euangelista Lucas de Cornelio, cum conversionem & baptizationem ejus describit, signa saltem aliqua indicasset, quod Centurionatu se abdicasset, & vitæ prioris professionem deseruisset; cum nunquam soleat omittere signa resipiscentiæ? Et hoc vel maxime ad docendam posteritatem pertineret. An non de Sergio Paulo obiter saltem indicatum legeretur, quod ab eo ad fidem converso ante alia exactum fuisset, ut prætura se abdicaret, vel saltem quod ipse eam sponte sua & ultro deposuisset? Nihil horum: nec vola nec vestigium hujusce rei ullum apparet. Adde ultimò: Anne sine censura & reprehensione scriptum de Paulo fuisset, quod cum vitæ ipsius insidias struxissent quadraginta viri isti, qui in necem & cædem ejus conjuratione facta sese devoverant, uti legitur *Act.* XXIII. quod curaverit & operam dederit ut contra istas præsidio militari servaretur, aut saltem contra apertam vim, publica Tribuni, qui tum Magistratum gerebat, authoritate & vi defenderetur? Certe si resistere malo nullo modo liceret, nec licuisset Paulo captivo isti conjuratorum factioni ullo modo resistere, ac proinde nec indicare ei qui Magistratum gerebat, quique resistere & poterat & volebat & debebat, quod contra se machinarentur & molirentur perversi isti: ac propterea saltem notatus censura aliqua, imo severa, fuisset Apostolus. Ut quis dicat, Apostolum non legi imploràsse manum militarem vel opem militum à tribuno, id profecto frigidum est. Indicare enim insidias quæ struuntur vitæ captivi, & quæ non possunt non tendere in præjudicium & detrimentum authoritatis publicæ, illi qui authoritatem publicam in manu habet, & eam asserere ex præscripto tenetur, quid aliud est quàm armare authoritatem publicam, & armatam implorare ad sui tuitionem & defensionem? Verum quidem est, non legitur in specie indicasse Tribuno, ut hoc aut illo modo uteretur, ut armata manu vim impediret, sed dixisse tantum, *Tu illi nec adsentitor.* At quid illud reipsa aliud est dicere, quam, vide sis & cura pro potestate illa tua, qua præditus es, ne tale quid fiat. Tui officii & potestatis est, quantum in te est obstare, & operam dare, ne tam iniquum & horrendum facinus contra leges publicas perpetretur à maleferiatis istis. Certè qui tantùm dicit Tribuno militum, authoritatis publicæ custodi à Cæsare designato, eum revera opem militum implorare, in caussa quod dicitur, negari non potest. Etenim quia nullum certum modum indicabat Tribuno, quo declinare malum illud posset, posito quod Tribunus post auditam & intellectam conjurationem Sacerdotibus assensus fuisset, (nec enim tenebatur assentiri Paulo) & interim sibi abunde satis à militari manu prospexisset, experturus utrumne quisquam contra authoritatem publicam tentare quid ausurus esset, (id autem fieri facilè posse Paulus non poterat ignorare:) & conjurati interim in proposito perstitissent: quis an negari posset Paulum, saltem indirectè & in caussa, petiisse ut Tribunus potestate illa sua tunc uteretur? Ut enim isto casu dato, Paulum concionaturum fuisse dicamus Tribuno & militibus, nolle sese ut manu armata per istos defendantur, mori se malle & interfici, importunum equidem & absurdum videri meritò debet. Principiis obsta, serò medicina paratur, &c. Taceo jam multa alia consideratione dignissima circa factum hoc, quo Paulus nudè tantùm indicari curavit Tribuno militum, insidias vitæ suæ structas ac positas, quæ certè arguere possunt efficaciter, factum hoc Pauli censura & reprehensione acri notandum fuisse, & verisimiliter Lucam id censura non levi notaturum fuisse, si verum est quod Authores isti volunt. Etenim cùm conjuratio hæc species esset criminis læsæ Majestatis, vel saltem crimen tantum quod authores extremi supplicii reos faciebat; quid si Tribuno, postquam ea à Paulo ipsi esset indicata & detecta, libuisset inquirere in eam ejusque participes, uti potuisset & ex officio debuisset? At, inquis, Apostolus periculo cavit, quia nomina eorum reticuit. Quasi verò aut certum sit Apostolum nomina eorum sciviſse, aut si sciverit, eo ipso quod indicasset & detexisset insidias, non facilè constringi potuisset ad nomina ipsa indicandum; aut si indicare noluisset, quasi levi admodum momento ea rescíscere non potuisset Tribunus ex sororio Pauli qui insidias audiverat, & verisimiliter nomina eorum aut authores ipsos bene noverat? Præterquam quod inquirere opus non habebat: nam res non erat amplius secreta, sed aperta, quippe jam denuntiata & patefacta Sacerdotibus & Senioribus. Sed, inquies, hac ratione culpæ affinem facies Paulum, quod per indicationem istam suam authores istos in tantum periculum adduxerit, & sic per Magistratum vindictam quæsiverit, saltem in caussa sive indirectè. Resp. Nullo modo id sequitur. Existimo enim ex textu colligi posse, Apostolum judicasse officium Tribuni esse, & eorum penes quos authoritas publica erat, curare ne quid contra eam cum maximo plurimorum innocentium periculo conjunctum tentaretur. Nec enim crediderim Paulum hæc omnia fecisse ut vitæ suæ consuleret, sed tantùm ut gravioribus malis occurreret, quæ ex ista conjuratione, nisi detecta fuisset, oritura vero simillimum erat; non quidem si per eam contingeret se interimi; sed si læsa fuisset tam enormi scelere authoritas publica, in persona ipsius tanquam captivi. Ea enim res tantum malorum syrma post se trahere posse & tractura videbatur, ut satius crediderit Apostolus quadraginta istos conjuratos authoritate publica detegi, &, si necesse esset, puniri, quàm tanto periculo occasionem non subtrahi, matura conjurationis detectione. Quicquid sit, si velimus hæc omnia ingentia peccata & crimina esse, tum profectò fortius roboratur argumentum nostrum, quod initio proposuimus, nimirum neutiquam verisimile esse, quod factum hoc Apostoli censura nulla notatum fuisset.

## CAPUT XIII.

### Quartum argumentum pro Magistratu, quod sublato illo munere universalem societatis humanæ dissolutionem sequi necesse sit.

QUartum argumentum; quod tamen potissimum valet contra eos, qui omnem prorsus resistentiam & punitionem corporalem illicitam esse volunt homini Christiano. Quæ sententia directè & per se tendit ad universalem Societatis humanæ dissolutionem & dissipationem, illa non est comprehensa religione Jesu Christi. Talis est sententia quæ statuit Christiano non esse licitum Magistratum gerere, ita uti diximus. Ergo, &c. Majoris ratio est evidens; Quia Christiana Religio idcirco à Christo est tradita ut ad quamplurimos, imò ad omnes homines, propagaretur. At si comprehenderet ea quæ directè & per se tendunt ad universalem dissolutionem & dissipationem humanæ Societatis, jam eo fine tradi non potuisset à Christo. Ergo, &c.

Mino-

Minorem hoc pacto probo: Quæ sententia generalem impunitatem (aut saltem immunitatem à pœna tali, quæ ad continendam societatem necessaria est) omnibus etiam flagitiosissimis & maximè facinorosis nebulonibus in societate versantibus, & ad dissipandum societatem maximè pronis, fieri vult, & interim nullum aliud idoneum medium indicat quo flagitiosi isti à dissolvenda societate omni vel probabiliter impediri possint, ea tendit per se & directe ad universalem societatis humanæ dissolutionem & dissipationem. At utrumque hoc facit sententia ista quæ statuit Christiano non licere Magistratum gerere eo quo diximus modo. Ergo, &c.

Majoris consequentia per se plana est: Quia si ea est Societatis humanæ conditio, ut sine pœna aut pœnæ metu colligata manere nequeat, utique necessario sequitur eum qui impunitatem generalem (aut talem uti diximus) introducit, societatis humanæ vincula dissolutum ire. Sine pœna autem & pœnæ metu colligatam manere non posse societatem humanam, certius est quàm ut probari oporteat. Etenim negari non potest, quin malorum, perversorum, egenorum, profanorum, atheorum, sceleratorum, & res novas cupientium numerus multò major ubique sit, & isto imprimis tempore fuerit, quam proborum atque innocentium. Deinde negari non potest, quin ii omnes solo metu pœnæ ubique terrarum, velut silvestres feræ & indomita animalia, intra officii limites contineantur, imò vix ac ne vix quidem multis in locis contineantur. Tertiò negari non potest, quin profanis & sceleratis istis nihil molestius sit, quàm isto metu pœnæ indies veluti catena & compede molesta constringi ac coerceri; ac proinde ardenter cupere ut vinculum istud eximi sibi possit, quo libere quod cupiunt exsequi, & in famam, bona & vitam aliorum petulanter grassari possint. Quare, si metum illum tollas, quid obstabit, quo minus isti, veluti equi rupto fræno, quod possunt & quod volunt exsecutioni mandent, & catervatim qua data porta ruant in societatis humanæ excidium & internecionem? Nihil, nihil, inquam. Rem testem dat experientia sanè funesta & dolenda, istis in locis ubi funes licentiæ vel leviter tantum laxantur, & immunitatis spes aliqua datur profanæ fæci Romuli: taceo militibus, ut ferro ac flamma omnia vastent. Quod si quis dicat, fieri nihilominus posse ut hi tales retineantur aut impediantur, quo minus humanam omnem societatem dissipent ac perturbent, ille indicet & ostendat necesse est medium aliud idoneum quo id fieri queat: aut, quamdiu id non facit, censendus est eo ipso sententiam talem urgere, quæ directè tendit ad societatis humanæ dissolutionem. Ut hîc dicas non necesse esse ut medium aliquod indicetur, quia scelerati isti cogentur ipsi tandem, velint nolint, inter se societatem aliquam facere, eamque legibus & pœnis suis sancire: id equidem frustraneum est. Nam eo ipso confirmatur id quod nos hic asserimus, videlicet per sententiam talem, quæ leges & pœnas istas damnat, directe & per se societatem omnem dissolvi; adeò quidem, ut societas ne quidem inter ipsos sceleratissimos locum habitura sit, sublatis istis legibus & pœnarum vinculis. Deinde posito quod illi inter sese societatem faciant, facient eam posteaquam societatem reliquam omnem impunè turbaverint ac dissipaverint, propter sublatum metum quo antea reprimebantur. Tertiò an illa Societas statim humana societas erit? Certe belluina & barbara societas nasci poterit. At ea magis sæpe dolenda est, quàm si separati & singuli, ferarum instar, in sylvis errarent ac vagarentur. Et quid tum? Ad summum ii qui in humana societate vivere poterant, dici debebunt per sententiam talem occasionem dedisse, ut tam immanis & barbara societas à latronibus & sceleratis quibusdam, post extinctam reliquam omnem humanam societatem, introduceretur. Bone Deus!

Minor certa est: 1. quo ad primam partem; Quia sententia quæ statuit Christiano non licere Magistratum gerere, ea statuit idcirco illud, quia Christiano non tantum credit, sed & apertè doceri vult, non licere facere ea quæ ad Magistratus officium pertinent; puta non punire facinorosos, aut prorsus, aut saltem non punire pœna capitali, sed à punitionibus omnibus corporalibus aut capitalibus abstinendum illi esse, ex præscripto legum Christi, si æternum servari velit. Dices; At non statuit id non licere aliis. Resp. Imò verò quia statuit id Christiano non licere, statuit & docet id peccatum tale esse quod cùm spe salutis æternæ consistere nequit, quodque propterea docendum est illicitum esse omnibus omnino hominibus, si servari æternum velint. At inquies: Si totus mundus Christianus factus esset, alia ratio foret; nullum enim tum periculum metuendum foret. Nec enim societas dissolveretur, etiamsi Lex de puniendo nulla esset. Resp. 1. Atqui periculum est antequam mundus Christianus fiat, id est, cum flagitiosi & facinorosi multo maximam mundi partem faciunt, & Christiani aut nulli fere prorsus sunt, aut exigua admodum mundi portio. Idcirco enim addidi in argumento verba hæc, *In societate versantibus, & ad dissipandum societatem maximè pronis*: & periculum hoc tam est ingens, ut fieri mundus Christianus posse non videatur, si ista sententia locum capiat: Dissoluta enim societate humana per impunitatem generalem, qua ratione propagabitur fides & Religio Christi? Et, si hæc exceptio valeret, an non eodem jure dici posset; pœnas etiam non futuras necessarias, si omnes tantùm jus naturæ sequerentur? id est, honeste viverent, neminem læderent, suum cuique tribuerent, &c. Sed rectè dicebat Cicero, sententiam aut legem non ferri ut in Politeia Platonis, sed ut in fæce Romuli. 2. Posito quod mundus totus secundum legem naturæ viveret, imò jam Christianus factus esset, nihilominus periculum metuendum foret. Qui enim probus & Christianus hodie est, cras improbus fieri, & à fide & Religione Christi potest deficere, & relabi ad priorem vitæ dissolutionem & profanitatem: suppono enim eos ita sentire contra quos hic agimus. Ponamus ergo casum, deficere myriades aliquot, imò deficere paucos tantum, sed flagitiosos; & novarum rerum studiosos, quique ex aliorum dispendio rerum suarum compendia quærunt; addam amplius, deficere tres aut quatuor tantum; quid futurum credimus? an non ii sufficient turbandæ, dissipandæ, dissolvendæ societati universæ, si nullo resistentiæ metu retineantur & certa impunitatis spe armentur? Quid obstaret! Nihil dubium est quin ii ruptis legum obicibus, brevi tempore infinitis animabus spem pœnitentiæ aut vitæ melioris præciduri, & exemplo suo ad eandem vitæ profanitatem & sempiternam perditionem quamplurimos attracturi essent. Si quis dicat, Deum in tali casu providentia sua speciali remedia subministraturum; ille videat quo fundamento certo nixus id dicat. Frustra imaginamur nobis extraordinaria remedia, ubi ordinaria ad manum sunt: Non solet facere miracula Deus, nisi cum desunt aut deficiunt quæ ad eundem effectum, quem miracula productura essent, necessaria vel idonea & sufficientia vel utilia sunt. Tum enim fides fit miraculo. Quamdiu certum non est, Deum nolle societatem humanam per Magistratum, gladio armatum ad puniendum, conservari, aut à generali quadam confusione & παλιγγενεσία immunem præstari, tamdiu frustra nobis persuademus, eum auxilia extraordinaria suppeditaturum ad illius conservationem, cum per ordinariam istam rationem conservari & retineri possit.

Minor etiam quoad secundam partem vera est. Sententia enim illa nullum aliud idoneum medium ostendit, quo flagitiosi & facinorosi à dissolvenda societate omni possint impediri. Si enim aliquod ostendit, aut dari posse credit, ostendatur ecquod illud sit. Dices fortasse; suadet & hortatur ad patientiam, Resp. At patientia non est medium isti fini serviens, sed idem quod illa ipsa impunitas, unde malum omne oriri dicitur. Qui enim patientiam docet Magistratum, eo ipso docet eum ut impunitatem faciat flagitiosis, &, ut uno verbo dicam, ex Magistratu facit privatum ac subditum. Fortè dices; incutit flagitiosis æternæ pœnæ ac divinæ condemnationis metum. Resp. 1. At metus iste pro medio servire non potest ad profanos, legirupas, Dei & hominum osores, adeoque atheos, quales plerique, proh dolor! sunt reprimendos, aut à societate humana turbanda impediendos. 2. Is ipse una cum metu corporalium pœnarum, ac suppliciorum capitalium, etiam hodie inculcatur; & videmus nihilominus quàm parum ille etiam huic junctus possit ad frænandum efferatos animos istos: quid fiet si seorsim & per se adhibeantur? Vinculum & rete istud nimium est debile ac infirmum, quod feroces ἄνομοι & indomiti isti mortales nullo negotio perrumpunt: quippe quod imbecillibus atque incautis tantum, veluti muscis, irretiendis atque impediendis repertum esse volunt. Nec desunt fortasse inter Christianos, qui istis occasionem luculentam præbent, de pœnis æternis ejusmodi quædam sentiendi & credendi, quæ metum omnem earum apta nata sunt eximere; quibus accenseri etiam possunt ii, qui pœnarum istarum metu, in officio continere homines servile atque illiberale ducunt. Hi enim perinde mihi facere videntur, atque si cum Delila Samsonem intonsum vinculis ac funibus constringere laborarent. Hæc cùm ita sint, restat ut concludamus, sententiam itaque illam quæ docet Christiano non esse licitum, eo quo diximus modo gerere Magistratum, non esse comprehensam Religione Jesu Christi.

Subnectere his possemus alia nonnulla argumenta, & ipsum denique antiquitatis morem ac consuetudinem constantissimam, simulatque Imperatores, Reges ac Principes ad Christianam Religionem accesserunt. Ab his enim ita recepta fuit doctrina Christi, ut nec imperio exciderent, neque publica judicia abolerent. Neque in tanta multitudine Episcoporum

ſcoporum quiſquam unquam repertus fuit, qui eos ut id facerent, hortatus eſt. quod, ſi non certiſſimum, ſaltem valde probabile indicium eſſe videtur, ab omnibus conſtanter creditum, nihil eſſe in iſtis judiciis, Chriſti præceptis & Imperatorum ſaluti contrarium; cum alioquin libertatis Epiſcoporum adverſus Reges peccantes illuſtria extent exempla. Sed quia Antiquitas & conſuetudinis vetuſtas, parum movet eos contra quos hîc agimus, qui iſti ſeſe contradicere apertè profitentur, & de ea ipſa litem ac controverſiam non levem moveri poſſe video; partim quod jam tum quando Imperatores ad Eccleſiam Jeſu Chriſti accedebant, non parum inclinare ſanctiſſima Religio Jeſu Chriſti, & factionibus, ſuperſtitionibus, aliiſque gentilitiis abuſibus contaminari, inciperet; partim quod in Tertulliano aliiſque Scriptoribus antiquis ejuſmodi quædam veſtigia reperiantur, quæ contrarium pænè apertis verbis continere, &, niſi amuleto aliquo corrigantur, adverſæ parti non parum favere videntur; non utar argumento hoc, ne in labyrinthum non neceſſarium me induam, & laborioſiſſimæ probationis onere me gravem, ſine ullo ſolido fructu aut commodo; cum tota vis atque efficacia argumenti, quod ex antiquitate petitur, intra ſolam probabilitatem & veriſimilitudinem conſiſtat.

Sufficient, ſpero, hæc quæ allegata à nobis ſunt, pro prima, quod dicitur, inſtantia. Multa nobis deſunt in hoc exilio adminicula, quæ ſolidiori tractatui ſervire potuiſſent. Imprimis autem defuerunt fundamenta formalia, & rationes arque exceptiones, eorum qui contrariam ſententiam tenent. Si ea vidiſſem, (uti quidem ſæpe ea, ſed fruſtra, videre optavimus & laboravimus:) forte preſſius reſponderi ad multa potuiſſet. Sed ea res ſecundo nobis curæ erit; niſi quæ reponentur talia fuerint, quæ cogant nos à propoſito diſcedere. Fruamini interim dilecti in Domino fratres hiſce, ſi videbitur, & pergite ædificare Eccleſias Dei, cauſſamque ejus ſanctiſſimis veſtris laboribus, ſtudiis, curis & vigiliis promovere. Dominus Jeſus cui ſervitis, & cui labor omnis veſter militat, cuſtodiat vos ab omni malo, & ſanctificet vos totos in pietate & pace ac dilectione mutua, per Spiritum ſuum. Amen.

FINIS.

M. SIMON.

M. SIMONIS EPISCOPII

# RESPONSIO AD DUAS PETRI WADINGI JESUITÆ ANTVERPIENSIS EPISTOLAS:

Unam, DE REGULA FIDEI:
Alteram, DE CULTU IMAGINUM.

Secunda editio, à mendis quibus prior scatebat repurgata, & distributione in capita atque summulis marginalibus illustrata.

## S. C. LECTORI S.

EXhibemus tibi, Christiane Lector, Præstantissimi Theologi SIMONIS EPISCOPII τῆ μαχαίρᾳ, geminam adversus Pontificios Diatribam: unam, *de Regula Fidei*; alteram, *de Cultu Imaginum*. Utrique occasionem dedit Auctoris exilium, in quo etiam fuit conscripta. E Cathedra enim Lugdunensi, in qua summa cum laude aliquot jam annos Theologiam profitebatur, à Synodo Dordracena deturbatus, & postea immiti judicio, patriâ (de qua semper bene mereri studuerat) proscriptus, cùm se primùm vicinam Antverpiam contulisset, statim doctis ejus civitatis viris innotuit, & inter alios PETRO WADINGO, Societatis Jesu (ut vocant) Theologo, viro erudito & perhumano. Is sponte ad nostrum *Episcopium* accedens, post mutuas salutationes & aliquot ultrò citroque & commutatos sermones, de iis quæ in famosa illa Synodo contigerant, de controversiis quæ inter Pontificios & Protestantes hoc tempore agitantur, cœpit aliquid delibare. Quod primo illo congressu fecisse non contentus, postea etiam iteratis vicibus continuavit: argutiis & sophismatibus suis, ut conjicere est, sperans *Episcopii* (à religionis suæ sociis malè habiti) constantiam expugnare, atque sic eum in castra sua pertrahere. Sed cùm in familiaribus colloquiis res ipsi ex voto non successisset, mutatâ velificatione se ad scribendum contulit, & diversis temporibus duas ad eum satis prolixas Epistolas misit: quibus *Episcopius* Responsum, quod nunc tibi communicamus, paulò post opposuit. Quæres forsitan ubi tam diu egregium hoc κειμήλιον delituerit. Jam enim quatuor & viginti præter propter elapsi sunt anni, ex quo id ad umbilicum est perductum. Jacuit, inquam ego, cum multis aliis chartis insigni doctrinâ refertis, in forulis & pluteis Musæi Auctoris: qui pro derelicto id habere videbatur, nec unquam seriò de edendo cogitaturus. Ea enim erat viri modestia, ut quamvis ipsius scripta passim à doctis & æquis æstimatoribus magno cum applausu exciperentur, & indesinenter ab amicis, ut ea quæ adhuc penes se habebat publico non invideret, urgeretur; ipse tamen, quasi minimè omnium sibi satisfaciens, comiter eorum preces eluderet aut differret: immaturos fœtus, necdum satis limatos in sæculi hujus fastidiosi & maledici conspectum, non esse temerè protrudendos dictitans; ideoque eos non in nonum tantùm, secundùm Horatii monitum, sed in vigesimum & ultra premeret annum. Cùm igitur post ipsius obitum, bonis omnibus tristem & luctuosum, Disputationes istæ in manus meas devenissent, putavi me rem gratam divinæ veritatis studiosis facturum, si eas quam primum prælo subjiciendas curarem. Nihil dicam ad earum commendationem. Nam præterquam quod alieno non indigent præconio, mearum id non est virium, & tacere quàm infra meritum laudare satius duco. Tu ipse iis perlectis, quanti sint faciendæ melius judicabis. Nec dubito quin salivam tibi moveant, & desiderium accendant brevi cæteris tam felicis ingenii commentationibus potiundi. Fortè etiam invenietur non nemo, ex adversis nunc Reformatorum partibus, qui visâ adeò solidâ & accuratâ errorum Pontificiorum refutatione, inconsiderato eorum zelo succenseat, qui tantum virum ex Ecclesia sua, cum qua pacem colere paratus erat, ejiciendo, adversarium illum facere, quàm communis Protestantium causæ patronum & defensorem secum habere maluerint. Cæterum antequam te dimittam, benigne Lector, unum est quod te hîc rogatum volo, ut si alicubi pendeat stylus, aut verba non semper inter se satis aptè cohæreant, id Auctori non imputes, qui extremam huic operi limam adhibere non potuit. Hoc ferè posthumorum scriptorum fatum esse solet, ut non ita comta & polita in publicum prodeant, atque illa quorum nativitati genitor ipse interfuit. Tu ergo, qui humanorum casuum non es ignarus, miserare potius sortem hujus libri, ante tempus parente suo orbi, quàm carpe aut maligno dente morde. Vale & nostris conatibus fave. Amstelodami, Anno æræ Christianæ CIↃ IↃC XLIV. Idibus Martiis.

PETRI

PETRI WADINGI

Jesuitæ Antuerpiensis

# EPISTOLA,

# DE REGULA FIDEI:

Ad Clarissimum Virum

## SIMONEM EPISCOPIUM.

Exercitium.

VIR CLARISSIME,

*Facit salutis tuæ desiderium ut velim, & perspecta sincera tua indoles ut audeam, quæ è re tua fore judicavi, suggerere. Magnum sanè semper existimavi, in te divini amoris argumentum, quòd exilii vel secessionis tuæ sedem inter Catholicos potiùs, quàm Reformatos esse voluerit, ut terrenam in patriam reditum quærenti, cœlestis patriæ iter ostenderet, & alia pertractanti negotia, æternitatis negotium, quod à vera pendet fide, declararet. Quàm deploranda foret conditio, si turbatis domi rebus, composita saltem non esset conscientia, & nec in vita esset corpori tranquillitas, nec in morte animæ securitas.*

Nemo potest solide in ea fide esse securus, quæ nullum securitatis suæ promittat stabilimentum.

*Atqui ego quidem mihi sic persuadeo, non posse solidè vos in ea fide esse securos, quæ nullum securitatis suæ promittat stabilimentum. Non me quidem latet vos ad Dei verbum ut sacram anchoram confugere. verùm exiguum sanè inde vobis est securitatis præsidium. Ad eum scopulum allisæ tot naves luctuoso naufragio æternitatis dispendium incurrerunt. In Dei verbo spes suas collocat Arrianus, & in perpetua tartarorum incendia præcipitatur. Ex Dei verbo putat se Gomaristа de æterna salute certum, & multò est certior de perpetuo exitio. Anabaptista ex Dei verbo sapere se credit, & vestro judicio delirat. At illorum, inquies, illa est cæcitas aut malignitas, quòd suam in perniciem verbo Dei abutantur. Sed qua ratione hoc eis persuadebis, qui Dei verbo freti vos ferro flammaque eversum eunt? qui à fide vos errones, ut ipsi quidem existimant, à patria errones esse jubent. Gomaristicæ salutis fulcimentum baculus arundineus à Remonstrantibus judicatur: & Gomaristæ patriam salvam fore negant, nisi verbo Dei nixi Remonstrantes exterminentur. Alteram hîc partem errare est necesse, cum contraria sentiant utrique. Utri? Omnes, inquit Remonstrans, qui mecum non consentiunt, Dei verbo repugnant. Contra Remonstrans: quicunque mecum non colligit, spargit. Itáne Christe Deus? Tam parum tibi cordi est Ecclesia, cui salutem tuo sanguine peperisti, ut pro securitatis portu naufragii scopulum illi objeceris? Naupactæa nempe hæc illa Phares, ubi tota Græcia naufragavit, Ulysses enatat. Scripturam, qualem vos illam statuitis, scopulum esse dixi, ad quem impacti omnes omnium seculorum hæretici, perierunt. Catholici aliorum ruinis edocti aecedere non audent, & propterea vestro judicio pereunt. Sectæ omnes in illa statione classem religant, & pereunt omnes. Arminiani soli hîc tuti consistunt, pars quota terrarum! Quò se vertat veræ religionis salutisque suæ cupidus? Si in Scriptura sola salutis suæ firmamentum non reponit, perit; si reponit, pereundi periculum non evadit. Quicunque enim vel superiorum temporum memoria, vel nostra, hoc se præsidio tutati sunt, vel te judice tuti non fuerunt, cum doctrinæ capita planè adversantia hîc, quæ Remonstrantes tradiderunt, proposuerint.*

1. Arg. à Dei providentia; quæ non censenda est reliquisse fidelibus tale salutis præsidium, in quo paucissimi salutem essent inventuri.

*Hoc ergo sit vobis* Primum *dubitandi* Argumentum: *Benignissima Dei providentia non censenda est reliquisse fidelibus tale salutis præsidium, in quo paucissimi aut pænè nulli salutem essent inventuri: Tale præsidium foret purum Dei verbum: Ergo non reliquit. Probatur minor. Hæretici omnes ad Dei verbum contempta Ecclesiæ authoritate recurrerunt, & omnes ibi certam perniciem repererunt. Imo quotquot ab Apostolorum temporibus ad hæc usque tempora ad purum, ut vocant, Dei verbum confugerunt, à certa fide deviarunt. Nullus enim unquam Ecclesiæ bellum indixit, qui in errores non inciderit, quos vel ipsi pernicioſos esse fatebimini. Conjeci in adversaria ante aliquot annos eorum catalogum, qui ab Ecclesia ad Scripturam appellarunt, & ab omnibus ea dogmata haberi animadverti, quæ cum vera fide, etiam vobis judicibus, non cohærent. Consideret ergo tua prudentia, an illis firmamentis salus æterna tutò committatur, in quibus nemo hactenus tutus extitit. Si in puro Dei verbo sit certa securitas, cur ab annis mille sexcentis nemo eam reperit? Si reperisse quenquam existimes, eum produc testem; & ego eum, vel te teste, rectam fidei semitam non tenuisse demonstrabo. Si nemo hactenus ibi reperit salutem quomodo est ibi sita salus? Ad salutem enim quæ ex vera fide proficiscitur obtinendam, necesse est ea omnia dogmata & eo modo credere, quo Arminiani judicant esse necessaria. Atqui nullum ego reperire potui, qui contraria aliquibus eorum principiis fundamenta non statuat, etiam ex iis, qui ad purum Dei verbum refugerunt. Si dicas non esse dubium quin fuerint omni ætate, licet ubi fuerint aut qui fuerint ignoretur. Sed obsecro unde potest viro cordato constare eos fuisse, quos nemo mortalium scire potest, ubi, quando, quomodo, aut quales exstiterint? Historici nusquam eos fuisse prodiderunt, Deus non revelavit, omnes terrarum anguli excussi sunt superioribus temporibus à fidei quæstoribus, in lucem educti quotquot Romanæ Ecclesiæ auctoritatem contempserunt: è vestris nemo unquam apparuit.*

2. Arg. ἀδυνάτῳ: Illa fides meritò suspecta esse debet, in qua regula credendi plebeis est impossibilis.

Secundum Argumentum *sit ab adynato: Illa fides merito suspecta esse debet, in qua regula credendi plebeis est impossibilis: Atqui talis est fides omnium Reformatorum: Igitur suspecta esse debet. Minorem sic confirmo: Indoctum vulgus debet omnino certum esse de sua fide: Ergo etiam certum esse oportet de regula suæ fidei: Sed fieri non potest ut singuli de plebe sint certi: ergo regula debet ipsis esse suspecta. Probatur Subsumptum: Quia quisque de plebe debet certus esse hæc verba,* **Welcker sonden gy sult vergeven hebben / die wozden haer vergeven**; *vel similia, & esse à Christo sic prolata, & eo sensu accipienda, ut non significent potestatem remittendi peccata. neutrum viro indocto potest esse certum. Non prius: quia Christus non Teutonicè, sed Hebraicè aut Syriacè locutus. Igitur eum Hebraicè scire necesse est, ut certus sit verba, quæ retuli, à Christo esse prolata. Credat, inquies, Doctoribus Hebraicè peritis, qui ex Hebræo Teutonicum fecerunt Dei verbum. Sed qua ratione certus esse poterit Doctores suos intellexisse perfectè proprietatem linguæ Hebraicæ? Quomodo fidem, quam in propria scientia collocare quisque debet, in aliena scientia collocabit? Quomodo ille, qui à vobis jubetur totius etiam Catholicæ Ecclesiæ decreta examinare ad Scripturæ normam, jubetur tamen ministrorum dictis acquiescere, pronunciantium se Hebraici sermonis idiotismos & calluisse probè & fideliter transtulisse? Quomodo quietus esse poterit, qui totius fidei fundamentum, nempe Dei verbum, accipit ab hominibus, quos sibi debet persuadere & fallere posse & falli? Unde ergo constare potest, in hoc negotio nec deceptos neque decipere voluisse? Verùm esto: sibi falsæ persuasione in animum inducant verba ista à Christo esse prolata: cum salus non in verbis, sed in verborum sensu sita sit; unde indoctus sensum hauriet? Ab Ecclesia sua, inquies. Verùm alio ipse principio nititur; nempe, nihil fidei credendum, quod non est scriptum. Interrogabit ergo suam Ecclesiam; ubi hoc est scriptum, verba hæc, quorum remiseritis peccata, hunc sensum reddere, quorum peccata declarabitis remissa esse. Teutonica sua lingua videt diversos esse modos loquendi,* **welcker sonden gy sult vergeven hebben**; & **welcker sonden gy sult hebben verklaert vergeven te zyn.** *Scripturam igitur exhiberi sibi postulabit, quæ jubeat illa verba,* quorum remiseritis, accipienda esse, quorum declarabitis remissa esse. *Nulla proferetur, quæ expresse hoc asserat. Quærenda igitur est aliqua, ex qua appareat id sequi. De illa dubius interrogabit, unde constare poterit locum* Joannis XX, *exponendum per* Lucæ VI. *Si dicas necesse esse, ut verba Joannis cum sensum habeant, alioquin absurdum aliquod secuturum, nempe, hominem remittere culpam, & per consequens pœnam æternam, quam non potest infligere. Contra; quomodo ipse prudenter certo sibi persuadebit hoc esse absurdum, quod Catholici omnes negant esse absurdum? etiam in Republica humana fieri potest, ut quis à principe potestatem accipiat remittendi culpas, qui nullas pœnas potest infligere. Vestales, apud Romanos, obvios fortuitò reos liberare poterant, punire non poterant. Tandem ergo ultimum fundamentum fidei indocto erit, hoc videtur mihi probabile, sequi absurdum, si verba illa accipiantur proprie & ut sonant, & pro-*



Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.

*inde aliam expositionem comminisci debeo. Unde concludes, cum fides non sit certior quam fundamentum, & fundamentum totum sit tantum probabilis ratio (si tamen probabilis) fidem nullo modo esse certam, & deinde non fundari in verbo Dei, sed in fallaci conjectura.*

3 Arg. Illa religio suspecta esse debet, cujus fundamentum omne est non Dei verbum, sed falsa sequela Logica.

Tertium Argumentum: *Illa religio suspecta esse debet, cujus fundamentum omne est non Dei verbum, sed falsa sequela Logica: Talis videtur Religio Reformatorum: Ergo, &c. Probatur Minor: nempe, fundamentum Reformatorum non esse verbum Dei: quia ipsum Dei verbum admittunt, discernunt, rejiciunt sine Dei verbo. Ubi enim est scriptum librum Sapientiæ non esse à Spiritu Sancto dictatum, & librum Proverbiorum esse dictatum? Dicetis reperiri in Canone Judæorum unum & non alterum. At jam à Dei verbo scripto receditis & ad traditionem Judæorum confugitis: ergo fidem fundatis in fallaci traditione Rabbinorum; & totius Ecclesiæ Catholicæ etiam antiquissimæ consensum rejicitis. Nempe inimici Dei in tradendo Dei verbo errare non potuerunt, & Ecclesia Dei sponsa & fidelis discipula errabit, docendo librum Sapientiæ esse à Deo dictatum. Unde apparet clarè, vos, in constituendo fidei fundamento, non Dei verbo, sed vestræ menti verbo inniti videri. Dato vobis Dei verbo, sine tamen ulla auctoritate ex Dei verbo, ad exegesin accedamus. Primùm; nullum fidei vestræ fundamentum, de quo inter vos & nos est controversia, in Dei verbo reperitur: Ergo, &c. Probatur Inductione: Fundamenta apud vos sunt, Sacrificium Missæ cedere in ignominiam sacrificii crucis: Sanctorum invocationem cedere in injuriam Mediatoris: Cultum sacrarum Imaginum esse idololatriam; & his affinia. Atqui nullum horum dogmatum habetur in Dei verbo: Ergo nullum vestrorum dogmatum est fundatum in Dei verbo. Probo Minorem, & peto illa verba proferri. Dicetis fortè* Matth. XI. *Venite ad me omnes qui laboratis, &c. Atqui non est ista propositio quam petimus, Sanctorum cultus cedit in injuriam Mediatoris. Ergo admittere necesse est, nullum istorum dogmatum terminis expressis, ut sic loquar, in Dei verbo contineri. Dicetis idem omnino esse, Christum jubere ad se venire, & ad Sanctos non venire. Sed secundum nullum Grammaticum aut communem sensum idem valent ista duo pronuntiata: venite ad me omnes, & nolite ire ad Sanctos. Ergo superest ut ex Dei verbo declaretur eundem sensum reddere: Atqui nullum est Dei verbum, quod dicat idem esse, venite ad me omnes, & non ite ad Sanctos: Ergo nec formaliter, ut Dialecticè loquar, nec æquivalenter vestrum dogma in Dei verbo habetur. Ultimum asylum esse potest, ejus consequentia ex Dei verbo id deduci. Ratiocinationem ergo sic concio: Quicunque jubet omnes ad se venire, prohibet ad quemquam alium accedere: Christus hoc facit; Ergo prohibet ad Sanctos accedere. Verum jam iterum à Dei verbo recedimus & fidem in ista consequentia fundamus. Scire ergo vos oportuit ex Dialecticæ regulis, Conclusionem non plus habere roboris, quàm habeat Præmissarum maximè infirma. Tritum apud Dialecticos ex primo priorum Aristotelis, Conclusio sequitur debiliorem partem Antecedentis: unde si Præmissarum aliqua sit infirma, Consequens quoque infirmum esse necesse est. Atqui Major istius Syllogismi non omnino falsa, at saltem dubia est, cum Catholici passim eam negent, & ratio satis apertè eis faveat, & Scriptura ipsa: Ergo conclusio in ista Majore fundata dubia est & incerta.*

4. Arg. Illa fides suspecta esse debet, quæ in cujusque proprium & particulare judicium tanquam in fundamentum ultimum resolvitur.

Quartum Argumentum: *Illa fides suspecta esse debet, quæ in proprium cujusque & particulare judicium tanquam in fundamentum ultimum resolvitur: Talis videtur fides Reformatorum: igitur est suspecta. Minorem probo, exponendo statum controversiæ. Nec enim Catholicus ullus cum Reformatis contendit, an potius debeamus Dei verbo stare, an verbis hominum. Nemo enim dubitat, quin si ab unâ parte stent omnes quotquot unquam fuerunt homines, & ab altera parte Dei verbum, oporteat potius Dei verbum admittere quam omnium hominum. Sed status quæstionis in eo versatur, an in exegesi & interpretatione verbi Dei quisque non debeat potius stare judicio totius Ecclesiæ, & consensu omnium sæculorum ab Apostolis hucusque, quàm suo proprio judicio. Nos dicimus petendam esse Scripturæ Sacræ interpretationem ex Ecclesiæ & communi Patrum antiquorum consensu: vos dicitis ex proprio cujusque judicio & spiritu privato. Ergo cum salus pendeat ex vera Scripturæ interpretatione, & Scripturæ interpretatio ex proprio cujusque judicio dependeat, à primo ad ultimum, fundamentum salutis est proprium judicium.*

Quatuor argumenta adversus spiritum privatum. Primum.

*Dicetis nihil inde sequi absurdi, cum quisque vestrûm certus sit se rectam fidem tenere, proindeque verum Scripturæ sensum. Hic nodus est. Advertat prudentia vestra, an illa procedendi ratio sit secura. Primò, Principia eadem si vera sint, semper nata sunt, cuicunque debitè applicentur, veritatem in eo producere: Atqui principia spiritus privati & περιτροπια interna nata sunt errorem potius producere: Ergo non sunt vera. Major est nota in Philosophia. Minorem probat quotidiana experientia in omnibus Reformatis, qui vestram doctrinam rejiciunt. Gomaristæ enim ex suo privato judicio & spiritu certi sunt se germanam Dei mentem possidere, & certi sunt vos spiritu erroris agitari? & contrà vos eandem contra illos sententiam pronuntiatis. Et tamen Gomaristæ iisdem utuntur principiis, & eodem modo applicatis. nam illi (saltem non dubitem aliquos inter eos sinceros reperiri) orant, à Deo illustrationem petunt, Scripturas legunt, collationem locorum difficilium cum facilibus instituunt, & tandem ex spiritu suo certi se assecutos, tamen toto cælo errant. Ergo illa principia tam errorem quàm veritatem nata sunt efficere: Ergo nec secura sunt nec vera; cum alioqui nullum unquam errorem gignerent, si vera essent & secura.*

Secundum.

*Secundò, Advertat quæso animum, an non sit ille spiritus superbiæ, contrarius spiritui Dei & Christi. Quicunque certus est se rectum Scripturæ sensum tenere, debet certus esse omnem, qui contrarium sensum tanquam Catholicum tradidit, errare. Ergo per consequens debet judicare omnes sanctos Patres, totam antiquam Ecclesiam turpiter lapsam. Atqui quæ est humilitas Christiana, me certum esse debere mihi soli factam revelationem à Dei Spiritu, & viros sanctissimos, Augustinum, Hieronymum, Nazianzenum, Basilium, Cyrillum & cæteros, spiritu Satanæ in transversum actos? Hieronymus totam vitam ad annum usque ætatis nonagesimum Scripturarum lectioni impendit, linguarum peritissimus, indefesso studio toto orbe peragrato, ut viros sapientissimos & sanctissimos in Scripturæ difficultatibus consuleret, orationi diu noctuque intentus, vigiliis, jejuniis, lacrymis à Deo lumen flagitans, tanto labore spiritum erroris consecutus; & ego sine labore, exigua oratione, sine tanta aut sanctitate aut sapientia Spiritum Sanctum adeptus sum? Hic fuit antiquorum hæreticorum spiritus. Audi Tertullianum lib. de præscriptionibus, cap. 29.* Aliquos Marcionitas & Valentinianos liberanda veritas exspectabat: interea perperam euangelizabatur, perperam credebatur, tot millia millium perperam tincta, tot opera fidei perperam administrata, tot virtutes, tot sacerdotia, tot ministeria perperam functa, tot denique martyria perperam coronata. *Addo ego non solum erroris debere damnari totam simul antiquam Ecclesiam, sed etiam nullum ex Sanctis antiquæ Ecclesiæ fuisse Dei amicum aut sanctum, sed perpetuis ignibus adjudicatum. Sine fide impossibile est placere Deo: Illi caruerunt fide: Ergo non placuerunt Deo. Minorem probo: Ille fidem non habet, qui fundamenta fidei evertit: Tales fuerunt Patres: Ergo, &c. Orarunt pro defunctis, Sacrificium Missæ statuerunt, Romanum Pontificem agnoverunt Ecclesiæ caput, Sanctos invocarunt, Reliquias venerati sunt. Atqui hoc est secundùm vos fundamenta fidei evertere, nempe gratiam Redemptoris, pretium sacrificii crucis, &c. Si dicas Spiritum Sanctum non esse Patribus aut Ecclesiæ alligatum, quin possit mihi suggerere aliquem Scripturæ sensum, qui antiquos latuerit; sat scio hoc & fieri posse & fieri in dies. Habet enim Ecclesia & Sancti Patres ignorantiam, quam vocant Philosophi puræ negationis, non autem pravæ opinionis. Nempe Patribus Deus multa non indicavit, sed nec permisit Ecclesiam antiquam communi consensu in errores præcipitari. Nec ego si humilis esse velim aut prudens, persuadere mihi possum illos omnes errasse, me solum sapere.*

Tertium.

*Et hinc tertium Argumentum concio contra spiritum privatum. Nusquam in Scripturis promissus est spiritus privatus ad rectam verbi Dei interpretationem obtinendam: Ergo sine fundamento asseritur. Probatur Major: Vel est promissus solis Arminianis: & hoc non existimo sine ullo fundamento vos vobis velle arrogare: Vel est promissus singulis fidelibus à Deo eum poscentibus. Cur enim omnes viri sanctissimi tanta devotione & humilitate eum à Deo postulantes repulsam passi sunt & spiritum Satanæ acceperunt? Videtis ergo nullo certo & infallibili Dei promisso certam Scripturarum interpretationem vobis vendicare vos posse, quia nec vobis solis Spiritus Sanctus uspiam promisit se adjuturum, nec fidelibus omnibus, cum alioqui nulli sincerè eum à Deo exspectantes eo fraudari possent.*

Quartum.

*Quartò, Regula fidei & Scripturarum explicandarum talis relicta est Ecclesiæ, quæ nata sit Ecclesiam congregare & unitam conservare: Spiritus privatus ad hoc officium nihil planè confert, Ergo, &c. Probatur Minor: Quia ad congregandam & propagandam Ecclesiam debeo talem adferre regulam erranti, qua ipse possit prudenter convinci & ad rectam viam deduci? sed spiritu privato hoc non agitur: quia, quid dices erranti, maximè traducto à Satana, se transfigurante in Angelum lucis? aut qua ratione persuadebis te spiritu veritatis, illum spiritu erroris regi? Dices te certo & clare explicare verbum Dei. Reponet se certum esse de vera Scripturæ explicatione ex Spiritu Sancto: & à te petet adferri rationem aliquam, cur ipse tibi potius, quàm tu ipsi credere debeas. Nullam adferes præter id, quod est in controversia. Unde patet nec ad ingenerandam alis fidem illum spiritum quicquam facere, cum mihi nunquam constare possit te Spiritu sancto duci: nec ad unitatem Ecclesiæ procurandam, cum viam pandat schismati, ut quisque cerebri sui somnia sectatus, excusabilis tamen sit, quod dicat certum se esse, se verum verbi Dei sensum mentemque obtinere. Concludo hoc Ar-*

*hoc Argumentum de ſpiritu privato ſententia S. Auguſtini lib. 22. contra Fauſtum, cap. 36.* Videtis, *inquit*, id vos agere, ut è medio tollatur divina auctoritas, ut ſuus unicuique animus auctor ſit, quid in unaquaque re probet aut improbet. *Multa in hanc rem congeri poſſent, quæ ſecuritatem & ſtabilitatem fundamenti fidei veſtræ non leviter labefactent. Sed hæc paucula de multis ſufficiant. Præſertim cum ea prudentia te eſſe confidam, ut ſeriò ſincereque velis hæc perpendere.*

Prædicta omnia incommoda evitantur in fide Catholica Romana, acquieſcendo in auctoritate Eccleſiæ; quæ declarat quodnam ſit genuinum Dei verbum, & verum ejus ſenſum aperit.

*Supereſt ut quoniam D. V. id avide deſiderat, quomodo prædicta omnia incommoda in noſtra fide evitentur, clarè breviterque exponam. Theologicis Scholarum vocabulis phraſique rem explicandam duxi. Apud nos igitur fidei divinæ objectum formale eſt authoritas Dei revelantis. Ratio ergo ultima, ſive in quam fidem meam reſolvo, illa eſt: Credo Deum pro me hominem factum, quia prima veritas Deus hoc revelavit. Cum autem Deus nihil mihi ſoli ſpeciatim dixerit, & propterea multa circumferri poſſint tanquam à Deo dicta, quæ divina Majeſtas nunquam indicavit, fuit omnino opus, ut eſſet publica aliqua poteſtas, penes quam eſſet judicium de revelatis, & mihi poſſit ſignificare hæc eſſe à Deo dicta, & non iſta: & hanc Poteſtatem vocamus Eccleſiam. Si ergo me interroges, cur credam Dei Filium pro me hominem factum, reſpondebo, quia Deus hoc revelavit. Si petatur unde ſciam Deum revelaſſe, quia Eccleſia propoſuit. Exemplo rem illuſtro. Princeps patriæ edicto cavet, ne moneta aurea pluris valeat, quàm tanti vel tanti; Magiſtratus Antuerpienſis in curia publicè promulgat edictum. Civis Antuerpienſis poſtea interrogatus, cur pecuniam non plurìs æſtimet, reſpondebit Principem vetare. ſi amplius urgeatur, unde ſciat abſentem Principem hoc ſtatuiſſe: reſpondebit Magiſtratus auctoritate ſe permoveri, ut credat eam Principis eſſe mentem. Et hoc ipſum eſt quod voluit S. Auguſtinus ſignificatum, cum cap. 5. contra Epiſtolam Fundamenti*, Ego, *inquit*, Euangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ moveret auctoritas. *Eccleſia ergo Scripturam ſacram mihi indicavit. Sed quia non fuit ſatis ipſum verbum Dei mihi tradere, niſi etiam cum poteſtate exponeret: quia apud omnes in confeſſo eſt, ex Scriptura malè intellecta, natas eſſe omnes, quotquot fuerunt, hæreſes: opus erat ut publica poteſtate, mihi Scripturarum ſenſum exponeret. Et hoc fuit rationi valde conſentaneum, ut quibus Deus commiſit ſervandum ſuum verbum, iiſdem quoque veram ſui verbi interpretationem crederet. Hanc ratiocinationem fecerunt antiquiſſimi illi Apoſtolorum pœnè diſcipuli S. Irenæus lib. 4. contra hæreſes, cap. 25. & Tertullianus de præſcriptionibus, cap. 19.* Prius, *inquit*, quam veniatur ad certamen Scripturarum, ſtabiliendum eſt cuius ſint Scripturæ, à quo, per quos, & quando, & quibus ſit tradita diſciplina, qua fiunt Chriſtiani: illic enim erit veritas Scripturarum, expoſitionum & omnium Traditionum Chriſtianarum. *Hæc ille, & plura. Duo ergo damus officia Eccleſiæ: unum, ut verum germanumque Dei verbum ab adulterino diſcernat; alterum, ut veram germanamque verbi interpretationem tradat. Non damus nos Eccleſiæ auctoritatem condendi nova dogmata aut decreta fidei: ſed vetera, quæ Chriſtus & Apoſtoli docuerunt, eruendi: ut adhibita Doctorum opera aliiſque mediis ſibi à Deo relictis, exponat ſacram Scripturam, & nobis tradat, quæ Deus Apoſtolis indicavit, ſive ſcripto, ſive ſine ſcripto.*

Eccleſia privilegium hoc habet, ut falli non poſſit, neque in tradendo, neque in explicando Dei verbo.

*Ad hæc autem officia ſecurè obeunda, tertium aſſignamus Eccleſiæ privilegium, ut nempe falli non poſſit, ſive in tradendo, ſive in explicando Dei verbo. Et ex hoc capite naſcitur ſecuritas eorum, qui Catholicæ Romanæ Eccleſiæ adhærent: ut nempe nec anxii ſint, nec ſolliciti, an illa ſit vera Scripturæ interpretatio, quam Eccleſia in Conciliorum definitionibus proponit.*

Id probatur primò generatim à providentia divina, quæ non ſit permiſſura ut Eccleſia à veritate aberret.

*Certi enim ſunt divinam providentiam non permiſſuram, ut cum magno detrimento animarum, Eccleſia Catholica in decretis fidei vel morum à veritate aberret. Si igitur quis petat, an in hominibus ſecuritatem collocemus: reſpondemus, non in hominibus ſed in Deo ſecuritatem eſſe ſitam, nempe in divina providentia aſſiſtente, & gubernante viſibilem illum cœtum, ne deviet. Nunquam igitur apud nos in controverſiam vertitur, an Scripturæ, an potius Eccleſiæ ſit adhærendum. Certò enim nobis perſuademus, non poſſe Eccleſiam Spiritu ſancto gubernatam Scripturæ aut Dei verbo contradicere. Secura, inquies, credendi hæc ratio, ſi foret vera. At ego contra, propterea ſecura, quia vera; ſecura enim aliter non foret.*

Deinde ſpeciatim, Primò, Quia ſi Eccleſia poſſet aliquando errare, fides Euangelii apud nos labaſceret.

*Argumenta hujus ſtabilitatis hæc ſunt, partim ex Scriptura, partim ex ratione petita. 1. Quia ſi Eccleſia poſſit errare aliquando, ſemper tota fides & ejus objectum erit merito ſuſpectum. Si enim deprehendero Eccleſiam malè explicaſſe vel unum locum Euangelii, jam fides ipſius Euangelii apud me labaſcet; cum ipſum Euangelium non aliundè acceperim quàm ab Eccleſia. Tam igitur facilè judicabo Eccleſiam in proponendo, quàm in explicando Dei verbo, errare potuiſſe.*

Secundò, quia S.

*2. Scriptura ipſa infallibilem hanc aſſiſtentiam Eccleſiæ promittit*, Matth. XVI. Et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. *Tunc ſanè maximè portæ inferi prævalerent adverſus eam, ſi Dæmoni poteſt facultas dari eam in errores contra fidem inducendi.* Matth. ult. Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi. *Quomodo eſt uſque ad conſummationem ſæculi cum Eccleſia ſua (de ea enim locus accipiendus eſt, non de ſingulis fidelibus, quos etiam in ſententia veſtra excidere poſſe non eſt dubium) ſi Eccleſia infidelis & impia eſſe poſſit?* 1. Timoth. III. Eccleſia Dei vivi, columna eſt & firmamentum veritatis: *nempe, ſecundum mentem Patrum priorum ſeculorum, ut ipſa doctrinæ ſuæ ſtabilitate firma inſtar columnæ conſiſtat, & aliis inniti volentibus firmamentum præſtet, ne labantur. Unde rectè S. Ambroſius lib. 3. Epiſt. 25.* Mecum ſtas, ait Dominus, ſi ſtes in Eccleſia. Sta in Eccleſia, ubi ego tecum ſum. Ubi eſt Eccleſia, ibi firma ſtatio tuæ mentis eſt, ibi fundamentum animi tui. *Denique experientia hanc fidei conſtantiam ſatis probat, cum omnia ſæcula ita ſint inter ſe connexa, ut poſteriora nullum habeant fidei decretum in contrarium, quæ priora ſecula tradiderunt. Sic exiſtimamus ſanctum Petrum intelligendum in* 2. Epiſt. cap. I. Hoc primum intelligentes quod omnis Prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit. *Nempe proprio ingenio: ſed ſi aliquid cuiquam à Sancto Spiritu ſuggeratur, non ſtatim omni Spiritui credendum, ſed probandos Spiritus, ſi ſint à Deo; nempe ad Spiritum publicè loquentem & interpretantem in Eccleſia, examinandum, & tum demum admittendum, ſi cum illo conſentiat.*

Scriptura hoc teſtatur: Mat. 28. 20.

1. Tim. 3. 15.

2. Petr. 1. 20.

Nullus eſt in hac probatione circulus: ſed potius in modo agendi Reformatorum.

*Scio quid ad hæc dicturus ſis; nos, nempe, in ea ipſa, quæ paullo ante evitata voluimus, incommoda, devolvi. Interroget enim quispiam, cur ego de Scripturæ hujus auctoritate non dubitem: reſpondebo, quia Eccleſiæ auctoritas indubitata eam proponit. Si rurſus interroget, unde indubitatam illam Eccleſiæ authoritatem aſſeram ut errare non poſſit: reſpondebo, quia Scriptura eam commendat. Atqui hic eſt vitioſus circulus ad probandum ineptus. Hîc quidem hæretis vos ipſi, ego vero non. Ac primum ſciſcitabor quomodo vos ex hoc labyrintho expediatis. Euangelium Joannis unde vides à Spiritu ſancto dictatum potius, quàm Nicodemi? Quia, inquies, meus ſpiritus & interna κρίτηρια hoc demonſtrant. Et interna κρίτηρια unde tantam apud te auctoritatem obtinent? Nonne ex Dei verbo? Ergo Dei verbum tibi innoteſcit ex tuo ſpiritu, & tuus ſpiritus ex Dei verbo.*

Aliter cum iis agendum quibus Scripturæ auctoritas nota eſt, Eccleſiæ ignota: aliter cum iis quibus utraque ignota eſt. Modus cum his poſtremis agendi.

*Sed nos Theologica diſtinctione negotium explicamus. Aut enim apud eos agendum eſt, quibus Scripturæ auctoritas nota eſt, Eccleſiæ auctoritas ignota, quales vos eſtis: & tunc meritò à Scriptura vobis nota conciliamus auctoritatem Eccleſiæ ignotæ, optimo probandi genere. Aut apud eos, quibus nec Scriptura nota nec Eccleſia: & apud tales Eccleſiam ex notis credibilitatis probamus, & per Eccleſiam probamus Scripturam. Contra vos autem alio adhuc argumentandi genere utimur. Nempe ex conceſſis cogimus alia fateri, aut conceſſa rejicere. Sicuti Scripturam cum admittatis, oportet & Eccleſiam admittere, cum alioqui neſciatis, unde Scripturam habeatis.*

*Primam autem fidei generationem, cum quis nec Eccleſiam nec Scripturam recipit, hac ratione fieri imaginamur. 1. Credibile eſt, & ſecundum rectam rationem credendum, eſſe in terris aliquem cœtum Deum ritè colentium. Cum annuit Ethnicus, pergitur 2. Credibile eſt & credendum, Deum huic cœtui indicare, ſi quid hominibus dictum velit. 3. Omnino credibile eſt, & prudenter credendum, hunc cœtum in fundamentalibus non errare. Quia ad divinam providentiam ſpectat eum ſic conſervare, ne fœdè labatur. Atqui fundamentalia ſunt, Dei verbum purum tradere & purè explicare. Hæc omnia ſecundum prudentiam æquo integroque animo credenda apparent. Ex quibus animus ſic affectus manet, ut verbum Dei per Eccleſiam ſibi quærendum judicet.*

Eccleſia agnoſcitur & diſtinguitur ab aliis cœtibus ex quibuſdam notis: nempe quòd illa ſit una, ſancta, Catholica, & Apoſtolica. Reformati nullas certas Eccleſiæ ſuæ notas habent.

*Eccleſia igitur vera inveſtiganda eſt. Eam ex notis deprehendet & diſtinguet à cœtibus aliis, qui Dei cultum mentientes, Satanam tantum colunt. Ego rogabo ut tanquam hiſtoriam certam habeat, Dei Filium carne aſſumpta Eccleſiam congregaſſe, Apoſtolos collegiſſe, curam demandaſſe, &c. Hoc habito, notas eas proferam, quas intellectus prudens divina gratia adjutus non poſſit non judicare veram Dei Eccleſiam deſignare. Dicam eſſe unam, ſanctam, Catholicam & Apoſtolicam, oſtendamque clarè ex Scripturis noſtrum ſolam Eccleſiam, quæ Romano Pontifici adhæret, eſſe unam, ſanctam, Catholicam & Apoſtolicam. Et ille notis illis permotus elicit actum fidei divinæ, qua credit certò & infallibiliter hanc congregationem, quam videt parere Romano Pontifici, eſſe illum cœtum, quem Deus revelavit eſſe ſuum. Et tunc deinceps circa alia divinæ fidei actus exercet. En modum ad fidem perveniendi & in ea perpetuo remanendi.*

*Quapropter D. V. animo à præjudiciis vacuo ſecum perpendat Eccleſiam prius quàm Scripturam quærendam: & in Eccleſia & ſalutem & veram germanamque Scripturæ mentem inveniet. Veſtram Eccleſiam, in qua eſtis, nullæ notæ indicant, quæ veræ notæ ſint, & non potius communia quædam ſymbola*

*ſymbola, quæ ſibi vendicant tam veræ, quàm falſæ religionis profeſſiones, & quæ obſcuriora ſint illo ipſo, cujus ſunt ſymbola notæve. Anabaptiſtæ, Gomariſtæ, & omnes alii, notas ſtatuunt ſinceram verbi Dei prædicationem & Sacramentorum adminiſtrationem rectiſſimam. Hæ autem veſtræ Eccleſiæ notæ eſſe non poſſunt, cum contrariæ etiam Eccleſiæ ſuas eſſe dicitent, nec notæ ullius Eccleſiæ eſſe poſſunt, cùm obſcurum æquè ſit cuicumque ad vos accedere paranti, vos ſincerè Dei verbum tractare, quàm vos eſſe Dei cœtum. Noſtræ autem notæ, & nobis ſunt propriæ, & claræ, & intellectui Deigratia inſtructo ſatis evidentes, ut in cognitionem Eccleſiæ ſine errore poſſint deducere: ſic quidem ut illa cenſeatur Chriſti Eccleſia, quæ una, quæ ſancta, quæ Catholica, quæ Apoſtolica; ut ſi horum quid deſit, non vocetur Eccleſia Chriſti. Collectio proprietatum individuum deſignat apud Logicos; vel unius proprietatis defectus individuum deſtruit. Extra controverſiam autem eſt veſtram Eccleſiam nuper incepiſſe, & propterea non eſſe Catholicam tempore. Quod tanti fecit Tertullianus de præſcrip. cap. 37. ut hæreticos eo nomine rejiciendos exiſtimarit, quod antiqui non eſſent. Eccleſiam enim ſic eos compellantem inducit:* Qui eſtis? Quando, aut unde veniſtis? Quid in meo agitis non mei? Mea eſt poſſeſſio, olim poſſideo, prior poſſideo, habeo origines firmas ab ipſis Auctoribus, quorum fuit res. *Et plura in hanc rem ſubdit.*

Concluſio adhortatoria

*Te igitur tandem cum Auguſtino compello lib. de util. cred. cap.* 8. Si vis finem hujuſmodi laboribus imponere, ſequere viam Catholicæ diſciplinæ, quæ ab ipſo Chriſto per Apoſtolos ad nos uſque manavit, & abhinc ad poſteros manatura eſt. *Meminerit D.V. ſe in Apologia exhibita Ordinibus nomine Remonſtrantium, cùm novitatis à Contra-Remonſtrantibus inſimularetur, his verbis reſpondiſſe:* Haberet objectio aliquid coloris, ſi probari poſſet ſententiam Remonſtrantium in dictis articulis novam eſſe reſpectu antiquitatis primitivæ Eccleſiæ poſt tempora Apoſtolorum. Nam ejuſmodi antiquitas apud omnes Chriſtianos jure meritoque magno habetur in pretio. Si putant Contra-Remonſtrantes, agedum, audiantur primi Patres atque ex ipſorum libris controverſiæ decidantur. *Hæc ſunt Remonſtrantium verba à D. V. concepta. Obnixè igitur rogo, ut quàm Gomariſtis obtuliſtis ſortem ad lites decidendas, eandem nobis offeratis. Lites ſtatim componentur. Primorum ſeculorum Patres agnoverunt unum caput, & judicarunt non poſſe unitatem fidei aut comparari aut conſervari ſine uno capite. Sacerdotes fuerunt, orarunt pro defunctis, Sanctos invocarunt, & cætera fecerunt quæ Romana jam obſervat Eccleſia. Horum judicio ſi litem decidamus, Eccleſiam & veram germanamque verbi Dei mentem reperiemus.*

ad lites quæ ſunt inter Cathol. & Remonſtrantes decidendas auctoritate primitivæ Eccleſiæ.

*Hiſce generatim univerſeque præluſi pro meo affectu in Clar. D. V. & ſincero ſalutis veſtræ deſiderio. Si arridere intellexero ſigillatim copioſeque ſingulas Eccleſiæ notas perſequar. Ut quoniam extra veram Eccleſiam ſalus eſſe non poteſt, certis notis ſymboliſque germanam illam Chriſti ſponſam dignoſcatis & perſpiciatis. Deus D. V. quàm diutiſſimè ſervet incolumem, & veræ fidei luce perfundat.*

Clariſſ. Dom. Veſtræ ſervus in Chriſto

PETRUS WADINGUS.

M. SIMO

M. SIMONIS EPISCOPII

# RESPONSIO AD EPISTOLAM PETRI WADINGI

Jesuitæ Antuerpiensis, Theol. Profess.

# DE REGULA FIDEI.

## CAPUT I.

### Introductio ad ea quæ dicenda sunt.

*Maximum est beneficium, alium salutis æternæ participem facere velle.*

VIR CLARISSIME, Quod salutis meæ desiderium facit ut velis, & opinio quam de sinceritate mea concepisti, ut audeas mihi suggerere ea quæ è re mea fore judicas, id equidem non debet nec potest mihi non esse gratissimum. Nec enim beneficium majus homo homini velle aut præstare potest, quam quo eum æternæ salutis participem facere studet. Et si quid aliud, hoc unum certè Christiani amoris proprium est. Quippe adeo tener est amor Christiani pectoris, ut alterius æterno bono, non minus quam proprio suo afficiatur & gaudeat; adeo benignus, ut ejus, quem per errorem eo frustratum iri metuit, commiseratione intima ducatur; adeo alienus à suspicandi vitio, ut non studio aut dedita opera, sed imprudenter, errare, & in ipso errore cum sinceritate animi versari eum credat, tantoque impensius adjutum & ab errore isto eum liberatum velit. Quocirca ingratissimus meritò habendus est, & rerum suarum parum satagere judicandus, quem tam eximius amor, tamque ingens & benevolum studium ac judicium non afficit; hoc imprimis sæculo, quo Christianus ille affectus pæne extinctus & suffocatus esse videtur. Nimirum plerique, proh dolor! ita animati sunt, ut quem errare credunt, eum toto animo ac vultu aversentur, & quos dissentire à se vident, eos veluti hostes ac perduelles ducant, utque rectius instruantur, & ab errore liberentur, operam dare nullam prorsus velint.

*Quam grato animo illud studium accipiat Auctor.*

Ad me quod attinet, ego contra ita animatus sum, ut quem salutis meæ desiderio teneri video, eum, licet à me dissentientem, impensissime semper amem, deque eo benè mereri vicissim omni ope adnitar. Unde fit ut licet me rectam salutis viam insistere, & in errore neutiquam versari persuasissimus sim, nihilominus tamen ne studium illud pium ac verè Christianum negligere atque insuper habere videar, facile in eam adducor suspicionem, fieri posse, ut in errore me, nulla mea culpa, versari nesciam; atque ita animum applicem ad considerandum, quibus rationibus nixus talis errare me credat. Alterutrum autem inde sequuturum nullus dubito, ut, si forte errem, ab errore isto meo liberer, sin minus, ut in ea quam teneo sententia, solidius multo confirmer ac stabiliar. Neque vero periculum aliquod inde mihi metuo, cum lubricis multis & fluxæ plerumque ac caducæ fidei mortalibus: quippe istam veritati vim ac lucem inesse semper hactenus credidi, ut errorem levi momento detegat; & gratiæ divinæ tantum tribuendum esse judicavi, ut non permissura sit in errorem saluti noxium incidere eum, quem serio veritatis amore duci, & id unum agere videt ne sibi ipsi obicem ponat, quo minus ad solidam veritatis cognitionem perveniat, aut in ea quam semel adeptus est veritatis notitia, indies magis magisque stabiliatur. Quæ causa etiam est, cur non possim non beneficio divino acceptum ferre, si in eos incidam, qui cum errare me existiment, solo salutis meæ desiderio ducti, id agunt ut ab errore me in rectam viam reducant. Ita enim statuo, fieri vix posse quin ii, qui tanto alienæ salutis amore flagrant, suæ propriæ salutis desiderio ingenti ducantur, ac proinde quin ii ipsi idonei veritatis discipuli sint, qui vel alios docere possint veritatem quam tenent, vel quam non tenent lubentes ab aliis velint discere, & ab errore quo tenentur non inviti discedere. Unde fieri necesse est, Deo ita dirigente, ut ii vel me ab errore meo revocent, vel, dum salutem meam curant, meque opinione sua errantem reducere, & revocare laborant, se ipsos errare intelligant, atque ita imprudentes in rectam salutis viam redeant.

*Duo summa capita scripto Wadingi comprehensa.*

Hac fiducia fretus, libenter admodum legi Scriptum tuum, Vir Clarissime, quo probare duo niteris: 1. Me eosque qui mecum sentiunt, nullum solidum fundamentum habere, cui secure innitatur fides nostra, & salutis nostræ æternæ certitudo superstruatur, quamdiu solum & purum putum verbum Dei fidei nostræ normam statuimus. 2. Illud demum solidum & certum esse fundamentum, quod à vobis ponitur, videlicet Ecclesiæ Romanæ authoritatem, in proponendo & explicando verbo divino sequi. Hîc etenim si erramus, salutis nostræ æternæ periculum manifestè vertitur. Quare quam mihi curæ ac cordi est salus animæ meæ, tam diligenter expendi momenta & pondera rationum tuarum: quos verò etiam injicis dubitationum scrupulos, eos quàm potui accuratissimè excussi, si forte deprehenderem me in errore versari. Fateor autem ingenuè, speciosos mihi potius visos scrupulos istos tuos, quàm solidos; & cum propius eos inspicerem atque examinarem, deprehendisse me, eos in recessu non habere, quod prima fronte præ se ferebant. An jure merito id existimem, pro tuâ eruditione & candore judicabis, cum hæc nostra legeris. Illud de me tibi persuadeas velim, quod præjudicio aut affectui nihil in examine earundem dederim, sed rationes ipsas pro virili mea, procul omni gratia & odio penitissimè scrutatus sim. Quod si forte tamen non judicabis eas solidè satis discussas solutasque, non dubito quin visurus sis, quod causas dubitandi non leves habeam, quo minus iis subscribere secura conscientia possim, aut à sententia mea discedere debeam.

*Frustra cum iis disputatur qui se errare non posse credunt.*

Qua tamen spe omnino me excidere necesse erit, quamdiu firmum ac fixum erit apud D. V. fieri non posse, ut in ea quam tuetur causa defendenda, erret. Istud enim axioma qui tenet, fieri non potest ut unquam veritatem, licet claritissimè propositam atque ostensam, videat, aut in errore se esse intelligat. Errantibus enim, non verò errare volentibus, remedia posuit Deus. Isti igitur præjudicio nuncium remittat oportet, quisquis securitati conscientiæ suæ consultum vult, & ab aliis ut se non tantum errare posse, sed & re ipsa errare credant, postulare audet, aut rationibus persuadere conatur. Etsi vero non leves causas habui, cur crediderim V. D. eo ipso præjudicio teneri, ac proinde frustra me semper futurum, quicquid respondero; tamen singularis tua humanitas, & placidum scriptionis genus, fecerunt ut non nihil reponerem, & D. V. perpendendum viciſſim darem, si fortè. Pressi vero vestigia D. V. & quantum potui argumenta omnia, eo quo posuisti ordine, prosequutus sum.

## CAPUT II.

### Examen primi argumenti Wadingi, Dei providentiam non censendam esse reliquisse Scripturam S. pro salutis præsidio, in qua pæne nulli salutem essent inventuri.

*Quale stabilimentum fidei requirat.*

EGO quidem, inquis, *mihi sic persuadeo, non posse solidè vos in ea fide esse securos, quæ nullum securitati suæ promittat stabilimentum.* Rectè quidem & verissimè, si modo ejusmodi *stabilimentum* intelligatur, non quod nullis cavillis prorsus obnoxium esse possit, aut à maligno & præfracto aliquo vitilitigatore admorderi nequit; sed contra quod nulla justa dubitandi caussa in medium adferri, & in quo securè quis acquiescere potest, qui modo prudenter judicat, sive rectæ rationis dictamen sequitur, & levi momento huc atque illuc

non impellitur. Nihil enim tam ſtabile ac ſolidum eſſe poteſt, quod non in dubium vocare poteſt cavillator, ſi velit; & quod ſuſpicione aliqua luxare ac convellere non conetur, qui nodum, quod dicitur, in ſcirpo quærit: quod adeò verum eſt, ut non defuerint olim, hodieque, qui nihil in rerum natura certum eſſe, aut ſciri poſſe aſſeruerint, ne quidem quæ ipſis ſanis ſenſibus omnibus percipiuntur atque apprehenduntur. Poſteriori modo ſi accipias vocem *ſtabilimenti*, tum verò nego minorem.

*Verbum Dei eſt unicum noſtrum ſtabilimentum.*

Et vidiſti etiam ipſe eam laborare: itaque præoccupaſti reſponſionem hoc pacto: *Non me latet*, inquis, *vos ad Dei verbum ut ſacram anchoram confugere.* Ita eſt. hoc ſtabilimentum illud noſtrum eſt, in quo gloriatio noſtra conſiſtit, cui univerſa fides noſtra, id eſt tam ſenſus, quam cultus omnis noſter religioſus, velut immotæ baſi adeò ſecure innititur, ut illius unius authoritate fulti, ſpem immortalitatis certam atque indubiam concipere & promittere nobis audeamus. *Verum*, ais, *exiguum ſanè inde vobis eſt ſecuritatis præſidium.* Si nullum dixiſſes, conſentanceè magis tibi ipſi locutus fuiſſes & argumentorum tuorum vim non enervaſſes. Nolim tamen ut credas me verba tua captare. Fortè ea mens tua eſt, quam etiam phraſis iſta aliquando fert, ut exiguum pro nullo ponatur.

*Quam male id Wadingus ſcopulum appellet, &c.*

Nec obſcurè id indicas, cum ſtatim immediatè ſubjungis: *Ad eum ſcopulum alliſæ tot naves, luctuoſo naufragio æternitatis diſpendium incurrerunt &c.* Eo ipſo enim non tantum nullum præſidium ſecuritatis à verbo divino petere nos poſſe, ſed & periculoſum, adeoque noxium eſſe, ſi inde petatur, ſignificas. Quippe appellas *ipſum verbum divinum, ſcopulum ad quem alliſæ naves multæ, ſalutis æternæ jacturam fecerunt, &c.* Qua quidem oratione tantum in exceſſu, quantum priore in defectu peccaſſe mihi videris. Accidere id fere ſolet tum, cum ſine neceſſitate oratio exaggeratur, & Rhetorico quodam tropo inflatur atque attollitur. Idem hîc tibi uſu venit. Voluiſti Rhetorum more orationem exaggerata in veſtibulo Scripti tui percellere ac turbare animum, ut veluti fulmine aliquo tactus ac non niſi perturbatus conſternatuſque ad examen argumentorum accederet. Dilataſti itaque ſinum orationis tuæ, & plenis velis inveheris in verbi divini vilipendium. At ſatiùs multò feciſſes, ſi intra nudas rationes ſtetiſſes & ab hyperbolis atque allegoriis iſtis odioſis & verè crudis ſtylum temperaſſes: ſtatuque quæſtionis clarè & candidè propoſito ad rem ipſam è veſtigio acceſſiſſes. Hyperbolæ iſtæ Rhetorum propriæ ſunt, & ſemper aliquid ultra verum addunt, juſtamque pariunt offenſionem. Perpendat obſecro D. V. an idem hîc non acciderit, cum verbum illud ſacroſanctum, de quo ipſe Deus affirmat, quod *lumen vitæ eſt*, quod *lucerna eſt pedum noſtrorum*, quod *ſemen illud incorruptibile eſt quo regignimur*, *odor vitæ ad vitam*, *miniſterium Spiritus*, *quo transformamur de gloria in gloriam*, *quod nos ſapientes reddere poteſt ad ſalutem*, *ut perfecti ſimus ad omne opus bonum*; *in quo theſauri omnes ſapientiæ & cognitionis Dei reconditi ſunt*, quod *vivum eſt & efficax*, *penetrantius quovis gladio ancipiti*, *pertingens uſque ad diviſionem animæ & ſpiritus*, quod *ſalvare poteſt animas noſtras*, quod *via vitæ & ſermo ſalutis eſt*: cum, inquam, verbum illud *ſcopulum* appellas, *ad quem alliſæ multæ naves perierunt*, & *Naupactæam illam Pharum*, *ubi tota Græcia naufragavit.* Rhetorico typho tantum non erat dandum in tam gravi & ſerio argumento, idque in ipſo Scripti limine, antequam argumentum ullum allatum erat, unde id conſtare poſſet. Verumtamen nos florida iſta ſed exſucca oratione miſſa, videamus quomodo vela contrahas, & quibus argumentis tam ingens Proœmium adſtruas.

*Hoc ergo* (inquis) *ſit vobis primum dubitandi Argumentum: Benigniſſima Dei providentia non cenſenda eſt reliquiſſe fidelibus tale ſalutis præſidium in quo pauciſſimi aut pæne nulli ſalutem eſſent inventuri:*

*Tale præſidium foret purum Dei verbum:*

*Ergo non reliquit.*

*An providentia divina poſtulet, ut tale ſalutis præſidium procuret, in quo ſalutem plurimi reipſa inveniant.*

Majorem hujus Syllogiſmi non probas, cum tamen ea maxime laboret. Nec enim Providentia divina, aut Providentiæ divinæ benignitas, poſtulat ut tale ſalutis præſidium procuret in qua ſalutem plurimi inveniant. Sufficit ad ſalvandam Providentiæ divinæ benignitatem, ut ea ſalutis præſidium ſubminiſtret, in quo non tantum plurimi, ſed omnes quibus illud obtingit, ſalutem invenire poſſint. Providentiæ divinæ benignitas non eſt eò uſque extendenda, ut conſulat homini quovis modo, aut eo conſulat modo, qui nobis optimus & maximè ſecurus videtur; ſed ut conſulat eo modo, qualem ipſe probat, & qui per ſe ſufficit ut homini abundè conſultum ſit. Providentiæ itaque divinæ non eſt, ejuſmodi media conferre, quæ ſalutem plurimis actu præſtant, ſed quæ natura ſua apta atque idonea ſunt ad ſalutem præſtandum in omnibus quibus ea offeruntur. Alioquin enim eodem jure ſic argumentabor: Benigniſſima Dei Providentia non cenſenda eſt reliquiſſe talem ſalutis acquirendæ viam, in qua ſalutem pauciſſimi eſſent inventuri: Atqui talis via eſt, anguſta illa via quam Deus reliquit, juxta id quod dicitur, *Pauci ſunt qui inveniunt eam.* Ergo, &c. Ex quo fundamento videt D. V. retorqueri poſſe argumentum hoc in contrarium, tantum abeſſe ut divina Providentia non ſit cenſenda reliquiſſe tale ſalutis præſidium, in quo pauciſſimi ſalutem eſſent inventuri, ut contra reliquiſſe cenſenda ſit tale præſidium, in quo pauciſſimi ſalutem actu inveniunt: attamen in quo omnes & ſinguli, niſi per ipſos ſtet, ſalutem auxilio divinæ gratiæ reperire poſſunt.

Dices fortaſſe, te non de inventionis actu, ſed de inveniendi potentia propoſitionem accipi velle. At verò tum Minor laborat, & quæcunque ad eam probandam allata ſunt, nullum pondus habent. Etenim iſta tum hunc in modum concipienda fuiſſet: At verbum Dei eſt tale præſidium in quo pauciſſimi, imò pæne nulli, ſalutem invenire poſſunt. At ea falſa eſt, uti poſtea in ejus propiore examine videbitur. Hoc tantum ad majorem tuam Propoſitionem evertendam adhuc addam; Si ea vera eſt, tum eodem jure ſubſumi poſſe; Tale præſidium eſt authoritas Eccleſiæ. In ea enim pauciſſimi, imò nulli, contemta Verbi divini authoritate, ſalutis præſidium repererunt. Dicis, *Omnes Catholici hîc tuti conſiſtunt.* Regerere hîc poſſem jure meritò verba tua; Et hi ſoli pars quota terrarum ſunt? Quàm multæ ſemper Eccleſiæ ab omni retro ævo contradixerunt authoritati iſti, quibuſcum neutiquam conferri meretur exiguâ illa Catholicorum portio? Et hodie hoc ipſo ævo noſtro, quanta Eccleſiarum, aliorumque tum Judæorum tum Gentilium eſt turba, à quibus iſta authoritas repudiatur? Certeſi calculus ineatur, longe pauciſſimi erunt Catholici. Deinde, quid ſi regeram etiam verbis tuis, Pauciſſimos in ea ſalutem reperiſſe, eò quod omnes, quotquot ab Apoſtolorum temporibus ad hæc uſque tempora, ſpreto Dei verbo ad Eccleſiæ authoritatem confugerunt, à certa fide deviarunt; ſiquidem (quod non invitus fateberis) eadem illa olim quæ nunc in ea fides ſemper obtinuit. Poſſem hoc modo par pari rependere, & ex eo colligere, authoritatem Eccleſiæ non eſſe præſidium ſalutis, quod divinæ providentiæ benignitas nobis reliquerit.

*Tale præſidium non eſt authoritas Eccleſiæ.*

Sed ne videar animo meo obſequi, & pro certo adſumere de quo controvertitur, veniam ad Minorem, quam hac ratione probas:

*Hæretici omnes ad Dei verbum contemta Eccleſiæ authoritate recurrerunt, & omnes ibi certam perniciem repererunt, &c.*

*Quo ſenſu dicatur, hæreticos omnes ad Dei verbum recurriſſe.*

Obſcura hæc eſt oratio: itaque elucidanda. Hæreticos omnes ad Dei verbum recurriſſe tripliciter accipi poteſt. Primò hæreticos omnes judicaſſe in controverſiis de Religione ſemper ad ſolum verbum divinum veluti indicem & normam recti & obliqui attendendum eſſe. Si hoc pacto intelligitur Minor, tum poſito quod verum ſit, hæreticos omnes iſta ſcilicet ratione ad verbum Dei recurriſſe, (quod tamen falſiſſimum eſſe conſtat, cum non pauci ad traditiones recurrerint, ut Phariſæi, Ebionitæ, Montaniſtæ, aliique) in ea manifeſta eſt principii petitio. De eo ipſo enim, an id facientes hæretici fuerint, & certam perniciem repererint, diſceptatur. Secundò, hoc ſenſu accipi poteſt, hæreticos omnes hæreſi ſuæ, vel hæreticis & pravis ſuis de Verbo divino ſenſibus, verbum divinum ſemper obtendiſſe aut obtendere ſtuduiſſe. Si hoc pacto Minor propoſitio ſumitur, tum probatio nulla eſt, quia rectus controverſiæ ſtatus pervertitur. Non enim id quæritur, An verbum divinum quolibet modo intellectum, & in pravum atque hæreticum ſenſum detortum, ſalutis præſidium ſit: (quis enim id aſſerat?) ſed, an verbum divinum ita non ſit comparatum, ut ex eo ſenſus ad ſalutem neceſſarii, citra Eccleſiæ ullius authoritatem, à probis ac Dei timentibus hominibus, imo verò etiam ab iis qui hæretici ſunt, ſecurè depromi poſſint. Hic eſt ipſiſſimus controverſiæ apex: cujus affirmativam partem nos tenemus, quæ non infringitur eo argumento, quod hæretici ſenſus ſuos pravos verbo divino tutari ſemper ſtuduerint. Quid enim vetat quo minus optima re malus aut imprudens quis abutatur? Tertiò, hæreticos omnes ad verum verbi divini ſenſum recurriſſe, & tamen ibi certam perniciem reperiſſe. At verò hîc manifeſta apparet contradictio in adjecto. Quonam igitur ſenſu intelligetur Minor? Dices procul dubio, te non de vero ſenſu verbi, ſed de verbo puro puto (ita enim loqueris) verba tua intelligi velle. Eſto. At ſic contra umbram tuam dimicas. Quis enim obſecro tam ineptus futurus eſt, ut dicat præſidium ſalutis in ipſo verbo puro puto, ac non in ipſo vero & genuino verbi ſenſu ſitum eſſe? Ipſe in ſecundo argumento tuo fateris, *ſalutem non in verbis, ſed in verborum ſenſu ſitam eſſe.* Nec alia profecto mens eſt eorum, qui pro verbi divini authoritate contendunt. Dices, Atqui tamen ſenſum verbi hæretici omnes ex

ipſo

ipſo verbo hauriendum eſſe volunt. Concedo. At hæreticos verum ſenſum ex verbo ipſo non potuiſſe haurire, nego; non hauſiſſe tamen nec reperiſſe ex verbo, fateor. Illud probandum erat, non hoc: Si enim illud verum eſt, jam vitium vel defectus in ipſo verbo eſſe ſtatuatur neceſſe eſt: Si hoc, jam fieri poteſt, ut non ſtatuatur defectus aut vitium in verbo, ſed in iis qui verbo iſto abuſi ſunt, eò quod vel non conarentur haurire ſenſum verbi ex ipſo verbo, ſed ſenſum ſuum jam ante animo conceptum atque infixum, verbo infarcire, aut ex verbo quocunque modo extundere ſtuderent: vel quod ad lectionem verbi divini non adferrent animum docilem, probum, humilem & ab affectibus partiumque ſtudio alienum, vel aliis vitiis & impedimentis ſeſe ad rectum verbi ſenſum percipiendum inidoneos redderent. Hoc vitio ſublato, jam non modò recte feciſſent recurrentes ad verbum divinum, ſed etiam ab hæreſi iſta immunes & liberi facti fuiſſent, eo ipſo quod ad ſolum verbum divinum recurriſſent.

Vidiſti ipſe hanc inſtantiam dari poſſe, itaque in præcedentibus anticipare eam conatus es & hoc pacto ämoliri:

*Illorum*, inquies, *illa eſt cæcitas aut malignitas, quod ſuam in perniciem verbo Dei abutantur. Sed qua ratione hoc eis perſuadebis, qui Dei verbo vos ferro flammaque everſum cunt?* &c.

*Verbum Dei ſufficit ad perſuadendum hæreticis veritatem, etiamſi propter ipſorum vitium non ſemper actu perſuadeat.*

At verò hoc pacto nodus non ſolvitur, ſed à ſtatu Quæſtionis manifeſte iterum diſceditur. Neque enim quæritur, qua ratione hæreticis, qua talibus, perſuaderi poſſit ut veritati cedant & ab hæreſi ſua deſiſtant: (id enim ſæpenumero impoſſibile eſt, etiamſi Solem, quod dicitur, manu tua geſtes:) ſed, an verbum divinum non ſufficiat ad perſuadendum iis veritatem citra ullam Eccleſiæ intervenientem decretoriam authoritatem, ſi modò idoneos veritatis diſcipulos ſe præbeant. Hoc eſt quod nos aſſerimus. Fieri autem poſſe non diffiteberis ſcio, ut id quod ad perſuadeudum abunde per ſe ſufficit, reipſa tamen ſæpe non perſuadeat, eo quod is cui perſuadendum aliquid eſt, perſuaderi ſibi illud non patitur; voluntate, ut loquuntur, ſive directa ſive interpretativa, id eſt, quia ſenſum illum quem ſemel hauſit, & profundè menti ſuæ impreſſit, ut deſerat in animum inducere non vult, aut ad eum qui proponitur, animum non advertit. Quid enim mirum eſt, quod ei non perſuadeatur verus verbi ſenſus, qui ne ſibi ille perſuadeatur, ipſe in cauſſa eſt? Tantum abeſt ut hoc mirum videri debeat, ut ſi aliter fieret miraculi inſtar habendum foret. Nec enim id obtinuit lux ipſa mundi Jeſus Chriſtus, quantumvis veritatem ipſam clariſſime proponeret, & omni argumentorum, prodigiorum & virtutum ſplendore illuſtratam eam populo offerret, demonſtraret, inculcaret. Vis cauſſam? *Quomodo vos poteſtis credere*, ait, *qui gloriam alii ab aliis captatis? Quare locutionem meam non agnoſcitis? quoniam non poteſtis audire ſermonem meum. Qui ex Deo eſt, is audit verba Dei. Vos autem propterea non auditis, quia ex Deo non eſtis.* Similes cauſſæ omni tempore militant, & ſæpe numero maxime in iis de quibus minimè creditur. Atqui, inquies, alter alteri errorem aut vitium hoc impingit. Concedo. Sed quæſtio ſemper manet, penes quem error aut vitium verè & reipſa ſit. Id autem ſuo tempore ille ſolus manifeſtaturus eſt, qui occulta judicat, & novit optime quo quiſque animo in lectione verbi ſui verſatus fuit. Eadem plane ratione, qua in practicis virtutem ab hypocritis ſimulari ſinit, & vitium ſpecie aliqua pietatis tegi in hac vita; ſibi verò ſoli reſervat illius rei dijudicationem & revelationem in die illo. Et hæc eadem impietas ſæpe locum habet in ipſius verbi divini ſcrutinio & examine. Multi intus profani ſunt, & impuro animo ad verbi divini lectionem & ſcrutationem accedunt, qui foris apparent ſanctiſſimi. Multi ira & odio flagrant, qui vultu mentiuntur manſuetudinem & lenitatem. Multi dociles videri volunt, pauci ſunt. *Nemo novit hominum corda quia profunda ſunt, & quis ſcrutabitur ea? Ego, ego ſolus, inquit Dominus, ſcrutans corda & renes.* Et ille ſolus, inquit Apoſtolus *Rom.* II. 16. *in illo die judicabit de latebris hominum ex Euangelio meo per Jeſum Chriſtum:* & dicturus quemadmodum olim ad amicos Jobi dixiſſe legitur, *Vos non eſtis de me locuti rectum ſicut ſervus meus Job.*

Sed proſequamur argumenti tui filum:

*Si in puro Dei verbo ſit certa ſecuritas, cur ab annis mille ſexcentis nemo eam reperit?*

Reſpondeo: Quæſtionem hanc ineptam eſſe, ex antedictis facile liquet. Dato enim, ſed non conceſſo, quod nemo fuerit ab annis mille ſexcentis qui eam repererit, quid neceſſe eſt quærere quæ illius rei cauſſa ſit, ſi probari non poſſit eam cauſſam in verbo divino ſitam eſſe? Mille & mille cauſſæ in hominibus, te ipſo ſatente, eſſe potuerunt, quæ ſecuritatem iſtam impediverunt, quas ignorare nos poſſumus & quæ tamen revera locum habuerunt, etiam in iis quos nos ſanctiſſimos fuiſſe credimus. Et cum fatearis homines omnes ac ſingulos liberi arbitrii fuiſſe & eſſe, ita ut ad clariſſima oculos claudere ſponte ſua potuerint ſemper, & jam ädhuc poſſint, ſi velint; neceſſe eſt etiam ut fatearis cauſſam in ipſis eſſe potuiſſe, cur non repererint ſecuritatem in verbo, licet eam in eo reperire facile potuerint. Deinde, quid ſi pari jure ex D. V. quæram, ſi in obſervatione mandatorum Jeſu Chriſti ita eſt ſalus æterna, & ſitam in ea eſſe quotquot Chriſtiani ſunt profeſſione non diffitentur, imò ſi mandata Chriſti gravia non ſunt, cur ab annis mille ſexcentis, non dico nemo, ſed pauci eam viam repererunt & ingreſſi ſunt? Adde, cur cum Chriſtus ipſe in terris per triennum integrum verſabatur cum diſcipulis ſuis, & crebrò ac clare ſatis, imò expreſſis verbis mortem, reſurrectionem, & regni ſui qualitatem illis indicabat, illi tamen nihil illorum intelligebant, nec cognoſcebant quæ dicebantur; uti eſt *Luc.* XVIII. 34. Hîc neceſſe eſt ut cauſſam alleges, ac proinde tibi ipſi reſpondeas ad quæſtionem tuam, & velis nolis fatearis, cauſſam in ipſis hominibus fuiſſe, quò minus rectum verbi divini ſenſum adſecuti fuerint.

Veruntamen ut preſſius agamus, qua ratione neminem fuiſſe evinces, qui eam à tot retro annis repererit in verbo?

*Si reperiſſe quenquam exiſtimes, eum produc teſtem*, inquis, *& ego eum vel te teſte rectam fidei ſemitam non tenuiſſe demonſtrabo.*

*Ex eo non ſequitur neminem ſalutem in verbo Dei per MDC. annos reperiſſe, quia illos nominare nequeamus.*

Atqui, inquam ego, Ex eo non ſequitur, neminem fuiſſe, ſi ego eum producere & nominare nequeam, Quid ſi enim ego operæ pretium non putaverim inquirere, qui & ubi tales fuerint? Quid ſi pauci hîc illic fuerint, & nomina eorum non extent? Quid, ſi ipſi nomina ſua nota facere noluerint, ne opprimerentur ab iis, qui Deo ſacrificium ſe facere judicant ſi tales occidant & è medio tollant? Quid ſi fides ipſorum ab adverſariis mala fide recitata fuerit? Quid ſi hiſtoriæ & nomina eorum ſuppreſſa & per vim extincta fuerint, ne ad poſteros propagarentur? Hæc fieri potuiſſe non negabis, credo; ſi modo animum advertas ad illud quod ipſe Elias, quanquam Propheta Dei erat, ſæviente perſecutione Achabi & Jezebelis neſciverit (*NB.* in Iſraële, ubi tamen verſabatur,) ſeptem hominum millia eſſe qui genua ſua non flexerant coram Baal; & conſideres deinde Eccleſiam Romanam illud axioma ſemper indubitatum tenuiſſe (fatente te ipſo, & nominatim veſtro Roſweyden in nupero ſuo Syllabo malæ fidei Capellianæ) hæreticos morte puniendos, eorum libros igne delendos, & fidem æterno ſilentio (verba ejus ſunt) obruendam eſſe: quodque caput rei eſt, ſi conſideres hiſtorias Eccleſiaſticas ab illis fere ſcriptas fuiſſe, qui rerum potiebantur, aut quos manifeſtè adverſarios fuiſſe, vel his aut illis in partibus ſtetiſſe non obſcurè conſtat: imò quos iſtud etiam de hæreticidio axioma, non multo poſt Auguſtini tempora, pro certo habuiſſe & facto atque exemplo ſuo approbaſſe manifeſtum eſt.

Veruntamen ne videar fidem hiſtoricorum omnium in dubium vocare velle, quam tamen præſtare ejus eſſet, qui ex iis certi aliquid demonſtrare vult, non ſubſiſtam in hac reſponſione, ſed addo quod ture etiam tibi ipſi objicis, *Non eſſe quidem dubium, quin fuerint omni ætate*, ſed ubi fuerint, aut qui fuerint, neceſſe non eſſe ut ſciatur, nedum ut demonſtretur. *Sed obſecro*, ais, *unde poteſt viro cordato conſtare fuiſſe, quos nemo mortalium ſcire poteſt, ubi, quando, quomodo aut quales extiterint? Hiſtorici nuſquam eos fuiſſe prodiderunt: Deus non revelavit; omnes terrarum anguli excuſſi ſunt ſuperioribus temporibus; à fidei quæſtoribus in lucem educti quotquot Romanæ Eccleſiæ authoritatem contemſerunt, è veſtris nemo unquam apparuit.*

Reſpondeo; Hæc omnia ignorare poteſt vir cordatus, & tamen certo ſcire non defuiſſe omni ſæculo, qui fidem veram Jeſu Chriſti tenuerunt, & ſecuritatem in verbo divino repererunt; ſi verum eſt id quod ipſi non negatis verum atque indubium eſſe, videlicet promiſiſſe Deum, futurum ut ſemper Eccleſia ipſius aliqua, id eſt, ut ſemper veri aliqui fideles in terris ſint: (de viſibili enim, id eſt, de tali quæ demonſtrari poſſit, quæ & ubi ſit, jam non ago, quia id inter nos & vos controvertitur.) Inde enim ſic colligo: Quod quis ex promiſſo divino ſcit, illud ſcit certo atq; indubiè: Atqui, ex hypotheſi illa, cordatus omnis vir ſcit ex promiſſo divino futurum ut ſemper aliqui veri fideles, id eſt, aliqua Eccleſia Chriſti in terris ſit: Ergo, &c. Jam vero cum credam me & noſtros optimè verbum divinum ejuſq; ſenſum rectum ac genuinum tenere, utiq; neceſſe eſt ut ſciam etiam omni ætate fuiſſe qui mecum ſenſerunt, etſi neſciam qui & ubi illi fuerint. Ut autem ſciam ubi, quando, quomodo, aut quales exſtiterint neceſſe non eſt: imò neceſſe non eſſe ipſe Deus videtur indicaſſe, quia cum promiſſionem illam faceret, non addidit tamen nec expreſſit ubinam & quinam illi ſemper futuri eſſent, qui rectam illam fidem tenerent; quod tamen, ſi theſin tuam ſequi velimus, magis neceſſarium erat ad ſecuritatem illam ingenerandam

animis noſtris, quàm promiſſum ipſum generale. Generali enim promiſſo ſtante ſecuritas nondum eſt certa. Neque enim, te ipſo fatente, rectè colligitur: Eccleſia vera ſemper durat: Romana Eccleſia ſemper durat; Ergo eſt vera Eccleſia: cum Major non ſit reciproca, ac proinde vitioſa collectio fiat in ſecunda figura ex puris affirmativis. At ſpeciali illo promiſſo poſito, jam indubitata ſit ſecuritas neceſſe eſt. Cum autem ſpeciale illud promiſſum non exſtet, non obſcurè colligitur non eſſe neceſſe, imò vero colligitur Deum ipſum judicaſſe neceſſe non eſſe, ut id ſciretur: idque forte hanc ob cauſſam, ut non ex hominibus, ſed ex ſolo ipſius verbo ſemper penderet Eccleſia, & ſic ſemper omnes & ſinguli fideles uniformiter certa ſolidaque ſecuritate fruerentur.

*Retorſio argumenti in adverſarium: Si Deus voluiſſet nobis relinquere aliud ſecuritatis præſidium quàm ſuum verbum, illud alicubi nominatim & clarè deſignaſſet.*

Quare tantum abeſt, ut hæc ratio V. D. argumentum aliquod dubitandi ſolidum mihi præbeat, ut contra eam ſolidiſſimè adverſum te retorqueri poſſe exiſtimem hunc in modum:

Si Deus aliud aliquod certæ ſecuritatis præſidium relinquere voluiſſet quàm purum putum verbum ſuum, puta infallibilem aliquem ſenſuum verbi illius interpretem ac judicem, utique Providentiæ ipſius benignitas cenſenda eſſet illum judicem nominatim, aut citra controverſiam clare deſignare voluiſſe, quis & ubi ſemper futurus eſſet. Ratio eſt, quia iſtius rei certa notitia ſecuritatis unicum & indubitatum fundamentum eſt, & abſque eo fieri nequit ut animus humanus non fluctuet & levi momento huc atque illuc non impellatur. Atqui non modo non nominatim neque citra controverſiam clare deſignavit Deus quis & ubi ille judex ſemper futurus eſſet, ſed non obſcure etiam in verbo ſuo indicia reliquit, unde contrarium colligi poteſt ac debet. Ergo, &c.

Minoris hujus pars prima per ſe liquet. Si enim nominatim deſignatus eſt talis judex, producatur locus. Si citra controverſiam clare deſignatus eſt, cur tot hominum (inter quos non paucos doctos, pios, ſalutis ſuæ ſtudioſos fuiſſe, quantum quidem extrinſecus ſciri poteſt, non negabis opinor) myriades id aut ignorant, aut non credunt, aut etiam diſerte negant? Et ubi, ubi quæſo, iſte clarus locus eſt? Altera pars Minoris his rationibus adſtruitur: 1. Cum Scripturam ſive verbum ſuum Deus ipſe *lucem, lumen quod intelligentiam dat parvulis, quod ſapientem hominem reddere poteſt ad ſalutem, in quo vita haberi poteſt, odorem vitæ ad vitam, ſemen incorruptibile quo regignimur, &c.* appellat, cumque *illud in tantum tectum eſſe dicit, quibus Deus hujus ſæculi mentes excæcavit, ne eos irradiet lumen gloriæ, qui indociles & inſtabiles ſunt, qui aures habent obturatas & oculos excæcatos*, id eſt, qui vel culpa ſuâ propria, vel juſta punitione divina ſurdi ſunt, ut nolint audire & intelligere ea quæ Deus præcipit & promittit, &c. 2. Cum eos laudat, licet idiotas & laicos, *qui quotidie ſcrutabantur Scripturas, & ad illas examinabant quæ ab ipſis Apoſtolis dicebantur, an ita ſe haberent: Act.* XVII. 11. 3. Cum omnibus & ſingulis mandat, *ut probent Spiritus, an ex Deo ſint. 1 Joan.* IV. 1. *ut omnia explorent & quod bonum eſt retineant: 1 Theſſ.* V. Cum hortatur ut *videant ne ſeducantur, ut dijudicent ea quæ dicuntur.* 4. Cum omnibus & ſingulis jubet, *ut orent Deum pro ſapientia, ſi ea ipſis deſit, pro illuminatione mentis, pro Spiritu ſapientiæ & revelationis, deniq; pro ipſo Spiritu Sancto, omnis gratiæ & gloriæ fonte.* 5. Cum expreſsè promittit *omnibus qui intelligentiam quærunt tanquam argentum, & qui eam ſcrutantur uti theſauros, futurum ut eam inveniant: Prov.* II. 2. 3. 4. 5. 6. *petentibus & orantibus ex fide futurum ut accipiant quicquid petierint*, imò *ipſum Spiritum Sanctum ſuum: Matth.* VII. *& ſecretorum ſuorum notitiam. Secretum enim Domini timentibus ipſum: Pſal.* XXV. Quæ omnia profectò fruſtranea, non neceſſaria, & ſupervacanea forent, ſi talis aliquis perpetuus & infallibilis ſenſuum omnium divinorum judex loquens deſignatus fuiſſet. Ecquod enim lumen Scripturis jure tribuitur, quod intelligentiam parvulis dare poſſit, ſi ſecurè ex eo intelligentia divinorũ ſenſuum peti nequit? Imò ſi ſcopulus eſt, ad quem impingant lectores omnes, docti indoctique, neceſſe eſt? Quorſum opus eſt illam attentè legere, ſeriò ſcrutari, cum labore & cura expendere, noctes dieſque meditari, ſi intelligi non poteſt? An non ſatis eſt ſcire atq; intelligere quid dicat aut jubeat is, qui in ſenſu ejus intelligendo & judicando errare nequit? Quorſum à me orabitur ſupplice prece Deus, ut intelligentiam mihi det legis ſuæ, ut revelet oculos mentis meæ, ut ſapientiam mihi largiatur & Sanctum Spiritum ſuum, ſi ad manum eſt is, unde ſecurè omnis intelligentia haberi poteſt? Quid attinet me probare Spiritus, an ex Deo ſint, videre ne ſeducar, cavere mihi à ſeductoribus; ſi in promtu eſt ad quem remittere omnes poſſum, & ex eo uno ſecurè petere, an boni Spiritus, an ſeductores ſint nec ne? Certè legere, orare, probare, ſcrutari Scripturas ſuperfluum eſt, ſi pendere ſemper debeo ab unius judicio, & ſenſum illum quem legendo, probando, ſcrutando, orando conſequor, non ante pro divino habere, quàm ab illo approbetur, cui judicandi illa poteſtas data eſt. Saltem tam longas & moleſtas ambages quærere, cum rectà pervenire poſſis quo vis, abſonum & irrationale eſt. Dicere hic, quod etſi judex talis certus deſignatus eſt, cujuſque tamen hominis officium ſit, legere, probare, & explorare omnia; id ſanè aliud nihil eſt quam principium petere, & cum D.V. ſententia non congruit, qua Laicis à Scripturarum lectione abſtinendum eſſe ſtatuitur. Neque verò etiam iſtud Clericorum ſive doctorum officium eſſe ſtatui poteſt; ut videlicet poſtquam examen iſtud inſtituerint, illorum conſilia & judicia judex ille cognoſcat, & non niſi auditis cognitiſque illis ſtatuat, quid credi debeat. Quis enim ſibi perſuadere poterit cum ratione, id aut neceſſarium, aut utile eſſe poſſe, ſi credat unum aliquem judicem infallibilem eſſe, ſe verò & alios omnes, poſtquam omnia ſedulò exploraverint, excuſſerint, ruminaverint, nihilominus tamen ab illius unius judicio, etiamſi directè tum ſuo, tum aliorum omnium judiciis contrarium ſit, pendere debere? Quis non parcere volet labori & moleſtiæ tam non neceſſariæ, tam inutili, imò tam ſæpè noxiæ aut ſaltem periculoſæ, cum difficile ſit viro docto & cordato ſententiam de qua poſt longam ac diutinam meditationem perſuaſus eſt apud animum ſuum quod vera ſit ac certa, in gratiam alterius, ſine ulla graviore ratione, propter ſolam perſonæ authoritatem deſerere & abdicare. Facilius admittitur ſententia quævis in animum vacuum, quàm præjudicio aliquo obſeſſum & occupatum. Hæc & alia ſimilia in eandem ſententiam velim conſideret prudentia veſtra, utrum talia non ſint, quæ manifeſte ſatis arguunt, non tantum argumentum tuum primum infirmatum eſſe, ſed ſi omninò id valere exiſtimas, certiorem inde dubitandi cauſſam contra te peti poſſe, quod videlicet ſecuritas inde haberi nequeat, unde D.V. exiſtimat eam petendam eſſe.

*Sed contrarium facit, cùm nobis commendat Scripturam.*

## CAPUT III.

### Examen ſecundi argumenti Wadingi, Illam fidem meritò ſuſpectam eſſe debere, in qua regula credendi plebeis eſt impoſſibilis, &c.

SEcundum argumentum ita habet, uti loqueris, ab ἀδυνάτῳ. *Illa fides meritò ſuſpecta eſſe debet, in qua regula credendi plebeis eſt impoſſibilis: Atqui talis eſt fides omnium Reformatorum: Igitur ſuſpecta eſſe debet.*

De Majore nihil dicam, quia ex hypotheſi noſtra procedit, etſi ex hypotheſi veſtra falſa eſt. Minorem ſic confirmas: *Indoctum vulgus debet omnino certum eſſe de ſua fide; ergo etiam certum eſſe debet de regula ſuæ fidei: Sed fieri non poteſt ut ſinguli de plebe ſint certi: Ergo regula poteſt ipſis eſſe ſuſpecta.*

Minorem hîc laborare vidiſti; itaque eam hoc pacto munis:

*Quiſque de plebe debet certus eſſe hæc verba,* **Welcher ſonden gy ſult vergeben hebben / dte wopden haer vergeben** */ vel ſimilia, & eſſe à Chriſto ſic prolata, & eo ſenſu accipienda ut non ſignificent poteſtatem remittendi peccata. Neutrum verò indocto poteſt eſſe certum.*

*Quorum peccata remiſeritis, iis remittentur.*

Major hæc multis modis laborat. 1. Quum ſtatuit cuilibet è plebe neceſſarium ſcitu eſſe, verba iſta à Chriſto ſic prolata & eo ſenſu quo D.V. indicat accipienda non eſſe, ſed alio (ut arbitratur) veriore: quod profectò ineptum eſt. Neutrum enim, de hoc quidem ſpeciali loco, plebejo ſcitu neceſſarium eſt. Quæ enim neceſſitatis ratio, quod videlicet plebejus hodie teneatur ſcire, Chriſtum Jeſum illa verba Apoſtolis ſic dixiſſe, & ea iſto, non vero alio ſenſu eſſe intelligenda? An ſi fortè hoc & illud ignoret, propterea ſalus ejus in periculo & diſcrimine verſabitur? Neutiquam. Si dicas, idem etiam dictum eſſe ſucceſſoribus Apoſtolorum, adeoque Paſtoribus omnibus, dices id, quod probare non poteris, ſaltem quod neceſſarium eſſe ut plebejus ſciat, nullo certo argumento ex hoc ipſo loco facile adſtrues aut evinces.

*Neceſſarium non eſt cuilibet è plebe, ſcire hac verba, Quorum remiſeritis, &c. à Chriſto dicta, & hoc potius quam illis ſenſu accipienda eſſe.*

Sed eſto; etiam prius verum eſſe ſtatuatur, quod videlicet ſcitu neceſſarium plebejo ſit, illa verba à Jeſu Chriſto prolata eſſe, nihil tamen effeceris. Neque enim ſtatim propterea eviceris neceſſarium eſſe, ut credat hunc non illum eſſe verborum illorum ſenſum. Contrarium hac ratione evincitur: quia ſive ſtatuat verba hæc ſignificare, poteſtatem propriè dictam remittendi peccata datam eſſe Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus, ſive ſolam poteſtatem declarandi ea remiſſa eſſe, de remiſſione peccatorum ſuorum

æque

æque certus esse potest ; si modo credat verba hæc verè à Christo prolata esse. Remissio enim peccatorum propriè dicta, quæ à Deo fit, quamque unicè desiderat homo, remissio est, sive eam cum potestate faciant Apostoli & Pastores, sive tantummodo eam fieri, vel factam esse, vel futuram esse vere declarent. Itaque sive hoc sive illo sensu verba hæc intelligat plebejus, tantundem habet.

Dices fortè à te addita esse verba, *& similia*; itaque argumentum extendendum esse ad ea etiam verba quæ à Christo sic prolata esse, & hoc non isto sensu accipienda ad salutem scitu & creditu necessarium est. Itaque prestius respondebo.

*Neutrum*, inquis, *viro indocto potest esse certum: Non prius, quia Christus non Teutonicè, sed Hebraicè aut Syriacè locutus est, igitur eum scire Hebraicè necesse erit.*

*Non tamen impossibile est viro indocto illud scire.*

Ut argumenti hujus infirmitatem ob oculos ponam, rigidè agam. Video te per plebejum intelligere ejusmodi hominem qui non novit plures linguas quam maternam, vel saltem non istam qua Christus usus est. Esto : etiamsi ista plebei hominis definitio non sit. Fateor plebejo aut indocto, qua tali, certum esse non posse ea certitudine quæ caret omni formidine, verba ista quæ alia lingua quàm ea quam intelligit, enunciata sunt, rectè hoc aut illo modo translata & sic à Christo prolata esse. Quomodo enim qui doctus non est linguam Hebræam aut Syriacam, certus esse potest omnimoda certitudine de linguæ illius recta & commoda translatione ? At indoctum virum posse doctum fieri, ita ut linguam illam qua Christus usus est perinde atque doctus aliquis calleat, fatearis mecum necesse est. Itaque impossibile non est omninò, ut indoctus certus fiat de eo, quod verba ista sic à Christo prolata fuerint. *Igitur*, inquis, *eum scire Hebraicè necesse erit.* Utique ; si eam certitudinem, quam exigere videris, consequi velit. An id impossibile ? Non affirmabis. An verò etiam indecorum & minimè operæpretium ? Nec hoc credo dices. Etenim si plebeji & indocti omnes homines certi essent se consequuturos, aut consequi posse rationem lucrandi centum millia florenorum, si modo linguam Hebræam aut Syriacam scirent, an indecorum & pretium operæ non putares eos facturos si eam addiscerent ? Ipsi procul omni dubio, si modo id crederent, repente ex indoctis fierent docti, & vel unam & viginti linguas cum Mithridate, quin imò septuaginta duas linguas cum Senatoribus Sanhedrim Judaici discerent potius quàm tanto damno se ipsos mulctarent. Jam verò cum ex linguæ divinæ cognitione cœlestes & incomparabiles illos divinorum præceptorum & promissorum thesauros omni pretio majores comparare sibi & nancisci queant, mirum ne tibi videretur Vir Clariss. si judicarem operæ pretium adeoque necesse esse, ut Hebraicè scire laborent ? Certè Judæi hac in parte Christianis ruborem suffundunt, quippe qui infantes suos à primis annis in Hebrææ linguæ cognitione, sive Hebræa Legis divinæ aliorumque sacrorum rituum cognitione erudiunt, adeo solicitè ut nullus puer reperiatur qui non Hebræa omnia, cum punctis & sine punctis, prima statim ætate legat, canat, & intelligat. Nolim tamen existimes me id absolutè aut prorsus necessarium judicare : sed id tantum responsum velle, ut videas quàm sit fragile ac debile argumentum, si rigidè excutiatur. Itaque secundo respondeo : Plebejum etiamsi Hebraice nesciat, certum tamen fieri posse, quod verba ista, eo modo quo in textu Belgico exstant, à Christo prolata sint, ea certitudine quæ prudenti viro satis esse potest ac debet, quæque omnem justam dubitandi causam eximere apta nata est : Scire enim potest ista verba uno ore & calamo sic transferri. 1. Ab iis quibus lingua ista Christi materna fuit, & de quibus quod decipere, id est, aliter ea verba quàm exstant, transferre voluerint, nulla suspicandi ratio est. 2. A variis doctis, candidis & linguarum peritis hominibus. 3. Ab ipsis Religionis Christianæ adversariis. 4. A multis, licet locorum intervallis, sententiis & opinionibus, animo etiam & studiis à se invicem dissidentibus. 5. Verba singula ex Lexicis, si aliquam tantum adhibeat diligentiam, colligere potest, eodem modo reddi vernacula sua lingua, quo translata in Bibliis leguntur, aliaque similia ad eandem rem pertinentia observare potest : quæ omnia in dubium velle vocare hominis foret non sana mente præditi. Non quod (si præcisè urgere velimus) nulli prorsus exceptioni aut cavillo obnoxia esse possit ejusmodi certitudo ; sed quod ea talis ac tanta sit, quæ merito sufficere debeat, ut prudenter quis certus factus dici possit, qui laborem istum, ut notitiam linguæ solidam consequatur, impendere aut non potest, aut necesse non putat. Itaque si urgeas, nihilominus fidem talis hominis indocti resolvi tandem in authoritatem & scientiam alienam, fatebor ; sed talem eam esse dicam quæ exceptione omni justa major est, & abunde sufficit, ut prudenter quis certus sit & securus ; aut si id negabis, fateri te cogam id fieri, non verbi ipsius vitio, sed hominis talis indocti culpa, qui operam non dat ut linguam istam calleat, & sic ex aliena scientia & authoritate pendere opus non habeat.

Jam ad sensum ipsum verborum quod attinet, *unde illum haurires indoctus*, inquis ? *Ab Ecclesia sua, inquies.* Absit mi vir. Unde igitur ? Ex ipsis verbis quatenus sensum talem postulant. *At*, inquis, *ubi hoc est scriptum verba hæc, quorum remiseritis peccata, hunc sensum reddere, quorum declarabitis remissa esse ?*

*Quis sensus Scripturæ verbis inesse dicendus sit.*

Respondeo ; Non necesse esse ut id totidem verbis scriptum legatur ; Sufficit enim ut ratio evidens & manifesta talem sensum postulet. *Atqui*, inquis, *alio ipse principio nititur, nempe nihil sibi credendum esse quod scriptum non sit.* Quasi verò hoc non sit ludere in re seria, & Scepticorum aut Pyrrhoniorum in morem argumentari. Eodem enim modo quærere tandem posses, ubi illud totidem verbis scriptum legatur, nihil credendum esse quod scriptum non sit ; & tandem, si etiam illud scriptum exstaret, quærere unde constet etiam illud credendum esse, & sic in infinitum abire. Bonafide agendum est cum adversario, & mens atque intentio ipsius ante omnia, imò solùm spectanda est. Cum nihil in verbo divino credendum esse dicimus quod scriptum non sit, tum certè hæc est sententia nostra : Nullum sensum credendum aut pro vero habendum esse, nisi quem ratio ipsa evidens verbis Scripturæ ineste dictat ; imprimis si verba talia sint, quæ varium sensum admittere aut recipere posse videntur, aut talia quæ alium sensum necessariò postulant, quàm prima fronte præ se ferunt. Illum autem sensum scriptum sive comprehensum verbis Scripturæ esse credimus, pro quo ratio manifestissima, id est, non probabilis tantum, uti D. V. in fine argumenti hujus loquitur, sed Solis instar clara, pugnat. Cum enim sensus non scribantur sed verba, verba autem pauciora sint quam res sive sensus ; necessarium profectò est, ut illum sensum scriptum esse credamus, quem ratio recta dictat verborum sensum esse debere.

*Expositio loci*, Quorum remiseritis peccata, &c.

Id autem hoc in loco manifestum est accidere, quia ut rectè dicit D. V. aliàs absurdum manifestum sequeretur. Etenim sic argumentor : Si verbis hisce, *Quorum remiseritis peccata, iis remissa erunt, & quorum retinueritis peccata, iis retenta erunt*, hic sensus inest, *Quibus vos Apostoli & Pastores propriè dicta potestate remiseritis peccata aut non remiseritis*, tum sequetur Apostolis aliisque Pastoribus datam fuisse potestatem infligendi pœnas æternas & eas non infligendi, vel inflictas auferendi : Atqui id absurdum palpabile esse, ratio recta dictat : Ergo, &c. Minorem facile concedes. Major sua luce lucet, quia propriè remittere culpam idem prorsus est, quod non velle punire, & retinere culpam, idem quod velle punire. Hæc sunt synonyma & æquipollentia. Culpa enim & pœna ad se mutuò referuntur tam necessario vinculo, ut qui culpam proprie remittit, eo ipso animum puniendi deponat & pœnam infligere nolit, adeoque non possit punire sine manifesta injustitia ; & vice versa. Quod D. V. dicit Catholicos omnes negare absurdum esse, eum qui remittit proprie culpam æternam non posse tamen infligere pœnam æternam, id huc non pertinet, cum de utraque potestate tum remittendi, tum retinendi hîc agitur. In textu enim hoc expresse legitur, *Et quorum retinueritis peccata.* Sed posito quod id in textu hoc non legeretur, fieri posse ut qui propriè remittere potest culpam, non tamen possit punire, id equidem miror & me capere non posse profiteor, neque memini hactenus me id in ullo Catholicorum observasse. Quid enim, quæso te, erit illud remittere propriè culpam ? An non erit remittere vel dimittere debitum ? Ita sanè. Ipsa id enim etymologia seu notatio vocis *dimittendi* postulat. Atqui quod est debitum culpę sive peccati ? An non pœna ? Certè. Ergo remittere culpam est non irrogare debitam pœnam, & contrà, retinere culpam est irrogare aut saltem velle irrogare pœnam. Si quid aliud sit, illud definiatur. Aut ego vehementer fallor, aut dari aliud quid impossibile est. Sed quid audio ? *In Republica humana fieri potest*, inquis, *ut quis à principe potestatem accipiat remittendi culpas, qui nullas pœnas potest infligere.* Itane ? Quî hoc fieri potest ? Quid erit illa potestas propriè, propriè inquam, remittendi culpas, si non adsit potestas debitam pœnam infligendi ? Utique necessarium est ut sit vel scenica quædam histrionia, vel potestas tantum impropria denunciandi pœnâ à principe remissam esse. Si alia est, da quæso formale istius remissionis, & proprium illius effectum. *Vestales*, inquis, *apud Romanos obvios fortuitò reos liberare poterant, punire non poterant.* Quasi vero aliud non sit liberare à pœna, aliud remittere proprie culpam. Liberare potest quis, id est, eripere reum pœnę aut ex periculo pœnę, vel per vim, vel speciali aliquo privilegio, qui tamen proprie non remittit culpam. Ita urbes refugii liberabant olim innoxios homicidas ex manu percussorũ : & nunc absoluti Principes sæpe liberant reos pœna, dũ eos patrocinio suo dignantur ; attamẽ peccata iis non remittũt. Si enim propriè

prie remitterent, vellent non punire. At quid hoc esset, quod vellent non punire, si non possent punire, aut si ipsis potestas puniendi nulla sit? Alia ratio est in retinendo peccato. Potest enim quis habere potestatem proprie retinendi peccatum, id est, puniendi, qui tamen potestatem non habet peccatum remittendi. Exempli gratiâ, judex juratus. carnifex, &c. At in remittendo id locum habere nequit. Neque enim potest recte dici nolle punire, qui non potest velle. Unde colligitur necessarium esse ut quod de Vestalibus dicitur, eo quo dictum à nobis est modo accipiatur.

Et hactenus quidem ita disputavi, tanquam si locum hunc, de quo agitur, necessariò de declaratione remissionis accipiendum esse, & aliter accipi non posse statuerem, cum tamen aliter accipi posse credam. Existimo enim locum accipi posse, tum de potestate remittendi proprie dicta, tum de potestate remittendi improprie sic dicta, id est, denunciatione remissionis, pro ratione videlicet pœnarum, quibus obnoxios homines ob culpas & peccata ipsorum Deus esse voluit. De proprie dicta potestate accipi potest, cum remissio peccatorum significat potestatem auferendi pœnas temporales, vel saltem potestatem eas non inferendi, putà morbos, afflictiones, calamitates, &c. Et hanc Apostolis Jesu Christi collatam sive continuatam hîc fuisse fateor. Improprie verò potestas intelligatur necesse est, si referatur ad pœnas æternas. Eas enim quia proprie nec infligere, nec tollere poterant Apostoli, uti ex re ipsa liquet, ratio dictat, ut remittere culpas istas significet aliud nihil, quàm nomine Dei denunciare illas remissas esse, id est, Deum puniendi propter istas quemquam mortalium, si modò credat in Jesum Christum, animum deposuisse: Retinere vero istas culpas sit, denunciare iram Dei manere super incredulos, ac proinde Deum tales certò certius æterna morte punire velle. Hæc ratio non modò probabilis est, sed ita clara & evidens, ut Solis radio scripta videri possit. Unde concludo, cum fides debeat inniti certo fundamento, ratio autem recta & evidens evincat, sensum illum verbis istis inesse, fidem ejus, qui verba ista sic accipit, certo fundamento divino nixam & superstructam esse.

*Retorsio argumenti in Wadingum; Regulam fidei Pontificiæ, quæ est Ecclesiæ auctoritas, plebeis esse impossibilem.*

Cæterum ut videas quàm justa dubitandi ratio ex illo ipso tuo fundamento depromi possit, en ita retorqueo argumentum.

Illa fides meritò suspecta esse debet, in qua regula credendi plebeis est impossibilis: Atqui talis est fides vestra: Ergo, &c. Probo Minorem. Regula fidei vestræ est Ecclesiæ authoritas. Unde sic argumentor. Qui de authoritate Ecclesiæ in dijudicandis sensibus verbi divini certi esse nequeunt, illis regula credendi est impossibilis, aut saltem incerta: Atqui plebei de authoritate Ecclesiæ in dijudicandis sensibus verbi divini certi esse nequeunt: Ergo, &c. Probo Minorem: Si certi esse possunt singuli de plebe, necesse est ut certi reddantur, vel ex ipso verbo scripto, vel per specialem aliquam divinam revelationem, vel per Ecclesiæ ipsius interpretationem, vel per rationem aliquam probabilem. Nullo horum modorum certi esse possunt. De revelatione divina suppono extra dubium. Id enim eadem facilitate negari posset, qua asseri, quia gratis diceretur. Ex verbo scripto certi esse non possunt, ex hypothesi argumenti tui. Ex Ecclesiæ testimonio sive interpretatione certi fieri nequeunt; quia de eo, an Ecclesiæ jus illud interpretandi & infallibiliter affirmandi competat, quæritur. Suspectum autem meritò videri debet, si Ecclesia sibi ipsi ea in re testimonium præbeat, & sibi illud affirmanti credi velit. Aut enim arrogabit sibi jus illud sine verbo, aut ex verbo divino. Si sine verbo, maxime suspectum est, imprimis ei apud quem verbum divinum in pretio est. Si ex verbo, certus esse nequit plebejus, an recte & legitime id sibi ex verbo arroget; quia cum Christus non Teutonice, sed Hebraice, aut Syriace locutus sit, necessum erit ut Hebraice sciat, qui locum illum; ubi jus illud sibi datum asserit Ecclesia, inspicere possit, & suis oculis, non alienis, videre, an ita se res habeat, uti Ecclesia dicit: exempli gratia, utrum verba illa, *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, &c*, sic prolata sint à Christo, quo in vernacula ipsius lingua leguntur, & eo sensu accipienda quo Ecclesia accipit: id est, redit illa difficultas, quæ contra Scripturæ authoritatem à D.V. allata est. Ad consensum doctorum remitti talis indoctus non potest; quia cum illi partim Græce, partim Latine scripserint, necessum foret eum linguas istas scire, aut iterum Ecclesiæ eas interpretanti credere & fidem adhibere citra ulteriorem probationem. At cùm de eo controvertatur, an Ecclesiæ id jus competat, certus reddi nequit ex interpretatione illa, quia aliena scientia nititur, de qua incertus est an infallibilis sit. Tandem ergo, utar verbis tuis, ultimum fundamentum fidei indocto erit hoc; Videtur mihi probabile sequi absurdum, si Ecclesiæ suæ talem authoritatem non concesserit Deus, & isto sensu verba ista non exponantur. Unde concludes, cum fides non sit certior quàm fundamentum, & fundamentum totum sit tantum probabilis ratio, (si tamen probabilis, de quo postea videbimus;) fidem vestram nullo modo esse certam, & non fundari nisi in fallaci tantum conjectura.

## CAPUT IV.

### Examen tertii argumenti Wadingi, illam religionem suspectam esse debere, cujus fundamentum non sit Dei verbum, sed falsa sequela Logica, &c.

TErtium Argumentum longe extra lineas abit, hoc pacto: *Illa religio suspecta esse debet, cujus fundamentum omne est non Dei verbum, sed falsa sequela Logica: Talis videtur Religio Reformatorum: Ergo, &c.* Probatur Minor. Nempe *fundamentum non esse* (pro esse non) *Dei verbum, quia ipsum Dei verbum admittunt, discernunt, rejiciunt sine Dei verbo. Ubi enim est scriptum, Librum Sapientiæ non esse à Spiritu sancto dictatum, & Librum Proverbiorum esse dictatum? &c.*

*Quis hic sit verus controversiæ status.*

Extra lineas, inquam, abit hoc argumentum, quia non quæritur de eo qua ratione certus fieri quis possit, verbum hoc ab his aut illis divinis authoribus profectum & scriptum esse, sed supposito quod id verum ac certum sit, utrumne ad sensum verbi illius secura mente percipiendum necessaria sit Ecclesiæ interpretantis & judicantis authoritas, an verò sensus ille ex verbo ipso sine tali interveniente judiciaria authoritate tutò & secure percipi possit. Illius fidei fundamentum impossibile est ut sit verbum ipsum; sicut impossibile est ut fundamentum ejus, unde videlicet constare possit Ecclesiæ authoritatem illam judiciariam competere, sit Ecclesia. Hujus fundamentum esse potest & est solum verbum Dei, judicio nostro, uti ex antedictis liquet. Et contra hoc unicum argumentandum erat. Alioquin enim omnia argumenta reliqua vana sunt & inepta, si hoc argumentum recte allatum dicatur. Quid enim attinet probare, non posse nos securos esse de salute ex verbo ipso, si de ipso verbo nos securos esse non posse affirmetur, quod divinum sit aut à viris divinis scriptum?

*Respondetur ad argumentum Wadingi per distinctionem.*

Veruntamen ne videamur vim argumenti declinare & subterfugere, prosequemur illud eo quo propositum est modo. Ut autem prestius ad illud respondeamus, notanda est æquivocatio in voce Religionis sive fidei. Dupliciter enim accipi potest vox illa: 1. Ut significet adsensum Theologicum vel salviticum, qui præstatur sive qui innititur sensibus verbi, supposito quod verbum illud scriptum sit ab iis authoribus, quorum nomina præ se fert, & quod in Canone esse jam utrimque constat. 2. Ut significet adsensum historicum, quo statuitur libros illos, quibus verbum illud continetur, scriptos esse sive dictatos à viris divinis omni exceptione majoribus. Si primo modo sumatur vox Religionis sive fidei, tum Minor manifeste falsa est: quia Religio Reformatorum universa, id est, sensus omnis de rebus divinis & cultus eorum, verbo scripto innititur: non probatur vero per rationem à D. V. subjunctam. Si posteriore modo sumatur, tum novus status quæstionis formetur necesse est, hic videlicet: Anne ex ipso verbo constare possit librum hunc, non illum, esse Canonicum, id est, in ordine eorum censendum, qui indubitatam fidei regulam continent, & ab illis Authoribus scripti sunt, de quorum authoritate non dubitatur. Ut ad hunc statum & simul etiam ad argumentum ipsum respondeam, dico: Ad argumentum recte intelligendum necessarium esse, ut vel extra dubium supponatur, libros aliquos esse divinos & indubitatæ fidei, ex quibus probari possit ac debeat, quod hi & illi libri, de quibus quæritur, in ordine Canonicorum, qui vocantur, sint collocandi aut non. Vel, ut hoc non supponatur, sed in genere quæratur, utrumne constare possit ex verbo, quod ullus Liber sit Canonicus, vel scriptus ab illis authoribus, quorum nomina præ se fert; sive, an fundamentum ejus fidei, qua credo librum aliquem esse Apostolicum, vel Propheticum, sit verbum Dei, an non ad hoc credendum necessaria sit authoritas Ecclesiæ. Et hoc ferè sensu argumentum hoc usurpari solet à Catholicis. Videamus utrumque.

*Quomodo supposito aliquos libros esse Canonicos, tuta possit esse nostra fides quod ad controversos attinet.*

Si supponatur libros aliquos esse divinos & indubitatæ fidei (puta de quibus inter Catholicos & Reformatos nulla est quæstio) & ex iis probari sibi quis petit hunc & illum librum, puta librum Sapientiæ aut Ecclesiasticum, &c. non esse Canonicum, tum ita procedo; Aut volumus libris illis de quibus controvertitur non contineri aliquid aliud creditu ad salutem necessarium, quam quod libris, de quibus non controvertitur, continetur; aut contineri. Si volumus non conti-

contineri, tum neceſſarium non eſt ut ſciatur aut credatur, utrumne libri iſti Canonici ſint nec ne, nec ſuſpecta redditur Religio, ſive id credatur, ſive negetur, ſive ſciatur, ſive neſciatur. Fieri enim poſſet ut liber iſte in rerum natura non eſſet, & tamen ſalva maneret Religionis ac fidei noſtræ integritas. Si volumus contineri aliud quid, tum videndum eſt, utrumne illud tale ſit, quod contraveniat iis ſenſibus vel illorum ſenſuum alicui, qui in iis libris reperiuntur de quibus non dubitatur, nec ne. Si contraveniat, tum certiſſimum eſt indicium eum librum Canonicum non eſſe; quia Deus ſibi ipſi contrarius non eſt. Si non contraveniat, & alioquin indicia alia non occurrant in libro iſto unde appareat eum divinum eſſe non poſſe, tum neceſſarium non eſt ut de eo magnopere laboretur, aut funis contentionis ducatur, utrumne canonicus ſit, nec ne. Pro Canonico enim admitti poteſt ſine periculo. Sive enim velimus neceſſaria omnia contineri libris iſtis de quibus non controvertitur, uti nos credimus, ſive nolimus, periculum tamen nullum eſt, ſi quis præter iſta, quæ libris non controverſis continentur, aliud adhuc aliquod neceſſarium creditu, (ſi enim non neceſſarium creditu ſit, minor, imò nulla difficultas eſt,) quàm quod libro iſto controverſo continetur, contineri credat. Sufficit enim ad ſalutem neceſſaria omnia credidiſſe; ſi quis plura quàm neceſſaria ſunt credat, ignorantia vel errore aliquo adductus, nullum inde periculum ipſi accidere poteſt. Itaque fundamentum fidei ejus ſtabit, vel te judice, ſi libros illos pro Canonicis admittat. Quod facile & non gravate faciet quivis pacis ſtudioſus, ne de re qua fundamentum fidei ejus neutiquam ſubvertitur, contendere aut litigare velle videatur. Si vero nec illis indubitatæ fidei libris, nec iis de quibus controvertitur, neceſſaria omnia contineri velimus, tum fruſtra iterum petit ſibi quis probari, quod hic aut ille liber Canonicus ſit, cùm, etiamſi libri omnes Canonici libri eſſent, certum tamen fidei ſuæ fundamentum nondum eſſet habiturus, & proinde non minus poſt, quàm ante ejus rei probationem, ſuſpecta manſura eſſet ejus Religio. Quia verò ex vi argumenti tui ſupponitur libris iſtis ſimul ſumtis integrum Canonem Fidei contineri, vides opinor argumenti ipſius vim enervatam ac fractam eſſe hac prima reſponſione noſtra.

*Si non ſupponatur libros aliquos eſſe divinos, ſed petatur id probari ex Scriptura, poſtulatum ejuſmodi planè abſurdum eſt.*

Si non ſupponatur, libros aliquos eſſe divinos, ſed in genere probari petatur ex ipſo verbo, verbum, vel libros illos quibus verbum continetur, eſſe divinos aut ab iis authoribus ſcriptos, de quorum fide & authoritate dubitandum non ſit, tum profectò abſurditas argumenti aut poſtulati talis, hiante rictu patet. Quomodo enim fundamentum ejus, quod liber hic aut ille ſit Canonicus, ex ipſius libri, de quo quæritur, teſtimonio petetur aut probabitur? Id impoſſibile eſt. Poſito enim quod teſtimonium ejuſce rei in ipſo libro exſtet ſcriptum, redibit quæſtio, ecquod fundamentum ſit iſtius verbi, vel unde conſtet teſtimonium illud quod in libro iſto ſcriptum extabit, divinum eſſe, & ſic abibitur in infinitum. Juxta hanc conſiderationem, negabo Majorem tuam, quæ ita habet; *Illa Religio ſuſpecta eſſe debet, cujus fundamentum omne eſt, non Dei verbum, ſed ſequela Logica.* Tantum enim abeſt ut illa vera ſit, ut fundamentum Religionis ita acceptæ aliud eſſe non poſſit, quam non Dei verbum. Itaque cùm quæris, ubi ſcriptum ſit librum Sapientiæ non eſſe à Spiritu ſancto dictatum, librum Proverbiorum eſſe ab eo dictatum, fatebor lubens id ſcriptum non exſtare: addam etiam, & ſi ſcriptum omninò totidem ſyllabis exſtaret, id ad rem tamen non facturum. Quærere enim deinde iterum poſſet D. V. unde conſtet librum illum, quo id ſcriptum legitur, divinum & Canonicum eſſe? Itaque fruſtra quæreretur id, quod etiamſi probaretur & demonſtraretur alicubi extare, nihilominus tamen in dubium vocari & ſuſpectum reddi poſſet.

*Qua probationes quærenda ſint ad fidem hiſtoriæ ſacræ faciendum.*

In hujuſmodi rebus quæ ad hiſtoriæ fidem faciendum pertinent, aliæ probationes quærendæ non ſunt, quàm quas ipſa rei ratio ſuppeditat, & quæ omnem juſtam dubitandi anſam præcidunt. Quæ probandi ratio, non eſt falſa ſequela Logica, uti V. D. loquitur, ſed talis, qua certior & ſolidior in iſto genere haberi non poteſt, ſaltem à viro prudente peti non debet, de qua in ſequentibus fusè agetur. Non enim deſumta eſt ex fallaci traditione Rabbinorum, uti V. D ſupponit, neque proprie ex Eccleſiæ Catholicæ authoritate, quatenus Dei ſponſa & fidelis diſcipula Chriſti eſt: (ſic enim valere non poteſt teſtimonium ejus, apud eum qui probari ſibi petit verbum illud divinum eſſe cui Eccleſia iſta credit, & à cujus fide Eccleſia habet quod vera Eccleſia ſit: teſtimonium enim Eccleſiæ, quà talis, hac in re ſuſpectum magis videri debet quàm credibile, quia in propria cauſſa fertur:) ſed ex teſtimonio eorum omnium, ſive Chriſtianorum, ſive Gentilium, ſive Judæorum, ſive ſanctorum, ſive profanorum, qui teſtari ea de re potuerunt, & quos fallere voluiſſe nulla ratio permittit credere. Alioquin in infinitum ibitur; quod adeò verum eſt, ut ſi vel Deus ipſe aliquid cœlitus verum eſſe confirmaret, præfractus adhuc quærere poſſet, unde conſtaret Deum eſſe, qui id confirmaret. Itaque ſi quis etiam Religionem illam, quæ ſolo & puro puto verbo divino nititur, ſuſpectam reddere & in dubium vocare velit hujuſmodi argumento, quod ex ipſo verbo probari non poſſit verbum illud vel libros illos, quibus verbum illud ſcriptum continetur, eſſe à Deo profectos aut à divinis viris ſcriptos, næ ille nodum in ſcirpo quærere judicandus eſt, & ad incitas redactus videri debet. Sufficit enim ut id ejuſmodi argumentis evincatur quæ prudenti viro ſatis eſſe poſſunt, & contra quæ jure merito nemo, niſi dedita opera malignari velit, excipere valet.

*Retorſio argumenti in Wardingum.*

Alioquin eodem jure ſic retorquebo contra te argumentum tuum. Illa Religio ſuſpecta eſſe debet, cujus fundamentum omne eſt non Eccleſia, ſed falſa ſequela Logica; Talis videtur Religio Catholicorum: Ergo, &c. Major ex hypotheſi veſtra procedit. Minor probatur, quia fundamentum ejus, quod Eccleſia authoritatem habeat, inter pretandi & dijudicandi ſenſus divinos non poteſt eſſe Eccleſia. Eſſet enim ſui ipſius fundamentum, & ſe ipſam proprio ſuo teſtimonio fulciret ac ſuſtentaret, quod meritò ſuſpectum eſſe debet.

*Quomodo probetur librum aliquem à viro divino eſſe conſcriptum.*

Quocirca ut concludam reſponſionem hanc totam, ita habe: Nos cum quæritur de libro aliquo, utrumne ſcriptus ſit ab iis viris, qui Spiritus ſancti afflatu & inſtinctu præditi fuerunt, non petere ejus rei probationem ex verbo ipſo, ſive libro aliquo de quo non dubitatur; (id enim credimus non modo non neceſſarium, ſed nec poſſibile ut perſuadeatur alicui, ſi præfracte tergiverſari & cavillari velit:) ſed petere ex ejuſmodi teſtimoniis, ſignis & indiciis, quæ ad fidem iſtiuſmodi rei faciendam, uſurpari & adhiberi ſolent, quæque viro prudenti & probo ſufficere poſſunt ac debent. Exempli gratia, quia librum illum ab iſtiuſmodi viris ſcriptum eſſe teſtati ſunt ii qui iſto tempore vixerunt, quique nullam cauſam habuerunt cur aliter teſtarentur, ſi id vernm eſſe perſuaſi non fuiſſent, aut ſuſpectum ſaltem habuiſſent; imò qui cauſſam habuiſſent contrarium teſtandi, ſi id falſum eſſe credidiſſent, aut de eo an omnino certum eſſet perſuaſi non fuiſſent; denique qui de quibuſdam libris aliquamdiu dubitarunt, neque eos pro divinis receperunt, priuſquam planè compertum haberent à quibus ſcripti eſſent. Ejuſmodi teſtes fuerunt omnis generis innumerabiles homines, qui id tam certò ſciverunt & crediderunt, ut pro re libris iſtis comprehenſa mortes crudeliſſimas & ignominioſiſſimas perpeti potius voluerint, quàm à credenda ea deſiſtere ac ſupersedere. Qui autem viro prudenti & æquo rerum æſtimatori veriſimile fiet, tot ac tam varios, tam religioſos & teneræ conſcientiæ homines, qui circa illa eadem tempora, quibus Scriptores illi vixerunt, qui cum illis verſati fuerunt, qui de ipſis ſciſcitari & cognoſcere, atque ita pleniſſime de libris ac ipſis ſcriptis certiores fieri potuerunt, omnes illos, inquam, mentiri & fallere mortales voluiſſe; & pro eo, de quo certò perſuaſi non erant quod verum eſſet, aut quod falſum eſſe poſſe ſuſpicarentur, tot pericula adire, tam atroces mortes perpeti, ſine ulla commodi aut lucri ſpe operæ pretium judicaſſe? His & ſimilibus rationibus fidem nobis facimus aut fieri ſinimus, quod liber aliquis ab illo authore ſcriptus ſit, cujus titulum præ ſe fert.

*Controverſia de libris Apocryphis non eſt magni momenti.*

Et hac quidem ratione adducti admittimus librum hunc pro Apoſtolico vel Prophetico, non illum: non quod funem contentionis trahere velimus cum quoquam, qui eum quem nos pro tali non admittimus, eo quod teſtimonia certa aut ſaltem ſufficientia, quod pro tali habendus ſit, deeſſe nobis videantur, in claſſem tamen & ordinem Canonicorum redigit. Nihil minus. Facile enim eum ipſum & quemlibet alium admittimus, ſi modò conſtet eum non contravenire iis libris de quibus non dubitatur, & talia in eo indicia non exſtent, quæ manifeſte arguant eum divina authoritate & veracitate ſcriptum non eſſe. Quia vero nullus hodie eſt liber, qui (uti quidem utrimque credi exiſtimo) ſpeciale aliquid contineat, quod in iis, de quibus non controvertitur, expreſſum non ſit, ſaltem ſpeciale quod creditu neceſſarium ſit, non debet profectò difficultas, quæ ex iſto capite petitur, magni momenti videri.

Si dicas tamen recedi hac ratione à verbo ad rationem humanam, non negabo: ſed dicam mirum id videri non debere, quia aliter fieri non poteſt, uti ex iis quæ dicta ſunt liquet. Cum eo enim qui id negat aut de eo dubitat, agendum eſt tanquam cum homine nondum Chriſtiano, ſive adhuc gentili. At illi non poteſt ac debet probari verbi authoritas ex verbo, quia de illo dubitat, ſed per rationes tales contra quas jure excipere nequit. Nec rejicitur hac ratione Catholicus conſenſus, ſed approbatur & ſtabilitur.

Tantum

Tantummodo Eccleſiæ, quatenus Dei ſponſa & fidelis diſcipula eſſe creditur, judiciariam authoritatem & poteſtatem hîc locum habere non poſſe aſſeritur; eò quod Eccleſiæ tum veracitas, tum authoritas, non minus dubia ſit & ſuſpecta, quamdiu verbum ipſum, unde Eccleſia authoritatem ſuam probare atque adſtruere debet, in ſuſpicionem vocatur. Ut autem Eccleſiæ ſibi eam poteſtatem competere affirmanti ſimpliciter credatur, ejuſque affirmationi ſuperſtruatur Religio & Fides noſtra, iniquum videri debere & ſummo jure ſuſpectum.

Veruntamen quia vidiſti forte hoc argumentum longius ire, ad propiorem Exegeſin, id eſt, probationem Minoris clariorem accedis: Primum, *Nullum*, inquis, *fidei veſtræ fundamentum, de quo inter nos & vos eſt controverſia, in Dei verbo reperitur: Ergo, &c.* Antecedens probas per inductionem: *Fundamenta apud vos ſunt, Sacrificium Miſſæ cedere in ignominiam ſacrificii crucis: Sanctorum invocationem cedere in injuriam Mediatoris: Cultum ſacrarum imaginum eſſe idololatriam, & his affinia. Atqui nullum horum dogmatum habetur in Dei verbo: Ergo, &c. Probo Minorem, & peto illa verba proferri.*

*Fundamentum noſtrum non eſt, Sacrificium Miſſæ cedere in ignominiam crucis Chriſti, & ſimilia; nec tenemur id expreſſis Scripturæ teſtimoniis probare.*

Reſpondeo; Antecedens hujus argumenti verum non eſt; itaque ejus abſurditas prima ſtatim fronte patet. Vera quidem eſſe credimus hæc, Sacrificium Miſſæ cedere in ignominiam crucis Chriſti, Invocationem Sanctorum cedere in injuriam Mediatoris, &c. ſed propterea fundamenta illa noſtra non ſunt. Fundamentum noſtrum eſt, nihil neceſſariò credendum eſſe, quod Scriptura non continetur. Quia autem de Miſſæ ſacrificio nihil ſcriptum reperimus, hinc eſt quod illud rejiciamus, ſive negemus verum eſſe. Negatio hæc fundamentum noſtrum non eſt, quod nos probare ex Scripturis oportet. Nihil minus. Sufficit negatio nuda: affirmantis eſt probare. Quando vero ſupra negationem addimus rationes aliquas, quibus probare conamur non modò non contineri iſtud Scripturis, ſed contravenire etiam iis fundamentis, quæ in Scriptura reperiuntur, utique ratio illa fundamentum noſtrum non fit, ſed ex ſuperabundanti tantum adducitur à nobis, ad perſuadendum, ut is qui iſtum errorem tenet, eum facilius ac lubentius deſerat. Tales rationes ſunt omnes illæ, quæ à D. V. hic ponuntur, quod videlicet cultus Sanctorum cedat in injuriam Mediatoris, &c. Itaque non recte facit D. V. cum nobis tribuit quòd illa fundamenta noſtra faciamus. Multæ concluſiones veræ ex veris principiis deducuntur, quæ propterea principia ipſa non ſunt. Multæ rationes adferuntur ad perſuadendum, quæ fundamenta vocandæ non ſunt. Fundamentum ſive principium noſtrum eſt, id quod de ſacrificio crucis Chriſti, & cæteris ejuſmodi verbum divinum ſtatuit. Cum eo quicquid nobis non convenire videtur, id tanquam falſum rejicimus, ac proinde contrarium ejus verum eſſe ſtatuimus. Illud verum, ſive iſta vera concluſio, fundamentum non eſt, neque fit eo ipſo quia vera eſt, aut quia eam veram eſſe credimus. Ea enim non fit niſi per ratiocinationem & deductionem noſtræ mentis intervenientem, ex principio & fundamento certo atque indubitato quod in verbo ipſo ſcriptum eſt, quodque ſine ulla noſtra concluſione interveniente tale eſt, & tale ſemper manet citra omnem controverſiam. Et fieri poſſet ut in ejuſmodi concluſione deducenda error committeretur ex ignorantia, imprudentia, vel præjudicio aliquo; cum fundamentum ipſum certum ſemper atque indubium eſſe debeat.

Quocirca ſi quis, cum affirmat Sacrificium Miſſæ cedere in ignominiam Sacrificii crucis Chriſti, aliaque ſimilia, dicatur ſtatim id pro fundamento habere, ac proinde cogatur, illud totidem verbis ex Scriptura demonſtrare, illi injuria fit manifeſta. Eadem enim opera conſtringi poſſet, ut quicquid in Theologia verum eſſe crederet, etiamſi per tertiam, quartam, imò milleſimam conſequentiam verum eſſe crederet, ex Scriptura totidem verbis probaret; ac proinde etiam ſi diceret Deum podagra non laborare, hunc aut illum cerdonem & fullonem non eſſe caput Eccleſiæ, nudipedales proceſſiones non eſſe meritorias, indulgentias Pontificias eſſe humanum inventum, aliaque talia vera eſſe crederet, verba expreſſa proferret quibus ea negantur. Quod abſurdum eſſe quis non videt? Aliud eſt aliquid pro fundamento habere; Aliud pro vero, vel falſo, ſive conveniente cum fundamento, aut ab eo diſcrepante. Qui aliquid pro fundamento habet, ſtatuit eum qui id negat ſalvari non poſſe. At qui aliquid pro vero habet, non ſtatim eo ipſo adſerit aut credit eum, qui id negat ſalvari non poſſe, etiamſi forte veritas illa valde clara videatur ac perſpicua. Fieri enim poſſet, ut is qui id negat quod mihi tam clarum atque apertum videtur, id ipſum non videret, & fundamentum ipſum, una cum errore iſti fundamento imprudenter ſuperſtructo, ſartum tectum retineret. Unde concludimus eum ſolum, qui aliquid fundamentale ſive neceſſarium creditu ad ſalutem ſtatuit, teneri id ex Scripturis ſive puro puto Dei verbo, aut ex tam clara & evidente conſequentia, qualis hæc eſt, currit ergo movetur, probare & confirmare; eum verò qui concluſionem aliquam veram fundamento iſti ſuperſtruit, aut falſam & repugnantem impugnat, non teneri totidem verbis eam ex Scriptura probare & confirmare. Neque enim Scriptura omne prorſus verum expreſſe definivit, nec contraria omnia, ſive directè ſive indirectè falſa, diſertis verbis rejecit: quomodo enim id fieri potuiſſet?

Fruſtra itaque eſt D. V. cum petit *ſibi verba illa proferri, Sanctorum cultus cedit in ignominiam Mediatoris.* Hæc enim propoſitio primumà nobis non concipitur, ſed tantum opponitur veſtræ propoſitioni, qua affirmatis Sanctorum cultum in verbo divino fundatum eſſe. Itaque nobis ſufficit negare eum cum verbo Dei convenire; affirmanti incumbit probatio. Cum verò ad negationem noſtram probandam adfertur ratio, qua oſtendimus tantum abeſſe ut cultus Sanctorum (id eſt, invocatio eorum) in verbo fundatus ſit, ut contra tendat in ignominiam Mediatoris, ex ſuperabundanti id à nobis fieri apparet. Sufficiſſet enim perſiſtere in ſola negatione, & ad probandum vos cogere, qui eum ex Scripturis deducitis. Itaque iniquus videri debet is, qui nos cogit ut probemus rationem illam totidem verbis ex Scripturis. Et poſito quod ratio non foret, nondum tamen id probare teneremur. Nec enim hæc propoſitio principium eſt ſive fundamentum, etiamſi eam veram eſſe credam: nec omnis veritas eſt fundamentalis veritas. Proinde nec omne falſum, ſtatim fundamento contrarium eſt, aut fundamentalem veritatem ita diſtruit, ut qui illud tenet, eo ipſo etiam veritatem fundamentalem diſertè neget aut deſtruat, vel negare aut deſtruere ſe debere videat. Qua vero jam ratione probetur, Sanctorum cultum, id eſt, adorationem & invocationem mortuorum tanquam patronorum, cedere in ignominiam Mediatoris, aliaque ſimilia, alterius Scholæ eſt diſquirere. Itaque examen loci ex *Matth.* XI. depromti, huc non pertinet. Cultum imaginum eſſe idololatriam alibi à nobis probatum eſt.

## CAPUT V.

### Examen argumenti quarti Wadingi, Illam fidem ſuſpectam eſſe debere, quæ in proprium cujuſque judicium tanquam in fundamentum ultimum reſolvitur, &c.

QUartum argumentum ita habet: *Illa fides ſuſpecta eſſe debet, quæ in proprium cujuſque & particulare judicium tanquam in fundamentum ultimum reſolvitur. Talis videtur Fides Reformatorum: Igitur eſt ſuſpecta.*

*Quinam hîc ſit verus controverſiæ ſtatus.*

Reſpondeo; Major quam ſupponere videris certam & indubiam, ſolida non eſt, uti poſtea videbimus. Minorem quod attinet, ad cujus confirmationem exponis ſtatum controverſiæ, ad eam paucis ita reſpondeo; Statum quæſtionis non proponi à D. V. ut oportet ex æquo & bono. Neque enim quæritur inter nos, utrum nunc hoc tempore quiſque potius ſtare debeat judicio Eccleſiæ totius & conſenſu omnium ſæculorum ab Apoſtolis huc uſque, quàm ſuo proprio judicio: ſed ſimpliciter, Anne fides meritò ſuſpecta eſſe debeat, quandocunque etiam illa præſtatur, propterea quod quis illud quod credit, ideo credat, quia rationibus rationumque momentis omnibus ſedulo & pro virili ad verbum Dei expenſis, in conſcientia ſua judicet credibile aut credendum eſſe: ſive potius, Anne in interpretatione verbi unuſquiſque debeat potius diligenter & piè ſcrutari Scripturæ ſenſum ex ipſa Scriptura, id eſt, antecedentibus, conſequentibus, ſcopi & locorum ſimilium obſervatione, abſurdis alias ſecuturis, &c. quam ſtupidè tantum aut implicita fide inhærere judicio Eccleſiæ Romanæ, aut unius hominis, qui ſe caput Eccleſiæ illius profitetur, & quem ſciàs profanum, impium & hæreticum eſſe poſſe, quoad ſe ipſum, eo ipſo tempore quo judicat Hic eſt ipſiſſimus controverſiæ ſtatus.

*Tota fides Pontificum in unius Papæ judicium tandem reſolvitur.*

Mirum autem tibi videri non debet, cum in formando ſtatu quæſtionis indico, vos ab unius hominis judicio pendere, ejuſque quem profanum eſſe poſſe, imò fuiſſe aliquando, idque eo tempore quò judicabat, non negabis. Ad odium id conciliandum ſententiæ veſtræ dictum credas nolim. Ex æquo & bono id factum eſt. Etenim omne id quod D. V. dicit de conſenſu omnium ſæculorum, deque communi totius Eccleſiæ judicio, nullo prorſus fundamento nititur: ſpecioſum potius eſt, quàm verum. Nam judicium Eccleſiæ totius commune peremtorium juxta vos nullum prorſus eſt: quippe univerſum illud dependet ab unius tan-

tum

tùm hominis, ſæpe impii & profani, te ipſo teſte, judicio, cui omnes, ſive tota Eccleſia conſentire neceſſariò tenetur. Nemini ſiquidem licet ſentire, judicare, aut credere certum aliquid eſſe, antequam ille approbet; & ubi approbavit, nemini licet diſſentire. Itaque ſic argumentor: Si judicio Eccleſiæ communi, & conſenſu ſæculorum omnium nititur fides Catholicorum, nitetur judicio Eccleſiæ & conſenſu ſæculorum, vel antecedente judicium Papæ, vel conſequente: At neutro nititur: Ergo, &c. Minor probatur: Judicium Eccleſiæ antecedens judicium Papæ certum non eſt, quia falſum & erroneum eſſe poteſt: Ergo iſto judicio non nititur. Judicium quod ſubſequitur Papæ judicium, non eſt judicium nec conſenſus propriè dictus: velis enim nolis, idem quod Papa judices eique conſentias neceſſe eſt, etiamſi ratio & conſcientia dictent contrarium verisimilius eſſe. Ubi autem dominatur præciſa neceſſitas parendi, ibi libertas judicii ceſſat, & conſenſus perimitur, quia rationalis & liber eſſe debet conſenſus, non neceſſarius, nec imperatus, aut ſimpliciter dependens ab alio. Unde neceſſum eſt reſolvi tandem judicium hoc commune, & conſenſum omnium Patrum, in judicium unius hominis, uti ex re ipſa liquet.

*Nos totius Eccleſiæ judicium noſtro privato judicio non poſtponimus.*

Quicquid ſit de ſententia veſtra, nimis odioſè [illegible] quod ad noſtram ſententiam attinet, ſtatus quæſtionis [illegible]tus eſt; quaſi videlicet nos Eccleſiæ totius judicium, & conſenſum univerſæ antiquitatis, privato noſtro judicio poſtponeremus; cum neutrum à nobis fiat. ſed hoc tantùm quæritur: Utrumne neceſſarium vel magis tutum ſit ad conſequendum verum & rectum Scripturæ ſenſum, ſequi judicium & authoritatem Eccleſiæ Romanæ ſive veſtræ; &, anne fides illa, quæ judicium tale non ſequitur, ſuſpecta propterea eſſe debeat: nos id negamus. Judicium Eccleſiæ totius tantum abeſt ut ſequi nolimus, ut eo ipſo quod Eccleſia ſit, eam verum ſenſum in rebus ſcitu neceſſariis tenere, ac proinde judicium ejus ſequendum eſſe, haud illubentes fateamur: quia Eccleſia vera eſſe non poteſt, niſi verum ſenſum verbi divini (ſaltem in fundamentalibus) teneat, & propterea Eccleſiam aliquam, veram Dei Eccleſiam eſſe ſciri nequeat, niſi ſciatur eam verum ſenſum verbi divini tenere; dicimus non prius ſequendum eſſe judicium Eccleſiæ, quàm verbi divini, ſed contra; ac proinde ad verum divini verbi ſenſum percipiendum, judicio Eccleſiæ opus non eſſe, nedum Eccleſiæ Romanæ, etiamſi illa magnam hominum multitudinem complectatur. Conſenſum Patrum ſuo loco magni facimus, ſed quia ſinguli eorum errare potuerunt, & ſuo judicio nos fidere prohibuerunt, non arbitramur injuriam illis fieri, ſi conſenſum illum non ſequamur, niſi conſtet nobis eum in verbo divino fundatum eſſe. Quia verò ad hoc intelligendum privatum judicium, & Scripturæ examen particulare requiritur, hinc eſt quod judicium noſtrum accedere velimus, & implicitam fidem, ſive brutum & ſtupidum illum ad ſenſum, locum habere non debere ſtatuamus; non damnando conſenſum horum, nec illius Eccleſiæ judicium ſuperbè reprobando, ſed utrique divini verbi authoritatem præferendo.

*Atqui*, inquis, *advertat prudentia veſtra, an illa procedendi ratio ſit ſecura.* Ita quidem arbitror: non tantùm magis ſecura, quam veſtra, ſed ſola ſecura hæc procedendi ratio eſt, quia divino mandato conveniens, & conſcientiæ cujuſque tranquillandæ ſufficiens eſt. Videamus quomodo contrarium oſtendere conetis. *Primò* inquis: *principia eadem ſi vera ſunt, ſemper nata ſunt, cuicunque debitè applicentur, veritatem in eo producere: Atqui principia Spiritus privati & ἐγκρίσεως interna nata ſunt errorem potius producere: Ergo non ſunt vera.*

*Judicium ſpiritus privati non eſſe natum errorem potius quàm veritatem producere.*

Minor hæc manifestè falſa eſt, ſi addatur ex Majore quod omiſſum eſt, *ſi debitè applicentur.* Sic enim ſonat Major, & ſic ea in Philoſophia vera ac nota eſt, alioquin falſa. Hæc particula ſi addatur, tum repugnat Minor tua expreſſo Dei verbo ante allegato. *Qui vult facere voluntatem Patris mei, is cognoſcet*, vel *intelliget de doctrina mea, utrum ex Deo ſit, an ego à me ipſo loquar*: Joan. VII. 17. *Qui quærit, inveniet, pulſanti aperitur, &c.* Matth. VII. 7. *Secretum Domini timentibus ipſum*: Pſalm. XXV. *Si ad intelligentiam clamaverit, & intelligentiæ dederit vocem tuam: Si quæſierit eam tanquam argentum, & ſicut theſauros ſcrutatus fuerit eam, tunc intelliges timorem Jehovæ, & cognitionem Dei invenies*: Prov. II. 3. 4. 5. & alibi.

Quæ ab experientia allegas in contrarium, ea nihil ſolidi habent. Primò enim experientia non poteſt repugnare expreſſo Dei verbo. Secundò, experientia non teſtatur quales intus homines ſint, quo ſpiritu atque animo accedant ad lectionem & examen ſenſuum divinorum, ſive, utrumne principia ſpiritus privati, id eſt, ſpiritum privatum ſuum (inceptè enim ille dicitur principium & ἐγκρίσεως) debitè applicet ad conſiderandum & ſcrutandum divinum verbum uti oportet. Virtus ſimulari poteſt, & vitium ſæpe adeo ſpecioſè ſuco virtutis teſtum infinuat ſe in animum, ut homines non tantùm aliis, ſed ſubimet ipſis aliquando imponant, & dum ſe Judæos, (*Apocal. II. 9.*) id eſt, confeſſores veritatis credunt & profitentur, judicio Dei ſint Synagoga Satanæ; imò dum Apoſtolos ſe eſſe dicunt, mendaces ſint & vani: *Apoc.* II. 2. Unde concludo; cum fieri nequeat ut divinum verbum fallat, & fieri poſſit ut homines, quantumvis foris videantur probi & pii, intus tamen animum gerant vitiis vel vitio aliquo certo obſitum atque obſeſſum, ſemper ſtatuendum eſſe, Si ſpiritus privatus aliquem in errorem inducat, id fieri vitio ejus in quo ſpiritus iſte eſt, vel defectu ſpiritus, non quatenus ſimpliciter privatus eſt, ſed quatenus vitioſus eſt, ac proinde indebitè applicatus verbo, ita ut rectè intelligi non poſſit ac percipi.

*Non credimus pios nunquam errare in adſequendis quibuſdam ſenſibus divinis.*

Neque tamen exiſtimes velim, nos credere fieri non poſſe, ut qui ſpiritum ſive animum ad examen verbi divini adferunt non malum nec vitioſum, in ſenſibus quibuſdam divinis percipiendis & adſequendis erret & hallucinentur. Abſit: Fieri id facile poſſe credimus in ſenſibus obſcuris, difficilibus, imò alioquin etiam claris, ſi modò non ſint neceſſarii ſcitu ad ſalutem; idque quia vel acrimonia judicii naturalis carent, vel auxilio & ope aliorum melius judicantium deſtituuntur, vel alia aliqua cauſſa impediuntur, quo minus in rectam ſenſuum iſtorum notitiam venire poſſint. Neque verò ad rem facit, quod pii ſint, quod Deum pro ſenſuum illorum recta intelligentia otent, quod diligenter loca inter ſe conferant, aliaque faciant quæ ad conſequendum intelligentiam rectam utilia videntur. Quia enim neceſſarium ipſis non eſt, ut illos ſenſus rectè intelligant, non tenetur Deus etiam ut illis eos revelet, aut judicii ipſorum hebetudinem tollat, aut ea ſubminiſtret per quæ in ſenſuum iſtorum recta cognitione juvari poſſunt. Etſi verò non rarò id facere, id eſt ſenſus illos revelare Deum credamus per ſpecialem gratiam, tamen cum id non facit, habet ſemper cauſſas ſuas propter quas non facere ſeu revelare velit uni, licet fortè ſanctiori, &c. quod alteri revelatum vult. Liberrimæ hoc diſpenſationis divinæ eſt, qui diſtribuit dona ſua prout vult.

In ſolis autem ſenſibus ad ſalutem neceſſariis ſcitu aliter ſe res habet. Firmum enim ſtat ſemper promiſſum divinum. *Qui tenet præcepta mea & ſervat illa, is eſt qui diligit me, qui autem diligit me diligetur à Patre meo, & ego diligam eum & ἐμφανίσω αὐτῷ ἐμαυτόν*; *Joan.* XIV. 21. ut videlicet me cognoſcat, in cujus cognitione & Patris (uti eſt *Joh.* XVII. 3.) vita æterna ſita eſt. Quare ſi quis in his dijudicandis & probandis animum & ſpiritum timore Domini, vel amore divinæ veritatis debito, imbutum adhibeat, fieri non poterit ut in errorem ſaluti noxium inducatur.

Ex quibus ea quæ de *Gomariſtis* & *Arminianis* privato judicio ſenſus divinos diverſimodè apprehendentibus dicuntur, facilè refelli poſſunt. Si enim diſſentiant in ſenſibus neceſſariis apprehendendis, neceſſum eſt ut in alterutris illorum, vel in utriſque, vitium & culpa ſit, unde fiat ut ſpiritum privatum non applicent debitè ad judicium formandum quale oportet. Si in non neceſſariis diſſentiant, tum ad rem non facit, quod affertur. Fieri enim poteſt ut illi etiamſi ſpiritum adhibeant & intendant debitè, tam infirmo tamen ſint judicio, ut ſenſus obſcuros aut alioquin etiam claros penetrare non valeant, Deuſque impedimentum illud tollere conſultum non judicet: vel ſi penetrare eos poſſunt, ut Deus revelare eis non velit certis de cauſſis, quæ ipſius infinitæ ſapientiæ committendę ſunt. Poteſt autem eis nolle revelare Deus, quia ſine illorum ſenſuum notitia ſalvari poſſunt, & certo ſalvabuntur, eò quod in ſenſuum neceſſariorum dijudicatione ſpiritum ſuum rectè & debitè applicent, atque idcireo in eorum cognitione, Deo ita dirigente, non errent nec errare poſſint, etiamſi ab aliis omnibus diſſentiant.

Secundò, monet D. V. *ut advertam animum, an non ſit ille ſpiritus ſuperbiæ contrarius Spiritui Dei & Chriſti.*

*Neque eſſe ſpiritum ſuperbiæ contrarium ſpiritui Dei & Chriſti.*

Equidem quò proprius animum adverto, eò minus id poſſum videre aut credere, idque ob has cauſſas. 1. Quia ſpiritus ſuperbiæ, contrarius ſpiritui Dei & Chriſti, eſſe non poteſt facere quod Deus & Chriſtus ipſe mandant. At mandant ut leges & judicia divina teneamus, Scripturas ſcrutemur, legamus, meditemur, ſpiritus probemus, omnia exploremus, tenentes tantùm quod bonum eſt, dijudicemus quæ dicuntur, &c. quod fieri non poteſt, niſi ſpiritus privatus ad judicandum adhibeatur. Quare ſi adhibeatur, tantùm abeſt, ut ſit ſpiritus ſuperbiæ, ut potius ſit ſpiritus obedientiæ, optimè conveniens ſpiritui Dei & Chriſti. 2. Spiritus ſuperbiæ eſſe non poteſt, quia ipſi Patres antiquiſſimi vetant, ut ex ipſorum judicio pendeamus, poſque relegant ad eum ſolum qui ante omnes eſt, Jeſum Chriſtum, ut videamus non quid hic aut ille, ſed quid is qui ante omnes eſt, Jeſus Chriſtus, dixerit, &c. Si ſpiritus ſuperbiæ ſo-

ret, non sequi Ecclesiæ Romanæ vel Patrum consensum, tum sequeretur, nullos unquam Patres fuisse post Apostolorum discessum ex mundo, qui non pependerint ex paucis quibusdam antecedentibus & eorum consensum secuti non fuerint. Nam si aliqui postea fuissent qui judicassent privato judicio de sensibus Scripturæ, & non secuti fuissent antecedentium illorum consensum vel judicia, superbiæ notandi fuissent, juxta hanc tuam sententiam: quo posito sequetur necessariò, Ecclesiam totam semper pependisse in interpretatione sensuum Scripturæ ex paucis, imò ex unius aut quorundam antiquissimorum judicio. Cæteri enim Patres omnes, qui vocantur, secuti fuerint necesse est istorum consensum, ne superbi essent: unde qualis quantusque ille consensus Patrum sit, liquere potest. 4. Spiritus superbiæ non est, sibi ipsi oculos judicii non effodere, & bruti instar animalis duci nolle ad arbitrium aliorum. Sic enim necessarium foret rationem & hominem exuere, imò brutum fieri, ne superbus esses. Brutorum est ire, quà itur, hominum rationalium, quà eundum est. 5. Spiritus superbiæ non est, si cum honore & reverentia dissensionem testemur, nosque ideo tantùm profiteamur consentire non posse, quia rationes graves obstant, quæ nos in conscientia cogunt aliter judicare.

Sed videamus quibus modis confirmes hanc Thesin tuam. *Quicunque*, inquis, *certus est se rectum Scripturæ sensum tenere, debet certus esse omnem, qui contrarium sensum tanquam Catholicum tradit, errare.* Concedo. *Ergo*, ais, *per consequens debet judicare omnes sanctos Patres, totam antiquam Ecclesiam turpiter lapsam.*

*Ex eo quod certus sum me rectum Scripturæ sensum tenere, non sequitur me debere judicare omnes Patres & totam Ecclesiam antiquam esse lapsam.*

Respondeo; Id necesse non est. Fieri enim potest, 1. ut nesciat quinam illi sint, qui pro Patribus habendi sunt, & quibus in rebus rectè sensisse judicandi sint, cum pauci fuerint qui non erroneis quibusdam opinionibus imbuti fuerint, atque à se invicem dissenserint, & sæpissime duo vel tres melius sensisse de quibusdam dogmatis comperiantur, quàm plures. 2. Fieri potest ut nesciat aut operæ pretium non putet inquirere, quod Patres illi, qui vocantur, de sensibus illis statuerint. 3. Fieri potest, ut Patres illos longè aliter quædam credidisse sibi persuadeat, quàm nunc in libris ipsorum eos credidisse legitur, eò quod genuina ipsorum scripta lapsu temporis, aut alia quadam ratione, depravata fuerint & corrupta. 4. Fieri potest ut credat, etiam postquam illos diligenter scrutatus est, sive præjudicio, sive errore aliquo, sive verè, eos idem secum sensisse, aut saltem longè aliter quàm Ecclesia Romana statuit credidisse, ac proinde Ecclesiam antiquam, quæ illorum consensum sequi debuit, non lapsam fuisse, sed verum sensum tenuisse. 5. Posito tamen etiam quod eos errasse judicet, & cum iis totam Ecclesiam Romanam, quia in conscientia statuit ita judicandum esse, hìc nondum tamen apparet spiritus superbiæ.

*Atqui quæ humilitas est Christiana*, ais, *me certum esse debere mihi soli revelationem factam à Dei Spiritu, & viros sanctissimos Augustinum, Hieronymum, Nazianzenum, Basilium, Cyrillum & cæteros spiritu Satanæ in transversum actos?*

*Humilitatis Christiana non repugnat credere Augustinum, Hieronymum, &c. erravisse.*

Respondeo; Hæc vera humilitas est, quod velim rationem illam, de qua persuasus sum apud animum meum quod vera sit, sequi, non verò consensum eorum hominum, qui errare potuerunt, & errare se posse falsi sunt, & ut ne alii errarent sua judicia ad rectam rationem expendi voluerunt, imò quos errare in sensus hujus aut illius interpretatione, in conscientia credo ac statuo. Non est humilitatis imperare animo suo, ut persuadeat sibi verum id esse, cujus quod verum sit nullam certam rationem habet, imò cum jam convictus est apud se quod falsum sit. Cur enim sibi id imperaret? An quia tot homines aliter judicant? Atqui humilitatis non est, sine ratione sequi homines, neque humilitatis est rationem non sequi, quæ dictat rationes, quibus homines illi omnes nixi fuerunt, solidas non esse. Stuporis potius cujusdam esset, percipere nolle rationis aut conscientiæ melioris dictamen; imò superbiæ manifestæ, rationem, quæ Dei donum est, respuere & abjicere. Dices fortasse: Atqui ratio dictat, verisimile videri non debere, quod tot ac tanti viri erraverint. Ego verò quæro, quæ ratio id dictet, cùm errare potuerint, & ipsi se errare posse falsi fuerint, suaque ad Lydium divini verbi lapidem examinari jusserint? Deinde, quid si ratio mea dictet, non tantùm verisimile esse quod erraverint, sed (postquam omnes ipsorum rationes diligenter expendi) quod revera erraverint, erit ne humilitatis id nolle sibi persuadere? Utique tum humilitatis foret, contra rationem ire, & superbiæ, rationem exuere nolle. Denique cur verisimile id videri debet? An quia viri doctissimi fuerunt, quos verisimile videri non debet sine gravibus rationibus hunc aut illum sensum optimum judicasse? Atqui ex eo sequetur juxta te contrarium potius. Nam si rationes graves adhibuerunt in consilium, jam humiles non fuerunt, quod antecedentium Patrum doctissimorum judiciis non subscripserint, sed ea ad rationum suarum incudem revocaverint. Humilitatis fuisset statuere, eos non errasse, etiamsi rationes nullas videre potuissent, imò si rationes multas ac graves in contrarium habuissent. Unde efficitur, etiam eruditionem aut judicii ἀκρίβειαν momentum nullum adferre posse, cur verisimile videri debeat illos non errasse, sed solam humilitatem sufficere. An quia verisimile non est, illos consensuros omnes inter se fuisse, nisi verum fuisset quod crederent? Atqui si crediderunt verisimile non esse quod antecedentes Patres erraverint, non consenserunt propriè inter se, sed ex iis absolutè ac simpliciter pependerunt. An quia crediderunt antecedentes Patres simul junctos non errasse? Atqui si id crediderunt, quomodo errare se posse verisimiliter crediderunt, cum illos sequerentur, quomodo sua expendi & examinari voluerunt, tanquam si errare in interpretando potuissent, cum ex illis pependerint ne superbi essent? Hæc sibi non constant. An quia verisimile est illos precibus suis revelationem veritatis à divino Spiritu accepisse? Atqui si humilitatis est sibi persuadere præcedentes Patres non errasse, cur dicemus eos precibus suis à Deo impetrare adhuc voluisse, an certum esset id quod Patres sensissent? An humilitatis esse potest, per preces certum fieri velle adhuc, cum humilitatis sit credere quod jam certus sis?

Vide sis, Vir Clarissime, an non in Labyrinthum incidas, ex quo extricari te impossibile est, si Thesin hanc velis αὐτοφυλάκτων, & num dum humilitatem inculcare videri vis, Heroas illos magnos, antiquos videlicet Patres, ineptos adeoque stupidos & stultos facias, utque nos humiles efficias, an non homines nos esse nolis, nedum Christianos? Et ut amplius aliquid dicam; quæ quæso superbiæ species videri potest, si quis sensum illum, quem arbitratur divinæ menti atque intentioni consentaneum esse, in gratiam aliorum deserere nolit? Nam primum judicium quod de sensu illo habet, non est tum amplius judicium ipsius proprium, sed Dei. At tantum abest ut humilitatis sit, sensum quem quis divinum esse statuit, pro divino habere nolle, ut superbiæ non exiguæ deputandum sit, si quis pro divino eum habere nolit. 2. Sibi ipsi non tribuit, quod sensum illum adsecutus sit, sed Deo soli, eique humillimas gratias agit quod intelligentiam sensus illius adeptus sit. Quid? An superbia hìc locum habet? An humilitatis est nolle credere revelationem tibi ullam factam & preces tuas exauditas esse, etiam cum ita tibi videtur? Certè si id omne humilitatis est, tum certè precari Deum ut illuminet oculos mentis nostræ, ut videamus mirabilia legis ipsius, eique gratias unquam agere, necesse non est. Cùm enim, antequam precemur certum esse possit, qua in re Patres consenserint, stultitiæ foret precari ut intelligentiam ejus rei consequeremur, aut diffidentiæ precari, ut de veritate ejus rei certiores fieremus. Antequam enim precaremur aut exaudiri peteremus, certi essemus nos habere quod petimus. Et cùm post preces nunquam persuadere nobis debeamus nos exauditos esse, nisi eundem sensum suggestum nobis sentiamus, quem Patres illos unanimiter tenuisse antea scire poteramus, idque ne superbi efficiamur, utique manifestum sit, tempus esse ut epicedium etiam scribatur omnibus ejusmodi eucharistiis & gratiarum actionibus.

*Sanctimonia eorum, qua soli Deo nota est, nullum judicio ipsorum affert pondus.*

Dices fortasse, his omnibus non obstantibus, humilitatem nihilominus postulare ut viros sanctissimos illos spiritu Satanæ in transversum actos non fuisse, & tibi soli revelationem à Spiritu Dei factam non esse credas.

Respondeo; Odiosa nimis hæc est oratio, & valde infirma. Etenim cum sanctimonia vera nulli homini sed Deo soli nota sit; profecto meum non est negligere officium meum in scrutandis sensibus divinis, ad æternam animæ meæ salutem necessariis, eò quod incerta aliqua opinione aut suspicione adductus, credam sanctos fuisse viros illos, qui sensus illos scrutati sunt, cum fieri possit ut in eo credendo fallar, & proinde in manifestum æternæ salutis meæ periculum incidam. Neque tamen credas velim, me hac ratione Patrum illorum, qui vocantur, sanctimoniam in dubium vocare, improbitatem illis contrariam impingere, aut existimationi ipsorum quippiam detractum cupere. Minimè gentium. Nihil illis hac ratione derogatum volo, sed mihi ipsi aliisque non tribuo scientiam eam, quæ Deo soli competit, quod humilitatis est & reverentiæ. Neque vero etiam is sum, ut arrodam tantorum Heroum glorioſum nomen, aut famam eorum lacessam infami aliqua & communi orbis judicio contraria suspicione. Libenter ac facilè defero & tribuo illis honorem non tantùm eruditionis, sed & sanctimoniæ etiam ac probitatis. Sed judicium meum, ut & omnium aliorum hominum, de sanctitate ipsorum verâ, est judicium tantùm caritatis, quod errare & falli potest. Solus enim Deus cor aliorum novit. *Quis hominum novit ea quæ sunt hominis nisi spiritus*

*ſpiritus hominis qui eſt in eo?* 1. Cor II. Itaque non audeo, nec debeo ſuperſtruere illi judicio incerto & fallaci certam fidem meam, & quidem in re tanti momenti, in qua ſalus animæ meæ æterna vertitur. Quæ certè una res tanti ponderis eſſe debet, ut nullorum hominum judicium ſufficere poſſe credat D. V. ut illud abſolutè ſequatur, priuſquam apud animum ſuum perſuaſus ſit de eo, quod judicium illud optimis rationibus nixum ſit, atque ita ipſe privato ſuo judicio id approbet. Sanctimonia eorum ad conciliandam ipſorum judicio authoritatem nullum pondus adferre poteſt. Etenim nobis certo atque indubitato conſtare non poteſt, utrum ſancti fuerint nec ne. Hoc Deo ſoli committendum eſt, & nobis faciendum quod officii noſtri eſt. Fateor equidem humilitatis eſſe, non leviter, aut ſine graviſſimis rationibus à virorum magnorum, quos eruditionis, induſtriæ, vigilantiæ, probitatis & ſanctimoniæ tituli claros atque illuſtres reddiderunt, judicio ac ſententia diſcedere. At cum rationes & cauſæ graves conſcientiam urgent, & mentem diſſentire cogunt, profectò humilitatis videri non debet, dictamen rationis & conſcientiæ juſſum ſupprimere ac ſeponere in gratiam eorum, quos pios fuiſſe & ſanctos credo quidem, ſed tamen certò non ſcio. Tanti nullus hom[illegible]is eſſe debet, ut quem errare poſſe credimus, quem [illegible]um fuiſſe certò ſcire non poſſumus, erraſſe tamen credere non audeamus, imò credere nolimus, etiam tum cùm eum erraſſe ratio & conſcientia noſtra nullo malo aut ſiniſtro adfectu imbuta dictant.

Verùm ut argumentum premas, & fortiùs adſtringas, addis: *Non tantùm errorii debet damnare totam ſimul antiquam Eccleſiam, ſed etiam affirmare nullum ex ſanctis antiquæ Eccleſiæ fuiſſe Dei amicum, aut ſanctum, ſed perpetuis ignibus adjudicatum.*

*Non debemus vereri dicere eos periiſſe quos Deus in verbo ſuo damnat.*

Reſpondeo; Poſito quod id verum eſſet, ſuperbiæ tamen non foret id affirmare, ſed neceſſitatis, idque ut amicus Dei & ab æternis ignibus immunis fieri poſſet. Cum enim credit ſenſus illos ſuos quos tenet eſſe divinos, credere etiam tenetur; ſiquidem illis ſenſibus rectè creditis, ac ſecundum voluntatem Dei præſtitis, adpoſita ſit promiſſio vitæ æternæ, & non creditis præſtitiſque contraria mortis comminatio, eos qui ſenſus iſtos non tenent, ſervari non poſſe. Nec enim ipſe format judicium illud elato ac ſuperbo animo, (vellet enim, ſi fieri poſſet, ut ſervarentur etiam ii qui ſecus ſentiunt:) ſed judicium à Deo factum & in verbo expreſſum cogitur credere, Deoque exſequendum relinquere.

Tantum verò abeſt, ut hoc ſuperbiæ adſcribendum ſit, ut tenerrimæ & ſalutis ſuæ ſtudioſiſſimæ conſcientiæ ſignum cenſeri debeat, quæ ne pereat, & æternis ignibus adjudicetur, potius id ſequi mavult, quod perſuaſa eſt verum eſſe, quàm ne alios multos periiſſe credat, ſequi quod illi perſuaſi fuerunt verum eſſe, & quod ipſum tamen rationibus convicta, ſtatuit falſum eſſe ac divinæ menti ac ſententiæ repugnans, ac proinde æternæ vitæ promiſſione deſtitutum: imò cujus ipſius ſcientiæ participes alios facere vult quantum in ſe eſt, ne pereant. Et profectò miſera foret hominum conditio, ſi periculum propriæ & æternæ ſalutis ſubeundum ipſis foret contra dictamen mentis ipſorum, ne alios periculum illud incurriſſe credant.

*Attamen nolumus æternis ignibus adjudicare omnes eos quos aliqua in re erraviſſe credimus.*

Veruntamen ut intelligas non habere nos damnatorium talem ſpiritum, eoſque quos hallucinari & errare credimus protinus ſecludere ab amicitia Dei & perpetuis ignibus adjudicare, nego conſequentiam argumenti tui. Etenim primò, fieri poſſe credo, ut in interpretando Scripturæ ſenſu, quem ego neceſſarium ad ſalutem eſſe credo, antiqua Eccleſia, id eſt, Patres antiqui erraverint; ſic tamen, ut ſenſum illum neceſſarium, quem ego loco iſti ineſſe aſſero, non negent verum eſſe, ſi per ſe conſideretur, atque proinde etiamſi locum illum, quo ſenſus iſte continetur, ſecus quàm ego interpretentur, amici tamen Dei manſerint. Aliud enim eſt negare ſimpliciter ſenſum ipſum verum eſſe, aliud negare ſenſum illum loco iſti, vel locis his aut illis convenire. Ita cùm dico, ſenſum loci *Matth.* XVI. *Portæ inferorum non prævalebunt contra eam*, hunc eſſe, mors non dominabitur fidelibus meis; dico ſenſum quem, ſi per ſe conſideretur, verum eſſe mecum fateberis, eum tamen loco huic aptum eſſe negabis. Ego verò duo dicam; ſenſum illum quem tu tenebis falſum eſſe, & loco ipſi non convenientem. At ex eo nondum ſequetur te amicum Dei non eſſe, propterea quod id mecum non credas. Illum enim ſenſum quem ego creditu neceſſarium eſſe ſtatuo, & huic loco ineſſe credo, credis tu mecum veriſſimum eſſe, ſi per ſe ſumatur & ſeorſim accipiatur. Et accidit hoc quidem in controverſiis non paucis, quæ inter nos ſunt. Deinde fieri poſſe credo, ut quis in interpretando Scripturæ ſenſu ita hallucinetur, ut ſenſum loco alicui affingat, qui non tantùm inconveniens loco & per ſe falſus eſt, ſed etiam indirectè, ſive per conſequentiam, fundamentalem ſenſum aut fidei articulum evertit, & tamen propterea non definit eſſe amicus Dei, aut infernalis ignis titio ſit. Quippe fieri poteſt, & fit non rarò, ut ii qui ſenſum talem falſum in interpretatione ſequuntur, conſequentiam illam non videant, ac proinde fundamentalem ſenſum everſum non eant, ſed reipſa ſartum tectum conſervent. Tertiò fieri poſſe credo, ut quis in interpretando ſequatur ſenſum non tantum falſum, inidoneum & fundamentalem aliquem ſenſum indirectè evertentem, ſed etiam talem qui fundamentalem veritatem directè evertit, & tamen ut talis non ſtatim amicus Dei eſſe definat, aut perpetuæ mortis reus fiat. Exempli gratiâ, fieri poteſt ut quis in interpretatione Scripturarum ſequatur ſenſum, qui ſtatuit opera bona non eſſe neceſſaria ad ſalutem, qui certè ſenſus fundamentalem veritatem evertit: & tamen nihil dubito, quin talis ſalvari poſſit & amicus Dei manere. Fieri enim poteſt, ut qui hoc errore aliquo ductus credit, nihilominus opera bona, prout Euangelio tradita ſunt, ſedulò ac ſeriò faciat, licet ex alio capite ea faciat, videlicet non quia ea neceſſariò facienda eſſe ſtatuit, ſed quia æquum eſſe judicat ut ea faciat, tanquam ſi id ipſum quod verbis negat, reipſa crederet, & prout faciunt ii qui veritatem illam fundamentalem tenent; quales hoc ſæculo noſtro mortales quàm plurimos reperire eſt. Denique fieri poſſe credo, ut quis ſenſus multos ad ſalutem ſcitu & creditu neceſſarios eſſe ſtatuat, eoſque his & illis Scripturæ locis contineri velit, quos ego neque neceſſarios ad ſalutem credo, neque locis illis accommodatos & aptos. Itaque talem in interpretatione illa errare credam; quem tamen propterea amicitia Dei excidere non aſſeram. Sufficit enim ad amicitiam Dei inviolatam ſervandam, neceſſaria credidiſſe: falſa verò illa, etiam quæ ad ſalutem neceſſaria eſſe quis credit, nocere non poterunt hominis ſaluti, nec amicitiam divinam diriment, ſi non impediant aut turbent eorum, quæ Dei judicio creditu neceſſaria ſunt, fidem. Hæc aliaque ſimilia non pauca remorantur nos, quominus facilè aut leviter damnatorium calculum adjiciamus, ubi quem errare in interpretandis Scripturæ ſenſibus arbitramur. Unde facilè apparet conſequentiæ tuæ infirmitas; quæ magis adhuc eluceſceret, ſi quàm pauca à nobis præcisè neceſſaria creditu ad ſalutem eſſe credantur, intelligeres.

*Nec locus Hebr. XI. 6, evincit id eſſe faciendum.*

Locus ex quo conſequentiam ſtabilire conaris ad rem non facit. Cùm enim Apoſtolus *Heb.* XI. ait, *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*, non intelligit per vocem *fidei* iſto in loco adſenſum, qui adhibetur omnibus verbi divini ſenſibus, ſed (prout ex definitione aut deſcriptione immediatè ſequente patet,) firmam animi perſuaſionem, qua ſtatuitur Deum, etiamſi coram non videatur, & remuneratio ſtatim non ſentiatur aut conſequatur, tamen eſſe, & præmia retribuere iis qui ipſum quærunt. At de priore hîc quæſtio eſt, non de poſteriore. Unde patet etiam minorem ſubſumtam falſam eſſe. Neque enim Patres illi, etiamſi eos in interpretandis his aut illis Scripturæ ſenſibus erraſſe aſſererem, propterea fide iſta, de qua hîc agitur, caruiſſe dici poſſunt. Potuerunt enim in illis interpretandis errare, & tamen credere Deum eſſe, & præmia retribuere iis qui ipſum quærunt.

*Non omnis qui fundamenta fidei aliquo modo evertit, fide planè deſtitutus eſt.*

Sed videamus quomodo eam probes: *Ille* (inquis) *fidem non habet, qui fundamenta fidei evertit: Tales fuerunt Patres: Ergo, &c.* Reſpondeo; Ex ante dictis conſtat Majorem ita generatim ſumtam veram non eſſe. Evertere enim poteſt quis fundamenta fidei, quatenus directè ea negat, ſive quod fundamenta eſſe neſciat, ſive quod fundamenta eſſe credere non poſſit aut etiam nolit. Ejuſmodi homo fidem non habere rectè dicitur. Evertere deinde poteſt dici quis fundamenta, quatenus ſtatuit aliquid aut ſuperaddit vero fundamento, quod per ſe & natura ſua conſideratum cum fundamento vero conſiſtere non poteſt, imo illud natura ſua evertere dici debet. Hujuſmodi homo fidem non habere quidem rectè dicitur, ſi natura dogmatis in ſe ipſa conſideretur, attamen non abſolutè nec ſimpliciter ſemper dici talis poteſt fidem non habere. Fieri enim poteſt ut quis fundamentum ipſum firma fide teneat; hoc autem quod fundamento ſuperadditur non videat, etiam omni poſſibili adhibita diligentia, evertere fundamentum fidei, proinde utrumque ſimul teneat & credat verum eſſe. Itaque talis fidem habebit, etiamſi illa quæ fundamentum evertunt, etiam ſimul teneat.

*An ii qui pro mortuis orant, ſacrificium Miſſæ ſtatuunt, &c. fundamenta fidei directè evertant.*

An jam ii, qui *pro defunctis orant, ſacrificium Miſſæ ſtatuunt, Romanum Pontificem agnoſcunt Eccleſiæ caput, Sanctos invocant, Reliquias venerantur, &c.* fundamenta fidei directè evertant, Deo judici committo. Video eos qui iſta credunt, nihilominus tamen fundamenta ipſa ſalvare velle, & profiteri ſe conſequentiam illam, quod iſtis fundamentum fidei evertatur, non videre, & id operam dare, ut à ſe multis variiſque diſtinctionibus, exceptionibus, interpretationibus & effugiis amoliantur iſtam maculam & labem. An id ita interpretaturus

turus sit supremus & justissimus ille judex in die ullo, ipsi viderint. Ego negare non ausim : & à damnando lubens abstineo, ubi mihi clarè res non liquet. Ipse ego malim tutissima sequi & periculum fugere.

*An antiqui Patres omnes ista crediderint.*

An verò etiam Antiqui Patres omnes ista crediderint & adseruerint, nolim contendere. Video contrarium adseri à maximis Authoribus, & qui in Antiquitatis cognitione historica palmam facilè merentur, quosque sine præjudicio in Veterum lectione versatissimos esse constat. Itaque adhuc sub judice lis est.

*Quid sentiendum sit de orationibus & oblationibus pro defunctis.*

Certè, ut de singulis obiter aliquid dicamus, quotquot æquiores videntur, non diffitentur *orationes & oblationes pro defunctis* admodum antiquas esse in Ecclesia, & tertio quartoque minimum sæculo fuisse usitatas; sed ex Ecclesiæ instituto eas tantum ἐυχαριστικὰς & ἐυχαριστικὰς fuisse, neutiquam verò defunctis utiles judicatas primitus ab Ecclesia affirmant, & argumentis non levibus adstruunt. Fuisse quidem Patres nonnullos, qui existimaverunt etiam utiles eas esse mortuis, idque ratione status ejus in quo sunt ànimæ separatæ : at eas fuisse privatas Patrum quorundam opiniones, quas à communi Ecclesiæ sententia distingui semper oporteat. Ut ut sit, illud meritò suspectum videri D. V. debet, quod earum in Canonicis Veteris Testamenti libris nullum vel levidense indicium exstet, neque vel præceptum vel exemplum precum aut oblationum pro mortuis reperire sit. In Machabæorum libro secundo legimus quidem, Judam bis mille argenti drachmas misisse Hierosolymam, quo offerretur sacrificium pro iis, qui bello occubuissent. Sed cum liber hic (priorem enim solum se vidisse Hebraicè scribit Hieronymus in prologo Galeato) Hebraice nunquam extiterit, (quicquid Origenes aliter dicat) & à Patribus antiquissimis, id est, qui ante, vel circa annum CCCC vixerunt, pro ἀπογράφῳ habitus sit, uti & tertius, teste Synodo Laodic. cap. LIX; Melitone Sardensi apud Euseb. libr. 4. Hist. Eccles. cap. XXV. Origene, Cyrillo, Hilario, Epiphanio, Hieronymo, Ruffino, Augustino; cumque humani scripti humanum sit compendium, & quidem tale, quod cum Scripturis Canonicis, cum veritate historiæ, cum priore libro & secum pugnet, cujus etiam Scriptor veniam deprecetur; (quod profectò non decet eum, qui authore Spiritu sancto scribit:) profectò nimis ineptum foret inde solidum argumentum petere velle. Ut jam non dicam, dubitari posse an Judas sacrificium fieri voluerit, quo mortui expiarentur; ac non potiùs (quod Scriptor ille non animadverterit) offerri jusserit pro Ecclesiæ totius peccato; ne ob defunctorum crimen ira Dei in superstites quoque exardesceret. Item, posito quod pro mortuis sacrificium fieri voluerit, an eo sententia vestra comprobetur, cùm certum sit eos de quibus hìc agitur, mortalis peccati reos fuisse, & non aliter quam in peccato mortali mortuos esse ex textu colligi possit? In Novi Testamenti libris, Actisve Apostolicis, nec vola nec vestigium harum orationum & oblationum extat. At hæc profectò est vera cana & veneranda illa Antiquitas, cujus ratio hactenus habenda saltem est, ut omne id quod magno molimine in Ecclesia urgetur, merito suspectum videri debeat, si cum hac antiquitate commune nihil habeat. Post ista enim tempora magnam veritatis inclinationem fieri cœpisse, imprimis Gentilibus cum suis superstitionibus ad Christianismum accedentibus, mirum videri non debet, cum ipsorum Apostolorum tempore Antichristi multi esse inciperent, & Joannes in Ecclesia Ephesina fuisse suo tempore dicat, qui dicebant se Apostolos esse & non erant; uti *Apocal.* II. *cap.* videre est.

*Ad illustrandum ea quæ suprà dicta sunt de secundo Machabæorum libro*, pugnare ipsum cum Scripturis Canonicis, cum veritate historiæ, cum priore libro, & secum, *visum est subjungere, quod Auctor super ista re ab amico rogatus, Epistolio Belgico in hunc ferè sensum respondit.*

Primò, quod dixi Machabæorum libros *cum Scripturis Canonicis* pugnare, his rationibus nititur. 1. Quod in 2. *lib. cap.* XII. 43. 44. Judas Machabæus laudetur, quod pro iis sacrificium curaverit offerri, qui in mortali peccato extincti fuerant. Ita enim *vers.* 40 legitur: *Invenerunt sub tunicis interfectorum de donariis idolorum, quæ apud Jamniam fuerunt:* quod in lege expresse sub pœna mortis prohibitum erat, quia erant anathemata. *Deut.* VII. 25. 26. Idcirco ibidem adjicitur; *Omnibus ergo manifestum factum est, ob hanc causam eos corruisse.* 2. Quod *cap.* XIV. laudetur Razias qui seipsum interemerat. 3. Quod Auctor condonari sibi petat si exiliter aut tenuiter historiam conscripserit, oppositè ad *rectè*, & commentario Jasonis Cyrenæi *congruenter*, ut appare; ex 2. *libr. cap.* II. 24. & *cap.* XV. 39, quod cum dignitate & stylo eorum pugnat qui Spiritus sancti afflatu scribunt.

Secundò, *cum veritate historiæ* pugnant isti libri. Nam 2. *libr. cap.* II. *vers.* 5. mentio fit arcæ à Jeremia certo quodam loco occultatæ; cum tamen id Jeremias facere non potuerit; nec ante Babylonicam captivitatem, quia tunc ipsa captivus erat, ut ex *Jerem.* XXXVII. & XXXVIII. videre est: nec post, quia tunc Babylonii, aut Chaldæi omnia in potestate sua habebant, qui tam pretiosas manubias sibi eripi permissuri non fuissent, Adde, quod post Babylonicam captivitatem arca nunquam sit reperta; cùm tamen Auctor *libro* 2. *cap.* II. 7, &c. scribat, Jeremiam dixisse, locum in quo arca occultata erat, non diutius incognitum mansurum, quàm donec populus ex captivitate redux esset, &c.

Tertiò, *cum priore libro*, quia 1. *lib. cap.* VI. 16. legitur Antiochum domi suæ, anno CXLIX obiisse: in secundo autem libro, *cap.* I. 15. 16 dicitur eum in templo Naneæ lapidibus fuisse obrutum & membratim discerptum: & *cap.* IX. 28 ipsum peregrè in montibus miserabili obitu vita functum esse. Præterea *lib.* 1. *cap.* IX. 3. 18 dicitur Judam anno CLII obiisse: in secundo vero libro, *cap.* I. 10 legimus eundem Judam, [illegible]XXXVIII epistolam ad Judæos scripsisse, id est viginti o[illegible]t obitum annis. Dicere conclusionem literarum Judæ [illegible] ipsis literis secernendum esse, nihil ad rem facit: tunc enim sequeretur Antiochum, anno CLXXXVIII in templo Naneæ occisum fuisse, prout *lib.* 2. *cap.* I. 10. & *seqq.* narratur; cùm tamen triginta annis antè, domi suæ vitâ functum esse, *lib.* 1. *cap.* VI. 16, asseratur.

Quartò, *secum.* Si enim Canonicus liber esset, Spiritus sancti afflatu conscriptus, non diceret Auctor, *lib.* 2. *cap.* II. 24. se eum ex Jasonis Cyrenæi quinque libris, qui non erant Canonici, in unum volumen contraxisse. Quamvis particula *Et* in meo scripto, pro *id est* accipi possit: ista enim est mens mea. *Habes hìc brevem verborum meorum expositionem, &c.*

*De Sacrificio Missæ.*

Eadem ratio est de *Sacrificio Missæ*, quale nunc ab Ecclesia Romana statuitur. Transubstantiationem enim talem, qualem vos asseritis, antiquissimæ fidei non esse, nedum Catholicæ, eleganter probat & demonstrat in Examine Concilii Tridentini Chemnicius, ex ipsius Papæ Gelasii verbis, & Patribus compluribus; adeò ut eam à Græca Ecclesia receptam non fuisse ipsius Concilii Florentini tempore, ostendat. Item Plessæus in libris suis de Eucharistia, imprimis lib. 4. cap. 4. aliique plures; qui primis quinque sæculis usque ad Gregorii Magni tempora eam ignotam fuisse solidè evincunt. Ut jam non dicam ritum de communione Laicorum sub una specie, novitium planè esse, cùm annis mille ducentis morem communicandi sub utraque specie apud omnes Catholicos in Africa, Asia, Europa, & speciatim etiam Romæ observatum fuisse non diffiteantur vestri ordinis homines.

*De Episcopo Romano.*

*Romanum Episcopum* quod attinet, eum ab antiquis Patribus ante quintum sæculum agnitum esse Ecclesiæ caput, multi argumentis non obscuris adducti negant. Illud mihi certum est, tempore Apostolorum & deinceps per complura sæcula, prorsus inauditam fuisse authoritatem illam, sive Romani, sive cujuscunque alterius Episcopi, quam nunc palàm Romani Pontifices usurpant. Evinco id hoc argumento: Si ipse Petrus talem authoritatem non habuit in primitiva Ecclesia & inter Apostolos, multò minus is eam habuisse censendus est, qui Petri tantùm successorem se dicit, & à Petro eam se habere affirmat: At Petrus eam nunquam habuit, & nunquam in primitiva Ecclesia habitus fuit, pro infallibili, unico & universali judice: Ergo, &c. Patet assumtio ex eo quod cæteri Apostoli & fratres adversus eum disceptarunt, *Act.* XI. 2. 3. coactusque fuit illis reddere rationem facti sui, *vers.* 4. Similiter in Synodo illa Hierosolymitana *Act.* XV. non præfuit Petrus, tanquam primas, sed & Paulus & Barnabas locuti sunt, & Jacobus planè decretoriè sententiam dixit, *vers.* 19. Decisio autem facta est consensu & authoritate Apostolorum, Seniorum & totius Ecclesiæ, *vers.* 22. & eorundem nomine scripta Epistola, non verò solius Petri nomine. Ex quo apparet, authoritatem decernendi aut decidendi aliquid, non fuisse penes unum, sed penes totam Ecclesiam, aut penes Apostolos & Seniores, ut liquet etiam ex *vers.* 41. & *cap.* VI. 4. Imò ipse Christus sustulit primatum inter Apostolos, *Matth.* XX. 25. *Luc.* XXII. 25. quum tamen jam antea dixisset Petro, *Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, &c. *Matth.* XVI. 18. Præterea si caput cæterorum Apostolorum fuit Petrus, quomodo Apostolus dicit sibi creditum Euangelium ad præputiatos, Petro ad circumcisos? *Gal.* II. Imo quomodo in Apostolatu ad circumcisionem æquantur Petro Jacobus & Joannes, & columnæ pariter sunt habiti ut Petrus? *ibid.* Cur timebat Petrus fratres, qui ex circumcisione erant,

erant, ſi judex erat infallibilis? Cur reprehenſus à Paulo fuit, quod non rectè incederet ſecundum veritatem Euangelii? Quomodo unà cum Joanne de communi fratrum ſententia Samariam miſſus fuit ad fratres ibidem degentes confirmandum? *Actor.* VIII. An major à minore mittitur? Unde concludo, ſi talis authoritas non fuit in ipſo Petro, ut in eo, qui ſe Succeſſorem Petri perhibet, etiam non ſtatuatur, neceſſe eſt. Locus qui ex *Matth.* XVI. citatur, tantùm abeſt, ut contrarium probet, ut ex eo ſolidiſſimè ſententiam meam confirmari poſſe credam, Accidit antiquioris Eccleſiæ judicium: Hieronymus in Epiſtola ad Euagrium, Papam Romanum Eugubino & Oſtienſi Epiſcopo confert & æquat, nec quicquam ſuperioris poteſtatis ei tribuit. Æneas Sylvius, ſeu Pius II Papa expreſsè ſcribit Epiſtola CCCI, ante Nicænam Synodum, quæ habita fuit anno CCCXL. parvum fuiſſe reſpectum ad Eccleſiam Romanam; quod quàm verum ſit ex eo patet, quod Carthaginenſis ſexta, quæ circiter octo annis poſt fuit habita, adhuc Primatum Papæ non agnovit: quin etiam Papam non obſcurè reprehendit, quod tam temerè Apiarium, ſceleſtiſſimum hominem, à ſe juſtiſſimè excommunicatum, in communionem recipiebat: falſationem Canonis Nicæni ei exprobrat; gra[illegible]tus ſancti ſibi non magis defuturam quàm Roma[illegible] Eccleſiæ aſſerit: abſurdum eſſe putare, Deum unicuilibet Epiſcoporum poſſe examinis inſpirare juſtitiam, & innumerabilibus congregatis in Concilium Sacerdotibus denegare. Interfuit autem iſti etiam Synodo Auguſtinus. Simili fere modo paulò ante Synodus Milevitana, decreto XXII. ubi communione privatur, qui ex Africa ad tranſmarina (id eſt, ad Romanum Pontificem) appellaverit, primatui Papæ contradixit: cui itidem interfuit Auguſtinus. Factum etiam eſt decretum in Synodo quadam Carthaginenſi, quod diſtinct. XCIX. his verbis recitatur: *Primæ ſedis Epiſcopus non appelletur Princeps ſacerdotum, vel ſummus ſacerdotum, vel aliud aliquid hujuſmodi, ſed tantùm primæ ſedis Epiſcopus. Univerſalis autem nec etiam Pontifex Romanus appelletur.* In Synodo Chalcedonenſi Anatholius Conſtantinopolitanus Archiepiſcopus, univerſalem & ſupremum Epiſcopum totius Eccleſiæ ſeſe jactavit, volens ſibi ſubjicere Alexandrinam, Antiochenam & alias Orientales Eccleſias, ad quam rem citabat decretum Conſtantinopolitanæ Synodi, quæ ei LXXX annis ante, dignitatem iſtam conceſſerat, ut & Chalcedonenſis tum illi eandem unanimiter & ultrò detulit, ut apparet ex actione XVI. Contra hunc Anatholium Leo primus mirificè detonuit, nihil aliud crepans quàm ſacroſanctam Synodum Nicænam conſtituiſſe, ut quiſque Metropolitanus ſubjectos ſibi haberet ſuæ Provinciæ Epiſcopos, nullus autem planè imperaret, niſi Synodi vel Provinciales, vel etiam Univerſales: nunquam ſe paſſurum ut quiſquam omnino Epiſcopus Metropolitanus, Epiſcopos ſibi ſubjiciat. Ecce ubi tum fuit Primatus Papæ Romani? Verùm quidem eſt Zoſimum, Bonifacium primum, Cœleſtinum primum, contra in Synodo Carthaginenſi urſiſſe, quod Synodus Nicæna, cujus Canonem falſatum eſſe ab ipſis Africanis aſſerebant, & ex collatione cum authentico verum eſſe deprehendebant, Primarum Epiſcopo Romano decreviſſet: quin & ipſius Leonis legatos in Synodo Chalcedonenſi, Canonem illum Synodi Nicænæ falſaſſe: ſed id factum aſſerunt non pauci, quia è re ipſorum ſic eſſe videbatur. Certè Gregorius Magnus in plurimis Epiſtolis dicit, cupiditatem illam efferendi ſe ſuper alios Epiſcopos, eſſe idem quod Luciferi peccatum, qui reliquis ſe Angelis æqualem eſſe contentus non fuit: Item, id factum eſſe Antichriſti, eſſe fidem abnegare, titulum illum eſſe novum, ſtultum, ſuperbum, perverſum, ſceleſtum, & profanum, pugnare cùm Euangelio, & omnibus Patrum Canonibus. Vide libr. 4. Epiſt. 30. 31. 36. 116. In univerſum autem affirmant Scriptores plerique, Papæ primatum ſub Imperatore Phoca circa annum Chriſti ſexcenteſimum primum confirmari cœpiſſe; quanquam poſteriores Imperatores, ut Carolus, & Ludovicus, & ſequentes plurimi Germani Cæſares concilia ſuo arbitratu indicebant, Epiſcopos creabant, confirmabant, eiſque imperabant; ipſos quoque Romanos Pontifices confirmabant, & ratam eorum electionem faciebant, nec licebat eos conſecrare niſi annuente Cæſare. Verùm de his aliiſque magnopere contendere nolim, ſunt enim hiſtorica, quæ hinc inde in dubium vocari & torqueri video, tanta arte & cura, ut hærere veluti ad ſcopulos ſæpè neceſſe ſit. Hoc unum tantùm addam, poſito quod iſta authoritas Petro data fuiſſet à Jeſu Chriſto, nentiquam tamen veriſimile videri, eam authoritatem ad ſucceſſorem ipſius in ſede Romana (ut ita loquar) derivatam fuiſſe; quia cum Joannes Apoſtolus aliique Petro ſupervixerint, dicendum foret Epiſcopum Romanum caput fuiſſe Apoſtoli Joannis & eorum qui in vivis adhuc erant: de Joanne enim quod poſtea adhuc aliquamdiu vixerit res certa eſt. At quis credat Apoſtolos immediate à Deo vocatos, inſtructos & miſſos, Epiſcopo Romano, puta Lino aut Cleto ſubjectos fuiſſe?

*De invocatione Sanctorum.*

De *invocatione Sanctorum*, an ea antiquis Patribus probata fuerit, dubitari à doctiſſimis video. Mihi parum id curæ eſt. Cum enim ejus rei nulla vel levidenſia indicia deprehendam in ſcriptis Apoſtolorum, ſuſpecta foret meritò talis invocatio, etiamſi ab antiquiſſimis Patribus ea probata fuiſſet. At qui propiùs ſcrutati ſunt hiſtorias Veterum, non dubitant aſſerere, ut Apoſtolorum temporibus, ita ſeſqui ſæculo poſt, hoc eſt ad Origenis & Cypriani uſque ætatem, religioſam aliùs invocationem, quàm ſolius Dei notam non fuiſſe, nec ſingularem aliùs interceſſionem in cœlis quàm unius Chriſti. Et hi quidem Ignatium, Juſtinum, Athenagoram, Tatianum, Irenæum, Theophilum Antiochenum, Tertullianum, Clementem Alexandrinum, & eos, quorum fragmenta, tanquam reliquias quaſdam aurei generis, Euſebius nobis conſervavit, pro ſe citant. Loco omnium videatur teſtimonium fratrum Smyrnenſium, qui nomine Eccleſiæ illius, quæ hactenus audiſſet B. Polycarpum Martyrem, ipſum B. Joannis diſcipulum, & quem iſti Eccleſiæ præfecerat Joannes, ſcribunt ad Ponti Eccleſias lib. 4. hiſt. Eccleſ. cap. 14. apud Euſebium. Tempore verò Origenis & Cypriani cœpiſſe primum invehi particularis interceſſionis dogma, circa annum Domini CCL. Quodque meritò ſuſpectum eſſe debet, primum apud quem hoc legere ſit eſſe Origenem, bonum Scripturarum interpretem, ſed malum dogmatiſten, uti de eo judicavit Hieronymus in initio Epiſt. ad Pammachium & Oceanum. Item, in Apolog. adverſus Ruffinum, &c. Et quod amplius eſt, neminem tamen iſta ætate fuiſſe, qui ſanctorum quenquam invocaret, aut invocandum traderet, aut invocatum narraret, ſed in univerſis orbis Eccleſiis ſolum adhuc in Chriſto Deum invocatum fuiſſe, etiam in Eccleſia ipſa Romana. Nec mirum: cùm enim beatifica Dei viſio credatur fundamentum eſſe interceſſionis & invocationis ſanctorum; ac primis aliquot ſæculis ab omnibus propè fuerit judicatum, animas ab exceſſu ſuo ſic eſſe ſemper felices, ut tamen non ante judicium ultimum fruantur viſione Dei; clarè inde liquere dicunt, uti ante Origenis & Cypriani tempora, ita etiam tempore inter hos & Concilium Nicenum interjecto, non ſine contradictione potuiſſe à defunctis interceſſionem poſtulari. Nihilominus tamen fatentur eam opinionem paulatim invaluiſſe, & ipſo Concilii Niceni tempore ac poſtea placuiſſe Viris eruditis, imprimis iis, qui ex Platonicorum Schola ad Chriſtianiſmum accedebant. Illi enim ſtatuebant, uti ex Platonis μλτωῦ cognoſcere eſt, animas pias poſt exceſſum ex hac vita dæmonas effici terreſtres, optimos mali averruncos & generis humani cuſtodes. Verùm tantùm abeſt, ut hæc opinio propterea antiquitatis canæ & venerandæ titulum mereatur, ut contrarium verius ſit, ſententiam eam, quâ ſanctorum invocatio ſtatuitur, veræ & primitivæ Eccleſiæ Patribus ignotam fuiſſe. Veruntamen quod ante dixi, idem hîc repeto: ſive hæc antiqui Patres illi, qui circa quartum ſæculum vixerunt, crediderint, ſive non crediderint, id ſufficere non debere humili, prudenti & pio homini, ut credat veriſimilius eſſe ſe errare, quàm tot ac tantos viros. Cùm enim earum rerum nulla exſtent vel levia indicia in ſcriptis, quæ utrimque divina eſſe creduntur, & in quibus, quæ ab Apoſtolis in Eccleſiis per ipſos collectis geſta ſunt, fusè recenſentur, & ante Patrum illorum ſæculum primitivis Patribus, qui viciniores fuerunt Apoſtolorum ætati, eæ ignotæ prorſus fuerint, ſummo jure ſuſpectæ videri debent, ei qui prudenter judicare vult: imprimis cùm poſterioribus ſæculis abuſus non leves irrepſiſſe in Eccleſias compertum ſit.

Veruntamen miſſis hiſce velitationibus, quæ ex incerta hiſtoriæ & hiſtoricorum ſuſpecta fide maximam partem pendent, videamus quomodo contra privatum Spiritum tertiò argumenteris. *Nuſquam* (inquis) *in Scriptura promiſſus eſt Spiritus privatus ad rectam verbi Dei interpretationem obtinendam: Ergo ſine fundamento aſſeritur.*

*Promiſſum eſſe ſpiritum divinum requiſitum ad intelligentiam ſenſuum neceſſariorum ad ſalutem.*

Atqui hoc antecedens manifeſtè falſum eſt, & impingit in infinita Scripturæ loca, eaque evidentia & maximè dilucida, uti ex ante dictis liquet, & ſtatim iterum probabitur, ſi modò per rectam verbi interpretationem, intelligatur interpretatio verbi ſcitu neceſſarii, ſive quod attinet ſenſus ad ſalutem neceſſarios, non autem quoſlibet, uti jam antè aliquoties dictum eſt, & interpretatio non reſpectu omnium ac ſingulorum locorum Scripturæ, quibus unus neceſſarius aliquis ſenſus continetur, ſed unius ſaltem atque alterius loci. Fieri enim poteſt ut unus idemque ſenſus infinitis locis contineatur: & ſit id in omnibus ferè articulis. Jam autem, ut promiſſio ipſa conſtet, non requiritur ut quis in omnibus illis & ſingulis locis interpretandis nunquam erret, ſed ſufficit ut in ſenſu ipſo locis omnibus illis contento non erret,

ac proinde ut in interpretando vel uno ſaltem loco ſenſum iſtum rectè intelligat. Si in reliquis errare eum contingat, id divinæ promiſſioni non repugnat, nec ſaluti ejus officit.

Probas tamen illud hoc pacto; *Vel eſt promiſſus ſolis Arminianis: At hoc non exiſtimo ſine ullo fundamento vos velle vobis arrogare: Vel eſt promiſſus ſingulis fidelibus à Deo eum petentibus,*

*Quibus promiſſus ſit.*

Reſpondeo; Quorſum dilemma aut inductio hæc? Sufficiſſet quærere locum ubi promiſſio illa extet. Fruſtra enim quæritur, quibus promiſſus ſit Spiritus ille, cùm quæritur an promiſſus ſit. Sed proſequamur argumentum tuum. Si per *fideles* intelligantur ii, qui jam verè credunt, ac proinde ſenſus Scripturarum ad ſalutem creditu neceſſarios tenent, illis qua talibus promiſſus non poteſt dici Spiritus privatus ad obtinendum primum verbi Dei rectam interpretationem in neceſſariis ſenſibus. Illam enim neceſſariorum ſenſuum notitiam jam habent eo ipſo quod veri fideles ſint. Verum quidem eſt illis qua talibus promiſſum eſſe Spiritum, qui arrhabo & quaſi ſignaculum ſit, confirmans ac roborans eos in ſenſuum neceſſariorum pleniore ac ſolidiore quadam conſideratione atque apprehenſione. At Spiritum illis promiſſum eſſe cujus ope perveniant in ſenſuum divinorum rectam notitiam, contradictio eſt in adjecto. Si per *fideles* intelligantur in genere omnes probi & Dei timentes, qui ex fide in miſericordiam divinam ſenſus verbi ſcrutantur, & Deum pro intelligentiæ Spiritu ſupplices nocte dieque orant, tum dico ſingulis & omnibus illis promiſſum eſſe Spiritum ea ratione, qua jam dixi; quod docent loca infinita & clariſſima ante à nobis allegata *Matth.* VII. *Jacob.* I. *Joan.* VII. *Proverb.* II. &c.

*Atqui, inquis, ſi id verum eſt, cur ergo omnes viri ſanctiſſimi, tanta devotione & humilitate eum à Deo poſtulantes, repulſam paſſi ſunt & Spiritum Satanæ acceperunt?*

*An viri aliqui ſanctiſſimi eum poſtulantes repulſam paſſi fuerint?*

Reſpondeo; Vide ſis vir Clariſſime, utrum non contra Solem jam loquaris, & promiſſi divini veritatem in dubium non voces, aut aërem ſaltem cædas. Aut enim ſtatuis promiſſum tale alicubi extare, idque nos credere aut non. Si alicubi promiſſum tale extare noſque id credere vis, jam fruſtra quæris, cur illi ſanctiſſimi viri non receperint verum ſenſum Scripturæ, quando eum devota oratione & ſupplici prece à Deo peterent? Ratio in promtu eſt. Etenim ſi verè ſancti fuerint, in Deo promittente & promiſſum ſuum non exſequente culpa ſtatuatur neceſſe eſt; aut ſi promiſſum Dei fallere nequeat, uti revera nequit, neceſſe eſt ut culpa tribuatur iis ipſis qui ſanctiſſimi tibi fuiſſe dicuntur, quod vel revera ſancti non fuerint, vel non eo quo decet animo à Deo intelligentiam petierint. Utrum mavis? Si non vis exſtare tale promiſſum noſque id credere, cur jubes nos rationem reddere, quare illi tales viri repulſam paſſi fuerint? Fruſtra enim quæritur ratio, cur hoc non acciderit, ſi promiſſum nuſpiam exſtare credatur. Itaque ad promiſſum probandum cogendi eramus, non verò ad rationem reddendam, cur iſti magni viri in ſenſibus Scripturarum intelligendis à Spiritu S. illuſtrati atque à Deo exauditi non fuerint. Poſito enim promiſſo, neceſſum eſt ut fatearis, velis nolis, cogi me ut ſtatuam, viros illos, ſi exauditos eos non fuiſſe credam, ſed erraſſe in Scripturæ ſenſibus ad ſalutem neceſſariis intelligendis, tam ſanctos non fuiſſe, quàm nos nobis ipſis perſuademus. Aut enim dicendum foret Deum promiſſo ſuo non ſtare, quod abſit ut dicamus: aut hos ſibi ipſis impedimento fuiſſe, quicquid ſecus nobis videatur, quo minus exauditi fuerint. Hoc verò quia odioſum & invidiæ obnoxium eſſe vidiſti, idcirco voluiſti me cornuto iſto dilemmate quaſi in anguſtias redigere. Sed hîc iterum velim tibi perſuadeas me judicium meum de ſalute ac damnatione ex hujuſmodi cauſa ſuſpendere, remque controverſam in medio relinquere; cùm fieri poſſit, ut quis in centum Scripturæ locis interpretandis, etiam quibus neceſſarius aliquis ſenſus clarè continetur, erret, & unum aut alterum locum, quo idem ille neceſſarius ſenſus, licet fortè obſcurius, continetur, rectè percipiat atque intelligat, Deo ita dirigente. Sufficit autem ad ſalutem ut quis unum illum rectè intelligat, etiamſi in cæteris omnibus locis eundem ſenſum continentibus intelligendis erret, iiſque ſenſus falſos & opinione ſua ad ſalutem neceſſarios adfingat. Si unum illum ſalvum retineat, ſalvabitur nihilominus. Neque verò ſtatim credendi ſunt ſpiritu Satanæ abripi, qui ita hallucinantur: odioſæ ſunt iſtæ orationes, ſed frigidæ atque exſuccæ. Errare poſſunt multis modis, neque tamen impii ſtatim ſunt, ſi errent; nec id volo, ſed hoc tantùm: quia ſanctimoniam Patribus illis derogare aut adrogare nec poſſum nec debeo: Deo judici illos committo, idque unum tantum operam do, ut ex illis nunquam ſuſpendam judicium meum, ſed privatum ſpiritum meum, hoc eſt, non quidem fanaticum ſive enthuſiaſticum, ſed certis rationibus ſubnixum judicium adhibeam in Scripturarum ſenſibus indagandis. Et hoc eſt fundamentum illud, quo, uti ex parte antea monui, nititur privati ſpiritus illius, quem impugnas, neceſſitas. Nam cùm nulli mortalium certò atque indubiò conſtare poſſit, utrumne verè ſancti fuerint ii, qui in Scripturarum indagatione verſati ſunt, ſive fuerint Patres qui dicuntur, ſive alii; profecto privati cujuſque eſt, judicium hoc de ſanctimonia cujuſque Deo relinquere. Et proinde interpretationem eorum, tanquam verè & indubiè ſanctorum, non ſequi mordicus, nec pertinaciter amplecti; ſed expendere eam ad infallibilem verbi divini regulam, & precibus à Deo contendere ut rectum ſenſum tibi revelet aut occurrere faciat. Si dicas, Deum miraculoſis quibuſdam apparitionibus & ſignis fidem feciſſe Eccleſiæ ſuæ, quod hi & illi verè ſancti fuerint, id non ſatisfacit. Unde enim obſecro conſtabit, eos quibus ea revelatio facta dicitur, & qui ea ſigna eveniſſe aſſerunt, verè ſanctos, pios, veraces & à ſuperſtitione omni alienos fuiſſe? Ut hoc novo miraculo confirmetur non eſt ſatis. In infinitum enim abeatur tandem neceſſe erit. Ægrè hæc ferre non debet D. V. quia cum miracula nonnulla pro ſe noſtrates quidam allegare ſolent, quibus reformationem ſuam tuentur, eos ejuſmodi reſponſis premere & urgere ſoletis. Et hæc [illegible] eò tantùm pertinent, ut, quia incertum nobis eſt, [illegible] ſemper incognitum nobis eſſe ac manere vult, utrumne quis verè ſanctus ſit, nec ne, etiamſi judicio caritatis ſanctiſſimus nobis videatur, in materia Religionis, cùm de æterna ſalute agitur, nemini mortalium adſtipulemur hanc ob cauſam, quod reverà ſanctus fuerit coram Deo, ac proinde ſemper in interpretandis Scripturarum ſenſibus neceſſariis ad ſalutem veritatem adſecutus, inque precibus ſuis exauditus fuerit: & cùm de promiſſione divina conſtet, quod Deus verè ſanctis ſuis, & pro Spiritu ſuo ipſum orantibus intelligentiam verbi ſui largiri velit, id operam demus, ut ipſi verè ſancti ſimus, noſque totos ad ipſius præſcriptum componamus. Utrum enim id verè & ex animo faciamus ipſi optimè ſcire poſſumus. De cætero ita perſuaſi ſimus, ſatius eſſe credere ac ſtatuere, ſi qui eam intelligentiam adepti non ſint, eos ita ſanctos non fuiſſe, uti nos credimus, quàm vel leviter ſuſpicari Deum in promiſſione ſua exſequenda fidem non ſervare.

Quartum Argumentum quod ſubjicis ejuſdem ponderis ac momenti eſt. Ita enim ſcribis; *Regula fidei & Scripturarum explicandarum talis relicta eſt Eccleſiæ, quæ nata ſit Eccleſiam congregare, & unitam conſervare: Spiritus privatus ad hoc officium nihil planè confert: Ergo, &c.*

Reſpondeo; In hoc argumento ſupponis tria, quæ ſupponenda non erant. 1. Regulam fidei & Scripturarum interpretandarum aliam aliquam à Deo relictam eſſe, quàm ipſum verbum clarè, perſpicuè, & ſufficienter ſenſus divinos continens. Fateor quidem, regulas quaſdam ita dictas à nobis concipi & tradi poſſe, juxta quas quemlibet tutò & rectè Scripturas interpretari poſſe credo. Exempli gratiâ, phraſium obſervationem, ſimilium & parallelorum locorum collationem, ſcopi cujuſque loci animadverſionem, antecedentium & conſequentium conſiderationem; ſed regulam quandam certam, ſive definitam menſuram aliquam, quæ à Deo ipſo relicta ſit Eccleſiæ, quamque Eccleſia præcisè teneri ac ſequi neceſſe habeat, à nobis ſtatui propterea, affirmari nequit. 2. Regulam certam relictam eſſe Eccleſiæ qua tali: cùm omnibus & ſingulis relictum ſit verbum, ut probarent & expenderent illud, iique qui verum & rectum ejus ſenſum adſequerentur, vera Chriſti Eccleſia fierent, & ſic eodem modo ad fidem congregarentur, & in vera fide conſervarentur. Eccleſiæ itaque qua tali regula alia interpretandi data non eſt, quàm quæ ſingulis per ſe data eſt. 3. Nos credere regulam illam à Deo relictam Eccleſiæ, eſſe ſpiritum noſtrum privatum; quod à verò longiſſimè abeſt. Etſi enim velimus ſpiritum noſtrum privatum adhiberi etiam debere, ad ſenſus divinos percipiendum & dijudicandum: tamen propterea non ſtatuimus, ſenſuum illorum regulam ac menſuram eſſe ſpiritum noſtrum privatum. Aliud enim eſt adhibere judicium proprium, ut cognoſcas & diſcernas ſenſum verum à non verò; aliud, judicium proprium facere normam & regulam qua ſenſuum illorum veritas menſuretur. Illud aſſerimus, non hoc. Judicium enim noſtrum de ſenſibus volumus menſurari & regulari ab ipſo verbo, ita ut non inferatur verbo ad illud regulandum, ſed ex ipſo verbo, id eſt, vel verbi proprietate, vel antecedentibus & conſequentibus, &c. depromatur, ad formandum conceptum verum & verbis convenientem. Quod autem depromitur ex ipſo verbo, illud non regulat verbum, ſed regulatur & menſuratur à verbo. Verum quidem eſt ſenſum nullum mihi probari niſi rectæ rationi conveniat ac conſentaneus ſit: ſed inde colligi plus nequit, quàm neceſſarium eſſe, antequam ego ſenſum ullum probem, ut à recta ratione eum non diſſentire intelligam. At ex eo nondum colligitur, judi-

*Tria de regula Scripturas explicandi hic concipi & tradi poſſe, juxta quas quemlibet tutò & rectè Scripturas interpretari poſſe credo. Exempli gratiâ, phraſium obſervationem, ſimilium & parallelorum locorum collationem, ſcopi cujuſque loci animadverſionem, antecedentium & conſequentium conſiderationem; ſed regulam quandam certam, ſive definitam menſuram aliquam, quæ à Deo ipſo relicta ſit Eccleſiæ, quamque Eccleſia præcisè teneri ac ſequi neceſſe habeat, à nobis ſtatui propterea, affirmari nequit. 2. Regulam certam relictam eſſe Eccleſiæ qua tali: cùm omnibus & ſingulis relictum ſit verbum, ut probarent & expenderent illud, iique qui verum & rectum ejus ſenſum adſequerentur, vera Chriſti Eccleſia fierent, & ſic eodem modo ad fidem congregarentur, & in vera fide conſervarentur. Eccleſiæ itaque qua tali regula alia interpretandi data non eſt, quàm quæ ſingulis per ſe data eſt. 3. Nos credere regulam illam à Deo relictam Eccleſiæ, eſſe ſpiritum noſtrum privatum; quod à verò longiſſimè abeſt. Etſi enim velimus ſpiritum noſtrum privatum adhiberi etiam debere, ad ſenſus divinos percipiendum & dijudicandum: tamen propterea non ſtatuimus, ſenſuum illorum regulam ac menſuram eſſe ſpiritum noſtrum privatum. Aliud enim eſt adhibere judicium proprium, ut cognoſcas & diſcernas ſenſum verum à non verò; aliud, judicium proprium facere normam & regulam qua ſenſuum illorum veritas menſuretur. Illud aſſerimus, non hoc. Judicium enim noſtrum de ſenſibus volumus menſurari & regulari ab ipſo verbo, ita ut non inferatur verbo ad illud regulandum, ſed ex ipſo verbo, id eſt, vel verbi proprietate, vel antecedentibus & conſequentibus, &c. depromatur, ad formandum conceptum verum & verbis convenientem. Quod autem depromitur ex ipſo verbo, illud non regulat verbum, ſed regulatur & menſuratur à verbo. Verum quidem eſt ſenſum nullum mihi probari niſi rectæ rationi conveniat ac conſentaneus ſit: ſed inde colligi plus nequit, quàm neceſſarium eſſe, antequam ego ſenſum ullum probem, ut à recta ratione eum non diſſentire intelligam. At ex eo nondum colligitur, judi-*

*Tria de regula Scripturas explicandi hic concipi & tradi poſſe, juxta quas quemlibet tutò & rectè Scripturas interpretari poſſe credo. Exempli gratiâ, phraſium obſervationem, ſimilium & parallelorum locorum collationem, ſcopi cujuſque loci animadverſionem, antecedentium & conſequentium conſiderationem; ſed regulam quandam certam, ſive definitam menſuram aliquam, quæ à Deo ipſo relicta ſit Eccleſiæ, quamque Eccleſia præcisè teneri ac ſequi neceſſe habeat, à nobis ſtatui propterea, affirmari nequit. 2. Regulam certam relictam eſſe Eccleſiæ qua tali: cùm omnibus & ſingulis relictum ſit verbum, ut probarent & expenderent illud, iique qui verum & rectum ejus ſenſum adſequerentur, vera Chriſti Eccleſia fierent, & ſic eodem modo ad fidem congregarentur, & in vera fide conſervarentur. Eccleſiæ itaque qua tali regula alia interpretandi data non eſt, quàm quæ ſingulis per ſe data eſt. 3. Nos credere regulam illam à Deo relictam Eccleſiæ, eſſe ſpiritum noſtrum privatum; quod à verò longiſſimè abeſt. Etſi enim velimus ſpiritum noſtrum privatum adhiberi etiam debere, ad ſenſus divinos percipiendum & dijudicandum: tamen propterea non ſtatuimus, ſenſuum illorum regulam ac menſuram eſſe ſpiritum noſtrum privatum. Aliud enim eſt adhibere judicium proprium, ut cognoſcas & diſcernas ſenſum verum à non verò; aliud, judicium proprium facere normam & regulam qua ſenſuum illorum veritas menſuretur. Illud aſſerimus, non hoc. Judicium enim noſtrum de ſenſibus volumus menſurari & regulari ab ipſo verbo, ita ut non inferatur verbo ad illud regulandum, ſed ex ipſo verbo, id eſt, vel verbi proprietate, vel antecedentibus & conſequentibus, &c. depromatur, ad formandum conceptum verum & verbis convenientem. Quod autem depromitur ex ipſo verbo, illud non regulat verbum, ſed regulatur & menſuratur à verbo. Verum quidem eſt ſenſum nullum mihi probari niſi rectæ rationi conveniat ac conſentaneus ſit: ſed inde colligi plus nequit, quàm neceſſarium eſſe, antequam ego ſenſum ullum probem, ut à recta ratione eum non diſſentire intelligam. At ex eo nondum colligitur, judi-*

judicium illud normam esse interpretationis meæ. Non enim quia ego judico sensum hunc aut illum verbis illis inesse, idcirco ineſt verbis illis; sed quia verbis illis sensus iste ineſt, idcirco judico eum illis ineſſe. Veruntamen ne scrupulosè nimis rem hanc exigamus, demus etiam aliqua rationè, privatum meum spiritum esse regulam & normam meæ interpretationis, quia interpretationem illam sequor, quæ rectæ rationis judicio conformis est: nego tamen minorem rectè subsumi in argumento.

Eam itaque probas hac ratione; *Quia ad congregandam & propagandam Ecclesiam debeo talem adferre regulam erranti, qua ipse possit prudenter convinci, & ad rectam viam deduci: Sed Spiritu privato hoc non agitur, quia quid dices erranti, maximè traducto à Satana se transfigurante in Angelum lucis? Aut qua ratione persuadebis te Spiritu veritatis, illum Spiritu erroris regi? Dices, te certò & clarè explicare verbum Dei: Reponet se certum esse de vera Scripturæ explicatione ex Spiritu S. & à te petet adferri rationem aliquam, cur ipse tibi potiùs, quàm tu illi credere debeas: Nullam adferes præter id quod est in controversia.*

*Quid per spiritum privatum hic intelligatur, & quomodo ille alicui de veritate convincendo sufficiat aut non sufficiat.*

Respondeo; Hîc mihi perspicere videor D. V[illegible]dere in vocibus *spiritus privati*: Videris enim inte[illegible]per spiritum privatum illam inspirationem, quam qui[illegible] Deo se habere & accepisse jactat aut sibi persuadet, non verò judicium privatum quod quisque, rationibus certis adductus, apud se concipit ac format. At verò id à proposito nostro alienissimum est. Etenim nos illum spiritum privatum, sive inspirationem illam quam quis jactat, non statuimus normam, qua alius errans prudenter convinci possit de errore suo. Absit. Id ineptissimum esse per se patet. Imo ne quidem spiritum illum dicimus convincere prudenter eum, in quo est. Id Enthusiastarum commentum est. Et ratio clara est, quia spiritus ille non confertur à Deo nisi iis qui jam credunt, ac proinde de veritate rationibus certis persuasi jam sunt. Est enim spiritus obsignans tantùm, sive rationes antea apprehensas fortius confirmans atque imprimens. Quod si verò per spiritum privatum, intelligas proprium cujusque & particulare judicium, rationibus certis subnixum, uti antea spiritus privati vox accepta est, & accipi in hac causa debet, tum respondeo; Si per prudenter convinci intelligas, ita convinci per rationes & argumenta, ut iis rationes & argumenta æqualis aut majoris ponderis opponi non possint, tum verum non est per spiritum privatum prudenter convinci non posse errantem aliquem de errore suo. Sin verò intelligas ita convinci, ut quis non possit ullo modo judicium suum privatum meo judicio privato opponere, & rationem suam rationibus meis præferre aut conferre, quia ita collubitum est animo ipsius, tum fateor spiritu privato meo prudenter convinci neminem posse. Neq; enim meum judicium privatum alteri statim aut lumen aut norma est, etiamsi rationes quibus illud subnixum est, abundè sufficiant ad convincendum illum: neque statim actu & reipsa alterum convincit, quòd eum convincere potest ac jure debet. Impedimenta enim varia esse possunt. At verò ut quis prudenter convincatur, satis est ut ei rationes tales proponantur, quæ sufficientes & idoneæ sint ad eum de veritate ejus rei, qua de agitur, convincendum, neq; amplius quid necessarium est. Alioquin enim sequeretur, nullum spiritum privatum prudenter adhiberi posse, ad veritatem aliquam erranti persuadendum, etiam in humanis & civilibus negotiis. Etenim si tergiversari velit & refragari, quærere poterit eodem modò quo hîc dicit D. V. Quæ ratio est cur ego tibi potiùs, quàm tu mihi credere debeas, & c? ac proinde omnes ii, qui alios ab errore suo revocare vellent privato judicio, sine rationibus ullis quas existiment aliorum omnium judiciis ac rationibus præponderare, prudenter agere dicendi essent: quod absurdum esse quis non videt? Tantùm abest ut ita convinci, sit non prudenter convinci, ut asserere ausim prudentius multò convinci eum, qui unius hominis privati judicium sequitur, eò quod rationem qua illud subnixum est intelligat, ac certam esse persuasus sit, quàm qui aliquot millium judicium sequitur, quod quibus rationibus subnixum sit non intelligit, aut quod hac una tantùm ratione subnixum est, quia verisimile non est tot ac tantos viros errasse, ipsum verò ab errore immunem esse. Dico amplius, hoc posteriore modo convinci, nec est convinci propriè, nec est prudenter convinci, sed brutorum instar sine judicio sequi antecedentium gregem. Et si hoc pacto convinci est prudenter convinci, quomodo negari poterit, prudenter convinci hodie Judæos de fide sua, quibus tot sæcula authoritatesque patrocinantur? Quomodo negari poterit prudenter convinci Mahumedanos, & imprimis Chinenses, qui judicia sæculorum de fidei suæ continua duratione plurium sequuntur, quàm quæ unquam fluxisse Christianus credit? Imò quomodo negari poterit Ecclesiam Græcam, Æthiopicam, aliosque qui se Nestorianos & Jacobitas vocant, prudenter hodie convinci de fidei suæ bonitate, quàm à primis sæculis derivant, & ab ipso Jacobo Apostolo deducunt? Ex hisce colligo, tantum abesse ut spiritus privatus, sive proprium & particulare cujusque judicium, prudenter neminem errantem possit convincere, ut solus ille sit, quo prudenter omnes & singuli homines, qui ratione utuntur, convinci & possint & debeant: cumque eadem causa conservans sit quæ procreans, in hujusmodi rebus, quod Spiritus privatus non tantùm idoneus sit ac sufficiens ad congregandum, sed etiam ad propagandum veros fideles, sive Ecclesiam Jesu Christi, & schismatis ac dissidiis omnibus non necessariis ostium occludendum. Concludo itaque cum Augustino contra Faustum lib. 11. c. 5. *Canonica Veteris Scripturæ & N. Testamenti, est in sede quadam sublimiter constituta, cujus authoritati serviat omnis fidelis & pius intellectus. In opusculis autem posteriorum, liberum habet Lector auditorve judicium, quo vel approbet vel improbet, non cum necessitate credendi, sed cum judicandi libertate, legenda. Ideo cuncta ejusmodi nisi vel certa ratione, vel ex illa canonica authoritate defendantur, si cui displicuerint, aut credere noluerit, non reprehenditur.* Et Epist. 19. Hieronymo inscripta; *Ego solis eis Scripturarum libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissimè credam. Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos authores Canonicos, vel ratione probabili persuadere potuerunt.* Epistola 111 dicit: *Literas Cypriani* (sive ut loquitur Epist. 112. *Sententias Hieronymi, Ambrosii, &c.*) *non ut Canonicas habeo, sed eas ex Canonicis confidero, & quod in eis divinarum Scripturarum authoritati congruit, cum laude ejus accipio, quod autem non congruit, cum pace ejus respuo.* Et ibid. *Talis ego sum in scriptis aliorum, tales volo esse intellectores meorum.*

Veruntamen ut argumenti hujus quarti tui vim adhuc magis elidam, vide sis, an non multò fortius contra te retorqueri possit, hoc pacto. Illa fides meritò suspecta privatis esse debet, quæ non patitur se ab ipsis examinari: At quæ non vult resolvi in proprium cujusque & particulare judicium, non patitur se à privatis examinari: Ergo iis talis fides merito suspecta esse debet. Major ex natura rerum tum verarum tum suspectarum manifesta est, cùm de iis controversia incidit. Vera enim introspici, examinari & expendi gaudent: suspecta omnia lucem & examen fugiunt. Cùm de auro, moneta, amico, castitate, &c. quæstio est, an vera sint an suspecta, illa quæ examinari & explorari nolunt, suspecta habentur. Sed confirmatur amplius hac ratione. Bruta & cæca fides meritò suspecta esse debet: At quæ se examinari non patitur, ea est bruta & cæca fides: Ergo, &c. Major plana est. Minor sic probatur: Quæ fides non resolvitur in proprium cujusque judicium, sive quæ se examinari non patitur, illa vult ut quis teneat omnia vera esse quæ Ecclesia credit, vel cum judicio privato suo, ita ut causam habeat, cur illa ipsa quæ ab Ecclesia creduntur, credibilia aut jure credenda esse statuat ac sibi persuadeat: vel, ut sine ullo examine aut judicio privato illa teneat; vel denique ut contra proprium, & privatum suum judicium ac conscientiam ea teneat. Si primo modo credat, ita videlicet ut approbet & judicet certis de causis vera esse quæ Ecclesia credit, ac propterea credat, tum resolvetur fides ejus in privatum ipsius judicium, & suspecta reddetur fides illa, ex D. V. hypothesi. Si sine judicio, aut contra privatum judicium ac conscientiam suam credat, tum verè bruta & cæca est fides illius. Non credit enim quia credendum est, aut quia jure merito credendum esse judicat, sed quia creditur, imò quod judicat non esse credendum apud animum suum. Crederet itaque etiamsi falsa essent, imò etiamsi falsa esse intelligeret, quæ credenda proponuntur.

*Retorsio quarti hujus argumenti in Wadingum: Illam fidem meritò privatis suspectam esse debere, quæ non patitur se ab ipsis examinari, &c.*

Dices hîc, quod unicum vobis est effugium, Credere talem quidem sine privato de rebus fidei singulis judicio, sed non sine omni judicio, quod ad id ut fides bruta non sit censenda, satis sit. Credit enim cum hoc judicio quod verisimile non sit, falsum esse illud quod Ecclesia tota continua successione credidit verum esse. Atqui inquam ego, si hoc judicium generale satis est, ut fides rationalis censenda sit, tum Judæorum etiam fides rationalis censenda est, & eorum omnium, qui Ecclesiæ isti credunt quæ istam ipsam fidei suæ durationem jactat, quales multi in Græca Ecclesia & inter Orientales atque Africanos populos reperiuntur. Verum ut exceptionem hanc tuam palmariam ex tuo proprio fundamento clarè enervem, ita procedo. Illa fides merito suspecta esse debet, quæ non potest ipsum credentem prudenter convincere aut securum reddere: At fides quæ tali judicio nititur non potest ipsum credentem prudenter convincere aut securum reddere: Ergo, &c. Major tua est. Minorem sic probo: Quo judicio credens prudenter securus reddi non potest aut convinci, de eo quod Ecclesia tota id quod ipse

verum esse credit, continua successione uniformiter ita crediderit, id prudenter convincere aut securum eum reddere non valet: At judicio isto generali prudenter securus de eo reddi nequit, quod Ecclesia illa tota, cujus se membrum profitetur, idem semper universaliter continua successione crediderit, quod ipse credit: Ergo, &c. Major patet. Minorem sic confirmo: Quia si isto judicio prudenter securus reddi possit, necessum est 1. ut de continua illa Ecclesiæ duratione ipsi constet ex historia temporum. 2. Ut sciat historicos bona fide & sine affectibus historiam scripsisse. 3. Ut sciat conciliare apparentes historicorum dissensiones, quæ etiam doctissimorum industriam exercent. 4. Ut sciat anne Patres omnes in fundamentalibus consenserint. 5. Quinam Patres Orthodoxi sint censendi, qui non, aliaque similia. De his omnibus ex judicio isto generali prudenter convinci & securus reddi nequit. Judicium enim generale ad summum ulterius non vadit in homine privato, quam ad Ecclesiam sui temporis, imò sæpenumero non ulterius quàm ad judicium unius Parochi aut Presbyteri, quem id asserere audit. Atqui illud prudenter convincere eum non potest de eo, quod Ecclesia ista cujus membrum se profitetur, semper duraverit. Posito enim quod sciat ac credat Ecclesiam, quæ suo tempore per totum orbem terrarum dispersa est, id dicere atque affirmare, nondum tamen idcirco prudenter convictus est de eo, quod id verum sit: quia ex eo nondum certus esse potest, quod Ecclesia quæ hoc dicit, vera Ecclesia sit. Vera enim esse non potest ex hypothesi tua, nisi continua successione & uniformiter duraverit. Atqui hoc ex eo nondum novit. Ergo prudenter convinci nequit, aut securus de eo redditus non est per illud judicium. Hic nisi privatus confugiat ad accuratum & particulare examen hujusce rei, hæreat necesse est. Et si eò confugiat, ex judicio tuo multò magis hærebit. Quis enim privatus ad ista idoneus? Ex hoc porrò infero, si prudenter hac ratione convinci non potest, nec securus reddi is qui credit, quanto minus convinci prudenter poterit errans, ut hoc credat? Citius Isthmum perfoderis & Æthiopem dealbaveris, quàm errantem per istos sæculorum gyros, Patrum Labyrinthos, historicorum amfractus ac vortices prudenter circumduxeris, atque in tuto & vado securum collocaveris. Et ubi id omnino feceris magno labore & cura, sententiam nostram, quæ fidem nostram in proprium cujusque judicium resolvit, utroque pollice probaveris.

*Alia retorsio: Illa fides merito suspecta esse debet, quæ resolvitur in judicium unius hominis, etiamsi is profanus, impius & hæreticus sit. &c.*

His addo novum argumentum: Illa fides meritò suspecta esse debet, quæ resolvitur in judicium unius hominis, etiamsi is profanus, impius, blasphemus, scelestus, & quantum ad se, hæreticus sit: Talis est fides Catholicorum: Ergo, &c. Major per se liquet. Quia judicium de rebus divinis & religione quæ sanctissima est suspectum esse debet, quod fertur ab eo qui profanus & à religione omni alienus est, sive qui secundum carnem ambulat. *Qui enim in carne sunt, ii non possunt Deo placere: Rom.* VIII. 8. At qui Deo non placent, quomodo verisimile est eos divino Spiritu agi, ut errare nequeant? *Qui non habet Spiritum Christi non est ejus: Ibid.* V. 9. At qui profanus est is non habet Spiritum Christi. Ergo, &c. *Sapientia non introibit in animam malitiosam, nec in corpore peccato obnoxio habitabit: Sap.* I. 4. Quæ hic excipiuntur de judicio unius quatenus Caput est, seu in Cathedra sedet, & quatenus Petrus aut Paulus est, ea prudenter judicanti & securitatem fidei suæ quærenti, jure merito tam sunt frigida & suspecta, ut suspicionem non tollant sed potius augeant. Minor ex vestræ sententiæ tenore liquet: quia Regimen Ecclesiæ statuitis esse Monarchicum & ab uno capite dependens, quod locum Christi teneat & solum infallibiliter judicet, proinde in quod ultimum judicium desinat, cui omnes de necessitate subesse oportet, sive illud conveniat cum sententia Concilii totius, sive cum Concilii minima parte, sive sit contra judicium Concilii totius, ut ex rei natura liquet.

*Quæ applicatur etiam ad sententiam Sorbonistarum.*

Neque verò majoris momenti est, si quis dicat cum Sorbonistis, fidem Catholicorum niti non solius Papæ, sed Patrum antiquissimorum consensu & Conciliorum authoritate. contra illos enim eum in modum argumentor: Illa fides meritò suspecta esse debet, quæ se dicit niti judicio & consensu eorum, qui singuli errare potuerunt & se errare posse fatti sunt, & expressè monuerunt in scriptis suis, ne quis ipsorum judicio staret, sed liberè quæ à Canonicis Scripturis dissentire deprehenderet, respueret: Talis est fides Catholicorum: Ergo, &c. Major per se patet. Cujus enim fidei fundamentum incertum & fallax est, illa fides meritò suspecta esse debet: At quæ se dicit niti testimonio & judicio eorum qui errare potuerunt, & qui ipsi (ne quis erraret) judicio suo stare neminem voluerunt, illius fidei fundamentum incertum & fallax est: Ergo talis merito suspecta esse debet, imprimis viro prudenti & salutis suæ studioso.

*Alia adhuc retorsio: Illa fides meritò suspecta esse debet quæ est ignorantia & negligentiæ mater, &c.*

Addo his omnibus pro corollario: Fidem illam meritò suspectam videri debere, quæ ignorantiæ, socordiæ, negligentiæ, & acediæ omnis mater ac nutrix est: Talis est fides quæ non resolvitur in proprium & particulare cujusque judicium, sed aliorum authoritate semper nititur. Experientiam testem do. Hinc enim videre est, quàm crassa ignorantia plebem in ditionibus Catholicorum ferè teneat, quàm parum fidei ac spei suæ rationem reddere noverint, & cùm in rebus omnibus ingenii & judicii acumine nemini facile cedant, in sola Religione talpis sint cæciores & torpedini simillimi.

## CAPUT VI.

### In quo an Ecclesia falli non possit, neque in tradendo, neque in explicando Dei verbum.

Atque hactenus quidem de argumentis dubitandi, quibus fidem nostram suspectam reddere conaris, actum à [illegible]. Ex quo facilè colligere poterit D. V. processum illum tuum qui sequitur, quo videlicet ostendere conaris incommoda ista omnia in vestra fide evitari posse, parum fundatum esse, & solidi nihil in se continere. Veruntamen juvat etiam rationes, quibus probas credendi istam rationem, quam in processu isto formas, (processum enim ipsum non excutiam, quia ille arbitrii tui est:) non securam tantum, sed & veram, imo ideo securam esse quia vera est, propius inspicere & considerare.

*Non sufficere ad hoc ut quis securus reddatur de fide sua, rationem aliquam sibi fingere qua id commodè fieri posse credat; sed illum viam à Deo præscriptam sequi debere.*

Quod antequam facio, velim ut prudentia vestra in antecessum id diligenter attendat, non sufficere ad hoc ut quis verè securus reddatur & certus de fide sua, ut viam ac rationem aliquam sibi ipsi fingat & comminiscatur, qua id commodè fieri posse credit ac sibi persuadet, & qua fortè incommoda quædam quæ ipse sibi objicit, evitari verisimiliter posse videt. Id enim facilè fieri potest ab humano ingenio; imprimis si quis hoc tantùm operam dare velit, ut quoquomodo securus reddatur, & à labore ac molestia examinis liberetur. In iis enim quæ carni valdè grata ac jucunda sunt, quærendis, ingeniosa valdè est humana industria: nec deest prætextus, quo se tegat: prudentem illam agendi rationem esse dicet, ideoque divinam & voluntati divinæ consentaneum censendam. Hoc dico non sufficere; sed quia negotium salutis æternæ vertitur, necessum esse, ut rationem illam solam sequatur, quam Deo gratum esse & placere in conscientia convincitur ex iis fundamentis, quæ à Deo profecta esse novit, etiamsi fortè incommoda quædam ei adjuncta nobis videantur, quæ Deo visum non fuit consultum tollere, vel quæ nobis incommoda magna esse videntur, & revera tamen incommoda magna non sunt. Nostrum enim non est fingere nobis qua ratione optime securitati nostræ consuli possit, sed accipere modum & rationem ab eo, cujus est statuere quomodo securitati nostræ consultum velit. Itaque cum verbum suum nobis dederit, in eoque voluntatem suam universam expresserit, cum disertis mandatis ut illud singuli nocte dieque scrutemur, probemus, examinemus, & sicubi hæreamus, ipsum pro sapientia & Spiritu sancto oremus, certi de exauditione subsecutura; profectò nostrum non est fingere aut imaginari rationem aliquam aliam probabilem, qua securitati nostræ certius consulamus, & quia ea prudentissima nobis videtur, confestim statuere ac credere eam etiam à Deo intentam atque usurpatam fuisse. Fieri enim potest ut ratio illa quam nos nobis fingimus, in suo genere quidem ad securitatem quoquomodo ingenerandam comparata sit, sed quæ tamen divinæ voluntati atque intentioni prorsus contraria sit. Exempli gratiâ, ut Deus velit hominem suopte labore ac studio securum reddi per examen proprium ac particulare, ut hac ratione probet animum ejus an serio veritatis amore ac studio ducatur: nos verò velimus hominem, sine ullo ipsius labore ac studio, per vim ac proinde per cæcum quendam adsensum reddi securum. Utraque via ad securitatem contenditur, & hæc forte securior nobis videbitur ac certior, cùm tamen divinæ voluntati sit directè contraria, ac proinde neutiquam secura. Quocirca satis non est, si hoc pacto colligamus: Hac ratione prudentissimè securus redditur homo de fide sua: Ergo eam reliquit Deus homini. Contrario prorsus modo concludendum est. Hanc rationem nobis reliquit Deus: Ergo illa nobis maxime secura videri debet. Fieri enim potest ut Deus eam viam, quæ maximè securam fidem nostram reddere posse videtur, gravissimis de causis, ipsi soli cognitis, inire noluerit: vel, ut quæ nobis maximè secura videtur, eam ipse securam non esse judicet, ob causas quæ ipsi soli notæ sint. Id in hoc argu-

argumento uſu venire videmus. Etenim ſi quis rationem noſtram conſulat, forte ſecura magis fides eſſet, ſi Deus judicem aliquem loquentem, & controverſias omnes fidei peremtorie decidentem, in Eccleſia ſua perpetuò eſſe voluiſſet, quàm ſi noluiſſet: tamen propterea non prudenter ſtatui recte quis colligat, eam viam nos ſecuros reddendi à Deo initam & probatam eſſe: cùm illud certiſſimum videri debeat, ſi ſecuritati noſtræ iſta ratione conſulere voluiſſet Deus, eum expreſſe deſignaturum fuiſſe, quis & ubi judex ille perpetuò futurus eſſet, nobiſque non præſcripturum fuiſſe, ut probaremus ſpiritus an ex Deo eſſent. Quid enim juvat certum eſſe de eo quod judex aliquis ſit, ſi ſecurus non ſis quis & ubi ille ſit? Et quorſum ſinguli probabunt Spiritus, ſi judex ſit qui falſos à veris infallibiliter poteſt ac debet diſcernere? Certe cùm utraque hac ratione ſecuritas illa ſumma, quæ quæritur, luxetur ac convellatur, fieri non poteſt ut de ejuſmodi ſecuritate Eccleſiæ ſuæ proſpicere ac providere voluerit Deus, etiamſi forte, ſi prudenter quis ratiocinari velit, ea tutiſſima & certiſſima nobis futura fuiſſe videatur. Quia tamen non ſecuram tantum eam [illegible] & veram eſſe ſtatuis, age videamus quomodo & [illegible]tionibus adſtruas ac ſtabilias.

*Privilegium Eccleſiæ datum eſſe* dicis, *quod* [illegible]*ſſit ſive in tradendo, ſive in explicando Dei ver[illegible]. Et ex hoc capite naſcitur ſecuritas eorum qui Catholicæ Eccleſiæ Romanæ adhærent, ut nempe nec anxii ſint nec ſolliciti an illa vera ſit Scripturæ interpretatio, quam Eccleſia in Conciliorum definitionibus proponit.*

*Quale non errandi privilegium vera Chriſti Eccleſia habeat.*

Reſpondeo; Eccleſiam Jeſu Chriſti veram, ſive totam, ſive ſingula ejus vera membra, non errare in neceſſariis, nec, qua talia, errare poſſe, lubens fateor. Et, ſi per privilegium intelligatur gratiæ divinæ beneficium, quo fideles ſuos, qua tales, proſequitur, ut in errores ſaluti ſuæ noxios non incidant, agnoſco privilegium illis datum eſſe, ut errare non poſſint circa ea quæ ad ſalutem ipſorum æternam neceſſaria ſunt. Privilegium verò Eccleſiæ datum eſſe, ut in nullum prorſus errorem incidat, nuſpiam extat.

*Nullus viſibilis Chriſtianorum cœtus abſolutum habet non errandi privilegium: & ſi maximè haberet, id non ſufficeret ad ſecuritatem eorum qui Eccleſiæ Romanæ adhærent.*

At ſi per Eccleſiam intelligatur certus quidam & viſibilis cœtus eorum, qui Religionem Chriſti profitentur, & per privilegium infallibilis poteſtas ſive authoritas tribunalitia, quæ cœtui iſti in judicando ſive tradendo & explicando verbum Dei conceſſa fuerit aut data, tum dico verum non eſſe; &, ſi omnino verum eſſet, ad rem non facere, nec ſufficere ad ſecuritatem eorum, qui Eccleſiæ Romanæ adhærent. Poſito enim quod Eccleſiæ veræ privilegium tale datum fuerit, qua ratione ſecuri reddentur Catholici de eo, quod Eccleſia Romana vera illa Eccleſia ſit, quæ privilegium illud acceperit? Aut enim habebunt hoc ex ipſo verbo divino, aut ab ipſa Eccleſia, aut ex notis quibuſdam certis & infallibilibus. Ex verbo habere non poſſunt, quia in ſenſu verbi percipiendo & explicando errare poſſunt, niſi judicem habeant infallibilem quem ſequantur. Ex Eccleſia Romana habere non poſſunt, quia de Eccleſia illa incerti ſunt, utrumne vera Eccleſia Chriſti ſit, ac proinde an judicium ejus ſit infallibile. Ex notis habere non poſſunt; quia unde certi reddentur, quod notæ aliquæ ſint, & quænam notæ ſint propriæ ac perpetuæ quæ fallere non poſſunt? Certe de hoc ex verbo certi reddi non poſſunt, nec ex Eccleſia, uti ex ante dictis liquet, nec ex privato ſuo judicio, uti tu ais. Ergo ſecuri ex hoc capite reddi non poſſunt, ſed anxii & ſolliciti hæreant neceſſe eſt. Veruntamen ut ut ſit de Eccleſia Romana, tantùm abeſt ut verum eſſe fatear Eccleſiæ Romanæ privilegium tale, ſive authoritatem talem judiciariam infallibilem datam eſſe, ut Eccleſiæ ulli viſibili datam eſſe ejuſmodi authoritatem, aut infallibilitatem in tradendo & interpretando verbum Dei, negem. Fateor quidem prærogativam ſcientiæ habuiſſe Eccleſiam primitivam, ita ut certò atque indubiò reſciſcere potuerit ac reſciverit, quod ſacræ literæ ab Apoſtolis eſſent profectæ, unde certitudo deinde concipiebatur, quod divinæ & veræ eſſent; quia quod ab illis profectum erat, pro vero ac divino, procul omni dubio, etiamſi nullum accederet Eccleſiæ teſtimonium, habebatur. At prærogativam infallibilis poteſtatis judiciariæ illi datam eſſe nego. Tu verò aſſeris.

*Primum Wadingi argumentum pro infallibilitate Eccleſiæ. Non ſequitur, ſi Eccleſia alicubi errat, fore ut continuò Evangelii fides apud nos labaſcat.*

Argumenta infallibilitatis hujus partim ex Scriptura, partim ex ratione petis. Ratio prima hæc eſt: *Si Eccleſia errare poſſit aliquando, ſemper tota fides & ejus objectum erit meritò ſuſpectum. Si enim deprehendero Eccleſiam malè explicaſſe vel unum locum Evangelii, jam fides ipſius Evangelii apud me labaſcet, cum ipſum Evangelium non aliter acceperim quàm ab Eccleſia.*

Reſpondeo. Nulla eſt conſequentia. Nec enim ſequitur, 1. fidem totam etiam circa neceſſaria ad ſalutem ſtatim vacillaturam eſſe, ſi circa non neceſſaria ad ſalutem Eccleſiam errare contingat. Poteſt enim ſalva manere Eccleſiæ veritas, & ſalutis æternæ certiſſima ſpes conſtare, etiam cum Eccleſia errat circa veritatem ad ſalutem non neceſſariam. Quia autem fundamentum neceſſariæ veritatis eſt credere verbum ipſum divinum eſſe, ſequitur etiam fidem hanc non ſtatim ſuſpectam redditum iri, ſi Eccleſiam in non neceſſario aliquo ſenſu errare contingat. 2. Nec ſequitur, ſi Eccleſia malè explicet vel unum textum Euangelii, ſtatim fidem ipſius Euangelii apud me nutaturam eſſe: quia fieri poteſt ut Eccleſia non unum, ſed aliquam multos textus vel locos Euangelii malè explicet, etiam quibus neceſſaria aliqua veritas continetur, ut tamen neceſſariam veritatem aliis locis comprehenſam rectè credat & ſartam tectam conſervet. Quamdiu autem veritatem fundamentalem tenet & vere credit, tam diu vera eſt Eccleſia. Non enim requiritur ad hoc ut vera Eccleſia ſit, ut omne verum, qualecunque tandem ſit, recte ſemper teneat & credat, (neque enim quenquam fuiſſe unquam credo, qui id ulli ſive Pontifici ſive Concilio, licet generaliſſimo, tribuerit:) ſed ſufficit ut teneat id, per quod cum Jeſu Chriſto unum manet, & ſpem æternæ ſalutis ſtabilem atque immotam ſervat. Itaque ſi credere poſſum Eccleſiam manere veram Eccleſiam, etiamſi locum unum Euangelii, imò multos malè explicet, non eſt quod vacillet fides ipſius Euangelii apud me, quia fides mea (loquor ex ſententia veſtra) qua credo Euangelium eſſe verbum Dei, dependet ab Eccleſia, quatenus vera Eccleſia Chriſti eſt. At vera eſt quatenus in neceſſariis ad ſalutem errare non poteſt, non verò quatenus in nullo prorſus ſenſu vero recte intelligendo errare poteſt. Ergo, &c. 3. Nec ſequitur: Eccleſia errare poteſt in explicando, ergò errare poteſt in proponendo Dei verbo: quia in interpretando interponit judicium ſuum proprium; in quo facile errare poteſt, ſcilicet ſi ſenſus, quos explicat, ſint non neceſſarii ad ſalutem. At in proponendo verbo Dei nullum adhibet judicium ſive ratiocinationem propriam, ſed tantummodo refert aut tradit quod ab aliis accepit, vel rem à ſe viſam aut auditam aliis narrat aut commemorat: qua in re non facile committitur error.

*Quomodò intelligi debeat illud,* nos Euangelium accepiſſe ab Eccleſia.

Verùm ut ad principale fundamentum preſſius reſpondeam, examinabo ultima hujus tuæ periodi verba, quæ ita ſonant: *Cum ipſum Euangelium non aliter acceperim quàm ab Eccleſia.* In illis enim manifeſta eſt fallacia, in phraſi *Accipere ab Eccleſia.* Ea enim ſumi poteſt, vel pro accipere ab Eccleſia quæ repræſentativa dicitur, qua talis eſt, ſive qua authoritatem aliis illud verbum tradendi habuiſſe ſtatuitur: vel pro accipere à primitiva Eccleſia, ſive à fidelibus omnibus qui Religionem Chriſti primitus profeſſi ſunt, quo tempore libri ſacri ſcripti fuerunt. Si primo modo ſumatur, tum nego nos Euangelium accepiſſe ab Eccleſia aliqua certa repræſentativa, quæ jus & authoritatem tradendi illud nobis ab anteceſſoribus ſuis acceperit. Si enim ita accepimus, quomodo certi & ſecuri reddimur de eo, quod Eccleſia quæ authoritatem illam ſibi tribuit, in eo non erret ac fallatur? An ex Eccleſia? At hoc foret ire in circulum? Si ſecundo modo accipiatur, tum non procedit argumentum. Sic enim accepi Euangelium ab iis, qui iſto tempore vixerunt, quo res iſtæ geſtæ fuerunt, & quo libri illi ſcripti ſunt quibus hiſtoria Euangelica continetur, quique proinde optimè ſcire potuerunt, à quibus ii verè ſcripti eſſent; ita ut ſolam tantùm ſcientiam ab iis per alios intermedios nactus fuerim, quod ea vere ita geſta ac ſcripta eſſent à viris divinis: non quod ii id cum authoritate aut poteſtate aliqua nobis notum fecerint, aut nullo prorſus modo in eo notificando errare potuerint; ſed quod nulla cauſa juſta excogitari poſſit, cur illi in eo dicendo aut erraverint, aut fallere voluerint. Et hoc eſt illud quod intelligimus quum dicimus nos ab Eccleſia Euangelium accepiſſe: quia videlicet omnes ii qui tempore Chriſti & Apoſtolorum vixerunt, unanimiter teſtati ſunt ſui temporis hominibus, ſe certò ſcire libros illos quibus nos Religionem Chriſti contineri dicimus, ab Apoſtolis ſcriptos eſſe, (paucis exceptis de quibus aliquantula in principio controverſia erat, antequam de authoribus ipſis veris conſtaret) & ii rurſum ſuis coætaneis, qui deinde porrò eam ſcientiam ad nos tranſmiſerunt. Sic enim nos hanc ſcientiam ab Eccleſia univerſa ſive Catholica accepiſſe recte dici poſſumus. Non quod Deus Eccleſiæ alicui illam poteſtatem verbum ſuum continua ſucceſſione tradendi dederit, aut quod ii à quibus nos iſtam ſcientiam accepimus, nullo modo errare potuerint; ſed quod Chriſtianorum, qui Religionem illam profitebantur, & certò reſciverant libros illos ab Apoſtolis ſcriptos eſſe, opera & ſtudio factum fuerit ut ad manus etiam noſtras pervenerint, noſque ſcientiam ejus rei acceperimus per eos: (ſicuti per alios ſcientiam accepimus, quod ea quæ Virgilii, Ciceronis, Ariſtotelis ſcripta eſſe dicuntur, genuina ipſorum ſcripta ſint.) Qua in re ſi ſingularem aliquam diligentiam & curam adhibuerit Eccleſia Romana, recte quidem & ex officio id feciſſe cenſenda eſt: at

pro-

propterea authoritatem aut jus aliquod in tradendo & explicando illo verbo habere dici non poteſt, niſi idem jus omnibus tribuatur, qui illud ſine ipſa per manus ad poſteros ſuos tranſmitti curarunt, quales multi hodieque ſunt in Eccleſiis Aſiaticis, Græcis & Æthiopicis.

*An ideò quod infallibilis auctoritas non tribuitur Eccleſiæ teſtandi de Euangelio, ſuſpecta reddatur fides tota ejuſque objectum.*

Si dicas hac ratione aliquatenus ſuſpectam reddi fidem totam, ejuſque objectum; reſpondebo, ſi ſuſpectum appelles quod non eſt omni modo certum, aut potius non ita certum, quin à maligno aut præfracto aliquo homine in dubium aut ſuſpicionem poſſit vocari, idque hoc fundamento quia teſtimonium hoc totum atque univerſum humanum ſit, ac proinde errori obnoxium, fatebor lubens, & dicam nihil eſſe ſub Sole tam clarum, quod hac ratione in dubium vocari non poſſit ab aliquo, cui ſtatutum eſt tergiverſari, niſi Deus per vim eum cogat ut, velit nolit, credere ſe dicat. Neque dubito quin Deus alia ratione id ipſum certum fieri noluerit, ut videlicet clarè appareret, quinam æqui, qui iniqui rerum æſtimatores (ſive probi aut improbi) eſſent, in veritate admittenda aut reſpuenda. At ſi ſuſpectum appelles, quod meritò & prudenter, vel juſta de cauſa in dubium aut ſuſpicionem poſſit vocari an verum ſit, tum negabo teſtimonium tale ſuſpectum appellari poſſe. Quis enim prudenter dubitare aut meritò ſuſpicari aliquem poſſe dicat, an verbum illud quod ii qui illo tempore vixerunt, quo id ſcriptum eſt, ſe certò reſciviſſe affirmant ſcriptum eſſe aut approbatum ab Apoſtolis, quodque infinitæ hominum myriades locis, opinionibus, ſtudiis ac voluntatibus ſæpe diſſitæ, unanimi conſenſu ſeſe accepiſſe affirmant, ab iis qui id certò reſciverant: quos deinde nulla ſpe, nullo lucro, nullo commodo adductos, imò cum damno ac detrimento famæ, bonorum & vitæ ſuæ, inter tormenta & dolores acerbiſſimos, quos ſola ignorantiæ confeſſione aut negatione evadere potuiſſent, idem illud per tot ſæcula conſtanter confeſſos eſſe conſtat; an illud, inquam, verbum verè ſcriptum non ſit ab illis quibus id tribuitur. & an res verè geſtas contineat? Certè ſi quis hæc prudenter aliquem in dubium vocare aut ſuſpecta reddere poſſe credat, næ ille parum prudens mihi cenſendus videbitur. Ex quibus conſtare puto conſequentiam argumenti ſolidam non eſſe: quum Eccleſia quælibet errare poſſit in interpretando, ut tamen fides mea tota, fideique objectum ſalvum maneat, eò quod fides qua ſacras literas pro veris habeo, non dependeat ab Eccleſiæ alicujus, ſive primitivæ, ſive alterius, judicio vel teſtimonio. Non enim ideo ſacræ literæ pro veris à nobis habentur, quia primitiva Eccleſia aliæque eas nobis cum infallibili authoritate tradiderint, vel veras eſſe iudicio ſuo deprehenderint: ſed tantùm ideo, quia Eccleſia, ſive univerſus Chriſtianorum, qui circa tempora Euangelii vixit, cœtus, teſtatus eſt ſe certò reſciviſſe & deprehendiſſe, quod eæ litteræ ab Apoſtolis ſcriptæ & approbatæ eſſent, eamque ſcientiam ad nos per manus quaſi propagavit. Jam enim tum conſtabat, non poſſe non eſſe veriſſimum id quod ab Apoſtolis Jeſu Chriſti profectum aut ſcriptum eſſet. Itaque ad ſummum ab Eccleſia id conſequor, quod ſciam à quibus ſacræ literæ ſcriptæ ſint; & quidem ab Eccleſia, non quatenus vera eſt Eccleſia, (id enim ſcire non poſſum, niſi ſciam prius an verbum illud cui Eccleſia credit verum ſit, ſive ab Apoſtolis ſcriptum:) ſed quatenus Eccleſia univerſa cœtum hominum facit, qui unanimiter id teſtantur, de quibus cur dubitem an hoc verè ſciverint, ſive an bona fide id nobis narraverint, nullam juſtam cauſam habeo. Quare quamdiu hæc ſcientia ſtat, tamdiu ſtat tota fides noſtra ejuſque objectum. At ſtare prudenter poteſt etiamſi Eccleſiæ non tribuatur authoritas infallibilis in tradendo ſeu proponendo. Ergo multò magis, etiamſi non tribuatur ei talis authoritas in interpretandis illis ſacris literis, quas per manus nobis tradit & proponit. Sufficere enim viro prudenti debet, quod graviſſimas cauſas credendi habeat, eos qui teſtantur libros illos, quibus tota fides noſtra continetur, ab Apoſtolis ſcriptos aut approbatos eſſe, id potuiſſe optimè ſcire, ac proinde certiſſimè teſtari, & quod nullam dubitandi cauſam juſtam habeat, quod aliter quàm ſciverint, teſtari aut tradere aliis voluerint; imprimis cùm numerus eorum, qui id teſtantur, multò maximus, adeoque infinitus ſemper ferè fuerit, & pro doctrina illa, quæ libris illis continebatur, mortes acerbiſſimas perpeti non dubitarint; quod facturos eos fuiſſe, niſi certi fuiſſent libros illos à divinis illis viris ſcriptos fuiſſe, quomodo prudenti viro fiet veriſimile? Et hactenus quidem de primo argumento ex ratione petito.

*Secundum Wadingi argumentum pro infallibilitate Eccleſiæ, petitum ex Matt. XVI. 18.*

Secundum argumentum petis ex Scriptura: *Scriptura*, inquis, *ipſa infallibilem hanc adſiſtentiam Eccleſiæ promittit Matth. XVI. Et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Tum ſanè maximè portæ inferi prævalerent adverſus eam, ſi dæmoni poteſt facultas dari eam in errores contra fidem inducendi.*

Reſpondeo; Eccleſiæ, id eſt, fidelibus omnibus ac ſingulis, qui ſimul juncti Eccleſiam faciunt, infallibilem adſiſtentiam Sancti Spiritus promitti, qua fiat ut in errorem ſaluti noxium non incidant quamdiu Eccleſia manent & officium ſuum faciunt, certiſſimum eſt. At Eccleſiæ ſive cœtui alicui, fideles omnes repræſentanti, promitti infallibilem adſiſtentiam, qua fiat ut cœtus ille, quomodocunque ſe gerat, nunquam tamen in errorem contra fidem induci poſſit, ſed Eccleſia ſemper vera maneat, adeò ut errare nunquam poſſit in interpretando verbo divino, nuſpiam obſervare eſt. Ex loco quem D.V. *Matth.* XVI. *cap.* allegat, id ſolidè non colligitur, & ſi rectè introſpiciatur, contrarium non obſcurè evincitur. Non ſolidè, inquam, colligitur. 1. Quia per *Eccleſiam* iſto in loco intelligi cœtum fidelium, qua cœtus eſt, ſive Eccleſiam quam vocatis repræſentativam, id eſt, Concilium cum Pontifice, vel Pontificem ſolum, (quanquam is ineptè Eccleſia diceretur) ac non potiùs omnes, aut ſaltem plures, cœtum, ſi unirentur, facientes fideles, per ſe conſideratos qua tales, citra formalem conſiderationem, quod cœtus aliquis aut corpus ex perſonis aliquot compoſitum ſunt, nulla vel probabili ratione ex hoc loco concludi poteſt. *Portas inferorum* intelligi quamlibet Scripturæ f[illegible]erpretationem, vel errores fundamentales & fidem [illegible]es, nedum tales, quibuſcum fundamentum ipſum ſalvum ſtare poteſt, nullo vel levi indicio probatur, imò ne quidem per ullam conſequentiam veriſimilem arguitur. Et tamen ut ſolidum ex hoc loco fundamentum peteretur, hæc duo phraſibus iſtis contineri, extra dubium & certum eſſe deberet.

*Explicatio loci illius.*

Ego contrarium hac ratione evinco: Si ibi promittitur aliquid Eccleſiæ, id eſt, fidelibus omnibus ac ſingulis per ſe conſideratis, (qui collectim ſumti Eccleſiam conſtituunt) quatenus veritatem amplectuntur, & in vera fide auxilio S. Spiritus contra errores ad finem uſque vitæ ſuæ perſiſtunt & perſeverant, tum non promittitur adſiſtentia infallibilis contra errores. Ratio eſt, quia promitteretur Eccleſiæ, quod ſupponitur in Eccleſia eſſe, & quod ratio ſive cauſſa promiſſionis impulſiva eſt. Atqui promittitur aliquid Eccleſiæ, id eſt, fidelibus omnibus & ſingulis per ſe conſideratis, quatenus auxilio S. Spiritus ad finem uſque vitæ perſiſtunt in vera fide contra errores. Ergo, &c. Probo minorem; quia phraſis, qua res promiſſa continetur & enunciata eſt, aliud nihil ſignificat, quàm id quod pertinet ad futuram vitam, ideoque fideles omnes & ſingulos, qua tales, poſt mortem demum concernens. Probo; quia *portas inferorum non prævalere*, aliud nihil ſignificat in Scriptura ſacra, quam mortem, vim ac dominium ſuum non exerturam in fideles. Evincunt id omnia loca, in quibus phraſis iſta *portæ inferorum* uſurpata legitur. Vide ſis *Eſai.* XXXVIII. 10. *Vadam ad portas inferi*, inquit Rex Ezechias. ita enim LXX. vertunt, πορεύομαι ἐν πύλαις ᾅδου, id eſt moriar. *Sapient.* XVI. 13. quem librum inter Canonicos recenſet D.V. *Tu enim vitæ & mortis poteſtatem habes, ad portaſque inferorum deducis & reducis.* III. *Machab* V. 49. *Ut interventu ſuo miſereretur eorum qui jam ad portas inferni ſupervenerant*, id eſt, jam mortui erant. Hoc eodem ſenſu phraſin hanc apud Homerum reperire eſt:

Ἐχθρὸς γὰρ μοὶ κεῖνος ὁμῶς Αἰΐδαο πύλῃσιν,
Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθῃσι νοῷ φρένας, ἄλλο δὲ εἴπῃ.

Similem, imò eandem prorſus ſignificationem habent phraſes, *portæ mortis*, *portæ umbræ mortis*, aliaque ejus generis plura, quæ alibi à me notata ſunt. Ex his colligo, promiſſionem hanc, *portæ inferi non prævalebunt contra eam*, aliud nihil ſignificare ex natura & vi phraſeos, quàm, mortem non dominaturam fidelibus: ſive, uti alibi Scriptura loquitur, fideles & in fide perſeverantes non morituros, aut ſi moriantur, iterum victuros eſſe, ſeu reſurrecturos in vitam æternam. Cumque mors non poſſit dici non dominari Eccleſiæ, qua Eccleſia cœtus eſt, mors enim non dominatur niſi individuis, concluditur etiam non obſcurè, promiſſionem hanc non pertinere ad Eccleſiam, qua cœtus eſt; ac proinde etiam eam de infallibili aſſiſtentia contra errores, aut de ſimili aliqua re, quæ cœtui qua tali in terris degenti facta ſit, intelligendam non eſſe. Itaque quod dicit D.V. *tum maximè prævaliturus inferi portas adverſus Eccleſiam, ſi dæmoni poſſit facultas dari eam in errores contra fidem inducendi*, verum non eſt, uti ex ante dictis liquet: &, ſi omnino verum id eſſet, uti mediatè vel antecedenter in cauſſa verum eſſe concedi poſſet, ad rem non facit, quia planè extra ſcopum & intentionem loci eſt, uti ex phraſi quæ hîc uſurpatur manifeſtum fecimus.

*Tertium ejuſdem argumentum, petitum ex Matt. XXVIII. 20.*

Locus ex *Matth. ultimo* depromtus, *Ecce ego ſum vobiſcum uſque ad conſummationem ſæculi*, non probat etiam promiſſionem adſiſtentiæ infallibilis & perpetuæ factam eſſe Eccleſiæ. Nulla enim mentio fit Eccleſiæ in verbis illis, imò cum de ipſis Apoſtolis, religionis Chriſtianæ primis fundatoribus, immediatè verba intelligi Sole clarius ſit, de Eccleſia per ipſos inter

inter Judæos & Gentiles primum adhuc fundanda accipi & intelligi non possunt. Neque refert quod Christus Jesus aliquid promittat, quod *ad consummationem sæculi* duraturum sit. Aut enim per *sæculi consummationem* intelligi volumus mundi hujus finem ultimum, aut consummationem solius sæculi Judaici, uti intelligi videtur *Matth.* XXIV. cum quo mundum totum interiturum credebant Judæi; unde & Hierosolymam urbem imperii, salem mundi appellare solebant: & quæ consummationem illam secutura erat gentium in locum Judæorum assumtionem, quæ quasi nova creatio & vita ex mortuis appellatur. Si hoc posteriore modo locum intelligamus, certum est argumentum nullum ex eo peti posse: & tum pronomen *Vobis* non significare alios quàm Apostolos, primos præcones Judæis & Gentibus missos: quibus ad novam istam doctrinam cum fructu annunciandam, & legationem molestam illam obeundam, singulari favore, gratia & auxilio Jesu Christi opus erat; & qui post acceptum mandatum profecti dicuntur ad prædicandum, *Domino cooperante, & sermonem confirmante per signa subsequentia; Marc. ult.* Quod Autor etiam *ad Hebr. cap.* II indicat. Si per *consummationem sæculi* velimus [illegible] finem mundi, tum necesse est ut vox *vobiscum*, [illegible] ac non ministerium Apostolorum vox hæc significet, [illegible]dat etiam successores Apostolorum, vel doctrinæ illius quam Apostoli primum fundaturi erant, discipulos ac promotores. At verò si velimus successores Apostolorum voce hac contineri, tum argumenti, quod ex ea sumitur, infirmitas nihilominus apparet. Nam tum necessum est ut dicamus promissionem assistentiæ infallibilis, omnibus & singulis Apostolis eorumque successoribus factam esse; quia in genere dicit Jesus omnibus ac singulis, quibus mandata dederat, *Ego sum vobiscum usque ad consummationem sæculi.* At si omnibus & singulis Apostolis eorumque successoribus promissio infallibilis assistentiæ facta dicatur, necessum est ut ex vi promissionis istius, continua successio omnibus ac singulis ex æquo obtigerit. Unde sic concludo: Si continua successio omnibus & singulis Apostolis obtigit, necessum est ut ex fundamento vestro proprio fateamini, eam conspicuam semper fuisse in locis illis, ubi Apostoli singuli mortui sunt, non minus quàm Romæ, ubi Petrus mortuus esse creditur. Si conspicua facta est hujusmodi successio, jam Ecclesia quæ istis in locis est, & successione ista gaudet, vera est Ecclesia, ex hypothesi vestra; &, si dissentiat à Romana Ecclesia, uti Græca diutissimè ab ea dissensit, quæ successionem istam jactat, tum Ecclesia vera à seipsa dilidebit; quod absurdum est. Si conspicua semper non fuit istis in locis, tum promissionis vis ex hypothesi vestra eliditur, vos enim de promissione visibilis assistentiæ eam accipi vultis; & infirmum est argumentum, quod ex ea petitur. Si enim istis in locis vera fuit Ecclesia, etiamsi non fuerit conspecta, quid obstat quo minus Romæ illa Ecclesia vera fuerit, quæ conspecta non est, quæ verò conspecta semper fuit, falsa Ecclesia fuerit? Cur enim promissionem irritam fieri dicemus in uno Apostolo & non in altero; sive Constantinopoli minus quàm Romæ, in India minus quàm in Europa effectum sortiri? Sed posito quod sub pronomine *Vobis* intelligatur, cum insitata & infami καθεδρα, vel Petrus, quem caput Apostolorum vocatis, vel Ecclesia vestra Romana, explicatione admodum inepta & contorta; unde probabitur *Esse cum Ecclesia* significare, efficere ut Ecclesia certo aliquo loco semper conspicua maneat, cum irrefragabili authoritate & potestate interpretandi verbum Dei? Quasi vero aliis modis quàm uno isto quem dicitis, cum Ecclesia sua, id est, veris fidelibus suis, Deus esse non possit, atque ita promissi hujus sui veritatem confirmare. Denique esto etiam; extendatur eo usque promissio, quomodo probabitur eam absolutam esse & non hypotheticam? id est, ita intelligendam, ut Deus se cum Ecclesia illa semper futurum promittat, eamque pro vera Ecclesia sua agniturum esse, quocunque modo se gereret? Certè id nullo modo ex verbis promissionis evinci potest: & non obscurè evincunt contrarium loca illa quibus Servator Apostolis suis conditionem præscribit, quam ab ipsis præstari vult, si amici ipsius esse velint, si in ipso manere & ab ipso ac Patre suo diligi cupiant: *Joan.* XV. 10. 14. item locus ille 1. *Corinth.* IX. 27, in quo Apostolus Paulus se corpus suum in servitutem redigere dicit, ut cum aliis prædicavisset, ipse reprobus non fieret. Item omnia illa loca quibus Apostoli fideles & Ecclesias suas monent ne gratiam Dei frustra receperint; ne cum Spiritu cœperint, carne consummentur; ne ab ipsis transferatur candelabrum; 2. *Corinth.* VI. 1. *Galat.* III. 3. *Apocal.* II. 5. aliaque multa, quæ profectò necessaria non erant, si absoluta promissio assistentiæ iis semel dicatur facta. Itaque ad summum promissio hæc referenda foret ad Ecclesiam cum conditione, si quidem officium suum faciat & in vera doctrina ac fide Jesu Christi permaneat. Unde concludendum foret, ex loco hoc, promissionem infallibilis ejusmodi assistentiæ, qualem vos statuitis, deduci non posse, cum præstatio conditionis illius dependeat à libero arbitrio Ecclesiæ, ac proinde ab Ecclesia negligi possit; per consequens etiam dicendum esset, Ecclesiam Romanam desiisse esse veram Ecclesiam, quoties caput ipsius Pontifex Romanus, profanus, impius atque horrendorum criminum reus factus fuit; quod de non paucis Pontificibus haud gravarè concedunt præcipui doctrinæ vestræ Coryphæi. Videat hîc prudentia vestra, quàm imbecilli fundamento res tam ardua & ingentis momenti superstruatur. Eheu quàm infirma basis tanto Colosso subjicitur.

*Quartum argumentum, ex 1. Timoth. III. 15.*

Locus qui ex 1. *Epist. ad Timoth.* III. 15. citatur, huc non pertinet. Nam 1. verba hæc: *Columna & stabilimentum veritatis*, nihil vetat connecti cum sequentibus, hunc in modum; *Ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi. Columna & stabilimentum veritatis, & sine controversia magnum est pietatis mysterium*, & quæ sequuntur. Hoc si ita est, uti planè verisimile est esse, profectò manifestum est, locum hunc plane ad rem de qua agitur non pertinere. 2. Esto tamen; verba hæc ad præcedentia etiam referantur, uti fere ab interpretibus referri solent, nihilominus tamen planum est ea huc non pertinere. Neque enim promittitur in eo Ecclesiæ absoluta, perpetua & infallibilis adsistentia; sed tantum affirmatur de Ecclesia Dei, quod sit *columna & stabilimentum* veritatis, & quidem de Ecclesia illa Ephesina sive particulari, cui præfectus erat Timotheus, & in qua tanquam in domo quadam divina versabatur. At ex eo quod de Ecclesia id affirmatur, non concluditur rectè, Ecclesiam illam non posse desinere esse Ecclesiam, & sic etiam desinere esse columnam & firmamentum veritatis: quin imò directè contrarium testatur experientia, & Epistola scripta postmodum ad Ecclesiam illam *Apoc.* II. *cap.* Deinde si omnino velimus de Ecclesia, ut loquuntur, Catholica, verba hæc intelligenda esse, ad summum nihil concludetur amplius ex vi verborum, quàm Ecclesiam Dei veram firmiter retinere atque conservare veritatem. At verò id ad rem de qua hîc agitur, & quam D. V. concludere vult, nihil facit. Potest enim Ecclesia vera, veritatem retinere & firmiter conservare, etiamsi conspicua & visibilis non sit, sed lateat & nusquam appareat. Ecclesia enim, vera est Ecclesia coram Deo, etiamsi membra ipsius à se invicem divisa & hîc illic dispersa sint. Ita Ecclesia dicitur esse in domo Priscillæ & Aquilæ: *Rom.* XVI. *vers.* 3. 4. & 1. *Corinth.* XVI. 19. in domo Philemonis, *ad Philem. vers.* 2. 3. Non concludetur amplius quid quàm veritatem retineri ab Ecclesia, id est, à fidelibus simul junctis, quatenus contra distinguuntur à Pastoribus, sive iis qui Ecclesia repræsentativa dicuntur. Neque enim hîc affirmatur quicquam de Ecclesia repræsentativa, sed contradistinctè de Ecclesia, ut loquuntur, auditorum dicitur, quod illa sit cui veritas inculcanda est, & cui veritas, ubi semel inculcata est, firmiter inhæret. Ecclesiæ enim tribuitur hoc epithetum, quatenus ei præfectus erat Timotheus Pastor & Episcopus, & quatenus ab ea ut Episcopus contradistinguitur. At verò nec hoc quicquam facit ad causam illam quam V. D. tuetur. Ecclesia enim talis retinere potest veritatem, ut tamen aliis ei inniti volentibus firmamentum non præstet ne labantur. Neque enim Ecclesia auditorum, ex sententia D. V. basis, columna & firmamentum veritatis est. Denique dato etiam, sed non concesso, de Ecclesia vera repræsentativa hæc verba accipi posse, nihil tamen aliud adhuc concludetur, quàm affirmari hîc de Ecclesia illa repræsentativa, quæ vera Ecclesia est, ubicunque tandem fuerit, quod veritatem firmiter retineat. At per quam, obsecro, consequentiam inde concludetur, 1. quod hîc illi Ecclesiæ promittatur assistentia infallibilis, 2. Quod Ecclesia ista veritatem cum authoritate tradat, ita ut securè illi inniti possit is, qui nondum novit, quid sit veritas illa, quam Ecclesia retinere debet, ut vera sit Ecclesia. Non enim sequitur, Ecclesia vera retinet veritatem veluti columna; ergo eam tradere potest cum authoritate; alioquin enim sequeretur, Verè fidelis retinet veritatem firmiter; ergo cum authoritate eam tradere potest, ut securè ei inniti possim. Contrarium potius colligitur: cùm Ecclesia cognosci non possit quod vera sit, nisi sciatur primò quid sit veritas, prius tenendum esse quid sit veritas divina, quàm quid Ecclesia.

Neque verò juvare quicquam potest D. V. locutio emphatica, quâ Ecclesia *columna & firmamentum veritatis* dicitur. Primò enim, figuratæ locutiones non sunt argumentativæ, nisi resolvantur in proprias. Atqui, inquis, locutio hæc in propriam resolvenda est, *secundum mentem Patrum priorum sæculorum*, quæ hæc est, *quod Ecclesia doctrinæ suæ stabilitate instar columnæ firma confistat, & alii inniti volentibus firmamentum præstet ne labantur.* Atqui inquam ego, argumentum hoc non

est

eſt demonſtrativum. Nam 1. potuerunt Patres in hujus locutionis interpretatione errare. 2. Patres omnes priorum ſæculorum non ſunt hoc pacto interpretati hanc phraſin. 3. Nulla ratio eſt quæ hanc interpretationem ſuadet, nedum evincit: imò non exiguæ ſunt, quæ phraſin iſtam eo modo reſolvendam non eſſe arguunt. Nulla, inquam, ratio eſt quæ interpretationem hanc evincit; quia columnam eſſe, non ſignificat neceſſariò, nec ſemper, aliis inniti volentibus firmamentum præſtare ne labantur. De omnibus enim ac ſingulis fidelibus, qui vicerint, dicit Jeſus Chriſtus *Apoc.* III. quod *facturus ſit ut illi ſint columnæ in templo Dei ſui*; non quod firmamentum præſtituri ſint aliis in cœlo, ſed quod firmiter, ſive æternum ibi permanſuri ſint apud Deum, & cum ipſo in gloria ſempiterna victuri. Deinde quia columnæ veritatis eſſe poſſunt & dici merentur, omnes ii qui veritatem firmiter & ſolidè, tum ipſi tenent, tum aliis etiam tradunt, etiamſi infallibilem poteſtatem tradendi veritatem non habeant. Sed rationes etiam manifeſtæ obſtant quæ non permittunt, ut eo pacto reſolvatur hæc figurata locutio: 1. Quia aliàs veritas fundata eſſet ſuper Eccleſiam; cùm diſertè Scriptura dicat, Eccleſiam fundatam eſſe ſuper doctrinam Prophetarum & Apoſtolorum. Fieri autem non poteſt ut Eccleſia ſit id quod ſuperſtruitur veritati, & ſimul id cui ſuperſtruitur veritas. 2. Quia impoſſibile eſt inniti firmiter ac ſolidè Eccleſiæ tanquam veræ, niſi ſciatur prius quid ſit veritas. 3. Quia alioquin ſequeretur, Timotheo etiam innitendum fuiſſe Eccleſiæ illi in qua verſabatur, & quam ipſe docebat atque erudiebat in veritate Euangelica: quod abſurdum eſſe facile videt D. V. Ex hiſce quàm infirmum ſit argumentum, quod ex hoc loco petitur, haud difficulter colligi poteſt.

Eius ſenſus planus ac ſimplex mihi hic videtur eſſe: (ſiquidem locum omnino velimus legendum eſſe prout communiter legi ſolet, id eſt, ita ut cum antecedentibus verbis connectatur:) Hæc ſcribo tibi, mi Timothee, ut intelligas qua ratione gerere te debeas in domo Dei: nimirum, noli inculcare illi operosè cæremonialia & umbratilia quædam dogmata, ſed ſolidam illam Euangelii veritatem, vel potius veram illam & perfectam pietatem, quam antea deſcripſi, quæ videlicet verſatur in confutandis falſis doctoribus, in fidelibus ad inſiduas preces pro omnibus commonefaciendis, in ratione orandi quam viros & mulieres ſequi oportet, in officio Epiſcoporum, Diaconorum, &c. Eccleſia enim, quæ ſe diſcipulam veritatis profitetur, illa eſt, in qua ſemper hæc vera doctrina vigere debet, & cui hæc veritas ſeriò ſemper inculcanda & inſerenda eſt, neglectis aut poſthabitis cæteris omnibus, quæ umbræ potius veritatis quàm veritas ipſa ſunt. In illa enim, non alibi, vera pietas locum habet, in illa ſedile ſuum hæc veritas habet, itaque opera ſedulò danda tibi eſt ut illam fundes, ſtabilias, ac labores in ea; quia iſta alibi locum non habet, ſed reſpuitur, contemnitur, & veluti arenoſo ſolo inædificata domus concidit ſtatim ac collabitur. Solus cœtus verè fidelium & Dei timentium, veritatem in pretio habet, & vaſis inſtar eam retinet ac conſervat.

*Ultimum Wadingi pro infallibilitate Eccleſiæ argumentum, petitum ab experientia.*

Denique argumentum petis *ab experientia*, qua *fidei conſtantiam probari ſatis dicis; cùm omnia ſæcula ita ſint inter ſe connexa, ut poſteriora nullum habeant fidei decretum iis contrarium quæ priora ſæcula tradiderunt.* At 1. experientia non probat fidei conſtantiam, niſi probet etiam ejus veritatem. Conſtantia enim fidei fruſtra probatur, ſi fides vera non ſit. Neque valet, te ipſo fatente, conſequentia, Conſtans eſt fidei doctrina, ergo eſt vera. Etſi enim omne verum conſtans ſit, tamen non omne conſtans verum eſt. 2. Quod decreta ſæculorum omnium uniformia facis, ita ut poſteriora ſæcula nullum habeant fidei decretum iis contrarium, quæ priora ſæcula tradiderunt, id non ſine gravi cauſa à magnis authoribus controvertitur, qui ea allegare mihi videntur, quæ contrarium Sole clarius evincunt. Exempli gratiâ pauca quædam è pluribus delibabo. In Concil. Nicæno Can. 11 expreſsè legitur, uti apud Gratianum de Conſecratione, diſt. 5. Can. *Si qui verò*, &c. etiam repetitur. *Si qui per Dei gratiam vocati primò oſtenderunt fidem ſuam depoſito militiæ cingulo, poſtbac autem ad proprium vomitum reverſi ſunt, ut & pecunias darent, & ambirent rurſum redire ad militiam, iſti decem annis ſint inter pœnitentes.* Et tamen aliter ſenſerunt concilia ſequentia, & nunc tota Eccleſia Romana. Concilium Tridentium Seſſ. XXI. Can. 4. affirmat, *Si quis dixerit parvulis, antequam ad annos diſcretionis pervenerint, neceſſarium eſſe Euchariſtiæ communionem, Anathema ſit.* Et tamen Auguſtinus lib. 2. contra duas Epiſtolas Pelagianorum, aſſerit Innocentium Papam contrarium credidiſſe, cum ait: *Ecce beatæ memoriæ Innocentius Papa, ſine Baptiſmo Chriſti & ſine participatione corporis & ſanguinis Chriſti vitam non habere parvulos dixit.* Item Concilium Tridentinum Seſſ. XXIV. Can. 4. dicit: *Si quis dixerit propter hæreſin diſſolvi poſſe matrimonii vinculum, Anathema ſit.* Alphonſus à Caſtro lib. 1. contra Hæreſes, cap. 4. dicit, Cœleſtinum id ſenſiſſe, & quidem non tanquam hominem, ſed tanquam Papam. Item Concilium Neocæſarienſe, Romanum, Aretalenſe ſecundum, Telenſe, Matiſconenſe primum, Wormacenſe probant cœlibatum Sacerdotum. Concilium verò Gangrenſe, Ancyranum, Carthaginenſe tertium, Turonicum ſecundum, Toletanum, non improbant eorum conjugium. Probat imagines Nicæna Synodus VII. damnat Concilium Elibertinum, Conſtantinopolitanum ſeptimum, earumque inventionem Diabolicæ inſidiationis eſſe pronunciat.

*Decreta fidei priorum & poſteriorum ſæculorum inter ſe contraria.*

Quod locum 2. *Petr.* I. 20. *Hoc primum intelligentes quod omnis Prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit*, propoſito ſuo ſervire exiſtimat D. V. in eo nulla ſolida ratione nititur. Nec enim certum eſt locum ita ſonare, uti Reverentia veſtra eum transfert. In textu enim eſt; τῦτο πρῶτον γινώσκοντες, ὅτι πᾶσα προφητεία γραφῆς, ἰδίας ἐπιλύσεως ου γίνεται. At iſtorum verborum ſenſus eſſe poteſt: Nullam Prophetiam ſcriptam, [illegible]llo Propheta ita profectam eſſe, ut ille proprio inſtinct[illegible]rit os ſuum ad prophetandum; ſed omnem Prophe[illegible]o ſolo eſſe, ita ut is qui prophetavit antea inſpirat[illegible]uerit. Et ſenſum hunc ſi non certum, certè admodum [illegible]abilem faciunt antecedentia & conſequentia. Antecedentia; quia dixerat Petrus rectè facere eos ad quos ſcribit, quod attenderent Prophetiæ velut lucernæ in obſcuro loco ſplendenti; quod confirmat eo, quia Prophetia à Deo ipſo profecta, excellentius quid continet quàm prima fronte videtur. Nec enim Prophetæ eam fecerunt ex proprio ſuo ingenio, ſed Deo ſolvente ora ipſorum, ut prophetarent quæ ventura eſſent. Conſequentia; quia ſtatim ſubjicitur: *Non enim libitu hominis*, ſive ἰδίᾳ ἐπιλύσει, *allata eſt olim prophetia, ſed acti à Spiritu Sancto locuti ſunt ſancti Dei homines.* ἐπιλύσεις itaque hîc non ſignificabit Prophetiæ interpretationem, uti D. V. vult, ſed ipſam, ut ita dicam, prophetationem: & ἰδία ἐπιλύσεως, non privatam quam quiſque facit interpretationem, adhibito ſtudio & piis precibus, ſed proprium quaſi inſtinctum & motionem. Veruntamen poſito quod ita ſit vertendus textus, uti V. D. & interpretes plerique vertunt, nihil adhuc effectum erit. Etenim de Prophetiis Veteris Teſtamenti agi per ſe planum eſt. Ad earum interpretationem ſolidam conſequendam, alio quàm communi aliquo ſpiritu opus eſſe nemo facilè negabit. At ex eo ineptè concluditur, ad interpretationem Scripturarum quæ prophetias nullas, ſed tantùm præcepta & promiſſa divina continent, & quæ prophetias ipſas olim factas clarè interpretantur & exponunt, eodem ſpiritu opus eſſe, nec ſufficere privatum judicium. Deinde ſpiritum illum ſingularem prophetias interpretandi, à fidelibus quibuſdam haberi non potuiſſe, ſed ad Eccleſiam ſolam repræſentativam pertinuiſſe, nullo veriſimili indicio oſtenditur: cùm contrarium non obſcurè, 1. inde poſſit demonſtrari, quod Apoſtolus ad Corinthios ſcribens dicat, variis dari per Spiritum varia dona, & inter ea prophetiam & διακρίσεις πνευμάτων, id eſt, *ſpirituum diſtinctiones*, uti videre eſt, 1. *Corinth.* XII. 10. & hæc dona diſtribui à *Spiritu prout vult*, & quidem κατὶ ἰδίαν, *NB.* id eſt, *privatim.* 2. Quod idem Apoſtolus fideles hortetur ut ambiant & ſectentur dona ſpiritualia, magis autem ut prophetent 1. *Corinth.* XIV. 1. & quandoquidem ſtudioſi ſive zelotæ erant ſpirituum ad ædificationem, quærerent ut excellerent; *ibid. verſ.* 12. Et ſane ſi verba iſta ita ſimpliciter intelligenda ſunt uti D. V. ait, (imprimis ſi per Prophetiam Scripturæ, univerſam Scripturam S. intelligi velit) quomodo dicit Petrus, fideles illos omnes ad quos ſcribit, rectè facere quod attenderent Prophetiis? Deinde quomodo jubet fidelibus omnibus Joannes Apoſtolus, ut probent Spiritus omnes an ex Deo ſint; & Paulus, ut omnia probent, & ſolùm quod bonum eſt retineant? Etenim ſi Scriptura non eſt privatæ interpretationis, non eſt etiam privatæ probationis. Dicere probationem iſtam faciendam eſſe per ſpiritum publicè loquentem & interpretantem in Eccleſia, uti D. V. ſcribit, eſt mandati totius vim tollere atque enervare. Etenim ſi ſpiritus omnes probandi ſunt, etiam ſpiritus publicè loquens probandus eſt, & ad quem quæſo ſpiritum? An ad illum ipſum? At id per ſe patet abſurdum eſſe. Deinde ſi probandi ſunt ſpiritus omnes, non eſt talis ſpiritus publicè loquens & interpretans in Eccleſia. Ubi enim ſpiritus eſt perpetuò diſcernens, & certiſſimè diſtinguens inter verum & falſum, ibi probatione non eſt opus. Sufficit credere quod ille credit, & expectare quid de quaque re ſpiritus ille ſtaturus ſit; aut ſi quis aliquid novum dicat, nihil requiritur aliud quàm ut is remittatur ad ſpiritum illum, quia ille ſolus errare non poteſt. Ex quibus concludimus locum hunc perperam allegatum eſſe.

*Explicatio loci 2. Petr. I. 20. qui contra privatas interpretationes Scripturæ affertur:*

CA-

## CAPUT VII.

### Non Remonſtrantes, ſed Pontificios circulum committere in probanda Scripturæ & Eccleſiæ auctoritate.

ET hæc quidem ſufficiunt ad argumenta D. V. quorum infirmitatem ipſe agnoſcere videris, cum ſubjicis; *Scio quid ad hæc dicturus ſis; nos nempe in ea ipſa quæ paulo ante evitata voluimus incommoda devolvi. Interroges enim quiſquam,* (ais) *cur ego de Scripturæ hujus authoritate non dubitem, Reſpondebo, quia Eccleſiæ authoritas indubitata eam proponit. Si rurſum interroget, unde indubitatam illam authoritatem Eccleſiæ aſſeram ut errare non poſſit, Reſpondebo, quia Scriptura eam commendat.* Ita eſt. *Atqui,* inquis, *hic eſt vitioſus circulus ad probandum ineptus.* Rectè, ſed addis, *Hic quidem hæretis vos ipſi, ego verò non.* Videamus quomodo utrumque probes. Ego contrarium probari poſſe exiſtimo, & paulo poſt oſtendere conabor. nunc tua veſtigia premam. *Primùm,* inquis, *ſciſcitabor quomodo vos ex hoc labyrintho expediatis: Euangelium Joannis unde vides à Spiritu S. dictatum potius, quàm Nicodemi? quia, inquies, meus ſpiritus & interna αὐτόπιστα hoc demonſtrant; & interna αὐτόπιστα unde tantam apud te authoritatem obtinent? nonne ex Dei verbo? Ergo Dei verbum tibi innoteſcit ex tuo ſpiritu, & tuus ſpiritus ex Dei verbo.*

Ut videas labyrinthum hîc nullum eſſe, & circulum à nobis non fieri, expediendi primò ſunt termini ambigui, quid ſit ſpiritus meus, & quæ interna illa αὐτόπιστα, quorum mentio hîc à te fit. Etenim per ſpiritum meum, & interna αὐτόπιστα, vel intelligi poteſt internum teſtimonium Spiritus ſancti, quod videlicet Spiritus ſanctus intus ſpiritui meo dictet ac perſuadeat, verbum hoc ſcriptum, eſſe verbum Dei. Vel intelligi poteſt judicium meum privatum, ſive ratio & diſcurſus mentis meæ, quo ego apud me utor, ad conſequendum ejus rei, quæ in dubium vocatur, ſolidam cognitionem, &, qualis in eo genere haberi poteſt, certitudinem. Si primo modo accipiat D. V. concedimus circulum facere eos, qui iſto modo ratiocinantur. Sed aberrat à janua D. V. quod exiſtimet nos iſto collectionis aut argumentationis genere uti. Jam pridem enim ob eam ipſam quam D. V. allegat cauſam, iſtud probandi genus rejecimus, ut & propter alias non minus graves rationes, quæ alibi à nobis indicatæ ſunt. Si verò ſecundo modo intelligat V. D. tum errat in eo, quod nos ita argumentantes faciat ut circulum committamus. Neque enim nos ita argumentamur, uti vult D. V. ſed hoc tantùm pacto argumentamur. Si ſciſcitatur quis ex me, unde ſciam Euangelium Joannis potius dictatum eſſe à Spiritu S. quam Nicodemi, Reſpondebo, quia rationes manifeſtæ, & contra quas excipi jure nullo poſſe mihi videtur, perſuadent animo & conſcientiæ ſive ſpiritui meo, quod Euangelium Joannis ſcriptum ſit ab Apoſtolo, Nicodemi verò non item. Inde enim colligo certò illud dictatum eſſe à Spiritu ſancto, non hoc. Quia quod ab Apoſtolis ſcriptum aut approbatum eſt, id à Spiritu ſancto dictatum eſſe, extra controverſiam eſt apud me & apud vos. Si pergat ſciſcitari D. V. quæ rationes mihi perſuadeant Euangelium Joannis, non autem Nicodemi, ſcriptum eſſe ab Apoſtolo; Reſpondebo, quia ii qui de eo teſtari potuerunt, cujuſcunque ordinis, conditionis aut ſtatus fere eſſent, vel diligentia adhibita, vel experimento certo id verum eſſe deprehenderunt & teſtati ſunt. Ego autem nullas cauſſas habeo dubitandi, an id quod ipſi ſe deprehendiſſe teſtati ſunt, verè id teſtati fuerint, ſed cauſſas & rationes habeo graviſſimas, cur credere debeam illos non fuiſſe ſcripturos aut teſtaturos id ita ſe habere, niſi pro explorato ac comperto habuiſſent id verum eſſe; cum famæ, bonorum, adeoque vitæ ipſorum intereſſet, id non teſtari & ſcribere.

*Modus probandi Euangelium Joannis potius dictatum eſſe à Spiritu ſancto quam Nicodemi.*

Si pergat D. V. ſciſcitari, an non recurramus hoc pacto ad Eccleſiam, & cum deinde iterum Eccleſiæ judicium ad Scripturam examinari volumus, an non in circulum eamus; dico, Nullo modo. Non enim allegamus teſtimonium Eccleſiæ, quatenus vera Eccleſia eſt, & authoritate teſtandi ac judicandi prædita eſt. Tam enim incertum mihi eſt an Eccleſia, id eſt, ii qui teſtantur verbum hoc ab Apoſtolis ſcriptum eſſe, vera Eccleſia ſint, antequam ſciam verbum illud, quod ipſa pro verbo divino aut Apoſtolico habet, divinum eſſe; quàm incertum eſt, an verbum ſive Euangelium hoc à Spiritu S. dictatum ſit nec ne. Sed allegamus tantùm teſtimonium Eccleſiæ, quatenus Eccleſia eſt cœtus hominum multorum, qui de ea re, an libri hi aut illi ab Apoſtolis ſcripti eſſent, reſciſcere potuerunt, quia illo tempore, quo illi ſcripti ſunt, vixerunt, & reipſa etiam illos ab iis ſcriptos eſſe reſciverunt, ſeque reſciviſſe teſtatum nobis reliquerunt, quique nullam cauſſam habuiſſe dici poſſunt, cur illud ſcriptum relinquerent & teſtarentur, ſi id vel falſum eſſe ſciviſſent, vel ſaltem non uſquequaque certum eſſe credidiſſent, cum ſine periculis maximis id teſtari non poſſent. Quando hoc pacto homines iſti conſiderantur, & teſtimonium eorum, tum manifeſtum eſt circulum non committi. Neque enim expenditur tum fides eorum, aut veritas teſtimonii eorum, ad verbum; (id enim foret inſulſum;) ſed teſtimonium tantùm eorum attenditur, quatenus fide digniſſimum eſt, & ab omni falſi ſuſpicione apud prudentes rerum æſtimatores alieniſſimum, tantiſque argumentis confirmatum, ut de eo an ei fides adhibenda ſit dubitari amplius nullo jure poſſit. Hujuſmodi enim teſtimonia tantùm valere poſſunt & valere debent, in hiſce caſibus ubi de hiſtoria rei vel de facto quæritur, quod ſub experientiam tantùm cadit. Nec in cenſum hîc venit, utrum ii qui id teſtati ſunt hæretici fuerint, aut alioquin erroribus in religione obnoxii, ſi modò fuerint tales, qui an id verum eſſet teſtari potuerunt, & de quibus ſuſpicio nulla juſta concipi poteſt, cur aliter quàm ſcirent teſtari voluerint. Quod ſi verò etiam probi & veritatis ſtudioſi fuiſſe comperiantur, quique pro religione iſtis libris comprehenſa mori non dubitarunt, tum profecto teſtimonium eorum non leve pondus & momentum accipit. Tantùm verò abeſt ut Eccleſia hîc, quatenus vera Eccleſia eſt & authoritate teſtandi prædita, in cenſum veniat, ut ne venire quidem poſſit, niſi prius certò ſciatur verum & divinum eſſe id, propter quod creditum, Eccleſia eſt vera Eccleſia; imò ut aliorum potiùs omnium, quorum non intererat ut hoc verum eſſet, id eſt, Judæorum, Gentilium aliorumque profeſſiſſimorum Chriſtianæ Religionis hoſtium, teſtimonia, pluris valere debeant in hac cauſa quàm Eccleſiæ ipſius; quia teſtimonium Eccleſiæ, quatenus vera Eccleſia eſſe creditur, ſuſpectum eſt propterea, quod in propria cauſa adhibeatur. Ex hiſce videre eſt, quomodo à nobis non committatur circulus, cum in judicium noſtrum privatũ fidem noſtram reſolvimus. Alia argumenta ſolemus uſurpare, quæ facillimè etiam vindicari poſſunt à circulo, ſed quia ea omnia hic deducere non eſt operæ pretium nec neceſſe, ſufficiat in hoc uno id ſolidè oſtendiſſe.

*In hoc probandi modo nullum circulum committi.*

Videamus jam quomodo ſe expediat D. V. ex labyrintho ſuo. *Nos,* inquis, *Theologica diſtinctione negotium explicamus. Aut enim apud eos agendum eſt, quibus Scripturæ authoritas nota eſt, Eccleſiæ authoritas ignota, quales vos eſtis, & tunc meritò à Scriptura vobis nota conciliamus authoritatem Eccleſiæ ignotæ, optimo probandi genere. Aut apud eos quibus nec Scriptura nota nec Eccleſia, & apud tales Eccleſiam ex notis credibilitatis probamus, & per Eccleſiam probamus Scripturam.*

*Pontificios in probanda Eccleſiæ authoritate circulum committere.*

An novum hoc non ſit αὐτόπιστον veſtrum jam non diſputo. Fateor diſtinctione tali circulum evitari aliquatenus poſſe. Attamen poſita hypotheſi quam D. V. ſcripto hoc ſuo paſſim tenet, videlicet quod ad rectam Scripturæ intelligentiam neceſſarium ſit judicium veræ Eccleſiæ, non video, quomodo diſtinctio hæc in totum vos expedire poſſit à circulo; quod ſic demonſtro. Si quæram ego de authoritate Eccleſiæ, unde videlicet probari mihi poſſit, authoritatem interpretandi Scripturas competere Eccleſiæ: Dices ex Scriptura id probari poſſe. Quæram ex quo loco; dices, exempli gratiâ, ex loco *Matth.* XVI. & XVIII. &c. Atqui, inquam ego, ex eo loco id mihi non liquet. Unde ergo conſtabit mihi loci illius vel locorum illorum eum eſſe ſenſum quem D. V. indicat? Dices, ſi conſentaneè loqui velis, ex Eccleſia, quia illa ita locum illum interpretatur. Atqui, inquam ego, unde conſtat autoritatem illam Scripturas interpretandi Eccleſiæ datam eſſe? Dices, ex Scriptura. En circulum manifeſtum, in quem incidere vos neceſſe eſt, quamdiu ſupradicta illa hypotheſis ſarta tecta vobis manet.

Accedit, quod in circulum vos cogamus eadem illa ratione, qua nos in circulum cogere conamini. Etenim cum nos Scripturam controverſiarum omnium judicem vel potius normam directivè judicantem eſſe dicimus, argumento contra nos uti ſoletis hujuſmodi: Si Scriptura judex eſt controverſiarum omnium, etiam judex eſt controverſiæ hujus, An Scriptura ſit divina: Atqui hujus controverſiæ judex eſſe non poteſt, quia idem per ſeipſum tum probaretur, & ſic circulus committeretur. Cùm, inquam, hac ratione uti ſoletis, opponimus vobis pari jure argumentum contra Theſin veſtram, qua ſtatuitis Eccleſiam eſſe controverſiarum omnium de fide infallibilem judicem, eadem prorſus forma conceptum. Si Eccleſia eſt controverſiarum omnium judex, etiam controverſiæ hujus judex erit, An Eccleſia ſit controverſiarum omnium judex: Atqui hoc fieri non poteſt, quia Eccleſia ſui ipſius judex foret & ſeipſam per ſeipſam probaret; Ergo, &c. Hac ratione reponimus vobis argumentum veſtrum, & quomodo in eos quos aliis ſtruitis labyrinthos ac circulos ipſi incidatis, veſtropte argumento ante oculos vobis ponimus.

Sed addit adhuc D. V. aliud argumentandi genus, quo ſe contra nos uti aſſerit. *Nempe,* ais, *ex conceſſis cogimus alia fateri, aut conceſſa rejicere; ſicut Scripturam cum admittitis, opor-*

*tet & Ecclesiam admittere, cum alioquin nesciatⁿ unde Scripturam habeatⁿ.*

*Scriptura admissa non oportet simul Ecclesiæ auctoritatem admittere, eò quod illa testetur de Scriptura.*

At verò, ut ut forma hæc argumentandi commoda sit & frequens, tamen argumentum ipsum manifestè peccat. Quia ex eo quod Scriptura à nobis admittitur, infert admittendam etiam à nobis esse Ecclesiæ infallibilem authoritatem. Quid enim hoc habet vero simile? Contrarium potius inferendum est: Si Scripturam admittimus, non oportet admittere authoritatem Ecclesiæ infallibilem, imò oportet eam non admittere. Ratio est: Quia Ecclesia est cœtus credentium, sive eorum qui audiunt, cognoscunt & sequuntur vocem Pastoris sui, & ex ore ejus pendent. Atqui cœtus nullus potest esse cœtus verè credens, nisi prius sit ac sciat esse verum & divinum verbum illud cui credit, & à quo propterea, quod verbo illi credat, habet & habere debet quod sit cœtus verè credens sive vera Ecclesia. Quæ verò addita est ratio à D. V. ea nec sufficiens, nec vera est. *Quia*, inquis, *nesciⁿ alioquin unde Scripturam habeatⁿ.* Non sufficiens; quia etiamsi nesciremus alioquin unde Scripturam habeamus, inde tamen non sequeretur Ecclesiam id nobis cum authoritate, & quidem infallibili, testatum fecisse. Ad summum tantùm sequeretur, scientiam illam nos ab Ecclesia habere, nihil verò amplius. At scientia rei alicujus certa haberi potest ab aliquo, qui tamen cum authoritate, nedum infallibili, scientiam rei istius non tradit. Ita Christiani non habuissent fortè scientiam Bibliorum Veteris Testamenti, nisi Judaica Ecclesia ea conservasset & per manum nobis reliquisset. Nec tamen Ecclesia illa authoritatem ullam, infallibilem saltem, te ipso fatente, circa tempora condemnati Christi habebat, quia tum Ecclesia tota, quanta quanta erat, errabat in fide. Item, nos non sciremus Virgilium, Ovidium, Livium, aut potius Irenæum, Tertullianum, Cyprianum, Chrysostomum, Hieronymum, &c. hos & illos libros scripsisse, nisi historici, & qui isto tempore vixerunt, deque eo persuasi fuerunt, id nobis scriptum reliquissent, & per manus quasi testatum fecissent. Nec tamen illis propterea authoritas ulla testandi infallibilis rectè adsignatur. Vera etiam illa ratio non est: quia scire possumus, & scimus aliundè, quantum quidem ad fidem istiusmodi rei habendam satis est, ex testimoniis omnium eorum qui temporibus istis vixerunt, & de eo testari verè potuerunt, an hi & illi libri ab Apostolis scripti aut approbati essent nec ne, etiamsi Ecclesia vera non fuerint. Ita scimus ex historia Eusebii, qui Arrianus fuisse multis creditur; ex Polycratis recensione, quem à Victore Pontifice cum Ecclesiis omnibus Asiæ excommunicatum fuisse constat; ex Origene, quem hæresiarcham fuisse, aut malum saltem dogmatisten, ait Hieronymus; ex Tertulliano etiam, postquam eum paracleti sui spiritus afflasset; nec non ex Judæorum testimoniis, qui hostes Christianæ Religionis hodieque sunt, & aliis similibus pænè infinitis documentis, quod hæc & illa olim ab his & illis authoribus scripta fuerunt, aut saltem approbata. Ac licet Romanæ Ecclesiæ etiam hac in parte gratiam debeamus, tamen ei propterea authoritas major attribuenda non est, quam iis omnibus, qui testati ea de re bona fide sunt, ut de re sibi compertissima & certissima, prout ante fusius dictum est.

## CAPUT VIII.

### In quo expenditur methodus Wadingi in convertendis ad fidem Christianam gentilibus, & de notis Ecclesiæ agitur.

SUbsistere hîc possem, & manum, quod dicitur, de tabula tollere. Sed quia ratio quâ primam fidei generationem fieri imaginaris (verbum hoc tuum est) quando vobis cum Ethnico aut Gentili res est, ejusmodi planè, imò ferè prorsus eadem fundamenta continet, quibus uti soletis ad quoslibet à Religione vestra diffidentes adducendum ad fidem vestram, idque non sine specie aliqua veritatis, juvat etiam eam introspicere atque expendere, an in recessu illud habeat, quod prima specie præ se fert. Certè si propiùs paulùm ea excutiatur, apparebit, uti quidem mihi videtur, imaginariam eam tantum esse, & simul longis dubiisque ambagibus impeditam atque implicitam.

*Prima Wadingi hypothesis, credendum est aliquem esse in terris, cœtum Deum ritè colentium.*

Primò ais, *Credibile est, & secundum rectam rationem credendum, esse in terrⁿ aliquem cœtum Deum ritè colentium.* Ut intelligatur an hoc axioma sit, non modò, (uti vis) credibile, sed etiam credendum secundùm rectam rationem, considerandum est dupliciter accipi posse ultima verba illa, *Esse in terrⁿ cœtum aliquem Deum ritè colentium*; quatenus vox cœtus significare potest, vel formaliter certam quandam & notabilem hominum collectionem, quæ Deum adspectabili & designabili ratione colit, id est, cultum illum suum publicè atque apertè retinet, tradit ac propagat, ita ut ab iis, qui Deum colere volunt, quæri, adiri & consuli possit; vel materialiter certam quandam hominum multitudinem, qui Deum ritè colunt, & ex præscripto ejus vivunt, sed non semper sub ista forma, ut videlicet cœtum palpabilem atque adspectabilem faciant; qui oculis designari & adiri, quâ talis, possit. Si primo modo accipiatur vox cœtus, jam propositio hæc non modò non est axioma indubitatum, sed ingens ἄιτημα, sive postulatum; ac proinde non modò non credibile, nedum necessariò credendum juxta rectam rationem, sed tale quod apertè ab iis ferè omnibus, qui Pontificii non sunt, & non modò rectam rationem, sed & Scripturam sacram judicii sui normam profitentur, negatur ac rejicitur. Utique quod ipsi Christiani (saltem qui professione tales sunt) certum esse negant, & non modo pro non credibili, sed etiam pro non credendo habent; id ut pro credibili, imò pro credendo habeatur à Gentili, quo jure postulatur? Et, amabo te, mi Wadinge, quæ est illa recta ratio quæ dictat id non modo credibile, sed etiam credendum esse? Non repugnat quidem rationi rectæ, si credatur verisimile aut credibile esse, talem aliquem cœtum Deum ritè colentium in terris esse; at ex eo quia illud non repugnat rectæ rationi, non rectè concluditur repugnare rectæ rationi, si quis credat hoc credendum non esse. Ita non repugnat rectæ rationi, si quis credat verisimile aut credibile esse, Deum olim remisisse peccata sine interveniente sanguinis bruti effusione, & tamen malè ex eo inferret quis hoc ipsum credendum esse, & hoc ipsum non credere repugnare rectæ rationi. A credibili ad credendum non valet consequentia. Et sæpenumero quod ex una parte & ratione credibile appareat, ex altera parte non perinde credibile apparere & esse potest. Verisimile enim verisimili non opponitur. Et certè si hoc tuum effatum pro axiomate certo habendum ac credendum esset, utique sequeretur fieri nullo modo posse, ut Deus Ecclesiam in terris habeat, nisi cœtum talem præcisè habeat; quia alioquin Deus facere posset, quod est contra rectam rationem; quod quàm longè vadat consideret D. V. pro sua eruditione & prudentia.

Si secundo modo accipiatur vox cœtus, tum facilè videre est, ut ut eam admittat Gentilis aut Ethnicus, non posse tamen ei superstrui conclusionem quæ paulò post subjungitur: Ergo Ecclesia primùm investiganda est Ethnico & Gentili quàm Scriptura. Quin imò contrarium potiùs ex ea colligitur atque evincitur; nimirum fieri posse, imò reipsa fieri, ut quis Deum ritè colat, & Ecclesiæ veræ membrum sit, priusquam sciat an & ubi sit Ecclesia sive cœtus Deum ritè colentium, imò etiamsi credat cœtum talem, sive Ecclesiam formaliter sic dictam, nuspiam in rerum natura exstare. Tales enim Deum ritè colentes permulti hîc illic esse possunt, ut tamen cœtum formaliter non faciant, etiamsi simul juncti cœtum revera, & quidem notabiliter adspectabilem, facturi essent. Hoc si ita sit, reliqua quæ sequuntur axiomata vacillent necesse est. Sed videamus nihilominus etiam ista.

Secundò inquis: *Credibile est, & credendum, Deum huic cœtui indicare, si quid hominibus dictum velit.*

*Secunda hypothesis, credendum est Deum huic cœtui indicare, si quid hominibus dictum velit.*

Hoc secundum tuum ἄιτημα, ut ut sine periculo admitti posset, si vox cœtus secundo, quo dixi, significatu accipiatur, tamen revera nullo etiam certo fundamento nititur, etiamsi vox cœtus primo sensu accipiatur; si modò *Deum indicare* hîc significet non tantùm semel indicasse aut revelasse, (id enim indubium est, credibile imò credendum esse Deum primò revelare debere ministris sive servis suis, quid hominibus dictum velit, juxta id quod dicitur, *quomodo prædicabunt nisi mittantur?* & *, nemo novit Filium nisi Pater, nec Patrem nisi Filius, & cui Filius voluerit revelare:*) sed continuò insuper assistere, instruere, dirigere & suggerere, quæ singulis temporibus cœtui isti dicta velit, uti procul omni dubio intelligit V. D. Nec enim recta ratio necessariò postulat, ut hac ratione Deus cœtui illi adsistat. Non repugnaret quidem rectæ rationi, si id Deus faceret. At nec repugnat rectæ rationi, si id non faciat. Sufficit enim abundè, etiam ex dictamine rectæ rationis, si Deus isti cœtui tale quid semel dixerit, dicive voluerit, & dictum illud quasi depositum aliquod æternum ipsis reliquerit, cujus beneficio cœtus ille sartus tectus conservari, & cultus semel inchoatus perpetuò continuari possit, sibique interea libertatem servet Deus cultum istum, si collabatur, redintegrandi, aut cultores excitandi pro voluntatis suæ beneplacito, quando & ubi consultum divinæ ipsius sapientiæ videbitur: id est, si reliquerit voluntatis suæ immotam quandam normam ac regulam, juxta quam singuli in cœtu isto se componere, & cœtus ipse etiam ubicunque fuerit, sese, si Dei timens sit, dirigere semper debeat ac facilè possit. Nulla istius, quam D. V. statuit, necessitatis apparet ratio. Nec enim repugnat sapientiæ, justitiæ, aut bonitati divinæ, si eo quo dixi modo agat; neque contradictionem implicat agendi iste modus; quia aliàs sequeretur, Deum isti quem statuis modo ita alligatum & adstrictum esse, ut aliter agere non possit. Adde hîs, quod

quod etiam ad primam propositionem tuam monuimus, mirum meritò videri posse, quomodo non tantùm credibile, sed credendum etiam Ethnico esse asseras, tanquam axioma ubique & apud omnes omni exceptione majus, quod tamen Ethnicus scire potest in dubium vocari: imo apertè tanquam falsum rejici, ab iis qui non tantùm rectam rationem ducem, sed religionem etiam Jesu Christi, & divinum ipsius verbum sequi profitentur.

*Tertia hypothesis, credendum est hanc cœtum in fundamentalibus non errare.*

Tertiò subjicis: *Omnino credibile esse, & prudenter credendum, cœtum hunc in fundamentalibus non errare.*

Hoc totum coincidit cum primo & secundo postulato tuo. Cum primo, quo asseritur credibile esse, & secundùm rectam rationem credendum, esse in terris aliquem cœtum Deum ritè colentium. Si enim credendũ est esse cœtum aliquem colentium Deum ritè, utique credibile & credendum est esse cœtum colentium Deum sine errore in fundamentalibus. Quomodo enim aliàs coleretur Deus ritè? Cum secundo, quo asseritur credendum esse, Deum cœtui isti indicare quid hominibus dictum velit. Si enim credendum est Deum indicare quid dictum velit hominibus, & quidem singulis temporibus ac momentis, cùm id necesse est, uti accipi verba ista à D. V. ante diximus, utique credendum est cœtum illum non errare in fundamentalibus. Quorsum enim aliàs serviret ista indicatio divina, id est, directio & adsistentia illa perpetua? Certè nulli alii fini servire potest, quàm ut ne erret cœtus ille in iis quæ dicenda sunt hominibus, id est, in fundamentalibus, qualia sunt, uti statim subjicis, Dei verbum purum tradere & purè explicare. Supervacanea itaque & non necessaria est hæc tertia propositio, quippe quæ prioribus duabus immediatè implicita est atque implexa, & ejusdem proinde cum duabus præcedentibus propositionibus valoris ac ponderis. Neque verò ratio, quàm à divina Providentia desumis ad istam stabiliendam, sufficit, nisi primùm & ante omnia evincas, voluntatem Dei hanc præcessisse, ut cœtus talis visibilis, qualem indicasti, in terris semper existat. Nisi enim hæc voluntas Dei præcesserit, ad Providentiam divinam non spectat, ea, qua dicis, ratione conservare cœtum illum. Et ut in universum hoc semel dicam, Providentia divina non mensurat Dei voluntatem, sed eam consequitur & ei quasi commensuratur. Unde Providentiæ divinæ ratio non est adstringenda certo alicui modo aut mensuræ, quæ nobis credibilis, & rationi etiam rectæ fortean maximè consentanea videtur. Libertas Providentiæ divinæ latitudinem habet, & in verisimilitudinis etiam maximæ angustias redigenda non est. Neque enim semper ille Providentiæ divinæ modus Deo placet, qui excellentissimus est. Pro libertate sua eum deligit quem vult, & quilibet omnino modus sufficit, dummodo sit æquus, rationabilis, ac sufficiens ad finem illum quem Deus sibi propositum habet. Ex quo efficitur præposteram aut dubiam prorsus esse totam hanc procedendi viam, quam cum Gentili aut Ethnico ingrederis. Ratio est, quia cùm negotium Religionis & Ecclesiæ omnino ac prorsus dependeat à libera Dei voluntate, nulli certo modo aut ordini, licèt rectæ & nostro fortè judicio optimæ rationi consentaneo, adstricta aut alligata, utique non potest Gentilis, saltem non certò nec indubiè, sed veluti per conjecturam, deduci ad Religionis divinæ aut Ecclesiæ notitiam, nisi primùm de voluntate illa divina certior fiat. Quia autem de voluntate divina certus reddi nequit nisi per divinam revelationem, utique frustra aut dubiè admodum rationes credibiles adhibentur, ad hoc aut illud persuadendum. Quia, vertas licèt te in omnes formas, tamen rationes illæ non vadunt ultra credibile aut verisimile. At credibile aut verisimile aliquid esse potest, quod tamen verum non est.

Quare frustra est D. V. cùm subjicit, *Hæc omnia secundùm prudentiam æquo integroque animo credenda esse apparent.* Si credibilia dixisses, speciem habuisset oratio. At dicere ea credenda esse, nulla prorsus prudentia nititur; quia nulla ratio dictat, hanc esse præcisè voluntatem Dei ut cœtus aliquis talis sit. Voluntas enim ea est prorsus libera, imprimis in actionibus & modis agendi gratiosis, qui à puro puto ejus arbitrio dependent, ac proinde cognosci prudenter nequit, aut credendum saltem prudenter non est, quod hoc aut illo modo agat Deus, nisi præcesserit divina revelatio, quâ modus agendi certus expositus sit & patefactus.

Ex hac re manifestum porro est, nec breviorem, nec aptiorem, nec certiorem viam iniri posse, quàm eam, qua Gentilis de Scriptura, id est, divinæ voluntatis patefactione, certus redditur, quam paulò post indicabimus. Hanc verò quam D. V. indicat, non modo longam & anfractuosam, sed dubiam etiam & planè incertam esse, & Gentilem salutis suæ cupidine inflammatum, post devorata tot propositionum imaginariarum tædia in solo lubrico atque ancipiti verisimilitudinis fastigio incertum relinquere.

Nec minus lubrica & dubia sunt quæ sequuntur. Etenim postquam hac ratione Ecclesiam investigandam esse significasti, eam ex notis porro deprehendi & à cœtibus aliis distingui debere ais. esto: quomodo quæso id fiet? *Ego*, inquis, *rogabo ut tanquam historiam certam habeat, Dei Filium carne assumtâ Ecclesiam congregasse, Apostolos collegisse, &c.*

*Postulatum Wandingi, ut Ethnicus tanquam historiam certam habeat, Dei Filium in carne assumpta Ecclesiam congregasse, &c.*

Vide sis, mi Domine, quàm hîc miserè iterum hæreas, & infelicem Ethnicum post tot inculcatas propositiones verisimiles, post tot diverticula imaginaria, denuo per lubricos dubiosque viarum flexus circumagas. *Rogabo*, inquis, *ut tanquam historiam certam habeat Dei Filium, &c.* Quid hoc quæso est, *ut tanquam historiam certam habeat Dei Filium*, &c. anne aliud quid, quàm ut credat Scripturam veram esse, quâ solâ historia illa continetur, & sensum Scripturæ esse illum quem ipsi insinuas, videlicet Dei Filium congregasse sibi Ecclesiam, &, (id enim vult tuum, &c. aut saltem velle debet) voluisse ut Ecclesia aliqua certa adspectabilis semper esset in terris? Nihil certè aliud esse potest. Itaque rogabis ut jam Scripturæ credat, & de sensu Scripturæ statuat, antequam sciat quænam vera sit Ecclesia. Hoc, uti vides, non convenit cum principio tuo, propter quod adstruendam tota hæc disputatio suscepta est. Et quomodo quæso ais, *Rogabo?* Quid si ille roganti tibi non adsentiatur? An non id illi persuadere conaberis? Utique id necessum est ut facias, aut ut Ethnicum miserè in luto hîc hærere & anhelare sinas. Si persuadebis, duo facias necesse est. Primò ut persuadeas illi historiam illam, de qua quæritur, veram esse. Secundò sensum illum, quod Christus Ecclesiam sibi collegerit, eo quo tu credis modo inesse Scripturæ, quâ historia ista continetur. Prius si illi persuadere voles, necessum est ut ei persuadeas historiam illam à Deo profectam esse, nullâ adhibitâ authoritate veræ Ecclesiæ. Hanc enim nondum novit Ethnicus, quia notas proprias veræ Ecclesiæ nondum cognitas habet, neque cognitas habere potest, juxta tuum hunc procedendi modum. At verò hoc repugnat directè non tantùm scopo tuo, sed & modo isti procedendi, quo eum per Ecclesiam ad Scripturam deducere conaris: quin imò non parum stabilit ac confirmat eum quem ego procedendi modum ineundum esse credo. Si posterius ei persuadere voles, necesse est ut illi legendam des Scripturam sacram, & ab ipso dijudicari sinas proprio ipsius Marte, sensum illum quem rogas ut credat, historiâ illâ contineri. Utrumque hoc etiam alienum est à principiis tuis. Et jam posito quod historiam illam legens, incidat in eam de Ecclesia, quam nos tenemus, sententiam, (id enim fieri posse non negabis opinor:) quid facies? Necessum est ut hîc hæreas, aut eam quam nos sequimur agendi rationem probes atque etiam ineas, ne te ipsum & Gentilem veritatis studiosum in errore illo deseras, ac spe omni salutis consequendæ frustratum perire sinas, id est, ut illi persuadeas iis, quæ jam ante indicavimus, argumentis, aut similibus, historiam sacram, ac proinde Scripturam, quæ nihil nisi historiam illam complectitur, à Deo traditam ac profectam esse. Id enim ubi persuaseris, jam unâ eâdemque operâ persuasum illi erit, cœtum illum, qui historiam istam pro divina habet, veram Dei Ecclesiam, hactenus saltem esse, quod habeat atque pollideat verbum illud, quod verum Dei verbum est, unde salutis ratio petenda est. Eo posito, tum porro ex illo ipso verbo rescisscere debet, quidnam illud sit quod Deus in eo requirit ad cultum sui. Id enim aut proprio Marte cuilibet perendum esse ex ipso verbo intelliget, aut aliunde hauriendum esse cum hæret. Si ex ipso verbo cuilibet id petendum esse intelligat, adhibitoque studio perspiciat quid illud sit quod ad cultum sui Deus requirit, jam cognitum etiam habebit, & eâdem operâ intelligit, quinam sint veri Dei cultores, ac proinde quis sit cœtus Deum ritè colentium, sive quæ sit vera Dei Ecclesia. Si ex ipso verbo deprehendat sensum illius verbi aliunde, sive à certo aliquo cœtu aut Ecclesia, cui potestas interpretandi infallibiliter data sit, hauriendum esse, tum demum necesse habet adire Ecclesiam illam. Cæteroquin eum, qui hæc omnia ignorat, id est, qui nescit aut persuasus non est de verbi alicujus divini veritate, aut postquam de eo persuasus est, nescit utrumne Dei voluntas sit ut Ecclesiam certam adeat à qua de sensu verbi illius instruatur, per notas aliquas eò deducere velle ut intelligat quænam sit vera Dei Ecclesia, est oleũ & operam perdere, uti ex reipsa liquet.

Veruntamen dato, at non concesso, Ethnicum roganti tibi adsentiri, & credere historiam illam veram esse, eaque contiri Deum voluisse ut Ecclesia aliqua talis adspectabilis semper in terris esset; (quamquam supervacaneum illud jam hoc loco videri possit:) videamus quomodo eum porro ad veræ Ecclesiæ notitiam perducturus sis. *Eo habito*, inquis, *notas eas proferam, quas intellectus prudens, divinâ gratiâ adjutus, non possis non judicare veram Dei Ecclesiam designare.*

*Nota Ecclesia.*

Hactenus benè, nisi quod distinctionis paulùm declarandum hîc fuisset, utrumne notæ illæ quas proferre voles, singulæ per se sufficiant ad designandum veram Dei Ecclesiam,

siam, an omnes simul junctæ necessariæ sint ad designationem illam faciendam. Sed ut ut sese res habeat, videamus quas notas adsignes. Si enim ostendero nullam harum propriam aut veram notam esse, per quam is qui Scripturæ sensum ignorat, aut de eius veritate antea persuasus non est, qualis est Gentilis & Ethnicus, de quo hîc agitur, in cognitionem veræ Ecclesiæ Jesu Christi deduci possit, evicero etiam notas has simul junctas veram Ecclesiam Ethnico non designare.

*Dicam*, inquis, *esse Unam, Sanctam & Apostolicam, ostendamque clarè ex scriptis nostris solam Ecclesiam quæ Romano Pontifici adhæret esse Sanctam, Unam, Catholicam,* (hæc jam hoc loco superadditur prioribus tribus) *Apostolicam.*

*Quæ Pontificii assignant non sunt propria & certa vera Ecclesiæ notæ: nimirum esse.*

Magnum aliquid præstiteris si utrumque hoc probaveris, mi Wadinge, notas illas esse proprias certasque veræ Ecclesiæ notas, & eas soli Ecclesiæ illi quæ Romano Pontifici adhæret competere. Ego neutrum solidè te ostendere posse mihi persuadeo. Ac prius quidem membrum, quòd hæ quas adsignas notæ, nec singulæ per se, nec omnes simul junctæ, infallibiliter designent veram Dei Ecclesiam, ostendi solidè à te non posse, ut evincam, utar primùm argumento tuo proprio. Quia tam falsæ quàm veræ Religionis Professores, imò omnes sectæ (licèt maximè contrariæ) eas sibi vendicant. Quotquot enim sunt Ecclesiæ, Græcæ, Armeniæ, Ægyptiæ, Arrianæ, Samosatenianæ, Nestorianæ, Eutychianæ, Lutheranæ, Calvinisticæ, Anabaptisticæ, &c. dicunt & contendunt singulæ Ecclesiam suam esse Unam, Sanctam, Apostolicam, Catholicam. Si dicas nullam istarum omnium jure eas sibi vendicare, cùm id probare nequeant: Respondebunt fere uno ore omnes ac singulæ, se summò jure sibi has vendicare, eo quòd Ecclesiam suam veram Christi Ecclesiam esse credant, cui ista omnia competant: necessum autem non esse ut probent id ita se habere, eo quòd certum sit & indubium, Ecclesiæ illi, quæ vera Christi Ecclesia est & pro qua veritas ipsa militat, omnia ista competere, sive id ostendere possint, sive non ostendere. Secundò dicam, Illa ipsa non esse notas Ecclesiæ, per quas in veritatis ac proinde veræ Ecclesiæ cognitionem deveniri possit, sed accidentia quædam communia, veram Ecclesiam necessariò quidem concomitantia, sed ad veritatem Ecclesiæ veræ cognoscendam non facientia, nec per se sufficientia, nisi cum ipsa veritate sive veræ & salutaris doctrinæ professione conjungantur, eamque supponant, aliàs non minus incerta atque ignota esse, quàm ipsa veritas ignota est, quæ quæritur. Neque verò sequitur, si illa accidentia competant veræ Ecclesiæ, ergo cuicunque ista competunt illa est vera Ecclesia. Externa omnia & visibilia quæ in oculos aut sensus incurrunt sunt communia, & proinde talia quæ contrariæ Ecclesiæ sibi vendicare possunt, & pari fortè jure. Et certè quin Græcæ Ecclesiæ, quas tamen si non hæreticas, schismaticas saltem, ac proinde non veram Dei Ecclesiam esse vultis, has notas sibi vendicare possint æquali jure, si non majore, dubitari vix potest.

*Unam,*

Verum ut ne diutius huic argumento immoremur, age videamus singulas seorsim & per se. *Unitas* propria nota esse non potest. Aut enim intelligitur unitas, ut loquuntur, Metaphysica; at hæc non potest esse nota Ecclesiæ, quia Unitas hæc realiter non differt à reipsa: unum autem idemque sui ipsius nota esse non potest. Aut intelligitur Unitas Ethica sive moralis, quæ consensionem significat in capitibus, quæ fundamentalia esse creduntur ab Ecclesia, quæ una esse dicitur: at hæc unitas nota etiam veræ Ecclesiæ esse non potest, quia sic quælibet secta etiam una est, saltem in iis quæ ab ipsa judicantur & creduntur esse fundamentalia. Nec enim ea à seipsa dissidet. Et hujusmodi Unitas sive consensio sæpe inter pessimos est, & ex causâ nihil minus quàm divinâ ortum ducit. Si dicas Unitatem à te intelligi talem, quæ consensionem cum ipsa fundamentali veritate importat, jam unitas talis nota esse non potest, quia æquè obscurum est, an Ecclesia aliqua vera Dei Ecclesia sit, atque est an una sit in fundamentali veritate, imò, secundum hanc sententiam, veritas notior foret quàm unitas. Concludens itaque dico, Unitatem hujùsmodi notam esse non posse, quia quamdiu veritas ignota est, Unitatis etiam ipsius bonitas ignota sit necesse est. Et certè Unitas sive conclusio in unum nullius planè momenti est, nisi ejus coagulum sit veritas, & fundamentum imperturbata, libera, non coacta, nec vi aut metu, aliave mundana seu violentia seu arte extorta in veritatem consensio. Ubi vis dominatur, aut tyrannis, ibi vera exulat Unitas & proscripta est consensio. Quod ipsum mihi postea serviet pro argumento, unde concludere conabor, Ecclesiam eam quæ à Romano Pontifice dependet unam non esse, & hujus quam appellas notæ privilegio non gaudere.

*Sanctam,*

*Sanctitas* etiam externa, (eam enim proculdubio intelligis) nota Ecclesiæ esse non potest. Nam externa sanctitas morum sive vitæ, hypocritis cum verè probis communis est, eamque non pauci, qui vobis sunt hæretici, sibi vendicant, quin imò eam nulla non secta sibi arrogat, & quædam certè non minore, si non majore, jure quàm Ecclesia Romana, quam in capite suo Pontifice & Cleri magnâ parte contaminatissimam & profanissimam sæpe fuisse nemini ignotum esse potest. Et habent certè sectæ nonnullæ Martyres suos magno numero, qui sanctitatem suam crudelissimarum mortium & tormentorum, quæ ab Ecclesiâ Romanâ perpessæ sunt, patientiâ testatam fecerunt. Horum sanctitatem veluti fictam & hypocriticam cavillari & fugillare ineptum foret. Quicquid enim in illam dixeris, idem etiam in vestram pari jure retorquebitur, &, si alibi, certè in morte hypocrisin exulare verisimiliter affirmabitur. Sed hujusmodi sanctitatem à te non intelligi hoc in loco mihi persuadeo, quippe qui eam absque verâ fide & Religione existere & locum habere posse credis. Itaque erit sanctitas præceptorum, quam notam Ecclesiæ esse vis. At verò nec ea potest esse nota veræ Ecclesiæ. Aut enim præcepta intelligentur quæ Ecclesia ipsa condit: aut quæ Ecclesia ipsa accipit & sequitur. Si illa intelligantur, jam sanctitas hujusmodi præceptorum non potest esse nota veræ Ecclesiæ, quia incertum est, quamdiu expressa voluntatis divinæ revelatio non accedit, an Ecclesia potestatem habeat præcepta ulla condendi aut faciendi, ac proinde an sancta sint præcepta illa quæ condit, & consequenter an ea Ecclesia quæ præcepta condit vera Ecclesia sit. Aut si Ecclesia credatur habere potestatem talem, jam Ecclesia quælibet sanctitatem eam sibi vendicabit, & per consequens perinde incertum manebit, quænam præcepta sancta sint, atque est, quænam Ecclesia vera sit Ecclesia. Quæ enim judicii de sanctitate norma foret? Certè sanctitatem præceptorum aliunde æstimare velle, quàm ex authoritate & voluntate divinâ, temerarium est & vanum. Hinc fit ut quæ alii sancta esse judicant, ab aliis judicentur superstitiosa, idololatrica, & tyrannica. Et hinc fiebat ut Apostolus *ad Coloss.* damnaret præceptorum ista, *ne ederis, ne gustaris, ne tetigeris, ἐθελοθρησκείαν καὶ διδασκαλίας τῶν ἀνθρώπων*, quæ tamen uti in fine ait, *λόγον μὲν σοφίας* habebant, & ab iis qui ista urgebant, sine omni dubio sancta & ad cultum divinum necessaria judicabantur. Et hujusmodi præcepta in Christianismo infinita sunt, quæ alii ut divina & sancta jactant, alii ut humana, profana, superstitiosa & illicita damnant. Si intelligantur præcepta quæ Ecclesia ipsa à Deo accipit & sequitur, jam præceptorum illorum sanctitas etiam non potest esse nota veræ Ecclesiæ; 1. quia prius tum constare debet, quòd præcepta illa à Deo profecta aut divinæ voluntati consentanea sint, quàm constare possit quòd Ecclesia quæ ista præcepta habet, vera sit Ecclesia. Atqui sic prius erit nota voluntas divina, & voluntatis divinæ norma ac regula, quæ præcepta ista tradit, quàm Ecclesia. 2. Quia hujusmodi præceptorum sanctitatem communiter omnes Sectæ sibi arrogant, eaque nullo jure derogari potest iis, qui Scripturam solam sequuntur, tanquam actionum suarum regulam, quia ea extra omne dubiũ sanctissima est, & non nisi sanctissima præcepta continet. Et tamen hisce talibus veræ Ecclesiæ titulum ex hoc capite competere negatis. Ergo præceptorum sanctitas nota esse non potest, juxta propriam vestram hypothesin.

*Apostolicam* esse, quomodo veræ Ecclesiæ nota sit, non video. Aut enim vox hæc significat Ecclesiam consentire cum doctrinâ verâ Apostolorum: at hoc ipsum nota non est; quia æquè incertum est, an Ecclesia verè consentiat cum doctrinâ Apostolorum, atque an sit vera Ecclesia: aut si illud certò sciri possit priusquam sciatur quæ sit vera Ecclesia, jam doctrina Apostolorum ejusque verus sensus sciri, intelligi, & dijudicari potest ac debet, etiam à Gentili, antequam cognoscatur vera Ecclesia; quod tamen ingens absurdum illud est, quod à nobis asseri dicis. Aut significat Ecclesiam ab Apostolis ipsis ortam esse ac profectam. At hoc ipsum non potest etiam esse nota veræ Ecclesiæ, non tantùm quia illud sibi contrariæ omnes Ecclesiæ, & non paucæ cum continuæ successionis luculentâ demonstratione, ut Græcæ, & quidem majori certè jure quam Latinæ, vendicant; sed etiam quia hoc ipsum, An nota sit veræ Ecclesiæ ab Apostolis ortam esse, æquè incertum est; atque incertum est, quænam vera sit Ecclesia; imò certo certius est illud notam non esse, quia expressè legitur non uno in loco, multos olim fuisse, qui ex Apostolis ipsis egressi erant, & Apostolorum nomen atque authoritatem sibi vendicabant, qui tamen (uti textus in terminis ait) ex ipsis non erant, qui mendaces erant & Synagoga Satanæ, quibusque Apostoli mandata nulla dederant, uti videre est *Actor.* XV. 1. *Joan.* II. *Apoc.* II. Cumque Antichristi multi jam tempore ipsorum Apostolorum esse inciperent, & mysterium exlegitatis jam tum in ipso Dei templo ageret, uti est 2. *Thess.* II. Et sanè quid impedit quo minus ex eadem Schola prodeant discipuli genuini & spurii, qui præceptorem non nisi barbâ & pallio referunt? Certè

*Apostolicam.*

tè Aristippus filium ex se genitum domo sua ejiciens, cum à prætereuntibus inclementiæ argueretur, quod justo plus sæviret in eum quem ex se natum atque ortum esse sciebat, lepidè respondebat, Etiam pilos, sputum, & excrementa ex se prodire, quæ tamen pedibus conculcaret. Origo itaque, successio, duratio & similia nil nisi inanes umbræ ac larvæ sunt, nisi veritatem comitem habeant & salutaris doctrinæ spiritu animentur. Addo his, quod hoc ipsum, quod Ecclesia aliqua ab Apostolis ipsis originem suam continua successione habeat, non minus, imò magis obscurum sit, quàm quod sit vera Ecclesia; imprimis gentili, laico atque indocto. Obsecro enim, qua via ad ejusce rei certitudinem infallibilem deducetur? Necessum utique est ut eum per tot sæculorum atque ætatum vicissitudines, per omnia Græcorum ac Latinorum Patrum volumina, per incerta historiarum in quibus doctissimi quique hæsitant, per temporum omnium circumstantias, veluti per infinitas quasdam Syrtes & Charybdes circumducas, antequam ei notam illam persuadeas. Vide sis, an non dum misero homini expeditam viam monstrare præsumis, crucem potius ei figas ex qua suspensus hæreat per totam vitam suam; imprimis cum se delatum videbit in varias de Scriptoribus ipsis dubitationes, in frequentes Veterum dissensiones, in infinitas historicorum controversias, denique perplexissimas de fide horum & illorum quæstiones, contaminatas illas Pontificum vestrorum, Idololatrarum, Magorum, Arianorum, Nestorianorum, Eutychianorum, &c. ætates, aliasque ejus generis pæne immensas voragines atque abyssos; de quibus in præcedentibus non nihil attigimus, ad quas perlustrandas, ætas Methusalem vix sufficiat.

*Catholicam.* Eadem etiam est ratio notæ quartæ, *Catholicæ* scilicet. hæc enim aut significat, ut ais, Catholicam tempore, aut Catholicam loco. Vocem enim Catholicæ aliter paulum sumere videris, quam plerique vestrum. Si Catholicam tempore intelligis, jam nota distincta non erit, sed coincidet cum tertia, id est, Apostolica, quam notam esse non posse paucis ostendimus. Si Catholicam loco significet, jam nulla ratio est quæ cogat aliquem credere, illam esse veram Ecclesiam, quæ ubique fere est. Quid enim facit locus aut locorum multitudo ad veritatem aut bonitatem rei? Quantitatis certè nulla est efficacia. Hinc Ecclesia aliquando appellatur ea, quæ tantùm in domo & familia unius est: *Rom.* XVI. & quod ex se bonum non est, id nec locus nec locorum multitudo in quibus illud reperitur, bonum reddet; sicut quod initio malum est, tempore non consolidatur, uti Juris consulti ajunt. Quin imò contrarium fortè haud absimiliter à vero potius hinc concludi posset, Ecclesiam illam quæ omni ferè loco est, veram Christi Ecclesiam non esse: 1. cùm passim ferè Ecclesia Jesu Christi vera, gregi parvulo comparetur, adeò ut ultimis temporibus vix fidem repertum iri dicatur in terra. 2. Cùm certum sit fuisse aliquando tempus quo Catholica loco non fuit, Christo scilicet adhuc in terris vivente, imò aliquamdiu post ipsam adscensionem Christi, antequam adhuc intelligerent discipuli gentibus prædicari posse Euangelium. Inde enim sic concludo, ex ipso principio tuo, quod hîc ponis: Collectio proprietatum designat individuum, & vel unius proprietatis defectus destruit individuum: Itaque si Ecclesia Christi in principio Catholica non fuit loco, necessum est ut dicatur aut eam non fuisse tum temporis veram Ecclesiam, aut veræ Ecclesiæ propriam notam non esse quod sit Catholica loco. Dices fortasse aliter intelligi à te Catholicam tempore & loco, quam hîc accipitur, videlicet pro eo quod Ecclesia illa vera sit Ecclesia, quæ omni tempore & omni loco Catholica est vocata. Esto. At quo fundamento nititur hæc consequentia? Misera est consequentia à nomine ad rem, quum nomina sæpe falso rebus imponantur, & ex communi quodam more seu vulgi opinione potiùs quam ex rei veritate interdum usurpentur. Ita inter Smyrnenses erant qui dicebant se Judæos esse & non erant, sed erant Synagoga Satanæ: *Apoc.* II. 9. Inter Ephesinos, qui dicebant se Apostolos esse & comperiebantur mendaces esse: *ibid. vers.* 2. Adde quod falsum sit, uti jam ante diximus; 1. Ecclesiam veram omni tempore & loco appellatam fuisse Catholicam, uti ex testimonio Paciani liquet. 2. Eos qui Romanæ Ecclesiæ adversati sunt, schismaticæ Ecclesiæ titulo ab aliis, quàm Romanæ Ecclesiæ sectatoribus, aliisque adversariis ipsorum, nedum à seipsis indigetatos fuisse. Et, si æstimanda est veritas ex nominibus quæ quis sibi ipsi tribuit, aut falsitas ex iis quæ adversarius adversario tribuit, actum utique est de veritate; & uti sectæ omnes Authorum suorum titulo ab adversariis veluti schismaticæ damnantur, ita derepentè evadent Orthodoxæ, Catholicæ, Christianæ, quia eum sibi ipsi titulum pertinacissimè omnes arrogant & attribuunt. Catholicam itaque esse non est nota certa, per quam is qui Gentilis est, & qui, quæ Ecclesia Christiana sit nondum novit, in cognitionem veræ Ecclesiæ devenire queat. Quid enim? Æquè incertum erit & ignotum, an illi qui Catholici sunt, puriores Christiani sint, an alii qui isto nomine non vocantur. Quæso enim, unde Gentilis hoc cognoscet? An ex eo quia ii, qui ita sese olim vocarunt, verè Christiani fuerunt? At unde intelliget eos ritè & jure id fecisse? An quia verisimile est eos, nisi vera & Christiana fuissent Ecclesia, nomen istud non fuisse retenturos? At verisimile non sufficit ad constituendam certam & infalllbilem Ecclesiæ notam. Quod enim verisimile est, id revera tamen potest esse falsum. Deinde argumentum à facto ad jus non rectè procedit. Illi retinuerunt sibi id nomen, ergo jure retinuerunt. Quæ enim consequentia? Sed tantùm abest ut ex nomine hoc concludatur id quod vis, ut contrarium ex eo non obscurè concludi possit. Catholici enim nomen, non fuit nomen quo veri Christiani designati semper sunt. Testem ipsum Pacianum cito, cujus hæc sunt verba: *Sub Apostolis nemo Catholicus vocabatur. esto, sic fuerit, vel illud indulge cum post Apostolos hæreses extitissent, diversisque nominibus columbam Dei atque reginam lacerare per partes & scindere niterentur, nonne cognomen suum plebs Apostolica postulabat, quæ incorrupti populi distingueres unitatem?* Usus etiam & ratio fidem huic rei faciunt. Nunquam enim Catholici vox in Scripturis reperitur tributa Ecclesiæ: nusquam Christiani vocantur Catholici. Et quomodo quæso rectè ita vocarentur? Catholicus enim Universalis est. At quid est universalem esse? An tenere id quod universa Ecclesia tenet? At quid rursus est universa Ecclesia? An Ecclesiæ omnes? an puræ aut puriores tantùm? Si per universam Ecclesiam omnes Ecclesiæ denotantur, jam Catholici etiam erunt ἐνηδόξοι: Si eæ tantùm quæ sunt puræ, aut quæ cæteris sunt puriores, jam Ecclesiæ puræ nota non est Catholicismus, sed contrà puritas est Catholicismi veri nota. Huic adde, quod cùm rationem istius nominis adsignat Pacianus, in libro quem de industria de Catholico nomine inscripsit, tam diversimodè, imò (liceat liberè id mihi dicere) tam ineptè id facit, ut meritò dubitare possis, utrum intellexerit quid vox Catholicus sibi velit. Etenim ita inquit: *Si reddenda est ratio Catholici vocabuli, & exprimenda de Græco interpretatione Romana, Catholicus ubique unum, vel (ut doctiores putant) obedientia omnium nuncupatur mandatorum, scilicet Dei. unde Apostolus: Si in omnibus obedientes estis.* Quid absurdius? Et, si omnino id verum esset, quod Pacianus ait doctiores putare, quis non videt Catholici nomen notam veræ Ecclesiæ esse non posse, cum sciri non possit quænam sint mandata Dei, antequam Ecclesia vera nobis illa tradat & explicet, uti ais? Res plana est. Hactenus de primo membro breviter & veluti ἐν πεζῷ.

*Quimetsam hanota non conveniunt Ecclesiæ Romanæ, quæ* Alterum membrum est, notas hasce soli Ecclesiæ illi quæ Pontifici Romano adhæret competere. Non excutiam multis veritatem secundi hujus membri, sed id tantùm hoc loco dicam, ex iis quæ antea à nobis dicta sunt, non obscurè colligi posse, tantùm abesse ut notæ hæ, quas veras, proprias & genuinas Ecclesiæ Jesu Christi notas esse vis, soli Ecclesiæ Romanæ vestræ competant, ut nulli fermè minus competere dici possint, si singularum notarum proprietas accuratè expendatur. Ut autem videas id ita se habere, hæc paucula tantùm impræsentiarum allegabo.

*Neque est una,* Una, id est, consentiens in verâ fide, Ecclesia Romana dici non potest. Prima hujus rei ratio est, quia consensio in ea vera, id est, libera, locum non habet; sed quæcunque ibi est consensio, ea non nisi consensio coacta est & per vim ac metum extorta. Ubi enim dissentire non licet, ibi non habet locum vera consensio. Tolle si placet metum, tyrannidem, carcerem, crucem, ignes, rotas, concede cuilibet libertatem legendi, judicandi, dissentiendi sine periculo famæ, vitæ, bonorum in Ecclesia Romana, & videbis quàm brevi ea non dico in partes, sed in infinitas particularum particulas dissilitura sit. Satis id indicant excellentissima illa quæ in Ecclesia vestra ingenia omni pœne sæculo reperire licet, quæ non dubitant subinde in gravissimis de fide controversiis fateri, se in meliorem sententiam pedibus descensura, nisi Ecclesia aliter statuisset. Latum hîc mihi campum aperiri video, sed eum non ingrediar, ne prolixior sim. Secunda ratio, cur Ecclesia illa quæ Romano Pontifici adhæret, Una Ecclesia dici non mereatur, hæc est, quod fundamentalis dissensio in ea locum habeat. Apparet id manifeste in duobus Capitibus, ut alia non attingam. 1. In Capite seu quæstione de summo Ecclesiæ regimine in terris: utrumne videlicet illud competat Papæ aut Pontifici supra Concilium, an verò Concilio supra Papam. Hoc posterius asseruerunt duo Oecumenica concilia Constantiense & Basilienſe, tenet adhuc Gallia tota & quotquot in ea sunt Academiæ, aliique Theologi complures: illud Jesuitarum Schola universa. Quomodo fieri potest, mi Wadinge, ut una sit Ecclesia illa, quæ unum, certum ac definitum caput non habet, à quo immediatè dependeat, in rebus ad fidem pertinenti-

bus? Quæ hîc à vobis quæruntur pigmenta colorandæ & incruſtandæ tam palpabili diſſenſioni, ea dilutiora ſunt quàm ut viro cordato probari poſſint. 2. In Capite de Pontifice, an videlicet ipſe Pontifex errare poſſit in fide & hæreticus fieri, an non. Affirmantem partem integræ ſæpe Academiæ defenderunt, & recenter adhuc Alphonſus à Caſtro, lib. 1. contra hæreſes: Ambroſ. Catharinus, in Comm. *ad Gal.* 2. & multi alii eam tuentur; qui profectò magnis & pænè indubiis Paparum quorundam exemplis niti mihi videntur. Negantem verò Jeſuitæ & plerique alii defendunt. Poteſt-ne una eſſe Eccleſia, quæ in eo capite diſſentientes habet ſententias & toto cœlo diſtantes, unde Unitatis ratio prima & formalis petenda eſt? Non allegabo hîc alia, quæ levicula fortè præ his videri vobis poſſunt, nec ipſorum inter ſe Paparum diſſidia, cùm videlicet duo vel tres ſimul exiſterent, Antipapæ propterea vocati, cùm ſucceſſores anteceſſores ſuos non acerbè tantùm damnarent, ſed & eorum cadavera è ſepulchris effoſſa vel exurerent, vel aliâ quapiam ignominiâ afficerent: quâ de re videatur Platina in vitis Formoſi, Stephani & aliorum Pontificum. Nec recenſebo ſchiſmata illa quæ inter Antipapas per complures annos viguerunt, quæ ſupra viginti enumerant & perſpicuè deſcribunt idem Platina; & Genebrardus in ſua Chronologia. Quæ omnia tamen revera talia ſunt ut nemo facile futurus ſit, ſi modò ſine præjudicio rem expendat, qui Unitatem fidei & ſpiritus Jeſu Chriſti ibi viguiſſe aut locum habuiſſe credat, ubi tam diræ & enormes diſſenſiones inter ipſa Eccleſiæ capita, uti vocantur, tam longo tempore locum habuerunt. Quanti verò ſit momenti hæc diſſenſio ex re ipſa patet. Non ſolùm enim non poteſt una eſſe Eccleſia, de quâ certò non conſtat ecquod caput illius ſit à quo immediate dependet, ſed etiam fieri non poteſt ut unquam una fieri aut dici poſſit. Diſſenſio enim iſta neceſſe eſt ut æterna ſit, & perpetuo maneat indeciſa. A quo enim decidetur, ſi incertum ſit, cui ſupremum deciſionis jus competat? Dicere id Papam facere cum Concilio, nihil eſt. Factum enim quod attinet, id omnino eſt per accidens, ſi fiat. Deinde Concilia quædam Generalia definierunt capita nonnulla, quæ quia à Papa confirmata non ſunt, eo ipſo invalida judicantur, Exempli gratiâ, Concilium Baſilienſe: uti in doctiſſimo ſuo opere de Virtutibus Theolog. obſervat R. Epiſcopus Antuerpienſis. Si verò Papa id facere dicatur cum Concilio, tum quæro, aut facit id Papa collateraliter, tanquam pars illius Concilii cæteris Epiſcopis authoritate æqualis: aut principaliter, tanquam caput, ſolâ ſuâ infallibili & ſupremâ authoritate confitmans & ratam faciens Concilii ſententam. Prius non dices. Secundum ſi dixeris, jam ineptè dicetur Papam cum Concilio eſſe caput illius. Poſito enim, 1. quod Papa repugnet Concilii ſententiæ; 2. quod Papa minori parti Concilii adſentiatur: 3. quod Papa uni ſoli in Concilio melius judicanti ſuffragetur, uti Paphnutio in Concilio Nicæno, cæteris omnibus diſſentientibus; penes quem erit deciſio? Fieri id poſſe non potes negare: quia integra Concilia eo nomine reprobata jam pridem ſunt, ſolùm quod à Papa confirmata non eſſent, imò quod ab eo ſolo eſſent reprobata.

*Neque ſancita,*

Neque verò majori jure Sanctitatis titulus Eccleſiæ illi quæ Romano Pontifici adhæret competit. 1. Quia hæc Eccleſia authoritatem ſibi vendicat condendi nova præcepta, quæ conſcientias Chriſtianorum vi ſuâ obligent, & corporalibus adeoque extremis ſuppliciis ac pœnis contra tranſgreſſores ſancitæ ſunt; cùm Eccleſiæ Jeſu Chriſti ſit accipere leges non ferre, parere vocanti non jubere, audire non præſcribere, nedum carnalibus armis aut capitalibus ſuppliciis animadvertere in contravenientes. Tam hoc alienum eſt à miti atque imbelli ovium indole, à columbarum ſimplicium naturâ, à ſervi Jeſu Chriſti (quem Apoſtolus 2. *Timoth.* II. deſcribit) ingenio, ab Epiſcopi & Paſtoris officio, quàm quod alieniſſimum. 2. Quia præcepta tradit & probat quæ directè repugnant præceptis Dei, Jeſu Chriſti, & rectæ rationis. Præceptis Dei; qualia ſunt adoratio, genuflexio, & religioſus cultus imaginum, quà Dei, quà ſanctorum, quà reliquiarum, imprimis autem cultus panis Euchariſtici, qui pro vero & vivo Deo ſuppliciter adoratur & invocatur. Hæc enim diſertè repugnant ſecundo Dei præcepto. Talia etiam ſunt præcepta quæ vetant, 1. Ne laicus quiſquam Scripturam ſacram legat ſine expreſſo privilegio, ſub pœnâ mortis. 2. Ne Scriptura legatur in templo linguâ aliâ quàm Latinâ, id eſt, vulgo ignotâ: cùm expreſsè mandaverit Deus omnibus ac ſingulis, adeoque etiam Regibus ac Principibus, quos laicos eſſe conſtat, ut noctes dieſque legem ſuam evolvant, eamque filiis ac poſteris ſuis inculcent, & ut quando Lex legeretur, in auribus totius populi, linguâ omnibus notâ ac tritâ legeretur; uti paſſim videre eſt in libris Vet. Teſtamenti. 3. Quæ jubent ut mortui invocentur, quum Deus præter ſe unum invocari alium ullum vetuerit & mortuos rerum noſtrarum prorſus ignaros eſſe paſſim aſſerat. Præceptis Jeſu Chriſti contraria ſunt inter alia hæc, 1. Ne Laici communicent ſub utraque ſpecie. 2. Non licere Epiſcopo aut alii Clerico uxorem ducere. 3. Non licere ei qui dimittit uxorem adulteram, alteram ducere. 4. Hæreticos, qui vocantur, aut diſſentientes à Religione veſtrâ, licèt alioquin probi ſint, innoxii & inculpatæ vitæ homines, morte & quidem diriſſimâ puniendos eſſe. Quod unum præceptum tam mihi videtur crudele, tam atrox & nefarium, tam alienum à mitiſſimi Domini noſtri Jeſu Chriſti ingenio, regiâque illâ charitatis lege, quam ad ipſos uſque inimicos noſtros extendi Chriſtus vult, ut non dubitem aſſerere, non poſſe eſſe ſanctam Eccleſiam illam, in quâ Lex tam barbara, tam profana, tam ab omni rectâ ratione & humanitate aliena, viget. Ignoſce mihi, mi Wadinge, ſi liberius hîc dicam quod ſentio, ad innocentis ſanguinis vindicias, quem oro ne aliquando à multorum manibus repoſcat juſtus ille judex & ſupremus injuriarum vindex atque ultor Deus. Præcepta rectæ rationi repugnantia ſunt complura; inter illa principem locum tenent, quæ jubent omnes ac ſingulos credere panem tranſſubſtantiari in corpus Jeſu Chriſti, per verba quædam conſecratoria. Id enim eſt jubere ut credamus, Chriſtum cum conſecraret, tranſſubſtantiaſſe panem in ſuum corpus; ipſum manentem eodem loco & adſidentem menſæ ſuum ipſius corpus comediſſe, eodem tempore viſum fuiſſe ſimul & non viſum corpus ipſius, ſimul quieviſſe & locum mutaſſe, &c. accidentia panis eſſe ſine ſubjecto ullo: corpus unum eſſe in diverſis locis: quod quid aliud eſt, quàm totum quid eſſe extra ſe totum, unum eſſe duo ſive non unum, diviſum eſſe indiviſum, aliaque ſimilia? certè hæc tam directè rationi rectæ ſunt contraria quàm eſt ignis aquæ.

*Neque Apoſtolica,*

Tertiò: neque Apoſtolica meretur dici Eccleſia Romana; 1. Quia in eâ non auditur Apoſtolorum vox, niſi dicis tantùm cauſsâ. Sola vox Papæ aut Conciliorum utramque iſtic paginam facit. Authoritas Apoſtolorum pæne ſuſque deque habetur, qualem ipſorum verbis ſenſum Papa pro arbitrio ſuo tribuit, ſive ille directè ſcopo loci, aut aliis textibus repugnet, ſive rationem rectam funditus evertat, talis valet, neque ulterius inquirere aut diſceptare cuiquam licet, etiamſi fortaſſe apud animum ſuum convincatur de eo, quod ſenſus Papæ cum Apoſtolorum ſenſu & rectâ ratione convenire nequeat. Unde fieri neceſſe eſt ut Apoſtolorum dicta, præcepta & ſcripta, nullam amplius in conſcienrias eorum qui Romano Pontifici adhærent vim habeant, etiamſi de eorundem veritate convictæ ſint ac perſuaſæ. Hæc res tanti momenti eſt, ut neſciam an quippiam reperiri poſſit, quod æque facit ad Authoritatem Apoſtolorum per cuniculos & ſubtiliter ſubruendam, quàm ſpecioſus ejuſmodi neceſſariæ interpretationis titulus, quem Papa ſibi vendicat. 2. Quia nihil in ea apparet quod Apoſtolicam illam humilitatem, ſimplicitatem, manſuetudinem & innocentiam refert. Magnifica, ſuperba, & Regum Principumque theſauros, moles, ſtructuras, purpuras & luxum excedentia omnia in eâ videre eſt, &, ut uno verbo dicam, non Eccleſiam in mundo, ſed mundum totum & mundanum regnum in Eccleſiâ. 3. Quia nihil iſtorum rituum, qui in eâ obtinent, obſervare eſt in primitivâ Apoſtolorum Eccleſiâ: luſtres, volvas, revolvas licet ſcripta Actaque Apoſtolorum; iſtorum omnium, qui nunc apud vos vigent rituum, cæremoniarum ne γρῦ quidem reperies. Admiſſus fermè videtur Gentiliſmus totus in Eccleſiam veſtram, & damnata proſcriptaque Apoſtolorū ſimplicitas, quam in ipſorum Eccleſiis viguiſſe legimus. Certè an qui tantùm ab Apoſtolorum inſtitutis, moribus ac ritibus degenerarunt, rectè & jure Apoſtolici vocari mereantur, ſeriò tibi conſiderandū do. Propius premere oportet veſtigia eorū, ſi anguſti illius nominis gloriam jure veſtram facere velitis.

*Etiamſi de Catholica titulo gloriatur.*

Quartò: An Catholicæ titulus veſtræ Eccleſiæ jure competat non laboro. Certè titulum illum veræ Eccleſiæ tribui à Chriſto aut Apoſtolis, nuſpiam reperio. Græcos etiam illum veſtræ Eccleſiæ derogare, ſuæque in ſolidum adſcriptum ire, non ignoras. Sed miſera eſt Eccleſia quæ in ſolo nomine gloriatur ac triumphat. Rebus certandum eſt & rerum ponderibus ac momentis, ſine quibus nomina nihil aliud ſunt quam inania πεῖσματα.

*Remonſtrantium ſententia de notis Eccleſiæ.*

Ex hiſce facilè colligere poteſt V. D. quæ noſtra ſit de Notis veræ Eccleſiæ ſententia, nec neceſſe nos habere ut quæ à quibuſdam ſtatuuntur notæ, eas veræ Eccleſiæ notas eſſe ſtatuamus, aut, quæ noſtræ Eccleſiæ notæ ſint, definiamus. Nos enim ita ſtatuimus: 1, Nullas certas, proprias, atque infallibiles veræ Eccleſiæ notas dari poſſe, per quas Gentilis aut Ethnicus, quâ talis, in cognitionem veræ Eccleſiæ deducatur. 2. Nec neceſſe eſſe ut certæ quædam notæ Eccleſiæ quærantur aut ſtatuantur ab eo, qui veram Chriſti religionem novit atque adſecutus eſt. Nullas certas, proprias atque infallibiles notas Eccleſias dari poſſe, per quas

Gen-

Gentilis in cognitionem Ecclesiæ veræ deducatur, inde evincimus, quia fieri nequit, ut quis veram Ecclesiam cognoscat, nisi prius cognoscat quænam veritas illa divina sit, quam tenere oportet eos qui vera Dei Ecclesia dici merentur. Vera enim Dei Ecclesia sine divinâ veritate esse nequit; ergo neque sine eâ cognosci potest. At eam cognitionem Gentilis, quâ talis, habere non potest, neque ad eam deduci juxta sententiam tuam sine testimonio atque authoritate veræ Ecclesiæ. Ergo,&c. Verum quidem est,si placuisset Deo notas illas definire, & in terminis aut per indicia & circumstantias individuales designare,tum istæ notæ pro certis Ecclesiæ notis haberi possent: at cùm id Deo non placuerit, aut placuisse saltem certò probari nequeat, fieri non potest ut notæ infallibiles dentur. Quæcunque enim eæ erunt, externæ erunt & quæ in oculos incurrunt. At quæcunque externa sunt, ea sunt communia, & tam mendacio quàm veritati prætexi possunt,& plerumque prætexi solent. Species enim rei & res, uti ferè sunt coævæ, ita valde sunt contiguæ ac conterminæ: neque tam repentè veritatem suam pandit Deus, quin inimicus humani generis & mendacii pater ejus speciem induat & mangonium exercere incipiat, ut incautis atque imprudentibus imponat, & pro veritate solidâ inanem umbram & speciem rei obtrudat. Ex hoc porrò deducitur alterum, non necesse esse ei qui jam novit, quænam sit vera & divina ac salutaris Jesu Christi Religio, ut de notis Ecclesiæ quærendis laboret, cum sine illis Ecclesia reperiri & cognosci nullo negotio possit. Etenim si tantùm cognoscatur quænam ipsa salutaris veritas sit, id est, quænam sint ea quæ credenda, speranda & facienda sunt, ut unum cum Christo corpus efficiamur, & spem æternæ vitæ consequamur, utique jam tum scitur atque intelligitur,quod ii qui ista publicè ac palam profitentur, vera illa visibilis Ecclesia sint, cui nos quoad professionem adjungere debeamus. Uti enim per fidem unum cum illis corpus mysticum sive invisibile reddimur, ita per professionem ejusdem fidei unum corpus externum visibile fieri nos necesse est; sive illam professionem juncti faciamus, cùm videlicet id fieri potest; sive eam actu non faciamus, propter impedimenta & obstacula quæ occurrunt; imò etiamsi nesciamus, ubi locorum illi sint, qui istam professionem faciunt. Publica enim & adspectabilis illa professio, facit nos per se membra Ecclesiæ adspectabilis: neque opus est notâ aut notis ullis, quibus professio illa nota reddatur: Ipsa seipsam vi suâ abundè notificat & manifestam facit. Externæ enim rei & in oculos per se incurrentis, nota nulla requiritur per quam in oculos incurrat aut manifestè deprehendatur. Alioquin notum adhuc fieri oporteret id quod jam per se notum est. Unde tandem consequitur, laborandum nobis ante omnia & solummodo esse in id, ut veræ fidei & Religionis notitiam consequamur. sic enim futurum est, ut non tantum veram Christi Ecclesiam solidè cognoscamus, sed ut ipsi etiam veræ Ecclesiæ Christi viva membra fiamus, & certò tandem liquando salvemur, etiamsi contingeret ut nullius Ecclesiæ sive cœtus publici membra simus, eo quod veræ & salutaris doctrinæ professionem nusquam reperire nobis detur. Absque hoc frustra omnia tentari, & inanem operam sumi, etiamsi vel mille notæ conquirantur & congerantur, per quas ad cognitionem veræ Ecclesiæ pervenire studeamus. En,doctissime Pater, sententiam nostram de notis Ecclesiæ.

## CAPUT IX.

### Vera & certa via quâ Gentilis ad religionem & Ecclesiam Christi deduci potest. Et, quantum antiquitati in negotio fidei tribuendum sit.

*Methodus probandi veritatem sacræ Scripturæ.*

QUod si pergas quærere, quâ ratione fieri possit ut cognoscamus quænam sit salutaris veritas, per quam Ecclesia habet quod sit vera Ecclesia; en tibi facilem, planam ac certam viam, quam tuto ac feliciter ingredietur quisquis divinæ veritatis & salutis suæ serio amore ducitur. Ab historia ipsa sive Scriptura sacra ordimur hunc in modum. Si vera est historia Euangelica, sive Scriptura quâ historia salutis nostræ tota continetur; jam statim constare potest quæ vera sit Ecclesia. Quia illa citra controversiam est vera Ecclesia, quæ per verbum veritatis evocata, salutarem à Deo traditam doctrinam, id est, veritatem ipsam, amplectitur ac profitetur. Historiam autem veram esse unico tantùm & per se satis claro dilemmate adstruimus. Aut historia hæc vera est, aut nullam veram esse credi debet. Ratio consequentiæ est; quia nulla est aut fuit unquam quæ tot argumentis, testimoniis, & signis adstructa est, & quam tot hominum optimorum atque innocentissimorum myriades, tot sibi invicem continuò succedentibus sæculis, non tantùm pro vera receperunt,sed etiam inter crudelissima tormenta, atrocissimas contumelias,gravissima pericula,veram esse testatæ sunt. Primos autem historiæ authores falli potuisse in fide historiæ,cujus,nisi certissima fuisset,falsitate deprehendi *ἐν παντοφόρῳ* ab ipsis poterat, & quam deprehendi plurimum intererat,nemini facilè fiet verisimile. Fallere autem voluisse homines simplices, rudes, à fallendi non modò arte sed & suspicione alienissimos,vanissimæ rei,& quam ipsi falsam esse & ab aliis statim quod falsa esset deprehendi posse sciebant, persuasione,sine ullâ commodi spe,imò cum certissimâ incommodorum maximorum expectatione, quis credat? Certè qui historiam illorum in dubium vocat, aut eos stultissimos faciat necesse est,aut pessimos. Ab utroque crimine abundè illos vindicat scriptionis & vitæ genius,sacer planè ac Deo similis,perpetuâque innocentiæ & sanctitatis laude ac gloriâ illustris. Sed de hac re alibi latius. Hoc ita præstructo,progredimur hunc in modum. Si vera est historia,ergo doctrina, quæ illâ comprehensa est, vera est,& per consequens, qui illam salutarem doctrinam tenent ac profitentur, sunt veræ Ecclesiæ Jesu Christi membra, & certò tandem aliquando salvabuntur, si in corpore isto fideliter ad finem usque vitæ permaneant ac perseverent. En brevem, compendiosam ac certam viam, quâ,judicio nostro, Ethnicus deduci potest ad veram Religionem & Ecclesiam Jesu Christi. Regia hæc est,uti vides,& plana via,nullis ambagibus,nullis salebris,nullis sentibus obsita atque impedita. Cæteræ omnes, quæ per notarum istarum gyros ac mæandros errantem hominem circumducunt, eæ omnes sunt ambiguæ & incertæ, infinitisque dubitationum labyrinthis obsessæ atq; implicitę.

*Ecclesia omnis quæ salutarem veritatem tenet, eo ipso est una, sancta, Apostolica, Catholica.*

Quocirca frustra etiam es, Vir Reverende, cum Ecclesiæ nostræ notas illas tuas atque imprimis Catholicæ titulum derogas, ut eam videlicet novitiam facias & infami schismatis nomenclaturâ traducas, eâque ratione nos ad veterem & antiquam vestram quasi manu ducas. Etenim quam diu non probaveris, veritatem illam quam tenet ac profitetur Ecclesia nostra divinam non esse, tamdiu aërem cædes, probando notas illas & Catholicæ etiam titulum ei non competere. Ego contra sic concludo: Si salutaris Jesu Christi veritas in eâ locum habet, id est, si id quod in eâ traditur est verbum divinum, &, si non probetur sensum illum quem tenet repugnare verbo ipsi, jam Una est, jam Apostolica, jam Catholica est. Una veritatis salutaris professio omnibus istis titulis merito suo gaudet. Ecclesia vero quæcunque, qualiscunque tandem sit, licet antiquitatis, consensionis, successionis, miraculorum gloriâ clara, non gaudet tamen titulis istis nisi precario & beneficio veritatis. Hæc enim si desit, nihil illam juvare possunt ornamenta ista externa, nihil bella ista unitatis, sanctitatis, Apostolicismi, Catholicismi peristromata. Quare pro eo quod mihi illud Tertulliani, de præscript.cap.37.suggeris: *Qui est, quando aut unde venisti, quid in meo agis non mei? mea est possessio, olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas ab ipsis authoribus, quorum fuit res, &c.* illud tantùm unum repono tibi: Quære veritatem & facilè reperies Ecclesiam. Si illam non quæsieris,hanc nunquam reperies. *Hæreses non tam novitas revincit quàm veritas.* ait idem Tertullianus,in libro de velandis Virginibus. *Consuetudo sine veritate vetustas erroris est,* inquit Cyprianus, Epist.74. *Pagani,*inquit Augustinus Quæstione 114. *antiquitatis causâ verum se tenere contendunt, quasi antiquitas aut vetus consuetudo præjudicet veritati,* &c. *Ubi de re obscurissimâ disputatur,* ait idem libr.2. de Meritis & Remiss. Pecc.cap.36. *non adjuvantibus divinarum Scripturarum certis clarisque documentis, cohibere se debet humana præsumtio. Alia enim omnia,*inquit Hieron.super 1.Cap.Aggæi Proph. *quæ absque authoritate & testimoniis Scripturarum quasi traditione Apostolicâ sponte reperiunt atque confingunt, percutit gladius Dei. Quare legite,*ait Augustinus contra Petil.libr.3.c.6. *hæc nobis de lege & de Prophetis,* &c. *& credemus.*

*Quo loco antiquitas sit habenda.*

Neque tamen velim existimes, me propterea Antiquitatem omnem aut respuere aut vilipendere, aut minus reverenter quàm oportet de eâ sentire. Antiquitatem omnem suo quo decet loco, habeo ac veneror. Libenter admodum judicia Antiquitatis super omni re consulo, si modo ea haberi possint. Veruntamen absit ut ea pro oraculis aut responsis divinis habeam, aut iis conscientiam meam veluti *ἀνυπεύθυνος* & omni exceptione majoribus axiomatis obligem atque obstringam. Soli Deo & Jesu Christo obnoxiam eam gero & geram quoad usque vivam. Illorum verba regulam fidei ac vitæ meæ indubitatam esse persuasissimus sum. Cætera omnia humana, sunt infida atque incerta veritatis *κριτήρια*, etiamsi sint centumviralia & antiquissima. Scio errorem antiquum etiam esse & tantùm non coævum veritati: cum Lex Dei in Paradiso ferretur, jam tum seductorem spiritum & mendacii patrem in eo locum habuisse, & errorem protinus disseminasse; neque

unquam ferè admissam alicubi veritatem, quin per posticam statim ingressus fuerit Satanas: vix Christum prædicatum fuisse in mundo, quin Pseudochristorum, Antichristorum, falsorum Apostolorum, seductorum turba, quà clam quà palam, in eum etiam sese insinuaret, & salutaribus Christianæ doctrinæ remediis, venena sua teterrima misceret. *Filioli mei*, dicebat Apostolus Joannes, jam tum suo tempore circa ipsa veritatis primùm natæ incunabula, *ultimum tempus adest, & sicuti audistis Antichristum venturum, etiam nunc Antichristi multi cœperunt esse. Ex nobis egressi sunt, sed non erant ex nobis, &c.* 1. *Joan.* II. 18. 19. Et *cap.* IV. *vers.* 3. *Hic est Spiritus ille Antichristi, quem audistis venturum esse, & qui jam nunc in mundo est.* Quin imò de Ecclesia ipsa Ephesina ait idem ille Apostolus, quam tamen *columnam & firmamentum veritatis* appellaverat Paulus, quod in eam ingressi essent, *qui se Apostolos esse dicebant & non erant, sed comperiebantur mendaces. Apoc.* II. 2. Idem quin labentibus & in pejus semper degenerantibus sæculis, usu venerit, dubium nulli esse debet, imprimis postquam numero, vi ac violentia agi cœptum est, gladioque Imperatoris sesè armavit Ecclesia. Ex illo enim tempore pro publicis famosisque titulis digladiari cœptum est, quibus immane quantum errores statuminati fuerunt. Inermis enim est veritas & innocua. Error turbam quærit sub qua lateat, & vim ac tyrannidem qua sese muniat ac propugnet. Hinc factum est ut errores non solùm conspicuè & in propatulo sese tum extulerint, dum veritas pressa & subjugata quasi cederet, intraque solum innocentiæ suæ præsidium sese reciperet; sed etiam diutius durare ac stare visi fuerint, & lapsu temporis paulatim veræ antiquitatis gloriam ac titulum præ se tulerint. Hinc antiquitas, successio, &c. erroris & mendacii pallia & velamenta speciosa facta sunt, quæ jactare semper maximè potuit ea pars quæ adversarium vi debellabat & extinguebat, gladiumque Imperatoris ad manum & nutum habebat. Quare neque ex iis veritatem æstimandam esse puto. Neque tamen difiteor admirabilem & gratam esse Antiquitatis vim si veritati suffragetur. Illabitur quidem blandius suaviusque veritas, quum eam Antiquitatis cani & annorum nives dealbant: at illa demum vera canities ac senectus est, quam veritatis Majestas decorat. Absque hoc Antiquitas nil nisi nudum nomen est. Quod si tamen eam in pretio esse intelligam apud adversarium qui cum mihi res est, eamque ipsi minimè favere videam, lubens etiam eam in medium profero atque in arenam descendere facio: non quod ea ad persuadendum aut convincendum per se sufficiat, sed quod ejus beneficio veritatem commodius ei persuaderi posse videam, eo quod authoritate ejus eam sibi persuaderi velit. Quid enim refert quo pacto instituatur persuasio, si per eam ab errore in rectam viam reducatur errans? Antiquitatem autem cum dico, eam solam intelligo, quæ verè Antiquitas est, id est, quæ in primitivis aut maximè vicinis Apostolorum sæculo Ecclesiis reperitur. Certum enim est, non multò post primarum illarum Ecclesiarum ætatem ingentes errores, corruptelas & abusus exortos esse, cum gentilium ac Philosophorum turba in Ecclesiam ingressa est, secumque Scholas, porticus & Academias pæne totas, cum placitis, axiomatis & universa disciplina ipsarum in ambones, pulpita & cathedras Ecclesiæ transxit, adeoque ritus etiam, cæremonias, ac superstitiones pæne omnes gentilium, novo tantùm quodam colore, ac minio incrustatas, tanquam manubias ipsorum fanis templisque detractas, introduxit, & eheu! augusto Christianæ Religionis titulo veluti authoravit ac stabilivit. Posteriora tempora etiamsi antiqua & cana videri possint, tamen à primis illis & verè antiquis distinguenda esse arbitror; quorum monumenta utinam integra atque inviolata haberemus! Sed dolendum admodum est, quod tam pauca primigeniæ istius ætatis fida atque incorrupta documenta nobis reliqua facta sint. Lineamenta tantùm & rudera quædam illius Antiquitatis superesse novimus, eaque proh dolor! tot eluvionibus ac voraginibus rerum ac verborum fracta atque intercisa, tot laciniis interpolata, tot infidis manibus atque infaustis unguibus violata, ut sæpe ne vestigia quidem antiquitatis primævæ reperias, sed in novitium aliquem orbem ac sæculum delatum te credas.

Sed ne longius abeam, hoc est illud quod nos aliquando movit in Apologia nostra, quæ DD. Ordd. Hollandiæ exhibita est, & à DV. allegatur, ut Antiquitatis telum contra adversarios vibraremus. Videbamus nimirum esse inter adversarios nostros, qui ut sententiam nostram de quinque, quos vocant, Articulis in odium adducerent, eam novitatis insimulabant, istoque epiphonemate ingentem sibi apud plebem applausum excitabant. Ea res etiamsi indigna nobis videbatur quæ ab iis fieret, qui non ita nuper novitiam suam religionem in scenam dederant & antiquitatem pæne totam exsibilaverant; tamen, quia mutatâ, ut fit, temporum & rerum scenâ, placere istam agendi rationem non paucis videbamus, & interim de sententiæ nostræ non veritate tantùm sed antiquitate etiam persuasissimi eramus, fidenter obtulimus causæ nostræ defensionem ex primigeniæ illius Antiquitatis, quàm dixi, sententia. Non quod eo argumento pugnaremus, aut ejus tanquam impenetrabilis alicujus Ægidis obtentu causæ nostræ patrocinium quæreremus; sed quod eam pro nobis militare, & ab adversariis mala fide deploratæ ipsorum causæ obtendi atque incauto populo obtrudi animadverteremus. Satius quippe putamus esse adversarios suis ipsorum armis, licèt plumbeis, jugulare, quàm bonæ causæ vadimonium deserere.

Quare non est quod antiquitatem etiam statim arbitram requiras controversiarum quæ inter nos sunt. Etsi etiam eam in multis maximisque controversiis pro nobis militare doctissimos gravissimosque Viros asserere, & non inidoneam, meo judicio, documenta isto fine adferre videam, saltem Patres primitivos de iis capitibus quæ in fine Scripti tui allegas id non sensisse credam, quod DV. eos sensisse vult; tamen quia ea res tot tantisque scrupulis, dubiis, perplexisque liribus hinc inde involuta est atque intricata, ut in merum & ἀπέιρινον labyrinthum sese inducere mihi videatur, qui in ejus examen ingreditur, aliis potius operam istam relinquere malo, quibus volupe est Oceanum istum navigare, & freta, vada, scopulos, vorticesque omnes Historiarum tentare atque explorare. Mihi id nec libet nec licet. Ita enim de me existimes velim: tanti à me fieri veritatem, de qua in conscientia ex rationis rectæ dictamine, adhibito omni mihi possibili studio atque officio, convincor, ut eam amaturus & utraque manu amplexaturus sim etiamsi novitia foret & unius, quod dicitur, horæ: Antiquitas commune pallium est, quo se non pauci, licèt maxime dissentientes, tegunt. Nec desunt patroni ex ea parte cuilibet sectæ. Vide sis controversias omnes quæ inter Scholas, Academias, Doctores, Magistros, Scriptoresque vestros occurrunt, quis eorum est qui non Antiquitatem pro sua parte stare clamat? quis non adversario suo Irenæum, Tertullianum, Cyprianum, Chrysostomum, Hieronymum, Augustinum aliosque pro se facere contendenti, integros illos eosdem authores firmandæ contrariæ suæ sententiæ objicit atque opponit? Solam illam de Prædestinatione controversiam, quæ nunc aliquamdiu exercuit patriam nostram, testem do. Patrum testimoniis veluti umbonibus & testudinibus sese tegunt Dominicani & qui ab ipsis stant. Eorundem Patrum authoritate veluti denso ac cataphracto aliquo milite Jesuitæ vestri (quanquam & hi divisi) sententiam suam quæ δι' ἀντιθέσεως ab illa distat, tuentur ac defendunt. Et videas testimoniorum plaustra utrimque convehi, cumulosque authoritatum hinc inde coacervari, ad contrariis totoque cœlo distantibus sententiis fidem faciendum. Et impunè id quidem fit, inquies, quamdiu controversiæ definitæ nondum sunt. At quis erit qui credituros facile sit idem usu non venire in cæteris? Docent id satis Dominicani vestri, in quæstione de conceptione Virginis immaculatæ, qui, licèt jam pridem pro Franciscanis Sixtus quartus pronunciaverit, nihilominus sententiam suam, saltem in claustris ac gurgustiis suis, occultè tuentur ac propugnant. Fieri vix potest ut ab eo qui veritatis studio ducitur, tam repetè ratio & conscientia omnis extinguatur in gratiam unius aut p'uriũ, quos nullis rationibus gravioribus niti & pugnare, tam post quàm ante latam sententiam videt. Sed quicquid ejus rei sit, certissimum utique est, nihil esse quo facilius se tegere solet redacta in angustias humana industria, quàm Antiquitatis mãtelum. Vix enim quippiam dicitur quod ante dictum non sit. At sola veritas per se amari meretur ac diligi. Quæ extrinsecus adsciscuntur ad eam ornandam, fere nil nisi fucus sunt & purpurissa, quâ sese pessimi quiq; mangonum instar illinere solent ac venditare. Vino vendibili suspensa hedera non est opus.

Hæc sunt, Vir Reverende, quæ Epistolæ tuæ non minus eruditæ, quàm benevolæ impræsentiarum reponere operæ pretium judicavi. Novit Deus quod nihil affectibus in alteram partem dederim: de tuo in me affectu clarissimis documentis persuasus, parem rependere volui ac debui: si satisfeci animo tuo, erit quod mihi gratuler: sin minus, ut de meo saltem animo atque affectu dubitandi causam nullam haberes operam dedi. Argumenta tua tanti feci, ut, crede mihi, ausus fuerim dubitare an id quod tenebam verum esset, & an pro sententia mea ratio recta staret: neque id credidi priusquam argumentorum tuorum pondera, quanta potui cura ac diligentia expendi, trutinavi & liberavi, iisque momenta ista deesse deprehendi, quibus ad sententiam tuam mihi persuadendum opus erat. Hoc animo si accedere etiam audeas ad examen hujus responsi mei, non dubito quin alterutrum futurum sit, vel ut videas veritatem pro mea sententia stare; vel saltem ut intelligas me non sine gravibus rationibus à sententia tua dissentire, neque causam adhuc habuisse cur à sententia mea quam hactenus tenui discederem.

Conclusio.

PETRI

# PETRI WADINGI
## Jesuitæ Antuerpiensis
# EPISTOLA,
# DE CULTU IMAGINUM:
## Ad Clarissimum Virum
## SIMONEM EPISCOPIUM.

*Exordium, ab expectatione sua.*

VIR CLARISSIME, *Frustra expecto Canonem illum Concilii quo Constantinopolitanus Episcopus aut superior aut æqualis Romano Episcopo decernitur. Utinam D. V. Conciliorum decreta, & priorum aut saltem priorii Ecclesiæ sensum ex ipsis Conciliis & Patrum scriptis potiùs quàm ex vestræ Religionis auctoribus hauriret. Ego sanè & vestris pervolutandis, aliquid & priorum, & primorum sæculorum Patribus plusculum temporis impendi: & hoc seriò, sincereque affirmo, vestros Doctores plerumque ex antiquioribus Conciliis, Doctoribusque ea loca proferre, quæ vel apud antiquos non extant, vel non eo sensu quo à vestris proferuntur.*

*Propositio: de imaginibus se agere velle.*

*Superest nunc ut quoniam in nupero colloquio utrimque multa allata sunt, quæ utrique parti non satis visa sunt consentanea, & D. V. in concertatione de imaginibus sæpè quæsta est me novas quasdam argumentorum solutiones excogitare, earum rationem amicè reddam, & vicissim mihi quoque breviter satisfieri optem in aliis articulis à D. V.*

*Et de iis tria dicenda.*

*Tria ergo à me dicta sunt: Primùm, idolum & imaginem non idem significare. Secundò, Ethnicos adorasse sua ipsa idola, quibus aliquid divinæ virtutis inesse existimabant, non verò per idola adorasse verum Deum. Tertiò, Præceptum fuisse datum positivum Judæis de imaginibus non colendis, præter præceptum morale* Exodi XX. *de non colendis idolis. Hæc tria paucis explicabo.*

*Primum: magnam esse inter imaginem & idolum differentiam.*

*In Ecclesia ergo Catholica semper abominationi fuerunt idola, venerationi vero sacræ imagines. Concilium generale septimum, sive Synodus Nicæna secunda, sessione septima hæc habet:* Qui venerandas imagines idola appellat, anathema sit. *Vides quam longè abfuerit Ecclesia vel ab ipsa idoli nuncupatione, ut anathema illis indixerit, qui imagines sacras idoli nomine indigitarent. Origines non longè ab Apostolorum ætate, Hom. 8. in Exod.* Aliud, *inquit* est facere idolum, aliud facere similitudinem, &c. *Et in sequentibus distinctionem illam fusè prosequitur. Theodoretus Quæst. 38. in Exod. quæstionem ipsam sic inscribit:* Quid differant idolum & similitudo: εἴδωλον, τὸ ὁμοίωμα τοῦ ἰδίου ἔχει λόγου. *Euthymius in Panoplia, tit. 23.* Ignorantes, *inquit*, aliud esse idolum, aliud imaginem. *His gemina habent reliqui Patres primorum temporum: qui licet in definitione idoli aliquando assignandâ sint diversi, in hoc tamen maximè sunt concordes, ut imaginem ab idolo distinguant. Præterea si consulamus vetustissimas Scripturæ versiones, nunquam deprehendemus Græcum* εἴδωλον *imaginem verti, sed semper idolum vel simulachrum. Et Theodorus Beza in omnibus Novi Testamenti locis (quantùm mihi licuit animadvertere) nunquam imaginem vertit, nisi quando Græce est* εἰκών; *alioquin si imaginem cum idolo confundamus, quid ni etiam* εἴδωλον *&* εἰκόνα, *pro iisdem habemus, & ita ubi Apostolus Filium Dei vocat* εἰκόνα τοῦ Θεοῦ, *vertimus & dicimus Filium Dei esse idolum Dei invisibilis? Idolum enim usu sacrorum doctorum est imago falsi Numinis, ut ex Tertulliano docet Cyprianus, in exhort. ad Martyres cap. 2. & Athanasius Alexand. oratione contra idola. Imo passim sancti Patres illud Pauli* 1. ad Corinth. VIII. & X. idolum nihil est, *sic explicant, ut dicant idolum propterea vocari nihil, quod nullam veram divinitatem aut exprimat aut in se contineat. Vocabulorum igitur Ecclesiasticorum significatio, cùm non ex Henrici Stephani Lexicis, sed ex sanctorum Patrum scriptis & usu Ecclesiæ petenda sit, frustra contendis idolum esse imaginem; quia sive apud Plutarchum & Homerum eadem utriusque vocis sit significatio, sive diversa, ad rem nostram non facit, qui non in profanis Scholis, sed in sacris tribunalibus res Ecclesiasticas Ecclesiasticis quoque vocabulis efferimus. Sicuti etiam hypostasin non ex profanorum sed ex sacrorum doctorum consuetudine usurpamus.*

*Secundum: Ethnicos sua idola adoravisse. Id quod probatur 1. ex Scriptura.*

*Secundum fuit de adoratione quam Ethnici suis idolis exhibuerunt. Certum omnino videri debet, Ethnicos ipsa sua idola adorasse tanquam Deos, non verò per idola verum Deum, ut volunt Reformati. Probatur 1. ex Scriptura:* Exod. XXXII. *petierunt filii Israel Deos qui illos præcederent, sive essent ductores viæ; & vitulo conflato Aaron dixit,* hi sunt dii tui Israël. *ergo verè credebant vitulum esse Deum, nempe Serapim Ægyptiorum; & ab eo tanquam à Deo petebant beneficium, nempe ut eos per viam duceret. Omnino autem à veritate alienum est, vitulum fuisse ipsis signum colendi verum Deum, & sacrificia illos tunc obtulisse vero Deo. Quod sic ostendo ex Scriptura* Deuter. XXXII. Immolaverunt dæmoniis & non Deo, diis quos ignorabant. Deum qui te genuit dereliquisti, & oblitus es Domini Creatoris tui. *Similia habentur* Psalmo CV. *quæ ex diametro pugnant cum his, quæ traduntur à Calvino. Dicunt Reformati sacrificasse Judæos Deo vero quem colebant in vitulo: dicit Spiritus sanctus eos immolasse dæmoniis & non Deo, additque oblitos Dei creatoris sui.* Daniel. V. *dicuntur Babylonii laudasse Deos aureos & argenteos.* Esaiæ XLIV. Reliquum autem ligni fecit Deum, & sculptile sibi; curvatur ante illud & adorat illud, & obsecrat dicens, libera me quia Deus meus es tu. *Dicit Esaias fabrum adorasse lignum & petiisse ab eo beneficia, & dixisse lignum esse Deum suum. Vos negatis illud aliquando factum. Utri fides?* Esaia. XLIV. & Jerem. III. & X, *hoc agunt Prophetæ, uti & multis alibi locis, ut opinionem divinitatis idolis detrahant; quod otiosè tamen fecissent, si passim populus non putasset aliquam eis inesse virtutem. Omitto clarissima quæ habentur* Sapientiæ XIII. & XIV. *quoniam vos eum librum inter Canonicos non recensetis, habete saltem in classe auctorum antiquorum Synagogæ, & ex eo sensum populi istius temporis discite.*

*Testimonius veterum.*

*Prob. 2. cùm nec vos unquam, nec nos Ethnici fuerimus, Ethnicorum sensus ab illis qui fuerunt diu in Paganismo, & postea ad Christum transierunt exquirendus est. Atqui illi dicunt se verè coluisse idola, & non Deum verum per idola; ergo illorum judicio standum. Probatur minor: Arnobius ex clarissimo Rhetore, & celebri Philosopho Ethnico Christianus, de se ipso profitetur lib. 1. contra Gentiles:* Venerabar nuper simulachra, modò ex fornicibus prompta, in incudibus Deos, & ex malleis fabricatos, si quando conspexeram lubricatum lapidem tanquam ineesset vis præsens, adulabar, affabar, beneficia poscebam. Et paulò *inferius;* credebam divos esse lapides, ligna & ossa. *Hæc Arnobius. Compello ergo prudens judicium; Arnobius dicit se coluisse ipsos lapides, & beneficia ab iis postulasse, & putasse esse divos. Calvinus negat id cum feciss, aut hoc existimasse. utri credendum? Scriptura dicit adorasse, laudasse, coluisse Deos aureos & argenteos; Calvinus negat hoc fecisse Gentiles, utrius judicio standum? Sed mirantur adversarii, & inprimis Calvinus, & interrogant quomodo tale portentum in sapientes cadere possit, ut existimeni simulachrum, quod ipsi fabricarunt, esse Deum. Respondeo fuisse illam stupendam cæcitatem Ethnicorum, quam Prophetæ toties ex exprobrant, ut patet* Esai. XLIV. *& apud auctorem libri* Sapientiæ, cap. XIII. &. XIV. *Unde autem stupida hæc conceptio processerit ex ipsis habemus. S. Augustinus lib. 8. de Civitate Dei, cap. 23, refert verba Mercurii Trismegisti, ubi Gentiliæ superstitionis peritissimis probare contendit, homines habere artem Deos faciendi; quia nempe cum statuas certo modo effingebant, infinuabat se statim aliqua virtus, & quodammodo animabat statuam; ita ut statua, teste Trismegisto, vocaretur corpus Dei, & divinitus anima. In hanc autem opinionem fuerunt inducti, quod sæpè viderent dæmonem in aliquibus statuis mirabilia operari, unde credebant omnibus statuis eam ineesse vim, & propterea ab ipsis à statuâ (quam propter unionem cum illâ virtute Deum vocabant) beneficia postulabant. Quem errorem cùm Christiani sæpe objicerent, fuerunt tandem convicti Romani, ut patet ex Athenagora & Lactantio & aliis quibus cum Romanis Ethnicis erat concertatio: & proinde aliqui tandem apud Athenagoram fassi sunt, se Deos absentes per statuas colere. sed illa confessio, argumentorum vi extorta, non excusabat ab idololatria; quia, ut Athenagoræ fusè probat, colebant illi ipsi falsos*

Deos

*Deos per simulachra, non autem Deum verum. Legat quæso D. V. Magnum Athanasium libro contra Gentiles, & quàm egregiè hoc argumentum pro nobis pertractet, perspiciet.*

*Cathol. Ecclesia fuit semper ab his erroribus aliena.*

*At Catholica Ecclesia ab his erroribus fuit semper & est quam remotissima. Audi ejus sensum in Concilio Tridentino:* Definimus imaginibus Christi, & Sanctorum debitam venerationem impertiendam, non quod credatur inesse iis aliqua divinitas, vel virtus propter quàm sint colendæ, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda veluti fiebat olim à Gentilibus, qui in idolis spem suam collocabant: sed quoniam honos qui eis exhibetur, refertur ad prototypa quæ illæ repræsentant. *Hic est Ecclesiæ Catholicæ sensus, unde modum nostrum orandi intelligas. 1. Nullus nostrum imaginem orat, aut ab ea aliquid petit, sed coram imagine oramus Deum; ex conspectu autem imaginis ad majorem attentionem & devotionem movemur. 2. Nullam veram sanctitatem, aut virtutem in imaginibus esse credimus, nequidem in iis quas miraculosas vocamus. Sanctas tamen imagines subinde dicimus; sicuti Scriptura* Psalmo XCVIII. *vocat scabellum pedum Domini sanctum. Et dies festi dicuntur sancti, & vestes sacerdotales sanctæ,* Exod. XII. & XXVIII. *nempe analogicè, & per habitudinem quandam ad rem verè sanctam, Christum nempe vel sanctos quos repræsentant. tota ergo imaginum sanctitas est denominatio extrinseca à sanctitate vera prototypi, ad quam dicunt habitudinem. 3. Frequentantur cum majori devotione loca in quibus imagines sunt miraculosæ: non ut ab imaginibus miraculum obtineamus, sed ut per sancti quem imago refert intercessionem à Deo beneficium obtineamus. Habet autem Deus rationes æternæ sapientiæ, cur ante talem imaginem orantibus beneficia præstet potius, quàm ante aliam quamvis; sicuti cur potius in probatica piscina sanitatem ægris contulerit, quam in alia loca:* Joannis V.

*Tertium: Judæis datum fuisse præceptum positivum, præter morale de idolis non faciendis.*

*Tertium caput erat, Judæis fuisse datum præceptum positivum, præter morale de idolis non faciendis. Hæc sunt præcepti verba* Exodi XX. & Deuter. V. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cœlo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra: non adorabis ea neque coles, ego sum Dominus Deus tuus fortis. *Hoc præcepto vetatur 1. Fabricatio idolorum, quod ipsa natura omnino prohibet. nam idolum cùm loco Dei supponatur, & rem quæ nusquam est; aut certè quæ Deus non est, referat; constat in Dei veri injuriam cedere idoli constructionem. 2. Prohibetur idolum coli aut adorari: scilicet loco Dei haberi. ille enim est finis præcepti; quod vel inde patet, quod ubicunque ponitur hoc præceptum, vel aliud contra idola, semper tanquam ratio ponatur, ego enim Dominus, quasi dicat: cùm ego solus sim Deus tuus, nolo ut quicquam aliud loco Dei habeas. In his duobus Catholici conquiescunt, & utramq; partem præcepti exactissimè servant.*

*Illis omnem imaginum usum fuisse interdictum.*

*Quod verò 3 dixi, est quidem in opinione positum inter Theologos. An scilicet, hoc loco omnis usus imaginum sit Judæis prohibitus, præter serpentem æneum, & Cherubinos in templo. Ego autem credo propter idololatriæ periculum omnem usum imaginum iis fuisse interdictum, & hoc voco præceptum ceremoniale positivum, & non morale, quod cum lege veteri ceremoniali tranierit. Hanc assertionem ex Veteribus Patribus probo. Josephus Judæus lib. 2. contra Appionem dicit:* Cum aliæ gentes imagines suas, & suorum pingant, Judæis tamen omnem imaginem fuisse à legislatore interdictam. *Origenes lib. 4. contra Celsum docet in civitatibus Judæorum nullum pictorem, nullum statuarium legibus permitti, ne aliquam occasionem homines crassi haberent idololatriæ. Additque sic debere explicari quod habetur* Exod. XX: Neque ullam similitudinem, &c. *quæ paulò ante adduximus. Damascenus oratione prima de imaginibus:* Vides quomodo vitandi cultus simulachrorum gratia, imagines fieri vetat. *Et in sequentibus ostendit, Christianis, quibus nullum est periculum idololatriæ, imagines nullo jure prohiberi. Tertullianus quoque lib. 4. contra Marcionem, cap. 22. putat omnes planè imagines hac lege Exodi prohiberi.*

*Non posse reprehendi Catholicos quod imagines effingant.*

*Habes tria illa capita in quibus controversia vertebatur pauci explicata. Superest ut ego benevolè compellem D. V. & interrogem quid tandem in imaginibus nostris displiceat? An quod effingamus eas contra Dei verbum? sed nullum est præceptum morale hac de re; & Reformatorum præcipui non damnant imagines Christi & sanctorum: alioquin in Christum & sanctos essent injurii, cùm nempe profanorum hominum benè de republica meritorum imagines habeant; Christi liberatoris, & Apostolorum optimè de Ecclesia meritorum memoriam nullâ picturâ conservarent.*

*Nequidem ob Dei imagines.*

*An Dei imaginem reprehenditis? sed cogitare oportebat nullum editum ab Ecclesia decretum, quo imago Dei ipsius licita esse definiretur. solùm enim imagines Christi & sanctorum licita esse decernuntur, & ex antiquis doctoribus licere multi negant. Tamen ex eo quem videmus Ecclesiæ usu, & ratione ipsâ, tales imagines licere est verisimile. Primò quia nusquam prohibitæ. Si enim uspiam videatur vetari Dei imago, ut Esaiæ XL. & XLVI: propriè & formaliter sine dubio prohibetur, qualem gentiles se habere existimabant, non verò metaphoricè, qualem Catholici faciunt. Secundò quia cum ratione non pugnat rem spiritualem figurâ corporali, nobis, qui aliter non possumus in spiritualium cognitionem venire, exprimere. Sicuti Deus jussit Cherubinos, qui tamen puri Spiritus sunt, formâ humanâ sculpi à Mose & Salomone. Deinde scriptura ipsa depingit nobis Deum quasi manus & pedes habentem. cur ergo absurdius est coloribus exprimi in tabula manus & pedes Dei, quàm atramento in charta? atqui Deus ipse jussit in charta atramento describi manus & pedes, &c. Tertiò, nullam Dei figuram exprimimus in qua ipse Deus non offenderit se ipsum, pingimus Deum Patrem tanquam senem, iisdem vestibus quibus se ostendit Danieli.* Dan. VII.

*Neque nullum posse reprehendi quod imagines colant.*

*Solum ergo cultum vitio vertitis. An orationem? at jam dixi nullum Catholicorum orare imaginem, sed Deum vel sanctum coram imagine. scimus enim orationem ad audientem tantùm & intelligentem dirigi. An ad orationem? at internam adorationem cultumque imagini non defero, externus cultus circa imaginem versatur tanquam aliquid conjunctum vel pertinens ad prototypum; ita tamen ut eadem ipsa adoratio externa etiam ad prototypum dirigatur, & simul externo corporis cultu persona repræsentata adoretur, sicuti imagini regis externum cultum deferimus, in imagine regem honorantes. At, inquies, ille cultus externus est tantùm civilis, noster verò sacer & religiosus. Quid verè id mirum est? ipsi regi exhibetur tantùm cultus civilis: igitur & imagini. At sanctis nostris exhibetur cultus plus quam civilis, propter supernaturalem quam habent felicitatem: & proinde eorum imaginibus cultus externus sacer deferendus est, cùm eadem sit adoratio eademque externa actio quæ circa imaginem & prototypum versatur. Sed reponis nullum est de imaginum adoratione præceptum in Dei verbo. Sufficiat nullo præcepto vetari, ut jam ante ostendi: sicut nullum extat de baptizandis parvulis præceptum, quos tamen Ecclesia vestra baptizandos censet contra Anabaptistarum dogmata. Sufficiat ex antiquissimorum Patrum scriptis constare, jam inde à principio in puriori Ecclesia fuisse usum imaginum, & cultus earum. Magnus Basilius in Confessione fidei contra Julianum hæc habet:* Characteres imaginum sanctorum veneror & adoro; namque ab Apostolis hoc traditum, *&c. Basilius in aurèa adhuc Ecclesiæ temporibus, dicit* se imagines adorare; *additque ab Apostolis hoc traditum. Vos Basilium idololatram dicetis, quòd imagines adorat; & impostorem, quod Apostolis suam doctrinam imponat. sed nec idololatra tantus Pater, nec impostor est. Apostoli doctrinam de imaginibus tradiderant in Concilio Antiocheno, quod ex Bibliotheca Origenis Pamphilus Martyr describit, verba Canonis sunt apud Turrianum lib. 1. pro Canonibus Apostolorum. c. 25.* Ne errent fideles erga idola, sed exprimant divinam humanam imaginem Dei veri & Salvatoris nostri ac servorum ejus ex adverso coram idolis & Judæis. *Denique Christi imaginem ab initio fidei stetisse positam ab Hæmorrhoissa testis est Eusebius Cæsariensis lib.* VII. *hist. cap. 14. & ex eo Sozomenus lib. V. cap. 20. quam etiam miraculis claram asserunt. Ex quo fit argumentor. Ab initio Ecclesiæ fuerunt imagines Christi & sanctorum; ergo ab initio Ecclesiæ fuerunt cultæ. Probatur consequentia; quia fuerunt semper factæ propterea ut per earum erectionem honorarentur personæ quarum erant imagines, atqui si per eas fuerint honoratæ personæ, fuerunt quoque ipsæ honoratæ: quia vix potest intelligi quomodo ego per imaginem personam honorem, si ipsam imaginem per quam honoro nullo loco habeam, nec extrinseco honore eam afficiam.*

*Concluditur.*

*Quæ cum ita sint, Clarissime Dom. V. definat tandem idololatriæ suspicionem nobis affingere. Non tam sumus stupidi ut nesciamus, aut tam maligni ut velimus esse idololatræ. Habemus ab Apostolis traditum, ab Ecclesia semper conservatum, à sanctis Patribus Græcæ Latinæque Ecclesiæ usurpatum sacrarum imaginum usum. Quod si primitivæ Ecclesiæ Patres videantur imaginum usum prohibere, faciunt ut Ethnicis omnem calumniandi ansam auferant, dum ab idololatriæ suspicione essent remotissimi. Et illi ipsi qui coram Gentilibus eas adorari prohibebant, in vasis sacris Ecclesiæ eas retineri landabant. ut Tertullianus de pudicitia, cap. 7. Legite per Deum, ipsos Patres & Concilia, non verò hinc inde, malâ excerptâ fide ad constandam calumniam, sententias, videbitis eos non solùm non improbare cultum imaginum, sed & agnoscere hujus rei præceptum in illo* Psalmi XCVIII. Adorate scabellum pedum ejus, *nempe arcam testamenti.*

*Hæc pro meo in veritatem, & D. V. affectu, pro veritate fincere scripsi; plura si opus esse per sexero additurus: & si gratum esse intellexero, locum* Matth. XVI, *eadem brevitate explicaturus, simulque quàm fragilis fitis fundamento in negotio æternæ salutis subnixi, declaraturus. Deus mentes nostras luce suâ divinâ illustret.*

Clar. Dom. Vestræ Servus in Christo
PETRUS WADINGUS.

M. SIMO-

M. SIMONIS EPISCOPII

# RESPONSIO AD EPISTOLAM PETRI WADINGI

Jesuitæ Antuerpiensis, Theol. Professoris.

# DE CULTU IMAGINUM.

## CAPUT I.

### Quales esse debeant collationes de Religione. Canon Concilii Chalcedonensis, quo Episcopus Constantinopolitanus æquatur Romano.

*Collationes de Religione debent esse seria, & utrinque tutæ ac liberæ.*

OCTISSIME PATER, Duti clavus clavum, ita collatio collationem trudit. Rarò in una sola subsistitur. Fœcunda est contentio, & ex una altera ferè nascitur. Abore ad calamum, à verbis ad scripta itur. Nec malè quidem quando collationes seriæ sunt, & utrimque tutæ ac liberæ. Seriæ tum demum sunt, cum in iis negotium agitur, quod æternam salutem nostram, aut proximi nostri tangit, & animus utrimque adfertur docilis, pius & veritatis divinæ, ac salutis suæ studiosus. Absque his non tantum frigidæ, & jejunæ esse solent collationes, sed infinitæ ac sine fructu; nec rarò etiam odiorum ac litium immortalium seminaria. Tutæ verò & liberæ esse vix possunt, nisi cum pars utraque juris sui est, aut saltem cum utriusque partis securitati ita cavetur prospiciturque, ut utrique sine metu & scrupulo, quod sentit dicere liceat. Sed ea, proh dolor! ferè nunc sunt tempora, quibus silentio redimenda est securitas; & taciturnitate aut conciliandus amor, aut retinenda partis alterius benevolentia. Quæque secta tranquillitati suæ carnali ante omnia, & unicè ferè consultum cupit; dissentientes, nedum contradicentes in oculis suis vix fert; suffragatores solos, licet alioquin parum pios candidosque, amat & fovet adeò impensè, ut dissentientibus tutum sæpe non sit, silere. Hostis ferè ubique censetur, quisquis amicum se, & in partibus iisdem non profitetur. Hinc fit, ut collationes rarò sint, prout decet, liberæ; proinde ut in iis sæpe non dicatur omne id quod res est; sed quod minùs offensurum creditur. Fieri autem id solet potissimum tum, cùm pars altera in potestate alterius est, ejusque gratia & benevolentia opus habet. Frangit enim animi, licet alioquin erecti, libertatem, gratiæ necessariæ spes, & offensionis metus, usque adeo, ut sæpe non tam dicatur, quod dici necesse est, quàm quod tutò & impunè, aut saltem minus periculosè dici posse creditur. Et habebat me hic metus, Doctiss. Vir, cùm primùm ad collationem à te sollicitarer: sed exemit mihi illum, fateor, singularis tua humanitas, atque in me exulem, & ad vos profugum, inexpectata adeoque insperata pœnè benevolentia. Ea nixus ad collationem tecum in ditione & territorio vestro accessi: eadem fiducia per ceram & linum, quod dicitur, provocatus, iterum tecum in arenam venio. Res quæ in controversiam venit, meretur examen; & seria atque amica collatio, si affectus absint, non rarò cos est ingeniorum, & ignitabulum veritatis. Eâdem benevolentiâ tuâ fretus, libertate meâ in respondebo utar, nulli juratus, nulli obstrictus, nisi Deo & rectæ rationi. Hæc vilia sunt ingenia, quæ ad gratiam, aut ex præscripto sentiunt, loquuntur & scribunt. Animus veritatis cupidus liber sit oportet, & solutus omni alienæ & propriæ libidinis vinculo. Quare expendam argumenta tua, non tanquam firmiter persuasus jam ante quod ea falsa sint, sed an ne falsa sint; paratus iis cedere, si pro veritate allata esse deprehendero. Ne quid autem intactum relinquam, premam vestigia tua, & quo præivisti pede, subsequar.

*Quâ occasione injecta fuerit mentio canonis Concilii, quo Constantinopolitanus Episcopus æquatur Romano.*

Proœmii loco expectare te frustra dicis Canonem illum Concilii, quo Constantinopolitanus Episcopus aut superior, aut æqualis Romano Episcopo decernitur. Doleo equidem, mi Wadinge, quod frustra quippiam à me expectes: sed mirer, quod à me expectes id, quod promissum à me non fuit. De Canone quod dicis, obiter tantùm post collationem jam habitam, & cùm jam ad reditum staremus accincti, mentio incidit, uti nosti, occasione prolixæ orationis tuæ, quâ ex historiâ Ecclesiasticâ deducere conabaris, supremam atque infallibilem authoritatem semper in Ecclesiâ, Papæ Romano competiisse, quæ alteram, & pæne utramque collationis paginam fecerat. Ad id ego tantùm paucis hoc regerebam: rem istam extra quæstionem nostram esse, & non ita certam & claram, uti credi volebas; & ne id dicere tantùm viderer; addebam contrarium satis patere ex uno Concilio Chalcedonensi, in quo Constantinopolitanus Episcopus æqualis Romano Episcopo juxta omnia πρεσβεῖα & privilegia, communi Episcoporum DCXXX calculo & suffragio fuit renunciatus; & quidem ex eodem illo jure, propter quod Episcopus Romanus cæteris Episcopis antèa prælatus fuerat, videlicet propter dignitatem urbis Imperialis, quæ Româ Constantinopolin translata erat. Hoc regerebam ego paucis tamquam rem certam: sed sentiebam statim me novum ulcus tetigisse, & novæ litis aleam jecisse. Itaque cùm D.V. canonem talem uspiam extare negaret, dixi nolle me telam istam novam ordiri; sufficere quæstionem, quam jam exorsi eramus: credere me tamen Canonem talem extare. Sed quia ejus examen novam & admodum odiosam litem post se tracturum erat, & litem quidem, quæ tota ex historia & historiarum fide pendet, malle me eâ prorsus supersedere. Sciebam enim quàm periculosæ plenum opus aleæ esset apud vos, quorum benevolentia mihi necessaria erat, contra Papæ authoritatem dicere: & deinde quam inexhausti laboris sit, historicorum Camarinam movere: neque ignorabam quàm varia sint de ipsis historicis judicia, quam perplexæ sæpè ipsæ historiæ, quàm lubrica, & ἀμφίρρητα sæpe Canonum, quos citant, pronunciata; quàm ingeniosè, quàm subtiliter, quàm vafrè illa sæpe detorqueantur in sensus alienissimos à verbis; quàm perfidè illa sæpe sint truncata, mutilata, aucta, interpolata. Decimum tertium Herculis laborem exantlandum illi fore videbam, qui istam provinciam in se suscipere vellet. Quare steti in proposito, nolle me litem illam novam auspicari.

*Quàm sit incerta historiarum fides.*

Accedebat, quæ me maximè urgebat, conscientia, quod in historiis operam talem non posuissem, qualis in eo requiritur, qui ab earum citatione, causæ suæ lucem, aut patrocinium fœnerari studet. An genio quodam meo, an studio id accidat, vix dixero. Hoc scio non affici animum meum, aut saltem non nisi leviter affici ab historiis, qualescunque eæ ferè sint, imprimis Ecclesiasticis. Experior enim hodie quam sit incerta historicorum fides: quàm profunda præcipuarum rerum, & plerumque veritatis ipsius ignorantia in ipsis locum habeat: quàm sæpe narrentur ea, quæ longe aliter se habere luce clarius constat: quàm ineptè sæpe recitentur sententiæ, opiniones ac judicia aliorum: quàm tetri, quàm profani sæpe affectus in recitandis iis misceantur; quàm diversimodè narrentur pœne omnia quæ geruntur, ex una & ex altera parte. Testem do experientiam. Quamdiu hîc Antuerpiæ vixi, observavi exactè quod de rebus Bohemorum, & turbis quæ in Bohemia circa id tempus motæ erant utrimque scriberetur & crederetur. Jurare ausim vix unam historiam me vidisse, audivisse, aut legisse, in qua non directè contrari a narrabantur, adeo ut uno eodemque tempore pars utraque semper succumberet & triumpharet. Et ne hujusmodi rumusculos pro justa historia à me haberi ac referri credas, (quamquam observavi etiam ex illis schediasmatis historias ferè conflarcinari & coagmentari,) en experientiam

ex hiſtoria Belgii, quæ bellum XL annorum continet. Vide eam prout utrimque conſcripta eſt, credes hiſtorias eſſe diverſorum ſæculorum & populorum. Origo belli nihil habet ſimile, hinc inde variat tam diverſo diſcrimine, ut nox & dies. Conſilia, facta, prælia, eventa, encomia, vituperia toto cœlo à ſe invicem diſtant. Hæc hiſtoria, Principem ſuum laudat ut pium, mitem, bonum, imò ſemideum: illa ſceleratum, crudelem, atheum, Dei hominumque contemptorem eſſe aſſerit. Hæc acta ipſius omnia laudabilia effert, & contraria omnia diſſimulat: illa peſſima omnia profert, & optima quæque diſſimulat; & ſic de ceteris. Nec præterita tantùm, ſed præſentia etiam, & quæ recens geſta ſunt, eadem fide narrantur. Senſimus illud noſtro malo & damno in patria noſtra, & in hoc noſtro exilio. Quæ non dicuntur ſcribunturque ab hiſtoricis in omni orbis parte de Remonſtrantibus quos vocant? Quàm fœda hiſtoria maculavit chartas ſuas, nihil minus quàm hiſtorici nomine dignus, Baudartius? Quid non de iis, quæ in Belgio geſta ſunt ſcripſit ineptus iſte Heſſus Daniel Angelocrator in libro ſuo de Synodis? qui tamen unus ex Patribus ad Synodum conſcriptis fuit, & coram de re tota reſciſcere potuit. Quis fidem detrahere audebit Theologo ad Synodum conſcripto, qui per menſes aliquot in Hollandia fuit, & converſatione Theologorum ac Deputatorum Ordinum uti potuit? Totidem hæc argumenta ſunt ad fidem ei faciendam, imprimis ubi liber ejus, quantumlibet inſulſus, ætatem nactus fuerit, & tamen tam ſunt apertè falſa, tam à vero aliena, quæ ſcripſit, ut mendacium Græcorum hiſtoriis accenſeri debeat. Hæc aliaque dum conſidero, abripior ſæpe in eam opinionem, ut, an quæ olim geſta eſſe dicuntur, quæque his & illis tribuuntur revera ita ſe habeant: ſaltem ut iis vel me apud animum meum convinci patiar, vel alios convincere velim, adduci non poſſim; imprimis cùm hiſtoriæ partium conſcribuntur. Fieri enim vix poteſt quin iis affectus ſeſe miſceant, per quos rei veritas plerumque obnubilari ſolet, ſuſpecta meritò eſt hiſtoria omnis, niſi is qui ſcribit, extra partes poſitus ſit omnino, & ipſius prorſus non interſit utrum hoc vel illud narretur. Hæc cum dico, nolim equidem credas me hiſtorias omnes veteres & novas damnare. Abſit: ego illas ſuo loco relinquo: fides eſto penes earum authores. Fieri poteſt ut veræ ſint & bona fide conſcriptæ: verùm ut firma fide credam pleraque ita ſe habere ut conſcripta ſunt, ab animo meo impetrare non poſſum. Non patiar illis obligari conſcientiam meam, neque unquam, ſpero, cujuſquam alterius conſcientiam illis obligabo.

*Canon Concilii Chalcedonenſis memoratus.*

Veruntamen ut non ſine cauſa aut fundamento me Canonis illius tum temporis mentionem feciſſe videas, aut ſi fortaſſe me eum T. R. indicaturum promiſi, quod fieri poteſt, ut fidem meam liberem, en tibi eum, prout ſe habet in Concilio Chalcedonenſi, Canon eſt 28. cujus hæc eſt inſcriptio:

Sententia communi ſuffragio Synodi lata de ordine aut dignitate χαρὶν τῶν πρεσβείων, ſedis ſanctiſſimæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ.

*Sanctorum Patrum decreta ubique ſequentes, & Canonem qui nuper lectus eſt, centum & viginti Dei amantiſſimorum Epiſcoporum, ſub Theodoſio Magno ſanctæ memoriæ in hac urbe Conſtantinopolitana imperatore, congregatorum, agnoſcentes; eadem quoque & nos decernimus & ſtatuimus de privilegiis ſanctiſſimæ Conſtantinopolis novæ Romæ ſuffragio noſtro:* (ψηφιζόμεθα.) *Etenim antiquæ Romæ throno* (διὰ τὸ βασιλεύειν) *propter imperium civitatis Patres privilegia tribuere. Et eadem conſideratione moti centum quinquaginta Dei amantiſſimi Epiſcopi ſanctiſſimo novæ Romæ throno* (τῷ ἴσα πρεσβεῖα) *æqualia privilegia tribuêre, rectè judicantes urbem, quæ & Imperio & Senatu honorata eſt, & æqualibus cum antiquiſſima regina Roma privilegiis fruatur, etiam in rebus Eccleſiaſticis, non ſecus atque illa, extolli ac magni fieri, ſecundam poſt illam exiſtentem, &c.*

En, inquam, Canonem, mi WADINGE, Solis radio ſcriptum, in quo duo iſta quæ dixeram, tam diſertè expreſſa leguntur, ut Soli lucem fœnerari velle videar, ſi illuſtrando illi immorer. Primum enim ſtatuitur ut Epiſcopus Conſtantinopolitanus impoſterum æqualis (ſuperiorem enim ſtatui ineptius eſt quàm ut à me dictum credatur) per omnia ſit Epiſcopo Romano, una excepta ſedis aut ſeſſionis primæ prærogativa: verba enim ſunt clara, ἴσα πρεσβεῖα habeat, *ἐν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς extolli urbem volumus non ſecus atque antè antiquam Romam*: ſecunda tantum ſit à Roma vetere, & δεύτερος ὑπάρχειν habeat Romanus Epiſcopus. Deinde ſtatutum privilegium ipſius πρωτοκαθεδρίας Epiſcopo Romano datum à Patribus, non quia illud ipſi à Deo datum, aut à Chriſto per Petrum continua ſucceſſione traditum erat, ſed quia urbis illius Epiſcopus erat, quæ prima erat & princeps aliarum omnium, quæque Imperii Majeſtate atque Senatu honorata erat. Puto itaque me fidem meam liberaſſe.

Non ignoro quidem, quod Gratianus in Epiſcopi Romani gratiam ſubleſta fide Canonem hunc corruperit, & pro eo quod legitur καὶ ἐν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς, ſubſtituerit; *Non tamen in rebus Eccleſiaſticis*; ſed ſcio falſationem illam manifeſtariam eſſe & mancipio Papæ dignam. Scio etiam acriter admodum Legatos Romani Pontificis interceſſiſſe Canonis hujus ſanctioni, tanquam qui authoritati & dignitati ejus, quæ ipſi non à Petro (ejus enim mentionem nullam faciunt) ſed à Patribus Nicænis tributa fuerat, multum derogare videbatur. Sed ſcio etiam eos repulſam paſſos fuiſſe, & non obſtante Legatorum acri ſatis & longa interceſſione, nihilominus tamen Canonem communi ψηφισμῷ DCXXX Epiſcoporum ſancitum ac ſtabilitum fuiſſe. Ita enim judices tandem definiunt. Quod interlocuti ſumus tota Synodus approbavit.

Hæc non ex noſtro aliquo novitio ſcriptore, ſed ex ipſo Concilii decreto hauſta ſunt, mi WADINGE. Ita enim fieri oportet. Hiſtoria, quantùm fieri poteſt, non aliunde quàm ex ipſis fontibus eſt petenda. Quare non capio ſatis quid tibi velis, cùm optas ut ex ipſis Conciliorum decretis & Patrum ſcriptis, puriorisEccleſiæ ſenſum potiùs, quàm ex noſtræ religionis auctoribus, hauriam. De Canone agitur, qui ex ipſo Concilio hauriendus erat. Senſus ejus planus eſt. Quid, an fortè vis ſenſum Canonis illius quem in Concilio iſto reperiri non ignorabas, ut opinor, interpretatione opus habere, eamque aliunde quàm ex verbis claris petendam eſſe? Hoc videtur. At quid eſt nodum in ſcirpo quærere, ſi hoc non eſt? Videre mihi videbar te id agere, cùm primum exſtare Canonem illum in orali collatione dicerem, & obſtupui. Itane, inquiebam, rem tam claram, tam evidentem negari, in dubium vocari, & in utramque partem ventilari! quis credat? An itaque ut ſenſus verus hujus tam clari Canonis reperiatur, oceanus Conciliorum erit intrandus, & Patrum arcana omnia ſcrutanda, & de illorum ſenſu ſerra reciprocanda? Quis finis? quis exitus? & ubi, ubi ſenſus reperietur cujus evidentia huic, non dico præferetur, ſed æquabitur? Dicam hîc ſemel quod ſentio. Nunquam compinges me in piſtrinum iſtud, mi WADINGE. Ego ex iſto muſtaceo laureolam non quæro; nec invideo multæ lectionis & capacis memoriæ gloriam iis, quibus lubet in iſto Conciliorum ac Patrum oceano ſemper errare ac fluctuare, in eoque otium & induſtriam ſuam omnem occupare. Non enim tanti facio, cujus me pœnitere aliquando poteſt.

*De titulo Patrum veteribus tributo.*

Patres, inquis, fuerunt. Fateor equidem iſto titulo communiter eos ornari, neque auſim refragari tam communi & pervulgato conſenſui. Sed non celabo tamen quod ſentio. Malle me ut ab iſto tam auguſto titulo aliiſque ſimilibus Chriſtianiſmus abſtinuiſſet. Majeſtatem enim aut habent aut conciliant ejuſmodi tituli. Nimirum in illis hæret & opſtupeſcit ferè poſteritas, tanta religione ut Majeſtatis læſæ crimen committere credatur, qui ab illorum, qui titulos iſtos præ ſe ferunt, placitis, vel latum unguem diſcedit. Enimverò, quis ad auguſtum illud nomen Patrum, veluti fulmine aliquo ſideratus non conſiſtat, non trepidet, non concidat? quis obloqui audeat, niſi qui odioſa & infami rebellis, præfracti, ingrati, immorigeri filii nomenclatura conſpurcari vult? Tanti eſt, quibus quem titulis ſemel honores. Tranſeunt paulatim tituli in gloriam, & cum ætate acquirunt majeſtatem, qua perculſæ mentes impediuntur quominus progredi poſſint ad veritatis liberam inquiſitionem. Nimirum errare ſe non poſſe credunt ſi glorioſos iſtos duces ſequantur. Ego iſtam remoram tollendam eſſe arbitror. abrumpendus eſt pudor, & excutiendus ſtupor iſte qui orbem tenet, & cur non? Soli Deo hæc gloria debetur, quod Pater noſter ſit, quod magiſter noſter ſit, & quod neminem Patrem, aut magiſtrum habere debeamus, niſi quem ille Spiritu ſuo adflarit ut errare non poſſit. Cæteri omnes ſunt filii ac diſcipuli, qui audire & diſcere debent, quocunque demum ævo vixerint ſcripſerintve. Et hoc loco habeo ſcriptores omnes. Neque de iis qui Patres vocantur aliter ſtatuendi cauſam ullam habeo. Qui primi illos Patres vocarint, neſcio. Credo quibus eorum authoritas uſui erat, & quorum intereſſet ut ita vocarentur; vel, ut verbo dicam, qui eorum mancipia eſſe & alios fieri volebant. Nullo jure. ſi quis enim ſcripta eorum ſine præjudicio legat, quis non videt, *primò*, quàm longè ſæpe à vero aberrent, quàm procul interdum à ſcripturarum ſenſu abeant, quàm palpabiles errores non rarò errent? Nec hoc tantùm: ſed *ſecundò*, quàm ſæpe à ſeipſis diſſideant, tanquam ſi dormitantes quædam ſcripſiſſent. Imò *tertiò*, quàm crebrò inter ſe diſſentiant, & quidem in iis, quæ nunc ab iis qui eos Patres vocarunt, fundamentalia dogmata habentur. *denique* quàm frequenter ea dicant quæ cothurnorum inſtar ſunt & cuilibet pedi aptari poſſunt, & ferè aptari ſolent. Accedit quod ipſi Patres ſcriptis ſuis fidem adhiberi vetant, lectoreſque à ſeipſis ad

ſcri-

scripturam passim ablegant. Hæc causa est, cur in iis operam magnam non ponam, eorumque authoritatibus me tueri religioni ducam. Scio vos aliter & sentire, & facere, sed utriusque nostrûm est videre ut Deo conscientias nostras probemus.

*De Conciliorum auctoritate.*

Concilia quod attinet, uti ea curiosè non scrutor, ita iis ad præsidium causæ meæ nunquam utar. Cui saturninæ in oculis lemæ non sunt, facile videt quam parum iis stari possit. Alio ariete pugnandum esse credo ut in conscientias vis fiat, & errores diruantur eruanturque. Scio enim, atque aliqua etiam ex parte expertus sum, quibus artibus, quibus machinis fere Concilia cogantur & convocentur; ubi congregata sunt, quàm indigna, turpia & fœda sæpe in iis sanciantur, quàm vafre & subdole pessima quæque, audeo dicere, impietatis arcana, & *ὑπογεγραμμένα* pallientur atque incrustentur, & (quod maxime dolendum est,) quàm barbare & crudeliter fere finiantur ac desinant. Qui hujus rei fidem sibi fieri vult certam, is altero tantum oculo videat Concilia numero & authoritate paria, opposita Conciliis, Canones Canonibus adversis frontibus repugnantes, Episcoporum certamina ac dissidia, quæ aliquando non nisi exilio, sanguine ac cæde innocentissimorum Episcoporum restingui potuerunt. Testis est *λῃστρικὴ* illa Synodus Ephesina II, in qua Flavianus Episcopus Constantinopolitanus occisus fuit.

## CAPUT II.

### Disquiritur an idolum & imago significatione inter se differant.

SEd tempus est ut ex diverticulo revertamur in viam, & relictis prolegomenis ad rem accedamus.

*Tria*, inquis, *ergo à me dicta sunt.* Primùm, *idolum & imaginem non idem significare.* Secundò, *Ethnicos adorasse sua ipsa idola, quibus aliquid divinæ virtutis inesse existimabant, non verò per idola adorasse verum Deum.* Tertiò, *Præceptum fuisse datum positivum Judæis de imaginibus non colendis, præter præceptum morale* Exodi XX. *de non colendis idolis. Hæc tria paucis explicabo.*

Tria hæc à te dicta esse, mi Wadinge, non nego: sed optassem addita fuisse alia nonnulla, de quibus me in concertatione quæstum fuisse ais, quod nova prorsus essent, & in arena à te primùm excogitari mihi videbantur ad effugiendum argumentorum meorum ictum: cujusmodi erant inter cætera hæc duo. 1. Idolum esse, quod repræsentat falsum Deum, vel verum Deum falso modo. Hoc enim posterius, cùm pressus argumento meo diceres, novum mihi erat, concedi à Pontificio, idolum scilicet aliquando esse quod repræsentat verum Deum, & aliquod dari posse quod repræsentat Deum vero modo. Quis enim modus ille foret? 2. Gentiles credidisse idolis, quæ colebant, non tantùm aliquid divinæ virtutis ineſſe, sed ipsam divinitatem hypostaticè cum iis unitam esse. Quid enim novius dici poterat?

*Idololatria crimen declinare non possunt, qui Dei vel creaturarum imagines faciunt ut eas colant.*

Deinde optassem additam fuisse à D. V. occasionem, qua singula ista à te dicta fuerant: ea enim lucem dedissent tractationi: sed quia id à te factum non est, non feres spero ægrè si à me fiat. Primæ quæstionis occasio hæc fuit. Dixeram ego, videri mihi crimen idololatriæ declinare non posse eos, qui Dei, vel demortuorum hominum, sive sancti revera fuerint, sive tantùm sancti fuisse credantur, imagines faciunt, ut coram iis sese incurvent, eas religiosè colant, adorent & venerentur. Argumentum meum, quo nitebar, erat divinæ legis moralis præceptum, quo imagines illas facere, & se coram iis incurvare, easque colere aut adorare, non minus simpliciter & in terminis, quàm graviter & severè tanquam actus idololatriæ vetatur atque interdicitur. Argumentum hoc nitebaris evertere distinctione ordinaria inter idolum & imaginem. Hæc distinctio non videbatur mihi infringere vim argumenti duabus de causis. 1. Quia in præcepto divino, quod Hebraicè conceptum est, distinctio nulla fit, sed simpliciter omne פסל sive *sculptile*, (ita enim transfert ipsa vulgata Ecclesiæ vestræ versio, vocem פסל,) fieri & coli vetatur; imò ut ne distinctioni ulli locus supersit, omnis omnino *shemunah*, id est, omnis similitudo fieri prohibetur, cui cultus aut adoratio impendatur. Periculosum autem est in materia cultus divini, distinctione arbitraria præcepti universalis vim eludere, aut distinguere velle, cùm Lex non distinguit, imò cum distinctioni ansam omnem expressè præcidit. Id autem hoc legis præcepto fieri adeò certum est, ut omnes omnino Judæi, nullo excepto, sola religione & conscientia interdicti hujus generalis adducti semper fuerint, hodieque adhuc adducantur, ut ab omni prorsus imagine facienda aut colenda abhorreant: imò ut eos veri Dei cultores esse non posse firmiter credant, qui imagines ullas sive Dei, sive Angelorum, sive Sanctorum faciunt, aut adorant. Quæ causa etiam est, quod in eorum Templo, Synagogis, domibus nullæ unquam imagines pictæ, aut sculptæ visantur, ne quidem eorum, quos sanctissimos fuisse, & miraculorum gloria claruisse certò sciunt, puta Abrahami, Isaaci, Jacobi, Moysis, Josuæ, Samuelis, Davidis, &c. 2. Quia imago & similitudo omnis, eo ipso quod coram ea vel ad eam religiosus cultus sit, nihil aliud quàm idolum est: imo si proprietatem vocum spectes, quia unum etiam idemque prorsus significant. Hac occasione nata est prima tua velitatio grammatica potius quàm religiosa, & docta potius quàm tuta, de distinctione quæ inter imaginem & idolum est.

Relicto examine primi argumenti, in quo tamen præcipua vis sita est, sed ne ordinem propter digladiari videar, qui arbitrarius esse solet, sequar te, & qua ratione hanc distinctionem tuearis, expendam.

*An idèò quòd Ecclesia distinctionem fecerit inter idola & imagines, distinctio illa approbanda sit.*

*In Ecclesia*, inquis, *Catholica semper abominationi fuerunt idola, venerationi vero sacræ imagines.*

Sensus horum verborum tuorum, ut ex iis argumentum formetur, mi WADINGE, alius mihi esse posse non videtur, quàm hic: Idola esse abominandum quid, imagines verò sacras venerandum quid: (Epithetum hoc *sacras*, ineptè additur ad vocem imagines: de eo enim quæritur an imagines, si quas venerata est Ecclesia, sacræ esse potuerint, cùm vetitæ sint à Deo; alioquin quis dubitabit venerationi semper esse debere ea quæ sacra sunt:) & hactenus idolum atque imaginem inter se distingui. Equidem rectiùs egisses, si clariùs exposuisses, qua in re discrimen inter idolum & imaginem situm sit. Nec enim indicas, quid per Ecclesiam Catholicam hîc intelligas; an Ecclesiam Catholicam, qualis nunc est Romana sive Pontificia vestra; an Romanam, quatenus unam eandemque fidem ubique locorum & semper retinuit. Si primò modo intelligas Ecclesiam Catholicam, jam principium petis, uti vides. Quid enim ad rem facit Ecclesiam Catholicam, qualis nunc est Romana seu Pontificia, distinctione ista usam esse? in eo enim faciendo, an Catholica Ecclesia Romana non erret, quæritur hoc loco. Si secundo modo accipias, tum posito etiam quod id verum esset, quod dicis, nihil tamen certi adhuc intelligeretur. Nec enim satis solidè colligitur; Ecclesia Catholica habuit semper abominationi idola, imagines autem venerationi: Ergo idola & imagines distinguuntur. Fieri enim potest, saltem juxta sententiam nostram (supponimus enim Ecclesiam Catholicam errare posse) ut Ecclesia distinctionem illam fecerit judicio & authoritate sua propria, nullo divino oraculo, judicio, aut testimonio nixa, imò contra Dei testimonium ac judicium, quod lege ipsius in terminis expressum est. Nec enim satis est Ecclesiam distinguere, aut distinctionem fabricare. Nihil est facilius, nihil usitatius. Nullum commentum tam vanum, tam absonum, cui palliando distinctio non reperitur. Necessum est ut quæ fabricatur distinctio fulta sit divina veritate, aut ei saltem non repugnet. Quamdiu id non fit, ita ut non appareat clarè distinctionem, quam Ecclesia facit, judicio divino niti, aut saltem isti judicio non contravenire, tamdiu suspecta debet haberi distinctio, & sine periculo rejici potest. Quòd si verò etiam divinæ legi ac judicio, seu directe, seu indirecte contraveniat, tantùm abest ut sufficere possit pacandæ conscientiæ aut actioni alicui justificandæ, ut tanquam impietatis arcanum & latibulum respui ac vitari debeat. Nec ad rem facit sive unus, sive plures, sive Academia, sive Ecclesia distinctionem illam admittat, aut adhibeat. Distinctio enim ipsa consideranda venit. Causæ sunt aliquando, propter quas distinctio quæritur, aut admittitur, quibus non subest, sed prætexitur religionis species. Semel verò admissa distinctio religionis specie fucata, facile transit deinde in regulam, ad quam postliminio cultus & religio dirigitur.

Sed esto, concedam D. V. consequentiam suam, ne videar ego unus Ecclesiæ totius Catholicæ Romanæ sententiam damnare velle, & superbiæ aut temeritatis crimen incurram, & Minorem propositionem excutiam. Certe quæ ad eam stabiliendam à te adferuntur argumenta, ea mihi videntur admodum imbecillia, atque infirma esse: quæ verò in contrarium faciunt, ea tanti mihi esse videntur, ut apud æquiores omnes præponderare debeant.

*Ecclesiæ Catholicæ semper fuisse abominationi idola, venerationi vero sacræ imagines*, qui probas?

*Concilium*, inquis, *generale septimum, sive Synodus Nicæna secunda, sessione septima hæc habet: Qui venerandas imagines idola appellat Anathema sit.* Subjicis autem: *Vides quàm longè abfuerit Ecclesia vel ab ipsa idoli nuncupatione, ut Anathema illis indixerit qui imagines sacras idoli nomine indigitarent.*

*Non probatur satis solidè auctoritate 2 Synodi Nicenæ, Ecclesiam Catholicam semper distinxisse inter idolum & imaginem.*

At verò qualis est hæc probatio? Concilium unum & quidem Nicænum secundum, quod DCC post Christum annis celebratum est, dicit illis Anathema, qui venerandas imagines idola appellant. Ergo Ecclesia Catholica semper distinxit inter idolum & imaginem. Utique ad summum ex hac probatione aliud nihil sequitur, quàm, Ergo Concilii hujus Nicæni tempore distinctio inter imaginem & idolum fuit facta, aut saltem approbata. Non enim dicit Concilium distinctionem ejusmodi semper in Ecclesia factam fuisse, sed tantùm distinctionem ejusmodi fieri vult. At vero id parum refert, quod hujus Concilii tempore facta fuerit talis distinctio. Neque enim quisquam facile negaverit distinctionem hanc antiquam esse, & aliquot retrò sæculis usurpatam. Notius est quàm ut probari oporteat, ex illo tempore quo imagines Gentilium in templa Christianorum introductæ, & superstitione magis magisque (uti fieri solet) in pejus glisscente, cultæ atque adoratæ fuerunt, distinctionis hujus colore idololatriæ, quod aut metuebatur, aut objiciebatur, crimen tegi atque incrustari cœpisse. Ut hìc dicas, judicium Synodi Nicænæ septimæ pro Catholicæ Ecclesiæ judicio habendum esse, eo quòd Ecclesia una eademque est quæ in Conciliis repræsentatur, & Concilia Conciliis semper sint conformia, dissensio, quæ inter me & te est, de Conciliorum authoritate, addo etiam de consensu eorum, non permittit. Præterquam quod mihi persuadeam: 1. nequidem te ipsum, imo neque ullum Catholicum Doctorem omnia, quæ in Concilio isto statuta sunt, dogmata, non dico pro Catholicis, sed pro veris habiturum esse. Alioquin enim credendum tibi foret Angelos esse corporeos, & non invisibiles, idque, ne forte putes hanc privatam quorundam sententiam in Synodo ista fuisse, Ecclesiam ipsam sentire; ita enim disertè legitur Actione quinta. 2. Non minus firmiter statuo, neque te, neque ullum eorum, quibus crassæ in oculis lemæ non sunt, argumenta pleraque, quæ pro imaginum veneratione & cultu in Synodo ista sunt allata, pro solidis aut sufficientibus, ac non potiùs pro ridiculis confirmationibus habiturum esse. Ignosce mihi, Vir Doctissime, quod liberè loquar. Quæ allegantur in ista Synodo argumenta pro cultu imaginum, ea tam sunt frigida, tam putida, tam futilia, ut tussim & pus cieant Lectori qui in ista incidit. Vix occurrit imaginis vox in Scripturis, quæ non in probationem deploratæ causæ trahitur. Instar cothurni & Lesbiæ regulæ omni conclusioni aptatur Divinum oraculum, non aliter quàm si ubique pro imaginum cultu pronunciaret. Et hoc est illud Concilium, quod ante omnia alia visum tibi fuit in scenam dare, imò tanquam primipilum, pænè dixerim triarium, in aciem producere. Quâ fiducia obsecro? Non enim poteras ignorare, esse saltem posterioris ævi, habitumque pene octo sæculis post natum Christum. At quid ad rem facit, quod tum temporis distincto inter idolum & imaginem locum habuerit? Quid si dicam Elibertino Concilio, quod Concilio II Nicæno prius fuit & antiquius, imagines damnatas fuisse; ac proinde distinctionem istam inter idolum & imaginem nullo in pretio jam ante habitam fuisse? Distingues fortasse inter Concilium generale & particulare, atque illud huic longè præferendum esse dices. At verò ista distinctio parum apud me poterit. Tantùm enim ad summum ex eo concludetur, plures post istud Concilium aliter censuisse; at non efficietur multos priores & antiquiores mecum non sensisse. Neque verò authoritas hujus posterioris Concilii major videri debet, quàm prioris Elibertini. Generale enim & particulare Concilium, meo judicio, non differunt nisi solo numero suffragantium aut censentium; imò etiam sæpe ne numero quidem differunt; quin non rarò numerus censentium major in particulari, quàm in generali Concilio fuisse deprehenditur. Speciale privilegium, quo supra particulare gaudet generale, aliud nullum reperio. Sed esto, etiam speciali privilegio extra erroris periculum positum sit generale Concilium, non nescis Concilium hoc Nicænum, ut falsum, ut nullum, ut Synodi nomine indignum postliminiò damnatum esse à Concilio non minus generali in Occidente, Francofurtensi, quàm in Oriente fuit Concilium Nicænum secundum, quod attinet ad numerum. Ab Imperatore enim Carolo Magno convocatum fuit, & ex ingente numero Catholicorum Episcoporum, ut refert Sigonius, Galliæ, Germaniæ & Italiæ fuit conflatum. Et in hoc ipso imaginum cultus eodem, quo cultus idolorum, loco censitus fuit. Sed nec in hoc morabor. Credo defuisse tibi Ecclesiæ prioris judicium, quod in Concilio aliquo expressum sit: alioquin ab isto tam controverso & putido Concilio, tamque recente ac novitio, allegando supersedisses.

*Nec testimonio Origenis. Theodoreti, Euthymii.*

Sed Origenem subjibis, forte ut stringas argumentum, & exceptioni factæ aliquatenus occurras. Addis enim: *quod hic non longè ab Apostolorum ætate fuerit.* Ita est; sed nec Apostolorum ætati fuit viciniſſimus. Vixit enim sæculo tertio, anno Domini CCXXVI. Atqui certum est sæculum istud jam tum variis Gentilium Philosophorum, qui religionis Christianæ sacris initiabantur, opinionibus ac ritibus, quos secum in Ecclesiam trahebant, aut quibus Ecclesia ad alios pelliciendos, eosque qui intraverant in fide retinendos, uti consultum duxerat, contaminari cœpisse: & ut iis color induceretur, fucos distinctionum quæsitos fuisse, sub quorum obtentu Gentilium profana sacra in Ecclesiam Jesu Christi fœlicibus auspiciis inferrentur. Inter authores autem corruptelarum non infimum censeri Origenem quis ignorat? Hieronymus certè eum bonum Scripturarum interpretem, sed malum dogmatisten vocat. Neque tamen hæc dico, quasi Origenem hujus etiam sententiæ de imaginis & idoli discrimine authorem aut patronum existimem; (Origenem enim in hoc exilio meo habere mihi non licet, ut quæ ipsius sententia fuerit plenè cognoscam;) sed quòd ejus, nedum ejus unius, authoritate pugnandum non sit. Cui addere possem, quod videam esse, qui ipsius Origenis loca citant, quæ pro contrariâ parte faciunt. Sanè si illius authoritas apud nos valere debet, majori jure valere debet authoritas Tertulliani, qui Origene prior fuit & antiquior. At is contrarium disertè affirmat, εἴδωλον videlicet propriè quamvis formam sive formulam significare, cum ait in lib. cui expresè titulum fecit de Idololatria, Cap. 3. *Ad hoc necessaria est vocabuli interpretatio.* Εἶδος *Græcè formam sonat, ab eo per diminutivum* [in quo tamen erravit Tertullianus] εἴδωλον *deductum æquè apud nos formulam facit. Igitur omnis forma vel formula idolum se dici exposcit: estque idololatria omnis circa omne idolum famulatus & servitus.* Et hoc quidem adeo latè extendit Tertullianus, ut idolum etiam appellet formam, quæ ab aliquo efformata est, & quæ tamen ab eo non colitur, uti disertè videre est ejusdem libri cap. 6. ubi in hunc modum aliquem sibi objicientem introducit. *Facio* [imagines scilicet] *sed non colo: quasi ob aliam causam colere non audeat, nisi ob quam & facere non debeat, scilicet ob Dei essentiam utrobique: imò tu coln* (*NB.*) *qui facis ut coli possint.* Testimonium hoc Tertulliani oppositum etiam volo Theodoreto, quem citas, qui Origene multò est posterior: vixit enim anno CCCCL. & Euthymio, qui ipso Theodoreto & Concilio Nicæno secundo multò est recentior: vixit enim anno MCXVIII.

*Quibus opponitur Tertullianus.*

Et hinc non obscurè colligere est, quàm longè à vero absit id quod subjicis.

*Hæ gemina habent reliqui Patres primorum temporum, qui, licet in idoli definitione adsignanda aliquando sint diversi, in hoc tamen maximè sunt concordes, ut imaginem ab idolo distinguant.*

Nihil enim longius abest à vero. Nec dubito quin, si primorum Patrum ac temporum testimonia tibi suppetiissent, ea, tanquam melioris notæ & majoris roboris ponderisque quàm præcedentia, in medium adducturus fuisses. Sed quia ista deerant, maluisti obiter & velut ἐν παρόδῳ affirmare rem ita se habere, tanquam si ea in confesso & extra omne dubium esset. Ego contrarium hac ratione ostendo: Quod Justinus Martyr scriptor vetustissimus, qui floruit anno CL, in Dialogo contra Tryphonem, legis divinæ verba, quibus idolorum cultum prohiberi vis, recitans disertè scribat, Non facies tibi μήτε εἰκόνα, μήτε ὁμοίωμα τῶν ἐν οὐρανῷ ἄνω, &c. εἴδωλον itaque, εἰκὼν & ὁμοίωμα Justino Martyri fuerunt synonyma. Irenæus, qui eum secutus est, & floruit anno CLXXX, recenset inter profanitates & errores Gnosticorum etiam hunc, quòd imagines quasdam depictas, quasdam ex reliqua materia fabricatas haberent, dicentes formam Christi factam à Pilato. Imagines itaque, sacræ etiam, (loquitur enim Irenæus de sacris tantùm, uti patet ex eo, quod de forma Christi à Pilato facta loquatur) tantùm abest ut venerationi fuerint Irenæo, ut eas habere depictas tantùm & fabricatas, inter profanitates & errores hæreticorum reposuerit. Idem censuit Tertullianus in libro de Idololatria prolixo molimine. Et qui ipsi coætanei fuerunt, Clemens Alexandrinus lib. VI. στρωματέων, Minutius Fœlix, aliique Patres complures antiquissimi; tantâ cum severitate & rigore, ut etiam artem pingendi fingendique imagines, tanquam Christiano homini illicitam damnaverint. Fieri ne potest, mi WADINGE, ut primis Patribus imagines venerationi fuerint, quas vel facere nefas ducebant? imò quas facere tantùm, etsi non colebantur, idololatriæ crimine notabant? Credat qui volet, ego id à me non impetro. Et viguit hæc opinio, ipsius adhuc Lactantii Firmiani tempore, anno Christi CCXC. Is enim lib. II. Institut. cap. 17. tribuit Gentilibus, quod apud eos *templa devovebantur & imagines novæ consecrabantur.* Imagines, ait, non autem idola, neutiquam facturus id, si distinctio illa tum locum habuisset. Addit cap. 18. ejusdem lib. *Non esse dubium quin Religio nulla sit, ubicunque simulachrum est. Simulachrum* autem Lactantio idem esse quod *imaginem*,

*Et multis alii veteres.*

ex eo-

ex eodem capite, & pluribus aliis locis liquet, cùm *hominem Dei simulachrum* appellat, idolum eundem vocaturus, si Latina vox fuisset. Ita enim Cicero lib. 1. de finib. bon. & mal. loquitur: *Imagines, quæ idola nominant, quorum incursione non solum videamur sed etiam cogitemus*, &c. Hanc eandem ob causam videmus Chrysostomum etiam, qui circa annum Christi CCCC floruit, & Græcæ vocis optimè gnarus fuit, imagines & statuas, quæ in domibus ad ornatum tempore ipsius solebant suspendi aut erigi, appellasse idola. Vide Commentarium ipsius in cap. 3. Epistolæ ad Philipp. homil. 10. *εἰκόνας* inquit, *κρεμαστὰς, εἴδωλα παντοῖα καὶ ξόανα ἐπῆλθε.* Plura non addo, ne Soli lucem tœnerari velle videar.

*An distinctionem faciendam esse inter idolum & imaginem, id probet quod vetustissimæ Scripturæ versiones nunquam Græcum εἴδωλον vertunt per vocem imaginis.*

Quod subjungis: *Vetustissimas Scripturæ versiones nunquam Græcum εἴδωλον vertere per vocem imaginis.*

Id, ut omnino verum esset, de quo mihi non constat, ad rem non facit. Nec enim in textu Legis, quo Deus prohibere creditur idololatriam, reperitur præcisè vox εἴδωλον sed voces פסל & תמונה, quarum illa transfertur ab interprete Græco, nunc per vocem γλυπτὸν, id est sculptile, sive imaginem sculptam, nunc per vocem εἴδωλον, nunc etiam per vocem ὁμοίωμα, quæ quamlibet imaginem & similitudinem significat. Vide *Esaiæ* XL. *vers.* 18. & 20. Hæc autem vox *themunah*, quæ addita est, nihil aliud significat, quam imaginem, aut similitudinem quamcunque; neque unquam, quod sciam, per vocem idoli transfertur, aut translata legitur. Unde, & Justinum ante diximus recitare verba Legis, ita ut omnem imaginem, ὁμοίωμα prohiberi dicat. Id cum ita sit, V. D. an non pari, imò majori jure, reponi tibi posset hoc multò firmius argumentum? distinctionem quæ à te fit inter idolum & imaginem, si omninò illa admittatur, prorsus inutilem & supervacaneam esse, cùm id, quod in lege prohibetur, non tantùm sit sculptile, quæ vox per εἴδωλον aliquando transfertur, sed etiam *Themunah*, quæ vox nunquam per εἴδωλον transfertur, sed in genere quamvis imaginem & similitudinem notat. Imò vide sis, an non retorquere mihi liceat argumentum tuum hoc pacto: Si vox εἴδωλον, propterea distinguenda est à voce imaginis, quia nunquam transfertur per vocem imaginis, &, si posito quod per eam transferatur, malè transferretur, cùm tamen idolum reipsa nihil aliud sit quàm imago; utique nulla ratio est, cur hoc præcepto tantùm idola prohiberi credi debeant, cùm in eo expressè legatur vox talis, quæ quamlibet imaginem & similitudinem significat, quæ nunquam per vocem idoli transfertur, & quæ reipsa, quia generalis vox est, aliud quid quàm idolum propriè sic dictum significat. Et hæc res idcirco diligentius est animadvertenda, quod vestri ordinis homines, quando præceptum hoc divinum in libris, confessionibus, catechesibus, aliisque leiturgiis proponunt, aliis verbis non proponunt quàm, *Non facies tibi idolum*, cùm voces plures in ipso præcepto reperiantur, quæ aliud & plus quid quàm idolum, quod vocatis, denotant. Ista enim ratio tradendi admodum est periculosa. Fieri enim posset, ut quis, abstinendo ab idolis eorumque cultu, legem tamen ipsam transgrederetur; imò, ut faciendo id, quod lege in terminis prohibetur, legem tamen juxta vos non violaret. Nimirum facere posset *Themunah*, id est, imaginem, eamque adorare, colere & venerari, neque tamen impingere in præceptum, quo idolum tantùm prohiberi crederet. Atque hæc dico, non quasi negare velim idoli & imaginis distinctionem veterem esse, absit. Solem meridie lucere negarem si id contenderem; sed tantùm, ut ostendam eam, etiamsi ex ipsa rei naturâ peteretur, (quod tamen falsum est) imò etiamsi antiquissima & semper recepta fuisset, cujus tamen contrarium antea etiam evicimus, eam tamen evertendo isti, quod ex lege desumitur, argumento non sufficere. Deinde, ut ad id quod è versionibus adfers aliquid dicam; parum etiam ad rem facit, quod vetustissimæ Scripturæ versiones, nunquam Græcum εἴδωλον verterint per vocem *imaginis*. Quis enim nescit, translationes recentiores esse, quàm ut vera antiquitas ex iis petatur? Cùm versiones, quæ à nobis habentur, fierent, jam tum distinctio illa inter idolum & imaginem in pretio erat; cùm antea, verè priscis Patribus ignota esset, aut saltem curiosè ab illis non adhiberetur. Quid mirum itaque, & eos, qui Scripturam verterunt, consuetudinem & usum currentem sequutos esse? Quare nec mirum etiam videri debet, quod Theodorus Beza nunquam verterit vocem *imaginis*, nisi cum vox εἰκὼν occurrit. Nimirum sciebat jam invaluisse significationem vocis *idoli* in pejorem partem, & loquendum esse cum pluribus, sapiendum cum paucis. Rectè ait Flaccus:

*An idolum sit tantum imago falsi Numinis.*

*Multa renascentur quæ nunc cecidere, cadentque*
*Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus.*

Verùm id, quod obiter subjicis, propius paulùm explicat, qua in re distinctio hæc ponenda sit. *Idolum*, ais, *usu sacrorum Doctorum tantùm est imago falsi Numinis.* Hic muror, mi Wadince, te non addere, quod in collatione orali addebas, argumento meo pressius, *vel veri Numinis, sed non vero modo id repræsentans.* Sed fortasse hoc novitium tuum commentum esse, & à sacrorum Doctorum usu alienum, etsi non impertinens ad solvendum argumentum quoddam, non ignorasti. Videamus id quod dicis. Si per sacros Doctores, intelligas Doctores aliquot qui tertio quartoque sæculo fuerunt, negare id non audeo; sed si primi ævi Patres ac Doctores intelligas, jam ostendimus ante contrarium: Si verò etiam Scripturæ sacræ Authores intelligas; nihil minus verum est, prout postea argumentis omni exceptione majoribus, demonstrabimus.

*Quo sensu Paulus idolum vocet Nihil.*

Neque obstat quod dicis [non enim jam inquiro an verum sit, destituor enim librorum penè omnium ope] Patres passim affirmare, idolum propterea *Nihil* vocari ab Apostolo. 1. *Corinth.* VIII. & X. quod nullam Divinitatem aut exprimat aut in se contineat; cùm certum sit, Apostolum illic tantùm agere de idolis Gentilium, non autem in genere de idolo omni. Neque enim tum imaginum usus adhuc ullus erat inter Christianos, & manifestè agit istic Apostolus de idolothytis. Quærebatur enim, an Christiano iis bonâ conscientiâ vesci liceat. Respondet Apostolus, licere id iis qui sciunt idolum nihil esse, & qui ab alterius conscientiâ, qui id nondum plenè est persuasus, facto aut exemplo suo lædendâ alieni sunt. Deinde ut hoc, salvo Patrum judicio, dicam; Apostolus mihi non videtur idolum propterea *Nihil* appellare, quia nullam veram Divinitatem aut exprimit aut in se continet, etsi hoc verum etiam sit. Nam non tam de idolo, id est, de imagine falsum Numen repræsentante, quàm de ipso falso Numine, per imaginem repræsentato, affirmat quod *Nihil* sit, vel ut alii, quod, *Nullum* sit: ita enim vox εἴδωλον verti potest *cap.* VIII. Hoc si ita est, tum necessum est ut & *Nihil* vel *nullum*, alio longè sensu accipiatur, quàm isto quo acceperunt Patres; hoc videlicet, quia falsum Numen, quod per imaginem repræsentatur, revera in rerum natura non est, ac proinde ea, quæ ipsius idolo immolata sunt, securè comedi posse ab iis, qui Numen illud respuunt ac contemnunt. Quod si verò ad idolum, id est, ad imaginem ipsam, falsum numen repræsentantem, etiam vocem *Nihil* referas, tum vox *Nihil* non significabit, Nullam veram Divinitatem exprimere aut in se continere. Quæ enim imago potest dari, quæ veram Divinitatem aut exprimit aut in se continet? Sed idem valebit quod, rem prorsus nihili, non majoris faciendam, quam si purum putum *Nihil* esset. Est enim res bruta, quæ à nihilo penè nihil distat. Hoc autem multò plus est, quàm nullam veram Divinitatem exprimere aut in se continere. Dicit enim, non tantùm Numen quod repræsentatur, non esse verum Numen, sed ne quidem esse Numen, quod in rerum natura existat. Et cur hoc pacto non exponamus vocem *Nihil*? Proprietas ejus retinetur, emphasis orationis Apostolicæ intenditur, & scopo loci longè est convenientior. Scopus enim Apostoli est docere, Christianos bonâ conscientiâ edere posse ex iis, quæ idolis immolata sunt, non aliter quàm cibis communibus & vulgaribus, nec opus habere ut sibi quippiam ab idolis, id est, Numinibus illis falsis metuant, tanquam si in rerum naturâ essent, & vi aliqua prædita, qua injuriam illatam possent vindicare, cum sciant illa Numina, *Nihil* aut *Nulla* esse, id est, in rerum naturâ non existere, ac propterea nulla vi, nulla potentia prædita, quam Christianos timere oporteat, quando ex iis, quæ ipsis immolata sunt, edunt, & interim ab eorum cultu sunt alieniissimi. Quod si etiam oppositio, quæ inter idolum & Deum fit, hoc loco consideretur, apparebit non obscurè, idolum pro falso Numine & deastro potiùs quàm pro imagine, qua falsum Numen repræsentatur, accipiendum esse.

Ad illud, quod pro conclusione primi membri subjicis, *Vocabulorum Ecclesiasticorum significationem petendam non esse ex Henrici Stephani Lexico, ex Plutarchi aut Homeri profani Scholiis, sed ex sanctorum Patrum Scriptis & usu Ecclesiæ*, &c.

*Qui imagines faciunt ut eas colant res sunt violationi præcepti divini.*

Respondeo 1. Non tam esse hoc loco quæstionem de vocabuli significato, quam de re. Quæritur enim utrum ii, qui imagines sive Dei, sive Angelorum, sive hominum faciunt, ut eas colant & adorent, aut saltem ut coram iis se incurvent, non impingant in præceptum Dei, quo id in terminis vetitum est? per consequens tantùm deinde quæritur, an non sint idololatræ censendi ii qui id faciunt, quia videlicet id facere quod præcepto hoc prohibetur, idololatria esse statuitur. Hac hypothesi suppositâ, iam illud ego affirmo, tu negas. Res ipsa pro me est, quia verba plana sunt. At ut consequentiam, quæ inde elicitur, effugias, inquis, *verba legis sunt intelligenda de idolis, non autem de imaginibus omnibus.* At, inquam ego, hoc pertinet ad hypothesin jam confessam, sive ad consequentiam tantùm, quæ utrimque conceditur,

non autem ad rem. Deinde vox idoli non est in textu, sed *sculptilis, imaginis, & similitudinis*, qualiscunque tandem ea esse possit. Denique addo, etiamsi vox idoli expressa esset in textu Legis, tamen id non excusaret eos, qui imagines faciunt ut eas adorent, quia omnis imago & formula, eo ipso quod circa eam famulatus aut servitus fit, idolum est, teste Tertulliano. Hoc verò idololatriæ nomen & crimen ut à te repellas, ad distinctionem & definitionem idoli confugis. Atque ita hîc primum nascitur quæstio de idolo & idolatria, deque ejus definitione, in qua, etiamsi triumphares, nihilominus tamen principalis causa mea sarta tecta maneret. Si enim fortasse idololatriæ nomenclaturam evaderes, nondum tamen evasisses crimen principale, quod expressum est præcepto Legis, & contra quod acerrima Dei comminatio directa est. Et quid tum, quæso, obtinuisses, mi WADINGE, si id obtinuisses? An non evitato solo nomine idololatriæ, in eodem nihilominus crimine hæreres? Sed addo 2. Quoad vocabulorum significationem, fateor eam non semper ex profanis Grammaticorum Scholis aut Lexicis petendam esse; quin enim ex iis petenda aliquando sit, & ab ipsa Ecclesia petatur, nec ipse negabis, opinor. At eandem ex usu Ecclesiæ, quæ Catholica creditur, & ex eorum, qui Patres vocantur, scriptis hauriendam semper esse, aut ex iis tanquam fontibus semper hauriri tutò posse, nego. Fieri enim posse credo, ut Ecclesia aliqua vocabulis abutatur, eorumque significationem detorqueat ad tegendum errores suos, idque contra ipsorum vocabulorum genuinam proprietatem, & verbi Divini mentem ac sententiam. Possem id in pluribus vocabulis Ecclesiasticis, quæ Ecclesia Romano-Catholica usu & consuetudine sua fecit, testatum facere, si liberet, & fortasse operæ pretium facturus essem, ni prolixitatem metuerem. Fateor quidem fidem vocabulis non contineri; sed non ignoro, vocabulis sæpè tanquam fascinis quibusdam fidei & veritati ingens præjudicium fieri. Itaque non ex solo usu Ecclesiæ, sed ex recto usu, vocabulorum significatio semper petenda est. Rectus autem vocabulorum usus, tum locum habere non potest, quando per eum non proprietas tantùm significationis, sed præcepti alicujus Divini mens ac sententia notoriè evertitur: id quod hac in re, de qua agimus, usu venire, tam clarum est, quàm quod clarissimum.

*Unde vocabulorum significationes peti possint.*

Dicis enim idolum, usu sacrorum Doctorum, *esse imaginem falsi Numinis*. Atqui, en tibi rationes manifestas; ex quibus luce clarius apparere potest, usum illum directè contravenire judicio Spiritus Divini, quod in verbo ipsius expressum habemus, & quod cum proprietate vocis, cum que rei ipsius naturâ optimè convenit.

*Idoli vocem in sacra Scriptura accipi etiam pro imagine facta ad repræsentandum verum Deum, tribus rationibus probatur.*

*Primam* desumam ab exemplo *vituli aurei*, quem Aaron, precibus populi compulsus, ex inauribus, armillis, aliisque Judæorum donariis, in deserto conflasse dicitur *Exod.* XXXII. 4. Is enim disertis verbis à Stephano protomartyre *idolum* nominatur, *Actor.* VII. 41. Quod autem vitulus hîc ad repræsentandum verum Deum formatus fuerit, ex duobus indiciis constare potest. 1. Quia populus ipse de vitulo hoc pronunciavit, quod Deus ipsorum esset, qui eos ex terra Ægypti eduxisset, dicebat enim, *Hi sunt Dii tui ô Israël*: vel, uti Nehemias *cap.* IX. 18. loquitur, in singulari numero, *Iste est Deus tuus, qui te eduxit ex Ægypto.* Jam verò persuasum atque indubitatum omnibus erat, se beneficio Dei veri illius, qui Jehova appellabatur, eductos fuisse; quia cùm educerentur, non nisi sub expresso nomine Jehovæ eductos se fuisse meminerant. 2. Quia Aaron ipse affirmat disertis verbis, vitulum hunc consecratum fuisse cultui unius Jehovæ, sive veri Dei. Cùm enim festum indiceret, his verbis, extructo altari coram vitulo, indixit, *Cras erit solemnitas Jehovæ: Exod:* XXXII. 5. Et certè nulla verisimilis ratio permittit, ut credamus Aaronem, qui alium Deum præter Jehovam procul omni dubio non habebat, aliter id facturum fuisse.

*Secundam*, ab exemplo imaginis sive simulachri illius, quod Micha ex argenteis quibusdam nummulis formasse & conflasse dicitur, *Jud.* XVII. *vers.* 5. quod in vetere vulgata Latina versione, quæ Pontificiis authentica est, *idolum* nominatur, & tamen id Jehovæ sive veri Dei cultui consecratum atque effictum fuisse, tum mater ipsius Michæ affirmat, *vers.* 3. cùm dicit, se *sanctificasse argentum illud Jehovæ, ad faciendum sculptile:* tum ipse Micha *vers.* 13, qui Levitâ conducto, declaravit, se ad Jehovæ cultum ministerio eorum uti velle, per quos coli se ipse Jehova præscripserat; & ab eodem etiam Jehova benedictionem ea propter exspectavit: dicebat enim, *Nunc novi, Jehovam benefacturum esse mihi, eo quod sit mihi Lævita in Sacerdotem.*

*Tertiam* ab exemplo vitulorum sive statuarum duarum, imagines vitulorum portantium, quas Jeroboamus in Dan & Bethel fabricasse legitur, 1. *Reg.* XII. 28. Hæ enim, sicut fine dubio specie cum aureo Aaronis vitulo conveniebant, ita iisdem ferè verbis Deo vero dicatæ fuerunt, ut eodem etiam quo ille, idoli nomine vocari mereantur. Dicitur enim *versu* 28, Jeroboamum in hæc verba populum alloquutum esse: *Ecce Dii tui*, vel *Deus tuus, ô Israël, qui eduxit te è terra Ægypti.* Per Deos autem, vel Deum vitulis istis repræsentatum, verum Deum denotatum fuisse, id satis superque docere potest, quòd alioquin populus Jeroboamo neutiquam obsecuturus fuisset. Neque enim tum eò impietatis pervenerant, ut à Jehova colendo penitus atque omnino desciviſſent; uti fidem facere potest id unum, quod secessione factâ nihilominus tamen Hierosolymam, sacrorum faciendorum causa, ascendebant decem tribus. Ut autem profectio illa Hierosolymam versus impediretur, domique suæ populus sacrorum eorundem observantissimus detineretur, propterea extruxisse vitulos illos Jeroboamus legitur, non verò ut cultus unius veri Dei tolleretur. Id enim persuadere sibi populus, religionis patriæ tenenacissimus, passus non fuisset; uti etiam non obscurè ex tota Israëlitici populi, à duabus tribubus, ductu Jeroboami segregati, historia liquet. Semper enim coluisse Jehovam adhuc leguntur, etiam cùm à vitulorum cultu non recederent. Unde Jehu etiam, cùm Baalis servos statuasque perderet, dixisse legitur, 2. *Rex.* X. 26: *Vide zelum meum pro Jehova*, cùm tamen ipse in vitulorum adhuc cultu perseveraret, uti ex *vers.* 29. videre est.

## CAPUT III.

### An Gentiles idola sua adoraverint tanquam Deos.

SEd à contentione hac Grammatica & triviali progrediamur ad examen Capitis secundi, quod agit de adoratione & cultu quem Ethnici idolis suis exhibuerunt.

*Certum omninò videri debet*, ais, *Ethnicos ipsa sua idola adoraſſe tanquam Deos, non verò per idola Deum verum.*

*Ethnici per sua idola non adoraverunt verum Deum.*

Atqui non videris mihi, WADINGE, in ipso limine bona fide proponere id, de quo quæritur. Uteris enim duabus enunciationibus, & duo simul affirmas, videlicet, quod Ethnici idola sua adoraverint tanquam Deos, & quod iidem per idola sua non adoraverint verum Deum. Quorsum hoc posterius enunciatum? An hoc pertinet ad statum quæstionis? Videris innuere hac propositionis formâ, quod Reformati non minus hoc quàm illud teneant & asserant: ita enim ais, *Ut voluni Reformati.* At verò in eo falleris vehementer. Quis enim Reformatus adeò obesæ naris tibi viderur futurus, ut ignoret Gentiles veri Dei ignorantiâ laborasse, ac proinde verum Deum per idola sua colere non potuisse, juxta id quod dicitur *ad Galat.* IV. 8. *Gentiles ignorantes Deum, serviiſe iis qui naturâ non sunt Dii.* Notum est Gentiles, saltem plerosque omnes, dupliciter peccasse: 1. Quod falsum Deum aut falsos Deos colerent. 2. Quod falsum Deum colerent in imagine. Quomodo itaque assereret quis, Gentiles verum Deum coluisse per idola sua?

*Neque est verisimile illos idola sua adoravisse tanquam Deos.*

Alterum caput, quod videlicet *Gentiles idola sua tanquam Deos adoraverint*, examen meretur. Fateor enim me ex eorum numero esse, quibus id non usquequaque certum videtur, imò videri mihi argumenta ejusmodi à te adferri, quæ contrarium statuere penè me cogunt. Non nego quidem, fieri potuisse ut vulgus & promiscua turba Gentilium, quæ ultra sensus suos non sapit, ita statuerit: quanquam difficulter admodum adduci possum ut credam, stoliditatem tantam in hominem, cui sanum est sinciput, cadere posse. At peritiores Gentiles, eosque imprimis qui Gentilium sacra tractabant, idola sua tanquam Deos adorasse, neutiquam mihi fit verisimile. Videamus quibus rationibus nixus tu id probes.

*Id ex eo non sequitur quod vitulo aureo quem conflavit Aaron nomen Dei tribuatur.*

Prima probatio tua desumta est ex loco *Exod.* XXXII, ubi filii Israël petierunt Deos, qui ipsos præcederent, sive essent ductores viæ; & quod de vitulo conflato dixit Aaron, Hi sunt Dii tui Israël. *Ergo verè credebant*, inquis, *vitulum esse Deum, nempe Serapim Ægyptiorum, & ab eo tanquam à Deo petebant beneficium, nempe ut eos per viam duceret.*

Respondeo; At hîc mirari ante omnia subit, quomodo ex eo quod filii Israël fecerunt, colligas, Gentiles id credidisse. Ambagibus hîc opus est, quas vitare accurati est disputatoris. Cominus pugnandum est. Sed hoc missso, videamus vim argumenti. Ea in hoc mihi sita videtur. Filii Israël petierunt Deos [vel Deum, per enallagen numeri Hebræis usitatam] qui ipsos præcederent; & Aaron dixit filiis Israël, *Hi sunt Dii tui*; vel, ut est *Nehem.* IX, *hic est Deus tuus*: Ergo crediderunt imagines suas esse Deos, & vitulum tanquam Deum suum adorarunt. Respondeo; Atqui manifesta hîc est inconsequentia; neque enim sequitur, si rebus non-

nonnullis nomen Dei aut Deorum tribuitur, idcirco tamen rem, cui nomen illud tribuitur, pro Deo haberi: alioqui etiam vos imaginem Dei pro Deo habere & adorare, & imagines Sanctorum pro Sanctis habere credendum esset. Volentes enim imaginem Dei aut Sanctorum designare, dicere soletis, hic est Deus Pater, hic est Filius, hic est Spiritus sanctus, ista est beata Virgo, ille sanctus Petrus, Paulus, Johannes, &c. Deinde dicendum foret, quoties in Veteri Testamento Angelus Dei dicit, *Ego sum Jehovah Deus tuus*, eum credidisse se esse verum Deum, aut cùm alii, de Angelis loquentes, dixerunt, eum Jehovam esse, se Jehovam vidisse, Jehovam locutum esse, credidisse eos quod Angelus iste Jehova esset. Quo quid absurdius? Item cum Propheta dicit, *Hic est Jerusalem, hic est Pesah*, eum credidisse rem istam reverâ esse urbem Hierosolymam, & agnum qui mactabatur esse transitum Angeli per Ægyptum. Nugæ. Ex phrasibus istis familiaribus & manifestè tropicis, non aliter quàm ex propriis, argumenta apodictica petere ineptum est.

Sed juvat ipconsequentiam clarius adhuc ex ipsâ historiâ filiorum Israël, quæ hîc citatur, ostendere. Si ex verbis illis, *Hi sunt Dii tui*, rectè colligitur Israëlitas adorasse vitulum illum fusilem tanquam Deum, tum statuendum est, Israelitas & Aaronem, cujus hæc sunt verba, credidisse se per illum vitulum fusum eductos fuisse ex Egypto. Id enim expressè de Deo hoc affirmatur. At verò id absurdum esse, evinco duplici argumento. 1. Quia si credidissent se per vitulum illum fusilem eductos fuisse, credidissent eum sibi præivisse ducis instar, ac proinde eductos fuisse ex Ægypto per id quod nondum erat in rerum naturâ: non multo enim ante quàm hæc dicerent, vitulum ipsi sibi fundi curaverant. 2. Credidissent tum Israëlitæ, tum ipse etiam Aaron, se non per Jehovam, sed per Serapim Ægyptiorum Deum, ita enim ipse exponis, ex Ægypto eductos fuisse. At quàm absurdum etiam hoc sit, liquet inde, quod is per quem educti fuerant ex Ægypto, capitalis hostis Serapidos erat. Erat enim is, qui inter cætera animantia, quæ pro Diis suis colebant Ægyptii, etiam vitulum, qui Serapis erat Ægyptiorum, comedi & pro sacrificio sibi mactari & offerri jusserat: imò quod magis est, qui omnia sacra Ægyptiorum abominationi esse volebat filiis Israël, adeò ut contraria omnia iis, Ægyptii faciebant, ab iis fieri juberet. 3. Quia Aaron, qui vitulum fundi curaverat, & de eo dixerat, *Hi sunt Dii tui Israël*, disertè postea dixisse legitur, *Cras erit solemnitas Jehovæ*. Atqui Jehovæ solemnitatem colere non poterant, si Serapin credebant Deum suum esse; quia Jehova non modo non erat Deus Ægyptiorum, sed erat abominationi iis, qui Ægyptium Deum colebant, & vice-versâ. Nec mirum: Jehova enim jubebat tolli & comburi funditus altaria & sacra omnia Gentilium, suisque severissimè eorum communione interdicebat.

Denique, si vitulum istum fusum credidissent esse Deum suum, eumque tanquam Deum adorassent, necesse utique est ut credidissent; vel vitulum illum in Deum transubstantiatum, manentibus tantùm accidentibus vituli, uti vos panem in totum Christum trans-substantiatum creditis; quod ut opinor non dices: vel divinam essentiam toram in illum vitulum commigrasse; quod neque ut puto dicturus es. Quia cum plures vitulos posteà sibi facerent, credidissent plures essentias divinas esse, quæ singulæ in singula idola commigrarent, & sic unum numero Deum plures Deos esse, imò infinitos. Si dicas, quod crediderint essentiam Dei immensam esse & infinitam, dicis id quod absurdum est. Si enim id credidissent, non potuissent credere plures vitulos esse veros Deos. Credidissent enim plures essentias divinas immensas esse; ac proinde Deos in Diis: quod implicat contradictionem. Dein, si id omninò dicere pergas, tum necesse est ut dicas, eos non credidisse essentiam Dei in idola commigrare. Quomodò enim essentia infinita atque immensa potest migrare; nisi forte per commigrationem essentiæ, vel personalem unionem cum idolis, vel virtutis alicujus peculiaris influxum in idola, intelligas? Personalem unionem essentiæ divinæ cum idolis eos credidisse, mihi adeò absurdum videtur, ut id in cujusquam sani hominis mentem venire posse nunquam credidissem, nisi id à te argumentis presso affirmari audivissem. Sed de hâc re posteà. Divinam quandam virtutem in idola ista derivari, an crediderint, paulò post etiam videbimus. Nunc hîc tantùm dicimus, etiamsi hoc crediderint, inde tamen non rectè concludi, illos credidisse, idola esse Deos suos. Vis enim divina & idolum non faciunt aliquid per se unum, sed per accidens. Et alioqui fimbria Christi, sudaria & umbræ Apostolorum Dii habiti fuissent, aut haberi jure potuissent à Judæis, quia virtus divina ex illis exibat, uti in Euangelio dicitur; quia sanabantur ægri; quin & æneus serpens Deus haberi potuisset, quia ejus aspectu sanabantur qui à venenatis serpentibus læsi erant. Hæc cum talia sint, necesse est ut fatearis, filios Israëlis aliud quid credidisse & intellexisse, cùm verbis istis uterentur, quàm vitulum istum verum Denm esse; imò ut per tropum, id est, metonymiam signati pro signo, eos id dixisse concedas.

*Israëlitæ non credidêrunt istum vitulum esse Deum, licet Deut. XXXII. dicatur illos idola pro Diis habuisse.*

*At verò omninò*, ais, *à veritate alienum est, vitulum fuisse ipsis signum colendi Deum verum, & sacrificia illos tunc obtulisse vero Deo.* Cur quæso? *Id fic oſtendo*, inquis, *quia Israelitæ dicuntur* Deut. XXXII. 17, *immolasse dæmoniis, non Deo, Diis quos ignorabant, dereliquisse Deum, qui ipsos genuerat, & obliti Domini creatoris sui*, &c.

Respondeo 1. In textu non dicitur, quod idola illa quæ colebant, pro Diis suis habebant, eaque ut Deos veros adorabant: de quo tamen quæritur. 2. Nec sequitur ex eo quod in textu dicitur, eos idola ipsa habuisse pro Diis. Nihil minus. Tantùm sequi videtur ad summum, si quis verba præcisè urgere velit, illos pro Diis suis habuisse, vel ipsos Deos Gentilium, quòs Gentiles pro Diis suis habebant, & in imaginibus suis repræsentabant, vel idola ipsa, vel utraque simul. Sed 3. nec hoc sequitur, tantùm enim dicitur, Deum dixisse & judicasse Israëlitas, cùm coram Gentilium simulachris se incurvarent, non Deo, sed dæmoniis immolasse, Deum dereliquisse, &c. At inde nondum sequitur, Israëlitas, de quibus hoc Deus dicit, id ipsum dixisse, nedum id ita reapsa in animo suo statuisse. Deus enim non rarò longè aliter judicat ac pronunciat de hominibus eorumque factis, quàm homines ipsi de seipsis suisque factis judicant. Quinimò judicium Dei de hominibus, ipsorumque factis, sæpenumero contrarium est judicio & intentioni, quàm homines ipsi se habere dicunt. Ita Deus judicat sæpenumero de iis, qui vitam professioni contrariam vivunt, sive qui, cùm Deum Deique cultum profiteantur, divinis tamen mandatis morem non gerunt, quòd Deum post se, aut post tergum suum abjiciant, quòd Deum abnegent, quod dicant in corde suo, non est Deus, aut, Deus Jacob non audit nec videt nos; quòd dicant Deò in faciem, nolumus scientiam viarum tuarum, &c. imò quòd ventrem suum pro Deo suo habeant, quòd ex pecuniâ idolum suum faciant, & similia; quæ tamen ab ipsorum intentione & professione, tam sunt aliena, quàm quod alienissimum: Juxta id quòd dicitur, ad *Tit.* I. *vers.* 16, *Deum profitentur se scire*, (id est colere) *sed factis negant, cùm sint abominandi, rebelles, & ad omne opus bonum reiectanei. Apoc.* II. dicunt se Judæos esse cùm non sint, sed sint Synagoga Satanæ; dicunt se Apostolos esse, cùm sint mendaces, &c. Idem hoc loco usu venisse potest, quod Deus Israëlitas judicaverit, imagines & idola pro suis Diis habere & colere, propterea quod idola & imagines idololatrarum erigebant, & coram eis, vel ad eas sese inflectebant & incurvabant; etiamsi aliò longe animo & intentione id faciebant, & à se fieri credi volebant, quàm quod istas imagines pro veris Deis haberent; imò etiamsi, coram iis sese incurvando, verum Deum Israëlis colere intenderent. Nec enim intentio illa ipsorum sufficere poterat ad hoc, ut Deus de ipsis judicare non posset, quod imagines istas pro Diis suis haberent. Eo ipso enim quod intentio & protestatio contraria erat facto, id est inclinationi & incurvationi coram idolis, quæ in lege severè atque expressè vetita erat à Deo, quæque ritus & actus erat eorum, qui Deos alienos aut alios colebant, aut colere intendebant, judicavit Deus de illis, quod idola ista, aut, qui per eas repræsentabantur, Deos falsos, pro Diis suis haberent; eâdem planè ratione, quâ maritus statuere atque affirmare potest uxorem suam adulteram, sive quæ cum aliis viris rem habet, non amplius uxorem suam esse velle, aut maritum suum legitimum pro marito suo habere nolle, sed eos quibus se commiscet; quanquam id uxor non modò non velit, nec dicat, sed contrarium planè se velle profiteatur, protestetur, juret, &, quantâ potest animi contentione, persuasum ipsi esse cupiat. Hac similitudine utor libentius, quàm aliâ ullâ, quia Scriptura S. passim ferè comparat idololatriam adulterio, & eos qui veri Dei cultores videri volebant, interim tamen ad simulachra, idola & imagines Gentilium sese incurvando, cultum illum exercebant, uxoris instar maritum suum repudiantis, & eos, quibuscum rem habet, pro maritis & viris suis accipientis, loquentes passim introducit, uti infinitis locis apud Esaiam, Jeremiam, Ezechielem, Oseam, aliosque videre est.

Veruntamen ne hæc dicere tantùm videar, en argumenta, quibus id evinco. 1. Quia ii, qui vitulum aut vitulos hos adorabant, profitebantur nihilominus expressè se Jehovam colere, eumque in vitulis istis adorare, uti passim in Scripturâ videre est, & suprà in exemplis de vitulo Aaronis & vitulis Jeroboam, deque idolo Michæ clarum fecimus. 2. Quia si verum est, illos idcirco vitulum illum pro vero Deo suo habuisse, quia expressè de iis, qui vitulo isti immo-

labant, dicit quod Diis, vel Deo quem ignorabant, immolarent, tum sequetur eâdem ratione, illos vitulum illum pro dæmonio habuisse, quia de illis expresè etiam dicitur, quod immolabant dæmoniis & non Deo: Atqui id absurdissimum esse per se liquet. Atque hinc etiam apparet interpretationis nostræ, quam ante dedimus, necessitas; quod videlicet judicio divino Israëlitæ dicantur fecisse ea, quæ tamen facere videri nolebant, imò quibus contraria se facere apertè protestabantur. Nec enim Israelitæ vitulum ipsum pro dæmonio habebant, & tamen hoc de illis affirmat Deus.

*Et oblitos esse Dei sui.*

Neque etiam alicujus momenti est id quod allegas, quod dicantur *obliti Dei sui.* obliviscinim Dei sui, non est memoriam deperdere, aut scire nolle quis ipsorum Deus sit, nedum verum Deum suum nullo modo colere velle: sed illum non colere eo modo quo coli vult, vel eum colere velle contra expressam legem ipsius. Hinc *oblivisci Dei*, & *oblivisci legis divinæ*, synonyma sunt in sacris literis. Vide *Deuter.* VIII. 11. *Ose.* II. 13. coll. cum *cap.* IV. *vers.* 6. & imprimis *Deut.* IV. 23. 25. Eadem prorsus ratio est, quâ Israëlitæ aut Judæi dicuntur in sacris literis non nosse Deum, negare Deum, rejicere post tergum Deum suum, Satanam sequi, & similia plura; non quod nescirent, an & quis Deus esset, nedum quòd eum abnegarent, multò minus quòd Satanam sequi intenderent: sed quòd ita se gererent in colendo Deo, tanquam si ignorarent prorsus quæ ipsius voluntas esset, imò tanquam si Satanæ, hosti ipsius jurato, sacramentum dixissent. Manifestius hoc est, quàm ut probari oporteat. Vide 2. *Reg.* XVII. 32, 33, & 41. ubi populi per Regem Assyriæ in terram Israëlis traducti, & instituti à sacerdote Dei, ex Babylonia eum in finem jussu Regis ablegato, ut populum doceret colere Deum secundum morem Dei terræ; ubi, inquam, dicuntur timuisse Jehovam, & nihilominus sculptilibus suis servisse. Mirificè verò ad rem hanc de qua agimus facit, quod *Oseæ* II. 16 legitur; dicuntur enim ibi Israelitæ ipsum Deum, verum Jehovam scilicet, nomine Baalis vocasse. Ita enim legitur; *& erit in die illo* (ait Jehova) *vocabis me ischi, nec vocabis me ultra Baal.* Quod signum est, eos colere voluisse Jehovam in imaginibus & idolis Baaliticis, prout non obscurè ex eo etiam liquet, quòd ad vitulos istos, quos Jeroboam erigi curaverat in Dan & Bethel, per Jehovæ nomen jurarent, uti indicatur *cap.* IV. 15. & coram iis Jehovæ sacrificia offerrent, *cap.* VIII. 13. & passim. Neque tamen negaverim, fieri potuisse, quin & fortè factum aliquando esse, ut nonnulli relicto universo Jehovæ sive veri Dei cultu, Deos gentilium pro Diis suis habuerint & coluerint. Videtur id *Num.* XIV. in Baal Peor accidisse; quod factum propterea passim, tanquam atrocissimum & maximè detestandum, in Scripturâ traducitur; nominatim *Deut.* IV. Et ad illud ipsum factum fortè respicit id, quod ex *Deut.* XXXII à te allegatum est. Verùm eos omnes, qui idola Gentilium adorabant, credidisse ea reverâ esse ipsos Gentilium Deos, aut si quando in istis verum Deum adorabant, credidisse ea verum Deum esse, non autem signa in memoriam revocantia, vel essentiam, vel virtutem, vel actionem aliquam divinam, nullo vel verisimili fundamento nititur.

*Respondetur ad id quod Babylonii Dan. V. dicuntur laudasse Deos suos aureos & argenteos.*

Neque verò ex eo, quod *Daniel.* V. 4, dicuntur Babylonii laudasse Deos suos aureos & argenteos, rectè colligitur eos idola sua aurea atque argentea pro Diis suis habuisse. Nam eâdem ratione concludam ex loco *Exod.* XXXII, populum Israëliticum, cùm faceret sibi vitulum aureum, fecisse sibi Deos aureos. Ita enim expresè *vers.* 31 legitur, *Peccatum grande fecit populus: fecit enim sibi Deos aureos.* Atqui jam antè ostendimus, id nullo modo verisimile esse. Et quis non videt ineptum esse, quod homo sani cerebri credat, se facere Deum suum, & quidem ex auro & argento? Rectè Cicero Gentilis dicebat; nemo unquam tam fatuus fuit, qui saxum & lapidem Jovem esse crederet.

*Et ad locum Esa. XLIV. ubi tribuitur idololatræ quòd dicat sculptili suo.* Libera me, nam Deus meus es tu.

*Atqui*, inquis, *Scriptura id disertè affirmat* Esai. XLIV. 17, *Ex reliquâ parte Deum faciet, id est, sculptile suum, incurvavit se ei, & adoravit, & obsecravit dicens, libera me, nam Deus meus es tu. Similiter* Jeremias cap. III, *& cap.* X, *& Prophetæ alii id agunt, ut opinionem divinitatis idolis detrahant; quod otiosè tamen fecissent, si passim populus non putasset, aliquam eis ineſſe virtutem.*

Respondeo: Ex eo, quod Scriptura per prosopopæiam Gentiles ita loquentes facit, non sequitur quod ipsi ita statuebant atque loquebantur. Ostendimus jam antè sæpenumero Deum tribuere hominibus ea, quæ ipsi dici & fieri à se negant, quæque ipsorum intentioni & professioni directè sunt contraria. Rectè itaque colligitur ex locis istis, Deum ita judicasse de iis, tanquam si id ipsi ore suo dicerent, eosque idcirco, quia judicium Dei secundùm veritatem est, facto ipso reos fuisse ejus criminis, quod Deus ipsis tribuit, etiamsi ab eo longissimè alieni videri volebant. At illos id ipsum ita se habere apud animum suum statuisse, & ore suo professos fuisse, non rectè ex prosopopæis istis infertur. Cæterùm ratio, cur Deus ita judicaret de ipsis, etiam cùm contrarium se facere protestabantur, hæc fuit, meo judicio, justissima, quia Dii illi, quos Gentiles per statuas aut in sculptilibus suis adorabant, in rerum naturâ non erant, sed esse fingebantur aut credebantur. Itaque cùm illos Deos adorabant ad, in, aut coram statuis & sculptilibus suis, nihil adorabant reipsâ nisi statuas & sculptilia: neque enim Dii illi, qui per illa repræsentabantur, ullibi erant. Hinc *eruditio vanitatum lignum* dicitur *Ierem.* X. 8: oppositè ad Jehovam, de quo *vers.* 10, dicitur: *Iehova autem Deus veritas est, ipse Deus vivens.* Ut autem Jehova (utar enim nunc distinctionis causâ, hoc nomine, juxta quorundam versionem) se verum Deum esse ostenderet, noluit se in, aut per illas, ullasve statuas vel sculptilia adorari; censuitque, si quis id faceret, quod is facto illo suo Deum verum, Diis qui non erant in rerum natura similem faceret, adeoque ex trunco & lapide Deum suum faceret: aut contrà ex Deo suo truncum & lapidem: eâdem plane ratione quâ eos, qui voluptatibus carnis se dedunt, & id unum operam dant ut commodè & pancraticè vivant, ventrem suum pro Deo suo facere, alibi affirmat; item eos, qui divitiis opibusque assiduè inhiant, Mammoni, tanquam domino suo servire, imo tanquam idolo suo litare pronunciat, etiamsi contrarium se facere protestentur, saltem id à se fieri negent.

*Probatur quatuor rationibus Gentiles non credidisse imagines suas esse Deos.*

Veruntamen juvat subjicere rationes aliquot, quibus adducor ut credam, prosopopæiam illam divinam, quâ gentilibus tribuitur, quod statuas suas Deos suos facerent, non continere judicium & professionem Gentilium, sed judicio tantùm Dei, & quidem judicio & professioni Gentilium contrarium. *Prima* ratio est, quia certum est, & apud omnes in confesso, Gentiles credidisse, Deos suos in cœlis esse, vel per se subsistere. Unde concludo, eos facientes idola sua, non potuisse credere, nedum profiteri, se facere Deos suos: fecissent enim eos, qui jam erant & ab ipsis colebantur. De virtute quod dicis, postea examinabitur. Cæterùm, credidisse illos Deos suos in cœlis esse, luculenter apparet ex *Act.* XIV. *vers.* 11, ubi Lystrenses, cum Paulus & Barnabas eum, qui ab utero matris suæ claudus fuerat, sanassent, clamasse dicuntur, *quod Dii* ipsorum *assimilati hominibus ad ipsos descendissent.* Atqui si idola & imagines illas, quas apud se habebant, quasque ipsi fecerant & sculpserant, Deos suos esse credidissent, non dixissent Deos suos in terram descendisse, erant enim semper apud ipsos. *Secunda* ratio, quia *Ierem.* II. 11, de Gentibus dicitur, *num mutavit gens ulla Deos suos?* & tamen certum est, Gentiles sæpè mutasse idola, simulachra & sculptilia sua. Atqui si sculptilia sua credidissent esse Deos suos, quotiescunque ea mutassent, aut ex veteribus nova vel meliora fecissent, toties mutassent Deos suos. *Tertia* ratio est, quia Gentiles infinitas habebant statuas & imagines unum eundemque Deum repræsentantes, & tamen non credebant unum Deum esse plures; id enim implicat contradictionem; neque unum Deum suum esse immensum essentiâ, quia plures credebant veros Deos esse. *Quarta* ratio est, quia multi Doctores vestri contrarium testantur. Vide Ferum in cap. XVII. Actor. Ubi, inter alia, inquit; omnes Gentiles coluisse Deum ab Apostolis prædicatum, sed ignoranter, & licèt idola sibi præstituerint, animum tamen eorum fuisse vero Deo cultum exhibere. Author quoque Catechismi Tridentini, in expositione. 1. Præcepti decalogi, & Card. Cajetanus in 3. part. Thomæ, quæst. 25. Art. 1, &c. idem docent.

*Responsio ad loca petita ex XIII. & XIV. Sapient.*

Quod attinet ad loca, quæ ex *capp.* XIII. & XIV, libri *Sapientiæ* depromis, ea etsi Canonica non sint apud nos, uti scis, sed Apocrypha, tamen fateor talia esse, quæ ob antiquitatem & scriptoris pietatem pondus aliquod merentur. Sed admodum miror, quomodo ea clarissima esse dicas ad probandum quod intendis, cùm non pauca nec levidensia sint indicia, quæ directè contrarium arguunt. Author enim disertè dicit, eos qui primi simulachra posuerunt, ea ad honorandum absentium aut defunctorum memoriam posuisse: Cumque eâ re populus superstitiosè moveretur ad simulachra plus quàm oportet honorandum, tyrannos & politicos prudentiores, ipsosque artifices & figulos, cùm scirent statuas istas numen non esse, simplicitate tamen & ignorantiâ populi abusos fuisse: illos, ut Majestatem suam augerent; prudentiores, ut authoritas sua non evilesceret, artifices ut principibus gratificarentur, & quæstum facerent sculpendis pulcherrimis statuis. Ita enim expresè legitur *vers.* 19, *cap.* XIV. Solam autem plebem stolidam seu multitudinem, uti dicitur *vers.* 20, venustate operis allectam, eum qui paulò antè homo honore affectus fuerat, mox ut Numen existimasse. Eodem planè modo, quo hodie in Ecclesia vestra usu venire videmus. Prudentiores, & quibus lævâ sub parte mammillæ aliquid salit, norunt optimè quid de ima-

de imaginibus Dei sanctorumque statui debeat. Illorum vox est:

*Hoc Deus est, quod imago docet, sed non Deus ipsa;*
*Hoc videas, sed mente colas, quod cernis in ipsâ.*

At plebs & Catholicorum turba, uti disertè Ludovicus Vives in comment. ad August. de civitate Dei lib. 8. cap. ult. scribit, *Divos divasque non aliter venerantur, quàm Deum ipsum. Nec video,* ait, *in multis, quod discrimen sit inter eorum opinionem de sanctis, & id, quod Gentiles putabant de Diis suis,* &c. His gemina habet Cassander in hymnis & Scholiis suis, item in colloquio de invocatione & cultu Sanctorum, & Hofmeisterus in locis communibus. Exertè verò Polydorus Virgilius, de rerum invent. lib. VI. cap. 13. In Ecclesia Pontificia, inquit, *multi sunt, saltem rudiores, qui ligneas, saxeas, marmoreas, aeneas, item in parietibus pictas imagines colunt, non ut figuras, sed perinde, quasi ipsae sensum aliquem habeant, quique in magn fidunt, quàm Christo ipsi, aut alii divi, quibus dicatae fuerunt.* Verùm ut ut sit hac de re, illud velim diligenter cogitet V. D. quod XIV *cap. vers.* 12, & 13, legitur: *Initium scortandi excogitatio simulachrorum est,* (id est imaginum in genere) *atque eorundem inventio corruptela. Neque enim erant ab initio, neque in aeternum erunt.* Quàm opto ut seriò & diligenter istud consideret V. D. vix dubito, quin, si id faciat, scrupulum sensura sit in animo suo, quando Dei, Trinitatis, Christi, sanctorumque imaginibus templa sua pænè regurgitare videbit.

*Responsio ad testimonia Gentilium de idolis suis.*

Progrediamur ad probationem tuam secundam. Ea desumitur à te ex ipsis Paganorum seu Gentilium testimoniis. Et rectè quidem, neque enim ullis magis, quàm ipsis credendum. Quisque enim suæ mentis optimus est interpres. Cur autem eos peculariter tantùm consuli velis, qui diu fuerunt in Paganismo, & posteà ad Christum transierunt, non video. Sufficit enim ut Gentiles sint, qui sententiam suam dicunt & proponunt. Et fortasse tutius est, ex ipso merè Gentilium ore intelligere quid senserint, sentiantvè, quàm ex eorum, qui à Gentilibus ad Christum transierunt. Suspectior enim esse potest horum, quàm illorum oratio. Gentiles enim, quando oratione tali utuntur, demonstrant se non metuere sibi à suis, tanquam si falsum dicant aut scribant; cùm ii qui ab ipsis ad Christum transeunt, suspicioni obnoxii esse possint, quòd odio religionis quam deseruerunt, vel alio aliquo affectu dicant & scribant ea, quæ usquequaque certa non sunt, vel saltem quæ ut ut à vulgo & turbâ Gentilium aliisque paucis quibusdam tanquam certa credantur, reipsa tamen à religionis antistitibus & prudentioribus ejus asseclis negantur & respuuntur; ne videlicet sine gravi causa religionem illam deseruisse & ad aliam transiisse videantur. Sed nec hìc contendam tecum. Esto. Audiamus tales, quales vis. Nec enim in ullos Christianos cadere debet suspicio falsi, & à me illa alienissima est.

*Arnobii.*

Arnobium citas, tanquam unum pro multis. Certè fuit hic non ex plebe aut fæce vulgi Gentilis, sed clarissimus Rhetor, & celebris Philosophus, quem verisimile est non ignorasse interiorem Gentilium mentem, nec leviter aut temerè eam effutiisse. Fuit & Christianus, quem verisimile est eam non aliter protulisse, quam reipsâ erat. Crimen enim falsi Christiano debet esse exosissimum: etiamsi hodie non desint Christiani, qui piam fraudem ducunt, sectam quam insectantur, etiam quæ Christiana est, aut Christiana haberi vult, mendaciorum omni genere onerare atque obruere, ut exosissima & vilior algâ fiat. Artes eæ sunt patritiæ & hujus etiam sæculi. Ad rem; fateor Arnobii verba, si rigidè sumantur, præ se ferre Arnobium, quo tempore Gentilis adhuc & idololatra erat, simulachrorum & imaginum cultorem fuisse acerrimum aut devotissimum, quin imò, eum credidisse, statuas & simulachra illa esse divos divasque, ita enim sonant verba, si quis rigidè ea sumere velit. Sed tamen inde non colligitur rectè quod Gentiles plerique ita senserint: id enim non dicit Arnobius, sed tantùm de se dicit, quod ipse ita crediderit. Deinde, contendere audeo, Arnobii verba rigidè & præcisè sumenda non esse, sed figuratè & hyperbolicè: quod videlicet adeò devotus fuerit cultui simulachrorum, tanquam si simulachra, quo tempore illis colendis operam dabat, reipsa Deos esse statuisset & credidisset. Rationes quibus adducor, hæ sunt. 1. Quia ipse Arnobius fatetur, Gentiles contrarium credidisse. Aut itaque dicendum foret, Arnobium sibi ipsi non constare, aut eum diversum è cæteris Gentibus sensisse. Utrumque indignum & injurium est Rhetori & Philosopho. Itaque verisimile id, quod nos contendimus. Cæterum fateri Arnobium, Gentiles contrarium credidisse, apparet ex ejusdem opere quod citas, lib. VI. & VII. ubi ipse hanc objectionem sibi facit; *Sed inquiunt,* (idololatræ Ethnici) *neque nos æra, neque auri argentique materias, quibus signa conficiunt, esse eos Deos, & religiosa decernimus esse numina: sed eos ipsos in his colimus, quos dedicatio infert sacra, & fabribilus efficit inhabitare simulacris.* Et respondet, id æquè absurdum esse, ac si statuas & simulachra Deos esse putent. 2. Quia Lactantius Discipulus Arnobii, & ex clarissimo Rhetore & Philosopho Christianus, disertè fatetur Gentiles contrarium credidisse. Ita enim lib. II. de Origine erroris, cap. 2. scribit: *Quæ igitur amentia est, aut ea fingere, quæ ipsi postmodum timeant, aut timere quæ finxerunt? Non ipsa inquiunt timemus; sed eos, ad quorum imaginem ficta, & quorum nominibus consecrata sunt. Nempe ideò timemus, quod eos in cælo esse arbitremini. Neque enim si Dii sunt aliter fieri potest. Cur igitur oculos in cœlum non tollitis, & advocatis eorum nominibus, in aperto sacrificia celebratis? Cur ad parietes, & ligna, & lapides potissimùm quam illò spectatis, ubi eos esse creditis? Quid sibi templa? quid aræ volunt? quid denique ipsa simulachra, quæ aut mortuorum aut absentium sunt monumenta? Nam omninò fingendarum similitudinum* (NB. vocem similitudinem) *ratio idcirco ab hominibus inventa est, ut posset eorum memoria retineri, qui vel morte subtracti, vel absentiâ fuerant separati,* & quæ sequuntur. Adde huic Athenagoram, quem ipse paulò post agnoscis, idem ex ipso Gentilium ore audivisse, & scripsisse. Nec mirum. Si enim Gentilium scripta consulas, reperies eos qui emunctioris nasi sunt, id passim in ore habere. Cicero audet scribere, neminem unquam tam fatuum fuisse, qui saxum aut lapidem Jovem esse crederet. Plutarchus in Iside & Osiride in hæc verba scribit: *Imprimunt pervers & blasphemas opiniones contra Deos, qui nomina Deorum induunt naturis & rebus insensatis, inanimatis, corruptibilibus,* &c. *Nam non est intelligendum, quod res istæ sint Dii, quia nihil potest esse Deus, quod animâ caret, aut quod subjectum est homini, vel ad manum, aut sub manu ejus est.* Videsis, totum tractatum. Hìc si jure talionis tecum agere mihi liceret, mi Wadinge, annon prudens judicium ad exemplum tuum compellare possem, hunc in modum? Arnobius, discipulus ejus Lactantius, & Athenagoras, dicunt expresè Gentiles negasse, se adorare ligna & lapides, ut Deos suos. Ipsi Gentilium coriphæi Plutarchus & Cicero negant id in terminis, à se aut sapiente ullo fieri aut factum unquam esse, Jesuitæ id affirmant. Utris credendum? Utrorum judicio standum? Sed non agam tecum summo jure. Nec possum. Videris enim ex Lactantii, Athenagoræ, quin & aliorum Gentilium Scriptis veritatem ejus quod dicimus, perspexisse, ac proinde rationibus, quæ ex illis depromuntur, occurrere voluisse. At quomodo? Ut ii solent, quibus statutum est quovis modò ψεῦδος ἀλαφυλάκτως. Ii enim id operam dant potissimùm, ut emplastra quædam comminiscantur, quibus causæ suæ vulnera tegant & ne ea sentire aut curare magnopere videantur, levi præteritione aut nudâ quâdam præoccupatione exibilare pene solent. Sophistarum istæ sunt artes, qui quidlibet loquentes faciunt autores ex animi sui sententiâ, si eos adversari sibi videant. Et rarò deest color aut species. Obsecro enim quomodo id, quod apud Lactantium & Athenagoram legitur, eludis, ut thesin tuam insulsam (liceat ita mihi dicere) propugnes? *Fuerunt,* inquis, *tandem convicti Romani à Christianis, & confessio illa, quam fecerunt, vi extorta ipsis fuit.* Itane mi Wadinge? Unde id probas? Tuum hoc est ψεῦσμα, ut thesin tuam tuearis. Etenim unde liquet Arnobium, Lactantium, Athenagoram exceptionem illam tanquam novam, ac non potius tanquam Gentilibus familiarem & usitatam recitare? Certè nos jam ostendimus Gentiles sapientiores, (de vulgo enim non loquimur) istâ exceptione usos, antequam Christus aut Christiani in rerum naturâ essent. Deinde, si confessio illa Gentilibus vi argumentorum extorta fuit à Christianis tempore Lactantii & Athenagoræ, cur, quæso, illa non fuit extorta Arnobio, cum Gentilis adhuc esset, qui Lactantio fuit coætaneus? Itane aut stupidus mansit clarissimus Rhetor & Philosophus Arnobius, ut cùm Gentilis adhuc esset, id non intelligeret quod Gentiles reliqui intelligebant, aut simulatque ille conversus, tum demum Gentiles convicti fuerunt ipsisque extorta ista confessio? Adde si argumentorum vi id factum est, cur non etiam Gentiles aliorum argumentorum vi pressi & convicti fuerunt de Deorum ac numinum suorum vanitate? cur non extorta illis fuit etiam hujus rei confessio? neque enim minore vi argumentorum convicti fuerunt, Deos suos vana & inania numina esse, quàm statuas suas non esse Deos. Crede mihi, Wadinge, non est nisi σοβὸν φύσημα hoc ψεῦσμα tuum. Gentilium sententia, nimis clarè patet qualis fuerit, etiam multo ante tempora Jesu Christi, quando argumentis istis quorum vi confessionem istam primùm extortam esse dicis, locus adhuc nullus erat. Et sane admiratione summâ dignum foret, si Gentiles Philosophi, qui alioquin nihil admittere solebant quod ratione aliquâ probabili non erat fultum, sententiam tam absurdam, tam ab omni ratione alienam in animum suum admisissent. Nimium sagaces erant, quàm ut fucum tam palpabilem non olfacerent. Atqui, inquis, fuit hæc sine dubio stupenda Ethnicorum cæcitas. Re-

ſpondeo; Si de vulgo Ethnicorum loquaris non nego: vulgus omne naſo & ſenſu brutæ inſtar pecudis ducitur: docet id hodieque vulgus veſtrum, in quo eadem cæcitas teſte Vive olim viguit, hodieque etiam adhuc viget. Si de Philoſophis, aliiſque à fæce vulgi ſemotis ſapientibus loquaris, nunquam efficies ut in animum meum inducam, eos tam portentoſæ opinioni locum dediſſe, contrarium enim eos ſenſiſſe & ſcripſiſſe nimis notum eſt. Quare cum Prophetæ Gentilibus exprobrant hujuſmodi cæcitatem, crediderim id aut de ſapientibus accipi non poſſe, niſi Scripturæ veritatem velimus in dubium vocare; quaſi videlicet Scriptura Gentiles faceret confitentes id, quod ipſi ſe confiteri paſſim negant, aut ſi de illis etiam accipiatur, ſtylo Scriptoribus ſacris familiari accipiendum eſſe, quo tribuitur non rarò hominibus etiam ſapientiſſimis id, quod ipſi quidem negant à ſe fieri, ſed quod tamen tale eſt ut negari jure non poſſit. Quando enim proteſtatio contraria eſt facto, facti ratio potiùs habetur à Deo quàm proteſtationis. Intentio judicatur ex facto, non factum ex intentione, in iis quæ contra legem Dei fiunt, uti ante diximus.

Veruntamen ut fidem aliquomodo facias, hanc ſtupendam cæcitatem Gentiles tenuiſſe, originem indicas unde tam ſtupida conceptio nata ſit; quam, uti ais, ex ipſis habemus. At fruſtra quæritur unde, cùm de eo an ſit certum non eſt, imo cùm certum eſt, quod res non ſit. Sed videamus etiam ſtupiditatis hujus ſcaturiginem. *S. Auguſtinus*, inquis, *lib.* VIII. *de Civitate Dei cap.* 23. *refert verba Mercurii Triſmegiſti, ubi Gentilitiæ ſuperſtitionis peritiſſimus probare contendit, homines habere artem Deos faciendi, quia nempe cum ſtatuas certo modo effingebant, inſinuabat ſe ſtatim aliqua virtus & quodammodo animabat ſtatuam, ita ut ſtatua teſte Triſmegiſto vocaretur corpus Dei & Divinitas anima. In hanc autem opinionem fuerunt inducti, quod ſæpè viderent Dæmonem in aliquibus ſtatuis mirabilia operari. Unde credebant omnibus ſtatuis eam ineſſe vim, & propterea ab ipſa ſtatua (quam propter unionem cum illa virtute Deum vocabant) beneficia poſtulabant.* Hactenus ſunt verba tua.

Atqui, inquam ego, 1. Triſmegiſtus ſolus non poteſt jure opponi omnibus & claris iſtis, quæ allegavimus, Gentilium teſtimoniis, niſi Gentilis Gentilibus opponatur. 2. Non apparet Triſmegiſtum ex ſuo aut ſapientiorum ſenſu loqui: de vulgi & promiſcuæ plebis opinione non quæritur inter nos. Triſmegiſtum autem & ſapientiores longè aliter ſenſiſſe fidem mihi facit, quod ipſi (etiamſi fieret ut crederent virtutem aliquam divinam in ſtatuas, quæ certo quodam modo effingebantur, nonnunquam migrare) nihilominus tamen ſtatuebant, ipſos Deos quorum iſta virtus erat, & à quibus virtus iſta emanabat aut effluebat, in cœlis eſſe ac manere, prout ex Lactantio & Actis Apoſtolorum clarè liquere oſtendimus; & quòd ſapientiores eſſent, quàm ut crederent ſtatuas illas, quando & propterea quod in eas virtus aliqua divina migrabat, Deos fieri aut jure appellari poſſe. vulgaris iſta collectio eſt, quæ in ſapientem non cadit. Statua enim & virtus non faciunt unum per ſe ſed per accidens. Accedit quòd multas ſtatuas adorabant in quibus vis iſta nunquam apparebat, aut ſaltem antequam certò conſtabat virtutem illam cum ſtatuis illis unitam eſſe. Neque enim virtutis alicujus divinæ præſentia neceſſaria erat, ut ſtatuas adorare poſſent: ſola dedicatio & conſecratio ad hoc ſufficiebat, uti ex Arnobio & Lactantio patet. Et certè vel te ipſo judice contendere auſim, veriſimile non eſſe quod ſapientiores collegerint ſtatuas Deos fieri, eo quod virtus aliqua divina in eas migrabat. Neque enim ignoras pleroſque veſtræ Eccleſiæ patronos credere & ſtatuere, non rarò virtutem quandam divinam imaginibus & ſtatuis quibuſdam, ſive Chriſti, ſive Sanctorum inditam fuiſſe, cujus beneficio mirabilia opera ab ipſis facta fuerint; & tamen nemo eorum profitebitur unquam ſtatuas iſtas propterea Deos aut ſanctos factas eſſe. Preſſus hoc argumento, in collatione orali eo uſque delabebaris, ut diceres diſcrimen faciendum eſſe inter opinionem Gentilium & Catholicorum hactenus, quod Gentiles crediderint Deum unione hypoſtatica uniri cum ſtatuis. At videbatur mihi illud tum temporis eruditione tua indignum, & quia hîc diſtinctionem eandem diſertè non repetis, non exagitabo eam acriùs. Videris quidem tale aliquid ex Triſmegiſto indicare velle, ſed apertè non audes hoc proferre atque aſſerere: tantummodo dicis, Triſmegiſtum aſſerere Gentiles credidiſſe virtutem quandam ita ſe inſinuare ſtatuis ipſorum, ut ſtatua vocaretur corpus Dei & divinitas anima. At nemo non videt locutionem iſtam neceſſariò figuratè eſſe intelligendam, ut corpus dicatur quod quaſi corpus eſt, & anima quod quaſi anima eſt. Virtus enim illa cum ſtatua non poterat uniri, ut perſonalis inde unio reſultaret. Perſonalis enim unio eſt eſſentialis, & eſſentiarum ſive naturarum, non accidentalis, neque ſubſtantiæ & accidentis. **Accedit quòd ſi verba iſta Triſmegiſti ſimpliciter accipiantur ut ſonant, omnino dicendum ſit Gentiles credidiſſe, Deos ſuos deſerto cœlo in ſtatuas illas migrare ſolitos, ut perſonaliter cùm illis unirentur; ac proinde totidem perſonales uniones unius ejuſdemque Dei fieri credidiſſe, quot ſtatuæ erant in quas virtutem iſtam ſe inſinuare credebant: quod quis non videt abſurdum eſſe? & quis unquam Judæorum, etiamſi alioquin idololatriæ & ſuperſtitioni impensè fuerint addicti, credidit æneum ſerpentem, unde virtus divina miraculoſa exibat: arcam, cui virtus ipſa divina, imò, juxta quoſdam, Dei ipſius majeſtas ac perſona inhabitabat, Moſem, Joſuam, Samuelem alioſque Prophetas Dei virtute afflatos, Deos factos, propterea quod virtus divina miraculoſa illis inerat? Mirum ni tandem ex piſcina, fimbria & umbra Apoſtolorum Dii fiant. Quicquid ſit, ſi hoc argumentum Chriſtianos movet, ut credant Gentiles ſimulachra ſua pro Diis habuiſſe, quia credebant iis virtutem aliquam divinam ſeſe inſinuare; quid obſtabit quo minus, non dico Chriſtiani aut Judæi, ſed Gentiles, eodem argumento moveantur ut credant, Chriſtianos illos qui imagines colunt, pro Diis habere imagines ſuas, eo quod credant virtutem aliquam divinam quandoque iis ſe inſinuare, per quam mirabilia opera fieri dicunt.** Nullo jure impedire poteſt Chriſtianus, quo minus argumentum hoc in ipſum retorqueat Gentilis. Eadem enim & par utrobique ratio militat: omnia prorſus ſunt paria quod ad hanc rem attinet.

## CAPUT IV.

### Quomodo ſe Eccleſia Romana circa imagines gerat.

AT, inquis, *Eccleſia ab his erroribus fuit ſemper & eſt quam remotiſſima.*

Utinam tam facto eſſet quàm ore videri vult, tam re quàm verbis ab iis remota, proteſtatio non ſufficit. Facta æſtimanda ſunt. Et Judæi & Gentiles cùm maximi idololatræ eſſent, nihil minus tamen quàm idololatræ videri volebant. Illud crimen ſemper à ſe quàm remotiſſimum eſſe cupiebant. Sed videamus etiam an ſenſu ab iis remota ſit; neque enim hoc mihi liquet.

*Audi*, inquis, *ejuſdem ſenſum, in Concilio Tridentino: Definimus imaginibus Chriſti & Sanctorum debitam venerationem impartiendam, non quod credatur in ineſſe aliqua divinitas vel virtus propter quam ſint colendæ, vel quod ab iis aliquid ſit petendum, vel quod fiducia in imaginibus ſit figenda, veluti olim fiebat à Gentilibus, quia in Idolis ſpem ſuam collocabant: ſed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa quæ illæ repræſentant.*

Reſpondeo; Verba hæc audio & lego; ſed 1. poſito quod aperta ſint & clara, tamen quomodo ex illis ſequatur, Eccleſiam Pontificiam ab erroribus iſtis prædictis remotiſſimam eſſe, non video. Gentiles enim quod attinet, eos eodem prorſus modo & in eadem pœne verba loquentes introducunt Arnobius tuus', &, quem unà cum illo citavi jam ante, Lactantius. Hactenus ergo pares. Dicam amplius; iiſdem verbis uti potuiſſet olim Eccleſia Judaica, cùm æneum ſerpentem qui juſſu Dei factus & erectus fuerat, imò per quem virtus ἐνεργητικὴ divina exierat, colerent, quo tempore virtus illa divina amplius ei non inerat. dicere enim potuiſſent ſe veneration imagini iſti ſerpentis impertiri, non quod crederent ei etiam tum ineſſe divinitatem aut virtutem propter quam eſſet colendus, vel quòd ab eo aliquid petendum eſſet, vel quòd fiducia in illo eſſet figenda; ſed in memoriam virtutis quæ à Deo ipſi indita ſemel fuerat, & ad honorem Dei, qui eum fieri juſſerat; & tamen ab errore illo immunis non fuit; ſed idem planè quod Gentiles idololatræ ſenſiſſe & feciſſe à Deo dicitur. Deinde 2. dico verba Concilii ita concepta eſſe, ut exponi poſſint tanquam nihil diverſum continentia à ſenſu, quem de imaginibus ſuis plerique Gentiles, imprimis ſapientiores, habuerunt; vel ſi diverſum aliquid continet, ut habeant id quod Eccleſia Romana verè & jure ſibi tribuere non poteſt. Primum quod attinet, verba ita concepta eſſe ut exponi poſſint tanquam nihil diverſum continentia, à ſenſu quem plerique Gentiles, imprimis ſapientiores, de imaginibus ſuis habuerunt, attendenti id indubium eſt. Cùm enim dicitur; *non quod in credatur ineſſe Divinitas, vel virtus, propter quam colendæ ſint*, id intelligi poteſt de divina eſſentia, vel virtute morali, deque inexiſtentia perſonali, ut ais; ita enim accipere tu videris verba, cùm paulò poſt dicis, *nullam veram ſanctitatem aut virtutem in imaginibus eſſe credimus.* At quis Gentilium idem non dicet? neque enim, quod ſciam, ſanctitatem ullam veram, aut virtutem imaginibus ſuis ineſſe, nedum perſonaliter, credi-

*Eccleſiam R. eodem modo imaginum cultum defendere quo fecerunt veteres idololatræ.*

crediderunt; neque propter eam imagines suas colendas esse censuerunt. Deinde cùm Concilium dicit, *se credere ab iis nihil petendum esse, aut in iis fiduciam figendam non esse*, id intelligi potest ita, ut in illis veluti primis atque ultimis authoribus & causis bonorum, fiducia collocetur: hoc enim est figere fiduciam. At nec Gentilium quisquam (vulgus stolidum semper excipe) censuit ab imaginibus aliquid petendum esse, ut ab authoribus & causis bonorum in quibus fiducia sit figenda. Tantùm ad illas preces dirigendas esse judicarunt, quatenus repræsentabant eum à quo intelligi preces, & bona quæ petebant impetrari & dari posse credebant. Ita enim eos loquentes facit Arnobius: *Neque nos æra, neque auri argentique materias quibus (NB.) signa confiunt, Deos esse & religiosa decernimus esse numina, sed eos ipsos in his colimus, quos dedicatio infert sacra, &c.* Et Lactantius: *Non ipsa, inquiunt, timemus, sed eos ad quorum imaginem ficta, & quorum nominibus consecrata sunt. Nempe ideò timetis quia eos in cœlo esse (NB.) arbitramini. Neque enim si Dii sunt aliter fieri potest.* Itaque juxta hanc sententiam dicet Gentilis cum Ecclesia Romana: 1. nullus nostrum imaginem orat aut ab ea aliquid petit, sed coram imagine oramus Deum nostrum: ex conspectu enim imaginis ad majorem attentionem & devotionem movemur. 2. Nullam veram sanctitatem aut virtutem in imaginibus esse credimus. Neque enim illas colimus, neque illas metuimus, sed eos quorum signa & imagines sunt, &c. Quæ igitur differentia inter vos, mi WADINGE, & Gentiles?

*Vel contraria facere & exercere iis quæ verbis profitetur.*

Atqui tamen, inquies, longè aliter apparet rem se habere, si orationes, preces, vota & cultum totum Gentilium perspicias. Hîc verò jam secundo loco dico: si velis Concilii Tridentini verba ita accipere, ut non tantùm Ecclesiæ sensum, sed & ritus, preces, studia, totumque cultum imaginum diversum à Gentilium ritibus, precibus, studiis esse, &c. indicari iis dicatur, jam non video quomodo Ecclesia vestra in Concilio Tridentino verum dixisse, cùm ita locuta est, intelligi possit. Nam 1. quomodo negare potest Ecclesia Portificia, se credere nullam divinitatem aut virtutem, id est, vim miram imaginibus quas miraculosas vocant inesse? cùm ideò miraculosas eas vocent, quod Deus per eas, aut saltem isto in loco ubi illæ sunt, certa mirabilia opera faciat, quæ alibi facere non vult, aut ad quæ facienda virtutem alibi exerere non vult. Hîc si dicas, Ecclesiam tamen profiteri se non credere quòd virtus illa insit imaginibus. Respondebo 1. Necesse esse ut id dicat Ecclesia, quando ex iis aut per eas virtutem exire miraculosam, credere se dicit, adeò ut ab earum contactu morbi alioquin incurabiles curati fuerint. Id autem Ecclesiam credere, solum exemplum imaginis Christi, quam ab Haimorrhousa erectam fuisse postea ex Eusebio narras, fidem facit, ut alia non allegem. nam ad exemplum curationis illius quâ ab Jesu Christo per contactum fimbriæ ipsius curata fuerat Haimorrhousa, herbam quæ imaginem illam attigerat curasse fluxum sanguinis credit. At cùm curaretur Haimorrhousa, dicebat D. Jesus sensisse se exivisse virtutem à se. Fierine ergo potest, ut virtutem Divinam imaginibus suis inesse Ecclesia verè se credere neget, quam ab illa & ex illa exire fatetur? id certè non potest aliud esse, quam ὃ καὶ κυὶ ὄ. Quidquid huic rei incrustandæ dixeris, subtilitatem sapiet, cujus fucus nunquam deesse potest Sophistis, & quo pari jure Gentilis pro se uti poterit. Deinde 2. dico: Necesse esse ut Ecclesia dicat virtutem imaginibus inesse, cùm dicat passim se fateri imagines nonnullas sudasse sudorem, cujus beneficio multi ægri curati fuerint, eas ad preces devotas aliquando sese inclinasse, capite annuisse, manum saxeam aut ligneam porrexisse, &c. Fieri ne potest ut qui hæc credit facta, verè tamen neget se credere virtutem aut vim quandam divinam in imaginibus talibus esse? Certè si convincendus esset Gentilis quod credat virtutem divinam inesse simulachro & idolo suo, quo alio argumento convinci solidiùs posset quàm hujusmodi? Dico 3. quomodo Ecclesia Romana verè negare potest virtutem nullam imaginibus suis inesse, cùm leiturgiæ, & preces variæ, quas ipsa vel approbavit vel saltem hactenus non improbavit, id Sole clarius testatum faciant? Tribuunt eæ imaginibus peculiarem ac distinctam vim, ad varios & distinctos effectus producendum, & quidem directè: adeò ut nemo non Pontificius, si verum fateri velit, de se dicere debeat quòd Arnobius cùm Gentilis adhuc esset, à se fieri dicebat (utar verbis tuis:) *Veneror simulachra modò ex fornacibus prompta, si quando conspicio lubricatum lapidem, tanquam insit vis præsens, adulari, affari, beneficia poscere soleo.*

*Virtus miraculosa tributa imaginibus.*

*Preces ad eas directæ.*

*Atqui*, inquis, *nullus nostrum imaginem orat aut ab ea aliquid petit, juxta Concilii Tridentini verba.* Atqui, inquam ego, lubet hîc adhuc quærere, quomodo Ecclesia Pontificia negare verè potest hoc se facere & credere: cùm orationes & preces dirigi jubeat aut dirigi sinat ad imagines ipsas? cùm compellari imagines, salutari & in terminis ab iis rogari bona certa jubeat aut sinat? Quid est à Deo petere, Deum orare, aliud quàm ad eum preces dirigere, cum compellare, affari, rogare pro bono aliquo conferendo, aut auferendo malo? Si Ecclesia vestra non orat imaginem, cur compellat eam? cur ad eam dirigit orationem? cur ad eam oculos, manus totumque corporis habitum convertit? Dicam quòd Lactantius olim ad Gentiles dixisse legitur? Si Deum aut Sanctos in cœlis esse credit Ecclesia Pontificia, cur ergo oculos in cœlum non tollit? cur ad parietes & ligna & lapides potiùs quàm illò spectat ubi eos esse credit? rectè ait ille:

*Qui fingit sacros auro vel marmore vultus,*
*An facit ille Deos? qui rogat ille facit.*

Cæterum Ecclesiam Pontificiam orationes suas dirigere ad ipsas imagines: notius est quàm ut probari oporteat. Videantur tantùm hæc duo:

*Salve sancta facies nostri Redemtoris,*
*In qua nitet species divini splendoris,*
*Impressa panniculo nivei candoris.*
*Salve vultus Domini, imago beata,*
*Nos deduc ad propria, ô felix figura!*
*Ad videndum faciem Christi, quæ est pura.*

Item:

*Ave ferrum triumphale, fælix hasta,*
*Nos amore per te fixi saucia.*

Obsecro te per Deum immortalem, quid est orare & petere directè aliquid ab imaginibus, si hoc non est? Scio quidem quid excusando huic ritui à vobis nuperè repertum sit: quam metonymiam vos hic fingatis. Sed quid hoc est aliud, quàm verbis crimen tegere? dicendum quod res est: pudet vos tam aperti & fœdi criminis. Nunquam turpius Gentiles imaginibus suis supplicarunt quàm vos facitis. Utinam tantùm verè vos puderet! sed, proh dolor! id operam tantùm datis, ut fucum distinctionis alicujus rancidæ reperiatis, quo deformitatem ritus, licèt profanissimi, tegatis, re ipsâ salvâ atque integrâ. At quid est mangonium exercere in religione, si hoc non est? quanto satius foret, ritus tales, ut purè putè profanos, ipsique etiam Gentilitati pudendos, penitus abdicare, quàm impuro aliquo quæsito interpretationis malagmate incrustare? Frustra tegitur verbis crimen, quod factis contrariis manifestatur, & in publico semper ante oculos prostat.

*Frequentatio loco-rum ubi sunt imagines miraculosæ.*

Idem responsum volo ad id, quod tertio loco dicis, *frequentari à vestris cum majore devotione loca, in quibus imagines sunt miraculosæ, non ut ab imaginibus miraculum obtineant, sed ut per Sancti, quem imago refert, intercessionem, à Deo beneficium obtineant.* Phaleræ enim hæ sunt & ambages. Forma orationis, ritus, gestus multò amplius aliquid significant. Si enim per Sancti intercessionem à Deo aliquid petitur, cur loca ista peculiaria adeuntur? An ibi aut inde sancti intercessio efficacior speratur? At cùm imago sancti eò tantùm faciat, ut antea dixisti, ut ex conspectu ejus major attentio & devotio excitetur, quid faciunt loca hæc vel illa, in quibus imago posita est? sufficit enim ut imago ob oculos sit ad devotionem excitandum, ubi ubi tandem illa sit. Locus nihil dat, neque ulla ejus est efficacia. Sed crede mihi, mi WADINGE, novitium hoc est commentum, quod superstitioni fucandæ repertum est. Vera causa est, quod credatur Sanctus, aut Deus potiùs, imaginem istam speciali aliqua virtute illo in loco honorasse, quæ alibi frustra quæritur. Sed quia hæc opinio ipsissimum Gentilitiæ opinionis & superstitionis fermentum habet, speciosiore velo tegenda fuit, ut cum eo prorsus nihil commune habere videatur. Atque ita quidem, Grammaticæ distinctionis beneficio, profana Gentilium superstitio sarta tecta manet in Ecclesia vestra.

## CAPUT V.

### An Judæis præceptum positivum datum fuerit, præter morale de non faciendis idolis.

*An (ut asserit Wadingus) præceptum datum fuerit Judæis quo omnes omnino imagines facere prohibeantur.*

TErtium caput quod attinet, An Judæis præceptum positivum datum fuerit, præter morale de non faciendis idolis, prolixo examine opus non habet. Ex iis quæ antè dicta sunt, facilè apparet, controversiam hanc novitiam esse, & ideo repertam, ut vis argumenti manifesta, quæ ex lege petitur, ejus beneficio enervetur. Nimirum vis fortasse, mi WADINGE, præceptum secundum morale, quod in Decalogo exstat, tantùm agere de idolis faciendis, & quia moralia sunt perpetua, isto præcepto omnes omni tempore teneri. Quæ autem alibi reperiuntur præcepta, de imaginibus non faciendis, positiva esse, quibus omnes omni tem-

tempore non obligentur. Quis non videt ſubtilitatis arcanum? Sed videamus quibus fundamentis tam audax commentum nitatur aut à te adſtruatur. Ego quidem nullum prorſus à te adferri video. Explicas legis ſententiam pro tuo arbitratu, & ex ſententia Eccleſiæ tuæ, & tandem dicis, te credere poſitivum præceptum de nullis imaginibus faciendis datum fuiſſe Judæis, quod Decalogo non continetur. At hoc non eſt probare quod quæritur. Lex nulla peculiaris adfertur à te, quâ aliud quid, quàm quod hoc præcepto Decalogi ex preſſum eſt, in terminis interdicitur. neque ulla aut Judæorum aut Chriſtianorum explicatio adfertur, quà indicetur, id quod præcepto Decalogi prohibetur de idolis tantùm agere, & à præceptis illis quibus imagines in genere omnes interdicuntur, diſtinguendum eſſe: neque ratio ulla adfertur quæ id doceat. At unum ſaltem horum faciendum fuerat.

*Aſſertio hæc retorquetur in ipſum Wadingum.*

Vide nunc ſis, mi Wadinge, utrum non tuo te gladio jugulaturus ſim: eo quod concedis, datum fuiſſe præceptum Judæis, quo non idola tantùm, ſed omnes omninò imagines facere prohibentur, quod alii Theologi cautiores, uti mihi videtur, negant. Nam ſic argumentor: Si præceptum, quod in Decalogo exſtat, illa ipſa verba contineat, propter quæ alia præcepta extra Decalogum prohibere à te creduntur omnes omninò imagines: ſi Judæi, optimi legis divinæ interpretes, ab omni ævo conſtantiſſimè, & uniformiter præcepto Decalogi potiſſimum nituntur, cum imagines omnes prohibitas eſſe dicunt: ſi Chriſtiani pænè omnes in primitiva Eccleſia, cùm omnem imaginum fabricationem damnant, hujus præcepti vi adducti ſe id facere aſſerunt; ſi Theologi etiam veſtri non pauci, alia præcepta extra Decalogum aliter accipienda eſſe negant, quàm præceptum quod Decalogo continetur, idque quia eadem prorſus verba ſunt, quibus hoc & illa alia enuntiantur: ſi, inquam hæc vera ſunt, certè fortiſſimè contra te concludere mihi licet, non tantùm idola, ſed & imagines omnes hoc præcepto interdictas eſſe à Deo. At ſingula hæc probare mihi facillimum eſt. I. Præceptum, quod in Decalogo exſtat, eadem verba continere, propter quæ alia præcepta à te creduntur omnes omninò imagines prohibere, inde liquet, quia non tantùm ſculptile, ſed *omnis omninò ſimilitudo, quæ eſt in cælo deſuper, in terra deorſum, in aquis*, &c. (ita enim ipſe citas verba legis) fieri prohibetur. At, quid poteſt univerſalius dici, quàm omnis ſimilitudo in cœlo, terra, in aquis? Addo, amplius hoc inde liquere, quod præcepta cætera omnia, quæ in Scriptura leguntur de non faciendo ſculptili, imagine, aut effigie ulla, referantur ad hoc præceptum ab ipſo Deo. Ita enim ferè legi ſolet, *Videte ne obliviſcamini pacti Jehovæ, quod pepigit vobiſcum, & faciatis vobis ſculptile aut imaginem cujuſcunque rei, ſicut præcepit tibi Jehova Deus tuus.* Deut. IV. 23. II. Judæos ab omni ævo conſtanter & uniformiter hoc præcepto Decalogi niti, cum imagines omnes interdictas ſibi aſſerunt, ex tua propria citatione probo. Origenem enim paulò poſt ais, lib. IV contra Celſum docere, In civitatibus Judæorum, nullum ſtatuarium, nullum pictorem legibus permitti, ne aliquam occaſionem idololatriæ haberent homines craſſi; additque, ais, ſic debere explicari quod habetur *Exod.* XX, *neque ullam ſimilitudinem*, & cætera quæ paulò antè adduximus. At hæc ſunt Decalogi verba. III. Chriſtianos omnes in primitiva Eccleſia, cùm uſum omnem imaginum damnatum eſſe dicunt, hoc præcepto niti, ex tuis etiam verbis probo, cùm paulò poſt Tertullianum, lib. IV. contra Marcionem, cap. 22. putaſſe refers, omnes planè imagines lege Exodi prohiberi: cui gemina habent non pauci alii Patres. IV. Theologos veſtros non paucos idem aſſerere non diffiteris. Dicis enim in opinione poſitam eſſe hanc quæſtionem inter Theologos. Quid reſtat ergo, quàm ut concludam, te tuo proprio gladio te ipſum jugulare?

At inquies ſortaſſe, te non negare, Decalogo etiam hanc prohibitionem factam eſſe, ſed prohibitionem hanc diſtinguendam eſſe ab ea, quæ moralis eſt de non faciendis idolis. Atqui, inquam ego, ex quo vel veriſimili indicio colligitur, verba illa, *neque omnem ſimilitudinem*, cæremoniale aut poſitivum præceptum continere? non ſatis eſt ſi hoc aſſeratur audacter, nulliſque ſolidis rationibus adſtruatur. Periculoſa nimis eſt interpretatio quæ ſine magnis rationibus fit, & quæ id, quod morale eſt, in ceremoniale vertit. Ex illa enim legis ipſius neglectus & contemptus naſci poteſt.

*Præcepto ſecundo Decalogi non damnantur plane omnes imagines,*

At, inquies, ſi verba ipſa legis præcisè accipere velis, neceſſum eſt ut fatearis, prohiberi à Deo omnem omnino ſimilitudinem, ac proinde omnem artem ſculpendi, pingendi, fingendique à Deo interdici, quod eſt contra omnem veriſimilitudinem. Atqui, inquam ego, neutiquam id ſequitur, niſi tecum primò ſtatuam, lege hac, aut divina alia ulla, omnem omninò imaginem fieri prohiberi, id quod à me non fit. Ego enim non exiſtimo intentionem divinam fuiſſe, damnare omnem planè imaginem hac lege ſuâ, ac proinde artem omnem pingendi ſculpendique populo ſuo interdixiſſe: ſed credo intentionem divinam fuiſſe prohibere, non tantùm idola gentium fieri, ſed omnem prorſus ſimilitudinem, eo animo, aut eo fine, ut coram ea nos incuryemus, eam colamus aut veneremur. Rationes, quæ me movent, ſunt hæ: 1. Quia nihil vetat verba legis hoc ſenſu accipere. Etiamſi enim diſtincta videantur eſſe præcepta, *Non facies ſimilitudinem*, &, *non incurvabis te illi*, tamen nemo ita rudis eſt Hebrææ linguæ, ut ignoret ἀνάδηλα iſta Hebræis familiariſſima eſſe; ita ut cùm rem unam eandemque indicare volunt, dicant non facies hoc, non facies illud. 2. Quia Deus ipſe quibuſdam in populo ſculpendi, acuque pingendi artem inſpiravit. 3. Quia ratio Legis, quæ anima Legis eſt, id manifeſtè arguit. Dicit enim Deus: *Ego ſum Deus tuus, zelotes.* At hoc ipſum quod ſe Deum eſſe dicit, & Deum zelotem, arguit ſcopum Dei eſſe, prohibere omnes omninò imagines eo fine fieri, ut coram iis nos incurvemus eaſque colamus. Si enim omnem omninò artem pingendi, omnemque ſimilitudinem faciendi, præcisè interdicere voluiſſet, iſtâ ratione non fuiſſet uſus Deus, quod Deus zelotes ſit. Quæ enim ratio zeli aut æmulationis, ſi quis pingat fingatque, exempli cauſa, imaginem Solis, Lunæ, bovis, vaccæ, vituli, &c. ſi animus colendi cultuſque & incurvatio omnis abſit? At verò, quia tempore iſto, quo Deus Judæos ſibi in populum peculiarem primùm elegerat, nationes omnes circumjacentes, cum omni pænè imagine, quæ ſculpi aut fingi poterat, idololatriam exercebant, id eſt, ſub omnis pænè generis imaginibus Deos ſuos ſibi repræſentabant, & in eis colebant ac venerabantur; ac proinde quia periculum idololatriæ in imaginum efformatione erat: credo (neque enim præceptum ullum reperio) Judæorum proceres optimo conſilio cenſuiſſe, perſuadendum eſſe imagines omnes prohiberi à Deo; aut ſaltem præſtare ut imagines nullæ fierent, quàm ut per earum fabricationem periculo iſti occaſionis janua panderetur. Nec enim fructus ullus ex imaginum fabricatione ſperari poteſt, qui, non dico, præponderet aut æquipolleat idololatriæ periculo, ſed cum eo vel conferri tantùm mereatur. Et hanc etiam arbitror fuiſſe cauſſam, cur Deus nullas imagines, nullas ſtatuas, nullas picturas in templo ſuo fieri juſſerit, niſi intra velum; quia ejus arcana non patebant ullius hominis conſpectui. Reliqua omnia loca nuda & vacua eſſe voluit.

*An Deus Judæis propter idololatriæ periculum omnem prorſus imaginem facere prohibuerit.*

Cæterùm quod D. V. exiſtimat, periculum idololatriæ cauſſam fuiſſe interdicti generalis de nulla prorſus imagine facienda, etiamſi concedi poſſit à me, (neque enim id quicquam officeret cauſſæ meæ:) tamen propterea mihi eſt ſuſpectum, quod ei ſuperſtruas Theſin tuam; præceptum videlicet de imaginibus faciendis, poſitivum & (uti loqui amas) ceremoniale eſſe, quod, ceſſante iſto periculo, ceſſet. Quare operæ pretium eſt rationem illam tuam paulò propius expendere. Dico itaque 1. ex ratione illa, quia videlicet periculum erat idololatriæ, non ſequi, neque rectè colligi, Deum omnem prorſus imaginem fieri prohibuiſſe. Sufficiebat enim, ut periculo illi occurreretur, rigidum & ſeverum præceptum de non colendis imaginibus. Aut ſi hoc non ſuffeciſſe vis: neceſſum eſt ut fatearis, eandem rationem ſemper & ubique locum habere debere; ac proinde, præceptum hoc divinum poſitivum & cæremoniale non eſſe.

*Si id verum ſit, lex illa perpetua eſſe debet.*

Dices fortaſſe, Judæos ad idololatriam procliviores fuiſſe, ac proinde præcepto tali opus fuiſſe ad reprimendos eos. Atqui, inquam ego, ergo ratio hæc perpetua eſſe debet, & eſt univerſalis. Nam cum ii, qui ad Chriſtum & Religionem Chriſtianam accedebant, non alii eſſent quàm Judæi & Gentiles, utique proclivitas eadem, ratio eſſe debet, cur Chriſtianis hodieque omnis imaginum fabricatio & uſus interdictus videri debeat. Si enim Judæi proclives erant, certè Gentiles multò adhuc procliviores, quia lege nulla id ſibi vetitum eſſe credebant ut Judæi, & in ipſa idololatria à teneris educati atque inſtituti fuerant. Et certè experientia, magno cum Chriſtianæ Religionis damno, & Judæorum (qui poſt captivitatem Babylonicam ab omni prorſus idolatria conſtantiſſimè ſe continuerunt) ſcandalo, docuit nos, quàm altè arcteque hæſerit eorum animis affectus erga imagines. Simul atque enim ingreſſi ſunt in Eccleſiam Jeſu Chriſti, ſtatim prodiderunt ingenium & proclivitatem ſuam; ſine quidem animoque fortaſſe non malo, ſed fructu peſſimo. Nempe Gentilium ſtatuas ac ſimulachra, urbibus ac templis ſuis proſcripſerunt, ſed per poſticam alias, aliis tantùm nominibus tituliſque authoratas, veluti ejectorum Deorum ſuorum manubias, in urbes, pagos, vicos, templaque ſua intromiſerunt; idque tanto cum ardore & ſucceſſu, ut

Chri-

Christianorum templa & loca sacro cultui destinata, quæ antea, ad instar templi Judaici, vacua erant & inania ab omni imagine, ut ex Minutii Fælicis Diagolo, aliisque antiquioribus scriptoribus patet, multis in locis (nec enim ubique id fiebat, imo ubique pænè erant, qui velis remisque isti superstitioni obtinebantur adversabanturque) de Gentilium templis sacrisque numero imaginum statuarumque pænè triumpharent, cultusque totus Christianorum, nihil nisi interpolatus Gentilismus videretur. Et mansit hic erga imagines affectus, tam pertinaciter in animis multorum, ut pro earum usu cultuque crudelissima bella bellata fuerint, inque earum gratiam millena aliquot animarum millia mactata ac trucidata; non aliter pænè, quàm si, imaginibus cadentibus, tota atque universa religionis Christianæ gloria casura fuisset. Nec minor hodieque pro iis contentio est. Piaculum facit, non nisi flammis lustralibus purgandum, qui contra eas loquitur aut scribit: qui eas solemniter & pænè assiduè non colit, (cætera licèt sit pius & sincerus Dei cultor) is nihilominus parum abest, quin irreligiosus & divinorum ac numinum osor habeatur. Nimirum non muliebriter eas colere, devotionem suam iis non serviliter impendere, odisse eas, aut aliquid odio proximum creditur. Atque, ita ipso experimento testatum fit, quàm proni semper sint ad superstitionem & ad idololatriam animi; qui pro ea, ubi semel admissa est, tam procaciter digladiantur, & tam difficulter adduci possunt ut eam ponant, adeoque vel latum unguem ab ea recedant. Unde, jure merito, concludere mihi liceat tecum, si lex positiva Judæis data est, de nulla similitudine facienda propter idololatriæ periculum, ut vis; non minus Christianis quàm Judæis, datam videri debere legem talem, propter idem periculum: ubi enim eadem ratio, ibi eadem legis ferendæ necessitas.

## CAPUT VI.

### Imagines Christi & Sanctorum effingere esse licitum, sed Dei illicitum.

*Præceptum contra imagines esse morale multa rationes suadent.*

EX hisce jam facile colligere potes, quid respondeam ad amicam tuam compellationem. Quæris, *quid tandem in imaginibus nostris displicet? An quod eos effingamus contra Dei verbum?* Certè si tuo loco essem, & idem tecum sentirem, mi Wadinge, dicerem hanc causam verissimam esse & simul gravissimam. *Atqui*, inquis, *nullum præceptum morale hac de re est.* Atqui, inquam ego, unde constat tibi præceptum illud, quo omnis similitudo fieri prohibetur, morale non esse? plures causæ sunt, cur morale videri debeat, quàm non morale: exstat in ipsa lege morali; nullum distinctionis inter illud & quod præcedit, vel levidense indicium: in N. Testamento abrogatum non est: nihil habet umbratile aut typicum, veluti quod de Sabbatho postea in lege morali reperitur: plerique Patres morale illud esse censuerunt, ipsique adeo Judæi, ut morale omni tempore observarunt, hodieque adhuc, summa cum religione observant, & observandum esse asserunt. Me quod attinet, si hac in parte tecum sentirem, plures causas me habere crederem, cur imagines ullas effingere, prorsus illicitum esse statuerem. Neque enim facilè mihi indulgerem licentiam faciendi aut credendi, præceptum aliquod in lege morali simpliciter datum, non esse morale, nisi aut expressè id à Deo indicatum viderem, aut gravissimæ rationes, ac pænè palpabiles, me ad id credendum cogerent. Religio enim præcepti divini debet esse sanctissima & simplicissima.

*Sed nullum est præceptum quo omnes imagines effingere prohibeantur. Tutum tamen non est imagines Christi aut Sanctorum in templis collocare.*

Sed alia longè causa est, quæ me movet, quo minus credam, effingere imagines Christi aut sanctorum, illicitum esse; quia videlicet nullum præceptum divinum, nec morale, nec positivum exstare credo, quo id prohibetur, uti antea dixi & probavi.

Neque tamen diffiteor, non omninò placere mihi eorum sententiam, qui imagines Christi aut Sanctorum, in templis locisque divino cultui destinatis, erigi & collocari, non tantùm tuto, & sed utiliter posse existimant. Etsi enim fieri posse credam, imò multis in locis fieri etiam videam, ut adoratio absit, ubi imagines habentur; tamen vix mihi persuadeo prorsus tutum esse ab omni periculo, eas habere. Crediderim, melius esse eas extra templa locaque sacra quàm in iis reperiri. Nimium vicina est idololatriæ occasio, ubi in templis conspiciuntur. Facilis levisque à religione ad superstitionem, ab admiratione ad devotionem transitus est, nisi repagula singulis pænè momentis objicias. Utilitas verò, quæ ex illarum positione speratur, tam est parva, ut non modò non cum periculo idololatriæ, aut saltem cum illius periculi metu; sed ne quidem cum aliis damnis atque incommodis, quæ inde proveniunt, conferri mihi posse videatur. Optarem Christianos hujus sæculi sapientissimum Deum imitari, qui templum suum vacuum ab omni imagine esse voluit; & primi sæculi purioriisque consuetudinem, quâ templis locisque sacris imagines exesse severa Religione jubebantur. Simplicitas illa innoxia est, & tuta ab idololatriæ & superstitionis periculo. Quæ verò ex imaginibus utilitas speratur, ea alio remedio facillimè resarciri potest, quod periculum, aut metum istum periculi non habet. Securitas cum utilitate innoxia conjuncta, quovis pretio redimenda esse mihi videtur. Sed nolim ego hac de re vehementer contendere, sicubi tutus & utilis earum usus esse potest, non abnuo ut pro adminiculis serviant, ad excitandos ad devotionem & imitationem animos rudiores aut frigidiores. Pietas quovis modo ut promoveatur opto ac desidero.

*Imagines Dei propriæ sunt esse illicitæ.*

Cæterum quod de imagine Dei disseris, illud mihi quàm maximè displicere fateor. Quæris enim, *an Dei imaginem reprehendis? Sed cogitare oportebat*, inquis, *nullum editum ab Ecclesia decretum, quo imago ipsius Dei licita esse definiretur; solùm enim imagines Christi & Sanctorum licitæ esse decernuntur. & ex antiquis doctoribus licere multi negant.* Hactenus bene: intra hos terminos si stetisses, mi Wadinge, causam displicentiæ non levem exemisses animo meo multorumque. Sed quid faciss? Tantùm abest, ut religio expressi interdicti divini te moveat, ut in partem negantem potiùs inclines; ut eâ non obstante, partem affirmantem tueri non dubites. Et quibus, obsecro, rationibus atque argumentis adductus? *Ex eo*, inquis, *quem videmus, Ecclesiæ usu, & ratione ipsa tales imagines licere est verius.* Nimirum Ecclesiæ usus & ratio imaginaria, quam Ecclesia sibi ipsi formavit, tantùm hîc valent apud te, ut interdictum divinum interpretatione diluere, & antiquorum doctorum judicia posthabere malis. Ita ferè fieri solet; ubi semel mancipavimus libertatem nostram, quidvis defendimus ad arbitrium eorum quorum mancipia sumus: & rarò quærentibus deest color, quo nos tegamus. In omni pænè religione id usu venit. Cui sectæ quis semel sacramentum dixit, ejus minutissima quæque placita mordicus tenet, & sicubi hiant speciosò minio incrustare mavult, quàm indefensa relinquere. Habet hoc imprimis locum in secta vestra, quæ Pontifici & Ecclesiæ Romanæ præ cæteris aliis omnibus obstricta est. Nihil tam enorme, nihil tam horridum, tam absonum, quod non dibapho aliquo interpretationis tegere, aut malagmate distinctionis emolire studeatis, ut usus qui in Ecclesia jam est sartus tectus maneat, nihilque in eo innovetur aut corrigatur. Res hoc loco plana est. Paulò ante probaveras, præceptum ceremoniale seu positivum fuisse datum Judæis, de non facienda ulla imagine propter periculum idololatriæ, quia Patres nonnulli antiquiores ita censuerant. Hîc, ubi expressè ipse fateris, Patres antiquiores censuisse olim non esse licitum formare imaginem Dei, parum memor prioris illius tuæ sententiæ, ex solo usu Ecclesiæ & ratione evincere studes, licitum esse formare Dei imaginem.

*Respondetur ad id quod objicitur eas nusquam prohiberi, & contrarium ostenditur.*

Sed audiamus rationes tuas. Primò, ais, quia nusquam sunt prohibitæ. At, inquam ego, si nusquam sunt prohibitæ imagines Dei, quomodo ergo, mi Wadinge, antea in præcedenti quæstione dixisti, videri tibi præceptum cæremoniale datum fuisse, de nulla prorsus imagine formanda? fierine potest, ut uno eodemque pænè spiritu dicas, Judæis præceptum generale datum fuisse de nulla prorsus similitudine effingenda, & tamen iis præceptum non fuisse datum, de non effingenda Dei imagine? Hæc sunt contradicentia. Deinde, quomodo negare audes prohibitum id, quod ita clarè, disertè, atque in terminis prohibitum est, ut asserere ausim, nullius rei clariorem, aut expressiorem prohibitionem dari usquam posse? Ita enim habet textus *Deut.* IV. 15. *Cavete ergo diligenter animabus vestris (non enim vidistis ullam imaginem die quo locutus est Jehova ad vos in Horeb è medio ignis) ne fortè corrumpatis vias vestras, & faciatis vobis sculptile, aut imaginem ullius simulachri, &c.* Simile habet *Isaias cap.* XL. 18, &c. Lux hæc sunt in oculis tuis, cujus claritatem non fers. Itaque eam etiam amoliri studes.

*Diluitur exceptio, Proprias tantùm & formales Dei imagines prohiberi.*

*Si uspiam vetari videatur imago Dei*, inquis, *ut* Esaiæ XL. & XLVI. *propria & formalis sine dubio prohibetur.* En novæ distinctionis adminiculum, contra expressam interdicti divini authoritatem. Obsecro te, ex quo vel levi indicio apparet vetari istis in locis propriam, & formalem tantùm imaginem Dei, non verò metaphoricam? Verba Legis sunt universalia, *ne faciatis vobis imaginem ullius simulachri.* Ratio additur in lege, *quia nullam vidistis in monte.* Esaias auget rationis vim; quia nulla imago dari potest, quæ Deum repræsentet. Tu dicis Legis verba particularia esse, & imaginem propriam tantùm intelligi, qualem Gentiles se habere existimabant. Hîc solida erat ratio alleganda, cur verba, universaliter prolata, particulariter intelligenda sint. Universalem propositionem, adminiculo arbitrariæ alicujus distinctionis, in particularem vertere, haud est difficile: at distinctione solido

& firmo

& firmo rationum tibicine fulcire, hoc opus, hic labor est. Accedit, quod sine ulla etiam probatione dicas, Gentiles existimasse, se propriam & formalem Dei sui imaginem habere. Unde enim hoc apparet? Imo quomodo apparet hoc verum esse; cùm certum sit, 1. Gentiles plerosque credidisse, Deum Spiritum esse, & mentem quæ non videtur? 2. Plerosque, saltem sapientiores, credidisse Deos suos sub qualibet imagine coli posse, imò, fuisse, qui imagines ponerent ignoto Deo? Denique cùm expresè apud ipsos ethnicos infinita testimonia, omni exceptione majora, reperire sit, ex quibus patet, eos per imagines suas non voluisse exprimere essentiam aut substantiam Dei vel Deorum suorum; sed tantùm proprietates, actiones, beneficia, punitiones aliquas notas ac certas, &c. At hoc tibi aliud nihil est, quàm metaphoricam Dei imaginem effingere. Hoc ita esse unus Plutarchus tam prolixè, tam clarè tradit in lib. suo de Iside & Osiride, ut lucem tenebras facturus essem, si plura ad huic rei fidem faciendum adferre cupiam.

*Resp. ad alteram objectionem, non pugnare cum ratione rem spiritualem figura corporali exprimere.*

Sed, ut premas responsum tuum, alterum argumentum adjicis: *Quia* (inquis) *cum ratione non pugnat, rem spiritualem figurâ corporali nobis, qui aliter non possumus in spiritualium cognitionem venire, exprimere.* At si hoc argumentum valere debet, jam non tantùm non illicitum, sed necessarium prorsus est, ut imago Dei fingatur, ut nimirum ejus beneficio in spiritualis Dei cognitionem perveniamus. Vide quò paulatim delabatur oratio tua. Cur non potius concludere mihi liceat contrarium? cum ratione pugnat ut rem spiritualem, quæ exprimi nullâ imagine certâ potest; imò quam Deus exprimi idcirco vetuit, quia nulla ejus imago visa est, aut dari potest; adde, in cujus etiam cognitionem aliter quàm per imaginem expressam aut visibilem perveniri potest, figurâ vel imagine corporeâ visibili exprimere velimus, ut in ejus cognitionem veniamus. Quid? Anne videndo tantùm pervenitur in cognitionem rerum spiritualium? Nugæ. Quare quod de Cherubinis *Exod.* XXV. subjicis, ad rem non facit multis de causis. 1. Quia non quæritur, utrum nihil ejus quod spirituale est, sub aliqua umbra corporea repræsentari possit. Absit. Quis enim hoc neget? sed quæritur, utrum ratio recta non doceat, id exprimi non debere imagine ullâ, quod non modò tale est ut exprimi non possit quale est; sed etiam quod ipse Deus ideo exprimi vetet, quia imago ejus dari non potest, & in cujus cognitionem, etiam sine imagine visâ, optimè perveniri potest. Hoc ego assero, non illud 2. quia Cherubinorum & Dei alia ratio est. Illi enim, an nihil aliud sint quàm puri spiritus, incertum adhuc est. Concilium vestrum Nicænum secundum disertè eos facit corporeos, & alii non pauci veteres Patres. De Deo autem non est dubium hodie inter Theologos Pontificios & Reformatos, quin Spiritus sit. 3. Deus Cherubinos istâ figurâ exprimi jussit, se autem figurâ aut imagine ullâ exprimi à nobis vetuit.

*Et non esse absurdius coloribus exprimi in tabula manus & pedes Dei, quàm atramento in charta.*

At inquis; *Ipsa etiam Scriptura depingit nobis Deum quasi manus & pedes habentem; cur ergo absurdius est, coloribus exprimi in tabula manus & pedes Dei, quàm atramento in charta?* At verò, inquam ego, ipsa Scriptura prohibet nobis ne id faciamus. Hæc Lex potior nobis esse debet, quàm Scripturæ factum: neque enim actiones Dei aut Scripturæ narratio, norma sunt actionum nostrarum, sed Lex ipsius. Deinde ex eo, quod Deus in Scriptura ita repræsentatus & depictus legitur, sequitur quidem, si Deus tali imagine à nobis pingatur, id quidem non ita repugnare rectæ rationi, quasi impossibile sit, ut nos eodem modo Deum repræsentaremus, quo ipse se in Scriptura repræsentavit. At non sequitur, idem non ita repugnare rationi rectæ, quasi decorum & rectum sit, ut nos id faciamus. Sed urges, *ipse Deus jussit in charta atramento describi manus & pedes, &c.* Atqui, inquam ego, Dei actio non semper est nostrarum actionum regula, sola præcepta Dei regulam faciunt, ad quam componendæ sunt actiones nostræ. Neque censendus unquam est Deus sibi legem ponere, cùm nobis eam ponit. Nostrum est parere Deo jubenti: Deus qui jubet, manet semper juris sui, ut possit facere quod vult, pro arbitrio suo. Adde, quod actiones Dei peculiares & extraordinariæ non debeant trahi in regulam; imprimis si lex obstet. At illud hic usu venit. Quæro enim: cui jussit Deus, ut in charta atramento describeret manus & pedes, &c. an populo toti? an Rectoribus populi? nequaquam. Cui ergo? Danieli. Rectè ergo colligitur, Danieli licitum fuisse, ex vi præcepti hujus specialis, non obstante lege generali, describere atramento in charta manus & pedes, &c. At inde non licet porrò colligere, idem nobis licere sine speciali ejusmodi mandato divino. Imò lege generalis mandati obstringimur tantisper ad contrarium, quamdiu speciali mandato ei Deus non derogat; planè uti Abrahamo, ex vi mandati divini specialis, contra legem universalem, *non effundes sanguinem hominis in homine*, nedum filii tui proprii, licebat filium suum mactare; quod tamen nobis non licet. Res plana est. Concludam eam, verbis potius Tertulliani, quàm meis. Is ad hanc ipsam objectionem, eodem sanè modo, jam tum suo tempore respondit, ut videas non esse novum, quod hac in causa veritati objicis. Ita enim loquitur cap. 5. de idololatria in fine. *Si eumdem Deum observas, habes legem ejus: ne feceris similitudinem, si & præceptum factæ postea similitudinis respicis, & tu imitare Moysen; ne facias adversus legem simulachrum aliquod, nisi & tibi Deus jusserit.*

*Resp. ad tertiam objectionem Pontificios nullam Dei figuram exprimere in qua Deus seipsum non ostenderit.*

Quare id quod tertio loco addis, eâdem operâ concidit. *Nullam*, ais, *Dei figuram exprimimus, in qua Deus se ipsum non ostenderit.* Neque enim quæritur, qua figura Deum exprimatis: sed an rectè faciatis, quod eum exprimatis ulla figurâ; cùm ipse omnibus nobis jusserit, ne exprimamus eum ulla figura aut similitudine. Nostrum est hanc legem Dei tantùm ob oculos habere, & interim Deo suam libertatem relinquere, ut ipse faciat quod vult, etiam contra legem suam: non enim ipse sibi ipsi legem dedit, sed nobis. Neque jussum peculiare legis vicem obtinet; sed lex est, quæ populo toti datur, ac proinde, quæ omnibus & singulis servanda est, nisi per speciale jussum fiat exceptio à generali legis regula. Atque hæc cum ita sint, non video, quomodo ægrè ferre possit D. V. si dicam, displicere mihi, inter cætera, quod videam passim in templis vestris imagines Dei Patris, Filii, & Spiritus Sancti, imò Trinitatis, nescio sæpe sub quàm horribilibus picturis efformatas, ante oculos omnium prostare: ubi ista exceptio locum non habet, vos nullam Dei figuram exprimere, in qua Deus seipsum non ostenderit. Magna religioni divinæ vis facta est, cùm ad istum gradum processit idololatria.

## CAPUT VII.

### De cultu quem Pontificii imaginibus exhibent.

QUare non rectè subjicis; *nos solum cultum imaginem vobis vitio vertere*: neque enim possumus, quin & illam, quam diximus, imaginis Dei formationem vitio vobis vertamus. Fateor tamen haud illubenter, præcipuum & ferè solum, quod nobis maximè displicet, esse, quod imagines Dei, Christi & Sanctorum etiam colatis: solus enim cultus imaginis qualiscunque, facit ut imago idolum fiat; sive id quod imago repræsentat, verum numen sit, sive falsum, sive aliquid quod Deus non est; aut quod iis proprietatibus caret, quæ necessariæ sunt ad hoc, ut aliquid ritè coli possit: imprimis, quando is, qui illius rei imaginem colit, illam ipsam rem talem esse aut scit, aut credit: si enim eam talem esse non agnoscat, sed contra, errore aliquo adductus, sibi persuadeat, eam reipsâ esse verum Deum, atque idcirco colat, atque honoret, alia longè ratio est.

*Jure reprehendi qui se coram imaginibus prosternunt cum orant.*

*Sed quid*, inquis, *vitio vertitis? An orationem?* Ita certè, oratio enim est potissima pars divina cultus, quem Deus zelotes sibi uni deferri vult. *At*, inquis, *jam dixi, nullum Catholicorum orare imaginem, sed Deum vel Sanctum coram imagine.* At, inquam ego, imò idcirco, quia vos Sanctum (Dei enim alia ratio est) oratis, & quidem in, vel coram imagine, duplex committitis peccatum. Sanctum enim mortuum orare, aut à mortuo aliquid petere, non minorem culpam in se habet, quàm se coram ejus brutâ imagine incurvare. Deinde, non quæritur, quid dicatis vos facere, sed quid ex rei natura & Dei judicio, reipsâ faciatis, & facere censendi sitis. Actiones nostræ non sunt æstimandæ ex scopo & intentione nostra; sæpè enim Deus ex iis, de intentione nostra judicat, contra nostram propriam intentionem; adeò ut aliud intendisse dicendi simus, si judicium Dei sequamur, quàm nos ipsi intendisse nos scimus & profitemur, uti ante fusè demonstravimus. Tertiò, si non oratis imaginem, cur ad imaginem dirigitis vultum, oculos, verba & gestus vestros? Cur coram hac potius, quàm illa imagine oratis, cùm imago quælibet ubique sufficiat ad repræsentandum Sanctum? Scio quâ arte hæc facta vestra hodie pallietis, quo interpretationis colore ea tegatis. Sed quid juvat, ut Tertullianus ait, *Verbo destruere, quod facto struitis? linguâ negare, quod manu & opere confitemini?* Nimirum, dicis, hæc non est oratio, sed adoratio. Rectè quidem, si oratio tibi aliud nihil sit quàm invocatio, vel opis atque auxilii imploratio. Scimus enim inter invocationem & adorationem discrimen faciendum esse; sed alia tibi mens esse videtur. Facis enim statim deinde adorationem duplicem, aliam internam, aliam externam. Externa autem adoratio, quomodo species vel actus orationis dici nequeat, non video. At eam vos imagini deferre non obscurè concedis.

*Esto*, inquis, *At internam adorationem cultumque animi non defero*

*Nec excusari quod se illi internam adorationem deferre negent.*

*defero imagini.* Quæ hæc interna animi adoratio ſit, diſtincta ab oratione, cujus antè facta fuit mentio, non capio. Explicandum id erat; alioquin, quomodo interna adoratio non defertur, ſi externa ex animo & corde devoto ſit? Deinde, quid ad rem facit, quod internam adorationem non deferas imagini? Nec enim ad hoc, ut adoratio imaginum conſtituatur, quæ lege divina prohibita eſt, neceſſarium eſt, ut cum interna adoratione conjuncta ſit; neque ſola interna adoratio lege Dei prohibetur. Non enim dicitur in textu legis, non adorabis eas internâ adoratione, non coles eas cultu interno, non incurvabis te illis incurvatione interna; ſed ſimpliciter, non adorabis eas, nec coles eas, nec incurvabis te illis. Quæ verba, ſi accuratè ponderentur; uti etiam pleraque divinæ Legis præcepta, certiſſimum erit, iis potius adorationem externam, quam internam vetari: quod vel inde confirmari mihi poſſe videtur. I. Quia ſola externa idoli adoratio, etiam ſi ſecreta ſit ab omni interna adoratione, eo ipſo, quia idoli adoratio eſt, vel te ipſo judice, lege hac damnata cenſeri debet. At, ſi internæ adorationis abſentia ſufficeret excuſandæ adorationi cuilibet externæ, quo minus lege divinâ prohibita cenſeri debeat, uti in hac tua exceptione non obſcurè innuis, jam adoratio idoli externa, veritas aut damnata hac lege videri non debet, & iis qui idola, vel metu, vel vi adacti, externè tantum adorarunt, patebit hæc tua exceptio. Atqui (inquient) nos internam adorationem cultumque animi eis non deferimus. Id ſi velis rectè à talibus dici poſſe, quid facies Patribus, Canonibus, & Conciliis illis, quæ judicarunt idololatriæ crimine ſe polluiſſe eos, qui tempore perſecutionis, licet contra animi ſui ſententiam, ſeſe coram idolis incurvaverant, quæque in eos, ut idololatras, Eccleſiaſticis cenſuris animadvertendos eſſe cenſuerunt. II. Eadem plane eſt ratio idololatriæ ſpiritualis & corporalis: ad illam conſtituendam non requiritur interna divitiarum, voluptatum, honorum adoratio; ſed ſola tantùm exterior, & modum excedens de iis conquirendis & conſervandis ſolicitudo. Huic enim qui indulget, etiamſi cætera animum, ab intentione eas colendi, alienum habeat, ſibique ipſi ſe habere perſuadeat, is à Deo cenſetur divitiis λατρευων & δουλευων, adeoque ventrem ſuum pro Deo ſuo habere. Similiter itaque ſe res habet in idololatria hac legali. Actus incurvationis, adorationis, cultus, exercitus circa imaginem, quæcunque, aut qualiſcunque demum ea poſſit eſſe; eo ipſo, quia lege divinâ expreſsè prohibitus eſt, crimen idololatriæ habet; ſive internus animi cultus adſit, ſive abſit. Nihil itaque refert, quod internam adorationem cultumque imagini non deferas; ſola externa geniculatio & incurvatio ad reatum ſufficit.

Ejus autem crimen tantò gravius cenſendum eſt, quantò plus actui iſti externo tribuitur: prout à te fieri video, cùm externam hanc adorationem, non civilem tantùm ſed & religioſam eſſe vis: imò, quod miror, eandem prorſus cum ea, quâ prototypon adoratur, ita ut in imaginem terminetur, non per accidens tantùm, quatenus Deum vel Sanctum repræſentat, ſed etiam per ſe. Si enim externa quævis adoratio, incurvatio & genuflexio, lege hac divinâ prohibetur, quantò magis prohibita cenſeri debet adoratio, quam religioſam eſſe vis, quæque actibus ad religionem, quæ ipſi Deo externè defertur, pertinentibus, abſolvitur; puta ſuffitibus, ſacrificiis, incenſis, juramentis, votis, &c. Quanquam fateor lubens, me capere non poſſe, quid religioſa hæc adoratio, præter aut ſupra civilem adorationem habeat, quatenus ea in ipſa imagine terminatur, non ut vicem exemplaris gerit, ſed per ſe & ſeorſum ſpectata. Capiat & explicet qui poteſt. Ut ut ſit, certum eſt, quantò plus adoratio hæc extollitur & exaggeratur, tantò plus intenditur crimen & culpa illius.

*An libera ſit nec ne imaginum adoratio.*

Verùm enimverò, neſcio quid in mentem tibi venerit, cùm nos poſthac introducis reponentes id, quod ab omni ratione quàm longiſſimè abeſt: *Sed repones*, inquis, *nullum eſt de adoratione imaginum præceptum in Dei verbo,*

Quis enim id reponat in hoc argumento, in quo non quæritur, an imaginum adoratio ſit neceſſaria ex præcepto divinæ legis; (jam enim antè toto hoc tractatu diſputatum eſt præceptum dari, quo ea prohibetur;) ſed an ſit licita? Præceptum divinum facit ut debeas adorare imagines: ad hoc, ut liceat adorare imagines, præcepto opus non eſt. Sed voluiſti fortaſſe in aliud genus quæſtionis tranſire, & quaſi jam evictum eſſet, adorationem imaginum licitam eſſe, oſtendere etiam, quomodo ea libera non ſit, ſed neceſſariò in Eccleſia retineri atque obſervari debeat. Hic ſi ſcopus tuus fuit mi WADINGE, equidem ad eum adſequendum magno molimine opus non erat. Quis enim pius, aut Dei timens, de iis quæ adiaphora ſunt, id eſt, quæ nec præcepta, nec vetita ſunt à Deo, funem contentionis trahat, ac non potius ritum currentem, qui in eorum obſervatione viget, lubens volenſque ſequetur? Litigioſa eſt anima & intractabilis, quæ conſuetudinem in talibus ultrò non ſequitur. Quæ verò ei obnititur, etiam & obluctatur, digna eſt quæ acerbiſſimo convitio mactetur. Flexibilitas & ἐυπλοκια Chriſtianum maximè decet. Quicquid ſalvâ conſcientiâ ſectari poteſt Chriſtianus, id ſectari eum ante alios omnes æquum eſt.

*An Eccleſia auctoritatem habeat eam præcipiendi.*

Sed ſub hac herba anguis fortaſſe latet, quem detegere noluiſti. Nimirum voluiſti fortaſſe perſuaſum eſſe nobis, adorationem imaginum abſolutè neceſſariam eſſe in Eccleſia, ita ut iſti, omnium & ſingulorum conſcientia, omni tempore & ubique obligata ſit; etiamſi præcepto nullo divino nixa ſit. Eccleſiæ jus eſſe datum definiendi & ſtatuendi in talibus quod vellet, eique de neceſſitate ſemper parendum eſſe, poſtquam definitionem & ſtatutum tale fecit poſuitque; neque fieri poſſe, ut Eccleſia ſubſequens decretum illud ſemel factum retractet, aut pro non neceſſario obſervando habeat. Hoc vult tuum quod ſequitur; *Sufficiat, nullo præcepto vetari, ut jam ante oſtendi, ſicut nullum exſtat de baptizandis parvulis præceptum; quos tamen Eccleſia veſtra baptizandos cenſet, contra Anabaptiſtarum dogmata.* Hic ſanè, ſi fuerit ſcopus tuus, alio & majore multò molimine opus erat, ut illum attingeres. Neque enim, non dico facile, ſed poſſibile tibi eſt, jus tale Eccleſiæ adſtruere. Contrarium dictat ipſa ratio. Eccleſiæ non eſt præſcribere, ſed parere, & ſponſæ inſtar & ovis, vocem Sponſi & Paſtoris ſui ſequi: ubi illa conſcientiam obligat, ibidem eam obligatam tenere; ubi illa conſcientiam ſolvit, ibidem eam ſolvere; ubi illa conſcientiam non obligat nec ſolvit, eandem non obligare nec ſolvere. Si quas leges condit Eccleſia, ſive Eccleſiarum antiſtites, eas ut accommodet legibus Domini ſui, omnibus viribus adlaborare debet. Simulatque liberum facit, quod Dominus ligatum eſſe vult, ſtatim deficit ab obſequio & præſcripto Domini ſui, ſuique officii obliviſcitur: ſimulatque ligat, quod Dominus liberum eſſe vult, aut liberum relinquit, ſtatim efferre ſe incipit ſupra Dominum ſuum, & gradum ad tyrannidem ſibi facit. Ea enim eſt rerum illarum, quas Deus liberas relinquit, ſive adiaphorarum, natura, ut quæ hîc nunc tutò, adeoque utiliter uſurpantur, aliàs aut alibi, prout res, vel tempora ſe dant, ſine gravi periculo & damno uſurpari, ac proinde ſine vi ac tyrannide imperari nequeant. Nempe, quod initio ut honeſtum & decorum obſervatur, id non rarò ſucceſſu temporis pium eſſe creditur, & cum religionis titulo retinetur; proficiente deinde auctaque, uti fit, opinione in majus, divinum aliquid eſſe, aut in ſe habere ſtatuitur. Unde deinde abuſus ingens oriatur neceſſe eſt; uti in æneo ſerpente uſu veniſſe, Scriptura nobis teſtatum facit. Sic, ſi Eccleſia jam ante præciſe aliquid definiverit, ideoque definitione ſua ſtare neceſſariò ac ſemper tenetur, fieri vox poteſt, quin per tyrannidem ſe tueatur, qua conſcientias eorum, (qui abuſu iſto offenſi, ſatius ducunt in totum abſtinere ab illis rebus, quæ occaſionem abuſui dederunt, quàm illis aſtrictum animum habere) ligatas teneat. Nec minus etiam Eccleſia adimit ſibi ipſi occaſionem faciendi id, quod optimum eſt. In liberis enim atque adiaphoris rebus, ſi tetro ac fœdo aliquo abuſu contaminentur; multo melius eſt libertatem ita laxare, ut ad earum obſervationem nemo adſtringatur, quo abuſus tollatur facilius & efficacius, quàm decreti ſemel facti neceſſitatem urgere, cum qua abuſus tolli, aut omnino non, aut non niſi difficulter poteſt. Hoc in æneo ſerpente obſervare eſt. Decorum erat atque honeſtum, ſerpentem iſtum, quem Deus ipſe privilegio tam illuſtris medicinæ honoraverat, tanquam nobile aliquod depoſitum erectum conſervare, & ante oculos omnium expoſitum relinquere. At cùm ſucceſſu temporis augeretur ejus exiſtimatio, exque illo idolum fieret, multò ſatius erat eum deſtruere, & totum igne conſumere, nequid ejus ſupereſſet, quàm eundem cum tam magno periculo & damno ſuperſtitem diutius conſervare. Nunquam authoritas affectanda eſt Eccleſiæ cum præjudicio aut periculo pietatis, publicæque utilitatis. Utilitas & ſalus publica ſuprema lex illi eſſe debet. Præjudicium autem nullum fieri poteſt pietati atque utilitati publicæ tum, cum ea, quæ per ſe adiaphora ſunt, ut adiaphora ſemper cenſentur, & pro occaſione temporum, rerum ac locorum, ad communem Eccleſiæ utilitatem laxantur & adſtringuntur. At, quando ea, contra naturam ſuam, in hanc vel illam partem ita determinantur, ut neceſſariò ſemper obſervari debeant, fieri non poteſt, ut accedente abuſu, præjudicium pietati & utilitati publicæ non fiat maximum; niſi illa libera eſſe, atque adiaphora pronuntiet Eccleſia: imprimis, ſi abuſus natus aliter haud facilè tolli poſſit.

Quare quod dicis, ſufficere nobis debere, ad hoc ut adoratio imaginum neceſſaria credatur, quod Eccleſia ita ſtatuerit, nullumque præceptum divinum ſit in contrarium; id omnino non ſufficit. Tantùm enim abeſt, ut ea propterea neceſſaria cenſeri debeat, quia Eccleſia ita ſtatuerit, ut eo

ipso quia libera est cæremonia, credi debeat, Ecclesiam non habuisse jus ut ita statueret, id est, ut id quod liberum est, omni tempore, loco atque statu necessarium faciat. Quando hoc facit, abutitur jure suo, si quod habet: imò sibi ipsi jus adimit statuendi ac pronunciandi, liberum esse id, quod revera liberum & adiaphorum est, & utilissimè aliquando adiaphorum esse creditur. Nihil nobis præcisè necessarium est, quod Deus ipse præcisè necessarium esse non statuit. Itaque quod de infantibus baptizandis inseris, impertinens est. Qui enim, eos baptizandos esse, censent Reformati, ii non censent illud ita esse, quia Ecclesia definivit ut id fiat, sed quia Deum ipsum ut id fiat præcepisse, sibi persuadent. An rectè ita sentiant, an secus, hîc jam non disputo.

*An imagines à principio cultæ fuerint in Ecclesia.*

Sed ut fortiùs urgeas propositum tuum: præter Ecclesiæ definitionem, usum etiam allegas antiquissimum & continuum. Ita enim ais? *Sufficiat, ex antiquissimorum Patrum scriptis constare, jam inde à principio, in puriori Ecclesia fuisse usum imaginum & cultum earum.* At verò, inquam ego, posito etiam, quod imaginum usus & cultus non sit vetitus à Deo, tamen non sufficit, mi Wadinge, constare usum imaginum & cultum earum fuisse in puriori Ecclesia, ad hoc ut earum usus cultusque nunc etiam necessarius censeri debeat. Potest enim imaginum usus locum habuisse in ea, quia circa ista tempora abusus nullus metuebatur, aut saltem enatus nondum erat, cumque idem ille alliciendis Gentilibus ad religionis Christianæ communionem servire posse credebatur; ut tamen hodie earum usus locum habere non debeat, propter ingentem & manifestum abusum, qui deinde consecutus est. Sed non disceptabo multis hac de re tecum. Age, videamus quomodo hoc tuum, verè ingens pronunciatum, probes. Duo dicis, imaginum usum & earum cultum locum habuisse in puriori Ecclesia. At neutrum distinctè probas; quod tamen factum oportuit. Neque mirum: ut enim utrumque probes, impossibile est. Tam enim clarum certumque est, antiquissimos Patres imaginibus usos non fuisse, nedum eas coluisse, ut Solis radio scriptum videri debeat. Mirari itaque satis non potui, cùm id à te tam fidenter affirmari legerem. Sed mirari pænè desii, cùm, amore hujus tuæ opinionis, eousque prolabi te vidi, ut asseras in fine scripti tui, *Concilia & Patres non modo non improbasse cultum imaginum, sed & agnovisse præceptum colendi imagines, datum in* Psalm. XCVIII: *Adorate scabellum pedum ejus; nempe aream Testamenti*: eosque propterea legi à me & evolvi optes: cùm tamen antea diserte affirmaveris, Judæis datum fuisse præceptum cæremoniale, ut non modò non colerent imagines, sed ut nullas omnino facerent, idque antiquissimos Patres ita censisse. Fierine potest, ut credas, Concilia & Patres agnovisse, datum fuisse Judæis præceptum de colendis imaginibus, & simul tamen credas, contra Concilia & Patres, datum fuisse illis interdictum expressum de faciendis tantum imaginibus? Certè si Patres & Concilia agnoverunt, Judæis datum fuisse præceptum in Psalmo illo, de colenda imagine arcæ, jam necessum est ut fatearis, Concilia & Patres determinasse, falsum esse quod de interdicto à te dicitur: hæc enim sunt ἀσύστατα. Aut si verum etiamnum te tenere credas, necessum est ut fatearis, Patres ac Concilia in eo agnoscendo errasse, ac propterea ex eorum usu, tam erroneo fundamento nixo, me adduci non debere, ut eorum exemplum sequar. Sed videamus quos Patres cites.

*Id Basilii testimonio non probatur.*

Primus est, *Basilius Magnus*: Nempe antiquiores desunt. *Vixit*, inquis, *ille in aurea adhuc Ecclesiæ temporibus*: Nimirum sæculo quarto, Anno Christi CCCLXX. Non ignoro, neque diffiteor, tempora ista aurea fuisse, præ ferreis & chalybeis illis, quæ non ita multo post consecuta sunt, sed non existimo, aurea illa vocari debere, respectu eorum, quæ Apostolorum tempori, aut ætati Apostolorum vicinissima fuerunt. Ex hisce temporibus, usus earum rerum, quæ Ecclesiæ utilissimæ sunt, optimè & tutissimè petitur: ex illis non ita tutò. Jam enim tum aurum Apostolicum evilescere incipiebat, & ferrea quorundam Episcoporum Conciliorumque decreta, ex commercio opinionum & superstitionum Gentilium, ex privatorum affectuum studiorumque officina nata atque aucta, in pretio habebantur. Scribit Eusebius histor. suæ Eccles. lib. III. cap. 26. ex Hegesippo; *Quod usque ad tempora Simeonis filii Cleophæ*, secundi Ecclesiæ Hierosolymitanæ Episcopi, *Ecclesia integra & incorrupta permanserat. Cæterùm, postquam sacer Apostolorum chorus varium vitæ exitum, & diversa mortis genera pertulerat, præterieratque illorum ætas, quibus à Christo donatum erat, ut auribus divinam ipsius sapientiam coram acciperent, tum certè falsa & veteratoria impii erroris conspiratio, exordium cœperit; idque illorum fraude & astutiâ, qui doctrinam à veritate penitus alienam disseminare laborabant, quique, cùm nemini Apostolorum amplius vita suppetebat, de cætero, jam nudo capite, (ut ajunt) sincero veritatis sermoni falsam & commentitiam doctrinam ex adverso opponere provi-ribus nitebantur.* Id, si jam tum temporis, circa ipsa incunabula factum fuit, quid credis factum fuisse trecentis & amplius annis post, cùm turba Gentilium Philosophorum, omnisque generis profani doctores, in Ecclesiam ingressi essent? Certè si Hegesippus id tum temporis dixit, scripsitque, mirumne videtur tibi, si ego contagionem maculosæ illius doctrinæ auctam fuisse suspicer? Sed quid? Ergo, inquies, de magno Patre Basilio suspicaberis tantum nefas? Quid dicam, mi Wadinge? Horreo cum cogito, solicitanda esse tam magna & augusta nomina, à me, qui corrigias calceamentorum tantorum virorum dignus non sum solvere. Utinam præterire liceret! Sed non possum. Dicendum quod res est. Te ipsum judicem posco, mi Wadinge, super Basilio tuo. *Dicit ille*, ut ais, (neque enim ipsius copia mihi in hoc exilio datur) *se imagines adorare, additque ab Apostolis hoc traditum.* Quæro, an hoc quod Basilius dicit ab Apostolis traditum fuisse, non dico verum sit; sed vel verosimile tibi videatur? Quid ergo, inquies, An impostorem dices Basilium, quod Apostolis suam doctrinam imponat? Pace illius & tuâ quærere mihi vicissim liceat: An Basilius impostores dicit omnes Patres, qui tribus ante ipsum sæculis floruerunt, qui non modo non traditum ab Apostolis, sed & illicitum omnem imaginum, non dico cultum, sed usum censuerunt? An Basilius omnes Episcopos illos, qui in Concilio Elibertino sententiam hanc dixerunt, *Placuit picturas in Ecclesia esse non debere, ne quod colitur aut adoratur, in parietibus depingatur*; traditionem illam Apostolicam aut ignorasse, aut damnasse affirmat? An Epiphanium Basilius, tam ignarum traditionis hujus Apostolicæ, aut tam ab ea aversum dicet, ut ausus fuerit velum, in quo imago Christi aut alterius Sancti, (ut refert Hieronymus) picta erat in ipso limine templi, in partes scindere ac laniare, adeoque affirmare, imagines in Ecclesia fieri contra Scripturarum auctoritatem? Alia plura non cito. Elige ex his, utrum voles. Aut ægrè ferendum non est, si dicam, Patres omnes priores, totque celebres Episcopos, à Basilio vel pro fungis & stupidis, vel pro falsariis & impostoribus haberi, aut ægrè ferendum non est, si illos verum dixisse credam, ut Basilium hac in re, vel memoriâ, vel credulitate nimiâ peccasse dicam. Certè si Basilius credi sibi volebat, traditio ejusmodi monstranda & exhibenda erat. Sola ipsius, & unius quidem, auctoritas, tanti esse non potest, nec debet, ut de eo dubitare non liceat.

*Nec imagine ab Haimorrhousa posita.*

Sed & dubitandi causam non levem dat Eusebius lib. VII. hist. suæ, cap. 14. ubi, postquam de statua, Jesu Christi effigiem habente, & ab Haimorrhousa erecta, disseruerat, statum hæc verba subjungit. *Nemo miretur eos, qui ex Gentilibus prognati, à Servatore, dum inter homines vivebat, beneficiis affecti fuerant, ista fecisse, cùm & Petri, & Pauli Apostolorum, & Christi etiam ipsius imagines in picturis, colorum varietate expressas, conservatasque aspeximus, idque propterea, sicut verosimile est, quod majores nostri, ad Gentilis consuetudinis similitudinem quam proximè accedentes, eos, qui tanquam Servatores illis fuerant, id est, qui illis aliquid salutis & subsidii attulerant, apud se honore, ad hunc modum, afficere consueverant.* Hactenus Eusebius. Credimusne Eusebium hunc in modum locuturum aut scripturum fuisse, si imaginum usus cultusque traditio fuisset Apostolica, uti Basilius ait? An dixisset, *nemo miretur id factum?* Quis enim Christianorum mirari potuisset id, quod juxta traditionem fiebat Apostolicam? An dixisset, *ad consuetudinis Gentilis similitudinem*, id à majoribus suis factum fuisse? An addidisset, *sicut verosimile est?* Imò, an non dixisset, eundem usum in Ecclesiis illis, in quibus ipse vivebat, expressum alibi locum habere? Hæc, aliaque non levem dubitandi occasionem mihi præbent, an id quod à Basilio asseritur, tale sit ut de eo dubitare non liceat.

Quotiescunque autem hunc Eusebii locum considero, toties mirari satis non possum, quod ad probandum imaginum usum & cultum in Ecclesia ab initio locum habuisse, locum etiam hunc eundem Eusebii citare non dubites, in quo imaginem Christi, ab Haimorrhousa positam olim fuisse tradit. Quis enim non videt, quam multa sint in exempli illius historia, quæ te hominem eruditum, &, uti profiteris, in lectione Patrum, historiarumque Ecclesiæ exercitatum, à citatione ejus deterrere debuerint? Nam 1. non dicit Eusebius asseveranter, fuisse imaginem Christi, sed tantùm, *hanc statuam effigiem Jesu exprimere dicunt.* 2. Non dicit, eam à Christiano erectam, sed à fœmina Gentili, pro more gentis suæ, fuisse positam. 3. Non dicit, eam erectam fuisse in Ecclesia, locove sacro, sed sub dio, in angulo plateæ. 4. Non dicit, eam honoratam, nedum cultam aut adoratam fuisse à Christianis, imò ne quidem à Gentilibus, sed tantùm, honoris ergo erectam fuisse à fœmina Gentili, in memoriam perpetuam accepti beneficii. Quin imò tantum abest, ut culta honorataque fuerit, ut contrà, ejus nulla prorsus ratio habita fuerit: cœno enim & luto ita obruta exesaque

fuisse

fuisse dicitur, ut agnosci non posset cujus imago esset. Nihil itaque ad rem facit.

*Nec auctoritate Concilii Antiocheni.*

Quod de Apostolica doctrina, in Concilio Antiocheno pro imaginibus sancita, adfers, id quia Turrianum, scriptorem fabulosum, authorem habet, nauci à me non fit: &, si omnino alicuius esset ponderis, iisdem difficultatibus gravari posset, quibus antea, quod à Basilio dicebatur, gravari ostendimus. Certè, si talis Canon unquam statutus fuisset ab Apostolis, quomodo eum aut ignorare potuissent primi Patres, ut si non ignorarunt, quomodo, aut qua fronte obloqui ei ausi fuerunt? aut si oblocuti non sunt, quomodo illius unius authoritate, omnes ubique Patres, doctores scriptoresque non semper pugnassent contra eos, qui imaginum usum cultumque illicitum judicabant?

## CAPUT VIII.

## Quæstiones variæ ad imaginum cultum pertinentes Wadingo propositæ.

HÆc sunt, mi WADINGE, quæ breviter respondenda esse putavi ad compellationem tuam. Liceat mihi nunc, ut pari jure, amicè ac benevolè te vicissim interrogem. Quid est illud, quod te movet, ut sententiam istam de imaginum usu, cultuque tam animosè propugnes? An necessitas divini præcepti te cogit? Non dices illud, opinor. Præcepti enim divini nulla mentio antehac à te facta est. Quin & fateris, contrarium præceptum Judæis olim datum fuisse. An Ecclesiæ vestræ authoritas, & cui authoritas innixa est, utilitas, quæ ex imaginum usu speratur? Esto.

*Rationes aliquot contra cultum imaginum.*

At, vide sis, obsecro te per Deum immortalem, quàm multæ, quàm graves causæ sint, quæ Ecclesiæ authoritatem hac in re suspectam tibi reddere possint. 1. Interdicti divini authoritas, quod tam horridâ commination sancitum est. hoc interdictum, etiamsi non omnino clarum, sed verisimile tantum esset, suspectam meritò tibi reddere debebat autoritatem Ecclesiæ. Obtestor enim te, Wadinge, utrum non præstet, periculum violationis interdicti divini religiosè fugere cum offensa Ecclesiæ, quàm studio ac dedita operâ illud incurrere, ne in Ecclesiæ authoritatem impingas? Si dicas, Ecclesiam periculum declinare distinctionis beneficio; dicis id, quod, si rectè attendas, multò plus suspicionem tuam augere potest, ac debet. Quæso enim, an lex facit distinctionem illam? & tamen Legislatoris est distinguere, non ejus cui lex fertur. Deinde, quæ est illa distinctio, cuius beneficio declinare studet periculum? An distinctio, quâ inter imaginem & idolum distinguit? Sed, vide sis, mi Domine, an hujus distinctionis vola aut vestigium in textu sacro reperiatur? An exemplum ejus ullum in Apostolica Ecclesia deprehendatur? An ex vocis ipsius etymologia, an ex rei natura petatur? Nihil horum. Quin contra, etiam atque etiam te rogo, an non suspecta videri debeat, eo ipso quod directè contraveniat textui, quo non tantùm idolum, sed & omnis similitudo fieri prohibetur? 2. Quod eâ Judæi nullo unquam tempore usi sint, sed contrà, hodieque adhuc eam repudient & respuant. 3. Quod apud antiquissimos Patres illa, non modo non fuerit in usu, sed adeò ignota, ut promiscuè utraque voce usi fuerint, adeoque, non idolorum tantùm, sed & imaginum omnium sculpturam, picturamque damnaverint, tanquam illicitam. 4. Quod antiquitus inter errores atque hæreses relatum fuerit, imagines depictas Christi aut Sanctorum habere, cùm tamen hæ idola non sint. Vide Irenæum lib. 1. cap. 23. & 24. Augustinum libr. de hæres. cap. 7. Epiphan. hæres. 79. 5. Quod Concilia antiqua reperiantur, quæ distinctione ista insuper habitâ, imagines omnes picturasque templis exesse debere definiverunt. 6. Quod ipse Epiphanius, non tantùm idola, sed & imaginem Christi habere contra Scripturarum authoritatem esse affirmet, ut ex Epistola ipsius, quam ipse Hieronymus transtulit, liquido patet. 7. Quod Orientales Ecclesiæ omnes, quarum ingens admodum numerus semper fuit, & quæ in terra Christo Domino, ipsiusque Apostolis maximam partem calcata collectæ fuerunt, distinctionem hanc non modò non approbaverunt, sed & apertè, uti & omnem imaginum usum cultumque conciliis aliquot œcumenicis, nationalibus, provincialibus, tanquam Christiano homine indignam damnaverint ac rejecerint. 8. Quod Ecclesiæ etiam Occidentis non paucæ, Gallicæ puta, Germanicæ, aliæque in Conciliis scriptisque suis distinctioni isti acerrimè in principio se opposuerint, adeò ut non rarò, invito Episcopo Romano, imagines omnes Regno & templo proscribendas esse statuerint. Denique, quod difficile, adeoque meo quidem judicio, impossibile sit distinctionem veram, quæ inter idolum & imaginem, saltem Dei, quæ colitur aut adoratur, est, adsignare, quin incidas in varias palpabiles & manifestarias absurditates. Quid videtur, mi Wadinge, an hæc non sunt ejusmodi, ut suspectam tibi reddere debeant distinctionem istam? Fieri ne potest ut istis omnibus gravaminibus, unius Ecclesiæ vestræ, imò unius Episcopi Romani authoritas, in animo ac conscientia tua præponderet, nisi alienæ libidinis mancipium te facere dedita opera velis?

*Honestatem illum non suadere.*

Sed, inquies, Ecclesiæ authoritas nuda me non impellit: honestate & utilitate eâ nixa est. Honestatis ratio suadet, ut liberatoris Christi & Sanctorum optimè de Ecclesia meritorum memoria, pictura aliqua conservetur. Si enim profani homines, de Republica benè meritorum memoriam statuis & imaginibus honorant, quomodo non multo magis idem facere sanctos oportet? Sed obsecro te, quis honestatis hujus legem posuit? An Deus in Veteri lege à populo suo carnali istam respici voluit? An populus ipse, ut carnalis & in superstitionem proclivis esset, honestatis hujus rationem habuit? ubi itaque sunt imagines Abrahami patris ipsorum, Isaaci, Jacobi, Mosis, Josuæ, &c. Credendumne est illos, aut ita stupidos fuisse ut ignorarint legem illam honestatis, aut ita malignos, ut illam sequi noluerint? Neutrum est verisimile. Gentilium ista erat superstitio, ait Eusebius. Quæ itaque vanitas movet nos Christianos, quos Judæis spiritualiores esse convenit, ut honestum potius censeamus id, cujus legem atque exemplum Gentiles nobis reliquerunt, quàm quod Deus, Deique populus exemplo suo commendatum nobis esse voluit? Sed esto: habeat aliquam honestatis & decori speciem statuarum picturarumque fabricatio. Quæ tandem honestatis ratio suadet, ut Sanctos demortuos eorumque imagines adoremus? Ubi, ubi terrarum hæc honestatis lex tradita aut reperta est? Qui bene de Rep. meritis statuas olim erigebant, ii ultra nihil faciebant: erecta statua honor erat: præmium virtuti nullum aliud ponebatur: cultus aberat. Idem hodieque apud nos fit. Cur in sanctis honorandis idem non observatur? cur intra illos terminos non consistitur? cur ad cultum & adorationem imaginum eorum proceditur? cur suffitus fiunt coram imaginibus eorum? cur adolentur ipsis thura? cur anathemata suspenduntur? cur cærei accenduntur? &, quod omnium pessimum est, cur ad illas dirigitur precatio? Qui hæc ex lege honestatis deberi sanctis statuunt, næ illi latifundia honestatis ex ingenio suo metiuntur, ejusque limites, quousque volunt, extendunt.

*Nec utilitatem.*

Utilitatem quod attinet; quænam quæso est ista quæ ex imaginum usu cultuque speratur? Anne quod libri laicorum sint? Esto. Non difficor imagines servire posse stupido vulgo, quod non nisi sensibus suis ducitur, ut earum conspectu ad devotionem excitetur. Sed vide sis obsecro, an non multo plura & graviora incommoda metuenda sint ex usu & cultu earum. Primò enim; Fieri aliter vix potest, quin rude & profanum vulgus, opiniones fœdas & sordidas de Deo Sanctisque imbibat, ut ex ipsis imaginibus & statuis, tanquam à Diis suis tutelaribus pendeat, iis tribuat quæ Gentilium abominationibus paria sint, si non deteriora: denique ut istarum imaginum tanquam librorum suorum usu prorsus obbrutescat, quasi aliud quid scire aut sapere opus non habeat. Confirmare hoc possem prolixè si luberet: sed experientiam solam testem do, quæ omni exceptione major est. Secundò, fieri non potest, ut per imaginum usum ac cultum non gravissimè offendantur Judæi, & à religione Christi amplectenda reddantur alieniores: nimirum piaculum, scelus, aut flagitium summum pænè ipsis est statuæ aut imaginis cultus. Metuam esse non posse firmissimè credunt, cujus discipuli tam directè contraria divinæ legi licita esse sibi persuadent. Hoc malum tanto pluris æstimandum venit, quod præcipuum pænè est, quod Judæorum bilem in Christum & Christianos acuit, adeò ut desperata mihi videatur eorum ad Christianam religionem conversio, quamdiu hic obex ipsis ponitur. Tertiò, fieri non potest, ut non offendatur, imò alienissimus non reddatur ab Ecclesia vestra, infinitus Christianorum numerus, qui solius interdicti divini religione adducti, cultum imaginum idololatriam sibi esse persuadent: cùm ii qui eum urgent, ex præcepto divino eum non credant necessarium esse, nihilominus tamen, quanta possunt vi eum, tanquam necessarium, conscientiis imperent. Quanta hæc mala atque incommoda sint, quis non videt? Rudi populo datur caussa manendi in profano suo stupore; Judæis in funesto ipsorum errore; Christianis in deplorando schismate; Piis omnibus in æterna remedii desperatione. Anne hisce tot tantisque incommodis una ista utilitas, quàm ex imaginum usu cultuque percipi vis, æquipolleat, nedum præponderet, te ipsum judicem poscere non dubito.

Quocirca, vir Clarissime, cum hæc ita se habeant, &c.

M. SIMONIS EPISCOPII

# LABYRINTHUS,

SIVE

# CIRCULUS PONTIFICIUS.

Versio ex Belgico.

## CAPUT I.

### De duobus hominum generibus, quibuscum frustra disputatur.

NUllus labor majore cum tædio & minore cum fructu suscipitur, quam disputatio instituta cum iis hominibus, qui aut melius discere nolunt, aut quasi volentes melius discere, & ad optimam maximeque perspicuam veritatem anhelantes; de nullis aliis rebus disputant quàm de iis, quæ ubi plenè discepratæ sunt, disceptantes æquè ac antea erant, incertos dimittunt, utrum vera & necessaria veritas inventa sit nec ne. Primi in ignorantia sua manere volunt: secundi, etiamsi deditâ operâ & deliberato consilio videri nolint ignorantiam amare, incerti tamen fluctuant de veritate; sæpè etiam tum cùm post multos & difficiles exantlatos labores, palmam in disputatione obtinuisse visi fuerint. Cum alterutro hominum genere disputare velle, tantundem est, ac si quis littus araret, aut aërem cæderet. Cum illis quidem, qui à semel susceptâ sententiâ ne latum quidem unguem recedere volunt, rationibus agere velle, perinde est ac si rationibus persuadere velis solem splendere, ei, qui ad solis lumen oculos claudit, & lucem videre renuit. Eorum verò gratiâ (qui istiusmodi quæstionibus semper inhærent, quæ ubi plenè excussæ sunt, nihilominus tamen conscientias de veritate principali non convincunt) multum operæ sumere, & disputando assiduè se fatigare, nihil aliud est, quam cribro aquam haurire. quod si ex aqua tollas, statim inane & humore quem affatim hausit vacuum apparet.

## CAPUT II.

### De isto Pontificiorum genere qui meliora edoceri nolunt.

INter plerosque Christianos, præsertim Pontificios, aut quo titulo nuncupari se amant, Catholicos, quando disputatio cum illis habetur, duo hæc hominum genera ordinariè occurrunt. Primum genus duplex est: quidam rotundè & plenis buccis affirmare non verentur, se meliora edoceri nolle, sed suæ sententiæ mordicus & præfractè inhærere velle; adeò ut etiamsi oculis suis viderent parietem album, nihilominus tamen Ecclesiæ suæ sic credenti & judicanti credere vellent eum nigrum esse; quoniam necessitate compulsi, ita sibi loquendum esse comperiunt. Quare etiamsi omnibus suis sensibus deprehendant, id est, videant, olfaciant, gustent, tangant, audiant panem in Eucharistia nil nisi panem esse, nihilominus tamen debent velle credere non esse panem; sed tantum accidens panis, quod non potest gustari, tangi aut odore percipi: non animadvertentes sese hac ratione compluribus causam præbere, de re qualibet dubitandi, adeoque in dubium vocandi præcipuum totius Christianæ religionis fundamentum, id est veritatem resurrectionis Jesu Christi ex mortuis, quæ nititur hoc fundamento, quod Apostoli & discipuli Jesu Christi, interque hos Thomas, alioqui minimè credulus, Christum Jesum omnibus suis sensibus perceperint, viderint, contrectaverint, audiverint, & cominus conspexerint; existimantes illud ipsum sibi totique mundo debere esse irrefragabile argumentum credendi Christum non specie tenus aut apparenter, sed revera in proprio suo corpore ex mortuis resurrexisse. Atque illi quidem hoc ipsum vocant credere illis quæ non vident; qui tamen planè contrarium hîc faciunt, dum non credunt id ipsum, quod vident, tangunt, odorantur, audiunt, gustant. Qui non videt hanc esse magnam erroris efficaciam, is nihil prorsus videt: quod si Thomas hanc regulam fuisset secutus, pari jure credere potuisset Christum ipsum non fuisse, quem coram intuebatur, cujus lateri manum, & clavorum vestigiis digitum suum inserebat.

## CAPUT III.

### De Pontificiorum nonnullis, qui adeò pertinaciter suæ opinioni adhærent ut rationi nulli dent locum.

SUnt alii, qui videntur non deditâ operâ velle, aut rotundè & apertè profiteri audere, se melius edoceri nolle; imò qui contrà protestantur, judicantes illud nimis crassè aut rusticè dictum; & nihilominus tamen non obscurè indicant, cùm suas copias in arctum redactas vident, se nec posse nec debere meliori sententiæ cedere; multò minus ab iis quos Ecclesia sua pro hæreticis habet, ullam institutionem admittere; ac quamvis ita se sentiant constrictos, ut nullam fidei aut opinionis suæ rationem reddere valeant, nec ex S. Scripturis, nec ex Conciliis, nec ex Patribus, rationesque suas adeo solidè & nervosè refutatas, ut quasi manibus palpare possint, suas in contrarium exceptiones nullius momenti aut ponderis esse, adeò tamen obstirmato animo sua defendunt, ut potius sibi ipsis persuadere velint, rationes istas, etiamsi solidæ, & planè Achilleæ videantur, vitro fragiliores esse, & tantùm rationis specie fallere, quas alii, peritiores ipsis, facilè & nullo negotio solvant, & sic illas præconcepta opinione excæcati, tum amore & reverentia matris suæ Ecclesiæ adducti, pro meris habent sophismatis; ita quidem confitentes ex una parte infirmitatem suam, ex alterâ verò ostendentes singularem in fide Ecclesiæ suæ constantiam, sive pertinaciam; non obstantibus contrariis rationibus, quæ ipsorum animos premunt & impellunt ad dubitandum de præcedente sua fide, imò ad contrarium credendum. Facilè animadvertere est duo hæc hominum genera veritatem non quærere pio & probo animo; sed tantùm vanam gloriationem, & victoriæ quocunque modo partæ laudem aucupari; existimantes semper se sufficientes gloriandi causas habere, dummodo affirmare audeant sibi non satisfactum. Ita rem se habere, quotidiana docet experientia. Neque mirandum: primus & præcipuus Pontificiorum articulus hic est, *Ecclesiam suam non posse errare*; consequenter de omnibus aliis cætibus, qui ab Ecclesia sua dissident, statuendum quod errent, & quamdiu in errore suo perseverant, æterno exitio, & damnationi obnoxii sint. Cui hoc fundamentum fixum penitus atque immotum non sedet, verus Pontificius esse nequit: at si quis illud mordicus tenet, palàm profitetur se nolle meliora edoceri, etiamsi de errore suo convictus fuerit, aut si studium aliquod discendi præ se fert, tamen toto corpore atque omnibus viribus sententiam suam defendit; etiamsi veritas, adeò clarè & dilucidè ei proponatur, ac Solis radii esse olim, quum sudum est, solent. Hoc fundamento posito, necessariò sequitur, cum vero Pontificio frustrà & in infinitum disputari, nec sperari posse, ut talis à proposito dimoveatur, aut rationibus in rectam viam revocetur. Adde quod verus Papista, sicut inidoneum se reddit veritati amplectendæ, agnoscendoque errori suo, ita temerè conjicit se in labyrinthum inextricabilium absurditatum, unde planè extricare se nequeat, ut frequenter iis usu venit, qui veritatis amorem non admiserunt, ut salvi fierent, ut Paulus docet 2 *ad Thess.* II. *vers.* 10. Atque hoc luce meridiana clarius apparet, quando cum ipsis disputatio instituitur, de quocunque etiam Christianæ religionis articulo, neque necesse est id multis probare.

CA-

## CAPUT IV.

### Pontificios non posse ostendere, quænam illa Ecclesia sit, quæ errare non potest.

HIc præcipuus & fundamentalis articulus, quem semper in ore habent, & quo præcipuè nituntur: *Ecclesiam Romanam errare non posse*, labyrinthus est, unde expedire se non possunt. Nam primò dicere nequeunt aut intelligibiliter satis explicare, quænam illa sit Ecclesia, quam errare non posse credunt. Secundò impossibile ipsis est argumentum aliquod apodicticum seu demonstrativum proferre, quo sibi, aut ulli alii homini à partium studio alieno, persuadeant (non dico Romanam) sed Ecclesiam errare non posse. Hæc duo sic evinco: Quod ad primum membrum, sic interrogo Pontificium; Cum dicis Ecclesiam vel Romanam Ecclesiam errare non posse, quid tum intelligis per Ecclesiam? Num Christianos in genere, qui Jesum Christum habent pro Salvatore suo, & se sanctis ejus præceptis subjiciunt, ut ne unus quidem eorum errare possit? Negabit id dubiò procul. Singuli enim eorum seorsim, imò omnes simul junctim considerati, errare possunt; omnes enim sunt membra unius corporis, quod caput visibile habere debet, à quo omnes vitam spiritualem, sensus & affectus sanctos accipere debent. Fac ita esse, quid ergo? An Cardinales, Archiepiscopos, Presbyteros & Doctores Ecclesiam esse arbitraris? negabit denuo: quum omnes & singuli errare possint, eandem ob causam quam jam indicavimus. An ergo per Ecclesiam intelligis Concilium generale, constans ex omnibus Cardinalibus, Episcopis & Doctoribus, velut totam Christianorum multitudinem repræsentantibus, cujus istud Concilium caput est? affirmabit. Sed dato hoc, quamvis nullâ nitatur ratione; Quæram ego ulterius, An ergo credis istud Concilium ut caput Ecclesiæ errare non posse, quomodocunque congregatum, & quicquid in eo decretum fuerit? Nequaquam, inquiet: legitimè debet convocatum esse. Per quem, inquam ego? per Pontificem Romanum, inquiet ille. Esto hoc, quamvis à ratione sit alienum, & sine fundamento, imò contra primorum generalium Conciliorum praxin statuatur. An istud Concilium eo modo convocatum Ecclesia illa est, quæ in decretis statutisque suis errare non potest? an ibi est caput istud Ecclesiæ, in quod nullus cadit error? Hîc nonnihil hærebit. Sic enim pergam quærere. Fac Concilium istud decernere quidpiam absque consensu, imò contra sententiam ac dignitatem ipsius Pontificis Romani, an in eo errare non poterit? Hîc omnino hæreat necesse est. Notum enim est, non tantùm varia antiqua Concilia, tum particularia, tum generalia, decreta fecisse contra sententiam ejus, & quæ Pontificis Romani dignitatem minuebant; ut patet ex multis Conciliis Africanis, quarto item generali Concilio Chalcedonensi, aliisque multis. Quin & illud constat generale Concilium Constantiense (habitum anno MCCCCXIV, & convocatum per Pontificem Romanum Joannem XXIII. vel ut alii XXIV. cui plus quàm mille Romanæ Ecclesiæ addicti Patres, interque hos plus quàm trecenti Episcopi interfuere,) unanimi consensu decrevisse, *Concilium esse supra Pontificem*; ac proinde penes Concilium potestatem esse Pontifices ex albo Ecclesiæ expungendi ac exauthorandi, sicut ab eodem Concilio exauthoritati fuerunt tres Pontifices, qui tunc Pontificatu fungebantur, & inter hos ipse Pontifex Joannes, qui Concilium istud convocaverat, idque ob quinquaginta quatuor, aut secundum alios, unum & septuaginta nefaria crimina; inter quæ hæc duo erant; primò quod palam animarum immortalitatem negasset, ratus homines bestiarum instar mori; cui & hoc secundum superaddidit; quod nec Paradisum, nec gehennam esse asseveraret, uti liquet ex Sessione XI. Alterutrum hîc ut dicat Pontificius necesse est; Aut tale Concilium generale, esse Ecclesiam errare nesciam; etiam tum, cum contra Pontificem, & in præjudicium celsitudinis ejus aliquid statuit; ut factum est in hoc Concilio; Aut tale Concilium non esse veram Ecclesiam, ac proinde erroris capacem. Si prius dicat, se ipsum nodo Gordio involutum comperiet; ac præterea adversabitur maximæ parti Pontificiorum Doctorum, & præcipue Jesuitis, non tantum Pontificem supra Concilium esse asserentibus, sed & statuentibus Concilium istud Constantiense istac in parte reprobandum, in qua Pontificem Concilio inferiorem esse decrevit, ut ex Cardinali Bellarmino, & aliis liquet: quin imò disertè confiteri cogetur Pontificem Romanum non esse summum caput omnium Ecclesiarum, qui in Petri jus, & potestatem successerit; & per consequens Pontificem Romanum in fide errare, & à vero discedere posse. Si dicat posterius, in novum labyrinthum incidit; tum enim non modò Conciliis, sed & multis ac variis tum Ecclesiis, tum Doctoribus Pontificiis contradicit; ac nominatim vetustissimæ in Gallia Scholæ Sorbonicæ, quæ à nonnullis prima Ecclesiæ filia dicitur, quæ decretum istud Concilii Constantiensis, cum maxima parte Ecclesiarum Gallicarum defendit, atque approbat. Fac tamen eum ista in re nullam difficultatem reperire, in eo tamen hæret, quod etiam tum ignoret, & indicare nequeat Ecclesiam illam, quam errare non posse asserit. Etenim, si generale Concilium non sit Ecclesia, aut si id errare possit, & erret, cum contra Pontificem, aut sine approbatione ejus aliquid statuit, cedô quid illud est, quod Ecclesiam constituit errori non obnoxiam? Forsan inquiet Concilium esse Ecclesiam, quando consentit cum Pontifice aut ab eodem confirmatur. Hîc denuò novus labyrinthus est. Fieri enim potest, & sæpissimè factum est, ut maxima pars Concilii Pontifici non suffragaretur. Pone igitur maximam Concilii partem sentire, & aliquid decernere, quod improbat Pontifex; aut Pontificem minori parti assentiri? Quænam pars hoc casu Ecclesiam constituit? Non maxima; nam ea adversatur Pontifici. An igitur minima pars Ecclesiam constituit? Quæ ratio? Quæ veri species? An solum quia Pontifex ei adest? Ergo Pontifex est Ecclesia; Nam si isti pauci constituant Ecclesiam, quia Pontifex stat ab illorum parte; ergo si tantùm duo essent, qui sentirent contra alios mille, illi duo cum Pontifice Ecclesiam constituerent; & quid duos dico? etiamsi unus modo, imò nullus esset, res tamen eodem recideret, solus Pontifex tandem prora & puppis esset, & tota Ecclesia, quæ errare non potest; etiamsi vel pessimus nebulo sit; quinimò non modò hæreticus, sed & Atheus, qui immortalitatem animarum, gehennam & cœlum negat; prout Pontifex ille Joannes XXIII, de quo jam diximus, negavit: quam ob causam exauthoratus est à Concilio Constantiensi, tam acri sententiâ, ut etiam nunquam pro Pontifice imposterum habendus esset: ut constat ex Sessione XI. & XII.

## CAPUT V.

### Quod nemo quæstionem hanc legitimè decidere possit.

ECce quam intricato atque inextricabili in labyrintho hæreat Papista, quod attinet ad primum & præcipuum fundamentum religionis suæ, quod nempe in hunc usque diem dicere nequeat, quænam sit ista Ecclesia, quæ errare non potest, aut quodnam sit caput illud Ecclesiæ errori non obnoxium, nisi multis & variis Ecclesiis Catholicis & Doctoribus contradicat; nec ullam mens humana rationem excogitare potest, qua ex hoc errorum labyrintho in viam reducatur. Quis enim hoc sine errore statuet aut decidet? Aut enim Pontifex, aut Concilium, disjunctim aut conjunctim quæstionem illam dirimet. Disjunctim fieri id non potest, quia neuter illorum hanc potest litem tollere. Quamdiu enim non constat uter sit Ecclesia vera, quæ errare non potest, neuter quæstionem hanc, judicio peremptorio, & infallibili decidere potest: & si alteruter sibi hoc jus adscriberet, id meritò adversæ parti suspectum esset: Neque revera se ipsum in re propriâ judicem constitueret. Conjunctim itidem non possunt de hâc quæstione constituere. Nam si alteruter, jus suum tradat alteri, non tantùm indignum committet facinus (Jus enim supremæ potestatis in Ecclesiam, nefas est alteri tradere: cui id jus competit, is idem ut tueatur necesse est.) sed & contraveniet omnibus decretis aliorum Conciliorum, in quibus aut Concilium supra Pontificem, aut Pontifex supra Concilium esse statuitur. Et posito, quod hoc fiat, inde tamen sequetur, Ecclesiam Romanam, per tantum temporis spacium, aut errasse, in tam fundamentali articulo; aut incertam, & dubiam hæsisse, ignaram quid de hac quæstione statuendum esset. Fundi expers abyssus est, cui hactenus immersa fuit Ecclesia Romana, nec non omnes ii qui illam, unicam Ecclesiam esse arbitrantur, in quâ solâ, salus & potest, & debet obtineri. Prodeat ex illis aliquis, qui hinc cum veri specie, & solidis rationibus, extricare se valeat.

## CAPUT VI.

### Quod Papista demonstrare non possit, 1. ex Scriptura Sacra, caput Ecclesiæ suæ errare non posse.

VErum enim verò ponamus, Papistam posse caput Ecclesiæ suæ assignare, (quod tamen, ut jam probatum

est, non potest) quo quæso argumento, & seipsum, & alios certos reddet, Caput istud non posse errare? Quamcunque viam iniverit, hoc demonstraturus, videbit se in alium, multo intricatiorem labyrinthum incidere. Etenim, ut certus fiat, Caput istud errare non posse, necesse est, ut aut id simpliciter, & sine ratione credere velit, aut ex Sacrâ Scripturâ, aut ex Patribus demonstrare, aut rationibus probare adlaboret. Si id simpliciter credere & sibi persuadere, idemque ab aliis credi velit; jam omnis disputatio supervacanea erit: ac si alter contra, idem nolit credere, tum æquales erunt, & utrique, in labyrintho stultæ & carnalis voluntatis suæ, hærere pergent. Ut ut est, fides ejus non est fides, quæ errare nequeat; & per consequens, non potest isti certo inniti. Si hoc asserere adnitatur ex Scriptura, multò magis se ipsum intricat. Nam primò, non potest sciri, secundùm ipsius sententiam, Scripturam esse verbum Dei, nisi vera Ecclesia, nos prius de eo, certos reddat. Hoc si verum sit, prout credit, & secundùm regulas Ecclesiæ suæ, credere tenetur, non potest ex Scripturâ argumenta desumere, quibus veram Ecclesiam errare non posse adstruat; aut quibus probet, Ecclesiam suam esse veram illam Ecclesiam, quæ errare nescit. Secundò, pone quod concedatur etiam illi, ut ex Scriptura rationes suas adferat, tum multò magis intricatum se comperiet. Statim enim orietur quæstio de vero sensu Scripturæ. Motam autem quæstionem, an nempe in Scripturâ contineatur, Ecclesiam errare non posse, quis judicio infallibili decidet? An ipsius Ecclesia? Hoc neutiquam potest fieri, quia quæstio est de sensu Scripturæ, an nimirum Scriptura, hoc jus, cum authoritate, & infallibilitate judicandi Ecclesiæ tribuat. Sed tertiò: posito etiam Scripturam hoc jus veræ Ecclesiæ tribuere, (quod non tribuit) manebit tamen quæstio, quænam sit Ecclesia illa, quæ est vera Ecclesia, & cui hoc jus in Scriptura tribuitur. Penes quam autem Ecclesiam erit hanc quæstionem infallibiliter decidendi potestas? An penes Romanam? At de eâ non minus quàm de aliis movetur quæstio; præterea non potest in re propriâ ferre judicium, magis quàm alia Ecclesia de suâ. Si annitatur id rationibus astruere, extra oleas vagabitur, quia illæ rationes extra Scripturam sunt, & nos hîc de Scripturâ agimus. Sed posito, rationes opponi rationibus; jam nova inde resultabit quæstio, quænam rationes prævaleant, aut infallibiles sint, quibus certi possumus fieri. Rationem à successione ductam huc non pertinere postea demonstrabimus. Hinc, ut Papista emergat, neutiquam possibile est.

## CAPUT VII.

### Quod hoc ipsum nequeat 2. ex Patribus demonstrare.

SI hoc ex Patrum scriptis probare vult, in eundem & quidem intricatiorem labyrinthum incidit. In eundem, inquam. Statim enim erit quæstio, unde constet scriptis Patrum competere jus, ut ex iis peti debeat decisio hujus & reliquarum controversiarum in religionis negotio. Intricatiorem etiam dico. Primùm enim quæretur, quinam Patres & quæ scripta intelligantur? Si hæc aut illa dicant, secundò quæretur, quare illa magis quàm alia, & cur non omnia? Qui enim istud discrimen ponit inter scripta Patrum, ille hoc ipso suo facto decisionem facit. Et cujus erit hanc decisionem facere? Præterea pone, de quibusdam non moveri litem, tertiò tamen manebit quæstio, an ista scripta, quæ adscribuntur Patribus, illorum scripta sint, quorum nomina præ se ferunt? an non tractu temporis per incuriam, per dolum & fraudem vitiata & depravata sint? an non supposititiis aliorum Scriptorum libris suffarcinata, prout hodie quidem factum videmus in scriptis Tertulliani, Justini, Hieronymi, Augustini, Chrysostomi, &c. Quis genuinos à suppositititiis & adulterinis dijudicabit? Ad id requiritur linguarum peritia, continua lectio, acutum judicium & accurata verborum ac phrasiologiæ Patrum trutina. Sed posito etiam de his nullam moveri litem; tum quartò erit quæstio, an omnia illa, quæ Parres crediderunt & scripserunt, tanquam vera credenda & admitteuda sint. Si neges; quæram quintò cur unum magis quàm alterum? Si dicas, quia in eo cum omnibus convenerunt, jam hæ enascentur quæstiones. Prima, quare omnia illa, in quibus inter se convenerunt, ab Ecclesia Romana pro indubiis ac certis non habeantur? Secunda, quænam sint illa, de quibus convenit inter illos, & quæ amplectenda sunt? Hoc ut scias, omnium Patrum scripta à capite usque ad calcem, Græca & Latina attentissimè pervolvenda erunt, ad quod annorum aliquot spacium requiritur. Et tertia, si hîc dubium aliquod incidat vel de sensu Scriptorum, prout de Scripturâ movetur dubium, vel de phrasibus & locutionum formulis, quibus suo tempore utebantur & jam longè aliter cum sumuntur tum intelliguntur: Quis dabitur exitus? Sed hoc misso, cùm Patres in eo inter se consentiant, ut nec sua nec ulla hominum scripta præter libros Canonicos erroris expertia æstimari velint; imo cum rotundè fateantur se posse errare, ac per consequens nolle, ut sua Scripta credantur errori non esse obnoxia, sed expresè velle ut ea ad Dei verbum probentur, cupientes ea rejici si cum verbo Dei non conveniant: Quid tum fiet? Quænam ex illorum scriptis contra errores certitudo haberi potest? Nulla omnino. Imò, si iis in istum utamur finem, ut inde certi reddamur in fide, utimur iis contra intentionem Patrum, adeoque contra disertam ac expressam protestationem & interdictum, in quo omnes Patres conveniunt.

## CAPUT VIII.

### Quod rationibus idem 3. probari non possit.

SI tandem rationibus thesin hanc suam firmare satagat; ex uno in alium incidit labyrinthum. Etenim primò quæ rationes apud ipsum valebunt, quibus nitatur? Cùm in præcipuo fidei suæ articulo non tantùm ad rationes non attendat; sed ne exterioribus quidem sensibus fidem adhibeat? An ulla solidior dari potest ratio ad aliquem convincendum, quàm illa quæ deducitur ab eo, quod propriis oculis videmus, quod sensibus benè se habentibus percipimus, & denique quod palpamus ac gustamus? Hæc tamen parvi facit verè Pontificius: Cum nec rationibus, nec propriis suis sensibus adduci se patitur, ut credat panem Eucharisticum, in Cœna Jesu Christi, essentialiter, & substantialiter panem esse: imò cùm vult pro indubitato credere unum idemque corpus simul in multis, nec non longè à se invicem distantibus locis esse, indivisum permanens non obstante eo, quod centum, imò mille, & si possibile esset, millies mille milliaria à seipso distet, ac separatum sit; unum idemque corpus eodem tempore hoc loco moveri posse, & alibi non moveri: unum idemque corpus sibi ipsi posse procedere obviam, & contrariis motibus eodem momento temporis moveri, id est, simul ab oriente in occidentem, & ab occidente in orientem, sursum & deorsum, antrorsum, & retrorsum: ut unum idemque corpus hîc ignis instar caleat & Romæ glaciei instar algeat, hîc vivum, Venetiis mortuum sit. Hæc qui credere vult, quæ è diametro ingenio humano, & rectæ rationi contraria sunt, quibus ille rationibus aut audebit, aut poterit sibi aut aliis quippiam persuadere? Qui tam claram veritatem in dubium vocare, & contrarium præfractè credere non erubescunt, & ut ita dicam, sponte glaucoma oculis suis quo minus videant objiciunt, apud illos, inquam, rationes calculorum instar sunt, qui tantum valent, quantum illos valere cupiunt.

Sed esto, utantur rationibus. Quas quæso hîc in medium proferent? An illas ex Scriptura desument? At tum manebunt eædem difficultates, quas jam enumeravimus. An erunt rationes non desumptæ ex sacris literis? At illæ aliis rationibus facillimè & non sine justâ causâ in dubium vocari poterunt. Si enim Ecclesia errare non possit, hoc necessario à voluntate & decreto Dei proficisci debet. Si Deus enim non velit Ecclesiam extra omne erroris periculum esse, quæ dabitur ratio irrefragabiliter probans, Ecclesiam errare non posse? Jam voluntas & decretum Dei non potest extra Scripturam intelligi, multò minùs ex humano ingenio, & ratiocinatione depromi. Ex quo sequitur absurdissimum esse, rationibus, quæ in dubium vocari possunt, rem aliquam defendere, quæ jam antea procul omni dubio, & sine controversia credi debet, à pura puta libera voluntate & decreto Dei dependere.

Ex his manifestum est quàm intricato, & inexplicabili circulo oberrent Pontificii, respectu fundamentalis articuli fidei suæ, cùm nihil aliud credere volunt, quàm quod credit Ecclesia sua; imò certò designare nequeunt quid propriè Ecclesia, aut quis caput sit Ecclesiæ suæ; & quamvis id designare possent (sicuti non possunt) tamen impossibile esset iis probare Ecclesiam, multo minus Ecclesiam suam, errare non posse.

Et hactenus de primo genere Pontificiorum, cum quibus disputationem semper frustra institui, diximus.

CA-

## CAPUT IX.

### Controversiam successionis esse inutilem, & nullum habere exitum.

SEcundum genus illorum est, qui de istis quæstionibus semper disputare gestiunt, quæ licèt ad accuratam veritatis trutinam sint expensæ, conscientias tamen hominum nec certas reddunt, nec veritatis, præcipuè creditu necessariæ convincunt.

Hi sunt quibus nunquam non in ore est antiquitas & successio tum doctrinæ, tum Ecclesiæ suæ: pro certò habentes se palmam tulisse, ac victoriam consecutos, si de ea detur gloriari. Hanc ut versum Catholicorum intercalarem resonant. Et quod summa dignum est admiratione, hujus præcones & ostentatores præcipui etiam illi sunt, qui forsàn ne unquam quidem perlustrarunt libros & historias eorum, ex quibus ista antiquitas & continua successio haurienda & adstruenda est; aut si perlustrarunt, nequaquam tamen idonei sunt, qui istos sine affectu aut præjudicio pervolvant, utpote soliti, aut stolidè credere per Procuratorem, cui sibi persuadere volunt rem optimè cognitam esse, licèt is aliquando omni rerum cognitione destitutus sit; aut omnia verba ac syllabas, quas intentioni ac scopo suo quodammodo inservire arbitrantur, stolidè atque sine judicio arripere.

Quàm tædiosum sit cum talibus in arenam disputationis descendere, nemo non facilè percipit. Quis enim non videt quantæ molis sit istas quæstiones exhaurire, quæ ex sæculorum memoria, tamque variis historiis & libris demonstrandæ sunt; & solidis rationibus demonstratæ, adeò ut omni ulteriori instantiæ aditus præcludatur, nullum in adversæ partis animis fructum gignunt. Quare qui talibus populum obtundunt, quid aliud efficiunt, quàm ut illum inextricabili labyrintho involvant, quo imperita turba, aut desperet de felici exitu, aut si spes ulla affulgeat, nihilominus incerta in eodem luto hærere non desinat, utpote obtusa, ac nimio investigandi labore stupefacta? Non potest non hic effectus inde resultare. Hæc nimirum expeditissima via est, qua quis dominari possit in conscientias hominum simplicium, iisque nodo Gordio involutis quidlibet persuadere. Sed utraque hæc paulò clarius ob oculos ponamus. Primum sic adstruo.

Nemo inficiari poterit, ad antiquitatem non modo Ecclesiæ, sed & continuæ ac non interruptæ successionis Episcoporum in Ecclesia asserendum, necessariò requiri, primò certam, indubiam, & accuratam Authorum tum Græcorum, tum Latinorum omniumque historiarum, quæ de hac re scriptæ sunt, cognitionem: & secundò, cognitioni huic accedere debere bonum atque perspicax judicium, quo genuinos à suppositititiis & adulterinis libris; veras historias ab infarcinatis & intercalatis; partium studio, ex affectu, & præconcepta opinatione contextas, ab iis exactè discernat, quas studio & præjudicio vacui congessere; quò repugnantias conciliet, & defectus fideliter suppleat. Quantum laboris, molestiæ, temporisque id requirat, nullus non videt: etiam inter doctissimos toto hoc mille & sexcentorum annorum spatio, hactenus nullus extitit, qui id præstare potuerit. Primus illorum ne quæri quidem, nedum inveniri potest. An igitur indocta atque imperita plebs, uni Scripturarum libro pervolvendo impar habita, tanto operi sustinendo sufficiet, ut omnes historias accuratè inquirat, quibus vel integra horrea repleri, ac naves onerari possent? Laici ergo in Papatu, qui Scripturam sacram seponentes, nunquam non de vetustate, & successione verba faciunt, satis stupidum ac stolidum animum suum produnt; quia nihilo plus, imò multò forsàn minus de vera Antiquitate & successione, quàm de sacra Scriptura noscunt, utpote utriusque æquè imperiti.

Verum quidem est, facilè contexi posse catalogum ac indicem Episcoporum, in quo series & ordo quo invicem sibi successerunt, descriptus sit. Verum id nihil ad rem. Idem enim Græcæ, Æthiopicæ, & aliæ Ecclesiæ faciunt. Constantinopolitana id præstat, inquit Bellarminus, à temporibus Cæsaris Constantini, serie non interrupta, ut & Nicephorus, qui Episcoporum nomina, vel ab ipsis Andreæ Apostoli temporibus deducit. Et tamen negat Bellarminus omnesque cum eo Papistæ, Græcos jure sibi successionem adscribere posse. Non igitur sufficit personarum successio, sed requiritur insuper ut sit legitima & talis, ut inter Episcopos qui sibi succedere nullus hæreticus, atheus, vel apostata exstiterit. Primò requiritur ut sit legitima, nam ut Papale decretum habet Dist. 79. *Si quis pecunia, vel gratia humana, vel populari, vel militari tumultu, sine concordi & canonica electione, & Cardinalium & sequentium Clericorum fuerit Apostolicæ Sedi inthronizatus, non Apostolicus sed Apostaticus habeatur.* Secundò requiritur, ut nullus inter Episcopos sibi invicem succedentes fuerit hæreticus: nam ista de causa, ut Cardinalis Bellarminus, aliique Doctores Pontificii adserunt, successio Episcoporum Constantinopolitanorum non est censenda legitima, quia in illorum numero hæretici fuere, lib. IV. de Notis Ecclesiæ, cap. 8. Qui igitur ritè de successione Romanorum Episcoporum judicabit, utraque hæc ut certissimè sciat necesse est, etiam secùndum ipsorum Pontificiorum Canones. At hoc quomodo possibile est? Quis indubitatò scire poterit, an omnes Episcopi legitimè Episcopatum adsequuti sint? num qui eorum Simonia, id est, pecunia ac donis (quod Simon Magus cupiebat facere) an vi, artibus, & technis, factionibus ac ambitu successionis dignitatem adepti sint? Tum si quis historias legendi cupidus comperiat, ipsos etiam Pontificiis addictissimos Scriptores, manifestè ac rotundè fateri, non modò unum aut alterum, sed multos varioscque Episcopos Romanos, ad Pontificiam dignitatem ascendisse, qui manifestæ hæreseos damnati pro impiis nebulonibus, atheis, schismaticis, ganeonibus ac lenonibus habiti sunt, qui per dona ac munera, per vim factionesque sine præcedente electione, aut consequente approbatione Cleri, per fœdas machinationes ac dolos semet ipsos intruserunt, aut per scorta, & meretrices suas ad successionem pervenerunt: Quis, quæso, se ipsum ex hoc dubiorum labyrintho extricabit? Si dicas optimis, fidissimisque historicis fidem hac in re habendam esse; in novum incidis labyrinthum. Quæro enim, quinam illi sint? & unde dignoscendi? Cur Pontificiis Scriptoribus fidem derogabit? Non enim dici possunt hæretici, aut Ecclesiæ Romanæ infesti, quia ipsi Romanæ Ecclesiæ addictissimi, ac nonnulli eorum summi adulatores assentatoresque Paparum, dignitatisque Pontificiæ fuere. Cogitur ergo credere, rei ipsius veritate Scriptores istos impulsos ac coactos, ut ista scriberent. Et fac illos non fuisse Scriptores Pontificios; quæ ratio, illis ut non fidis Scriptoribus, magis quàm aliis Papæ ejusque dignitatis fautoribus, fidem denegandam esse suadebit? Non minus amicitia Scriptorem à vero scribendo retinere potest, quàm inimicitia. Veritatem memoriæ profuturo sine omni affectu scribendum est. Et qua ratione solidâ ac mentem convincente nobis persuadebimus, scriptorem quendam talem fuisse, præcipuè si cum eo non eodem sæculo eodemque tempore vivamus? Hæc qui sine præconceptâ opinatione considerat, adduci debet ut credat, eos qui semper hac antiquitate & successione se tutari nituntur, seipsos involvere labyrintho, cui facilè intricari sed vix ac ne vix quidem extricari quis potest.

## CAPUT X.

### Veritatem omni Antiquitati & Successioni præferendam esse.

SEd posito aliquem Antiquitatem & Successionem hanc adstruere posse. Quid inde quod ad præcipuum rei caput attinet evincetur? Nihil omnino. Nam probata jam antiquitate, & personarum successione; manebit tamen de veritate quæstio. Si Antiquitas & Successio cum veritate conjunctæ non sint, quid quæso probandæ huic rei faciunt? Antiquitas non est causa veritatis, multò minus successio. Et si antiquitas ac successio necessariò cum veritate conjungi debent, antè omnia ac præcipuè veritas scienda est, quæ quamdiu ignoratur, tam diu homo suspensus hæret. Haud aliter, quam si quis pecuniam invenerit, quam certo sciat ante multa sæcula cusam, incertus tamen hæreat, an pecunia illa ex bona materia conflata sit, nec ne. Toto cœlo antiquitas distat à bonitate: nec nequam ideo desinit esse nequam, quia annosus est. Non quælibet diuturna consuetudo bona est. Atque hæc causa est, cur Patres de vera antiquitate & successione differentes, præcipuè attendi volunt ad eam successionem, quæ cum genuina doctrina & veritate conjuncta est; præterquam ubi cum iis res est, qui Scripturam aut ex parte, aut in totum rejiciunt. Τὸμὲν γὰρ ὁμόφυλον. ϵ ὁμόθρονον. τόδὲ ἀνεπίδεκτον καὶ ἀνεπίθρονον, καὶ ἡμῖν εὐφημηθείσαν, ἢ δὲ ἀλλοτριωτάτην ἴσχυε λαβεῖν, inquit Gregorius Nazianzenus. Qui Petri fidem non habet, is nihil à Petro hæreditario jure obtinet, ac frustra gloriatur de Petri successione, ait Ambrosius.

Hæc res tam est perspicua, ut doctissimus etiam Jesuita & Cardinalis Bellarminus, idem probet, utrumque hoc agnoscens, 1. Argumentum de successione à suis non adduci ad probandum eam Ecclesiam penes quam est successio, ea de causa veram Ecclesiam censendam esse, sed tantùm ad probandum non esse Ecclesiam, ubi non est successio. Et

2. Græcæ, aut saltem Constantinopolitanæ, imò omnibus Patriarchicis Ecclesiis, vetustatem & continuam successionem nihil prodesse, ad probandum se veram Ecclesiam esse quia inter illos nonnunquam hæretici Episcopi fuere, quorum proinde filum successionis interruptum atque intercisum sit. Ex hoc evidentissimè sequitur successione jam adstructâ, manere tamen principalem quæstionem de veritate. Etenim si probatâ successione colligi & concludi infallibiliter nequit, eam Ecclesiam esse veram Ecclesiam, penes quam est successio ista; etsi præterea constare debeat nullas hæreses, aut hæreticos Episcopos successionem interrupisse; ipsa ratio dictat, frustra, aut saltem sine magno fructu successionem adstrui, nisi de veritate penitus simus edocti. Ignoto enim vero impossibile est scire, an quid hæresin sapiat nec ne.

At quis verum nobis demonstrabit? Quisve de eo plenissimè nos certos reddet? An vera Ecclesia? At ubi, & quænam est illa? Fieri id nequit. Probata enim personarum successione nondum certum atque indubium est, Ecclesiam illam penes quam est successio, veritatem pro se habere, aut ab hæresi semper liberam fuisse, ac per consequens jus aut potestatem ei competere veram Ecclesiam demonstrandi. Quænam igitur erit Ecclesia, quæ nobis infallibiliter monstrabit ac dicet, hoc verum, illud contra hæreticum esse? Ecclesia enim successione destituta, id, secundùm Jesuitas, præstare nequit, nec Ecclesia, penes quam est successio, ut ex præcedentibus fundamentis liquet. Quid ergo? Quis exitus? Impossibile est Papistæ hunc nodum solvere. Cui hoc super addo; Pone nullos Episcopos hæreticos succedentium numero interveniisse, sed tales qui, ut diximus, vi, factione, & populari tumultu, donis ac muneribus Apostolicæ sedi se intruserint, cedo, ubi erit successio? An vero credendum est cum nefariis istis criminibus sanctam & salutarem veritatem melius consistere posse, quàm cum hæresi aut errore? Quin imò, si præterea in historiis reperiatur uno tempore, & quidem per quinquaginta, aut octoginta annos continuos, duos vel tres Pontifices fuisse, quorum alter alterum ex albo Christianorum expunxit, hæreticum & Antichristum per convicium dixit, illegitimum Pontificem pronuntiavit, antecessori duos digitos ademit, corpora jam condita ex alvo terræ eduxit, eorumque cineres fœdè tractatos in Tiberim immisit, qui nonnunquam omnes tres simul ut falsi & illegitimi Pontifices, ut hæretici, & impii nebulones, universali Concilio condemnati, gradu moti, ac è Christianorum numero exemti sunt, à quibus tamen multi Episcopi & Clerici ordinati sunt, quem reperiet modum successionis filum connectendi? Nam si dicatur, ex: gratia; Pontificem illum, qui temporibus Concilii Constantiensis communibus suffragiis surrogatus est in locum trium istorum Pontificum, ab eodem Concilio depositorum, pro vero Pontifice habendum, qui in locum ultimi legitimè defuncti Pontificis successit, Apostolica sede interim vacante, & per vim occupata; in novum labyrinthum incidet, quia multi Doctores Pontificii, ac nominatim Bellarminus, nec non omnes Jesuitæ statuunt & urgent, Concilium istud eatenus non esse pro legitimo censendum, quatenus decrevit Concilium esse supra Pontificem, quia vel à Pontifice, id est, impiissimo illo scurra & nebulone, Johanne vigesimo quarto, aut vigesimo tertio, qui id Concilium convocaverat, ac ejusdem sententia exauthoratus est, vel à Pontifice quem istud Concilium in ejus locum constituerat non fuit approbatum. Etenim si Concilium istud ea in re non sit pro legitimo habendum, quomodo ergo legitima successio adstruetur? An igitur Concilium istud hac in parte fuisset legitimum, si ille nebulo ac scurra idem approbasset? Hoc turpe dictu, & turpius multò est asserere, ea de causa Concilium hoc non fuisse legitimum, quia ab eo non est approbatum. An ergo legitimum fuisset, si succedens Papa idem approbasset? At nunc, scilicet, illegitimum erit, quia Papa per Concilium istud constitutus, de se suique similibus non dixit quod Concilio subjectus esset, sed contrà, Luciferi instar, se supra Concilium esse asseveravit. Prorsus tamen credibile est approbatum ab eo Concilii decretum, priusquam in Papam eligeretur. Quis hîc non circulum absurditatum conspicit? Ut ut sit, si Concilii non magis quàm Papæ valeat authoritas, non potuit Papam deponere, ac proinde impii isti nebulones Papæ inter legitimè succedentes Episcopos censendi sunt, successione continuâ per illorum hæresin, atheismum, simoniam, vim & scelera, non interrupta; aut si detur interruptio, jam nulla erit prorsus successio, eandem ob rationem, ob quam Bellarminus negat Græcorum successionem pro legitima habendam esse. Qui in his omnibus Pontificios totos hærere, ut in æterno errorum labyrintho non conspicit, næ is videns cæcutit. Quicquid enim sit de successione, manebit tamen semper de veritate quæstio. Quorsum ergo tam intricatum ingrediuntur labyrinthum, tantumque laborem subeunt successionis adstruendæ gratia? Alterutrum statui necesse est, aut veritatem sufficientem esse ad Ecclesiam veram constituendam, aut non. Si prius. Quorsum per ambages istas infinitas adstruitur successio? Si posterius. Quid prodest veritas, si veram Ecclesiam non constituat? Contra naturam & proprietatem veritatis est veram Ecclesiã non constituere, sive ii, qui docent veritatem, eam ex aliorum habeant traditione, sive non, aut saltem catalogum nesciant eorum, à quibus eam traditam habeant. Aurum erit aurum, quamvis per mille annos occultatum, ac in terra fuisset reconditum. Attamen, inquies, requiritur ut aliquis sit, qui me priusquam aurum cognoscam, edoceat illud aurum esse. At, inquam ego, an hoc præstabit Ecclesia? sed tum requiritur præterea aliquis, per quem certus fiam Ecclesiam istam quæ hoc aurum esse asserit, illud optimè cognitum habere, & in eo non posse errare. Quis ille erit? Hîc circulum faciunt Pontificii. Nos Scripturam veritatem esse asserimus, quòd concedit nobis Ecclesia Romana. Sed Ecclesiæ tamen est, inquit, dicere Scripturam veritatem esse. At, inquam ego, quis mihi dicet Ecclesiam hoc asserentem, verum dicere? Ex successione jus illud non habet, nisi liqueat eam à veritate nunquam defecisse. Hoc liquere non potest, nisi sciam quid sit veritas. Si ipsa Ecclesia hoc assumat, jam eandem nobis occinit cantilenam, atque ita Ecclesia simul actor erit, & judex idque in causa suâ propria: Hic nullus litigandi erit finis. Atque id est, quod Tertullianus sensit, in notissimo illo, ac omnium Pontificiorum ore trito loco, quem citant in omnibus scriptis, cum pessima sensus illius detorsione, in libro de Præscript. adversus hæreticos, cap. 32. ubi hunc in modum loquitur: *Cæterum si quæ* (hæreses) *audent se inserere ætati Apostolicæ, ut ideo videantur ab Apostolis traditæ, quia sub Apostolis fuerunt, possumus dicere:* id est ejusmodi casu exigere licet ab iis successionem de quâ gloriantur, dicentes: *Edant ergo origenes Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successionem ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus, aliquem ex Apostolis, aut Apostolicis virîs, qui tamen cum Apostolis perseverarint, auctorem, & antecessorem &c.* Et paulò post: *Confingant aliquid tale hæretici:* (quod notandum, tanquam, nostro proposito inserviens) *sed & si confinxerint, nihil promovebunt. Ipsa enim doctrina eorum cum Apostolicâ comparata, ex diversitate, & contrarietate suâ, pronunciabit, neque Apostoli alicujus auctorîs esse, neque Apostolici. Quia sicut Apostoli, non diversa inter se docuissent, ita & Apostolici, non contraria Apostolis edidissent, nisi illi, qui ab Apostolis desciverunt, & aliter prædicaverunt. Ad hanc itaque formam NB. provocabunt ab illis Ecclesiis, quæ licet nullum, ex Apostolis, vel Apostolicis virîs, auctorem suum proferant, ut multò posteriores, quæ denique quotidie instituuntur: tamen in eâdem fide conspirantes,* (nempe cum Apostolis, aut Apostolicis viris) *non minus Apostolicæ deputantur, pro consanguinitate doctrinæ:* Hoc est (secundum Tertulliani stylum) quia in doctrinâ cum Apostolis consentiunt. Hæc Tertulliani verba, quibus tam turpiter abutuntur, quæque tam violenter detorquent Pontificii, non obscurè confirmant id, quod dicimus. Tria enim dicit Tertullianus, Primò, illas Ecclesias, quæ veritatem habent, cum doctrina Apostolica convenientem, non minus esse Ecclesias Apostolicas quam alias, quamvis successionem suam exhibere nequeant, eam unam ob causam, quia veritatem pro se habent. Secundò, Ecclesias illas, quæ successionem, & originem suam, ab Apostolis deduci gloriantur, nec id demonstrare possunt, jure rejici, utpote falsum nobis obtrudentes. Et tertiò, illas Ecclesias, quæ successionem demonstrant, sive legitimè, sive illegitimè, pro veris Ecclesiis habendas non esse, nisi constet, doctrinam eorum, Apostolorum doctrinæ consentaneam esse. Quæ in ea conveniunt Ecclesiæ, eæ sunt Apostolicæ, etiamsi successione sint destitutæ. Hoc Sole meridiano clarius est. Idem & Augustinus asserit in illo loco, qui etiam tam infideliter, contra mentem Augustini solet adferri à Pontificiis, in libro suo, quem scripsit, adversus fundamentalem Epistolam Manichæi, cap. 4. Nam cùm dixit se adhærere Ecclesiæ Catholicæ, in quâ à sede Petri, usque ad seculum suum, successio Episcoporum, & Sacerdotum deducebatur, statim addit hæc verba, quæ omnino nostræ sententiæ consentanea sunt, *Apud vos* (inquit de Manichæis) *ubi nihil horum est, quod me inviret, ac teneat, sola personat veritatis pollicitatio, quæ quidem si tam manifesta monstratur, ut in dubium venire non possit, præponenda est omnibus illis rebus, quibus in Catholica teneor.* Quid Augustinus clarius dicere potuisset ad demonstrandum ac indicandum, nec antiquitatem nec successionem prodesse posse, ut quis ex labyrintho dubiorum de vera Ecclesia se eruat, sed solam veritatem id posse & debere præstare?

CA-

## CAPUT XI.

### Quænam origo sit Labyrinthi Pontificii.

AT, inquiet aliquis, hoc pacto res quidem intricatur, sed nulla ostenditur ratio nodum hunc Gordium solvendi. At, inquam ego, non adeò difficilis est hunc nodum solvendi ratio, si ad fontem, ipsamque originem ejus attendatur. Hinc enim oritur, quod in hac terrâ externam quietem ac pacem, nec non mollem ac delicatam religionem appetant, quam ut consequantur, judicem requirunt infallibilem in Ecclesia loquentem, qui omnes controversias cum anthoritate decidat, & cujus sententiæ ac judicio omnium hominum conscientiæ & linguæ obligentur, adeò ut ne contradicere quidem liceat, & si quis hujus judicio acquiescere renuat, eum vi subjiciendum esse sub pœna capitis ac summæ indignationis: Uno verbo, ex Ecclesia Christi mundanam politiam constituere conantur, eumque in finem laicos vel plebejos homines à S. Scripturæ lectione arcent, ne oriatur in Ecclesia confusio, & clericis ad eandem admissis, præcipiunt, ne Scripturam aliâ lege aut conditione legant, quàm intellecturi, & eam interpretaturi ex mente istius judicis, aut additâ distertâ cautione, se aliter intelligere nolle, quamvis aliter intelligant.

Hic fons & origo hujus mali est, huic quamdiu non occurritur, manebit errorum labytinthus. Fateor equidem prima fronte non adeò à ratione alienum videri, ut judex aliquis in Ecclesia constituatur, quia nullus alioquin quæstionum & litium circa religionem finis haberi potest; sed revera nil nisi illorum hominum inventum & institutum est, qui aut tyrannidem introducere conantur, imperii cupidi; aut propriæ commoditati student, utpote otii magis quam veritatis amantes: aut saltem, partim Ecclesiæ tranquillitatis studio, partim simplicitatis, pietatis & demissionis prætextu se tegunt. Res clara est. Etenim si Deus aut Dominus Jesus Christus, necessarium aut utile duxisset, ut talis judex loquens semper esset in Ecclesia, id etiam distertè indicassent; nec tantum id, sed & clarè, nec non palpabiliter quis & ubi ille judex semper futurus esset designassent, ne falleremur: & ita ad eum, tanquam ad asylum, confugeremus. Quin imò Christus hoc ante omnia & præcipuè curasset, atque Apostoli id præ omnibus fidei articulis ursissent, quia omnia eò necessariò debebant recidere. Per talem enim judicem omnia decidi & componi potuissent. Verum enimvero, quia nec Christus, nec Apostoli ejus hoc fecerunt, non potest non humanum inventum atque institutum esse, mundana atque externa tranquillitate & commoditate nixum, ac tyrannidem, nec non dominii usurpationem sapiens; nam talem judicem instinctu suo proprio instituere, res est nimiæ audaciæ, & summum crimen læsæ divinæ majestatis, aptaque nata totum mundum æternis erroribus & condemnationi mancipare.

Quod dicunt, Christum Petro tradidisse claves id leve nimis est, quàm ut ei totum hoc judicis officium superstruatur. Cùm enim hæc res, tam sit ardua, totiusque mundi interesit, etiam Christus, qui venit servatum mundum, declarasset, hunc esse verborum suorum sensum, inquiens, Cùm Petro hanc potestatem atque hoc jus concedo, excludi volo omnes reliquos Apostolos, & præterea illos, qui Petro, non Antiochiæ, aut Hierosolymis, sed tantùm Romæ succedunt, jus illud supremi judicii hæreditario jure assequi, & omnes Christianos, isti judici obstrictos fore, usque ad finem mundi, aut consummationem seculorum. Sic Christus rotunde, ac clarè, animi sui sensa protulisset: & sanè, quis aliud in re tam ardua, à Christo φιλανθρώπῳ expectasset? quamvis tota Scriptura, à capite ad calcem, nil nisi longe petita allegoria, & continua obscuritas fuisset, nihil nobis potuisset obesse, quia judex sensus illius notus esset; hoc unum, si clarum esset, atque indubium, facillime omnes alii, quantumvis in speciem difficiles, articuli intelligi possent.

## CAPUT XII.

### Privatim unicuique judicium de veritate ex verbo Dei competere.

JAm verò, quia videmus Dominum Jesum Christum, ejusque Apostolos, omnia Christiano creditu, speratu & factu necessaria, in sacris literis clarè, ac perspicue expressisse, easque ab omnibus salutis, viæque ad eam deducentis amantibus, omni diligentiâ pervolvi, & inquiri volunt, etiam cum accurato examine & exploratione rerum, ac spirituum omnium, an ex Deo sint, sub pœna æternæ condemnationis, & nullus usquam in eorum scriptis extet apiculus, de tali loquente judice infallibili, semper in Ecclesia extituro, multo minus ubi reperiendus sit; non possumus quin judicemus, eos qui talem in Ecclesiis judicem appetunt, longè aliis, quàm divinis considerationibus, moveri, seque ipsos reos facere summi peccati, & criminis, dominii nempe, & tyrannidis in verbum Dei, & conscientias hominum.

Quod in mundanis rebus judices constituantur, quorum judicio, ac sententiæ, acquiescendum est, longè alia ratio est. Isti enim judicio, non obstringuntur conscientiæ hominum, cuivis liberum est, de eorum sententiis, judiciis, ac decisionibus, pro libitu credere, ac judicare. Judicum judicium ore laudandum, non corde approbandum est. Sæpe etiam judicia & sententiæ, longo post tempore, per contraria judicia sententiasque annullantur, aut emendantur. Sed ubi de conscientiâ, de religione, de salute, de æterna vita, vel condemnatione æternâ agitur, ibi nullus debet esse judex, præter Deum, aut eum cui Deus illud jus distertè, & in terminis committit, ac tradit: ut summo jure dicere liceat, si Deus hoc jus Ecclesiæ Romanæ concesserit, est optima, imò unica Ecclesia; & contrà, si perspicuum non sit, Deum hoc jus ipsi concessisse, maximè abominanda, perniciosissima, & turpissima Ecclesia est, quæ in terra esse possit. At, inquies, quis ergo datur exitus? Hic, inquam, ut verbum Dei ab omnibus impunè & liberè legatur, ut nullius conscientia aliorum judicio obstringatur, ut alter alterum diligat, & optimis rationibus, ex verbo Dei, erudire annitatur, & ita expectemus tempus illud, quo Dominus Deus & Jesus Christus, unicus vivorum & mortuorum judex, vitæ & mortis sententiam feret. Hoc pacto conscientiæ erunt liberæ, Christiani omnes tranquilli & pacifici, & verbum Dei unica regula, & norma, omnium actionum humanarum.

FINIS.

M. SIMON.

M. SIMONIS EPISCOPII

# RESPONSIO

## Ad Dilemmata decem Pontificii alicujus Doctoris.

Versio ex Belgico.

### PRÆFATIO.

*Quandoquidem Reformati, sive Lutherani illi, sive Calvinistæ, sive Remonstrantes sint, uno omnes ore profitentur, S. Scripturam in rebus ad salutem necessariis, ita claram ac perspicuam esse, ut unusquisque pius ac probus, qui ipsius lectioni absque præjudicio & affectu incumbit, eam facili negotio intelligere queat, uti ex* Luthero in Præfatione Articulorum à Leone Pontifice damnatorum, Amesio contra Bellarminum de Perspicuitate Scripturæ Thes. 1. Festo Hommio in suis Thesibus 6. Disput. de Perspicuitate Scripturæ, nec non Remonstrantium Confessione *videre est, ubi* cap. 1. parag. 14. *In hæc verba loquuntur*; Ita ut omnes lectores, non docti tantùm, sed & idiotæ, omnia ad veram fidem ac pietatem pertinentia, non solùm quæ necessaria sunt, sed etiam sub ipsa necessitatis ratione, quod scilicet & quatenus necessaria sint, ex S. Scripturis abundè percipere possint. *Ita ut illi nec Traditiones admittant, nec Ecclesiasticam ullam infallibilitatem agnoscere velint, sive circa Scripturæ loca in quibus de rebus ad salutem necessariis agitur, cùm illa omnia ita perspicua sint ut Traditionibus aut Ecclesiæ infallibilitate ad ea explicandum, non indigeant; sive circa alios Fidei articulos, qui in Scripturis non ita expresse continentur; ita ut Scriptura unica controversiarum omnium Fidei & Morum regula ac norma esse debeat, uti ex* Luthero in Comment. ad Galat. cap. 1. Calvino, lib. IV. Instit. cap. 8. parag. 8. & Remonstrantium Confessione cap. 1. parag. 11, 12, 13. *patet; primum igitur quæsitum nostrum hoc esto.*

### Ad quæsitoris Præfationem Responsio.

Verum est nos Remonstrantes ita de S. Scripturis judicare, uti quæsitor in sua Præfatione indicat; nimirum *Sacram Scripturam perfectè ac perspicuè omnia illa continere quæ universis hominibus ad æternam salutem consequendam scitu, creditu, speratu ac factu necessaria sunt; adeo ut nulla Ecclesiastica Traditio ad ejus perfectionem, vel infallibilis expositio ad ejus perspicuitatem necessaria sit*; sed hæc sequentia probè animadvertenda sunt.

*Quid per necessaria ad salutem intelligatur.*

1. Cùm dicimus S. Scripturam perfectè & sufficienter omnia illa continere quæ ad salutem necessaria sunt, nos per *illa necessaria ad salutem* intelligere, omnia illa quæ *ubique, semper, & universis omnino hominibus, nemine excepto* scitu, creditu, speratu ac factu necessaria sunt ad salutem consequendam. Præter hæc enim alia etiam procul omni dubio necessaria multa sunt, uti quæ hos aut illos particulares homines, in hoc aut illo statu constitutos respiciunt. Qui post agnitam veritatem & fidei professionem in peccata aliqua gravia prolabuntur, his Pœnitentia necessaria est. Cælibes & Conjugati, Parentes & Liberi, Magistratus & Subditi, Heri & Servi, Juvenes & Senes, Sani & Ægroti, Pastores, Doctores, Episcopi, Seniores, Diaconi, Diaconissæ &c. habent omnes peculiaria sua munia, quæ scire ac præstare tenentur. Quamvis autem certo credimus, omnia illa quæ universis in genere, & singulis in specie hominibus scitu, creditu, speratu ac factu necessaria sunt clarè ac perspicuè in S. Scriptura contineri, de illis tamen necessariis rebus hîc propriè loquimur, quæ ubique, semper, & universis omnino hominibus in genere necessaria sunt.

*Quomodo Scriptura omnia ad salutem necessaria complectatur.*

2. Cùm dicimus S. Scripturam clarè & perspicuè omnia illa continere quæ ad salutem necessaria sunt, nos ista sic non accipere, uti quæsitor in hac *Præfatione* sua accepisse videtur, quasi Scriptura hæc omnia *expresè* & totidem verbis contineat; sed hæc sic intelligenda sunt, quod ista omnia ad salutem consequendam necessaria, vel expresè & totidem verbis, vel si non totidem verbis, ita clarè & perspicuè tamen in S. Scriptura continentur, ut unusquisque ratione recta præditus, qui ista (uti *Præfatio* rectè animadvertit, & fusius in *Confessione* nostra exponitur) sine præjudicio & affectu legit, ullarum absque Traditionum, aut Ecclesiasticæ infallibilitatis ope æque facile capere possit, ac ea quæ expresè & totidem verbis in iisdem S. libris leguntur.

*Ea non ubique aque clarè proponi.*

3. Cùm dicimus S. Scripturam clarè & perspicuè *omnia illa continere quæ ad salutem necessaria sunt*, nos ista sic non accipere uti hæc *Præfatio* accipit, *quasi omnia sacræ Scripturæ loca quæ de rebus ad salutem necessariis agunt*, clarè & perspicuè de illis agant; sed hoc pacto, quod omnia ad salutem necessaria in S. Scriptura clarè & perspicuè reperiuntur, quamvis hæc aliis in locis obscurè vel adeo saltem dilucidè & clarè non proponantur.

*Quas Traditiones admittamus vel rejiciamus.*

4. Cùm *Præfatio* dicit, *nos Traditiones nullas, vel Ecclesiam infallibilitatem admittere velle, &c.*: hoc sic accipi cupimus. 1. Nos nullas *Traditiones* admittere velle, quæ, vel id non necessarium esse declarant, quod S. Scriptura ad salutem consequendum necessarium esse declarat; vel aliud quid ad salutem necessarium esse declarant, præter id quod S. Scriptura clarè & perspicuè necessarium esse declarat. 2. Nos *Traditiones* nullas admittere velle, quæ pro certa, indubia ac infallibili norma sint, & ad quas, tanquam ad lydium lapidem verus & genuinus S. Scripturarum sensus, *in omnibus circa Fidem & Mores controversiis*, explorandus sit; ita ut omnes qui conscientias ac linguas suas iis non alligant aut submittunt, in æternum damnandi & ex regno Dei excludendi sint. Cum pro certo ac comperto habeamus nullam *Traditionem* ostendi posse, aut saltem nullam hactenus ostensam fuisse, per quam, post excessum Apostolorum, ulli sive homini, sive Ecclesiæ, sive conventui, jus aut potestas data sit, ejusmodi expositiones de vero sensu S. Scripturæ in omnibus circa Fidem & Mores controversiis, *autoritativè & judicialiter* cudere, quibus Christiani omnes sub damno æternæ salutis & pœna æterni exitii se constrictos esse credere tenentur.

#### PRIMUM QUÆSITUM.

*Quinam illi sint articuli, qui soli ad salutem necessarii sunt, præter quos nulli sunt alii, & quos si fide non amplectaris, salvus fieri nequeas, nec communionem cum illa Ecclesia colere, quæ eos quâ tales non admittit, quique, ut supra dictum est, ita clare ac perspicuè nobis in Scripturis oboculos ponuntur.*

#### RESPONSIO.

*Hanc quæstionem esse inutilem.*

*Primùm.* Posito nos credere omnes articulos ad salutem necessarios in S. Scripturis nudè & clarè proponi, ita ut à quocunque fideli *qui eos absque præjudicio & affectu legit*, intelligi possint, uti *Præfatio*, & rectè quidem, nos credere præsupponit; Inde apparet hoc primum quæsitum inutile vel absurdum, si non sarcasticum esse. Cur enim quæritur quinam illi sint Articuli, qui in Scripturis pro necessariis articulis habentur & proponuntur; posito quod ita nudè & clarè in Scripturis proposita sint, ut à quovis credente capi, & facili negotio inveniri possint? Qui hoc quærit, næ is mihi solem ipso meridie, vel nodum, quod dicitur, in scirpo quærere videtur. Si quis articulos ad salutem æternam consequendam necessarios scire & in eos inquirere avet, is claras ac nudas solum Scripturas absque præjudicio & affectu legat, & cum ad lectionem se accingit, animum à partibus alienum, veritatis amantem, & pium afferat; hos ille statim nudè præ oculis conspiciet & hinc inde clarè propositos deprehendet. Qui desiderio isto non flagrat, aut qui articulos omnes sibi ad salutem scitu & creditu necessarios, operæ sibi pretium non putat in Scripturis indagare; sed qui eos sibi ab aliis ex Scripturis depromi vult, & ita depromptos in eo totus est & desudat, ut modo unum modo alium sophismatibus suis obscurum & specie tenus intricatum reddat, is eos nunquam reperiet; imo indignus planè est cui eos Deus patefaciat. Hos enim ex ipso Deo in ejus verbo non quærit, sed eos sibi ab hominibus errori obnoxiis, nullo suo cum labore ita proponi cupit, ita ut ne minimum quidem in illis desideret aut improbare possit, Sed ut inertibus tamen ac irrisoribus istiusmodi quæsitoribus aliquomodo morem geramus & peritis satisfaciamus, dico

*Secundò,*

*Quænam ad salutem creditu & factu necessaria sunt.*

*Secundò*, Articulos omnes unicuique Christiano ad salutem consequendam necessarios, ad articulos Fidei & Morum commodè referri posse. Quod ad *Fidei articulos* attinet, hos plenè ac clarè in Symbolo, quod Apostolorum dicitur, summatim contineri putamus (modo excipiatur articulus de Descensu ad Inferos, qui nec in Symbolo Romano, nec in Symbolis Ecclesiarum Orientis olim legebatur. Hic enim obscurus est, nec facile ab uno quoque intelligi potest. Et quod amplius est, nec clarè in S. Scripturis reperitur, quamvis commodo sensu juxta id quod *Actor.* II. 24. legitur accipi, intelligi & admitti, ac pro Christianæ fidei articulo haberi possit) Hos articulos nudè & clarè ubique in Scripturis reperiri dicimus; suntque soli ad salutem necessarii, & præter quos nulli alii sunt. Qui hos non credit, is salvus fieri nequit; Et cum illa Ecclesia, quæ eos vel non admittit, vel negat, communionem; ullam inire non licet. Quod ad *Morum articulos* attinet, hos plenè nudèque *Decalogo*, pro ut à Christo ipso, ejusque Apostolis, per universam Novi Testamenti Scripturam perfectè proponitur ac extenditur, contineri credimus; cujus summam Dominus Jesus duobus hisce præceptis complexus est, nimirum ut *Dominum Deum nostrum ex toto corde nostro, & ex tota anima nostra, & ex tota mente nostra diligamus.* Et hoc maximum ac primum mandatum esse dicit, cui hoc secundum simile esse ait, ut *proximum nostrum, sicut nos ipsos diligamus Matth.* XXII. 37, 38. *Luc.* X. 27. hoc est, uti Christus *Matth.* VII. 12. exponit, Ut *omnia quæcunque volumus ut faciant nobis homines, & nos faciamus illis*, subjungit Dominus, *Ex his duobus mandatis universa Lex pendet & Prophetæ.* Apostolus Paulus omnia Christi Salvatoris præcepta *Tit.* II. paucis hisce verbis complectitur. *Apparuit salutaris Dei gratia omnibus hominibus; erudiens nos, ut abnegantes omnem impietatem, & mundana desideria, sobriè & justè ac piè vivamus in hoc mundo, expectantes beatam spem, & adventum gloriæ, &c.* Sub his ego præceptis *orandi præceptum* comprehendo, cujus formulam Dominus Jesus nobis reliquit, in *Oratione* quæ ab eo *Dominica* nuncupatur, quam Discipulis suis præscripsit *Matt.* VI. 10. &c. uti & præcepta *Baptismi* & *Cœnæ*; quamvis hæc ultima duo ejusmodi præcepta sint, quæ tum primùm & solùm Christianos obligant, cùm tempus & occasio sese iis offerunt, ea cum bona conscientia servandi. *Non enim privatio, sed contemtus damnat.* Uno verbo; Hæc præcepta, & nulla alia quæcunque sint, credimus Christiano servatu necessaria esse; ita ut qui ea servat, super eo sit pax & misericordia, veluti super vero Israele Dei: Et qui ea non servat is regni Dei particeps neutiquam sit futurus.

*Retorsio.*

Si hæc non sufficiant, quæro vicissim ego & retorqueo. Quinam ergo illi articuli sint, qui unicuique insuper Christiano creditu & factu necessarii sunt, & præter quos nulli sunt alii, quos si fide non amplectaris salvus fieri nequeas, nec communionem cum illa Ecclesia colere, quæ eos quâ tales non admittit; quique adeo nudè & clarè indicentur, uti articuli quos in S. Scripturis nudè & clarè contineri dicimus, à nobis, digito erecto, indicati sunt?

## Secundum Quæsitum.

*An à Christi ævo ad Reformationis usque tempora una vera Ecclesia, imo quod amplius est, persona una reperiri possit, quæ nullos alios ad salutem necessarios articulos docuerit, præter eos quos Reformati in responsione sua ad primum quæsitum nostrum, in medium proferent? Si res ita se habeat, indicetur talis Ecclesia vel persona. Sin secus; An igitur universa Christiana Ecclesia, à Christi ævo ad hæc patrum nostrorum usque tempora ignoraverint, quinam articuli soli ad salutem necessarii sint, & in iis docendis erraverit?*

## Responsio.

*Hanc quæstionem esse absurdam.*

*Primò*, Hoc quæsitum uti & præcedens valde absurdum est. Nam posito, quod illi articuli ex Scriptura (in præcedenti quæsito indicati) soli, & præter quos nulli alii, unicuique Christiano, nemine excepto, necessarii sint ad salutem consequendam; quid Christiani scire interest, quis & quot à Christi ævo ad Reformationis usque tempora, hos articulos pro istiusmodi articulis habuerint. Nam 1. Fac me neminem nominare posse, an hi ideo articuli, soli ad salutem requisiti articuli amplius non erunt? 2. Fac me nullam Ecclesiam nec ullam personam indicare posse, idne idcirco verum non esset, Ecclesiam nimirum aut personam aliquam, imo Ecclesias ac personas plures fuisse, qui hos pro talibus habuerint? Prophetа Elias se solum in Israele remansisse credebat, qui Baali servire renuisset, & Deus tamen septem virorum millia sibi in Israele servaverat, qui genua coram Baale non incurvaverant, nec ore suo adoraverant eum, osculantes manus 1. *Reg.* XIX. 18. *Rom.* XI, 4. 3. Fac iterum, nullam visibilem fuisse Ecclesiam, quæ hos solos pro necessariis istiusmodi articulis habuerit; sed Ecclesias nobis ex historiis notas, singulis sæculis aliquos alios necessarios articulos insuper addidisse; hinc articuli idcirco solùm minus necessarii erunt? egone idcirco minus tenebor eos solùm pro talibus agnoscere & profiteri? 4. Estne hoc articulus ad salutem necessarius, indicare posse quinam ante Reformationis tempora, hoc aut illud, hoc aut illo modo crediderint? Proh dolor! Male se res cum multis Christianis habet. Inquire inter omnes Sectas Christianorum, imo inter Pontificios ipsos, valde fallor si ex millibus unus reperiatur, qui hoc ostendere valeat. Hoc igitur quæsitum plane absurdum est. Sed ut quæsitori tamen propius respondeamus, dico,

*Quid hic Ecclesia voce intelligatur.*

*Secundò*, Cùm quæritur, num à Christi ævo ad Reformationis usque tempora, una vera Ecclesia, imo quod amplius est, persona una indicari possit, quæ alios nullos ad salutem necessarios articulos docuerit, &c. hoc ante omnia exponendum est; Quid per *veram Ecclesiam* intelligatur? Quamvis enim Ecclesia nominaretur hoc tamen adhuc quæri posset, an illa Ecclesia, vera fuerit Ecclesia nec ne. 2. Quid per *Ecclesiam* intelligatur? Num hoc nomine cœtus externus ex hominibus constans intelligatur, qui per uniformem Fidei confessionem, & Sacramentorum communionem mutuo uniuntur, sub regimine legitimorum Pastorum, ac præcipuè Pontificis Romani, veluti unici Jesu Christi in terris Vicarii, prout *Bellarminus* veram Ecclesiam describit, *lib.* III. *de Ecclesia Militante cap.* 2. Num Ecclesia repræsentativa, constans solùm ex Episcopis, Prælatis, Doctoribus, &c. in Concilio generali sub Capite Pontifice congregatis. An verò per Ecclesiam multitudo verorum Christianorum intelligatur, quamvis sub visibili regimine non unitorum, nec in Concilio congregatorum; piorum tamen, Deum timentium & Christo in simplicitate cordis inservientium, secundùm sacri ejus verbi regulam ac normam, à nulla humana decisione pendentium; sed semper paratorum Christianum cum talibus omnibus conventum constituere, & constitutum, ubi fieri potest, conservare. Si per vocem *Ecclesiæ* prius intelligatur; Dico ego, Quæsitum hoc absonum & per consequens inutile plane esse ejusmodi Ecclesiam indicare; ex quo tamen nullo modo sequitur universam Christianam Ecclesiam à Christi tempore ad Reformationis usque sæculum, quinam tantum ad salutem necessarii sint articuli, ignorasse. Ratio hæc est. Illo enim sensu vox *Ecclesiæ* nuspiam usurpata reperitur; ut jam non dicam Ecclesiam hoc sensu veram tantùm esse Ecclesiam. Nuspiam sub Ecclesiæ nomine Pastores, Episcopi, Doctores, &c. veniunt; sed semper ab Ecclesia contra distinguuntur, ut Ecclesiæ Pastores, Episcopi & Doctores; uti videre est *Actor.* XIII. 1. & XIV. 22. & XV. 12. & XX. 17. 18. & 1. *Cor.* XII. 28. & XIV. 4. & 2. *Cor.* V. 23. & *Philipp.* I. 1. & 2. *Thess.* I. 1. & *Jacob.* V. 14. & *Apoc.* I. 20. &c. Ex quo sequitur, Pastores & Doctores, sive singulos separatim, sive omnes simul in Concilio congregatos, plures necessarios articulos cudere posse, quam qui ex Scripturis indicati sunt; absque eo tamen quod vera Christi Ecclesia illis solum non adhæreat articulis quos Magister Christus ei dedit; & eis sic adhærendo recta ac vera Ecclesia sit ac maneat; sicuti nec Christi tempore sequebatur; quamvis Pharisæi & Scribæ suis traditionibus plures necessarios cuderant articulos quàm quos Deus in Lege sua præscripserat; veros ideo Judæos, uti Zachariam, Elizabetham, Simeonem, Annam, illosque omnes qui liberationem Israelis expectabant, imo omnes pios ac Deum timentes inter Judæos Legi Divinæ solùm non adhæsisse, ac si omnia perfectè non continuisset, quæ eis scitu ac creditu necessaria erant. Ita etiam Apostolorum ævo, imo ipsis viventibus, reperti sunt Doctores, *qui se Apostolos esse dicebant, & non erant, qui mendaces inventi sunt. Apoc.* II. 2. Et alii quidam *qui se Judæos esse dicebant, & non erant, sed Synagoga Satanæ. Apoc.* II. 9. Sic de Diotrephe dicitur 3. *Joannis Epistola vers.* 9. eum *primatum in Ecclesia usurpasse, ita ut nec Apostolos nec fratres susciperet, imo qui eos qui fratres susciperent prohiberet & ex Ecclesia ejiceret*, &c. Absque eo quod tamen Ecclesia Christi propensum in eos animum suum demonstrare refugerit, & minus quam antea Christi tantum & Apostolorum doctrinæ adhæserit. Fac igitur à Christi & Apostolorum ejus sæculo tales in Christi Ecclesia magistros ac tyrannos primatum obtinuisse, qui ad autoritatem suam ostendendam, necessarios illis Symboli, quod dicitur Apostolici, articulis non contenti, alios insuper novos articulos, vel ex proprio singuli motu, vel communibus suffragiis simul congregati cudissent, & prioribus addidissent: Aliud ex eo nihil concludi posset, quàm quod hi Ecclesiarum tyranni idem fecissent, quod superioribus sæculis, imo ipsis Apostolorum temporibus jam factum fuerat; absque eo quod recta & vera Christi Ecclesia eos idcirco

circo hac in parte ſequuta fuerit, ſed potius, his non obſtantibus, certæ ſolùm doctrinæ & ſalvificis unici Domini & Magiſtri Jeſu Chriſti verbis firmiter adhæſerit.

Si quæſitor *Eccleſiæ* voce indicare vult, nullam unquam Eccleſiam, hoc eſt, nullos unquam Doctores aut Epiſcopos fuiſſe, qui *Repræſentativa Eccleſia*, ſed abſurdè tamen, dicuntur, qui non plures ad ſalutem neceſſarios articulos crediderint quàm qui nunc à nobis ex Scripturis indicati ſunt: Tum dico, eos non tantùm veram Jeſu Chriſti Eccleſiam non fuiſſe; ſed quod plures neceſſarios articulos ſub *anathematis* comminatione, vel excluſione è regno Cœlorum, cudentes, alioſque eos pro fidei articulis amplecti jubentes, non tantum craſſe errarint; ſed quod ſibi ipſis etiam dominium & primatum in hominum conſcientias arrogantes, multorum non neceſſariorum ſchiſmatum, cruentarum perſecutionum, & inexcuſabilium confuſionum, bellorum, & devaſtationum regnorum & populorum autores fuerint; in quorum conſilium non ingrediatur anima mea.

Si quæſitor ſecundo ſenſu à nobis indicato *Eccleſiæ* vocem ſumit; Tum dico, quandoquidem Symboli articulum credimus, nimirum *Unam Sanctam, Catholicam Chriſtianam Eccleſiam* eſſe, & per conſequens multitudinem verè piorum & ſimplicium Chriſtianorum hic in terris reperiri, qui ubique in Sacris *Chriſti oves* aut *ovile*, *Chriſti corpus* & *Eccleſia* vocantur; pro certo etiam apud nos eſſe, eoſdem ſemper & ſingulis ſæculis, hiſce neceſſariis ſolùm articulis, quos modo indicavimus, adhæſiſſe, nec aliis ullis conſcientiam aut fidem ſuam devinxiſſe. *Oves enim meæ* (inquit Chriſtus) *audiunt vocem meam, & me ſequuntur; Alienum autem non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem ejus.* Joan. VIII. & X: ſed cum ejuſmodi Eccleſiam, ſi modo ulla ſit, imo quod amplius eſt, unam unicam perſonam ſibi oſtendi ac monſtrari cupiat quæſitor; ejus ſtudiis hac in parte etiam obſequar. Dico igitur

*Pleroſque veteres Doctores nullos alios articulos præter jam indicatos pro neceſſariis ad ſalutem habuiſſe.*

*Tertiò*, omnes fere ab initio antiquiſſimos Chriſtianos Scriptores ac Doctores, nullos alios ad ſalutem conſequendam neceſſarios articulos docuiſſe præter eos qui ſupra à nobis indicati ſunt. 1. Quia Chriſtianos omnes ad *Scripturas* ſemper remiſerunt, ac docuerunt *nudè ac clarè omnia* in eis contineri quæ ad ſalutem creditu neceſſaria ſunt, ſubjungentes, *Hæreticorum hanc eſſe indolem, ut Scripturarum lucem noctuæ inſtar fugiant, cumque ex Scripturis convincuntur, Scripturas ſibilis convicii ſque conſectentur.* 2. Quia multi ex iis, quod hanc rem acu tangit, Apoſtolicum Symbolum, prout eorum ſæculo extabat, pro veritatis ac fidei norma habuerunt, cui nec *Theologica peritia* quiddam addere, nec *imperitia* demere valet, prout apud *Irenæum lib.* 1. *cap.* 2. *&* 3. legere eſt. *Nihil ultra ſcire, eſt omnia ſcire*, inquit *Tertullianus lib. de Præſcrip. adverſus hæreticos*, quodque *Regula fidei unica omnino eſt, ſola immobilis, & irreformabilis, quæ nos credere docet in unicum Deum omnipotentem, mundi conditorem, & Filium ejus Jeſum Chriſtum, natum ex Virgine Maria, crucifixum ſub Pontio Pilato, tertia die reſuſcitatum à mortuis, receptum in cœlis, ſedentem nunc ad dexteram Patris, venturum judicare vivos & mortuos, per carnis etiam reſurrectionem*, uti idem *Tertullianus lib. de velandis virginibus* loquitur. Ideo prædicabat olim *Hilarius* Galliæ Epiſcopos felices, utpote qui nullam aliam Confeſſionem vel ipſi feciſſent, vel ab aliis factam ſibi obtrudi paſſi fuiſſent, præter unicam, antiquiſſimam, & ſimpliciſſimam illam, quæ Eccleſiæ univerſæ ab Apoſtolorum temporibus data fuit. Ejuſmodi ſententias in diverſis aliorum Doctorum ſcriptis reperire eſt, unde hujus quæſiti vanitas apparet. Verùm ego hoc quæſitoris dilemna ſic in eum retorqueo, ac quæro.

*Retorſio.*

1. An à Chriſti ævo ad *Conſtantienſis* aut *Tridentini Concilii* uſque tempora, una vera Eccleſia, imo quod amplius eſt, perſona una reperiri poſſit, quæ omnes, nec ullos alios articulos, magis vel minus ad ſalutem neceſſarios docuerit, quàm quos Pontificii in illis Conciliis cuderunt. Si ita ſe res habeat, indicetur talis Eccleſia vel perſona. Sin ſecus. An igitur univerſa Chriſtiana Eccleſia à Chriſti ævo ad Conciliorum iſtorum uſque tempora ignoraverit quinam articuli ſoli & ſemper ad ſalutem neceſſarii ſunt, & in iis docendis erraverit?

2. An Chriſtianus, omnibus & nullis aliis præterquam duodecim Symboli quod dicitur Apoſtolici articulis fidem adjungens, & juxta Chriſti Domini noſtri præcepta (prout ea in Scripturis nudè ac clarè expreſſa ſunt) vitam ſuam ſolùm componens, è regno cœlorum excludendus & in æternum damnandus ſit?

## TERTIUM QUÆSITUM.

***Quandoquidem ad ſalutem ſcire neceſſarium eſt, quinam ſint Canonici libri; An præter Eccleſiæ veræ traditionem, alia via ſit, qua clarè oſtendi poſſit quinam libri Canonici ſint, vel non ſint? Ex. gr. An quatuor Evangelia divini ſint libri? adverſus Manichæum, qui ea pro talibus agnoſcere noluit, uti apud Auguſtinum lib. XXXII. contra Fauſtum cap. 2. & lib. XXXIII. cap. 3. videre eſt. An Evangeliſtæ ſubinde in ſcriptis ſuis errore decepti, lapſi non ſint, vel in Magiſtri ſui honorem falſa quædam commenti non ſint? ubi olim Julianum Apoſtatam, & hiſce temporibus Ottonem Brunſterſium eis objeciſſe legimus apud Cyrillum lib. 11. in Julianum, & Joannem Cochlæum lib. de Script. & Eccleſ. Auth. cap. 3. & 4. Num Evangelium Matthæi unicum ſit canonicum Evangelium, uti Ebion putavit, Irenæus lib. 1. cap. 26. Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. III, cap. 21. An verò unicum Marci Evangelium ut volebat Cerinthus Irenæ. lib. III. cap. 11. vel Lucæ unicum Evangelium, ſecundùm Marcionis opinionem, Irenæ. Ibid. Tertull. contra Marcio. lib. IV. Epiph. hæreſi 42. vel Joannis unicum Evangelium, uti Valentinum docuiſſe refert Irenæus loco ſupra citato? Num Epiſtola ad Hebræos, Epiſtola Jacobi, ſecunda Petri, ſecunda & tertia Joannis, (ex quibus Lutherus, Brentius, Kemnitius, Eraſmus, quam cuique lubet rejicit, prout apud Bellarminum de Verbo Dei lib. 1. cap. 17. 18. videre eſt) divinæ ſint Epiſtolæ? Et ſic de reliquis. Si ratio ulla ſit qua id adverſus ejuſmodi homines evinci poſſit, oſtendatur ea ex Scripturis. Si via inveniri ab eis non poſſit, cur Eccleſiæ Traditiones rejiciunt? Aut ſi eas hac in re admittant, an non eaſdem in reliquis admittere teneantur quæ adeo certò demonſtrantur atque horum librorum authoritas? Si non teneantur, cur in uno magis quam in alio eas admittant? Si teneantur; cur eas igitur huc uſque recipere renuerint?***

## RESPONSIO.

*Duplex quæſtionis ſenſus.*

Hoc quæſitum duobus modis accipi poteſt; *Primò*, An ulla via ſit præter Eccleſiæ veræ *traditionem*, quâ clarè oſtendi poſſit, non quidem an omnes libri, imo illi ipſi de quibus apud Chriſtianos omnes extra controverſiam eſt Canonicos eſſe, Canonici ſint nec ne; ſed an libri illi de quibus inter Chriſtianos ambigitur, pro *Canonicis* habendi ſint vel non ſint? *Secundò*, An ulla ratio ſit præter traditionem, quâ oſtendi poſſit, libros quoſdam, imo illos ipſos qui pro *Canonicis* ſcriptis ab omnibus, ſive Judæis reſpectu librorum Veteris Teſtamenti, ſive Chriſtianis reſpectu librorum tam Veteris quam Novi Fœderis, indubitanter habentur, *Canonicos* eſſe?

Si quæſitum primo ſenſu accipiatur; dico ego, id quod à quæſitore pro vero & certo præſupponitur, abſurdum imo falſum eſſe, nimirum id ad ſalutem ſcitu neceſſarium eſſe; quodque via imo unica via quâ id certò ſciri poſſit, ſit *traditio* veræ Eccleſiæ. Sed ſi ſecundo ſenſu quæſitoris verba ſumantur, uti verba præ ſe ferre videntur; tum dico ejuſmodi quæſitum, non Chriſtiani, ſed athei vel infidelis quæſitum eſſe, ad quod reſponderi debet veluti ad quæſitum ab iſtiuſmodi homine in medium prolatum, hoc eſt, non veluti ſi de eo quæreretur quod Chriſtiano, quatenus Chriſtianus eſt, ſcitu neceſſarium eſt; ſed de eo quod Gentili ut Chriſtianus fiat ſcitu neceſſarium eſt; ac proinde mirum in modum ineptum eſſe hoc quæſitum, cùm fieri nequeat ut ei ſive ex Scripturis, ſive ex traditione veræ Eccleſiæ ſatisfiat. Ratio hæc eſt: Nam quod ad Scripturas attinet, poſito omnes illos libros ſpeciatim clarè de ſe teſtari quod Canonici ſint, quæſtio tamen ſupereſſet, num libri illi qui hoc de ſe ipſis teſtantur Canonici ſint, & cur aut unde id appareat? Quod ad veræ Eccleſiæ *traditionem* ſpectat, cùm quæritur quinam ſint *Canonici* libri, eadem opera quæritur, an Eccleſia quæ hos aut illos libros pro *Canonicis* habet, vera ſit Eccleſia? Nam Eccleſia, vera Eccleſia eſſe nequit, niſi prius libros *vere Canonicos* pro talibus receperit, & per fidem ſenſibus hiſce in libris contentis, vera facta fuerit Eccleſia. Cùm igitur quæritur an Scripturæ nos de *Canonicis* libris poſſint certos reddere, perinde eſt ac ſi quæreretur, an *Canonici* libri, nos poſſint de *Canonicis* libris, de quibus ambigitur an *Canonici* ſint nec ne, certos reddere. Cumque ſimiliter quæritur num veræ Eccleſiæ traditio via ſit quâ pervenire queamus ad cognitionem librorum *Canonicorum*, perinde eſt ac ſi quæreretur, An traditio quæ aſſerit hos aut illos libros *Canonicos* eſſe, traditio ſit veræ Eccleſiæ, hoc eſt ejuſmodi Eccleſiæ quæ per receptionem *Canonicorum* librorum de quibus quæritur an *Canonici* ſint nec ne, vera facta fuerit Eccleſia? Quæ quæſita omnia planè inepta ſunt. Sed ut preſſius agamus, dico ego hinc ſequi

*Unde ſcire poſſimus quinam ſint libri Canonici, & quid Traditio hic valeat.*

*Secundò*, Cum quæritur, num ratio ulla ſit præter veræ Eccleſiæ traditionem, quâ certo ſciri poſſit quinam ſint *Canonici* libri: de eo non quæri, Num ſenſus qui in *Canonicis* libris continetur, pro divino ſenſu habendus ſit nec ne, niſi prius Eccleſia autoritativè & judicialiter definiverit, divinum eſſe ſenſum, quemque idcirco ſolum pro tali recipere & credere teneamur (ſenſus enim, divinus in ſe prius ſenſus eſſe debet, quàm Eccleſia vera ſit Eccleſia, ac proinde expoſitio ac tra-

ac traditio Eccleſiæ, vera expoſitio ac traditio eſſe queat: ſed de eo quæri quo pacto certò ſciri poſſit hos aut illos libros *Canonicos* libros eſſe, hoc eſt ad *Canonem* aut indicem illorum librorum pertinere, qui omni procul dubio, ab illis viris conſcripti ſunt, de quibus Deus ſignis multis, prodigiis ac miraculis omni exceptione majoribus teſtatus eſt, divinos nuntios ac legatos eſſe, quoſque ipſius ſancto ac infallibili Spiritu impulſos docuiſſe ac ſcripſiſſe pro certo ac comperto habemus, quales fuerunt Prophetæ & Apoſtoli. Quamvis enim cum id ſcitur ex eo neceſſario ſequatur, hoſce libros plenam ac indubiam credendorum ac faciendorum ad ſalutem conſequendam neceſſariorum normam ac regulam continere; aliud tamen eſt, credere hos libros à talibus viris conſcriptos eſſe; aliud omne id credere quod ab eis in hiſce libris conſcriptum eſt. Unde etiam ſequitur aliud argumentum requiri ut evincatur hos aut illos libros, exempli gratiâ *Euangelium Joannis* ab *Apoſtolo Joanne*, *Epiſtolas ad Romanos, Corinthios, &c.* ab *Apoſtolo Paulo*, conſcriptas eſſe: aliud verò ut omnibus fides fiat, omne quod ab illis conſcriptum eſt, verum & indubiè divinum eſſe. De hoc ultimo hîc non quæritur, ſed de primo. Et hoc primum argumentum clara, manifeſta & indubia experientia ut nitatur neceſſum eſt, quod nimirum hi libri ab iſtiuſmodi viris, hoc eſt iis ipſis quorum nomina præ ſe ferunt, conſcripti ſint. Verum enimvero indubia hæc aut ſenſata experientia, fieri potuit & proculdubio facta eſt ab omnibus indiſcriminatim hominibus, tam hoſtibus quàm amicis Apoſtolorum, tam infidelibus quàm credentibus, tam Judæis & Gentilibus quam Chriſtianis ipſis, qui circa illa tempora vixerunt quibus hi libri conſcripti fuerunt, quique hoc vel ex ipſorum Apoſtolorum ore proprio audiverunt, vel Apoſtolorum propriam manum viderunt & agnoverunt: ac inſuper ipſi fide digni erant: ita ut ſi quis hoc negare vel in dubium vocare auderet, incredulitatis & pertinaciæ illorum teſtimonio facile convinci poſſet ac deberet. Eccleſia igitur quæ tum temporis erat, quæque hoſce libros, pro libris ab ejuſcemodi Dei ſpiritu impulſis viris conſcriptis accepit, debuit etiam neceſſariò vel ipſa, uti & reliqui alii omnes, per ſenſatam experientiam hoc pro compertiſſimo ac exploratiſſimo habere, vel ab illis, qui hoc certo certius compertum habebant totam ſuam certitudinem primò haurire & accipere. Nulla igitur hac in re ratio habetur Eccleſiæ quâ vera eſt, aut quâ aliquo infallibili privilegio donata, & jus ac poteſtatem habet unumquemque certiorem reddendi hos aut illos libros ab iſtiuſmodi divinis viris conſcriptos ac proinde *Canonicos* eſſe; ſed ſolum quâ teſtis eſt, & quidem ejuſmodi teſtis quæ parem eum aliis cognitionem eâdem ſenſatâ experientiâ adepta & conſequuta eſt.

*Si dicas*, hanc certitudinem continuâ traditione & non interrupta ſucceſſione à majoribus ad nos manaſſe; hoc ultro concedam, id enim aliter fieri non poteſt. Hiſtoria ſive rei geſtæ memoria non poteſt ordinariè ad poſteros aliter pervenire quàm per traditionem; rei enim præteritæ hiſtoria eſt. Sed hæc traditio, non ejuſmodi traditio eſt quæ judicialis & autoritativa ſit, propter quam res quæ traditur pro vera ac indubia recipienda ſit; ſed traditio tantùm quæ primam ſenſatam illam & exceptione majorem experientiam pro fundamento habet, quæque Eccleſiæ cum aliis omnibus communis eſt qui eandem experientiam habuerunt.

Cùm igitur hic quæſitor quærit, Cur S. Scripturæ libros pro Canonicis, & hos quidem non vero illos habes? ex. gr. *quatuor Euangeliſtas*, adverſus *Manichæum* &c. non ſolùm *Marcum*, ſed etiam *Matthæum*, *Lucam & Joannem*, adverſus *Cerinthum*; non ſolum *Lucam*, ſed etiam *Matthæum*, *Marcum & Joannem*, adverſus *Marcionem*: non ſolùm *Joannem*, ſed etiam *reliquos tres Euangeliſtas* adverſus *Valentinum*? &c. Reſpondeo ego, quia cùm primùm hi libri conſcripti fuere, partim ſubito, partim paulatim ac progreſſu temporis poſt accuratam inquiſitionem certa experientia & indubiis argumentis compertum eſt, eos ab illis viris conſcriptos eſſe, qui multis variiſque divinis miraculis ac prodigiis teſtatum omnibus fecerunt ſe Dei ſpiritu impulſos fuiſſe. Si inſuper quærat, unde hoc tu ſcis qui tum temporis non vixeris, cum jam ſexdecim ſæcula integra elapſa ſint à quo hæc geſta fuere, &c. Tum reſpondebo, quia hæc ſenſata experientia ac certa notitia ſecundùm temporum ſeriem ad poſteros & ad nos tandem devoluta eſt. Si quærat per quem tradita fuerit? Reſpondebo ego, non per hanc aut illam Eccleſiam ſolùm, multò minus per Eccleſiam jure aut autoritate ad hoc definiendum donatam; ſed per æquale ac continuum omnium omnino Chriſtianorum, nec Chriſtianorum modo, ſed Chriſtiani nominis hoſtium, tam Judæorum quàm Gentilium teſtimonium, qui ubique & ſemper (paucis quibuſdam, *Manichæo* nimirum, *Cerintho*, *Marcione ac Valentino* exceptis) idem teſtati ſunt atque etiamnum teſtantur.

Cùm verò Quæſitor inſuper quærit, ſi traditioni huic aut teſtimonio hac in parte fidem habetis, cur & aliis traditionibus aliis de rebus teſtimonium præbentibus fidem adhibere renuitis, quarum certitudo non difficiliori negotio ac librorum horum autoritas probari poteſt? Reſpondeo, nos traditiones omnes, de quibus tam certo experimento fides fieri poteſt ac hiſce de quibus jam agimus ac loquimur, libenter accipere ac credere, hoc eſt, traditiones omnes, quæ ab omnibus ubique terrarum Chriſtianis & ſemper ita continuò & æqualiter creditæ & acceptæ fuerunt uti hæc traditio, quod nimirum libri Veteris & Novi Fœderis pro *Canonicis* libris, hoc eſt à Prophetis & Apoſtolis conſcriptis habendi ſint. Animum igitur advertat rogo Quæſitor ad proprium quæſitum, & caveat ne traditiones ullas in medium proferat, quæ tam certò probari non poſſint, ac res qua de hîc agitur; reddet aliàs quæſitum ſuum proprium inutile imo & ridiculum. Si enim ad traditiones aliquas nos revocet quæ tam certæ, tam univerſaliter ac conſtanter ab omnibus omnino Chriſtianis receptæ non fuerint, ridiculè quæret, ſi has, cur alias traditiones omnes non recipis, vel cur unam præ alia? Proferat igitur vel unicam traditionem tantæ ac tam indubiæ certitudinis ac eſt librorum Canonicorum autoritas, non minus libenter à nobis accipietur, ſtatim atque de ea tam certe perſuaſi erimus: quod ab ipſo fieri non poſſe exiſtimo. Sed ut dictis lucem majorem afferam, hæc quæſita retorſionis loco repono.

*Primò*, Quandoquidem Apoſtolicæ traditiones non ſcriptæ, quas Pontificii parem cum Scripturis aut Canonicis libris autoritatem habere contendunt, ad ſalutem ſcitu neceſſariæ ſunt; an præter traditiones illas via alia ulla ſit quâ clarè oſtendi poſſit, quænam Apoſtolicæ traditiones ſint aut non ſint? Si ratio ulla ſit, in medium proferatur: Et poſito aliam rationem adinveniri poſſe, num hæc ratio aliis traditionibus indigeat, ut clarè evinci poſſit has traditiones veras ac Apoſtolicas eſſe, & ſic in infinitum uſque? Sin ſecus: Cur Canonici libri, minus pro canonicis habendi ſint, præter rationem ex traditionibus petitam; quàm Apoſtolicæ non ſcriptæ traditiones, pro veris Apoſtolicis traditionibus habendæ ſint, præter rationem ex traditionibus aliis petitam? *Retorſio.*

*Secundò*: Poſito, uti Quæſitori placet, non minus ad ſalutem ſcitu neceſſarium eſſe quænam ſit vera Eccleſia, quàm ſcitu neceſſarium eſt quinam ſint Canonici libri, an ratio ulla præter Eccleſiæ veræ traditionem ſit, quâ clare evinci poſſit quænam ſit vera Eccleſia aut non ſit? Si ſit, quænam igitur illa ratio ſit? proferatur ea in medium à Quæſitore. Sin ſecus, An Eccleſia igitur cum propriis ſuis traditionibus evincere conatur ſe veram Eccleſiam eſſe, rectam viam ingrediatur nec ne, ut clarè probet ſe veram eſſe Eccleſiam? Si res ſe ita habeat, Cur igitur Canonici libri non æque poſſint ex ſe ipſis probare ſe *Canonicos* libros eſſe, ac Eccleſia ex ſe ipſa & propriis ſuis traditionibus oſtendit ſe veram eſſe Eccleſiam? 2. An non omnis Eccleſia, qualiſcunque illa ſit, par jus habeat & rectam viam ingrediatur, ut probet ſe veram eſſe Eccleſiam, cum ex propriis ſuis traditionibus hoc evincit? Sin ſecus; Cur una magis hoc probare poſſit quàm alia? Si ita ſe res habeat: quo pacto igitur certè & indubiè ſciri poſſit, quænam inter tot Eccleſias quæ ob proprium teſtimonium pro vera Eccleſia haberi volunt, vera ſit Eccleſia?

*Tertiò*: An Chriſtianus qui nullas Eccleſiaſticas traditiones non ſcriptas novit; & ſimpliciter tamen *Canonicos* ac divinos libros recipit, illis fide innititur, ac ſecundum eos vitam ſuam componit, medio ad ſalutem planè neceſſario careat, ita ut è cœlo & æternâ ſalute excludendus ſit? Si res ſe ita non habeat, quomodo ergo ad ſalutem ſcitu neceſſarium ſit quinam ſint Canonici libri, cum non niſi ex traditione veræ Eccleſiæ, ſecundùm quæſitoris mentem, ſciri poſſit quinam ſint *Canonici* libri vel non ſint? Si ſe ita res habeat, Cur talis Chriſtianus è regno cœlorum excludendus ſit, cùm Chriſtiani olim è cœlo excluſi non fuerint, qui fidem rebus quæ in libris *Canonicis* continentur adhibuerunt, & vitam ſecundum ea compoſuerunt, priuſquam ulli *Canonici* libri conſcripti eſſent, & conſequenter traditiones ullæ, quæ nobis declararent quinam *Canonici* libri eſſent aut non, extare poſſent?

## QUARTUM QUÆSITUM.

*An Scripturæ perſpicuitas pro unoquoque in articulis ad ſalutem neceſſariis conſiſtere poſſit cum iis quæ beatus Petrus in ſecunda ſua Epiſtola cap.* III. *dicit, nimirum* in Pauli Epiſtolis quædam difficilia intellectu eſſe, quæ indocti & inſtabiles depravant, ſicut & cæteras Scripturas, ad ſuam ipſorum perditionem. *Hæc enim quæ ab iſtiuſmodi hominibus depravantur, ad ſalutem neceſſaria ſunt vel non. Si ne-*

*ceſſaria non ſunt, quomodo igitur ab indoctis & inſtabilibus illis in ſuam ipſorum perniciem depravari poſſunt? Si verò ad ſalutem neceſſaria ſunt, quomodo Scriptura dici poteſt clara ac perſpicua eſſe in rebus ad ſalutem neceſſariis?*

RESPONSIO.

*Scriptura perſpicuitati non repugnare locum 2. Petri III 16. qui explicatur.*

*Reſpondeo*, Scripturarum perſpicuitatem pro unoquoque in articulis ad ſalutem neceſſariis cum Petri verbis 2. *Epiſt. cap.* III. *verſ.* 16. optimè conſiſtere poſſe. Nam *primò*, non loquitur ibi Petrus, niſi de quibuſdam rebus intellectu difficilioribus: non igitur de rebus ad ſalutem neceſſariis & quæ ab unoquoque facile intelligi poſſunt & intelligi debent ſub damno æternæ ſalutis. *Secundò*, non loquitur ibi Petrus de ſimplicioribus piis & idiotis ſive indoctis hominibus, ſed de ἀμαθέσι, ſive indocilibus, de ἀστηρίκτοις ſive inſtabilibus, vel dubitandi cauſas quærentibus, & uti ex *verſ.* 17. ſequenti apparet, de ἀθέσμοις, ſive impiis, ſtultis & exlegibus hominibus, quo ſenſu vox ἄθεσμος de impiis Sodomitis 2. *Pet.* II. uſurpatur, qui ſemper doceri velle videntur, at nunquam docti evadunt, nec ad veritatis cognitionem perveniunt; quique omnia quæ vel minimam obſcuritatis vel difficultatis ſpeciem primo intuitu præ ſe ferunt, mordicus arripiunt, ac torquent, ut iis errores ſuos ac mores impios ſuperſtruant, vel iis ad ſeductionem ſimplicium & piorum abutantur, nervos omnes legum ac divini cultus dubiis ſuis ſolventes ac tantùm non præcidentes. Cum igitur Petrus de eiuſmodi hominibus dicit quod *obſcura quædam & intellectu difficilia in ſuam ipſorum perniciem detorqueant*, quid illud perſpicuitati S. Scripturæ officit, vel rebus neceſſariis illis claris quæ in Scripturis continentur, & ab unoquoque, uti profitemur & in præfatione præſupponitur, facili negotio intelligi poſſunt, modo ſine præjudicio aut affectu legantur, imo quæ unicuique ſub diſpendio æternæ ſalutis intellectu, creditu ac factu neceſſariæ ſunt? Extra oleas evagatur igitur quæſitor dum quærit, *num hæc ad ſalutem neceſſaria ſint nec ne?* Cùm enim Petrus dicit, obſcura hæc vel intellectu difficilia eſſe, non poſſunt inter ea numerari quæ ad ſalutem conſequendam neceſſario requiruntur, quandoquidem ea clarè in Scripturis contineri, faciliaque intellectu eſſe præſupponitur.

Sed ut quæſiti hujus abſurditatem clarius oſtendamus, fac ea de quibus Petrus loquitur ad ſalutem neceſſaria eſſe vel non eſſe; ſarta tecta tamen Scripturæ perſpicuitas manet. *Quomodo*, quærit ille, *Si ad ſalutem neceſſariæ non ſunt, ab ejuſmodi in ipſorum propriam perditionem depravari poſſunt?* Facillimè, reſpondeo ego. Ad ſalutem præcisè ſcitu neceſſarium dici nequit, an Deus homines aliquos ad ſalutem abſolutè prædeſtinaverit nec ne? Et tamen facile fieri poteſt ut quis abſolutam prædeſtinationē credens, eam ſibi ipſi ita applicet, ut vel in deſperationem divinæ miſericordiæ vel cārnalem ſecuritatem delabatur, & ita hanc opinionem in ſuam ipſius æternam perniciem detorqueat. hoc pacto IX. X. & XI. *cap. ad Romanos*, in quibus multa intellectu difficilia, depravari poſſunt, præſertim ab inſtabilibus & indocilibus hominibus in ſuam ipſorum æternam perniciem. Similiter & *cap.* VII. *ad Romanos*, cujus verus ſenſus, quamvis unicuique ad ſalutem præcisè ſcitu neceſſarius non ſit, ita tamen detorqueri & depravari poteſt, ut quis ſibi firmiter perſuadeat, quod quamvis gravia ac atrocia peccata committat, gratia tamen Dei æterna ſe non excidere; modo cum peccata ejuſmodi perpetrat, in ſe ipſo virtutis contrariæ amorem, & pugnam in animo adverſus peccatum ſentiat, ita ut dicere poſſit: *Quod volo bonum hoc non facio, ſed quod nolo malum hoc ago.* Qui ergo hac opinione imbutus affectibus ſuis & peccatis iſtiuſmodi frænū ac fibulam laxat, is judicari debet hocce caput in ſuam ipſius perniciem detorquere. certum enim eſt *eos qui peccata talia, & carnis opera faciunt, cælorum regnum nunquam conſequuturos.* *Gal.* V, 19, 20, 21. & 1. *Corinth.* VI. 9, 10. Et, *ſi cor noſtrum nos damnat Deum corde noſtro majorem eſſe, & noſſe omnia; ſed ſi cor noſtrum non damnet nos, fiduciam nos habere apud Deum:* 1. *Joan.* III. 20. 21. Admodum autem veroſimile eſt Petrum hiſce verbis, *in quibus ſunt quædam difficilia intellectu* (ſi modo verba εἰ οἷς ad Pauli Epiſtolas referantur, uti & nos nunc referemus, quamvis, ſi Græcus contextus inſpiciatur, non tam ad Pauli Epiſtolas quàm ad præcedentia, de quibus Petrus locutus fuerat, referri debere videantur, ad illa nimirum quæ de ultimo judicio, Chriſti adventu, cœli ac terræ conflagratione &c. diſſeruerat, de quibus etiam in Pauli Epiſtolis legimus) ad VII. IX. X. & XI. *cap. ad Romanos* præcipuè reſpexiſſe, quibus & V. *caput* jungi poteſt, quamvis nec neceſſum ſit. Similiter nec præcisè ad ſalutem ſcitu neceſſarium eſt, quomodo in Cœna Domini, panis Chriſti corpus & vinum Chriſti ſanguis ſit, & vocetur. Hoc tamen ita à quibuſdam detorqueri & exponi poteſt, ut panis poſt conſecrationem Chriſtus ipſe, Deus & homo ſimul ſit, & hac opinione ſuā eò delabi poſſunt, ut coram iſto pane, vel ut loqui amant, panis ſpecie, genua flectant, ut Chriſto ipſi divinum honorem deferant, & adorent, & ita idololatriam committant, & qui hunc honorem pani deferre renuunt, ferro flammaque perſequantur ac deleant, quod non poteſt non in æternam eorum damnationem vergere qui talia ac tam horrenda patrant. Et ſi illud doctis uſu venire poteſt, qui ad ſuperſtitionem uſque pii eſſe volunt, quid de illis fiet, qui inſtabiles, indociles, ac diſſoluti ſunt? Et hæc de negativo dilemmatis membro dicta ſunto.

Sed *ſecundò*, poſito quod illa de quibus Petrus hîc aſſerit quod intellectu difficilia ſint, ad ſalutem ſint neceſſaria, nihilominus hoc Petri dictum cum Scripturarum perſpicuitate conſtare poteſt. *Quomodo*, inquit quæſitor, *ſi de rebus ad ſalutem neceſſariò requiſitis Petrus hic loquatur, cùm res ad ſalutem neceſſariæ ſint claræ?* Optimè, inquam ego. Nam *primò*, quamvis loca illa de quibus Petrus hîc loquitur, res ad ſalutem neceſſarias continentia, obſcura & intellectu difficilia ſint; illæ tamen eædem res poſſunt aliis in locis clarè & perſpicuè contineri: & ſic non officit obſcuritas & difficultas horum locorum de quibus Petrus loquitur, perſpicuitati Scripturarum in locis aliis ubi eadem clarè, ac nudè proponuntur. Exempli gratiâ, Chriſti ſermones quos cum Samaritana muliere prope puteum Jacobi habuit, *Ioannis* IV. 14. *verſ.* &c. *de aqua viva, quam Chriſtus ei donans, fieret in ea fons aquæ ſalientis in vitam æternam*, erant proculdubio ſermones qui ſenſum ad ſalutem neceſſarium in ſe continebant, ſed ſermones tamen obſcuri & intellectu difficiles, quos mulier ipſa non capiebat. Ex eo verò aliud nihil ſequitur niſi quod hic locus clarus non ſit, ſed ex eo evinci neutiquam poteſt, Scripturam in rebus ad ſalutem neceſſariis obſcuram eſſe. Ratio hæc eſt; Quia hoc ipſum quod Chriſtus hoc in loco ſubobſcurè mulieri propoſuit, aliis plurimis in locis nudè ac clarè propoſitum reperire eſt. Iterum cum Chriſtus *Ioann.* VI, *de manducatione carnis ſuæ & de bibitione ſanguinis ſui* loquebatur, de re loquebatur ad ſalutem requiſita: ſubjungit enim, *Qui manducat carnem meam, & ſanguinem meum bibit, habet vitam æternam, verſ.* 54: obſcurus tamen loquendi modus ac captu difficilis erat: conqueruntur enim diſcipuli dicentes, *Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire? verſ.* 60, 61. imo adeo inſolens auribus eorum erat, *ut ea de cauſa multi diſcipulorum ejus abierint retro, nec amplius cum eo ambularint. verſ.* 67. Inde verò malè quis concludat, Scripturam in iis obſcuram eſſe, quæ Chriſtus hiſce verbis occultè indicare voluit. quamvis enim hæc Chriſti verba obſcura atque ideo intellectu difficilia ſint, illud tamen quod ſubobſcurè hiſce verbis continetur, clarè ac perſpicuè poteſt alibi in Scripturis ob oculos poni, & revera etiam ponitur, uti poſtea manifeſtum fiet. Eodem modo ſe res habet cum Chriſti verbis *Ioannis* III. ubi cum Nicodemo de regeneratione agit. Item *Ioannis* II. *Diruite hoc templum, & ego id intra triduum reædificabo.* Chriſtus loquebatur de paſſione ſua & reſurrectione è mortuis, quod obſcurum erat, & hoc ita ab hoſtibus ejus detorquetur, ut accuſationem in eum ei ſuperſtruant, veluti in falſarium ac ſeditioſum, cujus ſanguinem cum univerſa plebe optant ut in ſe ac liberos ſuos deveniat in temporale ac æternum ſuum exitium: *Matth.* XXVII. 25. Uno verbo: Mirum ne videri debet ſi homo indocilis, inſtabilis, & impius, res obſcuras ipſi ad ſalutem neceſſarias ad ſuam ipſius perniciem depravet? Mirum è contra videri poſſet, ſi hoc non ageret, præcipuè cum è re ejus ſit ut Scripturæ ſic pervertantur. Sed ut amplius dicamus, poſito etiam quod

*Secundò* Petrus dixiſſet, indociles, inſtabiles & impios clariſſima quæque ad ſalutem neceſſaria depravare; hoc verum eſſe poſſet & Scripturis ſua claritas conſtare. Nihil enim tam clarè dici poteſt, quod non poſſit, non dicam à maligno (ad quid enim Sol cæcutire volenti?) ſed à pertinaci, pervicaci, & ſuperſtitioſo homine, pro affectu ac præjudicio depravari & in ſuam opinionem detorqueri. Ex. gr. quid apertius quàm quod Apoſtoli non docerent, *facienda eſſe mala ut evenirent bona?* quidam tamen hoc ipſis impoſuerunt, eos ſic loqui ac docere affirmantes: *Rom.* III. 8. de quibus Paulus Apoſtolus nihil præter pauca hæc verba dicit, *quorum condemnatio juſta eſt.* Quid clarius iterum, quàm quod Chriſtus & Apoſtoli ejus docuiſſent ac quotidie adhuc docerent, Deum mortuos in magno illo judicii die ab ipſo conſtituto excitaturum, in quo mundum in juſtitia judicaturus eſt? quidam tamen hæc ſic detorquebant, ut dicerent, *jam factam reſurrectionem*, uti *Hymenem* & *Philetus*: 2. *Timoth.* II. 17. 18. alii, *nullam mortuorum reſurrectionem futuram*: 1. *Cor.* XV. 12. alii rurſum, *nullum judicium conſequuturum*, irridentes, ut Petrus loquitur, promiſſiones & adventum Jeſu Chriſti ad judicium, *quibus volentibus latebat* quod clarum tamen ac apertum erat; 2. *Petr.* III. 3, 4, 5, &c. Quid item

maxi-

manifeſtius in Scripturis, quàm quod, *peccata ac iniquitates noſtræ nos à Deo noſtro dividant*, prout *Eſa.* LIX. 2 dicitur; cum Deus ipſe *Ezech.* XVIII. & XXXIII. *cap.* juret, *juſtum à juſtitia ſua ſe avertentem & iniquitatem facientem propter injuſtitiam quam operatus erit, moriturum:* & Paulus *ad Rom.* VI. 23. *Mortem ſtipendium eſſe peccati. & ad Galat.* V. 19, 20, 21, *&c. quod qui opera carnis agunt regnum Dei non ſint conſequuturi?* Et tamen reperiuntur homines qui loca hæc omnia, quamvis clariſſima, ita torquent & depravant, ut audacter ac ſtrenuè affirmare non vereantur, quod qui ſemel crediderit, in ſtatu gratiæ ac ſalutis ſemper remaneat, ita ut nullis mortalibus peccatis, quamvis atrociſſimis, numero infinitis, & ad ultimum fere halitum perpetratis, nec Dei gratia totaliter excidere, nec finaliter è regno cælorum excludi poſſit. Denique quid clarius in Scriptura hoc Dei præcepto, quo vetat, *ne quis ipſum imaginem vel ſimilitudinem effingiet, nec coram ipſa genu flectat, eamve colat aut ſerviat*, ſub pœna ſupremæ divinæ indignationis: *Deut.* IV. 15, *&c. Deut.* V. 8. *Exod.* XX. imo excluſionis è regno cœlorum 1. *Cor.* VI. 9, 10. *Gal.* V. 19. *Epheſ.* V. 5. *Apocal.* XXII. 14. Tot myriades tamen reperire eſt, qui non tantum Dei & S. Trinitatis effigies faciunt, coram iis in genua procumbunt, divinumque iis honorem & religioſum cultum deferunt; ſed & qui talia facere renuentes ferro flammaque perſequuntur, occidunt, ac trucidant, imo qui hoc præceptum ex decalogo in ſuis devotionum libellis expungunt; & de imaginibus idololatrarum gentium intelligi volunt, &c. Multa ejuſmodi ſimilia reperire eſt. Quamvis igitur dixiſſet Petrus, non intellectu difficilia, ſed clara ac perſpicua quæque, à pertinacibus ejuſmodi hominibus depravari (quod forſan etiam voluit Apoſtolus indicare cum addidit, *ſicut & cæteras Scripturas*) claram nihilominus non eſſe Scripturam inde evinci non poſſet: uti nec Sol ideo obſcurus eſt aut dici poteſt, quod lippus, vel pertinax aliquis oculos ſuos pervicaciter claudendo dicat Solem nec dilucidè nec clare lucere; Nix albedinem ſuam non amittit, quod Philoſophus affirmare non erubeſcat eam eſſe nigram: nec hoſtia in Euchariſtia deſinit panis eſſe, quia Sacriculi ſuis ſimplicioribus Laicis perſuadere conantur panis ſubſtantiam poſt conſecrationem nullam eſſe, quamvis eorum ſenſus quinque contrarium clarè judicent verum eſſe. Pyrrhonios aut Scepticos olim fuiſſe omnibus notum eſt, qui de omnibus dubitarent, docentes, *de nulla re magis dici poſſe quod ſit quàm quod non ſit; vel magis hoc quàm illud ſit, &c.* Imo ſingula ſæcula ſuos habuere Pyrrhones, qui, ut proverbio dicitur, *Nodos in ſcirpo quærunt, & maculas in Sole.*

## Quintum Quæſitum.

*An Scripturæ perſpicuitas pro unoquoque in articulis ad ſalutem neceſſariis poſſit etiam cum in quæ* Joannes III. *Evangelii ſui* cap. verſ. 5. *dicit conſiſtere*, Niſi quis renatus fuerit ex aquâ & ſpiritu, non poteſt introire in regnum Dei. *Hic enim locus, ex quo ſalus æterna pendet, vel debet intelligi de aquâ Baptiſmi; Et ſic errant Remonſtrantes & Contra-Remonſtrantes in articulo ad ſalutem neceſſario, & adverſus claram veritatem docent: vel debet juxta Calvinum & Remonſtrantes alio ſenſu ſumi, qui tamen ex Scripturis ab ipſis evinci nequit, & ſic univerſa Chriſtiana Eccleſia, omnes fere S. Patres, & Lutherani, adverſus tam claram veritatem ſemper docuerunt, & tam ſtupidi vel pervicaces fuerunt, ut videre vel nequiverint vel noluerint, quod Calvinus & Remonſtrantes clarum eſſe dicunt, quodque ex Scripturis ab ipſis clarè demonſtrari cupimus. Quod autem ſic univerſa Eccleſia & S. Patres crediderint, apparet ex* Bellarmino de Effect. Sacram. lib. II. cap. 3. & de Sacram. Bapt. lib. 1. c. 4.

## Responsio.

*Atque locum Joannis III. 5. qui etiam exponitur.*

Optimè etiam cum hoc loco, Scripturæ Sacræ perſpicuitas in rebus ad ſalutem neceſſariò requiſitis conſiſtere poteſt. 1. Ut maximè enim verba urgeas, hîc non agitur de re creditu aut factu nobis injuncta, de qua præcipuè tamen inter nos nunc controvertitur, ſed de medio neceſſariè requiſito ut in regnum Dei ingredi poſſimus, hoc eſt ut Scholaſtici Pontificii loquuntur, *Non agitur de neceſſario neceſſitate præcepti, ſed medii.* Sed 2. poſito te credere, his verbis præceptum contineri, tum dico, præceptum aliud nullum hoc loco ad ſummum contineri, præter hoc unicum, ut totis viribus contendamus & adlaboremus, ut ſpiritu Chriſti regeneremur & aquâ baptizemur. Hoc nunc conceſſo, quamvis hic locus clarus non ſit, cum hanc rem hiſce verbis nobis ob oculos ponit, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, &c.* ſenſus tamen qui hiſce verbis continetur, ex variis & plurimis aliis Scripturæ locis clarus ac perſpicuus eſt, in quibus claris & expreſſis verbis dicitur ac docetur, nos ſpiritu renaſci & renovari debere, atque aquâ in remiſſionem peccatorum baptizari. *Actor.* II. 38. *Matth.* XXVIII. *Marc.* XVI. &c. Hoc cum ita ſit, neceſſum igitur non eſt ut hîc locus clarè intelligatur, modo alia omnia loca intelligantur quæ clarè & expreſsè, quod hîc obſcurè indicatur, continent, nimirum de nativitate aut regeneratione ex ſpiritu & baptiſmo aquæ.

Hinc patet hoc quæſitum nullius eſſe momenti. Cum enim hujus loci obſcuritatem quæſitor in voce *Aquæ* conſiſtere ſolùm faciat, & ſi de aquæ baptiſmo intelligatur, clarum eſſe locum & apprimè cum expoſitione omnium Patrum & hodiernorum Lutheranorum, quadrare concludat; dico ego, hoc etiam à nobis conceſſo, hunc locum perſpicuitatem ſuam ex claris & nudis illis locis omnibus mutuari, in quibus de neceſſitate regenerationis & aquæ baptiſmo agitur; & per conſequens genuinum hujus loci ſenſum ad ſalutem neceſſarium non eſſe, quamvis id quod hoc in loco continetur ad ſalutem neceſſarium ſit.

Sed ut ſententiam noſtram ſuper hoc loco exponamus, dico ego rationes nullas eſſe, nec in medium afferri poſſe, ſive ex textus circumſtantiis, ſive ex Chriſti ſcopo, ſive ex aliis Scripturæ locis, cur per *Aquæ* vocem, baptiſmus aquæ intelligi debeat: imo contra claras multas rationes reddi poſſe, ex quibus evincitur hîc per vocem *Aquæ*, aquæ baptiſmum intelligi non poſſe. Rationes autem nullas eſſe nec dari poſſe, ex loco ipſo manifeſtum eſt. 1. enim vox *Aquæ*, non ſemper baptiſmi aquam præcisè denotat, ſed interdum etiam *Spiritum* ipſum; uti ex *Joan.* IV. 10. 14. & VII. 38, 39. videre eſt. Textus circumſtantiæ evincunt vocem *Aquæ* ſpiritui ſecundùm Hebræam conſtructionem tropo quodam tantum jungi, quem ὑ. δι᾽ δυοῖν vocant, ut indicetur de *ſpirituali aquâ* hîc tantùm agi; tertio enim verſu, ubi Chriſtus primùm de regeneratione ſermonem facit, non loquitur niſi de regeneratione vel generatione quæ de ſurſum venit, *Niſi quis natus fuerit de ſurſum* vel *denuò, non poteſt videre regnum Dei.* Quid verò de ſurſum vel denuò (ἄνωθεν eſt in textu Græco) naſci, cum baptiſmo, qui hîc in terris aquâ externâ peragitur, commune habet? 2. *Verſibus* 6, & 8 *Aquæ* vox non legitur, ſed *Spiritus* ſolùm. Scopus Chriſti hîc eſt cum Nicodemo de regeneratione, vel de ſpirituali non vero carnali generatione loqui, quæ in totali renovatione & mutatione hominis, in cognitione, charitate & obedientia Dei voluntati præſtanda conſiſtit. Quid nunc abſurdius, quàm ut ejuſmodi mutatio, externâ baptiſmi aquâ, præcipuè in infantibus, fieri dicatur? Ubinam id, vel ſimile quid in Scripturis legere eſt? Tantùm abeſt, ut multæ pro contraria ſententia rationes militent. 1. Cùm Scriptura ubique nos doceat regenerationem ac fidem per quam corda noſtra purgantur, *Actor.* XV. 9. baptiſmum præcedere debere; qui fieri poteſt ut regeneratio aquâ baptiſmi peragatur? *Marc.* XVI. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit ſalvabitur. Actor.* VIII. 38. *Et ait Eunuchus, Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? Dixit autem Philippus, ſi credis ex toto corde licet.* Vide ſis *Actor.* II. 38, 41, & X. 42. & ſimilia alia loca plurima. 2. Negat expreſſis verbis Apoſtolus Petrus regenerationem fieri per externam baptiſmi aquam, 1. *Petr.* III. 21. *Cui correſpondens exemplar nunc & nos ſalvat baptiſma, non baptiſma illud quo fit carnis depoſitio ſordium, ſed* (baptiſma illud quod eſt) *conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum.* 3. Si regeneratio non ſolùm per ſpiritum, ſed etiam per baptiſmi aquam peragi debet, non potuit Paulus jure dicere 1 *Cor.* I. 17. *Non miſit me Chriſtus baptizare ſed evangelizare.* Nec eo nomine *Deo gratias agere quod paucos baptizaſſet verſ.* 14. Nec vere de ſe affirmare 1. *Cor.* IV. 15, &c. *quod Corinthios Jeſu Chriſto per Evangelium genuiſſet vel regeneraſſet.* 4. Chriſtus Jeſus, uti regenerationis noſtræ autor, non minus *aquâ* ipſe baptizaſſet quam per Spiritum eum docuiſſe legimus. Attamen *eum neminem unquam baptizaſſe* dicitur *Joan.* IV. 2 5. Omnes igitur illi qui nullâ ſuâ propriâ culpâ, imo modo nati infantuli, qui parentum aut proximorum incuriâ ac negligentiâ abſque baptiſmo moriuntur, neceſſario in æternum damnari, uti non regeniti, dicendi ſunt: quo quid abſurdius dici poſſit ignoro. 6. Verum ergo non erat quod Chriſtus latroni è cruce ſecum pendenti dixit *Luc.* XXIII. 43. *Hodie mecum eris in paradiſo*; aquâ enim regenitus non erat, abſque vero regeneratione tali, inquit hic textus, *nemo poteſt regnum Dei videre.*

Nihil hiſce rationibus à quæſitore præter hoc unicum opponitur: *Si hæc vera eſt expoſitio*, inquit, *univerſa igitur Catholica Eccleſia, omnes fere S. Patres, & Lutherani erraverunt, atque etiamnum errant, &c.* Reſpondeo, 1. Fac ita eſſe, hic error ſaluti æternæ conſequendæ non officeret. 2. Nec error eſſet in expoſitione clari aut nudi alicujus ſed obſcuri Scripturæ loci. 3. Quid mirum ſi omnes Patres, vel ſimul, vel alter alterius veſtigia prementes, hac in re erraſſent? Nonne ſimul multis aliis in rebus errarunt, imo in expoſitione loci *Joannis* VI. 53. qui ſimilem cum hoc de quo quæritur ſenſum continet, *Amen amen dico vobis, niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habetis vitam in vobis*

*ipſis?* Planè. Siquidem non ſolùm *Cyprianus*, *Auguſtinus* & *Pontifex Innocentius* I. hunc locum ſic interpretati ſunt, ut inde non ſolùm pædobaptiſmi neceſſitatem elicuerint, ſed panis & vini communionem infantibus in cœnâ neceſſariam docuerint, ſub damno ſalutis eorum æternæ, quia par & æqualis loci hujus, *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis & biberitis ejus ſanguinem, non habetis vitam in vobis ipſis*, & illius ratio eſt, *Niſi quis natus fuerit ex aqua & ſpiritu non poteſt introire in regnum Dei.* Sed etiam ſex integris ſæculis locus hic ſic expoſitus & uſu confirmatus fuit; hæc expoſitio tamen, & conſuetudo à Tridentino Concilio rejecta & abrogata fuit, non ſolùm uti non neceſſaria, ſed etiam ut *indecora*, prout Maldonatus in commentario ſuo ad caput VI Joannis exponit. Nonne etiam univerſa Catholica Eccleſia, imo Patres ſimul ac pariter omnes ex loco *Rom.* V. 12. *In quo omnes peccarunt*, collegerunt ſub voce OMNES *ipſam etiam virginem Mariam* includi, & propterea *originalis peccati* labe æque ac cæteros mortales inquinatam fuiſſe? Hoc, inquit *Eraſmus*, non docuerunt tantùm *Ambroſius*, *Auguſtinus*, *Chryſoſtomus*, *Remigius*, *Maximus*, *Beda*, *Anſelmus*, *Bernardus*, *Echardus*, *Antonius Paduanus*, *Bernardinus*, *Bonaventura*, *Thomas*, *Vincentius*, *D. Antonius*, *Hugo de S. Victore*, *&c.* ſed hoc etiamnum docent ac inculcant, & in *Tridentino Concilio* acriter defenderunt *Dominicani: Declarat tamen hæc ipſa ſancta Synodus* (verba ſunt Seſſ. v. in appendice decreti de originali peccato) *non eſſe ſuæ intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam & immaculatam virginem Mariam.* Et nuper Hiſpanis bulla expreſsè injunxit Pontifex, ut immaculatam Virginis conceptionem crederent. Nonne itidem univerſa antiqua Catholica Eccleſia, imo Patres fere omnes, crediderunt & docuerunt Sanctorum animas, Dei conſpectu ante diem ultimi judicii non fruituras? Quibus tamen Florentinum Concilium directè ſe oppoſuit, ac definivit contrariam opinionem non modo veram & indubiam, ſed, uti fidei articulum, ad ſalutem creditu neceſſariam eſſe, uti Thomas Stapletonus agnoſcit. Nonne pariter omnes antiqui Patres conjunctim, & ſinguli ſigillatim crediderunt ac docuerunt in rebus fidei, vel in expoſitione Scripturarum, neminem ipſorum nudæ aſſertioni fidem adhibere debere, nec ipſorum opinionem ad priorum Scriptorum mentem exigere, ſed eorum dicta, & expoſitiones omnes ad lydium Scripturarum lapidem ſolùm probare, an nimirum cum illis congruant nec ne? Et tamen communem Patrum conſenſum Romana nunc Eccleſia pro fidei regulâ & normâ expoſitionis Scripturæ ipſa habet & ab aliis haberi vult. Silentio nunc præterire libet quæ de millenario Chriſti in terris regno Patres crediderunt, loco *Apocal.* XX. 4, 5, & Apoſtolorum traditione nixi, quam tamen opinionem Romana Eccleſia nunc rejicit. Conſultò etiam generalem Patrum ſententiam de non jurando miſſam facio, quam ex loco *Matth.* V. 34. clarè evinci poſſe putabant; Ut jam de innumeris aliis plurimis non loquar, quæ nunc à quæſitore ſuiſque omnibus pro falſis & erroneis habentur ac rejiciuntur.

### SEXTUM QUÆSITUM.

*Similiter quæro, an Scripturæ perſpicuitas conſiſtere poſſit eum in quæ Chriſtus* Joan. VI. verſ. 53. *& 55 dicit*, Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem non habebitis vitam in vobis. Caro enim mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. *Locus enim hic qui ſenſum ſaluti neceſſarium continet, debet vel de verâ manducatione carnis & verâ bibitione ſanguinis Dominici in Sacramento intelligi; & ſic errant rurſus Reformati & in claram veritatem impingunt: vel de alia manducatione hic loquitur Dominus, uti Reformati penè omnes interpretantur; & ſic errant adverſus claram veritatem Huſſitæ, qui hæc verba de ſacramentali manducatione intelligunt, uti & univerſa Catholica Eccleſia, Patreſque omnes qui ſuper hunc locum ſcripſerunt, quique hæc de manducatione & bibitione carnis & ſanguinis Dominici intellexerunt. Hinc verò ſequitur, vel hunc locum, ſaluti neceſſarium, obſcurum eſſe, vel quoſdam ex utraque parte adverſus conſcientiam & claram veritatem docere; quod an præſumi poſſit dijudicandum relinquo.*

### RESPONSIO.

*Neque itidem locum Joan. VI. 53, 55, qui hic expenditur.*

Nec obſtat hic locus perſpicuitati Scripturæ S. in rebus ad ſalutem ſcitu & creditu neceſſariis. 1. Quamvis enim contineat hic locus articulum ad ſalutem ſcitu neceſſarium, non ſequitur tamen locum hunc intellectu facilem ac clarum eſſe, uti in præcedentibus demonſtravimus: Et quamvis hoc quod hîc continetur obſcurum ſit, illud ipſum tamen aliis in locis nudè ac clarè propoſitum eſſe poteſt, uti & revera etiam nudè & clarè propoſitum eſt. Ratio mea hæc eſt: Aut volumus de manducatione corporis & de bibitione ſanguinis Dominici in Sacramento, hoc eſt in Cœnâ Domini, quæ ore ſit; vel de ſpirituali manducatione quæ fide peragitur, hoc in loco Servatorem loqui. Si de primâ manducatione hic agi velimus, tum poterit ac debebit hic locus ex illis locis intelligi ubi Chriſtus Sacramentum vel Cœnam ex profeſſo inſtituit, vel ubi inſtitutio illa ab Apoſtolis, Paulo imprimis, refertur, quæ procul dubio clara & intellectu facilia ſunt. At ſi de ſecunda ſeu ſpirituali manducatione & bibitione ſacræ Chriſti doctrinæ quæ fide fit, hæc verba accipiamus, tum poterit ac debebit hic locus ex locis illis nudis ac claris intelligi, quæ de fide loquuntur, & teſtantur quòd *qui in Filium credit habet vitam æternam.* Et contra *qui Filio non credit, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper ipſum*, *Joan.* III. 36. quod ſæpius in Scripturis legere eſt. Quocunque igitur modo vel ſenſu locus hic accipiatur, hoc ab unâ parte certum manet, quod ſenſus qui ex hoc loco elicitur, alibi in Scripturis clarè reperiatur; ab alterâ verò parte quicunque ex duobus illis ſenſibus aut expoſitionibus eligatur, nullum hac in re damnabilem errorem aut hæreſim eſſe.

Ex hiſce verò 1. ſi Quæſitor (poſito quod ipſi concedatur hîc de manducatione carnis & de bibitione ſanguinis Chriſti agi, quæ in Cœna ore peraguntur) colligere vult, nos in Cœna Chriſti carnem verè manducare, & ſanguinem ejus verè bibere, hoc eſt nos propriam corporis ſive carnis & ſanguinis Chriſti ſubſtantiam ore manducare & bibere, pro certo ſumit quod ipſi probandum eſt, & hoc pro certo ſumens, pro certo etiam habere debet, non ſolùm Chriſtianos omnes, nemine excepto, æque Chriſti ſanguinem in Cœna bibere teneri, ac Chriſti carnem manducare tenentur, quia æquè expreſsè legitur *niſi biberitis ſanguinem meum*, ac *niſi comederitis carnem meam*, quod ipſe tamen Laicis non concedit; ſed inſuper etiam, æquè infantibus Chriſti carnem edendam, & ſanguinem ejus in Cœna bibendum apponi & propinari debere, ac adultioribus; quia ex præcedenti *Joannis* III. 5. loco collegit, omnes indiſcriminatim infantes & adultos aquâ baptizari debere, quoniam legitur, *niſi quis natus fuerit ex aquâ & Spiritu non poteſt introire in regnum Dei.* Hîc enim idem loquendi modus extat: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habetis vitam in vobis ipſis.* Et hoc majoris ponderis apud eum eſſe debet, quòd *Auguſtinus*, & *Pontifex Innocentius*, imo univerſa, uti ipſe loquitur, Catholica Eccleſia, ſex integris ſæculis, hoc ſic intellexit ac credidit; Et hoc ipſum tamen non modo ut non neceſſarium, ſed verò etiam ut indecorum à Concilio Tridentino repudiatum eſt.

Sed 2. de corporali manducatione & bibitione carnis & ſanguinis Chriſti in Sacramento vel Euchariſtia, Servatorem non agere ita clarum ac manifeſtum eſt, ut manibus, quod dicitur, palpari poſſit. Nam 1. nondum Cœna à Chriſto inſtituta erat, ac conſequenter non potuerunt Apoſtoli & Diſcipuli Chriſti hæc verba de Cœna intelligere. 2. Si hæc verba de Cœnâ Dominicâ intelligantur, inde conficietur, nullum è Chriſti Apoſtolis & Diſcipulis vitam ad hoc uſque tempus in ſe habuiſſe, nondum enim Cœnam cum Chriſto ſumpſerant; cùm tamen contrarium ſæpe de ipſis in Scripturis permbeatur. 3. Hæc verba verbis inſtitutionis Cœnæ Dominicæ aperto fronte adverſantur, ſiquidem Chriſtus in inſtitutione Cœnæ, de pane dicit, *hoc eſt corpus meum*, hîc verò de ſe ipſo, *Ego ſum panis vitæ, qui venit ad me non eſuriet*, *Joan.* VI. 35, 48, *&* 51. Quod ibi *ſubjectum*, illud idem eſt hîc *prædicatum*. In verbis inſtitutionis dicit Paulus, quòd *qui manducat & bibit indignè, judicium ſibi ipſi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini*, 1. Cor. XI. 29. Hîc abſolutè dicitur verſu 51. *Ego ſum panis vivus qui de cœlo deſcendi, ſi quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum.* & *verſu* 54. *Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum noviſſimo die.* & *verſu* 56. *In me manet & ego in illo.* & *verſ.* 57. *Qui manducat me, & ipſe vivet propter me.* & *verſu* 58. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Quid hiſce claris rationibus opponi poteſt?

*Errant igitur*, inquit Quæſitor, *adverſus claram veritatem Huſſitæ, qui hæc verba de ſacramentali manducatione intelligunt, errat pariter univerſa Catholica Eccleſia, Patreſque omnes, qui ſuper hunc locum ſcripſerunt, quique hæc de manducatione & bibitione carnis & ſanguinis Domini intellexerunt.* Reſpondeo, 1. Fac ita eſſe, an magnus vel dãnabilis eſt error quod hunc locum de ſacramentali manducatione intellexerunt? non hoc error eſt circa fidei articulum, ſed hallucinatio ſuper hunc locum. 2. Mirum-ne videri debet ſi in interpretatione hujus loci erraverint? cùm præcipui è Patribus, *Auguſtinus* ipſe, *Innocentius Pontifex*, ac multi alii, per ſexcentos annos docuerint, hunc locum de infantibus etiam intelligi debere, quam tamen opinionem Eccleſia Romana pro erroneâ nunc habet. 3. *Pontifex Adrianus* dicit expreſsè *Quæſt.* 1. *Art.* 2. *de Sacro Baptiſ.* hæc verba de ſpirituali manducatione eſſe ſumenda, quæ fit *incorporatione per fidem & charitatem.* Janſſe-

nius

nius Gandavenſis Epiſcopus Concordiæ Euangelicæ cap. XCV. ab illa ſententia non recedit, cum ſcribit hunc locum, vel non catholicè vel non admodum commodè de ſacramentali manducatione intelligi poſſe, atque illorum argumentum qui ex hoc loco ſacramentalem manducationem evincere volunt nihil concludere aſſerit; imo hunc locum per verba præcedentia *verſus* 35. exponit, inquiens, Dominum Jeſum omni procul dubio de ſacramentali fruitione Cœnæ ibi non loqui, ſed de manducatione per fidem; additque Patres hunc locum ut plurimum de ſacramentali manducatione *extenſivè & applicativè* exponere. Ut jam ſilentio prætermittam quod *Maldonatus* ipſe ingenuè agnoſcit, quoſdam inter veteres fuiſſe, quos etiam ſuis nominibus deſignat, qui hunc cibum de quo Servator Chriſtus hîc loquitur, de Chriſti verbo ac doctrina intelligant & interpretentur.

Hæc autem cum ita ſint, ſi Quæſitor præfractè adhuc ſuſtinere audeat locum hunc ab universâ Catholicâ Eccleſiâ & omnibus antiquis Patribus de tali ſacramentali manducatione intellectum fuiſſe, qualem hodie intelligunt & urgent Pontificii; tum dico, falſum hoc eſſe, imo falſiſſimum, cum contrarium potius verum ſit, ut jam multoties à variis oſtenſum fuit, præcipuè ab *Edmondo Albertino* in libro ſuo *de Euchariſtia Antiquæ Eccleſiæ.*

## Septimum Quæsitum.

*Quandoquidem creditu neceſſarium eſt, baptiſmum à Chriſto inſtitutum, & ſecundùm Chriſti inſtitutionem adminiſtrari debere, prout ipſe dicit,* Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti: *Et Reformati hæc verba vel altâ & clarâ vel ſaltem ſubmiſſâ voce proferunt. Quæro ego an hoc ad eſſentiam baptiſmi neceſſario requiratur nec ne? Si neceſſum ſit, ex quo Scripturæ loco hoc planum ab ipſis fiat? Ex præcedentibus hoc neutiquam evinci poteſt, cum præcedentia verba hoc non dicant, imo ita intelligi poſſint, ut hîc indicetur baptiſmum ab illâ adminiſtrari debere qui autoritatem à Patre, Filio & Spiritu S. acceperunt, uti Chriſtus alibi dicit,* In nomine meo ejicient Dæmones, *hoc eſt, ut poteſtatem & autoritatem à me habentes; Nec ex alio loco, cum loca alia nulla reperiantur quæ hoc clarè dicant. Sin minus,* An Catholica *Eccleſia in adminiſtratione tam neceſſarii Sacramenti ſecundum Chriſti inſtitutionem ſemper erraverit, quæ hæc verba, aut quædam ſaltem ex illis, ſemper credidit ac docuit, altâ voce neceſſariò enunciari debere.*

## Responsio.

*Probari non poſſe Chriſtum certam verborum formulâ in baptiſmo præſcripſiſſe.*

Certum eſt nec ex verbis inſtitutionis aquæ baptiſmi, nec ex ullis loci illius circumſtantiis, nec ex aliis ullis Scripturæ locis apodictiçè demonſtrari poſſe Chriſtum certam verborum formulam, baptiſmi ritè adminiſtrandi gratiâ, præſcripſiſſe. Illis enim verbis, *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti,* non magis præcipitur Apoſtolis, ut quando baptiſmum adminiſtraturi ſunt, tali verborum formulâ, non dico neceſſariò, ſed ſimpliciter, utantur, *Baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti,* irritum alioquin & illegitimum eorum baptiſmum futurum; quàm hiſce verbis, *Facite diſcipulos, docentes eos ſervare omnia, quæcunque mandavi vobis,* iiſdem mandatur, ut quando Euangelium annunciaturi ſunt hac verborum formulâ utantur, *Facio diſcipulos*, vel *Doceo vos ſervare omnia, &c.* Non liquet etiam ex ullo Scripturæ loco Chriſti Apoſtolos & Diſcipulos, ſive ante, ſive poſt hanc inſtitutionem, tali verborum formulâ uſos fuiſſe; hoc verò liquet eos baptizaſſe *in nomine Chriſti*, vel *in nomine Ieſu Chriſti*, vel *in nomine Domini Ieſu*, vel *in nomine Domini*, vel *in Ieſum Chriſtum. Actor.* II. 38. & X. 4. & XIX. 5. *Rom.* VI. 3. *Galat.* III. 27. qui baptiſmus tamen, baptiſmum in ſe procul dubio continebat adminiſtratum in nomine Patris, qui Filium ſuum Jeſum Chriſtum miſerat, & in nomine Spiritus ſancti, quo Chriſtus unctus & confirmatus fuerat, ut doctrinæ ac baptiſmo ejus ſigillum veluti apponeretur. Cùm etiam ea quæ Paulus 1. *Cor.* I. 14. ſcripſit, attentè apud animum meum revoco, *Gratias ago Deo, quòd neminem veſtrum baptizavi, niſi Criſpum & Gaium, ne quis dicat quod in nomine meo baptizavi*, admodum mihi veroſimile fit, nullam certam verborum formulam tum temporis cum baptiſmus adminiſtraretur uſurpatam fuiſſe, vel ſaltem hanc formulam nondum in uſu apud omnes fuiſſe, *Baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, uti nec formulam illam *Baptizo te in nomine Ieſu Chriſti.* Si tum enim conſuetudo ubique & apud omnes obtinuiſſet, ut hac vel illâ tanquam certâ & immutabili verborum formulâ uſi fuiſſent, vel neceſſariò ſecundùm Chriſti inſtitutionem, uti debuiſſent; quis de Paulo non dicò dicere ſed ſuſpicari potuiſſet, eum *in ſuo nomine proprio* baptizaſſe? Chriſtianos verò poſtmodum conſultum judicaſſe quâdam baptiſmi adminiſtrandi formulâ uti, non ægrè mihi perſuadeo. Quod autem formula illa, certa & iiſdem verbis ubique concepta & uſitata formula fuerit, manifeſtè falſum eſt; uti ex diversâ Græcæ & Latinæ Eccleſiæ nunc uſitatâ formulâ, & ex variis in utriſque Eccleſiis olim uſitatis formulis liquet. Uſitatiſſimam hanc in Occidentalibus Eccleſiis fuiſſe formulam *Baptizo te in nomine Patris, Filii, & Spiritus ſancti*, libenter & ultro concedimus; quodque eadem formula, ab Eccleſiis noſtris idcirco recipiatur, & *altâ*, (non verò, uti quæſitor dubitare videtur, *ſubmiſſa*) voce recitetur, omnibus manifeſtum eſt. Quod verò Catholica Eccleſia hujus formulæ verba, vel quædam ſaltem ex illis, (dic ſodes quænam *illa* ſint? Hæc à te expreſè indicari debuiſſent) tanquam rem ſaluti neceſſariam, altâ voce pronunciari debere ſemper docuerit, utpote quibus propria & eſſentialis baptiſmi forma continetur, ita ut ille, ſuper quem hæc verba cum baptizatur in *forma* non efferuntur, pro non baptizato, & à ſalute cœleſti idcirco excluſo habendus ſit, niſi denuo hâc expreſsâ verborum formulâ baptizetur, craſſa ignorantia eſt ac manifeſta falſitas. Fac verò rem ita ſe habere, ſemper idcirco erraſſe dicenda eſſet Eccleſia, ac etiamnum craſſiſſimè errat Romana Eccleſia, quæ hanc ſibi autoritatem aſcribit, quamvis præceptum aut exemplum iſtius rei in Scripturis, aut fundamentum in Antiquitate nullum habeat; nec ſolùm eos omnes flammis æternis adjudicat, ſuper quos hujus Formulæ verba cum baptizati fuerunt enunciata non ſunt, ſed omnes etiam antiquos Patres, multoſque ex recentioribus ſuis Doctoribus ad orcum mittit, qui baptiſmum illum pro legitimo baptiſmo haberi poſſe & debere judicarunt ac docuerunt qui *in nomine Jeſu Chriſti* ſolùm fit. Ex antiquis *Ambroſium* in illâ fuiſſe ſententiâ, palam eſt, qui pro more ſuo, uti fatetur Bellarminus, Baſilium ſequitur; nec non *Pontificem Nicolaum* qui in *Canone à quodam Iudæo, Conſecr. d.* 4. ad Conſulta Bulgarorum reſpondens Ambroſii ſententiam admittit & laudat, inquiens *A quodam Judæo neſcitu utrum Chriſtiano an Pagano, multos in patria veſtra baptizatos aſſeritis, & quid inde ſit agendum conſulitis. Hi profectò ſi in nomine Sanctæ Trinitatis, vel tantum in nomine Chriſti (ſicut in Actibus Apoſtolorum legitur) baptizati ſunt, unum quippe idemque eſt ut ſanctus Ambroſius exponit, rebaptizari non debent.* Ambroſio & Nicolao Pontifici jungit *Martinus Becanus, Bedam, Bernardum* cum quibuſdam, ut ipſe loquitur, aliis. Præcedentibus addit *Dominicus Soto in* 4. *ſentent. Diſtinct.* 4. *Quæſtione unica Art.* 6. Doctores plurimos Veteres & Recentiores, *Cyprianum Epiſt. ad Quirinum. Athanaſ. lib. de Trinitate & Spiritu S. Scriptorem imperfectè operis in Matth. Homilia* 3. *Bedam in Lucam cap.* 3. *Hugonem lib.* 2. *de Sacram. parte* 6. *cap.* 3. & hoſce ſequentes *Magiſtrum Sententiarum lib.* 4. *Diſtinct.* 3. *Altiſiodorenſem, Alexandrum, Bonaventuram, Paludanum, Marſilium, Cajetanum, &c.* Hi omnes (inquit ille) arbitrantur, etſi una dumtaxat perſona expreſſe nominetur, tres tamen perſonas (modo Trinitas agnoſcatur) ſub illa expreſsâ perſona implicite contineri, atque baptiſmum verum & legitimum eſſe, qui in Nomine Jeſu Chriſti ſolùm in Formulâ expreſsè peragitur. *Richardus in* 4. *Sentent. Diſtinct.* 3. *Art.* 2. *Quæſt.* 2. neutrum definire audet, ſed eos *ſub conditione* rurſum baptizandos eſſe arbitratur, qui in nomine tantùm Jeſu Chriſti baptizati fuerunt, hoc eſt, ſi primus baptiſmus qui *in nomine Ieſu Chriſti ſolùm* peractus eſt, verus baptiſmus non ſit; quâ de re ſe ambigere oſtendit. *Neminem denuo baptizandum eſſe* expreſſis verbis dicit Cajetanus, modo cum baptizatus fuit, *formula* uſurpata fuerit, quæ *idipſum contineat* quod verba *ego te baptizo in nomine Patris, Filii, & Spiritus ſancti* in ſe complectuntur. Sic etiam agimus, quamvis illâ verborum formulâ *Baptizo te in nomine Patris, Filii, & Spiritus ſancti* utamur, ac eam retineamus, ſed ſub tali tamen conditione, ut baptiſmus pro legitimo à nobis habeatur, quamvis iſta verba *in forma* expreſſe non proferantur. In eadem cum *Cajetano* ſententiâ eſt *Pontifex Adrianus I. Art.* 2. *Quæſt.* 2. Concedo igitur (inquit ille) cum Hugone de ſancto Victore baptiſmum in nomine Jeſu Chriſti peractum, legitimum eſſe, abſque etiam ſpeciali Dei conceſſione. Nec rationem videmus cur ad ſalutem neceſſum ſit, vel ad baptiſmi eſſentiam neceſſariò requiratur, ut verborum certa formula in adminiſtratione baptiſmi recitetur. Inſuper vero ne quæſitori non abunde ſatisfeciſſe, aut reſpondentis vices non omni ex parte impleviſſe videar, quæro ego viciſſim ac retorqueo.

Cùm baptiſmus ſecundùm Chriſti inſtitutionem adminiſtrari debeat (uti Quæſitor dicit) An certum aliquod æque indubium præceptum ex Scripturis Sacris produci poſſit, ſecundùm quod baptiſmus adminiſtrandus ſit, & in quo verâ ac neceſſaria forma, hoc eſt baptiſmi eſſentia conſiſtat; nec ne. Si produci poſſit, proferatur *Retorſio.*

illud certum præceptum. Sin secus, Quæ ratio subsit cur Dominus Jesus cum baptismum (prout quæsitori placet) tanquam regenerationis unicum remedium, ad salutem æternam consequendam prorsus necessarium instituit ac præcepit, Formulam expressam non instituerit in qua baptismi forma & essentia consistat, absque quâ baptismus illegitimus, imo vanus ac inutilis prorsus est, uti Quæsitor credit? vel si velimus Christum hisce verbis, *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti*, hac formulâ nos uti jussisset, quid causæ sit, cur in Actis & Epistolis Apostolicis, ubi toties de baptismo agitur, nuspiam tamen vel verbulo unico indicetur hâc formulâ veluti essentialem baptismi formam in se continente, usos unquam Apostolos, in exemplum obedientiæ Christi institutioni & præcepto debitæ, imo in exemplum Christianis Ecclesiis in posterum semper observandum? Si hanc Christi institutionem non clare è Scripturis evinci sed è Traditione Ecclesiæ, uti Bellarminus & alii inquiunt, hauriri posse & debere dicas, Tum quæro, An certa ac indubia traditio aliqua sit, quâ ab initio declaratum ac constitutum fuit, ut hæc formula vel verba, *Baptizo te in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti*, si non omnia, quædam saltem ut necessaria semper proferrentur, nec ne. Si ita se res habeat. 1. Producat oro Quæsitor illam Traditionem, veluti Traditionem semper & ubique necessariam. 2. Si Traditio hæc clara sit, an omnes illi tam veteres quàm recentiores Doctores, qui formulam illam non necessariam esse judicarunt, inter quos Cardinales imo Pontifices numerantur, traditionis hujus ignari fuerint, An verò illius gnari cum essent, ei tamen deditâ operâ contradicere, & ita formam ac essentiam baptismi annihilare voluerint? hoc est, an illi tam stupidi vel insigniter improbi fuerint, ut non potuerint vel noluerint scire, vel se claræ Apostolicæ Traditioni submittere, quæ ab Ecclesiâ Catholicâ pro necessariâ semper habita & observata fuerat?

## Octavum Quæsitum.

*Quandoquidem Christus priusquam Cœnam instituerat, suorum discipulorum pedes lavit, ac præcepit ut invicem pedes lavarent; Et præcepta Christi ad salutem observatu necessaria sunt; An præceptum hoc etiamnum observari debeat nec ne? Si non amplius eo teneamur, ex quo Scripturæ loco illud clarè evinci possit? Si verò teneamur, Cur Reformati Christi exemplum ac mandatum hac in parte non sequantur?*

## Responsio.

*De pedum lotione à Christo præcepta.*

Ineptissimum est hoc quæsitum; per retorsionem ei respondere possum: &, si eadem Quæsitori reponerem, quid quæso ad ista haberet? Videlicet num mutua pedum lotio Christi expressum mandatum & Christi mandatorum observatio ad salutem necessaria sit, nec ne? Si expressum Christi mandatum non sit, cui bono aut fini hîc quæritur num illud observemus, & quare non observemus? Si expressum sit mandatum & Christi Domini mandata observatu ad salutem necessaria sint, ad quid secundum hoc quæsitum, An observari debeat nec ne? Præcepta enim quorum observatio ad salutem consequendam necessariò requiritur, executioni semper mandari debent, vel non. Si ea semper exequi necesse non sit, quænam igitur illa sunt præcepta, quæ semper observanda sunt; & unde nam ea semper exequendi necessitas infallibiliter dignosci ac dijudicari poterit? Item cur unum præceptum magis quàm aliud, & hoc minus quam præcepta alia, semper, & etiamnum consequenter præstari debet? Si semper observari debent, cur Quæsitor cum suis hoc mandatum non servat, & cur invicem pedes non lavant? Alterutrum fateatur oportet, vel Papisticam Romanam Ecclesiam hoc Jesu Christi mandatum hodie adhuc observare, vel eandem Ecclesiam hujus præcepti observationem nunc abrogasse. Si primum dicat, unde illud apparet? Lavantne Pontificii invicem pedes? hoc forsitan à sua Ecclesia die Jovis ante Pascha observari credit. Sed quæso hoccine est Christi mandata exsequi, an potius ea in ludum & histrioniam vertere? Ubi enim illa mutua pedum lotio? Quid ineptius quàm sibi imaginari Christum suis præcepisse ut pedes invicem quotannis semel lavarent? Si verò secundum dicat, tum quæro à quo, ubi, & quando Ecclesia, quæ Domini & Sponsi sui solum voci aurem præbere debet, jus & potestatem acceperit unum vel minimum Domini ac Magistri sui præceptorum, cujus observatio ad salutem necessaria est, rescindendi, & irritum reddendi? Noune est *de Fide*, quod divina mandata à nullo mortali immutari, multo minus abrogari possint?

Sed ut Quæsitori hac in parte satisfaciamus, dico insuper, Quod quamvis ab omnibus fere Christianis pro certo habeatur Christi scopum hoc in loco hunc imprimis esse, Discipulos suos docere, iisque mandare, ut erga se invicem humiles & officiosos ita se præberent, ne vilissima quæque officia præstare renuerent, sed paratos ad omnia se semper ostenderent, inter quæ & lotio pedum in calidioribus Orientis regionibus numerabatur, quæ apud ipsos à vilissimis mancipiis præstabatur; cum sæpissime vel nudis omnino pedibus, vel cum sandaliis solis calceati iter facere solerent; at mentem ejus hoc in loco nunquam fuisse, ut lotionem illam pedum tanquam externam cæremoniam solùm semper & ubique observarent. Nos tamen verba Christi, quoniam obscuritate omni carent, ita accipere, ut præceptum in se complectantur, cujus observatio etiamnum & deinceps necessaria est, quando nempe pedum lotio pro humilitatis, amoris & officii opere quod proximis nostris præstare tenemur, accipitur: Sed, uti omnibus palam est, esse quædam Christi præcepta quæ nos *pro semper & ad semper*, ut loquuntur, obligant; quædam verò quæ nos non ita obstringunt, sed tum demum solùm cum occasio illud permittit vel necessitas ita fieri postulat. Exempli gratiâ, præceptum eleemosynam erogandi, quod quidem nos non obligat, nisi tum cum pauperes sunt quibus porrigatur, & cum facultates nobis suppetunt ex quibus largiamur, &c. Ita, inquio ego hac occasione, præceptum hoc ejusmodi est præceptum, quod ad posterius præceptorum genus referri debet, quod nos tum demum obligat invicem pedes lavare, cum occasio se offert, & proximorum, fratrum aut sororum necessitas exigit, ut iis non præstemus officiosos & auxiliares manus præbeamus. Quis enim hanc pedum lotionem ubique, absque ratione aut necessitate, imo frigidissimis in locis, ubi pedes anxiè adversus pulverem aliasque sordes nitidi servantur, exercere vel theatrici ludi instar Papistico more semel in anno observare videri vellet, næ adsurdissimè ineptissimeque eum facere judicarem. Sed tempore opportuno & cum necessitas id postulat, uti in terra Judaica occasio ac necessitas se sæpius offerebant, pedes invicem lavandi, prout ex *Genes.* XVIII. & XIX. *cap.* aliisque plurimis locis videre est, hoc officiosi amoris, & benevolentiæ opus est, & idcirco à Paulo inter bona opera refertur, quibus Apostolus viduas ornatas esse vult, quæ ad ministerium Euangelii vel Diaconiam eliguntur, *Si Sanctorum pedes lavit* 1. *Tim*, V. 10.

Ad hoc igitur Quæsitoris ζήτημα, an præceptum istud etiam-num exequi teneamur nec ne? Respondeo, Tenemur. Et cum insuper quærit, cur hoc igitur non observemus? Responsum do, nos hoc effectum dare teneri quotiescunque necessitas id à nobis exigit, & occasio sese nobis offert. Sed quid ejus Interest, utrum hoc præstemus nec ne? Decorumne ipsi est rationem à nobis exigere cur hoc non exequamur? An verò arbitratur hoc cum solemni supplicatione, in publico, in media Ecclesia, die Jovis ante Pascha, coram omnibus omnino hominibus peragi debere, sicut hypocritæ, qui cum orant ab hominibus conspici amant, & tuba ante se clangi, vel campanas pulsari volunt, ut videre possimus Pontificem vel Archiepiscopos duodecim mendicantium, bene antea lotorum, vel Abbates suorum monachorum pedes, multis cum cæremoniis ac magno cum apparatu, lavare velle, ac jam in procinctu esse ut eos lavent, in signum humilitatis & ministerii? Quasi verò hoc sit Christi mandatum observare. Absit hoc à nobis, ut Christi mandatum simiarum instar imitari velimus, vel in ejusmodi vana pompa, gravis ac serii Christi præcepti observationem positam esse credamus.

## Nonum Quæsitum.

*Quandoquidem Reformati docent, ab hæreticis baptizatos denuò baptizari non posse, an hoc clarè è Scripturis evincere possint, necne? Si possint, locum in medium proferant. Sin secus, cur hanc illi traditionem recipiunt, adversùm id quod superius docuerunt?*

## Responsio.

*De non repetendo haereticorum baptismo.*

Quæsitum hoc, An qui ab hæreticis baptizati fuerunt denuo baptizandi sint nec ne, pro quæsito habemus, quod nec scitu ad salutem necessarium, nec decidi opus est, idcirco supervacuum judicavimus, ei affirmando vel negando respondere. Quod igitur Quæsitor *primò* præsupponit, Reformatos scilicet docere eos denuo baptizari non posse qui prius ab hæreticis baptizari fuerunt, hoc nos non tangit.

Qui

Qui hoc inter Reformatos urgent, ii viderint quomodo id demonſtrare poſſint. Quod verò *ſecundò* quærit, cur hanc traditionem recipiamus, illud ſimiliter mirum in modum abſurdè ab eo fit. Hoc enim non ita recipimus ac ſi traditio eſſet, mùlto minus ac ſi traditio eſſet ad ſalutem æternam conſequendam creditu plane neceſſaria. Nihil minus: ſed hoc uti opinionem, judicio noſtro, rationi conſentaneam, amplectimur, neminem tamen ei alligantes, ſed unicuique liberum ſuum ea de re judicium relinquentes.

Mirum vero alicui videri poſſit quod Quæſitor, hanc inter alias quæſtionem proferre fuerit auſus, ut ſcilicet claras ac perſpicuas Scripturas non eſſe nos doceat, atque hoc pacto ad certas & indubias traditiones ſuas amplectendas nos redire cogat, ex quibus quid de hac re tota credendum ſit conſtat; cùm ipſe probè ſciat vel ſaltem ſcire debeat, quanto cum, non dicam fervore, ſed furore ac odio, res hæc olim agitata fuerit, inter *Africanas Eccleſias*, *Pontificem Stephanum*, atque *Cyprianum*, cui non *Firmilianus* modò, ſed & maxima *Africanorum Epiſcoporum* pars diu multumque adhæſerunt, quique in *duobus Conciliis* adverſus *Romanum Pontificem* decreverunt, ab hæreticis baptizatos denuò baptizandos eſſe. Et, quòd *Bellarminus lib. 4. de Pontifice Romano cap.* VII. conceptis verbis declarat, hanc quæſtionem *de fide* non eſſe, imo nec de fide fuiſſe poſtquam *Pontifex Stephanus* definitionem ſuper hac re feciſſet; cùm ipſe non definiverit, an opinio ſua de fide eſſet nec ne, nec per conſequens etiam, num Cyprianus in contraria ſententia perſtans, hæreticus eſſet nec ne. Quâ de traditione igitur verba facit hic Quæſitor, in quâ veluti in Apoſtolica traditione definitum reperiatur quod illorum ſententia, qui ab hæreticis baptizatos denuo baptizari non debere arbitrantur, ſcitu ac creditu ad ſalutem neceſſaria ſit? Nonne tum temporis illa extabat traditio? Nonne æquè facile ſcire poterant & ſciebant ac iſte Quæſitor, non dico *Cyprianus*, *Firmilianus* atque LXXX *Africani Epiſcopi* tantùm, ſed *Stephanus* etiam *Romanus Pontifex*, talem extare traditionem? Si illis ea nota non fuit, unde eam hic noſter Quæſitor haurire potuit? Si verò ea ipſis nota fuit, cur non igitur Epiſcopus Romanus apertè definivit ſuam opinionem veluti Apoſtolicæ traditioni innixam *de fide* eſſe, & Cypriani ſententiam hæreticam? Cui præterea veroſimile fiet hoc Africanis fuiſſe notum, cum *Africani illi* LXXX *Epiſcopi*, tanto cum conſenſu, *Cyprianum* ipſe ad ultimum uſque ut credibile eſt vitæ halitum, aut ſaltem diu admodum, & toties, non ſolum in illam traditionem inſurrexerint, & contrarium prorſus aſſeruerint; ſed etiam *Romanum Epiſcopum Stephanum* tam audacter & aſperè exceperint, eum, uti ipſe *Bellarminus* narrat, *cæcæ ac pravæ mentis* hominem inclamantes, imo graviora in ipſum alia multa congerentes, uti ex *Firmiliani Cæſareæ in Cappadocia Archiepiſcopi Epiſtola ad Cyprianum* videre eſt.

Regeret forſan nobis Quæſitor, ſe per hanc traditionem, *definitionem* intelligere quæ poſtea à Concilio ſuper hac re facta eſt. Sed qui è Concilii definitione, traditionem nobis fabricat, is in voce *Traditionis* ludit, & propterea à nobis contemnitur. Uno verbo, arbitramur etiamnum hanc quæſtionem non eſſe *de fide*. Qui eam *de fide* eſſe ſtatuit, & ab hæreticis baptizatos rebaptizandos vel non rebaptizandos eſſe aſſerit, ei probatio incumbit. Qui verò hoc jus in medio relinquunt, illi opinionis ſuæ rationem aliam reddere non tenentur, quàm Scripturæ hac in parti ſilentium, quæ nullibi præcipit aut docet, unum vel alterum ſub æternę ſalutis damno creditu neceſſarium eſſe; quod quidem, ut arbitror, hîc ſufficit.

## DECIMUM QUÆSITUM.

*Cùm Reformati ſtatuant nullis alijs rebus fidem adhibendam eſſe, quàm quæ in Scripturis continentur: Quæro ego, An Scriptura univerſa ſimul ſumpta, & omnibus ſuis partibus omnes fidei articulos contineat; an vero in quibuſdam partibus ejus ſolùm articuli illi contineantur? Si prius dicatur, cur Deus igitur varias ejus partes perire permiſit, ut primam ad Corinthios Epiſtolam, (Paulus enim in prima quam habemus ad Corinthios Epiſtola prioris alterius mentionem facit, cap. V. ubi inquit,* Ego ſcripſi vobis in Epiſtola mea) *item Epiſtolam ad Laodicenſes, &c. Unde conficitur nos omnes Scripturas ad ſalutem neceſſariò requiſitas nunc non habere. Quod abſurdum eſt. Sin verò ſecundum dicatur, fidei ſcilicet articulos quibuſdam Scripturæ partibus tantùm contineri, oſtendatur nobis ex Scripturis quibus in partibus & locis dicti articuli contineantur: & cur magis in uno quàm in alio loco extent.*

*De libris Scripturæ qui periiſſe putantur.*

## RESPONSIO.

Cùm nos, uti & Reformati cæteri, ſtatuimus, nihil credendum eſſe præterquam quod Scripturâ continetur, hoc ita intelligimus; Scripturam generatim ſumptam, cum ſuis partibus omnibus, prout nunc extat, omnes fidei articulos non ſic complecti, ac ſi Scriptura univerſa ejuſmodi *corpus* eſſet, cujus libri omnes æquè neceſſarii, ac paris momenti & ponderis, ſive ut *eſſentiales*, ſive ut *integrantes partes* ſint ad perfectionem & integritatem ejus, ita ut libri conjunctim & ſimul omnes ſumpti, vel quiſque ſeparatim etiam, æquè neceſſarius ſit, quod peculiare quid ad ſalutem neceſſarium contineat, quod in libris reliquis non reperiatur; Sed ut *corpus* in quo perfecta ac integra ſaluti neceſſaria doctrina ita abundè continetur, & per partes ejus univerſas, plus minuſve diffuſa eſt, ut anima per omnia humani corporis membra ſeſe diffundit, quod quamvis libri aliqui deperditi eſſent aut nobis deeſſent, uti & corpori membra aliqua deeſſe poſſunt, nihilominus tamen integra Apoſtolorum doctrina abunde & ſufficienter ex reliquis intelligi poſſet, ita ut Deo noſtro debitas gratias perſolvere ſatis nequeamus, quod divinæ ejus Majeſtati, non modo quæ ad veritatis cognitionem præcisè neceſſaria ſunt largiri, ſed iis quæ ad perfectam ejus cognitionem requiruntur copioſe cumulare placuerit, cum tot libros nobis reliquerit, & ad nos uſque providentia ſua pervenire curaverit, quibus nuda ac clara illa veritas abunde continetur. Uno verbo, Nos per Scripturam non intelligimus ſolùm unam vel aliquot Scripturæ partes, ſed Scripturam generatim & ſimul ſumptam (prout ante expoſuimus) hoc eſt illos omnes libros & Epiſtolas, qui procul omni dubio pro libris & Epiſtolis ab Apoſtolis & Euangeliſtis conſcriptis, ab omnibus omnino Chriſtianis habentur.

Hîc rogat Quæſitor, *Cur igitur Deus permiſerit ut variæ ejus partes perirent?* Reſpondeo: Poſito hoc Deum permiſiſſe, quid hoc ad rem de quâ agimus? Alterutrum enim dicendum eſt: Vel libros illos deperditos aliquid continuiſſe, quod ad ſalutem neceſſarium erat, quodque in reliquis libris & Epiſtolis quæ ad manus noſtras pervenerunt, non reperitur; vel articulum aut dogma tale non continuiſſe. Si ejuſmodi quid continebant, unde id certò evinci poterit, cum libri illi perierint? Cui hoc veriſimile fiet, plures nobis Deum reliquiſſe libros, in quibus nihil ad ſalutem neceſſarium eſt, quod in aliis libris abunde non reperiatur, eundem vero permiſiſſe tales Scripturæ partes perire, in quibus aliquid ad ſalutem neceſſarium continebatur, quod in reliquis ſuperſtitibus ſcriptis non reperiatur? Si deperditi illi libri nihil continuerint, præterquam quod in aliis abunde reperiré eſt, quid mirum ſi Deus tales libros interire permiſerit? Sane ſi Deo libuiſſet, Marci & Lucæ Euangeliorum, Epiſtolæ Pauli ad Philemonem, uti & ſecundæ & tertiæ Joannis interitum permittere, nihil eſt cur conquereremur, multò minus cur quereremur, cur hoc Deus permiſiſſet; ſed luculentam inſuper Deo gratias agendi materiam haberemus, quod cæteros ab interitu ſervaſſet & ad manus noſtras pro bonitate ſuâ pervenire curaſſet, utpote in quibus ſufficienter, imo pluſquam abunde contineatur quidquid nobis ad ſalutem ſcitu, creditu, ſperatu & factu neceſſarium eſt, & in deperditis nihil fuerit, quod in hiſce ſuperſtitibus non reperiatur. Si hoc igitur 1. in illis partibus de quibus quæſitor loquitur locum haberet, quid detrimenti Reipublicæ Chriſtianæ quod tales libri periiſſent? Sed 2. Quomodo hoc probat quæſitor, plures ſcilicet Scripturæ partes periiſſe? *Hoc*, inquit ille, *liquet ex prima Pauli ad Corinthios & ex alia ad Laodicenſes Epiſtola &c. quæ nunc amplius non extant.* Unde verò evincere conatur talem primam Epiſtolam à Paulo ad Corinthios conſcriptam fuiſſe? *Paulus*, ait ille, *in prima quam habemus ad Corinthios Epiſtola prioris alterius mentionem injeit, cum* cap. V. verſ. 9. *inquit, Scripſi vobis in Epiſtola mea.* Miſera probatio iſta eſt. Non enim hîc dicit Paulus, Scripſi vobis antea *in priore mea Epiſtola*, uti quæſitor citata verba accipit, hoc ſolùm dicit Apoſtolus, *Scripſi vobis in Epiſtola*, quod de hac ipſa eademque Epiſtola intelligi poteſt & à Theodoreto ſic intellectum fuit, qui expreſsè Pauli mentem ita exponit, *Non in alia ſed in hac.* Nec aliter hæc verba accepit Chryſoſtomus, qui ex hac Epiſtola locum indicat, ad quem Apoſtolus reſpexit, cum dixit, *ſe hoc ſcripſiſſe.* Alio ſenſu hæc Pauli verba non accepit Theophylactus, qui ſuper hunc locum ita quærit, *In quâ Epiſtolâ*, & reſpondet, *In hac ipſâ*; Nec autor Commentariorum qui Hieronymo tribuuntur; *Hoc ipſum* inquit ille, *In hac Epiſtola ita ſcripſit.* At poſito Apoſtolum de alia Epiſtola hîc loqui, nihil aliud tamen ex hiſce verbis confici poſſet; quam id ipſum quod Apoſtolus in hac Epiſtola dicit, *in præcedenti Epiſtola* ab ipſo conſcriptum fuiſſe. Unde manifeſtum fit, non magnopere referre, perierit illa Epiſtola nec ne, cum idem continuerit quod in hac legitur: imo deperdita illa Epiſtola per hanc & in hac Epiſtola conſervata merito dici poſſet. Quod ad Epiſtolam ad Laodicenſes, quam deperditam putant, attinet, nullas rationes affert

quæsitor, credibile tamen est eum ad *6. vers. cap.* IV. *ad Colossenses* respexisse, ubi Epistolæ hujus mentio aliqua fieri videtur. At quæsitorem hunc locum præ pudore producere noluisse arbitror, siquidem nulla ibi mentio fit Epistolæ Pauli ad Laodicenses scriptæ, uti ex Græco textu, & ex antiquissima Syriacâ versione tam clarè quàm Sol in meridie liquet. Hæc verò Epistola, fuit forsan Laodicensium ad Paulum, non verò Pauli ad Laodicenses Epistola. Quid? An Laodiceâ ad Laodicenses scripsisset Paulus Epistolam? Hoc rationi neutiquam est consentaneum. Laodicensium autem Epistolam fuisse ad Paulum scriptam testantur veteres pariterque recentiores authores, & inter alios etiam maxime Pontificii. De hac Epistola audiri meretur Theodoretus; *Quidam*, inquit ille, *crediderunt Paulum etiam ad Laodicenses scripsisse, & confictam idcirco ac suppositiitiam Epistolam producunt. Sed non dixit Apostolus de Epistola ad Laodicenses scripta, sed de Epistola Laodiceâ scripta. de quibusdam enim Laodicenses eum certiorem reddiderant: Et verisimile est Laodicenses in quibusdam Colossenses accusasse, quæ inter eos agitabantur, vel invidia in Colossenses percitos fuisse, ac Paulum idcirco voluisse, ut à Colossensibus illa Epistola legeretur.* Theodoretum non modo hac in re sequuntur, *Sixtus Senensis, Cajetanus, Gagneus Sorbonicus, Justinianus, Guillandus, Salmero, Pamelius*, sed & *Erasmus* in suis Annotationibus ad hunc locum, quæ hîc legi merentur, quin imo & *Cardinalis Baronius in suis Annalibus, ad Annum* LX. *Sectione* XIII. qui postquam de hisce Pauli verbis fusè disseruisset, tandem concludit, *malle se cum Chrysostomo & Theodoreto statuere, nullam à Paulo ad Laodicenses scriptam fuisse Epistolam, quam eum alio contrarium credere, præsertim cum adulterina Epistola illa quæ sub Pauli nomine, quasi ad Laodicenses perscripta, producitur, antiquum nota non fuerit, &c.*

In quæsitorem telum hoc suum sic retorqueo. Quandoquidem Pontificii statuunt S. Scripturas absque traditionibus intelligi non posse; Quæro ego, An traditiones universæ simul sumptæ, & in omnibus earum partibus, ad rectum scripturarum sensum, an verò in quibusdam earum partibus solum, necessariæ sint? Si prius dicatur, An nullæ igitur traditiones unquam perierint? Si non perierint, ostendantur, rogamus, nobis traditiones omnes ita simul junctæ, uti Sacræ Scripturæ libros simul junctos habemus. Sin secus, cur Deus traditiones quasdam perire permiserit? Si posterius dicatur, in quibusdam scilicet traditionum partibus solùm rectum scripturarum sensum contineri, ostendatur nobis ex traditionibus, quibus in partibus & locis dicti Scripturarum sensus contineantur, & cur magis in una quàm in alia parte extent? *Retorsio*

FINIS.

EXA-

# EXAMEN

Theſium Theologicarum

# JACOBI CAPELLI,

quas inſcripſit

## De Controverſiis quæ Fœderatum Belgium vexant;

ET

Satiuſne fuerit tolerari ſententiam Arminii, quam damnari:

*Et Sedani, anno* M.DC.XXIII. *publicè diſputandas propoſuit.*

Auctore M. SIMONE EPISCOPIO.

Editio ſecunda emendatior.

## PARS PRIMA:

*In qua expenduntur Theſes inſcriptæ,*

De Controverſiis quæ Fœderatum Belgium vexant.

*Præfatio.*

QUi de cauſſa aliqua rectè judicare vult, eum oportet apprimè gnarum eſſe rerum omnium, quæ ad eam pertinent, & animum habere ita compoſitum, ut ſine offenſa, ſine gratia judicet. Hoc imprimis eſt neceſſarium, cum de rebus facti quæſtio eſt. De iis enim ſtatui nihil certi poteſt, niſi primùm circumſtantiæ omnes, quæ ad eas quoquomodo faciunt, ritè pervideantur, & ab eo, cuius nihil intereſt, utrum hoc an alio modo habeant. Quia verò earum rerum, quæ extra ſolum noſtrum inter partes geſta ſunt, & ad nos non niſi per famam aut ab altera partium venerunt, circumſtantiæ ſingulæ difficulter admodum perviderí poſſunt, utique neceſſum eſt, ut rectum de iis judicium admodum ſit difficile. Prudens certè vir, qui novit, quam facilè erretur, cum ex incerto famæ aut partis alterius fide cognitio petitur, & quàm ſit difficile animum judicio integrum ſervare, qui gratia odiove partis alterius ducitur, non ante interponet judicium ſuum, quàm omnia penitiſſimè ex utriuſque partis ſententia & ſine affectu perſpecta habeat, niſi prudentiæ gloriâ excidere & temeritatis infamiam velit incurrere. Hæc prudentia ſi ullos, certè Theologos imprimis decet, propterea quòd in rebus ad Religionem pertinentibus ſpecioſius tegi ſoleant partium ſtudia, & judicantium affectus ſoleant eſſe acriores. Fit enim plerumque, ut partes non dicant ſcribantque niſi quod è re ſua eſſe credunt, & qui judicant facilè inclinent fidem ſuam in illam partem, cui favent, & quæ ut triumphet ipſorum intereſt.

Hujus officii ſui parum memor fuit *Jacobus Capellus*, Paſtor & Profeſſor Sedanenſis, cùm non ita pridè Theſes Theologicas diſputandas propoſuit, quas *De Controverſiis quæ Fœderatum Belgium vexant*, inſcripſit. Simulatque eas mihi ante paucos dies exhiberet amicus quidam meus, ſuſpicabar ſtatim affectum non levem fuiſſe, qui Capellum impulerat, ut, quod inſolens ac planè alienum à ſcholæ more eſt, quæſtiones, quæ purè putè facti ſunt, & rerum earum, quæ extra Galliam acciderunt, in gymnaſio ſuo diſputandas appenderet adoleſcentibus, qui de rebus iſtis fortè ne fando quidem audiverunt: Et quia affectus nihil moderati ſolent ſuadere, credebam fieri non potuiſſe, quin narraſſet pleraque, aut aliena prorſus ex partis fortè unius fide, aut pro affectu illo, quo in partem hanc & illam ferebatur. Nec fefellit me opinio mea: Vix enim primam paginam inſpexi, quin dicerem protinus, *Ecce canthærim in porta*: ubi perrexi, ubique pænè me hominis pœnituit & puduit. Inſcitia earum rerum, quæ in Belgio acciderunt, tam ubique eſt obvia, tam palpabilis, ut qui eas oculis ſuis ipſi uſurparunt, aut alioquin obiter tantùm Acta & Scripta publica utriuſque partis inſpexerunt, ſuſpicari jure poſſint, Capello eveniſſe quod Cæſar Gallos in more olim habuiſſe dicit: Ex obviis & advenis omnibus ſciſcitatum eum eſſe, quid ageretur rerum novarum in Belgio, & credidiſſe iis, qui ad voluntatem ipſius ficta reſponderunt. Affectus verò adeò frequenter narrationi miſcuit, ut appareat magnoperè ipſius interfuiſſe, ne aliter narraret aut judicaret.

Et ſanè ſi rem rectè putemus, Sedani nec alia hiſtoria nec aliter ſcribi poterat. Intereſt Principatus iſtius, ut Fœderato Belgio arctiſſimè adhæreat, & ad ipſius fortunam judicium ſuum componat. Hinc factum, ut ſimulatque Synodus Dordracena in Belgio ſententiam dixerat de Controverſiis ibi natis, quod ſexdecim integris ſæculis factum non fuerat, & paſtores pluſquam centum inclementer admodùm exauthoraverat, protinùs exemplum illius ſecutus ſit, & Academiam ſimul atque Eccleſiam ſuam ad inſtar illius compoſuerit. Nempe faceſſere ſtatim à munere ſuo fecit fidiſſimum ac dilectiſſimum Eccleſiæ illius miniſtrum, *Franciſcum Auratum*, quod ex occaſione textus ſui, *Deus neminem tentat*, &c. *Jac.* I. 13. prolixiùs diſſeruerat, Deum non eſſe authorem peccati, atque ex iſto indicio deprehenſus fuerat non abhorrere omnino à damnata in Belgio ſententia. Nec multò poſt, ſimili donativo mactavit Virum Clariſſimum *D. Danielem Tilenum*, Scholæ iſtius, dum ei præfuit, lumen atque ornamentum, poſt viginti annorum expleta ſtipendia, nullam aliam ob cauſſam quàm quòd cum Synodo illa Belgica non ſentiret, & quòd Principatus illius intereſſet ab ea ſeorſim non ſentire. Atque ut teſtatior fieret conſenſio, recepit in ejus locum *Petrum Molinæum*, Galliâ non ob religionem ſed ob πολυπραγμοσύνην ſuam profugum, qui pro Synodo iſta poſt damnatam cauſam fortiter ſcripſerat, oppreſſoſque atque adflictos crudeli præfatione animosè invaſerat, adeoque magnis molitionibus effecerat, ut Synodus iſta non tantùm totidem verbis ac ſyllabis reciperetur per totam Galliam, ſed ut & conſcientiæ & linguæ omnium ac ſingulorum paſtorum, ſolemnis juramenti religione (horreſco referens) ad extremum uſque vitæ halitum obligarentur. Ab hujus collega quid exſpectari aliud poterat, quàm quòd eundem redoleret ſpiritum? Nimirum operæpretium erat, ut anteſignani iſti in Repub. iſta, non tantùm, ſicut olim in velabro olearii, conſentirent; ſed ut audaci aliquo facinore zelum ſuum teſtarentur, & damnationibus præcedentibus atrum etiam ſuum calculum adjicerent.

Neque tamen id volo, quaſi indignum aliquid ſe aut profeſſione ſua feciſſet Capellus, ſi ſententiam ſuam pro Synodo iſta palam atque animosè ſuſtinuiſſet, & contrariam pro virili impugnaſſet. Ablit. Scio arenam iſtam Profeſſorum eſſe, & eorum, qui in ſchola docent. Utinam tantùm intra ſcholæ morem ſtetiſſet, & ſententiam ſuam dixiſſet ſine cujuſquam læſione & injuria! Hæc enim eſt Chriſtiani Profeſſoris

fessoris gloria, ita de veritate & pro veritate dicere, ut erranti non insultare, sed errorem ejus solum damnare videatur. At Capellus non tam id egisse videtur, ut errorem, quem putavit, damnaret, quàm ut mortui Arminii manibus contumelioſè insultaret, & famam eorum, quos sectatores ipsius vocat, infamibus ac diris convitiis laceraret. Qua in re tantum abest, ut famæ atque existimationi suæ consuluerit, ut dignum se reddiderit, qui similibus modis tractetur ab aliis. Ego tamen vicem illi non rependam, ne simili culpæ me obstringam, & λοιδορίας crimine cœlestis hæreditatis meæ spem polluam. Christianus dignior est, quàm ut tam ignobili vindictæ genere pro innocentia sua pugnet. Aliis animis, aliis armis opus est, ut Christo Domino suo serviat & proximum suum servet. Tantùm operam dabo, ut Capellus errorem & culpam suam intelligat, & ut, si fieri potest, sentiat, quàm gravem injuriam divinæ veritati ejusque discipulis intulerit.

In principio *Capellus* prætexit limen Thesium suarum præclaro charitatis elogio; sed *ut ne caritatis obtentu justitiæ & veritati divinæ fraus fiat*, monet. Rectè; Caritas jubet nos aliquando cedere jure nostro, nunquam alieno, nedum divino. Eadem jubet ut veritati necessariæ, sine qua salvi esse non possumus, semper & ubique cum res postulat intrepidè commodemus patrocinium nostrum; in cæteris omnibus rebus toleremus quicquid conscientiam non lædit & æternæ saluti nostræ & proximi non officit. hoc ubi fit, justitiæ & veritati divinæ fraus fieri non potest: quia utrique veritati, tum necessariæ tum non necessariæ suum tribuitur, quando necessaria veritas præcisè retinetur, ut salus nostra æterna constet, & quando in cæteris toleratur quicquid tolerabile est, ut caritas vigeat. Quòd si non toleres, quicquid tolerabile est, suum cuique non tribuis & justitiæ fraudem facis. Si etiam omnem veritatem eodem loco habeas & pari severitate urgeas, veritati necessariæ fraudem facis & vim caritati. Non necessaria veritas necessariæ æquari nullo jure potest. Libertatem ut astringas ubi necesse non est, caritas non patitur. Suum cuique rei justum pondus ac pretium constare debet. Quieti ac tranquillitati externæ consulit caritas, sed communi, sed sine partium studio. Paci studet, sed liberæ, sed spontaneæ, quæ non vi, sed animorum concordia constat. Nunquam in gratiam partis unius suadet damnare alteram, quæ pacem præfert & cum quâ pax & concordia innoxiè coli potest. Qui caritatis interesse putant, ut externæ quieti ac tranquillitati vel Reipub. vel Ecclesiæ, vel plurium consulatur, cum libertatis & tolerantiæ omnis proscriptione, cum damnatione eorum, quibuscum sine ullo salutis periculo aut veritatis necessariæ detrimento concordia iniri aut retineri potest, ne ii parum intelligunt quid caritas Christiana requirat, quæ nos jubet inimicum diligere & cum omnibus hominibus εἰρηνεύειν, εἰ δυνατόν. Politicorum axioma, *Tranquillitas Reipub. suprema lex esto*, tanti faciendum non est homini Christiano, cui salus omnium ac singulorum hominum cordi est, ut eam injuriâ aut damno, nedum sanguine vel unius innoxiæ animæ velit redimere. Nunquam facienda sunt mala, ut eveniant bona. Quare nec unquam facienda est injuria cuiquam, vel minimo mortalium, ut alteri sive homini sive cœtui benè sit ac tranquille. Misera & funesta est tranquillitas, quæ non nisi isto pretio emitur. Scio privata damna atque incommoda parvi fieri, quæ utilitate publicâ compensantur; sed & scio utilitatem Christianorum in quiete illa externa positam non esse, & eidem nihilominus optimè consuli posse sine privata cujuspiam injuria. Sed hodie ita ferè comparatum est, ut imperturbata quies summa voti sit Christianorum. Quæque secta isti externæ quieti impensissimè studet, neminem dissentientem fert, nedum contradicentem. Nec refert necessaria sit veritas, circa quam dissensio est, nec ne. Quidquid quietem quovis modo turbat, id inimicum est, id propulsandum est: atque ita vastitiem ubi quisque fecit, pacem vocat. Et juris species additur, quia pro veritate fit. Sed veritatis amor obtenditur, quietis & tranquillitatis externæ studium in caussa est. Ab horum opinione ego absum quàm longissimè. Si Capellus idem mecum sentiat, benè quidem: Sin minus, sufficiat me ista occasione hæc obiter monuisse: In sequentibus hac de re latiùs aliquid dicendum erit.

*De Arminio & ejus factis.*

Videamus quomodo Capellus ad rem accedat. *Ut*, inquit, *hæc utilia aptari possint Arminii controversiis, quæ Belgico-Germaniam fœdè lacerarunt, hodièque lacerant, priùs nobis aliquid dicendum est de vitiis dogmatis illius, & de ratione qua fuit in Belgicum invectum aut propagatum.* Esto: Fruatur judicio suo Capellus, quod controversiæ Arminii Belgium fœdè laceraverint, hodieque lacerent. Qui sine affectu rem videt, intelligit, non istas controversias turbasse Belgium, sed eos, qui controversias istas alio, quàm Christianos, imò quàm bonos cives decet, modo sopitas voluerunt. Quod si turbas ex illis controversiis per accidens ortas esse velit Capellus, non refragabor. Sed & sic turbavit Euangelium orbem terrarum. Utinam eodem modo turbasset & turbaret adhuc Religio Reformata, quæ dicitur, Galliam! Sequatur etiam ordinem Capellus, quem vult. Ego vestigia ejus premam.

*Jacobum Arminium peracuto quidem & eximio, sed veteratorio ingenio fuisse docent ipsius actiones.* Audax assertio, sed parum pia, nedum Christiana. De ingenio hominis judicare poterat an peracutum & eximium esset, nec ne. Sentit & utrâque manu palpat id, quisquis scripta ipsius vel leviter introspicit. Sed an veteratorium esset, judicare, uti non poterat, ita nec debebat. Animum hoc spectat, veterator sis nec ne: Istum solus Deus judicabit in die illa. Caritas tantum crimen suspicari sine indiciis Sole clarioribus non debet, imprimis de Christi servo, qui, ut se Deo probaret, ad mortem usque maluit sustinere odia & contradictionem mundi totius, quam conscientiæ suæ vim facere.

*Actiones ipsius docent id*, inquit Capellus. At actiones non semper arguunt animum atque ingenium. Sæpe optimus optimo animo ac fine consilia sequitur male sana, & agit ea quæ minus recta sunt; uti pessimus pessimo animo ac fine nonnunquam optima sequitur consilia, & agit ea quæ rectissima sunt. Intentio non semper respondet consilio & conatui, neque intentioni consilia & conamina. Quem probitas & Dei timor non sinunt à recti & boni linea vel latum unguem discedere, eum quandoque vel infirmitas ingenii, vel zeli fervor, abripiunt transversum, ut ab ea imprudenter excidat. Qui hanc humanitatis conditionem aut ignorat aut sugillat, næ is convitium facit mortalitati, & meretur ut cum suis ex actionibus suis semper æstimetur. Sed videamus, quænam actiones illæ sint, ex quibus Arminium veteratorio ingenio fuisse colligit Capellus. Tres ab eo recenseri observo. Prima est; *Quod eum unitatem & concordiam Reformatarum Ecclesiarum spectare se diceret, contrariæ discordiæ ac dissociationi operam dederit.* Secunda est; *Quod eum veritatis, quæ secundum pietatem est, studiosissimum videri vellet, erroribus tamen contrariis fuerit patrocinatus.* Tertia est; *Quod cum candide ac sincere omnia sua agere videri vellet, nihil minus tamen, quam candidè egerit.* Crimina hæc sunt atrocia & quæ singula probationes solidas requirunt. videbo quas adferat Capellus: si illud præmonuero, optare me ut à personalibus abstinuisset Capellus & à persona ad rem se convertisset. Personalia enim ad rem multum non faciunt. Nec enim si veteratorie, si callidè omnino egisset Arminius, propterea recte concluditur, falsum esse quod docuit. Deinde, Qui vitia personæ exaggerat, facile in suspicionem venit, quod doctrinæ odio in personam sit iniquior. Qui etiam solicite omnia personæ objecta vitia excusat, facile in suspicionem incidit quod quia personam amat impensius, doctrinę ipsius patrocinium suum lubentius commodet. Hęc si ad animum revocasset Capellus, judicium suum sapientioribus probasset, & nostram responsionem suspicionis istius macula atque infamia liberasset. Sed quia aliter ipsi visum fuit, nos eum vel inviti sequemur. Merentur pii & eruditi viri manes, ut quæ falso famæ ipsius objici scimus, sine cujuspiam injuria confutemus, & quæ vera ac certa esse oculis, auribus ac manibus nostris pæne palpavimus, obtrectatoribus totique adeo mundo ad honoris ipsius vindicias ob oculos ponamus. Nemo id ægre ferre potest, nisi cui animus odio aut livore æger est, aut qui aliud credere non vult, quam quod semel sibi persuasit verum esse.

Videamus itaque singulas actiones. Prima est hæc: *Arminius dicebat, hoc potissimum à se spectatum, ut omnes Reformatæ Ecclesiæ, quæ nuntium Papæ dixerant, ad concordiam vocaret.*

Propositum Arminii si recte proponere voluisset Capellus, generale illud fecisset. Toti Christiano orbi facem concordiæ ac pacis præferebat. Ejus initium fieri optabat inter Ecclesias Reformatas. Nimirum videbat vir prudens & mitis anima, eas multis modis à se invicem divulsas distractasque, & secessionum hodieque nec modum nec finem esse: Multas sine justis & gravibus caussis factas esse, & quæ factæ erant, pari potius odii pertinacia, quam validis rationibus retineri: Animorum divortia majora ad tam tristes dividas momenta adferre, quam sententiarum bella: Plagam & hiatum tam ingentem non nisi moderatione opinionum & animorum sarciri posse. Operam itaque dandam, ut animi primum ponantur utrimque, & odiis litibus ac rixis non necessariis epicedium scribatur: Deinde adlaborandum omni ope, ut dogmatum, quæ præcise necessaria sunt, accurata ratio ineatur, intraque eorum limites utrimque constatur. In reliquis omnibus tolerandum, quicquid tolerabile esset, aut saluti non officeret. Unam Prudentiæ & Caritatis regulam isti fini sufficere. Absque his æternas futuras lites & immortalia odia, unde omnes in Ecclesiam lachrimæ fluant necesse est. Hoc fuit propositum Arminii, & in eo stetit ad finem

finem usque vitæ, nihil æque dolens ac suspirans, quam quod ii, qui proposito isti favere maxime debuissent, tam inimiciter illi obsisterent. An propositum hoc ipsius laudabile fuerit, judicent quos Christianismi in minutissimas particulas divisi commiseratio tangit. Ego quin pium fuerit nullus dubito. Capellus, quid de eo sentiat, non declarat hoc loco. Non obscure tamen Thes. 42 & 43 contrarium sibi probari indicat. Ego metuo referri in numerum eorum, quos ἀστωβίτους, ἀστοίδους, ἀνιλεήμονας vocat Apostolus *ad Rom. cap.* I. *vers.* 31. Videat Capellus, ne eum in numero istorum censeat Deus.

*Unitatem*, inquit, *si sibi proposuisset Arminius, dedisset. operam, ne dum ea, quæ nunquam in unum coaluerant, unire studet, ea dissociaret, quæ fælicissimo coagulo consociata videbat, &c. Imprimis autem duo spectasset: 1. Ne quem ex iis, quibus Deus usus fuerat ad Ecclesiarum Reformationem, odiosum redderet. 2. Confessiones omnes Ecclesiarum Reformatarum habuisset in pretio, &c.* Vide Thes. 3. Major hæc est propositio, & conceditur.

*Illum Reformatores non traduxisse.*

Subsumit Capellus hanc minorem: *Arminius ejusque schola, quid designavit? 1. Eos, quibus Deus usus potissimum fuerat ad Reformationem cis Rhenum, aut Mosam, & Rhodanum invehendam aut propugnandam, pridem in Domino defunctos, quam acerbissimè potuit, traduxit, ac omnibus odiosos & infames reddidit; ut jam Papæ Ministrorum laudari possit moderatio, si cum Arminianorum acerbitate comparetur. 2. Utriusque Confessionis, Belgicæ & Gallicæ, quas unanimi consensione receptas videbat, articulos, quibus reliquarum Confessionum nulla contradicebat, labefactavit, adeoque funditus everit.* Schola Arminii huc non pertinet. Si quid omninò ab ea peccatum fuisset, ex ea Arminii ingenium veteratorium fuisse nullo jure colligere posset Capellus. Sed de ea posteà. De Arminio negatur assumptum. Nullam ejus, non dico demonstrationem, sed vel verisimilem probationem adferet unquam Capellus. Arminium nunquam novit, neque scripta ejus legit, quisquis ei ista, quæ Capellus adfert, tribuit. Nimium ille amabat & spirabat illud Pauli: *Moderatio vestra innotescat omnibus*: quam ut isto aut loquendi aut scribendi genere uteretur. Nunquam deprehendet eum Capellus, non dico traduxisse, nedum in superlativo gradu (quo admodum in convitiando delectatur Capellus) acerbissimè traduxisse, multò minus omnibus odiosos atque infames reddidisse, sed vel verbulo læsisse Reformatores, quos vocat.

Verum quia Capellus hæc audacter dixit, neque tamen ullum, vel levidense, indicium fecit, unde id liqueat, age videamus, quæ dicto ipsius possit subesse species. Si Arminius acerbissimè traduxit, & omnibus infames, atque odiosos reddidit Reformatores Gallos, Germanos, Helvetios, Belgas, necessum est ut id fecerit, vel quia simpliciter ab illorum opinionibus dissensit; vel quia eos, à quibus dissensit, irreverentiùs tractavit, quam debuit. Neutrum dicere potest Capellus. Non prius. 1. Quia simpliciter dissentire ab iis non est eos traducere, nedum acerbissimè traducere. 2. Quia pudendum foret, ejusmodi authoritatem Calvino, Bezæ, Zanchio, Zuinglio, Junio, &c. tribuere, ut ab iis sine tam ingenti crimine nemini liceat dissentire. Istum honorem ipsis deferre, propè abest ab idololatriâ. 3. Quia ipse Capellus prohibet charitatem eò usque extendi, *ut justitiæ ac veritati divinæ fraus fiat*; imo Th. 42 affirmat: *nunquam concordiam quæri debere cum hominibus veritatis divinæ dispendio.* Non posterius: Quia si iniquè aut irreverenter illos tractavit, necessum est ut unum horum fecerit; vel, ut detexerit quædam eorum errata, quæ ipsi occultata maluissent; vel, ut, cum detecta jam essent, mala fide ea recitaverit, aut enormibus consequentiis atque absurditatibus ea gravaverit; vel denique ut non contentus errata ipsa damnasse, in authores eorum acrius, quam decet Christianum, fuerit invectus. Nihil horum in Arminium competit. Errores, quos Calvinus, Beza, Zanchius, aliique circà articulum de prædestinatione errarunt, Arminius non detexit. Ipsi authores publicârunt eos primi, & non uno volumine: Nec publicârunt tantum, sed eos, tanquam certissimæ veritatis, agnosci & credi voluerunt, adeoque contra adversarios suos, non sine acribus eorum insectationibus, adseruerunt; tanquam si in iis prora & puppis penè fidei ac Religionis ipsorum posita esset. Beza certè in iis constituit summam Religionis Christianæ: & si quis rem benè ponderet, revera in iis basiis sita est Theologiæ Calvini, Bezæ & cæterorum. Nota hæc & pervulgata erant, antequam Arminii nomen innotuerat, & jam pridem notata ab omnis ferè generis scriptoribus. Neque verò malâ fide eos errores recitasse dici potest Arminius. Noverat optime quales essent: ipse eos ex ore Bezæ, Faji, aliorumque non semel audiverat: ipse animitus eos probaverat longo tempore. Nec caussam habebat, cur eos aliter, quam ex vero & ex mente authorum recitaret; imo caussas gravissimas habebat, cur aliter non recitaret. Ex ipsis enim libris eorum revinci protinus potuisset, magno suo pudore & damno, & pro mercede infelicis navatæ operæ infamiam justam reportasset. At benignè, inquiet Capellus, interpretatus fuisset sententiam eorum. Atqui, inquam, facere id non poterat, nisi contrà ipsorum authorum mentem, contra conscientiam suam, & ad veritatis contrariæ noxam. Neque certè quicquam est, quod æquè suspectam reddit istorum authorum sententiam, quàm quòd ii, qui pro ea remis velisque contendunt, de mente eorum adhuc disputant. Necessum enim est, ut aut ità obscurè de ea scripserint authores isti, ut intelligi non possint; aut si clarè satis scripserint, ut eos, qui eam propugnant, pudeat eam nudam atque apertam proponere, utque dissensione suâ eam, veluti honesto aliquo mantelo, tegere malint, ne fœditas ac turpitudo ejus omnibus pateat: ut enim ex animi sui sententia id faciant, quia rem ita se habere statuunt, fieri vix potest. Nimium tribuunt authoribus istis & sententiæ eorum, quàm ut vel obscurè de ea scripsisse, vel in ea incertos illos fluctuasse, credere possint. Et certè, ita clara sunt & aperta, quæ ea de re scripserunt, ut, qui ea vel negare, vel fucare velit, effugere non possit vel stupiditatis infamiam, vel ineptè affectatæ interpretationis culpam.

Neque verò traduxisse Reformatores, dici potest Arminius, quando eorum placita enormibus consequentiis atque absurditatibus gravavit. Nam, nec primus, nec solus ille id fecit. Deinde, consequentiæ illæ aut veræ sunt, aut falsæ. Si veræ; non traduxit eos, sed argumentis justis sententiam eorum confutavit. Si falsæ; non istos, sed se ipsum traduxit. Qui enim consequentias facit, aut absurditates alicui per consequentiam impingit, ille istas ei non tribuit, tanquam si is eas ipse faceret; sed tanquam si eas facere deberet, si sententiam suam tueri velit, imò, quia ea, quæ consequentiis continentur, absurditates esse agnoscit, & ab eis toto animo se abhorrere profitetur; idcircò eas format, ut à sententia sua eum dimoveat. Quare si quis in faciendis consequentiis istis erret, non ad eum, cui eæ impinguntur, sed ad authorem, qui eas facit, redit infamia. Neque verò tam putidum fore Capellum credo (aliter certè sentire videtur Thes. 14. Disput. 2.) ut consequentias & argumenta omnia ab absurdis damnare velit: uti hodie mortales quosdam, præposterâ eruditione & magno cum veritatis præjudicio, contendere video, qui, ubi se justissimis consequentiis & absurditatibus palpabilibus premi ac constrictos teneri sentiunt, unico ictu se expediunt, & argumenta omnia, ex absurdis petita, mutila esse clamant, nisi probetur primum sententiam eorum falsam esse: cum alioquin iidem isti, quando ita usu venit, adversarios suos consequentiarum, ab absurdis petitarum, & sæpe frigidissimarum, non tam pondere, quam numero, lapidare atque obruere soleant. Periculosa est hæc opinio, qua homines isti sibi ipsis aliisque obicem non exiguum ponunt, quo minus ad veritatis cognitionem perveniant. Populare est argumentum, quod ex absurdis petitur: sentiunt pæne ejus vim, qui rationum momenta non capiunt. Et ea est principiorum omnium claritas, ut, si quis ea neget, clarioribus rationibus convinci nequeat: adeò ut isto casu ex absurdis argumenta petere omninò necesse sit. Et quis sapiens aut veri studiosus argumenta hæc respuat, cum ex veris nil nisi verum sequatur, ac proinde veritas nulla absurditate unquam gravari possit? Quod si enim ex vera doctrina per se absurdum aliquod possit fluere, necessum est ut dicatur, inanem fore omnem probationem falsitatis, quæ ex absurdis petitur. Nam si prius rationibus directis probaveris doctrinam aliquam falsam esse, non necessaria erunt argumenta ab absurdo: quod si verò prius non eviceris justis rationibus, doctrinam aliquam falsam esse, frustra erunt argumenta, quæ ex absurdis petentur. Absurdis itaque si gravavit Arminius sententiam Calvini, aliorumque, non traduxisse eos, sed argumentis legitimis eos oppugnasse videri debet.

Tertio, Authores ipsos quod attinet, tantum abest, ut in eos acerbè aut acerbissimè invectus unquam fuerit, ut nemo modestius unquam ab iis dissenserit. Legantur Scripta ipsius, & verum esse comperietur quod dico. Neque scio quenquam hactenus fuisse præter Capellum, qui Arminio hoc nomine litem moverit. Et erat sanè ea viri pii atque eruditi modestia, ut errores, imprimis quos pietati noxios putabat, fortiter & ex mente Authorum oppugnandos, errantes verò blandè & ex mente Jesu Christi tractandos esse judicaret. Noverat quàm facile sit hallucinari, quàm iniquum erranti convitium facere, quàm turpe pio maledicere, quàm necessarium Christiano, & imprimis Episcopo, ἄμαχον, ἀνεξίκακον, τὸ ἤπιον εἶναι πρὸς πάντας, καὶ ἐν πραότητι παιδεύοντα τοὺς ἀντιδιατιθεμένους. 1. *Tim.* III. 3. & 2. *Tim.* II. 24. Ita sensit, ita egit, alienissimus ab illis probrosis artibus, quibus Capellus in

hisce

hiſce Theſibus ſuis utitur, ut damnatam hæreſin alicui, pro ſuo arbitrio, docendi tantum cauſſa adfingeret. Non pugnabat ejuſmodi fictionibus contra adverſarios ſuos. Ficulnea putabat argumenta iſta, & indigna viro erudito, iiſque quibus cordi eſt veritas. Quare quod eum infames atque odioſos reddidiſſe omnibus primos Reformatores Capellus dicit, verum eſſe non poteſt, niſi infamem aliquem reddere idem eſſe velit, quod non poſſe in ſententiam alicujus pedibus ire, aut diſſenſionem ab aliquo apertè profiteri: quod ita abſurdum eſt, ut refutari non mereatur.

Videat igitur Capellus, quo jure dixerit, *ut jam Papæ miniſtrorum laudari poſſit moderatio, ſi cum Arminianorum* (Arminii dicere debuiſſet) *acerbitate comparetur.* At ne effugium forte hîc quærat Capellus in voce *Arminianorum*, addo: 1. Iniquum ſimul atque ineptum eſſe ut ex eorum actionibus æſtimetur ingenium Arminii. 2. Nec de iis verum eſſe, quod iis Capellus tribuit. Legantur Scripta, quæ eorum nomine edita ſunt: Nec vola nec veſtigium in iis deprehendetur, unde convitii huic color peti poſſit. Citant Authores, ſed ſine convitiis, & ſuis ipſos verbis loquentes faciunt. Quid poſſunt facere moderatius? Videatur Collatio Hagienſis, Acta & Scripta Synodalia, Epiſtola ad Walachros, &c. Quod ſi tamen quidam eorum propriâ ſponte ſua acerbius quædam in eos ſcripſerint, quod factum eſſe non nego, id profectò immeritò iis, aut toti Scholæ Arminii vitio vertitur, quæ ſæpe, id ſibi diſplicere, ex animo profeſſa eſt. Sed & cogitandum erat Capello, 1, an quæ ſcripſerunt falſa ſint. 2. quo tempore & qua occaſione iſta ſcripſerint. Fieri enim poteſt, ut ea ſcripſerint diu multumque acerbioribus atque atrocioribus longe modis irritati. Et revera ita factum eſt. Cum enim multo tempore in triviis, in conviviis, ex pulpito, ex ambone, clam, palam, vocibus, ſcriptis, ubique gentium, atque imprimis apud promiſcuam plebem, traducti eſſent, quod malâ fide ſententiam Calvini, Bezæ aliorumque referrent; coacti fuerunt fidem ſuam liberare Authorum ipſorum citationibus. Id ubi fecerunt, protinus in eos omni convitiorum & probrorum genere itum fuit: Nulli injuriæ parcitum: concionibus pluſquam Tribunitiis armabatur quotidie plebs in capita eorum, quòd Chami inſtar verendi Patrum ſuorum revelaſſent, quod ſanctiſſimos illos heroas toti mundo ridendos propinaſſent, quantum in ipſis erat, quod cineres & oſſa eorum impuris unguibus refodiſſent ac vellicaſſent. In hoc calore & æſtu animorum mirumne alicui jure videri poteſt, ſi ingenia aliqua, licet alioquin ſatis modeſta, juſto dolore, & tot injuriarum ſtimulis exaſperata, acerbiora quædam in adverſarios regeſſerint? Accedebant ad convitia iſta immodicæ Calvini, Bezæ, aliorumque laudationes, demerendæ plebi. Authoritate eorum, tanquam divino aliquo oraculo pugnabatur. Merita Calvini adeò extollebantur, ut parum abeſſet, quin idolum ex eo fieret. Sententia ipſius de Prædeſtinatione non propugnabatur tantum, ſed præconiis efferebatur, tanquam Religionis totius Chriſtianæ medulla, corculum pietatis, anchora ſalutis, portus ſpei ac fiduciæ noſtræ, aliiſque ſimilibus. Quod ſi qui, ut enormibus iſtis encomiis, & ſuperbis iſtis præconiis obviam irent, atque idololatriæ iſti, quam vocabant, ſerpenti obſiſterent, acrius quædam in Calvinum ſcripſerint, ſi vitia & nævos ipſius, non aliunde, quam ex ipſius propriis libris collectos, toti mundo conſpiciendos dederint, ſi ſententiam ejus, quam tanto laudum cothurno extolli videbant, contrariis atque immodicis vituperiis depreſſerint, id nec novum, nec inſolens videri debet. Partium ſtudia fervent iſtis animorum & linguarum æſtibus, & ubi ſemel intumuerunt, nullis prope terminis continentur. Rarò intra mediocritatem conſiſtitur. Ad extrema itur. Optandum ſanè eſſet, ut ſedatior ſpiritus Chriſtianos ageret: ſed ſacra Religionis, niſi vim nobis ipſis faciamus, aliter vix conſtant. Quiſque glorioſum putat, pro cauſſâ, quam Dei eſſe credit, turbare ac prope inſanire. Capellus ipſe docet exemplo ſuo, quam difficile ſit animi clavum in iſtis motibus rectum tenere, quàm grave ſit affectibus fibulam imponere. Quicquid enim probrorum ac contumeliarum congerere potuit, ut famam ac manes defuncti Arminii macularet, & omnibus mortalibus exoſam redderet, id omne coacervavit; tanquam ſi injuriam, quam Calvino, Bezæ aliiſque illatam putavit, pari injuriâ, odiique pertinacia penſare ac vindicare voluiſſet. Idem forte ab aliis factum credat, quod in ſeipſo experitur; &, ſi juſto dolore ſe motum putet, idem alios de ſe ipſis credere ſibi perſuadeat. Quod ſi etiam Calvini & Bezæ ſcripta attentius legat, videbit, nec eos iſta modeſtia & æquanimitate contra adverſarios ſuos uſos fuiſſe, qualem ab iis, qui placitis ipſorum adverſantur, requirit. Si qui enim alii, certè hi in adverſarios ſuos, alioquin optimos viros, maledicentiſſimi fuerunt: quo certè nomine & aliorum in ſe juſtam bilem concitarunt, & Reformationis ſuæ gloriam non parum obſcurarunt.

*Negant confeſſiones Gallicam & Belgicam impugnaſſe.*

Videamus nunc ſecundum membrum Theſeos ſextæ, quod de Confeſſionibus ab Arminio labefactatis agit: *Videbat* (inquit) *Arminius in Belgio duas Confeſſiones, Gallicam & Belgicam, tam unanimi conſenſu receptas, ut Galli Belgicam, Belgæ Gallicam non minorĩ facerent, quàm ſuam. Tanto vehementius in id incubuit Arminius, ut utriuſque multos articulos, quibus reliquarum Confeſſionum nulla contradicebat, labefactaret, adeoque funditus everteret.*

Nunquam probabit Capellus, quod hîc tam fidenter aſſerit. Contrarium tam eſt notoriè verum, quàm verum eſt, bis duo eſſe quatuor. Confeſſionem Belgicam (Gallica enim quid ſtatueret, ipſius non intererat) religiosè ſemper propugnavit, ex eâ ſententiam ſuam adſtrui poſſe credidit, & non paucis argumentis adſtruxit. Nullos ejus articulos labefactare, nedum funditus evertere, unquam ſtuduit, paratus è veſtigio cedere miniſterio & profeſſione ſua, ſi vel hilum contradixiſſet. Obſervabat quidem, eſſe in iis nonnulla, quæ contrariæ ſententiæ favere videbantur, & quæ commodius pro ſua ſententia dicta voluiſſet; ſed ejus rei judicium ad Synodum Nationalem pertinere judicabat, cum formularum Reviſio inſtituenda eſſet: Interea in terminis iiſdem manere ſe poſſe, & benignæ interpretationis beneficio phraſium quarundam aſperitatem leniendam eſſe ſentiebat. Neque verò eſt quod hac in re Sophiſticen objiciat Arminio, niſi ſeipſum & non paucos Calvini ſectatores ejuſdem culpæ reos agere velit. 1. Scripſum: quia hac eadem Theſi affirmat, *Nullam reliquarum Confeſſionum, quæ in Harmonia exſtant, articulis Belgicæ Confeſſionis contradicere.* Quomodo enim hoc adſerere auderet Capellus, niſi ſimilis Sophiſtices aut potius benignæ interpretationis beneficio id ſibi aliiſque perſuaderet? Tam enim manifeſtæ ſunt contradictiones inter illas & Auguſtanam (ne de aliis jam dicam) ut Genevenſes ipſi conſultum non duxerint eas, ſine interpretationum & cautionum ſuarum amuleto, in lucem dare. Nec obſcurè Capellus ipſe id fatetur, cum Theſi v. ait, *Omnes Confeſſiones non magno negotio in omnibus aut pleriſque capitibus conciliari poſſe.* Cur enim non ſimpliciter *in omnibus*, dixit, ſed ſe ipſum corrigens addidit, *aut in pleriſque?* Sed vide ſis verba Confeſſionis Auguſtanæ, & cauſſam intelliges. Art. VI. ita ſonant: *Qui obtemperant pravis cupiditatibus, & agunt contra conſcientiam, verſantur in peccatis mortalibus, nec fidei juſtitiam nec juſtitiam operum bonorum retinent, juxta illud Pauli, Qui talia agunt, Regnum Dei non poſſidebunt.* Articulo verò XI. clarius adhuc *Damnant & Anabaptiſtas, qui negant, ſemel juſtificatos iterum poſſe amittere Spiritum Sanctum.* Hoc autem caput tanto magis conſiderandum eſt, quia in eo Religionis præcipuum apicem collocat Capellus, Diſput. ſecunda. Calvini Sectatores omnes in Imperio neceſſe eſt ut ejuſdem culpæ reos faciat, quia ii toti Confeſſioni Auguſtanæ omnibuſque ac ſingulis ejus articulis bona conſcientiâ ſubſcribere ſe poſſe credunt, quod tamen abſque benignæ interpretationis beneficio fieri impoſſibile eſt. Si dicere pergat Capellus, articulos, qui in Confeſſione Belgica exſtant, tam eſſe claros, ut fucus interpretationis non poſſit non patere; cogitet, articulos Auguſtanæ Confeſſionis multo clariores adhuc eſſe, quibus tamen Calviniani in Imperio ſubſcribunt, & clariſſimam omnium eſſe Scripturam, quam tamen omnes ſectæ, quæ de Prædeſtinatione ſunt, licet toto, quod ajunt, cœlo à ſe diſtantes, beneficio interpretationis ſuam faciunt.

Quod ſubjicit, *Arminium contendiſſe, ut plurimos conſociaret, qui tandem, antiquatis Belgii Confeſſionibus, novam ſubſtituerunt*; Hoc totum pure pute imaginarium eſt & confictum, ex eo ſolum, quod nuper Remonſtrantes, qui Arminium ſequuntur, Confeſſionem propriam ac peculiarem ediderunt. Ex facto iſto (aliunde enim non poteſt) colligit intentionem eorum; tanquam ſi receptas Confeſſiones antiquare & in lucem edere novam ac propriam Confeſſionem ſtatim ab initio propoſitum ſibi habuiſſent. Nihil enim minus verum eſt. Arminius tam alienus erat à nova Confeſſione, quam à ſchiſmate. Quæ deſiderabat in Eccleſia, ea ab ipſa Eccleſia & intra ipſam corrigi optabat, & tutius ſimul atque efficacius ibidem ea emendari poſſe putabat. A novis Confeſſionibus non ſperabat remedium, ſed periculoſiores paroxyſmos metuebat. Multò præſtare credebat, ut ſoli Scripturæ adhæreatur, aut, ubi Confeſſio aliqua locum habet, incommodæ quædam phraſes, ſolius ſchiſmati odio, tolerentur, & vel benignæ interpretationis beneficio cum Scriptura concilientur, vel legitimæ Reviſionis auxilio corrigantur, quàm novis Confeſſionibus opera impendatur, quæ ſchiſmati fovendo ſerviant. Nempe videbat vir prudens, hoc rixarum litiumque ferace ſæculo ita comparatum eſſe, ut, ubi novæ Confeſſiones cuduntur, ibi una cum opinionibus animi etiam divellantur ac diſtrahantur. Et certè, quot Confeſſio-

nes

bes, totidem ferè signa æternarum litium & odiorũ immortalium vexilla erigi videmus. Ad ea magnis animis partiumque studiis hinc inde accurritur, tanquam ad unica & certa salutis asyla, extra quæ nil, nisi *Anathema maranatha*, locum habeat. Idem fuit semper animus cæterorum omnium, quibus Arminii sententia placuit. Nunquam illi de edendâ novâ Confessione cogitaverant; neque unquam novam edere in animum induxissent, nisi invitis ipsis schisma factum fuisset, &, facto jam schismate, eo nomine potissimum per aliquot annos ubique locorum fuissent traducti, quod hæreses quam plurimas in sinu suo foverent, quod veteres omnes errores novo paxillo suspenderent, quod nullam integram fidei suæ Confessionem in lucem edere aut possent, aut auderent. Deinde, tantum abest, ut id à principio in animum induxerint, ut inter ipsos etiam tum, cum Confessio jam scripta erat, non leviter velitatum fuerit de eo: An necessarium aut utile, imo an non noxium sit orbi Christiano, Confessiones aut formulas fidei separatas edere, cum Scriptura plenè ac perspicuè contineat omnia, quæ credenda, speranda, ac facienda sunt. Ac licet plerisque eæ, si non absolutè necessariæ, perutiles tamen esse videbantur; omnes tamen à novâ cudendâ potius abstinuissent, nisi necessitas legem ipsis posuisset. Nolo, ut Capellus mihi credat: Præfatio Confessioni ipsorum præfixa, quæ omni exceptione major est, verbis meis fidem faciet. Hactenus ergo de primâ actione.

*Arminius non docuisse ea quæ cum vitio philautiæ maximè conspirant.*

Secunda actio est: *Quod Arminius veritatis, quæ secundum pietatem est, studiosus videri voluerit, cum tamen erroribus contrariis patrocinatus fuerit.* Argumentum Capelli hoc est; *Si veritatem, quæ secundum pietatem est, quæsivisset, ut obtendebat, eos potissimum errores impugnasset, qui profluunt ex vitio, quod nobis maximè est naturale, id est, ex philautiâ. At verò non tantum non fecit hoc, sed ea docuit, quæ cum vitio isto maximè conspirant. Ergo, &c.*

Major hujus Syllogismi non procedit, nisi hoc pacto concipiatur: Si veritatem, quæ secundum pietatem est, quæsivisset, tum potissimum impugnasset errores, qui non nisi ex vitio φιλαυτίας, & quidem per se, fluunt, ità ut in nullo sint, aut esse possint, nisi ab & unà cum vitio philautias. Nam si illa, quæ errores sunt, eo ipso, quod ex vitio illo philautias profluunt, aliam possint habere caussam, quàm vitium istud, & in illis subjectis aliquando reperiantur, in quibus vitium istud locum non habet, tum major non procedit. Pone enim, quod illa ipsa, quæ errores sunt, quando, & eo ipso quia ex philautia profluunt, ex caussâ alia oriantur, quàm ex philautia; imò ex caussâ planè contrariâ oriantur, tum sanè fieri potest, ut quis veritatem, quæ secundum pietatem est, quærat, etiamsi ista potissimum non impugnet, sed ad ea conniveat, eo quòd errores non sint, propterea quòd ex vitio isto philautias non profluant, vel saltem si errores sint, quòd non sint tales errores, qui veritati, quæ secundum pietatem est, officiunt.

*Fieri posse ut absque philautia aliquis Deũ homini similiorem faciat quam par sit.*

Major si hoc pacto limitetur, tum apparet Minorem probatione indigere. Vitia enim vel errores, *quos spirituales errores* Capellus vocat, & quos ex philautia profluere vult, duo sunt: Primus; *Quòd homo Deum sibi similiorem facit, quàm par sit.* Alter; *Quòd Deo non satis, sibi verò plus, quàm par sit, tribuat.* Hæc enim ex philautiâ profluere posse, ac non rarò profluere, nemo sanus facilè negabit. At eadem non nisi ex vitio isto profluere, nemo sanus etiam facilè concedet Capello. Etenim primum errorem quod attinet; quis negare audebit, fieri posse, ut quis Deum sibi similiorem faciat, quàm par sit, nullo cæco sui amore, sed sola judicii infirmitate adductus, quòd non rectè aut conceperit divinæ Majestatis excellentiam, aut sequius de eâ instructus sit, aut quòd in eo, quod de Deo concipit, divinæ Majestatis excellentiam ab ipso Deo in verbo ipsius statui sibi persuadeat; aliter libenter crediturus, si aut judicio acriori polleret, aut doctorem accuratiorem nactus esset, aut sensum Scripturæ alium esse intelligeret? Inclemens admodum est judicium, quod errorem istum non nisi ex philautia derivat. Quotusquisque enim est, imprimis in vulgo Christianorum, qui de Deo ita prorsus sentit, uti par est, qui ita abstrahit in conceptu ejus omnes imperfectiones, ut non eum sub similitudine aliqua humana sibi repræsentet, errore potius imperceptibili, quàm amore sui? Vix inter eruditissimos & subtilissimos hodieque ea de re convenit.

*Deo non satis, homini verò plus quàm par sit. tribuat.*

Deinde, quod ad secundum errorem attinet; quis paulò æquior negare ausit, fieri posse, ut homo sibi tribuat plus, quàm par est, non quia se impensius amat, sed quia aliter faciendum esse sibi non potest persuadere, imò peccare se crederet, si aliter faceret, dum scilicet credit, ad gloriam Dei majorem id facere, & se Deo propterea pluribus nominibus obligari? Dicam amplius: Fieri potest, ut quis Deo non satis, sibi verò plus quam par sit tribuat, non quia se ipsum impensius amat, sed quia seipsum minus amat. Mallet enim Deo plus, sibi vero minus tribuere, solo amore sui, si modo id rectè ac jure se facere posse crederet. Ita fieri potest, ex. gr. ut quis Deo tribuat, quod non velit servare homines, nisi sub conditione dura ac gravi, imò sub conditione tali, quæ planè amori naturali, quo homo se ipsum amat, contraria est; & ut sibi tribuat, quod conditionem illam duram ac gravem præstare teneatur, & præstare etiam divino beneficio possit, quia Deum id ita revelasse sibi persuadet; qui tamen mallet Deo tribuere, si amorem sui naturalem sequi vellet, quod omnes homines, aut saltem se & alios quosdam paucos servare velit, sine ulla conditione gravi ac molesta; sibi verò, quòd conditionem talem præstare nec possit, nec debeat. Nec mirum: Mallet enim Deo tribuere honorem istum generalis salvationis longè excellentiorem, vel specialis omnipotentis conversionis longè sibi gratiorem. Sibi verò minus virium, ut majori debito & oneri se eximeret.

Itaque si Capellus animum advertat, videbit, hac in re φιλαυτίαν & cæcum nostri amorem potius locum habere, quam in istis, quæ ipse recenset; ac proinde per βίαιον retorqueri posse optimo jure argumentum, Arminium eo ipso, quòd vitia ista impugnaverit, in quibus tam manifestè philautias crimen apparet, veritatem, quæ secundum pietatem est, magis quæsivisse videri debere, quàm non quæsivisse. Et revera ita est. Quisquis vel Deum similiorem sibi facit, quàm par est, ut tantò liberius sibi atque animo suo indulgere possit; vel sibi, plus quàm par est, tribuit, ut Deo minus acceptum ferre opus habeat, aut ut se Deo minus obligatum credat, atque ita liberius peccet, is vera philautia laborat. At qui Deum sibi similiorem facit, quàm par est, quia errore fortean aliquo adductus id ad gloriam Dei magis illustrandam facere credit: & qui sibi plus, quàm par est, tribuit, non quia id se ex aut à se ipso habere, sed ex divinæ liberalitatis beneficio credit, eoque nomine se Deo ad plura & molestiora, quàm vellet, officia obligatum putat, ei philautias crimen nullo jure impingitur.

Quod si Capellus hîc fortè dicat, non esse necesse ad philautias crimen constituendum, ut quis Deum sibi similiorem faciat, aut ut sibi plus, quàm par est, tribuat, eo fine atque animo, ut amori sui ipsius indulgeat, sed sufficere rem ita se habere; ineptior erit, quàm ut refutari mereatur. Ut enim quis amore sui moveri dicatur tum, quum, omnibus diligenter perpensis, non tantum non sentit se amore sui duci; sed contra cum amore sui se duci crederet, si aliâ, imò contraria ratione, quæ ipsius carni multò gratior faciliorque est, ageret, ineptum est. Sed nec rei natura talis est, ut opiniones istæ non nisi ex philautia proficiscantur; quia, credere Deum sibi similiorem, quam par est, sibi verò plus justo tribuere, non necessariò est Deo aliquid detrahere, quod suum est, aut sibi arrogare, quod suum non est. Quid enim detrahit Deo, qui id, quod Deo tribuit, non aliter tribuit, nisi quia majorem perfectionem esse credit, habere id, quod tribuit Deo, quam non habere? Et quia Deo id tribuit eâ tantùm de caussâ, quòd Deum id sibi ipsi tribuere sub ratione perfectionis majoris credat? Etsi enim in eo fortè erret, quod Deo tribuat id, quod perfectio non est, in eo tamen non errat, quòd Deo illud tribuere nollet, nisi perfectionem esse crederet, aut quòd Deo tribuere nolit, nisi quod perfectissimum esse credit; sive accidat Deum eâ ratione ipsi similiorem reddi, sive dissimiliorem. Hoc enim præter intentionem ejus est. Quid verò etiam sibi arrogat, qui id omne, quod sibi tribuit, non sibi tribuit, tanquam si à se id habeat, sed totum Deo & divinæ gratiæ acceptum refert? Hoc enim quomodo fieri potest ab eo, qui se ipsum amat? Amaret enim talis se ipsum, & simul non amaret.

*Retorsio argumenti in Capellum: ostenditur.*

Atque hæc quidem sufficere possent solvendo huic argumento. Verum ut Capellus ejus infirmitatem clarius intelligat, retorquebo argumentum contra ipsum, an non majori jure, ipse judicet, & tu Lector. Qui errores duos impugnandos sibi sumsit, quos veritati, quæ secundum pietatem est, vel pietati & sanctimoniæ vehementer, imò potissimum videbat officere, ille censendus est veritatem, quæ secundum pietatem est, seriò quæsivisse. Arminius impugnavit errores tales duos. Ergo. Minorem sic probo. Errores duo erant: 1. Quod quidam Deum homini dissimiliorem facerent, quàm par sit. 2. Quod Deo non satis, homini verò plus quàm satis, tribuerent.

*Calvinista: Deũ homini dissimiliorem facere quam par sit.*

Primum sic evinco: Deum homini dissimiliorem faciebant, quàm par est: Quia Deo eximebant affectus illos, qui sunt perfectiones, partim simpliciter simplices, partim simplices, quos ipse Deus sibi passim tribuit; ita ut in iis, tanquam in gloriosis proprietatibus suis, glorietur, quos ipse sibi inesse dicit perfectius, quàm ulli creatæ rei inesse possunt, quos ipse homini, tanquam perfectiones indidit, cum eum ad imaginem sui crearet; qui, cum ab homine excoluntur,

homini insunt per modum virtutum, quæ Deo ita gratæ sunt, ut eas præmio æterno remunerare velit. Contra, quia attribuebant affectus, vel potius actiones tales Deo, quæ homini insunt per modum vitiorum turpissimorum, quas Deus in homine odit atque aversatur, & propter quas hominem gravissimè punire vult: Ex. gr. Eximebant Deo amorem naturalem erga creaturam suam, ad imaginem ipsius conditam; quia statuebant, Deum posse odio proprie dicto odisse, id est, æternis cruciatibus destinare creaturam suam, quà talem, antequam ullius culpæ aut inobedientiæ rea sit, aut rea esse cognoscatur; tanquam si gloria divina in eo sita sit, ut dissimilis hac in parte reddatur hominibus & animantibus cæteris, quæ fœtus & liberos suos naturaliter amant. Neque obstat, quòd Deum dicant amare electos suos. Amor enim hic non est actus affectus naturalis in Deo, sed voluntatis liberæ. Eo ipso enim quòd electas quasdam creaturas dicunt, reprobatas alias fatentur; & quia reprobationem faciunt actum odii, quo Deum odio habere posse, imò actu odisse volunt creaturas quasdam suas, quà tales, fatentur Deum naturaliter non esse affectum affectu amoris erga creaturam suam. Hic enim affectus non permitteret ut odio simul eandem haberet: non potest enim simul amare & odisse. Hic error autem idcirco pejor est, quod odium hoc Dei extendant ad longè plures creaturas, quàm amorem. Dicunt enim Deum multò maximam hominum partem odisse, & æternis cruciatibus destinasse; elegisse autem pauciſſimos: nempe ut Deum hominibus dissimillimum faciant, volunt Deum non tantum posse odio habere creaturam suam, quum homo liberos suos non possit non amare, sed magis ad odium earum, quàm ad amorem, propensum esse. Multò enim plures odit, quàm diligit. Et sunt inter eos, qui homines, ita reprobatos atque exosos, Deo laudes & gratias debere asserunt. Credo, ut tantò dissimiliorem hominibus faciant Deum, qui non nisi gratias agere solent pro beneficiis, quæ effecta amoris sunt; cum reprobi isti etiam pro maleficio, & quidem summo, quod cogitari potest, ad gratias agendas obligentur. Sed aliter, credo, sentirent Authores isti, si in mediis flammis Haleluiah & carmen epinicium Deo damnatori cum reprobis istis canendum ipsis esset. Deinde, eximebant Deo affectus veræ ac sinceræ Bonitatis, Misericordiæ & Commiserationis, qui tamen Deo verè, licèt κατ' ἀναλογίαν, competunt; quia dicebant, Deum creaturas suas plurimas, culpâ Adami primi parentis ipsarum miseras redditas, non dico, in miseria istâ relinquere, hoc enim speciem aliquam æquitatis adhuc habet, sed speciosis etiam benevolentiæ & affectatæ misericordiæ ac commiserationis gestibus, signis & vocibus invitare ad contrariam fælicitatem, tanquam si eas ex miseriâ istâ eruere cupiat; cum nihil minus cogitet, cum nullâ earum compassione duci velit, imò cum eas ad gloriam suam in miseriâ istâ miserrimâ æternum jacere velit: quod quid aliud est, quàm homini miserrimo crudeliter illudere, & ex optimo Deo pessimum (horreo cogitans) facere? Tertiò, ut homini Deum dissimiliorem redderent, quàm par est, tribuebant Deo, quòd creaturas suas, quas ipse puniverat impotentiâ præstandi, quod ab ipsis postulare vellet, ad præstandum tamen obligaret sub majoris pœnæ comminatione. Tanquam si justitiæ gloriam mereatur apud Deum id, quod crudelitatis summæ apicem habet inter homines. In hos errores non inciderent, si Deum homini similiorem facerent, quam faciunt: quippe qui per istam divinæ cum homine dissimilitudinis imaginationem, ex Deo monstrum reddunt quovis tyranno deterius. Eadem est ratio alterius membri: Attribuebant, hodieque attribuunt ejusmodi adfectus, vel potius actiones, Deo, quæ homini insunt per modum turpissimorum vitiorum, & quæ Deus ipse odit. Exempli gratia: Tribuebant Deo, quod inter creaturas suas liberas distinctionem faceret, nullâ ratione habita ejus, qui in ipsis est, sive boni sive mali usus arbitrii istius. Quòd has diligeret, istas odisset, quia ita vellet; quod parentum stultorum est, & qui parentum nomine inter homines indigni sunt. quòd illas amaret immutabiliter, has odisset implacabiliter. quòd in illis ipse arcana quadam vi efficeret, quod ipsas facere præcipit: his præciperet, ad quod faciendum ipsas reddidit impotentes. quòd illis omnia peccata remittat, neque unquam propter ea, licet gravissima & frequentissima, eas odio habere velit: his nulla remittere, sed minima quæque ad majorem ipsarum condemnationem imputare, imò æternos & inexhaustos tandem cruciatus, sine ulla gratia aut commiseratione, velit infligere. Quæ omnia Deo nunquam tribuissent, si ipsum homini dissimiliorem, quàm par est, non fecissent. Quis enim homo est, Scytha licèt sit ac Barbarus, qui ab ista agendi ratione non toto animo abhorret? Imo, quis homo est, qui non videt, ineptè Scripturam locutam fuisse, cum Deo tribuit viscera, non paternæ tantum miserationis, sed κατ' ἐξοχὴν patriarum commiserationum, imo plus quam maternarum: cum eum clementem, misericordem, tardum ad iram pronunciat? Fieri non potest, quin credat, aut dicis tantum causâ has virtutes Deo tribui, & à Deo hominibus commendari; aut eum, qui contraria Deo tribuit, viscera sua paterna Deo crudeli manu evellere, ex patre tyrannum, bellua & fera quavis immaniorem, ex tardo ad iram pronum ad odium, imo proniorem ad odium, quàm ad clementiam, quantum in ipso est, reddere. Sed plura de his postea. Sequamur Capellum nostrum.

*Malè Capellum Anthropomorphitarum & Pelagianorum hæreses Arminio docendi gratia affingere.*

Ut hæc, quæ credit vitia esse, exaggeret, non satis ipsi est, ea quod errores appellet, *Hæreses* vocat, & quidem *tetras*. Quales igitur? *Prior*, inquit, *Anthropomorphitarum; Altera Pelagianorum dicetur à nobis, docendi gratia.* Nimirum infami nomenclatura opus erat, ut non sine gravi causâ damnari crederentur. Horror incutiendus erat, & fulmine percellendi erant animi. Ita fit: Nominibus & titulis odiosis imperitæ plebis odia excitantur. Istis armis pugnant multi, non rarò fælicius & fortius, quam validis rationibus. Stupet populus in titulis. Si opinioni alicui nomen tantum hæreseos, olim damnatæ, præfigas, etiamsi cum ea nihil commune habeat; imò etiamsi non hæresis, sed ipsissima veritas sit, ab ea, tanquam à Gorgonis capite, refugit, solius nominis odio. Nempe, vel puerorum instar larvis & μορμολυκείοις istis terretur: vel, si fortè contingat, opinionem aliquam jure titulo hæreseos damnatæ insigniri, stultorum instar ab ea abhorret; non quia falsa est, aut quia falsam eam esse solidis rationibus persuasus est; sed quia illam, ut falsam, ab aliis damnatam esse audit. Et hinc natum est, quòd videamus Doctores non paucos, quia istis nominibus tam fæliciter apud populum pugnari vident, si integræ hæreseos nomen aut titulum affricare alicui nequeant, dimidiæ aut semihæreseos nomine digladiari, tanto cum successu, ut ad alienandos animos aliâ re opus ferè non habeant. Indigna hæc sunt iis, qui Reformationem profitentur. Catholicorum Romanensium, qui Ecclesiæ aut Conciliis tribuunt judicium, quod falli non potest, alia est ratio. Sentiunt ii & loquuntur consequenter conscientiæ & opinioni suæ. Sed eos, qui credunt, Concilia omnia errare posse, qui eo nomine etiam à Romanensibus secesserunt, qui de istâ agendi ratione toties ipsi conquesti sunt, qui ex Scripturis solis convinci se cupiunt, pudere meritò debet talium artium: idque eo magis, quòd ne quidem Catholicorum Romanensium fidem atque ingenuitatem hac in parte imitentur. Solent Romanenses id religiosè operam dare, ut non damnent aut infament sententiam hæreseos damnatæ titulo, nisi eam, quæ ipsissima illa hæresis est. Nunquam suo animo tantum indulgent, ut nomen hæretici damnati tribuant ei, qui hæresim illam ipsam, quæ in terminis olim damnata est, non tenet. Minima quæque discrepantia apud eos novo Ecclesiæ judicio opus habet, ut intelligant an hæresis sit. At ii, qui se Reformatos profitentur, plus sibi indulgent: Si quam opinionem damnare volunt, quam falsam esse statuunt, ut speciosè illud faciant, hæreseos titulum, veluti atrum βῆμα ei præscribunt; etiamsi opinio cum hæresi ista nihil habeat commune, & is, qui opinionem illam suam profitetur, hæresin illam, cujus nomen opinioni ipsius induitur, paratus sit ostendere ex Actis & Decretis veteribus cum opinione suâ nihil habere commune; imò, quod plus est, etiamsi is paratus sit eam apertè damnare, aut factæ olim damnationi subscribere. Sufficit ipsis, si tantum aliquid cum ea commune habere videatur; imò, quod pejus est, hæresin illam pro arbitrio suo fingent in eo sitam esse, in quo hæresis sita non est; sed quod è re & usu ipsorum est: Fœdo sanè & detestabili more. Nam si illa eadem hæresis est, quæ olim damnata est, cur id non ostenditur in terminis? Si non est eadem, sed nova hæresis, cur non damnatur novis rationibus, sed veteris hæreseos nomine infamatur? Levissima quæque differentia mutat sæpe totum quæstionis statum. Docent id Massilienses, qui, eo quod accedere nonnihil videbantur ad Pelagii hæresin, Semipelagiani dicti quidem sunt; sed quia hæresin eandem in terminis non tenebant, nunquam hæreticorum nomine fuerunt infamati.

Hæc si cogitasset Capellus, pro ea, qua debuerat, æquitate abstinuisset à pravo, isto & à suis olim damnato more. Quid enim ineptius dicere potuit, quam, *Prior Anthropomorphitarum; Altera Pelagianorum hæresis dicetur à nobis, docendi gratia*? Si docendi gratia, revera non sunt ipsissimæ illæ hæreses: aut si sunt ipsissimæ illæ hæreses, cur vocat eas, docendi gratia, istorum hæreticorum hæreses? Quid enim hoc ad rem facit, utrum ante istos hæreticos hæreses etiam illæ eædem fuerint, nec ne? Sive enim eæ fuerint, sive non fuerint ante illorum tempora, dici utique non debent illorum hæreses, nisi ea propter quæ illi ut hæretici suis temporibus damnati

damnati fuerunt. Sed voluit fortasse Capellus nova hac formula sua, *docendi gratiâ*, declinare certamen illud, an reipsa Pelagiana sint Dogmata illa, quæ impugnat, ut effugio locum haberet; quia vidit fortasse invalidis rationibus hactenus pro affirmativa à suis pugnatum esse. Id si fecit, magnum certè fecit caussæ suæ præjudicium, nec minorem animo suo vim, ut dedecus Ecclesiarum Gallicarum, quæ Arminii opinionem Pelagianæ hæreseos titulo audacter incæstaverant, colore aliquo tegeret, aut diversum ab illis sentire non videretur. Prudentius feciſſet, si omnino quæstionem hanc totam præteriisset. Etenim tam clarè, tam solidè & breviter evicit, meo judicio, Vir Clariſſ. D. Hugo Grotius, quem merito doctissimum & disertissimum Remonstrantium Patronum vocat, & prolixius polyhistor ille Gerardus Vossius, quod dogmata Remonstrantium Pelagiana dogmata non sint; ut non nisi cum novâ infamiâ contrarium sustinere posset Capellus. Sed ne deessent Capello latebræ, *docendi gratia* Pelagiana ista dogmata, &, quod facetum est, Anthropomorphitica facere maluit, quam quod reipsa essent eadem. Audiamus ergo Capellum nostrum, *docendi gratia* hæc adserentem, dignum certe, qui non alio genere armorum, quàm fœdis hæresium nominibus vicissim maculetur, *docendi gratia*.

*An sint Anthropomorphitæ qui humanos affectus Deo tribuunt.*

*Anthropomorphitarum hæresin appello*, inquit, *non quæ humana membra tribuit Deo.* Atqui hæc tamen est propria vocis etymologia. Quam igitur? *Quæ adfectus humanos subtiliores quidem illos, sed tamen Deo indignos, imò fœdos, verè Deo tribuit, ut iram, furorem, pœnitentiam, &c.* Libet hic obiter tria quærere, antequam Capellum falsi manifestum faciam. 1. Cur Capellus iram, furorem, pœnitentiam adfectus appellet subtiliores? Quis enim non intelligit illos esse crassiores, & fortè omnium, qui recenseri solent, crassissimos? 2. Quid intelligat per adverbium, *verè*? An idem, quod *propriè*; ita ut adfectus hi statuantur in Deo esse eodem prorsus modo, quo sunt in homine, involventes in suo conceptu formali easdem alterationes & imperfectiones: An prout opponitur *& falsò*; ita ut in Deo esse dicantur absque falsitate, propter veram quandam analogiam, quam habent cum adfectibus humanis, seclusâ omni passione & inordinatione? Si prius dicat, speciem aliquam habet id, quod dicit; sed ineptè eos, qui adfectus ita propriè Deo inesse volunt, Anthropomorphitas vocat *subtiliore modo*. Qui enim ita proprie in Deo adfectus esse statuunt, ii revera sunt Anthropomorphitæ crasso, imo crassissimo modo. Si posterius, jam necessum est, ut Theologos non paucos veteres ac novos Anthropomorphitas faciat subtiliore modo, & adfectus ne quidem secundum veram analogiam Deo competere dicat. Ex. gr. Quæro, quid Capellus intelligat per *Iram*, quam Deo verè competere non vult? An ebullitionem sanguinis circa cor, qualis in homine locum habet; an nudum depulsionis adfectum, justitia temperatum, qui sine omni alteratione corporeâ est, & quem sine vitio & peccato esse posse, docet Apostolus? Prius, credo, non dicet se intelligere Capellus, nisi sibi ipsi velit contradicere. Qui enim iram talem Deo tribuit, is est Anthropomorphita, non subtiliore, sed crassissimo modo. Tribuit enim Deo corpus, cor & sanguinem, qualis in homine est. Posterius si dicat, necessum est, ut Doctores non paucos veteres, ac nominatim Lactantium subtilem Anthropomorphitam faciat. 3. Quid per suum, *&c.* velit? nec enim sine caussa adjecit illud post tres illos crassissimos adfectus. Nempe, non putavit è re sua esse alios adfectus nominare, in quibus apparet ratio perfectionis excellenti modo, & quidem vel propriè, vel κατ' ἀναλογίαν, quique propriè ad materiam Prædestinationis rectè intelligendam faciunt, quales sunt, Amor, Odium, Bonitas, Gratia, Misericordia, Longanimitas, Desiderium, Spes, Tristitia, quos omnes Deo, non modò non propriè, sed pe quidem verè κατ' ἀναλογίαν competere dicat necesse est Capellus, omnesque ii, qui sententiam Calvini de Prædestinatione sequuntur, & homini liberum inesse negant arbitrium, cùm Deus ab eo postulat obsequium. De Amoris adfectu evicimus hoc certum esse in præcedentibus. De cæteris res est similiter plana. Quæ enim vel mica imò species naturalis bonitatis, gratiæ, misericordiæ, longanimitatis Deo tribui potest ab ipsis, respectu reproborum; cum tamen Scriptura eas Deo tribuat in ordine ad ipsos? Odit enim illos implacabiliter Deus, ut ajunt, & actus omnes bonitatis, gratiæ, longanimitatis, quos circa illos exercere videtur, tantum abest, ut adfectus veri vera signa sint, ut contra odii, amoris specie velati, effecta sint, & ad eorum condemnationem aggravandum faciant. Ita enim disertè ait Calvinus lib. III. Institut. Cap. 24. nu. 13. *Ecce vocem ad eos* (reprobos) *dirigit, sed ut magis obsurdescant; lucem accendit, sed ut reddantur cæciores; doctrinam profert, sed quâ magis obstupescant; remedium adhibet, sed ne sanentur.* Eadem est ratio desiderii,

*Male omnes affectus Deo adimi.*

spei, tristitiæ, respectu reproborum. Quod enim desiderium, quæ spes, quod votum, ut reprobi officium suum faciant? Ecquis enim sanus desiderat, ut cæcus, cæcus manens, videat aut legat? Optatne sapiens, ut mutus, mutus manens, loquatur? Imò verò speratne quisquam, ut veniat, quem venire non vult, imò quem, ut venire non possit, impotentem ipse reddidit? Quæ itaque tristitia, vel κατ' ἀναλογίαν, Deo verè tribui potest, quando reprobi officium non faciunt? Certè non alia Deo tribui potest, quàm quòd Dæmon ipse se non convertat, id est, nulla. Et ne respectu reproborum tantum adfectus istos Deo adimi ab ipsis putemus, respectu etiam electorum omnes Deo adimant necesse est. Obsecro enim quæ longanimitas, quæ patientia, quæ spes, quod desiderium, quis dolor, respectu eorum, Deo verè κατ' ἀναλογίαν tribui ab ipsis potest? Si nemo eorum plus boni potest facere, quàm facit, nemo plus mali omittere, quàm omittit, nulla longanimitas, nulla patientia circa ipsos locum habet. Tantum ab ipsis fit & non fit, quantum Deus iis dat, aut subtrahit. Nihil itaque tolerat Deus in ipsis aut ab ipsis, nisi suam ipsius actionem aut subtractionem, quæ à voluntate ipsius solâ dependet. Deinde, quæ analogia spei tribui potest Deo, respectu electorum, cum ipse in electis efficiat omnia per eam vim, quæ non potest non effectum sortiri? Quæ vicissim tristitiæ analogia potest tribui Deo, quum fieri non possit, ut electi non faciant id, quod Deus ab iis fieri vult, quia Deus ipse id in iis efficit; vel, si id non faciant, quum id fiat propterea quod Deus ipse id in iis effectum dare nolit, & ipsi ea propter ne hilum quidem Deo minus sint dilecti? Hos omnes itaque adfectus, non modò non propriè, sed falsò Deo tribui vult Capellus, cum ait, *Anthropomorphitas docendi gratia vocari posse eos, qui Deo adfectus verè, N. B. tribuunt.* Omnes enim cæteros adfectus per suum, *Et cætera*, designare voluit, etsi callidè eos non expresserit.

*Arminii affectus Deo propriè non tribuere.*

Sed dicet fortasse Capellus, se per adverbium, *Verè*, intelligere idem quod *propriè*, & non κατ' ἀναλογίαν. Esto: quanquam hæc ipsius mens esse nullo modo possit, si consentaneè sibi loqui velit. Esto, inquam. Quid tum?

*Tales adfectus Deo tribuere non verecundantur Arminiani,* inquit. Hic pedem fige, Capelle, & dic, ubi? Cedo locum vel unicum, ubi Arminius vel Arminiani furorem Deo verè, id est, propriè tribuere non verecundantur. Mirum, ni brevi eosdem Deo etiam insaniam verè competere asserentes facias. Deinde, cedo locum, ubi pœnitentiam verè & non κατ' ἀναλογίαν Deo tribuunt. Imò adeò cedo locum, ubi iram Deo propriè & non κατ' ἀναλογίαν, aut κατ' ἀνθρωποπάθειαν competere asserunt. Denique, cedo locum, ubi cæteros omnes adfectus, etiam crassissimos, si quos crassiores voluisti per tuum, *&c.* designatos, Deo aliter, quam per *anthropopatheian* & *analogian*, cum Theologis & Philosophis omnibus, tribuunt. Non facies. Et ut videas, perperam & per calumniam hæc ipsis impingi, en propria Arminii & Remonstrantium verba, ex quibus contrarium, Sole clarius, liquet. Arminius in Thesibus suis de Naturâ Dei, quas pro gradu Doctoratus publicè ventilandas proposuit, Thes. 73. ita disertè loquitur: *Hosce adfectus Deo tribuimus propter effectus nonnullos ipsum illi analogos, citra ullam passionem, utpote simplici & immutabili: & citra ullam inordinationem & rectæ rationis repugnantiam.* Ut autem videas, eundem non docuisse aliter in occulto, quàm in publico, en verba privatarum Disputationum, Disput. xx. Thes. 12. *Horum adfectuum nonnulli Deo competunt, ut simpliciter perfectionem in se continentes: alii, qui videntur imperfectionis quippiam habere, illi tribuuntur ἀνθρωποπαθῶς, propter effectus nonnullos ipsius, analogos adfectibus creaturarum, citra ullam tamen passionem,* &c.

Remonstrantes etiam in Actis & Scriptis suis Synodalibus pag. 102. in defensione sententiæ suæ, circa IV. articulum, de gratiæ operatione, eodem modo loquuntur. Cum enim quæritur, Quomodo Deo expectatio tribuatur, respondent illi hoc pacto: *Habent quidem tria ista* (quæ videlicet ante allegata sunt, ut quis possit rectè dici exspectare) *locum, cum à se mutuo aliquid exspectant homines; & fatendum est, eodem plane modo Deo spem tribui non posse, eamque, quando Deo tribuitur, ἀνθρωποπαθῶς explicandam esse. Sed tamen ita explicanda est, ut ad humanam spem ea, quæ Deo tribuitur, analogiam aliquam habeat.* Plura non allego, quia opus non est, & quia libris destituor in hoc exilio meo. Sexcenta alioquin addere possem. Hæc loca si non vidit Capellus, næ oscitanter admodum legit Arminii & Remonstrantium scripta; quod parum decet eum, qui tam audacter hæresim tam atrocem, qualis est ἀνθρωπομορφιτῶν, iis impingit. Si videre noluit, tanto est pejor, quòd contra animi sui dictamen calumnietur Christi servos.

*Neque tamen si id faciſſet Anthropomorphita eſſet appellandus*

Sed dato etiam, at non concesso, quod Arminius adfectus hos verè tribuisset Deo, uti Capellus vult, an propterea merebatur odioso isto titulo, Anthropomorphita, appellari? Æquissimum quidem est, ut Deo summa tribuatur per-

perfectio. Id meretur Majestas ipsius & excellentia τῆς μεγαλοπρεπῦς αὐτῦ δόξης, ut Petrus ait 2. *Epist. cap.* I. Nunquam satis digne quisquam de eâ aut sentire potest, aut loqui: Quicquid conceperis aut dixeris, id infra illius sublimitatem est. Sed si quis fortè in eâ concipiendâ imprudenter erret, aut Deo tribuat quædam, quæ non satis digna divinæ & gloriosæ ipsius Majestati sunt; sed quæ tamen Deo non tribuit, nisi quia ea Majestatem Dei maximè decere credit; an eum statim, cætera licet ab Anthropomorphitarum sectâ abhorreat, enormis illius hæreseos postulabimus? Certè perfectio cognitionis divinæ, quæ nobis hic necessaria est, ut salvemur, in eo non est posita, ut distinctè sciamus, aut solicitè scrutemur, quid propriè, quid impropriè in essentiâ divinâ sit, vel quid Deus sit in seipso. Nemo id novit, nisi Deus ipse, & quibus ille se videndum præbet in gloriâ suâ. Notitia hæc præmium erit nostræ obedientiæ in futuro illo sæculo; ibi *videbimus eum, sicut est.* Quotquot eâ de re confidenter pronunciant, videant, ne, dum subtilitatem suam in concipiendo nimis acuunt, vani fiant, & ὑστέρουν μωραίνηθεν, ut Petrus ait, loquantur, μὴ νοῦντες μήτε ἃ λέγουσι, μήτε περὶ τίνων διαβεβαιοῦνται. 1. *Tim.* 1. 7. *Nescire velle, quæ Magister optimus Nescire nos vult, eruditia inscitia est.* Perfectio divinæ cognitionis illius, quam nos habere hic oportet, in eo præcipuè versatur, ut sciamus, qualem Deus se nobis revelaverit: hoc enim necessarium est, ut eum rectè colamus, ei obediamus, & in eo fiduciam nostram collocemus. An verè, an metaphoricè quædam ei competant, necessarium non est ut sciatur, si id ipse nobis revelare dignatus non est. Nostra obedientia, cultus & fiducia non dependent ex eo: neque fieri potest, ut indubitato persuasi simus de eo, nisi Deus ipse id nos scire velit. Cum autem Deus in Scripturis ita se revelaverit, ut nullus fermè sit adfectus rationalis in homine, quem Deus sibi passim non tribuat, nihilque tamen dixerit, unde colligi possit propriè an impropriè id intelligi velit; utique si quis sub iisdem Scripturæ terminis adfectus illos Deo tribuat, atque ita Deum sibi similiorem forte faciat, quàm par est, si quis præcise rem trutinare velit, indignus profectò est, qui Anthropomorphita vocetur. Nec enim, cum id affirmat, revera id ita in Deo eodem prorsus modo esse, quo in homine est, affirmat; sed à Deo id ita revelatum sibi affirmat, tanquam si in Deo revera esset.

Qui autem adfectus istos negant Deo vere tribui, videant, ne dum Anthropomorphitæ fieri, docendi gratia, metuunt, Deum faciant, non dico homini dissimilem, sed veris omnibus, quæ in homine sunt, perfectionibus destitutum; & dum adfectus, quos Deus sibi ipsi tribuit, & qui revera nullam imperfectionem in suo conceptu involvunt, propriè ac verè Deo inesse negant, occasionem sibi aut aliis dent pejora cogitandi de Deo, quàm si adfectus verè ipsi tribuerent. Multò fortè minora & pauciora incommoda habet, si concipias Deum, adfectibus propriè præditum, quàm si eum, nescio quod immobile & ἀπαθῆ. Numen facias, in quo non modò non propriè, sed ne verè quidem, adfectus ullus locum habeat. Certè cum gloriam suam Mosi videndum dabat Deus, clamasse dicitur ex nomine Jehovæ, *Dominus Dominus, fortis, misericors & miserator, tardus ad iram, & multæ miserationis.* Exod. XXXIV. In adfectuum horum pulchritudine & cumulo vult Deus, veluti in speculo, conspici gloriam & bonum omne suum. *Ostendam* enim *tibi*, dixerat Deus Mosi, *omne bonum meum.* Sed de hac re satis. Progrediamur ad secundam hæresin.

*Pelagianos non esse omnes eos qui Deo non satis, homini verò nimium tribuunt.*

*Hæresin alteram, & ipsam φιλαυτίας filiam, Pelagianismum, docendi caussa, appellamus eam, quæ Deo non satis, homini vero nimium tribuit, sive quæ beneficium extenuat, quo Deus electos suos ex iræ filiis, peccati servis, facit lucis filios,* &c. Hîc, quia docendi gratia hanc opinionem Capellus Pelagianismum nuncupat, liceat mihi, discendi gratia, quærere ex ipso, quid in terminis sit *Deo non satis*, & *homini nimium.* Hoc quamdiu explicatè & peculiariter non docet, nihil docet, nulla est ipsius in docendo gratia. Fieri enim posse non negabit, opinor, ut quis Deo non satis tribuat, homini autem nimium, & is tamen propterea hæreticus non sit, nedum Pelagianus. Sicut contra fieri posse non negabit, ut quis Deo nimium, homini verò non satis tribuat; & interim hæreticus propterea censendus non sit. Exemplo utrumque clarum faciam. Primum: Fieri potest, ut quis tribuat Deo, quòd electos omnes per solam illuminationem intellectus, absque ulla formali immediatâ aut directâ actione in voluntatem, ex iræ filiis, peccati servis, faciat lucis filios & justitiæ servos. Non negabit hoc, opinor, Capellus, aut si neget, videat, quid Camero, Professor Salmurienſis, in Thesibus suis & collatione cum Tileno habita, sentiat. Procedo: Qui hoc facit, is non tribuit Deo satis, juxta Capellum & Canones veteres, ac novos Synodi Dordracenæ & Alezianæ. Vult enim Capellus Thes. XV. ut credatur, non intellectum tantum cæcitate, sed & voluntatem ingenita pravitate laborare: ac proinde in conversione hominis requiri actionem immediatam, tam in voluntatem, quàm in intellectum: Quod Camero, & qui ipsum sequuntur, ineptum statuant necesse est, si velint *Deum* suam *φιλαύτιαν*. Deo itaque non satis tribuunt, & quia voluntatem ingenitâ pravitate laborare negant, homini etiam ut nimium tribuant necesse est. Quid? An horum opinionem Capellus appellabit etiam hæresin, docendi gratia, & quidem Pelagianismum, *φιλαυτίας* filiam? Videat itaque, quid de Camerone aliisque, imò de collega suo Molinæo, statuendum sibi sit. Secundum exemplum esto: Fieri potest, ut quis tribuat Deo, quòd electos suos per vim physicam & irresistibilem ex iræ filiis, peccati servis, faciat lucis filios, justitiæ servos. Nec hoc negabit, opinor, Capellus, aut si neget, videat quid Gomarus, qui Synodi Dordracenæ membrum fuit, in Declaratione sua, pag. 20. Calvinus, Zanchius, Perkinsius, aliique complures ea de re dicant. At, qui hoc facit, is tribuit nimium Deo; per consequens, is non satis tribuit homini. Quid? An hoc negabit Capellus? Scire aveo. Si non negabit, an & hunc propterea hæreticum Pelagianum dicet? Videat itaque quot hæreticos & Pelagianos in sinu suo foveat Ecclesia reformata.

Hæc cum ita sint, discendi gratia iterum quæro ex Capello, qua in re positum sit illud *non satis*, & illud *nimium*, quod Capellus vocat. Hæreseos crimen atrox admodum crimen est: Per eam enim articulus necessariæ veritatis evertitur. Qui de eo statuit, necesse est, ut punctum illud, in quo hæreseos forma consistit, accuratè delignet. Alioquin facile & graviter errari potest. At nihil minus, quàm hoc, egit Capellus. Ita generaliter de eâ loquitur, ut, quid velit, distinctè sciri impossibile sit. Generalibus quibusdam verbis contentus dirum illud carmen canit Thes. XVI. *Quacunque ratione grasseris ad extenuationem beneficii illius, quo Deus electos suos ex iræ filiis, peccati servis, facit filios lucis, servos justitiæ, quantumvis in speciem, vel, N. B. reapse aliam viam ineas, quàm Pelagius, Pelagianus vocari potes, docendi gratia.* Esto: Ita sit. At quid illud est, quo præcise extenuatur beneficium Christi? Hoc exprimendum erat clarè & in terminis. Nam Capello ne sufficit quidem, si quis, ne beneficium Christi extenuet, subscribere paratus sit omnibus sanctionibus, contra Pelagium constitutis. Id enim Arminium paratum fuisse facere, agnoscit ipse Thesi XVIII. Hoc circulo itaque includes te, Capelle. Noli extravagari & intra generales terminos te abdere. ambagibus & circumlocutionibus abstinendum est. Rhetorum istæ sunt propriæ & Sophistarum, qui caussæ suæ diffidunt, Disputator veri studiosus, rem acu tangit. Uno verbo dicendum erat, quid illud sit, quod desideratur, ut *Deo satis* tribuatur; & quid illud sit, quod supereſt, in quo *homini nimium* tribuitur. Alioquin, si generali isto axiomate, *Quisquis Deo non satis, homini verò nimium tribuit*, jure alicui Pelagianismum impingi posse credis, vide sis, an non multo majori jure te Pelagianum imò Anthropomorphitam, esse evincam. Deinde, an non juxta illam ipsam generalem tuam hypothesin Arminium ab isto Pelagianismi crimine sim vindicaturus.

I. Argumentum meum, ut probem Capellum *non tribuere satis Deo*, imò tribuere Deo indignas ac fœdas affectiones, tale est: Qui tribuit Deo voluntatem & intentionem salvandi paucos, etiam ex iis, quos ad salutem vocat, is non tribuit satis Deo, sed multum gratiosæ ipsius voluntati detrahit. Ratio consequentiæ est, quia Apostolus expresse dicit, *Deum omnes* (quos vocat saltem) *velle salvari & ad agnitionem veritatis pervenire*: 1 *Timoth.* II. & Petrus 2. *Epist.* III. *Deum non velle, ut quisquam pereat, sed ut omnes ad resipiscentiam veniant*: cujus contrarium est, Deum velle, ut plurimi pereant, & ut non nisi pauci quidam electi ad resipiscentiam & cognitionem veritatis perveniant: quod indignum divinæ gratiæ, & fœdum est. At Capellus cum sua Synodo Dordracenâ & Alezianâ voluntatem ejusmodi Deo tribuit. Ergo, ex vi suæ propriæ hypotheseos, est Pelagianus & Anthropomorphita. *Capellum Deo non satis tribuere.*

II. Argumentum: Qui tribuit Deo non nisi voluntatem externam, sive signi tantùm, & ex prima Dei intentione inefficacem, quando reprobos vocat ad salutem; imò qui tribuit Deo voluntatem plane simulatam, qua videri vult velle salvare, quos ex professo ad gloriam suam reprobare, id est, perdere voluit, ille non tribuit satis Deo, & tribuit Deo, quod indignum ac fædum in homine est. Ratio majoris per se patet, & alibi contra omnes possibiles exceptiones adserta est. Vide Acta & Scripta Synodalia Remonstrantium. Atqui Capellus cum sua Synodo Dordracena & Aleziana tribuit Deo non nisi voluntatem talem. Ergo est Pelagianus, aut, si malis, Anthropomorphita, ex propria sua confessione.

III. Argumentum: Qui tribuit Deo voluntatem, quâ vult,

vult, ut ii, quos ipse propria sua voluntate ad gloriam nominis sui reprobavit, credant in Jesum Christum, &, si credere nolint, majoris condemnationis rei fiant, ille tribuit Deo id, quod Deo indignum, & fædum in homine est. Ratio majoris est: quia Deum velle, ut ii, pro quibus Christum mori noluit, credant, Deum voluisse, ut pro ipsis moreretur, & de facto pro ipsis mortuum esse; aut clarius, Deum velle, ut ii credant, sibi remissa esse peccata sua propter Christum, quibus absolutè peccata remittere noluit, est Deum velle, ut credant verum esse id, quod falsum est, quòd indignum est Deo, & fædum in homine. Deinde, Deum velle, ut, si isti non credant, rei fiant majoris condemnationis, est Deum velle punire aliquos, propterea quòd non crediderint mendacio, quod non minus indignum Deo & fædum est. Utrumque hoc tribuit Capellus cum suis Deo. Ergo est Anthropomorphita suopte judicio.

*Et nimium homini tribuere.*

Quòd verò Capellus *tribuat homini nimium*, his argumentis evinco. I. Qui tribuit homini, quòd non possit non obedire, quando Deus sibi sub promisso vitæ & comminatione mortis mandat, ut obediat, ille tribuit homini nimium. Ratio est: Quia tribuit homini id, per quod promissio & comminatio divina prorsus & in totum enervatur & evacuatur. Promissio enim & comminatio sunt argumenta suadentia, ut homo sponte ac liberè faciat id, quod jubetur. At argumenti suasivi vis omnis eliditur, quando is, qui jubet, in eo, cui jubet & argumentum illud proponit, id ipsum quod jubet, efficit per aliam potentiam & motionem arcanam, & quidem ita, ut is, cui jubet, non possit non illud facere, quod jubet. Præterquam quòd contradictionem implicet, mandare ut ipse facias, & efficere arcanâ vi, ut id à te fiat. Velle enim ut alius faciat, & velle ut alius non faciat, contradictionem involvit. Deinde, promissionis & comminationis vis eliditur in totum, quia ei, in quo per talem gratiam efficitur id, quod jubetur, promitti præmium non potest, neque id, quod promittitur, sub ratione præmii, mercedis aut coronæ conferri. Adde, quod comminatio mortis planè ridicula fiat: Deum enim comminari mortem ei, quem mori non vult, aut eum, qui à Deo electus est, & qui se electum esse certâ fide persuasus est, movere argumento, à comminatione mortis æternæ sumto, tam est ineptum, quàm reprobum promisso vitæ æternæ movere, ut credat & non pereat. Atqui Capellus cum Synodalibus suis hæc tribuit homini. Ergo est Pelagianus suopte animo.

II. Qui tribuit homini electo, quem vocat, quod semper maneat in gratiâ Dei, etiam cùm in mediis sceleribus, contra conscientiam suam perpetratis, vivit, cùm exercet adulterium, homicidium, sodomiam, idololatriam, proditionem, regicidium, rebellionem; & breviter, quæcunque tandem peccata sint (solam excipe infidelitatem: in hanc enim incidere non potest, juxta Capellum, quia credit semper omnia sibi peccata remissa esse, tam quæ facturus est, aut facit, quam quæ fecit) is tribuit homini nimium. Major hæc per se plana est. Qui enim hoc tribuit homini, is tribuit ei, quod peccata nulla vim in illum habeant ad eum condemnandum, quo majus & pejus dici nihil potest. Atqui Capellus tribuit illud homini. Ergo est Pelagianus suo proprio testimonio.

Minores horum syllogismorum non probavi, quia id toties & tam dilucide factum est in diversis scriptis, & nominatim in Actis & Scriptis Remonstrantium Synodalibus, ut soli lucem fæneraturus essem, si aliquid adderem. Et res per se ita certa est, ut, qui sentectiam Capelli & Synodi Dordracenæ vel leviter intelligit, de veritate horum dubitare non possit.

*Capellum peccatorem excusabilem reddere.*

Pergo itaque cum Capello. Dicit ille Thes. XIII. duo extrema esse fugienda, ne Pelagianus fias. Primum est, *ne peccatorem excusabilem reddas.* Alterum, *ne quid gratiæ Christi suffurere.* Utrumque generaliter satis. Sed esto. Utrumque fieri à Capello, ac proinde Capellum suopte judicio Pelagianum esse, sic evinco. Prius quidem.

I. Qui asserit, Deum punire hominem, propter primi sui parentis peccatum, impotentia credendi & obediendi, &, post inflictam impotentiæ pœnam, actum fidei & obedientiæ ab eodem postulare, qui sine potentiâ novâ præstari non potest, is facit hominem excusabilem, ac proinde Pelagianus est, juxta Capellum. Atqui Capellus cum suis hoc facit; quia reprobos impotentia credendi, propter Adami peccatum, punitos à Deo asserit, & ab iisdem nihilominus actum fidei postulari dicit, qui sine nova potentia præstari ab ipsis non potest. Ergo Capellus facit hominem excusabilem, & sese ipsum suo proprio ore Pelagianum facit. Ratio utriusque propositionis per se clara est.

II. Qui dicit, neminem, nec electum nec reprobum à peccatis abstinere posse, nisi speciali interna & ex intentione sola Dei efficace gratiâ singulis momentis à peccando contineatur, is hominem, quando peccat, excusabilem reddit. Ratio est, quia excusatio ipsius nititur defectu divinæ gratiæ illius, qui à sola Dei voluntate dependet, & quem impedire non est in potestate hominis. Atqui Capellus cum suis hoc dicit. Ergo Capellus Pelagianus est, juxta suam ipsius sententiam.

*Et gratia Christi aliquid suffurari.*

Posterius hoc pacto evinco: I. Qui dicit, Christum reconciliare Deo eos solos, quos jam ante amavit amore immutabili & peremtorio, ille suffuratur gratiæ Christi universam vim suam. Ratio est; quia tribuere Christo, quod eos, qui reconciliatione opus non habent, reconciliet, idem est, atque negare, quòd eos reconciliet. Atqui Capellus hoc facit cum suis: Quia dicit Christum reconciliare eos Deo, quos Deus ipse antea elegit: At quos antea elegit Deus, eos amat & diligit amore æterno & immutabili: Qui autem amantur, reconciliari opus non habent: Reconciliare enim est efficere ut amentur. Ergo Capellus suo proprio testimonio est Pelagianus.

II. Qui dicit, Christi gratiam non pertinere nisi ad electos, & qui reprobis, qui à Christo vocantur, gratiam sufficientem dari negat, ut Christo vocanti credere & obedire possint, & nihilominus ob spretam gratiam non sufficientem, quam non poterant non spernere, reos eos fieri à Christo dicit majoris condemnationis, is suffuratur gratiæ Christi plurimum. Atqui Capellus hoc facit cum suis. Ergo suâ confessione est Pelagianus.

Plurâ hic non allegabo, ne prolixior sim. Sufficit, si ostendero, quàm latum campum adversariis suis Capellus dederit, cum generalibus istis suis axiomatis hæreses tam enormes iis affricare studet. Dum enim id facit, & quidem nullo jure aut consequentiâ solidâ, occasionem præbet illis argumentum suum retorquendi contra se, atque ita seipsum suopte gladio jugulandi.

*Capellum immeritò Pelagianismum Arminio impingere.*

Sed libet jam etiam ostendere, Capellum nullâ justâ ratione Arminio crimen Pelagianismi impingere, hoc argumento: Qui paratus fuit omnia ista, quæ Patres à Pelagio requisiverunt, ad gratiæ divinæ beneficium perfectè explicandum, lubens agnoscere, & qui sanctiones omnes, quæ contra Pelagium, beneficium istud extenuantem, constitutæ olim fuerunt, paratus fuit probare & manu suâ signare; ille non potest dici, Deo non satis, homini verò minimum tribuisse, aut beneficium gratiæ divinæ extenuasse. Arminius autem id paratus fuit facere, ut ipse Capellus fatetur Thes. 18. ubi ipsius Arminii testimonium citat. Ergò. Ratio consequentiæ est, quia alioquin dicendum foret, aut Patres beneficium gratiæ Jesu Christi non satis perfectè definivisse, ac proinde non satis plenè Pelagii doctrinam damnasse; aut Arminium non ex animo, sed contrà conscientiam suam subsignationem Canonum obtulisse. Utrumcunque dixerit Capellus, ulcus tanget. Ergo.

Verum enimverò etsi non aperte audeat, tacite tamen satis indicat Capellus Thes. 16. sibi non sufficere ea, quæ à Patribus, imo à Synodis tam multis & tam solemnibus contra Pelagium constituta olim fuerunt. Ita enim inquit: *Istarum verò Synodorum doctrinam, ut plenius N.B. solidiusque confirmarent Augustinus, Prosper, aliique, deinceps docuerunt, gratiam illam regenerationis non esse omnibus communem, sed electis particularem.* Magna hæc est confidentia, & quæ meritò magnis rationibus niti debebat. Quàm ægre ferret Capellus, si quis Synodo Dordracenæ, Alezianæ, aut Charentonensi tantum detraheret, quantum ille hîc detrahit tot Synodis & Conciliis antiquis, Provincialibus & Nationalibus? Sed nos rem videamus. Esto, demus verum esse, quod Capellus videtur cupere, nihil tamen effecerit. Nam. 1. Ad summum non fuit hæc sententia communiter approbata, nec Synodicis ullis constitutionibus confirmata; quod ut probem opus non est, quia ita clarum est, ut ipse Capellus id ultrò fateatur Thes. XVIII. Privata ergo fuit sententia Augustini & Prosperi, aliorumque, à quâ tum temporis, cum maxime ferveret conflictus cùm Pelagio, seorsim quis sine ullo periculo aut suspicione Pelagianismi sentire ac docere poterat. Quod sane quantum præjudicet causæ Capelli, quis non videt? 2. Gratiam regenerationis ita peculiarem non fecerunt Augustinus, Prosper, ac cæteri omnes istius ævi, quin & priorum omnium seculorum Patres, ut liberum arbitrium tollerent; sed contra unanimi consensu gratiæ illius regenerantis plenum effectum aliquatenus pendere voluerunt à libera hominis voluntate; ita ut, posita gratia ista, consensus & dissensus humanæ voluntatis sequi possit. Consensus & dissensus dico, ne quis forte, per libertatem hanc, solam quandam spontaneitatem intelligi à me putet. Hoc ita certum est, ut Hieronymus dicat ad Ctesiphonem; *Frustra blasphemas & ignorantium auribus ingeris, nos liberum arbitrium condemnare. Damnetur ille, qui damnat.* Et Scriptor Hypomnesticôn lib. 3. *Liberum arbitrium quisquis negaverit, Catholicus non est.*

*non est.* Quod autem liberum arbitrium Augustinus agnoverit, ex infinitis locis liquet. Videatur tantum, quod exstat Cap. 34. libro de Litera & Spiritu, qui Pelagianis opponitur: *Nemo habet in potestate quid veniat in mentem, sed consentire vel dissentire propriæ voluntatis est.* Et libro de Dogmatibus Ecclesiasticis. Cap. 21. *Initium salutis nostræ à Deo miserante habemus; ut acquiescamus salutiferæ inspirationi, Nostræ est potestatis.* Hinc illud; *Si non est liberum arbitrium, non est quod salvetur. Si non est gratia, non est unde salvetur.* Gemina habent Prosper, discipulus Augustini, aliique. Si quis plura loca velit, adeat tantùm doctissimam Disquisitionem Clar. Viri D. Hugonis Grotii, *An Pelagiana sint ea dogmata, quæ nunc eo nomine traducuntur.* 3. Gratiam regenerationis ita peculiarem electis non fecerunt, ut communem & sufficientem gratiam cæteris vocatis dari negarent. Contra Hieronymus lib. 3. adversus Pelagianos ait: *Etiam his, qui mali sunt futuri, dari potestatem Conversionis & Pœnitentiæ.* Et ad Esa. Cap. 1. *Liberum servat arbitrium, ut in utramque partem, non ex præjudicio Dei, sed ex mentis singulorum vel pœna vel præmium sit.* Augustinus libro 83. Quæstionum, Quæst. 68. sic ait: *Nec illi debent sibi tribuere, qui venerunt, quia vocati venerunt, nec illi, qui noluerunt venire, debuerunt alteri tribuere, sed tantum sibi, quia ut venirent vocati, in liberâ erat voluntate.* Similiter Prosper aliique. Hæc res adeò certa apud Veteres fuit, ut non tantum crediderint omnibus iis, qui Euangelium audiunt, gratiam istam sufficientem, id est, credendi facultatem dari; sed iis etiam, ad quos Euangelii fama & lux non pervenit, ejusmodi quædam dona dari à Deo asseruerint, quibus recte uti, & recte utendo ad majora, atque ita porrò ad salutaria dona pervenire possent. Si quis dubitat, adeat eandem, cujus paulò ante mentio facta est, Disquisitionem, & lucernam se in Sole quærere intelliget. 4. Electionem denique ipsam ab Augustino clare traditam fuisse, *ut puram & nullius boni, quod in nobis futurum sit, prævisione subnixam*, non usquequaque certum est; Capellus pro more suo adfirmat id satis confidenter, cum ipse Prosper, qui omnia Augustini diligenter legerat, ea de re dubitarit, ut ex Epistola ipsius apparet. Nec video, qua ratione solvi possit evidens argumentum, quod in contrariam partem est: Quod Augustinus sententiam suam authoritate Patrum omnium, qui usque ad ætatem ipsius scripserant, tueatur, & Pelagii, tanquam novam & recentem præsumtionem, damnet. At omnes fere Augustino vetustiores Scriptores electionem non tuentur aliam, quàm quæ præscientia veræ fidei subnixa est. Ita enim disertè Prosper ait: *Pænè omnium parem inveniri & unam sententiam, quâ propositum & prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt, ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios vasa contumeliæ fecerit, quia finem uniuscujusque prævideri, & sub ipso gratiæ adjutorio, in quâ futurus esset voluntate & actione præscierit.* Ita est. Ambrosius, quem nominatim pro se stare profitetur Augustinus, diserte ita loquitur lib. 5. de fide, Cap. 3. *Non enim ante prædestinavit, quàm præsciret*, & quæ sequuntur. Et in Commentariis ad VIII. cap. ad Rom. quæ sub Ambrosii nomine leguntur, etsi certe non ejus ætatis sunt, legitur; *Istos, quos præsciit futuros sibi devotos, ipsos elegit ad promissa præmia capessenda.* Item: *Et misericordiam dabo ei, quem præscii, post errorem recto corde reversurum ad me.* Cui adde, quòd Hieronymus ipse, acerrimus Pelagii oppugnator, expressè eandem sententiam tenuerit. Ita enim ad Gal. 1. loquitur: *Ex Dei præscientiâ evenit, ut, quem scit justum futurum, priùs diligat, quàm oriatur ex utero.* Imò, quod magis est, ad 1. caput Malach. ait: *Dilectio & odium Dei vel ex præscientia nascitur futurorum, vel ex operibus.* Et ad Rom. VIII. *Proposuit sola fide servare, quos præsciverat credituros.* Imò, in ipso adversus Pelegianos conflictu lib. 3. *Eligit* (inquit, Deus) *quem bonum cernit.* Adde denique, quod ipse Augustinus quæst. 2. ad Simplicianum loquatur hoc pacto: *Nemo eligitur nisi jam distans ab illo, qui rejicitur. unde quod dictum est, quia elegit nos Deus ante mundi constitutionem, non video quomodo fit dictum, nisi de præscientiâ fidei & operum pietatis.* Mox de Jacobo: *Non electus est, ut fieret bonus, sed bonus factus eligi potuit.* Quicquid sit, de mente Augustini, de qua adhuc sub judice lis est, illud certum est, Augustinum voluisse sententiam suam authoritate omnium Patrum antecedentium tueri. Unde efficitur verisimiliter ac pænè ἀναντιῤῥήτως, Augustini sententiam, qua contra Pelagium pugnavit, non fuisse aliam, quàm fuit antecedentium Patrum: Aut, si fuit alia ac diversa, falsi manifestum eum teneri, &, dum Pelagium oppugnare voluit ex isto capite prædestinationis, uti Capellus vult, oppugnasse eum non Pelagium tantum, sed totam Antiquitatem; quod absurdum meritò videri debet.

Hæc cum ita sint, fieri non potest, quin Capellus, ex hypotheseos suæ vi, Augustinum, Prosperum, aliosque, quos Pelagium optime oppugnasse & gratiam regenerationis melius, quàm Canones omnes, contra Pelagium sancitos, definiisse vult, Pelagianos docendi caussâ faciat. Qui enim objectum electionis statuerunt credentem sive crediturum; aut qui electionem aliam non agnoverunt, quàm quæ ex præscientia fidei est, illi non satis tribuerunt Deo & gratiam divinam reipsa sustulerunt, quin & meritum reposuerunt. Ita enim disertis verbis colligit Capellus Thes. 21. Deinde: Qui, se liberum arbitrium homini salvum relinquere, protestati sunt, ii nimium tribuerunt homini: Utrumque fecerunt Augustinus, Prosper, aliique, ut ex præcedentibus liquet. Ergo reipsa fuerunt Pelagiani. Si hanc contumeliam Augustino aliisque Patribus facere non audebit Capellus, videat ergo, quo jure eam facere possit Arminio & ejus Scholæ, si eandem, quam illi, sententiam teneant.

*Arminium non justum esse peccatum originis.*

Sed regeret fortasse hîc Capellus, se non apertè nec præcisè ex illo capite Pelagianismi crimen arcessere. Hoc quamquam regerere nullo jure possit ei qui Thesium Capelli filum & scopum videt; tamen esto. Videamus ergò ex quo capite crimen illud arcessat. *Satanæ*, inquit, *mens fuit, Pelagianismum, novo tectorio incrustatum, instaurare; Gratiam Christi, subtiliore quidem, sed tanto probabiliore ratione, quàm olim extenuare.* Esto. *Pelagius, cum dixit, hominem tam non peccare, quàm peccare posse, satis docebat, se nullum agnoscere peccatum originis.* Ita est. Non necesse erat per consequentiam id impingere Pelagio, quod ipse apertè fatebatur. *Hæc si diceret*, inquit, *Arminius, nemini fidem faceret. Ut igitur fidem inveniret, probabilior fuit instituenda ratio.* At qui Thesi præcedente dixerat Capellus, mens Arminii quænam fuerit, definire non est nostrum. At quid est mentem Arminii definire, si hoc non est? Ne imputet ipsi Deus audaciam & temeritatem tam enormem. Quod antea Satanæ mentem esse dixerat, id hic nunc apertè mentem & scopum Arminii fuisse dicit. Sed ad rem.

*Agnoscit igitur Arminius, saltem in speciem, peccatum originis.* Ergo hactenus Pelagio dissimilis, qui apertè illud negabat. *Sed ait*, inquit, *Christi satisfactione reconciliatum & sanatum fuisse genus humanum.* Bonam fidem tuam Capelle! Nunquam dixit Arminius, satisfactione Christi simul reconciliatum & sanatum fuisse totum genus humanum: accuratior erat, quàm ut ita loqueretur. Satisfactione Christi reconciliatum genus humanum dixit: At sanatum fuisse quis, nisi vecors, dicat? Ad sanandum aliâ re opus est, quàm satisfactione. Mirum quod id Capellus non consideraverit; qui pro electis satisfactum à Christo statuit, imò qui electos justificatos actu facit, quos tamen eo ipso actu sanctificatos, id est, à peccatis sanatos esse non vult. Sanationem autem ejusmodi à Capello intelligi patet, quia addit, *ut jam mortis æternæ reus, peccati servus nemo fit, nisi novo facinore novam servitutem sibi contrahat.* Vult itaque Arminium credere, omnes homines per satisfactionem à servitute peccati non minus sanari, quàm à pœnæ reatu liberari. At nusquam id docet Arminius: Tantum docet iis, qui reconciliati sunt Deo per Christum, potentiam novam à Deo propter Christum dari, quando per Euangelium vocantur, ut à servitute illa expedire se possint, si modo operam diligentem navent, & sibi ipsis divinæque gratiæ non desint. At qui hoc docet, ille contrarium docet ejus, quod eum docere vult Capellus. Docet enim eos, qui reconciliati sunt, esse adhuc sub servitute peccati, sed auxilio gratiæ, quod de novo ipsis à Deo datur, ab illa servitute paulatim sanari posse. Aliud enim est potentiam alicui reddere, quâ ex servitute possit exire; Aliud, actu ex servitute exire, vel ab ea liberari. Cum potentiâ stare potest servitus peccati, cum liberatione actuali non potest. Hæc res eò magis notanda est, quia Capellus, exemplum aliorum secutus, hac ratione impingit Arminio, quod per Christi mortem credat omnes homines restitui in eundem statum, in quo Adamus fuit ante lapsum. Nullo jure aut fundamento. Quia Adamus ante lapsum non tantum præditus erat potentia obediendi Deo, sed etiam reipsa liber erat, tam à servitute peccati, quàm à reatu mortis. At postquam Christus morte sua, quantum in se est, reconciliavit genus humanum Deo, servitus peccati manet, & nova potentia Deo obediendi & in Christum credendi datur omnibus vocatis. Itaque à reatu mortis, per Adami peccatum contractæ, hactenus liberantur, quod Deus omnes & singulos actu servare à morte æternâ velit, modò potentiâ istâ, quàm ipsis ex gratiâ dat, recte utantur, ut à servitute peccati, in quam sunt delapsi, exeant & justitiæ operam dent. Et hoc ipsum est illud, quod Capellus, statim se explicans, licet parùm sibi ipsi consentanee, subjungit, *Vires sufficientes præberi omnibus, & divinum auxilium omnibus præsto esse, quibus uti si velint, possint à peccati servitute liberari.* Verùm statim iterum, posse liberari à servitute peccati, confundit cum actu liberari à servitute, cum ait: *Ita perinde facit Arminius, ac si dicat, essemus quidem omnes iræ filii, peccati servi, nisi Christus venisset: sed mortis illius ea vis est, ut jam nemo nascatur iræ filius, peccati*

*tati servus; atque tollitur revera peccatum originis, quod verbis admissum erat. Hæc sunt αὐτόματα.*

Sed videamus vim argumenti in forma: *Qui dicit, omnibus dari sufficientes vires & omnibus præstò esse divinum auxilium, quo uti si velint, possint à peccati servitute liberari, is revera tollit peccatum originis. Arminius dicit illud, Ergo, &c.* Majoris nulla est, ne quidem verisimilis, consequentia; imò Major se ipsam implicat. Non tantùm enim non tollit peccatum originis, qui dicit, sufficientes vires dari omnibus, ut, si velint, possint exire è peccati servitute, sed ne quidem ipsam peccati servitutem tollit. Eo ipso enim quòd vires omnibus dari dicit, ut possint exire ex servitute, si velint, nondum eos exiisse ex servitute, fatetur. Servitus autem peccati plus est, quàm peccatum originis; quia, juxta ipsum Capellum, servitus peccati superadditur peccato originis. In regenitis id patet. Nam, servitute sublatâ, manet tamen in iis peccatum originis. Ex quo etiam apparet, ineptum esse Capellum, quando servitutem peccati confundit cum peccato originis. Huic adde, quòd si consequentia hæc vera foret, necessum esset affirmare, Patres omnes, etiam eos qui Pelagio se acerrimè opposuerunt, reipsa sustulisse peccatum originis. Eorum enim hæc sunt: *Vult Deus omnes salvos fieri, sed si accedant ad eum. Non enim fit vult, ut nolentes serventur, sed vult illos servari, si & ipsi velint:* Ambrosius. Et Hieronymus: *Etiam his, qui mali sunt futuri, datur potestas conversionis & pœnitentiæ.* Augustinus: *Omnes homines possunt, si velint, quia illud lumen illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Synodus Arelat. *Anathema illi, qui dixerit, eum, qui periit, non accepisse ut salvus esse possit.* Vide quæ ex Orosii Apologetico adversus Pelagium, ex Prospero, ex Authore de Vocatione gentium, citat Clarissimus D. Grotius in Disquisitione suâ.

Sed videamus, quomodo Majorem probet. *Qui dicit, omnes homines non amplius esse servos peccati, postquam Christus pro peccatis eorum satisfecit, is negat peccatum originis. Qui dicit, omnibus vires sufficientes dari, ut, si velint, possint à peccati servitute liberari, is dicit, omnes non amplius esse servos peccati. Ergo.* Hic jam utraque propositio falsa est. Major, quia servitus peccati & peccatum originis sunt duo valdè diversa, uti diximus, & ipse Capellus, velit nolit, fateri cogitur; quia statuit, regenitos non amplius esse servos peccati. & tamen peccatum originis in iis manere. Minor, quia aliud est, posse exire ex servitute, aliud exiisse. Collatio itaque potentiæ ad exeundum ex servitute non statim tollit ipsam servitutem. Fieri potest, ut quis, servus existens, servus manere velit, etiam cum liber fieri potest; uti de servis legitur *Exod.* XXI. 5. 6. Servitus peccati est habitus peccandi. At habitus manere potest cum potentiâ aliter agendi, imò cum potentiâ ad contrarium habitum. Patet id in eo, qui servus est justitiæ. In eo enim manet potentia peccandi, id est, à justitia deficiendi, vel ipso Capello judice, qui, ut ut fideles & regenitos nunquam excidere fide & justitia velit, posse tamen excidere concedit. Ut jam non dicam, Apostolum Paulum in *capite* VII. *ad Romanos*, ex interpretatione Capelli & eorum, qui ipsi ὁμόδοξοι sunt (quæ tamen interpretatio falsa, imò valdè periculosa est) disertè affirmare, se, quum jam regenitus esset, servum tamen adhuc & venundatum sub peccato esse.

Dicet fortasse Capellus, servitutem peccati includere omnimodam aliter agendi impotentiam, sive potentiæ ad bonum ablationem. Esto. Dabo hoc etiam Capello, etiamsi nec ratio servitutis, ut id fiat, per se postulet, nec Scripturæ phrasis id irrefragabiliter evincat, nec Synodus ulla id definiat. Esto, inquam, id ita se habeat. Nihil aliud tamen ad summum sequetur, quàm servitutem peccati hactenus propter sanguinem Christi tolli, quòd potentia exeundi ex servitute peccati restituatur omnibus, quando eos Deus vocat. Quòd si propter hanc causam Capellus velit rectè Arminio impingi posse, quod peccatum originis reipsa sustulerit, jam concedat necesse est, rectius & majori jure impingi ipsi posse, quod peccatum originis in regenitis locum amplius habere neget, quando dicit, regenitis per Spiritum Christi; non tantum dari potentiam exeundi ex servitute peccati, sed iis etiam ipsam servitutem & dominium peccati eximi. At cum ipse post collatam benè agendi potentiam & sublatam peccati servitutem, nihilominus tamen totam atque integram peccati originalis essentiam in regenitis manere velit, quo jure eam tolli dicit ab eo, qui non nisi potentiam exeundi ex servitute peccati restitui & servitutem nihilominus manere dicit?

*Illum non extenuare gratiam qui eam universalem facit, sed contra.*

Simile est argumentum, quod subjungit: *Qui gratiam Christi universalem facit, ille reipsâ extenuat gratiam; Qui dicit, Christi satisfactione reconciliatum & sanatum genus humanum, is facit Christi gratiam universalem.* Majoris nulla est vel probabilis consequentia, nisi fortè ei, qui morbo invidiæ laborat. Pone enim casum, quod, per impossibile, Deus omnes homines, unico aut altero excepto, elegisset, & omnes ita salvari vellet, uti paucos eum servare velle docet Capellus. Quid? An beneficium gratiæ eo ipso extenuari diceret? Quis iste foret stupor? Contrarium potius est verum: Quanto universalior foret gratia, tanto magis extenderetur & augeretur ejus beneficium: & tum demum palpabiliter extenuatur gratia, quando ea, quæ omnibus communis est, paucis peculiaris esse dicitur. Et certè si hæc Major Capelli vera esset, quòd beneficii gratia extenuatur, cùm, quod paucis est peculiare, omnibus fit commune, tum sequeretur, gratiam, quantò paucioribus peculiaris foret, tantò excellentiorem esse, & excellentissimam fortè, si uni soli propria ac peculiaris esset. Si enim paucitas recipientium commendat gratiam, quantò pauciores electi, tantò excellentior gratia. Quid ipsa invidia diceret aliud? Apagesis tam horrenda & barbara.

*At*, (inquit Capellus) *sic gratia confunditur cum naturâ, ut & à Pelagio confundebatur.* Ineptè. Non confunditur gratia cum natura, quia superadditur naturæ. Et cur, quæso, quando gratia omnibus hominibus qui ejusdem naturæ sunt, confertur, magis cum natura confunditur, quàm quando eadem illa paucis hominibus confertur? An gratiæ indoles à subjecto, imò à subjectorum quantitate aut numero pendet? An gratia idcirco fit natura, quia omnibus communis fit, uti natura omnibus communis est? Syllogismus in secundâ figurâ ex puris affirmantibus non valet. Natura est communis omnibus: Gratia est communis omnibus: Ergo gratia est natura.

Neque verò hac ratione confundebatur gratia cum natura à Pelagio. Dicebat Pelagius, hominem per se, ex vi potentiæ per creationem inditæ, sufficere ad præstandum legem Dei, quando ea ipsi revelatur. Novo gratiæ beneficio illi opus esse negabat, & imprimis internâ in voluntate, quâ idonea reddatur ad parendum divinæ legi. At hoc longè aliud est: Qui enim universalem gratiam statuunt, ii gratiam illam novam esse dicunt, & gratiam Christi vocant, per quam homo ineptus naturâ suâ, de novo aptus & idoneus fit ad credendum & Deo obediendum.

*De objecto Prædestinationis.*

Pergit Capellus grassari in famam Arminii, ut *Pelagianum* eum quovis modo faciat, &, quod pessimum omnium est, *verisimilem. Prædestinationem* (inquit) *quod attinet, eo liberius à nostris discessit, quia videbat eos inter se non consentire in ejus objecto definiendo.* Et meritò. Nec enim dissensio ista levis est; utpote ex quâ dependent duæ quæstiones magni momenti: An scilicet Deus sit author peccati, ex unâ parte; &, An Deus non sit insipiens, ex altera. Prius necessariò consequi ex sententiâ eorum, qui objectum absolutæ Prædestinationis faciunt hominem, sive increatum, sive integrum, fatetur & multis rationibus confirmat Collega Capelli Molinæus in sua Anatome Arminianismi. cap. XIII. Posterius consequi ex sententia eorum, qui absolutæ electionis objectum faciunt hominem lapsum, asserunt & multis operosè probant Calvinus, Beza, Zanchius, Gomarus, aliique. Et ita revera se res habet, uti statim apparebit. Dissimulat hujus dissensionis momentum Capellus, & qui in Armirio Pelagiano reddendo levissima quæque montium instar exaggerat, dissensionem hanc, tanquam festuculam, præterit. Tantum valet, quo quis affectu in judicando ducatur.

*Sed in eo*, inquit, *consentiebant omnes: Electionem nullius boni, quod in nobis fit, futurumve fit, prævisione niti, sed esse fontem omnium donorum, quæ nos reddunt meliores iis, quos Deus non elegit; ut eo liquidius constet, nullo nostro merito, sed ex meræ Dei gratia nos eligi.* Mirum ut sibi placeat Capellus in hoc commento. Ego operam dabo, ut pio cuique hoc displiceat. Primùm hoc argumento: Si in eo consentiebant omnes, electionem nullius boni, quod in nobis sit, futurumve sit, contemplatione prævisioneve niti, utique necessum est, ut consenserint in eo, Deum ex vi decreti istius efficaciter voluisse, ut Adam peccaret, & in eo totum genus humanum. Nam si hoc Deum non voluisse statuant, necessum est ut dicant, electionem, cujus objectum statuitur homo sive increatus sive creatus & integer adhuc, frustra aut insipienter factam fuisse, eo quod fieri poterat, ut, post factam istam electionem, Adamus non peccaret, quia libero arbitrio præditus erat, & sic primi isti electioni & gratiæ, locus non esset. Si enim Adamus, ex. gr. non peccasset, utique electus fuisset ex contemplatione boni alicujus, quod in ipso erat; puta ex contemplatione boni usus liberi arbitrii. At electio ista planè fuisset contraria electioni gratiosæ, imò juxta Capellum, Pelagianismum merum in se habuisset; quia subnixa fuisset contemplatione, non fidei, sed operum legalium, viribus solis naturæ præstitorum. Opera autem legis excludunt gratiam. *Si enim ex operibus, jam non ex gratia: alioqui opus non esset opus.* Rom. XI. 6.

Si dicant: Deus pro infinitâ suâ sapientiâ noverat Adamum lapsurum, nihil dicent. Nam scientia ista divina vel præcessit, juxta eos, decretum electionis, vel secuta est illud, si non ordine temporis, saltém ordine naturæ, secundum nostrum concipiendi modum. Atqui non præcessit decretum electionis, quia alioquin scientia divina præcederet Dei ordinationem; cum Calvinus aliique asserant, impossibile id esse, velintque Deum præscire futura, quia ante, ut ea fierent, ordinarit, non contra. Deinde posito etiam, quod scientia hæc præcessisset electionis decretum; tamen nihilominus dicendum foret, objectum electionis istius divinæ, quatenus per scientiam divinam in mente Dei repræsentabatur, non fuisse hominem increatum aut integrum, sed lapsum; quia sine peccati contemplatione aut prævisione electio talis gratiosa, qualem Capellus vult, fieri non poterat. Si scientia Dei secuta est decretum electionis, jam clarè apparet, decretum à Deo factum fuisse de eligendo certo objecto, antequam sciret, an objectum ullum certum eligibile habiturus esset. Unde efficitur, necessum esse, ut authores isti dicant, Deum aut insipienter decretum tale feciſſe, aut si sapienter, vel potius prudenter illud factum velint, Deum itaque ordinasse & voluisse post decretum illud, ut Adamus peccaret, & in eo totum genus humanum, ut decretum factum executioni mandari posset. Atqui hoc est facere Deum non tantùm injustum, sed & verè, & propriè, & solum authorem peccati Adami, omniumque, quæ ex isto peccato fluunt, peccatorum & miseriarum. Nec refert, quocunque demum modo Deum authorem peccati faciant, sive per decretum permissivum, ut Piscator loquitur, quo posito, necessariò, non dico necessitate consequentiæ, sed consequentis, ponitur lapsus; sive per decretum effectivum, quo posito efficitur lapsus: Utrumque enim redit eodem. Tam enim peccati author est, qui innocenti necessaria ad evitandum peccatum non dat, aut, quæ dedit, iterum ei subtrahit, quàm is, qui eundem ad peccandum impellit; ita ut non possit non peccare, quocunque demum modo impulsio ista fiat.

Deinde, si consentiebant in eo omnes, quod electio ista est fons omnium donorum, quæ nos reddunt meliores iis, quos Deus non elegit; quomodo itaque consentiebant cum iis, qui electionis illius objectum constituebant hominem increatum, aut creatum, sed adhuc integrum sive innocentem? Nam si in illo electio locum habuisset, quomodo non vi istius electionis factum fuisset, ut is in peccatum tam enorme non incideret, propter quod totum genus humanum damnatum fuit ad mortem æternam, & propter quod delendum Deus unigenitum suum mori voluit? Si in eo consentiebant, quod fons donorum omnium esset electio, quomodo non fuit in Adamo fons perseverantiæ in innocentia & integritate? Necessum utique est, ut in alterutrum horum duorum consenserint: Aut quod peccatum illud Adami adeò enorme non fuerit, quin consistere potuerit cum electione jam ante facta, Aut contra, quod tam enorme fuerit, ut consistere non potuerit. Eligant utrum velint. Si consentiant consistere potuisse cum electione; tum velim, ut pius quisque & Dei timens consideret, quanti ejusmodi mortales faciant non tantum hoc peccatum, per quod Scriptura mortem æternam in omnes homines derivatam dicit, *Rom.* V. & ex quo uno omnia peccata & miserias profluxisse volunt; sed etiam quanti faciant comminationem divinam, quâ mortem Adamo, si peccatum istud committetet, minabatur. Quæ enim vis comminationis istius esse poterat, si, quando peccatum illud fieret, electio illa prima nihilominus immota stabat? Fieri non poterat ut Deus comminationem hanc ullo tempore executioni mandaret. Deinde, quod potissimum est, consideret, quanti faciant ipsam Jesu Christi mortem & satisfactionem. Si enim manebat Adam, & quotquot erant electi, in gratiâ electionis, non obstante isto peccato, quid opus erat Christum pro eo ipsiusque posteris mori, eos reconciliare Deo, vel Deum iis reconciliare? Qui non exciderant gratia, restitui opus non habebant, imprimis tam pretioso sanguine. Dicere, quòd peccati illius meritum manebat, nihil est dicere. Meritum enim facere poterat, ut Deus punire Adamum jure posset, si vellet, sed non poterat facere, ut Deus eum actu punire vellet; Imò quia eum Deus jam ante elegerat, meritum hoc facere non poterat, ut Deus eum punire vellet, nisi Deum mutabilem facias. Si vero consentiant, peccatum Adami tam fuisse enorme, ut cum electione divinâ consistere non potuerit, jam primò consentiant necesse est, electionem non esse fontem omnium donorum, quæ nos meliores reddunt iis, quos non elegit. Deinde consentiant necesse est, Deum mutabilem esse, & desinere potuisse eligere, imò odio habere & reprobare potuisse, quem elegerat. Id si locum hîc habere potuisse consentiant, cur molestiam faciessunt iis, qui id nunc etiam fieri potuisse credunt? Si enim electio per se non facit, ut quis semper in gratia maneat, non magis nunc quàm tunc ex illa concludi potest perseverantiæ in gratiâ infallibilitas aut necessitas.

Tertiò, posito quòd id verum esset, consensisse eos in istâ de electione sententiâ, an id satis est Capello? Ita videtur; & hoc notari semel volo: est enim res magni momenti, & arcanum malæ fidei Capelli. In universâ hac disputatione suâ id unum totis viribus agit, ut, quando de prædestinatione loquitur, ita loquatur, tanquam si Arminius dissensionem quæsivisset in solo capite de electione, & in id enixus fuisset, ut consensum, qui in eo capite erat, turbaret. Non equidem rectè & piè, sed nec bona fide. Neque enim de eo solicitus erat Arminius, an objectum electionis non posset statui homo creatus & integer. Etsi enim credebat Scripturam non statuere aliud objectum, quam fidelem, ac proinde jam lapsum, tamen non propterea contendebat, fieri non potuisse, ut objectum ejus esset homo integer. Aliud enim est, an sit objectum; aliud, an non possit esse objectum. Et quis de eo magnopere laboret, an Deus homines lapsuros, an jam lapsos servare velit? Sive Deus hos, sive istos eligeret, nulli faceret injuriam: Imò faceret iis, quos eligeret, ingens beneficium. Sed ideo electionem istam præcisam impugnabat, quod electio illa conjungatur cum tali reprobatione, & reprobatorum vocatione, cum qua impossibile est, ut salvetur Dei tum justitia, tum sinceritas. Itaque non satis erat Arminio, quod consentirent in uno prædestinationis membro: consensus requirebatur etiam in opposito membro, & quidem magis in hoc, quàm in illo. Neque enim periculum ullum, nedum tam ingens, erat in eo, quod Arminius dicebat, Deum omnes velle salvare sub conditione, ipsis per gratiam possibili, quàm est in altero membro, Deum velle perdere atque æternis cruciatibus addicere, non dico hominem innocentem, sed multo maximam generis humani partem, antequam peccavit aut puniri meruit. Hîc enim manifesta est injustitia, tyrannide quavis, imò omnium, qui unquam fuerunt aut erunt, tyrannorum simul junctorum immanitate tantò deterior, quantò æterni cruciatus temporalibus sunt graviores.

Dicet hic fortasse Capellus, sententiam istam damnatam esse à Synodo Dordracena. Dato, sed non concesso, id verum esse; dicat vicissim Capellus, quid in causa fuerit, quòd eam non damnarit Synodus utraque Gallica, Aleziana scilicet & Charentonensis? Receperunt illæ quidem Canones Dordracenos, sed quas Canonibus suis Synodus Dordracena subjunxit damnationes, silentio prætermerunt. Mysterium hic est. Scimus, quantum Gallia debeat aut debere velit Calvino, Bezæ, aliisque, quos primam istam sententiam tenuisse Capellus fatetur disputatione sua secunda. Nec dubium est, quin plures, adeoque ipse Capellus, sententiam istam teneant, qui, ne Calvinum, imò se ipsos damnarent, Dordracenas damnationes, uti quidem prima fronte damnationes esse videntur, præterire maluerunt. Sed nec opus erat, ut id facerent. Neque enim Synodus Dordracena sententiam istam verè damnavit, sed damnare tantum videri voluit, ut populo & scenæ serviret. Damnavit tantummodo eos, qui asserunt, Ecclesiam Reformatam docere, Deum etiam innocentes fidelium infantes, ab uberibus matrum raptos, in æternum ignem tyrannicè præcipitare. At ex sententia Synodi nulli infantes sunt innoxii, & cum Deus infantes fidelium præcipitat in æternum ignem, in eo non tyrannicè eum agere dicunt, sed jure dominii. En fraudem. Sed posito etiam, quòd utraque, tam Dordracena quàm Gallica Synodus, istam sententiam reiicisset, quod tamen nec fecit, nec facere unquam audebit; pax tamen & concordia rata manere potest, ex sententia Capelli, cum istis, qui primam istam sententiam tenent, si modo in capite electionis, ut ait, consensio maneat. Hac itaque sola lege pax coletur cum istis tam immanium paradoxorum defensoribus.

Sed posito etiam, quòd Ecclesia Reformata non ascendat supra lapsum, sed hominem lapsum faciat objectum prædestinationis; non minus tamen periculum est, quando eadem statuit, Deum velle ex humano genere lapso paucos quosdam nominatim & peremtoriè eligere ad gloriam, antequam per Christum reconciliati sunt Deo. Id enim cum manifesta satisfactionis Jesu Christi injuriâ conjunctum est. uti nec minus periculum est in eo, quòd Deus eosdem electos ita vocare velit, ut non possint non credere, etiam quando Deus iis mandat ut credant & obediant: hoc enim sapientiæ divinæ derogat. Præcipuum verò periculum est in eo, quòd Deus ex maxima generis humani parte, quam propter unicum primi parentis ipsorum peccatum in æternam damnationem & peccati servitutem voluit incidere, multos imò plurimos vocare dicatur ad credendum & obediendum

dum Euangelio, quos tamen reprobavit; ac proinde quos, juxta primam ſuam intentionem, nec credere, nec obedire, nec ſalvari vult. Et hîc maximè calceus urgebat Arminium, hodieque adhuc Scholam ejus urget. Hîc laborandum erat, ut conſenſio rationalis reperiretur. Hac enim reperta facilè reperietur conſenſio in materia electionis. Salvare poteſt Deus quos vult, & prout vult: At ut æternis ignibus addicat, qui id non meruerunt, aut ut iis, qui id meruerunt, benevolentiæ ſpecie illudat, non permittunt ipſius tum juſtitia, tum ſapientia, tum bonitas. Atque hæc quidem talia ſunt, ut directè contrarium concludere non dubitem, quàm Capellus fecit: idcirco ſcilicet Arminium habuiſſe juſtiſſimam cauſſam diſſentiendi à Calviniſtis, quòd, etiamſi convenirent in definitione electionis, in reprobatione tamen definiendâ tam atrocia, tam horrenda, ſtatuerent, quæ divinæ gloriæ, Chriſtianæ religioni, denique rectæ rationi è diametro adverſantur, ut conſenſioni locus non eſſet.

*Arminium nihil merito hominis tribuiſſe in Prædeſtinatione.*

*At*, inquit Capellus, *electionis hujus definitio propterea magni facienda eſt, & in ea conſenſus requiritur, ut eo liquidius conſtet, nullo noſtro merito, ſed ex mera Dei gratia nos eligi.* Quaſi vero periculum ſit, ut non ſatis liqueat merito noſtro nihil omninò tribui, quando objectum electionis ſtatuitur homo peccator; pura puta miſericordia, cauſſa ejus impulſiva: gratia præveniens, gratia concomitans, graria ſubſequens, cauſſæ principales efficientes ejus, quæ in peccatore gignitur, fidei & obedientiæ; utriuſque præmium vita æterna. Quis enim hoc propriè mereatur? Denique quando meritum diſertè & in terminis rejicitur ab illo, à quo metuitur ut meritum ſtatuat, & rejicitur ob eaſdem cauſſas, quas ad meritum conſtituendum requirunt ii, qui metunnt ut meritum reponatur.

*At*, inquit Capellus, *Arminius reſpuit quidem meriti vocabulum, ſed tamen rem ipſam reponit, dum vult objectum electionis eſſe credentem.* Ut vis Argumenti intelligatur, redigam in formam: *Qui objectum electionis facit hominem credentem ſive crediturum, ille reipſa reponit meritum; etſi illud in ſpeciem rejiciat: Arminius illud facit. Ergo.* Majorem hanc vel pueri negarent & exſibilarent. Sed ne id dici tantum credat Capellus, en duo argumenta, ex quibus illud patet. 1. Si vera eſt Major, jam fateatur neceſſe eſt, velit nolit, Capellus, ſe meritum reipſa agnoſcere, ut ut in ſpeciem illud rejicere videri velit. ſtatuit enim juſtificationis objectum eſſe hominem credentem. At cum juſtificatio non minus ſit gratioſa, quàm electio, juxta Capellum, quo modo, ſi, cum objectum electionis ſtatuitur homo fidelis, meritum reipſa reponi colligitur, non item reponi dicetur meritum, cum juſtificationis objectum idem eſſe ſtatuitur? Utrobique enim par & eadem ratio eſt. Certè, ſi animum vel paululum advertiſſet Capellus, vidiſſet eâdem ſe conſequentiâ gravari poſſe. Imò, quod magis eſt, ſenſiſſet Majorem ſe ipſam deſtruere. Eo ipſo enim, quod homo credens objectum electionis ſtatuitur, fieri non poteſt, ut meritum reponatur, etiamſi quis reponere, illud cupiat, nedum ut reipſa reponatur, etiam cum quis ex profeſſo id rejicit & reponere non vult: *Idcirco enim eſt per fidem, ut ſit per gratiam*, ait Apoſtolus *Rom.* IV. Et quis non videt implicare contradictionem, ſi quis dicat, conditionem fidei, quâ quis credit, ſe ex miſericordiâ æternam remiſſionem peccatorum conſecuturum, ſi Deo obediat, talem eſſe, ut reponere neceſſe habeat meritum, qui conditionem illam prærequirit? Contrarium per ſe patet; per eam videlicet tolli non tantùm meritum, ſed omnem meriti ſuſpicionem. 2. Si vera eſt Major; jam omnes Patres, qui ante Auguſtinum floruerunt cccc annis, meriti defenſores fuiſſe ſtatuatur neceſſe eſt, quia, ut ex Proſpero apparet, omnes ferè ii electionem ex fide præviſa adſeruerunt, id eſt, objectum electionis docuerunt eſſe hominem credentem. Quin imò ipſe Auguſtinus, Proſper, aliique, quos gratiæ defenſores optimos fuiſſe vult Capellus, meritum reipſa tenuiſſe & Pelagio ſecretò faviſſe dicantur neceſſe eſt; utpote qui per omnia Patribus antiquis conſentire ſe profeſſi ſemper ſunt: & id ipſum etiam tam multis locis teſtatum fecerunt, ut Solis radio ſcriptum videri poſſit. Et hinc patet, quàm ineptè Theſ. ſequente 22. ab iis, qui electionem factam volunt ex fide præciſâ, multos ſinus Pelagianiſmo reſtitui dicat; quaſi videlicet aut ſinus habeat Pelagianiſmus, aut ſi quos habeat, Patres iſti, quibus cum ipſo Pelagio res erat, eos non viderint vel detexerint; ut jam Capello, veluti novo aliquo Sinone opus ſit, qui ſinus ejus, veluti equi alicujus Trojani clauſtra pandat. Illaudabilis eſt induſtria eorum, qui nodos in ſcirpo, & ſinus in plano quærunt: fieri vix poteſt, quin aut ſinubus gaudeant, quibus arcana ſententiarum ſuarum occulunt, aut morbo animi laborent, ut videant ea, quæ nuſpiam ſunt. Hujuſmodi eſſe induſtriam Capelli, cum multos ſinus Pelagianiſmo reſtitui dicit, ſi electio ex fide præviſa dicatur facta, jam clarum fecimus.

*Quantam libertatem idem homini tribuat.*

Similis induſtria elucet in eo, quod ſubjungit. *Quum volunt hominem ita liberum eſſe, ut quantumlibet Spiritus regenerantis efficaciam poſſit irritam reddere, ii Pelagianiſmo novas parant latebras, quæ nondum fuerant à veteribus deprehenſæ, vel à pauci certè.* Nam Capellus latebras has ipſe ſibi fingit: nuſpiam eas reperiet apud Arminium, aut Arminii fautores. Crudior iſta eſt oratio, quàm ut in hominem ſanum cadat. Quis enim, niſi aut ſtupidus aut profanus, tantum libertati humanæ tribuat, ut à Deo ipſo flecti non poſſit in omnem partem, ſi modo Deus eâ potentiâ uti velit, quâ pollet, vel eâ ſapientiâ, quæ ad flectendum vel ſaxeum cor ſufficit? Injurius eſſet Deo, qui intra has anguſtias compingeret ejus efficaciam, aut ſapientiam. Rectè dicit ſapiens, *Cor Regis eſt in manu Dei, &, veluti rivos aquarum, ducit illud, quo vult.* Eadem cæterorum ratio eſt. Unus Bileamus teſtis eſſe poteſt, cujus tamen non maledica voluntas, ſed maledicentia à Deo fuit inhibita; ita ut ipſe dicat, *Quomodo poſſum maledicere, quibus Dominus benedicit?*

Dicet fortaſſe Capellus, ſe non loqui niſi de *efficacia ſpiritus regenerantis*, qua Deus ordinariè uti vult in converſione hominum. At hoc longè aliud eſt. Accurati diſputatoris eſt preſsè inhærere verbis adverſarii, & nihil dicere, quod ille non totidem verbis dixit, aut non libenter à ſe dictum velit, niſi fortè per conſequentiam aliquid ei impingat; quanquam tum eum non dicere conſequens, ſed dicere id debere aſſerat. Sed eſto; ſit hæc mens verborum Capelli. An dicere hominem ita liberum eſſe, ut iſtam efficaciam, qua Deus ordinariè in converſione hominum uti vult, poſſit irritam reddere, nova latebra eſt Pelagianiſmi? Nunquam Pelagio ea de re lis eſt mota, nec ut iſtam latebram quæreret opus habebat Pelagius. At non fuerat ea adhuc deprehenſa à veteribus. Nec mirum, quia quotquot fuerunt veteres, ii de veritate ejuſce rei non dubitarunt; tantum abeſt ut Pelagii arcanum fuerit. Liberum enim arbitrium tam apertè aſſeruerunt, ut nihil ſupra: liberi verò arbitrii proprium eſſe dixerunt, quod vocationi divinæ poſſit conſentire aut diſſentire. Unde illud in libro de Vocatione Gentium: *Sicut qui crediderunt juvantur, ut in fide maneant; ita qui nondum crediderunt, juvantur ut credant: Et quemadmodum illi in* SUA POTESTATE *habent, ut exeant; ita & iſti in* SUA *habent* POTESTATE *ne veniant.* Notiora hæc ſunt, quàm ut probare oporteat.

Sed videamus, cur hanc opinionem latebram Pelagianiſmi vocet Capellus. *Tribuunt*, inquit, *nimium libertati hominis.* Quid Capelle? An Pelagianum etiam eſt, quod homo ſuâ ſponte malefacere, peccare, & Deo inobediens eſſe poſſit? Quid? An Patres etiam in Pelagio hoc damnarunt? Quis credat hæc Capellum vigilantem dicere, ſcribere, imò diſputanda proponere? Miſera juventus, cui tales magiſtri obtingunt. Antea tanquam Pelagianum damnavit Capellus, homini vel minimum quippiam tribuere ad ſui converſionem faciens: Nunc etiam tanquam Pelagianum damnat, tribuere ei vel minimum quippiam ſui converſionem impediens. Ita Pelagianum jam eſt affirmare, ineſſe homini potentiam conſentiendi divinis juſſibus, aut potentiam diſſentiendi. Quis hæc non videt impietatis ipſius latebras eſſe, & cum propter iſta damnatur Pelagius, piis occaſionem dari cogitandi, an Pelagius jure damnatus ſit?

*Nihil ab eo derogari potentiæ, quâ Deus utitur in converſione hominum.*

*Sed & multum derogant Divinæ potentiæ, utpote cujus multos conatus, magnoſque niſus volunt ab homine ſemper ſuperari poſſe, & reapſe quotidie ſuperari.* Inepta hæc ſunt. 1. Quia potentiæ divinæ derogari nihil poteſt, ubi divina potentia non adhibetur. Supponit Capellus Deum in converſione hominis ordinariâ uti potentiâ, quæ ſemper & vi ſuâ effectum ſortitur. Id negant ii, contra quos diſputat, & quidem hoc argumento: Ubi potentia adhibetur, quæ ſemper & vi ſuâ producit effectum, ibi locus non eſt præcepto, nec promiſſioni, nec comminationi, ac proinde nec obedientiæ, nec inobedientiæ, nec præmio, nec pœnæ. Qui præcipit aliquid, is id, quod præcipit, vult fieri ab illo, cui præcipit: At qui id ipſe facit, is non vult id fieri ab alio: Alioquin vellet id ab alio fieri, & ſimul nollet. Ubi autem præceptioni locus non eſt, ibi nec eſt locus obedientiæ, nec inobedientiæ; per conſequens, nec promiſſioni, nec comminationi, atque ita nec præmio, nec pœnæ. Jam autem cum dicit Arminius, ab homine ſuperari poſſe Dei conatus multos niſuſque magnos, non vult, potentiæ divinæ opponi ab homine poſſe majorem potentiam; quis enim id niſi atheus dicat? ſed tantum vult, divinis afflatibus, divinæ præceptioni, divinis adhortationibus, divinis ſupplicationibus, divinis proteſtationibus, divinis caſtigationibus, inſpirationibus (quæ certè conatus multi & niſus magni ſunt) opponi poſſe ab homine inobedientiam & contumaciam; ita ut homo, cum Deus vult & jubet,

jubet ut obediat, poſſit nolle obedire, & ſic ſe reum pœnæ facere: quâ in re potentia nulla propriè dicta ſita eſt, quæ divinæ potentiæ vel tantillum derogat. Inobedientia enim eſt nuda tantùm volitio aut nolitio libera, quâ homo metaphoricè ſuperare Deum dicitur, quia divinæ volitioni opponit contrariam volitionem, atque ita ſe ſubſtrahit Dei obſequio. Metaphoricè, inquam, 1. quia nolle non eſt poſſe. 2. quia ne velle quidem poſſet homo, niſi id ipſi Deus liberum relinqueret. 3. ut ut nolendo homo ſe eximat Dei obſequio, non tamen eximit ſe pœnæ, quam Deus propter inobedientiam iſtam per potentiam aliquando ipſi infligere vult. Ita infans trium annorum poteſt multos conatus magnoſque niſus patris ſui ſuperare nolendo illi morem gerere, & pygmæus gigantem poteſt debellare ſolâ nolitione & ſubjectionis recuſatione; uti & ſubditus ac vaſallus quilibet regem principemque ſuum ſuperare poteſt ſolo animo rebellandi; ita ut quicquid moliatur, conetur, nitatur Princeps, fruſtra omnino ſit, animum ipſius quod attinet. An quis propterea patris, Gigantis, Regis potentiæ derogari aliquid dicet? Nihil minus. Animus non ſubeſt potentiæ, ſed ſoli rationi. Mutet itaque tantùm Capellus metaphoricam iſtam locutionem in propriam, & videbit fallaciam. ὁ γὰρ, uti ipſe rectè citat ex Ariſtotele, ἰσχὺ διαλεκτικὸν μὴ ποιεῖ φοβεῖσθαι. Quid ergo, inquiet fortè Capellus? An Deum aliâ potentiâ uti non vis in converſione hominis, quàm quâ pater aut princeps in regimine ſubditorum utitur? ea tota eſt moralis, Reſpondeo: Equidem, poſtquam Deus homini potentiam novam dedit ad obediendum, aliâ, quoad ſpeciem, ordinariè non utitur, quàm morali, id eſt, non alia, quàm cui homo conſentire & diſſentire poteſt, qualiſcunque tandem ea eſſe poſſit. Id quod inde clarè evincitur; quia Deus ordinariè non regenerat hominem, niſi per verbum; juxta id, quod dicitur à Paulo *Rom.* X: ex ipſius Capelli interpretatione, *Fides ex auditu eſt, auditus autem per verbum Dei.* Ubi autem inſtrumentum eſt verbum, ibi actio tota eſt moralis. Verbum enim nil niſi rationes, ſuaſiones, hortationes, & ſimilia argumenta, moraliter moventia, in ſe habet: imò ibi alia nulla potentia poteſt habere locum, niſi verbi naturam inutilem, & planè ridiculam velis facere. Quid enim facit ſuaſio, ubi id, quod ſuadetur, per vim efficitur? Dicis certè cauſâ ſuaſio fiat neceſſe eſt. At ſic verbum deſinit inſtrumentum eſſe, ex quo audito fides gignitur, & *ſemen*, per quod regeneramur; cum tamen iſtis titulis verbum Dei ornet ipſe ſpiritus Dei. 1. *Pet.* I. 23.

*Nec docere Deum ſine ſuo fruſtrari.*

Eadem vis eſt rationis, quæ ſubjungitur: *Faciunt Deum multos ſibi fines proponentem, & ad eos multis molitionibus adſpirantem, quos tamen adſequatur nunquam.* Neque enim hoc injurium eſt divinæ potentiæ. Ex eo enim, quod finis Dei primarius ac principalis ſit, ut hominem ad obedientiam adducat, manifeſtum eſt, Deum potentia nulla propriè dicta velle uti ad finem iſtum obtinendum, Cùm enim obedientia prorſus libera eſſe debeat, neceſſum eſt ut is, qui aliquem ad obedientiam adducere vult, ita agat ut poſſit non adſequi finem ſuum, quod ita certum eſt, ut ſi aliter agat, id eſt, ſi potentiâ utatur, quâ voluntatem hominis neceſſitat aut determinat ad unum, finem ſuum non adſequatur, nec adſequi unquam poſſit. Obedire enim propriè dici non poteſt, qui non poteſt non obedire, aut qui non poteſt non facere, quod facit, vel non poteſt non pati, quod patitur. Deinde divinæ potentiæ multum quidem detraheretur, ſi diceretur Deus fines aliquos abſolutè ſibi proponere, quos adſequi cupit, & non poteſt. At cum Deus fines aliquos ſibi proponit, quos non intendit abſolutè adſequi, ſed tantùm ſub conditione, ſi nimirum homo non opponat contumaciam, quam ipſius poteſtati liberam facit, nihil derogatur potentiæ divinæ, quando homo poteſtate illâ conceſsâ aut non uti, aut abuti vult, id eſt, quando Deo obedire recuſat. Etſi enim Deus non adſequatur finem iſtum, quem intendit, id tamen propterea non fit, quod non poſſit eum adſequi, ſi vellet ſapientiâ omni ſua poſſibili uti; ſed quia uti non vult aliâ, quàm eâ, cui homo reluctari poteſt, ſi velit, & quidem ſuo magno damno. Neque tamen non adſequitur finem intentioni ſuæ convenientem, quia eum, qui obedire ipſi non vult, vel invitum pœnâ iſta adficit, quam ipſi comminatus eſt, ſi non obediat. Et hac quidem ratione, ait Auguſtinus, *Facit Deus voluntatem ſuam de eo, à quo voluntas ejus facta non eſt.*

*Arminianam non debere dici ſententiam de Prædeſtinatione conditionata.*

Atque ex his pauculis liquet, ſententiam Arminii nec eſſe nec cenſeri poſſe Pelagianam, ne quidem *docendi cauſſa*. Quòd autem Capellus Theſ. 24. ſubjicit, *Eos, qui vel maximè favent Arminii ſententiæ, maximè nolle eam Arminianam dici, eo quòd ante natum Arminium multi ſenſerunt idem atque docuerunt in Belgio*, in eo vehementer fallitur. Arminianam eam dici debere negant, tanquam ſi ea ab Arminio primum inventa, aut mota eſſet in Belgio, uti quidam imperitæ plebi perſuadere in dies conabantur: Alioquin non ſunt tam ſcrupuloſi Arminiani, ut de titulis aut epithetis laborent. Nomenclatura per ſe non officit veritati: ſciunt unde ea proficiſci ſoleat, & apud quos pondus habeat. Optarent quidem, ut Chriſtiani ab iſtis in totum abſtinerent, ex præſcripto Apoſtoli; non quidem ſuâ cauſsâ, ſed veritatis, cujus patronus & author ſolus Deus dici meretur, & cui iſta ratione peſſulum atque obicem non exiguum obdi vident, quo minùs in conſcientias infirmorum hominum penetret. Norunt illas eſſe artes Satanæ, & mirari ſatis non poſſunt, iſtas iis probari, qui, cum per omnia Calvini placita ſequantur, & ipſius pœnè verbis ſacramentum dixerint, Calvinianos tamen ſe appellari ægrè ferunt. Sed quia vident, morem hunc jampridem inoleviſſe & radicitus colli non poſſe, quin & eos, quos id minimè omnium decet, eum ſequi velle, cùm id ita ex uſu ipſorum eſſe videtur, non magnopere laborant. Solantur ſeſe exemplo plurium, neque ſe propterea Deo minus caros eſſe, ſunt perſuaſiſſimi. Non ponderat ille nomina, ſed res. Quare expleat animum ſuum, qui volet, & Arminianos eos, aut Caſtalionæos, aut Melanchthonianos vocet, ex animi ſui ſententia. videat tantùm, ne, dum id facit, non tam odio ſententiæ id facere intelligatur, quàm quòd rem ita ſe habere credat.

*Arminium falſi non accuſaſſe.*

Capellum quod attinet, etſi nullam aliam cauſſam habuit, cur ſententiam noſtram Arminianam appellet, quàm quâ Theſi ſeq. 25. utitur, quum ait: *Primus comparet Arminius, qui falſi manifeſtum, adeoque multis hæreſibus ſcatentem contenderit eſſe Belgicæ Gallicæque Confeſſionis articulum de Prædeſtinatione.* Pudere ipſum meritò debebat tam ingentis temeritatis, & ſupinæ ignorantiæ. Nimis enim notoriè falſum eſt, Arminium unquam contendiſſe articulum Confeſſionis Belgicæ de Prædeſtinatione (de Gallica enim nunquam fuit quæſtio) falſi manifeſtum, adeoque multis hæreſibus ſcatentem eſſe. Quod ſi omninò id contendiſſet, nec primus nec ſolus fuiſſet. Sed nec falſum, nedum falſi manifeſtum, nec hæreſes continere, nedum hæreſibus ſcatere, multò minus hæreſibus multis ſcatere unquam adſeruit, nedum contendit, aduſque vitæ ſuæ finem: cujus indicium omni exceptione majus eſt, quod ex ipſa Confeſſione Belgica ſententiam ſuam multis magniſque argumentis adſtruere ſemper conatus ſit; & paratum promptumque ſe profeſſus fuerit cedere miniſterio, ſi uſpiam, ſive clam, ſive palam quippiam Confeſſioni contrarium dixiſſet aut ſcripſiſſet. Sententiam, quam impugnabat, negabat ſemper Confeſſionis ſententiam eſſe; Particularium quorundam Doctorum eam eſſe ajebat, à qua diſſidere ipſi fas liberumque eſſet. Hæc lippis & tonſoribus ſunt nota. Quis Capellum affectus impulerit, ut tam fidenter contrarium aſſeveret, haud difficile eſt conjicere. Satius multo feciſſet, ſi eâdem ingenuitate de actionibus Arminii ignorantiam ſuam profeſſus fuiſſet, quâ de Goudanis, aliorumque locorum Paſtoribus in principio Theſeos huius profeſſus fuerat. Conſuluiſſet honori ſuo, & injuriam tam inſignitam non feciſſet mortuo, Jeſu Chriſti, (dum vixit) ſervo, & fortaſſe nunc eidem multò, quàm credit, cariori, ad quem injuriam iſtam redundare certò ſibi perſuadeat. Nihil enim eſt, quod ei vel in ſpeciem poſſit prætexi. Sed quid ego de hac unâ hîc prolixè conqueror? Sequitur major injuriarum moles & cumulus.

*Malè à Capello candorem in Arminio deſiderari.*

*Jam Arminio defuit non tantùm veritas*, inquit, *ſed & candor & integritas.* Grave crimen, Capelle, ſi verum; ſed æque gravis calumnia, ſi falſum. De candore atque integritate viri iſtius teſtari poſſunt, qui cum ipſo vixerunt, & modium, quod dicitur, ſalis conſumſerunt. Integrius pectus non tulit Gallia veſtra. Niſi candori & integritati ſtuduiſſet, non ſubiiſſet tot odiorum aleam, nec tam duræ contradictionis periculum. Si prudentia aliquando uſus eſt, ut conſcientiæ ſuæ & paci publicæ melius conſuleret, præter boni viri & Chriſtiani hominis officium nihil egit. Potuit id facere, & fecit ſanè abſque ullo animo fallendi, imo eo animo, ut ſe Deo magis probaret, qui ſolus cor introſpicit, & cui hypocritam magis exoſum eſſe ſciebat, quàm apertè impium. Cum enim malus bonus videri vult, tum eſt peſſimus.

*De Collatione Arminii cum Junio.*

Videamus quomodo id probet Capellus. *Cùm enim*, inquit, *moliretur, idque magno niſu, ſed clanculario, perſuadere quamplurimis, hæreſes multas, aut unam certè, multas obtegentem extare in Belgica Confeſſione* (Falſum hoc eſſe jam ante evicimus) *palam tamen obtendebat, ſe nihil ſentire, quod non cum Belgicarum Eccleſiarum formulis optimè conveniret:* (Non palam tantùm, ſed clàm etiam.) *Atqui*, inquit, *id conteſtatum eſt anno Domini* MDCIII, *menſe Majo, deinde Septembri, cum Lugdunum Batavorum vocatus eſt, ut Junio ſuccederet; cùm tamen ipſum Junium quamplurimis literis, quæ poſtea ſunt editæ, conatus fuiſſet in ſuam ſententiam pertrahere.* Fac ſyllogiſmum, Capelle: An candori repugnat conteſtari, ſe nihil ſentire, quod cum Belgicarum Eccleſiarum formulis optimè non convenit, & ſimul conari Junium in ſententiam ſuam pertrahere? Quis argumentum

tale

tale expectet vel ab eo, qui adhuc inter cathedras discipulorum Capelli plorat? Credidit Arminius & contestatus est, sententiam suam convenire cum formulis Ecclesiarum Belgicarum, & Junio, qui similiter sententiam suam credebat & contestabatur cum formulis Ecclesiarum Gallicarum convenire, sententiam suam persuadere conatus est. Ergo, Arminius non egit candidè. Quæ consequentia? Cur non eodem jure Junium candidè non egisse colligere liceat? Certè, si Junius fuisset Confessio Belgica, aut sententia Junii sententia Belgicæ Confessionis, diceret aliquid Capellus. At nunc tantùm abest, ut id verum sit, ut Junii sententia ne quidem cum sententia Belgicæ Confessionis convenerit: quippe qui objectum prædestinationis statuebat hominem integrum & in puris naturalibus constitutum: cum Belgica Confessio objectum statuere videri velit hominem lapsum. Deinde parum candidè agit Capellus, cum collationem illam, quæ inter Arminium & Junium fuit, eo animo institutam interpretatur ab Arminio, ut in sententiam suam, tanquam si de ea jam amplius nihil dubitaret, Junium pertraheret; cum nihil aliud revera egerit, quàm, ne suo judicio fidere videretur, Junio tanquam celebri per id tempus Professori & Theologo, sententiam & rationes sententiæ suæ examinandas obtulerit; ut, si eas probaret, tantò magis in sententiâ suâ confirmaretur; sin minus, ut vel à Junio rationibus melioribus instrueretur, inque sententiam veriorem pertraheretur; vel Junium ipsum rationibus melioribus instrueret, & in sententiam suam pertraheret. Quid potuit candidius integriusque ab ipso fieri? Et, obsecro te, Capelle, posito quod verum esset, quod dicis: An cum clarissimo viro Junio sententiam suam communicare, est conari magno molimine plurimis hæreses clam persuadere? Et communicare cum viro docto, estne semper conari eum in sententiam suam pertrahere? aut propositum habere non credere meliora ostendenti? Hoc si sentis, jam equidem tempus est, ut epicedium scribatur collationibus omnibus.

*De Classis Dordracenæ monito, & de privatis Thesibus Arminii.*

Sed, inquis, *Rursùm cum in Thesibus privatis, quæ postea quoque prodierunt in lucem, suam sententiam non semel propugnasset, & Classis Dordracena moneret, in id inquirendum sedulò, quia nihil publici juris adhuc fecerat, unde convinci posset, obtendebat adhuc anno* MDCV. *temeraria esse suspiciones illas.* Audivit rumusculum Capellus, & credidit: sed vide quàm vanâ credulitate. Sententiam Arminii de prædestinatione ex Thesibus ipsius privatis discere non erat opus: Jam satis erat nota. Collatio cum Junio, quam Junius ipse præter fidem datam, vel saltem imprudenter, describendam dederat discipulis suis, & quæ idcircò jam in omnium pænè manibus erat, satis eam evulgaverat. Dixerat etiam rotundè sententiam suam Arminius, cùm ad Professionem vocaretur, ut ignorare eam non posset Gomarus, promotor ipsius. Publicè eam & privatim defendebat, sed eâ moderatione & prudentia, ut pio cuique, ipsisque adeò Collegis suis abundè satisfaceret. Soli Dordraceni inquisitores, seu proprio, seu alieno zelo, suspiciones novas ordiebantur, &, quod de Scribis & Pharisæis dicitur *Luc.* XI. ἤρξαντο δεινῶς ἐνέχειν. καὶ λοχᾶσαι αὐτὸν περὶ τοῦ ἐκ στόματος αὐτοῦ, ἵνα κατηγορήσωσιν αὐτοῦ. *vers.* 53. 54. Suspiciones verò unde habebant? Ex tyronibus quibusdam studiosis Theologiæ, qui illos rumores ad ipsos forte, quia illis non ingratos esse sciebant, detulerant. Arminius contra contendebat, suspicionibus agendum non esse: immeritò se iis gravari: nec credendum esse rudibus quibusdam juvenibus, qui fere vel inscitia, vel affectu laborant. Hæc ita esse, certum est. Sed & idem evinco ex ipsis Capelli verbis: nam occasionem suspicandi ex Thesibus privatis Arminii non habebant Dordraceni: In iis enim, uti Capellus ait, sententiam suam non semel propugnaverat Arminius. Ergo suspiciones esse jam desierant: habebant unde Arminium apertè accusare poterant. Dicere, quod Theses illæ privatæ erant, & quod proinde eas nancisci non poterant, ineptum est. Nam si eas nancisci non poterant, cur suspicioni indulgebant? Cur non potius credebant, Arminio injuriam fieri, quamdiu contrarium non constabat? Tam diu enim bonus quis esse præsumitur, quamdiu contrarium non apparet. Sed nec erant Theses istæ ita privatæ, uti Eleusinia quædam sacra: Nihil minus: Nec eas mystæ soli habebant: Quotquot ad collegium istud pertinebant, ii describebant eas sine scrupulo. Quod si omninò Capellus velit, eas, veluti ἀπόρρητα quædam, secretas habitas fuisse; curare poterant levi momento, ut sibi eæ darentur per Academiæ Curatores, aut per alumnos suos. Non erat necesse, ut expectarent, dum eæ fierent publici juris, aut ut aliquid in lucem ederet Arminius, unde culpæ istius reus agi, & convinci posset. Vides, ut seipsum intricet Capellus.

Sed quod eum maxime confundit, & clarissime omnium temeritatem Dordracenorum arguit, est, quod cum Curatores Academiæ, occasione Dordraceni gravaminis, tribus Theologiæ facultatis Professoribus jussissent sententiam suam declarare super eo, an dissensio aliqua inter ipsos esset; responderunt unanimiter, *Nescire se, inter Theologicæ facultatis Doctores dissensionem ullam esse, quod attines doctrinæ fundamenta.* Idē testabantur Regens Collegii Theologici, & Subregens. Nota verò, quòd hæc declaratio facta sit ab ipso Gomaro & Trelcatio, postquam Arminius, non privatim tantùm, sed publicè etiam, præsentibus ipsis, defenderat Theses suas de Prædestinatione, de Ecclesia Catholica, de Justitia & Efficacia Providentiæ Dei in malo, de Ecclesia & ejus Capite, de Notis Ecclesiæ, de Libero Arbitrio, &c.

At inquit Capellus, *Isti, quid clanculum ageret Arminius, non noverant:* Nempe Dordraci clariùs videbant lyncei isti Pastores, quid Leydæ ageretur, quàm qui in ipsâ urbe & Academiâ quotidie Arminium aut docentem, aut disputantem audiebant. Necessum profectò est, ut Capellus aut stupidos fuisse credat Professores Theologiæ, qui Leydæ agebant, ut præ stupore non perciperent, quid rerum apud ipsos gereretur; aut tam lentos frigidosque pro Dei veritate, ut, quamvis optimè perciperent, quid ageretur, non magnopere tamen id curarent, susque deque habentes, veritas an falsitas triumpharet: quo quid ineptius? Adde, cum rectius omnia scirent Dordraceni, an probabile putat Capellus, eos id celaturos fuisse Gomarum & Collegam ipsius, aut de facto eos id celare voluisse? Quis credat? Scivit itaque Gomarus, quid post siparium ageretur: Neque zelum ei pro causa suâ deesse, ne gravius nunc quid dicam, scire poterat, quisquis Gomarum vel semel disputantem audiverat. Sed nec amore Arminii impeditum eum fuisse, quo minus officium faceret, satis multa jam fidem fecerant. Quid igitur? Necessum est, ut dicat Capellus, velit nolit, Professores istos judicasse, Dordracenos nullam justam causam habere, cur secus de Arminio opinarentur; ac proinde Arminium rectè respondisse, suspiciones ipsorum temerarias esse. Constat itaque hactenus Arminio candor suus, testimonium ipsi præbentibus collegis ipsius, & frustra eum per cuniculos suffodientibus Dordracenis.

*Crescentibus in dies suspicionibus, suspicionumque causis.* Non crescebant causæ, sed quærebantur. Suspiciones paulatim in odia exibant, &, quæ odia comitari ac fovere solet, diffidentiam. Nec deest unquam prætextus. Quod volunt Sabini, id somniant. *Arminium tamen*, inquit, *perstabat*, i. *in detrectatione cognitionis Synodalis.* Falsò & ineptè. Falsò; quia Synodus nulla unquam, nec per se, nec per Deputatos, eum in finem expressè ablegatos, vocavit Arminium, ut de ejus causa cognosceret. Ut autem Synodus Nationalis haberetur, in quâ cognitio causæ institueretur, tantum abest ut Arminius detrectaverit, ut Synodum talem pro virili promovere semper studuerit. Ineptè; Quia Arminius & Professores Theologiæ Synodo particulari non suberant, ut, si omninò detrectasset in ea causam suam cognosci, jure merito detrectare potuisset. Tantùm verò abest ut detrectaverit etiam in ea aut per eam cognosci causam suam, ut etiam, quando Deputati Synodi, qui vocantur, ipsum compellarent, tanquam cognituri quid de fama ista esset, etiamsi eos sciret ad id ipsum deputatos non esse, sed suâ sponte istam provinciam in se suscepisse, semper tamen iis respondit, paratum se esse defendere sese, si modo accusator prodiret, & coram ipsis ostendere, injuriam sibi fieri summam malignis istis rumoribus, quos suspicaces quidam mortales de se spargebant & fovebant, vel, si accusator non prodiret, paratum se esse ad conferendum cum ipsis, si modo Deputatorum qualitatem exuerent, tanquam cum fratribus & Pastoribus, de omnibus articulis fidei, sine ulla distinctione, ea lege, ut tam liceret sibi quærere, quæ vellet, quàm ipsis: Alioquin præjudicium nimis magnum & manifestum fieri sibi, Professioni suæ, facultati Theologicæ & Academiæ Curatoribus. Sed alia longè mens erat istorum hominum, quam non ignorabat Arminius, aliique, quibus eorum concilia perspecta erant. Habebat Arminius considerationes, quia rogatus fuerat à Synodo, uti & Collegæ ipsius, ut eum in finem Confessionem & Catechesin relegeret & examinaret. Non diffitebatur itaque se habere aliquas, nec diffitendi causam habebat. Eas movere, antequam Synodus celebraretur, illicitum sibi & nefas putabat, publicæ pacis causa. Aperire aut patefacere eas quibuslibet scisitantibus, & quidem animo sæpe non bono, importunum, inutile, ac noxium esse sibi persuadebat. Atque in isto proposito ita obstinaverat animum, ut fidenter semper diceret, se paratum subire quamlibet vel durissimam censuram, si contrarium egisset. Eodem modo se habet res cum dissimulatione, in qua Arminium perstitisse, affirmat Capellus. Nunquam dissimulavit Arminius, se aliter sentire de prædestinatione, quàm nonnulli Theologi. Nunquam dissimulavit, se habere considerationes, fassus est utrumque ingenuè,

*Arminium non detrectasse cognitionem Synodi.*

genuè. Sed conſiderationes, inquis, non indicavit. Eſto. At hoc non eſt diſſimulare, ſed rotundè, ſed ingenuè, animi ſui ſententiam declarare. Sed nec diſſimulare ſemper crimen eſt: Candor cum diſſimulatione optimè poteſt aliquando conſiſtere. Prudentia jubet aliquando diſſimulare, ut veritatis promotioni & proximo melius conſulatur. Verum tantus erat viri candor, ut ne quidem diſſimulare vellet.

*Atqui Hagam evocatus anno* MDCVII. *eam ob cauſſam, ne tum quidem animi ſui ſenſa palam aperire voluit.* Ut pſittacus loquitur Capellus, quod non intelligit. Nec evocatus fuit eam ob cauſſam anno *MDCVII.* Et cauſſam, ob quam evocatus tum fuit, ita liberè, ita aperte, voce, ſcripto dixit, ut nihil ſupra. Conventus præparatorius ad Synodum tum fuit indictus, eum in finem, ut in eo de loco, tempore, & forma Synodi Nationalis maturè deliberaretur. Quid hæc res habet commune cum ea, de qua Capellus agit? Profunda eſt hæc hiſtoriæ inſcitia.

*Anno* MDCIX. *demum, paucis ante mortem menſibus auſus eſt ea declarare.* Imò verò jam multò ante ultrò & ſponte ſuâ declarationem obtulerat. Nec declaravit ſeſe, niſi juſſus à Magiſtratu ſupremo. Quis pudor itaque, Capelle, dicere, *cùm jam videret quàm multos Paſtores, quàm multos Proceres in ſententiam ſuam pertraxiſſet.* Non ante ſe declaravit, quàm juberent, quibus jubendi jus erat, & ſimul atque illi juberent. Nullam occaſionem callidus captavit: ſed cum detrectare non poſſet ſine ſcelere & inobedientiæ culpa, dixit ſententiam, & dixit ea modeſtia, ea animi alacritate, ea rationum vi atque efficacia, ut in omnium Procerum animis admirationem ſimul & amorem ſui incredibilem excitaret.

*Sed ne tum quidem, ut oportuit,* ait Capellus. Credo, quia non loquebatur ad palatum eorum, qui ipſi malè volebant, & qui famam ipſius auctam iſta oratione dolebant. Sed quid deſiderabatur? *Tum quoque Synodum omnem detrectabat.* Atqui, quomodo detrectabat Synodum, qui jam ſententiam de loco, tempore, & forma Synodi habendæ cum aliis apertè dixerat? qui jam Confeſſionem & Catecheſin ſeriò excuſſerat? qui conſiderationes jam habebat paratas, nihilque optabat magis, quàm ut eas in Synodo proponere liberè poſſet, & ſic ab omnibus iſtis, quas quotidie pius vir patiebatur, vexationibus, calumniis, obtrectationibus ſimul ac ſemel liberari? Falleris Capelle; Arminius non detrectabat Synodum; ſed ii, qui decretum Ordinum de revidendis formulis improbabant, qui reviſionem formularum molebant, & id unum tantùm operam dabant, ut decretum iſtud Ordinum prorſus enervarent, atque elideret.

*Sed apertè ſemper egiſſe.*

2. *Cum quæreretur, non in genere, quid ſentiret, ſed an diſſentiret à formulis, ne tum quidem rotundè reſpondit.* Falſiſſima hæc ſunt. Semper reſpondit apertè Arminius, ſe non diſſentire à formulis receptis, ſed tantùm à privatis quorundam Doctorum opinionibus de prædeſtinatione. Alia dicere non jubebatur, imò contra jubebatur, conſiderationes, ſi quas habebat ſuper formulis, nonniſi ad Synodum Nationalem referre.

*De Oratione Arminii.*

*Oratione longa teſtatus eſt, eſſe quatuor de prædeſtinationis objecto ſententias.* Hac oratione quid potuit apertius, candidius, aut nervoſius deſiderari? Utinam ita candidè atque ingenuè ſententiam ſuam dixiſſent adverſarii Arminii in Collatione Hagienſi, & nuper in Synodo Dordracenâ, de reprobatione! Sed ſi unquam quiſquam vel diſſimulavit, vel detrectavit ſententiam ſuam dicere, certè ii detrectarunt maximè. Et ferè ita fit, cui culpæ quis ſe maximè affinem eſſe ſentit, eam aliis fidenter improperat, ut quàm longiſſimè ab ea abeſſe videatur.

*At diſſimulabat eam, quàm tertiam nuncupabat, in Confeſſione Belgica exprimi.* Imò non diſſimulabat hoc, ſed negabat apertè, quia eam ſimiliter, ſi non iiſdem omnibus, ſaltem pleriſque incommodis gravari dicebat. Opinionem ſuam de prædeſtinatione, quæ iſtis incommodis carebat, & verbis ſenſibuſque Confeſſionis benè quadrabat, iſta Confeſſione contineri veriſimilius eſſe contendebat. Nulla hîc calliditas, ſed aperti pectoris indicia ac ſigna. Et eadem omnia deprehendet Capellus in oratione Epiſcopii, ſi animum advertat, & non eam canum inſtar, ex Nilo bibentium, fugiens legat. Oſtenderem id prolixius, ſi indicium ullum calliditatis feciſſet Capellus.

Concludens itaque dico, Arminium fide bona & candidè omnia ſua egiſſe: Doctrinam, quam tenuit, apertè eſt profeſſus: eam formulis Eccleſiarum contineri ingenuè ſemper ſe credere dixit: Formulas nunquam damnavit: Conſiderationes, quas ex decreto ſupremi Magiſtratus & rogatu Synodi conſignaverat, nuſpiam niſi in Senatu Ordinum, & juſſus quidem, aperuit. Quare immeritò candorem in iſto candidiſſimo pectore deſiderat Capellus.

Verum enimverò non ſatis fuit Capello in Arminii mortui manes infami calamo incurrere; etiam in univerſum ejus gregem, ſed afflictum, diſperſum, atque oppreſſum arietare audet. Nempe contra omnes ſufficit unus. *Sinceritatem in iis deſideramus,* inquit, 1. *Quia ut Arminius, ſic & illi ſemper recuſarunt, quo minus de ſuis controverſiis, ad fidem pertinentibus, in iis cœtibus ageretur, qui tum ex Dei verbo, tum ex Eccleſiæ praxi perpetua, propriè deſtinati ſunt ad agendum de rebus fidei, & proſpiciendum ne quid hac in parte Reſpublica Chriſtiana detrimenti capiat.* Atqui uti fruſtra in Arminio deſideravit candorem Capellus, ita in iis, quos Arminii ſectatores vocat, fruſtra eum deſiderare candorem, brevi planum fiet, *Semper,* inquit, *recuſarunt,* &c. Contrarium verum eſt: Nunquam id recuſarunt. Sententiam ſuam ſemper candidè ſunt profeſſi, & quantum fieri potuit, terminis formularum publicarum, quibus ſubſcripſerant, expreſſerunt & aſſeruerunt. Et ex oratione Arminii, aliiſque ipſius ſcriptis, jam erat nota eorum de prædeſtinatione ſententia. De ea conferre in Conſiſtoriis, Claſſibus ac Synodis, non tantùm non recuſabant, ſed volupe ducebant; quin & ultrò ipſi ſæpè offerebant. Conventus iſtos iſti potiſſimum fini ſervire ac deſtinatos eſſe ſciebant. In iſtis collationes amicas ac fraternas, ſalva concordia ac pace, fieri poſſe ac debere ex animo credebant. Et quia utraque pars formulis Confeſſionis & Catecheſeos Heydelbergicæ ſe tuebatur, ſi convenire non poterat, in terminis formularum iſtarum utrinque manendum eſſe arbitrabantur, uſq; dum earum reviſio in Synodo Nationali, facta, & à Synodo in hanc aut illam partem decretum eſſet. Deciſionem in Synodis particularibus non fruſtra tantum fieri dicebant, ſed cum reviſionis, jam ab Ordinibus decretæ, manifeſta ſubverſione, ac proinde Synodi totius, quæ iſta reviſione potiſſimum nitebatur, totali impeditione. Examina quorundam zelotarum importuna & indecora putabant. Si quis deliquiſſet contra publicas formulas, aut contrarium ſubſcriptioni ſuæ feciſſet, eum cenſura juſta notari, fas ducebant. Nunquam ordini Eccleſiaſtico obſtiterunt. Quid poterant aliud, aut candidius facere?

*Remonſtrantes Synodi judicium non ſubterfugiſſe.*

*Imo ſæpius, inquiunt, ſignificavimus nobis Synodum placere, modò pars adverſa judicis officio non fungatur.* De ſola Synodo Nationali hæc pronuntiant. Verba eorum integra hæc ſunt, quæ mutilatè Capellus propoſuit: *Gravamur etiam hac accuſatione, quod, quoties alii fratres judicarent, non poſſe commodiore via huic malo obviam iri, quam per Synodum, nos huic officio reſtiterimus, ſemper Synodum impediverimus. Reſpondemus nos, hoc verum non eſſe. Etenim ipſimet Synodum efflagitavimus, optavimuſque, ut ea iſtis, quibus primum decreta erat, conditionibus haberetur. Etiam in Remonſtrantia noſtra eam petivimus, & exinde ſæpius ſcriptis editis, & non editis, ſignificavimus, Synodum nobis placere, modò pars adverſa judicis officio non fungatur, ex ſolo Dei verbo deciſiones fiant, & charitati ſuæ quoque locus concedatur.* Hac oratione quid rectius, apertius aut juſtius dici potuit?

*Sed tum pars tum adverſa.*

*At partem adverſam vocabant omnes ferè Belgii Fœderati Paſtores.* Nihil minus. Norant, quàm multi non è minimis ab iſto crimine eſſent immunes. Eos vocabant partem adverſam, à quibus jam ſe, ut hæreticos, extra conventus legitimos, ſæ. imò in vetitis & à ſummo Magiſtratu prohibitis conventiculis, damnatos norant, quorum odia atque inimicitias, pluſquam Vatinianas, experti erant per aliquot annos, qui, quà clam, quà palam, ex ambone & ſuggeſtu ipſos convitiis atrociſſimis infectati erant; qui populum, ut ab iis ſecederet, tribunitiis concionibus adhortati ſæpè fuerant; qui reviſionem, ab Ordinibus decretam, ſugillare quotidie non deſinebant; qui ſeceſſiones & ſchiſmata ab iis, indicta cauſſa, invitis Proceribus, fecerant; qui conventicula, fœdera & ſyncretiſmos clancularios inter ſe inierant, quibus doctrinam eorum, non modo falſam, ſed & intolerabilem pronunciaverant; qui cum illis conventus ordinarios celebrare detrectaverant; qui literas eorum ſyſtaticas rejecerant, membra eorum à cœna arcuerant, imò qui orare cum illis recuſaverant: Eos, inquam, vocabant partem adverſam. Quid videtur, Capelle? jure an injuria? Si jure eos vocabant partem adverſam, an non cauſſam habebant clauſula iſta utendi? Si injuria; da igitur definitionem partis adverſæ. Me quod attinet, ſi quæ unquam ſub ſole fuit pars adverſa, contra quam jure excipi potuit, hæc fuit. Neque crediderim. Proteſtantes tot ac tam graves rationes habuiſſe, propter quas Concilium Tridentinum adverſam partem vocarent, quàm habuerunt Remonſtrantes, cur tales zelotas partem ſibi adverſam vocarent. Et hi ipſi fuerunt Patres iſti, qui in Synodo Dordracena, non multò poſt, utramque paginam fecerunt, & ſententiam de plano dixerunt in Remonſtrantes. Sed de hac re in fine pluribus.

*De eorum Conſiderationibus in Confeſſionem & Catechiſin.*

Ejuſdem commatis eſt, quod ſequitur: *Cum rogarentur ut explicarent rotundè, quid potiſſimum improbarent in formulis publicè receptis in Belgio, nunquam adduci potuerunt, ut ad poſtulato*

*lata directè candideque responderent.* Contrarium est verum: Semper directè candideque respondêrunt, se in iis nihil improbare, sed in placitis quorundam Doctorum, quæ cum istis arbitrabantur non convenire, quæ capitibus quinque contineri dicebant.

*Atqui ea distinguebant, tanquam majorũ momenti capita ab aliis, quæ minorũ momenti erant.* Ita est. En candorem ipsorum. Præter ista fatebantur, se habere considerationes quasdam super formulis receptis, quas minoris momenti vocabant duabus de causis. 1. Quia circa quæstiones minoris momenti versabantur, & non paucæ phrases, ordinem, modumque tradendi potius spectabant, quàm res. 2. Quia considerationes tantum erant, non autem conclusiones, de quibus nihil dum certi apud se statuerant, uti de præcedentibus quinque capitibus. Considerationes autem illas natas dicebant ex accurata & attenta formularum Belgicarum relectione, quæ à Synodo Suyd-Hollandica ipsis injuncta erat atque imperata, & quidem eum in finem, ut eas in Synodo Nationali fratribus amicè expendendas darent, quando formularum istarum revisio in Synodo ista, ex decreto Ordinum, futura erat.

*At illas exponere semper recusarunt, cum rogarentur.* Ita est. Causæ justissimæ erant, cur id recusarent, & quidem tres. Prima: Quia supremus ipsorum Magistratus considerationes illas clausas, consignatasque ad se mitti jusserat, vetueratque disertè eas proferre aut aperire in Synodis aut conventibus ullis particularibus, pacis ac concordiæ causa. Secunda: Quia intempestivum & sine fructu id erat futurum. Quorsum enim movere in Synodis particularibus, quæ à Synodis istis tolli non poterant, & quæ novarum ac majorum litium semina futura erant? Tertia: Quia videbant eos, qui id maximè urgebant, hoc unum agere, ut ii, qui considerationes istas habere se fatebantur, in Synodis particularibus damnarentur, tanquam ἀπόβλητοι, & per provisionem à ministerio suspenderentur. Quorsum? ut ii postea ad Synodum Nationalem non venirent, tanquam partes & membra, sed tanquam rei & per appellationem, ut loquuntur, idque apud eos ipsos, à quibus jam ante damnati & rei judicati essent; quod ipsis videbatur, non modò injurium adeoque contrarium intentioni & decreto Ordinum, sed & manifestam tyrannidem affectare in Ecclesiam, ubi videlicet non liceat tutò ac sine periculo considerationes in formulas receptas adnotare, etiam cum id supremus Magistratus jubet; aut ubi adnotaveris, non proponere nisi cum censuræ aut maculæ periculo, etiamsi in cæteris intra terminos formularum, quàm potes maximè solicitè te contineas.

Hæ sunt rationes, quibus movebantur, ut in conventibus particularibus considerationes suas non exponerent. Et has ipsas rationes non celabant, sed apertè & candidè, quoties occasio se dabat, in medium proferebant. Quia verò zelotæ isti non cessabant eos, hîc illic, quæstionibus, veluti fidiculis quibusdam, torquere, ut aliquid exprimerent ἐνδιάβλητον, &, si nihil possent, censuris ac suspensionibus à munere, tanquam contumaces, vexare atque affligere, coacti tandem fuerunt repræsentare innocentiam suam supremo Magistratui suo, eumque libello supplice pro pace ac quiete sua interpellare. Obtulerunt itaque quinque capita illa, de quibus Capellus ait, non tanquam Confessioni aut Catechesi contraria, sed eorum tantum opinioni, à quibus tam duris modis vexabantur. Obtulerunt autem tanta cum sinceritate, ut unum trium supplices orarent: Vel ut Ordinibus placeret Synodum, quàm fieri posset maturissimè, convocare: Vel si id fieri non posset, ut Tolerantia mutua sanciretur usque ad Synodi tempus, cujus beneficio interea temporis ipsis quietis esse liceret à vexationibus symmystarum suorum: Vel, si neutrum è re publica esse judicarent, ut juberent ipsis cedere functionibus suis: paratos enim se damno suo privato sancire publicam quietem, & patriæ pacem. Quid poterat aut sincerius, aut æquius ab ipsis fieri? Totum mundum appello judicem.

*De conventu Delphensi.*

*Cum Delphis in Synodo rogarentur, an non essent plura, in quibus dissentirent, obtulerunt, aperturos se sua sensa, modò prius alii de ferendo in ipsis quinque capitum dogmate professionem edidissent.* Posito quod verum esset, hæc in Synodo Delphensi acta esse; quis candorem in Remonstrantibus desideret, quando hæc obtulerunt? Profitentur se habere considerationes: profitentur, se eas aperturos omnes & singulas, sed ea lege, ne ipsis hoc fraudi sit, aut damno cedat. Potuissent jure suo hæc non offerre, quia decreto Ordinum jussi erant considerationes suas non aperire, sed obsignatas ad ipsos mittere; & rationes erant alioquin etiam graves, quas jam paulo ante indicavimus, cur id non offerrent. Quando itaque, non obstante isto decreto & sepositis tam justis rationibus, nihilominus profitentur, se fratribus suis velle considerationes suas omnes pandere, si modò profiteri velint, ipsis fraudi hoc non futurum; alioquin posse & malle jure suo uti, quomodo violati candoris postulantur?

*At hic quæro,* inquit Capellus, *quis unquam pius pios fratres, in Synodo legitima congregatos, ausus sit ita compellare, iisque leges hujusmodi præscribere?* Respondeo, 1. dum hoc quærit Capellus, ostendit quàm sit ignarus rerum earum, de quibus agit. Non erat Synodus, in qua hæc agebantur: Conventus tantùm erat particularis trium Remonstrantium ex una parte, & trium Contra-Remonstrantium ex altera parte, qui de consilio Comitis Guilelmi consenserant inter se, ut simul convenirent & dispicerent, an concordiæ & pacis viam reperire possent. 2. Conventus erat, in quo ipsi Contra-Remonstrantes, ut acta ipsorum testantur, stipulabantur, ut ageretur, quicquid ageretur, tanquam inter particulares, absque ullo Ecclesiarum præjudicio. Sed posito etiam, quod justa ac legitima Synodus fuisset, in qua hæc acta sunt, tum certè nihilominus fateatur necesse est Capellus, eos, qui ita, ut Capellus ait, respondebant, fuisse ejusdem Synodi membra, qui jus suffragii habebant, uti cæteri. At quis, inquam, quæsivit, utrum iis, quibus suffragii jus est in libera Synodo, liceat pro jure suo loqui, & compellare Collegas suos? An pietati repugnat, ut quis pro caussa sua respondeat, ac petat quod sibi utile ac consultum videtur? An qui compellat eos, qui non plus juris in ipsum habent, quàm ipse in illos, illegitimè eos compellat, aut leges iis præscribit? Contrarium majori jure quæri posset: Quis unquam plus pios fratres cogere voluit ad faciendum id, quod supremus Magistratus fieri vetat, quod contra omnem æquitatem est, quod ad veritatis præjudicium facit, & ad ipsorum oppressionem directè tendit?

Sed particularis tantùm iste, uti diximus, fuit conventus, sex in universum ministrorum; & quidem hoc fine institutus, ut super controversiis, jam motis & toto orbe notis, ratio aliqua pacis concordiæque iniretur. Quando autem id unum candidè & seriò ut ageretur expectabant Remonstrantes; præter omnem eorum expectationem, sex alia Religionis capita in scenam producta fuere à Contra-Remonstrantibus, pæneque tricenæ ad ea de novo causæ quæstiones, ad quas non modò tres illos, qui aderant, sed & reliquos omnes in universum Remonstrantes respondere, ex animi sententia, jusserunt, ut se ab omni heterodoxiæ, circa illa capita, suspicione purgarent: qua, tanquam felici animorum ἀσθμαινούσῃ, præmissa, tum demum dispici voluere, an & quomodo commoda aliqua pacis via, circa disputationes, jam ad quinque notos articulos motas, pleno utrimque consensu, inveniri posset. Intellexerunt protinus Remonstrantes, hac agendi ratione, sub specioso prætextu, pro concordia tantoperè desiderata, novarum litium sementem insidiosè quæri, in noxam caussæ suæ; visumque ipsis maximè præposterum, ut occasio movendis novis altercationibus captaretur, antequam eæ, quæ jam motæ, vel compositæ forent, vel saltem de earum momento inter partes convenisset; ideoque gravati sunt ipsorum postulatis hac in re obsequi. Veruntamen, ne vel in speciem amabili concordiæ deesse nt, receperunt se & homodoxos omnes ad quæstiones, de novo propositas, ingenuè responsuros, modo tres illi, qui Contra-Remonstrantium nomine cætui interessent, pro se quisque antecedenter declararent, se sententiam Remonstrantium super quinque dictis articulis pro ejusmodi habere, quæ neminem sacrosancto ministerio indignum redderet: si enim secus statuerent, non videre se, quorsum serviturae essent responsiones suæ ad tot novas quæstiones: quia, etiamsi ex quærentium voto eas formarent; nihilominus tamen propter solam dissensionem circa controversias antehac motas præconio Euangelii indigni habendi essent. Judicent pii Lectores, judicet universus orbis Christianus, an hoc sit legem fratribus præscribere, quemadmodum à Capello qualificatur. Cæterùm, Contra-Remonstrantibus detrectantibus id, quod postulabatur, profiteri, Remonstrantes quæstiones quidem illas novas se cum homodoxis suis communicaturos receperunt: sed interdicto Illustrium Ordinum interveniente ad eas respondere vetiti sunt, videntium nimirum id agi, ut considerationes Remonstrantium, hactenus apud ipsos & ab ipsis prefatæ, ante tempus in lucem protraherentur, unde necessariò novarum litium densissimum agmen brevi exoriturum esset.

Attamen, inquiet fortasse Capellus, istas considerationes non reservabant sibi, sed occultè eas interim disseminabant. At hîc cardo versabatur. Hoc erat, quod probandum esse dicebant Remonstrantes: Non petendam ex domo rei accusationem, non extorquenda, quæ pacis caussa silere ipsos jusserant Ordines, & quæ ad publicam pacem usque ad Synodi tempus sileri tutius erat, quàm proferri: In prævaricatores animadvertendum, sequendam formam usitatam; accusandos delinquentes, censura notandos, sus-

pendendos, exauthorandos, excommunicandos, prout res mereretur. Semper enim id juris habitum apud nos in causa Religionis; uti rectè patronus ille verè magnus & rerum patriæ peritissimus Grotius ait, *accusatione, non inquisitione grassandum.*

Verum enimverò hoc axioma Juris, omni exceptione majus & consuetudine loci roboratum, non movet Capellum. *Verum id quidem*, inquit, *nisi justæ sint, & amicè fiant inquisitiones istæ.* Esto. At utrumque hîc deerat: nec amicè fiebant, nec justæ erant. Ut amicè factas ostendat Capellus: *In sanguinem*, inquit, *in necem non grassabatur Delphensis Synodus, nec adhibebat comminationes, nedum tormenta.* Pulchrè. Ergo amicè agit cum Capello, qui eum non interficit, aut in necem ejus non grassatur, vel equuleo eum non adhibet. Quod si Capello id est amicè agere, periculosa est amicitia, quæ cum illo contrahitur. Crederet enim se amicitiæ jura omnia integra atque inviolata servare, si à sanguine, à cæde & equuleo tantùm abstineret. Sed retorqueo argumentum, cum in sanguinem & in necem aliorum non grassarentur Remonstrantes, cur non illos etiam amicè pro jure suo respondisse & petiisse, quod petierunt, credit Capellus? Deinde, unde constat Capello, Synodum illam, id est, plerosque vel antesignatos adversarios Remonstrantium, qui in Synodo illa aderant, non dico à comminationibus abstinuisse (quis enim contrarium nescit? ) sed in necem, in sanguinem eorum grassatos non esse, quantum in ipsis erat? Ego non opto, ut vadimonium istius rei apud Deum obeat Capellus. Nota sunt axiomata, dicta ac facta plurium, quæ à sanguine & sævitia non abhorrent. Et si non tam vis quàm zelus & prætextus iis defuisset, novit Deus, quorsum consilia quorundam fuissent evasura: quorum major propositio habet, Licere, imò laudabile esse, in hæreticos pertinaces, quos vocant, & qui pacem publicam turbant, gladio animadvertere; illis facilè esse subsumere minorem, unde quàm repentè sanguinaria sequatur conclusio, quis non videt? Multi certè, ubi isti homines rerum potiuntur, magno suo damno id experti sunt. Calent adhuc foci multis in locis, ubi ex præscripto eorum sententia lata fuit. Rubet etiamnum sententia Synodi Dordracenæ, sanguine & injuriis optimorum civium scripta, & rubebit amplius, si voti sui compotes fiant Diotrephes isti, quod Deus avertat. Quæ mens sit Capello, Deus novit. Certè, si quid colligere licet ex verbis ipsius, D. Vorstii p. m. sententiam eodem atramento scripsisset, quo Draco leges suas, aut eum ipsum argumento à fasciculis, cum Calvino præceptore suo, confutasset. Ita enim de eo loquitur, ut jam minor propositio ab eo adsumta sit, tanquam certa; hæc videlicet, *Multas ea saque pernicio sissimas hæreses malicio sissimè dissem inavit:* quæ in conclusionem sanguinis desinat necesse est.

*Atqui Synodus cupiebat animo fraterno candidoque secum agi.* 1. Atqui Cain etiam Abelis frater erat, &, ut ait ille, *fratrum quoque gratia rara est.* 2. Si cupiebat secum agi fraterno animo, æquum erat, ut ipsa eodem animo ageret. At eodem animo egit. Unde id scit Capellus? Verbis eorum credendum est. Atqui quæro, cum Arminius & ejus sectatores, quos vocat, semper protestati sint, sese cum ipsis animo candido ac fraterno agere, quid est, quod Capellum movet, ut credat, eos nihilominus veteratorio animo omnia egisse? *Actiones*, inquit, *aliud testantur.* Vide ergo horum actiones & judica. Si fraterno animo agebant, cur tam amarulentas de iis suspiciones sine caussa fovebant? Cur tam diris modis & tam variis illos vexabant & affligebant? Cur innocentibus atque invitis tot gemitus, tot suspiria quotidiè expectorabant? Cur eos hostes declarabant, indicta caussa? Cur ab iis, conjuratione facta, secedebant? Cur Ecclesias suas hortabantur, ut cum iis commune nihil haberent? Cur plebem promiscuam tribunitiis suis concionibus & libellis famosis concitabant in capita eorum? Cur pacem offerentibus recusabant? Cur eos adeò aversabantur, ut ne quidem cum illis communes ad Deum preces fundere dignarentur? An hæ actiones sunt fraternæ? Sed ita fit: Quos impensè amamus, eorum vitia, tantum abest ut videamus, ut ea virtutes putemus: quos odimus, ab iis nihil rectè fieri credimus, imo eorum rectè facta pro vitiis enormibus reputamus. Tantum valet, quo animo atque affectu aliquid videamus.

*Sed causæ*, inquit, *erant justissimæ:* 1. *Quia dissensionem suam, quam saltem in quatuor articulis profitebantur, hactenus multos annos dissimulaverant.* Atqui posito, quod id verum sit, idcirco injustæ erant. Si enim dissimulaverant, quid inquisitione opus erat? An non erant liberæ eorum conscientiæ? Videat Capellus, quid dicat Thes. 32. Disp. posterioris, *In conscientias non inquirunt Dordraceni.* An non pacis studiosi erant, quod ea, quæ habebant, sibi solis habebant, & intra animum suum conservabant? Cui nocere, cui obèsse poterant ea, quæ premebant apud se, manentes interim in terminis formularum, quæ receptæ erant? Atqui, inquiet Capellus, occultè ea disseminabant. Atqui, inquam ego, id ipsum, quod occultè ea disseminabant, aut notum erat, aut non. Si notum erat, jam sanè occultum id amplius non erat; quid ergo opus erat inquisitione? Accusandi erant tanquam culpæ manifesti: idque eo magis, quia id à se fieri negabant, & cum ipsis id objiciebatur, probari sibi cupiebant. Si non erat notum, quomodo scit tamen Capellus, eos id fecisse?

*Sed probabile erat, nondum eos totam suam dissimilationem exuisse, sed forte plura majoraque premere.* 1. Probabile non sufficiebat ad novam inquisitionem instituendam; suspicaci animo rarò desunt probabilia. Probæ necessariæ esse debent, non probabiles. 2. Sed & nullo modo id erat probabile, quia expressè negabant, alia se habere, præter considerationes quasdam, quas jam obsignatas miserat quisque pro se, prout eas privatim apud se conceperat. Quid restabat? Suspicioni nunquam satisfit; imaginatur sibi difficultatum montes, ubi omnia sunt plana.

2. *Videbat Synodus, quam multi modis faverent Vorstio.* Neque hîc ulla justa caussa, etiamsi id verum esset. Cur enim favere non poterant Vorstio, homini erudito, homini pio, obnixè oranti ut benignè audiretur, obtestanti injuriam sibi fieri, parato & promto ad rationes dandum pro innocentia sua? An non poterant favere Vorstio, & errores ipsius, si quos habebat, odisse? Quid? An ægre ferebant isti mortales, quod eum cane pejus & angue non odissent? quod in caput ejus non concitarent Proceres & plebem? quod crucifige, ure & seca cum illis non ingeminarent? quod eum ad furcam, aut Gæmonias raptandum non curarent? quod non deferrent eum ad exteros Reges, Principesque, ut de eo mereret carnifex? Alia ipsis mens, alius animus. Oderunt sanguinaria omnia consilia & carnifices voces contra eos, quos pios & Dei timentes vident; hæreticidam oderunt, hæreticum, si pius sit, amant: Pietatem, modestiam, docilitatem animi tanti faciunt, ut eum, in quo ista locum habent, favore, non odio dignum arbitrentur, etiamsi graviter erret. Inimicum diligere, hosti benedicere, maledicentibus benedicere jubentur, quanto magis errantibus quidem, sed piis, sed Dei timentibus, sed veri studiosis. Impios, peccatores, profanos, homicidas, &c. odisse Christiani animi gloria est; errantibus, sed piis, favere, decus putant. *De caussa favendi Vorstii.*

*Atqui hæreses multas easque pestilentissimas fovebat.* Esto. 1. Ne hæresis quidem debet esse caussa odii, quando is, qui eam tenet, vir probus est, & conscientiæ suæ interesse asserit, ut ab ea non discedat, eo quod hæresin esse non intelligat. Alia est ratio, quando hæresis significat pertinacem contendendi libidinem de re nihili, & quæ ad pietatem ac salutem nihil facit, quamque talem esse is, qui contendit, apud animum suum persuasus ac convictus est. Hæc enim hæresis pertinaciam habet palpabilem & culpabilem, & de ea loquitur Apostolus ad *Tit.* III. & 1. *Corinth.* XI. Ista hæresis aliud nihil quàm inculpabilis error est. At errans odio non est dignus, sed commiseratione. Docendus est, instruendus est tantò ardentius, quantò errat gravius, imprimis si docilem, si supplicem se præbeat, & paratus sit rationes dare & audire. In hac hæresi non habet locum pertinacia: aut si aliquando locum habet, de ea non nisi Deus cordium inspector judicare aut potest, aut debet. Nemo præsumi debet studio errare velle, ubi se certissimum æternæ suæ salutis damnum incurrere novit. Non cadit in hominem tam barbara cogitatio, ut studio æternum miser esse velit. saltem qui nullum infallibile ac peremtorium Ecclesiæ judicium interris agnoscunt, ii pertinaciam nullam possunt aut debent impingere aliis, nisi eodem jure secum agi velint. Pontificiorum, qui Ecclesiam suam errare non posse credunt. alia est ratio. 2. Sed unde obsecro constabat jam tum Vorstium hæreses, easque multas & pestilentissimas fovere? An judicio aliquo publico damnatus erat Vorstius? An convictus? Nihil horum. Imò tantum abest, ut convictus aut damnatus fuerit ullius hæreseos Vorstius, ut ea ipsa, quæ ipsi imputabantur pro hæresibus, à se rejici, quin & nonnulla pro gravissimis hæresibus à se ipso haberi affirmaret, idque tanta sæpe argumentorum vi, tantaque animi præsentia ac moderatione, ut auditores vel invitos in adsensum raperet. Vidi & audivi non semel, quomodo ad incitas redigeret eos, qui cum Capello hæreses ipsi impingebant. Et erat ea viri moderatio, ea pietas & humilitas, ut qui nollet vel invitus faveret dicenti & causam suam agenti; adeò ut, si erraret, hæreticus tamen pertinax dici nullo modo mereretur. Quia & ea fuit fiducia animi, ut ipsi Synodo Dordracenæ fidem atque innocentiam suam probare obtulerit, idque supplex semel atque iterum petierit. Sed pudeat æternum Synodum illam, quod damnaverit eum, quem audire noluit supplicantem.

Sed

Sed *hæreſes malitioſiſſimè diſſeminabat.* Quo te abripiunt affectus, Capelle? Non poteras homini pio, homini mortuo, homini, quem fortè nunquam vidiſti, nunquam audiviſti, maledicere niſi in ſuperlativo gradu? Malitiam ſi in calore orationis ei impegiſſes, quid poteras impingere atrocius? Quid, quod minus probare poteras? Nunc cum malitioſiſſimè eum egiſſe, non dicis tantùm, ſed etiam ſedato animo ſcribis, quin & publicè defendendum ſuſcipis, quis pudor, quæ frons? Repoſcet à te Deus tam grave peccatum, niſi pœnitentia ſeria veniam popoſceris. Ego vidi & novi hominem, dum vixit; ſed à malitia tam eum eſſe alienum, vita, ſermones, & actiones ipſius omnes teſtabantur, quam credo Capellum ab ea alienum videri velle.

*Noluiſſe Remonſtrantes introducere licentiam quaſlibet novitates invehendi.*

Quod de Remonſtrantibus ſubjungit, ſcopum eorum fuiſſe *introducere licentiam quaſlibet novitates invehendi*, in eo facit ipſis non minorem injuriam. Scire poterat & debebat, quoties & quàm ſeriò contrarium fuerint proteſtati; neque ullum ejuſce rei indicium unquam allatum fuiſſe, etiam cùm in Synodo Nationali, ut id fieret, obnixè & ſæpè peterent. Epiſcopii oratio ſatis hac in re teſtatam fecit innocentiam ipſorum. Nemini mortalium ea prægrandis videbitur, niſi qui innocentiam eorum in ea detegi ægrè fert. Quod ſi tamen ea Capello prægrandis videbitur, aut ſi Remonſtrantium omnium defenſionem videre mavult, legat præfationem Remonſtrantium, quam Confeſſioni ſuæ præmiſerunt: ibi communis omnium vox ſonat; *Licentiam ipſis exoſam atque inviſam eſſe, non minus, imò plus quam tyrannidem: Mediam viam inter utramque tenendam eſſe: & ſi omninò id fieri nequeat, tutius multò eſſe ſub tyrannide quàm licentia vivere: plus enim periculi eſſe, ubi omnia quàm ubi nulla licent: Pietatis terminos non eſſe licitum loco movere; Caritatis & prudentiæ eſſe ſtatuere, quomodo intra reliquos conſiſtendum ſit, ne conſcientiis fiat, & pax tamen ac concordia publica ſarta tecta maneat. In utroque peccari graviter poſſe & ſolere: multos eſſe, qui longa tyrannide preſſi in licentiam, ex altera parte poſitam, ſolo tyrannidis odio incidunt: eoſdem verò, poſtquam licentiam ſibi ſumſerunt, omnia pœne, quæ ad pietatem parum aut nihil faciunt, magno animo innovandi & toti Chriſtiano orbi in os contradicendi, ſimul atque alicubi pedem fixerunt, tanto licentiæ odio ferri, ut contradictionem nullam vel minimam ferant, imò contradicentium animis & linguis fibulam imponant, multo arctiorem, quam eam, quam ipſi ſuis conſcientiis ac linguis antea excuſſerunt. Ab his ſeſe alienos eſſe profitentur, & ut ne, vel odio tyrannidis in licentiam, vel licentiæ odio in tyrannidem incidant, ſolicite operam dandam eſſe exiſtimant.* Repræſentarunt toties hoc Remonſtrantes, ut mirum ſit, quomodo tribuere nihilominus eis Capellus audeat, quod licentiam affectaverint.

*De Tolerantia fraterna.*

*Licentiam hanc obtegebant duobus ſpecioſis titulis. Primus erat fraterna tolerantia; alter vero libertas prophetandi.* Non opus habebant tegere licentiam, quam ex animo oderant. Tolerantiam fraternam & prophetandi libertatem amabant, & amare ſe aperte profitebantur. Neutra cum licentia commune quicquam habet. Tolerantia fraterna non neceſſario ſchiſmati opponitur. Libertas prophetandi excludit tyrannidem. Illa tum locum habere ipſis ſemper videbatur & etiamnum videtur, cum pietatis periculum non eſt, quamdiu ex præſcripto Chriſti ita vivi ac doceri poteſt, ut ſalutis ſpes non laboret. ubi periculum hujus rei eſt, ibi prius quidem tentanda omnia remedia, ad periculum iſtud tollendum comparata: ſed, ſi ea fruſtra ſint, merito jure ſolius æternæ ſalutis amore ſeceſſionem fieri. Reliquas omnes ſeceſſiones, factiones potius eſſe politicas, aut populares ſeditiones, credunt, quàm religioſa divortia: imprimis ſi cum damnationibus & anathematis fiant: ferè Reipublicæ negotium & regionis controverſiam iis miſceri, quæ cum Religione & conſcientia ſæpè nihil aut parum habet commune. Et hujuſmodi ſeceſſiones non paucas in Chriſtiano orbe factas cum viderent, tolerantiæ, tanquam Panacææ cujuſdam, remedium rectè adhiberi poſſe judicarunt. Et quia credebant tolerantiam, quam Ordines Hollandiæ ſanciverant, locum habere poſſe inter ipſos & adverſarios ipſorum; ſi modò ea mutua eſſet, & intra certos ac præſcriptos terminos placidis animis utrimque ſtaretur; pro ea etiam ſtabilienda omnem operam navarunt, rati ſufficere, ſi neceſſaria atque utilia ad pietatem & ſalutem utrimque tenerentur, animorumque ſimul ac ſententiarum divortia non fierent. Ita cenſuerunt ſemper, atque etiamnum adhuc cenſent. Schiſma interim non exiſtimant ſemper in ſola cætuum diverſitate poſitum eſſe, ſed in animorum diſjunctione, qua fit ut cætus cætum anathematizet, tanquam Chriſtiano nomine indignum. Fieri enim poſſe credunt, ut cætus alii aliis puriores nobis videantur, noſque non huic, ſed illi cætui aggregemus; non quòd in illo ſalvari nos non poſſe credamus; ſed quod in via ſalutis planius proponi nobis videatur. Unde Synagogas plures & unum Dei templum nihilominus eſſe poſſe ſibi perſuadent. Quod ſi prior iſta tolerantia impetrari non poſſit, hanc ſecundam ſaltem commendatam omnibus eſſe volunt; eo quod citra omnem controverſiam ſalva conſtare poſſit tota Religionis Chriſtianæ eſſentia, ac proinde concordiæ paciſque vinculum, etiamſi cætus varient.

*Et de prophetandi libertate.*

Libertatem prophetandi in pretio etiam ſe habere profitentur. Nihil ea commune habet cum licentia. Circumſcripta eſt prudentiæ & caritatis Chriſtianæ legibus. Prudentia jubet, ut temporum, locorum & rerum diligens ratio habeatur; Caritas, ut perſonarum. Hinc nemini fraudi eſſe debere contendunt, ſi liberè ubi, & quando oportet, conſiderationes ſuas aperiat, imprimis quæ ad pietatem promovendum utilitatis aliquid habere videntur. Novæ eæ ſint, an veteres, ſuſque deque habendum exiſtimant. Si verbo divino & rectæ rationi conſentaneæ eſſe reperiantur, pari alacritate novas recipiendas, qua veteres rejiciendas putant. Si aliter facerent, veritatis ſtudioſi non eſſent. Et hinc pleraque mala in Chriſtiano orbe oriri credunt, quod quiſque in ea, quâ ſemel à primis annis imbutus, aut in quam occaſione hac aut illa delapſus eſt, ſententia, glorioſum putet conſeneſcere. Neque mirari ſatis poſſunt, axioma hoc placere iis, qui nuper novitatibus tot ac tantis Chriſtianum orbem turbare non dubitarunt; illos libertati obicem ponere, qui ſibi ipſis licentiam fecerunt vetera & recepta omnia una pœnè liturâ delendi; illos novitatis arceſſere alios, qui novitias ipſorum ac verè paradoxas opiniones reſpuunt aut convellunt. Vix toleranda eſt hæc tam immanis tyrannis in novitia ſecta, & ea, quæ fatetur, nullum infallibile judicium in terris à Chriſto relictum eſſe, unde nos pendere neceſſe ſit. Sed videamus, quid in utraque culpet Capellus.

*Quam Tolerantiam perierint Remonſtrantes.*

*Tolerantiam*, inquit, *ſcimus multis cum laude conceſſam, ſed & ſcimus eam à nullo mendacii doctore meritò poſtulari.* Et hîc contra umbram ſuam pugnat Capellus. Supponit Remonſtrantes ſupplices oraſſe tolerantiam ab adverſariis ſuis. Nihil minus. Tolerantiam mutuam ſtatuerant ac ſanciverant Ordines, auditis utrinque partibus: & quia id rectè ac jure factum credebant Remonſtrantes, laudaverunt & probaverunt tolerantiam. Ut eam à cæteris poſtularent opus non habebant. Eodem jure dabant, quo petebant. Quod ſi quando poſtulaſſe eam viſi ſunt, benevoli id potius, quam ſupplicis animi ſignum fuit. Plures cauſas habebant, ut non tolerarent adverſarios, quàm ut tolerari ab ipſis peterent. Non parum enim de jure ſuo remittebant, quum placita tam horrenda, tam noxia, &, ſi per ſe æſtimentur, non modo virtuti uni atque alteri, ſed toti Religioni & pietati Chriſtianæ noxia, tolerare ſe velle profitebantur. Sola caritas & fraterna commiſeratio ita facere eos jubebat. Nimirum credebant ad extrema remedia non eſſe veniendum, niſi tentatis primùm lenioribus. Multorum animos benignitate flecti, qui aſperitate acuuntur ad perniciem publicam: Suaſionibus & argumentis fortius & efficacius eximi errores, quàm immoderatis ac crudis partium ſtudiis. Et jam id curaverant Ordines, ut quæ maximè atrocia atque horrenda erant in opinionibus adverſariorum ſilentio premerentur; quin & tales terminos poſuerant, intra quos ſtari tutò poterat. Sed poſito etiam, quod eam poſtulaſſent, non poſtulaſſent tamen tolerantiam, ut Capellus vult, mendaciorum, aut ſaltem opinionum, quas jam aut ipſis aut aliis conſtabat mendacia eſſe. 1. Ipſi eas pro mendaciis non habebant. 2. Nullum Concilium, nec vetus nec novum, uſpiam terrarum eas mendacii damnaverat. 3. Non poſtulaſſent tolerantiam niſi ad tempus, uſque dum à Synodo legitima deciſio facta eſſet. 4. Non petiiſſent minori jure, quam in Eirenico ſuo Paræus tolerari ſuos à Lutheranis petit.

Duo hîc quærit Capellus: 1. *An meritò poſſit à doctore mendacii poſtulari tolerantia?* 2. *Si non, An poſtulanti jure concedi poſſit?* Primum quod attinet: *Tolerantiam ab iis*, inquit, *qui falſa docent, iniquè poſtulari dicimus.* Hîc primum noto, ineptam eſſe diſputationem, quando ſtatus controverſiæ in principio clarè atque expreſsè non ponitur. Id hîc fit. Ita generaliter loquitur Capellus de tolerantia, ut, quis ſtatus quæſtionis ſit, intelligi nequeat. Quicquid generale eſt, id ſimile eſt confuſo. 1. Non diſtinguit, quos errores, quæ falſa intelligat; an omnium parem & eandem eſſe rationem velit. 2. Non determinat, quam, aut qualem tolerantiam intelligat: An tolerantiam, qua quis toleratur, ut Eccleſiæ membrum maneat: An, qua quis toleratur, ut Eccleſiam doceat, & quidem, an ita ut maneat in eadem communione, an ut ab ea ſeparatus & disjunctus. Hæc diſputatoris erat accuratè proponere, & præceptoris imprimis diſcipulis diſtinctè examinanda offerre. 3. Non diſcriminat inter eos, qui falſa docent,

cent, quæ ipsi falsa esse non ignorant; & inter eos, qui falsa docent, quæ tamen falsa esse ignorant; denique inter eos, qui non modo ignorant falsa esse, quæ docent, sed qui ea credunt etiam verissima esse, adeoque necessaria ut doceantur, ad æternam salutem consequendam. Primos iniquè postulare, ut tolerentur, nemo dubitat: at secundi & tertii generis doctores iniquè postulare, quo jure dicit Capellus?

*Quod errorii*, inquit, *in Religione potissimùm, ii sit genius, ut qui fallitur, etiam fallat.* Itane Capelle? Ergone fallere rectè tibi dici videtur is, qui imprudenter fallitur? Quis credat, hoc ex Reformato cerebro proficisci? Non rectè sane fallere dicitur, nisi qui fallendi animum habet. Quomodo itaque fallere dicetur, qui animum habet juvandi, succurrendi, & salvandi eum, quem in errore versari credit? At tales sunt, qui docent ea, quæ credunt vera esse, etiamsi falsa sint, & imprudenter fallantur. Et hujus generis censendus est error omnium eorum, qui in Religione errant. Error enim, si voluntarius est, error amplius non est. Scelus est, imò sceleris atque impietatis apex, studio aliquem fallere velle in negotio Religionis. Id enim tantundem est, atque operam dare velle, ut quis æternum pereat. At hoc de nullo errante, quâ tali, præsumi unquam debet. Hoc si ita sit, quæ iniquitas, quæ injustitia in eo est, si is qui errat aut imprudenter fallitur, postulet, ut in docendo toleretur? *At cum falsa doceat*, inquies, *reipsa fallit, etiamsi imprudens.* At falsa non docet, inquam, judicio suo, sed alieno, quod nihili facit. Itaque non fallit, nec fallere vult, sed officium suum facere, & alios juvare vult, ut æternum ipsis bene sit. Quæ voluntas tantò æstimanda est justior, quantò id, in quo errat, existimat esse dignius, magisque necessarium vel utile quod doceatur. Et certè, si hoc axioma valere debet, necessum est ut fateatur Capellus, nemini unquam licere postulare ab aliis, ut toleretur in docendo ea, quæ non conveniunt cum ista doctrina, quæ semel recepta est, aut recepta esse creditur. Cum enim is, qui id postulat, semper credatur falsa docere ab iis, qui contraria ipsi docere sunt consueti, ipse autem sui ipsius judex esse non possit, neque magis censeri debeat vera docere, quia se vera docere sibi persuadet, quam is, qui falsa docet, cum is etiam sibi persuadeat se verissima docere; utique necessum est, ut inique eum postulare dicamus, ut toleretur in docendo. Hoc si semel concedatur, videat Capellus, an non veritati ostium axiomate isto suo claudat, & magnis multisque absurditatibus latam fenestram aperiat. Certè, alia vox, alia oratio fuit eorum, qui olim se in Belgio tolerari postulabant, & ista unica conditione Regi Hispaniarum milliones aliquot auri offerebant; qui libris variis tuebantur, tolerantiam ejusmodi divinis humanisque legibus licitam adeoque utilem esse Reipublicæ Christianæ. Et dispar longe fuit etiam oratio eorum, qui in Gallia olim tolerari petebant, & postulatum illud suum usque adeò justum credebant, ut armis etiam illud contra principem & dominum suum legitimum sibi asserere ausi fuerint. Neque est quod hîc Capellus dicat, se non loqui de quavis tolerantia, sed de ea, quæ in eadem Ecclesia & communione est, qualem nunquam Belgæ aut Galli sibi concedi petierunt. Esto, ita sit; manet tamen eadem difficultas. Nam si idcirco iniquè postulat mendacii doctor tolerantiam, quia Religionis genius is est, ut qui fallitur, etiam fallat, quomodo jure postulabit tolerantiam extra eam communionem? postulabit enim, ut fallere sibi liceat extra communionem. At hoc nunquam ipsi postulare licet. Viden' ut tyrannidi sternantur plana via, damnentur omnes, qui unquam postularunt tolerari se ab iis, à quibus diversa docebant? Sed videamus, quid de secundo membro dicat.

*Ergone potest jure concedi, quod iniquè postulatur?* Potest sanè. At primò si hoc potest concedi, & quidem jure, quomodo verum est, quod Thes. 42. dicis non minus universaliter: *Nunquam debet concordia quæri cum hominibus veritatis divinæ dispendio?* Hæc non conveniunt. Deinde secundò, sic contra te argumentor: Nemo potest alicui jure concedere, ut porrò fallere ipsi alios liceat, imprimis in rebus, ad fidem & pietatem spectantibus. Ratio Majoris duplex est. 1. Quia si non licet ei, qui imprudenter fallit, nisi perinjuste petere, ut porro sibi fallere liceat, multò minus licet ei, qui scit alium fallere, prudens scienque concedere, ut porro ipsi fallere liceat. 2. Quia alioqui concedi jure alicui posset, ut alios, quantùm in se est, æternùm perdat: quod absurdum est. At qui concedit mendacii doctori docendi tolerantiam, is concedat necesse est, ut alios, quantum in se est, perdat. *Hic enim est error in Religione genius*, verba tua sunt, *ut qui fallitur, etiam fallat.* Conciliet hæc Capellus, si potest. Neque juvabit eum, si dicat, intentionem ejus, qui concedit tolerantiam, non esse, ut doctor iste alios fallat. 1. Intentio enim bona non sufficit ad hoc, ut jure aliquid fieri posse dicatur. 2. Nec intentio ejus, qui postulat tolerari, est fallere. Et, si tamen hunc, non tantùm injustè, sed perinjustè postulare dicis, ut fallere sibi liceat, quæ ratio est, cur illum jure concedere dicas, ut alios fallere ipsi liceat?

*At in litibus certè potest quisque jure suo cedere, licet sentiat, id sibi per vim aut fraudem eripi.* At qui cedit alicui coactus, non rectè dicitur jure concedere id, ad quod cogitur. Deinde negotium Religionis & salutis proximi nostri, non est jus nostrum, quo nobis cedere licet; sed jus Dei & proximi nostri, quorum interest, ut nunquam à nobis concedatur id, quod unius gloriæ & alterius æternæ saluti per se obest ac nocet. Alioquin nec Deum glorificamus, nec proximum nostrum servamus, quantùm in nobis est, sed per nos aliquo modo stat, quominus illius gloria & hujus salus promoveatur. In litibus alia plane ratio est; in iis cujusque jus proprium versatur. De jure autem suo quisque cedere potest, non tantùm cum jus suum sibi ereptum iri videt, sed etiam volens ac sponte suâ. Nemo enim sibi ipsi injuriam facere creditur. Et in litibus, qui de jure suo cedit, is tantum abest ut alteri, eum quo litem exercet, injuriam faciat, ut contra cedendo ipsi beneficium non exiguum præstet.

*In negotio Religionis errantes considerari possunt, ut seducti, vel ut seductores.* At hîc jam mutatur status quæstionis. Quæstio enim instituta fuit de tolerando doctore mendacii. At doctor mendacii non rectè consideratur, vel ut seductus, vel ut seductor. Quod si nihilominus id velit Capellus, ad rem tamen adhuc nihil dicit. Perinde enim est, sive doctor aliquis consideretur ut seductus, sive ut seductor. Seductor enim non intelligitur à Capello, qui seducendi intentionem habet, sed qui reipsa, etsi imprudenter, alios seducit. Quid autem ad rem facit, sive is primus sit erroris author, sive à primo seductus. Seducti enim non rarò seductoribus ipsis sunt pejores. Sed esto, sequamur confusum disputatorem, & expediamus, quæ sine ordine ullo dicta sunt.

*Optimus quisque remotissimus est à suspicione, ac indubiò putat in meliorem partem omnia sumenda.* Ita est. Utinam Capellus cum suis axioma hoc tam intelligeret practicè quàm theoreticè. *Possunt*, inquit, *errantium eæ dotes esse, ut merito credas, eos falli potius, quàm fallere.* At Capelle, antea dixeras, *errorii in Religione genium hunc esse, ut qui fallitur, etiam fallat.* Quomodo hæc conveniunt? Sed esto; transeat etiam hoc cum cæteris. *Possunt*, inquit, *errantium eæ esse dotes, ut speres, cum in intermoriturum errorem, nullo brevi tolerantiæ damno.* Quis hæc confusa evolvat? De errantibus in genere loqui videtur, cum de doctore erroris quæstio sit. De errorum qualitate ac discrimine nihil prorsus definit. Deinde de tolerantia loquitur, sed quam præcedit promissum de non modo non docendo palam, sed ne propugnando quidem doctrinam. Age nos experiemur, an mentem ejus rimari possimus. Errantes, de quibus loquitur Capellus, vel errant errorem, qui cum fide & salute ipsorum errantium aliorumque aut consistere omninò non potest, aut saltem qui fidei & saluti ipsorum detrimentum adferre, aptus natus est; vel errant errorem qui lethalis non est, aut qui nec errantis, nec aliorum, qui in eundem errorem incidunt, saluti per se noxius est, id est, quo stante, fieri nihilominus potest, ut ii, qui ita errant, credant omne id, quod necessariò credendum est, ut Deo & Christo obediant, atque ita salvi fiant. Si errantes primum genus erroris errent, dicat Capellus an statuat, jure tolerari istos posse & concedi ipsis, ut errores istos, aut habere, aut docere permittantur, sive semper, sive aliquamdiu, inter eos, qui tum suæ, tum aliorum salutis sunt studiosissimi? Si affirmet, videat tum etiam atque etiam, utrum tolerari possit in communione Christi externâ is, quem certum est membrum Christi esse non posse, nec salvari posse cum Christo, quamdiu in errore isto manet. Quotquot certè in externa communione Christi tolerantur, de iis, saltem judicio caritatis, statuendum est, quòd sint vera Christi membra, ac pronde in statu gratiæ ac salutis posita. At de iis, qui istos errores errant, id statui non potest. Neque verò caritatis nec prudentiæ Christianæ est, tolerantiæ limites usque ad taliter errantes, nedum ad eos, qui errata ista lethalia docent, extendere. Si Capellus neget, se de istis errantibus loqui, sed de iis solis loqui se dicat, qui errant errores non lethales, id est, cum quibus fieri potest, ut quis sit verus Jesu Christi discipulus, & spem vitæ æternæ habeat; tum videat primò, quam ineptè egerit, cum ita generaliter ac confusè de errantibus in genere loquutus est. Secundò, an non ineptius multo egerit, quod in dubium vocet & magno molimine disputet de eo, an tolerari possint, qui errant errores non lethales, sive sint doctores & pastores, sive discipuli & oves. Quis enim pius aut pacis studiosus de eo disputet? Nec enim periculum ullum verum, aut ad seductores, aut ad seductos, ex erroribus aut errorum istorum doctione, ut ita dicam, redire potest,

eſt, quando id tantùm ſeriò inculeatur, errorem, quem is errat, aut de quo quæſtio eſt, fundamentalem non eſſe. Hoc enim amuleto, ſi Eccleſia ſerio fuerit inſtructa, ceſſat periculum ſeductionis: deinde, ipſa libertas periculi omnis remedium eſt: Cum contra, ſi errores omnes ac ſingulos, etiam minutiſſimos, qui errores tibi videntur, cum rigore tollere ſatagas, & in errantes ſeveris legibus ac conditionibus animadvertas, periculum non tollas, ſed augeas. Fit enim ut deciſionibus non neceſſariis ingenia acriuſcula irritata, odia intus alant, quæ non multò poſt in apertas factiones exeunt; aut ſi ſeveriter ac publicè reprimantur, in occulto virus ſuum diſſeminent, eruptura aliquando cum charitatis periculo ac damno. Nullius autem veritatis non neceſſariæ, nec valdè utilis, conſervatio æquare poteſt jacturam ac detrimentum charitatis. Sed fortè de erroribus agere ſe dicet Capellus nec præcisè lethalibus, neque etiam admodum levibus, ſed de iis, qui verſantur circa veritatem, quæ utilis eſt, aut utilis ſaltem eſſe creditur ad verum Dei Chriſtique cultum rectè exercendum, & ad ſpem æternæ ſalutis in animis noſtris fovendam. Eſto. At nec circa hoc caput difficultas tanta erat movenda. Statuendum ante omnia, tanquam indubium, erat, tolerantiam eorum, qui circa utilia iſta errant, ſive ſeductores ſint, ſive ſeducti, per ſe licitam eſſe. Salvis enim neceſſariis omnibus, nullius hominis ſalus in periculum adducitur. Deinde, quia tamen error omnis fæcundus eſt, &, ut ut parvus in principio, magnos tamen errores de ſe non rarò parere ſolet, prudentiâ tantùm opus eſſe dicendum fuerat, ut neceſſariorum omnium veritati benè caveatur, ne occaſione erroris tolerati labefactari unquam poſſit, aut detrimentum aliquod pati. Hoc ubi factum fuerit, periculum contagionis ceſſabit, error paulatim ſponte ſua evaneſcet, & animorum concordia manebit ſarta tecta. Aliis & ſevioribus molitionibus irritatur mali atrocitas, non ſanatur. Sola pro neceſſariis ſollicitudo facit, ut ſaluti ſingulorum, & omnium paci ac libertati ſimul conſuli poſſit. Fieri enim vix poteſt; quin ii, qui in neceſſariis conſentiunt, ſi modò viri boni ſint, (quod ſemper præſumendum eſt niſi contrarium appareat) in cæteris rebus omnibus, in quibus diſſentiunt, terminos moderatos reperiant, intra quos lubentes volenteſque compingi ſe ſinant boni publici cauſsâ. Affectus dominentur neceſſe eſt, ubi turbatur ob alia, quàm quæ præcisè neceſſaria ſunt. Turbatur autem tum, cùm quieti externæ adeò conſulitur, ut libertati omni, etiam in rebus non neceſſariis, peſſulum obdimus: aut contra, cùm libertati in univerſum ita indulgetur, ut nullis æquis moderatiſque conditionibus eam frænari patiamur in rebus non præcisè neceſſariis. Soli caritatis & prudentiæ defectui tribuendum eſt, cum pax non colitur, ubi opinionum divortia circa res non neceſſarias nata ſunt. Quis enim, ſi modò pius ſit, non ad quaſlibet pænè conditiones, conſervandæ pacis gratia, adduci ſe patietur, ſi credat, non præcisè neceſſarium eſſe, ut doceatur id, in quo ab aliis diſſentit, & interim videat, libertati ſuæ vim nullam fieri? Næ aut improbus, aut perverſus ſit neceſſe eſt, quiſquis ad quaſlibet leges adduci ſe non patitur.

Hæc paulò prolixus dicenda putavi, quia video, Capellum in ea eſſe opinione, ut libertatem diſſentiendi aut diverſa docendi omnem ex Eccleſia proſcriptam velit, idque ea ſolum de cauſsa, ut externa tantum tranquillitas & pax in Eccleſia non turbetur: & quia id unum agit, ut externæ quieti Eccleſiæ quovis modo conſulat; hinc eſt quòd tam ſolicitè & tam operosè de modo tolerandi errantes, ſive diſſentientes, hîc laboret, tanquam ſi ſcopus Chriſtianorum unicus eſſe debeat, curare ut externè quovis modo bene ac tranquille habeat Eccleſia. In quo vehementer non eum tantùm, ſed & multos Chriſtianorum errare crediderim. Pax vera nulla eſt, quæ animorum conſociatione non conſtat. Itaque ſic paci publicæ conſulendum eſt, ut libertati debitæ vis non fiat. Quin & ratio docet, tum demum optimè ac tutiſſime conſuli communi paci atque animorum concordiæ, cum libertati ſuus conceditur locus, ſolis prudentiæ & caritatis cancellis circumſcriptus. Ubi libertas circa non neceſſaria omnino pellitur, ibi viget tyrannis, ibi animorum vincula diſſolvuntur, ibi ſuſpicionum, odiorum, machinationum plena ſunt omnia, & pro concordia vera non niſi larva atque hypocriſis pacis ac concordiæ externæ colitur. Violenta enim ſunt media pænè omnia, quæ eum in finem adhibentur. Violentia autem omnis generat odia: quicquid enim exprimitur grave eſt, unde fieri non poteſt, ut pax iſta duret: malus enim diuturnitatis cuſtos eſt metus, multò pejor odium, imprimis quod premitur. Hæc ſi Capellus accurate expendiſſet, non tam operosè ad quæſtionem utramque à ſe propoſitam reſpondiſſet. Duo tantùm dixiſſet: Tolerantiam in rebus, quæ præcisè neceſſariæ non ſunt, poſtulari & concedi jure poſſe, ſive doctor, ſive diſcipulus ſit, qui eam poſtulat, aut cui ea conceditur. Deinde prudentiæ & caritati cætera omnia detuliſſet. Iſtarum enim duarum virtutum ope facile eſt viam reperire mediam, qua libertati & paci ſimul conſulatur, & confuſio omnis atque offenſio vitetur. Non iviſſet per tot ambages, per tot diſtinctiones; non tot cautionibus, tot conditionibus ſe & rem totam intricaſſet. Sed alia ipſi mens eſt; ut externam pacem in Eccleſia reperiat, tanquam unicum fere bonum ſuum, libertatem diſſentiendi nullam in ea locum habere vult, niſi eam, quæ intra animam & conſcientiam cujuſque propriam manet, æterno ſilentio & ſilentii promiſſione circumvallata. Quod ſi verò hoc commode & ſine perturbatione obtineri nequeat, tum connivendum ad tempus, habendam eſſe rationem qualitatis & quantitatis perſonarum, ne aut immaturè, aut importunè quippiam fiat, cum majore periculo ac damno deſideratæ illius quietis & tranquillitatis externæ.

En hæc eſt Theologia Capelli circa tolerantiam eorum, qui errare ipſi aut Eccleſiæ ipſius videntur in rebus non neceſſariis ad ſalutem. Et huic convenit etiam Eccleſiarum ipſius praxis. Neminem diſſentientem in ullo vel minimo Confeſſionis ipſorum articulo ferunt, ſi modo tutò eum punire poſſunt: alioquin ſerviunt tempori & ſcenæ: in Doctore verò aut Paſtore non modò non ferunt diſſenſionis profeſſionem, ſed ne quidem diſſenſionis cogitationem. Si enim diſſentire tantùm ſuſpicentur, ſive quia phraſibus iſtis non utitur, quibus ipſi uti conſueverunt, ſive quia argumentis quibuſdam non utitur, quæ ipſis uſitata ſunt, ſive quia cum ſingulari zelo bonorum operum neceſſitatem urget, continuò quæſtionibus, examinibus, obtrectationibus ei imminent, ut, quam libenter ipſe celatam voluiſſet, diſſenſionem extorqueant, vel ſi tergiverſetur, ut veluti proditorem, qui per cuniculos ſuffodit veritatem, obruant. Nec eruditionis, nec pietatis, nec meritorum ipſius ratio habetur: quieti conſulendum eſt: omne id, unde quies turbari aliquo modo poteſt, protinus in herba opprimendum eſt. Nemini parcendum, Tros Rutuluſve fuat. Pax Eccleſiæ externa ſuprema lex eſto. Si oppreſſus pareat, bene quidem; gratia forte illi fiet, ſed ea lege, ut ſeipſum libertate omni exuat & ſilentio æterno mancipet. Si non pareat, eo quòd rationibus ſe convinci non ſentiat, aut aliis de cauſſis, tanquam in contumacem animadvertitur. Si turbare pergat, ut tanquam in perturbatorem pacis & quietis ipſorum animadvertatur gladio, faſciculis, laqueo, vel carcere, operam dant. Atque ita quidem Reformati noſtri Doctores ſuæ carnali quieti ac veritati, uti credunt, conſulunt. Excuſabilius, ſi ſententiæ eorum, à quibus diſceſſerunt, ſubſcriberent, id eſt, ſi crederent cum Pontificiis, Eccleſiam in eo, quod ſemel definivit, errare non poſſe, aut Reformationem ſuam tam exactam abſolutamque eſſe, ut in ea nihil unquam deſiderari poſſit. Sed cum contrarium prorſus ſe credere profiteantur, equidem non modò malè in eo facere, ſed longè Pontificiis deteriores eſſe cenſendi ſunt, qui in omnibus iis, quæ expreſsè ab Eccleſia definita non ſunt, libertatem concedunt ſanè liberrimam, nullo pacis aut concordiæ ſuæ damno ac detrimento. Sed ferè ſit, quod Capellus Theſ. 41. ait; *Nulli tolerantiam veritati negant inſolentius, quam qui tolerantiam erroribus ſuis, ſæpè peſtilentiſſimis, poſtulaverunt obnixiſſimè. Docuerunt id*, inquit, *olim Arriani*. Sed non opus erat, ut tam longè abiret Capellus: docent id hodie (proh dolor!) Reformati, & cum iis Capellus ipſe. Notæ ſunt humiles ac ſupplices ipſorum voces, libelli & remonſtrantiæ non unæ, cum adhuc ſub jugo Hiſpanorum & Pontificis gemerent, ut tolerantia ipſis concederetur, ſi non in eadem communione, ſaltem in eadem Republica. Nec ſufficiebat tolerantia liberæ ac privatæ diſſenſionis, aut quæ intra parietes domus claudebatur; tolerantia apertæ ac publicæ profeſſionis poſtulabatur; quia ſine ea libertatem conſcientiæ ſuæ ſalvam eſſe poſſe negabant. Et in Gallia nota eſt ipſorum oratio, cùm res ſuas laborare vident, cùm vel gratiâ vel auxilio regio opus habent. Conſcientiæ & profeſſionis libertas, prima & ultima pæne vox eſt. At ubi ipſi rerum potiuntur, ubi vires nacti ſunt, ibi ſtatim cum fortuna mutatur ipſorum animus, tantò in alios ferocior, quantò antea viſus fuerat humilior. Soli dominari volunt: libertatem conſcientiæ tum ſe concedere dicunt, cum conſcientiam cuique liberam relinquunt, & privatim cuique familiam ſuam inſtruere permittunt. Aliam libertatem ſponte ſua nulli ſectæ concedunt. A quibus antea obnixiſſimè tolerari petierant, eos pellunt omnium primos. Si quibus libertatem concedant, id non niſi inviti faciunt, & majoris mali metu; quin & legibus adeò duris, ut, ſi eæ ipſis antea poſitæ fuiſſent, ſub tyrannide gravitſima ſe vivere clamaturi fuiſſent. Teſtis eſt una ſola Geneva, ne plura alia nunc loca allegem, ſed in Gallia ſola ſubſiſtum. Nulli ſectæ in iſta urbe morari, imò

nulli mortali istic domicilium figere licet, nisi qui eandem cum cæteris Religionem profitetur, idque eorundem sacrorum communione testatum facit. Reliqui omnes, veluti profani & anathemate devoti Cananæi, Hitthæi, & Jebusæi, exesse jubentur. Et ex ista urbe, veluti ex æquo quodam Trojano, prodierunt plerique mortales isti, eorumque axiomata. Et hinc idem in omnibus genius, idem omnes simul ardor agit, qui statim & ubique se prodit, ubi rerum summa penes ipsos est. Quàm hæc sit deploranda simul ac detestanda agendi ratio, mirum est eos non videre. Nimirum, ne quid gravius dicam, dignos se reddunt qui eodem modo ubique locorum ab aliis tractentur, indignos, quorum querelæ audiantur, aut quorum supplicationibus fides habeatur, juxta regulam, *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* Neque tamen eos hæc ita interpretaturos spero, quasi ego alios in capita eorum concitem; absit à me tantum facinus. Non invideo illis favorem & fælicitatem mundi totius: tantùm opto, ne ipsi eam invideant aliis, imò ne eam invideant sibi ipsis. Si tolerari velint ab aliis, ostendant saltem, se alios tolerare paratos esse iisdem legibus, quas ab aliis sibi ferri postulant. Quid æquius? Si nolint; certe exemplo suo armant atque incitant alios contra seipsos. Neque verò hîc excipere jure possunt, se ipsam veritatem docere, cæteros autem alios errare. In eo enim asserendo, quod veritatem doceant, fatentur ipsi, fieri posse, ut errent: Aut si id non fateantur, quis est, qui sibi non persuadet, se non errare? Nemo studio errare vult. Imò sunt, qui affirmant, se in eo dicendo errare non posse. Sed videamus, quid moveat Capellum, ut viam hanc sibi ineundam putet.

*Non sunt*, inquit, *facienda mala, ut indè eveniant bona.* Atqui, inquam ego, tolerare errantem aut errorem, qui in se tolerabilis est, malùm non est. Imò contra, non velle tolerare errorem tolerabilem, id demum vere malum est, & dominatum ac tyrannidem sapit. Deinde, tolerare malum non est facere malum. Toleratur enim malum, cui tamen contradicitur, quod reprehenditur, quod taxatur. Non enim probat errorem, qui errantem tolerat, sed redarguit; ita tamen, ut propter errorem istum errantem non damnet, aut eum cætu suo indignum non judicet.

*Nunquam tamen*, inquit, *concordia cum hominibus quæri debet veritatis divinæ dispendio.* Rectè, cum necessariæ veritatis dispendio quæri non debet concordia. Concordiæ enim utilitas nulla parte æquat necessariæ veritatis damnum. Veritas necessaria tanti nobis esse debet, ut malimus amore mortalium omnium, quàm illa una, carere. Salus enim æterna omnibus bonis præponderat. Attamen, 1. dispendium non patitur veritas necessaria, cum toleratur error circa non necessariam veritatem. 2. Ne quidem dispendium patitur veritas non necessaria, cum toleratur is, qui circa istam veritatem errat. Manet enim veritas, quæ antea erat, & manet libera illius professio; manet libertas contradicendi errori, eumque confutandi, salva animorum concordia: dissensio non adimit suum veritati pretium aut decus. Denique 3. Quid obstat, quo minus concordia quæri possit aliquando cum dispendio veritatis non necessariæ? Fieri enim potest, ut ex concordiæ ruptura multò majora incommoda oritura sint, quàm fructus ex non necessariæ veritatis conservatione sperari possit. Hoc casu quis non malit veritatis istius præfractum patrocinium deserere, & errori non lethali cursum liberum dare, majoris boni consequendi aut plurium incommodorum evitandorum gratia, quàm importuna ejus propugnatione se aliosque in profundum multorum incommodorum barathrum præcipitare? Verum quidem est, nunquam licet cuiquam veritatem abnegare, aut verum dicere id, quod falsum esse credit, & contra. Semper habendus est hîc honor veritati & conscientiæ, ne unquam falsitatis turpidine aut infamia maculetur. Neque unquam is honor errori habendus est, ut veritatis nomine decoretur. Sed aliud est errorem tolerare, aliud veritatem damnare. Aliud veritatis non necessariæ defensionem non persequi præfracte, aliud eam improbare, & errorem contrarium probare. Qui errorem tolerat, ejusque cursum importune non sistit, quando eam sine damno ingente sisti non posse videt, is errori non consentit, aut veritatem non improbat, licet eam non propugnet eo, quo alioquin poterat, zelo. Prudentiæ hic actus est, non perfidiæ. Et quid aget Capellus, si aliter sentiat? 1. Necessum est ut dicat, concordiam coli non posse in Ecclesia cum iis, qui objectum prædestinationis statuunt hominem nondum lapsum, sed increatum adhuc aut integrum; quia cum veritatis divinæ, quam in Synodo Belgica & Gallica assertam esse credit, & à qua se ad extremum halitum non discessurum jam credo cum cæteris Gallis juravit, dispendio fit. Deinde 2. necesse est ut dicat, concordiam coli non posse, cum iis qui statuunt, actionem, qua Deus hominem efficaciter convertit, non esse nisi moralem, uti Camero aliique. Contrarium enim definivisse vult Synodum utramque, Belgicam & Gallicam. 3. Necesse est, ut dicat, concordiam coli non posse cum iis, qui statuunt, remissionem peccatorum sufficere ad justificationem nostri, & imputationem justitiæ Christi activæ non esse necessariam ad ejus perfectionem. Hanc enim sententiam ex Catechesi Heydelbergensi, quæ in Synodo Dordracena approbata est, expresè apparet erroneam esse: ut jam alia non allegem. Quid hîc dicet Capellus?

# PARS SECUNDA:

## In qua expenduntur Theses inscriptæ, *Satiusne fuerit doctrinam Arminii tolerari, quàm damnari.*

*Propositus ordo Thesium Capelli.*

EX hisce, quæ primâ disputatione suâ Capellus proposuit, liquidò apparet, quid de tota sequente ipsius disputatione statuendum sit. Hypothesis tantùm ad thesin applicetur. Thesis Capelli est, uti ex præcedentibus & imprimis ex hujus secundæ Disputationis Thesi sexta in terminis liquet: *Curandum esse Pastoribus Ecclesiarum, ut ne quid novæ sordis contrahat grex ipsorum, atque ut quæ remanserunt veteris fermenti sordes eluantur potius, quam ut novis detur locus.* Verba ipsissima Capelli sunt. Unde colligo, ubi vel metus, vel periculum novarum sordium est, vel ubi tutò veteres sordes elui possunt, ibi Doctores aut Pastores, qui sordibus istis polluti sunt, tolerandos non esse. Tota itaque disputatio hæc uno syllogismo comprehendi potuisset, cujus major propositio est: Veritatem tanti faciendam esse, ut non toleretur doceri quicquam, quo ea maculari potest. Minor Propositio: Arminii doctrinam continere ea, quibus veritas divina maculatur. Sed noluit Capellus *ita* apertè sententiam suam proponere. Multis ambagibus & prolixis primam propositionem involvere maluit & tegere: Minorem autem mirificè exaggerare, ut speciosior videretur damnatio, & majoribus pluribusque nixa fundamentis. Quo tamen ipso disputationem hanc totam, quam inscripsit: *Satiusne fuerit, doctrinam Arminii tolerari, quam damnari*; ineptissimam reddidit, & quidem multis modis. 1. Quia si vera est propositio illa Capelli, tum profectò ineptum est, postea adhuc quærere, an satius fuerit tolerari, quam damnari doctrinam Arminii. Assumenda tantùm erat propositio minor, & probanda; Inde enim conclusio necessariò sequitur. Tantùm autem abest, ut hoc Capellus fecerit, ut contra præpostero planè ordine quærat: *Satiusne fuerit damnari, an tolerari doctrinam Arminii*; postquam jam assumsit, Arminii doctrinam non tantùm continere ea, quæ falsa sunt & veritatem maculant, sed etiam per quæ fundamentum Religionis Christianæ convellitur; id quod toties antea & disertis plane verbis Thesi decima Disputationis hujus secundæ asserit. Si enim toleranda non est vel ista falsitas, quia doctrinæ veritas maculatur, quomodo rectè quæritur, an tolerari potius debeat, quam damnari ejusmodi doctrina falsa, quæ ipsum fundamentum Religionis convellit? Hoc enim est quærere, an damnari potius debeat, quàm tolerari id, quod prorsus intolerabile est judicio ipsius Capelli. 2. Quærit hoc postquam jam ante asseruerat, doctrinam Arminii eas hæreses reipsa continere, quæ olim in Conciliis quamplurimis à veteribus orthodoxis damnatæ fuerunt, & quas jure merito damnatas esse vult, non tantùm tanquam falsas, sed tanquam intolerabiles; puta hæresin Anthropomorphitarum & Pelagianorum. Atqui quis non judicet, inepte ab aliquo quæri, an satius sit, hanc aut illam doctrinam tolerari, quàm damnari, qui jam ante asseruit, doctrinam illam olim jure optimo in diversis Conciliis Nationalibus & Provincialibus, ut intolerabilem, damnatam esse? Imò quis non quæri id inepte judicet ab eo, qui credit & profitetur, Pastorum officium esse, ut sordes potiùs omnes arceant atque expurgent è grege suo, quàm ut ullas seu veteres seu novas doceri tolerent? Posito enim, quòd omninò Capellus non dixisset, Arminii doctrinam continere ea, per quæ fundamentum Religionis Christianæ convellitur, aut quæ olim in Conciliis antiquioribus damnata sunt, sufficiebat si assumsisset

fisset tantùm, eam falsa & erronea continere; quia satis est Capello ad hoc, ut doctrina aliqua doceri non permittatur in Ecclesiâ, quod ea falsa sit. Omnis enim falsitas Capello noxia est, quia sordes continet in se gregi inficiendo, quæ eluendæ potius sunt, quàm tolerandæ. Hoc autem ita esse, colligo ex ipsis quæstionis terminis, quos Capellus format. Quærit enim, *an tolerari satius fuerit doctrinam Arminii, quam damnari.* Tolerari itaque & damnari opponit, non autem tolerari & non tolerari. Vult itaque, sententiam, qualiscunque tandem ea sit, si tanquam falsa damnetur, tolerari non posse nec debere. Nam si falsum aliquid esse & tanquam falsum damnari posse credidisset, quod nihilominus tolerabile esse & reipsa etiam tolerari posse sensisset, inepte opposuisset tolerari & damnari. Neque verò per damnari intelligere potest damnari non ut falsum, sed ut intolerabile. Tum enim absurdissima nihilominus esset quæstio, An satius sit, doctrinam Arminii tolerari, quàm damnari ut intolerabilem. Si enim intolerabilis non erat, quo jure quæritur, An satius fuerit damnari eam, ut intolerabilem, quàm tolerari? Si intolerabilis erat, quomodo non absurde quæritur, An satiùs fuerit eam tolerari, quàm damnari? Ex labyrintho hoc non video quomodo se Capellus possit expedire. Videtur quidem aliquando judicare, sententiam Arminii tolerari potuisse, & ita loquitur hîc illic, ut non omninò tolerantiam omnem damnare videatur. Sed si quis ea, quæ alibi dicit, cùm ex professo de tolerantia agit, cum iis conferat, fateri cogetur, Capellum aut sibi non constare, imò sibi ipsi imprudenter contradicentia loqui; aut studio hîc illic diversa quædam dixisse, ut mentem suam tegeret, &, si forte præmeretur, effugio locum statim reperiret; aut si eadem & consentanea dixit, sub involucro ambiguitatum latere voluisse. Ita cum Thesi 12. Disput. hujus secundæ ait: *Omninò Belgæ potuissent eam, ut in aliis, sic in Arminio tolerare, si simpliciter eam in medium protulisset Arminius, ut Melanchton in Locis Communibus*; videtur utique tolerantiam docendi concedere. Sed si quis ea cum Disputatione tota præcedente, & cum Thesi sexta hujus Disputationis aliisque conferat, necessum est ut credat, Capellum aut plane contraria sibi dixisse, aut istis verbis talia quædam dicere voluisse, quæ revera nihil minus, quàm tolerantiam concedendam esse arguunt. Etenim 1. incertum est, utrum Capellus de totâ Arminii sententiâ, an de sententia ejus sola circa objectum prædestinationis loquatur. 2. Incertum est, quomodo Capellus credat, Melanchtonem de re hac tota locutum esse. 3. Incertum est, quid illud sit in medium proferre, & quid simpliciter in medium proferre; utrum iisdem verbis, an æquipollentibus efferre, vel tantùm proferre in medium in Consistorio, in Classe, in Synodo, an etiam in suggestu pro concione, in scriptis librisque publicis, & an ita, ut nemo fere intelligat mentem proferentis; an verò ut quilibet eam intelligat, & de veritate ejus persuasus esse possit. 4. Denique, quid illud sit, *tolerare ut in alio*; Qui enim sunt isti alii? An Doctores & Pastores, an verò privati? Si Doctores & Pastores; ubi tolerantur Doctores ejusmodi, & quomodo? Si privati; quid tolerantia ista cum hac, de qua agitur, habet commune aut simile? Certe, si propius omnia hæc explicaret Capellus, tum demum constaret manifeste, quam aut dissimiliter sibi ipsi, aut callidè & rectè hæc dixerit. His adde, quod cum de tolerantia loquitur hac disput. secunda, ita de ea loquatur, tanquam si per tolerantiam intelligeretur dissoluta quædam & incircumscripta licentia, quâ cuique liceat impunè sententiam adversariam vellicare, traducere, insectari, respuere, & acerbè damnare; uti apparet ex responsionibus ipsius, quas Thesi ultimâ Disputationis prioris, & Thesibus 3. 4. Disput. hujus posterioris facit. Quo quid ineptius? Quis enim, qui ullo, vel Dei vel proximi amore vel salutis propriæ desiderio tangitur, ejusmodi licentiam aut sibi dari cupiat, aut aliis concedat? Quid foret Ecclesia aliud, quàm forum litigantium? Quid ambones & cathedræ, quam arenæ gladiatoriæ? Quid cætus Christianorum, quàm pugilum & luctatorum circuli? Quisquis tolerantiam sibi & aliis concedi cupit, is eam nullo alio fine concedi cupit, quàm ut pax fraterna tantò sit certior, tutior & diuturnior in Ecclesia. At quisquis istum agendi modum, istam effrænem licentiam postulat, is finem istum sibi propositum habere non potest. nihil enim est, quod ad turbandum pacem & concordiam, animosque in se mutuò irritandos efficacius est, quàm vaga ista & incircumscripta contradicendi licentia. Patietur itaque facilè circumscribi libertatem istam cancellis justitiæ, ne in licentiam degeneret. Lubens abstinebit ab omnibus istis agendi modis, quibus jure offendi frater possit, & ut ab iis idem abstineat facile impetrabit. Sententiam suam dicet modestè, & cum præfatione licitæ amicæque dissensionis; utque idem alius faciat, haud invitus permittet; planè uti in explicationibus variis locorum Sacræ Scripturæ fieri solet apud Reformatos, & apud Catholicos in omnibus, quæ ab Ecclesia præcisè definita nòn sunt. Et hoc cùm facit, quis, quæso, offendetur? Quis non gaudebit tam placida animorum consensione in mediis sententiarum dissidiis? Quis non excitabitur in amorem liberum veritatis? Quis non cum voluptate ponderabit, quæ hinc inde cum summa modestia adferuntur, rationum momenta? Et ut ut hisce vel illis adsensum præbeat, quis propterea vel hilum minus amabit eum, à quo dissentiet? Christianus animus ita comparatus est, ut adversarius sententia multis esse possit, inimicus nemini esse velit.

*Dissentire bonos etenim de rebus iisdem,*
*Incolumi licuit semper amicitia.*

*Quid Capellum ad has Theses conscribendas moverit.*

Denique ineptè movit hanc sententiam Capellus. Videri enim vult veri studio potissimùm ductus examen ejus instituere, cum aliam caussam subesse vel cæcus videat. Nempe damnata jam erat sententia Arminii, non tantùm tanquam falsa, sed etiam tanquam intolerabilis, & damnata solemniter in conventu tali, in quo Calvinisticarum Ecclesiarum calculi consentirent, laboratum fuerat. Gallicæ Religionariorum Ecclesiæ damnationem jam factam juramenti inusitati religione firmaverant. Damnatio ipsa, & quod eam secutum est schisma, proscriptionibus, edictis, persecutionibus, cæde denique ac sanguine oppressorum sancitum erat. Princeps Sedanensis damnationem factam ratam esse voluerat, & jam locis suis moverat eos quibus damnata & triumphata sententia non omninò displicebat. Principis jussibus hac in re non obluctaturum Capellum, facile erat colligere: quippe qui ante damnationem factam Collegam suum D. Tilenum, quem in partes Arminii jam concessisse certum ipsi erat, orthodoxum ex cathedra pro concione renunciare non dubitaverit, nulla alia ratione adductus, quàm quòd Princeps ita vellet juberetque. Post hæc omnia credimusne Capellum, studio veritatis adductum, quæstionem hanc disputandam proposuisse, & quidem quæstionem, quæ tota facti est, de quo ipse nihil, nisi per rumorem aut famam accepit, & de quo rectè judicare ipsi impossibile fuit, nisi intelligeret arcanum Reipublicæ, unde tota hæc quæstio ortum habuit? Et quæ subesse causa alia potuit, inquies? Nempe calculus Academiæ Sedanensis deerat adhuc, ne alio quàm communi omnium Calvinistarum suffragio sententia Remonstrantium damnata videretur: ut suum adjicerent Ecclesiæ Gallicæ, Synodum Dordracenam, cui per imperium regium interesse non potuerant, in media Gallia, sub ipsis Regis oculis, totidem verbis ac syllabis sententiam dicere jusserant, & novo atque inusitato juramento defectum juramenti sui Dordraceni suppleverant. Non poterat Academia Sedanensis, in meditullio cæterarum sita, acclamationibus tot ac tantis ψηφισμὸν suum denegare. Celeusmate igitur illustri opus fuit, quo id toti mundo testatum fieret. Hoc Capellus edidit Academiæ nomine. Atque ita ναυτὶς ἰωλοφίμεται ἀχαιοὶ.

*Frustrà nunc disputari an tolerari debuerit sententia Arminii.*

Sed quicquid sit hac de re, videamus, quomodo quæstionem hanc propositam tractet. Nulla adfert argumenta, quibus alteram quæstionis partem adstruat. Tantùm objectiones quasdam sibi ipsi solvendas sumit, quas alicujus momenti esse credidit; sed quas pleraque ita frigidè ac dilutè proponit, ut eas facillime, aut pro caussa sua utiliter solvi posse crederet. Nos illum argumentis novis non urgebimus, neque adstringemus fortius quæ proposuit: scimus enim frustra nos laboraturos. Nec enim verisimile est, eos, qui in Synodo Dordracenâ, & jam in Alezianâ & Charentonensi tam solemniter damnârunt Remonstrantes, unquam in gratiam cum iis redituros, nisi legibus iis, quas iniquas & conscientiis suis intolerabiles censent Remonstrantes; aut si omninò vellent, eos, qui tam iniquè damnati sunt, unquam cum damnatoribus istis sese conjuncturos, nisi in docendo, judicando, agendo, vias longe moderatiores eos inire videant, à quibus hodie eos tam sunt experti alienos, quàm qui sunt alienissimi. Gaudent Remonstrantes se Deo, conscientiæ, & patriæ suæ satisfeciss̀e, quòd quamdiu cum ipsis uniti vixerunt, morbos eorum ut curarent, pro virili operam dederint. Sed quia curari noluit Babilon, quia medicinam respuit, & in eos, qui medicam manum porrigebant, crudeliter sæviit, & sævire quotidie non definit, valere eam jubent, & ut res suas sibi habeat, ex animo optant. Gratulantur sibi de accepto repudii libello, & Deo gratias agunt in dies, quod oculos ipsorum aperuerit & magis magisque aperiat, ut videant atque experiantur in seipsis, quibus cum mortalibus uniti antea fuerint, & quàm felices sint, quod à morbido isto grege separati sint. Anima eorum nunquam deinceps veniat in consessus eorum, in quibus tam crudelia & sanguinaria consilia agitari vident, quæ vel Barbari detestentur. In quibus doceri, foveri rebellionem contra legi-

timòs dominos, cædem & sanguinem contra innoxiè errantes suaderi, dominatum & tyrannidem in dissentientes stabiliri, certissimis documentis atque experimentis persuasi sciunt. In quibus bona opera commendari & mala reprehendi non nisi dicis caussa edocti sunt; quippe cum in iis bona adeoque optima nihil prodesse; mala adeoque pessima Electis nihil obesse doceatur. Denique in quibus libertas omnis proscripta, moderatio omnis conculcata jacet, & schismati, seditioni, non necessariis bellis, oppressioni eorum, quos consiliis suis schismaticis obstare, aut non favere vident, opera datur. In quibus scelera, flagitia, privata publica, fanda nefanda aut excusantur, aut teguntur, quando ea solùm pro salute Ecclesiæ ipsorum aut patrata sunt, aut patrata videri possunt. Hæc faciunt, ut hiatus, qui jam factus est inter hos, magnus sit adeò, ut qui apud hos sunt ad eos redire, & qui apud istos sunt ad hos venire aut non possint, aut non velint. Quod cum ita sit, non afferemus ergo argumenta nova, quibus probemus satius fuisse tolerari, quàm damnari doctrinam Arminii. Quorsum enim id nunc faceret? Tantùm examinabimus, quid ad argumenta, quæ sibi Capellus ipse objicit, respondeat, ut appareat, quam parum considerate & solidè quæstionem hanc tractaverit, & quàm parum intellexerit istarum rerum, quæ ad quæstionem hanc rectè tractandam scitu necessariæ erant.

1. *Argumentum pro toleranda Arminii sententia, ubi de variis Tolerantiæ speciebus agitur.*

Argumentum primum hoc facit; *Optimi quique censent tolerandos Lutheranos. Ergo multo magis Arminianos tolerandos esse, censere debent. Ratio est: Quia Arminiani non per omnia, sed in quibusdam tantùm consentiunt cum iis, quæ damnantur in Lutheranis.* Ad hoc argumentum respondet hunc in modum: *Valeret hujus argumenti consequentia, si cætera, aut utrobique paria essent, aut ejusdem generis esset tolerantia, quam flagitat Arminii schola, cum eâ, quam Ecclesiæ nostræ concedunt aut offerunt Lutherani.*

Responsio hæc obscurior est, quàm ut primâ fronte intelligi possit. Nec enim distinctè proponit, quomodo cætera utrobique paria non sint, & quomodo non sit ejusdem generis tolerantia: Ex sequentibus colligi id necesse est. Nos elucidabimus responsionem. Disparitatem primò facit Capellus in genere tolerantiæ. Est enim secundùm ipsum tolerantia quædam, quæ extra Ecclesiam est; quædam, quæ intra Ecclesiam est. Illa est, quâ alius alium tolerat in separatâ communione. Hæc, quâ alius alium tolerat in eâdem communione. Prima tolerantia locum habet, uti vult, inter Calvinistas & Lutheranos. At de secunda quæritur. Hæc est distinctio illa, quâ argumentum hoc validum elidere hactenus conati sunt schismatici in Belgio, & quâ nunc idem tentat Capellus. Operæ pretium est, ut quid ea solidi in recessu habeat, examinemus. Tolerantia extra Ecclesiam in separata communione, aut est tolerantia, quâ quis aliquem tolerari posse credit in eodem imperio, regno, principatu, repub. civitate, oppido aut pago: uti, ex. gr. tolerantia, quâ Lutherani & Calvenistæ tolerantur in Germania, ac quâ Lutherani, Calvinistæ, Papistæ simul tolerantur, ut Dantisci; quâ denique omnis generis sectæ tolerantur, ut in Polonia: Aut est tolerantia, qua quis aliquem tolerari posse credit in diversis regnis, principatibus, rebuspublicis, civitatibus, oppidis aut pagis. ut ex. gr. tolerantia, quâ Græci, qui in Oriente sunt, Latinos, qui in Occidente sunt, tolerant, quâ Calviniani tolerant Lutheranos, qui in Saxiona sunt, & isti Calvinianos, qui Genevæ sunt. Quando itaque Capellus dicit, tolerari potuisse Arminianos, uti Lutherani tolerantur, explicandum fuerat, quomodo tolerari eos potuisse intelligat; An isto genere tolerantiæ, quo, ex. gr. Latini tolerant Græcos, ut longè ab ipsis in Oriente ex animi sui sententiâ & legibus ac ritibus suis vivant; & quo Genevenses tolerant Lutheranos, ut ii in Saxonia cætus suos habeant: An verò illo tolerantiæ genere, quo ex. gr. Rex Poloniæ tolerat Lutheranos, Calvinistas, &c. & quo in Belgio Ordines tolerant Lutheranos, ut in iisdem civitatibus, uti Calvinistæ, seorsim cætus suos faciant. Si primum genus tolerantiæ intelligat Capellus, tum ex ipso scischitari lubens velim, quodnam illud genus tolerantiæ sit? Tolerare enim ita potest quis alterum diversas ob caussas: Vel quia existimat, Principi cuique jus esse in suo territorio Religionem talem permittendi ac sanciendi, qualem vult, & alteri fas non esse, jus illud suum Principi ereptum ire: Vel quia id quidem licitum esse non putat, sed tamen adeo periculosum, sive cum tanto periculo ac difficultate conjunctum, ut satius sit tolerare, ut Religio erronea sub Principe isto vigeat, quàm ut ejus cum Principe exstirpandæ caussa in periculum manifestum se suosque conjiciat: Vel quia existimat, suam cuique Religionem liberam concedendam esse, ac proinde illicitum esse eum, quem quis errare credit, vi cogere ad errorem deserendum, aut eam, quam credit veritatem esse, suscipiendum: Vel denique, quia existimat eam, quam tolerandam censet, sententiam talem esse, quæ sine salutis damno aut periculo tolerari potest. Si prius se intelligere dicat Capellus: quæ ista, obsecro, foret tolerantia? Certè, qui in alterum jus nullum habet, is eum tolerare dici non potest. Si secundum, ista tolerantia non libera voluntate, sed invito, ac tantùm non reluctante animo concederetur, & desineret simul atque cessaret periculum. Si tertium, tum velim rationem ullam justam mihi det Capellus, cur non in eâdem civitate, oppido & pago tolerantia eadem legitimè concedi possit ac debeat. Si enim illicitum est vi errorem impedire, aut errantes ad deserendum errorem violentiâ vel armis cogere; utique si contingat, errorem aliquem in civitate, oppido, aut pago grassari, ratio postulat, ut error iste toleretur & à vi omni contra errantem abstineatur. Et hoc uno fundamento Rex Poloniæ nixus tolerat in regno suo diversi generis sectas: Et non pauci Magistratus in civitatibus, oppidis & pagis suis, non tantum diversas ejusdem Religionis sectas, sed ipsos etiam Judæos, juratos licet Christianæ Religionis hostes, tolerant; quòd Religionis non sit religionem cogere, & quòd tyrannidis apex sit, animis & conscientiis hominum imperare velle, uti corporibus & linguis. Si verò ad hoc accedat quartum, quòd videlicet tolerantia hujusmodi concedatur, quia id, quod tolerandum censetur, tale est, quod in se etiam reipsa tolerabile est, tum nulla justa ratio est, cur duplex tolerantiæ genus statui debeat. Quid enim obstat, quo minus tolerantia, quæ jure concedi potest in iisdem regnis, rebuspublicis, civitatibus, oppidis & pagis, non etiam pari jure concedatur in iisdem Ecclesiis, in iisdem templis, in iisdem cætibus, in eadem communione?

Exempla multa in contrarium allegat Capellus; Sed exempla non faciunt regulam. Non enim quæritur, quid fiat, sed quid rectè fiat, & quid jure fieri possit. Detur ulla ratio sufficiens, cur error, qui tolerabilis est, & qui in eâdem civitate, in eodem oppido toleratur, non etiam in eadem Ecclesia, in eodem cætu, eadem prorsus ratione tolerari possit? Nulla alia dari potest, neque Capellus ipse aliam ullam dat, quàm *quia veritatis & religionis puritas non tam certò tutoque conservari potest, si juxta eam in eadem Ecclesia doceri permittatur error, quam si non permittatur. Et quia periculo errandi non tam commodè potest occurri isto, quàm hoc casu.* At verò, inquam ego, ratio hæc non sufficit. *Primò*: Quia majoris illius & non necessariæ ad salutem puritatis conservandæ spes æquare nullo modo potest periculum, quod ex separatione oriri potest, ac pæne necessariò oritur, nimirum caritatis & benevolentiæ mutuæ internecionem. Separatio enim, quæcunque tandem illa sit, rarò stat intra mentem atque intellectum: uti ex odio aut ægro animo fere gignitur, ita odia alia ex aliis solet post se trahere. Nimirum ne leviter aut sine gravi caussa facta videatur, quæruntur primum colores pingendæ ruptionis necessitati; ut quæ primum non nisi majoris alicujus commodi gratia facta videbatur, non multò post necessariò propter salutis periculum fieri debuisse credatur. Et postquam aliquamdiu in partibus constiterunt animi, alienatio gignitur, per quam fit, ut vulneris inflicti labia tractu temporis tam longe à se invicem disjungantur, ut consolidari postea vix possint. Statur itaque in pertinacibus odiis, &, quibus illa veluti follibus accenduntur, litibus, jurgiis, partiumque studiis. Quisque pro sua parte contra dissentientem contendit tanto animo, tanto zelo, tanquam si in damnationis certissimum periculum se præcipitaret, qui transit ad alteram. Hinc fit, ut pars una alteram, quibus potest modis maculare studeat, quo eam invisam reddat & transitionem impediat; usque adeo ut tandem spes reconciliationis omnis plane decollet. Colloquia, si quæ deinde fiunt reconciliandis animis, illa fere sunt suspecta, acria & ambitiosa, in quibus victoria potiùs, quàm veritas quæritur. Unde fit, ut ex iis plus incommodi fere ac mali, quàm fructus percipiatur. Et fieri aliter vix potest, ubi semel dissoluta est animorum compages, & ruptum caritatis vinculum. Quis cum hisce tam ingentibus incommodis unius non necessariæ veritatis conservandæ spem conferendam esse putet? Certe periculum perdendæ caritatis longe gravius pio cuique videri debet, quàm est periculum perdendæ non necessariæ veritatis. Caritas enim præcisè necessaria est, ut salvemur: at puritas major ad salutem præcisè necessaria non est. *Secundò*: Quia tolerantia in eadem communione medium est multò tutius commodiusque, quo errori occurratur, & veritati tum stabiliendæ tum propagandæ consulatur, quàm tolerantia in communione separata. Ubi enim tolerantia in eadem communione habet locum, ibi animi, quoad vinculum principale, manent conjunctissimi, ibi colloquia sunt blanda, familiaria, amica, fraterna, ibi non metuuntur lites periculosæ, quia liberæ, quia publicæ sunt, & utrimque creditur, non obstante opinionum divergio, salvam semper manere

nere unionem circa illam veritatem, à quâ una fides, ſpes & caritas Chriſtiana dependent. Quòd ſi omninò fiat, ut ex collationibus graves oriantur rixæ, aut incommoda quædam ingentia oritura metuantur, formula concordiæ tutius faciliuſque reperiri poteſt, integro adhuc, quàm rupto ſemel unionis vinculo.

*Via ad pacem Chriſtianam.*

Quod ſi denique ne reperiri quidem poſſit concordiæ formula, propter ingeniorum affectuumque diſſimilitudinem, aut quòd pars utraque conſcientiæ ſuæ intereſſe putet, ut puritati veritatis conſervandæ optimam operam navet; nihilominus tamen ſeparati cætus fieri poterunt, ſalvâ communione principali, quæ circa veritatem neceſſariam eſt. Quid enim obſtaret? Exemplo nobis eſt Eccleſia Judaica. Multæ ibi Synagogæ & diverſæ; multi cætus & non levia inter eos diſſidia: unum tamen templum, eadem ſacrificia, iidem ritus, idem cultus. Quid impedit, quo minus Chriſtiani hoc exemplum ſequantur? Nullum majus periculum his eſt metuendum, quàm iſtis. Nec aliud ſpecioſius velum habent Chriſtiani, quo immania ſua divortia tegant, quàm Judæi. Nam ſi eadem inter ipſos fundamentalis veritas viget, ſi eadem Religio, eadem ſpes, eadem ſalus, quid vetat, eos in eâdem communione manere conjunctos, & interim cætibus diſſeparari, pro judiciorum circa non neceſſariam veritatem varietate? An pro veritatis non neceſſariæ incolumitate ita in partes euudum, aut in partibus conſiſtendum eſt, tanquam ſi ſalus, fides, Religio tota Chriſti in diſcrimine præſenti verſaretur, niſi id fiat? An Chriſtianus Chriſtianum propter non neceſſariam veritatem regno, Principatu, civitate, oppido aut territorio ſuo prohibebit, quum eum conſentire credat ſecum in eâ veritate, per quam Deo conjunctiſſimus eſt, per quam divinæ gloriæ hæres eſt, & per quam æternum cæleſtis civitatis jus habet, eodemque domicilio cum Deo & ſanctis omnibus Angelis fruetur? Quanto ſatiùs facerent, ſi profiterentur unionem ſuam ſigno aliquo concordiæ circa neceſſariam veritatem, uti ſeparatos cætus faciendo diſſenſionem ſuam profitentur circa veritatem non neceſſariam? Utique non neceſſarium tantùm, ſed & valdè utile hoc foret. Neceſſarium; ut animorum eonjunctio iſto ſigno, veluti glutine aliquo ſubinde firmaretur. Utile, ut ne æquo plus augerentur ſententiarum diſcrimina, tanquam ſi ea circa ipſa ad ſalutem neceſſaria capita verſarentur. Scio hanc rem difficilem eſſe factu, & fortè importunum eſſe conſilium hoc tempore, quo Chriſtiani, qui cætibus tantùm ſeparati ſunt, & interim circa veritatem neceſſariam conſentiunt, tàm longè, tam inimiciter à ſe diſſident, tanquam ſi capitales hoſtes eſſent, qui in mutuam internecionem conjurarunt. Scio etiam hanc rem non carere incommodis ac difficultatibus, quæ ſine dubio pleriſque graves videntur; inter quas hæc etiam una eſt, quòd hac via cætibus innumeris oſtium latum panderetur, atque ita cætuum ſeparatorum, nec modus, nec finis eſſet futurus. Sed ex altera parte ſcio, longè plures difficultates poſitas eſſe, ſi videlicet Chriſtiani diſſenſionem ſuam profiteantur in non neceſſariis, &, cum in neceſſaria veritate conſentiant, conſenſionem ſuam nullo ſigno concordiæ teſtari velint. Multa inde & pleraque mala videmus naſci, quæ hodieque Chriſtianos præcipuè turbant. Atque his omnibus occurri poſſet, meo judicio, ſi Chriſtiani ſe mutuò in eâdem communione tolerarent, omnibuſque caritatis officiis ſibi invicem juncti manerent; quamdiu alter alterum errare non credit, niſi circa non neceſſariam veritatem. Hoc ſi fieret, ita me Deus amet, reſpirare inciperet nonnihil Chriſtianus orbis, poſt tot triſtes plagas, poſt tam immania vulnera, poſt tam diras diſtractiones, tam acerbas, tam pudendas, tam funeſtas ſeceſſiones dicam an factiones? Non audirentur tam futiles, tam inanes, tam noxiæ veritati ſimul ac pietati lites inter tam pacifici Magiſtri diſcipulos: Non perſonarent ambones, cathedræ, pulpita tot factioſis concionibus; Non complerentur compita, trivia tot procacibus dicteriis, tot infamibus ſcriptis, quibus, tanquam aculeatis mucronibus atque infeſtis unguibus, magis magiſque in dies diſcerpuntur ac diſtrahuntur inflicti vulneris labia: Non impeterentur tam profanis, tam obſtinatis, tam diris convitiis, probris ac contumeliis, qui errare creduntur, atque interim vitam ſine labe, ſine maculâ ducunt: Nec tam furiosè errores omnes damnarentur, tanquam ſi omnium articulorum par & æqualis eſſet neceſſitas: In vitia, in peccata, in ſcelera acuerentur odia; in peccatores, in profanos, in litigioſos, rixoſos, in pacis oſores, eoſque quos Deus ipſe regno ſuo excludit, linguæ & calami noſtri exercerentur. Hos ſocietate noſtra indignos judicaremus, in horum inſectatione, reprehenſione, caſtigatione palmam alter alteri præreptum iremus, ut obtinere poſſemus encomium illud à divino Spiritu: *Novi opera tua, & quod non poſſis ferre malos.*

*Atqui*, inquit Capellus, *Paſtorum eſt curare, ne quid ſordium contrahat grex ſuus.* Recte, curet id Paſtor; ſed videat, ne, dum errantes non tolerando ſordes errorum à grege ſuo arcere vult, odiorum aliorumque affectuum carnalium, erroribus longè pejorum, ſordes animo eorum per factioſas ſeceſſiones ſuas injiciat aut obrepere ſinat. Purget ſordes, ſed ne novis ac majoribus ſordibus. Veræ ſordes gregis ſunt peccata, non errores innoxii. Diſſenſio talis non inficit gregem lethaliter; ſed odium diſſentientium. Hoc vitium, hoc malum ante omnia curet ut à grege ſuo arceat. Ut autem non erret grex ſuus, doceat, inſtruat, erudiat, corrigat errantem, cum omni lenitate, quâ ſecum agi cupit: oſtendat errorem, perſuadeat veritatem, quantum in ipſo eſt: invitet, alliciat, trahat ad ſe argumentorum & rationum vi diſſentientes: ne alienet aut exaſperet eos importuna aut non neceſſaria ſeparatione, quamdiu in iis pietatem, Dei timorem, & Chriſti Spiritum locum habere videt. Si errantem ab errore ſuo liberare hac ratione curaverit, officium fecit. Si revera ab errore liberavit, habet quod Deo gratias agat, & proximo ſuo gratuletur: ſin minus, nihil eſt, quod aut ſibi, aut proximo ſuo metuat; dummodo is Dei timens ſit; dummodo à vitiis, à peccatis, ab odio, aliiſque pravis affectibus immunem eum præſtet. Uti perſuaſa veritas eum ſalvatura non fuiſſet; ita non perſuaſa nihil officiet ſaluti ipſius. Hoc pacto conſcientiæ ſuæ & paci communi conſuluerit.

Atque hac quidem ratione reſponſioni primæ Capellanæ ſatisfactum abunde credo. Cæterarum reſponſionum, quæ ex ea dependent & multis deinde Theſibus deducuntur, infirmitas, imò vanitas, nullo negotio ex his, quæ jam dicta ſunt, animadverti poteſt. Dicam tamen pauca quædam ad ſingulas, ut magis pateat veritas.

*2. Argumentum, de aſſignando unicuique diſſentientium partis ſuo templo.*

Objectionem itaque ſecundam hoc pacto format: *Non poſtulamus, inquiunt, ut in eodem templo pugnantia doceantur; ſed ut cuique ſuum aſſignetur templum.* Quaſi dicat: *Tolerantia itaque*, ex mente mea, *in diverſis templis concedi poteſt: & aliam non poſtulant ſibi Remonſtrantes; cur itaque illis ea non conceditur?*

Hic nota, falſum prorſus eſſe, quod Capellus Remonſtrantibus tribuit. Nunquam poſtularunt illi, ut ſuum cuique templum adſignaretur: nunquam conſuluerunt, ut id fieret. Schiſma hoc ſapiebat, à quo illi omninò abhorrebant, & quod toto animo ſemper averſati ſunt. Aliorum hoc fuit, ſeu poſtulatum, ſeu conſilium, & quidem non eo fine atque animo datum, ut ſchiſma ſanciretur, ſed ut ſchiſmati, quod Remonſtrantium adverſarii moliebantur, & jam graſſari incipiebat, hac ratione occurreretur, & ut conſcientiis multorum, pacique & tranquillitati publicæ aliquatenus conſuleretur. Occaſio hæc erat: Calviniani multi è plebe promiſcua, ſeu proprio, ſeu alieno inſtinctu, vel zelo, ſeu rerum novandarum ſtudio (plerique enim erant non admodum pii) ſeceſſionibus operam dare incipiebant, parvo primum ſucceſſu, ſed creſcentibus, uti fit, odiis animiſque, paulatim ita aucto, ut turmatim & agmine facto, ſi quem Paſtorem Remonſtrantem ſuggeſtum viderent aſcendere, templo excederent & ad eos confluerent, quos ſecum ſentire dicebant. Nec hoc contenti, ut manifeſtius fieret ſchiſma, in pagos, vicos, agros vicinos magna cum turba ſe conferebant, ut ibi ſuos Paſtores, id eſt, ſtudioſos juvenes & adoleſcentes quoſdam audaciores, eum in finem contra & præter omnem ordinem examinatos ablegatoſque audirent; tanquam ſi ægrè ipſis eſſet, quod ii, qui cum ipſis ſentiebant, apertiorem ſeceſſionem non facerent. Et hæc faciebant, cum Paſtores duos treſve ſæpenumero in civitatibus ſuis haberent, quos ſecum ſentire ipſi agnoſcebant; cum nulla adhuc Synodus habita eſſet, in qua controverſiarum deciſio facta erat; cum Magiſtratus edictum non unum factionibus ejuſmodi interpoſuiſſent, eaſque, quantùm in ipſis erat, ſalva ſemper tolerantia mutua, inhibuiſſent. Et eouſque procedebat furor hic, ut loca publica, authoritate Magiſtratuum obſerata obſignataque, per vim ab iſtis ſchiſmaticis effringerentur, armorumque omni genere inſtructi cætus, invitis ſummis imiſque Magiſtratibus agerentur, &, ut illuſtriſſimo ſigno authoraretur ſeceſſio, ſacramenta ſeorſim celebrarentur. Hæc cum viderent Proceres in nervum aliquando eruptura, propoſitum aliquoties fuit in Conſeſſu Ordinum, an non iſti factioni occurri poſſet, ſi ſuum cuique templum adſignaretur; ita ut quos quiſque vellet Doctores & Paſtores audiret. Sed fruſtra. Odio ſolius ſchiſmatis, quod lerna plerumque malorum eſt, conſilio huic locus non fuit datus inter Proceres. At Remonſtrantes ipſi nunquam petierunt, nunquam poſtularunt, ut id fieret: Sed contra, ſeceſſiones ejuſmodi, ut importunas, ut illicitas, ut factioſas, clam, palam deteſtati ſunt, ſuoſque auditores ſeriò ſemper monuerunt, ut ab iſtis ſibi caverent, pacem ſectarentur & concordiam, ſine qua nemo videbit Dominum. Schiſmata iſta eſſe opus carnis, quod Apoſtolus damnet

net & inter ea recenſeat, quæ nos excludunt ex regno cælorum: Religionis & conſcientiæ cauſſa iſta non fieri, quando ii, qui ſeceſſiones iſtas faciunt, Paſtores ſuos habent, quos orthodoxos credunt, & quos audire poſſunt, quando volunt. Hæc aliaque in dies pænè inculcabant, & ſæpè ad ravim uſque. Sed poſito etiam, quod cum iſta publicè & coram ſole, invitis & fruſtra retinentibus Magiſtratibus fieri viderent, quod, inquam, petiiſſent, ut tolerantia illa in iiſdem templis exerceretur, atque eo fine ſuum cuique adſignaretur templum, pacis & accommodationis ergo, uſque ad Synodi tempus: Quid? An crimen aliquod in eo commiſſum ab ipſis diceret Capellus?

*Quinam fuerint autores ſchiſmatis in Belgio.*

*Poſtulaſſent*, inquit, *ut impunè vobis ſchiſma facere liceret, idque nulla neceſſitate.* Atqui ſchiſma jam ab adverſariis ipſorum formatum erat impunè, & nulla neceſſitate, & nec precibus, nec rationibus, nec authoritate, nec conſilio, nec accommodationis ullo genere reprimi potuerat. Acceſſerat Aurantiæ Princeps, & exemplo atque authoritate ſua ſchiſmaticorum animos adeò auxerat, ut incurabiles eſſent, & hic illic petulantiſſimè turbare inciperent cœtus eorum, à quibus ſeceſſerant, eaque ipſa templa, quibus exceſſerant, reddi ſibi ſolis poſtularent. Quid facerent Remonſtrantes? An paci & concordiæ amplius potuiſſent litare, quàm conſilio tali, ut ſuum cuique templum adſignaretur? Certè, ſi ab iſtis ſchiſmaticis & turbatoribus ſeceſſionem feciſſent, rectiùs & cauſſæ ſuæ utilius feciſſent. Verum quia pacis ſtudioſi erant, & Proceres ipſos patriæ à ſchiſmate abhorrere videbant, malebant extrema quæque tentare, quàm cauterio iſto pacis omne remedium tollere. Dicet fortaſſe Capellus, ſi pacem amaſſent, ſecuti fuiſſent ſecedentes; toleraſſent ſeceſſionem, & deſerta ſententiæ ſuæ profeſſione illis ſe junxiſſent. At, inquam ego, & hoc fruſtra fuiſſet; odia nimis excreverant: non ferebant ſchiſmatici paſtores iſtos, quos à ſe diſſenſiſſe antea ſciverant, niſi conſenſionem, non ſilentio, ſed voce profiterentur & manu ſignarent. Quod adeò verum eſt, ut ne privatos quidem Remonſtrantium ſententiæ addictos cætibus ſuis immixtos, aliter quàm ægris oculis adſpicerent, ſcommatiſque, probris & contumeliis ſuis efficerent, ut non amplius inter ipſos comparere auderent. Sed nec poterant bona conſcientia Sectariis iſtis ſe jungere; imò ut ab illis non apertè ſecederent vix ab animo ſuo impetrare poterant. Sola ſpes pacis & Reipublicæ ſalutis faciebat, ut apertè illis nuncium non remitterent. Neque tamen ſchiſma fieri, aut quod factum erat, approbari judicaſſent, ſi, ut ſuum cuique templum conſenſu publico & communi adſignaretur, conſuluiſſent; cum ſciſma dici non poſſit id, quod communi conſenſu pacis & vitandi veri ſchiſmatis cauſſa ad tempus tantum fit; etiamſi ſpeciem aliquam ſchiſmatis habere videatur.

*At ſi controverſia non eſt tanti, quin poſſit alter alterum tolerare, quid opus eſt ſchiſmate?* At quando ſciſma hoc factum erat, non erat amplius controverſia de ſententia, ſed de facto. Controverſia tolerari poterat: at factioſa & illegitima iſta controverſiæ deciſio, &, quod ex ea natum erat, ſchiſma prorſus erat intolerabile. Non erat cognita adhuc cauſſa in ullo conventu legitimo. Conventiculis & coitionibus clanculariis atque illegitimis erat damnata à quibuſdam Paſtoribus zelotis patriarum traditionum, quibus cæteri tacitè ſuffragabantur. Huic deciſioni innixum erat ſciſma; idque invitis & magno molimine obnitentibus Magiſtratibus. Urgebatur autem in dies tanto furore, tanta audacia, tanta obſtinatione, ut qui ullo conſcientiæ bonæ ſtudio ducebatur, non poſſet non toto animo ab eo ejuſque authoribus & fautoribus abhorrere. At Paſtores, inquiet fortaſſe Capellus, nondum in illud conſenſerant. Atqui, inquam ego, plerique ejus fuerant authores, aut fautores. Docent id acta Amſtelodamenſia, Schiedamenſia, Hagienſia, quæ ipſorum manibus ſubſignata habebantur, quæ cæteri ferè omnes, non modò non improbabant, nedum, quicquid ſupplicibus votis rogarentur à Remonſtrantibus, redarguebant aut carpebant; ſed facto etiam exemploque ſuo confirmabant, cum cætus iſtos, qui ſeceſſionem tam illegitimam fecerant, conſiliis, concionibus, ſtudiiſque ſuis in ſeceſſione iſta quotidie ſtabilirent & confirmarent.

Quare cum Capellus ait; *Nulli unquam Paſtori licuiſſe impunè ſchiſma facere*, ſententiam contra ſeipſum dixit, & damnavit eos, quibus ſe patrocinari credidit. Et tantum abeſt, ut iſti non impunè fecerint firmaverintve ſchiſma iſtud, ut ſchiſmatis illius beneficio ad Synodum illam graſſati fuerint, in qua eos ipſos (quis credat?) qui pacis & tolerantiæ præcones ſemper fuerant, tanquam ſchiſmatis authores damnarunt. Hæc vera eſt rei geſtæ hiſtoria, quam aut ignoravit aut ſcire noluit Capellus.

*III. & IV. Argumentum.*

Quod cum ita ſit, totum illud, quod Capellus Theſi 7, & 8, operosè inculcat, ut oſtendat, parem non eſſe rationem in tolerantia Lutheranorum & Remonſtrantium, quod videlicet in iſtos jus nullum haberent Eccleſiæ Belgicæ, uti in hos, quos ſciebant Eccleſiæ ſuæ membra eſſe, non modò non pro ipſo, ſed planè contra ipſum facit. Si enim ii ipſi, qui Remonſtrantium erant adverſarii, Eccleſiæ erant membra, & tamen ſchiſma fecerunt à Remonſtrantibus, antequam Remonſtrantes ab Eccleſia, cui jus eſt tolerandi aut non tolerandi, eſſent condemnati, utique culpa ſchiſmatis non Remonſtrantibus, ſed adverſariis ipſorum tribuenda eſt: Et ſi culpa ſchiſmatis ipſis tribuenda eſt, utique jam ipſis jus non fuit amplius in Arminianos, tanquam in membra Eccleſiæ ſuæ, quia ſchiſma faciendo eos membra Eccleſiæ ſuæ amplius eſſe noluerunt, aut ſaltem ſeipſos, ut membra Eccleſiæ iſtius haberi noluerunt. Sed ut idem clarius adhuc intelligat, en ipſum porrò adhuc ſuis ipſius verbis convinco. Fatetur Theſi 7. & 8, *Eos, qui Eccleſiæ alicujus membra ſunt, ſive Paſtores ſint, ſive oves, jus non habere faciendi ſchiſma.* Rectè, *& ſuos ὁμοψύχους qui ejuſdem Eccleſiæ membra erant, largiri noluiſſe dicit Arminianos jus faciendi ſchiſma non neceſſarium*, id eſt, tolerantiam in diverſis templis concedere recuſaſſe, eo quòd Arminiani ſchiſma non neceſſarium eſſe, & tolerantiam retineri poſſe ac debere etiam in eodem templo judicarent. Adverſarii autem ipſorum eos conſiderabant, ut reos, non tantùm *illorum quatuor errorum*, verba ſunt Capelli Theſi 8, *ſed & aliorum multorum, quorum numerus illis conſtare non poterat*, &c. Si hoc verum eſt, itaque non fecerunt Arminiani ſchiſma, neque ſeceſſionem; & tamen ſchiſma tale factum fuit, antequam ullo judicio publico aut legitimo accuſati, nedum damnati eſſent Arminiani. Neceſſum itaque eſt, ut ſchiſma primum factum ſit ab iis, qui adverſarii ipſorum erant. At ii alii non fuerunt, quàm Eccleſiæ iſtius membra, & Eccleſiæ Paſtores quidam, qui eos ſchiſmatis facti jam accuſant, quia alii eſſe non potuerunt. Quo jure itaque negare poſſunt tolerantiam in diverſis templis Arminianis propter cauſſam ſchiſmatis? Vides, ut ſeipſum ſuo laqueo proprio jugulet Capellus? Sed res hæc probatione non indigeret, niſi Capellus oſtenderet, ſe planè ignarum eſſe, aut ſtudio diſſimulare ea, quæ in Belgio coram ſole ipſo geſta ſunt.

Objectio quinta, quam ſibi Capellus facit, eſt hæc: *Non poſſunt Arminiani fundamentum fidei convellere; Ergo tolerari poſſunt.* Antecedens probari dicit: *Profitentur enim ſe nihil gratiæ Dei ſubducere, nihil hominis merito largiri velle.* *V. Argumentum, Remonſtrantes non convellere fidei fundamentum.*

Ut hoc argumentum paulò enucleemus, in forma perfecte proponam illud: *Qui profitentur, ſe nihil gratiæ Dei ſubducere, nihil hominis merito largiri velle, ii non convellunt fundamentum fidei. Arminiani id profitentur. Ergo*, &c. Ad Majorem hanc reſpondet Capellus dupliciter. 1. Non ſatis eſſe, ut quis profiteatur, ſe nihil gratiæ Dei ſubducere & nihil hominis merito largiri velle, neceſſum etiam eſſe, ut reipſa Dei gratiæ nihil ſubducat, & hominis merito nihil reipſa largiatur. Agnoſco diſtinctionem. At quòd Arminiani facto ipſo Dei gratiæ nihil ſubducant, & nihil tribuant hominis merito, jam ante evicimus. Neque dixit Capellus vel verbulo uſpiam, qua in re in terminis Arminiani ſubducant aliquid gratiæ, aut tribuant quippiam hominis merito. *At quàm ſæpe contingit*, ait Capellus, *ut quod homines cauti dextra porrigunt, id ſiniſtra ſubducant?* Ita eſt, fit hoc non raro; ſed nec minus rarò id fieri dicitur, & creditur, cum non fit. Sæpius enim homines ſuſpicioſi aut maligni credere nolunt, dari ſibi, quod utraque manu ipſis porrigitur. Morbus iſte eſt animi ægri, cui rarò ſatisfit. Suſpicio vitri picti aut oculi lippi inſtar eſt, qui res aliter ſemper apparere facit, quam ſunt. Doce, Capelle, ubi & qua in re id fiat.

*Sed eſto*, inquit, *ſecundò demus, eos id, quod nobis largiuntur, bona fide largiri, nihilne præterea metuendum reſtat?* Ergo, inquam ego, non ſufficit Capello id, quod ſuffecit olim Synodis, adverſus Pelagianos habitis. Imò dicam amplius, hoc ipſum, quod Synodi omnes, ipſeque adeò Auguſtinus credidit veriſſimum eſſe, id Capello ſufficit ad condemnandum Arminianos, & ad aſſerendum, quòd id non modò falſum ſit, ſed ipſum fidei fundamentum convellat. Quod idcirco tantum noto, ut videas, quomodo Auguſtini & Conciliorum veterum authoritate pugnare ſoleant Reformati, cum ea ex uſu ipſorum eſt; & quàm ægrè ferre ſoleant, ſi quis ab iſtis diverſus abeat, tanquam ſi capitale crimen foret ab ipſis diſſentire, & quomodo interim in eodem argumento, quando ipſis aliter videtur, eorum autoritatem non flocci modò faciant, ſed eos ipſum fundamentum fidei convellere intrepidè aſſerere audeant. Cothurnus ipſis eſt autoritas Patrum. Rem teſtem do.

*De Perſeverantiæ certitudine ſtudiosè.*

*Nihilne aliud metuendum reſtat?* inquit Capellus. *Quid ſi negando perſeverantiæ certitudinem, pias multas eaſque ſanctas & ſalutares conſolationes ereptum eant?* &c. *Hæ fyrtes*, inquit, *an non fundamentum Religionis Chriſtianæ reſpiciunt, adeoque* convel-

convellunt? Syllogiſmus hic eſt: *Qui negant perſeverantiæ certitudinem, ii convellunt Religionis Chriſtianæ fundamentum: quia negando eam ereptum eunt piis multas easque ſanctas & ſalutares conſolationes. At hoc faciunt Arminiani. Ergo, &c.* Hic ſyllogiſmus ſi verus eſt, jam certè neceſſum eſt, ut Capellus dicat, Synodos veteres, Patres antiquos, ipſumque adeò Auguſtinum, Proſperum, &c. quorum authoritate alioquin in hoc argumento triumphare ſolet, non erraſſe tantum, ſed & fundamentum Religionis Chriſtianæ convulſiſſe, piis multas easque ſanctas & ſalutares conſolationes ereptum iviſſe, ac proinde intolerabiles eſſe. Senſerunt enim iſti, fideles, quamdiu in hac vita ſunt, de perſeverantia ſua certos non eſſe, Deumque adeò voluiſſe, ut certi non ſint, paucis exceptis, quibus id ſpeciali aliqua revelatione certum facere voluit. En ipſius Auguſtini verba, lib. XI. de Civitate Dei, cap. 12. *Qui* (juſtè ac piè viventes) *licet de ſuæ perſeverantiæ præmio certi ſint, de ipſa tamen perſeverantia ſua reperiuntur incerti. Quis enim hominum ſe in actione profectuque juſtitiæ perſeveraturum uſque in finem ſciat, niſi aliqua revelatione ab illo certus fit, qui de hac re juſto latentèque judicio non omnes inſtruit, ſed neminem fallit.* Item Epiſtola 107 ad Vitalem: *Utile quippe eſt omnibus, vel pæne omnibus, propter utilitatem ſaluberrimam, ut quales futuri ſint, ſcire non poſſint. Ad hoc dicitur; Qui videtur ſtare, videat ne cadat.* Item de Correptione & Gratia, Cap. 13. *Quis ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate vivitur, in numero Prædeſtinatorum ſe eſſe præſumat? Quia hoc occultari opus eſt hoc loco, ubi cavenda eſt elatio.* Auguſtino conſenſit Proſper in Reſponſione ad Objectionem Vincentii 12. *Prædeſtinatio Dei apud nos, dum in præſenti vitæ periculo verſamur, incerta eſt.*

Sed quicquid ſit de mente Auguſtini & veterum, videamus vim argumenti. Ut Major ſyllogiſmi rectè procedat, conſiderandum venit, qualem certitudinem perſeverantiæ hic intelligat Capellus, cujus negationem fundamentalis veritatis convulſionem eſſe vult. Perſeverantiæ enim certitudo intelligi poteſt, vel de ea certitudine, qua quis certò perſuaſus eſt, ſibi nunquam defuturum divinæ gratiæ auxilium, ut pius exiſtens ad finem uſque vitæ in pietate perſeverare poſſit, & actu ſemper in gratia Dei perſeveret: vel de ea certitudine, qua quis certo perſuaſus eſt, ſe vel in actione profectuque juſtitiæ perſeveraturum uſque in finem, vel ſaltem in favore aut in gratia Dei immutabiliter manſurum, etiam cum in actu profectuque juſtitiæ non perſeverat, imò cum in peccatis & flagitiis atrocibus contra conſcientiam ſuam vivit. Si primam iſtam perſeverantiæ certitudinem intelligat Capellus, concedam Majorem propoſitionem. Sed tum Minorem falſam eſſe non negabit, opinor, ipſe Capellus. Si ſecundam intelligere ſe dicat, tum nego Majorem. Et negationis manifeſta eſt ratio. Is enim, qui certitudinem ejuſmodi negat, non eripit conſolationes piis, qua talibus. Piorum enim, qua talium, conſolatio eſt, quod ſemper in gratia & favore Dei perſeverent, & ea, quamdiu pii ſunt, nunquam excidant: qua conſolatione quæ major dari poteſt? Sed eripit conſolationes peccatoribus, ſive iis, qui pii eſſe deſinunt, & deſertâ juſtitiæ ſemitâ peccatis ſe dedunt. His enim, qua talibus, non conveniunt conſolationes, ſed reprehenſiones, comminationes, damnationes; adeo quidem, ut ſi quis eandem conſolationem, id eſt, eandem perſeverantiæ certitudinem competere velit peccatoribus talibus, quæ piis & Deum timentibus competit, neceſſe habeat, concedere ei, qui ſemel pietati operam dederit, non neceſſum eſſe, ut in pietatis ſtudio ſolicitè perſeveret; cùm eadem certitudo perſeverantiæ in gratia divina haberi poſſit, imò reipſa & actu habeatur, atque haberi credi debeat ſine pietatis exercitio, quæ habetur in & per exercitium pietatis. Quare tantùm abeſt, ut qui hujuſmodi perſeverantiæ certitudinem negat; idcirco fundamentum Religionis Chriſtianæ convellat; ut nihil ſit, meo judicio, quod fundamentum Religionis Chriſtianæ, id eſt, neceſſitatem pietatis & ſanctimoniæ magis radicitus evertat, quam ejuſmodi certitudo. Nihil enim fœdius, turpius aut indignius de divina Chriſti Religione cogitari poteſt, quàm ſi ea perſeverantiæ certitudinem in fide & gratia divina tribuere dicatur iis, qui in peccatis vivunt, poſtquam per agnitionem veritatis à peccatis & inquinamentis mundi purgati ſemel fuerint.

Secundum argumentum quod ex potentiæ divinæ convulſione deducit Capellus, cum ait: *Quid ſi Dei potentiam convellant, dum volunt Deum ſæpè finem ſuum non adſequi, quantumvis eum adſequi conetur & quidem magno niſu? &c.* prolixè in præcedentibus tractatum eſt & excuſſum. Non repeto idem hîc, ne actum agam.

Addit tertiò Capellus, *non leve videri debere id, quod convellunt Arminiani, eo quòd ipſi ſectatores Arminii plus ſatis doceant, quanti momenti rem eſſe putent, aut credi velint, cum doctrinam noſtram tot incommodis obruere conentur, quaſi Deum authorem peccati faciat, quaſi totum Evangelium hiſtrionicum reddat, quaſi ſtudium bonorum operum extinguat, Religionem omnem evertat.* Atqui, inquam ego, ex eo ſequitur quidem, Arminii ſectatores judicare ſententiam Capelli aut Synodi Dordracenæ periculoſam & valdè noxiam eſſe: ſed ex eo non ſequitur ipſos convellere fundamentum fidei & Religionis Chriſtianæ, niſi ipſe Capellus fateatur ſententiam illam, quam tot incommodis gravant Arminiani, fundamentum fidei eſſe. Hoc ſi dicat Capellus, tum conſideret apud ſe, an non graviſſimam cauſſam habuerint Arminiani ab iſta doctrina diſſentiendi, quam tot & tam immanibus abſurditatibus ſcatere videbant: & in qua tamen fundamentum, & baſin Religionis, imò Reformatæ Religionis collocari audiebant? Deinde, an non magna fuerit eorum moderatio, magna caritas & admirabilis patientia, quod pacem colere non recuſaverint uſque ad Synodi tempus cum iis, quos tam abſurdæ, tam profanæ ſententiæ patronos eſſe ſciebant, & quòd ſtatim ac primi non ſeceſſerint ab illis; ſed rationibus, lenitate, & manſuetudine ſua ad meliorem eos mentem reducere maluerint, quam importuna ſeceſſione eos à ſe alienare?

*Quo conſilio Tolerantiam probaverint Remonſtrantes.*

*Sed*, inquit Capellus, *iidem nunc quoque palam faciunt, quo conſilio tolerantiam poſtulaverint, ut videlicet paulatim invaleſcerent, & alteram partem cuniculis artibuſque varijs labefactatam, ſaltem in quibuſdam provinciis, tandem opprimerent.*

Erras, Capelle, & injuriam facis iis, quorum conſilia ignoras. Non erat hoc ipſorum conſilium. 1. Tolerantiam mutuam, ab Ordinibus uſque ad Synodi Nationalis tempus decretam, approbabant ex animo, laudabant, exercebant. Nec repugnabat hoc ipſorum factum judicio ipſorum, quo ſententiam Contra-Remonſtrantium tot incommodis onerabant: Ipſi enim illi abſurda iſta verè abſurda eſſe agnoſcebant, ſed ea ex doctrina ſua conſequi negabant. Quin & Contra-Remonſtrantes Geldri ſententiam ſententiæ Remonſtrantium de prædeſtinatione ejuſque annexis contrariam, & decem illis notis Poſitionibus comprehenſam, non tantum ut falſam, ſed etiam ut blaſphemam atque horrendam publicè in Synodo damnaverant. 2. Ordines jam conſtituerant idoneos terminos, qui abſurditatibus illis docendis anſam præſcindebant. 3. Tolerantia non niſi uſque ad Synodi Nationalis tempus duratura erat. Quòd autem tolerantiam illam Arminiani probaverint, ut invaleſcerent, id quidem fieri potuit. Nemo id illis jure vitio verterit aut crimini dederit. Ecquis enim eſt, qui non optat & cupit invaleſcere ſententiam illam, quam credit veram eſſe? Tolerantia autem iſti fini erat idonea: tum enim animi aureſque patent adhuc ad collationes: tum rationes adhuc militant, & argumenta, quibus veritas perſuadeatur: tum colloquendi occaſiones & oportunitates adſunt, quibus omnibus anſa præciditur, ſimulatque in partes itum eſt. At quòd tolerantiam poſtulaverint, ut opprimerent alteram partem, id planè eſt falſum. Amabant animitus omnes & ſine συμπαθείᾳ, quotquot tolerantiam mutuam colere ſe velle profitebantur; imò non rarò præ iis, quos ſententiæ ſuæ favere compertum habebant, eos promovebant, quos contrariæ ſciebant addictos; ſi modò eos pacificos, modeſtos & pios eſſe intelligerent, ne ſuſpicandi occaſionem fratribus ſuis darent, quaſi oppreſſos eos cuperent. Sciebant enim, quantum poſſet ejuſmodi maligna ſuſpicio.

*Atqui ſimul ac obibat Paſtor aliquis, tum Proceres, quos in ſententiam ſuam pertraxerant, authoritate ſubſtituebant homines, quos per occulta & fida ſciebant ſententiæ ſuæ favere.*

At ſi quis hæc neget Capello, quomodo ea probaret? Quis hæc dixit Capello? Recitat quod ignorat. Plura loca dare poſſem, quæ calumniam iſtam ad oculum revincerent. Quod ſi tamen quandoque eos, quos ſententiæ ſuæ favere intelligebant, aut prætulerint, aut in defunctorum locum ſubſtituerint, quod factum eſſe aliquando non nego, id fiebat duabus de cauſſis. 1. Quod qui alterius ſententiæ erant, tolerantiam ab Ordinibus decretam aut damnabant, aut ita frigidè probabant, ut non tam ex animo, quàm miniſterii conſequendi gratiâ eam ſe probare facile oſtenderent. 2. Quia eos, quos ſententiæ ſuæ eſſe ſciebant, nuſpiam locorum recipi, ubique dedita opera excludi videbant; adeo ut, niſi ab ipſis oblata occaſione promoverentur, in Ceritum tabulas à Contra-Remonſtrantibus relati viderentur.

*At ſi tam bona fide*, inquit, *tolerandam ceuſebant utramque ſententiam, qui fit, ut nunc non tolerent eam ſententiam, quæ plures ac potentiores Patronos nacta eſt?* Bellè equidem, mi Capelle. Quis non miretur acumen tuum? At viciſſim quæro ex te, Capelle, cur quæſo tolerarent eam ſententiam, quæ ipſorum ſententiam, quam viciſſim tolerari cupiebant (non enim niſi mutuam tolerantiam probabant) non tantùm non toleravit, nec tantùm damnavit ut falſam, ſed ut errorum variorum latibulum & ut intolerabilem cenſuit? Cur tolera-

rent,

sent ejus patronos, qui eos, qui utramque sententiam pariter tolerandam esse sentiebant, Ecclesiis, Academiis, Scholis, functionibus omnibus ejecerunt, & in dies adhuc, quantùm in ipsis est, omni persecutionum genere oppressos cupiunt? Qui Doctores & Professores sententiæ istius non tantùm non tolerare volunt docentes, sed & diro æterni silentii promisso obligari curant, aut si renuant, exilii perpetui, aut æterni carceris pœna mulctari suadent? Quis, qui hæc audit, non per ludibrium hæc à Capello quæri credat? Censuerunt Arminiani, bona fide mutuam tolerantiam colendam esse. cur itaque, inquit, non tolerant eam partem, quæ alteram oppressit? Idcirco sanè, quia ea ipsa pars illegitimè & iniquè eos ut partem alteram opprimit, & mutuam tolerantiam, quam sanciverant Ordines, penitus conculcat, tolerare eam nec possunt nec debent. Sed obsecro, Capelle, quid si oppressi isti Pastores tolerare se velle triumphantem jam istam sententiam profiterentur, an tolerares eos, an Sacramenta ipsis conferres, si in sua sententia se permanere velle profiterentur, & communionem peterent? Si non, cur quæris caussam, ob quam non tolerent? An non hoc est miseris acerbè illudere, & adflictis addere adflictionem? Si tolerandos eos dicas, consule tum Acta Synodi Nationalis Charentonensis, quæ ante paucos menses habita est, & intelliges, quid Ecclesiæ Gallicæ ea de re statuant. Censuerant illos omnes, quotquot sententiæ alterius sunt, quàm ea, quæ Dordraci approbata est, ex communione separandos & nullo modo tolerandos esse: Instruendos quidem primum, sed si instructioni non cedant, prorsus excommunicandos esse. Atqui, inquies, in Belgio longè aliter fit. Atqui, inquam, cum hoc in Synodo ista objiceretur, respondit Synodus, in Belgio quidem id fieri propter politicas considerationes; at ubi eæ non militant, ibi aliter agendum esse. Nec dubium est, quin eadem mens sit cæteris omnibus. Docuerunt id satis Belgæ nostri, cum ante Synodi aut cætus ullius legitimi sententiam schismata passim facerent, & non tantum secederent ab iis, à quibus dissentiebant; sed etiam eos qui ad ipsos cum literis systaticis accedebant, rejicerent tanquam communione sua indignos. Et hæc cum ita sint, apparet sanè quæstionem hanc plenam felle esse. Prorsus tamen insulsum est, cum pro ratione addit: *Quòd plures & potentiores patronos nacta sit sententia ista.* Utique si pios, si Dei timentes dixisset, auxisset argumenti vim. At cum plures & potentiores patronos dixit, nihil equidem dixit, quod ad sententiam commendandam facit. Plures enim ferè sunt mali, quam boni. *Argumentum pessimi sæpe est turba*, inquit Seneca. Potentia vero etiam tyranni gloriantur. Nec ignorabant Arminiani, quibus artibus id factum fuerat, quòd plures & potentiores patronos nacta erat ista caussa. At eas artes tam damnabant, quàm ipsam caussam. Sed quicquid ea de re sit, veritatem non amat, quisquis ab istis mundanis rebus pendet, & ad plurium aut potentiorum fortunam conscientiam suam, veluti navigium aliquod, dirigit. Si Capello ea sedet sententia, componat se ad Principis sui nutum, & quem in gratiam ipsius orthodoxum antea declaravit, eundem nunc mutata rerum facie in ejusdem gratiam hæreticum Pelagianum, & Antropomorphitam, & non multo post iterum orthodoxum, si volet, faciat. Qui in Belgio mutuam tolerantiam bona fide primum coluerunt, & per artes ac fraudes, per vim & violentiam, patria sua ejecti, & ab Ecclesiis suis carissimis fuerunt avulsi, qui adhuc nullius criminis aut seleris rei, aut in exilio perpetuo, aut sub persecutione gravissima vivere coguntur, iis alia mens, alius animus est. Malunt illi separati semper vivere ab iis qui horum omnium authores sunt & fomites, & quamdiu aliter non licet, vitam suam extra eorum communionem soli Deo suo probare, quàm communione illorum conscientias suas polluere, aut signo ullo testari, sibi cum cæteris istis carnalibus aliud quid commune esse, quàm benevolentiæ & caritatis affectum, quem etiam hostibus atque inimicis debent ex lege Domini sui, nihil dubitantes, quin Deo innocentia ipsorum & vita, quæ labe & macula caret, grata sit, etiamsi nec his, nec illis cætibus, à quibus animæ suæ contagium metuunt, sese jungant, aut externo istius Religionis exercitio careant.

6. *Argumentum, aque tolerari potuisse Arminii sententiam atque aliorum de objecto Prædestinationis dissentientium.*

Objectio sexta, ad quam respondet Capellus, ab eo proponitur hunc in modum: *Cùm*, inquit, *ita se habeant quatuor de prædestinationis objecto sententiæ, ut tres primæ sese mutuò ferant, cur non etiam quartam tolerare possint?* Respondet autem, *Omnino Belgæ potuissent eam, ut in aliis, sic in Arminio tolerare, si simpliciter eam in medium protulisset Arminius, ut Melanctonem in Locis communibus & alii quidam. Sed cum ita propugnatam voluerit, ut tres priores, eoque duas Confessiones in Belgio publicè receptas, non modò falsi damnarit, sed & impietates horrendas in se continere dixerit, ipse sibi præclusit aditum ad tolerantiam illam.* Responsio hæc lubrica est & inepta. Lubrica, quia non dicit, 1. Quod sententia illa in se tolerabilis sit; sed quòd eam Belgæ potuissent tolerare. Non caret autem mysterio, cum Belgas solos nominat, eosque sententiam istam tolerare potuisse dicit. 2. Nec dicit, quid illud sit, si simpliciter eam protulisset. 3. Nec explicat qua de tolerantia agat; quia dicit, potuissent Belgæ tolerare eam in Arminio, sicut in aliis. Qui enim sunt alii isti? Et quomodo Belgæ eam tolerant in aliis? Sed esto, intellexerit, ut voluerit, hanc periodum Capellus; inepta tamen est ejus responsio. 1. Quia Arminius ita propugnatam non voluit sententiam suam, uti Capellus ait; Sed cum celare amplius eam non posset, cum accusaretur, quòd eam clarè satis non explicaret, cum juberetur à Magistratu supremo sententiam suam rotundè atque ingenuè dicere, dixit eam & propugnavit pœnè invitus, ac nolens; quia in Synodo eam dicere maluisset. Deinde 2. Posito, quòd eam ita propugnatam voluisset; hæc tamen justa satis caussa non erat, ut non tolleraretur. Ratio est: Quia authores trium istarum sententiarum idem faciunt. Quilibet eorum sententiam suam non modò non proponit simpliciter, sed ita eam propugnat, ut, qui tertiam tenet, primam & secundam non modò falsi damnet, sed etiam impietates horrendas in se continere dicat; Quippe per primam Deum injustum, tyrannum, authorem peccati fieri: per secundam Deum (absit blasphemia) insipientem aut fatuum reddi. Et tamen hæ tres sententiæ se mutuò ferunt, non obstante ista propugnatione. Quid caussæ est, cur hæc propugnatio tolerantiam non impediat in his tribus, & in quarta sententia impediat? At, inquit. Thes. xv. *Neuter alterum adeò præcisè simpliciterque damnat, sed ex harum sententiarum assertoribus quidam putarunt, suam in viti fundamento sententiam, ut eam alter damnare non possit, quin ineidat ipse in periculosam aliquam syrtem.* Atqui, Capelle, hoc non est solvere argumentum, sed obscura quadam locutione responsionem involvere, ut intelligi non possit. An non satis damnant, judicio tuo, sententiam, qui ex ea sequi dicunt, Deum esse authorem peccati, Deum esse injustum, Deum esse tyrannum, Deum esse insipientem? Quid crudius, quid atrocius, quid damnabilius dixit Arminius? Absurda hæc sunt atrocissima, quibus sententia aliqua gravari potest. *At putarunt authores earum*, inquit Thes. 13. *tres istas inter se conciliari posse.* Citius quis aquam igni conciliabit, quàm hæc tam longè distantia & tam contraria placita. Qui camelos istos tolerare imò deglutire potest, is certè culicem percolat, quando sententiam Arminii ferre se non posse profitetur. Nullum enim absurdum est, quod ex Arminii sententia deducitur, quod cum illis absurdis vel conferri meretur. Deinde si authores trium istarum sententiarum, qui se invicem ferunt, istis consequentiis atq; absurditatibus alter alterum premit sine crimine aut offensa; Cur Arminio crimini datur, quod iisdem consequentiis atque absurditatibus sententias ipsorum gravavit? Et cur ob hoc, quod Arminius fecit, necessarium fuit sententiam definitivam de re tota ferre, & cum authores primæ, secundæ, tertiæque sententiæ idem fecerint, faciantque, imò pejus quàm Arminius; necessarium tamen non fuit definitivam sententiam ferre? Glutino opus habebit Capellus multo, ut hæc conciliet. Si id omninò fieri posse credit, tantummodo loquatur ut intelligi possit.

9. *Argumentum: Dordracenos non fuisse idoneos Remonstrantium judices.*

Transeamus ad objectionem nonam, in qua novum argumentum orditur Capellus, videlicet, *An ii, à quibus damnati sunt in Synodo Dordracena Arminiani, in hac caussa judices idonei fuerint, aut esse potuerint?* Negant id Arminiani: Capellus affirmat, & respondet ad argumenta quædam, quæ in contrariũ ipsi facere videntur, & ab Arminianis adferri adfirmat. Videamus, an rectè & solidè. *Primùm*, inquit, *dicunt Arminii sectatores, eos, à quibus damnati sunt in hac caussa, judices idoneos nec fuisse nec esse potuisse, quòd scilicet eorum interesset, ut eam quam tulerunt, sententiam ferrent.* Argumentum agnosco lidum & ἀναντίρρητον: In forma ita habet:

*Quorum interfuit, ut eam, quam tulerunt, sententiam ferrent, illi non fuerunt nec potuerunt esse idonei causæ istius judices:*

*At eorum, à quibus damnati sunt Remonstrantes, interfuit, ut eam, quam tulerunt, sententiam ferrent:* Ergo, &c.

Minorem hujus syllogismi aut præterit Capellus, aut concedit, eo quòd eam veram esse credidit. Ad Majorem tantùm respondet, quæ tamen omni exceptione major est, uti statim apparebit. Negat, in eo, qui idoneus judex caussæ alicujus est futurus, requiri ut ejus non interfit, quam ferat sententiam. *Si Christianus*, inquit, *es, si Dei filius es, interest tua, quid de Deo quisque sentiat.* Itane Capelle? Interestne honoris, existimationis, status, utilitatis, commodi alicujus mei, judicare quid de Deo quisque sentiat? An ut favorem & gratiam populi consequar, ut divitias, opes, honores acquiram, judicare teneor, ut hoc, non illud, quis de Deo sentiat? *At*, inquies, *interest conditionis & officii tui, ut hanc non illam*

*illam ſententiam ferat.* At, inquam ego, quando controverſia eſt, & controverſia adhuc pendet, utrùm hæc an illa ſententia vera ſit: quomodo officii mei intereſt, ut hanc non illam ſententiam feram? Officii aut conditionis noſtræ non intereſt, ut feramus ſententiam hanc aut illam, priuſquam præcedente juſto examine deprehenſum fuerit, hanc eſſe veram, non illam. Intereſt noſtri officii, ut non feramus ſententiam, niſi quam veram eſſe judicamus. Sed & intereſt officii noſtri, ut, cùm de re & cauſſa aliqua controverſia adhuc pendet, ita ut examine accurato opus ſit, non judicemus peremptoriè, antequam res diligenter ex omni parte examinata fuerit. Quando itaque Synodus convocatur eum in finem, ut in ea expendatur & judicetur in timore Domini, utrum hæc aut illa ſententia, de qua controvertitur, falſa ſit; utique qui ad eam accedit eo animo, quod intereſſe ſua putet, ut hanc ſententiam, non illam ferat, quaſcunque demum rationes in contrarium adferri in Synodo audiat, is idoneus ſententiæ iſtius judex non eſt, nec idoneus judex eſſe poteſt. Judicium enim præcipitat ante debitum examen, & judicavit peremptoriè cauſſam, antequam eam examinavit, aut examinari audivit ea mente, ut judicare vellet pro ea parte, pro qua rationes maximæ militaturæ eſſent. Quomodo autem judex idoneus eſſe poteſt quis, ſine idoneo & juſto cauſſæ examine? Juſtum autem examen non eſt, quod quis apud ſeipſum ſolum facit, ſed quod quis facit ita, ut fieri debet, audiendo & expendendo quicquid ad cauſſam facere poteſt, idque ibi, ubi judicium deinde faciendum eſt. Res hæc eſt ita plana, ut non poſſit eſſe planior. Sed poſito quod intereſſe hujuſmodi non impediat, quo minus quis idoneus cauſſæ alicujus judex ſit; manet nihilominus vis argumenti. Argumentum enim agit, non de intereſſe officii, ſed de intereſſe ſtatus, aut commodi alicujus privati, quo carere aliquem neceſſe eſt, niſi ſententiam hanc, non illam præcisè ferat, & quo certiſſimè quis gaviſurum ſe ſperat, ſi hoc, non illo modo judicet. Senſus enim argumenti eſt, eos non poſſe eſſe idoneos judices, qui non poſſunt, ſalvo honore atque exiſtimatione ſua, ſine periculo maximo, ſine certiſſimo damno ſperatorum adeóque ambitorum commodorum ſuorum, aliter quam damnare ſententiam, de qua controverſia eſt, an damnari, an abſolvi debeat. Quis hanc tam manifeſtam Propoſitionem negare auſit? Capellus certè audet: *Ne quidem*, inquit, *ſi tua privatim intereſſit, quam ſententiam feras, continuò ſpoliari omni juriſdictione. Si filius*, inquit, *patri convitium fecerit, ſi prætori jus dicenti; ſi paſtori concionanti proterve contumelioſeque quiſpiam obſtrepat & obmurmuret, num propterea peribit illi omne jus ſuum?* At, inquam ego, de eo non quæritur, an jus ſuum alicui pereat puniendi eum, à quo læſus eſt, quando puniendi jus habet, & de facto læſionis planè conſtat; ſed de eo, an jus alicui competat non abſolvendi, ſed damnandi aliquem, eo quod ipſius intereſſit, ut is non abſolvatur, ſed damnetur, & quidem quando res facti aut juris in quæſtionem venit? Pone itaque, patrem dicere convitium ſibi factum à filio, & filium id negare; prætorem crimen aliquod tale, quale dicis, impingere alicui, & hunc item id negare; An intereſſe patris putabis, ut filius, qui convitium ſe feciſſe negat, convitium feciſſe credatur? ut pater filium damnet, quia pater eſt, & jus habet in filium, ſive verum ſive falſum ſit, quod filius ipſi convitium fecerit? *At*, inquies, *pater ſcit rem ita ſe habere, quod videlicet convitium filius fecerit.* Rectè, ſi rem ita ſe habere ſciat, ita ut de eo, quod factum eſt, dubitari non poſſit; jam non judicat eum puniendum eſſe, eò quod ipſius intereſſit ut puniatur, ſed eo quod puniri mereatur. Punit autem eum, eo quod intereſſit ipſius ut puniatur, qui meruit puniri. Aliud eſt judicare, aliquem puniri meritò poſſe, aliud punire eum, qui meruit puniri. Ut judices puniri aliquem meruiſſe, tua intereſſe non debet; ut punias, tua ſæpè intereſt, id eſt, officii tui. Quando itaque pater certus eſt ea certitudine, quæ ad judicium faciendum requiritur, quod videlicet filius ipſius convitium ipſi fecerit, jam judicium patris adeò legitimum eſt, ut magis legitimum eſſe non poſſit; ac proinde intereſt officii paterni, ut filium caſtiget. At pone caſum, patrem affirmare, ſibi in cœtu hoc aut illo convitium factum à filio, filium autem id negare, & orare patrem, ut cætum iſtum audiat, paratum ſe pœnam ſubire, ſi rem prius diligenter inquiſiverit. Quid? an privatim patris intereſſe dices, ut videatur hoc verè factum eſſe, ut juriſdictione ſua utatur in filium, antequam in cœtus iſtius ſententiam exquiſiverit? Non opinor. In prætore & paſtore res eſt manifeſtior. Pone prætorem civi honorato impingere, quod ipſi jus dicenti convitium fecerit: paſtorem ſeniori aut diacono imponere, quod concionanti ipſi proterve obmurmuraverit: civem autem & ſeniorem negare factum. Pone rem in judicium adduci: an exiſtimas, prætorem & paſtorem idoneos iſtius cauſſæ judices ſedere poſſe, quamdiu intereſſe ſua privatim credunt, ut accuſati credantur ſeciſſe id, quod in quæſtionem venit an fecerint; aut ut damnentur ii, quorum cauſſa in judicium adducta eſt? Totum mundum refragantem tibi habebis Capelle, nec dubito quin te ipſum tibi, ſi in judicio tali, non prætoris, ſed civis; non paſtoris, ſed ſenioris loco comparendum tibi eſſet. Quocirca, Majorem Propoſitionem tanquam indubitatam ſtatuendam eſſe, colligo. Minorem verò quia non negat Capellus, ſed tacitè concedit, probari non eſt neceſſe. Res plana eſt. Intererat enim pœnè omnium, qui in fœderato Belgio ad Synodum Nationalem convenerant, ut non aliam quam eam, quam tulerunt, ſententiam ferrent. Nempe, jam ante damnaverant eam in conventiculis & coitionibus ſuis, addita manuum ſuarum ſubſignatione: Damnationem factam ſeceſſione & ſchiſmate aperto ratam & teſtatam publicè fecerant: Templa, loca publica, contra edicta, obſiſtentibus Magiſtratibus, per vim invaſerant: ut Magiſtratus, quos exauthorari privilegia patriæ vetant, de ſtatu ſuo deturbarentur, & in eorum locum adſciſcerentur, quos ſibi addictos noverant, operam dederant: Fama Principis Aurantiæ, qui ſchiſmati jam ſe miſcuerat, & eorum omnium, qui mutationis illegitimæ authores fuerant, in Belgio laborabat, ſi aliam quàm damnationis ſententiam ferrent. Jam ingentia ſtipendia, lauta miniſteria & imperturbatam quietem ſpe præceperant, & tantùm non devoraverant. Interfuit itaque multis modis eorum, à quibus damnati ſunt Arminiani, ut non aliam quam eam, quam tulerunt, ſententiam ferrent.

Objectionem Decimam non capio, nec ſcio unde eam depromſerit Capellus. Ea ita habet: *In ſubitis, inquit, illis, liceat etiam ei qui læſus eſt, in eum à quo læſus eſt ſententiam ferre. At in iis quæ cum otio poſſunt judicari, res ab alio quovis potius judicetur, quàm ab eo qui privatim læſus eſt.* Credo eum umbram aliquando pro argumento ſumere, & Andabatarum more pugnare. 10 *Argumentum.*

οὐκ ἰδὼν ἀλλ' ἰδόντων ἰδὼν λέγω νύκτωρ σκληλω.

Objectio Undecima habet vim & colorem, ſi rectè proponatur; ſed ita frigidè & dilutè eam propoſuit Capellus, ut ſtudio vim & ictum ejus declinaſſe videatur. Ita enim ait: *Omnes aut plerique, qui Arminii doctrinam damnarunt; multis modis ſententiam ſuam patefecerant, eoque partes fecerant.* Quis enim nervus in hoc argumento eſt? quod robur? Qui ſententiam ſuam patefacit, non excidit propterea poteſtate judicandi, neque ſententiam ſuam patefaciendo ſtatim partes facit. Puer hæc videret. Argumentum in robore ſi velit Capellus, hunc in modum formandum fuerat: *Qui antea, nullo ordine Eccleſiaſtico ſervato, ſua propria ſponte & privata auctoritate, contra expreſſa Magiſtratus ſupremi edicta, conventicula fecerunt, in quibus abſentes, inauditos, indefenſos Arminianos ſubſcriptione manuum ſuarum damnarunt: Qui ſchiſma abſque ulla præeunte Claſſicali aut Synodali legitima ſententia, inaudita & indicta adhuc cauſſa, aut fecerunt, aut factum approbarunt, ita ut manu ſua teſtarentur*, ſe ex officio teneri Arminianos agnoſcere pro iis, cum quibus licitum ipſis non eſſet conventus ullos celebrare, eoſve pro membris cœtuum ſuorum habere: *Qui ſchiſmatis iſtius ope Synodum ſibi procurarunt, in quâ ii ipſi, qui damnationem iſtam præviam aut fecerant, aut approbaverant, ſoli ſederent judices, ii non poſſunt eſſe idonei aut legitimi judices in cauſſa iſta, nec jure ullo citare poſſunt ita à ſe illegitimè prædamnatos, iisque imperare, ut damnatores & ſchiſmaticos iſtos pro legitimis cauſſæ iſtius judicibus agnoſcant. At ii, à quibus damnati ſunt Arminiani, vel omnes, vel plerique ſaltem, iſta omnia ante fecerunt. Ergo*, &c. 11 *Argumentum, partes Remonſtrantium adverſas non poteſſe eorum eſſe judices.*

Minorem hujus argumenti, ſi quis fortè de ea dubitet, ſolennibus Actis ipſorum Contra-Remonſtrantium, multiſque aliis documentis probatam videre poterit in Actis & Scriptis Synodalibus Remonſtrantium, pag. 42. 43. 44. 45. partis primæ. Neque diffitebitur eam, quiſquis rerum Belgicarum cognitione vel levi imbutus eſt. Itaque ad argumenti Majorem etiam tantùm reſpondet Capellus: *Conſequens illud ego pernego*, inquit. At quo jure? *Damnarit*, inquit, *prætor Titium: num propterea non licebit prætori in conſimili cauſſa de Sempronio ſententiam ferre?* 1. Non agitur hîc de ſimili, ſed de eadem cauſſa. 2. In eadem cauſſa ut ſententiam bis ferat prætor, ne jura quidem ſinunt. In appellationibus res eſt manifeſta. 3. Poſito quod id bis liceret prætori, certè non liceret tamen, niſi antea legitimè ſententiam tuliſſet. At damnarit prætor Titium inauditum, indefenſum: damnationem ejus obreptitiè & ſubreptitiè procuraverit: extra ordinem & confeſſum judicum ſententias eorum ambiverit, prenſaverit ipſos judices, ut non judicarent aliter quàm contra Titium: tribunal erexerit, ut in eo ſententia clam lata executioni mandetur; conqueratur de eo Titius, doceatque rem ita geſtam argumentis omni exceptione majoribus: Quid? An prætorem ejuſmodi idoneum Titii judicem dices? Non crediderim. Quod ſi prætor ejuſmodi judex eſſe non poſſit idoneus in cauſſa ulla, licet minima, quæ ſæpè pretium exiguæ pecu-

niæ non excedit; quomodo pastor, qui istorum omnium reus est, judex idoneus sedebit in caussa, quæ Deum, conscientiam, salutem nostram, & Ecclesiæ pacem spectat? Quicquid hîc operosè respondet Capellus, id omne est extra hunc casum, & proinde ad rem nihil facit. Damnare potest prætor in consimili caussa Sempronium, qui damnavit antea Titium, si legitimè damnavit. Sententiam potest ferre pastor in pari caussa, imò centies & millies, si modò ante legitimè sententiam tulit, & sine adfectu. At si illegitimè antea damnavit, inidoneus toties est judex, quoties sententiam in caussa ista fert. Quare ineptum & impertinens planè est, quod de Alexandro in caussa Arrii allegat. Damnaverit eum Alexander in Synodis Ægyptiacis aliquoties, ut Capellus ait, utique non nisi legitimè damnavit, ex animi sui sententia, in conventibus legitimis rogatus, jussus, & ordine inter cæteros damnationem dixit. Nec excepit Arrius unquam, quòd scio, contra Alexandrum eo nomine, quod clandestinis machinationibus, secretisque coitionibus, damnationem ipsius procurarit Alexander. Omnia ordine & ritè facta sunt, & ita facta esse narrat historia. Etiamsi enim non defuerint postea ex Arrianis, qui Alexandro æmulationem & invidiam objecerint, quòd Arrium præferri sibi videret; nemo tamen ex iis Alexandrum illegitimi judicii postulavit. At in nulla Synodo justa damnati antea fuerant Remonstrantes. In conventiculis prohibitis cum importuno & illegitimo schismate, indicta caussa, imò cùm tolerantia à Magistratu supremo usque ad Synodi tempus aliquoties solenniter sancita esset, damnaverant eos illi ipsi, qui postea judicium in Synodo Nationali de caussa eorum sibi arrogarunt. Pone idem factum antea ab Alexandro contra Arrium; dicam Alexandrum inidoneum & incompetentem Arrii judicem sedisse, & Arrium illegitimè ab eo damnatum fuisse. Idem dico de Osio & de Afris atque Italis, in caussa appellationum transmarinarum.

12. *Argumentum, De revisione confessionis & catechismi.*

Objectio XII, plane est aliena ab hoc argumento. Non enim quæritur, an Synodus non possit esse idoneus judex suarum confessionum, & quæ earum genuina sit sententia statuere ac pronunciare: Absit. Contrarium professos semper esse etiam ipsos Arminianos, id unum abundè docet, quod in Synodo revisionem Formularum istarum fieri posse ac debere judicaverint, ac defenderint. Sed quæstio, quam hîc movet Capellus, alterius planè generis est. Quærebatur in Conventu præparatorio, An, quia judicium de controversiis in Synodo Nationali erat faciendum juxta purum putum Dei verbum, si quando controversia movenda esset de ipsis Ecclesiarum Formulis, anne videlicet ubique verbo Dei consentanea continerent, ii, qui juramento Formulis istis obstricti atque obligati, & in Synodo illa judices sessuri erant, durante isto actu judiciali, ab obligatione & juramento illo absolvendi non essent? Asserebat id Arminius, & tres alii, qui ad Conventum istum evocati erant. Reliqui negabant. Rationes, quas pro parte sua adferebant Arminius & qui cum ipso sentiebant, tam sunt graves & solidæ, ut hactenus nihil viderim, quod vel probabiliter illis reponi possit. Sed quæstionem illam hîc non tracto. Sufficit mihi, si ostendam Capello, diversam esse hanc quæstionem ab ista, de qua hoc loco agitur, eumque μεταβαίνειν εἰς ἄλλο γένος. Itaque totum illud, quod Thesibus 22. 23. prolixè adfert, huc non quadrat. In exemplo, quod ipse adfert, rem claram facio. *Si quis palam iniquitatis damnet leges publicas*, inquit, *in quarum verba juravit Magistratus num spoliabitur jure suo?* Non Capelle. Sed si Magistratus ipse censeat leges publicas, in quas ipse juravit, examinandas & revidendas esse, anne videlicet leges illæ, in quas juravit, sint leges, quæ verbo divino aut rectæ rationi sunt consentaneæ: anne existimas, Magistratum, cùm examen istud instituit, legibus illis obstrictum manere, ita ut eas pro legibus justis, juxta juramenti sui formulam, habere teneatur, & interim idoneum ejus rei judicem esse posse, an illæ justæ sint? Certè nemo potest rei istius judex esse, cui aliquomodo obstrictus est. Judicii enim actus, est actus juris & potestatis superioris in illud, de quo judicium est faciendum. Et hæc caussa fuit, cur Protestantes olim judicaverint necessarium habendo Concilio œcumenico, ut Pontifex Romanus Episcopos, Prælatos & Antistites Ecclesiarum, quotquot fide data & jurisjurandi vinculis obstrictos sibi habebat, iis vinculis primum solveret, & juramenti gratiam omnibus faceret. Similiter Neostadienses monent, ut ad Synodum non veniant jurati in ullam Confessionis particularis aut privatæ formulam. Quicquid itaque extra hunc controversiæ statum adfert Capellus, id extra oleas est.

13. *Argumentum, idoneum controversiæ alicujus judicem, animum præjudicio vacuum habere debere.*

Objectio XIII, non continet argumentum, aut quicquam quod justæ rationis vim habet, sed tantum circumstantiam, quæ ad illustrandam rationem aliquam, eamque probabiliorem faciendam ἐνδέκατος caussa adferri solet. Nemo tam ineptus est, ut velit eum, qui judex sententiæ alicujus est futurus, ita liberum esse à judicio omni, ut de re ista, quæ in controversiam vocatur, judicium nullum unquam apud se formaverit. Absit. Quis enim ita vacuum, ita indifferentem animum in hoc mundo reperiat? Tantùm requiritur ad hoc, ut quis sit idoneus judex controversiæ alicujus, ut animum non adferat, ita ad unam controversiæ partem determinatum, quin rationes ex altera parte positas ex æquo & bono examinare velit. Et hoc est præjudicium illud, quod abesse debet ab omni justo ac legitimo judicio. Itaque non voluerunt Arminiani, ut ad Synodum venirent, qui neutrius partis sententiæ addicti essent: sic enim se ipsos excludere opus habuissent: tantùm dicebant eos, qui sententiæ suæ ita se addixerant, ut nollent in animum inducere aliam ullam veram esse posse, idoneos judices sententiæ istius, quando ea in controversiam venit, esse non posse. Quare omnes eos, qui se sententiæ suæ actu aliquo illegitimo ante judicium obstrinxerunt, aut qui signo aliquo testati sunt, se à sententia sua recedere nolle, aut se sententiam suam ita certam credere, ut nullam rationem opponi posse persuasum habeant, ad judicandum inidoneos judices esse habendos censebant. Et cum hujusmodi essent omnes aut plerique Provinciales, qui ad Synodum convenerant, idque argumentis sole clarioribus Remonstrantes demonstrarent; quomodo fieri poterat, ut eos caussæ suæ judices agnoscerent? Ineptum autem est, quod Capellus ait, *Si quis vehementior justo fuerat, & ultra quàm par esset progressus, qui tamen ad Synodum missus fuerat, id si planè ab Arminii doctrinæ fautoribus fuisset propositum, his Synodus satisfacere potuisset.* Quasi verò ea Synodi cura fuerit. Canat Capellus hanc fabulam aliis. Norant se mutuò damnatores isti, & mulus mulam scabebat. Non agebatur de uno atque altero: Plerique erant, quos citati nominatim omnes digito designare poterant, qui turbarum omnium authores & incentores fuerant. Acta privata & publica eorum ad manum habebant, quæ Belgium totum jam menses & annos aliquot oculis suis legerat. Schismata eorumque authores, præcones, vindices, non in Hollandia tantum, sed in Provinciis cæteris omnibus tam erant notorii, tam manifesti, *quam sol in esse radii olim cum sudum est solent.* Nec sciebant hæc tantùm, sed & probare in se recipiebant, idque Synodo in os dicere non reformidabant. Si quid frontis habuissent, plerique conscientiæ suæ morsum tegere non potuissent. Sed sedebant Patres, non ut accusatores sui audirent, sed ut alios pro arbitrio suo judicarent. Itaque hæc surdis dicebantur.

14. *Argumentum, Remonstrantium judices secessionem ab ipsis fecisse.*

Objectio XIV. *Etiam ii, qui secessionem non fecerant, ab aliis factam probabant.* Ita est. Quid hîc respondet Capellus? *Non est necesse*, inquit, *singula secessionum istarum momenta perpendere.* Imò verò, mi Capelle, id omninò necesse est, quia ex istis benè perpensis pendet tota juris hujus quæstio. *Longius*, inquit, *nos abduceret hæc facti quæstio.* Imò verò hæc facti quæstio rectà te ducet ad quæstionem juris intelligendam. Si enim factum est ab iis, qui in Synodo sederunt, id, quod factum ab iis esse asserunt Arminiani; jam ii, qui in Synodo sederunt, caussæ illius, de qua quæstio fuit, legitimi judices esse non potuerunt. Si factum id ab iis non est, nega, aut da iis, quæ facta sunt, colorem. *Juris quæstionem quod attinet, hoc affirmare possumus*, inquit, *non idem heterodoxis adversus orthodoxos licere, quod orthodoxis adversus heterodoxos.* Esto. Quid inde? An propterea secessionem ab Arminianis facere licuisse dices adversariis Arminianorum, non vice versa? Quo jure? *quod isti*, inquit, *orthodoxi essent, hi heterodoxi.* Atqui, Capelle, quo judicio judicati erant orthodoxi, qui Arminianorum erant adversarii, Arminiani autem heterodoxi? In qua Synodo? In quo conventu legitimo? Doce id Capelle, & profer tabulas. Si id non potes, uti revera non potes, vide annon ipse te tuopte gladio lædas. Arminiani non erant judicati heterodoxi ullo judicio publico ac legitimo in Ecclesia, & tamen erant ejusdem cum cæteris Ecclesiæ membra. Cæteri secesserunt ab Arminianis: utri ergo orthodoxi? Verbis tuis utar. *Cui unquam pastori licuit impunè facere schisma?* Si nulli impunè licuit schisma facere, utique qui schisma fecerunt, in noxa & culpa sunt, non Arminiani, à quibus schismatici isti secesserunt. Illi itaque turbatores & heterodoxi, non hi. *At heterodoxum pastor, aut doctor ne sis, duo requiruntur. 1. Ne quid doceas contra Dei verbum. 2. Ne quid contra fidei Formulas in Ecclesia, cujus membrum es, receptas.* Esto, procedat etiam hæc definitio: quanquam ineptus est Capellus, cum heterodoxum non esse, confundit cum orthodoxum esse. Fieri enim potest, ut Formulæ in Ecclesia receptæ repugnent verbo divino. Quid itaque? An, ut orthodoxus pastor sis, requiritur, ut ne doceas contra Formulas istas? Quomodo itaque docebit quis ita, ut non doceat contra Dei verbum, si non doceat contra Formulas illas, quæ repugnant Dei verbo? Sed transeat hoc etiam σφάλμα. *Heterodoxum ut sis, sufficit ut in alterutrum pecces.* Et hæc definitio transeat. At hîc

jam

jam ipsissima nascitur quæstio Capelle. Si inter duos pastores non heterodoxos, id est, qui ambo videri volunt non docere quicquam contra verbum Dei, nec quicquam contra receptas in Ecclesia Formulas, controversia oriatur, eo quòd hic existimet, illum esse heterodoxum, id est, vel contra Dei verbum, vel contra receptas Formulas, vel contra utrumque simul sentire ac docere; ille verò hunc: uterque tamen ex Dei verbo & Formulis Ecclesiæ sententiam suam propugnet: Uter horum erit idoneus caussæ hujus judex? Neuter, inquam ego; quia uterque altera pars litis est. Quod si verò, Capelle, inter plures pastores doctoresque eadem lis oriatur, quis eorum judex erit? Synodus, inquies fortasse. Rectè. Quid si pars eorum una id agat, ut coitione facta, antequam Synodus haberi possit, partem alteram prædamnari curet, actuque prædamnet? Quid si pars eadem Synodum convocari faciat, ita ut pars altera in totum ab ea exclusa sit, quod ad judicandi actum attinet, ipsique qui jam multo ante prædamnarunt suos adversarios, soli in ea judices sedeant? Quid? an partem istam partis alterius legitimum judicem dices? Hîc vertitur ipsissimus cardo quæstionis, quem jam sæpè indicavi, & quem tamen Capellus aut per incuriam nunquam tangit, aut consultò semper dissimulat. Quare cum dicit: *Etiamsi publicæ fidei Formulæ laborarent aliquo vitio, non continuò licet publicè doctrinam ἐναντίαν docere;* ut ut verum sit, plane est ἀκατάσκευον. Sed nec unquam Arminiani aliter aut senserunt, aut egerunt, ut in præcedentibus planissimè ostensum est. Nec ad rem facit, quod de exceptione addit Thes. XXVII. *Eam justam esse, quando tormentis silentium alteri parti imponitur:* (quanquam ineptus merito videri debeat Capellus, quòd solam tormenti exceptionem liberam relinquat.) Quis enim nescit, alia esse, quæ viro bono tormento quovis graviora esse debent, & quæ non pauci plus quàm tormenta ulla metuunt? Et quando unquam in Concilio Tridentino tormentis silentium alicui fuit impositum?

Quod verò Thes. XXVIII adfert, id non modò alienum est ab hoc proposito, sed contra Capellum ipsum directè facit. Populus enim Romanus, qui Fælicem Arrianum audire recusabat, idcircò id faciebat, quia fidem illam, quam Fælix sequebatur, in Synodo Nicæna legitimo judicio damnatam esse credebat. At qui in Belgio secessionem fecerunt, ii eam fecerunt, antequam Synodus ulla legitima habita esset, in qua sententia eorum, à quibus secessionem faciebant, damnata fuerat. Schismatici itaque veri erant, ac proinde incompetentes caussæ istius, quæ in controversiam veniebat, judices.

15. *Argumentum; Convictos non fuisse Remonstrantes in Synodo Dordracena.*

Objectio XV. *Qui potuimus, inquiunt, ritè condemnari, quum ne convicti quidem fuerimus?* Quis tam stolidus, Capelle, qui ita argumentetur? Plus per Dei gratiam sapiunt Arminiani, quàm ut pro tam justa caussa ineptiis ejusmodi pugnent. Verba ipsorum, quæ citas, tam apertè alium sensum continent, ut palpari possit. Ita enim inquiunt: *Convictos nos pronunciare Synodus ausa fuit. Itane ergo, &c.* Negant Arminiani in Præfatione, non quòd ritè condemnari aliquis possit, nisi fuerit ante convictus; sed quòd convictus aliquis errorum dici possit, cui nullæ rationes ad errorem demonstrandum idoneæ sunt propositæ. *Ejecit nos Synodus*, inquiunt, *confessu suo: Conferre nobiscum recusavit, quia ad judicandum, non ad conferendum se venisse dicebat: Rationes nostræ sententiæ audire noluit: rationes contrarias dare renuit, aut saltem non dedit; solo imperio egit omnia. Quomodo itaque nos convictos pronunciat?* Hoc argumentum qua verisimili exceptione eludi potest?

Sed respondet nihilominus ad rem Capellus: *Omnino*, inquit, *convicti fuistis tam solidè, tam legitimè, quàm ullus unquam hæreticus in ulla Synodo.* Itane Capelle? Quando? Quomodo? Quibus argumentis? Ne disputatum quidem fuit unquam de veritate & errore. Quotiescunque citati petebant, orabant, supplicabant, ut rationibus ageretur, & error ipsis ostenderetur, toties frustra fuerunt. Collationi statim in ipso limine spes omnis intercidebatur. Quomodo itaque fuerunt convicti? quomodo convicti solidè? quomodo convicti legitimè? quomodo tam solidè, tam legitimè, quàm ullus unquam hæreticus in ulla Synodo? Certè si minus solidè adhuc convicti sunt, quotquot unquam fuerunt hæretici, ego ausim dicere, nulli unquam hæretico à Synodis, à quibus damnatus fuit, datam fuisse caussam discedendi ab errore suo; imò caussam justissimam fuisse datam in eo permanendi & moriendi, quantum ad Synodos attinet.

*Atqui*, inquit Capellus, *ad legitimam convictionem non ea, quæ volunt, requiruntur.* Atqui, inquam ego, quænam sunt illa, quæ requirunt ad convictionem? *Confessionem*, inquit Capellus. Quod si Remonstrantes eam omnino requisivissent in materia Religionis & conscientiæ, fortassè non omnino à veritate aberrassent: saltem dixissent id, quod quisque in caussa sua, cum ab alio convictus solidè esse dicitur, dici ac credi cuperet; ac proinde quod alteri eodem & pari jure concedere deberet. Sed & falsum est, eos ad convictionem requirere Rei confessionem. Nullum ejus rei vel levidense est indicium in verbis allegatis: Tantum dicunt, eum, qui convictum aliquem pronunciat, jure id pronunciare non posse, nisi prius ei, quem convictum pronunciat, rationes & argumenta proposuerit, quæ vel convincendo ipsi idonea putavit, vel actu convicisse credit. Ubi id non fit, ibi convictionem locum habere posse negant; saltem ibi pronunciari jure posse non existimant, quòd quis convictus sit. Enimverò satis non est ad hoc, ut quis convictus pronuncietur, ut is, à quo convictus dicitur, rationes justas se habere sibi persuadeat, quibus ipsum convinci posse credit: necessum est ut is, qui convictus dicitur, rationes illas audiat & examinet, ut si vel omninò nihil reponat, vel quod reponit tale sit, ut planè sit frivolum ac dilutum, convictus deinde dici aut credi possit. Alioquin, si ad convictionem satis est, ut is, à quo aliquis convictus dicitur, rationes satis graves se habere credat, quas ad convincendum aliquem credit sufficere; jam etiam errorum convicta dici potest Synodus à Remonstrantibus; imò majori jure ab iis convicta, quàm Remonstrantes convicti dici possunt à Synodo. Remonstrantes enim non tantùm obtulerunt Synodo, se ad rationes dandum paratos esse, sed etiam dederunt scripto consignatas rationes suas Ordinum Deputatis, à quibus Synodus eas habuit & legit. At Synodus rationes suas nunquam dedit, aut dare voluit Citatis, ut eas examinarent aut expenderent.

16. *Argumentum, Synodos non debere operam dare ut quoquo modo terminentur controversiæ.*

Objectione XVI, non continetur argumentum novum, sed carpitur tantum lacinia quædam præfationis, quam Actis & Scriptis suis Synodalibus præmiserunt Remonstrantes. Nullo jure. Scopus enim loci istius & pænè præfationis totius est, ostendere, si quando quæstio aliqua de rebus fidei, non præcisè creditu, factu, aut speratu necessariis, incidit in Ecclesia, operam dandam esse ante omnia, non ut statim quoquo modo lis ista terminetur & decidatur in alterum partem, uti Synodus Dordracena aliæque plures sæpè fecerunt; sed ut terminetur ea via, quæ cum minima partium offensione conjuncta est, & quam æquitas & mansuetudo Christiana dictant optimam esse: Breviter, quam ipsi nos iniri optaremus, si propria nostra caussa ageretur. Eam viam esse duplicem, ut vel placidis gravibusque rationibus veritas errantibus persuadeatur: vel, si id prima instantia, alteráque aut tertia fieri non possit, via quædam media quæratur, qua partium offensio vitetur, litium periculo obex ponatur, & commodæ interim occasiones, ad veritatis amicam persuasionem, apertæ liberæque relinquantur. Quid poterat rectius, placidius, aut utilius dici ab iis, qui Deum in his terris judicium nullum ordinarium reliquisse credunt, ex quo omnes Christianos pendere necesse sit, & veritatem simul atque pacem in Ecclesia Christi conservatam cupiunt? Nimirum, contrarium passim in orbe Christiano fieri, observabant. In Synodis omnibus id tantùm agi videbant, ut externæ quieti consulatur, & simul atque aliquis litem aliquam novam movere incipit, unde pax ista turbari videtur, statim de authore ejus opprimendo cogitetur: non tam spectari errantium instructionem, quàm destructionem: non tam errorum solidam & amicam confutationem, quàm superbam & magistralem damnationem: nec tam dissentientium pacem & conciliationem, quàm divisionem: atque inde odia & schismata atrocissima nasci, quæ plurimorum malorum caussæ sunt. Quid ad hæc Capellus regerit? Sarcasticè tantùm ait: *Nempe, nisi Synodus tamdiu disputandi licentiam faciat, donec utraque pars satisfactum sibi profiteatur, nihil egit piè; victoriam non veritatem quæsivit.* Sed nec hoc dicit præfatio; tantùm dicit, eam esse Synodorum veram atque unicam gloriam, quando in id viribus omnibus incumbunt, ut utrique parti satisfiat, & non tantum id operam dant, ut quovis modo judicio aliquo peremptorio enatas controversias, veluti in herba, opprimant aut sopiant. Sic enim non tam veritati studeri, & mutuæ paci, quàm externæ tantum & imperturbatæ unius partis quieti, quæ nil nisi carnalis quies est, & plerumque cum partis alterius offensione conjuncta est. Dicit autem hoc præfatio, ut ostendat, quàm longè à recta via deflexerit Synodus Dordracena, quæ non ad conferendum, sed ad judicandum se congregatam dicebat, & tantopere solicita fuit de opprimendis iis, quos errare credebat, ut de iis instruendis ne cogitare quidem voluerit, nihilque ægrius tulerit, quàm quod judicio isti remora injiceretur ab iis, qui collationem offerebant; imò qui orabant supplices, ut vel persuaderi ipsis posset veritas, si errarent, vel via inveniri ad mutuam pacem & concordiam. *Ecquæ verò Synodus*, inquit, *unquam id fecit?* Imò verò, inquam ego, ecquæ fuit unquam pia Synodus, quæ id non fecit? Quotquot unquam habitæ fuerunt, (factiosas & ληϊτικὰς semper excipio) eæ, si quando inter ipsos Episcopos controversia aliqua nata esset, quæ

prioribus sæculis definita non erat, & quæ fundamentum fidei præcisè atque immediatè non tangere credebatur, istam, quam diximus, viam semper institerunt. Nunquam progressæ sunt ad decisiones. Apparuit id in materia de Prædestinatione, quam ipse Capellus fassus est nullis unquam Synodis definitam fuisse, & de quâ placidè interim atque amicè adeò semper inter Episcopos velitatum est, ut Cœlestinus Papa in Epistola ad Galliæ Episcopos hac de re consultus, hac conclusione uti non dubitaverit: *Profundiores verò difficilioresque partes intercurrentium quæstionum* (difficillima autem erat ea de Prædestinatione) *quas latius pertractarunt, qui hæretici restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere. Quia ad conferendum gratiam Dei, cujus operi ac dignationi nihil penitus detrahendum est, satis sufficere credimus, quicquid secundum præscriptas regulas Apostolicæ sedis nos Scripta docuerunt, ut prorsus non opinemur Catholicum, quod apparuerit præfixæ sententiæ esse contrarium.* Eodem modo semper actum, etiam cùm primùm controversia incideret de ea re, quam ad fidem pertinere postea judicatum fuit. Ipsa Synodus Tridentina, quicquid eam tyrannicè supra alias omnes egisse velit Capellus, istius tamen æquitatis fuit retinentissima. Quæcunque sententia in quæstionem veniebat, ea publicè & palam diu multumque agitabatur; & quia nulla fere erat, in qua non diversi à se invicem abibant Episcopi, Doctores & Magistri, nihil aliud pænè agebat Synodus, sæpè mensibus aliquot, quàm ut aut rationibus, quæ præponderare videbantur, dissentientes in unam atque eandem sententiam adduceret; vel, si id fieri non poterat, leni aliqua conciliatione eos inter se conciliaret; vel, si nec hoc fieri poterat, libertas sua cuique sentiendi concederetur, atque ita pax & concordia retineretur. Et quid aliud fecit ipsa Synodus Dordracena, postquam fores publicas claudere cœpit, & secretò quæ inter Doctores Pastoresque erat non levis dissensio, componere studuit? Quomodo egit cum Gomaro, cui cum persuadere non poterat, ut in eam, quæ communis omnium esse videtur, sententiam de Prædestinationis objecto (quanti autem momenti ea sit in antecedentibus clarum fecimus) descenderet: An non concordiæ & pacis retinendæ caussa viam mediam quæsivit, id est, protestationem ipsi suam liberam reliquit, & ut ea in actis publicis exstaret permisit? Quomodo cum Martinio egit, qui sententiam suam de morte Christi ita dixit, ut cum Remonstrantium sententia ad unguem conveniat? Annon persuadere ipsi sunt conati sententiam suam, & cum id non possent, viam mediam repererunt, & isto modo articulos suos concinnarunt, ut ille sine ullâ protestatione iisdem se bona conscientia subscribere, & nihilominus propriam suam sententiam retinere posse crederet? Et quamdiu, quàm operosè, quàm prolixè ea in re sese occupavit Synodus? Quod si hac in re à Synodo rectè ac pie actum vult Capellus, cur ægrè fert, quod eandem æquitatem, eandem pietatem requisiverint in caussa sua ii, qui Coëpiscopi, Sympresbyterique erant eorum, qui in Synodo judices sedebant? Annon gloria Synodi Dordracenæ hæc vera atque unica fuisset, si cum iis eodem modo egisset, & ad non necessariam decisionem, sine ulla collatione, aut saltem sine ullo conciliationis studio, non prosiluisset?

*At*, inquit Thesi XXXII. *Dordracenæ Patribus id in votis fuit vel maximè, ut Arminianos pondere rationum suarum ad frugem revocarent.* At, inquam, si in votis id ipsis fuit, cur quæso detrectarunt collationem? Cur se non ad conferendum, sed ad judicandum convenisse dicebant; Cur, cùm rationibus secum agi, & conscientiis suis satisfieri orarent Citati, imperio, edictis, decretis statutisque tantùm egerunt? *Sed id ab illorum pervicacia non poterant impetrare*, inquit. At quæ, obsecro, pervicacia ipsorum, non dico fuit, sed esse potuit, quando rationibus non agebatur cum ipsis, sed jussibus? An in eo quod optarent, orarent & supplicarent identidem, ut rationibus secum ageretur, pervicacia eorum sita fuit? Jubentur Synodum agnoscere legitimum judicem; non possunt per conscientiam: rationes adferunt, & ad eas ut sibi satisfiat petunt: Non dantur, aut si quæ dari videntur, idque obiter, non permittitur illis respondere, sed jubentur parere. Non cedunt, non quia non volunt, sed quia non possunt: Rationes obstant. Quid? an hæc pervicacia est, Capelle? Contrarium verum est: pervicaciæ rei coram Deo fuissent summo jure, si tam manifestis, quas habebant, rationibus non cessissent, aut tam iniquis jussibus Synodi morem gessissent.

*Quibus conditionibus citati fuerint Remonstrantes ad Synodum Dordracenam.*

Similiter citati fuerant ad Synodum disertis & amplissimis verbis ab Ordinum Delegatis, ut *in ea sententiam suam* (verba sunt literarum citatoriarum) *de dictis quinque articulis libere proponerent, explicarent, ac quantum esse necessarium existimarent, defenderent.* Postquam propositionem fecerunt sententiæ suæ, statim, quia credo liberè satis ea facta fuerat, interponit se Synodus, explicationem liberè eos facere non sinit, sed eos intra certa quædam interrogatoria, ad causssam ipsorum odiosam reddendam & libertatem concessam penitus tollendam, pædagogico quodam ritu, puerorum aut potius servorum instar, concludit: ad ea ex tempore eos jubet respondere, & quidem singulos, ut nimirum concordes divideret. Manifestè iniqua hæc erat agendi ratio, & literarum citatoriarum tenori repugnans. Parere tamen se nihilominus velle profitentur, si modò quod ipsis literæ citatoriæ concedebant, liceat ipsis deinde liberè sententiam propositam explicare & defendere, quantum ipsi necessarium judicarent. Hæc enim sunt ipsissima verba literarum citatoriarum. Negat Synodus: ad interrogata respondere eos singulos jubet, & sententiam suam explicare ac defendere, *non quantùm ipsi, sed quantùm Synodus necessarium esset judicatura, ad Dei gloriam, suam instructionem, Ecclesiæ ædificationem & conscientiarum tranquillitatem.* Quis hîc non videt, Synodum utraque manu subtrahere & subducere iis voluisse id, quod liberaliter literæ citatoriæ concedebant? Non poterant Citati bona conscientia, sine divinæ gloriæ, sine veritatis præjudicio, sine Ecclesiarum offensa, libertatem hanc citatis omnibus jure communi debitam, & ipsis speciali literarum citatoriarum beneficio concessam, deserere, aut ex adversariorum suorum, à quibus jam ante damnatos se sciebant, arbitrio causssam suam agere. Itaque non cedunt, sed jus suum sibi concessum ac debitum postulant. An hîc pervicacia locum habet? Judicet quisquis animum judicio liberum habet: Ponat se loco nostro, & an aliter agendum sibi putaret apud animum suum statuat.

Quod Capellus Thes. XXXVIII dicit, Citatos *negasse, se ad suæ sententiæ defensionem accessuros, nisi sibi permitteretur libertas refutandi quævis Contra-Remonstrantium, sive viventium, sive pridem defunctorum, super ea re scripta*, id plane falsum est. Nunquam petierunt istam libertatem sibi concedi. Vide sis Acta in lucem edita, & falsitas apparebit. Sed posito, quod eam petiissent, eo quòd judicarent absque ea sententiam suam liberè explicari & defendi non posse, quantum necessarium esset; quid? an iniquum petiissent? An jure illud negare iis potuisset Synodus, si modo scripta ista modestè se citaturos & intra præscriptum tempus ea se refutaturos promitterent? Quam causssam habuisset Synodus id ipsis denegandi, cum expresè eos citavisset, ut sententiam suam defenderent, quantùm ipsi, non Synodus, necessarium esse judicarent; &, etiamsi ita non citasset, citatis omnibus jure communi concedi debeat, ut sententiam suam tueantur ac defendant, prout ipsi necessarium judicant? Concludo itaque & retorqueo argumentum: Non modò non habuerunt Dordraceni Calvinistæ causssam justam, cur silentium Citatis & dissensioni finem imponerent; sed causssam habuerunt Citatis satisfaciendi, priusquam judicarent.

Atqui, inquit Capellus Objectione XVIII, *ipsi Citati fatentur in præfatione jam allegata:* Quæcunque hactenus effugia aut sophismata specciosa à Contra-Remonstrantibus adducta esse observavimus, aut adduci posse verisimiliter ipsi judicavimus, ea, quantum per tempus licuit (durante scilicet Synodo) cursim & strictim examinavimus, ac pro virili nostra deteximus, &c. *Hæc cum ita sint; quid tandem obtendere possunt, quo minus dicantur auditi quàm patientissimè? Adeoque rogare velim, eaquæ Synodus unquam Citatos patientius & diutius audiverit, iisque plus temporis dederit ad rationes suas, tam κατασκευαστικὰς, quàm ἀναιρετικὰς enarrandas?* Resp. Atqui eo ipso, quòd verba ista allegas, & deinde id quæris, insciam tuam prodis. Nam 1. Synodus non dedit Citatis tempus illud: jam eos ejecerat, & se cum illis commune quicquam habere amplius nolle pronunciaverat, antequam scripta ista Citati inchoarent, Deputati Ordinum hanc ipsis gratiam fecerunt, sive quòd æquiores videri vellent zelotis istis Synodalibus, sive quòd ex tam iniqua & irrationabili actione Synodi indelebilem infamiam metuerent, sive quòd ita convenerat cum Synodo, ut interea secreti licentia frueretur Synodus, ejectis iis, qui rationum suarum claritate iniquas ejus actiones Belgio conspiciendas dabant. 2. In iis ipsis verbis, quæ citas, vides eos de temporis angustia disertè conqueri. Et ita certè res se habebat: Media hyeme, urente frigore, de gravissimis rebus jubebantur sæpè consignare & parata habere scripta sua intra septem, octo, novem dies, quæ vix interea describi nisi per complures amanuenses poterant: saltem ad quæ dignè meditanda & consignanda mensium aliquot spatio opus fuerat. Videantur eorum ea de re querelæ, quas Deputatis & ipsis Ordinibus non una epistola notas fecerunt. 3. Posito tamen etiam, quòd temporis satis habuissent, quòd patientissimè auditi fuissent, quid hoc ad rem fecisset? Nihil unquam reponi istis audiebant: nullas rationes in contrarium à Synodo allatas viderunt, unde, quid in scriptis istis desideraret Synodus, intelligere aut accuratè perpendere poterant. Atque hinc est quòd dicant, se opus habuisse ut refutarent,

18. *Argumentum, Remonstrantes non fuisse auditos in Synodo Dordracena.*

tarent, quæ ipsi suopte ingenio judicarent verisimiliter à Synodo in contrarium adduci posse. Nihil itaque causſæ habuerunt, unde convincerentur de errore suo: neque ratio fuit, cur convicti de errore suo pronunciari potuerint. 1. Orationes quædam recitabantur ex charta aliquando, quibus carpi videbantur laciniæ quædam scriptorum istorum; sed eæ sæpè ita frigidæ erant & jejunæ, ut quibus argumentis pugnarent intelligi non posset. 2. Iis interesse Citati prohibebantur. 3. Earum apographa Citatis, quum humiliter & reverenter sibi dari orarent ab iis, qui eas recitaverant, ex professo negabantur. 4. An Synodus tota istarum orationum fundamenta & argumenta pro suis agnosceret, incertum erat. Denique erant istæ orationes fere exterorum, qui satis demonstrabant, se in istis controversiis tractandis ita hospites esse, ut sæpe controversiæ punctum & præcipua difficultatum momenta ne quidem attingerent; uti non raro fatebantur ii ipsi, qui cum ipsis alioquin sentiebant. Nempe pro forma & dicis causſa omnia ista fiebant, ut Theologos exteros ὁμοδίξους esse (quasi verò de eo quisquam dubitaret) omnibus ista ratione innotesceret.

*Atqui tamen Episcopius* pag. 34. *de Exterũ melius se sperare dicit, quam de Provincialibus.* Ita est, & meritò. Neque enim ii secessionem aut schisma fecerant, factóve ullo, quod Citatis constabat, illud approbaverant; etiamsi non ignorarent, eos omnes contrariæ sententiæ non tantum addictos, sed & defensores illius esse satis acres. Non multò post tamen frustra se illud speraſſe intellexit, cùm de schismate ageretur, & Citati schismatis istius authores facerent plerosque Provinciales. Tum enim, priusquam adhuc de quæstionibus agi cœptum esset, priusquam Synodus sententiam suam dixisset de controversiis, schisma illud fieri jure potuisse dixerunt, eo quòd Arminiani à veritate ipsa primi secessionem fecerant. Et fuisset hæc una omnium Exterorum vox, nisi Helvetii judicium istud immaturum correxissenr, & damnationem præcipitari, antequam examen causſæ factum esset, monuissent.

*Atqui secessionẽ hujus damnant Arminiani non primos tantùm ejus authores, sed etiam approbatores.* Rectè. Quid ni Capelle? *At cùm Magistratus eam non impediret* (quod de Deputatis Ordinum, qui exauctorationes factas à Synodis approbabant, adjungit Capellus, huc non facit: id enim alterius generis quæsitum est) *inter approbatores numerari poterat.* Resp. 1. At ut Citati hos etiam schismaticos dicerent, opus non habebant: nec enim ii sedebant judices in Synodo, sed tantùm inspectores: neque post latam sententiam judicium suum unquam dicere voluerunt, sed tantùm quid actum esset referre se dixerunt. 2. Eos nominatim semper distinguebant ab Ecclesiasticis. 3. Quid si idem dixissent, an falsum dixissent, Capelle? Certè si Ecclesiastici schismatici revera erant, certè, quisquis schisma illud probabat, atque imprimis is, qui schismaticis istis judicandi potestatem dabat de iis, à quibus ii secessionem illegitimè fecerant, is crimen & culpam istam nullo juris titulo evadere poterat. Sed quid hoc ad rem faciebat, sive id credere se dicerent, sive non? Ad invidiam eorum augendam id tantum pertinebat, quasi non satis malorum sustinerent, quòd coram tam iniquis judicibus, tam capitalibus inimicis, juberentur causſam suam dicere, non aliter quàm rei & pænè è vinculis.

*Sed mentiebantur apertè, cùm dicebant, aliquos è suis exauctoratos nullo præeunte judicio Ecclesiæ.* Bona verba, Capelle. 1. non dicunt id, sed dicunt se & suos ὁμοψήφους omnes ex albo Ecclesiæ expunctos fuisse à Contra-Remonstrantibus, eo ipso, quod Contra-Remonstrantes secessionem ab iis fecerant, & quidem in forma hac, *Quod non agnoscerent ipsos, cum quibus licitum ipsis esset conventus ullos celebrare, aut eos pro membris suorum cœtuum habere.* Quid? An non hoc est expungere nomina eorum ex albo Ecclesiæ? Si mentiti hîc sunt, Capelle, quod id nullo præcedente judicio Ecclesiæ factum sit; da igitur judicium illud, quod in legitimo cœtu factum est. Si non potes hoc dare, fatere igitur te, si non mentitum esse (ne jure talionis tecum agam) mendacium aut saltem falsum dixisse.

19. *Argumentum, Ecclesiasticos plerosque provinciales schismatis reos fuisse.*

Objectio XIX. *Ecclesiasticos pleroſque Provinciales schismatis reos jure diximus. Testantur id ipsum dirempta in duas partes Hollandicæ, Ultrajectenses, Gallicæ, & Transisulanæ Ecclesiæ, idque Contra-Remonstrantium studio.* Quid ad hanc Capellus? *Ut id demus*, inquit, *Belgii cæteræ Provinciæ, quæ tale nihil admiserant, quo jure quatuor istis accensentur?* Ad hoc jam responderunt Citati: eas schismati fovendo sedulam operam commodasse. Vin' fidem tibi fieri de Frisiis? Ipsum tantum Synodi Præsidem intuere, & quid Hagæ schismati authorando fecerit vide. Actiones ipsius loquuntur, & quæ non in angulo, (Deus has & non pauci alii norunt) sed quæ coram sole gestæ sunt. Vin' de Zelandicis? Fiduciarias tantùm earum literas, quibus ad Synodum suos Delegatos instructos voluerunt, consule, & intelliges, eas in mandatis dedisse Delegatis suis, ut ne in tolerantiam mutuam unquam consentirent. Vin' Groeninganas Ecclesias? Respice tantùm earum deputatum Hillenium, & videbis schismatis antesignanum & primipilum. Plura non allego, ne claritudinem solis lumine candelæ adjuvare velle videar.

*De detentione Remonstrantium Dordrechti.*

Cætera, quæ sequuntur, aut jam in præcedentibus sunt refutata, aut nihil habent, quod non potius malevolum Capelli animum, quàm judicium examine dignum, arguit. Nempe non satis fuit illi damnasse Remonstrantium sententiam: quicquid vel à Synodo, vel à Delegatis, contra eos actum actitatumve est, id omne ad usque minimum quemque apicem, cum elogio superlativo, pro more suo, laudat. Detentionem Citatorum in urbe Dordracena factam contra omnia liberæ Synodi jura, contra fidem datam, contra naturæ, sanguinis & conjugii leges, contra omnem rationem, tanquam opus justissimum prædicat & extollit. Pæna dignos fuisse censet, quos conscientia ipsorum non sinebat aliter facere. Credo, si eos vivicomburio aut laqueo adjudicassent Proceres, venalem ad idem prædicandum linguam suam, venalem calamum fecisset. Ego nihil aliud opto, quàm ut Deus ipsi ignoscat tantam inclementiam, & non in eas angustias eum venire sinat, ut experiri opus habeat, quàm sit grave conscientiæ suæ satisfacere, & propterea tamen pœna dignum censeri. Dic enim, obsecro te Capelle, cur pœna ista eos dignos fuisse censes? An propter contumaciam? Ita videtur. Sed quæ contumacia in libera Synodo locum habet, ubi rationes obtenduntur, ubi sententiam cuique suam liberè dicere licet? Quis in ea cedere cogitur, qui se per conscientiam cedere non posse profitetur? qui rationes adferri orat, quibus, licere sibi ut cedat, persuadeatur; paratus, ubi id fit, statim cedere, & cui tamen rationes nullæ dantur? Si dicas, conscientia prætexebatur, jam eos necesse est ut facias impios, & Dei Numinisque omnis contemptores, & quod culmen est profanitatis, ἀπλήκτους, ut contumaces eos dicas. Quod quo jure facias cogita.

*At hæc qualiscunque punitio eò potissimum spectabat, ne possent ante Synodum solutam turbas edere, quæ Synodi consilia frustrarentur.* At cùm Synodus sententiam nondum dixisset, cur puniebantur? An non satis apertè significas Synodum puniviſſe eos, & doctrinam eorum turbationis causſam judicasse, antequam de ea adhuc statutum esset, an vera esset, an falsa? Deinde, non obscurè fateris, Synodum totam eo tantum fine convenisse, ut eos damnaret; citasse eos, ut eos urbi isti veluti caveæ includeret, &, absentibus illis, Ecclesias eorum, tanquam possessionem vacuam, invaderet? Sed non opus est, ut hoc te significare voluisse judicem: res ipsa id testatum fecit, à principio ad finem usque. Denique, si omninò impedire voluissent Citatos, ne turbarent, quàm multa ad manum erant remedia, quibus uti potuissent Proceres, ut sua Synodo libertas inviolata nihilominus mansisset. Sed consilia omnia alio spectabant: Mutationi Reipublicæ; secessioni in Ecclesia, color deerat: fœditas utriusque nimis patebat: vi persequendum erat incœptum; &, ne omnis color deesset, Synodi sententia requirebatur, ut non Regionis, sed Religionis negotium agi videretur. Ea simul atque pronunciata, atque octavo mense in lucem edita fuit, protinus sanguine optimorum Civium ei parentari cœptum est. Nempe vitalis non solet esse partus, qui octavo mense editur.

Concludens itaque dico, me libenter piorum omnium judicio relinquere, an ea, quæ Capellus attulit, talia sint, unde appareat: 1. *eam fuisse Arminii Doctrinam, ut multo satius fuerit eam damnare, quàm tolerare.* 2. *eas fuisse artes sectatorum Arminii, ut necesse fuerit iis obviam ire.* *Denique* 3. *eam fuisse Dordracenorum Patrum æquitatem, ut* (vide hyperbolen & mirare) *post Apostolorum obitum, Synodi nullius exstet memoria, quæ citatos* (nota præjudicium) *hæreticos patientius audiverit, moderatius tractaverit, & sanctius judicaverit.*

FINIS.

M. SIMONIS EPISCOPII.

# TRACTATUS,

## De Libero Arbitrio.

### CAPUT I.

**Pondus doctrinę de libero arbitrio. A quibusdam id constitui in sola libertate à coactione, sed malè. Ab aliis præterea requiri judicium rationis practicum. Præcipuum quo nitantur argumentum. Sententiæ istius absurditas. Scopus auctoris in hoc scripto.**

LIberum arbitrium, quod positis omnibus ad agendum requisitis, agere potest aut non agere, vel hoc vel illud agere, in homine qui dari negat, is religionem, legem, & disciplinam omnem everſum eat necesse est. Religionis enim, legis, & disciplinæ omnis summa continetur obedientiæ præceptis, præmiorum promissis, & pœnarum minis. At præceptioni locus non est, ubi inevitabilis agendi necessitas dominatur. Nec obedientiæ laudem, nec inobedientiæ labem habere potest, id quod aliter fieri non potuit. Qui non potest nolle, non potest dici velle, & qui non potest velle non potest dici nolle.

*Haud est nocens, quicunque non sponte est nocens.*

Ubi verò obedientiæ & culpæ locus non est, ibi præmia & pœnæ frustra sunt. Qui non potuit non obedire, indignus est præmio, & qui non potuit obedire, indignus est supplicio.

Qui fatalem itaque omnium rerum, actionum, eventuum necessitatem inducunt, ii necesse est ut liberum ejusmodi arbitrium, quale diximus, in homine dari negent. Necessitas enim & libertas talis, toto genere differunt; adeò ut contradictionem implicent. Necesse enim est, quod nec esse aliter potest. At liberum, quod aliter esse potest: sive quod agere potest & non agere, aut hoc vel illud agere. Atqui non posse non esse, & posse non esse, implicant contradictionem. Qui distinctionibus hanc necessitatem cum libertate conciliare student, ii inanem operam ponunt. Contradicentia enim non habent medium, sed distant infinitè. Alterum eorum est necessariò verum, alterum necessariò falsum.

Ob hanc causam ii, qui oculatiores aliis videri volunt, observantes fatalem necessitatem cum libero tali arbitrio conciliari non posse, & interim necessitatem rerum omnium ac libertatem arbitrii, simul in mundo hoc locum habere sibi persuadent, censuerunt alio effugio opus esse, & libertatem arbitrii diversa longe ratione definiendam esse.

Quidam ad libertatem arbitrii constituendam, judicarunt non requiri indifferentiam ad agendum & non agendum; sed sufficere crediderunt solam immunitatem à coactione. Sed hi non obscurè statim senserunt, hac ratione omnes actiones spontaneas, verè ac propriè liberas dicendas fore; libertatemque non amplius affectionem propriam voluntatis, sed communem potentiis omnibus sponte agentibus futuram; ac proinde equum famelicum, non minus liberè agere, cum ad cibum se confert, quàm hominem cum legi obtemperat; imò intellectum, non minus liberè intelligere, oculum non minus liberè videre, & lapidem non minus liberè ferri deorsum, quam homo cum Dei jussibus morem gerit, aut refragatur. Tam enim incoactè intelligit intellectus, tam incoactè videt oculus, tam incoactè lapis, super medio se leviore positus, fertur deorsum, quàm voluntas vult, cum paret aut imperat. Imò, quod caput rei & absurditatis apex est, senserunt dicendum esse, ea quæ maximè necessariò agunt, maximè liberè agere, summamque necessitatem esse summam libertatem.

Quocirca alii, ut ictum hunc evadant, & manifestum hunc scopulum declinent, præter incoactionem requirunt rationem, sive judicium aliquod rationis practicum, quod non tantum præcedere debere dicunt liberam volitionem, ut nimirum à spontaneis aliis actionibus eam distinguant; sed cujus eam esse volunt vim, ut voluntatem suaviter ad se trahat, & ad unam contradictionis partem ita determinet, ut non velit nec possit velle sese flectere in oppositam. Hi liberè agere idem prorsus esse volunt, quod lubenter agere, & liberum ab eo, quod libet, derivant; neque implicare credunt liberè agere & necessario agere, libere velle & non posse non velle. Quin imò, quod cum priore sententia coincidit, id quod summè necessariò fit, summè liberè fieri posse asserunt. Si enim quod libenter & tamen necessariò fit, eo ipso, quod libenter fiat, libere fit, utique quod libentissimè omnium fit, liberrime fiat necesse est. Summum itaque bonum liberrimè amari dicent, & liberius quam alia ulla inferiora bona, quia libentius.

Rationes, quibus hi sese tuentur, etiamsi pleræque omnes ferè nihil in recessu habeant, una tamen est, quæ aliquid momenti videtur habere, & in quâ triumphant. Ea hæc est: Nisi hac ratione definiatur libertas, dicendum erit, libertatem consistere in merâ actione sive electione voluntatis. At ea est prorsus bruta & cæca. Certum enim est voluntatem brutè agere; imò posse appetere malum sub ratione mali. Fertur enim in omne id, quod intellectus ipsi monstrat. At monstrat aliquando malum sub ratione mali, & ipsa non judicat an malum sit. Nihil enim æstimat voluntas. Hæc est ipsorum ratio palmaria; quæ mihi clarius proponi & fortius stringi posse videtur, si dicatur simpliciter, futurum alioqui, ut electio hominis bruta semper sit. Si enim intellectus aut judicium rationis voluntatem non determinat, sed tantum objectum eligendum ipsi offert, & ipsa voluntas nihil intelligit, nihil judicat; fieri non potest ut aliter, quàm bruto impetu feratur in hoc, non in illud objectum ab intellectu monstratum. Quod si ita est, jam vanæ, inutiles, & ridiculæ sunt omnes suasiones, hortationes, promissiones, &c. quæ adhiberi solent, ad flectendum voluntatem in hanc vel illam partem. Tantundem quippe voluntati sunt argumenta ista, atque cæco lux, surdo fabula, & bruto syllogismus.

Sententia hæc ut ut colorem habere videatur, manifestò tamen impingit in primam, quam diximus, & præcipuam absurditatem, quod per eam religio omnis evertatur, & legum, præmiorum ac pœnarum omnium nervi simul ac semel incidantur. Cum enim non sit in potestate voluntatis, habere judicium rationis practicum, & posito judicio rationis practico, non sit in potestate voluntatis, non ferri in objectum per judicium illud monstratum, utique non potest voluntati lex poni de hoc aut illo objecto volendo, aut non volendo; nedum lex sancita præmii promissione, si voluntas sequatur id quod lex jubet; & pœnæ comminatione, si illud sequi nolit. Quæ enim necessariò agunt, ita ut non possint aliter agere, ea non subjacent mandato; ac proinde etiam non sunt obnoxia punitioni, nec digna præmio, si id quod agunt, vel congruat, vel non congruat cum legis præscripto. Et hoc ipsum est certissimum signum, sententiam hanc falsam esse. Aut enim religio non datur, aut si religio datur, libertas alia quam hæc, homini tribuenda est; ac proinde longè aliter definienda.

Hunc in finem propius paulò introspicienda est ratio, qua præcedens sententia nititur: habet enim ea nonnihil probabilitatis. Imo si fateri verum velimus, scopulus est, ad quem perspicacissima alioquin ingenia hactenus pœnè omnia hæserunt. Vix enim reperire unum licet ex tot millibus scriptorum, (licet alioqui eruditionis subtilitatisque laude cluat) qui postquam omnes alios etiam perplexissimos nodos, felici industria, & incredibili ingenii sui acie solvit, ad hunc unum, veluti ad nodum aliquem Gordium, non constiterit. Plerique omnes antecessorum suorum vestigiis inhærentes, credunt sufficere, si dicant, voluntatem non determinari quidem à judicio rationis, sed tamen non determinari etiam sine præcedente judicio. Sed in eo non vertitur difficultatis cardo, neque ista ratione exhauritur difficultatis punctum. Manet enim quæstio, quomodo cum voluntas judicium illud, sine quo non determinatur, non intelligat, neque æstimet quale sit, brutè non feratur in rem judicatam. Fuerunt, qui hanc ob causam sententiam illam primam amplexi sunt; & ne libertatem destruerent, sive quia sine periculo eam negare non poterant, sive quod eam firmiter crederent retinendam esse, eam in intellectu formaliter collocarunt; reipsa & necessariò impingentes in lapidem, quem declinare studebant. Ita inter Scyllam & Charybdim ingenia constiterunt. Nec mirum: Aut enim voluntati tribuendum videtur judicium: at hoc est ex voluntate facere intellectum; cum tamen intellectus & voluntas statuantur potentiæ realiter inter se distinctæ: Aut voluntati tribuendus videtur assensus cæcus planè ac brutus: at hoc est liberum facere necessa-

rium,

rium, & hominem in brutum transformare. Tertium non datur, saltem à nemine, quod sciam, hactenus indicatum est.

Hæc causa est, quod videamus omni pænè sæculo fuisse, hodiéque esse non paucos, qui cum in nodum illum incidissent, eumque solvere non possent, in istam de fatali omnium rerum necessitate opinionem tandem prolabuntur; &, gradu facto prout fieri solet, paulatim magis magisque in religionis omnis contemptum & vilipendium præcipites ruunt. Tiberium Suetonius religionum negligentiorem fuisse ait; quippe persuasionis plenum cuncta fato agi. Idem quin & hoc sæculo usu veniat, non est quod dubitetur. Non minus nunc quàm olim proni ac proclives multi sunt ad impietatem. In eorum animum si incidat opinio, quâ voluntatem in hanc aut illam partem determinari necessitate naturali statuitur, quid mirum est, eos etiam nunc in præceps agi, & paulatim religionem, Deum, & numen omne flocci facere, & pensi non habere? Si quæ alia, ista certè opinio potens est ad religionem omnem evertendum, & Deum totum animo excutiendum. Utinam experientia quotidiè rem testem nobis non daret! Ego certè ab animo meo impetrare non possum, ut non delabar aliquando, vel invitus, in suspicionem de quibusdam eorum, qui pro fatali hujusmodi necessitate velis remisque contendunt, cum studia & facta eorum tam longè à vera religione aliena intueor, anne animus ipsorum à veræ religionis studio alienissimus sit, quem tam fœda opinio maculavit, & unde tam profana opera proficiscuntur. Sed nolo ego gravare quenquam suspicione mea. Caritas non fert ut suspicioni isti indulgeam. Deus judicabit eos & me in die illo.

Ad rem hanc quod attinet, ego operæ pretium me facturum credo, si, ut animo meo & aliorum votis satisfaciam, proprius paulò inquiram, unde difficultas hæc ortum suum ducat, & qua ratione commoda solvi possit. Nemo id, spero, vitio mihi vertet, neque proterviam aut ἀυθάδειαν interpretabitur; quasi ego post tot accurata doctorum hominum judicia, post tot exacta subtilissimorum acumina, elaboratius, melius, aut certius quid me dicere posse credam. Nolim ut id quisquam de me existimet. Non sum tam Suffenus, ut nesciam quid mihi desit, & quàm curta mihi sit suppellex. Tantum abest, ut asciam, dolabram aut limam adhibere velim subtilissimis aliorum laboribus; ut ingenuè fatear, ab illis quam longissimè abeundum mihi esse, ut ad difficultatis hujus solutionem perveniam. Ita est; ad subtilitates istas splendidas stupeo, & pænè horreo; sive quod ingenii mei imbecillitas istas non capiat aut penetret; sive quod ab istis obscuritatibus, & horrendis arcanis scrutandis alienior sim natura mea. Amo simplicitatem ingenuam: ambitiosam subtilitatem odi. Ab hac ad illam diverteudum aut redeundum esse arbitror, si ex labyrintho hoc aliisque quàm plurimis exire velimus. Simplex est veritatis oratio. Eam si ex Dei verbo, si ex trivio, imò ab ipso communi vulgo petas, nulla restabit difficultas solvenda. Ex schola orta est omnis hæc difficultas, meo quidem judicio. In illa enim nati & fabricati sunt termini quidam dialectici & operosæ distinctiones, quæ materiam litigandi primum præbuerunt, & occasionem dederunt in dubium vocandi quod alioqui clarum erat, & sua luce splendebat. Propter hos hodie bellum est inter doctos. Tolle illos & pax erit, ac sublata omnis difficultas; quod ita pergo ostendere.

## CAPUT II.

### Intellectum & voluntatem non esse duas animæ potentias, realiter ab ea & à se invicem distinctas. Et ex hac distinctione ortas esse omnes circa doctrinam de libero arbitrio difficultates.

DIfficultatis radicem in schola natam esse, & ex ea in cathedras atque umbones Ecclesiarum; nec multò post etiam in proletariam turbam hìc illic propagatam esse credo. Caussa, quæ me movet, hæc est: Dicitur in scholis anima hominis constare duabus facultatibus sive potentiis, realiter ab ipsa anima & inter se distinctis; intellectu scilicet & voluntate. Singulis potentiis tribuuntur suæ propriæ, & formales actiones; ita ut quæ uni competit, ea in alteram cadere nullo modo possit. Intellectui, sive intellectrici potentiæ, tribuitur sola & tota vis apprehendendi, componendi, dijudicandi: Voluntati tribuitur tota & sola vis eligendi, sive volendi ac nolendi. Ipsa anima velut bruta quædam natura & essentia statuitur, ex qua potentiæ illæ duæ, non aliter quàm ex terra mortua radices, oriuntur atque emanant. Hoc principium in trivio scholæ natum, & quod jam axioma omni exceptione majus ubique pæne habetur, fons est ipsissimus, unde hæc tam ingens difficultas oritur. Hinc enim necessariò sequitur, si intellectus tantum intelligit, non autem vult; & voluntas tantum vult, non autem intelligit; electionem itaque quæ à voluntate elicitur, & nihil aliud est quàm ipsa volitio, brutè fieri: quia elicitur à potentia, quæ planè cæca & judicii ac rationis omnis expers atque incapax est.

Scio quid hìc mihi statim umbraticus aliquis Doctor repositurus sit: Anne itaque existimem scholæ istud placitum in dubium vocandum esse, & negandum potentias tales duas, intellectum & voluntatem, in anima rectè statui? Nolim equidem libenter istos scholæ crabrones irritare in caput meum. Scio quantum crimen sit axiomata ista pædagogica luxare aut convellere. Sed quid faciam? non possum quin veritati litem. Et cur non? Res meretur. Sed nec primus, nec solus sum, qui id audeo. Itaque sic sentio: Primo, nulla satis justa, neque satis gravis causa hactenus à quoquam assignata esse mihi videtur, propter quam potentiæ tales duæ, officiis & functionibus propriis ac peculiaribus inter se distinctæ, statui debeant in anima humana. Nihil obstare mihi videtur, quo minus animæ humanæ, sive potius homini toti, tribuatur, quod sine ullis intermediis potentiis, ab ipso & inter se distinctis, proprietate sua naturali & immediatè se ipso intelligat & velit; ita ut cum intelligit aut apprehendit objectum aliquod sub ratione veri, illudq; cum aliis objectis conferens dijudicat, intellectus; cum verò ad agendum aut habendum aliquid se promovet, voluntas dicatur. Non quod intellectus & voluntas potentiæ sint in anima; sed tantum quia sunt termini, per quos designatur varia animæ vis, quæ ipsi à Deo data est, prout externè ad objecta refertur. Eodem planè modo, quo ens dicitur esse unum, verum, & bonum.

Non examinabo hìc causas & rationes, quæ à Doctoribus in contrarium allegari solent. Non est id instituti mei, neque hujus scholæ. Tantum id dicam secundo loco; Non tantum non esse causas justas ac graves, cur statui debeant tales potentiæ, sed causas justas ac graves non paucas esse, propter quos potentiæ tales in anima statui non debant. Inter eas (alias enim jam non allegabo) principem locum tenet ista, quæ difficultatis hujus, qua de agimus, punctum facit: Quod per distinctionem istam tota hominis electio aut planè necessaria, aut prorsus bruta & cæca actio statuatur. Cum enim intellectiva potentia sola intelligere, & judicare credatur; voluntas vero nihil prorsus intelligere, aut judicare, sed tantum velle atque eligere statuatur; necessum certè est, ut dicatur voluntas velle, vel quia per judicium intellectus determinatur ad volendum, ita ut non possit non velle, & sic non liberè sed necessariò velle: vel, si id nolumus, tum certè voluntatem suopte motu velle & eligere quod vult & eligit, & sic bruto quodam impetu velle atque eligere: quia ipsa non judicat quare eligat, aut cur hoc potius quam illud eligat. Est enim cæca, & ab intellectu, ut ajunt, realiter distincta ac diversa. Quod utrumque cum evertat funditus, id quod utrimque certissimum esse debet, & est, videlicet religionem, πολιτείαν, & disciplinam omnem, fieri non potest, quin id, ex quo illud sequitur, falsum sit.

Quod si verò ex altera parte statuamus animam hominis (sive hominem totum) proprietate quadam peculiari se ipsa immediatè intelligere; ita ut in ipsa immediatè formetur intellectio, per quam anima intelligens dicatur; & eandem animam, judicio & intellectione ista informatam, velle aut nolle promovere se suapte vi in objectum, quale quale vult; per quam volitionem anima volens dicatur, sublata est difficultas illa tota, & libertas sua rationalis voluntati plena atque integra constat; ita ut nec necessariò eam sequi oporteat judicium rationis, nec quando volitionem elicit, bruto & irrationali motu necesse habeat eam elicere, & sic tendere in objectum: sed ut possit judicium adhibere & illud sequi, si velit; vel, si judicium adhibere nolit, bruto & incondito motu, qui supremus libertatis apex & abusus est, ferri quo vult.

Hæc est præcipua caussa (alias enim plures Philosophicas alibi attulimus) propter quam tutò ac jure diversum à schola abire me posse arbitror: imo propter quam ab ea abeundum, & veritati intrepidè litandum esse statuo: justissima enim & gravissima est. Nisi enim id fiat, fieri non potest, ut religionis, sine qua in futuro sæculo beati esse non possumus, sua gloria sarta tecta maneat; ut legis & disciplinæ vincula constent, sine quibus securi in hoc mundo esse non possumus. Nulla dissentiendi libido, nulla altercandi scabies, nulla protervia nos ad hoc asserendum movet: Deus novit. Sola caussæ gravitas hanc nobis dissensionem extorquet. Neque vero per Deum immortalem, tanti nobis

unquam esse debent scholarum placita, ut ab iis recedere nefas arbitremur; etiam quando per ea religionis aut veritatis alicujus certæ atque indubiæ caput convellitur aut labefactatur. Tyrannis ista foret, nullis probo homini ferenda. Secandi potius sunt nodi isti Gordii, qui religioni aut claræ veritati officiunt, quàm sollicitè solvendi. Non raro febriculosorum quorundam pædagogorum περιττισμοὶ potius sunt, quàm sanorum hominum judicia. Tricæ tere sunt & remoræ bonarum mentium, quibus impediuntnr, quo minus ad nudæ & simplicis veritatis cognitionem perveniant; aranearum telis non absimiles, quibus, nisi vi perrumpas, irretiaris necesse est. Hoc adeò certum est, ut asserere ausim pleraſque & præcipuas difficultates, quæ nunc vigilantissimi cujusque industriam exercent, ex hoc fonte profluxisse. Grammaticæ hypotheses, & sollicitæ ludimagistrorum quorundam futilium præceptiones, specie quadam methodi elaboratæ atque amictæ, paulatim in regulas abierunt, & per traducem propagatæ, in ipsos Theologiæ fines irruperunt; tractuque temporis invalescentes, tanto cum applausu receptæ atque admissæ sunt, ut ea, quæ clarissima alioqui erant & indubia, istis umbris non aliter quàm profundis tenebris obscurata & involuta fuerint. Hinc nata est vocabulorum, terminorum, definitionum & distinctionum servitus tam immanis, ut ne hiscere quidem impunè cuiquam hodieque contrà liceat; & qui ea in dubium vocare audet, principia ipsa tollere, & contra solem loqui credatur. Atque ita quidem veritas, cujus simplex est oratio, definitionibus & distinctionibus istis, tanquam prætoriis quibusdam edictis, civitate pulsa ac proscripta est. Possem id multis documentis tam clarum reddere, uti Sol in meridie lucet, nisi brevitati studerem, & nisi id, de quo hic agimus, luculentam ejus rei fidem faceret. Quæso enim atque obsecro, per Deum immortalem, quinam sunt isti, qui scrupulos hos movent in hoc de libero arbitrio capite? quænam sunt fundamenta & principia, ex quibus ii potissimum istos hauriunt? Circumspice, & videbis solos artificialium istorum terminorum, & trivialium hypothesium fabros hic laborare & sudare. Ex principiis, fundamentisque in Stoâ aut porticu jactis, nodos præcipuos necti, & operoso artificio astringi. Quotusquisque inter tot millia millium est, qui in mundo versantur, & extra scholam enutriti atque educati sunt, qui de voluntatis libertate, non dico disputat, sed vel leviter hæsitat. Fidenter dicere audeo; nemo, nemo eorum, qui scrupulosas istas distinctiones potentiarum in anima aut ignorant, aut non curant, & quorum oculis umbraticus iste scholæ pulvis suffusus non est, hac de re litigat. Fatetur mundus pænè totus uno ore, ita liberè sese agere, quæ agit, ut contrarium agere in manu & poreſtate sua habeat. Et hac de re adeo persuasus est, ut si quis contra legem aliquam delinquat, seipsum pœna, licet alioquin horrida & atroci, dignum esse suopte animo atque ore confiteatur; nullam aliam ob causam, quàm quod convictus sit apud seipsum, quod non delinquere, id est, aliter agere, & potuerit & debuerit. Et intra hanc simplicitatem nudam atque apertam si constitissent omnes, minus, proh dolor! litium haberemus de hoc capite. At postquam ludimagistri quidam, & triviales tenebriones, simplicitatis odio dicam, an tædio, artificiis quibusdam & ambitiosis ambagibus in animæ humanæ arcana penetrare, & in eadem anima humana operosè multa quærere atque indagare cœperunt, quæ in ea non sunt, intra meras subtilitates, & inanes distinctiones stari cœptum est; adeo ut posteà quid libertas sit, & cui potentiæ in anima formaliter tribuenda sit, hæsitatum fuerit. Atque ita quod per se clarum est atque indubium, artificio scholæ, Heracliti tenebris obscurius redditum est. Quantò satius itaque facturum me putatis, si primæva atque innoxia ista simplicitate contentus, ex labyrinthis illis terminorum scholasticorum exeam, aliosque mecum ad eosdem carceres redire jubeam? Incitat me vehementer hanc ad rem, quod videam leges omnes ista simplicitate nixas esse, absque terminis & distinctionibus hominibus omnibus sine discrimine ferri ac promulgari. Tota religio Dei, quæ Veteri & Novo Test. comprehenditur, nihil aliud spirat, quàm hujusmodi nudam simplicitatem. Nec alia vulgi est oratio per universum terrarum orbem. Nescit millesimus mortalium, quid sit intellectus, quid voluntas. Hominem quisque se, &, quia talis est, liberè se velle atque agere confitetur: de cætero sollicitus non est. Idem si nos faciamus, nullus dubito, quin experimento certo comperturi simus, difficultatem, quæ antea fuit, nullam prorsus esse; eamque uti in schola nata est, iis solis relinquendam esse, quibus lubet in schola otium simul atque industriam perdere.

## CAPUT III.

### Per hominis libertatem intelligi dominium ejus in actiones intellectus & voluntatis, quarum aliæ sunt famulatrices seu præparatoriæ, aliæ imperatrices seu consummatoriæ: item in affectiones suas.

HAc difficultate è medio sublata, rectâ jam progrediemur ad examen liberi arbitrii, quâ videlicet in re libertas, ejusque usus positus sit. Hæc res occasionem nobis dabit multa dicendi, quæ ad difficultatis præcedentis, aliarumque infinitarum solutionem evidentissimam pertinebunt. Ita autem statuimus: Libertas hominis, sive animæ humanæ, nihil aliud est quam dominium quod homo habet in seipsum, sive potius in actiones suas, ita ut possit ex & à seipso velle aut nolle, & hoc aut illud velle, & viceversa. Liber enim propriè est is, qui actionum aut rei suæ dominus est. Prærogativa & privilegium hoc tantum est, ut eo majus creatura à Deo accipere non potuerit. Per illud enim eousque saltem eximitur divinæ omnipotentiæ, ut independenter ab omni alia re quasi agat, ut possit nolle subjici Deo, & contrarium velle ei quod Deus ipsi præcipit; adeò quidem ut nisi Deus vel ipsum totum destruat, vel libertatis ipsius usum extra ordinem impediat, & ad unum determinet, nullius alterius, quàm suæ ipsius propriæ potestati atque imperio subditus ac subjectus maneat. Impossibile enim est, ut cogatur voluntas; aut, si cogatur, ut voluntas libera sit. Ut enim velit contrà quam velit, fieri non potest. Vellet enim simul & non vellet. Libertas & servitus sunt incompossibilia, sive simul componi & consistere non possunt.

Veruntamen cum dico hominem beneficio hujus libertatis, dominum esse actionum suarum in solidum atque ex asse, non id volo, quasi homo possit facere omne id quod vult, quando & quomodo ipsi videtur. Absit. Non raro enim, & facere quæ nolit, & non facere quæ velit cogitur. Aliud longè est facere, aliud velle facere. Facta externa sæpe non sunt in potestate hominis; quanquam faciendi volitio semper in potestate ejus sit, quamdiu voluntas ejus salva manet. Interest divinæ providentiæ & supremi dominii, quod Deus in creaturam suam integrum semper sibi reservat, ut hoc dominium hominis ad ipsa facta se non extendat. Alioqui parum aut nihil abesset, quin homo Deus esset.

Quid itaque, inquies? Per actiones intelligo hoc loco eas tantum actiones, quæ actiones intellectus & voluntatis dicuntur Philosophis. Eæ enim ad naturam liberi arbitrii rectè intelligendam tantùm faciunt. Ut autem intelligantur quæ & quales eæ sint, operæpretium est fusius paulum de iis disserere. Actiones hæ sunt variæ, eæque cùm ordinatè agit homo sibi invicem subordinatæ. Quædam actiones sunt famulatrices sive præparatoriæ, quarum opera homo uti potest, aut non uti, prout vult: quædam actiones imperatrices & consummatoriæ, quas homo exercere potest, prout vult. Actiones primi generis sunt actiones intelligendi, sive apprehendendi naturam cujusque rei, prout est in sese; & dijudicandi ac discernendi, prout ea refertur ad aliud. Sub his actionibus comprehendo actiones considerandi, examinandi & indagandi cujusque rei veritatem & falsitatem, bonitatem ac malitiam. Eæ autem trium sunt generum. Prima actio est qua homo simpliciter discernit & distinguit jucundum ab injucundo, utile ab inutili, honoratum ab inhonorato, facile à difficili, decorum ab indecoro. Hæc dici solet Philosophis ratio inferior; & revera communis est homini cum brutis. In his enim rationis hujus lineamenta & vestigia tam evidenter deprehendere est, ut lucem in μεσημβρίᾳ quærere videatur qui de eo dubitat. demonstravit id abunde Plutarchus peculiari, quem ea de re scripsit, libro. Secunda actio est qua homo discernit rectum à pravo, honestum propriè dictum ab inhonesto, justum ab injusto. Hæc dici solet ratio superior: & hanc homo peculiari privilegio habet supra reliqua omnia animantia. cui etiam adjungenda est tertia actio, eaque præcipua, qua homo discernit inter objecta utriusque rationis, superioris & inferioris, quæ cui præferenda sint; puta, utrum rectum præferendum sit jucundo, honestum utili, & justum facili, &c. Actiones imperatrices sunt actiones volendi & nolendi, quibus homo videlicet simpliciter vult aliquid facere vel habere, & viceversa.

Harum actionum omnium homo est dominus in solidum. Potest enim homo velle aut nolle suopte Marte, id est, vel exercere vel suspendere actiones volendi, à nullo alio præterquam à se ipso motus atque impulsus. Deinde potest homo actionum famulatricum opera uti & non uti, si velit; id est,

eſt, poteſt velle aut nolle etiam inquirere, examinare, conſiderare, perpendere, quod offertur. Neque tamen volumus hominem ex ſe, & ſua vi propria, ac naturali induſtria ſua intelligere ac ſcire ſemper poſſe quid rectum, quid pravum ſit: Abſit. Propoſitione, inſtructione, conſilio, auxilio ſæpiſſimè opus habet, etiam in minimis quibuſque rebus: quantò magis in divinis & ſupernaturalibus? Deinde neque volumus hominem actiones intelligendi, & dijudicandi ita in manu ſua habere, ut poſſit quamlibet rem intelligere & de quaque re ſentire ac ſtatuere prout vult, id eſt, ut poſſit ſtatuere verum eſſe falſum, rectum eſſe pravum, honeſtum eſſe inhoneſtum: Abſit. Sicut enim oculus bene ſe habens & apertus, non poteſt non videre colorem aut lucem ſibi objectam; ita intellectus non poteſt non intelligere veritatem clarè propoſitam; ut, exempli gratia, duo & tria facere quinque: neque ſubjectus eſt hactenus imperio hominis, ut id quod album eſt nigrum, aut viride quod rubrum eſt judicare poſſit; ac proinde neque ſubjectus eſt imperio libero hactenus, ut quæ dubia ſunt certa eſſe judicet, quæ recta, prava, quæ facilia, difficilia. Tantum volumus hominem ita liberum eſſe, ut poſſit rationem adhibere in conſilium: & non adhibere ſi velit: plane uti oculum claudere poteſt aut aperire, pro arbitrio ac placito ſuo liberrimo: intellige in iis rebus, in quibus libera electio locum habet, & quæ in utramque partem expendi merentur. Alia enim eſt ratio earum rerum, quas homo non poteſt non velle amare & diligere, aut quas non poteſt non odiſſe, averſari & fugere. circa has enim res dominium hominis ceſſat.

Veruntamen operæpretium eſt hoc loco attendere, præter has actiones quas diximus, dari inſuper adhuc in homine affectiones quaſdam erga objecta tum ſuperioris tum inferioris rationis, puta affectionem & propenſionem in id quod jucundum, quod utile, quod facile & decorum ſibi eſt: item affectionem in id quod rectum & honeſtum eſt, ſaltem in genere. Eſt enim in homine nullo imperante, nullo jubente, naturalis quidam amor commodi, utilis & jucundi: denique recti & honeſti; contraque naturale odium incommodi, damni, infamiæ, turpitudinis & injuſti. Et hæ ſubjacent dominio hominis libero, non quidem quoad primos earum motus: (illos enim ſemper non habet homo in poteſtate ſua; imprimis quando affectiones ex conditione naturalis aut acquiſiti temperamenti immoderatiores ſunt & acriores redditæ. Tum enim facilè aut ebulliunt aut obtorpeſcunt:) ſed quoad earum concitationem, cum neceſſe eſt, aut ſuppreſſionem, cum res poſtulat.

Deinde attendendum etiam eſt ad id quod de actionibus famulantibus ante dixi. Eo ipſo enim quod famulantes eas eſſe dixi, indicare volui eas natura ſua ordinatas eſſe ad actiones imperatrices eliciendas, ac proinde eas præcedere debere; puta actiones conſiderandi, examinandi, dijudicandi, ante actionem volendi aut nolendi. Hinc enim conſequitur, hominem, ſi ordinatè & ritè agere velit, & dominium legitimum exercere in ſe ipſum, prius debere examinare & expendere, aut ſaltem prius debere velle examinare & expendere, quid eligendum ſit, quàm eligere. Idcirco enim ratio & judicium ſpeciali privilegio ſupra bruta alia conceſſum ipſi eſt; ut ejus beneficio libertatem ſuam, alioquin incircumſcriptam & vagam, dirigat & contineat intra terminos æquitatis: hos enim ſolos ponit ratio recta. Quod enim eſt in corpore oculus, ad locomotivam dirigendam, id eſt in anima ratio, ad electionem regulandam. Poteſt homo pro libertate ſua innata, ſeſe loco movere in omnem partem, & tam retrorſum quam prorſum, tam clauſis quam apertis oculis huc aut illuc ire: ſed ſi rectè & debitè movere ſe velit, ibit quo oculus ipſum diriget, & libertatem illam illimitatam ac vagam ex arbitrio oculi componet. Eundem ad modum poteſt homo eligere quod vult, aut electionem ſuſpendere pro dominio ſuo quod in ſe ipſum habet: ſed ſi debitè & rectè eligere aut non eligere aliquid velit, adhibebit prius rationem in conſilium, ne vaga & bruta ſit electio: id enim ad rationem pertinet ſtatuere. Niſi hoc verum eſſe ſtatuamus, neceſſum ut fateamur fruſtra datam eſſe homini rationem & judicium; quod per ſe ineptum eſt. Tantundem enim foret hoc, atque ſi quis homini bilancem in manu à Deo poſitam eſſe diceret ut nihil ea trutinaret atque expenderet; & oculos homini in fronte collocatos eſſe, ut eorum ductum non ſequeretur; id eſt non ut prorſum, ſed ut retrorſum iret; aut ut oculos clauderet cum ambulandum ipſi eſt: aut, ſi fruſtra ei datam eſſe rationem nolimus, neceſſum eſt ut fateamur illam datam ei eſſe ut ea poſt factam electionem utatur; quod multò eſt ineptius, & ab omni veriſimilitudine alieniſſimum. Ex quo porro efficitur hominem cum aliquid eligit, non prius adhibita rationis & judicii trutina, qua expendat cujuſque rei pondera ac momenta, inordinatè agere; perinde uti inordinatè agit is qui oculis ſuis palpebras obducit, aut ſibi ipſi oculos effodit, cum in trivio conſiſtit, & recta via quærenda eſt per quam ambulandum ipſi eſt.

Neque verò exiſtimare debemus hac ratione ſuum homini dominium liberum non concedi; ſed univerſam ipſius libertatem ex judicio rationis ſuſpendi: Nihil minus. Tantum abeſt ut id ex eo concludi poſſit, ut contrarium inde concludi debeat; adeò liberum eſſe hoc dominium hominis in ſe ipſum, ut licet ordinatè agere debeat, pro ſuo libitu tamen inordinatè agere poſſit, & cum regere ſeipſum debeat, tyrannidem in ſe ipſum exercere poſſit: juxta illud;

*Sic volo, ſic jubeo, ſit pro ratione voluntas.*

Hoc ut fuſius paulum deducamus; duo dicimus, ex quibus liberi hujus dominii gloria eluceſcit: 1. quod homo poſſit ſibi ipſi imperare ne adhibeat rationem in conſilium, quando aliquid electurus eſt; ſed ut feratur in objectum hoc aut illud bruti inſtar, non aliter quàm ſi ratione & judicio omni careret; planè uti homo ſibi ipſi imperare poteſt, nulla ratione adductus, ut retrorſum eat, tanquam ſi oculis præditus non eſſet, aut tanquam ſi cæcus eſſe dedita opera vellet. Hic eſt apex humanæ libertatis, quod homo poſſit hominem exuere, & ſe ipſum brutum atque irrationalem reddere; Unde deinde conſequitur quod ſupremus libertatis uſus, ſit extremus & maximus ejus abuſus. Quid enim indignius, quam hominem rationalem brutum fieri; & eum cui oculi in fronte poſiti ſunt, ut eorum ductum ſequendo prorſum eat, retrorſum ire velle, quia poteſt retrorſum ire ſi velit? 2. Quòd homo cum jam ordinate agit; id eſt cum jam ſibi ipſe imperat ut examinet & expendat rei alicujus eligibilis naturam & conditionem, nihilominus tamen dominium hoc ſuum ſemper liberum ſibi retineat; non tantum ut poſſit ſibi ipſi contrarium rurſum imperare (quod Galli vocant *contremander*) ſed etiam ut poſſit non eligere, quod jam ante ratio præeligendum eſſe dictavit; ſi modò illud non eligere conjunctum non ſit cum tali malo, quod homo non poteſt non ſummè odiſſe ac fugere. Tali enim caſu cedit libertas quæ alioquin, quia naturalis eſt, nunquam exuitur. Natura enim ſeipſam non deſtruit fruſtra aut ſine cauſa.

## CAPUT IV.

### Reſpondetur objectioni, Electionem non fore prorſus liberam ſi aliquid ſit quod eam determinet: & oſtenditur variis rationibus bonum jucundum propter ſe ſolum ab homine appeti, reliqua vero omnia propter illud.

UT intelligatur quod dixi in fine capitis præcedentis, altius paulum res tota repetenda eſt. Videtur enim electio non ſtatui prorſus libera, ſi aliquid ſit quod eam determinet in unam contradictionis partem. Quare ita ſtatuo: Electio omnis quæ ab homine fit, quia eſt actio & motio libera, non fit niſi propter finem aliquem quem homo aſſequi & habere vult, ut in eo adepto cum voluptate & delectatione quieſcat. Omnis enim motus nititur aliquo immobili. unde conſequitur hominem prius ac potius ſibi ipſi bene velle, quàm bonum velit; quia quod vult, propter ſe vult, ut nimirum ſibi bene ſit: vult enim ut fruatur. Nemo ſiquidem eligit ut eligat, nemo vult ut velit, nemo facit ut faciat; ſed ut eligendo, volendo & faciendo fruatur, aut fruitionem conſequatur ejus delectationis quam naturaliter deſiderat. fruitio eſt actionis omnis voluntariæ finis ac terminus.

Hoc poſito, neceſſe omnino eſt ut duo ſtatuantur: 1. eſſe aliquod bonum primum ac ſummum quod homo propter ſe appetit, & propter quod alia omnia expetit, illudque bonum eſſe bonum jucundum ſive delectabile. Solo enim delectabili bono fruitur homo: boni honeſti, utilis, facilis, decori nulla per ſe eſt fruitio. Voluptas ſola quæ ex iis reſultat, aut iis conjuncta eſt, eſt id quo frui poteſt homo. 2. Eſſe in homine affectum aliquem naturalem primum ac fortiſſimum, qui delectabilis iſtius boni fruitione afficitur. abſque hoc enim delectatio nulla fieri poteſt. Hic affectus eſt naturaliſſimus, & fundamentum omnis liberæ motionis in anima, proinde immobilis & per ſe neceſſarius, neque dominio voluntatis libero ſubditus, neque rationis examini aut diſquiſitioni obnoxius. Primum illud bonum aliud eſſe non poteſt quam totius hominis bene eſſe, ſive fælicitas ipſius totalis, eaque, ſi fieri poſſit, perpetua. Nemo enim homo eſt qui non fælicitatem cupit propter ſe, & propter eam non cupit alia omnia. Fælicitas autem hæc aliud nihil eſt quam jucunda, perpetua, & omnium bonorum aggregatione cumulata delectatio ac voluptas, in qua animus hominis penitus acquieſcit. Contrarium huic bono malum itaque non

poteſt

poteſt aliud quid eſſe quàm miſeria ſive dolor, isque perpetuus. Nemo enim homo eſt qui illum non ſumme odit & propter eum alia omnia. Neque vero hîc quenquam credo tam ineptum aut vanum futurum, ut regerat, hominem tamen eo ipſo quia dominus ſui ipſius eſt, poſſe ſe ipſum non tantum totum deſtruere, juxta illud:

*Eripere vitam nemo non homini poteſt:*
*At nemo mortem:*

Sed quod plus eſt, ſeipſum etiam poſſe doloribus excarnificare, & dedita opera miſeriæ mancipare, & eum in finem alleget exempla hujus & priſci ævi. Etſi enim fatear hunc actum etiam liberi dominii ſpeciem aliquam videri poſſe, tamen à me non impetro ut credam hominem actum hunc ſibi imperare poſſe, niſi inſanus & amens ſuæque ipſius voluntatis impos fiat. Quæſo enim, quo fine actum iſtum ſibi imperabit? Alius fingi non poteſt, quam ut liberum ſe oſtendat. At, inquam ego, libertatis iſta oſtenſio voluptatem nullam habet (quæ tamen omnis liberæ motionis fundamentum eſt) quando homo ſeipſum deſtruit. Eo ipſo quod fructu iſtius oſtenſionis frui cupiat, fruitionem ſibi adimit quando vitam ſibi eripit, quæ fruitionis fundamentum eſt. Nemo id unquam, quod ſcio, impetravit à ſe, neque impetraturus unquam eſt. Plus quàm brutorum pecorum foret ita agere. Quicquid agit homo ſanus, id eo fine agit, ut fructum aliquem conſequatur, ſive ille fructus ſit bonum aliquod delectabile, quod ex actione vel poſt actionem ſuam percipit, aut percepturum ſe ſperat, ſive carentia mali aut liberatio à malo quo premitur.

Neque contrarium teſtantur ii qui ſibi ipſis mortem conſciſcunt, aut cum mortem doloreſque effugere poſſent, mori, adeóque mille mortibus torqueri malunt, quàm ſuperſtites in vita manere. Nemo enim eorum alio animo ac ſcopo id facit, quam ut mala, quæ morte & doloribus omnibus graviora ſunt, vel graviora ſaltem ipſi videntur, evadat. Nimirum minus grave, minus moleſtum ipſi videtur ſemel mori, aut acutis & brevibus doloribus ſimul ac ſemel confici, quam diuturno conſcientiæ tormine cruciari, aut ſine gloria & honore vitam moleſtam atque acerbam diu traducere.

Quod ſi quis, his non obſtantibus, nihilominus tamen contendere velit, nihil obſtare quo minus homo actum hunc ſibi imperare poſſit, eo ipſo quia liber eſt; ille fateatur neceſſe eſt dominii hujus gloriam in eo etiam ſitam tum fore, quod homo quando vult ſeipſum non tantum brutum facere poſſit, (hoc enim ſpeciem adhuc aliquam habet; quia etſi ſeipſum brutum faciat, nihilominus tamen proprio ſuo commodo & delectationi ſtudet:) ſed etiam, quod merito extremè ineptum videri debet, ſummè ſtultum atque amentem. Hoc autem cum nullo modo veriſimile videri debeat, neque ejus rei ullum, vel levidenſe experimentum ab orbe condito factum ſit, certiſſimum utique videri debet, Bonum illud, quod diximus, eſſe primum & ſummum illud bonum, quod homo propter ſe appetit, & propter quod omnia alia appetit.

Veruntamen quia hæc ſententia à communi opinione nonnihil videtur recedere, & interim utilitatis ſummæ eſt, operæpretium eſt ut eam rationibus aliquot adſtruam & confirmem. *Prima ratio* qua adducor hæc eſt; Quia omnis volitionis ſive appetitionis terminus ultimus eſt fruitio: quod diſcurrenti per omnes actus voluntatis manifeſtum eſt: Nemo enim vult ut velit, nemo amat ut amet, nemo odit ut odio habeat, nemo ſperat ut ſperet, &c. Quotquot appetunt, illi appetunt eo animo ac fine, ut rei iſti quam appetunt uniantur, & ex unione cum illa percipiant, aut fruantur eo, per quod appetitio eorum ſedari poteſt ac ſatiari, & quidem ſatietate ac quiete, quæ ſatietas & quies voluptuoſa ſive delectabilis eſt. Quod adeo verum eſt, ut credam eos etiam, qui actionem virtutis propter ſeipſam appetendam eſſe judicarunt, & in ea ſummum hominis bonum collocarunt, nunquam ita ſtatuturos fuiſſe, niſi credidiſſent actioni illi ineſſe, aut ex actione, vel poſt actionem virtutis talem in animo delectationem, tranquillitatem & quietem exſiſtere, quæ omni alia re carior potiorque cenſenda ſit. Poſſem id multis oſtendere: ſed ne cui ſcrupulus fortè hæreat, ſubjiciam *rationem ſecundam*, quæ mihi eximendo omni ſcrupulo idonea videtur. ea hæc eſt: Quod legumlatores omnes ab omni retro ævo, adeoque Deus ipſe utramque legem ſuam, veterem & novam, boni hujus delectabilis promiſſione & contrarii mali comminatione ſanciverit. Hinc enim apparet evidenter, primum ac præcipuum bonum quod homo per ſe appetit, & propter quod ipſam virtutem & obedientiam appetit, judicari ab ipſo Deo bonum jucundum ſive bonum delectabile. Argumentum enim, ſive ratio movens voluntatem hominis ad legem obſervandam, ſive ad obediendum, prior eſt ipſa legis obſervatione, bonoque quod in ea ſitum eſt; utpote cauſa impellens & excitans ad obſervandum, quæ ſemper effectu ſuo prior eſt. Ac ne forte quiſquam ſuſpicetur promiſſionem hanc non eſſe niſi actum divinæ liberalitatis, quo indicat Deus, non quid ſit, quod hominem movere debeat aut rectè moveat ad obediendum, ſed quid illud ſit quo corruptus homo moveri vult vitio ſuo, adde *rationem tertiam*: Quod de optimis quibuſque, verbi gratia, de Abrahamo, Iſaaco, Jacobo, Moſe, aliiſque *Heb.* XI. *per totum*: & ne ſcrupulus ullus reſtet, de ipſo Jeſu Domino noſtro diſertè ſcriptum legatur, quod ſpe atque intuitu hujus boni motus fuerit ad obediendum Patri ſuo. Vide *Hebr.* XII. 2. & quod omnium rerum ultimum eſt, quod ſine hujus boni propoſitione, obedientia, quam Deus exigit à nobis, dicatur prorſus & omnino impoſſibilis. *ſine fide enim impoſſibile eſt placuiſſe Deo. Nam eum, qui accedit ad Deum, credere oportet Deum eſſe, & præmia largiri quærentibus ipſum;* uti diſertè dicitur *Heb.* XI. 6. Ex quo etiam obiter liquet Euangelii Domini noſtri Jeſu Chriſti gloria & excellentia; quando ab hominibus requirit fidem ſolam, futuræ immortalitatis & glorioſæ felicitatis per reſurrectionem obtinendæ, ſi modo pii ſint: eaque mundum & quicquid in mundo eſt vinci vult, & vinci poſſe affirmat. Quare qui præter & ſupra hoc Euangelium aliud aliquod perfectius Euangelium de Cœlo adferendum eſſe volunt, quod non fidei quam mercenariam & ſervilem vocant, ſed caritatis ſive Spiritus ſancti Euangelium indigitant, illi deſipere & contra naturam ſentire cenſendi ſunt.

Atque hæc quidem cùm ita ſe habeant, neceſſario conſequitur: 1. Nulla bona particularia, quæ rationis inferioris bona ſunt, ut ut jucunda, utilia, facilia, decora & honorata, ita appeti ab homine ut ea non poſſit reſpuere atque aſpernari ſi velit, aut alioquin ratio ea aſpernari ſuadeat. 2. Ipſum bonum quod honeſtum, ſive potius rectum dicitur, quodque rationis ſuperioris objectum eſſe diximus, non appeti ab homine pari & æquali amoris gradu cum bono delectabili, ſed tanquam medium ſolum quo ad delectabilis illius boni primi fruitionem pervenitur. Amatur enim eo tantum fine ut bonum delectabile, tanquam præmium amoris, per illud obtineatur. Quod ipſum certiſſimum atque infallibile ſignum eſt, virtutem virtutiſque actionem ſummum hominis bonum eſſe non poſſe; quia ſummum eſt quod omnia appetunt propter ſe, & propter quod alia omnia appetuntur. Deinde ſummum bonum eſt quod naturaliter ac neceſſario appetitur. At virtus mandatur ac præſcribitur homini ſub præmii ſpe & pœnæ metu. Naturalia autem non mandantur. Quæ cauſa etiam eſt quod homo nunquam jubeatur appetere bonum delectabile illud quod diximus. 3. Bonum honeſtum non raro repugnat bono iſti delectabili: & cum ipſius imminutione, adeóque totali etiam deſtructione aliquando conjunctum eſt. Imo, ut amplius aliquid dicam: Optima virtus tum exercetur, cum toleratur id quod maximè adverſatur bono delectabili: uti in patientia tormentorum & mortis videre eſt. 4. Recti & honeſti ſpecies uſquequaque certa non eſt. Quod enim huic populo, huic homini honeſtum & rectum eſt, id alteri inhoneſtum eſt & turpe: At bonum delectabile illud, de quo diximus, omnibus populis, nationibus, hominibus unum prorſus idemque eſt. Nemo enim non vult ſalvus & felix eſſe. 5. Conſequitur delectationem quæ ex virtutis actione percipitur, ut ut magna ſit, per ſe tamen non eſſe tale bonum in quo anima hominis quieſcit, ſed contra tale eſſe quod aſpernari & inſuper habere poteſt homo: imo cum quo homo miſer adeóque miſerrimus eſſe poteſt. Docent id omnes ii, qui cum ob recte facta ſua ab improbis & pravis hominibus miſerè affliguntur & vexantur, non modo nullam ex rectè factis iſtis ſuis voluptatem aut delectationem capiunt, ſed etiam anxiè plerumque dolent, mœrent, lugent, gemunt ac ſuſpirant, quod ad rectè facta ipſorum nulla alia merces ſequatur. Imprimis autem docet id Apoſtolus in 1. *ad Corinth.* XV. 19: cum ſe & Chriſtianos omnes, licet ſanctiſſimos, virtutibuſque & pietate egregios, nihilominus miſerrimos pronunciat, ſi ultra vitam hanc ſpes eorum non protenditur, aut ſi reſurrectio corporum ipſorum non expectatur. At quo modo, non dico miſeros, ſed miſerrimos omnium mortalium pronunciare potuiſſet Apoſtolus Chriſtianos, virtutis ſanctitatiſque ſectatores ſtrenuos, ſi virtus ipſa, aut ſi delectatio quæ ex virtutibus percipitur tale bonum ſit, in quo acquieſcit homo? Adde quod contrarium verum eſſe docuerit Apoſtolus, cum eodem illo *cap.* XV. 32. non obſcurè indicat cauſam nullam eſſe cur virtuti patientiæ ſtudendum, & ſanctimoniæ atque innocentiæ Chriſtianæ opera magnoperè danda ſit, ſi nulla alia quam quæ ei conjuncta eſt delectatio poſtea ſecutura eſt. Quin potius, inquit, *edamus & bibamus, cras enim morientur.* quaſi dicat, ſi aliud nullum delectabile bonum ad nos rediturum eſt, quam quod ex ipſa virtute percipitur, imo ſi primum

mum ac præcipuum iſtud bonum fælicitatis per reſurrectionem ex morte ad nos non eſt perventurum, ſatius multo eſt virtuti & ſanctimoniæ Chriſtianæ epicedium ſcribere & nuncium remittere, imo quamlibet aliam delectationem in hac vita conſectari, quandiu licet, quam virtutem colere, & interim cum miſeriis & afflictionibus per totam vitam conflictari, & tandem nihilominus cæterorum inſtar hominum, qui ſuaviter hîc ederunt & biberunt, ſine ſpe reſurrectionis interire. Aut iſta fælicitas merces eſt virtutis Chriſtianæ, aut cauſa nulla eſt cur abdicata virtute, alia quælibet delectatio & voluptas in hac vita non quæratur.

## CAPUT V.

### Quem ordinem in eligendo ſequi debeat homo, ſi ordinatè & ſecundum rectæ rationis ductum in ſuæ electione procedere velit.

EX iis quæ hactenus deduximus apparet hominem, ſi in eligendo ordinatè procedere velit, & ſequi ductum atque ordinem quem natura rei & recta ratio ſequendum eſſe dictat, hanc viam in eligendo ſecuturum, quam in ratione boni eligibilis eſſe aliquot propoſitionibus nunc indicatum imus.

I. Primum bonum, quod vult, eſſe bonum quod ipſi toti, quantus quantus eſt, dat bene eſſe, ſive eſſe delectabile, & ſi fieri poſſet durabile, æternum ac continuum, ita ut totus, totaliter & ſemper delectetur. Hoc quia non liberè ſed neceſſariò vult homo, omnia alia quæcunque vult propter hoc ipſum conſequendum, quoad uſque fieri poteſt velit neceſſe eſt. Hoc adeò verum eſt, ut ſi homini ſola tantum opinio hæc ſolide imprimi poſſit, quod ſi hæc aut illa faciat aut patiatur, bonum illud certò conſequuturus ſit, & quod aliter illud conſequi non poſſit, ea promptè, libenter atque alacriter facturus & perpeſſurus ſit, etiamſi talia ſint, à quibus alioquin naturaliter valdè abhorret, & quæ nunquam alias facere aut pati vellet, ac vix velle poſſet.

II. Proximum huic bonum, eſt illud bonum ex quo ejuſmodi percipitur delectatio, quæ vel proximè accedit vel proximè, ſaltem accedere creditur ad primum illud: quale bonum eſt quod carni ſuavitatem imprimit & ſpiritui tranquillitatem ſuam non adimit. Hoc enim eſt bonum totius hominis: ſed tamen non eſt niſi particulare. Hinc eſt quod variet ſæpè pro ratione temperamentorum & opinionum. Quod enim huic ſuave eſt & gratum, alteri non eſt ſuave nec gratum. Et hinc nata ſunt diverſa de hoc bono judicia. Epicurus credebat ſe ſuaviſſimè & tranquilliſſimè vivere, quando ſecundùm naturam vivebat, id eſt, cum non niſi famelicus ederet, non niſi ſitiens biberet, &c. & non ederet nec biberet plus quam ſatis erat. Alii ſuavitatem & tranquillitatem hanc in luxu ſitam eſſe ſibi perſuadent, cum videlicet ſeipſos totos explent & proluunt omni delitiarum & cupediarum genere, quas conſequi poſſunt. Alii aliter judicant.

III. Quæ poſt hæc ſequuntur bona, ea cient delectationem vel in carne tantum, vel tantum in ſpiritu ſive animo hominis; & hæc partis unius in homine, non autem totius hominis, bona ſunt: Hinc alii amant crapulam, alii venerem, alii honorem, alii ſcientias, alii virtutes, &c. Sed quia delectatio quæ in carne ſentitur, acriorem & profundiorem ſui ſtimulum ac ſpeciem in anima imprimit ac diffundit, quam ea quæ in ſpiritu ſolo vagatur; Hinc eſt quod tertium locum adſignemus delectationi carnali. Etſi vero certum ſit ſpiritum hominis vehementer etiam affici ac titillari bono ſuo, imo boni ſui opinione, puta virtute, honore, gloria, &c. ejuſque ſtimulum valdè eſſe potentem; tamen delectationem, quæ in carne fit, fortiorem eſſe, inde colligo, quod videamus per delectationem carnis ipſum etiam ſpiritum hominis delectari, & trahi, non tantum in conſenſum delectationis, ſed etiam venire in ejus participium, ſaltem quamdiu illa durat. delectationem autem, quæ in ſpiritu verſatur, carni nullam perceptibilem ſui ſpeciem communicare, aut communicare poſſe. Caro enim non videt, nec ſentit, nec odoratur, nec audit, nec tangit, nec palpat, imo nec videre, nec ſentire, nec odorari, nec palpare poteſt delectationem quæ in ſpiritu ex virtute & recti ſtudio eſt: Spiritus ſolus afficitur ea. Hæc eſt cauſa cur ii qui voluptatibus carnis dediti ſunt atque aſſueti, fere difficilius ad virtutis amorem redire ſoleant, quam ii, qui virtuoſi ſunt, ad vitium poſſint relabi. Etſi enim utrumque difficulter fiat, tamen prius difficillimè omnium fit, uti poſtea videbimus. Delectatio itaque, quæ ex virtute & honeſti rectique ſtudio exiſtit, poſterior eſt, & poſtponenda naturæ ordine delectationi quæ ex voluptatum carnalium commercio eſt. docet id Apoſtolus, uti præcedenti capite oſtendimus, 1. *Corinth.* XV, cum judicat orationem eorum qui dicunt, *Edamus, bibamus*, & de virtute ſoliciti non ſimus, *cras* enim *moriemur*, multo eſſe rationabiliorem, ſi reſurrectio mortuorum ſecutura non eſt, quam eſt eorum oratio, qui dicunt, virtuti ſtudeamus, feramus, patiamur adverſa omnia; & interim ſeſe ipſos damno omnium voluptatum in hac vita mulctant, & inani tantum ſpe boni alicujus poſt hanc vitam futuri fruſtra lactant. Et certè ſi delectatio quæ ex virtute percipitur, poſterior non eſſet delectatione quæ carne percipitur, utique ad virtutem & rectum amandum, præmio delectationis quæ in carne eſt ineptè à Deo ipſo moveremur. Motio enim fit à fortiore & potiore. Imo plures homines virtuoſi quam vitioſi reperirentur. Plures enim cauſſæ eſſent cur virtus amaretur quam vitium. Si enim ſola delectatio quæ ex vitiorum contubernio in carne percipitur, ſive illa vitiis ipſis inſit, ſive cum iis conjuncta ſit, facit ut à pleriſque mortalibus virtus vitiis ipſis poſtponatur, cum tamen virtus ipſa pulchra ſit & honeſta, vitia vero fœda ac turpia: quomodo non, ſi honeſtati & pulchritudini quæ virtuti ineſt, & à vitio abeſt, conjuncta eſſet major, imo æqualis, aut non minor delectatio quam quæ in carne ex vitiis percipitur, fortiorem ſui amorem animis noſtris imprimeret virtus quam vitium?

Ex hoc colligo: I. honeſtum amari quidem ab homine ſimulatque cognoſcitur, quia pulchrum, id eſt rectæ rationi conſentaneum eſt; ſed non aliter nec diutius quam, quandò & quamdiu delectabilis alicujus boni fruitionem non impedit. Hæc cauſſa eſt quod virtutes illæ quæ cum delectationis noxa aut damno conjunctæ non ſunt, tam diu & tam frequenter apud pleroſque mortales, etiam peſſimos, ubique gentium ſemper locum retineant; & contra quod virtutes quæ cum noxa delectationis ſunt conjunctæ, quia videlicet in malorum difficilium & noxiorum toleratione ac victoria ſitæ ſint, etiamſi alioquin optimæ ſint & pulcherrimæ, raro tamen & inter paucos reperiantur. Ita benefactorem amare, colere, revereri, innocentem abſolvere ac laudare, nocentem damnare ac reprehendere, gratitudinis vicem rependere, miſerum juvare, aliæque ſimiles virtutes ubique locorum, etiam inter barbaros in pretio ſunt & honore. At qui contumelias æquo animo ferant, inimicos ament, benefacere velint perſequentibus, omni ſæculo ac loco paucos admodum reperire eſt.

II. Quod ſi contingat ut honeſtum amari non poſſit niſi cum primi ac principis boni damno ac detrimento, puta cum voluptatum omnium quæ in hac vita haberi poſſunt, vitæque ipſius amiſſione, imo non niſi cum dolorum acerbiſſimorum perpeſſione, breviter cum deſtructione τῦ εἶναι καὶ τῦ εὖ εἶναι totius hominis, tum fieri poteſt ut non tantum honeſtum ac rectum negligatur aut non curetur, ſed etiam nulla juſta cauſſa aut ratio dari poteſt cur ametur. Quis enim virtutem amare & facere id quod rectum eſt volet, qui ſcit ſe propterea vita privatum iri, aut, ſi in vita ſuperſtes maneat, ſe non niſi cum perpetuis doloribus & miſeriis in vita ſua conflictaturum eſſe, & qui interim nullum delectabile bonum poſt vitam deſitam ſperare habet? Conſcientiæ tranquillitas & animi quies quæ ex virtute gignitur, non poteſt ſufficere ad impellendum nihilominus hominem ad virtutem: quia conſcientiæ quies particulare bonum eſt ſpiritus, quod cedere debet bono generali quod totius hominis bonum eſt. Hoc enim majus ac proinde fortius eſt. Hoc enim deſtructo illud etiam deſtruatur ac pereat neceſſe eſt, non vice verſa. Deinde conſcientiæ inquietudo, ſi rectè rem putemus, per ſe non admodum gravat hominem, niſi conjuncta ſit cum opinione aut metu ſenſibilis alicujus mali, & tam grandis, ut ab eo naturaliter adhorreamus. Tolle metum judicis quem offenſum putamus & cujus plagam formidamus: Tolle apprehenſionem mali quod incurſuros nos nobis imaginamur poſtquam conſcientia læſa eſt, valdè debilis imo nullus pæne erit conſcientiæ morſus, & qui ex eo exiſtit dolor. Id ita eſſe ex eo liquet, quod conſcientia ſequatur ſcientiam, &, quæ ſcientiæ admodum eſt affinis, opinionem. Hinc enim tanta conſcientiarum varietas per totum orbem terrarum, quia ſcientiarum & opinionum tanta eſt diverſitas. quod hujus conſcientiam lædit & dolore afficit, id alterius conſcientiam non modo non lædit ſæpenumero, ſed & delectat. Itaque ſi ſcientia aut opinio homini adſit, quod nulla ratio dari poſſit cur virtus cum periculo fælicitatis univerſæ amari debeat, non torquebitur conſcientiæ ſuæ morſu ſi virtutem deſerat, ut fælicitatis illius compos fiat aut maneat. addo quod & nulla ratio dari poteſt: ſi quæ enim daretur ea eſſet metus mali alicujus grandioris. At nullum malum majus eſſe poteſt quam totalis hominis deſtructio, vel perpetua miſeria ac dolor. Quocirca ſi hoc ipſum malum cum ſolius virtutis exercitio conjunctum ſit, & virtute deſerta evadi poſſit metus illius mali ſi virtus non ametur,

ametur, ratio esse non potest propter quam virtus amari debeat.

III. Ut recti & honesti, vel potius virtutis, quæ sine delectabilis boni detrimento aut damno exerceri non potest, amor ingeneretur, necessum est ut per alterius & majoris boni delectabilis, tanquam præmii secuturi spem fiat. Spes verò debet per argumenta ingenerari quæ non sentiuntur, sed ratione tantum percipiuntur. Sensus enim boni & spes non possunt simul consistere. Quod enim quis videt cur speret? Atque hoc quidem casu principalem occasionem accipit homo, inter duo bona medius positus, exercendi libertatem duplicem: Unam qua sibi ipsi imperare potest, non tantum examen diligens boni utriusque, quod per rationem duplicem, tum inferiorem, qua examinet propriè quod, quale, quantum sit bonum delectabile quod deferendum est ut virtus ametur, quod, quale & quantum sit bonum quod promittitur si virtus ametur; utrumque enim est delectabile: tum superiorem, qua examinet ecquod illud opus sit quod faciendum præscribitur: sed judicium etiam de utroque isto, utrum præferendum & præeligendum sit. Has nim actiones dominio hominis libero subjacere ante diximus. Alteram qua sibi ipsi imperare potest, ut absque ullo examine & judicio discretorio, bruto impetu vel perfunctoria cura eligat aut adhæreat cui cui vult. Sed de hisce duobus porro sequentibus capitibus agemus.

## CAPUT VI.

### Quomodo homo inter duo vel plura bona positus liber sit. Et quotupliciter hic libertate sua abuti, brutéque in eligendo se gerere multi soleant.

REstat jam ut videamus, 1. quomodo homo inter duo vel plura bona positus liber sit & liber dici possit. 2. qui fiat ut, liber cum sit, plerumque tamen uni certo alicui bono adhæreat mordicus, & ab eo bono difficilime possit dimoveri. Ex quo operæ pretium erit colligere causas, propter quas fit, ut tam pauci serii virtutis sectatores reperiantur, & tam raro ac difficulter, qui semel ad vitia prolapsi sunt, ad fidem & frugem revocari queant, & quænam sint remedia per quæ id optimè & pæne necessariò peragi possit ac debeat. Ex antedictis patet hominem ita creatum esse à Deo, ut Dei instar pænè sui ipsius dominus sit, excepto quod Deo soli subditus semper sit. Dominium hoc in eo situm est; primo, quod possit ipse sibi ipsi imperare electionem boni prout vult, nullo adhibito judicio rationis, etiamsi duo vel plura bona eligenda proponantur. Secundo, quod possit rationem adhibere, quæ ipsi consiliarii instar data est, cujus beneficio atque auxilio consideret, examinet & perpendat rei cujusque naturam, qualitatem ac meritum, antequam hanc aut illam eligat: plane uti ad locomotivam dirigendam oculo uti potest si velit, & eundem claudere potest, si non prorsum sed retrorsum ire velit. Potest itaque homo libertate sua vel rectè uti vel abuti. Abutitur libertate sua, cum non ratione ac judicio, sed impetu bruto, fertur in objectum. quod duobus fere casibus facere homo solet: vel cum ei nullum aliud bonum, sive potius nulla alia bona quam quæ jam habet eligenda offeruntur, vel cum aliud aliquod bonum sive etiam alia plura bona ipsi offeruntur aut occurrunt. Cum homini nullum aliud bonum quam quod jam habet & quo jam fruitur offertur, tum brutè sese gerit quando uni illi ita adhærere vult ut brutum, quod sensu unius tantum præsentis boni ducitur: ac proinde quando rationem & judicium suum, quo aliud quærere & reperire posset, impendere non vult ut eligat quod melius, præstantius & dignius est, id est cum imperare sibi non vult ut investiget & quærat id quod optimum est, sed acquiescit in eo quod habet, qualecunque tandem illud sit. Eadem est ratio in cognitione veri.

Cæterum uni bono adhærere velle potest dici homo dupliciter: 1. Directè, ita ut velit uni tantum bono adhærere, & ex professo intendat aliud non quærere. 2. indirectè & interpretativè; ita ut velle dicatur uni adhærere, quia videlicet non adhibet curam aut diligentiam quam potest & debet, ut quærat id quod optimum est; idque beneficio rationis quæ ipsi à Deo data est. Prima voluntas maxime brutalis est. In talibus enim hominibus ratio haud multo plus facit quam in bruto sensus. Sed pauci ad hunc brutalitatis gradum perveniunt. Si qui sunt, iis anima stupidissima est, ut piscibus, aut iis anima pro sale est, ut suibus. Secunda voluntas minus est brutalis, & hæc in plurimis mortalium habet locum. Plerique enim mortalium non feruntur certo judicio & ratione in bonum quod amandum esse judicant, sed impetu feruntur in id quod obvium est, quod vel nascendi conditio insinuat, vel sors offert, vel casus objicit; & dum id habent soliciti non sunt de cætero; mitulorum instar qui loco & conchæ uni mordicus mancipati manent, & isto tantum succo vivunt qui occurrit & injicitur. Sed horum hominum electio, etiamsi vitio non careat, eo ipso quia bruta est, excusari tamen aliquatenus meretur, propterea quod aliud bonum ob oculos non habeant, cujus amore capi atque incendi possint, sed illud ipsi prius quærere necesse habeant.

Veruntamen fieri potest, ut homini aliud aliquod bonum, quam quod jam actu habet, offeratur aut occurrat, ita ut quærere illud necesse non habeat, & ut tum etiam brutè se gerat. Potest enim hîc etiam vel directè vel indirectè sibi ipsi imperare, tali casu dato, ut non adhibeat judicium discretorium inter hoc & illud bonum, quid nimirum cui præstet, sed ut retineat quod semel habuit, vel ut sequatur de novo unum eorum quæ offeruntur, non quia id sequi melius esse judicat, sed ut ne nullum sequatur. Neque refert ad hoc ut ne bruta fit hujusmodi electio, quod sequatur id quod optimum est, & quod sequendum revera est. Fieri enim potest. 1. ut optimum non sequatur certo judicio, sed ut casu in illud incidat, id est ut non sequatur id quod optimum est, quia id omnibus aliis perpensis & collatis optimum esse judicat, sed quia contingit ut id quod eligit optimum sit. Et in horum ordine colloco etiam eos qui rationem superiorem sequuntur, id est qui virtutem sectantur, qui faciunt quæ recta & honesta sunt, imo qui vitam Euangelicam ducunt, non tam quia adhibita ratione & consilio certo judicant ac persuasi sunt ita vivere optimum esse, quam quia vel nativitatis beneficio, vel educationis & instructionis auxilio, à teneris isti vitæ generi ita sunt adsuefacti, ut difficilè ipsis sit ab eo discedere & aliter agere. Hi enim non sunt verè probi & virtuosi, neque ut tales propriè placent Deo, sed brutorum instar sequuntur id quod ipsis non cogitantibus obvium factum est, contrarium facturi si ita nascendi conditio aut sors obtulisset. Nemo verus Dei cultor dici meretur, nisi qui intentionem & scopum habet Deum colendi eo ipso quia cultum sui postulat. Interim tamen qui isto educationis privilegio gaudent, aptiores multo sunt ad virtutis liberum studium, quam qui eo carent.

Deinde 2. fieri potest, ut quis amplectatur id quod optimum est, non adhibito judicio, sed bruti instar sequens antecedentium gregem. Ita enim ovis ovem sequitur, & pecudes eunt qua itur, non qua eundem est. Dices fortasse: An itaque brutè eligere & agere eum credemus, qui eligit & sequitur id quod plurimi & præcipui inter quos vivit eligunt & faciunt? Resp. omnino. nec enim hæc est ratio propriè dicta qua homo moveri debet, sed sensus & experimentum quo bruta, pueri & fatui trahi ac duci solent. Qui enim ita agit, is non sequitur plures idcircò quia judicat illos plures optimè facere, sed quia eos sibi præire videt. Si enim cum ratione judicaret illos optimè facere, non sequeretur eos quia plures sunt, sed quia benè judicant, sive plures sive pauciores essent. Hoc enim est rem sequi quæ non videtur sed dijudicatur, quod rationis est: illud, hominem sive personam, quæ non judicatur sed videtur, quod sensus est. Rationis est primum ponderare rem ante quam sequitur personam. Sensus sequitur primo personam & propter eam rem. Dices fortasse: Quid si sequatur eos, non tam quia sunt plures, quam quia sunt eruditi, graves, sapientes, honorati, quos omnia non nisi ante matura deliberatione præmissa & consulto facere certum est, an nihilominus brutè agere dicetur? Resp. Sequela hæc speciosior & magis rationalis esse videtur: sed si proprius videatur, revera bruta est & pecuina. Eruditio enim, gravitas & sapientia quæ iis ineset quos talis sequitur, ratione non dijudicatur ab eo, sed sensu: quia videlicet videt & audit eos pro talibus haberi atque æstimari. Nam si cum ratione illos eruditos & sapientes esse judicaret, scire deberet qua in re eruditio & sapientia posita sit, & utrum ii qui præeunt, sapientiæ instinctu an aliis de causis faciant quod faciunt. Si utrumque hoc sciret, jam non sequeretur illos quia eruditi, graves, honorati sunt qui præeunt; sed quia id quod ipsi sequuntur tale est, ut ab iis qui eruditi & graves viri sunt amari ante omnia debeat. Atque hoc demum est judicio non sensu duci. Et hoc est certissimum κριτήριον illud ex quo infallibiliter colligi potest, utrum quis brutè eligat aut sequatur bonum aliquod, an non. Si enim quæram ex aliquo, Cur sequeris illud, non hoc? & is mihi respondeat, Quia ratio justa me movet; non statim credendum est id sufficere ad hoc ut talis non brutè agere dicatur. Si enim quæram porro ex illo, Quæ ratio movet te? & respondeat mihi, quia plures id sequuntur, jam statim brutalitas se prodit. Nec satis est si addat, quia plures isti quos sequor

quor eruditi, ſapientes, pii, graves viri ſunt. Quæram enim ex illo, Qui ſcis illos tales eſſe? Sciſne qua in re poſita ſit eruditio, ſapientia, probitas vera? &c. Si ſcis, jam non ſequeris illos præeuntes, ſed idem facis quod illi: ſi non ſcis, quomodo ſequeris ut tales? Hic hæreat neceſſe eſt, & dicat tandem, quia multi aut omnes dicunt illos tales eſſe. At pergam ego quærere, Iſti multi qui hoc dicunt, aut ſunt eruditi aut non: ſi ſunt eruditi, redit eadem quæſtio, unde id ſcis cùm ipſe eruditus non ſis? quod eſt in infinitum abire. Si non ſunt eruditi, quomodo iſti poſſunt de eruditione judicare, aut quomodo tu eorum judicio niti potes? Quis exitus? Neceſſum eſt ut tandem eo recidat ut dicat, Eo quo itur. At hoc eſt brutorum.

## CAPUT VII.

### Quî fiat ut homo qui liber eſt & ratione præditus, uni ferè objecto ad quod ſemel delatus eſt mordicus adhæreat, ita ut ad alia conſideranda nec ſe excitet, nec ab aliis excitari facile poſſit. Et quodnam ſit huic malo remedium.

VEruntamen mirum merito pleriſque mortalium videtur, qui fiat ut homo, qui privilegio libertatis tam inſigni præditus eſt, cui ratio peculiari beneficio data eſt ad quærendum & examinandum bona omnia, cujuſque maximè intereſt ut bono optimo fruatur, uni fere rei atque objecto ad quod ſemel delatus eſt mordicus adhæreat, ita ut nec ipſe ſeipſum pro libertate ſua excitare ſtudeat ad alia conſiderandum, nec ab aliis excitari facilè poſſit. Ita videmus plurimos mortales conchyliorum inſtar iſti vitæ generi, iſti ſtudio, iſti profeſſioni, Religioni, ſectæ, per omnem fere vitam ſuam addictos hærere, cui ſemel ſeſe dediderunt aut initiati ſunt à teneris unguiculis. Nemo facile movetur ut tranſeat in novum vitæ genus. Nemo libenter inducit in animum ſuum, ut rationem vivendi mutet. Qui Pontificius naſcitur aut factus eſt, manet pontificius. Qui diſciplina Lutheri aut Calvini ſemel eſt imbutus, is nigris lanarum ſimilis eſt quæ colorem alium non bibunt. Raro de ſecta in ſectam tranſeunt, niſi morbo animi. ſuum cuique pulchrum videtur. quod quis ſemel elegit ab eo ſine dolore non divellitur: id deperit fere ad mortem uſque. *Pauci quos æquus amavit Iupiter, aut ardens evexit ad æthera virtus.* Operæ pretium eſt inquirere quæ hujus rei cauſſa eſſe poſſit, & quomodo cum hujuſmodi obſtinatione & determinatione libertas maneat incolumis. Varii varias ſolent cauſſas allegare, ſed eæ mihi omnes ex una videntur oriri, quæ radix omnium eſt. Ea eſt delectatio quædam, quæ homini pæne inſenſibiliter ex contubernio boni iſtius cui ſemel ſe applicuit oboritur, & quæ interim magna & valde grata eſt, ſanitatis inſtar, qua homo inſenſibiliter pæne & tamen valde delectatur: quod tum maxime liquet & ſenſibiliter percipitur cum turbatur aut diſſolvitur. & hæc delectatio multis aliis in rebus habet locum. Ita videmus delectationem pæne inſenſibiliter gigni in nobis ex ſolo contubernio rei, licet viliſſimæ, quæ ſæpe nec jucunditatem nec utilitatem pæne ullam adfert, adeo ut ſæpe conſortium canis, felis, canthari, libri, vaſis, faciat ut non niſi cum dolore illud derelinquamus. Eadem eſt ratio delectationis, quæ ex conſortio opinionis, profeſſionis pæne inſenſibiliter in animo gignitur: adeo ut hæreas & ames rem, & tamen pæne neſcias te eam amare, imò non ante ſentias te ei intime hærere & arcte conjunctum eſſe, quam cum ab ea divelleris. Tum enim dolor naſcitur ex ſolutione continui. Nimirum ineſt cuique rei bonitas ſeu ſuavitas quædam, propter quam ei conjungi volumus. nam ſi prorſus ingrata res ſit, non volumus nec poſſumus ei conjungi niſi inviti. Hæc ſuavitas ſemel hauſta atque impreſſa in anima ex iſto bono, ſive ex iſto vitæ genere cui homo ſemel ſe applicuit, occultam & incredibilem vim habet, quæ tanto magis ſemper creſcit & augetur quanto diutius hæret in anima, latiuſque ſe ipſam diffundit ac dilatat, ſaccari inſtar & vini delicati, quod ore ſubito hauſtum & linguæ leviter primum adſperſum, ſed protinus rejectum aut tranſmiſſum, minori multò dulcedine linguam imbuit, quam ſi in ea aliquamdiu hæreat, ut diluì poſſit, atque ita virtus ejus explicata ad nervos uſque penetrare. Eadem autem eſt ratio animæ quæ linguæ: ipſa eſt indifferens ad omnia; ſed ubi unius rei dulcedine imbuta eſt, ejus amore mirifico accenditur, adeo ut vix de aliis cibis guſtandis, id eſt bonis quærendis cogitet.

Delectationis hujus maxima eſt vis, ſi tria accedant, eaque vel omnia ſimul vel unum tantum eorum. 1. Naturæ temperamentum, id eſt, ſi vitæ iſtud genus, ſtudium & profeſſio illa cui homo applicitus ſemel eſt, tale aliquid ſit in quod naturali affectu & conditione ſuæ complexionis magis inclinatur quam in ullum aliud vitæ genus. 2. Conſuetudo & familiaritas longa ac diuturna, ita ut in iſto vivendi genere educatus ſit à teneris, in eo aſſiduè inſtitutus & per converſationem frequentem in eodem vitæ genere confirmatus ſit, & adoleverit. Magna eſt naturæ vis & acer ejus ſtimulus. Semper enim & intimè præſens eſt, urget & incitat. Ita Horatius: *Naturam expellas furca, tamen uſque recurret.* & Juvenalis: *tamen ad mores natura recurrit Damnatos, fixa & mutari neſcia.* Sed nec minor, ſi non major, vis conſuetudinis eſt, cum videlicet ad naturam accedit. Glutini inſtar eſt, quod cum recenter primo applicatum eſt, non niſi leviter tantum adſtringit: at poſtquam aliquamdiu hæſit, adeo arcte & firmiter adſtringit, ut quæ duo ſunt non niſi una quædam res eſſe videantur. Hoc adeo verum eſt, ut videamus eos qui alicui vitæ generi, licet ſordido, vili, & laborioſo ſunt adſueti, adeo ægre ab eo divelli poſſe, ut tædeat ipſos ac pigeat de alio vitæ genere cogitare aut audire. Nimirum ruſticus in ſtabulo & rure ſub dio degere mavult, quam in aula aut urbe. Sic ſcapham ſuam amabit nauta præ palatio, & miles præ otio ac quiete militiam ac grave Martis opus: quinimo panem & aquam delitias ſummas judicabit, nec alias quæret dapes, quas in aulis regum principumque eſſe novit. Qui cereviſiæ, imo aquæ meræ potu adſuetus eſt reſpuet vinum, &c. Conſuetudo ita jubet, atque inſenſibiliter pæne cogit eos, ut aliter cupere vix poſſint. Similitudo enim eſt mater amoris. Simile gaudet ſimili. Similitudinem autem, imo pæne identitatem, facit conjunctio & familiaritas. Et hæc eadem eſt mater præjudicii, quo tanquam faſcino & philtro quodam imbuitur anima. adeo ut quod diu multumque verum & bonum eſſe judicavimus, vix in animum poſſimus inducere falſum eſſe poſſe. Non enim niſi ægre & cum dolore poſſumus avelli ab eo cum quo aliquamdiu uniti viximus. Et hæc eadem conſuetudo in cauſſa eſt, cur ii qui vitio aut virtuti ſemel ſunt adſueti, difficulter inde poſſint dimoveri: juxta illud, *Si æthiops poteſt mutare pellem ſuam, & pardus maculas, & vos poteritis bene facere, adſueti male facere.* Item: *qui ex Deo natus eſt non peccat, imo non poteſt peccare.* Similiter conſuetudo facit, ut ii qui ſenſibilis alicujus voluptatis præſentia, experimento, aut ſenſu aliquamdiu ſunt gaviſi, tenaciſſimè & hæreant & ægerrime ab eo dimoveri ſe patiantur, adhibeas licet rationum & argumentorum arietes innumerabiles. Hæret anima, ſicut *non miſſura cutem niſi plena cruoris hirudo.* 3. Si ex iſto vitæ genere quod ſequitur homo, commoda quædam ſenſibilia, & carni atque ſpiritui grata percipiat, aut ſaltem cum eo conjuncta eſſe ſentiat, puta honores, opes, favores, voluptates, ſecuritatem, &c. Quo majora & plura commoda ſentiuntur, eo fortior eſt delectationis motio. Atque hinc fere fit ut homo ibi libenter maneat, in iſto vitæ genere haud ægre perſeveret, iſtam religionem, profeſſionem, ſectam, & cœtum mordicus retineat, ubi & in qua commoda iſta, vel ſaltem illud unum ad quod maxime propendet commodum percipit, & à malis atque periculis contrariis maxime eſt immunis. 4. Si id ipſum quod elegit homo tale ſit ut cum vehemente delectatione conjunctum ſit, qua caro hominis acriter adficitur & titillatur. Exempli gratia, ſi vitam voluptuoſam, liberam, libidinoſam, &c. eligat, id eſt vitiis ſeſe det. Hæc enim quia phyſicè imprimunt dulcedinem ſuam, faciunt ut iis homo adhærere velit. Plane ut is qui ſaccarum ſemel guſtavit, deſiderio ſaccari continuo pæne tenetur, adeo ut alia omnia non curet, imò de iis quærendis non cogitet. Atque hæc quidem delectationis præſentis perceptio princeps cauſſa eſt, meo judicio, cur homo bruti inſtar uni objecto ita inhæreat tanquam ſi ratione careret ad alia quærendum.

Quare neceſſe eſt ut contraria ratione hæc ſequentia concludamus; 1. Eos qui temperamenti ſui conditione in virtutem inclinantur, aut ad vitia non propendent, aptiores eſſe, ut ad virtutem libere exercendam excitentur & moveantur. *Gaudeant bene nati.* 2. Eos qui ad honeſtatem & recti amorem à teneris adſuefacti ſunt, ita ut à vitiis, à vitiorum occaſionibus, à perturbationibus & paſſionibus per bonam educationem alieni redditi ſint, facilius ad liberum virtutis ſtudium formari quam qui iſto educationis beneficio carent. 3. Eos qui ad liberam rerum omnium inquiſitionem ſeipſos diu compoſuerunt, ad exemplum aliorum quibuſcum ſunt verſati, aut qui ab aliis ad eam longo tempore adſueſacti ſunt, citius faciliuſque recti honeſtique tincturam admiſſuros quam alios. carent enim præjudicio, quod remoræ inſtar eſt aliis. 4. Eos qui commodis ſenſibilibus, ſive ſenſu commodorum, ex certo vitæ genere ad alios redeuntium, deſtituti ſunt, facilius flecti ad aliud vitæ genus quam qui iis redundant. Hinc *beati pauperes* & *flentes* dicuntur à Chriſto, tanquam aptiores ad euangelium admittendum, & ſic ad ſa-

lutem consequendum, quam divites, quibus difficile, imò impossibile esse dicitur ingredi in regnum cælorum, & *ridentes* quibus væ dicitur.

Verumenimvero, etiamsi in illis de quibus hactenus egimus magna sit inclinatio in partem unam tantum, neutiquam tamen libertas quæ homini naturalis est in iis exstincta dici debet. Inclinatio illa facit quidem, ut libertatis bilanx in alteram partem propendeat; in quam pondus delectationis talis primo incidit: Sed non facit ut in aliam partem par aut majus pondus injici non possit, aut, ut quod injectum est excuti non possit. Difficulter admodum contingere posse videtur ut id fiat. Sed quod difficulter fieri potest, id negari non potest fieri tamen posse. Delectationis vis magna est in animam, imò, uti diximus, motio ejus est prima & fortissima, quia per eam naturalis hominis affectus impellitur, qui tenerrimè sentit. cumque homo, etiamsi liberi arbitrii sit, omnia quæcunque vult aut appetit delectationis caussa facere velit, mirum non est eum ista parte impulsum, facile etiam eo se inclinare. Hinc enim fieri videmus ut nemo homo reperiatur qui plane indifferens est, ita ut non in unam aliquam rem paulo aut multo plus propendeat quam in alteram. Voluntas enim instar bilancis est, quæ levi momento & minimo scrupulo qui injicitur huc aut illuc impellitur, & impelli statim solet; quia quiescere non potest quin aliquid eligat. At verò ex eo non recte concludat quis, hominem ista electione sibi ipsi dominium suum adimere, ut non possit, imprimis si alia bona offerantur, alioversum se inclinare aut flectere.

## CAPUT VIII.

### An libertas adhuc reliqua sit in eo, qui ita se alicui bono addixit, ut rationem in consilium adhibere nolit de alio præstantiore quærendo aut sequendo. Et, quo pacto ejusmodi homo à proposito revocandus sit, aut revocari possit.

At vero erit fortasse aliquis, qui credet libertatem hanc nil nisi titulum esse sine re: extinctam eam prorsus esse dicendam, postquam anima unius boni impressione impulsa, ita sese illi addixit, ut rationem in consilium adhibere aut admittere nolit de alio quærendo aut sequendo. Si enim brute unum istud sequi vult homo, quomodo fieri potest ut alio flectatur? An à se ipso? At jam à seipso determinatus est ut nolit aliud. An à ratione? At quia brute sequi vult id quod eligit, rationem adhibere non vult. Quæ itaque libertas reliqua in anima dici potest? & quomodo fieri potest ut tales ad frugem redeant aut in meliorem partem sese inclinent? Fateor equidem scrupulum hunc levem non esse, & eximi aliter vix posse, quam si dicamus eum qui isto bruto affectu tenetur, bruti instar tractandum esse: id est sensu non ratione prius ducendum esse, & sic disponendum ut bilanx voluntatis ad æquilibrium quasi redeat, & ut inter duo bona se positum sentiens, rationem adhibere incipiat, & sic brute velle desinat. Ratione primum duci non potest. Argumenta enim & rationes apud ejusmodi hominem tantundem atque apud bruta valent. Sensibilibus argumentis opus est, quæ animum ipsius præparent, ut ad rationem advertere velit. Clavus clavo pellendus est, & delectatio delectatione alia, aut contrario malo, excutienda. Argumenta omnia frustra sunt, & per se infirma, quando cum sensu pugnant. litus arat qui istis pertinacem hominem impellere vult. stimulo opus habet & calcari bruta & refractaria anima. Alexander Bucephalum domiturus observaverat eum umbra sua terreri. Quotquot eum ante conscendere voluerunt, ii ignorabant illud, ideoque omnino frustra erant, cum ei insidere tentarent. Umbra, quæ oculis ipsius obversabatur tollenda erat, ut sessorem ferret. Id simulatque faciebat Alexander, sessorem cum & dominum paulatim admisit Bucephalus. Eodem modo agendum est cum refractariis istis hominibus, quorum oculis obversatur semper objectum illud quod semel elegerunt. Si illud ejusque pretium eximi ipsis possit, actum erit. Solet vero aliquando id fieri *primò*, per se, cum ipsis, videlicet ex longo aut nimio usu, voluptatis aut vitiorum fastidium obrepit aut tædium. Eam enim naturam crassis voluptatibus carnis, & vitiis, quæ carnis opera dicuntur, inesse voluit Deus, ut si quis iis nimium, aut nimis diu indulgeat, earum fastidio tandem ducatur. Similitudo, uti amoris est mater, ita aliquando mater est fastidii. Inde & illud, *voluptates commendat rarior usus*. Virtutis alia ratio est: ejus fastidium nulli obrepit unquam: quanto magis exercetur, tanto magis adlubescit. In ea non potest esse nimium quin ad vitium deflectatur. Atque ita quidem ipse voluptatis usus, remedium homini fieri potest contra voluptatem, ut qui ratione adduci non potest ut eam deserat, ipso illius usu ad deserendum eam adducatur. *Secundò*, solet aliquando id etiam fieri, cum voluptatis ipsius usus mali alicujus dolorifici causa est: ita ut, exempli gratia, homo per eum incidat in morbum, paupertatem, ignominiam, aliudve mali genus, quod ipsum valde male habet. Tali casu boni antecedentis sensus ita sæpe diluitur, aut divertitur, ut homo, qui sui ipsius dominus est, adducatur sæpe ut advocet rationem in consilium, quam antea adhibere noluit; & æger, egenus, inglorius cum sit, non illubenter admittat consilium, quod sanus, dives & honoratus respuere solebat. Plenus enim venter non vult audire lubenter. Et magister artis, ingeniique largitor est venter. Et horsum refer casum, quo calamitatibus involvitur, exilio mulctatur, patria, bonis, amicis, & spe pæne ipsa spoliatur, Deo ita aut dirigente, aut permittente. Ista enim mala totidem sunt stimuli, qui animam ipsius impellunt, ut libertate sibi concessa uti velit, & considerare quid illud sit, cui hactenus adhæsit. Et mala hæc multum admodum possunt, si ea occasione istius objecti, cui adhæsit, sibi immissa esse, aut evenire sibi homo persuadeat. Docent id ii qui, cum optimo bono adhæreant, nihilominus tamen aliquando etiam adversitatibus fracti hæsitant & fluctuant, anne id, quod elegerunt, optimum sit, cujus occasione tot ac tanta mala ferre coguntur. *Tertiò*, solet aliquando id fieri si homo talis beneficium aliquod accipiat, aut factum sibi esse sentiat, ab eo, à quo vitæ suæ genus, professionem, & studia sua damnari videt, aut quem à suis studiis alieniorem esse novit. Beneficiorum magna est vis: sentiuntur enim cum delectatione, unde nascitur amor erga authorem. Quem autem amamus, eum facile monentem ferimus. Huc refer adfinia & similia: si blandam, suavem, & amicam conversationem eorum, qui melius vitæ genus sequuntur, experiatur. Hæc enim secreta & grata quadam vi nobis conciliat, & ad nos attrahit, magnetis instar, animum alioquin à nobis alienum, si consilia nostra utilia sibi esse aliis in rebus persentiscat. *Quartò*, solet id aliquando fieri raro & spectabili exemplo sanctæ, innoxiæ, inculpatæ & castigatæ vitæ, quod oculis ipsius adsidue obversatur. Id enim fieri vix potest, quin admirationem pariat, & paulatim amorem in animo ipsius. Admiratio autem & amor solent excitare sciendi & imitandi studium. Et certe magna est vis exemplorum: quia videntur & sentiuntur, multo validius movent quam argumenta. Quod enim argumenta docent faciendum esse, id exempla monstrant reipsa fieri. *Quintò*. Solet id aliquando fieri per signa, prodigia, & miracula: imprimis quando ea talia sunt ut beneficium aliquod adferant, quo homo mirifice delectatur. fit enim ut iis subito & vehementer admodum percellatur, & sensibiliter quasi excitetur ut suspiciat: &, si non tantum rara & gloriosa sint facta, sed beneficia etiam, ut iis adficiatur & titilletur jucundissime.

Hisce & similibus aliis modis compluribus existimo agendum esse cum iis, qui sensu boni unius ita sunt imbuti, ut animum advertere, aut rationem, qua præditi sunt, in consilium adhibere nolunt ad alia considerandà & examinanda, quæ meliora sunt. Sensus boni illius, quod obsidet animam, eamque dulcedine sua imbutam tenet, amoliendus est ante omnia, idque vel per mali alicujus contrarii sensum, vel alterius alicujus boni gustum. Eadem enim via, qua sensus ille in animam irrepsit, exigendus est. Rationes frustra sunt, apud eum qui animum & aurem non vult advertere. Istis, quos diximus, arietibus opus est, ut consilio aditus fiat. Quod si vero fiat, ut homo nihilominus contra hæc omnia animum obstinet (quod fieri semper potest, libertas enim est naturalis, uti sæpe diximus:) is insanabilis est, & sibi relinquendus, ut vitam bruti instar transeat. Extrema desperatæ valetudinis, & oppressæ libertatis nota est, nec malis cedere, nec beneficiis flecti, nec exemplis palpabilibus moveri velle, ut facias quod hominem decet. Testantur id ratio in Natura, & Deus passim in Scriptura.

## CAPUT IX.

### Quomodo libertas salva maneat in homine, tum postquam statuit adhibere judicium discretorium in eligendo, tum postquam illud adhibuit, & judicium rationis practicum jam absolutum est.

Restat nunc ut ultimo loco videamus, quomodo homo libere agat, sive qua in re libertas hominis salva maneat, 1. postquam jam iis, quæ præcedente capite al-

legavimus, mediis motus atque impulsus, constituit adhibere judicium discretorium antequam hoc aut illud eligat. Intellige semper judicium discretorium, quo videlicet inter objecta inferioris & superioris rationis discernit, non autem quo inter objecta vel rationis inferioris tantùm discernit, puta inter jucundum & injucundum, inter facile & difficile, &c. vel inter objecta rationis superioris tantum, puta inter rectum & pravum. 2. Postquam jam judicium illud discretorium factum est, sive cum judicium rationis practicum absolutum est.

Primum quod attinet: libertas hominis, postquam constituit adhibere judicium discretorium, in eo manet salva; quod semper in principio, medio, fine suspendere, id est revocare decretum suum possit, quando vult. Qui enim liberè sibi ipsi imperat aliquid facere, idem, pro eodem dominii & libertatis suæ jure, contrarium sibi ipsi imperare potest. Neque enim imperando sibi ipsi, dominium sibi adimit aliter agendi. Non enim imperat sibi ipsi, ut aliter agere non possit, si quando velit, sed tantum ut aliter non agat quamdiu in isto agendi proposito perstat. Suspendere autem decretum suum potest, vel imperio bruto prorsus, de quo ante egimus; vel aliquatenus rationali, quando videlicet stimulus iste quo excitabatur antea, ad decretum faciendum de adhibendo judicio, cessat aut cessare incipit, ac proinde sensus illius animam ipsius ita fortiter amplius non stimulat ut antea. tum enim facilè redit & recurrit prioris boni, cui diutius assuetus fuerat, memoria, quæ voluntatem facilè deinde allicit, ut ei rursum sese applicet: ita febriculosi instar recidivam patitur. Sic videmus multos morbi, tempestatis, naufragii, aut mali alicujus urgentis vi pressos, de mutando vitæ genere consilia inire, magnoque animo ac proposito, imò *Herculeum verbum virtutem*, ut ait ille satyrice, *invadere*: sed morbo pulso, tempestate sedata, naufragio superato ad ingenium redire, & antiquum obtinere. Similis est ratio eorum, qui beneficiis, conversatione blanda, exemplis, & signis adducuntur, ut propositum sumant de virtute sectanda: facilè relabuntur. Tolle benefactorem, beneficia, signa, miracula ex oculis, imò pone levissimam aliquam noxam aut molestiam exhibitam ipsi esse ab eo, actum est de voluntate tota, & momento pene, somnii instar, evanuit propositum. Qui exemplo solo ducuntur, ii ferè exemplo cessante, aut eo qui exemplum dare solebat in pejus mutato, cum eo deficiunt, & canum instar ad vomitum redeunt. Ita qui per adversa humiles & parvi sunt redditi, cum fortuna mutata animos sumunt, & quæ, adversis pressi, corde atque ore detestati fuerant, secundo rerum suarum successu elati probant, atque extollunt. Ut enim se tempora dant, ita magni humilesque sunt, ait ille. Ita maris instar æstum patitur anima, & variis vicibus obnoxia est, per influxum hujus aut illius boni vel mali in eam, & per occasionum in eam irruentium impetum ac tumultum.

Alterum quod attinet: postquam judicium discretorium absolutum est, ita ut decisio à ratione jam sit facta, quid cui præferri mereatur, nihilominus tamen manet homo liber dominus, si absolutè rem consideremus; ita ut aliud quid eligere possit, quam quod ratio maximè eligibile, aut eligendum esse dictavit. Apparet id ex natura rei ipsius. Judicium enim rationis à qua decisio facta est, si omnino electionem in homine efficit, non efficit eam sola vi sua, sed aliquo modo per accidens, quatenus nimirum homo sibi ipse imperat, ut moveri velit à judicio facto. At cum is qui hoc sibi ipsi liberè imperavit, omni tempore, absolutè loquendo, id possit revocare, necessum est ut dicatur electionem, etiam post factum judicium, liberam manere, ita ut homo judicium illud sequi aut negligere possit si velit: eadem plane ratione qua Rex senatorum suorum consilium ac judicium, quod exquisivit, sequi potest si velit, aut negligere. Fateor quidem libertatem hanc valdè esse tenuem, & difficulter admodum fieri posse, ut in actum exeat. Dicam amplius, necessitati propiorem esse electionem tali casu, quam libertati: sed tamen veram esse libertatem, quæ aliquando in actum etiam exit. Id unum Sole clarius demonstrat, quod peccata contra conscientiam dentur: quod verum nullo modo esset, si fieri non posset ut homo aliter agat, quam judicium rationis practicum agendum esse dictat. Accedit quod electio quæ judicium tale sequitur, laude aut vituperio, præmio aut pœna digna censeatur; quod fieri etiam non posset, si omninò necessariò sequeretur judicium rationis. Necessaria enim nec laude, nec vituperio, nec præmio, nec pœna sunt digna. Neque est quod hîc quisquam objiciat, sic electionem hominis brutam fore. Nos enim non illubentes concedimus fieri posse, ut electio hominis planè bruta sit, imò hic est libertatis humanæ apex, quod se stultum & brutum reddere possit homo, si velit, id est quod ita eligere aliquid possit sine judicio, tanquam si ratione, quæ ad judicium discretorium formandum requiritur, prorsus destitueretur, bruti & fatui instar; non autem quasi eligere possit malum sub ratione mali, pravum sub ratione pravi. Id enim fieri non posse suprà ostendi, & ratio etiam ipsa evincit. Judicium enim non movet hominem nisi mediante objecto, quod illustratum ipsi offert eligendum. Judicii enim & rationis est illustrare tantum objectum, ut vel amabilitas ejus & pulchritudo, vel utilitas ejus, vel necessitas, vel jucunditas ejus & gratia, vel facilitas ejus appareat. Sic enim fortius potest movere hominem, qui inclinatur naturaliter in id, quod convenientius ipsi est: ex eo enim percipit delectationem. Itaque si objectum aliquod proponatur quod naturaliter aversatur homo, & à quo abhorret, quia in eo aut ab eo nulla potest haberi delectatio, judicium non faciet unquam, ut illud homo appetat, nisi aliam naturam induat, id est, nisi medium fiat, per quod perveniri potest ad id quod homo appetit. Sic enim pravum etiam appeti potest. at hoc non est pravum appetere sub ratione pravi, sed sub ratione boni utilis: quod eo ipso bonum fit, quia medium est quo delectatur homo, & quia medium esse intelligitur. Jam enim diximus ante, nos electionem non tribuere homini, quæ ita bruta sit, ut proficiscatur à principio aliquo bruto, quod judicio nullo informari potest, & aliter non potest, quam cæcâ quadam & brutâ tendentiâ ferri in hoc aut illud objectum, prout voluntas contradistinctè ab intellectu concipi solet à Philosophis. sed dicimus electionem fieri ab anima, quatenus judicio aliquo jam antea informata est. Neque verò ei repugnat, quod diximus hominem sine judicio brutè posse ferri in objectum: id enim non intelleximus nisi de judicio discretorio, quo distinguit inter objecta rationis inferioris & superioris. Alioquin enim antequam homo quicquam libere velit, necesse est ut aliquod judicium, saltem in genere, præcesserit, sive rationis superioris, sive rationis inferioris. Hæc enim causa est, cur pueri & infantes liberè velle non dicantur, quia rationis & judicii usu carent. Et hîc locum habet quod dici solet, *Ignoti nulla cupido*. Tam enim impossibile est homini sine judicio aliquo velle, quam impossibile est sine oculo videre. Quod enim oculus est in corpore, id ratio est in anima. Ratio enim est quasi organum deferens aut monstrans objectum, nisi quando volitio est reflexa, ut cum homo vult velle. Hoc enim velle ratio non offert, aut volitio subita, qualis est motio manus in hanc aut illam partem.

Ex hisce jam facilè apparet, quomodo & quousque libertas hominis salva maneat posito judicio. si enim judicium non movet hominem, nisi mediante objecto quod ipsi offert, jam certè, 1. Si offerat homini objectum, quod non potest non velle homo, quia in eo summa est delectatio ipsius, libertas electionis locum non habet, ne quidem bruta: quia concipi non potest, possibile esse, ut homo non velit id quo summè delectatur. 2. Si offerat ei objectum, quod ratio judicat medium esse, per quod perveniri potest ad fruitionem boni optimi & supremi, & sine quo ad eum perveniri non potest, cessat etiam eligendi libertas. Fieri non potest ut homo objectum tale non eligat, eo ipso quia medium non tantum utile, sed necessarium etiam judicatur ad summum bonum consequendum. Nec refert hîc an objectum illud sit rectum an pravum, an facile an difficile, an honestum an turpe. Id enim pro judicii varietate potest variare. Quicquid judicium dixerit esse medium tale, illud eliget homo: intellige semper judicium formatum ac distinctum, ita ut vel scientia vel firma opinio, vel fides, vel visio dici possit. si enim judicium sit informe, confusum, generale, & non plenè adhuc determinatum, sine dubio eo ipso, quia objectum, quod per judicium repræsentatur, tale aliquid esse potest à quo homo naturaliter abhorret, nutabit, fluctuabit, & incerta etiam feretur sæpè electio. Hæc est causa cur sola firma fides vitæ æternæ & beatæ, victoria mundi totius dicatur, & sola immortalitatis opinio ἀνθρωπείας causa aliquando fuit. 3. Si objecta plura ei offerat, ea erunt vel paria & æqualia, vel imparia & inæqualia. Intellige paria & imparia non tantum inter se, sed etiam in ordine ad subjectum quod ea recepturum est. Id enim pariter ad utrumque dispositum esse intelligi debet. Si paria offerat, quorum alterum tantum eligendum est, libertas plenaria locum habebit. Feretur in alterum eorum homo, absque ullo judicio discretorio, prout volet. Hîc notandum est raro fieri, ut objecta prorsus & per omnia ita sint paria, ut ratio nullum discrimen in iis videre possit: sed sæpè fieri tamen ut imparitas & inæqualitas admodum magna non appareat, sive quod revera ea iis non insit, sive quod non satis accuratè trutinentur, ac ponderentur. Inde enim fieri posse crediderim, ut electio prorsus libera maneat. Exigua enim imparitas exiguam vim habet ad movendum. Atque hæc causa non raro est, meo judicio, cur homo vitæ hujus præsentis delectationem sequi pergat,

aut tam lentè de ea deferenda cogitet: imò cum cogitat, tam difficulter in animum inducere possit illius desertionem, etiam cum æternæ vitæ spes ipsi datur, si eam deserat. Quando enim utramque vitam in bilance rationis suspendit & confert, videtur sibi non raro paritatem quandam bonitatis deprehendere. Etiamsi enim æterna felicitas extra comparationem omnem sit, tamen quia absens est, quia invisibilis est, quia post mortem demum futura est, & sine hujus præsentis delectationis damno, imò sine doloribus sæpe maximis haberi non potest, cum delectatio quæ in præsenti vita est sentiatur, eo ipso videtur à præsenti hac vita superari æterna, & sic quasi in æquilibrio pendere præsens vita cum futura. Unde ille,

*Et quia cæcus inest vitiis amor, omne futurum*
*Despicitur, suadentque brevem præsentia fructum,*
*Et ruit in vetitum damni secura libido.*

Nimirum propter istam paritatem, aut exiguam imparitatem, fluctuat sæpè animus, & nunc in hanc, nunc illam partem propendet: unde fieri necesse est, ut multi tepidi sint virtutis sectatores: quia animum scilicet veræ inæqualitatis magnitudine imbutum nondum habent, & sæpè non admodum curant habere. 4. Si objecta offeret inæqualia, ea erunt inæqualia aut in eodem aut in diverso genere. Si in eodem genere objecta inæqualia offerat, puta in genere vel honesti tantum, vel utilis tantum, vel jucundi tantum, vel facilis tantum; ea quæ in genere honesti tum multo honestiora judicabit, quæ in genere jucundi multo jucundiora æstimabit, quæ in genere facilis faciliora multo esse statuet, (exigua enim imparitas libertatem non limitat, & vix in considerationem venit:) ordinariè quidem præeliget, nisi alia quædam causa impediat, sed tamen ita, ut si velit aliter agere possit; non præeligendo minus quasi melius esset; id enim falsum foret; sed, eligendo illud, quia vult, exempli gratia, ejus experimentum capere quale sit, id est, quid illud sit, quod minus bonum esse judicatur. sufficit enim ad hoc ut eligi possit, ut bonum sit. Si in diverso genere inæqualia erunt, exempli gratia, magis honesta, sed minus utilia; magis utilia, sed minus jucunda, &c. tum ea, quæ judicat ad conservationem sui benè esse in hac vita necessaria, etiam necessariò eliget, qualiacunque tandem sint. Feret iraque dolorem, torturam, & damnum ut se conservet in vita. Quod adeò verum est, ut si homo benè esse suum in honore collocet, ita ut fælicem se esse non credat, si inglorius vivat, difficilia omnia lubenter toleraturus, pericula summa, ipsamque adeò mortem, haud invitus aditurus sit. Hæc enim lubentia proxime ad necessitatem accedit. Quæ vero judicabit non necessaria, sed utilia tantum, ad conservandum suum benè esse, in iis eligendis liberè se habebit. Etiamsi enim id quod utile est, dignum sit amari & eligi, tamen eo ipso quia necessarium non est, negligi potest. Quando cessat utraque ratio, tum necessitatis tum utilitatis ad conservandum benè esse hominis, tum plena libertas locum habet, fluctuatque ejus usus pro ratione temporum, locorum, occasionum, quibus hoc aut illud bonum occurrit; pro ratione temperamentorum, educationis, institutionis, consuetudinis, consortii, &c. affectionum, perturbationum, &c.

Ex hisce patet eos, qui eò usque sunt adducti, ut rationem audire & adhibere velint in consilium, etiamsi liberi sint, & maneant, ut sententiam mutare possint, nihilominus tamen valdè idoneos esse, ut fiant optimi vel pessimi. Optimi, si in bonum & fidelem educatorem, magistrum, librum, socium, aut monitorem incidant; vel cum id non fit, si ipsi alioquin judicio acri polleant, ut suopte Marte discernere possint inter ea quæ ipsis occurrunt. Pessimi si contra. Deinde eosdem, postquam jam vel optimi vel pessimi sunt redditi, aptiores tamen esse, ut in oppositam partem flectantur, quam qui brutorum instar uni alicui objecto mordicus adhærere volunt. Qui enim rationibus ad eligendum adduci & moveri se patitur, is rationibus etiam dimoveri se patietur, imprimis si in errore aut vitio versetur, nisi affectus se misceant, qui judicii sinceritatem solent vitiare. Pro errore enim & vitio species rationis sola militat: pro veritate & virtute ratio ipsa. At cui rationibus moveri non vult, is dimoveri etiam non vult. Surdo canit fabulam, qui rationibus apud istum utitur.

Atque hæc quidem sunt ea, quæ de liberi arbitrii natura, atque usu explicare operæ pretium putavi. Scopus meus non fuit subtilitates omnes, quæ in isto capite à Scholasticis magno molimine finguntur aut reperiuntur, excutere. lites odi quæ aliud nihil quam lites sunt, quæ fructum nullum ad vitæ nostræ emendationem pariunt, & quarum finis non est nisi quædam ambitiosæ scientiæ gloriola. Eam adoream libens iis relinquo. Ego metuo illud Apostolicum, *scientia inflat*. Solius conscientiæ meæ rationem habui, quam instructam solidè cupiebam, & excitatam in amorem religionis & pietatis. Idem fructus ut ad eos redire possit, qui in hunc tractatum incident, caritas me optare jubet & sperare. Nemo interim miretur sicubi subtilitates quædam occurrant: sine periculo veritatis præterire eas non potui, licet natura ab iis alienior. Subtilitas aliquando pellenda est alia subtilitate, uti clavus clavo. Sæpè eam veli & siparii instar obtendi videbam veritati ut non pateret. Amovendum illud erat, ut, quæ post illud abscondebatur, veritas tanto appareret clarior & nudior. In ea enim tempora incidimus, ut aut subtilitati opera danda sit, ad subtilitatum fucum diluendum, aut stupidæ ignorantiæ infamia toleranda. Medium non datur. Id imprimis in hoc capite usu venit. Scio qui ut crucem ingeniis figerent hanc materiam ita intricarunt ut in perplexissimis labyrinthis te versari credas, cum scripta eorum legis. Fortasse de hoc meo idem alii judicabunt. Non abnuo, dummodo prius id legere & introspicere dignentur, quam damnent: saltem propositum meum longè aliud fuit. Nec enim ignoro, quam facilè sit nodos nectere in materia tam subtili, & quam difficilè solvere. Ingeniosa est industria humana, ad texendas dubitationes ferme de qualibet re. Et reperias quibus hæsitatio ex omni pæne occasione placet. Hinc fit ut contentionum nec modus nec finis sit, & quod contentionum vectigal est, una cum religione & veritate caritas etiam fere amittatur. Ab horum ingenio absum quam longissime: Et hoc unum testatum facere volui in hoc argumento. Videbam enim illud à nonnullis ita intricatum redditum esse, ut occasionem daret multis, alioquin minimè malis, de tota religione dubitandi: ab aliis ita perperam tractatum, ut ex illo errores admodum fœdi & turpes peterentur; ab aliis ita diductum, ut conscientiæ hominum veluti in ancipiti & sub cultro relinquerentur. Hisce malis obviam ire studui, plana ac simplici quadam tractatione, quam quilibet illiteratus Christianus capere posset, quæque ipsi pro stimulo serviret ad seriam pietatem. Id si adsecutus fuero, gratulabor mihi. Sin minus, veniam facilè me impetraturum confido apud æquiores, & interim recti conscientia me solabor.

FINIS.

EXA-

# EXAMEN SENTENTIÆ JOANNIS CAMERONIS SCOTO-BRITANNI,

## De Gratia Dei & libero hominis arbitrio:

### Auctore M. SIMONE EPISCOPIO,

*Antehac editum sub hoc titulo,*

Epistola viri docti ad amicum, &c.

## CAPUT I.

### Cameronis de Prædestinatione sententiam non minus quàm Calvini & Bezæ fatalem necessitatem inducere.

VIR CLARISSIME,

Mirari satis non potui quod scribis esse, inter eos qui non ita nuper sententiam Calvini & Bezæ de Prædestinatione toto animo rejecisse videri voluerunt, quibus nupera & novitia Cameronis sententia adlubescere incipit, quique ejus ope desperatæ ac tantùm non triumphatæ Calvini causæ subsidium novum adlatum putant. Etenim si eam vel leviter tantùm expenderent ad veritatis & rectæ rationis normam, nec paucioribus, nec minus enormibus absurditatibus eam scatere quam Calvini & Bezæ sententiam facilè possent deprehendere. Inter eas autem censeo hanc non minimam, quod per eam, non minus quàm per Calvini opinionem, mera & fatalis omnium rerum, actionum & eventuum necessitas stabiliatur, cum qua religionem aut disciplinam ullam consistere omninò est impossibile. Quare cui ulla religio, imprimis Christiana, cordi est, is non potest non ab ea toto animo abhorrere. Nihil enim magis inimicum est Religioni, imprimis Christianæ, quæ præceptis, promissionibus & comminationibus gravissimis sancitis constat, quàm fatalis necessitas. Et hæc quidem fatalis necessitas cum in opinione Cameronis adeò clarè appareat, ut palpari statim possit ab eo qui genium & filum ejus altero tantum oculo inspicit, facilè adducor ut credam eos qui, post rejectam Calvini & Bezæ opinionem, in hanc iterum propendere incipiunt, aut non eo studio & zelo in veritatis ac religionis veræ amorem ferri quo oportet, aut, si omninò ferantur eo quo oportet studio, non tali adhibito judicio, nec eo animo quo decet, opinionem Calvini & Bezæ rejecisse. Nempe transeunt quidam de opinione in opinionem non tam judicii soliditate adacti, quàm nescio qua facilitate animi præcipitati, adhærentes interim toto animo atque adfectu iis qui opinionem istam quam damnant amplectuntur: unde non raro fit ut amoris atque adfectus istius quo in illos feruntur stimulo impulsi, sententiam eorum tam forti aut constanti animo quam par est damnare non audeant; quin imò eam ipsam, licet alioquin satis apertè falsam atque noxiam, colore & specie aliqua incrustari libenter audiant; satis eo ipso ostendentes, cupere se atque optare verum esse id omne, quod amplectuntur ii quibus adhærent & cum quibus consensum externè profitentur. Qui veritatem cum judicio amant, eos longè aliter animatos esse debere existimo, imprimis si opinio quæ veritati repugnat, ejus sit indolis ut religionem omnem proprietate sua funditus destruat atque evertat. Id quod per hanc opinionem fieri tam clarum est ut nihil suprà. Verumtamen ne id dicere tantum videar, animo tuo satisfacere conabor, quo obnixè rogas ut mentem meam de hac Cameronis opinione latius paulùm tibi aperiam, & quæ in ea tam ingens falsitas sit demonstrem.

## CAPUT II.

### Qua in re summatim illa consistat.

SEntentia Cameronis, uti quidem apparet ex disputationibus ipsius Salmurii habitis, & ex collatione quæ inter ipsum & D. Tilenum fuit, hæc est:

I. Voluntatem hominis ita esse comparatam natura sua, ut non possit non sequi judicium rationis practicum. Nutante judicio in mente necessariò nutare voluntatem: firmato judicio, voluntatem non posse non illius dictamen sequi: & quia sponte aut potiùs lubenter illud sequitur, hinc libertatem voluntati veram competere.

II. Ad voluntatem itaque depravandam satis esse, si in mente non sit lumen judicii practici voluntatem dirigens & impellens in id quod fieri oportet: Et ad voluntatem emendandam aut rectè ordinandam satis esse, si lux judicii talis practici in mente ponatur: eâ enim voluntatem ita affici ut non possit non ferri in boni amorem. Itaque ad regenerationem hominis sufficere solam mentis illuminationem: & pro quantitate illuminationis modum aut gradum regenerationis intendi ac remitti. Hinc enim sequitur,

III. Homines omnes, 1. eo quod careant luce illa dirigente in mente, propter primum Adami & quod ex eo fluxisse fatentur Theologi peccatum originale, non posse non depravatam habere voluntatem, id est, non posse non peccare. 2. Eos qui ab erroribus aut à peccatis aliquibus retrahuntur, solius illius lucis quam mentibus ipsorum Deus per gratiam indit beneficio & quidem necessariò retrahi; in cæteris autem erroribus & peccatis ad quæ impediendum lux illa ordinata non est, necessariò permanere. 3. Eos qui ad Christum convertuntur tanta luce illustrari à Deo ut non possint non converti: cessante illa luce non posse non incidere in peccata: Lucem tamen illa ita conservari à Deo ut penitus eam amittere aut excutere non possint.

Hæc est genuina Cameronis sententia, quam non dubito quin ipse lubenter pro sua agniturus sit. Potuissem eam odiosè proponere, sed abstinui quantum potui, ne vel minimum quicquam dicerem quod non ipse lubenter sibi tribui cupit. Id enim ingenui est disputatoris. Nolui sequi exemplum multorum, ipsiusque adeò Cameronis, qui cum adversariorum suorum sententiam confutaturus est, odiosis terminis eam proponere solet, ut damnabilis videatur antequàm cur damnanda sit intelligatur. Præjudicium fit hac arte lectori simul ac veritati.

## CAPUT III.

### Cameronis sententiam damnatam esse à Synodo Dordracena, Aleziana & Charentonensi.

SPecioſa, inquies, hæc est sententia. Ita videtur prima fronte: sed si eam propius mecum inspicias, faxo ut videas quàm sit absurda & vana.

Ac *primò* quidem intelliges sententiam hanc Cameronis nullo jure probari posse iis qui nuperas Synodos, Dordracenam scilicet, Alezianam & Charentonensem pro orthodoxis receperunt, eisque subscripserunt. Nec enim dubium est quin sententia hæc à Synodis istis in terminis damnata sit; ut mirum meritò videri debeat, quomodo eam probare queant plerique Ministri qui Synodis istis subscripserunt, ipseque adeò Camero Synodis istis subscribere bona fide potuerit. Ego id Deo relinquo. Rem probo ex arti-

culo XI. capitis 3. ex articulo 2. & 3. ubi errores contrarios rejicit Synodus: Et ex manifesta ratione quam ex filo Synodalium Canonum & Cameronis sententia deducam.

Articulus XI. cap. 3. ita habet: *Cæterùm quando Deus hoc suum beneplacitum in Electis exequitur, seu veram in iis conversionem operatur, non tantùm Euangelium ipsis externè prædicari curat, &* (NB.) NON ILLUMINAT TANTUM POTENTER MENTEM IPSORUM PER SPIRITUM SANCTUM, UT RECTE INTELLIGANT ET DILUDICENT QUÆ SUNT SPIRITUS DEI; *sed ejusdem etiam spiritus regenerantis efficacia ad intima hominis penetrat, cor clausum aperit, durum emollit, præputiatum circumcidit, voluntati* (NB.) NOVAS QUALITATES INFUNDIT, *facitque eam ex mortua vivam, ex mala bonam, &c.* Pergit Synodus articulo XII: *Atque hæc est illa tantoperè in scripturis prædicata regeneratio, nova creatio, suscitatio è mortuis & vivificatio, quam Deus sine nobis in nobis operatur. Ea autem neutiquam fit per solam foris insonantem doctrinam*, aut *per* (NB.) MORALEM SUASIONEM, &c. Synodi Gallicæ Canones editi post Synodum Charentonensem magis emphaticè sonant: ORNESE FAIT ELLE (NB.) AUCUNEMENT PAR LA SEULE DOCTRINE BATTANTE L'OREILLE, OU PAR SUASION MORALE, ET QUI SE FAIT PAR (NB.) RAISONS PERSUASIVES. Nota in hisce articulis discretivam locutionem: Deus non tantùm externè prædicari curat Euangelium, nec tantùm illuminat potenter mentem eorum quos vocat efficaciter, sed etiam novas infundit qualitates eorum voluntati: Non regenerat nos tantùm per suasionem moralem, sed etiam per alias actiones in voluntate ipsa effectas. Hujusmodi enim locutiones sine dubio æquipollent isti, Non satis esse ad convertendum hominem, illuminare mentem ipsius, sed necesse etiam esse ut voluntas ipsius internè & immediatè regeneretur, ut effectus conversionis consequi possit.

Hisce articulis disertè contravenire sententiam Cameronis quis non videt? Regenerationem enim per solam persuasionem, quam appellat motum ethicum, fieri passim vult; adeò ut dicat non tantùm Thesi 3, in collatione habita cum Tileno statim in initio, *Fidem proficisci ab illuminatione spiritus sancti*, sed etiam *animo percipi non posse quo pacto liberum arbitrium, quod principium Ethicum est, aliter quàm Ethicè moveri possit.* Verba sunt ipsius Cameronis, expressa in Thesi X ipsius, de efficacia gratiæ Dei; quæ clariora adhuc vide pag. 63. 64. 65. prælectionis ipsius prioris habitæ Salmurii 11 Augusti: & per totam cum Tileno habitam collationem. Et sanè rei natura docet, necesse esse ut Camero diversum ab his articulis sentiat. Si enim voluntas necessariò sequitur judicium rationis, adeò ut non possit non illud sequi, nihil amplius ad regenerationem hominis requiritur, quàm reformatio judicii istius, sive persuasio quæ in mente fit. Ea enim non minùs necessariò post se trahit voluntatem, quàm magnes ferrum. Verum ne quid dubites vide Thesin ipsius XXVIII, ubi ita loquitur: *Itaque ista voluntatis humanæ determinatio, ejus naturam non destruit, sed conservat & ornat. Neque enim Physica est, & à principiis Physicis profecta; sed Ethica, pendens à judicio & ratione, nempe ut finis non potest non appeti, (cum tamen sponte & voluntariè appetatur) ita nec quæ ad finem tendunt resistit voluntas aut potest respuere comprehensa semel atque agnita.*

Cæterum ne existimes Synodos supradictas tantummodo affirmare simpliciter se credere rem ita se habere; sed ut intelligas eas etiam damnasse hanc Cameronis opinionem, quod probandum mihi sumpsi, en diserta verba in rejectione errorum circa tertium & quartum caput, articulo 2 & 3. Articulus secundus ita habet: *Damnamus eos qui docent dona spiritualia, sive habitus bonos & virtutes, ut sunt bonitas, sanctitas, justitia, in voluntate hominis, cum primùm crearetur, locum habere non potuisse, ac proinde nec in lapsu ab ea separari.* Articulus tertius ita habet: *Damnamus eos qui docent, dona spiritualia non esse in morte spirituali ab hominis voluntate separata, cùm ea* (NB.) *in se nunquam corrupta fuerit, sed tantùm per tenebras mentis & affectuum inordinationem impedita*, &c.

Hisce articulis damnatam esse Cameronis sententiam nulli sapienti dubium videri potest. Etenim ex sententia ipsius necessariò consequi, dona spiritualia in voluntate hominis primùm creati locum non habuisse, nec habere potuisse, tàm clarum est quàm clarum est bis duo esse quatuor. Non enim sunt multiplicanda entia sine necessitate: at nulla necessitas cogit Cameronem statuere dona spiritualia in ipsam hominis voluntatem infusa fuisse, si voluntas necessariò determinatur à judicio rationis practico. Quorsum enim, exempli gratiâ, donum justitiæ in voluntate, & sanctitatis in affectibus, si solum lumen intellectus practici non modò sufficit ad voluntatem impellendam ut justè & justa agat, ad affectus in ordinem redigendos ut sancti sint, sed tùm hos tum illam vi sua ad justè & sanctè agendum necessitat? Tantùm abest ut dona ejusmodi in facultates illas infundi necessarium fuisse Camero credere possit, si consequenter loqui velit, ut contra superfluum & frustra id futurum fuisse necessariò credere debeat. Addo etiam impossibile esse ex ipsius sententia ut id credat. Donum enim illud infusum necessariò moveret voluntatem alio motu quam Ethico. At *animo concipi non potest*, inquit Camero, *quomodo voluntas vel liberum arbitrium, quod principium Ethicum est, aliter quam Ethicè moveri possit.* Et certè quomodò id cujus tota actio, juxta Cameronem, dependet à judicio & ratione, & quod ab ea sola consequitur quod recta aut prava sit, ita ut seipsam determinandi vim nullam habeat, & ab alio moveri ac proinde determinari non possit, capax esse queat talium infusorum donorum, non est κατάληψις. Saltem quin à Camerone in voluntate sine necessitate ponantur, dubium videri non potest; quod ipsum tamen directè contradicere Synodorum istarum sententiæ ex terminis liquet.

Et ex hoc fundamento consequitur necessariò, per Cameronis sententiam statui dona hujusmodi à voluntate hominis in morte spirituali separata non fuisse: sive, uti articulus sonat, *Voluntatem hominis* (NB.) *in se corruptam non fuisse, sed per tenebras intellectus solas impeditam quò minùs vero bono adhæreret.* Ratio clara est: si enim voluntas non movetur nisi motu ethico, utique nec à bono ad malum, nec à malo ad bonum movetur alio quam ethico motu. Mala itaque & corrupta redditur voluntas, quando erroneo judicii motu movetur; & contrà, bona, quando recto judicii motu movetur. Itaque corrupta in se, aut intrinseca ulla qualitate, quæ in ipsa immediatè hæreat, & speciali aliqua actione Dei ex ipsa tollenda sit, vitiata esse non potest. Res planior est quam ut prolixius ei inhæream. Videbit id quisquis observabit Cameronem ubique pænè universam voluntatis actionem ex sola mente suspendere, &, quod meritò mireris, ipsi menti sive intellectui hominis tribuere reluctationem, resistentiam, inimicitiam, ac pænè omne id quod voluntati à mente distinctæ in Scholis tribui solet: voluntati autem solam relinquere necessariam sequelam & lubentiam. Nempe videbat hominis ἀλογίαν ἐχθρὸν, & spiritui hominis resistentiam, &c. in scripturis tribui: unde, misera consequentia, id Logicè aut Physicè potius κατὰ ὃ ἐπὶ accipiendum esse censuit.

Dices fortasse sensum Synodorum, quando damnant istas opiniones, alium non esse quàm damnare eos, qui statuunt conversionem sive regenerationem hominis peragi per actionem talem moralem, sive per suasionem talem cum qua stare potest libera voluntatis dissensio. Id enim videtur articulo 3. cap. 3. disertè innui. Sed respondeo: Neutiquam hoc verum esse. Tantùm enim abest ut Synodorum sententia sit, conversionem per talem actionem moralem cum qua stare potest libera voluntatis dissensio, non peragi; ut contrà statuant per actionem moralem idcircò eam non peragi, nec omninò peragi posse, quia cum ea semper non tantùm stare potest libera voluntatis dissensio, sed etiam necessariò semper stat & conjuncta est. Fieri enim non posse credunt ut voluntas quæ in se corrupta est, per actionem aliam quàm eam quæ immediatè ex ipsa corruptionem illam tollit, regeneretur, ut ex mala bona fiat. Hinc est quod præter externam suasionem, præter rationes persuasivas, & præter potentem mentis illuminationem per Spiritum sanctum factam, ita ut mens rectè intelligat & dijudicet quæ sunt Spiritus Dei, voluntatis ipsius mutationem peculiarem, imò infusionem novarum qualitatum in eam immediatè factam passim requirant. Concludo itaque sententiam hanc Cameronis non contrariam tantùm esse Synodis supradictis, sed in terminis etiam & disertè ab illis damnatam esse; ac proinde eos qui sententiæ isti favent Ministros, aut non intellexisse articulos Synodi Dordracenæ quibus tam solemniter subscripserunt, aut, si eos intellexerunt, non eo animo nec fide subscripsisse qua oportuit.

## CAPUT IV.

### Eam esse Pelagianam.

SEd dico *secundò*: Non tantùm damnata est Canonibus Dordracenis, Alezianis & Charentonensibus sententia Cameronis, sed revera etiam est Pelagiano-Manichæa. Noli mihi credere, nisi rem tam claram ex antedictis & aliis fundamentis faciam, quam Sol in meridie lucet.

Pelagianam primo dico esse sententiam ipsius; quia ad regenerationem statuit sufficere solam objectivam revelationem divinæ voluntatis, sive solam suasionem vel moralem actionem, absque ulla immediata interna in ipsa voluntate impressa gratia. Hæc autem est ipsissima Pelagii sententia quæ à Patribus damnata est. Vide Canonem 4. Synodi Africanæ

canæ qui damnat dogma quo ſtatuitur: *Ad ſcientiam nos habere gratiam Chriſti, ad caritatem non habere.* Sententiæ hujus fundamentum eſt, quod nulla propriè dicta nedum poſitiva corruptio in voluntate hominis, ſed ſola tantùm luminis directivi, id eſt gratiæ objectivæ carentia, in mente hominis locum habere credatur, per quam illa cæca, id eſt ignorans tantùm eſt divinæ voluntatis, & ſic impotens reddita ad rectè dirigendam voluntatem, unde per conſequens voluntatem etiam inordinatè ferri neceſſe eſt, eam ſolùm ob cauſam quod ſit deſtituta directionis iſtius beneficio. Hæc itaque eſt tota corruptio, hoc eſt totum peccatum originale quod ſtatuit Pelagius, cui per omnia conſentanea eſt ſententia Cameronis: quæ eſt naturam voluntatis in ſe corruptam non eſſe, ſed idoneam & capacem regenerationis; ſi modò accedat ſola illuminatio mentis, id eſt clara ſcientia divinæ voluntatis & gratiæ. Ratio eſt: Quia qui dicit moralem actionem ad regenerationem ſufficere, imò qui dicit concipi non poſſe quomodò regeneratio aliter quàm morali actione peragi poſſit, is profectò dicit voluntatis naturam in ſe corruptam non eſſe, ſed ex ſeſe non minùs quam fuit voluntas Adami idoneam eſſe ad convertendum ſe & ſequendum Dei voluntatem, ſi modò objectiva moralis iſta ſuaſio in mente ponatur, etiamſi nulla interna alia gratia mentem aut voluntatem immediatè reformans accedat.

Hîc ſine dubio dices mihi Cameronem quidem agnoſcere moralem ſuaſionem ad regenerationem neceſſariò requiri, ſed tamen expreſſè addere, non ſolam ſuaſionem ſufficere, ſed perſuaſionem etiam requiri, eamque, ubi ubi adhibetur, reipſa regenerationem efficere.

Ita eſt, fateor; verba ipſius ſunt: ſed ſub iis fucus latet quem ſtatim detegam, ſi id præmiſero, Cameronem ea parte qua ſuaſionem ſive perſuaſionem ita fieri dicit ut inde neceſſariò ſequatur regeneratio voluntatis, revera ac reipſa Manichæum eſſe, aut Prædeſtinatorum & Calvini ſententiam, quantùm ad rem ipſam attinet, ſequi. & hoc volui indicare, cum dixi ſententiam ipſius eſſe Pelagiano-Manichæam. Hoc enim erat placitum Manichæi, quod quidem tanquam ipſius placitum ab antiquis Patribus apertè damnatum etiam eſſe conſtat, *Tam bona quàm mala neceſſariò fieri.* Verùm quidem eſt, principia duo faciebat, ex quorum altero bonum, altero malum proficiſci dicebat. Sed non in eo ſolùm conſiſtebat hæreſis ipſius, ſed in eo etiam, & quidem præcipuè, quod omnia bona ſimul ac mala eadem neceſſitate evenire aſſerebat. Quare qui hac in parte eum ſequuntur, ii non immeritò ſectatores ipſius, quantum ad id attinet, appellari poſſunt; imò tanto pejores illo videri debent qui mala ſimul ac bona ab eodem principio derivant, quantò pejus eſt Deum optimum mali authorem facere, quàm eſt eum non niſi authorem boni facere, atque interim ei jungere alium qui mali tantùm author ſit. Notandum interim eſt Cameronem, quando pro neceſſitate hac pugnat, & libertatem illam voluntati non relinquit ut vocanti Deo conſentire poſſit aut diſſentire, non pleriſque tantùm, ſed omnibus primorum trium ſæculorum orthodoxis Patribus (quæ Auguſtini ſententia fuerit de eo adhuc controvertitur) directè repugnare. Patres enim iſti omnes, quibus etiam omnes ſequentes Patres orthodoxi adſenſerunt, liberum arbitrium cum divinis ſuaſionibus conſiſtere, id eſt diſſentire aut conſentire Deo ſuadenti poſſe crediderunt unanimiter, prout non pauci luculenter jam aliquoties demonſtrarunt.

Hoc præmiſſo, ut fucum detegam, dico, Cameronem iſta locutione & phraſi qua utitur, non evadere crimen Pelagianiſmi quod illi impingitur. Quod ſic oſtendo: Perſuaſio illa aut eſt actio moralis, aut eſt alia Phyſica, ſive potius non moralis actio. Si moralis eſt actio, jam aut aliud quid eſt quàm ſuaſio, aut nihil niſi ipſa ſuaſio. Si aliud quid eſt, quid illud quæſo erit, ſi moralis actio erit? Nunquam id explicabit Camero, neque percipi poteſt animo quod aliud quid eſſe poſſit, quam motio purè putè Phyſica; qua motione tamen moveri voluntatem non poſſe credit Camero. Et certè perſuaſio etiam ſuaſio eſt. Non enim ſpecialis actio eſt à ſuaſione diſtincta, ſed actio ſuadendi cum effectu aut eventu conjuncta. Una enim eademque ratio, ſuaſio eſt huic, alteri eſt perſuaſio. Quod ſi perſuaſio reipſa nihil niſi ſuaſio eſt, relinquitur certè Cameronem aliud nihil requirere ad regenerationem quam Pelagius olim requiſivit. Explico rem paulo clarius: Perſuaſio illa quam ſpeciale donum illud appellat Camero quod Electis, quos vocat, confertur, & per quam illuminari mentem & regenerari voluntatem eorum vult, ſi fiat ethicè, utique per rationes ſuadentes fiat neceſſe eſt: alia enim Ethica motio concipi non poteſt. Ethica enim & rationalis motio unum idemque ſunt, & à Phyſica omni alia motione hac ſola ratione diſtinguuntur. Si per rationes ſuadentes fit, quid aliud eſt perſuaſio quam ſuaſio, quæ, vel extrinſecus per verbum in aures, & per aures in mentem penetrat, vel intrinſecus menti proponitur? Modus enim propoſitionis non mutat ſpeciem motionis, ſi eadem ratio ſit quæ proponitur menti ad eam movendam. Quomodocumque enim mens rationem apprehendat, id perinde eſt. Ratio ſemper ſpecie & virtute eadem manet, ſive foris apprehendatur à mente, ſive intus percipiatur in mente. eadem itaque virtute aget & movebit. Nihil enim agit ultra ſpeciem aut virtutem ſuam. Hoc ſi ita ſit, jam facilè videre quivis poteſt, quàm ſit abſurda Cameronis ſententia. Nam ſi perſuaſio reipſa & formaliter nihil aliud eſt quàm ſuaſio talis, quæ ratio cur non omnibus eadem ratione perſuadeat quibus adhibetur? Imò quæ ratio cur ſi is, qui rationes illas percepit mente ſua, eaſdem aliis proponat, quod fieri poſſe non negabit opinor Camero, non ſuadere, ſed perſuadere aliis poſſit idem quod ſibi perſuaſum eſt? Ubi enim eadem eſt cauſa efficiens, eâdem vi agens, & eadem atque uniformis ſubjecti recipientis diſpoſitio, ibi idem effectus locum habere debet. At ſi perſuaſio eſt ſuaſio quæ per rationes planè eaſdem fit, & circa homines pariter excæcatos, quod attinet ſalutarem Chriſti cognitionem, adhibetur, eadem eſt cauſa efficiens, eâdem vi agens, & eadem ſubjecti diſpoſitio. Ergo idem effectus ubique inde ſequatur neceſſe eſt.

Hærebit hic aqua Cameroni, ut explicet intelligibiliter mentem ſuam, ſi conſequenter principiis ſuis loqui velit. Nam alterutrum dicat neceſſe eſt; aut perſuaſionem importare peculiarem quandam rationum ſuadentium impreſſionem in ipſam mentem, aut magis congruam quandam & opportunam propoſitionem, ita ut rationes quæ huic homini nil niſi rationes ſuaſivæ ſunt, alteri cui iſta congrua propoſitio ſit ſint perſuaſivæ. Utrum dixerit ſibi ipſi non conſentanea dicet. Prius enim quod attinet; ſi perſuaſio Cameroniana ex vi ſua ſpeciali notat peculiarem quandam rationum ſuadentium impreſſionem in mentem ipſam, jam perſuaſio hæc nullo modo erit actio Ethica, ſed purè putè Phyſica, ac proindè non erit perſuaſio. Phyſicam enim actionem ſive impreſſionem, perſuaſionem appellare ridiculum & ſtultum eſt. Quod ſi Camero nihilominus hujuſmodi impreſſionem ethicam actionem eſſe velit, ac proinde perſuaſionem, neceſſe eſt ut dicat eam fieri per rationes alias. At cum rationes nullæ moveant aliter quam objectivè, impreſſio hæc nihil aliud erit quam prior ſuaſio, & ſic in infinitum ibitur, redibuntque omnes eædem difficultates quæ antè motæ ſunt. Poſterius quod attinet; congrua etiam actio dici non poteſt hæc perſuaſio. Si enim diſpoſitio planè eadem eſt in omnibus hominibus, quod attinet primam & ſalutarem illuminationem, quomodo fieri poteſt ut ratio ſive ſuaſio una eademque, ſit huic congrua, illi non congrua? Dicet fortaſſe ſubjecti diſpoſitionem non eſſe eandem. Alios enim diſponi à Deo ad illuminationem ſive ſuaſionem iſtam recipiendam, alios non. Sed fruſtra. Diſpoſitio enim illa vel fiet per moralem actionem, vel per Phyſicam. Si fiat per hanc, jam præcipua actio ad regenerationem requiſita erit Phyſica. Ab hac enim diſpoſitione fiet ut gratia moralis huic ſit congrua & opportuna, non illi. At hoc Camero fieri nullo modo vult. Si per illam, jam redeunt eædem omnes difficultates, & in infinitum abitur. Deinde qualis erit diſpoſitio hæc? Voluntatis diſpoſitio non eſt neceſſaria, juxta Cameronem, quia illa naturali neceſſitate ſequitur judicium intellectus rectè diſpoſiti, ut ait. Intellectus diſpoſitio ſi ſtatuatur, ea erit aut potentiæ novæ ad ſuaſionem percipiendam collatio, aut intellectionis ipſius expreſſio. Aliud enim quicquam concipi non poteſt. Illa non ſufficit ad perſuaſionis effectum: hæc non eſt diſpoſitio ſubjecti, ſed ipſa actualis perſuaſio, de qua quæritur, quomodo fiat. Efficitur itaque juxta hypotheſin Cameronis, ſolam objectivam divinæ voluntatis revelationem ad convertendum hominem ſufficere, ſine ulla alia interna gratia quæ immediatè aut menti aut voluntati ipſius imprimatur. quæ opinio in ipſiſſimam ſententiam Pelagii tandem recidat neceſſe eſt: manente tantum hoc diſcrimine, quòd Camero revelationem aut perſuaſionem hanc fieri velit ex præciſa ſalvandi eos quibus fit intentione, & ita ut non poſſit non ſortiri effectum; Pelagius non. Quæ opinio idcirco deterior Pelagii opinione eſt, quod communi omnium Patrum ſententiæ è diametro repugnet, & nil niſi interpolatum Manichæiſmum ſapiat.

Dices hîc fortaſſe, Cameronem explicare aliquando apertiùs mentem ſuam, cum de perſuaſione hac agit. Eam enim appellat non raro lucis cujuſdam internæ affuſionem, qua fit ut intellectus efficaciter cognoſcat & videat ſummum ac verum bonum, ita ut voluntatem afficiat ut non poſſit ſummo bono non adhæreſcere. At, inquam ego, hac ratione non ſatis explicat ſe Camero. Ad populum tantùm ſunt phaleræ. Cognitio enim illa efficax ſummi boni, efficitur aut proficiſcitur, uti ait, ab illuminatione, ſive à perſuaſione quæ moralis actio eſt. Si ab ea proficiſcitur, neceſſe utique eſt

ut ea vel sit actio quæ rationes tantum continet, per quas bonum illud summum efficaciter intellectui cognoscendum datur; vel actio quæ sine rationibus sensum boni istius intellectui profundè imprimit, & cujus modus ignoratur. Si illuminatio sit actio quæ per rationes fit quas percipit & intelligit is qui eas recipit, jam illuminatio hæc persuasio quidem est, sed reipsa tamen aliud nihil quàm suasio, & suasio quidem quæ communis homini cum Deo aut Spiritu Dei esse potest. Cur enim rationes illas ipsas proponere & suadere aliis hominibus non possit is qui per istas persuasus est? Nec satis est si dicas rationes illas peculiarem vim persuadendi habere. Esto enim id verum sit, quæ verisimilis ratio dari potest cur rationes illæ eædem, si per istum qui eas recepit & per eas persuasus est, aliis communicentur, aut mentibus aliorum proponantur, non eodem modo persuadeant iisdem quod illi persuasum est? Si dicat Camero illuminationem hanc esse actionem qua summum bonum hominis menti intimè repræsentatur, & coram quasi videndum offertur, jam certè hæc illuminatio actio est purè putè Physica; ac proinde non est persuasio, quia persuasio actio est moralis. Non enim persuadetur id quod sentitur. Etenim quis sapiens dicat persuaderi homini ut summum bonum appetat, quando id clarè ipsi videndum aut sentiendum proponitur? Voluntas non potest non appetere illud, sive suadeatur, sive dissuadeatur. Præterquàm quòd repræsentatio boni summi facere multùm non possit, ad hoc ut quis credat se bonum illud summum quod ipsi repræsentatur consecuturum, si, ex. gr. Euangelio obediat. Repræsentatio enim ista non est argumentum aut ratio, qnæ nos de veritate illius hypotheticæ enuntiationis certos reddit. Hic itaque rationibus suasivis & ad fidem quæ huic enunciationi habenda est generandam idoneis opus est: quas quomodo peculiari quadam vi persuasivas faciat Camero, ita tamen ut maneant intra sphæram actionum Ethicarum, explicare nunquam poterit. Necesse est ut, velit nolit, vel non consentanea, imò contraria sibi ipsi dicat, vel in sententiam Pelagii pedibus eat.

## CAPUT V.

### Per sententiam Cameronis impossibile esse ut detur ullum peccatum pœna dignum, aut virtus ulla digna præmio.

VEruntamen, inquiet aliquis, esto: sententia Cameronis sit damnata Canonibus Synodi Dordracenæ, Alezianæ & Charentonensis, sit Pelagianæ sententiæ affinis: quæstio principalis est an non sit vera? Respondeo: Fateor rem ita se habere, & hoc præcipuè considerandum esse. Neque is sum qui in istis argumentis subsidium causæ meæ præcipuum colloco. Tantùm usus sum hisce argumentis ad hominem, ut loquuntur, quia scio quanti apud eos Synodi Dordracena, Aleziana & Charentonensis valeant. Pænè fortius isto argumento à Synodis sumto, proh dolor! etiam apud eos qui se Reformatos vocant, hodie pugnatur, quam Scripturis & claris rationibus. Pelagianismi verò hæresin tantoperè detestantur, ut eo nomine etiam nostram sententiam (horrendo addito juramento) damnare non dubitarint, quod Pelagianam eam esse crederent. Propter hos itaque quæ hactenus scripsi dicta volui. Nunc restat ut videamus id quod præcipuum est, an sententia hæc Cameronis vera sit. Ego eam non tantùm falsum esse credo, sed admodum noxiam & periculosam.

Ut utrumque hoc evincam non utar argumentis omnibus in schola usitatis, quæ alioquin solida satis mihi esse videntur. Jampridem enim ubique in omnibus pænè scholis explosa est hæc sententia Cameronis, adeò ut pauci admodum reperiantur qui ei patrocinium suum commodant. Argumenta quibus utrumque evincere conabor hæc sunt.

*Si ea est natura voluntatis ut necessariò determinetur ad unum à judicio rationis practico, uti Camero vult, impossibile est ut detur ullum peccatum pœna dignum, aut virtus ulla digna præmio: At hoc absurdum est: Ergo & illud.* Minor in confesso est. Ratio consequentiæ est quoad prius membrum de peccato. Quia si detur peccatum ullum pœna dignum, peccatum illud statuetur, aut in ipso judicio rationis, aut in voluntate sive in volitione ex judicio illo resultante. In neutro statui potest, Non in judicio; quia actus judicii purè putè naturalis est & necessarius. Naturalia autem & necessaria, peccata esse non possunt, nedum peccata pœna digna. Vel potius hoc pacto; quia in judicio ad summum aliud nihil locum habere potest quàm error. At error, qua error tantùm est, non potest esse peccatum, nedùm peccatum pœna dignum. Nec enim deformitatem moraliter culpabilem, proinde nec punibilem, habere in sese potest error ullus, nisi quatenus aliquo modo liber & voluntarius est. Voluntarius autem aut liber, propriè dicta libertate, esse nullo modo potest ex hypothesi Cameronis, qui voluntatis nullum imperium in mentem, ne quidem quoad exercitium, agnoscit: sed voluntatem ab ipso judicio rationis ad volendum præcisè determinari vult. Orietur itaque necessariò error quicumque tandem sit ex defectu aliquo invincibili, sive defectus ille statuatur oriri ex parte potentiæ, sive ex parte objecti, sive ex parte medii, sive aliundè. At defectus in primo instante involuntarius & invincibilis, culpam non habet, nec habere potest, nedum pœna dignus censeri. Nec potest in voluntate esse peccatum, quia in potestate voluntatis non est non sequi judicium rationis erroneum, aut errorem qui in judicio est eximere. Relinquitur ergo peccatum nihil aliud esse nisi malum Physicum: quod Manichaicum esse fatetur ipse Camero, pag. 162. Collationis suæ cum Tileno, linea 5 & 6.

Neque vero est quod hîc dicat Camero, judicium rationis corruptum, &, quæ judicium corruptum sequitur depravatam voluntatem, ex peccato primo Adami orta esse; atque ita tum judicium, tum voluntatem nostram moraliter esse culpabilia & punibilia. Dico enim argumentum hoc quod attuli locum habere in omni statu, ac proinde non minus in ipso Adamo ante lapsum quam in ullo alio homine. Fieri enim non potuit ut ille propriè peccaret, ita ut per peccatum reus pœnæ fieret, si ea est natura voluntatis quam vult Camero. Obsecro enim quomodo peccasset Adam? Voluntariè errare non poterat. Voluntas enim non præcedit, sed sequitur judicium erroneum, idque necessariò, juxta Cameronem. Si voluntarie errare non poterat, quomodo poterat peccare? Dico amplius; concipi non potest animo quomodo errare potuerit Adam in isto primo statu, si Cameronis sententia vera est. Si enim in mente Adami fuit lux, & quidem supernaturalis, dirigens judicium ipsius in veri & boni cognitionem, fuit utique in ea id quod errorem vi sua impediebat, & sic voluntatem Adami à peccando prohibebat. Quod si verò etiam Camero cum Synodis, Dordracena, Aleziana & Charentonensi, articulo 1 cap. 3. dicat, *in voluntate Adami infusum fuisse justitiæ habitum, & in affectibus ipsius sanctitatem*, quomodo fieri potest ut Camero concipiat fontem unde derivari potuerit prima peccati motio? Nec enim à mente luce ista prædita, nec à voluntate lucem illam necessariò sequente, nec ab adfectibus sanctitatis habitu donatis derivare eam potest Camero, si consequenter loqui velit. Unde ergo eam derivabit?

*Ex opinione Cameronis sequitur Adamum non potuisse peccare.*

Dicere lucem, justitiam & sanctitatem istam dona fuisse mutabilia, nihil est dicere. Posito enim quòd id verum esset, uti sine dubio verum est, unde quæso dicetur mutationem oriri potuisse, ita ut mutatio culpabilis & pœna digna esset, nisi voluntati libertas vera tribuatur? Impossibile est Cameroni aut cuiquam alii hoc ostendere; imprimis si velit lucem illam etiam fuisse persuasionem talem, qualem nunc electis conferri dicit. Si dicat lucem illam à Deo subtractam fuisse homini, non tantum hominem culpæ omni ac reatui eximit, sed Deum etiam authorem culpæ facit, (si culpa esse potest id quod Deus facit) &, quod pejus est, Deum etiam reum pœnæ facit. Si dicat diabolum tenebras suffudisse menti hominis, eique errorem insinuasse, dicit id quod qua ratione factum fuerit concipi non potest, &, si omninò factum fuisset, hominem peccati, & per consequens pœnæ reum facere non potuisset, nisi supponat in potestate vel mentis, vel voluntatis hominis fuisse, suffusionem istam tenebrarum non admittere, aut tenebris istis suffusis non seduci à recto & bono. At nec in potestate mentis, quæ purè putè passiva, aut receptiva potiùs potentia est, nec in potestate voluntatis quæ purè putè dependet & determinatur à judicio, juxta Cameronem, nec etiam in potestate affectuum ipsius erat non admittere tenebras istas, aut illis insinuatis non seduci: nec ipse homo meruerat adhuc ullo facto suo ut istis obrueretur, aut ut istis seduceretur; alioquin peccasset antequam peccasset. Quomodo itaque peccavit? Quomodo reus pœnæ factus est? Imò quomodò reum pœnæ non tantùm se, sed totum genus humanum facere potuit? Denique quomodo tam atrocis, id est simul æternæ & temporalis pœnæ reus cum toto genere humano fieri potuit?

Addo: Tenebræ istæ suffusæ, aut dicentur fuisse æqualis ponderis ac valoris cum luce à Deo impressa: at sic in æquilibrio hæsisset voluntas Adami, & peccare non potuisset: aut dicentur fuisse majoris ponderis, sive præponderasse rationibus aut lumini à Deo indito: at præterquam quod hoc affirmare foret divinæ gratiæ & luci supernaturali summè injurium & contumeliosum, non peccasset etiam Adamus sequendo judicium istud, tanquam cæteris omnibus rationibus præponderans: aut denique dicentur minoris fuisse ponderis ac valoris: at si nihilominus tamen eas secutus est

Adam,

Adam, jam certè à judicio præponderante non determinari voluntatem dicendum foret Cameroni; quod tamen istud est quod maximè evitatum ubique vult & summè falsum esse credit. Si dicas Adamum ipsum non satis constanter advertisse animum ad lucem illam originariam à Deo impressam, & sic seductum fuisse, nihil omninò dices. Hoc ipsum enim, constanter scilicet animum advertere ad lucem, aut à luce illa pendebat tanquam efficiente vel persuadente causa, aut à libera Adami voluntate. Si à luce illa pendebat, uti pependisse Camero vult, unde factum ut lux illa non effecerit in voluntate Adami ut animum adverteret, cum lux illa affusa esset menti ipsius, & cum causam nullam adhuc dedisset ut tolleretur? Si pendebat à voluntate ipsius libera, jam dicat necesse est Camero hominis voluntatem, non obstante luce illa dirigente, tamen seipsam per se ipsam determinare potuisse, & sic non pependisse voluntatem à judicio tanquam causa eam determinante; aut si sententiam suam tueri vult, in circulum eat necesse est. Ex hoc colligo: Si vera est sententia Cameronis, fieri non potuisse ut Adamus peccatum ullum, quod quidem verè peccatum sive legis transgressio sit, ac non malum physicum tantùm, committeret, nedum peccatum tam horrenda pœna dignum: Per consequens, nec genus humanum in eo peccasse, nec in eo punitum fuisse aut jure puniri potuisse, &, quod caput rei est, nullum prorsus peccatum pœna dignum in rerum natura dari aut concipi posse. Quantum in hoc argumento situm sit, nemo non intelligit. Camerò certè & qui cum eo sentiunt, qui super Adami peccato unico totam absolutæ Prædestinationis suæ justitiam fundant, quantum in eo positum fit considerent necesse est.

Item regenitos peccare non posse.

Sed posito omninò quod Adamus peccare potuisset, & actu peccasset, ex hoc eodem fundamento evincitur Cameronem affirmare debere, regenitos & persuasione ista speciali quam vult donatos peccare nullo modo posse, nisi Deus primò & absque culpa ipsorum lucem istam ab iis tollat, id est, persuadere ipsis desinat, & sic peccati ipsorum (si peccatum esse potest quod subtracta ista luce committitur) causa efficiens, per modum tollentis necessarium prohibens, fiat. Ratio est: In regenitis nova gratia & lux talis locum habet; quæ voluntatem ipsorum ita afficit ut non possint non adhærescere summo bono. Itaque nisi lux ista mentibus ipsorum subtrahatur, fieri non potest ut in peccatum incidant. Voluntas enim sequitur lucem istam & ab ea determinatur ad amorem boni. Neque verò dici possunt ipsi regeniti lucem illam negligere: lux enim illa, quia efficax est cognitio summi boni, facit ut negligere eam nec velint nec possint. Quid enim moveret voluntatem eorum ad eam negligendam? Quòd si verò etiam lux ista sit lumen aliquod à Deo impressum & inhærens animæ, quomodò fieri potest ut ab ipsis negligatur? Nec dici potest Deus lucem istam subtrahere regenitis propter peccata ipsorum. Peccata enim illa alia esse non possent, quàm peccata quæ ante lucem illam receptam, sive ante sui conversionem, commiserunt. At ea ipsis condonavit Deus. Ut verò alia peccata posteà non commiserint, lux illa voluntatem eorum determinans effecit. Unde igitur peccatum in ipsis? Necesse est ut dicat Camero, vel regenitos nunquam peccare posse, vel peccata eorum oriri à Deo, gratiam & lucem illam pro arbitrio suo eorum menti subtrahente; & sic peccata regenitorum non esse peccata, quia Deus peccare non potest; aut, si peccata sint, Deum solum propriè & verè authorem peccatorum omnium esse quæ regeniti committunt.

Eadem est ratio alterius membri quod diximus: Nullam etiam virtutem præmio dignam dari posse, si vera est sententia Cameronis. Nam si lux illa quæ in hominis mente ponitur nullo modo ab homine pendeat, sed menti ipsius à solo Deo infusa est aut affusa, & eadem affusa menti voluntatem ita afficiat, ut voluntas non possit non ejus ductum sequi, profectò virtutis non est, nedum virtutis præmio dignæ, lucem illam aut habere, aut cum eam habeas ductum illius sequi. Nulla enim hîc electio locum habet. Uti oculus lucem Solis, ita mens istam lucem persuasivam non potest non admittere, quando eam Deus infundit, aut, ut Camero loquitur, persuadendo affundit: voluntas verò naturali necessitate & spontanea quadam lubentia lucem illam, veluti ferrum magnetem, sequitur. At naturalis receptio & necessaria sequela virtus non est, nedum virtus præmio digna. Quis enim virtutem præmio dignam dicat, si oculus apertus lucem Solis recipiat, aut voluntas summum bonum appetat?

Ex hisce apparet sententiam hanc Cameronis non modò falsam esse, sed & valdè noxiam ac periculosam. Sublata enim ratione peccati & virtutis, lex, disciplina, respublica, societas & religio omnis, imprimis Christiana, funditus evertantur necesse est.

## CAPUT VI.

### Per eam nullus locus est præceptionibus aut prohibitionibus: sicut nec promissis nec minis.

Quod ut manifestiùs appareat, sic procedo: *Si vera est sententia Cameronis, nullus plane locus est præceptionibus, aut prohibitionibus.* Ratio manifesta est: Quia, quid præciperet nobis Deus? Alterutrum præcipiat necesse est, aut ut lucem illam dirigentem habeamus in mente, aut si illam jam habemus in mente nostra, ut ejus directionem sequamur. Utrumque facere stultum foret & ridiculum. Nam quid ineptius quàm præcipere ut lucem in intellectu habeamus, quam non possumus ex nobis habere aut elicere, imò, quam aliunde quam ab eo qui præcipit habere non possumus? Quis oculo præcipit, ut vel internam lucem suam, vel extrinsecam Solis lucem habeat? Deinde quid stultius quam præcipere, ut cum jam lux illa nobis à Spiritu Dei data est, ductum lucis istius sequamur, cum illum non possimus non sequi? Tantundem facit qui alterutrum horum præcipit, ac si præcipiat homini ut gigas fiat, ut ad staturam suam addat cubitum, aut ut nutriatur & crescat. Impossibilia & necessaria non cadunt sub præceptum. Prohibitionis eadem est ratio.

Dices fortasse: præceptiones & prohibitiones servire pro mediis incitantibus voluntatem ad faciendum id quod rectum est. Sed id nihil ad rem facit. Præceptio enim tale medium est, quod primo suo conceptu importat officium ejus cui præceptio datur. At officium nullum supponi potest, ubi id quod præcipitur aut omninò non potest fieri, aut non potest non fieri. Quis enim ex officio lege præscripto facere dici potest id, quod non potest non facere, aut quod absolutè non potest facere, sive impotentia illa oriatur ex naturæ conditione, sive ex pœnæ inflictione? Nemo enim obligari potest ad faciendum quicquam supra naturam suam: aut ad faciendum id ad quod à judice per pœnam impotens redditus est. Aliud est sese impotentem reddidisse sine ulla interveniente pœna. De hoc non agimus. Dicimus enim fieri non posse ut quis pœnæ reus fiat, si ista est conditio voluntatis quam vult Camero.

Confirmatur valdè hoc argumentum, si addantur præceptionibus & prohibitionibus istis promissa & minæ. Quis enim locus promissionibus aut minis esse potest, ubi id quod præcipitur, aut impossibile est ut fiat, aut omninò non potest non fieri? At ubi talis determinatio voluntatis locum habet, qualem statuit Camero, ibi id quod præcipitur est aut omninò impossibile, aut simpliciter necessarium. Adhortationes itaque etiam omnes, increpationes, obtestationes, vota, querelæ, lacrymæ, aliaque similia, quibus Deum uti ad convertendum homines passim testatur Scriptura, nil nisi ludus & jocus erunt. Ad quid enim dirigentur omnes istæ? An ad mentem hominis? At illa non potest habere aut elicere ex se lucem illam, quæ ad directionem voluntatis, ac proinde hortationes sequendum necessaria est. An ad voluntatem? At ea non potest sequi rectum mentis judicium quamdiu luce ista mens caret, & non potest non sequi rectum judicium quando mens luce ista perfusa est.

## CAPUT VII.

### Per eandem tollitur omnis obedientia & inobedientia. Et respondetur ad exemplum Christi, quod objicitur in contrarium.

Ex hoc efficitur consequenter per sententiam istam obedientiæ & inobedientiæ rationem omnem è medio tolli. Uti enim non obedire dici non potest qui non potest obedire, ita non potest dici obedire qui non potest non obedire, aut potius qui non potest non facere quod rectum est. Qui non potest nolle, non potest dici propriè velle, voluntate quæ virtus obedientiæ sit & dicatur.

Quod contra hæc Camero solet objicere: Non repugnare ut quis bonum faciat necessariò, & tamen simul libere: è illud faciat, idque exemplo Dei ipsius probare, qui non potest non esse sanctus, & tamen liberrimè sanctus est; id prorsus est ineptum. Aliud enim est sanctum esse & facere quod bonum ac rectum est, aliud obedire legi, quæ sub promisso præmii bonum facere præcipit, & sub comminatione pœnæ malum vetat. Bonus enim quis esse potest natura, ita ut malum facere non possit, qui tamen non obedit legi. Isto modo Deus est bonus, non hoc: Imò, quia isto modo bonus

est

eſt, non poteſt dici bonus eſſe aut bonum velle liberè: verum quidem eſt, quod bonum hoc aut illud liberè velle poteſt: ſed nec ſic neceſſariò bonus eſt. At qui bonum facit ex obedientia quæ lege præſcribitur, is non poteſt aut naturâ bonus eſſe, aut ita tantùm liberè bonus ut hoc aut illud bonum ſolummodo facere poſſit; ſed neceſſe eſt ut poſſit etiam non facere, aut contrarium facere, vel omittere, ejus quod lege præſcribitur, aut vetatur. Ad libertatem itaque non requiritur ſemper ut quis bonum & malum ſimul poſſit facere. Satis eſt ut poſſit facere hoc aut illud bonum. Verùm ad libertatem, qua quis facere poteſt quod lege præſcribitur, neceſſarium planè eſt ut poſſit etiam contrarium legi facere, id eſt, obedire aut non obedire: alioquin fruſtra foret lex, & legis ſanctio.

Atqui, inquit Camero: Chriſtus dicitur obediviſſe Patri, qui tamen non potuit non obedire. Reſpondeo: Obedientia propriè dicta ne Chriſto quidem tribui poteſt, ſi non potuit non obedire. Ergo, inquies, potuit peccare Chriſtus. Reſpondeo: Obedientia Chriſti alterius planè generis fuit. Obedivit enim Patri, non propriè ex imperio divino legem ipſi ferenti tanquam ſubdito, nec ſub comminatione pœnæ ab eo obedientiam poſtulanti, prout nos obedire Deo neceſſe eſt; ſed ut legationem honorariam & ultroneè ſuſcipiendam deferenti. Nempè non voluit Pater à dilecto Filio ſuo exigere obedientiam ea conditione, ut ſi non obediret reus æternæ mortis fieret: ſed tantum voluit illi, ut legato ſuo dilecto, provinciam nomine ſuo gerendam dare, cum promiſſione magnificæ remunerationis, quam eundem in ſeſe liberè & lubenter ſuſcepturum certum erat. Et hoc volunt ſibi textus omnes, qui dicunt ipſum à Patre miſſum fuiſſe, mandatum accepiſſe à Patre, exiiſſe à Patre, & quæ ſunt ſimilia. Hæc itaque obedientia Chriſti longè alterius generis eſt quàm ea de quâ hîc agimus.

Dices: Negari tamen non poteſt Chriſtum etiam legi ſubjectum fuiſſe, quæ promiſſis & comminationibus conſtabat. Reſpondeo: Ita quidem videtur. Dico itaque ſecundo: poſito etiam quod Deus à Chriſto præcisè & ſub comminatione pœnæ obedientiam poſtulaſſet, nihil repugnat dicere Chriſtum potuiſſe non obedire Patri, & ſic peccare, ſaltem ut hominem, ſive ſecundum naturam humanam, ſecundum quam obedire tantum poterat. Nec enim hoc repugnat naturæ ipſius humanæ, ſive voluntati ipſius liberæ, quam communem nobiſcum habuit. Poſſe enim peccare non magis repugnabat naturæ ipſius, quàm poſſe miſeram eſſe & morbis obnoxiam; & ſufficiebat ad nos redimendum, nobiſque pro exemplo ſerviendum, ut non peccaret. Quin imò non ejuſdem fortè naturæ nobiſcum viſus fuiſſet, nec pro exemplo obedientiæ ſervire nobis potuiſſet, ſi non potuiſſet non obedire. Addo, quod amplius eſt, noſtra obedientia multo præſtantior eſſet cenſenda obedientia Chriſti, ſi nos liberè obediremus, ille autem obediviſſet neceſſariò. Sed nec intelligi facilè poteſt quomodo à diabolo tentatus fuiſſet, imò quomodò tentari potuiſſet, quomodò conſolatione Angelica opus habuiſſet, quomodò ipſe dixiſſet, *Tranſeat à me calix hic, ſi fieri poteſt. Veruntamen non mea, ſed tua voluntas fiat*, & ſimilia. Denique quomodò nobis per omnia ſimilis dici potuiſſet, excepto peccato, ſi ne potentia quidem in eo peccandi fuiſſet, id eſt, ſi libertas voluntatis in eo non fuiſſet ad obediendum aut non obediendum paternæ legi?

Neque verò decedit quicquam dignitati Jeſu Chriſti hac ratione. ſatis enim eſt quod à peccato immunis fuerit. & plus meriti habet, non peccare cum potes peccare, quàm non peccare cum peccare non potes. Imò ne quidem locum habere poteſt meritum propriè dictum, ubi pura puta impeccabilitas dominatur. Itaque tantum abeſt ut glorioſo Chriſti merito quicquam detrahatur, ſi eum ab omni peccandi potentia immunem fuiſſe credatur, ut contra ſupremus gloriæ Chriſti apex in eo collocari videatur poſſe, quod cum poſſet non obedire Patri, tamen obedire ipſi liberè in omnibus voluerit.

Quod de Angelis beatis & induratis adfert Camero, id triviale, & refutatum jam ſæpius eſt.

## CAPUT VIII.

### Per eam quoque omnis præmii & pœnæ ratio tollitur, &c.

HÆc itaque cum ita ſe habeant, quòd obedientiæ & inobedientiæ locus non ſit, ſi Cameronis ſententia admittatur; neceſſariò conſequitur, præmii & pœnæ rationem omnem per eandem etiam prorſus tolli. Qui enim non poteſt obedire, indignus eſt ſupplicio. Qui non poteſt non obedire, indignus eſt præmio. At quorum voluntas non determinatur ad bonum propter carentiam lucis, quam habere aut conſervare non eſt nec fuit in poteſtate ipſorum, ii non poſſunt obedire: & quorum voluntas determinatur ad bonum, propter affuſam lucem dirigentem & adeò potenter afficientem voluntatem ipſorum, ut non poſſint non adhæreſcere ſummo bono, ii non poſſunt non obedire, aut non velle & non facere quod rectum eſt. Ergo hi indigni præmio: iſti non digni ſupplicio cenſeri debent.

Sublatis hiſce omnibus, quæ lex, quæ diſciplina, quæ religio poteſt habere locum? cum ſubſtantia legis, diſciplinæ, & religionis omnis, in præceptis, promiſſione præmiorum & comminationibus pœnarum ſancitis poſita ſit?

Huic adde, ridicula & inepta reddi omnia ferè enunciata Euangelica, quæ fundamentis ſupradictis nixa ſunt; quæ plurima hic recenſere poſſemus. Tu inter ea hoc unum tantum, exempli gratia, vide: *Servus qui novit voluntatem Domini, & qui ſe non paravit neque fecit ex ejus voluntate, pluribus plagis vapulabit*, ait ipſe Servator, *Luc.* XII. *verſ.* 47. Obſecro te, mi Domine, quomodo non vanum eſt hoc enunciatum, imò quomodò non ridiculum, juxta Cameronis fundamentum? Scientia enim illa, aut eſt ſcientia quæ ita voluntatem ſervi afficit ut voluntas ejus non poſſit non eam ſequi, id eſt, ut non poſſit non facere voluntatem domini ſui: aut eſt talis ſcientia quæ voluntatem ſervi afficere apta nata non eſt, aut ſi afficere eam apta nata eſt, quæ, ſive per aliam priorem aut majorem ſcientiam, ſive per vehementiorem aliam involuntariam paſſionem, impeditur quominùs faciat quod faciendum eſſe illa dictat. Si primi generis ſcientia eſt, quid ſibi vult illud, *& non fecit?* Impoſſibile enim eſt, juxta Cameronem, ut ſervus iſta ſcientia præditus non faciat voluntatem domini ſui. Si poſterioris generis ſcientia eſt, quid ſibi vult illud, *Pluribus plagis vapulabit?* Quomodo enim pluribus plagis vapulare dignus eſt ſervus, qui ſcientia tali à Deo donatur quæ ipſi prorſus inutilis eſt, & cujus ope ad faciendum voluntatem Domini ſui non adjuvatur, & quæ tamen ipſa ratio erit propter quam pluribus plagis dignus judicabitur? Præſtaret certè ſervum iſtum ſcientia tali non donari à Deo quàm donari, ſi per eam ſaltem eò uſque non juvatur ut voluntatem Domini ſui facere poſſit, & interim eò quòd ejus ductum non ſequatur, majoris pœnæ reus fiat. Sic ſanè gratia non foret gratia, ſed verè δῶρον ἄδωρον, imò Deus dicendus foret odiſſe magis eos quos ſcientia tali donat quàm diligere. Et in univerſum, tota Dei vocatio qua ad ſalutem vocat eos quos ſpeciali iſta luce donare non vult, non hypocritica tantùm, ſed & ſummè tyrannica vocatio dicenda foret, aut effectus potius odii quam amoris: quod ita abſurdum eſt, ut neſciam quomodo in hominis ſani aut pii mentem cadere poſſit. Plura impræſentiarum non allego, quia tempore deſtituor propter occupationes alias, & quia res tota tam palpabiliter abſurda eſt ut me pœniteat longius in ea immorari.

## CAPUT IX.

### Fons & origo erroris Cameroniani in hoc argumento.

FOns & origo erroris hujus eſt, quòd ſententia Cameronis veram & propriam libertatem voluntatis è medio tollat, ſine qua impoſſibile eſt legis, diſciplinæ & religionis ullius veræ fundamenta ſalva manere, imò ſine qua in Manichæi furorem, qui virtutes & peccata nonniſi Phyſicas res eſſe volebat, teſte Camerone, aut in Stoicorum, Prædeſtinatorum, Calvini aliorumque fatalem neceſſitatem prolabi neceſſe eſt. Vera autem libertas è medio tollitur, quando voluntati, aut potius homini toti, tantum non tribuitur, ut poſitis omnibus ad agendum requiſitis poſſit tamen agere & non agere, aut hoc vel illud agere, id eſt, ut divinæ legi poſſit annuere aut abnuere: proinde etiam poſito quodlibet antecedente judicio in intellectu, poſſit tamen, aut aliter velle, aut ſimpliciter non velle, id eſt, vel omninò ſuſpendere aſſenſum ſuum, vel deflectere adſenſum ſuum ab eo quod judicium monſtrat, & quod lex præſcribit faciendum eſſe. Et hanc libertatem omninò tollunt qui ſpontaneitatem aut lubentiam tantum tribuunt voluntati, licet conjunctam cum præcedaneo judicio aut apprehenſione intellectiva. Hæc enim lubentia & ſpontaneitas locum habet etiam in iis quæ cum ſcientia ſummè neceſſariò aguntur. Summè itaque iſta neceſſaria ſummè libera forent: quo nihil abſurdius cogitari poteſt: prout ex iis quæ jam ante dicta ſunt ſatis liquido apparet. αὐτὸ τὸ στόμμα βοᾷ.

Neque verò argumenta illa quæ Camero in Theſibus ſuis, & in Collatione quæ ipſi cum Tileno fuit, prolixè attulit, ullo modo evincunt contrarium. Oſtendi id alibi in pecu-

peculiari meo tractatu quem de liberi arbitrii natura conscripsi, & possem id facilè discurrendo per singula demonstrate, sed quia properandum mihi nunc est, unum tantum atque alterum palmarium ipsius argumentum excutiam, unde de reliquis facilè erit judicare, si hæc duo præmonuero: 1. me liberam determinationem, quæ voluntati tanquam potentiæ distinctæ ab intellectu per se tribui solet à nonnullis, homini vel animæ hominis toti tribuere: ita videlicet quòd homo post adhibitum rationis judicium, quod per potentiam intellectivam facit, porrò promovere se possit per vim volendi in id quod intellectus monstravit, vel avertere se ab eo per vim nolendi, idque tanquam liber dominus actionum suarum. 2. me agnoscere hominem, si rationabiliter eligere velit, semper secuturum practicum rationis judicium, & ita fere plerumque agere. At eundem tamen, eo ipso quia liber est, eligere etiam posse quodcumque aliud, vel omninò ab eligendo supersedere, & quidem motu, vel prorsus irrationali & bruto, vel tyrannico, absque omni discretivo judicio. Excipe semper objectum quod sub electionem liberam non cadit, quale est summum bonum. Hoc enim liberè non vult homo, neque judicio rationis ad id volendum determinatur. sed quia objectum illud quod per mentem repræsentatur tale est ut non possit non amari, idcircò fertur in illud, non (uti rectè Thomas ait,) quatenus est principium electionis, sed quatenus natura est appetitiva, tendens in id quod summè sibi conveniens est.

## CAPUT X.

### Respondetur ad primam Cameronis objectionem, quod si voluntas non determinatur à judicio rationis, voluntas appetere poterit malum sub ratione mali.

His ita positis videamus nunc argumenta nonnulla Cameronis. Primum ac præcipuum hoc mihi videtur: *Si voluntas non determinatur à judicio rationis, aut si illuminato intellectu non flectitur voluntas, appetere poterit voluntas malum sub ratione mali. Voluntas enim fertur in id quod intellectus judicio malum æstimatur. Nam voluntas per se nihil æstimat; intellectus est judicare.*

Resp. Si jure agere velim, dicam hoc argumentum, 1. destruere seipsum. Si enim voluntas nihil æstimat, quomodo quæso in malum ferri poterit sub ratione mali? 2. supponit malum ab intellectu apprehensum appetibile esse, aut voluntatem in illud ferri posse, quod absurdum est. Sed ut ad rem respondeam, dico 3. Argumenti hujus consequentia nulla est, si id tantum attendatur quod ante monui, per voluntatem quando ea dicitur se determinare, non tam significari Logicè aut Physicè ipsam potentiam voluntatis, quæ distincta esse dicitur realiter à mente, quàm ipsam animam, aut potiùs ipsum hominem totum, qui beneficio intellectus apprehendit objectum ac judicat, & beneficio voluntatis tendit in objectum prout vult, sequendo scilicet rationis judicium vel non sequendo. Idem enim homo, sive eadem anima humana, uti potentiarum principium est, ita etiam subjectum est immediatè recipiens in se judicium per potentiam intelligendi, & formans volitionem, id est, determinans se ad sequendum istud judicium, vel aliter agendum, per potentiam volendi. Hic itaque homo non potest dici ferri in malum sub ratione mali, si judicium intellectus de objecto quod eligendum ipsi offertur in ipso terminetur, & ab ipso percipiatur. Judicium enim dictat semper illud fugiendum esse: & malum, qua tale, tam est disconveniens naturæ appetitivæ ut non possit esse ipsius objectum.

Fons erroris est, quod voluntas concipiatur veluti substantia quædam peculiaris, quæ seorsim ab anima propria vi sua volitionem elicit, ita ut ab ea sola volitio oriatur, & in ea sola terminetur; cum anima ipsa, aut potius homo totus, sit is in quo terminatur intellectio, & à quo procedit volitio. Idem enim homo, aut eadem anima, recipit in se intellectionem per facultatem intellectivam, & ea recepta per facultatem volendi tendit in objectum. Quia verò malum per se tale est, ut non possit esse objectum voluntatis aut animæ volentis sive appetentis, fieri non potest ut homo aut anima hominis feratur in malum qua tale est, quod videlicet per judicium mentis suæ malum esse intellexit & æstimavit. Quicquid itaque volet homo, id volet sub ratione boni, sive velit judicium hoc, sive illud sequi; sive velit in objectum hoc, sive in illud à judicio monstratum ferri. Bonum enim, qua tale, necessariò vult: est enim per se appetibile & non potest non appeti. At hoc vel illud bonum appetere, (summo semper excepto) ita liberum est homini, ut hoc aut illud sæpe appetat, non præcisè quia judicium ipsius hoc bonum tale bonum esse monstrat quod alteri omni bono præferendum est; sed quando tantum id monstrat bonum tale esse in quod ferri potest voluntas; sive bonum illud æquale aut par sit alteri bono, sive tale quod inæquale adeoque minus eligibile omni alio bono est. Ex hujus responsionis solida cognitione pleraque Cameronis argumenta nil nisi mera sophismata esse apparebit.

## CAPUT XI.

### Respondetur ad secundam objectionem, quòd alioqui vera Christi cognitio sejungi poterit à charitate.

Alterum, & multò gravissimum, argumentum est, inquit; *Quod sic vera Christi cognitio sejungi poterit à caritate; cum Joannes Apostolus neget eos qui Deum oderunt aut proximum, vidisse aut cognovisse eum:* 1 *Joan.* II. 3. *& seqq.*

Resp. Profectò non grave, nedum gravissimum, sed debile admodum & fragile est hoc argumentum. Cognitio enim vera Christi cum dicitur à Joanne sejungi non posse à caritate, sensus non est fieri non posse ut quis Christum, id est, Christi mandata verè cognoscat, & tamen eum non amet, id est, præceptis ejus non obediat; sed planè contrarius; eum nempe qui Christumm cognoscit, licèt verè eum cognoscat, & qui tamen non facit mandata ejus, eodem loco haberi à Deo ac si Christum nullo modo cognosceret. Cognitionem istam theoreticam divinæ voluntatis non pluris fieri apud Deum, nec plus profuturam ei qui eam habet, quàm si nullam cognitionem habuisset. quasi dicatur: Sola cognitio Christi conjuncta cum caritate, est cognitio illa quæ Deo grata est, id est, verè in pretio est apud Deum. Notandum enim est in textu non esse adjectivum illud *vera*. simpliciter affirmatur eos qui mandata Dei aut Christi non faciunt, Deum aut Christum non nosse: non quod nullo modo aut non verè saltem eum noverint; quomodò enim alioquin de iis alibi diceretur simpliciter, & terminis expressis, quòd Deum cognoverint, quod voluntatem ejus noverint, quòd agnoverint Dominum & servatorem Jesum, quòd viam justitiæ cognoverint, &c? quomodo contra conscientiam suam facere dicerentur? quomodo majoris pœnæ rei fierent? quomodò de iis tam apertè diceretur quòd inexcusabiles sint, propterea quòd cum Deum cognoverint, eum tamen ut Deum non glorificaverint? Non itaque ob hanc causam non nosse Deum dicuntur, sed quòd ita Deum & Christum non noverint uti oportet eos nosse, id est, quia non fecerunt quod sciebant faciendum esse, sed vixerunt tanquam si cognitione omni divinæ voluntatis caruissent. Verum quidem est, quod solida Christi & Dei cognitio vehementer potens est ad movendum voluntatem nostram ad amorem & obsequium ipsorum; sed tantum abest ut ea ita moveat voluntatem, ut voluntas non possit non amare Christum, & ejus mandatis obsequi, ut contrà videamus affirmari de iis qui Deum aut Dominum Christum cognoverint, quòd Deo non obediverint, Deum non glorificaverint, à via justitiæ resilierint, & ab observatione mandatorum ejus defecerint, aut saltem in ea ità non se gesserint ut non multis modis culpandi fuerint. Vide tantùm II & III *caput priorii Epistolæ Joannis*, & alia infinita loca. *Rom.* I. *vers.* 21. & 2 *Petr.* II. *vers.* 20. Et sanè cum vera cognitio Dei & Christi sit divinæ voluntatis scientia, eaque vel theoretica tantum, (licet vera) scientia, qua quis scit quid Deus & Christus à nobis postulent, vel practica, quæ fides dicitur; quid est cur non credamus fieri posse ut is qui simpliciter tantum scit voluntatem Dei, vel ei etiam credit, non faciat Dei voluntatem, vel à faciendo deficiat, manente interim sola scientia speculativa? Nihil.

Sed evinco ampliùs rem hoc argumento: Si vera cognitio Dei & Christi non potest separari à caritate, fieri non potest ut ii in quibus ista locum habet in ullum vel minimum Dei aut Christi præceptum peccent. Ità enim textus habet: *Qui dicit novi eum, & mandata ejus non servat, mendax est.* At si notitia hæc necessariò trahit observationem mandatorum post se, quomodò fieri potest ut non etiam trahat post se omnium mandatorum omnimodè perfectam observationem? vera enim cognitio Christi extendit se ad omnia præcepta. At si vera cognitio caritatem ita necessariò post se trahit, ut separari ab ea non possit, non magis trahit post se caritatem circà hoc quàm circa illud præceptum. Cui adde quod videamus passim Apostolum eos, de quibus affirmat quòd Deum & Christum cognoverint, monere & hortari ut ne seducantur, ut ne peccent, ut ne diligant mundum, ut

carita-

caritatem exerceant, &c. At quid ineptius quam ad ista solicitè aut seriò hortari quemquam, in quo jam est id quod necessariò conjunctam sibi habet istorum omnium observationem? Simulatque necessitatem aut necessariam conjunctionem istorum facis, necesse est ut hortationum vim ac pondus omninò tollas. Dicere enim quòd hortationibus istis foveatur cognitio, non est consequenter loqui. Si enim cognitio illa non est nuda speculatio, sed efficax boni summi cognitio, quæ ita voluntatem afficit ut non possit non ei adhærescere, quæ necessitas hortationum? quæ utilitas? Nihil enim est quod efficaci isti cognitioni unquam æquari nedum præponderare potest, ut hortationibus quominus id fiat eam foveri opus sit.

## CAPUT XII.

### Respondetur ad tertiam objectionem, quod alioqui tolletur optima pars Providentiæ divinæ.

TErtium argumentum est; *Si Deus illuminat mentem, voluntatemque interim sibi permittit, ut sit penes eam vel annuere, vel abnuere, optima pars providentiæ divinæ tolletur è medio. Nec enim pendebit inclinatio voluntatis à Deo in utramvis partem. Sese enim ipsa flectet quò libebit pro arbitrio nulla moderante divina providentia.* Resp. Nulla est consequentia in hoc argumento. Supponitur enim absque ulla ratione, providentiæ divinæ partem, imò optimam partem, esse inclinare voluntatem in utramvis partem; quod falsum est, aut saltem illud ipsum quod in quæstione versatur. Si enim Deus libertatem istam voluntati nostræ inesse voluit, ut ipsa sese flecteret in quam vellet partem, non tantum providentiæ divinæ pars, nedum pars optima est, voluntatem humanam flectere in utramvis partem; sed providentiæ divinæ planè est contrarium illam sic flectere, aut aliter quam secundum naturam suam flectere & regere. Providentiæ enim non est destruere rerum creatarum naturas, sed conservare, ac proinde relinquere ipsis motus suos liberos ad quos potentiam ipsis dedit: alioquin frustra dedisset ipsis potentiam. Neque tamen si voluntas libera statuatur, ea libertate quam nos agnoscimus, propterea credendum est hominem divinæ providentiæ subjectum non esse. Hoc ipsum enim, quod Deus non velit destruere naturam ejus, quam liberam & hactenus quasi suo dominio exemtam creavit, sed quod velit eam conservare, & permittere ipsi liberum usum facultatis concessæ, quodque simulatque movere se incipit, cogitationes, volitiones ac facta ipsius omnia pro suo arbitrio ordinet, dirigat, puniat, &c. prout vult, hoc (inquam) satis est ut providentiæ divinæ exemtus non credatur.

Ut autem appareat quousque argumentum hoc vadat, dico: si verum est argumentum hoc, ex eo necessariò sequi non tantum virtutes, sed & peccata omnia ex ipsa divina providentia tanquam ex causa sua profluere. Ratio est; quia ab ea & per eam dicitur expresse inclinatio voluntatis fieri debere; adeò ut nisi hæc per illam fiat, providentiæ divinæ optima pars tolli dicatur. Jam autem inclinatio voluntatis in malum, tam est inclinatio quam inclinatio in bonum. Dicere hic quòd ad inclinationem voluntatis ad malum nulla positiva actio divinæ providentiæ requiratur, sed sola tantum permissio, nimis est frivolum. Primò enim si sola permissio divina sufficit, jam sequitur hominem eatenus saltem exemtum providentiæ quòd inclinet sese in malum. Hæc enim inclinatio est sine dubio voluntatis actio, qua vult homo facere, vel non facere, quod Deus mandat aut prohibet; saltem non est nihil, aut potiùs aliquid est extra nihil. Hoc ipsum itaque non dependet à Deo, sed à sola voluntate hominis. unde consequitur, juxta Cameronem, hactenus saltem divinæ providentiæ hominem exemtum esse. Sed ne in has angustias intrem, dico secundò, frivolum esse hoc argumentum. Permissio enim hæc, non est permissio talis ut ea posita maneat adhuc penes voluntatem annuere vel abnuere: (sic enim, uti Camero ait, optima pars divinæ providentiæ tolleretur, eo ipso quod inclinatio ejusmodi libera, non à Deo, sed ab ipsa voluntate hominis suspenderetur;) sed est permissio quâ positâ voluntatem in malum inclinari necesse est, sive qua voluntatem in malum non inclinari impossibile est; uti, exempli gratia, permissio qua quis lapidem, natura sua gravem, super medio ipso leviore collocat, & sic ex alto in terram cadere permittit. Hujusmodi permissio quin ad causam efficientem reducatur, aut ei æquipolleat, nemo negabit nisi cui sana mens non est. Creare enim rem aliquam cum tali dispositione, ut si sibi ipsi relinquatur aut permittatur non possit non nisi in unam tantum partem sese vertere aut inclinare, & eandem rem sic creatam deinde sibi permittere, quid aliud est quam velle aut efficere, saltem in causa, ut res ista in partem istam unam se inclinet? Quare qui hujusmodi permissionem divinæ providentiæ actum appellat, quo Deus versatus est post legem datam in paradiso circa hominis adhuc integri & innocentis voluntatem, næ is Deum non authorem tantum, sed & solum authorem peccati, velit nolit, faciat necesse est. Nec evadet Camero unquam blasphemiam istam, quamdiu hujusmodi argumentis pugnare pergit. Satis enim ostendit se non tantum de voluntate jam per peccatum corrupta, sed de qualibet voluntate, etiam ea quæ in Adamo in statu integritatis constituto fuit, agere; quia dubium nullum est quin credat, Adamum in statu isto integro optimæ parti divinæ providentiæ exemtum non fuisse; quod tamen necessariò dicendum ipsi foret, si libertatem in voluntate Adami istam quam impugnat, locum habuisse velit. Imo, quod magis est, dicendum ipsi foret, Adami voluntati divinitatem adscribendam esse, & Deo aut omninò detrahendam omnem de voluntatis ipsius inclinatione præscientiam, aut nonnisi incertam relinquendam. Hæc enim sunt absurda illa quibus contra sententiam clariss. D. Tileni pugnat; quæ nisi ad libertatem voluntatis in omni statu evertendam faciant, omnia frivola sunt ac futilia.

## CAPUT XIII.

### Respondetur ad quartam objectionem, quòd alioqui tolletur omnis consolatio.

QUartum argumentum est: *Sic tolletur omnis consolatio. quod enim Deus in nobis facit non prohibebit quominus nos aberremus.* Resp. Nulla est consequentia; Deus non consolatur nos isto modo; ergo non consolatur nos ullo modo. Fateor quidem magnam futuram consolationem istam quam argumentum indicat, & negare non audeo Deum aliquando extraordinariè hujusmodi consolatione suos, imprimis in tentationibus positos, & ardenter ipsum pro auxilio singulari orantes, gratiosè perfundere. sed inde tamen neutiquam sequitur consolationem nullam locum habere posse, nisi illa agnoscatur: aut istam consolationem ordinariam consolationem esse qua Deus uti vult. Contrarium evinci posse credo tribus argumentis. 1. Si hoc verum esset, sequeretur aliam nullam consolationem quàm hanc unam esse aut dari posse. Deus enim uno tantum hoc modo nos prohibet à peccando, uti Camero vult. 2. Consolatio divina non posset nec deberet dari iis qui officium suum jam fecerunt, & à peccando sese sollicitè continuerunt, saltem non cum isto respectu quòd officium suum fecerint. Consolaretur enim Deus eos quos consolatus est eadem consolatione, id est, prohibitione à peccando, quæ prohibitio tam habet locum in principio quàm in medio & fine conversionis. Atqui scriptura dicit Deum consolari potissimum eos qui officium suum fecerunt aut faciunt, ratione habita scilicet ad fidem & pietatem ipsorum. 3. Consolatio hæc divina non posset conjuncta esse cum seria hortatione & monitione (directâ ad eos quos Deus ita consolatur) ut ipsi officium suum sedulo faciant, ut salutem suam operentur in timore & tremore, ut vocationem & electionem suam firmam faciant, & similia. Hoc totum sane prorsus vanum ac ridiculum foret, si consolatio eorum omnis in eo sita sit, quòd Deus ipse & solus voluntatem eorum ita inclinet, ut non possint aliter agere aut inclinare voluntatem suam. Quis enim sapiens seriò hortabitur, cum præmiorum promissis & pœnarum minis, aliquem ut faciat hoc aut illud, qui ipse in eo efficere id vult, quo posito fieri non potest ut is aliter agat? Et quis pius credet se à Deo seriò moneri ad officium faciendum, qui persuasus est Deum in se id efficere & debere & velle, seque ad id efficiendum aut aliter agendum quàm Deus operatur, vires nullas habere? Vix in hominem vanissimum cadunt hujusmodi ineptiæ.

Consolatio interim satis magna nobis relinquitur, dum videlicet Deus voluntatem nostram, vel potius nos naturâ nostra liberos, & sæpe etiam proclives ad mundana, non modò quantum in se est promissis suis erigit, sed etiam in spe vitæ æternæ magis magisque confirmat, dum nobis in tentationibus omnibus specialem favorem & adsistentiam suam pollicetur, imò non raro pacem suam largitur quæ omnem intellectum superat, si modò nos faciamus quod in nobis est, & non desimus nobis ipsis, divinoque auxilio nos ipsos non subtrahamus. Consolatio hæc sufficit, aut sufficere nobis jure summo debet, contra inconstantiam voluntatis nostræ. Per eam enim constantem voluntatem retinere possumus, per eam nos ipsos, mundum & diabolum vincere possumus, imò plusquàm vincere. Quare qui consolationem hanc, tam apertè, tam clarè expressam in scripturis ut

Solis

Solis radio ſcripta dici poſſit, fruſtraneam & ridiculam vocat, ille viderit quo jure id faciat. Ego id parum abeſſe à convitio in Deum crediderim.

## CAPUT XIV.

### Reſpondetur ad quintam objectionem, quòd alioqui nullus erit exhortationum uſus.

QUintum argumentum eſt: *Nullus erit exhortationum uſus. Ratio eſt, quia cum voluntas ipſa ſe determinet, quid faciet exhortatio quæ voluntatem non poteſt ab æquilibrio dimovere?* Reſp. Argumentum hoc falſa iſta hypotheſi laborat, quam jam ante indicavi. Voluntatem enim conſiderat tanquam ſubſtantiam quandam peculiarem in anima, ſed ab anima & à mente diſtinctam, quæ ſeipſam determinat cæco motu ſuo, quia rationis capax non eſt; cum non tam ipſa voluntas quàm homo, aut anima hominis judicio informata, mediante voluntate, id eſt, facultate ſua volendi, ſe determinet. Hinc enim conſequitur quòd eadem anima, quæ hortationes recipit per facultatem intellectricem, per eaſdem hortationes moveri poſſit, ut determinare ſe velit ad id ad quod hortationes tendunt. Hinc liquet quòd exhortatio uſum luculentum habere poſſit in anima hominis: propterea quòd anima, quando per intellectricem vim ſuam exhortationem percipit, apta redditur ut per potentiam volendi ſe moveat atque inclinet in partem illam pro qua rationes militant; ita tamen ut pro libertate ſibi innata poſſit nolle moveri, aut in alteram partem moveri, ſive bruto aut ſtulto, ſive tyrannico motu ferri quo vult, nulla habita rationum iſtarum quas percepit conſideratione.

Niſi hanc rem concedat Camero, retorquebo contra ipſum argumentum ipſius, & eadem ipſum difficultate premam, hoc pacto; Si voluntas neceſſariò ſequitur judicium intellectus, nullus exhortationum uſus relinquitur. Ratio eſt: Exhortatio enim nec ad intellectum nec ad voluntatem fieri aut dirigi poteſt. Fruſtra enim horteris intellectum ut intelligat quod proponitur. non poteſt enim non intelligere verum clarè propoſitum. Conſilii & perſuaſionis vel rationis ſolius eſt capax intellectus; at hortationis, quà talis, nullo modo capax eſſe poteſt. Nec ad voluntatem dirigi ulla ratione poteſt; 1. quia voluntas poſito judicio in intellectu, neceſſariò determinata eſt ad ſequendum judicium, ut hortatione opus non ſit. Et 2. quia ſi hortatio per rationes fieri dicatur, quomodo iis movebitur voluntas juxta Cameronem? Voluntas enim non judicat: voluntas non eſt capax rationum ullarum, alioquin enim voluntas idem eſſet quod intellectus. Quid hîc reſpondebit Camero? Neceſſe eſt ut argumento hoc ſeipſum non minus ſtringi fateatur, quàm alios ſtringere tentat, & interim iſti intricatus maneat, niſi eâ quam nos indicavimus via ſe expediat.

## CAPUT XV.

### Reſpondetur ad hanc objectionem, quòd alioqui tolletur uſus precum.

ET hæc eſt ratio qua facile ſolvuntur cætera omnia argumenta Cameronis, *de gloriatione, de precibus, de gratia*, &c. quæ acumen potius aliquod vanum & triviale, quàm ſolidam veritatis ſcientiam habere mihi videntur. quale eſt, exempli gratia, quod de precibus dicit; *Tolletur, inquit, uſus precum earum quibus Deum oramus ut flectat voluntatem noſtram, neu nos patiatur induci in tentationem; cum Deus illuminet tantum mentem & affectum leviter moveat, voluntati præcipuas partes relinquat.* Totum enim hoc, & pleraque alia, nituntur hoc uno fundamento quod jam indicavi, quòd videlicet voluntas concipiatur veluti cæca & bruta quædam ſubſtantia, quæ nullo judicio, nulla ratione ſeſe flectit in quam vult partem. Hinc enim colligit fruſtra omnia fieri in anima noſtra, quamdiu potentia iſta indeterminata relinquitur, & in partem meliorem non inclinatur. Sed errat, uti jam ante monuimus, aut ſophiſticè potius veritatem involvit Camero, aliter facturus ſi ex æquo & bono axioma illud de potentia voluntatis liberæ interpretatus eſſet, aut ſaltem axioma illud, ſi ita præcisè ſumatur, rejiciendum potius eſſe quàm veritati apertæ offucias faciendas, conſideraſſet.

Si enim eo quo dixi modo intelligatur, quomodo quæſo uſus precum tollitur? Pone enim voluntatem liberam ſive indifferentem eſſe ac manere in omni ſtatu, id eſt animam hominis in quocumque ſtatu hîc ſit, poſſe ſeſe inclinare ſemper in contrariam partem quam judicium aut Deus monſtrat, imò poſſe nolle animum advertere ad judicium aut Dei inſpirationem, ſed tamen & poſſe advertere, &, ſi advertere velit, magnas cauſſas inde accipere ut in optimam partem ſeſe inclinet, aut poſtquam ſeſe inclinavit in optimam partem, [illegible] diu ſteterit, in eadem perſeveret contra varia pericula tentationum, [illegible] ritamentorum, exemplorum, &c. quid? an non hoc fundamento ſtrato magnus precum uſus eſt?

At, inquies, quomodo flectet Deus voluntatem, ſi voluntas ipſa libera ſemper manet? Reſp. Iis modis qui cum libertate voluntatis conſiſtere poſſunt. Atqui, inquies, quid ſi homo nolit animum advertere? Reſp. Imò idcirco quia precatur homo Deum ut flectere velit ipſius voluntatem, oſtendit ac profitetur ſe paratum jam eſſe ad animum advertendum ad conſilia & ſuaſiones divinas. Atqui, inquies, poteſt tamen ſemper aliter agere. Reſp. Imò verò quia aliter ſemper poteſt agere, idcirco orat Deum ut habeat per quod retineatur in officio, ne potentiam illam liberam quam ſemper habet in ſe, in actum velit producere, utque ita inclinata manere poſſit in partem optimam quam elegit.

Neque tamen nego fieri etiam poſſe, ut Deus immediatè flectat voluntatem hominum piorum, & ex fide auxilium ipſius implorantium, non quidem per vim, (ſic enim cogeret voluntatem, quod eſt impoſſibile) neque per irreſiſtibilem aliquam potentiam, (ſic enim voluntas libera non eſſet, ac proinde voluntas eſſe deſineret) ſed per inclinationem naturæ voluntatis convenientem, non quatenus principium electionis eſt, ſed quatenus natura eſt. Hoc enim facere poteſt Deus ſine læſione naturæ creatæ, & in bonum hominis, qui videlicet officium ſuum fecit, & divino ſingulari auxilio opus habet. Quare nihil obſtat quominus orari poſſit à nobis ſuppliciter Deus, ut etiam hoc auxilio juvare nos velit.

Sed quid ego in re plana diutius moror? Quotieſcunque hoc & ſimilia argumenta à Camerone urgeri video, totiès obſtupeſco pænè. Nulla enim ſunt quæ tam directè cum ipſius Cameronis ſententia pugnant. Obſecro enim, quis uſus precum eſſe poteſt, ſi Deus ita ſemper flectere neceſſe habeat voluntatem noſtram uti Camero vult? Is enim qui precatur ut Deus flectat voluntatem ſuam, aut voluntatem jam ita inflexam habet, aut non. Si non habet voluntatem ita inflexam, neceſſe eſt ut dicatur pro re tam divina precari ſine tali flexione voluntatis. At hoc non concedet Camero, qui precari pro tali flexione à flexione divina proficiſci debere ſine dubio credit; quia actus iſte precationis, imprimis ſi ex fide fiet, ſine flexione tali eſſe non poteſt; imò quia nullus actus voluntatis eſſe poteſt ſine ejuſmodi præcedanea flexione. Si habet jam voluntatem ita flexam, quid quæſo precatur? An ut Deus eum in illa conſervet? Atqui illa cognitio efficax ſummi boni, per quam Deus inflexit voluntatem ipſius, facit ut non poſſit non perſeverare; imò ut perſuaſus ſit de eo, quod Deus ipſum conſervare velit, neque unquam permiſſurus ſit, imò permittere non poſſit, ut ea totaliter aut finaliter excidat. An rogat pro augmento? At augmentum nullum poſſibile eſt, Quomodo enim voluntas alicujus flecti amplius poſſit, quàm ſi ita flectatur ut non poſſit non adhæreſcere ſummo bono? Neceſſarium conſiſtit in indiviſibili, nec recipit magis aut minus. Neceſſe enim eſt quod nec eſſe aliter poteſt. Certè cujus menti Deus lucem iſtam flectentem ſeu perſuaſivam indidit, is ſtultè petit à Deo ut flectat voluntatem ſuam. Poſita enim iſta luce non poteſt non flecti voluntas. Quorſum itaque precari Deum ut eam flectat? Ineptiora hæc ſunt quam ut ſerium Theologum deceant.

Plura inpræſentiarum non addo, quia credo rem ſatis liquere. Quod ſi ſecus tibi videatur, aut ſi quid ſupereſſe credis quod excuſando Cameroni aut ſententiæ ejus perſuadendæ facere poſſit, fac quæſo ut id quamprimum intelligam. Interim per ſalutem tuam, & per ſi quid tibi unquam darum fuit, te obteſtor, ut ab hujuſmodi periculoſis & noxiis opinionibus ſedulò tibi caveas, ut ſalutem tuam in timore & tremore operari non deſinas. Magnum ad religioſam ſolicitudinem de officio & ſalute noſtra incitamentum eſt, credere per nos ſtare poſſe quominus ſalvemur; Et contra ingens ad ſecuritatem aut deſperationem ſtimulus eſt, credere per nos ſtare non poſſe quominus ſalvemur, aut per Deum ſtare quominus ſalvari poſſimus. Utrumque præcipitium hoc ſi ſedulo vitaveris, non parum in via veritatis & pietatis te profeciſſe intelliges. Vale.

## S. C. LECTORI CHRISTIANO εὖ πράττειν.

PRodit tandem, Christiane Lector, diu multumque expetita SIMONIS EPISCOPII ad JOANNIS CAMERONIS Defensionem Responsio. Si aveas scire cur non citius, id paucis habe. Ante tres & viginti circiter annos adornatum fuit hoc opus in Gallia, ubi Auctor propter veritatis testimonium exsulabat, & statim in Bataviam missum ut prælo subjiceretur. Sed cum interea de Antagonistæ sui obitu certior esset factus, sententiam de illo in lucem edendo mutavit, & ad amicos quibus ejus rei fecerat potestatem scripsit ut editionem differrent: nolle enim se adversus mortuum, qui se defendere amplius non posset, inglorio pugnare certamine. Postea in patriam reversus, cùm à multis undique rogaretur ne tam accuratè elaboratam disputationem publico invideret, à proposito tamen isto dimoveri non potuit. Afferebatur ad eum flectendum, Sententiam quam tueretur Camero eodem cum ipso tumulo non esse defossam: non paucos ipsum reliquisse adstipulatores & discipulos, qui de ista Defensione gloriarentur, & à nemine refutari posse dictitarent; quos oporteret ἐπιστομίζειν. Sed Episcopius noster hæc flocci facere, & dicere Cameronis opinionem in sua Epistola sufficienter esse refutatam, & tantum non profligatam: nec quæ in fastuosa Defensione exceperat Camero tanti sibi videri momenti, ut si ad ea nihil reponeret, de caussa periclitaretur, aut vadimonium deseruisse aliqua cum specie objici posset. Accesit etiam altera caussa, ut conjicio, cur amicis hujus Responsionis editionem urgentibus assentiri gravaretur; nimirum quod in Apologia Confessionis Remonstrantium, quam postea composuit, quædam ex ea desumpsisset, quæ iterum sub alio titulo in publicum protrudere indecorum & lectoribus tædiosum foret. Interdum enim dicebat illis, se velle hanc Responsionem ad incudem revocare, & quæ hîc illic occurrebant superflua atque alibi jam tractata resecare; & quando id facere vacavisset, ipsorum se tunc voluntati morem gesturum. Ita factum est ut procrastinando, & spem nostram in dies differendo, fato cui omnes hominum filii sunt obnoxii & ipse tandem concesserit. Cùm ergo doctas quas reliquit lucubrationes in lucem emittendi provincia, ab iis quibus nihil denegare nec possum nec debeo mihi esset demandata, putavi Responsioni isti in prima, quæ nunc prodit, illarum parte locum esse assignandum, ut cum Institutionibus Theologicis aliisque hîc annexis opusculis conjuncta, plenissimam celebris controversiæ Prædestinariæ tractationem exhiberet. Nihil ad ejus commendationem afferam, veritus ne indisserto meo præconio laudes quas meretur deteram: nec est necesse; satis enim illam apud te, Erudite Lector, cùm propius inspicere dignatus fueris, propriis se dotibus commendaturam esse confido. Verbo tantùm dicam, evidentissimè in ea demonstrari, Cameronis sententiam de necessaria voluntatis per intellectum determinatione, fatalem actionum omnium tam malarum quàm bonarum necessitatem inducere, atque ita Deum peccati auctorem facere, & religionem erga illum omnem funditus evertere: quibus absurdis æquiparanda alia dari posse non existimo. Videbis etiam hîc bellum illud ἔνθημα, quo fretus Remonstrantes unico se ictu debellaturum autumavit, ita examinari & refelli, ut nihil nisi puerile sophisma esse appareat. Scilicet rem acu tetigit Camero, cùm voluntatem, quam cæcam putat esse facultatem, ab ultimo intellectus practici judicio necessariò determinari urget; non animadvertens ultimum istud intellectus practici judicium cum voluntate unum idemque esse, & quod inter ea vulgo fingitur discrimen, id rationis esse, non rei. Sed cum ista aliaque iis affinia copiosè in hac Responsione sint tractata, indeque à te commodius peti possint, nolo actum agere, aut diutius te cum temporis jactura in vestibulo remorari. Unum tantum addam, Benevole Lector, ante quam te dimittam, Viri docti titulum, Episcopio in Epistola qua Cameronis sententiam expendit in prima editione tributum, offendere te non debere, quasi ipse eruditionis suæ inverecundus præco fuisset. Certò enim scio, & bona fide affirmare possum, id eo absente & ignaro factum esse ab amico, qui istius Epistolæ editioni præfuit. Qua de re si Camero cogitasset, forte toties & tanto cum supercilio, ut facit, titulum istum Episcopio in Defensione sua non exprobravisset. Quin tamen Viri docti nomen optimo ipsi jure conveniat, tot præclara ingenii monumenta, quæ posteritati reliquit, dubitare nos non sinunt, & à nemine adversariorum, quos habuit acerrimos, huc usque in controversiam est vocatum: adeo viri hujus eruditio in Scriptis ejus clarè se cunctis intuendam prodit, & minus etiam faventium oculos fulgore suo præstringit! Vale, & si quid ex hoc aliisve Auctoris nostri scriptis utilitatis percipere te animadvertas, editorem favore tuo prosequere, & apud Deum precibus juva. Amstelodami, Idibus Augusti, anno à Christo nato CIↃ IↃC XLVIII.

M. SI-

# M. SIMONIS EPISCOPII

# RESPONSIO

## Ad defensionem IOANNIS CAMERONIS,

quam oppositit Epistolæ cuidam, in qua expensa fuerat ejus sententia de gratia & libero arbitrio, sive de determinatione voluntatis per intellectum.

## RESPONSIO AD PRÆFATIONEM.

VIr Clarissime JOANNES CAMERO, *Defensionem* tuam quam opposuisti Epistolæ meæ, in qua sententiam tuam *de gratia & libero arbitrio* in gratiam cujusdam amici mei expenderam, legi non minus equidem avide quam libenter. Libentius multo eam legissem, si intra meram defensionem stetisses, & rem cum re, causam cum causa, argumentum cum argumento contulisses, ea æquanimitate quæ Christianum, & imprimis Christianæ religionis Doctorem & Professorem decet. Sed postquam vidi eam non sine supercilio ac contumelia scriptam, & hîc illic sale ac sputo veluti per ludibrium respersam, non potui (fateor) sine dolore in ejus lectione versari. Non expectaveram id à te, qui jam in fama modestiæ eras, & credebaris non ambiturus laudem nisi justæ atque accuratæ disputationis. Ac principio quidem mærori atque ægritudini, quæ tum te habebat ex morte dilectæ conjugis tuæ, istud adscribi posse credebam. Solet enim ea non raro bilem acuere, & subinde tetricum quendam ardorem in nasum ciere. Sed cum ubique lineamenta ac vestigia consimilia, ac non raro specie quadam benevolentiæ ac blandæ caritatis tecta, deprehenderem, ingenio potius tuo quam temporis calamitati id omne tribuendum esse judicavi. Ea res me animitus commovit, tum tuo tum meo nomine. *Tuo*, quod famam simul ac scriptionem tuam isto atramento animi tui maculasses. *Meo*, quod in istud stadium me protractum videbam, in quo mihi non tam cum rationibus atque argumentis tuis, quam cum supercilio atque ἰεροφωνίᾳ tua luctandum foret. Neque tamen conscius mihi eram causam ullam justam tibi à me datam fuisse, cur ita scriberes. Nullo verbulo te læseram apud amicum meum, & argumentis ac rationibus non omnino contemnendis contra placitum tuum pugnasse mihi videbar. Quid feciss es, mi Camero, si prior te irritassem? Vix potes sine fermento animi præterire quotiescunque tibi occurrit *Viri docti* epithetum; quasi aut ego illud ambiissem: (quod sane inscio, immerenti atque invito mihi dederunt amici:) aut si istud mihi jure tributum videatur, tuæ seu famæ seu causæ quicquam vel minimum inde decederet. Clarissimum virum *D. Tilenum*, qua potes, cæsim punctim, aculeatis tuis salsisque periodis impetis, & ubique id operam pæne dare videris, ne quid sine amarulento sarcasmo in quempiam dicas: quin & in mortuos pariter ac vivos unguibus tuis incurris. Nolim id à te factum. Neque enim hoc sapit spiritum illum mitem ac lenem Domini nostri Jesu. Is abhorret ab omni λοιδορίᾳ: quippe à crimine quod cum spe beatæ immortalitatis consistere non potest. Ego vicem tibi non rependam, ne aut tu mihi reponas illud Servatoris nostri, *Medice cura te ipsum*, aut ego, dum animo obsequor, spem meæ hæreditatis isto velut ariete labefactem. Docti viri titulus mihi tanti non est, ut ægre ferre velim eum mihi non tribui, aut ob eum mihi tributum gaudeam. Ego mea me decempeda metior. Non sum adeo Suffenus ut nesciam quam sit mihi domi curta supellex, quam multa requirantur ut quis titulo isto dignus sit, quam indignis sæpe tribuatur; &, quod caput rei est, quam nihil profuturus, imo quanto oneri futurus sit in magno illo judicii die, si abfuerint modestia & pietas. Ut ex illo mustaceo laureolam sibi quærat qui volet, non equidem invideo. Ego aliis titulis, aliis insignibus, aliis moribus opus esse scio, ut apud Deum simus in pretio, ut laus nostra non sit ex hominibus sed ex Deo. Hoc animo itaque, hoc spiritu, & feram lubens scommata, sales totamque adeo ἰεροφωνίαν tuam, Camero, & placidè simul ac liberè expendam quæ defendendæ tuæ sententiæ adfers.

*Querela de supercilio & acerbitate Cameronis.*

*De titulo Viri docti.*

Ac primo quidem, antequam ad rem accedo, operæpretium est ut nonnihil dicam ad ea quæ præfatus es in limine defensionis tuæ. Imprimis gratulor mihi de duobus: 1. quod sententiam tuam candidè à me propositam fatearis. 2. quod Epistolam meam integram defensioni tuæ præfixam volueris: quo nomine imprimis magnas me tibi debere gratias confiteor. Etsi enim nihil dubito, quin causæ tuæ fiduciam hac ratione publice testatam facere volueris; tamen quia istud, quicquid est, cum candore atque ingenuitate conjunctum est, non potest ac non debet id non esse mihi gratissimum.

*Quo sensu Auctor sententiam quam impugnat, Cameronis sententiam vocaverit.*

Veruntamen desideras nonnulla in explicatione sententiæ tuæ; Ac primo quidem, quod sententiam istam faciam *sententiam tuam, non quasi in ea sis dumtaxat, sed tanquam si ea vel authorem te haberet, vel præcipuum vindicem & assertorem.* Sententiam hanc feci tuam, Camero, fateor; non quod ea *te authorem habeat*; nec enim ignorare poteram fuisse ante te, qui eandem sententiam tenuerunt & defenderunt mordicus, hodieque esse qui eandem ὀδόντι καὶ ὄνυξι tuentur. Quicunque fatalem rerum, actionum & eventuum omnium necessitatem hactenus propugnarunt, & isti humanam etiam voluntatem subjecerunt, ii eandem quam tu hîc propugnas sententiam adseruisse videri possunt: etiamsi diversa quisque via, prout optime commodissimeque id fieri posse credidit, eam adseruerit. Inter eos autem fuisse qui eandem tecum viam institerunt, & priores facem tibi quasi prætulerunt, ex scriptis ipsorum liquet. Neque quod ea *præcipuum vindicem atque adsertorem* te haberet, idcirco eam *tuam* dixi; sed quod tu inter Reformatos, qui vocantur, unus & solus hoc tempore sententiam istam, publice ac coram Sole, ista qua facis via tuearis ac propugnes. Nec enim quisquam hac nostra ætate est, quod sciam, quem fatalitatem rerum omnium ista via, aperto Marte & nuda fronte, propugnare constet. saltem qui inter Reformatos hodie, postquam lis hæc nata, & in omnem partem ab omnis pæne generis Theologis summa ingenii vi ventilata est, inter eos nomen suum professus fuerit, nemo comparet. Inter Romanenses *Estius* & *Bellarminus* pene soli hodie pro ista sententia pugnant; sed salva, ut volunt, atque illæsa arbitrii libertate seu indifferentia. Qui eos sequuntur

*Apparent rari nantes in gurgite vasto.*

Cæteri, qui fatalitatem & necessitatem eandem tenent, ii ex alio capite, & alia via eam adsertum ire solent, sed sarta tectaque semper manente, uti quidem profitentur, eadem voluntatis libertate. qua in re quia tibi non adstipulantur, idcirco tanto majori jure sententiam hanc, *tuam sententiam* à me vocari potuisse manifestum est.

*Et quomodo accipiendum id quod dicit, se putasse eam odiosè proponere.*

Deinde ais: *Et id offendit nonnihil, quod tu eam etsi candide proponis, tamen quasi metueres, ne nuda veritas lectorum animum adficeret, an te eam odiose potuisse proponere. Obsecro te, potuistin' id facere conscientia integra & salua, functus officio boni viri? Certe non potuisti. Ego profecto non dixerim me in te potuisse mentiri; quis enim de eo dubitet?* Nimis acriter inveheris in dictum innoxium. Potuisse me dixi sententiam tuam *odiose* proponere, non uti tu te *mentiri potuisse* dicis, *quis enim*, uti tu ipse ais, *de eo dubitet?* sed conscientia integra & salva, functus officio boni viri Quid ni enim bono viro liceat odiosam sententiam odiose proponere? Nihil certe contra aut præter officium boni viri facit, qui id quod non tantum falsum, sed & odio dignum,

imo noxium ac peſtiferum judicat, coloribus conſimilibus depingit. Sententiam adverſarii aliter quam ex ipſius adverſarii vera ac genuina mente proponere non eſt viri boni: At mentem ipſam adverſarii aliis, quam ipſius adverſarii, verbis, imo verbis odioſis, ſed à mente adverſarii non alienis, proponere, cur non poſſet ſine culpa, & integra conſcientia, vir bonus? Aliud eſt ſententiam alicujus falſo, aliud odioſe proponere. Non raro odioſe ſententiam ſuam proponi clamabit adverſarius, non quod terminos, quibus ea proponitur, falſos eſſe credat, ſed tantum quia terminos iſtos exoſos eſſe videt, licet alioquin iis ipſis libenter admodum uti cuperet, nulliſque adeo aut libentius, aut ad cauſam ſuam accommodatius, aut ſignificantius uti ſe poſſe crederet, ſi ſine invidia modo id facere poſſet. Odioſos itaque terminos ſæpe non res, ſed ſæculum aut vulgus facit. Noluiſſe tamen me dixi ſententiam tuam *odioſe* proponere, non quia ſi id feciſſem contra boni viri officium facturus fuiſſem, ſed quia contra & præter legem accuratæ diſputationis feciſſem, in qua non ponderantur verba ſed rerum momenta; neque odioſum quippiam credi debet, antequam quod odioſum revera ſit rationibus probatum eſt. Hæc ſola lex me præcipue continuit. Acceſſit, quod liberalioris ingenii eſſe ſemper credidi, benigniſſime cum eo qui diverſum à te ſentit agere, & id operam dare ut intelligat, quod eum nullo modo à te alienatum cupias. Quam ad rem multum referre ſemper exiſtimavi, ſi ſententia ejus ſic proponatur, ut nihil in ea reperiat quod ſibi ipſe tribui non libenter admodum cupiat.

Quod dixi me hac ratione multorum exemplum ſequi nolle, id rectè atque merito jure à me dici potuiſſe non negas. Multos in diſputatione eſſe qui ad iſtum lapidem impingunt, quis non cum dolore quotidie pæne obſervat? Sed quod me *tuum adeo ipſius exemplum ſequi nolle* addidi, id te valde male habet. *Nego*, inquis, *id à me factum. Aio id à te pro ingenio confictum.* Bona verba Camero. Si ſententiam tuam propoſuiſſem hiſce terminis; *An Deus providentia ſua voluntatem hominis ita determinet, ut eam aut in bonum aut in malum inclinare neceſſe ſit?* ſive, *An bonum & malum omne à ſolo Deo ſit vel efficiente vel deſerente innoxiam creaturam ſuam?* ſive denique, *An Deus boni & mali omnis in creatura ſua author ſit?* Si, inquam, ſententiam tuam hoc modo propoſuiſſem, & hac una de re inter nos litem eſſe affirmaſſem, an non odioſe à me ſententiam tuam, etſi non omnino præter mentem tuam, propoſitam quereris? Et jure quidem, inquies. An non igitur pari jure mihi dicere licuit, te odioſe ſententiam eorum, quibuſcum ego ſentio, proponere, quando dicis, id *unum tantum* controverti inter te & illos, *An Deus non ſit ſolus boni omnis quod in creatura eſt author & fons?* ſive, *An, quod in electis eſt bonum, id aliunde ſit quàm à ſpeciali Dei gratia?* Et quando hîc ſtandum eſſe, hîc pedem figendum eſſe, contendis, de reliquis manum te vertere nolle, quaſi de rebus aut nihili aut utrimque certis ac confeſſis? Quid enim poteſt odioſius in hac cauſa quæri, quam hoc? quid dici invidioſius, quam ea, circa quæ præcipua lis verſatur, extra omnem aut ſaltem principalem litem poſita eſſe? Et hoc tamen, iſtud unum eſt quod in controverſia poſitum eſſe, non tantum ubique & viritim pæne à te jactatur, ſed quod paſſim ſcripta tua, & hoc etiam ipſum quod nunc præ manibus habemus, ab ima ad ſummam uſque chordam reſonat. Quod Clariſſimum virum *D. Tilenum* nunquam teſtatum eſſe ſcribis, ſe in ſtatu controverſiæ conſtituendo, candorem, æquitatem, integritatem in te deſiderare, id mirari ſatis non poſſum. una quam Clariſſ. Vir Paralipomenis ſuis præfixit præfatio contrarium nimis aperte teſtatur. Vin' verba Camero? Ita ſonant: *Sed iſta Stoici diſputatorii ſputa, bacchantiſque ſtomachi purulenta phlegmata longe æquiore animo fero quam*, NB. SENTENTIÆ MEÆ INTOLERANDAS DEPRAVATIONES, *& quas* EX DEPRAVATIS *nectit diſtortas conſequentias, rurſus ex his tragicas, ſæpius autem fatuas exclamationes.* Item in eadem præfat. *Camero hoc ſolum negotii ſibi credidit datum, ut in volucra ſenſuum, verborum volumina, vocumque turbas ſunditans, veritatem ἀυτολογίας ac coccyſmis obrutam, inanibuſque præſtigioſarum imaginum ſumis obſcuratam è conſpectu ſubduceret.* Qui de ſententiæ ſuæ non una ſed pluribus depravationibus, iiſque intolerandis conqueritur, an non is candorem, æquitatem & integritatem in ſtatu controverſiæ proponendo & tractando deſiderat? Certe qui adverſarii ſui ſententiam intolerabiliter depravat, quo modo fieri poteſt ut is candide atque integre controverſiam proponere & tractare adverſario videatur?

*Noluit præjudiciis eam gravare, cum illam in Synodo Dordracena, &c. damnatam eſſe dicit.*

Tertium eſt, *Quod calliditate uſum me dicis, cum te principio diſputationis cum Synodo Dordracena, Aleziana & Charentonenſi committo. ſic enim me damnata (cauſa nondum cognita) ſtatim initio ſententia tua, mihi præjudicii viam ad juſtam & legitimam accuſationem munire.* Callide aut ex arte ſi id à me factum putas, Camero, vehementer erras. Calliditate ut apud amicum jam pridem à Synodis iſtis alieniſſimum uterer opus non erat: Arte vero & methodo in familiari epiſtola anxie aut ſolicite uti nolle, id demum eſt familiariter ſcribere. Præjudiciis adeo mihi viam non munivi ad juſtam accuſationem, ut vias omnes, quantum in me fuit, ex profeſſo obſtruxerim, ne præjudicio locus aut aditus ullus pateret. Præjudicium itaque non dediſſe, ſed pro virili abſtuliſſe, videri debeo. Videatur argumenti hujus concluſio & rem teſtem habebis. Verumenimvero poſito, quod hoc præjudicio mihi viam muniviſſem ad legitimam accuſationem, quomodo id quidem tu ægre ferre potes? Præjudicia enim hæc, non tam præjudicia, quam axiomata exceptione omni majora, videri tibi debent. Nimirum tanti ea feciſtis, ut iis non minore cum religione conſcientias ac linguas veſtras obligaveritis, quam Scripturis, aut rectæ rationi, obligare eaſdem mortalis quiſquam aut ſolet aut poteſt. Nempe ſacroſancto juramento, *abſque ulla reſervatione mentali, exceptione, aut æquivocatione, ad extremum uſque vitæ halitum*, (pudet dicere!) Synodis iſtis animas & linguas veſtras obſtrinxiſtis. His ipſis itaque argumentis qui ſententiam tuam gravat, quid facit quod tibi non debeat eſſe gratiſſimum? Si id recte ac jure à vobis factum eſſe etiamnum credis, quid conquereris? Si pœnitet, age jam epicedium ſcribatur iſti argumento per me licet.

*Sed debuit id*, inquis, *& potuit rejici in finem diſputationis.* At quid refert principio an fine diſputationis argumentum collocetur, ſi id quod primo loco ponitur, non minus verum eſſe creditur, quam quod ponitur ultimo? Faſtidioſi ſtomachi eſt ad ordinem iſtum nauſeare. Veritas ſane præponenda eſt rebus omnibus. Præjudiciis omnino abſtinendum eſt ei qui veritatis vel doctor vel diſcipulus eſſe vult. Soli Scripturæ S. & rectæ rationi ſacramentum dicendum eſt. Hæ primos ordines ducere, hæ primum impetum in animos noſtros facere debent. Cætera veluti levis armaturæ copiæ in extremum agmen conjicienda ſunt. Sed quando iſto ſeculo vivimus, & cum iſtis hominibus nobis res eſt, à quibus præjudicia Synodorum veritate ipſa veriora eſſe creduntur, cur, vel te ipſo judice, ea cæteris omnibus non præponi, ſed poſtponi debeant, cauſa nulla dari poteſt. Veſtra itaque hæc culpa eſt, quod iſtis argumentis ante omnia hodie contra vos pugnandum ſit. Tanti apud vos fieri cæpit non ita nuper Synodi Dordracenæ authoritas, ut non uno experimento didicerim, non in Belgio ſolum, ſed in ipſa Gallia, nec modo apud proletariam turbam & promiſcuam plebem, quæ plerumque non ſuo ſed alieno judicio ſapit aut deſipit, ſed & apud Paſtores ac Miniſtros quoſdam non infimi ſubſellii, plus ponderis habere Canonem unum Dordracenum, quam Scripturæ teſtimonia complura, aut manifeſtam rationem. Hæc eſt ſæculi noſtri malignitas, hoc pus ævi noſtri, quod reformatum vocatur. In hanc ſervitutem recidimus, & in hoc luto ac ludo veteri iterum incluſi hæremus. Quare ſi omnino hoc præjudicio viam mihi ad accuſationem juſtam ac legitimam munire ſtuduiſſem, nihil feciſſem de quo jure tu quidem conqueri poſſes. Sed longe alius fuit animus meus, longe alia mens. Præjudiciis uti non libenter oppugnor, ita alios me oppugnare æquum non eſt. Qui veritatem pro ſe habet, is plumbeis aut ſiculneis iſtis armis non pugnat. Eam quia ſatis aperte pro me ſtare credebam, opus certe non habebam præjudiciis, ut iis veluti cuniculis viam mihi pararem ad juſtam pugnam. Arietem recta ſtatim admovere poteram ſententiæ tuæ ſine ullo periculo. Patet illa ad ictus ex omni parte. Solis verborum fictionibus & humanis nuperiſque præjudiciis tanquam vallis munitur ac tegitur. Et ea ſi intrepide modo adoriaris, ſponte ſua pæne corruere neceſſe eſt: uti deinceps cum bono Deo clarum facturos nos ſperamus. Nunc videamus an *levis & vana* ſit iſta mea quam vocas accuſatio, qua ſententiam tuam à Synodo Dordracena, Aleziana & Charentonenſi damnatam eſſe aſſero.

## CAPUT I.

### Reſpondetur exceptionibus, quibus Camero conatur oſtendere nihil eſſe in articulis Synodi, quod repugnet ipſius ſententiæ.

SYnodi ipſius judicium litem hanc optime ac certiſſime dirimere potuiſſe, Camero, nemo non fateri debet. Quare ſi judicium iſtud clarum atque apertum pro te allegare potuiſſes, res hæc paucis confecta fuiſſet. Conaris id quidem, nobiſque id perſuaſum eſſe vis, ſed conatu prorſus irrito. Pro eo enim quod Synodi ipſius teſtimonium à te proferendum fuerat, tu nobis unius actuarii, & quidem

*Camero unius Feſti Hommii teſtimonio ſe tuetur.*

*Quòd vir is fuerit Feſti*

*Festi Hommii*, testimonium in medium adfers. *Misi*, inquis, *ad Clarissimum virum Festum Hommium theses meas.* Clarissimum virum non omnino immerito dixisti. Multos omni pæne ævo claros fecit non sua virtus, sed aliena fama. Multos illustrarunt inimicitiæ, inquit Pindarus, qui in obscuro vixissent, si hostibus caruissent; & uti optimi quique, cum opprimuntur, fere inglorii occidunt, ita pessimi sæpe qui oppresserunt, in fama sunt. Non raro etiam, ut ait Tragicus ille,

*Honesta quædam scelera successus facit.*

*At*, inquis, *ñ qui fit & quam gravñ testñ in hac causa, facile vident omnes, ut qui Synodo pæne præfuit, non interfuit modo.* Nescio an prudenter satis, diducto sinu orationis, in laudem ejus viri inveharis, qui tibi dedit testimonium. Nempe quod testimonio pondus inesse oportebat, id aliunde quam à te proficisci debuerat. Laudaverat ille te prior; videri potes vicem ei rependere; & sane rependis non sine usura. Vide Camero ne tibi dicatur quod solet, *Mutuum muli scabunt.*

*At*, inquis, *hic Synodo pæne præfuit, non interfuit modo.* An Synodus hoc nomine gratiam tibi habitura esset, equidem dubitaverim. Quin gratiam tibi habituri sint maximam Remonstrantes, qui vocantur, nullus dubito. Si enim vir iste non interfuit modo, sed pæne præfuit Synodo, jam certe is, quem capitalissimum hostem eorum fuisse constat, sedit in Synodo pæne præcipuus judex ipsorum; quod unum fuit ex præcipuis illis capitibus, de quibus conquerebantur in Synodo, & propter quæ se Synodum caussæ suæ judicem agnoscere non posse bona conscientia protestabantur: quæ certe nemo non debet fateri fuisse justissima, si inter istos pæne præcipuus sedit ac præfuit Festus Hommius.

Sed addis: *Qui vestrum impetum difficillimñ, luctuosissimñ temporibus, sapientia, constantia, doctrina & sanctissimorum morum exemplo repressit & fregit.* Nescis quem virum laudes & tam ingente cothurno extollas, Camero. Nec enim, sat scio, modum salis cum eo comedisti. De fama tantum nosti eum. At illa

*Tam ficti pravique tenax quàm nuncia veri est.*

Recte ille:

*Fama vix vero favet, pejñ merenti melior, & pejor bono.*

Ego hominis laudibus ac meritis nihil detractum volo: sed qui eum propius quam tu, Camero, & fortasse intus atque in cute norunt, qui consilia, studia, atque actiones ipsius publicas, privatas, annis aliquot non viderunt tantum eminus, sed cominus perviderunt, & experiundo didicerunt, ii longe aliter de eo judicant. Homo μίροψ est & Silenus. Nisi eum diu multumque & penitus perspicias, nunquam de eo recte judicabis: tempore opus est & mora, ne dum obiter nil nisi larvam ejus vides, ipsissimum hominem te videre credas. Nec raro lema est in oculo tuo, quæ te fascinat, ut serio judicare te credas cum non nisi lenocinaris. Libenter bene judicamus de iis quos amamus impense, & semper fere judicio favor officit. Atqui illi certe qui cum Festo Hommio pæne continuo luctati sunt toto intestinæ litis tempore, qui consilia cum eo sua ad pacem, concordiam & tolerantiam mutuam fraterne communicarunt, qui pacis retinendæ & ruptionis vitandæ causa in gratiam ipsius nihil non tentaverunt, atque ita pectoris ejus arcana quasi oculis suis usurparunt, longe aliter de eo censent.

Hic jam verbis tuis utar: *Tunc*, Camero, *jam dices te istñ omnibus melius & rectius hominem nosse, aut tibi potius quam illñ habendam fidem?* At isti uno ore omnes virum eum fuisse dicunt, quantum ad causam hanc attinet, (de animo animique ipsius pietate Deus solus judicabit:)

*Cui robur & æs triplex*
*Circum pectus erat*
*Qui que dolñ instructus & arte Pelasga,*

ubi se vulgi ferocientis ac tantum non insanientis favore tanquam cataphracto equitum globo circumvallatum vidit, ut tuto ac licenter agere omnia posset, id unum sibi deinceps negotii datum credebat, ut pacis, concordiæ ac tolerantiæ mutuæ consilia omnia turbaret; & quanquam semper aliter agere videri volebat, secretis nefandisque molitionibus contra edicta, consilia ac studia Procerum, contra preces optimi cujusque, schismatis publici signum extolleret in ista urbe, ad quam cæteræ pæne omnes velut ad Cynosuram Hollandiæ respiciebant. Nec destitit donec consiliis ipsius respondit successus, luctuosissimo sane exemplo & patriæ fato. Nec mirum: Serviebat consiliis studiisque ejus fæx populi, apud quam ut in gratia & admiratione esset operam dabat. Cæteroquin optimi quoque, & pacis patriæque amantissimi, eum ut vafrum, versipellem, & Proteum aversabantur, cujus dicta ac facta admodum erant inter se dissimilia, qui non magis erubescebat deprehensus convictusque, quam si elephanti corio tectus fuisset, pertinax ὡς κραταιὴ δρὺς ἢ σίδηρος. Et hoc nomine aliisque apud omnes pæne Proceres in odio erat. Nemo non in eo fidem, candorem & integritatem desiderabat. sed ille vultu & plebis zelo se tegebat; quam si sufflaminare voluisset, actum fuisset. Hæc una & communis optimorum omnium de Festo querela erat, atque etiamnum est. Et quæ viri hujus virtus, quæ fides, quæ integritas tum temporis fuit, *Specimen controversiarum*, quod in lucem paulo ante Synodum dabat, satis demonstrat. Isto veluti fascino ludificandi erant animi omnium qui ad Synodum venturi erant, ut à Remonstrantibus tanquam hæresium omnium cloaca ac sentina redderentur alienissimi. Quanta autem cum injuria Remonstrantium id conjunctum fuerit, & quam mala fide Cento ille consarcinatus, docent Apologiæ eorum. Et hic talis tantusque vir Camero, ut tibi placet, non interfuit modo, sed præfuit Synodo. Hic unus si tibi testimonium dedit, tota Synodus tibi testimonium dedisse videri debet. Hic unus instar omnium est.

*Iste sapit solus, reliqui volitant velut umbræ.*

Certe si hic unus instar omnium videri debet, utique omnes ex ingenio & fide illius æstimandi sunt ac laudandi. quæ itaque laus cæteris omnibus debeatur liquido patet. Cæterum patere, quæso, ut te rogem, Camero, sine contumelia, paulo liberius; Potuistine bona conscientia scribere; unius Festi testimonium totius Synodi testimonium videri debere? vix credo. Neque enim ignoras, sat scio, quid de tua sententia testatus sit Vir Clariss. *D. Gomarus, Theolog. Professor*, tuus antecessor, & qui Synodi istius pars fuit non contemnenda. An & ille sententiam tuam probavit, cum te ob eam dignum judicaret qui proximo flumine mergereris? Hujus viri judicium mirum quo loco habeas, cum tamen fides & authoritas ejus non minus valere apud te debeat, quam quæcunque in Festo Hommio esse potest fides atque authoritas. Eruditio verò, & judicii ipsius de mente ac sententia Synodi deque controversiis Theologicis perspicacia, quæ hac in re præcipue considerandæ veniunt, merito præponderare debent. Sed hoc judicium tu silentio premis; imo tanquam judicium, quod Synodi totius judicio contrarium videri debeat, quia scilicet cum judicio Festi non convenit, contemnis ac flocci facis. Ita fieri solet. Magnifacimus judicia eorum à quibus laudamur. Cæterorum à quibus parvi fimus judicia minuta, frigida & pæne nihili apud nos sunt.

Sed & Festi epistolam vide, si placet, & quo jure pro Synodi sententia habendum esse dicas, quod ipse pronunciavit, perpende. Primò, *exterorum judicia dicit se intelligere non potuisse.* Hic itaque magna Synodi pars deest. Secundò, cæterorum omnium provincialium judicium non refert, sed eorum tantum qui inter eos theses tuas perlegerant: & quale judicium: *Exosculantur*, inquit, *insignia tua dona.* Esto. Nihil hoc ad rem. *Sed nonnullos eorum offendere videbatur, quod conversionem hominñ per solam suasionem moralem fieri statuas, cum hoc à Remonstrantium sententia non videatur multum abludere.* Hactenus ergo isti sua sponte idem mecum judicarunt. Quid? an revocarunt hoc judicium suum, & offendi desierunt? Ne hoc quidem dicit Festus: tantum dicit, *Cum explicatio addita accuratius expensa fuit, viderunt facile te à Remonstrantium sententia tantum distare quantum cælum à terra.* At quis tam cæcus fuerit qui hoc non videat? At non dicit, viderunt facile sententiam tuam convenire cum sententia Synodi. Neque vero idcirco sententia tua videri debet sententia Synodi esse, aut cum ea convenire, quia à Remonstrantium sententia dissidet. Imo vero potes tu à Remonstrantibus toto cælo distare, quin & acrius atque infestius eos oppugnare quam Synodus tota eos oppugnat: sed dum id facis, potes armis istis uti, quæ Synodus ipsa ex professo damnat, imo quæ Remonstrantibus magis prodesse quam obesse posse judicat. Neque vero vel verbulo significat Festus, istos quorum judicium perscribit offendi desiisse, ac proinde non perstitisse in prima sententia sua, quod conversionem hominis per solam suasionem moralem fieri statuas, & hactenus cum Synodi sententia non convenias: etiamsi judicaverint sententiam tuam à Remonstrantium sententia toto cælo distare, si principalem scopum videris; imo non obscure indicat contrarium, quando suum unius judicium istorum judicio non conjungit, sed tanquam peculiare ac diversum à cæterorum judicio subjicit; cum ait; *Quod ad me autem attinet, nihil observavi quod ab orthodoxia N B. etiam illa quæ in Synodo nostra nuper declarata fuit abire videatur.* Quæ verba non obscure videntur arguere, cæteros, aut eorum plerosque omnes, judicasse in senten-

tia tua aliquid esse, quod si non ab orthodoxia omni, saltem ab ea qnæ in Synodo ista declarata fuit, abire videtur; contra quam Festus judicat, nihil in ea esse, quod etiam ab illa orthodoxia abire videatur. Quare quod Festus judicavit, id non modo non totius Synodi judicium debet videri, sed ne quidem istorum paucorum, quorum judicium Festus requisivit. Ad exteros Theologos quod attinet, quòd cum ipsorum etiam judicio Festi judicium non conveniat, ex sequentibus planum fiet. Eadem plane est ratio judicii quod de collatione tua cum Clarissimo Viro *D. Tileno* tulit idem Festus. Peculiare & proprium istud Festi judicium est. Quid de ea censuerit facultas Theologica, cui Festus eam diligenter perlegendam dederat, ne annotat quidem. Tantum dicit eam postquam à facultate Theologica fuerat perlecta, diligenti & accurato typographo describendam & imprimendam datam fuisse: certissimo indicio, quod facultas Theologica seorsim à Festo senserit: nihilominus quia tibi cum Remonstrantibus etiam non convenire satis intelligebat, haud illibenter cupiens ut Remonstrantes, atque in primis Cl. D. *Tilenus*, impeteretur tuis qualibuscunque armis. Nimirum placet is quicunque Remonstrantium professus hostis est, quibuscunque tandem armis pugnet. Susque deque habent quo telo pereant Remonstrantes, dummodo pereant. Nolo his addere, quod de judicio facultatis istius de tua sententia ad me perscriptum est. Scio præter istos non paucos alios esse, tam in Belgio quam in Gallia, quibus sententia tua mirum in modum displicet, & qui eam ab Ecclesia vestra non modo non probandam, sed damnandam censent; imo qui eam validis adeo argumentis, ut Synodo contrariam, convulsam putant in *Epistola* nostra, ut manibus pene palpari possit. Sed non pugnabo judiciis quæ publica non sunt, & quorum authores ignorare satius est quam cognoscere.

*Mirum esse quomodo Synodus Alezianæ Cameronis sententiam probare potuerit.*

Ad Synodi Alezianæ, Concilii Ecclesiastico-Academici Salmurienſis judicia quod attinet, de istis est quod in Epistola dico; Mirum merito videri debere, quomodo ministri tot ac tam egregii judicia ista ferre, & simul Synodo Dordracenæ subscribere bona fide potuerint. Ut eos omnes, aut tam hebeti ingenio fuisse dicam, ut, quos probarunt, quos ediderunt Synodi canones, non intellexerint; aut adeo fuisse malos, adeo imprudentes, ut te, sententia tua non retractata, passuri fuerint aut voluerint in scholis & pro concione publice docere; absit à me. Qui admiratur, is rem videt, cujus causam non intelligit. Tum & alia plura in causa esse potuerunt, quo minus aliud aut excoctius judicium de te tulerint, etiamsi nec ingenium ipsis deesset, ut possent, nec animus, ut vellent, Neque tamen hac occasione dissimulabo, quod experiundo didici verissimum esse, inter eos, quorum nomina judiciis istis subscripta leguntur, fuisse, qui, cum de tua opinione rogarentur, ejus tam ignari & rudes erant, tanquam si ex alio orbe terrarum recens in Galliam advolassent, ut puderet & pigeret audire eos de ea differentes; alioquin non ineruditos, minimeque malos, & qui facile inter primos hodie censeri merentur. Parcam nominibus eorum, ne damnatum veteris comædiæ morem videar revocare velle. Et profecto quis nescit, quomodo judicia ista in Synodis ferri soleant? quantum sæpe possit unius præsidis, aut principis clarive viri autoritas, ut reliqui, tanquam pedanei judices, non pedibus solum, sed toto corpore concedant in ejus sententiam? Et fuerunt fortasse nonnulli, qui te peculiarem sententiam in sinu fovere ne fando quidem audiverant. Nonnulli, quibus sententia tua nunquam fideliter aut ex vero proposita fuerat. Nonnulli, qui eam & intellexerant & probarant apud animum suum. Nonnulli qui eam improbabant quidem, sed, ne tecum committerentur, silentio premere maluerunt judicium suum, quam proferre. Nonnulli, qui liberam forte vocem ediderunt; sed repressi, cesserunt iterum,

*Veluti qui calcibus anguem*
*Pressit humi imprudens, trepiduſque repente refugit.*

Nonnulli, qui tutius judicarunt, pomum istud eridos intactum relinquere, postquam Synodo subscripseras, quam dissensionibus, &, quæ inde fere nasci solent, dissidiis & factionibus novis in Ecclesia ansam præbere. Et non defuerunt fortasse, qui gloriam alii ab aliis captarunt; qui veritatem in injustitia detinuerunt; qui, cum in Christum crederent, eum profiteri non sunt ausi propter metum Judæorum, ne Synagogis ejicerentur. *Profundum est cor hominis; quis scrutetur illud?* Et falleris multum, falleris, inquam, mi Camero, si te meliore sæculo nunc vivere, aut Synodos cætusque vestros, quia Reformatæ Religionis titulum præ se ferunt, vitiis maculisque istis expositos non esse credis. Vide quid Beza ipse dicat in Præfat. ad Novum Testamentum: *Omitto quod ipsa temporum historia manifeste probat, optimis etiam illis temporibus, si cum posterioribus conferantur, eam fuisse nonnullorum Episcoporum, partim ambitionem, partim stultitiam, & ignorantiam; ac multorum etiam apertissimam & desperatissimam improbitatem, ut Satanam plane cœtibus eorum præsuisse vel cæci ipsi facillime perspiciant.*

*Ætas parentum pejor avis, tulit*
*Nos nequiores, mox daturos*
*Progeniem vitiosiorem.*

Sed esto: consenserint omnes hi in confessibus istis unanimiter, ut olim in velabro olearii; mihi tamen idcirco causa admirandi adempta non fuerit, quomodo consensus iste à tot pastoribus, inter quos non paucos veritatis & bonæ conscientiæ studiosos fuisse, caritas me jubet credere, tam levi momento, nullo præcedente libero justoque causæ examine, impetrari potuerit. An eam tu mihi ademeris, Camero, videamus.

*Contrarietas inter Synodi Dordracenæ & Cameronis sententiam.*

*Qui*, inquis, *agit tam confidenter, eum oportuit ἀνυπλήξει, vel certe pæne ἀνυπλήξει sententiam meam in Synodi articulis ostendere vel improbatam, vel damnatam. Id tu non facis.* Si ἀνυπλήξει intelligas, Camero, pro eo, quod est nominatim sententiam hanc, tanquam tuam, damnatam esse, iniquum postulas. Sin pro eo, quod est in terminis eam damnatam esse, ajo id à me factum esse, & ostendo id hisce subjectis diagrammatis, unde contradictio aut damnatio patet ad oculum.

Synodus ait in 3 & 4 doctrinæ capite, articulo 7.

*Rejicimus eos, qui docent Deum non aliter, quam morali ratione, consensum voluntatis producere.*

Camero Thesi x de efficacia gratiæ Dei.

*Animo percipi non potest, quo pacto liberum arbitrium, quod principium Ethicum est, aliter, quam ethicè moveri possit.*

Aqua non est tam contraria igni, quam hæ duæ propositiones sibi invicem.

Synodus in cap. 3. & 4. articulo 11.

*Cæterum, quando Deus hoc suum beneplacitum in electis exsequitur, seu veram in iis conversionem operatur, non tantum Euangelium illis externe prædicari curat, & mentem eorum per Spiritum S. potenter illuminat, ut recte intelligant, & dijudicent, quæ sunt Spiritus Dei: sed ejusdem etiam spiritus regenerantis efficacia ad intima hominis penetrat, cor clausum aperit, durum emollit, præputiatum circumcidit, voluntati novas qualitates infundit; facitque eam ex mortua vivam, ex mala bonam, ex nolente volentem, ex refractaria morigeram; agitque & renovat eam, ut, ceu arbor bona, fructus bonarum actionum proferre possit.*

Camero collat. cum Tileno passim, & in hoc scripto.

*Fides proficiscitur ab illuminatione Spiritus sancti.* Et:

*Pravitas & malitia voluntatis nostræ, nisi per illuminationem curari non potest.* Et,

*Voluntas non flectitur, nisi à mente illuminata efficaci veri & summi boni cognitione.* Et,

*Deus non regenerat aliter voluntatem nostram corruptam, quam per mentis illuminationem.*

*Hic locus*, inquis, *quid facit ad litem, quæ tibi jam mecum est? an ego censeo Dei vim illam suavem & vehementem, quod attinet ad efficaciam, sed leni tamen motu & ingenio nostro accommodatissimo illabentem, quam exerit in electis, hærere eorum in mente, nec ultra tendere? Atqui hoc unum Synodus damnat.* Itane Camero? Unde tibi constat Synodum hoc unum damnare? Anne Festus, &, quæ fides atque autoritas viri est, per os ipsius tota Synodus id pronuntiavit? Contrarium patere ajo ex quatuor non levibus indiciis. 1. quia nunquam ea de re quæstio fuit; an, quando Deus in electis conversionem operatur, id faciat tantum illuminando potenter mentem eorum, & non etiam afficiendo cor ac voluntatem eorum; sive an regeneratio fiat & absolvatur per illuminationem in mente sola hærentem; quis enim de eo vel somniavit? sed quæsitum semper fuit, an conversio fiat & absolvatur per actionem divinam talem, quæ voluntatem hominis intrinsece non immutat, sive quæ in voluntate hominis per se nihil efficit, ut ex mala fiat bona. Hanc quæstionem in Belgio præcipuam & principalem fuisse norunt rectius multo, quam tu, Camero, ii, qui eam per annos aliquot tum ipsi ventilarunt, tum ventilari audiverunt ab iis, qui rerum potiti fuerunt in Synodo. Sed in sequentibus hæc res plane demonstrabitur. 2. Res patet ex terminis ipsis; quia, si id unum, quod tu vis, Synodus damnasset; non dixisset Deum, quando in hominibus conversionem operatur, non tantum illuminare potenter mentem eorum per Spiritum S. aut, ut articulo sequente dicitur, Regenerationem non fieri tantum per suasionem moralem: hoc enim simpliciter ita prolatum juxta te falsum est: te enim ipso arbitro, Deus aliud nihil facit ad conversionem nostri, quam quod mentem nostram illuminet; ab ista enim illuminatione statim, sine ulla alia nova Dei actione, ut ais, proficiscitur fides; nec, ut aliud quicquam Deus faciat, opus est; ubi enim potenter mens illuminata est, ibi voluntatis regenerationem, absque ulla alia divina in eam actione, sequi

plane

plane neceſſe eſt. Dixiſſet itaque potius Synodus, ad fortius ſolidiuſque revincendum adverſarios ſuos: cum Deus hominem regenerat, non alia re quam ſola mentis illuminatione utitur; ea enim poſita regenerationem voluntatis non ſequi impoſſibile eſt. At dicere, Deus non tantum illuminat potenter mentem, ſed etiam cor aperit, &c. id vero longe aliud & amplius quid notet neceſſe eſt, niſi Synodo ineptam admodum loquendi formulam tribuas. *At*, inquis, *illud* NON TANTUM *excludit illuminationis vim, quam vos indigetaſtis reſiſtibilem. Nempe adverſus vos iſta dicuntur.* Eſto, inquam ego, poſito id ita eſſe, quid tum? an non & tu rejicis illuminationis vim reſiſtibilem in voluntate? Sane; & tamen per ſolam illuminationem mentis fidem, caritatem, breviter totam hominis regenerationem fieri aſſeris. Et ſane ſic conſequenter loqueris. Quod ſi eandem cum tua ſententia Synodi mentem fuiſſe vis, profecto, quando Synodus dixit, Deus non tantum illuminat mentem, ſed voluntatem etiam reformat, parum conſequenter eam locutam dicas neceſſe eſt. Sed & unde tibi conſtat, Camero, hanc Synodi mentem fuiſſe? Quin adverſum nos iſta Synodus dixerit dubium nulli eſt, ſed, cum adverſum nos iſta dixit, quod ea mente, eo fine iſta dixerit, quo tu illa dicta affirmas, id vero nullo argumento evincis. Qui, ſodes, non veriſimilius multo videri debet, Synodum idcirco hæc contra nos dixiſſe, ut oſtenderet ſe credere tantum abeſſe, ut converſio fiat per ſolam moralem ſuaſionem, aut per ſolam potentem illuminationem intellectus, abſque ulla immediata in voluntatem actione, ut contra idcirco per actionem moralem converſionem fieri non poſſe crediderit, quia, niſi ipſa etiam voluntas à Deo immediate flectatur, eam per ſuaſionem ſolam flecti prorſus ſit impoſſibile. Certe hæc ratio loquendi, & veriſimilior eſt, & ſolidior, quam iſta; neque tantum contra nos, ſed contra omnes eos militat, qui moralem ſuaſionem converſionis cauſam facere, atque ita Remonſtrantium ſententiæ aliquatenus, licet imprudenter, accedere, aut tibicinem præbere videntur. Nempe radicem totam ſublatam voluit Synodus, ut novo, quem putabat, errori pabulum omne deeſſet.

Sed 3. id ipſum evinco hac ratione; quod Synodus, cum de regeneratione hominis loquitur, vix loquatur aliter, quam de voluntatis ipſius regeneratione; cum, ſi aliquatenus ſententiam tuam probaſſet, de mentis illuminatione potiſſimum loqui debuiſſet: tu enim de voluntatis reformatione vix unquam loqueris. *Mens* ſola utramque paginam apud te facit. Et recte ac merito. Cur enim de voluntate operoſe agas, ſi ea mentem illuminatam non poteſt non ſequi? Denique 4. quod Synodus ſtatuat Deum etiam, quando nos regenerat, voluntati noſtræ novas infundere qualitates; quod ſane cum iſta tua explicatione convenire non poteſt.

*Egone*, inquis, *id nego? qui doceo à fide charitatem non poſſe ſejungi; hanc illius individuam eſſe ſobolem & prolem?* Imo verò, Camero, non quidem verbis ſed reipſa id negas; ſi enim idcirco voluntati, novam qualitatem infundi à te non negatur, quia doces charitatem non poſſe ſejungi à fide; tum odium etiam à Diabolo tanquam qualitatem infundi voluntati à te non negaretur; quia doces odium ab errore, ſive infidelitate quæ ex Diaboli perſuaſione eſt, ſejungi non poſſe. Quid? an hæc tibi videtur eſſe infuſio iſta, cujus Synodus mentionem facit? Ubi, obſecro, aut apud quem autorem bonum infuſionis vox, cum de infuſione habituum, donorum, aut qualitatum in voluntatem agitur, pro ejuſmodi infuſione accipitur? Et qualis obſecro eſt hæc infuſio tua? quomodo infunditur qualitas voluntati? aut potius quid eſt neceſſe qualitatem ullam infundi voluntati, ſi voluntatis ea eſt indoles, ut, poſita qualibet perſuaſione in mente quocunque demum momento ea fiat, neceſſario afficiatur, & pro modo ac menſura illuminationis ſingulis momentis ejus motio intendatur & remittatur? Profecto qualitatem aut habitum infundi in talem potentiam ſupervacaneum eſt. Quod ſi tamen eam omnino infundi velis, tum certe neceſſe eſt ut dicas, quotieſcunque voluntas mutatur ex mala in bonam, & contra ex bona in malam, toties voluntati novam qualitatem infundi; cumque non raro ſola humana perſuaſione ex bona in malam mutetur, etiam ab homine ſuadente malitiam, qualitatem malam voluntati infundi. Imo cum ad omnem efficacem perſuaſionem, ſive ea ab homine, ſive à Deo, ſive à Diabolo fiat, afficiatur voluntas, dicendum eſſet, toties infundi voluntati qualitatem novam, quoties ita afficitur voluntas: denique dicendum eſſet, non poſſe voluntatem affici ſine qualitatis infuſione; quia ſemper pari & æquali neceſſitate afficitur à mente, quomodocunque demum mens perſuaſa fuerit.

At, inquis, *docet quidem certe Synodus voluntati novas infundi qualitates; at non docet eadem continuo eas qualitates à fide non proficiſci; quæ tamen ipſa haud dubio qualitas eſt, & virtus mentis; hoc, inquam, Synodus non docet.* At, obſecro jam te, vide quam longe à Synodi mente abeas. Synodus enim non docet tantum qualitates novas infundi in voluntatem; ſed & eaſdem à fide tanquam virtute mentis proficiſci negat, quia ipſam fidem voluntati infundi docet, tanquam præcipuam qualitatem, quæ in voluntate recipitur, & per quam voluntas reformatur. Patet hoc ex articulo 6. cap. 3. & 4. in errorum rejectione. *Rejicimus eos, qui docent in vera hominis converſione non poſſe novas qualitates, habitus ſeu dona in ejus voluntatem à Deo infundi, atque adeo fidem, qua primum convertimur, & à qua fideles nominamur, non eſſe qualitatem, ſeu donum à Deo infuſum; ſed tantum actum hominis; neque aliter donum dici poſſe, quam reſpectu poteſtatis ad eam perveniendi. Contradicunt enim hæc ſacris literis, quæ teſtantur Deum novas qualitates fidei & obedientiæ ac ſenſus amoris ſui cordibus noſtris infundere.* Ex hoc canone haud obſcure liquet Synodum ſtatuere, fidem, tanquam novam qualitatem, habitum & donum, in voluntatem ipſam à Deo infundi: quia eam in cor infundi vult, ut poſtea dicit; cor autem à mente diſerte diſtinguere ſolet Synodus. Non docet itaque Synodus voluntati infundi caritatem media fide, id eſt, ut tu exponis, media mente per fidem illuminata; ſed docet fidem ipſam infundi voluntati immediate, ut habitum ſpecialem, poſtquam mens per Spiritum S. potenter antea illuminata fuit. Et confirmatur hæc res ex communi Theologorum exterorum ſententia, qui unanimiter fidem, tanquam habitum, aut tanquam vitale principium, voluntati infundi aſſerunt; actionem autem fidei non actum mentis, ſed actum voluntatis, & à voluntate per Spiritum ſanctum reformata elicitum, aſſerunt. Neque quiſquam unquam cæterorum provincialium Theologorum fuit, qui fidem mentis ſolius virtutem, ac non potius voluntatis eſſe publice & docuit & ſcripſit. Sed hac de re poſtea.

*At*, inquis, *hoc* IMMEDIATE *tuum eſt; Synodus id non agnoſcit.* Si vocem ſpectes, fateor, Synodus eam non habet; ſi rem, nego. Voces *infuſionis habituum, infuſionis fidei ipſius in voluntatem, in cor*, & quicquid hiſce phraſibus geminum eſt, poſtulant, ut hanc Synodi ſententiam eſſe credamus. Infundi enim, quod perſuadetur; item infundi habitum voluntati, cum mens perſuaſa voluntatem ad ſe trahit; tum infundi vires ſupernaturales, cum voluntas à mente perſuaſa non poteſt non ſequi perſuaſionem, quis ſine καταχρήσει magna dixerit? Secundo confirmatur hæc res ex eo, quod omnes pene exteri Theologi in ſententiarum ſuarum declarationibus, quas Synodo obtulerunt, & quæ actis Synodi ſubjunctæ leguntur, infuſionem habituum, *quam in voluntatem fieri dicunt*, exponant per virium ſupernaturalium inditionem, qua Deum voluntatem, viribus iſtis deſtitutam per peccatum, potentem reddere dicunt ad actum fidei eliciendum; & actum deinde fidei ex ipſa voluntate tali nova potentia prædita elicere. Videatur ſententia omnium Theologorum exterorum, & res patebit. Britanni id vocant *indere vires voluntati, & principium formale ad actus ſpirituales & ſalutiferos eliciendos. Convertere vero Dei* vocant, *prolicere actum credendi & convertendi ex mutata voluntate.* Verba etiam eorum ſunt: *Secundo dicimus, Deum non modo efficere habitualem illam mutationem, qua homo novas ſpirituales vires acquirit ad credendum, & convertendum, ſed etiam mira quadam arcanæ operationis efficacia, prolicere ex ſanata voluntate ipſum actum credendi & convertendi.* Hinc allegant illud Hugonis de S. Victore, *Gratia reparatrix bonam voluntatem adſpirat, ut ſit, deinde bonæ voluntati inſpirat, ut moveatur; primo operatur eam, deinde per eam.* Palatini appellant *qualitatum ſive virium infuſionem diſtinctam ab interiore illuminatione: virium reſtitutionem quæ principia ſunt actionum omnium, gratiarum habitualium in voluntate infuſionem.* Haſſiaci vocant *facultatem ſeu virium ſupernaturalium infuſionem, diſtinctam ab efficaci flexione & inclinatione ejuſdem voluntatis ad converſionem & fidem.* Ita enim loquuntur, *Non ſola vero intellectus illuminatio & cordis ſanctificatio; ſed ipſa quoque voluntatis immutatio, hoc eſt, qualitatum, ſeu facultatum, & virium ſupernaturalium in voluntatem infuſio, ejuſdemque ad converſionem & fidem efficax flexio & inclinatio, fit* IRRESISTIBILITER. Helvetii appellant *ſanationem voluntatis, & vivificationem ejus, alioquin ad bonum, quantumvis ab intellectu monſtratum, mortuæ, & ad malum propenſæ & pravæ.* Naſſovio-Wetteravici vocant *habitus fidei infuſionem, quo habitu homo inſtructus actum fidei elicit.* Habitus autem ipſis eſt qualitas nova, & principium vitale, actuſque primus, à quo fluunt bona opera. Genevenſes, intricatiſſimi & obſcuriſſimi omnium, appellant *efficaciſſimam & ſuaviſſimam ſimul in cor impreſſionem, inſpirationem, influxionem novarum proprietatum, inclinationem motuum, in ſumma ipſius cordis vivificationem, vitæ novæ, parte ſua, qua ante converſionem plane deſtituebatur.* Similiter loquuntur Bremenſes. Emdani autem diſerte addunt, *intellectum & affectus vivifi-*

*catos non vivificare voluntatem, aut potentem eam facere ad volendum & nolendum, sed voluntatis ipsius immutationem simul requiri, ut ea possit bonum velle & actu velit.* Quibus omnibus adde, quod diserte eorum nonnulli reformationem & regenerationem hanc mentis, voluntatis & affectuum immediate fieri dicant. Ita Britanni: *ad hoc opus regenerationis habet se homo passive, neque est in voluntate potestatis humanæ* (arbitror legendum in potestate voluntatis humanæ) *impedire Deum sic immediate regenerantem.* Hassiaci: *Deus voluntatem in sui regenerationem non cogit violenter ad conversionem & fidem, sed naturæ voluntatis congruenter agit; non tantum patheticis invitationibus, exhortationibus, suasionibus, excellentissimis vitæ æternæ promissis eam alliciendo, & conversionem & fidem moraliter suadendo, verum etiam supernaturalibus viribus ac facultatibus, quibus obtemperare possit suasionibus istis, eam infruendo, & potentissima efficacissimaque sua operatione N. B. ut reipsa obtemperet* IMMEDIATE *eam inclinando, flectendo, efficiendoque ista sua gratia præveniente & operante ex nolente volentem,* &c. Quid videtur, Camero? an qui hæc legit judicaturus est me vocem istam *immediate* de meo addidisse, quod attinet Synodi sensum? &, quod caput rei est, an dicet te idem sentire cum Synodo? *Credat Judæus appella, Non ego.* Nam juxta te quid opus, quæso, est viribus, habitu, principio supernaturali & vitali semine in voluntate, cum tu voluntatis naturam in omni statu eam esse velis, ut non possit non sequi mentem plene illuminatam, idque summa & infrustrabili necessitate? Potens itaque ut reddatur voluntas necesse non est, tantum ut actu se inclinet in alteram partem curandum est.

Sed pergamus ad aliam demonstrationem.

| Synodus cap. 3 & 4. artic. 12. | Camero. |
|---|---|
| *Regeneratio neutiquam fit per moralem suasionem.* Cui si placet jungatur artic. 7. rejectionis errorum. *Rejicimus eos, qui docent gratiam qua convertimur nihil aliud esse quam lenem suasionem, seu (ut alii explicant) nobilissimum agendi modum in conversione hominis, & naturæ humanæ convenientissimum esse, qui fiat suasionibus; nihilq; obstare, quo minus vel sola gratia moralis, homines animales reddat spirituales; Imo Deum non aliter, quam morali ratione consensum voluntatis producere.* | *Regeneratio non fit nisi per persuasionem, quæ persuasio, suasio etiam est, quæ per rationem fit, & est vis suavis & vehemens, quod attinet efficaciam; sed leni tamen motu, & ingenio nostro accommodatissimo illabens.* |

Adjeceram ut contradictio clarior esset, & mens atque sententia eorum, qui in Gallia Canones suos Dordracenos fecerant, eosque Gallice in lucem ediderant, (quia ad Amicum, cui cum Gallis potissimum res erat, scribebam,) quæ in translatione canonum istorum ad exegesin phraseos, *suasionis moralis* leguntur verba: *& qui se faict par* NB. *raisons persuasives*; hoc pacto:

| Synodus Gallica ait, | Camero ait: |
|---|---|
| *Or ne se faict elle aucunement par la seule doctrine battante l'oreille, ou par suasion morale, &* NB. *qui se faict par raisons persuasives;* | *Regeneratio non fit nisi per rationes persuasivas.* |

id est, Neutiquam autem fit regeneratio per solam doctrinam forinsecus aures ferientem, sive per suasionem moralem, & quæ fit per rationes persuasivas.

Ex hoc patere dixeram eos, qui canones istos transtulerunt, suasionem moralem non intelligere eam, quæ fit per rationes suadentes tantum inefficaciter, sed etiam eam, quæ fit per rationes persuadentes sive per persuasionem: atque hinc contradictionem apertius inter tuam & Synodi sententiam (si modo istos canones ita translatos Synodus pro suis agnoscat) patere concludebam.

Hic tu, Camero, sive imprudenter, sive de industria, vim argumenti præteriisti, & tanquam si ego in discretiva particula *ou* vim argumenti mei collocassem, colligis me Gallum non esse, & linguæ Gallicæ, quantum ad particulam istam attinet, usum me doces. quasi vero aut multum referat, si ego Gallus non sim, aut magna linguæ Gallicæ scientia opus sit, ut noris particulam *ou* aliquando particulam ἐξηγητικὴν esse, non autem semper discretivam. Non cogitavi de hac particula *ou* cum id scriberem, neque ex istis minutiis confector rationes alicujus ponderis: (quamquam, ut hoc ista occasione dicam, certum etiam non sit, si quis velit contendere, doctrinam forinsecus insonantem & moralem suasionem unam eandemque rem in hoc canone notare; saltem certo colligi non potest ex verbis canonis Synodum per ea unum & idem significare voluisse,) sed quicquid ea de re sit, dico me de hac particula ne cogitasse quidem, respexi ad verba ista, quæ Metaphrastes iste, quisquis fuit, de suo addidit: *Et qui se faict par raisons persuasives.* Id me voluisse apparet ex indicio N B. quod post voces *raisons persuasives* eum in finem inserui. Hæc verba itaque gallica, quia directius tuis verbis repugnant quam Latina, idcirco ea etiam dixi clarius exprimere, quod sententia tua à Synodo improbata & damnata sit in terminis. Dicere enim, Regeneratio neutiquam fit per rationes persuasivas; &, Regeneratio non fit, nisi per rationes persuasivas, est directe contradicentia dicere. Quod autem de discretiva locutione dixi, id ad sequentia referendum est, in quibus locutio hæc est: Deus non tantum illuminat mentem, sed etiam infundit novas qualitates voluntati: ex illa enim locutione, in qua particulæ istæ sunt, *non tantum, sed etiam,* depromo vim argumenti principalis, quod ibi tacto, ut ex textu ipso luce clarius videre est. Crassa hæc est ignorantia, ne quid gravius dicam; an non ejus te debeat pudere, tu videris.

Sed redeamus ex diverticulo in viam: Quæris, *An hæc mihi bella consequentia videatur: Regenerationem Camero vult fieri per persuasionem: Ergo vult eam esse ob eam quam vocant ralem suasionem?* At ista consequentia mea non est; verum hæc, Camero vult regenerationem non fieri nisi per persuasionem moralem, quam ipse motum ethicum appellat, & quo solo voluntatem moveri posse asserit: Ergo contradicit Synodo, quæ regenerationem per suasionem moralem, &, ut Gallici canones sonant, per rationes persuasivas, neutiquam fieri ait, rejicitque eos, qui gratiam, qua convertimur, nihil aliud esse volunt quam lenem suasionem, Deumque non aliter, quam morali ratione, consensum voluntatis producere affirmant. Quid in hac consequentia jure desiderari possit, ego non video. Quod multis, & operose te excusas, quod persuasionem vocaveris motum ethicum, quodque ægerrime fers me dixisse persuasionem à te vocari passim motum ethicum, id nescio quam in te, sive diffidentiam, sive pœnitentiam arguat. Nescio an pluribus te urgere hîc aut debeam, aut possim: non enim consistis, aut figis pedem. Quid enim ad rem facit, quoties persuasionem vocaveris motum ethicum? sententiæ tuæ filum postulat, ut eam aliter nunquam appelles; & cum semel dixisti, impossibile esse ut animo concipiatur, quomodo voluntas, quæ principium ethicum est, aliter, quam ethico motu moveri possit; an non dixisti id, unde jure colligi potest, persuasionem nihil aliud tibi esse, quam ethicum motum? Quorsum, quæso, hæc sollicita tergiversatio, id non esse factum à te, nisi bis, & quidem *dedignanter, & fastidiose, adeoque per nostram importunitatem, quod hîc vocabulo abuti soleamus, vel ad causæ nostræ favorem, vel ad vestræ invidiam conflandam?* Omnia hæc arguere mihi videntur animum, qui conscientia facti sui & notoriæ contradictionis premitur; &, qua ratione se expedire possit, non reperit. Nam si vocabulo motus physici uti noluisti, Camero, sed motus ethici, ut amolireris ab Ecclesiis vestris odiosorum vocabulorum invidiam, rem ipsam, quam Dei esse dicis, retinens; cur non consistis? cur non adhuc istud vocabulum retines? cur reverteris ad odiosum physici motus vocabulum, quod expuisti? & honestam vestem, quam nobis detraxisti, exuis iterum sponte tua, ut nuditas tua appareat? an motus ethici vocabulo dicis instar, & contra veritatem, uti voluisti? Sic sane, ut verbis tuis utar, re neglecta, verbis ludere voluisti, ut pueri orbiculos æneos, aureorum numismatum titulo insignitos, ostentant. Imo sic, ut incautos falleres, mangonis instar, falsæ opinionis tuæ vultui colorem veritatis induere, & meretricio errori honestam vestem superinducere voluisti. Quid hoc aliud est, quam exploratorum instar agere?

*Mutemus clypeos, Danaumque insignia nobis*
*Aptemus.*

Sed deprehensus es Camero, & furti manifestus quo te vertas nescis. Redeundum est tibi ad vomitum, & ad Physici vocabuli excrementum. Reddenda est honesta palla, quam detraxisti nobis, & qua veritas ipsa amiciri gaudet. Hoc præmium est istius tuæ malæ fidei, & operæ male collocatæ: scapham scapham, & ficum ficum imposterum voca; & pœnitentia tibi deinde opus non erit.

Sed recolligis tandem animum ex perturbatione, &, tanquam re bene gesta; *Fac*, inquis, *me passim persuasionem illam, per quam fit Regeneratio, motum Ethicum vocitasse (quod ego nec feci, neque sane factum à me vellem) quid tum vero postea? an sic tibi Viro Docto licet colligere? Camero persuasionem illam, per quam fit regeneratio, motum Ethicum passim appellat; ergo Cameroni persuasio ea, per quam fit regeneratio, est suasio moralis, quam damnat Synodus Dordracena, damnat Alexiana, damnat Charentoniana?* Absit Camero: ut hoc colligam, opus non est; jam dixi, quid mihi colligere liceat. Hoc scilicet: Camero dicit Regenerationē non fieri, imo fieri non posse aliter, quam per persuasionem, quam vocat motum ethicum, qui aliud nihil est, quam suasio moralis; ergo contradicit Synodo, quæ dicit regenerationem per suasionē solam moralem neutiquam fieri, & rejicit eos, qui docent Deum non aliter, quam ratione morali, id est, motu ethico, consensum voluntatis producere. Luctare hîc, Camero, quantum voles, sed non emerges.

*Addo*

*Addo & ego*, inquis, *damnat & ipse Camero, & quidem disertis verbis, Excidisse nimirum Christo, qui voluntati humanæ & viribus arbitrii liberi vel minimum in negotio salutis tribuunt, qui spiritui Dei solas suadendi partes relinquunt, &c.* Atqui, quamdiu istud, quod dixi, non damnas, tamdiu damnat te Synodus, & quidem disertis verbis. an tamen eo usque Synodus progrediatur, quo tu in damnando progrederis, Camero, non ausim dicere. Dignum certè te reddis, qui eodem anathemate feriaris, qui tam superbe, tam confidenter audes pronunciare, *excidisse Christo, qui voluntati humanæ & viribus arbitrii liberi vel minimum in negotio salutis tribuunt.* Poteratne minus quippiam dicere, quam qui minimum quicquam voluntati humanæ tribuunt, & graviorem sententiam ferre, quam eos tales excidisse Christo? Bone Deus! quo abis mi homo? Itane de plano sententiam tuam horrendam fers, contra myriadas animarum, quæ fortasse vel ex ignorantia, vel ex errore, vel quod id certum esse credunt, & divinæ veritati conforme, *minimum quippiam* tribuunt humanæ voluntati; alioquin innocentissimæ, optimæ, & pietatis studio ac zelo nec tibi, nec ulli alii mortalium concedentes? an satis est, ut quis excidat Christo, minimum tale quid ignorare, etsi interea sanctissime vivat ex præscripto divinæ voluntatis? ô homo! vide ne hujusmodi calida & atrocia, longeque à caritate Christi & fraterna dilectione aliena judicia Deus tibi imputet, & quo judicio alios judicas, eodem aliquando te severiter judicet. Deum supplex oro, ne tibi id in peccatum statuat, quia nescis, quid facias.

Finirem hoc loco caput primum, quia nihil deinceps à te dicitur, quod antea dictum non est; sed non possum, quin verbo aliquid annotem ad id, quod in fine subjicis, quodque postea in sequentibus capitibus non semel tanquam notandum repetis. *Ego quidem*, inquis, *affirmo, & vero passim doceo, voluntatem necessario sequi judicium rationis in bono*, sed rationis plene illuminatæ à Spiritu sancto, *hoc vero* PLENE, *quæso ne συκοφαντήσῃς; nam mihi ea demum plena est illuminatio, quæ voluntatem trahit.* Etsi non sum tam superstitiosus, ut voces captare, aut de iis anxie digladiari cum quoquam velim; nedum adeo putide criticus, aut curiosus, ut ad exemplum tuum vocem minus fortasse latinam, licet sæpe significantissimam, præterire nequeam nisi prius, per expressam parenthesin, barbarismi stigmate inustam, & obelo veruque confossam ac traductam (uti enim voces ex instituto ad exprimendum mentis conceptus natas esse scio, ita, quod Philosopho indulsit Aristoteles, omnibus licere credo ὀνοματοποιεῖν; & quæ significantissimæ sunt voces, eæ, etsi fortasse apud linguæ Latinæ autores non reperiantur, asteriscо potius illustro, quam obelo confodio:) etsi, inquam, ita agere soleo, tamen indecori nihil facere me puto, neque calumniari me jure potes dicere, Camero, quando vocem aliquam, in qua tu causæ tuæ summam ponis, inepte, & præter nativam ac genuinam ejus significationem à te adhibitam esse judico. Id hic à te factum dico, cum tua pace. Nam primo, cum ex tua sententia, voluntas necessario sequatur judicium rationis in bono pro modulo illuminationis, id est, ut verbis tuis loquar, quibus expresse uteris pag. 259. *Cum judicio intellectus moveatur homo & ducatur necessario ad volendum; summe illuminatus ad volendum summum bonum, quæque ad id tendunt, summe; minus illuminatus minus; minime minime, nullatenus, nullatenus*: quomodo, quæso, non præter genuinam significationem vocabulo *plene* hîc uteris? Efficietur enim, quando voluntas sequitur judicium rationis minus illuminatæ, imo minime, imo quadantenus illuminatæ, eam sequi tamen judicium rationis plene illuminatæ. Ratio est, quia plena illuminatio tibi est, quæ voluntatem trahit: At minor, minima & aliqualis illuminatio trahit etiam voluntatem; quæque pro modulo suo; ergo minor, minima & aliqualis illuminatio tibi erit plena illuminatio. Quid ineptius? Deinde secundo, si rem inspicias, quæ voci isti subest, non minus inepte locutum te videbis; nam plena illuminatio est, quæ voluntatem trahit, inquis; ergo affirmas & doces tu passim, voluntatem sequi judicium rationis necessario, quando ratio voluntatem ita trahit, ut voluntas eam non possit non sequi. At quid hoc aliud est, quam idem per idem dicere? id est, voluntatem tum trahi, quando trahitur; & tum necessario sequi, cum non potest non sequi? Quid iterum ineptius? Et hoc tamen vult vox ista tua *plene*. Denique quomodo prudenter voce hac *plene* uti potuisti, cum paulo post aliquoties dicturus sis illuminationem plenam mentis nostræ in hac vita non dari, sed eam ad futuram vitam pertinere? An non prudentius egisses, si ad istam tam manifestam contradictionem evitandam, alia, licet fortasse minus latina, voce usus fuisses? Sed adeo latinitas tibi placet, adeo à vocula barbara abhorres, ut malis sæpe inepte, quam non latine loqui. Hæc putida crisis, & pene continua febris tua est.

## CAPUT II.

## Ostenditur sententiam Cameronis à Synodo damnatam fuisse.

PRæterire possem totum hoc caput, ne actum agerem; jam enim in præcedenti capite ostensum abunde est, Synodi mentem, quando de voluntatis reformatione loquitur, accipiendam esse, non de mediata, qualem tu, Camero, statuis, sed de immediata ipsius voluntatis mutatione & reformatione. Sed quia in eo specialia quædam observanda veniunt, operæ pretium duxi ea non omnino negligere. Dixeram in Epistola sententiam tuam non improbatam tantum, sed & damnatam fuisse à Synodis supra dictis, & quidem istis duobus articulis ubi ajunt se damnare eos, *qui docent dona spiritualia, sive habitus bonos & virtutes, ut sunt bonitas, sanctitas, justitia, in voluntate hominis, cum primum crearetur, locum habere non potuisse, ac proinde nec in lapsu ab ea separari potuisse; aut*, ut articulo sequente dicitur, *actu ab ea separata non fuisse; cum ea in se nunquam corrupta fuerit, sed tantum per tenebras mentis, & affectuum inordinationem impedita.* Ex hisce verbis collegeram, damnatam esse tuam sententiam, qua statuis voluntatem à judicio rationis plene illuminatæ determinari: ubi enim determinatio ista voluntatis locum habet, ibi virtutes in voluntatem infundi necesse non est: imo ibi eas infundi frustraneum & superfluum est.

Ad hoc argumentum meum respondes: 1. In articulis nullam mentionem fieri infusionis, aut infundendi; Itaque ex his colligi non debere sententiam tuam damnatam esse à Synodis. Resp. voces istas non extare in articulis istis, fateor. sed neque in vocum istarum vi præcise argumenti mei pondus situm est. Ex articulorum sententia, quam verbis istis subesse dico, argumentor; sententiam autem Synodi esse quod dona ista, de quibus loquitur, infusa sint, vel per infusionem in voluntate locum habeant, ex multis patet indiciis. Primum ex eo, quod dona hæc appellet habitus bonos, & virtutes: habitus autem bonos & virtutes in voluntate hominis, cum primum NB. crearetur, locum habere potuisse, aliter quam per infusionem, quis concipiat? Acquisivisse eos voluntas non poterat, cum primum crearetur. per lucem menti inditam dici quidem potest voluntatem determinari ad bonum; sed ilico in instanti habitus omnes in voluntate ex ista luce natos esse, quis dicat? imo ut determinatio ista una habitus statim omnes istos in voluntate effecerit nonnisi inepte dici potest; alioquin posita luce nova in voluntate idem statim & semper fieri dicendum foret: quo quid absurdius? Secundo: quia dona ista seu habitus, virtutes & qualitates istas, ita per lapsum à voluntate separatas esse dicit Synodus, ut in voluntatem eas infundi iterum à Deo dicat, art. 6. Infusa itaque voluntati fuisse dona & habitus istos, quin censuerit dubitari non potest. Tertio: quia nemo unquam, quod scio, dixit aut sustinuit dona ista in voluntate hominis locum habere nullo modo potuisse. Quis enim Remonstrantium negavit habitus in voluntate, aut studio acquiri, aut beneficio mentis gigni posse? Quare cum dicis nos esse eos contra quos isti articuli sunt concepti, propterea quod negemus voluntatem ullius habitus esse capacem, utpote naturæ suæ conditione ἀλλόφυον, in eo vehementer falleris. Nam tantum abest ut voluntatem ullius habitus capacem esse negemus, ut in scriptis nostris statuerimus non semel habitus infusos in voluntate, veluti formas & principia supernaturalia, queis voluntas idonea, potens & sufficiens redditur ad eliciendos actus supernaturales. Deinde quia habitus acquisitos in voluntate locum habere posse semper sustinuimus, salva voluntatis libertate & ἀλλοφυΐᾳ; habitus enim hujusmodi non necessitare (utor enim libenter, juxta Græcorum morem qui ἀναγκάζειν dicunt, significantissima hac voce: liceat id mihi, Camero, cum venia & pace tuarum aurium:) potentias in quibus sunt, sed facere ut voluntas facilius & libentius velit, quam si habitibus prædita non sit, res est in scholis tritissima. Si dubitas hac de re, vide Acta & Scripta Remonstrantium super 3 & 4 artic. Si id non libet, aut non licet, en verba ob oculos tuos ut erubescas, pag. 14. in declaratione sententiæ suæ. *Præterea minime quoque diffitemur Spiritum S. agere in voluntatem immediate, in illam vires infundendo ac potentia supernaturalem ad credendum, per quam tamen potentiam voluntas non necessitetur, aut irresistibiliter determinetur.* Item pag. 15. *Si per gratiam habitualem* (quæ infundi scil. dicitur in voluntatem) *intelligere libeat potentiam quandam supernaturalem concessam voluntati, ut credere & bene agere possit, eam lubenter admittimus.* Similia loca plura sunt. Quarto: vide, si placet, quomodo articulum hunc explicent Theologi exteri, qui Synodo Dordracenæ interfuerunt; & ut ex omnibus primos, & primarios, maximeque eruditos, &

quos

quos omnium prudentiſſime locutos arbitror, nominem, Britannos tuos vide. Hi inter theſes heterodoxas, quas rejiciunt, expreſſe hanc primo loco collocant, & *donum hoc cujus voluntatem capacem eſſe aſſerunt, quodque in regeneratione hominis voluntati ipſius infundi dicunt, habitualem converſionem ad Deum creatorem, & averſionem ab inordinata fornicandi libidine cum creatura.* vocant. Hujus autem doni capacem fuiſſe voluntatem inde liquido conſtat, uti in explicatione ſua ajunt, *quod cum tali rectitudine creata ſit*; hanc opponunt *illi malitiæ, quæ in homine improbo etiam nihil agente habitualis eſt*, & loco cujus in voluntate hominis *donari & infundi* volunt *bonitatem quæ piis actionibus præſupponatur.* His adde quod plerique Theologi dona hæc per ſubſtractionem ex voluntate ipſa tolli à Deo, & eadem illa deinde per regenerationem voluntati infundi dicunt, aliaque ſimilia.

At inquis 2. *Do tibi hoc, Synodum eos damnaſſe, qui negant dona illa bonitatem, ſanctitatem, juſtitiam in primi hominis voluntatem fuiſſe infuſa. Num me damnarit, qui doceo Deum Adami mentem luce perfudiſſe, perque eam has virtutes ejus animo indidiſſe?* Reſp. Omnino Camero damnavit te; non quia ſic res ipſa principalis, quam tu aſſeris, falſa aut à mente illorum diverſa ab ipſis judicatur: ſed quia per illud quod tu aſſeris rem principalem everti, & ſic in cauſa eam negari à te credit. Hoc enim ipſo quod voluntati dona iſta infuſa non fuiſſe, imo infundi non potuiſſe infuſione immediata aſſeris (quomodo enim voluntas, quę principium ethicum eſt, aliter quam ethice moveri poſſit, animo concipi non poteſt, inquis;) per cuniculos & indirecte id quod ipſa, ut veritatem principalem in regeneratione hominis neceſſario, atque ante omnia firmiter tenendum eſſe vult, judicio ipſius Synodi ſubruis & evertis. Ut intelligas id verum eſſe, vide quid Britanni veſtri in explicatione hujus articuli, de quo agimus, dicant: *Porro cum voluntas hominis animalis mala dicatur ab innata quadam inhærente malitia, quæ in homine improbo etiam nihil agente habitualis eſt, viciſſim admittenda in voluntate renatorum donata quædam & infuſa bonitas, quæ piis illorum actionibus præſupponitur. Hanc habitualem bonitatem paſſim celebrat Auguſtinus; Præcedit bona voluntas hominis multa dona Dei; ſed non omnia; quæ autem non præcedit ipſa, in ea eſt & ipſa. Ne quis autem ſomniet hanc voluntatis bonitatem non eſſe donum internum, facultati infuſum, ſed meram denominationē ab actu voluntatis ipſius petitam, vocat illam primam ſupremi agricolæ plantationem: plantatio autem deſignat quiddam animæ inſitum, non actum ex ea dimanantem.* At hoc quod plantatio non deſignet quiddam animæ inſitum, ſed tantum actum ex ea emanantem, eſt illud quod tua ſententia ſupponit, quia revera virtus voluntatis, ſi qua à te ſtatuitur, alia nulla eſt quam voluntatis ipſius actus qui mentem illuminatam ſequitur, & ei convenienter appetit, naturali & ſemper uniformi proprietate ſua, abſque ullo alio antecedente habitu, qui facultati voluntatis immediate inditus ſit, & cujus beneficio ad appetendum quaſi ſupra naturam ſuam elevetur. Evincit hoc ipſum id quod diſerte in theſibus tuis dicis; *Voluntatis humanæ determinationem non deſtruere naturam, ejus, ſed* NB. *eam conſervare & ornare. Conſervat* eam, inquis, & quia per eam ad bonum amandum determinatur, *ornat* eam, meliore ſcilicet volitione quam ea erat qua ante determinationem iſtam prædita erat.

Quod attinet art. 3. dixeram damnatam ſententiam tuam, quia juxta te dona ſpiritualia à voluntate hominis in morte ſpirituali ſeparata, non fuiſſe dicendum eſt, propterea quod ex ea ſequitur voluntatem hominis in ſe corruptam non fuiſſe, ſed per tenebras intellectus ſolas impeditam, quo minus vero bono adhæreret. Hæc enim eſt ratio qua Synodus ipſa utitur. Contra hoc tu excipis, *Iſto articulo noſtram quidem ſententiam damnatam eſſe, ſed non tuam.* de noſtra non quæritur, de tua quæritur.

*Ego enim*, inquis, *nolo voluntatem impeditam, ſed corruptam in ſe; quamvis eam negem primitus à ſe corruptam, qui ſtatuo ſcilicet exſtincta mentis luce eam non potuiſſe non corrumpi.* At qui, Camero, ſi voluntati immediate à Deo infuſa fuerunt dona iſta, quæ diximus, jam certe voluntatem in ſe corruptam eſſe dicere non potes convenienter Synodi menti, ſola exſtincta luce, quæ in mentem tantum infuſa erat. Dona enim quæ immediate in voluntate effecta erant, ab iis, quæ in mente erant, donis non dependebant. Itaque per privationem donorum, quæ in mente tantum erant, exſtingui non poterant ea dona, quæ in voluntate erant. Separata igitur fuerint vel per ipſam voluntatem, vel ab eo qui ea voluntati indiderat, neceſſe eſt. Deinde quod dicis agnoſcere te voluntatem in ſe corruptam, etſi non à ſe, id non niſi σοφὸν φάρμακον eſt. Obſecro enim, corruptio iſta quam in voluntate eſſe dicis, quid aliud eſt quam inordinata appetitio voluntatis, ob carentiam directionis, quæ in mente eſſe debebat? certe juxta te nulla eſt innata aut inhærens voluntati vitioſitas, quæ ex ipſa ſit, aut in ipſa tanquam habitualis quædam qualitas, à qua mala denominari poſſit, inhæreat, quæque ipſam faciat inordinatè ferri in id quod mens monſtrat. quicquid enim in voluntate à te ſtatuitur, id nil niſi proprietas voluntatis naturalis eſt, quæ ei à Deo ipſo indita eſt, ſequi ſcil. mentis judicium ſive rectum ſive pravum. Et res patet; poſita enim quavis corruptione, centum licet aut mille annorum conſuetudine roborata, tamen ex ſententiæ tuæ tenore una eademque erit corruptio, cum ea quæ in voluntate eſt in primo illo inſtanti quo lux mentis exſtincta eſt. Hujuſmodi autem corruptio voluntatis, quid revera eſt aliud, quam impedimentum illud, quod damnat Synodus; aut ſaltem quid pejus deteriuſve ponit in voluntate, quam ii ponunt, qui voluntatem impediri tantum volunt in recte & bene appetendo, quando mentis directione deſtituitur? Certe omnes quotquot impedimentum illud ſtatuunt, ii agnoſcunt hanc ipſam, quam tu agnoſcis, corruptionem; quia ea poſita voluntatem ſemper inordinate appetere ſtatuunt, fierique poſſe negant ut voluntas velit id quod rectum eſt. Si verum fateri vis, corruptio hæc tibi nihil aliud eſſe poteſt, quam corruptio aëris, quæ ex interpoſitione opaci corporis alicujus inter ipſum & ſolem oritur. Non enim proprie corrumpitur in ſe aër, quando id fit, (niſi alia qualitas accedat) ſed tantum impeditur, quo minus ſolis lux ad eum penetret, neque minus capax propterea redditur ad recipiendum eandem lucem, quam antea erat, ſi modo impedimentum iſtud tollatur, ſed ejuſdem prorſus ut antea capacitatis ſemper manet. vel ſi malis, corruptio hæc aliud nihil eſt, quam corruptio locomotivæ in homine cæco. Hæc in ſe corrupta nullo jure dici poteſt, & tamen poſita cæcitate non poteſt non eſſe inordinata; tolle eam, locomotiva non minus recte quam antea, abſque ulla alia ipſius facultatis ſanatione, greſſum & motum diriget. Verba itaque hæc tantum ſunt, quæ adfers. Tota corruptio voluntatis quam tua ſententia ſtatuit, ſi conſequenter loqui vis, non eſt intrinſeca quædam pravitas, quæ in ipſa voluntate etiam nihil agente inhæret; ſed revera nil niſi naturalis voluntatis motio, cui accidit corruptam eſſe, id eſt, depravatam, ob lucis bene dirigentis defectum. Si veram corruptionem in voluntate ſtatuere velis ex mente Synodi, neceſſe eſt ut ſtatuas voluntatem vel ſe ipſa immediate contraxiſſe in ſe ipſa malitiam ſibi inhærentem, quæ in ipſa voluntate etiam nihil agente habitualis ſit, ut loquuntur Theologi Britanni, vel eam à Deo dona iſta, quæ infuderat immediate, ſubtrahente, vitioſam redditam eſſe in ſe ipſa, id eſt contrariis habitibus ac vitiis imbutam. Sic enim novæ infuſioni immediatæ locum facies; quam quamdiu non agnoſcis, tamdiu te à Synodo damnatum eſſe negare non poteris.

Exemplum quod de morbo allegas, cum dicis *Morbus morbi cauſa eſt ſæpenumero, & omnis morbus in ſe morbus eſt, non eſt tamen continuo à ſe morbus, ſed ſæpe alterius morbi effectum*; ad rem non facit, & non pro te ſed contra te potius militat. Ad rem non facit, quia non nego fieri poſſe, ut aliquid in ſe corruptum ſit, quod non ſit à ſe corruptum: quis enim id neget? Sed dico corruptionem illam, quam tu in voluntate ſtatuis, non eſſe corruptionem voluntatis proprie dictam, qualem Synodus in voluntate eſſe vult, aut quæ revera ab impedimento iſto, quod damnat Synodus, diverſa eſt. Perinde contra te potius militat ſimilitudo; quia morbus, ſive cauſa ſit ſive effectum alterius morbi, ſemper eſt vitioſa qualitas inhærens facultati, ex ſolutione continui, intemperie, aut alia cauſa orta, quæ facultatem ipſam primo, & deinde actionem facultatis lædit. At vitioſitas quæcunque à te in voluntate ſtatuitur, ea non proprie neque intrinſece corrumpit vel lædit facultatem voluntatis, ſed tantum actionem, ita ut ſi conſequenter loqui velis, non ipſa voluntas, ſed volitio ſola dicenda ſit tibi inordinata, indebita, & ſic corrupta, vitiata, ſeu morbida. Vitium enim non eſt in voluntate, ut in principio intrinſecè indiſpoſito & male affecto, ſed in ſolius volitionis, à facultate ut à principio ſano atque in ſe incorrupto emanantis, aberratione ab objecto vero, ob defectum bonæ directionis, ſine qua non poteſt non aberrare, quia ita creata eſt à Deo, ut ſi in verum objectum ferri non poſſit, ſtatim neceſſario feratur in non verum, ſimulatque id à mente ipſi proponitur.

Atque ex his patet ſententiam tuam, non tantum contrariam eſſe Synodo Dordracenæ, ſed & ab eadem in terminis damnatam eſſe; ac proinde jure merito mirum mihi videri potuiſſe, quomodo tot eruditi & eximii viri, qui in nuperis Synodis Aleziana ſcilicet & Charentonenſi, ejuſdem Synodi Dordracenæ canonibus ſolemni adeo & vere pudendo Reformatis juramento (tuque adeo ipſe doctiſſime Camero) ſubſcripſerunt, id non viderint, aut ſi id viderunt, & intellexerunt, qua fide, quo animo tam ſolemniter canonibus earum ſubſcribere potuerint.

CA-

## CAPUT III.

### Demonstratur Cameronem non purgare sententiam suam à Pelagiano-Manichæismo.

Asserui hactenus primum Caput Epistolæ nostræ contra exceptiones tuas, doctissime Camero, an justis rationibus, Lectoris judicium esto. Progredior ad alterum, quo affirmaveram sententiam tuam ex una parte Pelagianam, ex altera Manichæam non quidem animo tuo, sed reipsa censendam esse; atque ita non tantum olim damnatam esse, sed etiam in seipsam incurrere, & seipsam per seipsam evertere. Pelagianam autem eam merito censendam esse hoc argumento demonstraveram, quod statuat sufficere solam objectivam revelationem divinæ voluntatis, sive solam suasionem (quæ verba an imprudenter an prudenter à te in hoc textu omissa sint nescio, omissa saltem hic sunt, etiamsi fideliter in Epistola ipsa libro tuo à te præmissa, expressa legantur) vel moralem actionem, absq; ulla immediata, interna, in ipsa voluntate impressa gratia. Hanc autem esse ipsissimam Pelagii sententiam, quæ damnata est à Patribus ex canone quarto Synodi Africanæ demonstraveram, quo damnatum dogma, quod statuit, *Ad scientiam nos habere gratiam Christi, ad caritatem non habere*, &c.

*Cameronis sententiam esse Pelagianam.*

Ad hoc argumentum hunc in modum respondes. *Vide*, inquis, *quorsum te causæ studium rapueris. Primò ais, Patres Africani Concilii damnare Pelagium, quod doceret per actionem moralem, absque ulla immediata in ipsa voluntate gratia, regenerationem perfici.* (adde si placet hic omissa verba mea, Camero, sufficere solam objectivam divinæ voluntatis revelationem, sive solam suasionem.) *Vos igitur Pelagiani, qui nimirum idem docetis; vos igitur damnati hæretici.*

Per *vos*, intelligis sine dubio, Camero, Remonstrantes: Me enim non tangis, quia nescis quid ego sentiam. Esto, non statim si Remonstrantes sint hæretici, tu propterea non es hæreticus. Fieri posset ut illi non agnoscerent Pelagii opinionem hæresin fuisse, ac proinde Concilii istius damnationem pensi non haberent. Te nihilominus premeret argumentum: quia tu hoc etiam nomine sententiam eorum quod Pelagiana sit, in Synodis Aleziana & Charentonensi damnasti. Sed vide jam, si placet, tuam sive inscitiam sive audaciam. Tantum abest ut Remonstrantes doceant per actionem solam moralem, absque ulla immediata in ipsa voluntate actione, regenerationem peragi, ut passim in Actis & scriptis suis Synodalibus, jam pridem in lucem editis, contrarium aperte asserant. Jam ante loca duo expressa allegavi: In declaratione sententiæ suæ circa articulum. 3. & 4. de gratia, pag. 14. sic loquuntur: *Præterea minime quoque dissitemur Spiritum sanctum immediate agere in voluntatem, in illam vires infundendo ac potentiam supernaturalem ad credendum.* & ita pag. 15. *Si per gratiam habitualem intelligere libeat potentiam quandam supernaturalem, concessam voluntati ad hoc ut credere, & bene agere posset, eam libenter admittimus.* Hisce locis gemina vide pag. 60. 62. *Regeret forte quispiam ex hac nostra deductione concludi posse, à nobis aliam gratiam in regeneratione non statui quam moralem. Sed respondemus neutiquam recte concludi. Potentiam enim credendi conferri dicimus per irresistibilem gratiam.* atque id explicatur fusius pag. citat. 60. Vide locum, &c. Injuriam itaque notoriam hic te fecisse Remonstrantibus non potes negare, Camero. & vide quanto ii sanius rectiusque quam tu, sentiant; Potentiam enim credendi sive adsentiendi per peccatum sublatam esse ex voluntate, & in ea restitui oportere tu nuspiam dicis, neque consequenter dicere potes. Voluntas enim cum sit tibi potentia necessario sequens rationis judicium, fieri non potest ut credas eam amittere potentiam sequendi judicium rationis illuminatæ, quando actu sequitur judicium rationis non illuminatæ. Potentia enim semper manet eadem, sed actus tantum variatur ratione variantis judicii. Naturalibus itaque viribus suis voluntatem sequi rationem statuis: quod annon proxime ad Pelagii opinionem, imo an non ipsissima Pelagii opinio sit damnata à Patribus, etiam atque etiam perpende. Canon Arausicanus 5. ita sonat; *Si quis sic ut augmentum, ita & initium fidei ipsum, credulitatis affectum &c. non per gratiæ donum, id est, per inspirationem Spiritus sancti corrigentem voluntatem nostram, ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, &* NATURALITER *non inesse dicit, Apostolicis dogmatibus contrarius approbatur.*

Sed pergis; *Deinde vero tu illud* IMMEDIATA *de tuo infulcis. Nam illi quidem dogma Pelagii, quo statuitur ad scientiam nos habere gratiam Christi, ad caritatem non habere, damnarunt quidem: At quomodo hanc caritatem producat gratia, an per actionem immediatam in ipsam voluntatem, aut mentis interventu; Id vero Patres eo certe loco non definiunt.* Respondeo:

Atqui ex eo quod Patres damnant dogma illud, quo statuitur nos ad scientiam habere gratiam Christi, non ad caritatem, colligo eos statuisse immediata gratia non minus ad caritatem, quam ad scientiam opus esse. Nam si id non statuissent, sed tecum credidissent, posita efficace, aut (ut tu loqueris) plena illuminatione in intellectu, caritatem necessario sequi in voluntate, non utique damnassent eos qui dicunt, ad scientiam nos habere gratiam Christi, non autem ad caritatem, sed eo ipso ad caritatem nos habere gratiam Christi dixissent, quia ad scientiam eam habemus. Ita enim tu loqueris, & super hoc uno fundamento exstruis pæne totam disputationis tuæ machinam. Nec inconsequenter sane. Si enim recte rem putes, hoc unum sufficit ut concedatur ad scientiam nos habere gratiam Christi, si fides, caritas, cæteræque virtutes & habitus ex illa necessario in voluntatem dimanant, uti tu asseris. Et quis dubitat Patres omnes, si hæc animis eorum sedisset sententia, non eodem modo consequenter locuturos fuisse, atque ita Pelagium suis ipsius armis, suaque adeo propria confessione jugulaturos fuisse? eo ipso enim quod Pelagius fatebatur, nos ad scientiam habere gratiam Christi, obtinuissent nos etiam habere gratiam ad caritatem; imo aliter gratiam ad caritatem non posse haberi in voluntate contendissent, quia juxta te animo concipi non potest, quomodo voluntas aliter quam ethice, id est, media mente ad caritatem moveri possit. At nunc cum dicunt nos non tantum ad scientiam, verum etiam ad caritatem, Christi gratiam habere, de gratia habituali, & immediate nostram voluntatem potentem reddente ad actus caritatis supernaturales eliciendos, eos locutos esse censendum est. Quocirca cum negas pernegasque sequi id sententiam tuam, ut ad scientiam habeamus Christi gratiam, ad caritatem non habeamus, fruſtra est. Neque enim ego hic jam concludo id sententiam tuam sequi, vel reipsa, vel ita ut tu illud ipse fatearis; sed tantum sententiam tuam reipsa, etiam te nihil minus, fortasse, quam hoc cupiente, in Pelagii sententiam recidere, & ex ea sequi id quod in Pelagio damnarunt Patres, si ipsorum mentem atque sententiam videas, quæ ex decisione ab ipsis facta, colligitur. Et hic est lapis ille ad quem semper impingis. Vis me colligere te id ipsum credere, quod Pelagius credidit, aut ex tua sententia reipsa sequi id, quod damnarunt in Pelagio Patres: cum nihil aliud colligam, neque colligere aliud opus habeam, quam per id quod tu statuis, sequi ex ipsorum Patrum sententia, id quod ipsi in Pelagio damnarunt: quia idipsum, etiamsi longe aliter tu ipse credas, aut credere saltem videri jam velis, reipsa incidat in Pelagii sententiam, quæ à te tuisque publicitus damnata est, & quo nomine Remonstrantium sententiam (quæ à Pelagii sententia tamen toto cœlo distat) tamquam falsam damnastis.

*At*, inquis, *ignoras ne quid Patribus sit scientia? Dogmatum certe fidei, & præceptorum recte vivendi solummodo notitia est, quam Pelagius initio solam sufficere dicebat. Scientia hæc sive notitia Pelagianorum hærebat in mente theoretica, non afficiebat judicium practicum, quem affectum,* PERSUASIONEM *Augustinus vocat.* Respondeo: Patribus quando cum Pelagio præcise disputant, notitiam nihil aliud esse, quam notitiam dogmatum fidei, & præceptorum recte vivendi, quis nisi puer ignoret? Notitia enim nihil aliud esse potest, quam notitia sive scientia (id enim unum idemque est) dogmatum fidei, & præceptorum recte vivendi; quando, dico, disputatur præcise, & notitia opposite sumitur ad fidem & obedientiam. at notitiam hanc Patribus aut Pelagio esse notitiam theoreticam, quæ in nuda & mera apprehensione dogmatum fidei, & præceptorum recte vivendi sita sit, qualis exempli gratia in hostibus Religionis Christianæ, in alienis à fide, impiis esse potest, imo in Diabolis ipsis est, (ii enim optime ista norunt) hoc, inquam, nullo vel levissimo indicio demonstras, Camero: Quin & non levia sunt argumenta unde contrarium liquet, videlicet à Patribus, & ab ipso Pelagio, per scientiam intelligi omnem illam perfectionem, quæ in mente aut intellectu, ut mens aut intellectus est, hic poni potest, ad eum usque terminum, ut nihil amplius restet ad hoc ut homo credens, aut fidelis, aut persuasus dicatur, quam solus actus voluntatis imperans fidem, obedientiam, & obsequium. Apparet hoc ex Augustini lib. 1. de gratia Christi contra Pelagium, cap. 7. ubi Pelagio hæc tribuit, quæ tamen sufficere negat. *Non in lege tantummodo*, inquit, *confitebatur gratiam, sed etiam illud addebat; Adjuvat enim nos Deus per doctrinam & revelationem suam, dum cordis nostri oculos aperit, dum nobis ne præsentibus occupemur, futura demonstrat, dum Diaboli pandit insidias, dum nos multiformi & ineffabili dono gratiæ cœlestis illustrat.* Et paulo post, *Denique adjutorium Dei multiplicitur*

*pliciter insinuandum putavit, commemorando revelationem, & doctrinam, & oculorum cordis apertionem, & demonstrationem futurorum, & apertionem diabolicarum insidiarum, & multiformem & ineffabilem doni gratiæ cœlestis illuminationem, ad hoc utique ut divina præcepta & promissa discamus.* Et ibid. cap. 10. adfert hæc ipsius verba: *Operatur in nobis* (Deus scilicet) *velle quod bonum est, velle quod sanctum est, dum nos terreni cupiditatibus deditos, mutorum more animalium tantum præsentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitatione succendit, dum revelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem, dum nobis* (quod tu alibi negare non metuis) *suadet omne quod bonum est.* Quid? hæc omniane aliud nihil sunt quam nudæ & meræ notitiæ theoreticæ, quæ in mente tantum hærent? Profecto quid supra hæc in mente, ut mens est, scientiæ capax, poni possit ego videre velim. Certe Augustinus ipse cum hisce omnibus opponit sententiam suam eodem lib. cap. 24. nihil aliud desiderat, quam ut Pelagius fateatur, *Deum interna atque occulta, mirabili atque ineffabili potestate operari in cordibus hominum, non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates*; quasi diceret non mentem tantum nostram scientia, sed & voluntatem nostram caritatis, id est pio credulitatis affectu adspirari, sive (ut alii loquuntur) habitu supernaturali ad actus supernaturales eliciendos instrui. *Dicat hoc*, inquit, *Pelagius, & pax erit.* Sed quid ego multis rem hanc probo? unica Epistola ad Demetriadem virginem, quæ epistolis Augustini inserta legitur, & quam non immerito Juliani Pelagiani, aut alterius cujusdam discipuli Pelagii esse vult Erasmus, satis evincit, quod non modo scientiam longe majorem, atque excellentiorem, per gratiam Christi nos habere crediderint Pelagiani, quam theoreticam, ut tu vis; sed & quod crediderint per eam nos habere id omne quod ad caritatem, id est, pium ad divinis præceptis obediendum affectum in voluntate efficiendum, non tantum necessarium est & sufficiens, sed quod plus quam sufficiens est; adeo ut homo beneficio istius scientiæ non tantum possit velle, sed & facile possit velle Deo obedire. Hoc autem utrumque negarunt semper Patres fieri posse sine gratia mentem interne collustrante, & voluntatem immediate habitu aliquo supernaturali roborante & corrigente, piumque credulitatis affectum inspirante. Neque vero mirari satis possum cur tu Pelagio (quem monachum cum primis doctum & pium fuisse Chrysostomus fatetur, non diffitente Augustino) tribuas rem tam pusillam, quod nos per gratiam Christi nonnisi scientiam theoreticam habere asseruerit, cum res ipsa clamet, & Theologi vestri omnes fateantur, in impiis, hypocritis, fide temporaria præditis, non notitiam tantum theoreticam, sed assensum etiam aliqualem, & sæpe etiam firmum, imo (ut scriptura loquitur) fidem locum habere. Et hoc ipsum tanto plus admiratione dignum est, quandoquidem Catechesis Heidelbergensis, quæ etiam communi calculo in Synodo Dordracena approbata est, diserte notitiam quæ in fide est exponit, per firmum assensum, cum ait, *Fides est non tantum notitia, qua firmiter assentior omnibus, quæ nobis in Euangelio revelata sunt, sed etiam certa fiducia.* Sed quicquid sit hac de re, Pelagium per scientiam theoreticam, nudam intelligentiam tantum intellexisse, ne ipse quidem asseris. Dicis enim Pelagium initio dixisse, notitiam ejusmodi theoreticam sufficere. Postea igitur, Camero, quid dixit & quid docuit? de hoc tempore quæritur. Certe ex tuis propriis scriptis liquet, Pelagium postea amplius quid docuisse, & internam atque immediatam gratiam in mente concessisse. Et, si historiam videris, nunquam ex illo tempore Patres quicquam desiderarunt in Pelagio quod ad mentem attinet; tantum quod ad voluntatis ipsius motionem attinet, eam sine gratia interna atque immediata ipsam elevante, ut ad actus supernaturales, fidem scilicet, spem, caritatem eliciendos potens esset, quam gratiam Christi appellant, fieri non posse, tenuerunt. Evinco id argumento uno tantum, cujus minor tuæ hypothesi innititur, quæ hæc est: Ad fidem, id est, ad assensum efficiendum, immediata gratia opus esse. Si ad fidem eliciendam gratia physica & immediata opus est, jam certe gratia immediata in voluntate opus esse, dixerunt Patres. Atqui juxta te antecedens est certum: ergo. Probo consequens; quia fides est actus voluntatis ex sententia illorum. Vide Augustinum qui tibi unus instar omnium est in hoc argumento, Tract. 26. in Joannem. *Multa potest facere homo non volens, credere autem non potest nisi volens.* De spiritu & litera cap. 32. *Sed consequens est*, inquit, *Paulum quærere utrum voluntas, qua illa credimus, etiam ipsa sit donum Dei.* Ambrosius super Rom. IV. *Ei autem qui operatur, aut credere, aut non credere, inquit, voluntatis est.* Irenæus qui tamen ad tempora Pelagii non pertinet, lib. 4. cap. 62. ait: *Non tantum in operibus, sed etiam in fide liberum suæ potestatis arbitrium homini servavit Deus.* Neque vero est quod hic urgeas vocem *persuasionis*, qua usus est Augustinus, quæ ad mentem tantum pertinere videtur; quia persuasionis vocem Augustinus latius & generalius accipit, non solum pro plena mentis illuminatione, uti tu loqui amas, quam necessario sequitur voluntas, sed etiam pro voluntatis ipsius mutatione, quæ persuasionem comitatur, etiamsi ex ea non necessario oriatur. Apparet id ex illo ipso loco quem hic citas. Vult enim ut Pelagius fateatur gratiam, non eam solum qua futuræ gloriæ magnitudo promittitur, verum etiam creditur & speratur, nec solum revelatur sapientia, verum & amatur, nec suadetur solum omne quod bonum est, verum & persuadetur. Persuadere itaque, credere, sperare, amare unum idemque est Augustino; neque apparet ex eo an illud hujus, an hoc illius causa sit: Totum quod exprimere vult, id aliquando exprimit verbo persuadendi, aliquando verbo amandi, diligendi, credendi, sperandi, prout usu venit. Quid autem de hac sententia Augustini censendum sit, ego non disputo. Certè si voluit ut Pelagius gratiam confiteretur, quæ voluntatem ad ipsum actum fidei determinat, eamque determinationem persuasionis voce expressit, iniquissimum petiit, imprimis si Pelagium nisi id confiteretur, non modo non vocari, sed ne esse quidem Christianum voluit. Peculiaris enim hæc tum erat Augustini sententia, quæ in nulla Synodo unquam stabilita fuerat, & à non paucis egregiis & in omni virtutum studio viris, ut Prosper ait, expresse, ut universali Patrum opinioni & Ecclesiastico sensui contraria, vivente ipso Augustino damnabatur, ut ex epistola Prosperi & Hilarii ad Augustinum luce clarius patet. Sin voluit ut Pelagius confiteretur tantum gratiam supernaturalem in voluntate esse necessariam ut credere possimus, idem dixit quod Remonstrantes dicunt, & quod Patres ac Concilia omnia contra Pelagium asseruerunt. Sed id, ut fatear quod res est, verbis istis Augustini non satis convenit. Itaque aliud quid verbis Augustini subesse dicendum est, aut fatendum id quod hic Augustinus dicit, Synodorum placitum non fuisse, quæ omnes pro libertate arbitrii pronunciarunt, cum qua istam sententiam Augustini consistere impossibile est.

*Eandem esse Manichaicam.*

Et hæc sane causa etiam est cur, quia ista ipsa est sententia tua, eam ex altera parte quantum ad rem ipsam attinet Manichaicam censendam esse dixerim, quantum, inquam, ad rem ipsam attinet. Non enim volo sententiam tuam convenire per omnia cum opinione Manichæi, sed in fundamento principali, in quo Manichæus conveniebat cum Mathematicis fatum adstruentibus, & divinam providentiam simul atque arbitrium liberum negantibus, cum Gnosticis, Valentinianis aliisque ejusdem excetræ hominibus, etiamsi ab istis omnibus in hypothesi dissentiret. Fundamentum autem hoc est, Quod ista omnia administrentur in mundo, ut bona & mala fiant necessario, non à diversis principiis, ut volebat Manichæus, sed ab uno Deo. Itaque sic concludebam: Qui placitum Manichæi, quod à Conciliis ut ipsius placitum apertè damnatum legitur, nimirum omnia tam bona quam mala necessario fieri, suum facit, ejus opinio, quantum ad istud attinet, Manichaica est. Id tu facis, Camero, quando dicis eos qui faciunt bona & bene, tali ac tanta persuasione quæ immediate menti ipsorum imprimatur adduci ut voluntas eorum eam non possit non sequi, & contra eos qui faciunt mala & male, id facere quod menti ipsorum persuasio ista non imprimatur, ac proinde voluntas ipsorum bona bene facere non possit. Ergo sententia tua, quantum ad istud attinet, est Manichaica.

Ad hoc argumentum meum non respondes directè, sed ais: *Anne Augustinus tibi videtur Manichæus?* Argumentum sane Reformato doctore indignum, quod jam multis exagitare nolo. odiosæ sunt ejusmodi objectiones & responsiones. Quid si enim, mi Camero, hîc respondeam Augustinum nimio seu ardore seu zelo quo pro veritate flagravit & abundavit, seu sententiæ Pelagianæ odio vehementiore, uti fit, in alterum extremum concessisse, & ut longissimè à Pelagio discederet, in sententiam Manichæi ex altera parte positam, & quam antea deseruerat, relapsum esse, annon clamabis me convitium facere Patri & Doctori tam celebri & claro? Non potes tu quidem id jure facere; sed nec ego id facerem primus, nec sine magnis authoribus ac rationibus. Neque vero insolens est sanctis Doctoribus, ut quando controversias suo tempore nasci vident, quas vehementer profligatas cupiunt, in contrariam partem interdum nimium deflectant. Id Dionysio Alexandrino Patri antiquissimo & celeberrimo contigisse refert Athanasius. *Is enim cum Sabellii errorem, qui non verbum sed ipsum Deum Patrem incarnatum esse asserebat, fortissime redarguere vellet, exaggerabat actiones Christi quæ humanitatis & humilitatis erant propriæ, ut orare Patrem & similia; in quibus urgebat Filium esse minorem Patre, & Patris creaturam: unde optimè consequebatur contra Sabellii, Patrem non esse incarnatum, nam Christus orabat Patrem, nemo autem seipsum*

*ipſum orat: Hinc Arrius illum ſutum fecit, ſeque illius verbis tanquam clypeo texit, ipſique adeo Dionyſio objectum fuit quod Filium non faceret Patri conſubſtantialem, etiamſi hæreſis Arriana nondum eſſet exorta.* Idem accidere potuiſſe Auguſtino duobus aut tribus ſæculis poſt nato quid vetat credere?

*At hic unus omnium validiſſimè Manichæi dogma confutavit.* Reſp. At cur hic unus id omnium validiſſimè fecit? Certè ſi id accidit Auguſtino quod jam diximus, non ſolum non validiſſime confutavit Manichæum, ſed in eundem errorem quantum attinet ad principalem rem, ut à Pelagio tanto longius abiret, relapſus eſt. Et, ſi verum dicere liceat, ſolidè ſatis ac nervosè oppugnat Manichæum ipſiuſque dogma, quoties extra calorem diſputationis, æſtumque contentionis pro arbitrii libertate diſputat Auguſtinus. Apparet id ſatis ex libris de libero arbitrio, & de vera religione, quos ſcripſit antequam Pelagii hæreſis aut nomen innotuiſſet, in quibus probat liberum arbitrium adverſus Manichæos his potiſſimum rationibus: Quod alioqui tollatur judicium Dei, tollantur leges, admonitiones, cohortationes, pœnæ, præmia, & id genus alia; quanquam iiſdem etiam utitur in epiſtola quadrageſima ſexta, & quadrageſima ſeptima, & in libris de gratia & libero arbitrio, quos occaſione hæreſis Pelagianæ ſcripſit. At ſimulatque ipſum fervor & zelus iſte ingens contra Pelagium agitat, adeo vehementer abripitur, tanquam ſi ſtatutum ipſi eſſet nihil prorſus commune cum Pelagio habere velle. inde fit ut multi eum in contrarium ex altera parte poſitum, ſancti & pii zeli vehementia reciduiſſe credant, eaque quæ contra Manichæum ſatis dextrè ſcripſerat eapropter retractaſſe. Quicquid ſit, quomodo ille, ſi controverſia inter ipſum & Pelagium in acie novaculæ, quod dici ſolet, ponatur, Manichæum validiſſimè refutaſſe dici poſſit non video. Ego illam laudem detrahere nolim Patribus trium præcedentium ſæculorum; qui mihi, ſalva Auguſtini pace, multo nervoſius ſolidiuſque fatalem neceſſitatem deſtruxiſſe videntur. Quod ſi tu ea lege non recuſas eſſe Manichæus, ut voto tuo fruaris per me licet. Abſit à me ut ego ea lege Manichæus eſſe velim. Tanti profecto mihi non eſt Auguſtinus, neque quiſquam mortalium, quos errare potuiſſe credo, ut in ullius gratiam errare velim, nedum tam ingenti & enormi errori me obſtringere. Amicus Plato, amicus Ariſtoteles, amicus Auguſtinus, ſed magis amica veritas. Nec video cauſſam ſatis gravem, cur in hac materia uno & ſolo Auguſtino pæne ſtandum ſit, de cujus mente ac ſententia tot ſunt fere opiniones quot Doctores. Quod tu Camero, quamquam Auguſtinum in multis erraſſe credas, hîc ea lege Manichæus eſſe velis, ſi Auguſtinus eſt Manichæus, mirum videri non debet; quia ſententia tua revera eſt Manichaica, quatenus ea fatalem neceſſitatem ſtabilit, & veram libertatem arbitrii funditus evertit. Quare quod Prædeſtinatis & Calvinianis, qui hodie vocantur, ſententiam tuam accenſuerim, id mirum tibi videri non debet.

*De hæreſi Prædeſtinatorum.*

Ac *Prædeſtinatos* quidem quod attinet, an ii unquam in rerum natura fuerint non contendam tecum, quanquam cauſſam nullam gravem habere aut afferre mihi videris, cur quod Sigebertus teſtatur verum videri non debeat. Neque vero Sigebertus ſolus eorum meminit, ſed & Arnobius, vel quiſquis alius author fuit eorum commentariorum in Pſalmos, qui Arnobio tribuunt: *Pſal.* CXLVI. & Fauſtus lib. 2. de libero arbitrio, cap. 14. & 16. & Remigius Lugdunenſis in libro contra tres epiſtolas trium Epiſcoporum Galliæ, qui & ipſe videtur ire in eandem ſententiam. Et in eodem errore Lotharii tempore fuit Godeſcalcus in Gallia, ut in manuſcripto libro Hincmari Rhemenſis adverſus Prædeſtinatianos legere eſt. Et certè quid veriſimilius, quam tempore Auguſtini ejuſmodi homines prodiiſſe, qui ſive ob ſententiam Auguſtini recte aut male intellectam, ſive quod hac occaſione hæreſes quas in ſinu fovebant, ſed proferre non audebant, ſub auſpiciis tam celebris Doctoris, & titulo Prædeſtinationis, propalare ſe tuto poſſe videbant, eaſdem publicè venditarint atque aſſeruerint; & ex reipſa, ſi non ubique, ſaltem à multis Prædeſtinati appellati fuerint? Verumenimvero tum temporis ſententiam Auguſtini, iiſdem plane difficultatibus gravatam fuiſſe, quibus Prædeſtinatorum ſententia gravari ſolet, ſatis clare docet Proſper in epiſtola ad Auguſtinum: *Hæc ſententia & lapſis curam reſurgendi adimit, & ſanctis occaſionem torporis adfert, eo quod in utramque partem ſuperflua labor ſit, ſi neque rejectus ulla induſtria poſſit intrare, neque electus ulla negligentia poſſit excidere. quoquo enim modo ſe egerint, non poſſe aliud erga eos quam Deus definivit accidere: & ſub incerta ſpe curſum non poſſe eſſe conſtantem, cum ſi aliud habeat prædeſtinatio electio, caſſa ſit annitentis intentio. Removeri itaque omnem induſtriam, tolliſque virtutes, ſi Dei conſtitutio humanas præveniat voluntates, & ſub hoc prædeſtinationis nomine fatalem quandam induci neceſſitatem, aut diverſarum naturarum dici Dominum conditorem, ſi nemo aliud poſſit eſſe quam factus eſt.* Ovum ovo non tam eſt ſimile, quam hæc ſententia (quam Auguſtini facis) ſimilis eſt ſententiæ Prædeſtinatorum. Quod itaque ſcribis, me non potuiſſe niſi reluctante conſcientia te inter iſtos numerare, qui ſententiam tuam cum ſententia Auguſtini eandem eſſe vis, in eo certe limites modeſtiæ & verecundiæ longe prætergreſſus es. Exiſtimo enim, & bona quidem conſcientia, te idem prorſus credere, ſi modo phraſes *Pie vivere*, & *Improbe vivere*, laxiore paulo ſenſu accipias, uti iſthic à Proſpero nonnullæ ſimiles, & à veſtris etiam hominibus, hæ aliæque æquipollentes non raro in hoc argumento accipiuntur & uſurpantur. Vide ſaltem ſententiam Marlorati in expoſitione Eccleſiaſtica in *Joannem, cap.* XV. *verſ.* 2. *Stat ergo firma ſententia, quemcunque Deus ante conditum mundum elegerit, eum non poſſe perire; quem vero rejecerit, eum non poſſe ſalvari, etiamſi omnia opera ſanctorum fecerit, uſque adeo irretractabilis eſt ſententia.* Similia habent alii, quæ à Remonſtrantibus clarè ſatis annotata leguntur in Actis & Scriptis eorum Synodalibus, quæ pænè verbotenus reſpondent iis quæ à Sigeberto ſcripta ſunt. Neque ſane videre poſſum quare iis accenſeri nolis. Nam ſi dicas te credere, eos qui ad mortem prædeſtinati ſunt non poſſe piè vivere, & qui ad vitam prædeſtinati ſunt non poſſe improbè vivere, id profecto admodum leve foret argumentum, quod cum Prædeſtinatis non ſentias; cum ſatis pateat phraſin iſtam *piè viventibus*, qua Sigebertus utitur, aliud nihil ſignificare, quam vel honeſtè viventibus, neminem lædentibus, ſuum cuique tribuentibus, imò etiam ex præſcripto Euangelii pro virili vitam ſuam componentibus; ſi non ex fide illa ſpeciali, quam tu vocas, attamen ex fide tali, qua multi reprobi ſibi perſuadent ſæpenumero ſe electos eſſe, ita ut quid inter illam & veram perſuaſionem interſit diſcerni non poſſit: hoc ſenſu reprobos aliquando piè vivere dici poſſe non negabis tu credo, quia id Calvinus veſter in terminis aſſerit: vel ſi malis, phraſis iſta *piè viventibus*, ſignificare poteſt idem quod, ſi omnino eos piè vivere contingeret qui prædeſtinati ſunt ad mortem, id ipſis hilum non prodeſſet: ut ſenſus ſit hypotheticus, licet verba categoricè prolata ſint. Quod autem Prædeſtinatus vocari non renuis, *quando Prædeſtinatus ſignificat eum qui credit, non generali ſed ſpeciali Dei providentia accidere ut quis credat in Chriſtum*; id profecto, ſi rem ſpectes, eſt eandem cum veris Prædeſtinatis ſententiam, ſed non niſi lenocinio verborum fucatam, tenere velle. Nam hanc tuam propoſitionem generalibus verbis, veluti ſpecioſa quadam veſte amictam, ſi exuas, & nudam membratim introſpicias (quod à nobis infra futurum eſt, cum bono Deo,) videbis idem pus ſub ea latere. Dicis quidem, Camero, tuam *ſententiam tantum ab eorum hæreſi diſtare, quantum cœlum inferni*; ſed brevi profecto qui in cœlis ſunt apud inferos forent, & contra, ſi id verum eſſet. Verba iſta, Camero, non ſunt niſi ad populum phaleræ. Patet nimis error, dilucet fraus, fictiones & fuci omnes jamdudum à lippis & tonſoribus animadverſi ſunt. Non potes diutius latere ſub iſtis verborum voluminibus, & phraſium ſpecioſarum integumentis.

Quare Calvinum iiſdem accenſere religio mihi non eſt: reipſa enim cum eis ſentit. Neque exiſtimo me hac in parte ei quicquam aut tribuere quod ipſi non debetur, aut quicquam detrahere quod ipſi debetur. Laudem eximiis Chriſti ſervis aſcribere me æquum eſt, & facio id lubens; de iis reverenter loqui, & errata eorum tegere, uti eſt humanitatis, ita imprimis etiam eſt prudentiæ. At quando eorum ſcripta tantum non adorantur, quando eorum authoritas tanti fieri incipit, ut ne vel hiſcere quidem contra eos ſine periculo infamiæ liceat, etiam quando errores errant veritati & pietati valde noxios, tum vero in gratiam eorum tacendum non arbitror. Gloria ſemper ante omnia danda eſt veritati & pietati. Servi hominum fieri non debemus: adorare homines & eorum placita, idololatria eſt. Ubi hæc graſſari incipit, ibi Deo potius quàm hominibus, veritati potius cæleſti quam humanæ authoritati litandum eſt. Quod ſi id nunquam ſicere putas, cur itaque tu ipſe, Camero, non humanius, non benignius, non reverentius hîc ſcripſiſti de Chriſti ſervis vivis mortuiſque, qui Calvino nec eruditione, nec pietate concedere cenſendi ſunt? Medice cura te ipſum. Si iſtos, quos tu adeo irreverenter habes, reverentia dignos eſſe negas, tum hîc ex me verbum liberum audi, jure merito quæri poſſe, annon Calvinus, licet alioquin magnis dotibus præditus, plus detrimenti attulerit Chriſtiano orbi, totique adeo reformationi, prædeſtinationis iſtius ſuæ horrendæ, & crudelis hæreticidii inculcatione, quin & deteſtabili praxi, quam fructus variorum aliorum errorum confutatione. Me quod attinet, ego hæc duo capita tanti facio, ut præ iſtis cætera pæne omnia flocci faciam. Arcem utramque religionis, pietatem & caritatem, ſuodi-

tus evertere mihi videtur, quantum in se est, qui ista capita propugnat. Duobus vero istis salutaribus ancilibus è medio sublatis, quid restare potest ultra quod damnum tam ingens compensare queat? Sed hac de re fortasse alibi pluribus.

Quod ex Augustino citas ad sententiam Manichæorum rectè percipiendum, id ad rem non facit; &, si omnino ad rem facit, potius contra teipsum, quam pro te citatum videri debet. Ad rem non facit; quia in Epistola expresè cautum est, sententiam tuam Manichaicam non vocari quod ad radicem, unde necessitatem omnis tam mali quam boni derivat Manichæus, sed tantum quod ad ipsam necessitatem, quam tua non minus quam Manichaica, Stoica, Mathematicorum, Gnosticorum, Prædestinatorum, &c. opinio statuit, & quam expresè eo solum nomine olim à Patribus damnatam esse constat. Manifesta enim sunt verba Concilii Aphricani, capite xxv. *Aliquos divina potestate ad malum prædestinatos esse non tantum non credimus, sed si quis sit qui tantum malum credere velit, ei cum omni detestatione Anathema dicimus.* Quod si tamen Augustini testimonium ad rem facere velis, nihilominus potius contra te quam pro te faciet, quia expresè ait, se disputationem *contra eos suscepisse, qui negant ex libero voluntatis arbitrio mali originem duci*, & Deum, si ita est, omnium creaturarum creatorem culpandum esse contendunt; cum tua opinio statuat mali originem non à libero arbitrio, sed à mente, quæ prorsus libera non est, originem ducere, & idcirco à mente ducere, quia Deus lucem quam homini primum indiderat, iterum absque ulla hominis culpa subtraxit homini; unde hominem sibi relictum errare, id est, ut tu loqueris, peccare, & deinde voluntate etiam consentire necesse fuit; & ex hoc uno fonte errores & peccata omnia, quæcunque unquam fuerunt, sunt, aut erunt, necessario profluere. Quod annon sit illud ipsum, quod hîc Manichæo tribuit Augustinus, lector æquus judicet.

Conaris tu quidem, pro more tuo, amuleto aliquo benignioris locutionis rem horridam obvincire & tegere; sed quibus mens læva non est, ii facile vident quid sub isto verborum involucro lateat. *Qui docent*, inquis, *neque mali neque boni quicquam fortuito evenire, ne Judæ quidem proditionem, vel Pharaonis rebellionem, sed certa quadam providentia, eos certè pia Antiquitas non damnavit.*

Quasi verò notum non sit, cum dicitis nihil neque boni neque mali fortuitò evenire, sed certa quadam Dei providentia, certam illam providentiam vobis revera aliud non esse quam prædestinationem illam ipsam ad malum simul ac bonum, quam Synodus damnavit. Vertas te in quot velis formas, in eandem rem tandem te recidere videbit quisquis cœcus non est. Et revera providentia Dei certa, per quam certò, id est necessariò, (certò enim infallibiliter, & necessariò tibi unum idemque prorsus sunt, uti ex libro hoc tuo disertè liquet: vide pag. 154. lin. 1.) & quidem antecedenter, absque ulla prævia hominis culpa, fit ut homo non possit non facere seu bonum seu malum, quid potest esse aliud quam prædestinatio, qua Deus pro divina sua potestate hominem aut ad bonum aut ad malum prædestinat? Quicquid incrustandæ huic absurditati adferri solet, id nil nisi verba sunt, quæ aliud quid sonare videntur, sed reipsa unam eandemque rem significat, id est, necessitatem peccandi & non peccandi inevitabilem, non ab homine sed à Deo profluere: uti in sequentibus clarissimum nos facturos ex tuis propriis verbis speramus.

Augustinum quod attinet, cum ille dixit Deum operari in cordibus hominum, ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit, sive ad bona, sive ad mala, non loquitur nisi de inclinatione voluntatum ad mala, quæ fit in illis hominibus, quos jam peccatis suis meruisse ait ut ita inclinentur. At ubi merita talia non præcesserunt, ibi Deum operari in cordibus hominum, ad inclinandas eorum voluntates in malum, non dixit Augustinus; imo contrarium non obscure adseruit passim, nominatim autem cap. 3. de spiritu & litera, ubi *Nusquam legimus in Scripturâ, non est voluntas nisi à Deo, & rectè scriptum non est, quia verum non est. Alioquin etiam peccatorum, quod absit, author est Deus, si non est voluntas nisi ab illo, quoniam mala voluntas jam sola peccatrix est, etiamsi desit effectus.* Itaque quam longe Augustinus adhuc absit ab isto tuo generali pronunciato, quo affirmare non erubescis, *Quicquid boni vel mali evenit, id certa Dei providentia operante in cordibus hominum, ad inclinandas voluntates eorum quocunque voluerit, evenire.* Hæc enim te facere verba Augustini, quæ apertè aliis characteribus notata observari vis, haud difficile est videre. Advertite animum quicunque Deum timetis: hîc enim latet pus illud malignum, quod suo loco acriore adhibito scalpello taugam & aperiam, cujus ipsos authores merito pudere debet. Vocas tu quidem, quando necessitas boni & mali à te statui dicitur, calumniam veterem & rancidam calumniantium Pelagianorum, eamque ab Augustino confutatam, & à te depulsam esse dicis; sed, ô bone! tam clara est hæc res jam in oculis omnium, ut quanto magis tu eam calumniam vocas, tanto magis te caussæ tuæ diffidere, & te tuæ sententiæ pudere omnes sibi persuadeant. Docent id ii qui cum tecum per omnia consentiant, id apertè tamen ac ingenuè profitentur, vobisque idem profitendum esse, si veraces esse velitis, contendunt: Et hos Synodus Dordracena, apertè licet hoc ipsum profitentes, orthodoxos pronunciavit. Quare si tu hanc calumniam à te depulisti, sententiam tuam damnasti. Quod eam ab Augustino confutatam esse dicis, in eo nolim tibi refragari. sed si Augustinum idem tecum sensisse velis, tum dico eam non tantum non esse confutatam ab Augustino, sed ne confutari quidem ab Augustino potuisse, nisi Augustinus suam ipsius sententiam confutaret & damnaret. At ex illis verbis quæ tu hic aliisque locis pluribus citas, apparet satis clarè Augustinum seorsim à te sensisse, quod attinet primam mali originem. Dicit enim apertè veritatem dicere, à libero arbitrio exordium sumpsisse peccatum, & ex eo esse omne vel Angeli, vel hominis malum; cum tu, uti in sequentibus clarius demonstrabimus, peccatum primum sive malum non ex libero arbitrio, sed longè alio ex fonte, imo, horreo dicere, ex ipso Deo unico boni omnis fonte, quod Manichæus ne dicere quidem ausus fuit, derives, prout etiam facere te necesse est, si consentanee loqui velis. Cur hæc tacere debeam caussa nulla est, Camero, imo cur tacere hæc non debeam, causæ sunt multò gravissimæ. Si Momus propterea tibi videor, ferendum est convitium, & nihilominus detegenda blasphemia, ad Dei veritatisque divinæ gloriam. Non deerunt fortè alii, qui iis quibus tu convitiaris & maledicis, cum veritatem tibi ob oculos ponunt, gratias acturi & benedicturi sunt; sed maledicant omnes, dummodo tu Deus solus benedicas.

Quod de Patribus primorum trium sæculorum dixi, id jure meritò mihi dixisse videor, & non sine multis magnisque authoribus. Et res adeo clara est, ut non tantum Pelagius ipse se eorum libris scriptisque, tanquam clypeo aliquo, contra Augustinum aliosque munierit, (quod tamen an jure ab eo factum sit non disputo:) sed & Theologi vestrates non pauci, Patres istos primitivos pæne omnes Pelagio impensius favisse, imo Pelagianæ sententiæ admodum adfines fuisse, non dubitent asserere, (jure an injuria nec ego hîc dixerim.) Quod de Augustino per parenthesin dixi, controverti adhuc quæ ejus fuerit sententia, id cur tam acriter insectaris, ut propterea me *hominem durum* exclames, causam non habes Camero justam. Quid enim in eo criminis? Ego nec primus nec solus sum qui id dico: &, posito omnino quod solus essem, annon causa satis gravis ob quam mihi id dicere liceret, hæc foret, quod hodie nulla pæne sit opinio, quamquam ea à Patrum primitivorum opinione toto cælo distet, imo maxime contraria seu tuæ, seu nostræ, seu mediæ alteri sit, quæ non Augustini authoritate se tueatur? Et sanè si Augustini scripta videas, cothurnus pænè sunt, qui ut laxus calceus omni pedi indui possunt. Reperit in iis quæque secta quod speciosè suum facere possit. Quod si tu Camero ita clarè videas in Augustino, ut certum esse credas eum cum primis trium sæculorum Patribus omnino consentire, quod ipse Augustinus semper contra Pelagium professus est; jam dico fieri non posse ut tuæ sententiæ cum sententia Augustini conveniat, quia sententia tua διὰ παντὸς διαφωνῶν dissidet à sententia Patrum omnium qui primis tribus sæculis floruerunt, uti postea videbimus. Hoc si verum esse agnoscis, & nihilominus tibi cum Augustino convenire vis, tum necesse est ut credam vel Augustinum nullo jure Patres istos pro se allegare potuisse, vel te in gravissimo errore versari, quando tu tibi cum Augustino convenire ais. Utrum velis elige, sed sine convitio, si potes. durus enim homo esse nolim, etiamsi cum duris hominibus sæpe mihi res sit.

## CAPUT IV.

### Diluuntur exceptiones Cameronis, quibus sententiam suam purgare nititur à Pelagianismo.

IN hoc capite mirum quomodo sudes, quomodo distinguas, quomodo hæsites, mi Camero, ut explices quid intelligas per persuasionem illam quam ethicum motum à te vocari dixeram: sed quantò magis te moves, tanto magis te involvis, tantoque minus promoves. Cum ad rem venitur, ignorantiæ professione elaberis. Nempe hoc asylum illud est, in quod abdere se solent ii quibus res ad incitas redactæ

dactæ sunt. Rem ostendo. Dixeram te nunquam explicaturum intelligibiliter mentem tuam, quando conversionem fieri per persuasionem, adeoque non aliter quam per persuasionem posse fieri asseris; alterutrum enim necessarium esse, aut ut dicas ea per quæ appareat te aperte in sententiam Pelagii recidere, si consequenter & intelligibiliter (ignosce vocibus barbaris) loqui velis, aut si evitare velis ne in eam recidas, ut ea dicas quæ nec ipse queas explicare, nec ab aliis possunt intelligi. Hoc posterius à me evictum esse, (prius enim cane pejus & angue odisti atque evitasti) intelligere potest quisquis animum vel leviter tantum advertit. Pressi hoc argumentum, fateor, paulo acrius atque prolixius, quia in eo non leve momentum inesse credidi, ad te eo usque redigendum quo te jam redactum video. Quod ipsum meritò tanti ponderis videri tibi debet, ut sententiam tuam propius ad animum tuum revoces. Si quid enim est, quod ei qui rationibus disputat suspectam reddere debet suam sententiam propriam, id certè esse debet, quod ab adversario suo eo usque redigatur, ut fateri cogatur se credere id quod ipse sibi fingit, aut quod nescit quid sit, & quod tamen tanquam peculiare atque eximium aliquid à cæteris omnibus opinionibus distinctum esse credere vult. Qui se verbis verborumque offuciis tegere nihilominus studet, næ is tantundem facit atque si Soli fumum objicere velit, & plerumque pertinaciam pro causa induere creditur.

*Quid Cameroni sit persuasio.*

Sed videamus verba tua: proœmium tuum acre est. *Nimiùm confidens es*, inquis. Nempe quia tibi cum rationibus contradico. At unde tibi supercilium illud, ut nemo tibi contradicere possit, qui non convitio aliquo mactatus à te discedere vult? *Persuasio mihi id ipsum est quod Augustino locis à me jam supra citatis.* Non ignorabam hoc te dicturum, Camero, sed volo ut paulo clarius loquaris, ut te intelligam. Amo enim perspicuitatem. Dic, sodes, quid hoc ipsum est quod Augustinum intellexisse vis. *Nempe in voce ista veluti technico utitur vocabulo ad id ipsum significandum, quod nobis est converti.* Sed, obsecro te, nondum capio quid velis. Conversio enim est effectum sive ἀποτέλεσμα persuasionis. Persuasio propriè est modus quo conversio fit. At hîc agimus de persuasione, non quatenus effectum est, sed quatenus modus est quo peragitur conversio. Patet id ex scopo tuo. Tu enim idcirco conversionem per persuasionem fieri vis, ut ostendas conversionem fieri nisi media mente, quæ solius persuasionis capax est. Quod si autem juxta te, persuadere Augustino aliud nihil est quam convertere, & persuaderi aliud nihil quam converti, jam profecto ex voce illa an conversio media mente fiat, an immediate, colligi nullo modo potest. Ego verò ex hac tua responsione aliud quid odorari mihi videor: te nempe, cum persuaderi idem esse vis quod converti, conversionis totius formalem effectum in sola hominis mente collocare, hominemque conversum credere, cum mens ipsius plene persuasa est; proinde hominem verè conversum dici posse ante & citra ullum ipsius voluntatis actum: hunc enim sequi quidem necessario persuasam mentem fateris. at cum persuasio propriè solius mentis sit, in mente conversionem formaliter absolutam reddi dicas necesse est, saltem prius natura absolutam quam voluntatis ullus actus aut passio accesserit. Sed non urgebo te impræsentiarum hoc argumento; indicasse id hîc sufficit. In sequentibus hoc apparebit ipsa meridie clarius. sequamur jam te.

> *Persuasio*, inquis, *mihi id ipsum est quod Spiritui S. apud Oseam*, Cap. II. 14. *Genes.* IX. 27. *& in Epistola ad Hebr.* XI. 13. In inaugurali tua prælectione addidisti locum *Jerem.* XX. 7.

At hoc est obscurum per obscurum, si non per obscurius, declarare. Nam quis locorum horum proprius sensus sit de eo inter interpretes non convenit. An verbum *persuadendi* in istis (uno loco *ad Hebr.* excepto) usurpatum sit incertum est. Et, si omninò usurpatum hoc verbum sit, in quibusdam non significare idem quod converti, de quo tamen hic quæritur, certissimum est. denique si omnino significet converti, significare tamen persuasionem talem quam conversio necessario sequitur ex vi persuasionis intrinseca, iterum incertum est. Locum primum quod attinet *Genes.* IX. 27. יפת אלהים ליפת, *ut habites in tabernaculis Sem*; hic adeo diversimode exponitur, ut mirari satis non possim quomodo ex eo præsidium causæ tuæ petas, Camero. Nam verbum פתה quo Spiritus S. isthic usus est, non unam rem significat; quæ causa cur futurum יפת. Vetus interpres & cum eo Vatablus aut Pagninus exposuerint per verbum *dilatet*, hac adjecta commentatione, *propaget Deus genus ipsius Japheti, vel proles ipsius occupet amplissimas regiones.* At quid hic sensus habet commune cum persuasione, per quam conversio hominis peragi à te dicitur, & de qua hic inter nos agitur? Genevensis translatio habet: *que Dieu attire en douceur*; ad marginem autem, *elargisse*, quod cum vetere translatione convenit. Junius transfert, *alliciet que Deus Japhet.* Nostra Belgica habet verbum *uijtbreiden*, quod convenit cum Veteri, & Genevensi marginali annotatione. Castellio vertit *amplificet.* Nemo horum præter te transtulit, *persuadeat.* Doctissimus Drusius in commentariis posthumis ad locum hunc Geneseos, tres interpretationes annotat, quarum nulla habet *persuadeat*, ipse autem probat interpretationem verbi *dilatet*, sed subintelligi vult, *locum*, ut sensus sit ut *Psalmo* IV. 2. *in angustia dilatasti mihi*; sup. *locum*, id est, latum exitum mihi fecisti. quod *Psalm.* XVIII. 20, dixit *eduxisti me in latitudinem.* Ita *Geneseos* XXVI. 22. legi ait, *dilatavit Dominus nobis*, sup. locum habitandi. Ergo *dilatet* est latam regionem largiatur, quod eventus posthea comprobabit, sive sit prophetia, sive votum. Et addit, *Jonathan hîc nos juvat, vertendo dilatet vel dilatabit terminum Japheto.* Et sane quam parum simile vero est, Deum persuasione usum esse apud Japhet, ut in tentoriis Sem habitare vellet. Deinde loquitur de populo & posteritate ex Japhet oritura, quam Noach vovendo quasi prædicit participaturam benedictionem eandem cum Semi posteritate; eo quod iste populus ubi largam benedictionem super Semi populo effusam videbit, cum eo habitare volet, & non cum Cananæis super quibus maledictionem divinam videbit recumbere, quosque servili conditione, præ eximia Semitarum dominatione, esse conspiciet. Quare sive dicas *alliciet*, sive *alliciat*, *dilatet*, sive *persuadeat* Deus Jephet, sane aliud nihil dicis, quam, Benedictio illa divina, quæ erit super Semi familia, faciet ut Japhet cum ipso habitare velit, & sic in medio benedicti populi habitans, iisdem cum populo isto benedictionibus gravisurus sit. Persuasio itaque hæc ad summum non est, nisi suasio externa, quæ per beneficia & benedictiones fit. De conversione, de qua nos agimus, nedum de conversione salutari, quæ per persuasionem illam internam & immediatam fit, ne verbum quidem hîc reperire est.

*Locus Genes. IX. 27.*

Similiter se habet res cum loco *Jeremiæ* XX. 7. quem in inaugurali tua prælectione citas פיתיתני יהוה ואפת. Nullus interpretum exponit per verbum *persuasisti*. Vetus interpres cum Vatablo exponit *seduxisti me, & seductus sum*: Pagninus, *illexisti me*: Junius & Tremellius, *pellexisti me*: Genevenses *tu m'as attrait & j'ay esté attrait*: Castellio, *decepisti me Jova, deceptumque me tenes ac vincis.* Belgica nostra translatio sola habet verbum *overreden*, quod cum persuasione tua convenit. Sed & tu ipse pe[illegible]rentheſin addis, *vel pellexisti me.* Sed posito, quod verbum persuadendi hic usurpatum esset, quid faceret ad rem? Neque enim hic agitur de conversione Jeremiæ; imo si sequaris interpretationem Veterem, & Vatabli, & Castellionis, agitur de seductione Jeremiæ, quam per persuasionem Dei fieri tu ipse negas. Ita enim exponit Vatablus, *imposuisti mihi domine & seductus sum*, quasi dicat, cum munus prophetandi commisisti mihi, fucum mihi fecisse videris; pollicitus enim fuisti, te nunquam permissurum me libidini hostium meorum, quod tu fecisti. Verba sunt Jeremiæ deplorantis sortem suam post cruciatum corporis. Hæc humano spiritu dicuntur, non divino. Denique si de persuasione agi omnino velis, de persuasionis talis efficacia agi, ut fieri non potuerit, quin Jeremias faceret id quod fecit, quo vel levi indicio probares, Camero? Ex verbis certe non potes aliud quid, quam eventum colligere, qui ex persuasione divina exstitit; at modum persuasionis neutiquam. Neque vero verba, quæ deinde propheta subjungit ותוכל *fortior fuisti me*, vel, ut Pagninus habet, *confortasti me*, ומוכל *& prævaluisti*, vel *potuisti*, ut Pagninus vertit, istum sensum postulant, quem tu iis tribuis. *Vide* (ais) *vim persuasionis hujus: Vim* (inquit) *continuo attulisti mihi, & superior evasisti.* Nam nihil vetat, verba ista accipere de sola suasione morali, vel potius mandato divino, quo Jeremiæ, licet tergiversanti, jussit, additis magnis promissis, munus Prophetæ, alioquin invidiosum & odiosum, in se suscipere: ut sensus sit, non quod omnino detrectare illud Jeremias non potuisset; cur enim non potuisset idem facere, quod Jonas fecisse legitur? sed quod non fecerit illud, nisi authoritate & jussu divino compulsus, cui, aut refragari non audebat, aut non cupiebat. Et quis nescit, hunc loquendi modum familiarissimum esse, ut quis per vim compulsum se dicat, qui, cum alioqui haud lubenter aliquid faceret, facit tamen id consilio aut jussu superioris alicujus, aut amici sui, quem offendere non vult, aut in cujus gratiam aliquid facere vult; imprimis, si eventus consilio aut voto non respondeat. Ita servus, ita filius dicere solet, apud vos Gallos inprimis, *J'ay esté contraint de faire*; non quod significare velint vim persuadendi aut movendi talem fuisse, ut ei nullo modo refragari potuissent; sed tantum, quod non voluissent facere, quod fecerunt, nisi accessisset imperium aut consilium superioris. Deinde quid vetat accipere verba hæc cum Castellione, de ipso eventu; non autem de vi persuasionis? ut sensus

*Locus Jer. XX. 7.*

ſit, *Deceptum me jam tenes & vincis; jam enim in puteo hoc verſor, unde mihi exire non licet. En hic eſt deceptionis & perſuaſionis eventus; ut ſit vox hominis triſtitia & afflictione preſſi.* Si omnino de perſuaſione tali verba velis accipere, certe ad ſummum non agetur hoc loco de re alia, quam de Prophetico munere obeundo. In eo enim conſentiunt interpretes ferè omnes. Hoc autem ad rem, de qua hic inter nos agitur, non pertinet; ad eam enim rem perſuaſionem ejuſmodi internam, qualis ad converſionem & fidem requiritur, neceſſariam eſſe ne ipſe quidem, credo, dixeris.

*Locus Oſeæ II. 14.* Tertius locus eſt *Oſeæ* II. 14. לבן הנה אנכי מפתיה. At hunc etiam nullus interpres exponit per vocem *perſuadendi*, uti tu facis. Vatablus diſertè exponit per vocem ſeducendi. *Propterea ecce ego ſeducens eam;* quæ interpretatio ſi vera eſt, jam tua falſiſſima ſit neceſſe eſt. Seductio enim per internam immediatam perſuaſionem fieri, ne tu quidem falſiſſimum eſſe negaveris. Pagninus exponit, *ego pelliciam eam verbis*, cum hac nota, *lactaturus ſum eam*, id eſt, *ſuaſurus ſum illi*; & ad verba ſequentia, *loquar ſecundum ejus cor*, vel ad cor, vel in cor, hæc notat: Hebraiſmus eſt, pro, *illic alloquar eam blandis verbis, & plenis conſolatione, ut ſcilicet ad me revertatur, annuntiabo ei Euangelium meum.* Juxta hanc interpretationem, ſuaſio ſola moralis externa quam vocas, hiſce verbis indicaretur; non autem perſuaſio iſta, quam tu fingis. Et huic conſonat vetus interpres, qui exponit, *lactabo eam.* Similiter Caſtellio, ſenſum potius quam verba interpretans, *ego eam ſollicitabo, & in deſertum ductam comiter alloquar:* quod multis modis fieri poteſt. Quæ omnia ſatis arguunt, quam parum præſidii in hoc loco ſit pro tua cauſa. Et ſane ſi rem ipſam videas, palpari id pene poteſt. Agit enim hoc loco Propheta de eo quod facturus erat Deus toti populo in captivitatem abducto, & afflictione magna preſſo. At quid abſurdius quam te verba Prophetæ interpretari de perſuaſione iſta, qua Deum nunquam circa totum populum, ſed tantum circa electos paucos in populo verſari vis? deinde interpretari verba de perſuaſione, qua Deum ſemper circa electos iſtos ſuos eodem modo occupatum fuiſſe & occupari vis, tam ante captivitatem, quam in captivitate, & poſt captivitatem, in deſerto, & extra deſertum? Semper enim electos ſuos habet Deus, quibus perſuadet, ex ſententia tua. Certe ſi hîc agitur de facto iſto divino, quod ad totum populum pertinebat, uti diſerte agi apparet ex textu, tum non poteſt intelligi ejuſmodi perſuaſio, qualem tu imaginaris, quæ non ad populum totum, verum ad paucos tantum pertinere poteſt: Sed neceſſe eſt ut hîc intelligantur omnia illa beneficia, quæ Deus præſtare volebat populo ſuo, jam in anguſtiis afflictionum verſanti, ac proinde ad divina beneficia & auxilia quaſi anhelanti, per quæ futurum omnino videbatur, ut, veluti ſuavi ac blando quodam illicio, in amorem & obſequium Dei ſui revocaretur. Neque vero phraſis illa, *& loquar ad cor ejus*, amplius quid poſtulat. Non raro enim in Scripturis homo etiam homini ad cor loqui dicitur, qui tamen non perſuaſione hujuſmodi, ſed externa ſuaſione ſola utitur. Quanquam hîc *ad cor loqui*, mihi non tam videatur ſignificare comiter alloqui, quam benefacere, ſive facere quod ipſis gratum erat futurum, quodque toto corde deſiderabant. Benefacere enim Dei in Scripturis fere exprimitur per benedicere, & plerumque in Scripturis Deus facere, perficere dicitur id, ad quod perficiendum, externa facta ipſius non ordinata tantum ſunt, ſed ita comparata, ut cordi hominis quaſi conveniant, id eſt, quod videlicet cor hominis illa optat, deſiderat, & cupit: non quod eventus ſemper factis iſtis reſpondeat, aut ſi principio reſpondeat, quod non irerum deinde evaneſcat, ſed quod mirandum ſit, ſi eventus iis ſemper non reſpondeat. Sic dicit hic Deus, *Ego loquar ad cor ejus.* Modus enim ſtatim additur verſu ſequenti, *Et dabo ei vineas ſuas.* Senſus enim eſt, quia dabo ei vineas, &c. quaſi dicat: Hoc enim cor populi totius deſiderat, hoc à me expectat & ſperat, hoc optat, hoc cupit. Itaque hoc faciendo pelliciam eum, ut me Deum, Dominum ac benefactorem ſuum iterum ſit vocaturus, mihique ſeſe ultrò ac libenter in fidem atque obſequium quaſi perpetuum addicturus.

*Locus Hebr. XI. 13.* Locus *ad Hebr.* XI. 13. habet quidem verbum perſuaſionis πεισθέντες: ſed vox iſta eo in loco non ſignificat proprie converſos, de quo hic agitur; neque indicat à quo, aut quomodo perſuaſio illa facta ſit. Perſuaſio enim de qua Apoſtolus loquitur, non eſt alia, quam ea, qua ipſi perſuaſi erant, ſe eſſe hoſpites in terra: At iſta perſuaſio, vel te ipſo judice, non eſt iſta, de qua hîc nos agimus converſio actualis. Nam ejuſmodi perſuaſio per ſolum verbum divinum externum, vel per experientiam continuam in ipſis effecta eſſe poterat. Imo verò perſuaſi de eo fuiſſe dici poſſunt, quia id ſibi ipſis jam perſuaſerant, quia id jam tanquam certum in animum ſuum induxerant, quia id jam credere volebant, & credebant firmiter, ſeponentes omnia alia argumenta, quæ ad contrarium ſuadendum adhiberi ſolent. Breviter, perſuaſio hæc ad ſummum aliud nihil ſignificat, quam eventum, non autem modum, ex quo eventus ille fluxit. At de eo hîc tantum agimus, uti in principio monui, & ex tota hac diſputatione mea liquet. Sed eſto, dabo tibi etiam hoc, Camero, *perſuaderi* nihil aliud eſſe, quam converti. At manet nihilominus argumenti mei vis, quippe quod eo ſolum fundamento nititur, quod tu perſuaſionem hanc, motum ethicum ſive moralem voces.

*Quid ſit motus Ethicus, moralis.* *Sed* (inquis) *jam audi, cur eam dixerim motum veluti moralem. Quia nempe voluntatem movet, mente prius mota atque impulſa. Non quod à moribus proficiſcatur, ſed quod reddat bene moratos*, &c. ſive, ut poſtea loqueris, *ratione termini, ratione ſeu ſuaſus modi, ratione ſubjecti.* Atqui, inquam ego, jam vocabula non ex communi uſu, ſed ex tuo ingenio accipis; quod in diſputatione, ubi vocabula ſupponuntur ex uſu tanquam prægnita, fieri non debet. Moralis enim motus, moralis gratia, moralis ſuaſio, in communi uſu, apud omnes Scholaſticos, in omnibus diſputationibus, non ſignificat id tantum, quod voluntatem movet mente prius mota atque impulſa. Fieri enim poſſe creditur, ut aliquid voluntatem moveat mente prius mota atque impulſa, quod tamen non moraliter, ſed phyſice moveat. Neque ad rem facit, an moralis ſuaſio reddat homines bene moratos, an non; cum moralis aliqua ſuaſio eſſe poſſit, quæ non minus, imo ſæpius, reddat homines male, quam bene moratos: idque an bene an male moratus quis reddatur, plane per accidens ſe habeat, ad moralem ſuaſionem, de qua nos hic agimus. Uti enim Deus morali ſuaſione utitur ad bonum, ita Diabolus ea utitur ad malum; & homines ad utrumque, tum bonum tum malum. Certe moralis ſuaſio, quatenus ea à phyſica contradiſtinguitur, apud omnes autores, quod ſciam, aliud nihil ſignificare ſolet, quam motionem, quæ non phyſicam vim & pondus in ſe habet, ad determinandum ita voluntatem, ut non niſi in unam partem moveri poſſit; ſed quæ vim habet movendi voluntatem, uti argumenta & rationes more communi movere ſolent, ſive motio iſta tendat ad hoc, ut voluntas moveatur ad bene ſive ad male agendum, ſive ad hoc aut illud agendum, quod nec virtutis nec vitii rationem habet, ſive ad omnino non agendum; hoc enim totum per accidens eſt. Moralis igitur ſuaſio communiter, directe contrarium ſignificare ſolet ei, quod tibi ſignificat. Tibi enim moralis ſuaſio non tantum phyſica aliquando eſt, ſed nihil aliud quam phyſica eſt, neque aliud quid eſſe poteſt, prout quidem phyſica motio in hac diſputatione accipi ſolet. Verum eſto, demus etiam hoc tibi: manet adhuc tamen vis argumenti mei. Moralis enim hic motus aut eſt moralis reſpectu mentis & voluntatis ſimul, aut reſpectu voluntatis tantum; utrum dixeris, ulcus tetigeris. Prius quod attinet, de eo quid dicas neſcio. Ælia Lælia Criſpis, nec vir, nec mulier, nec androgyna, nec puella. *Nunquam vocavi motum illum moralem reſpectu mentis* (inquis.) Et tamen, 1. motum hunc primum & immediate ſuſcipi vis à mente: perſuaſio enim eſt, quæ non ſolum immediate in mente recipitur, ſed quæ alibi, quam in mente, ſi proprie loqui velis, locum habere non poteſt. 2. *Si cum ethicum etiam reſpectu mentis vocaſſem* (inquis pag. 98.) *non eſſet quod me valde pœniteret ejus nomenclaturæ.* & tamen 59 pag. dixeras, *nec vocavi Regenerationem motum ethicum, neque ſane id à me factum vellem.* Et 3. nihilominus etiam eum ne phyſicum quidem motum eſſe vis: nempe ne eum brutalem facias. Quem igitur? ineffabilem? nempe hoc antrum illud eſt, in quo tuto latere te poſſe credis. Sed erras, Camero; toto capite & corpore exſtas, ut videri poſſis. Dic enim, ſi placet, an non perſuaſionem fieri vis per rationes? Ita certe verba tua ſunt pag. 96. *Nam perſuaſionem fieri volo per rationes.* nec poteſt aliter, quia perſuaſio tibi etiam ſuaſio eſt, imo ἀποδεικτικὴ ſive demonſtrativa ſuaſio. Rationes itaque illas non recipit tantum mens, ut materia formam, ſed ut potentia intellectiva. Intellexit itaque illas, & quidem ut rationes; nam alioquin rationes illæ nihil aliud forent, quam raptus & afflatus enthyſiaſticus, qualis eſt lymphatorum, & hominum qui mentis ſuæ non ſunt compotes; ſicque mens non perciperet rationes ſub formali rationum conceptu, ſed ut objecta phyſice moventia. Quod ſi eas mens intelligit percipitque, & quidem ut rationes ſuadentes, adeoque perſuadentes, quomodo, quæſo, ineffabilis eſt motus ille moralis? Quæ enim intelliguntur rationes, eas effari non tantum non eſt impoſſibile, ſed admodum facile. Cum res animum occupavere, verba ambiunt, & ipſæ res verba rapiunt. Ut hîc dicas, te non appellare motum hunc ineffabilem, quatenus per rationes fit, id ineptum foret. Nam quatenus perſuaſio

ſuaſio eſt, eatenus eſt ſuaſio; at ſuaſio non eſt niſi per rationes fiat. Quare ſi dicas, perſuaſionem ſpecialem adhuc aliquem modum involvere, neceſſe eſt ut dicas, modum iſtum perſuaſionem non eſſe; aut ſi eum perſuaſionem eſſe dicas, neceſſe eſt ut fateàris eum per rationes fieri, & ſic in infinitum abeas, uti poſtea pluribus demonſtrabo.

Sed eſto: voces motum hunc moralem, & reſpectu mentis phyſicum, non phyſicum; ethicum, non ethicum, ineffabilem, effabilem, prout volueris: dumtaxat reſpectu voluntatis ethicum illum vocari vis. Hîc itaque jam tandem conſiſtamus: hic enim jam vis argumenti mei clarius eluceſcet. Perſuaſio etenim hæc tua, ſi eſt motus moralis reſpectu voluntatis, jam certè etiam eſt ſuaſio reſpectu voluntatis: At ſuaſio fit per rationes: Ergo voluntas jam movetur tibi per rationes. Inde ego ſic colligo: Si movetur voluntas per rationes, aut percipit eas, aut non percipit eas. Si percipit eas, jam voluntas eſt intellectus, te ipſo judice: Si non percipit eas, jam motus hic non eſt perſuaſio neque motus moralis, ſed purè putè phyſicus, aut faltem majore jure, quam prior iſte motus ineffabilis. Quomodo enim voluntas ſuaderi poſſit per rationes, non percipiens neque intelligens rationes, id profectò, uti eſt ἀκατάληπτον, ita etiam eſt ἄρρητον.

*Dicere regenerationem fieri per rationes ſuaſivas tantum, eſt Pelagio favere.*

Sed demus etiam tibi, Camero, voluntatem rationes ſuaſivas percipere, nihilominus ex hac tua ſententia ſequetur, rationes illas ad movendum voluntatem non aliter concurrere quam objectivè, id eſt, non habere aliam vim quam ſuaſivam. Perſuaſio enim quà perſuaſio eſt, ſuaſio ſit neceſſe eſt, neque à ſuaſione quicquam diſtinctum dicit præter eventum aut effectum. Quare dicere per perſuaſionem fieri regenerationem, re ipſa non eſt amplius quid dicere, quam quod Pelagius ad regenerationem neceſſarium eſſe dixit. Re ipſa, inquam, & ſecundum rei ipſius naturam. Hic enim eſt ſcopus Epiſtolæ.

Ut hoc argumentum elidas, operosè admodum diſtinguis; Primum inter ſuaſionem & perſuaſionem humanam, & inter ſuaſionem & perſuaſionem divinam: inde inter ſuaſionem divinam internam, & perſuaſionem divinam. Ego has diſtinctiones non examinabo, non quod eas probem, nullo enim fundamento nituntur, & apertè falſæ ſunt nonnullæ. Satis mihi eſt, ſi oſtendam, per eas vim argumenti mei nullatenus infringi. Id etiamſi in Epiſtola ipſa abunde factum ſit, tamen clarius paulum occaſione exceptionum tuarum nunc demonſtrabo. Poſito itaque, quod hæ tuæ diſtinctiones veræ ſint & admittendæ, hæc nihilominus manet theſis tua, perſuaſionem eſſe ſuaſionem, quæ non ſit niſi per rationes. *Sed addo*, inquis, *non fieri tam per rationes, utcunque propoſitas; hoc à mente meâ abeſt quam longiſſime; ſed per rationes tam accommodatè propoſitas, tamque, ut ita dicam, ex parte ipſius perſuaſionis efficaciter, ut non poſſit non ſequi aſſenſus in mente, obſequium in voluntate.* Eſto; manet nihilominus id certum, quod perſuaſio fiat per rationes, ſive enim illæ rationes proponantur accommodatè, ſive non accommodatè, iis tamen ſolis, qua talibus, effectus perſuaſionis tribuendus eſt. Alioquin ſic argumentor contra te: Illud accommodatè proponere, ſive efficaciter ex parte ipſius perſuaſionis proponere, aut eſt proponere novas & alias eaſque efficaciores rationes, aut eſt eaſdem rationes alio quodam modo proponere, qui modus non contineat in ſe novas rationes, ſed ſpecialem quandam vim motricem, diſtinctam ab iſtis rationibus. Si prius intelligas, jam in infinitum abeas neceſſe eſt. Si enim accommodatè proponere, eſt novas rationes proponere, tum rationes illæ ut efficaces ſint, iterum indigebunt accommodata propoſitione, & ſic novis iterum rationibus, atque ita in infinitum procedetur. Si non poſterius intelligas, jam certe hæc propoſitio, vel hic modus proponendi, non eſt ſuaſio, nedum perſuaſio, ex propria tua confeſſione, qui perſuaſionem omnem, ſive humanam, ſive divinam, non vis fieri niſi per rationes, imo divinam perſuaſionem à ſuaſione non vis differre, niſi gradu ſolo. Deinde ſic ratio non erit efficiens cauſa perſuaſionis, ſed modus ille proponendi. Perſuaſio itaque non erit per rationes, ſed de rationibus, & rationes non concurrent ad perſuadendum in genere cauſæ efficientis, ſed in genere objecti, quod perſuadetur. Et ut illud, quod volo, concludam, perſuaſio non erit, ne quidem reſpectu voluntatis, actio moralis, ſed purè putè phyſica, vel metaphyſica, vel, ſi ita tibi lubet, media actio, quæ tam ineptè dicitur ſuaſio, aut perſuaſio, quam potio rhabarbari ægro porrecta ad purgandum bilem, ſuaſio dici poteſt purgans bilem; aut creatio è nihilo, & exſuſcitatio ex mortuis, ſuaſio aut perſuaſio è morte excitans, dici meretur. Nec refert, quomodo tu hanc Dei accommodatam, ut vocas, actionem, (congruam enim, nixam ſcientiæ divinæ infinitate non vocas, quod tanquam confeſſum & certum tibi ſuppono:) exprimas; ſive eam appelles *lucis affuſionem*, ſive *perſuaſionem ex parte perſuaſionis efficacem*, ſive *ſuaſionem cum luce Spiritus ſancti conjunctam*, ſive aliis vocibus. Res enim ſemper eodem redit: manetque ſemper hæc ſive ſuaſionis, ſive perſuaſionis eſſentia ſpecifica, quod actio ſive motio ſit, quæ per rationes fit. Rationes ergo concurrent ad effectum, ſive ſpeciem ſuaſionis, ut cauſæ efficientes. Lux itaque illa, quæ rationibus iſtis affundetur, erit aut nova ratio, quæ antea non apparebat, aut aliud quid, quam ratio. Si iſtud dicas, eadem manet difficultas; ſi hoc, jam id quod ſuadebit, & perſuadebit, non erit ratio, ſed aliud quid, quod rationi infuſum aut affuſum eſt, & ſic perſuaſio non erit perſuaſio. Et quid erit tum, quæſo, lux illa rationibus affuſa? *Id non poteſt plenè ſciri*, inquis, *quamvis effectus ſentiatur.* Nec mirum: nullo enim modo ſciri poteſt, nihil enim eſt, & merum πείσμα Platonicum, quod gratis confingitur. Neceſſe eſt itaque, ut actionem hanc, aut phyſicam eſſe dicas actionem, quod tamen impoſſibile tibi eſſe ais, quia animo concipi poſſe negas, quomodo voluntas, quæ principium ethicum eſt, aliter quam ethicè moveri poſſit; aut ſi intelligibiliter aut conſequenter loqui velis, idem & nihil amplius dicas quam Pelagius dixit: ὅσσον ὦδε δείξας.

*Non eſſe hic litem de vocibus.*

Ex hiſce patet, non eſſe inter nos litem de vocibus, quæ ſemper viris bonis exoſiſſima eſſe debet, ſed de rebus, imo de præcipuo rei totius capite, in quo cardo quæſtionis vertitur. Si enim tota Dei actio, quâ Deus mentem & voluntatem hominis regenerat, nihil aliud eſt, niſi actio phyſica, periit profectò omnis ſuaſio & perſuaſio. Si vero Dei regenerantis actio, ſuaſionis & perſuaſionis elogiis digna eſt, jam phyſicæ actioni epicedium ſcribatur oportet. Hæc duo conciliare velle, eſt ἀσύγκλωστα συνάπτειν, & aquam cum igne conciliare velle. Neque verò de his vocabulis ego unquam tecum lunem contentionis traxiſſem, niſi tu ipſe occaſionem mihi aliiſque dediſſes, diſtinctione iſta tua ſollicita, inter phyſicum & ethicum motum, quâ videri voluiſti invidiam omnem, qua hactenus ſententia tua gravata fuit, in nos devolvere, & errorem tuum honeſta palla veritati detracta amicire. Certè ſi tu adeo abhorruiſſes à logomachiis, & verborum pugnis, uti me ab iſtis abhorrere vis, in hanc arenam te non præcipitaſſes. Cum enim rem eandem tenentes cum cæteris, cur ab iis ſeorſim vocabuli unius uſque adeo periculoſi & exoſi captatione, tanquam ſi folium aliquod Sibyllæ ſolus reperiſſes, abire voluiſti? Cur dediſti occaſionem nobis aliiſque ſuſpicandi, ipſiſque adeo Symmyſtis tuis in Dordracena Synodo congregatis, te aliud nihil quam ſuaſionem moralem requirere ad hominis regenerationem? Si ab hiſce vocabulis in totum abſtinuiſſes, & ne ipſa ſola contentus fuiſſes, nec illos offendiſſet novum iſtud tuum ὕφαμμα, neque ego ex hoc capite tibi litem moviſſem. Neque tu ipſe in hanc neceſſitatem te ipſum conjeciſſes, purgandi te à ſuſpicionibus, & redeundi ad vomitum tuum. Nunc ſane, ſi quod tute tibi ipſi intriviſti, tibi iterum exedendum eſt, cur me poſtulas injuriarum, tanquam ſi ego non niſi grammaticam litem tibi moviſſem, aut novam, inſolentem & barbaram voculam in te calumniatus eſſem? Non ſum is, mi Camero, ut de voculis cum quoquam ſerram contentionis reciprocare velim. Loquaris nove, loquaris inſolenter, loquaris barbarè per me licet. Nunquam ego hoc nomine dicam tibi ſcribam, dummodo, uti par eſt, ſignificanter, dummodo intelligibiliter, dummodo conſequenter loquaris. Latinitatis laudem in diſputatione non ambio, nec deſidero vehementer. Iſtam laudem, quia tu ubique affectas ſatis ſcrupulosè, me volente ac lubente tibi ſoli habe: non equidem invideo, miror magis. Sed nec ego dixi, nec ſcripſi uſpiam, barbarè te locutum, cum perſuaſionis voce uſus es in hoc argumento: qui id potuiſſem, Camero? tantum ineptè te locutum eſſe dixi, cum actionem illam phyſicam, qua Deum mentes noſtras illuminare & voluntatem noſtram trahere vis, perſuaſionem, quæ non niſi moralis actio ſit, indigitaſti. Id enim nec cum eo, quod ſentis, cohæret, aut ſi cum eo cohæreat, intelligi non poteſt quid ſit aliud, quam deliramentum ſphinge prodigioſius, ut verbis tuis utar. Scripturam voce perſuaſionis uti non raro in hoc argumento nemo neſcit, πίστιν ἐκ τῆς ἀκοῆς dici, etiam pueri norunt. At Scripturam affirmare ejuſmodi actionem, qualem tu fingis, ad noſtri regenerationem à Deo adhiberi, eamque actionem vocare perſuaſionem, aut actionem moralem, id demum eſt quod aſſerendum & demonſtrandum tibi fuerat. Hoc quamdiu non oſtendis, tam diu non quidem barbara, ſed inepta, ſed ἀκαταλήπτως te dicere aſſero. Tantum enim abeſt, ut ſic loquendo cum Spiritu ſancto loquaris, aut Theologicè vel Chriſtianè ſentias; ut contra idcirco, quia Spiritus ſanctus paſſim ferè per perſuaſionem

nos regenerari dicit, & per persuasionem quidem, quæ per verbum prædicatum, & per homines verbum illud prædicantes fit, idcirco, inquam, nec Christianè sentias, nec cum Spiritu sancto loquaris, quando regenerationem per actionem physicam fieri vis, quæ nec persuasio esse potest, nec nisi ineptissimè persuasio vocari potest, nedum persuasio quæ per verbum, aut per homines verbum prædicantes fiat. Neque verò satis tibi videri debet ad hoc, ut cum Spiritu sancto credaris loqui, si verbo aut vocula eadem utaris quâ Spiritus sanctus utitur, sublata interim tota verbi aut vocis proprietate, atque nescio quam alienam & imperceptibilem significationem, quin & prorsus à mente Spiritus sancti diversam affingendo. Hac lege Scriptura foret regula Lesbia, & hæresis omnis tuta ac secura, si quis ei tantum nomenclaturam aliquam Spiritus sancti posset prætexere.

*Id quod sentitur non persuaderi.*

Sed adeo placet tibi hoc commentum tuum, ut subjungas: *Licet tueri dictum propriè, & libet, quod illuminationem hanc persuasionem dixi.* Age Camero, si libet, videamus quomodo id tu facias. Rationem meam, qua usus ego fueram, impugnas: *Negas persuaderi*, inquis, *quod sentitur*: Ita est: Quid clarius? *Ergone*, inquis, *etiam articulos fidei negabis persuaderi, quorum scilicet veritas sentitur?* Quasi vero qui generalem propositionem negat, particulares omnes sub ea comprehensas necesse non habeat negare? Certè si quod sentitur non persuadetur, nec articuli fidei, si eorum veritas sentiatur, persuaderi possunt. Negato enim genere, negantur omnes species.

*Locus Philipp. I. 9.*

At Scripturam pro te allegas ex *Philipp. I. 9. Precor*, inquit Apostolus, *ut charitas vestra magis redundet in cognitione & in omni sensu.* Et quæris; *Non vis Philippensibus potuisse ea persuaderi, quæ Apostolus ab iis cognosci & sentiri voluit?*

At quis credat, mi Camero, ex hoc loco te extorquere posse quod vis? Ut enim jam non inquiram de eo, 1. an hic locus agat de articulis fidei, 2. an agat de persuasione illa interna Dei, qua peccatoris mens primum illustratur, de qua tamen hoc loco quæritur; pone, quod nolim, Philippensibus persuaderi potuisse ea quæ ab iis cognosci & sentiri Apostolus voluit, vel ut convenientius textui loquar, quæ orat Apostolus ut ab iis cognoscantur & sentiantur, an ex verbis textus haberes vel minimum indicium unde contrarium colligitur? Nec enim persuasionis ulla fit mentio in textu, de qua tamen præcipuè quæritur: cognitionis tantum & sensus fit mentio. At cognitio aliqua esse potest sine persuasione, te ipso teste: *quod enim ante omnem institutionem mentis præceptum habemus, id fateor*, inquis, *non nisi impropriè dici potest persuaderi, & cogitatio quæ in Adamo & in Jesu Christo in terris versante fuit, persuasio non nisi ἀνάγκης dici potest*, uti loqueris pag. 105. Sensus vero cum persuasione simpliciter consistere non potest, uti ratio mea adsumit. Contrarium ergo non minus ex verbis textus colligere possis. Et causæ non leves sunt, cur contrarium potius ex iis colligi debeat. 1. quod Philippensibus jam ante persuasis, & propter persuasionem præcedentem vera caritate præditis loquatur Apostolus. 2. quod Apostolus oret & precetur, ut caritas ista redundet magis magisque *in*, id est, cum cognitione & omni sensu. Quomodo autem orare dicatur Apostolus, ut caritas, non dico augeatur, sed redundet cum cognitione & omni sensu in iis, in quibus caritas ex plena cognitione, aut illuminatione per summi boni claram repræsentationem producta jam ante à te supponitur. Sed non est necesse ut id ponam, & te hoc modo constringam. Do tibi Camero Philippensibus potuisse ea persuaderi quæ Apostolus precatur ut intelligant & sentiant. Quid inde? An quod ad vocem cognitionis sive ἐπιγνώσεως attinet, per eam intelligi dices ejusmodi cognitionis speciem qualem tu tibi imaginaris. At hoc foret petere τὸ ἐν ἀρχῇ. An ex voce αἰσθήσεως, quæ voci præcedenti est conjuncta, illud efficies? At cum ea vox proprie sumi non possit; quia, ut recte annotat Beza ad hunc locum, ea de quibus agit Apostolus, non sunt αἰσθητὰ sed νοητὰ: tu autem de corporis sensibus, in quibus proprie αἴσθησις est, quæstionem hìc esse neges, utique nihil solidi ex ista voce pro caussa tua potes efficere. Si enim per eam intelligi dicas cognitionem sive perceptionem mentalem, uti Beza & Piscator intelligi volunt, jam non minus quam ante principium petis. Necesse erit ut probes ejusmodi perceptionis speciem hic ab Apostolo intelligi, qua Deum uti vis in nostri regeneratione. Nec enim quæritur inter nos, an id quod persuadetur homini, non percipiatur ab homine, & sic quodammodo etiam non sentiatur ab homine: (quis enim de eo dubitet?) sed an id quod hominis menti aut intellectui physica & interna Dei actione imprimitur, aut adeò clare videndum vel cognoscendum ei repræsentatur, ut mens non possit ei ullo modo refragari, & voluntas deinde illud non possit non amare; an id, inquam, rectè persuaderi homini dici possit? Hoc tibi ex textu evincendum fuerat, Camero, non illud. Sed tantum abest ut tu illud ex textu evincas, ut ne quidem argumenteris ex contextu, & cribro pæne divinandum sit quid tibi cum textu isto velis. Sed vide jam insuper quam parum tuo scopo serviat. Primò enim incertum est, utrum phrasis *ἡ ἀγάπη ὑμῶν, caritas vestra*, exponenda sit de caritate qua Philippenses diligebant Deum aut Paulum; an de caritate quâ Paulus diligebat Philippenses. Si hanc caritatem intelligi dicamus, uti antecedentia fere postulare videntur, jam vides quam sit aliena tota tua, quam ex his verbis petere videris, ratiocinatio. Deinde, posito quod de illa, id est, de priore charitate hìc agatur, uti omnes interpretes velle video, aliud tamen nihil in summa hæc Pauli precatio continebit, quam quod Deum assiduò oret ut Philippensium jam credentium, ac pro nomine Filii sui multa tolerantium, animos illustrare velit pleniore ac profundiore cognitione rerum istarum, quæ veræ & energeticæ causæ sunt pietatis ac caritatis; tanquam si legeretur: Precor autem hoc unum pro vobis, Philippenses, ut ea quæ jam in vobis est charitas sive dilectio Dei, noviter per Euangelium Jesu Christi excitata, novis majoribusque semper auxiliis à Deo foveatur, roboretur ac stabiliatur, ut non leves sed solidas Deum diligendi causas semper habeatis, sive ut non affectu aliquo levi abrepti, ut in principio fere fieri solet, recte faciatis, atque ita caritas & pietas vestra sine solido & vero affectu, sine zelo & quasi sine sensu sit; sed ut etiam atque etiam causas veræ pietatis ac caritatis efficientes semper ob oculos habeatis, jugiter ruminetis & perpendatis; atque ita pietas vestra non ex inani aut vano quodam impetu profecta, sed ex solida aut viva cognitione causarum istarum orta, & cum sincero fervidoque affectu & sensibili quasi zelo conjuncta, fontis instar vivi exuberet ad Dei gloriam. Ex consequentibus apertè satis colligitur hunc textus hujus sensum esse, aut saltem nihil repugnare, quin sensus hic textui huic optime tribui possit. Unde consequenter efficitur, ex hoc loco nihil solidi colligi posse contra id, quod à me in Epistola pro ratione allegatum est.

Confirmari non parum mihi videtur hæc ratio mea per id quod per præoccupationem quasi subjicis. *Certe*, inquis, *quod ante omnem institutionem & adhortationem mente præceptum habemus*, id *fateor non nisi impropriè* (rectius dixisses non nisi ridicule & stulte) *dici posse persuaderi.*

Adsumo, Camero, summum bonum appetendum & amandum esse, id ante omnem institutionem & adhortationem mente præceptum habemus: Ergo quando id, quod summum bonum est, homini clare videndum proponitur, persuaderi homini non nisi ridicule dici potest, ut summum illud bonum amet aut appetat. Nec institutione, nec hortatione, nec suasione, nec persuasione, nec ratiocinatione, nec consilio opus est ut adducatur ad id appetendum: fertur in illud homo simul atque proponitur, sive suadeatur, sive dissuadeatur. Et sane cum persuasio omnis fit suasio; suasio autem non fiat nisi per rationes; quæ ratio dari potest quæ suadeat homini ut bonum summum clarè propositum appetat? Sed de hac re postea. Adde deinde, si id quod ante omnem institutionem mente præceptum habemus, persuaderi dici non potest, nisi impropriè, id est nisi valde absurde, quomodo persuasio proprie vocabitur actio ejusmodi, quæ sensum summi boni menti imprimit, prævia quidem institutione, sed quæ ipsa tamen institutio, ad ingenerandum persuasionem nihil prorsus facit? Quid enim quæso refert ad hoc, ut aliquid jure possit dici persuaderi, quod institutio aliqua aut adhortatio persuasionem præcedat aut non præcedat, si ipsa persuasio non fit per istam institutionem aut adhortationem, sed per talem aliquam peculiarem internam & physicam Dei actionem, quæ cum institutione aut hortatione commune nihil habet? Certe id quod naturam & proprietatem persuasionis universam tollit, est modus ipse agendi in mente; si videlicet is talis sit, ut cum suasione & persuasione commune habere nihil possit natura sua. Sive enim præcedat institutio, sive non præcedat; sive id quod per istum modum fit in mente præceptum habeatur, sive non habeatur; id enim omne persuasioni extrinsecum est, & ad eam efficiendam non plus momenti adfert, quam lux solis, aut varii colores, candelæ & conspicilla adferunt ad efficiendum ut cæcus homo videat.

Verum tu diversissimam hìc rationem esse vis. Ais enim: *Audi nempe Apostolum, 2 Cor. IV. 2. Abdicavimus, inquit, turpitudinis tegumenta, non incedentes cum calliditate, neque falsantes sermonem Dei, sed manifestatione veritatis nos commendantes omni conscientiæ. En tibi persuasionem*, inquis. *Locus 2 Corinth. IV. 2.*

Atqui Camero, ne persuasionem quidem hìc ego video illam de qua inter nos quæritur: neque quomodo tu eam aut ipse videas, aut mihi monstrare possis, capio. Persuasio

enim

enim illa, quam tu ita vocas, à Paulo fieri non poterat. Totum enim quod à Paulo fiebat, juxta te nihil nisi externa suasio esse poterat, aut si etiam divina illa physica persuasio ad Pauli suasionem accedebat, id scire non poterat Apostolus sine speciali revelatione. Sed neque scopus Apostoli est isto in loco indicare se conscientiis Corinthiorum veritatem actu persuasisse: alioquin omnibus conscientiis eorum, ad quos scribit, persuasisse dicendum foret: contrarium verò satis clarè apparet ex prolepsi quæ versu sequenti statim additur, cum ait: *Quod si tectum est Euangelium nostrum, in iis qui pereunt tectum est*: Sed tantum id agit Apostolus, ut ostendat se nihil aliud propositum sibi habuisse in toto prædicationis suæ negotio, quam ut nudam & simplicem veritatem fucis & lenociniis omnibus orationis exutam, auditoribus suis proponeret, atque ita eorum non aures neque affectus tantum grata aliqua oratione demulceret & falleret, sed conscientias eorum convinceret, & in fidei obsequium adduceret. Quasi diceret; hac una re commendatos nos reddere studuimus, quantum in nobis fuit, omnibus auditoribus nostris, semper & ubique locorum, sive ii persuasi fuerint per nos, sive non fuerint persuasi, quod candidè atque aperte iis veritatem ob oculos posuimus, &, si quorundam conscientiæ persuasæ per nos fuerunt, & Christo Domino nostro subjectæ, eæ nobis hanc unam laudem debent, quod solius veritatis nuda propositione, nulla vero alia re apud ipsas usi sumus. Non vult itaque dicere Apostolus, se actu persuasisse veritatem conscientiis omnibus; sed tantum se, si quibus veritas per ipsius ministerium persuasa fuit, id sola aperta & ingenua veritatis manifestatione ut fieret operam dedisse. Sed esto, demus etiam tibi persuasionem hic factam indicari ab Apostolo, nihil tamen hoc etiam te juvare potest: tantummodo indicare volui quam negligenter Scripturam cites.

Locus 2 Corinth. III. 18.

*Vide autem*, addis, *ut quod persuasit, id ipsum potuerit sentiri*, 2 Cor. III. 18. *Nos autem omnes retecta, inquit, facie gloriam Domini, ut in speculo intuentes in eandem imaginem transformamur ex gloria in gloriam, tanquam à Domini spiritu.*

Atqui Camero, nec persuasionem hîc video, nec quomodo, id quod persuadetur sentiri, ex hisce verbis extundere possis, intelligo. Utinam Scripturam ita allegasses, ut conjectura opus non esset quid tibi velis! Ignosce mihi ut hoc dicam tibi: ut canis in Ægypto sitiens fugit, & bibit, ita tu pæne fugiens Scripturæ versum aliquem arripis & fugis. Utrum enim hîc ea phrasi *Intuendi retecta facie*, persuasionem; ex phrasi *transformari de gloria in gloriam*, sensum colligas, an aliunde, incertum est. At nec de persuasione, nec de sensu illo, de quo inter nos agitur, vel γεν ullum in textu est: tantum enim præstantiam Euangelii supra legem Mosis hisce verbis indicat Apostolus, uti in sequentibus, in examine prolixiori loci hujus, cum bono Deo ostendemus. Atqui Euangelio, juxta te, non convenit vis persuadendi illa de qua nos agimus, sed sola tantum suadendi vis externa, quam specie à divina interna tum suasione, tum persuasione, differre vis: itaque nec per illud sensus iste, de quo agimus, effici potest. Apostolum autem tantum hoc in loco ostendere præstantiam Euangelii supra legem, ex scopo Capitis, & terminis ipsis quibus Apostolus utitur, satis apparet; quod & interpretum pæne omnium consensus confirmat. Dicit enim Judæos idcirco non observare, quam gloriosa doctrina sit doctrina Euangelii, quod in gloria illa, quæ in facie Mosis reluxit cum Legem de monte adferret, contemplanda, adeo sint intenti, ut credere nolint gloriam ullam majorem dari posse, aut ut omnem eam, quæ in Euangelio est, gloriam, præ illa despectui habeant: adeo ut gloria illa Legis, velaminis instar cordibus ipsorum incumbat, quominus Euangelii excellentissimam perfectionem intueri aut possint aut velint. Nos autem, inquit, Christiani, qui jam credimus, & faciem mentis retectam habemus, id est, liberam à velamine illo legali, utpote scientes gloriam illam, quæ in facie Mosis cum legem adferret de monte relucebat, non fuisse nisi externam in facie sola apparentem & temporariam quandam gloriam, quæ abolenda aliquando erat; nos, inquam, quanto propius penitiusque perfectionem gloriosam Euangelii Jesu Christi intuemur, id est in eo, ut in speculo, gloriosas Dei proprietates voluntatemque ipsius, qua æternam gloriam nobis conferre vult, revelatam consideramus, tanto clarius illustramur; adeo ut gloriæ istius æternæ spem concipientes, similibus pæne proprietatibus, bonitate puta, misericordia, sanctitate, aliisque ejus generis gloriosis perfectionibus divinis imbuamur; secus quam Judæis olim accidebat, quorum oculis caligo suffundebatur, quando eos acrius paulo intendebant in gloriosam illam lucem, qua Deus faciem Mosis perfuderat, cum legem iis de monte allatum veniebat. Ex quibus patet non agi hoc loco de persuasione, qua fit ut aliquis intelligat & videat summum bonum, & sic credat; sed de actione tali quam ii, qui jam persuasi erant de summo bono, & jam credebant Euangelio, exercebant, & quidem circa ipsum Euangelium, considerando videlicet & attendendo diligenter, quales & quam gloriosæ proprietates in eo patefactæ sint, quam gloriosa Dei voluntas, de æterna gloria fidelibus communicanda, in eo revelata sit, & quam longe illa gloria excedat Mosaicæ legis gloriam, id est promissa & præcepta legalia, quæ videlicet in lege Mosis expressa, & partis tantum alicujus corporis Mosis illustratione & radiatione adumbrata fuerant. Itaque nec de sensu illo agit Apostolus, in quo passivam persuasionem tu collocas Camero. Quare contrarium potius colligitur ex textu, quia totum hoc appellat Apostolus κατοπτίζεσθαι, *in speculo intueri*: in speculo autem intueri, non est clare videre aut sentire internè, ex peculiari quadam actione divina, summi boni gloriam quæ in Euangelio revelatur; sed contra ex fide, quæ jam ante in animo nostro effecta est, speculari & considerare Euangelii arcana, scrutari ejus sensa, & quicquid in eo de divina & voluntate & bonitate continetur assidue rimari ac penetrare; oppositè ad Judæos, qui in gloriosam Mosis legislatoris faciem diu oculos intendere non poterant, sed deflectere eos potius ab ea opus habebant, ὅτι μὴ δυναμένους ἀτενίσαι εἰς τὸ τέλος τοῦ Μωσέως, ἀλλὰ τῶν δέξαι τὸ ἀγγοῦντα αὐτὸ τὸν καταργούμενον, uti legere est *vers.* 7; & ex historia ipsa patet. Hoc autem totum considerare, scrutari, examinare, frustra foret, si clara ejusmodi cognitio summi boni, aut sensatio talis, qualem tu vis, menti nostræ imprimeretur, cum ad fidem adducimur.

Pergo; Connectis cum hoc versu immediatè verba illa quæ leguntur ejusdem Epistolæ *Cap.* V. 20. sed quo jure, quo consilio, quo fine, aut quo modo ad causam tuam, non video: adeo aut ego hebes sum ingenio, aut tu obscurus in argumentando. Quid enim in verbis illis, *Itaque nomine Christi legatione fungimur veluti: Deo vos precante* (exhortante fortasse rectius transtulisses) *per nos, oramus Christi nomine, reconciliamini Deo.* Quid, inquam, in verbis illis est, unde vel per decimam consequentiam colligi queat, id quod persuadetur sentiri? Contrarium potius ex hoc & similibus textibus colligitur, persuasionem ejusmodi, quæ summum bonum homini clarè videndum & sentiendum dat, à Deo non adhiberi; quia quid ineptius quam Christum nos orare & precari per legatos suos, ut reconciliemur Deo, si ad hoc ut reconciliemur adhibere vult ejusmodi persuasionem, qua posita fieri non potest ut non reconciliemur? Certe qui ipse efficere vult, & efficit in nobis sensum reconciliationis, unde fit ut non possimus non velle reconciliari, ille frustra nobis suadet, ille frustra nos hortatur, multoque magis frustra orat ut reconciliari velimus. Sensus enim ille reconciliationis menti nostræ impressus, facit ut non possimus non velle reconciliari. Sed de hoc argumento postea.

Locus 2 Corinth. V. 20.

Colligis tandem argumentationem tuam in hanc summam. *Sane persuasio, activa significatione accepta, actio est: sensus, terminus actionis. Nam quid aliud persuasio passive sumpta dici potest quam assensus, quem seu docenti seu hortanti præbemus? Atqui jam assensus, mentis sensus est: de corporeis sensibus nulla hic quæstio est.* Hæc sane argumentatio tua, Camero, indigna est eruditione tua. Nam vide quot in ea errata sint. Primò enim nihil omnino concludit ejus quod in quæstione versatur. Non enim quæritur, an persuadere activè sumptum non sit efficere ut quis assentiatur, & passive sumptum non sit assentiri, & an assensus iste non sit mentis quidam sensus: quis enim de eo disputet? ex terminis id patet; sed hoc quæritur; an aliquis alicui possit dici persuadere rem aliquam, qui dum præcipit, dum suadet sub promisso præmii & pœnæ comminatione, ut veritati assentiamur, una cum præceptione & suasione ista, alia speciali adhuc arcana & physica actione, menti nostræ rem, quam præcipit aut suadet, ita clare conspiciendam dat ut ei non possimus non assentiri: Item an aliquis recte possit dici suaderi & persuaderi, ut rem aliquam velit, aut amet, in cujus mente, per arcanam & physicam actionem, res ista adeo clare imprimitur, ut voluntas ejus non possit non eam cupere, amare & amplecti. Hic modus agendi, an persuasio recte vocari possit, inter nos controvertitur. Hoc ego nego; quia ubi talis modus agendi locum habet, ibi præceptio, ibi suasio non potest locum habere, ac proinde neque persuasio: quia persuasio suasio etiam est. Quis enim suadeat alicui verum esse aliquid, qui ipse facit, ut is cui suadere videri vult, id verum esse sentiat? aut quis suadeat aliquem amare aliquid, qui id quod suadet, alia insuper peculiari quadam physica actione ita menti ejus imprimit, ut illud non possit non amare? Deinde, si vera hæc est ratiocinatio tua, jam non modo persuasio cum sensu ejus quod persuadetur consistere potest, sed etiam persuasio sine sensu nulla esse potest, imo jam persuasio omnis est ipse sensus; quia juxta te

est assensus, qui sensus est mentis, ac proinde necesse est, ut omnis qui persuadet, id quod persuadet interne menti hominis repræsentet, & coram quasi sentiendum ac videndum det: unde efficietur, quando homo homini aliquid persuadet, eum internè ita agere in mentem alterius, ut ille non possit non assentiri: quo quid tibi ipsi absurdius? Tertiò, Quod persuasionem passive sumptam, nihil aliud esse velis quam assensum qui docenti seu hortanti præbetur. hoc enim ita generatim dictum, nec cum tuo principio, quod ante posuisti, convenit, nec verum est. Non convenit cum tuo principio, quia posito quod quis nos hortetur ad adsensum præbendum ei rei, quam jam ante mente perceptam habemus, nosque ei hortanti adsensum præbeamus, tamen vel te ipso judice assensus iste non potest esse persuasio passive sumpta: quia, uti tu ipse pag. præcedente loquutus es, *quod ante omnem institutionem & adhortationem mente præceptum habemus, id non nisi impropriè dici potest persuaderi.* Nec verum etiam est; quia assensus adhiberi potest docenti sive hortanti, non qua tali, aut quia per doctrinam & hortationem ejus adsensus iste in nobis producitur, sed quia jam ante aliunde effectus est, aliaque actione, tum cum docens sive hortans docet aut hortatur, efficitur. puta, scio jam ante rem aliquam veram esse, vel hoc aut illud faciendum esse; venit deinde qui me docet & hortatur rem istam eandem veram esse, aut hoc vel illud faciendum esse: assentior docenti aut hortanti; an idcirco à docente aut hortante illo persuadeor? Nihil minus. Ut quis persuaderi dicatur ab eo qui docet seu hortatur, necesse utique est, ut non tantum assentiatur docenti & hortanti, sed ut docentis seu hortantis, qua talis, rationibus moveatur ad assentiendum. Alioquin enim, si quis ad assentiendum moveatur alia re quam rationibus, quæ à docente vel hortante proponuntur, qua talibus, sive ea res rationibus istis conjuncta sit, sive ab iis sejuncta, talis sane non poterit dici persuasus à docente sive hortante, qua tali, sed ab ea re quæ hortantis sive docentis rationibus conjuncta fuit, vel seorsim præter rationes istas ad assensum eliciendum fuit adhibita; non magis certe talis dici potest persuasus à docente, quam is qui monetur ut credat ignem esse calidum, & interim cujus manui inseritur, persuasus dici potest ad credendum ignem esse calidum, aut qui monetur ut in fastigium domus conscendat, & interim aliunde per vim aut violentam actionem, licet non ingratam, in altum attollitur, persuasus dici potest ad adscendendum, aut persuasione motus adscendisse, etiamsi forte monenti fuerit adsensus. Concludo itaque, non sufficere ad hoc ut quis persuasus ab aliquo dicatur, ut docenti vel hortanti adsentiatur, sed necesse esse, ut docentis & hortantis rationibus, qua talibus, moveatur ad adsentiendum. Si enim adsensus ille, qui docenti vel hortanti præbetur, aliunde quam à rationibus docentis vel hortantis oriatur, puta vel ab actione physica alterius alicujus agentis, vel à qualitate aliqua aut virtute peculiari rationibus istis aliunde affusa vel infusa, certe assensus iste jam non persuasio, sed passio purè putè physica dicenda erit. His adde quod ipse non invitus mihi concedas, (verba tua sunt, pag. 105.) illuminationem illam, quæ fuit in Adamo ante lapsum, & in Christo quamdiu in terris egit, persuasionem active sumptam non nisi ἀνύλως dici posse: assensus ergo qui illuminationi isti fuit adhibitus, verus fuit adsensus, & tamen non nisi ἀνύλως persuasio passivè sumpta dici potest. Persuasio itaque formaliter amplius aliquid dicit, quam simplicem adsensum talem, qui docenti sive hortanti præbetur.

*Qualis detur in hac vita summi boni cognitio.*

At inquis, Camero, *pugnant ista, ut summum bonum tam clare videndum proponatur, neque persuadeatur tamen. hæc enim summi boni propositio tam clara, ipsissima persuasio est.*

Itane Camero? Vide ut tibi consentanea loquaris. Si ista pugnant, ut summum bonum tam clare videndum proponatur, neque persuadeatur tamen, si ista summi boni propositio tam clara, ipsissima persuasio est, quomodo persuasioni locus non etit in futura vita, ubi summum bonum clarissime videndum, id est cognoscendum, proponetur, quomodo clarissima quæ ibi fiet propositio, non erit ipsissima persuasio? & tamen pagina sequente, tu diserte persuasioni in futura vita locum futurum aut locum esse posse negas. Deinde cum summum bonum amandum esse & necessariò amari, ante omnem institutionem & adhortationem mente præceptum habeamus, quomodo eum cui ipsissimum summum bonum clare cognoscendum datur, persuaderi potes dicere ut summum bonum amet? Quomodo claram illam cognitionem, ipsissimam persuasionem esse consequenter affirmare potes? Sed quid ad rem facit, inquiet aliquis, sive tu ibi consentanea dicas, sive non; res videatur. Dico itaque secundò, principium à te peti, Camero. Ego enim ista pugnare dico. Nam clara propositio summi boni, hominis intellectui facta, nihil aliud est quam clara propositio coloris aut lucis, quæ oculo aperto & bene habenti in meridie fit. At quis oculo persuaderi dicat ut videat colores, aut ut concedat quod color sit color, aut quod lux sit lux? Videndo enim, id sentit oculus, ut persuasione opus non sit. Similiter nemo sanus homini suaderi aut persuaderi recte dixerit bonum summum esse bonum summum, cujus menti clare id ipsum, & quidem actione physica, videndum datur: nemo homini suaserit ut bonum summum cognitum amet, quod non potest non amare simulatque cognoscit, etiamsi, per impossibile, voluntati illud dissuadetur. Voluntas enim non potest non appetere summum bonum, saltem non potest aversari, aut odisse summum bonum, sive suadeatur, sive dissuadeatur, dummodo nude tantum menti proponatur.

*At*, inquis, *si hæc ratio valeret, posset negari fore ut sapiens ullus dicat eum doceri, cujus menti tam firmæ, tam perspicuæ rationes proponuntur, ut non possit non acquiescere, sive doceatur sive non doceatur.*

Resp. 1. Nulla est consequentia. Aliud enim est doceri, aliud persuaderi, de quo hîc agitur. Doctrinæ finis est scientia, sive ea sit nuda rerum scibilium aut sciendarum apprehensio, sive apprehensarum dijudicatio; persuasionis, de qua hîc agimus, finis est voluntatis motio, ad volendum & faciendum id quod sub promisso præmii & pænæ comminatione fieri præcipitur. Qui docetur, illi sola objecti cognoscendi propositio sufficit; quæ quanto clarior est, tanto aptior & utilior est ad docendum. Qui suadetur eo, de quo inter nos agitur, modo, is rationibus aut argumentis movetur, ut amet & faciat id, quod amare & facere sub promisso præmii aut pænæ comminatione jubetur aut præcipitur. Doceri quis potest ut intelligat quod nesciebat, sola tantum ostensione aut indicatione rei cognoscendæ, absque ulla alia ratione aut argumento: at qui suaderi à nobis dicitur, argumentis & rationibus moveri dicitur, ut facere velit quod intelligit ex officio sibi faciendum esse. Unde efficitur, non pugnare quidem ut doceatur is, cujus menti tam firmæ & tam conspicuæ rationes proponuntur ut non possit non acquiescere; imo non pugnare ut doceatur sola tantum objecti scibilis indicatione & ostensione, etiamsi mille rationes adsint: sed pugnare ut quis ad faciendum aliquid, quod facere lege, promissionibus & minis sancita jubetur, persuadeatur ea re vel actione, qua fit ut non possit non facere quod ex officio facere jubetur. Deinde dato, sed non concesso, parem omnino esse rationem docendi & suadendi; Dico secundo: ne quidem dici posse doceri, nisi admodum κατηχουμένῳ, eum in cujus mente, per actionem aliquam Dei internam physicam, inseritur rei alicujus notitia; sive insertio illa fuit absque ulla externa rationum propositione, sive etiam tum, cum externæ rationes aliquæ, sed plane inefficaces, ad docendum eidem proponuntur. Exempli gratia; nego Deum Adamum docuisse propriè, quando ejus menti in prima creatione infudit scientiam. Item nego eum linguas varias doceri, cujus menti Deus variarum linguarum cognitionem, uti in Apostolis aliisque circa principia Euangelii usu venisse legimus, inserit. Item nego doceri eum, cujus menti externè proponuntur linguæ omnes addiscendæ, & cui tum, cum hoc fit, aliqua Dei physica actione interna, linguarum istarum omnium notitia imprimitur. Similiter nego doceri eum summum bonum, cujus menti externè, & quidem inefficaciter, proponitur cognoscendum summum bonum, & simul tum, cum hoc fit, boni illius summi cognitio per internam & physicam Dei actionem imprimitur; Hunc talem non magis doceri aut discere dico, quam eum cujus menti, eo ipso tempore quo scientiæ operam dat, aut scientiam à Deo orat, per miraculum inditur sapientia & notitia rerum diversissimarum, uti Solomoni contigisse legimus. Ubi ejusmodi peculiaris physica & interna Dei actio in mentem hominis intercedit, ibi homo proprie doceri aut discere dici non potest. Quod si autem ne doceri quidem propriè dici potest is in cujus mentem Deus ita operatur, quomodo propriè suaderi aut persuaderi dici poterit is, cujus menti interna & physica Dei actione bonum summum adeò clare videndum datur, ut non possit non assentiri?

Verum subjicis; *Animadverte jam quam graviter hic sis lapsus: fingis enim me statuere tam clarè proponi summum bonum in hac vita, atque in futura.*

Atqui, inquam ego, dato, sed non concesso, quod verum sit me finxisse te id non quidem statuere, sed statuere debere ex hypothesi hujus tui placiti, si intelligibiliter & consequenter loqui velis; nihil tamen finxissem quod verum non esset. Nam cum summum hominis bonum passim in clara ejus visione collocetur, visio autem ab omnibus pæne Theologis dicatur esse cognitio mentis, quomodo fingi potest, te qui tam clarè, tam perspicuè, adeoque plene bonum summum

mum menti hominis in hac vita proponi asseris, ut mens propositioni isti non possit non assentiri, & voluntas bonum propositum non possit non summe amare, te, inquam, statuere nihilominus propositionem istam boni summi quæ in hac vita fit, non tam claram esse, quam quæ in futura vita fiet? Gradus enim claritatis major aut efficacior nec dari nec concipi animo potest, quam is qui efficit vi sua ut non possis non amare quod proponitur, adeo ut quicunque dari insuper dicitur, is gratis tantum fingatur. Dicis tu quidem, Camero, *in futura vita non cerni, sed haberi summum bonum.* At quid hoc est haberi summum bonum, & tamen summum bonum nod cerni, cum non habeatur summum bonum, nisi quatenus cernitur? Tunc enim *cernemus βλέψομεν*, inquit Apostolus, *facie ad faciem*, 1. *Corinth.* XIII. 12. similiter 1 *Joh.* III. 2. *ὀψόμεθα αὐτὸν καθώς ἐστι.* unde & tunc ambulaturi dicimur *διὰ εἴδους*, 2 *Corinth.* V. 7. & hinc est quod summi boni fruitio constituatur ab omnibus pæne, in intuitiva boni istius visione sive cognitione: At videre & cognoscere nihil aliud est quam cernere. Cernere itaque & habere quomodo hîc à te distinguuntur? Deinde dicis quidem cum Apostolo, in futura vita non *fide*, *sed specie ambulare*: sed quomodo id tu dicere potes consequenter tuo placito, qui claram summi boni cognitionem mentibus nostris à Deo infundi aut affundi asseris, cum cognitio ejusmodi clara, *εἶδος* sive species, aut (ut Beza vertit) adspectus ille sit, *δι' ἐ* in futura vita *περιπατήσομεν*, & cum qua fides consistere non potest? Quod in futura vita nos non videre in ænigmate, sed tanquam in speculo, facie ad faciem, adfirmas, in eo *σφάλλῃ*, vel, ut mollissime dicam, *μνημονικὸν ἁμάρτημα* tuum annoto. In speculo enim videre, non ad futuram sed ad hanc vitam pertinet; *βλέπομεν γὰρ ἄρτι δι' ἐσόπτρου ἐν αἰνίγματι*: 1 *Corinth.* XIII. 12. *τότε δὲ πρόσωπον πρὸς πρόσωπον.* Veruntamen uti dixi, non finxi te id statuere, Camero, sed tantum affirmavi claram ejusmodi summi boni propositionem, qualem tu requiris ad efficiendam persuasionem, quomodocunque tandem illa fiat, sive clarius sive obscurius, si modo per internam talem physicam actionem fiat, ut simulatque fit mens hominis ei non possit non adsentiri, non nisi inepte persuasionem vocari posse. Et adstruo hoc ipsum proprio tuo argumento; Si in futura vita non persuadetur bonum summum quod sentitur in toto, nec in hac vita persuadetur quod sentitur in parte: idem enim persuasionis modus & æquè vehemens hîc in parte, quam ibi in toto. Major autem & minor claritas non mutat speciem rei, id est modum apprehensionis, (quem tu ipse sensum appellas,) qui cum suasione & persuasione commune nihil habet. Quæcunque porro ad hanc rem pertinentia adfers, ea partim inconsequenter à te dicuntur; partim, si omnino consequenter ea à te dicta velis, ad rem non faciunt. Quæ inconsequenter à te dici mihi videntur, ea hæc sunt. 1. *In hac vita, mea quidem sententia*, inquis, *proponitur summum bonum obscurius.* Quomodo enim id potes dicere, mi Camero, qui ubique *clare* videndum dari summum bonum, *plene* illuminari mentem hominis, imo eam persuaderi *efficacissime* asseris? Quæ obscuritas in mente esse potest, cui clare videndum datur summum bonum, quæ non suadetur tantum, sed & persuadetur, imo quæ ita plene illuminatur, ut non possit non adsentiri, & voluntatem vi sua ad se rapere? imo quæ claritas major aut efficacior, tum mentis, tum voluntatis respectu, concipi aut dari potest? 2. *Atque ita proponitur*, inquis, *ut in mente superfit plurimum tenebrarum.* Quomodo enim hoc cum placito tuo convenit? verte si placet hanc orationem metaphoricam in propriam, & res clara fiet: Ita clare proponitur menti hominis summum bonum, ut in ea non tantum ignorantia, sed multum ignorantiæ, imo plurimum ignorantiæ adhuc superfit. Fierine potest ut plurimum ignorantiæ circa summum bonum, & quæ ad summum bonum necessaria sunt & conducunt, in mente supereſſe dicatur, quæ adeo clara summi boni eorumque omnium qnæ ad summum bonum ducunt cognitione imbui, adeo plene visione omnium salutarium illuminari tibi creditur, ut non possit non assentiri? Major, intensior, clarior, plenior scientia dari certe non potest, quam necessaria & necessario mentem movens ac promovens. Necessitas enim in indivisibili consistit, nec habet gradus. 3. *Unde*, inquis, *lucta quædam oritur & repugnantia.* At quomodo luctam & repugnantiam in mente collocare potes, mi Camero, qui credis mentem non tantum adsentiri claræ isti propositioni, sed ab ea ita affici, ut non possit non adsentiri? In temperante & eo qui voluntatem solo virtutis habitu informatam habet, Aristoteles & Philosophi omnes luctam locum habere negant: habitus enim virtutis facit ut libenter & facile velis ac facias quod secundum rectam rationem est. Quanto itaque minus lucta & repugnantia permittenda tibi est in mente, in qua necessitas assentiendi irrefragabilis ex clara objecti propositione & plena persuasione locum habere creditur? Necessitas enim longe excellentior potiorque est habitu: habitus enim non necessitat, sed facilitat solum potentiam voluntatis. 4. *Hanc luctam*, inquis, *componit tandem affusa copiosius Spiritus S. lux.* At quæ lux, Camero, copiosius affundi potest quam lux persuadens, lux clarè videndum proponens summum bonum, lux ita plenè illuminans mentem, ut voluntatem necessario post se trahat? hoc *ἀκαταλήπτῳ* est. Neque vero dices hîc, credo, te intelligere luctam & repugnantiam in mente supereſſe ante hujus lucis affusionem, sive ante persuasionem illam quam vocas: cum ante persuasionem illam non luctam tantum, sed victoriam carnis locum habere in mente, non tantum multum tenebrarum, sed nil nisi tenebras in ea esse ubique asseras. Quicquid enim ante persuasionem illam est, id omne nihil nisi suasio est. At suasio movet quidem, sed non permovet mentem, lachrymæ volvuntur inanes, ut loqueris. Diaboli itaque, carnis, peccati suasio dominatur adhuc isti suasioni. Quod si vero rem intelligis de persuasione ipsa, eaque posita tenebras, luctam & repugnantiam in mente supereſſe vis; quæ itaque est lux illa copiosior quæ supra istam persuasionem affunditur? An aliud quid quam persuasio? At quid id sit, vel quid aliud esse possit, id tibi ipsi prorsus *ἀκαταλήπτῳ* est. Sed posito etiam quod hæc omnia, consequenter à te dicta esse velis, nihil omnino tamen ad rem, de qua hîc agitur, facient. Nam quæritur hîc inter nos, an quando jam copiosior illa lux affusa est menti hominis, ita ut per eam mens ejus persuasissima sit de bono summo, & de iis quæ eo ducunt, luctaque illa & repugnantia jam composita est, an, inquam, tum in mente ejus non statui debeat æque clara cognitio, atque in futura vita statui solet, & à te statui debet? Neque vero quicquam refert, quod persuasionem hanc præcesserit ignorantia, & sic dissensio ac repugnantia aliqua: nam & notitiam sive cognitionem claram, quæ in futura vita erit, præcesserit etiam ignorantia, ac proinde dissensio & repugnantia, quæ in hac vita fuit. De cognitione illa quæritur, quæ ignorantiam illam tollit, quæ luctam illam componit, an videlicet cum ea conjuncta maneat ignorantia & lucta, ita ut propter istam ignorantiam & luctam adhuc reliquam, distinguenda sit à cognitione & visione boni summi quæ in futura vita erit, ubi ignorantiæ & luctæ locus non erit? At quis non videt contradictionem involvere, si dicas per persuasionem illam, & claram boni summi cognitionem ignorantiam omnem summi boni & eorum quæ eo ducunt tolli, luctamque omnem componi, & tamen cum ea multum tenebrarum ipsamque adeo luctam & repugnantiam conjunctam manere?

*De assensu mentis quem præcesserit dissensio.*

*Cæterum*, inquis, *adsensus mentis quem præcesserit quædam repugnantia sive dissensio, persuasio passive sumpta recte dici potest; quemadmodum adducere ad adsensum ejus rationis persuadere est.*

Imo vero, inquam ego, sive adsensum istum præcesserit repugnantia aut dissensio, sive non præcesserit, si lux ista copiosior affusa, quæ adsensum efficit, non moveat objectivè per modum rationis, sed physica & peculiari quadam objecti vi, quam mens non aliter percipit quam apertus oculus lucem solis sentit, tum certe adsensus iste, non nisi ineptè persuasio passivè sumpta dici potest; quia sic ne suasio quidem est, sed raptus quidam mentis, sed affatus, sed instinctus, & enthysiasmo quam persuasioni propior inspiratio. Evinco id ex propriis verbis tuis. Ita enim subjicis: *Quemadmodum adducere ad adsensum ejus rationis persuadere est.* Si enim adducere ad adsensum ejus rationis sit persuadere, jam ratio tibi est id non quod persuadet, sed quod persuadetur; est enim objectum adsensus istius. At persuasio fit per rationem ipsam, tanquam per medium quo suadetur objectum ipsum; quia persuasio est suasio, te ipso fatente, quæ non fit nisi per rationes. Quod si autem adducere ad adsensum rationis istius est persuadere, jam adductio illa fiet aut sine ratione per aliam actionem aliquam physicam, aut per aliam rationem. Si sine ratione, jam adductio illa non potest esse persuasio. Si per aliam rationem, jam persuasio fiet per aliam persuasionem, & sic ibitur in infinitum. Quare quod dicis, Camero, videri tibi me confudisse eam illuminationem quam nullæ peccati tenebræ præcesserunt, cum ea quæ hominum peccatorum est quam præcessit ignorantia, in eo falleris, Epistola ipsa te docere satis potuit rem aliter se habere. Dico enim omnem illuminationem qua intellectus hominis, non per modum rationis suadentis, sed per internam & physicam quandam objecti irradiationem ita afficitur, ut impossibile ei sit non adsentiri, quæcunque tandem illa sit, imo sive eam præcedat ignorantia, sive non præcedat, nonnisi admodum *καταχρηστικῶς*, imo vero non nisi inepte persuasionem dici posse. Neque videre possum cur illuminatio illa, quam præcedunt peccati tenebræ, recte dici possit persuasio, non autem ista quam nullæ præcedunt

est assensus, qui sensus est mentis, ac proinde necesse est, ut omnis qui persuadet, id quod persuadet interne menti hominis repræsentet, & coram quasi sentiendum ac videndum det: unde efficietur, quando homo homini aliquid persuadet, eum internè ita agere in mentem alterius, ut ille non possit non assentiri: quo quid tibi ipsi absurdius? Tertiò, Quod persuasionem passive sumptam, nihil aliud esse velis quam assensum qui docenti seu hortanti præbetur. hoc enim ita generatim dictum, nec cum tuo principio, quod ante posuisti, convenit, nec verum est. Non convenit cum tuo principio, quia posito quod quis nos hortetur ad adsensum præbendum ei rei, quam jam ante mente perceptam habemus, nosque ei hortanti adsensum præbeamus, tamen vel te ipso judice assensus iste non potest esse persuasio passive sumpta: quia, uti tu ipse pag. præcedente loquutus es, *quod ante omnem institutionem & adhortationem mente præceptum habemus, id non nisi impropriè dici potest persuaderi.* Nec verum etiam est; quia assensus adhiberi potest docenti sive hortanti, non qua tali, aut quia per doctrinam & hortationem ejus adsensus iste in nobis producitur, sed quia jam ante aliunde effectus est, aliaque actione, tum cum docens sive hortans docet aut hortatur, efficitur. puta, scio jam ante rem aliquam veram esse, vel hoc aut illud faciendum esse; venit deinde qui me docet & hortatur rem istam eandem veram esse, aut hoc vel illud faciendum esse: assentior docenti aut hortanti; an idcirco à docente aut hortante illo persuadeor? Nihil minus. Ut quis persuaderi dicatur ab eo qui docet seu hortatur, necesse utique est, ut non tantum assentiatur docenti & hortanti, sed ut docentis seu hortantis, qua talis, rationibus moveatur ad assentiendum. Alioquin enim, si quis ad assentiendum moveatur alia re quam rationibus, quæ à docente vel hortante proponuntur, qua talibus, sive ea res rationibus istis conjuncta sit, sive ab iis sejuncta, talis sane non poterit dici persuasus à docente sive hortante, qua tali, sed ab ea re quæ hortantis sive docentis rationibus conjuncta fuit, vel seorsim præter rationes istas ad assensum eliciendum fuit adhibita; non magis certe talis dici potest persuasus à docente, quam is qui monetur ut credat ignem esse calidum, & interim cujus manui inseritur, persuasus dici potest ad credendum ignem esse calidum, aut qui monetur ut in fastigium domus conscendat, & interim aliunde per vim aut violentam actionem, licet non ingratam, in altum attollitur, persuasus dici potest ad adscendendum, aut persuasione motus adscendisse, etiamsi forte monenti fuerit adsensus. Concludo itaque, non sufficere ad hoc ut quis persuasus ab aliquo dicatur, ut docenti vel hortanti adsentiatur, sed necesse esse, ut docentis & hortantis rationibus, qua talibus, moveatur ad adsentiendum. Si enim adsensus ille, qui docenti vel hortanti præbetur, aliunde quam à rationibus docentis vel hortantis oriatur, puta vel ab actione physica alterius alicujus agentis, vel à qualitate aliqua aut virtute peculiari rationibus istis aliunde affusa vel infusa, certe assensus iste jam non persuasio, sed passio purè putè physica dicenda erit. His adde quod ipse non invitus mihi concedas, (verba tua sunt, pag. 105.) illuminationem illam, quæ fuit in Adamo ante lapsum, & in Christo quamdiu in terris egit, persuasionem active sumptam non nisi ἀνὺσεως dici posse: assensus ergo qui illuminationi isti fuit adhibitus, verus fuit adsensus, & tamen non nisi ἀνὺσεως persuasio passivè sumpta dici potest. Persuasio itaque formaliter amplius aliquid dicit, quam simplicem adsensum talem, qui docenti sive hortanti præbetur.

*Qualis detur in hac vita summi boni cognitio.*

At inquis, Camero, *pugnant ista, ut summum bonum tam clare videndum proponatur, neque persuadeatur tamen. hæc enim summi boni propositio tam clara, ipsissima persuasio est.*

Itane Camero? Vide ut tibi consentanea loquaris. Si ista pugnant, ut summum bonum tam clare videndum proponatur, neque persuadeatur tamen, si ista summi boni propositio tam clara, ipsissima persuasio est, quomodo persuasioni locus non etit in futura vita, ubi summum bonum clarissime videndum, id est cognoscendum, proponetur, quomodo clarissima quæ ibi fiet propositio, non erit ipsissima persuasio? & tamen pagina sequente, tu diserte persuasioni in futura vita locum futurum aut locum esse posse negas. Deinde cum summum bonum amandum esse & necessariò amari, ante omnem institutionem & adhortationem mente præceptum habeamus, quomodo eum cui ipsissimum summum bonum clare cognoscendum datur, persuaderi potes dicere ut summum bonum amet? Quomodo claram illam cognitionem, ipsissimam persuasionem esse consequenter affirmare potes? Sed quid ad rem facit, inquiet aliquis, sive tu ibi consentanea dicas, sive non; res videatur. Dico itaque secundò, principium à te peti, Camero. Ego enim ista pugnare dico. Nam clara propositio summi boni, hominis intellectui facta, nihil aliud est quam clara propositio coloris aut lucis, quæ oculo aperto & bene habenti in meridie fit. At quis oculo persuaderi dicat ut videat colores, aut ut concedat quod color sit color, aut quod lux sit lux? Videndo enim, id sentit oculus, ut persuasione opus non sit. Similiter nemo sanus homini suaderi aut persuaderi recte dixerit bonum summum esse bonum summum, cujus menti clare id ipsum, & quidem actione physica, videndum datur: nemo homini suaserit ut bonum summum cognitum amet, quod non potest non amare simulatque cognoscit, etiamsi, per impossibile, voluntati illud dissuadetur. Voluntas enim non potest non appetere summum bonum, saltem non potest aversari, aut odisse summum bonum, sive suadeatur, sive dissuadeatur, dummodo nude tantum menti proponatur.

*At*, inquis, *si hæc ratio valeret, posset negari fore ut sapiens ullum dicat cum doceri, cujus menti tam firmæ, tam perspicuæ rationes proponuntur, ut non possit non acquiescere, sive doceatur sive non doceatur.*

Resp. 1. Nulla est consequentia. Aliud enim est doceri, aliud persuaderi, de quo hîc agitur. Doctrinæ finis est scientia, sive ea sit nuda rerum scibilium aut sciendarum apprehensio, sive apprehensarum dijudicatio; persuasionis, de qua hîc agimus, finis est voluntatis motio, ad volendum & faciendum id quod sub promisso præmii & pænæ comminatione fieri præcipitur. Qui docetur, illi sola objecti cognoscendi propositio sufficit; quæ quanto clarior est, tanto aptior & utilior est ad docendum. Qui suadetur eo, de quo inter nos agitur, modo, is rationibus aut argumentis movetur, ut amet & faciat id, quod amare & facere sub promisso præmii aut pænæ comminatione jubetur aut præcipitur. Doceri quis potest ut intelligat quod nesciebat, sola tantum ostensione aut indicatione rei cognoscendæ, absque ulla alia ratione aut argumento: at qui suaderi à nobis dicitur, argumentis & rationibus moveri dicitur, ut facere velit quod intelligit ex officio sibi faciendum esse. Unde efficitur, non pugnare quidem ut doceatur is, cujus menti tam firmæ & tam conspicuæ rationes proponuntur ut non possit non acquiescere; imo non pugnare ut doceatur sola tantum objecti scibilis indicatione & ostensione, etiamsi mille rationes adsint: sed pugnare ut quis ad faciendum aliquid, quod facere lege, promissionibus & minis sancita jubetur, persuadeatur ea re vel actione, qua fit ut non possit non facere quod ex officio facere jubetur. Deinde dato, sed non concesso, parem omnino esse rationem docendi & suadendi; Dico secundo: ne quidem dici posse doceri, nisi admodum καταχρηστῶς, eum in cujus mente, per actionem aliquam Dei internam physicam, inseritur rei alicujus notitia; sive insertio illa fuit absque ulla externa rationum propositione, sive etiam tum, cum externæ rationes aliquæ, sed plane inefficaces, ad docendum eidem proponuntur. Exempli gratia; nego Deum Adamum docuisse propriè, quando ejus menti in prima creatione infudit scientiam. Item nego eum linguas varias doceri, cujus menti Deus variarum linguarum cognitionem, uti in Apostolis aliisque circa principia Euangelii usu veniisse legimus, inserit. Item nego doceri eum, cujus menti externè proponuntur linguæ omnes addiscendæ, & cui tum, cum hoc fit, aliqua Dei physica actione interna, linguarum istarum omnium notitia imprimitur. Similiter nego doceri eum summum bonum, cujus menti externè, & quidem inefficaciter, proponitur cognoscendum summum bonum, & simul tum, cum hoc fit, boni illius summi cognitio per internam & physicam Dei actionem imprimitur; Hunc talem non magis doceri aut discere dico, quam eum cujus menti, eo ipso tempore quo scientiæ operam dat, aut scientiam à Deo orat, per miraculum inditur sapientia & notitia rerum diversissimarum, uti Solomoni contigisse legimus. Ubi ejusmodi peculiaris physica & interna Dei actio in mentem hominis intercedit, ibi homo proprie doceri aut discere dici non potest. Quod si autem ne doceri quidem propriè dici potest is in cujus mentem Deus ita operatur, quomodo propriè suaderi aut persuaderi dici poterit is, cujus menti interna & physica Dei actione bonum summum adeò clare videndum datur, ut non possit non assentiri?

Verum subjicis; *Animadverte jam quam graviter hic sis lapsus: fingis enim me statuere tam clarè proponi summum bonum in hac vita, atque in futura.*

Atqui, inquam ego, dato, sed non concesso, quod verum sit me finxisse te id non quidem statuere, sed statuere debere ex hypothesi hujus tui placiti, si intelligibiliter & consequenter loqui velis; nihil tamen finxissem quod verum non esset. Nam cum summum hominis bonum passim in clara ejus visione collocetur, visio autem ab omnibus pæne Theologis dicatur esse cognitio mentis, quomodo fingi potest, te qui tam clarè, tam perspicuè, adeoque plene bonum summum

rium menti hominis in hac vita proponi asseris, ut mens propositioni isti non possit non assentiri, & voluntas bonum propositum non possit non summe amare, te, inquam, statuere nihilominus propositionem istam boni summi quæ in hac vita fit, non tam claram esse, quam quæ in futura vita fiet? Gradus enim claritatis major aut efficacior nec dari nec concipi animo potest, quam is qui efficit vi sua ut non possis non amare quod proponitur, adeo ut quicunque dari insuper dicitur, is gratis tantum fingatur. Dicis tu quidem, Camero, *in futura vita non cerni, sed haberi summum bonum.* At quid hoc est haberi summum bonum, & tamen summum bonum non cerni, cum non habearur summum bonum, nisi quatenus cernitur? Tunc enim *cernemur* βλέψομεν, inquit Apostolus, *facie ad faciem*, 1. *Corinth.* XIII. 12. similiter 1 *Joh.* III. 2. ὀψόμεθα αὐτὸν καθώς ἐστι. unde & tunc ambulaturi dicimur διὰ εἴδους, 2 *Corinth.* V. 7. & hinc est quod summi boni fruitio constituatur ab omnibus pæne, in intuitiva boni istius visione sive cognitione: At videre & cognoscere nihil aliud est quam cernere. Cernere itaque & habere quomodo hîc à te distinguuntur? Deinde dicis quidem cum Apostolo, in futura vita non *fide, sed specie ambulare*: sed quomodo id tu dicere potes consequenter tuo placito, qui claram summi boni cognitionem mentibus nostris à Deo infundi aut affundi asseris, cum cognitio ejusmodi clara, εἶδος sive species, aut (ut Beza vertit) adspectus ille sit, δι' ὃ in futura vita περιπατήσομεν, & cum qua fides consistere non potest? Quod in futura vita nos non videre in ænigmate, sed tanquam in speculo, facie ad faciem, adfirmas, in eo σφάλλῃ, vel, ut mollissime dicam, μνημονικὸν ἁμάρτημα tuum annoto. In speculo enim videre, non ad futuram sed ad hanc vitam pertinet; βλέπομεν γὰρ ἄρτι δι' ἐσόπτρου ἐν αἰνίγματι: 1 *Corinth.* XIII. 12. τότε δὲ πρόσωπον πρὸς πρόσωπον. Verum tamen uti dixi, non finxi te id statuere, Camero, sed tantum affirmavi claram ejusmodi summi boni propositionem, qualem tu requiris ad efficiendam persuasionem, quomodocunque tandem illa fiat, sive clarius sive obscurius, si modo per internam talem physicam actionem fiat, ut simulatque fit mens hominis ei non possit non adsentiri, non nisi inepte persuasionem vocari posse. Et adstruo hoc ipsum proprio tuo argumento; Si in futura vita non persuadetur bonum summum quod sentitur in toto, nec in hac vita persuadetur quod sentitur in parte: idem enim persuasionis modus & æquè vehemens hîc in parte, quam ibi in toto. Major autem & minor claritas non mutat speciem rei, id est modum apprehensionis, (quem tu ipse sensum appellas,) qui cum suasione & persuasione commune nihil habet. Quæcunque porro ad hanc rem pertinentia adfers, ea partim inconsequenter à te dicuntur; partim, si omnino consequenter ea à te dicta velis, ad rem non faciunt. Quæ inconsequenter à te dici mihi videntur, ea hæc sunt. 1. *In hac vita, mea quidem sententia*, inquis, *proponitur summum bonum obscurius.* Quomodo enim id potes dicere, mi Camero, qui ubique *clare* videndum dari summum bonum, *plene* illuminari mentem hominis, imo eam persuaderi *efficacissime* asseris? Quæ obscuritas in mente esse potest, cui clare videndum datur summum bonum, quæ non suadetur tantum, sed & persuadetur, imo quæ ita plene illuminatur, ut non possit non adsentiri, & voluntatem vi sua ad se rapere? imo quæ claritas major aut efficacior, tum mentis, tum voluntatis respectu, concipi aut dari potest? 2. *Atque ita proponitur*, inquis, *ut in mente superfit plurimum tenebrarum.* Quomodo enim hoc cum placito tuo convenit? verte si placet hanc orationem metaphoricam in propriam, & res clara fiet: Ita clare proponitur menti hominis summum bonum, ut in ea non tantum ignorantia, sed multum ignorantiæ, imo plurimum ignorantiæ adhuc superfit. Fierine potest ut plurimum ignorantiæ circa summum bonum, & quæ ad summum bonum necessaria sunt & conducunt, in mente superesse dicatur, quæ adeo clara summi boni eorumque omnium quæ ad summum bonum ducunt cognitione imbui, adeo plene visione omnium salutarium illuminari tibi creditur, ut non possit non assentiri? Major, intensior, clarior, plenior scientia dari certe non potest, quam necessaria & necessario mentem movens ac promovens. Necessitas enim in indivisibili consistit, nec habet gradus. 3. *Unde*, inquis, *lucta quædam oritur & repugnantia.* At quomodo luctam & repugnantiam in mente collocare potes, mi Camero, qui credis mentem non tantum adsentiri claræ isti propositioni, sed ab ea ita affici, ut non possit non adsentiri? In temperante & eo qui voluntatem solo virtutis habitu informatam habet, Aristoteles & Philosophi omnes luctam locum habere negant: habitus enim virtutis facit ut libenter & facile velis ac facias quod secundum rectam rationem est. Quanto itaque minus lucta & repugnantia permittenda tibi est in mente, in qua necessitas assentiendi irrefragabilis ex clara objecti propositione & plena persuasione locum habere creditur? Necessitas enim longe excellentior potiorque est habitu: habitus enim non necessitat, sed facilitat solum potentiam voluntatis. 4. *Hanc luctam*, inquis, *componit tandem affusa copiosius Spiritus S. lux.* At quæ lux, Camero, copiosius affundi potest quam lux persuadens, lux clarè videndum proponens summum bonum, lux ita plenè illuminans mentem, ut voluntatem necessario post se trahat? hoc ἀκατάληπτον est. Neque vero dices hîc, credo, te intelligere luctam & repugnantiam in mente superesse ante hujus lucis affusionem, sive persuasionem illam quam vocas: cum ante persuasionem illam non luctam tantum, sed victoriam carnis locum habere in mente, non tantum multum tenebrarum, sed nil nisi tenebras in ea esse ubique asseras. Quicquid enim ante persuasionem illam est, id omne nihil nisi suasio est. At suasio movet quidem, sed non permovet mentem, lachrymæ volvuntur inanes, ut loqueris. Diaboli itaque, carnis, peccati suasio dominatur adhuc isti suasioni. Quod si vero rem intelligis de persuasione ipsa, eaque posita tenebras, luctam & repugnantiam in mente superesse vis; quæ itaque est lux illa copiosior quæ supra istam persuasionem affunditur? An aliud quid quam persuasio? At quid id sit, vel quid aliud esse possit, id tibi ipsi prorsus ἀκατάληπτον est. Sed posito etiam quod hæc omnia, consequenter à te dicta esse velis, nihil omnino tamen ad rem, de qua hîc agitur, facient. Nam quæritur hîc inter nos, an quando jam copiosior illa lux affusa est menti hominis, ita ut per eam mens ejus persuasissima sit de bono summo, & de iis quæ eo ducunt, luctaque illa & repugnantia jam composita est, an, inquam, tum in mente ejus non statui debeat æque clara cognitio, atque in futura vita statui solet, & à te statui debet? Neque vero quicquam refert, quod persuasionem hanc præcesserit ignorantia, & sic dissensio ac repugnantia aliqua: nam & notitiam sive cognitionem claram, quæ in futura vita erit, præcesserit etiam ignorantia, ac proinde dissensio & repugnantia, quæ in hac vita fuit. De cognitione illa quæritur, quæ ignorantiam illam tollit, quæ luctam illam componit, an videlicet cum ea conjuncta maneat ignorantia & lucta, ita ut propter istam ignorantiam & luctam adhuc reliquam, distinguenda sit à cognitione & visione boni summi quæ in futura vita erit, ubi ignorantiæ & luctæ locus non erit? At quis non videt contradictionem involvere, si dicas per persuasionem illam, & claram boni summi cognitionem ignorantiam omnem summi boni & eorum quæ eo ducunt tolli, luctamque omnem componi, & tamen cum ea multum tenebrarum ipsamque adeo luctam & repugnantiam conjunctam manere?

*De assensu mentis quem præcesserit dissensio.*

*Cæterum*, inquis, *ad sensum mentis quem præcessit quædam repugnantia sive dissensio, persuasio passive sumpta recte dici potest; quemadmodum adducere ad adsensum ejus rationis persuadere est.*

Imo vero, inquam ego, sive adsensum istum præcesserit repugnantia aut dissensio, sive non præcesserit, si lux ista copiosior affusa, quæ adsensum efficit, non moveat objectivè per modum rationis, sed physica & peculiari quadam objecti vi, quam mens non aliter percipit quam apertus oculus lucem solis sentit, tum certe adsensus iste, non nisi ineptè persuasio passivè sumpta dici potest; quia sic ne suasio quidem est, sed raptus quidam mentis, sed afflatus, sed instinctus, & enthysiasmo quam persuasioni propior inspiratio. Evinco id ex propriis verbis tuis. Ita enim subjicis: *Quemadmodum adducere ad adsensum ejus rationis sit persuadere, jam ratio tibi est id non* quod persuadet, sed quod persuadetur; est enim objectum adsensus istius. At persuasio fit per rationem ipsam, tanquam per medium quo suadetur objectum ipsum; quia persuasio est suasio, te ipso fatente, quæ non fit nisi per rationes. Quod si autem adducere ad adsensum rationis istius est persuadere, jam adductio illa fiet aut sine ratione per aliam actionem aliquam physicam, aut per aliam rationem. Si sine ratione, jam adductio illa non potest esse persuasio. Si per aliam rationem, jam persuasio fiet per aliam persuasionem, & sic ibitur in infinitum. Quare quod dicis, Camero, videri tibi me confudisse eam illuminationem quam nullæ peccati tenebræ præcesserunt, cum ea quæ hominum peccatorum est quam præcessit ignorantia, in eo falleris, Epistola ipsa te docere satis potuit rem aliter se habere. Dico enim omnem illuminationem qua intellectus hominis, non per modum rationis suadentis, sed per internam & physicam quandam objecti irradiationem ita afficitur, ut impossibile ei sit non adsentiri, quæcunque tandem illa sit, imo sive eam præcedat ignorantia, sive non præcedat, nonnisi admodum καταχρηστικῶς, imo vero non nisi inepte persuasionem dici posse. Neque videre possum cur illuminatio illa, quam præcedunt peccati tenebræ, recte dici possit persuasio, non autem ista quam nullæ præcedunt

dunt peccati tenebræ. Fateor apud homines tanto molimine opus non esse, ad persuadendum eum in quo nullum à præcedente peccato impedimentum invenis, quanto opus est ad convincendum eum, cui cum prava aliqua dispositione præcedanea colluctandum est; sed cur quæ circa istum adhibetur rationum suadentium vis, minus recte dici possit persuasio, quam quæ circa hunc adhibetur, ejus certe rationem non video. Interim accipio lubens hanc tuam confessionem, Camero, quod illuminationem istam qualis fuit Adami ante lapsum, & Christi hominis quamdiu in terris egit, non nisi ἀκύρως persuasionem dici posse fatearis. Ex ea enim jam apparet, tuopte proprio judicio verum non esse id quod paulo ante generatim dixisti, pugnare ista ut summum bonum tam clare videndum proponatur, neque tamen persuadeatur.

Sed & perpendamus paulo exactius quod de peccatoris illuminatione scribis. Aliam ejus rationem esse vis, id est persuaderi eum recte posse dicis, 1. *Quia in eo præcedit ignorantia, non ea modo quæ simplicis negationis, sed etiam quæ pravæ dispositionis in scholis vocatur.* 2. *Quia illius conversionem præcedit aversio sive aversatio.* Hæc etiamsi verissima sint, tamen si consentaneè principiis tuis disputes, talia tibi videri non possunt. Nam 1. quod ad ignorantiam pravæ dispositionis spectat, eam tu in peccatore agnoscere nullo modo potes, qui voluntatem à solo judicio rationis practico determinari vis. Voluntati itaque imperium aut vim ullam pravè disponendi intellectum tribuere non potes. Si enim id voluntati tribuas, tum sane tribues voluntati actum independentem à judicio rationis, aut in circulum ibis; præterquam quod omnem ignorantiam quæ in peccatore est, ex ignorantia puræ negationis, quæ in eum ex Adamo luce originaria à Deo privato defluxit, oriri asseris. 2. Quod ad conversionem attinet, certe positiva nulla aversio sive aversatio voluntatis in peccatore statui à te potest, quia juxta te voluntatis tota motio consistit in sequendo rationis judicium. Itaque si consentaneè loqui velis, non aversatur voluntas proprie id quod rectum est, sed tantum non sequitur id quod rectum est, non quia directe vult id non sequi, sed quia non potest illud sequi ob defectum rationis dirigentis, & non potest non sequi judicium practicum male dirigens. Per accidens itaque potius, quam per se, avertere sese dicitur voluntas, quia videlicet accidit non esse rectum id quod voluntas sequitur, sequutura protinus, & non minus avide, si rectum esset quod ostenditur. Similiter fere uti in voluntate, quatenus regit locomotivam facultatem, usu venire videmus. Movet illa locomotivam ut in avia, in præcipitia sæpe feratur, quando luminis & oculi directione destituta est; non quod voluntas proprie motivam istam facultatem avertat à recta via, aut quod rectam viam aversetur quando sic motricem facultatem movet; sed quia judicium quod sequitur, & quod non potest non sequi destituta omni alia directione, errat, rectam viam initura si oculus eam monstraret aut judicium ostenderet. Tota itaque quæ in voluntate peccatoris à te statuitur aversio, ea negativa tantum est aversio, ex ignorantia simplicis negationis profecta. Nulla in ea malitia proprie dicta locum potest habere, nulla pervicacia, ac proinde nulla proprie dicta luctа, nulla vera repugnantia, quæ voluntati magis in culpam possit imputari, quam locomotivæ quod à recta via deflectat. Voluntas enim non magis malitiosè, non magis pervicaciter sequitur ductum judicii errantis, quam locomotiva ductum oculi male habentis, aut imperium seductæ voluntatis. Unde efficitur, quando mens hominis, sive ratio & judicium mentis ipsius practicum, iterum recti luce perfunditur, & voluntas ejus ob naturalem dependentiam à mente statim lucem istam rectè dirigentem sequitur, quia videlicet aliter agere non potest, ἀκύρως dici voluntatem ipsius persuaderi ut lucem istam sequatur. Neque refert quod actio illa efficiat ut aliter homo sentiat, quam ante sensit, idque docendo hortandoque; quia actio illa non est hortatio aut doctrina suadens, sine qua tamen ut tali persuasio esse non potest; sed aliquid, uti ante evicimus, hortationi aut suasioni superadditum, aut peculiaris vis, cui hortatio & suasio per se inefficax conjuncta est, quæ non magis appellari meretur persuasio, quam actio illa qua Christus Lazarum è mortuis excitabat, cum adjuncta (ut tibi ὁμόδοξοι loqui solent) hortatione, *Lazare exi foras*, persuasio vocari meretur. Recte quidem dicere poterat Paulo Agrippa Rex, *Act.* XXVI. 28 *Fere mihi persuades ut fim Christianus*, quia rationesillæ quibus ad persuadendum eum utebatur Apostolus, sufficientes erant, easque sufficere sentiebat Agrippa ad hoc ut doctrinam Christianam amplecteretur, si modo ad eas animum voluisset advertere: sed minus recte loquutus fuisset, si ad persuasionem ejusmodi actionem peculiarem Dei requiri credidisset, qualem tu imaginaris: Non modo enim non *ferè* se persuasum sensisset à Paulo, sed non minus longè à persuasione se abesse credidisset, quam antea. Persuasionem enim istam totam, qua Agrippa se fere persuasum dicit, ipse tribuit Paulo, *Tu*, inquit, *Paule mihi fere persuades.* At tota suasio & persuasio quæ à Paulo facta erat & fieri poterat, non erat nisi humana suasio & persuasio, quæ tota specie à persuasione divina differt, uti tu antea adseruisti, quia plane ad persuadendum inefficax est. *Ferè* autem dicere factum à Paulo, id ad quod efficiendum plane inefficax erat, id omne quod à Paulo fiebat, absurdum est. Dicis tu quidem hîc, suasionem Dei internam etiam adfuisse, quam gradu à persuasione divina differre vis; sed id ex verbis textus ne per speciem quidem colligitur, etiamsi ego id verissimum etiam esse credam, qui idcirco Agrippam fere se persuasum dicere à Paulo credo, quia nihil restabat, nihil deerat, præter adsensum ipsius Agrippæ liberum, quem cum posset ac deberet elicere, aut non voluit, aut saltem neglexit elicere. At tu qui intentionem ad Agrippæ persuadendum Deo defuisse, & quæcunque adhibebantur à Deo aut immediate, aut mediatè per Paulum, inefficacia per se fuisse credis ad persuadendum Agrippam, nisi specialis illa actio divina accederet, quam persuasionem activam appellas, non nisi ridicule dicere potes suasionem hanc *fere* persuasionem fuisse. Atque hactenus quidem adseruimus argumentationem nostram.

*Locus Act. XXVI. 28.*

*Expenditur retorsio Cameronis.*

Videamus jam quomodo tu argumentationem nostram retorquere conèris contra nos ipsos. *Iam ut ostendam, tibiq; adeo ipsi probem quam fallaciter fuerit ratiocinatus, proferam tuam genuinam argumentationem, quam tu ipse sat scio reprobabis. Quod si fecerit (fecerit autem certè, ut tu loquere, velit nolit) una eademque opera & tuam ipse ratiocinationem reprobaverit.* Satis equidem confidenter pro more tuo. age experiamur quid feceris. *Nempe igitur illuminatio, ut tu quidem ais, est actio purè physica, proindeque illuminare non est docere; non enim docetur quod sentitur, &c. Insciteergo Christum, absit dicto blasphemia, Quisquis audivit & didicit, venit ad me. Scriptum enim est, & erunt omnes docti à Deo.*

Argumentum hoc in antecedentibus pænè totum confutatum est, libet tamen hîc ad illud preffius paulum respondere, ut & hic appareat quam sit infirmum. Primum in eo supponis, Camero, me adfirmare illuminationem esse actionem purè putè physicam: hoc si de tua quam fingis illuminatione, qua menti summum bonum clare videndum dari & sic persuaderi ais, adfirmasse me dicis, agnosco id verum esse: Ista enim illuminatio non potest esse aliud quid quam actio purè putè physica. At si in universum me de omni illuminatione id affirmasse velis, erras. Illuminatio enim cum sit vox metaphorica in hac nostra controversia, si vertatur in propriam, aliquando nihil aliud est quam docere, suadere. Itaque si adfirmassem illuminationem non esse nisi actionem physicam, dixissem docere etiam esse actionem physicam: ac proinde cum alteram propositionem subjicis, *proinde illuminare non est docere*, dixissem docere non esse docere, de tua igitur illuminatione id à me dictum esse intelligi velis necesse est. Pergamus itaque ad secundum: *Proinde*, inquis, *illuminare non est docere.* Iterum intellige hîc tuum illud, quod dixi, *illuminare*; hoc enim fateor non nisi inepte dici posse docere, prout videlicet docere hoc loco à nobis accipitur, pro instruere de eo quod faciendum externe præcipitur. Is enim qui summum bonum, & quæ eo ducunt, menti alicujus ita clarè videnda dat, ut voluntas ejus non possit non ea amare, atque amplecti, non recte dici potest hominem cujus officium est discere, docere atque instruere, ut bonum illud mediaque eo ducentia cognoscat, amet atque amplectatur.

*Locus Joannis VI. 45.*

Quid inde? *Insciteergo Christum; (absit blasphemia) Quisquis audivit & didicit à Patre, venit ad me. Scriptum enim est, & erunt omnes edocti à Deo: Joan.* VI. 45. Quæ ratio. Camero? Audire itaque & discere à Patre hoc loco tibi idem sunt, quod de summo bono & quæ ad id consequendum faciunt physicè illuminari, seu interne & adeo efficaciter atque clare persuaderi à Patre ut non possis non credere, adsentiri ac discere. At qua vel verisimili consequentia id ex hisce verbis elicies? Audire enim & discere à Patre, supponit quidem Patrem docentem, at non indicat modum quo Pater docet. Imo quia supponit Patrem docentem (discere enim & docere sunt relata) modum illum non indicat quem tu statuis. Quia modus iste cum doctione, ut ita loquar, nihil habet commune. Cui adde, tantum abest ut hinc elicere possis modum istum tuum, ut ne quidem ex verbis istis solide colligere possis, per docere Patris intelligi, non dico internam, sed externam Euangelicam instructionem de ipso summo bono hominis & mediis eo pertinentibus; ac proinde per audire & discere intelligi adsensum, qui Deo Patri ita clare summum bonum, uti tu vis, per Euangelium docenti adhibetur. Nam si docere Patris de ista instructione,

aut,

aut, ut ita loquar, doctione accipiendum esset, jam propositio Christi ex tua propria confessione, ita enim contra Clarissimum Tilenum disputas, identica, ideſt inepta foret & ridicula. audire enim & discere à Patre idem tibi tum foret, quod Patri mentem nostram summi boni cognitione per Euangelium illuminanti credere, sive persuaderi à Patre persuasione passiva. proinde dixisset Christus, quisquis credit Euangelio, is credit. Necesse itaque est ut aliud aliquid, quam id quod tu vis, verbis istis comprehensum dicatur, nedum ut ex illis colligatur, audire & discere à Patre per illuminationem fieri quæ actio purè putè physica sit. Ipsæ voces *audire & discere*, contrarium non obscure arguunt. Hæ enim actum notant laudabilem, quem ex officio præscripto à Doctore, præstant ii qui docentur, proinde quem Doctor in ipsis non efficit per ejusmodi physicam actionem; quia alioquin ii actum istum præstando non præstarent officium imperatum, sed tantum divinam operationem in se susciperent: unde audientes & discentes à Patre, tanquam eo ipso officium mandatum facientes, opposite ad eos qui audire & discere nolunt à Patre, aut saltem qui non audiunt, non discunt à Patre, propterea que reprehensione & pœna digni in Scripturis judicantur, denominari recte non possent.

*At*, inquis, *nisi ita exponantur verba, jam certè Christum doctrinæ nomine solam intellexerit rationum propositionem & suasionem Pelagianam.* Quasi vero per doctrinam sive per τὸ docere Patris, non possit intelligi quævis externa aut etiam interna, sive inspiratio, sive revelatio aut suasio, qua Deus homines excitat ad probitatem animi colendum, & ad recti bonique amorem ac studium, quin in Pelagianam hæresin incidatur. Quid enim vetat eum qui id credit, simul etiam credere, eis qui ita externè docentur vires novas antea à Patre conferri, per quas potentes reddantur ad audiendum & discendum; neque hoc tantum, sed & doctrinam illam Patris iis necessariam esse ad hoc ut potentiam illam in actum educant? Et qui hæc credit, an non satis longe abit ab hæresi Pelagii? Utique. Pelagius enim statuebat hominem solis naturalibus viribus posse facere quod rectum est, sive legem Dei præstare, & auxilio gratiæ novæ prævenientis, aut potius operantis, præcise opus habere negabat. Neque ad rem igitur facit, quod istam suasionem plerumque successu carere dicas, *Cum qui ad hunc modum*, uti ais, *didicerunt, ad hunc modum docti sunt, nunquam non veniant ad Christum. Nam, quisquis*, (*inquit*) *audivit & didicit à Patre, venit.* Ad rem, inquam, hoc non facit; quia textus non dicit, omnes eos quos docere vult, aut quos docet Pater, eos venire ad Christum. Nihil minus; sed tantum eos qui audiunt & discunt à Patre, ad Christum venire affirmat. De doctrina itaque Patris non affirmatur hîc quod nunquam successu careat, aut quod ut plurimum non careat successu. non enim dicitur, qui docentur à Patre, ii audiunt & discunt à Patre; sed de doctrina Patris quæ successu non caret, id est, quæ recipitur & discitur, affirmatur quod ad Christum venire faciat: qui enim audiunt & discunt à Patre, ii dicuntur venire ad Christum, ii dicuntur οἱ διδακτοὶ τοῦ Θεοῦ, id est, ii dicuntur vere docti à Deo, sive veri discipuli Dei Patris, quia nimirum tales doctrinam Patris in animum admittunt, eam recipiunt, & ad eam se componere student, id est ii sunt dociles, probitatis studiosi, divinæ indolis, veri & boni amantes, &c. pro ut docti apud nos dicuntur, non participialiter qui cum cæteris docentem aliquem audiverunt, etsi revera nihil ex eo profecerunt, nihil didicerunt; sed nominaliter qui bene didicerunt, & ex doctrina præceptoris sui optime profecerunt. Et hi dicuntur ad Christum venire, id est quando per Euangelium Christi vocantur, sponte ac libenter sese doctrinæ Christi summittere, & in disciplinam ejus sese tradere, quia doctrina Christi per omnia cum doctrina Patris convenit, adeo ut qui Patris Jesu Christi veri discipuli sunt, ii non possint recusare fieri discipuli Jesu Christi. Ex quo patet subjectum hîc à te mutari in prædicatum, & contra, ac proinde ineptum esse quod ex hoc textu à te petitur argumentum. Concludo itaque argumentum hoc tuum nullo modo procedere, ne quidem si tibi concedam parem omnino esse rationem docendi & persuadendi, quod tamen ut tibi concedam necesse non esse ex præcedentibus animadvertere potuisti.

Sed tanquam si tibi ipsi non satisfeciſſes, aliud argumentum subjicis. *Præterea*, inquis, *illuminare tibi est actio physica. Docere Christo est id ipsum quod illuminare in hoc negotio. ergo docere Christo est actio physica.* Respondeo: At in hoc argumento non minus peccas quam in præcedente. Primam enim propositionem nullo jure à te mihi tribui jam ante monui. Jam addo, illuminare, prout significat objectum aliquod verum cognoscendum alicui proponere, quod mens hominis non potest non percipere atque intelligere verum esse, physica actio aliquo modo dici potest, non quidem ratione propositionis, sed quia objectum quod proponitur, non moraliter proprie, sed vi sua physica intellectum rapit in sui adsensum. Non enim est in potestate mentis humanæ, non percipere, non intelligere verum esse id, quod ita clarum & perspicuum est, quodque adeo intelligibiliter ac debitè ipsi intelligendum proponitur: velit nolit intelligat, imo adsentiatur ei necesse est. Sed illuminare, prout significat objectum aliquod menti hominis cognoscendum dare eo fine, imo cum jussu & mandato ut homo ei credat & adsentiatur, illudque certum & infallibile prorsus esse sibi persuadeat, cum aliter possit, id vero nego actionem physicam esse. Assume jam Camero secundam tuam propositionem: Docere Christo idem est quod illuminare. priori modo id falsum est: posteriori modo idem aliquando esse non nego: sed id te nihil juvat: sic enim neutrum actio est physica, sed utraque eodem modo est moralis; uti Christus illuminat ita docet, & ut docet ita illuminat. Hinc doctrina & Euangelium ipsius lux & lumen passim dicitur. Illuminat multos cum effectu, ita & docet; illuminat multos sine effectu, ita & docet. Moraliter ergo illuminat, moraliter docet. Docet hodie docebatque olim multos, qui tamen non docebantur: illuminat hodie illuminabatque olim lux vera in mundum veniens multos, qui tamen non illuminabantur. *Illuminat* enim *omnem hominem venientem* (nisi malis *veniens*) *in mundum: Joh.* I. 9. Neque tamen omnes illuminantur. Docebat olim plurimos in templo, in Synagogis, in triviis, in compitis, in deserto, &c. qui tamen omnes non docebantur, id est non discebant. Eadem ratio est illuminationis & doctrinæ quæ Patri tribuitur; quod adeo verum est, ut quando speciali aliqua actione, qualitate vel re, Deus illuminare physice aliquos dicitur, nunquam illud idem significet quod docere, nisi per καταχρησιν, aut per metonymiam causæ, quia sic iis discendi occasionem præbet, aut eos excitat ad officium alacrius faciendum. Et eadem est ratio phrasium consimilium, *aperiendi oculos, tangendi cor, aperiendi cor, convertendi à tenebris ad lucem*, &c. quod inde liquet, quia actiones & ἀπαλλοτριωσεις quæ istis phrasibus denotantur, passim tribuuntur hominibus aut instrumentis; per quos tamen physicè illuminari & sic doceri alios impossibile est. Et hæc etiam causa est, quod quando illuminare significat non tantum consilium studiumque illuminandi, sed ipsum etiam illuminationis eventum, & idem significat quod docere, tum semper per docere significetur docere cum eventu, ita ut discatur, & doctrinæ ipsi ex præscripto fides adhibeatur, ac proinde iis nunquam physica actio talis notetur, qualem tu per voces istas denotari credis. Examina loca omnia, & videbis verum esse quod assero.

*Aliud argumentum quo ostenditur Cameronis sententiam in Pelagianismum recidere.*

Dixeram ultimo loco, ut ostenderem necesse esse ut tu tandem in Pelagii sententiam recidas, Ad hoc ut aliquis ad fidem veram adducatur, & Christianæ religioni se det, non sufficere ut menti ipsius summum bonum clare repræsentetur, sed opus etiam esse ut ei persuadeatur summum istud bonum aliter haberi & obtineri non posse quam si Euangelio credat & obediat. Hoc autem repræsentatione summi boni non fieri, neque actione ulla physica peragi posse; sed argumentis & rationibus ad efficiendum comparatis opus esse, ac proinde persuasionem tuam nil nisi suasionem Pelagianam tandem futuram esse. Hæc, inquam, dixeram quasi τὸ παράδοξον.

Quid vero tu hîc Camero? *Gravissimè vero hîc tu*, inquis, *errasti. Somnias enim summum bonum posse repræsentari extra Euangelium.* At vero, inquam ego, gravissime tu errasti, Camero, qui me hîc aliquid affirmantem ex animi mei sententia facis; cum ego hîc nihil affirmem, sed tantum judicem quid tu, si consentanea tibi dicere velis, affirmare debeas; ut ostendam, eo affirmato, sententiam tuam in Pelagii sententiam tandem necessario recidere, uti ex conclusione argumenti hujus clare patet. Ingens hic error est, qui tibi imposuit, ut me gravissime errare crederes.

Sed posito quod ego ex mea sententia hîc certi aliquid affirmassem, quod tamen factum à me non esse quivis facile videre potest, cur gravissime errassem? *Somnias enim summum bonum*, inquis, *posse repræsentari extra Euangelium.* At quomodo, mi Camero, id vel somniem, qui summum bonum, ne unquam quidem isto quo tu vis modo, repræsentari passim ex professo disputo? Qui hoc disputat & credit, is certe non somniet sed stultus sit necesse est, si simul affirmet bonum summum posse repræsentari extra Euangelium. Sed posito etiam quod id affirmassem, an idcirco gravissime errassem, si id posse fieri affirmassem? Hoc enim fieri posse affirmare potuissem, & nihilominus negare summum bonum reipsa aliter quam per Euangelium repræsentari. Quid itaque dixisses, Camero, si locutus hac in re fuissem cum Patribus quibusdam, iisque antiquissimis & orthodoxis, qui non tantum crediderunt id fieri posse, sed & factum esse publi-

publice ſcriptis ſuis adſeruerunt, quando alios per legem naturæ, alios per legem Moſis, alios per Euangelium Chriſti ſalvatos eſſe cenſuerunt? Loca Clementis, Origenis, Athanaſii, Cyrilli non allego, quia ea ubique obvia ſunt. Neque vero antiqui Patres iſtu id tantum crediderunt, ſed non pauci, inter veſtrates Theologos, quos tu tuique Reformatos & orthodoxos fuiſſe negare non auderent. addo, tu ipſe Camero id credas neceſſe eſt, qui totum Euangelium Jeſu Chriſti inefficax eſſe vis ad repræſentandum ſummum bonum, & inſuper actione Dei peculiari, quæ plane extra Euangelium eſt, opus eſſe aſſeris, ut bonum ſummum menti repræſentetur. Non debuerat tibi tantopere diſplicuiſſe error hic, ſi conſentanea ſententiæ tuæ dicere voluiſſes. Quod enim ſic repræſentatur, id plane extra Euangelium repræſentatur. Sed abſit à me, ut mihi unquam vel per ſomnium in mentem veniat, ſummum bonum alibi quam Euangelio Servatoris mei Jeſu Chriſti revelari, aut aliter quam à Chriſto per Euangelium ipſius mentibus hominum repræſentari: de quo uno affirmari ſcio, quod *ipſe ſit lux illa vera illuminans omnem hominem: Joh.* I. 9. quod *ipſe mortem aboleverit, & vitam in lucem produxerit atque immortalitatem per Euangelium*: 2 *Tim.* I. 10. quod *in eo plenitudo divinitatis habitet corporaliter: Coloſſ.* II. 9. quod *in eo theſauri omnis ſapientiæ & cognitionis Dei ſint reconditi: Coloſſ.* II. 3. *ita ut in alio nullo ſit ſalus, neque aliud nomen ullum ſit ſub cœlo, quod datum ſit inter homines per quod nos oporteat ſervari: Act.* IV. 12.

Quæ tu allegas loca, Camero, ea lubens admitto, ſed ſcire te velim iſtis non probari quod probandum tibi erat. Neque enim non probatur tantum iſtis locis, ſummum bonum repræſentari Euangelio eo quo tu vis modo; (revelari enim tantum ſeu annunciari per Euangelium vocatis omnibus dicitur) ſed etiam non probatur bonum illud non revelari aliter quam per Euangelium, aut alia via illud haberi non poſſe quam ea via quam Euangelium monſtrat. Alia loca à te adducenda fuerant, ex quibus id clariſſime liquet, qualia non pauca eſſe, & nominatim ea quæ à nobis citata ſunt, manifeſtum eſt.

Sed pergis: *Fac*, inquis, *fieri poſſe ut extra Euangelium ſummum bonum hominis menti repræſentetur, omnino inde duci poſſit certiſſimum argumentum, & vera demonſtratio, unde conſtet nullam aliam ad ſummum bonum patere viam quam per fidem in Chriſtum & pœnitentiam.* Eſto, Camero. hoc pacto contra te ipſum diſputas, & confirmas id quod ego volo. Quando enim argumentum illud certiſſimum & demonſtratio iſta vera adhibetur, tum perſuaſio fit per argumentum iſtud; & ſic ad probandum hypotheticam iſtam propoſitionem, *Si crediderit Euangelio beatus erit*, non ſufficere indicatur ſola ſummi boni repræſentatio. At hoc eſt illud ipſum quod concludo, videlicet rationibus ſuaſivis aliis quam repræſentatione ſummi boni opus eſſe, ad hypotheticam illam propoſitionem perſuadendum, ſive illæ rationes in ipſo Euangelio contineri dicantur, ſive ex natura rei petantur, quæ cum ſubſtantia Euangelii conveniat. Hinc enim infero evitare te non poſſe, quin vel non conſentanea tibi dicas, vel in Pelagii ſententiam, quæ perſuaſionem per ſolam rationum propoſitionem fieri ſtatuit, uti tu ipſe loqueris pag. 106. concedas. Non jam prolixe exanimo, an hoc quo tu uteris argumentum certiſſimum ſit & vera demonſtratio: hoc tantum dicam obiter, tantum abeſſe, ut hoc argumentum tuum certiſſimum ſit, ſi extra Euangelium judicandum ſit, prout tu hîc facis, ut contra incertiſſimum imo plane falſum cenſeri debeat. Sepone enim divinam voluntatem, quæ nobis una ſufficere & poteſt & debet in aſſignanda æternæ ſalutis via, quæ ratio naturalis coget me ſtatuere peccatorem non potuiſſe, ſi Deo ita viſum fuiſſet, aliter redire in gratiam cum Deo, aut uniri Deo, quam per mediatoris pœnalem ſatisfactionem? Unica inſtantia contrarium doceo: Potuiſſet Deus, ſi voluiſſet, tanquam ſupremus & nulli juratus Dominus, remittere peccata contra ſe commiſſa. Quid enim obſtitiſſet? Fatentur id Theologi quam plurimi, tam Pontificii quam Calviniſtæ, Lutherani, aliique, & inter cæteros apertiſſimus Prædeſtinationis tuæ abſolutæ defenſor Piſcator, in collationibus ſuis cum Clariſſimo Viro P. M. D. Vorſtio, ubi ſe rationibus Clariſſ. D. Vorſtii convictum ingenue fatetur ad id concedendum & adſerendum. Et quis ſupremam Dei poteſtatem ita in arctum redigat, ut ipſum de jure ſuo liberrimo cedere non potuiſſe, ſi voluiſſet modo, affirmare non dubitet? Ego id ſine ingenti præſumptione, divinæque poteſtatis liberrimæ læſione atque injuria fieri non poſſe ſum perſuaſiſſimus. Hîc ſcio jam occines mihi carmen tuum: *Novi è cujus lacunis hæc hauſta ſunt. Eum, quia tibi ſtudio, nollem te habere vel ſocium vel magiſtrum.* Nempe non niſi periphraſi ſarcaſtica horrendum nomen Socini proferendum erat, ut tanto acrius pungeres, & ſub benevolentiæ ſpecie odium mihi apud lectorem gravius conciliares. Sed tantum abeſt ut id vel ex lacunis Socini hauſtum ſit, uti jam ante monui, vel te mihi ſtudere credam, quod me nolis hac in re Socinum habere vel ſocium vel magiſtrum, ut contra libenter admodum profitear, lacunas ejus non eſſe ubi iſtud continetur, & me Socinum, ſi ſolus aut primus ſententiæ iſtius author eſſet, ultro & publicitus agniturum in ea adſerenda non ſocium tantum habere ſed & magiſtrum. Tanti mihi eſt, Camero, quo loco apud te tuique ſimiles ſit is pro quo veritatem ſtare intelligo!

*Tros Rutuluſve fuat, nullo diſcrimine habebo.*

Quod ſi tecum pari jure agere velim, haud difficile mihi foret oſtendere temetipſum, non tantum hac in re eundem illum, quem tu me habere nolles ſeu ſocium ſeu magiſtrum, habere ſeu ſocium ſeu magiſtrum; ſed etiam in cauſa principali, qua ille ſtatuit Deum non tantum potuiſſe, ſed etiam voluiſſe abſque ulla ſatisfactione cum peccatore rediré in gratiam; quippe qui ſtatuis Deum peccatores quoſdam elegiſſe ad vitam æternam, prius quam Chriſtus Mediator pro peccatis ipſorum ſatisfeciſſet, aut ut ſatisfaceret deſignatus eſſet. Sed nolo jam te hac ratione urgere, quanquam certiſſima, ne à propoſita re longius abripiar, & in quæſtionem novam tecum devolvar.

Concludo itaque, jure merito ſententiam tuam in Epiſtola Pelagiano-Manichæam nuncupatam eſſe. Pelagianam quidem, quia tota motio qua Deus hominem convertit, per eam non niſi moralis & objectiva motio ſive ſuaſio ſtatuatur neceſſe eſt, ſi conſequenter & intelligibiliter loqui velis: Manichæam autem, quia ſi id quod ſentis exprimas, per eam talis motio Dei ſtatuitur circa peccatorem, unde evidenter concluditur bona & mala omnia neceſſario evenire; quod placitum ipſiſſimum Manichæi placitum fuiſſe, & olim in terminis ab antiquis Patribus & Conciliis damnatum oſtendimus.

## CAPUT V.

### Probatur recte dictum eſſe in Epiſtola, Cameronis ſententiam è Scholis exploſam eſſe.

POſtquam oſtenderam in Epiſtola ſententiam tuam, Camero, Canonibus Synodi Dordracenæ, Alezianæ & Charentonenſis damnatam eſſe, &, ſi ea intelligibiliter à te proponatur, in ſententiam Pelagii ex una, & in ſententiam Manichæi ex altera parte neceſſario recidere, rationemque ob quam illud à me factum erat indicaveram, acceſſeram deinde ad demonſtrandum, eam non modo falſam, ſed admodum noxiam ac periculoſam eſſe. Ut id evincerem, tribus tantum verbis & quaſi ὑπαρδὸν dixeram, non uſurum me argumentis omnibus in Schola uſitatis, quanquam ea alioquin ſolida ſatis mihi viderentur; jam pridem enim ubique in omnibus pene ſcholis ſententiam tuam exploſam eſſe, adeo ut pauci admodum reperiantur, qui ei patrocinium ſuum commodant. Ad hujus dicti confutationem integra duo capita mihi reponis, præfatus primum pro more tuo ſatis contumelioſe, ſed ſine cauſa: quod ſatis mihi eſt tantum tibi indicaſſe. Ac primum quidem fateris de ſententia tua in ſcholis diſputari, ſed negas eam è ſcholis ejectam: (per ſcholas autem, Philoſophorum & eorum qui Scholaſtici vocantur ſcholas intelligis.) Ego vero mirari ſatis non potui, cum id diſerte adeo à te negari legerem. Quis enim neſcit Scholas pæne omnes, tum Philoſophorum qui ex natura, tum Scholaſticorum qui partim ex natura partim ex Scriptura diſputant, liberum arbitrium, tanquam rem pæne extra omnem controverſiam poſitam, ſtatuere & defendere? & Scholaſticos quidem id unum, quocunque tandem modo voluntas moveri dicatur, veluti fidei articulum mordicus tenendum eſſe uno omnes ore agnoſcere, quin & hæreſios manifeſtos cenſere omnes eos qui de iſto capite vel dubitant? Per libertatem autem arbitrii intelligere indifferentiam voluntatis, ita ut voluntas poſitis omnibus ad volendum requiſitis poſſit velle aut non velle, ſive agere aut non agere, vel hoc aut illud agere; non autem ſpontaneitatem ac lubentiam ſolam, utpote quam in brutis animantibus, imo in rebus inanimatis liberi arbitrii prorſus expertibus, locum etiam habere poſſe aſſerunt. At hæc cum ita ſint, & eſſe non poſſis neſcire, quomodo fieri poteſt ut negaveris nihilominus ſententiam tuam è Scholis exploſam eſſe? De Philoſophis res non minus eſt plana, utpote quos pæne omnes Theologi Reformati, qui vocantur, eo nomine quod liberi arbitrii defenſores fuerint, ubique damnant ac reſpuunt. Calvinus ipſe lib. 2. Inſt. cap. 2. §. 2. 3. 4. nihil aliud agit quam ut probet Philoſophos libertatem arbitrii quam impugnat adſeruiſſe. Ita enim §. 2. loquitur ſub finem: *Voluntatem porro inter rationem & ſenſum*

(Philo-

(Philosophi) *mediam locant, sui scilicet juris & libertatis compotem, sive rationi obtemperare sive sensui rapiendam se prostituere libeat.* Item §. 3. *Hoc tamen extra controversiam ponunt, virtutes & vitia in nostra esse potestate. Nam si nostræ (inquiunt electionis est, hoc aut illud agere, ergo & non agere. Rursum, si non agere, ergo & agere.* Item: *Hæc ergo Philosophorum* OMNIUM *sententiæ summa est: Humani intellectus rationem rectæ gubernationi sufficere. Voluntatem illi subjacentem à sensu quidem ad mala sollicitari, sed ut liberam electionem habet, impediri nequaquam posse, quin rationis ductum non sequatur.*

*Expenduntur dicta Philosophorum quæ Cameron ad sententiæ suæ confirmationem affert.*

At videamus quomodo tu negationem tuam confirmes. Ac Philosophos quod attinet, præterire eos jure potuisses. Ego enim ad Scholas eorum non provocavi, neque ad eas respexi in Epistola mea, sed ad Scholas eorum qui Religionem Christianam profitentur, & ex verbo ipso divino sententiam suam adserere videri volunt. Sed quia Philosophos etiam in scenam contra communem pæne consensum producere voluisti, interque eos sapientissimos ac gravissimos quosque semper pro sententia tua steriisse affirmas, operæ pretium etiam putavi expendere quid huic rei subsit veri. *Certe,* inquis, *voluntatem ab intellectu moveri, & quidem necessario, gravissimorum & sapientissimorum Philosophorum* SEMPER *fuit sententia.* Adsertio plena confidentiæ. Videamus an ratione fulta sit. Certe si ista vera est, jam nulli, aut saltem pauci admodum, graves ac sapientes Philosophi liberum arbitrium isto quo diximus sensu adseruisse censendi sunt: quod an verisimile sit, Lector judicet. Certe quæ tu tam immani adsertioni firmandæ adducis, ea valde sunt infirma; quod ex tribus patet indiciis. 1. Quia nullum Philosophum citas qui id in terminis affirmet. 2. Quia id eos affirmantes facis, quos contrariam sententiam in terminis defendisse certissimum est. 3. Quia inter ea loca quæ citas, talia etiam occurrunt ex quibus contrarium pæne demonstrative colligitur. Meretur rei gravitas ut hæc ostendam, discurrendo per singula testimonia. Primo loco Socratem & Platonem citas. At loca quæ citas non modo non dicunt in terminis id quod tu adfirmas, sed non obscure dicunt contrarium. Prius quod attinet, tantum dicunt eos qui contra dictamen rectæ rationis obsequuntur affectibus suis, indignos esse sapientum nomine, imperitos, imprudentes, stultos & fatuos esse, factaque ipsorum ignorantias esse pessimas ac perniciosissimas. At quis non fateatur id verissimum esse? Certe ob hanc causam Deus ipse in Scriptura passim profanos, legirupas, aliosque improbos appellat stultos & ignorantes: non quod nesciant id quod rectum, honestum atque optimum est, nedum quod ignorantia in illis semper profanitatis atque improbitatis causa sit, sed quod eligendo, aut potius faciendo, ea quæ pessima sunt, quæque pessima esse norunt, nescientes interim forte quod ea facienti magnum commodum, & non facienti aut contraria facienti incommodum non leve eventurum sit, scientes interim faciendo ea esse etiamsi commodum nullum consequeretur; quod, inquam, eligendo nihilominus ista non facere, imo contraria facere, stultorum in modum agant. Cujus rei documentum apertum est (ut jam hic plura non allegem: in sequentibus enim ex professo hac de re agam) in Propheta *Jeremia, cap.* V. *vers.* 4. 5. 6. 7. &c. *Ego autem dixi,* (inquit Deus) *Profectò pauperes sunt, stulti facti sunt, quia non noverunt viam Domini & judicium Dei sui. Ibo ergo ad majores & alloquar eos; ipsi enim noverunt viam Jehovæ, judicium Dei sui verum: & ipsi simul fregerunt jugum, ruperunt vincula, idcirco percutiet eos leo de sylva, &c.* En ut pauperes & stultos factos esse dicat ipse Deus, non eos tantum qui non noverant (id est, non ita bene noverant judicia Dei, aut in iis examinandis non adeo bene versati erant, uti apparet ex *vers.* 21: *Audite nunc populo stulte & excors, quibus oculi sunt & non vident, quibus aures sunt & non audiunt:*) viam Domini, sed & eos qui noverant illam optime. Eodem certe modo Socratis & Platonis verba accipere quid vetat? neuter enim affirmat diserte, in iis de quibus loquuntur ignorantiam impietatis ipsorum causam fuisse, aut si ea causa fuerit ejus ipsius ignorantiæ, culpabilem causam in ipsis non fuisse. Non enim dicunt Orestem, Alcmæona, aliosque qui fœdis affectibus suis obtemperaverunt, plane ignorasse, quod cum id faciebant male facerent; aut si id dixisse eos velis, non dicunt per eos non stetisse quod id ignorarent. Quin potius contrarium tantum non in terminis à Platone adseritur, eo ipso in loco quem citas. Dicit enim *insciliam maximam jure vocari posse hanc quando aliquis quod honestum aut bonum* N B. *sibi videtur non amet sed oderit, quod autem malum atque injustum* NB. *sibi videtur, id diligat atque amplectatur.* Item: *quando scientiæ, vel opinioni, vel rationi, quæ natura dominantur, animus adversatur, hoc* NB. *ignorantiam ego appello.* Item: *quando licet bonæ in animo rationes sint, nihilo tamen magis secundum ipsas agitur, sed contra omnia peraguntur.* Ex quibus patet, insciliam sive ἄγνοιαν Socrati & Platoni aliud nihil esse, quam imprudentiam, sive malam, stultam & fatuam pejoris electionem, quæ quia non ex scientia illa quæ in eligentibus istis est, sed ex affectu aut perturbatione aliqua voluntatem eorum stimulante fere oriri solet, insciitia appellatur sive ἄγνοια, oppositè videlicet ad scientiam directricem; quia nempe scientia proprie in mente est, in qua ratio locum habet; non quod ea in illis qui pessima eligunt locum nullum habeat, sed quod voluntatem eorum actu non dirigat. Apparet id ex variis; 1. ex Alcinoo optimo Platonis mentis interprete, qui in dissertationibus suis de doctrina Platonis, cap. 28. ita loquitur: Ἀκρατὲς μὲν ἐστὶ μὴ κατὰ λογισμὸν φρονίμως ἐπὶ δύναμιν εἶναι, τῷ κρείττονι λόγῳ τὴν ἐπιθυμίαν ὑπὸ πάθους, ἢ ἡδονῆς τινὸς ἢ λύπης ἢ φόβου ἢ θάρρους τοῦ ὀρθὸν λόγον, ὑπὸ ἀκρασίας τοῦ πείθειν φησὶν αὐτὸν ὁ Πλάτων. Id est; *porro neque omnino cum intemperantia, & universe si perturbationibus cedat, prudens esse potest aliquis, denique quidquid homo præter rectam rationem facit, id per imperitiam atque imprudentiam ab eo fieri vult Plato.* 2. Apparet id ex communi Veterum pæne omnium consensu, qui improbitatem vocant desipientiam, insciitiam, stultitiam, etiam quando improbitas in illis est qui optime sciunt quid facto opus sit. Hinc Menandro ἄγνοια δυσχήμων αὐθαίρετον vocatur, & Sophocli μωρία ἀδελφὴ τῆς πονηρίας dicitur. Ita Menander:

*Εὐήθεια μοί φαίνεται δηλαδή,*
*Τὸ γιγνόμενον ὅσα δεῖ, μὴ φυλάττεσθ' δι' ἃ δεῖ.*
*Insciitia est manifesta quod scito est opus*
*Id scire, non cavere quod cauto est opus.*

Et Euripides:

*Εὖ γὰρ τόδ' ἴσθι κἂν σ' ἐλάνθανεν πάρος*
*Τὸ σκαιὸν εἶναι πρῶτ' ἀμαθίας ἴχνος.*
*Hoc disce, si non ante didicisti tamen,*
*Pravum esse magna portio imperitiæ est.*

Plura similia sunt, quibus recitandis supersedeo. Tuus quem citas ex Xenophonte locus, unus instar omnium est ex quo id patet. Is enim refert Socratem non distinxisse σοφίαν καὶ σωφροσύνην, sapientiam & moderationem: interrogatumque an illos *qui scirent* N. B. *quæ agere oportet*, contraria vero facerent, sapientes & abstinentes esse arbitraretur, respondisse, imo vero insipientes potius atque ignaros, quod eligendo illa non agant quam maxime possunt, quæ eis conducere videntur. Nota quod dicat *potius*, non autem simpliciter, ignaros eos voco. Sapienter itaque agere Socrati, ex Xenophontis judicio, fuit facere id quod scias rectum esse, & maxime tibi conducere: insipienter agere, id quod scias rectum esse non agere, vel quod scias rectum non esse agere. Hinc enim virtus omnis Sapientia Socrati vocata à Xenophonte dicitur, & vitium omne insipientia; non quod vitiosus homo nesciat semper quid bonum aut rectum sit, virtuosus autem id sciat atque idcirco ille vitiosus hic virtuosus sit, quod hic sciat quid rectum sit, iste id nesciat; sed quod cum uterque sciat quid rectum, quid bonum, quid honestum sit, & quod honestum est faciendum esse, etiamsi cum utilitate nulla conjunctum sit, imo etiamsi cum incommodo aliquo conjunctum foret, iste autem id quod scit non eligit nec facit, hic autē id quod scit rectum esse, eligit & facit, alter prudens, sapiens & sciens meretur dici, alter imprudens, insipiens, stultus, & ignorans, utpote qui nesciat re ista quam in manu sua habet rectè & sapiēter uti; quo eodē sensu etiam apud nos communiter homines sapientes, scientes, & prudentes vocari solent. Hinc Horatius:

*Virtus est vitium fugere, & sapientia prima*
*Stultitia caruisse.*

Hinc nosse vivere, nosse uti Deorum donis, nosse prudenter agere, pro, rectè vivere, Deorum donis rectè uti, & prudenter agere accipi solet; adeo ut de quibus dicimus quod non norint rectè vivere, eos isto nomine sæpe tanquam homines vitiosos & malitiæ deditos designemus, reprehendamus & aversemur, non facturi id nisi culpa istius rei in ipsis esset, ut cum sciant aliter agendum sibi esse, tamen aut nolint aut non curent aliter agere. Adde jam 3. Si Socrates & Plato id quod tu vis censuissent, id est ex ignorantia pura puta Orestem, Alcmæona aliosque patricidas, scelera quæ vix pronuncianda esse dicunt commisisse credidissent, jam profectò non pœna, non tormentis, non suppliciis, sed commiseratione, sed venia, sed excusatione potius esse dignos judicassent. Quid enim apud Philosophos magis dignum venia vel excusatione creditur, quam nescire quod in eo quod agis pecces, aut scientia sciendive potentia præditum non esse, qua à peccando possis inhiberi? Rectè ille:

*Ἄκων δ' ἁμαρτὼν οὔτις ἄνθρωπος κακός.*
*Non peccat is qui sponte non peccat sua.*

Et Seneca:

*Haud est nocens, quicunque non sponte est nocens.*

Sponte autem nemo potest esse nocens, qui per recti bonique ignorantiam antecedenter involuntariam nocens est. Adde his omnibus pro corollario, quod Clemens Alexan.

lexandrinus passim tribuat Platoni, quod τὸ ἀνυπεύθυνον asseruerit, Stromat. 5. τὸ ἀνυπεύθυνον ὁ πλάτων οὐδαμοῦ φησὶ τῶν δὲ ἀδίκων ἕκαστον, ὃν πρῶτον μὲν ἀπρεπὲς, πολὺ μᾶλλον ἄτοπον ἅπασιν φαίνεσθαι, ἀλλὰ λοιμόν. Item lib. 2. Stromat. πᾶς δὲ συγκαταθήσεται ὃ μόνον ἀδικεῖσθαι, ἀλλὰ καὶ εἰ δεῖ τὸ γοῦν ἐφ' ἡμῖν οὕτω λέγουσιν. Ante omnia vero considerandum venit hoc loco, quod Alcinous de Platonis doctrina refert, cap. 26. *De fato*, inquit, *talis fere est Platonis sententia; omnia quidem in fato esse, non tamen omnia à fato decreta. Fatum enim cum legis instar, non ita tamen agit ut, exempli gr. dicas illum hoc facturum, isti rursus illud eventurum esse (quod quidem in infinitum procederet, cum & infinita nascantur, & his ipsis infinita accidant quotidie præterea & libertas nostra, tum laudes ac vituperia, & quicquid illis simile est, tollerentur:) sed sic potius; quæcunque anima talem vitam elegerit, & ejusmodi egerit, hæc consequetur. Liber ergo est animus, ejusque in potestate ut vel agat vel non agat relinquitur, neque ulla cogitur necessitate. Quod autem actionem talem sequitur aut talem, id fato perficitur.* Quæ certe falsa sint necesse est, si verum est quod ei tu tribuis.

Cebetis testimonium eodem loco censendum est. Loquitur enim Cebes non obscurè de ignorantia affectata vel practica, id est, de tali ignorantia quam homines, si modo animum adverterent & operam darent, non haberent. Loquitur enim de ignorantia recte utendi bonis fortunæ sive divitiis, uti ex textu liquet. Eam autem plus quam septies idcirco in hominibus esse affirmat Cebes, quod Genii istius, quem omnes in vitam intrantes rectam viam docere vult, monitis animum non advertant, nec ei obtemperent. Jubet enim is ut ignorantiam & errorem ab impostura hausum abjiciant, & vera quæ monstrat bona consectentur. Quod si vero Cebetis hæc verba universaliter de ignorantia omnis veri boni accipienda esse velis, eodem redibit res. eadem enim ignorantia affectata intelligetur, quando videlicet homines, etiamsi certi ea quæ faciunt impia & rationi rectæ esse dissentanea, ac proinde ea licet fructus aliquis jucundus inde oriri possit, facienda non esse, sed contra quæ sunt justa & rectæ rationi consentanea, facienda esse, etiamsi ea facienti non modo non adferant emolumentum, sed potius damnum ac detrimentum; nihilominus tamen impia ista facere malunt, persuadentes sibi se ista faciendo fructum uberrimum percepturos, adeoque ad veram fælicitatem perventuros esse. qua in re gravissime eos errare dicit Cebes, eo quod non satis diligenter considerent, verum atque optimum bonum esse illud quod per se bonum, rectum ac justum est, etiamsi nullus inde fructus percipiatur, imo etiamsi illud facienti non nisi damnum adferat ac detrimentum: sed quod illud tantum bonum consectentur unde voluptatem aliquam sperant, etiamsi illud injustum, inhonestum & rectæ rationi nullo modo consentaneum esse intelligant. Ignorare itaque bonum & rectum, Cebeti non est simpliciter illud nescire, atque idcirco non appetere; sed vel non curare ut id scias aut intelligas à bono Genio, vel etiamsi id cognoscas atque intelligas, adeo ut contrarium tibi maxime impium esse videatur, ut Cebes loquitur, nolle tamen persuadere tibi id bonum tale esse in quo vera fælicitas sita sit, sed aliud consectandum esse quod cum voluptate conjunctum est, etiamsi id scias impium esse. τὸ γὰρ ἀναισθήτως βοσκημάτων τρόπον ἀπόλαυσιν μιγίστων ἀγαθῶν ἡγεῖσθαι οἶναι. *Nam pecudum more gulæ servire, maximorum bonorum esse fructum arbitrantur:* verba sunt Cebetis. Ignorantiam itaque intelligit Cebes quæ voluntaria est, ac proinde quæ in ipso hominis intellectu à voluntate ipsius libera est, & per quam homo pœnarum illarum, quas recenset ordine Cebes, jure merito sit reus. Ita enim ipse loquitur: ἐξ ὧν (supple vitiorum) οὐ δύνανται ἐκλῦσαι ἑαυτοὺς τῶν δεινῶν οἷς δέδενται ὧδε συνεῖναι καὶ ἀφίκεσθαι ὅδε. ἀλλὰ πάμπολλοι μὲν δὴ πολλοὶ τῷ βίῳ. τοῦτο δὲ πάσχουσι δηλονότι τὸ μὴ δύνασθαι τὴν εὐθεῖαν ὁδὸν ἰδεῖν. ἐπιλαθόμενοι γὰρ τοῦ τοῦδε τοῦ δαίμονος ἀφίστανται. id est: *Ex his difficultatibus, quibus constricti tenentur, ipsi eluctari non possunt, ut serventur & huc perveniant, sed per omnem ætatem turbantur. Quod eo illis accidit, quia viam hanc invenire non possunt; quippe obliti mandatum quod Genius dederat.* Hinc illa verba Cebetis; Hæc consequemini ἐὰν συνῆτε καὶ ἔξω ἀφικοίσθην ἂν ἀκύτερον. Item; οἱ μὲν ἀφορίσαντες τὸ συνήσειν τὸ λεχθέντα φρόνιμοι καὶ δίδαιμονες ἔσεσθε: οἱ δὲ μὴ, ἄφρονες, καὶ κακοδαίμονες καὶ πικροὶ καὶ ἁμαθεῖς γενόμενοι, κακῶς βιώσεσθε. Item ὑμεῖς ἂν σωθείητε καὶ μὴ ἀπόλοισθε. *Fit enim hic perinde, inquit, ut si quis gravi affectus morbo ad medicum perducatur: Is vero purgationibus imprimis omnes causas morbi ejicit, ac tum demum vires confirmat sanitatemque restituit. Sin æger medico non pareat, merito ejectus à morbo interit.*

Ejusdem commatis sunt quæ ex Aristotele adfers: Is enim non modo non in terminis affirmat id quod tu statuis, sed non obscure asserit contrarium. Patet id ex locis illis ipsis quæ allegas. Etenim improbum ignorantem quidem facit Aristoteles: sed expresse interim distinguit inter eum qui peccat ἀγνοῶν & qui peccat δι' ἄγνοιαν. Improbum uti & ebrium atque iratum ἀγνοεῖσθαι peccare dicit: sed negat peccare δι' ἄγνοιαν, quia τὸ τῇ προαιρέσει ἄγνοια ἀλλὰ μετὰ τῆς μοχθηρίας, καὶ ἀεὶ τὴν τοιαύτην ἁμαρτίαν ἀδίκους καὶ ὅλως κακοὺς γίνεσθαι. At si credidisset Aristoteles voluntatem ita esse comparatam, ut à judicio intellectus ad unum præcise determinetur, jam frustra inter hæc distinxisset; sive enim quis faciat quod rectum non est δι' ἄγνοιαν sive ἀγνοῶν, eadem prorsus ratio foret: in neutro culpabilis foret ignorantia. Non magis enim fuisse in potestate voluntatis τοῦ ἀγνοοῦντος, quam in potestate ejus qui aliquid facit δι' ἄγνοιαν dici posset ignorantiam illam habere, quia tam illius quam hujus voluntas primum semper determinata esset ab intellectus judicio per se involuntario, non autem vice versa; ac proinde non magis hic quam ille peccare ac pœna vel supplicio dignus ab Aristotele censeri debuisset. At ἄγνοια quæ τοῦ ἀγνοοῦντος est, vocatur diserte peccatum ab Aristotele, & causa τῆς μοχθηρίας, non autem illa quæ in illo est qui aliquid indecori facit δι' ἄγνοιαν. unde etiam liquet per hanc ἄγνοιαν, non ἄγνοιαν tantum facti ab Aristotele intelligi, sed quamlibet quam non habere non est in potestate voluntatis ejus in quo est, sive quæ ad voluntatem hominis se habet antecedenter. Hæc enim simpliciter est involuntaria, ac proinde formaliter peccati expers, neque supplicio ullo digna. Sed de hac re pluribus agetur in sequentibus. In cæteris quæ citas locis aliud nihil dicit Aristoteles, quam voluntatem sive appetitum hominis sequi judicium rationis practicum, tum quando voluntas jam sibi ipsi proposuit certum aliquem finem, sive certum aliquod bonum quod præcisè vult habere, & intellectui imperavit de medio consultare ac deliberare quo illud consequi possit: Posita enim hac volitione præcedanea, & judicio practico deinde monstrante medium necessarium, determinatur quidem voluntas à judicio, at non proprie vi judicii, sed vi antegressæ illius volitionis; quod ex eo apparet, quia si homo desistere velit à prosequendo bono isto, sive à proposito istius finis, judicium illud non magis movebit eum quam si nullum sit. In exemplo Aristotelis quod allegas patet res. Ita enim colligit: Agendum mihi est bonum, id est, volo facere aliquid quo bene ac commode vivere possim: domus autem est bona commodaque: statim ergo domum construam & ædificabo. vel, faciendum aliquid est quo careo: veste autem careo: vestis igitur facienda est. Hic nemo non videt Aristotelem agere de judicio quod voluntatem determinat, suppositâ volitione de certo aliquo fine adsequendo, id est quod non ex vi sua, sed ex vi istius præcedaneæ volitionis determinat. Alioquin enim posito quod homo de proposito bene commodeque vivendi velit desistere, imo malit opulentus esse quam commode vivere, an putamus hoc judicium intellectus vi sua eum moturum ut in hoc proposito perseveret? Nihil minus. Adde Aristotelem hæc, uti in exotericis scriptis suis solet, propulariter potius aut moraliter quam ἀκριβῶς affirmare. Apparet id ex eo, quod colligat, idcirco domum faciendam esse quia domus bona commodaque est. Nec enim sequitur, hoc bonum commodum que est, ergo hoc bonum, commodumque volo facere. Possunt enim plura bona commodaque esse, interque ea potest libere adhuc homo eligere id quod vult, etiam posito judicio rationis de iis quod pariter bona commodaque sint.

Sequuntur Scholastici, qui vocantur: Ex horum Scholis quia in iis sententia Platonis, Xenophontis, & Aristotelis cæterorum (ut ais) principis recepta est, quam cum tua commune nihil habere jam ostendimus, utique sententia tua meritò explosa videri debet. *Sed tu id*, inquis, *nunquam effecerit.* Calvinum itaque tuum repudies necesse est, Camero, qui Scholasticis non uno in loco cap. 2. lib. 2. Instit. tribuit hanc opinionem, *Quod in voluntate hominis, etiam in statu corruptionis, reliqua manserit facultas ultro ad bonum adspirandi, sed imbecillior quam quæ in solidum affectum emergere aut conatum excitare possit*, sive, *Quod in homine manserit ratio prorsus incolumis, voluntas etiam majori ex parte. Nec dubium*, inquit, *quin hanc opinionem, ab Origene & Veterum quibusdam sumtam, Scholastici communiter amplexi sint.* Sed Calvinum fortasse hac in parte flocci facies. Esto. Videamus itaque quid tu adferas pro te ad causæ tuæ defensionem. *Sane Fonseca*, inquis, *qui totus vester est, multos & graves authores esse dicit, qui asserant voluntatem determinari, & quoad speciem actus, & quoad exercitium, ab ultimo dictamine seu judicio practico intellectus.* Fonsecam mihi jam videre non licuit. Esto. Non repugnat id quod dicit *Multos & graves* authores sententiam istam tenere, verbis meis quibus assero sententiam tuam è Scholis pæne omnibus explosam esse, & paucos reperiri qui ei patrocinium suum commodent. Multi enim authores isti, quos Fonseca id asserere ait, revera pauci sunt ac pæne nulli, si conferantur cum iis qui sententiam istam damnant. Et quis nescit voces istas, multi, pauci, nullus, nemo, omnes, totus mundus, &c. πιθανὰς esse, & ex communi usu interpretan-

*Item dicta Scholastico-rum.*

tandas? Sed posito etiam, quod multo plures sententiam istam adserere dixisset Fonseca, quod nullo modo verosimile est, non tamen propterea minus rectè à me dictum fuisset sententiam tuam è scholis explosam esse. Sententia enim tua non tantum in eo à me statuitur, quod dicas voluntatem determinari à judicio rationis practico, sed in toto illo complexo, quod voluntatem ita determinari à judicio velis, ut voluntati nulla prorsus indifferentia aut libertas, sive contradictionis, sive contrarietatis, competat; sed tota quam voluntati competere vis libertas, nihil aliud sit quam lubentia & spontaneitas quædam: hanc sententiam tuam ita conceptam, dico damnatam & explosam esse à Scholis. Quotquot enim scholæ sunt, sive eæ voluntatem à judicio rationis practico velint determinari, quales certe pauciſſimæ sunt, sive id nolint, eæ omnes unanimiter libertatem, sive indifferentiam, voluntati formaliter tribuendam esse asserunt. Testis esse potest unus Bellarminus qui totus tuus est, & quem tu ad unguem pæne sequeris, etiamsi id plane dissimules. Is enim ut ut sententiam istam, de determinatione voluntatis per judicium rationis practicum, aperte propugnet, nihilominus tamen id solicite agit, ut libertatem in sola lubentia & spontaneitate sitam non esse probet, & voluntati indifferentiam tanquam formalem proprietatem adserat. Non disputo jam quo jure id faciat, sed tantum ostendo eum id facere, & quotquot cum eo in isto capite sentiunt authores, adeo ut hoc ipsum negantes in hæresim ab Ecclesia damnatam incidere uno ore adserant; quod satis mihi est ad hoc ut evincam sententiam etiam tuam, prout jacet, è scholis explosam videri debere. Quod si qui inter eos indifferentiam illam dicis causa voluntati tribuant, & reipsa tecum libertatem voluntatis nil nisi spontaneitatem aut lubentiam esse statuant, sive quod non credant rem aliter concipi posse, sive quod alioquin fataliter omnia evenire persuasum sibi habeant, ii vel pauci admodum sunt, vel si plures aut multi sint, pro talibus censendi non sunt, eo quod publice id non profiteantur, proque sententiæ istius patronis haberi nolint, vel (etiamsi id profiterentur) pauci nihilominus habendi forent, comparatione facta ad eos qui contrariam sententiam tuentur, & istam publicitus tanquam hæreticam damnant. Estium habere non potui: Video tamen omnes pæne qui quidem mihi in manus venerunt Jesuitas, sententiam Estii confutare, neque tamen hæreseos eum postulare; quod signum mihi est eum liberum arbitrium, prout libertas notat indifferentiam voluntatis, nihilominus adseruisse aut adserere videri voluisse. Certe fundamentum ipsius ex sacris, cui superstruit præcipue sententiam suam, nimirum dictum illud Solomonis, *Errant qui operantur malum*, Proverb. XIV. 22. quam sit debile, imo ineptum, præclare ostendit ex ipso fonte Hebræo in disputationibus suis de actibus supernaturalibus in genere, Ægidius de Koninck Bellanus, Professor Theologiæ Lovanii, aliique. Martinus Becanus ita loquitur: *Non est absurdum ut peccatum sit in voluntate, antequam error aut deceptio sit in intellectu, ut patet in Angelis malis, & primis parentibus, juxta communem multorum sententiam:* in Tract. de lib. arbit. Quæst. 5.

Zuares tandem etiam in hunc gregem à te conjicitur, quem tamen aperte & in terminis contrariam sententiam propugnasse certum est. sed is tibi agmen claudit, tanquam vi veritatis adactus: nempe statim & pæne eo ipso momento quo contrariam propositionem adseruerat. Magna equidem hæc vis est tuæ veritatis, Camero. mirum ni fatuum eum potius facias, qui calidum simul & frigidum eodem ore efflare voluerit. Dixerat immediate ante in terminis: *Non existimo, absolute loquendo, necessarium ad operandum malum per voluntatem, ut præcedat defectus erroris in judicio intellectus vel speculativo vel practico. Quod mihi satis probant argumenta facta. & hoc fateor sequi ex illo principio, quod nullum judicium intellectus per se sufficiat ad determinandum voluntatem.* Huic primæ assertioni subjicit secundam illam quam tu citas: *Assero, moraliter loquendo, nunquam voluntatem labi, quin præcedat in intellectu aliquis defectus, saltem inconsideratio aliqua plurium rationum vel motivorum*; &c. An hæc secunda propositio quicquam habet, unde tu tuam sententiam quasi vi veritatis extortam dicere possis? Certe cum moraliter loquendo, id est secundum ea quæ moraliter loquendo accidunt, id se adserere dicit, satis indicat se dicere id quod salva prima propositione, quæ tuæ sententiæ aperte contradicit, adfirmari poterat. Mirum profecto unde tu colligere possis, vim veritatis tuæ fuisse quæ hanc Zuaresio vocem extorserit, ut se ipsum tibi contrarium, eodem pæne spiritu quo te damnaverat, iterum te absoluto damnaret. Sed hæc somnia sunt. Error enim iste quem, absolute loquendo, negat Zuares præcedere operationem voluntatis, est error positivus iste quo tu vis peccantem, ante omnem volitionem, judicare hoc sibi faciendum esse. At error iste quem, moraliter loquendo, præcedere semper operationem vult, est error latius sumtus, qui complectitur sub se tum ignorantiam, tum inadvertentiam, tum defectum considerationis; qui aliquomodo participant de voluntario, quatenus homo ea quæ ipsum à peccando possent avertere minus diligenter considerat.

Concludo itaque nihil à te allatum esse, unde appareat sententiam tuam quam tueris, è scholis pæne omnibus explosam non esse; ac proinde verum videri debere id quod à me in Epistola obiter indicatum fuerat, eam revera ex scholis pæne omnibus explosam esse. Itaque quæcunque à te porro in hoc capite dicuntur, ea nec scholastice à te dicuntur, nec verè: Non scholastice; quia peccatum in voluntate esse posse antequam error aut deceptio sit in intellectu, absolute loquendo, scholasticorum multorum communem esse sententiam ex Becano aliisque jam ante diximus. Nec vere; quia voluntatem posse appetere moraliter malum, etiamsi intellectus id malum tale esse, id est vetitum esse judicet, sola peccata contra conscientiam, contra Spiritum S. & quæ ad mortem vocantur, non obscure arguunt. Quare cum homo Euangelium audit, quo invitatur ad fidem & pænitentiam, non est necesse ut si credere & pænitere nolit, errore aliquo adductus nolit, nedum errore (uti tibi error omnis est) invincibili; alioquin contra conscientiam suam nunquam agere dici posset, quando non vult credere aut pænitentia duci, prout in Euangelio ipsi præscribitur; neque magis graviusque peccare posset Euangelium respuendo, ac proinde nec pæna aut supplicio graviore, idcirco quia id respuit, dignus fieri posset. Quæ omnia contra communem sensum, contra experientiam, & ipsius S. Spiritus judicium dici, quis non videt? Certum quidem est, moraliter loquendo, sive plerumque, rationes prætexi ab homine, quibus motus videri vult in errorem inductus esse: sed si res proprius consideretur, facile observare est fere non rationes esse quæ eum induxerunt, sed puram putam voluntariam inadvertentiam, negligentiam, ac non raro obstinatam malitiam, pugnantem cum rectæ rationis, aut luminis quod accepit à Deo, dictamine, qua ad agendum impulsus fuit: ita ut non credat, non quia perperam judicavit, aut errore aliquo mentem fascinatam habuit, sed quia aut recte judicare non voluit, cum posset, aut etiamsi recte judicaret, id est, etiamsi se peccaturum sciret, si aliter ageret, aliter tamen agere, id est affectibus suis obsequi voluit. Sed hac de re in sequentibus postea agetur pluribus. Nunc id tantum dico, si id verum est; voluntatem non posse appetere id quod malum est, id est id quod peccatum est, nisi error in intellectu præcesserit, à quo ad id appetendum voluntas determinata fuerit; itaque peccatum Adami non modo non fuisse peccatum contra conscientiam, sed ne peccatum quidem, quia ab errore qui in intellectu ejus fuit, ideoque prorsus involuntario, necessario profectum à te dici debet. Scio te hæc cum Estio tuo fateri, imo supra Estium errorem illum qui in intellectu Adami fuit peccatum primum fuisse statuere: sed & scio hoc esse ingens absurdum illud, quo majus ac pernicioſius in natura aut Theologia dari non potest, quodque plura & graviora post se trahit absurditatum syrmata, uti in sequentibus fuse cum bono Deo ostendemus. Quod de Thomæ sententia subnectis, id ego quidem lubens tibi concedo verissimum esse, sed id plane nihil contra me facere suo loco demonstrabo. Scio quidem Ægidium de Koninck, cujus antea mentionem feci, aperte affirmare, (an alios sibi adsentientes habeat nondum mihi liquet) bonum in communi & bonum summum, id est beatitudinem, non necessario sed libere à nobis amari, etiamsi ea non possimus nolle vel odisse, quia objecta odii esse non possunt; & habet rationes consideratione non indignas, quæ si veræ sunt, tota tua sententia, Camero, nil nisi palea est. Sed ego eum non sequar, neque ut sequar necesse habeo. dabo libens verissimum id esse quod Thomam sentire vis; sed ego qua ratione id causæ tuæ nihil prosit, & meæ non obsit, in sequentibus ostendam, ubi ea de re ex professo agetur.

## CAPUT VI.

### Ostenditur sententiam Cameronis fautores non habere nec veteres nec recentiores Theologos.

ATque hactenus quidem quo jure sententiam tuam è scholis pæne omnibus explosam esse dixerim, & quam infæliciter tu contrarium ostendere conatus sis, apparuit. Nunc videamus quo jure tu tuopte arbitratu, nulla à me occasione accepta, Theologos tum veteres tum recentiores sententiæ tuæ patronos feceris. Vix credebam oculis meis, cum huic rei caput integrum ex professo à te destinatum esse viderem, & tam aperto ore à te affirmatum legerem, non tantum

*Patrum primorum non favent sententiæ Cameronis.*

tum primos istos Patres tecum sensisse, sed & recentiores primis istis consentire. Obsecro, mi Camero, noli mihi succensere: res ipsa ita me cogit loqui. Contra Solem te loqui velle credebam, & negare eum meridie lucere. Nam 1. quid apertius clariusque quam Theologos veteres trium primorum sæculorum, saltem qui ad Augustini usque tempora floruerunt, libertatem arbitrii nostri, sive indifferentiam ad utrumque oppositum à necessitate omni interna & externa immunem adstruxisse, ac proinde contrarium sententiæ tuæ in terminis propugnasse? Docent & fatentur id pæne omnes Theologi reformati, ubi authoritate eorum in materia de libero arbitrio premuntur. Ita Melanchton in IX. *cap. ad Rom. Scriptores veteres omnes, præter Augustinum, ponunt aliquam causam electionis in nobis esse.* Calvinus ipse lib. 2. Inst. cap. 2. sect. 4. multos eorum (designat autem veteres, uti ex periodo sequente liquet) longe plus æquo Philosophis accessisse, & Scripturæ doctrinam cum Philosophiæ dogmatibus dimidia ex parte conciliare studuisse affirmat. Et postea: nimis Philosophicè hac de re locutos eos dicit, qui se Christi jactabant esse discipulos. Taxat deinde Latinos, apud quos liberi arbitrii nomen semper exstitisse dicit, & Græcos Patres, quos non puduit, inquit, multò arrogantius vocabulum usurpasse, scilicet τὸ αὐτεξούσιον. Alii primos istos Patres diserte Pelagio favisse asserunt, alii eos reipsa, alii phrasibus πελαγιανίζουσι faciunt; nec desunt qui eos Semipelagianismi postulant, solaque Augustini authoritate contra Pelagium tuto pugnari posse & pugnandum esse clamant. Quid itaque 2. clarius, quam recentiores non posse recte Veteribus istis consentientes statui, cum ipsi se ab iis dissentire profiteantur? Et hæc tamen tanta cum fiducia, dicam, an audacia, adseverare es ausus, ut integrum caput istis probandis impendere non dubitaris? Neque tamen, quod merito mirari licet, ullum sive ex Veteribus, sive ex recentioribus (unum forte Bucerum excipe) locum citas, qui αὐτεξούσιον probat aut adserit id quod tu illos credidisse vis, imo ne quidem locum citas, ubi ex professo istud argumentum tractatur, sed lacunas quasdam locorum avulsas ostendis, in quibus nihil minus quam de isto capite agitur: quod profecto accurati disputatoris non est. Nemo enim nescit orationes istas, quæ in sermone liberiore extra litem & controversiam proferuntur, excitando auditori aut illustrandæ rei alicui, non ita ad vivum resecandas esse, ut ex iis argumenta formentur. Sed quia ita tibi visum est, age videamus quæ attulisti testimonia.

Primo loco Iræneum citas, præterito Justino Martyre, cui perpetuo pæne τὸ ἡμῶν αὐτεξούσιον· τὸ ἐξ ἀμφοῖν ὑγιὲς καὶ κατορθοῦν ἢ ἁμαρτάνειν ἡ οἰκεία ἑκάστου δύναμις in ore est, aliisque. Cæterum Iræni verba quæ citas hæc præcipua sunt: *Agnitio enim Dei renovat hominem.* At quis inde colligat, Irenæum credidisse voluntatem determinari ab intellectu? ut enim jam non dicam de eo, an per agnitionem Irenæus simplicem cognitionem quæ in mente est intellexerit, quid familiarius & usitatius quam cognitioni effectus omnes voluntatis tribuere, quia sine ea ii esse non possunt & fere per eam produci solent? Aliud certe est cognitionem renovare, aliud necessario renovare. cognitio renovat quia ea natura & propria quasi vis cognitionis est, voluntatem movere, & quia plerumque movet. At ita non movet ut homo nunquam ei obicem ponat per voluntariam negligentiam, aut contumaciam. Contrarium ex duobus indiciis patet: 1. quia de quibusdam expresse affirmatur, quod cum Deum cognoverint eum tamen ut Deum non glorificaverint. 2. quia de iis qui cognitionem veritatis semel acceperunt, & per eam renovati semel fuerunt, imo per eam inquinamenta mundi verè effugerunt, affirmatur quod iisdem tamen iterum implicentur, & ultro sive dedita opera peccent. Quibus directè contradixisse Iræneum dicatur necesse est, si istud quod tu vis verbis ipsius continetur. At tantum abest ut id fecisse credi debeat, ut contra eum non obscure contrarium fecisse, ex variis locis manifestum sit, in quibus pro arbitrii libertate, sive indifferentia, ex professo disputat, & iisdem argumentis pugnat quibus ego in Epistola mea usus sum: nominatim cap. 72. lib. 4. adversus hæreticos. Videantur qui id prolixe & clare ostenderunt. Soli lucem fœnerari velle viderer, si quid istis adjicerem. Duo tantum loca proferam, ne quid dubites. Primus est lib. 4. adversus hæreticos cap. 9. *Homo vero rationabilis, & secundum hoc similis Deo, liber arbitrio factus, & suæ potestatis, ipse sibi causa est ut aliquando quidem frumentum, aliquando autem palea fiat, quapropter & juste condemnabitur.* Deinde cap. 71. libertatem humanæ voluntatis non omnino sublatam esse per peccatum, adversum sui temporis hæreticos docet, argumento sumto à præmiis & pœnis: Confirmat autem istud illustri loco Pauli *ad Romanos* II. 4. *An divitias bonitatis*, &c. Sic enim concludit tandem: *Dedit ergo Deus bonum, quemadmodum & Apostolus testificatur in eadem Epistola, & qui operantur quidem illud, gloriam & honorem percipient, quoniam operati sunt bonum, cum possent non operari illud. Hi autem qui illud non operantur, judicium Dei nostri recipient, quoniam non sunt operati bonum cum possent operari illud.* Hæc Irenæi dicta clariora sunt, quam ut iis opponi possit id quod à te citatum est, vel cum iis componi sententia tua. Ubi enim determinatio talis locum habet, ibi libertas ista, qualem Irenæus istis in locis homini tribuit, ut statuatur impossibile est. Adde tamen præcedentibus, id quod lib. 4. cap. 62. dicit: *Non tantum in operibus, sed etiam in fide, liberum & suæ potestatis arbitrium servavit homini Deus.*

Post Irenæum Basilium citas, præterito toto sæculo tertio. In eo sunt Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Cyprianus, Arnobius, Lactantius; quos omnes tibi aperte adversari certissimum est. Tertullianus lib. 2. adverss. Marcionem, pæne aliud nihil agit quam ut sententiam tuam oppugnet. Hominem liberum & suæ potestatis suique arbitrii plus quam vicies appellat, ad obsequium & ad contemtum liberum ac voluntarium, adeo ut nullam magis imaginem & similitudinem Dei in illo animadvertere se dicat, quam ejusmodi status formam, &c. vocat autem arbitrii libertatem & potestatem, *quasi libripendem emancipati à Deo boni*, cap. 5. & libertatem in utramque partem illi concessam, ut NB. *sui dominus constanter occurreret, & bono sponte servando, & malo sponte vitando, quoniam & aliàs positum hominem sub judicio Dei, oportebat justum illud efficere de arbitrii sui meritu*, liberi scilicet. *Cæterum nec boni nec mali merces jure pensaretur ei, qui aut bonus aut malus necessitate fuisset inventus, non voluntate.* Ibid. Unde & deliquisse homines dicit per liberum arbitrium, cap. 9. *Deo quidem rationabiliter attributum, ab homine vero NB. qua voluit agitatum.* Clemens Alexandrinus in libris suis Στρωματέων passim τὴν ἑκούσιον πίστιν intonat. Nobis autem τὴν αἵρεσιν καὶ τὴν φυγὴν αὐθεκουσίαν dutam dicit, lib. 2. & πᾶσαι, inquit, τὰ πίστεως καὶ ἀπιστίας ἰδιότητι καὶ διαφορότητι ὅτι ἐπαινῶ ὅτι μὴ ψέγω ὑποπίπτει ἂν ἐρωτῶ λογιζομένοις σφηγεμόνων ἔχεσθαι τὴν ἐκ τοῦ τὰ παρ' ἐμὲ δυνατὰ φυσικῶν ἀνάγκῃ γινομένων Ibid. & lib. 6. καὶ μὴ μεταποίησαι, κελεύομεν· οἱ μὲν ὅτι δυναθέντες οὐκ ἠθέλησαν πιστεῦσαι τῷ Θεῷ. οἱ δὲ ὅτι ἐθέλησαντες, σὺν ἐξεπονήσαντο ἀξιόπιστοι πιστοὶ. *Quod si non fuerint ducti pœnitentia, judicantur aliqui quidem quod cum possent noluerunt Deo credere; alii vero quod cum vellent non elaboraverunt ut fierent fideles.* Hæc διὰ παντὸς à tuis distant.

Origenes etiam tam longe abest à tua opinione, quam cælum à terra. Nihil magis urget, cum τὸν καλὸν προαίρεσιν, τὸ πείθεσθαι, inquit, est τῆς καλῆς προαιρέσεως; quam sæpe appellat τὸν ῥοπὴν τῆ αὐτεξουσίᾳ. Visa ait non esse in nostra potestate, sed τὸ κρῖναι. pag. 267. τὸ χρήσασθαι, 268. τὴν συγκατάθεσιν, τὴν ῥοπὴν, τὴν ἐνδόκησιν. In solutione locorum in speciem pugnantium, pag. 276. refutat putantes σὺν ἐμίστερον ἔτερον εἶναι τὸ καθ' ἁρπτὴν βιᾶν, ἀλλὰ NB. πάντα θείαν χάριν. pag. 270.

Gemina his habent Cyprianus, Arnobius, Lactantius; quæ citata videre potes à Clarissimo Viro Gerardo Vossio, Histor. Pelag. lib. 7. part. 2. pag. 712. 713. & à Doctissimo Joanne Corvino, in responsione ad Notas Bogermanni, & in censura Anatomes Molinæi, aliisque.

Basilium videamus an is tuus sit. Ejus hæc sunt verba Homil. 10. Hexam. *Habeo in creatione id quod secundum imaginem est. Fio autem proposito & voluntate etiam secundum similitudinem. Ubi tua est gratia? Cur tu coronatus es? Si enim opifex totum NB. contribuit, quomodo regnum cælorum tibi apertum est?* Nota, si opifex inquit totum contribuit, id est, si Deus solus totum facit, determinando voluntatem tuam per illuminationem intellectus, tu autem nihil facis, non es coronandus. quasi diceret, si ille multum, tu autem id parum quod in te est contribuis, recte coronari dici potes. Homil. 37, ubi probat Deum non esse authorem malorum, hæc verba leguntur: *Deo non est gratum quod coactum est, sed quod ex virtute recte geritur. Virtus autem est ex voluntate, non ex necessitate.* (Nota necessitatem & coactionem pro uno eodemque accipi à Basilio.) *Voluntas vero ex iis quæ in nobis sunt dependet. In nobis autem est liberum arbitrium.* Si sequentia consideres, videbis argumenta & rationes communes quæ in Epistola à me citantur, ab eodem Patre allegari. Quod si forte hæc tibi non satisfaciant, vide quid dicat frater ipsius Gregorius Nyssenus, quem optime fratris sui mentem intellexisse non negabis, opinor, in Oratio. Catech. cap. 36. *Video quam sit parvum & quam facile fieri possit id quod est in principio, nempe fides & aqua. Illa quidem sita in arbitrio liberæ nostræ electionis: Hæc vero quæ simul cum vita nostra alitur.* Et cap. 6. *Dicimus de fide quantum contines vox Euangelii, nempe ut qui Spirituali gignitur regeneratione, sciat à quonam gignatur, & quale fiat animal.*

Solum

*Solum enim hoc genus generationis habet in potestate, ut id fiat quod elegerit.* Hæc cum illa voluntatis necessaria determinatione, quæ per judicium mentis fieri à te dicitur, non magis possunt consistere aut conciliari quam aqua & ignis. Neque vero hisce dictis opponi meretur locus iste qui à te citatur, in quo Basilius enarrans illa Davidis verba: *Putruerunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ*, sic ait, *Insipientiam stultum factum suum nominat, ab insipientia procedens*, πᾶν γὰρ ἁμάρτημα καὶ ἄφρονι λόγῳ γίνεται. Per stultitiam enim intelligi à Basilio inscitiam speculativam sive involuntariam, per quam voluntas ad peccandum determinatur, unde probas Camero? Contrarium inde non obscure colligitur, quod Basilius hanc commentationem suam applicet verbis Davidis, quem factum suum scelleratum vocare dicit insipientiam. At quis dicat Basilium affirmasse, Davidem adulterium & homicidium feciſſe per ignorantiam, quod videlicet aut nesciverit se in eo peccare, aut saltem non sciverit se rectius deoque gratius facturum, si ab istis sceleribus patrandis abstineret; cum jam ante regenitus, & cognitione Dei persuasiva, quam vocas, donatus fuerit? Quis, inquam, hæc Basilium aut credidisse, aut affirmasse dicat, præter te unum Camero? Recte tamen insipientiam vocavit David factum suum, quia in facto isto David stulti instar egerat, sequendo potius carnis suæ ductum quam divinæ sapientiæ consilium: quod sequendum tamen potius esse non poterat ignorare. Et hac ratione omne peccatum recte dici potuit à Basilio fieri per insipientiam, sive potius καὶ ἄφρονι λόγῳ, id est cum stultitia & insipientia conjunctum esse; quia stultorum est non sequi id quod optimum est, sed quod sensibus occurrit. Itaque omnes quotquot sensuum appetitum sequuntur, cum sciant sequendum esse quod recta ratio sequendum esse dictat, ii merito stulte & insipienter agere censendi sunt, quatenus stultitia opponitur non scientiæ speculativæ, sed prudentiæ sive prudenti electioni.

Tertium locum apud te tenet Chrysostomus: quem qua fronte in scenam tanquam tuum producere ausus fueris non capio. Vehementer equidem te abripuit caussæ tuæ studium. Chrysostomus enim is est quem Calvinus, tanquam principem liberi arbitrii & arrogantissimi istius, ut vocat, vocabuli δογματολὸν patronum ac propugnatorem nominatim flagellandum sibi sumsit. Ita de eo loquitur libr. 2. Instit. Cap. 2. §. 4. *Habet Chrysostomus alicubi: Quoniam bona & mala in nostra Dei potestate posuit, electionis liberum donavit arbitrium, & invitus non retinet, sed volentes amplectitur.* Item: *Sæpe qui malus est si voluerit in bonum muratur; & qui bonus, per ignaviam excidit & fit malus: quia liberi arbitrii esse nostram naturam fecit Dominus, nec imponit necessitatem sed congruum remedium appositis totum facere in ægrotantis sententia finit, &c. Verbum hoc illi familiare est, Afferamus quod est nostrum, reliqua Deus supplebit, &c.* Concludit: *Certe quas retulimus sententias esse falsissimas paulo post constabit. Porro Græci præ aliis, atque inter eos NB. singulariter Chrysostomus, in extollenda humanæ voluntatis facultate modum excesserunt,* &c. Et passim alibi videas eum in optimum hunc patrem incurrere, tanquam necessitatis illius quam ipse supercilioſe assertum ibat acerrimum hostem. Nec mirum. Nullus enim est qui frequentius, liberius & accuratius pro libero arbitrio loquitur, & efficacius ad virtutem isto argumento stimulat, quam *aureum* illud *os*, illæsa tamen semper gratiæ divinæ necessitate. Complura alia loca allegare possem: sed nolo in meridie candelam accendere. Et hunc tamen Patrem tu Camero non dubitas tuum facere, adductus nescio quo miserabili quem citas loco, qui optimæ interpretationis sensum admittit, &, si eum omnino non admitteret, istis quæ ipse Calvinus citat locis, aliisque innumeris longe clarissimis, non conferri, nedum opponi meretur; præsertim cum in istis quæ Calvinus citat aliisque, ex professo agatur de natura voluntatis & liberi arbitrii: in hoc autem quem tu citas de ea prorsus non agatur.

Augustini testimonia quæ citas non examino. Ea enim merito jure aut obscura videri debent, quia quælibet pæne secta ea sua facit; aut si obscura censenda non sunt, vel saltem obscura tibi non videntur, non continere dici possunt nisi privatam Augustini opinionem, quæ nunquam in Ecclesia communi consensu approbata, nedum in articulum fidei reducta, aut per debitas regulas in ea definita, sed contra multis contradictionibus semper obnoxia, quin uno eo nomine gravissime à multis Ecclesiis & Episcopis, præsertim in Gallia, traducta fuit, *quod contraria videretur Patrum opinioni & Ecclesiastico sensui*, ut referunt Prosper Aquitanus Episcopus Rhegiensis, & Hilarius Arelatensis, in Epistolis quas ad Augustinum scripserunt. quorum alter ut ut manibus pedibusque Augustini sententiam, ad componendas turbas ex Augustini opinione ortas plausibilem reddere conaretur, non tamen effugere potuit, quin de eo scripserit Gennadius cap. 84. de Scriptor. Eccles. in hanc sententiam: *Legi & librum ejus adversus Collatoris opuscula, sub persona Cassiani. Quæ Ecclesia Dei ut salutaria probat, ipse infamat.* Nec refert sive dicas Augustinum determinationem voluntatis adseruisse per immediatam actionem in ipsam voluntatem, uti plerique, sive per mediatam, eamque vel congruam, uti quidam, quibus Prosperi ipsius judicium optime favet, vel physicam vi sua necessitantem, uti tu cum aliis pauciſſimis credis: eodem enim res redit. Privatam istam Augustini opinionem, imprimis controversam adhuc, ego tanti non facio quanti Patrum omnium præcedentium consentientem & apertam sententiam, imprimis cum Augustinus suam istam opinionem Patrum etiam istorum authoritate, licet non nisi Cypriani, Nazianzeni & Ambrosii testimonia citet, tueri voluerit.

Ambrosium etiam injuria sententiæ tuæ patronum facis. si quis enim alius, hic etiam necessitatis hostis & defensor libertatis est acerrimus. Neque quicquam pro te facit quem citas locus. Loquitur enim Ambrosius de iis qui jam credentes sunt & devoti: eos autem tales tanto propensiores fieri dicit ad devotionem & fidem, quando spem illam, id est promissionis gloriam quam credunt & sperant, plenius clariusque cognoscunt. Quid mirum? Voluntate enim eorum jam ante, per fidem istam devotam quam libere Deo adhibuerunt, incitata, imo jam currente alacriter, quid certius quam eam novo scientiæ clarioris lumine, veluti stimulo quodam atque æstu blando impulsam, alacrius lubentiusque cursuram? Quod autem dicit eos futuros propensiores *necessario*, id Rhetorice potius aut populariter quam Logice dixit, uti ex aliis scriptorum ipsius locis colligere est. Ita enim lib. 2. de Cain & Abel cap. 13. loquitur: *Ideo omnibus opera sanitatis detulit, ut quicunque perierit mortis suæ causas sibi adscribat; qui curari noluit cum remedium haberet, quo posset evadere.* Item: *Vult Deus omnes salvos fieri, sed si accedant ad eum. non enim sic vult ut nolentes serventur, sed vult illos servari si & ipsi velint.* Vide eundem in *Psal.* CXVIII. Serm. 8. & lib. 5. de fide, cap. 4. explicans verba illa Christi, *Non est meum dare vobis*, &c. inquit: *Non est meum qui justitiam servo, non gratiam. denique ad Patrem referens addidit: Quibus paratum est: ut ostendat Patrem quoque non petitionibus deferre solere, sed meritis; quia Deus personarum acceptor non est. unde & Apostolus ait; Quos præscivit & prædestinavit. Non enim ante prædestinavit quam præscivit, sed quorum præmia prædestinavit.* Similia plura loca annotant alii. Certe in *Psal.* CXVIII. 148. octon. 19. super illa verba, *Prævenerunt oculi mei ad te diluculo*, his verbis utitur: *Nos debere prævenire Deum antequam dicat: Ecce adsum.* Quæ certe eum dicturum qui tuæ sententiæ adstipulatur, quis nisi vecors dicat? Gregorii magni eadem est ratio, ut & cæterorum Patrum, tum Græcorum, tum Latinorum quos tu hic præteriisti; puta Gregorii Nazianzeni, Theodoreti, Hieronymi, Cyrilli, Hilarii, aliorumque: inter quos Theodoretus definitionem Philosophorum laudat, qua fidem definiunt, ἰδιάζουσαν ψυχῆς συγκατάθεσιν. Hactenus ostendimus Veterum Theologorum sententiam non modo cum tua non convenire, sed toto quod ajunt cælo à tua distare.

*Neque recentiores Theologi.*

De recentiorum sententiis non opus est ut multis tecum disputem; quia eorum sententiam jam tibi sequi non licet, nisi quatenus ea cum regula Dordracena quadrat. Id tantum hic dicam, Fieri non posse ut tu eos idem tecum & cum Patribus veteribus sensisse dicas, nisi eos, saltem Calvinum qui jam inter eos ut Aristoteles inter Philosophos principatum obtinuit, cum veteribus istis ac nominatim cum ipso Chrysostomo sensisse dicas: cujus tamen sententias ut falsissimas (verba Calvini sunt) damnat: quemque in extollenda humanæ voluntatis facultate, id est in aperte tibi contradicendo, modum excesſisse ait, ut ante ostendimus: quo quid absurdius? Deinde neminem eorum quos tu citas, (unum forte Bucerum excipi volo) in terminis id affirmare quod tu statuis, sed ex omnibus per consequentias, non incertas solum sed & falsas, id à te deducendum esse. Evinco id uno argumento, quod ex Calvino (de aliis non loquor, quorum opera in hoc exilio videre mihi non contigit) id deducas; quem tamen satis apparet ex solo libro secundo Institutionum, ubi de hac materia ex professo tractat, duo statuere directe tibi contraria: unum, voluntatem etiam aliquando peccare, etiamsi non præcedat error in intellectu: quod adversa fronte tuo placito repugnat. Nam postquam dixerat §. 23. cap. 2. lib. 2. sæpe fieri ut homo in thesi ipsa universali non errans, in particulari tamen erret, id est, cum ad hypothesin venit, regulæ istius universalis oblivisceatur, subjicit: *Hæc est ignorantia, dum homo ubi ad hypothesin ventum est, ejus regulæ obliviscitur, quam in thesi nuper constituerat.*

*tuerat.* Pergit: *Quamquam ne istud quidem est perpetuum. Sic enim interdum flagitii turpitudo conscientiam urget ut NB. non sibi imponens sub falsa boni imagine, sed sciens & volens in malum ruat. Ex quo affectu prodeunt istæ voces, Video meliora proboque, Deteriora sequor.* Hac de caussa laudat ibidem opinionem Aristotelis, qui inter incontinentiam & intemperantiam videtur distinxisse. ubi incontinentia regnat dicit per affectum perturbatum, seu πάθος, particularem notitiam mentis eripi, ne malum observet in suo facinore, quod generaliter in similibus cernit; ubi deferbuit perturbatio, pœnitentiam extemplo succedere: intemperantiam autem non extingui aut frangi peccati sensu, *sed contra obstinate in suscepta mali electione perfistere.* Vicissim reprehendit Platonem §. 22. tanquam Aristoteli hac in parte non consentientem, quod existimaret non peccari nisi ignorantia. *Id enim,* inquit, *convenienter quidem ab eo dictum foret, si humana hypocrisis tantum in tegendo vitio proficeret, ut mens non sibi male conscia esset coram Deo: sed cum subterfugiens peccator impressum sibi boni & mali judicium illuc identidem retrahatur, nec connivere ita permittatur, quin cogatur velit nolit aliquando aperire oculos, falso dicitur ipsum ignorantia peccare.* Ex quibus clare intelligere potes, Camero, quam belle tu non tantum Platonem & Aristotelem inter se, sed & Calvinum cum istis, & te cum omnibus istis Platone, Aristotele Philosophisque gravissimis adeoque cum ipso Calvino consentire nobis persuasum volueris. Secundum quod statuit Calvinus est, Voluntatem intrinsece ita corruptam esse per peccatum, ut speciali gratia opus sit qua pravitas ista corrigatur, uti apparet ex iis quæ jam ab eo posita diximus fundamentis, & ex capite isto eodem per totum, nominatim vero ex §. 26. & 27. ubi eò usque progreditur Calvinus, ut non modo non cognitionem sed ne appetitum quidem boni sufficere dicat ut homo renovetur. ita enim scribit; *Denique ut maxime appetat homo ad sequi quod bonum est, non tamen sequitur: sicut nemo est cui non grata sit æterna beatitudo, ad quam tamen nemo nisi spiritus impulsu adspirat.* Hoc autem quam directe contrarium sit tuæ opinioni in antecedentibus manifestum fecimus. Hactenus itaque de Theologis tum veteribus, tum recentioribus, quorum ψυφισμῷ dum tu nulla occasione motus gloriari voluisti, simul & animi tui morbum & caussæ tuæ infirmitatem prodidisti.

## CAPUT VII.

### Vindicatur ab exceptionibus Cameronis, ratio probans sententiam ipsius pugnare cum ratione peccati.

TAndem itaque ad acropolin rationum pervenimus, quibus valide sententiam tuam labefactari credidi, & in quibus revera robur ac momentum argumentationis nostræ situm est. Quæcunque hactenus à nobis allata sunt, ea etsi contra te tuosque validè adferri potuerint, & pene debuerint, utpote qui in Synodos istas, non minus quam in verba Scripturæ S. stupendo & vere pœnitendo ausu juraristis, earumque auctoritati pene alia omnia posthabere soletis; tamen revera robur ac pondus nullum, quod conscientiam urgeat, in se habent. Humana enim auctoritas infirmior est quàm ut conscientiæ satisfaciat. Servire interim hæc ipsa poterunt amoliendo præjudicio, si quod mentibus eorum qui hæc legent, à Synodis istis, aut alioquin humana alia auctoritate, adnatum fuerit, ut tanto clarius rem nudam intueri, & vim rationum nostrarum possint percipere. Præjudicia enim callorum instar sunt, qui menti adnati non sinunt ut ab ea vis argumenti sentiatur. An tu, Camero, eadem auctoritate me premere, & me cum meis facile possis committere, non jam disputo. Si quid potuisses, & quidem facile, nullus dubito quin id tentaturus saltem fuisses. Nullum non lapidem movisti, ut me cum omnibus pene committeres, tam Philosophis quàm Theologis: sed annon irrito & te prorsus indigno conatu, Lectoris judicium esto. Ego ad rationum mearum vindicias progredior.

*Sententia Cameronii pugnat cum ratione peccati.*

Argumentum meum primum hoc fuit: *Si ea est natura voluntatis, ut necessariò determinetur à judicio rationis practico, uti tu vis, tum impossibile est ut detur ullum peccatum pœna dignum, aut virtus ulla digna præmio: At hoc absurdum est: Ergo & illud. Minor in confesso est. Ratio consequentiæ,* &c.

*Peccatum consideratur vel materialiter vel formaliter.*

Ad hoc argumentum meum non respondes directè, prout à me conceptum est, sed ad argumenti ipsius, uti tibi videtur, fundamentum primo, inde ad singulas argumenti partes. At prius illud à te factum maluissem, Camero. Ratio manifesta est. Quia cùm peccatum dupliciter accipi possit, vel materialiter tantùm, ut loquuntur, prout significat actum vel actus omissionem difformem rectæ rationi aut legi alicui, simpliciter & in se consideratum: vel formaliter, prout significat actum talem, propter quem is qui eum præstat, vel omittit, meretur puniri, sive validè ad pœnam obligatur; cum, inquam, peccatum ita diversimodè accipi possit, non quæritur inter nos, utrum aliquid quod naturale ac necessarium est, non possit esse materialiter peccatum, sed an possit esse formaliter peccatum, id est, an possit esse actus vel omissio actus validè reum aliquem faciens pœnæ, & quidem æternæ simul ac temporalis; utramque enim hanc pœnam peccatum omne mereri vis. Res autem hæc non parum à te involvitur & obscuratur per istam, quam tu mihi tribuis, argumentationis formam. Sed esto: sufficiat me hoc monuisse; sequar te, quia ita tibi præire libuit.

*Sic colligo,* inquis; *Quod naturale ac necessarium est, id non est pœna dignum.* Rectius ex mente mea, postea colligere me dicis, *id non est peccatum,* si modò addidisses, *pœna dignum;* Sic enim ego proposui. Nam alioquin prima ista tua collectio in conclusione pro subjecto sumit *peccatum,* pro prædicato *pœna dignum;* cum *peccatum pœna dignum* prædicatum sit conclusionis meæ. Sed procedat tua collectio.

*Naturale quod monesciæ inclinatione, du dico concedo.*

Respondes ad propositionem per distinctionem vocis naturalis; *Si naturale tibi est id quod ex materia, illiusque bruta & sui nescia inclinatione, postquam accessit agens oritur, ultrò id tibi concedo: Atque hoc pacto si potes ostendere meam sententiam sequi ejusmodi peccandi necessitatem, causam non dico quin tu eam proscribas tanquam Manichaicam.* At qui jam ego non disputo an sententia tua sit Manichaica: sed an per sententiam tuam non statuatur aliquid, per quod evertitur peccati formaliter ita dicti ratio. Deinde quorsum ista distinctio? an quod isto tantum modo naturale est, rationem peccati formaliter ita dicti evertit? Nam si naturale aliud etiam aliquid esse potest, præter id quod tu ita vocas, cum quo ratio peccati consistere non potest, jam profectò, etiamsi tua ista vocis naturalis significatio seponatur, nihilominus argumenti vis constat. At quis neget naturale etiam aliis modis dici posse, quod, quà tale, rationem formalem peccati pœna digni excludit aut tollit? Certè naturale omne, quod contradistinguitur à voluntario, (non tantum libero) rationi peccati ita formaliter dicti repugnat, sive id ex materia bruta, sive ex forma, eaque vel materiali vel spirituali, ac proinde ejus non bruta sed sui conscia inclinatione oriatur. Quicquid enim conditionem naturæ simpliciter, quà talis, & qua taliter à Deo creata est, sequitur, ita ut non nisi uno & eodem isto modo quo sequitur sequi possit, id omne peccatum pœna dignum non magis esse potest, quàm motus rei gravis deorsum peccatum pœna dignum. Cæterum ego per naturale hîc intelligo omne quod à libera hominis voluntate non proficiscitur, id est quod ita ab homine non fit, ut ab eodem etiam, ejusdem facultatis intrinseca vi qua fit, aliter fieri potuerit, sive à mente ipsius fieri id dicatur sive à voluntate, id est sive cum scientia fieri dicatur, sive etiam sit voluntarium prout à libero contradistinguitur: breviter, quod necessarium est ex conditione naturæ, prout à Deo creata est, aut quæ in homine sine ulla ipsius propria ac libera culpa est.

At tu contra: *Necessitas & peccati rationes non pugnant.*

*Quod necessarium est, non est peccatum.*

Pronunciatum durum, &, quod communi pæne notioni omnium hominum adversatur, si per peccatum intelligis peccatum formaliter ita dictum, per quod homo reus fiat pœnæ, imò uti tu vis pœnæ æternæ simul ac temporalis. Tu tamen istud demonstrare præsumis.

*Non nego, puto,* inquis, *labem hanc quæ totum genus humanum à primo statim ortu inficit, peccati rationem habere, (intelligi volo peccatum originale, propensionem illam ad peccandum quæ nobis innata est:) Atqui illa inevitabilis est & planè necessaria.*

Rectè dixisti, Camero, *Puto.* Non enim nescis esse qui id ipsum ex professo negant, apud quos certè argumentum hoc totum tuum nullius pretii est, & tamen an ex eorum numero ego non sim scire non poteras. Conjectura hæc tua si fallit, cadit tota vis argumenti tui.

*Propensio ad peccandum non est peccatum.*

Sed antequam tibi dicam quid putem, dic mihi obsecro primum, quid tu intelligas per labem istam, per istam infectionem? Nam cùm dicis te intelligere peccatum originale, & peccatum istud deinde definis propensionem illam ad peccandum quæ nobis innata est, tibi ipsi contradicere videris. Propensio enim ad peccandum nondum videtur peccatum, sed idem est quod ad peccatum propensio; & an non propensio ad peccandum in Adamo fuit antequam peccaret actu? Si fuit, dic qua in re formalis hujus & illius differentia statui debeat. Cui adde, quod cum tu voluntatem necessariò determinari dicas à judicio mentis, quid est aut quid facit illa propensio in voluntate, ut per eam magis determinetur ad sequendum errorem mentis, quàm antea sive in primo instanti faciebat, cum eam sequebatur Adami voluntas?

Sed

*Peccatum originale non est peccatum propriè dictum.*

Sed non tenebo te diutius ſuſpenſum. Nego eam quam tu vocas labem originalem, quam ego malim appellare carentiam juſtitiæ & gratiæ iſtius primævæ, quæ Adamo & Evæ collata fuit, cujus beneficio divinam voluntatem per quam à morte æterna immúnes præſtandi erant, clarè noverant, eidemque per totam vitam obedire poterant; quæque conjuncta illi eſſe ſolet in adultis propenſionem ad peccandum, antequam Deus nova gratia eos præveniat, peccatum propriè dictum eſſe, nedem peccatum pœna dignum. Evincunt id validè ſatis argumenta tua, & quæ plura in eandem ſententiam adferri à me poſſent.

Vidiſti id Camero, atque idcirco addidiſti: *Si forte neges peccatum* (quod ita vocatur) *originis, peccatum eſſe, illud tantum modo dicam: Malum certè eſt.* Fateor. *At ſi malum eſt* (inquis) *vel culpæ igitur malum eſt vel pœnæ. Si culpæ, peccatum eſt. Si pœnæ, cujuſnam tandem peccati pœna ſtatuenda eſt? Num Adami? Ergo invocenti pœna à nocente contracta infligetur. Si verò noſtri peccati pœna, peccatum originis aliud, in nobis præceſſerit, atque ita primo fuerit aliquid in nobis prius peccatum.* Reſp. 1. Non ſequitur, ſi eſt malum. Ergo eſt malum vel culpæ vel pœnæ. Datur enim malum quod ex natura alicui ineſt, & tamen nec culpæ nec pœnæ rationem habet, uti clarè liquet ex ipſis verbis Domini noſtri, *Ioh.* IX. 3. quando rogatus à diſcipulis ſuis, utrum cæcus iſte qui ipſi offerebatur peccaſſet, an parentes ejus, ut cæcus naſceretur, reſpondet: *Neque iſte peccavit, neque parentes ejus; ſed ut opera Dei manifeſta fiant in eo.* Cæcitatem autem malum eſſe non negabis, opinor. Deinde 2. mala omnia quæ Deus infligit piis, quà talibus, nullam aliam ob cauſam quàm ut exploret fidem ac conſtantiam ipſorum, mala certe ſunt; attamen nec culpæ nec pœnæ mala. Uti enim pii qua pii non peccant, ita pios qua pios Deus non punit. Dico 3. Malum aliquod, malum pœnæ duobus modis dici poſſe, vel quia is ipſe in quo malum iſtud eſt, immediatè iſto malo punitur, vel quia malum iſtud quod per pœnam alteri inflictum eſt, ad eum etiam pervenit occaſione pœnæ iſtius, nullo interim proprio merito ipſius. Primo modo malum pœnæ, ſtrictè malum pœnæ eſt: Secundo modo, malum quidem pœnæ dici non incommodè poteſt; at revera malum tale, non eſt malum pœnæ propriè dictum; Sed tamen aliquod malum eſt, quia eſt privatio vel carentia boni alicujus excellentis, ſive privatio iſta cum dolore conjuncta ſit, ſive non ſit. Malum enim eſt carere bono, quo non caruiſſes, niſi is unde malum iſtud ad te deſcendit ob peccatum ſuum punitus fuiſſet.

*Datur aliquod malum quod neque culpa eſt neque pœna.*

*Malum pœna aliud eſt propriè aliud improprie dictum.*

*Quodnam malum ab Adamo in nos propagetur.*

Et hoc quidem pacto originaria iſta quæcunque eſt, ſive labes, ſive infirmitas, ſive malum, ſive vitium, aliaque mala omnia ab Adamo ad nos profluxerunt, & non incommodè mala pœnæ dici poſſunt, etſi propriiſſimè mala pœnæ non ſint, id eſt quanquam mala iſta reſpectu Adami & Evæ pœnæ mala fuerunt, attamen reſpectu noſtri pœnæ propriè dictæ rationem non habent, proinde nec culpæ. Non enim punit nos Deus, cum naſci nos ſinit ex Adamo deſtitutos gratia & favore illo, quo ipſius beneficio Adam ante peccatum fruebatur, ſicuti puniebat Adamum cum eum propter peccatum ſuum beneficio iſto privabat; ſed tantum non afficit nos eodem iſto favore ac beneficio, vel potius ereptum Adamo peccatori beneficium, nobis qui ex eo ita punito naſcimur non reſtituit; non ut nos ſic puniat, ſed vel quia Dominus rei ſuæ eſt, qui tantum cuique dare poteſt quantum vult, vel quia naturæ conditionem ut mutet nulla lege adſtringitur. Nec enim tenetur æqualiter omnibus benefacere, neque naturæ curſum ſiſtere ſupremus rerum omnium Dominus. Interea incumbit cervicibus noſtris malum iſtud, ex parentis noſtri culpa ad nos pœnæ in modum derivatum. Et hoc eodem jure Deum uti cenſendum eſt, quando mala ſæpe non levia à parentibus noxiis, & propter peccata ſua punitis, in progeniem innoxiam derivari ſinit; uti quando ex parentibus ob peccata ſua lepra, calculo, podagra punitis, liberos leproſos, calculoſos, podagricos aliiſque malis obſeſſos naſci ſinit; item quando ex parentibus in ſervitutem relegatis, confiſcatione bonorum mulctatis, in inſulam deportatis, aut ad metalla damnatis culpa ſua, filios infames, ſervos, pauperes & miſeros gigni facit. Non enim id facit tanquam judex puniens liberos innoxios; abſit id à juſtiſſimo Deo! ſed tanquam Dominus ſupremus & nulli juratus, non dando liberis quod per pœnam eripuit parentibus, & dare aut reddere interim liberis non tenetur. Etenim parentum pœna eſt, quod priventur ſanitatis & libertatis beneficio, quo antea per liberalem munificentiam Dei gaviſi fuerant: Filiorum autem pœna idcirco non eſt; quia potuiſſet etiam Deus efficere vel permittere, abſque ullo parentum peccato, ut filii leproſi, inopes, aut ſervi naſcerentur. Nec enim propriè malum eſt ita naſci, ſed minus bonum, quod tamen reſpectu noſtri mali phyſici rationem habet.

*Quomodo Deus peccatum parentum idololatrarum dicitur viſitare in tertiam & quartam progeniem.*

Atque hoc etiam conſiderandum venit quando Deus peccatum parentum idololatrarum dicitur viſitare velle in tertiam & quartam progeniem uſque. Punitionem enim parentum tam atrocem & gravem futuram dicere vult, ut malum illius redundaturum ſit ad plures poſteros, quibus videlicet Deus erepta parentibus beneficia reſtituturus non eſt: non quo illos ita puniat, ſed quò parentes iſto peccato peccantes adeò ſeveriter puniens, cæteros à peccato iſto deterreat, ne videlicet ii cauſa ſint ut filii ipſorum, quos tenerius ſæpe quàm ſe ipſos amant, careant bonis tam eximiis quibus ipſi fruuntur. Niſi quis fortè velit ſenſum comminationis iſtius divinæ hunc eſſe, quod Deus peccatum idololatriæ adeò abominetur, ut ſe viſitaturum dicat peccata ipſorum liberorum, quæ alioquin viſitaturus non fuiſſet, occaſione iſtius peccati parentum ipſorum irritatum quaſi & exacerbatum: de quo ſenſu hîc jam non diſputo. Primum iſtum quem dixi ſenſum ſi hîc locum habere volumus, mala quæ ad poſteros idololatrarum ex punitione divina perventura eſſent, mala certè forent, ſed reſpectu poſterorum nec culpæ nec pœnæ mala; qualia infantibus ſæpe infligi videmus, qui culpæ actualis capaces non ſunt, ac proinde neque pœnæ proprie dictæ.

*Deus peccatum parentum viſitat in tertiam & quartam uſque generationem.*

Vides jam ut argumentum hoc tuum levi momento ſit enervatum. Poſſem magnis me authoribus in hac cauſa tueri. Sed id non eſt neceſſe; res patet, & per ſe clamat hæc ſine ſumma Dei injuria aliter concipi non poſſe. Concludo itaque, etiamſi male nobis ſit ex peccato Adami, ſibique non tantum ſed & nobis peccando nocuerit Adam, inde tamen non effici, malum iſtud reſpectu noſtri eſſe vel malum culpæ vel malum pœnæ propriiſſime ita dictum; ſed eſſe malum originis, vel naturæ quam ex punito patre habemus; quod eo ipſo quia tale eſt, propriiſſimè malum culpæ vel pœnæ eſſe non poteſt; in nobis tamen ineſſe poteſt, quia ut abſque eo nos naſci faciat Deus, nulla lege, utpote ſummus ac ſupremus Dominus, obſtringitur. Nec enim injuriam nobis facit, quando nobis non dat omnia vel optima bona; ſatis eſt, ſi mala quæ nobis irrogare videtur talia non ſunt, ut bonum quod dedit nobis excedant, ſed ut nos iis malimus obnoxii vivere, quam bono dato in totum carere.

*Originale malum, neque vel-pœna neque culpa eſt malum.*

Veruntamen ut ne hæc dicere tantum videar, evinco rem ita ſe habere hiſce argumentis. 1. Malum illud non poteſt culpæ malum eſſe, quia naſci planè involuntarium eſt; ergo & naſci cum hac aut illa labe, infirmitate, vitio vel malo, culpa non eſt. 2. Malum culpæ committere non poteſt qui non poteſt velle: At velle non poteſt qui non eſt. Si culpæ malum non eſt, nec pœnæ itaque malum eſt, quia pœna & culpa ſunt relata. Cui adde, ſi eſſet malum pœnæ propriè dictum, Deus inflixiſſe dicendus foret pœnam quæ commination non continebatur, imò majorem ac graviorem quàm comminatio præ ſe fert. Neque enim in commination divina erat, futurum ut non Adam tantum, ſed & poſteri ipſius, pœna propriè dicta puniantur. Neque vero te tam vanum futurum arbitror, ut iſtam pœnam verbis iſtis comminationis, *Morte morieris*, comprehenſam fuiſſe dicturus ſis; cum hujus ipſius pœnæ comminatio totidem verbis ſubjecta legatur præceptis pœne omnibus Ver. Teſt. neque tamen unquam quiſquam ſapiens, quod ſciam, ſomniarit peccati originalis pœnam verbis iſtis contineri. Denique, ſi malum pœnæ eſt, tum fieri non poteſt ut ſit malum culpæ: Pœna enim actus eſt Dei & actus juſtitiæ: Culpa autem actus hominis & *abruia*. Pœna eſt involuntaria: Culpa niſi voluntaria ſit, culpa eſſe non poteſt. Et cum Deus puniendo, peccatorem in ordinem cogere intendat, iſta ratione puniendo novam inordinationem voluntati hominis injiceret, & ſua punitione ſibi ipſi novæ pœnæ occaſionem daret, atque ita rationem, ordinem & juſtitiam omnem turbaret in infinitum. Sed jam ad alia progrediamur.

*Soletis vos queri, inquis, magnam vobis ac non ferendam injuriam fieri, ſi quis dicat vos ſtatuere Chriſti & Spiritus ſancti gratiam non fuiſſe homini ad ſalutem conſequendam neceſſariam, &c. Sic ergo ago: Sine Chriſti & Spiritus ſancti gratia peccatum & quidem pœna dignum erat futurum. At qui peccatum ſine Chriſti & Spiritus ſancti gratia foret neceſſarium, & verò quodammodo naturale, teſte Apoſtolo, Eramus & nos filii iræ natura, ſicut & cæteri. Ergo quoddam neceſſarium, & quodammodo naturale, foret peccatum & pœna dignum.*

*Ex eo quod ſine Chriſti & Spiritus S. gratia non poſſimus ſalutem adipiſci, non ſequitur omnes homines ſine ea neceſſario peccare.*

Reſp. Argumentum hoc iterum ſuperſtruitur novæ hypotheſi, ſed quæ peſſimè detorquetur in argumento, aut unde deducitur alia hypotheſis quæ ex iſta non ſequitur. Hypotheſis hæc eſt: Chriſti & Spiritus S. gratiam neceſſariam eſſe homini ad ſalutem conſequendam. Hanc agnoſco veriſſimam eſſe. At hæc longè aliter effertur in argumento, vel ſaltem ex hac deducitur alia hypotheſis quæ in tuo argumento his verbis exprimitur; Sine Chriſto & Spiritus S.

gratia peccatum & quidem pæna dignum erat futuram. At quis non videt has hypotheſes admodum eſſe diverſas, & qui iſtam concedit non opus habere ut hanc ſimiliter concedat? Aliud enim eſt gratia Chriſti & Spiritus ſancti opus eſſe ad conſequendum ſalutem, aliud ſine Chriſti & Spiritus ſancti gratia peccatum & quidem pæna dignum neceſſario futurum fuiſſe. Quod ut percipiatur, ſic rem elucido. Si per gratiam Chriſti & Spiritus ſancti intelligis gratiam illam peculiarem Euangelicam perſuaſivam, quam vocas, tum falſa eſt utraque propoſitio tua; Neutra enim tum nitetur hypotheſi noſtra quam nobis tribuis. Si autem per gratiam Chriſti & Spiritus ſancti intelligis gratiam illam prævenientem, quam nos vocatis omnibus per Euangelium, communiter à Deo conferri, iiſque ſufficere dicimus ut ad ſalutem pervenire poſſint, tum dico peccati vocem diſtinguendam eſſe. Si enim per peccare intelligas, Camero, peccare materialiter tantum, id eſt, non facere id quod Euangelio faciendum præſcribitur, ex. gr. non credere in Chriſtum & præceptis ejus non obedire, tum dico fateri me, neminem mortalium non ita peccaturum abſque Chriſto & Spiritu ſancto foret, id eſt neminem mortalium ſine iſta Euangelii gratia creditum in Chriſtum aut præceptis ipſius pariturum. At de hoc peccandi modo, uti jam ante dixi, non agitur inter nos. Hoc enim peccare non foret niſi materialiter peccare. Sed nos agimus de peccato quod formaliter peccatum eſt, ac verè & propriè eum in quo eſt reum pœnæ facit. Iſtud autem non credere, non obedire ipſorum, nego peccatum formaliter ita dictum, aut pœna dignum peccatum futurum; quia nulla lege, ſine Chriſti & Spiritus ſancti gratia præveniente eos per Euangelium, ad credendum aut obediendum Chriſto obligabantur. Lex enim non lata, imo non publicata, non obligat. *Quomodo autem credent* (id eſt credere poſſunt) *de quo non audiverunt? Rom.* X. 14.

*Non credere, non eſt peccatum in iis quibus Euangelium non eſt annunciatum.*

Neque verò hinc rectè inferas, gratiam itaque Chriſti iis neceſſariam non fore ad ſalutem conſequendum; Contrarium enim potius ſequitur, idcirco gratiam Chriſti & Spiritus ſancti iis neceſſariam fore ut poſſint credere, & ſic per fidem iſtam, ſine qua impoſſibile eſt ad vitam æternam placere Deo, ſalvari. Etſi enim non credendo in Chriſtum, & non obediendo Euangelio, antequam gratia iſta Chriſti donentur ut poſſint credere, formaliter ita non peccent ut propterea incredulitatis pœnæ rei fiant, tamen propterea non ſequitur adhuc illos non peccare, multò minus ſequitur, illos, etiamſi ita non peccarent, ea facturos quæ ad ſalutem conſequendum ſufficiunt, aut propter quæ Deus illos etiam ſine fide in Chriſtum ſalvare vult. Nam ut ſalveris ex formula divinæ voluntatis, neceſſe eſt ut facias quæ Deus præcipit, & animo quidem Deo obediendi. Aliter ſalus certò non conſtat. Si verò per peccare, intelligas ea facere quæ rectæ rationi, aut legi naturæ, aut gratiæ iſti communi quam ipſis ſemper ferè facit Deus, contraria ſunt, & ſic peccare formaliter, tum dico utramque propoſitionem tuam indigere probatione: Videlicet 1. ſine iſta Chriſti & Spiritus S. gratia quæ vocatis per Euangelium fit, futurum ut omnes peccarent: 2. ut peccarent neceſſariò contra legem iſtam naturæ. Neutrum ſane ex hypotheſi iſta noſtra, cui argumentum tuum ſuperſtruis, ſolidè unquam effeceris. Nam ex ea ſequitur quidem, uti dixi, non futurum unquam ſine gratia Euangelii, quæ propriè Chriſti & Spiritus ſancti gratia hic à nobis vocatur, (utrum autem communis illa gratia, quæ ipſis à Deo fit aut relicta eſt, etiam rectè gratia Chriſti vocari non poſſit, jam non diſputo:) ut faciant ea quæ Euangelio jubentur, atque ita ſalvi fiant; ſed nondum ex ea ſequitur, futurum ut abſque iſta nonniſi contra rectæ rationis dictamen, quod in ipſis adhuc ſupereſt, faciant, nedum ut id faciant neceſſario. Loquor autem non de peccatis quæ ex fragilitate & infirmitate humana ſubinde fieri ſolent; (nam ab iis nequidem Chriſtiani per ſpecialiorem gratiam Chriſti omnino præſtantur immunes;) ſed de peccatis aut peccandi conſuetudine quæ peccatum propriè vocari ſolet. Peccaturos eos multò quidem eſt veriſimilius, adeoque certius, quàm non peccaturos; præſertim qui peccandi habitu & conſuetudine longa peccatis dediti fuerunt, & peccandi occaſiones atque exempla pæne quotidie ob oculos habent, ſoloque rationis auxilio contra peccata armantur. Recta enim ratio quæ peccatum exuere, & quod honeſtum ac rectum eſt facere jubet, etiam ſine ullo voluptatis fructu aut fructus ſpe, imò cum damno ac detrimento voluptatum quas aut jam perceperunt, aut adhuc ſperant, infirmior videtur, etſi generaliore gratia adjuta, quàm ut habitum peccati excutiat, & virtutum contrariarum habitum inſerat, niſi magnis multiſque adminiculis (quod raro fit) continuo penè juvetur ac fulciatur, contra ſenſuum ſemper obluctantium impetum atque aſſultum. Difficillimè igitur fieri poſſe ut peccent, haud illubenter conceſſerim. At ſimpliciter impoſſibile eſſe ut non peccent, præſertim ſi ratio, eaque recta, per generaliorem gratiam ſpe aut opinione remunerationis alicujus poſt vitam futuræ, licet nullo certo fundamento nixa ſuffulciatur, ego quidem non dixerim; imprimis vero non de iis qui à teneris annis ſolicitè præceptis honeſtatis imbuuntur, inter honeſtos & liberales educantur, doctoribus & magiſtris optimis traduntur, & naturæ etiam à vitiis quibuſdam alienæ beneficio gaudent. Certè non defuerunt ex antiquis doctoribus, hodieque non deſunt, qui eos rectæ rationis & lucis iſtius communioris beneficio, (quod nunc gratiam communiorem, nunc adjutorium Dei univerſale, nunc virtutem, nunc Spiritum gratiæ Chriſti, aliquando etiam fidem vocant,) non potuiſſe tantum non peccare, ſed & non peccaſſe, imò non ſalvari tantum poſſe, ſed & ſalvatos aliquos fuiſſe aſſeruerunt. Nota ſunt manifeſtiſſima non tantùm Clementis, Origenis, Athanaſii, Cyrilli aliorumque hanc in rem teſtimonia, ſed & Auguſtini, Oroſii, Proſperi, & optimi Scriptoris, quiſquis fuit, de Vocatione gentium, judicia. Quæ tamen idcirco non cito quaſi ea vel probem, vel improbem; neutrum enim hic à me fieri neceſſe eſt; ſed tantum ut intelligas quam malè ex hypotheſi noſtra duas iſtas tuas propoſitiones deduxeris, tanquam neceſſariò inde reſultantes; cum etiam ii quibus tu jam ante teſtimonium dediſti, quod in capite ſive hypotheſi iſta de neceſſitate gratiæ Chriſti ſaniſſimè omnium ſentiant, nihilominus tamen circa iſtas duas propoſitiones tuas longiſſimè à te diſſideant.

*Multi ex antiquis Doctoribus cenſuerunt probiores gentiles ſalvatum iri.*

Neque verò locus quem ex *Epiſt. ad Epheſ. cap.* II. *verſu* 2. citas, *Eramus & nos filii iræ natura, ſicut & cæteri*, propoſitiones tuas confirmat. Ut enim de ipſa verborum conſtructione jam nihil dicam, Primò, non dicit hoc Apoſtolus, *Eramus natura peccatores*, ſed *eramus natura filii iræ*. Aliud autem eſt eſſe filium iræ, aliud peccatorem; Illud enim aliud nihil eſt quam reum aut obnoxium eſſe pœnæ ex ira infligendæ; ita filius gehennæ, filius perditionis, filius mortis, vir mortis & mortuus, quin & impius quis dicitur, qui reus eſt condemnationis, ad quem mors & condemnatio pertinet; ut videre eſt *Matth.* XXIII. 15. *Joan.* XVII. 12. & 1 *Sam.* XX. 31. & XXVI. 16. & 2 *Sam.* XII. 5. *Geneſ.* XX. 3. *Exod.* IX. 27. Secundò, poſito etiam quod in textu extaret, Eramus natura peccatores; aut dato, ſed non conceſſo, alterum ex altero neceſſariò ſequi, unde tamen efficeretur vocem *naturâ* hic idem ſignificare quod neceſſariò, ac ſi legeretur, & non poteramus non eſſe peccatores? Certè naturæ vocem hoc loco eſſe vocem impropriam & metaphoricam non potes negare, cum hîc agatur de peccatis actualibus, quæ natura non inſunt, & cum dicatur in textu diſertè in præterito imperfecto, ἦμεν *Eramus*; id enim ſignificat eos de quibus loquitur tum amplius tales non fuiſſe, ac proinde de ipſis propriè dictum non fuiſſe quod natura eſſent peccatores. Naturalia enim quæ propriè talia ſunt, ſemper & in omni ſtatu per ſe inſunt; quod ſignum etiam eſt de peccato originali contradiſtinctè à peccatis actualibus, verba hæc non eſſe accipienda. Et hæc cauſa etiam fuit, ut Hieronymus notat, cur vocem *Natura* nonnulli verterint per voces *omnino* & *prorſus*, *propter Manichæos*, inquit, *& ſuſpicionem duarum naturarum*. Vidiſſe id tu ipſe Camero mihi videris, quia ſemper adjungis voci naturalis, particulam *quodammodo*; quod ipſum tamen argumenti tui vim, quam ex voce *naturæ* potiſſimum depromis, non parum enervat. Sed neceſſitatem tibi ipſi impoſueras, quia naturale id propriè ſolum tibi eſt, quod ex materia bruta & ſui neſcia inclinatione, poſtquam agens accellit, oritur. At inquies: ſufficit mihi, ſi modo per verbum *natura* neceſſitatem deſignatam eſſe evicero. Rectè: At unde id evinces? Si Scripturæ phraſim & loquendi modum è medio petitum conſulas, non reperies vocem iſtam ferè unquam iſto ſenſu accipi. *Gal.* IV. 8. legitur: *Serviebatis iis qui natura non ſunt Dii*. At quis dicat, *natura*, ibi ſignificare neceſſariò, ac non potius verè? Alia loca quæ cum ſpecie citari poſſunt nulla occurrunt mihi. Similia fere ſunt omnia iſta, quibus Scriptura aliquando enormes peccatores, *tranſgreſſores ab utero* vocat, *coſque à vulva matrum peccare dicit. Pſal.* LVIII. 4. *Eſa.* XLVIII. 8. Et in communi ſermone, ut rectè annotat Hieronymus, natura eſſe dicitur aliquid in homine, quod penitus adeſt homini. Hinc conſuetudo altera natura eſſe dicitur, & aliqui natura boni, aliqui perverſi eſſe dicuntur, id eſt adeò profanitati dediti tanquam ſi eam cum lacte à matris uberibus ſuxiſſent, & in naturam quaſi ſuam convertiſſent. quo item ſenſu David dicit *Pſal.* XXII. 10. *Tu es eductor meus ab utero, confidere faciens me ſuper ubera matris meæ*. Vide ſimilia *Pſalm.* LXXI. 5. 6. *Job.* XXXI. 18.

*Locus Epheſ. II. 2.*

Similiter ſe habet locus 1 *ad Corinth.* II. 14. quem citas,

*Locus 1. Cor. II. 14*

*Ani-*

*Animalis homo non est capax eorum quæ sunt Spiritus Dei: sunt enim ei stultitia; nec potest ea cognoscere, quia spiritualiter dijudicantur.* In hoc enim loco 1. non agitur de homine naturali, qua tali, gratia Dei Euangelica solum destituto, de quo tamen hic quæritur: sed de homine inter naturales animali: Aliud enim est ψυχικὸς, aliud φυσικὸς. Neque omnis φυσικὸς statim ψυχικὸς, id est sensibus ac ventri sive animæ pascendæ tantum deditus est. 2. Non dicitur eum non esse capacem eorum quæ rectæ rationis dictamini, aut legi naturæ, imo scriptæ etiam, sunt consentanea: exempli gratia, non posse hæc axiomata capere, Honestè esse vivendum, neminem lædendum, suum cuique tribuendum, cur enim horum præceptorum capax non esset homo animalis? Tantum abest ut eorum capax non esse, aut ea intelligere non posse rectè dicatur, ut præcepta & exempla reperiantur inter gentiles & alienos à Christo, quæ Christiani merito admirentur ac suspiciant. De aliis itaque rebus dicatur necesse est, quod earum capax non sit homo animalis. Et certe per *ea quæ Spiritus Dei sunt* significari longe alia videntur; ea videlicet quæ Deus per Spiritum suum sanctum patefecit ac revelavit nobis in Euangelio præcepta ac promissa. Horum animalem hominem, qua talem, capacem non esse optime dicitur, non tantum antequam ea ipsi revelantur, quod videlicet ea ex se excogitare aut invenire suopte Marte non possit: quid enim certius? id enim ne homini quidem simpliciter φυσικῷ tribui potest: sed etiam cum ea jam ipsi revelantur ac proponuntur; non quod intelligere non possit sensum eorum quando is ipsi clare ac significanter proponitur: animalis enim homo, non est fatuus aut amens; sed quod ea non possit intelligere esse sibi convenientia, ac proinde non assentiri præceptis ut ea faciat, aut promissis ut ea credat. Utraque enim repugnat bono isti quod animalis homo, qua talis, propositum sibi habet. Animalis enim homo sequitur sensum ac ductum carnis, quæ videre, palpare, & gustare vult bonum suum; ac proinde bona spiritualia, id est futura atque invisibilia, quæ spiritu & animo solo, per spem ac fidem scilicet percipi possunt, nec nisi cum abdicatione præsentium ac sensibilium bonorum, ac sæpenumero per medias calamitates & mille mortis genera percipi debent, tanquam sibi disconvenientia aversatur ac respuit, imò tanquam stultitiam meram reputat ea sectari, eorumve causa sese ipsum præsentium damno mulctare. Atqui dices hîc forte mihi, Ex hac interpretatione sequi id quod vis concludere, Animalem scil. hominem necessario peccare. Respondeo neutiquam id sequi. Tantum sequitur, Animalem hominem, qua talis & quamdiu talis est, semper peccaturum, non tantum contra rectam rationem, sed etiam contra Euangelium Jesu Christi. At non sequitur eum semper animalem mansurum, nedum necessarium esse ut semper animalis maneat, atque ita peccet. Fieri enim potest ut homo animalis, desinat esse animalis, & relicto isto bruto vivendi genere ad frugem redeat, & ad rectæ rationis regulam se se componere incipiat, ut Socrati, Alcibiadi, aliisque accidisse legimus. Evinco rem ita se habere hoc pacto. Si cum dicitur, *Homo animalis non est capax eorum quæ sunt Spiritus Dei*, sensus est, Homo animalis non potest desinere esse animalis, aut necesse est ut peccet; tum eodem jure concludam, ne quidem per Spiritum ipsum Christi fieri posse, ut animalis esse desinat. Ratio est: Quia si fieri id potest, utique juxta te non aliter fieret quam per cognitionem eorum quæ sunt Spiritus Dei. At textus ait, *Animalis homo non potest ea cognoscere.* Hic dices mihi intelligendum esse locum in sensu diviso, sive cum exceptione, Nisi Spiritus Christi id in ipso efficiat. Atqui, inquam ego, Quomodo id fieri dices, cum animalis homo expresse dicatur in textu non posse cognoscere ea quæ Spiritus Dei sunt? Necesse est ut dicas, eum desiturum esse animalem, & sic tum cogniturum; At hoc est quod ego dico non esse impossibile ut fiat, etiam sine Spiritu Christi; non quod homo animalis spiritualis fieri possit absque spiritu Christi; absit! sed quod ex animali reddi possit quasi naturalis, sequens naturæ non sensualis, sed rationalis, id est legis naturæ ductum. Et quid mirum hæc fieri posse in isto statu, cum fieri posse legamus ut ii qui per Spiritum ipsius Christi, sive per agnitionem Domini & servatoris Jesu, inquinamenta mundi & eos qui in errore versantur vere effugerunt; quod idem esse credo ac si legeretur, qui per Spiritum Christi regeniti, & sic spirituales facti fuerant, de quibus sacer textus dicit quod non peccent, imò quod non possint peccare; ut ii, inquam, revertantur ad animalem vitam suam, & priori vivendi genere iterum implicentur, adeoque ἀκουσίως peccent? Sed nolo hoc argumento jam pugnare, quia necesse non est.

*Locus Rom. VIII. 5. 6. 7.* Sequitur textus quem ex *capit.* VIII. *ad Rom. versu* 5. 6. 7. desumis. At nec ille tibi magnopere favet. Nam Apostolus loquitur diserte, non de iis simpliciter qui extra statum gratiæ Euangelicæ sunt: sed de iis qui inter eos relicto rectæ rationis dictamine, toti carnalibus affectibus ac desideriis dediti sunt atque impliciti, id est qui relicta virtute, voluptates tantum carnales & mundanas propositas sibi habent, etiam cum ipsis jam per Euangelium oblata sunt bona æterna, & via ad ea perveniendi est patefacta. Hos dicit sapere, hoc est amare ea quæ carnis sunt. φρόνημα enim hîc non tam intelligentiam quam curam & studium notat, uti apparet ex oppositio φρόνημα τῦ πνεύματος, & φρονεῖν τὰ τῦ πνεύματος, & ex re ipsa, quia secundum carnem esse, supponit intelligere quæ carnis sunt; est enim aliud nihil quam velle carnalia: Velle autem carnalia supponit ea cognoscere. Tum intelligentia, qua talis, non est inimicitia, quia ea in pissimis esse potest, sed cura & studium eorum quæ carni grata sunt; quasi dicat Apostolus, Cura sequitur affectum, & studium sequitur animum: qui amant carnalia, nihil pæne aliud curant quam ut ea consequantur, spiritualia ipsis non modo in mentem non veniunt, sed cum ea ipsis revelantur, atque ita ipsis in mentem veniunt, sordent ipsis, adeo ut ea non modo non curent, sed tanquam admodum dissimilia, imò contraria bonis illis quæ amant, curare nolint, adeoque oderint & respuant.

*Atqui* (inquis) *jam illud certius est quàm ut demonstratione egeat, absque Christo Spirituque Christi fuisse omnino futurum, ut essemus (quotquot sumus omnes) in carne, & tamen ii quibus incumberet peccandi necessitas.*

Resp. Imò verò, Camero, hoc non est certum: demonstratione & quidem solida eget: Absque Christo spirituque Christi Euangelico fuisse omnino futurum ut essemus quotquot sumus omnes in carne, eo scilicet modo quo jam diximus ab Apostolo accipi phrasim istam, *Esse in carne, secundum carnem esse*, &c. Alioquin dupliciter dici possunt aliqui in carne esse: Primò ii qui non norunt neque sapiunt alia quam quæ ad hanc præsentem carnalem vitam spectant, ac proinde omnia studia sua eo conferunt ut vitam istam commode ac tranquille transeant, ita tamen ut non velint neque operam dent ut faciant quæ naturali honestati aut rectæ rationi contraria sunt. Secundò ii qui carnalibus studiis toti intenti sunt, & voluptatem carnis ita pro scopo sibi habent, ut virtutem & quicquid rectum bonumque est susque deque habeant; quorum istæ voces,

*Duplici-ter aliqui in carne sunt* esse *dici pos-*

*O cives, cives, quærenda pecunia primum est,*
*Virtus post nummos.*

breviter, quorum Deus venter est, οἱ τὰ ἐπίγεια φρονοῦντες, *ad Phil.* III. 19. quos pulchrè describit Petrus 2 *Epist.* II. 10. 11. 12. 13. 14. 15. &c. Quod si primo isto sensu dicas futurum ut omnes absque Christo Spirituque Christi essemus in carne, id quidem lubens admodum concesserim; sed sic tu non probaveris id quod tibi probandum est, futurum scilicet ut omnes peccaremus, id est faceremus quæ rectæ rationi aut legi naturæ sunt contraria, nedum ut faceremus ea necessariò. Quin contrarium potius probaveris, eos qui ita in carne sunt, etiamsi non faciant ea quæ Euangelium jubet, & quæ sine gratia Spirituque Christi Euangelico facere non possunt, atque ita materialiter peccent, ignotantes scilicet præcepta & promissa Euangelica; non peccare tamen formaliter contra Euangelium, ita ut rei propterea fiant pœnæ quam Euangelium minatur, imò ne quidem peccare materialiter contra legem naturæ, dum scilicet rectæ rationis & communis gratiæ auxilio adjuti honeste vivunt, neminem lædunt, suum cuique tribuunt, sive ut molliter & placide vitam hanc (quia meliorem nesciunt, aut futuram sibi persuadere non possunt) transigant, sive ut post eam aliam etiam consequantur, quam forte spe aliqua, incerta licet, animo perceperunt.

*Quid sit inimicitia adversus Deum.*

Atqui, inquies, fortasse hoc ipsum est, *inimicitia adversus Deum.* Resp. Id ex hoc textu non liquet, & per se falsum est. Non est enim inimicitia nisi quando in isto statu scientes prudentes manere volunt, etiam cum voluntas Dei iis revelatur ut statum istum deserant, ut mundana hæc negligant, & cum eorundem desertione ac contemtu cælestia tantum spectent ac curent. Hoc ipsum enim cum non volunt, quando id Deum velle & possunt scire & debent, tum vero Deo rebellant, & cum Deo inimicitiam exercent. Amicorum enim est idem velle & nolle. Et tum etiam de his recte dici potest, quod in carne sint, quod quæ carnis sunt sapiant, quod non subjiciant sese legi Dei, qua videlicet Deus ab iis postulat vitam prorsus spiritualem juxta præscriptum Euangelii; imò quod non possint sese subjicere legi isti divinæ Euangelicæ, scilicet impediti carnalibus istis suis cogitationibus ac studiis; quamvis de his non videtur proprie Apostolus loqui. Si secundo sensu accipias phrasim *in carne esse*, jam necesse est idem plane dicas esse, *in carne esse* quod peccare; & sic principium petieris, novaque demonstratio-

ſtratione opus foret. Atque hac quidem ratione etiam in hoc loco nihil eſſe quod ſententiæ tuæ faveat oſtendiſſe me ſatis clarè arbitror. Quare non eſt quod à me expectes id quod à multis reſponderi dicis; quorum reſponſionem uti non damnare, ita nec probare hîc me neceſſe eſt. Qui ſic reſpondent, videant qua ratione & quo jure id faciant.

Subjicis: *Quod ſi, ut tu diſputas, quod neceſſarium eſt ne peccatum quidem eſt, quorſum attinuit Chriſtum mori; imò expediebat Chriſtum τὸ μὴ καλῶς ἡμᾶς non mori.*

*An ſequatur non oportuiſſe Chriſtum mori, ſi id peccatum non ſit quod eſt neceſſarium.*

Reſp. Horrui ſane cum hoc argumentum tuum legerem, & merito jure βάϊχγνως turbati cerebri potius quam rectæ rationis ἰπχείρημα appellari id poſſe credidi. Ego operam dabo ut id videas, & (ſi pote) erubeſcas. Primum enim quod attinet: Nullam quidem tu conſequentiæ rationem das: ſed ſi conſequentia iſta vera eſt, tum ſequetur neceſſe certè non fuiſſe ut Chriſtus moreretur, poſito quod peccatum libere commiſſum vel committendum fuiſſe dicatur, &, quod turpius multo eſt, neceſſe non fuiſſe ut Chriſtus moreretur pro peccato, quatenus peccatum eſt, ſed mori debuiſſe aut mortuum eſſe pro peccato, quatenus non potuit & non poteſt non committi: quo quid abſurdius? Sic enim peccatum, quà peccatum eſt, non merebitur pœnam, ſed peccatum quatenus neceſſariò committitur. At tantum abeſt ut id verum ſit, ut peccatum, quatenus neceſſario committitur, (niſi cauſa neceſſitatis in & à committente ſit,) peccatum non ſit, & ſic ne pœnam quidem mereatur. Peccatum enim, quà peccatum formaliter eſt, meretur pœnam. Itaque poſito tantum peccato in mundo, quod verè peccatum eſt, & pœnam meretur, quomodo non attinuiſſet Chriſtum mori? Atqui poſito etiam verum eſſe, id quod neceſſarium eſt ne peccatum quidem eſſe, poneretur tamen peccatum, imo ſi id verum non eſſet, peccatum non poneretur. Ergo attinuiſſet nihilominus Chriſtum mori, ut nos à reatu & pœna peccati iſtius immunes præſtaret, noſque ad contrariæ virtutis pietatiſque ſtudium iterum idoneos redderet atque accenderet.

Sed tu non contentus tam immani atque enormi conſequentia, alteram addis multò adhuc immaniorem; Imò & expediebat Chriſtum τὸ μὴ καλῶς ἡμᾶς non mori. Itane Camero? Quo abriperis? Poſito enim quod ſolus Adam tantum peccaſſet, & ex peccato ejus, vel potius ex pœna quæ ei propter peccatum fuit irrogata, malum mortis, quæque malo iſti adhærent cætera mala, fuiſſent (uti revera ſunt) ad nos derivata, an non expediviſſet Chriſtum mori pro peccato iſto, ut nos à malis iſtis tam ingentibus liberaret, nobiſque ſpem vitæ æternæ faceret, atque ita nos inhiberet, quominus in idem aut ſimile peccatum incideremus, eidemque malo iterum implicaremur? At nunc cum dicamus ac fateamur, nos omnes non ex Adamo tantum mala iſta trahere, ſed etiam propriis multis gravibuſque peccatis obnoxios eſſe; alios quidem ſine his, alios ſine iſtis, neminem tamen ſine ullis peccatis vivere, etiamſi ſingula non niſi liberè faciat; quomodo non expediiſſe dicemus τὸ μὴ καλῶς ἡμᾶς Chriſtum mori? Certe etiamſi Chriſti mors alii nulli fini ſerviiſſet, quam ad confirmandum doctrinam Euangelii, ad obedientiæ veræ exemplum, & ad reſurrectionis ſecuturæ certam fidem nobis faciendum, multum itaque expediiſſet Chriſtum pro nobis mori, etiam ſi non modò non neceſſariò peccaremus, ſed ne peccaremus quidem, verum peccare tantum poſſemus. Interfuiſſet nihilominus noſtra, doctrinâ Euangelii fulciri, exemplo tam illuſtri exſtimulari, & ſpe tam ingente provocari ad vitandum peccatum, & juſtitiæ pietatique ex præſcripto divino ſtudendum. Atque hæc quidem dico, ut videas quam turpis & fœda ſit hæc tua quam formaſti conſequentia.

Sed ut ejus fœditas clarius adhuc diluceat, ego in te retorqueo tuum argumentum. Si iſta eſt natura voluntatis, prout à Deo ipſo creata eſt, ut peccatum in ea non poſſit eſſe niſi neceſſarium, non attinuit Chriſtum mori. At ea eſt natura voluntatis ex tuo placito. Ergo, &c. Conſequentia inde liquet, quia ſic peccatum Adami, peccatum originis, & cætera omnia peccata eodem modo ſtatuenda ſunt neceſſaria, id eſt eadem ratione neceſſariò eveniſſe, ſeducta ſcilicet mente omnium, abſque ulla culpa voluntatis eorum, quippe quæ, uti tu vis, mentem ſeductam neceſſario ſequitur. At pro nullo attinebat Chriſtum mori. Non pro primo Adami peccato; quia ſi illud neceſſarium fuit, neceſſitas iſta ortum habuit ab aliqua re quam in poteſtate Adami non fuit non recipere. Hoc ſi verum eſt, nec culpæ nec pœnæ reus fieri potuit Adamus, proinde quid attinuit Chriſtum pro eo mori? nec enim pœnam ab Adamo tolli neceſſe erat per mortem Chriſti, quia eam Adam non meruerat: nec à culpa revocari eum neceſſe erat, quia ſic culpa in eo nulla fuit, per quam reus pœnæ fieri jure ullo potuerit. In cæteris peccatis eadem ratio valet. Sed quia hac de re fuſius agemus in ſequentibus, hîc ſiſtam: etiamſi finis diſputationis fieri poſſe videatur, ubi ad tam enormia pronunciata deductus eſt adverſarius. Sed procaci & pertinace ſæculo vivimus. Itaque pergendum eſt.

*Peccatum non poſſe conſtitui in actu judicii.*

Hactenus fundamentum noſtrum, quod ita vocas, adſeruimus: ſequuntur ſingulæ rationis noſtræ partes ab exceptionibus tuis vindicandæ. Ac primum quidem diximus peccatum non poſſe conſtitui in judicio, qua tali, quia actus judicii naturalis eſt & neceſſarius. Hîc tu Camero operoſa diſtinctione rem per ſe claram & apertam mirificè involvis. Sed dum id facis, non ita te tegis, quin attentus Lector facile videat quid in ſinu foveas, & quam rem agas. Scire facile poteras quomodo & cur ego judicii actum naturalem ac neceſſarium vocaviſſem. Res iſta in Scholis omnibus notior eſt quam ut ea tibi ignota eſſe poſſet. Quicunque actus à natura vel potentia tali fluit, quæ poſitis omnibus ad agendum requiſitis ad unum determinata eſt, ut non poſſit aliter agere, is naturalis dici ſolet, quatenus contra diſtinguitur à libero actu, qui à tali potentia producitur, quæ, poſitis omnibus ad agendum requiſitis, poteſt tamen aliud & aliter agere. Actus itaque judicii naturalis & neceſſarius à me vocatus eſt, quia intellectus (te ipſo, ut credo, non diffitente) non eſt potentia libera, ſed (eo quo dixi ſenſu) naturalis, à qua fluit, ac proinde non liberè ſed neceſſariò ad unum determinata, tam quod ad exercitium quam quod ad ſpeciem actus. Vocabula hæc prænota eſſe debebant. Sed tu, dum examinas an actus judicii ſit naturalis, & naturale accipis ac ſi quæreretur, utrum actus iſte ſit à natura non à gratia, vel quomodo fiat ut actus ille eliciatur ab intellectu; quod longe alienum eſt à mente mea. Sive enim actus ille oriatur primum à natura, ſive à gratia, id mihi hîc perinde eſt: ſufficit ſi ita oriatur, ut non liberè ſed neceſſariò à potentia ſua oriatur. Veruntamen videamus quæ à te dicuntur ad hanc rem ſingulatim.

*De actu judicii quo, ſecundum Cameronem, acuti vel hebetes dicimur.*

*Eſt quidem judicii actus qui oritur ex ingenui acumine & hebetudine, juxta quem actum acuti vel hebetes dicimur. Atque hactenus fateor judicii actum eſſe naturalem, ut qui oriatur quodammodo (partim ſaltem) ex organi temperamento. ſed neque inde boni aut mali appellamur, verum ingenioſi vel tardi.*

Valde impropriè, ſi non falsò, hæc à te dicuntur, Camero. Actus enim judicii, qualiſcunque tandem ſit, eſt actus purus putus intellectus. Quomodo autem actus intellectus, qui potentia purè putè immaterialis eſt, oriatur vel quodammodo à temperamento organi? Celeritas vel tarditas in judicando, oritur quidem ex majore vel minore impedimento quod in organo eſt, quatenus in eo phantaſmata clarius vel obſcurius repræſentantur, quæ intellectum ut judicium formet ſpeculari neceſſe eſt; ſed actus ipſe judicii nullo modo ex temperamento iſto oritur, ac proinde eodem prorſus modo naturalis eſt, quia poſito quocunque objecto intelligibili, ſive id fiat clarius ſive obſcurius, ſive citius ſive tardius, intellectus non poteſt de eo actum judicii formare alium aut aliter quam objectum ipſi repræſentatur. Non enim eſt indifferens ad oppoſita probanda aut improbanda, ſed ex ſe eſt determinatus, ut probet quod ei maxime verum apparet. Si utraque pars contradictionis æquè probabilis appareat, neutri poteſt poſitivè aſſentiri, & ſtatim atque una pars ei magis apparet probabilis, eo inclinat judicium ſuum. Serius ocyus, citius tardius hoc fiat, illud nihil refert. Et hoc tantum voluimus cum actum judicii naturalem diximus. Hoc autem pacto quo tu actum judicii naturalem vocas, non niſi impropriè, ſi non falſo, judicii actus dici poteſt naturalis. Sed tranſeat hoc; quia tibi nihil naturale eſt, niſi quod Manichaicè naturale eſt, id eſt quod ex materia bruta oritur; quod ineptum eſt.

*De actu judicii quo (ſecundum eundem) boni vel mali dicimur.*

*Verum eſt & alium actum judicii juxta quem boni aut mali dicimur. Nempe boni, cum (ut loquitur Ariſtoteles) ὀρθοδοξοῦμεν περὶ τῶν τέλους, bene judicamus de ſummo bono, deque mediis quæ ad id conſequendum conducunt, mali verò cum malè.*

Hæc verò neſcio an magis novè, an noxiè, dicantur à te, Camero; etſi principiis tuis conſentanee. Bonitas itaque & malitia primò ac formaliter, juxta hoc placitum tuum, ſedem habebunt in intellectu, diciturque bonus aut malus quis priuſquam velit vel benè vel malè agere. Secundo: Boniras & malitia nulla erit niſi in judicio de ſummo fine. Qui itaque male judicat de fine particulari vel inferiore, qua talis, moraliter bonus aut malus non erit. Tertiò: Nemo malus eſſe poterit, nemo male velle aut agere, qui bene judicat. Nullum ergo dabitur 1. peccatum contra conſcientiam, id eſt, contra rectum & ſanum judicium. Falſum ergo dixerit Apoſtolus eſſe *qui veritatem cognitam in injuſtitia detinent*; *Rom.* I. 18. Veritatem, inquam, clarè cognitam, quando *id quod de Deo cognoſci NB. poteſt, manifeſtum eſt in ipſis; ita ut Deus in id manifeſtum fecerit: verſu* 19. Item falſum erit eſſe *qui cum Deum cognoverint, eum tamen ut Deum non glorificaverunt;*

*caverunt*: *vers.* 21. *qui Dei jure agnito, nempe eos qui talia* (horrenda de quibus egit peccata) *faciunt dignos esse morte, non solum* (peccata) *ista faciunt, sed & facientibus applaudunt*: *versu* 32. Falsa itaque omnia ista dicta quæ leguntur *Jerem.* V. *versu* 3. 4. 5. 6, *&c. Rom.* II. *à versu* 14. *usque ad* 24. *Luc.* XII. 47. 48. & alia infinita. 2. Nulla unquam fuit aut erit blasphemia in Spiritum sanctum, quia illa, si non ex communi Theologorum, saltem ex Calvini, (quem tu scio non facile audebis rejicere,) Inst. lib. 3. cap. 3. §. 22. sententia, committi dicitur ab iis qui divinæ veritati, cujus fulgore sic perstringuntur ut ignorantiam causari nequeant, tamen destinata malitia resistunt, in hoc tantum ut resistant. At in quorum mentibus veritas ita fulget, illi bene judicant. Ergo illi non tantùm non peccant, sed & boni, imò ex tuo sensu optimi, ratione clarissimæ cognitionis sunt censendi. 3. Peccatum omne ex ignorantia erit; quod jam ante à Calvino damnatum in Platone, ejusque contrarium laudatum in Aristotele demonstravimus ex Institut. lib. 2. cap. 2. §. 22. &c. cui te hac in parte directè contradicere necessarium est. Neque potes hîc merito excipere, Camero, te non loqui de judicio quolibet, sed de judicio quo judicatur bene de summo bono, deque mediis quæ ad id consequendum conducunt; quia de iis, quos ante diximus Apostolum statuere contra conscientiam suam agere, verissimum est quod de summo bono, deque vero Dei cultu ad istud bonum consequendum, rectè & verè judicaverint, & contrarium tamen egerint. Boni itaque isti fuisse dicantur necesse est, cum pessimè agebant, quia bene judicaverant. Deinde posito etiam quod verum sit, istos tales de summo bono non rectè judicasse, manet nihilominus difficultas, quomodo quis moraliter bonus à judicio tali recto appellari posset, & contra moraliter malus à judicio contrario? Qui enim ita bene judicat de summo bono, necesse est ut dicatur de eo bene judicare, vel quia summum bonum & id quod eo conducit ita ipsi proponitur, ut intellectus ipsius, sive acutus sive hebes, non possit non judicare illud summum bonum esse, aut ut eo non obstante nihilominus tamen possit etiam aliter judicare. Si hoc pacto proponi dicas, jam liberum facias necesse est intellectum & liberum ejus judicium. Si isto pacto, jam quæro cur actus hic judicii minus dicendus sit naturalis, quam actus judicii qui ex hebete aut acuto ingenio, ut ais, oritur; cum posito isto objecto, tam sit impossibile intellectum hominis aliter quam bene judicare, quam est impossibile non esse ingeniosum eum qui idoneo organi temperamento præditus est, aut tardum qui temperamento isto caret. Sive enim actus judicii oriatur à temperie aut intemperie cerebri, quam homo non habet in potestate sua, sive ab objecti ipsius efficacia, quam homo non magis quam temperiem aut intemperiem cerebri sui habet in sua potestate, quid hoc ad rem facit ut hic propter hoc judicium bonus aut malus moraliter, ille propter istud judicium tantum ingeniosus aut tardus dicatur? Si intelligens aut insipiens diceres, consequenter loquereris; sed bonus aut malus non nisi inepte dicere potes. Sed & pone, quæso, objectum summi boni clarè proponi hebeti aut acuto ingenio, annon uterque judicabit de eodem summo bono? Utique, Et judicium hoc annon faciet utrumque tam hebetem quam acutum judicatorem moraliter bonum? Quid ni? Judicium tamen hoc, quatenus ab hebete aut acuto ingenio est, naturale erit juxta te, quia sic quodammodo, saltem ex parte, orietur ex temperamento organi: cumque omnis qui judicat aut hebeti aut acuto ingenio sit, necesse erit ut judicium omne quod de summo bono fertur, aliquomodo naturale sit, aliquomodo non naturale; ac proinde quotquot istud ferunt, aliquo modo ab isto judicio boni appellari possint, aliquo modo non possint. Quæ profectò omnia mirabiles admodum ineptias & contradictiones involvunt.

*Sed naturali tum demum dicitur hic actus rectè judicandi de summo bono, cum ab illa gratia quæ secuta est peccatum demum non est ortus, ut in Adamo ante lapsum, nempe ut natura gratiæ opponitur. Aliter verò actus male judicandi, eo demum pacto dicitur naturali ut naturali consuetudini opponitur, significatque pravitatem quam nulla naturæ integritas præcessit, quæ conditio est omnium hominum qui post primi parentis primum peccatum nati sunt.*

*De actu judicii Adami ante lapsum, & quomodo Adam potuerit errare.*

Et hæc involuta sunt. Nam quod attinet ad actum bene judicandi de summo bono, qui in Adami intellectu fuit, quid facit ad hoc ut actus ille naturalis dicatur, quod non fuerit ortus ab illa gratia quæ peccatum demum secuta est? Quid si enim vel ab eadem illa gratia ortus fuerit, sed quæ peccatum anteceſſit, vel ab alia? Et, si ex gratia fuit, quomodo naturalis rectè à te dicitur? Certè quotquot sunt vestrates Theologi, ii pænè omnes dona hujusmodi supernaturalia appellant quæ naturæ per gratiam superaddita fuerunt. Si consentaneè loqui velis, non potes, Camero, actum istum rectè naturalem vocare, nisi dicas eum ex natura Adami veluti principio & causa sua profluxisse. Nam si dicas eum naturalem à te vocatum esse, quia non ex sed una cum Adami natura natus, sive per gratiam in primo statim creationis instanti inditus à Deo fuit intellectui Adami, jam sane eodem modo natura ipsa Adami supernaturalis dici posset, quia una cum supernaturali ista gratia, etiamsi non ex illa gratia, nata aut creata est à Deo. Sed esto. Naturalis hoc modo fuerit actus hic judicii in Adamo; naturaliter itaque bene judicavit Adamus, & naturaliter bonus fuit præcisè per istum judicii actum, etiam antequam adhuc bene vellet, aut bene ageret actumve ullum obedientiæ præstaret. At dices: posito isto actu judicii non poterat non bene velle, bene agere & obedire. Esto: bonus tamen præcisè fuit antequam bene vellet. Deinde non multò post desiit Adam bene judicare. Actus itaque qui Adamo naturalis erat, esse desiit. bonus itaque esse desiit, & malus factus est Adam, antequam male vellet aut male ageret. Quid? an hoc absurdum tibi non videtur, Camero? Pergamus; Dic sodes, quomodo fieri potuit ut actus hic judicii, qui naturalis erat, cessaret? Intellectus Adami cessationis istius causa esse non poterat; quia actus ille, ipsius intellectus actus erat. Intellectus autem naturaliter bene judicabat. Multò minus voluntas Adami causa esse potuit; quia illa naturaliter judicium istud intellectus sequebatur. Nec affectus Adami causa fuerunt; quia illi subjacebant voluntati rectè imperanti. Nec suasio ulla vel divina vel diabolica. Non suasio divina; quia sic Deus peccatum suasisset, imo suasione sua effecisset. Tum nec suasio divina suffecisset ad actum istum judicii, qui persuasio erat, tollendum. Nec diabolica suasio; quia naturalis ille actus judicii, qui in Adamo erat, omni suasione præstantior erat & efficacior, te ipso fatente. Hic si apertè loqui auderes Camero, ulcus pestilens aperires: sed id adhuc occultum, & verborum voluminibus tectum esse vis. Nos gaudemus, quia male facit olere totam doctrinam vestram. Ut ut itaque hæc res se habeat, successit in locum actus contrarius, ita ut Adam male judicaret de summo bono. Qualis hic actus fuisse dicetur? An & naturalis in Adamo? Mirum quid hic dicas, Camero, & quò devolvaris.

*Actus hic in Adamo, quod ad speciem actus attinet, præter naturam dici possit. Nam nec à præcedenti ullo peccato, quo natura ejus vitiata aut corrupta fuerit profectus est, nec à delirio.*

Monstrosus itaque hîc actus fuit, qui intellectui Adami, veluti mola quædam carni, adnatus fuit, deficiente scilicet (sed quomodo id acciderit, hic nondum indicatur) eo quod naturaliter in eo erat. Nempe uti cum in corpore humano necessarium aut naturale aliquod membrum deest, & id quod naturale non est adest, præter naturam illud in eo esse dicimus, corpusque tale appellamus monstrosum, sive παρὰ φύσιν se habens; ita actus ille male judicandi, qui in intellectum Adami irrepsit, fuit actus (juxta te) præter naturam, quia successit in locum ejus quod naturaliter antea inerat & inesse debebat, tanquam si in locum manus succederet ungula equina, aut in locum salutaris sanguinis venenum aut pestilens vapor. Monstrum itaque factus est intellectus Adami, quia præter naturam defecit in eo quod naturale ipsi erat, & naturaliter deficere in eo non poterat, & redundavit quod non erat naturale, quodque nisi deficiente aut sublato naturali isto inesse ei non poterat. Quo actu id factum sit, postea clarum fiet. Et hic monstrosus judicii actus, respectu nostri naturalis iterum tibi est, ut natura significat pravitatem quam nulla naturæ integritas præcessit. Nimirum pravitas illa ex actu isto judicii in Adamum totum fluxit non naturaliter, & illam non naturalem suam pravitatem naturaliter destillat in nostrum intellectum, ut priusquam male judicemus aut velimus aut faciamus, imo antequam possimus simpliciter intelligere aut velle, jam pravi simus, sed sine monstrositate, quæ soli Adamo propria fuit. Qui hæc potest capere, capiat. Nos pergamus.

*His ita constitutis* (inquis) *nego, ut naturale ethico opponitur & morali, omnem judicii actum esse naturalem.*

At quis unquam sive in Philosophia, sive in Theologia, hactenus ethicum & naturale hoc pacto distinxit? Sed esto, valeat distinctio. Negare tamen non potes aliquem actum judicii naturalem simul esse & moralem, & ab isto actu naturali, qua tali, si bonus sit, bonum aliquem & præmio dignum, si malus sit, malum & pœna dignum censeri posse. Exempli gratia, actum judicii quo Adam bene judicabat, antequam male judicaret, naturalem fuisse, & ab eo actu, qua tali, Adamum moraliter bonum ac præmio dignum fuisse. Ex oppositio actum judicii quo nos ex Adamo nati male judicamus, naturalem esse, & ab isto actu, qua tali, nos moraliter malos & pœna dignos esse. Quidni, inquies? Actus enim uterque est moralis. Esto, inquam; vocetur actus moralis, quia de moribus est: ita enim vis quanquam præ-

ter omnem rationem & loquendi usum. Saltem alterutrum verum erit, aut liber actus erit aut non liber. Si actus liber, jam intellectus liber erit; si non liber, quomodo moralis actus erit, qui Adamum præmio dignum, nos autem atrocissimæ pœnæ reos faciet? Ut enim actus aliquis præmio vel pœna dignus censeatur, non sufficit eum quolibet modo moralem esse; nam alioquin actus judicii divini, quo de summo bono bene judicat, præmio dignus censeri possit, & diabolorum, quando pœna ipsa afficientur, judicium pravum, alia pœna dignum: quibus quid absurdius? Rectius Irenæus lib. 4. adversus Hæreses Valentini & similium, cap. 72. in initio: *Si naturaliter quidam boni, quidam verò mali facti fuissent, neque laudabiles essent quia boni sunt; tales enim facti fuerant: sed neque illi vituperabiles, & ipsi enim tales fuerant instituti: sed quoniam omnes sunt ejusdem naturæ, & potentes retinere & operari bonum, & potentes rursum amittere id & non facere justè, etiam apud homines sensatos, quanto magis apud Deum? alii quidem laudantur, & dignum percipiunt testimonium electionis bonæ & perseverantiæ; alii verò accusantur, & dignum percipiunt damnum, eò quod justum & bonum reprobaverint.* Similiter loquuntur Justinus, Apol. 2. pro Christianis: Clemens Alexandr. Stromaton 1. Tertullianus contra Marcionitas, lib. 2. &c.

At subjicis: *Si intelligatur necessitas qualem supra descripsimus, orta à materia, Nego omnem judicii actum esse necessarium: quin hoc pacto eos tantum judicii actus existimo necessarios, qui materiam hoc aut illo modo constitutam necessario sequuntur, in quibus peccati aut virtutis ethicæ ratio locum non habet.*

*Quod necessarium est, non potest esse peccatum.*

Esto: At 1. sic nullus actus judicii est necessarius uti ante diximus. 2. Si isto modo non est necessarius, tum aut liber est, aut alio modo necessarius. Liberum esse judicii actum non dices, quia libertas voluntatis affectio est. Alio itaque modo erit necessarius, ac proinde non liber. At hoc satis est ut argumentum meum constet. Necessarium enim, quod absque ulla antecedente culpa in subjecto aliquo est, qua tale, repugnat rationi peccati quod pœnam mereatur; sive tu necessitatem illam ex materia, quam ὕλην vocant cum Manichæo, sive ex æonum circumvolutione cum Valentino, sive ex syderum & astrorum influxu cum Priscilliano, sive ex omnibus istis simul, sive à Diabolo, sive (ô scelus!) à Deo ipso derives, id mihi perinde est. Necessitas, qua talis, nisi quis ipse sibi eam liberè, uti dico, adtraxerit, cum peccato quod pœnam mereatur impossibile est ut conjungatur. Quod enim non est ullo modo liberum, id non potest esse peccatum pœna dignum. At actus judicii talis necessarius, nullo modo est liber. Ergo actus talis non potest esse peccatum pœna dignum.

*Quid sit Cameroni pertinacia in peccato.*

Quare quod dicis; *In religione quanto major pertinacia est, tanto plus inest peccati*: speciosè magis dicitur à te quam candidè, nedum verè, imò apertam & noxiam continet falsitatem. Pertinacia enim hîc tibi non est liberæ voluntatis actus, (nos enim hîc non de voluntate, sed de intellectu agimus;) sed aliud nihil quam incommutabile, aut (si ita dicere liceat) tenax judicium malum de summo fine. Ita ut sensus sit; In actibus illis quibus intellectus judicat de summo bono res aliter se habet. Etiamsi impossibile sit homini nulla culpa ipsius, ut judicet recte de summo bono, si modo malè judicet, peccat, & quanto minus rectè judicare potest, ac proinde quanto magis diutius pertinaciusque male judicat, quacunque demum ex causa id fiat, si modo non oriatur ex materia, tantò nequior est tantoque magis peccat, ac proinde tanto majorem pœnam meretur. Quis hoc percipiat? Ex eo sequitur sane, cum peccatum oriri credas ex boni ignorantia, quantò major in aliquo est ignorantia, tantò majorem in eo esse pertinaciam; ac proinde cum is qui minimè omnium scire potuit quid sit verum bonum, quique minimam sciendi occasionem habuit, non possit non maximè ac pertinacissimè errare in judicando, eum gravissimè peccare, & maximè puniendum esse. O monstra opinionum! & hæc est illa de qua loqueris pertinacia, de qua tamen ipsa in sequentibus agetur prolixius. Quomodo vero intellectui à te tribui possit magna, parva, minor, major, maxima pertinacia, jam non disputo. Et sanè non modò vanum, sed & plane ἀκροάλιθιον, ut ostendemus suo loco in sequentibus.

Progrediamur ad id quod non minus absonum & absurdum est, quodque nihilominus eodem spiritu à te defendendum suscipitur; Errorem scilicet quatenus error tantum est, peccatum esse posse, & quidem peccatum pœna dignum. Id enim ego negaveram. Tu ut id probes sic disputas. *Nullius ergo peccati intellectus, quatenus intellectus est, erit sedes. Atqui si ita se res habet, pari jure nec virtutis sedes esse possit. Contrariorum enim idem est subjectum. At certè cujusdam virtutis sedes intellectus est. Fides enim virtus est. Intellectus porrò fidei sedes est. Hoc tu, nihil dubito, negabis.* Rectè. Non ego tantum, sed quotquot hactenus Veterum Patrum fuerunt, ii fidem in voluntate, non autem in intellectu posuerunt, uti supra à nobis demonstratum est. Neque illi tantum, sed & Reformati qui de fide disputarunt, ii sedem ejus non fecerunt præcipue mentem, sed voluntatem. Docent id disputationes ipsorum cum Pontificiis, & horum cum illis; ut illi Pontificios acriter incessunt, eo nomine quod fidem in intellectu collocent, ac non potius in corde sive voluntate; ita hi vicissim illos redarguunt, quod eam in corde, ac non in solo intellectu sive mente collocent. Vide Bellarmini secundam controversiam principalem, de Justif. Tom. 4. &c. Calvinum ubi de Fide disputat, Inst. lib. 3. cap. 2. aliosque. Sed ego te hoc argumento non urgebo. Amplectere quam libet sententiam. An rationes habeas videamus. Ego virtutis ullius quæ præcepto subjaceat & præmio promisso digna censeri possit, intellectum, quatenus, intellectus est, sedem esse nego. nec fidei itaque sedes erit.

*Utrum Fidei sedes sit intellectus, an voluntas: & quænam illius sit natura.*

*Atqui credere, ut fidei, sic mentis est actus.*

Quid tu per fidem hîc intelligas, & quomodo credere à fide distinguas, ego hîc non disputo. Credere quod à Deo sub promisso vitæ & comminatione mortis æternæ nobis in Euangelio mandatur, juxta id quod dicitur 1 *Joh.* III. 23. *Hoc est igitur mandatum ejus, ut credamus nomini Filii ejus Jesu Christi, &c.* nego esse simpliciter actum mentis sive intellectus, quatenus intellectus est. Non enim mandaretur, nec mandari posset, si actus tantum intellectus esset. Nec actus ille ab intellectu elicitus quà talis, obedientiæ titulo venire, aut præmio ullo, nedum præmio vitæ æternæ, à sapiente posset dignus censeri.

Atqui, *Si non est intellectus*, (inquis) *voluntatis est.* Dato sed non concesso esse actum voluntatis merum, quid tum?

*Voluntatis non est*, (inquis:) *Voluntatis enim est velle aut nolle;*

*Credere autem neque velle est neque nolle.*

At, inquam ego, hoc est principium petere. Actum enim voluntatis dicere, idem est dicere quod velle; nolle enim ut sit, impossibile est.

At, *Sic foret idem quod amare.* Nulla consequentia est. Quicunque enim vult is non statim amat. Possum velle obedire superiori, ut tamen nec superiorem, nec ipsam obedientiam amem, imò ut cupiam, si fieri possit, liber esse à domino superiore & ejus obsequio; quodque amplius est, ut ipsum dominum & obsequium ipsius oderim. Deinde quid absurdi in eo, si ipsum velle sive credere dicatur esse amare. amoris vocabulo generalius sumpto. Imo verò dico amplius, nihil absurdi in eo si dicatur esse idem quod vere obedire, parere, morem gerere jubenti Deo, quod formaliter plus adhuc est quam amare; amor enim obsequii causa esse solet. Hæc ita disputavi, tanquam si agnoscerem totum credere esse merum actum voluntatis; non quod ita ex animo statuam, sed ut quod à te allatum videbam non sufficere ostenderem ad probandum contrarium; alioquin fateor libens, totum credere non esse merum actum voluntatis. Et rationes quæ me movent inter alias hæ sunt. Non est in potestate hominis libera facere ut appareat intellectui ipsius aliquid esse verum aut credibile, & facere ut appareat aliquid non verum & non credibile. Ne quidem in potestate hominis est opinari aliquid sic vel sic esse cum vult; ergo multo minus in potestate voluntatis ipsius est credere; quia credere est firmius assentiri quam opinari. Qui enim opinatur, adsentitur rei cum formidine, ad oppositum; at qui credit, adsentitur rei sine formidine. Tum interrogatus quis cur illud non hoc credat, vel cur exempli gratia religioni Christianæ, non Judaicæ aut Mahumetanæ credat, non assignabit actum voluntatis præcisè, uti experientia quotidiana docet. Denique quia alioquin positis duobus qui singuli crederent opposita, quia vellent ita credere, indifferente ad hoc omnino judicio, dici non posset quod alter altero rationabilius moveatur ad credendum; quia utrobique voluntatis imperium foret causa adsensus. Hæc aliaque plura faciunt, ut totum credere merum voluntatis actum esse non statuam; sed actum utriusque tum voluntatis tum intellectus. Explico me, præmonito eo quod jam ante dixi, de fide hîc agi, non quæ præstatur aut habetur Deo simpliciter aliquid affirmanti aut narranti, sed quæ habetur Deo mandanti, actumque fidei postulanti sub promisso præmii & pœnæ comminatione. In hujusmodi actu fidei duo concurrere necesse est, 1. Adsensum qui adhibetur Deo affirmanti ea quæ credibilia esse cognoscimus. 2. Adsensum qui adhibetur Deo mandanti ut ea quæ credibilia esse cognoscimus, etiam certissima esse statuamus, firmiterque adeo ea apprehendamus: quæ apprehensio in Scripturis vocatur ὑποστασις ἐλπιζομένων, ἔλεγχος οὐ βλεπομένων, & aliquando ἀρχὴ ὑποστάσεως, παῤῥησία καὶ καύχημα τῆς ἐλπίδος, πληροφορία, &c. Prior iste adsensus actus est merus intellectus. Credibile enim apprehendere ut credibile, & credibili adsentiri ut credibili, alterius alicujus potentiæ quam mentis

actus

actus esse non potest. Sed hic actus, non est completus totusque fidei actus, sed actus necessariò prærequisitus ut alter præstari possit. Posterior itaque actus, ipsius voluntatis actus dicitur, quatenus voluntas mota mandato, intellectum determinat ad assensum istum firmiter eliciendum, eumque vel impedit ne majorem evidentiam, puta vel scientiam, vel visionem ejus quod credi mandatur, requirat, vel fortiter applicat, ut quicquid adsensui isti fulciendo servire potest id diligenter consideret, & quicquid isti debilitando occurrit aut objicitur, non animadvertat nisi leviter & velut in transcursu. Quia enim id quod credibile est, tale est, ut intellectum non moveat ulterius nisi ad assensum credibilitatis, ac proinde fieri potest ut quis credibile aliquid intelligens, & pro credibili habens, nondum tamen credat id verum esse; imo quia fieri potest ut priusquam credat id esse verum, de eo cupiat certus fieri per aliam viam, id est ut cupiat sentire, palpare, videre, aut per causam scire quod id verum sit; hinc est quod voluntatis actus accidere debeat, qui intellectum ad adsensum istum determinet, applicando eum ut id non cupiat, sed ut rationem, licet non omnino evidentem, firmiter apprehendat, & in ea sistat. Et qui hoc pacto credit, is demum vere credit. Et hoc est credere illud quod à Deo mandatur, & quod salutaris fidei atque obedientiæ nomine apud Deum venit. Verum quidem est Scripturam sanctam verbo credendi (uti etiam in communi usu loquendi fieri solet) non ita logicè aut præcisè, sed laxius uti solere, ut fere hæc quatuor complectatur: 1. Attentionem animi ad audiendum & considerandum id quod credendum proponitur & mandatur. 2. adsensum adhibitum propositioni & mandato tali. 3. propositum obediendi, nec raro, 4. ipsam etiam obedientiam actualem. Nunquam tamen ita eo utitur unde appareat aut colligatur esse merum actum intellectus, ac non simul adeoque potius actum voluntatis. Contrarium potius arguunt hæ rationes: 1. Quia Scriptura, uti diximus, passim actum fidei à Deo nobis seriò mandari & severissimè præscribi testatur; quin & expresè mandatum Dei appellat, quod Deus mandat ut nos præstemus, sicut *opus Dei* quod Deus à nobis fieri vult. 1 *Joan.* III. 23. *Joan.* VI. 29. Actus autem intellectus, qua talis, mandari non potest; quia intellectus actio, qua talis, non modo non est libera, sed ne voluntaria quidem. Doceri potest intellectus, & doctrinæ capax est; at mandati aut præcepti propriè dicti capax non est. 2. Quia Deus in Scriptura, ei qui actum hunc elicit aut præstat præmium promittit excellentissimum, & præmium dat; & contra, actum hunc non elicienti pœnam minatur gravissimam, & pœnam infligit: At ob actum intellectus qui nullo modo est ἐφ' ἡμῖν, quis sapiens alicui promittat aut conferat præmium? sed quis etiam inferat pœnam? 3. Quia ipsum actum fidei exprimit per voces *credere sub spe contra spem*, prout de fide Abrahami constat, Rom. 4. At hoc quis ad intellectum referri dicat? Similiter per voces *credere corde*, *credere ex toto corde*: *Act.* VIII. 37. *Si ex corde toto credis*: *Rom.* X. 9. *Si credideris in corde tuo quod Deus Jesum suscitavit è mortuis, servaberis*: Item per *obedire*, *Rom.* X. 16. *venire* & *velle venire*: uti ex opposito *Non credere* apparet, quod aliquando nolle credere, nolle venire, inobedientem esse, aliquando repellere sermonem, resistere spiritui, cor obdurare, consilium Dei contra se spernere appellat. *Vos non vultis venire ad me ut vitam habeatis*: *Joh.* V, 40. *Ego veni vos aut liberos vestros congregare, sed noluistis*: *Matth.* XXIII. 37. *Hinc* ἀπιστία & ἀπείθεια opponuntur. *Joh.* III. 36. At quis de intellectu hominis dicat, vel de homine respectu intellectus, si ex toto corde credas? Quis de intellectu dicat quod obediat, vel velit venire, aut quod inobediens sit, nolit venire ad Christum, id est credere Christi Euangelio? &c: 4. Quod eos qui crediderunt egregiè laudet, contra eos qui non credunt, aut qui tardi sunt ad credendum, acriter reprehendat ac vituperet; illos quod officium faciant, hos quod officium suum non faciant; *Act.* XVII. 11. & XIII. 46. & innumeris aliis in locis. 5. Quod eos qui jam crediderunt hortetur, ne quando in ipsis sit καρδία πονηρὰ ἀπιστίας, *cor malum infidele, deficiendo à Deo vivo*: *Hebr.* III. 12. *Ne incidant in exemplum inobedientiæ, versu* 11. *cap.* IV. *imò quod fidei naufragium fieri dicat per bonæ conscientiæ repulsionem*, 1 *Timoth.* I. 19. Quæ ineptè moneri & affirmari quis non dicat, si fidei sedes in intellectu est? Plura nunc non allego.

*Item incredulitatis.*

Eadem est ratio contrarii, videlicet incredulitatis. Hæc similiter non est actus merus intellectus; & incredulum esse, non est esse non intelligentem divinæ veritatis. Sæpe enim incredulus est qui optimè novit quæ sit veritas Euangelica, imò qui eidem etiam adsentitur ut veritati quæ credibilis est, & in eo non errat; qui tamen non vult statuere eam veram esse, aut etiamsi id positivè non possit dici nolle statuere, ita tamen languidè aut frigidè id statuit tanquam si id non crederet, aut in animum suum non induceret, imo tanquam si contrarium positivè crederet & statueret verum esse. Hoc volunt omnes istæ quærelæ quæ apud Mosem & Prophetas exstant de populi Israelitici incredulitate. Eidem enim populo cui passim tribuunt quod credidisset in Mosem & Prophetas, & de quo Christus ipse affirmat quod *speraret in Mosem*, *Joh.* V. 45. tribuitur ab iisdem quod incredulus esset, quod Mosi imo scriptis Mosis non crederet, *Joh.* V. 46. 47. cum tamen Mosis discipulos se profiterentur, & causam adderent, uti expresè legitur *Joh.* IX. 19. *Nam scimus Deum esse locutum Mosi.* Idem volunt quærelæ cæteræ omnes, quas legere est in Novo Testamento. Et sane, si non credere est non intelligere, tum 1. sequetur eos omnes de quibus passim affirmatur quod non crediderunt Deo, Mosi, Prophetis, Christo, quique eo nomine gravissimè reprehenduntur, & maximarum pœnarum rei agnitur, non intellexisse quæ ut intelligerent Deus, Moses, Prophetæ & Christus ab ipsis requirebant; ac proinde falsa esse omnia ista loca quæ eos *veritatem in injustitia detinuisse*, & *Deum quem cognoverant non glorificasse*, ac similia testantur. 2. Sequetur eos qui dicebant, *Nos Mosis discipuli sumus*: *Nam scimus Deum Mosi locutum esse*, aliosque similes, & de quibus tamen ipse Servator affirmat quod non credebant Mosi, falsum dixisse; ac proinde eo ipso quo peccatum suum aggravabant, peccatum suum extenuasse, sibi ipsis falsò persuadentes se scire quod nesciebant, imò quod scire non poterant. 3. Sequetur neminem incredulum esse posse eo quod non vult credere, aut eò quod vult non credere. Priusquam enim velit non credere, aut non velit credere, incredulus sit necesse est; quia priusquam velit aut non possit velle, ignorans est aut non intelligens. 4. Sequetur, neminem incredulum esse posse contra conscientiam suam, quia alioquin fieri posset ut quis non intelligens sit contra conscientiam suam; conscientia enim supponit scientiam. Neque verò hîc reponere tibi licet quod de scientia directiva (quam rem infrà suo loco plenius examinabimus) afferre soles, incredulum aliquem peccare posse contra scientiam directivam quæ ipsi monstrat inefficaciter quid intelligere debeat. Intellectus enim sibi ipsi monstrare non potest quid intelligere debeat; quia intellectus propriè, qua talis, non debet intelligere, aut non obligatur ad intelligendum, sed necessariò intelligit quod proponitur, aut non intelligit. deinde quia intellectus non potest monstrare sibi ipsi se debere intelligere, quod intelligibile non est. At id quod tu intellectum vis debere intelligere, id intelligibile non est intellectui, quando deest sufficiens objecti propositio sive approximatio; quæ conditio in objecto intelligendo requisita est. deest autem illa quamdiu non adhibetur persuasio, te ipso fatente; imo posita ista persuasione cessat obligatio, quia tum intellectus non potest non intelligere aut non credere objectum propositum. 5. Sequetur, Non magis incredulum dicendum eum qui non credit, postquam Euangelium ei revelatum est, quam qui non credit eò quod de Euangelio nihil unquam audivit vel audire potuit; quia uterque æque non intelligens est ejus rei, cujus intelligentia fides tibi est. imo sequetur ex hypothesi tua præcedente, eum qui de Euanlio nunquam audivit magis incredulum esse quam alterum, quia minus intelligens, ac proinde magis pertinax est: quanto autem pertinacior (inquis) tanto nequior. quod tamen directe repugnat textui *Ioan.* XV. 22. in quo dicitur, *Si non venissem, & locutus essem eis, peccatum non haberent: nunc autem non habent quod prætexant peccato suo.* Denique sequetur non majoris pœnæ reum fieri eum, qui Deo multum diuque vocanti, imo variè & patienter blandeque vocanti non credit, quam qui non credit cum aut prorsus non vocatur, aut nonnisi exiguo tempore unoque modo vocatur; quia uterque eodem modo est & manet non intelligens. Non magis enim intelligere potest qui diu multumque externè vocatur, quam si nunquam vocaretur; proinde non magis peccare non credendo, id est non intelligendo, dici potest, quam qui nunquam vocatur. Quæ omnia cum nemo non palpare possit repugnare Scripturis, rationi, experientiæ & sensui communi, concludo itaque, fidei & infidelitatis sedem non esse statuendum intellectum; cumque incredulitas peccatum sit quod pœna gravi dignissimum est, eam pro errore, quatenus in intellectu tantum est, habendam non esse, eò quod error, quatenus error tantum est, peccatum esse non possit, nedum peccatum pœna dignum.

*Attamen non credere, quod creditu ad salutem necessarium est, gravissimus est error* (inquis.)

Atqui, inquam ego, si non credere est mentis solius actus, id est, si non credere est non intelligere ea quæ ad salutem creditu necessaria sunt, jam id error aut ignorantia potius gravissima quidem est, sed qua talis est, peccatum non est, nedum peccatum pœna dignum, nisi

ignorantiam eorum quæ neceſſaria ſcitu ad ſalutem ſunt, qualiſcunque tandem ea ſit, ſive vincibilis, ut loquuntur, ſive invincibilis, non modo peccatum, ſed graviſſimum etiam peccatum eſſe velis, ac proinde graviſſima pœna dignum. hoc autem ut velis neceſſe eſt. Nam etſi omnem errorem ſive ignorantiam peccatum eſſe nolis, quia errorem qui ex materia ſive cerebri intemperie oritur peccatum eſſe non vis, errorem tamen ſive ignorantiam hujuſmodi, qua ignoratur ſummum bonum & quæ eo pertinent, peccatum eſſe, & peccatum graviſſimum, ut fatearis hypotheſes tuæ poſtulant. Hoc autem abſurdiſſimum eſſe inde liquet, quia alioquin non modo peccarent, ſed graviſſimè etiam peccarent, qui invincibiliter non credunt, id eſt invincibiliter ignorant ea quæ ſcitu ad ſalutem neceſſaria ſunt: id eſt, qui vel nunquam audiverunt, vel nunquam cogitarunt, vel nunquam per induſtriam humanam audire vel cogitare potuerunt ea quæ ſcitu ad ſalutem neceſſaria ſunt. Nec enim illi aliter ignorant, id eſt aliter non credunt aut errant, quam ii qui externè ea audiunt ſibi proponi. utriſque enim eodem modo deeſt perſuaſio talis quæ facit ut intelligere, id eſt, credere ea poſſint, vel ut actu ea intelligant & ſic credant.

*Locus 2 Cor. IV. 3.* Neque vero locus quem tu allegas ex 2 *Corinth.* IV. 3. contrarium probat. Apoſtolus enim manifeſte iſto in loco loquitur de iis infidelibus, qui vocati erant à Deo per Euangelium, & qui cum poſſent nolebant tamen credere: quod ex eo liquet, quia expreſsè additur in textu, id factum quia *Deus hujus ſæculi mentes eorum excæcabat.* Si enim infideles erant, quia non poterant ſcire aut credere ea quæ Euangelio proponebantur, tum excæcari illos à Diabolo neceſſe non erat, nec excæcari illos æquum erat, imo excæcari illos impoſſibile erat. Per ignorantiam enim excæcari debuiſſent: at ea jam ſumma in ipſis erat. Infideles itaque dicuntur, non quia ſimpliciter ignorabant ea quæ per Euangelium ipſis proponebantur ſcitu ad ſalutem neceſſaria, ſed quia etiamſi ea non ignorabant, imò iſtis tanquam credibilibus aſſentiebantur, nolebant tamen in animum ſuum inducere ea vera eſſe, ac proinde malebant bonis hujus mundi uti-frui, quàm glorioſa bona, quæ Euangelium promittit, cum iſtorum damno ac detrimento conſectari. Et confirmatur hæc expoſitio, ex eo quod infideles in Scripturis nunquam fere dicantur alii, quam qui cum credere poſſent ac deberent, credere tamen noluerunt. Hinc phraſes illæ, *Vos non vultis venire ad me, Joan.* V. 40, *ut vitam æternam habeatis*, Et tamen dixerat Jeſus *verſu.* 34. *Hæc dico vobis ut ſervemini.* Cui parallela eſt phraſis *cap.* VIII. 46: *Si veritatem dixi vobis, quare vos non creditis mihi? propterea non creditis quia ex Deo non eſtis.* Item, *Vos ἀπωθεῖσθε, repellitis ſermonem Dei, & indignos vos judicatis vita æterna: Act.* XIII. 46. *Vos reſiſtitis Spiritui ſancto. Act.* VII. 51. *& obduratis corda veſtra*, aliaque infinita; quæ omnia non ignorantiam, nedum ignorantiam prorſus invincibilem, ſed animi ſive voluntatis malitiam arguunt: unde quando ignorantia oritur, tum certe ignorantia illa culpabilis fit, & peccatum pœna dignum. Abſque ea, ignorantia ſimpliciter invincibilis, quatenus purè putè in intellectu eſt, culpæ rationem habere non poteſt, nedum culpæ graviſſimæ, quæque pœna graviſſima puniri mereatur.

*Quomodo ſecundum Cameronem peccatum ſit voluntarium.* Addideram pro argumento: Omne peccatum eſſe voluntarium: Errorem autem, qua error eſt, eſſe involuntarium. *Certè* (inquis tu.) *Sed ideo peccatum omne eſt voluntarium, quia vel afficit voluntatem, vel quia actus voluntatis eſt. Exempli gratia: Incredulitas mentis dici poteſt peccatum voluntarium, quia gignit in voluntate Dei odium. at Dei odium voluntarium eſt, quia actus eſt voluntatis.*

Hæc, mi Camero, à recepto vocabulorum uſu & ab omni recta ratione ſunt alieniſſima. A recepto uſu; quia voluntarium peccatum dicitur id quod à voluntate eſt, & conſenſum voluntatis liberum ſequitur; Involuntarium id quod à voluntate non eſt, & quod conſenſum voluntatis liberum præcedit. At juxta te peccatum voluntarium eſt, non tantum quod à voluntate nullo modo eſt, ac proinde quod ipſum liberum voluntatis conſenſum præcedit, ſed & quod à voluntate non libera ſed neceſſario agente proficiſcitur. A recta ratione; Quia error qui nullo modo à voluntate eſt, involuntarius dici debet, non autem voluntarius. Etſi vero deinde afficiat voluntatem, ideo non fit nec poteſt dici voluntarius, id eſt ideò intellectus voluntarie erraſſe dici non poteſt, ſed voluntas dici debet reddita erronea. Ut ſi ego exiſtimans aliquem hoſtem meum eſſe, occidam amicum, error iſte afficit voluntatem, adeo ut occidam amicum; at quis idcirco errorem iſtum voluntarium meque amicum voluntariè occidiſſe dixerit? Similiter peccatum quod omnem actum voluntatis præcedere à te creditur, dicendum eſt involuntarium, non autem voluntarium. Quia verò peccatum iſtud etiam deinde voluntatem adficit, idcirco iſtud peccatum præcedens non fit voluntarium, ſed voluntas ſive volitio iſtud ſubſequens redditur peccans; imò ſi afficiat voluntatem neceſſariò, ne peccans quidem redditur, etiamſi voluntaria ſit. Ad hoc enim ut volitio aliqua peccatum ſit, non ſatis eſt quod ſit actus voluntatis, & ſic voluntarius; ſed requiritur ut ſit actus voluntatis liber, quem voluntas in poteſtate ſua habuit exercere vel non exercere, id eſt (ut Philoſophi & Theologi loquuntur) qui ſit ἐφ' ἡμῖν, & non ἀνάγκης tantum, ſed & ἀυθαίρετος ſive ἀυτεξούσιος. Qui ſecus ſentit, is res mutat & vocabula pro libitu, erratque errorem non levem, neſcio annon pœne voluntarium.

*Quinam errores ſecundum Cameronem ſint voluntarii vel involuntarii.*

*Unde naſcitur* (inquis) *quædam errorum differentia. Ii enim errores proprie involuntarii ſunt, qui nullo vitio afficiunt voluntatem; quos errores ſequitur commiſeratio potius quam deteſtatio.*

Præter locutionis novitatem, & rei abſurditatem, quam jam demonſtravi, alia hæc errata noto non levia. 1. Illos errores propriè dicis involuntarios eſſe qui nullo afficiunt vitio voluntatem. At, inquam ego, errores iſti vel ſunt peccata vel non ſunt. Si non ſunt peccata, huc non pertinent, aut ſaltem de illis itaque veriſſimum eſt quod dixi, errores propriè involuntarios peccata non eſſe. Si ſunt peccata, & tamen in ſola mente hæreant, tum certè ſequitur peccatum aliquod eſſe prorſus involuntarium, cùm tamen antea conceſſeris, imò affirmaveris, omne peccatum eſſe voluntarium, ſed ideò quia vel afficit voluntatem, vel actus eſt voluntatis. Contradictio hic aperta foret. 2. Ejuſmodi errores ſequi dicis commiſerationem potius quam deteſtationem: quaſi videlicet omnem errorem, quatenus error eſt, non debeat ſequi commiſeratio, ſive error iſte afficiat voluntatem, ſive non afficiat. Error, quatenus error eſt, commiſeratione dignus eſt, quia nullo modo à voluntate oritur. At quicunque error voluntatem poſtea demum afficit, is à voluntate nullo modo oritur. Itaque eum ſequi debet commiſeratio: quia quis tam barbarus qui ignorantis, errantis miſerè nulla culpa ſua, non miſereatur? imò quis non tanto magis miſereatur quanto errat gravius, ſi modo ex voluntate non naſcatur error? Miſericordiam fieri voluit Deus olim ei qui per errorem occiderat hominem, quanto magis miſericordiam fieri velle cenſendus eſt ei qui ſeipſum per errorem purum putum ſeducit, dum de recta via quærenda ſolicitus eſt, & verum bonum ſcire pro virili ſua laborat? Quare cum dicis iſtos errores tantum ſequi commiſerationem, potius quam deteſtationem, non tantum non dixiſti ſatis, ſed tale quid dixiſti quod neſcio tui immiſericordiæ & crudeli lanienæ innoxiorum hominum non exiguam anſam poteſt præbere. Si enim cætetos errores non ſequitur commiſeratio, quid reſtat aliud quam ut qui iſtos errores errant, ſine ulla miſericordia aut commiſeratione velut execrabiles homines tractari poſſe credatur, atque ita infame iſtud hæreticidium, tanquam laudabile opus. Rectoribus populorum à te iſta via commendari & inculcari ſtatuatur? Neque verò dicere potes hîc te de erroribus loqui, non autem de errantibus. Errores enim, etſi deteſtatione digni rectè dici poſſint, commiſeratione tamen digni recte dici nequeunt. Commiſeratio circa perſonas verſatur, non circa qualitates aut actus. Sed videamus quid de cæteris erroribus dicas.

*Alii ſunt errores noxii & peſtilentes, quorum hæc eſt ingenium, ut nequeant hærere in intellectu quin ipſam afficiant voluntatem: atque hominis intima vi ſua illi quidem errores penetrant.*

Hæc ita generaliter dicta obſcuriora ſunt quam ut intelligi poſſint. Nam ſunt errores, quidam qui non hærent in intellectu, ſed voluntatem afficere apti nati ſunt, & non rarò etiam eam afficiunt vitio. cujuſmodi ſunt exempli gratia ſi quis perſuadeat ſibi bona opera non eſſe neceſſaria ad ſalutem; ſe electum eſſe decreto irrevocabili ad ſalutem, nec fieri poſſe ut ex eo peccando excidat. Hi errores & ſimiles complures apti nati ſunt voluntatem hominis vitio afficere, & ſæpenumero ita eam afficiunt, ut qui erroribus iſtis imbutus eſt animo & voluptatibus omnibus ſecurè indulgeat. Sunt & errores qui voluntatem hominis vitio afficiunt, ita ut qui errores iſtos errat, errores iſtos ſequi velit, quia ſe eos ſequendo non errare, ſed recte facere & Deo obedire ſibi perſuadet: exempli gratia errores quibus adductus aliquis panem euchariſticum ſupplex veneratur, ſanctos mortuos implorat, coram eorum imaginibus & reliquiis venerabundus procumbit, diſſentientes à ſe in fidei articulis quibuſdam, licet non neceſſariis ad ſalutem, averſatur, proſcribit, perſequitur, credens ſe Deo ſacrificium facere, aliique ſimiles complures. Denique ſunt errores qui voluntatem afficiunt, ita ut qui eos errat, eos ſequatur, etiamſi non ignoret ſe in iis ſequendis facere quod Deo ingratum & à Deo vetitum eſt, quodque cum injuria proximi conjunctum eſt; exempli gratia, errores quibus adductus aliquis furtum, adulterium, homicidium commitit, aliaque.

Hoſ-

Hosce ultimi generis errores inter Christianos detestatione dignos esse, potius quam commiseratione, tanquam noxios & pestilentes, nemo negat, quia nemo sapiens eos pro puris putis erroribus habendos esse censet. At priores isti errores an eodem loco à te ponentur, cum in intellectu non hæreant, sed voluntatem etiam ipsam afficiant? Ita sanè necesse est. Non commiseratione igitur, sed detestatione potius digni tibi videntur erranres isti. At sublata commiseratione, quid tandem sequuturum sit, animadverte quisquis, non dico pius, sed homo es & humani aliquid habes. Sanè cum fatearis errores hos à voluntate primum non oriri, sed ab intellectu hominis, qui nullo modo liber est, quomodo eos non æque uti priores errores, commiseratione potius quam detestatione dignos censere possis non video; nisi eos qui istos errores errant, serpentum & basiliscorum instar habendos putes, quos impunè propter venenum quod natura ipsis inest, & noxium ac pestilens est, occidere & è medio tollere licet. Quod si ita sit, miseriores multò serpentibus erunt mortales isti, quibus cum vitæ hujus usura spes æternæ etiam vitæ adimitur.

*Ignorantia affectata secundum Cameronem nulla esse potest.*

Quæ à te per parenthesin dicuntur de *ignorantia affectata*. deque erroribus qui (non primo) sed proxime à voluntate oriuntur, ea parum consequenter à te dicuntur, & cum communi more loquendi non conveniunt. Ignorantia enim affectata, ex communi loquendi formula, est illa quæ non tantum proximè, sed primò à voluntate oritur, ita ut qui ea laborat, non alia de causa ea laboret, quam quod cum posset ea non laborare si vellet, ea ipsa tamen, ut sic dicam, laborare vult: nolendo scilicet audire aut intelligere, quæ poterat & debebat velle audire atque intelligere. At cum voluntatis nulla actio à te statuatur, quæ non à judicio rationis determinata sit, aut saltem dependeat, fieri non potest ut ignorantia aliqua affectata à te statuatur. Affectatio enim ignorantiæ quæ in voluntate statuitur, cum non sit nisi volitio ignorandi, necesse est ut ab ipso intellectus judicio primum proficisci à te dicatur, atque ita intellectus ignorantiam affectandam esse censuerit, priusquam voluntas eam affectet. Affectata itaque ignorantia prius erit in intellectu, quam in voluntate. Proximè itaque orietur non à voluntate, sed ab intellectu, si modo consequenter principiis tuis loqui velis, & sic affectata ignorantia non erit affectata. Cæterum quod dicis errores istos afficere voluntatem, quæ mutuò deinde afficit ipsum intellectum, id circulum habet te indignum. Nam cum errores isti ex ignorantia oriantur, sensus verborum tuorum hic foret; Ignorantia est causa voluntati ut non laboret scire, & voluntas non laborans scire est causa ignorantiæ in intellectu; quo quid absurdius à te dici potest, qui quicquid in voluntate laboris concipi aut statui potest, id omne à mente determinante primum proficisci debere pro certo habes?

*Sed res adhibito exemplo* (inquis) *clarior erit. Puer fraude medici delusus ὑγιεινὸν salubrem vice potionis patri propinavit; erravit, non peccavit idem: non enim affecit hic error voluntatem; patri nempe optimus filius optimè voluit.*

Rectè: Si delusum dicas filium, ita ut nulla nec levis, nec lata, nedum latissima culpa in filio locum habuerit; atque ita purè pute erraverit. Fieri enim potuit ut filius eam non adhibuerit diligentiam, quam adhibere & potuisset & debuisset ne à medico deluderetur. Hoc casu errasset quidem filius, & error voluntatem ejus non affecisset ut patri suo male vellet: peccasset tamen: non quia error voluntatem affecisset, sed quia voluntas ejus, sive voluntaria ejus negligentia, erroris istius causa fuisset.

*At si idem perverso mentis errore præstabilium putavit, & suis rationibus conducibilium, ut patrem è medio tolleret, ideoque prudens sciens venenatum poculum ei porrexit, erravit in quidem perversissimum errorem, qui voluntatem affecit, sed peccavit etiam mente & voluntate*, &c.

At quis mortalium hunc errorem filii merum errorem esse dixerit? Patrem enim suum optimum, quacunque demum ex causa, privata authoritate interficere velle, non est error mentis, sed voluntatis scelus; cum nemo non ratione utens scire possit, ac scire debeat, id nullo unquam tempore licere. Error itaque iste non propterea censendus est voluntarius, quia eum secuta est voluntas occidendi patrem, sed quia ab ipsa voluntate primum profectus est, eo quod cum sciret, aut saltem cum scire posset ac deberet filius id sibi nullo modo licere, nihilominus tamen occidere patrem, & (quod pessimum est) errorem istum sceleri suo prætexere voluerit. Alioquin pone, si placet, filium isto in loco natum, ubi extra controversiam licere creditur patrem senem & decrepitum è medio tollere, an id fieri possit nolo jam examinare, pone tantum id fieri, etiamsi non desunt qui id nationibus quibusdam usitatum esse asserunt, filiumque nulla sua culpa ignorare contrarium verum esse, neque ullam unquam rationem aut audivisse, aut cogitasse, aut audire saltem vel cogitare potuisse, qua ad contrarium credendum moveretur, atque ita errore puro puto legem patriæ suæ sequi, & patrem suum optimum, sed senem, è medio tollere; error hic foret qui voluntatem filii afficeret; quid? an tu illum errorem, peccatum pœna dignum judicares? Ignorantia, inquies fortasse, hæc est non *facti*, sed *juris*, quæ à culpa excusari non potest. Respondeo; Ignorantiam istam, juris ignorantiam censendam non esse, nisi statuas filium, si non sciviſſe, saltem scire potuisse aut debuisse, vel ex solius naturæ instinctu, vel ex alio aliquo rectæ rationis dictamine, patrem senem occidere injustum prorsus atque illicitum esse. Et hoc si statuas, jam ignorantia ista culpabilis erit, non quia voluntatem filii adfecit, sed quia à voluntate ipsa, sive naturæ illud lumen, sive rationis rectæ dictamen, vel supprimente dedita opera, vel secure negligente, aut patriæ consuetudini postponente, primo profecta est; ita ut non voluerit occidere patrem filius, quia id credebat sibi licere, sed cum sciret per naturam id sibi non licere, nihilominus tamen occidere voluerit. At ubi merus error volitionis & facti istius causa est, ibi actus iste, ut ut materialiter sit peccatum, id est difformis legi ac divinæ voluntati, ipsique adeo rectæ rationi, tamen formaliter peccatum esse, aut in pœnam filio imputari non potest, eo ipso quod ex ignorantia invincibili, id est errore puro puto proficiscatur: ac proinde non minus proprie sit involuntarius, quam error in homine phrenetico, aut cui mens luxata est. Recte Seneca, *Quis nomen unquam sceleris errori dedit?*

Eadem est ratio exempli quod de Catone Uticense adfers. Quæ causa impulerit Catonem, ut sibi violentas manus inferret, hic non disputabo; id tantum dico, si scire is potuit ac debuit ἀυτοχειρίαν nullo unquam tempore licitam esse, & intrinsece repugnare rectæ rationis aut naturalis legis dictamini; (quæ sententia Philosophorum maximorum & pæne Theologorum omnium est, etiamsi à Rabbinis pæne omnibus, certis casibus, quibusdam licitam esse ἀυτοχειρίαν defendi, exemplisque Samsonis, Saulis & Raziæ probari legam:) non fuit error purus putus facti ipsius causa, sed voluntas causa erroris, ac proinde peccavit gravissime. Si autem Cato prorsus scire non potuit id illicitum esse, (quod, quis Christianus facile concesserit? ) imo adhibita diligentia omni possibili, id sibi non licere tantum, sed & forti viro decorum esse credidit, eo ipso non peccasse censendus est peccatum punitione dignum.

Atque hac quidem ratione, Dei beneficio, vindicavimus ab exceptionibus tuis rationem nostram, qua principale argumentum nostrum suffultum erat: videlicet errorem qui nil nisi error est, & voluntatem nostram liberam sui causam non habet, peccatum non esse, nedum peccatum quod pœnam mereatur; per consequens, primam peccati causam & sedem non esse intellectum, sed voluntatem hominis liberam.

## CAPUT VIII.

### Evincitur contra omnes exceptiones Cameronis, sententiam ipsius pugnare cum ratione peccati Adami.

IN hoc capite præcipuum pus sententiæ tuæ latet, unde fœdus halitus in totam Theologiam tuam dimanet necesse est. Tu solicite admodum studes istud tegere; sed ego id tanto apertius cum bono Deo conabor detegere. Interest Dei gloriæ & conscientiæ nostræ ut id omnibus pateat. Animadverte Lector quisquis veritati & saluti tuæ operam das, tuque ipse Camero, quia quem hic erras errorem multo maximus est, cujus te pœnitere ac pudere merito debet, si tibi aliisque vehementer in veritatis curriculo obesse nolis. Solent ii qui hoc tempore fataliter omnia evenire volunt, id est qui credunt eos qui virtuti student & salvantur, virtuti studere & salvari necessario, qui peccant & pereunt, non posse non peccare & perire; si urgeantur, quomodo fieri possit ut peccatum sit quod necessario committitur, respondere ad evitandam manifestam absurditatem, non æstimandas esse actiones nostras prout nunc in statu corrupto se habent, sed prout in statu integro in Adamo se habuerunt; ibi fuisse voluntatem nostram liberam ad bonum & ad malum, judicium incorruptum & affectus compositos: at per & post peccatum Adami, facultates istas omnes corruptas fuisse, ita ut ex illo tempore judicium nostrum non potuerit non errare, & voluntas nostra non potuerit non peccare. Necessitatem autem hanc errandi & peccandi, culpabilem & pœna dignam censeri posse

ajunt, non per se, sed quia ortum habuit ex causa tali quæ libertate arbitrii à Deo donata fuerat, sed libertate illa abusa est.

*Adamum secundum Camerodi sententiam peccare non potuisse.*

Hoc ipsum quia videri poterat similiter à te, Camero, objici posse istis quæ à me dicta fuerant, consultum judicavi id in Epistola præoccupare. Responderam itaque te nullo jure istam exceptionem facere posse, eo quod ex hypothesi sententiæ tuæ sequatur peccatum omne, in quocunque demum statu concipiatur homo, necessarium esse: voluntatem enim per se & naturali sua proprietate sequi rationis judicium: quod autem per se & naturali proprietati rei competit, id ei competit in omni statu, eodem semper modo. Unde concluseram, Necesse esse ut fatearis ne Adamum quidem in primo statu libere peccasse aut peccare potuisse, quia non poterat peccare nisi erraret. Errare autem non poterat voluntariè, nedum liberè, quia voluntas sequitur judicium erroneum & quidem necessario. Intellectus autem voluntarius non est, nedum liber, quia voluntatem præcedit, & cum jam determinatus est in seipso per judicium practicum, deinde demum determinat etiam voluntatem.

Ad hoc tam grave argumentum nihil aliud respondes quam quod Adami error fuit voluntarius duplici modo. *Quia vitio affecit voluntatem ipsius, & voluntas ipsius vitio affecta mentem deinde cupiditate obcæcavit, unde demum secuta fuit in apertam rebellionem præceps eruptio.* At hoc ipsum quid aliud est, Camero, quam negare conclusionem & manus dare? Nam esto; error Adami duplici isto modo quo dicis fuerit voluntarius; error tamen iste fuit peccatum in priore instanti quam voluntatem afficeret vitio. Nam vitio afficere non poterat voluntatem nisi vitiosus esset. Peccavit itaque Adam antequam voluntas ipsius vitio esset affecta. Si peccavit antequam voluntas vitio esset affecta, peccatum certe in mente Adami locum habuit prius quam in voluntate. At illud, qua tale, nullo modo fuit voluntarium, ut per se liquet. Et hoc est illud quod argumentum meum concludit. Deinde si error Adami non fuit voluntarius nisi duobus istis modis, jam certe peccatum primum Adami non magis fuit voluntarium in statu integro, quam peccatum originis voluntarium est in statu corrupto. Hoc enim non magis afficit vitio voluntatem, quam error Adami voluntatem ipsius vitio affecit. Manet itaque sartum tectum id quod dixi, eandem plane rationem peccati ex sententia tua statuendam esse, sive homo corruptus sive integer consideretur. Atque hac ratione nondum quidem plane detectum est ulcus opinionis tuæ, quod latere dixi, sed per transennam tamen apparere incipit. Pergamus istud detegere.

Addideram superioribus; Non posse concipi, quomodo si sententia tua vera sit, Adam, non dico peccarit, sed potuerit peccare: hoc argumento. In mente Adami fuit lux, id est clara & plena cognitio summi boni eorumque quæ ad summum istud bonum consequendum necessaria erant. Cognitio hæc errorem, utpote sibi contrarium, impediebat vi sua; cognoscere enim & errare sunt contraria, vel saltem opposita. Adam itaque errare non poterat. At sine errore peccare non poterat, ex hypothesi tua; non tantum quia ex tua sententia in voluntate non potest esse vitium, nisi prius sit in intellectu error; sed etiam quia primum peccatum à quo mali denominamur, à te statuitur in pravo mentis judicio de summo bono, iisque quæ eo conducunt; uti jam ante vidimus. Itaque Adam non potuit peccare ex tenore sententiæ tuæ.

*De Cameronn notitia dirigente, & de persuadente.*

Hîc tu Camero; *Responsio*, inquis, *est facilis*: Nos videbimus an & solida sit. Sophistarum mos est argumenta optima parvi pendere, ne iis premi videantur.

*Duo* (inquis) *sunt notitiæ seu lucis gradus. Primus est dirigens, monens quid facto opus sit, atque eo pacto omnem præripiens justam delinquendi occasionem. hic notitiæ gradus, hæc lux in Adami mente semper fuit, etiam tum cum peccavit, &c. Est & alter notitiæ gradus, non jam monens tantum & dirigens, sed persuadens, movens, permovens efficaciter voluntatem. hanc lucem in mente effulgentem Adamus certè cum peccavit non habuit.*

At ego jam hic habeo quod volo. Quod dixi id hîc usu venit. Argumento hoc premeris, Camero; quod sic ostendo. Prior iste notitiæ seu lucis gradus, quem in Adami mente semper fuisse dicis, etiam tum cum peccavit, aut fuit lux Adamo sufficiens ad impediendum errorem à mente ipsius, aut non fuit sufficiens. Si fuit sufficiens ad impediendum errorem, jam alter iste lucis sive notitiæ gradus, quem vocas, absolute non erat necessarius ne Adam in errorem induceretur & sic peccaret. Hoc autem absurdum esse non negabis, opinor: quia cum prior iste notitiæ gradus à te semper fuisse in Adamo, etiam tum cum peccavit, dicatur, sequeretur sufficientem notitiam ad evitandum errorem & peccatum reliquam fuisse semper in Adamo peccante, & reliquam esse semper etiam in peccatore quolibet, ac proinde nova nulla gratia, nedum gratia speciali Jesu Christi, peccatori opus esse ad evitandum peccatum. Si autem lux ista vel notitiæ istius gradus sufficiens non fuit ad evitandum errorem, sed eo solo in mente Adami existente, errorem evitare Adamo impossibile fuit, quomodo fieri potuit ut Adam erraret errorem qui peccatum esset pœna dignum? Lucem enim, vel lucis istius secundum gradum, necessarium ad evitandum errorem, habere non erat in potestate ipsius hominis. Eam autem lucem non habere, aut ea privari, nullo actu suo meruerat adhuc; quia alioquin peccasset antequam peccasset. Non facere autem ad quod faciendum non sufficis aut sufficientes vires non habes, quodque proinde simpliciter à te, qua tali, fieri impossibile est, peccatum non est, nedum peccatum pœna dignum. Sed amplius adhuc rem urgeo: Dico Adamum ex tua hypothesi, secundo etiam lucis sive notitiæ gradu præditum fuisse, ac proinde te ipso fatente peccare non potuisse; hoc pacto: Lux sive notitia illa per quam Adam bene judicavit de summo bono, deque iis quæ ad summum bonum conducunt, ea sola facit semper hominem propriè bonum, uti disputasti pag. 141. Atqui Adam antequam peccaret fuit proprie bonus. Ergo lux sive notitia illa fuit in mente ipsius. Non nego, inquies. Itaque sic procedo: In cujus mente integra & incorrupta lux talis semel locum habuit, is juxta te errare non potuit, ac proinde nec peccare. Ratio consequentiæ est: Quia notitia ista non potest pelli ex mente nisi per errorem. Error autem est persuasio mentis contraria. Persuasio itaque succederet in mentem quæ contraria scientia persuasa est; quod contradictionem apertam involvere nemo non videt. A voluntate Adami proficisci etiam non poterat error; quia notitia ista est gradus *non jam monens & dirigens tantum, sed persuadens, movens, permovens efficaciter voluntatem.* Verba tua sunt. Unde itaque dices, Camero, errorem, & sic peccatum Adami, ortum suum habuisse, posita semel in mente ejus notitia ejusmodi persuadente? Dicis: *Lucem hanc in mente effulgentem Adamus certe non habuit cum peccavit.* Esto, at habuit eam antequam peccavit. quomodo itaque non fuit semper lux persuadens, movens & permovens efficaciter voluntatem ipsius ne peccaret? hæc enim est definitio tua lucis istius. *Non fuit illa* (inquis) *in mente Adami perpetua.* Esto. Fuit ergo in mente Adami. Nam si non fuisset, nequidem non perpetua esse potuisset. At eo ipso quod in mente Adami fuit, & mens Adami libera non fuit, perpetuam eam in mente Adami manere necesse fuit, quia errorem omnem vi sua impedit, eo quod est lux persuadens, movens, permovens efficaciter voluntatem. Hîc jam puto te constrictum teneri, Camero. Si enim lux sive notitia ista vera & solida veri & summi boni in mente Adami fuit antequam peccavit, & tamen non perpetuo in ea mansit, necesse est ut non manserit vel culpa Adami ipsius, vel sine culpa ipsius. Si culpa Adami non mansit; culpa illa Adami fuit vel in mente ejus, vel in voluntate. In mente culpa esse non potuit, quia sic mens Adami errasset antequam errasset, imò errasset persuasa per notitiam errorem verum pellentem, quæ est manifesta contradictio in adjecto. Persuasa enim fuisset Adami mens, & simul non persuasa. In voluntate similiter culpa esse non potuit, quia notitia ista est notitia movens, permovens efficaciter voluntatem, uti loqueris. Itaque sine ulla culpa Adami non mansit perpetua ista notitia in mente ipsius. Unde ergo error & culpa? Hîc tu ad incitas redactus & in extrema tegula es positus.

*Unde* (inquis) *id fit factum, neque tuum est anxiè nimis quærere extra Scripturam; neque verò meum tibi respondere temere & arroganter. quasi vero nobis homuncionibus non liceret, addo etiam non conveniret, multa nescire.*

*Non potuisse Adamum peccare nisi lux persuadens ei subtraheretur.*

At at! hîc pus illud vere pudendum latet, quod nisi serio atque ex animo exsecreris & expuas, sane & recte de Deo sentire non potes. Mea interest, & tua, & omnium hominum, scire unde id factum sit. Non patiar mihi legem silentii hîc à te poni. Si tu respondere nolis, ego anxie quærere non desinam, & quid tibi necessario respondendum sit, velis nolis, faciam ut omnes intelligant. Dei Optimi Creatoris nostri gloria hîc vertitur. Hîc veritatis cardo est, qui per te luxatur & convellitur. nihil enim restat quam ut blasphemam hanc vocem proferas, Deus abstulit lucem istam homini innocenti, & reliquit in mente ipsius lucem insufficientem ad pellendum errorem. Deinde legem ei dedit ad quam præstandum lux ista reliqua non sufficiebat. Imo Deus voluit aut permisit innocentem hominem à Diabolo tentari, ut luce ista sufficiente & necessaria ad resistendum tentationi destitutus, & nonnisi insufficiente præditus, in errorem atque in peccatum non posset non incidere. Deus itaque primus, solus, & proprie author

est

est peccati primi Adami, ac proinde cæterorum omnium peccatorum, quia ex isto primo cætera omnia necessariò oriri à te creduntur. Quod est ingens absurdum illud quod concludere volui ex sententia tua, rectæ rationi, Scripturis, divinæ naturæ ac gloriæ totique adeo religioni inimicissimum. Hanc tam ingentem blasphemiam (neque enim dubito quin eam ipse, quicquid aliter apud animum tuum sentias, ita sis appellaturus) putas te eludere posse professione ignorantiæ? Erras Camero. Nimis aperte locutus es, quam ut ignorare aut negare possis quid hic sentias & credas. Sed confessionem tuam, per ambages anfractusque varios se occultantem, in apertum protrahamus. Res meretur, & veritas id postulat jure suo. Postquam diu multumque sudasti, tandem tamen in fine redis ad istud punctum, quod Deus subtraxerit homini innocenti, imo bene optitneque judicanti, ac proinde bono justoque, id per quod non tantum innocens, sed bonus justusque erat, te ipso fatente, & quo subtracto eum nocentem, malum, atque injustum fieri necesse erat; atque ita Deum primum & solum peccati istius authorem constituis, sive peccatum istud dicatur fuisse ignorantia, sive error, sive odium, sive infidelitas, sive superbia & contemptus, sive aliud quid; sive ego non possim explicare, sive possim explicare quomodo voluntas se ipsam determinet. Hæc enim extra rem principalem sunt de qua agitur.

*Camero-ni convitia perstringuntur.*

Antequam autem ordiris confessionem tuam, *Possem*, inquis, *hic facere quod fecit vester ἀρχηγὸς Arminius, vobis (citra contumeliam dico) haud paulo modestior, doctior & prudentior, qui quoad vixit vestram intemperiem vel cohibuit, vel moderatus est: potuissem, inquam, ejus exemplo cautus & securus totum hunc locum relinquere intactum.*

Nempe non poteras sine amarulenta præfatione rem tantillam ordiri, & jure tuo sine injuria & contumelia aliorum uti. Ea res sane aut motam tibi bilem, aut ingenii animique tui fermentum arguit. Citra contumeliam te loqui ais, cum maxime convitiaris; quasi quis citra contumeliam proximum suum contumelia afficere possit. Modestiam, doctrinam & prudentiam Arminii si laudasses, quod tamen etiam non facis, nihil fecisses à veritate alienum. Laus ista debetur viro illi B. M. vel invito te vestrisque. Sed modestia, doctrina & prudentia omni sua tantum à vobis dum viveret impetrare non potuit, ut nobis aliisque diutius prodesse, & pro exemplari vivo modestiæ, doctrinæ & prudentiæ servire posset. Deus vobis id non imputet. Memoria interim ipsius apud nos & bonos omnes erit in benedictione, maledicat ei secta vestra quantum & quamdiu volet. Ἀρχηγὸν tamen nostrum eum agnoscere erubescimus. Is titulus, ea gloria, Arminii nostrumque omnium Domino Jesu Christo tribuitur à Scriptore ad Hebræos, eique soli debetur. De nostra modestia, doctrina & prudentia judicabunt ii quorum non interest quales habeamur, & quibus actiones, consilia studiaque nostra omnia pro Christi veritate sunt exploratissima. Tu dum de iis judicas quæ ignoras, aut (uti decet) explorata non habes, ostendis qua modestia, doctrina & prudentia sis præditus. Tantum enim illud dicam; Si tu Arminium & nos, eaque quæ vivo Arminio sunt gesta, vel altero tantum oculo vidisses, pæniteret te dixisse Arminium intemperiem nostram vel cohibuisse vel moderatum esse. Sed hæc sine dubio somnia tibi sunt. *Credimus & qui amant ipsi sibi somnia fingunt.* Quod si vero etiam vel leviter tantum expendisses, quando, qua occasione composuerit *Examen* istud suum, cujus meministi, *Perkinsianæ Prædestinationis*, sed & pleraque scripta sua, puderet etiam te hujus tui intempestivi & intemperati judicii.

Pergis: *Sed tu me horsum cogis, & veluti obtorto collo trahis, ut vel à compertissima perspectissimaque Scripturæ veritate discedam, vel quæstionem omnium multo impeditissimam atque involutissimam explicem atque expediam.*

Fortiter loquendum est, Camero, ne errare videaris. Aperta falsitas, compertissima perspectissimaque Scripturæ veritas in superlativo gradu appellanda est, & ex facili quæstione omnium multo impeditissima atque involutissima facienda est. Sic Gordii nodi in scirpo quærendi, & fluctus im simpulo tanquam in Ægeo mari excitandi sunt, ne videaris sine causa & adeo operose de re levissima, nedum de falsissima, digladiari. Ex deductione tua apparebit verum esse quod dico.

Sed ne puteris non seriò hæc dicere, *Supplex Deum rogas, ut mentem, animum, & manum tuam Spiritu suo ita regat, ut nil dicas quod vel ejus officiat gloriæ, vel piis mentes offendat.* Atqui cum jam statueris rem compertissimæ perspectissimæque veritatis esse, lucem sive notitiam persuadentem in Adami mente perpetuam non fuisse, atque ejus rei nec mentem nec voluntatem Adami causam fuisse, ac proinde non nisi solum Deum istius rei, quod perpetua non fuit lux ista, authorem esse potuisse, & qui inde necessario secutus fuit erroris & peccati, nescio sane quo animo Deum rogare possis ut mentem tuam dirigat, ut nihil dicas quod officiat gloriæ ipsius, aut pias aures offendat. Quicquid enim dixeris, quibuscunque & qualibuscunque verborum fucis, quali quali orationis specie, dictionis cæromate, purpurissa, minio rem incrustaveris, rem tamen dixeris qua nulla magis divinæ gloriæ officere, & pias aures possit offendere.

Quod ea quæ dicturus es, *Ecclesiæ quam Deus sanguine suo redemit* examini atque judicio subjicis, id quo animo dicas non intelligo. Si Ecclesiam invisibilem electorum, quos vocas, intelligis, quam solam Christus, ex vestra sententia, suo sanguine redemit, tum certe examen & judicium nullum expectas. Si Ecclesiam aliam quam electorum, sive ea Catholica, sive Lutherana, sive vestra Calvinistica sit, tum utique expectas examen & judicium incertæ veritatis, cui ex animo te subjicere sententiam tuam velle non credo; deinde judicium expectas ab iis etiam Ecclesiis, à quibus tuam sententiam damnatam esse, & procul dubio damnatum iri, non potes ignorare. Quod si Reformatam vestram, quam vocatis, Ecclesiam intelligi vis, tum vide quanta cum injuria multarum Ecclesiarum, isti soli tribuas quod eam Deus suo sanguine redemerit. Sed hæc tua censoria aut pædagogica virgula est, qua in censendo & damnando prompte uti soles, ut de plano damnes, & ex albo Christi Ecclesiæ expungas, quicquid ad Ecclesiam tuam velut ad Noæ arcam non pertinet. Interim quid de hac sententia tua, illa ipsa (Reformata scilicet) vestra Ecclesia judicatura sit, tempus docebit. Certe si sententiam tuam aut probat, aut non aperte publiceque damnat, non habebit imposterum quod vel Clarissimo D. Tileno, vel nobis aliisque succenseat, qui ei tribuunt quod Deum authorem peccati faciat, cum id per sententiam tuam fieri jam pateat clare, & deinceps clarius multo sit appariturum, ex hoc ipso quem hic instituis discursu, quemque Ecclesiæ judicio subjicis. Tantum unum adhuc te monebo, priusquam pergo; Paulo fusiorem rei difficilioris explicationem, quam pag. 55. libri tui feceram, ut ostenderem persuasionem tuam, quam vocas, reipsa non posse esse nisi suasionem qualem Pelagius olim statuebat, non sine acerbo μυλλοριεμῷ *prolixam, verbosissimam, atque impeditissimam ratiocinationem* vocabas; quæ rebasque pag. seq. 96. *Annon potuissem tantillam rem paucioribus explicare?* Quid? annon majori jure id hic tibi reponere possem, Camero? Quid tanto molimine, tam prolixo tractatu, rem per se facillimam & obviam expedire satagas?

Sed pergo ad examen singulorum quæ proponis membrorum. Primo itaque probandum sumis, primum primi hominis peccatum, perversissimum illum quidem & meritò execrandum, ita loqueris, sed tamen fuisse mentis errorem. *Aio* (inquis) *primum primi hominis peccatum fuisse errorem.*

*An primum primi hominis peccatum fuerit mentis error.*

Bene habet: Primum enim peccatum cum dicis, significas te errorem intelligere qui nullo modo dependit aut ortus fuit à voluntate Adami, sed in ipsius mente sola primum hæsit ac purus putus error fuit. Hoc tuum placitum uti omnino novum atque inauditum ita per se falsum atque absurdum esse ajo.

*Locus 2 Cor. XI. 3, & 1 Tim. II. 14.*

*Id verò* (inquis) *inde liquet, quod aperte docet Paulus Evam fuisse deceptam: 2 Corinth.* XI. 3. Φοβοῦμαι δὲ μήπως ὡς ὁ ὄφις Εὔαν ἐξηπάτησεν τῇ πανουργίᾳ αὐτοῦ, &c. Et *1 Tim.* II. 14. ἡ δὲ γυνὴ ἀπατηθεῖσα, εἰς παράβασιν γέγονεν.

Resp. His locis dicit quidem Apostolus Evam deceptam fuisse, sed non dicit deceptionem illam peccatum fuisse; aut si hoc eum dixisse etiam velis (quod tamen ex textu non liquet) non dicit deceptionem illam nullo modo à voluntate Evæ pependisse, sive voluntatem Evæ istius deceptionis causam aliquomodo non fuisse, quod utrumque tamen probandum tibi fuerat. Contrarium potius ex textibus istis colligitur, & tantum non liquet. Nam in eo qui ex *Epist. 1 ad Timoth.* II. 14. citatur, expresse dicitur mulierem fuisse in transgressione ἀπατηθεῖσαν: quæ vox tempus αὐτοῦ participii passivi, ac proinde præteritum tempus notat; ut sit sensus, Mulierem postquam seducta fuit, transgressam esse legem sibi positam de non comedendo fructu arboris scientiæ boni & mali. Transgressio autem peccatum est. Seductio itaque ipsa peccatum non dicitur, sed eam secutum esse dicitur peccatum. unde recte etiam transtulit Piscator verba εἰς παράβασιν γέγονεν, per, *in transgressionem incidit, hoc est prima transgressa est mandatum Dei.* Neque vero existimo te phrasin hanc, εἰς παράβασιν γέγονεν, exponere ita ut significet idem quod, quatenus seducta fuit mulier, eo ipso peccavit sive transgressa est. Nam 1. etsi omnino hanc explicationem, per se licet contortam, facere velles, tamen non efficeres adhuc deceptionem illam Evæ fuisse purum errorem, qui à voluntaria negligentia Evæ ortum suum nullo modo duxerit; imo si explicationem Bezæ sequaris, qui mulie-

rem seductam transgressionis causam fuisse dicit, Adamo scilicet non sibi, per deceptionem illam totum Evæ peccatum, phrasi Hebræa, intelligendum tibi esset, absque eo ut ratio habeatur causæ internæ primæ unde illud ortum sit, uti sine dubio eo sensu accipitur. 2 *Corinth.* XI. 2. Nisi enim id velis, dicam ex eo quod peccatum primum appellatur παράπτωμα, παράβασις, eodem jure colligi posse, peccatum istud à voluntate primò ortum suum duxisse. Sed & falsam esse explicationem hanc apparet, ex eo quod Apostolus idem eodem plane versu dicat, Adamum non fuisse seductum, καὶ Ἀδὰμ οὐκ ἠπατήθη, inquit. Et tamen eum peccasse & ἐν παραβάσει γεγονέναι constat. Peccatum enim ipsius idcirco passim παράβασις, ἀμαρτία, ἀκοὴ ἁμαρτίας, παράπτωμα, παράπτωμα dicitur, nunquam autem quod ἀπάτη; semper de Eva sola dicitur quod seducta fuerit. Neque satis est si dicas id ita intelligendum esse, quod Adam prior non fuerit seductus. Nam id in textu non dicitur, neque solida ulla ratione probari potest; saltem si præcise velis urgere Evam idcirco peccasse dici ab Apostolo, quia seducta fuit, ego eodem jure te urgebo verbis clarioribus, Adamum non fuisse seductum, cum tamen peccarit: & cum Adami peccatum in Scriptura *primum* fere *peccatum* appellari soleat, *per quod mors in mundum ingressa est*, primum peccatum non fuisse errorem aut deceptionem. Atque hoc cum expresse dictum legatur ab Apostolo, mirum merito videri debet te adeo apertis verbis thesim contrariam statuere, eamque verbis minus claris, imo contrarium ei quod tu asseris (uti vidimus) non obscurè affirmantibus probare studuisse. Accedit quod si explicatio ista admittatur, inde necessario secuturum, Evam transgressam fuisse legem Dei de non comedendo fructu arboris, antequam de ea non modo non comedisset adhuc, sed ne quidem adhuc voluisset comedere: quod absurdum merito videri debet.

*Locus Genes. III. 4.*

Sed addis: *Id ipsum demonstrat tentationis, qua Satan eam aggressus est, modus & ratio, ut qui ei suadet ut ne certo statuat sibi moriendum, si minus Deo se præbeat dicto audientem, atque ita omnem eximit pœnæ metum. Omnino non moriemini, versu 4. cap.* III. *Genes.* &c.

At hic tentationis modus & ratio ostendit quidem Satanam id egisse ut Evam in errorem induceret, & sic ad peccandum seduceret, sed non arguit errorem hunc, si is nullo modo à voluntate Evæ pependisset, id est, si Eva suadenti Diabolo non potuisset non consentire, peccatum futurum fuisse; imò ne evincit quidem errorem istum, qua talem, peccatum, quod quidem lege divina vetitum esse nobis constat, futurum fuisse, aut quod mors fuisset subsecuta, si cum erasset Eva, & voluntas ejus, cum consentire potuisset, in errorem tamen non consensisset. Contrarium manifestè mihi ex ipso tentationis modo concludi posse videtur. Tota enim atque universa Diaboli suasio, qua tentavit Evam, non tetendit nisi ad eliciendum actum è voluntate istum qui prohibitus erat à Deo, & cui ab eodem comminatio mortis fuerat addita. Atqui si error, & quidem involuntarius, primum peccatum fuisset, suasio tota verisimiliter à callido serpente usurpata fuisset ad errorem efficiendum, non autem ad actum ipsum esionis persuadendum. Nam speciem juris habuisset ista suasio. sic enim non suasisset Evæ directè agere contra præceptum, & tamen effecisset in ipsa quod voluisset, peccatum scilicet & mortem. At cum actum ipsum edendi suadere intendat Diabolus, signum est suasionem totam quæ ad mentem directa fuit, non tetendisse ad errorem efficiendum idcirco quia error ipsum primum peccatum erat, sed quia erat medium ad id quod peccatum erat eliciendum utile. Rationes id arguunt. Nam primo, cum Diabolus Evam directè ad peccatum, id est ad faciendum quod vetitum erat à Deo, induci non posse videret ob præcepti sanctionem, quæ præcipue obstare videbatur (jam enim Eva pulchritudine arboris illecta nonnihil nutare videbatur; quod indicat fortasse frigidior Evæ responsio, *ne forte moriamini:*) sanctionem plane enervat, & contrarium eventum spondet. Nam dicit, *Non moriendo moriemini.* At mortis comminatio non erat facta si homo erraret, sed si comederet ex fructu vetito. Errare itaque poterat Eva, & tamen idcirco nondum rea esse mortis, ac proinde nec rea peccati cui mors constituta à Deo fuerat. Posito etiam quod suasioni huic diabolicæ fidem habuisset aliquamdiu, neque tamen mota fuisset ad comedendum de fructu vetito, aut si mota etiam derepente fuisset, propositum mutasset solius præcepti divini reverentia, eapropter peccati, quod quidem nobis constat Deum ipsi in peccatum imputaturum fuisse, rea nondum fuisset. Potuisse autem id fieri suppono: quia voluntatis libertatem integram manere posse statuo, posita suasione quavis in mente. Secunda ratio est, qua spem potioris conditionis injicit, cum dicit, *Aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dii scientes bonum & malum.* Hæc ratio Diaboli, an fuerit deceptio sive error, id non constat certò. Fieri enim potuit ut verum dixerit hac in re Satan; sed ut id longius & ulterius extenderit Eva quam par erat, & verba præ se ferebant; etsi hactenus ut id Eva faceret haud illubenter cupiebat. Sed esto: fuerit seductio, probat id quod volo. Dicit enim Satan id futurum qua die comederint. At si error peccatum fuisset, id factum fuisset antequam, imo etiamsi non comedissent ex arbore. Quocirca esum istum directè vetitum consulere ista ratione opus non fuisset. Ex quibus concludo; etsi tentationis modus ita se habuit, ut mentem hominis primo adortus fuerit Satanas, ad eam in errorem seducendum, ex eo tamen inferri non posse, errorem istum, quatenus error est, peccatum futurum fuisse: 1. Si nullo modo à voluntate dependisset, id est si ex voluntaria aliqua sive inadvertentia, sive negligentia, sive socordia profectus nullo modo fuisset, etiamsi forte deinde voluntatem etiam vitio affecturus fuisset: 2. Ne inferri quidem posse peccatum futurum fuisse, quod lege ulla divina expresse tum temporis vetitum fuisse nobis constat, etiamsi à voluntate aliquo istorum quos diximus modo pependisset, si modo esus ipse vetitus solius legis divinæ reverentia intermissus fuisset. Idq; arguere videntur omnes suasiones diabolicæ, quæ ad esum istum homini persuadendum, utpote sine quo alioquin frustranea fuisset tota suasio, instituæ sunt.

*Denique Dei sarcasmus idem aperte significat & declarat; Ecce Adam factus est sicut unus nostrum, sciens bonum & malum. vers.* 22. *Locus Genes. III. 22.*

An hæc verba sarcasmum contineant, admodum incertum est apud interpretes. Ego cur sarcasmus censeri debeat non video, nisi arborem ipsam etiam arboris scientiæ boni & mali per ironiam sarcasticam appellatam fuisse dicamus. At si illa propriè & vere ita appellata fuit, cur & illa Dei verba propriè ac non per sarcasmum dicta videri debeant, ratio nulla satis gravis dari potest. Sane si tibi sarcasmus iste divinus videtur, & sententia tua vera est, crudelis admodum & barbarus sarcasmus fuerit necesse est. Nam homini erranti & misero, cui tu ipse innoxio atque immerenti, imò benè se gerenti, lucem ad evitandum errorem necessariam subduxisti, relicta tantum luce ad evitandum errorem insufficienti atque inutili; ejusmodi, inquam, homini errorem suum sarcasticè exprobrare, & erranti scopticè insultare, quid aliud est quam creaturæ suæ, nulla sua propria, sed tua ipsius culpa miserrimæ, crudeliter illudere? Sed esto etiam; sit sarcasmus qui hisce verbis inest, ille quidem apertè significabit Evam deceptam fuisse atque errasse: sed non significabit, nedum apertè significabit, errorem istum Evæ fuisse errorem antecedenter omnino involuntarium, aut si fuit omnino involuntarius, eum fuisse peccatum, prout tibi concludendum fuerat. Quomodo tu ex verbis istis, uti vis, sarcasticis, exsculpere alterutrum possis; id ego ne conjectura quidem possum adsequi. Contrarium ipsa justi sarcasmi ratio postulat. Si enim deceptio aut error iste non fuit antecedenter voluntarius, quomodo aut sarcasmum istum meruerat homo, aut, non dico homo hominem, sed optimus ac sanctissimus Deus, creaturam suam immerentem sarcasmo isto proscindere potuit? Nec dignus tum erat homo, qui isto sarcasmo illuderetur, & Deus erat dignior quam ut tam acerbo sarcasmo illuderet innoxio homini.

*Hunc verò mentis errorem, non secutum, sed antecessisse peccatum, id liquido ostendit, quod Scriptura admisso demum peccato apertos miseris oculos fuisse, agnitaque nuditate eos fugisse pudibundos, & tremebundos latebram quæsivisse scribit.*

At 1. si error hic antecessit peccatum, quomodo error iste fuit peccatum primum, & peccatum quod hominem propriè ac vere malum effecit? Contradictio hæc videtur. Sic non rarò imprudentibus verum excidit. Deinde 2. Si errorem hunc antecessisse vis peccatum istud grande, non Evæ tantum, sed & Adami, quod in esu fructus vetiti consistit, disertè contradicis Apostolo, qui id in terminis de Adamo negat, & Evæ soli tribuit, uti paulo ante ostendimus. Quod si etiam 3. errorem hunc præcessisse vis omnem indebitum voluntatis motum, qui peccatum aliquomodo appellari à nobis potest, & quem Adamo in peccatum à Deo fuisse imputatum, aut si ex fructu ipso non comedisset à Deo in peccatum imputandum fuisse nobis non constat, quo argumento id evinces? Neque enim ex ratione illa, quam tu usurpas, minus sequitur ante esum ex arbore, imo ante ipsum errorem, iviſse inadvertentiam, negligentiam, aut inconsideratione aliquam voluntariam, quam errorem fuisse priorem, sive præcessisse motum omnem voluntatis, ac proinde ipsum etiam esum ex arbore. Si enim error tibi mentis peccatum est, eumque non secutum peccatum, sed antecessisse vis, cur inadvertentia, etiamsi peccatum esset voluntatis, peccatum istud

gra-

grande & ipsum etiam errorem præcedere non potuisset? Certè etiamsi ista præcessisset, uti revera præcessit, tamen non fuissent propterea aperti oculi Adamo & Evæ, ante esum ex arbore, vi istius inadvertentiæ, non magis quam vi erroris istius aperti fuerunt, in quo tu primam ac præcipuam tamen peccati rationem collocas. Imò verò quia Scriptura id non ante factum dicit, quam per aut post esum ex arbore, id certum signum est, ne illa quidem quæ esum istum præcesserunt pro peccatis habita, aut imputata à Deo fuisse primis parentibus, vel etiam imputanda, si actus ipse edendi consecutus non fuisset, nedum ut error qui nullomodo voluntatem hominis causam sui habuisset, homini in peccatum imputatus fuisset, aut pro peccato reputari potuisset. Hoc enim prorsus impossibile, aut saltem contra omnem æquitatem & rectam rationem est.

*Huc illud accedit* (inquis) *quod ut fides prior est caritate, ita incredulitas odium antecedit. Nam contrariorum contraria sunt consequentia.*

In hoc argumento supponitur id quod incertum & vero simile non est, & quod tamen, etiamsi certum ac verum esset, non probaret id quod concludendum est. Prius quod attinet; supponitur primos parentes nostros odio Dei laborasse, ac propterea prius incredulitate laborasse, quæ error mentis est. Si odium Dei propriè accipiatur, unde solide evinci possit eos odio habuisse Deum, ego quidem non video. Si vero accipiatur, uti in Scripturis fere accipi solet, impropriè, pro inobedientia Evæ transgressione mandati divini, quam faciunt ii qui propriè aliquem odio habent, aut minus aliquem amant, tum agnosco libenter hactenus odio Dei laborasse primos parentes nostros, quia peccarunt. Sed quod ex odio Dei id fecerint, ego non video qua certa ratione nitatur, & qua ratione à te affirmari possit, qui caritatem ex fide vera & persuasiva scientia veri boni, in illis locum habuisse naturaliter concedis; sic enim eos ab amore ad odium Dei descivisse necessario tibi dicendum foret. Cæterum peccatum istud primorum parentum, quod odium à te vocatur, incredulitatem præcessisse non minus incertum est: de Eva si omnino id concedatur, saltem de Adamo est incertissimum, eò quòd disertè Apostolus eum seductum fuisse negat: & Deus ipse aliud ei nihil tribuit, quam quod *paruerit voci uxoris suæ*. Tantum autem abest ut illud facere non potuerit, nisi antea incredulus factus fuisset, ut contra & credere potuerit verum esse quod Deus dixerat, *morte moriemini*, & falsum esse quod Diabolus dixerat (siquidem Adamum adfuisse velimus cum Evam tentaret serpens) *non moriendo moriemini*, ac nihilominus facere quod fecit. Cur enim non potuisset Adam mortem, cujus experimentum nondum viderat, ac proinde quantum malum esset non satis forte consideraverat, contemnere, & illam habere malle quam aut non gratificari uxori suæ, aut cum ea non potius mori quam ei superstes solus vivere? Exempla hodieque innumera docent quantum possit amor conjugis, aut amicæ, in multis etiam qui Christianæ religionis notitiam habent, etiamsi mortem ante oculos, & sæpe atrocissimam, videant, quin & post mortem æternum dedecus se suosque manere non nesciant, ut præcepta omnia Dei negligant, ut minas & diras omnes contemnant, & cum æternam infamiam atque ignominiam etiam post mortem se incursuros sciant & credant, nihilominus ipsi sibi violentas aliquando manus inferant. Idem accidere Adamo non potuisse quis dixerit? Certe si id Adamo accidit, tum certe peccatum ipsius apparet fuisse apertum divini præcepti, aut sanctionis potius additæ, contemptum, dignissimum certe pœna ista quæ secuta est: cum si errorem sive incredulitatem transgressionis causam fuisse velis, & errorem quidem qui prorsus fuit involuntarius, id est à voluntate libera non dependit, totam peccati rationem plane tollas. Quomodo vero tu infidelitatem in mente Adami, & in ejus voluntate Dei odium, locum habuisse dicere possis, qui in mente ejus fidem, cum qua caritatem in voluntate conjunctam semper esse vis, antea locum habuisse statuis, tu videris. Certe cum electos eos fuisse velis, electos istos fide donatos, fide excidisse, & odio Deum habuisse dicas necesse est. Sed esto, concedam etiam tibi quod incredulitas odium, id est peccatum, antecesserit. Quid tum? An ex eo sequitur errorem, primum fuisse peccatum, quod videlicet nullus alius voluntatis liberæ actus præcesserit, aut si non præcesserit, eum fuisse peccatum? Neutrum sane sequitur: imo utrumque falsum est. Errorem enim istum præcedere potuit voluntaria quædam negligentia aut inadvertentia ad divinum præceptum, qua factum fuerit ut suasio Diaboli ex una parte facilius in mentem admitteretur, & concupiscentia ex fructus pulchro adspectu concepta in voluntatem Evæ sese insinuaret, obice scilicet ab ea remoto & patente aditu: affectus autem erga uxorem in Adamo principatum tenere cæperit. Nec dubito quin hac ratione peccatum in mundum venerit. At hujusmodi negligentia nec est incredulitas, nec est odium proprie dictum. Non advertere enim animum ad id quod officii tui est, cum possis & debeas animum advertere, ne ad peccatum, id est ad faciendum aliquid contra officium tuum, inducaris, voluntatis actus sentietur, quatenus omissio ejus quod facere debes sub actu comprehenditur, aut ad actum reducitur: non quod qui animum non advertit, statim idcirco non credat actu vera esse quæ à Deo dicta sunt, nedum quod ex odio Dei ea nolit curare quæ præcepta sunt; sed quod absque ea facile incredulitas mentem subire & voluntatem invadere possit, ac non raro soleat, etiamsi homo alioquin omissionem istam directe non intendat, aut propositum sibi non habeat non advertere animum, nedum incredulitate aut odio Dei adhuc laboret. Etsi autem inadvertentia primorum parentum ad divinum præceptum, nec peccatum istud fuerit quod ipsis prohibitum à Deo expresse fuerat, nec incredulitas aut error, sed hæc omnia antecesserit, errorem tamen qui ista occasione natus fuit ex suasione Diaboli, & concupiscentiam quæ ex fructus pulchritudine genita fuerat voluntariam fecit, & actum sive peccatum ipsum, ex errore & concupiscentia ista, si ita velis, profectum, peccatum pœna quam Deus fuerat minatus dignissimum.

Quæ jam porro disputas, Camero, ea ad rem non faciunt. Probas multis primum hominem erasse. Id si de Adamo asseras, contra expressam Scripturam disputas; si de Eva, nemo negat. Quorsum operam perdis? Posito enim quod de utroque parente id verissimum esset, nihil tamen effecisses. neque enim quæritur, utrum primus homo non erraverit antequam de fructu vetito ederet; sed an ita erraverit ut error iste à voluntate ejus nullomodo profectus fuerit; sive an error iste per se primum peccatum fuerit. Ego dico errorem quicunque in Eva aut Adamo fuit, à voluntate eorum aliquatenus pependisse, eo quod animum suum fixum atque intentum semper non retinuerant in præceptum ac comminationem divinam, sicuti poterant & debebant, in primis accedente tentatione serpentis, & concupiscentia solicitante ad contrarium. Hoc autem non facere, est, si non directe, saltem indirecte aut interpretative, ut loquuntur, errori, seductioni ac per consequens peccato fenestram ac tantum non latum ostium aperire.

Quare cum dicis, *Omnis actio hominis mentis compotis tendit in finem, Ergo & primus homo ve tito arboris fructu cum vellet vesci finem habuit*, &c. Id totum etiamsi verissimum esset, quod tamen falsum esse loco suo ostendam, non tamen sequeretur ex eo primum peccatum primi hominis errorem fuisse; quod tamen concludendum tibi erat. Hoc ipsum enim, velle scilicet tendere in finem alium, quam eum quem scire poterat ac scire debebat finem optimum ac bonum summum esse, aut saltem velle cogitare aut deliberare de tali fine ac bono, actus est voluntatis, si non deliberatæ ac pronæ adhuc ad desciscendum à fine isto optimo, saltem non satis solicite officio suo adhærentis, atque ita se ipsum in periculum errandi & committendi id quod vetitum est imprudenter dantis. Velle autem hoc poterat voluntas Evæ, non quia errore ullo adhuc seducta erat, sed hoc ipso quod libera erat creata, & mentem occupare aut non occupare poterat in consideratione ejus quod ipsa alioquin etiam sibi non licere noverat, & quod non faciendum esse mens dictabat. Et hoc eodem vitio laborant cætera omnia tua argumenta. Tantum enim efficitur per ista, quod Eva erraverit & seducta fuerit: (de Adamo enim id nusquam dicitur, ac non nisi contra expressum Apostoli textum dici potest:) quod nemo negat. At non efficitur ex istis, errorem istum, qua talem, prorsus voluntarium non fuisse, aut si voluntarius non fuit, peccatum fuisse, nedum peccatum pœna tali dignum, quali peccatum omne, eo ipso quod peccatum est, dignum esse vis; imò contrarium dico ex istis sequi & concludi jure posse. Qui enim finem aliquem sibi proponit, quo meliorem concipere tota illa vi mentis, quam à Deo accepit, diligenter adhibita in consilium, non potest, adeo ut finis iste invincibiliter ipsi appareat optimus, atque idcirco in illum feratur; is, inquam, etiamsi ipsum contingat errare, in eo quod finem istum pro optimo fine habeat, fieri non potest ut in eo judicando aut eligendo peccet, aut propter errorem aut electionem istam, non dico apud Deum, sed apud homines etiam ipsos, pœna ulla, nedum gravissima, dignus censeatur, nisi rationi rectæ & æquitati omni naturali apertum bellum indicatur. Cumque errorem Evæ non alium quam talem fuisse ex sententia tua sequatur, non potes etiam tu errorem istum peccatum, nedum peccatum pœna dignum gravissima, censere, nisi rationi & æquitati bellum indixeris. At si errorem istum aliquomodo à voluntate hominis libera derives, tum de-

num ratiò peccati & juſtitia punitionis manifeſta eſt.

Quare cum argumentaris, *Illud etiam conſtat, vel ſciviſſe Adamum quorſum illa contumacia vel rebellio in Deum eſſet evaſura, vel neſciviſſe; ſi neſcivit, graviter erravit, ſi ſcivit id, nihiloque minus ſe dedit præcipitem, tantò gravius erravit; ut ſi qui vitæ cupidus, ſciens venenum hauriat, quin ſit non modo ſtultus, ſed furioſus, non eſt dubitandum.* Reſpondeo: Si Adamus id neſcivit, eo quod ſcire illud aut de eo perſuaſus eſſe nullo modo poterat, adhibita omni ingenii ſui quod à Deo acceperat acie, uti tu vis, non peccavit etiamſi erravit, neque à Deo, per quem ſolum ſtabat quominus illud ſcire aut de eo perſuaſus eſſe poſſet, peccati aut pœnæ reus agi potuit. Si ſcivit, nihiloque minus ſe dedit præcipitem, jam non erravit mente, uti tu inepte infers, quia alioquin non ſciviſſet, juxtà te, cum ſciret, ſed voluntate peccavit, & ſeipſum dedita opera perditum ire, atque in mortem dare præcipitem voluit, ſtultorum & furioſorum inſtar qui judicio non eligunt, ſed ruunt præcipites in id quod volunt, aut quod obvium ipſis eſt, imo ſibi ipſis non raro mortem conſciſcunt. Elige ipſe utrum voles, & argumentum tuum ſolveris. Similitudo autem quam allegas impertinens eſt. Qui enim ſcit certo certius futurum ut, ſi venenum bibat, moriatur, is, ſi prudens ſciens venenum hauriat, una cum propoſito venenum hauriendi cupiditatem vitæ exuat aut ſuffocet neceſſe eſt; quod fieri poſſe funeſta multorum miſerorum hominum exempla docent: idemque Adamo uſu veniſſe dicas neceſſe eſt, ſi ipſum ſciviſſe velis quorſum rebellio iſta ſua evaſura eſſet, & nihilominus tamen rebellare voluiſſe aſſeras. Sed ego cur tam horrenda facto iſti Adami tribuenda ſint non video, uti deinceps dicam. Hactenus itaque de primo membro tuo.

*Utrum Adami voluntas neceſſario ſecuta ſit mentis ipſius errorem.*

Secundum diſcurſus tui membrum eſt; *Adami voluntas neceſſario ſeu infallibiliter (nam duo hæc, inquis, mihi idem ſignificant) ſecuta eſt mentis errorem.*

Hoc membrum quod attinet, ſi per voluntatem Adami intelligas volitionem illam, quæ immediate præceſſit eſum de fructu vetito, poſſem tibi, ſine ullo cauſæ meæ præjudicio, concedere eam infallibiliter aut neceſſario (hæc enim duo tibi unum idemque ſunt, contra opinionem pæne omnium Theologorum veſtratum) ſecutam eſſe mentis errorem jam formatum, & ex inadvertentia aut negligentia voluntaria, quam non habere in poteſtate Adami fuerat, ortum. Neceſſitas enim illa ſive infallibilitas, non fundatur tum in erroris ſive erronei judicii vi atque efficacia ad determinandum voluntatem, ſed in ipſa libera voluntatis remiſſione, ſive (ut Hieronimus aliquando loquitur,) *laſſitudine animi*, qua poſita, judicium aliquando voluntatem determinare mirum non eſt, uti in ſequentibus videbimus. Si vero per voluntatem Adami, omnem omnino voluntatis Adami actum intelligis, ita ut etiam inadvertentiam aut negligentiam potius ſub eo comprehenſam velis, eumque ſecutum eſſe dicas errorem, idque neceſſario, id nullo modo tibi conceſſerim, quippe quod in antecedentibus falſum eſſe oſtendimus. Sed non eſt neceſſe ut tantum tibi concedamus. Dico falſum eſſe, Evæ voluntatem neceſſario determinatam fuiſſe ab errore mentis ipſius. Verum ne erretur, dum de errore hoc agimus, notandum eſt, per errorem hoc loco intelligi poſſe, aut erroneam iſtam ſuaſionem qua Diabolus fuit uſus, & quatenus tu vi ſua menti hominis errorem inſinuaſſe aut perſuaſiſſe vis; aut erroneam illam perſuaſionem qua voluntas ipſa Evæ, affectu concupiſcentiæ incitata, ſuaſioni diabolicæ, ſi qua fuit, per ſe ad perſuadendum inefficaci, credere voluit. Ita enim ſtatuo; perſuaſum quidem fuiſſe hominem ſe per eſum iſtum Deo parem futurum, ſciendo bonum & malum, ſed perſuaſum non proprie à Diabolo, (ille enim nulla uſus ratione legitur ad perſuadendum, ſed ſolum dixit id ita eventurum, prout cupere ſciebat hominem; cujus tamen rationem ſi petiiſſet homo, uti petere ſane debuiſſet, dare non potuiſſet:) ſed maxime à ſe ipſo. Nempe quod ſuaſerat aut affirmaverat ſolum Diabolus homini, id homo ipſe ſibi perſuaſit, & affectu concupiſcentiæ acriter impulſus, verum eſſe credere voluit. Si de hoc errore agatur, jam ſine confuſione non diſputabitur. Perſuaſio enim hæc jam determinatam voluntatem ſupponit. Sed ſi de illo priore errore agatur, uti agere te neceſſe eſt, qui voluntatem nullo modo ad errorem iſtum concurriſſe vis, tum dico falſum eſſe, eo in mente Adami poſito, voluntatem Adami neceſſario errorem ſive erroneam iſtam ſuaſionem ſecutam eſſe, aut ſequi debuiſſe. Potuit enim in Adami mente, non dico ſuaſio tantum, ſed & perſuaſio iſta diabolica duplex, *Non morieris, & Deo ſimiles eris ſciendo bonum & malum*, locum habere, ac nihilominus Adam Deo parere velle, & à fructu abſtinere, nulla alia re motus quam voluntaria interdicti reverentia; adeo liberum fuiſſe Adamum credo in ſtatu iſto innocentiæ. Videamus an rationes tuæ contrarium evincant.

*Voluntas* (inquis) *eſt appetitus rationalis, nec quiſquam eſt qui quicquam velit, maxime in re momentoſa & gravi, niſi certam ob rationem; ideoneamne an frivolam nil jam intereſt ad cauſam*, &c.

Voluntatem appetitum rationalem ſi eo ſenſu vocari dicas, quod voluntas non poſſit velle, niſi ratio aliqua certa eam præcedat, cujus vi ad volendum determinetur, vehementer falleris. Nec enim id ex vi vocis rationalis recte concluditur, & per ſe falſum eſt. Ex vi vocis non rectè concluditur; quia ad hoc ut voluntas appetitus rationalis ſit & recte vocari poſſit, ſufficit ut ſine ratione aut judicio præcedente velle non poſſit, utque ratio ſit una ex conditionibus requiſitis ſine quibus velle nequit. Et hoc ſenſu ſane fere omnes Philoſophi voluntatem, rationalem appetitum vocari ſtatuunt; quanquam de eo etiam dubitari poſſit, ac ſane dubitetur à nonnullis an id ſemper verum ſit. Multi enim caſus dari poſſe videntur, in quibus id ipſum locum habere poſſe non videtur, ut ex. gr. in actibus voluntatis negativis, quos vocant, in negligentia, inadvertentia, in primis motibus aliiſque: quod jam hic examinari à me non eſt neceſſe; ſufficit oſtendiſſe, te ex vi vocis iſtius non rectè concludere id quod affirmas. Sed & falſum per ſe eſt; quia alioquin voluntas, eo ipſo quod rationalis appetitus ſit, libera eſſe aut dici non poſſet: ſaltem non magis libera, quam intellectus liber eſſe aut dici poteſt in intelligendo, aut appetitus ſenſitivus in ſequendo ſenſum; atque ita rationalitas ipſa deſtrueret voluntatem, ſive propriam voluntatis affectionem.

*At nemo eſt* (inquis) *qui quicquam velit, maximè in re momentoſa & gravi, niſi certam ob rationem.*

Plerumque, & in appetitione ſive volitione ordinata, id locum habere agnoſco. At abſolutè id neceſſe eſſe, aut id ſemper accidere nego. 1. Fieri enim poteſt, & fit non raro, ut homo negligat officium ſuum facere, nulla certa ductus ratione, adeo ut ipſe neſciat, ac neſcire ſæpe ſe fateatur quomodo factum fuerit ut neglexerit id quod negligere non debuerat. 2. Fieri poteſt, & fit non raro, ut ex duobus bonis, quæ ratio judicat eſſe omnino æqualia, alterum tamen eligat, nulla certa ductus ratione, ſed quia ita vult. Et hujuſmodi forte ſunt mortalium non paucorum volitiones, dum ſcilicet trutinantes argumenta, propter quæ ratio dictat honeſta facienda eſſe ex una parte, & argumenta propter quæ ſenſus aut caro jucunda & utilia ſectanda eſſe monſtrat ex altera parte, & ea paris ponderis ac valoris eſſe penſitantes, non hominum ſed brutorum inſtar ſenſuum ductum ſequuntur. 3. Fieri poteſt, & fit non raro, ut voluntas eligat ex duobus pluribuſve propoſitis bonis, id quod ratio minus bonum eſſe dictat, imò quod dictat ſequendum non eſſe: ut autem quis certa ratione duci dicatur, quando contra rationem ducitur, fieri non poteſt. Neque ſatis eſt ſi dicas, rationem tamen aliquam boni eſſe oportere in eo quod vult & ſequitur: inde enim efficitur quidem apprehenſionem, ſive judicium aliquod proponens objectum volibile, volitionem præcedere oportere: at inde non ſequitur iſtam ipſam apprehenſionem, iſtud ipſum judicium quod ratio dictat ſequendum non eſſe, rationem eſſe propter quam movetur voluntas ad volendum objectum apprehenſum; ſed contra, apprehenſionem illam non fuiſſe moturam voluntatem, niſi voluntas ipſa propria ſua ſponte ad eam ſe movere ſive eam ſequi voluiſſet.

*Sed & Apoſtolus id ipſum confirmat. Quorſum enim attinuit primum primi hominis peccatum errorem appellare, ni error primi hominis peccati fons ſaltem fuiſſet?*

Imò verò, inquam ego, quomodo Apoſtolus errorem iſtum peccatum παράπτωμα, παρακοὴν, &c. vocaſſet, ſi error fuiſſet purus putus, & qui voluntatem vi ſua transverſum egiſſet eo quo tu vis modo? Hoc nunquam explicabis tu intelligibiliter, mi Camero. at iſtud quod Apoſtolus peccatum Evæ errorem vocaverit, facile explicari poteſt; quia error iſte præcipuum, etſi non primum, pondus ac momentum habuit ad voluntatem, negligentia & inadvertentia laborantem, aut ſaltem non ſatis ſolicitè in officio præſcripto vigilantem, quin & concupiſcentiæ aliqua titillatione vacillantem, de ſtatione porro dejiciendum & in peccatum præcipitandum. Non quod peccati iſtius fons fuerit error, uti tu loqueris, unde peccatum fluere neceſſe fuerit in voluntatem; ſed quod errorem iſtum peccati actus ſecutus fuit, etiamſi eum non ſequi potuiſſet. Nam Adam, ſi modo animum reſumſiſſet, & advertere iterum ſerio cæpiſſet, uti feciſſe & poterat & debebat, etiam poſt iſtam inadvertentiam & errorem in mente, à peccato vetito immunem ſe continere potuiſſet, conatumque Diaboli fruſtrari adhuc atque eludere.

*Iteram de loco 2 Cor. XI. 3. & 1 Tim. II. 14.*

*At quî poſſit amare Deum,* (inquis) *qui Deum putat eſſe mendacem, invidum, oſorem generis humani, nullo præcedente peccato?*

*peccati? Atqui primum hominem ita ſenſiſſe liquet, ut qui putavit fore ut, etſi quod noverat eſſe Dei præceptum (idque graviſſima ſanctum interminatione) violaret, non peritura eſſet tamen, ſed contra beatiſſimus futurus, & Deum quadam quaſi invidentia impulſum ut ei eſum arboris ſcientiæ boni & mali interdiceret.*

Bone Deus quantæ hyperbolæ! Quaſi verò fieri non potuerit, ut primus parens auditis rationibus Diaboli de fructu ederet, nihil interim conſiderans quomodo comminatio Dei vera eſſe poſſet, nedum quod ex invidia generis humani prohibitio facta eſſet? Prohibitionem autem quod attinet, cur credere non poterat Deum, tanquam Dominum rerum omnium ſupremum, pro jure ſuo ἀνυπεύθυνον inviolatum voluiſſe arboris iſtius fructum, & cauſas ſuas habuiſſe cur eum fructus iſtius eſu interdiceret; ſe tamen conſecutrum, ſi non inſcio ipſo, at forte non invito, rem tam excellentem? cur credere non poterat, Deum non idcirco ſtatim oſorem generis humani habendum eſſe, ſi generi humano non det, aut non indulgeat, quæcunque illi optima videntur, aut quæ vehementer cupit? Comminationem autem quod attinet, cur non poterat credere, Deum quidem comminari mortem ipſi, ſed tamen comminationem iſtam aut hyperbolen aut ironiam quandam paternam habere, ad ipſum tanto magis in officio continendum? aut ſi hoc eum non potuiſſe credere velis, cur non poterat credere Deum voluntate quidem ſigni comminari mortem, ſed voluntate beneplaciti vitam ipſi decreviſſe, & voluntatem Dei arcanam ex mandatis & minis externis æſtimandum non eſſe, prout vos, etiamſi vos regenitos credatis, non obſtantibus tot & tam gravibus Dei comminationibus & exemplis, Deum etiamnum facere creditis? Cur denique credere non poterat, Deum forte pro ſua benignitate rem tantillam ipſi remiſſurum? Error quidem hic fuiſſet, & incredulitatis ſpecies, ſed quæ odium Dei non peperiſſet in voluntate Adami; quin contra, non tantum cum amore Dei conſtitiſſet, ſed ex nimio Dei amore nimiaque de Dei bonitate perſuaſione profecta fuiſſet. Et cur neceſſe eſt ut credatur Adamum tam monſtroſa, tam horrida, tam ab omni ratione & humanitate aliena ſtatim de Deo, Domino, creatore ac benefactore ſuo unico credidiſſe, ſimulatque Diaboli ſuaſioni aurem præbuit, aut de fructu vetito comedit? Tu ipſe, Camero, ſi filium haberes, cui ſerio mandaſſes ut ſe contineret à vaſe aliquo certo aperiendo, quod inviolatum velles, addita comminatione ſevera, niſi id faciat te eum è domo ejecturum & plane exhæredaturum? Filius autem ſuaſu nequam alicujus hominis, qui ea perſuaſiſſet te dicis cauſa tantum id ipſi vetuiſſe, ſed ſi vas aperiat theſaurum in eo reperturum, qui ipſi ad fælicem vitam vivendam ſemper ſufficeret, adductus vas aperiat. Quid? an dices filium iſtum tuum, eo quod aurem præbuiſſet nequam iſti homini, odio tui id feciſſe, aut credidiſſe te mendacem, invidum, oſorem ſui, propterea quod theſaurum iſtum ab eo tangi noluiſſes? Quis credat? Adde, cum de regeneratorum peccatis loqueris, Camero, cur aliter credis & loqueris? Iſti enim quando peccant, non levia, ſed enormia, ſed horrenda, ſed execranda ſcelera ac flagitia, idque non ſemel, ſed iterato & ſæpius, Satana illos tentante per libidines, honores & opes mundi hujus, annon etiam ex tuo judicio cenſendi ſunt mendaci Diabolo credere, cum ſciant Deum eſſe qui ea ipſis vetuit ſub æternæ mortis inexorabili ſententia, ac proinde Diabolum eſſe qui ea ipſis ſuadet ac ſuggerit? Si eos id credere non vis, cum eadem eorum quæ Adami ratio ſit, cur tam iniquè de facto Adami cenſes, & tam odioſe eum credidiſſe vis cum iſtud patraret? Si eos id ipſum credere vis, jam neceſſe eſt ut credas regenitos aliquando Deum odiſſe. *Qui enim* (tua verba ſunt) *poſſint amare Deum, qui Deum putant eſſe mendacem, invidum, oſorem generis humani*, qui ipſis voluptates hujus mundi invidet, & propter earum uſum æternas ipſis negat? Cumque fides vera ſine charitate eſſe non poſſit, regenitos fide vera excidere quando peccata iſtiuſmodi committunt. Hæc ſi dicerentur & exaggerarentur à vobis, jure optimo dicerentur & exaggerarentur. Sed cum vos excuſare fere & imminuere ea ſoleatis, mirum cur tam iniqui ſitis in hoc Adami (quem tamen electum fuiſſe credatis neceſſe eſt) peccato cenſendo. Hactenus itaque oſtendimus nihil obſtare, quin fieri potuerit ut Adamus non modo non conſentiret rationibus ſuaſivis Diaboli, ſed poſito etiam involuntario prorſus errore in mentem ipſius, ut errorem tamen non ſequeretur, ſed animum advertere juberet ad præcepti divini & comminationis qua illud ſancitum erat ſeveritatem, & à ſuaſionibus iſtis diabolicis avertere. Hoc ſi feciſſet Adam, quod ſola præcepti divini memoria & aſſidua meditatione facere & poterat & debebat, à comedendo fructu, non obſtantibus iſtis rationibus ſuaſivis Diaboli, & errore etiam aliquo ex illis in mente ipſius enato, abſtinere potuiſſet, atque ita error etiam ipſe voluntatem ejus neceſſario non vitiaſſet.

Sequitur tertium membrum tuæ explicationis, in quo ἐπιχείρει ad quæſtionem iſtam, Qui primus homo potuerit peccare? nobis commendatam eſſe vis; eo ipſo ſatis innuens quid de ea ſtatuas & credas. Nempe arcanum horrendum mantelo ἀπροσίτῳ velandum eſt. Sed nos vel invito te, tuo tamen (uti ſpero) cum commodo, amovebimus ſiparium.

*Ergo*, inquis, *oſtendam definitionem hujus quæſtionis à Theologia & recta ratione alienam eſſe.*

Credo equidem, Camero. Definitio tua procul omni dubio à Theologia & recta ratione eſt alieniſſima. Imprudenter verum dixiſti. Contraria autem definitio, Theologiæ & rectæ rationi optime quadrat. Nihil de ea definire aut velle aut audere, arguit animum cui tua definitio placet, quam apud animum tuum (ſat ſcio) facis; ſed quam propalare & proferre conſultum non judicas, niſi ſub terminis multo fuco dictionis pulcre comtis & adornatis, ne fæditas pateat.

*Vos enim*, inquis, *οἱ τῦ Ἀρμινίε μαθηταὶ, præceptore & patre multo audaciores, mentem hominis, etiam eo ipſo quo peccabat momento, omnino colluſtratam, nullas in ea tenebras fuiſſe, pronunciatis.*

*Camero convitio reſpondetur.*

Sæpe deeſſet tibi argumentum, & cum argumento convitium, quo mirum quantum delecteris, niſi me inter τὰς τῦ Ἀρμινίε μαθητικὰς ἰδέας cenſeres, & ab illis ſententiam aut dictum aliquod ἀνδράποδον venareris, quod in me veluti lapidem conjicere poſſis, etiamſi neſcias quis ego ſim. Neque tamen diffiteor recte te conjeciſſe. Arminium præceptorem meum libenter agnoſco, (patrem enim non debeo;) & eo nomine mihi gratulor Deoque gratias ago, quod ab illo, quo tempore in eodem illo luto vobiſcum hærebam, magnam partem didicerim tam horrendum myſterium foveri in ſinu Calviniſtarum. Nec dubitabo id agere, ut omnibus quibus poſſim modis iſtud eximam bonorum animis, ut mecum habeant ob quod Deo perpetuas gratias agant. Iis qui cum Arminio P. M. ſentiunt haud illibenter me accenſeri à te lego. Quod eos præceptore ſuo audaciores facis id equidem parum moror. Fortaſſe veſtra impudentia & pertinacia majorem audaciam poſtulat, aut eam quæ pro veritate exeritur παῤῥησίαν ac fiduciam audaciæ nomine indigitat. Uti teſſeris pueruli, ita vos epitheris iſtis luditis. A te vero hîc jam audaciores appellari præceptore ſuo non miror, quia ab iis in anguſtias iſtas redigeris, unde exire te non poſſe ſentis ſine blaſphemia. Æger animus facile convitiatur & maledicit.

*Vos*, ais, *mentem hominis, eo ipſo quo peccabat momento, omnino colluſtratam, nullas in eo tenebras fuiſſe exeritè pronunciatis.*

At quæ audacia hîc major in diſcipulis quam in præceptore? Idem dixit Arminius. Idem dixerunt omnes Theologi quotquot unquam Adamum libero arbitrio præditum crediderunt, hodieve adhuc credunt. Idem docent Catecheſes, Exomologeſes omnes veſtræ. Idem tu dicere videri voluiſti, pag. 150. quamquam ſatis aperte iſthic innuebas aliter te credere, tenebras videlicet menti hominis à Deo ipſo illatas fuiſſe, id eſt ignorantiam & errorem circa ſummum bonum, in mente hominis cauſatum fuiſſe, per ſubtractionem veræ & neceſſariæ lucis quam antea ipſi indulſerat, & quæ ut ſubtraheretur non meruerat Adam: id quod jam hîc non obſcure confirmas, & arcanum eſt impietatis tuæ. Librum aut locum iſtum, ubi quæ citas verba continentur, videre mihi jam non licuit. In eo tamen, prout à te citatur, non reperio exerte dici id quod tu tam audacter dictum & pronunciatum ibi adſeris; *Mentem* ſcilicet *hominis eo ipſo quo peccabat momento omnino colluſtratam, neque ullas in ea tenebras fuiſſe.* Ne γὰρ quidem horum verborum eſt in loco iſto. Nec parentheſis iſta tua (*quæ ſic peractum demum peccatum ſunt ſubſecutæ*) iſtic legitur. Solum legitur, voluntatem hominis impediri in proſecutione veri boni *ob intellectum tenebras, quæ in animum humanum invecto jam peccato invaſerunt.* At, *invecto peccato*, non ſignificat præciſe, poſt peractum peccatum; ſed ſignificare poteſt, cum jam peccatum patrabatur, &, eo ipſo quod patrabatur, tum invectum quaſi eſſet in mundum. Et *tenebræ* non ſignificant præcisè deceptionem quamlibet aut errorem qui peccatum præceſſerit, quaſi legeretur, Ne quidem deceptam fuiſſe Euam antequam peccaret: (quis enim ita fatuus eſt ut id credat?) ſed magnas illas ac profundas tenebras, quas ex privatione ſupernaturalium donorum poſt admiſſum peccatum, ſecutas fuiſſe in mente hominis ipſi Theologi veſtri omnes fatentur. Vides, Camero, quam levem, imo nullam, cauſſam habueris, ut tam atroci convitio τὰς τῦ Ἀρμινίε μαθητικὰς proſcinderes.

Sed tu ipſe, dic ſodes, visne tenebras fuiſſe in mente Adami antequam peccabat, aut eo ipſo momento quo peccabat?

cabat? Neutrum potes velle, etiamsi prius te credere nullus dubitem. Non prius; quia cum error tibi sit primum peccatum, si tenebræ fuerunt in mente Adami antequam peccabat, error fuerit necesse est. Error enim per tenebras significatur, uti tu ipse fateris, pag. 167. Peccatum itaque fuerit in Adami mente antequam peccaret, & primo peccato aliud prius fuisse dicas necesse est. Nec posterius potes dicere; quia dicere tenebras in mente Adami fuisse eo momento quo peccabat, foret juxta te idem dicere quod, error erat in mente Adami eo momento quo errabat; quo nihil vanius dici potest. Quod si per tenebras in mente aliud quid intelligi velis, istud efferri à te peto, & tum apparebit an sententia tua, quam adhuc occultam vis, non sit blasphema, & (quod notandum est in tua sententia) an tenebræ, quæ peccatum sunt secutæ, majores, imò aliæ fuerint, quam quæ fuerunt ante peccatum ex sola divinæ lucis subtractione. Sed pergamus.

*Quo sensu voluntas seipsam dicatur impellere, vel determinare.*

*Voluntatem hominis, etiam qualis initio creationis ante peccatum fuit, vulsi esse ita natura comparatam, ut ab intellectu haud necessario dependens, sed ipsa in se suspensa huc illue sese impellat & libret*, &c.

Ergo, mi Camero, adsertio tua est, voluntatem hominis NB. etiam qualis initio creationis ante peccatum fuit, non fuisse ita liberam, ut sese intrinseca sua vi in hanc aut illam partem, prout vellet, inclinare potuerit, sed non aliter liberam tum fuisse, quam nunc post peccatum libera est. Hoc accipio itaque tanquam adsertionem tuam. Multum enim refert id à te exerte dici, quod alii hactenus non modo non fuerunt ausi adserere, sed etiam cujus contrarium hactenus communiter omnes adserere & serio quidem videri voluerunt. An audacia hæc tua vocanda sit non dixerim: saltem quin tu hac in re præceptoribus tuis multo sis audacior negare non potes. Age ergo & videamus quomodo tu id probes. Sic argumentaris:

*Si voluntas impellitur à se ipsa, impellitur aut à seipsa impellente, aut à sese quiescente ab omni sui impulsu. Neutrum potest à vobis dici. Ergo, &c.*

In hoc argumento mirificè tibi videris placere, sed revera, Camero, magnas & difficiles nugas agis: quod sic ostendo. Arripis & dilaceras laciniam aliquam ex Remonstrantium libro aliquo, in qua dicere eos vis voluntatem Adami sese ipsam impulisse ad peccandum, & eam cornuto dilemmate invadis, quasi nescias locutionem istam esse prorsus metaphoricam, ac proinde ex illa argumentum solidum formari non debere. Tu ipse solicitè satis laboras, pag. 166. ubi de tenebrarum suffusione quæstio est, ut metaphoricam omnem locutionem à seria disputatione arcendam esse doceas. Eadem æquitate hîc te uti oportuisset. Id si facias, momento evanuerit totum hoc prolixum & fastidiosum tuum argumentum. Scriptor enim iste, cum dixit voluntatem Adami seipsam impulisse ad peccandum, nihil certe aliud dicere voluit, quam Adamum cum voluit facere id quod Deus expressa lege ipsi vetuerat, cum posset & deberet aliter velle, peccasse: voluisse autem nulla necessitate intrinseca aut extrinseca motum, sed suopte motu proprio, id est activam potentiam voluntatis suæ, quam à Deo acceperat prorsus liberam, in volendo quod non debebat, non autem in volendo eo quod debebat, & quod velle poterat, exerendo, id est, simpliciter loquendo, in volendo quod lege vetitum erat. Itaque cum voluntas dicitur se ipsam active impellere, movere, inclinare, determinare, aut cum passivè à seipsa impelli, determinari & inclinari dicitur, metaphoricæ locutiones sunt, quæ non sunt exigendæ κατ' ἀκρίβειαν; (id Sophistarum est:) sed benignè & proprie interpretandæ. Alioquin enim eodem jure te conveniam, hoc pacto: Voluntas, uti tu ais, impellitur ab intellectu. si id verum est, tum intellectus impellit voluntatem aut quiescens ab omni impulsione, aut non quiescens. Istud non potes velle. Nam verba tua sunt, *quod impellit id necesse est sit ipsum in actu: quod autem quiescit ab actu, in actu jam non est.* Sed & hoc impossibile est. Nam si non quiescit, ergo movetur intellectus. Si movetur, aut à seipso movetur, aut ab alio: Non à seipso, quia sic seipsum impelleret, quod tibi absurdum est: Ergo ab alio: Et à quo? Quicquid dixeris, repetam semper argumentum, & in circulum aut potius in infinitum ibis, ac tandem ad ipsum Deum venies, eundemque aut à se impelli dices, aut non impelli; si non à se ipso, sed ab alio eum impelli dixeris, ubi stabis? Evanesces, Camero. Si à seipso impelli dixeris, solves proprium tuum argumentum. Hoc pacto possem jure talionis tecum agere, sed nolo. Videamus alterum argumentum quod subjicis.

*Num Deus Adamum a lapsu immunem præstare potuerit salva libertate voluntatis ipsius.*

*Quin sic insto: Aio, ex vestra sententia Deum non potuisse Adamum incolumem & integrum præstare.*

Ain' Cameto? Aio. Salva libertate? Salva. euge. Quin si hoc tibi dem, sed non concedam, quid absurdi? An sic impotentiam Deo à me tribui dices? Non potes. Non enim est impotentia, non posse facere quod sine contradictionis implicatione fieri non potest. At contradictionem implicaret, Deum præstare posse id, quod non potest nisi à voluntate, prout libera est, præstari. Præstaret enim voluntas idem simul & non præstaret. Hujus argumenti æquitatem ut videas, tuopte argumento te convincam. Aio Deum ex sententia tua non potuisse Adamum aliter præstare immunem à lapsu, quam motu ethico voluntatem ejus determinando. *Non potest enim animo concipi*, (verba tua sunt) *quomodo voluntas, quæ principium ethicum est, aliter quam motu ethico possit moveri.* Per intellectum itaque ut voluntatem moveat Deus necesse est. Esto, inquies: hæc est natura & conditio voluntatis prout à Deo condita est. Recte inquam. Ergo salva ista conditione & natura voluntatis Deus aliter agere non potest. Neque tamen id ipsum dicere, Deo injurium vis esse. Quomodo itaque tanquam ingens aliquod absurdum, & Deo injurium, tradncere potes, si ii contra quos disputas similiter dicant, Deum non potuisse incolumem præstare Adamum salva conditione & natura libertatis, quam homini propriam præ cæteris animantibus omnibus fecerat? Uti enim tu dicis, suppositâ ista natura voluntatis, quam ei propriam esse vis, Deum aliter agere non posse; ita & illi suppositâ ista natura voluntatis, quam ei propriam esse volunt, ut à seipsa scilicet determinetur & non ab alio ullo. Deum aliter agere non posse quam naturæ isti convenienter, eodem jure dicunt.

*Remonstrantes credunt Deum futura contingentia præscire. Vide Instit. Theol. lib. IV. sect. 2. cap. 17.*

Hactenus disputavi, tanquam si id verum esse concederent ii contra quos tu disputas, videlicet Deum non potuisse Adamum præstare immunem à peccato nisi usurpando omnipotentiam & tollendo libertatem. At nunc secundo loco, nego id eos concedere, aut ex hypothesi sententiæ ipsorum necesse esse ut id concedant. Dico enim eos asserere, Deum id præstare potuisse salva libertate hominis, ex vi præscientiæ tum absolutæ tum conditionatæ, qua Deum scire posse dicunt in quam partem se inclinatura sit voluntas, si hæc aut illa eligenda ei offerantur, & quidem non rationum ipsarum intrinseca vi mota, sed motu prorsus libebero, quam scientiam fundant in eminentia & perfectione divinæ scientiæ, & in eo quod futura contingentia, aut simpliciter contingentia possibilia sciri contradictionem nullam implicet. Hæc si vera sunt, uti vera esse ex libris ipsorum editis cognoscere facile potuisti, tum sane corruit omninò argumentum tuum, & vana sunt omnia ista quæ de intellectu Adami, de copia lucis, &c. operosè allegasti; quæ profectò sunt aliena à mente eorum contra quos disputas. Ut enim id obiter hîc dicam; Cum intellectum Adami adeo probe affectum fuisse dicunt ut nihil ultra requireretur, & nullæ in eo tenebræ locum haberent, nihil certe aliud volunt quam Adami mentem sufficienter instructam fuisse ejusmodi donis, quæ ipsi ad evitandum peccatum lege vetitum & faciendam Dei voluntatem in isto statu necessaria erant, salva semper voluntatis libertate. Nihil amplius. Et hoc idem sane volunt quotquot unquam me videre Theologos licuit, qui quidem Adamum libero arbitrio præditum fuisse statuunt.

*Id vero Camero negas.*

Sensisti Camero, responsionem hanc regeri tibi posse, atque ita argumentum tuum funditus everti. idcirco tanquam jam aliud quid agens, *Non potuit* (inquis) *Deus divinare quorsum hominis primi voluntas libera sese inclinaret, priusquam ipsa sese inclinaverit in alterutram partem.*

Nempe igitur quod illi Deum scire potuisse dicunt, tu Deum ne divinare quidem potuisse dicis. Scire id potuit Deus & scivit, iuquiunt, & cum ipsis plerique omne Christiani; Tu negas utrumque, & cribro opus fuisse Deo inquis ut divinaret quid futurum esset. & addis: *Vin' id demonstrem? Qualis est res, talis est rei sententia. At hæc inclinatio in sua causa incerta fuit, quæ scilicet ἀδιάφορος, indifferens (ut ita dicam) erat in utramvis partem. Ergo in sua causa certo id sciri non potuit.*

Hoc est ipsissimum & pænè præcipuum argumentum istud, quo is, quem me non ita nuper socium seu magistrum habere nolebas, pugnat contra divinæ præscientiæ adsertores. Eum tu, seu socium, seu magistrum hac in re an habeas, tu videris. Ego istud argumentum jam non expendo. Vide quid ad illud operosè respondeant Scholastici pænè omnes, & inter cæteros diserte Franciscus Zuarez in tractatu quem inscripsit, de scientia Dei absoluta & conditionata futurorum contingentium, & Diotallerius Gallus, ni fallor, in opusculo suo in quo quæstionem istam subtiliter examinat. Tu ibi reperies ob quod ungues mordeas.

*D. Vorstii elogium, & ea de re sententia.*

Tantum nunc unum dico: hoc ipsum quod tu hic demonstrandum tibi sumis, esse illud quod in D. Vorstio B. M. qui jam Deo suo judicandus stat, & cui hoc testimonium lubens semper dabo, (rideat & ringatur qui volet.)

virum

virum fuisse quo modestiorem & conscientiæ bonæ studiosiorem in vita mea non sum expertus, tam indignè, tam immaniter, quicquid etiam ille id à se affirmari negaret, exagitarunt Ecclesiæ Calvinisticæ in Belgio, & propter quod apud Regem Magnæ Britanniæ tam acerbe traductus fuit; hoc, inquam, esse illud quod tu hic non dubitas aperta fronte & coram Sole adserere, tibique adeo demonstrandum sumis.

*At non dubitavit*, inquis, *iste negare, Deum certò scire futuros voluntatis motus.* Atqui posito quod id verum esset, (quod tamen strenuè semper & constanter negavit quoad vixit, à se in libris suis negatum esse;) cur ei tanquam crimen ingens id vitio vertis, quod tu ipse totidem verbis negas, imo impossibile esse demonstrare conaris? Dices fortasse te non credere, liberum arbitrium idcirco liberum dici, quod vim habeat seipsum determinandi in utramvis partem, uti ille credidit. Esto. Ergo eo tantum nomine accusandus fuerat, quod tale liberum arbitrium crederet, non autem quod, cum istud crederet, simul etiam crederet Deum motus ejusmodi voluntatis liberos præscire non posse. Hoc enim est idem illud quod tu te credere profiteris, & quod Ecclesias vestras tecum credere vis. Atqui, inquies, hypothesin illam de libero arbitrio deserere potius debuisset, quam hoc negare. Itane, Camero? Per quam regulam? Neutrum necesse erat, aut necesse esse judicabat. Sed si alterutrum omnino necesse fuisset, certe nil dubito quin id quod atrocissimum est potius deserendum ei fuisse dicturus sis. Utrum autem credis atrocius, Negare liberum arbitrium, (etiam in statu innocentiæ;) unde consequi necesse est nullum posse dari peccatum, aut (si quod detur) ejus alium quam Deum authorem esse non posse, & concedere Deum motus ejusmodi voluntatis necessarios certò scire; An agnoscere liberum arbitrium, & negare Deum motus istius arbitrii liberos, quos tu sciri nullo modo posse dicis, & quos sciri ad providentiam universi opus non est, sciré? Elige, utrum credas atrocius. Me quod attinet, ego non dubitem affirmare, multo satius fore hoc quam illud negare. Istud enim, ut ut videatur nonnihil divinæ excellentiæ derogare, & imperfectionem aliquam in suo conceptu involvere, nihil tamen revera tribuit Deo quod justitiæ & bonitati ipsius contrarium est, nobisque ullo modo nocere possit. Hoc verò, utrumque facit, atque ita simul etiam divinæ excellentiæ præcipuam partem suam detrahit? Quantò enim minus est nescire mala futura, quàm procurare ut ea fiant, tanto minus malum est scientiam liberorum ejusmodi motuum Deo non tribuere, sive tribuere ei quod motus ejusmodi liberos nesciat, quam liberum arbitrium negare, sine quo fieri non potest quin Deus procuret ut mala fiant. Verumtamen, inquies, ego statuo utrumque, tum liberum arbitrium, tum præscientiam liberorum motuum. Imò verò, inquam ego, hoc ipso quod demonstras liberos motus voluntatis præsciri non posse, dicent illi utrumque negari à te, tum veram arbitrii libertatem, tum veram liberorum motuum præscientiam. Nec enim vera libertas arbitrii est, quæ motus suos non habet in potestate sua, sed ad unam contradictionis partem aliunde quàm à seipsa determinatur, uti jam ante demonstravimus, & porro pluribus demonstraturi sumus. Nec vera præscientia liberorum motuum appellari meretur, inquient, quæ non cognoscit nisi motus plane necessarios, & qui aliter se habere non possunt, idque ob actionem aut omissionem actionis illius cui præscientia tribuitur. Quisquam ne adeo væcors aut amens unquam fuit inter Christianos, ut dubitaverit, nedum ut negaverit, Deum scire ea quæ ipse efficere vult eâ potentiâ vel actione cui resisti non potest, vel permittere ea permissione, qua posita, ea poni & sequi necesse est? Et hæc tamen est præscientia illa tota divina quam tu, divinæ scilicet gloriæ atque excellentiæ vindex, assertum is, contra eos quos ais negare, tanquam monstra hominum, divinam præscientiam; cum non istam tantum præscientiam tuam, id est necessariorum eventuum præscientiam, sed & eam quæ ista tua longe excellentior est, & præscientiæ nomine proprie apud omnes pæne Theologos venit, id est vere liberorum motuum præscientiam, à se adstrui profiteantur: tu vero hanc aperto ore neges, impugnes, & tanquam impossibilem respuas. Quocirca an tu iis quos tam inhumaniter quavis occasione, accepta, arrepta, convitiis tuis lapidas, injuriam non feceris, & teipsum tuo proprio ore non damnaveris, tanquam hominem valentissimi stomachi, qui venenum tam ingens, quod aliis hauriendum à nobis dari vis, potes concoquere, & nobis propinare, etiam atque etiam vide. Pergamus.

*Jam edam*, inquis, *quid ipse sentiam de hac quæstione.* Nempe dignum aliquod tanto hiatu. At vos exeste boni, & quotquot Deum amatis. Oraculum edet Camero, quale olim λοξὸς ille vates, ἀμφίβιον. Dicet non dicet, se credere se non credere, Deum esse authorem peccati, Deum non esse authorem peccati primi Adami. Nempe speciosis verbis, Camero, involves sententiam blasphemam, & cum ad apicem venietur, ne horrendum arcanum pateat, professione ignorantiæ illud teges, & sub humilitatis specie effugies. Nimirum hæc ara illa est, apud quam tuta creditur esse blasphemia, & populo imponitur. Sed nos te ab ea abstrahere non dubitabimus, ut videas ipse quanto in errore versèris, & alii ab errore isto tuo sibi caveant.

*De causa impulsiva primi peccati, & quid in eo præstiterit Diabolus.*

*Aio*, inquis, *nullam causam dari posse primi peccati primi hominis, præter Diaboli instinctum.* Utinam dixisses, Camero, nullam aliam causam esse, aut esse potuisse. Sed cum dicis frigide, nullam aliam causam *dari posse*, suspecta merito videri debet tua oratio. Sed esto: de mente tua Deus judicabit. Thesin tuam expendamus; quæ cum montem parturire videbatur, ridiculum & ineptum murem nobis parit, sed qui tamen venenum in se habet. *Præter Diaboli instinctum nulla causa primi peccati dari potest*, inquis. De causa extrinseca impulsiva, quam συναίτιον vocant, si hoc intelligi vis, Camero, quid itaque de pulchritudine fructus ipsius dicendum erit? An non & illa causa datur concupiscentiæ in Eva, ac proinde peccati ejus? Negare id quidem tu non potes, cum textus sacer id disertè affirmet, *Genes.* III. 6. *Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis aspectuque delectabile, & tulit de fructu:* vel, ut Pagninus vertit, *Vidit mulier quod arbor esset commoda*, (sive bona ad vescendum) *& oculis desiderabilis*, (vel concupiscibilis ad intelligendum, vel jucunda ad eruditionem) *& tulit.* Ad erudiendum autem, exponit Vatablus, *Ad contemplandum desiderabilis, id est, quod oculos contemplantium se moraretur.* Hæc pulchritudo arboris itaque causa etiam fuisse peccati expresè dicitur, & tamen ad Diaboli instinctum non refertur. Quare ne de causa quidem extrinseca verum est, aliam dari non posse quam Diaboli instinctum. Sed esto. Dabo tibi causam aliam nullam dari posse quam instinctum Diaboli, quia id ita vis: (Argumenta enim quæ allegas solida non esse jam ante ostendimus, cum de concupiscentia, de inadvertentia & voluntatis libertate, quomodo videlicet ea concurrere potuerint & actu concurrerint ad peccatum istud ageremus:) & ex eo ipso efficiam necesse esse ut Deum ipsum priorem, imo primam, istius peccati causam facias. Sic autem procedo. Instinctus iste Diaboli, quem solam causam fuisse vis peccati istius, aut fuit physica motio, qua Diabolus scilicet immediatè impressit vim quandam persuasivam menti Evæ, cui ipsa reluctari non potuit quin ei adsentiretur, aut fuit motio ethica qua Diabolus forinsecus, & (ut loquuntur) objectivè tantum rationes suasivas adhibuit, sed quibus mens Evæ ut adsentiretur necesse non erat, etsi iis adsenserit. Utrum dixeris, efficiam quod volo & te tenebo. Si prius dicas, tum fateasimilis necesse est persuasionem diabolicam, aut simul cum persuasione divina in eadem mente Evæ locum habuisse, quod fieri impossibile erat, quia sic Eva fuisset simul persuasa & non persuasa; aut persuasionem diabolicam, divina persuasione fortiorem, divinam persuasionem menti Evæ excussisse, quod non minus absurdum est; aut denique, Diabolum per vim expulisse persuasionem divinam, ut suæ locum faceret; at hoc omnium absurdissimum est. Persuasionem enim per vim tolli impossibile est. Diabolum autem delirium, aut morbum, aut intemperiem menti Evæ immisisse, jam antea ipse negasti. Si dicas posterius, tum necesse est ut dicas peccati causam non potuisse esse instinctum Diaboli, nedum solam atque unicam causam, sed Deum ejus causam primam statuendum esse. Ratio est: Quia in mente Evæ erat lux, sive vera & solida veri & summi boni notitia, quæ naturalis ipsi erat. Lux autem ista tibi est mentis persuasio: Diabolicus vero ejusmodi instinctus, non fuisset nisi externa suasio. Suasio autem externa non potest tollere persuasionem, sed contra persuasio suasionem omnem externam vincit & tollit; quia alias persuasio non esset. Persuasione stante in mente Evæ, stabat voluntas Evæ recta & ordinata. Quomodo itaque instinctus ille Diaboli mentem Evæ in errorem inducere, & voluntatem ejus impellere potuit ut peccaret, atque ita sola istius peccati causa fieri? Necesse est ut dicas, Camero, vel lucem istam, id est notitiam & persuasionem istam ex mente hominis sublatam fuisse, atque ita ignorantiam ob defectum persuasionis in locum ejus successisse; cumque per persuasionem istam Eva bona esset, uti loqueris, Evam per substractionem istius lucis bonam esse desiisse, & malam factam fuisse; vel lucem istam per se evanuisse. Hoc non potes dicere, quia lux ista cum sit solida & vera notitia, sive persuasio mentis, non potest evanescere nisi per ignorantiam aut errorem. At errorem ex instinctu Diaboli natum esse vis; instinctu autem isto opus non fuisset, si notitia

*Camero Deum primam peccati causam facit.*

antea

antea evanuisset: & notitia ipsa illa obstabat quominus error, id est erronea persuasio, posset succedere. Istud si dicas, jam necesse est ut dicas aut hominem ipsum, aut Diabolum, ex homine excussisse lucem sive persuasionem istam. Neutrum potes dicere; quia persuasio excuti non poterat, nec male judicando, nec male volendo. Non male judicando, quia persuasio quæ est rectum de summo bono judicium obstabat: Non malè volendo, quia volitio mala nulla esse potest in voluntate, juxta te, nisi præcedat error in mente. Quid restat Camero? Horreo dicere; Deus abstulit notitiam istam innocenti homini, quam & ipse dederat, & qua homo abusus non fuerat, imò abuti non potuerat. Ablata ista luce, sive persuasione, de vero & summo bono, necesse fuit hominem ignorare bonum istud, & sic errare. Itaque Diabolo tantum suggerente, vel offerente aliud aliquod bonum, specie summi boni velatum, & suasionis insuper machinam adhibente menti hominis, labi, peccare & ruere in peccatum, id est in boni istius amorem hominem necesse fuit. En ut ex eo, quod magno molimine verum esse vis, concesso, & salvis hypothesibus tuis, sequatur necessario Deum primi peccati primam causam à te constitui.

Hæc autem res, etiam si per se & simpliciter satis horrenda sit, vide tamen, mi Camero, quantum etiam absurditatum syrma post se trahat. Hoc primum peccatum, ex ista subtractione lucis necessariò natum, sequuta statim est labes ista universalis, quam peccatum originis vocas: (etsi quid illa formaliter superaddat isti ignorantiæ, quæ ex persuasionis primævæ subtractione à Deo facta, in mente hominis fuit, antequam ederet de fructu vetito, & quæ eam necessario sequuta est voluntatis pravitati, tu intelligibiliter aut consequenter exponere non possis, uti antea monui.) Ex isto peccato originis fluunt deinde eadem necessitate reliqua omnia peccata, qualia & quantacunque ea sint; adeo ut quamdiu Deus gratia ista persuasiva homines iterum non donat, omnes omnino homines peccent & necessariò peccent. Propter istud peccatum sit Adam reus, non temporalium tantum sed & æternorum cruciatuum, juxta te & Theologiam vestram. Neque ille tantum, sed & una cum eo universum genus humanum, quod ex illo deinde gignitur; & ne spem notitiæ istius recuperandæ ullam reliquam habeat, labes ei superfunditur, quæ ipsa peccatum est, & eum peccandi necessitate veluti compede adamantina devinctum tenet, & eo ipso quod ita devinctus maneat, eum iterum æternarum & temporalium pœnarum reum facit; adeo ut ex isto tali peccato, veluti ex fonte ac scaturigine perpetua, nil nisi summæ pœnæ, peccata, peccandique summa necessitas fluant. Quis autem mortalium, valentissimi licet stomachi sit, præter te unum pæne, tot dura, tot cruda axiomata, tot horrenda effecta ad autorem Deum referat? Referri autem ea ad Deum necesse esse, si vera est sententia tua, jam satis clare, ut opinor, evici. Verum ne forte putes me tibi per consequentiam tantum hujusmodi sententiam tribuere, quanquam viro bono satis id esse debeat, si modo consequentia justa ac legitima sit; En verba tua propria præterea, quæ pag. 150 leguntur, quæ hic referre libet & adnotare, *Unde facile intelligi potest, veram hanc & solidam veri & summi boni cognitionem, non fuisse in Adami mente perpetuam; quod unde sit factum neque tuum est anxiè quærere extra Scripturas, neque meum tibi respondere.* Ista ibi. At hîc, Camero, primi peccati primi hominis causam aliam nullam dari posse asseris præter instinctum Diaboli: Ergo necesse est ut instinctus Diaboli à te statuatur causa defectus istius, quia eo Diaboli instinctum præcedente, ignorantiam & errorem circa bonum summum, (quæ peccata tibi sunt quæ hominem propriè faciunt malum, & quæ primum peccatum esse vis,) in mentem Adami irrepere necesse fuit; aut saltem eo non præcedente, Diaboli instinctus frustraneus omnino fuisset. At cum causam ejus rei inquiri à me anxiè nolis, & tamen causam primi peccati, præter quam alia nulla dari possit, hic diserte profitearis, an non satis apertè testaris quam causam & quem autorem designes? Præter hominem enim & Diabolum, quid aliud dari potest quam Deus aut bonus Angelus?

*De providentia divina circa peccatum Adami.*

Sed clariora adhuc verba tua sequuntur: *Meminit* (inquis) *Scriptura providentiæ divinæ circa peccata gravissima, Pharaonis contumaciam, Ego indurabo, &c. Incestum Absolomi. Ego faciam istud coram toto Israele, & coram isto Sole: 2 Samu.* XII. 12. *&c.* De providentia hîc divina videbimus suo loco infra.) *Circa primum primi hominis peccatum, divinæ providentiæ, quod ego quidem observarim,* NB. *specialim & adeo diserte verbis non meminit.* En scrupulosam locutionem. & tamen huic uni providentiæ tota tua innititur Theologia, cum omnium peccatorum, quod ad efficientiam attinet, eadem omnino sit ratio, si voluntas judicium mentis in omni statu necessario sequitur.

Sed pergis: *Quod si tibi libet audire cur id factum putem, non alio consilio id factum est, quantum ego conjicere possum, quam quia in cæteris peccatis potest quodammodo capi ratio divinæ providentiæ, hic non æque.* Quis dubitet, qui hæc legit, te statuere peccatum primum eadem divina providentia procuratum esse, qua cætera omnia gravissima peccata procurari dicis in Scripturis traditum esse? Etsi non quidem nullo modo, sed non ita speciatim, nec adeo disertis verbis in Scriptura de Deo affirmatur, quod peccatum Adami nominatim procuravit, uti de eo quod Pharaonem nominatim indurarit, quod Absolomum nominatim fecerit incestum committere, &c. legitur, ejusque rei rationem hanc esse, quod intelligi non possit quo jure, aut qua æquitate, Deus procurare potuerit per providentiam suam, ut homo innocens, recte & bene se gerens, in peccatum tam atrox incideret, cum facile intelligatur quo jure, aut qua æquitate, procurare possit ut profani & scelerati homines, qui propter peccata sua puniri meruerant, magis ac magis peccantes irretiantur, atque ita pœnas sceleribus suis dignas luant. Providentia itaque divina, etsi ejus ratio tibi non constet, factum fuit ut Adam peccaret, quod indicas etiam non obscure pag. 165. cum mones ne *certissimas hypotheses, Scripturæ autoritate comprobatas & firmatas, etsi judicio nostro videantur duræ, eamus everssum.* Rectè, inquies: sed per providentiam divinam non intelligo efficientiam quandam, vel physicam, vel moralem, qua Adamus ad peccandum aut impulsus fuit aut persuasus à Deo. Imo vero, inquam ego, plane similem, si non eandem, intelligas necesse est, si per providentiam divinam intelligi velis ablationem vel subtractionem rei alicujus, sine qua non magis impossibile erat Adamo non peccare, quam possibile ipsi foret non peccare, si à Deo per omnipotentiam impelleretur, aut per arcanam persuasionem divinam persuaderetur ut peccaret.

*At quis ausit negare Deo permittente, idque certo quodam & sapienti consilio, primum hominem peccasse?* *Quemadmodum Adamus Deo permittente sit lapsus.*

Nemo, Camero, nisi quis permissionem vel pro negatione concursus, sive rei ad non peccandum necessariæ, vel pro ejusdem concursus semel concessi subtractione, vel pro quavis alia derelictione, qua posita fieri non poterat ut Adam non peccaret, accipere velit. Id quia tu facis, qui Deum Adamo non quidem negasse, sed id quod semel dederat, & sine quo impossibile erat eum non peccare, subtraxisse, aut saltem eum dereliquisse vis, antequam ab eo derelinqueretur, imò cum innocens & sanctus esset, ego non modo ausim negare, Deo ita permittente primum hominem peccasse, sed & affirmare ausim, impossibile fuisse ut homo peccaret, aut si peccaret, peccati istius causa prima imo unica non statuatur ipse Deus.

Hæc curiosius paulum ventilanda duxi, quia res mereri mihi videtur. Scripturæ loca ut in hac quæstione adferam non est opus. Quid enim necesse est probare Deum non esse peccati primi causam, aut Deum homini vel non negasse, vel non subtraxisse ullam rem aut gratiam, necessariam ad hoc ut posset non committere peccatum istud, quod ipse tam graviter vetuit, tam severiter punivit, & tam pretioso sanguine expiari voluit? Cui ista argumenta non satisfaciunt, iis nec Scriptura, nec ratio, nec Deus ipse satisfecerit. Qui de Deo ut sapientissimo, ut optimo, ut justissimo atque æquissimo Domino ac judice non sentiunt nec loquuntur, sed ei nescio quod jus tyrannide omni gravius ac detestabilius tribuunt, ii etiamsi Solem (quod dicitur) manu tua portaveris, non videbunt, quin & impudenter tecum, Camero, te de Deo non aliter sentire ac loqui dicent quam si aliquis esset ex plebe. Sed pergamus.

*Occurrendum jam mihi,* inquis, (*quod postremo me facturum promisi,*) *rationibus tuis: quarum summa huc redit. Satan non potuit tenebras suffudisse menti humanæ: &, si id potuisset, non suasione potuisset eo esse effectum ut homo peccaret; mens enim pure pute sua effecte passiva potentia est; ea vero in potestate non habet non admittere rit in isto tenebras; Voluntas autem dependet ab intellectu pure pute. Et etiam ob easdem causas in potestate est adfectuum eas non admittere.* *Quid Diabolus peccato.*

Optassem, mi Camero, ut rationibus meis, prout à me conceptæ sunt, prestius institisses. Summulæ enim istæ tuæ, sæpe nil nisi (ut verbo Claristimi D. Tileni utar) delumbationes & enervationes argumenti sunt. Unius voculæ additio aut omissio non raro vehementer debilitat principalem rationis vim, aut emphasin ejus obscurat. Id hic usu veniisse apparet. Dicis enim: *Jam quoties & quam miserè erraverit attende. Satan* (inquis) *non potuit tenebras suffudisse menti humanæ;* & hisce verbis, tanquam si mea essent, superstruis nescio quam molestam & odiosam ratiocinationem. At ubi ego hoc dixi, Camero? Verba mea hæc sunt; *Si dicat Camero Diabolum tenebras suffudisse menti hominis, eique errorem insinuasse, dicit id quod qua ratione factum fuerit concipi non potest,* nempe salva sua sententia. Non enim dico simpliciter, concipi

cipi non posse quomodo Diabolus menti Adami tenebras suffundere potuerit, nedum Diabolum eas suffundere non potuisse. Nam me quod attinet, etiamsi ego lucem tantam, quantam tu, menti Adami concreatam aut superinfusam nunquam dixi, tamen si id omnino dixissem, rationem nihilominus facile concipere possem, quod eo non obstante Diabolus Adami menti tenebras suffundere, id est eam in errorem potuisset inducere; sola voluntatis libertas eam ad rem ratio plusquam sufficiens foret. Sed argumentum meum nititur tua hypothesi, qua stante dico concipi non posse, quomodo Eva in errorem induci potuerit. Nam cum in ejus mente lux tanta, id est scientia vera & solida boni veri & summi esset, eo ipso error & ignorantia mentem ejus subire non poterant. Error enim & ignorantia specie sola boni pugnant; quam statim detegit notitia ista vera. Qua ratione itaque Eva à Diabolo in errorem induci potuerit, cum non nisi specie boni id fieri posset, id neque tu explicabis unquam, Camero, neque mens rationis compos percipiet, nisi notitiam illam menti Evæ à Deo subtractam dixeris, atque in Deum transcripseris totam erroris & peccati culpam. Viden' ut hic non ego, sed tu, miserè erraveris? Quod phrasin istam de suffusione tenebrarum tam prolixè excutis, operosè nugaris, ut enim per tenebras mentis physicas tenebras intelligerem puerile nimis foret. Perstitisse me in metaphora satis liquet; quia suffusionem tenebrarum illuminationi tuæ, quam semper urges, oppositam volui. & jure id me facere posse credidi, quia uti actionem Spiritus sancti illuminationem & φωτισμὸν vocat Scriptura, ita actionem Satanæ obtenebrationem & σκοτισμὸν appellat. Per tenebras autem me intellexisse errorem aut ignorantiam, apparet ex toto discursu meo. Probo interim quod in disputatione vocabula propria exigas. Sed periculum hîc esse non poterat, ut figurata hæc locutio aliter quam propriissima intelligeretur. Ubi autem manifestum est sub metaphora dolum non latere, ibi à cavillatione abstinendum est.

*At* (inquis) *si sensum orationis hujus est; Satan hominem non potuit decipere; concludo, nec decepit igitur.*

Imo vero male concludis, quia male adsumis. Sic enim adsumendum tibi fuerat, uti jam monui, Satan Evam non potuit decipere, si vera est hypothesis tua, quod menti Evæ vera & solida veri & summi boni cognitio à Deo indita fuerit, eaque vi sua voluntatem determinans ad volendum tantum bonum istud. Voluntati itaque libertatem talem non concesserit, qualem ego necessariam esse dico, ut deceptio fieri posse credatur. Ergo concludejam, nec decepit, manente ista hypothesi tua: & videbis te errasse. Tantum autem abest, ut ego parentem nostrum primam, aut Adamum etiam, decipi non potuisse unquam dixerim aut somniaverim, ut eo ipso quod deceptam eam testatur Scriptura, quod multo amplius est, concludere velim non esse veram sententiam tuam, qua statuis voluntatem liberam non esse, sed à mente persuasa necessario determinari; cum persuasionem in mente Evæ locum habuisse velis, & tamen deceptam eam fuisse diffiteri non possis. Necesse itaque esse, ut vel Deum authorem peccati facias; vel si hominem ipsum authorem facere velis, libertatem voluntatis aliam ei tribuas, quam hactenus fecisti. Sic enim facile concipi potest, quomodo posita etiam quacunque luce, ad voluntatem movendum sufficiente, in hominis intellectu, decipi nihilominus potuerit.

*Utrum voluntas sit potentia activa, an passiva.*

*Deinde mens* (inquis me dicere) *pure pute passiva potentia est. Passiva autem potentia non habet in potestate non admittere tenebras.* Tu contra: *Quæso te, voluntas-ne est tibi pure pute activa potentia, an passiva potius? Si activa, quomodo movetur? Non enim movetur activa potentia, sed movet. Si passiva, quo pacto potuit voluntas reniti Satanæ atque obstare? Hîc certe (quod tu mihi insultans alibi dixisti) oportet tibi aquam hærere. Res admodum spissa est & difficilis, & in qua tu haud minus quam ego æstues.*

Hîc tu quæris tantum, nodumque nectis, sed nihil ipse in alteram partem definis. Rem spissam & difficilem esse dicis, in qua æstuas. Magni tamen momenti est minutias istas logicas, (quæ sæpe nonnisi terminis & hypothesibus quibusdam falsis innituntur, quæ tamen exceptione omni majores in Scholis creduntur,) aut non consectari, aut si eas consecteris, in iis non hærere nec æstuare, ne propter eas principalis aliqua veritas in suspicionem apud nos veniat. Nos videamus an hæc res adeo spissa & difficilis sit, in qua necesse sit æstuare, etiam salvis Scholarum hypothesibus. Respondeo itaque voluntatem esse potentiam activam, non passivam. *At si activa est potentia*, inquis, *quomodo movetur.* Resp. Nec movetur voluntas, sed movet sese, id est, ne mihi Empirici sophisma hîc iterum occinas, cum voluntas vult, non recipit speciem ab objecto, per quam immutatur & ad actum determinatur, uti sensus & intellectus; sed in objectum ab intellectu propositum, & ratione tanquam luce collustratum, ultro tendit seseque promovet. velle itaque non est ita pati, sed agere. Volitio non est speciei receptio, sed tendentia in objectum. Et hoc differt ab intellectu & ab intellectione. Et res patere videtur in noluntate, sive nolitione, sub qua negligentia & omissio vel inadvertentia etiam comprehenditur, quæ passio dici non potest ab objecto vel à judicio in voluntate effecta, sed actio voluntatis, vel actionis remissio, non aliunde quam ab ipsa aut seipsa voluntate ortum ducens. Et rei natura postulat, ut non sit passiva, sed activa potentia. Nam 1. Si est potentia passiva, impossibile est ut sit libera ea libertate quæ indifferentiam notat; quia passio ut passio non potest esse libera patienti ut sic, sed tantum per denominationem à libera aliqua actione, id est nisi actio à qua provenit passio sit libera, ut recte disputant Philosophi. 2. Si moveretur voluntas tanquam potentia passiva, utique moveretur à ratione ex tua sententia. At si sic movetur, aut percipit rationem suadentem à qua movetur, aut non percipit. Si percipit, & sic movetur, jam voluntas est intellectus, & volitio idem quod intellectio, aut (ut brevius dicam) jam voluntas etiam intelligit. Si non percipit rationem, & ab ea tamen movetur, jam volitio non est rationalis volitio, sed bruta & cæca motio. Verum quidem est, in communi sermone voluntas nostra moveri, impelli, excitari, &c. dicitur, sed ea phrasis in seria disputatione admittenda non est, & fere de toto homine intelligitur quando voluntati tribuitur.

*De distinctione intellectus & voluntatis.*

Quod si vero hæc res difficultatem adhuc habere creditur, ea mihi tota oriri videtur ex hypothesi ista Scholæ, intellectum & voluntatem esse potentias duas realiter inter se & ab ipsa anima distinctas; quam hypothesin incertam imo falsam esse in sequentibus ostendere conabor. Ea autem sublata sequitur animam, intellectum, voluntatem esse rem unam eandemque; & animam intelligere tum dici, quando rei speciem ab objecto per phantasmata accepit & percepit; velle autem, quando vel cognoscere proponit, vel in rem cognitam fertur aut ei sese unit; nolle, quando rem cognoscere non vult, aut cognitæ rei sese non unit. Et hanc motionem animæ, eo ipso quia una eademque anima eam immediate aut recipit aut facit, facile apparet aliquando passionem aliquando actionem puram putam dici posse sine periculo; ut exempli gratia, Anima movet se aut ad considerandum rem aliquam, aut ad rem quam consideravit habendum aut faciendum. Quando movet se ad rem considerandum, aut ratione movetur ut hoc faciat, aut non. Si non movetur ratione, jam motio illa nil nisi actio est libera istius naturæ quæ in homine est: idcirco vitiosa quia homo scit naturaliter rationem sibi datam esse, ut eam semper adhibeat in consilium. itaque quando sine ratione se movet, agit cum pati deberet, vagatur cum duci deberet. Si ratione moveatur, jam motio illa passio quidem est, sed idcirco laudabilis, quia homo poterat sine ratione moveri quo vellet, ut prior iste. Ratio enim, non est ratio cogens aut necessitans, sed solummodo suadens. Similiter quando anima rationum pondus considerans, rem præcisè propter rationes consideratas vult, aut ad rem volendam movetur per istas rationes, motio illa sive volitio sine dubio passio est, sed idcirco laudabilis, quia poterat homo sive anima pondus istud nolle considerare aut negligere. Quando vero eadem anima sine ratione, imo contra rationem, aut sine sufficiente examine & consideratione tendit aut movet sese ad objectum, eique sese applicat aut unit, jam illa volitio pura puta animæ actio est: quia anima hîc nulla ratione mota fuit, imo ratione mota fuit ne ageret aut vellet; vult tamen, causam nullam suæ volitionis habens quam seipsam. Et hac ratione multa, quæ difficultatis non levem speciem habere videntur, si scholæ ista hypothesis sarta recta maneat, tolli, & rem totam magnis absurditatibus alioquin involutam expediri posse, mihi persuadeo, prout suo loco plenius sum demonstraturus, si Deus volet. Nisi hæc concipias hoc pacto, non dabitur unquam volitio vere libera, quam in potestate animæ sit non habere, ac proinde quæ rationem virtutis præmio dignæ aut vitii pœna digni habeat.

*In eo quod in potestate nostra non est peccare non possumus.*

Agnoscere hoc ipsum videris post omnes quas tibi ipsi fecisti objectiones & ad eas datas responsiones, quando tandem ad istud punctum venis in quo cardo difficultatis vertitur. Quod in nostra potestate non est ideo peccari non potest. Respondes, *Sane*; Quasi dicas, ita se res habet. Sed addis, ne tibi ipsi contradicas, id tum demum verum esse, *Si causa cur id (quicquid fit) non fit in nostra potestate, est physica quædam necessitas, ut si claudum jubeas incedere rectum; aut vero etiam rei ipsius natura secum ipsa pugnans, ut si quis jubeat famulum simul stare & sedere; ac denique quandocunque res ejusmodi est, ut si eam velimus maxime præstare, nequeamus tamen.*

Atqui 1. Nulla ratio est cur credas, tribus istis modis tantum fieri ut aliquid non sit in nostra potestate, aut quod

aliis modis in noſtra poteſtate non eſt, non ſufficere ad hoc ut in eo peccari non poſſit. 2. Poſito etiam quod iſtis tantum modis fiat ut aliquid non ſit in noſtra poteſtate, nihilominus recte inferri poſſe dico contra te quod inferre volo. Prius inde patet, quod neceſſitas, non qua phyſica, aut metaphyſica, aut ethica, aut medica, aut à coactione, aut à vi, aut ex materia, aut ex natura potentiæ, aut aliunde profecta neceſſitas eſt, ſed qua ſimpliciter neceſſitas eſt, cauſa ſit cur id cujus ipſa cauſa eſt non ſit in noſtra poteſtate. Apparet id ex eo, Camero, quia (ut exemplo tuo utar) ſi claudum jubeas incedere rectum, idcirco id in claudi poteſtate eſſe non negatur quia claudus naturâ claudus eſt; ſive enim ſit ex natura claudus, ſive per vim claudus factus, id perinde eſt: ſufficit ſi non poſſit non claudicare. Quicquid enim in noſtra poteſtate eſſe dicitur, id poſſumus velle aut nolle, aut ſaltem non velle, ex communi omnium Philoſophorum & Theologorum conſenſu. Id enim eſt τὸ ἐφ' ἡμῖν, τὸ ἀναγκαῖον, τὸ ἀνεμπόδιστον. Quod autem neceſſarium eſt, qua tale, id non poſſumus non velle aut non nolle. Neceſſe enim eſt quod nec eſſe aliter poteſt, ut ipſum etymum notat. Poſterius ſic evinco; quia (juxta te) cauſa cur in poteſtate Adami non fuit aliter quam male judicare de ſummo bono, ſuadenti Diabolo adſentiri, & ſic errare, fuit phyſica mentis ipſius imbecillitas, qua fiebat ut non magis poſſet bene judicare, & ſic non errare, quam claudus incedere rectus. Patet id ex eo, quod per ſubtractionem lucis primigeniæ Adamo deerat id ſine quo naturaliter impotens erat ad bene judicandum, non minus quam claudo deeſt pars aliqua corporis, ſive membri in corpore, ſine qua impotens eſt naturaliter ad recte incedendum. Nec ſatis eſt ſi dicas Adamum naturaliter potuiſſe bene judicare, atque idcirco neceſſitatem male judicandi non fuiſſe naturalem; nam & claudus quis eſſe poteſt, qui naturaliter tamen antea rectus inceſſit, & per ablationem vel exſectionem partis alicujus è pede aut alia ratione claudus factus fuit. hunc ſi jubeas incedere rectum, ſane non incedendo rectè non magis peccaret, quam ſi jubeas claudum natura incedere rectum. Adam itaque non potuit etiam non peccare, poſtquam à Deo neceſſariæ lucis ad bene judicandum beneficio nulla ſua culpa privatus, naturaliter impotens factus fuit, atque ita in poteſtate ſua non habuit ut bene judicaret. Confirmas hoc quod dico verbis tuis, cum ais, Camero, *Volendi actum non eſſe in poteſtate voluntatis, ſed in poteſtate rationis, cujus* (inquis) *vel rectæ vel pravæ præſcriptum non aliter ſequitur, quam appetitus ſenſitivus ſenſuum judicium.* Inde enim ſic concludo; ſublata luce iſta neceſſaria ad non peccandum ex mente Adami, ratio vel judicium Adami de ſummo bono pravum erat: (ut enim dicas illud omnino fuiſſe vacuum & ſuſpenſum, ſive nihil judicans, non expecto à te:) quia lux illa nihil aliud erat quam rectum, & ſolidum judicium iſtud, vel recta & ſolida notitia veri & ſummi boni. Itaq; Adam non aliter poterat velle quam appetitus ſenſitivus agit, quando judicium ſenſuum ſequitur. At hic neceſſitate phyſica ſequitur judicium ſenſuum. Ergo & voluntas Adami neceſſitate phyſica voluit id quod rectum non erat, & cauſa cur in poteſtate ſua non habuerit aliter velle, phyſica neceſſitas ſtatuatur neceſſe eſt.

Quod vero dicis, *Atqui in Adamo nulla fuit phyſica neceſſitas, quæ prohibebat, ſi voluiſſet, quominus poſſet fructu vetitæ arboris abſtinere:* id ſane excludit quidem tertiam illam cauſam, per quam fieri dicis ut quod in noſtra poteſtate non eſt peccatum non ſit: ſed non excludit phyſicam veram neceſſitatem, per quam factum fuerit ut Adamus non poſſet non velle edere de fructu iſto, ac proinde non poſſet etiam (non impeditus) non edere. Neque verò quæritur, aut quæſitum unquam à quoquam fuit, an phyſica aliqua neceſſitas fuerit quæ Adamum, ſi voluiſſet, prohibebat quominus ederet de fructu vetito; ſed an fuerit neceſſitas ulla, quæ eum impediebat ut poſſet velle non edere. utrumque enim requirebatur, ut poſſet non edere ſi vellet, & ut poſſet velle non edere, vel non velle edere. Quorſum enim poſſe ſi velim, ſi non poſſum velle?

*In poteſtate Adamus fuiſſe peccatum vitare.*

Sed pergis: *Id ſi tibi non placet, Ego jam viciſſim à te quæro, qui tu te poſſis expedire, etiamſi tibi darem primum Adami peccatum à voluntate primum ortum.*

Eſto. At hac ratione te non expedis. Manet nihilominus abſurditas tuæ opinionis. Nec enim ſi tu me impedias, eo ipſo tu te expedieris. Sed videamus quid quæras, & an non facile me ſim expediturus. Quæris: *Nunquid fuit in Adami poteſtate non peccare?* Ad hypotheſin, ſi placet, accommoda peccatum, ut quæſtionis ſenſus genuinus pateat; An in poteſtate Adami non fuerit de fructu arboris vetitæ non edere? Nam alioquin ſub generali iſta voce *peccati* tu ludis & fallis, uti ſtatim indicabo. Id ſi quæras, Camero, reſpondeo fuiſſe, & ne tergiverſari me credas, dico etiam in poteſtate Adami fuiſſe non peccare.

*Quid ita jam?* (inquam.) *Non reſpondebis ſat ſcio fuiſſe id in ejus poteſtate, quia fuit id ſitum in ejus poteſtate: non enim tibi libet, nec vero tibi licere putas uſque adeo pueriliter nugari.*

Imo vero, Camero, id non foret pueriliter nugari; ſed, pueriliter & nugatorie quærenti, reſpondere prout meretur. Qui ſtulte quærere aut pueriliter nugari vult, is quærere poteſt in infinitum. Nunquam enim deeſſe illi poteſt tuum illud, *Quid ita?* At qui reſpondet, illi neceſſe eſt ſtare alicubi: nec enim, uti quæri, ita reſponderi poteſt in infinitum. Non enim datur ratio rationis ſine termino; quia alioquin nullius rei ſcientia daretur, ſed mentem ſempei fluctuare neceſſe eſſet. Idem hîc locum habet. Hujus rei quod Adamus in ſua poteſtate habuerit non peccare, ratio nulla reddi poteſt quam, quia cum iſta poteſtate creatus, aut iſta poteſtate à Deo donatus eſt. Quæ enim iſtius rei ratio alia eſſe, nedum dari aut concipi poteſt. Et poſito quod ratio aliqua daretur, ſtatim reponeres iterum tuum, *Quid ita jam, inquam?* atque ita in infinitum quæreres. Cujuſmodi fere ſunt Sexti Empirici Pyrrhonii aliorumque Scepticorum quæſtiones, quibus Academicis & Dogmaticis crucem ſe figere poſſe crediderunt ex qua ſuſpenſi hærerent. Reſpondeo itaque; Fuiſſe in poteſtate Adami non edere de fructu vetito; quia ſufficientes vires à Deo acceperat, quibus inſtructus ad præceptum divinum de non edendo animum ſuum advertere, & ab omni alia ſuaſione ad contrarium faciendum avertere poterat, & poſſe ſe ac debere ſciebat. Id ſi feciſſet, non fuiſſet inductus ad peccandum, & non peccaſſet. Quando autem id non fecit, non peccavit illico, id eſt non comedit ſtatim de fructu arboris vetito, ſed ſeductioni & peccato ſeſe opportunum reddidit. Non enim præciſe ſub peccati ratione mandatum erat Adamo animum advertere; ſed quia præceptum de non comedendo fructu iſto ipſi ſeverè datum fuerat, operæpretium erat, imo officii ſui eſſe ipſe conſiderare debebat, ut in id animum ſemper intentum haberet; eò quòd alioquin fieri poterat, ut facile à faciendo præcepto abriperetur. Non fecerunt id Eva & Adamus, non propriè directa voluntate, quia videlicet voluerunt animum non advertere, ſed interpretativa (ut loquuntur) voluntate, quia videlicet neglexerunt animum advertere, cum advertere & poſſent & deberent. Negligentia autem hæc habet latam culpam, ſi occaſio ſeductionis occurrat: (tum enim imprimis opus eſt advertentia & ſollicitudine:) &, ſi peccatum deinde ſequatur: non aliter. Neque enim inadvertentia illa poſita ſtatim eo ipſo Adam contra legem aliquam peccavit; ſed tantum peccato lege vetito ſeſe oportunum fecit, & diabolicæ ſuaſioni feneſtram aperuit, quam ſolo advertentiæ peſſulo atque obice clauſam tenere potuiſſet & debuiſſet. Debuiſſe autem cum dico, nolo debitum tale intelligi, ita ut contrarium facere peccatum ſtatim cenſeam, prout à te paſſim fieri video, qui & peccare neſcio cum qua latitudine ſemper accipis; quaſi peccare cum de peccato Adami agitur, ſit non facere id omne quod fieri ab homine potuit aut debuit, aut id facere quod jam nos ex lege ſcripta & ex Euangelio ſcimus peccatum à Deo cenſeri. Nihil minus. Multa enim ſunt quæ ab Adamo fieri debuerunt, & jam à nobis fieri poſſunt, ac ſane etiam fieri debent, quæ ad evitandum id quod proprie peccatum eſt admodum utilia ſunt, & pæne neceſſaria, quæ tamen ipſa non facere proprie peccatum non eſt. Utile ac pæne neceſſarium nobis eſt, ut ubicunque locorum ſumus, intentum ſemper animum habeamus in legem divinam. Id ſi facimus, utique facimus quod poſſumus & debemus aliquomodo facere: (non enim rectè quis dixerit quod id nullo modo debeamus.) Sed poſito quod id non faciamus aliquando, ubi ſcilicet periculum nullum peccandi eſſe videtur, an idcirco quis peccare nos dicet peccatum propriè dictum, etiam cum id peccati nullius alterius cauſa eſt? Nemo ſane id facile dixerit. Pæne nocens eſt quicunque ſui diligentem curam non habet, ſed nondum vere nocens. Fieri enim poteſt, & fit non raro, Dei beneficio, qui animum noſtrum novit, qui conditionem naturæ, ſtatus & loci in quo verſamur perſpectiſſimam habet, ut tentationes iſto tempore nos non invadant, quibus ad peccandum induci poſſemus. & hæc certè non minima cauſa eſt, cur aſſiduè pæne precationis iſtius meminiſſe debeamus, *Domine, Ne nos inducas in tentationem.*

Deinde libet hîc nonnulla amplius eam ad rem pertinentia à te quærere. Quomodo quæſo probare poſſes Adamum, cui aliud nihil vetitum fuit, quantum ad arborem iſtam attinet, quam ut de fructu ejus non comederet, peccaturum fuiſſe, ſi rationibus Diaboli & fructus pulchritudine motus fuiſſet ad concupiſcendum fructum iſtum, & nihilominus tamen ab eſu ipſo, divini præcepti reverentia motus, abſtinuiſſet? Concupiſcentiam omnem rei vetitæ jam tum vetitam fuiſſe Adamo, ac proinde eam peccatum futuram, unde evinceres? Quod plus eſt: Poſito quod fructum decerpiſſet

pſiſſet Adam, & tamen iterum ſeſe colligens ab edendo eo abſtinuiſſet, quomodo Adamum eo ipſo facto peccaturum fuiſſe demonſtrabis? Scio hæc tibi diſplicitura, & videor jam mihi videre te attonitum quaſi hæc legere. Sed quærere nihilominus hæc libuit, ut videas quam multa tibi probanda ſint, prius quam probare poſſis quod probandum tibi eſt, & quod omnibus iſtis probatis, id quod præcipuum eſt probandum tamen adhuc reſtaret. Concludo itaque, nihil hactenus apparuiſſe quod in ſententia mea merito carpas aut quod tuæ prætexas. Quæ ſub finem hujus paragraphi mones, de ſobrietate & modeſtia in harum rerum examine ſervanda, ea arguunt quantopere metuas deprehendi, prolatione aperta ejus quod ſentis. Ut lamia ad larvam ſuam, ita tu ad idem ſupparum ſilentii recurris, ne vox tua te prodat, à qua ſcis abhorrere, & merito quidem, non mentes tantum, ſed & aures hominum pene omnium. Pergamus.

*De viſuaſionis Diabolica in primo peccato.*

Concluſeram poſt hæc novo argumento, Fieri non potuiſſe ex hypotheſi ſententiæ tuæ, ut Diabolus primum parentem in errorem induceret, qui peccatum eſſet, hunc in modum: ſuaſiones iſtæ diabolicæ, (quas tenebras appello) dices tu, Camero, aut fuiſſe æqualis ponderis ac valoris cum luce à Deo impreſſa, aut inæqualis. Si dixeris fuiſſe æqualis ponderis, tum dices non fuiſſe ſeductum Adamum, & ſic non peccaſſe. Dices enim hæſiſſe in æquilibrio; cum peccatum non fiat niſi per inclinationem in partem alteram, & quidem ſequiorem. Motio enim fit à fortiori. Si fuerunt inæqualis valoris, neceſſe eſt ut dicas fuiſſe aut majoris aut minoris ponderis. Si majoris fuerunt ponderis quam lux divina, tum iis credere non fuit ſeduci, ac proinde non peccare: præterquam quod hoc divinæ luci ſummè ſit injurium. Si fuerunt minoris ponderis, & tamen iis motum dicas Adamum aut Evam, jam dicere non potes voluntatem determinari à judicio rationis practico in mente præponderante: quod tamen illud eſt quod maxime verum eſſe vis.

*Hic*, inquis, *tu nil fere affers novi.* Eſto, Camero; Lector de eo judicabit. Saltem igitur refutari de novo hæc opus non erat.

*Novum tamen & quidem duplicem, nec levem illum certè, commiſiſti errorem. Vide* (inquis) *quid ſequatur. Ergo primus homo non fuit deceptus. Apoſtolus autem id tradit* Δογμάτιζων, &c. At quiſquis altero tantum oculo inſpicit argumentum meum, is non poteſt non videre te aut graviter deceptum hîc eſſe, aut manifeſte prævaricari. Nihil enim aliud ex meo iſto dilemmate ſequitur, quam, ſi rationes Diaboli fuerunt majoris ponderis, (non apud hominem, uti tu inepte in ſummula tua addis, ſed in ſe ipſis,) tum ſi iis ceſſit Adamus, non peccavit; quia melioribus & potioribus rationibus non poteſt non cedere voluntas; nec iis cedere peccatum eſt, ſed potius virtus. Si fuerint minoris, non potuit voluntas Adami iis ſeduci, quia ſeductio fit à majore & fortiori: ſi æqualis, multo minus potuit peccare, quia peccatum eſt inclinatio in partem ſequiorem; ubi autem æquale pondus eſt, ibi inclinationem fieri impoſſibile eſt. Nihil aliud concludere verba vide, Lector, & judica. Verbum non amplius addam.

*Verum age*, (inquis:) *Quid ſi ego te viciſſim ſic urgerem, Aut quia voluntas primi hominis ejus menti tenebras offudit, pares eæ ponderis fuere, aut impares?*

Ineptiſſimè ſic me urgeres, Camero. Nam ſupponis me ſtatuere voluntatem tenebras offudiſſe menti hominis; quod quam ineptum ſit vide. Tenebras ſuffundere menti, hoc tibi ipſi nihil aliud eſt quàm decipere, uti totidem verbis paulo ante dixiſti. Voluntatem itaque menti ſuffundere tenebras ſi me dicentem facis, neceſſe eſt ut dicas me ſtatuere voluntatem decipere mentem, ac proinde rationibus uti ad decipiendum, quia decipere ſine rationibus non ſit: deceptam itaque eſſe voluntatem & peccare antequam decepta ſit mens, quin & rationibus præditam eſſe voluntatem quibus decipiat: quæ quis non videt ineptiſſima eſſe? Dico quidem voluntatem aliquomodo præcedere debere errorem, ut error culpabilis aut pæna dignus eſſe poſſit, & inadvertentiam, negligentiam pro voluntate cenſeri, in iis qui animum advertere & poſſunt & debent; ſed per inadvertentiam hanc mentem decipi, aut menti tenebras, id eſt errorem ſuffundi, nunquam dixi; tantum dixi eam iſta ratione deceptioni oportunam reddi. Facilius enim ſuaſionibus decipi poteſt mens, quæ non affixa hæret bono cui debet, ſed ſuaſionum contrariorum occurrentium torrenti expoſita eſt, & quaſi ſoluta jacet. Atqui per inadvertentiam iſtam ſolvitur quaſi, aut potius affixa non tenetur bono iſti, vel conſiderationi præcepti divini & ſanctionis additæ, etiamſi lux tota quæ antea erat in mente in eadem mente permaneat, ac proinde deceptio nulla adhuc facta ſit. Viden' ut totum hoc argumentum tuum nuce caſſa ſit inanius?

*Venio jam* (inquis) *ad errata tua; quorum illud prius eſt, Adamum non fuiſſe peccaturum, ſi ejus voluntas in æquilibrio hæſiſſet.*

Mirum quomodo tu hîc ſententiam meam detorqueas. Ego enim non dixi Adamum non fuiſſe peccaturum ſi ejus voluntas in æquilibrio hæſiſſet; ſed tantum dixi, id concludi merito poſſe ac neceſſario debere ex iſto fundamento, ſi dicas Adami mentem pari rationum pondere, hinc à Diabolo inde à Deo libratam hæſiſſe. Sic enim Adami voluntas nec potuit ſequi rationes Satanæ, atque ita peccare, nec ſequi rationes divinas, atque ita Deo parere. Peccare enim eſt in alteram partem & ſequiorem ſeſe inclinare, ob præponderantes in mente rationes ad peccatum incitantes, quas voluntas neceſſario ſequitur ex tuo fundamento; & Deo parere, eſt inclinare ſeſe in alteram partem, ut ipſe diſputas cap. XX. Non dixi itaque Adamum non fuiſſe peccaturum ſi in æquilibrio hæſiſſet, cum Deo ſoli parere, id eſt voluntatem ſuam in partem meliorem inclinare & poſſet & deberet; ſed non fuiſſe peccaturum ſi non potuiſſet non in æquilibrio hærere, id eſt nec in hanc nec in illam partem ſeſe flectere; quod futurum fuiſſet ſi rationes Satanæ & Dei paris & æqualis ponderis ac valoris fuiſſe dicas. Vides quam longe abſis hîc à mente mea? Sed clariorem rem dabo, ſi ea quæ ſubjicis excutiam.

*Nam amabo te*, (inquis) *non eſt peccatum non parere Deo? At Deus non vult nos eſſe ſuſpenſos atque incertos.*

Minor hæc ad hypotheſin noſtram de Adamo (de nobis enim non loquimur) applicetur, & apparebit quam ſit detorta & falſa. Deus non voluit Adami voluntatem ſuſpenſam hærere, ſi rationes ipſius & diaboli æqualis ponderis eſſe voluit, aut permiſit in mente Adami locum habere. Quid falſius? Imò ideò Deus dicendus foret voluiſſe ſuſpenſam hærere Adami voluntatem in æquilibrio, ſi non voluiſſet in mente Adami eſſe per quod impelleretur in alteram partem. Si enim voluiſſet poſitis æqualibus rationibus in mente Adami, ut voluntas ejus in alteram partem ſeſe nihilominus inclinaret, voluiſſet ut voluntas vellet quod ipſi impoſſibile erat velle, id eſt, ut ſine ratione potiore hoc potius quam illud vellet; quod juxta hypotheſin tuam abſurdiſſimum & impoſſibile eſt. Quare ex eo ipſo quod Deus nos non velit ſuſpenſos eſſe, concludendum eſt nos debere ac poſſe etiam non hærere ſuſpenſos, ac proinde cum ſuſpenſi hæremus non peccare; & quando tu Adamum in eo peccaturum fuiſſe vis, ſi in æquilibrio hæſiſſet, eo quod Deus voluiſſet ut ſuſpenſus non hæreret, eo ipſo fateri debes Adamum potuiſſe non ſuſpenſum hærere; per conſequens rationes Dei & Diaboli non fuiſſe paris & æqualis valoris atque efficaciæ. Nam alioquin ex tua hypotheſi ſimpliciter impoſſibile ei fuiſſet non hærere ſuſpenſum. Hinc apparet quam alienum ſit exemplum quod de caſta fœmina adfers, & quod ex Cypriano citas. Nam fœmina eo ipſo quod rationes mœchi in bilancem mentis ſuæ admittit, in æquilibrio non hæret, ſed jam inclinavit voluntatem in partem illicitam; quanto magis itaque deflexiſſe dici poteſt ac debet, quando jam in æquilibrio rationum mariti & mœchi ſuſpenſa hæret? Hoc ipſum enim non eſt in æquilibrio hærere. Scit enim, aut ſcire poteſt ac ſcire debet, nullas rationes, mariti rationibus comparandas eſſe, poteſtque ac debet ab iis inter ſe comparandas abſtinere. Eadem ratio eſt quando nos jubemur facere Dei voluntatem ex anima tota, ex toto corde, & ex omnibus viribus noſtris; tum enim ſuſpenſi hærere non debemus. Eo enim ipſo quod ſuſpenſi hæremus, non facimus Dei voluntatem ſeriò, & iſto quo præſcribitur modo. Hinc illa vox Dei, 1 *Reg.* XVIII. 21. *Quouſque claudicatis in duas cogitationes? Si Jehova eſt Deus ite poſt eum: ſi vero Baal eſt Deus, ite poſt ipſum.* Et *Apocal.* III. 15. 16. *Utinam calidus eſſes aut frigidus: ſed quia tepidus es, nec frigidus nec fervidus, futurum eſt ut te evomam ex ore meo*, &c.

*Alter verò error tuus, in quidem certè multo gravior eſt, quod ſtatuis injuriam fieri Deo, ſi arbitremur accidere ut ſuaſu Satanæ Deum monentem aſpernemur.*

Hic bonam fidem tuam præcipue deſidero, Camero. Cur verba mea propria non citas? Nuſpiam id dixi quod tu me dicentem facis, neque unquam tale quid mihi vel per ſomnium in mentem venit. Ad verba mea provoco, quæ tu ſummulis tuis plerumque depravas. Loquor de primo homine, & dico, divinæ gratiæ ac luci illi ſupernaturali, quam tu in Adamo ipſo naturalem fuiſſe dicis, ſumme injurium futurum, ſi dicas rationes Diaboli ſuaſivas, quas menti ita à Deo illuſtratæ adhibuit, non æqualis tantum (quod per ſe ſatis injurium foret) ſed majoris ponderis fuiſſe quam erat lux illa divina, id eſt interna illa Dei perſuaſio, qua Adamus ſolidè & verè noverat ſummum bonum & quæ eo conducunt. Quantum hoc differat ab eo quod tu me hîc dicentem facis, & tanquam gravem errorem mihi impingis, Lector

judicet. Idcirco ſane hæc omnia à me diſputantur contra te, ut evincam Deum condidiſſe hominem cum iſtis viribus, ut ſalvis iſtis poſſet Deo libere parere, & Satanæ ſuaſui aurem præbere, atque ita Deum monentem aſpernari; id quod per ſententiam tuam negari dico, & quod propterea contra te defendo. Unde apparet contrarium à me fieri quam quod tu à me fieri dicis. Quicquid poſt hæc itaque adfers, id alienum eſt. Nihilominus ſequar te diſcurrentem & vagantem. Aperis enim hîc illic mentem tuam, quam operæ pretium eſt ut ob oculos mundi ponamus, ne ad eam impingat. Tegis enim non rarò eam tali verborum ſpecie, ut decipulæ ſcandalum non appareat.

*Aio voluntatem ſequi mentis lucem. Atqui divina admonitio, ea præſertim quam divinam noveris, lux certe eſt, & quidem longe maxima. Unde igitur factum eſt ut aliorſum Adami voluntas potuerit deflectere? Id à me jam ſupra diſcuſſum eſt.*

Arrige hîc aures, Lector, & tu, Camero, ſi placet, vide impoſturam tuam. De luce loqueris quam admonitionem divinam vocas, & quam is cui admonitio fit, divinam eſſe novit; & me quærentem facis, unde factum fuerit, ut cum voluntas lucem mentis neceſſariò ſequatur, Adami voluntas hanc lucem ſecuta non fuerit, ſed aliorſum ſeſe deflexerit? At de iſta luce inter nos non quæritur. Scio enim quanti lucem iſtam facias; verbis eam extollis, quod divina ſit & lux longe maxima; ſed ea lux revera nil niſi tenebræ tibi ſunt. Tota enim illa lux, quanta quanta eſt, ineffi-cax eſt ſuaſio; adeo ut poſita illa ſola in mente Adami, ineptè quæratur unde factum ſit ut ea in mente Adami lucente voluntas tamen Adami aliorſum potuerit deflectere; cum certum tibi ſit ea ſola in mente poſita voluntatem Adami non potuiſſe non in ſequiorem partem deflectere. De alia luce quæſivi; de primigenia ſcilicet illa luce ſive notitia, quæ Adamo naturalis fuit, te ipſo fatente; quomodo ſcilicet fieri potuerit ut Adami voluntas aliorſum deflecteret, quamdiu in mente ejus illa lux lucebat? Lux enim iſta erat perſuaſio de ſummo bono. At perſuaſionem neceſſariò ſequitur voluntas. An hæc quæſtio à te ſupra diſcuſſa eſt, Camero? Sane ex his quæ hîc dicis apparet eam non diſcuſſam à te, ſed diſſectam fuiſſe. Nam cum dicis admonitionem iſtam divinam luxiſſe in mente Adami, cum qua potuit ſtare, imò ſtetit neceſſariò, voluntas peccandi, ſatis oſtendis lucem illam alteram primigeniam, ex mente Adami nulla ipſius culpa ſublatam fuiſſe à Deo; (ab alio enim tolli non potuiſſe jam ante oſtendimus;) & relictam aut conceſſam lucem illam inſufficientem, inefficacem, quæ voluntatem Adami movere non poterat ut non peccaret. Vin' verba tua? *Eſt enim quidam Dei ſuaſus nos de officio monens; Addam etiam, tam efficaciter monens ut non dubitemus Deum eſſe qui monuerit.* En impoſturam! Quod antea admonitionem divinam vocaveras, id hic non vocas niſi Dei ſuaſum de officio monentem, qui etiam in improbis multis, in hypocritis & ſceleratiſſimis eſt, ad perſuadendum inefficax & inſufficiens, uti tu paſſim teſtaris: & quod antea admonitionem vocaveras quam divinam noveris, lucemque & quidem longe maximam eſſe dixeras, id hîc vocas ſuaſum Dei tam efficaciter monentem NB. ut non dubitemus Deum eſſe qui monuerit.) En lucis multo maximam excellentiam! quæ tota non magis permovere potuit mentem Adami, quam minima in cælo ſtella obſcuriſſimam noctem poteſt illuſtrare. Ita enim inquis: *Hic ſi ſolus ſit, & nihil aliud accedat, voluntas vel non movetur, vel non permovetur.* Unde ſic colligo: Suaſus hîc ſolus fuerit neceſſe eſt in Adami mente; quia voluntas ejus aut non fuit mota, aut ſi mota fuit, non fuit permota ne peccaret. Sublata igitur fuit lux iſta primigenia ex mente Adami. A quo? A Deo. En una cum ſublata luce, tranſlatam culpam totam in eum qui boni omnis autor eſt unicus, & malo tentari non poteſt. Quod jam porro dicis, *Si à me quæras, cur Deus Adamo ſic non ſuaſerit, ut perſuaſerit eadem opera*, id ad rem non facit. Neque enim iſtud quæritur, Camero, ſed tantum quæritur; Quomodo fieri potuerit ut Adamus peccaret peccatum punitione dignum, ſi Deus ex mente ejus lucem neceſſariam ſuſtulit, & lucem inſufficientem in ea reliquit, qua ſola poſita mentem ejus in cognitione veri Dei & boni ſummi non errare, ac proinde voluntatem ipſius, ut non peccaret, permoveri prorſus erat, uti tu vis impoſſibile?

*Camero facit Deum autorem peccati.*

Hîc Rhodus, hîc ſaltus eſt, Camero. Quamdiu ad hanc quæſtionem non directe reſpondes, aut non niſi indirecte reſpondes, tam diu coges me & bonos omnes exclamare, ex ſententia tua ſequi, tam certo quam certum eſt bis duo eſſe quatuor, Deum eſſe (horreo dicere, dico tamen ut tanto magis te pudeat) primum, ſolum & proprium authorem peccati Adami, & cæterorum quæ ex eo fluxerunt ſcelerum & flagitiorum omnium.

*Hæc eſt veſtra ſolennis*, inquis, *ſed feralis cantilena.* Imo vero, inquam ego, ſeria, vera, & digna quæ vobis (licet invitis ac nolentibus) in dies, tempeſtive, intempeſtive ad ravim uſque occinatur, ſi forte audiatis, & Eccleſias veſtras à tam fœda, ac bonis omnibus vere deteſtanda atque execranda macula aliquando repurgetis. Dicere enim auſim, ſi comparatio inſtituatur hæreſeos hujus, cum aliis quæcunque olim fuerunt hodieque ſunt inter Chriſtianæ religionis profeſſores hæreſibus, fædiorem ac pluribus gravioribuſque abſurditatibus ſcatentem aliam nullam reperiri poſſe. Quod ſi tibi id non placet, & ſi ea animi tui vaſtitas eſt, ut meam hanc aliorumque liberam vocem reſpuas & ſuſque deque habeas, nihil aliud dicam tibi quàm Apoſtoli iſtud; *Qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc: qui ſordidus eſt, ſordeſcat adhuc:* Apoc. XXII. 11. Et, *Qui ignarus eſt, ignarus eſto:* 1 Corinth. XIV. 38.

*De viâ Domini noſtro pede non metiendâ, &c.*

Quæcunque porrò *de viâ Domini noſtro pede non metiendâ, de re hac non exigenda ad præſcriptum legum humanarum, de dominio Dei quod ὑπεροχὴ infinitæ majeſtatis nititur*, ſubjicis, ea prorſus ſunt aliena, & per ſe, quod ad hanc rem attinet, abſurda. Cur enim non metiamur vias Dei noſtri rationis rectæ & æquitatis quam ipſe pectoribus noſtris inſeruit decempeda? *Judicate ipſi, audite ipſi*, inquit Deus, *an viæ meæ non ſunt æquæ? & an non viæ veſtræ ſunt iniquæ? Ezech.* XVIII. 25. 29. Illius viæ omnes ſunt veritas & juſtitia. Nunquam contra æquitatem quicquam facit, nemini injuriam facit, nemini author eſt ut peccet, neminem punit niſi meruerit puniri. Hæc tam aliena ſunt à divinæ bonitatis indole, quam mentiri. Poteſtas ipſius multis paraſangis excedit poteſtatem humanam. Legiſlator noſter eſt, qui à nobis obedientiam poſtulare poteſt, quia obediendi vires dedit, & præmium obedienti dare vult: qui inobedientiam impedire non tenetur, quia inobedientem punire vult; qui impedire eam non poteſt, niſi reſcindendo quod dedit, aut deſtruendo quod creavit. Si id vellet, nec obedientiæ nec inobedientiæ locum eſſe vellet. Homo id non poteſt, & quia non poteſt, non debet. Iſta itaque qua poteſt & debet ratione inobedientiam impedire tenetur. Sed nec iſta divinæ Majeſtatis ὑπεροχὴ eo uſque ſe extendit, ut à creatura innoxia obedientiam poſtulare poſſit, poſtquam obediendi vires ei abſtulit, ut peccatum cenſere poſſit id ad quod omittendum vires creaturæ non dedit ſufficientes, nedum ut punire poſſit ſummis pœnis creaturam tanquam inobedientem, quæ obedire non potuit. Jus Dei cum injuria creaturæ ipſius conjunctum eſſe non poteſt. Iſta ὑπεροχὴ non jus, ſed tyrannis foret omni tyrannide immanior, à qua tam longe abeſt Deus noſter quam à Deo tyrannus, qui innocentes nocentes facit, ut habeat quos ſub ſpecie juris cruciatibus excarnificet & doloribus conficiat. Et hanc ὑπεροχὴν cum tu Deo competere non obſcure velis, ſatis indicas credere te, quicquid illud credere te videri nolis (eſt enim nimis horrendum) alterum horum duorum; aut abſurdum non eſſe, Deum eſſe peccati primi, ac proinde cæterorum peccatorum omnium primum autorem; aut (ſi abſurdum illud eſt) peccata omnia quæ fiunt, fuerunt, aut futura unquam ſunt, peccata tantum eſſe reſpectu hominum, non verò reſpectu Dei, etiamſi ille eorum cauſſa ſit atque author. Quæſo jam ego te, Camero, verbis tuis, ne hîc iraſcare mihi, neu quis te hæc moneat, ſed cujus rei quantæque te moneat, in timore Domini expende. Ita fiet ut de Deo rectius ſentias, & eum forte tibi magis habeas propitium.

## CAPUT IX.

### Diluuntur exceptiones Cameronis, ad argumentum probans ſententiam ejus pugnare cum ratione peccati in regenitis.

*Regenitos, ſecundum Cameronem, peccare non poſſe niſi Deus ſui lucem quam conceſſit ſubtrahat.*

IN hoc capite minus prolixè, ſed non magis fæliciter, pro ſententia tua digladiaris, Camero. Dixeram ex eodem tuo fundamento ſequi, Regenitos & perſuaſione ſpeciali (quam vocas) donatos peccare nullo modo poſſe, niſi Deus primo & abſque omni culpa eorum lucem iſtam ex mentibus eorum tollat, id eſt perſuadere ipſis deſinat. Id autem quando Deus facit, tum neceſſe eſt ut peccatorum omnium quæ regeniti committunt, (ſi peccata dici poſſunt quæ illi ſubtracta iſta luce committunt,) cauſa efficiens ſtatuatur. Rationem addideram hanc: Regeniti non poſſunt peccare manente luce iſta in mentibus ipſorum, quia non poſſunt errare, ex tua ſententia. Lux enim iſta errorem tollit; Peccatum autem ſine errore eſſe non poteſt, ſecundum te. Quando itaque peccant, neceſſe eſt ut lux illa mentibus eorum ſubtracta ſit. At non poſſunt dici eam ſibi ipſis ſubtrahere, quia ſic peccarent antequam peccarent. Nec Dia-

Diabolus poteſt dici iis iſtam ſubtrahere, quia non poteſt ſubtrahere niſi per errorem: at errorem tollit iſta lux, id eſt iſta ſcientia & perſuaſio ſolida ac vera. Quid reſtat igitur, niſi ut Deum ſubtrahere iis lucem illam dicas, antequam meruerunt aut meruiſſe poſſunt ut ſubtrahatur? Propter peccata eorum antecedentia Deus eam ſubtrahere dici non poteſt: quia illa iis condonavit; nova autem non fecerunt, luce iſta voluntatem eorum determinante ad ſolidum & verum amorem ſummi & veri boni. Nihil itaque aliud reliquum eſt quam ut dicas, regenitos non peccare, ſi Deum jure poſſe iis lucem iſtam ſubtrahere velis; aut ſi id jure Deum non poſſe facere dicas, Deum autorem peccatorum iſtorum conſtituas. Hæc ſumma eſt argumenti mei, quam meis verbis proponere malui, quia ſummula tua, quam feciſti, ita frigida & elumbis eſt, ut vis argumenti vix ſentiatur. Ad hoc argumentum meum ſic reſpondes.

*Poſſem* (inquis) *hoc tuum* ~~[illegible]~~ *negligere. Refellitur enim iiſdem argumentis quæ à me ſupra modo allata ſunt, adverſus ea quæ ex primi hominis primo peccato contra meam ſententiam attuliſti. Par enim ratio (ut agnoſcis ipſe) imo hic eo expeditior, quod regeniti non ſint uſque adeo regeniti, ut nihil ſuperſit reliquiarum carnis & veteris hominis; unde fit ut nullo unquam momento tales ſe queant ſiſtere Deo, ut digni ſint quibus Deus lucem ſuam conſtanter commodet*, &c.

Reſponſio itaque principalis tua hæc eſt: Quando regeniti peccant, id fit ex eo quod Deus lucem ſuam iis conſtanter non commodet. Ex ea concludo atque infero, argumentum meum firmum atque immotum manere. Quod antequam clarius oſtendo duo hîc in anteceſſum noto. 1. Quod in hoc argumento meo parem rationem eſſe agnoſcas, quæ fuit in argumentis quæ ex primo primi hominis peccato contra ſententiam tuam attuli. Si par utrobique eſt ratio; ergo uti regeniti peccant, eo quod Deus iis conſtanter lucem ſuam non commodat, ita Adamum ſequitur peccaſſe, & non peccare non potuiſſe, eo quod Deus lucem quam ipſi dederat conſtanter ei non commodaverit. id quod tu antehac tam aperte ſuo loco dicere erubuiſti, & ut ſupparo ſilentii à me velaretur toties & tam obnixe petiiſti. 2. Quod rationem hîc expeditiorem eſſe dicas, eo quod in regenitis reliquiæ carnis & veteris hominis reliquæ ſemper ſint, per quas fit ut nullo unquam momento tales ſe queant ſiſtere Deo, ut digni ſint quibus Deus lucem ſuam conſtanter commodet. Inde enim colligo, quod cum antea dixiſti rationem providentiæ circa peccatum primum capi non poſſe, eo ſignificatum volueris, capi non poſſe quo jure Deus homini innocenti, ſancto, juſto, qui nullo ſe actu peccati indignum adhuc reddiderat cui lux ſemel data conſtanter commodaretur, lucem tamen iſtam conſtanter non commodare, id eſt ſubtrahere potuerit; unde neceſſariò ſequi debebat ut homo erraret, & errando incideret in peccatum tam enorme, quod non niſi æternis flammis expiari, aut æterni filii Dei ſanguine redimi potuit.

Hoc præmiſſo, reſponſionem tuam propius paulum examinemus. In ea non expendam quod reliquias carnis & veteris hominis ſemper aliquas in regenitis ſupereſſe dicis, atque inde fieri, ut nullo unquam momento tales ſe queant ſiſtere Deo, ut digni ſint quibus Deus lucem ſuam conſtanter commodet. Hæc enim, etiamſi rigidum examen non ferant, ſi Scripturæ loquendi formulæ conſulantur, tamen commodè accipi poſſunt, & commodè accepta (uti par eſt) ad cauſam hanc non faciunt. Quin & dabo lubens, Deo ſolutum ac liberum ſemper manere, uti poſtea dicis, regenitos aliquando permittere ſibi, quando id ipſi conſultum videtur; ſi modo etiam phraſis iſta, *permittere ſibi*, commode accipiatur. hiſce enim conceſſis, manet ſemper id certum ac ratum, Deum iis ſubtrahere aut non conſtanter commodare lucem iſtam, ſive pro arbitrio ſive pro jure ſuo id faciat. At inde ego concludo, Fieri non poſſe ut iſta, quæ regeniti poſt ſubtractam iſtam lucem faciunt, peccata ſint, quæ ipſis ut peccata formaliter in culpam imputentur à Deo, qui lucem ſubtraxit, aut propter quæ pœna digni cenſeantur. Quæ cum dico, nolo equidem ut credas me dicere, actus illos quos regeniti faciunt, ex. gr. homicidium, furtum, adulterium, rebellionem, idololatriam, &c. non eſſe actus qui, ſi in ſe conſiderentur, difformes non ſint legi divinæ, atque ita materialiter, ut loquuntur, peccata: ſed non eſſe actus qui ipſis jure imputari poſſint in peccata, ita ut digni propter iſta cenſeantur temporalibus & æternis cruciatibus, aut pœnis etiam qualibuſcunque, id eſt non eſſe formaliter peccata. Ratio eſt in argumento meo, quod in principio capitis hujus videre eſt. Ad hæc nihil reſpondes, quod quidem juſta reſponſio dici mereatur; non plus quam ad argumenta præcedentia, quæ ex prima primi hominis conditione adduxi. Verè enim *par utrobique ratio eſt*, id eſt æque impedita. Quod enim ais, *expeditiorem rationem hîc apparere quam in peccato primo Adami, eo quod regeniti non uſque adeo regeniti, ut nil ſuperſit reliquiarum carnis & veteris hominis, unde fiat ut nullo unquam momento ſe tales queant ſiſtere Deo, ut digni ſint quibus Deus lucem ſuam conſtanter commodet*; ejus contrarium plane verum videri debet. Primò quia id ipſum, quod regeniti reliquias carnis & veteris hominis in ſe ſemper reliquas habent, ex iſto peccato provenit, quod ex primo peccato fluxiſſe vis, quod commiſit Adam propter ſubtractam à Deo lucem, antequam reliquiæ carnis ac veteris hominis ullæ eſſent, ac proinde antequam indignus eſſet adhuc cui Deus lucem ſuam conſtanter non commodaret. Hoc ipſum itaque quod regeniti carnis reliquias adhuc in ſe habeant, nullum majus jus, aut nullam majorem juris ſpeciem Deo dare poteſt, ut lucem quam iis poſtea reddidit, iiſdem iterum ſubtrahat. Subtrahere enim majori jure diceretur Deus lucem iſtam regenitis, propter id quod in ipſis eſt per & propter lucis ſubtractionem, quæ ab ipſo Deo abſque ulla ipſorum aut parentis ipſorum culpa profecta fuit. Secundo, poſito etiam quod reliquiæ carnis & veteris hominis in regenitis ſint per propriam ipſorum culpam; hoc ipſum tamen, quia illis à Deo condonatum eſt, efficere non poteſt ut propterea digni non ſint, quibus Deus lucem ſuam conſtanter commodet. Quod enim condonatum eſt à Deo, id tantundem valet apud Deum atque ſi non ſit.

*Quid itaque* (inquis:) *an Deo, poſtquam condonavit peccata regenitis, ſolutum liberumque non eſt, eos aliquando permittere ſibi?*

Omnino, inquam ego. Sed ſi permittere ſibi, idem tibi ſit quod eos relinquere deſtitutos luce ſive notitia iſta ſolida ac vera, quæ ad evitandum peccatum, vel actum cum peccato conjunctum, præcisè neceſſaria eſt, tum dico fieri non poſſe ut actus iſte peccatum ſit, quia Deum autorem habet, vel ſi peccatum ſit, ut ille regenitis à juſtiſſimo Deo in peccatum imputetur. At hoc eſt illud de quo quæritur. Si vero per permittere ſibi intelligas, non ſuccurrere regenitis ſpecialibus quibuſdam auxiliis, aut eos relinquere in gravibus quibuſdam afflictionibus ſive tentationibus, ſine ſolatio aut ſolatii alicujus quod deſiderant ſpe, ſalvo ſemper manente neceſſario & ſufficiente auxilio ad tentationibus reſiſtendum, dico Deo id ſemper ſolutum liberumque eſſe, & fieri poſſe, ac fieri non raro, ut regeniti ita ſibi permiſſi, etiamſi non ſine magna lucta, tentationibus tamen ſuperiores evadant, & in peccata non incidant. Et hoc pacto ſemper accipiendum eſſe, quod de fidelium tentationibus refert Scriptura, id inde liquet, quia alioquin Deus tentaret eos ſupra vires ipſorum, & non facientibus id quod ſupra vires ipſorum eſt, imputaret in peccatum quod non faciant id quod ſupra vires ipſorum eſt, id eſt quod non faciant id quod facere non poſſunt, & quidem nullo ſuo proprio merito viribus privati ab eo qui eos id facere jubet. quod abſurdiſſimum eſſe nemo non videt.

*Quomodo Deus regenitos ſi-bi permittat.*

Quæcunque itaque adfers, de ſcopo & fine quem Deus propoſitum ſibi habeat, cum regenitos iſto quo tu vis modo permittit ſibi, id eſt, iis lucem ſuam conſtanter non commodat, ea aliena hîc ſunt, &, ſi rigidè excutiantur ad incudem ſententiæ tuæ, examen non ferent. Dicis enim, *Deum aliquando fideles ita poſſe permittere ſibi, ut argumenta ſint exſtare infirmitatis humanæ, quibus & ipſi edocti meminerint ſe homines eſſe, & alii, anctos homines etiam homines eſſe intelligant.* At quid obſecro neceſſe eſt argumenta adferre, ad probandum id quod quilibet (qui opinionem tuam veram eſſe credit) certò novit, antequam ulla argumenta probantia audiat, aliter ſe habere non poſſe; puta hominem non poſſe non errare & peccare, quando lux neceſſaria ad evitandum errorem & peccatum illi ſubducta eſt? Si regenitus credere poſſet lucem iſtam divinam non eſſe neceſſariam ad evitandum peccatum, atq; hoc ipſum ſibi aliquando imaginaretur, in tali caſu probationi & experimento locus eſſe poſſet. At cum regenitus, eo ipſo quod regenitus, id eſt perſuaſus eſt ſolida ac vera perſuaſione veri & ſummi boni, eorumque quæ eo conducunt, credere non poſſit, juxta te, ſe ſine gratia Dei ſubſiſtere, aut ad momentum ſubſiſtere poſſe per ſe ipſum ſuis viribus, quorſum argumentum iſtud ad regenito perſuadendum eum per ſe non ſubſiſtere, ſerviet? Perſuadebitur enim regenito ut credat quod jam credit, & quod, qua regenitus, non poteſt non credere. Si enim id non crederet, aut ſaltem poſſet non credere, poſſet ex vi ſententiæ tuæ deſinere regenitus & fidelis eſſe. Neque vero magis aliis id ipſum perſuaderi opus eſt. Iſti enim alii aut erunt regeniti, aut non regeniti. Regenitis ut perſuadeatur id quod ipſis perſuaſum eſt, quodque proinde firmiter credunt, opus non eſt. Multò minus opus eſt ut id perſuadeatur non regenitis. Sed nec poteſt iis id perſuaderi; ſive enim peccantem videant hominem qui regenitus dicitur, ſive aliud enorme peccatum aliquod perpetrantem, ex eo non perſuadebuntur homini adeo infirmum eſſe, ut ſi ſibi permittatur non

possit non peccare ; sed contra persuadebuntur tam optimos quam alios omnes libera voluntate peccare, cum possint ac debeant non peccare ; imo idcirco eos qui regeniti videntur, gravioris culpæ ac pœnæ reos fieri credent, quando peccata enormia patrant, quam alios ullos, eo quod plus virium eos ad resistendum peccato habuisse credent, quod credere non possent nec deberent (uti neque tu, Camero, id credere potes ac debes) si quando regeniti scelera patrant, id fieri crederent ex eo quod Deus iis lucem subtraxerit, ut non possent non scelera ista patrare. Quin venia potius & commiseratione eos dignos judicarent.

*Locus 2 Chronic. XXXII. 31.*

Exemplum Ezechiæ quod ex 2 *lib. Chronicorum* XXXII. 31. citas, perperam etiam à te allegatur. Nam cum in textu dicitur, *Dereliquit eum Dominus, ut probaret eum, notumque fieret quicquid erat in corde ejus* : Aut vis verborum istorum sensum esse hunc, *Dereliquit eum Dominus*, id est permisit eum sibi ad probandum, id est explorandum, & sic notum faciendum, an cor ipsius iterum inflatum atque elatum esset futurum gazis & magnificentia ista regia qua adfluebat, uti ante morbum ipsius elatum fuerat : Aut hunc, ad probandum notumque faciendum id quod jam in corde ipsius Ezechiæ erat, sed quod latebat adhuc, & quod latere Deus noverat, quia occasio efferendi illud hactenus defuerat. Utrumque hunc sensum verba ferre non negabis opinor. Sed neuter tuo proposito servit. Nam si primum sensum probaveris, contrarium potius ex eo colligitur. Nam cum per & post permissionem istam, quam vocas, sive per & post derelictionem hanc fiat, juxta hypothesin tuam, ut homo sibi derelictus necessariò in peccatum incidat, quid opus erat per derelictionem istam probari Ezechiam, an cor elatum habiturus esset ? Certum enim erat ex tua sententia, ipsum idcirco quia regenitus erat cor tale non habere antequam à Deo derelinqueretur ; quia alioquin derelinqui eum non fuisset necessarium ut probaretur ; & certum etiam erat, ex eadem tua sententia, eum, si derelinqueretur, non tantum non habiturum, sed & non posse non habere tale cor elatum atque inflatum. Prior itaque sensus instituto tuo non favet. Posterior vero sensus multo minus. Derelictio enim divina, juxta sensum istum, non fecisset ut cor Ezechiæ sese efferret atque attolleret ; quod tamen tibi concludendum est : sed tantum occasionem dedisset, ut cum jam cor Ezechiæ revera inflatum atque elatum esset, ista latens in corde superbia in apertum proferretur atque eluceseceret : quod quis Deo non licere credat ? Meretur enim peccatum ut in lucem protrahatur. Potest itaque Deus pro suo merito hominem derelinquere, ut peccatum foris se prodat. Deus itaque tantum protrahere in lucem voluisse dicetur, peccatum in Ezechiæ corde latens, per derelictionem hanc ; sive derelictio hæc significet quod Deus occasionem legationis illius, Ezechiæ, inflatum jam cor habenti, occurrere fecerit ad latentem superbiam in lucem protrahendam ; sive significet, Deum propter illam superbiam, quâ jam secundò cor suum elevabat Ezechias, constituisse eum, id est domum ejus, privare beneficiis quæ jam ei multa & singularia contulerat, quæque alioquin continuare & augere in posteris ejus decreverat ; & ut ejus rei causa innotesceret, voluisse occasione legationis illius uti, ut superbiam ipsi suam voluntariam, qua sese laborare forte sibi ipsi non persuadebat, notam faceret, ac simul etiam cæteris omnibus, qui eum regem sanctissimum credebant, testatum faceret quam justam ob causam eum puniret, aut posteritatem ejus beneficiis illis ingentibus, quæ jam diu copiosè ipsi contulerat, & quibus ille moderate uti debuerat, privare vellet.

*Locus ad Galat. VI. 1.*

Locus *ad Galat.* VI. 1. quomodo à te ad hanc rem citetur non video. Neque enim probare potes isthic agi de tentatione qua Deus nos tentat ; neque de tentatione quæ ex derelictione Dei sequitur ; quin imo si textum diligenter inspicias, videbis eum plane præter mentem Apostoli allegatum esse. Sensum enim Apostoli alium nullum esse apparebit, quam, non esse nostrum aliorum vitia & peccata, in quæ vel per inadvertentiam aut aliam subitam quandam seu passionem seu occasionem præcipitati & quasi præoccupati inciderunt, (ita enim verbum προλαφθῇ interpretantur interpretes) vel in quibus cum in ea inciderunt per occasionem, & se ista facientes latere credebant, præter opinionem & quasi ex improviso deprehensi fuerunt à nobis ; (ita enim idem verbum exponi etiam potest) rigidè nimis atque acerbè insectari & carpere ; sed æquum esse ut omni animi mansuetudine ac lenitate erga eos utamur, considerantes nos ipsos ne & nos tentemur, id est vel ex facto isto hunc fructum reportare studentes, ut cauti simus ac soliciti de officio nostro faciendo, ne similiter peccemus tentatione occurrente : vel eo quod si nos ipsos considueremus, fieri possit ut in idem aut simile graviusve etiam peccatum incidamus, occasionibus aut tentationibus, quæ nobis à carne aut à Satana subito objici possunt, victi ac fracti. Tentari itaque hîc non est relinqui à Deo, ita ut non possis non peccare ; sed, vel tentationibus cedere, si posteriorem sensum sequaris ; vel plane contrarium, tentationibus non cedere, si priorem. Non enim vult dicere Apostolus, omnem hominem qui tentatur peccare necessariò ; sed tantum per tentationem fieri ut in periculo majore peccandi versetur, ut circumspectione magis solicita opus sit ne tentationi cedat vel succumbat ; aut si forte abripiatur, vel astutia multa circumventus, vel occasionis pulchritudine, vel incogitantia abreptus, vel passionis vehementia fractus, commiseratione potius quam odio aut aversatione dignum esse, & monendum quidem de delicto quod perperam egerit, quin & reprehendendum eo nomine quod circumspectior non fuerit, aut quod tentationi cesserit, sed non nimis acriter aut severè. Quod si per tentationem intelligeretur ejusmodi tentatio qualem tu imaginaris, quæ consistat in eo quod Deus hominem sibi permittat, eique proinde necessaria ad peccatum evitandum constanter non commodet, ut peccare eum prorsus sit necesse, quid consideratione nostri, quid reprehensione, quid instauratione illius qui peccat opus est ? Is qui ita peccat sciet, juxta te, id non voluntate à se factum, sed necessitate. Qui reprehendent & instaurabunt, idem scient ; & certi erunt uterque, simulatque Deus lucem iis reddet, illos repente eosdem futuros qui antea fuerunt, & peccare iterum non posse ; quin & incerti erunt, juxta te, Deum iis redditurum lucem istam, neque propter peccatum, quod ex lucis istius impromerita subductione natum fuit, offensum fuisse, aut offendi serio potuisse. Locus itaque hic non pro te, sed potius contra te facit. Pergis :

*Qualia sint regenitorum peccata.*

*Prohibet quidem remissio peccatorum, ne filii Dei funditus pereant, ne peccato indulgeant, ne peccent fædè, turpiter, flagitiosè, scelerate, & quadam consuetudine.*

An remissioni peccatorum hi effectus recte à te tribuantur nolo excutere. De verbis tecum non contendam, etiamsi manifesta hic sit ἀνωμαλία. Rem tango. Ego ex istis verbis tuis sic argumentor : Si peccatorum remissio prohibet ne regeniti peccent fædè, turpiter, flagitiosè, tum certe necesse est alterutrum verum esse, aut ut ii qui peccata homicidii, adulterii, rebellionis, furti, &c. dedita opera & deliberato animo contra conscientiam suam committunt, regeniti non sint ; aut si regeniti esse possunt, etiam cum peccata ista enormia deliberato animo contra conscientiam suam peccant, tum peccare contra conscientiam suam dedita opera, aliquando non esse peccare fœdè, turpiter, flagitiosè. Utrum malis Camero ? Eos quos tu regenitos esse fateris, talia aliquando peccata dedita opera contra conscientiam suam diu multumque perpetrare aut perpetrasse negare non potes. Solum (si non adulterium, quanquam & istud tale merito videri debeat) homicidium Davidis, quo innocentis Uriæ mortem deliberato consilio, scriptisque eum in finem literis ad militiæ suæ præfectum, procuravit, instar plurimorum esse potest unde id clarè patet. Quid itaque ? An Davidem cædem istam procurasse non fæde, non turpiter, non flagitiosè dices ? Quid ergo, sodes, est turpiter, fæde, flagitiose peccare ? Quis modus iste agendi specialis est, qui facit ut aliquid fæde & turpiter fiat ? Is quomodo concipi aut efferri à te possit non capio. Idem enim est modus agendi, qui in omnibus hominibus perpetuo & uniformiter se habet. Voluntas enim, juxta te, sequitur necessariò judicium practicum intellectus, in omnibus hominibus, eadem & pari semper necessitate. Omnes igitur eodem modo volunt, sive hoc, sive illud, sive parvum, sive enorme peccatum velint. Fieri quidem potest, salva tua sententia, ut peccatum alterum altero gravius sit, si in se consideretur, & cum lege divina comparetur. Actus enim unus diformis esse potest præcepto legis quod minoris momenti est, & alter præcepto quod majoris est momenti, &c. At ut unus homo, sive regenitus, sive irregenitus sit, altero magis fædè, magis turpiter, magis flagitiosè peccet, juxta tuam sententiam impossibile est. Nemo enim contra conscientiam suam peccare potest ; sed quisque scientiam necessariò sequitur ; magna an parva illa sit nihil refert. Deinde si omnino velis aliter rem se habere,

tum

tum dico causam nullam esse, cur non credere debeas regenitos, æque turpiter, æque fæde, æque flagitiosè peccare, atque peccant irregeniti, si cum peccant id fieri credas quia Deus eos permittit sibi. Nam si eos ita permittit sibi, ut non aliter agant quam homines corrupti solent, jam tota voluntate sua dant operam peccato, uti faciunt irregeniti. Homo enim permissus sibi, nil nisi humanis viribus agit. At quia illæ eodem modo corruptæ in omnibus esse etiam à te creduntur, quomodo fieri potest ut regeniti peccantes, non peccare credantur æque fædè, æque turpiter ut cæteri homines, id est irregeniti peccant? Sed ut in viam redeam: Impossibile est ut ea quæ appellas peccata, in regenitis peccata sint, si ea ab iis ob solam & impromeritam necessariæ lucis subtractionem, quam Deus ipse faciat, committantur; sive brevi, sive diu, sive parum, sive multum peccent, sive peccata sint parva, sive enormia, sive mediocria. Pro proportione enim subtractæ lucis, & subtractionis mensura, ista ita variè accidere necesse est, uti ex verbis tuis liquet; atque ita semper in subtrahentem refunditur, aut ad eum retro trahitur, peccati totius, quodcunque aut qualecunque tandem sit, efficientia.

*Loca ex 1 Joannis I. 8. & III. 9.*

Loca duo Joannis perperam à te ad hanc rem simul allegantur. Non enim dicit Joannes in uno loco, regenitos semper peccare aliquatenus, in altero non peccare fædè, turpiter aut flagitiosè: Nihil minus; multoque minus dicit regenitos cum peccant, idcirco peccare quia lux mentis ipsis à Deo subtrahitur, ut non possint non peccare. Quis enim id ex textibus hisce vel per trochleas extrahat aut extorqueat. Probandum tibi primum foret, *peccatum habere* Apostolo idem significare quod peccare!: (quo tamen probato nondum effecisses id quod præcipuè quæritur.) At contrarium patet. Si enim in primo loco quo Apostolus ait, *Si dixerimus nos peccatum non habere*, phrasis *peccatum habere* idem significaret Apostolo quod peccare, tum certe Joannes dicendus foret, directè contraria sibi dixisse: eundem scilicet regenitum peccare & non peccare, peccatum habere & peccatum non habere, vel eundem hominem regenitum esse & dici posse, sive de eo prædicetur quod peccet, sive de eo prædicetur quod non peccet: utrumque enim verum esse. Hoc autem absurdum merito viro probo videri debet. Unde satis firmiter colligo, phrasin *peccatum habere*, longè aliud quid significare, quam phrasin *peccatum facere*, aut simplex verbum *peccare*. Regenitos enim peccatum habere disertè affirmat Johannes, & tamen eos peccatum facere, & non tantum peccare sed & peccare posse negat. Quid autem significet phrasis ista *Peccatum habere*, idem Joannes satis nobis explicat *capite* XV. Euangelii sui, versu vigesimo secundo & vigesimo quarto: *Si non venissem & locutus essem eis, peccatum non haberent; nunc autem non habent quod prætexant peccato suo.*

Quæ post hæc quæris, ea non spectant aliò, quàm ut evincas, quando regeniti peccant, id non fieri nisi quia Deus iis lucem suam subtraxit, etiamsi ii Deo causam cur id faciat non dederint, aut etiamsi alioquin causa cur id à Deo fiat ignoretur. Atqui cum tu me hisce tuis quæstionibus ad id credendum & adferendum cogere vis, eo ipso fateris id à te credi & affirmari; quod mihi satis est ad inferendum conclusionem quam inferre volo; videlicet actus itaque illos, quos regeniti post subtractam à Deo lucem faciunt, non posse esse peccata propriè dicta, quæ ipsis in pœnam à Deo imputentur, aut propter quæ digni censeantur à Deo puniri. Hanc consequentiam impugnare debuisses, Camero, si contra me disputare voluisses. At tu tantum laboras in probando antecedente, de quo non quæritur hoc in loco. Eo enim dato, sed non concesso, concludo nihilominus quod volo. Veruntamen videamus insuper quo argumento me adigere velis, ut ego idem tecum statuam.

*Quinam sint regeniti.*

Quæris quos tandem ego velim esse regenitos, *An indiscriminatim* (inquis) *omnes*? Quid hæc verba tua velint non intelligo. Si enim per *omnes indiscriminatim*, intelligas regenitos & irregenitos simul, quid statuis? Si omnes regenitos, quid ineptius? Dicam tibi, Camero, apertè, ne hæreas, aut ut adeo ineptè quærere desinas; Regenitos voco omnes eos qui, ex fide in Jesum Christum, novæ vitæ operam dant, sive id faciant cum lucta & difficultate magna, uti incipientes solent & recens ad Christum conversi, qui contraria vivendi consuetudine diu laborarunt; sive cum minore quidem lucta, sed tamen lucta & difficultate, uti proficientes solent, qui in curriculo novæ vitæ aliquandiu se exercuerunt; sive sine lucta & difficultate, cum gaudio & alacritate animi, quos perfectos, justitiam diligere, sitire & esurire justitiam dicit Scriptura, uti solent qui habitum pietatis & obedientiæ adepti sunt. Habitus enim facit ut libenter, facilè & ardenter pietatem colas, adeo ut non solum non pecces, sed ut non possis nisi cum molestia peccare. Hos omnes ego regenitos voco, & novam creaturam, novum hominem, ex Deo natos, Dei filios, & ex Deo genitos sive regenitos in Scriptura appellari dico.

*Quodnam regenitis Spiritus S. auxilium præstet.*

At in his quæris, *Quid & quantum censes præstare Spiritum sanctum*? Respondeo: Istis omnibus dico à Spiritu sancto auxilium tantum præberi, quantum iis necessarium est ad pergendum, proficiendum, & perseverandum in vitæ novæ stadio quod ingressi sunt, salva semper manente libertate ut possint auxilium istud negligere, & ab instituto cursu desistere, imò regredi ad priorem vitam quam deseruerunt. In tentationibus, imprimis gravibus, non rarò etiam iis extraordinarium auxilium à Spiritu sancto suggeri dico, unde causam accipiunt majorem alacriter & libenter in mediis tentationibus perseverandi & pergendi; non tamen sic quin possint animum & studium remittere, atque ita à proposito suo deficere, aut in eo non perseverare. (An non aliquando Deus etiam eos in tentationibus quibusdam ita roboret, ut illis vinci omnino nequeant, etsi post victoriam iterum deinde libertati suæ relinquantur, postea suo loco examinabimus. Fieri enim id posse, & forte aliquando ad preces piorum serias, & ob ingentes causas, fieri, non est impossibile. Sed de hoc infra.) Quale hoc auxilium sit non est necesse ut à me definiatur, sive illud immediatum sive mediatum, sive physicum sive morale, sive internum sive externum facias, & intellectui aut affectibus regenitorum subministrari dicas, id mihi perinde est, dummodo non dicas istud tale esse, per quod voluntas ipsorum ita determinatur ut non possint illud negligere, atque ita à pietatis studio deficere. Id enim si fieret, tum certe actus isti, quos auxilio isto præditi facerent, virtutes præmio dignæ censeri non possent; quod satis est ad concludendum id de quo hîc jam inter nos quæritur.

Atque hac quidem ratione enervatus videri potest totus tuus quem hîc facis discursus, & simul etiam ad quæstiones tuas responsum est. Quæris enim an statuam, *Deum immediate agere in affectus regenitorum*? Resp. Fieri posse ut ita Deus agat, injiciendo vel excitando *iegnis* quasdam pias aut affectiones bonas in partem inferiorem animæ, vel eas quæ jam insunt affectiones amoris, spei, timoris, gaudii, &c. roborando & augendo. *At hic motus* (inquis) *physicus foret, si foret immediatus.* Quid tum, inquam ego? Nec enim sequitur, Deus agit physicè in affectum hominis; ergo voluntas hominis sive homo non potest non motioni isti consentire. Dico enim fieri posse, ac non rarò fieri solere, ut homo physicam & immediatam ejusmodi motionem Dei, pulsantem cor ipsius, negligat atque insuper habeat, non minus certe quam hortationem, admonitionem & motionem quamvis aliam moralem, sive externa ea sit sive interna, negligere & potest &, non raro solet; imò dico fieri posse ut homo ei nolendo obluctetur, eamque opprimere studeat, atque ita contra conscientiam suam peccet. Nec video quomodo tu id negare possis, cum fateri debeas, Deum non raro impiis, aut saltem hypocritis, pias ac bonas affectiones injicere, quas tamen ii respuunt. Et res patet in Bileamo, cujus animo etiamsi Deus affectionem benedicendi populo Israelis injiciebat, nihilominus tamen retinuit ille maledicendi animum ac voluntatem. Ita de quibusdam dicitur, *Quod Deus eos mundaverit, & quod mundari tamen noluerint: Ezech.* XXIV. 13: *quod fuerunt qui credideruntin Christum, sed confiteri eum erubuerunt: Joan.* XII. 42. aliaque similia infinita. Quod de duobus exempli gr. adfers, *quorum alterius affectus deinde fuerunt sedati, alterius adhuc tumultuantur*, id contra hoc non facit. Piæ enim affectiones non per se sedant statim affectus; (nam piæ & impiæ affectiones in iisdem affectibus simul locum habere possunt, ut notum est:) sed tantum in affectibus aliquid ponunt, quo sedari possunt, etiamsi iis non obstantibus homo contrariis affectionibus indulgere, & per eas bonas affectiones supprimere possit. Itaque etiam si fiat ut Deus duobus easdem pias affectiones eodem modo injiciat, fieri nihilominus potest, ut alter pias affectiones istas sequi velit, alter nolit. Cur, inquies? Id ad rem hic non facit; sufficit si affectiones istæ voluntatem hominis non necessitent, atque ita homo peccare dici possit, quando eas non vult sequi, & contra virtuosus dici possit, quando eas sequi vult. Addo tamen, causam hujus rei nullam aliam dari posse, quam quod alter officium suum facere, & pias affectiones, sub spe futuri aliquando præmii, aut alia de causa, etiam cum malarum affectionum exstirpatione,

sequi vult; alter verò officium suum negligere vult, & contrarias affectiones, gratas carni suæ, præterre piis affectionibus. Ulterius ascendi non potest, ut virtutis & vitii, præmii & pœnæ ratio constet; uti postea plenius demonstraturi sumus. Deinde quod ad intellectum attinet, fateor Deum non rarò, quà mediate quà immediate, in eum agere inspirationibus suis, earumque auxilio uti ad proliciendum actum ex voluntate. At ex eo non rectè infertur, regenitos istis inspirationibus non posse non obtemperare, atque ita non posse peccare. *Atqui* (inquis) *quomodo? Nam voluntas movet affectum, intellectus voluntatem, Deus intellectum. ista cohærent catenatim, ut ita dicam.* At vero hoc est illud quod ego nego. Hoc enim si verum est, habeo contra te quod volo. Sic enim colligo; Voluntas movet affectum, intellectus voluntatem, Deus intellectum: Error sive falsa boni apprehensio pro bono summo est actus intellectus; Error hic primum peccatum est; Ergo Deus immediatè peccati in intellectu causa est, vel à motione divina error existit in intellectu; Aliter enim intellectus non potest moveri, ut tua collectio habet. Sub motione divina comprehendo etiam negationem motionis, uti sub omni actione actionis negatio aut omissio comprehendi solet. Motio igitur divina vel est datio luminis in mente ut errare non possit, vel non datio luminis istius, aut etiam sublatio luminis semel dati & concessi, ut non possit non errare. Itaque Deus non tantum est causa erroris & peccati, sed fieri etiam aliter non potest quin causa sit. *Nego verò* (inquis) *tu Deum subtrahere lucem suam, quia id facere jure non potest nisi ob contemtum. Adeò reverenter de Deo loqueris*, inquis. Imò verò, inquam, non nego Deum subtrahere posse, ac solere aliquando, lucem suam regenitis, ex absoluta voluntate sua, ad probandum, explorandum fidem, patientiam & constantiam eorum; sed addo, Nunquam Deum subtrahere regenitis suam lucem eo usque, quin remanere semper sinat lucem necessariam & sufficientem ad evitandum peccatum, aut ad superandum tentationem. *Fidelis enim est Deus*, (inquit Apostolus 1 Cor. X. 13.) *qui non finit vos tentari supra vires vestras.* At supra vires tentaret si lucem necessariam ad peccatum evitandum aut tentationem superandum subtraheret. Quod si verò id aliquando etiam à Deo fieri contendas, tum ultimo loco addo, necesse esse ut fatearis, aut eos quibus lucem istam necessariam Deus subtrahit, meruisse propter lucis istius abusum ut ista luce privarentur; aut si id non meruerunt, actus quos post & ob subtractam istam lucem patrant, imo quos tum non possunt non patrare, iis ut peccatum à subtrahente ipso imputari non posse. Prius non potes admittere, qui statuis regenitos luce necessaria abuti non posse, sed lucem causam esse ut non possint non velle bene uti. Posterius itaque admittas necesse est, ac simul etiam conclusionem meam. Ex quo intelligere deinde potes, quam reverenter tu loquaris de Deo, & quam ineptè reverentiam divini Numinis exigas ab iis, qui hanc tuam irreverentiam tibi ob oculos ponunt, & idcirco seorsim à vobis abeunt, ne tecum adeo irreverenter de Deo sentire & credere cogantur.

*An fieri possit ut voluntas appetat malum & respuat bonum cognitum.*

*Atqui* (inquis) *si ita se res habet, jam intellectus non movebit voluntatem necessario.* Rectè. *Ergo* (inquis) *fieri potest ut voluntas in contrarium tendat, aut certe suspendat actionem suam. Neutrum fieri potest. Non prius: Quia sic efficeretur ut quin quam certo scit miserrimam esse conditionem eam ultrò appetat, contraque quam certo novit beatissimam eam refugiat.*

Ad hoc argumentum respondent nonnulli per concessionem, & negant in eo absurditatem ullam sitam esse, quod homo adeo liber sit, ut ipsam etiam beatitudinem & bonum in communi, in hac vita cognitum, possit non amare, etiamsi neutrum positive nolle aut odio habere possit. quia in iis nulla ratio mali esse potest; malum autem solum & unicum odii objectum est. Eadem itaque ratio contrariæ infelicitatis seu miseriæ est. Horum responsio nititur potissimum experientia, quam variam & communem allegant: Scripturæ phrasibus quibus expresè dicuntur nonnulli *vitam æternam non velle, amare mortem, perire velle, indignos se se judicare vita æterna, &c.* denique quod nulla ratio sit quæ eos aliter statuere cogat. Horum opinio si vera est, non argumentum tantum hoc tuum, sed tota tua opinio, & integer hic liber tuus funditus eversus est. Sed ego, etsi mihi probabile videatur, necesse non puto hac ratione te convenire. Respondeo itaque secundò ad argumentum tuum, per negationem consequentiæ; quia voluntas non propter judicium mentis, sed natura sua appetit beatissimam conditionem, & à miserrima abhorret. Itaque cum intellectus miserrimam conditionem ei clarè videndam repræsentat, & beatissimam ex oppositio non minus clare proponit, fieri non potest ut voluntas beatissimam refugiat, & miserrimam ultrò appetat; non quia judicio intellectus movetur ad appetendum beatissimam & refugiendum miserrimam conditionem: nihil minus. Intellectus enim hic non est in genere causæ efficientis amorem aut odium, sed tantum in genere instrumenti quod repræsentat voluntati objectum, cujus vi sola voluntas ad amandum determinatur; quia scilicet voluntas non potest non naturali sua inclinatione in beatitudinem tendere, & miseriam refugere. Si voluntas ad beatitudinem amandam se haberet liberè, tuum argumentum sequeretur & rectè concluderet; sed cum ad eam liberè se non habeat, sed prorsus necessariò, hinc consequentiæ error manifestus est. Hæc res fusius tractabitur in sequentibus. Verum enimvero posito etiam quod verum esset voluntatem non natura, sed ab intellectu moveri ad beatitudinem appetendum, nihilominus tamen hoc argumento tuo nondum quicquam ad principalem rem de qua agitur inter nos effecisses. Tantum enim ad summum efficeres, fieri non posse ut voluntas non sequatur judicium mentis in appetendo aut fugiendo, quando mens scit scientia proprie dicta conditionem illam qui ipsi proponitur beatissimam aut miserrimam conditionem esse. At non efficeres fieri non posse ut voluntas non sequatur judicium mentis, quocunque modo conditionem illam beatam aut miseram apprehendentis & voluntati proponentis; quod tamen illud est in quo præcipuè controversiæ medulla sita est. De fide enim hîc agitur, quæ certa talis scientia non est, & quæ nobis mandatur à Deo.

Quod ut paulo clarius pateat, argumentum tuum repetam in forma. Si voluntas in contrarium tendere possit quam intellectus eam movet, sic efficeretur ut quis quam certò scit miserrimam esse conditionem eam ultrò appetat, & contraque quam certo novit beatissimam eam refugiat. Hîc consequentia negatur: quia certa scientia rei beatissimæ ac miserrimæ, specialis modus intelligendi est, qui exceptionem patitur à regula communi; quippe per quem voluntas necessariò ad amandum vel odio habendum determinatur, sive sit scientia demonstrationis, sive scientia visionis, sive alia quævis clara persuasio, quæ absque omni formidine oppositi est. Quod si pro *certo scire*, in argumento tuo, ponas quovis modo intelligere aut scire, ita ut cum scientia propriè dicta fidem, opinionem & simplicem ac nudam quamvis veritatis apprehensionem comprehendas; tum antecedens negatur, vel minor argumenti. In opinione res patet. Quis enim dicat absurdum esse ut quis quam opinatur miserrimam esse conditionem, eam ultrò appetat, & quam opinatur beatissimam refugiat? Eo ipso enim quod nonnisi opinatur rem ita se se habere, fluctuat in appetendo, & sæpe movetur in oppositam partem per contrariam opinionem, quæ nec magis nec minus probabilis illi apparet; non propria vi opinionis, sed vaga voluntatis suæ vi, qua nunc huic nunc illi opinioni se se applicat & affigit. Fidei alia ratio est quam scientiæ aut opinionis. Fides enim, ut recte ait Augustinus, minus quid est quam scientia, & majus quid quam opinio. Qui credit itaque is non habet proprie scientiam beatissimæ ac miserrimæ conditionis istius: nec habet opinionem tantum quæ mobilis atque incerta scientia est. Nec certò itaque scit, neque tamen plane incertus est, sed medio modo se habet; adeo ut fides statui debeat actus animæ qui non necessario elicitur ex intellectu, & voluntatem non necessario determinat ad amandum. Sic enim fides fieret scientia, & frustra à nobis exigeret eam Deus; & actus tamen talis, qui etiam non uti opinio mobilis fluctuat in intellectu, nullumque solidum fundamentum habet à re cui innitatur; sic enim voluntatem movere vix posset; sed qui firmior quidam adsensus est, quique meretur ob magnitudinem rei quæ credibilis & credenda proponitur, voluntatis imperio roborari, & instar scientiæ immobilis aut difficulter mobilis fieri. In hac fide quæ adsensus etiam est, ac proinde actus intellectus, locum quoque habet ista cognitio beatissimæ & miserrimæ conditionis; sed ea tamen quatenus nudus mentis adsensus est, non movet necessariò voluntatem ad conditionem illam appetendum, hanc fugiendum. Fieri enim potest ut quis credat credibilia esse ea quæ de beatissima & miserrima conditione statuit Euangelium, & tamen Deo mandanti ut ea ceu vera firmiter apprehendere velit, atque idcirco facere ea quæ Euangelio jubentur, ut vera credere ac proinde jubenti parere nolit. Voluntas itaque accedat necesse est, cujus imperio adsensus iste figatur in credibilia ista, & sistatur in iis tanquam si certissima essent. Hæc cùm accedit, tum vero fides efficacissima est, & obedientiam bonaque omnia opera de se producit, veluti fœcunda quædam matrix. Et qui ita credit, is jam certe qua talis non potest appetere conditionem quam credit miserrimam: nec refugere quam credit beatissimam; non idcirco proprie quia conditionem miserrimam aut beatissimam esse credit, sed quia id quod credit miserrimum esse, natura sua etiam antequam credat non potest appetere, sed refugit necessariò; per fidem autem

*Quid differant sistere, sustinere, & opinio.*

tem apprehendit & ſtatuit tantum in particulari, hoc miſerrimum, illud beatiſſimum eſſe. At quia voluntas hominis poteſt non accedere, etiamſi Deus jubeat ut accedat; hinc eſt quod ad credendum voluntas hominis neceſſario determinari dici non poſſit per intellectum. Voluntatem autem poſſe non accedere inde liquet, quia fieri poteſt ut quis dicat, Credo equidem & credibilia iſta ſunt quæ Euangelium continet, ſed id mihi non ſufficit. Multa credibilia dari poſſunt. Volo plus aliquid. Scire volo rem ita eſſe, vel volo oculis meis videre, aut manibus meis palpare. Niſi Deum ipſum audiam id affirmantem, vel miraculo id confirmantem videam, non credam. Volo ut è mortuis aliquis reſurgat, &c. Dices tu fortaſſe: At hoc ipſum quod velit ſcire aut videre, non autem credere, non vellet niſi ab intellectu ad volendum ita moveretur. Atqui, inquam ego, id falſum eſſe evinco claro argumento ex tua hypotheſi propria: Quia ſequeretur Deum jubere illi ut credat, & movere interim ut credere nolit, ſed ut velit ſcire aut videre id quod amaturus eſt. Dicis enim: voluntas movet affectus, intellectus voluntatem, Deus intellectum. Ergo quando homo non vult credere, ſed vult ſcire, ab intellectu movetur ad ita volendum: ſi autem ab intellectu movetur, Deus movit intellectum ipſius, uti tu expreſsè adſeris. Hoc ſi verum eſſe velis, vide quam ingens abſurdum inde ſequatur. Cum Deus jubeat homini ſub æterna mortis pœna credere, ſi quando homo jubenti Deo credere non vult, ſed ſcire & per ſcientiam certus eſſe vult, intellectus hominis nolitionis iſtius cauſa ſit, intellectus autem hominis à Deo ad ita intelligendum determinatur, jam ſequetur Deum movere per intellectum voluntatem hominis ad contrarium volendum ei quod ipſi mandat, ſive ab ipſo fieri vult; & quando homo id ſic à Deo motus vult, nihilominus hominem peccare, & pœnæ graviſſimæ reum eſſe; quod adeo abſurdum mihi videtur, ut nihil ſupra. Ex hoc itaque fundamento meo ſecundo concludo, Neceſſe non eſſe ut Deus lucem ſuam credenti ſubtrahat, quo eum tentet, uti tu vis; ſed fieri poſſe ut homo manente etiam tota illa luce in intellectu ipſius, per ejuſdem voluntatis imperium ſeu directum ſeu indirectum deſinat credere; non quia intellectus voluntatem ejus movet ad non credendum, aut quia neglectus eius judicare incipit rem quam credidit, credibilem aut credendam non eſſe; ſed quia vel voluntas intellectui imperat ut in fide non acquieſcat, ſed id quod ſciri poteſt conſideret; vel intellectum non occupat, aut intentum habere negligit in conſideratione rerum illarum quas credit, ſed eum occupatum tenet in conſideratione objectorum quæ præſentia, viſibilia & palpabilia ſunt: intellectus autem ea aſſiduò conſiderans, & voluntati repræſentans, voluntatem eorum pulchritudine, dulcedine & voluptate vehementer imbuit atque afficit; unde neceſſe eſt ut paulatim langueſcat voluntas in amore rerum iſtarum credibilium, à quibus voluptatem tantam, quia inviſibiles & futuræ tantum ſunt, non ſolebat percipere, ac tandem etiam in earundem conſideratione ſeſe occupare amplius nolit, quin & ab ea reddatur alieniſſima, ſicque fides in fine extinguatur & evaneſcat, manente tamen non rarò adhuc cognitione & adſenſu in mente, quod ea quæ credit credibilia revera ſint, ſed tamen non certa ea certitudine qua præſentia certa eſſe experitur. Et quia hæc fieri poſſunt, hinc eſt quod Deus ipſe tam ſolicite nos *moneat, hortetur, & oret*, ut *vigilemus, oremus indefinenter, mundum non amemus, conſcientiam bonam retinere ſtudeamus*, aliaq; faciamus, quo in fide confirmemur & ſtabiliamur. Quæ omnia vana ſint neceſſe eſt, ſi fides talis eſt ſcientia in intellectu quæ neceſſario movet voluntatem, proinde ſi voluntas non poteſt non perſeverare in fidei obedientia niſi ex mente ab ipſo Deo tollatur ſcientia. Hactenus itaque de priore membro ratiocinationis tuæ.

*Quomodo voluntas ſuſpendat actionem ſuam, & quid differant nolle & non velle, item de repentinis motibus voluntatis.*

*Nec poſterius fieri poteſt* (inquis:) *Quia ſuſpenſio voluntatis ipſa actio voluntatis eſt. Atqui voluntatis actus omnis velle aut nolle eſt. Velit igitur aut nolit voluntas cum ſuſpendit actionem ſuam. Velit igitur aut non velit cum neque velis neque nolit. Poteſne tu te hinc expedire? ſi id feceris rem miram feceris.*

Reſp. Hîc nodum in ſcirpo quæris; In locutione metaphorica qua ipſe uteris, & quæ per ſe alioquin eſt planiſſima, ſophiſma nectis, in quo tibi mirifice places. Sed muta locutionem metaphoricam in propriam, & repentè evanuerit argumentum tuum. Cum Philoſophi & Theologi dicunt voluntatem poſſe ſuſpendere actionem ſuam, nihil aliud volunt quam quod voluntas poſſit non velle id quod volendum ipſi proponitur. Non velle autem diſtinguunt à nolle poſitivo, quod vocant; non quod non velle (ſi grammaticam ſpectes) non ſit nolle; etymon id arguit falſum eſſe; ſed diſtinctionis gratia, ut negativum actum à poſitivo diſtinguant. Sic nos diſtinguimus amare, odiſſe; non amare, non odiſſe. Quod ſi tu ſub nolle comprehenſum velis non velle, & ſub odiſſe non amare, abundes in tuo ſenſu, ſed aliorum locutiones interim æſtima ex æquo & bono. Suſpendere actionem ipſis eſt non velle, non amare, negligere, non curare; ut diſtinguatur à velle contrarium, & ab odiſſe. Nec immerito. Poſſum enim ego dici aliquid non velle, quod tamen proprie non poſſum dici nolle aut odiſſe. ut enim non velim rem, non requiritur ut res mala ſit; ſed ut eam nolim poſitive, neceſſe eſt ut alicujus mali ratio in cauſa ſit; ut cum negligo aliquid quod velle & poſſum & debeo, non propriè nolo, ſed non volo: quod tamen ad nolitionem & odium referri jure poſſe fateor. Quando itaque dicitur intellectum non movere voluntatem ita neceſſario, quin voluntas poſſit ſuſpendere actionem ſuam, ſenſus eſt, voluntatem poſſe non velle amare, aut non amare id quod intellectus amandum ipſi eſſe dictat, non quod voluntas id poſitive nolle aut odiſſe poſſe credatur, ſed quod actum amoris poſſit non elicere, utpote non ſentiens in objecto neceſſariam amoris rationem, etiamſi intellectus id amandum eſſe dictet, aut alteri alicui bono præferre ſuadeat. Hoc poſito, vide jam collectionem tuam ſophiſticam; voluntatis actus omnis velle aut nolle eſt: Falſum eſt; quia datur actus non volendi. quod ſi eum ſub nolitione comprehenſum eſſe velis, jam ludis ex ambiguo, & ſophiſma tuum detegis. Nolle enim tum ſignificabit duo tibi, nolle poſitivum, & nolle privativum. Hoc autem erit ſuſpendere actionem, iſtud contrarium velle. Unde concluſio tua erit; Volet itaque aut nolet voluntas cum neque volet poſitivè, neque nolet poſitivè, ſed privativè, quod veriſſimum eſt. Quid? jamne miram rem feciſſe tibi videor, Camero, quod ex tam levi trica me expedierim? Et eadem opera expedivi me ex iis quæ tu magno molimine adfers ut probes contra communem ſenſum & mortalium omnium pæne conſenſum, voluntatem non poſſe ſuſpendere actum ſuum, & (quod ineptius multò eſt) voluntatem non poſſe non manere ſuſpenſam, ſuſpenſo intellectu. Utrumque enim ex antedictis patet abſurdum eſſe. Ac prius quidem; quia poſſum ego non amare divitias, voluptates, honores, etiamſi intellectus mihi ſuadeat eas amare; & contra, poſſum non amare virtutem, etiamſi intellectus mihi ſuadeat eam amare, adeoque præferre aliis rebus omnibus. Si enim hoc non poſſum, nec poſſum peccare contra conſcientiam. Et quæ ratio dari poteſt, cur id dicatur voluntas non poſſe, ſi in eo quod intellectus dictat amandum eſſe, talis ratio boni non inſit, quin & ab intellectu dictetur non ineſſe (dictet autem neceſſe eſt, quando rationem bonitatis quæ in objecto eſt percipit objecto convenienter) ut non poſſit non amari? Uti enim ad hoc ut voluntas aliquid velit aut amet, non requiritur ſemper ut in eo ſumma ratio boni ſit, ſed quælibet bonitatis apprehenſio ſufficit; ita ad hoc ut voluntas aliquid non amet, non requiritur ut in objecto nulla ratio boni inſit, ſed ſufficit ſi in eo non ſit ratio ſummi boni, ſive intellectus id etiam dictet, ſive non dictet. Docent id ſubiti & repentini motus voluntatis, quos experimur excitari ſæpe in nobis ſine ulla prævia deliberatione, ex conſideratione merè ſpeculativa boni aut mali alicujus, adeò ut non rarò eâ fere inviti trahamur ad amandum quod intellectus tamen noſter fugiendum eſſe dictat, & ad non amandum quod intellectus amandum eſſe dictat, & tantum non vim nobis facere neceſſe habeamus, ut judicium intellectus ſequamur. Poſterius quod attinet: ſi voluntas non poteſt non hærere ſuſpenſa, intellectu manente ſuſpenſo, ſequeretur non modo nos non poſſe contrarium eligere quam quod intellectus dictat eligendum eſſe, (quod jam oſtendimus in præcedente membro falſiſſimum eſſe, & peccata quæ contra conſcientiam fiunt manifeſtè id falſum eſſe arguunt;) ſed & nos non poſſe ex duobus objectis æqualibus, quæ intellectus æqualia prorſus eſſe judicat, alterum eligere, ſed cum ſuſpenſo intellectu non poſſe non ſuſpenſos hærere; quod abſurdum eſſe quis non intelligit? Concludo itaque voluntatem ſuſpendere poſſe actionem ſive volitionem ſuam, imo contrarium etiam poſſe velle quam quod mens volendum eſſe judicat; non quaſi voluntas poſſit directè nolle quam certò ſcit beatiſſimam conditionem eſſe, aut velle quam certò ſcit eſſe miſerrimam; ſed quod poſſit nolle credere beatiſſimam eſſe conditionem quæ revera beatiſſima eſt, aut poſtquam id ſemel credidit, nolle perſeverare in credendo, aut ſimpliciter etiam deſinere credere, non quia defectus accidit in judicio, ſed quia in ipſa voluntate negligentia locum habere incipit, & ab ea mens noſtra divertitur atque occupatur in aſſidua conſideratione aliorum bonorum; unde ut paulatim creditorum ſemel bonorum amor plane emoriatur fieri neceſſe eſt; quod etiamſi plerumque ob rationes aliquas fiat, non rarò tamen etiam abſque ullis omnino rationibus, bruto & ſtulto fere aut inconſiderato affectu ſit, qui paulatim crebris actionibus

nibus vehementior & concitatior factus, tandem etiam quæsitis hinc inde rationibus, frivolis sæpe ac vanis, alitur & fovetur. Quod si tibi hæc non satisfaciunt, tum concludo, necessario itaque statuendum tibi esse, Deum errorum & peccatorum omnium quæ committunt regeniti autorem esse, eo quod iis, absque ullo novo merito eorum, lucem subtrahit sine qua non possunt non peccare: aut si horum autorem Deum agnoscas, concludo ea peccata non esse, quia Deus peccare non potest, prout concludere hoc argumento meo volui.

*Adhortatio ad Cameronem ne adhæreat sententiæ quæ Deum peccati auctorem facit.*

Atque hoc argumentum, uti nonnullos eorum qui tibi in patrocinio fatalis necessitatis ὁμοδόξοι sunt eò usque adegit, ut ingenue consequentiam hanc certam esse agnoverint, & tamen nihil absurdi esse in eo si Deus auctor peccati statuatur asserere non dubitarent, sicque in sententia sua perstiterint; ita te præ pietatis studio quod præ te fers, & quòd te impedire videtur ne adeo horrendum & abominandum scelus de Optimo Deo proferas, movere merito debet, ut eam, unde id necessariò sequitur, sententiam deseras. Quod quidem ego quanta possum animi contentione te rogo ut etiam atque etiam considerare velis. Sic etiam discès demum φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν, & non inepte neque impiè curiosus eris. Quod si verò rationes hæ nostræ te non movent, moveat te, si non auctoritas Patrum omnium, ipsiusque adeo Augustini & Prosperi, qui passim divinæ bonitati atque justitiæ injuriam fieri clamant, si quis dicat eum justè pieque viventes deserere priusquam ab illis deseratur, saltem Britannorum vestrorum Theologorum judicium, quod in Synodo Dordracena pronunciarunt, quodque in Actis suis Synodalibus extare Synodus voluit, pag. 129. edit. in fol. Thesi IV. de Antecedaneis ad conversionem, ita illi loquuntur: *Quos ita affecit Deus, non deserit, nec desistit in vera ad conversionem via promovere, priusquam ab illa per neglectionem voluntariam, aut hujus initialis gratiæ repulsam, deseratur.* Et commentarii vice addunt: *Talentum gratiæ semel à Deo concessum nemini eripitur, nisi qui prius suo vitio illud sepelivit:* Matth. XXV. 28. *Hinc est quod nos in Scripturis passim monemur ne Spiritui resistamus, ne spiritum extinguamus, ne gratiam Dei frustra recipiamus, ne deficiamus à Deo:* Hebr. III. 7. *Imò divinæ derelictionis ea apertissimè adsignatur ratio, quod Deus ab hominibus prius deseratur,* Proverb. I. 24. & 2 Chronic. XXIV. 20, *Dereliquistis Jehovam ut derelinqueret vos. At nusquam in Scripturis vel levissimè innuitur, Deum solere aut velle unquam absque prævia hominis culpa eripere cuiquam gratiæ excitantis auxilium, aut ullum subsidium quod semel contulit ad conversionem hominis ordinatum. Sic docuere Patres orthodoxi, quibus cum Pelagiores fuit. August. aut Prosper ad Artic. fals. ad* VII. *Dei est voluntas ut in bona voluntate maneamus, qui & prius quàm deseratur neminem deserit, & multos desertores sæpe convertit.* Hactenus illi.

## CAPUT X.

### Diluuntur exceptiones Cameronis ad argumentum quo ostensum fuerat, Nullam virtutem præmio dignam dari posse, si vera foret ipsius sententia.

*Nullam virtutem præmio dignam dari posse ex Cameronis sententia sequitur.*

SEquitur alterum primæ ratiocinationis nostræ membrum, non peccati tantum, imprimis quod pœna dignum sit, quod hactenus ostendimus, sed & virtutis omnis, imprimis quæ præmio digna sit, rationem omnem tolli per sententiam tuam. Quod sic demonstraveram; Lucem habere in mente, quam ex Dei infusione non potes non habere, virtus non est: Nec lucem istam necessario afficientem ac post se trahentem voluntatem sequi, virtus esse potest, nedum virtus quam sapiens præmio dignam censeat. At in quocunque homine lux, id est judicium bonum de summo bono est, in illo isto modo solo lux est, & per eam vere bonus & vitiosus censetur ex tua sententia: Et quicunque lucem istam sequitur is isto solum modo illam sequitur juxta sententiam tuam, Ergo, &c.

Hoc argumentum sarcasmo tibi familiari excipis, & simul, vel isto tuo affectu abreptus, vel de industria, à confutando eo deflectis & à janua aberras.

*Valde* (inquis) *solicitus es de laude & præmio; hinc illæ lachrymæ.*

*Jure potest aliquis esse solicitus de laude & præmio divino.*

At cur tu adeo solicitè, Camero, laudis vocem huic argumento inseruisti, quam ego nusquam usurpavi? Cur solicitum me fuisse dicis de laude, qui ne quidem laudis mentionem ullam feci? Annon solicitudo ista magna vel semel voculam istam mihi extorsisset? Sed tu de ea voce inserenda, & ex ista pæne sola argumentando, voce præmii pæne ubique suppressa, valdè solicitus fuisse videris. Credo illam tibi oportunam visam fuisse, ut exceptionibus tuis locus esset & color aliquis inde daretur. At ego hic non loquor nisi de præmio, sive præmium illud laus sit, sive aliud aliquid laude multò excellentius, uti quidem existimo. Sed nec de præmio hic præcipuè loquor: tantum concludo, virtuti locum esse non posse, nedum virtuti præmio dignæ, si vera est sententia tua. De præcisâ præmii ratione postea in Epistola loquor, & ex ea speciale argumentum formo. Contra istud itaque quod hîc ago, directè disputandum tibi fuerat, si presse disputare voluisses. Sed nos te vagantem etiam sequemur.

*Valde*, inquis, *solicitus es de laude & præmio.* Esto. Quidni, Camero? Deus ipse me jubet de laude & præmio solicitum esse. Is me jubet *currere ut præmium comprehendam:* 1 *Corinth.* IX. 24. 25. 26. Is me jubet, *obliviscì eorum omnium quæ à tergo sunt,* & NB. κατ᾽ σκοπὸν διώκειν ἐπὶ τὸ βραβεῖον τῆς ἄνω κλήσεως τοῦ Θεοῦ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ: *Philipp.* III. 14. *Si quomodo perveniam ad resurrectionem mortuorum: versu* 11. Is me jubet *quærere* (ζητεῖν) *gloriam & honorem & immortalitatem, & quærenti eam* promittit *vitam æternam: Rom.* II. 7. Is me jubet *cogitare quæcunque sunt vera, quæcunque veneranda, quæcunque ἔυφημα, si qua virtus & si quà laus est: Philipp.* IV. 8. Is denique me non permittit tantum *gloriari in Domino,* 1 *Corinth.* I. 30. Sed & expresse *gloriationem me habiturum in me ipso affirmat, si opus meum probatum reddidero: Gal.* VI. 4. imo *non gloriam tantum & honorem retributum mihi iri in cælo dicit si bonum operer, Rom.* II. 10. sed & *laudem meam ex Deo futuram esse* asserit. *Rom.* II. 29. Quid videtur, Camero? si de laude & præmio solicitus fuissem, an non jure merito fuissem solicitus? Sed cur quæso me hîc solicitum fuisse de iis dicis? Ego enim non dico hîc me præmium aut laudem istam quærere, neque dico me metuere ut iis excidam, imo ne dico quidem ex me id quod regeniti faciunt virtutem esse præmio dignam; sed suppono istud ex Scriptura tanquam utrinque confessum, & de quo nemo Christianus merito possit dubitare, quippe quod Deus ipse totidem verbis affirmat, *Apocal.* III. 4. *Habes aliquot capita etiam Sardibus quæ non inquinaverunt vestimenta sua, ideoque incedent mecum albati, digni enim sunt.* Et contra: *Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui vocati fuerunt non sunt digni: Matth.* XXII. 8. Vide etiam *Matth.* X. 37. 38. Item, *Ecce ego venio, & merces mea mecum est, ut reddam unicuique prout opus ipsius fuerit: Apocal.* XXII. 12. Similia loca sunt *Rom.* II. 6. 7. 8. 9. 10. & 2 *Thessal.* I. 5. 6. 7. & alibi. Atque hæc cum ita sint, quam habet speciem veri quod dicis, *hinc illæ lachrymæ.* Atque cum Deo loqui, Deo jubenti parere, facere quod Deus jubet, lachrymis & fletu tibi dignum, imo dolendi justa causa est? Erras, erras Camero. Non hinc sunt lachrimæ, quod de laude gloriosissimi Dei, de præmio obedientiæ à Dei benignitate proposito soliciti simus, quod ista ambiamus, eo respiciamus; sed hinc illæ lachrymæ, quod de eo aut omnino non, aut nimis parum simus soliciti, quod ista non ambiamus, non affectemus, non quæramus tanto studio, tanta animi contentione & solicitudine quanta par est, ad exemplum non dico Moysis, qui *intuebatur in præmii retributionem, Hebr.* XI. 26. aliorumque tum Patriarcharum tum fidelium Vet. Test. sed ipsius Domini nostri Jesu τὸν ἀρχηγὸν καὶ τελειωτὴν τῆς πίστεως ἡμῶν, *qui pro gaudio sibi proposito pertulit crucem, & ignominia contempta consedit ad dexteram Dei in excelsis Hebr.* XII. 2.

*Nempe* (inquis) *veremini ne omnis Deo laus in solidum debeatur.* Nugæ. Imo verò tu vereris, Camero, ne Deus eam sibi ipsi deberi neget, ne ipse satis solicitus fuerit de nominis sui gloria ac laude, cum ipse nos dignos pronunciat præmio, cum ipse laudem, gloriam & honorem nobis tribuit, cum mercedem nobis retributurum se promittit, nosque eam ambire & quærere jubet. Quid? An dices Deum negare sibi in solidum laudem deberi, quando eam nobis tribuit, imo nos ea dignos pronunciat? Noli credere, Camero, nos id veteri quod dicis. Veremur tantum ut vera quæ Deo debetur laus sapientiæ, bonitatis & justitiæ per sententiam tuam ei eripiatur, & dedecus sanctissimo nomini ipsius summum inuratur, quod utraque, tum mala quæ fieri vetat, tum bona quæ fieri jubet, solus ipse faciat, atque ita studium omne virtutis ac sanctimoniæ, gloriæ, honoris, laudis, præmii ac mercedis stimulus, quo Deus sæpe nos incitat, animis nostris radicitus evellatur.

Addis: *Ne nihil nostrum habeatur præter errorem, pravitatem, intemperiem, miseriam.*

Imò ne quidem error, pravitas, intemperies, miseria, nostra sunt, si vera est sententia tua, uti eam ante clare & fuse satis ostendimus. Omnia ista te autore à Deo orta sint necesse est. Deinde quando Deus gratiam nobis sufficientem largitur, nosque ista gratia adjuti facimus quod ipsi gratum est, & quod Deus ipse laude, præmio, gloria & honore æterno dignum pronunciat, dicere nostrum nihil esse præter erro-

errorem, pravitatem, &c. eſt Deo non tantum laudem beneficentiæ & liberalitatis, ſed & veracitatis adimere. Quaſi videlicet fieri poſſit, ut vel Deus ſibi ipſi detrahat quod ſibi uni debetur, aut nobis tributum velit quod nobis non debetur, vel nos aliquid aut nobis tribuamus, aut Deo detrahamus quando nobis non tribuimus aliud quid quàm quod ipſe Deus nobis tribuit.

*Atqui* (inquis) *ſi Deo in ſolidum laudem tribuere vis, debes eum agnoſcere boni omnis quod in te eſt, unicum, ſolum, perfectum autorem & fontem.*

Agnoſco equidem, ſed ita ut ſimul ſtatuam verum eſſe, quod ea quæ facio auxilio gratiæ ejus adjutus, veræ virtutes ſint, & virtutes laude, honore & præmio dignæ, quia hoc ipſum de factis iſtis meis affirmat Deus qui mentiri non poteſt, & qui melius de factis iſtis judicat quàm vel tu vel mortalium quiſquam. Hoc autem ſtatuere impoſſibile, imò ridiculum eſt, ei qui ſententiam tuam tenet.

*An qui credunt majorem à Deo acceperint gratiam quam qui non credunt.*

*Quid igitur* (inquis:) *Nullius gratiæ debitor es præter eam quæ tibi cum impiis communis eſt?*

Si per impios intelligis eos qui mecum per ſufficientem Euangelii gratiam vocati ſunt, ſed gratiam iſtam aut neglexerunt aut repudiarunt; dico nullius gratiæ majoris me debitorem eſſe. quid abſurdi?

*Deo itaque non dices te debere quod illis melior es?*

Imò verò dicam me id debere. at quia Deus ipſe dicit ſe idcirco me dignum judicare præmio, me habere in memetipſo de quo glorier, ſe mihi mercedem reddere velle ſecundum opera mea, ſimul dico me egiſſe Dei beneficio id quod poteram non agere, & melius quid egiſſe quam ii qui beneficium & conſilium Dei erga ſe repudiarunt, imò verò (utar voce Spiritus ipſius S.) me ὑγιαίνοντα, id eſt generoſiorem fuiſſe iſtis contemptoribus: *Act.* XVII. 11.

*At hoc ipſum igitur quod egiſti Deo non debere te fatearis neceſſe eſt.* Ego verò nego me Deo non debere, tanquam primæ & principali cauſæ, laudem iſtam, quia ſine eo impoſſibile mihi fuiſſet facere quod feci: At quia ipſe Deus mihi etiam eo nomine quod ego id fecerim, laudem tribuit, quia ipſe affirmat me *in memetipſo* NB. *ſolo* (οὐκ ἐν ἐμοὶ μόνον inquit textus) eapropter *gloriationem habere*, dico cauſam ſubeſſe aliquam debere cur ſapientiſſimus Deus id affirmet. Dico autem aliam eſſe aut concipi non poſſe, quam hanc, quòd nos auxilio divinæ gratiæ adjuti Deo obedire voluerimus, cùm poſſemus non velle obedire; Et nos hanc ob cauſam credere, imò gloriari poſſe contra contemtores ejuſdem gratiæ, quos tu meritò impios vocas, quod meliores ipſis fuerimus in eo quod Deo gratioſe nos vocanti obediverimus, quam illi quod Deo obedire noluerint, cum poſſent & deberent obedire. Quamcunque enim aliam cauſam aſſignabis, eam prima ſtatim fronte apparebit eſſe ridiculam, & ab omni recta ratione alienam.

*At faſtu tumet qui ita loquitur.*

Imo verò, inquam ego, faſtus eſt hypocritica quadam humilitate tectus, de actionibus noſtris ſapientius rectiuſque judicare velle quàm Deus ipſe judicat. Quis verò faſtus in eo eſſe poteſt, quod tribuam mihi id quod Deus ipſe ſapientiſſimus mihi tribuit, quodque ut mihi metipſi tribuam mihi concedit? Et, ſi id omnino Deus non faceret, quis faſtus in eo foret, ſi duorum mendicorum alter qui divitias à rege oblatas grato animo accepiſſet, totum id quod haberet datori humiliter acceptum referens, alteri ſimul convitium faceret quod oblatum munus regium reſpuiſſet, ſeque ea in re merito illi præferendum diceret? Utinam hæc ambitio &, ſi ita dicere licet, hic faſtus multos teneret! Non dubito quin Deus ipſe eum probaturus & elogio illuſtri commendaturus eſſet. Recte Baſilius, Homil. 10. Hexam. *Habeo in creatione id quod ſecundum imaginem eſt; Fio autem propoſito & voluntate etiam ſecundum ſimilitudinem: Ubi tua eſt gratia? Cur tu coronatus es? Si enim opifex totum contribuit, quomodo regnum cælorum tibi apertum eſt?* Senecæ dictum (niſi ex æquo & bono iſtud æſtimare velis) tanquam fatuum & profanum tecum execror atque averſor. Niſi, inquam, ex æquo & bono illud æſtimes. Nam alioquin quis neſcit hæc Senecæ dicta: *Bonus vir abſque Deo nemo eſt. An poteſt aliquis ſupra fortunam niſi ab illo adjutus exſurgere? In unoquoque virorum bonorum habitat Deus.* Mox, *Non poteſt res tanta ſine adminiculo Numinis ſtare.* Alibi, *Deus ad homines venit, imo quod propius eſt in homines venit. Nulla ſine Deo mens bona eſt.* Niſi juxta hæc dicta benigne æſtimes hoc Senecæ dictum, cruda & abſurda eſt ejus ſententia. Quid enim etiam moraliter loquendo ſtultius quam hominem ſuo beneficio ſapere? Quicunque ſapit, is alieno beneficio ſapit, ſi quis rem recte conſideret. primus itaque ſapiens divino beneficio ſapiens fuerit neceſſe eſt. Deinde quid ſtultius quàm eum antecedere Deum, qui vix particulam ſapit ejus quod ſapientiæ divinæ eſt? Si verò Theologice loquaris, quid mirum ita locutum finiſſe Senecam? Nullam is agnovit gratiæ divinæ ad ſapientiam veram de vita immortali conſequendam aut neceſſitatem aut utilitatem, quia eam penitus ignoravit. Ego vero utramque agnoſco ex animo. Dico enim totum illud quod quis vult aut facit in rebus ad æternam ſalutem ſuam pertinentibus, à Deo primo atque unico autore eſſe, qui ei vires ad res iſtas volendum & faciendum ex gratia per Chriſtum dedit, quique auxilio iſtius gratiæ, ſemper eum adjuvat, aut adjutum vult ut vires iſtas in actum educat, & ſic perpetuo voluntati ipſius obediat. Sed dico tamen hoc totum ita non eſſe à Deo, quin actus iſte qui viribus iſtis præſtandus ei præſcribitur, ab ipſo homine ſit, & quin præmium quod ei Deus tribuit, eo reſpectu ei tribuat, quod actum illum præſtiterit, cum eum non præſtare aut contrarium præſtare potuiſſet. Nec mirum; Deus ita eum ſentire jubet, & rei natura ut ita ſentiat poſtulat, quia alioquin, abſit blaſphemia dicto, inſulſæ, imo ſtultæ forent pleræque ſententiæ quas Deo tribuit Scriptura, & præmio dignus diceretur quis propter id quod ſuum non eſſet, quodque ipſe feciſſe nullo jure dici poſſet, imo quod alius ipſeq; adeo qui præmium dat in ipſo effeciſſet ſine ipſo.

*Certè* (inquis) *ſic vos ſentire neceſſe eſt, ſi modo conſentanea ſentitis. Negatis enim ubi electioni non ſit locum (hoc eſt, vobis interpretibus, ubi res non potuit aliter cadere, voluntas ſive alio deflectere) laudi ullum ſupereſſe locum.*

Ubi negamus iſtud Camero? Tam alienam & gentili homine dignam ſententiam, ſi eam benignè interpretari nolis, ut dixi, nobis tribuis, ratione adductus quam nobis adfingis? Pudeat te. Si argumentum meum repetiiſſes prout à me conceptum fuit, laudis mentionem non feciſſes, ſed virtutis præmio dignæ, vel præmii quod virtuti qua tali datur. Laudis enim mentio nuſpiam à me facta eſt. Quantum hac in re ſitum ſit, facile potes intelligere ex tua inſtantia, quæ ſubjicitur.

*Quibus de cauſis laus Deo ſit tribuenda.*

*Deo ergo* (inquis) *nulla laus omnipotentiæ, ſapientiæ, bonitati, juſtitiæ debetur.*

Hîc enim ſi aſſumſiſſes verba mea, Dei ergo bonitas, omnipotentia, ſapientia, juſtitia non ſunt virtutes præmio dignæ, an non aſſumſiſſes id quod concedere tibi potuiſſem ac debuiſſem, quodque tu ipſe verum eſſe concedere mihi coactus fuiſſes? Vidiſti id, credo, atque idcirco pro terminis *virtus præmio digna*, terminum *laudis* uſurpare ſemper in reſponſione tua voluiſti, ut materiam reſpondendi haberes, & reſponſioni tuæ aliquem colorem dares. At in eo manifeſtè es prævaricatus. Sed eſto ſequar te nihilominus etiam hîc extra lineas vagantem. *Hac ratione ſequeretur* (inquis) *ne Deo quidem laudem ullam omnipotentiæ, ſapientiæ, bonitatis, juſtitiæ deberi.* Quid tum, inquam? Nam Deo laudem propriè ob ea quæ ipſi natura inſunt non deberi haud invitus conceſſerim. Propriè dico: Quin enim impropriè aut καταχρηστικῶς aliquando laus Deo iſto nomine tribuatur, & tribui poſſit, non diſputo. Tribus enim modis fere laus alicui tribui ſolet. 1. Propter excellentes & eximias aliquas actiones quas ille libera ſua voluntate ſola motus fecit, cum poſſet eas ſine peccato omittere; quales ſunt imprimis actiones bonitatis & juſtitiæ, maximè diſtributivæ. 2. Propter actiones ex officio debitas & lege præſcriptas, quas omittere potuiſſet, etſi non ſine peccato. 3. Propter naturalem quæ in eo eſt perfectionem aut præſtantiam. Primo modo laudem propriè deberi Deo nemo ſapiens negaverit, cum Scriptura diſertè dicat Deum actiones iſtiuſmodi facere εἰς ἔπαινον τῆς δόξης αὐτοῦ, *Epheſ.* I. 3. & alibi. cum eum iſto nomine laudari jubeat & ab Angelis omnibus ſanctis laudari paſſim clamet. Et hæ actiones quia ex libera electione ſive voluntate Dei proficiſcuntur, laudem etiam propriiſſimè merentur. At ſecundo & tertio modo laudem Deo propriè dictam deberi nemo ſapiens dixerit. De ſecundo lis nulla eſt ut arbitror. De tertio res patet. Tantum enim abeſt ut Deo propterea laus debeatur propriè dicta, ut ne quidem homini aut rei ulli laus proprio debeatur, aut propriè tribui poſſit, propter id quod à natura ei ineſt, ſive quod à nativitate habet & poſſidet. Quod inde liquet, quia ob contrarium, ſi id ei à natura inſit, reprehenſio ei non debetur propriè, nec jure propter id accuſari poteſt. Ita nemo laudaverit jure aliquem laude propriè dicta quod Rex natus ſit, potens opibus & viris, quod pulcher, ingenioſus, robuſtus ſit, &c. uti nemo jure aliquem reprehenderit aut accuſaverit quod pauper, deformis, ſtupidus, & debilis natus ſit. Eadem eſt ratio Dei. Nulla laus propriè dicta debetur Deo eo nomine quod Deus ſit, & quod excellentiſſimis iſtis perfectionibus præditus ſit à natura.

*Hæc quidem inſania jam & furor, non modo impietas eſt,* inquis.

En ſupercilium pædagogicum, & Rhadamanthi alicujus reformati judicium! Nimis audax & confidens es in damnando, Camero. Hæc ſane communis omnium pæne Græcorum

rum & Latinorum Scriptorum, de laude proprie dicta loquentium, vox est. Audi Aristotelem tuum id adserentem distertis verbis, cap. 12. lib. 1. Ethicor. *Manifestum NB. Manifestum* (inquam) *est, Optimn laudem non deberi, sed majus ac melius quid. Deos enim fælices ac beatos prædicamus.* Paraphrastes Aristoteles hæc addit; *Propter hoc & ii qui Deos laudant NB. ridiculi censendi sunt, eò quòd nobis ex æquant aut similes faciunt.* Hinc Aristoteles τὸν Θεὸν καὶ τὸ ἀγαθὸν supra laudem semper ponit ὅτι κρεῖττόν ἐστι τῶν ἐπαινετῶν, quia utrumque excellentius quid est quam ut eis laus sola debeatur. τῶν ὑμνων est Deus, & (ut Alcinous loquitur) τῷ τὴν τοῦ ὑμνου ὑπεροχὴν consistit, id est *in honore non verò in laude est, sicut & fælicitas.* Deus enim & fælicitas sunt τὸ ἀγαθὸν καὶ τὸ ἄριστον. πρώτῳ itaque aut δόξαν deberi Deo dicunt, non verò ἔπαινον. An hæc insania jam & furor, non modo impietas est, Camero? Nempe itaque non impius modo, sed & insanire aut furere tibi videbitur, qui Deo laudis vocem idcirco tribuendam esse negat, quòd illa vox Majestate Dei non satis digna sit, atque ideo digniorem, & excellentius quid notantem, ei tributam cupit? O barbarum judicium!

*At præstantior* (inquis) *est is qui laudem meretur quam qui eam non meretur.*

Si per eum qui laudem non meretur, intelligis eum qui indignus est laude, cum laudari alioquin possit, verum est. At si per eum qui laudem non meretur, intelligas eum qui dignior est quam ut laudetur, aut ut laudem proprie dictam mereatur, id falsum, imò risu (ut paraphrastes Aristotelis ait) dignum est. Deus autem idcirco laudem non meretur ob naturales profectiones suas, quia illarum excellentia tanta est, ut supra laudem posita sit, & honore non laude sit digna. Unde efficitur tantum abesse ut ex eo quod Deus laudem non mereri, homo autem laudem mereri dicatur, sequatur hominem Deo præstantiorem esse, ut contrarium prorsus sequi dicendum sit; Idcirco hominem Deo longè inferiorem esse, quod homo laudis capax sit, Deus vero laude omni superior sit ob naturæ suæ ὑπεροχὴν sive eminentiam & sublimitatem. Vocas tu, Camero, hæc *teterrimarum blasphemiarum monstra ac portenta*, eaque sequi dicis necessario hypothesin meam de laude ac præmio. Sed si ista monstra & portenta sint teterrimarum blasphemiarum, jam non tantum Philosophis istis convitium tam enorme facis, quod fortasse susque deque habes, sed etiam monstra & portenta teterrimarum blasphemiarum (immanem hyperbolen!) tribuis Patribus penè omnibus, apud quos hypothesis ista nostra totidem verbis tanquam extra controversiam posita reperitur. Sic enim Irenæus, lib. 4. adversus hæreses Valentini & similium, cap. 72, in initio. *Si naturaliter quidam boni, quidam verò mali facti fuissent, neque laudabiles essent quia boni sunt; tales enim facti fuerant. Sed neq; & illi vituperabiles; tales enim & ipsi fuerant instituti. Sed quoniam omnes sunt ejusdem naturæ, & potentes retinere & operari bonum, & potentes rursum amittere, id est, non facere; justè etiam apud homines NB. sensatos, quantò magis apud Deum, alii quidem laudantur & dignum percipiunt testimonium electionis bonæ & perseverantiæ, alii verò accusantur, & dignum percipiunt damnum, eò quòd justum & bonum reprobaverint.* Quid clarius? Clarissimè tamen Iustinus Apolog. 2 pro Christianis: Τὰς ὑμνῳδίας καὶ τὰς τιμὰς, καὶ τὰς ἀγαθὰς ἀμοιβὰς, καὶ ἄξιαν τῶν πραξίων ἀνάτεσιν ἀπολήψεσθαι ἀλλ' οὐ τῶν σοφιστῶν μαθόντες, καὶ ἀληθῆς ἀποφαινόμεθα. ὅτε εἰ μὴ τὸ ἴσον, ἀλλὰ καθ' ὑπερβολὴν πάντα χάριτος, ὅτι τὸ ἐφ' ἡμῖν ἰσχὺν ὅλως. εἰ γὰρ ἁμαρτωλοὶ τοιοῦτοι τινὰ ἀγαθὸν εἶναι, καὶ τοὺς φαύλους, οὐ δ' ὅτως ἀποδικτέον ἐστὶ τοῖς ἐκείνου μεμισῆσθαι. καὶ αὖ, εἰ μὴ σωφρονοῦσι ἐλαύνειν ὡς τὸ φύσαι τὰ ἀσχρὰ, καὶ αἰρεῖσθαι τὰ καλὰ, δύναμιν ἔχει τὸ ἀνθρώπινον γένος, ἀναίτιον ἐστὶ τῶν ὅπως δήποτε πραττομένων. *Supplicia & cruciatus, nec non remunerationes optatas pro operum dignitate unicuique retribui per prophetas edocti, id quod verum est declaramus. Nam si hoc non fit, sed fato omnia fiant, nihil etiam plane in nostra fuerit situm potestate. si enim fatale sit, hunc quidem esse bonum, illum verò malum, neque hic fuerit probandus, neque ille reprehendendus. Ac nisi libera præelectione & ad turpia fugienda & ad honesta diligenda facultatem haberet humanum genus, non fuerit in causa sive culpa qualiumcunq; demum factorum.* Et paulò pòst: Οὐ γὰρ ἄνευ τοῦ ἄλλα, οἷον δένδρα & τετράποδα, μᾶλλον δυνάμενα φαίνεσθαι πρᾶξιν τινὰ ποιοῦντα ὁ Θεὸς τὸν ἄνθρωπον. οὐδὲ γὰρ ἂν ἄξιον ἦν τοιοῦτον ἐπαινεῖν οὐδ' ἀνεῖν ἀλλ' ἢ τὸ ἀγαθὸν, ἀλλὰ τοῦτο γενόμενον. εἰ δὲ καὶ ὑπῆρχε, δικαίως κολάσεως ἐτύγχανεν, οὐκ ἀφ' ἑαυτοῦ τοιοῦτον ὄν, ἀλλ' οὐκ ἂν δυνάμενον εἶναι ἕτερον παρ' ὃ ἐγένετο: *Non enim sicut alia, arbores videlicet & quadrupedes, quæ nihil ex præelectione agere possunt, hominem Deus creavit. Neque enim ille foret remuneratione aut laude dignus, si NB. à seipso bonum non eligeret, sed bonum editus esset. sed neque malus si esset, justè tormentis afficeretur, qui non ex seipso talis esset, quippe qui nihil aliud præterquam quod factus esset, esse posset.* Vide quæ sequuntur testimonia ad id probandum ex Mose & Prophetis, ibidem prolixè citata. Similiter Clemens Alexandrinus loquitur, Stromatum 1 Sermone: Οὔτε δὴ ἔπαινος, οὔτε οἱ ψόγοι, οὔθ' αἱ τιμαὶ οὔθ' αἱ κολάσεις δίκαιαι, μὴ τῆς ψυχῆς ἐχούσης τὸ ἑκούσιον τῆς ἁμαρτίας καὶ φορᾶς, ἀλλ' ἀκουσίῳ τῷ κακίας ὄντος. *Neque laudes, neque vituperia, neque honores, neque supplicia justa forent, si anima non habet facultatem appetendi & fugiendi, sed involuntario vitio laborat.* Concludit autem his verbis postea: ὧν ἄν τις ἐχόντων, τὸ ἀπροαίρετος τῆς τε ἀγνοίας τῆς τε ἀμαθίας τῆς φαύλης καὶ ἀπιστερῆσαι, καὶ σὺ τούτων τὸ μὴ συγκαταθέσεως ταῖς ἀπατηλαῖς ἐκείναις φαντασίαις, λόγοντας ἐφ' ἡμῖν. *Hæc cum ita se habeant, in nostra potestate situm est abdicare ignorantiam, & electionem istam malam ac delectabilem, & ante omnia non consentire seductricibus istis imaginationibus.* Hieronymus adversus Jovianum, lib. 2. in eandem sententiam loquitur; *Liberi arbitrii nos condidit Deus: nec ad virtutes nec ad vitia necessitate trahimur. Alioquin ubi necessitas, neque corona neque damnatio est.* Et in *Esa. cap. 1. Liberum servat arbitrium, ut in utramque partem non ex præjudicio Dei, sed ex meritis singulorum vel pœna vel præmium sit.* Gemina his reperire est apud omnes omnino Patres. Videamus quod sequitur.

*At verò nego jam* (inquis) *meam opinionem sequi, nullam esse electionem. Ajo verò contra id, sequi meam sententiam, & quidem necessariò sequi, ut nempe sit electio actus animi hominis converti. Vestram autem sententiam sequi, & quidem necessario sequi, ut nulla sit electio, proindeque nullum laudi locum superesse, ne illi quidem cui apud homines locus est.*

Magno molimine Scripturam, rationem, Patres, Philosophos, experientiam totiusque adeo orbis commune judicium is oppugnatum Camero. Utrum hæc jam non insania & furor, non modò impietas sit, ex rationibus tuis elucescet.

*Ac primo quidem, non sequi* (ais) *meam sententiam ut nulla sit electio, hinc liquet; Quod nulla alia causa dari possit cur id sequatur, quam quod pugnet cum electione necessaria ad unum determinatio.* Recte. *At ubi necessitas est determinationis, imò etiam summa necessitas, ibi non tantum electioni locus esse potest, sed revera locus est. Ergo, &c. Minorem claram faciam* (inquis) *prolato exemplo quod tu sat scio non rejicies. Fac mentem humanam clarè ac sine nube cernere præsens, hinc summum bonum, inde summum malum. Quum dixi summum, omnia dixi. Illud etiam ponamus, Deum facere optionem utro frui malit homo; Dubitandum est utram partem animus sit necessario summo atque incredibili ardore amplexurus; utrum summo odio atque aversatione refugiturus pari necessitate? Ex quo facile intelligi potest quam non pugnet cum electionis natura, necessaria determinatio.*

*Inter summum bonum & summum malum non datur electio: & quarum rerum sit electio.*

Resp. Argumentum hoc tuum, Camero, ab omni recta ratione est alienissimum. Nam 1. ponis in exemplo, quo rem argumento comprehensam claram facere conaris, id quod si ab homine fieret ridiculum & stultum esse vel infans diceret, nedum ut à sapientissimo Deo id fieri ponendum sit. *Ponamus* (inquis) *Deum optionem* (electionem dicere debuisses, quia optio latius patet) *alicui dare, utro frui malit, summo bono an summo malo, & utroque quidem clare ac fine nube ipsi ob oculos posito.* At quis non dicat, stultum esse eum, qui optionem alicui det rei quæ nullo modo optabilis est, quamque optari ab homine impossibile est, etiamsi clarè ac sine nube ipsi non proponatur videnda? Tale est summum malum. Id enim ut homo optet prorsus est impossibile, sive istud clarè videat, sive non videat, sed solo nomine tantum ut tale optandum ipsi proponatur. Tum, quis quærat, utrum eo frui homo velit? Quis enim fructus esse potest in malo summo? Deinde 2. Ponis summum bonum cadere sub electionem: in qua tua positione duo noto, 1. quod ponas id quod directè repugnat communi omnium Philosophorum sententiæ, & nominatim Aristotelis, qui alioquin in hac materia proram & puppim pæne apud te facit. Is enim diserte id negat, Ethic. 3. *Voluntas* (inquit) *est finis; Electio mediorum ad finem. Nemo eligit beatus esse, sed omnes beati esse volunt.* 2. posito quod id non repugnaret sententiæ Aristotelis, aut si tu hac in parte Aristotelem jure deseri posse credas, ponis id quod in quæstione est. Cum enim utrinque à nobis supponatur bonum summum necessario amari, malum summum è contrario necessario odio haberi, & quæstio sit, an quæ necessario amantur sub electionem cadant, profectò dicere bonum summum eligi, imo inter bonum summum & summum malum electionem dari, nihil aliud est quam petere aut supponere pro certo id quod in quæstione est. Itaq; quod dicis, *Neque enim negabis hîc puto electionem fuisse, ubi unum alteri optione data fuerit prælatum*, nescio qua fronte à te dicatur. Hoc ipsum enim est illud quod quæritur, imo quod diserte à me negatur. Nam ad electionem non sufficit quævis quovis modo facta unius præ alio prælatio. Necessum est ut electio versetur inter ea quæ eligibilia sunt, id est, quibus saltem non repugnat eligi posse. Tale autem non potest esse summum malum: quum enim summum dico, omnia dixi quæ omnem possibilem rationem boni, id est eligibilitatem omnem excludunt; Nec summum bonum, quia id adeo ne-

eo neceſſario amatur ut nonniſi ridiculè, non dico ſummo malo (quid ſtultius? ) ſed omni alii bono præferri dicatur. Adde quod hîc electionem aliam non intelligamus, quàm eam per quam virtus habet quod virtus ſit & præmio ſummi boni digna. Quis autem volitionem qua ego ſummum bonum volo, & ſummum malum ſimpliciter nolo, electionem appellet quæ virtutis nomine, & virtutis præmio ſummi boni dignæ, venire poſſit? Neque eſt quod hic tu mihi, Gamero, objicias id quod Deut. XXX 19. legitur, ubi Moſes nomine Dei populo Iſraëlitico dicit: *Teſtor adverſum vos hodie cælum & terram, quod vitam & mortem propoſui, benedictionem & maledictionem. deligas ergo vitam ut vivas tu & ſemen tuum.* Nemo enim neſcit orationem iſtam brevem, figuratam ſive tropicam & propter peculiarem emphaſin adhibitam eſſe, qua vita & mors vocatur id facere quod vita & mors ex promiſſione & comminatione divina certò conſequitur, uti ex verſu ſequente manifeſtè liquet, & infinita Scripturæ loca clarè demonſtrant.

Ejuſdem commatos eſt id quod ſequitur: *Supereſt* (inquis) *ut oſtendam neceſſariò ſequi ſententiam meam ut ſit electio. Electio ex duobus quæ proponuntur animo, alterius aſſumtio, alterius rejectio eſt. Atqui meam ſententiam qua ſtatuo Deum ita mentem regenitorum afficere, ut animus non poſſit non appetere quod verè bonum eſt, refugere verò quod verè malum eſt, ſi utrumque proponatur, id ſequitur neceſſariò ut alterum aſſumant, alterum rejiciant. Meam igitur ſententiam ſequitur dari electionem.*

Eadem principii petitione laborat hoc argumentum qua præcedens. Definitionem electionis facis pro arbitrio, & ei tanquam certæ ſuperſtruis argumentum tuum, cum de ea ipſa quæſtio ſit. Probandum tibi erat ad electionem ſufficere ut ex duobus, quæcunque tandem illa ſint, alterum aſſumatur, alterum rejiciatur. Id tu non facis, ſed quod probandum eſt ſupponis. Fruſtra. 1. Quid ſi enim duo iſta eligibilia non ſint? Eligibilia autem non erunt, niſi ſint media: Electio enim eſt mediorum, non finis. 2. Quid ſi alterum tantum eorum ſit eligibile? electio non erit, quia non erit duorum eligibilium, aut ſaltem non erit unius præ alio prælatio, uti tu antea electionem definiviſti. 3. Quid ſi utrumque objectum eligibile quidem ſit, ſed prorſus & omni ex parte æquale? Nec juxta te erit electio, quia intellectus neutrum prætulerit. Electio autem tibi eſt actus, non voluntatis, ſed mentis, ut poſtea videbimus. Ex hiſce colligo per ſententiam tuam omnem omnino veram electionem funditus tolli. Si enim idcirco non datur electio finis ultimi, juxta Ariſtotelem & communem Philoſophorum conſenſum, ſed mera tantùm volitio, quia fieri non poteſt ut homo non velit finem ultimum, ac proinde illum præ alio eligere non poteſt, certe nec dari poterit juxta ſententiam tuam ulla electio, quia quicquid voluntas hominis vult, id non minus neceſſariò quàm ipſum ſummum bonum vult. In neceſſario autem non ſunt gradus; aliud enim alio magis neceſſariò fieri non poteſt, quia neceſſarium omne eſt quod nec eſſe aliter poteſt. Nec minus tollitur electio ſi ea mentis actus, non autem voluntatis eſſe ſtatuatur, quia eadem intelligendi quæ volendi neceſſitas eſt juxta tuam ſententiam. Quod autem neceſſario fit id dicere eligi, & quidem liberè, ſenſui communi repugnat. Sed tantum abeſt ut id veriſimile tibi videatur, ut contra omnia vera ſe firmis lateribus aſſeras, mirabili ſane & nova philoſophandi ratione.

*Animadverte jam* (inquis) *ut oſtendam quî veſtra ſententia electionem omnem penitus tollat. Id quod faciam multis. Et quidem eo primum, quod cum electio ſit actio vel qua bonum malo præfertur & aſſumitur, vel majus bonum minori bono præponitur & pari jure aſſumitur, oportet eam eſſe neceſſariam. Veſtra autem ſententia tollit hanc neceſſitatem; Tollit igitur electionem. Neceſſariò enim bonum malo præfertur, majus item bonum minori; certò (inquam) agnitum, non agnitum autem non præfertur pari neceſſitate.* Mirabilis ſane & nova eſt hæc philoſophandi ratio: ſed nec minus confuſa. nos eam paulò penitius excutiamus.

*Bonum utile vel jucundum voluntas præferre poteſt honeſto.*

Diſtinguendum primo eſt inter bona de quibus agitur. Incertum enim eſt an de bonis ejuſdem generis, an de bonis diverſi generis hæc quæ dicis intelligi velis; exempli gr. an bonum honeſtum neceſſariò præferri velis malo, id eſt, inhoneſto, citra rationem quod inhoneſtum cui alterum præfertur, utile aut jucundum bonum ſit, aut ut tale concipiatur; an verò velis bonum honeſtum neceſſariò præferri inhoneſto, etiamſi inhoneſtum iſtud utile aut jucundum bonum ſit, & ſub iſta ratione boni etiam à mente concipiatur. Si prius dixeris, neminem habebis tibi refragantem; ſed tum nulla hic erit propriè dicta electio. Inhoneſtum enim, quà tale, ſub electionem non cadit, quia nullam prorſus boni rationem habet. Nihil enim eligibile eſt niſi aliquam rationem boni habeat, aut cum aliqua ratione boni concipiatur, uti ex terminis apparet. Malum enim qua tale non poteſt eſſe objectum voluntatis; ergo nec electionis, quæ actus voluntatis eſt. Si poſterius dixeris, tum falſum eſt quod aſſumis: Bonum honeſtum quod tale eſſe cognoſcitur, neceſſariò præferri malo, id eſt ei quod inhoneſtum eſt, & quod inhoneſtum eſſe judicatur. Dico enim fieri poſſe, ac non rarò fieri, ut quis id quod bonum honeſtum eſſe ſcit, addo quod novit præſtantius & excellentius bonum eſſe, ſive in genere boni præcellere alii omni bono utili, jucundo, facili, denique quod novit ſe malo, id eſt inhoneſto, ſed tamen bono utili, jucundo, facili præferre debere, niſi velit ingentis pœnæ reus fieri, & magno præmio excidere, ut quis (inquam) hiſce non obſtantibus malum inhoneſtum eligat, & honeſto iſti bono præferat. Demonſtravimus id ſupra multis rationibus, quas hic repetere non eſt neceſſe; & infra ſuo loco pluribus id demonſtraturi adhuc ſumus. Sola peccata contra conſcientiam id ſatis evincunt verum eſſe. Neque ulla ratio eſt quæ contrarium ſuadeat. Malum enim inhoneſtum, malum tantùm morale eſt, non autem malum ſimpliciter. Morale autem malum, phyſicè bonum eſſe non repugnat. Imò tantùm abeſt ut id quod mens moraliter malum eſſe judicat, voluntas aliquando non poſſit appetere, ut non raro hoc ipſum quod id moraliter malum eſſe mens dictet, id eſt, quod mens id dictet aut à recta ratione aut à lege vetari, hoc ipſum inquam incitamentum ſæpe ſit voluntatis ad id acrius appetendum, quia id ipſum fere ſenſibus aut carni gratiſſimum, jucundiſſimum, aut valde delectabile bonum eſt, & ſub iſta ratione eligibile, & tale quod honeſto aut bono morali, quod fere grave, moleſtum, injucundum eſt, & ſic malum, præferri poteſt. Dices hîc pro more tuo: At hoc ipſo quod voluntas bonum iſtud utile, delectabile, jucundum eligit pro honeſto ſive pro bono morali, mens judicavit illud magis bonum eſſe. Imo vero id ego nego. Dico eligi poſſe, ac proinde voluntatem id eligere potuiſſe, ea ſolum de cauſa quod mens iſtud non judicet eſſe malum ſimpliciter, ſed malum tantum morale ſive lege vetitum, ac proinde ſub alia ratione boni aut convenientis rei eligibile: imo eligi non raro cum mens judicavit jam ante bonum iſtud morale, bono iſti naturali aut ſenſitivo præferri debere, adeoque ſine magno damno ac periculo poſtponi non poſſe. Atqui inſtabis fortaſſe: Niſi intellectus judicaſſet hoc eligendum eſſe, non elegiſſet voluntas. Imò verò (inquam ego) hoc eſt τὸ σφαῖραν ψεῦδος argumentationis tuæ: quod ad hoc ut voluntas objectum aliquod appetat, ſemper requiri velis judicium intellectus quod practicè dictet, hoc eſt eligendum, non illud. Hoc enim falſum eſt; quia ſufficit aliquando ut intellectus illud ſolum apprehendat ſub ratione boni, & ſic eligibilis, prout in motibus quos primo primos vocant uſu imprimis venire quotidiana docet experientia. Imo ſi rectè rem putemus intellectus quando judicat de iis quæ ſub electionem cadunt, nunquam judicat practicè aliquid præcise eligendum eſſe; ſed tantum alterum altero eſſe eligibilius, ut ita loquar, pro ratione majoris aut minoris convenientiæ ſive bonitatis, quæ in uno objecto magis eſt quam in altero. Intellectus enim eſt apprehendere objecta, & judicare de objectis convenienter naturis eorum, & ſic movere voluntatem. Non movet enim voluntatem niſi mediante objecto, quod apprehenſum & judicatum, quale eſt, repræſentat voluntati. Nullum autem objectum eligibile præciſe à voluntate eligi neceſſe eſt. Tantùm duobus caſibus intellectus poteſt exercere hoc judicium practicum, ſive hoc imperium; 1. quando ſummum bonum voluntati repræſentat; id enim non poteſt apprehendere, niſi ut eligendum, quia ſummum eſt, in quo nulla ratio mali eſſe poteſt. 2. quando voluntas jam ante conſtituit finem aliquem adſequi, & intellectui imperavit ut medium quod iſti fini adſequendo utiliſſimum aut neceſſarium ſit conſideraret & expenderet. Tum enim practicè dictari poteſt voluntati, Hoc tibi eſt eligendum: & voluntas ad iſtud eligendum aut volendum potius, determinatur non ex vi judicii iſtius, ſed ex vi propoſiti ſui, quod libere abſque ullo præeunte judicio intellectus practico apud ſe conſtituit, & à quo ipſe non obſtante iſto judicio diſcedere quovis momento iterum poteſt ſi velit. Atque hac ratione breviter hoc loco reſponſum eſto ad hanc rationem tuam, quia infra eadem de re ſæpius erit diſputandum: hic enim cardo rei vertitur.

*Deinde etiam* (inquis) *cum veſtra ſententia ſit voluntatem non niſi à ſe ipſa moveri, neceſſe eſt omnem electionem è medio tolli. Non enim ideo eligimus quia volumus, ſed volumus ideo potius quia eligimus. Electio quippe vel præcipue actus judicii eſt.*

*Electionem non eſſe actum judicii.*

Mira iterum & nova Philoſophia, Electionem eſſe vel præcipue actum judicii, electionem non eſſe actum voluntatis, ſed volitionem præcedere, imò eſſe neceſſariam rationem & cauſam volendi, contra omnem rationem, experientiam & uſum loquendi. 1. Contra rationem; quia cum

in electione boni & mali ratio virtutis & vitii propriè sita sit, si electio actus judicii præcipue est, virtus & vitium præcipue in intellectu erunt. unde sequentur hæc quatuor: 1. Eum qui recte judicat de honesto, & tamen inhonestè vivit, magis esse virtuosum quam vitiosum, quia judicio & electione melior est, quàm voluntate & opere malus est. 2. Fieri posse ut quis virtuosus & vitiosus sit ante & citra omnem voluntatis consensum. 3. In eodem peccato bis peccare, primum eligendo mente, & sic præcipue peccare; inde volendo, & sic minus præcipue peccare. 4. Ignorantiam prorsus involuntariam antecedenter, ut loquuntur, non excusare à peccato. Unde porro consequenter dari peccatum quod plane non sit voluntarium, id est quod nec in voluntate nec à voluntate est: quod est illud quod passim à Patribus, & nominatim ab Augustino, damnatum esse constat. Verba ipsius sunt in libro de vera religione: *Usque adeo peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum si non est voluntarium, & hoc quidem adeò manifestum est, ut nulla huic doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat. Quare aut negandum est* (ait) *peccatum committi, aut fatendum est* NB. *voluntate committi.* Ne autem existimes hanc sententiam ex earum numero esse quæ ab Augustino sunt retractatæ, vide eam confirmatam lib. 1. Retract. cap. 13. & explicatam his verbis, cap. 15. *Peccatum quod nusquam est* NB. *nisi in voluntate, illud proprie intelligendum est quod justa damnatio consecuta est. Hoc enim per unum hominem introivit in mundum. Quanquam & hoc peccatum quo consentitur peccati concupiscentiæ, non nisi* NB. *voluntate committitur. propter hoc & alio loco dixi, non igitur nisi* NB. *voluntate peccatur.* Secundò contra experientiam est; quia sæpe experimur mentem nostram judicare actum aliquem peccatum esse, quem tamen eligimus & facimus. Tertiò contra usum loquendi communem pugnat, sive sacros sive profanos authores spectes. Sacros si spectes, unica divina electio sive ἐκλογὴ id testatur. Ea enim actus divinæ voluntatis fuit, quia facta fuit κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ, *Ephes.* I. 5. Et hoc sensu accipiunt vocem hanc Theologi omnes. Nemo quod sciam vocem istam pro actione mentis accepit ante te, Camero; sed & electionem voluntatis nostræ actum nemo præter te negavit. Scriptores omnes testor. Tu, si placet, unum vide Calvinum, qui tibi instar omnium credo est, lib. 2. Inst. cap. 2. §. 26. *Examinanda nunc voluntas in qua præcipue arbitrii libertas vertitur, quandoquidem* (Nota ut tibi contradicat in terminis) *magna hujus esse electionem quam intellectus ante visum est.* Profanos si videas; Aristotelem tuum consule. Is disertè προαίρεσιν ὄρεξιν βουλευτὴν μετὰ λόγου vocat. Ὄρεξις autem non est actus mentis, sed voluntatis. Sed quid ego in re nota diu moror? Tam clarum hoc est, quam Solis radii cum sudum est solent. Itaque ut respondeam ad argumentum tuum, quod in forma proponis hoc modo: *Electio vel præcipue actus judicii est. Non vultis autem pendere à mente voluntatem; ergo tollitis electionem*: Dico majorem & minorem falsam esse. De majore jam vidimus. Tantum id addam supradictis, quod vocem *præcipue*, hic ad declinandam nimiam locutionis invidiam tantum usurpasti; cùm sententia tua postulet electionem actum judicii non præcipue sed simpliciter esse, uti apparet ex verbis immediatè præcedentibus. *Non enim* (inquis) *ideo eligimus quia volumus, sed volumus ideo potius quia eligimus.* Quod si electio etiam aliquo modo actus voluntatis tibi esset, dicendum tibi foret nos aliquo modo ideo eligere quia eligimus, quod tanquam absurdum omnino à te jam ante rejectum est, quando dixisti, Nihil esse ineptius quam dicere, nos ideo velle quia volumus. Sed transeat hoc etiam cum cæteris. Sive enim voces istas *præcipuè* & *potius* addas, sive demas, nihilominus propositio tua falsa est, ut ostendimus. Minorem similiter laborare ipse vidisti: itaque præoccupasti responsionem.

*Forsean illud es dicturus, Pendere voluntatem hactenus à mente seu judicio, ut quæ nil possit vel appetere vel refugere quod animo non fuerit commonstratum. Ita est. At negatis tamen* (inquis) *voluntatem mentis* VISIS *affici necessario in utramvis partem*, &c.

Cur tu vocem VISIS hìc semper majusculis notaveris causam sine dubio habuisti. Sed cum vox ista plane sit metaphorica in hoc argumento de quo agimus, rectius feciſses si eam plane omisisses, & propria usus fuisses. Scio Patres, & imprimis Origenem, voce græca idem notante non raro uti, sed bona fide. At fides tua suspecta mihi est, ex eo quod eam semper majusculis hìc notaveris. Id enim indicio est te singularem emphasin in voce ista collocare. At ea ipsa emphasis totam vim argumentationis tuæ posset diluere. Per visa enim si intelligas summum bonum & media eò ducentia, cognita cognitione clara visionis, per ea necessariò determinari voluntatem ad amandum, id jam ante concessimus; imò hoc fundamento nixi contra te pugnamus. Si verò intelligas simpliciter cognita, sive cognitio illa sit simplex apprehensio, sive scientia, si ve fides, sive opinio, jam ea non rectè imò non nisi κατ' ἐνέργειαν vocaveris visa, & immeritò majusculis literis ea notaveris. Quicquid sit, respondeo uti antea respondi, visa vel cognita objecta, aut sunt talia quæ vi sua voluntatem determinent, aut non sunt. Si primi generis visa sint, voluntas tendit in ista omnino necessariò, non quidem qua cognita, sive ex vi cognitionis & judicii, sed quia ea quæ cognita sunt tantæ bonitatis & pulchritudinis sunt, ut ea voluntas naturæ necessitate non possit non appetere & amare. Si secundi generis visa sunt, dico cum Origene & Clemente aliisque, esse ἐφ' ἡμῖν sive in nostra potestate, & (uti illi loquuntur) κρῖναι, τὸ χρῆσθαι, τῷ συγκαθίεσθαι, τῷ γνῶναι, τῷ ἐνδύεσθαι, id est voluntatem nostram posse in ea tendere, aut non tendere, negligere, contemnere, respuere ea etiam qua cognita.

*At ergo* (inquis) *sic insto: Omnis facultas vel activa vel passiva est. Motus omnis vel agere vel pati. Quæro jam, Motus hic voluntatis circa visa situs, actio an passio?*

*An motus voluntatis circa visa, sit actio vel passio.*

Resp. Jam ante cap. VIII, hac de re egimus, & pluribus hac de re agamus cap. XVIII. & XXIII. Nunc dicam quantum ad hanc rem sufficit; Me non agnoscere voluntatem esse facultatem quandam in anima quæ ab anima & à facultate (ut vocant) intellectiva distincta sit realiter. proinde voluntatem mihi nec esse activam nec passivam facultatem; sed nil nisi ipsam animam esse, potentem tendere in objecta cognita, aut non tendere, & rationem adhibere in consilium antequam tendat, aut non adhibere. Huic animæ, privilegio isto libertatis donatæ, dico notionem hanc impressam esse à natura, ut adhibere debeat rationem antequam tendat in rem ullam, & ejus consilio duci. Si duci non velit, seu directè seu indirectè, volitio hæc pura puta actio est. Si velit duci, volitio illa aliquo modo quidem passio est, à naturali ista notione orta; sed quia posita ista notione anima poterat tamen non velle duci, actio etiam est capax laudis & præmii. Quando autem anima jam volens duci rationibus, actu etiam ipso ducitur, id est rationibus ad volendum movetur, vel rationibus adducta vult, volitio ista etiamsi propriè non sit receptio speciei ab objecto, sed tendentia in objectum, atque ita velle distinguatur ab intelligere, passio tamen potius quam actio dici meretur; sed ideo laude & præmio digna, quia à prima ista actione libera profecta est, quam revocare omni momento potest anima, per istud quod in ipsa semper manet libertatis privilegium. Afficitur itaque visis anima necessario, quando rationibus ad volendum inducitur aut adducitur, suppositа primum libera volitione quod rationibus affici aut induci velit. Non afficitur autem necessariò, quia potuit semper antea velle non induci, & postquam semel id voluit, potest semper revocare istam volitionem, & nolle affici visis & rationibus. Hoc pacto mihi videtur res hæc clara fieri posse. Sed posito, quod voluntas sit facultas animæ distincta ab anima, prout in Scholis fere receptum est, videamus quousque pertingat argumentum tuum. Dico itaque voluntatem esse facultatem activam, ac proinde velle sive motionem voluntatis circa visa, esse agere. *Atqui*, inquis, *voluntas non est quæ visa movet.* Rectè. sed non quæritur de actione voluntatis in visa, sed quæ circa visa est. Voluntatis autem actus circa visa, est velle, id est tendere ad visa, iisque se unire tanquam naturæ suæ convenientibus. Tendere autem ad visa, non est movere visa. *Quin & ab iis afficitur* (inquis) *nisi repetis quod pono te dedisse.* At posuisti, Camero, quod tibi datum non fuit eo quo tu accipis sensu. Nam dic sodes, quid tibi est voluntatem affici visis? An voluntati per judicium intellectus persuaderi ut velit? At hoc ipsum persuaderi voluntati, quid est? An voluntatem intelligere rationem persuasivam, sive speciem intelligibilem quæ afficit intellectum transire aut dimanare etiam in voluntatem, eaque voluntatem irritari ad volendum? At sic voluntas intellectus foret, & rediret quæstio, quid illud in voluntate sit, quod tamen non sit velle aut nolle. An vero affici visis est voluntatem velle aut nolle visa? At sic idem per idem diceres, & cum quæris, An voluntas afficiatur visis, quæreres, an voluntas velit vel nolit visa; quo quid absurdius? Ex his patet mera sophismata esse quibus pugnas, & quæ si rigidè examinentur, statim sophismata esse apparet, quidque sibi velint nunquam intelligibiliter à te ipso, qui iis uteris, explicari poterit. Et hæc quidem ex imaginaria illa distinctione voluntatis ab intellectu & ab anima ipsa oriri necesse est, nisi velle & nolle puras putas passiones esse velis, quod ab omni recta ratione alienissimum esse sensus communis docet. Id volo, inquies. Bene habet. Ergo huc usque saltem deductus es argumento tuo proprio, ut fatearis verum esse id quod sensus communis, totiusque orbis consensus falsum esse statuit.

*Sed & demonstro* (inquis) *nisi id statuatur electionem omnem tolli.*

*tolli. Nam ſi voluntas volendo non patitur à viſis, ſed agit, jam volitio non pendebit ab intellectu.* Reſp. Non pendebit ab intellectu ut objectum repræſentante voluntati. Nego. ut voluntatem per objecta repræſentata præciſe vel neceſſario movente ac determinante, Concedo. Saltem voluntatis actio, ſive volitio, non niſi cæcus impetus erit, ac proinde non electio quæ virtus dici poſſit laude aut præmio digna.

*Voluntatem non eſſe diſtinctam potentiam ab intellectu & ab anima.*

Hoc argumentum, præter alia plura, me movet ut credam voluntatem non eſſe diſtinctam potentiam ab intellectu & ab anima ipſa, uti poſtea dicam. Sepoſita tamen nunc quæſtione hac, an id verum ſit, dico verum eſſe quod concludis, ſi voluntatem conſiderare velis more tuo ut principium *Quo*, hominem autem ut principium *quod*. Sic enim conſideras voluntatem contradiſtincte prout in ſe eſt potentia libera atque indifferens ad ſequendum rationem vel non ſequendum. Sed quia homo ipſe, ſive anima humana, ut principium *quod* iſta facultate utitur, ita ut volitio ſive actio facultatis iſtius, hominis ſive animæ actio ſit, idcirco dico falſum eſſe quod concludis. Nam ne motio hujus facultatis quæ in ſe ſemper indifferens eſt motio, bruta aut cæca eſſet motio, virtutis ac vitii incapax, idcirco ratiocinatrix etiam facultas data eſt homini in naturalibus, & gratia in ſupernaturalibus, ut haberet quo liberam atque indifferentem iſtam facultatem recte dirigeret; & impreſſa ipſi eſt à natura hæc notio, ut cæcam illam facultatem vagari non ſinat motu ſuo proprio, ſed lumine rationis motionem ejus ſemper dirigat; plane uti homini conceſſit liberam facultatem movendi ſeſe quomodo velit, prorſum retrorſum, &c. Sed ne facultatis illius motio cæca & incondita eſſet motio, qualis natura ſua eſt, oculos ei dedit, & vim aperiendi oculos ad dirigendum motionem iſtam vagam & incertam. Hac facultate, quæ in ſeipſa cæca & bruta eſt, uti poteſt homo aut abuti. Utitur ea quando oculorum ductum ſequitur: abutitur quando ipſe ſeſe bruto & cæco impetu movet, non prorſum, ſed retrorſum, & clauſis plane oculis. Eadem plane ratio voluntatis dicatur neceſſe eſt, ſi voluntas ſtatuatur facultas animæ qua anima in volendo utitur ut principio *quo*. Ipſa enim illa facultas in ſe prorſus cæca eſt & indifferens; ab anima tamen oritur cui hæc à natura impreſſa eſt notio quod facultate iſta uti, id eſt quod velle poſſit & velle debeat id quod ratio dictat: & eadem poſſit abuti, id eſt cæco impetu poſſit velle quodcunque occurrit ſi modo ſpeciem boni habeat. Quando itaque anima facultate iſta recte utitur, non intelligit quidem facultas iſta motionem ſuam an recta an prava ſit, & ſic aliquomodo cæca eſt: ſed anima ipſa ex impreſſa iſta notione ſcit aut ſcire poteſt ſe recte velle, prout velle debet quando cum ratione vult; quia non obſtante iſta ſcientia, abuti poterat facultate ſua, & cæco impetu ſine ratione ferri. idcirco laude digna eſt, & actio ipſius virtutis actio vocari meretur. Quando autem facultate ſua iſta abutitur, id eſt objecta vult nullo conſiderato rationis judicio, volitio ipſius plane cæca & bruta eſt; ſed quia ex impreſſa notione, quam diximus ſcit aut ſcire poteſt rationem adhibendam eſſe in conſilium prius quam velit, idcirco reprehenſione digna eſt volitio iſta qua id facere neglexit, & vitium dici meretur. Tota itaque virtutis & vitii ratio huc redit, quod anima ex naturali iſta notione ſibi impreſſa ſciat quod velle nihil debeat ſine præcedente judicio aut examine, & quod tamen velle aliter poſſit, id eſt impetu ferri, non judicio aut examine. Unde deinde ſequitur, quando ſecundum rationis aut judicii ductum vult, tum voluntatem quidem affici aliquo modo, ſive duci à viſis, ſed non vi viſorum propriè, ſed vi voluntatis illius antegreſſæ, qua anima viſa ſequi conſtituit, liberrima prorſus motione. Quod inde liquet, quia non afficitur niſi conditionaliter, quamdiu & quatenus volitio iſta durat. Pone enim primò, hominem velle exuere hominem, quod dicitur, & viſis amplius affici nolle, ſed cæco impetu ſine ratione contra rationem tyranni inſtar velle quod vult, utique tum non afficeretur viſis, non præciſe quia alio viſo afficeretur, ſed ſimpliciter quia non vult iſto viſo affici aut rationem ſequi amplius: eundem plane ad modum quo homo qui oculorum ſuorum ductum ſequi aliquamdiu voluit, ſi clauſis oculis retrorſum ac non prorſum ire velit, velle id poteſt, non quia ratio ipſi dictat id ita faciendum eſſe, ſed ſimpliciter quia vult. Secundo pone hominem non quidem directè nolle amplius rationem ſequi, ſed cum eam ſecutus aliquamdiu eſt, deſinere animum iis quæ viſa ſunt intendere, aut cognitionem ſive ſcientiam quam habet negligere, & aliis animum occupare; negligentia hæc ſive remiſſio debitæ intentionis certe erit actio vel omiſſio actionis voluntaria culpabilis, cujus alia nulla cauſa aſſignari poterit quam ipſa voluntas, non jam cæco impetu ruens, uti in priore exemplo accidere dicebamus, ſed cæco quodam languore obtorpeſcens, ſive incurioſe habenas remittens, quas adductas ſemper habere & poterat & debebat. Et quia uterque hic motus in poteſtate voluntatis liberæ ſemper manet, ut vel cæco impetu poſſit velle ferri, vel negligere ſecundum rationem debitam ferri, hinc eſt quod electioni, quod virtuti & vitio, quod præmio & pænæ locus ſit. Itaque quod dicis, *Quis collaudet eum qui non ductu mentis, ſed cæco impetu fertur in bonum, aut quid eſt in eo impetu virtutis aut honeſti?* veriſſimum eſt. Vitium in eo eſſe poteſt, uti jam diximus, virtus nullo modo. Duo enim ſunt quæ virtutis nomen ac propterea laudem non merentur. 1. Si velis aut facias quod non potes non velle aut facere: ſive illud ſcias, ſive illud neſcias, nihil refert. 2. Si quod vis aut facis non eo animo velis ac facias quia rectum & ſecundum naturam eſt. Neutrum fieri poteſt ſi cæco impetu feraris. At hujuſmodi cæco impetu ferri voluntatem quando virtuoſe eam agere dicimus, ex ſententia noſtra non ſequi jam manifeſtum dedi; quia voluntatem dixi virtuoſe non agere niſi velit rationem ſequi; velle autem rationem ſequi anima, unde oritur voluntas, & poteſt & debet, quia naturaliter eo fine rationem ſibi datam eſſe novit ut non niſi ad ejus ductum in volendo ſe componat. Hoc itaque quando & quamdiu facit, virtuoſe agit; non ſimpliciter quia rationem ſequitur, uti tu vis; ſi enim rationem ita ſequitur ut eam non poſſit non ſequi, non magis ex virtute agere dici poterit, quam appetitus ſenſitivus ex virtute agere dici poteſt, quando ſenſum ſequitur: ſed quia cum poſſet velle non ſequi rationem, & bruto ac cæco impetu ſive vago ac fluito motu ferri nunc in hoc nunc in illud objectum, tamen non niſi rationis conſilium aut ductum ſequi vult. Et hoc ipſum eſt eligere illud quod merito virtutis nomine venit & laude dignum eſt. Hoc autem per ſententiam tuam funditus evertitur, qua electionem præcipue actum judicii facis: ac proinde virtutes omnes ac vitia conſtitui præcipue vis per id quod nullo modo liberum, & nullo modo in poteſtate voluntatis humanæ eſt. Actio enim intellectus nullo modo libera, & nullo modo in poteſtate voluntatis eſt, uti tu diſertis verbis ſupra contendiſti. Unde conſequi neceſſe eſt eum qui nullo modo libere elegit, præmio & æterna pœna dignum cenſeri poſſe; quod an non à ſenſu communi abhorreat gentilis ſimul ac Chriſtianus orbis judicet.

## CAPUT XI.

### Diluuntur exceptiones Cameronis ad argumentum à præceptionibus & prohibitionibus deſumptum contra ſententiam ipſius.

HIc me non diſputare, ſed puerorum inſtar ludere, imo cum umbra mea pugnare ſtatim in limine non ſine ſarcaſmo tibi familiari contendis. Res ipſa docebit brevi an cauſam habueris. Ego me adeo ſerio & juſta ratione pugnaſſe mihi videor, ut tu eam ne auſus quidem fueris proponere, prout à me propoſita fuit; adeo ut puerorum inſtar palum tibi ipſi finxeris ad quem ludicra pugna te exerceres, & veluti cum umbra tua pugnares. Ego argumentum meum à præceptis & prohibitionibus deſumſi, & in iis poſui ratiocinationis meæ robur. Tu vero nil niſi hortationes crepas, de quibus ne χεῦ quidem eſt in argumento meo, imo quas diſerte à præceptionibus & comminationibus diſtinxi, uti liquet ex fine argumentationis hujus meæ, cum dico: *Adhortationes itaque omnes, increpationes, obteſtationes, vota, quærelæ, &c. nil niſi ludus & jocus erunt.* Cur obſecro, Cameron, non inſtitiſti verbis meis? Idem credo hic accidit tibi quod præcedente capite. Ibi pro verbis quibus ego uſus fueram, *Non dabitur virtus ulla nedum virtus præmio digna ſi vera eſt ſententia tua*, tu *laudis* vocem ſubſtituebas, quia ea exceptioni oportuna tibi videbatur. Similiter nunc in hoc argumento, pro vocibus præceptionum & prohibitionum tu vocem hortationis tanquam ἀνάβλητον ſuppoſuiſti. At videris tu an iſtud ſit bona fide diſputare. Etſi enim hortari aliquando idem ſignificare poſſit quod præcipere, & dehortari idem quod prohibere, tamen formaliter idem non ſunt, neque par aut æquale in verbis iſtis robur eſt. Plus enim quid notat præceptio quam adhortatio, & prohibitio quam dehortatio. Præceptio authoritatem jubendi & officium parendi, cum poteſtate non parendi connotat: Hortatio ſæpe neutrum. Præceptio, promiſſo & comminatione fere ſancitur; Hortatio ſine illis eſſe fere ſolet, niſi præceptio præceſſerit. Par in parem hortandi jus habet, ſed non præcipiendi. Nec inobedientiæ culpam incurrit qui hortanti qua tali non paret, ſed qui non paret præcipienti. & ſane verbum *hortandi* habet peculiare aliquid quod exceptioni oportunum eſt, quatenus nil niſi incitationem, impulſionem,

*Quid præceptiones differant ab hortationibus, & prohibitiones à dehortationibus.*

nem, exstimulationem notat, uti videbimus. Nos itaque hortationis vocem, qua tu uteris, pro præceptione semper accipiemus, ut argumentum nostrum adseramus à tuis exceptionibus.

*Nullus secundum Cameronis sententiam locus esse potest præceptionibus aut prohibitionibus.*

Argumentum meum tale fuit: Si intellectus necessariò determinat voluntatem, nullus plane dabitur locus præceptionibus aut prohibitionibus. Ratio consequentiæ est; Quia si locus foret præceptionibus, ex. gr. præciperet Deus aut intellectui, aut voluntati, aut utrique simul. Neutri præcipere quicquam potest, si sententia tua vera est. Ratio est: Quia quod ad intellectum attinet, quid præcipere posset intellectui? An ut intellectus lucem istam persuasivam eliciat ex seipso, aut ut eam accipiat à Deo quando Deus illam ei infundit? Ut intellectus eam ex se eliciat, præcipere non potest. (loquor de omni statu, etiam primo in quo Adam fuit) quia id intellectui prorsus est impossibile. Ut eam à Deo accipiat, quando Deus eam ipse infundit, ineptè præciperetur, quia eo ipso quod à Deo infunditur, intellectus non potest non eam accipere. Quod ad voluntatem attinet de ea postea videbimus. Ad hoc argumentum nihil respondes, Camero, in forma, sed petis id quod in quæstione est, sive τὸ ἐν ἀρχῇ. Nam hæc verba reponis: *Acriter tu quidem instas ut ea efficias quod nemini sobrio unquam in mentem venit; Non esse quod hortemur quemquam ut lucem habeat à seipso, quam nemo nisi Deus largitur.* Esto. At hoc est concedere totam argumenti mei vim, prout postea patebit. Accipio itaque hoc tanquam confessum à te hoc loco.

*Cæterum* (inquis) *non ostendis qui id sequatur sententiam meam, ut nullus sit hortationum,* (id est præceptionum & prohibitionum; ista enim verba sunt in argumento meo) *usus. Nam ego quidem, ipso te teste* (inquis) *doceo voluntatem à mente plane persuasa flecti necessario in obsequium. Mentem autem persuaderi esse necesse ut voluntas flectatur, idque fieri in τοῖς πραχτοῖς per hortationes additis rationibus. Ubi est acumen tuum? Mens flectit necessariò voluntatem: Ergo non sunt adhibendæ rationes. Sic tibi placet colligere? At ego contrà dixerim. Mens flectit necessariò voluntatem: Ergo opus est hortationibus ut mens afficiatur ipsa, ita demum flexura voluntatem.*

Mirari meritò subit quomodo tu, Camero, negas id ostendi à me, quod manibus pæne palpari potest sic ostensum esse, ut ne quidem ad illud respondere potueris nisi principium peteres, quod sic demonstro: Fateor te dicere voluntatem à mente persuasa flecti necessario in obsequium: Mentem autem persuaderi esse necesse ut voluntas flectatur. Sed eo ipso fundamento nititur argumentum meum. Quæsivi enim quomodo si mens ita persuadetur, & voluntas à persuasa mente ita necessario flectitur in obsequium, præcepto & prohibitioni locus dari possit? Dicis, *mentem quod attinet eam persuaderi in τοῖς πραχτοῖς per hortationes additis rationibus.* Sed ego hîc quæro, ubi est acumen tuum Camero? Nam si persuasio illa fit per præceptiones sive hortationes, jam necesse est ut supponas intellectum præceptionum & prohibitionum qua talium esse capacem: At hoc est illud contra quod militant rationes meæ; Illas itaque impugnare debuisses, non autem supponere quod impugnatur à me. Nec obscurè sanè vim rationum mearum agnoscere videris, quando dicis persuasionem istam fieri per adhortationes *additis rationibus.* Quorsum enim illud, *additis rationibus?* Nam aut hortatio sive præceptio est ratio persuadens, aut non est. Si est ratio persuadens, jam profecto superfluum est illud tuum, *additis rationibus.* Si non est, (uti non esse verba præ se ferunt, dixisses enim alioquin, additis aliis pluribus rationibus:) jam sane persuasio non fit per hortationes sive præceptiones, cum persuasio sit suasio quæ per rationes fit, te ipso teste. At hoc est illud ipsum quod ego concludo. Verumenimvero ut ut sit, argumentum meum manet, quod videlicet capi non possit quomodo aut quid intellectui præcipi possit & prohiberi, imprimis si ei talis qualem tu vis, adhibeatur persuasio. An præcipietur intellectui, & quidem sub promisso præmii & comminatione pœnæ, ut persuasionem illam recipiat? At persuadere active, est facere ut intellectus recipiat persuasionem, id est ut persuadeatur. Quomodo itaque non stulta foret ejusmodi præceptio? An ut eam intellectus eliciat ex se ipso? At sic mandaret Deus intellectui ut sibi ipsi persuaderet id quod non nisi ipse Deus persuadere potest; quod, ut tu ipse hic fateris, nemini sobrio unquam in mentem venit. Adde cum præceptio ac prohibitio in formali conceptu suo notent debitum parendi officium, in eo ad quem præceptio & prohibitio dirigitur, dicendum foret intellectum officium suum facere cum intelligit unum & duo facere tria, & officium suum non facere cum non intelligit etiam id quod intelligere ipsi omnino est impossibile; atque idcirco præmio & pœna dignum esse. Hæc sane sunt portenta opinionum, quæ non facile incrustari possunt cæromate aliquo verisimilitudinis.

Tu tamen, *Dabo tibi* (inquis) *rem exemplo claram. Vos doceri mentem illustrari à Spiritu ut percipiat Christianæ religionis dogmata. Datis hoc puto, neque enim vultis amorem Christi præcedere cognitionem. Quemquam jam tu ferres sic cavillantem? Ex isto dogmate effici, nihil opus esse cognitione, quia ad quid instituamur?* &c.

At hoc exemplum rem non facit claram, quia ad rem non facit, &, si omnino ad rem faceret, magis contra te quam pro te facit. Ad rem non facit, 1. quia aliud est instituere quam præcipere. 2. quia supponis nos dicere, mentem ordinarie illustrari à Spiritu Dei vel solo, vel immediatè. Nam si id non supponis, sed credis nos docere illustrationem mentis fieri mediante institutione, quæ species tum foret collectionis tuæ? supponis itaque quod falsum est. Docemus enim illustrationem illam ordinariè fieri per institutionem humanam; sive institutio ista fiat per prædicationem verbi, unde fidem gigni dicit Apostolus, sive per lectionem, sive per meditationem aut aliam quamcunque revelationem. Si enim illustrationem fieri crederemus primo isto modo, jam sane ratio tua optime concluderet: institutione nulla opus foret. Unde porro colligo, exemplum hoc etiamsi ad rem faceret, tamen potius contra te quam pro te facere. Quod hoc argumento evinco: Si non possumus Christianæ religionis dogmata intelligere sine illustratione Spiritus S. & illustratione ista posita nos dogmata ista intelligere necesse est, tum præcipi nobis à Deo non potest ut ea intelligamus. Illustrare enim ita mentem ut non possis non intelligere quod proponitur, & præcipere ut id intelligas, incompossibilia sunt, ut loquuntur. Dices fortasse: non loquor de præceptione, sed de institutione. Atqui, inquam ego, de illa non de hac loquendum tibi fuerat; de illa enim sola inter nos jam agitur. Sed esto; dico id quod concludo adeo verum esse, ut etiam de ipsa institutione sit verissimum. 1. Si nos non nisi per internam & immediatam illustrationem Spiritus S. percipere possumus dogmata religionis Christianæ, tum institutione opus non est, imo institutionem qua talem ridicule adhiberi aut conjungi illustrationi istiusmodi certum est. Adde 2. Quando jam religionis Christianæ dogmata percepimus, ita ut clare & plene de iis persuasi simus, nec tum institutione opus esse ut ea percipiamus, aut de iis persuadeamur. Institutionem servire quidem posse, ut id quod à nobis perceptum est, melius & firmius retineamus: (quanquam ubi persuasio tua locum habet id necesse non sit:) sed non ut discamus quod jam semel recte & solide didicimus, & de quo plene persuasi sumus. Alioquin non didicissemus quod didicimus, aut discemus adhuc quod jam pridem didicimus. Quæcunque porro de conjunctione Spiritus & verbi adfers ea omnia à janua disputationis abeunt. Non enim quæritur, an verbi ministerium ab interno Spiritus sancti ministerio separandum sit, id utrimque in confesso est, vel potius utrimque jam supponitur. An enim semper internum Spiritus S. ministerium externo verbi ministerio conjunctum sit jam non disputo, aut ut disputem necesse non est, nisi per internum Spiritus S. ministerium tuam internam persuasionem intelligas, sic enim falsum à te supponi dicerem. Sed hoc quæritur, an cum verbi ministerium à ministerio Spiritus S. separandum non sit, fieri possit ut ministerium Spiritus S. peragatur tali interna persuasione atque institutione qualem tu statuis. Ego dico fieri id non posse, quia alioquin præceptiones & prohibitiones quæ verbi ministerio continentur, & præcipuam ministerii istius partem faciunt, locum non haberent, saltem à Deo istiusmodi persuasione utente sapienter adhiberi non possent: atque hoc demonstrant argumenta mea. Tuum erat ista impugnare, & ostendere qua ratione duo ista simul concurrere nō repugnet. Nec refert sive dicas hortationes, id est præcepta & prohibitiones, tanquam materiam substerni actioni Spiritus S, sive dicas eas actionem Spiritus sequi; id enim mihi perinde est. Quæritur enim non quomodo ista Deus simul adhibeat, sed an ista simul adhiberi possint, imprimis à sapientissimo Deo, id est, an Deus si tali persuasione aut institutione uteretur, qua fiat ut nos non possimus non adsentiri & discere, quali tu Deum uti affirmas, ego vere Deum uti nego, simul etiam serio posset nobis præcipere & jubere, sub præmii promisso & pœnæ comminatione, ut adsentiamur & discamus. Atque hic pes figendus tibi fuerat, mi Camero. Sed & libet hic obiter quærere, quid illud sit quod dicis, *Persuasionem divinam sive lucem Spiritus sancti internam formæ instar esse, quæ exhortationem, id est præceptiones & prohibitiones externas, velut materiam informet?* Nam forma ista, id est persuasio sive lux illa informans, aut est præceptio & prohibitio, sive (ut tu loqui amas) adhortatio, aut aliud quid quàm præceptio aut adhortatio. Si præceptionem etiam esse dicas, jam in infinitum abibis. Præceptio enim hæc iterum nova forma habebit opus, quæ eam tanquam materiam informet: Et sic in infinitum. Si aliud quid est, quum formæ sit agere, non materiæ, quomodo præceptiones & prohibitiones tum erunt

*Illustratio facta per vim Spiritus, irresistibilem præceptionum & prohibitionum usum excludit.*

media

media agentia, ſive concurrentia in genere cauſæ inſtrumentalis efficientis in mente perſuaſionem? Hoc ſi tu explicare poteris, Camero, ita ut intelligi poſſis, rem miram feceris.

Dices fortaſſe, non neceſſe eſſe ut explices qua ratione id fiat: ſatis eſſe ſi ex Scriptura conſtet rem ita ſe habere. Fateor, inquam; ſed nego id ex Scriptura conſtare. Ex locis ſane quæ à te citantur neutiquam id apparet. Non ex 1 *Epiſt. ad Theſſ.* I. 2. 3. 4. 5. cum Apoſtolus ait, *Gratias agimus Deo ſemper de omnibus vobis, mentionem veſtri facientes in precibus noſtris*, &c. *Ut qui ſciamus fratres dilecti vos eſſe à Deo electos. Quoniam Euangelium noſtrum fuit inter vos οὐκ ἐν λόγῳ μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐν δυνάμει, καὶ ἐν πνεύματι ἁγίῳ, καὶ ἐν πληροφορίᾳ πολλῇ.* In hoc enim loco Apoſtolum agere de electione æterna ad gloriam, & de perſuaſione interna illa quam electis ejuſmodi peculiarem eſſe vis, ex quo vel veriſimili indicio conſtat? Contrarium apparet manifeſtiſſimè. Electionem ad gloriam quod attinet, de ea non agere Apoſtolum tum phraſis ipſa, tum res loquitur. Phraſis; quia Apoſtolus dicit Theſſalonicenſes *ſcire electionem ſuam à Deo eſſe*. ita enim ſonant verba, non uti tu illa tranſtuliſti, vos à Deo electos eſſe, etiamſi ſenſus eodem redeat, niſi in verbis prævaricari velis. Non enim dicit Apoſtolus ſimpliciter eos ſcire ſe electos eſſe à Deo, ita ut emphaſis ſit in *electos eſſe*; ſed ſe electos à Deo; ita ut emphaſis ſit in *à Deo*. quæ emphaſis ex textu Græco liquet, *ὑπὸ θεοῦ τῷ ἐκλογῷ ὑμῶν*. At ſi emphaſis in eo eſt, quis non videt de æterna electione non loqui Apoſtolum? A quo enim alio æterna illa electio eſſe poterat quam à Deo? Hæc ſane cauſa videtur impuliſſe Bezam, ut verba *ὑπὸ θεοῦ* conjungeret cum participio *ἠγαπημένοι*, non cum vocibus *ἐκλογὴν ὑμῶν*; ſed ejus rei tu rationem non habuiſti, & meo animo quidem revera aliena eſt à ſcopo Apoſtoli. Res ipſa contrarium etiam loquitur; 1, quia Apoſtolus diſertè tribuit toti Eccleſiæ Theſſalonicenſium, quod ſciret electionem ſuam eſſe à Deo. 2. Sibi ipſi tribuit quod ſciat Eccleſiam iſtud ſcire. At quid magis abſimile à vero, quam Apoſtolum certum factum fuiſſe de æterna totius Eccleſiæ electione, & de Eccleſiæ ſcientia ac perſuaſione; aut ſi omnino certus factus fuiſſet de utroque, eum id ipſi Eccleſiæ indicaturum fuiſſe, & ſimul deinde eam admonituram fuiſſe adeo ſolicitè, ne ſeduci ſe pateretur, ne à mente dimoveretur, ne dormiret, ſed vigilaret, &c. imo declaraturum fuiſſe, in eadem iſta Eccleſia eſſe qui inordinate ſe gerebant, & non ex tradita doctrina, & ab iis ſecedendum eſſe? Si dicas, hæc ad omnes quidem directa fuiſſe, ſed ad paucos quoſdam electos pertinuiſſe, difficultatem non tollis, ſed auges multò magis. Inde enim, præter ea quæ jam indicavimus, inſuper adhuc efficitur totam hanc Epiſtolam, & quæ in ea ſunt adhortationes, quas fundamento & baſi electionis hujus ſuperſtruit Apoſtolus, ad pleroſque non pertinuiſſe, ſed ad eos tantum de quibus verè affirmaverat Apoſtolus, illos ſcire vocationem ſuam à Deo eſſe: quod quantis abſurditatibus involutum ſit nemo non intelligit. Si de æterna electione itaque hîc non agitur, nec de iſta interna perſuaſione quam vocas (quæ vox tamen etiam in toto textu non eſt) agi certum eſt. Hæc enim illam neceſſario ſupponit, ex tua ſententia, & iiſdem, quibus prior explicatio de electione æterna, difficultatibus obnoxia eſt. Statuendum enim foret Apoſtolum certum fuiſſe de fide eorum vera, quod videlicet ex animo credidiſſent, & perſuaſione illa peculiari à Deo donati fuiſſent; quod quam ſpeciem veri habet? Qua igitur de re agitur, inquies? Res clara eſt; Agitur de Electione Theſſalonicenſum ad gratiam; id eſt de externa eorum vocatione, & ſeparatione ac ſelectione quaſi in populum divino cultui, peculiari & diverſo à cæteris omnibus cultoribus, qui tum in mundo erant, modo ſeſe conſecrantem. Hujus vocationis ſive ſegregationis ipſorum ad peculiarem Dei cultum, Deum authorem fuiſſe docet Apoſtolus, idque ſcire, id eſt expertos eſſe, vel clare cognoſcere atque evidenter intelligere eos potuiſſe dicit, ex iis omnibus quæ ſibi ipſi qui eos vocaverat & ſic quaſi ex mundo elegerat, acciderant, aut quæ in ſe obſervare potuerant, videlicet ex auxilio iſto ſingulari quo confirmata fuerat tum prædicatio ſua, tum ipſorum vocatio, quod aliunde quam à Deo profectum eſſe non poterat. Quia videlicet non nude tantum prædicaverat ipſis verbum veritatis, ſed etiam ejuſmodi ſingularibus & admirandis ac non niſi divinis modis prædicationem ſuam confirmaverat: *οὐ δυνάμει* ſcilicet, id eſt potentibus ſignis, prodigiis ac miraculis, quæ non niſi digito Dei fieri poſſunt, *οὐ πνεύματι ἁγίῳ*. id eſt vel ſpiritualium donorum miraculoſis diſtributionibus, vel ſingulari vitæ ſanctimonia, ſancto Dei Spiritu digna, vel ſpirituali rationum divinarum & ſanctarum efficacia contra omnes obloquutores & obtrectatores, vel denique ſancto affectu iſto quem in me cognoviſtis cum miracula facerem, *καὶ πληροφορίᾳ πολλῇ*, id eſt magna illa animi alacritate & fiducia in omnibus adverſitatibus, perſecutionibus, obtrectationibus, &c. Apparet non niſi hac de re agere Apoſtolum, 1. ex eo quod ſtatim ſequitur, *Sicuti noſtin quales inter vos fuerimus*, id eſt ſicut experiundo didiciſtis, quam divinis ſignis & donis, qua manſuetudine, patientia, puritate, ſcientia ac fiducia in medio veſtri verſati ſumus hactenus; quod & teſtarum feciſtis quando exemplum vitæ meæ ſecuti & doctrinam Jeſu Chriſti amplexi eſtis, non obſtantibus tot ac tantis periculis perſecutionem & afflictionum quæ ea de cauſa ſubeunda vobis eſſe videbatis. 2. apparet idem ex familiari conſuetudine Apoſtoli, quia paſſim fere Apoſtolatus ſui divinitatem hiſce argumentis confirmat, atque ex iis Eccleſias vocationem ipſarum divinam eſſe colligere vult. Vide 2 *Corinth.* XII. 12, & *cap.* XIII. 3. 4. 5. 10. *Hebr.* II. 3. 4. & alibi. Hactenus de primo loco.

*Locus 1 Theſſ. I. 2. 3. 4. 5.*

Ex ſecundo loco nihilo magis concludere potes. Is eſt deſumptus ex *Actis*, XVI. 14. *Dem adaperuit cor Lydiæ ut attenderet ea quæ à Paulo dicebantur.* Nam quo argumento evinceres, Camero, apertionem cordis Lydiæ hîc notare peculiarem quandam internam Dei actionem in cor Lydiæ, qua factum fuerit ut Lydia attenderet ad concionem Pauli, & quam Deus adhibere noluerit circa mulieres cæteras? Nullo. Nihil enim vetat accipere verba hæc ita ut non ſignificent aliud quid quam eventum concionis Paulinæ, cujus ſubſtantia tota à Deo erat, id eſt divina vel divinitus ipſi inſpirata, hunc fuiſſe in Lydia, quod cor ipſius adapertum fuerit rationum concione Apoſtoli contentarum claritate atque efficacia, ita ut attenderet, id eſt fidem adhiberet iis quæ à Paulo dicebantur. Erat enim timens Dei mulier & ſalutis ſuæ ſtudioſa, ſecus quam mulieres cæteræ. Quantum autem hujuſmodi probitas poſſit ut quis cum fructu audiat veritatem, id arguunt clariſſime multa Scripturæ loca. Unum atque alterum expreſſum vide. *Johan.* VII. 17. *Si quis voluerit voluntatem Patris mei facere, is cognoſcet*, (id eſt intelliget) *de doctrina, utrum ex Deo ſit, an ego ex me ipſo loquar.* Nam ut *cap.* III. 20. dixerat, *Quiſquis quæ mala ſunt agit, odit lucem, nec venit in lucem, ne arguantur opera ipſius. Qui vero dat operam veritati is venit ad lucem. Qui ex Deo eſt is audit verba Dei, cap.* VIII. 47. & ſimilia. Senſum hunc orationi huic ineſſe nihil vetat, uti dixi. Nam etiamſi eventus hic tribuatur concioni Paulinæ, nihilominus tamen optimè dictum fuerit, Deum aperuiſſe cor Lydiæ, quia tota concio Pauli non conſtabat niſi rationibus atque argumentis quæ à Deo erant; Deum autem dici facere quod non fit niſi iſtis rebus quæ à Deo ſunt, infinita loca demonſtrant, & ſpeciatim contraria omnia loca quibus Diabolus dicitur facere id omne quod diabolicis artibus, rationibus, argumentis fit. Tanto autem veriſimilius hoc videri debet hîc Paulo tribui poſſe, quia expreſſe ipſe ſe à Jeſu vocatum fuiſſe dicit & miſſum, *Act.* XXVI. 18. *ut aperiat oculos Gentium, & convertat eos à tenebris ad lucem.* Quod ſi nihilominus peculiarem etiam actionem Dei in cor Lydiæ hiſce verbis notari volueris, nec dum tamen quicquam effeceris; uti capite XXI. à nobis demonſtrabitur.

*Locus Actor. XVI. 14.*

Multò minus adhuc probat locus ex *Deut.* XXIX. 4. deſumptus. *Neque tamen Deus dedit vobis cor ad intelligendum, & oculos ad videndum, & aures ad audiendum uſque in hunc diem.* Ipſa enim oratio ſive modus loquendi, *Neque tamen*, prout recte hoc loco Hebræum לא ab omnibus interpretibus exponitur, atque imprimis loci ſcopus, non obſcurè arguunt, verbis iſtis ſeriam & ſeveram exprobationem indocilitatis & pervicaciæ populi contineri; quod videlicet Deus per tot & tam inſignia facta, quæ in medio eorum à tempore exitus ipſorum ex Ægypto fecerat, eo præcipue fine ut eos ad legum ſuarum obſervationem exſtimularet, non id obtinuerit à populo, ut mandata ac præcepta ejus in cor ſuum admiſerit, aut ut quod dare atque efficere in ipſis per ſigna & prodigia iſta innumera lubenter & ſerio voluiſſet actu non dederit nec effecerit. Dare enim hoc loco vox metaphorica eſt, & ſignificat idem quod impetrare ut quis faciat quod peto & jubeo, ſive accipientem invenire; proinde non voluntatem ſimpliciter nec conſilium dandi, ſed dationem cum effectu, ſive cum eventu: ut ſenſus ſit, Non dedit Deus, quanquam dandi voluntatem & conſilium habuerit. Quod ſi ex textu hoc pro tua ſententia aliquid depromere velis, Camero, dicendum tibi foret verba iſta, *Deus non dedit vobis*, hunc ſenſum habere, Deus non voluit dare vobis cor ad intelligendum. At ſic jam non accuſationem, ſed excuſationem potius, contineri verbis iſtis dicatur à te neceſſe eſt; quod ex ſcopo patet abſurdum eſſe; niſi fortè cum Franciſco Junio rationem hanc ſubeſſe velis, *quia adhuc infantes erant*; aut cum aliis, quia rebellione ſua meruerant ſemper à Deo deſeri. At ſic eadem opera vim argumenti

*Locus Deuter. XXIX. 4.*

menti tui elidas neceſſe eſt. Quo autem vel veriſimili argumento ex hoc textu iſtum tu queas elicere ſenſum ego non video nec conjicere poſſum.

*Locus 1 Cor. III, 6. 7.*

Hiſce ſi addas locum ex 1 *Cor.* III. 6. 7. quem paulo ante obiter citaſti, & huc referri poteſt ac ſolet, apparebit nec illum ſervire inſtituto tuo, niſi probes *dare incrementum* ſignificare peculiarem illam Dei actionem, quæ à miniſterio ipſo verbi tanquam materia ſua in quam agit diſtincta ſit. At quo argumento id eviceris? Neque enim repugnat textui aut phraſiologiæ, ſi quis verborum iſtorum ſenſum eſſe dixerit, Nullam laudem aut gloriam ſingularem deberi Paulo & Apollos, quod ille *plantaſſet*, id eſt Corinthios primus ad religionem Chriſtianam adduxiſſet, & hic ejus ſucceſſor *rigaſſet*, id eſt eos in fide foviſſet & confirmaſſet; ſed præcipuam adeoque totam pæne gloriam Deo deberi, quia univerſa quæ in ipſorum prædicatione & miniſterio ad plantandum & rigandum fuit vis & efficacia, ea à Deo in ipſis profecta fuit, quia videlicet ipſis ſuggeſſit & inſpiravit quæcunque ad eam rem utilia & neceſſaria fuerunt; adeò ut quodcunque ex labore eorum natum fuit incrementum, id non ſuo ingenio, ſed divinæ inſpirationi & auxilio, acceptum ferre debeant; prout pulcherrimè id explicatum legimus ab Apoſtolo 2 *Epiſt. cap.* III. *verſ.* 4. 5. 6. Quin & ratio ipſa poſtulat ut hoc ſenſu, non iſto, accipiantur verba. 1. Neque enim in naturalibus, in quibus homines plantant & rigant, & Deus etiam incrementum dat, incrementi datio ſpecialem Dei actionem internam à plantatione & rigatione externa diſtinctam ſignificat; ſed tantum recepto more loquendi notat, divino beneficio acceptum ferendum eſſe quod plantata & rigata creſcant, quia niſi ille terræ in qua plantatio fit, & aquæ per quam fit rigatio, iſtam vim indidiſſet, & inditam porro conſervaſſet, plantatio & rigatio omnis fruſtranea futura eſſet. Eadem itaque ratio cur hic non militet? 2. Quia alioquin ſi quis præciſe verba urgere cupiat, concedendum foret per homines quidem ſine Deo adduci nos poſſe ad fidem, imò in fide aliquatenus foveri poſſe, ſed non poſſe proficere aut creſcere ſine Dei auxilio ſpeciali. plus enim ex verbis iſtis præcisè Deo tribuendum eſſe non patet. 3. Quia alioquin Apoſtolus ſeipſum & Apollos miniſtros Dei appellare non potuiſſet per quos crediderant Corinthii, cùm tamen ita ſe diſertè vocet *verſ.* 5. Denique 4. Quia ſcopus Apoſtoli hoc in loco propriè non eſt oſtendere qua ratione fides efficiatur in hominibus, & in Corinthiis effecta fuerit; ſed tantum quod tota illa ſpiritualis ſuada, vis & efficacia, quæ in externa prædicatione Apoſtolorum erat, & per quam multi addu&ti fuerant ad fidem, tum in principio cum Paulus plantaret, tum poſtea cum Apollos rigaret, Deo authori, à quo uno dona iſta ſingularia tum plantator tum rigator acceperant, præcipue adſcribenda ſit. Inde enim rectè infert Apoſtolus, Corinthios non debere iſta forma loquendi verè ſchiſmatica uti, *Ego ſum Pauli*, ſcilicet diſcipulus, aut ab eo adductus ad fidem, qui primus Eccleſiam hic magno numero fundavit aut plantavit: *Ego ſum Apollo*, id eſt ego ab eo ad fidem ſum adductus, qui Paulo quidem ſucceſſit, ſed non pauciores imò plures ad fidem adduxit. Quicquid enim aut Paulus aut Apollos fecit, id fecerunt quiſque donis illis quæ à Deo acceperant. itaque ſive ille paucos, ſive hic plures: ſive vice verſa hic paucos, ille plures ad fidem adduxerit, iſtud omne incrementum tribuendum eſt donis iſtis divinis, prout cuique ea Dominus dedit, *verſu* 5. & ſic Deo tanquam primæ & principali cauſæ effectus iſte tribuendus, atque ab eo ſolo tanquam authore boni omnis pendendum eſt.

Hæc itaque loca, in primis ita nude & frigide uti à te factum eſt propoſita, nullam habent vim probandi id quod à te probatum oportuit. Unde meritò quis miretur tuam non confidentiam ſolum, ſed & audaciam, qua in judicando turges, Camero, cum verba hæc ſubjicis: *Ac ego quidem auſim confidenter aſſerere, alienos adhuc eſſe à Chriſto qui vim iſtam non ſenſerunt.* An tu illam ipſe ſenſeris ego quidem vehementer dubito; & nihilominus perſuaſiſſimus ſum te eam ob cauſam alienum à Chriſto non eſſe. Quod ſi tu eam ſenſiſſes, cauſas nobis credendi graviores dediſſes, ſaltem in hoc ſcripto tuo, nec tam ignoranter de vi iſta, quid ſit & quo modo agat, locutus ubique fuiſſes, nec tam levibus argumentis nixus damnationem tam atrocem ſcripſiſſes. Nunc vide etiam atque etiam ne alius ſpiritus mentem tuam confidentia tanta adflaverit, aut quam tibi tuus proprius ſuggeſſit ſpiritus, divino Spiritui tribuas. Facile credimus nos ſentire quod vehementer volumus, & libenter divinæ inſpirationis imaginatione lenocinatur ſibi animus noſter. Sed non rarò nobis accidit quod Jacobo & Joanni accidiſſe legimus *Luc.* IX. 55. ut *neſciamus cujus ſpiritus filii ſumus*, ut extinctos velimus quos Chriſtus ſervatos vult, & alienos à Chriſto credamus eos qui ei ſunt conjunctiſſimi. Nec immerito nobis ſuſpectus eſſe debet proprius animus noſter, quando ille confidentia tumidus præceps fertur in damnationes aliorum, citra expreſſam Servatoris & judicis noſtri ſententiam. Mitior ille eſt quam ut alios judicet alienos quam quos ipſe Jeſus à ſe alienos eſſe aperte declarat. Benignior eſt quam ut alios quam profanos & peccatores à Chriſto alienos pronunciet. Caritate vera flagrat, quæ facit ut *& inscia* ſuum velit innoteſcere omnibus, & ut optima quæque ſperet de aliis, niſi Dominus ipſe Jeſus ſpem omnem præcidat. Qui tam facile & de plano (quod dicitur) atrum calculum ponunt, ii viderint annon valde procul abſint à ſpiritu illo ſine quo Chriſti eſſe non poſſunt. Ego, Camero, qui te credo nullam habuiſſe cauſam adeo crudeliter ſentiendi & cenſendi de myriadibus hominum, qui fortaſſe te ſi non meliores, nec pejores etiam ſunt, nullus dubito quin hac in re non graviter tantum erraveris, ſed gravius multo peccaveris. Nolim tamen te ad hunc ſermonem vel mihi iraſci, vel æquo vehementius dolere, ſed ſerio cogitare itane ſe res habeat.

*Ad voluntatem, ex ſententia Cameronii, non poſſunt dirigi præceptione & prohibitiones.*

Progrediamur nunc ad alterum membrum ratiocinationis meæ; quod videlicet ad voluntatem etiam præceptiones & prohibitiones non poſſint dirigi ex ſententia tua. Ratio qua uſus ſum hæc eſt. Nam voluntati præcipere ut lucem in mente accenſam ſequatur, cum eam voluntas non poſſit non ſequi, ridicula foret præceptio, imprimis ſi præceptio ſanciretur promiſſis & minis.

*Non magis hoc eſt conſequens* (inquis) *quam non eſt conſequens, ut ne pergamus docere eos qui probe inſtituti ſunt, ſiquidem intellectus, ut veſtris utar verbis, irreſiſtibiliter illuminatur. Sed quemadmodum inſtitutio neceſſaria eſt ad vel augendam cognitionem, vel ad confirmandam memoriam, hortationum eadem ratio eſt.*

At quis hanc connexionem vel lynceis oculis præditus videat? Qui probè inſtituti ſunt eos pergimus docere quia ſæpe aut multa adhuc ignorant, quæ ſine doctrina forte ſemper ignoraturi eſſent; aut eorum quæ ſemel didicerunt obliviſci iterum poſſunt, imò ſæpe eorum non recordantur. At qui voluntati lucem mentis jam ante ſe phari inſtar habenti præcipit ut lucem iſtam ſequatur, is voluntati præcipit quod ipſa non poteſt non omni tempore, eodem modo, eadem intenſione facere, ſive ei præcipiatur ſive ei non præcipiatur. Poſita enim luce in mente, juxta te amor in voluntate tam neceſſariò ſequitur, etiam abſque ulla hortatione, imò etiamſi maxime voluntatem dehorteris, quàm neceſſariò ſequitur umbra in Luna ex interpoſitione terræ inter ipſam & Solem. Quod ſi ii qui probe inſtituti ſunt, ita probe inſtituti eſſent ut nihil ignorarent, imo non poſſent non ſcientiam ſemel acceptam retinere, certe ſupervacaneam operam navaret qui eos docere pergeret. At talis eſt ratio voluntatis, uti jam vidimus. Deinde tu me ſemper concludentem hic facis quod non ſit opus hortationibus poſtquam illuſtrata mens eſt. At ego concludo, non tantum non eſſe opus hortationibus, ſed impoſſibile eſſe ut hortationes, id eſt præceptiones ſapienter adhibeantur voluntati, ſi neceſſariò ductum mentis ſequitur, quia eo ipſo quod voluntas neceſſario ſequitur mentis ductum, præceptionis capax non eſt. At alia eſt ratio eorum qui docentur; Etiamſi enim ii qui probè inſtituti jam ſunt, dici poſſint opus non habere inſtitutione nova, tamen capaces ſemper manent doctrinæ & inſtitutionis, ſi non novæ, ſaltem ejuſdem quam jam ante didicerunt. Tertio, ſemper hîc pro præceptionis & prohibitionis voce, hortationis ſolius vocem ſubſtituis ad diluendum argumenti mei vim; quod factum non oportuit. Pergis.

*Nec tu potes hujus meæ reſponſionis robur labefactare, niſi neges ad certo credenda religionis Chriſtianæ myſteria neceſſariam eſſe actionem quandam internam Spiritus ſancti.*

*An adeo dendum neceſſaria ſit potentia quædam interna Spiritus ſancti.*

Hæc clauſula, Camero, huc non pertinet, ſed ad paginam præcedentem. Tu enim tantum argumentatus es hoc loco ex eo quod non opus ſit futurum, ſi vera eſt conſequentia mea, ut pergamus docere eos qui probe inſtituti ſunt, quocunque demum modo inſtituti ſint. non enim ex modo inſtitutionis, ſed ex modo inſtitutionis factæ, ut ita dicam, argumentatus es. An autem iſtam tuam reſponſionem non labefactaverim, nulla habita ratione ejus an interna quædam actio Spiritus ſancti ſit neceſſaria ad certo credendum religionis Chriſtianæ myſteria, Lector judicabit. Sed poſito quod hæc clauſula appoſitè hîc adhibita ſit à te, dico ſecundò, clarè explicandum tibi fuiſſe quid per actionem Spiritus ſancti internam velis: An actionem intus in mentem ipſam agentem, an actionem in rationes jam intus apprehenſas agentem, an actionem in utraſque ſimul. Si actionem in mentem ipſam intus agentem intelligas, explicandum deinde vel clare ſaltem definiendum tibi fuiſſet, an intelligas actionem per quam mens capax redditur ad percipiendum dogmata Chriſtianæ Religionis eaque certo

cre-

credendum, sive per quam potentia supernaturalis ad supernaturalem actum fidei eliciendum ei inditur; an verò actionem per quam etiam ipse adsensus sive fidei actus animæ imprimitur, ita ut ea posita mens non possit non intelligere, assentiri & credere mysteria religionis Christianæ. Si prius intelligas, non potes sane ignorare quin Remonstrantes ejusmodi actionem S. Spiritus in mentem semper admiserint, & potentiam ad credendum necessariam esse semper concesserint. At hac posita non potes negare responsionis tuæ robur à me labefactari potuisse. Si posterius intelligas, ego actionem ejusmodi necessariam esse nego, imo doctrinæ externæ sive suasioni & persuasioni ullum locum superesse posse nego ubi illa adhibetur, uti jam ante fusè demonstravi. Quod si tu idcirco me *meipsum Christianum negare* judices, id ego susque deque habeo. Parum mihi est à te aut ab humano ullo die judicari. Jam sæpius didici quam leviter tibi damnatorius calculus excidat, & quam incircumspectè ludas, non de corio tantum humano, sed & de ipsis animabus hominum: quam citò Christianus & regenitus tibi aliquis sit, & quam repente ob leviculum errorem Christianus esse desinat. Discres spero posthac in rebus tanti momenti lentius ire & lenius agere. Sed bona fide, liceat mihi ex te quærere, Camero, an tu ipse internam ejusmodi actionem in mentem nostram agnoscas necessariam? Ego certe id nuspiam ex tuis scriptis potui animadvertere. Totum id quod tu necessarium esse statuis ad mentis illuminationem, ut certò credat mysteria religionis Christianæ, est interna persuasio, quæ ipsa tibi suasio est. Per suasionem autem, vel potentiam credendi dari intellectui, vel mentem ipsam propriè internè sive intrinsecus affici, quatenus τὸ intrinsecus afficere contradistinguitur ab omni extrinseca sive objectiva motione, quis mortalium capiat? Nulla itaque actio propriè dicta interna in mentem, sed sola externa sive objectiva actio in rationes suadentes, ut persuativæ fiant, à te cum statuatur, Camero, vide annon tu pariter desinas esse Christianus, non meo sed tuopte judicio proprio. Nisi te ejus seriò pæniteat, non in alios tantum, sed in te ipsum durus & inclemens sis necesse est.

*Ubi necessitas dominatur, præceptiones & prohibitiones non possunt esse media fidei.*

Contra exceptionem quæ à te verisimiliter fieri poterat, & plerumque fieri solet ab iis qui in materia Prædestinationis tecum sentiunt, Quod videlicet præceptiones & prohibitiones serviant pro mediis incitantibus voluntatem ad faciendum id quod rectum est, per præoccupationem dixeram eam ad rem tuam non facere, eo quod præceptio tale medium esse non possit, ubi necessitas dominatur. Ratio est; Quia præceptio in primo suo conceptu involvit officium parendi in eo cui præceptio datur. At officium nullum verum locum habere potest, ubi id quod fit aut omnino non potest fieri, aut omnino non potest non fieri. Quis enim ex officio lege præscripto facere recte dicatur id quod non potest non facere, aut quod absolute non potest facere, sive impotentia illa oriatur ex naturæ conditione, sive ex pœnæ inflictione? Nemo enim obligari potest ad faciendum quicquam supra naturam suam, aut ad faciendum id ad quod à judice per pœnam impotens est redditus.

Hanc solutionem sive præoccupationem meam non impugnas, Camero, sed instantiam similem das qua me ad idem absurdum redigere conaris. At sic non solvitur argumentum, sed nodus nodo opponitur. Esto, sic disputare tibi libuit; sequendum est. Videamus an par & eadem sit ratio ejus quo tu premere me vicissim studes.

*Quasi tu dicteres* (inquis) *Institutionem Gentium in doctrina non potuisse (ut tuis utar verbis) pro medio servire. Institutio enim tale medium est quod primo suo conceptu importat capacitatem ejus apud quem institutio adhibetur. At nulla capacitas supponi potest ubi id quod docetur non potest percipi, aut non potest non percipi. Quin enim ex institutione discere id dici possit, quod non potuit non discere, aut quod absolutè non potuis discere? Videsne jam* (addis) *quæ tu adversùs hortationes & præcepta deducis ex mea sententia, eadem sequi communem tibi nobiscum sententiam de necessitate institutionis.*

Mirum, Camero, ni tu ipse senseris, cùm hoc exemplo uti velles, ad illud in Epistola disertè jam responsum esse. Vide enim verba expressa paragraphi quem tu impugnas, in fine. *Aliud est seipsum impotentem reddidisse sine ulla interveniente pœna; De hoc enim non agimus. Dicimus enim fieri non posse ut quin pœnæ rem fiat, si ista est conditio voluntatis quam vult Camero.* Ex quibus patet me non negare præceptiones & prohibitiones adhiberi posse apud eos qui se ipsos culpa sua reddiderunt impotentes ad faciendum quod præscribitur; sed negare tantum præceptiones & prohibitiones pro medio voluntatem incitante ad officium faciendum servire posse, si voluntas, qua voluntas, abstracta ab omni seu corruptionis seu integritatis statu, necessariò vult quod vult, aut non potest non velle quod vult ex naturali conditione sua cum qua creata est, uti tu vis. Pone itaque, Camero, si placet, mentem Adami nondum corruptam, nondum viciatam, id est vel originaria & naturali luce ista quam vocas præditam, vel luce ista privatam sine ulla culpa sua antequam à Diabolo seduceretur: menti luce ista præditæ præceptio servire non poterat pro medio, ut ab errando sibi caveret; quia fieri impossibile erat, ut mens quamdiu in ea lux ista erat (deficere autem non poterat, uti supra multis demonstravimus) erraret. Dicere autem officium mentis propriè esse ut non erret, quando non potest errrare, quis nisi væcors dixerit? Menti luce ista privatæ antequam ulla sua culpa id meruerat, saltem in priore instante privatæ quàm peccaret, id est erraret, præceptio etiam pro medio ad officium faciendum incitante servire non poterat, quia alioquin officium mentis in isto tali statu fuisset non errare. At quis officium mentis proprie ex legis præscripto esse dicat, non errare, quando nulla sua culpa in istam conditionem detrusa est, ut non possit non errare? Quid? an tu vel filii vel servi etiam tui officium esse dices scribere & ambulare, quando tu calamos, atramentum & quicquid ad scribendum necessarium est iis ademisti, aut ita iis manus pedesque adstrinxisti ut scribere atque ambulare ipsis impossibile sit? Næ tu ferreus pater ac dominus fores, & illi vere miseri à quibus officia ista exigeres. Ubi quis impotentiam ipse sibi accersivit alia ratio est. Non enim eripitur mihi jus meum propter alienam culpam; etiamsi apud omnes homines sensatos, etiam id certum sit, præceptiones non nisi stulte adhiberi apud eos etiam qui nullo modo præstare possunt id quod præcipitur, si præceptionis finis sit hic tantum, ut id præstetur, sive impotentia ista propria culpa acquisita sit, sive aliunde; sive culpa nostra nobis adnata, aut inflicta sit ab alio; dummodo invincibilis impotentia sit. Sive enim quis, exempli gratia, ita sua decoxerit ut solvendo non sit nec esse possit, sive quis ita pauper sit ut nihil habeat aut habere possit quod dèt; sive quis cæcus sit quia ipse sibi oculos effodit, sive quia cæcus natus est, aut à judice oculi ipsi eruti sunt, id perinde esse videtur ad præceptionis rationem: ut plane inutiliter dicatur illis præcipi ut solvant quod debent, his ut videant aut legant quod proponitur. sed nos de hoc casu non agimus. Applica jam ad ea quæ diximus, id quod de institutione Gentium adfers. Gentes quando in doctrina instituuntur, aut sunt prorsus doctrinæ Euangelicæ incapaces nulla sua culpa, sed uti Adam privatus luce originaria ejus incapax erat; aut scientia & cognitione rerum earum quæ per institutionem proponuntur natura sua præditæ sunt, uti Adam à natura præditus erat luce originaria. Apud neutras institutio servire potest pro medio. Quis enim, exempli gratia, doceat aliquem currere qui simpliciter movere se non potest? aut quis doceat aliquem diem esse quando sol est ortus, vel si ab æqualibus demas æqualia, quæ relinquuntur esse æqualia, quæ sine ulla institutione non potest non scire? En ut omnia, Camero, etiam hac in re sint paria. Atqui, inquies, Ego loquor de Gentibus prout nunc sunt in statu corruptionis positis. At, inquam ego, hoc est σφάλμα tuum quod vitare debueras; Scire enim poteras me diserte excepisse culpæ antecedentis rationem. Addam tamen & hoc ex superabundanti, ut rem clariorem faciam, institutionem gentium etiam in isto statu non modo non esse, sed nec posse esse medium quo Deus utitur ad gentes illuminandas, si vera est sententia tua. Aut enim per institutionem gentium in doctrina intelligis externam tantum institutionem seu suasionem, qua talem, aut institutionem cui conjuncta est ista efficacia quam persuasivam vocas. Neutram dico juxta sententiam tuam, si consequenter loqui velis, pro medio ad instruendas gentes servire. Non primam; Id enim ipse fateris. Servire quidem potest externa institutio ad docendum Gentiles impotentiam suam, quia illius institutionis capaces sunt gentes, licet corruptæ; At pro medio ut discant veritatem salutarem, servire juxta te non potest. Non secundam; quia institutio quæ in illa includitur, non est nisi materia quæ à Spiritu sancto informatur tali persuasionis forma quæ effectum ipsum discendi producit. Formæ enim est agere non materiæ. Institutio itaque illa quæ ab hominibus fit quando gentes instituunt, non est medium per quod ii discunt, sed tantum materia sive objectum quod discitur; plane uti color non est medium quo cæcus illustratur, sed id quod cæcus visum recipiens & luce illustratus intuetur, sive potius à quo ad videndum deinde movetur. Rem ita se habere patebit statim ex sequentibus. Nunc tantum concludo & dico parem omnino esse præceptionis & institutionis gentium rationem, si per gentes intelligas homines simpliciter & citra ullam propriam culpam suam institutionis & præceptionis incapaces redditos. Sicut enim institutio pro medio discendi servire non potest, ubi nulla capaci-

tas est in mente ejus qui instituitur ad institutionem percipiendum, aut ubi mens sine institutione non potest non scire id quod per institutionem ipsi proponitur; ita præceptioni & prohibitioni locus non est, ubi id quod fieri jubetur non potest ullo modo fieri, etiamsi millies jubeatur, aut non potest non fieri, etiamsi nunquam jubeatur, imo etiamsi prohibeatur.

*Quo sensu verum sit intellectum irresistibiliter illuminari.*

*At* (inquis) *ex sententia tua sequitur eum qui instituitur non posse non discere, quia intellectum dicis illuminari irresistibiliter, & ad illuminationem se habere mere passivè.*

Resp. Nunquam id dixi eum qui instituitur non posse non discere. Contrarium docet nimis clarè experientia. Neque id sibi volunt qui dicunt intellectum illuminari irresistibiliter; cui uni sententiæ tota libri tui machina ad me & mihi ἐμφδὼν oppugnandum innititur. Fieri enim posse credunt ut quis institutus atque ita illuminationem in mentem admittere nolit, eodem modo quo fieri potest ut quis oculis præditus, ad lucem claudat oculos & videre nolit; sive id fiat quod institutionem audire non vult, sive quia cum institutioni intereſt, animum non adhibet institutioni, sed aliis cogitationibus & curis eum occupatum tenet. Esto, inquis: at cum jam animum non divertit, non potest non intelligere quod per institutionem ipsi proponitur, si id intelligibiliter proponatur, & ipse capacitate, id est facultate intelligendi præditus sit. Rectè, inquam. Intellectus enim nullo modo est liber ab intrinseco. Libertas propria affectio est voluntatis.

Pergis; *At sicut ut intellectus actu intelligat & credat necessarium est objectum intelligibile, circa quod actus intellectionis occupetur; ita cum Deus menti ingenerat fidem, necesse est ut accedat admonitio de iis quæ credenda sunt. Sicut autem intellectus vere intelligere dici potest, etiamsi non possit non intelligere objectum, posita facultate ad intelligendum sufficiente, & objecto intelligibili clare proposito; ita etiam vere potest dici de eadem mente quod credat præceptis, etiamsi non possit non credere, posita facultate credendi, & præceptis quibus credendum sit.* Imo vero, inquam, hîc magna dissimilitudo est. ut enim intellectus actu intelligat, sola objecti propositio sufficit. At præceptum non concurrit ad fidem, simpliciter ut objectum aliquod est: neque qui præcipit aliud nihil facit quam quod proponat objectum quod faciendum est. Absit. Ego enim possum tibi objectum faciendum proponere; at eo ipso tibi non præcipio. Præceptio formaliter amplius quid notat: præter propositionem objecti, connotat etiam rationem propter quam credendum & parendum est, sive officium debitum parendi in eo ad quem præceptum dirigitur. Idcirco enim ego debeo parere ex officio, quia mihi præcipitur ut paream ab eo qui jus jubendi mihi habet. Itaque si præceptio ut medium serviet ad incitandum voluntatem, non nisi sub tali ratione formali servire debet; & ego cum pareo præcepto, non tantum debeo præceptum ut objectum apprehendere, sicut mens intelligibile apprehendit, sed debeo ita apprehendere ut eo ipso officium mihi mandatum faciam. Id autem nego fieri posse, si talis est conditio voluntatis, ut non possit non facere id quod præcepto continetur. Faciet enim sic quidem voluntas quod præcipitur, sed non quâ præcipitur; & præceptum non concurreret ad obsequium ut ratio movens, sive ut medium incitans voluntatem, sed tantum ut objectum sine quo obsequium esse non potest; proinde nec ego id quod præceptum est faciendo, officium meum faciam, sed faciam simile quid atque ii faciunt qui officium suum faciunt. Itaque cum dicis, *Deus quidem nos ita afficit ut nequeamus non parere præceptis suis, Ergo adhibenda sunt præcepta ut id eveniat;* Id prorsus ineptum est, nisi præcepta ut objecta tantum necessaria esse dixeris, prout dicere te non obscure liquet ex eo quod sequitur, *Potestne revelli actio ab objecto suo & sejungi nisi cesset actio?* At cum præceptio non sit nuda objecti propositio, sed amplius quid significet in formali conceptu suo, contrarium potius dicendum tibi fuerat; Idcirco Deus non afficit nos ita ut non possimus non parere præceptis ipsius, quia si ita nos afficeret, non faceret ut præceptis ipsius pareamus, imo ipse præceptionis suæ proprietatem ac vim ista agendi ratione penitus enervaret. Non enim simpliciter facere quod præcipitur, sed id ex officio facere, quâ præcipitur, id demum est parere. Nec sufficit si quovis modo concurrat præceptum, ad id ut pareas: necesse est ut sub forma illi ratione sua, qua præceptum, concurrat, atque ita ab eo qui præcipit adhibeatur, ut vere dici possimus præcipienti parere. Alioquin insipienter sane præcepta darentur, & quidem sancita promissis & minis. Sed de hac eadem re in sequentibus pluribus agendum erit. Pergamus.

*Promissa & minæ additæ præceptionibus & prohibitionibus redduntur ridiculæ per Cameronis sententiam.*

Argumentum à præceptionibus & prohibitionibus desumptum valde confirmari dixeram, quando illæ sanciuntur promissis & minis. Quis enim præcipiat alicui ut intelligat unum & duo facere tria, & quidem sub promisso præmii; & quis prohibeat alicui ne unum & duo credat facere quinque, & quidem sub pœnæ comminatione? Similiter quis præcipiat homini ut summum bonum quod clare cognoscendum ipsi datum est, & non potest non amare, amet, & quidem sub promisso summi boni? Quis prohibeat homini summum bonum quod odisse non potest, odisse sub mali summi comminatione? &c. *Hæc confirmatio*, inquis, *negligi à te potuit.* Cur Camero? Vis tamen argumenti præcedentis non parum augetur per eam, ut cuivis prima fronte argumentum intuenti manifestum est. sed tu eam dissimulando, quam serio respondendo convellere maluisti. Adeo enim negligenter ad rem respondes, ut dedita opera neglexisse argumentum videri possis, tanquam responsione indignum. Artes istæ Sophistarum sunt, ut ad argumenti dissimulationem tanquam ad supremam anchoram confugiant, tum cum maxime in periculo versatur causa eorum. Utinam, Camero, directe tibi respondere placuisset. Nunc quid responderis equidem non video. Sententiam tuam exponis quidem: sed id necesse non erat: satis enim ea nota est. *Quis hortetur* (inquis) *homines ut habeant Spiritum sanctum aut lucem Spiritus?* Recte. Quis ergo hortetur, inquam ego, homines, imo quis hominibus præcipiat sub promisso præmii & pœnæ comminatione, ut recte judicent de summo bono & iis quæ ad summum bonum pertinent, & ut summum bonum ament, quando jam lucem illam Spiritus habent, per quam non possunt non recte judicare de summo bono, &c. & summum bonum amare? Item, quis præcipiat sub eodem promisso & comminatione hominibus, qui Spiritus istius lucem nulla sua culpa non habent, nec habere possunt, ut recte judicent de eodem summo bono, cum sine ea non possint recte judicare? Utriusque par ratio est, aut ostendatur vel tantilla dissimilitudo.

*Optamus sanè*, inquis, *ut Deus omnibus largiatur Spiritum suum bonum.*

Quomodo id serio optare aut precari à Deo possitis ego doceri à te velim, Camero: cum vos scire & credere dicatis, antequam precamini aut votum ullum facitis, Deum Spiritum suum bonum non tantum non omnibus, sed multo maximæ hominum parti dare nolle. Nempe ergo seriò vultis, quod creditis Deum seriò non velle, & cùm velle debeatis quod Deus vult, optatis à Deo & precamini Deum ut velit quod vos vultis, non autem quod ipse vult. Indigna sane hæc sunt Christianis auribus, & nescio quæ spongiæ sufficere possint eluendis tam fædis maculis reformationis vestræ.

*Deinde verò sequuntur hortationes ad officium, adhibitis minis & promissionibus.*

De hortationibus jam actum est; de promissionibus & minis quæritur, quam vim eæ habeant, & quomodo adhiberi possint, si ii ad quos eæ diriguntur aut non possunt non servari ex decreto divino absoluto antegresso, uti vis, & ex decreto succedaneo non possint non hortationibus parere, id est facere id quod hortationibus proponitur: aut non possunt omnino servari ex alio decreto contrario, & hortationibus non parere. Quid sapientissimo Deo indignius tribui potest, quam circa istos quos nominatim servare decrevit, & quos tali fide donat ut credant & credere debeant se ad salutem nominatim electos esse, ac proinde non posse non servari, comminationibus æternæ mortis uti? quid ineptius videri potest, iis qui ita electi sunt, & qui se ita electos esse credunt, quam comminationibus æternæ mortis, quas sciunt Deum nec posse nec velle executioni mandare, moveri ad officium faciendum? Certe si comminationes istæ argumentorum moventium locum apud eos habere possent, necesse est ut periculum ejus mali quod comminationibus continetur possent apprehendere, imo actu apprehenderent, si rationabiliter comminationes ut comminationes apprehendant. At in quorum mentibus Deus ipse fidem ingenerat, qua credunt periculum istud impossibile esse, eo quod credunt se electos esse irrevocabiliter, & sibi omnia peccata sua, præterita, præsentia, futura remissa esse, ii non possunt apprehendere periculum ullum. Quomodo igitur minæ, ut minæ, pro argumento ipsis servient ad officium faciendum? Eadem est ratio promissionum quæ circa non electos sive reprobatos adhibentur.

*At valituræ sunt* (inquis) *si Deus adsit, non valituræ si non adsit.*

An valituræ sunt ut promissiones & ut minæ, Camero? Doce quomodo id fieri possit. Id enim mihi videtur omnino ἀκροάλωτον, &, non dico sapientissimo Deo, sed quovis ratione saltem mediocri utenti homine indignum: comminationibus mortis movere eos quos servare nominatim vis, & quos credere jubes ac credere facis fieri non posse ut moriantur; & promissis vitæ movere eos quos perdere nominatim vis, & quos servari ac promisso vitæ moveri impossi-

impossibile est : imò promisso vitæ excitare aliquos si faciant quod præcipitur, & interim efficere in ipsis ut non possint non facere quod præcipitur. Dictum Augustini pium est, si commode explicetur: si tuo sensu dictum istud interpretandum esse velis, tum sane istud tanquam humanum dictum eodem jure quo sententiam tuam rejicere licet. Alterum vero illud, Θεῦ δόσ ὃ θέλ ἰχύει φθόσ, καὶ μὴ δόσ ὃ θέλ ἰχύει πόσ, eodem loco habeo. Primum ejus membrum verissimum est. Posterius similiter, si ad bona vitæ hujus referas. Quod si vero ad vitam spiritualem referas, falsissimum certo sensu esse potest. Supponit enim alterutrum, aut fieri posse ut quis veræ pietati operam det, & studiosè in via virtutis laboret, antequam Deus ei auxilium suum commodet; aut fieri posse ut Deus juvare & succurrere auxilio & benedictione sua nolit iis qui virtuti operam dant, etiam cum labore & studio omni adnituntur in via virtutis proficere. Prius repugnat dicto Christi, *Joh.* XV. 5: *Sine me nihil potestis facere.* Posterius dicto ejusdem Christi, *Matth.* XIII. 12: *Habenti dabitur.* Cætera quæ sequuntur ea sunt ejusdem farinæ, & jam sæpius confutata, & revera nil nisi verba, uti ex antedictis patet.

## CAPUT XII.

### Defenditur argumentum quo probatum fuerat per sententiam Cameronis tolli rationem obedientiæ & inobedientiæ.

*Per Cameronis sententiam tolli obedientiam & inobedientiam.*

EX iis quæ à nobis tractata fuerant deduxeram consequenter hoc argumentum, si præceptiones & prohibitiones, promissa & minæ, adhortationes, increpationes, obtestationes, &c. locum habere non possunt quando mens & voluntas ad unum præcisè determinatæ sunt, ita ut aliud aut aliter quàm id quod agunt, agere non possunt, ergo nec obedientiæ nec inobedientiæ ratio constare potest. Ratio consequentiæ est: Quia præceptis, ut præceptis, obedire obedientiâ proprie dicta dici non potest, qui non potest non facere quod præcepto continetur; nec dici potest non obedire, qui nulla sua culpa non potest facere quod præcepto continetur. Credebam me dicere plana, palpabiliter vera, quæque una omnium hominum populorumque vox ab omni ævo sonuit; sed nova tibi hæc sunt & à veritate aliena. Obedientiam propriè dictam esse vis etiam cum quis non potest non obedire, imo hanc obedientiam esse omnium excellentissimam. Immanis itaque hiatus est inter te & me. Videamus ex qua parte stet veritas.

*Ergo* (inquis) *non vultis, qui non potest non velle. Tu ergo ne vis quidem tibi esse bene, quia non potes velle tibi esse male.*

Sane, Camero, si dixissem eum non velle qui non potest non velle, nihil dixissem quod à ratione & communi loquendi usu alienum est. Seneca 2. lib. de benef. *Si vis scire an velim, effice ut possim nolle.* Aristoteles 3. Nicom. cap. 5. τὸ οἷς χαίρ ἐφ' ἡμῖν τὸ πρᾶξαι & τὸ μὴ πρᾶξαι, & τὸ οἷς τὸ μὴ & τὸ ναί. Triphonius Jurisconsultus lege, In bello. §. medio. D. de captivis, *Consentire non potest, cum nec dissentire possit.* Ulpianus, De regulis juris, leg. 3. *Ejus est velle qui potest nolle.* Sed abstinui ex professo ab hac generali propositione, ne tibi cavillandi ansam darem, quam à te in verbo *volendi* captatum iri nihil dubitabam; & majorem propositionem meam hanc feci ut ex textu Epistolæ liquet. Qui non potest non velle, is non vult voluntate quæ virtus obedientiæ sit & dicatur. Contra hanc propositionem quid excipi potest? Sane hac voluntate non vult, qui vult sibi bene esse. Quis enim sapiens præcipiat mihi ut velim mihi bene esse? Sive enim quis id præcipiat, sive vetet, non possum non id velle. Et quis me obedire, vel præcipienti, vel mihi ipsi, dicat in eo quod id velim? Contrarium itaque majori jure hîc concluserim; Quia in eo volendo non obedio mihi, itaque obedire & velle sæpe admodum sunt diversa.

*At quæ voluntatis eadem est obedientiæ ratio, quæ vim omnem suam & gratiam à voluntate mutuatur.*

*Obedientiam differre à voluntate.*

Ex jam dictis patet contrarium: non esse videlicet eandem prorsus rationem voluntatis & obedientiæ, quia fieri potest ut quis recte dicatur velle, qui tamen eo ipso obedire dici non potest. Verum est, Quisquis obedit is vult; sed non contra. Deinde obedientiam vim omnem & gratiam suam mutuari à voluntate, qua voluntas simpliciter est, nego. Non mutuatur ab ea vim & gratiam, nisi qua voluntas libera est, sive qua voluntas est quæ præcepto subjacet, ac proinde etiam potest nolle aut non velle quod præscribitur.

*At non est obedientia* (inquis) *nisi quia voluntaria est.*

Rectè. inde nihil aliud sequitur quam ad obedientiam requiri ut sit voluntaria; non autem, Ergo, si modò voluntarium quid est, obedientia est. Voluntarium enim est omne quicquid quovis modo à voluntate proficiscitur, quatenus voluntas est; sive proficiscatur ab ea necessario, quod voluntarium idem est cum spontaneo; sive liberè, libertate propriè dicta, quam indifferentiam, non autem lubentiam solam voco. Istud voluntarium nego sufficere ad constituendam obedientiam. Alioquin omne sponte agere esset obedire; & cum sponte agere possimus etiamsi nullus sit præcipiens, obedire etiam possemus sine præcepto; quod absurdum est.

*At qui* (inquis) *aliud nihil est obedientia quàm voluntas qua nos submittimus majori & jubenti.*

Rectè. Sed hoc ipsum quod dicis, *qua nos submittimus majori jubenti*, contra te facit. Quid enim intelligis per pronomen *nos*? an non etiam, & quidem præcipuè, voluntatem sive velle nostrum? Ita sane necesse est. *Obedientia* enim propriissime *est*, ut recte Damascenus ait lib. 3. cap. 4. *Voluntatis propriæ subjectio.* At qui non potest non velle id quod vult, is certè non potest recte dici velle suum submittere aut subjicere alteri jubenti, non magis quam appetitus sensitivus recte dici potest sese submittere sensibus quando jussum aut judicium sensuum sequitur. Ex contrario res manifestissima est. Quis enim jure dicat de aliquo quod non velit se submittere, aut quod non submittat se jubenti, qui non magis potest se jubenti submittere, aut non magis facere potest id quod jubetur, quam grave in altum tendere?

*Si itaque* (inquis) *contingat, ut tam vehementi amore reverentiaque prosequamur majorem, ut non possimus non obsequi ei ex animo, tu id non vis fore obedire?*

Pro, *non potest non obsequi ex animo*, si placet, pone hæc verba, *qui non potest non velle aut facere id quod major jubet*; Nam alioquin sophismate manifesto luseris. Quomodo enim qui non potest non obsequi, dicatur non obsequi? Isto sensu si acceperis verba, uti oportet, nego id fore obsequi. Qui enim non potest non velle quod vult, aut quod velle jubetur, is non vult præcipienti qua tali se submittere formaliter, sed tantum id quod præcipiens jubet, materialiter vult, quia non potest aliter velle aut aliud. Proponatur idem istud faciendum ei simpliciter absque ullo præcepto, eadem necessitate, eadem lubentia istud faciet. Præcepto ad id opus non est, imò præceptum ridiculè & ineptè adhibetur. In contraria inobedientia res liquet, uti antea ostendimus. Hanc veritatem adeò claram atque evidentem, tu non tantum falsitatem vocas, Camero, sed & eam cum sensu communi pugnare contendis. Mitum ni brevi sensum communem secum ipso pugnare contendas. Sed audiamus te id, non confirmantem, sed in exemplo veluti per Satyram ostendentem. Erubescès credo, cum responsum audieris, & veriore exemplo contrarium ostensum videris.

*Dic mihi quæso,* (inquis) *Tu patrem aut matrem habuisti unquam, aut sensisti affectum filii?*

Credebam, Camero, etiam te hac de re dubitaturum, & an ex cucurbita aut quercu, sine sensu sine affectu, natus essem, disputaturum. Sed revoco me. *Haud dubiè,* inquis.

*Ergo tu nullo unquam tempore ita te sensisti affectum animo, ut possis verè dicere te non potuisse illi non obedire? Nam internum animi affectum sequitur necessariò actus externus, si facultas adsit. Ferus es & verè ferreus si non est ita. Sed profecto ita est. Et ego hoc exemplo usus sum ut te tantò arctius constringerem.*

Vin' tibi peccata & virtutes meas recenseam, Camero? Age faciam id in gratiam tuam, ne te contemni putes, & ut tamen videas quàm parum appposito exemplo hîc sis usus. Quando seu pater seu mater præcipiebant mihi quæ lubenter admodum volebam, sensi semper me lubenter ista facere, ita ut propemodum non possem non ea facere; sed sensi simul me non parentibus meis, sed animo potius meo morem gerere, & quæ faciebam non facere quia jussa erant, sed quia ea animo meo grata erant. Si imperarent molesta, difficilia, ingrata, parui quia ex officio parendum mihi erat; sed nunquam sensi me illis ita obedire, quin possem non obedire, imò semper sensi me contra facturum fuisse, si cum ipsorum bona gratia id mihi facere licuisset. Invitus ista ferè faciebam & non lubens. Quid, ferusne & ferreus hîc tibi videor fuisse? Ego tamen te non rarò idem mihi fecisse credo, etiamsi an istud eque ingenue confessurus sis dubitem. Liceatinterim mihi te vicissim examinare, Camero: Tu patrem aut matrem habuisti unquam? Haud dubiè. An nullo unquam tempore illos offendisti, illis ægre fecisti? an semper, exacte jussibus ipsorum ac nutibus morem gessisti? Non dico, superbus es & arrogans si id dicas, sed miraculum es hominis.

*Qualem vix reperit unum*
*Millibus è multis hominum consultus Apollo.*

Sed

Sed non obediviſti aliquando, haud dubie? quid? an unquam ſenſiſti talem non obediendi animum, ut non poſſes obedire? Si eum non ſenſiſti, quomodo adſenſum præbuiſti & voluiſti non obedire? Adſenſus enim eſt quidam mentis ſenſus, uti dixiſti. Si eum ſenſiſti, an nihilominus ſenſiſti te peccare? & an adſenſiſti te non tantum ira patris tui, ſed & æternis flammis propterea digniſſimum? Ferus & verè ferreus in te ipſum fuiſti ſi ita eſt. Sed profectò ita non eſt. Et ego hoc exemplo uſus ſum, ut te tuopte laqueo conſtringerem. Sed ecce alium nodum, ut arctius te conſtringam. Senſiſti unquam, Camero, affectum patris? Haud dubiè. Et filium habuiſti aliquando minus obſequentem? Quippe ni credam illud? An credidiſti unquam filium tuum quando tibi non obſequebatur ita affectum fuiſſe animo ut tibi non poſſet obſequi? Ita certe crederis neceſſe eſt, ſi ea tibi quæ nunc, animo ſtabat ſententia; ſtetiſſe autem jam tum verſus tui quos libro tuo ſubjunxiſti, ineunte adoleſcentia tua (ut ais) conſcripti, arguunt. Et carpſiſti & objurgaſti & cecidiſti filium iſtum tuum pugno, flagro, virgis? & poſtulaſti ſerio obſequium? & minatus es graviora ni obſequeretur? O te durum patrem! ô miſerum filium, & merito tam duro patri ante tempus ereptum? Viden' Camero, ut alter alterum lepide affati ſumus? Uter tibi jam ſolidus videtur ratiocinatus, aut exemplo arctius conſtrictus? Te ipſum judicem poſtulare vix dubitem.

*Jam transferatur* (inquis) *exemplum, & accommodetur ad amorem & reverentiam qua vere regeniti Deum Patrem proſequuntur. Res eodem modo ſe habet. Maximè obediunt cum fervent Spiritu, quum ita affecti ſunt tamque vehementer ut non poſſint non obedire, quum non languent & torpent, ſed feruntur quodam ardore ad metam.*

Sed & nos jam, ſi placet, transferamus hoc exemplum, & accommodemus ad Adamum & ad reprobos ſive irregenitos eorumque inobedientiam, & deinde quomodo à te ad regenitos eorumque inobedientiam transferatur videamus. Nam res utrobique eodem modo ſe habeat neceſſe eſt: Tam enim Adam & reprobi inobedientes, quam regeniti obedientes tibi vocantur. Maxime itaque inobediens fuit Adam, cum propter ſubtractam innocenti lucem originariam totus elanguit, atque ita affectus fuit tamque frigide ut non poſſet obedire aut Diaboli ſuaſioni reſiſtere; ſimiliter reprobi, quos tu hypocritas & tepentes vocas, maximè inobedientes ſunt, cum prorſus invincibili ignorantia laborant, eaque nulla ipſorum culpa contracta ex innoxio parente, per quam fit ut ita affecti ſint ut non poſſint velle aut facere quod ipſis jubetur. Euge quam bellè, Camero? Sed de regenitis loquor, inquies. At cur non de Adamo, cur non de hypocritis ac tepentibus, quos tam neceſſario nulla ipſorum culpa hypocritas & tepentes eſſe neceſſe eſt, quam regenitis nullo ſuo merito aut virtute regenitos eſſe neceſſe eſt? Nempe hæc ſententiæ tuæ ulcus nimis manifeſte detegunt. Sed & quid de regenitorum obedientia dicas, videamus. *Maximè obediunt cum fervent Spiritu.* Agnoſco; ſed hoc fervere liberæ eorum voluntatis eſt, quia poſſunt ſuopte vitio omni momento fervorem iſtum exuere, & tepeſcere animo atque affectu: Suopte vitio, inquam, non quando Deus lucem mentibus ipſorum ſubtrahit, unde languor & frigus ſequatur in voluntate neceſſe eſt; ſic enim languor iſte culpabilis non eſſet, quia Deum authorem haberet: ſed quando illi vel per voluntariam negligentiam definunt animum intendere divinis mandatis, vel contrario amore rerum vetitarum ferri incipiunt. Id autem culpabiliter fieri poſſe apparet ex *Epiſt. ad Gal. V. 7. Currebatis pulchrè, quis vos inhibuit ut non obſequeremini* (id eſt non pergeretis ita fervidè obſequi) *veritati? Hæc perſuaſio non eſt ex eo qui vocat vos.* Item ex *cap. IV. 9: At nunc cum cognoſcatis Deum, imò potius cogniti ſitis ab eo, quomodo convertitis vos retrorſum ad infirma & egena elementa, quibus ad ſuperiora regreſſi ſervire vultis?* Iſtis adde quæ leguntur *verſ. ſeqq. 11. 12. 13; &c. uſque ad 21.* & quæ extant *Apocal. II. 4: Habeo adverſum te quod charitatem primam omiſeris. Memor eſto itaque unde excideris, & priora opera tua facito; ſin minus, veniam adverſum te. & cap. III. 2: Eſto vigilans & confirma reliqua moribunda. Non enim inveni opera tua plena coram Deo. & verſ. 15: Utinam frigidus eſſes aut fervidus. Sed quoniam tepidus es, nec frigidus nec fervidus, futurum eſt ut te evomam ex ore meo. & verſ. 19. Ferve igitur ac reſipiſce.* Similia plura aliis locis videre eſt.

Addis: *Quum ita affecti ſunt tamque vehementer ut non poſſint non obedire.*

Si phraſin *non poſſe non obedire* accipias pro adeo libenter, alacriter & ſeriò facere quæ Deus jubet, ut non poſſint niſi cum ſumma moleſtia contrarium facere, aut à faciendo ſupersedere, tum admitto obedientiam eorum optimam eſſe, & ea quæ ſic faciunt digna eſſe obedientiæ nomine. Id enim arguit habitum obediendi, qui maximè laudabilis eſt, & plerumque non niſi maximo labore ac ſtudio comparatur. At ſi phraſin, *non poſſe non obedire*, accipias propriè, pro neceſſariò facere quod præcipitur; tum dico hoc ipſum eſſe quod inter nos quæritur, an videlicet quando regeniti ſic neceſſariò faciunt quod Deus jubet (poſito ſcilicet quod id aliquando eveniat) ut ſimpliciter aliud quid aut aliter facere non poſſint, dici poſſint proprie obedire. Ego dico ſi quidem ad iſtum gradum promoveantur per divinam gratiam, ut neceſſario faciant quod Deus jubet, tum eos non aliter poſſe dici obedire quam Sol, Luna, ſtellæ, nix, grando, pluvia, totumque cælum & terra obedire Deo in Scripturis dicuntur: non quod obedientia ipſorum bruta ſit, id eſt ſine ratione & ſcientia; ſed quod etiamſi cum ſcientia conjuncta ſit, non magis mereatur obedientiæ veræ titulum, quam rerum inanimatarum & brutarum motiones eum merentur; quia par utrobique neceſſitas locum habet, quam propriè dicta obedientia non admittit. Rectè Cyrillus Alexandrinus, Theſaur. lib. 3. cap. 2. *Si homo minime liberi arbitrii filius eſt, atque ideo non poſſit diverſa eligere, ſed neceſſario ſemper manet quod eſt, quaſi lignum vel lapis in ſeipſo ſubſiſtet naturæ vinculis non arbitrii libertate unitus.*

Occurreram in Epiſtola mea objectioni quæ fieri plerumque ſolet, & qua te, Camero, uſum eſſe contra Clariſſ. D. Tilenum obſervaveram, quod videlicet non repugnet ut quis quod bonum eſt faciat neceſſario & ſimul etiam libere, quia Deus neceſſario bonus eſt & tamen etiam bonus libere. *An Deus neceſſario ſimul & libere ſit bonus.* Hic tu, Camero, me *aliò deflectere tanquam de via* ais. *Debuis* (inquis) *tam nova ſententia, non obedit u qui ita affectus eſt, ut non poſſit non obedire, quæ revera αὐτοδεξάμενη eſt, à te non affirmari tantum, ſed certiſſimis rationibus comprobari.* At ſententia hæc, qui non poteſt non facere quod faciendum ipſi proponitur, ſive ſub præcepti forma, ſive alia quavis ratione proponatur, non poteſt dici proprie ita faciendo obedire: non uti tu Camero eam proponis, Non obedivit is qui ita affectus eſt ut non poſſit non obedire. hæc enim oratio contradictionem in terminis involvit. An, inquam, hæc ſententia nova ſit, & non αὐτοδεξία tantum, ſed in ſuperlativo gradu αὐτοδεξάτη, ac non potius notio quædam, ut ita dicam, primo prima, communi ſenſu potius quam ratione dijudicanda, Lectoris æqui judicium eſto. Ego ad examen ejus quod tu adfers, ut probes perperam me negaſſe Deum neceſſario ſimul & libere bonum eſſe progredior.

A reprehenſione ordiris. *Ac primum*, inquis, *tu hoc ineptum eſſe dicis prorſus, adeo es humanus.* Homo ſum, Camero: humani nihil à me alienum puto. An te læſi, an te offendi tantilla vocula quod argumentum tuum ineptum vocavi? Neſciebam te adeo tenere te ipſum amare. Doleo quod non mollius locutus fuerim, & dixerim argumentum hoc tuum non eſſe aptum. Idem enim dixiſſem. Non enim libenter te irrito. Video quam acri bile turgeas, & quam ſis irritabilis.

*At ſi ego dixero te hoc loco gratiſſime errare, pœnitebit te ſpero quod me adeo contemſerim.* Id ſi feceris, Camero, habebis me ſtatim confitentem reum, & cum gratiarum actione extollam in cælum uſque argumentum atque acumen tuum, totque illis titulis efferam ut intellecturus ſis me non voluiſſe te contemnere, nedum graviter contemnere. Quod ſi vero etiam oſtendero te id non feciſſe, æquum erit ut te hujus de me opinionis pœniteat; quia intelliges me rationem habuiſſe cur non dico contemſerim te, (ego enim te non novi, neque mortalium quemquam niſi profanum contemnere debeo:) ſed cur argumentum tuum ineptum vocare jure potuerim.

*Id ſic inſtituo* (inquis.) *Quærebatur an ſi detur aliquem ita eſſe bonum ut nequeat non eſſe bonus, id everteret naturam humanæ mentis & voluntatis, quam liberum arbitrium vocamus. Reſpondeo ego id non futurum, idque probavi adducto in medium, primum Dei exemplo, quem conſtat eundem eſſe optimum atque liberrimum.*

Liceat mihi cum bona pace tua, Camero, occaſionem hujus tractationis, prout ea fefe in Epiſtola mea obtulit, clarius paulum & plenius proponere. Quærebatur in Epiſtola, an de eo qui ita afficitur à Deo ut non poſſit non bene judicare ac bene velle, rectè affirmari poſſit, quod obediat legi quæ ſub promiſſo præmii bene judicare & bene velle præcipit, & ſub comminatione pœnæ male judicare & male velle prohibet? Hic ſtatus quæſtionis ex Epiſtola apparet, quia agitur de obedientiæ & inobedientiæ formali (ut ita loquar) ratione, an ad eam requiratur libertas contradictionis, ſive indifferentia voluntatis, an vero ſufficiat lubentia ſive ſpontaneitas rationalis? Ad probandum hoc poſterius dicebam ineptum eſſe argumentum quod ex natura divina petitur, uti ex reſponſione mea ſtatim patet, qua dico; *Aliud enim eſt ſanctum eſſe, & facere quod bonum & rectum eſt, aliud obedire legi quæ ſub promiſſo præmii bonum facere præcipit, & ſub comminatione pœnæ malum vetat. Bonus enim qui eſſe poteſt*

*natura,*

*natura, ita ut malum facere non poſſit, qui tamen non obedit legi. Iſto modo bonus eſt Deus, non hoc, &c.* Hanc reſponſionem piſce mutior præteris, & diffundis te tanquam de via ſtudio deflectens in examen iſtius tritæ & obſoletæ quæſtionis, An Deus ſit ſimul neceſſariò & liberè bonus. Sed eſto: ſit iſta quam tu vis occaſio hujus diſceptationis; non diſceptabo tecum ea de re. Fateor enim fieri non poſſe ut quis ſit ita bonus ut non poſſit non eſſe bonus, & ut idem (qua talis) ſit liberè bonus. Contradictoria enim hæc ſunt, Poſſe non eſſe, & non poſſe non eſſe. Deus itaque cum ſit neceſſariò neceſſitate naturæ bonus, non poteſt ſimul eſſe liberè bonus, quia alioquin duo contradictoria poſſent eſſe ſimul vera. Tibi aliter videtur. Concedis Deum natura bonum eſſe. In eo ergo convenimus.

*Sed* (inquis) *ſi idem non eſt liberè bonus, cum ita ſe res habeat ut quò creatura propius accedit ad Deum eò nobilior ſit, ajo, quo minus liberè boni ſumus ad Dei exemplum, eò ſumus meliores & nobiliores; nempe Deus minime liberè bonus eſt ex tua ſententia. Ergo, inquam, quò quiſquis accedit propius ad optimum, eò minus liberè bonus eſt.*

Duo in hoc tuo argumento annoto, Camero. 1. Quod fraus aliqua poſſit latere in hac phraſi, *Quò minus liberè boni ſumus.* Nam quantò magis peccamus, tantò minus boni ſumus libere; unde ſequeretur, Nos quantò magis peccamus, tantò meliores eſſe & proximiores Deo: quod abſurdum eſt. Itaque mutanda eſt phraſis iſta in hanc, Quò magis natura boni ſumus. Scio hanc eſſe mentem tuam, & id te voluiſſe fortaſſe indicare cum addidiſti verba, *Quò minus liberè boni ſumus ad exemplum Dei.* cavere tamen hæc volui ne quis imprudens erret. 2. Non rectè à te dici, magis aut minus libere boni; ſicut nec recte, magis aut minus natura vel neceſſariò boni. Libertas enim & neceſſitas conſiſtunt in indiviſibili, nec recipiunt magis aut minus. Quicquid neceſſarium eſt, id eodem ſemper gradu neceſſarium eſt. Similiter quicquid liberum eſt, id eodem ſemper gradu liberum eſt. Quando libertas lubentiam notat, alia ratio eſt. Aliud enim aliò libentius fieri poteſt, & gradus in lubentia locum habent, at non in libertate aut neceſſitate. Grammaticæ, ſecundum quam liberum, liberius, liberrimum aliquid dicitur, ratio hîc habenda non eſt.

*Quid diſſerat ſanctitas via à ſanctitate patriæ.*

Hiſce animadverſis & poſitis, reſpondeo veriſſimum eſſe quod concludis, Eum qui natura ſive neceſſariò bonus eſt, id eſt qui non poteſt non eſſe bonus, nobiliorem & meliorem eſſe eo qui liberè bonus eſt. Melius enim ſimpliciter loquendo eſt non poſſe eſſe malum, quàm poſſe eſſe malum. At cum ſtatus ille non ſit ſtatus viatoris qui ſub lege vivit, & à quo vera obedientia poſtulatur, hinc eſt quod nobiliſſimam in hac via creaturam eſſe dicamus eam, quæ libera voluntate longiſſime recedit ab eo quod lege vetatur, & proxime accedit ad ſupremum ſanctimoniæ gradum quem Deus ex naturæ neceſſitate tenet, qui etiam ipſi idcirco pro exemplari in lege proponitur, ad quod exprimendum, quantum ſtatus libertatis patitur, adſpiret pro virili ſua. Unde illud, *Eſtote ſancti, ſicut Deus ſanctus eſt. Eſtote imitatores Dei ut filii dilecti.* Hinc qui ita obediunt vocantur *Dei creaturæ, novæ creaturæ, Dei imago, divinæ naturæ participes, filii Dei, ex Deo nati, in quibus ſemen Dei eſt,* quia ſcilicet *non peccant, nec poſſunt peccare,* id eſt adeo diligunt juſtitiam ut à peccato prorſus abhorreant: quod eſt moraliter non poſſe. Non poſſe enim quod neceſſitatem ſive naturam dicit, ad ſtatum viæ non pertinet, ſed ad ſtatum præmii ſive gloriæ, in quo lex ac proinde obedientia locum non habebunt. Unde liquet, quanto ſtatus præmii perfectior nobiliorque eſt ſtatu officii ſive obedientiæ, tantò nobiliores nos futuros cum neceſſariò boni erimus, quam nunc ſumus in ſtatu libertatis. Idcirco enim quia ex officio & ſalva libertate in hac via ad præſcriptum legis boni fuimus, ac perſeveravimus in bonitatis curriculo ad finem uſque, poſthac in futura vita, naturæ ſive potius neceſſaria bonitate tanquam præmio remunerabitur nos Pater ille miſerationum, cui ſemper ſit honos & gloria in Eccleſia ſanctorum, Amen.

Poſt hæc prolixè id agis ut explices quomodo Deus ſit libere bonus, & quia dura admodum locutio tibi videtur *Deus non eſt liberè bonus*, ut eam benigna interpretatione emollias.

*Nam cum bonitas* (inquis) *in Deo reſpectu ſui ipſius (quæ bonitas nihil aliud eſt quam amor quo ſe ipſum ſibi cognitus proſequitur) à cognitione ſui oriatur, liber omnino dici debet Deus, non quia fieri poſſit ut à ſui ipſius amore temperet, ſed quia amor quo proſequitur ſe ipſum non eſt ab inſtinctu quodam cæco & bruto.*

Per bonitatem Dei hoc loco non intelligis proprietatem illam quæ rei cujuſque perfectionem notat, & ſui ipſius communicativa eſt: ſed rectitudinem, ut ita dicam, morum, quæ in bene eligendo conſiſtit, per quam quis bonus eſt contradiſtinctè à malo, id eſt vitioſo. Hanc bonitatem dicis in Deo reſpectu ſui ipſius nihil aliud eſſe quam amorem quo ſe ipſum ſibi cognitus proſequitur. Non conſentaneè tuis principiis; quia boni & mali primo ac propriè dicimur, uti diſertè diſputaſti pag. 141. per actum judicii, nempe boni, cùm bene judicamus de ſummo bono, mali verò cum malè. Bonus itaque Deus etiam tibi erit reſpectu ſui ipſius quia bene judicat de ſeipſo, ſeque ipſum eligit præ ſummo malo, (electio enim tibi eſt præcipue actus judicii) id eſt ſeipſo mavult frui quam ſummo malo. Hunc enim actum conſequitur deinde amor: & ab eo idcirco minus præcipuè bonus denominetur neceſſe eſt. Bonitas itaque in Deo reſpectu ſui ipſius non oritur à cognitione ſui, ſed in ipſa cognitione & judicio de ſe recto conſiſtet. Quo poſito, ſi Deus liberè bonus eſt hac bonitate, ſequetur Deum libere judicare de ſe ipſo, & libertas in priore momento competet intellectui divino quàm voluntati ipſius. Quod ſi verò eandem voluntati etiam competere velis, tum libertas erit affectio communis intellectui & voluntati; quod an non merito jure abſurdum vel tibi ipſi videri debeat conſiderandum tibi do. Sed poſito etiam quod bonitas hæc nihil aliud eſſet, quam is amor quo Deus ſeipſum ſibi cognitus proſequitur, ſi is idcirco liber eſt quia non oritur ab inſtinctu quodam cæco & bruto, jam certe quicquid cum ſcientia vult voluntas id libere volet, & quicquid ab inſtinctu cæco & bruto oritur, id liberum non erit. At cum libertas tibi formaliter nihil aliud ſit quam lubentia ſive ſpontaneitas, cur quod cum ſcientia lubenter fit liberum, & quod ſine ſcientia, ſed cum ſenſu fit non minus lubenter, liberum non erit? imò cur quod ſine ſenſu fit, ſi ſponte ac libenter fiat, liberum non erit? denique cur ipſa ſcientia, ſive ipſum ſcire quod ſponte ac libenter facit intellectus, liberum non erit? Nulla ſane diverſitatis ratio fingi poteſt aut concipi. Nec enim minus libenter famelicus equus edit, & ſitiens canis bibit, & laſſus quieſcit, quam voluntas amat quod pulcherrimum eſſe dictat intellectus. Scientia quidem dicit majorem quandam perfectionem quam ſenſus; at non facit vi & proprietate ſua ut appetitus libenter aut libentius aliquid appetat. Idem facit ſenſus ſive inſtinctus naturalis, quo quæque res in bonum ſibi conveniens fertur, uti experientia & ſenſus communis docent. Neque quiſquam ſeu veterum ſeu recentium Theologorum aut Philoſophorum (teſte etiam tuo Calvino) hoc pacto liberum arbitrium definivit. Definitio itaque hæc tua non nova tantum eſt, ſed & nullo fundamento nixa.

*Bonitas deinde Dei conſideratur* (inquis) *extra Deum, circa creaturas quibus decrevit bene facere. Etſi vero potuit non ita decernere, attamen poſtquam ita decrevit non poteſt abnegare ſemetipſum. Itaque ipſe ſibi quodammodo legem præſcripſit; neque enim fieri poteſt ut aliud poſſit velle quam quod ſemel voluit. Nemo verò negarit Deum libere ea velle, quamvis ita conſtanter velit id quod vult ut non poſſit id non velle. Itaque dico fieri jam non poſſe ut Deus aliud bonum velit quàm quod vult.*

Hîc jam, Camero, bonitas Dei non notat tibi rectitudinem illam per quam bonus, id eſt non vitioſus eſt, ſed per quam boni ſui communicativus eſt, ſive aliis (ut loquuntur) bonus aut utilis eſt; quod non eſſe etiam potuiſſet ſine vitio. Neque enim malus moraliter fuiſſet, ſive non male feciſſet Deus ſi ſe ipſum, id eſt è perfectionibus ſuis nihil aliis communicaſſet, id eſt nos non creaſſet, &c. Hoc pacto Deum libere bonum eſſe libenter agnoſco; ſed eundem ſic neceſſario bonum eſſe nego. Quid tu fatearis id non liquet. *Etſi vero potuit* (inquis) *non ita decernere, attamen poſtquam ita decrevit non poteſt abnegare ſeipſum.* Itaque quoad decreti ipſius factionem (ut ita loquar) eum libere bonum facere videris, ſed neceſſariò bonum quoad conſtantiam in decreto jam facto. At cum utrobique, tam in decreto quam in decreti executione, voluntas Dei interveniat cum ſcientia conjuncta, utrobique par libertas & utrobique par neceſſitas à te ſtatuatur neceſſe eſt, ſi conſentanea dicere velis. Quare quod dicis Deum id quod decrevit potuiſſe non ita decernere, quomodo à te conſequenter dicatur non video. Nam cum decretum ſit actus voluntatis divinæ, voluntas autem juxta te non poſſit non ſequi intellectus judicium, quomodo fieri potuit ut Deus non ita decerneret uti decrevit? Poſſe enim non ita decernere, & non poſſe non ita decernere, ſunt manifeſtè contradictoria. Si dicas te per decretum vel ſe decernere intelligere actum intellectus, vel idcirco decretum liberum vocare quia ſequutum fuit actum intellectus qui aliter intelligere & judicare potuit, jam dicas neceſſe eſt intellectum divinum fuiſſe indifferentem ſive ἀδιάφορον in judicando. At ſi is ἀδιάφορος fuit, jam omnia tua argumenta quæ contra ἀδιαφορίαν voluntatis tanquam rem prorſus impoſſibilem hactenus artuliſti concidant neceſſe eſt. Cur enim voluntas minus ἀδιάφορος eſſe poſſit,

*Etiam Deus libere vult poſtquam decretum aliqua de re fecit.*

quam

quam intellectus? Sic enim teipsum oppugnabo tuopte argumento. Si indifferens fuit intellectus divinus ad judicandum sic vel aliter, tum necesse est ut quando judicavit hoc non illud, sic & non aliter faciendum esse, ad ita judicandum determinatus fuerit vel ab objecto isto, vel aliunde. Ab objecto non potuit, quia & illud indifferens erat ut fieret aut ut non fieret, ut sic vel aliter fieret. Non aliunde, quia nihil ante hoc judicium divinum esse potuit aut saltem erat. Si nec ab objecto nec aliunde determinatus fuit, & tamen fuit determinatus, quid restat quam ut dicas divinum intellectum à seipso fuisse impulsum ad sic judicandum. Si à seipso fuit impulsus ad sic judicandum & non aliter, jam à se ipso fuit impulsus aut quiescente ab omni sui impulsione aut à sese impellente. Neutro modo impelli potuit, uti tu probas pag. 160. de voluntate. Ergo. Quod si intellectum divinum nolis esse ἀδιάφορον, quomodo itaque Deus aliter judicare potuit quam judicavit? & si aliter judicare non potuit, quomodo potuit non ita decernere uti decrevit? Alterum membrum quod attinet; An Deus libere velle dici possit postquam decretum jam fecit nolo hic disputare. Variant judicia. Mihi perinde est quicquid dixeris. Si dicas Deum libere velle in decreto facto persistere; dicam non necessariò ergo velle. Si dicas necessariò velle; dicam itaque non libere. Tantum id addam; Constanter velle aliquid, non infert præcise necessitatem, neque mutat liberam volitionem primò factam in necessariam; sed præcisè nihil aliud dicit quam liberam eandem volitionem constanter eodem modo durantem, sive ut vox ipsa habet, cum tempore sequente firmiter stantem. Pergamus.

*Jam quod tu ais, disparem eo esse rationem, quod nos non natura sumus boni, & verò possumus aliud facere quam quod lege præscriptum est: hæc quidem ostendunt in causa necessitatis immanem disparitatem, non monstrant omnimodam dissimilitudinem.*

Imò verò hæc monstrant omnimodam dissimilitudinem quod ad rem ipsam attinet. Dissimilitudo enim non desumitur à causa rei, sed ex rei ipsius natura, quacunque demum ex causa illa oriatur. Omnimoda autem dissimilitudo in hoc sita est, Quod Deus legis capax non sit, quia natura bonus est, & non potest non facere quod rectum est: Nos quia non natura boni sumus, idcirco sumus legis capaces, quia possumus aliud facere quam quod lege præscribitur. Posse autem non facere quod rectum est & lege præscribitur, & non posse non facere quod rectum est, modi sunt qui contradictorie sibi invicem opponuntur. Inter contradictoria autem omnimoda est dissimilitudo, quia nunquam simul possunt esse vera. Quare cum dicis similitudinem in hoc esse quod, *Quemadmodum Deus plenè, constanter intuens seipsum non potest non se amare plene, constanter: Ita nos revelante Deo, pro modulo visionis non possumus non amare Deum*; id directe repugnat naturæ rei, quia tum nobis à Deo lex, & quidem promissione ac commination sancita, frustra daretur, & nos Deum amantes legi non pareremus ex officio, vel idcirco quia amor Dei nobis in lege præscribitur, sed quia non possumus aliter agere, idque quia amor Dei in nobis efficitur: effici autem simul & præscribi seriò unam eandemque rem à sapiente impossibile est: Vellet enim sapiens unam eandemque rem simul à nobis ex officio fieri, & non fieri ex officio; quod absurdum est.

At subjicis, *Quod si sic tollitur libertas nostra, tollatur sane libertas & valeat. Optandus foret hic status.*

*Expediret nobis libertate non parendi carere.*

Euge, Camero, bene habet. Nec enim dubito quin tu te in electorum & regenitorum istorum ordine censeas. Si omnes Deus salvare & bonos facere vellet, eodem epiphonemate tecum uterer; quin & adderem: Constringat, cogat Deus voluntatem nostram ad id quod rectum est volendum & faciendum, Gratia erit hæc quæcunque fuerit coactio. Si sic tollitur libertas nostra, tollatur sane libertas & valeat: Malumus ad bene faciendum cogi pereunte libertate nostra ut salvemur, quam salva libertate peccare ut æternum pereamus. Sed quid fiet, mi vir bone, interim de maxima generis humani parte, nulla sua culpa luce ista ad amandum Deum necessaria destituta, & quæ proinde pari necessitate sed peccandi & pereundi tenetur? an & de hac exclamabis, Quod si Deus non dat illis lucem suam ut possint ipsum amare, atque idcirco non possunt non peccare & perire, Esto: Si sic tollitur libertas eorum, tollatur sane libertas & valeat. Pereant, intereant, flammis æternis urantur, & mille doloribus ac mortibus sine misericordia excarnificentur mastigiæ isti. *Optandus* (inquis) *foret prior iste status.* Sed an & hic status necessitatis optandus tibi videtur? Te ipsum unius ita miseri hominis loco pone, & judica an simile epiphonema non esses diris devoturus potius quam laudaturus; nisi forte ex eorum numero es, qui miseros istos in mediis flammis Deo carmen epinicium debere contendunt, quod ad perfectionem universi ornandam partem faciant unam quæ innocenter cruciatur. Ad hos si aliquando seriò deflecteres oculum simul atque animum, forte de libertatis natura rectius sentires. Quamdiu enim ad electos, ad regenitos, ad salvandos tantum respicis, fieri vix potest quin istam sententiam cupias esse verissimam, ita eos libere bonos esse ut tamen necessariò etiam boni sint. Quæ enim jucundior, quæ gratior, quæ dulcior quam ejusmodi persuasio? Supra mel & nectar suave est credere te non posse non amare Deum pro modulo visionis. Magnus, parvus sit iste modulus, tantum te posse quantum visionis modulus permittit, nec plus nec minus posse, imò nec aliter posse, &, si aliter agas, id ex eo esse quia Deus modulum istum subtrahit aut imminuit, ut aliter aut aliud agere non possis. Nihil interim hoc obfuturum tibi aut saluti tuæ. Pro hac itaque tam suavi, tam dulci opinione, tanquam pro ricino aut cucurbita sua Jonas solicitum te esse mirum non est. At si ex altera parte subrespiceres, non dico ad plusquam duodecies decem millia hominum, sed ad multo maximam generis humani partem, ibique propter liberam istam necessitatem & necessariam libertatem omnia tristia, deplorata, desperata esse animadverteres, fieri vix posset quin si ulla commiserationis scintilla luceat in animo tuo, ita apud te cogitares; Quid? an verisimile est istam tantam multitudinem, in qua tot myriades sunt quæ non noverunt discrimen inter dexteram & sinistram, liberè simul & necessario peccatis æternum obnoxiam atque alligatam jacere? Nullane alia libertas fuerit per cujus abusum in conditionem tam miserabilem præcipitata est, quam quod ex Adamo, luce originaria nulla sua culpa privato, nati sunt, non bruta sed homines intellectu & voluntate præditi, interea luce illa eadem destituti, sine qua intellectum & voluntatem eorum errare ac sic peccare necesse est? An id sufficit ut libere peccare dicantur, & postea non ut bruta pereant, sed tantummodo quia homines creati sunt ratione præditi, æternis cruciatibus sine misericordia torqueantur & urantur in omnia sæcula sæculorum? Sed tu, Camero, dum de cucurbita tua cum Jona cogitas, fiisque deque habes quid reliquo mundo fiat; dummodo tu ita libere bene agas ut non possis non bene agere, & non ab æstu Solis sed ab æterno isto igne tutus sis, parum aut nihil curas an reliqui mortales ita libere peccent ut non possint non peccare, & æternum infernalibus flammis deinde ustulandi tradantur. Quin uti cum Jonas urbem Ninivem & plus quam duodecies decem millia periisse malebat, quam unam oportunam sibi cucurbitam suam, ita tu Jona multo immisericordior, longe maximam partem humani generis perire malles necessario simul ac libere, quam sententiam tuam perire quod electi necessario simul ac libere obediant. Sed vide ne Deus tibi aliquando dicat quod Jonæ dixit. Ego interim ut opinio tua fiat filius unius diei & noctis ex animo opto & spero.

*An Christus non potuerit non obedire Patri suo.*

Post hanc objectionem restabat alia, cui quia propius ad rem de qua agebatur in Epistola accedebat, & argumenti mei vim directe videbatur luxare, occurrendum necessariò esse putabam, ut amici mei animo scrupulum omnem quantum in me erat eximerem. Et hæc est: Non repugnare ut quis libere, simul ac necessariò obediat, quia Christus ipse Dominus noster obedivit libere Patri suo, qui tamen non potuit non obedire, id est facere voluntatem Patris sui. Hujus objectionis solutio utinam tam non esset odiosa, quàm alioquin est plana & facilis! Præjudicia sola eam invidiosissimam reddiderunt; & auxit eorum fidem religionis species, quia de Christo Servatore nostro summa quæque & quæ longe supra communem sortem sunt, licet ea manifestam contradictionem non rarò involvant, concipere gloriosum putatur. Ac licet ego non sim is qui præjudicia omnia, imprimis inveterata, acriter insectanda aut licenter convellenda esse arbitrer, quin & præjudicium erroneum aliquando pio & religioso animo facile condonaverim; tamen nihil dubito, quin gratiam bonorum omnium mereatur, aut saltem veniam ab iis facile sit impetraturus, qui si quando videt esse qui præjudiciis istis contra manifestam veritatem quam maximopere interest sartam tectam conservari, pugnant, præjudicia ista modeste negligere, aut justis rationibus postponere mavult, quam permittere ut per ea principalis aliqua veritas labefactetur aut in dubium vocetur. Id quia in hac quæstione accidere mihi persuadebam, idcirco si non tutius, satius tamen credidi præjudicio apertam veritatem præponere. Etsi enim longissime à me abesse cupiam, ut Christi Domini ac servatoris mei gloriosissimæ Majestati ulla vel minima in re obtrectem, tamen nullus dubito quin nonnulla de ea sublimiter potius quam vere dicantur, & religiosius aut superstitiosius quam consentanee aut rationabiliter credantur. Tale est meo quidem judicio hoc multorum axioma, Christum libere simul

ac necessariò obediviſſe. Atque hæc causa fuit cur in Epiſtola mea ad propoſitam objectionem reſponderim, Obedientiam proprie dictam, id est obedientiæ virtutem, ne Chriſto quidem recte tribui posse, si non potuit non obedire, vel potius si non potuit non facere voluntatem Patris sui. Et quia hæc reſponsio gravi incommodo laborare videbatur, ne vim argumenti subterfugere viderer, istud ipsum incommodum allegare & tollere operæpretium judicabam. Sic enim quis colligere poterat, Si Chriſtus potuit non obedire, Ergo potuit peccare. Hoc autem ingens absurdum videri debet. Ergo. Enimvero quia hoc incommodum aut non sequi ex conceſſo antecedente, aut si omnino sequitur per se incommodum non esse, si modo præjudicium tollas, mihi videbatur, reſponderam dupliciter. 1. ex meo sensu per negationem conſequentiæ. 2. ex rei natura per negationem Minoris; scilicet absurdum esse si concedatur Chriſtum potuisse peccare. Ex meo sensu: Quia obedientia Chriſti alterius fuit generis quam noſtra; in hoc tamen conveniens cum noſtra, quod prorsus fuerit libera. Obedivit enim Patri suo, non ut servus hero, aut ut subditus Domino, sed ut Legatus Regi, & ut filius Regis Patri regi, non præciſe officium sub pœnæ comminatione poſtulanti, sed ut honorariam provinciam deferenti atque imponenti, cum promiſſione magnificæ remunerationis si illam libere subire vellet; itaque quam si non subiiſſet, aut ut cum bona Dei Patris sui gratia sibi liceret non subire poſtulaſſet, eo ipso non peccaſſet proprie, neque pœnam meruiſſet, etsi promiſſo bono gaviſus non fuiſſet. Potuiſſem hîc subſtitiſſe, & ulteriorem omnem invidiam declinaſſe: sed ne causæ viderer deesse, volui etiam allegare quicquid à me concipi poterat, quod ſpecioſe pro parte adverſa allegari posse videbatur.

Itaque sic porro argumentum adverſarii mei ursi; Certum esse Chriſtum etiam legi fuiſse ſubjectum. At lex conſtat promiſſis si obedias & minis si non obedias. Ergo promiſſa & minæ ad Chriſtum etiam pertinuerint neceſſe est. Non potuerunt autem pertinere, si non potuit non facere quod lex jubebat, id est, si non potuit peccare ex hypotheſi principalis argumenti mei. Ad hoc argumentum etiamsi reſpondere alia quædam potuiſſem declinandæ invidiæ, nolui tamen. Reſpondi itaque directe per concelſionem argumenti; quia concluſio non videbatur mihi continere quod veram ullam absurditatem in se habeat. Nec enim videbatur mihi repugnare naturæ Chriſti humanæ, neque decedere quicquam dignitati glorioſiſſimi muneris ipsius, si dicatur potuiſſe peccare. Imò verò niſi id dicatur plura & graviora multò incommoda ſecutura esse videbam, sive conſideretur natura liberæ ipsius voluntatis, sive munus ipsius quo sibi præmium, nobis æternam redemptionem promeruit, & exemplum veræ ac glorioſæ obedientiæ præbuit. Hæc conſequenter ita à me in Epiſtola dicta & reſponſa esse videbit quiſquis Epiſtolam conſulet. An hic *cum ridiculo animi mei figmento certaverim, & aërem diverberaverim, æſtuans interim & ſudans & incertus plane quò me verterem*, Lectori judicandum relinquo. *Atqui* (inquis) *nunquam iſtud mihi in mentem venit, ut vellem oſtendere, quòd ſit præceptorum apud peccatores uſus, ex eo quod Chriſto lex data eſſet: (quæ quo pacto fuerit illi data, hic idcirco non eſt diſquirendi locus: ut pari de cauſa nec quomodo legi, quæ additis promiſſis & comminationibus erat ſancita, fuerit ſubjectus, &c.) Tantum volui efficere Chriſti hominis exemplo, non pugnare cum voluntatis humanæ ratione ut bono conſtanter adeo adhæreſcat ut inde non poſſit dimoveri.* Quid tibi, Camero, in mentem venerit, neſcio. At si seriò disputare & argumento me premere voluiſti, hæc sane in mentem tibi venire debuerant. Nam cum quæratur, an Chriſtus potuerit non obedire, & non obediendo peccare, neceſſe sane est ut quæratur de præſcripto aliquo, cui dicatur potuiſſe aut non potuiſſe obedire. Præſcriptum autem illud fuerit neceſſe est, vel particularis aliqua voluntas Patris ipsius, vel lex communis data populo iſti cujus pars aut membrum Chriſtus etiam erat, vel utrumque simul. Si prius dixeris, jam reſponderi poterat, Chriſtum potuiſſe particulari iſti voluntati Patris non obedire, ut tamen non peccaret; quia præſcriptum illud tale esse poterat, quod sancitum non esset comminatione pœnæ, aut præciſe datum non esset, sed cum conditione si libere istud exſequi vellet filius; proinde quod sine inobedientiæ & peccati nota declinare Chriſtus potuiſſet. Si ſecundum aut utrumque dixeris, jam neceſſariò admittendum videbatur, Chriſtum non minus comminationibus legis obnoxium factum fuiſſe, quam promiſſis; aut, si id nolis, gravioribus comminationibus & excellentioribus promiſſis quam quæ lege continebantur obnoxium fuiſſe; aut, si etiam hoc nolis, Chriſtum saltem legi præciſe obnoxium factum fuiſſe sub sola ſpecialis alicujus remunerationis magnificæ promiſſione; quod ego facile conceſſerim, & verum esse credo. At nihil horum dici recte potest, niſi statuatur Chriſtum legi iſti potuiſſe non obedire, & sic peccare, bonoque saltem promiſſo excidere. Hæc occaſione annon dicenda fuerint omnia iſta quæ à me dicta sunt in Epiſtola, Lector judicet. En itaque, Camero, deterſum ſudorem & exſtinctum æſtum.

## CAPUT XIII.

### Diluuntur confirmationes inſtantiæ qua Camero uſus est, prolato Chriſti exemplo, ut oſtenderet determinationem voluntatis ad unum non pugnare cum vera voluntatis libertate.

*An Chriſtus non potuerit non parere Patri.*

INhujus capitis veſtibulo ſtatum quæſtionis aliter quam à te factum est, quod & jam ante monui, proponi velim. Dicis diſputari hîc inter nos, *An non id pugnet saltem cum obedientiæ ratione ut quis ita pareat ut non poſſit quin pareat ſibi temperare.* Status enim hoc modo propoſitus, etiamsi benigne quis eum poſſit interpretari, in terminis contradictionem involvit, & ſpecioſam pro te facit partem affirmativam, negativam autem pro me valde odioſam. Idem enim est ac si quæri dixeris, An qui paret pareat, & qui obedit obediat. Non poſſe enim non parere aut obedire, sane ſupponit parere & obedire. Iſtud itaque non affirmare, imo negare, vix ſani hominis videtur. Reformandus itaque est quæſtionis ſtatus hunc in modum; *An is qui non poteſt non facere quod rectum eſt, aut lege aliqua præſcribitur, ita faciendo vere ac proprie poſſit dici obedire.* Tu ais, & Chriſti exemplo id clarum esse dicis: Ego nego, & contrarium dico clarum esse eodem Chriſti exemplo. Neque ad rem facere dico quod aſſeris, *Chriſtum non potuiſſe non parere, nullo quidem naturæ cæco inſtinctu, ſed virtutis quadam præſtantia & exuberantia.* Eo ipso enim quod dicas Chriſtum non potuiſſe non facere quod fecit, tum ipsam virtutem obedientiæ, tum virtutis istius præſtantiam atque exuberantiam Chriſto adimis. Neceſſitas enim, qua talis, quacunque demum ex causa oriatur, repugnat virtuti obedientiæ, qua formaliter virtus obedientiæ est. Nec laudem, nec præmium, nec meritum, nedum laudis meritique præſtantiam habet in se ullam quod neceſſario fit. Quia verò obedientia Jeſu Chriſti vera obedientiæ virtus fuit, & in gradu excellentiſſimo meritoria, quin & laude præmioque ſummo non digniſſima tantum, sed ab ipso Deo ut talis coronata, fieri non potest ut neceſſaria fuiſſe credatur, niſi gloriam iſtam univerſam simul ac semel ei detrectam cupias. Non exſpectaſti, scio Camero, hanc tam liberam, tam apertam, addo ego tam neceſſariam ex me vocem. Itaque ſtomachus tibi motus vehementer est & excita bilis.

*Ferrei te pectoris eſſe oportet* (inquis) *ſi non coborruiſti cum iſta ſcriberes.*

Non poterat profecto tam ingens animi tui tempeſtas ſine tonitru & fragore ferreorum verborum exire. Sed nihil agis, Camero. Ferreus sane sum pectore ad convitia tua. Non cohorreſco ad maledicta tua. Evomas licet in me totam bilem tuam, poſtea ſpero habebo te mitiorem. Vaſtum, giganteum animum, &, ſi quid gigante majus est, mihi tribue. Non veto. Scit Dominus meus Jeſus cui ſervio in ſpiritu, qua mente, quo animo hæc à me diſputentur. Expunge tu me ex albo Chriſtianorum; dummodo nomen meum in cælo ſcriptum maneat, hoc mihi ſatis erit. Sed patere obſecro, Camero, unum ut te moneam. Nullam habuiſti causam cur tantopere in me exardeſceres; imo si tuam ſententiam credidiſti veram esse, causſam habuiſti cur benignius de me ſentires ac ſcribères. Si enim ego hîc erro, & quidem in dogmate religionis Chriſtianæ, annon miſerum me errare idcirco neceſſe est quia lucè & perſuaſione iſta careo quæ ad evitandum errorem neceſſaria est? quæ parenti meo innocenti primitus ablata, & in me innocentem traducta nunquam est? Cur itaque mihi nulla mea culpa miſero inſultas? cur ferreum mihi pectus, cur vaſtum, cur giganteum animum mihi tribuis? Intima commiſerationis viſcera moveri tibi potius deberent, Camero, ſi homo es, ſi Chriſtianus es, ſi lucem illam te habere ſine te credis, quam me miſerum aliter aut aliunde quam tu eam habes non poſſe habere es perſuaſiſſimus.

Sed & quid omnino in hac re horrendi aut enormiter absurdi est, ſi dicatur Chriſtum potuiſſe non obedire, ſed tamen obediviſſe; Chriſtum potuiſſe peccare, ſed tamen non peccaſſe? Poſito quod utrumque verum ſit, annon contra potius id ad majorem obedientiæ Chriſti laudem

atque exaltationem facit, quod cum potuerit peccare, in nullo tamen vel minimo apice peccaverit? Sed & posito quod alterum istud falsum esset, Christum videlicet potuisse peccare, si nihilominus dicatur Christum non peccasse, ecquod in eo tam enorme crimen foret? An illud nudum posse peccare, reipsa jam Christo aliquid detrahit quod ipsius gloriæ aut nostræ saluti possit obesse? Nihil minus. Certè si hic error est, neutiquam sane conferendus est cum isto tuo errore quo statuis, Deum non dico posse pro jure suo supremo hominem innocentem necessitare aut incitare ad peccatum, (quod per se satis horrendum est;) sed actu etiam & reipsa primum parentem per lucis necessariæ subtractionem in peccatum præcipitasse, & propter istud peccatum universum genus humanum peccandi necessitate puniviſſe, atque ita omnium omnino peccatorum, vel per novæ lucis negationem, vel per concessæ novam & impromeritam subtractionem autorem esse. Hic error (si error tantum dici meretur) noxius est & pestilens, &, si quis alius ullus, verè exitialis. Nec enim tantum statuit Deum posse peccare, sed & actu peccare, quin & facere ut homines peccent, ut habeat quos æternum affligat ac torqueat. Ferrei pectoris sit necesse est, qui ad hæc non cohorrescit toto animo ac spiritu suo.

Hisce omnibus adde pro corollario, quod causa non fuit cur ad hanc responsionem meam exhorrescerem, tanquam si ego eam primus pari novitate atque audacia in medium proferre ausus essem; cum ignorare non possis plures alios ante me eandem opinionem tenuisse, & publice sine ullo periculo adseruisse, hodieque adhuc non paucos adserere. Tenuerunt eam Scotus, lib. 3. Sentent. Distinct. 12. quæst. 1. & Durandus, ibid. quæst. 2. Gabriel Biel, ibid. quæst. 1. art. 2. & alibi, ut annotat Gregorius de Valentia aliique. Similiter Molina, uti videre est parte 1. quæst. 14. art. 13. dist. 18. n. 4. 5. deinde. Dicit autem quod sicut fuit miraculose factum ut voluntas Christi, non obstante gaudio beatifico, potuerit summe tristari, (quod naturaliter omnino est impossibile) ita divina virtute fuisse factum, ut voluntas eius per visionem Dei & amorem beatificum non fuerit absolute determinata & necessitata ad obediendum Patri, ut hac ratione posset ei omnino libere obedire; atque ita ratione visionis beatificæ non aliter fuisse impeccabilem, quam ratione unionis hypostaticæ. Alii docti, inquit Ægidius Bellanus in libro suo de Actibus supernaturalibus, negant id fieri posse, sed non evincunt omnino id implicare. Contrariam sententiam tenent complures, & inter istos etiam Socinus & qui cum eo sentiunt, qui Jesum Christum à Deo coactum fuisse ut obediret dicere non dubitant, à quibus mirum est te etiam hic dissentire nolle. An hic Socinum (ut tua tibi verba reponam) seu socium seu magistrum habere non erubescis? Sed age, omissis humanis authoritatibus examen responsionum tuarum ad rationes meas ordiamur.

Ac primo quidem dixeram eum qui affirmat Christum potuisse non obedire, nihil dicere repugnans naturæ ipsius humanæ quam per omnia communem nobiscum habuit. Nec enim magis repugnavit naturæ humanæ Christi, quatenus libera voluntate prædita erat & legi subjacebat, posse peccare, quàm repugnavit naturæ eidem, quatenus ex contrariis principiis composita erat, dolere, miseram esse & morbis obnoxiam. Imò si repugnasset hoc naturæ ipsius, videri potuisset Christus nobis non per omnia similis factus excepto peccato, neque similiter tentari potuisse ut nos, atque ita nobis quando maxime tentamur non posse succurrere. Ad hæc (quæ tu sane non proposuisti fideliter & solide satis ex mente mea) *Responsio facilis est*, inquis.

*Quod miser esse potuit, etsi non posset idem peccare, id inde factum est, quod solvere potuit peccati nostri pœnas quæ mereri non potuit. Non potuisset autem eas solvere, si eas ferre non potuisset. At ferre eas potuit, etsi non potuit eas mereri.*

Responsio hæc laborat duobus vitiis: 1. Falsa hypothesi, quod statuat Christum legi ita subditum fuisse, ut comminatione etiam qua lex sancita est teneretur, ac proinde non obediendo reum pœnarum lege statutarum futurum fuisse: id quod non necesse esse ut credatur, jam ante ostendimus. 2. Posito quod id etiam verum esset, laborat petitione principii. Qui enim quærit, an Christus potuerit peccare, is quærit an Christus peccando mereri potuerit pœnas quas per obedientiam solvere venerat. Quare contrarium potius collegeris ex tuo fundamento, hunc in modum. *Idcirco* (inquis) *miser esse potuit, quia solvere potuit peccati nostri pœnas, non potuisset autem eas solvere, si eas ferre non potuisset.* At non potuit, inquam ego, solvere peccati nostri pœnas miser (ut sic dicam) essendo, vel simpliciter ferendo malum nobis debitum; sed volendo libere miser fieri, id est libere in se suscipiendo miseriam vel pœnas, quas vocas, peccatis promeritas. At si Christus libere voluit suscipere in se miseriam, potuit utique non velle esse miser: Velle autem non esse miser si potuit, utique potuit etiam non obedire Deo volenti ut miser fieret, sive ut afflligeretur pro generis humani salute. Unde tandem concludo, ex ipsa responsione tua sequi Christum potuisse peccare. Adde quod opposita facias hæc duo, solvere peccati pœnas, & posse eas mereri, cum hæc sint consentanea. Posse enim mereri pœnas, non facit ut quis pœnas actu mereatur, & sic ad solvendum aliorum pœnas sit inidoneus. At actu non merendo pœnas, imo contraria bona merendo, fit solutio pœnarum, sive jus solvendi pœnas, id est liberandi homines ab æterna morte acquiritur. Mereri itaque potest aliquis pœnas, qui tamen eas actu non meretur, imò qui contrarium meretur. Non autem non posse mereri pœnas requiritur ad solutionem pœnarum, sed non mereri. Quare quod addis: *Imò tantò illud magnificentius, quod eas pœnas tulit, quas mereri non potuit*; id plane falsum est, imò contrarium verum est. Multo magnificentius est afflictiones sive pœnas patienter ferre, quas non es meritus cum eas mereri possis, quam quas non potuisti mereri. Magnificentior quidem est persona ista quæ pœnam mereri non potest; sed ipsa pœnarum latio, in se non est opus magnificentius, si persona quæ eas fert eas non possit non ferre, & sic non ferendo, pœnas non possit mereri. Quantò difficilius, quantò molestius, quantò gravius est pœnas quas posses nolle ferre, ob jussum superioris obedienter, patienter, constanter atque infracto animo ferre velle, quam ferre eas cum non potes eas non ferre, tanto excellentior virtus obedientiæ, tantò majore laude digna est patientia. Nec satis est quod dicis, *ideireo Christum mereri non potuisse pœnas, quod Deus idem & homo esset, proindeque Deum non utcunque præsentem haberet, sed sibi tam arcto unitum vinculo ut esset intimus.* Unio enim hæc personalis, quam Theologi vocant, per se nihil aliud efficere potuit circa naturam Christi humanam, quam quod ei subsistentiam personæ divinæ daret, ita ut natura humana, quæ alioquin persona completa fuisset, non subsisteret nisi in persona τῦ λόγυ. Tantum itaque abest ut ejus vi factum dici possit quod Christus non potuerit peccare, ut ne quidem ejus vi factum fuerit, quod actu non peccavit, non magis sane quam istius vi factum fuit, ut non dico nihil ignorare posset, sed ut multa non ignoraret, utque non proficeret sapientia & gratia. Unio hypostatica, ut recte Theologi disputant, non habet ex se physicam ullam repugnantiam cum peccatis. Neque ad rem facit si dicatur, hypostatica illa unione naturam humanam ita arctè uniri Verbo ut cum eo constituat unam personam, atque ita homo vere à parte rei sit Deus, proindeque omnis actio naturæ illius sit vere actio Dei. Nam sic concludetur tandem pari jure, imo majori, Christum propter eandem unionem hypostaticam non potuisse mori. Posse enim mori non minus, si non magis, repugnat Deo quam posse peccare. Mansit itaque natura humana integra & salva, cum omnibus proprietatibus suis, non obstante ista unione; ac proinde voluntas etiam naturæ istius mansit libera & indifferens ad peccandum aut non peccandum. Quare falsum est quod dicis per unionem istam factum, *ut non posset is homo magis peccare, quàm potest emori corpus quamdiu est animatum. Vita enim Dei in creatura* (inquis) *vera est ejus cognitio, quæque eam sequitur sanctitas.* Quid enim? an vitam hanc Dei vis collatam humanæ Christi naturæ per unionem istam personalem? Si non: quorsum itaque facit ista similitudo animæ cum vita Dei? Si id vis, uti velle te necesse est, tum dicas consequenter oportet, Christum in & ab ipso matris suæ utero, imò ab ipsa conceptione sua, vita ista Dei, id est vera illa cognitione Dei, quæque eas (ut ais) sequitur sanctitate, præditum fuisse; quod quis non videt absurdum esse, & tibi absurdum etiam debere videri, qui habitum nullum seu in mente seu in voluntate imprimi posse vis, nisi uno eodemque tempore operetur una eademque opera Spiritus sanctus actum secundum. verba tua sunt, pag. 200 & 231. Fateor, isto in loco tu quidem non nisi de adultis loqueris, sed si ratio tua qua uteris consideretur, & sententiæ tuæ filum recte pervideatur, apparebit te invidiæ tantum declinandæ causa voce *adulti* isthic usum esse. Sed sive istud tu velis sive nolis, per se etiam absurdum est id statuere, non quidem propter rationem tuam, quæ sane infirma est, si enim habitus esse potest sine actu ullo, cur non posset Deus habitum ingenerare meæ menti, exempli gratia habitum fidei, ni simul faciat ut actu credam? Habitus enim acquisitus in dormiente est, qui tamen actu non credit. Et, si credis in infantibus habitum fidei ingenerari posse sine actu secundo, cur repugnat habitum eundem imprimi adulti animo sine actu secundo? Non itaque volo id absurdum esse propter hanc tuam rationem, sed propterea quod ætas ista incapax sit tam habitus quam actus. Addis: *Alia ratio conceptionis illius, alia nostræ est. Nos ex carne*

caro

*caro naſcimur, ille ex Spiritu ſancto Spiritus, non quidem quoad ſubſtantiam, ſed tamen quod attinet ad peccabilitatem.* At hæc neſcio quam novam & peregrinam Theologiam ſapiant. Chriſtum itaque impeccabilem fuiſſe vis eo ipſo quia ex Spiritu S. conceptus fuit, Camero? At quid abſurdius? Nam 1. Conceptio iſta in utero matris ex Spiritu rationem tantum dicit qua Chriſtus productus fuit, quod videlicet id non ordinaria via per conjunctionem viri & fœminæ, ſed per arcanam Spiritus S. operationem ſive inumbrationem ſupervenientem, ut Lucas exponit *cap.* I. *verſu* 35. factum fuerit. At quid productio illa per Spiritum facta, & quidem per Spiritum ſanctum, id eſt ſegregantem conceptionem ejus à communi conceptionis modo, facit ad peccabilitatem aut non peccabilitatem, quæ non naturæ productionem, ſed naturam integram jam productam, quin & adultiorem reſpicit? Imo quia natura à Spiritu S. producta eadem eſt cum noſtra, id eſt libera voluntate prædita, peccabilitas in ea locum habuerit neceſſe eſt. 2. Falſum eſt Chriſtum per conceptionem ex Spiritu, Spiritum factum fuiſſe; imò per conceptionem ex Spiritu caro factus eſt, id eſt homo carne & ſanguine conſtans, intellectu & voluntate libera præditus; itaque cur non peccabilis?

*Locus Joan. III. 6.* At inquies: Chriſtus apud *Joannem cap.* III. *verſ.* 6. ait diſerte; *Quod genitum eſt ex carne caro eſt, & quod genitum eſt ex Spiritu Spiritus eſt.* Rectè, inquam. Sed Chriſtus iſthic loci cum Nicodemo agit non de generatione, ſed de regeneratione, uti ex textu patet, & iſtis quæ citas verbis tantum affirmat ſe non loqui de craſſa, palpabili & viſibili iſta generatione hominis ex utero matris; ſed de Spirituali, id eſt inviſibili & arcana regeneratione, non qua homo fit homo, ſed qua homo ex malo bonus fit, & ex ignorante ſciens redditur eorum quæ neceſſaria ſunt ad hoc ut æternum vivat. Regeneratio enim non ſpectat productionem naturæ, ſed qualitatem in natura producta & capace reformationem. At iſta quid habet commune cum conceptione, id eſt productione Jeſu Chriſti quæ ex Spiritu facta fuit? Deinde poſito quod velis etiam hæc verba, *Quod genitum eſt ex Spiritu, eſt Spiritus; quod ex carne, eſt caro*, etiam de generatione accipere; tamen quomodo efficies *Spiritum* hic ſignificare naturam impeccabilem, *carnem* naturam peccatricem? Nulla vel veriſimili conſequentia id potes, Camero. Satis enim manifeſtè liquet ex textu, Chriſtum, cum dicit, *Quod genitum eſt ex Spiritu eſt Spiritus, & quod ex carne, caro*, aliud nihil velle quam, ſpiritualis generatio Spiritus naturæ ſimilis eſt, id eſt, eſt inviſibilis, intactilis, inſenſilis, ſive interne in animo fit: carnalis generatio carni ſimilis eſt, id eſt palpabilis, ſenſilis, viſibilis eſt. Spiritus itaque hîc non ſignificaret naturam quæ impeccabilis eſt; nec caro naturam quæ peccatrix eſt. Ne γὲ quidem ejus in textu eſt; ſed Spiritus ſignificaret naturam inviſibilem, caro naturam palpabilem, craſſam, externam & in oculos incurrentem. Quia autem Chriſti natura non fuit inviſibilis, ſed viſibilis, carnea, &c. hinc non ſpiritus ex ſpiritu, ſed caro ex carne convenientius huic textui diceretur. Et ſane ſi id quod ex ſpiritu genitum eſt ſpiritus diceretur quod attinet ad peccabilitatem, jam & regeniti omnes quos ex ſpiritu genitos & natos Scriptura paſſim dicit, uti etiam hoc ipſo in loco *Johan. verſu* 5. ſpiritus etiam eſſent quoad non peccabilitatem: quo quid abſurdius?

*Locus Rom. VIII. 8. 9.* Vidiſti hanc inſtantiam dari poſſe; itaque quaſi magis te ipſum explicans addis: *Nempe ut qui prorſus ſunt in carne, teſte Apoſtolo*, Rom. VIII. 8. 9. *non poſſunt placere Deo, ita plane qui fuit omnino in ſpiritu, non potuit non placere Deo; utpote qui ſpiritum Dei acceperat ſine menſura, ex cujus plenitudine nos hauſimus omnes quiſque pro modulo gratiæ divinitus nobis indultæ.* Atqui, Camero, Apoſtolus non dicit, qui prorſus ſunt in carne: vocem *Prorſus* de tuo addidiſti ſine cauſa: ſed ſimpliciter, *qui ſunt in carne.* Nec dicit, qui ſunt prorſus in ſpiritu; ſed ſimpliciter *qui ſunt in ſpiritu.* Nec enim ut in carne ſis, requiritur ut prorſus ſis in carne, nec ut in ſpiritu ſis, requiritur ut prorſus ſis in ſpiritu; alioquin de nullo homine affirmari poſſet quod ſit aut in carne aut in ſpiritu. Unde concludere poſſem contra te, cùm Apoſtolus regenitos dicat eſſe in ſpiritu, non autem in carne, *Rom.* VIII. 9. eoſdem etiam impeccabiles eſſe. Fateor Chriſtum prorſus in ſpiritu fuiſſe; ſed nego id per conceptionem ex ſpiritu factum. Sicut & illud *Locus Joan. III. 34.* quod Spiritum ſanctum ſine menſura acceperit; *Joan.* III. 34. quanquam illud de Chriſto ſolo affirmari diſerte probari non poſſit. Non enim dicitur in textu, ὐ γὰρ ἐκ μέτρου δίδωσιν ὁ Θεὸς τὸ πνεῦμα; ſed ſimpliciter, ὐ γὰρ ἐκ μέτρου δίδωσιν ὁ Θεὸς τὸ πνεῦμα. Et quia in textu expreſſe eſt δίδωσιν, ad tempus conceptionis ex Spiritu verba iſta referenda non eſſe manifeſtum eſt. Quod ſubjicis: *Sicut neque jam Chriſtus homo eſſe deſiit, factus immortalis, quamvis hoc pacto miſer eſſe deſiit, exemtus & immunis à lege carnis (quæ peccatricis carnis, utpote miſeræ, ſimilitudinem habebat) ita nec cum eſſet in carne habuit tamen id carnis ut poſſet peccare:* id, inquam, quia à te non probatur, rejici à me eodem jure poteſt quo à te aſſeritur. Sed nec par ratio eſt: Chriſtum enim poſtquam immmortalis factus eſt miſerum eſſe repugnat naturæ ſive ſtatui iſti glorioſæ immortalitatis, quia in eo locum non habent principia vel externa vel interna (Dei unius potentiam ſemper excipe) per quæ alterari aut diſponi poſſit ad corruptionem aut miſeriam; unde expreſſe ſtatus ille vocatur ipſa incorruptibilitas, ἡ ἀφθαρσία, τὸ ἄφθαρτον; quod rectius *incorruptibilem*, quam cum Beza nimis dilutè *incorruptam naturam* tranſtuleris. Nam *caro & ſanguis hæreditatem regni Dei non conſequenter, neque corruptio* (ἡ φθορὰ) τὴν ἀφθαρσίαν, ut eſt 1 *Cor.* XV. 50. Chriſtus tamen manet verus homo in ſtatu iſto, quia ad humanitatem conſtituendam corruptibilitas aut incorruptibilitas nihil facit. Hæc enim ſunt accidentia ab ea ſeparabilia. Corruptibilitas competit homini viventi vitam animalem. vita enim animalis ſanguine indiget, quo caro ſemper nutriatur, quia ille continuo per calorem decoquitur ac deperit. Incorruptibilitas homini competit, cum vivit vitam ſpiritualem & cæleſtem, in qua ſanguis, ac proinde nutritio, alteratio aliæque ſimiles ad corruptionem diſponentes actiones locum non habent. Quod ſi peccabilitas repugnaſſet eodem modo naturæ Chriſti quando in terris vivebat, ſubjectus legi & obediens Deo Patri ſuo, ut miſeria repugnat naturæ ipſius glorificatæ, tum verò ſpeciem haberet id quod infers, Camero. At vero ego dico, non magis repugnaſſe Chriſti naturæ in iſto ſtatu poſſe peccare, quam repugnabat naturæ ipſius in iſto ſtatu miſerum eſſe. Uti enim ſtatus iſte, erat ſtatus animalis, mortalis, & ſtatus infirmitatis, in quo pati poterat dolores & miſerias; ita erat ſtatus libertatis, in quo ipſi libera voluntate obediendum erat, ac proinde obedire poterat aut non obedire.

Neque contra quicquam facit locus quem citas ex *Locus 1 ad Corinth.* XV. 45. *Primus homo factus fuit in animam 1 Cor. viventem, ſecundus in ſpiritum vivificantem.* Apoſtolus XV. 45. enim iſto in loco agit de Chriſto non in terris vivente, nedum per conceptionem ex Spiritu ſancto genito, & ſic (uti tu vis) facto in Spiritum vivicantem; ſed de Chriſto reſuſcitato & glorificato, & ſic quaſi ex terra, primi inſtar hominis, iterum nato & genito; uti ex textus ſcopo, ex antecedentibus & conſequentibus manifeſtius eſt quam ut probari oporteat. Chriſtum autem dicit factum in ſpiritum vivificantem non tantum noſtri reſpectu, quia nimirum ſpirituali ſua potentia ſuſcitabit corpora noſtra in vitam immortalem; ſed etiam & vel imprimis reſpectu vitæ illius quam in cælo nunc vivit, quia videlicet illa vita tota eſt ſpiritualis, & tota ac ſola immediate à Spiritu efficitur ac conſervatur; contradiſtinctè à vita animali, quæ ab anima quidem vivente eſt, ſed non ſimpliciter atque immediate corpus vivificante, aut vitam conſervante in corpore; ſed aëre, cibo, potu, ſanguine, &c. indigente ut corpus vivificet, & ut ipſa in corpore conſervetur. Etſi enim vita ab anima in corpore ſit, tamen conſervari hîc in corpore non poteſt ſine adminiculis corporis, adeò ut non minus anima ut hîc in corpore ſubſiſtat, corpore aliiſque corpori neceſſariis indigeat, quam corpus indiget anima ad ſui vivificationem & conſervationem à corruptione; unde corpore fatiſcente & ad ſenium vergente, ob defectum rerum quæ ad corpus valide inſtaurandum neceſſaria ſunt, ſpiritus illud vivificare non poteſt. Hoc autem quia in vita illa futura non erit, hinc dicitur ſecundus homo factus in ſpiritum vivificantem. Quod autem hic Spiritus vivificus non poſſit tribui Chriſto adhuc in terris verſanti, apparet ex eo, quia hic filius Adami fuit, & vocatur diſerte *Luc.* III. *verſu ultimo:* ac proinde ſic fuit factus perinde uti Adam & nos omnes in animam viventem, ſic fuit pulvereus, è terra & ex pulvere, quia alioquin mori non potuiſſet. Deinde apparet idem ex eo, quia nos dicimur tales futuri qualis ille cæleſtis Dominus, vel Dominus, ex cælo eſt, cæleſtes ſcilicet ſive ex cælo, oppoſite ad primum hominem qui è terra factus dicitur pulvereus, ac proinde mortalis, juxta id quod legitur, *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* At nos non ſumus tum futuri pulverei, ſed cæleſtes, incorruptibiles, immortales. Itaque eadem ratione cum Chriſto in ſpiritum vivificantem facti erimus, ut tum ibi portemus imaginem Adami cæleſtis, ſicut hîc imaginem terreni ſive pulverei Adami geſtavimus.

Ex quibus apparet locum hunc impertinenter admodũ à te

*Ex tentatione Christi a Diabolo facta apparet eum potuisse peccare.*

allegatum esse. Sed nec minus impertinens est quod factum esse in Spiritum vivificum explices non tantum per, Christum fuisse quoad peccatum immutabilem, immobilem, (quod per se absurdum satis est, cum non propriè quoad peccatum factus sit Spiritus vivificus, sed quoad miseriam sive corruptionem; quod directe contra te ipsum facit, uti ex antedictis patet:) sed etiam per id quod Christus fuerit ἀπείρας & τ κακῶν, quò uti nihil falsius, ita nihil audacius etiam dici potuit. Epithetum enim hoc quod Deo disertè tribuitur, Christo homini in terris versanti quomodo sine ingente audacia tribui potest? imprimis cum de Christo contrarium tam aperte legitur, non tantum quod tentari potuerit, sed etiam quod à Spiritu in desertum ductus fuerit *ut ibi tentaretur*, quod à Diabolo identidem ad peccata *tentatus* fuerit, quod non modo tum tentatus, sed *tentatus* fuerit *in omnibus similiter atque nos solo peccato excepto?*

Atque hoc erat alterum argumentum meum, quo in Epistola probaveram non repugnasse Christi naturæ quod peccare poterat, quia quorsum alioquin à Spiritu subductus fuisset in desertum, & fame pressus ut ibi tentaretur à Diabolo? Quorsum tentasset eum Diabolus? quid ad consolationem nostram in tentationibus magnopere faceret quod Christus tentatus fuit similiter in omnibus uti nos, si peccare nullo modo poterat? si tentationibus ad peccandum induci eum prorsus erat impossibile? Ad hoc respondes, Camero, nec minus improvide nec minus infæliciter. Non minus improvidè, quia uti antea epithetum istud ἀπείρας & τῶν κακῶν, Christo in carne, ut loqueris, versanti tribuebas, quod Deo tamen soli tributum legitur, ita hic tanquam immemor epitheti istius, Deum ipsum ad malum tentari posse & tentari solere adseris, cum tamen diserte textus sacer dicat Deum esse ἀπείρασον τῶν κακῶν. Nec minus infæliciter respondes; Dicis enim Christum etiamsi à satana tentaretur, tentari tamen (id est ex tuo sensu actu seduci, id enim tibi tentari est) non magis potuisse quam potuit falli aut decipi, etiamsi id conaretur. At hoc est petere τὸ ὃ ἀρχῇ. Nam cum tibi falli & decipi sit peccare; primum enim peccatum tibi est error sive erroneum judicium, uti ante vidimus, quomodo respondere potes eodem modo Christum potuisse peccare quo potuit falli & decepi? Idem enim facis atque si respondeas, eodem modo potuit peccare quo potuit peccare. Deinde posito quod peccare & falli diversa sint, quomodo probabis, Camero, Christum falli nullo prorsus modo potuisse? An majus aut deterius aliquid esse credis posse falli aut decipi, quam posse peccare? ac peccare gravius est, quia falli potest aliquis ex ignorantia, peccare verò nemo potest nisi libere velit.

*Haud est nocens, quicunque non est sponte nocens.*

Adde tertiò quod tentari potuerit Christus ut tamen non falleretur. Nec enim (uti jam ante vidimus) peccatum in voluntate necessariò semper supponit errorem in mente. Et in hac responsione sto, quia illa multis ante à nobis probata est.

Altera tua ratio hæc est; *Quid, tune* (inquis) *ignoras rem certissimam, tentari & ipsum Deum, & esse qui id studeant, adeò ut Deo faciant ægre amentes & furiosi? Et quin inde concludat fieri posse ut possit Deus vel induci in errorem, vel conflictari cum animi ægritudine, vel ut nobis dolet si quis obnitatur, Deo itidem pariter dolere si quis minus se præbeat dicto audientem, vel insurgat & incessat petulanter?*

*Quid sit tentare Deum.*

Vah Camero! quam indigna hæc sunt eruditione tua! quam indecorum professioni tuæ, appellare rem certissimam cujus contrarium totidem verbis scriptum legitur, Deum scilicet tentari posse, cum tamen Scriptura, *Jacob.* I. 13. in terminis de Deo dicat quod sit ἀπείρασον τῶν κακῶν. *Res tamen certissima est* (inquis) *dici etiam in Scriptura Deum tentari.* Itane Camero? an ad malum? an ad peccandum? an ad eum in errorem inducendum? Quis credat hæc à te dici? Et obsecro, quomodo id factum fuisset aut fieret? an argumentis suadentibus? quam pudendum hoc est! an operibus, ut Deum ad ea imitanda provocarent? Pudet hæc quærere, nedum confutare. Interea Deum dici in Scripturis non rarò tentatum esse ab hominibus certum est; sed nemo nescit id factum ubique dici per peccata hominum, quæ Deus acerrime odit, & quæ ipsi illi qui tentasse Deum dicuntur, sciebant aut scire poterant peccata esse Deo maxime exosa. At per peccata ista eos Deum tentare voluisse ut eum vel in errorem inducerent, vel ad peccatum solicitarent, quis vel somniaverit? Nempe nimis tritum est inter Theologos, Deum tentari ab hominibus, quando ii peccatis suis adeo licenter, adeo pertinaciter indulgent, tanquam si in iis ex animo perseverare vellent, ut tentarent an Deus aliquis in rerum natura sit; aut si sit, an sciat ea quæ ipsi faciunt; aut si sciat, an ea punire aut possit aut velit. Non quod omnes directe hunc animum atque hanc intentionem propositam sibi habeant, sed quod faciendo tam enormia peccata, & in iis contumaciter persistendo, tantundem censeantur facere atque si hunc animum atque hoc propositum tentandi Deum apud se concepissent; eadem plane ratione qua de quibusdam dicitur qui per superbiam peccant, quod elata manu contra Deum peccent, quod dicant in corde suo, *non est Deus*, item, *scientiam viarum tuarum nolumus*: de iis qui voluptatibus indulgent, quod *ventrem suum pro Deo suo habeant: Philip.* III. 19. *quod ex pecunia sive divitiis suis idolum faciant quod adorant: Ephes.* V. 5. & *Mammona tanquam domino suo serviant: Matthæi* VI. 24. cum sæpe intentio eorum nihil minus quam eo spectet, imò cum contrarium à se intendi protestentur. Hæc adeo vera & certa sunt, ut si qui sint qui mentem atque intentionem istam habent ut tentent Deum, an scilicet in rerum natura sit, credentes interim eum in rerum natura non esse, aut curam rerum humanarum non gerere, isti tales nonnisi impropriè tentare Deum dici possint. An verò quidam eò usque impietatis progrediantur, ut studeant Deo ægre facere, cum credant eum esse in rerum natura, eum scire quæ agimus, & posse ac velle punire malefacta nostra, ego non dixerim. Ego id Diabolo, postquam certæ pœnæ inexorabiliter destinatus fuit, proprium esse crediderim. Quod si tamen etiam alicubi tales homines reperiri velis, sane amentes ii & væcordes sunt censendi potius quam homines ratione prædita, & monstra ac prodigia omni detestatione digna, indigna quæ Dei opera adspiciant aut divinis ullis beneficiis fruantur, quippe quos libertate suæ voluntatis in supremo gradu pessime abuti fatendum est. An Deus etiam quando tentatur ab hominibus, seriò (non quidem ut nos; quis enim illud dixerit? sed tamen) doleat nec ne, necesse etiam non est ut hîc à me definiatur. Scriptura sane talia & toties Deo tribuit, quando scilicet eum non tantum dolere, sed & in corde suo dolere, tristitia affici, in visceribus ipsis commoveri dicit: quæ speciem sane veri & justi doloris habent. Tantum id hoc loco dicam; Si aliqui eò usque perveniant, ut Deo ægre facere intendant, ab iis minime omnium Deo ægre fieri. Idcirco enim id de Deo affirmari crediderim, quod in interitu talium non dolere sed *ridere* velit: *Proverb.* I. 26. Ut ut sit, tota hæc tentatio qua Deus tentatus in Scripturis aliquando dicitur, non est ejusdem generis cum ea de qua hîc nos agimus. Nos enim hîc agimus de tentatione qua quis solicitatur ad peccandum, & divinæ voluntati contraria faciendum; quo genere tentationis uti impossibile tentari Deum, ita inconveniens est tentatum dici Jesum Christum si peccare nullo modo potuit.

*De eo quod Christum à Deo consolatione Angelica indiguit.*

Addideram tertiò: Quomodo Christus opus habuisset Angelica consolatione, vel saltem quid necesse fuisset Christum à Deo per Angelum corroborari contra tentationes à quibus invadebatur tempore instantis mortis, si tentationibus succumbere aut cedere non potuisset? Atque hac quidem ratione usus sum, non quod per se ad demonstrandum sufficiat, sed quia rationum præcipuarum pondus vehementer auget. Respondes tu Camero, *Id factum fuisse quia ei dolebat: Dolor autem poscit consolationem.* Esto: At hunc ipsum dolorem nego consolatione opus habiturum fuisse, nisi medium fuisset quo tentabatur patientia & constantia Christi. Dolor enim, qua dolor, consolatione opus non habet, sed remedio physico. Est enim tyrannus qui verbis non cedit, sed herbis potius. At dolor, quatenus medium est ad patientiam & constantiam animi frangendum, consolatione ut remedio morali opus habet, vel potius dolens non raro consolatione opus habet, ut ea excitetur ad patientiam & constantiam in dolore & contra dolorem. Unde efficitur eum qui non potest non patienter ferre dolorem, qui nulla impatientia animi unquam tentari potest, consolatione opus non habere; ac proinde Christum consolatione Angelica corroborari ad patientiam opus non habuisse. Deinde dolorem fuisse, ad quem leniendum consolatio Angelica servierit, non est usquequaque certum. Christus ipse appellat *poculum* sive *calicem*, metonymice; sed quid continuerit propriè calix iste, non exponit. Ex circumstantiis patet magnum atque ingens aliquod malum fuisse quo se pressum sensit. dicitur enim cæpisse ἐκθαμβεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν & dixisse *Tristis est valde ad modum anima mea usque ad mortem: Marci* XIV. 33. 34. unde Lucat eum in ἀγωνίᾳ fuisse dicit, *adeo ut sudor ei defluxerit veluti grumi sanguinis descendentes in terram: Luc.* XXII. 44. & ea de causa oravit ἐκτενέστερον; quod Author ad Hebræos exponens dicit factum μετὰ κραυγῆς ἰσχυρᾶς καὶ δακρύων, καὶ ἱκετηρίας, *cum clamore valido, cum lachrymis & metu*, per δεήσεις καὶ ἱκετηρίας, *per preces & supplicationes ad eum qui poterat eum servare ex morte: cap.* V. *ad Hebr. versu* 7. alludens

sine

ſine dubio ad precationem illam quam ter flexis genibus & ſemper ardentius intenſam feciſſe eum Euangeliſtæ narrant: *Pater ſi fieri poteſt tranſeat à me poculum hoc.* Verum enim verò quodcunque aut qualecunque poculum ſive malum hoc fuerit, quod ſanctiſſimum Dominum noſtrum preſſit, mihi perinde eſt. Si malum hoc de morte jam à Deo decreta atque inſtante accipias, fieri non poteſt, quin dicas, conſolationem Angelicam ſubſecutam ei fini ſerviiſſe, ut in propoſito moriendi corroboraretur; ac proinde abſolute fieri potuiſſe, ut doloris aut anguſtiæ magnitudine preſſus à propoſito iſto deficeret, ſentiendo quaſi ſe ferendæ iſti imparem. Si verò accipias de poculo aliquo ſpeciali anguſtiæ, ſive afflictionum variarum ſimul ac confertim in Chriſtum Dominum noſtrum irruentium, adeò ut quicquid pene fideles patiuntur id omne ipſi ad tempus incubuerit; fieri etiam nequit quin dicas, non omnino impoſſibile fuiſſe ut metus iſte, anguſtia iſta magna, *ἀδημονία* iſta animum ipſius, fortaſſe etiam hîc ut in cruce à Deo derelictum, & Samſonis inſtar robore illo quo antea donatus fuerat deſtitutum, aliquando labefactarent ac dejicerent, atque idcirco eum exauditum fuiſſe à Deo ex metu, ut eſt *Hebr.* V. 7. & conſolatione Angelica corroboratum fuiſſe, ut eſt *Luc.* XXII. 43. Non quaſi futurum fuiſſet ut dejiceretur niſi conſolatione iſta ſuffultus fuiſſet. Abſit. neque quod ejus rei periculum adhuc ullum eſſet. Nihil minus. Apparet enim quod ſemper infracto animo manſerit, & voluntatem ſuam Patris ſui voluntati conſtanter ſubjecerit: ſed quia ardenter orabat, & quia periculum eſſe poterat, proinde ut à periculo iſto immunis præſtaretur, probata jam ſatis ſuperque patientia ipſius ac conſtantia. Confirmant hanc rem ut mihi videtur non obſcure, tria quæ circa hanc conſolationem obſervari poſſunt. Primum, quod conſolatio hæc Angelica ſtatim immediate poſt ardentes illas tribus vicibus repetitas & ſemper ardentius intenſas preces, vid. *Tranſfer ô Pater hoc poculum à me, ſi poſſibile eſt; Omnia autem ô Pater tibi NB. poſſibilia ſunt;* ſubſecuta dicatur *Luc.* XXII. 43. Et quidem *ὀφθεὶς δὲ αὐτῷ ἄγγελος*, in propoſito ſcilicet perſeverandi aut moriendi, quia jam jam inſtabat hora. Secundum eſt, quod conſolatione iſta Angelica corroboratus, Apoſtolos ſuos quos longa vigilia fractos reperiebat dormientes, ad exemplum ſuum imitandum his verbis affatus fuerit: *Quid dormitis? Surgite & precamini ne introeatis in tentationem*; quaſi dixiſſet; En ego à precibus jam fortior redeo, & conſolatione Angelica confirmatus non modo non metuo mori, ſed & paratiſſimus ſum occurrere iis qui jam præ foribus ſunt ut me morti dedant. Vos idem facite & rogate eum qui vos poteſt liberare à morte, & non introibitis in tentationem, id eſt exaudiemini ex metu, & mortem ipſam non timebitis. Tertium eſt, quod Scriptor ad *Hebr. cap.* V. *verſ.* 7. dicat *Chriſtum exauditum fuiſſe ex metu, ἀπὸ εὐλαβείας*, (ita enim interpretor cum Calvino & Beza vocem iſtam) addatque *verſu* 8. *quanquam Filius Dei erat, tamen ex iis quæ paſſus eſt didicit obedientiam*, id eſt revera expertus eſt quid & quam grave ſit Deo obedire in anguſtiis & afflictionibus, & quidem ad ignominioſam & crudelem mortem uſque, niſi ſpeciale auxilium Dei precibus ardentibus exoretur atque impetretur. Atque hæc quidem omnia uti admodum ſunt frigida, enervia, diluta ſi Chriſtus non potuit non obedire; ita ſane ſunt admiranda, emphatica, plena conſolationis pro fidelibus omnibus, ſi potuit non obedire, & nihilominus libere in obedientia tam difficili perſtitit ad finem uſque.

Quæ à te hanc ad rem dicuntur, ea dicuntur tantum: non enim ſunt argumenta, ſed exegeſes tantum, quæ recte fieri ſolent quando de re ipſa conſtat, non autem quando de re controvertitur. Tantum id unum ex te intelligere velim, Camero, quid tibi velis cum dicis, *Chriſto non fuiſſe opus conſolatione iſta, cujus ſcopus unicus hic eſt ut ne ruamus in deſperationem.* Anne velis idcirco Chriſto non fuiſſe opus iſta conſolatione, quia non poterat deſperare, alioquin peccaturus actu? an verò idcirco quia Chriſtum in deſperationem ruere neceſſe erat, ac proinde contra deſperationem conſolatione muniri non debuiſſe? Si hoc poſterius velis, totus ſane diſcurſus tuus inutilis eſt, imò tibi ipſi manifeſte tum contradicis; quia conſolationem hanc levando ſoli dolori, qua tali, non autem quatenus ab ulla deſperatione oriebatur ſerviiſſe contendis. ortus enim tum fuiſſet dolor etiam ex iſta deſperatione, tanquam cauſa doloris omnium certe graviſſima. Si prius velis, quomodo itaque tibi cum Calvino tuo convenit, qui Chriſtum non tantum potuiſſe timere ac deſperare de animæ ſuæ ſalute, ſed & cum æternæ mortis horrore quaſi conſertis manibus luctatum eſſe, lib. 2. Inſtit. cap. 16. §. 11. & de ſalute animæ ſuæ actu timuiſſe, atque (licet id profiteri in termino non audeat) etiam actu deſperaſſe, (quæ tamen deſperatio cum fide non pugnaverit, quod quomodo ſine aperta contradictione capi poſſit, jam non diſputo) acriter contendit lib. 2. Inſtit. cap. 16. §. 12. & alibi; quia videlicet deſperatio actualis una eſt ex pœnis damnatorum, quas Chriſtum tuliſſe & ferendo ſuſtuliſſe vult. Sed jam pergamus.

Sequitur ultimum argumentum: (Quod enim interjectum à me fuit, & non levis momenti videri debet, videlicet quod noſtra obedientia multò præſtantior eſſet cenſenda obedientia Chriſti, ſi nos libere obediamus, ille autem obedierit neceſſario, id tu præteriiſti hoc loco, conſulto credo, quia certum tibi eſt Chriſti obedientiam in ſe præſtantiorem aut excellentiorem eſſe non potuiſſe quam noſtra eſt obedientia. Eadem enim utriuſque cauſa eſt, & par utrobique neceſſitas locum habet. Hoc affirmare quia invidioſum credidiſti, idcirco præterire argumentum hoc maluiſti, & alia forma veſtitum proponere, aut ſub alio argumento obiter tantum comprehendere, de quo poſtea.) Quomodo Chriſtus dixiſſet, *Tranſeat à me calix iſte ſi fieri poteſt, verumtamen non mea, ſed tua voluntas fiat ô Pater.* Ad hoc argumentum ſatis per ſe validum meo judicio, reſpondes hunc in modum. *Iſtud ſponte ſua* (inquis) *concidit. Nam ſi eo non peccavit Chriſtus, qui potes inde demonſtrare Chriſtum potuiſſe peccare?* Hoc ipſo, Camero, quod oravit ut tranſiret calix iſte ſi fieri poſſet. Nam ſi non poterat velle ut calix tranſiret, quia non poterat non obedire in exhauriendo calice, nec orâſſet ut tranſiret, ſi fieri poſſet, imò nec potuiſſet id orare. Neque tamen id orando ita ut oravit, peccavit. Abſit. Orare enim ut dolor quo premimur tranſeat, ſi fieri poſſit, non eſt ſimpliciter aut abſolutè velle ut tranſeat; ſed contra ſimpliciter non velle ut tranſeat, niſi id velit is quem oramus. Eo ipſo enim quod oramus, oſtendimus paratos nos eſſe expectare arbitrium ejus quem oramus. Hoc autem non eſt peccare. At ſi non poſſumus non velle ut maneat calix, nec poſſumus orare ut tranſeat. Eo ipſo enim ſatis oſtendimus nos poſſe velle aliter quam vult is quem oramus. At hoc eſt poſſe peccare.

*De eo quod Chriſtum dixit, Tranſeat à me calixiſte, &c. Matth. XXVI. 39.*

Adde jam verba cætera, *Omnia tibi poſſibilia ſunt Pater: Marc.* XIV. 36. vel ut Lucas ait, *Pater ſi velis, cap.* XXII. 42. & auctam intelliges facile argumenti mei vim. Qui enim eo uſque progreditur ut optet Patrem ſuum deſinere velle quod vult, idque iſto argumento, quia Pater poteſt id facere ſi modo velit, is etiamſi nondum velit, oſtendit tamen ſe poſſe tandem aliter velle quam vult Pater, ſi Pater in illa ſua volitione perſiſtat. Singulare verò momentum huic rei adfert, quod Chriſtus optationem ſuam corrigens aut cohibens conſtantia animi, dicat, *Verumtamen non mea voluntas fiat, ſed tua.* Si enim nullo modo potuit velle aliter quam Pater volebat, quam vim, quam emphaſin, quam ſpeciem haberent verba iſta, *Non mea voluntas fiat?* An non ridicula potius (abſit blaſphemia) quam ſeria foret hujuſmodi oratio, Ne fiat quod ego fieri vellem ſi modo tu velles, & tamen quod ego non poſſum velle ut fiat? Atqui inquies: Jam hoc ipſo doces Chriſtum id actu voluiſſe, atque ita actu peccaſſe? Nequaquam. Voluntas enim hic non ſignificat volitionem in actu exercito, ut loquuntur, ſed velleitatem; alioquin non dixiſſet, *ſed tua voluntas fiat.* Non itaque dicit Servator noſter ſe abſolute id velle, ſed contra ſe velle id quod Pater vult, ac niſi Pater vellet, non tantum poſſe ſe aliter velle, ſed & aliter voliturum eſſe, ex naturali iſto inſtinctu quo anxietatem & anguſtiam tantam animi, qua urgebatur pæne ſupra modum, averſabatur & fugiebat. Quare hac oratione non peccavit, non reluctatus eſt, non jactavit jugum; ſed contra fortiſſimo animo jugum tulit, licet graviſſimum; & conſtanter obedivit, affectum naturalem quo ad jugum iſtud excutiendum aut declinandum incitari poterat & tentari, uti cæteri pii ac fideles homines, fræno ſanctiſſimæ ac patientiſſimæ voluntatis precumque continuarum fervore in officio continens. Quod ſi affectus iſte, quem voluntatem ſuam appellat, nullo modo eum incitare potuiſſet, jam ſane glorioſæ vocis iſtius, *Non mea, ſed tua ô Pater voluntas fiat*, decus non parum obſcuraretur, & honori patientiæ, conſtantiæ atque obedientiæ Jeſu Chriſti multum utique decederet. Nam paſſientia in eo maxime elucet, quod cum doloribus frangi poſſit, contra eos tamen, licet maximos ac graviſſimos, te erigat, & de iis victoriam reportes. Dolere aut non dolere in aſſis nec virtus nec vitium eſt. Qui dolet cum non poſſit non dolere, non peccat. Qui non dolet cum non poſſit dolore, non virtute ſed ſtupore præditus dici debet. At doloribus frangi ſive à ſtatu rectæ mentis deturbari, cum frangi non debeas & poſſis non frangi, id vitium eſt. Non frangi itaque cum poſſis frangi id demum virtus eſt, & quantò dolores graviores ſunt, tantò

eminentior virtus est; Unde *patientiam perfectum opus habere* dicit *Jacobus*. I. 4.

Subjeceram hisce ultimum argumentum; Quomodo Christus nobis per omnia similis & per omnia similiter atque nos tentatus dici potuisset excepto peccato, si ne potentia quidem peccandi in eo fuit. Sed hoc argumentum tu silentio confutasti, cum tamen non leve in eo momentum situm esse facile possit intelligi.

Atque hactenus quidem ostendi à te, Camero, per hasce responsiones tuas nullam mihi caussam datam esse, cur sublimem illam tuam de Christo Domino cogitationem suscipere debeam. An caussam tibi dederim ut si non sublimiorem, saltem veriorem Christoque Domino magis gloriosam cogitationem suscipias, Lector judicet. Sublimes multæ de Deo Christoque cogitationes suscipi creduntur, cùm non suscipiantur nisi vanæ & sola verborum specie tumidæ cogitationes, quæ sæpe (si propius accedas & videas) sunt, ut cum Petro, 2 *Epist.* II. 18. & Juda, *vers.* 16. loquar, ὑπέρογκα μεγαλόφθογγα, & cum Joanne, *Apocal.* II. 24. τὰ βάθη τοῦ Σατανᾶ. Non quod hanc cogitationem inter istas censeam: absit, sed ne cui sublimitatis species pro fascino sit. Quod Clarissimum virum D. Tilenum attinet, habuit ille, nil dubito, qua est eruditione & prudentia singulari, caussas suas cur necesse non putaverit hac ratione argumentum tuum solvere, aut suam tibi hac de re cogitationem aperire. Ego hanc viam sine periculo me inire potuisse & ineundam mihi putavi, ut amici mei animo satisfacerem. Nec dubito quin Clariss. D. Tilenus supercilioſum tuum hac de re judicium non minus iniquum judicaturus sit, quam tu factum hoc meum (nempe *ut lenissime loquarii*, pro more tuo) *temerarium & nefandum* censes.

*Dignitati Christi nihil decedit ex eo quod potuerit peccare.*

Sequitur jam alterum membrum disputationis meæ, quo præoccupatam volueram novam objectionem quæ opponi mihi poterat: videlicet, Non decedere quicquam dignitati Jesu Christi, sive muneris ejus, si dicatur eum potuisse non obedire & sic peccare. Hîc tu Camero non expectas probationem meam, sed sarcasmo tibi familiari, & quo libenter admodum uteris, præjudicium facis lectori.

*Quasi verò* (inquis) *dignitas ulla in hoc sit sita quod quis possit peccare.*

At nec ego id dico, Camero. Nec enim dico accedere dignitatem ullam Jesu Christo ex eo quod peccare potuerit, sed tantum dico dignitati ejus nihil ex eo decedere. Sane nec dignitas nec indignitas propriè dicta in eo ulla est quod quis posset peccare, nequidem in eo quod quis possit bene agere & non peccare; sed in eo dignitas est sita, quod quis cum possit peccare tamen non peccet; uti indignitas in eo quod cum possit non peccare, tamen peccet.

*De differentia status præsentis & futuri sæculi.*

*Hac lege sane* (inquis) *in beata immortalitate dignitati nostræ plurimum decedit.*

Nihil minus, Camero. Nec enim dico non esse dignitatem, nedum minorem dignitatem, non posse peccare, quam posse peccare, sive statum illum in quo non poterimus peccare non esse digniorem & meliorem statu illo in quo possumus peccare: sed tantum dico, dignitati status illius in quo obedientiæ & merito locus est nihil decedere, si quis dicatur in eo posse non obedire vel posse peccare. Enimverò quis neget statum illum gloriæ in quo non poterimus peccare, digniorem esse statu illo in quo possumus peccare? Status enim ille præmium erit obedientiæ liberæ, quam in hoc statu præstiterimus. Sed uti ille status, non est status obedientiæ aut meriti, sed præmii; ita hic status non est status præmii, sed obedientiæ, & respectu Christi status meriti. Sicut autem in statu præmii dignitas nulla proprie dicta est posse peccare, ita in statu obedientiæ & meriti indignitas nulla est posse peccare. Unde efficitur statum illum præmii absolute præstantiorem esse statu viæ vel obedientiæ. Cæterum in statu viæ sive obedientiæ & meriti, multò præstantius est obedire cum possis non obedire, quam obedire, ut ita loquar, cum non possis non obedire. Hoc enim nullum prorsus in se meritum habere potest: illud vero potest. Quare cum quæris, *An non putem multò esse excellentius si vivam non posse mori, quam posse mori*, in re seria ludere mihi videris. Nam posse mori est posse pati corruptionem; quod non modo nullam excellentiam sed summam imperfectionem in se habet. Non posse mori (non si vivas, sed si beate vivas) summa est excellentia, summa perfectio. At posse peccare non est posse pati, sed posse agere, sine quo posse agere obedientiæ virtus & meritum non potest locum habere, imò cum quo perfectissima virtus & gloriosissimum immortalitatis meritum aliquando consistit. Ex quo efficitur nihil decedere dignitati muneris Jesu Christi quod, te ipso fatente, fuit meritorium in excellentissimo gradu, si dicatur Christus in eo gerendo peccare potuisse.

*De merito in non peccando cum potes peccare.*

Imò verò (addideram) plus meriti habet, non peccare cum potes peccare, quam non peccare cum non potes peccare. Rectius dixissem ad ὄγκον exaggerandam, Imo meritum nullum in eo est quod non pecces, cùm non potes peccare, sed in eo solo cùm non peccas quando potes peccare.

Ad hoc argumentum tu nihil omnino respondes, tantum dicis, *Hac in parte tu idem mihi cum Seneca sentire videris, qui eo ipso putavit sapientem Deo antecellere.* At hoc non est solvere argumentum. Falsum enim dixisse potuit ea in re Seneca, uti revera falsum dixit, si præcisè verba ejus urgere velis, & nihilominus verum esse quod ego dico, nisi meritum etiam in Deo locum habere velis. Si hoc nolis, tum colligo; uti stultum est dicere Deum mereri posse, ita non minus stultum est, merendo aliquem antecellere posse Deo. Meritum enim cum non possit esse sine obedientia, sequeretur eum qui obedit Deo, ejusque voluntati suam voluntatem subjicit, ut ab eo præmium consequatur aut mereatur, eo ipso quod obedit, Deo antecellere: quo quid vanius? Sane mereri posse non est perfectio absoluta, sed perfectio tantum in statu illo in quo obedientiæ locus est. At status ille, uti ex natura rei liquet, longe est imperfectior, longe inferior statu illo in quo obsequio & obedientiæ locus non est; qualis imprimis est status ille glorioſissimus in quo Deus per naturam suam ab omni æternitate vivit, & ad quem nos omnes per viam obsequii & meriti longe difficillimam contendimus atque adspiramus.

*Sed te id decipisse videtur* (inquis) *quod res natura dissitissimas confudisti; Non posse peccare ideo quia nec recte possit facere, quomodo ligna & lapides & belluæ peccare non possunt; & non posse peccare quia constanter abhorreas à peccato ad Dei instar, quatenus quidem id ferre potest natura humana vel ad Angelorum certe & sanctorum instar in cælo, juxta illud, Fiat voluntas tua in terra sicut in cælo.*

Nihil minus quam hoc me decepit, Camero. Nota jam pridem est hæc distinctio, sed & obsoleta est inter eos qui verum amant, uti jam aliquoties ostendi. Jam addo 1. Non posse peccare quando simplicem dicit necessitatem, perinde mihi est cui subjecto tribuas. Cuicunque enim illud tribueris, sive proprie sive improprie, seu lapidi seu homini, semper sequetur prædicatum hoc, Ergo non potest obedire. Etiamsi enim subjecta diversa sint, homo puta & lapis, prædicatum tamen *non posse obedire* rectissime semper sequitur, posito isto antecedente, in quocunque tandem subjecto fuerit. Necessitas enim repugnat libertati, ac proinde obedientiæ etiam & merito; non quatenus præcise in hoc aut illo subjecto est, sed quatenus simpliciter necessitas est. Itaque si dicas lapidem, lignum, aut belluam non posse peccare, concludam rectissime, Ergo nec possunt obedire aut mereri, qua tales. Et similiter si dicas, Homo non potest peccare, concludam, Ergo nec potest obedire, qua talis. Scio hominem quatenus homo est subjectum esse capax contrarii, videlicet posse peccare, & sic à ligno, lapide & bellua discriminari; Sed & scio hominem quatenus ei tribuitur prædicatum illud, Non posse peccare, non magis capacem esse prædicati alterius quod possit obedire, quam lapis, lignum aut bellua est; non quia homo lapis est, sed quia id quod in homine necessitas est, à necessitate quæ in lapide est nihil differt. Necessarium enim ubique & semper est id quod nec esse aliter potest. Addo 2. Si quis recte sententiam tuam putet, lapidem tam esse capacem rationis & intellectus ut possit dici posse peccare, quam homo capax est lucis sive persuasionis illius tuæ per quam fieri vis ut possit bene agere. ut enim lapis rationem habere non potest ex se, & simul atque Deus eam lapidi actione physica infundere vult, lapis eam necessariò recipiet; ita homo juxta te lucem illam persuasivam (quam ita perperam vocas, uti ostendi) ex se habere non potest, & necessariò eam recipit simul atque eam Deus ei infundit per actionem quandam physicam, sive talem quæ nec creatione nec suscitatione à mortuis minor est: verba sunt Synodi Dordracenæ, quæ tu *pæne ipsissimam Spiritus sancti vocem esse* dicis. Et confirmat hanc rationem meam, quod non defuerint ex vestris qui publicis thesibus professi sunt, vi consequentiæ hujus presli, quod in homine non sit nisi potentia remota ad fidem habendam, id est potentiam qualis in lapide est, non differre à potentia credendi quæ in homine nondum regenito est. Sed hæc obiter.

Cæterum in constituenda differentia inter duplex non posse peccare, fidem bonam desidero, nec satisfacis caussæ. Dicis enim, *Non posse peccare aliquando dici de aliquo ideo quia nec recte possit facere, aliquando quia constanter abhorret à peccato ad Dei instar.* Tertium hîc præteris de industria, in quo tamen rei cardo versatur, Non posse peccare ideo dici de aliquo quia non potest non abhorrere à peccato. Aliud enim est constanter abhorrere à peccato, aliud non posse non constanter abhorrere. Etsi enim rectè sequatur, qui non potest

non

non abhorrere à peccato, is etiam constanter abhorret à peccato; tamen non sequitur, qui constanter abhorret à peccato, is non potest non abhorrere. Dum itaque id quo me deceptum esse mihi persuasum esse vis, tollere satagis, decipere potius me de novo videris voluisse. Nam si non posse peccare idem tibi significaret quod constanter abhorrere à peccato, jam in primo conversionis momento hoc tuum non posse peccare locum haberet: & constanter à peccato abhorrere dicendus esset is, qui primum convertitur & à peccato primum abhorrere incipit. Sed revera, Camero, nihil aliud voluisti quam orationis fuco diluere rei fœditatem, & populo imponere phraseos Latinioris minusque invidiosæ fascino, & propriissimæ phraseos, *Non posse* speciosa adulteratione.

*At est* (inquis) *natura quædam bruta, stupida, sensu expers, et si sensui compos, at expers tamen rationis; ea verò sane non potest peccare.*

Recte. Sed & hic fucus latet: *Non posse* enim hîc significat simpliciter non esse capacem actionis aut qualitatis quæ peccatum sit, quod appellari solet non posse negativum. At quis somniaverit unquam quod homo hac ratione dici possit non posse peccare? Sed & contra philosophorum omnium sententiam est, Non posse peccare tribuere rei quæ contrarii capax non est. Nemo dixerit recte lapidem non posse videre, aut intelligere, nisi admodum ἀνθρωπόμορφον. De alio *non posse* agitur, quod videlicet oritur ex actione aut qualitate aliqua in subjecto natura sua capace contrarii posse, qua posita aliter aut aliud fieri à subjecto impossibile est. ubi autem hoc fit, ibi tantundem necessitatis sive non potentiæ, ut ita dicam, ponitur in subjecto, atque si subjectum natura sua contrarii omnino esset incapax. Itaque distinctio illa tua plane est inutilis. Deinde hic iterum observo quod & ante notavi, quodque ex tuis principiis necessariò sequitur, ad hoc ut aliquis dicatur recte posse peccare, sufficere ut rationis sit particeps, etiamsi ea sola posita non possit non peccare; quo quid indignius aut atrocius concipi potest? Pone enim tibi ob oculos, Camero, reprobos quos vocas: Hi non possunt non peccare ex tuo sensu, & peccant etiam juxta te vere, quia non sunt expertes rationis; & tamen ratio quæ in ipsis est, non magis prodesse ipsis potest ut possint saltem non peccare, quam si pure pute ligna, lapides & bruta essent rationis omnis expertia: etsi idcirco quia cum tali ratione peccant, æternum punientur apud inferos: bruta autem quia ratione caruerunt, etsi sensibus suis profusissime indulserint, nullum unquam malum ibi sentient. Quid? an non miserrimi isti mortales meritò optarint se si non lapides, saltem bruta potius natos fuisse quam homines, & omni ratione potius caruisse, atque ita interiisse, quam cum ratione tali æternum cruciari & arderé? En, Camero, rationis privilegium in homine quod tu illi das. Sed in viam.

*Sed & est* (inquis) *creatura quædam sancta, divina, prædita veri summi boni vera & summa notitia, prædita semper, prædita continuè, prædita propriè, quæ summo adhæret bono ἀνεκλείπτως: eam conditionem quæ non putet summæ esse dignitatis?*

Nemo, Camero, qui eam absolutè consideret & in se id putaverit; at in statu obedientiæ & meriti omnes qui sapiunt. Dignitas enim ista quæ per se optima est, non est conveniens statui meriti, imò tanta est ut non possit convenire statui isti. Posse autem aliquid esse melius absolutè ac per se, quod tamen ratione status certi melius non est, quis dubitet? Non posse liberos procreare profectò excellentius & dignius quid est, si per se consideretur, quàm posse procreare, ut in Angelis & beatis liquet, atque ex eo etiam quod vilissima animalia sint fœcundissima & brevissimæ vitæ. At non est melius ratione status qui in animali vita est. Hinc benedixisse dicitur Deus homini creato quando ei dixit, *Crescite & multiplicamini & replete terram*: Gen. I. 28. & inter benedictiones fertilitatis, uti sterilitas inter maledictiones collocata legitur. Similiter in cæteris edere, bibere, dormire, &c. se habet res. Utrumque apparet ex duobus locis Scripturæ, Luc. XX. 34. *Filii hujus ævi ducunt uxores & nuptum dantur; Qui verò digni habiti fuerint qui ævum illud consequantur & resurrectionem ex mortuis, neque ducunt uxores neque nuptum dantur. Neque enim* NB. *mori possunt amplius; pares enim sunt angelis, & filii Dei, cum sint filii resurrectionis.* Et 1 Corinth. VI. 13. *Escæ ventri & venter escis, Deus autem & hunc & eas abolebit.* Eundem itaque ad modum dico; si statum obedientiæ & meriti consideres, istam creaturam quæ non est prædita tanta notitia, uti tu supponis, nedum prædita semper, nedum continue, &c. atque idcirco peccare adhuc potest, sed tamen quæ non peccat, sed bono cognito aut credito adhæret ἀναποσπάστως, multo esse digniorem & præstantiorem quam potlit esse ea quæ in eodem statu posita, prædita est notitia tanta, &c. ut non possit non adhærere bono cognito, & simpliciter (stante ista notitia) non possit peccare. Quare quod de casta fœmina exempli vice adjungis, id profectò contra te facit. Ea enim demum casta esse dicitur, & revera casta est, quæ cum possit pudicitiam suam prostituere si velit, studiosissime tamen eam illibatam custodire vult. Nemo unquam dixerit castam fœminam quæ frigida aut maleficiata est, quæve manet recluſa ut corrumpi aut violari nullo modo possit: imò ne casta quidem Deo est quæ pudicitiam non vult prostituere sola adducta pœnæ aut ignominiæ humanæ formidine. Et hæc tamen adeò constanter vult pudicitiam, ut non nisi ægre admittere possit mœchi vocem aut adspectum ejus ferre. Nota est historia virginum illarum, quæ solo metu publicæ infamiæ pudicitiam adeo constanter custodierunt, ut per sexcentos annos non deprehensa fuerit ulla quæ eam violaverit. At quis dixerit eas idcirco nullo modo potuisse prostituere pudicitiam suam? Similiter se res habet cum iis quæ ex amore virtutis, aut potius ut Deo pareant, castitatem integram atque illibatam custodiunt. Voluntatem sane rectam & constantem habent in bono; sed non tamen ita constantem; quin desinere possint eam habere, atque ita peccato se dedere. Atque hanc unam ob causam hæc earum castitas virtutis, & quidem virtutis laude atque encomio omni digniſſimæ, nomine venire potest.

Concludo; Tolle itaque ab obedientia etiam Christi possibilitatem non obediendi: pone eam præcisè necessariam fuisse, ita ut Christo aliter agere, id est peccare prorsus fuerit impossibile; tum certe id quod fecit Christus nec obedientiæ propriè dictæ nomine censeri, nec pro exemplo obedientiæ nobis servire, nec meritum ullum in se habere potuit. Ubi enim necessitas est, ibi non est nec potest esse locus obedientiæ, nedum obedientiæ exemplari, nec merito. Vox hæc est communis omnium populorum, vox sapientum, vox vulgi, vox Dei, & quæ pæne prima notio videri debet. Pone è contrario Christum potuisse non obedire, sed tamen vere & constanter obediviſſe Patri suo; pone eum peccare potuisse, sed tamen in nulla vel minima re deliquisse; tum demum gloria obedientiæ ejus & splendor meriti ipsius, ad instar Solis in meridie radiantis, elucescet; tum exemplum obedientiæ ipsius nobis vere usui erit & solatio; tum recte perspicietur vis atque emphasis orationum illarum Spiritus sancti: *Is sit affectus in vobis qui fuit in Jesu Christo, qui cum esset in forma Dei non duxit rapinam parem esse cum Deo. Sed ipse seſe exinanivit formam servi accipiens, similis hominibus factus & habitu compertus ut homo, ipse seſe humiliavit factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propterea etiam Deus ipsum extulit in summam sublimitatem, & donavit ei nomen quod est supra omne nomen*, &c. *ad Philipp.* II. 5. 6. 7. 8. 9, &c. Vide etiam *Hebr.* II. 9. & *cap.* XII. 2. *Respicite in fidei vestræ ducem ac perfectorem Jesum, qui pro sibi proposito gaudio pertulit crucem, ignominia contempta, & ad dexteram throni Dei consedit. Et reputate quis & quantum ille sit qui talem sustinuit à peccatoribus adversùm se contradictionem, ne vestris animis remissi fatiscatis.* Et 1 Pet. II. 21. *Nam ad hoc etiam vocati estis, quoniam & Christus passus est pro vobis, relinquens vobis exemplar ut insequeremini vestigia ipsius. Qui non peccavit, nec inventus est dolus in ore ejus. Qui convitiis affectus non vicissim convitiabatur; qui cum malis afficeretur, non minabatur, sed committebat causam suam ei qui juste judicat.* Et *Hebr.* I. 9. *Dilexisti justitiam & odio habuisti iniquitatem; propterea unxit te ô Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ supra consortes tuos*, id est Reges alios omnes. Et similia plura, quæ omnia dicta frigore ipso frigidiora mihi videntur, si dicatur Christum non potuisse non obedire. Hæc causa sola est cur eam quam tu sublimiorem de Christo cogitationem vocas suscipere non potuerim. Jure an injuria lectoris æqui judicium esto.

## CAPUT XIV.

HOc caput quia in eo non disputas, Camero, sed ostendis tantum ægritudinem animi tui, conceptam ex eo quod argumentum de Angelis & induratis triviale & jam sæpius refutatum dixeram, responsione dignum non est. Non crediderim te tam impotentem animi tui, aut tam irritabili esse ingenio, ut verbulo (minus fortasse eruditione tua digno) usque adeo graviter offendereris; tanquam si viro docto excidere non possit aliquando argumentum triviale; aut pii & Christiani animi non sit contemtum istum contemnere. Bene habet. Prodidisti ingenium tuum. Video te esse ex numero eorum qui cavendi sunt ut apes, ne vel leviter irritati aculeum infigant, & contemtum sui alio multo acriore contemtu protinus vindicent.

## CAPUT XV.

### Diluitur inſtantia Cameronis de Angelis & induratis, non autem, ut titulus capitis Cameronis habet, de ratione præmii & pœnæ.

IN hoc capite argumentor ex præmii & pœnæ ratione, quam plane tolli oſtendo ubi talis neceſſitas, qualem tu (Camero) ſtatuis, locum habet. *Hic tu* (inquis) *ſolens more tuo eadem repetis. Negas obedientiæ locum eſſe poſſe ſi quis non poſſit obedire, aut non poſſit non obedire*, &c. Nihil prorſus hîc repeto, Camero. Tantum iſta dicendo tranſeo ad aliud argumentum, quod ex priore fluere dico, & iſto modo tractatum à me ante non fuit, ut ibi videre eſt. Quod me ſolentem more meo eadem repetere in tam brevi Epiſtola dicis, an in eo cauſſam habueris juſtam Lector judicabit. Videris mihi ſtomachum adhuc ægrum habuiſſe à puſilla iſta voce *Trivialis*, etiam poſtquam ſatis ſuperque te ipſum ultus es. Nempe crudior erat ut eam adeo facile concoqueres. Itaque à ſarcaſmo incipis. *Sine me, quæſo, triviale illud tibi objicere.* Sino, Camero. Utinam loco ſuo id à te factum fuiſſet, & hîc argumentum ex præmio & pœna deſumtum, prout res exigit, & titulus capitis tui etiam promittit, expendiſſes! Videris enim mihi ſtudio argumentum iſtud de pœnæ ratione ſubterfugere, neque verbulo fere ad illud reſpondere in toto hoc libro tuo; quod merito ſuſpectum eſſe debet. Sed quia tibi libuit hoc loco argumentum de Angelis & induratis proferre, age ſequar te non illibenter. Spero me ita reſponſurum ad hoc argumentum ut intelligas quo jure iſtud triviale appellaverim.

*Angeli* (inquis) *beati non poſſunt non obedire, tanta eorum & tam conſtans, tam perfecta & numeris omnibus abſoluta ſanctitas eſt, tam vehemente Dei ardore incenſi ardent, ut ad ejus nutum nequeant detrectare obſequium, nequeant non exſequi juſſa ſimul & præſcripta. Contra, indurati nequeunt obedire, tanta eorum, tam obſtinata, tamque perverſa & præfracta atque indomita contumacia eſt.*

*Exemplo Angelorum & induratorum non probatur obedientiam & inobedientiam, conſiſtere non poſſe cum neceſſitate.*

Ut videas atque intelligas, Camero, quam debile ſit hoc argumentum tuum, dicam 1. quid ad ejus plenam confutationem paucis à me reſponderi poſſit. 2. quid ex mea propria ſententia reſponſum velim. Primum quod attinet perinde mihi eſt quicquid dixeris. Sive dixeris Angelos beatos non poſſe non facere atque exſequi quod Deus ipſis jubet, ſive poſſe ea quæ juſſa ac mandata ſunt non facere. Item ſive dixeris induratos non poſſe non peccare, ſive dixeris eos poſſe non peccare. Aſſume quicquid volueris. Ac primum quidem de beatis Angelis, ſi dixeris eos non poſſe non facere quod Deus ipſis jubet, tum dicam eos eo ipſo non obedire obedientia proprie dicta, quæ virtus dicitur & præmio ac laude digna eſt: de ea enim hîc agimus. Si dixeris eos poſſe non obedire, dicam itaque eos vere obedire, ac proinde peccare adhuc poſſe. Hîc ſine dubio regeres mihi, Angelos bonos diſerte in Scripturis dici beatos, ac proinde inepte concedi eos peccare poſſe. Reſpondeo bonos Angelos beatos in Scripturis duplici ſenſu dici poſſe; 1. quia cum cæteris Angelis *qui originem ſuam non retinuerunt, ſed peccarunt*, ut Petrus ait, una non defecerunt, eorumque rebellioni ſeſe non immiſcuerunt; ſed conſtanter Deo adhæſerunt, & perſtiterunt in obſequio Dei ſui uſque adhuc, in quo ſi porrò perſeverent certò certius beati futuri ſunt; quo ſenſu nos etiam in hac vita non rarò beati vocamur, vitam æternam jam habere, imo jam cum Chriſto in cælis ſedere dicimur. *Matth.* V. 2. 3. 4, *&c. Johann.* III. 36. *Epheſ.* II. 6. quia videlicet in via illa ſumus in qua ſi progrediamur æternæ vitæ coronam certo certius adſecuturi ſimus. 2. quia jam actu & reipſa ſunt in ſtatu beatæ fælicitatis, & beatitudine tanquam obedientiæ ſuæ conſtantiſſimæ præmio donati ſunt atque affecti: quo ſenſu nos demum poſt hanc vitam beati erimus. Si primo modo eos beatos vocari in Scripturis dixeris, concedam eos Deo libere obedire; ſed negabo eos ita nunc obedire ut non poſſint non obedire: hæc enim ſunt διϊσπλα, cuicunque tandem ſubjecto tribuantur, uti ex præcedentibus liquet. Si ſecundo modo eos beatos vocari dixeris, negabo eos jam proprie obedire, obedientia ſcilicet tali quæ vere virtus eſt, & quam Deus præmio beatitudinis vult remunerare; ſed dicam eos facere & exſequi quod Deus jubet, ea voluntate quæ ad faciendum & exſequendum id quod Deus jubet prorſus eſt determinata. Utrum dixeris perinde erit, & argumento tuo nihil effeceris.

Induratos quod attinet, ſi velis eos per indurationem divinam ita eſſe affectos ut non poſſint non facere quod Deo diſplicet, negabo eos hoc ipſo non obedire, id eſt eos peccare formaliter, ſive ita peccare ut propterea Deus eos punire aut poſſit aut velit; ſed dicam eos, ſi non luporum, urſorum aliarumque belluarum inſtar, ſaltem phreneticorum & inſanorum hominum, quin & diabolorum inſtar, facere quæ faciunt. Si velis eos poſſe non peccare, poſita etiam induratione, dicam eos quando non faciunt quod rectum eſt aut quod legi divinæ congruit, inobedientes eſſe & peccare, & propterea pœna dignos fieri. Elige Camero utrum voles, & ſenties quam debile ſit argumentum tuum, & quod quicquid elegeris in eas anguſtias te ipſum ſis compacturus unde non facile exitum reperies. Sed, inquies, hoc pacto nihil certi reſpondetur, ſed res tota in incerto relinquitur. Ita eſt, inquam. At ut certi aliquid à me reſpondeatur neceſſe non eſt. Qui alterutram partem affirmat, ei incumbit probandi onus. Et ſunt fortaſſe quæſtiones hæ ex earum genere quæ expreſſe in Scripturis definitæ non ſunt, & in utramque partem probabiliter ventilari poſſunt, quæque proinde audacius magis quam ſolide à quibuſdam definiuntur.

*Speciatim id oſtenditur de Angelis in bono confirmatis.*

Sed ne exiſtimes me hac ratione directam reſponſionem declinare, aut argumentum tuum dubio reſponſo eludere velle; Reſponſum volo ex mea ſententia hunc in modum, ſalva ſemper meliore. 1. Quod ad bonos Angelos attinet, eos idcirco quia diſerte beati vocantur in Scripturis, contradiſtincte à Diabolis, qui non ſolum peccaſſe, *ſed & jam in tartarum detruſi, catenis caliginis traditi, damnationi reſervari* dicuntur 2 *Pet.* II. 4. *& judicio magni illius diei vinculis æternis ſub caligine cuſtodiuntur, eo quod non ſervarunt originem ſuam, ſed domicilium ſuum reliquerunt. Jud.* VI. eos, inquam, jam non proprie obedire Deo, ſed facere quæ recta ſunt, quæque Deus jubet, voluntate ſic ad iſta faciendum determinata, ut contraria facere ipſis plane ſit impoſſibile, adeò quidem ut non aliter quam Sol & Luna curſus ſuos abſolvunt, noſque aliquando in beato illo ſæculo Deum ſimul laudaturi, illi recta omnia faciant & divina juſſa exſequi gaudeant. Obedientia itaque eorum eſt actio voluntaria quidem, cum maxima lubentia & alacritate conjuncta, ſed non libera, ac proinde non virtus quæ ex legis alicujus præſcripto ſit, & quam Deus præmio aliquo remunerare vult; ſed actio naturæ & miniſterialis, quam ex ſummi boni gratiſſima fruitione tanta neceſſitate faciunt, quanta venti in hanc aut illam partem feruntur, quando Deus eos flare jubet quo vult; unde etiam diſerte iis comparantur, & à Deo (ut) venti fieri dicuntur, *Hebr.* I. 7. ex *Pſal.* CIV. 4. *Qui Angelos ſuos facit ventos, & miniſtros ſuos ignis flammam.* Sicut autem venti, fulgura & fulmina, adeoque Sol, Luna, aſtra, & exercitus cæli terræque omnes; exſequendo Dei juſſa obedire quidem dicuntur Deo in Scripturis, ſed (te ipſo fatente) improprie, quia ſine ratione faciunt quæ faciunt; ita Angelos beatos jam obedire dico non proprie, ſed καθ' ὁμοίωσιν: non quaſi ſine ratione faciant, quæ faciunt, ſed quia beatiſſimi præmii ſenſus voluntatem eorum ita determinat ut aliter velle non poſſint. Forte dices mihi, attamen obedientia Angelorum pro exemplo aut regula nobis datur, ad quam componere debemus obedientiam noſtram, quando Servator nos precari jubet, *Fiat voluntas tua ſicut in cælo*, (i. e.) *& terra.* Atqui, inquam, particula *ſicut* non notat ſemper identitatem aut paritatem omnimodam, ſed ſæpe nil niſi ſimilitudinem quandam, uti ex infinitis locis patet. *Matth.* V. 48: *Eſtote igitur vos perfecti, ſicut Pater veſter in cælis perfectus eſt. Luc.* XXII. 29. *Joan.* V. 23. *Joh.* XVII. 23. & 1 *Joan.* I. 7. Ita jubemur *ſancti eſſe ſicut* vel *quia Deus ſanctus eſt*, cum tamen Deum natura ſua ſanctum eſſe conſtet. Ad ſimilitudinem autem ſatis eſt, ſi in eo quod imitandum proponitur id revera inſit quod imitandum eſt, quocunque tandem modo inſit; niſi quidem id eodem modo ineſſe exemplo oſtendatur quo à nobis requiritur, uti in exemplo obedientiæ Chriſti liquet, quem obediviſſe & per obedientiam præmium propoſitum adeptum eſſe legimus; quod de Angelis beatis dici nuſpiam conſtat. Dices; Angelorum itaque beatorum conditio in ſtatu beatitudinis erit deterior quam fuit antequam beatitudine donati atque affecti fuerunt, quia tunc propriè, id eſt liberè, Deo obediebant, nunc autem nonniſi impropriè obediunt, quia neceſſariò faciunt Dei juſſa. Reſp. Ex antedictis patet rem aliter ſe habere. Libere enim Deo obedire non eſt perfectio abſoluta, ſed tantum reſpectiva in ordine ad ſtatum in quo lex viget præmio & pœna ſancita, & in quo proinde meritum ſive officium obediendi locum habet: unde in ſtatu beatitudinis lex & obedientia ceſſant, quia præmio ſoli tum locus eſt. Atque hæc quidem eſt ſententia mea de Angelis beatis; quam ſi enervare volueris, neceſſe erit ut probes Angelos beatos eo ipſo quod nunc exſequuntur Dei juſſa, proprie in hoc obedire, ea obedientia quæ virtus ſit & virtus præmio digna & aliquando remuneranda.

Indu-

*Et de induratis nec esse omnino impossibile ut Deo obediant.*

Induratos quod attinet, ego me profiteor sentire cum iis qui statuunt eos, non obstante induratione, posse tamen adhuc non peccare & ad pœnitentiam redigi, licet admodum difficulter, adeo ut pœne impossibile videri possit. hæc summa est. Indurationem itaque activam non arbitror esse actionem talem ex qua necessariò, sive necessitate consequentis, sive necessitate consequentiæ sequitur absoluta obediendi impotentia, vel peccandi necessitas. Passivam itaque indurationem non dicere etiam talem voluntatis dispositionem, ad quam omnino necessariò sequitur peccatum. Suppono itaque jam tecum, Camero, id quod indurati faciunt contra Dei præscriptum, non materialiter tantum, sed & formaliter peccatum esse, quod meritò in pœnam ipsis potest à Deo imputari. Rationes quæ me movent hæ sunt. 1. Quia si induratio activa talem Dei actionem significat, quam necessariò sequuntur actus ἄνομοι isti quos indurati faciunt, tum fieri non potest ut isti actus eorum sint peccata formaliter, quæ pœnam mereantur & propter quæ à Deo jure puniri possint. Actus enim isti qui necessariò sequuntur ex vel ad actionem divinam, sive illa necessitas sit necessitas consequentiæ, sive necessitas consequentis, sunt effecta vel consequentia saltem divinæ actionis. Effecta autem vel consequentia divinæ actionis, qua talia, peccata esse quæ pœnam mereantur per se, est absurdissimum. Nec sufficit si dicas, actionem illam divinam esse punitionem rebellionis & contumaciæ antegressæ; neque enim intelligi potest, quomodo divinæ punitionis effectum vel consequens esse possit peccatum, quod pœnam iterum mereatur. Punitio sane ista quæ consequeretur, non injusta tantum foret, sed & in infinitum progredi posset: quod absurdum est. 2. Quia Deus expresè eos qui indurati, imò in reprobum sensum traditi fuerunt, quales erant ex tua confessione propria gentiles pœne omnes antequam Euangelium ipsis annuntiaretur, ut videre est *Rom. cap.* I. *per totum. Ephes.* IV. 17. 18. 19, &c. non tantum serio per Euangelium suum vocari ad pœnitentiam & fidem voluit, sed etiam eos eo solum nomine passim in Euangelio dignos æternis pœnis pronunciat, quod divinæ isti vocationi parere recusaverint. Quod si autem ex induratione vocationem istam præcedente necessitas peccandi, ac proinde vocationi divinæ non obediendi, sequuta fuisset, non indigna modo divinæ sapientiæ, bonitatis & æquitatis fuisset ejusmodi vocatio, sed & summe crudelis ac simulata. Quid enim aut insipientius, aut crudelius, aut simulatius fieri potest, quam vocare ad pœnitentiam, & videri velle cupere ac procurare salutem eorum, quos propria tua actione tales reddidisti ut pœnitentia ac salutis studio duci nullo unquam tempore possent? 3. Quia expresse Scriptura de quibusdam induratis & in sensum reprobum traditis affirmat, & quidem cum eorum elogio, quod divinæ vocationi parverunt & duritiem cordis sui exuerunt. Vide *1 ad Corinth.* VI. 9. 10. 11. ubi affirmatur de quibusdam quod μοιχοὶ, μαλακοὶ, ἀρσενοκοῖται fuerint; disertè enim legitur *versu* 11. καὶ ταῦτα τινὲς ἦτε, (quod Beza vertit, *& hæc eratis unusquisque*, nulla tamen ut arbitror necessitate:) & tamen istis ipsis tribuitur quod *abluti fuerint, quod sanctificati fuerint & justificati ab in in nomine Domini Jesu*, id est per fidem qua Jesu Christi *Euangelium acceperunt* dicuntur ejusdem *Epist.* XV. 1. *& per quam si eam retinerent servandi erant, versu* 2. Μαλακοὶ autem, μοιχοὶ, ἀρσενοκοῖται eos esse qui in sensum reprobum dati, & sic in summo gradu indurati sunt, apparet ex *Rom.* I. *versu* 26. 27. *& Ephes.* II. 2. 3. *Tit.* III. 1. 2. 3. & 1 *Pet.* II. 3. 4. 4. Quia induratio divina opponitur divinæ misericordiæ, *Rom.* IX. 18. At misericordia divina non facit ut non possimus peccare: Ergo nec induratio facit ut non possimus non peccare. Prius nitur omnibus istis quæ in hoc scripto disputantur: Ergo & posterius. 5. Quia inter actiones quibus Deus indurare dicitur hominem, nulla adsignatur in Scripturis, neque adsignari facile poterit, per quam fiat præcisè ut homo talis non possit aliter agere; & contra non paucæ, quinimo omnes quæ adsignantur in Scripturis actiones, eæ non modò non tollunt ipsam non peccandi sive obediendi potentiam, sed & per se ac natura sua serviunt ad eam excitandam & flectendam in melius; etiamsi propter malitiam in homine tali jam hærentem, plerumque fiat ut iis abutantur in suam perniciem. Hæc autem à me demonstrari necesse non foret, quia si quis contrarium affirmat, ei proferendæ sunt actiones illæ divinæ, ex quibus necessitas ista liqueat; quod sane si fecerit, eadem opera effecerit, vel Deum peccatorum istorum authorem esse; vel actiones istas induratorum non esse peccata formaliter, eo ipso quod actionis divinæ effecta vel necessaria consequentia sunt.

Sed tamen ex superabundanti, demonstro id quod dico hisce rationibus. 1. Quia eadem actio indurandi, quæ Deo tribuitur, ipsi homini tanquam ingens crimen aliquod tribuitur, ita ut cum Deus hominem indurat, ipse homo propria sua voluntate seipsum etiam culpabiliter dicatur indurare. Hoc autem fieri impossibile esset, si actio Dei per se id efficeret, aut ex actione divina id consequeretur quod homo voluntatem suam non posset non indurare. Sic enim homo non magis dici posset se ipsum indurare quàm cera aut cænum, quando Solis calore vel aëris frigore siccantur, & vel consumptis vel condensatis humoribus indurantur. Induratio enim esset mera passio voluntatis, non actio libera. 2. quia Deus diserte indurare & excæcare homines aliquando dicitur in Scripturis per ipsos homines, qui vires indurandi aliorum voluntates non habent, & qui nihil minus propositum habent quam ut eorum voluntates indurent, imo qui id unum agunt ut ea adhibeant per quæ eorum voluntates emolliant & flectant in melius; adeò ut si fiat ut eas indurent, nonnisi nolentes atque inviti eas indurent, atque ita eas se indurare intelligant. Ita Deus excæçans populum suum dicebat Prophetæ Esaiæ, *Valde & excæca cor populi hujus.* Nec dubito quin hoc eodem modo Deus induraverit cor Pharaonis per Mosen & Aaronem, uti postea videbimus. Si dicas Deum interea dum hominum ministerio utitur, suas partes etiam agere, & secretò atque occultè voluntates hominum indurare; tum dices Deum non modò primam aut præcipuam causam esse istius indurationis, sed etiam causam proximam atque immediatam, ac proinde actionem indurationis ineptè quin & ridiculè tum homini ipsi tum iis quorum opera Deus utitur tribui. Etenim una eademque actio, circa eandem rem, eodem tempore, non potest simul esse immediata & mediata. 3. quia actiones Dei induratrices, quarum quidem mentio fit in sacris, fere referuntur ad Dei lenitatem, longanimitatem, & beneficentiam sive χρηστότητα, qua homines ipsi parere nolentes vel suis cupiditatibus relinquit, vel ad tempus impunitatem concedit, vel etiam beneficiis temporalibus quæ vehementer cupiunt frui sinit, vel aufert ex oculis eorum quos ablatos valde volunt, vel dat quos desiderant doctores, consultores, fautores, &c. relictis semper necessariis auxiliis, per quæ & debeant & possint à malitia ista sua retrahi, & redire ad meliorem frugem. Hæc cum Deus facit, tum dicitur ferè indurare homines; non quod ista per se & necessariò duritiem aliquam efficiant aut augeant in eorum animis; absit; contrarium potius efficere apta nata sunt; sed quod iis pro malitia sua, quæ jam in voluntate eorum habitum genuit, abuti soleant. In Pharaone res liquet: induravit illum Deus ea actione quæ maxime cum emollire & poterat & debebat; videlicet actione puræ putæ bonitatis, tollendo scilicet plagas inflictas ad voluntatem & desiderium ipsius. Quoties enim Deus ei plagas infligebat, toties fere emolliebat cor ejus ut dimittere vellet populum, &, si plagas incumbere ei contra voluntatem ipsius siviſſet Deus, verisimiliter etiam populum dimisisset. Simulatque plagas tollebat Deus, quod impensè cupiebat Pharao, *adeo ut esset ipsi respiratio*, (à vulnere & dolore scilicet inflicto,) ut est *versu* 15. *cap.* VIII. *Exodi*, statim aggravasse, induratse cor suum, & (quod notandum est) non obtemperasse, id est iterum obtemperare noluisse dicitur. Bonitate itaque & indulgentia divina quâ maxime emolliri debebat indurabatur. In filiis Eli idem usu venit, Mali erant & *filii Belial*, inquit textus sacer. Deus procurat ut à parte eam ob causam objurgentur, quo moniti de officio suo cogitent. Objurgatio ista emolliendis iis servire poterat & serviebat ex instituto divino: at non emolliuntur sed obstinantur magis in sua nequitia; nempe nimis blanda & lenis erat patris increpatio: hanc itaque illi pro malitia sua insuper habent & contemnunt: nolunt in animum inducere admonitionem istam paternam tanti sibi esse debere, ut propter eam ab instituto vitæ profanæ discedant. Non modo itaque non injectum frænum, sed stimulus potius per eam subditus fuit animo eorum ut in malitia sua pergerent: credentes scilicet patrem suum non valde offendi isto vitæ genere, quia tam leniter eos increpaverat. Hoc itaque pacto indurati tandem & à Deo supplicio sunt affecti. Cæterum eodem modo Deum agere cum iis qui indurati vocantur, apparet ex capite II. ad Romanos, versu 4. ibi enim Apostolus eos quibus σκληρότης, id est duritiem animi præfractam & cor ἀμετανόητον tribuit, sic alloquitur: *An divitias* (divitias inquam) *bonitatis ejus & tolerantiæ ac lenitatis contemnis, ignorans* (id est vel ignorare volens, vel tanquam si ignores, cum satis superque scias, aut scire facile possis) *quod benignitas Dei ad resipiscentiam te ἄγει, te impellit? vel agit, vel ducit?*

*Induratio Pharaonis & filiorum Heli.*

*sed pro*

*ſed pro duritia & corde impœnitente*, (id eſt quod cum debeat ac poſſit tantis beneficiis flecti ad reſipiſcentiam, reſipiſcere tamen non vult, non autem, uti tranſtulit Beza, *quod reſipiſcere neſcit*; ſic enim tota orationis Apoſtolicæ emphaſis eliditur,) *theſaurum tibi ipſi recondis iram in diem iræ & patefactionis juſti judicii Dei.* Et hæc eſt cauſa cur Deus eos quos indurat, dicatur *tradere ſuis cupiditatibus*, quod non eſt ingenerare animis ipſorum cupiditates malas; (hoc enim non foret eos tradere ſuis cupiditatibus, ſed potius iis dare vel indere cupiditates;) ſed eos illis ipſis quæ jam animis ipſorum inſunt cupiditatibus permittere, vel ſinendo tantum ut impune iis indulgeant, vel faciendo ut ea quæ vehementiſſime cupiunt atque optant conſequantur, atque ita animum ſuum expleant, faciantque interdum creſcente magis magiſque malitia per occaſionem oblatam, ea quæ Deus, niſi valde lenis eſſet & miſericors, pro juſtitiæ ſuæ zelo aut impediturus aut non toleraturus videtur, utpote quæ planè ſunt contra omnem rationem & pluſquam brutalia. Nempe ſic miſeri iſti divina lenitate atque indulgentia, quia videlicet aut non puniuntur, aut non ſatis ſeveriter puniuntur, aut etiam quia quod cupiunt conſequuntur, eouſque devolvuntur ut in νῦν ἄθικμον tandem incidant, quæ adeo depravata eſt, ut nec probet quod probandum eſſe communis ſenſus dictat, nec ulli mortalium qui ſcintillam bonæ mentis in ſe habet, probari poſſit, imò à qua homo, quà homo eſt, naturaliter abhorret. Recte itaque *Eccleſiaſtes cap.* VIII. *verſu* 11. in hanc ſententiam dicit, *Quia non profertur cito contra malos ſententia, abſque timore ullo filii hominum perpetrant mala.* Et Euripides in Antiopa:

*Τῷ τὸ δίκαιον λέγοντι παῖδ' οὐκ ἔστι χρόνῳ,*
*Δείκνυσι δ' ἡμῶν ὅστις ἐστὶν ἐν πόνοις.* Id eſt,
*Juſtitia proles nuncupatur temporis,*
*Quæ delitentes monſtrat in nobis malos.*

Item Theodectes:

*Calumniari qui Deos audes homo,*
*Quod prava facta protinus non vindicant,*
*Sed punienda differunt, cauſſam accipe.*
*Si pœna ſupera non daret culpæ diem,*
*Pietate nulla, ſed metu ſolo, Deos*
*Pars magna colerent. Pœna nunc longe ſita*
*Omnes ſuo permittit ingenio frui.*
*Sed deprehenſi poſtea in piaculis,*
*Utcunque ſerò, quod ſat eſt, pœnas luunt.*

His jam adde actiones Dei alias complures, quod videlicet Deus malos ejuſmodi nebulones aliquando privet iſtis beneficiis ſive bonis, quæ occaſio & laqueus quaſi ad peccandum ipſis fuerunt, & quorum ereptio, niſi valde mali eſſent, ſervire iis poterat ac debebat ad mutandum vitæ propoſitum, & peccatis iſta occaſione natis valedicendum. E contrario quod iis aliquando ex voto & animi ſententia fluere pœne omnia ſinat, quod eos qui peccatis ipſorum ſe opponunt, & per quos optime poſſent ad meliorem mentem reduci, opprimi, in exilium pelli, & malis omnibus tanquam Deo cæloque inviſos homines affici ab iis permittat; quod optimos quoſque ſæpenumero ipſis ita cupientibus atque optantibus è medio tollat; errores interim, hæreſes fovendæ ipſorum malitiæ idoneas non impediat authoritate publica ſtabiliri, veritate & veritatis reſtabiliendæ ſpe omni proſcripta damnataque, & ſimilia; quæ profecto totidem ſunt modi per quos cor hominum talium potenter induratur, & deceptio, error, affectuſque pravi omnes efficaciter in animis ipſorum ſtabiliuntur ac confirmantur. Hi modi & ſimiles alii tribuuntur Deo induranti in ſacris, & per hos ferè indurantur qui indurantur. Nullus tamen horum omnium eſt qui, non dico non eſt cauſa indurationem vi ſua efficiens, ſed qui non potius natura ſua comparatus eſt ad emolliendum cor hominis quam ad indurandum, niſi in eo malitia altam radicem fixerit. Itaque tantum abeſt ut Deus quando dicitur homines indurare, potentiam obediendi & non peccandi iis adimat, ut contra non modo ſalvam relinquat potentiam; ſed & ea ad indurandum homines adhibeat, quæ natura ſua idonea ſunt ad potentiam quæ in hominibus eſt excitandam, ut ſibi diligenter caveant ne indurentur, ſed à malitia & pravitate ſua deſiſtant. Adeo miſericors eſt Deus noſter, ut hîc ſeveritatem ſuam bonitate & clementia temperare ſemper velit, quia iræ ſuæ theſaurum longa patientia accumulatum non effundet niſi in tremendo iſto die iræ & patefactionis juſti judicii ſui, in capita eorum qui bonitatis ipſius divitiis abuſi erunt. Quod ſi quis tamen Deum majori ſeveritate verſari velit circa eos quos indurat, & actiones alias Deo induranti tribuendas eſſe exiſtimet, equidem non refragabor, dummodo caveat ne inter eas actiones recenſeat hanc, quod Deus potentiam obediendi iis adimat, ſubtrahendo iis interna & externa omnia auxilia quæ iis ad obediendum divinis mandatis præciſè neceſſaria ſunt. Hoc enim ſi facere Deum ſtatuat, fieri non poteſt ut indurati iſti, aut non facientes quod Deus jubet, verè Deo obedire nolle dici poſſint, & non obediendo peccent ac pœnam mereantur; aut ſi ii non obediendo peccent, Deus inobedientiæ iſtius author non ſtatuatur.

*Reſponſio ad objectiones Cameronis de induratis.*

Hactenus dixi ſententiam meam de Angelis beatis, & de induratis hominibus, qui vocantur. Ex quibus colligere potes, Camero, quam facile ad ea quæ ab eorum exemplis deſumis argumenta, reſponſum à me fuerit. Sed operæpretium etiam eſt ut jam quæ à te dicuntur in contrarium expendamus. De Angelis beatis id quidem neceſſe non eſt, quia nihil dicis quod vim ullam probandi habet pro tua opinione. De induratis videamus. Ac primum quidem dicis: *Induratos non poſſe obedire, tanta eorum tam obſtinata, tamque perverſa & præfracta atque indomita contumacia eſt.* Dura ſatis verba hæc ſunt, ac tantum non ferrea. Sed obſecro te, mi Camero, cur tot & adeo horridis trucibuſque vocibus exaggeras induratorum, ſi qua eſſe poteſt, inobedientiam, ut eam obſtinatam, perverſam, præfractam atque indomitam contumaciam appelles? Si tibi conſentanea ſcribere vis, certè nulla propriè dicta contumacia, nedum tam enormis, locum habere poteſt apud eos, aut ſi ulla habet locum, ea certe major eſſe non poteſt quam cæterorum reproborum. Dic enim ſodes, Camero, quo actu ſpeciali voluntas induratorum ſe obſtinat, ut non modo inobediens, ſed contumax dici poſſit? Deinde quo vel actu, vel agendi modo obſtinat ſe ſupra alios inobedientes, ut contumacia eorum obſtinata, perverſa, præfracta atque indomita fiat? Sane ſi voluntas non poteſt non ſequi mentem errantem, nulla ſpecialis obſtinatio in ea locum habere poteſt, quæ quidem ab ea immediate profecta dicatur. Error itaque incredulitatis & contumaciæ eorum cauſa ſit neceſſe eſt. At cum error graviſſimus, per quem proprie vitioſi ac mali reddimur, juxta te, ſit ignorantia ſummi boni & eorum quæ ad id conſequendum faciunt, quæ in omnibus reprobis una eademque & eodem prorſus modo eſt, certe neceſſe eſt ut ſi contumacia hîc eſſe poſſit, reprobi uno eodemque modo contumaces cenſeri debeant: voluntas enim eodem ſemper modo abhorret aut potius non apperit bonum quod ignorat; cumque in induratorum mente error ſive ignorantia aliter eſſe non poſſit quam in reliquorum reproborum mente, nulla certe major contumacia aut durities in eorum voluntate etiam locum poteſt habere, aut ſi poteſt, dic Camero, quomodo id fieri poſſit? Dices fortaſſe Deum iis adimere lucem ſuam, etiam qua de particulari hoc aut illo bono rectè judicatur. Eſto. At per iſtam ignorantiam non propriè mali fiunt aut vitioſi, ex tua ſententia, ac proinde etiam non pertinaciores in propriè dicta malitia fiunt; aut ſi id omnino velis, quantula eſt, quam levis eſt hæc pertinacia, præ illa qua ipſum verum & ſummum bonum reſpuitur & contemnitur? Et cum in particulari etiam bono eligendo voluntas eodem modo ſe habeat quo in bono ſummo eligendo, quæ ratio majoris contumaciæ in voluntate, ſi in mente præcedat etiam error circa particulare iſtud bonum? Mira certe hæc foret contumacia & durities, non abſimilis illi quæ eſt in lapidibus, quorum alii aliis duriores ſunt pro caloris, frigoris, loci & materiæ ex qua conſtant ratione. Itaque quod adamantes ſunt inter lapides, id tibi ſunt indurati inter reprobos: Uti illi propter caloris vel frigoris exceſſum duriſſimi ſunt, ita hi propter defectum divinæ lucis, quam habere non magis fuit in eorum poteſtate, quam in poteſtate adamantum eſt habere calorem aut frigus intenſiſſimum. En hæc tam fortibus duriſque verbis à te exaggerata eſt induratorum contumacia, ob quam ſane ſi indurati æternis flammis cruciandi ſunt, næ, eorum conditio lapidum & adamantum conditione multo eſt deterior.

*Iterum de indurationis ratione.*

Pergamus: Sententiam tuam illuſtras exemplis duobus, Pharaonis & filiorum Eli. Pharaonem quod attinet: *Eum vis indurari per indurationem divinam ita fuiſſe affectum, ut Deo jubenti ut populum dimitteret parere neutiquam poſſet, & eundem tamen ea ipſa quod non paruit, peccaſſe ac pœnæ rem ſe feciſſe.* Pharaonem in eo quod Deo jubenti parere noluit peccaſſe, tecum fateor. Sed Pharaonem non potuiſſe Deo per Moſen jubenti ut populum dimitteret parere, id eſt non potuiſſe populum dimittere, id vero nego. Quid ergo, inquis tu, *Potuitne Pharao hoc pacto conſilium Dei eludere?* Quod conſilium Dei, Camero? an quo decreverat ut non dimitteret populum? At unde conſtat tibi hoc fuiſſe Dei conſilium ac decretum? Sane ſi hoc

conſi-

consilium Dei fuit, utique cum Pharao populum tandem dimisit, elusit Dei consilium. Dices consilium Dei fuisse ut Pharao statim non dimitteret populum. Atqui unde & hoc evinces, Camero? Voluit ergo Deus ut Pharao dimitteret populum, quia jussit eumque jubenti sibi parere voluit, & simul voluit ut non dimitteret, ac proinde ut idem pareret sibi jubenti noluit. Concilia hæc si potes & vindica à notoria contradictione. Dicitur in textu, *Deum scivisse quod Pharao non erat dimissurus populum, nisi in manu forti.* Noverat quippe superbiam ingenii ejus, & animum imperii, gloriæ atque emolumentorum quæ ex tam ingente populi turba percipiebat avidissimum, ac proinde non cessurum nisi extrema omnia tentaret. At quis inde colliget, indurationem divinam causam fuisse ut Pharao populum non dimitteret, imò ut eum dimittere non posset? Contrarium potius inde collegeris, divinas actiones conjunctas præcepto de dimittendo populo, ei fini serviisse & comparatas fuisse ut Pharaonis animus per eas emolliretur & flecteretur; sed solum Pharaonis animum in causa fuisse ut per eas induraretur, aut potius contra eas obstinatior redderetur. Nam etiamsi primo statim momento manum istam fortissimam non usurpaverit Deus, (neque enim id tenebatur) tamen quæcunque antea adhibuit & præstitit, ea non eo consilio adhibuit ut induraret cor ipsius, neque ea ita comparata fuerunt ut non possent non indurare Pharaonis animum, sed per accidens tantum indurarunt, quia auxilia erant si non fortissima, tamen fortia, quibus moveri ad obediendum Pharao & poterat & debebat; at quæ ille, quia fortissima cupiebat, contemsit ac despexit pro malitia sua. Quis enim negaverit manum fortem etiam fuisse qua usus Deus fuit in principio, cum signa & portenta ista per Mosen fieri jubebat? Certè adeo fortem manum istam fuisse legimus, ut semel atque iterum flexerit voluntatem Pharaonis ad dimittendum populum. Et mansisset sine dubio in Pharaone hæc dimittendi voluntas, si Deus manum istam ad preces Mosis & desiderium Pharaonis non sustulisset. Ablationem itaque istam caussam vel occasionem indurationis fuisse dicendum est. At quis ablationem istam actionem appellet quæ sua vi induraverit Pharaonis animum, ac non potius servierit ut Pharao in voluntate dimittendi populum confirmaretur? Beneficiis sane vel feræ mitigari solent, quin & curari. Hoc autem ingens erat beneficium, ac proinde in se fortius ad movendum voluntatem Pharaonis, quam plaga præcedens quæ voluntatem ipsius moverat. Eo, itaque si induratus fuit Pharao, utique non ex consilio aut decreto aliquo divino, sed propria suæ voluntatis malitia induratus fuisse dicatur necesse est. Et hæc una gratiosa Dei beneficentia, qua tum Pharaoni ipsi semper parcebat Deus, tum inflictas populo ejus plagas ad petitionem & desiderium ejus semper tollebat, tota illa divina induratio fuisse mihi videtur, cujus mentio fit in Exodo, usque ad illud punctum quo Pharao videns se peti in primogenito suo, & majus forte excidium atque damnum se passurum ex internecione populi sui, quam si populum Israeliticum dimitteret, seque ipsum isto damno afficeret, consilio divino locum dedit & populum tandem dimisit; quod fieri non potuisset, si consilium Dei fuerat (uti tu vis) ut ne populum dimitteret. Atqui, inquies fortasse, Non dimisit populum animo dimittendi, quia postea insecutus adhuc est populum ut eum reduceret. Unde verò, inquam, id collegeris? Quod Pharao postea insecutus est populum, id non arguit necessariò eum antea non habuisse animum dimittendi populum. Potest enim pœnitentia ductus novum consilium cæpisse de reducendo populo quem jam dimiserat ex regno suo, quique jam regni sui finibus pæne excesserat, imprimis occasione commoda sese offerente, qua reduci posse videbatur. Et ita rem accidisse legimus; cum enim nuntiatum esset Pharaoni populum de via deflexisse, & inter desertos montes ac mare rubrum conclusum veluti hærere, NB. *Versum est* (inquit textus Exod. XIV. 9.) *cor Pharaonis & servorum ejus in populum, & dixerunt, Quid hoc est quod fecimus, quod dimisimus Israel ne serviret nobis?* Etsi verò ex textu videatur colligi Deum occasionem hanc voluisse occurrere Pharaoni, tamen nihil dubito quin id factum fuerit cum jam Pharao denuo de reducendo populo deliberare incæpisset, Deumque ad justissimam ultionem sui de novo provocasset, quia hic locus idoneus erat in quo Deus potentiam suam in puniendo Pharaone illustri ratione manifestare poterat. Neque negaverim Deum hac occasione uti voluisse, ut Pharaonem jam de reducendo populo deliberantem excitaret ad insequendum populum, & cum jam populum insequeretur, ipsumque maris rubri vadum pendentibus utrimque aquis pro semita populo serviisse videret, (quæ res sola alioquin ipsum à proposito insequendi deterrere potuisset) etiam speciali quodam instinctu impulisse ac stare fecisse in proposito persequendi, inque ipsum maris fundum descendendi cum toto exercitu suo; sed eo solum fine ut in eo veluti in illustri theatro rebellionis suæ ac contumaciæ pœnas lueret, in exemplum regum principumque omnium vicinorum; atque ita gloria Dei Israëlis nobili isto potentissimi regis excidio in universa terra inclarescret. Atque hoc quidem pacto quæ de Pharaonis induratione leguntur, ego intelligenda esse aut intelligi saltem posse arbitror. Quod si velis indurationem fuisse seu actionem seu permissionem divinam, per quam factum fuerit ut Pharao omnino non posset obedire Deo jubenti ut populum dimitteret, in labyrinthum te conjicis unde sine Dei summa injuria, & peccati Pharaonis, gravissimi certè, excusatione, exire nunquam potes.

*Et de induratione filiorum Heli.*

Alterum exemplum desumis à *filiis Eli, quos Scriptura testatur, 1 Samuel.* II. 25. *pia patris monita superbè contemsisse; additurque statim sine intercapedine, Quia Dominus voluit occidere eos.*

Si ex textu hoc rectè argumentari velis, Camero, conclusionem tuam nunquam inferre poteris. Nam in textu non dicitur quod filii Eli non potuerint obedire voci patris sui, sed tantum quod non obedierunt. *At* (inquis) *potest quis respiscere, cui Deus* (*ut Apostoli verbis utar*) *non dedit respiscere?* Resp. Omnino potest, Camero. Nam Dei non dare, non supponit nostrum non posse, sed tantum supponit nostrum non velle, ac proinde nostrum posse. Quis enim dicatur non dedisse alicui donum, in cujus potestate non fuit donum accipere? Et obsecro te, mi Camero, si quis tibi munus aliquod dare voluisset, quod tu accipere noluisses, an quia ille tibi munus istud actu non dedisset, recte inde inferres te munus illud non potuisse accipere? Si dicas aliam esse rationem dationis divinæ, aliam nostræ, jam principium petis, & non ex voce dationis, sed ex alio fundamento, argumentum tuum deducas necesse est. At istud fundamentum non est in verbis istis Apostoli ex quibus argumentaris. Si pro eo quod dicis, Non dedit respiscere, dixisses, Non voluit dare, jam rectè concluisisses, Ergo filii Eli non poterant respiscere. Sed tantum abest ut id legatur in textu, ut contrarium potius, non in textu illo tantum quem designas, 2 *Timoth.* II. 25, sed passim fere in Scripturis legatur: ut quando dicitur, *Deum velle ut homines omnes salventur & ad agnitionem veritatis perveniant:* 1 *Tim.* II. 4. *Deum non velle ullos perire, sed omnes ad respiscentiam tendere.* 2 *Pet.* III. 9. cùm tamen omnes non salventur, omnes non respiscant, imò plerique non respiscant & non salventur: *Deum agere, aut impellere ad respiscentiam, etiam eos qui durum cor habent & quod respiscere non vult.* *Rom* II. 4. 5. *illuminare omnem hominem,* cum tamen multi lucem adspernentur & *tenebras magis diligant quam lucem*: *Johan.* I. & III. Nempe Deus liberaliter omnibus dare vult bona sua; sed tamen omnibus non dat, quia omnes ea accipere nolunt. Nolentibus autem accipere, ea (ut ita loquar) dare non potest. Dat enim qui accipientem invenit.

At verò addis tu, *Potestne quis respiscere cui Deus non dedit respiscere, ideo quia constitutum habet peccatorem perdere?* Ergo jam consideremus rationem quæ in textu est כי חפץ יהוה למיתם, sic enim patebit solutio. *Ratio hæc* (inquis) *sine intercapedine subjicitur verbis istis, non obedierunt voci patris sui,* Fateor: sed nulla necessitas cogit istis verbis contineri causam antecedentis istius, puta inobedientiæ filiorum Eli. Particula enim כי Hebræorum, uti & Græcorum ὅτι, & Latinorum *Quia*, non significat semper causam vel antecedens rei, sed non rarò effectum vel consequens rei. De particula כי planus est textus in *Psal.* CXVI. 10: *Credidi quia loquar,* האמנתי כי אדבר. Apostolus enim Paulus diserte particulam hanc tranitulit per particulam διό, 2 *Cor.* IV. 13. *Et quoniam habemus eundem spiritum fidei, secundum illud quod scriptum est,* ἐπίστευσα διὸ ἐλάλησα: *Credidi, propterea* vel *idcirco sum locutus.* De particula ὅτι similiter textus planus est *Luc.* VII. 47. ἀφέωνται αἱ ἁμαρτίαι αὐτῆς αἱ πολλαί, ὅτι ἠγάπησε πολύ: *Remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Hîc enim particulam ὅτι, effectum vel signum consequens remissionis peccatorum notare, ex protasi parabolæ manifestius est, quam ut negari aut eludi à quoquam facile possit. Similis ratio est particulæ *Quia* apud Latinos, ut cum dicunt, Sol ortus est, *quia* dies est. Nihil igitur vetat, particulam כי hoc loco etiam pro *idcirco* accipere; ut sensus sit. Non obediverunt voci patris sui, idcirco Dominus voluit eos occidere. Et videtur hæc explicatio propterea verisimilior, quod alioquin statuendum sit eum qui libros Samuelis scripsit, quisquis tandem ille fuit, per specialem revelationem divinam intellexisse, Deum consilium de perdendis filiis Eli cæpisse, antequam illi inobedientes essent patri suo, & consilium istud divinum causam fuisse istius quæ secuta est inobedientiæ; quod an verisimile sit, tu ipse cogita, Camero. Sed

dato etiam id abſurdum non eſſe, & particulam ו notare aliquid antecedens inobedientiam filiorum Eli, nulla tamen neceſſitas cogeret, antecedens notari immediatum, quodque cauſa aut ratio inobedientiæ iſtius fuerit, vel ſaltem ex quo poſito inobedientiam illam conſequi neceſſe fuerit. Nam etſi ſine ulla intercapidine verba hæc prioribus ſubjiciantur, inde tamen non rectè colligitur, Ergo nihil intermedium intelligi debet, quod antecedens aut cauſa fuit iſtius inobedientiæ. Locutiones enim ejuſmodi Lꝛonicæ apud omnes nationes, imprimis apud Hebræos, ſunt familiariſſimæ. Adde, hîc intermedium aliquid ſubintelligi debere res ipſa ſatis indicat. Non enim cohærent hæc duo, Idcirco non obediverunt filii Eli voci patris ſui, quia Dominus eos volebat occidere. Rectè, inquies; ſat ſcio: Neceſſe eſſe ut intelligatur interceſſiſſe decretum de permittendis illis ſibi: Sic enim eos peccare & non obedire neceſſarium erat. At, inquam ego: Nec hoc neceſſe eſt; imò neceſſe eſt ſtatuere hoc non interceſſiſſe, uti poſtea oſtendam. Satis eſt ſi dicas interceſſiſſe malitiam filiorum Eli, ut ſenſus ſit, Et non obedierunt voci patris ſui, adeò enim mali & perverſi erant ut Deus jampridem eos deſtinaſſet occidere; quaſi dixiſſet Scriptor; Quid mirum eſt eos lenem & lentam patris ſui monitionem flocci feciſſe, quorum malitia jam adeò excreverat ut Deus eos, licet juvenes adhuc, licet Sacerdotes, & tam boni patris, Sacerdotis, judicis filios, jam ante tanquam prorſus inſanabiles ſupplicio mortis afficere conſtituiſſet? Sane ex hac tam ingente malitia, ex hac tam inſanabili perverſitate, mirum non eſt profluxiſſe iſtam inobedientiam. Hunc ſenſum verba admittere, quis negaverit? Neceſſe itaque non eſt ut iſto quo tu vis modo verba exponantur. Sed jam addo alterum quod dixi, Neceſſe eſſe ut iſto quo tu exponis modo non exponantur, ſed ea qua dixi vel ſimili ratione. Nam alioquin 1. neceſſe eſt ut facias Deum inobedientiæ iſtius authorem; quia ſi inobedientia iſta vel ex conſilio divino fluxit, vel non potuit non conſequi divinum conſilium, tum certe Deus conſilii iſtius author, inobedientiæ quoque ſecutæ author ſtatuatur neceſſe eſt. Qui enim vult rem is vult omnia rem neceſſariò conſequentia; ſaltem in cauſa ea omnia velle, jure meritò cenſetur. 2. Neceſſe foret negare filios Eli peccaſſe non obediendo voci patris ſui. Nam ſi hoc conſilium Dei erat ut non obedirent, tum illi non modo non poterant obedire patri ſuo, ſed & fieri non poterat ut Deus eos obedire patri ſuo ſeriò vellet. Potuiſſet enim alioquin Deus ſeriò voluiſſe id fieri, quod conſilio ſuo decreverat non fieri, quodque proinde voluntati & conſilio ſuo directè contrarium erat. Quod ſi Deus non poterat velle ut illi obedirent voci patris ſui, utique nec illi debebant obedire; quia alioquin debuiſſent id facere quod Deus fieri non modò non volebat, ſed velle etiam non poterat, ne ſibi ipſi contraria vellet. Si dicas Deum conſilium quidem iſtud habuiſſe, ſed voluiſſe ut filii Eli iſtud ignorarent, facerentque quod pater ipſis jubebat; nihil dicis. hoc ipſum enim ut illi facerent quod pater jubebat, & ſic faciendo patris ſui voci morem gererent, Deus nullo modo velle poterat quin ſibi ipſi contraria vellet. Ut hic mihi reponas, non repugnare ut voluntas ſigni aliquando ſit contraria voluntati beneplaciti, non expecto. Id enim, ſi tentationes quæ extra ordinem fieri ſolent exceperis, in quibus id uſu venire neceſſe eſt, uti vox ipſa tentationis arguit, falſiſſimum eſſe recta ratio ſola nos docet, ut alibi fuſè à nobis noſtriſque demonſtratum eſt. 3. Quia alioquin dicendum tibi videtur quod filii Eli potuiſſent obedire patris ſui voci, niſi Deus decretum iſtud de iis interimendis feciſſet. At quomodo tibi id veriſimile videri poteſt, qui jam antea eos perverſos fuiſſe, imò filios Belial nominari in Scripturis; & (quod præcipuum apud te momentum habet) *non agnoſcentes Jehovam*, dici non ignoras, 1 *Sam.* II. 12? Dicis enim eos permiſſos fuiſſe perverſitati cordis ſui: (qua phraſi Scriptura alibi utitur:) Perverſitas itaque cordis jam ante in illis fuerit neceſſe eſt. At ſi hæc præceſſit, qua ratione veriſimile tibi videre poteſt, eos ſi decretum de occidendo non acceſſiſſet obedire patri ſuo potuiſſe? Si autem jam ante non poterant ullo modo obedire, quomodo decretum hoc ad id, ut non obedirent, momentum aliquod potuit adferre? Permitti eos perverſitati cordis ſui poſt hoc decretum neceſſe non erat, ad hoc ut non obedirent voci patris ſui. nam perverſitas illa cordis, quæ in ipſis ex antecedente permiſſione alia juxta te fuerit neceſſe eſt, per ſe ſufficiebat ad hoc, ut non obedirent Patri, ut alia permiſſione nova opus non eſſet. Nulla igitur connexio hujus decreti de occidendo, cum ſecuta inobedientia, à te dari poteſt, ſi conſequenter loqui velis; niſi ipſam etiam quæ in filiis Eli fuit malitiam ac perverſitatem, diſtinctam à particulari iſto actu inobedientiæ, ex alio aut eodem illo decreto eos occidendi fluxiſſe velis. At ſic filii Eli, non tantum in particulari iſto actu non obediſſent patri, quod ſolum tamen textus dicit, ſed ſimpliciter mali atque perverſi fuiſſent, quia Deus eos volebat occidere. Hoc ſi velis, Camero, jam ſanè non modo inobedientiam hanc particularem filiorum Eli, ſed & univerſam eorum malitiam ac rebellionem, omni reprehenſione indignam, quin & excuſatione & commiſeratione omni digniſſimam facis, & Deum ad inſtar tyranni iſtius Imperatoris feciſſe dicas neceſſe eſt, qui cùm virgines occidere in animo haberet, à carnifice eas violari primum permittebat, & procurabat: ut quia virgines occideret lege vetabatur, nocentes & ſponte quaſi ſua violatas juſtæ mortis ſupplicio afficere viderentur, aut ut ſaltem in enecandis iis (lege non amplius obicem ponente) animum ſuum crudelem expleret.

*Longum eſſet*, inquis, *ire per omnia quibus plenæ ſunt Scripturæ S. exempla: &, ſi id facerem, eaque in medium in hac cauſa adferrem, tu illa negligeres, cui nihil vulgatum & expoſitum ſapit, & quicquid non eſt abſtruſum & reconditum videtur triviale.*

Eorum omnium eadem aut par foret ratio. Si plura exempla attuliſſes, plura examinaſſem, &, ſi quæ trivialia inter ea deprehendiſſem, (video enim tibi ſtomachum adhuc ab hac vocula laborare) utique ea neglexiſſem; non quia nihil vulgatum aut expoſitum mihi ſapit; ſed quia trivialibus refutandis tempus & operam perdere moleſtum eſt.

Pergo: *Ait deinde*, inquis, *nullum eſſe promiſſionibus aut minis locum apud eos qui non poſſunt non obedire.*

Peregrinatus es (credo) mente tua, Camero, cum hæc ſcripſiſti, aut dolor neſcio quis te totum extra te ipſum poſuit, quod me hoc loco de promiſſionibus & minis agere credidiſti. De iſtis ne ſyllaba quidem hoc in loco eſt. Peculiare argumentum ex promiſſionibus & minis deſumtum jam ante propoſitum à me fuerat. Hic jam de præmiis & pœnis ago; non quatenus iſta Deus promittit, has autem minatur, ſed quatenus præmia ſunt & pœnæ, quæ actu conferuntur & inferuntur iis ad quos pertinent. At hæc duo longe ſunt diverſa. Præmia enim, quatenus promittuntur, pro argumento ſerviunt ſuadente obedientiam; ſimiliter & pœnæ. At quatenus præmia actu conferuntur, & pœnæ actu inferuntur, eatenus non ſuadent ut argumenta, ſed ſentiuntur ut res gratæ & ingratæ, aliquo modo compenſantes tum laborem & moleſtiam obedientiæ præſtitæ, tum voluptatem ex inobedientiæ peccato perceptam. Cæterum quæ hîc de promiſſionibus diſputas, ea quia alieno loco diſputantur, & pluſquam ſatis ſuo loco ventilata ſunt, conſulto nunc prætereo. Id tantum unum monebo quod ad hanc rem facit, Fruſtra te argumentari ex comminationibus quæ apud induratos adhibentur, ad probandum comminationes adhiberi etiam poſſe apud eos qui non poſſunt obedire, aut qui non poſſunt non obedire. Nam ego nego induratos non poſſe Deo jubenti obedire. Dico eos, quando à Deo jubentur parere mandatis ipſius ſub promiſſo præmii & comminatione pœnæ, Deo parere poſſe, etiamſi propter habitum longa peccandi conſuetudine roboratum, & variarum occaſionum occurſum, admodum difficile & grave ipſis ſit actu parere. Nihil itaque contra me hîc diſputas, & interim quanto magis argumentum hoc adſtringis, tanto minus iſtud quod tibi oppoſitum eſt ſolvis, imo fortius arctiuſque teipſum intricas. Senſiſti id ipſe ſatis per te: itaque tanquam meipſum & te expediturus, ad diſtinctionem quandam Logicam & mentalem conſiderationem (tanquam ad filum aliquod Ariadnes) confugiſti; perinde ac ſi res tanta, velut inane ſophiſma aliquod, per conceptionem imaginariam expediri poſſit. Et ne de nihilo videatur quod dicturus es, non ſine præfatione elaborata rem ordiris, hoc pacto:

*Duplex Dei circa homines χάρις, ſecundum Cameronem.*

*Dico igitur Deum in Scripturis cerni duobus modis nobis adumbratum, alioqui in ſe prorſus ineffabilem. &c. Primum deſcribitur ut Rex omnibus bene faciens, Legiſlator omnibus recta præſcribens & honeſta, ſeu naturæ lege, ſeu ſcripta, ſeu Euangelio, &c. Hæc eſt una Dei χάρις erga creaturam. Eſt & altera. Eadem enim Scriptura nobis deſcribit Deum occulta quadam & peculiari ratione, quam mens humana in hac vita plenè capere non poteſt, miſericorditer præparantem hominis in peccatum jam prolapſi mentem ac voluntatem, ut his beneficiis, hac revelatione voluntatis divinæ, ad Dei imaginem reformentur; aut vero non præparantem, occulto nobis ſanè, juſto tamen judicio, &c.*

Nempe igitur hac χριτικῆ conſideratione, & logica ſpeculatione, quæ nihil aliud eſt quàm diſtinctio voluntatis divinæ in arcanam & revelatam, in voluntatem ſigni & beneplaciti, in voluntatem abſolutam & conditionatam, aliaſque ejuſdem commatis, credidiſti hunc difficilem nodum à te expediri poſſe, Camero? Vix poſſum inducere in animum quod id tu tibi ipſi perſuaſeris, nedum ut aliis idem probari facile poſſe crediderit. Hæc enim ſolutio tua, præterquam

terquam quod ratione nulla sit vestita, est ipsissimus ille nodus sive quæstio cujus solutio quæritur. Hoc enim est quod controvertitur, An Deus ita dupliciter in Scripturis se repræsentaverit, ut postulare velit sub promisso præmii & sub pœnæ comminatione obedientiam ab hominibus, & interim in quorundam mentibus ac voluntatibus ita potenter velit operari, ut non possint non bene judicare, & sic propriè esse boni; in cæterorum verò mentibus ac voluntatibus prorsus velit non agere, ut nullo modo possint esse boni. En ut adstrictus maneat nodus quem solutum putas. Sed operæpretium est ut examinemus paulò propius has tuas χίσεις, nudè & sine ulla specie rationum à te propositas. Sic enim futurum est ut intelligamus clarius quod hæ nodum propositum non explicent, sed multò magis implicent. Ac primum quidem certum est ex tuis verbis, χίσεις has non posse pertinere aut referri ad primos parentes nostros Adamum & Evam antequam peccaverant. Loqueris enim tantum de χίσει Dei erga hominem in peccatum prolapsum, uti ex secunda tuæ χίσεως descriptione liquet. Et tamen quæ fuerit Dei χίσις erga istos tanquam primas ipsius creaturas, & in quarum lapsu reliquæ istæ χίσεις tuæ fundantur, præcipue & ante omnia dicendum tibi fuerat. Sed de industria, nihil dubito, præterire hanc rem voluisti, ne te ipsum arctissimis nodis involutum atque implicitum hærere proprio tuo indicio ostenderes. Nempe vitas admodum solicitè χίσιν istam ut scopulum, unde causæ tuæ totius naufragium metuis. Et meritò. Quantum enim ea in re situm sit ut id recte intelligatur, ex antecedentibus manifestum est. Σχίσιν itaque primam facis hanc, *Qua Deus tanquam Rex omnibus benefacit, & tanquam Legislator recta & honesta omnibus præscribit.* Perperam admodum mi Camero facis, cum χίσιν hanc primam facis, quia id non facis opinioni tuæ convenienter, sed tantum tegendæ, quæ in opinione tua est, absurditati, ne ita facile diluceat. Id enim unum pæne operam das, ut specie aliqua tegas quicquid uspiam est absurditatis. Nam prima χίσις Dei ad creatutam, sive ad hominem in peccatum prolapsum, peti solet à te tuisque, quin & petenda est, si consentanee loqui velis, ex nobiliore aliqua Dei actione, quæ Deo dignior, fini ultimo, id est gloriæ divinæ illustrationi, propior est & proximior, & ad quam actiones tum regiæ, tum legislatoriæ ordinatæ sunt. Talis actio tibi est decretum salvationis sive electionis, & reprobationis sive perditionis. Prius enim certos salvare & perdere vult Deus, ex sententia vestra, quam omnibus benefacere & legem ferre. Et hæ actiones ad illustrandum Dei gloriam maximè vobis facere videntur. Prior itaque χίσις Dei erga peccatores, est χίσις absoluti Domini, certos salvare & certos non salvare volentis, quam χίσις Regis aut legislatoris, qua omnibus bene facere & recta atque honesta præscribere vult. Hoc posito, jam vide, obsecro, qualis hæc sit χίσις Dei ut Regis & ut Legislatoris. Juxta χίσιν regiam, inquis, omnibus benefacit: Et juxta χίσιν legislatoriam præscribit omnibus recta & honesta. Per vocem *omnes* itaque electos & reprobos juxta primam χίσιν intelligere te necesse est. Reprobis itaque etiam qua Rex Deus bene facit; nempe postquam illos qua Dominus non tantum à salute æterna & salutis omni spe secluſissimos esse voluit, sed & æternis malis, cruciatibus ac miseriæ inexorabili decreto, nulla ipsorum propria culpa destinavit. Quid videtur, Camero? An non regium est beneficium, miseris istis, æternæ miseriæ nulla sua culpa mancipatis, usuram brevis & non rarò etiam afflictissimæ vitæ concedere? & momentaneam voluptatem iis indulgere, quos æternis doloribus & ineffabilibus cruciatibus non multò post vexaturus est? Ego contra potius regiam bonitatem & regiam beneficentiam interpretarer, si mihi Deus nunquam vitæ usuram concederet, ut ne semper viverem miser, aut si me post vitæ usuram plane bruti instar perderet, atque in nihilum redigeret. Pro isto beneficio æternas atque immortales ipsi gratias, si possem, debere me profiterer. At beneficium & quidem regium appellare, quod Deus reprobis istis cibum & potum, quin & voluptates hujus mundi aliquando concedat, uti suibus & canibus solet, ut postea æternum eos cruciet, id non modò indignum est regia Dei bonitate, sed summe injurium gloriosæ misericordiæ ipsius, & quod in homines maxime barbaros atque immanes non cadit. Eadem ratione se habet alterum primæ tuæ σχίσεως membrum, quo dicis, *Deum tanquam Legislatorem omnibus recta & honesta præscribere, omnium oculis objicere argumenta agnoscendæ bonitatis suæ, quanquam alii clarius alii obscurius.* Nam necesse est ut dicas Deum etiam hanc σχίσιν habere ad reprobos. Habet enim eam ad omnes homines, inquis. Deus itaque reprobis facit beneficium quando iis recta & honesta præscribit, postquam nondum natis potentiam quæ recta & honesta sunt solide cognoscendi & faciendi abstulit, qua Dominus absolutus eorum est, & natis jam editisque in lucem potentiam non vult reddere, pro eodem dominii sui absoluti jure. Itane Camero? Ecquod ergo, obsecro te, est beneficium istud quod ex ista σχίσει percipiunt reprobi? An quod hac ratione deveniant in notitiam eorum quæ recta & honesta sunt? At nec illam solidam aut veram habere possunt; quia sic exciderent χίσεως altera quam habent ad Deum, tanquam absolutum Dominum, qui istam iis dare non vult? An quod qualemcunque notitiam dirigentem saltem & docentem inde consequantur? At ista iis ne hilum quidem prodesse potest, ut ad salutem aut salutis spem perveniant, quia inefficax est. Non est enim actio Dei ut Domini absoluti, per quam boni fiunt aut fieri possunt; imò verò ista iis ad majorem condemnationem serviet, quia tanto gravius torquebuntur, quantò plus sciverunt. Tolluntur in altum, ut lapsu graviore ruant. Sanè, si hæc beneficia tibi sunt, Camero, ego nescio quid à te expectare debeat aut possit, qui à te beneficia expectat. Ego beneficiis ejusmodi carere, beneficii maximi loco ducerem, & brutorum instar ignorare mallem semper quæ recta & honesta sunt, quam propter inefficacem ejusmodi scientiam æternum flere ac gemere. En Camero quam bellæ sint hæ Dei σχίσεις, si ad reprobos applicentur. Quatenus Rex procurat illis bona hujus vitæ; quatenus absolutus Dominus non tantum negat illis bona æternæ vitæ, sed eos nondum natos æternis doloribus ac miseriis addicit. Quatenus legislator proponit illis recta & honesta; quatenus absolutus Dominus claudit oculos mentis eorum, subtracta luce necessaria, ne intelligant, aut potentiam credendi iis adimit ut intelligere non possint quæ recta & honesta sunt. Quatenus Legislator est, suadere vult & suadet iis recta & honesta; quatenus absolutus Dominus est persuadere non vult. Quatenus legislator est, videri vult salutem eorum serio velle; quatenus absolutus Dominus est, salutem eorum absolutè & serio non vult, &c. Nec magis sane bella est σχίσις hæc Dei si ad electos applicetur: nam quatenus Legislator, vult ut illi officium suum faciant; quatenus absolutus Dominus est, vult id quod officii ipsorum est in ipsis facere. Vult itaque illos facere officium, & simul non vult. qua legislator, vult ut formaliter obediant; qua Dominus, vult ut non obediant nisi materialiter. qua legislator, promittit iis vitam si credant; qua Dominus, efficit in ipsis sine ipsis totum credere. ut legislator, minatur ipsis æternas pœnas; ut Dominus, eas nunquam vult infligere. ut legislator, vult ut à peccatis sibi caveant; ut Dominus, tentat eos ut non possint non peccare, sive ut à peccando sibi cavere non possint: aliaque sexcenta ejusmodi.

*At hæc non pugnare inter se statuendum est,* (inquis) *quæ & esse vera ipsa docet experientia, & sacra Scriptura apertissime declarat.*

At, inquam, contradicentia in terminis, non pugnare inter se, nec experientia docere potest, nec S. Scriptura testari, nedum apertissime (ô hyperbolen!) declarare potest. Tuum erat Scripturæ testimonium, imo apertissimam istam declarationem saltem verbulo, & quidem primo loco, adferre. At hæc ne tentas quidem, Camero, nisi forte illud Pauli quod immediatè ante attulisti eo facere voluisti, cum ait 2 *Timoth.* II. 24. 25. *Servum Domini oportet non pugnare, sed placidum esse erga omnes, aptum ad docendum, tolerantem malos; Cum lenitate erudientem eos qui contrario animo sunt affecti, si forte Deus det illis resipiscentiam ad agnitionem veritatis, Et sanitatem mentis recipiant ex Diaboli laqueo, captivi ab eo facti ad ipsius libitum.* At quid ex Scriptura, non dico obscurius & infirmius pro te, sed clarius & firmius contra te allegare potuisti? Ista enim ratio loquendi, *Si forte Deus det illi pœnitentiam*, non significat, si forte Deus iis pœnitentiam dare velit, uti velle videtur quia eos vocat per Euangelium suum; sed plane contrarium, si forte Deus resipiscentiam quam dare ex animo ipsis vult, & quam iis per vos ministros suos efficere studet, actu ipso det, & per vos reipsa efficiat. Dare enim cum effectu Deus dici non potest, nisi sint qui accipiant. Nolentibus autem, sive qui indignos se dono divino decernunt, & consilium ipsius contra se aspernantur, imò (uti textus Græcus habet) ἀθετοῦσιν, Deus non dat, nec actu dare potest, ut Patres primitivi loquuntur. De hujusmodi effectiva vel actuali potius datione, quam Juriſconsulti dationem cum effectu appellant, ac non de consilio dandi, hæc verba intelligenda esse, ipsa dationis proprietas, loquendi modus *si forte*, & antecedentia ac consequentia necessariò postulant. Quorsum enim hortaretur Apostolus ministros Dei, ut alieni sint à pugnis & contentionibus, ut placidi sint erga omnes, & cum tolerantia ac lenitate doceant dissentientes, addita hac ratione, si forte Deus det iis quos docent pœnitentiam? Nam quid hoc ad dare divinum facit, quod ministri istis qualitatibus sint ornati?

*Locus 2 Tim. II. 24. 25.*

nati? Sive enim istis prædiți sint, sive non sint, si modo Evangelium prædicent, atque ita objectum cognoscendum proponant hominibus, quomodocunque tandem id faciant, id juxta te ipsum satis est, ut Deus deinde persuasione sua interna mentes istorum dissentientium afficiat, atque ita resipiscentiam iis det. Et cum Deus decreverit ab æterno dare illis fidem ac resipiscentiam, qualescunque sanè ministri fuerint qui verbum fidei prædicant, id ad promovendum aut efficiendum dationem sive persuasionem resipiscentiæ actualem, quam immediate & interne solus Deus facit & facere potest, nihil quicquam facit. Persuasio enim divina vim nullam accipit à qualitatibus istis, neque ad propositionem objecti qualitates illæ conducunt. Qui enim Euangelium prædicat, sive placide sive contentiosè, sive leniter sive duriter id faciat, sane Euangelium prædicat, ut docet Apostolus ipse, *Philip.* I. 15. 16. 17. *Attamen*, inquit, *quovis modo, sive in speciem*, (puta per invidiam & contentionem, etsi aliter videri velint facere) *sive sincere*, (id est propensa voluntate) *Christus annuntiatur*. Quod si omnino refragari velis huic expositioni, quæ tamen clarissima est, fatearis saltem necesse est, verbis istis non declarari apertissime id quod vis; quod inpræsentiarum satis est. Jam experientiam videamus.

*Sane* (inquis) *naturæ quodam instinctu impiis bonam mentem precamur, & monendo, hortando, objurgando, benefaciendo lassi veluti jam ac defessi, sæpe agnoscimus in iis* Θυμβλέπειαν, *quos tamen eosdem misericordiæ divinæ contemptores verissime prædicamus.*

Imò vero, Camero, non naturæ tantum instinctu, qui sine dubio etiam à Deo est, sed & expresso Dei jussu omnibus bonam mentem optamus; hoc autem certissimum signum est Deum à parte sua deesse nemini velle quominus bonam mentem habeat. Optatio autem ista nostra non arguit, Deum solum mentem istam bonam sic dare atque indere hominibus, ut officii & potestatis eorum non sit curare ut mentem istam bonam habeant, aut à Deo accipiant. Nihil minus; uti postea loco suo, ubi ea de re agetur, demonstraturi sumus. Sane si optatio ista id argueret, nosque ad eam faciendam naturæ ipsius instinctu & Dei jussu moveremur, jam sane ad monendum, hortandum, objurgandum eodem naturæ instinctu & Dei jussu non moveremur, quia nos monendo, hortando, objurgando impios ut bonam mentem habeant, inanem adeoque ridiculam operam navaremus. Nam monendo id efficere studeremus, quod optando, à Deo testaremur solo effici posse ac debere; perinde atque si cæcum monendo atque objurgando à cæcitate liberare vellemus, cui non nisi à Deo visum dari posse scimus ac credimus, ideoque beneficium istud à Deo optamus. Deinde cum eosdem impios, contemptores divinæ misericordiæ verissime prædicari à nobis posse diserte dicas, quomodo fieri potest, ut optatio nostra qua bonam iis mentem precamur à Deo, id arguat quod vis? Contemptores enim divinæ misericordiæ dici non possunt, nedum ut contemptores divinæ misericordiæ puniri, si per Deum stet quominus sint contemptores misericordiæ ipsius. Misericordiæ enim divinæ contemptor esse non potest, cujus Deus misereri nunquam voluit, sive quem simpliciter misericordiæ suæ participem facere non vult. At per Deum stetisse quominus contemnat, & Deum misereri noluisse ejus qui contemptor est, dicas necesse est, si optationem nostram id arguere velis, quod nullo modo sit in potestate nostra bonam mentem habere aut non habere, sed ejus rei solum Deum authorem esse. Hæc itaque consentanee à te dici non possunt; quin & manifestam contradictionem atque absurditatem involvunt.

*At* (inquis) *hæc non esse pugnantia, si Deum nobis contingeret non in ænigmate, sed clare intueri, facile deprehenderemus.*

Quasi verò lumen gloriæ facturum sit ut duo contradictoria simul vera sint, utque nos ea simul vera esse posse non modo deprehendamus, sed & facile deprehendamus. Mirum, Camero, ni credas nos eodem lumine gloriæ facile deprehensuros pugnantia non esse, Deum velle ut corpus sit verum corpus, & tamen sine tribus suis dimensionibus sit; ut unum aliquod sit corpus, & tamen in pluribus à se invicem per intervalla distantibus locis uno eodemque tempore existat; ut totum sit extra se totum, & similia. Certe quin idem & majore jure, ac minore cum periculo, ab aliis credi & statui possit, per te jam non stat. En itaque paratum catholicum cæmentum, conglutinandis omnibus quæ in mundo sunt contradictionibus, nempe lumen gloriæ, cum non amplius in ænigmate sed clare Deum intuebimur. Neque enim est quod regeras, aliam hujus tuæ, aliam istarum orationum rationem esse. Neque enim contradictio ulla apertior esse potest quam hæc tua, Deum serio velle ut obediant quos vocat & invitat ad obedientiam & ad salutem, & eundem tamen non velle ut obediant & salventur. Nec periculosior alia ulla, aut in Deum contumeliosior esse potest. Nec enim periculum tantum est credere Deum velle ut corpora sint sine suis propriis dimensionibus & locis, quam est credere Deum nolle servari eos quos ad salutem vocat, & velle obedire eos quos ita afficit ut non possint non facere quod jubet, aut ut non possint ullo modo facere quod jubet.

Quare cum addis: *Nunc quia Deus verbis apud nos utitur nostris, quæ rem tantam nequeunt exæquare, nosque illius consilia & agendi rationem plene animo & cogitatione complecti nequimus, fit ut Deus nobis pugnantia dicere videatur*: Id multò vanius adhuc est. Quasi scilicet verbis vel Seraphicis, vel Cherubinis, vel in summa, lingua Angelorum aut Archangelorum fieri possit, ut quod contradictionem in terminis (ut loquuntur) implicat, contradictio non sit, aut contradictio saltem non videatur: vel quasi magna ἀγχίνοια & cælesti subtilitate opus sit, ut volitiones hujusmodi divinæ non videantur contradictoriæ. Tantum abest, Camero, ut magna ad hanc rem industria opus sit, ut quantò major clariorque futura est cognitio nostra post hanc vitam, tantò evidentius clariusque apparitura sit contradictio, etiam iis qui jam istam (licet alioquin per se satis claram atque evidentem) aut non vident præjudicio excæcati, aut (quia aliter in animum inducere nolunt) se eam videre non posse profitentur. Enimvero hæc res adeò certa est, Camero, ut quicquid tu sententiam tuam palliare, & à contradictionis specie verborum fuco vindicare studeas, contradictio tamen adeo clare diluceat, ut te tibi ipsi non satisfacere in ea amolienda non obscure appareat. Nec dubito quin si spes aut imaginatio potius ista te non haberet, futurum ut aliquando in cælo reipsa contradictionem dilutam videas lumine gloriæ, aperte illud esses confessurus. Et sanè quid clarius quam hæc duo adversis frontibus inter se pugnare? Deum velle salutem omnium, & Deum nolle salutem omnium, eodem prorsus modo se habentium, uno eodemque tempore? Deum declarare se omnium salutem ex animo cupere, & eundem Deum declarare se nonnisi paucissimorum salutem velle? Deum promittere quibusdam salutem sub conditione, & eos simpliciter antea non salvare decrevisse? Deum minari mortem aliquibus, & tamen absolute non velle ut ii moriantur, aliaque similia? Hæc sanè adeo manifestè involvunt contradictionem, ut prima contradictio, De quolibet ente verum est affirmare & negare, majorem involvere non possit. Quare qui à lumine gloriæ auxilium expectat, ut hæc tam aperta contradictio non videatur contradictio, is adeò tenebras amat, ut ab ipso clarissimo lumine tenebras sperare atque exspectare dici possit.

## CAPUT XVI.

### Diluuntur exceptiones Cameronis ad argumentum quo probatum fuerat sententiam ejus non convenire cum enunciatis Euangelicis.

Addideram præcedentibus hoc argumentum: Ridicula & inepta reddi per sententiam tuam enunciata fere omnia Euangelica, quæ fundamentis à nobis antea positis innixa sunt, quæ plurima per universum textum sacrum occurrunt. Inter ea autem (ne multis brevem Epistolam onerarem) unum exempli gratia adduxeram ex *Luc.* XII. *Locus* 47. *Servus qui novit voluntatem Domini, & qui se non paravit, neque fecit ad eam, pluribus plagis vapulabit.* Hoc enunciatum, quod unum instar multorum esse potest, ridiculum reddi hoc pacto ostenderam: Scientia ista servi qui voluntatem Domini nosse dicitur, aut est scientia quæ voluntatem servi ita afficit ut servus non possit non parare se & facere Domini sui voluntatem, quam tu persuasivam vocas; aut est scientia quæ voluntatem servi afficere ita non potest, ut paret se & faciat voluntatem Domini sui. Si primi generis scientia est, tum certè ridiculum est dicere, servus qui novit voluntatem Domini sui, *& eam non facit*. Si posterioris generis est, tum ridiculum est dicere, servus qui novit voluntatem Domini sui & eam non facit *pluribus plagis vapulabit*. Quomodo enim non dico vapulare, sed pluribus plagis vapulare dignus est servus, propter eam scientiam quæ ex se sufficiens non fuit ad movendum servi voluntatem ut Domini sui voluntatem faceret? *Luc. XII. 47.*

Ad hoc argumentum priusquam respondes, præfatione acri satis & acerba in me inveheris. *Nimis*, inquis, *de te, de ingenio tuo, de tuis commentis sentis magnifice, nimis demisse de Euangelio.* Quasi vero argumentum hoc commentum meum sit,

sit, aut, si commentum meum foret, ingenio magno opus fuerit ad istud concipiendum ac elaborandum. Nimis vanus forem si tam pumilo commento, veluti cothurno, ingenium meum, quod scio quam sit exiguum, tollerem, aut propterea de me ipso magnificè sentirem. Ego me modulo & pede meo metior, & per gratiam Dei scio quam sit inanis & evanida gloriatio qua quidam seipsos veluti utres inflant, & ab hominibus laudem affectant. De Euangelio nisi sentirem magnificè, non laborarem illud asserere à vanis frivolisque istis tuis commentis, quibus splendorem & majestatem ejus veluti totidem nebulis à te offuscari credo.

Sed videamus quid ad argumentum meum respondeas. Primum pro more tuo argumentum meum in summulam contrahis, quod factum à te nollem; Sic enim præcipuam mei argumenti vim atque emphasin diluisti, quia non tantum omisisti nonnulla quæ maximè dicta oportuit; sed & quæ meis verbis dicta, vim atque emphasin habent, tua affectata oratione enervasti. Res patet: Nam id in quo argumenti mei vis ex Servatoris ipsius verbis petita præcipue consistit, quum dicit, *Pluribus plagis vapulabit*, ne quidem a te unquam attingitur; vocem *pluribus* semper omittis; non hic tantum, sed (quod meritò mireris) in toto hoc libro tuo, cum de pœnis agitur; in qua voce tamen singularem vim atque emphasin esse quis non videt? Secundò, Verba mea quæ satis clara atque aperta sunt, & simpliciter prolata non exiguam emphasin habent, diluis quæsitis phrasibus, ut cum per parenthesin ea tuis tanquam idem plane significantibus hoc pacto effers: *Nam, te quidem judice, qui tantopere Deum odit, ut quamvis maxime norit quid præceperit, non possit tamen à se impetrare ut id faciat, is scilicet vapulat injustè.* Et postea: *Non peccare eos, nec esse sacrilegos, qui à Deo usque adeo sunt aversi, ut quanquam teneant quid facto opus sit, non possint tamen in animum inducere ut id ipsum velint*, & similia. Quis enim non videt phrasibus his nativam quæstionis faciem incrustari? Cur non dicis, obsecro te Camero, simpliciter ac nude, servus qui non potest non odisse Deum, ac proinde non potest non velle & facere ea quæ Domini sui voluntati sunt contraria, quia ita natus est, & quia scientia illa qua à Deo donatur ut faciat voluntatem Domini sui, ad id efficiendum ut Dominum suum possit saltem non odisse & facere quæ ei grata sunt, ex se insufficiens est; is pluribus plagis vapulabit propterea quod scientia ista adductus non sit ad faciendum voluntatem Domini sui. Annon hæc incompta, nuda & simplex oratio, rem clarius ob oculos ponit quam tua illa Latina, sed affectata oratio? Quid enim tibi vis phrasibus istis, puta, Quod servus tali scientia præditus non possit à se impetrare ut faciat quod Dominus ipsius præcipit, & quod non possit in animum inducere ut velit quod Dominus ipsius vult? Latinæ fateor sunt hæ phrases, & quibus optimo jure utuntur ii qui mecum sentiunt. At tu sane iis uti non debuisti, Camero, si consentanee tibi ipsi loqui voluisti: & nihil dubito quin ab iis solicite tibi cavisses, quicquid Latinitatem ames, nisi fucum facere voluisses. Nam cum ex sententia tua, voluntas hominis non possit non sequi dictamen rationis, quomodo recte à te dicitur hominem aliquid posse impetrare à se, aut non posse impetrare à se: hominem posse aliquid in animum inducere, aut non posse in animum inducere? Quomodo enim illud fiet Camero? an volendo & nolendo simpliciter? At velle & nolle est ipsum impetrare à se, aut non impetrare à se. Velle autem & nolle cum nihil aliud sit quam necessario sequi judicium rationis determinans, efficitur eum qui non potest non velle quod vult, posse impetrare à se ut velit, & contra qui non potest velle, non posse impetrare à se ut velit; quod quis non videt proprietatem phraseos istius latinæ prorsus exinanire atque enervare, & interim pro fuco tibi servire incrustandæ tuæ opinioni? Utere ejus loco si placet verbis propriis & simplicibus, & res patebit luce clarius. Servus qui scit quid facere debeat, & qui non potest velle facere id quod facere debet, is propterea quod scientia ista non utatur ad volendum quod debet, injuste pluribus plagis vapulabit. Quid certius? Sed nolo morosior hîc esse. Sufficit hoc loco indicasse, istam tibi curam & laborem præcipue fuisse cordi, ut quaslibet absurditates quæsito verborum lenocinio, mangonis instar, fucares, & ficubi adhuc paterent (ut ubique magno cum hiatu patent) lumini gloriæ tegendum relinqueres, & ad vitam illam transmitteres, in qua Angelorum linguis contradictoria sine contradictione loquemur.

Sed jam age consideremus quid directe respondeas.

*Pari dilemmate* (inquis) *tu posse Dominum Jesum urgere, ut vel neget servum illum nequam scivisse heri voluntatem, quod affirmavit, vel eo compellatur ut neget illam scientiam potuisse flectere servi voluntatem: quandoquidem, teste Christo,* Joan. VI. 44. 45. *Nemo potest venire ad Christum nisi Pater trahat eum: Et quicunque audivit & didicit venit ad me. Hîc tu jam insurge & exclama, Quomodo hoc enunciatum non est vanum, &c.*

Locus Joh. VI. 44. 45.

Falleris vehementer, Camero, quod hoc eodem dilemmate urgeri posse credas sanctissimum Dominum nostrum, tanquam si idem tibi sensisset. Contrarium supposuit tanquam rem omni exceptione majorem, & absque qua fuisset, nunquam enunciatum illud sanctissimo suo ore protulisset. Tu contra: *Quomodo hoc enunciatum non est vanum? Nam scientia illa servi, vel est illa scientia qua Pater trahit homines ad Christum, quam qui audivit & didicit omnino venit: & tum quid sibi vult illud, Et non faciens? vel non est illa scientia quam Pater in indulget quos trahit; ac tum quomodo æquum est ut vapulet? non potuit enim venire, sicut nemo potest venire nisi Pater trahat eum* Multa in hoc argumento supponuntur quæ nullo prorsus fundamento, quod quidem in textu sit, nixa sunt. 1. quia supponitur in textu agi de tractione Patris qua homines ad Christum trahit, & de doctione (ut ita loquar) qua Euangelii sensum mentibus eorum inserit: at hoc in textu non est. 2. Supponit tractionem illam fieri per solam scientiam quæ mentibus eorum imprimitur; neque hoc in textu est, & per se falsum est. 3. Supponit tractionem Patris, de qua agitur in textu, significare efficaciam quam voluntas non potest non sequi; at nec hoc in textu est, & est illud ipsum quod in quæstione versatur. Probo singula.

Primum quod attinet, in textu non dicitur, Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus eum trahat ad me; sed simpliciter, nisi Pater meus eum trahat, vel ut rectius alii interpretes & Beza, traxerit eum. Ad me, vel ad Christum, de tuo semper addis, Camero. Aliud est simpliciter trahere Patrem, ut textus dicit, aliud trahere ad Christum, ut tu loqueris. Tractio enim Patris, de qua textus loquitur, significat actionem Patris cum effectu conjunctam, per se (ut sic dicam) stantem, & quæ præcedit fidem in Jesum Christum, omnemque Patris actionem qua fides in Jesum Christum gignitur. Similiter *docere* Patris & nostrum *discere*, significant præcedaneum quid ante fidem in Christum, quodque sine Christo vel Christi Euangelio proprie dicto effectum est. Trahi enim à Patre, doceri & discere à Patre, aliud nihil hic significant, quàm divinæ voluntatis, quæ quidem ante revelatum Christum hominibus innotuerat, faciendæ studio duci, probum esse, cupere quæ recta & honesta sunt, amare virtutem, odio habere improbitatem, &c. quod Scriptura verbis aliis vocat, *velle facere voluntatem Dei*, *Joh.* VII. 17. *quæ bona sunt agere*, vel *facere veritatem.* III. 21. opponuntur enim facere veritatem & facere quæ mala sunt. *Ex Deo esse:* VIII. 47. *Ex ovibus illis esse, quæ ubi vocem Christi audiunt statim eum sequuntur*, *Joh.* X. 16. 26. 27, &c. Pater autem trahere dicitur hos homines eosque docere, quia totum illud tempus, quod tempus revelati Euangelii præcessit, fuit tempus quasi Patris solius, vocantis, docentis ac trahentis homines ad sui obsequium. Id quod secutum est tempus, fuit tempus filii hominis, quem Pater constituit hæredem suum, uti est *Hebr.* I. 1. 2. 3. Secundum quod attinet, Tractionem illam fieri per solam scientiam, voluntatem ejus qui trahi dicitur ita afficientem ut non possit non sequi, in textu etiam non est; sed & per se falsum est, uti ex antedictis liquet. Non fit quidem tractio Patris sine scientia, at non fit tamen per scientiam voluntatem determinantem. Trahi enim hîc idem est quod doceri & discere; At discere hîc non est solum pervenire ad scientiam, sed etiam discere obsequi, sive id quod faciendum est facere. Agitur enim de scientia divinæ voluntatis qua Deus Pater nobis mandat facere jussa sua, & qua à nobis postulat ut faciamus id quod scimus & cognoscimus, sive quod cognoscendum nobis dedit. Tertium quod attinet, Tractionem Patris hoc loco significare efficaciam talem quam voluntas non potuit non sequi, nec in textu est, nec ratione ulla nititur. In textu id non esse manifestum est. Nec ratione ulla nititur, aut enim nitetur proprietate vocis *trahendi*, aut alia ulla re. Proprietate vocis niti non potest, quia sic tractio hîc significaret actionem Patris violentam, quod absurdum etiam tibi est. qua alia re niti possit non video. Nec enim dices, credo, moralem tractionem ideo tractionem dici quia cum violenta aliquid habet commune, videlicet efficaciam determinantem; id enim foret principium petere, quia hoc est illud ipsum de quo quæritur.

Atque ut hac occasione rem & textum simul hunc clarius paulùm illustrem, sic procedo; Tractionem hanc Patris ad Christum, (posito quod de ea textus loquatur) Camero, aut vis esse actionem talem per quam credendi potentia (quam alii habitum supernaturalem sive principium supernaturale infusum vocant) ingeneratur mentibus nostris; ut sensus sit, Nemo potest credere in me, nisi cui Pater meus credendi potentiam primum infuderit: aut vis esse actionem quæ antecedit ipsam fidem actualem, & quæ proxime

disponit hominem sive potentiam infusam ad actum fidei eliciendum; ut sensus sit, Nemo potest credere in me, nisi prius à Patre meo ita dispositus fuerit ut actu credat. Si primum velis, jam ex voce tractionis non colliges aliud quid, quam actionem Patris necessario prærequiri ad hoc ut possimus credere. At sicut non sequitur, Eum qui potest credere, propterea statim actu credere, ita ex eo, quia ejusmodi actio Patris antequam credimus necessario requiritur, qua fit ut possimus credere, non sequitur eum qui isto modo trahitur à Patre propterea statim actu, nedum necessario credere. Si secundum velis, jam etiam ex voce tractionis aliud non potes colligere, quam necessarium esse ut Pater prius nos disponat ad credendum in Christum, antequam actu credimus. At qualis ista dispositio sit, quomodo fiat, & an ea posita actus fidei necessario sequatur, ex voce trahendi colligere non potes.

At, inquies, id colligitur ex phrasi æquipollente quæ subjungitur versu sequente quadragesimo quinto. *Quisquis ergo audivit à Patre & didicit venit ad me.* At, inquam ego, ex ista phrasi contrarium potius colligitur. Discere enim est actus non docentis sed discipuli; & actus qui liberam discipuli volitionem connotat, quique proinde etiam potest non sequi, & non raro etiam non sequitur in discipulo, etiamsi Doctor aliquis eum optime doceat. Multi enim idcirco non discunt, non quia non possunt discere, aut quia non satis docentur, sed quia aut non volunt discere, id est ad docenda animum advertere, cum discere, id est animadvertere possent ac deberent; aut quia animum ad ea quæ docentur negligunt advertere. Si dicas aliam esse rationem Dei docentis, aliam hominum docentium, petis τὸ οὐ ἀκριβῶς, & vim argumenti quæ phrasi hac discendi à Patre nitebatur deseris, novoque argumento pugnes necesse est.

Hisce ita animadversis ac positis, videre facile potes, Camero, quam sit vanum & alienum à Christi mente dilemma tuum: *Scientia* (inquis) *illa servi, vel est scientia illa qua Pater trahit homines ad Christum, quam qui audivit & didicit omnino venit, vel non est illa.* Dico enim, nec esse scientiam qua Pater homines trahit, nec tractionem qua trahit eos ad Christum; &, si omnino foret scientia illa & hæc tractio, scientiam esse primam illam qua Pater trahit, & quam qui audivit & didicit omnino venit. *At quid sibi tum vult* (inquis) *illud: Et non faciens.* Respondeo: Quia scientia illa qua Pater homines trahit, non est scientia qua homines non possunt non trahi, & quam non possunt non discere. Trahi enim eventum solum notat, non autem consilium, nedum vim aut efficacitatem inevitabilem trahentis. Non enim dicitur in textu eos omnes trahi à Patre & discere à Patre, quos Pater vult trahere & docere, quosque quantum in se est trahit est docet; nedum eos omnes qui trahuntur & docentur à Patre, ita trahi & doceri ut non possint non sequi ac discere. Nihil minus. Sed tantum dicitur in textu eos qui actu trahuntur à Patre, & qui ita docentur à Patre ut non audiant tantum, sed & discant, ad Christum venire. At ex eo non sequitur, Patrem quando aliquem actu non trahit, aut ita non docet ut ille actu discat, talem trahere ac docere non voluisse, nedum talem à Patre trahi aut discere non potuisse: Et hæc tamen duo sequi deberent, si constare vis dilemma tuum. At si trahi à Patre non significat hoc loco aliud quid quam eventum, tum plane dilemma tuum collabitur. Sic enim optime intelligi potest id quod dixit Christus, *Lucæ cap. duodec.* de servo, hunc in modum; Servus quem Pater non trahit scientia illa qua eum serio trahere voluit, & qua trahi ipse potuit & debuit, imo qua Pater trahit eos qui trahuntur, pluribus plagis vapulare dignus est. Item servus ille quem Pater non docet illa scientia qua eum docere voluit, qua ille doceri & discere potuit ac debuit, & qua docentur ac discunt quotquot docentur ac discunt, dignus est qui pluribus plagis vapulet. Non uti enim re optima, quæ tibi supra alios ad utendum à Deo datur, quaque uti & potes & debes, meretur sane graviorem pœnam, quam si rem illam nunquam ad utendum accepisses, aut accepta uti non potuisses. Imo quomodo non dico vapulare, sed gravius vapulare, sive pluribus plagis dignus fieri quis potest, quia non est bene usus re aliqua qua bene utendi potentiam nunquam habuit? En ut dilemma hoc tuum non me, nedum sanctissimum Dominum nostrum Jesum urgeat, sed te solum, propter hypotheses tuas, quæ ab omni recta ratione sunt alienissimæ; & vero nil nisi nugæ, Rhetorico tantum quodam ornatu circumdatæ, & quæ contemni possent nisi ad seria ducerent. Fieri enim non potest ut simulatque istæ animos mortalium subeunt, pietati aut religioni, nedum religioni Christianæ, per ipsas locus reliquus maneat. Nam si scientia major qua Deus aliquos donat non plus efficere in ipsis potest, quam si plane scientia ista carerent, & nihilominus tamen ii qui ista scientia donantur majoris pœnæ rei sunt peragendi, quod scientia ista moti non fuerint ad faciendum Dei voluntatem; contra si scientia major qua Deus aliquos donat, in ipsis vi sua efficit ut non possint non facere quod Deus jubet, & idcirco quod ista faciunt æterno præmio sunt afficiendi: quid est quæso pium esse, quid religiosum? quid necesse est laborare pro acquirenda scientia ista, quam laborando acquirere non potes, aut quid necesse est de acquisita majore scientia gaudere, cum fieri possit ut per eam plurium plagarum reus fias, & tamen ad salutem consequendam per eam non magis juveris aut juvari possis quam si plane esses ignorans? Sed obsecro te, Camero, quomodo religio & pietas per tuum placitum non evertitur, cum tu contrarium adseras ejus quod hîc Christus asserit? quando scilicet pro ratione ignorantiæ pœnam augeri & auctum iri censes? Nam ex ignorantiæ quantitate, pœnæ quantitatem æstimas. Sic enim argumentaris: Quanto major pertinacia, tanto major culpa. Recte. Et subsumis, Quanto major ignorantia, tantò major pertinacia, quia tantò major necessitas errandi, uti diserte disputas pagina 242. Ergo conclude, & videbis conclusionem tuam directe adversari dicto huic Servatoris, *Servum qui scit voluntatem Domini & non facit eam, pluribus plagis vapulabit.*

*Atqui* (iuquis) *id ex tua opinione sequitur, Nullum pietati, nullum religioni locum esse. nempe vti non peccare eos, nec sacrilegos esse, qui à Deo usque adeo averſi sunt, ut quanquam teneant quid facto opus sit, non possint tamen in animum inducere ut id ipsum velint.*

Muta si placet, Camero, terminos hos in terminos proprios, & videbis fallaciam, imo contrarium videbis esse verissimum. Non peccare eos dico, qui nulla sua propria culpa non possunt non facere quod peccatum est. Non esse sacrilegos eos, quos non esse sacrilegos, etiam scientia illa qua à Deo donari eos dicis præditos, omnino est impossibile. Quid verius? quid certius? Tui termini quibus hanc veritatem obscuras ambigui sunt; sic enim accipi possunt tanquam si ego dicerem; Eos non peccare qui seipsos propria sua culpa adeo reddiderunt à Deo aversos, ut jam amplius in animum suum inducere quasi non possint ut contra velint; qui sensus alienus plane à sensu isto est quem sententia mea habet; quia non posse in animum inducere, ex meo sensu moralem tantum impossibilitatem dicit, quæ cum potentia physica absolute loquendo optime potest consistere, & magnam potius difficultatem quam simplicem impotentiam Latinis significare solet. At ex tuo sensu absolutam dicit impossibilitatem; unde contrarium sequi manifestum est. Quid enim falsius 1. quam eos peccare, eos sacrilegos esse, qui Deo ita procurante, nulla sua propria culpa, nascuntur impotentes, ut aliter quam aversum à Deo animum habere non possint? 2. Eos qui ita aversi à Deo nascuntur, & deinde scientia tali à Deo donantur, quæ facere non potest ut à Deo non aversi maneant, pluribus plagis propter donatam istam scientiam jure affici posse? Per hæc itaque everti pietatis studium quis non videt? Et hoc totum ex illo unico fonte oritur, quod voluntati humanæ præter necessariam sequelam rationis & lubentiam nihil tribuas.

*Atqui id non pendere ab ulla voluntate ἀλληφορίᾳ, poëta Satyricus satis te debuit admonuisse,* ais.

*Magne Pater divûm sævos punire tyrannos*
*Haud alia ratione velit, cum dira libido*
*Moverit ingenium ferventi tincta veneno,*
*Virtutem videant intabescantque relicta,* &c.

Ut Poëta Satyricus hujus rei me moneret opus non fuit. Si ille te hujus rei primus monuit, habuisti sane magistrum profanum & valde ignorantem: quanquam id quod ille dixit tale sit ut optimo sensu intelligi possit. Sed tanti mihi non est poëta Satyricus, ut bene an male hac in re senserit operose tecum contendere velim. Bene monuit Plutarchus in eleganti illo quem conscripsit libello, Πῶς δεῖ τὸν νέον ποιημάτων ἀκούειν, Juvenem μηδὲν ὕπνου μεμελημένον & πρόχειρον debere habere εἰς τὸ

Πολλὰ ψευδόντων ἀοιδοί.

*Verè enim,* inquit, *plurima fingunt poëtæ, partim de industria, partim inviti.* Et alibi: *Multa fingunt poëtæ volentes; plura vero quæ, quia ipsi rem ita esse persuasi sunt, nobis quoque per mendacium allinunt; non pauca quæ non ex sua, sed aliorum opinione, quos tacitè traductos volunt, intelligenda sunt.* Hæc qui non observat, eum in lectione poëtarum sine periculo versari difficillimum est.

Sed

*De impotentia physica & morali.*

*Sed* (inquis) *tuum* (*aut vestrum*) *illud non posse, ad causam hanc non pertinet, in qua non agitur de ea impotentia quæ non pugnat cum rectitudine mentis & voluntatis, in eo quod pro officii nostri ratione Deus à nobis exigit, ut si quis pedibus captus sit idem & oculis, jubeatur tamen idem ambulare & speculari; sed de ea impotentia quæ mentis, judicii est, voluntatis pravitas est. Totum illud tu* (inquis) *dissimulasti.*

Hæc nil nisi verba sunt, Camero, incrustando commento tuo. Impotentiæ vox nimis nota est, quam ut explicatione ista tua indigeat. Voces eam quomodo quomodo libet, si invincibilis & inculpabilis est, moralis pravitas esse non potest quæ pœna digna sit; de ea enim pravitate hic agitur. Talis ex sententia tua est impotentia mortalium omnium, etiam Adami quando erravit, & errando (uti tu vis) peccavit. Adam non potuit non errare, non potuit non in electione veri boni falli ac decipi, etiam posita aut reliqua manente in eo scientia dirigente. Ergo error Adami, pravitas culpabilis, sive moraliter aut formaliter peccatum pœna dignum esse non potuit. Et eodem modo quo Adam (juxta te) mortales omnes errant, & errare necesse est, quamdiu lucem istam innocenti Adamo antequam erraret subtractam non recipiunt, aut facultate eam à Deo consequendi non donantur. Scientia omnis, quæcunque, qualiscunque, quantacunque ea sit, non magis ipsis prodesse potest ut non errent, aut ut possint saltem non errare, quam cæco color prodesse potest ut videat. unde ut propter scientiæ istius abusum, aut potius non usum, pluribus plagis digni censeantur, nullum jus, nulla ratio, nulla æquitas permittit. Sed & quomodo tu impotentiam istam potes appellare pravitatem mentis, judicii & voluntatis? Impotentiam præcedere aliquando aut sequi pravitatem recte dicitur: at quis unquam potentiam ipsam appellavit pravitatem? Esto tamen: sit ita. Ego contra te sic colligo: Quando Deus Adamo subtrahebat lucem originariam, utique (vel te ipso judice) impotens erat ad recte judicandum de summo & vero bono, ac proinde impotens etiam ad istud volendum atque amandum. Pravus ergo erat Adamus antequam peccaret, imo antequam erraret. Cumque error primum peccatum & malum sit, quod nos proprie malos facit, malus & pravus fuit antequam pravus & malus esset. Quis hæc intelligat? Et cum hæc tam ingentia absurda ex opinione tua recte propositа palpabiliter sequi viderem, cur dissimulassem eam? Nec opus erat, Camero, ut eam dissimularem, imò uti id non facerem opus erat, quia alioquin argumentis meis non fidem tantum, sed & vim suam detraxissem. Impotentem enim esse, non est tibi pravum esse, sed non posse non pravum esse, sive non posse esse bonum, quia Deus vel subtrahit ex mente scientiam persuasivam, vel subtractam non reddit. Huc redit totum illud quod sentis. Servus itaque hic de quo loquitur Servator, qui una cum scientia illa quam Deus ipsi largitur, pravitate tamen mentis, judicii & voluntatis laborat, non laborat proprie ista pravitate mentis quia ea vult laborare; voluntas enim nullum habet imperium in mentem, juxta te, sed dependet à mente; nec laborat pravitate voluntatis quia ea vult laborare, voluntas enim non vult quia vult, juxta te, sed quia à mente ad volendum determinatur: mens autem non potest velle errare, uti diximus. Quomodo ergo? Quia non potest non laborare ista pravitate. At hæc vera illa impotentia est quæ invincibilis & inculpabilis est: ac proinde qua posita ac manente fieri non potest ut servus iste, propter scientiam solam superadditam insufficientem atque inefficacem, reus fiat graviorum & plurium plagarum. Hæc impotentia itaque non laborandi, ut sic dicam, pravitate, qua ratione ab impotentia ambulandi & speculandi, quæ in homine oculis pedibusque capto est, distingui possit à te, quatenus quidem mera impotentia est, fateor me intelligere non posse. An ista sit ingenii mei habitudo, an quia res ita se habet, Lector æquus judicet.

*Præstat nulla à Deo scientia donari, quam inefficace.*

Addideram ad confirmationem argumenti mei hanc rationem: Si scientia illa qua Deus servum istum donavit, servo prodesse non potuit ad id ut voluntatem Domini sui faceret, & interim ob id quod scientia ista affectus voluntatem Domini sui non fecit, pluribus plagis vapulare dignus est, utique præstaret servum scientia ista caruisse, quam ea à Deo donatum fuisse: quin & Deus dicendus foret non gratiam fecisse servo, quando eum donavit scientia illa; sed δῶρον vere ἄδωρον dedisse, imo odio potius habuisse quam dilexisse.

Contra hoc argumentum, licet palpabilis pœne veritatis, tamen tanquam contra telum in ipsum Dominum Jesum temeraria insultatione à me vibratum ac contortum, magno spiritu insurgis; parum sine considerans, quanto fortius & animosius te isti opponis, tantò te gravius contra ipsam rectam rationem, & rationis rectæ magistrum Dominum nostrum Jesum calcitrare.

*Non est enim* (inquis) ideo δῶρον ἄδωρον (cur non, Camero? Nimium hic properas.) *Sed potuit fuerit is servus ingratissimus, perversæ mentis adeò ut nequiverit parere.*

Bone Deus! quanto spiritu miserorum hominum necessarios errores exaggeras! Sed frustra es; imò quanto eos tu plus exaggeras, tanto pluribus ac majoribus absurditatibus te ipsum involvis. Quomodo enim servus iste fuerit, non dico ingratus, sed in superlativo gradu ingratissimus, qui non modo non accepit donum ullum quod usui ipsi esse potuit, & propter quod gratus esse debuit, sed ne potentiam quidem accepit dono isto quod accepit bene utendi, aut gratitudinem propter acceptum donum exhibendi? Iracundè hæc dicuntur à te, Camero, & cum tanta εὐκόπως ut extra te positus videaris fuisse. Similiter se habet id quod de mente servi, non tantum mala, sed perversa dicis, adeoque perversa ut nequeat parere. Illa ipsa enim perversitas mentis quæ in servo est, juxta te, est obediendi impotentia, quæ in mente servi est, sine voluntate aut culpa ipsius. quomodo itaque propter istam videtur tibi non modo ingratus, sed ingratissimus?

*Quia nullo id fit earum facultatum, quæ mentis judicio & voluntati sunt subjectæ, vitio.*

Esto; Sed quid (quæso) ad rem facit, quod perversitas sive impotentia ista parendi non oriatur ex vitio istarum facultatum, quæ mentis judicio & voluntati sunt subjectæ? Quasi verò in istis facultatibus virtus aut vitium possit locum habere. Satis est si oriatur ex ipsius mentis voluntatisque invincibili aut nulla propria culpa contracto vitio, vel ex defectu ejus rei quæ necessariò in mente prærequiritur ut servus parere possit, & quam tamen habere nunquam fuit in servi potestate. hoc vitium, hic defectus solus sufficit.

*Nulla etiam physica qualitate* (inquis) *à materia necessitante profecta.*

Esto. Sed nec hoc ad rem facit. satis est si impotentia ortum ducat aliunde, quam à voluntate servi libera: hæc enim sola actionem servi potest facere culpabilem, & servum ipsum pœna dignum. Quod si verò etiam oriatur ex ipsius Dei actione, vel subtrahentis servo innocenti quod semel dedit, vel ei non dantis id quod ad parendum necessarium est, non magis, si non multò minus, propter eam culpæ & pœnæ reus agi potest servus, quàm si ex physica aliqua qualitate à materia profecta impotentia ista fuisset orta. Neque satis est quod dicis, Camero, Scientiam istam quæ in mente servi fuit, aptam natam fuisse ad permovendum judicium ejus practicum & voluntatem, nisi ἡ ἄγνοια ἡ κριθεῖσα καὶ ἡ ὑπὸ τῆς συγκαταθέσεως intercessisset. Quid enim & hoc ad rem facit, si ἡ ἄγνοια ἡ κριθεῖσα non intercessit libera servi voluntate, sed sola tantum actione divina, cui resistere servum fuit impossibile? Libera autem servi voluntate ignorantia ista, juxta te, intercedere non potuit; primò, quia ἄγνοια ista in mente est, quæ libera non est, nec libero voluntatis imperio subjacet, ex sententia tua: deinde quia ἄγνοια ista cum ipsa servi mente nata est, ita ut eam non habere nunquam fuerit in potestate servi. Non dices hîc, credo, servum meruisse ut scientia ista privaretur. Tantum enim abest ut id consentanee dicere possis, ut contra, si scientia illa in servo unquam fuisset, non potuisset unquam mereri ut ea privaretur. Scientia enim hæc non facit tantum ut voluntas possit recte agere, sed facit etiam ut voluntas non possit non recte agere. Itaque frustra etiam fores, si diceres, servum scientia hac præditum fuisse in Adamo. Si enim Adamus scientia ista præditus fuit, nec ille potuit mereri ut ea privaretur, quia stante illa scientia in mente ipsius, errare & sic peccare eum impossibile erat. Erravit tamen & peccavit. Innocenti itaque atque immerenti fuit subtracta à Deo hæc scientia, & sic in servum propagata hæc ignorantia. proinde ignorantia hæc non intercedit servi voluntate, sed sola Dei actione; quæ quia servo invincibilis est, propterea etiam plane inculpabilis ignorantia hæc servi censenda est. Neque verò quicquam ad rem facit, quod ignorantiam hanc dicas *esse ignorantiam juris, quæ ne rectæ quidem rationis judicio habet excusationem.* Ad id enim jam ante satis respondimus. Hîc addo, imo idcirco ignorantiam hanc juris non excusare à peccato, quia ignorantia hæc non est ignorantia juris. Nam jus quod ignoratur tale est, ut ejus scientiam habere quivis & possit & debeat. Nisi ita esset, ignorantia juris non esset, quin & excusaret, ex omnium hominum, etiam Jurisconsultorum sententia. At hanc τὸν κριθέντα scientiam habere fuit servo omnino impossibile, etiam posita in mente ipsius altera ista

ſcientia dirigente. Itaque rectæ rationis judicio juſtiſſimam habet excuſationem.

Pergis: *Et quis unquam adeo perverſo extitit judicio, ut ideo δῶρον ἄδωρον exiſtimaret, quod aliquis perditiſſimè deſperatiſſimeque nequam eo ſit abuſus?*

At ego viciſſim ex te quatuor, Camero, majori jure quæro. 1. Quis unquam adeò perverſo judicio exſtitit, qui aliquem perditiſſime deſperatiſſimeque nequam appellarit, quem nulla ſua propria culpa, ſed ſola Dei actione, nequam eſſe credit? 2. Quis unquam adeo inſana mente extitit, ut donum recte utendum dederit ei, quem non tantum plane impotentem ad recte dono iſto utendum eſſe novit, ſed & quem ipſe ita impotentem reddidit? 3. Quis unquam adeò vecors fuit, ut eum culpabiliter dono abuti crediderit, in cujus poteſtate nunquam fuiſſe credit dono iſto bene uti? 4. Denique quis unquam adeo maligno animo fuit, ut eum pluribus plagis dignum judicarit, qui dono aliquo non bene uſus fuit, cujus bene utendi potentiam nunquam habuit?

Pergis: *Num ullum ſcelus eo gravius exiſtimamus, quod diabolicum vulgo appellamus? Atqui hæc nomenclatura, non ſcelus modo, ſed invictam in ſcelere pertinaciam demonſtrat.*

*De Diabolo in peccando pertinacia.*

Ita ſane eſt. Sed hoc ipſum ſcelus, hæc ipſa pertinacia idcirco ſaltem graviſſima cenſeri poteſt, quia à libera Diabolorum voluntate, & ingratiſſima contra Deum rebellione, (longa an brevi quis dixerit?) ortum ſuum habet. Dicitur enim Diabolus diſertè *non perſtitiſſe in veritate*: *Joh.* VIII. 44. *A principio peccare*: 1 *Joh.* III. 8. *peccaſſe*: 2 *Pet.* II. 4. *Non ſervaſſe ſuam originem*, vel principatum, *ſed domicilium ſuum reliquiſſe*: *Jud.* 6. & ſimilia. Abſque hoc eſſet, non magis cenſenda forent facta eorum mala, ſi neceſſaria ea eſſe velis, punitione nova digna, quam luporum, urſorum, aliarumque ferarum beſtiarum facta, quando ad innoxia animalia ipſoſque adeo homines, licet innocentiſſimos optimoſque, dilaniandum, aut naturæ quodam impetu, aut fame irave ſtimulatæ feruntur. Hoc ſolum ſupereſſet diſcrimen, quod Diaboli ſciant quod ea quæ faciunt Deo diſpliceant, &, ſi ad legem exigantur, peccata ſint materialiter, belluæ autem iſtud ignorent. Interea quid ipſe de Diabolis ſentiam, an videlicet hodieque liberè adhuc, an neceſſariò peccent, non eſt neceſſe hoc loco à me exponi. Sufficit jam ad ſolutionem argumenti tui, quod ea quæ Diaboli nunc faciunt peccata, recte ſcelera cenſeri poſſint, ex eo quia ſcelerata & libera ſua voluntate in principio Deo Domino ſuo rebellarunt, & peccatorum graviſſimorum reos ſe fecerunt, ſeque ipſos in hanc in qua nunc verſantur conditionem propria ſua culpa præcipitarunt; ſive conditio illa ſit, quod voluntatem habeant prorſus determinatam ad volendum id tantum quod Deo contrarium atque inviſum eſt; ſive conditio illa talis ſit, quod liberè nunc perſiſtere velint in rebellione ſua, & quod obſequium ſuum Deo ingratum ſibi vero inutile eſſe ſciant, jamque norint latam in ſe damnationis irrevocabilem ſententiam, cujus executioni catenis caliginis conſtricti reſerventur, gravioremque condemnationem non metuant quicquid fecerint; idcirco, inquam, hoc tantum operam dare ſtudent, ut quoad ipſis licet Deo ægre faciant, perdantque ſecum quicquid ille ſalvatum cupit. Quicquid ſit hac de re, ſufficit, inquam, ad ſolutionem argumenti tui id quod dixi; imprimis ſi hoc addatur, Diabolos ob ea quæ jam faciunt ſcelera, ſive neceſſariò, ſive liberè ea faciant, majoribus pœnis afficiendos non eſſe; in quo Theologos omnes convenire certum eſt. Ex quo fortiſſime contra te retorqueo hoc tuum argumentum: Si Diaboli ob ſumma iſta ſcelera quæ etiamnum faciunt, & ob invictam iſtam pertinaciam in qua perſeverant, pluribus plagis à Deo afficiendi non ſunt, etiamſi optime ſciant ſe contraria divinæ voluntati facere; nulla ſane ratio eſt ob quam ſervus ſciens voluntatem domini, & eam non faciens ſive ei contraria faciens, ſiquidem ſcientia iſta præditus non poſſit facere voluntatem Domini ſui, pluribus plagis vapulet. Alioquin ſane conditio miſerorum hominum multo foret deterior quam ipſorum Diabolorum eſt conditio; quia Diaboli propria ſua voluntate peccarunt, (cum poſſent ac deberent non peccare) priuſquam in peccandi neceſſitatem devenerunt, & peccantes poſtea majoris tamen pœnæ rei non fiunt. Miſeri autem homines nunquam ſua propria voluntate peccarunt, ſed cum neceſſitate peccandi naſcuntur, & antequam velle poſſint pœnam ferunt quæ ipſa peccatum eſt, quæque eos non modo peccandi neceſſitate veluti compede conſtrictos tenet, ſed & novæ majoriſque pœnæ reos facit, etiam quia & quando non donantur à Deo nili ſcientia tali, quæ ad mentem eorum perſuadendum & ad voluntatem eorum in melius flectendum eſt inſufficiens. O duram & barbaram Theologiam!

Sed pergis: *Sanè ſi cui libet ſic inſanire, dicas & veſtram ſententiam id ſequi. Nam cùm tanta ſit voluntatis humanæ inconſtantia, idque non ignores Deus, cur ea tribuit quibus certò novit abuſuros in perniciem ſuam mortales? Omnino nihil hîc adferri præter id quod, ſi ullum habeat pondus, evertat funditus omnem religionem.*

*Nulla ſpecies injuſtitiæ in eo eſt, quod Deus bonis minibus largitur dona quibus ipſos abuſuros eſſe præſcit.*

Mirum quomodo tu hoc jam argumento pugnes contra nos, qui credis fieri non poſſe ut nos credentes ἀδιαφορίαν humanæ voluntatis, ſimul etiam recte credamus divinam liberorum motuum præſcientiam. Poſito itaque quod credentes firmiter ἀδιαφορίαν voluntatis eſſe rem certiſſimæ veritatis, & tuis aliorumque argumentis preſſi fateremur Deum præſcire non poſſe in quam partem ſeſe inclinatura ſit voluntas, an aliena à veritate nos ſentire crederes, & an non interim argumentum hoc tuum prorſus corrueret? Sed non eſt neceſſe, Camero, ut tantum tibi indulgeam. Nego itaque argumenti tui conſequentiam; & dico nullam iniquitatem, nullam injuſtitiam in eo eſſe, quod Deus tribuat dona hominibus quibus eos abuſuros jam ante novit. Scientia enim iſta Dei non facit ut ii donis iſtis abutantur, nedum ut ii donis iſtis non poſſint non abuti; ſed ſupponit liberum eorum abuſum, ac proinde non minus liberam abutendi potentiam, quin & liberum potentiæ iſtius uſum, quam ſi nulla eſſet in Deo præſcientia. Niſi enim liber abuſus ſupponeretur, ſcientia Dei falſa eſſet. Sciret enim eos liberè abuſuros aut abuſos eſſe donis, qui tamen iis libere abuſi non fuiſſent. Atqui hoc jam ſatis eſt ad ſalvandam Dei juſtitiam & æquitatem, ſi pluribus plagis dignos pronunciet eos qui dona plura acceperunt, iiſque libere abuſi ſunt, cum poſſent ac deberent iis recte uti. Fateor quidem ſpecioſa eſſe argumenta, quæ videntur arguere non convenire cum divina ſapientia, φιλανθρωπίᾳ & bonitate, ejuſmodi agendi rationem, quin & cum ea difficulter conciliari poſſe feriam & ſolicitam illam Dei providentiam & curam, quam de actionibus (imprimis humanis) habere dicitur in Scripturis; ſed argumenta nulla eſſe, quæ iniquitatis aut injuſtitiæ divinæ ſpeciem vel veriſimiliter hac in re arguant, id plane nego. Scientia alterius de actione mea libera, non magis poteſt facere ut actio mea non ſit libera, quàm alterius ignorantia id poteſt facere. Quod ſi autem cum iſta ſcientia libertas voluntatis ſarta tecta ſtare poſſit, jam actio mea aut virtus præmio digna, aut vitium pœna dignum ut ſit nihil impedit, & ſic illa ſuppoſita nihilominus religio, pietas, obedientia, præmium, pœna, omnia denique ſalva ſunt & incolumia.

*Vocationem Dei reſpectu reproborum eſſe hypocriticam & tyrannicam ex Cameroni ſententia ſequi.*

Addideram auctarii loco hanc rationem; Et in univerſum tota Dei vocatio, qua ad ſalutem vocat eos quos ſpeciali iſta luce donare non vult, non hypocritica tantum, ſed & ſumme tyrannica vocatio dicenda foret, aut effectus odii potius quam amoris; quod ita abſurdum eſt ut neſciam quomodo in hominis ſani aut pii mentem cadere poſſit.

Hîc tu pro more tuo exclamas: *O te hominem prodigioſæ confidentiæ! Quid enim, ſi ita jam ſe res habet, quam tu adverſus Deum blaſphemiam protuleris!*

Ita eſt Camero. Sed ſi ita jam ſe res non habet, quam tu adverſus Deum blaſphemiam protuleris! quam prodigioſæ confidentiæ homo fueris, quod non tantum horrenda adeo ac prodigioſa ſanctiſſimo Deo tribuas, ſed & eos, qui te à tam ingenti errore liberatos ex animo cupiunt, homines prodigioſæ confidentiæ appelles! non enim duriore reſponſo te jam convenium. Scio enim quo vitio labores, & quam difficulter duriuſculam vocem poſſis concoquere. Scotus es, nemo te impune laceſſit. Me quod attinet, ego non metuo ut res aliter ſe habeat, aut ut blaſphemiam dixerim in Deum. Contra Solem mihi loqui videtur, qui tam apertam veritatem prodigium faciunt horrore dignum ac tantum non blaſphemiam.

*Sed ego jam pridem in vobis hoc λῆμα deſii mirari, qui Dei nullum aliud agnoſcitis jus in creaturas quam quod bene ficis nititur.*

Nempe λῆμα tibi pluſquam Saturnina in mente eſt, quod λῆμα tibi videatur id quod ipſiſſima veritas eſt; & contrà, verum id quod revera portentoſum λῆμα eſt, puta, Jus Dei nullis finibus terminari, Deum jure poſſe facere quicquid per omnipotentiam ſuam poteſt facere. Nempe poſſe Angelos, poſſe homines innoxios æternis cruciatibus jure deſtinare: Poſſe iis lucem neceſſariam ad evitandum peccatum jure negare vel ſubtrahere, ut in peccatum nullo ſuo merito præcipites ruant: Poſſe eos propter iſtud peccatum jure punire, & quidem alio peccato, quin & peccandi neceſſitate, qua eandem pœnam & majorem iterum promereantur: Poſſe iis quos iſto involuntario peccato & invincibili peccandi neceſſitate immerentes punivit, ſub gravioris pœnæ comminatione jure mandare ut à peccando deſiſtant; Poſſe eos donis afficere quibus non poſſunt non abuti, &

ti, & quia iis abuntur, jure pluribus plagis afficere, imò excæcare, indurare, in reprobam mentem tradere, & tandem æternis ignibus ac doloribus ineffabilibus cruciare ac torquere. Hæc sane si ulla alia λήρους sunt prodigiosæ confidentiæ, & monstris ac portentis quam rectæ rationi similiora, quæ qui in pectore suo alit, quid mirum est ei videri λῆρος id, quo adserimus, Deo jus non esse creaturam suam quam ad imaginem suam condidit, & non ratione tantum ac voluntate, sed & sensu præditam esse voluit, innoxiam & innocentem majore dolore ac malo afficere, quàm est bonum illud quod ei dedit aut dare voluit, imò noxiam jam ac pæne ream, majore pœna ac dolore afficere quàm quæ merito peccati respondeat?

*Veruntamen nolo te sic convenire* (inquis.) Credo, ne λήρους ista tam portentosa prodas; alioquin istam mihi scilicet gratiam non faceres; sat scio. *Aliter libet tecum agere. Quid? Si Deus fidelis est, nos autem infideles, atque adeò pertinaciter infideles ut Deo credere & resipiscere nequeamus, (quod nequissimorum hominum est;) quod ἄπιστος fidelis est, fuerit δῶρον ἄδωρον?* &c.

At hoc non est aliter agere, Camero; sed eandem rem aliis tantum verbis dicere. Sanè infidelitas nostra non potest facere ut donum Dei sit δῶρον ἄδωρον. Nam *nostra infidelitas*, ut ait Apostolus, *Rom.* III. 3. *Dei fidem inanem reddere non potest.* Ingratitudo nostra non potest facere ut beneficium divinum non sit vere beneficium. Nec id dicit Epistola. Nihil minus. Tantum dicit donum illud quod Deus videri vult ex sententia tua servo conferre, ad eum juvandum ut ipsius voluntatem præstet, δῶρον ἄδωρον reipsa censendum esse, si servus dono isto rectè utendi potentiam nunquam habuit, & tamen propterea quod dono illo recte non utatur, pluribus plagis ab ipso doni authore afficiendus est, & jure affici posse dicatur. Illud enim vere δῶρον ἄδωρον est, quod datur non ut prosit accipienti, sed ut ei noceat.

*An itaque* (inquis) *negas Deum ideò bonum, quod homines præfractos atque contumaciter malos, (donec ille spiritu suo corda eorum emolliat) beneficiis suis atque monitis ad obsequium invitet?*

Sane, Camero, id nego: 1. Si præfracti & pertinaciter mali, præfracti & pertinaciter mali sint, quia ita nati sunt, & quia is qui eos invitat ad sui obsequium eos tales nasci voluit, ac proinde eos præfractos & pertinaciter malos manere necesse est, nisi is ipse Deus qui eos invitat corda eorum emolliat, ut saltem invitanti obsequium præstare possint. 2. Si is qui eos invitat, eos idcirco pluribus plagis adficere velit quod præfracti & pertinaciter mali permaneant, cum beneficia & monita ejus talia sint ut per ea adduci nullo modo possint ut præfracti esse desinant. Certe præfractus & pertinax sit necesse est, qui Deum talibus hominibus beneficium facere credit. Ego ejusmodi beneficium à Deo ne hosti quidem meo infensissimo fieri optaverim. Sed jam quid ad ea quæ de vocatione dixi respondeas videamus.

*Qui modestiæ fines semel transivit*, inquis, *eum oportet esse gnaviter immodestum. Quis enim? quæ hæc audacia?* Supercilium tuum pædagogicum videre mihi videor, Camero, quando ita præfaris. Rationes mallem & argumenta quam magistrales ejusmodi σοφισμούς.

Locus Joan. I. 5. *At*, inquis, *si ii quos vocat Deus, quibus indulsit lucem suam, eam non agnoscunt, de ea non sentiunt præclare, proindeque nec amant ut decet; Si lux in tenebris lucet, neque tenebræ lucem comprehendunt, (qui mentis & judicii maximus error est) eò Deus erit hypocrita, erit tyrannus?*

Non, Camero; nemo id unquam dixit, nec dicet, nisi cui mens læva est. Tu rem non enuncias prout oportet, nec candidè agis. Dic quod res est, & quod Epistola satis clare proponit. Hypocrita esset Deus, si videri vellet seriò vocare ad pœnitentiam & salutem eos quos ipse nominatim salvari non vult, & quos ipse impotentes reddidit ad pœnitentiam agendum. Deinde hypocrita, quin & tyrannus foret, si videri vellet serio cupere salutem eorum quos scientia voluntatis suæ prorsus ex se inefficace donat, cum eos scientiæ istius auxilio non modo non velit juvare ad salutem eorum promovendam, sed contra ea uti velit ad damnationem eorum aggrevandam & ad plagas eorum multiplicandum. Quid hac veritate verius dici potest? At tu rem ita enuncias ut, si prima fronte videatur nec hypocriseos nec tyrannidis species ulla appareat, quod non est boni disputatoris. Interim tamen non ita te tegis, quin appareat quid velis. Satis enim ostendis quomodo locum illum, cujus nuda tantum verba citas, *Joh.* I. 5. *Lux in tenebris lucet, sed tenebræ eam non comprehenderunt*, intelligi velis de ipsa hominis mente tantum; in qua quia libertas locum habere non potest, non tantum naturalis impotentia, sed & prima pravitas à te statuitur, per quam fiat ut ii qui vocantur à Deo, vocationi divinæ adsentiri nullo modo possint aut velint. In quo ipso tamen vehementer hallucinatus es: *Tenebræ* enim in isto loco Johannis non significant ignorantiam propriè, sed malitiam, & per metonymiam homines tenebrosos, id est malos, licet jam scientia Euangelii illustratos, aut sciendi occasionem quasi in manu sua habentes: quia expresse textus ait, *Lux ista lucet in tenebris*; id enim aliud nihil potest significare, quàm Euangelium quod κατ' ἐξοχὴν lux ista appellatur, jam annunciatum est Judæis, hominibus sane corruptis & depravatis, uti passim vocantur, imò mundanis, unde mundus etiam fere semper dicuntur Johanni. Judæi itaque isti non erant ignorantes divinæ voluntatis, quæ Euangelio annunciato continebatur, sed scientes. Eos itaque non comprehendisse lucem, non significat eos mente & judicio errasse, sed voluntate; quia scilicet veritatem agnitam amplecti, aut (deserta profana vivendi ratione) ex præscripto veritatis & Euangelii deinceps vivere noluerunt; quod *cap.* III. 19. Joannes appellat, *diligere tenebras potius quam lucem, quia opera eorum mala erant.* Dilectio autem (te ipso teste) actus voluntatis est, non mentis, ut jam alia multa ad hanc rem non allegem. Pergis.

*Num, obsecro te, non novit certò qui parituri sint, qui minus? Deus igitur etiam vestro judicio fuerit hypocrita, qui vocat quos scit non parituros.*

Dato, sed non concesso, id verum esse, id te juvare, Camero, non potest. Non enim sequitur, si nostro judicio Deus hypocrita statuitur, ergo non statuitur tuo. Utrumque verum esse potest. Sed absit, ut nostro judicio concedam Deum statui hypocritam. Nec enim speciem hypocriseos habet, si seriò & ex animo Deus homines vocet, etiamsi sciat eos non parituros. Hypocrisis enim non dependet à voluntate accipientis, sed à voluntate dantis; non à voluntate vocati, sed à voluntate atque animo vocantis. hic si serio beneficium dare & ex animo vocare velit, hypocriticè agere dici non potest, sive is quem vocat, & cui dare beneficium vult, vocationi parere & beneficium accipere velit, sive nolit. Nec scientia qua is qui beneficium ex animo facere vult, scit eum cui beneficium facturus est id non accepturum, facere potest ut propterea hypocrita censeri debeat. Nihil minus. Contrarium potius sequitur: scientia ista arguit eum hypocritam non esse. Scit enim eum qui beneficium respuit, respuere beneficium quod ex animo, ac proinde sine ulla hypocrisi, dare voluit. Fortasse id sapientiam Dei non usquequaque decere posses colligere, quod dare velit iis quos scit non accepturos donum suum. At id cum hypocrisi aut simulatione conjunctum esse, ne verisimiliter quidem dicitur. Hypocrisis manifesta foret, si Deus ad parendum vocaret eos, quos antea sciret nulla sua propria culpa non posse parere, at non si vocaret quos scit sua culpa non parituros.

*Non potuit Deus hanc contumaciam emollire & penitus abolere? Deus igitur, vobis quidem arbitris, tyrannus.*

Fac syllogismum, Camero; & videbis majorem ejus falsam esse. Qui potest emollire contumaciam & penitus abolere, nec tamen eam emollit & abolet, is est tyrannus. Quæ enim ratio consequentiæ? Ut tyrannus sis, non requiritur ut non facias id omne quod absolute potes facere; sed requiritur ut non facias quod debes facere, vel ut facias quod non debes facere. Deus itaque non propterea censeri potest tyrannus, quia non emollit & penitus abolet contumaciam omnium quos vocat, cum eam possit emollire & penitus abolere. Nec enim tenetur eam emollire & penitus abolere, imò tenetur eam non emollire & penitus abolere; quia alioquin frustra eam libertati hominis permitteret, & propter eam neminem unquam punire justè posset. Sed tyrannus censeri jure potest, si ipse eorum corda, quos vocat, nulla ipsorum propria culpa præeunte induret & excæcet, ut vocationi ipsius parere non possint; & interim eos propterea quod isti ipsius vocationi non pareant, gravioribus & pluribus pœnis afficiat. Et hoc est illud in quo tyrannidis formalis ratio, quantum ad rem hanc de qua agitur attinet, in Epistola statuitur.

*Sanè hypocrita is est* (inquis) *qui præ se fert salutis tuæ studium, tu verò cum ab eo possis legitime servari, pateris repulsam.* Quis unquam audivit hypocrisin tam angusta definitione comprehendi? Sanè is verus hypocrita est qui id facit quod tu dicis, Camero; sed an is propterea solus est hypocrita? Hypocrita est, ait Augustinus, qui vult videri quod non est, aut qui intus aliud vult quam foris præ se fert. Optime. Nota est etymologia. Itaque ut definitionem applicemus nostro argumento, is qui præ se fert salutis tuæ æternæ studium, cum jam ante te nominatim non salvare, sed æternum perdere constituerit, qui videri vult beneficium tibi facere dando voluntatis suæ scientiam, & interim plane insufficientem scientiam tibi dat, per quam te reum plurium & graviorum suppliciorum fieri omnino necesse est, is hypocrita est in summo gradu. Nulla enim major si-

*Quis præ-sit hypocrita?*

mulatio, nulla enormior hyprocrisis concipi animo potest, quàm si quis præ se ferat se æternum alicujus bonum velle, cum non nisi æternum & summum ejus malum velit. Cæterum ut is cujus saluti quis studere videtur, ab eo repulsam patiatur cum ab eo poscit legitime servari, ad hyprocrisin non est necessarium. Qui enim bene se mihi velle præ se fert, imo beneficium aliquod mihi offert, si id ex animo non cupiat mihi, aut dicis tantum gratia id offerat, is perfectus est hypocrita, etiamsi fiat ut ego beneficium illud nec cupiam nec ab eo poscam, ac proinde ab eo repulsam non patiar. Hypocrisis mea non constituitur per actionem alterius, sed per voluntatem & animum meum proprium; imò si rectè & præcisè rem putes, Camero, hypocrita nemo est ex eo quod tu assignas, sed tantum hypocrita esse ex eo cognoscitur, ac sic per id ipsum quod tu ad hypocrisin requiris, hypocrita esse definit & hypocrisis finitur. Cum enim aliquis repulsam patitur à me, quando poscit legitime servari, tum sane non amplius possum præ me ferre studium salutis ejus. Concludo ergo vocationem qualem tu Deo tribuis, quando servum reprobum vocat, & scientia voluntatis suæ tanquam singulari aliquo beneficio afficere videri vult, cum ea non modo ex se insufficiens & servo ipsi plane inutilis sit, sed etiam ad augendam servi condemnationem necessario faciat, jure meritò hypocriticam, imò hypocriticam in summo gradu vocari posse.

*Quis proprie sit tyrannus.*

Eadem est ratio tyrannidis de qua dicis: *Et tyrannus est, qui vel tam difficiles proponit conditiones, ut eas etiamsi maximè velles exsequi non possis tamen: aut verò tam iniquas, ut si tu eas possis exsequi, nequeas sine scelere id velle.*

Uti antea hypocriseos, ita hîc tyrannidis definitionem fingis tibi ipsi, ut exceptionis alicujus ad argumentum meum occasionem habeas. Duas tyrannidis species recenses, & sub istis duabus universam tyrannidem complecteris; uti antea per unicam hypocriseos speciem totam hypocrisin definieras; sed nullo jure aut specie veri. Tyrannum fateor esse eum qui ita agit uti tu dicis. At ex eo non sequitur eum qui sic non agit tyrannum non esse. Ab una aut duabus speciebus, si plures sint, ad genus negativè non valet consequentia. Tyrannus est (non quidem usurpatione, de eo enim non agimus, sed administratione saltem) quisquis in subditos suos innoxios crudeliter & præter jus & fas dominatur, spoliando eos bonis, fortunis, honoribus & vita pro libitu suo, nulla ipsorum culpa, vel exigendo ab iis præstitu impossibilia, ut tanquam immorigeros & rebelles eos deinde sub specie juris vexet & emulgeat, dominii sui ostentandi aut conservandi causa. Quare si credas, Camero, Deum homines plurimos, nulla propria sua culpa nocentes, imò prorsus innocentes, æternis cruciatibus inexorabiliter destinare quia ipsi ita lubet, iisque mandata dare exsequenda quæ ipsis nulla ipsorum culpa plane sunt impossibilia, eò quod iis lucem ad ea exsequenda necessariam aut subtrahit aut negat; denique iis dare auxilia insufficientia quibus non possunt non abuti, & propter abusum tamen istum graviores pœnas infligere. Si hæc, inquam, credas, uti te hæc credere certum est, à tyrannidis maximæ crimine Deum vindicare non potes. Certe summis malis afficere innocentes, tyrannidis omnis apex est. Sed posito etiam quod tyrannus non sit nisi qualem tu describis ac definis, nihilominus tamen Deum etiam juxta ipsam definitionem tuam tyrannum feceris. Nam *tyrannus is est* (inquis) *qui vel tam difficiles conditiones proponit, ut eas etiamsi vel maxime velles exsequi, non possis tamen.* Esto. Inde sic infero: Si is tyrannus est qui id facit, Ergo multò magis tyrannus est censendus is, qui conditiones tam difficiles proponit ut eas ne possis quidem velle exsequi. Multò enim plus est non posse velle, quam cum potes velle non posse exsequi. Qui enim non potest velle exsequi, is nec potest etiam exsequi. At tales sunt conditiones fidei & obedientiæ quas Deus proponit reprobis quando eos vocat, quia non possunt juxta te velle credere nec obedire Deo vocanti; imò talis juxta te fuit conditio Adamo proposita post subtractam lucem originariam, quæ deinde reprobis istis qui ex eo nascuntur nunquam redditur. Secundo ais, *Tyrannus est is qui tam iniquas proponit conditiones, ut si tu eas possis exsequi nequeas sine scelere id velle.* Esto. Inde etiam sic contra te infero; Tales conditiones proponit Deus reprobis, ex sententia tua, quas si possent exsequi, nequirent non quidem sine scelere, sed sine peccato exsequi. Qui conditionem fidei ipsis proponit & ab iis exigit, quam conditionem si præstare possent, non præstarent eam nisi crederent verum esse id quod falsum est, quia crederent Deum voluisse sibi remittere peccata, imò actu peccata omnia remisisse, Christum pro se mortuum esse, imo se licet reprobos, tamen esse à Deo electos; quæ omnia si crederent, equidem aperto mendacio crederent.

Atque hactenus quidem, Camero, adserui cum bono Deo argumenta omnia mea ab exceptionibus tuis, non quia id omnino necesse judicavi; non enim recusarim nuda argumenta mea in bilance appendi cum defensione tua; sed quia isto sæculo vivimus in quo adversario, licet iniquissimam causam defendenti, errorem & iniquitatem causæ suæ non ostendere, desperatæ causæ signum creditur. Alioquin sane lubentius occupationibus melioribus atque utilioribus mihi aliisque vacare voluissem. In refutandis enim tam crassis erroribus, à quibus communis hominum sensus abhorret, tempus perdere infructuosum & inglorium est. Si tamen respondendo id apud te effecero ut intelligas quanto in errore verseris, operæpretium me fecisse arbitrabor, nec pœnitebit me, etiamsi sæpe pœnituerit. Sin minus, solabor me bonæ conscientiæ fiducia, quia aliud nihil propositum mihi habui quam ut divinam gloriam adsererem, & tibi aliisque quam potui optimè prodessem.

## CAPUT XVII.

### Adstruitur contra exceptiones Cameronis, fontem erroris ipsius esse verè ac propriè dictæ libertatis negationem.

POtuissem hîc finem fecisse Epistolæ meæ, sed ut amico meo gratificarer, fontem erroris tui aperire atque ostendere ei volui, simulque præcipua (quæ quidem talia mihi esse videbantur) argumenta tua confutata ei transmittere: non quod id aut res aut methodus ita postularet, imprimis in familiari Epistola; sed quia id ita tum animo meo incidebat, aut etiam re nonnihil perpensa consultum videbatur. Sed hîc scomma tuum effugere non potest Epistola. Esto. Ira est ingenium tuum. difficile tibi est, ut video, non μυκτηρίζειν. Pergendum est per salem & sputum tuum, & adferenda veritas.

*Quid sit libertas voluntatis.*

Fontem erroris tui dixeram esse, & est is sine dubio fons ipsissimus, quod libertatem voluntatis in sola spontaneitate aut lubentia, conjuncta cum præcedaneo judicio intellectus, sitam esse velis; atque ita veram libertatem, sine qua virtutis aut vitii, præmii & pœnæ ratio constare non potest, è medio tollas. Veram autem libertatem in eo sitam esse dixeram, quod voluntas, aut potius homo ipse, positis omnibus ad volendum aut agendum requisitis possit tamen velle aut non velle, vel hoc aut illud velle. Potuissem hanc definitionem adstruxisse Scripturis, rationibus, & Patrum (qui vocantur) authoritatibus pæne infinitis; sed quia ex iis quæ disputata erant, satis liquide apparere credebam spontaneitatem aut lubentiam solam non sufficere ad veram istam voluntatis libertatem constituendam, ex qua virtutis & vitii ratio, præmii & pœnæ justitia, promissionum & minarum, admonitionum, hortationum, increpationum æquitas, breviter legis, disciplinæ, & religionis omnis natura æstimanda est, contentus fui veram definitionem tantum adferre. Hanc tu examinas, Camero, hunc in modum.

*Primum* (inquis) *in eo gravissimè es lapsus, quod voluntati nulla à te mentio facta est. Addenda enim fuerat conditio,* DUMMODO VELIT. *Nam si velit homo, & posita sint omnia requisita ad agendum, non potest non agere.*

Credo te dormitasse, Camero, cum hæc scriberes. Nam quomodo voluntas vel actualis volitio potest esse conditio antecedenter requisita ad hoc ut possis velle aut nolle? Potentia volendi constituitur actu volens per volitionem; itaque non potest concurrere cum conditionibus istis quæ prærequiruntur ad hoc ut potentia maneat indifferens ad volendum aut nolendum: manifesta enim sic involveretur repugnantia in terminis. Dices fortasse: non loquor de actuali volitione, sed de actione. Idcirco, inquam, dormitasti, quia de ea non agit Epistola. Et quomodo de ea ageret, cum actio voluntatis liberæ prima sit volitio, imo cum præter volitionem (sub qua nolitionem comprehendo, &c.) nulla voluntatis actio per se aut intrinsecè (ut loquuntur) libera esse possit? Quæcunque enim aliæ actiones liberæ dicuntur, eæ non sunt nisi per denominationem extrinsecam liberæ, quia nimirum à voluntate libera aut per liberam volitionem imperantur. Sed posito etiam quod per actionem Epistola intellexisset actionem externam, quam imperatam vocant, nihilominus tamen inepta foret hæc tua censura, vel te ipso judice. Nam ipsa actualis volitio, cæteris omnibus antecedenter ad libertatem constituendam requisitis juncta, facit ut homo non possit non agere. hæc enim sunt verba tua, *Nam si velit homo, & posita sint omnia requisita ad agendum, non potest non agere.* Unde sic concludo contra te; Libertas in eo est sita, ut voluntas vel homo positis omnibus

bus ad agendum requisitis, & dummodo velit, possit agere vel non agere. In hac definitione acquiescis. Pergo: At si velit, & posita sint requisita omnia ad agendum, non potest non agere. ita tu ipse loqueris. Ergo dummodo velit, non potest conditio esse prærequisita ad hoc ut possit agere vel non agere. Posse enim agere vel non agere, & non posse non agere, sunt contradicentia. At volitio actualis potentiæ juncta facit, juxta te, ut non possis non agere. Itaque simul facere non potest ut possis simul agere & non agere. Magnum profecto hoc σφάλμα tuum est, ne quid gravius dicam. Attamen inquis:

*Libertatem istam non tollo, quæ in eo sita est ut quisque externarum actionum, etiam internarum, quæ quidem à voluntatis imperio pendent, dominus sit.*

At 1. de ista libertate non quæritur. 2. Nec ista vera est libertas, sive dominium voluntatis in actiones externas, ex proprio tuo quod jam ante concessisti fundamento. Voluntas enim non est domina actionum istarum, quia potest illas intrinseca potestate & vi sua exercere aut non exercere. Nihil minus. Nam voluntas semper est ad istum actum quem exercet determinata ab intellectu, sive à judicio rationis, secundum te, quia alioquin ex se esset ἀδιάφορος. Et ratio id postulat. Imperium enim sive dominium hoc voluntatis nihil aliud est quam necessaria volitio, necessario influens in potentiam executricem, & producens in ea actionem. At volitionis suæ domina non est voluntas, juxta te; ergo nec imperii hujus. Ecquis vero dicatur dominus rei istius qua non potest uti aut non uti? Quomodo dominium ei competit in rem, qui non potest non exercere actum illum quem exercet circa rem sibi subditam? Certe hujusmodi dominium est ipsissima servitus; quale est dominium Solis & Planetarum in inferiora, per necessarias quas de se fundunt influentias, & imperium appetitus sensitivi in locomotivam facultatem quæ in bruto est. Solo nomine non re imperium atque dominium. Quare si voluntas non est domina volitionis suæ, sed serva atque mancipium intellectus, sive potius proles ac soboles ipsius; & non est domina facultatum subjectarum, quas tu ab Aristotele δυνάμεις μὴ λόγου contra omnes fere interpretes & rationem omnem vocari vis; nullo certe modo domina est; ac proinde nec κυρίαν τῶν μὴ λόγου δυνάμεων, quod tamen diserte ei tribuit Aristoteles. En ubi consistes, Camero?

At inquis: *Neque enim volumus quia volumus, quemadmodum legimus, scribimus imperio & arbitrio voluntatis.*

Respondeo primo; Imò, uti jam vidimus, si consentanee loqui velis, eòdem modo legimus & scribimus quo volumus. Scribimus enim & legimus impulsi à voluntate, non arbitrio & imperio proprie dicto voluntatis, sed necessariæ volitionis necessaria vi atque efficacia, plane uti volumus à ratione ad volendum determinati. Non minus enim ratio imperium in voluntatem habere dici potest, quam voluntas in subjectas facultates; at utrumque imperium est metaphoricum, & solo nomine imperium, uti diximus. Sed respondeo secundo, falsum esse, Nos non velle aliquando quia volumus. Mirum sane si tu id ipse non aliquando in te ipso sensisti, Camero. Sed rem evinco his rationibus. 1. Si intellectus voluntati duo aut plura objecta omnino & per omnia æqualia repræsentet, adeo ut nullam rationem reperiat cur unum alteri præferendum sit, & unum tantum velis, quid? an non unum istud voles quia voles? Non potes aliter, aut sane suspensum te hærere necesse est. 2. Deum ipsum vide, An non ille fuit Dominus decreti sive volitionis istius qua voluit creare hunc mundum? an dices volitionem hanc divinam ab intellectu divino fuisse determinatam, ut non potuerit non velle hunc mundum creare? Non potes, Camero, id sine magna divinæ libertatis injuria dicere. Nam cum intellectus non possit tendere in objectum nisi sub ratione veri; verum autem aliquid judicari non possit, nisi à parte rei verum sit, sequetur verum fuisse à parte rei, antequam Deus judicaret hunc mundum creandum esse, aut antequam eum creare vellet, mundum hunc & non alium creandum esse; quia Deum judicare hunc mundum esse creandum, nihil aliud est quam Deum judicare hanc propositionem esse veram, Hic mundus præ alio omni mundo creandus est. Atqui hoc ante omnem liberam Dei volitionem, qua statuit hunc mundum creare præ alio omni mundo, fuit falsum, quia alioquin non potuisset Deus non creare mundum, aut hoc relicto alium creare. Quare quod hunc mundum creare Deus voluit, idcirco voluit, quia voluit libere, sequendo rationem illam quæ creationem suadebat, cum posset eam velle non sequi. 3. Nolumus sæpe quia nolumus. In negligentia & inadvertentia res patet. Negligimus sæpe rem pure pute, quia negligimus; non advertimus sæpe animum, quia non advertimus animum: nullam sæpe causam habentes quæ nos moveat, nisi liberam nostræ voluntatis remissionem. unde & admirabundi sæpe indignamur nobis ipsis ob negligentiam & inadvertentiam nostram. Negligentia autem & inadvertentia species quædam nolitionis sunt. His adde 4. experientiam, qua sentimus sæpe in nobis ipsis nos velle quædam aut nolle absque ulla causa & ratione. Hinc ille,

*Non amo te, Volusi, nec possum dicere quare:*
*Hoc tantum possum dicere, non amo te,*

Quæ contra hæc à te objiciuntur Clarissimo viro D. Tileno, collat. pag. 174. ea certe mera sunt sophismata, quæ majori jure in te ipsum retorqueri possunt. Dicis enim, *nihil magis ridiculum esse quàm si dicatur hominem velle quia vult. Nam* (inquis) *quæramus jam cur velit hoc velle quod vult? Nunquid respondebitur, hominem quod vult, ita velle quia voluit id velle? sic verò dabitur progressus in infinitum,* Quasi verò qui hoc quærit, & porro in infinitum, non semper idem istud quærat quod quæsivit semel, ac proinde qui respondet in infinitum, non semper respondeat idem quod semel respondit? Quæritur enim ratio ejus cujus ratio dari non potest, & cujus rationem dari non posse indicat qui ita respondet. Id ut videas ita esse, en tuopte hoc argumenro te urgeo, hunc in modum. Si homo vult id quod vult quia intellectus ipsius dictavit id ipsi volendum esse, quæram cur hoc intellectus ipsius dictavit? Nunquid respondebis intellectum ipsius ita judicasse, quia intellectus ipsius ut ita judicaret judicavit? sic vero dabitur progressus in infinitum. Quæram enim, cur judicavit intellectus ipsius hoc ita judicare quod judicavit? & sic porro in infinitum. Quid hic dices, Camero? An ad Deum devenies? at de intellectu divino quæram idem. ubi subsistes? Et, si non velim id quærere de ipso intellectu divino, dicam te omne id quod vult homo, sive bonum sive malum, ad Deum referre tanquam primum fontem, unde judicium hominis malum & bonum profluere dixeris. En ut tuo temet ipse sophismate jugules.

Sed pergis: *Deinde in eo gravissime errasti, quod fieri posse putas ut quolibet antecedente judicio mentis, homo possit velle aliter velle, vel suspendere actum voluntatis suæ.* Et hic iterum liceat mihi pace tua id tibi dicere; Dormitasti, ne quid gravius dicam.

Ego id fieri posse nec putavi nec dixi. Nihil minus. Tantum dixi, quando homini non tribuitur ista facultas, ut posito quocunque judicio antecedente in intellectu possit tamen aut aliter velle aut simpliciter non velle, tum veram libertatem ei tribui non posse. Hoc autem quis non videt longe diversissimum esse ab eo quod tu me dixisse & putare vis? Sane si id putarem aut dixissem, quod tu me dixisse ais, dixissem id quod aperte falsum esse semper dixi; videlicet posito in mente hominis judicio de summo bono, hominem non necessario sed libere bonum illud summum velle. Nihil sane alienius à mente mea est, & à verbis quæ in Epistola sunt, quorum hic sensus manifestissimus est. Pone quodcunque volueris antecedens judicium in intellectu hominis, nisi tale judicium posueris, ut eo posito vel non obstante, homo tamen possit vel nolle, vel aliter velle quam intellectus judicat, libertatem homini veram non relinquis. Atque hoc alterum tuum nec minus grave σφάλμα est, quod indico tantum, ut videas, Camero, quam negligenter aliquando disputes. Quæcunque igitur hic quæris de antecedente judicio intellectus quo bonum summum æstimat, an eo posito in intellectu voluntas sibi possit temperare quin id appetat, ea sunt aliena, & à janua rei abeunt, quia perperam intellexisti mentem meam.

*Voluntatem non appetere libere summum bonum.*

Nunc tantum tribus verbis hic repetam quod ante non semel dixi, adeo verum esse voluntatem hominis non determinari à judicio mentis practico, ut ne quidem ad amandum ipsum summum bonum à judicio isto practico determinetur. Etsi enim voluntas non possit non amare summum bonum, quod judicio practico ipsi repræsentatur, tamen judicium istud practicum non efficit vi sua, quatenus judicium est, amorem istum in voluntate; sed ipsius summi boni, quod judicio repræsentatur, pulchritudo vi sua facit ut voluntas istam non possit non amare, quia totam voluntatis capacitatem naturaliem replet. Itaque posito, per impossibile, si ita velis, quod intellectus sine ullo judicio, nedum judicio practico, nude illud tantum repræsentaret voluntati quale est, non minus necessario ferretur in illud voluntas. quam si cum isto judicio practico repræsentetur. Judicium enim practicum, eo ipso quod judicium verum est, non potest aliter movere, quam objecti ipsius natura patitur: nam alioquin verum judicium non esset, id est non esset judicium conveniens cum natura rei, & sic ut verum judicium non moveret. Itaque si movet, non movet vi sua, sed vi objecti quod repræsentat, & quod à se apprehensum, quale est offert amandum voluntati. Quia vero summum bonum tale est ut voluntas illud non possit odisse, imo non possit illud non amare, quia nulla in eo ratio mali est aut esse potest,

hinc

*Discrimen fidei & scientiæ.*

hinc est quod voluntas istud à judicio propositum non amet vi judicii, sed propter ipsius boni judicati propriam pulchritudinem & bonitatem. Unde deinde efficitur consequenter, si objectum istud, summum scilicet bonum, non clare cum sua pulchritudine, nec directe objiciatur voluntati, sed mediante aliquo actu judicii, puta ut credibile aut ut credendum proponatur, fieri posse ut non ametur, aut si hodie ametur, cras mutato judicii actu non ametur amplius. Rei enim credibilis motio debilior est quam rei visæ scitæque, nisi accesserit voluntatis imperium, quod hominem rei credibili & creditæ firmiter adhærere jubet. Hoc ipsum tamen imperium voluntatis quia variare potest multis de causis, hinc est quod fides firma atque immobilis non sit ut est scientia. Scientia, qua scientia certa est, nullomodo dependet à voluntate. At fides, qua confidentia firma est, dependet aliquatenus à voluntate. Hinc qui semel scit rem, semper scit eam; Qui autem hodie credit, fieri potest ut cras non credat, aut aliud quid credendo ita afficiatur, ut id quod semel firmiter credidit, firmiter credere desinat, ac tandem plane credere desinat. Ita fiunt socordes, profani, irreligiosi, athei denique qui antea religionis non studio tantum sed & zelo ducebantur; uti Scriptura pæne ubique & experientia quotidie, pro dolor! satis ostendunt.

Exaggerandi causa addideram in Epistola hæc verba: Si libertas nihil aliud est quam spontaneitas & lubentia, cum præeunte judicio; itaque summe necessaria, cum scientia agentia, summè libera erunt, & actiones summe necessario factæ cum scientia, summe liberæ erunt. Hoc autem absurdum adeo esse dixeram, ut absurdius nihil cogitari possit. Non quod hac in re speciale argumentum constituerem: (quis enim nescit eum qui asserit necessarium idem posse esse ac liberum, asserturum etiam idem summe necessarium & summe liberum esse posse?) sed quia ἀυτόπτους non raro illustrant absurditatem aliquem, quæ antea non ita clare apparebat. Ego hic itaque jam etiam stabo, nec pluribus examinabo, an necessario agere idem sit quod constanter agere. Jam enim ante satis hac de re actum est, & ostensum aliud esse constanter aliud necessario agere. Qui necessariò agit, is constanter quidem agit: at non qui constanter agit, idem agit necessariò. Concludam itaque, fontem erroris tui rectè fuisse indicatum in Epistola, Bernardi dicto de Gratia & Libero arbitrio. *Et ratio*, inquit, *data est voluntati ut instruat illam: destrueret autem si necessitatem ullam imponeret quominus pro arbitrio suo se volveret*: Et, *Multa facit voluntas per rationem contra rationem, hoc est quasi per ejus ministerium contra ejus consilium.* Item, *Est vero quam magn congruere voluntati arbitror libertatem, quam dicere possumus à necessitate, eò quod necessarium voluntario contrarium esse videatur: siquidem quod ex necessitate fit, non jam ex voluntate, & è converso similiter.*

Sequuntur jam exceptiones tuæ ad ea quæ attuli in Epistola pro solutione trium aut quatuor argumentorum tuorum, quæ quidem mihi præcipua tua argumenta esse videbantur. Scripseram enim amico meo me idcirco cætera prolixius non examinaturum, ne actum agerem, quia peculiarem tractatum de Liberi arbitrii natura eum in finem conscripseram, & ne ipse mihi moram injicerem, qui jam tantum non accinctus eram itineri quod animo meo susceperam. Hîc tu pro more tuo Satyram tuam acuis, & sale ac sputo tuo maceras tam innoxiam apud amicum excusationem. *Cur nobis invides*, inquis, *tractatum de Libero arbitrio tuum? Cur premis si adeo doctus es ut docere te nemo possit? At certe doce nos quæso.* Mirum, Camero, ni tibi ipsi & ingenio tuo faceto simul ac salso hîc applauseris. Ego-ne te doceam, Camero? Nimis tibi places quam ut discipulus meus & trivialis fias. Ad solum nomen istud offenderis. quid faceres si inter cathedras discentium plorandum tibi sæpe foret ob inscitiam tuam? Si ego me adeo doctum esse crederem ut me nemo docere posset, non premerem quæ scripsi, ut ille ait, nonum usque in annum & ultra. Juvat me, Camero, limæ labor & mora, &, quod poëta de carmine dixit, reprehendo

*quem non*
*Multa dies & multa litura coercuit, atque*
*Perfectum decies non castigavit ad unguem.*

Canis festinans cæcos parit catulos. Scribo mihi, scribo amicis quæ utilia esse existimo: sed non parturit statim animus meus, neque adeo turget tumetque,

*Ut quodcunque semel chartis illeverit, omnes*
*Gestiat à furno redeuntes scire lacuque*
*Et pueros & anus.* Rectè ait idem poëta:
*Sæpe stylum vertas, iterum quæ digna legi sint*
*Scripturus, neque te ut miretur turba labores,*
*Contentus paucis lectoribus.*

Id si tibi placuisset, Camero, non adeo calide præcipitasses *Defensionem* tuam, & jam adhuc manus tua

*Sæpe caput scaberet vivosque arroderet ungues.*

Et jam me exemplo tuo peccare facis, ut quem ursi instar lambendo formare paulatim cuperem, præcipitare fœtum pæne cogar, ne videatur bona causa laborare, & mora sola præjudicium faciat veritati. Ita enim nunc sunt mores hominum. Confutatum pæne creditur ad quod è vestigio respondetur, & ipsa responsionis celeritas bonæ causæ argumentum creditur. Differre paulo longius responsum diffidere causæ est, & retrocedere tanquam si manus dedisses victus triumphatusque. hoc sæculo vivimus. aliter hæc sacra non constant. Quare pergamus & properemus ad rem. Tractatum de Libero arbitrio meum post aliquando forte videbis. Hæc nostra disputatio serviet spero præparando animo tuo ut idoneus ejus lector fias.

*Utrum intellectus & voluntas realiter tumà se invicem tum ab anima differant.*

Primum autem censura tua notas quæ solutionibus argumentorum tuorum facilius percipiendis prænonenda putaveram; quorum primum hoc est: Me liberam determinationem tribuere non voluntati, tanquam potentiæ realiter distinctæ ab intellectu & ab anima ipsa, sed quatenus aliud nihil quam hominem sive animam immediate volentem significat. Nempe statuo hominem sive animam potentiis nullis, quæ realiter ab ipsa & inter se sint distinctæ, uti aut opus habere, sed immediate judicare & immediate velle.

*Hoc primum* (inquis) *est ἐξαγόνιον. & nihil facit ad rem. Nam quis unquam nisi mentis inops, voluntatem existimavit aliud esse quam facultatem quandam animæ, qua (tanquam principio ut loquuntur QUO) homo vult & appetit quod mentis judicio bonum & appetendum judicavit? Nil erat opus ut nos id moneres.*

Imo vero, Camero, hoc ipsum est quod ego jam iterum te monere opus habeo. Monitus enim non percepisti adhuc quid vellem. Voluntatem esse animæ facultatem, sive principium ut loquuntur *Quo*, nego. Id si neminem nisi mentis inopem negare existimas, sane mancipium paucæ lectionis es. Forte neminem id intra parietes scholæ tuæ negantem audivisti. Sed scias velim fuisse olim hodieque esse non paucos, eosque non infimi subsellii, Philosophos ac Theologos qui id mecum negant. Atque hoc quidem opus omnino fuit ut te monerem, Camero. Interest enim magnopere ut hoc recte intelligas, ut in sequentibus manifestum fiet.

Alterum quod præmonueram est; Me agnoscere hominem, si rationabiliter velit eligere, semper secuturum practicum rationis judicium, & ita fere plerumque agere. Eundem tamen hominem, eo ipso quia liber est, eligere etiam posse quodcunque aliud bonum, vel omnino ab eligendo supersedere, & quidem motu vel prorsus irrationali & bruto, vel tyrannico, absque omni judicio discretivo.

*Quid discrimen sit inter velle & eligere.*

In hoc primum offendit illa locutio, *Si velit eligere*. At nisi verba captares, & à communi omnium hominum locutione adhorreres, locutio sane ista te nihil offenderet. Quæ enim in universa vita humana & in omnibus prisci & hujus ævi Scriptoribus familiarior locutio occurrit, quam hæc, volo hoc eligere, non illud? Sed rationem addis, *Nam* (inquis) *vel electio præcedit ipsam voluntatem, vel est ipsum velle. Si prius, dicendum erat, si elegerit velle, quod tamen non nisi improprie dici potest; Si posterius, si velit eligere, nihil aliud fuerit quam si velit velle, quod æque vel magn ridiculum est.* Merum sophisma hoc est, quod sic detego. Electio, inquis, vel præcedit ipsam voluntatem, vel est ipsum velle. Explicatione hoc eget. Velle enim vel est ipsum velle simpliciter, vel velle cum certo modo. Qui eligit sive præeligit (hæc duo enim hoc loco unum idemque significant) is non vult simpliciter rem, neque præcisè tantum vult, hoc non autem illud, sed proprie vult hoc præ alio omni, sive vult magis hoc quam illud; præcisè (inquam) loquendo uti in disputatione fieri debet, etiamsi in communi usu non raro accipi soleat pro velle hoc non illud. Velle itaque eligere, & eligere seu velle, reipsa sunt unum idemque; sed eligere plus aliquid dicit quam velle simpliciter. hinc τὸ velle conjungitur cum eligere; ita ut velle eligere, sit velle præferre hanc rem, hoc medium alteri, prout ipsa vocis etymologia postulat. Ita enim diserte Aristoteles, lib. 3. Ethic. cap. 4. ἡ γὰρ προαίρεσις μετὰ λόγου καὶ διανοίας. ὑποσημαίνουσι δ' ἴσως τὸ ὄνομα, ὡς ὃν πρὸ ἑτέρων αἱρετόν. & prolixius lib. 1. Mag. Moral. capite 18. Διὸ καὶ ἡ προαίρεσις δοκεῖ ἔτνος ἔχειν ὅστις ἔχει τὸ τέλους αὐτῆς ἔχειν, οἷον προαιρεῖται μὲν τοῦδε οὗτοῦ, οἷον τὸ βιῶναι (medium scilicet) ἀντὶ τοῦ χαίρειν (medio scilicet: additur enim) τὸ ἀληθῆ ὄντα. Sed tu electionem merum actum mentis esse vis, nullo modo actum voluntatis, nec elicitum, nec imperatum, contra omnem rationem & morem loquendi Veteribus & Novis Scriptoribus usitatum, contraque expressam authoritatem Aristotelis tui, à quo tamen vel latum unguem discedere religio tibi pæne videtur, qui eodem capite Magnorum Moralium ita diserte loquitur: ἔστι δὲ ἡ προαίρεσις τὸ τῶν πραπτῶν τῶν ἐν οἷς ἐφ' ἡμῖν ἐστι, καὶ πρᾶξαι μὲν πρᾶξαι, τὸ δὲ μὴ μή, τὸ αὐτὸν ἡ μὴ αὐτόν, τὸ εὖ οἷς ἐστι λαβεῖν τὰ ἀληθῆ. Quid apertius? Hanc ob causam προαίρεσιν etiam definit ὄρεξιν βουλευτικὴ μετὰ διανοίας.

Quis

Quis autem intellectui appetitum voluntarium tribuat cum ratione?

*De ordine inter actiones intellectus & voluntatis.*

Deinde quæris, Camero, *Quid est illud si rationabiliter velit eligere? Num illud, si velit obsequi menti rectè præscribenti & jubenti?*

Non præcisè hoc, Camero, sed si velit rationem adhibere in consilium, priusquam aliquid præcisè aut amet aut oderit, priusquam hoc aut illud vitæ genus eligat. Hoc autem pacto plerumque fere hominem agere idcirco dixi, quia nemo fere mortalium est qui non ratione aliqua adductus videri vult in omni eo quod agit & suscipit, etiamsi non pauci sæpe bruto potius impetu, aut stupido quodam neglectu, aut levi quadam mentis agitatione, quàm certo consilio aut judicio deliberato ferantur. Ut res intelligatur explico me, prout ante ex parte feci. Privilegium quod homo supra animantia cætera habet à Deo, est quod liber sit, id est quod dominus sit volitionis suæ, & actionum cæterarum quæ imperio voluntatis & potentiæ ipsius subjacent. Liber enim est is qui rei suæ & actionum suarum dominus est. Res autem voluntatis, sive animæ volendi vi præditæ, prima atque præcipua est volitio & nolitio. Cæteræ actiones ex illis dependent. Cum dico hominem esse dominum suæ volitionis, non volo hominem propterea licitè posse velle quicquid vult. Nullo modo. Nam idcirco eum etiam posse peccare volo, seu velle id quod non debet velle. Nec volo hominem facere posse id omne quod vult. Absit. Non rarò & facere quæ nolit, & non facere quæ velit cogitur. Aliud est facere quod vis, aliud velle facere. Illud sæpe non est in potestate hominis, & ut ne sit semper in potestate hominis, supremi Domini Dei interest. Hoc semper manet in voluntate ejus, nisi vel ipse homo destruatur, vel actione aliqua fortiore aut nobiliore impediatur cum qua libertatem consistere impossibile est; quod utrumque semper in potestate Dei esse nemo pius facile negaverit. Cæterum ne liberi hujus dominii usus vagus, indifferens, indiscretus & desultorius esset, voluit Deus eidem homini vim ratiocinandi dare, qua tanquam clavo dirigere posset voluntatis suæ motum, eamque ipsam directionem in potestate hominis esse voluit. Ratio hæc in anima ad dirigendum motum animæ, idem est quod in corpore oculus ad dirigendum motum corporis, & quod bilanx in manu hominis ut ea diligenter examinet & perpendat cujusque rei pretium & pondus, id est rei cujusque bonitatem, utilitatem, honestatem, commoditatem, turpitudinem, facilitatem, &c. priusquam statuat apud se, hanc rem volo. Jam dico, Si homo velit rationabiliter agere, id est si homo in omni eo quod vult, rationem tanquam consiliarium suum ante omnia consulere velit, (quod dico hominem naturaliter scire faciendum sibi esse & fieri à se posse) tum quidem certum est voluntatem ejus semper secuturam rationis judicium, non quidem vi istius judicii impulsam, sed ex hypothesi volitionis istius qua homo judicium vel rationem sibi à Deo datam sequi vult, & non abuti vaga libertate sua, prout posset si vellet. Hic enim est apex humanæ libertatis, quod homo animal rationale conditum à Deo, possit velle sine ratione agere, id est hominem exuere & ad instar bruti atque irrationalis animalis ferri. Hoc vero etiamsi non raro fiat, tamen contrarium fit plerumque. Fere enim rationem aliquam honesti, utilis, jucundi, facilis, difficilis, commodi, incommodi, possibilis, impossibilis, &c. prætendere solet homo studiis, conatibus, atque actionibus suis. Non quod justum semper ac debitum examen instituat, antequam agere aliquid aut velle præcisè incipit. Nihil minus. Sed quod rationem ita in totum non exuat, quin in eo quod vult aut suscipit rationem aliquam habuisse videri velit. Quare quod dicis, *Cur plerumque id fiat, nulla ratio reddi potest, quæ non efficiat eadem ut semper fiat,* id omnino vanum est. Ratio enim cur plerumque id fiat, ex antedictis & rei natura per se liquet; quia scilicet ipsa ratiocinandi vis intime cognata est homini, adeo ut eam omnino exuere non possit, nisi sibi ipsi pæne vim inferat, plane uti oculos effodere sibi ipsi, aut oculorum lumine uti nolle, vix potest cum ambulandum ipsi est, nisi vim & tyrannidem in seipsum quasi exerceat. Fit tamen id aliquando, uti in Philosopho isto factum legimus, qui sibi oculos eruebat ut melius philosopharetur, & à Sceptico isto cujus Diogenes Laertius meminit, qui sibi persuaserat contra omnem veri speciem nihil esse tale quale videtur atque apparet, ac proinde montes, valles, concava, convexa, alta, depressa nulla dari, sed omnia esse plana. Hic enim per montes, valles cæci instar ibat, tanquam si oculi ipsi dati non fuissent nisi ut fallerentur. Idem hic usu venit. Manifesta ratio est cur homo plerumque sequatur rationem aliquam in eo quod eligit, & interim non minus manifesta ratio est cur eam semper non sequatur, etiam quando mentis suæ compos est, id est cum non omnino est ἄφρων; quia nimirum dominus est volitionis suæ, ac proinde velle, non velle, agere, non agere potest, sine ratione, sine justo rationis usu, contra rationem, suamque adeo ipsius conscientiam. Tu hæc negas.

*Nam qui irascuntur, etiam mentis judicium sequuntur, quamvis obtenebratæ, alioquin non peccaturi magis quam belluæ & phrenetici & furiosi.*

An qui irascuntur semper sequantur judicium mentis, ac non sæpe sensus sui instar brutorum animalium, nolo jam expendere. Jam tantum respondeo, neutiquam verum esse quod hic à te dicitur. Ratio enim cur qui irascitur magis peccet quam bellua, non est hæc, quia ille mentis judicium sequitur qua bellua caret. Nam alioquin nemo qui judicium mentis sequitur, si faciat id quod rectum non est, excusari posset à peccato, imo nulla ignorantia, ne facti quidem, excusaret à peccato, quod qui ex ignorantia aliquid facit, is semper tamen cum ratione facit quod facit, non autem ut bellua, nec ut phreneticus aut furiosus. Peccaret itaque non minus qui ex ignorantia hominem occidit credens feram esse, quam qui dedita opera hominem interficit; uterque enim cum ratione agit; quod est jus & tribunal omne divinum atque humanum funditus eversum ire. Et certe Aristoteles tuus te docere poterat id aperte falsum esse. Ille enim, ut supra dixi, diserte distinguit inter eum qui ignorans aliquid facit, & inter eum qui facit aliquid per ignorantiam. In isto genere collocat ebrium, iratum & pravos omnes homines, quos ἀγνοοῦντας facere dicit quod faciunt, præeunte licet mentis judicio, & peccare idcirco quia in ipsis ἡ οὐ τῷ ἀγνοεῖσθαι ἀγνοια αἰτία ἐστὶ τῆ μοχθηρίας; sed negat facere δι' ἄγνοιαν, per ignorantiam, οὐ γὰρ τοιοῦτος γάρ, inquit, ὁ ἁλοὺς τῷ συγγνώμης locum habet. Iratus ergo & ebrius, etiamsi quod ad externam actionem à bellua, furioso & phrenetico nihil differant, imo sæpe sine ulla ratione & judicio, solo affectuum & sensuum suorum impetu rapiantur, idcirco tamen peccare censentur, non quia ratione præditi homines sunt, sed quia per ipsos stetit quominus recto rationis usu carerent & turpia atque inhonesta facerent. Διὰ τὸ πάντων ἁμαρτίαν ἄδηλοι, ὃ ὅλως κακοῦ γίνεσθαι, inquit Aristoteles.

*Eorum verò motus qui contra certam rationem pugnant, ideo tyrannicus dicendus quia non sequitur legem.*

*Quinam motus voluntatis sint tyrannici.*

Cur tyrannicus, Camero? Ad summum dicendus foret motus vitiosus, idcirco quia legem non sequitur. Peccatum enim propriè est transgressio legis. Tyrannis amplius aliquid dicit, & notat vitiositatis enormitatem, sive gradum in peccato pæne summum. Et cum peccatum primum tibi sit error, qui contra rectam rationem pugnat & legem non sequitur, sane error vel minimus tyrannis tibi erit, & quicunque errat, ejus motus, tyrannicus motus tibi dicendus erit, quia non sequitur legem. Deinde, *Non sequitur legem,* inquis. At quæro, quam legem, Camero? an eam quam ii in quibus motus iste est possunt ac debent sequi? hoc non dices, sat scio. An quam aliquando in Adamo potuerunt ac debuerunt sequi? Nec hoc potes dicere, ut ex antedictis liquet. Sed esto, dixeris hoc. An itaque legem cujus præstandæ potentia ab eo qui legem ipsis dat per justam punitionem privati fuerunt, antequam nascerentur, aut in rerum natura essent? At sic per ipsum legislatorem impotentes fuissent redditi ad sequendum legem & rectam rationem. Quomodo itaque motus eorum dicendus tyrannicus? Sed

*Non est ideo tyrannicus appellandus, quasi vim ullam inferat menti.*

At quid per *inferre vim menti* hîc intelligis? An mentem cogere ut judicet verum esse falsum, unum & duo non facere tria, sed quinque; aut ut apprehendat rem aliter quam res est aut apparet? at quis illud fieri posse vel somniaverit? Tantum abest ut homo ejusmodi vim possit inferre menti, ut contra mens sæpe invito homine judicet verum esse quod ipse falsum esse cuperet, & falsum esse id quod ipse cuperet verum esse. Non itaque hoc sensu motum voluntatis tyrannicum vocari; sed hoc sensu, quia homo cum possit ac debeat rationem in consilium adhibere, & serio ac cum judicio deliberare antequam quippiam præcisè velit aut agat, proprio suo libero motu sine ratione, contra rationem fertur quo vult, tyranni instar, cujus hæc est vox,

*Sic volo sic jubeo, sit pro ratione voluntas.*

Itaque quod dicis, *Nisi mens vel feriaretur, vel laxaret affectibus habenas, recta ratio haud dubiè obtineret, non de jure modo sed re & facto imperium:* id nec rectè à te dicitur, nec verum est. Recte non dicitur, quia mentem feriari & laxare affectibus habenas, nihil aliud est quam rationem rectam imperium non habere. Sensus itaque orationis tuæ foret, Nisi recta ratio desineret habere imperium, recta ratio re & facto haberet imperium. Deinde mens non potest recte dici feriari

*Aut recte dicatur, mens aliquando feriari & affectibus habenas laxare.*

vel

vel laxare affectibus habenas. Si enim feriaretur mens, à quo actu feriaretur? an à judicando & apprehendendo objecto vero? at apprehendendo objectum falsum non magis feriatur, quam antea feriabatur apprehendendo objectum verum. Quis autem recte dicat feriari mentem ab apprehendendo objecto, cum non minus occupatur in apprehensione objecti contrarii, quam in alterius apprehensione antea occupabatur? & cum non apprehendit alterum objectum ut ferietur, sed quia non potest illud apprehendere, quippe sibi non occurrens, apprehensura illud statim, si modo occurreret, sine ulla feriatione interim occupata in objecto contrario. Si mens semper eodem modo agit, & eadem apprehensionis ac judicii vi utitur, & quidem æque intensa, nullo modo dependens in exercitio actus sui ab imperio voluntatis laxante aut adducente habenas, sive veritas eam teneat sive error, certe inepte & non sine ingente πολυχρονίᾳ feriari dicitur tibi mens & laxare affectibus habenas. Sed nec verum est quod dicis. Non rarò enim mens occupatissima est, nihilque minus quàm feriatur aut affectibus habenas laxat, quia veritate imbuta & de veritate convicta ac persuasa, voluntati repræsentare non definit id quod rectum est & quod fieri decet, ut tamen ratio imperium re & facto in affectus non habeat. Exemplum incontinentis, quod Aristoteles diserte eum in finem adferre solet, fidem huic rei facit; sed ego ista authoritate te non convincam. Unicum *cap.* VII. *ad Rom.* instar plurimorum argumentorum esse potest; Ibi enim Apostolus diserte sibi, id est menti suæ tribuit hæc sequentia; *σύμφημι τῷ νόμῳ ὅτι καλός, versu* 16. *συνήδομαι τῷ νόμῳ τοῦ Θεοῦ κ. τ. ἑτέραν ἄνθρωπον, versu* 22. & *βλέπω ἕτερον νόμον ἐν τοῖς μέλεσί μου, ἀντιστρατευόμενον τῷ νόμῳ τοῦ νοός μου, versu* 23. *δουλεύω τῷ νοΐ μου νόμῳ Θεοῦ, versu ultimo* imo *θέλω τὸ ἀγαθὸν, versu* 15. *τὸ γὰρ θέλειν παράκειταί μοι, vers.* 18. Hæc, inquam, omnia tribuit sibi Apostolus in terminis, secundum *τὸν νοῦν*, id est secundum mentem suam. Non feriabatur itaque mens ipsius, neque laxabat habenas affectibus, imò pugnabat contra affectus *ἀντιστρατεύοντας* ipsi, & tamen ratio sive mens non obtinebat re & facto imperium; quia diserte inquit *versu* 18, *τὸ δὲ κατεργάζεσθαι τὸ καλὸν οὐχ ὑπάρχω.* imo *versu* 19, *οὐ θέλω κακὸν τοῦτο πράσσω*, imo sentio legem rebellantem legi mentis meæ, *αἰχμαλωτίζοντά με τῷ νόμῳ τῆς ἁμαρτίας, versu* 23. adeo quidem ut sim *πεπραμένος ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν, versu* 14. Quæ omnia quomodo non directe pugnant cum eo quod tu asseris? Idem evincit locus ad *Hebr.* X. 26. ubi dicitur *hostiam nullam reliquam esse pro iis qui peccant post acceptam cognitionem veritatis*, *ἑκουσίως*, id est *αὐθαιρέτως*, dedita opera & studio, & sive ultro, ut Beza transtulit, adeoque sine causa aut causæ specie, uti idem exposuit vocem istam. Idem dicit clare *Jacobus cap.* IV. *versu ult. Qui novit facere bonum, &* (tamen) *id non facit, hic peccato tenetur.* Sed hac de re jam ante egimus, & postea nonnihil adhuc agendum erit.

*Summum bonum sub electionem liberam non cadit, nec Deus id dat nobis clare cognoscendum in hac vita.*

Quia vero his omnibus opponi poterat summum bonum clare à mente cognitum non posse respui ab homine; exceptione illud præoccupatum volui in Epistola: Specialem esse rationem summi boni: hoc enim sub electionem liberam non cadere: sed nec ad illud volendum determinari hominem vi judicii practici, verum boni ipsius perfectissima pulchritudine capacitati appetitus ipsius commensurata: Et istam pulchritudinem amari à voluntate, non quatenus libera est & principium electionis, sed quatenus natura est appetens id quod sibi summè conveniens est. Hic tu,

*At, ô bone, de appetitu summi boni præcipua & fere tota est controversia.*

Graviter erras, Camero, si id credis inter nos controverti, ne dicam id præcipue controverti. Si hac de re controversia esset, non diu inter me & te penderet lis. Aliud longe est de quo quæritur. Non quæritur, an bonum summum clarè cognitum ametur necessario; sed an modus quo Deus nos ad amandum id quod summum bonum est excitare vult, sit talis illuminatio mentis, qua id quod bonum summum est adeo clare cognoscendum & videndum nobis datur, ut non possimus non credere id esse bonum summum, ut non possimus non illud amare & pro eo consequendo facere id quod faciendum nobis præscribitur. Hæc est ipsissima quæstio quæ inter nos ventilatur. Ego dico, Deum isto modo non dare nobis cognoscendum bonum summum quando nos vocat, & quidem hoc argumento; quia si isto modo nobis illud daret cognoscendum, non posset simul etiam nobis jubere sub præmii promisso & comminatione pœnæ ut credamus illud bonum summum esse, & ut bonum illud amemus. At Deus jubet ita nobis credere. Ergo, &c. Ratio consequentiæ est; Quia bonum summum clare cognitum non potest non amari. quod autem non potest non amari, illud non sapienter sane sub promisso præmii & comminatione pœnæ præscribitur amandum. Tuum, Camero, est probare contrarium, videlicet non obstante ista ratione mea, nihilominus tamen ex Scripturis liquere cognitionem summi boni talem qualem dicis nobis per Euangelium dari, & simul etiam nobis sub promisso præmii præscribi ut bonum ita cognitum amemus. Id nunquam fecisti hactenus.

Loca duo quæ hîc allegas videntur eum in finem allata, sed conjectura opus est ut intelligatur quomodo ea propositio tuo servire velis, aut ex quibus verbis vim argumenti tui petas. Nam locum primum quod attinet *Joan.* IV. 10, *Si scires donum Dei & quis est qui tibi dicit da mihi potum, tu petiisses ab eo & dedisset tibi aquam vivam*; apparet manifeste satis in verbis illis, *si scires donum Dei*, non agere de scientia illa Jesu Christi, qua salutaris ipsius doctrina clare cognoscitur & fide certa recipitur, sed de scientia personæ Jesu Christi, qua ille cognoscitur esse Messias, sive Propheta & Rex populo promissus. Nam alioquin statuendum foret Christum dixisse, Mulierem istam si claram cognitionem doctrinæ Jesu Christi jam habuisset, petituram adhuc fuisse à Christo claram cognitionem, & Christum mulieri petenti ac jam habenti veram cognitionem, daturum fuisse cognitionem eandem illam, quam jam ipsa habebat; quæ sane per se sunt absurdissima. At forte vim argumenti tui collocas in verbis, *Dedisset tibi aquam vivam.* At per aquam vivam intelligi cognitionem ejusmodi claram uti loqueris, & per *τὸ dare* intelligi cognitionem istam efficaciter imprimere menti, quomodo probares Camero? Imo quomodo hæc tu intelligi per phrasin istam credere potes, qui negas fieri posse aut fieri necesse esse, ut ante acceptam illam cognitionem boni summi desideretur & petatur à Christo, nedum ut petatur tali desiderio & petitione ad quam sequetur infallibiliter datio cognitionis? Denique apparet satis ex textu, per *aquam* istam *vivam* intelligi doctrinam ipsam cælestem Jesu Christi, veræ vitæ, id est immortalis, æternæ & glorioſæ vitæ promissione sancitam à Deo vivo, Patre omnis vitæ, gloriæ ac fælicitatis. Per *dare* autem aquam istam, significari doctrinam istam docere, revelare, & hauriendam quasi dare; uti ex eo apparet, quod bibere ex aqua ista, significet doctrinam illam fide recipere, tanquam doctrinam in qua nihil desideratur, quod ad explendum animum nostrum vera spe, & vero ac durabili gaudio pertinere possit. Cum autem Christus jubeat nos credere, inde satis certo colligitur, jubere ut bibamus ex aqua ista. Per *dare* itaque intelligi non potest modus talis illuminationis qualem tu statuis, Camero; quia cum eo mandatum tale componi impossibile est. Hoc autem ipsum ita à muliere etiam intellectum esse apparet ex eo, quia ipsa postea dicit *versu* 25, *Scio Messiam venturum, qui dicitur Christus; quum venerit, ille nobis annuntiabit omnia.* Inde colligitur, si sciviſſet Christum esse Messiam illum promissum, petiisset sane ab eo annunciationem bonorum istorum omnium, quæ Messiam populo allaturum credebat. Et hic sane est ipsissimus textus hujus sensus. *Locus Joan. IV. 10.*

Alter quem citas locus est *Joan.* XVII. 3. *Hæc est vita æterna, ut te cognoscant solum illum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* At quid vel quomodo locus hic pro te faciat non dices. Cognitionem Dei & Jesu Christi vitam æternam dici, quia medium est ad vitam æternam perveniendi, mecum sine dubio agnoscis; sed qualis cognitio ista sit, aut quomodo ea efficiatur, id non exprimitur isto in loco. Unde ex loco isto solide concludi nihil à te posse satis apparet. Speculativam solam cognitionem notari non dices, sat scio. Practicam itaque intelligi dices. At illa est fides vera, quæ nobis præscribitur à Deo, & quæ cum obedientia & bonis operibus conjuncta esse debet, ut nos servet, uti est *Jacob.* II. 14. *Gal.* V. 6. quæ nunc appellatur simpliciter *γνῶσις*, nunc *ἐπίγνωσις*, nunc *ὁμολογία*, nunc *πίστις ἐν Χριστῷ τοῦ Θεοῦ*, nunc *ἀγάπη τοῦ Θεοῦ*; quia omnia hæc ad fidem illam qua ad æternam vitam certo pervenitur necessaria sunt; unde per synecdochen partis pro toto, Hebræis imprimis familiarem, nunc hac nunc illa voce tota fides denotatur. Quare ex eo quod fides hæc cognitio simpliciter appellatur, plus colligere tibi non licet, quam cognitionem ad vitam æternam consequendam necessariam esse, quod non nego. At cognitionem esse id cum quo vita æterna necessariò connexa est, id quidem ex eo neutiquam concludere tibi licet, nedum cognitionem istam fieri per talem illuminationem, quæ necessariò conjuncta sibi habeat omnia quæ ad salutem æternam consequendam requiruntur. Quinimò utrumque istud falsum esse ratione hac evinco, quod quibusdam notitia Dei & Servatoris Jesu Christi tribuatur in Scripturis, per quam inquinamenta mundi hujus effugerant, imò *ὄντως*, id est vere effugerant eos qui in errore versantur, quibus tamen iisdem tribuitur quod inquinamentis istius mundi impliciti iterum fuerunt, & à via justitiæ semel cognita recesserint: 2 *Pet.* II. 19. 20. 21. *Locus Joan. XVII. 3.*

Per-

Pergis: *Nam quod Thomas ait voluntatem in ſummum bonum ferri ut natura, non poſſum ego quidem concoquere locutionis duritiem.* Nempe ſtomachus tibi ſanus non eſt, crudis iiſque viſcidis, lentis, & tenacibus humoribus repletus eſt. Quid enim verius dici poteſt?

*Non fertur* (inquis) *voluntas in ſummum bonum niſi præeunte mente.*

Nec verum hoc eſt, nec ſi omnino verum eſſet vim ullam haberet concludendi. Verum non eſt; quia bonum ſummum quatenus appetibile eſt, naturali inſtinctu appetitur à voluntate, etiamſi (per impoſſibile) intellectus id ipſi appetendum repræſentaret. Non appetit quidem voluntas id in quo ſummum bonum ſitum eſt, nec medium quo ad illud pervenitur aut perveniri certò poteſt, niſi mens illud primò cognoſcat & voluntati repræſentet. Et quia cognitio certa hujus rei aliunde pendet, hinc natæ iſtæ lites de ſummo bono. At ſummum bonum qua tale, quod per ſe ſumme appetibile eſt, non minus naturaliter appetit voluntas, etiam mentis judicio non præeunte, quam gravia ad centrum & locum ſuum tanquam bonum ſuum ſummum feruntur. Apparet id inde quod in eo quod ſummum bonum appetendum eſt Philoſophi omnes unanimiter ſemper conſenſerint, etiamſi maxime qua in re ſummum illud bonum ſitum ſit inter ſe diſcreparent, & omnes in eo adſignando errarent. Sed & poſito quod verum eſſet voluntatem non ferri in ſummum bonum niſi mente præeunte, inde tamen non ſequeretur voluntatem non ferri in bonum ſummum natura ſua. Nihil minus; Sequeretur tantum mentis actionem prærequiri ad hoc ut voluntatis natura ſeſe actu exerat ad amorem boni iſtius eliciendum. At non ſequeretur voluntatem vi actionis iſtius moveri ad amandum: prout ex hoc uno argumento liquet, quod ſola mentis apprehenſio & nuda tantum boni iſtius propoſitio, abſque ullo judicio, ad amorem iſtum eliciendum ſufficeret. At quis dixerit apprehenſionem puram putam abſque ullo judicio, vi ſua voluntatem ad amandum movere? Quare dicendum eſt non appeti ſummum bonum præciſe ideo quia intellectus dictat ſummum bonum eſſe appetendum, ſed quia ſummum bonum eſt, uti jam ante pluribus oſtendimus. Cætera quæ diſputas, ea ſunt extra oleas & ad rem non faciunt.

## CAPUT XVIII.

### Vindicantur ſolutiones argumenti primi Cameronis, quo voluntatem ab intellectu determinari probat, quod alioquin fieri poſſet ut homo malum appeteret ſub ratione mali. Et quia argumentum hoc, præcipuum ſuum argumentum eſſe negat, examinantur iſta Scripturæ loca omnia, in quibus præcipuum cauſſæ ſuæ robur ponit.

REſponſurus ad argumenta tua, primum ac præcipuum inter illa mihi videri dixeram iſtud, Quod alioquin fieri poſſet ut homo malum appeteret ſub ratione mali. Hîc tu quæris primum, *Cur argumentum iſtud, præcipuum tuum argumentum appellaverim?* Verba mea vide, Camero; quia id ita mihi videbatur. Nec dubito quin id ipſum amico meo & aliis ita viſum fuerit. Quod tu illud pro præcipuo haberes non equidem dixi: nec enim conjicere poteram quid tibi præcipuum videretur. Interea quod Scripturæ authoritatem cæteris omnibus argumentis à te præferri dicis, in eo ſane facis quod Theologo dignum eſt, & hoc nomine mihi gratulor. Patere tamen ut hoc tibi dicam, Camero: Scripturæ loca libenter ante omnia excuſſiſſem: ſed quia ea tam frigide & tam negligenter à te allata in Collatione cum Cl. viro D. Tileno credebat amicus meus ad quem ſcribebam, ut confutatione pæne opus non haberent; & jam ſatis ſuperque ea confutata erant in ſcriptis Remonſtrantium, idcirco in totum ab iſtis abſtinui. Verumtamen quia ex te jam intelligo, ea etiamnum maximi ponderis ac momenti tibi videri, non abs re facturum me putavi, ſi ea primo loco excuterem; ne reſpondendo ad ea quæ minus præcipua eſſe credis, inutilem plane operam poſuiſſe tibi aliiſque viderer. Neque vero hæc ingenii aut virium mearum (uti tu perperam interpretaris) ſed cauſæ ſolius fiducia eſt. Hac quiſquis armatus eſt, is non dubitat adoriri arcem illam in qua adverſarius præcipuum cauſſæ ſuæ præſidium collocat. Illa expugnata, cæteræ facile labefactantur aut ſponte ſua corruunt. Neque boniſſane diſputatoris eſt, in minus præcipuis confutandis laborare, & præcipua negligere. Sic enim nec cauſſæ nec adverſarii ſui animo ſatisfacit. At qui utrumque non agit, aut propoſitum ſibi non habet, næ is abutitur, ingenio ſimul atque otio ſuo. Quod dicis, Camero, hîc tibi idem uſu venire, quod in controverſia quæ inter vos & Pontificios eſt de Euchariſtia uſu venit, id prætereo. Jure-ne an injuria rationem Sacramentorum, qualis nobis in Scriptura deſcripta eſt, præferas argumentis iſtis quæ allegas, ut ſententiam Pontificiorum de Euchariſtia ſoliditſime convellas, non inquiro. Id eſt extra ſcholam hanc: & qualis vel quæ ratio illa Sacramentorum ſit conſtare primum deberet, antequam de ea judicium ferri poſſet. Ego in rem præſentem deſcendam, & loca Scripturæ quæ in Collatione cum Cl. viro D. Tileno pro te citas omnia, (quod me cum pace viri Clariſſimi facere poſſe confido) & à me expendenda fuiſſe dicis, cum bono Deo expendam.

Pagina 64 Collationis ita loqueris: *Ac Scriptura quidem docet efficaciam qua vocamur, ſimilem eſſe illi efficaciæ qua Chriſtus excitatus eſt ex mortuis*, Epheſ. I. & Coloſſ. II. *Non autem erit æque efficax, ſi ſuperari poteſt.* Primus itaque textus Scripturæ ex quo argumentaris eſt in Epiſtola *ad Epheſios, capite* I. *verſ.* 19. 20. *Pater ille gloriæ det vobis ſpiritum ſapientiæ, &c. ut videatis, &c. quæ ſit excellens illa magnitudo potentiæ ipſius in nobis qui credimus, κατὰ τὴν ἐνέργειαν τῆς κράτους τῆς ἰσχύος αὐτοῦ ἣν ἐνήργηκεν ἐν τῷ Χριστῷ ἐγείρας αὐτὸν ἐκ νεκρῶν* &c. At hunc textum, Camero, ut ad theſin tuam probandum facere vis, neceſſe eſt ut probes in eo agi, 1. de vocatione qua ad fidem vocamur. 2. de efficacia iſta qua fidem gigni in mente, eaque mediante voluntatem efficaciter determinari ſtatuis. At qua vel veriſimilitudine id facies? & ex quibus verbis? An ex primis iſtis verbis, *Quæ ſit excellens illa magnitudo potentiæ ipſius?* Non potes; quia objectum potentiæ iſtius in textu ipſo dicuntur eſſe fideles, εἰς ἡμᾶς, inquit Apoſtolus, τοὺς πιστεύοντας. Πίστις itaque ſupponitur in iis circa quos potentiæ iſtius magnitudo adhiberi dicitur. Si id negas, quomodo contrarium vel apparenter probabis? An ex verbis ſequentibus, κατὰ τὴν ἐνέργειαν τῆς κράτους τῆς ἰσχύος αὐτῆς, quaſi legeretur, credentes fide iſta quæ effecta eſt per ἐνέργειαν iſtam? At quæ neceſſitas vel veriſimilitudo etiam eſt explicationis iſtius? Neceſſitas certe nulla eſt. Senſus enim loci longe alius iſque optimus eſſe poteſt hic, & revera etiam hic loci ſenſus eſt: Det vobis Deus cognoſcere, id eſt mentem perpetuo cognitione illa occupatam habere, quam ſit excellens illa magnitudo potentiæ, qua uſurus eſt Deus circa credentes cum eos ex mortuis ſuſcitabit, eoſque cum Chriſto Domino ac capite ipſorum in cæleſtibus locis immortales & æternum glorioſos efficiet. Quanta autem ſit potentiæ hujus magnitudo, id quidem nunc nobis non apparet; ſed tamen æſtimari poteſt & æſtimanda eſt κατὰ τὴν ἐνέργειαν, ex vel juxta illam potentiæ magnitudinem (in qua quia ſibi non ſatisfacit Apoſtolus, idcirco ſynonymis tot vocibus utitur, κατὰ τὴν ἐνέργειαν τῆς κράτους τῆς ἰσχύος αὐτῆς) quæ nobis illuſtri iſtima ratione ob oculos poſita & quaſi ſpectanda data eſt, quando Jeſum Chriſtum non ex mortuis tantum ſuſcitavit, ſed etiam in ipſis cælis ſublimibus ad dexteram ſuam collocavit, & longe ſupra omne imperium, poteſtatem, potentiam, dominationem, ac nomen quod in hoc aut futuro ſæculo nominatur, extulit, eique omnia ſubjecit, ut eâdem potentia Eccleſiam ſibi ſubjectam, id eſt nos fideles, ex morte ſuſcitaret, & eodem immortalitatis ac gloriæ beneficio afficeret. Hunc ſenſum loco huic optime quadrare, non potes negare. Nulla itaque neceſſitas eſt explicationis iſtius quam facis: nimirum Scripturam docere efficaciam qua vocamur ſimilem eſſe illi efficaciæ qua Chriſtus excitatus eſt ex mortuis. Sed nec veriſimile eſt explicationem illam tuam loco huic accommodatam eſſe. Nam ſi Apoſtolus dicere voluiſſet, eos qui credunt credere vel ad fidem adductos eſſe per talem potentiam, quali Deus uſus eſt cum Chriſtum ſuſcitavit ex mortuis, 1. non videtur tum uſurus fuiſſe præpoſitione κατὰ, ſed διὰ, vel alia aliqua ſignificantiore: id eſt, non dixiſſet, Credentes ſecundum efficacitatem roboris, ſed, per efficacitatem iſtam. 2. Dicendum foret Apoſtolum dixiſſe, Deum non tantum ἐνέργειαν adhibere cum fidem in nobis efficit, ſed & κράτος & ἰσχύν, id eſt, vim ſeu potentiam proprie dictam; quod à tua ſententia eſt alieniſſimum, quia perſuaſionem, non autem vim menti adhiberi vis, imo menti vim adhiberi poſſe negas. 3. Quia ſtatuendum foret non ſimilem tantum potentiam ſive efficaciam adhiberi in fidei effectione, ſed eandem prorſus cum ea quam adhibuit Deus in ſuſcitatione Chriſti ex mortuis. Dicit enim textus, ἣν ἐνήργησεν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ: quin imo eandem qua Deus uſus eſt cum Chriſtum collocavit ad dexteram ſuam, cum eum evexit ſupra omne imperium, poteſtatem, potentiam ac dominationem. Cui veriſimile facies, Camero, Apoſtolum voluiſſe eandem potentiæ magnitudinem adhiberi in fide efficienda, quæ in ſuſcitando Chriſto

Locus Epheſ. I. 17. 20.

adhibita eſt, imprimis cum tu ipſe fidem effici velis non per actionem phyſicam, ſed moralem, id eſt per perſuaſionem? Et cui fidem facies, Apoſtolum ut potentiæ illius magnitudinem extolleret, idcirco potentiam illam quæ in Chriſto non tantum ſuſcitando, ſed & in cælos elevando & collocando ad dexteram Dei adhibita fuit, tanta cum cura ac diligentia exaggeraſſe; cum alibi ipſe nos *regenerari* dicat *per verbum Euangelii*, & *ex auditu* verbi iſtius *fidem* in nobis effici affirmet, *Rom.* X. 17. cum alibi dicamur *ſemine veritatis à Deo gigni*, *Jacob.* I. 18. *regigni per ſermonem tanquam per ſemen incorruptibile*, *1 Pet.* I. 23. & *ſermonem* quidem *euangelizatum per homines*, *verſu* 25. 4. Denique dicendum foret Apoſtolum oraſſe, imò indeſinenter oraſſe, ut Epheſii intelligerent quæ & quanta ſit illa magnitudo potentiæ per quam fides in ipſis effecta fuerat. At quid magnopere intererat ut Epheſii hoc ſcirent? Sane fides & ſalus ipſorum non laborabat ſi id neſcirent. Non enim ſcire quomodo fides ingeneretur, ſed credere id quod credendum eſt, ad ſalutem neceſſarium eſt & ſufficit. imo ut id ſcirent orandum non erat, juxta te, nedum indeſinenter orandum, quia Deus fideles modum iſtum ſcire plene in hac vita non vult, ex ſententia tua. Motum enim ſentiunt, modum neſciunt, uti dixiſti ſupra. Ex his itaque patet locum hunc non facere ad probandum theſin tuam.

*Locus Coloſſ. II, 12.* Alter locus eſt deſumtus ex *cap.* II. *ad Coloſſ. verſ.* 12. *Conſepulti cum eo per Baptiſmum, per quem etiam cum eo ſuſcitati eſtis, per fidem Dei efficaciter agentis, qui ſuſcitavit eum ex mortuis; Voſque mortuos in peccatis præputio carnis veſtræ, cum eo vivificavit, vobis condonatis omnibus peccatis.*

Quomodo hic locus ad cauſam tuam faciat non probas, Camero, nec ego ſane videre poſſum. In eo enim non deſcribitur modus quo Deus fidem efficit in nobis; nec vola nec veſtigium ejus in textu eſt; ſed tantum indicatur privilegium quod ex divina gratia ii habent qui credunt Euangelio, & Chriſto per fidem vivam adhærent; quod videlicet ſicuti cum Chriſto quaſi ſepeliuntur, ſive ſepeliri incipiunt, (mundo ſcilicet) quando in Baptiſmo profitentur ſe mundo & carni mortuos eſſe, & inſtar mortuorum cum mundo, id eſt mundanis hominibus qua talibus, commune amplius nihil habere velle; ita eo ipſo quod per fidem Chriſto & doctrinæ ipſius æternæ vitæ promiſſione ſancitæ adhærent, cum ipſo Chriſto jam quaſi ex mortuis ſuſcitantur, quia videlicet tam certo excitandi aliquando ſunt ex mortuis, quam certum eſt jam excitatum ex mortuis eſſe & vivere Chriſtum ipſum, cui illi per fidem uniti ſunt, & cum quo unum cenſentur quatenus tales ſunt. Suſcitatio itaque hic non ſignificat actionem Dei nos convertentis ad fidem. Nihil minus: ſed veram ac proprie dictam ſuſcitationem ex mortuis, quæ Hebræorum more propter futuritionis certitudinem, & Chriſti exemplum, jam facta dicitur; eodem plane modo quo alibi, is qui credit jam *habere vitam æternam* dicitur, imo jam *tranſiviſſe de morte in vitam*, & quo idem hic Apoſtolus nos jam *cum Chriſto vivificatos*, *ſuſcitatos*, adeoque *in cælis collocatos eſſe* dicit, *Epheſ.* II. *verſib.* 4. 5. 6. Et evincunt hunc loci ſenſum eodem modo accipiendum eſſe, 1. Ipſa vox *συνεγείρειν*, quæ ſane ſignificat id nobis tribui quod commune cum Chriſto habituri aliquando ſumus; prout ex eo manifeſtum eſt, quod vox hæc diſerte opponitur voci prægreſſæ *συνταφῆναι αὐτῷ*. Id enim indicat nos jam mundo renunciantes conſepeliri incipere cum Chriſto, tanquam mortuos mundo, & ſepulturam iſtam duraturam uſque dum nos Deus ex morte excitet; quod quia certum eſt aliquando futurum eſſe, idcirco id tanquam jam factum cum Chriſto proponitur atque enunciatur. 2. Quia ſuſcitatio hæc facta dicitur per fidem, *διὰ τῆς πίστως τῆς ἐνεργείας*, ac proinde non cenſeri debet aliquid quod fidem efficit aut antecedit, ſed quod fidem conſequitur, imo quod fidem tanquam ſui cauſa, ſi ita dicere liceat, ſupponit: quaſi legeretur; Eo ipſo quod credidiſtis, & per fidem Chriſto adhæretis, ſpem adeo certam habetis de veſtri ex mortuis ſuſcitatione, tanquam ſi jam cum Chriſto reipſa ſuſcitati eſſetis. Fides enim illa non eſt fides inanis aut inefficax, ſed fides *τῆς ἐνεργείας*; non quia Deus eam efficit ſpeciali quadam ſua *ἐνεργείᾳ*, ſed quia Deus veræ fidei quaſi virtutem, efficaciam & robur ineſſe voluit, ut qui ea præditi fuerunt in morte manere non poſſint, Deo ſcilicet irrevocabiliter volente eos è mortuis ſuſcitare, & immortali ac glorioſa vita beare cum Filio ſuo Jeſu. Eadem eſt ratio circumciſionis & convivificationis, quarum in hoc loco etiam mentio fit, uti ex parallelo loco *Epheſ.* II. *verſib.* 4. 5. 6. quem diximus, luce clarius patet. Quod ſi ſenſum loci hujus non admittis, Camero, qui tamen videtur ſatis clarus, fateri nihilominus debes, nullam veriſimilem rationem à te allegatam eſſe, aut allegari ex textu poſſe, qua probes in eo agi de iſta efficacia qua Deus fidem in nobis efficit. Id quod paucis à Cl. viro D. Tileno indicatum, nullo argumento à te refellitur, pag. 180. Collationis.

Secundo probas id ipſum iis Scripturæ locis quibus Deus dicitur *auferre cor lapideum*, *efficereque in nobis velle & perficere. Quæ omnia*, inquis, *fruſtra dicuntur ſi manet cor lapideum aut vero manere poteſt Deo cor emolliente, & ſi dum Deus facit in nobis velle & perficere, eodem momento (ut ait D. Tilenus) poſſimus reluctari.* Reſpondit Clariſſ. D. Tilenus iſtis in locis agi de re, non de rei modo. Tu replicas, *de utroque agi:* ſed id non probas. quin imo ex verbis tuis apparet, pag. 181. te agnoſcere loca iſta, quorum alter de ablatione cordis lapidei, alter de effectione & velle & perficere agit, non de rei modo ſed de re ſola agere. *Modum enim*, inquis, *ſi requiras, en locum Joan.* VI. 44. 45. *Nemo poteſt venire*, &c. Hic itaque locus niſi addatur, modus rei in præcedentibus locis non oſtenditur. Et ſane niſi hunc locum haberes, res tibi ad reſtim pæne rediiſſet: ut anus ad armillam, ita tu ad hunc ſemper locum recurris. Et tamen quam parum, imò nihil, iſte propoſito tuo ſerviat, jam ante clare ſatis, ni fallor, demonſtravimus. Nihilominus examinemus duo iſta loca quæ allegas.

Primus locus eſt *Ezech.* XXXVI. 26. 27. *Dabo, inquit Dominus, vobis cor novum, & ſpiritum novum dabo in medio veſtri, & auferam cor lapideum è carne veſtra, daboque vobis cor carneum, & Spiritum meum dabo in medio veſtri, efficiamque ut in præceptis meis ambuletis & judicia mea cuſtodiatis & faciatis illa.* 1. Hoc loco vocationem noſtram dicis appellari *cordis lapidei ablationem*, &c. At unde id liquet, Camero? Nequidem agitur hoc in loco de vocatione ad fidem; ſed contra de ſpeciali beneficio quod vocatis & rebellibus Deus facere vult. 2. Hoc loco cordis lapidei ablationem ſignificare mentis illuminationem nullo argumento probas, Camero. 3. Ablationem hanc lapidei cordis fieri per talem efficacem mentis illuminationem, qualem tu fingis, quæ cor neceſſario mutet & voluntatem flectat, ne in ſpeciem quidem ex hoc textu colligitur. Eſto, inquies: attamen efficacia divinæ actionis voluntatem determinans ex eo colligitur. Imò verò, inquam ego, ne hæc quidem colligitur ex hoc loco. Contrarium potius ex eo concluditur: quod ſic demonſtro. Si hoc in loco de efficacia illa agitur, quam non poteſt non effectus conſequi, tum non poteſt eo contineri promiſſio quæ ad totum populum Iſraeliticum communiter ſpectabat, & non niſi poſt multos dies implenda erat. Atqui talis promiſſio continetur hoc textu. Ergo, &c. Majoris conſequentia per ſe plana eſt. Promiſſio enim efficaciæ iſtius qua fides in mente efficitur, non pertinet niſi ad paucos quoſdam in populo electos, ex ſententia tua; & ea non minus iſto tempore implebatur, quam poſt iſtos dies implenda erat: quia iſta promiſſio eodem ſemper modo locum habet atque eodem ſemper modo impletur. Minor liquet ex verbis textus, ex ratione fœderis, & ex natura ipſa rei. Ex textus verbis, quia dicitur, *Pangam fœdus cum domo Iſrael & cum domo Juda* (& quidem) *poſt dies illos.* Per *domum* autem *Juda* & *domum Iſrael* intelligi hoc loco electos ab æterno ex utraque domo iſta, nulla ratione nititur, & per ſe eſt abſurdum: quia per utramque domum iſtam diſerte notantur ii in quibus cor & ſpiritus vetus erat, in quibus cor non carneum ſed lapideum erat; per quos ſi velis denotari electos in populo, neceſſum eſt ut fatearis nullum fuiſſe in populo iſto hominem converſum, aut qui cor novum & carneum habuerit. Præter electos enim non fuerint in populo niſi reprobi. Hi non habuerunt cor carneum; nec illi, quia alioquin id dari ipſis opus non fuiſſet. Ergo nulli. Et cum promiſſio hæc effectum ſortitura dicatur poſt dies multos; imò ex ſententia plerorumque interpretum, & ipſius ut videtur Authoris ad Hebræos, non niſi tempore Meſſiæ, uſque ad tempora iſta nemo fuerit converſus & fidelis. Quid abſimilius à vero? Ego tamen per dies iſtos intellexerim primo ac literaliter tempus reductionis ex captivitate, & eminenter ac principaliter dies Meſſiæ. Beneficium enim quod diebus Meſſiæ præſtitum eſt populo, id omnium excellentiſſimum & efficaciſſimum fuit aut eſſe debuit emolliendis duriſſimis etiam cordibus. Fœderis ratio idem evincit; quia fœdus dicitur novum quod in veteris locum ſucceſſurum erat. Fœdus autem vetus cum toto populo initum erat. Ergo & novum hoc. Dupliciter autem crediderim fœdus hoc novum vocatum fuiſſe à Deo: 1. Reſpectu novi iſtius beneficii, quod populo jam in captivitate Babylonica quaſi perdito & à Deo ſeparato facturus erat Deus, liberando populum ex captivitate iſta, & in quo beneficio Deus quaſi de novo fundaturus erat legum ſuarum in captivitate iſta obliteratarum, lationem, tanquam ad populum noviter natum, & ſibi per novum hoc beneficium peculiariter iterum obligatum, eoque nomine lubentem ac voluntarium. 2. Reſpectu beneficii iſtius maximi, & quod iſto beneficio præcedente Deus adumbratum voluit, quod videlicet temporibus

*Locus Ezech. XXXVI. 26. 27.*

Meſ-

Messiæ facere in animo habebat. Quo sensu existimaverim istud ad tempora Euangelii referri ab authore ad Hebræos. Jam autem ex utroque tædere patet, promissionem hanc ad totum populum directam fuisse, quia omnes qui fœderi isti typico primo, & fœderi deinde novo proprie dicto sese non subjecerunt, ii eo nomine reprehenduntur & accusantur, quod *benefactorem suum post tergum suum rejecerunt*, quod *duri cervice & incircumcisi corde manserint*, quod *frontem suam adamantis instar induraverint*, quod *gratiam divinam fœdere isto comprehensam respuerint*, quod *diem salutis non acceptaverint*, quod *sanguinem fœderis per quem fuerant* (à parte scilicet Dei, quod ad consilium ejus attinet ac sanctificandi studium) *sanctificati profanum duxerint, & Spiritum gratiæ contumelia affecerint*. Quæ omnia & plura alia dici non potuissent, nisi Deus fœdus hoc novum ad istos etiam, ac proinde ad populum totum, pertinere voluisset. Natura etiam rei confirmat idem; quia si promissio hæc non pertinet ex Dei intentione ad totum populum, sed peculiariter tantum ad eos, quos nominatim electos vocas ad vitam æternam & ad fidem, jam dicas necesse est, Deum promittere futurum demum post dies istos, aut (si ita velis) diebus Messiæ, id quod antea semper factum fuerat, & eo ipso quo hæc Deus promittebat tempore fiebat, & semper futurum erat usque ad consumationem sæculi; id est Deum promittere se per specialem efficaciam, qua fidem mentibus electorum ingenerari vis, in mentibus electorum operaturum temporibus Messiæ; qua tamen efficacia Deus à principio mundi usus semper fuerat, qua tum eo ipso tempore utebatur ad convertendum electos suos, & qua continuo usurus erat usque ad tempora Messiæ, imò usque ad finem mundi, eodem semper modo ac mensura. Fidem enim eodem modo, eadem efficacia in electorum mentibus, putà per internam persuasionem, effici atque ingenerari à Deo, indubium tibi est. Hæc jam absurda esse palpabilia annon sentis, Camero? Adde, quod si dicatur Deus hoc loco promittere, se ista efficacia usurum demum post dies illos, & per dies illos intelligas dies Messiæ, necesse est ut dicas, omnes eos qui tum vivebant, & victuri non erant usque ad dies Messiæ, non tantum reprobos fuisse, sed sciviſse etiam, aut scire saltem ex hac promissione potuisse, se æternum omnes & singulos reprobatos fuisse, atque à privilegio istius gratiæ decreto peremtorio secluſos. Quos enim Deus speciali ista gratia dignari non vult, ut cor eorum lapideum auferat, eos reprobavit ad æternum exitum sine ulla misericordiæ spe. Hæc annon sint, non dico inepta, sed horrenda, tecum ipse cogita.

Quod si non obstantibus hisce rationibus nihilominus urgere pergas verba textus, tum dico ex istis etiam nihil te efficere posse quod solidam probandi vim habeat. Quia verba ista activa, *Dare, efficere, illuminare, salvare*, &c. Deus aliquando sibi ipsi tribuit, aut Scriptura Deo ea tribuit, quando Deus ea facit quæ ad effectum istum, quem verba ista notant & important significatione sua, producendum, singularem & peculiarem aliquam vim habent, etiamsi effectum ipsum non producat, vel etiamsi ad factum istud divinum effectus non sequatur, propter intervenientem liberam & insperatam eorum in quibus actio ista divina effectum sortiri debebat malitiam & obstinationem. Expressum locum vide *Ezech.* XXIV. 13: *In immunditia tua* (adhuc es,) id est, *in scelere, eo quod mundavi te & non es mundata. Ab immunditia tua non mundaberis donec fecero ut quiescat excandescentia mea in te.* *Oseæ* VII. 1: *Cum sanarum Israel, discooperuit se iniquitas Ephraim, & malitiæ Someron.* Quod *cap.* XI. *vers.* 1. clarius enunciatur. dicitur enim ibi, *Dilexisse Israel, & ex Ægypto vocasse filium suum, illum autem sacrificasse Baalim, vers.* 2. *Sanasse Ephraim*, & tamen *Ephraim non agnovisse quod sanasset eum, vers.* 3. *Funibus hominum traxisse eos, funibus caritatis, vers.* 4. & tamen *noluisse converti, vers.* 5. *quoniam*, inquit textus, *noluerunt converti.* Ita *Jerem.* XV. 9. dicitur, *Curavimus Babylonem, & non est sanata.* Eodem sensu dicitur passim in Scripturis S. quod *Doctores faciunt avertì populum*, quando faciunt quantum in se est ut populus avertatur: *Jerem.* XXIII. 22. Ita falsi Prophetæ dicuntur *facere confidere mendacio: Jerem.* XXIX. 31. Et Cananæi *vocaturi* dicuntur *filios Israelitarum post se. Deuter.* VII. 4. Quibus similia plura loca sunt. Non quod facta eorum semper eventum sortiantur, nedum ut fieri non possit ut non sortiantur effectum; sed quia facta illa ad effectum istum producendum comparata sunt. Eodem sensu Christus dicitur *Illuminare omnem hominem venientem* (vel veniens) *in mundum*, *Joan.* I. 9. *Servare omnes homines*, 1 *Tim.* IV. 10. *Reconciliare mundum*, 2 *Cor.* V. 19. *Agere resipiscentiam etiam eos qui ἀμεταμέλητον cor habent*, *Rom.* II. 4. & similia. Idem de verbis istis quæ hac promissione continentur statuendum esse colligo ex his argumentis. 1. Quia *Ezech.* XI. 19. ubi eadem hæc promissio facta legitur, verba ista, *Dabo vobis cor carneum*, &c. tanquam ratio allegantur, qua futurum dicitur ut *amoverent omnia detestabilia terræ istius, omnesque abominationes ejus ex ea.* Et tamen immediate statim post ista verba subjicitur, *Et quorum cor ambulat* (nihilominus scilicet) *ad cor contaminationum eorum & abominationum eorum, viam eorum dabo in caput eorum; vers.* 21. Quod sane ridicule admodum subjiceretur præcedentibus, siquidem præcedentibus efficacia talis promissa statuatur, quæ non poterat non sortiri effectum. 2. Quia Deus expresse nobis etiam mandat ut *faciamus nobis cor novum & spiritum novum*, *Ezech.* XVIII. 31. ut *nos convertì faciamus ab iniquitatibus nostris*: ibid. *vers.* 30. 32. ut *vias nostras bonas*, id est, opera nostra bona, *faciamus*; *Jerem.* VII. 3. & XVIII. 11. & XXVI. 13. Hoc autem mandatum quomodo deceat sapientem Deum, si ipse promittit se ad conversionem nostram uti velle tanta efficacia quam non potest non sequi conversionis effectus? *At*, inquis, *hortatur nos Dominus sæpe ut renovemur spiritu mentis nostræ*, *Ephes.* IV. 23. *cum tamen illuminatio mentis fit à Deo, & quidem irresistibiliter.* Quasi verò, *Renovamini spiritu mentis vestræ*, idem sit quod illuminamini. Imò quia jam credentes, id est jam illuminatos plena ista, quam vocas, scientia alloquitur, & verbo *renovamini* utitur, nihil minus quam hoc dicere velle Apostolum manifestum videri tibi debet. *Renovamini* enim idcirco hîc nihil aliud esse potest quam, Renovate vos magis magisque sanctiore vivendi genere, novæ vitæ & morum meliorum consectatione; quia phrasis hæc synonyma est ei quæ sequitur, *Induite novum illum hominem*: uti ex oppositione veteris & novi hominis liquet. Sensus itaque est, Veterem istum hominem, id est inolitam istam peccandi consuetudinem, opera ista tenebrarum, quæ ad vetus & luce divina carens sæculum pertinent, deponite magis magisque; & novam vivendi rationem familiarem vobis facite, ut habitum ejus sicut vestem induatis. *Spiritu mentis vestræ*; id est quia mentem seu animam vestram adspiratam habetis nova spe æternæ atque immortalis vitæ; aut quia mentem jam habetis noviter illustratam à Dei spiritu per Euangelium nostrum, quà scitis ad quam præclaram spem vocati sitis, & quanta cum cura laborare debeatis ut spe ista digni habeamini; aut denique intensissimo studio, ita ut spiritus ipse animæ vestræ ea in re sit occupatus. Hoc autem nisi in potestate illorum supposuisset esse Apostolus, sane hortatione illa non minus ridicule usus fuisset, quam si dixisset brutis, Curate ut homines sitis & non bruta; vel fœminis, Curate ut mares sitis & non fœminæ. 3. Quia Deus de eo ipso conquestus legitur aliquando, adeoque populo exprobraviſse quod ei *non dedisset cor ad intelligendum*, *Deut.* XXIX. 4. cum ea omnia fecisset quæ ad id efficiendum longe erant aptissima: quod sane fieri non potuisset, si *datio cordis* ejusmodi significaret efficaciam quæ non potest non sortiri effectum 4. Quia non obstante hac promissione, cõtrarium tamen post expletos dies istos accidisse legimus. Quod indubitatum signum videri debet, promissionem hanc de talis efficaciæ, qualem tu vis, promissione intelligendam non esse. Sive enim dies restituti populi ex captivitate, sive dies ipsius Messiæ videas, non rediit tamen populus iste (paucos semper bonos excipe) ad frugem, non desiit habere cor lapideum & cervicem duram, uti ex infinitis locis Veteris & Novi Testamenti liquet. Verba Stephani sunt clara *Act.* VII. 51. *Duri cervice & incircumcisi corde & auribus: vos semper resistitis Spiritui illi sancto; quales vestri patres fuerunt tales & vos estis.* Dicere promissionem effectum suum habuisse in paucis illis electis, quos tum Deus speciali ista efficacia honorabat, est effugium admodum vanum, ut jam indicavi. Nam & sic effectum suum habebat promissio tum cum inculabat dies illos, quibus tamen populus dicitur cor carneum non habuisse, sed lapideum, & non stetisse in fœdere priore. Itaque dicendum foret novum hoc fœdus jam tum locum habuisse cum promittebatur futurum post multos dies, atque ita fuisset cum non esset: quo quid absurdius? Ex his colligo, promissionem hanc non posse intelligi de efficacia ista quam effectus nõ potest non sequi; sed de tali operationis divinæ modo, qui singularem & admirabilem vim habiturus erat ad corda populi totius, licet alioquin valde à divinorum præceptorum observatione alienata, amore Dei & legum divinarũ iterum inflammandum, adeoque in officio & fide semper retinendum; ita tamen ut cadere aliter posset, id est ut vel non inflammarentur amore isto, vel inflammata semel, iterum refrigescerent, & ad ingenium redirent: ut phrasis hæc è medio hominum petita sit, & conveniat cum familiari ista loquendi formula qua dicimus, Ego alium virum ex te faciam, alios mores in te formabo, eximam tibi istum spiritum superbum, & faciam ut humilior sis meque reverearis. Non quod velim Deum non plus in conversione nostri facere quam homo in homine facit, sed ut ostendam phrasin hanc non sufficere ut ex ea formetur argumentum pro modo talis operationis, qui efficaciam habet quam non potest non sequi effectus: ὑπερ τὸν δοῦναι.

Alter locus est desumptus ex *Epist. ad Philip. cap.* II. *vers.* 13. *Deus enim est qui efficit in vobis & velle & perficere pro beneplacito.*

*Locus Phil. II. 13.*

At nec hic locus probat id quod probandum tibi est. Nam 1. hoc loco non agitur de vocatione nostri ad fidem, (uti tu affirmas pag. 64.) neque de efficacia illa qua Deus fidem ipsam operatur in mente nostra; sed, uti manifestum est, de efficacia & operatione qua Deus operatur in nobis qui jam credimus; (dicit enim ὁ ἐνεργῶν, non autem ὁ ἐνεργήσας, qui operatur, non autem qui operatus est in nobis: oppositè ad efficaciam qua ἐνεργεῖν dicitur Deus hujus sæculi ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας, *Ephes.* II. 2.) quam etsi eandem cum prima operatione & operationis efficacia, qua fidem efficit, esse velis; tamen aliter sentiunt Theologi pæne omnes, cum regeneratos & fideles Deo cooperari libere dicunt, quos in regeneratione sui prima Deo cooperari, imò cooperari posse negant. 2. Quia non dicitur in textu, si præcisè verba urgere velim, Deus efficit in vobis ut bene velitis & perficiatis; sed tantum, Deus efficit velle & perficere; id quod alium longe sensum habere potest. Supponit enim Apostolus in Philippensibus jam esse bonam voluntatem, tanquam in regenitis jam & credentibus; sed dicit, ne illa voluntas ipsorum bona langueat & quasi jaceat, Deum excitare, accendere, inflammare illam à parte sua, neque unquam deesse ipsis ut voluntatem illam bonam quasi in perpetuo vigore retineant: quod fieri potest per occasionum variarum objectionem, per ἐμμοὺς & inspirationes divinas, aliaque ei rei facientia media, ad quæ illorum sit cum omni diligentia assiduo respicere. 3. Quod si omnino velis hæc verba accipere de operatione Dei, qua ipsam etiam bonam voluntatem sive volitionem bonam operatur in fidelibus, imò etiam de operatione qua primitus Deus operatur ipsam fidem in nobis, nihil tamen effeceris: quia in textu non dicitur, quomodo Deus in nobis ista operetur, sed tantum quod Deus ista in nobis operetur. At non quæritur, an Deus ista operetur, sed quomodo ista operetur. Sed & addo 1. modum istum operationis qui efficaciam notat quam non potest non sequi effectus, ex ista phrasi colligi non posse. Nam sane & homo qui homini aliquid suadet, & suadendo permovet hominem ut velit & faciat seu bonum seu malum aliquid, efficit in homine isto velle & perficere, nèque tamen efficaciam illam (quam tu vis) adhibuisse propterea dici potest. Nam alioquin non is qui persuasus esset, sed qui persuasisset, si scelus aliquod persuasisset, puniri mereretur. Et Diabolus ipse dicitur ἐνεργεῖν in filiis contumaciæ, *ad Ephes.* II. 2. neque tamen Diabolus efficacia illa uti dici potest. Et, quod notandum est, ipsum Euangelium dicitur ἐνεργεῖν in fidelibus, 1 *Thess.* II. 13. ὃς (λόγος scilicet τοῦ Θεοῦ) καὶ ἐνεργεῖται ἐν ὑμῖν τοῖς πιστεύουσιν. 2. Contrarium non obscure ex textu colligitur, Apostolum scilicet modum istum operationis non voluisse significare phrasi illa. Nam *primo*, modus hic operandi everteret mandati sive monitionis immediate antegressæ vim ac proprietatem. Quid enim insulsius quam monere, *Operamini salutem vestram cum timore & tremore*, cum hac addita ratione, *Quia Deus efficit in vobis ut operemini salutem vestram cum timore & tremore*, ea efficacia qua fieri non potest quin operemini salutem vestram cum timore ac tremore? Dicere (uti tu facis, Collat. pag. 184.) *id insulsum fore, si Deus ita in nobis operaretur ut ipse esset principium agendi proximum atque immediatum*, nihil est dicere. Ubi enim talis operationis modus locum habet, ibi id quo operatio illa ultimo terminatur, non potest concurrere ut principium actionis illius, sed necessario concurrit ut purum putum subjectum, unde actio illa deinde resultat, profluit aut emanat. Et, si omnino ut principium etiam concurrere aliquomodo dicatur, tamen ut principium, per præceptum & mandatum proprie dictum motum, concurrere velle inepte diceretur. Quæ enim mandati istius proprietas aut vis foret? Certe mandare ut velis quod non potes non velle; imò mandare ut velis, idcirco quia aliud principium in re operatur ut non possis non velle, est stulte mandare. *Secundò*, Scopus Apostoli id non permittit; hortatur enim Apostolus Philippenses ad humilitatem & modestiam, ut ne quippiam faciant per contentionem aut inanem gloriam, sed ex humilitate alius alium se præstantiorem existimet, idque non tantum cum ipse præsens esset, sed multo magis quia absens erat, hoc argumento: Æquum est ut salutem vestram operemini, id est ut id faciatis quod ego vos moneo opus esse ut à vobis fiat si salvari vultis, non tantum quando ego præsens sum, sed maxime quando absens sum. Tum enim coram ipso Deo quasi immediate versamini, coram quo cum timore & tremore, id est humillime, semper in officio versari debetis, vel cum summa cura & diligentia officio vestro incumbere. Quo sensu phrasis ista *in timore ac tremore* accipi videtur *Ephes.* VI. *vers.* 5. Quia ille est qui (sive ego præsens, sive absens sim) primus author est omnis boni quod in vobis est, qui in vobis efficit quantum in se est ut velitis & perficiatis, prout ipsi beneplacet glorificare nomen suum per vos; id est, qui id unum agit, id unum operam dat, ut vos, sive per me quando ego præsens sum, sive sine me quando absens sum, soliciter, impellat atque inflammet ad volendum & faciendum id quod ipsi gratum est, vel quomodo ipsi placet ut vos ipsum glorificetis. Id enim mihi significare videtur, ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας, & præpositio ὑπὲρ id pæne postulat. Hunc scopum quomodo Apostolus propositum sibi habere potuisset, si persuasum Philippensibus voluisset, per rationem istam subjunctam, Deum in ipsis efficere, ea efficacia quæ non potest non sortiri effectum, humilitatem aut solicitudinem & curam illam seriam ac diligentem? Sane ipse potius superfedisset à labore isto hortandi, aut si hortari voluisset, ratione illa usus non fuisset, per quam animis Philippensium fortius eximi poterat cura & studium, quam per hortationem poterat inseri. *Tertiò*, Falsum videri posset dixisse, imò revera falsum dixisset Apostolus; quia cum hortatio ejus, ut Philippenses operentur salutem suam cum timore ac tremore, ad omnes Philippenses directa sit; si ratio subjuncta, *Deus enim efficit in vobis velle & perficere*, significaret efficaciam istam operandi quam dicis, dixisset Apostolus Philippenses omnes efficacia ista donatos fuisse à Deo: cum tamen diserte *cap.* III. *versu* 17. 18. dicat, *Multi incedunt, quod sæpe dixi vobis, nunc autem & flens dico, hostes crucis Christi*; Et non obscure hoc ipso cap. indicet inter eos esse qui per contentionem & inanem gloriam multa agebant; quæ sane cum velle & perficere isto quod Deus in ipsis efficiebat juxta te, consistere non possunt. Si dicas hęc de electis & veris fidelibus tantum esse accipienda, jam dicas necesse est hortationem itaque præcedentem hac ratione innixam ad cæteros non pertinuisse; quo quid absimilius à vero? Et cum Paulus nesciret quinam electi isti essent, in quibus Deus isto modo operabatur, nesciviisse etiam quos hortaretur aut quos neglectæ vel contemtæ hortationis isto argumento nixæ arguere posset.

Sequuntur duo loca, quæ, quia in præcedentibus fusè ventilata sunt, hîc repetere supervacaneum foret, nimirum *Joan.* VI. 44. 45. & 1 *Corinth.* III. 6. Vide suprà, hujus partis pag. 238. & 282.

Post hæc allegas locum ex 1 *Thess.* IV. 9, *De fraterna charitate nihil opus est ut ad vos scribam; vos enim ipsi docti estis à Deo, ut alii alios ametis.* Quid vero hic locus probat, Camero? Necessum est ut doceas & probes, Deum in vocatione nostri ita efficaciter operari, ut effectus conversionis non possit non sequi. An id habet hic locus? Nihil minus. Sed nec de operandi modo quo Deus operatus fuit in Thessalonicensibus ut alii alios diligerent, vel γρῦ ullum in textu est. Θεοδίδακτοι dicuntur εἰς τὸ ἀγαπᾶν ἀλλήλους. At Θεοδίδακτον esse, dicit rem, non modum rei. Θεοδίδακτος enim est quem Deus ita docuit ut didicerit; at non quem ita Deus docuit ut non potuerit non discere. hoc enim vox non importat. Nam eadem ratione & compositione quis dici potest Πλατωνοδίδακτος, Ἀριστοτελοδίδακτος, qui ita ab iis doctus fuit ut disciplinam eorum perceperit, & ad illam prorsus se composuerit. Deinde doctus à Deo vel Θεοδίδακτος dici quis potest, qui verbo divino sive quod à Deo est instructus & eruditus est; cujus verbi efficacia tanta non est quantam tu ad conversionem requiris. Quicquid enim aliquomodo Deum authorem habet & divinæ voluntati congruit, id à Deo ipso fieri dicitur: sicut contra quicquid Diabolum habet authorem, vel diabolicæ voluntati congruit, id à Diabolo ipso fieri dicitur. Itaque cum Thessalonicenses alii alios diligere didicissent, sive per legem, sive per Euangelium Jesu Christi, sive alia ratione, utique à Deo docti fuisse dici poterant. Doctio enim à Deo non significat modum docendi, sed eventum, qui sine Deo existere non potuit quocumque demum modo is exstiterit. Hic vero quia de doctione ejus rei agitur, quæ etiam à Deo præcipitur sub promissione præmii & comminatione pœnæ, ac proinde quæ per ipsam præceptionem promissis & minis sanciatam fit, puta de doctione mutuæ aut fraternæ charitatis, modus iste docendi quem tu statuis intelligi non potest. docere enim ut charitatem exerceas si præmio potiri & à pœnis immunis esse velis, & docere ita ut non possis non exercere charitatem, plane sunt ἀσύμφωνα, quæ sapiens doctor aut legislator ut simul faciat adeo indecorum est, ut pæne impossibile videri debeat. *At* (inquis) *loquor de tali doctione ut opus non sit amplius eos qui ita docti sunt moneri.* At istud, *non est opus*, simpliciter & absolute accipiendum esse ne ipse quidem audes dicere. semper enim colligis ut hortationibus *pæne* non sit locus. At sive ita docti fuerint ut tu dicis, sive ita didicerint ut ego explico, eadem dicti istius ratio tum erit. Sed ut propius respondeam, Nego istum verborum istorum sensum esse; Sed dico Apostolum aliud nihil docere

*Locus 1 Thess. 4. 9.*

cere voluisse verbis istis, quam, Non est necesse ut ego vos horter atque impellam ad officium istud charitatis mutuæ exercendum, tanquam si in eo negligentes essetis, quia in eo tam strenue, tam diligenter occupatos vos esse intelligo, ut doctrinam istam Dei plane imbibisse videamini, ac reipsa imbiberitis, tanquam veri discipuli boni & benefici Dei nostri. Non est itaque opus scribere ad vos tanquam si non faceretis hac in re officium, & monitione ut stimulo opus haberetis, sed quia satis diligenter hac in re officium facitis. Laudat enim hoc pacto Thessalonicensium studium, & laudando ut in eo perseverent hortatur; non quod in eo faciendo deficere non possent sponte sua, sed quia non deficiebant cum ad illos scribebat.

*Locus 1 Joan. II, 27.* Eadem est ratio loci 1 *Joan.* II. *versu* 27: *At vos unctionem quam accepistis à Deo, ea in vobis manet, & non est necesse ut quis vos doceat.* Nec enim in textu dicitur qualis hæc sit unctio, nec quomodo ea in iis ad quos scribit Joannes fuerit effecta, (quod tamen unum ex hoc textu concludendum tibi erat;) sed tantum legitur quod ii unctionem illam acceperant, uti hic dicitur, & unctionem illam habebant, ut *versu* 20. dixerat. Neque vero ad rem quicquam facit, quod dicat, *Necesse non habetis ut quisquam vos doceat:* Manifestum enim est ex *versu* 21. eundem istorum verborum sensum esse quem præcedenti loco retulimus, Non est necesse ut quisquam vos doceat tanquam si veritatem adhuc ignoraretis, quia eam nostis. Sic enim legitur, *Non scripsi vobis quasi veritatem ignoretis, sed quia eam nostis.* Hoc autem optime scire poterat Apostolus. At si de ista efficacia speciali hæc intellecta velis ab Apostolo, necesse est ut dicas Apostolum sciisse, id quod eum sciisse aut scire potuisse nullo modo fit verisimile; videlicet eos ad quos scribebat ab æterno nominatim electos fuisse à Deo, & efficaci illa operatione quam electorum propriam esse vis, donatos fuisse. Unde sequeretur, vel omnes ad quos scribebat Apostolus ab æterno ita electos fuisse, vel si verba ista ad paucos quosdam electos velis pertinuisse, Apostolum non scripsisse nisi ad paucos istos electos, aut rationem istam qua utitur hic non nisi ad paucos istos applicatam voluisse; cumque hortatio tota Apostoli ista ratione potissimum nitatur, hortationem etiam totam solis istis applicatam voluisse; quod profecto vanitate vanius videri merito debet.

*De vocibus creandi, regenerandi & similibus.* Ultimum argumentum ex Scripturæ locis istis desumis, quibus nos *Dei agricultura, Dei ædificatio*, quibusque *regenerari & creari denuo* dicimur. Atqui hæc loca metaphoricas locutiones continent, ex quibus argumenta formari non possunt nisi vertantur in proprias. Locutio enim figurata non est argumentativa, ut loquuntur. *Non nego id* (inquis) *sed ea demum concinna est metaphoræ interpretatio, quæ metaphoram non facit ridiculam & absurdam.* Recte *Jam vero, si renovatio naturæ nostræ eadem regeneratio & creatio dicitur, oportet certe ejus generis opus esse, quod cum creatione aliquam habeat cognationem.* Fateor. *At nullam habebit si tollas efficaciam operis, si homo vocetur in communionem hujus laudis, si illi partes suæ ita tribuantur ut quippiam feciisse statuatur quod à gratia Dei non sit omnino profectum.* At hoc est, Camero, principium petere, & per se falsum. Cur enim nullam habebit cognationem cum creatione, nisi habeat cognationem quod ad modum istum attinet? Efficacia enim non est solum illud quod in creatione est; & ad metaphoram non requiritur omnimoda rerum comparatarum æqualitas, nedum identitas, sed similitudo quævis sæpe sufficit. Jam autem in renovatione nostri hæc est similitudo sive cognatio cum creatione, 1. quod renovatio ista sit actio quæ à Deo primum proficiscitur, eumque solum authorem habet, in cujus laudis communionem homo non potest venire, quia actio illa nonnisi à Deo ipso primitus proficisci potest. 2. quod sit actio vim habens producendi effectum plane novum & qui antea non erat, id est producendi novam qualitatem, eamque bonam & pulchram, in anima hominis in qua vitiorum chaos & tenebræ locum habent. An non ubi hæc duo sunt, ibi cognatio aliqua est cum creatione? Certe si Scripturam videas, observabis non raro dici Deum creare simpliciter, creare cælum novum & terram novam, creare creationem, cum rem novam & insolentem facit, sive ea res sit insolens quædam & non ordinaria punitio, ut *Num.* XVI. 30. sive beneficium aliquod novum; imò cum non nisi novam aliquam rem annunciat, eum in finem ut populus annuntiationi isti fidem habeat, & ad colendum Deum adducatur, etiamsi annuntiationi isti fidem habere & per eam ad colendum Deum adduci nolit. Vide disertum locum *Esa.* XLVIII. 6. 7. 8. 9. 10, &c. *Audisti, vide totum hoc, & vos nonne annuntiabitis? audire feci te nova ex tunc & conservata apud me, & non noveras ea. Nunc creata sunt, & non ex tunc neque ante diem hunc audiveras ea, ne forte diceres, ecce noveram ea. Etiam non audivisti, etiam non cognovisti, etiam ex tunc non fuit aperta auris tua. Novi enim quod prævaricando prævaricaveris, quodque prævaricator ab utero vocatus sis.* Vide etiam *versum* 18: *Utinam attendisses ad mandata mea! tunc fuisset sicut flumen pax tua, & justitia tua velut fluctus maris*, &c. Quod si annunciatio novæ rei creatio recte dicitur, quomodo non recte annunciatio Euangelii quæ per Messiam facta est, & per quem mundum recreare, id est renovare cæpit, dicatur creatio? De beneficiis vide *Esa.* IV. 5. & *cap.* LXV. *vers.* 18. *Jerem.* XXXI. 22. in quibus creare Deus dicitur, quia voluit creare, id est beneficio singulari populum suum afficere, etiamsi id actu non fecerit propter contumaciam & rebellionem populi. Verum quicquid sit de usu vocis hujus in sacris, dico quando renovatio nostri vocatur *creatio*, dupliciter vocem creationis, sicut voces vocationis & electionis solent, accipi posse; vel ut significat actionem solam Dei, qua scilicet Deus ex parte sua facit quicquid ad producendum effectum à parte ipsius requiritur; vel ut significat actionem Dei cum qua effectus ipse conjunctus est, sive ad quam effectus ipse sequitur, quocunque demum modo sequatur. Primo modo renovatio nostri creatio dici potest ex parte Dei perfecta, & cum efficacia tali conjuncta quæ à nulla potentia creata potest impediri; eodem sensu quo Euangelii annunciatio, illuminatio, salvatio, regeneratio, vivificatio, liberatio, reconciliatio dicitur. Secundo modo renovatio nostri dicitur creatio, & nos creatura nova, quando nos divinæ isti actioni & creationi obicem non ponimus per voluntariam inobedientiam & contumaciam, quominus finem istum ad quem tendit consequatur. Et hoc sensu dicimur nos in Scripturis à Deo creati, *Ephes.* II. 10. κτίσμα τοῦ Θεοῦ κτισθέντες ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. & IV. 24. καινὸς ἄνθρωπος ὁ κατὰ θεὸν κτισθείς. Et *Coloss.* II. 10. νέος ἄνθρωπος ἀνακαινούμενος εἰς ἐπίγνωσιν τοῦ κτίσαντος αὐτόν. & nova creatura, 2 *Corinth.* V. 17. *Galat.* VI. 15. & simpliciter κτίσις, *Rom.* VIII. 19. 20. 21. 22. & κτίσις τοῦ Θεοῦ, *Apocal.* III. 14. vel κτίσμα ἁγίου, *Jacob.* I. 18. Hoc modo notatur itaque actio divina, quæ à solo Deo primum profecta & cum effectu conjuncta est, unde cognatio cum creatione major adhuc apparet. *At sola illa efficacia desideratur quam ego requiro*, inquies. Atqui ego dico istam efficaciam ad cognationem inter creationem & renovationem constituendam à te requiri sine ulla ratione, imo contra omnem rationis speciem. Nam 1. si illa requireretur, sane in creatione hac nostri, id est in renovatione nostri, vocatione nostri ad fidem, aut simpliciter præceptioni promisso præmii & comminatione pœnæ sanctitæ, locus non esset, ubi enim talis efficacia locum habet, ibi talis vocatio & talis præcipiendi formula non supervacua modo, sed & ridicula est, uti ex præcedentibus liquet, & ex tua propria confessione; quia ubi præceptio talis adhibetur, ibi is qui præcepto obedit vocatur in laudem obedientiæ. *Illius* enim *laus non est ex hominibus, sed ex Deo: Rom.* II. 29. *Et* (in illo die) inquit idem Apostolus 1 *Corinth.* IV. 5. *laus sua unicuique erit à Deo.* Unde qui obedit *dignus* vocatur præmio non tamen in Sacra Scriptura, imo *gloriationem habere in semetipso*, *Galat.* VI. 3. dicitur. At ubi efficacia talis adhibetur, ibi homo non vocatur in communionem laudis. Ergo. 2. Ubi talis præceptio locum habet, ibi is qui præceptioni tali morem gerit, *secundum opera sua* recepturus à Deo dicitur, *Rom.* II. 6. *recepturus prout opus ipsius fuit*, *Apocal.* XXII. 12. imo recepturus præmium *quia ista opera fecit*, *Matth.* XXV. 34. 35. & *beatus in operatione sua futurus*, *Jacob.* I, 25. At ubi talis qualem statuis efficacia locum habet, ibi homo nihil feciisse statui potest quod à gratia Dei NB. *omnino* non sit profectum. Quod autem à gratia Dei omnino profectum est, id totum Dei, nullo autem modo hominis opus est. Ergo secundum illud ut opus suum homo recipere nihil potest, ac ne debet quidem. Deinde apparet id ex eo, quod κτίσις hæc vocetur generatio quæ per sermonem veritatis fit, uti est *Jacob.* I. 18. *Is quia voluit, progenuit nos sermone veritatis, ut essemus primitiæ quædam creaturarum ipsius.* At sermo veritatis instrumentum efficaciæ istius esse non potest, ut ex antedictis liquet; Et non esse tale instrumentum ipsa Scriptura docet, quando ait fieri posse ut non sit *contemperatus fide in iis qui eum audiunt*, & quibus tamen *eodem modo euangelizatur quo illis qui fide illum recipiunt*, *Hebr.* IV. 2. Item quod vocetur illuminatio aut missio novæ & veræ lucis in mundum, quæ *omnem hominem illuminat*, & *in ipsis tenebris lucet*, *Joh.* I. 3. 4. 5. cum tamen diserte capite eodem primo dicatur, *tenebræ lucem istam non comprehendisse*, id est comprehendere noluisse; vel ut *versu* 10. dicitur, *non agnovisse*, & *vers.* 11. *non recepisse*; *eo quod diligerent magis tenebras quam lucem*, *versu* 19. *cap.* III. Denique quod diserte dicatur, *mundus per Christum factus, & quod tamen mundus eum non agnovit.*

Eadem est ratio verbi *ædificandi & plantandi.* Tantum hoc addo, Deum dici in Scripturis non raro ædificare & plantare, quando tantum propositum & consilium ædificandi & plantandi habet, omniaque ea quæ ad ædificationem perti- *De vocibus ædificandi & plantandi,*

ciendam neceſſaria ſunt à parte ſua adhibet, imo cum jam in ædificando eſt, licet ædificatio ipſa non abſolvatur nec perficiatur. Ita *Jerem.* XVIII. *Repentè loquar ad populum ad ædificandum & plantandum*, id eſt, ego ædifico & planto te, vel ego ædificabo & plantabo te. *Et, ſi fecerit malum in oculis meis, ut non audiat vocem meam, pœnitebit me ad benefaciendum illi.* & cap. XXIV. 7. *Ponam oculum meum ſuper eos in bonum, & reducam eos in terram hanc, & ædificabo eos neque deſtruam, plantaboque eos neq; evellam. Et dabo eis cor ut ſciant me quod ſum Jehova, eruntque mihi in populum, & ego ero eis in Deum, quia revertentur ad me toto corde ſuo.* Ædificaturum ſe dicit Deus populum ſuum & non deſtructurum, plantaturum & non everſurum: neque tamen ædificavit eos quia ædificari noluerunt, imo quod ædificare cæperat id deſtruxit, ita ut *domum eorum deſertam reliquerit*, *Matth.* XXIII. 38. & quod plantaverat *id defregit, id excedit*, *Rom.* XI. 19. 22. & quibus promiſerat ſe daturum cor ut cognoſcerent Deum ſuum, *illis dedit Deus ſpiritum ſoporis, oculos ut non videant & aures ut non audiant*, *Rom.* XI. 8. Cæterum plantationem & ædificationem non notare etiam talem efficaciam, ſolùm cap. V. *Eſa.* te docere poteſt. Ibi enim dicitur Deus diſerte *vineam plantaſſe planiſ* NB. *vitis optimæ, & ædificaſſe etiam turrim in ejus medio, & excidiſſe torcular in ea, & expectaſſe ut faceret uvas, & ecce* (inquit textus) *fecit labruſcas.* Sed quid ego his diutius immoror, cum nequidem rationem ullam allegaveris, undè veriſimiliter colligi poſſit hiſce vocibus, *ædificandi* ſcilicet & *plantandi* efficaciam notari quam effectus neceſſario ſequitur? Solius tantum *creationis* vocem repetiiſti, quia iſta vox tibi ſpecioſior viſa fuit ad concluſionem tuam veriſimilem reddendam. Sed nullam harum vocum ſervire tibi aut concluſioni tuæ jam ſatis ſuperque oſtendimus.

Atque hæc quidem ſunt omnia illa loca Scripturæ quæ paginis à te citatis allegata reperio, & quibus præcipue ſententiam tuam niti profiteris. Tuum jam eſt diſpicere, an illa quàm cætera majorem, imò an parem vim habeant. Mihi ſane, niſi illa fortioribus rationibus adſtruxeris, vis eorum longe infra cæterorum vim ponenda eſſe videtur. Sed de hac re æquus Lector judicet. Pergo jam ad vindicias ſolutionum mearum, quas in Epiſtola ad argumenta tua dedi, & tu deinceps impugnas.

*An homo appeteret malum ſub ratione mali, ſi voluntas ab intellectu non determinaretur.*

Primum argumentum tuum propoſueram tuis propriis verbis: *Si voluntas non determinatur à judicio rationis, aut ſi illuminato intellectu non flectitur voluntas* (adde neceſſariò vel irreſiſtibiliter) *appetere poterit voluntas malum ſub ratione mali: voluntas enim ferretur in id quod intellectus judicio malum æſtimatur. Nam voluntas per ſe nihil æſtimat: intellectus eſt judicare. Rem agnoſco* (inquis.) Bene habet. Agnoſce etiam verba tua, Camero, quia ipſiſſima ſunt.

Ad hoc argumentum tuum reſponderam hunc in modum: 1. Si jure agere velim, dicam argumentum hoc deſtruere ſeipſum. Si enim voluntas nihil æſtimat, uti tu ſupponis, quomodo quæſo in malum ferri poterit ſub ratione mali? Hanc ſolutionem ſatis per ſe evidentem pro more tuo illiberali ſarcaſmo excipis.

*Quæſo te* (inquis) *non didiciſti in Scholis puer, Voluntatem tum dici ferri in bonum ſub ratione boni, cum fertur in id quod judicium mentis pro bono habet, itidemque non ferri in malum ſub ratione mali, cum vel refugit vel non fertur in id quod mentis judicio malum æſtimatur? Homo doctus, rem tam notam adeo ignoraſti?* &c.

Ita, Camero: id in Scholis puer didici; ſed quod puer didici, id vir dedidici. Cum puer eſſem, ut puer loquebar, ut puer ſapiebam, ut puer ratiocinabar, & quod tradebant magiſtri ſine judicio admittebam. Vir factus κατήργηκα τὰ τοῦ νηπίου. Tu ſi retines omnia quæ puer didiciſti, aut valde felix fuiſti quod nihil dediſcendum didiceris, aut inſignis es προγεγηρακὼς quod te virum pudeat eorum quicquam dediſcere quæ puer & imberbis didiciſti. Vide utrum hic tibi poſterius non acciderit. Certe voluntatem tum ferri in bonum ſub ratione boni, cum fertur in id quod judicium mentis pro bono habet, & contra ferri in malum ſub ratione mali cum fertur in id quod judicium mentis pro malo habet, cùm tamen ipſa voluntas rationem iſtam mali aut judicium iſtud non percipiat, eſt (ſi bene conſideres) prorſus ἀκατάληπτον. Ferri enim in bonum ſub ratione boni, quod ab alio realiter à te diſtincto bonum judicatur, tu autem an bonum ſit non percipis, eſt ferri in bonum ſub ratione boni ſine ratione; quod contradictionem habet in adjecto. Qui enim in rem fertur ſub certa ratione, is neceſſe eſt ut rationem illam ſub qua fertur in rem, aut intelligat aut apprehendat ut talem; alioquin revera non magis fertur in rem ſub ratione tali, quam ſub ratione quavis alia. Quis cæcum hominem qui ab oculato deducitur, ut eum in foveam præcipitet, oculatum ſub ea ratione ſequi dixerit, ut in foveam ſeipſum præcipitet? Sed & natura rei aliter te docere potuit, poſtquam puer eſſe deſiiſti. Poſito enim quod intellectus errore imbutus, judicet malum eſſe appetere honeſtum, aut appetere id quod Deus nobis in Euangelio jubet; Voluntas autem pro ſua libertate non ſequatur judicium illud intellectus, ſed ferri velit in honeſtum aut in id quod Deus jubet, an dices tu idcirco voluntatem ferri in malum ſub ratione mali? An honeſtum & quod Deus jubet idcirco malum eſt aut malum fit, quia intellectus iſtud malum eſſe judicat? &, ſi in iſtud feratur voluntas, an feretur in iſtud ſub ratione mali? An honeſtum iſtud non eſt & non manet ex ſe appetibile, etiamſi intellectus judicet iſtud non eſſe voluntati appetendum? imò an idcirco intellectus judicavit illud non eſſe omnino appetibile, & ſic malum proprie, quia judicavit illud non eſſe appetendum? Verum enimverò ſi præciſè agere mihi liberet, poſito etiam quod intellectus judicet aliquid ne appetibile quidem eſſe, nõdum tamen voluntas in malum ſub ratione mali ferri dici poſſet quando in iſtud ferretur. Nam aut vere judicavit intellectus, aut falsò. Si verè, jam neceſſe eſt ut ipſa res in ſe appetibilis non fuerit; nam judicii veritas eſt conformatio conceptus noſtri cum re. Res itaque prior talis fuit, quam judicium tale eſt, quia judicium eſt de re. Si falsò judicavit intellectus, jam voluntas ferri poteſt in rem iſtam ut ex ſe appetibilem & bonam natura ſua, etiamſi intellectus judicaverit eam non modo non appetendam, ſed ne appetibilem quidem eſſe. Sola repræſentatio rei bonæ ſive appetibilis ex ſe, cum quocunque judicio repræſentetur, ſufficit ut voluntas dici poſſit non ferri in illud ſub ratione mali. Hæc tu vir doctiſſime non conſideraſti poſtquam è pueritia tua exiviſti, & inter puerorum cathedras plorare deſiiſti?

Et hinc natus eſt alter tuus error, qui te non permiſit intelligere vim ſolutionis meæ ſecundæ, quæ hæc fuit: Supponit hæc ratio malum ab intellectu apprehenſum appetibile eſſe, aut voluntatem in illud ferri poſſe; quod abſurdum eſt.

*Mira, profecto, mira* (inquis) *hîc narras.* Cur Camero? *Mea ratio* (inquis) *tanquam abſurdum ponit, malum ab intellectu comprehenſum appeti poſſe.* Recte, inquam; ſed non ponit id quod intellectus malum eſſe judicat, ita malum eſſe ut nullo modo ſit appetibile. Hoc autem niſi ſupponat, nulla vis, nullum robur eſt in argumento tuo. Sic enim concludis; Si voluntas non neceſſariò ſequitur rationis judicium, poterit malum appetere ſub ratione mali. Hoc autem niſi interpreteris hoc pacto, *poterit voluntas id quod malum eſt, & ſub ratione mali proponitur ab intellectu, appetere*, ac proinde ſupponas malum qua tale, & ut tale ab intellectu apprehenſum, appeti poſſe, vim argumenti tui deſtruxeris. Nam ſi aliquo modo eſt bonum quod ſub ratione mali ab intellectu concipitur, atque ita voluntati repræſentatur, & in illud feratur voluntas, non feretur in malum ſub ratione mali, ſed in bonum quod ab intellectu malum judicatur. Quare ſi vis argumento tuo conſtare robur ſuum, ſupponas neceſſe eſt id quod dico; exempli gratia, Intellectus judicat aliquando voluptatem appetendam eſſe, non autem virtutem. Virtutem itaque appetere judicat intellectus malum eſſe, juxta te. Poſito hoc judicio in intellectu, voluntas non poterit appetere virtutem, quia malum appeteret ſub ratione mali, inquis. Contra ego dico, Poſito quod voluntas pro libertate iſta quam ego ei tribuo, virtutem appeteret contra judicium rationis, non poſſet tamen dici ferri in malum ſub ratione mali, niſi ſupponatur virtutem rem ex ſe malam eſſe, & ſic, ut ita dicam, inappetibilem. Si enim virtus appetibilis revera eſt, & intellectus judicans non eſſe appetendam, non judicaverit tamen eam nullo modo appetibilem eſſe, aut falsò ita judicaverit, poterit ſane voluntas in virtutem tanquam in objectum ſuum, id eſt tanquam in rem bonam ferri, quia voluntas eſt appetitus quidam. Appetitus autem & appetibile ſunt relata. Si non eſſet appetibilis ex ſe, & voluntas tamen in eam ferri poſſe diceretur, etiam quando intellectus judicaſſet eam appetibilem non eſſe, tum demum certum eſſet voluntatem ferri poſſe in malum ſub ratione mali, id eſt in id quod appetibile non eſt. Vide ut accurate rationem ſyllogiſmorum hypotheticorum noveris, Camero; & quomodo adverſario tuo, dum eum naſo ſuſpendis, ludibrium debeas! Et hoc totum eſt ex eo quod quædam vir non dediciſti quæ puer male didiciſti. Tale etiam eſt id quod ſequitur.

*De diſtinctione intellectus & voluntatis à ſe invicem.*

Reſponderam tertio ad rem ipſam argumento comprehenſam: Nullam eſſe in argumento conſequentiam, ſi id tantum attendatur, quod antea monueram in Epiſtola, per voluntatem, quando ea ſeipſam dicitur determinare, non ſignificari Logice aut Phyſice ipſam, ut loquuntur, potentiam voluntatis, quæ realiter à mente & ab ipſa anima diſtincta eſſe dicitur; ſed ipſam animam aut potius ipſum hominem totum intelligi.

Hîc tu, quia verbulo dixeram, *Sed ad rem*, procemio ſatyrico

tyrico istud *ad rem* exagitas priusquam ad rem venias. Hæc febris est animi tui. Admordes quicquid occurrit in quod dentem impingere te posse credis. *Nempe ergo*, inquis, *hactenus nihil respondisti ad rem? Tu-ne vir gravis, censor alienæ sententiæ* (tuæ scilicet, quantum crimen!) *non nisi post multas & longas ambages respondes ad rem?* Ego vero unica tantum quæstione hîc me ulciscar, Camero. Annon potuisti paulò modestius hoc quærere? Cur adeo libenter mordes innoxia verba? Nam ego quidem hîc causam tibi nullam dedi, nec potuisti ignorare causam mihi fuisse cur dicerem, *Ad rem:* quia videlicet rationem istam, an argumentum tuum destrueret seipsum, seponere paratus eram; quasi dixissem: Esto: jure agere nolo: (dixeram enim, si jure agere velim:) dabo argumentum tuum non destruere seipsum: rem quæ argumento subest videamus. Quid candidius? Et ubi sunt, obsecro, multæ & longæ istæ ambages quas narras? Video quid sit; aut monstrare voluisti te non esse scriptorem edentulum, aut voluisti adversarium tuum hisce sarcasticis interjectionibus ludibrio propinare Lectori, ut ab eo redderetur alienior. Sed id vir sapiens non solet, vir bonus non vult, & Christianus non debet. Age itaque iterum ad rem.

*Sed ad eam etiam non respondes*, inquis. *Nam quod consequentiam rationis meæ negas, facis hoc nulla adjecta ratione. Tantum mones, quasi* (inquis) *tibi cum puerum res esset, ipsum hominem se determinare cum voluntas ipsa se determinat. quasi verò jam illud esset ab ullo positum in dubio?*

Naturam expellas furca, tamen usque recurret
Ad mores damnata suos.

Nimis ægrè fers, Camero, si quis te vel moneat vel doceat, quasi statim inter pueros censearis, aut nihil sit quod vir & Professor possis adhuc discere. Non possum tamen quin te hîc iterum moneam, te non intellexisse responsionem meam, & non animadvertere hujus tuæ propriæ responsionis difficultates. Patere ut hoc tibi ostendam, oro. Cum monui in Epistola mea amicum meum, me per voluntatem non intelligere potentiam aliquam realiter distinctam ab anima & ab intellectu, sed ipsum hominem sive animam humanam; respexi ad quæstionem quæ in Scholis ventilari solet, An intellectus & voluntas sint potentiæ animæ realiter ab anima & inter se distinctæ; & quanquam plerique in affirmantem partem propendeant, tamen negativam ejusque rationes mihi magis probari amico meo significavi. Rationes non attuli, sed eæ potissimum sunt duæ, quæ mihi tanti momenti semper visæ fuerunt, ex quo rem istam propius paulum introspicere cæpi, inprimis in hoc argumento, ut in eo (nisi vehementer fallor) absque earum intelligentia pæne in perpetuo difficultatum labyrintho versari necesse sit. Prima est, quia alias sequeretur ipsam animam nec intelligere nec velle. Altera eaque præcipua est, quia alias sequeretur volitionem hominis liberam nil nisi brutum & cæcum quendam impetum seu motum esse, ac proinde totam virtutis & vitii, præmii & pœnæ rationem non esse nisi rem ludicram & pænè theatricam. Prima ratio fundamento satis claro nititur; quia si intellectus & voluntas sint potentiæ realiter distinctæ ab anima, tum intellectus intelliget tantum, voluntas volet tantum: Anima autem ipsa, utpote realiter ab illis distincta, nec intelligere nec velle dicetur. Nam si anima ipsa dicatur etiam intelligere & velle, sine dubio recipiet in se ipsa immediatè intellectionem, & eliciet à se ipsa volitionem. At hoc fieri non posse dicunt authores isti, quia anima immediatum principium operationis suæ esse non potest; Est enim hæc divina perfectio, inquiunt; & si omnino fieri id posse concedant, necesse est ut concedant supervacaneas tum esse potentias istas, & bis eandem rem intelligi ab homine, primò per potentiam intelligendi realiter ab anima distinctam, deinde per animam ipsam potentiæ istius intellectionem in se ipsa immediatè recipientem. Et similiter se res habet in volitione. Quia autem entia sine necessitate, imò cum manifesta absurditate multiplicanda non sunt, hinc est quod animam immediatè intelligere & velle statuendum mihi videatur, cùm nulla ratio sit quæ contrarium statuere cogat. Secunda ratio non minus claro fundamento nititur: Quia si voluntas est potentia realiter distincta ab intellectu, tum sane voluntas non magis intelligit, non magis judicat, non magis æstimat id quod vult, quam intellectus vult id quod intelligit. Velle itaque quod voluntatis actus est, sive statuatur liberum aut ἀναίφορον esse, sive statuatur necessarium, nil aliud esse potest quam cæca & bruta voluntatis motio, quæ vel sine ratione ulla fertur quo vult, vel si à ratione ducatur, cæci instar ducitur quo nescit; quia an vera an falsa ratio sit qua ducitur non magis intelligit quam cæcus videt an à sapiente an à fatuo, an recte an male ducatur. Atque hoc utrumque cum everat funditus non religionem tantum omnem, sed etiam omnem disciplinam & πολίτευμα, quibus tribus vinculis humana societas continetur, fieri non potest quin id ex quo utrumque illud sequi necesse est, falsum sit ac falsum meritò videri debeat. Ex hoc jam patet quod causam habuerim non levem hac de re monendi amicum meum, & quia Epistola in manus tuas venit, monendi etiam te, Camero. Est enim res in omnem vitam utilissima, & pæne dixerim necessaria, impedimentis istis philosophicis, in religionis & virtutis studio, tanquam totidem remoris non retardari. Atque utinam id non raro in optimis alioquin ingeniis fieret! Breviter itaque concludo; Cùm intellectum & voluntatem dico, animam ipsam volo intelligi, quæ ab intellectu & voluntate differt ut Ens ab uno, vero & bono, ut rectè in Exercitationibus suis monuit Julius Scaliger. Quare quod de principio *quo* & *quod* dicis, illud plane rejiciendum mihi videtur, quia anima, intellectus, voluntas re unum idemque mihi sunt, & solis tantum rationibus sive conceptibus differunt. Quare cum hîc tu quæris,

*Quid hoc jam ad rem? Eone juvatur tua causa, vel lædituri mea?* satis ostendis, Camero, te non recte percepisse mentem meam. Nam mirum ni tu alioquin id primo statim intuitu vidisses. Si enim voluntas & intellectus re unum idemque sunt inter se & cum ipsa anima, quomodo fieri potest ut argumenti tui consequentiam fundes in eo quod voluntas per se nihil æstimet, Intellectus autem sit judicare? Si enim eadem anima est quæ intelligit & quæ vult immediatè per se ipsam, ac proinde voluntas re ipsa nihil est nisi anima, certè eadem illa anima quæ vult, judicat etiam & æstimat. Ut hîc dicas animam quà vult non judicare, id frivolum foret. Satis enim est, si anima quæ vult, eadem intelligat & judicet, & quæ judicat, eadem pro libertate sua possit velle aut nolle id quod judicavit quale sit. Quantopere autem per hoc juvetur causa mea, & tua lædatur, ex re ipsa liquet. Idem enim homo, vel eadem hominis anima, postquam rei totius qualitatem perpendit & judicium de ea formavit, potest rem istam pro sua libertate velle aut nolle, (summo semper bono excepto) &, si aliud bonum objectum sese offerat, priore isto minus viliusque, & quod præ illo mali rationem habere dici possit, potest illud velle atque amplecti, non quatenus simpliciter malum est, sub tali ratione mali, sed quatenus bonum est, quod qua tale revera appetibile est, & qua tale ab anima etiam cognitum est, etiam si minus bonum sit & minus bonum esse ab eadem anima judicatum sit.

*Atqui* (inquis) *ego ipse satis clare ostendi in Collat. cum D. Tileno quantopere ab isto deliramento alienus sim.*

Nullo modo id ostendisti, Camero; sed dicendo quod D. Tilenus fingat voluntatem oculos habere quibus cernat bonum à mente monstratum, quia cernere mentis est, non autem voluntatis, contrarium plane ostendisti, videlicet deliramentum istud quod vocas tibi placere; & cum nihilominus eodem spiritu subjungis, eandem esse animam quæ quatenus videt intelligere, & quatenus viso delectatur aut afficitur, velle dicitur, non consequenter te loqui ostendisti. Nam si eandem vis esse animam quæ intelligit & vult, ita ut intelligere & velle non distinguantur nisi per nudum *Quatenus*, quomodo fundas rationem ejus quod voluntas ferretur in malum sub ratione mali, si ferretur in id quod intellectus judicavit malum esse, in eo quod voluntas nihil æstimat nihil judicat? Nam si sit eadem anima quæ vult & judicat, sane quando anima vult, eadem jam ante judicavit, jam ante æstimavit quale sit quod vult. Itaque quando judicavit aliquid malum esse, & tamen illud vult, id certissimum signum est aut animam non judicasse illud ita malum esse ut nullo modo appeti possit, aut si id ita judicavit, falsò judicasse, quia alioquin impossibile esset ut illud appeteret. Malum enim qua tale non potest esse objectum appetitus sive animæ appetentis. Sed id quod te decepit aut potius in quo tu ludis est vox *Mali*. Nam malum hîc accipis aut pro eo quod simpliciter opponitur bono; aut pro eo quod comparate tantum opponitur bono, id est quod minus bonum est. Deinde *malum* accipis aut pro eo quod physice malum est, id est quod noxium est; aut pro eo quod moraliter malum est, id est quod licet physice bonum sit, tamen vetitum est lege, & sic malum, id est difforme est bonæ Dei voluntati. Si malum accipias pro malo quod simpliciter bono opponitur, aut bono naturæ, tum voluntas neutrum potest appetere sub ista formali ratione, qui a sub ratione ista formali non est appetibile, neque potest esse objectum appetitus aut voluntatis. Si verò malum accipias pro eo quod minus bonum est, aut pro eo quod vetitum est, dico fieri posse ut voluntas sive anima bonum quod sub ista ratione formali malum est appetat: neque tamen propterea malum appetet sub ratione mali, sed bonum appetet sub certa ratione mali, id est bonum appetet, quatenus mi-

nus bonum eſt, & ſic quatenus vetitum eſt, quæ duo non repugnare manifeſtum eſt. Nam minus bonum eſſe, ſupponit bonum eſſe; & bonum vetitum, ſupponit bonum. Qui itaque bonum minus appetit qua tale, is profectò non definit bonum appetere, & qui bonum appetit vetitum qua tale, is non definit bonum appetere, etiam ſub ratione boni, cui tamen extrinſecus accedat certa ratio mali, id eſt vel minoris boni ratio per comparationem ejus ad aliud majus bonum, vel ratio boni vetiti & ſic illiciti per voluntatem ſuperioris aut regulam cui applicatur. Loquor autem de regula & voluntate poſitiva; alia enim eſt ratio mali quod intrinſecè & ex ſe malum atque illicitum eſt. Quare cum dicis, Camero, me negare hominem ſub ratione boni velle quicquid vult, etiam cum perſuaſum animo habet id eſſe malum, in eo erras, ſi per malum intelligas (uti te intelligere æquum eſt) minus bonum, aut bonum lege poſitiva vetitum. Affirmo enim id fieri poſſe, ſemperque adeo fieri, quando homo contra conſcientiam ſuam peccat. Itaque non ſtat, ſed cadit ſententia tua.

At inquis, *Nulla fit converſio, ni peccator & agnoverit verè bonum & agnoverit verè malum.*

Rectè, Camero; ſed de eo non quæritur. Probandum eſt converſionem tum fieri, & quidem neceſſariò, quando peccator cognovit verè bonum & cognovit verè malum. Aliud eſt peccatorem non converti niſi agnoſcat verè bonum, aliud non poſſe non converti, ſi modo illud cognoſcat. Iſtud concedo, hoc nego. Dico enim fieri poſſe ut peccator ſufficiente boni & mali notitia inſtructus ſit, & tamen non convertatur, & converſus ſemel, iterum peccatis ſeſe dedat, ſalva interim manente eadem illa notitia, cujus auxilio converſus fuerat, prout jam ante clariſſimis Scripturæ textibus à me demonſtratum eſt, & in ſequente argumento (quod ea de re peculiariter tractat) iterum demonſtrabitur.

*An μετάνοια ſeu reſipiſcentia proprie ſit mentis.*

*Unde etiam converſio*, inquis, *reſipiſcentia*, μετάνοια *in Scripturâ vocatur. Atqui reſipiſcere*, μετανοεῖν, *mentis primo & proprie ſunt, ut ipſa oſtendit vis verborum; ad voluntatem verò referuntur propter ſequelæ & conjunctionis neceſſitatem.*

Quaſi verò μετάνοια id quod mentis eſt primò & propriè ſignificet, aut ſi id primò ac propriè juxta Grammaticam ſignificet, Grammaticæ iſtius proprietatis rationem ſemper habuerit Scriptura quando voce iſta utitur. *At* (inquis) *ipſa vis verborum oſtendit primò ac propriè ad mentem pertinere reſipiſcentiam &* μετάνοιαν. Atqui, inquam, quam graviter hac in re decipiaris, quod voces compoſitæ ex νοῦς & præpoſitione, mentis actionem primo ac propriè ſignificent, ſola vox εὐνοίας te docere potuiſſet, quæ Latinis non bene intelligentiam, ſed ab ipſo voluntatis actu derivata voce benevolentiam ſignificat, & apud Græcos primò ac propriè idem ſonat. Proprietatis autem ipſius rationem ſæpe non haberi, vox σωτηρίας indicat, quæ etſi providentia à mentis actu vocari ſoleat, non tamen actum ſolum mentis, id eſt præſcientiam, ſed regimen, directionem, gubernationem, curam aliaſque voluntatis liberæ actiones, primò ac propriè ſignificat. Et hoc ſenſu verbo σωτηρεῖν utitur Apoſtolus, *Rom.* XII. 17. σωτηρεύμεθα καλὰ ἐνώπιον πάντων ἀνθρώπων. item 1 *Tim.* V. 8. Similiter vox ἀγαθωσύνης indicat, cui diſertè Apoſtolus θέλημα tribuit, *Epheſ.* II. 3. ποιοῦντες τὰ θελήματα τῆ σαρκὸς καὶ τῶν ἀγαθωσυνῶν; imo ἐχθρὰν, *Coloſſ.* I. 21. ἐχθροὺς τῆ διανοίᾳ. ubi ἀγαθωσύνην pro voluntate accipi, non autem pro mente, tu ipſe fateris pag. 71. *quia inimicitia vel odium actus eſt non mentis ſed voluntatis.* Sed & quis neſcit voces iſtas νοῦν, ἀγαθωσύνην, καρδίαν in Scriptura non juxta proprietatem ſignificationis ſuæ, ſed fere ſynecdochicè pro tota hominis anima, ac non raro pro voluntate ipſa accipi? de ἀγαθωσύνῃ jam vidimus; de καρδίᾳ ſolus locus *Matth.* XV. 18. 19. certos non facit. Dicitur enim iſthic οὐκ καρδίας, *ex corde, exire non tantum* διαλογισμοὺς πονηροὺς, *ſed & adulteria, cædes, ſcortationes, falſa teſtimonia, maledicta.* de voce νοῦς patet ex 1 *Corinth.* I. 10. *Ne ſint inter vos diſſidia*, ἦτε δὲ κατηρτισμένοι ἐν τῷ αὐτῷ νοῒ, id eſt eodem animo; quaſi diceret, eſtote concordes atque unanimes, (opponitur enim τῇ σχίσματι.) & 1 Cor. II. 16, τὶς γὰρ ἔγνω νοῦν κυρίου: *Quis novit mentem Domini*, id eſt voluntatem, decretum, conſilium voluntatis ipſius, ut alibi Scriptura loquitur. Et hoc ſenſu νοῦν καὶ συνείδησιν pro voluntate ſive animo accipi crediderim *Tit.* I. 15. *Polluta autem & incredula nihil eſt purum*, ἀλλὰ μεμίανται αὐτῶν καὶ ὁ νοῦς καὶ ἡ συνείδησις. ut ſenſus ſit, etiamſi tales abſtineant à cibis immundis, & hac ratione Deum colere videri velint, tamen animus ipſorum ſive voluntas intus corrupta eſt, uti ex operibus ipſorum (quod verſu ſequenti indicat) manifeſtè videre eſt.

Cæterum ipſam vocem μετάνοιας quod attinet, eam non ſignificare in Scripturis primò ac propriè mentis actum, & ad voluntatem referri propter ſequelæ & conjunctionis neceſſitatem, uti tu ſtatuis; ſed contra primò ac propriè ſignificare actum voluntatis, non quatenus ex mentis actu neceſſario ſequitur, ſed quatenus ex eo juxta Dei præſcriptum ſequi debet, etiamſi ſæpenumero non ſequatur, evinco 1. Ex locis iſtis omnibus ubi exacta divinæ voluntatis notitia tribuitur iis à quibus tamen exigitur μετάνοια, *Rom.* II. 3. *An divitias bonitatis illius & tolerantiæ ac lenitatis contemnis, ignoras*, id eſt quaſi ignores, aut ignorare volens, ὅτι τὸ χρηστὸν τοῦ Θεοῦ εἰς μετάνοιάν σε ἄγει? quaſi dicat, Neutiquam id potes ignorare, optimè id ſcis; uti apparet ex eo quod loquatur de iis quibus tribuit quod non tantum *ſcirent ea quæ facienda erant, ut effugerent Dei judicium*, ſed etiam *quod damnarent eos qui contraria agebant, verſu.* 3. quod *ſcirent voluntatem Dei, verſu* 18. *& explorarent ea quæ* (à lege) *diſcrepant, inſtituti ex lege*, &c. *ibid. confidentes ſe duces eſſe cæcorum, & lucem eorum qui ſunt in tenebris, verſu* 19. Huc refer loca illa omnia ubi ad reſipiſcentiam vocantur & μετανοεῖν jubentur ii qui ſemel regeniti fuerant, id eſt illuminati fuerant plena divinæ voluntatis notitia, & Deo aliquandiu ex animo obediverant, ſed vel plane defecerant ab obedientia iſta, vel in obedientiæ ſtudio refrixerant. *Apocal.* II. 4: *Habeo adverſum te quod caritatem primam omiſeris. Memento itaque unde excideris &* μετανόησον, *ac priora opera facito.* & *verſu* 16. & per totum caput ſecundum & tertium. Ab hiſce autem ſi μετάνοιαν exegiſſet Deus quatenus illa primò & proprie actum mentis ſignificat, ſtatuendum tibi foret, Camero, regenitos iſtos deſiiſſe eſſe regenitos, id eſt ſcientia vera ac ſalutari præditos: quod ſcio nec tu dices, nec cum ſpecie aliqua vere dicere potes. Nam ſi ſcientia illa ex mente eorum ſublata fuit, memoria eorum vitiata fuerit neceſſe eſt, aut à Deo, aut caſu, aut morbo aliquo: (peccato enim vitiata eſſe non potuit, tum quia ſtante illa ſcientia error in mentem non potuit irrepere, ac proinde voluntas eorum recta ſemper fuerit neceſſe eſt, uti tu loqueris; tum quia peccatum ſcientiam, vel rei ſemel ſcitæ memoriam, ex mente non delet.) At ſic ut reſipiſcerent mandari ipſis non poterat, nec ut reſipiſcerent aut opus aut poſſibile ipſis erat. Augetur hoc argumentum valde ex eo, quod iſti tales jubeantur paſſim μετανοεῖν ἐκ τῶν ἔργων αὐτῶν, & ἐκ τῶν ἔργων τῶν πονηρῶν αὐτῶν, *Apoc.* II. 22. & IX. 20. 21. & XVI. 11. ἐκ τῆς πορνείας αὐτῆς, *Apocal.* II. 21. ἀπὸ τῆς κακίας. *Act.* VIII. 22. ἐπὶ τῇ ἀκαθαρσίᾳ καὶ πορνείᾳ καὶ ἀσελγείᾳ ἃ ἔπραξαν, 2 *Corinth.* XII. 21. Nam ab operibus iſtis μετανοεῖν, non eſt ſcientiam recipere quod opera iſta mala ſint, ſed opera iſta quæ mala eſſe ſciuntur odiſſe & relinquere, ac contrariis operibus operam dare, ſive juſtitiam diligere, uti Scriptura loquitur. 2. Evinco id ipſum ex locis iſtis in quibus οὐ μετανοοῦν, non reſipiſcere, ἀμεταμέλητοι, ἀνήκητοι, ἀσύνετοι, imo ἀμεταμέλητον καρδίαν habere dicuntur ii qui optime divinam voluntatem ſciebant, & qui reſipiſcere non debebant tantum ſed & poterant. Talia *Rom.* II. 5, ibi enim ἀμετανόητος καρδία, imo σκληρότης cordis tribuitur iis quibus ſcientiam divinæ voluntatis perfectam non defuiſſe jam ante oſtendimus. *Apocal.* II. 21. & 2 *Corinth.* XII. 21. *Matth.* XI. 20. & XXI. 32. *Luc.* XI. 32. Addo jam his locis non reſipiſcere dici eos, qui tamen optime ſciebant aut ſcire ſaltem poterant Dei voluntatem. quod colligo ex duobus; primò, quod hi non ſolum eo nomine quod non reſipiſcerent graviſſimè reprehendantur, ſed quod reprehenſionis iſtius fundamentum & cauſa ſtatuatur hæc eſſe, quod ipſis voluntas divina apertè revelata eſſet, ac proinde vel clare cognita & perſpecta eſſet, vel cognoſcendi ſaltem cauſa ſufficiens data eſſet, ita ut à parte Dei jure deſiderare nihil amplius poſſent quo ad reſipiſcentiam moverentur; prout apparet ex *Matt.* XI. 20. & XXI. 32. ibi enim reprehenduntur Corazin, Bethſaida & Capernaum quod non reſipuerunt ad prædicationem Chriſti, miraculis & virtutibus multis magniſque confirmatam, quia ad eam reſipuiſſent, ſi modò iis iſta eadem media obtigiſſent, Tyrii & Sidonii, qui ipſis multo videbantur nequiores. Hæc autem oratio Chriſti quam ſpeciem veri, aut quam emphaſin, quem nervum, quod os haberet, ſi Corazitæ, Bethſaditæ & Capernaitæ per prædicationem iſtam non acceperant ſcientiam aut occaſionem ſciendi talem qua fieri poterat ut reſipiſcerent? Et contra ſi Tyrii & Sidonii una cum prædicatione iſta acceſſiſſent peculiarem ſcientiam, qua non ſolum fieri poterat ut reſipiſcerent, ſed qua poſita fieri non poterat quin reſipiſcerent? Sic *Matth.* XXI. 32 dicitur, *Venit ad vos Joannes via juſtitiæ, & non credidiſtis ei, publicani vero & meretrices crediderunt ei; vos autem qui hoc vidiſtis non reſipuiſtis* NB. *poſtea, ut ei crederetis*; imò ut eſt *Luc.* VII. 30. *conſilium Dei contra vos* (vel erga vos) *adſpernati eſtis*, vel potius irritum reddidiſtis. Secundò, quia idcirco quod iſtis occaſionibus ad reſipiſcentiam agendam adduci ſe paſſi non ſint, rei dicuntur fieri, imò ipſi ſeſe reos facere gravioris pœnæ & condemnationis, quin & condemnandi dicuntur ab iis qui minoribus auxiliis adjuti majora & meliora opera fecerant, aut ſi iiſdem adju-

adjuti fuissent meliora fecissent, imò actu resipuissent.

*Stulti qui dicantur in Scriptura.*

Huc refer loca ubi ἀσύνετοι dicuntur, ὅσιοι τὸ δικαίωμα τοῦ Θεοῦ ἐπιγνόντες, ὅτι οἱ τὰ τοιαῦτα πράσσοντες ἄξιοι θανάτου εἰσὶν, οὐ μόνον τὸ γινώσκειν τὸ Θεοῦ φωτιζόμενοι, qui Deum cognoverunt, qui veritatem in injustitia detinent, quibus visum est Deum in notitia non retinere, *Rom.* I. 21. Item ubi profani, impii & incorrigibiles legirupæ אוילים & כסילים vocantur, quibus tam expresse tribuitur quod viam Dei & judicium Dei sui noviſſent, contradistinctè ab iis qui eam non noverant, id est (uti quidem ego interpretor) ita clare cognitam non habebant. *Jerem.* V. 3. 4. 5. & *Proverb.* libro toto, imprimis *cap.* I. 20, &c. ibi enim sapientia dicitur prædicasse in plateis eorum, vocem suam edidisse, clamasse in ostiis portarum ipsorum in hæc verba; *Usquequò simplices diligetis simplicitatem? stultique odio habebitis scientiam?* vide similiter *capita* XII. XIII. XIV. XV. XVI. &c. Eodem sensu dicuntur Christo Servatori quinque ille virgines, quæ carnis suæ curam gesserant cum lampadibus suis de oleo prospicere debuissent, stultæ, μωραὶ, oppositè ad φρόνιμαι, ut appellantur *Matthæi* XXV. 3. 4. &c. non quia plane nesciverant quid facto opus esset; contrarium enim patet ex textu; sed quod scientia ista in tempore & quando oportebat usæ non fuerant, non curam & officium sopori, ut prudentes virgines fecerant, sed soporem curæ & officio præponentes. Tantum itaque abest ut peccatores vocentur ἀσύνετοι, ἀσύνετοι & stulti sive אוילים primo ac præcipue mentis respectu, quia ignorant id quod vere bonum est, & consequenter deinde respectu voluntatis, quia ab eo quod ignorant voluntate etiam sunt aversi; ut contra stulti, insipientes, imprudentes vocentur primò & præcipue, adeoque solum, respectu voluntatis, quia scilicet de vero bono quod sufficienter cognoverunt aut cognoscere facillime potuerunt soliciti esse nolunt, & ab eo ad alia longe minora bona voluntatem aversam habent, stultorum atque insipientium instar pessima pro optimis eligentes, tanquam si judicio & ratione omni carerent; cum si mediocrem tantum adhiberent diligentiam, scire possent ac deberent longe excellentius esse Deo parere, & quæ promittit bona expectare, quæque comminatur mala effugere, quam non parere Deo, & interim brevi voluptatis usura æternorum bonorum jacturam & gravissimorum malorum sensum redimere. Quod si stultitia hæc tribueretur ἀμετανοήτοις antecedenter ad voluntatem ipsorum, id est primò ac proprie respectu mentis ipsorum, uti tu existimas, Camero, jam sane non magis ista eorum (ut sic dicam) ἀμετανοησία, peccatum foret pœna dignum, quam actus stultorum, amentium, furiosorum aut phreneticorum à lege naturæ discrepantes peccata censeri possunt; quod evinco hoc argumento; Quæ ratio est stultitiæ antecedenter se habentis ad actus naturæ lege vetitos, eadem est ratio stultitiæ antecedenter se habentis ad actus supernaturali lege vetitos. At stultitia illa facit ut actus contra legem naturæ facti peccata non sint, teipso fatente. Ergo, &c. Ratio consequentiæ seu majoris plana est: Quam necessario est ratio ad hoc ut possis velle quod naturæ lex jubet, tam necessaria est gratia supernaturalis ad hoc ut possis velle quod lex supernaturalis jubet. Itaque si non peccant peccato pœna digno stulti & amentes ratione naturali destituti, qui contra legem naturæ quicquam faciunt, quomodo fieri potest ut peccare peccatum pœna dignum censeantur ii qui ratione supernaturali carent nulla culpa sua, quando contra legem supernaturalem quicquam faciunt? Ut hic dicas culpam horum esse quòd ratione & luce supernaturali careant, non expecto à te. Culpa enim ista à voluntate ipsorum ortum habuisset: At ab illa ortum juxta te habere non potuit, quia voluntas non peccat nisi sequendo erroneum sive peccans ut vocas mentis judicium: Errorem autem non habere non magis unquam fuit in eorum potestate, quam in stulti nati potestate fuit non nasci cum stultitia, aut in stultitia in qua natus fuit non permanere.

Quæ jam hic porrò disputas ea non sunt nisi meræ παλιλογίαι.

*Montibus inquit erant, & erant in montibus illis.*

*Voluntas non appetit semper majus bonum.*

Revoco omnia ad tria capita. Primum est: *Id quod magis bonum videtur id maxime semper appeti, sive id non posse non maxime appeti à voluntate.*

Hoc enim est illud quod inter nos controvertitur, & quod falsum esse jam aliquoties demonstratum à me arbitror. Experientiam testem tantum hic addo: Quotusquisque est qui non judicat, non credit, non certò statuit apud animum suum plus boni, imò opera honestiora plura à se fieri posse quam facit, sufficere tamen ad hoc ut non peccet quod non faciat quippiam inhonestum aut indecorum; nec enim necesse esse ut fiant semper omnium optima? Hæc communis plerorumque pœne mortalium persuasio est. Deinde quis nescit plerosque mortales ingenuè confessuros, & quotidie confiteri suopte Marte, multò melius se facturos si ab otio, à comessationibus, à lasciviis & jocis se contineant, quam si iis quotidie pœne indulgeant, etiamsi id cum injuria nullius conjunctum sit; qui tamen illis adeò se dedunt, ut sine iis vivere vix possint? Anne id fieri dices idcirco, Camero, quia illi melius esse judicant iis indulgere quam ab iis abstinere? Roga eos ipsos, eosque suò se condemnantes ore audies. Imò videas esse qui illis lubenter indulgent, non quia bonum esse credunt illis indulgere, sed quia sibi persuadent non admodum grave esse peccatum iis indulgere, certi interim ac persuasi rectius utiliusque multò facere eos qui ab iis omninò abstinent, & nec sibi ipsis nec alis injuriam faciunt.

*Iterum, quinam sint stulti.*

*Atqui insto*, inquis; *Quid si pluribus propositis boni, eorum unum magnum malum habeat admixtum, & quod infinitis partibus bonum cui adhæret superat, putas tu nisi à stulto bonum illud eligi posse?*

Non equidem, Camero. Sed ego ex te vicissim quæro; an non ejusmodi stultorum plena fere sint omnia? Negabis id scio, si consequenter loqui velis. At ego dico plerosque mortales fere hujusmodi stultitia laborare. hæc enim est perpetua Dei querela de impiorum stultitia, quod bona hujus vitæ brevia atque momentanea ament atque amplectantur, τὰ ἐπίγεια φρονοῦντες, ut Apostolus ait *Philipp.* III. 19. et carni ac ventri suo tanquam Deo serviant, etiamsi sciant & persuasissimi sint finem istorum esse mortem æternam, *Rom.* VI. 23. aut (ut ad *Philipp.* III. 19. loquitur) ἀπώλειαν καὶ διαφθοράν; eosque qui talia faciunt dignos esse morte, *Roman.* I. 32. Ut hic excipias, istos mortales ista non scire scientia persuasionis, sed scientia sola directionis, id omnino vanum foret. Nam (ut jam alia argumenta non proferam) regeniti etiam in quibus, juxta te, scientia illa persuasionis est, quod voluptates, honores, opes omniaque hujus mundi bona, collata cum bono & honesto quod Deus præscribit, & cum bonis quæ promittit ac malis quæ comminatur, vix bona sint, imò quod iis mala adhæreant quæ infinitis partibus bona ista, quibus adhærent, superant, sæpe tamen eligunt bona ista, dum carni & voluptatibus mundi hujus sese dedunt; aut quæ à Deo vetita sunt faciunt. Hîc necesse est ut dicas aut regenitos id nunquam facere; at id repugnaret manifestæ experientiæ; aut regenitos scientia ista persuasionis præditos non esse: at sic negares regenitos esse regenitos, saltem pro isto tempore quo scientia ista prediti non sunt, quia per scientiam illam, juxta te, fit ipsa regeneratio sive illuminatio mentis; aut fieri posse ut quis scientia etiam ista præditus sit, qui tamen bona ista vilia eligat atque ita stultè agat; quod est tamen illud ipsum quod falsum esse statuis.

*Voluntas non movetur judicio intellectus ad summum bonum amandum.*

Secundum quod hîc repetis est, *Voluntatem judicio intellectus moveri & duci ad amandum summum bonum.*

Hoc enim falsum esse jam ante aliquoties evicimus. Intellectus enim non movet voluntatem nisi pro ratione objecti quod repræsentat. Itaque quando objectum vi sua trahit ad se voluntatem, motio ista non est tribuenda judicio qua tali, sed soli objecto; prout ex eo apparet, quod sola apprehensio objecti istius absque ullo judicio sufficiat ut voluntas moveatur in summi boni amorem, & quod eadem voluntas quodlibet aliud bonum, quod summum non est, respuere possit, etiam quando ab intellectu cum judicio ut eligibile vel ut eligendum proponitur. Eligendum tamen cum dico, nolo id præcise accipi. Nam intellectus non repræsentat objectum voluntati cum imperio ut eligendum, sed tantum ut eligibile, ut bonum, ut melius, ut utilius, ut commodius, ut facilius, &c. Quæcunque alia sive vis, sive efficacia, sive impulsus, sive imperium tribuitur intellectui, quod voluntas non possit non sequi, id gratis confingitur, & explicari non potest quid sit. Nam intellectus ad summum non est nisi potentia cognoscitiva & judicativa. Itaque quicunque actus intellectui tribuitur, eum habere debet intellectus per modum apprehensionis aut judicii: apprehensioni autem & judicio, vis nulla determinans, nullum imperium propriè competere potest, nisi mediante objecto; quia tam apprehensio quam judicium, si vera sint, consistunt in conformatione conceptus sui cum objecto quod apprehendunt & de quo judicant. Itaque quando objectum vi sua non movet voluntatem, nec judicium vi sua movere potest voluntatem, aut cum imperio voluntati objectum repræsentare ut eligendum præcisè. Quod si tamen id aliquando fiat, id non fit ex vi judicii præcise, sed ex vi efficacis alicujus antegressæ volitionis, qua voluntas se ipsam determinavit, id est sibi ipsi proposuit adsequi certum aliquem finem, & intellectus judicium sequi præcisè constituit in medio illo amplectendo, quod assignaturus est intellectus, uti antea diximus.

*An fieri possit ut summum bonum clare apprehensum respuatur.*

Tertium quod hic repetis est, *Quod inter nos controversi id præcipue velis, An fieri possit ut summum bonum clare apprehensum à nobis respuatur, sive non ametur.*

Jam

Jam enim sæpe monui, nihil minus quàm hoc inter nos controverti, nedum ut id præcipuè inter nos in lite sit. Non quæritur, an summum bonum clare & firmiter apprehensum à mente, aut menti (uti tu vocas) persuasum persuasione arcana & interna, necessariò appetatur à voluntate. Tantum abest ut illud quæratur, ut ego ne quidem persuasionem, nedum persuasionem talem credam necessariam ad hoc ut voluntas ad amandum bonum summum necessariò moveatur, sed solam simplicem illius apprehensionem credam sufficere. Sed id quod inter nos quæritur est, an illud in quo summum verum bonum situm est, & media quæ ad illud adipiscendum ducunt, ita persuadeantur hominibus, quos Deus sub promisso præmii & pœnæ comminatione bonum istud amare & media quæ eo ducunt amplecti jubet, ut voluntas eorum non possit non amare bonum istud, & non possit non amplecti media quæ eo ducunt. Hoc est istud quod inter nos agitatur, quod à te affirmatur, sed hactenus nulla ratione justa probatum est. An deinceps id probaturus sis, videamus.

## CAPUT XIX.

### Diluuntur exceptiones Cameronis ad solutionem argumenti ipsius secundi, quo infert fieri posse ut vera Christi cognitio separetur à charitate, si voluntas non determinatur necessario à mentis judicio.

IN hoc capite, in quo non exiguam Scripturarum ignorantiam prodere mihi videris, nescio cur tam jactabunde dicam an procaciter te geras. Triumphum non promittis tantum, sed decernis jam tibi ipsi post joculare certamen, quale in foro spectandum dare solent inter pupulas agyrtæ. Adversarium tuum te tenere constrictum jactas, cum rete ipsius totum te obvolutum habeat atque intricatum. Rem testem demus. Agitur in hoc capite de argumento isto quo concludis fieri posse ut vera Christi cognitio sejungatur à caritate, si voluntas non determinetur à judicio mentis practico, quod tamen directè contradicit Apostolo Joanni, qui negat *eos, qui Deum oderunt aut proximum, vidisse aut cognovisse*. Argumentum hoc non grave, nedum gravissimum, sed debile admodum esse dixeram. *Non dixi* (inquis) *hoc argumentum esse gravissimum*. Rectè. Sed dixisti multò esse gravissimum; quantò hoc minus est? *Sed esto* (inquis) *dixerim fortasse gravissimum esse, ut statuamus veram Christi cognitionem à charitate sejungi posse, contradicente Apostolo: tu verò jam quid respondes? Negas scilicet eam esse quam ego volo Apostoli mentem, & sic locum illum accipis, ac si Apostolus nihil aliud vellet quam cognitionem illam Christi, in qui non erant prædita caritate, nihilo plus profuturam quam si haberent nullam*. Vellem, Camero, plenius paulum expressisses responsionem meam. Laciniæ enim istæ breves abradunt & detruncant sæpe præcipuas responsionis fibras, ita ut vis ejus non appareat. Dixeram, Quando Joannes dicit 1 *Epist.* II. 4. 9. 10. 11. & IV. 20. eum qui Dei mandata non servat, (phrasi enim *odisse Deum* in hac Epistola non utitur Joannes) aut qui proximum odit, (hac sola phrasi utitur, & de hoc solo odio semper loquitur) Deum non novisse aut vidisse, (tu dicis vidisse aut cognovisse absolute, qua phrasi etiam Joannes non utitur:) Sensus non est, fieri non posse, ut quis Dei mandata vere cognoscat & Deum tamen vel fratrem non amet; sed plane contrarius, Eum qui Deum aut Christum cognoscit, licet vere eum, id est mandata ejus cognoscat, si tamen non faciat mandata illa, eodem loco haberi ac censeri à Deo, ac si Deum & Christum nullo modo cognosceret, istamque cognitionem theoreticam non pluris fieri apud Deum quam si haberet nullam.

Locus 1 Joan. I. 6. & II. 4. 9. 10. 11. & IV. 20.

Hic tu, *Atqui certè Apostoli objurgatio diluta sic nimis & remissa redditur. Nam multo melius cum in agitur qui Christum ignorantes fratrem odio habent, quam cum in qui Christianæ religionis disciplina instituti incenduntur nihilominus atque exardescunt odio in fratres*.

Atqui, Camero, Apostoli hæc sive affirmatio sive objurgatio per se stat, & non impedit quominus etiam verum sit, eos qui Christianæ religionis disciplina instituti, incenduntur nihilominus atque exardescunt odio in fratres, pejori multò loco esse, quam qui Christum ignorantes fratrem odio habent. Per se stat, inquam, hæc affirmatio Apostoli, quia Apostolus hîc & tota hac Epistola sua contentus est nudam hanc suam affirmationem opponere persuasioni illi quæ tum Christianos multos habebat, quod Christiani essent & veri discipuli Jesu Christi, cum tamen mutuis odiis inter se laborarent. Dicit enim, *Si dixerimus nos communionem habere cum eo, & in tenebris incedimus*, id est fratres odimus, *mentimur*; *cap.* I. 6. *Qui dicit, Novi eum, & mandata ejus non servat*, id est mandatum de dilectione fraterna, *mendax est & in eo veritas non est*, id est is se ipsum atque animum suum fallit vana persuasione; is non magis Christi discipulus aut verus Christianus censeri meretur, quam qui plane Christum ignorat & ab eo alienus est. Hoc ita simpliciter affirmare & seriò quidem inculcare contentus fuit Apostolus. Quis verò ejusmodi affirmationem dilutam dixerit, quod amplius quid dicere atque affirmare de talibus potuisset Apostolus, videlicet eos non modo mentiri & fallere se ipsos, sed pejori loco esse quam eos qui Deum & Christum ignorant? Sufficit sane si id non negetur. Quis enim nescit gradationes fieri posse ac solere, & non statim id quod gravissimum est dici in objurgationibus aliisque increpationibus? Talis hæc foret, Qui dicit, Novi eum, & mandata ejus non servat, is mendax est; neque hoc tantum, sed & eo ipso quod Christi præcepta norit eaque non faciat, fit majoris peccati ac pœnæ reus quam si ea prorsus ignoraret. Prius illud solum hic affirmat Apostolus, non excludens interim alterum quod ex eo necessariò sequitur, sed id quasi insuper colligendum & concludendum relinquens. Et mirum sane meritò videri debet id à te observatum hic non esse, qui phrasin sive locutionem illam Apostoli qua *versu* 9. utitur, cum inquit, *Qui dicit se in luce esse & fratrem suum odit, is in tenebris est usque adhuc*, alium sensum habere non posse affirmas quam hunc, Is laborat eadem illa ignorantia adhuc, qua laborabat antequam Christi disciplina institueretur. hic enim sensus si obtinet, uti obtinere apud te debet, si consentanee tibi loqui velis, tum sane diluta ac remissa redditur objurgatio hæc Apostoli, tuo hoc proprio argumento; quia tum nullo jure concludere licet, non dico melius, sed multò melius cum iis agi qui Christum ignorantes fratrem odio habent, quam cum talibus. Ubi enim eadem prorsus ignorantia odii causa est, & causa quidem necessaria in utrisque, ibi sane odium unius non potest conditionem ejus deteriorem reddere, nedum multò deteriorem quam odium alterius. Scientia enim illa quæ alteri supervenit, non magis potuit efficere ut odium illud cessaret in ipso, quam si illa nunquam supervenisset, manente scilicet semper eadem ignorantia illa quæ odii causa necessaria est. Quod autem non potuit reddere ipsius conditionem meliorem, quomodo illud justa ac legitima causa esse possit, ob quam conditio ipsius reddatur multò deterior? Et hinc apparere potest responsionis meæ ad tuum argumentum soliditas, vel te ipso judice. Scopus enim Apostoli hic tum non est redarguere aut objurgare eos qui se habere jactabant scientiam religionis Christianæ, interea tamen religionem ac doctrinam Jesu Christi non probabant apud animum suum, sed ab ea erant tota sua voluntate alienissimi, quia videl. eadem illa veri boni quod doctrina ista continetur ignorantia qua antea adhuc laborabant; quem Apostoli scopum esse tu tibi persuades. Sed contra scopus Apostoli est de iis qui se Deum aut Christum nosse, id est doctrinam Jesu Christi amare, amplecti, proque vera & salutari religione habere, deserta omni alia seu Judaica seu Gentilitia religione, ex animo profitebantur, qui discipuli doctoris Jesu Christi & doctrinæ ipsius tanquam unicæ salutaris esse volebant, eoque nomine gloriabantur, quin imo vitam suam ad illam jam componere aliquo modo incipiebant, sed tamen à consuetudine & habitu certorum quorundam peccatorum, quæ doctrina ista Jesu Christi aperte damnat, puta ab odio mutuo, non abstinebant, de iis (inquam) affirmare quod falsò sibi titulum Christianorum, id est eorum qui divinæ religionis Jesu Christi discipuli ac sectatores sunt, arrogarent, & ex isto titulo fructum atque emolumentum ad veros sectatores doctrinæ istius aliquando redundaturum sibi promitterent, quamdiu mandatum istud Jesu Christi de diligendis fratribus transgredi pergebant. Hunc scopum Apostoli esse apparet ex textu liquidissime; quia Apostolus loquitur de iis qui non tantum dicebant se Deum & Christum nosse; sed etiam, se in luce esse, se communionem cum Christo habere, se in eo manere, aut (ut Beza transtulit verbum μένειν,) habitare, se fratres esse eorum qui Deum & Christum colebant, &c. Itaque de iis loquitur qui doctrinam Jesu Christi apud se probabant, & ex ea salutem ac vitam sibi promittebant, imò in ea verum summum bonum & viam ad illud perveniendi ipsissimam revelatam esse persuasum sibi habebant; non autem de iis qui ignorabant plane doctrinam Jesu Christi esse solam illam salutarem doctrinam, ac proinde de ea persuasi nullo modo erant, sicque eam non amabant, non amplectebantur ut talem, uti tu opinaris. Et sane nullo modo verisimile est fuisse tum temporis ullos mortales tam fatuos tamque à Sole aversos, qui dixerint jactaverintque se in luce esse, se communionem cum Christo habere, se fra-

tres

tres esse verorum Christi discipulorum, eò quod scirent tantum nuda scientia speculativa id quod doctrina Christiana continebatur, etiamsi id nec probarent nec juxta istud vitam suam instituere se velle profiterentur. Quid enim vanius aut à vero absimilius? Multò verò etiam minus verisimile est Apostolum operosè voluisse negare eos tales Christum non nosse, prout oportet Deum aut Christum & doctrinam ipsius nosse. Ex quo efficitur *nosse Deum* hoc loco plura complecti, & *non dicere*, non significare hic Apostolo simulare aut fingere id quod scis & persuasus es falsum esse, sed persuadere tibi, & quia persuasus es, profiteri ex animo te id esse quod reipsa tamen non es, & scire potes te non esse, si propius consideres quænam ad id ut sis quod esse te profiteris requirantur; prout ex sequentibus clarissimè patebit,

*Quid Joannes per lucem & per tenebras intelligat.*

Pergis: *Deinde quæ tradit Apostolus in eodem argumento eademque causa* cap. II. 9. 10. 11. *hoc tuum glossema respuunt, Tenebræ præterierunt, & vera lux jam lucet*, &c. *Quæso te* (inquis) *quænam hæc lux est? Profectò vera Dei cognitio in Christo. Ergo tenebræ quæ huic luci opponuntur, quid sint aliud quæso quam ignorantia?*

Atqui dum hoc quæris, non probas id quod probandum est, imò tibi ipsi & causæ tuæ multum officis. *Lucem* enim pro vera Dei cognitione in Christo, uti tu quidem veram cognitionem intelligi vis, hoc loco accipi quomodo probaveris? Contra manifestum satis est, per lucem intelligi non cognitionem ipsam, sed cognitionis objectum, doctrinam ipsam Jesu Christi, quæ tota lucida est, id est non quæ propriè vera est, de eo enim non agitur, sed sancta ex omni parte est, & unde vera ac salutaris sanctimoniæ regula hauriri potest ac debet. Illa tum lucebat, quia non gentilium tantum religiones omnes, tanquam vitiis multis apertam januam relinquentes, & sic tenebris multis obsitas, sed & omnes umbras Veteris Testamenti dispulerat, quia videlicet imperfectiones omnes, omnia vitia, quibus tanquam umbris & tenebris doctrina Vet. Test. obfuscabatur sustulerat. Nam Vetus Test. non tantum cæremonialia præcepta habebat, quæ umbratilia fuisse constat; sed etiam multa non præcipiebat, imò multa permittebat quæ doctrina Jesu Christi tanquam imperfecta, tanquam carnalia, tanquam minus decentia eum qui ad æternæ vitæ hæreditatem adspirat expresse prohibet, de quibus vide *cap. V. Matth.* aliaque plura similia loca. De promissis enim hic non agit Apostolus directè; quanquam ea in Vetere Testamento etiam umbratilia fuisse constat, *quia lex umbram habebat futurorum bonorum*, ut est *Hebr.* X, 1. & *Colos.* II. 17. umbra autem nihil aliud est quam privatio lucis. Tenebræ ergo quæ huic luci opponuntur, non sunt primò ac propriè ignorantia divinæ veritatis, sed vitia ac peccata, & quæ peccata consequuntur miseriæ; ut sensus sit, Doctrina Jesu Christi tam clarè, tam apertè adversatur & aversatur peccata & vitia omnia, etiam ea quæ hactenus pro peccatis reputata non sunt, tam inter Judæos quam Gentiles, ut qui se ejus sectatorem ac discipulum profitetur, ab iis omnibus fine discrimine expurgare sese necesse habeat: qui id non facit, is non potest dici cum ea commune quicquam habere, quia in tenebris, id est peccatis, manet, quæ doctrina illa ferre non potest, sed damnat ac repudiat. Et hujusmodi est, quisquis fratrem suum, id est Christianum non diligit. In tenebris ambulat, quia peccatum istud quod Christi doctrina lucis instar, peccatum esse gravissimum æternis tenebris dignum monstrat, non deserit, atque idcirco cætera licet probus, tamen in eorum numero adhuc censendus est, & à Deo censetur, quos peccatores, & quorum opera, tenebrarum opera vocat.

*Deinde*, inquis, *quorsum illud spectat, Nescit quò vadat? profecto dubium non est quin hoc pacto summa mentis cæcitas demonstretur.*

Imò verò, Camero, Non tantum dubium est an istis verbis summa mentis cæcitas demonstretur, sed & dubium non est, quin istis verbis summa mentis cæcitas non demonstretur. Nam id textus te docere potuisset, in quo ratio hæc allegatur, *quia tenebræ oculos ejus excæcarunt*, per tenebras autem ignorantia à te intelligitur. Si itaque præcedentibus istis verbis etiam summa mentis cæcitas demonstraretur, dixisset Apostolus talem hominem cæcitate mentis, id est ignorantia laborare, quia ignorantia mentem ipsius excæcavit; ridicule sane. Proverbialis aut allegorica est locutio ista, qua nihil aliud notatur, quam eum qui isto peccato adhuc tenetur, in summo periculo ac discrimine versari, & miseriam ac calamitatem non magis effugere posse, quam eum qui in spississimis tenebris, ignota regione viarum, ambulat nesciens quò vadat. Vide phrasin hoc sensu usurpatam *Proverb.* II. *versu* 23. & IV. 18. 19. Patet idem sensus ex verbis Christi ubi hac eadem phrasi utitur, *Joannis* XI. 9. *Si quis ambulat interdiu, non impingit, quia lucem mundi hujus videt. Si quis autem ambulet nocte, impingit, quia lux ei non adest.* Istorum enim verborum sensus manifestus esse videtur; Non metuo periculum lapidationis, quia jussu Patris mei publice & coram Sole facio quæ facio, certus eum detecturum mihi insidias omnes, quas struunt mihi, qui mihi male volunt, usque dum horæ diei mei quibus ambulandum mihi est, id est quibus mandata Patris mei exsequi me necesse est, effluxerint, & hora ac potestas tenebrarum advenerit. Tum demum moriar & in manus eorum incidam. Ratio autem quæ hic additur, *Quia tenebræ oculos ejus excæcarunt*, vel ad protasin adhuc pertinet, uti sæpe verba protaseos in ἀπόδοσιν poni solent, vel aliud nihil vult quam, quia peccatum istud causa est ut (quamvis aliter sibi persuadeat) à via salutis æternæ cæci instar aberret. Per *tenebras* autem ignorantiam istam quam tu vis non intelligi, id unum te monere ac movere debuisset, quod alioquin dicendum foret, Apostolum dixisse, eum qui fratrem suum odit in tenebris esse, id est ignorare seu persuasum non esse peccatum esse à Christo vetitum sub pœna æternæ mortis, fratrem suum odisse. Quid autem minus verisimile, quam hoc? Cui adde quod sic intelligi non possit quid sibi velit Apostolus, cum dicit, *Tenebræ præterierunt, & vera lux jam lucet.* Nam cum *tenebræ* tibi sint ignorantia, & lux vera Dei cognitio, ex sensu tuo dixisset Apostolus, Ignorantia jam præteriit, & vera Dei cognitio jam viget. Si præteriit ignorantia, quomodo ignorantia oculos istius qui odit fratrem suum excæcavit? Si dicas Apostolum id dixisse respectu electorum istorum quos ista luce Deus affecerat, jam sane fundamentum præcipuum objurgationis Apostolicæ tollis, & argumentum tuum quo antea usus es prorsus enervas. Fundamentum objurgationis est, quod ii tales, tenebras istas jam pro obstaculo amplius non haberent, quominus fratres suos diligerent, sed ipsam lucem pro stimulo accepissent quo ad odium istud exuendum moverentur. At si respectu istorum mansit ista ignorantia, mansit etiam idem obstaculum, & obstaculum juxta te impediens quominus possent non odisse fratres suos. Et quid juvabat eos quod lux ista lucebat, si non lucebat nisi electis, si ipsis non lucebat, si ipsis non erat accensa? Argumentum verò tuum quod primo loco huic meæ expositioni opposuisti est; Quod multò pejus cum his agatur, quam cum iis qui Christum ignorantes fratrem odio habent. Hoc autem quomodo speciem aliquam habere potest, si in his eadem statuatur mansisse ignorantia, quam odii istius causam esse vis? Et non magis his quam illis obtigerit id quo ab odio isto dimoveri saltem poterant?

*Quid intelligat per Nosse Deum.*

*Denique verò* (inquis) quia illud Apostolo poterat regeri, *At qui tu eos in tenebris esse affirmes, ne scire que quo vadant, qui tenebras Christum noverunt? Id ista repellit Apostolus, ut neget eos Deum nosse aut vidisse.*

At, inquam ego, si *in tenebris esse*, & *nescire quò vadat*, non significat id quod tu tibi imaginaris, prout non significare id jam ostendimus, inepte verbis istis objectionem, qualem hic formas, contineri dicis. Sed nec species hujusmodi objectionis in textu est. Apostolus tantum affirmat id quod verum est, idque persuasioni quorundam vanæ opponit, ut ne seipsos vana imaginatione & spe fallant aut fallere pergant. Deinde cum de tenebris his agit Apostolus, ne utitur quidem verbo *noscendi* aut *videndi*. Sed esto: ne tu quidem ipse Camero verba illa, *non novis Deum*, *non vidit eum*, ita simpliciter atque universaliter accipienda esse vis prout sonant, quasi nullo modo eos Deum nosse dicere voluerit Apostolus. Vis enim scientiam dirigentem hic non excludi, sed solam scientiam quam vocas persuasivam. At si ex verbis præcise argumentari velis, aut omittenda est hujusmodi interpretatio quam verba præcise accepta non ferunt, aut concedenda est interpretatio quæ verbis præcise non acceptis & naturæ rei ac loci scopo non repugnat. Denique ex prædictis apparet *Deum nosse* aut *vidisse*, non significare Apostolo Joanni, quando ait, qui dicit, *novi eum*, simpliciter scio scientia speculativa quid Deus velit à me fieri, & interim non approbo, non sequor, nedum facio id quod vult; sed contra scio ac persuasus sum divinam esse doctrinam Jesu Christi, eam ex animo probo atque exosculor, istam unicam credo esse doctrinam illam qua salvari me necesse est. Qui hæc dicit, & interim tamen hæret adhuc in certo genere peccati quod doctrina ista expresse damnat, *is* (inquit Apostolus Joannes) *mendax est*, id est is non potest vere dicere se Christum nosse, id est doctrinam ipsius probare, doctrinæ ipsius studiosum & sectatorem revera esse, etiamsi id sibi quam maxime persuadeat, ac persuasum animo suo esse velit. Quando itaque Joannes negat eos Deum nosse, non vult dicere eos divinam Christi doctrinam non intelligere, de

ea non ſufficienter inſtructos eſſe, eam non approbare; ſed etiamſi eam intelligant, eam toto animo ſuo probent, tamen reipſa eam non approbare, reipſa eam non ſectari, quia videlicet facto ipſo contrarium ſuæ tum perſuaſioni tum profeſſioni teſtantur, quando fratres ſuos non diligunt, quos ſciunt ex doctrina & præcepto Chriſti diligendos eſſe. Hoc itaque non noſſe, eſt vel non noſſe prout oportet noſſe: (qua phraſi uſus eſt Apoſtolus Paulus 1 *ad Corinth.* VIII. 2. *Quod ſi quis sibi videtur aliquid scire, nondum quicquam novit sicut oportet noſſe; ſed ſi quis diligat Deum hic cognitus eſt ab eo.* quaſi dicat, Qui ſcientia illa de rerum adiaphorarum libero uſu non utitur ad ædificationem proximi ſui, is non ſcit prout oportet ſcire. Scire autem prout oportet ſcire, eſt ſcientiam quam habes in talem uſum transferre ad quem eam ordinatam eſſe ſcire debes ac ſcire potes.) Vel reipſa non probare, non facere, non præſtare quod faciendum eſſe perfecte ſcis, quod animo tuo probas, & quod te facere tibi ipſi perſuades. Hoc ſenſu phraſis *Deum noſſe* uſurpata legitur in Veteri Teſtamento ſæpius, eamque ſignificationem Apoſtolus Joannes, cui cum Hebræis diſperſis præcipue res erat, ſecutus eſſe omnino videtur. Unum atque alterum locum expreſſum hic vide *Jerem.* XXII. 15. 16. *Pater tuus annon comedit & bibit, & fecit judicium & juſtitiam, & tunc bonum fuit ei? Judicavit judicium pauperis & egeni, & tunc bonum fuit ei. Nonne hoc eſt noſſe me, dixit Dominus? Sed non ſunt oculi tui & cor tuum niſi ad avaritiam tuam, & ad ſanguinem innocentem ut effundas, &c. Jerem.* II. 8. *Sacerdotes non dixerunt, ubinam eſt Dominus? & tenentes legem non noverunt me, & paſtores prævaricati ſunt in me.* Vide ſimilia *cap.* IV. 22. & IX. 3. & X. 25. Et 1 *Sam.* II. 22. *Eſa.* I. 3. *Proverb.* I. 7. *Job.* XXVIII. 28. *Oſeæ* IV. 1. 2. 6. & V. 4. & VI. 3. 6. & VIII. 2, &c. Hæc cum ita ſint, apparet ſatis objectionem ejuſmodi quam fingis loco hoc contineri non poſſe, aut ſi eam contineri illo velis, ridiculam eam prorſus ac vanam fuiſſe, ſaltem indignam gravi nedum tam prolixa quali Apoſtolus hic utitur, reſponſione & confutatione. Quis enim cum Apoſtolo contenderit de eo, an recte dixerit eos qui fratres ſuos oderunt in tenebris eſſe? Et quidem hac objectione, Atqui tamen ſciunt Chriſtum ſive religionem Chriſti; ergo non ſunt in tenebris. Frivole ſane. Gravius quid & dignius hic agit Apoſtolus, quodque phraſi iſti *Noſſe Deum*, prout in Scriptura uſurpatur, accommodatius eſt, videlicet Quiſquis inter vos Dei cultor eſſe vult, & diſcipulus Jeſu Chriſti, qui doctrinam ipſius cognoſcit, probat, amat, ſectatur, & ex ea æternam vitam ſperat, is non hoc aut illud tantum mandatum, ſed omnia mandata Chriſti eodem loco habere debet. Qui itaque præcipuum iſtud mandatum de diligendis fratribus non obſervat, is etiamſi ſibi perſuadeat ſe noſſe, id eſt probare, amare, ſectari religionem Chriſti, reipſa tamen oſtendit ſe eam non amare, non probare, quia proteſtatio ipſius contraria eſt facto. Deus certò aliquando dicet illi, Ego nunquam novi te, id eſt quia perfecte ſcivi te non præſtitiſſe facto & reipſa quod præſtandum tibi eſſe ſciebas, nunquam te pro meo habui, etiamſi tu teipſum pro meo habueris, & pro meo ab aliis & à me haberi volueris. In hac oratione Apoſtoli, os, medulla & nervus eſt.

*Huc etiam illud accedat* (inquis) *quod idem Apoſtolus author eſt, Eum qui dicit, Novi eum, & mandata ejus non ſervat, mendacem eſſe. Eſtne* (inquis) *qui ferre poſſit æquo animo te ſic iſta verba interpretantem, ac ſi nihil aliud vellet Apoſtolus, quam non ſervanti mandata non profuturam cognitionem Chriſti?*

Bone Deus! quam macra, quam enervi, quam exſangui oratione me utentem facis? Naſeat pæne qui eam à te recitari audit. Ita ſoles, Camero, (quod ſæpius jam monui) macilentis tuis ſummulis & Laconicis formulis deturpare orationem adverſarii tui: quod non eſt boni diſputatoris.

Majori jure hic quærere mihi liceat: Eſtne qui ferre poſſit æquo animo interpretationem ſuam tam fæde, tam turpiter à te delumbari, enervari & detruncari? Recita verba mea, Camero. Bonam fidem in te deſidero. Ita ſonant in Epiſtola: Cognitio vera Jeſu Chriſti cum dicitur à Joanne ſejungi non poſſe à caritate, ſenſus non eſt, fieri non poſſe ut quis Chriſtum, id eſt Chriſti mandata vere cognoſcat, & tamen eum non amet, id eſt præceptis ejus non obediat: ſed plane contrarius: Eum qui Chriſtum cognoſcit, licet vere eum cognoſcat, & qui tamen non facit mandata ejus, eodem loco haberi à Deo, ac ſi Chriſtum nullo modo cognoſceret: Cognitionem iſtam theoreticam divinæ voluntatis non pluris fieri apud Deum, nec plus profuturam ei qui eam habet, quam ſi nullam unquam cognitionem habuiſſet; quaſi dicatur, ſola cognitio Chriſti conjuncta cum caritate eſt cognitio illa quæ Deo grata eſt, id eſt, quæ vere in pretio eſt apud Deum.

Quid? an hæc oratio adeò macilenta, adeò jejuna, adeò exoſſis eſt, ut tu eam æquo animo ferre non poſſis? Faſtidioſi equidem ſtomachi es, qui nauſeas ad tam ſapidam & ſuculentam orationem. Vin' aliam ad verbum? Qui dicit non ore tantum, ſed apud animum etiam ſuum, Ego novi Chriſti doctrinam, probo, amo, amplector eam, ſecundum eam vivere volo, & ex ea ſpero vitam æternam; interim mandatum Chriſti de dilectione fraterna non ſervat, is fallit ſeipſum, revera non amat, non probat, non ſectatur doctrinam Jeſu Chriſti, ac proinde inani ſpe præmii ſeipſum deludit. An non hoc eodem recidit cum priore interpretatione ſi rem ſpectes?

*At quæ phraſeologiæ ratio hic eſt* (inquis?) *aut quid novi hîc profert Apoſtolus?*

Phraſeologiæ ratio jam ante indicata eſt, & per ſe liquet; quia *noſſe Deum*, eſt Deum colere, aut doctrinam divinam quam noſti revera probare factoque ipſo non negare. *Non noſſe*, eſt Deum quem noſti non colere, non facere quæ jubet, tanquam ſi eum ejuſque mandata plane non noſſes. Phraſeologia nota eſt. *Noſſe* enim *Deum*, pro colere Deum, amare, probare, facere quæ jubet, phraſi Hebraica, qua conſequens in antecedente comprehendere ſolent, accipi ex locis ante allegatis manifeſtum eſt. Quibus adde omnia iſta loca in quibus ſimplex verbum *Noſſe*, pro amare, eligere, approbare accipitur. *Geneſ.* XVIII. 19. *Exod.* XXXIII. 12. 17. *Pſal.* I. 6. *Hoſ.* VIII. 4. *Amos* III. 2. *Eſa.* LIII. 11. *Job.* VIII. 43. & X. 15. 27. *Rom.* III. 17. & 1 *Cor.* XVI. 15. & 2 *Tim.* II. 19. & 1 *Joh.* III. 1. &c. & locum *Tit.* I. 16. *Deum profitentur ſe ſcire*, id eſt, colere, revereri juxta voluntatem ejus, (abſtinendo ſcilicet à cibis vetitis aliiſque ceremonialibus pollutionibus:) *ſed factis eum negant, cum ſint abominandi, rebelles & ad omne opus bonum rejectanei.* Item locum *Matth.* VII. 23. ubi Deus dicitur dicturus iis qui ſibi perſuaſerant remunerationem certam, ob præſtita quædam à ſe divinæ voluntati convenientia, *Certe nunquam novi vos.* Quorum verborum ſenſus alius non eſt, quam nunquam probavi, amavi, aut habui vos pro veris meis cultoribus, optime ſcivi quales fueritis, & quæcunque ſpecioſe ad legem meam feciſtis. Omnia iſta non pluris apud me fuerunt, quam ſi ea à vobis facta nunquam fuiſſent, aut ſi ea à vobis facta eſſe plane ignorarem. Peribitis nihilominus tanquam profani & peccatores, quia non fuiſtis tales quales vos eſſe oportuit, ut præmio digni cenſeamini.

*At quid novi hic profert Apoſtolus?*

Imò verò cur novi aliquid proferre Apoſtolum opus erat? adeòne tibi ad novitates hiat ſtomachus, Camero, ut nihil ſapiat in Apoſtolo niſi quod novum eſt? Vapulare hic meritò poſſes, ſed parcam tibi, ne ſimilis tibi fiam, qui ejuſmodi occaſionem ſine ſale & felle acris alicujus μυκτηρισμοῦ elabi tibi non facile ſineres. Dixit Apoſtolus quod nulli non notum erat: quod ratione palpabili nitebatur, & perpetuo Scripturæ ſtylo erat conſentaneum. Tanto enim fortius ac ſolidius convincebat eos, quantò erat id quod dicebat apertius, clariuſque.

*Profecto vehementius ſolent homines de ſapientia & cognitione gloriari, multoque ægrius ferunt ſi imperiti habeantur quam ſi viri mali.*

At hi ſane mortales ex fæcunda iſta Menænii gente ſunt, quibus.

——— *Læva ſub parte mamillæ*
*Nil ſalit.* ——

Ut horum ingenio ſe accommodarit Apoſtolus futile ſane commentum videri debet. Contrarium enim eſt veriſſimum, videlicet Apoſtolum non dixiſſe niſi id quod Scriptoribus Veteris Teſtamenti familiariſſimum erat, & tritum notumque inter eos quibuſcum ipſi res erat. Et quis iſte eſt cui vel tantillum ſalis in pectore eſt, qui ægre feret ſi imperitus habeatur ejus rei cujus cognoſcendæ nec potentiam nec occaſionem ullam habuit, aut habere unquam potuit? Qui contra non ægerrime feret, & convitium ſibi graviſſimum fieri credet, ſi malus dicatur? Imperitus poteſt quis eſſe nulla culpa ſua: malus nemo niſi ſua propria voluntate. Et hinc eſt quod Apoſtolus ut eos acrius pungeret iſta phraſi uti voluerit, qua non imperitia ſed malitia, ſive potius voluntatis pravitas magna denotari ſolet in ſacris, quando iis tribuitur qui veri boni notitiam aut jam habent aut habere ſaltem poſſunt. Tales enim quando dicuntur *non noſſe Deum*, id eſt, non aliter vivere quam ii qui Deum non norunt, aut voluntatem ejus neſciunt, non mente errare ſed voluntate ſola peccare cenſentur. Pergamus jam ad rationum mearum examen.

Dixeram notandum eſſe in textu Johannis non reperiri adjectivum *vera*, ſed ſimpliciter atque univerſaliter in eo negari tales Deum noſſe, &c. Hîc tu reſpondes; *Atqui non ſolent Apoſtoli illud epithetum* VERA *niſi raro admodum adjicere. Certè nuſquam legas, vera fides, vera ſpes, vera charitas.*

Rectè Camero; Sed ii qui Apoſtolos pro ſuo ingenio

atque

atque arbitrio interpretantur, ſolent ſæpe epithetum iſtud verbis Apoſtolorum adjicere præter & contra eorum mentem, & in eo deinde (quod meritò rideas) præcipuum argumenti ſui robur fundare. Id dico hîc à te fieri, quando verbis iſtis, *Non norunt Deum*, adjectivum *verè* adjicis. Nam adjectivum illud non recte phraſi iſti ſemper adjici, apparet ex eo quod de Deo expreſſe dicatur, quod dicturus aliquando ſit iis, quos vere quidem noverat ac perfecte, ſed tamen quos non approbaverat, *Nunquam novi vos*. Idem autem epithetum in hoc quo de agimus loco adjici recte non poſſe, imo non debere adjici, (niſi æquivocatione uti velis, de qua poſtea) apparet ex eo, quod loca diſerta reperiantur ubi de talibus affirmatur in terminis quod *Deum cognoverint*, quod *voluntatem ejus ſciverint*, *quod Dominum & Servatorem noſtrum Jeſum agnoverint*, quod *viam juſtitiæ cognoverint*, & ſimilia. item ex tua propria confeſſione, quia iis notitiam tribuis & tribuendam eſſe agnoſcis.

*De cognitione præſcribente & perſuadente.*

At inquis: *Duplex eſt cognitio, Præſcribens & Perſuadens; Theoretica & Practica: Quæ reddit inexcuſabiles, & quæ juſtificat*, &c. *Illam habent etiam ii qui faciunt contra conſcientiam & qui pereunt, Iſtam non habent.*

At, Camero, hoc eſt illud ipſum quod contra te maxime facit, niſi probes præſcribentem ſcientiam non eſſe nec dici poſſe veram ſcientiam, & perſuaſivam ſcientiam quam vocas, eſſe ſolam veram ſcientiam, & non illam ſed hanc verbis Apoſtoli intelligendam eſſe. At hanc rem ne tentas quidem probare. Dicis quidem illam ſcientiam dirigentem non eſſe ſcientiam qualis eſſe debet, quando quis ea non recte utitur; non eſſe ſolidam & perfectam ſcientiam quando actu non dirigit voluntatem. At idem ego tecum dico & fateor. Sed idcirco non eſſe veram ſcientiam, quæ eum in quo eſt vere potuit dirigere; & aliquando alios dirigit, non eſſe veram ſcientiam quæ potuit ſive debuit ei in quo eſt perſuadere, & aliquando talis qualis in eo eſt aliis actu perſuadet, id ne digito quidem attingis. Demonſtrandum tibi fuerat quid in una & altera cognitione ſit, quod in genere cognitionis faciat, ut illa vera, hæc non vera ſit cognitio; An veritas illa ſit affectio uni ita propria, ut in altera qua ſcientia talis eſt non poſſit eſſe, in altera vero non poſſit non eſſe. Quæſo enim te, Cognitio illa quam hîc præſcribentem & alibi dirigentem vocas, an non eſt aliquo modo vera ſcientia, ſive vera cognitio? Falſa certe non eſt, alioquin præſcribens & dirigens non eſſet. Inanis, evanida, inſtabilis non eſt; dicis enim eam in iis etiam manere qui jam peccatores ſunt, eoſque per eam reddi inexcuſabiles; Inexcuſabilis autem nemo poteſt reddi per id quod verum non eſt. Quomodo itaque vera non eſt? An quia vi & actu mentem & voluntatem hominis non dirigit? At eo ipſo quod dirigens eſt ſcientia, actu mentem dirigat (ſaltem ex ſententia tua) neceſſe eſt, imò etiam actu dirigit, uti ais. Dirigere enim mentem aliud nihil eſt, quam menti hominis oſtendere ut ſciat quid faciendum quid omittendum ſit, ut recta ad ſcopum perveniat. *At non movet actu voluntatem*, inquis. At, inquam ego, id eſt extra rationem ſcientiæ. Scientia enim, qua ſcientia eſt, non movet aliter quam dirigendo ſeu oſtendendo, id eſt vel apprehendendo, vel judicando rem prout in ſeſe eſt, aut prout apparet. Deinde hoc eſt τὸ πρωτόβρον inter nos, An de natura & ratione ſcientiæ veræ, quatenus vera eſt ſcientia, ſit, actu movere & poſt ſe trahere voluntatem? Hoc ego nego. An veram eam idcirco eſſe ac dici poſſe negas, quia ex ſe eſt inefficax ad perſuadendum homini id quod vere bonum eſt? Et hoc ſcio negari à te. An denique idcirco quia per ſe inefficax eſt in homine tali cui actu non perſuadet? Hoc dicas neceſſe eſt, & in antecedentibus jam ſatis indicaſti id te ſentire ac credere. Atqui hic jam vide quam ſit hæc tua diſtinctio frivola atque inepta. Nam ſi ſcientia illa quæ tali homini cui actu non perſuadet ex ſe inefficax eſt, id eſt tali homini actu perſuadere non poteſt, qua juris ſpecie, quo colore æqui & juſti poteſt talis homo redargui atque accuſari, quod non fecerit id quod ſcientia illa faciendum ei eſſe dictavit? quomodo reddi poteſt inexcuſabilis quod ſcientia illa recte uſus non fuit? quomodo majoris pœnæ ac ſupplicii reus peragi, imò quomodo culpæ ullius novæ poſtulari poreſt? Hæc profecto tam ſunt ἄτοπα, tam ab omni recta ratione aliena, ut pigeat & pudeat ea toties quærere. Et ad hæc tam gravia tu ne mutis quidem, quodque in toto hoc tuo libro notandum eſt, ne ſyllabam quidem reponis uſpiam ad id quod toties urgeo, quo jure pœnæ gravioris reus poſtulari poſſit à Deo, is qui ſcientia iſta ex Dei ipſius intentione & per ſe inefficace ab eo donatur. Dic aliquem, Camero, dic ô bone Scote colorem. Non ſatis eſt diſtinctionem aliquam ex aëre quaſi arripere, & eam veluti pulverem deinde oculis ſuffundere. Quid facilius? ſed & quid vanius? Rebus age, Camero. Scio veram ſcientiam non incommode dici poſſe eam ſcientiam, quæ cum effectu ipſo conjuncta eſt. Sed & ſcio non incommode tantum, ſed & falsò, veram ſcientiam dici eam tantum quæ non poteſt non eſſe conjuncta cum effectu, & falſam omnem iſtam ſcientiam quam effectus ipſe non conſequitur, etiamſi eam conſequi potuerit.

*Quam igitur* (inquis tu) *hîc veram & ſolidam Chriſti & Dei cognitionem vocas?*

Eam, Camero, qua quis vere & perſpicue novit atque intelligit ex lege aut ex Euangelio Jeſu Chriſti, quid Deus nos ſcire, credere, ſperare & facere velit; quid nobis promittat ſi voluntatem ejus faciamus, & quid comminetur ſi eam non faciamus. Quæ enim alia vera ſcientia mente concipi poteſt? Adde, ſi velis, quâ quis apud animum perſuaſus eſſe poteſt, & ex animo perſuaſum ſe eſſe agnoſcit, quod id ſciat, eaque de cauſa Dei & Chriſti diſcipulus eſſe & haberi vult, quin & mandata Dei & Chriſti, eo ipſo quod Dei & Chriſti mandata ſint, religioſo animo obſervare ſe velle profitetur, ſive id actu & reipſa faciat, ſive id non faciat; eodem plane modo quo ſcientia Ethices vera ſcientia eſt, qua quis recte & ſolide novit ea quæ ad mores ſpectant, quid bonum quid honeſtum ſit, ſive actu ſecundum iſtam ſcientiam vitam & mores ſuos componat, ſive diſſolutis plane moribus vivat, aut ad ſcientiæ illius normam exacte ſe non gerat.

At quæris, *Num eam cognitionem intelligam, quam ſcelerati quique habent?*

At quæ eſt illa ſcientia, Camero, quam ſcelerati quique habent? An ſcelerati omnes Dei & Chriſti cognitionem habent? Vah! quam hæc quæruntur inſulsè & timul odiosè! Nihilominus reſpondeo tibi me iſtam intelligere ſcientiam quam habent ii omnes, qui ex præſcripto Chriſti, quod per ſcientiam iſtam (quam tu præſcribentem ſolam ineptè vocas) norunt, & cui ſe ſubjicere velle profitentur, vitam ſuam non componunt, ſive ſcelerati ſint, ſive non omnino ſcelerati. (Non enim omnes officium non facientes ſtatim ſunt ſcelerati.) & ut verbis Spiritus ſancti enunciem quod volo, *Qui ſe profitentur Deum ſcire, ſed factis eum negant*: *Tit.* I. 16. *qui formam pietatis habent, ſed vim ejus abnegarunt*: 2 *Tim.* III. 5. *Qui ſe dicunt Judæos eſſe cum non ſint, ſed ſint ſynagoga Satanæ*: *Apocal.* II. 9. *qui cum Deum cognoverint, cum tamen non glorificant ut Deum*: *Rom.* I. 21. *qui norunt τὸ δικαίωμα τοῦ Θεοῦ, nempe eos qui mala agunt, dignos eſſe morte, & interim non ſolum mala faciunt, ſed etiam facientibus applaudunt*, *Rom.* I. *verſ. ult. qui poſtquam ὄντως*, id eſt *verè* (quod ſine vera ſcientia non potuit, quia expreſſe opponitur τῇ πλάνῃ) *effugerunt τὸν ἐν πλάνῃ ἀναστρεφομένους*, id eſt, ut explicatur ibidem, *poſtquam per agnitionem Dei & Servatoris Jeſu Chriſti inquinamenta mundi evaſerant, & juſtitiæ viam, ſanctumque mandatum cognoverant, regrediuntur à mandato & via iſta, & veluti canes ad vomitum, & ſues ad volutabrum redeunt*: 2 *Pet.* II. 18. 19. 20. 21. 22, &c.

*At illa certe ſcientia quam ſit potens ad eos commovendos revocandoſque in viam, teſtis eſt eorum vita.*

Atqui, inquam ego, vita ipſorum non eſt teſtis ſcientiam illam potentem non fuiſſe ad eos commovendos revocandoſque, ſed tantum illam actu eos non commoviſſe aut revocaſſe. Atqui nulla eſt conſequentia, Non commovit eos, ergo non potuit commovere. Imò verò quia non commovit eos, idcirco culpæ & pœnæ majoris rei ſiunt; quod nullo jure poſſet fieri, ſi ſcientia iſta eos commovere aut revocare omnino non potuiſſet. Sed nec vis aut efficacia ſcientiæ ex eo diminuitur, quod homo ea moveri aut revocari in viam nolit. Vis enim ſcientiæ tota conſiſtit in apprehenſione veritatis & in judicio. Apprehenſio autem & judicium hoc de veritate manet ſemper in homine, ſive homo eam ſequi velit, ſive nolit. Scire cogitur vel invitus malum & vetitum eſſe quod facit. Scientia hæc ſemper triumphat, ſtimulat, mordet & redarguit eum, etiam quando maxime eam enecare ſtudet. Nolle poteſt homo quod ſcit, ſed quod ſemel ſcivit id non poteſt nolle ſcire. Poſſe autem nolle quod vere ac ſolide ſcit, & de quo perſuaſiſſimus eſt, unus locus *Act.* VI. 10, abunde docere nos poteſt; *Non poterant*, inquit textus, *reſiſtere ſapientiæ & ſpiritui per quem loquebatur Stephanus*: & tamen de iiſdem illis ibidem dicitur, quod *ſubjecerint quoſdam qui dicerent ſe audiviſſe Stephanum loquentem verba blaſphema in Deum & Moſen*; imò Stephanus ipſe de iis affirmat, quod *ſemper Spiritui ſancto reſiſtebant*, *cap.* VII. 51.

Hîc tu: *Profectò qui de vera & ſolida Chriſti cognitione ſic philoſopharis, non tenes omnino, non tenes quæ ſit & quanta illius vis. Sed mihi tempero.*

Nempe igitur ſi ego Chriſtum nondum novi, Camero, expecto adhuc vim illam perſuaſivam, quam habere non eſt in mea poteſtate. At tu jam, ſi Diis placet, Chriſtum vere ac ſolide noſti, jam certò experimento tenes vim

istam. Persuasio sane hæc te tenet, Camero, & tantum non inflat; Satis enim crebrò eam jactas & venditas. Sed vide ne tibi jure dicatur idem quod Apostolus dixit, *Qui dicit, Novi eum, & mandata ejus non servat, mendax est, & veritas non est in eo.* Patere, obsecro, ut hoc tibi dicam Camero. E re tua esse potest, & mea. Qui tenent quæ & quanta sit vis veræ & solidæ cognitionis Jesu Christi, eorum vitam id testari debere recte asseris. At cum statuas vera & solida Christi cognitione donatos esse & manere etiam eos qui atrocissima scelera patrant, scortationem puta, adulterium, homicidia, rebellionem, idololatriam, quin & omnia peccata Sodomæ & Gomorrhæ, quæ obsecro est vita illa quæ vim istam inesse istis tibique testatur? Fieri-ne potest ut quæ & quanta sit vis cognitionis istius teneas, quæ tam fœdam opinionem, tam potentem turpis & profanæ vitæ stimulum relinquit in animo tuo? Quis non eos sentire potius vim istam credat, qui eos qui talia facta patrant vita sua testari se à Deo Christoque alienos esse non dubitant asserere, & Christianæ pietatis vim non posse locum habere, ubi tam execranda profanitatis radix plantata hæret? Sed & utinam facta vestra sæpe non essent opinioni isti consimilia! Minus certe rebellionum, minus odiorum, minus seditionum, plus obsequii, plus fidei plus humanitatis, apud vos conspiceretur; sane multò plus virtutum bonorumque operum locum haberet apud vos; & (ut in Apostoli nostri terminis maneam) minus odii, plus benevolentiæ, plus caritatis, plus misericordiæ, plus commiserationis monstraretis: non dico erga gentiles, erga Judæos, erga inimicos vestros; quod tamen necesse etiam est; sed erga Christianos, fratres, amicos vestros, quando tantum à vobis dissentiunt; etsi eorum vita labe & macula omni careat, imò vita vestra cum illorum vita ne contendere quidem possit. Fieri-ne potest ut is norit Christum prout oportet nosse qui fratres suos odit? At vos notitiæ istius vim tenere vos creditis, & interim non desinitis, qua potestis, Christianos pie sancteque viventes, sed errantes, sed dissentientes à vobis, aversari, contemnere, pellere, fugare, proscribere, fame, inedia enecare cum uxoribus, liberisque, carceribus includere, equuleis adhibere, denique si pertinaces maneant operam dare ut de iis mereat carnifex, aut ut carcer eos vivos spirantesque æternum sepultos teneat. Hæc, inquam, non desinitis facere ubi rerum potimini, aut iis qui ista faciunt favetis atque applauditis: quin & iis *Ure, seca* vestrum Genevense qua potestis commendatis, aut commendatum esse vultis. Profecto, Camero, qui de vera & solida Christi cognitione tam magnifice loqueris, & vim ejus quæ & quanta sit jam te tenere ac sentire omnino credis, ac tantum non ubique jactas, & interim tam fœdis & à solida Christi cognitione veraque pietate ac fraterna caritate alienis opinionibus fratrumque odiis aut faves aut indulges; fieri non potest quin tibi ipsi imponas, & teipsum fallas. Sed mihi tempero.

Addideram; Et sane cum vera Dei & Christi cognitio sit divinæ voluntatis scientia, eaque vel theoretica tantum, licet vera scientia, qua quis scit quid Deus & Christus à nobis postulent, vel practica quæ fides dicitur; quid est cur non credamus fieri posse, ut is qui simpliciter tantum scit voluntatem Dei, vel ei etiam credit, non faciat Dei voluntatem, vel à faciendo deficiat, manente interim sola scientia speculativa?

Ad hæc tu respondes; *Deus bone! quam frigide de vera Dei cognitione loquern? Piget me miseretque tui. Omnino non decent ista hominem Christianum.*

At cur quæso Camero? An frigide loquor de vera Dei cognitione, cum dico eam ex se potentem & efficacem esse ad persuadendam mentem, ad dirigendam voluntatem hominis, licet habitu peccatorum obsessi? Quid possem magnificentius grandiusque de scientia vera dicere? An frigide loquor de ea, quando affirmo ejus vi hominem etiam impium, etiam sceleratum subinde exstimulari, impelli & excitari ad faciendum officium? eum, si actu voluntas ejus per eam non dirigatur, per eandem convictum iri coram tribunali Dei de culpa & crimine contumaciæ, imò inexcusabilem redditum iri, idcirco quod ista cognitione qua ad dirigendum voluntatem suam uti potuerat ac debuerat, noluerit tamen uti? An majora scientiæ, qua scientia est, privilegia concipi animo possunt? & cui cognitioni hæc privilegia omnia revera competunt, an eam veram cognitionem esse negabimus? Tu verò vide sis quàm frigidè de vera ista scientia loquaris ac sentias, cùm eam ineficacem prorsus esse dicas, ita ut nec persuadere possit menti hominis veritatem, nec voluntatem ejus permovere. Inde enim consequitur eandem non posse eum apud animum suum convincere novæ culpæ atque inobedientiæ, nec revera inexcusabilem reddere coram æquissimo & justissimo judice ipsius. Quem non pigeat misereatque tui, Camero? Omnino hæc non decent hominem Christianum; Negare scientiæ isti competere vim persuadendi, & eandem quia non persuasit, causam statuere pœnæ gravioris: Illi vero scientiæ quæ vim tantam habere creditur ut non possit non persuadere, tribuere hunc honorem quod hominem qui ea persuasus est obedientiæ veræ titulo & mercedis ac præmii æterni remuneratione dignum faciat.

Sed pergis: *Quid? tu fidem ausis dicere sejunctam esse posse à bonis operibus? Vin hic digrediar ut probem fidem veram non posse sejungi à caritate? Non faciam. hæc nova jam controversia est: sed inter pios & bonos viros, quique vim fidei non ex sacris modo literis, sed sensu ipso & experientia didicere, minime controversa. Satis habeo ostendisse quæ monstra vos alatis. Profecto tu Cl. Tileno vel multo audactior es, vel multò incautior. Nam in hunc noluit devenire quo turuisti præceps. Itaque facis omnino ut te suspicer* Συκοφάντην.

Ut hîc exultas, ut insultas, ut ferocis, Camero! At dic sodes, quam causam tibi dedi ut ex me quæras, an ausim dicere fidem sejunctam esse posse à bonis operibus? an ejus rei vel levissimum indicium dedi in Epistola? Cum primum hæc à te quæri legerem, non poteram suspicari quid tibi velles? Nam fidem veram à bonis operibus sejungi posse tam fuit semper ab animo meo alienum, ut cogitare non possem quomodo id mihi excidere potuisset. An collegisti forte id ex verbis istis, *Quid est cur non credamus fieri posse, ut is qui simpliciter tantum scit voluntatem Dei, vel ei etiam credit, non faciat voluntatem Dei, vel à faciendo deficiat, manente interim sola scientia speculativa?* Ita quidem reor. At nisi nimium properasses, & credidisses leviter hic esse in quo unguem posses ponere, & propter quod posses exclamare, *οὐρανὸς οὐρανῷ*, facile vidisses ista verba, *Non faciat Dei voluntatem*, non esse connectenda cum istis verbis, *vel ei etiam credit*; sed cum præcedentibus, *qui simpliciter tantum scit voluntatem Dei.* Duo enim dico non obscure in ista quam citavi periodo. 1. Nihil obstare quominus credamus fieri posse, ut is qui simpliciter tantum scit, scientia scilicet vera speculativa, voluntatem Dei, tamen istam Dei voluntatem non faciat. 2. Nihil obstare, quominus credamus fieri posse, ut is qui jam vere credit, ac proinde ex natura veræ fidei voluntatem Dei facit, à credendo & sic à facienda Dei voluntate deficiat; manente interim ac non sublata ex mente ipsius scientia illa speculativa. Quis non videt verba hæc non tantum aliena esse ab eo quem tu eis tribuis sensu, sed contrario plane sensu accipienda esse? Scopus rei & argumenti id docere te poterat. Volo enim ostendere veram scientiam speculativam Dei ac Jesu Christi, esse posse etiam sine observatione mandatorum Dei & Jesu Christi, primum in eo qui nondum credit, & sic non facit voluntatem Dei quam tamen optime novit; Secundò, in eo qui semel credidit, & à fide illa deficiens, voluntatem etiam Dei facere desinit. In hoc enim desinente fide & observatione mandatorum Dei, manet nihilominus adhuc scientia speculativa. Quid planius? Sed & ratio manifesta id arguit. eodem enim paragrapho fidem appellavi scientiam practicam, contradistincte à speculativa, quæque talem praxin conjunctam non habet. Practicam autem appellare contradistincte à speculativa, & negare eam conjunctam esse cum praxi sive observatione mandatorum, contradictionem habet (ut loquuntur) in adjecto. Neque ad rem facit, si dicas in verbis meis non legi, à credendo deficiat; id enim intelligendum esse liquet ex eo quod additur, *manente interim sola scientia speculativa.* Fidem itaque defecisse intelligatur necesse est, quia fides non est scientia speculativa sed practica, id est cum praxi sive mandati divini præstatione conjuncta. Et cum supponatur illam necessario defecisse, antequam deficeret divinæ voluntatis præstatio, suppositum etiam fuerit necesse est, ea stante ac manente observationem mandatorum stetisse ac mansisse.

Viden' Camero, ut vires istas tuas quas in me libraſti in ventum effuderis, & cornua in aërem jactaveris pedibusque in arenam sparseris, *πνεῦμα εἰς κίνησιν ὑπομένον*. Tota tua speciosa machinatio

*Pulverem exigui jactu discussa quievit.*

Quare non est necesse ut digrediaris ad probandum fidem veram non posse sejungi à caritate. Non est hæc nova controversia inter me & te. Nunquam mihi in mentem venit ea de re litem cuiquam movere, aut animo cujusquam dubitationis scrupulum injicere. Sed nec alo hoc, nedum alia monstra plura, quæ te vel detectore vel confectore opus habeant:

*Hoc Ithacus velit, & magno mercentur Atridæ.*

Et nimis avide hoc tu voluisti, Camero. Hinc illæ lachrimæ, hinc scommata, hinc dicteria illa aceto acriora in innoxios & immerentes conjecta. *Satis habeo*, inquis, *ostendisse quæ monstra vos alatis. Tu Tileno multo audactior es, vel multò incautior.* Et, quod maxime morsurum credidisti, *Facis omnino*

*nino ut ſuſpicer te* Σωκινίζειν. Quaſi vero aut Socino unquam in mentem venerit, Fidem ab operibus bonis ſejungi poſſe, qui expreſſe contrarium urget; aut ſi id ei in mentem veniſſet idque affirmaſſet, idcirco deferenda eſſet iſta opinio, quod ille in eadem fuerit. Sane ſi ita res habet, tempus eſt ut nuncium remittamus uterque ſententiæ noſtræ. Socinus enim velis remiſque contendit, Fidem ab operibus bonis ſejungi non poſſe. Imo tempus eſt ut tu ſententiæ tuæ epicedium ſcribas, de ſcientia vera ſolidaque. hanc enim cum obſervatione mandatorum Dei neceſſariò conjunctam eſſe ſeriò contendit idem Socinus. Age igitur, Camero, deſere opinionem tuam; alioquin facis omnino ut te ſuſpicer Σωκινίζειν. Me quod attinet ego iſta convitia, iſtas nomenclaturas ſuſque deque habeo. Sive quis me dicat Σωκινίζειν, ſive Καλβινίζειν, ſive Λυθηρανίζειν, id flocci facio. Perinde mihi eſt qui cum ſentiam, ſi id quod ſentio verum eſſe credo. Indignus eſſem veritatem intelligere, ſi eam à quolibet diſcere, & cum quolibet amplecti paratus non eſſem. Tu ſi iſto convitio tangeris, Camero, velis nolis fatearis neceſſe eſt te in hoc argumento prorſus Σωκινίζειν, & quo me feriiſti lapide te ipſum ferias ac mactes.

Lucas Joan. XVII. 3.

*Cæterum* (inquis) *Theoretica Chriſti cognitio, vera illa & ſalutaris cognitio non eſt. Non eſt enim ea quam Chriſtus tanti fecit ut eam dixerit vitam æternam, Joan.* XVII. 3.

Atqui hîc jam oſtendis & detegis aliquatenus homonymiam vocis *vera*, quâ hactenus luſiſti. Nempe vera cognitio tibi ſalutaris cognitio eſt. Sed nec ego dixi unquam theoreticam ſcientiam, quæ à praxi ſejuncta eſt, ſalutarem eſſe, niſi novam homonymiam iterum in voce *ſalutaris* latere velis. Salutaris enim ſcientia dici poteſt, vel quam ſalus certo certius ſecutura eſt, vel quæ ad ſalutem conſequendum prodeſſe poteſt ei in quo eſt. Si hoc modo ſalutaris vocem accipias, tum ſane theoretica Chriſti cognitio non minus recte ſalutaris quam vera ſcientia dici poteſt. Si iſto modo, tum ſalutarem eam non eſſe, nec dici poſſe, in confeſſo eſt. Quod ſi eodem ſenſu theoreticam Dei & Chriſti cognitionem non poſſe vocari veram cognitionem dixeris, nulla jam amplius lis erit inter nos de voce iſta. Nec refragabor per cognitionem illam, quam Chriſtus vitam æternam vocat, veram illam cognitionem practicam intelligi; quanquam nulla ratio ſit ob quam Chriſtus verbo cognoſcendi dicatur uſus eſſe iſto ſenſu, quaſi cognoſcere hoc, in genere cognitionis ſpecialem aliquam rationem aut modum cognoſcendi denotaret ſpecie diſtinctum à cognitione theoretica. Nihil minus. una eademque ſpecie cognitio eſt; ſed hoc ſolum una ab altera eſt diſtincta, quod unam ſequitur eventus qui ſequi non potuerat, alteram non ſequitur cum tamen ſequi potuiſſet. In cognitione tamen hac ponit Chriſtus vitam æternam per Synecdochen, quia principium & pars eſt iſtius medii, quod neceſſarium eſt ad conſequendum vitam æternam. Ante omnia enim cognoſcere voluntatem Dei neceſſe eſt, & ſine iſta cognitione fieri non poteſt ut in nobis ſit fides, obedientia, &c. Quia vero ſine cognitione Chriſti cætera ad ſalutem requiſita in nobis eſſe non poſſunt, & illa ipſa multum admodum facit ad hoc ut cætera inſint, id eſt ad hoc ut credamus & obediamus; hinc eſt quod illa non ſine magna ratione vita ipſa æterna appelletur. Et ſane ſi ipſa Euangelii prædicatio, condemnatio recte dicitur, quia niſi illa facta fuiſſet condemnatio iſta ſecutura non fuiſſet, & quia occaſio ſive cauſa per accidens eſt condemnationis; majori certe jure prædicati Chriſti cognitio, quæ cauſa & occaſio ſalutis per ſe eſt, ſalus & vita dici poteſt. Sed & Synecdochen hanc in voce *cognitionis* hîc eſſe, apparet ex eo, quod Servator noſter non obſcure ſtatim poſt hæc verba, ſignificet ſe cognitionem illam dediſſe Apoſtolis ſuis, quos Pater ipſi à principio dederat, inter quos Judas etiam ſatis aperte cenſetur, quando *ex iis quos Pater ipſi dederat neminem periiſſe*, dicit, *niſi filium illum perditionis*, id eſt, perditiſſimum illum hominem qui cuſtodiri noluerat; quo Judam deſignari in confeſſo eſt. At ſi cognitio iſta vita æterna diceretur eo quo tu vis ſenſu, Camero, periiſſe dici non potuiſſet is qui ea præditus fuerat. Negare autem cognitionem eam quæ Judæ obtigit cum cæteris veram cognitionem fuiſſe, eſt contra ſtimulum totius illius capitis calcitrare, & contra expreſſa verba quæ legere eſt *verſ.* 8. καὶ αὐτοὶ ἔλαβον (τὰ ῥήματα σου) καὶ ἔγνωσαν (NB.) ΑΛΗΘΩΣ, ὅτι παρὰ σοῦ ἐξῆλθον, καὶ ἐπίστευσαν ὅτι σύ με ἀπέστειλας. Deinde Synecdochen hanc confirmat Apoſtolus 1 *Corinth.* XIII. 2. Ἐὰν ἔχω τὰ μυστήρια πάντα, &c. καὶ πᾶσαν τὴν γνῶσιν, καὶ ἐὰν ἔχω πᾶσαν τὴν πίστιν, &c. ἀγάπην δὲ μὴ ἔχω, οὐδέν εἰμι. *Etiam ſi noverim omnia myſteria omnemque ſcientiam, & habeam omnem fidem, &c. ſi caritatem non habeam, nihil illud mihi proderit.* Cognitio itaque illa qua cognoſco Patrem ſolum verum illum Deum, & Jeſum Chriſtum quem miſit, quatenus cognitio eſt &c. etiam ſub iſta σὺν γνῶσιν, & γνῶσιν πάντων τὰ μυστήρια comprehenditur. At univerſa iſta cognitio eſſe poteſt ſine caritate, teſte Apoſtolo; Ergo. Hoc ſi verũ eſt, jam in voce cognitionis Synecdochen quam dixi metonymicam latere neceſſe eſt, qua cognitio pro cognitione, fide & obedientia, id eſt omnibus ad ſalutem requiſitis actibus accipitur.

Quare cum dicis, *Practica Chriſti cognitio, ea demum ſola pro vera Chriſti cognitione habenda eſt*, Idque oſtendis hunc in modum, Collat. Pag. 186. *Unumquodque tum demum vere cognoſcitur, cum cognoſcitur quomodo proponitur. At Chriſtus non proponitur nobis cognoſcendus theoretice, quemadmodum quomodo triangulum tres habet angulos pares duobus rectis; ſed practicè, ut amplectendus, diligendus, amandus. Itaque cum non cognoſcitur practicè, ne vere quidem cognoſcitur*: iterum manifeſtè ludis in vocibus cognitionis practicæ. Practica enim Dei & Chriſti cognitio, vel ſignificat cognitionem cujus finis eſt praxis, qua ſcio quid agendum, quid omittendum ſit, ex doctrinæ divinæ aut Chriſtianæ præſcripto; Vel ſignificat cognitionem quæ cum praxi ipſa ſive cum agendi propoſito eſt conjuncta, vel ad quam praxis ſive agendi propoſitum immediate ſequitur. Si iſto modo practicæ cognitionis vocabula intelligas, jam ſane practica cognitio etiam tribui poteſt alicui, cui tamen caritas aut fides non tribuitur. Qui enim ſcientiam practicam, id eſt ſcientiam habet cujus finis eſt praxis, ille ſcientiam habere poteſt ſine praxi. Ita ſcientia virtutum, ſive ſcientia Ethices haberi poteſt ab homine peſſimo. Poteſt itaque ſimiliter quis cognoſcere Deum & Chriſtum, prout proponitur, amplectendum, amandum, diligendum, ut tamen nec Deum nec Chriſtum amplectatur, amet aut diligat. Et hæc ſane cognitio practica, ſub theoretica à me etiam comprehenſa fuit; quia revera is qui ea præditus eſt intra ſolam ſcientiam & cognitionem ſtat, nec ultra progreditur. Si vero ſcientiam practicam, ſecundo quo dixi modo accipias, tum dico eam eſſe ipſiſſimam fidem in Deum & Chriſtum, quæ à caritate ſive bonis operibus ſejungi non poteſt. Quod ſi dixeris hanc eſſe inſolentem ſignificationem terminorum iſtorum *Scientiæ practicæ*; jure id negare potero, &, ſi omnino contendere contra velis, tota lis erit de terminis & vocibus meris, iiſque ἀγεγράφοις, quas tanti facere Chriſtianus non debet ut propter eas funem contentionis velit trahere. Me quod attinet, ego alio ſenſu non appellaveram unquam fidem, cognitionem practicam. Nec patitur rei natura ut alio ſenſu appelletur, quia cognitio practica priore ſignificato convenit iis omnibus quibus notitia præſcribens vel notitia doctrinæ præſcribentis tribui poteſt. Qui enim norunt verè ac ſolidè quid doctrina Dei & Chriſti præſcribat, quid fieri aut non fieri à nobis velit, ii cognitione practica norunt Deum & Chriſtum, quia norunt Deum & Chriſtum amplectendum, diligendum & amandum ſibi eſſe: hoc enim eſt illud omne quod doctrina Dei & Chriſti præſcribit. At multi etiam iſto modo norunt Deum & Chriſtum, qui tamen idcirco Deum & Chriſtum non amplectuntur, non diligunt, non amant, uti ex locis pæne omnibus quæ ſæpius jam à me allegata ſunt, ipſaque adeo quotidiana experientia clariſſimè liquet. Aliud eſt ſcire Deum amandum eſſe, aliud amare. Aliud ſcire virtutem amandam eſſe, aliud amare; uti clare Jacobus indicat, cum dicit *cap.* IV. *verſu* 17; *Qui novit rectè facere nec facit, hic peccato tenetur.* Atque hac quidem ratione concidit univerſa moles ratiocinationis ſive potius cavillationis tuæ ſequentis, qua concludis, ſi fidem ab operibus bonis disjungi non poſſe credam, itaque cognitionem practicam neceſſariò flectere voluntatem, eo quod fidem fatear eſſe cognitionem practicam. Jam enim dixi, quod fidem non alio ſenſu cognitionem practicam vocandam eſſe intelligam, quam quia cum praxi, id eſt mandatorum obſervatione, eſt conjuncta. At ejuſmodi cognitio practica non habet voluntatem noſtram tanquam effectum ſui conſequentem, ſed eam ante ſupponit. Praxis enim ſive obſervatio mandatorum connotat voluntatem, aut à voluntate proximè oritur, & quidem libera, quatenus actus obedientiæ eſt doctrina practica præſcriptæ, ſub promiſſo præmii & pœnæ comminatione. En Camero, ut facili momento diſtruperim omnia iſta quæ adeo *munita, obſtructa & obſepta putabas, ut exitum reperire impoſſibile eſſet.* I nunc, & gloriare in poſterum de confecta re, priuſquam videris, & triumpha ante victoriam. Poſt ſequentur pœnitentia, pudor & dolor.

Subjeceram aliud argumentum ad evertendum interpretationem tuam. Hoc antequam aggrederis in hæc verba præfaris; *Recognoſce quæſo verba tua, haud dubie erubeſces. Num Apoſtolus dixit, Qui novit eum? Minime verò; Sed qui dicit, novi eum.*

Quorſum hæc, Camero? Ego enim hîc non argumentor ex verbis Apoſtoli, ſed ex tuo quem verbis Apoſtoli tribuis ſenſu, hunc in modum; Si ex verbis Apoſtoli quando ait, *Qui dicit, Novi eum, & mandata ejus non ſervat, mendax eſt*, re-

cte colligitur, uti tu vis, Camero, voluntatem ejus qui Deum aut Jesum Christum vere novit, ita flecti vi notitiæ istius ut non possit non servare mandata, (sic enim tu colligis) tum sequeretur ex iisdem verbis eadem & pari necessitate colligi posse, voluntatem ejus in quo vera Dei & Christi notitia est, vi notitiæ illius ita flecti ut non possit non omnia mandata omnimode perfecte observare: Atqui hoc tu ex verbis hisce concludi non concedis: Ergo neque illud prius concludas æquum est. Quid jam ad hoc argumentum meum facit quod recognoscere me jubes verba mea, quod Apostolus non dicat, Qui novit eum, sed qui dicit novi eum? Nam idcirco quia Apostolus dicit, eum qui dicit novi eum, & non servat mandata, mendacem esse, concludis tu, Ergo qui novit eum non potest non servare mandata, vi notitiæ istius ad mandata servandum determinatus; istam tuam consequentiam ut evertam usus sum argumento isto.

*Iterum de loco 1 Joan. II. 4.*

Addis deinde; *An non vides Apostolum tibi aperte contradicere,* EST MENDAX *nimirum dixit. Expende amabo illud* EST MENDAX.

Mirum equidem quid hisce tuis verbis velis, Camero. Non enim quæritur hoc loco de prædicato hujus enunciationis, utrum non sit vere mendax is qui dicit, Novi eum & mandata ejus non servat; (sunt enim hæc ipsissima verba Apostoli;) sed de subjecto, quid Apostolo sit, τὸ *Novi eum*, quando hac enunciatione utitur, *Qui dicit, Novi eum, & mandata ejus non servat*, & de eo prædicat quod sit *mendax*: An videlicet eo significet Apostolus, eum qui de se ipso simpliciter affirmat, prout verba sonant, *Novi eum*, notitia scilicet vera; An verò eum qui synecdochice dicit, *Novi eum*, id est, ego amo, diligo eum, recipio ex animo doctrinam ejus, discipulus ejus sum atque esse volo, breviter ego sum Christianus: hinc enim non obscure alterum dependet; An videlicet Apostolus significare voluerit, quando dixit, *Qui dicit, novi eum, & mandata ejus non servat, mendax est*, fieri non posse ut quis sine mendacio dicat se Christum simpliciter nosse, & vere quidem nosse, quando præcepta ejus non observat, propterea quod scientia Christi vera, qua scientia est, vi sua voluntatem hominis necessariò determinat ut non possit non observare mandata; An verò significare voluerit, fieri non posse, ut quis sine mendacio dicat, se Christum nosse, id est doctrinam Christi amplecti, approbare, amare, diligere ex animo, quando mandata doctrina ista comprehensa non observat; propterea quod duo illa conjuncta semper esse oporteat ex Dei aut Christi intentione, ipsiusque doctrinæ indole ac genio; ille autem qui id dicit, facto demonstret contrarium ei quod dicit, quodque ex animo esse videri vult. Hoc posterius ego dico, Apostolum hic significasse; prius tu.

Evinco autem id quod tu dicis Apostolum voluisse significare ex textu necessario non colligi, etiamsi verba ita sonent, hisce tribus argumentis. 1. Quia alioquin si verba textus presse urgere velis, sequeretur eadem necessitate ex verbis iisdem presse sumtis, fieri non posse ut quis Deum aut Christum ullo modo noscat, qui non idem mandata eorum observat; quia dicitur simpliciter, *Qui dicit, novi eum*; hoc autem tu ipse non vis, nec potes velle colligi ex textu hoc. Ergo nec prius istud à te necessariò ex verbis concludi potest. 2. Quia si ex verbis Apostoli id quod tu vis necessariò concluderetur, sequeretur eadem necessitate (absit blasphemia) Apostolum Paulum mendacem esse, qui dixit de aliis quod *Deum cognoverint, & tamen Deum non glorificaverint*; imò (horreo dicere) ipsum Servatorem nostrum falsum dixisse, quando dixit, *Servus qui scit voluntatem Domini sui, & non facit eam, pluribus plagis vapulabit*, &c. 3. Quia sequeretur eum qui novit Deum aut Christum, vi notitiæ istius omnia Dei & Christi mandata non modo observaturum esse, sed non posse non observare, quia cognitio ista Dei & Christi ad omnia mandata se æqualiter extendit, uti ex natura rei liquet, & ex textu qui dicit simpliciter, *Et mandata ejus non observat*. Atque hæc quidem cum tuo proprio judicio absurda sint, concludo itaque ex verbis Apostoli non posse inferri, nedum necessariò inferri, quod tu vis; sed quod ego infero, videlicet veram Christi notitiam conjunctam semper esse debere cum mandatorum Jesu Christi observatione. Inde enim solidissime & valde perspicue colligere potuit Apostolus, Fieri non posse ut quis sine mendacio dicat se Christum & doctrinam ejus nosse, se Christi & doctrinæ ejus discipulum ac sectatorem esse, etiamsi ex animo id dicat, nisi mandata Christi reipsa observet. Quomodo autem fiat ut notitia Christi cum mandatorum ipsius observatione conjuncta sit; An videlicet id fiat quia scientia vera necessariò flectit voluntatem ejus in quo est, ut non possit non præstare mandata; An quia homo scientia ista præditus libere observat mandata, cum posset ea non observare; de eo nihil definivit hic Apostolus, neque ex verbis ejus alterutrum per ullam necessariam consequentiam colligitur. Conjuncta hæc esse debere recte ex his verbis collegeris; sed quomodo conjuncta sint id aliunde quam ex hisce verbis colligatur necesse est. Eundem enim plane ad modum se res habet hîc ac si dicam; Qui dicit se verum subditum esse Regis sui, imò se ex animo Regi subditum haberi velle, & tamen regis jussa non exsequitur, quin & rebellionem in regno ejus aut excitat aut fovet; is mendax est. Non enim significare volo hac loquendi ratione, fieri non posse ut is qui verus subditus Regis est, imò qui regis subditus ex animo haberi vult, non exsequatur jussa regis aut rebellet regi suo. Docuerunt jamdudum, hodieque docent adhuc Reformati qui vocantur in Gallia, regi suo à nativitate subditi, vel subditi nati, contrarium verum esse. Sed tantum significare volo, absurdum esse si hæc duo simul non vadant, imò eum qui verus subditus esse & videri vult mendacem esse, quando subditus cum sit subditi tamen officium non facit, & quod verbo ædificat facto & opere destruit. Ex quo ipso evidenter etiam apparet, cum in textu legitur, *Qui dicit*, non significari proprie per τὸ *dicere*, idem quod simulare, fingere, sive hypocritice dicere; (quanquam nihil certius quam eum qui ita simulat mendacem esse:) sed significari hoc loco idem quod ex animo dicere; ut sensus sit, Qui dicit se Christum nosse, quia credit & persuadet sibi id verum esse, se amare Christum & doctrinam ejus, se Christianum esse & cætus Christiani membrum, imò qui pro tali recipi vult & recipitur ab Ecclesia. Unde consequitur Apostolum cum de tali dicit quod mendax est, quando dicit se Christum nosse & mandata ejus non observat, non voluisse dicere quod mendacium dicat quando se vera Christi notitia præditum esse & amore religionis ac doctrinæ Jesu Christi vero duci affirmat; sed tantum quod is, quanquam scientia vera sit præditus, & amore aliquo vero religionis Christi ducatur, seipsum tamen aliosque fallat, quando & quamdiu opere & facto contrarium demonstrat, id est mandata Christi reipsa non observat, eo quod discipulus Christi verus nullus censeatur, nec censeri jure possit, qui mandata Domini & magistri sui non observat. Contrarium itaque potius collegeris ex textu hoc, quam id quod tu ex eo colligendum esse existimas; Fieri videlicet posse ut quis Christum quem cognoscit non amet, & (ut Apostoli Pauli verbis utar) ut quis *sciat omnia mysteria omnemque scientiam habeat & caritatem tamen non habeat*. Et sane nisi id certum esse statuas, fieri non potest ut tu, Camero, consentanee tuæ opinioni verbis hisce colorem ullum propabilis interpretationes des. Nam quæro ex te, cum Apostolus ait, *Si quis dicat, Novi eum*, quid affirmantem eum facis per illud, *novi eum*? An novi eum notitia theoretica, sive (ut tu loqueris) præscribente? Non potes id dicere, quia, qui id dicit, *Novi eum* notitia sola theoretica, & non observat mandata, is mendax non est, imò juxta te mendax esset, si aliter diceret. An novi eum notitia persuasiva? Nec hoc potes dicere, quia qui id diceret, eum stultum esse diceres, quod dicat se persuasiva notitia præditum esse, quæ non potest non post se trahere observationem mandatorum, cum tamen mandata non observet. An quisquam tam fatuus fuerit, ut dicat se currere cum non moveatur, ignem esse ignem & tamen non calere, se rationalem esse & tamen non esse risibilem? Certe de tali non dixisset Apostolus *Mendax est*, sed fatuus, sed stultus, qui nescit quod dicat. Quocirca planum esse arbitror, Apostoli mentem hoc in loco aliam nullam esse posse, quam hanc; Qui dicit, ego sum discipulus Jesu Christi, vel ego sum Dei cultor, & tamen se non gerit ita ut discipulum Christi & cultorem Dei decet, is mendax est; eundem plane ad modum ac si dicam, Qui dicit, amicus tuus sum, & tamen cum fama mea læditur non interponit se, non studet eam afferere à calumnia, is est mendax; Non quod amicus meus verus nullo modo sit, aut quod mihi ex animo male velit, sed quod amici veri titulo dignus non sit, quia in eo quod amici est faciendo deficit. Hic sensus planus & facilis est, habetque rationem & Scripturam pæne totam sibi consentientem.

*Si cognitio Dei & Christi necessario post se trahit observationem mandatorum illius, id de perfecta omnium mandatorum observatione intelligendum est.*

Sed videamus jam quid ad argumentum meum directe respondeas, quod tale est: Si vera Christi cognitio, qua talis, vi sua sive necessario post se trahit caritatem sive observationem mandatorum Christi, sequetur eum qui vere novit Christum omnia Christi mandata necessario observare, ac proinde in nullo vel minimo observando deficere. Vera enim cognitio Christi æqualiter extendit se ad omnia mandata Christi. Hoc autem tu non concedis; Ergo nec istud textu hoc Apostoli contineri concedas necesse est.

*Recte* (inquis:) *sed necessario trahit caritatẽ circa omnia præcepta pro rata parte; nempe quia nõ est perfecta, imperfecte. Hoc ne*

jam

*jam tenes? Credo equidem; Neque enim homo es ingenii crassi & obesi.*

Teneo hoc, Camero, & te simul. Si enim consequenter loqui velis, nec rata pars hic ulla est, nec imperfecta ulla cognitio. Probo utrumque. Nulla rata pars hîc est; quia præcepta Christi omnia & singula, sunt necessaria media ad summum bonum consequendum. Jam autem agnosce verba tua pag. 260. *Quemadmodum finis agnitus non potest respui, pari jure nec media agnita, media inquam necessaria, unicè necessaria & sine quibus copia nulla est finis consequendi.* Unde sic argumentor; Qualis ratio est finis, talis ratio est mediorum necessariorum: (*unice enim necessaria & sine quibus copia nulla est finis consequendi*, verba sunt superflua; Necessaria enim quæ sunt, ea sunt unice necessaria & sine illis copia nulla est finis consequendi.) At finis non agnoscitur pro rata parte; plene enim cognoscitur seu clare, quia persuadetur ea persuasione qua major dari non potest; quippe quæ (ut ais) nec creatione nec suscitatione ex mortuis minor est; Ergo & media ita agnoscuntur. At quæ ita agnoscuntur ea non magis pro rata parte amari possunt, quam finis ita cognitus pro rata parte amatur. Unde secundum necessario sequitur, tractionem imperfecte fieri non posse; quia cognitione tali persuasiva perfectior dari non potest, eo quod ista necessario post se trahat voluntatem. Necessarium autem non habet gradus, uti ex natura rei sive ex terminis liquet. Et hinc tua verba, quod *summe*, quod *maxime*, quod *efficacissime* per eam trahatur voluntas. Summo autem quid superius, efficacissimo quid efficacius est? Hoc ne jam tenes, Camero? Credo equidem; Neque enim homo es ingenii crassi & obesi.

*At quænam alia ratio reddi possit, cur in vita futura caritas perfecta sit, quæ hîc imperfecta est, præter hanc quod in hac vita cognitio nostra imperfecta sit?*

Nulla sane; sed quomodo id à te dici possit, qui cognitionem nostram per finis summi boni & mediorum eo ducentium persuasionem talem, tamque claram atque efficacem mentis nostræ illuminationem à Deo in mente nostra produci vis, ut voluntas non possit non finem & media illa amare atque amplecti; id est quod hic quæritur. Ego dico si ita illustretur mens hominis in hac vita, non imperfectam sed perfectam esse cognitionem, quæ in hac vita habetur, quæque eam necessariò sequitur caritatem, adeo ut perfectior nulla haberi aut concipi animo possit. Quæ ex Arminii (quem nostrum appellari lubens volensque audio) oratione adfers, ea non modo non pro te, sed directe contra te faciunt; quia ille cognitionem qua inæstimabilis summi boni pulchritudo ita videbitur ut non possit non amari, ad solum futuræ vitæ statum pertinere dicit; cum tu eam ad vitæ hujus statum referas. Quod autem dicit, *Intellectum se promovere ad volendum eadem proportione qua intelligit & cognoscit*, id sane verissimum est, & à nemine non agnoscitur. hinc enim recte sequitur, quia homo in hac vita ita cognoscit summum bonum, ut credere etiam jubeatur sub promisso præmii & pœnæ æternæ comminatione bonum illud summum bonum esse, fieri non posse ut illud ea necessitate amet, qua amat bonum summum clare visum, id est clare cognitum, aut ut simul etiam ea cognitione illustretur, quæ in clara summi boni visione consistit; ubi enim hæc visio sive cognitio locum habet, ibi fidei locus esse non potest. *Quando enim quod perfectum est advenerit, tum quod ex parte est abolebitur*, inquit Apostolus 1 *ad Corinthios* XIII. 10.

*Sed tibi* (inquis) *in hac disputatione id solemne est, ut confundas quam dixi præscribentem & dirigentem notitiam, cum ea qua fit persuasio.*

Imò verò tantum abest ut hîc confundam has notitias, ut argumentum hoc meum distinctione earum nitatur. Sic enim argumentor: Si cognitio non præscribens aut dirigens, sed persuasiva (quam vocas) hîc à Joanne intelligi dicatur, uti tu quidem vis; tum sequetur fieri non posse ut ii in quibus cognitio talis locum habet, in ullum vel minimum Dei præceptum peccent. Cognitio enim extendit se ad omnia & singula præcepta, ut media ad summum bonum obtinendum necessaria, eademque necessariò trahit post se voluntatem ex sententia tua; Faciet itaque ut ii in quibus illa est in nullo vel minimo præcepto peccent. Quare quæ de distinctione scientiæ utriusque hic à te dicuntur, ea prorsus sunt aliena. Nihilominus videamus quid velis.

*Eadem Dei & Christi cognitio potest esse in iis qui officium faciunt & in iis qui non faciunt.*

*Hære in causa* (inquis) *& hoc age. Evince eadem esse prorsus Dei in Christo notitia præditos, qui impii sunt & qui pii; tam clare hos quam illos, tam retecta facie (ut loquitur Apostolus) gloriam Dei in Christo contemplatos. Id nisi feceris, nil feceris, evagatus nimirum (quod veteri verbo dicitur) extra oleam.*

At primum, Camero, hæc non est causa in qua hærendum est; sed odiosorum verborum rete, quo veram causam tegis ad eliciendum responsionem calumniæ obnoxiam. Nam. 1. quam multi impii qui forte de Christo ne fando quidem audiverunt? 2. quam multi qui de eo forte audiverunt, sed cognoscendi eum occasionem satis luculentam nunquam habuerunt? 3. quam multi qui occasionem cognoscendi eum habuerunt, sed cognoscere eum aut noluerunt aut non studuerunt? Et quid Camero, an causa quæ inter nos controvertitur hæc est, an illi non dico tantum notitia Dei in Christo præditi sint, sed an *eadem* notitia, imò an *eadem prorsus* notitia Dei in Christo præditi sint (verba tua sunt) qua pii? Quis credat te tam negligenter disputare? Sed per impios intelligis forte eos qui cum occasionem credendi habuerunt per prædicationem Euangelii, tamen vocanti Deo non credunt aut credere nolunt, sed in profanitate vitæ atque in impietate sua perseverant. Id si intelligis, Camero, en ut animo tuo & causæ, quia tibi videtur causæ nodus hîc esse, satisfaciam, respondeo; Fieri posse & fieri non rarò solere, ut eadem prorsus Dei in Christo notitia præditi sint qui vocanti Deo credere nolunt, & in vita impia ac profana volunt perseverare, qua ii præditi sunt qui vocanti Deo credunt, & ab impietate sua desistunt ac pii deinde fiunt; imò ut videas fiduciam causæ, dico fieri posse, & fieri non rarò, ut isti meliore, clariore & ampliore notitia præditi sint quam hi. Vox *piorum* ambigua est; itaque ab ea abstineo. Pii enim dicuntur vel qui pii jam sunt, vel qui pii fiunt; de istis non loquor. Piis enim, qua talibus, imprimis si ex pietate sapientiam postulent à Deo, Deus non raro singularem & admirabilem rerum multarum scientiam pro sua paterna liberalitate solet largiri, juxta illud Jacobi, *Si cui vestrum deest sapientia, postulet eam à Deo, qui dat eam omnibus benigne, nec exprobrat, & dabitur*: cap. 1. *versu* 5. Hisce qui Deo vocanti credunt, & pii deinde fiunt, dico aliam specie notitiam non obtingere quam illis, imo non raro gradu minorem. Evinco id non tantum iis quos jam sæpe citavi textibus, sed etiam his duobus specialibus argumentis. 1. Quia notitia quam homines in hac vita ordinaria ratione consequuntur, est notitia quæ per verbum Euangelii auditum gignitur, juxta illud Pauli, *Rom.* X. 18: *Fides ex auditu est, auditus autem per verbum Dei.* Per verbum autem hoc Dei intelligi verbum externe prædicatum apparet, quia additur, *Sed inquam ego, annon audiverunt? Imò verò in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terrarum verba eorum*, &c. quod confirmatur clare satis ex 1 *Pet.* 1. 23. ubi *regeniti* dicimur *per sermonem Dei*, additurque *versu* 25, *Hoc autem est verbum illud quod euangelizatum est inter vos.* At hanc notitiam ex Euangelio prædicato seu lecto tam possunt habere, & habent non raro, qui ei credere nolunt, id est, impii, profani, hypocritæ, aliique quibus Euangelii istius prædicationem aut lectionem habere contingit, quam qui ei credunt & pietati operam dare volunt. Ratio manifesta apparet ex natura verbi istius, & ex claris textibus. Ex natura verbi; quia verbum illud est verbum claros & perspicuos sensus continens in omnibus ad salutem necessariis scitu, creditu, factu, speratu; adeo ut nemo mentis compos, cui istud prædicari aut legere contingit, sensuum istorum ignorantiam prætendere ullo jure possit. Scientiam itaque istorum sensuum eandem habere eos qui verbo isti lecto atque intellecto non credunt, atque ii habent qui verbo isti credunt & vere pii sunt, quid vetat? Nihil itaque aliud requiris, inquies, ad hoc ut sensus Euangelii recte intelligantur quam externam verbi prædicationem? Nihil, quod quidem præcise necessarium sit ad hoc ut verbum prædicatum aut lectum possit intelligi. Suppono enim semper potentiam intelligendi & credendi verbo prædicato, à Deo communiter omnibus vocatis principio collatam. Ea posita nihil requiri amplius dico quam verbum ipsum externum, perspicue & clare divinam mentem & voluntatem quantum ad necessaria ad salutem attinet exprimens. Quod si tu alia quadam peculiari illuminatione insuper opus esse velis ad sensum istum percipiendum, jam sane tempus est ut Pontificiis manus des, & Scripturam non perspicuam sed obscuram fatearis. Sive enim obscuram eam dicas quia sine interpretatione Spiritus S. immediata sensus ejus percipi non potest, sive quia sine interpretatione Spiritus sancti mediate per Ecclesiam loquentis percipi non potest, id eodem redit. Ego sane cicum non interduim. De lana caprina rixa est, si lis inter vos & Pontificios in eo versatur. Sed & 2. liquet illud ex textibus illis omnibus, in quibus impii, qui quidem tibi impii sunt aut vere impii à te censentur, ex verbo isto diserte *percepisse voluntatem Dei, cognoscere veritatem, agnoscere Dominum ac Servatorem Jesum, vere effugere eos qui in errore versantur, scire jm Dei, imo illuminati, gustasse virtutes futuri sæculi*, & (ut

ne omnia, quæ pæne infinita sunt, loca allegem) *mysteria omnia nosse, omnemque notitiam habere* dicuntur. Ex his sic concludo: Qui cognitionem omnem & mysteriorum omnium notitiam habere possunt, ii possunt habere eandem sane notitiam quam pii habent; Nam præter omnem cognitionem nulla alia dari potest; At impii possunt habere omnem cognitionem & omnium mysteriorum notitiam; quia ea potest esse sine caritate, inquit Apostolus 1 *Corinth.* XIII. 2. Ergo. His adde quod ii qui semel vere crediderunt, & à fide ista iterum deficiunt, sive ii ἀπόστασιοι sint, sive alii, eadem notitia præditi fuerunt qua ii qui in fide ista perseverant. At in istis quando à fide vera desciscunt, (suppono enim jam id fieri posse) & sic ad impietatem suam redeunt, non potest non manere eadem illa scientia. Nec enim memoriam cum fide omnem amittere dici possunt. Ergo in impiis eadem prorsus notitia esse potest quæ est in piis.

Addis: *Hoc age ut probes, tam clare illos quam hos, tam retecta facie (ut loquitur Apostolus) gloriam Dei in Christo contemplatos.*

*Locus 2 Cor. III. 18.*

Imò verò, ut quo me cunque trahis, retrahisque, sequar te, & hoc ajo, tam clare (ut ne jam dicam sæpe clarius) multos profanos, impios, atque irrisores pietatis, gloriam Dei, id est gloriosas Dei proprietates, bonitatem, misericordiam, sapientiam, justitiam & potentiam Dei quæ in Euangelio revelata est & proposita, contemplari, id est scire ac cognoscere, quam pios multos. Quod ex eo evinco, 1. quia multi profani veritates istas omnes, & gloriosa omnia Christi præcepta ac promissa, quæ pii sciunt atque amplectuntur vera fide, solent irridere, sugillare, respuere ac contemnere; quod sane fieri non posset nisi eas intelligerent ac cognoscerent. 2. quia propterea quod cognitionem veritatis, id est veritatem cognitam, recipere noluerunt ut salvi fierent, à Deo in reprobam mentem tradi dicuntur, πλὴν ἀνθ' ὧν τὴν πλάνην αὐτῶν οὐκ ἐδέξαντο ἀλλὰ μᾶλλον εὐδόκησαν τῇ πλάνῃ; *Rom.* I. & 2 *Thess.* II. Denique quia propterea quod verbum illud sibi propositum & gloriosam illam Dei gratiam fide recipere noluerunt, convincentur contumaciæ ac pervicaciæ maximæ, & digni judicabuntur qui æterna morte puniantur, cujus nulla ratio vel in speciem dari posset, si verbum istud non dico non recipere fide, sed ne intelligere quidem potuissent, imo nisi de veritate ejus, ac proinde de sua contumacia, convicti prius fuissent apud animum suum. Addo itaque multos tales etiam retecta facie, si ita liceat loqui, (phrasis enim hæc ut postea videbimus aliena est ab hac materia) gloriam Dei in Christo contemplari, quatenus nimirum sensum Euangelii, in quo ut in speculo imago Dei gloriosa, id est perfecta voluntatis divinæ gratiosæ & sane gloriosæ, species relucet atque expressa est, intelligunt ac percipiunt. Neque repugnat Apostoli quem tu obiter & nihil minus quam appositè indicas locus, qui est 2 *Corinth.* III. 18. ubi ait, *Nos autem retecta facie gloriam Domini ut in speculo intuemur*, &c. Apostolus enim isto in loco non loquitur de velamine peccati, vel de velamine quod commune est omnibus hominibus antequam regeniti sunt, sive quod impiis qua talibus incumbit, nedum de velamine mentis eorum quo fiat ut illi intelligere non possint verbum quando ipsis prædicatur; sed de velamine quod Judæis proprium est qua Judæi sunt, & Veteri Testamento adhærere volunt; proinde quod ipsos impedit, ne quominus retecta facie gloriam Dei in Euangelio revelatam intueri possint, sed quominus eam intueri velint ac ne dignentur quidem. Retecta itaque facie contemplari gloriam, id est gloriosam Euangelii legem à Deo per Christum nobis traditam, opponitur contemplationi illi qua Judæi gloriam legis, id est gloriosam aliquomodo legem per Mosen traditam, contemplantur. Non poterat enim populus ferre gloriam istam qua Moses legem de monte adferens radiabat, nisi Moses gloriam istam tegeret velamine, uti legitur diserte *vers.* 7. Et hujus gloriæ contemplatio assidua, est velamen istud, quo fit ut gloriam Euangelii spiritualem totam, & quæ non ita oculis eorum apparet, licet alioquin multo sit splendidior excellentiorque, intueri ac considerare nolint, ac ne quidem dignentur. Pulcherrima enim allusione velamen istud quod Moses faciei aut fronti suæ imponebat, cordibus eorum qui Mosi & legi ipsius adhærere volunt, atque ita unum quasi cum Mose legem illam adferente sunt, incumbere aut incidisse docet Apostolus, ita ut quandocunque de Christo & Christi Euangelio audiunt mentionem fieri, statim recordantes quanta fuerit gloria illa cum qua Moses legem attulit, quæ videlicet sine velamine conspici non poterat, ista ipsa gloriæ recordatione veluti velamine impediantur, ut persuadere sibi nolint, aut in animum inducere, Euangelii gloriam majorem esse posse, adeoque cum ista legis gloria conferendam esse. Et simili fere sensu *Euangelium tectum* aut velatum, κεκαλυμμένον esse dicit Apostolus, *cap. seq. versu* 3.

*Locus 2 Cor. IV. 3.*

*in qui pereunt*, id est qui sibi ipsis causa sunt ut pereant, qui videlicet gloria mundi vel sæculi hujus, quam Diabolus princeps hujus sæculi ipsis ob oculos quam potest pulcherrime proponit (quam & Servatori nostro proposuisse legitur *Matth.* IV. 8.) imò coram hîc videre atque experiri facit, tanti ab ipsis fit, ut Euangelii gloriam quæ ipsis prædicatur, & clare atque intelligibiliter cognoscenda datur, quamque adeo intelligunt majorem atque excellentiorem quidem censendam esse, sed tamen invisibilem esse & non nisi post mortem, imo judicium ultimum apparituram, & propter eam præsentibus omnibus bonis renuntiandum, & mala quævis subeunda esse; ut (inquam) gloriam istam pensi non habeant, imo eam aliquando rideant, tanquam gloriam cujus spe se pascunt ii quibus mens ægrotat, & qui spem incertam pretio emunt. Quod autem Apostolus dicit opposite, *Nos autem retecta facie gloriam Domini ut in speculo intuemur*, eo non significat se & fideles cæteros omnes ac solos potentiam clare intelligendi Euangelium, sive verum Euangelii sensum, à Deo accepisse; sed tantum sese cum fidelibus omnibus qui velamen istud legalis gloriæ jam abjecerunt, quantò penitius atque attentius introspiciunt Euangelium, tantò magis observare quod longe excellentior sit gloria divinæ bonitatis, gratiæ, misericordiæ, æquitatis ac potentiæ, quæ in eo relucet, quam quæ in lege est; neque aliter illud observare, quam si in limpidissimo speculo resplendentem Dei imaginem viderent, eaque adeo afficerentur ut non parte aliqua animæ tantum, uti Moses parte corporis, radiarent, sed gloria magis magisque proficiente, toti quanti sunt prorsus atque omnino, iisdem gloriosis divinis affectibus indui, atque ita in eandem quasi imaginem divinam magis magisque transformari se sentirent, tanquam si Domini ipsius Jesu spiritus ipsos animaret & vivificaret. Breviter Apostolus loquitur in hoc *cap.* III. loco, de se & de fidelibus ac conversis, qua talibus, qui jam velamen istud Mosaicæ gloriæ deposuerant, utpote non conferendæ cum gloria illa spirituali qua Christus & Euangelium ipsius totum undique & ex omni parte collucet ac resplendet, proinde qui jam facie retecta (à velamine isto stilicet Judaico) cum cæteris Judæis fidelibus Euangelium ejusque gloriam attentè introspicere amabat & accuratè introspiciebat. hoc enim est καταπτεύειν, vel κατοπτεύεσθαι. *Ubi enim Spiritus Domini est*, id est ubi spiritualis gloria Jesu Christi attente introspicitur, *ibi libertas est à velamine isto*, quia tum gloria ista legis plane evanescit, non aliter quam lux candelæ evanescit ad splendorem Solis in meridie radiantis, quia multis parasangis inferior est gloria Euangelii. Unde etiam dicit Apostolus *versu* 15. *Ubi ad Dominum sese converterit*, Judæus scilicet, tum *tolletur velamen*. Loquitur itaque de velamine solo Judaico, id est de magnitudine gloriæ cum qua Moses legem tulit, quæ tanta fuit ut velamine opus esset Mosi ad tegendum nimiam resplendescentiam, ὥστε μὴ δύνασθαι ἀτενίζαι τοὺς υἱοὺς Ἰσραὴλ εἰς τὸ πρόσωπον Μωσέως, *versu* 7. Hæc enim gloria mentibus eorum jam inhærens velaminis instar est, quo fit ut Euangelium Jesu Christi quod ille nulla, nedum tali spectabili & visibili gloria coruscans, attulit, adspicere non dignentur, & gloriam quæ in eo lucet, quæque retecta facie videri potest, & clarissime videtur, considerare attente nolint; aliter sine dubio facturi, si modo sese converterent ad contemplandum illud, ejusque non externam, & in parte corporis tantum relucentem, quin & non durabilem, sed undiquaque & ex omni parte resplendentem, adeoque nunquam desituram aut perituram majestatem, introspicere dignarentur. Quare qui legis hujus velamine non impediuntur, quales erant tum temporis gentiles omnes per Euangelium ad fidem vocati, ad quos lex Mosis non pertinebat, eos retecta facie, id est libera ab isto velamine, Euangelii sensus intelligere potuisse, atque etiam intellexisse nihil vetat. Concludo itaque cum non sit diversa eorum qui Euangelium Jesu Christi audiunt atque intelligunt, & tamen ei non credunt, notitia, ab eorum notitia qui Euangelio audito credunt, non esse cur agnoscam rationem unicam cur his potius quam illis Lex Dei dulcis sit & suave jugum, hanc esse, quod hi intelligant aut cognoscant clare speciem boni quæ Euangelio proponitur, illi autem eam non clare intelligant, & non cognoscant. Cur enim illi eam non intelligant, non videant, quæ adeò perspicue & intelligibiliter proponitur per Euangelium, ut non possit non clarissime intelligi ab homine mentis compote? Sed rationem ejus hanc esse, quia bonum quod Euangelio annunciari intelligunt, id est Dei præcepta & promissa, aut omnino fide apprehendere nolunt, seu non æstimare tantum bonum, propter quod præsentia hæc deferenda sint, aut si omnino melius bonum credant, inducere tamen in animum nolint, istud sibi certo post mortem aut post extremum judicium obventurum esse. Unde recte Poëta,

*Iterum de loco 2 Cor. III. 17. 18.*

Et

*Et quia cæcum ineſt vitiũ amor, omne futurum*
*Deſpicitur, ſuadentque brevem præſentia fructum,*
*Et ruit in vetitum damni ſecura libido.*

Unde conſequitur, iis qui Euangelio prædicato fidem adhibent, legem Dei dulcem & jugum ſuave videri, idcirco quod præmium aliquando ſecuturum ſit omni cogitatione humana excellentius. Hæc enim eſt ſola, aut præcipua ſaltem, dulcedinis & ſuavitatis hujus ratio, uti ex variis locis conſtat, *Rom.* V. 1. 2. 3. 4. & per totum *caput* XI. *ad Hebræos.* nominatim autem ex verbis Servatoris noſtri, *Matthæi* XI. 28. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego faciam* (cum ſcilicet veneritis) *ut requieſcatis. Attollite jugum meum, & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, & invenietis* (cum ſcilicet ſuſtuleritis jugum meum & didiceritis) *requiem animabus veſtris.* Quod ſi ratio & cauſa unica cur his potius quam illis lex Dei in Chriſto dulcis & Chriſti jugum ſuave ſit eſſet iſta quam tu proponis, Camero, quod hi potius quam illi boni ſpeciem vident, quomodo Chriſtus omnes qui laborant & onerati ſunt juſſiſſet ad ſe venire, addita promiſſione facturum ſe ut requieſcant & quietem inveniant ſuis animabus? Juſſiſſet-ne venire omnes antequam intelligerent aut intelligere poſſent quantum bonum ſit requies iſta? Quorſum itaque ratio illa deſumpta à requie ad movendum eos? Niſi ſane per ſe iſtud tam eos qui non veniebant quam qui veniebant & eadem prorſus notitia intelligere potuiſſe dixeris, ridiculam facis hanc totam Chriſti orationem & invitationem.

*Locus Pſal. XXXIV. 9. & 1 Pet. II. 3.*

Neque verò his repugnat quod Propheta dicit, & ex Propheta Apoſtolus Petrus mutatis paulum verbis 1 *Epiſt.* II. 3. *Guſtate quam bonus ſit Dominus.* Nam 1. locutio hæc eſt plane metaphorica, cujus ſenſus apud Prophetam nullus alius eſt quam, Conſiderate, ruminate, volvite, revolvite animo veſtro beneficia omnia quæ nobis facit Dominus, &, tanquam ſi ea guſtaretis, admirabilem dulcedinem inde ad vos dimanare ſentietis. Eo ipſo autem quod Propheta totum populum hortatur dicendo, *Guſtate*, ſignificat ſe cupere ut omnes animum adverterent ad ea quæ ſciebant & experti erant collata ſibi eſſe à Deo beneficia. Supponit itaque populum totum cognoviſſe & experimento percepiſſe iſta beneficia, ſed fuiſſe inter eos qui beneficia iſta non ſatis ſerio atque attente uti poterant ac debebant, animo ſuo verſabant, & memoria recolebant; quod ipſum confirmat id quod à me hoc loco contra te defenditur, ſcientiam unam eandemque eſſe poſſe in iis qui officium ſuum faciunt & non faciunt. Guſtare itaque hoc loco non eſt intelligere, ſed id quod intelligitur attente & aſſidue perpendere, & memoria quaſi ruminare. Memoria enim eſt aſſiduus quaſi guſtus quidam animæ. Sed & mirum admodum eſt, Camero, te ex voce *guſtandi* hic argumentari, cum author *ad Hebr.* VI. 4. diſerte etiam tribuat iis quos tu (uti quidem ego mihi perſuadeo) notitia perſuaſiva donatos eſſe negas, *quod guſtaverint donum cæleſte, &* NB. *bonum Dei verbum*, imo ut quidam legunt, quod bene guſtaverint Dei verbum, denique quod *guſtaverint virtutes futuri ſæculi, verſu* 5. Et cum ii quos tibi ὁμοδόξους proculdubio habes, diſerte impiis & profanis etiam tribui poſſe ſcribant quod guſtent Dei bonitatem; aliud enim eſſe guſtare aliud diglutire & concoquere. Iſtud ſæpe fieri ab iis qui quod guſtant ſtatim reſpuunt, quales impii ſunt; Hoc verò ſitientium ac piorum proprium eſſe, &c. Sed tibi guſtare eſt notitiam habere quæ electorum aut regenitorum propria eſt, diverſa ab ea quam cæteri mortales habent. Eſto. Itaque & his de quibus Apoſtolus loquitur, notitiam iſtam eandem tribuas neceſſe eſt. At ſi eadem illa notitia iis competit, quam cauſam dabis, Camero, cur hiſce etiam lex Dei dulcis & jugum ſuave non ſit, cur non delectentur in lege Domini die ac nocte, ſed prolabi aliquando indicentur ab Apoſtolo ad priſtinam impietatem? Neceſſe eſt, velis nolis, ut agnoſcas notitiam veri boni eandem quæ in piis eſt, aliquando etiam poſſe eſſe atque eſſe in iis qui pii non ſunt, ſive id fiat quia pietati operam dare nolunt, ſive quia à pietate ad impietatem redeunt. Quæ ex Paulino citas ea ſane optime ſunt dicta, ſed cauſam tuam ne hilum quidem juvant. Paulinus enim nil dicit aliud quam eum qui divinæ voluntatis cognitione mentem & cor ac voluntatem fide viva futuræ immortalitatis imbutum habet, tanto virtutis & caſtitatis amore duci, ut voluptates mundanas amplius penſi non habeat. Quo quid verius? Similiter id quod ex Ariſtotele adfers pro te nihil facit. Dicit enim in vita activa non æſtimari verum eſſe id quod rationibus adſtruitur, & quod Philoſophi dixerunt verum eſſe, ſed quod operibus & vita ſtabilitur ac confirmatur; uti recte Paraphraſtes Græcus in locum iſtum annotavit. *Hinc enim*, inquit *mendacium evincitur, cum rebus ipſis non conſentiunt rationes. In ipſis enim actionibus præcipuum conſiſtit.* At quid eſt in hac oratione quod non plena manu tibi quilibet conceſſerit? imo quid eſt quod propius accedit ad noſtram expoſitionem loci Joannis, de quo inter nos hoc capite agitur, quam illa ipſa ſententia Ariſtotelis? Certe optime paucis eam expreſſit poëta,

*Denique quid verbis opus eſt? ſpectemur agendo.*

Et, *Virtutem verba putas, ut lucum ligna?*

Quod vero inde infers,

*Neſciunt, inſani, neſciunt τῶ καλῶ τὸ καλὸν, qui non vivunt honeſte καὶ ἀρετικῶς*, id ſi de ignorantia ſimplice ac non affectata accipias, non ab Ariſtotelis tantum mente (contrariũ enim apparet ex Ariſtotele cum incontinentem deſcribit) ſed à ratione, Scriptura atque experientia omni eſt alieniſſimum, uti ex ante diſputatis liquet.

Rectius ſane Euripides in Hippolyto:

Καὶ μοὶ δοκοῦσιν οἱ κρ γνώμης φύσιν
Πεφυκέναι κάκιον. ἔσι γὰρ τοῖς σὺ φρονεῖν
Πολλοῖσιν, ἀλλὰ τῆ δὲ αἰθρητὸν πάλι
Τὰ χεῖρ' ἐπιζητήματα καὶ γνώσιμ' ἦν,
Οὐκ ἐπιστάμεθ' ὅ

*Mihi non videtur quiſque judicio ſequi*
*Pejora. Nam plerique ſapienti ſatis*
*Sunt corde. quare cauſa quærenda altera eſt.*
*Honeſta novit quiſque pro ſeſe & videt,*
*Sed non laboras.*

Et in Antiopa,

Πολλοὶ δὲ θνητῶν τῶν πάσχουσιν κακὸν,
Γνώμη φρονοῦντες ὑ θέλουσ', ὑπαρκτὸν.
*Commune multũ hoc malum mortalibus*
*Ut mente ſapiant, obſequi nolint tamen.*

Et hiſce conſonant infinita alia dicta veterum Poëtarum ac Philoſophorum, quæ omnia uno quaſi verbo complexus eſt qui dixit,

ὁ μηδὲν εἰδὼς, οὐδὲν ἐξαμαρτάνει
*Quicunque nil ſcit, ille delinquit nihil.*
Et, ἁμαρτῶν ὅτις ἄνθρωπος κακὸς.
*Non eſt malus, qui ſponte non peccat ſua.*

Et qui iſtis omnibus præferri merito debet Apoſtolus Jacobus, *cap.* IV. 17. *Igitur qui novit recte facere & non facit, hic peccato tenetur.*

*An bene dictum ſit à Camerone, omnes quadrantem inſanire & quotidie peccare.*

Quare quod verbis iſtis tuis tanquam corollarium aliquod adnectis, *Itaque omnes quotquot ſumus* (*quando nemo adeò vivit pie & honeſtè, ut non ſit quotidie orandum, Dimitte nobis debita noſtra*) *quadrantem inſanimus*: id ſane παῤῥησίᾳ habet nec pio nec ſano homine dignam. Omnes enim quotquot ſumus inſanire & quotidie peccare ex inſania, nec ſcire potes tu, nec judicare debes. De te ipſo judicium ferre potes, ſi te ipſum recte noſti & animum judicio integrum habes. At de aliis judicium relinquere debuiſti conſcientiis ipſorum. Nam 1. quod ad inſaniam attinet, quid ſi tibi ſe *re.* offerant, Camero, qui dicant ſe aliquando ſana & ab errore omni libera mente fuiſſe cum peccarent, ſe ſcientes prudenteſque aliquando deliquiſſe, & contra conſcientiam ſuam affectibus ſibulam non impoſuiſſe. Quid dices? An & eos hic inſanire dices? At nemo tamen novit, nedum ut rectius noverit quæ in homine ſunt, quam ſpiritus hominis qui eſt in eo, 1 *Cor.* II. 11. Sed & ſic inſaniit tum Jacobus quando dixit, *Qui ſcit facere rectum & non facit, ei peccato tenetur.* imo ſic tibi (pro pudor!) inſaniit ipſe Dominus, quando ait, *Servus ſciens voluntatem Domini ſui, & non faciens, pluribus plagis vapulabit.* 2. Quod ad peccare quotidianum attinet, quid ſi ſint qui tibi reſpondeant id directe repugnare verbis Joannis noſtri, *cap.* III. 9. *Quiſquis ex Deo natus eſt, is non facit peccatum, quia ſemen Dei in ipſo manet*; imo *is non poteſt peccare, quia ex Deo genitus eſt.* & *verſu* 3. *is purificat ſeipſum ſicut ille* Chriſtus aut Deus *purus eſt.* & *cap.* V. 18. *is conſervat ſeipſum, & malus ille non tangit eum*, aliiſque ſimilibus infirmitis ſententiis? quid dices? An & hos inſanire ac perfectionis opinione inflatos dices? Nil dubito. Sed ſic dicent te non ipſis, ſed Apoſtolo inſaniam iſtam tribuere, cujus iſta verba ſunt, eaque in terminis contraria tuis. An dices, orandum tamen ipſis eſſe quotidie, *Dimitte nobis debita noſtra*? At unde evinces vel per ſpeciem veri per *debita noſtra* intelligi iſthic inſaniam, id eſt peccata quæ quotidie adhuc ex inſania committimus; ac non potius illa omnia quæ multa & magna aliquando commiſimus cum Spiritus Chriſti nondum nos regeret, quorum remiſſio ad finem uſque vitæ noſtræ ambienda ſit & precibus impetranda? Sed & obſecro te, Camero, quomodo conveniunt hæc tua cum iis quæ paulo ante tanta cum contentione urſiſti? Qui magnifice adeo locutus es de cognitionis divinæ vi atque efficacia, qui mentes piorum clara ſummi boni & eorum quæ eo ducunt viſione illuminari, voluntatemque eorum amore Dei ſumme aut neceſſario affici, cognitionem Dei in Jeſu Chriſto non poſſe non eſſe efficaciſſimam fortiſſime adſeruiſti; quin & fieri non poſſe quin ii qui vera ac ſolida Chriſti cognitione

præditi ſunt, mandata Dei obſervent affirmaſti; quomodo tam repente eoſdem omnes quotquot ſunt quadantenus inſanire, & quotidie adhuc peccare, id eſt mandata non ſervare, eodem pæne ſpiritu contendis? An in eorum mente in qua eſt clara ſummi & veri boni, mediorumque omnium neceſſariorum ad ſummum iſtud bonum conſequendum cognitio, locum adhuc habere inſaniam quandam dicere conſequenter potuiſti? Inſania certe iſta aut circa finem, aut circa media erit, & inſania quidem efficaciſſima, impellens ſcilicet voluntatem eorum ad peccandum. Inſania itaque & ſanitas ſimul erunt in eadem mente, & ad utrumque contrarium efficaciſſima? An hæc conſtant ſibi Camero? Tu videris. Sane ſi par pari hîc tibi referre velim, reponere tibi poſſem verba tua, Profecto qui de piis & vera Dei cognitione præditis ita inſane philoſopharis, non tenes omnino, non tenes quæ ſit & quanta cognitionis divinæ & pietatis vis. Sed abſtineo.

*Si per cognitionem Joannes intelligeret perſuaſivam cognitionem, non opus habuiſſet uti hortationibus.*

Addideram hoc argumentum: Si per cognitionem Dei Joannes intelligeret ejuſmodi perſuaſivam cognitionem, quæ vi ſua mandatorum Dei obſervationem poſt ſe trahit, jam ſane Apoſtolus cauſam nullam haberet, eos in quibus cognitio illa eſt, & in quibus ipſe cognitionem illam eſſe affirmat, hortandi & monendi ut ne ſeducantur, ut ne peccent, ut ne diligant mundum, ut caritatem exerceant, & ſimilia. Ad hoc argumentum meum reſpondes:

*Sane nihil ineptius foret, ſi iſta cognitio plena eſſet & perfecta, ſi eſſet continua & conſtans.*

Atqui, Camero, cognitionem eorum plenam eſſe quomodo negare tu potes, qui eos finem ſummum & omnia quæ ad finem iſtum conſequendum neceſſaria ſunt media clare cognoſcere ac videre aſſeris? An plenior cognitio dari aut concipi poteſt? Sed & poſito quod non ſit ita plena, quin plenior forte futura tibi videatur, ac revera plenior ſit futura in vita futura, quid opus eſt ut ſit adeo plena ac perfecta? ſatis eſt ſi ſit efficaciſſima. Efficaciſſimam autem eſſe dicis, adeo ut voluntas non poſſit non velle finem iſtum & media iſta neceſſaria. Et in hac ſola efficacia fundatur argumentum meum. Ubi enim voluntas adeo efficaciter vi cognitionis quæ in mente eſt movetur, ut non poſſit non permoveri ad volendum tum finem tum media omnia neceſſaria ad finem, ibi hortatione opus non eſt ut permoveatur adhuc voluntas ad ea volendum. Hortatio enim illa non poteſt augere aut intendere cognitionem illam perſuaſivam quæ jam in mente eorum eſt; quia (uti antea dixiſti) *Certe vera Dei in Chriſto notitia non poteſt non eſſe efficaciſſima.* Sed addis:

*Si eſſet continua & conſtans.*

Atqui 1. ſequitur ſaltem hortatione opus non habere voluntatem tum cum cognitio iſta clara atque efficaciſſima in mente eſt. Hortationes autem tum etiam adhiberi non negabis opinor, aut ſi neges convinceris ex hoc ipſo Apoſtolo Joanne, qui hortationes plurimas facit ad eos de quibus tamen paulo ante affirmavit non ſemel, *quod omnia noſſent, quod veritatem ſcirent, quod unctionem à Spiritu Dei haberent*, cap. II. 20. & diſerte verſu 21. ita loquitur: *Non ſcripſi vobis idcirco quod veritatem ignoretis, ſed quia eam noſtis.* & verſu 27. *Unctio quam vos accepiſtis ab eo, manet in vobis, nec neceſſe habetis ut quiſquam vos doceat.* 2. Si conſequenter loqui velis, cognitio iſta eſt etiam continua ac conſtans. Nam ſi non eſt continua & conſtans, neceſſe eſt ut fides & dilectio etiam non ſit continua & conſtans, ac proinde ut in locum cognitionis perſuaſivæ ſuccedat error atque infidelitas, in locum dilectionis odium. Hoc autem abſurdum tibi eſſe non dubito. Itaque cognitionem continuam ac conſtantem non eſſe, abſurdum tibi videri debet. Deinde ſi continua & conſtans non eſt hæc cognitio, quomodo interciditur, quomodo interrumpitur? Per errorem interrumpi dicas neceſſe eſt. At unde obſecro error naſcetur? An ex ſpecie boni quam Diabolus, aut caro, aut mundus menti repræſentant? At efficaciſſima iſta cognitio ſive perſuaſio obſtat, quia illa ex viſione clara ſummi ac veri boni oritur, cui ſpecies præſentium bonorum collata nil niſi evanida quædam umbra eſt. Et tota illa repræſentatio non eſt niſi externa ſuaſio, quæ perſuaſionem divinam tollere nullo modo poteſt. An orietur error iſte à voluntate? Non poteſt, quia mens prius erret neceſſe eſt quam velit, juxta te. An ab affectibus? At ab his non poteſt menti objici niſi ſpecies quædam boni, quæ mentem ſummi ac veri boni cognitione perſuaſam non magis movere, nedum permovere poteſt, quam infans terram loco movere. Quomodo itaque non conſtans, non continua eſt hæc cognitio in iis quibus ſemel obtigit? Dices fortaſſe, Deum aliquando ſuſpendere influxum cognitionis iſtius perſuaſivæ. Eſto, inquam ego; poſito id verum eſſe, ex eo ſequitur, 1. fideles ſive regenitos quandiu iſta ſuſpenſio cognitionis perſuaſivæ durat, ex fidelibus infideles & cæcos reddi, quia ſine perſuaſione iſta fides locum non poteſt habere judicio tuo. 2. Non infringetur adhuc argumenti mei vis. Nam hortationes Dei quæ ad tales diriguntur, fient aut quamdiu ſuſpenſio iſta durat, aut poſtquam jam deſiit. Quando illa durat, hortationes iſtæ plane ſunt fruſtraneæ, quia non poſſunt gignere in mente eorum niſi cognitionem præſcribentem ac dirigentem quæ voluntatem permovere non poteſt. Movent enim aliquando, ſed non permovent; Lachrymæ volvuntur inanes, inquis. Quando ſuſpenſio illa deſinit, cognitio perſuaſiva ſtatim iterum in mentem eorum influit, atque ita rurſum voluntas hortationibus opus non habet, quia cognitio illa eſt efficaciſſima, adeò ut voluntas eam non poſſit non ſequi, id eſt non poſſit non lubentiſſime amare bonum quod cognovit. Et hoc eſt quod 3. volebam reſponſum. Poſito videlicet quod cognitio hæc efficaciſſima, non ſit continua & conſtans, ſed aliquando aut evaneſcat, aut diminuatur, aut vacillet & nutet, hortationes tamen, qua hortationes ſunt, non poſſent pro medio ſervire ad cognitionem illam redintegrandam, augendam aut confirmandam. Ratio prima eſt, quia mens non eſt capax hortationum, qua hortationes ſunt; inſtructionis, illuminationis, doctrinæ capax eſt mens, non hortationis qua hortatio eſt. Fruſtra enim horteris mentem ut diſcat, ut intelligat. Niſi doceas eam, nunquam per hortationes vel minimam veritatem percipiet. Secunda: Poſito quod mens capax aliquomodo eſſet hortationum, tamen capax non eſſet hortationum quæ non niſi à voluntate præſtari poſſunt. Et tales ſunt pleræque, ex. gratia, *Ne peccate, ne diligite mundum, diligite fratres veſtros, fugite ab idololatria*, &c. Quæ omnes ſane ſi ad mentem dirigantur vanæ ſunt, imo, ſi dirigantur ad voluntatem, quando mens cognitione veri boni aut imbuta eſt, aut non imbuta, non minus ſane ex hypotheſi tua fruſtraneæ videri debent. Quando enim mens cognitione iſta imbuta eſt, tum non poteſt non amare bonum, non facere omnia iſta: quando autem iſta cognitione imbuta non eſt, tum non poteſt bonum amare, aut quicquam eorum facere, etiamſi millies horteris. Et videris ex parte hoc agnoſcere, Camero, cum ais: *In quibus illa cognitio excitatior, auctior aut firmior eſt, apud eos minus opus eſt hortationibus.* Sed quomodo efficaciſſima Dei in Chriſto cognitio, ſive perſuaſiva illa quam vocas cognitio, excitatior, auctior aut firmior eſſe poſſit, nunquam tu quidem intelligibiliter & principiis tuis conſentanee explicabis, Camero. Perſuaſione enim efficaciſſima, & neceſſariò voluntatem trahente poſt ſe, quæ efficacior, excitatior aut auctior alia ulla dari poteſt? Et, ſi alia excitatior dari poſſet, certe clara ſummi boni & eorum quæ eo ducunt cognitio, alia majore atque excitatiore perſuaſione opus haberet. At cum prima illa fiat per perſuaſionem, cujus vis nec creatione, nec ſuſcitatione ex mortuis minor eſt, quippe quæ juxta te fit κατ᾽ τὸ ὑπερβάλλον μέγεθος τῆς δυνάμεως τοῦ Θεοῦ, imo κατὰ τὸν ἐνεργειαν τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος αὐτοῦ, qua majore adhuc vi ac potentia fiet hæc auctior, excitatior & firmior perſuaſio? Sed deſino. An omnino recte dixeris, *Et in quibus cognitio iſta excitatior, auctior & firmior eſt, minus opus habere hortationibus*, non diputo. Certe Deus non raro tales majoribus multo tentationibus & gravioribus periculis objicit, aut infeſtari ſinit, ut non obſtante iſta cognitione, nihilominus tamen auxiliis majoribus ſæpe opus habeant quam vulgus fidelium. Unius Pauli exemplum id nos docere poteſt, qui de ſe ipſo ita loquitur: 2 *Corinth.* XII. 7. 8. *Et ne exellentia revelationum ſupra modum efferrer, ἐδόθη μοι σκόλοψ τῇ σαρκὶ, ἄγγελος Σατᾶν, ἵνα με κολαφίζῃ, ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι. Super hoc ter rogavi Dominum, ut abſcederet à me.* Item 1 *Corinth.* IX. 27: Ego *contundo corpus meum & in ſervitutem redigo, ne quomodo cum aliis prædicaverim ipſe reprobus fiam.* Idem nos docere poteſt Apoſtolorum omnium exemplum, & ipſius adeò Servatoris noſtri Jeſu, ad quem corroborandum in graviſſima tentatione Angelus de cælo miſſus fuit. Quæ autem citas teſtimonia, ea non tam negant hortationibus opus eſſe iis in quibus firmior aut excitatior eſt cognitio, (quanquam id concludi aliquo modo poſſit) quia videlicet cognitio in illis major atque excitatior eſt; ſed vel quia illi actus iſtos ad quos hortationes eos exſtimulaturæ eſſent per ſe ſedulò ſatis ac gnaviter faciebant: idque ſane ſibi vult locus 1 *Theſſ.* IV. 9. Vel quia Deus iis tot alia ac tam eximia beneficia præſtare volebat, ut ſine ullis hortationibus ultro ipſum amaturi ac dilecturi eſſent. Cujuſmodi ſane locutiones hyperbolicæ in vita familiari ſunt uſitatiſſimæ. Ita ſi hominem afflictiſſimum, captivum, miſerum & ægrum ſimul, non tantum liberes ex captivitate, ſed etiam ſanitati reſtituas, doniſque inſuper ac beneficiis multò gratiſſimis cumules, ſane eum ut horteris, ut te amet, te diligat opus non eſſe dicemus, quia beneficii iſtius vis tanta eſſe creditur, ut hortatio ſuperflua pæne videatur. Atque hoc

ſibi

sibi velle existimo locum *Ferem.* XXXI. 34. quem citas. Et ita quidem quæ capite hoc à te allata sunt quantum satis est expendimus; in quo *an luserim, ineptierim & vere nugas egerim* (quod tibi duro homini *mollissime loqui* est) Lectoris æqui judicium esto.

## CAPUT XX.

### Solvuntur exceptiones Cameronis ad solutionem argumenti quo demonstrare conatus fuerat, tolli Providentiam divinam nisi Deus statuatur voluntatem humanam determinare in utramvis partem, id est in bonum & malum.

*Non tollit bonam partem providentia divina, etiamsi negetur determinationem voluntatis in utramque partem ab ea fieri.*

ARgumentum tuum tertium quod proposueram hoc erat: *Si Deus illuminat mentem, voluntatemque interim sibi permittit ut sit penes eam vel annuere vel abnuere, optima pars providentiæ divinæ tolletur è medio. Nec enim pendebit inclinatio voluntatis à Deo in utramvis partem; sese enim ipsa flectet quo libebit pro arbitrio nulla moderante divina providentia.* Ad hoc tuum argumentum responderam, nullam esse in eo consequentiam. supponi enim à te, absque ulla ratione, Providentiæ divinæ partem, imo optimam partem esse, inclinare voluntatem in utramvis partem; quod falsum est, aut saltem est illud ipsum quod in quæstione versatur. Hic tu, Camero, pro eo quod probare debebas argumenti tui consequentiam, & ostendere partem divinæ providentiæ, imo optimam partem ejus esse, voluntatem ita inclinare & determinare ut illa non possit non in unam partem, id est vel in bonum vel in malum inclinare, hunc in modum respondes.

*Negas igitur δωμῖδλω pendere à divina providentia, quod voluntas in bonum potius quam in malum inclinet?*

Cur mutas terminos? Cur phrasi nova uteris, Camero, quæ nec in tuo argumento, nec in responsione mea est? An sensisti te perperam argumentatum, an verò non satis prudenter locutum? Hoc credo. Invidiæ tollendæ phrasin veluti larvam quæsivisti sub qua tuto lateres. Sed frustra es, Camero. Ad futurum sæculum pertinere phrasim illam si credebas, tum hîc eam quærere non debueras. Quid ego negem ex verbis meis constat. Ea sunt plana, & opposita tuis verbis. Ego nego partem optimam divinæ providentiæ esse ita inclinare voluntatem in utramvis partem, id est aut in bonum, aut in malum, ut illa non possit non vel annuere Deo jubenti, vel abnuere, id est vel bene vel male velle. Id tu affirmaveras in tuo argumento: diserte enim dixeras: Si res ita se haberet, ut penes hominis voluntatem esset vel annuere vel abnuere, non penderet inclinatio voluntatis à Deo *in utramvis partem.* Inclinari itaque voluntatem à Deo in partem utramvis, tua est hypothesis. Hanc quia odiosam esse vidisti, phrasim mutasti, re integra manente. Dicis me negare, & quidem δωμῖδλω, pendere à divina providentia, quod voluntas in bonum potius quam in malum inclinet, nempe, ut tu videaris contrarium dicere atque affirmare. At, Camero, nec ego illud negavi unquam, nec sapiens quisquam id ita ut sonat negaverit. Nec tu hoc tantum affirmas, quia statim quinta post linea probas, tanquam communi sensu notum & dictatum, Deum non tantum bonam mentem dare quibus vult, sed & bonam mentem auferre atque eripere quibus vult, adeoque dementare homines quos vult perdere. Inde enim consequitur necessariò te statuere, à providentia divina pendere quod voluntas aut in bonum aut in malum inclinet; quod tamen celatum voluisti mollioris locutionis supparo, cum dicis à Providentia divina pendere quod voluntas in bonum *potius* quam in malum inclinet, ut invidia negationis me gravares, & simul horrorem sententiæ tuæ tegeres. Loquamur itaque clare, Camero; id in seria disputatione necessarium est. Tu dicis pendere inclinationem voluntatis à Deo in utramvis partem, ita ut in potestate voluntatis humanæ non sit vel annuere Deo vocanti, vel abnuere. Ego id nego δωμῖδλω.

*Hoc vero jam est* (inquis) *totam uno verbo negare Scripturam: Genes.* XXXIX. 21. *Exod.* XII. 36. *1 Sam.* XIX. 26. *Ferem.* XXXI. 33. &c. *hoc est denique negare quod sensum communem docet.*

Audax oratio, sed ingenio & supercilio tuo digna. Non potes sine sarcasmo aut hyperbole loqui. Si hic vicissim contrariam tibi reponerem hyperbolen, annon par pari referrem & datatim quasi tecum luderem? Majori sane jure id possem. Sed non facam. Expendam loca illa quæ citas ex toto Scripturæ corpore. Nec enim dubito quin ea selectissima sint quæ habes, quæque censes esse omnium clarissima; sunt enim pauca & sine ulla ratione addita à te prolata. Hæc autem si appareat non continere id quod probandum tibi est, nil dubito quin, si frons ulla tibi est, pudor te habiturus sit, quod Scripturam totam à me negari affirmaveris, aut (si alia clariora ac selectiora loca esse credis) ea non protuleris probandæ tam immani hyperbolæ. Hoc & non alio, quo dignus esses, responso me ulciscar. Apparere autem cuivis prima statim fronte posse existimo, loca ista quæ allegas, non continere id quod probandum tibi est. Nam 1. tria priora loca ne verbulum quidem de inclinatione voluntatis habent. 2. Nec agunt de voluntatis inclinatione in bonum præcepti, de quo inter nos quæritur. 3. Nec agunt de modo inclinationis, qualem tu adhiberi à Deo asseris, & de quo tota lis est. 4. Etiamsi omnino de inclinatione eadem, deque inclinationis modo isto quem tu urges agerent, tamen in exemplum ordinariæ providentiæ divinæ, qua Deus uti velit in ordinaria hominum conversione, trahi nullo jure possent. Videamus singula.

Primus locus est *Genes.* XXXIX. 21. *Et fuit Dominus cum Joseph, & extendit ad eum* (vel ei) *misericordiam, & dedit gratiam ei in oculis principis domus carceris.* At hic nec de inclinatione voluntatis principis carceris, nec de inclinationis modo, nec de inclinatione voluntatis principis carceris ad præcepto divino parendum agi, ex ipsis verbis liquet. Tantum enim dicitur Deum misericordiam suam extendisse vel inclinasse supra Josephum, & gratiosum eum reddidisse in carcere, atque inde evenisse ut dilexerit eum commentarienſis. Id evenire potuisse sine tali inclinatione voluntatis qualem tu statuis, apparet ex eo, quod sola de innocentia Josephi persuasio, ex candida & gratiosa ejus quod acciderat in domo Potiphari relatione concepta, id efficere potuerit, ut Franciscus Junius optimè ad hunc locum annotavit. Isti accedere potuit singularis quædam sapientia, prudentia, & loquendi agendique gratia, qua Deus Josephum donaverat, quæ favorem & benevolentiam Josepho conciliaverit, ut fieri solet. ἡ γὰρ χάρις χάριν τίκτει. Et hoc sensu passim in Scripturis dicitur Deus *dare gratiam alicui in oculis alicujus, dare aliquem in misericordiam, & in misericordiam coram aliquo*; & is qui istis donis affectus est à Deo, *invenire gratiam in oculis alicujus. Daniel.* I. 9. & 1 *Sam.* XVI. 22. collato cum *versu* 21. præcedente, &c. & hoc sensu eodem dicitur, *Joseph autem gratiam invenisse in oculis Potiphari, versu* 4. hujus capitis. *Videbat enim* (ut textus ait) *dominus ejus, quod Deus esset cum ipso, & omnia quæ faciebat in manu ejus fortunaret. Et invenit* (id est invenit igitur Joseph) *gratiam in oculis domini sui.* Sola hæc divina beneficentia, cujus fructus ad dominum redibat, causa statuitur fuisse benevolentiæ istius qua Josephum prosequebatur. Non quod ea ita necessariò inclinaret voluntatem domini, ut dominus Josephum non posset non amare. (Cur enim si profanus, si impius, si Dei non timens, si superbus, aut si rei suæ familiaris negligens fuisset, juvenem & quidem Hebræum servum suum contemnere non potuisset, totamque istam fælicitatem, aut fortunæ aut Deo suo attribueret?) Sed quod ea tantum potuerit apud ipsum, ut propterea favorem suum inclinaverit ad Josephum. Eventus enim solus indicatur, non autem modus agendi quo eventus iste exstitit. *Locus Genes. XXXIX. 21.*

Eadem est ratio exempli secundi, quod ex *cap.* XII. *Exodi, versu* 36. citas: ubi *Dominus* dicitur *gratiam dedisse populo suo, in oculis Ægyptiorum, ut commodarent eis vasa sua aurea & argentea.* Hic enim etiam nec de inclinatione voluntatis Ægyptiorum, nec de inclinatione voluntatis eorum in bonum aliquod lege præscriptum, nedum de inclinatione tali qualem tu Camero statuis agitur. Tantum dicitur, quod Deus qui omnia ista signa & prodigia ediderat inter Ægyptios, eum ipsorum maximo damno ac detrimento, illæso omni ex parte populo suo, id obtinuerit ut Ægyptii, non dico non possent, id enim ex textu non apparet, sed non auderent negare populo quicquid petebant, ad maturandum exitum populi, metu scilicet majoris ac gravioris ac fortasse maximæ & ultimæ plagæ, ne quæ jam ad primogenitos eorum pervenerat plaga, tandem in capita ipsorum sese effunderet; uti clare satis id expressum legitur *Psal.* CV. 38. *Lætati sunt Ægyptii cum exirent hi, quia irruerat pavor horum super eos.* Gratia itaque hæc quam populo suo dederat Deus, non efficiebat in Ægyptiis ut populum istum amarent, ut ei bene vellent, & sic ex animo commodarent vasa & vestes suas; sed contra ut metuerent eos aut novas plagas eorum occasione, nisi darent quicquid peterent. Commodarunt itaque vasa sua, ne quid obstaculi novi darent, quod exitum populi remorari & novæ plagæ occasionem præbere posset. Non agitur itaque hîc de inclinatione voluntatis atque animi Ægyptiorum ad amorem & benevolentiam, nedum ad benevolentiam quæ virtus fuerit, quæque persuasione arcana divina effici à te dicitur; sed tantum dicitur Ægyptios, id est inter Ægyptios eos *Locus Exodi XII. 36.*

à qui-

à quibus Iſraelitæ vaſa commodato petebant, commodaſſe ea ad maturandum ſcilicet & promovendum eorum exitum ex Ægypto, ne novis plagis obruerentur. Jam enim, uti videtur, capiti ſuo quiſque metuebat, poſtquam primogeniti omnes occiderant. Neque vero recte quiſquam ex eo intulerit, fieri non potuiſſe ut Ægyptii iſta non facerent. Quid ſi enim aut credere noluiſſent plagam novam aliam ſecuturam ſi recuſarent vaſa ſua commodare, (nec enim cum novæ plagæ comminatione petebantur, quod quidem ex textu conſtat) aut mori maluiſſent quam hominibus iſtis, à quibus tot jam mala perpeſſi erant, aurea & argentea ſua vaſa veſteſque commodare? Id autem fieri potuiſſe ab obſtinatis quibuſdam apparet ſatis ex *cap.* IX. 20; ubi textus ait, poſtquam jam Deus per Moſen diſertis verbis minatus fuerat Pharaoni plagam grandinis; *Quiſquis ex ſervis Pharaonis timuit verbum Domini, fecit ut confugerent ſervi ſui & pecus ſuum in domos. Quiſquis vero non adjecit cor ſuum ad verbum Domini, reliquit quoque ſervos ſuos & pecus ſuum in agro.* Idem cur hic uſu venire non potuiſſe, imo uſu non veniſſe dicemus? Populus enim feciſſe dicitur ſæpe, quod plerique in populo fecerunt. Neque vero ex eo quod *Deus* dicitur in textu *gratiam dediſſe populo*, ſolide efficitur dationem iſtam factam fuiſſe per talem actionem quam effectus non potuit non ſequi. Datio enim non ſignificat modum agendi, ſed actionem cum eventu conjunctam, & quæ non raro modum talem penitus excludit, quia liberam accipientis actionem vi ſua connotat.

*Locus Pſalm. CV. 25.* Adde multo minus ex phraſi iſta id colligi poſſe, quam colligitur ex phraſi qua David uſus eſt *Pſ.* CV. 25: *Convertit* (vel mutavit) *cor illorum ad odio habendum populum ſuum, ad machinandum contra ſervos ſuos*; Deum tali actione mutaſſe corda eorum ut non poſſent non odio habere populum. Verbum enim הפך quo David utitur majorem ſane activitatem aut efficaciam in agendo notat quam verbum נתן. Et tamen Deum convertiſſe cor Ægyptiorum ad odium habendum Iſraëlitas actione tali quam odium neceſſario ſequi debebat, tu credo ipſe non dixeris, Camero; aut ſi id dicere audebis, textus te (ut jam alia non dicam) falſi arguet; quia is id factum dicit occaſione benedictionis illius qua Deus populum ſuum cumulabat ſupra Ægyptios, adeo ut potentior ipſis pæne evaderet, jamque ſibi metuere Ægyptii opus haberent à populo iſto, ſi rebellare inciperet & jugum detrectare; uti id clare exprimit in ſua verſione Junius, cum textum hac ratione reddidit: *Ubi cum feciſſet Deus ut fœtificaret populus ſuus valde, & potentem eum effeciſſet hoſtibus ſuis, mutavit animum illorum ut odio haberent populum ſuum.* Benedictionem autem divinam non potuiſſe eſſe cauſam neceſſariam odii, ſed occaſionem tantum, per ſe ſatis conſtat.

Verum tamen dato etiam, ſed non conceſſo, Deum ſpeciali quadam actione interna perſuaſiva uſum fuiſſe in mente tum præfecti carceris, tum Ægyptiorum, ac per eam ita inclinaſſe voluntatem eorum, ut ille non poſſet non amare Joſephum, hi non poſſent non bene velle populo Judaico; quid iſtud omnino ad controverſiam noſtram faceret? Nec enim actiones hæ, humanæ ſunt actiones, aut obedientiæ quam Deus lege ſua exegit ſub promiſſione præmii & pœnæ, de qualibus ſolis inter nos agitur; nec actiones hæ divinæ, ſunt actiones ordinariæ providentiæ divinæ, qua Deus circa eos à quibus obedientiam exigit uti vult: ſpecialia ſunt exempla & prorſus extraordinaria, quæ in exemplum ordinariorum trahenda non ſunt, aut ad quorum normam ordinaria exigenda non ſunt.

*Locus 1 Sam. X. 26.* Tertius locus eſt 1 *Samuel.* X. 26. *Et Saul abiit domum ſuam Gabaa, comitantibus eum copiis quarum tetigerat Deus corda*, vel, *quas Deus tetigerat in corde ipſarum.* At nec hic locus agit de modo quo Deus tetigit eorum corda, neque de inclinatione voluntaris ut eam in unam partem pendere neceſſe fuerit: ſed tantum dicit eos Saulem ſecutos quorum Deus corda tetigerat; qua periphraſi deſignantur ii qui vel jam ante probi ac Dei timentes erant, oppoſite ad eos qui filii Belial vocantur verſu ultimo; vel quos Prophetæ Samuelis oratio conſilium divinum exponens affecerat, ut Saulem regem ſuum agnoſcerent, & divinæ voluntati lubentes ſeſe ſubiicerent. Hæc autem periphraſis non dicit effectum alicujus divinæ particularis perſuaſionis, qua Deus corda eorum intus ita permovere voluerit, ut Saulem non poſſent non pro rege ſuo agnoſcere. Sic enim dicendum foret Deum cæterorum corda non modo non tetigiſſe, ſed ne tangere quidem per Samuelem voluiſſe; quod merito abſurdum videri debet, cum diſerte *verſu* 24 legatur Samuel dixiſſe ad omnem populum, *Hic quem videtis eſt iſte quem elegit Dominus*; eo ipſo ſignificans Deum voluiſſe ut corda eorum qui regem ſibi ab eo petierant, ipſius voluntati continuo ſe ſubmitterent, & reverentia atque obſequio tacti regia juſſa exciperent. Non dicit, inquam, hujuſmodi effectum, ſed tantum qualitatem aliquam quæ in iis fuit qui Saulem pro rege ſuo admittebant & divinæ voluntati morem gerebant, quæ quia Deum primum authorem habebat, fere Deo etiam ſoli tribuitur, & tribui ſolet; uti contraria qualitas Diabolo; quaſi legeretur, ſequebantur Saulem qui Dei reverentes erant; & apud quos nec proſapia, nec tribus, nec familia Saulis in conſiderationem veniebat, quominus eum regem ſalutarent; imò apud quos nullis argumentis aliis opus erat, quam ſolius divini imperii ac voluntatis declaratione. Vel dicit eventum qui ex declaratione divina per Samuelem facta in cordibus eorum exſtitit, etiamſi fortaſſe non uſquequaque pii eſſent; quod videlicet cor eorum declarationi iſti acquieverit, & ſic à Deo tactum fuerit, ſecus quam cor eorum qui præfracti manebant, & declaratione Samuelis, juſſu ac nomine Dei facta, tangi atque affici nolebant; non quod horum corda Deus minus tangere voluerit quam illorum; ſed quod eorum corda tum non fuerint tacta perinde ut illorum, quicquid Deus ea tangere aut tangi vellet. Poſtea enim cum Deus victoriam Sauli conceſſiſſet contra Nahaſum Ammoniten, horum corda tacta fuiſſe dicuntur ut Saulem Regem cum cæteris in Gilgal conſtituerent, uti legere eſt *cap. ſeq.* XI. 14. 15. prioris libri Samuelis. Ultimus locus citatus ex *Jerem.* XXXI. 33. quam parum ſolide allegetur, ex prolixo ejus quod ſupra recimus examine conſtat.

Atque hæc ſunt loca illa palmaria tua quæ citas, unde colligi vis Deum inclinare voluntatem humanam, ita ut non poſſit non ferri (utar nunc phraſi tua) in bonum potius quam in malum, id eſt in virtutem potius quam in vitium; (quanquam de inclinatione in vitium aut in peccatum nullum locum adduxeris, quod tamen fieri à te debuiſſet; qui enim dicit Deum inclinare voluntatem humanam in bonum potius quam in malum, is etiam dicit Deum inclinare voluntatem in malum, ſed minus potius tantum;) eoſque qui id negant totam Scripturam uno verbo negare. Mirum, Camero, ni te tam temerariæ aſſertionis & tam miſeræ probationis jam pudeat ac pœniteat, ſimulque ejus quod ſubnectis:

*Hoc eſt denique negare quod ſenſus communis docet. Unde enim illa quæſo, Deus tibi det mentem bonam, Deus benedicat illa item, ὅταν Θεὸς βλάπτῃ, Deum mentem abſtulit, eripuit: Jupiter quos vult perdere dementat.*

*Aliis peccet in ſenſum communem qui negat voluntatem providentia divina in utramque partem determinari.*

Etiam illud:

Τοῖσι γὰρ νόος ἔστιν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων
Οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγησι πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.

Et illud;

*Pauci quos æquus amavit*
*Jupiter, aut ardens evexit ad æthera virtus.*

Nam quod ad phraſim illam attinet, *Deus tibi det mentem bonam*, eam certe (ut jam non dicam quam ſæpe & quam graviter multi mortales ea abuti, id eſt intempeſtive & importune uti ſoleant) non oriri inde quod ſenſus communis doceat neminem habere poſſe bonam mentem, niſi Deus eam ita illuminet, aut (ſi mentem pro voluntate hîc accipis) ea ratione eam inclinet ut non poſſit non bona eſſe, hæc ſequentia nos docere poſſunt. 1. quod ſenſus communis nos doceat, eum qui bonam mentem habere non ſtudet, non laborat, ſibi ipſi deeſſe, & ſuapte propria culpa bona mente carere, quodque talem qui poſt omnia remedia fruſtra adhibita malam mentem habet, & ad frugem redire non vult, αὐτοκρέμνιτον eſſe uno omnes ore dicamus. Hinc illa, *Sibi imputet; non habet quod conqueratur; ſui mali faber eſt; Non voluit ſervari; Dignus eſt qui abeat in malam rem; Invitum qui ſervat idem facit occidenti; Volenti non fit injuria.* 2. quod non pauci ſenſu communi non tantum non deſtituti, ſed communi pæne omnium mortalium judicio ſapientes inter gentiles habiti, cenſuerint unum iſtud quod Deus non dat, eſſe bonam mentem: cætera omnia bona à Deo orari atque impetrari poſſe, præter hanc unam: in nobis ſitum eſſe ut eam habeamus, neque aliunde quàm à nobis ipſis haberi poſſe. Hinc ille;

*Orandum eſt ut ſit mens ſana in corpore ſano.*
*Fortem poſce animum, & mortis terrore carentem,*
*Qui ſpatium vitæ extremum inter munera ponat*
*Naturæ, qui ferre queat quoſcunque labores,*
*Neſciat iraſci, cupiat nihil, & potiores*
*Herculis ærumnas credat ſævoſque labores,*
*Et Venere & cœnis & plumis Sardanapali.*
*Monſtro quod ipſe tibi poſſis dare; ſemita certe*
*Tranquillæ per virtutem patet unica vitæ.*

Et ille: *Sed ſatis eſt orare Jovem, qui donat & aufert,*
*Det vitam, det opes: animum mi æquum ipſe parabo,*

Et alter: *Quin damus id ſuperis de magna quod dare lance*
*Non poſſit magni Meſſalæ lippa propago;*

Com-

*Compositum jus fasque animi, sanctosque recessus*
*Mentis, & incoctum generoso pectus honesto?*
*Hoc cedo ut admoveam templis, & farre litabo.*

Et hic consonant Senecæ, Epicteti, aliorumque Stoicorum dicta pæne infinita, atque imprimis illud incerti authoris: *In virtute vere gloriamur, quod non contingeret si id donum à Deo non à nobis haberemus.* Atque hæc quidem non allego idcirco quod ea probem; sed ut videas quam enormis sit hyperbole tua, cum à sensu communi phrasin istam, eo quo tu accipis modo, dictatam pronuncias. Adde jam 3. Quod Deus ipse postquam omnia remedia emendandis quibusdam adhibuit, & pertinaciam eorum deploratam ac desperatam esse judicat, tum demum eos tradat in reprobam mentem, efficaciam erroris iis immittat, legatos suos pro iis orare atque intercedere vetet, imò ipsorum vota atque preces abominetur & aversetur; quæ sane signa sunt non pendere à tali inclinatione divina, qualem tu statuis, ut mentem bonam habeamus; ac proinde sensum communem non dictare votum sive optionem istam, Deus det tibi bonam mentem, niti isto tuo fundamento, sed longe alio, quia videlicet primum ac præcipuum sine quo mentem bonam habere nos impossibile est, auxilium est divinæ gratiæ; principali autem & præcipuæ causæ effectum totum tribui non est infrequens nec à ratione alienum. In oppositio patet: quibus mala mens est, eos à Diabolo eam habere communis vox hominum dictat, etsi non raro ejus rei præcipua causa non sit, imò forte ne causa quidem sit Diabolus: & peccata omnia ab eo esse dicimus, etiamsi (ut docte probat Jacobus Acontius) peccata quædam ab hominibus fiant non modo nesciente ac non volente, sed invito etiam Diabolo. Adde votum hoc oriri posse nonnunquam ex eo, quia usque adeo vehementer sæpe bene volumus aliis, ut optemus etiam fieri à Deo, id quod facere eum ordinarie aut non velle aut non solere credimus, quando videlicet desperata videtur emendatio aut salus hominis per media quæ ab hominibus adhiberi possunt. tum enim voto isto significamus, conclamatum esse, nisi Deus extraordinarie manum porrigat; atque id fere sub formula ista voti eleganter & benigne enunciari à nobis solet.

Addis vero: *Hinc illa, ὅταν Θεὸς βλάπτῃ, Deus mentem abstulit, eripuit,*

*Jupiter quos vult perdere, dementat.*

Etiam illud:

Τοῖσδ' χαὶ νόος ἦεν ὑπιχθονίων ἀνθρώπων
Οἷον ἵν' ἦμαρ ἄγησιν πατὴρ ἀνδρῶν θεῶν τε.

Ergo jam etiam juxta te, Camero, sensus communis nobis dictat, omnes eos qui mali, impii, profani & sceleratæ mentis sunt, idcirco tales esse quia Deus vel non inclinat mentem eorum, ut è contrario boni aut pii sint; vel quia cum jam boni sunt Deus mentem bonam iis aufert & eripit ut non possint non fieri mali atque impii. Itane Camero? Et hoc ex profanis atque impuris quorundam Gentilium Poëtarum versibus tanquam à communi sensu dictatum tu didicisti, & discere nos vis? Cur non potius contrarium tanquam à communi sensu dictatum esse credis, quod apud vetustissimos Poëtas Scriptoresque tanquam communi calculo confirmatum reperis? Ita Menander:

Μὴ δυσχόλαινε τοῖς θεοῖς τὸ σύμφορον
Αὐτῷ διδοῦσιν ὑπὲρ τοῦ ζῆν, βουλεται
Τοιοῦτ' ἀνυχεῖν ἢν δὲ μὴ θεὸς δίδῳ,
Τοῦ μὲν διδόντος ἡδ' ἁμάρτημα, σὺ πόθεν.
*Quæ vitæ sunt utilia, cùm Dii porrigunt,*
*Accipe qui cunctatur, is sponte est miser.*
*At si recuset dare quod expediat Deus,*
*Jam non ista hominis culpa, sed non dantis est.*

Æschylus brevius: κοινὸν τυχὴ, γνώμη δὲ τῆς κεκτημένου.
*Communis est fortuna, mens proprium bonum.*

Et ille:

*Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit,*
*Si modo culturæ patientem commodet aurem.*

Item:

*Animum rege, qui nisi paret*
*Imperat; hunc frænis hunc tu compesce catenis.*
*Strenua nos exercet inertia, curribus atque*
*Quadrigis petimus bene vivere, quod petis hic est,*
*Est Ulubris animus si te non deficit æquum.*

Recte ille:

*Haud est nocens, quicunque non est sponte nocens,*
Et, *Fati ista culpa est, nemo fit fato nocens;*
*Ad auctorem redit*
*Scelus coacti culpa.*

A quo non abludit illud Homericum,

Ἐξ ἡμέων γὰρ φασὶ γένεσθαι, οἱ δὲ χ' αὐτὴ
σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν, ὑπὲρ μοῖραν ἄλγε' ἔχουσι.

Σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν dixit & ὑπὲρ μοῖραν, quo tum scelera ipsa, tum quæ scelera sequuntur mala, causam sui non habere μοῖραν, sive fatalem aliquam inclinationem, significat, idque Jovem ipsum adserentem facit. Nec verisimile est Poëtam cum dixit talem esse hominum mentem qualem Deus quotidie immittit, id de bona & mala mente dixisse, sed de clara aut obfuscata, de purgata & nubila mente. Solet enim aër, quem ille Jovem vocat, alterare corpus, & quæ in eo phantasmata sunt clara aut obscura reddere, nosque hoc tempore quam alio perspicaciores & sagaciores in deliberando facere; prout mentem hanc expressisse optime mihi videtur Cicero in versibus suis.

*Tales sunt hominum mentes, quali Pater ipse*
*Jupiter auctifera lustravit lampade terras.*

Quæ si ita sunt, oportet profectò te egregie sentire de Deo, qui eo usque erumpis audaciæ ut non erubescas affirmare communem sensum dictare, Deum illum optimum ac clementissimum Patrem, miseratorem illum generis humani, fontem illum bonitatis ac gratiæ, solum esse in causa quod hominum alii boni sint alii mali, quod alii pii sint alii impii, imò quod pauci probi sint, ac

*Vix totidem quot*
*Thebarum portæ, vel divitis ostia Nili*

plurimi autem, scelerati, sacrilegi, rebelles, præfracti, atque indomiti sint; idque ideò fieri, quod illis bonam mentem det, hisce autem malam det, aut bonam auferat, ut alia quam mala succedere non possit. Quis non horreat, qui hæc à Christiano homine, imò Christianæ doctrinæ professore, dici, scribi, & tanquam à sensu communi dictata publice inculcari audit? Ego sane execrabiles omnes Gnosticorum, Valentinianorum, Manichæorum aliorumque merito damnatas voces hac assertione tua, de novo paxillo suspendi, & tanquam à communi sensu dictatas laudari rursum audire mihi videor.

Tu contra: *Sed vos oportet egregiè de Deo sentire, qui eousque audaciæ erumpitis, ut pæne negetis hominem aliud debere Deo quam quod sit homo libero præditus arbitrio, cum virtutem sibi ipsi ferat acceptam: quæ Senecæ impii hominis execrabilis sententia fuit.*

Non ausus fuisti Camero dicere, nos omnino negare hominem aliud quid debere Deo quam quod sit homo libero præditus arbitrio: sed nos id *pæne* negare dixisti. At quousque illud *pæne* sē extendat non explicas. Id fecisse te oportuerat, ne mecum hîc hæreret Lector. Nec dubito, quin si id fecisses calumnia patuisset. Nos enim fatemur, quod non ignorare, hominem nihil prorsus earum rerum quæ ad æternam salutem ipsius faciunt sibi debere; sed quicquid habet, quicquid scit, quicquid vult aut facit, id Deo tanquam primo authori acceptum ferre debere. Quod libero arbitrio præditus sit, istud privilegium nos Deo tribuere fateris. Bene habet. Nos hæc sequentia addimus; Quæcunque scit ad salutem suam æternam ullo modo facientia, ea omnia debet Deo, quia ea ex seipso scire aut suopte Marte excogitare ipsi impossibile erat, juxta loca manifesta, *Nemo novit ea quæ Dei sunt nisi Spiritus Dei:* 1 *Corinth.* II. 11. *Nemo novit Filium nisi Pater, & nemo Patrem nisi Filius, & cui Filius voluerit revelare: Matth.* XI. 27. &c. Quod velit ea quæ Deo grata sunt, id debet Deo, cujus verbo, stimulis omnibus ad voluntatem exhortandam necessariis ac plusquam sufficientibus pleno, motus primum est ad volendum, & in dies adhuc movetur ut constanter perseveret, promisso etiam speciali auxilio contra quasvis tentationes, obtinendo precibus, jejuniis, aliisque carnis mortificationibus. Quid restat Camero? *Quantum debeamus Deo in rebus ad salutem pertinentibus.*

*At eripitur sic Deo* (inquis) *quod longe optimum est. Nempe ipsum velle & obedire.* Atqui, inquam ego, hoc idcirco non eripitur Deo, quia Deus hoc in potestate hominis esse voluit, propterea quod eum libero præditum arbitrio esse voluerit, adeo ut si Deus hoc homini non relinqueret, ereptus esset homini quod ipsi dedit, & sibi jus mandandi ac præcipiendi, quin & præmio ac pœna hominem afficiendi, & (quod longe optimum est) eriperet sibi ipsi gloriam conversionis talis, qua homo libertatem suam, quam à Deo tanquam prærogativam accepit, Deo quasi reddit, seque voluntati ejus, propria libertate ad jussum ejus exuta, totum subjicit ac submittit: hæc autem est gloria longe optima. Ipsum verò velle sive obedire hominis, etiamsi actus sit bonus ac laudabilis, idcircò tamen longe optimum quid videri non debet: 1. quia causam sui primam ac totalem non habet hominem ipsum, sed divinam gratiam primam ac principalem sui causam habet. Nisi enim illa præcessisset, nunquam voluntas hominis salutarem actum illum ex se elicere potuisset. 2. quia quando actus ille jam ab homine elicitus est, non est nisi actus ex officio debitus, ac proinde non ex se meritorius fælicitatis illius cujus homo capax est & quam desiderat, nedum ut fælicitatem veram homini conferat in hac vita, ut Philosophi olim

olim credebant; quinimò cum actu isto miserrimus omnium mortalium esse potest, & æternum perire, adeoque periret, nisi Deus æternæ immortalitatis præmio eum pro magnificentia bonitatis suæ remunerari vellet.

*Non propterea se Deum exuit Majestate & providentia sua, quia voluntatem hominis liberam reliquit.*

*Sane* (inquis) *si ita est quod Deus voluntati hominis libertatem istam reliquerit, ut ipsa sese flectere possit in quam vellet partem, Deus sese Majestate sua & Providentia simul exuerit.*

Mirum quam tu hîc majestatem, quam providentiam intelligas. Majestas Dei est gloriosa illa Dei sublimitas qua supra res alias omnes eminet, cum summo jure & suprema in easdem potestate. Providentia verò est sublimitati illi & rerum omnium naturis conveniens administratio. An majestate ista sua se exuerit Deus, si rem ullam creavit quæ ipsa sese flectere posset in quam vellet partem? Nunquam ergo nec homo, nec Angelus, libertatem istam habuit, ne quidem in primo innocentiæ statu; quia Deus nunquam fuit sine majestate sua. En Camero, ut te ipsum hîc illic prodas, velut forex indicio tuo. Et an providentia sua ista se exuerit Deus, nisi usum facultatis istius (si quidem aliqua omnino libera concedatur) in alteram partem determinet? Determinavit igitur Angeli & Adami voluntatem in partem peccati, in quam ii inclinaverunt, & peccati eorum author fuit. Quis hæc non exspuat tanquam male sana? Quasi verò majestas Dei & providentia Dei nulla foret, nisi libertas tollatur & libertatis usus? Istis salvis cur non manet Deus excellentissimus, uti antea erat? Quid decedit sublimitati ipsius gloriosæ? Imò ideo ista magis apparet, quia creatura tam excellens infra ipsam est. Et jus Dei in creaturam istam an non manet integrum? Certe destruere, annihilare eam potest vel momento si velit; libertatem ejus circumscribere potest quibus vult legibus, ac nisi pareat pro merito potest creaturam punire, &c. Qua majestate itaque se exuerit Deus? qua providentia?

*At Deus* (inquis) *nullam unquam creaturam ea lege condidit ut non tota, tota* (inquam) *quanta est, à creatore penderet.*

Esto. An repugnant ista, si dicatur creatura tota quanta est à creatore pendere, & interim libere se in quam vult partem determinare? Hîc sane Scholasticos omnes refragantes tibi habes, qui libertatem & liberam creaturæ actionem, non modo non tollere, sed supponere dependentiam creaturæ & actionis ipsius ab immediato & continuo Dei influxu, prolixè probant. Qua tu veri specie eos confutare possis, ipse videris. non tam facile id facies quam vulpes pirum comest. Sed non est opus ut hac ratione te ad Scholasticos ablegem: dabo tibi verum esse, quod fieri non possit ut tota creatura, id est creaturæ etiam ipsius libera volitio, tota quanta est, pendeat à creatore, sive ab influxu & concursu divino, nisi à Deo determinetur. Sed dico nullum certum esse vel argumentum, vel indicium, unde appareat omnem creaturam ea lege conditam esse ut tota quanta quanta est à creatore dependeat; imò esse indicia & argumenta unde contrarium non obscure colligitur. Nam si omnis creatura ea lege est condita ut tota, tota inquam quanta est, à creatore pendeat, necesse est ut condita sit ea lege ut omnis ac tota etiam creaturæ volitio, quanta quanta est, à creatore pendeat, ac proinde ut volitio etiam mala, id est volitio vetita lege qua talis, qua divinæ voluntati directe contraria est, tota inquam quanta est à creatore pendeat: quo nihil absurdius aut indignius dici potest. Penderet enim voluntatis humanæ inclinatio quatenus vetita & contraria est divinæ voluntati, à voluntate, imo ab actione ipsa Dei eam eò inclinante, imo inclinatio voluntatis creaturæ vetita à Deo, esset ipsa Dei actio, quia tota quanta est à Deo esset. Nisi enim esset tota à Deo, non penderet tota à Deo. Frustra autem hic distinxeris materiale actionis à formali; quia actiones quædam, qua tales, vetitæ sunt, in quibus materiale & formale locum non habet. Tum si creatura tota, tota inquam quanta est, à creatore semper penderet, frustra lex ferretur creaturæ sancita promissione boni si legem præstet, & comminatione mali si eam non præstet. Præstare enim illud & non præstare, quia aliquid creaturæ est, à Deo etiam penderet, atque ita Deus sibi ipsi potius quam creaturæ legem ferret. Sed jam rationem tuam audiamus.

*Nec homo Deum foret, si voluntatis determinatio non penderet à Deo.*

*Nam si aliter fecisset, id vero jam esset non creaturam, sed Deum creare.*

Quasi vero 1. contradictionem in terminis non implicet, vere Deum esse & creari! 2. Quasi ad constituendum ut aliquid Deus sit, sufficiat ut in volendo non dependeat ab alio, etiamsi interim id quod ad essentiam, potentiam, scientiam, actionesque cæteras omnes ab alio dependeat? Quis nescit divinitatis privilegium primum esse, quod in essendo sit independens ab omni alio, sive quod sit à se ipsa, nullique priori esse suum debeat? Alterum, quod in intelligendo à nemine dependeat; *Quis enim prior instruxerit Deum, & qui ei fuerit à consilio? Rom.* XI. 34. Tertium, quod non in volendo tantum, sed in faciendo vel agendo id quod vult, à nemine dependeat? Et secundum hæc tria quando creatura dependet à Deo, an non satis dependere tibi creditur ut Deus non sit? Miser sane Deus foret ejusmodi creatura cum libera atque independente sua volitione, quæ secundum essentiam suam momento destrui atque annihilari posset, quæ secundum mentem suam Deum bonum suum perpetuo ignoratura esset, & secundum potentiam ne articulum quidem movere, non hiscere, non respirare, adeoque ne pilum quidem atrum aut album posset reddere, etiam quando ardentissime superesse, scire aut facere quicquam vellet. Attamen, inquies, eo ipso quod volitio ipsius independens esset, posset independenter à Deo, velle rebellare & repugnare Deo. Esto; pone id fieri, quæ divinitas, quod dominium foret in ista volitione? An volendo eximet sese dominio Dei sui? Non. Imo volitione ista reum se faciet pœnæ, quam Deus ex lege suæ providentiæ ei infliget. An turbabit ordinem universi? At volendo non potest turbare universum, sed faciendo. Facta autem omnia ejus manent subjecta determinatrici providentiæ, adeò ut nihil omninò facere possit, etiamsi maxime velit, nisi Deus id ei permittat, imò ut facere sæpe cogatur quæ minime vult. Possem his ultimo tandem loco addere hominem, quatenus libero hujusmodi arbitrio præditus est à Deo, id est voluntatem independentem in volendo habet, divinitatis aliquam particulam à Deo accepisse, cujus ratione Deus dici aliquo modo possit, sive ad imaginem Dei factus, majori certe jure quam Magistratus ratione authoritatis atque imperii ab aliis hominibus independentis Dii & אלהים dici solent, & Moses Aaronis Deus propter solam jubendi authoritatem vocatur. Sed sufficit id quod respondi, & hoc monuisse satis est.

Attamen (inquies) in volendo bonum non dependebit à Deo. Fateor: non dependebit à Deo eodem modo quo in essendo, sciendo & faciendo dependet; sed dependebit tamen modo, ut ita dicam, conveniente libertati ipsius, id est non physice sed moraliter. Qui enim liber est, is ut alio modo dependeat opus non est, imò isto quo tu vis modo dependere salva libertate non potest. Dependebit itaque à Deo, 1. quia velle non poterit ullum salutare bonum nisi id ipsi à Deo reveletur. 2. cum id ipsi jam revelatum est, & jam id vult, stimulis & calcaribus tamen divinis semper opus habebit ut in volendo perseveret aut proficiat. Ex hujus dependentiæ signum est, 1. quod Deum indesinenter orare teneatur pro ope & auxilio, inprimis in & contra ingruentes tentationes. 2. quod Deus à sua parte ei promittat sanctum suum spiritum, cujus virtute roboratus resistere possit ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ πονηρᾷ, καὶ ἅπαντα κατεργασάμενος στῆναι. *Ephes.* III. 16. & VI. 13. si modo sibi ipsi non desit, sed *salutem suam operetur in timore ac tremore, Philipp.* II. 12. *electionem & vocationem suam* (à sua parte) *firmam faciat,* 2 *Pet.* I. 10. *permaneat in fide fundatus ac firmus, neque dimoveatur à spe Euangelii quod audivit, Coloss.* I. 13. *si fiduciam & spei suæ gloriationem, sive principium istud quo sustentatur firmum retineat ad finem usque, Hebr.* III. 6. 14. Breviter si à PROPRIA *sua stabilitate non excidat,* 2 *Pet.* III. 17.

*At quantulum abest ab humanæ providentiæ infirma conditione quod Deo tribuitis, si non vultis ab eo pendere voluntatis inclinationem in bonum potius quàm in malum?*

*Nec providentia divina parum abesset ab humana, si homo esset liber.*

Dato, sed non concesso, quod id verum sit, quid absurdi foret in eo si dicatur non multum ab humanæ providentiæ infirma conditione abesse rationem divinæ providentiæ; si simul etiam statuatur per συγκατάβασιν in istam conditionem se dimisisse nostri causa, ut infirmæ nostræ conditioni regimen suum attemperaret? Tantum abest ut id indignum Deo videri debeat, ut indubitatum singularis Dei bonitatis argumentum foret. Recte Tertullianus lib. 2. adversus Marc. cap. 27. *Deus non potuisset humanos congressum inire nisi humanos & affectus & sensus suscepisset, per quos vim majestatis suæ intolerabilem utique humanæ mediocritati, humilitate temperaret, sibi quidem indignas, homini autem necessarias, & ita jam Deo dignas, quia nihil tam Deo dignum quàm salus hominis.* Sed & multum sane abest ab infirma humanæ providentiæ conditione, id quod nos Deo & divinæ providentiæ attribuimus: imo tantum quantum divina sapientia, divina bonitas, divina misericordia abest ab humana. Quicquid enim sapientiam vel bonitatem Dei decet, sive nos id animo nostro possimus concipere, sive id capacitatem mentis nostræ excedat, id omne concedimus lubenter à Deo adhiberi ad inclinandum hominis voluntatem, non (uti tu loqueris) in bonum potius quam in malum, sed in bonum tantum; solam tantum excipimus vim determinatricem, non quod eam Deus adhibere non possit si velit, sed quod eam salva libertate adhibere velle non possit. Unde non infirma videri debet

hæc

hæc divinæ providentiæ conditio, ſed ſapiens, apta & rerum naturis conveniens; alioquin inſipiens, inepta, & naturarum deſtructrix futura, ſi potentior foret. Quia vero tibi ea demum providentia divina eſt quæ determinatrix eſt, & quæ vi ſua inclinat voluntatem hominis in bonum ſimul ac malum, ſed in bonum potius quam in malum, majori ſane jure quærere mihi ex te licet ac libet, Camero, Quantulum abeſt, non dico ab humanæ providentiæ infirma conditione, (homo enim non poteſt vi ſua determinare aut inclinare alienam voluntatem in malum, imo juxta te ne quidem inclinare poteſt ſuam:) ſed à diabolicæ providentiæ ſcelerata conditione, id quod tu Deo tribuis, quando ab eo dicis pendere inclinationem voluntatis noſtræ in malum & bonum? Certe non plus abeſt ab ea, quam quod divina providentia inclinet voluntatem humanam potius in bonum quam in malum; diabolica vero inclinet humanam voluntatem in malum potius quam in bonum. Non potes hic regerere mihi Camero, Diabolum nullo modo inclinare voluntatem humanam in bonum. Quæram enim ex te, an ſequatur ex vi enunciationis iſtius, Diabolus inclinat voluntatem in malum potius quam in bonum, Diabolum etiam aliquo modo inclinare voluntatem in bonum. Si id affirmes, jam prodideris ſenſum propoſitionis tuæ poſtulare etiam ut concludatur, Deum inclinare voluntatem humanam etiam in malum, ſed in bonum potius quam in malum. Quod ſi dicas id non ſequi ex vi enunciationis iſtius, jam non minus tribui poteſt iſta quam ego Diabolo tribuo propoſitio, quam tua tribui poteſt Deo. Sed & tanto deterior, ac (horreo ſcribere) ſceleratior erit conditio divinæ providentiæ quam diabolicæ, quia Diabolus tantum determinare vult ac ſtudet quantum poteſt voluntatem noſtram, actu tamen eam non determinat, imo non poteſt, etiamſi maxime velit, determinare voluntatem noſtram in malum; Deus autem non tantum eam vult determinare, ſed etiam ita eam determinat & inclinat in malum, ut non poſſit non præceps in malum ruere. Apparet id ex eo quod ſubjungis:

*Aut propterea providentia divina ſubduceretur humana actiones:*

*Certe ea omnes actiones Dei providentiæ ſubducit quæ voluntatem humanam habent pro principio.*

Eas itaque omnes providentiæ iſti divinæ potentiſſimæ ſive determinatrici, quam ab infirma humanæ providentiæ conditione longiſſime abeſſe vis, ſubjicis. At actiones ſive volitiones omnes malæ voluntatem habent pro principio. Ergo & illas pendere vis ab iſta determinatrice providentia. Quid apertius? Nos quod attinet, Nullas omnino actiones aut volitiones humanas ſubducimus divinæ providentiæ; tantum dicimus ejuſmodi determinationem, non eſſe actum providentiæ divinæ quo circa liberas hominis volitiones, quas legi ſuæ obnoxias fecit, ordinarie verſari vult, aut ſalva libertate earum verſari poteſt. Nec enim virtutis gloriam, nec peccati dedecus in ſe haberent; nec præmii honore, nec pœnæ infamia dignæ eſſent, ſi à providentia determinatrice neceſſario profluerent. Interea providentiam Dei legiſlatoriam circa eas verſari credimus, qua uſus earum circumſcribitur certis cancellis,

*Quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum.*

Hanc dicimus comitem ſibi adſiduam ſemper habere divinam curam, ſolicitudinem, introſpectionem, obſervationem, annotationem omnium cogitationum, volitionum & actionum etiam ſecretiſſimarum, quæ voluntatem humanam habent pro principio, & intentionem ac propoſitum adſiſtendi, juvandi, confirmandi, conſolandi, ac tandem præmio adficiendi bene agentes; contra deſerendi ac puniendi ſecus agentes, pro modo ac menſura delictorum.

*Aut Deus ſuſpenſus maneret.*

*At vero Deum tamen ſtatuiſſe ſuſpenſum quid homo velit, tum vero deinde ſe præbentem tanquam miniſtrum ad humanæ voluntatis nutum ſcilicet.*

Si ſuſpenſum Deum ſtatuere quid homo velit, idem tibi eſt quod ſtatuere Deum libera ſua voluntate ſuſpendentem vim determinatricem quam adhibere poſſet, ſi vellet libertatem creaturæ deſtruere & legiſlationem omnem è medio tollere, concedimus Deum hac ratione ſuſpenſum à nobis ſtatui, & expectare, optare, orare (Scripturæ verba ſunt) ut homo velit facere quod jubet. Qui legem fert ſub promiſſione præmii & pœnæ comminatione, is hac ratione ſuſpenſus ſtatuatur neceſſe eſt. Et Scriptura non abhorret idcirco ab omnibus iſtis phraſibus, quæ Deum hac ratione ſuſpenſum manere vi ſua demonſtrant; ut quando *Deum* dicit *expectare ut vinea ſua uvas ferat, Eſa.* V. 2. *tempus longum aut breve concedere ut videat an homo aut populus reſipiſcere velit. Geneſ.* VI. 3. *Luc.* XIII. 6. 7. 8. 9. *Apocal.* II. 21, & c. *quærere fructum & non invenire, Luc.* XIII. 6. *Optare ut homo reſipiſcat, Pſal* LXXXI. 14. *Orare ut reſipiſcat, conqueri ſi non reſipiſcat, dolere quod non reſipiſcat, imò rogare cur non reſipiſcat, cur non velit, quid fecerit ipſi quod non reſipiſcat,* & ſimilia. Quæ omnia Deum ſuſpenſum manere quid homo velit, vi ſua arguunt; ſaltem cum providentia ejuſmodi determinatrice conciliari non magis poſſunt quam Oriens cum Occidente. At ſi ſuſpenſum Deum eſſe quid homo velit, idem tibi ſit quod Deum otioſum ſpectatorem adſtare, nihilque agere quod ad impellendum, excitandum, & movendum hominem ut recte velit, facere poſſit, id vero negamus. Facere dicimus Deum quantum in ſe eſt ut homo velit quod debet velle; ſed requirere ſemper ut homo ipſe etiam mandanti, hortanti, ſuadenti, promittenti, minanti, in ſumma Deo facienti quod in ſe eſt, aurem atque animum ſuum præbeat. Non itaque ſtatuimus Deum ſuſpenſum manere uſque dum homo velit, tum verò deinde ſe præbere tanquam miniſtrum ad humanæ voluntatis nutum ſcilicet, uti tu ſarcaſtice loqueris; ſed contra tanquam bonum Patrem & clementem Dominum prævenire nos, comitari, perſequi expanſis manibus, reſeratis miſericordiæ viſceribus, diſtentis alis, blando vultu, voce benevola, cum promiſſis, cum minis, cum beneficiis, cum votis, cum querelis, cum commiſeratione, cum obteſtatione, &, quis credat? pæne ſupplicem ac proſtratum cum precibus & lachrymis, ſi forte reſipiſcamus ad agnitionem veritatis, & ipſi cauſam non præbeamus nos perdendi, quos ex animo ſalvatos cuperet.

*An actiones ferarum & impiorum ſubjaceant providentiæ divinæ.*

Addis: *Deinde verò, multa homines impii faciunt, non impia, manſueſcunt ſæpe numero, & panthera domari neſcia non ſemper ſævit, fortene id accidit, an divina providentia, quod non modo non dilaniat & vorat, ſed blanditur inſuper? Non hoc vultu eſſe à Dei providentia quod impii non ſemper faciant impie, alia ratione quam quia Deus liberum arbitrium eis indulſit?*

De impiis poſtea. De panthera quod quæris, ſi quod ea domari neſcia aliquando tamen non ſævit, non dilaniat, non vorat, ſed blanditur inſuper, *forte* accidere dicerem, annon ſtatim

*Torva Mimallonei impleres cornua bombi?*

Annon exclamares Camero, En fortunæ patronum? Nihil dubito. Quin itaque idem clamas, non dico contra eos qui bruta omnia animantia divinæ providentiæ eximunt, adducti fere loco illo, *Num boves curæ ſunt Deo?* ſed contra Molinæum religionis veſtræ anteſignanum, qui iſta alia minutula (ut vocat) providentiæ divinæ eximere in nupera ſua infelice Anatome, diſertis verbis non dubitavit, & Deum quidem talia præſciviſſe fatetur, ſed de iis particulariter quicquam ſtatuiſſe aut decreviſſe, nedum ea determinare, publice negavit, imo qui providentiam divinam non extendit niſi ad ea quæ habent rationem aliquam boni, & quibus gloria Dei fit illuſtrior ac mundus perfectior? De hoc genere panthera tua non eſt. Nec enim ex eo quod panthera aliquando ſæviat & devoret, aliquando miteſcat, imo blandiatur, gloria Dei fit illuſtrior, aut mundus perfectior. Et cum tu id fieri non per ſpecialem tantum aliquam Dei providentiam, ſed per providentiam determinatricem illam qua voluntates hominum determinari vis, adſeras, vide ſis an non Molinæo tuo crucem hîc fixeris. Sed quicquid de Molinæo ſit, qui ſatis eam ob rem vapulavit Corvino noſtro, quid quæſo ad rem facit, pantheræ hujus exemplum, cum non agas hoc loco niſi de actionibus quæ voluntatem habent pro principio? Sive dicas id fieri per providentiam ſpecialem determinatricem, ſive per providentiam generalem, ita ut vel à temperamento corporis mutato, vel à vario cæli aëriſque influxu, vel ab objecti diſſimilis ſimiliſve occurſu, vel alia ratione oriatur quod aliquando ſæviat, aliquando miteſcat, id mihi perinde eſt. Sive enim panthera laniet, ſive blandiatur, ſive voret, ſive ſorbeat, ſive ſæviat, ſive miteſcat, nulla in iſtis actionibus virtutis aut vitii ratio locum habet. Poteſt eam Deus determinare in quam vult partem, quia nec in bonum nec in malum determinatio iſta erit; de qua tamen ſola nos hic agimus.

Quod ad actiones impiorum externas quaſdam attinet, facile etiam conceſſerim tibi, eas non raro à divina providentia ſeu determinatrice ſeu directice proficiſci. Facit enim Deus aliquando, Scriptura teſte, ut impii etiamſi peſſima ſint voluntate, non tantum non faciant externe quod volunt, ſed ut plane aliud, imo quandoque contrarium faciant. Ita Bileamum fecit benedicere populo ſuo, cum animum haberet maledicendi in gratiam regis Balac, quia mercedem iniquitatis amabat: 2 *Pet.* II. 15. Et Nabuchodonoſorem caſtigare populum ſuum fecit, cum ille nihil minus quam caſtigare eum vellet: *Eſa.* X. 5, *&c.* At quia hæc à divina hac providentia ita efficiuntur, idcirco actiones illæ, etiamſi materialiter bonæ ſint, formaliter tamen virtutes non ſunt reſpectu eorum in quibus illæ à Deo effectæ ſunt.

*Atqui hîc non intelligo modo externas actiones* (inquis) *ſed internam animi propenſionem.*

Eſto. Atqui ut externa una actio, vel actiones aliquot externæ bonæ, ita interna animi propenſio ad actiones aliquas

bonas, sive non impias, non pugnat cum impietate. Nec enim ut quis impius sit requiritur ut ad nullam prorsus bonam actionem propendeat; imo fieri potest ut quis impius sit, & tamen ad hos aut illos actus impios non modo non propendeat, sed ab iis omnino abhorreat, adeoque ad contrarios plane propendeat. Rectius Ethnicus ille,

*Nam vitiis nemo sine nascitur; optimus ille est,*
*Qui minimis urgetur. amicus dulcis, ut æquum est,*
*Cum mea compenset vitiis bona.*

Non enim ad bona quædam propensum esse, aut bona aliqua amare & agere, sed bonis ac virtutibus omnibus, etiam ad quas non propendes, operam dare ut Deo placeas, & voluntati ipsius rectæque rationis dictamini morem geras, id demum est impium non esse. *Qui enim exercet justitiam, hic justus est, sicut ille justus est: 1 Johan. III. 7. Qui peccatum facit, hic ex Diabolo est: versu 8. Per hoc manifesti sunt filii Dei & filii Diaboli; Quisquis non facit justitiam hic non est ex Deo, vers. 10.* &c. Specialis itaque providentia Dei opus non est, nedum providentia tua determinatrice, ad hoc ut ii qui vere impii sunt, id est consuetudine peccandi laborant, aliquando quædam velint aut agant quæ impia non sunt, imo quæ recta & bona sunt. Ex naturali quadam bonitate, & ex reliquiis bonæ vel educationis vel institutionis, oriri potest bona ista animi propensio in iis qui cætera profani atque impii sunt. Docet id nos Flaccus ille, vitæ alioquin sane profanæ, cum ait:

*Atqui si vitiis mediocribus ac mea paucis*
*Mendosa est natura, alioquin recta; velut si*
*Egregio inspersos reprehendas corpore nævos,*
*Si neque avaritiam, neque sordes, ac mala lustra*
*Objiciet vere quisquam mihi; purus & insons*
*(Ut me collaudem) si & vivo carus amicis*
*Causa fuit pater his.*
*Ipse mihi custos incorruptissimus omnes*
*Circum doctores aderat. quid multa? pudicum*
*(Qui primus virtutis honos) servavit ab omni*
*Non solum facto, verum opprobrio quoque turpi.*
— — *ob hoc nunc*
*Laus illi debetur & à me gratia major.*

*At* (inquis) *loquor de his quorum Deus cor quod induraverat emollit. Exemplum esto; quod facit ut Ægyptii Israelitis commodent vasa sua. Fortuito-ne id evenerit, nulla Dei speciali providentia interveniente?*

Duo quæ hîc supponis non examino: 1. Deum Ægyptiorum istorum qui Israëlitis commodabant vasa sua, corda antea induratse. unde enim id constat? 2. Deum cor eorum, id est internam animi eorum propensionem emollisse, ut cum antea alieni essent ab iis, deinde propenso atque lubente animo illis commodaverint vasa sua. Sudares, Camero, si hoc tibi probandum darem. Contrarium sane non obscure colligitur ex *Psal.* CV. quem supra citavi; ubi lætati dicuntur Ægyptii, cum Ægypto excederent Israëlitæ, *quia irruerat pavor eorum supra eos.* Sed non agam tecum summo jure. Dabo tibi hæc duo vera, ac certa esse; quin & concedam id non accidisse fortuito, sed per divinam providentiæ directionem. Ex textu vero etsi non liqueat, an determinatio aliqua divina intervenerit nec-ne, perinde tamen mihi est quicquid dixeris. Commodatio enim ista non fuit actio virtutis, quæ sine peccato omitti non potuerat ab Ægyptiis, sed ad summum benignitas quædam quam amicus amico, vicinus vicino præstare solet, imo impiissimus impiissimo non raro præstat, quia vel paria recepit, vel ut paria recipiat, vel ut vicinum sibi habeat commodiorem, vel aliquam aliam ob causam.

Vide itaque quid dicas cum subjicis, *Omnino hic purus putus Σωκινισμὸς est.* Posito enim quod omnino fortuito id dixissem evenisse, cur *Σωκινισμὸς* purus putus foret, ac non potius *Μωλινισμὸς*? aut cur ego potius Socinianus quam Molinæus vester essem? Duo itaque si dicant idem, non tamen erit idem. At at, hic succus luliginis est, hæc ærugo mera. Sed vide jam quam turpiter hîc erraveris, & erubesce ob tuam sive insciti am, sive temeritatem, ne quid gravius dicam. Tantum abest ut purus putus Socinianismus videri debeat, si fortuito ista accidisse dicerem, ut contra Socinianismus verus sit affirmare ista non accidisse nisi per specialem providentiam determinatricem. Hæc enim est ipsissima Socini sententia. Tua itaque sententia, Camero, purus putus *Σωκινισμὸς* est, uti & illa qua indurationem cordis Pharaonis aliasque impiorum excæcationes & punitiones fieri asseris. Ad eas enim Socinus, & qui cum eo sentiunt, Pharaonem à Deo determinatum fuisse, alioque impios à Deo determinari & necessitari adeoque cogi asserunt. Vide Prælectiones Socini, & quæ de Causis peccatorum contra Frantzium scripsit Valentinus Smalcius, quæ alibi à me citata sunt, & tu videbis me verum dicere. An tu jam ejus sectæ homo sis tu videris. Certe si ista nomenclatura ad crimen & invidiam tibi sufficit, dignus es qui ea velut stigmate inuraris. Sed tantum abest ut ego sententiam tuam ista nomenclatura odiosam reddere velim, aut odiosam reddi debere arbitrer, ut contra si in eo quod verum esse meque sentire profiteor, doctum ac pium aliquem Scriptorem, quicunque tandem is sit & quocunque nomine ab aliis infametur, adsentientem mihi habeam, ex animo mihi gratuler Deoque gratias agam. Tanti mihi est, Camero, quod mihi *Σωκινισμὸν* tribuis. Ista & similia nauci non facio, & qui aliter censent

*Nescio an Anticyram ratio illis destinet omnem.*

Subjeceram præcedentibus *προλήψιν* hanc; Etiamsi statuamus hominem ista quam tueor libertate præditum esse, ex eo tamen non sequi eum divinæ providentiæ subjectum non esse. Hoc ipsum enim quod Deus non velit destruere naturam ejus quem liberum & hactenus suo quasi dominio exemptum condidit, sed quod velit eum conservare, legem ei ferre, & usum facultatis istius ad obediendum aut non obediendum liberum ei permittere, & simulatque se movere incipit statim cogitationes, volitiones, ac facta ipsius omnia observet, ordinet, dirigat, puniat, &c. hoc satis esse ut providentiæ divinæ non credatur exemtus. *Etiamsi homo sit libero arbitrio præditus, non tamen est providentia divinæ exemptus. Et de illis qui omnia ejus providentiæ adimunt prater motum cæli.*

Ad hanc præoccupationem meam respondes: *Hoc pacto certe nec ii providentiam sustulerint qui Deo omnia ademerunt præter motum cæli: (quæ in sententia an non fuerit Aristoteles quæri potest. ego hîc non definio; non enim pertinet ad causam.)*

Vix credo, Camero, te hæc sine rubore dicam an remorsu animi scripsisse. Malum certe omen est, tam manifesté prævaricari in argumentando. Quæ enim vel verisimilis ratio paritatis inter eos qui Deo omnia, ac proinde omnem providentiam ademerunt, eumque orbibus cælestibus assiduo suo intuitu rotandis veluti mancipium aliquod pistrino adfixum crediderunt, & inter eos qui Deo & divinæ providentiæ, eique adeo liberrimæ, omnia omnino, quin & ipsum motum cælorum subjectum esse agnoscunt? Neque hoc tantum, sed voluntatem etiam humanam eidem providentiæ obnoxiam esse fatentur; sed naturæ voluntatis aptæ ac convenienti, quæque libertatem ejus non evertat.

*At* (inquis) *ii pariter dicunt singulis rebus suam inesse naturam. Itaque Dei motum unum eundemque varia producere effecta, quod materia subjecta non sit eadem, sed alia atque alia ratione, aliter atque aliter affecta.*

Recte. Sed ii dicunt motorem illum non curare materiam illam, quippe quæ non sit ipsius, & in quam nullum jus habeat, nec intendere nec operam dare ut effecta hæc aut illa ex materia ista oriantur, non magis quam ipsa materia curat aut intendit ut motor iste cælum suum intueatur, & orbes suos ut Sisyphus saxum suum moveat: quod quid aliud est quam providentiam omnem motori isti adimere ex professo, quam nos Deo tribuimus in res omnes, tanquam suas & juri suo in totum subditas?

*Atqui* (inquis) *idcirco tanto probabilius isti loquuntur quam vos soletis. Negant enim hanc materiæ varietatem esse à Deo. Itaque nil ita decedere providentiæ quod non curet aliena.*

Atqui contra, si idcirco tanto probabilius loquuntur, tum certe quando ipsam divinam providentiam circa istam materiam aperte negant, nihilominus tamen providentiam divinam non sustulerint. Quid absurdius? Circa quæ enim providentia ista divina versatur, cum præter materiam & motorem illum cæli nihil sit circa quod versari possit? *Negant* (inquis) *hanc varietatem materiæ esse à Deo.* Recte. & de sola providentia Dei circa hanc materiam quæritur, quia alia esse non potest. Imo negant hanc ipsam materiam, non tantum materiæ istius varietatem, à Deo esse. Sed dic mihi, Camero, quomodo negare possunt probabiliter varietatem istam aliquomodo esse à motore isto? Nam si motor iste non moveret cælum, & diversis influxibus in materiam istam non influeret, maneret semper eadem eodemque modo affecta materia; quippe quæ seipsa movere, ac proinde variare nullo modo potest. *Esto* (inquies.) *Nihil tamen ita decedit providentiæ, quod non curet scilicet aliena.* Cui providentiæ, Camero? An providentiæ circa hanc materiam? Inepte. Sic enim supponeretur Deum non curare hanc materiam, & simul providentia sua versari circa hanc materiam: quod contradictionem implicat. An providentiæ circa alia? At sic sustulerint universam providentiam, saltem circa hanc materiam. Sed &, obsecro, quæ probabilitatis ratio est in eo quod Deus curaturus esset aliena, si materiam illam curaret quæ non esset ab ipso? Posito enim materiam istam esse motori coæternam, an eam idcirco Deus curare non posset tanquam suam? Cur non esset illa jure Dei res, tanquam primi occupantis, tanquam dignioris, excellentioris, præstantiorisque, & qui jure Dominus

ejus

ejus esse posset? An jus aliquod in se ipsam haberet materia illa bruta & sui impotens? An ea dominium haberet in se ipsam, ut alterius sine suo consensu fieri non posset? Nugæ. Rectius itaque multo ac probabilius fecissent, si Deo providentiam tribuissent circa istam materiam, licet non suam aut à se creatam. Jus enim nihilominus illi tanquam sapienti dispositori & rectori, in illam dispositionis melioris capacem, tribuere ad majorem ipsius Dei gloriam & materiæ perfectionem potuissent.

Sed quicquid hac de re sit, puduit credo te ipsum tandem hæc ita generatim simul ac probroſe in nos dixisse. Itaque discrimen facis inter nos & istos, & quidem tantum unde facile apparet quam sit hæc tua comparatio impudenter dicam an maligne quæsita maculandis nobis & causæ nostræ. *Fateor* (inquis:) *Vos non negatis voluntatem à Deo conditam esse.* Recte. at isti negant materiam à Deo conditam esse, atque idcirco Deo jus non esse ut illam curet. *Dicitis vero hominem neque in hanc neque in illam partem, qua homo quidem est, esse (ut ita loquar) inclinabilem.* Nihil minus. non dicimus hominem quà homo est non esse in hanc vel illam partem inclinabilem. Nec enim homo definit homo esse, quando in bonum summum inclinatur necessario: Sic enim in cælo homo non esset homo. Sed dicimus voluntatem hominis non posse inclinari à Deo, ea inclinatione qualem tu statuis, in hanc aut illam partem, ut libertas voluntatis ejus vera salva maneat; atque idcirco Deum qui providentia sua circa voluntatem hominis occupari nunquam desinit, hac una actione non occupari circa eam; non quia ea occupari non possit circa voluntatem si velit, & quidem jure suo, (de inclinatione in bonum loquor.) Sed quia ea occupari non vult; ne destruat quod sapienter semel condidit.

Quæ jam sequuntur, ea satis arguunt quam ingens sit discrimen inter nos & eos qui omnia Deo & divinæ providentiæ ademerunt præter motum cæli, imo (ut dicamus quod res est) qui Deo omnem providentiam ademerunt, eumque ex naturæ necessitate omnia agere & egisse ab omni æternitate crediderunt. Dicis enim tandem, tanquam tibi ipsi objiciens ex tuo ingenio, quod nos passim urgere ad providentiæ divinæ gloriam, manifestum ac vel pueris notum est; *An vero dicis Deum omnia adhibere quæ possint ad bonum inducere?*

*Quomodo Deus tentet homines, & eos in tentationibus adjuvet.*

Certe hoc nos docere ac dicere non potes ignorare, Camero: & idcirco longissime absumus ab iis qui omnia Deo ademerunt præter motum cæli.

Sed occurris: *Imò verò sæpius etiam tentat, quam ut optimo fine.*

Atqui tentare, Camero, & adhibere omnia quæ possunt inducere ad bonum, imò quæ ad tentationem ipsam superandum necessaria sunt, non pugnant. Pugnarent certe, si tentare esset vel directe in malum inducere, vel adhibere aliqua ut in malum inducaris, vel subducere aut subtrahere ea sine quibus fieri nequit quin in malum inducaris. Hæc enim adversis frontibus pugnant, adhibere omnia quæ possunt inducere ad bonum, & subducere ea sine quibus non potes non induci in malum. Et hoc posterius sane (contra omnem rationem & loquendi usum) tibi significat tentare, quando Deus hominem tentare dicitur, menti scilicet hominis lucem ad evitandum malum necessariam subtrahere; qua luce subtracta homo non potest non induci in malum, id est peccare. Hoc itaque modo cum dicis Deum sæpius tentare hominem, nihil aliud dicis, Camero, quam Deum sæpius inducere hominem ad malum. Nempe ut sic directe contradicas assertioni nostræ, qua statuimus Deum adhibere omnia quæ possunt inducere ad bonum. At gravissime hic erras. Nam hac tentatione Apostolus Jacobus diserte negat Deum tentare ullum mortalium, *cap.* I. 13. *Nemo*, inquit, *quum tentatur, dicat à Deo tentor. nam Deus malis tentari non potest,* πειράζει δὲ αὐτὸς οὐδένα. Et sane tentatio hæc, foret tentatio diabolicâ omni tentatione pejor ac deterior. Diabolus enim non tentat nec tentare hominem potest aliter quam suadendo, & sæpe frustra est, neque hilum proficit. At hæc tentatio divina, est ipsissima in malum inductio, & ea posita fieri non potest quin homo peccet & male agat. Subducta enim luce ex hominis mente, voluntas non potest non peccare. Nec satis est si dicas, Deum tentare semper optimo fine. Ex eo enim sequetur, Deum inducere hominem sæpius in malum, id est, causam esse homini ut peccet, & ut non possit non peccare, sed optimo fine; quod quid aliud est quam Deum facere malum bono fine, sive ut inde eveniat bonum? Hactenus ergo tibi conveniet tentatio divina cum diabolica, quod utraque sit tentatio ad malum; tantum finis utrimque variabit.

*Ergo cum voluntas tum aliorsum tendit quam in malum, non erit id à speciali providentia?*

Quando, Camero? Cum Deus tentat? At tum non potest voluntas aliorsum tendere quam in malum, ex sententia tua. Hoc enim tibi est *Tentare.* An cum tentare desinit? At tum non potest iterum aliorsum tendere quam in bonum, ex vi restitutæ lucis. Semper voluntas eadem & pari necessitate aut in hanc aut illam partem fertur. Sed loquor, inquies, de tentatione ex tuo sensu. At tum respondeo; Quando homo in tentatione positus aliorsum tendit quam in malum, id non necessario esse ex speciali illa quam tu vocas providentia determinatrice; sed vel ab auxiliis istis gratiosis, quibus antea ad obediendum Deo fuit adductus, & quibus Deus eum assidue deinde comitatur, si videlicet tentatio non sit nisi humana, id est aut par viribus ipsius, sive quæ supra hominem non est, aut talis qualem sæpe ferunt etiam ii qui Christiani non sunt: vel esse à novis & majoribus auxiliis, quibus Deus in tentationibus gravibus aut diuturnis succurrere suis solet; juxta id quod ibidem legitur 1 *Corinth.* X. 13. *Fidelis est Deus qui non finit vos tentari supra quam potestis; sed una cum tentatione præstabit etiam exitum, ut possitis eam sufferre.* & *Rom.* VIII. 26. *Itidem autem spiritus una sublevat infirmitates nostras. quid enim precemur ut oportet non novimus; sed ipse spiritus interpellat pro nobis suspiriis inenarrabilibus.* Ex quibus contrarium plane efficitur quam quod tu asseris. Si enim Deus non sinit nos tentari supra quam possumus, ergo tentare non est vires necessarias subducere, aut lucem sine qua peccatum evitari non potest, menti nostræ subtrahere. Sic enim sane Deus supra vires nostras nos tentaret. Deinde si non tentat supra vires, ergo vires aut relinquit aut dat sufficientes iis qui tentantur, ut ferendo tentationis oneri sint pares. Si autem vires sufficientes dat, utique non est à speciali providentia determinatrice voluntatis inclinatio. Aliud enim est vires dare, aliud determinare. Non enim qui vires habet ad aliquid agendum, statim etiam idcirco agit. proinde qui vires dat ad ferendum tentationem, is non statim efficit ut tentatio actu feratur. Qui vires habet, is potest viribus istis uti, non uti, vel etiam abuti. Qui determinatur ad agendum, is non potest non uti, vel non abuti viribus suis. Adde, quæ obsecro foret ista tentatio, si Deus speciali providentia eum quem tentat determinaret ad contrarium quam tentat? Tentando enim induceret ad malum; determinando aliorsum quam in malum, abduceret eum à malo ad bonum, sicque directe contraria uno eodemque tempore circa eundem hominem faceret. Denique quæ tentatio ista foret, si probaret an homo stare aut posset aut velit in bono, cum necessaria ad standum ei subducta erunt? Quis sapiens ejus rei experimentum capiat? Certe tantundem faceret atque si experiretur an lapis molaris casurus sit ex alto, si subducatur id quo sustinetur.

*Et quorsum igitur, quæso, oramus, Ne nos inducas in tentationem?*

*Cur oremus, Ne nos inducas in tentationem.*

Quid hîc tibi velis, Camero, divinare non possum. An velis idcirco nos orare Deum, *Ne inducas nos in tentationem,* ut probes Deum non semper adhibere omnia quæ ad bonum possunt inducere: (quod nos affirmamus:) sed aliquando ea per quæ in malum inducimur, adeoque per quæ nos in malum induci necesse est: idque fieri tum cum Deus nos inducit in tentationem. An vero velis id ipsum quod videlicet oramus Deum ne nos inducat in tentationem, signum esse quod à speciali providentia sit, quando voluntas nostra aliorsum quam in malum tendit cum à Deo tentamur. Si prius velis, id nititur ista hypothesi quam falsam esse per se jam ante ostendimus, Deum videlicet cum tentat aut in tentationem inducit, in malum inducere. Tentatio enim aut inductio in tentationem, non est inductio in malum morale quod peccatum est, sed inductio in malum physicum, id est in id quod ingratum, molestum & difficile est, ut videlicet homo per hoc exploretur sive probetur, an in bono constanter persistere velit, etiam cum difficilia aut adversa ingruunt, vel quando ex adhæsione ad bonum nihil emolumenti expectat aut percipit in hac vita, &c. Si posterius velis, id profectò non recte concludi ex oratione hac indicat oratio ipsa. Oramus enim, *Ne nos inducas in tentationem.* Objectum itaque orationis istius est, Non induci in tentationem. At hîc loqueris de speciali providentia qua opus sit, cum Deus nos jam tentat, id est in tentationem nos jam induxit, vel jam inducit. Si dicas hoc ipsum etiam comprehendi oratione ista, ut Deus videlicet nobis velit adsistere gratia sua, cum jam in tentationem inducti sumus, non equidem id negabo, (etiamsi ex verbis id præcise colligi nequeat:) sed tum inducere in tentationem non erit idem quod tentare. Cum enim tentare idem sit tibi quod auxilium subtrahere, dicendum tibi foret nos quando oramus, *Ne nos inducas in tentationem,* orare ne Deus cum jam auxilium suum nobis subtraxit, auxilium nobis subtrahat,

trahat, id est ne tentet nos quando nos tentat; vel ut nobis adsistat, tum cum nobis non vult adsistere. Sed aliud quid tum significet necesse est phrasis *Non inducere in tentationem*; videlicet non permittere, aut non procurare ut tentatio vel admodum gravis sit, vel valde diuturna; ne fiat ut vel pondere vel diuturnitate ejus victi fractique succumbamus tandem, & sic in vim ac potestatem tentationis quasi inducamur. Neque tamen significare volumus, cum rogamus Deum ut ne nos in valde gravem aut valde diuturnam tentationem inducat, fieri non posse ut si tentatio ejusmodi nos invadat non succumbamus tentationi, & in manus ac potestatem tentationis quasi veniamus; multo minus Deum causam futurum quando ei succumberemus. Nihil minus. Sed tantum periculi magnitudinem hac ratione denotamus, quia conscii nostræ infirmitatis eam adeo animo apprehendimus tanquam si certo succubituri simus, etiamsi possimus divinis viribus adjuti stare ac perstare ad finem usque: *Ephes.* VI. 13. Nisi hæc ita concipias, quæ obsecro, Camero, hujus precationis sententia erit ex tuo sensu? An vis nos orare ista formula, ut Deus quando nos tentat, speciali providentia sua determinet & inclinet voluntatem nostram aliorsum quam in malum? At cum tentat jam induxit in malum, quia tentando subduxit id sine quo malum evitari non potest. Quomodo igitur precamur adhuc, Ne nos inducas in tentationem? An vis nos orare, Ne Deus nos pergat inducere in tentationem, sed ut nos liberare velit ex malo in quod per tentationem nos induxit? At quis æquo animo tulerit te explicantem verba hæc, *Ne nos inducas in tentationem*, per hæc, Postquam nos jam induxisti in tentationem, ne perge nos in eam inducere, sed libera nos ex ea in quam nos induxisti? Nec satisfeceris si dicas, expositionem istam ab ipso Servatore factam videri, cum dixit, *sed libera nos à malo.* Sensus enim istorum verborum non potest esse hic, Libera nos ô Deus ex tentatione cum jam in eam inducti sumus à te. frustra enim alioquin precati fuissemus, Ne nos inducas in tentationem. nisi inter hæc & sequentia verba subaudienda esse velis alia quædam quæ Servator non expressit, videlicet aut si forte in eam nos inducere tibi placuerit, libera nos iterum ex ea. Alioquin *libera nos* hîc idem significat quod, liberos atque immunes nos præsta ab ea ne nos invadat; quo significato verbum *liberandi* in Scriptura Veteris & Novi Testamenti usurpari non est necesse ut probemus. Rei natura postulat hoc loco ut alio sensu non exponatur, nisi istam ἀνάγκην & ἀναισιότητα de qua diximus latere velis.

*Cur hoc potius quam illuc inclinet homo, si præditus sit libero arbitrio.*

Pergis: *Præterea cum voluntati sit essentialis* ἀυτεξούσιον, *hoc est cum homo sit* ἀυτεξούσιος *ad volendum & ad nolendum, quæ ratio dari potest cur huc potius quam illuc semetipse inclinet? Nam agit unumquodque patiturque juxta formæ activæ passivæque rationem suæ. Aget igitur* κατ' ἀυτεξούσιον. *Hoc verò impossibile est. Omnis enim actio est in alterutram partem. Ergo determinata ad unum.*

——Et cytharædus
Ridetur chorda qui semper oberrat eadem.

Ad hanc quæstionem tuam jam sæpius responsum à me est in antecedentibus, & in sequentibus ubi ejus propria sedes erit respondendum adhuc pluribus erit. Nunc tantum dico quantum ad hanc rem sufficit, sæpe nullam rationem aliam dari posse, cur huc potius quam illuc sese homo inclinet, quam quia vult huc se inclinare non illuc. Voluntas enim cum sit domina actus sui, quia potentia ex se activa est, certe volitio tanquam actus dominii ab ipsa voluntate primò atque immediate proficisci potest, neque ut ratio aut judicium aliquod eam determinans intercedat necesse est. Quod adeo generaliter intelligo, ut ne quidem quando dicimus hominem velle idcirco quia vult, volitionem istam semper rationem esse velim propter quam velit; sed sæpe nihil aliud quam loquendi modum esse velim, quo significatur volitionem istam hominis non habere aliam sui causam, quam potentiam suam activam seipsam vi sua huc non illuc inclinantem, sive esse actionem cujus ratio nulla dari potest, sed, quam voluntas suo proprio motu exercuit. Quod vero dicis, *Unumquodque agit patiturque juxta formæ activæ passivæque rationem suæ. Aget igitur* κατ' ἀυτεξούσιον. *Hoc vero impossibile est. Omnis enim actio est in alterutram partem; Ergo determinata ad unum*; id inquam tuo sensu intellectum falsum est, aut saltem nil nisi manifestam petitionem principii habet, nisi amuletum appendas. Nam (ut jam non examinem locutionem illam tuam, Unumquodque pati secundum rationem formæ passivæ suæ, quæ locutio sane nova est, & à recta Philosophia aliena, in qua forma nulla passiva agnoscitur: Formæ enim est agere non pati: ) unumquodque agere secundum rationem formæ suæ activæ, si eo sensu acceperis, quo accipi à Philosophis solet, ut significet, Ea quorum potentia determinata est ad unum, non posse aliud aut aliter quam unum istud agere; ea verò quorum potentia non est determinata ad unum, posse aliud & aliter agere; id est quæ necessaria sunt necessariò agere, quæ libera libere; bonum & commodum sensum habet. At si acceperis tuo sensu, ita ut significet ea quæ libera sunt sive indifferentia activa prædita, non posse agere nisi κατ' ἀυτεξούσιον, id est semper manere indifferentia, quia alias secundum rationem formæ suæ non agerent; actio enim omnis est determinata ad unum; tantundem sane dixeris atque si dixeris, Nullam prorsus libertatem sive indifferentiam activam dari, ac proinde nec voluntatem liberam, sive in homine, sive in Angelo, sive in Deo ipso locum habere posse; quod est illud ipsum quod in quæstione est, & à me falsum esse asseritur. Fundamentum itaque istud tuum, sensu tuo intellectum, probandum tibi fuerat. Breviter itaque, si ἀυτεξούσιον voluntatis esset passiva quædam qualitas, aut potius indifferentia sive non repugnantia quædam ad quamlibet formam in se recipiendam, qualis in materia prima esse statuitur à Philosophis; equidem ratio nulla dari posset cur ad hanc potius quam ad illam rem propendeat, præter unam illius causæ rationem quæ extrinsecus eam determinaret ad hanc non ad illam rem. At cum voluntas sit potentia ex se activa, potens ad se ipsam determinandum volitione sua, id est potens ad volendum aut nolendum hoc aut illud objectum, nihil absurdi est si dicamus sæpenumero rationem nullam dari posse, cur potius hoc quam illud, sive cur hoc non illud velit, præter ipsam volitionem. Et ostendimus supra id manifeste apparere 1. in volitione qua homo ex duobus objectis omnino inter se æqualibus unum eligit. 2. in volitione qua minus bonum majori sæpe præfert contra conscientiam suam. 3. in negligentia officii, quando homo negligit curare id quod alioquin maximi facit; non ratione aliqua certa adductus, sed pura puta voluntatis suæ remissione, quæ aliunde quam à libera ejus voluntate ortum habere non potest, alioquin inculpabilis futura, quia invincibilis. Et indicium hujus rei manifestum est, quod videamus hominem de se ipso non raro affirmare, quod facere aliquid neglexerit, ne cogitans quidem quod id negligebat, nedum ut rationem habuerit propter quam negligere illud voluerit; & quod tamen idem homo fateatur se id non debuisse negligere, ac potuisse non negligere, quodque idcirco doleat, seipsum culpet & puniri jure posse statuat: denique in ipsa divina volitione qua mundum creare voluit, & mundum hunc creare non alium, aut non plures, imo qua omnia efficere dicitur secundum beneplacitum voluntatis suæ, *Ephes.* I. &c. Ad hæc à te, Camero, velim responderi; si tamen potest à te responderi. *Ego* (inquis) *hic facile me expedio, qui statuo hanc voluntatis* ἀυτεξούσιον *à mente determinari in alterutram partem.* Atqui, Camero, argumenta ista mea militant contra hoc tuum fundamentum, & sic voluntatis veram ac proprie dictam ἀυτεξούσιον penitus à te tolli atque everti ostendunt. Et revera quæ à te voluntatis ἀυτεξούσιον agnoscitur, eadem menti & locomotivæ competit. uti enim voluntas indifferens est ad sequendum verum aut falsum quo mens imbuta est judicium, si videlicet vel hoc vel illud voluntati occurrant; ita mens indifferens est ad intelligendum verum vel falsum, si hoc aut illud tantum prius menti occurrat; & locomotiva indifferens est ad hunc vel illum motum, si hoc vel illud voluntatis imperium tantum ponatur. Denique indifferentia tota quam voluntati tribuis, non est nisi indifferentia pure pute passiva, sive obedientialis (ut loquuntur) sequens necessario rationem persuasivam quæ in mente est, sive ratio illa sit erronea, sive vera ratio. Unde necessario colligitur, quia mens ipsa non est libera, etiam judicio tuo proprio (libertas enim tibi etiam est affectio voluntatis propria) volitionum atque actionum omnium tam malarum quam bonarum authorem statuendum esse (proh pudor! ) Optimum Deum, quatenus menti vel occurrere facit rationem optimam, vel eam non facit occurrere; sed vel falsam injicit, vel falsam finit occurrere, nulla hominis ipsius culpa præcedente. Quæ absurditas merito jure tanta censeri debet, & revera tanta est, ut alia omnis quæcunque tandem cogitari ac concipi possit ex altera parte absurditas, præ ista absurditatis nomen non mereatur. Absurditatem autem istam sequi ex isto tuo fundamento, demonstrat argumentum meum quo in Epistola usus sum; Si inclinatio voluntatis non fit nisi per specialem Dei providentiam, voluntatis ἀυτεξούσιον (quam vocas) determinantem in partem alterutram, jam providentia divina per istam determinationem suam peccati causa est. Ratio est; quia peccatum nihil aliud est quam inclinatio voluntatis in partem alterutram, id est sequiorem. Nec enim inclinatio voluntatis in malum, minus est inclinatio voluntatis, quam inclinatio voluntatis in bonum, inclinatio est. Quid hic tu?

*Quomodo voluntas in malum inclinet ex sententia Cameronis, & quid Deus hic faciat.*

*Tu verò* (inquis) *jam mecum agis parum candide. Nam princeps thesis est, Inclinationem voluntatis in bonum esse omnino ex Deo.*

Imo vero, Camero, candidissime tecum ago, uti te mecum agere ex animo cupio atque opto. Princeps thesis non est, Inclinationem voluntatis in bonum esse omnino ex Deo. Princeps thesis est generalis, Inclinationem voluntatis in alterutram, sive (ut antea locutus es) in utramvis partem, omnino esse à Deo: *quia voluntas hominis* (verba tua sunt) *tota tota quanta est pendet à Deo; voluntas enim est creatura Dei, vel creatum quid à Deo.* Hanc thesin principalem, sequuntur duæ particulares. Prima: Ergo quando voluntas in partem bonam sive in bonum se inclinat, id necesse est ut omnino à Deo fiat. Secunda: Quando voluntas in partem malam, id est in peccatum se inclinat, id necesse est ab eodem Deo sive à speciali divina providentia fiat, quocunque tandem modo determinante specialis ista providentia utatur aut uti velit.

Itaque cum dicis, *Hanc illa sequitur, ut si Deus non agat omnino, non secutura sit inclinatio in bonum omnino*; id si verum sit, omnino nihil te juvat, & (si consentanee loqui velis) plane falsum tibi videri debet. Nihil te juvat; quia id ipsum, omnino scilicet non agere, est specialis iste modus quo providentia divina utitur ad determinandum voluntatem in partem peccati. Falsum vero debet id tibi videri; quia per hanc thesin evertitur universalis ac principalis tua thesis. Nam cum voluntatis inclinatio in malum sit vera inclinatio, quia est inclinatio in partem alteram; si ista inclinatio fiat à voluntate, quando Deus non agit NB. omnino, certe voluntas hominis quoad illam inclinationem non pendebit à Deo, sed pure pute à seipsa. Non potest enim pendere à providentia inclinante quando providentia non agit, id est non inclinat omnino; præsertim cum inclinatio illa sit actio voluntatis positiva qua tendit in objectum à Deo vetitum, quod objectum non contradictorie sed contrarie opponitur bono à Deo præscripto.

*At bonum & malum* (inquis) *hic non modo contrarie respectu ut loquuntur subjectorum, sed etiam contradictorie opponuntur.*

Quid tum? Ergo saltem aliquo modo etiam opponuntur contrarie; & cum contraria sub eodem genere sint, quomodo non sub eadem divina determinatione inclinationem voluntatis in bonum & malum tale collocari necesse est? Sed posito etiam quod contradictorie opponantur bonum & malum, quid inde?

*Ergo si voluntas non inclinetur in bonum, consequens est ut voluntas propendeat & feratur in malum.*

Itane, Camero? De voluntate corrupta id fortasse recte dixeris; at de voluntate per se considerata, quatenus libera & adiaphoros est in partem utramvis, (de ea enim qua tali hîc jam agitur) si id intelligi velis, sane prodis fermentum opinionis tuæ, quod alioquin solicite soles occultare. Ex eo enim sequetur, voluntatem hominis ita à Deo creatam fuisse ἀδιάφορον, ut nisi à Deo speciali actione inclinetur in partem boni, non possit non natura sua ferri in malum. Quis credat? Ergo cum voluntas Adami propenderit in malum, necesse est ut defuerit vel defecerit Dei inclinatio, & sic ex naturæ suæ conditione, prout à Deo creata fuerat, in peccatum propenderit, contra aut præter naturam propensura si in bonum propendisset. Necdum, Camero, sentis te optimum Deum peccati istius authorem statuere, & naturæ ipsius creatorem facere mali omnis fontem?

*Atqui* (inquis) *inclinatio humanæ mentis ad bonum, est à Deo per se & proprie, ut lux à Sole; ad malum vero pendet à Deo per accidens.*

Hæc nil nisi verba sunt, Camero, & meræ offuciæ. Nam 1. si inclinatio voluntatis in malum est actio vera & positiva, ac proinde ens verum & reale, quomodo non est à Deo nisi per accidens? Alia ratio est tenebrarum, alia positivæ actionis. Tenebræ non sunt positivum quid juxta plerosque Philosophos, sed privatio tantum luminis; aut si eas positivum quid esse velis, jam eadem difficultas redit. Etenim tum & illæ positivam sane causam & per se habere debent. atque ita à Solis occasu non pendebunt tanquam à causa per accidens. Effectus enim per accidens esse dicitur Philosophis, qui præter intentionem agentis existit, aut à re oritur quæ cum effectum producere apta nata est, propter interveniens accidens aliquod eum non producit, non autem qui existit necessario & per se ex re per accidentalem absentiam causæ contrarium effectum vi sua producentis in re. Ita Solis lumen causa obtenebrationis per accidens esse dicitur, & obtenebratio effectus per accidens illuminationis quæ à Sole fit in iis quibus oculi laborant, aut qui tenebris assueti sunt, aut qui oculos dirigunt contra clarum Solem. Similiter Euangelium dicitur causa per accidens excæcationis, cum natura sua comparatum sit ad illuminandum, & similia. At nemo occasum Solis causam dixerit tenebrarum per accidens, aut tenebras effectum per accidens occasus Solis. Sic enim occasus Solis per se illuminare dicendus esset, & tenebræ per accidens ex eo oriri, cum eæ non possint non existere Sole occidente, & à re ista cui accidit quod fuerit illuminata sive à tenebris liberata. Accidit enim terræ quod illuminata non maneat Sole occidente, sicut accidit terræ quod illuminetur oriente sole. At non manere illuminatam terram, non est effectus per accidens occasus solaris, sive non pendet ab occasu Solis per accidens, non magis quam illuminari terram effectus est per accidens ortus Solis, seu per accidens ab eo pendet. Quod enim foret illud accidens per quod effectus ille existit occidente vel oriente Sole? Hæc itaque perperam etiam à te dicta esse liquet. An tenebrarum causa per se & proprie terra sit nolo jam expendere: quo fundamento id nitatur tu videris. Tenebras mihi loqui videntur qui id de tenebris affirmant. Sed hæc ad aliam scholam pertinent. 2. Si inclinatio humanæ mentis ad malum per accidens pendet à Deo, uti à Solis occasu tenebræ, tum necesse aut verisimile est ut velis proprie & per se pendere inclinationem mentis ad malum à mente, uti tenebras à terra proprie & per se pendere vis. Mens itaque hominis non illustrata à Deo, sive non inclinata in bonum, priusquam ullum errorem aut peccatum commisit, proprie ac per se inclinata est in malum. At priusquam errorem ac peccatum ullum commisit, pure pute à Deo est, & nil est nisi creatura & imago Dei. Ergo qua talis proprie & per se inclinat ad malum, id est peccat. Inclinare enim ad malum, idem hic est quod peccare. 3. Si inclinatio humanæ voluntatis ad malum dependet per accidens à Deo, non dependet à speciali Dei providentia. Quod enim per accidens dependet ab aliquo, id dependet præter intentionem ejus ab eo. Quod autem præter intentionem alicujus fit, id speciali providentia ejus fieri dici non potest. Providentia enim sine intentione esse non potest. Concludo itaque hæc neque recte neque consequenter à te dici. Nec satis est si dicas, pendere per accidens tibi idem esse hic quod non pendere à Deo, tanquam à causa efficiente, sed solum à Deo permittente, sive non agente. Nam (ut jam non dicam te abuti phrasi ista, *pendere per accidens & per se*) si permissio sola sufficit ad providentiam specialem salvandam, cur providentiam specialem à nobis negari dicis, qui etiam permissionem divinam præcedere determinationem voluntatis nostræ statuimus?

*De mali permissione.*

*At permissio divina* (inquis) *non est otiosa nec temeraria.*

Atqui, inquam ego, si permittere est non agere omnino, quomodo ex sensu tuo permissio non est otiosa? si cum intentione & scopo non fit ut homo se inclinet in partem mali, quomodo non est temeraria? Quod enim sine intentione, sine fine aut scopo fit; id tibi sit temere. Expedi hîc te ipsum si potes Camero, & doce unde appareat hanc permissionem tuam non esse temerariam & otiosam. Idcirco enim nos permissionem Deo otiosam & temerariam tribuere vis, quod tribuamus ei permissionem quæ præcise non determinat voluntatem ad certum actum qui à permittente intentus & destinatus sit. Necesse est, velis nolis, ut ad ingenuam istam vocalem venias, Fateor Deum non minus intendere inclinare hominem in malum quam in bonum, & quod permissionem divinam non minus per se ac proprie consequatur inclinatio in malum, quam actionem divinam per se sequitur inclinatio in bonum, ac proinde non per accidens, sed per se peccatum à Deo pendeat. Et horsum tendit tota hæc disputatio. Verbum hîc jam non addam: Nam, ut tuo verbo utar, *Tenere certè, nec potes elabi.* Evincit id clare satis secunda responsio mea quæ in Epistola est; ad quam tu nihil omnino respondes, sicut neque ad præcedentem. Tantummodo id quod nos de permissione divina sentire credis examinas, & cum respondentis partes tibi sint gerendæ, opponentis partes sumis, ut directam responsionem declines, & arcanum tuæ sententiæ non reveles. Nempe pudet horrendum istud arcanum religionis vestræ propalare, & profanitatem ipsam quasi profanare. Itaque absurditates regeris, ut iis sententiæ tuæ absurditates tegas; quasi nodum nodo opponere, sit nodum solvere. Sed esto. mos gerendus tibi est, quia ita vis. Veritas non quærit velum aut effugium. Audiamus quid dicas.

*Audio jam* (inquis.) *Vestra permissio quam in malo tribuitis Deo, ejusmodi est, ut etiamsi malum permittat Deus, tamen nil mali necessario secuturum sit.*

Tenebræ hîc sunt quas sic dispello: Permissio duplex est. una quæ antecedit omnem humanæ voluntatis actum; altera quæ voluntatis humanæ actum sequitur. De permissione non juris, sed facti, id est non qua permittitur aliquid potestati, sed potentiæ hominis loquor. Illa permissio nihil omnino supponit futurum aut non futurum; sed est conditio tantum requisita ad hoc ut aliquid fieri possit, aut non fieri, id est ut homo possit actum à Deo mandatum aut vetitum facere vel non facere, vel simpliciter ut possit velle quod Deus vult, aut nolle. Hæc supponit jam futurum aliquid, aut non futurum, ex

decreto voluntatis, si modo non opponatur impedimentum, id est si is qui impedire potest, non velit impedire quominus homo exsecutioni mandet quod jam apud se constituit. Talis erat permissio qua Christus permittebat Diabolo ut in porcos intraret, & qua eidem permittebat ut Jobum omni afflictionum genere, sola morte excepta, vexaret. Hac permissione posita, dico malum futurum esse; non quidem ex vi permissionis, sed ex hypothesi voluntatis jam ante deliberatæ, & in proposito perseverantis. Verum non de hac, sed de ista permissione hoc loco agitur. Ea autem posita, dico fieri posse ut mala voluntas nulla, aut factum nullum malum sequatur, nedum ut necessario sequatur.

At inquis; *Inde sequitur fieri posse ut permittat Deus malum, quod omnino non est futurum.*

Hæc oratio iterum obscura est. Duplex enim ejus sensus esse potest; vel fieri posse ut Deus permittat malum evenire aut fieri, quod tamen futurum non sit; qui sensus contradictionem in adjecto habet; Vel, fieri posse ut Deus permittat nobis, ut possimus propria sponte nostra malum facere, quod tamen non faciamus, sive quod à nobis actu non fiat. Hoc sensu verissima est. Quare cum ais, *Quæro igitur, An permittat Deus quod nunquam fuit nec futurum est?* Respondeo: Ita sane. Permittit Deus ut multi homines possint si velint peccare, adeoque facere scelera & peccata varia, quæ tamen non faciunt, nec facturi unquam sunt; vel potius, multi non fecerunt, multi non faciunt, nec facturi unquam sunt, varia peccata ac scelera quæ ex permissione divina (loquor non de permissione juris, sed de permissione facti) facere si voluissent potuissent, aut si velint semper possunt. Permissio enim hæc divina non respicit, uti jam diximus, actum sub ratione aut jam præteriti, aut adhuc futuri, sed tantum sub ratione possibilis; id est, non est nisi conditio requisita ad hoc ut voluntas libere velle aut non velle, facere aut non facere aliquid possit. Est enim aliud nihil quam divinæ voluntatis remissio, qua non vult, cum possit, liberum voluntatis usum impedire, id est eum determinare in partem unam. Itaque qua talis, nec præcedit futuritionem, nec sequitur eam; sed tantum præcedit, sive prærequiritur ad futuritionis possibilitatem: nisi enim Deus vellet permittere rem fieri, res non tantum non esset futura, sed ne fieri quidem posset. Itaque quando Deus permittit ut res fieri possit, res idcirco non est futura, nedum idcirco necessario est futura. Nihil minus, imo contra, permittere ut res fieri possit, & permissione posita rem necessario futuram esse, implicat contradictionem. Futuritio enim, imprimis necessaria, supponit causam prorsus indeterminatam. At permissio ista relinquit causam prorsus indeterminatam ac liberam. Quare quæ hoc loco disputas ea nituntur tua, id est falsa hypothesi, quæ est, permissione divina posita non tantum voluntatem humanam inclinari in malum, sed inclinari necessario; quasi permissio sit negatio, id est vel non datio, vel sublatio eorum quæ ad voluntatem inclinandam in bonum necessaria sunt; cum contra sit relictio necessariorum omnium, & liberrimi usus voluntatis non impeditio. Ex quo efficitur id quod in Epistola concluseri verissimum esse, Permissionem divinam, quam statuis, reduci ad causam proprie ac per se efficientem; ac proinde Deum, cum ista permissione utitur circa hominem innocentem, peccati in quod homo innocens non potest non incidere ista permissione posita, primum authorem ac fontem esse. Ad hæc mirum cur nihil respondeas. Tantum exclamas, *O te hominem miserum!* Imo vero felicem, Camero, qui ab ista misera & morbida opinione tua liber sum divino beneficio.

Pergis: *An quia nil est in creatura, ne hilum quidem boni, quod non sit totum, totum inquam, iterum dico, totum à Deo, tu censebis Deum peccati authorem?*

Nihil minus, Camero. Extra lineas abis & declinas ictum. Ego non argumentor ex isto fundamento; nec sum adeo stipes aut à Sole aversus, ut tali argumento pugnem. Aliud agitur; Ex tua hypothesi argumentor, & sententiam tuam damnandam esse colligo, hunc in modum; Qui creaturam suam in qua nihil adhuc, ne hilum quidem mali est, sed quæ tota quanta quanta est, bona est, quia totum quod in ea est, totum inquam, iterum dico, totum à Deo est, permittit inclinari in malum, ea permissione qua posita creaturam istam in malum non inclinari impossibile est, is peccati vel inclinationis istius in malum author est. Istud prius tu affirmas: Ergo hoc affirmes necesse est. Hoc argumentum refuta si potes Camero, & ineptis ejusmodi atque alienis quæstionibus nos convenire define. Exemplum quod de lapide super medio ipso leviore posito adduxi, est appositissimum illustrandæ rei. Uti enim ad hoc ut lapis ex sublimi ad terram cadat, nihil aliud requiritur, quam ut is qui eum manu sua suspensum tenet in sublimi, super medio ipso leviore, sustinere cum desinat, id est manum suam remittat, & lapidem pondere suo cadere permittat, & qui id facit, casus istius lapidis author dici recte potest ac solet; ita ad hoc ut Adam sive creatura quævis innocens in peccatum incidat, nihil aliud requiritur, quam ut Deus qui ejus mentem rectam & bonam creavit, rectique ac boni luce perfudit, perfundere eam desinat, id est eam permittat suo motu ferri: Simulatque enim eo motu feretur, peccabit ex tua hypothesi, quia voluntas ejus necessario inclinabit in malum. Is itaque qui id permittit, author istius inclinationis erit pari jure, quia naturæ istius quæ se inclinat in malum, secundum totum ipsius, ne hilo quidem excepto, causa est.

Neque vero ad rem quicquam facit id quod tu respondes; *Si lapidi bonum foret* (inquis) *esse in sublimi, deberet hoc ei à quo tenaretur suspensum; sin ejus malum esset cadere, deberet hoc sibi. Nam hærere certe in sublimi alteri debet, cadere sibi.*

Nam sive bonum sive malum sit lapidi in sublimi hærere, sive cadere, id perinde est. Quæritur tantum, Si lapis in sublimi suspensus ex manu alicujus, manu subducta pondere suo in terram cadat, cui primo ac præcipue tanquam authori casus iste tribui debeat? Dicis. *Si malum esset cadere, lapis deberet sibi.* At quæritur quomodo malum esse possit, si casus iste à subducente manum tanquam ab authore est. Lapidem vero subducta manu cadere naturali pondere suo non potest esse malum. Pone enim lapidem istum creatum esse cum naturali pondere isto, & tamen à principio quo existere cæpit in sublimi suspensum hæsisse manu creatoris; deinde creatorem subducere manum suam, & permittere ut lapis iste feratur naturali inclinatione sua cum qua creatus est in terram; certe casus iste lapidis non potest esse malum. Et eadem ratio est hominis. Is creatus est totus innocens, atque omni ex parte bonus, mente, voluntate, affectibus. Deus enim indidit ejus menti lucem, cujus beneficio non poterat non recte judicare, bene velle, & sancte vivere, ex sententia tua. Mens tamen ejus capax est creata erroris, imo necessario errat simulatque luce ista indita destituitur. Subducitur lux ista menti hominis à creatore, & in errorem statim incidit homo, quia non potest non errare; quis erroris, quis mali, quis peccati hujus (si peccatum est) causa aut author est? Res ipsa loquitur. Totum illud quod in homine isto manet post lucem ex mente subductam, id totum, totum inquam, à Deo est; sive id totum naturale, ac proinde bonum est. Motiones itaque omnes quæ ex naturali ista inclinatione necessario, ex conditione naturæ oriuntur, censendæ sunt motiones ejus qui naturam istam creavit, & post subductam ex mente lucem, eam motionibus istis moveri ac ferri sinit.

*Sed non vides* (inquis) *te id non minus in te quam in me dixisse. Nam Deus* (*ut vos ipsi fatemini*) *hominem mutabilem creavit, sivit eum tentari: victus est à tentatione, nec id prohibuit Deus, cum posset tamen, si voluisset.*

*Nec necesse erat, nec convenie-bat Deum adhibere suam potentiam ad lapsum Adami impedien-dum.*

Nullus vel apparens color inest huic orationi. Fatemur ista omnia vera esse, & simul affirmamus hominem tentationi resistere, & tentatorem superare potuisse istis viribus quas à creatore acceperat, nullamque vel positivam vel negativam actionem Dei creatoris intercessisse, qua posita eum tentationi succumbere, & sic peccare necesse fuerit. Ut autem Deus prohiberet per potentiam qua pollet supra creaturam omnem, ac proinde supra ipsum Diabolum, quominus à tentatione vinceretur, nec necesse erat, nec decorum. Necesse non erat; quia hominem liberum creaverat, & sufficientibus viribus ad resistendum instruxerat. Decorum non erat; quia alioquin rescidisset quam dederat arbitrii libertatem, & legem suam comminatione sanctam ridiculam reddidisset, uti doctissime lib. 2. cap. 7. contra Marcionem disputat Tertullianus, cum ait, *Igitur consequens erat uti Deus secederet à libertate semel concessa homini, id est continere in semetipso & præscientiam & præpotentiam suam, per quam interceptus esse potuisset quominus homo male libertate sua frui aggressus, in periculum laberetur. Si enim intercessisset, rescidisset arbitrii libertatem, quam ratione & bonitate permiserat*, &c. Et hac quidem ratione concidit omne id quod sequente paragrapho disputas.

Sed ne videamur quicquam studio præterire, age & illum excutiamus. *Quid de Adami peccato*, inquis, *& Scriptura fiatui posset, explicavi supra.*

At hoc pacto, Camero, nihil iterum respondes ad id quod hoc loco quæritur. Nec enim adfirmas aut negas aperte, utrum quæ de permissione dicis, ad voluntatem hominis quatenus voluntas est, id est, nulla ratione habita an corrupta, an integra adhuc sit voluntas, intelligi velis. Dic, obsecro, cur aperte id non profiteris, sed per ambages & flexus Lectorem circumducis? Cur non defendis te, sed me, aut potius Remonstrantes omnes per latus meum oppugnas, præter disputandi legem atque ordinem? Sed esto, sequamur iterum te.

Pergis; *Vos verò* (inquis) *qui blasphemiam putatis, si quis dicat creaturam nil posse in bono, nisi à Deo ita sulciatur, ut totum quod in eo genere præstat, soli Deo, malum vero sibi soli debeat, videte ne in Deum ipsi blasphemetis, qui hanc laudem ei adimitis.*

Bona

Bona verba, Camero. Unde vel per ſpeciem colligis nos blaſphemiam putare, ſi quis dicat creaturam nihil poſſe in bono, niſi à Deo ita fulciatur, ut totum quod in eo genere præſtat ſoli Deo, malum vero ſibi ſoli debeat? Tantum abeſt ut id blaſphemiam putemus, ut ſi recte modo intelligatur, id veritate ipſa verius eſſe affirmare non dubitemus. Blaſphemiam putamus ſi quis dicat, Deum non velle innocentem creaturam ita fulcire, ut à Diabolo tentata non poſſit in bono perſeverare, ſed tentationi non poſſit non ſuccumbere. Hinc enim ſequi blaſphemiarum omnium maximam blaſphemiam, Deum ſolum vere ac proprie peccati authorem eſſe. Tu verò, Camero, ne verbo quidem oſtendis, quo modo id non ſequatur, neque argumentum hoc meum, tua iſta hypotheſi innixum, vel extremo digito attingis; quinimo non obſcure innuis, fateri te, ſi præciſe loquendum ſit, id veriſſime Deo tribui poſſe. Horſum faciunt loca allegata ex Iobo & ex Eſaia, quæ expendi idcirco à nobis operæ pretium eſt.

*Locus Iob. IV. 18.* *Certe* (inquis) *Iob vir ſanctiſſimus, Ecce*, inquit, *ſervis ſuis non fidit, & in Angelis ſuis ponit* תהלה, *quod ſeu veſaniam, ſeu lucem interpretere, eodem res redit. Significabitur enim utrolibet modo, ſtare Angelos Deo ſuſtentante, non ſuſtentante caſuros, & quidem culpa ſua.*

Mirabilis ſane eſt hæc expoſitio, & quæ ſatis indicat quod tendas eo quo dixi. Ac primum quidem error hic occurrit non exiguus, quod Iobo tanquam *viro ſanctiſſimo* (iſta enim verba tua habent hîc ſingularem emphaſin) tribuas id quod Eliphaz Themanites dixit; cujus verba, ut & cæterorum Iobi amicorum verba, ut divina & ſanctiſſima citanda non eſſe, præter multa docere te potuiſſent, tum Dei ipſius oratio quæ exſtat *cap. XLII. verſu 7. Fuit autem cum locutus eſſet Deus verba apud Iobum, ut ediceret Deus Eliphazo Themanitæ; Accenſa eſt ira mea in te, & in duos amicos tuos, quia non eſtis locuti de me recte, ut ſervus meus Iob.* Tum ipſius Eliphazi & duorum amicorum, quorum in iſto libro mentio fit, ſcopus; qui fuit demonſtrare Iobum magni alicujus criminis aut enormium flagitiorum reum eſſe oportere, quod ſic affligeretur à Deo; Deum enim non affligere hominem, niſi ob peccatum; id quod ex hoc *capite* IV. toto evidenter ſatis liquet, in quo eos errare manifeſtum eſt. Secundum eſt quod תהלה hic recte exponi poſſe dicas tam per væſaniam quam per lucem, & væſaniam quidem qua poſita Angelos peccare neceſſe ſit, uti ex verbis tuis clariſſime apparet. Hoc enim ſi verum eſt, jam ſane neceſſe eſt ut fatearis, Deum non tantum non agere omnino, vel non permittere tantum ut væſania in mentem eorum ſubeat, vel non permiſiſſe tantum ut aliquando ſubierit; ſed ipſam etiam væſaniam poſuiſſe, vel ponere in eorum mente, & quidem eodem modo uti ponit lucem. Hebræus enim textus nomini iſti apponit verbum שים id eſt *ponentes*, uti tu ipſe verbum iſtud expoſuiſti. Cum autem væſania idem ſit quod error, aut amplius quid; error autem ſit primum peccatum ex ſententia tua, neceſſe utique eſt, ut dicas Iobum dixiſſe, Deum peccatum, & peccatum quidem primum in Angelorum mente poſuiſſe. Hoc ſi tibi, Camero, abſurdum non videtur, quid tandem abſurdum tibi videri poterit? Tertium eſt, quod hac tua expoſitione directe evertas totum ſcopum & intentionem Eliphazi ac ſociorum ejus. Hi enim contendunt velis remiſque, afflictionem hanc non fuiſſe eventuram Iobo, niſi peccato aliquo ſuo eam commeruiſſet: juſtiſſimum enim Deum ita agere non ſolere cum ſanctis atque innoxiis. At ſi Eliphazi & ſociorum ejus mens hoc loco eſſe ſtatuatur, Deum aliquando pro jure ſuo ita agere poſſe ac ſolere cum hominibus, aut cum Angelis, ut in eorum mente ponat vel lucem qua fiat ut peccare non poſſint, vel væſaniam qua fiat ut non poſſint non peccare; certe ſcopum ipſi ſuum evertiſſent funditus, aut conſentanee ſcopo ſuo locuti non fuiſſent. Qui enim id juris tribuit Deo, imò qui diſerte à Deo fieri dicit, quod in homine, aut Angelo, innocente prorſus atque inculpato, væſaniam ponit unde eum in peccatum incidere neceſſe eſt; qua ſpecie idem id juris neget Deo, quod Iobum innoxium atque immerentem affligere poſſit externa & temporanea aliqua afflictione? Quartum eſt, quod utrolibet modo ſumatur vox תהלה, ſignificari dicas verbis allegatis, *Angelos Deo ſuſtentante ſtare, non ſuſtentante cadere, & quidem culpa ſua.* Quid enim ineptius quam Angelos ſi innocentes cadant, id eſt ſi peccent, Deo (abſque ullo eorum præcedente merito) ponente in mente eorum væſaniam, & ſic non ſuſtentante, vel non contiuante lucem in mente eorum, ſua culpa cadere aut peccare? Quæ culpa Angelorum propria aut vera eſſe poteſt in eo quod errent, cum Deus eos innocentes excæcat, aut lucem iis ſubtrahit antequam ut ſubtrahatur ullo actu ſuo ſint promeriti? Atque hæc quidem talia ſunt, unde non immerito concluditur, explicationem hanc tuam aut non convenire cum mente Eliphazi, aut ſi cum ea convenit, non minus quam ipſam mentem Eliphazi, utpote de Deo non recte loquentis, repudiandam eſſe. Neque tamen interim nego, alium longe ſenſum iſtorum verborum Eliphazi eſſe poſſe, & qui per ſe conſideratus probus ſit. Certe Junius & Tremellius longe aliter ea exponunt. Sic enim ea tranſtulerunt: *Ecce ſervis ſuis non credidiſſet firmitatem, & Angelis ſuis appoſiturus lucem.* Et ad marginem annotant; *Eo ſignificat Eliphaz, Deum non judicaturum ſecundum Angelos, ſed eos tum bono ſuo, tum gloria & honore deciſuros, ſi freti juſtitia ſua, cum Deo ſe compararent.* Tolerabilis ſane eſt hic ſenſus, uti & iſte quem doctiſſimus Vatablus adſignat, à quo non longe præcedens abludit. *In ſervis ſuis non poſuit veritatem, in Angelis ſuis* (non) *poſuit lucem exactiſſimam*; quaſi diceretur, *Angeli non ſunt creati à Deo in omnimoda veritate, ſeu perfectione abſolutiſſima; ut cum Deo collati ſint velut tenebræ, veluti quidam Hebræorum notant, collati cum Deo ſunt inſipientes.* Senſus hic ſane non eſt omnino incommodus, ſi in poſteriori membro repetatur לא בו נתן particula *Non*. Interea me quod attinet, fateor lubens non videre me quid iſte ſenſus, etiam ſi tolerabilis ſit in ſe, ad propoſitum Eliphazi faciat, ſeu quod ſingulare pondus aut momentum habeat. Sed non eſt neceſſe ut quis verus loci ſenſus ſit, prolixe hoc loco indagem; ſufficit monſtraſſe verba non poſſe ferre ſenſum iſtum quem tu eis inſſe vis, aut ſi omnino ſenſum iſtum ferant, eum pro divino & canonico habendum non eſſe; id quod abunde à me factum arbitror. De loco *Eſaiæ* LXIII. 17. poſtea agemus.

Pergis; *Neque vero, ſi hæc blaſphemia eſt, vos poſſitis evadere quominus blaſphemiæ manifeſti teneamini. Vel enim* (inquis) *docetis lapſum primi parentis potuiſſe à Deo impediri, atque ita ineurritis in hanc blaſphemiam quam nobis impingitis miſeri. Cur enim non prohibuit? Cur quod potuit non effecit?*

*Cur Deus actu non impedierit lapſum primi hominis: & quid in eo præſtiterit.*

Euge quam belle! Quaſi vero dicere quod Deus actu non impedivit lapſum primi hominis cum impedire eum poſſet, non dico blaſphemiam, ſed blaſphemiæ ſpeciem habeat; aut quaſi nos tibi, Camero, eo nomine blaſphemiam tribuamus. Nihil minus. Iſtud dicere non modo non blaſphemiam, ſed ne ſpeciem quidem blaſphemiæ habet; quia cum Deus hominem liberum creaſſet, eique ſufficientes ad reſiſtendum tentationi cuivis diabolicæ vires dediſſet, quin & ſevera commination ne viribus iſtis abuteretur caviſſet, non tantum non tenebatur porro actu impedire quominus tentationi cederet & peccaret, ſed & ſalva ſapientia ſua & libertate homini ſemel conceſſa potentiam adhibere non poterat, per quam actu eum impediret ne peccaret, ut ne ſine cauſa aut fine ullo dediſſe, aut quam dederat libertatem temere reſcindere videretur. Itaque nec idcirco quod dicis Deum actu non impediviſſe lapſum quem impedire poterat, blaſphemare te dicimus; ſed idcirco quod ſtatuas Deum ponere in mente hominis væſaniam, id eſt Deum vel non dare homini lucem neceſſariam ad evitandum peccatum, vel lucem quam ſemel dedit, innocenti homini iterum ſubtrahere, ita ut homini impoſſibile deinde ſit non errare & non peccare. Idcirco, inquam, te blaſphemare dicimus, quia iſtiuſmodi oratio deſinit in hanc concluſionem, Deus eſt author peccati; quæ blaſphemiarum blaſphemia maxima eſt. Qui enim innoxio homini lucem neceſſariam ad errorem & peccatum evitandum aut non dat aut ſubtrahit, is erroris & peccati in quod homo talis incidit author & cauſa eſt. De conſequentiæ veritate judicet lector.

*At verò* (inquis) *Si legibus humanis conveniatur Deus omnino reus eſt, ſi cum potuit impedire, non tamen impedivit peccatum.*

Atqui, inquam ego, ut legibus humanis conveniatur Deus iniquum eſt. Neque enim homini in hominem tantum licet quantum Deo in creaturam ſuam. Homo ita non eſt dominus hominis, ut non naturæ & divina lege eidem juvando pro tota virili ſua obligatus ſit. Itaque nec legem ei ferre poteſt pro arbitrio ſuo, quia nec vires ei dat ad præſtandum legem, nec ſcit ſæpe quouſque vires ejus ſe extendant; & quando eum contra divinam legem peccaturum videt, atque ita ſe præcipitaturum in æternam condemnationem, tenetur & obligatus eſt, ad faciendum quantum in ſe eſt, ut in peccatum iſtud non incidat, aut ſi jam in illud incidit, ut ab eo retrahatur, ex lege ut alteri facias quod tibi fieri velles. Dei autem ratio ab hac longe diverſa eſt. Deus enim eſt hominis abſolutus dominus, quia totum quod homo habet, id ab ipſo uno, id eſt ab ipſius libera largitione habet. Itaque homo ipſi obligatus eſt totus quantus quantus eſt. Deus dedit homini liberam voluntatem. *Ut* (verbis Tertull. utar lib. 2. contra Marc. cap. 6.) *totius mundi poſſidens homo, imprimis animi ſui poſſeſſione regnaret, & aliorum dominus, ſui non eſſet famulus.* Itaque ſic ad legem à Deo recipiendam, & ad obediendum liberedegi iſti idoneus à Deo factus fuit homo. Jus itaque habuit Deus legem ei ponendi; & quia optime noverat quæ eſſent vires hominis,

nis, quid valeant humeri, quid ferre recuſent, legem ei ferre potuit æquiſſimam. Hanc autem quando tulit, utique non tenebatur hominem impedire, ea qua valebat pollebatque potentia, quominus legem illam tranſgrederetur; ſic enim legiſlationem ſuam irritam reddidiſſet, & libertatem homini conceſſam reſcidiſſet.

*Recte* (inquis.) *Si ergo jus Dei ſupra leges humanas poſitum eſt, cur ſic blaſphematis?*

Quam hæc dicuntur inepte ſimul ac crude, Camero. Nam quæ ratio blaſphemiæ? Deo licet plus in hominem, quam homini in hominem licet. Nempe Deo licet non impedire omni quo poteſt modo quominus homo peccet, quod homini non licet; Ergo negare quod Deo liceat homini innocenti negare aut ſubtrahere lucem, unde fiat ut homo non poſſit non errare ac peccare, & negare quod liceat eidem Deo hominem ita peccantem punire æternis ac temporalibus iiſque graviſſimis cruciatibus, quod homini in hominem non licet, eſt blaſphemare. Licet Deo plus quam homini: Ergo licet ei omne id quod nos ſtulti concipimus ei licere. Quæ conſequentia? Hoc mantelo horrendiſſima quæque tegi, ac impune Deo imponi poſſent, ſub ſpecie excellentiæ qua ſupra hominem pollet. Noli, noli mi Camero, tam ingenti blaſphemiæ contra Deum tuum anſam dare: verum adverte, quod ſupra leges humanas poſitum eſt, id non ſtatim eſt ſupra rationem, nedum contra humanam æquitatem. Multa facere licet Deo circa hominem, quæ legibus tum humanis tum divinis homini in hominem facere non licet. At nihil facere licet Deo quod cum injuria hominis conjunctum eſt, nedum per quod ſumma homini fieret injuria. Id enim eſt contra rationem & æquitatem omnem, tum humanam, tum divinam. Et talis eſt permiſſio iſta qua tu Deum permittere dicis ut homo innocens non poſſit non in peccatum prolabi, per quod fiet graviſſimæ pœnæ reus. Per eam enim ſumma fit injuria homini innoxio. At permiſſio illa qua dicimus Deum non prohibere omni quo poteſt modo ut homo labatur in peccatum, relictis ei ſufficientibus viribus ad non peccandum, etiamſi ſupra leges humanas ſit (ſuppono enim jam hominem teneri omni quo poteſt modo proximum impedire ne peccet) tamen nullo modo contra æquitatem aut rectam rationem eſt, ut jam oſtendimus. Sufficit enim, uti recta ratio ipſa dictat, ſi Deus homini vires ſufficientes ad obediendum conferat, & adhibeat omne id quod ad hominem à peccato impediendum ſalva ipſius libertate & ſua lege facere poteſt. imo contra rationem rectam & æquitatem omnem facturus eſſet, ſi omni ſua potentia uteretur; ſic enim legiſlationis ſuæ authoritatem & obſequendi poteſtatem, ipſiuſque obſequii gloriam ſimul ac ſemel enervaret atque everteret.

*Proſpexit itaque* (inquis:) *nempe data lege.*

Non tantum, Camero, data lege; ſed conceſſis etiam relictiſque homini viribus ſufficientibus ad legem iſtam ſervandum aut non ſervandum. Niſi enim hoc addas, ſtulte ac ridicule proſpexiſſe diceretur Deus data lege. Itaque cum dicis, *Ne hoc quidem ego negem*, utrumque à te intelligatur oportet; alioquin hæres in blaſphemia. Nam datio legis ſatis non erat ut cautum eſſet homini, ne lapſus ſui culpam in Deum poſſet rejicere. Lex enim lata, qua ſimpliciter lata eſt, non poteſt efficere ut homo in culpa ſit, quando eam legem non præſtat, niſi ex parte hominis ſupponatur ſufficiens potentia ad præſtandum legem iſtam ex mente legiſlatoris. Lex lata facere quidem poteſt ut actio hominis, quæ legi iſti difformis eſt, peccatum & culpa ſit, ut loquuntur, materialiter; ſed facere non poteſt ut actio illa ſit peccatum & culpa formaliter, quæ videlicet homini in pœnam imputari poſſit, niſi ſupponatur actionem illam fuiſſe in poteſtate hominis. Etſi enim ubi lex non eſt, ibi tranſgreſſio non poſſit locum habere; tamen non viciſſim ubi lex eſt, ibi ſtatim tranſgreſſio legis, culpabilis aut pœna digna tranſgreſſio eſt. Si enim in eo qui legem tranſgreditur ignorantia ponatur legis iſtius, quæ plane ut loquuntur homini invincibilis eſt, excuſando ei ſufficit jure gentium communi; quanto magis excuſando ei ſufficiet impotentia quæ quidem ei prorſus fuerit invincibilis, imo quæ ei ab eo qui legem ipſi fert impoſita fuerit? Hæc vero impotentia quia à te ſtatuitur eſſe ex permiſſione illa, quam vocas, in homine cui lex fertur, fieri non poteſt ut cautum ei ſufficienter dicas ne lapſus ſui culpam poſſit in Deum rejicere, data tantum lege; imo hoc pacto juſtiſſimam homini cauſam das, ut lapſus ſui culpam in Deum poſſit omni jure rejicere, atque ita in blaſphemia quam dixi impeditus hæres.

Pergis; *Sed nos hic quærimus, An Deus non potuerit dato jam præcepto prohibere, quominus homo id volendo noxam contraheret?*

Imo id fruſtra quæris, Camero; quis enim de eo dubitet, nedum ut id neget? Aliud quæritur inter nos. Cum enim Deus actu non prohibuerit quominus homo legem violaret, & ſic noxam contraheret, deque eo inter nos conſtet; quæritur an Deus hominem ſic non prohibuerit ut homo ſtante iſta non prohibitione, poſſet nihilominus iſtis quas à Deo acceperat viribus legem non violare; an vero ſic ut vires ei conceſſas ademerit, ut homini non violare legem eſſet impoſſibile. Prius illud ego affirmo. Dico enim Deum non prohibuiſſe omni quo potuiſſet, ſi voluiſſet, modo, ſed quo tamen non tenebatur prohibere, quominus homo legem violaret; ſed prohibuiſſe modis omnibus qui ſufficiebant, quique cum bonitate & ſapientia Dei, cumque hominis libertate & ſalva lege conſiſtere poterant; ne videlicet aut ſe quicquam indignum faceret, aut homini excuſationis materiam relinqueret. Tu poſterius affirmas, & ſic non tantum tribuis Deo quod corda noſtra immutet, inclinet, flectat, trahat quoties & quando & quomodo ei videtur in meliorem partem, (quaſi videlicet quiſquam tam væcors ſit qui iſtam laudem Deo non lubens conceſſerit;) ſed, quod blaſphemiæ omnis culmen eſt, quod corda licet omnino innoxia (agimus enim jam de corde primi hominis, cum adhuc innocens eſſet) immutet, inclinet, flectat, trahat quoties & quando & quomodo ei libet in partem peſſimam, idque eo modo & ea ratione ut non magis homo, licet innocentiſſimus, poſita permiſſione divina, voluntatem ſuam inclinare poſſit in meliorem partem, quam homo, licet ſceleratiſſimus, poſita Dei tractione, ſive non poſita iſta Dei permiſſione, voluntatem ſuam inclinare poteſt in partem peſſimam. Sed tu hæc ſemper tegis, obtentu locorum quæ non niſi de noxiis & pœnam promeritis hominibus loquuntur. Apparet id ſatis ex eo quem citas Eſaiæ loco, cum nos hîc agamus de peccato Adami; cui adde quod cum hoc loco non niſi de flexione ac tractione in bonum loqui velle videaris, tamen locum iſtum ex Eſaia citas, qui non niſi de inclinatione voluntatis in malum diſerte loqui videtur. Nempe ſolicite admodum duo hæc confundis, ut una fidelia duos parietes dealbes, & arcanum impietatis quod in altero membro manifeſte conſpicitur ſpecie alterius occulas & abſcondas. Sed age locum videamus.

*Quare* (*inquit Eccleſia*) *errare nos feciſti Domine de viis tuis? Induraſti cor noſtrum ne timeremus te. Convertere propter ſervos tuos, tribus hæreditatis tuæ: Eſaiæ* LXIII. *verſ.* 17. Reſp. primò:

Hic locus ſi eum ἐξ ὑποθέσεως, prout tu eum citas, accipere velis, vel te ipſo judice amuleto benignæ interpretationis opus habet. Deum enim facere hominem errare de viis ſuis, ne tu quidem præciſe ſumptum verum eſſe conceſſeris; quia quod homo in errorem incidat, per permiſſionem tantum fieri vis; permittere autem tibi eſt omnino non agere. Itaque locutionem Prophetæ תתעינו *feciſti nos errare*, explicabis ipſe, nil dubito, per verbum permiſiſti vel ſiviſti. Ita certe Junius & Tremellius exponunt, mutato etiam tempore, & (uti mihi videtur,) textui convenientius, *Quare ſineres* (malim ſines) *nos aberrare Jehova à viis tuis?* Vatablus exponit, *Quare permittis* (in indicativo modo) *ut deflectamus?* Et huic expoſitioni convenire debet expoſitio verbi *indurandi*, quod ſequitur. Secundo dico; Permiſſionem hanc divinam qua Deus ſinebat populum ſuum aberrare à viis ſuis, & à qua ut Deus ſuperſedere velit Eccleſiam hic orare dicis, aut vis eſſe permiſſionem, qua Deus populum ſuum innocentem nihilque tale commeritum aberrare ſinebat à viis ſuis, ita ut non poſſet non errare atque indurare cor ſuum; aut vis eſſe permiſſionem, ut ita loquar, pœnalem, quia videlicet populus jam ante diu multumque peccando meruerat ut à Deo deſereretur, & erroribus ac cupiditatibus ſuis relinqueretur. Si primam permiſſionem hîc intelligi velis; tum neceſſe eſt ut dicas Eccleſiam Deo tribuiſſe id quod aperte falſum eſſe ex toto Vet. Teſt. conſtat, ubi Deus inter benedictiones ſuas quas promittit populo ſuo officium ſuum facienti ex præſcripto legis, hanc etiam ſemper collocat, quod Deus ipſius eſſe velit, quod cum eo ſemper eſſe velit, quod in medio ejus habitare & cum iis tanquam pater cum filiis ſuis verſari velit: inter maledictiones vero quas populo officium ſuum non facienti comminatur, hanc etiam recenſet, quod eum deſerere, ab eo vultum ac faciem ſuam avertere velit, imo eum *percutere velit amentia, cæcitate & ſtupore cordis, ut palpaturus ſit in meridie, ſicut cæcus in profunda caligine: Deus.* XXVIII. 28. 29. Cui conſonat id quod *Proverb.* I. 24. & 2 *Chronic.* XXIV. 20. legitur, *Dereliquiſtis Dominum ut derelinqueret vos.* & *Eſa.* LIX. 2. *Iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum, & peccata veſtra abſcondere fecerunt faciem à vobis ab audiendo.* item *Jerem.* XVIII. 7. 8. 9. & *Ezech.* XVIII. *per totum*, & paſſim alibi. Si vero ſecundam permiſſionis ſpeciem intelligi velis, jam locus hic ad rem non facit, & perperâ à te allegatus eſt. Nos enim hîc agimus

*Locus Eſa.* LXIII. 17

mus de permissione sive derelictione non pœnali; sed, ut tu eam vocas, dominii, qua Deum usum esse vis circa hominem primum antequam ullius adhuc culpæ reus esset, imo cum adhuc innocens & integer esset, & (ut Chrysostomus loquitur) τῇ ἄνωθεν δόξῃ ἐμφιεσμένον. Tertio dico; Posito quod hic locus de permissione etiam pœnali exponatur, non posse tamen exponi de permissione tali, qua posita fieri non potuerit quin erraret populus & cor suum induraret. Rationes hæ sunt: 1. Quia sic Deus populo huic errorem istum, & quæ errorem istum necessario comitabatur, uti vis, contumaciam sive indurationem exprobrare jure nullo potuisset. Exprobrasset enim id quod ipse populo per punitionem suam inesse voluerat, imo in ipso populo effecerat; perinde atque si quis homini cui oculos effodisset, cæcitatem & qui eam sequitur necessario errorem in ambulando exprobraret. Deum autem populo isti exprobrare & vitio vertere quod erret, & duræ cervicis sit, apparet ex *Psal.* XCV. 10. *Quadraginta annis litigavi cum generatione hac & dixi, Populus errantes corde sunt, & ipsi non cognoverunt* (id est cognoscere vel sequi noluerunt) *vias meas*, (id est mandata.) *Propterea juravi in furore meo, si introibunt in requiem meam.* Similia plura sunt. 2. Deus non hortaretur populum eundem istum ut in viam redeat, ut ab errore viæ suæ resipiscat, ne cor suum obduret, ut discat timere Deum suum, ut in statutis ejus ambulet. Hoc enim quomodo sapientissimus Deus facere posset, si ipse populum istum pœna tali ac tanta puniisset, ut non posset non errare à viis ipsius, ut cor durum haberet, ut Deum timere & in viis ejus ambulare non posset? 3. Populus hîc ipse, non confiteretur toties se errore & inobedientia ista sua Deum suum ad iram provocare, pœnarum graviorum reum se reddere propter errorem istum, si eum ex pœna divina sibi incumbere sciisset, idque hîc affirmasset. 4. Deus populo isti non comminaretur toties pœnam novam & atrociorem multo, si in errore & contumacia ista perseveret, multoque minus eundem populum severiore pœna puniret aut affligeret. Puniret enim eos propter suæ punitionis necessarium sive effectum sive consequens. Denique falsum omnino foret id quod 2 *Paralip.* XXXVI. 15. legitur, *Deum misisse ad eos per manum nunciorum suorum, mane surgendo & mittendo, quia parcere volebat populo suo & habitaculo suo. Populum autem contra Deum indurasse cervicem suam, subsannasse nuncios ejus, verba ejus spreviisse & prophetis illusisse, atque ita furorem Dei in se provocasse ut sanatio amplius nulla esset.* Atque hęc omnia cum sint manifestissima, necesse utique videtur ut verbi hæc prophetæ non præcise κατὰ τὸ ῥητὸν, sed commode & benigne accipiantur, & (uti mihi quidem videtur) hunc in modum. Cur ô Domine Deus hactenus tam longo tempore nobis non benedixisti, sed diu adeo duro atque acerbo inimicorum jugo nos premi voluisti? Cur avertisti beneficentiam tuam à nobis, tanquam si te nostri nulla prorsus cura amplius tangeret? hinc factum est ut pro eo quod ista tua bonitate veluti fræno à viis nostris malis retracti fuissemus, magis magisque erraverimus de viis tuis, tanquam si quod nostri omnino oblivisceretis, vicissim tui tuæque legis curam omnem sepositissemus. Quia non sensimus hactenus effecta ulla tuæ erga nos benevolentiæ, sed contraria omnia, operam non dedimus ut præcepta tua custodiremus, ut tibi placeremus, credentes frustra id futurum, aut te cultum nostrum susque deque habiturum. Interea magis magisque aversus factus es à nobis, aggravata est manus tua contra nos, hostes nostri magis magisque invaluerunt, & nos etiam magis magisque indurati sumus, donec tandem aucto supra modum malo, rebusque plane desperatis, sensimus nos te uno & tuo unius auxilio opus habere ac juvari posse. Convertere igitur ad nos ô Deus, & redde nobis favorem ac benevolentiam tuam solitam, hostesque nostros qui nos populum tuum premunt, & jam sanctuarium tuum, tui unius cultui destinatum, pedibus suis insolentissime conculcatum tenent, iram tuam sentire facias. Id si feceris ô Domine Deus, tum iterum novo amore accendes frigida jam corda nostra, & ea ceræ instar emollies, ut tibi ultro ac libenter nos in obsequium consecraturi, &, desertis viarum nostrarum erroribus, cum voluptate & gaudio in statutis ac præceptis tuis ambulaturi simus. Hic sensus, meo quidem judicio, planus ac facilis est, & stylo Scripturæ ac communi loquendi agendique consuetudini apprime conveniens. Deus enim facere in Scripturis non uno in loco dicitur, quod occasione actionis divinæ, & non raro præter adeoque contra ipsam Dei intentionem evenit; eodem sensu quo in communi vita, mater indulgentius habendo filium suum, aut pater duriuscule eum tractando, facere dicitur ut filius degeneret in pejus, cum tamen uterque nihil minus quam hoc, imo cum plane contrarium propositum sibi habeant. Atque hactenus quidem locum hunc excussimus; cum eo autem finimus caput hoc; quia quæ ad precationem illam, *Ne nos inducas in tentationem*, pertinent, in antecedentibus satis superque ventilata sunt.

## CAPUT XXI.

### Vindicantur solutiones argumenti quarti Cameroniani, quo demonstrare conatur perituram omnem consolationem, si Deus ita non determinet voluntatem nostram per Spiritum suum, ut voluntas nostra non possit non ferri in partem meliorem.

POtuissem sane omni jure ad hoc argumentum ante alia omnia excipere, Aliud esse agere de determinatione voluntatis eorum qui primitus ad fidem vocantur: Aliud de determinatione voluntatis eorum qui vocanti Deo jam obediunt, & ex fide atque obedientia Deum pro speciali gratia ad perseverandum in obedientia supplices orant. Multum enim hæc duo inter se differunt. sed quia id necesse non putabam, responderam ad argumentum tuum simpliciter per negationem consequentiæ. Nulla dixeram est consequentia, Deus isto non consolatur nos, Ergo Deus nos non consolatur ullo modo. Ad hoc tu nihil respondes, Camero. Consequentiam hanc tuam ne probare quidem niteris. Tantummodo arripuisti laciniam, quam ego non nisi incidenter adeoque citra ullam necessitatem ad meliorem tantum instructionem amici mei adjectam volueram principali responsioni; quæ sane si à me omissa fuisset, aut neglecta, defuisset tibi respondendi materia.

Fateor quidem, dixeram, magnam futuram consolationem si Deus voluntatem nostram ita determinaret ut non posset non ferri in partem unam & quidem meliorem. Neque negare audeo Deum aliquando extraordinarie hujusmodi consolatione suos, imprimis in tentationibus positos, & ardenter ipsum pro auxilio singulari orantes, gratiose perfundere. *Euge*, inquis, *hîc fateris aliquid.* Imo vero, Camero, fassus sum istud, & fateor adhuc. Nihil pœnitet. Ut istud meum FATEOR majusculis literis scribas quoties libet, per me licet. Et jam si placet, Euge triumpha. Sed vide ne brevi εἰρωνικὸν tuum *Euge* Lector tibi occinat, & medium digitum ostendat.

*Au aliquando Deus fideliumvo-luntatem ad ipsorum præces in bona determinet.*

*Res maxima est proculdubio* (inquis) *& quæ (si teneatur rectè & considerate expendatur) controversiam definiat. Nimirum fateris futuram magnam consolationem quam argumentum indicat. Atqui Deus magnam indulget consolationem; magna enim est misericordia ejus.*

Digna sane consequentia quæ controversiam definiat. Deus indulget suis magnam consolationem: Ista consolatio quam argumentum indicat est magna consolatio: Ergo ista consolatio est consolatio illa quam Deus indulget. Atqui Syllogismus in secunda figura ex puris affirmantibus, majore non reciproca, nihil valet, Camero. Id nosti credo. Enimvero an non magna foret consolatio si Deus voluntatem nostram immediate vellet flectere in partem optimam? Si vellet flectere continue, ita ut in nullam vel minimam unquam labeculam incideremus? Si vellet facere ut legem totam, perfecte & semper observaremus? Negare id non audebis, credo, nisi rem manifestam negare velis. Fateberis itaque magnam hanc futuram consolationem; Et cum Deum magnam consolationem indulgere suis fatearis, an idcirco Deum hanc consolationem suis indulgere concesseris? Non opinor.

*At* (inquis,) *tu addis, Negare non audeo Deum aliquando hujusmodi consolatione suos, imprimis in tentationibus positos, & ardenter ipsum pro auxilio singulari orantes, gratiose perfundere.*

Recte. Sed cur tu usque adeo mala fide, vocem principalem quæ sola majusculis literis à te scribi debuisset, videlicet EXTRAORDINARIE, hîc omittis, & cum cæteras voces majusculis scribas, illam ne scribis quidem? At in ista voce tota pæne emphasis est; quod tu non potuisti, saltem non debuisti ignorare. Sed esto. Nihil tamen hoc te juvat. Addo enim jam quod amplius est; Negare non audeo Deum aliquando immediate etiam flectere voluntatem piorum supplicium, in casu magnæ necessitatis, sive contra tentationis gravissimæ impetum, etiamsi id expresse à Deo fieri non legatur suspiam. Tanti esse credo apud Deum pietatem, tanti ardentes piorum ad Deum preces, quando necessitate magna premuntur ut si Deus extra ordinem id faciat, nihil aut indignum sua majestate divina, paterna bonitate, sapientia, justitia, aut naturæ piorum disconveniens facturus mihi videatur. Addo etiam, promissa quædam divina,

vina, quibus auxilium suum fidelibus sub magna tentatione positis promittit, talia sunt ut eo usque extendi aliquando posse diffiteri nolim. Ea autem non continentur proprie istis quæ tu citas locis ex Veteri Testamento; sed hisce potissimum; *Philipp.* IV. 6. 7. *De nulla re soliciti estote, sed in omni supplicatione & petitione cum gratiarum actione precationes vestræ innotescant Deo, & pax Dei quæ superat omnem intellectum φρουρήσει τὰς καρδίας ὑμῶν ϗ τὰ νοήματα ὑμῶν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ.* Ad *Ephes.* III. 20. loquitur Apostolus hunc in modum: *Ei qui infinita cum redundantia potest omnia facere, supra ea quæ petimus aut mente concipimus, κατὰ τὴν δύναμιν τὴν ἐνεργουμένην ἐν ἡμῖν: Ei, inquam, sit gloria in Ecclesia per Christum.* Ad *Rom.* VIII. 26. *Itidem autem & spiritus una sublevat infirmitates nostras. Quid enim precemur, ut oportet, non novimus. Sed ipse spiritus interpellat pro nobis suspiriis inenarrabilibus; Qui vero scrutatur corda novit quis sensus sit spiritus, qui secundum Deum interpellat pro SANCTIS.* 2 *Pet.* II. 9. *Novit Dominus pios è tentatione eripere, injustos autem in diem judicii puniendos servare.* *Apoc.* III. 20. *Quoniam servasti sermonem tolerantiæ meæ, ego quoque te servabo ex tempore tentationis, quod venturum est in orbem universum, ad explorandos incolas terræ.* Hæc aliaque tam magnifica, tam augusta, tam late patentia Dei promissa, eo usque extendi posse ut Deus pios suos quando necessitas summa urget, & ii divinum auxilium singulare ab eo instanter implorant, ita possit ac velit afficere, saltem extra ordinem, ut non modo ferre possint tentationes, sed eas alacriter etiam ferant ac superent, quis facile negaverit?

*Atqui Deus* (inquis) *nunquam vult, nunquam facit, ne extraordinarie quidem, id quod absurdum, quod impossibile & disconveniens est. Inclinare autem ita voluntatem, saltem extra ordinem, ut ejus propensio fixatur in sequiorem partem, id est determinetur in meliorem, id absurdum, id impossibile & disconveniens est ex tua sententia. Pugnat enim id cum præceptionibus & hortationibus, cum ratione obedientiæ, laudis & præmii, imo cum natura voluntatis. Ergo.*

Majorem hanc agnosco libens veriſſimam esse, si simpliciter intelligatur hunc in modum. Id quod simpliciter absurdum, impossibile & disconveniens est, Deus nunquam vult, nunquam facit, nequidem extraordinarie. Nam alioquin si dicas, id quod absurdum, impossibile & disconveniens est, non simpliciter, sed secundum naturæ aut providentiæ cursum ordinarium, id Deus nunquam vult, nunquam facit extra ordinem naturæ, sive præter ordinarium providentiæ cursum, falsa foret. Minorem autem propositionem nego. Absurdum enim, impossibile & disconveniens esse simpliciter, ut Deus voluntatem nostram inclinet necessario, seu mediate, seu immediate in partem optimam, id quidem ego nunquam dixi, & per se falsissimum est. Contrarium semper dixi, ut patet ex iis quæ de Angelis deque beatis disputavi, quæ de finis summi amore, deque motione voluntatis, ut natura est, sub finem capitis sequentis expresse sustinui. Imo hoc unum est ex præcipuis fundamentis, quibus nixus evinco contra te regenerationem nostri in hac vita non fieri per claram & plenam istam quam vocas mentis illuminationem; quia cum ea voluntatis libertas consistere non potest, sed per eam voluntas necessario determinatur in partem amoris: prout apparet ex eo, quod in futura vita, ubi claræ isti illuminationi & visioni locus erit, non libere, sed necessario, Deum amaturi sumus, imò clara illa visione, tanquam præmio obedientiæ nostræ, à Deo donandi sumus. Itaque cum dico me non audere negare Deum aliquando voluntatem sanctorum, & pro auxilio singulari in necessitate gravissima ardenter orantium, gratiose ita determinare, ut non possint non eas superare ac de iis triumphare, nihil sane dico fieri posse à Deo, quod simpliciter absurdum, quod impossibile, quod disconveniens est. Nihil itaque efficis hoc argumento tuo. Erraſti vel errare voluisti in exprimenda mente mea. Ea hæc est; Deum non posse dici voluntatem eorum, quos libere officium suum facere vult, sive quibus serio mandat sub promisso præmii & pœnæ comminatione ut officium suum sedulo faciant, determinare ad alteram contradictionis partem, quin dicatur facere id quod simpliciter absurdum, quod impossibile & disconveniens est. At in nostro de quo agimus nunc casu, id non habet locum. Primo enim quando dico me non audere negare, Deum aliquando voluntates suorum determinare, non loquor nisi de iis qui jam sine auxilio isto pii sunt, sive qui divinis præceptionibus libere obediunt antequam auxilium istud divinum à Deo accipiant. 2. Eos autem quando à Deo auxilium istud impetrant, id est necessario à Deo determinantur contra istam tentationem, & eo ipso quod pro auxilio singulari precantur officium suum ex præscripto faciunt, non dico libere nihilominus eo ipso tempore Deo obedire in superanda ista tentatione. Absit. eo ipso enim quod Deus eos auxilio isto dignatur, cessat libertas eorum; quia speciale istud auxilium præmium quasi quoddam est præcedentis pietatis ipsorum quo à Deo afficiuntur, aut potius est beneficium quod precatione sua à Deo consequuntur. 3. Auxilium istud dari iis dico, non ad hoc ut simpliciter pii maneant, aut ut pro auxilio isto precari non desinant, nedum ut accepto isto auxilio contra tentationem istam, non possint non esse grati Deo, aliasque omnes leviores tentationes non possint non vincere. Nihil minus. Sed tantum dico auxilium istud iis dari contra particularem istam tentationem, neque diutius quam tentatio ista sive afflictio durat. Unde consequitur, Deum per auxilium istud (qualecunque tandem illud sit) eos non ita determinare quin liberi maneant ad precandum Deum pro auxilii istius continuatione, aut ad gratias ei agendum pro auxilio impetrato; ac proinde fieri posse ut vel desinant Deum precari, vel Deo gratias agere, imo ut auxilii istius excellentia donati, de levioribus tentationibus superandis cogitare desinant; atque hac de causa præceptiones & hortationes cum isto auxilio optime conjungi posse. Exemplo rem claram, ut spero, faciam. Promiserat olim Deus populo suo officium facienti, & Deo suo imprimis in die tribulationis pro auxilio supplicaturo, auxilium gratiæ & potentiæ suæ dexteræ contra inimicos ipsorum; futurum scilicet ut quando & quotiescunque contra eos bellaturi erant, superiores semper evaderent, ut unus eorum decem; decem, mille; mille, decem millia hostium profligarent. Juxta hoc promissum si quando populus ita præparatus in aciem descendebat ad confligendum cum hostibus, fieri non poterat ut vinceretur & succumberet: Deo videlicet vel immediate eum roborante, vel hostium vires injecto metu aut alia ratione dejiciente. Populus iste semper erat caput, & inimicus (uti textus loquitur) cauda. At ex eo non sequebatur populum istum auxilio isto divino donatum non potuisse non pium esse ac manere, non potuisse aut in precando Deum aut in gratias ei agendo deficere. Contrarium docuit experientia plus quam semel. Similiter se habet hic res. Deus potest pro bonitatis suæ abundantia, fideles & pios cultores suos contra vim tentationis magnæ singulare auxilium ipsius implorantes, ita armare ac roborare, seu mediate, seu immediate per spiritum suum, ut non modo vincant, sed (ut Paulus loquitur) ὑπερνικῶσι, quin & contra eam glorientur, & in ea exultent. *Rom.* VIII. 37. *Rom.* V. 3. 1 *Petr.* I. 6. Ex eo tamen non sequitur, hortationibus ac præceptis, obedientiæ atque inobedientiæ, locum tum non esse ullum apud pios istos, ut videlicet pro isto auxilio perpetim orare, & indesinenter Deo gratias agere non desinant. Contrarium potius concluditur, idcirco locum iis esse debere, quod auxilium istud divinum non acceperint nisi precibus suis, ac proinde non nisi precibus & gratiarum actionibus illud retineant. Vigilandum itaque & orandum continuo esse, ne aut excellentia auxilii istius efferantur, quod Apostolus sibi accidere potuisse fatetur, aut eo iterum à Deo, qui libere istud ipsis contulit, priventur. Hinc enim est quod Apostolus *ad Philipp.* IV. pacem illam divinam corda nostra præsidii instar munituram dicat, si operam demus ut preces & simul etiam gratiarum actiones nostræ Deo innotescant. Neque vero unquam auxilium hujusmodi divinum dari dicitur in sacris, nisi sub ista conditione. Hinc est quod Deus ipse nos jubeat ἀδιαλείπτως (indesinenter) orare: 1 *Thess.* V. 17. προσκαρτερεῖτε, χαλιζεσθε, προσεύχεσθε περὶ παντὸς προσευχῆς. *Rom.* XII, 12. *Colos.* IV. 2. & 1 *Corinth.* VII. 5. & 1 *Timoth.* V. 5. πίστις εἰς τὰς προσευχάς, 1 *Petr.* IV. 7. γρηγορεῖτε εἰς προσευχάς. vigilare & orare, Deo semper gratias agere, ἀλλὰ πάσῃ προσευχῇ, ϗ δεήσει προσευχόμενοι ἐν παντὶ καιρῷ ἐν πνεύματι, ϗ εἰς αὐτὸ τοῦτο ἀγρυπνοῦντες ἐν πάσῃ προσκαρτερήσει ϗ δεήσει. *Ephes.* VI. 18. Et hinc est quod animum nostrum pium, gementem sub afflictionis pondere, & nescientem sæpe præ gravitate crucis quid precetur ut oportet, tanquam seriam & ardentem orationem respicere velit, ut Apostolus docet *Rom.* VIII. 26. 27. Pone itaque pium aliquem & sincerum Dei cultorem; incidat is, Deo ita dirigente, in afflictionem gravissimam, puta in manus eorum qui pessime ipsi volunt, qui dolis eum circumvenire, atrocibus calumniis gravare, doloribus exquisitis torquere, & mille mortibus conficere studeant; Consideret seipsum ferendo isti oneri imparem, nisi majoribus viribus de cælo adstruatur; confugiat ad Deum & die noctesque precibus eum solicitet sanctis seriisque; postulet ab eo sapientiam, robur, animum, quo innocentiam & pietatem suam prudenter, constanter & intrepide possit tueri; dico non repugnare, si Deus talis hominis mentem extraordinarie impleat sapientia & prudentia, si voluntatem ejus immediate sensu vel gustu bonitatis suæ singulari imbuat, ita ut in spe ac fiducia vitæ glorioſæ singulariter confirmatum se sentiat; si immediate

diate etiam ſive per Angelos ſuos loco motivam ejus regat, ut nil dicat, nil faciat, nil patiatur quod non divinæ gloriæ illuſtrandæ & ſuæ innocentiæ ac pietati teſtandæ ſerviat. Etſi vero certo probari non poſſit Deum hoc modo agere velle, quia ſola vitæ æternæ promiſſio firma fide apprehenſa iſti fini ſufficit, tamen nulla ratio eſt ob quam jure negare quiſquam poſſit Deum iſto modo aliquando in ſuis agere ſaltem extra ordinem in caſu neceſſitatis. Sane videmus ſæpe homines, ſenes, juvenes, virgines, adoleſcentes, alioquin infirmos, tenerrimi ſenſus, & timiditate ipſa timidiores, in adverſitatibus maximis adeo robuſtos, patientes & alacres eſſe, ut miraculum pæne ſint in oculis noſtris. Videmus eos, ut pietati atque innocentiæ teſtimonium dent, virgas, flagra, equuleos, rotas, cruces, flammas ſuſtinere, non aliter quam ſi corpora ex adamante aut robore facta haberent. Quin & videmus eos cum gaudio ſæpe ac cantu in mediis doloribus ridentes animam efflare. Quiſquam-ne negare audeat Deum eos iſto tempore immediate ſpiritu iſto affeciſſe, quo efficit quicquid vult, in voluntate & locomotiva eorum? Promiſſio ipſa divina eouſque extendi poteſt. Non eſt indignum paterna Dei bonitate ut filios ſuos, quos pupilla oculi ſui cariores habet, in tam difficili agone verſantes, & quidem ſupplices nocte dieque, auxilio iſto juvet. Non repugnat naturæ voluntatis ipſorum, quæ jam ſpe vitæ æternæ imbuta eſt, in ſpe iſta ita roborari & confirmari, ut alia omnia ſordeant præ illa una, imo ut alia omnia ne quidem in mentem iis veniant aut voluntati eorum occurrant. Non repugnat hortationibus & præceptis; quia Deus eo ipſo quod pios & orantes auxilio iſto donat, non requirit ab iis ut patientes ſint, ſed eos patientia tanquam præmio remuneratur. Ipſa autem illa patientia idcirco grata eſt Deo, quia pietate & precibus impetrata eſt, & ſic ipſam voluntatem hominis liberam aliquomodo cauſam ſui habet.

Atqui hic eſt lapis iſte ad quem in hoc argumento graviter ſemper impingis, quod conſolationem hanc non velis dari & concedi piis, qua talibus, id eſt jampridem piis ſine auxilio iſto factis; Non orantibus, qua talibus, ante auxilium iſtud impetratum; ſed hominibus qua hominibus, ad hoc ut pii ſint & ut orent. Auxilium enim hoc, ſtatuis eſſe primum illud auxilium ſine quo pium eſſe impoſſibile eſt, & quo poſito pium eſſe neceſſarium eſt. Quo tamen quis non videt everti ſtatum controverſiæ, imo rei totius naturam? Nam ſi auxilium iſtud eſt præciſe neceſſarium ad hoc ut pii ſimus & ut oremus, neceſſe eſt ut detur à Deo hominibus qua talibus, ſine ullo reſpectu ad pietatem & preces ipſorum, ſive ut pietas & preces auxilium iſtud ſequantur, non autem præcedant. Quomodo itaque non promittitur, aut non datur à Deo niſi piis & precantibus Deum pro auxilio? imo quorſum quæritur an piorum, qua pii ſunt, conſolatio in eo ſita ſit, quod auxilium iſtud à Deo precibus ſuis piis obtineant? Precibus enim ſuis, juxta tuam ſententiam, non magis conſequuntur pii auxilium iſtud, quam precando conſequuntur ut pii fiant & ut precentur. Imo eo ipſo quod precantur jam habent auxilium iſtud, ut precando obtinere iſtud neceſſe non habeant, imo ne quidem poſſint. Quæſtio autem eſt de auxilio quod piis ad preces ipſorum datur, proinde quod, ſupponit jam in homine piam ac bonam voluntatem, ſed quæ fulciri indiget contra tentationis pondus quo premitur. Voluntas itaque hominis per ſe infirma, ſed auxilium deſiderans & orans, Deique auxilium voluntatem iſtam firmans ac fulciens, unum faciunt principium, quod tentationi ferendæ ſufficit, quamdiu partes ut ita dicam unitæ manent, id eſt quamdiu voluntas hominis ab orando non ceſſat, & Deus auxilium ſuum non ſubtrahit. Deus vero auxilium ſuum ſubtrahit quandiu pondus tentationis durat, niſi homo ab orando ceſſet. ut autem non ceſſet, hortationibus, præceptis, promiſſis (quæ ad ordinarium Dei auxilium pertinent) &c. opus habet. Atque hæc quidem dixeram non eſſe extendenda ultra tentationis illius tempus, quo ſingulari auxilio opus habet. Quando enim tentationis illius tempus ceſſat, tum ſi non iſta, ſaltem ordinaria illa conſolatio divina reliqua manet, qua Deus ſuos ſemper in omni ſtatu adjutos vult.

Hic tu Camero veluti per Satyram ſpurce ſatis ac ſordide inveheris in verba mea. *Haud quaquam certe* (inquis) *ſi tibi piorum conſolatio eſt ſaginari tanquam porcos in hara bene paſtos & bene potos; cæterum torqueri & angi animo in tentatione incertos, conſcientia imbecillitatis & inconſtantiæ ſuæ, ſolicitoſque de eventu.*

*Non anguntur illi qui certi ſunt de obtinendo auxilio divino, ſi illud petierint.*

Vah! quam petulanter, quam proterve, quam inepte! Agitur de auxilio quod Deus largitur fidelibus & piis ſuis cultoribus, pietati, ſobrietati, temperantiæ operam dantibus, & fere ſub cruce gementibus, lugentibus, eſurientibus, ſitientibus qua talibus, ut in iſta cruce atque afflictione conſtantes maneant, ſi ſibi ipſis non deſint; & horum talium conſolatio dicitur eſſe porcorum inſtar ſaginari in hara bene potos, paſtoſque. Pudet me tam profani commatis. Quiſquamne adeo excors eſſe poteſt, ut non videat hoc convitium potius in tuam ſententiam quadrare, quæ eos qui ſemel auxilio iſto ſpeciali, ſeu vera fide donati ſunt à Deo, veram & ſalvificam fidem retinere, & de ſalute ſua certos manere ſtatuit, etiamſi porcorum & ſuum inſtar in haris, in proſtibulis, in ganeis, fornicibus, & lupanaribus in dies volutentur, totoſque ſeſe cum profligatiſſima hominum fæce Venere & Baccho certatim proluant, quin imo noctes dieſque ſceleribus, flagitiis, & inquinamentis omnibus carnis ac ſpiritus, puta idololatria, hæreſi, abnegatione Chriſti, rebellione, perjurio, cæde ac ſanguine innocentium, &c. ſe polluant? Nempe non credis fieri poſſe cum Perkinſo tuo ut mille peccata, imo omnia peccata totius mundi, cunctique adeo qui in inferno ſunt Diaboli, electionem Dei irritam reddant; In dialogo de ſtatu hominis, pag. 44. En vere porcorum ac ſuum ſtabulum, in quo tu, Camero, cum tuis, electorum cælum eſſe poſſe in hac vita aſſeris, utpote in quo gratia Dei, remiſſio peccatorum, fides vera ac juſtificans, ſalutiſque certitudo non minus locum habet quam in corde puriſſimo. Hoc ſi tu negare audes, oſtendes te aut non intelligere aut diſſimulare ſententiam tuam, & idem nobiſcum aſſerere, ut nempe te ipſum tuo ſuillo convitio jugules. Nos enim pios & veros Dei cultores hic ut porcos in hara bene paſtos potoſque ſaginari à Deo ſolere, aut ſaginare ſeipſos velle, etiam cum poſſent, non credimus. Ut plurimum pane afflictionis paſcuntur, & calentium lacrymarum imbribus potantur in hac vita, dum tetri carceris ſordes pati, in exilio agere, procul patria & domo, in vilipendio, contemtu, in odio, tanquam περιψήματα καὶ περίψημα τῦ κόσμυ afflictam & languentem vitam ducere & mille modis mori ac perire coguntur, interea dum cæteri, qui pietatis & reformationis titulum præ ſe ferunt, porcorum inſtar cutem curant, hilaria celebrant, eorumque commiſeratione non magis tanguntur quam ſues, imo ſæpe quantum in ſe eſt afflictionem afflictis addunt, curantque ut de iis lictor mereat. Deinde hos pios negamus torqueri & angi animo in tentatione incertos, conſcientia imbecillitatis & inconſtantiæ ſuæ, ſolicitoſque de eventu. Cur enim torqueantur, cur angantur animo, qui certiſſimi ſunt ſe, licet ex ſe infirmos, nihilominus poſſe auxilio iſto quod à Deo habent tentationem ſuſtinere, vincere, ſuperare, aut, ſi auxilium quod habent non ſufficit, ſe precando poſſe auxilium majus impetrare, ſeque nunquam auxilio tali deſtitutum iri, quin victores ſemper evadant, imo pluſquam victores, adeo ut de afflictione ipſa triumphent, ſi modo precibus id à Deo requirant? Fieri-ne poteſt ut quis incertus ſit, ut angantur, ut torqueatur de victoria ab hoſtibus ſuis reportanda, qui perſuaſus eſt ſe licet per ſe imbecillem, tot tantaſque copias auxiliares habere poſſe quot & quantas vult, quæ ad victoriam reportandam plus quam ſufficiunt, ſi modo eas poſtulet, & una cum iis contra hoſtem pugnet. Nemo incertus eſt, nemo angitur, nemo torquetur unquam conſcientia imbecillitatis ſuæ, qui habet, ſi modo velit, quo firmiter niti poſſit. Nemo de eventu unquam ſolicitus eſt, qui eum in manu ſua habet, qui ſcit quomodo eum omni tempore obtinere poſſit certoque obtenturus ſit. Nulla itaque incertitudo angit aut cruciat pios Dei cultores, quandoquidem ſciunt ſe poſſe petere, ſe debere petere auxilium ab eo qui auxilium conferre poteſt, & ad conferendum auxilium ſemper promptiſſimus eſt. Norunt enim illud Apoſtoli, *Fidelis eſt Deus qui non ſinet vos tentari ſupra vires: ſed una cum tentatione præſtabit eventum* (à parte ſua) *ut poſſitis eam ſufferre.* Soliciti quidem ſunt de officio ſuo, at nunquam de eventu. Quanto magis de officio ſuo ſoliciti ſunt, tanto ſunt de eventu ſecuriores.

*Atqui*, inquis tu, *Egregia conſolatio ſcilicet ſi vobis licet eam contaminare ac fruſtraneam reddere, adjecta conditione de qua mox ſoliciti ſint, Niſi illi velint.*

*Nec adjecta iſta conditio irritam reddit promiſſum conſolationem.*

Quaſi vero conſolatio egregia nulla ſit quæ conditionem ullam adjunctam ſibi habeat, & quidem præſtitu poſſibilem. Quis adeo væcors fuerit, qui ægro conſolationem egregiam dari neget, ſi medicus ei ſanitatem promittat modo velit alexipharmacum ſive potionem manu accipere, vel ore ſuo haurire? Hic verò in noſtro caſu conſolatio idcirco egregia videri debet, quia ſolicitudinem illam piam non tollit, quam Deus prærequirit in nobis antequam conſolatione iſta nos donare velit. Non contaminatur itaque conſolatio adjecta hac conditione, ſed illuſtratur potius: nec fruſtranea redditur, ſed ſtabilitur. Niſi enim adjiceretur, fruſtranea foret precatio, aut mandatum de precando ad conſolationem iſtam obtinendum; ſaltem Deus ipſe conſolationem iſtam dare velle dici non poſſet nobis precantibus, aut ea lege ſi eam ab ipſo petamus. Et cur fruſtranea reddatur conſolatio, ſi conditio quæ adjicitur poſſibilis, ſi faci-

facilis sit? At precari Deum pio homini possibile, imo facile est. At, inquies, de ea ipsa conditione præstanda sunt soliciti. Recte, soliciti sunt de ea præstanda sine ope & auxilio divino. Solicitudo hæc pia, sancta est, vera & unica precationis causa, quæ quanto major, tanto melior est, juxta illud Apostoli, *De nulla re soliciti estote; sed omni in re precibus & supplicatione, cum gratiarum actione, petitiones vestræ innotescant Deo: Philipp.* IV. 6. Quasi dicat, hac una de re soliciti estote. Contra hanc solicitudinem non datur consolatio; (sed ut ita loquar) propter vel ad istam.

*Quasi vero* (ais tu) *id non fit quod unum & solum possit nocere, quod unum adeo & solum illi maxime reformidant, ne nolendo quod Deus jubet, in tentatione victi succumbant.*

Neutiquam sane, Camero. Conditio illa, *nisi velint*, non potest nocere iis; tantum abest ut ea una & sola possit nocere. Solum *nolle* potest nocere & nocet iis, quia possunt ac debent velle. Nam hoc idcirco nocet, quia ipsorum velle & precari est conditio illa quam Deus ab iis requirit, & quam in manu sua habent præstare.

*At hoc unum & solum illi maxime reformidant, ne nolendo quod Deus jubet, in tentatione victi succumbant.*

Esto. In eo recte faciunt, ut id reformident, ut de eo soliciti sint; atque idcirco auxilium Spiritus divini implorent indesinenter Deus ipsis jubet. Quandiu id reformidant, quandiu de eo maxime sunt soliciti, tandiu orant, tandiu precantur, atque ita auxilium à Deo impetrant, ut nolendo in tentatione victi non succumbant. Hæc enim solicitudo, hæc ἐυλάβεια hic metus, hic timor & tremor facit ut nolint sibi fidere, sed ad Deum confugiant pro ope & auxilio; quod quantò magis sentiunt, tantò magis & ardentius implorant, memores præcepti illius, *indesinenter orate*. Ab hoc metu, ab hac solicitudine si liberarentur per divinam consolationem, tum profecto consolatio divina omnem precandi tum necessitatem, tum usum tolleret, & Deus non consolaretur hac consolatione pios qua pios, & orantes qua tales, sed eos qui pii sunt & qui orant nulla habita ratione ad pietatem aut ad preces eorum; quippe hæc ipsa consolatio pietatem & preces in ipsis efficeret, atque ita nulla prorsus conditio iis præstanda relinqueretur. At obsecro vide Camero, quam sit vana & ridicula ista consolatio. Primum dicis consolationem hanc dari certis quibusdam electis, cum primum vocantur ad fidem & credere jubentur in Christum, & per eam solam vis fieri ut credant, & ut mutentur ex infidelibus in fideles, & ex electis impiis in electos pios. Deinde hisce hominibus ita mutatis mandat iterum Deus (inquis) ut salutem suam operentur in timore ac tremore, ut Deum indesinenter orent in necessitatibus suis, &, si id faciant, promittit ipsis consolationem suam: sed quia salutem suam operari in timore & tremore, & indesinenter precari Deum, est actus qui sine consolatione ista prima divina fieri nequit, itaque consolatur illos Deus iterum eadem illa consolatione, efficiendo in ipsis totum actum istum, & totum actus istius. Tertiò precantur itaque sic Deum fideles pro consolatione in necessitatibus. Et pro qua? Pro eadem illa qua Deus consolatus ipsos est ut crederent, ut pietati studerent, ut precarentur. Efficit itaque Deus in iis ut desiderent consolationem, & quia desiderant efficit ut habeant illam consolationem, quam habebant antequam desiderarent. Sic itaque tota vita eorum nil erit nisi una eademque consolatio, eaque circuli instar in seipsam recurrens, tam ridiculo ambitu, ut præceptorum & promissionum divinarum vis atque authoritas omnis nil nisi evanida quædam umbra sit, imo res plane ludicra. Et hoc est unum ex absurdis istis, quæ ex sententia tua consequi dicebam.

*Secundum Cameronem conversio hominis nihil est nisi perpetua consolatio.*

Si Deus isto modo consolatur suos, tum prima & tota hominis conversio non erit nisi perpetua una consolatio, neque ulla alia quam ista unica consolatio dabitur, qua Deus suos principio, medio, fine conversionis consolatur, aut qua ullos homines consolari potest: Quia juxta te uno tantum isto modo Deus prohibet suos à peccando, principio, medio, fine; nempe determinando voluntatem eorum per persuasionem efficacem. At retractio à peccato est consolatio illa qua Deum nos consolari vis. Ergo. Ad hoc argumentum respondes; *Sane multùm quidem modùm, sed una tamen tot modorum efficacia Deus nos prohibet à peccando, dum nos videlicet vel stantes corroborat magìs magisque, vel vacillantes sustentat & firmat, vel retinet ac retrahit ruentes manu illa sua omnipotenti quam exerit vi quadam occulta, dum admirabili illa luce mentes nostras perfundit*, &c.

Hæc dicuntur 1. inepte. Nam stantes corroborare, vacillantes sustentare, retinere ac retrahere ruentes, non sunt modi retrahendi à peccato, sed ipsæ retractiones à peccato, sive unius ejusdemque modi distincta πολυτρόπως, pro varia subjecti ratione in quo terminantur. Unicus enim modus quo Deus à peccando suos retrahit, est omnipotens illa manus quam occulta vi quadam exeri dicis, id est interna illa & efficax persuasio. Ejus effectus est vel corroboratio ejus qui stat, vel sustentatio ejus qui vacillat, vel retractio ejus qui ruit. At hoc est illud quod concludit argumentum meum. 2. Hæc non dicuntur à te consentanee tuis principiis. Nam Deum corroborare magis magisque eum qui stat, recte à te dici non potest. Magis enim aut minus firmiter stare non potest, qui tali persuasione fultus stat ut ea stante non possit non stare. Nec potes dicere Deum sustentare & firmare vacillantes, quia impossibile est ut vacillet qui persuasione ista efficace, sive manu ista omnipotente sustinetur. Multo minus itaque dicere potes Deum ruentes retrahere ac retinere, quia si vacillare impossibile est, ubi persuasio ista viget aut semel facta est, certe multo magis impossibile est ruere. Si consequenter loqui velis, dicendum tibi simpliciter est, omnes circa quos Deus omnipotente ista manu (quam vocas) utitur, stare firmiter & perseverare necesse est: Et omnes circa quos ista manu non utitur, omnes, inquam, ruere in profundum necesse est. Non datur medium juxta te. Omnes stant & permanent summa necessitate, simulatque & quandiu Deus mentes eorum admirabili ista tua luce perfundit, nec corroborari amplius aut indigent aut possunt. Cadunt vero & ruunt præcipites omnes, quando Deus eorum mentes luce ista non illustrat, id est quando iis actu non persuadet. Persuasio enim, uti & fides, consistunt in indivisibili, & in adultis non fiunt nisi actu, uti disputatum à te est pag. 200. 201. Vacillare itaque nemo potest ex sententia tua, quia qui vacillat, dubitat; qui dubitat nec persuasus dici potest, nec non persuasus; talis neuter homo & neuter status, nusquam reperitur ex sententia tua. Deinde, juxta te, qui persuasus semel est, non potest desinere persuasus esse, quia sic ex fideli infidelis aut saltem non fidelis fieri posset. Sustentare itaque, & corroborare, unum idemque tibi sunt, quia persuasionis, uti & fidei salvificæ, forma non intenditur. Convertere primitus, & retinere ruentes, unum idemque sunt; ruere enim nemo potest nisi fiat iterum infidelis, id est nisi persuasus esse desinat. Persuasio enim passiva tibi nihil aliud est quam fides salvifica. Et hoc est quod argumentum concludit, tanquam absurdum per se palpabile. Magnifica itaque ista verba, *unde fit ut clare cernamus hinc cælum*, &c. non sunt nisi ad populum phaleræ.

Pergis: *De modis pii non sunt soliciti: De hac efficacia forent soliciti, ni illis suavissima promissio metum illum & solicitudinem adimeret.*

Utrumque falsum. De modis sunt soliciti pii, quia solicite & serio optant, precantur, & supplicant Deo ut modis novis, melioribus, clarioribus, efficacioribus eos juvare velit, pro qualitate aut quantitate tentationis in qua versantur. Sciunt enim gradus esse divinæ bonitatis & beneficentiæ, quos ad preces ipsorum augere vult atque intendere, & quibus pro ratione necessitatis suæ juvari magis possunt in officio faciendo quam si iis careant. De efficacia vero ista idcirco non sunt soliciti, quia sciunt eam pendere ab extraordinaria sola Dei voluntate, eamque non dari nisi in casu summæ necessitatis, & quia eam sibi diserte promissam non esse sciunt: tantum abest ut, sicuti tu dicis, promissio divina metum & solicitudinem illam iis adimat. Et sane loca quæ citas nihil minus quam promissionem istam probant. Nam locus *Luc.* XII. 32. *Noli timere pusille grex, quia beneplacitum Patri mei est dare vobis regnum cælorum*; diserte agit de beneplacito Dei quo gregi suo pio ac fideli qua tali, proinde in fide perseveranti, vitam æternam dare vult; non autem de beneplacito quo gregi pio ac fideli efficaciam ejusmodi conferre vult, ut non possit non grex fidelis permanere, uti ex verbis patet. Manifeste enim liquet ex textu, Christum Jesum isto in loco aliud nihil monere discipulos suos, quam ut non metuant sibi defuturum victum & amictum, quatenus & quandiu grex ipsius sunt, hoc argumento, quod Deus Pater ipsorum, pro magnitudine bonitatis suæ, jam pridem iis qua talibus decreverit dare bonum victu, amictu, adeoque omnibus mundi hujus bonis multo præstantius excellentiusque, videlicet regnum cælorum. Quasi dixisset; non est quod metuatis, ut ille vobis longe minora bona procurare non velit, quæ quidem vobis necessaria sunt, qui vobis æterna & summa dare vult. Non vult autem dare summa, nisi quatenus grex Christi per fidem estis, eique indivulse adhæretis. Dabit itaque minora multo magis, si modo eidem adhæreatis constanter. Apparet id ex versu immediate præcedente, *Quærite regnum Dei & justitiam ejus, & cætera ista omnia adjicientur vobis.* & ex sequentibus omnibus, imprimis *vers.* 35. 36. 37. 38. 39. 40. *Locus*

*Locus XII. 32.*

Locus 1 *Corinth.* X. 13. non continet promissionem efficaciæ istius tuæ; sed auxilii sufficientis ad superandum tenta- 1 *cor.* X. 13.

tentationem. Textus enim diserte habet, Deum non permissurum ut tentatio excedat vires ipsorum; sed daturum ut possint eam ferre, & ex ea evadere, liberi atque immunes à periculo cum quo illa conjuncta esse videtur. Verba ipsa clariora sunt quam ut multis ea illustrare opus sit.

*Locus 1 Joh. IV. 4.*

Locus 1 *Joh.* IV. 4. non continet promissionem ullam, nisi verbum *vicistis*, per Hebraismum pro futuro *vincetis* accipias; sed tantum affirmationem qua Apostolus fideles ex Deo natos, id est divinæ veritatis cognitione per Euangelium instructos, eique adhærentes, affirmat vicisse Antichristum, sive falsos prophetas; quia Deus qui in ipsis erat, & ex quo nati erant, id est divina & cælestis veritas, quam à Deo per Euangelium ipsius acceperant & didicerant, major, id est efficacior, potentior & excellentior erat refellendis & detegendis erroribus & mendaciis Diaboli, qui in Antichristo sive falsis illis prophetis erat, quam errores & mendacia eorum refellendæ veritati; utpote nihil habentia nisi mundana, humana argumenta, & incerta, fragilia, caduca & peritura bona quibus nitebantur & pugnabant contra veritatem. Ita & subjungit, *Ipsi ex mundo sunt, ideo mundana loquuntur, & mundus eos audit*, quasi dicat, similes habent labra lactucas. Hactenus de primo.

*Secundum Cameronem Deus nullam consolationem promittere aut dare potest piis, qua pios.*

Alterum absurdum quod ex ista tua sententia sequi dicebam, est: Quod sic Deus consolationem nullam promittere, ac proinde nec dare dici posset piis, quatenus officium suum faciunt, id est quatenus à peccando se continent; cum tamen consolatio ad pios officium suum facientes maxime pertineat, & solum pæne à Deo ad eos qua tales dirigatur. Nam si consolatio ista promitteretur & daretur talibus, jam promitteret Deus se retracturum fideles à peccato, quando eos retrahit & quia eos retrahit à peccato, sive quando & quia illi consolatione ista divina jam fruuntur per quam retrahuntur à peccato, quæ absurditas sane palpabilis est. Ad hoc argumentum meum respondes; *Non satis assequor, quid tibi velis, adeo perplexe loqueris. Nova enim subinde tentatio præteritam excipit*, &c. Dissimulas credo vim argumenti, quod per se planum & perspicuum est. Ecce illud in forma, ut videas. Si consolatio illa qua Deus suos retrahit à peccando, est ista efficax quam vocas determinatio, tum consolatio ista promitti aut dari non potest iis qui jam officium suum faciunt, id est à peccando retrahuntur qua talibus. At his potissimum qua talibus consolatio promitti & dari dicitur in sacris. Ratio majoris est; quia alioquin promitteretur & daretur à Deo efficax retractio à peccato, iis quos efficaciter retrahit à peccato, quatenus eos retrahit aut quatenus illi retrahuntur à peccato; quo quid absurdius? Augetur vero hæc absurditas, quando dicitur Deum promittere consolationem suam fidelibus si eam orent & postulent. Conditio enim si orent, præstita, medium non foret ad impetrandum promissum, sed ipsa impetratio, quia ipsum orare est ab illa consolatione à peccato retrahente, sive est ipsa illa divina consolatio; atque ita promissum foret præceptum, & contra. Unde consequitur, Nullam plane distinctionem fore inter consolationem illam qua Deus fideles officium suum sedulo facientes consolatur, & determinationem illam, qua in iis primitus fidem effici vis cum adhuc impii, profani ac rebelles sunt. Consolatio enim tibi est efficax retractio à peccato. At Deus non minus efficaciter à peccato retrahit impios, profanos & rebelles, quos ab æterno, ut vis, elegit ad fidem, quam pios. Consolatur itaque eadem consolatione impios electos qua pios, rebelles qua obedientes, infideles qua fideles. Nec potest dici Deus consolari meliore consolatione pios & conversos, si officium suum diligenter faciant, quam cæteros quos primum convertit, nec illos magis amare aut diligere quam hos, nec magis pietate & diligentia istorum affici, ut consolari eos velit, quam negligentia & rebellione horum movetur ut eos consolari nolit eadem illa consolatione. Valeant itaque dicta illa, *Quoniam tu servasti sermonem tolerantiæ meæ, ego te quoque servabo ex tempore tentationis quod venturum est in universum orbem terrarum: Apoc.* III. 10. *Si quis diligit me & sermonem meum servabit: Pater meus diliget illum, & veniemus apud eum, & apud eum habitabimus: Joh.* XIV. 23. *Qui diligit me, à diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & ἐμφανίσω αὐτῷ ἐμαυτόν: versu* 21. Sensus enim horum juxta te foret; Quem sic diligit Pater meus ut efficiat in eo dilectionem mei, eum diliget Pater meus ut efficiat in eo dilectionem istam, & ego efficiam in ipso ut me diligat, & intus appareo illi. item, *Si conversus fueris ad Dominum Deum tuum, obedieris que voci ejus per omnia, ut ego præcipio tibi hodie, tu & filii tui toto corde tuo & tota anima tua, tum reducet Dominus Deus captivitatem tuam, & miserebitur tui*, &c. *Et tum circuncidet Deus tunc cor tuum, & cor seminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum toto corde tuo, & tota anima tua, propter vitam tuam. Deuteronom.* XXX. 2. 3. 6. Denique valeant omnia illa loca quæ pietatem sub promisso liberalissimæ benedictionis nobis commendant.

*Cum ejusmodi consolatione quam fiarunt Cameronem non posse consistere hortationes cum promissione præmii & cum minatione pœnæ.*

Addideram præcedentibus hoc argumentum: Consolatio divina ista non posset conjuncta esse cum seria hortatione & monitione, directa ad eos quos Deus ita consolatur, ut ipsi officium suum faciant sedulo, ut salutem suam operentur cum timore & tremore, &c. Quis enim sapiens serio hortabitur aliquem ad officium suum faciendum sub promisso præmii & pœnæ comminatione, & simul eundem consolabitur hac consolatione, Ego ipse solus ita agam in te, ut tu non possis non officium tuum facere? Vix in hominem vanissimum cadunt hujusmodi ineptiæ. Hoc argumentum sic eludis: *Itane vero Beatus Paulus tibi homo vanissimus est? Ejus dicta ineptiæ? Nam certe* 2 Timoth. II. 25. & 1 Thes. V. 22. *ista duo simul conjungit.*

Lepide sane & acute! Quasi vero quæratur de eo an Paulus ista simul conjunxerit? Nihil minus, Camero. Quæritur an ista quæ Paulus conjunxit, isto quo à te intelliguntur sensu conjunxerit? Hoc ego nego. Itaque non Paulus, sed tu homo vanissimus mihi es, & dicta tua ineptiæ, quia ista duo eo sensu conjungere vanitatem & ineptias sapit. Quod si sic licet argumentari, Apostolus vel Spiritus sanctus ita ista conjunxit; ergo qui ista quovis modo conjungit, vanissimus censeri non potest, nisi Apostolus aut Spiritus sanctus ipse talis censeatur, absurditatum Ilias dabitur. Dicet Antropomorphita Deum habere corporeos oculos, pedes, manus, os, & cætera membra humana, & simul esse Spiritum; Deum vere ascendere & descendere, & tamen cælum & terram implere, cælum pro throno & terram pro scabello pedum habere, quia Spiritus sanctus duo illa diserte Deo tribuit. Dicet alius, Deum vere descendere ut cognoscat & videat quid rerum agant homines in terra, & tamen omnia scire, quia Spiritus sanctus simul ista duo Deo tribuit. Et quid respondebis, obsecro, si quis tibi dicat vanissimos esse Reformatos, quod panem in Eucharistia ipsissimum, verum, prout in cruce pependit Christi corpus esse negent, eo quod panis sensibiliter maneat, & panis diserte appelletur, etiam post pronunciata verba ista, *Hoc est corpus meum*, cum Christus & Apostolus duo ista simul conjunxerint? Dicet aliquis: hominem in conversione alterius nihil nisi plantare, rigare, & simul tamen determinare hominem ad fidem, quia utrumque homini tribuit Scriptura, cum ait, *Qui plantat & qui rigat nihil est*, & *Cogite illos intrare*: aliaque plura infinita. Quare si ad argumentum seriò respondere tibi libuisset, probandum tibi fuerat ista quæ locis istis continentur, eo quo à te sensu intelliguntur ab Apostolo intellecta fuisse. Nam si stricte tecum agere velim, contrarium inferam pari jure; Idcirco per actionem illam quam Deo tribuit Apostolus determinationem non intelligi, quia hortatio supponit liberum arbitrium ejus ad quem hortatio dirigitur. Sicut enim tu hortationem idcirco liberum arbitrium non supponere concludis, quia expresse ei jungitur actio divina dans resipiscere; ita ego vicissim concludam contra te, Idcirco actionem divinam non significare determinationem, quia jungitur ei hortatio. Sed non est necesse ut hoc modo te ligatum teneam. Nego ex locis citatis liquere Apostolum per actionem Dei, istam efficacem, sive invictam & omnipotentem Dei determinationem intellexisse, eamque cum hortatione conjunxisse. Neque tu illud probas, aut probare saltem niteris; sed nec potes vel in speciem.

*Locus 2 Tim. II. 25.*

Locum 2 *Timoth.* II. 25, id non habere jam ante manifestum, ut credo, fecimus. Et præter ea quæ diximus, locutio ipsa, qua utitur, rem confirmat: μήποτε δῷ αὐτοῖς ὁ Θεὸς μετάνοιαν εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας. *Μήποτε*, inquit Apostolus, si quando, vel rectius si forte, pro εἰδήποτε vel εἴποτε, quo sensu usurpata hæc particula legitur. *Luc.* III. 25, Ejus autem sensus alius esse non potest quam hic: si quando, vel si forte Deus vestro isto agendi modo utens ad convertendum homines, vel ista vestra lenitate volens dare hominibus meliorem mentem, ab hominibus impetret, ut actu ipsis det quod dare vult, id est ut illi bonam mentem recipiant. Si vero *dare* significaret efficacem hujusmodi determinationem, qualem tu ea voce notari vis, sane enervis & elumbis foret hæc locutio: 1. Vos ministri & servi Jesu Christi, sitis placidi, apti ad docendum omnes, lenes, miles, tolerantes, & docete omnes, tam reprobos quos Deus salvare & resipiscentia donare non vult, quam electos quos salvare & resipiscentia donare vult: & hoc agite ut animos eorum vobis concilietis, siquando, id est si forte unus ex iis quos docetis electus sit. 2. Si quando Deus postquam ista fecistis, occulta & admirabili vi ei det ut resipiscat, & sanitatem mentis recipiat. Quem quæso tam frigida oratio nervum aut genium habet? Miseri sane sunt Doctores isti qui luctari jubentur patienter, longanimiter, cum omnibus

hominibus, eosque iisdem argumentis suaviter, benigne movere atque afficere, cum nesciant sæpe an unus ex iis sit quem Deus salvare velit, & cum sciant ei quem Deus salvare vult, resipiscentiam non dari nisi arcana & omnipotente vi, & quidem isto tantum momento quo id decretum est. Neque accurata, seria, blanda instructione ante istam Dei actionem plus proficiat ad hoc ut homo convertatur, quam si mortuum doceas ex sepulchro exire. Miseri etiam discipuli illi, quibus doctores isti importune & intempestive sæpe molesti sunt concionibus, hortationibus suis, si ex numero eorum sunt quibus Deus resipiscentiam dare non vult.

*Locus 1 Thess. V. 23.*

Locus 1 *ad Thess.* V. 23, *Deus pacis sanctificet vos totos, & integer vester spiritus & corpus & anima inculpate in adventum Domini nostri Jesu Christi serventur*, probat quidem sanctificationem nostri non fieri sine Deo, imo Deum esse sanctificationis nostræ primam ac principem causam; sed non probat quod Deus sanctificationem nostri, eo quem tu statuis modo peragat; quod tamen τὸ principale ζητούμενον est. Contrarium non obscure colligitur 1. ex eo quod Apostolus hanc sive ἰσχὺν sive ἀφορμὴν suam extendat ad omnes eos ad quos scribit; quod signum est Apostolum optasse ut Deus à parte sua conferret istis omnibus & singulis quæ ad sanctificandum ipsos necessaria aut utilia potius erant, quæque Deum vocatis omnibus conferre velle, quoties pro eo serio precibus solicitatur, & cum res postulat, persuasissimus erat. Nam ut dicatur optasse à Deo, aut orasse Deum, ut ad sanctimoniam determinaret omnipotente sua vi omnes eos ad quos scribebat, cum nesciret an inter eos vel unus esset electus, aut si essent complures, an inter eos non essent reprobi; imo cum certus non esset an Deus eos sanctificare vellet: nec sapientiæ nec prudentiæ Apostoli videtur convenire. 2. Quia sic sanctificatio Thessalonicensium non fuisset actus ex officio aut ex præscripto præstitus ab ipsis, sed à Deo solo in ipsis productus: fuisse autem actum ex præscripto præstandum apparet ex hujus *Epist. cap.* IV. 2. 3. *Nostis quæ mandata vobis dederimus per Dominum Jesum. Nam hæc est voluntas Dei*, (id est hoc est mandatum Dei) *sanctificatio vestri.* 3. Quia juxta te optasset Apostolus, ut Deus vellet id quod sciebat Deum non posse non velle, & quod proinde non poterat non fieri. Quis autem optet ut Sol oriatur statо tempore & occidat? Sensus itaque est; ut hæc quæ moneo faciatis, Deum rogo ut auxilio suo vos juvet, & à parte sua vobis conferat quæcunque ad vos totos sanctificandos spiritu, corpore, anima, pertinere possunt; quod cum ad preces nostras facturum confido, quia fidelis est, qui suam opem nunquam desiderari patitur, modo nos admitamur & faciamus quod in nobis est: juxta illud 2 *Tim.* II. 11: *Certus est hic sermo. Nam si eum eo moriamur, cum eo vivemus; si toleramus, cum eo regnabimus; si abnegamus, & ille abnegabit nos: Si infidi sumus, ille tamen manet fidus, negare seipsum non potest.*

*Locus 1 Cor. I. 8.*

Similiter ad rem non facit locus tertius quem allegas ex 1 *Corinth.* I. 8. *Qui* (Deus) *etiam confirmabit vos usque ad finem inculpatos, in diem Domini nostri Jesu Christi. Fidelis est Deus per quem vocati estis in communionem Filii ipsius Jesu Christi Domini nostri.* Nam βεβαιῶσει quidem tribuit Apostolus Deo, sed modum βεβαιώσεως non indicat. Apparet autem per locutionē hanc præcise talem modum urgeri non posse, quia alibi eadem usurpatur cum addita conditione quæ à parte nostra à nobis præstanda & supplenda est. Vide præter istum quem ex 2 *Timot.* II. 11. statim attulimus, locum expressum *Coloss.* I. 21. 22. 23. *Christus vos reconciliavit in corpore illo carnis suæ per mortem, ut sisteret vos sanctos & irreprehensos, & inculpatos coram se, εἴγε ἐπιμένετε τῇ πίστει τεθεμελιωμένοι καὶ ἑδραῖοι, καὶ μὴ μετακινούμενοι ἀπὸ τῆς ἐλπίδος τοῦ εὐαγγελίου ὃ ἠκούσατε. Si modo*, inquit, *permanetis in fide, fundati & firmi*; quod idem est ac, Deus βεβαιώσει ὑμᾶς εἴγε ἐπιμένετε βεβαιωθέντες à parte vestra. Huic locus parallelus est qui legitur *Hebr.* III. 6. & *versu* 14. *Nos sumus domus Christi, si modo libertatem & gloriationem spei* (& ut *versu* 14. dicitur, τὴν ἀρχὴν τῆς ὑποστάσεως) *firmam tenuerimus* NB. βεβαίαν κατάσχωμεν. Et hac de causa monet nos Apostolus Petrus, 2 *Epist.* I. 10. ut studeamus βεβαίαν ὑμῶν τὴν κλῆσιν καὶ ἐκλογὴν ποιεῖσθαι. Βεβαιῶσει itaque quæ Deo tribuitur in loco citato, modum istum quem tu urges non notat.

Locus desumtus ex *cap.* III. *versu* 6. supra à nobis prolixe examinatus est.

Ex his patet Apostolum hæc duo, videlicet determinationem efficacem & hortationem promisso præmii & pœnæ comminatione sancitam simul non conjunxisse in istis quæ citasti locis. Quod si id nihilominus contendere velis, rationibus tibi pugnandum erit, non nudis locis; quia non de locis, sed de locorum sensu quæstio est. Potuissem sane ab omni probatione supersedere, & probationem à te requirere, qui istis locis duo ista simul ab Apostolo conjungi affirmas; sed malui supervacaneo studio veritati patrocinium commodare, quam jure meo utendo negligens Scripturarum allegator tecum censeri.

Pergis: *Respondeo insuper* (*quod quivis è plebe possit*) *consolationes divinas administrari per verbum comitante spiritu, seu legant fideles, seu pastorem audiant, seu repetant memoria quæ legerunt & audiverunt. Neque Spiritus sine verbo operatur, nec potest quicquam sine spiritu verbum. Verbo hortationes, promissiones, minæ proponuntur; Quod apud nos ea omnia vim habent, à Spiritu id est totum. Cur tu ista duo disjungis?*

*Deus secundum Cameronis sententiam non potest consolari per verbum.*

At quivis è plebe, cui sanum modum sinciput est, prima fronte etiam videbit hanc responsionem principium petere. Id enim est quod quæritur, An Spiritus quem verbo uti certissimum est ad nos hortandum & consolandum, simul cum verbo adeoque per verbum (uti tu hîc dicis) efficacia ista determinatrice uti possit, qua fit ut non possimus non facere quod verbo proponitur, & sub promisso præmii ac pœnæ comminatione jubetur. Deinde posito, quod principium hîc à te peti non dicatur, quivis tamen è plebe etiam posset intelligere, absurdum esse Deum administrare consolationes tales quas vocas per verbum, quo hortationes, promissiones & minæ proponuntur, uti ais. Administraret enim consolationes non consolando, sive consolaretur nos contra rerum verbo contentarum indolem ac proprietatem. Quid enim vanius quam Deum nos consolari hortando, monendo, jubendo, minando etiam, conquerendo, obtestando, & similiter? Qui consolatur, is non conqueritur de culpa, non reprehendit, non accusat, non præcipit cum comminatione, non comminatur, non promittit cum conditione. At hæc sunt illa quæ verbo continentur. Spiritum istis uti ut consoletur, aut per ista consolari, est tantundem atque Spiritum serra uti ad scindendum, & malleo ad findendum, prout pluribus supra demonstravimus. Locum vide sis. Adde his quod in Epistola est, absurdum etiam videri merito debere, quod Deus dicatur jubere ac præscribere verbo ut faciamus ipsi quod jubet, cum interim ipse per spiritum suum ea vi in nobis velit agere, ut non possimus aliud aut aliter agere quam quod jubetur. Quis enim sapiens ita jubeat aut mandet?

*Tuo igitur judicio* (inquis) *non sapit Deus, si jubet idem & dat quod jubet.*

*Quomodo Deus det id quod jubet.*

Sane; si dare dicas esse idem quod ea vi atque efficacia uti quam non potest non sequi eventus. Hujusmodi enim efficientia cum præceptionis seriæ natura consistere aut sapienter conjungi non potest. Alioquin fateor optime dici posse, Deum dare id quod jubet, quando ea dat & facit à parte sua, quæ ad præstandum id quod jubetur necessaria sunt & valde efficacia. Hoc enim dare, non excludit liberam nostram acceptionem, uti supra demonstravimus. Et hoc sensu dico Deo in Sacris tribui quod det nobis resipiscere, quod efficiat in nobis velle & perficere, quod trahat, quod convertat, quod regeneret nos, quodque nos ἀναγκάζῃ καὶ βιάσῃ ut intremus. Et sic istud Augustini, *Da Domine quod jubes, & jube quod vis, & non frustra jubebis*, sensum habere optimum lubens concedo; alioquin sale opus habet. Petere enim à Deo ut is solus faciat in nobis quod nos facere jubet, est petere à Deo ut solus faciat quod facere solus non vult, seque solum facere non velle eo ipso declarat, quia jubet sub promissione præmii & pœnæ comminatione id à nobis fieri. Sapientiæ autem divinæ repugnat ut velit aliquid fieri à nobis, idemque non fieri à nobis, sed in nobis à seipso. Sane nemo homo sapiens ita agit.

*Credo equidem* (dicis:) *nemo enim id potest præter Deum, effecturi omnes si possent.*

Inepte. Imo vero quia Deus non potest quod sapientiam ejus dedecet, idcirco id ne Deum quidem velle posse statuendum est. Alterutrum dicendum est, aut præceptionem suam cessare vult Deus quando ita operatur, aut si præceptio ejus manet integra ac seria, hujusmodi operationem cessare.

Sed inquis; *Quid, Tu ullum patrem esse putas, qui si præceptis suis, hortationibus, promissionibus, minis efficaciam posset adjungere ad filii animum promovendum, id non faceret; aut si id faceret, tu eum pronunciares insipientem? ipse tu, si res esset arbitrii tui efficere ut eam apud me vim haberet hæc tua dissertatio ut me pertraheret in sententiam tuam, nolles id præstare? aut tibi videretur hoc pacto desipere ac insanire? Qui fit sentiunt, profecto splendide insaniunt.*

Bona verba Camero! Quæro ex te vicissim; Quid? Tu patrem illum stolidum & fatuum non putares, qui si posset sola vi sua, vel potius sola clari boni propositione, filium suum virtuosum ac pium facere, hortationibus, promissionibus, minis, querelis, votis, precibus uteretur ad filii animum permovendum? Et tu ipse, si posses sententiam tuam

sola

sola clara & nuda ejus propositione filii tui animo vel meo inserere, velles ne, non dico hortationibus, objurgationibus, reprehensionibus, aliisque operosis monitionibus; quid enim stultius? sed rationibus, argumentis, syllogismis, dilemmatis, aliisque supervacaneis & molestis incitamentis uti ad eam filio tuo, mihique persuadendam? aut si id velles, an non meritò aut fatuus, aut parum filii tui meique amans censereret? Sane si ego tuo animo occulta vi sententiam meam indere, aut nuda propositione tibi eam possem imprimere, utique & ab Epistola & ab hoc ipso libro scribendo supersedere voluissem, ne desipiens & parum tui amans viderer. Quis enim sapiens faciat per plura quod potest fieri per pauciora? Vide itaque an tu ipse non splendide insanias, imprimis si porro ex te quæram, an tu ullum patrem esse putes, qui cum possit hortationibus, promissionibus & minis suis adjungere efficaciam ad filiorum suorum, licet deploratissimorum, animos permovendos, eorum plerosque tamen hortationibus, promissionibus, minis prorsus inefficacibus exstimulare velit, eosque ea de causa quod iis non pareant æternis doloribus torquere & excarnificare? Sane qui sic sentiunt, ii profecto non tantum splendide insaniunt, sed crudelitate ipsa crudeliorem animum habent.

*Sed vos eo fallitis* (inquis) *quod per indignam Christianis hominibus calumniam nobis impingitis, deliramentum ridiculum sane, sed & æque impium; Deum perinde in nobis agere atque in creaturis brutis & inanimatis. Atqui nostra sententia longe diversa est. Cum enim homo vel amore, vel odio, vel spe, vel metu incitetur ad agendum, vel ab agendo revocetur; nec amare possit vel odisse, nec sperare vel metuere rem incognitam; hinc fit ut monendo, hortando, promittendo, interminando sit excitandus. Sed quoniam ea mentis animique humani cæcitas est & pravitas, ut monitis divinis, hortationibus, promissionibus, interminationibus minime commoveatur, adhibetur vis & efficacia spiritus apud quos ei visum est, qui miseretur cujus vult.*

*Ex sententia Cameronis Deus agit in hominibus ut in rebus inanimatis aut brutis.*

Erras, Camero. nec fallimus, nec per calumniam quicquam vobis impingimus. Bona fide dicimus atque asserimus ex sententia vestratium atque hac tua sequi, Deum non aliter agere in nobis quam in creaturis brutis, imo inanimatis, trunco puta aut lapide: Non quod medium non sit aliud aut diversum quo utitur Deus in movendo homine, atque est medium quo utitur in movendo saxo aut ligno; sed quod motio medii istius qua movetur homo, non differat à motione medii qua movetur lapis. Utraque enim motio fit per efficacem ejusmodi determinationem, quam non potest non sequi eventus. In motione vero etiam qua bruta moventur, medium ipsum pæne unum idemque est. Nam quod de homine ais, eum vel amore, vel odio, vel spe, vel metu incitari ad agendum, vel ab agendo revocari, id de brutis etiam affirmari aliquomodo potest. Bruta enim amore, odio, spe, metu incitari ad agendum, vel ab agendo revocari, prolixe docet Plinius, Plutarchus, Lipsius, & quotidiana experientia. hinc ea hortationum, jussuum, mandatorum, minarum, promissionum aliquatenus capacia esse observamus. Hortationis fateris ipse tu pag. 311. equum capacem esse, juxta illud:

*Impiger ad palmæ per se eursurus honores,*
*Si tamen horteris fortius ibit equus.*

Nec major sane libertas juxta te in homine ad parendum justibus moralibus, quam in equo aut cane ad parendum justibus aliis quibuscunque, statui potest. Quod sensus in bruto, id facit persuasio interna in rationali facultate hominis. Omnia paria sunt, nisi quod ibi ratio nulla, aut ut quidam volunt obscurior, hîc clarior locum habeat. Alioquin uti brutum animal sequitur necessario judicium sensuum sive imaginationis suæ; ita homo necessario sequitur judicium arcanæ istius persuasionis. Hortationes, promissiones, minæ qua tales, non aliter concurrunt ad persuasionem istam efficiendam in homine, quam in bruto. Sensum hominis movent, at non penetrant in mentem, quia cæca est. Similiter sensum bruti movent, sed non penetrant in mentem, quia mens in eo nulla est. Sed hac de re supra actum est pluribus. Addere hîc possem ex sententia tua sequi, Deum non tantum agere in hominibus similiter atque in brutis, sed etiam multo pejus deteriusque agere, saltem cum iis quos reprobos vocas, qui multò maximam mundi partem faciunt. Nemo lupum dehortabitur ne oves dilaniet, aut pœnam ei minabitur si id faciat. Cur? Quia natura ita comparatus est ut non possit aliter agere, & quia dehortatio per se inefficax est ad lupum permovendum. At tu Deum dehortari vis reprobos à malitia & pravitate, iisque nisi ab ea desistant atrociorem pœnam minari, cum tamen iis malitia non minus sit naturalis, quam lupo cupiditas dilaniandi; & dehortatio non magis efficax sit apud eos, quam apud lupum est. Et hæc ipsa agendi ratio idcirco crudelior videri debet, quod ei salutis reprobrorum desiderium prætexatur, cum odium in causa sit.

Atqui inquis; *Quando pii vident Deum adhibere ea quibus ἐνεργεῖ, statuunt Deum serio id velle.*

Quid velle, Camero? An serio velle hortarie? At ex hortatione ipsa videre non possunt quod hortatio seria sit. Nam seria sit hortatio primum necesse est, antequam videant quod seria sit. At unde scient eam seriam esse? An vident Deum velle salutem eorum quos hortatur? Ergo quando vident Deum adhibere monitiones, hortationes, promissiones, minas ad omnes homines quos vocat, statuere debent neminem vocatorum à Deo reprobatum esse; aut si statuunt aliquos eorum reprobatos esse, statuendum ipsis est Deum serio velle salutem eorum quos reprobavit. At reprobare idem est quod serio non velle salutem eorum. Statuent ergo Deum serio velle, id quod serio non vult. Nec dicere potes, te loqui de resipiscentia hominis quam Deus serio velit. Nam reprobationem à salute, sequitur reprobatio à fide & resipiscentia, adeo ut quorum salutem Deus serio non vult, eorum resipiscentiam seriò velle non possit, ne sibi contraria aut dissentanea serio velit. Deinde perperam à te dicitur monitiones, hortationes, comminationes esse media, quibus Deus ἐνεργεῖ & velle & perficere. Hortationes enim, promissiones, comminationes, &c. juxta te non possunt concurrere in genere causæ efficientis persuasionem, nedum ἐνεργητικῆς, sed tantum in genere objecti circa quod τὸ velle & perficere versantur. vide pag. 201. libri tui. Objectum autem non efficit ipsum actum volendi; sed tantum requiritur ut actus volitionis possit exerceri. Nemo dixerit colorem aut lucem efficere vel ἐνεργεῖν visum, etiamsi sine colore & luce videndi actus non fiat.

Pergis: *Quid? tun' existimes eos non esse pios, qui dum operam dant concionatori, tacitis animi votis Deum orant ut verbo suo efficaciam adjungat?*

*Quam fallantur qui contenti orare, manum operi non admovent.*

Qui vere pii sint Deus ὁ προεγνωσμένος novit. Ego de pietate aut conscientia nullius mortalium judico. Multi pii esse possunt, qui si doctrinæ suæ genium sequerentur, impii forent; Et contra multi impii, qui si doctrinæ suæ genium sequerentur, pii forent. Id jam hîc non agitur inter nos. Tantum dico fieri non posse, ex doctrinæ aut sententiæ tuæ genio, ut qui eum rite perspicit, & pietati operam dat, credat se à Deo seriò moneri ad pietatem colendam, & salutem suam cum timore & tremore operandum; quando persuasus est, necesse esse (id enim sibi vult verbum debere quod usurpavi in Epistola, uti ex re ipsa constat) ut Deus solus totum hoc, pietatem scilicet colere, in nobis operetur vi occulta, sine nobis, & Deum id ipsum in nobis ita operari velle. Res ipsa id docet. Qui à Deo solo omnia in nobis effici credunt, & sic omnia à solo Deo expectant, fieri vix potest ut de suis partibus valde sint soliciti, aut ut sibi non lenocinentur, quando studium istud pietatis in animis suis non sentiunt, id sibi à Deo imputatum non iri; idcirco quia si Deus modo voluisset, id in ipsis effecisset ea vi, quæ effectum sortita fuisset. Utinam hæc inter cætera causa non esset, quod tam rara, aut tam languida pietas in multis nomine Christianis & reformatis conspiciatur, & quod tam multi frequenter inania vota effundant ad Deum, quicquid aliter ipsis videatur. Nimirum ita fere cum multis, alioquin minime malis, comparatum est, ut sive concionatori, sive lectioni Scripturarum operam dent, virtutis, pietatis, bonorumque operum commendatione afficiantur quidem; sed quia ista omnia per se invalida & inefficacia esse cogitant, nihil pene aliud agant, quam ut Deum orent, ut istis omnibus arcanam illam suam operationem adjungat: de cætero ut ipsi studeant, adlaborent, vigilent, vix ac ne vix quidem soliciti sint, persuasi si in eo in quo sunt statu permaneant, statum illum suum, quicunque tandem is sit, Deo placere, Deumque adeo velle ut in eo permaneant; quia si secus voluisset, preces ipsorum exaudivisset, & aliud quid in ipsis effecisset, quo ad statum illum deserendum permoti fuissent; se quippe nihil sine Deo posse, & precationem suam signum esse quod fide præditi sunt vera, quia humiliter omnia à Deo expectant, à seipsis vero nihil, quippe tantum se habere quantum à Deo accipiunt. Unde fit, ut licet affectibus studiisque, non dico parum piis, sed impiis, crudelibus, sanguinariis, pertinacibus, odiisque adeo efferis atque immanibus ob religionis causam quæ prætexitur scateant, nihilominus securi sint de fide sua, & de salute sua certissimi, solumque affectum istum pietatis, quo ferri sibi videntur, & ex quo Deum non pro auxilio, sed pro efficacia ista semper orant, etiamsi effectus alius nullus sequatur, electionis suæ signum atque argumentum esse credant omni exceptione majus. Expertus non semel & non sine dolore animi hæc scribo. Viderint Pastores & Concionatores, qui auditoribus suis hæc quotidie inculcant, & pœne aliud nihil ex suggestu agunt, quam ut hoc pacto orare illos doceant, videre-

rint, inquam, quomodo hæc Deo aliquando probaturi sint. Sanè (verbis tuis utar) *qui sic sentiunt*, & sic agunt, *jactent licet, homines ad insaniam usque* securi, *arrogantes*, & de salute sua certi, religionem puram ac reformatam, impii sunt; impii, inquam, & profani. Nec finis erit, nisi fatalem istam determinationem, quam à nobis aliisque cum bono Deo destructam esse scire possint, excutiant pectoribus suis, & dum Deum orant pro auxilio, ipsi interim etiam pietati serio, & quantum in se est, operam dent, adlaborent, advigilent, idque se divino auxilio adjutos & facere posse, & facere omnino debere, serio sibi persuadeant; & quando hoc non faciunt, id non fieri ex eo quod Deus efficaciam non adjunxerit hortationibus suis; sed quod ipsi divino auxilio, per se sufficienti & efficaci, se se subduxerint, aut operam etiam suam non adhibuerint.

*O incommodum grave & metuendum!* (inquis:) *Boni operis laudem sibi adimere, Deo tribuere, agnoscere te tibi nil debere præter peccatum & mortem, nec quicquam posse nisi peccator esse & miser, demto quatenus & quantum subvenit Deus. Profectò oportet te, qui quis es, hominem esse parum cautum, qui, jam non dico has inepti as, ut tu loqueris, sed hæc tam temeraria, & adeo à vera pietate abhorrentia animi tui cogitata tam incogitanter protuleris.*

*An homo nihil ex se habeat quam peccatum & miseriam, & quam multa ei bona tribuantur in Scriptura.*

Ita sane, Camero; incommodum grave & metuendum merito est istud, adimere sibi ipsi laudis istius quæ à Deo est, & non ab hominibus, spem & desiderium; non curare gloriationem & κένωμα istud quod ipse Dei spiritus nos habere vult in nobis ipsis, non quærere gloriam quam ipse nos quærere vult per boni operis patientiam. Nempe hoc est pectoribus piorum Dei cultorum evellere stimulum illum quem Deus ipse iis subdit, & calcar istud amabile quod iis addit, pedibus eorum exuere, quo segnius in curriculo pietatis currant: breviter, divinæ promissionis gloriam & vim omnem exinanire. Profecto oportet, Camero, te esse hominem parum cautum, qui toties tam directe Spiritui sancto contradicere amas, ut pios nullam laudem ambire posse sine periculo fastus ac superbiæ, nullam gloriationem quærere aut habere sine sui elatione, nulla laude & gloria dignos esse, sed nil nisi peccatum & mortem in se habere contendas; cum Deus ipse gloriam & laudem eos quærere jubeat, cum laudem eorum ipse ex Deo esse pronunciet, cum eos gloriationem in se ipsis habere affirmet, & eos idcirco albatos secum incessuros dicat quia digni sunt. Quasi vero pietatis sit, per humilitatis speciem homini tribuere nolle quod Deus ipsi tribuit, & Deo propter ipsius excellentiam tribuere velle, quod ipse non sibi, sed homini tribui vult. Superstitiosa humilitas operosior aut effusior esse solet quam vera, & fere sordidum ac putidum quid habet ex quo dignoscitur. Humilitas vera intra mediocritatem stat, & terminos sibi figit ex Dei ipsius voluntate. Superstitio nec habet modum, nec finem, quia vanam & vagam opinionem nostram causam sui habet: Ea autem nullibi consistit. Fieri vero non potest quin hæc enormis & putida hominis exinanitio, & magnifica (ut videtur) Dei exaltatio, Deo ipsi ingratissima sit, eam ob causam quod pietatis, quæ Deo supra alia omnia gratissima est, vim & nervum omnem incidere apta nata sit. Nempe huc tandem redibit pietatis istius vestræ summa; Tantum boni nos posse, tantum nos agere, quantum Deus ipse arcana vi in nobis efficit; neque hoc tantum, sed tum nos posse, tum nos agere, tamdiu nos posse, tamdiu nos agere, quando & quamdiu Deus in nobis agit. Itaque si fervidi, si tepidi, si frigidi simus, id omne esse ex eo quod Deus non plus, non efficacius in nobis operetur: si scortamur, pejeramus, rebellamus, in hæresin, in idololatriam, in odia mutua incidimus, id ex eo esse quod Deus non operatur in nobis ut aliter agamus, quod tentet nos ut nos nobis notos faciat, idque ipsum certissimum signum esse quod ipsi placeamus, si modo hanc fidem in mediis sceleribus nostris nobis relinquat, quod credamus nos nihil à nobis posse, sed quicquid boni in nobis est id Deum in nobis arcana vi efficere, & peccata nostra omnia nobis remissa esse, Deumque causas habere cur nos velit aliquando in ea incidere, id est nos nobis ipsis, qui nihil à nobis ipsis possumus, permittere. Hæc opinio, hæc persuasio pulsus ille esse creditur, qui cor sive voluntatem hominis affectu vitali sancti Spiritus prædituni esse in mediis sceleribus indicat, & per peccata extingui non potest. Hæc summa est pietatis quæ ex ista Dei exaltatione & putida hominis exinanitione oritur, & quæ magnæ consolationi contra desperationem servire creditur. Sed ô perversi consolatores! ô Doctores pernicios, qui subligatis miserorum vestrorum auditorum axillis tam pestilentes pulvillos, & cubitis eorum subjicitis tam noxias culcitras, quibus secure indormiant. Videte ne Deus aliquando reposcat à vobis sanguinem eorum, qui istis vestris pulvinaribus indormientes in peccatis suis obdormiunt & pereunt. Audacissimum hîc iterum me dices, Camero; sed ego quovis convitio à te mactari malo, quam ut hoc tibi tuisque à me maneat indictum. Si nihil proficio, dixi tamen, & hoc serviet tibi pro testimonio, mihi pro solatio & officii præstiti argumento.

Post hæc dixeram in Epistola, satis magnam consolationem nobis à Deo relinqui contra inconstantiam voluntatis nostræ, quando Deus nos non solum promissis suis erigit ad fiduciam, sed etiam promissa sua aut spem ex promissis ipsius conceptam in animo nostro fortius stabilit ac confirmat, variisque & commodis auxiliis suis nos contra tentationes omnes armat, ut plusquam victores evadere possimus, si modo ipsi non desimus nobis, sed sedulo faciamus quod in nobis est.

*Quas consolationes nobis suppeditet Deus contra inconstantiam voluntatis nostræ, & quales requirat Camero.*

Ad hæc tu hunc in modum excipis: *Bella verò erit hæc consolatio, quæ nos vel reddat anxios & desperabundos, si modo nobis noti simus; (proclives scilicet ad peccatum & in mortem, nisi Deus nos ope illa sua efficaci & salutari sustineat:) vel securos & stupidos, si putamus in nostra situm potestate (accedat modo communis illa Dei & generalis gratia) nosmet vel immunes à lapsu præstare, vel lapsos & jacentes sublevare. Quo nescio quid arrogantius aut stultius cogitari vel dici possit.*

Nempe nulla tibi bella consolatio est, nisi quæ nos carnaliter præstat securos, & in mediis etiam sceleribus ac flagitiis de salute certos, sive quæ istam fiduciam & persuasionem arcana vi in nobis efficit, ut credamus nobis omnia nostra peccata præsentia, præterita, futura propter satisfactionem Christi remissa esse, & quando in peccata & scelera ac flagitia, licet atrocissima, incidimus, id inde fieri, quod Deus lucem illam nobis subduxit, sine qua non possumus non in ea incidere, & quam nobis certo certius reddet, ut de ea sollicitos nos esse necesse non sit. Solicitudo enim omnis pia ac sancta de officio suo, anxietas tibi & desperatio mera est: Quo sane nescio quid arrogantius vel stultius cogitari aut dici possit. Ista vero quam ego piis reliquam manere dico consolatio, verum & unicum est alexipharmacum, tum contra securitatem istam carnalem, tum contra anxietatem & desperationem. Ut securitate carnali non labores, unica præstare potest cogitatio, quod potestatis & officii tui sit facere quod jubetur; ut ne desperes, præstare potest ac debet cogitatio divini auxilii, quod præsens & ad manum tibi semper est, contraque omnem tentationem asylum est tutissimum. Quis desperet, quis anxius sit de victoria, qui auxilii satis habet quo vincere hostem potest si velit, & plusquam satis auxilii habet ut velle possit & ut velit? Quis securus esse potest aut debet, qui auxilium quod habet sibi nullo modo profuturum credere jubetur, nisi ipse manum admoveat & faciat quantum in se est?

*Nos non tantum mortis, sed & vitæ nobis causa sumus.*

*At mortem accersere nostrum est sane, amoliri eam, vel amissam vitam reddere, id vero est unius Dei.*

Si phrasin *nostrum est*, exponas per nos quando peccamus, nos inquam soli in causa sumus quod morti obnoxii sumus, vel nos ipsi nostri mali fabri sumus per liberam nostram voluntatem, id sane verissimum est. At si *nostrum est*, idem tibi significet quod nos etiam cum jam regeniti sumus (de iis enim jam agitur) non possumus non peccare, & sic mortem in capita nostra accersere, nisi arcana & omnipotens, quam vocas, determinatio divinæ gratiæ voluntatem nostram in bonum tantum inclinet, tum supponis aut affirmas verum esse id ipsum quod quæritur, & quod à me ut falsum impugnatur. Et sane id non immerito falsum debet videri, cum directe contrarium dicat Scriptura, quando homini regenito jubet *salutem suam operari*, *Philipp.* II. *electionem & vocationem suam firmam facere*, 2 *Petr.* I. *eligere vitam non mortem*. *Deut.* XXX. 19. item quando ei tribuit quod *servet animam suam*, quod *seipsum servet & alios*, quando videlicet officium sibi præscriptum facit. Non itaque mortem tantum accersere nostrum est, sed & vitam auxilio gratiæ istius sufficientis quod accepimus à Deo, quod tu communem & generalem gratiam contemptim appellas. Videris itaque tu, an non cum dicis *ea re nihil arrogantius, nihil stultius cogitari aut dici posse*, Spiritui Dei sancto convitium feceris, cujus ista est oratio.

*Sententiam Camero nis esse verum securitatis & desperationis fontem.*

Atque hinc etiam patet, omnes istas hyperbolicas virium nostrarum deprettiones, totidem esse divinæ gratiæ qua regenitos afflat exinanitiones, & nil nisi larvatam quandam humilitatis affectationem, ut tanto securius nobis ipsis in vitiorum & peccatorum nostrorum sordibus blandiamur & palpum obtrudamus. Ipsum dogma vestrum id probat, & quod non aliunde quam à carnali & blando gratioque affectibus nostris securitatis & certitudinis de salute, etiam quando gravissime peccatur, desiderio proficiscitur; Nempe eos qui semel regeniti fuerunt, regenitos Dei filios, hæredes salutis, vera fide præditos esse ac manere, etiam cum sceleribus ac flagitiis contra conscientiam suam se fæde polluunt, axioma omni exceptione majus esse vultis. Et tamen si recte dogma introspiciatur, desperationis veræ fons ac fomes est. Nam si regeneratio non fiat nisi per istam arcanam

canam (quam vocas) perſuaſionem, fieri non poteſt ut quis certus ſit certitudine infallibili ſe regenitum eſſe, ac proinde ut de ſalute ſua certus ſit. Nam cum perſuaſio, etſi falſa, non minus ſit perſuaſio firma, quam illa quæ ab iſta efficacia proficiſcitur, ex quo indicio certus fiet regenitus, perſuaſionem illam quam habet, eſſe perſuaſionem quæ ab iſta arcana vi profecta eſt? Neceſſe ſane eſt ut certus de eo fiat, vel ex ſpeciali revelatione, vel ex perſuaſionis ipſius indole, vel ex propriis ac genuinis ejus fructibus. Ex ſpeciali revelatione regenitos de ea re certos fieri non dices, niſi enthuſiaſmum reponere nobis velis. Ex perſuaſionis ipſius indole eos certos fieri dicere non potes. Nam quæ erit indoles perſuaſionis illius ab efficacia iſta arcana ortæ, quæ diſtincta ſit ab illa quæ aliunde, vel non ab eadem oritur? Non potes dicere illam eſſe firmam & durare, hanc fluxam & perire. Nam quæram, quomodo perſuaſionem illam firmam eſſe, non hanc, ex ipſa perſuaſionis indole ſcire poſſis? Firmam eam eſſe tempus docere poteſt, non ipſa perſuaſio: nam alioquin in principio perſuaſio falſa non minus eſt firma quam iſta. Nec potes dicere ejus indolem obſervari poſſe ac debere ex verbo divino, ſi videlicet ei conveniat. Nam & ii qui ſibi perſuadent ſe divina perſuaſione perſuaſos eſſe, & tamen perſuaſionem ſuam ab iſta efficacia arcana ortam eſſe non credunt, idcirco perſuaſionem ſuam divinam eſſe ſtatuunt, quia divino verbo conformis eſt, & tamen horum perſuaſio tibi non divina, ſed falſa perſuaſio eſt. Reſtat ergo ut ex genuinis iſtius perſuaſionis fructibus eos certos fieri dicas. At qui erunt fructus iſti? An bona opera? Nec id dicere tu potes cum tuis: quia opera non poſſunt eſſe bona opera juxta te, niſi ex perſuaſione iſta quæ ab arcana iſta determinatione Dei orta eſt (quæ nihil aliud eſt quam vera fides) proficiſcantur. Certi itaque eſſe antea debent regeniti de veritate hujus perſuaſionis, quam de ipſis bonis operibus certi eſſe poſſint. Quid reſtat Camero? Aut aliud da κριτήριον, aut fatere quod res eſt, iſtam tuam ſententiam non conſolationis ſed deſperationis continuæ ſentem ac fomitem eſſe, ſi quis eam penitus introſpicere velit: Securitatis vero carnalis ſcaturiginem eſſe in animis eorum qui eam nullo præeunte accurato examine (quod plerique faciunt, quia grata admodum carni eſt & facile adlubeſcit hujuſmodi perſuaſio) ut certam atque indubiam amplectuntur. Noſtram vero quam tuemur conſolationem, eſſe veram ac divinam conſolationem, quia certiſſimum eſt tum deſperationis tum ſecuritatis carnalis remedium.

*Atqui*, (inquis) *hanc conſolationem, quæ nulla eſt prorſus, tota Scriptura damnat.*

Quod aliis crebro objicis, id tibi valde familiare vitium eſt, audaciæ ſcilicet & arrogantiæ. Hyperbolem fere & ſupercilium habet oratio tua. Scriptura tota, tota (inquam) damnat id quod tibi non probatur; & tamen Scripturæ loca vix tria aut quatuor allegas, eaque adeo negligenter & nude, ut divinandum fere ſit quomodo ea ad cauſam tuam faciant aut facere velis. Reverentius ſane & circumſpectius Sacroſanctam Scripturam allegare muneris tui fuerat. Sed age, excutiamus quæ ex ea adfers.

Locus Rom. VIII. 26.

*Ea docet* (inquis) *Deum in agone ſuis adeſſe, atque ita quidem ſuis adeſſe ut eorum gemitus, ipſius ſpiritus gemitus appellentur*: ad Roman. VIII. verſ. 26. *Similiter autem & Spiritus una ſublevat infirmitates noſtras; quid enim precemur, ut oportet, non novimus: ſed ipſe ſpiritus interpellat pro nobis ſuſpiriis inenarrabilibus.*

Conclude Camero, Scriptura docet Deum adeſſe ſuis in agone, & quidem ita adeſſe ut eorum gemitus ipſius Spiritus gemitus appellentur: ergo conſolationem illam quam tueor damnat Scriptura. Quæ ratio conſequentiæ? Ego retorqueo contra te argumentum tuum; Scriptura docet Deum adeſſe ſuis in agone, & ita quidem adeſſe ut eorum gemitus ſpiritus ipſius gemitus appellet: Ergo conſolationem meam probat Scriptura. Ratio conſequentiæ eſt; quia Scriptura cum hoc dicit, ſupponit pios gemere, idque indicat clarius cum dicit, Spiritum συναντιλαμβάνεσθαι ταῖς ἀσθενείαις ἡμῶν, id eſt *una* ſublevare infirmitates ipſorum. Qui autem una ſublevat infirmitates eorum, is pios levantes, id eſt facientes id quod per infirmitatem poſſunt, juvat. At hæc eſt conſolatio illa quam ego piis dari urgeo. Nec juvat te quod in textu dicatur ipſum ſpiritum interpellare pro piis, ſuſpiriis inenarrabilibus. Nam aliud eſt interpellare pro piis, aliud efficere in piis ut interpellent. Etſi enim lubens concedam Spiritum ſanctum efficere etiam in piis ut interpellent, tamen nulla neceſſitas aut ratio cogit, ut id Apoſtolum velle hoc loco credi debeat. Nam primò per *Spiritum* hoc loco Spiritum Dei ſanctum intelligi, ut plerique interpretes volunt, nulla neceſſitas cogit. Quid enim vetat per πνεῦμα ſimpliciter prolatum, animum fidelium Chriſtianorum ſpiritualem, id eſt vere à Spiritu Dei per Euangelium redditum pium & ſanctum intelligi? Certe vox πνεῦμα hoc ſenſu non raro accipitur in ſacris. Animo autem ſancto veluti perſonæ tribui quod ſublevit infirmitates piorum, quod interpellet pro ſanctis, nec alienum, nec novum eſt. Interpellare enim dicitur, quia vera & Deo grata pietas quæ in ipſis eſt, veluti ſequeſtra intercedit inter ipſos tanquam homines infirmitate carnis laborantes, ac proinde graviter ſub cruce gementes, & præ crucis pondere veluti extra ſe poſitos, ut neſciant ſæpe quid & quomodo precentur, & inter Deum qui pietatem illorum reſpiciens, gemitus illos non tanquam humanos tantum, ſed tanquam pios, tanquam ſanctos, tanquam ſpirituales gemitus reſpicit; proinde qui inenarrabilem apud Deum efficaciam & vim habent, quatenus ex pio iſto & ſpirituali affectu proficiſcuntur, & propter ipſius ſanctum nomen ſolius pietatis cauſa aut occaſione funduntur. Et ratio quæ in textu eſt, videtur ſenſum hunc poſtulare. *Qui vero ſcrutatur corda, novit quis ſit ſenſus ſpiritus, qui ſecundum Deum interpellat pro ſanctis.* Nam ſi per *ſpiritum* intelligas hoc loco Spiritum Dei ſanctum, ſenſus verſus huius admodum erit intricatus; Deus qui per Spiritum ſuum S. ſcrutatur corda, novit quis ſit ſenſus Spiritus ſui ſancti, id eſt precum quas ipſe per Spiritum ſuum S. effecit, quia Spiritus Dei Sanctus efficit ut Sancti interpellent ſecundum voluntatem Dei, id eſt Spiritus S. Adde quod ſi *interpellare* ſignificaret hoc loco efficere ut interpellent, tum ſane efficeret ut pii & ſancti ſciant quod precentur ut oportet. Ratio eſt, quia efficientia hæc eſt juxta te perſuaſio activa: perſuaſioni autem activæ reſpondet perſuaſio paſſiva: perſuaſio vero paſſiva, ſcientiam rei perſuaſæ vi ſua importat. At fideles hac ſcientia præditos eſſe ſub cruce negat Apoſtolus; & quia ſcientia iſta præditi non ſunt, idcirco non in ipſis, ſed pro ipſis, interpellare dicit ſpiritum ipſorum, id eſt ſanctam & piam illam conſcientiam, quæ in ipſis à Spiritu Dei per Euangelium, quod miniſterium Spiritus dicitur, effecta eſt. Quod ſi his non obſtantibus per *ſpiritum* hoc loco ſpiritum Dei S. cum interpretibus pleriſque intelligi velis, quod ſane ego negare præcisè nolim, etiamſi nulla neceſſitas id cogat; tum dico ſecundo, nullam adhuc neceſſitatem aut rationem ſolidam dari poſſe, cur verba *ſublevandi* & *interpellandi* exponi debeant de efficientia, imprimis arcana & irreſiſtibili iſta quam vocas; quaſi ſenſus ſit, Spiritus Dei ſanctus efficit in ipſis ut gemant, & efficit in ipſis ut ſuſpiria inenarrabilia fundant. Sane ipſa vox inenarrabilia, ſive ἀλαλήτοις, ſatis indicare videtur efficientiam talem intelligendam hîc non eſſe. Nam ſi iſta intelligeretur, ſequeretur ſuſpiria iſta non eſſe ἀλαλήτοις. Nam ſi efficit in piis ut norint quid precentur, ut gemant ſecundum Deum, quod neceſſe eſt à te dici, quia efficientiam hanc eſſe vis veram perſuaſionem, utique percipiunt eam pii, & norunt eam, & effari & enarrare eam poſſunt; niſi vocem ἀλαλήτους exponere velis, pro ſuſpiriis quæ ſunt inenarrabilia ante Spiritus illam ſuggeſtionem. Quomodocunque exponas, nihil aliud ex verbis textus effeceris, quam Spiritum ſanctum, id eſt vel ipſam Spiritus ſancti perſonam, vel ipſam Sanctam Dei virtutem, qua Deus aut Chriſtus Sanctos ſuos regit, juvat, aſſiſtit, mediam intercedere inter Deum & pios, & per hyperbolem metaphoricam pro ipſis quaſi ſuſpirare, ejuſque reſpectu Deum pios ſuos ſub cruce graviter gementes, & præ infirmitate carnis ac pondere crucis ſæpe adeo perturbatos, ut neſciant quid precari debeant ut oportet, nihilque pæne aliud faciant quam gemant & ſuſpirent, infirmitatibus, doloribus, cruciatibus undique circumdati & obruti; hoſce, inquam, pios cultores ſuos conſiderare non aliter quam ſi Spiritus ipſe Sanctus pro ipſis ſuſpiraret, gemituſque eorum ipſius Spiritus S. preces ac gemitus eſſent: eodem plane ſenſu quo ſæpe patris probitas apud judicem pro filio interpellare, vel authoritas principis alicujus pro fideli miniſtro regis captivo intercedere dicitur, quando is qui miniſtrum iſtum captivum habet, ſolius authoritatis regiæ reverentia motus ei benefacit, etiamſi rex nec verbo nec facto ullo intercedat. Eraſmus in Supputationibus errorum Bedæ, verba hæc „exponit hunc in modum. Spiritus interpellare dicitur, „cum hoc dat pro quo nos interpellaſſemus, ſi ſciviſſe„mus quid eſſet petendum: Et gemitibus inenarrabilibus „interpellat, cum ea largitur, quæ nobis gemitibus in„enarrabilibus erant poſtulanda, ſi per infirmitatem car„nis ſcire potuiſſemus quanta eſſent illa quæ dantur. Er„go juxta tropum homo petere dicitur, cum humano „affectu petit quod naturæ commodum eſt, & eodem af„fectu deprecatur quod naturæ eſt incommodum; Spiri-

„ tus postulare dicitur, cum ea petuntur quæ conferunt ad „ salutem. Item quoties silentibus nobis, aut perperam et„ iam petentibus, Deus subveniens infirmitati nostræ sup„ peditat ea quibus scit nobis opus esse ad salutem. Atque hæc expositio sane non incommoda, si admittatur, apparet locum hunc ad causam tuam nihil facere, saltem nihil esse quod cogat cur ex sensu tuo exponatur.

Addis: *Nec alia ratione perficitur illud Christi, Ego vitam æternam do ovibus meis, nec peribunt in æternum, neque rapiet eas quisquam de manu mea.*

*Locus Joan. X. 28.* Nulla hic est consequentia. Semper illud Christi perficitur, *Ego vitam æternam do ovibus meis, & nemo rapiet eas de manu mea*; sive ii qui oves jam sunt, & sic in manu Christi sunt, oves ipsius libera voluntate sua maneant, cum possent si modo vellent deserere Christum pastorem suum, & è manu ejus exire; sive oves maneant per efficaciam talem determinatricem quam urges. Nam subjectum enunciationis hujus semper unum idemque est, scilicet *Oves*, id est fideles Christi discipuli. His enim qua talibus Christus invito Diabolo & mundo, omnibusque hostibus eorum, qui eos omni vi extinctos, deletos & perditos cupiunt, vitam æternam dabit. Hos tales, licet in pulverem & cinerem à Diabolo redactos, suscitabit per potentiam illam quam Pater ei dedit in vivos simul ac mortuos, superque adeo omnem carnem. Quomodo autem fiat ut oves, Christi oves sint & Christi oves maneant, id ex hoc textu ne per speciem quidem elici potest. Textus enim non dicit Christum oves suas, id est, eos qui semel crediderunt in ipsum, ea vi conservare ut non possint non semper oves, id est, fideles manere. Nihil minus. Nec sequeretur si oves illæ possint desinere esse oves, aut si desinant esse oves, id est discipuli Christi, tum falsum fore quod Christus dixit, *Ego vitam æternam do ovibus meis, & nemo rapiet eas è manu mea.* Non magis sequitur id, quam si dicas; Pater scribere vult filium suum morigerum hæredem ex asse, neque quisquam eum dimovebit à proposito isto: Ergo filius morem gerens patri, non potest desinere morem gerere patri; aut quando filius morem non gerit Patri, falsum est quod Pater velit filium suum morigerum heredem ex asse scribere, aut quod pater à proposito suo discedat. Neque vero ad rem quicquam dixeris, si exceperis dictum illud Christi videri debere non perfici, si oves desinere possint, aut desinant oves esse, quia sic Diabolus eas raperet ex manu Christi. Nam per *rapere è manu Christi*, non significatur seducere ut peccent, ut Christum sponte deserant, & Christus ipse tales rejiciat; sed cum vi & violentia impedire quominus salventur, sub morte & condemnatione eos detinere, invitis ipsis, & invito Christo, sive (uti verba textus habent) facere ut pereant in æternum; uti apparet ex ratione addita, *Pater qui mihi eas dedit major omnibus est; neque quisquam potest eas eripere è manu Patris mei.* Major enim, idem hic est quod potentior ad salvandum & suscitandum eos ex morte, quam ut quisquam id valeat impedire, aut eos sub morte detinere. Neque vero Diabolus dici potest rapere oves è manu Christi, quando fideles seducit: eo ipso enim eum quod seducit, non rapit. efficit enim ut ipsi ultro ac sponte deserant Christum, ut ab ipso salvari aut pasci nolint, imo & ab ipso effugiant, & doctrinam ipsius respuant. Qui autem ultro & sponte abeunt, ii non possunt proprie dici eripi è manu alterius. Tales enim Christus conservare non vult, utpote λειποπάτρας & desertores. Fieri autem posse ut oves seducantur culpa sua, & libere aufugiant ex manu Christi, apparet ex parabola de ove perdita, *Luc.* XV. 6. ubi expresse Christus dicitur ἐυρίσκειν τὸ πρόβατον αὐτῦ τὸ ἀπολωλός; ex *Ezech.* XXXIV. per totum caput, ubi Deus expresse conqueritur de pastoribus illis qui oves ipsius non paverant, contractas non obligaverant, abjectas non reduxerant, & perditas non quæsiverant; affirmatque oves per incuriam eorum dispersas fuisse, errasse, & in direptionem ac devorationem omni bestiæ agri fuisse; ac proinde se eas requirere velle de manu ipsorum, ut ne sint ultra in rapinam & conculcationem, &c. Cui adde id quod Petrus 2 *Epist.* II. 22. ait, quod quibusdam acciderit simile quid ei quod proverbio dici solet, *Canis reversus est ad vomitum, & sus lota ad volutabrum:* aliaque similia plura loca. Hi tales tantum abest ut dici possint è manu Christi rapi, ut contra Christus ipse tales, ultro sese emancipantes, cura & protectione sua indignos pronunciet. Hinc ut ostenderet se non cupere alios quam liberos, spontaneos & voluntarios discipulos, rogabat Apostolos suos duodecim, cum plerique discipulorum eum ultro deseruissent, *Joh.* VI. 66. (ita enim textus expresse ait, ἐκ τούτε πολλοὶ ἀπῆλθον τῶ μαθητῶν αὐτῦ εἰς τὰ ὀπίσω, καὶ ἐκέτι μετ' αὐτῦ περιεπάτυν:) *Et vos, num & vos vultis abire?* quasi dicat, in vestra potestate est idem facere quod illi fecerunt; sed aliud de vobis spero & confido.

Locus *Joannis* XVII. 15. *Non rogo ut tollas eos ex mundo, sed ut serves eos à malo: Ex mundo non sunt, & ego non sum ex mundo; sanctifica eos tua veritate; sermo tuus veritas est*; nihilomagis pro sententia tua facit. Nam sive *servare à malo* significet, servare immunes à peccando, sive servare immunes à periculis quæ causa Christi incurrere possent ipso mortuo; quod valde verisimile est hîc significari; quid aliud effeceris ex his verbis, quam Deum fideles & pios Apostolos suos voluisse servare à peccando & à periculis; At nemo dubitat de eo. Quæritur de modo quo servare eos voluerit: Modum tuum ex hoc textu evince, Camero, si potes. Ego istum quem tu statuis modum servandi istis verbis non contineri unico tantum argumento demonstro; quod Christus tum nulla necessitate & frustra orasset ut Pater eos servaret. Quorsum enim orasset, imo orasset adeo serio, adeo ardenter, adeo prolixe, ut Deus efficacia ista uti vellet ad servandum fideles discipulos ipsius à peccato, quos non nisi per istam efficaciam fideles factos fuisse, & per eandem certo certius, sive precaretur sive non precaretur pro illis, semper & adsiduo servandos esse à peccato sciebat? saltem orationis hujus Jesu Christi vis atque efficacia tota elideretur, si iste servationis modus hic intelligi dicatur. Deinde hic modus juxta te est ordinarius ille modus quo Deus fideles suos servat à peccato. Itaque Christus hîc nihil aliud precatus dicetur pro Apostolis suis, quam quod Deus ordinarie minimo cuique fideli ex sententia tua concedere solet. At quis non aliam excellentiorem, magisque peculiarem aliquam servationem & sanctificationem Apostolorum, quam quæ fidelium omnium communis esse tibi creditur, hîc à Christo orari crediderit? Mihi sensus loci esse videtur hic: Non rogo ut eos mecum mori facias, aut ut eos è mundo eripias, ne morte mea offendantur, aut offensi animum despondeant, & sic Euangelii prædicationem quam à me acceperunt deserant; sed quia periculum ingens ingruit, ut eos speciali curæ & protectioni tuæ commendatos habere velis, & conservare illos ab omni periculo tutos atque immunes, quando ego eos, per mortem divulsus ab iis, servare non potero. Jam pridem enim mundana omnia negotia abdicarunt, & curæ uni prædicandi Euangelii mei sese dediderunt ad exemplum meum. Restat tantum ut à periculo ingruente per te præstentur immunes, & sic sanctificentur, id est apti & idonei conserventur ad Euangelium tuum, quo solo salutaris illa tua veritas continetur, prædicandum, & testimonium mihi perhibendum post abitum meum, per universum orbem terrarum. Tu Pater itaque sanctifica illos ut sint sanctificati in veritate tua, id est ut tanquam legati mei tuique, apti & idonei sint ad propagandum veritatem tuam salutarem. Id enim verbum sanctificandi sive Hebræum *Kiddesch*, non raro apud Hebræos significare, fidem facit, inter alios, locus *Exod.* XIX. 10. ubi Deus antequam legem daret, Mosi mandat. *Vade ad populum, & sanctifica eum hodie, & cras.* quod sane nihil aliud est quam instrue populum, ut aptus & idoneus sit antequam ad audiendum legem meam sese comparet; & patet ex textu, quia statim additur, *Laventque vestimenta sua.* *Locus Joan. XVII. 8.*

Locus *Ezech.* XXXVI. 26. 27. *Ego faciam ut ambulent in statutis meis*; ad rem non facit: quia non continet promissionem qua Deus consolatur pios suos cultores qua tales; de qua tamen hîc jam inter nos agitur; sed qua Deus populum suum rebellem & profanum, sub jugo hostium suorum gementem, tanquam illustri benevolentiæ suæ testimonio erigere studet in sui amorem & obsequium; futurum scilicet ut eos aliquando à jugo isto liberet, & in terram suam reducat, beneficiisque & benedictionibus multis cumulet, etiamsi aliter tractari meruerint, oppressores ipsorum affligat, malisque & maledictionibus omnibus vicissim visitet, ad retundendum vanam eorum de subjecto deletoque ipsius populo gloriationem. Apparet id manifeste ex textu, *versu* 21, & 32. cum ait: *Non propter vos facio, domus Israel: notum id sit vobis: sed propter nomen sanctum meum quod polluistis in gentibus ad quas venistis. pudeat ergo vos & erubescite de iniquitatibus vestris, domus Israel.* &c. Legatur totum caput, & quæ illi respondent capita *Ezech.* XI. *Jerem.* XXXII, &c. Istud autem beneficium quia præclarum admodum erat, & natura sua comparatum ad amorem & obsequium in animis populi totius excitandum & conservandum in perpetuum, hinc est quod Deus rei ipsius naturam considerans, daturum se dicit ut populus totus uno corde, uno spiritu, deserta omni rebellione & profanitate, in amorem Dei sui & legis ipsius se addicat, mandatisque & justibus ipsius cum gaudio & zelo obtemperet. Quem enim amamus, ejus voluntatem facimus libenter. Hoc ut probem, jam opus non est, quia id prolixe in examine loci hujus supra à me factum est. Et confirmatur res non parum ex eo, quod hac ipsa promissione sua Deus promittit se pactum *pactum sempiter-* *Locus Ezech. XXXVI. 26. 27.*

num

*num cum populo, quod non revertetur à tergo eorum ut beneficiat ei: Jerem.* XXXII. 40. *quod factum sit ut populus iste in terra sua habitet confidenter. & quod plantaturus eos sit in terra ista in veritate, toto corde suo, & tota anima sua: ibid. versu* 41. & toto *cap. seq. quod multiplicaturus sit frumentum ipsius, & non daturus famem ultra: Ezech.* XXXVI. 29. 30, &c. Quæ omnia si aliter quam eo quo dixi sensu intelligantur, manifestam absurditatem habere, adeoque falsa esse constat ex ipsa experientia. Sed vide quæ ad hunc locum supra à nobis dicta sunt.

Ex his locis tuis jam apparet, quo jure dixeris consolationem istam qua Deum cultores suos pios consolari dico, à Scriptura tota damnari. Ego sane gravissimam causam me habere etiamnum credo, ut dicam quæ in Epistola dixi, dictum hoc tuum parum abesse à convitio in Deum.

## CAPUT XXII.

### Diluuntur exceptiones Cameronis, quibus vindicare studuit à responsionibus nostris rationem suam, qua conatus fuerat probare voluntatis ἀδιαφορίαν tolli hortationum usum.

*An posita voluntatis ἀδιαφορία tollatur hortationum usus: & de voluntatis & intellectus tum ab anima tum à se invicem distinctione.*

IN hoc capite, novo labore aut molimine opus non est. Nihil in eo à te dicitur quod non sæpius à te dictum, & à me (ut arbitror) abunde confutatum est. Ego summa tantum capita rerum tangam, ne actum agam. Similitudo est mater fastidii. Argumentum tuum quintum quo libertatem voluntatis veram, quam ego in ἀδιαφορίᾳ sive indifferentia activa positam esse ajo, à te impugnatur, hunc in modum proposueram tuismet ipsius verbis. Si voluntas est libera (libertate quæ indifferentia activa intrinseca dicitur) nullus erit usus hortationum. Ratio: Quia cum voluntas seipsa determinet, quid faciet exhortatio quæ voluntatem non potest ab æquilibrio dimovere? Hoc argumentum sic breviter à me propositum esse, uti à te propositum fuerat, videris ægre ferre. Dissimulasse me credis, & quidem egregie, quæ à te subjecta fuerunt ad responsiones quas isti argumento opposuerat Cl. D. Tilenus, quæ talia esse affirmas ad quæ D. Tilenus ne respondere quidem potuit. Vanus es Camero, & tumes totus virium tuarum fiducia. Non putavit forte D. Tilenus ea quæ subjecisti digna nova refutatione, quod eadem semper recoquas & reponas, sed aliis tantum verbis phrasibusque. Me quod attinet, credas velim me nihil studio dissimulasse quod credidi momentum aliquod addere posse causæ tuæ. Si quid aut vidissem ipse, aut legissem à te subjectum, quod pondus aliquod majus habere credidissem quam principale istud tuum argumentum, id sane ultro & statim expendissem. Sed nihil tale deprehendi, & quicquid jam adhuc scrutor & perscrutor in iis quæ disputasti, nihil deprehendere possum quod, non dico majus, sed par istis tuis, quæ à me citata sunt, argumentis pondus habere dici mereatur. Sed nolo tecum gloriari. Lector videat disputata à te, & quæ à me responsa sunt, & judicet. Nos jam persequamur institutum nostrum.

Ut argumenti istius tui vim enervarem, ostenderam illud laborare falsa hypothesi (de qua jam ante pluribus actum est) qua statuitur, Animam non esse immediatum actionum suarum principium, sed potentias habere realiter ab ipsa & inter se distinctas, quibus singulis suæ propriæ sunt operationes: Intellectivam scilicet potentiam, quæ nihil aliud potest quam intelligere, & voluntatem quæ nihil aliud potest quam velle aut nolle. Hujus responsionis meæ vim aut non percepisti, aut egregie dissimulasti. Dissimulasse eam videri non vis. *Miror enim* (inquis) *te hominem doctum hæc tam sæpe repetere, quæ non modo ego agnosco, sed professus sum,* &c. Quare te eam non satis intellexisse certum est. Mirum vero te virum doctum rem tam facilem & planam, tamque clare toties in Epistola propositam, non intellexisse, aut non propius consideravisse. Magni sane præjudicii argumentum hoc est, ne quid gravius dicam. Eo ipso enim quod animam velis esse principium *quod*, intellectum & voluntatem principium *quo*, ostendis te non intelligere quid sit animam immediate intelligere & velle. Si enim immediate intelligit, & immediate vult, certe tum anima non minus est principium *quo*, quam principium *quod*. Et idcirco intellectus & voluntas ut principia *quibus* in anima ponuntur à Philosophis, quia animam immediate ad actus suos concurrere negant, eo quod immediate agere divina perfectio est.

*Sed esto* (*inquis*:) *Posito rem ita se habere, quid tamen id ad rem faciat ego conjectura assequi non possum. Certe etsi eadem anima & judicat quid facto opus sit, & appetit id ipsum, non continuo sic efficitur ut appetitus ille à judicio non pendeat tanquam à causa impellente.*

Sane id non efficitur, Camero; sed efficitur quod efficere volui, appetitum illum non dependere à judicio, ut potentiam plane cæcam, nihil prorsus intelligentem, neque judicii sive rationis quæ proponitur vim ac pondus percipientem; quod necesse est ut dicatur, si voluntas statuatur potentia realiter ab intellectu & anima distincta; unde deinde continuo efficitur, hortationibus, promissionibus, minis, rationibus denique apud voluntatem locum non esse, prout optime argumentum tuum infert. At quando statuitur animam immediate intelligere, immediate velle, tum vero statuitur 1. eam percipere posse hortationes, rationes, &c. & eandem perceptas istas hortationes aut rationes, vel amplecti posse vel respuere, persequi posse vel negligere. 2. Eandem quando rationes perceptas has vel illas amplectitur, aut quando hortationes sequitur, tum non ferri cæco impetu, sed pendere à rationibus tanquam à causa impellente; quando vero eas non amplectitur aut non sequitur, cum sequi & amplecti eas possit ac debeat; tum pendere eam à seipsa, sive istam volitionem tum simpliciter ab ipsa animæ potentia activa indifferente seu libera proficisci.

*Ergo* (inquis) *juxta te anima moveri potest per hortationes. Id si ita est, jam certe anima apta nata est moveri ad appetendum ab intellectu.*

Quid ni? Nihil verius certiusque. Hæc prima notio impressa animæ est, Rationem prius audiendam esse, antequam quicquam præcise ametur. At inde concludere animam non posse movere se ipsam vi sua, in objecta alia aut contraria quam quæ ratio sequenda esse dictat, est inconsequens. Nam aliud est animam rationes sequi posse, atque ex officio sequi debere, aliud animam non posse non sequi, sive actu semper sequi rationes. Anima potest rationes intelligere, expendere, conferre & sequi, quin expensas ventilatasque sequi teneatur. At tantum abest ut eas non possit non sequi, aut ut eas actu semper sequatur, ut non raro sequatur id quod ratio fugiendum esse dictat, & fugiat quod dictat sequendum esse, nulla aliquando ratione, quæ quidem potior aut melior ei videatur mota, sed pura sua voluntate libera, se applicando cui vult objecto, in quo bonitatem aliquam esse intelligit. Et hoc appello voluntatem se determinare velle; Non quasi velle determinare sit actus volitionem ipsam jam determinatam determinans, uti tu sophistice hic iterum nugaris in re seria: sed loquendi more tam in Scholis quam in vita communi pervulgatissimo, ad exprimendum liberrimæ voluntatis motum quo à se ipsa moveri, aut à se ipsa velle dicitur.

*At si actus volendi non est à judicio, tum erit vel à seipso, vel à facultate, ut à causa adæquata; A neutro esse potest.*

Imo vero ab ipsa facultate sive vi activa indifferente animæ est, tanquam à causa sufficiente completa & adæquata. Causa enim adæquata juxta meliores Philosophos est, quæ influit in effectum per virtutem, cui possint omnes ejus formalitates attribui. Talis est facultas sive potentia animæ libera aut indifferens ad agendum vel non agendum, posita sola objecti repræsentatione.

*At facultas volendi, quatenus facultas est, in utramvis partem potest tendere. Neque enim perit, seu volendi actum, seu nolendi actum exerceat; quin semper manet voluntas.*

Recte, Camero; sed ex ambiguo ludis. Virtutem enim activam indifferentem completam posse tendere in utramvis partem, non significat cum potentia ista componi simul posse operationem & non operationem: nam sic contradictoria simul componerentur: sed tantum cum potentia operativa ita posse componi actum, ut cum eadem possit componi carentia actus; quia videlicet potentia non magis respicit illum actum, quam carentiam ejus. Quando itaque potentia illa agendo seipsam determinat in unam partem, non determinat se per aliquid habens rationem actus primi, quo fiat ut ipsa in actu primo non maneat indifferens; Nihil minus; quia sic actio ista ne libera quidem actio esset; sed determinat se per actum suum secundum, qui est ipsissima libertas actualis, sive exercitium potentiæ liberæ, ut libera est. Virtus itaque ista activa completa, est adæquata causa actionis istius, & manet virtus completa activa in actu primo indifferens, etiam cum agit; quia nihil est in ea quatenus virtus activa est, quod petat operationem magis quam ejus carentiam, aut quod necessario cum actione illa nectatur. Et hoc solo differt potentia libera à necessaria. Hæc enim si constituta sit in actu primo completo agendi, non habet potentiam agendi & non agendi, sed agendi tantum; si vero non sit completa, non habet potentiam non agendi, sed impotentiam agendi. Itaque sol non potest componi cum actione obtenebrandi; potentia vero libera componi potest tam cum actu quam cum ejus carentia,

tia ; quia cum primum operatur nihil habet quo determinetur ad illam operationem , sed ipsa ita se determinat ut potuerit se non determinare ; in quo consistit libertatis essentia. Quod si argumentum tuum velis concludere, necesse est ut dicas , Nequidem voluntatem Dei , quatenus facultas indifferens est, causam fuisse adæquatam, adeoque ne quidem causam esse potuisse, quæ ipsa sese determinaverit ad creandum hunc mundum, sed eam determinatam fuisse ab ipso Dei judicio, & cum judicium qua tale liberum non sit, (libertas enim est affectio voluntatis) Deum non creasse libere hunc mundum ; quod pluribus supra demonstravimus.

*Quid possint rationes & hortationes in voluntatem.*

Pergis: *At jam tantum quæro, qui fiat ut anima hominis per hortationes apta reddatur ut se moveat atque inclinet in partem illam, pro qua rationes militant; id-ne eveniat efficientia quadam seu vi & pondere rationum. Si ita res se habet, res confecta est; ratione & judicio moventur homines ad volendum, & quidem efficienter.*

Nihil minus, Camero. Evenit id efficientia quadam seu vi & pondere rationum, sed non solo. Rationes vi sua intrinseca non determinant voluntatem ita quin voluntas eas negligere , adspernari & respuere possit. Experientia id docet. Idem pondus rationum duobus eodem modo dispositis occurret ; alter movebitur iis, alter moveri iis nolet, aut moveri iis negliget. Voluntatis liberæ motus accedat necesse est ut hortationes effectum completum sortiantur. Natura rei id postulat. Hortatio enim si vi sua intrinseca determinaret voluntatem , hortatio sive præceptio non esset , ut supra pluribus demonstravimus. Itaque hortationes , præcepta , promissiones , minæ , excitant quidem veluti acres stimuli animam ad volendum , aliter nunquam ex se volituram id quod hortationibus continetur ; & sic anima , si hortationibus istis impulsa adjungat consensum suum , hortationibus istis tanquam primæ causæ impellenti acceptam ferre debet volitionem suam. at quia hortationes istæ non habent vim movendi infinitam , & eo ipso quia sunt hortationes voluntati imperant ut ipsa se determinet , sive ut à se determinando non cesset , fieri non potest quin voluntas (auxiliis necessariis adjuta , quod semper suppono , ut ex antecedentibus liquet) etiam sui ipsius determinationem conferat ad rationes impellentes , ut quando id facit homo , ex virtute agere & præmio dignus dici possit : quando id non facit , peccare & præmio indignus , quin pœna ac supplicio dignus judicari possit

*At sic* (inquis) *anima hortatione non aliter quam oblata occasione se se ipsa promovebit ad volendum.*

Nego consequentiam. Aliud est occasio, aliud argumentum. Occasio per se nullam dicit efficientiam , ne partialem quidem. Argumentum sive sub forma hortationis , sive sub forma promissionis , sive sub forma comminationis, sive sub quacunque alia forma propositum , per se habet vim impellendi , incitandi & movendi , & eum in finem ut incitet , ut impellat, ut moveat proponitur. Efficientia enim argumenti , moralis vis quædam est , apta nata ex se ad movendum , quæ longe aliud quid est quam occasio. Quod si isto sensu vocem occasionis intelligas , tum apparet argumenti tui infirmitas. Sic enim infers :

*Si ita se res habet tantundem effecerit dehortatio quantum hortatio, & vice versa. Nam sæpenumero dehortatione tanquam per occasionem movemur ut aliorsum propendeamus, quia judicio dissentimus à dehortante.*

Hic jam occasionis vocem proprie & contradistincte ab argumento à te usurpari liquet. Nam si per dehortationes sæpenumero nos moveri dicas , tanquam per argumentum impellens & movens nos , ut aliorsum propendeamus , quia judicio dissentimus à dehortante , nulla est connexio in argumento tuo. Si enim judicio jam ante dissentimus , dehortatio non est argumentum efficiens primo in nobis judicium, sed nuda tantum occasio , quâ fit ut judicium quod jam ante plene in nobis formatum erat in lucem proferamus , & propensione in contrariam partem ostendamus. Alioquin vicissim ego sic possem concludere contra te ; Sæpenumero dehortatione tanquam occasione movemur ut aliorsum propendeamus , non quia judicio dissentimus , sed quia dissentimus affectu , ita ut dehortantem (licet optimis rationibus nixum) nolimus sequi. Ergo ne judicio quidem movemur ; quod directe contra te facit. Affectum autem non raro in causa esse , non autem judicium , testatur experientia. hinc illud ,

*Nitimur in vetitum semper , cupimusque negata.*

Et docet id Apostolus pulcherrime *Rom.* VII. uti supra demonstravimus , & Philosophus in exemplo incontinentis, qui occasione dehortationis solius non aliter quam stimulo irritatur ad libidines. Et videmus affectum istum sæpe adeo esse vehementem , ut homo , licet sciat ac persuasus sit melius esse parere dehortationi , quam non parere , imo sine damnationis periculo se dehortationem istam negligere aut contemnere non posse , quinimo licet dum peccat vehementer timeat æternam damnationem , considerans peccati istius voluptatem sive jucundam fruitionem brevi evaniturum , πρόσκαιρον τρυφὴν vocat Apostolus , *Hebr.* XI. 25 ; pœnam autem illi debitam voluptate præsenti longo futuram vehementiorem; nihilominus tamen affectui & animo suo potius quam dehortanti obsequatur. Sic videmus homines sæpe concionibus aut librorum bonorum lectionibus adeo commoveri , ut merentes , lugentesque inde redeant , & quia affectum vitio certo habent mancipatum , affectum illum , licet cum remorsu animi , retinere. Docet id nos adolescens ille dives , qui cum audivisset Christum monentem ut bona omnia relinqueret , si vellet salvari , λυπηρὸν ἀπῆλθε , imo ut Lucas ait περίλυπον. Erat enim valde dives , *Matth.* XIX. 22. *Luc.* XVIII. 23. Et hic juvenis multorum aliorum speculum est.

Quare cum dicis, *Sæpe etiam accidit ut ignari antea veritatis, atque ab ea alieni, summo animi studio, tantoque ardore eam amplexi sint, ut pro ea non dubitarint vitam profundere, & amittere charissima ; quam tamen non aliunde primitus didicerunt quam ex argumentorum vanitate & levitate quæ contra veritatem afferebantur , ne eam amare & sectari vellent.*

Agnosco id verum esse, eos tales primulum motos divinæ veritatis cognitione eo pervenisse ; sed eos cognitione ista necessario fuisse determinatos , ut aliter facere non possent , ac proinde voluntatem eorum liberam eò non accessisse , nego. Imo vero quia tales id faciendo divinæ voluntati obediebant , quia eo nomine tanquam fortes pro veritate athletæ laudantur , quia aliis ut generosiores præferuntur , quia præmium eo nomine & mercedem in cœlis à Deo recepturi dicuntur , idcirco contrarium statuendum esse asservo. Adde , non minus sæpe , si non multo sæpius accidisse, hodieque accidere , ut qui veritatem optime cognoverunt, eamque cum gaudio receperunt , & argumentorum quæ contra eam adferuntur vanitatem ac levitatem habent perspectissimam , vitam tamen suam pro ea profundere & carissima amittere recusarint , metu solo fracti victique. quos Servator noster *Matth.* XIII. 21. πρόσκαιρους appellat, & author *ad Hebr.* X. 39. δικαίους ὑποστολῆς , ex subductione , contradistincte à δικαίοις ἐκ πίστεως , vel simpliciter πίστεως : (Perperam enim Beza pronomen *qui* inseruit Latino textui. Legendum enim est , *At si* (justus) *se subducat* : ) qui crucis tempore , aut quia cum tolerantia expectare gravantur promissum præmium se ipsos ὑποστολῆς. cujus exemplum apparet in Dema, quem Apostolus *ad Philem. versu* 24. adjutorem suum appellat , & inter eos verisimiliter recenset quorum *nomina* esse dicit *in libro vitæ , ad Philipp.* IV. 3. Et tamen de eodem affirmat 2 *Timoth.* IV. 10. quod eum reliquerit , ἀγαπήσας τὸν νῦν αἰῶνα. Hoc autem signum est voluntatem non semper impelli à judicio , sed sæpe reluctari judicio , & conscientiæ quasi vim facere. Et sane nisi ita esset , nullo certe jure mortales isti quibus verum judicium deest , nulla ipsorum propria culpa, eo nomine quod judicium rectum non sequantur , tanquam rebelles divinæ voluntati accusarentur , damnarentur , punirentur.

*De motu voluntatis bruto, stulto, & tyrannico: & de insipientia theoretica & practica.*

Simile est quod sequitur. Dixeram hominem ita non moveri mente & judicio , quin pro libertate sibi innata possit se movere in contrariam partem , & quidem motu seu bruto stultoque , seu tyrannico. Explico me. Brutum motum appello , qualis est brutorum quæ sensuum & affectuum ductum sequuntur. Stultum motum appello , qualis est eorum qui sana mente aut judicio præditi non sunt. Similem ad modum moveri dico eos , qui etsi sciant quod affectus sequi malum sit , quod judicio meliori parendum sit , tamen affectibus suis obsequuntur brutorum instar , & judicio non magis parent quam si judicio recto & ratione omni sana carerent stultorum instar. Tyrannicum motum voco , non quo quis simpliciter tantum sensuum ductum sequitur , & rationi non paret ; sed quo quis ex professo & directe non vult rationes sequi , sed facere quod animo suo collubitum est. Aliud enim est non sequi judicium melius, aliud nolle sequi : hoc peccatum illo est multo gravius.

Hic tu: *Vide* (inquis) *quam hoc inconsiderate tibi exciderit. Brutum enim, stultum, & tyrannicum motum, insipientia idem motus est.*

At hæc quia tu considerate scripsisti, Camero, idcirco puto te fallere dedita opera voluisse , & ostendere mihi ista non inconsiderate excidisse , sed præmeditate scripta esse. Insipientia enim alia est speculativa, sive (ut ita loquar) physica ; alia practica sive moralis. Insipientia speculativa sive physica , est nescire quomodo recte aut sapienter agere possis aut debeas , sive id fiat quia tibi mens sana deest , sive quia occasio sciendi nec unquam fuit , nec jam est in potestate tua. Insipientia practica sive moralis , est in agendo rectam viam

viam non tenere, etiamsi eam scias aut scire facile possis, sive non agere ut sapientem decet. Hæc sequitur & supponit pravum voluntatis nostræ motum; ista antecedit. De hac tu loqueris, ego de ista. Dico enim fieri posse ut homo motu voluntatis bruto & stulto adeoque tyrannico feratur in pessimam partem contra judicium & rationem, id est etiamsi vera recti & boni scientia præditus sit, atque ita speculative insipiens non sit. Quando autem isto motu fertur, tum dico eum moraliter sive practice insipientem, stultum, fatuum merito vocari posse, eo quod sic agendo rationi rectæ non magis obedit quam stultus, qui rationem & judicium non habet. Sic ille Athenienses dicebat fatuos, quod scirent quæ recta erant, sed non facerent; & Milesios apud Aristotelem Demodocus dicebat non quidem esse stultos, sed ea agere quæ sunt stultorum. Et Apostolus eos qui cum Deum cognoverant, Deum tamen non glorificaverant ut Deum, stultos factos dicit, atque ea de causa à Deo traditos εἰς νοῦν ἀδόκιμον, ποιεῖν τὰ μὴ καθήκοντα, *Rom.* I. 23. 28.

Frustra itaque est quod subjicis: *Hic vero jam à te quæro* (inquis,) *utro putes genere motus impulsum Adamum? num bruto illo & stulto? an vero tyrannico illo?*

Utrocunque volueris, Camero: id mihi perinde est. Tuum tantum modum & motum excipe.

*At bruto & stulto motu impulsum dicere non potes: nam sic ab errore orium fuisset peccatum Adami.*

*Utro motus genere impulsus fuerit Adamus, bruto-ne & stulto, an vero tyrannico.*

Hic verò jam aperte prodis tuam insciti am, dicam, an perversitatem. Stultus enim & brutus motus mihi non est ex errore profectus, & volitionem præcedens; sed motus errantium motui similis, & à voluntate non errante profectus. Est enim motus voluntatis qui non dirigitur per scientiam & rationem, quæ in mente jam esse supponitur: breviter est motus moraliter stultus non physice, practice insipiens non speculative; id quod tu non potuisti ignorare. Adamum verò hoc stulto motu impulsum fuisse, id est Adami peccatum hujusmodi stultum motum vocari posse, quis dubitet, nisi qui eum contra conscientiam à recta via deflexisse & mandatum divinum ἑκουσίως transgressum esse negare velit; quo nihil ineptius aut absurdius esse potest.

Pergis: *Nec tyrannicus motus esse potuit; quia sic efficietur ut Adamus se sciens perdiderit, quod falsum esse Scriptura evincit, (ut supra demonstravimus.) Et, si verum foret, nullo potius argumento redargui posset illius furor & amentia.*

Imo vero tantum abest ut id falsum esse aut Scriptura evincat, aut tu demonstraveris, aut si omnino verum foret, furor & amentia videri debeat, ut veritate ipsa verius sit, Adamum voluisse obtemperare voci uxoris suæ, & voluntate directa legem Dei transgressum esse. *Non enim fuit seductus Adam, sed mulier*; uti diserte testatur Apostolus, 1 *Timoth.* II. 13. quod ipsum etiam arguit non obscure locus iste quo Apostolus se Corinthiis *metuere* ait, *ne quomodo sicut serpens ille Evam seduxit calliditate sua, ita corruptæ mentes eorum deficerent à simplicitate quæ est in Christo.* Hinc Adami peccatum τὸ παράπτωμα, ἡ παρακοή, τὸ ἁμάρτημα, &c. dicitur κατ' ἐξοχήν; & qui expressam legem violant, peccare dicuntur ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι τῆς παραβάσεως Ἀδάμ, *Rom.* V. 12. 14, &c. Neque vero amentia aut furor videri debet, si dicatur Adamum scientem, prudentem se perdidisse, id est fecisse id quod certo sciebat, aut saltem certo scire poterat ac debebat ex vi severæ comminationis divinæ, mortem & perditionem sui secuturam esse. Quid enim aliud est scientem prudentem se perdere, quam facere id quod cum perditione tua conjunctum esse scis, aut saltem scire potes ac scire debes? Neque enim ad hoc ut quis sciens se perdat requiritur ut directam intentionem habeat se perdendi, & ut sibi ipsi vana alicujus boni imaginatione non blandiatur. Nihil minus. Sufficit ad hoc ut quis sciens se perdat, ut in causa (quod dicitur) se perdat, id est ut faciat id quod causa perditionis est, & causam perditionis suæ esse scire potest ac scire debet. Neque obstat si aliud quid sibi ipsi imaginetur, atque ita seipsum fallat. Ista enim imaginatio non est innoxius error, sed noxius, quia voluntarius, id est quia voluntatem hominis causam sui habet; eo quod homo, quanquam nullam justam causam habeat aut rationem ob quam id sibi imaginetur, tamen id sibi imaginari vult, atque ita id sibi imaginando sciens prudens se perdit. Et hæc sine causa est cur Scriptura passim hominibus, postquam didicerunt modum quo vitam æternam consequi & perditionem evadere possint, in ipsistina tamen vivendi ratione quam perditio certo secutura est perseverant, aut ad eandem relabuntur, diserte tribuat quod *mori velint*, quod *maledictionem cupiant*, quod *venire nolint ut vitam æternam habeant*, quod *indignos se judicent vita æterna*, &c. ut mirum merito videri debeat amentiam & furorem appellari à te id quod tam expressis terminis pæne passim dictat Scriptura. Adamum quod attinet, Fieri sane potuit ut sibi ipsi imaginatus fuerit varia, Deum scilicet benigniorem esse quam ut tam gravi pœna eum adficere vellet, comminationem illam signi sed non beneplaciti voluntatem esse, aut per mortem intellexerit minora quædam mala mortem antecedentia, aut simile quid. Quod enim seductioni serpentis aurem præbuerit, aut Evæ uxoris suæ seductioni adsenserit, id nusquam reperitur. Sed quicquid tandem sibi ipse imaginatus fuerit Adam, sciens prudens seipsum & nos perdidisse recte dici potest, quia sciebat, aut scire saltem poterat ac debebat ex comminatione Dei diserta, se mortem & perditionem certissimam incursurum, & se sibi aliud quid imaginari non debere.

Huic non repugnat quod dicis, *motum brutum aut tyrannicum non cadere in sapientem*; nam si per *sapientem* intelligas eum qui practicè sapiens est, id est sapienter agit, & rationis rectæ dictamen quod novit, sequitur, verissimum est. At si per *sapientem* intelligas eum qui speculativè sapiens est, id est qui tantum scit quantum necessarium est ut sapienter agat; falsum est. Sapientiæ autem vocem aliquando notare prius, aliquando posterius tantum, ex sacris & profanis authoribus jam ante clarum fecimus. Primo sensu accipitur *Proverb.* IX. 10. *Principium sapientiæ timor Domini, & scientia sanctorum intelligentia.* Secundo sensu accipitur 1 *Corinth.* I. 20. 21. &c. per totum. Hinc scientia nuda, σοφία simpliciter, σοφία τοῦ κόσμου τούτου, σοφία σαρκική, σοφία ἀνθρώπων, σοφία σαρκός vocatur: 1 *Corinth.* VI. 5. *Jacob.* III. 13. Utroque sensu accipitur passim in libro Proverbiorum. Adde istis si placet locum ex *Ecclesiast. cap.* XIX. 21. qui ita legitur, *Potior est religiosus cui deficit sapientia, quam abundans sapientia*, (vel prudentia) *& qui est violator legis Altissimi.*

*Sapiens aliquis dicitur dupliciter, vel theoretice tantum, vel etiam practice.*

*Atqui nec ego certe nego, imò verò contra affirmo homines non semper sequi quod mens honestum esse suadet; quos ego idem omnium stultissimos & miserrimos prædico. ea enim faciunt quæ gravius nocitura sint, quam si quid honestum, quid turpe sit nescirent.*

*Quo sensu Camero dicat homines non semper sequi quod mens honestum esse ostendit.*

Vide jam, Camero, quam hoc tibi exciderit inconsiderate. Si credis homines non semper sequi quod mens honestum esse suadet; credis ergo mentem hominibus suadere ut honestum sequantur. At mens hominibus id non potest suadere nisi media mente; Homo enim non est capax suasionis nisi mentis interventu. Suadet ergo mens sibi ipsi id quod honestum est. At si suadet sibi ipsi, suadet jam suasa seu persuasa: At si suasa est, suadere sibi non potest, aut ut suadeat sibi necesse non est. Manifesta hic est ἀκυρολογία. Si consentanee tuis principiis loqui velis, aliter sane loquendum tibi est. Menti hominis suadetur quidem honestum, sed frustra quando illud non sequitur. Itaque juxta te, mens homini nunquam suadet quod honestum est, quando id homo non sequitur. Nam si mens homini sæpe suadet honestum, quod tamen ille non sequitur, tum sane mens homini, juxta te, suadet id quod malum est. Suadet enim contrarium ei quod persuadet. At quod persuadet id bonum est. Contrarium itaque quod suadet malum est. Suadet ergo appetere homini malum sub ratione mali, quia id quod suadet in ordine ad id quod persuadet malum & fugiendum est. Sed nolo te hac compede ligare. Esto. Verum sit id quod dicis, uti ex sententia nostra verissimum est, ad rem tamen nostram non facit. Nam statuis quidem mentem hominibus sæpe suadere quod honestum est, & simul tamen eandem mentem hominibus persuadere honestum istud fugiendum esse, atque inde fieri ut homines honestum istud non sequantur, quin & sequi non possint. At si ad rem loqui voluisses, statuendum & fatendum tibi fuerat, mentem sæpe suadere hominibus honestum cæteris omnibus bonis jucundis & utilibus præferendum esse, & tamen homines contra dictamen mentis suæ, sive contra conscientiam suam, voluntate sua ferri in id quod mens honesto postponendum & sic fugiendum esse dictat. Nam nisi hoc dicas, Camero, crudelis irrisor es miserorum istorum hominum, quando eos per convitium stultissimos vocas; & idcirco gravioribus pœnis puniendos esse asseris: (quanquam id aperte satis non efferas: Nescio enim quid illa circumspecta verba tua sibi velint, *quæ gravius nocitura sint:*) Saltem asserere videri vis, quod scientiam istam suadentem à Deo acceperint, manente in eorum mente scientia persuadente contrarium, id est quod scientiam istam acceperint quæ ad pœnæ augmentum ipsis non posset non nocere, & ad præmium nullo modo posset prodesse. Apagesis stultam ejusmodi & barbaris tyrannis dignam Theologiam.

*Ubi in intellectu est vera finis & mediorum cognitio, posse tamen voluntatem aliorsum tendere.*

*Deinde* (inquis) *non est obscurum quantopere erraverint circa finem mediaque quæ ad finem tendunt, bruti isti & stulti tyranni errarint. Nam certe finem verum non appetunt.*

Imo non modo non est obscurum quantopere erraverint circa finem mediaque; sed ne quidem est obscurum quod sæpe non erraverint, sed finem & media eo ducentia optime intellexerint, & tamen nec finem nec media prout oportet secta-

sectati fuerint. Vin' clarum locum? Vide eum qui est 2 Petri II. 18. *Nam prætumidam vanitatem loquendo inescant eos carnis cupiditatibus & lasciviis, τοὺς ὀλίγως ἀποφυγόντας τοὺς ἐν πλάνῃ ἀναστρεφομένους*, qui *vere* effugerunt istos qui in *errore* versantur. & quomodo? vide *versu* 20. *per agnitionem Domini & Servatoris Jesu Christi, per cognitionem viæ justitiæ, vers.* 21. *per notitiam sancti mandati ipsis traditi. ibid.*

*Atqui in confesso est eum agnitum non posse non appeti. Non igitur eum cognoverunt.*

Contrarium jam in terminis ab Apostolo affirmari ostendimus. Adde si placet non minus clarum locum *Gal.* IV. 9. *At nunc cum cognovissetis Deum, imo (quod magis est) cogniti sitis à Deo, quomodo convertitis vos iterum ad infirma & egena elementa, quibus iterum ad superiora regressi, servire vultis? Dies observatis & menses & tempora & annos.* En cognitionem Dei activam & passivam cum contrario appetitu, voluntate & facto conjunctam, & de eo querelam Apostoli.

*Nullus est hortationum usus, si voluntas necessario judicium intellectus sequitur.*

Post hæc retorseram argumentum tuum in te ipsum, hoc pacto: Si voluntas necessario sequitur judicium intellectus, nullus exhortationum usus relinquitur. Ratio est: Exhortatio enim nec ad intellectum, nec ad voluntatem fieri aut dirigi potest. Non ad intellectum, quia intellectûs non potest non intelligere verum clare propositum; persuasionis aut rationis solius capax est intellectus; at hortationis sive præceptionis, qua formaliter hortatio aut præceptio est, nullo modo capax est.

Hîc tu, *Ais igitur intellectum non moveri hortatione, quia intellectus non potest non intelligere verum clare propositum?* Ajo Camero. *Quorsum igitur attinet aliquem hortari ut intelligat?*

At hoc est quærere quorsum fiat id quod quæritur an fiat. Nego intellectui præcipi à sapiente ut intelligat id quod simpliciter propositum non potest non intelligere. Quid enim attinet hortari ut intelligat, quod sive horteris, sive non horteris, non potest non intelligere, si modo clare proponas? Ludibrio se propinat talis hortator.

*At non potes negare* (inquis) *sæpenumero tum in Scriptura, tum etiam in vita communi, excitari homines ad rei considerationem præceptis & hortationibus. cæterum consideratio est mentis actus.*

Hîc jam terminos mutas, Camero, ut ex ambiguo ludas sophistarum more. Considerare latius patet quam intelligere. Considerare enim vel significat rei veritatem speculari, vel mentem advertere ad rem speculandum. Prior actus, est mentis actus. Posterior est actus voluntatis. Mens enim quo ad exercitium subjacet etiam imperio voluntatis. Ad priorem actum excitari homines præceptis, tum in Scriptura, tum in vita communi, quando rei veritas ita clare proponitur & efficaciter persuadetur menti, ut mens eam non possit non speculari & cognoscere, nego. Nunquam Deus in Scriptura, nunquam sapiens in vita communi hortatur aut præcipit homini, ut intelligat aut speculetur, totum majus esse parte, unum & duo facere tria, bonum summum esse appetendum, malum summum esse fugiendum. Ad posteriorem actum excitari homines per præcepta & hortationes concedo. Vidisti ipse hanc responsionem tibi datum iri. itaque addidisti: *Quod si vero jam requiras quem habeat usum hortatio ad rei considerationem, si res ita clare proponitur ut facile percipi possit,* (Adde, si placet, ut non possit non percipi:) *in promptu est responsio.* Audiamus hanc tuam promptam responsionem.

*In hac vita vel nunquam vel raro admodum contingit ut veri cognoscendi tanto studio rapiamur, nil ut opus sit nos excitari ad animum advertendum. Et eæ mentis nostræ tenebræ sunt, ut nisi attente rem spectemus, cerni ea à nobis vix possit. Hortationibus igitur reddimur attenti & dociles*, &c.

At sic respondendo, nec consentanee principiis tuis respondes, nec ad rem. Non respondes consentanee principiis tuis: Nam immediate præcedente paragrapho, totoque adeo hoc libro tuo, id potissimum ursisti, Eos qui finem & media ad finem ducentia agnoscunt, non posse non finem & media amare atque appetere. Omnes autem qui regenerantur, regenerari per agnitionem istam finis & mediorum. Quis non videt inde contrarium inferri ei quod hic asseris, videlicet, *Nunquam vel raro admodum contingere ut veri cognoscendi studio tanto rapiamur, nil ut opus sit nos excitari ad animum advertendum?* Sic enim colligo ex priore tuo fundamento; Qui in hac vita semper, aut plerumque saltem, tanto studio veri boni rapiuntur, & tam efficaciter illuminantur ut ad verum bonum non possint non animum advertere, adeoque illud appetere atque amare, de illis sane sine contradictione affirmari non potest, quod nunquam vel raro admodum veri cognoscendi tanto studio rapiantur, nil ut opus sit eos excitari ad animum advertendum. Ratio consequentiæ est plana: Semper enim aut plerumque saltem tanto studio rapi ut non possint non rapi & animum advertere, & nunquam vel raro admodum ita rapi ut animum advertant nisi accedat hortatio, contradictoria sunt. At juxta sententiam tuam, omnes regeniti semper, aut plerumque saltem, tanto studio veri boni, non modo cognoscendi, sed cogniti, rapiuntur in hac vita, ut non possint non animum advertere, illudque appetere atque amare. Ergo. Ad rem vero etiam non respondes: Quia respondes de hortationibus quæ præcedunt intellectionem rei, & jubent animum advertere ut res intelligi possit; cum quæratur de hortationibus quæ jubent rem ipsam intelligere, aut rei intellectæ animum affixum atque applicatum tenere. Nam de hortationibus quæritur quæ concurrunt ad ipsam intellectionem sive persuasionem, non vero quæ concurrunt ad disponendum eum qui persuadendus est. Quod hinc evinco; Nam hortationes illas quæ excitant ad animum advertendum, aut vis excitare posse sine arcana tali persuasione, aut persuasione tali junctas. Si prius dicas, jam sane hortationes qua tales per se efficaces esse vis ad effectum istum producendum, & quando efficiunt ut homo animum advertat, efficere id omne ad quod diriguntur. Quomodo itaque eas per se inefficaces passim facis? Si posterius dicas, jam eadem redit difficultas, quomodo is cui tanta vi persuadetur bonum ut non possit non animum advertere, eodem ipso momento hortatione excitari opus habeat, imo sapienter possit excitari ad animum advertendum? Præter rem itaque respondisti, Camero, ut sententiæ tuæ colorem dares. Hortatione ad mentem opus non est ut veritatem intelligat, aut intellectæ veritati adhæreat, quando mens tanta efficacia intus persuadetur ut non possit non intelligere rem nude tantum propositam, & persuasæ atque intellectæ rei non possit non adhærere, tamdiu quamdiu persuasio ista durat. Durat autem juxta te semper, aut plerumque saltem, quia non cessat nisi cum Deus tentat, id est persuasionem illam subducit, quod raro fit. Concludo itaque ex sententia tua sequi, nullam esse exhortationum necessitatem, nullum usum in ordine ad intellectum, hoc pacto; Ubi nuda & clara veri boni propositio sufficit, & efficaciter adeo adhibetur ut non possit non sequi intellectio, ibi nulla est hortationis necessitas, nullus usus. Quis enim effectus formalis erit hortationis qua hortatio est, distincta à clara propositione illa quæ per arcanam illuminationem & persuasionem fieri creditur? Ex quo consequenter efficitur nullum etiam usum esse hortationum ad voluntatem. Nam cum *voluntas excitari non possit hortatione nisi mentis interventu*, (verba tua sunt) mens autem (uti jam vidimus) hortatione opus non habeat, nec voluntatem ea opus habere statuendum est.

*Discrimen inter hortationem & præceptionem.*

Ultimo loco hic noto, quod jam ante sæpe monui, liberter admodum te uti voce *hortationis* in hac materia ex tuo sensu, non autem *præceptionis*: cum ego per istam vocem aliud nihil quam præceptionem sancitam præmio & pœna hic intelligi velim. Aliud enim est hortari, aliud præcipere cum promisso & comminatione. Qui hortatur, is qua hortatur ferè excitat tantum ad animum advertendum. Qui præcipit, is non modo excitat ad animum advertendum, sed jubet proprie facere id quod præcipitur: Hic enim est scopus præceptionis qua præceptio est; Hortatio formaliter aliud quid plerumque notat. Id non obscure liquet ex disticho quod de equo citas: Eum sessor hortari & hortando excitare non incommode dicitur. At proprie seu morale aliquod opus legaliter ei præcipere sub promisso præmii & pœnæ comminatione, aut præcipiendo proprie ipsum excitare ad cursum, non nisi stulte diceretur.

*Alia ratio qua probatur Cameronis sententia tollit hortationum usum.*

Postremò tandem occurreram exceptioni quæ à te fieri poterat, hortationem per rationes fieri, & sic argumentatus fueram; Si per rationes fiat hortatio, quomodo per rationes istas movebitur voluntas, ad quam movendam hortatio præcipue dirigitur? Nam rationes istas ut ut mens possit percipere, voluntas tamen à mente distincta non percipiet, quia voluntas juxta te non judicat, non æstimat. Hinc concludebam fieri non posse ut tu ex hisce difficultatibus te expedias, nisi ea quam indicaveram via. Hanc conclusionem meam admodum ægre fers.

*Quasi vero* (inquis) *tu nobis indicaveris hanc viam. Non sumus Dei beneficio adeo mentis inopes, ut ignoremus, hominem esse eundem qui & percipit & velit, sed mente tamen alterum facit, alterum voluntate. Itaque, ut jam dixi, si quis voluntatem velit flectere, eum necesse est mentem prius aggredi*, &c.

Non libenter videri vis quicquam ignorare. Ex eorum genere credo es qui mali quam imperiti haberi malunt. Neque tamen mirum foret si indoctior aliquis te quicquam doceret quod adhuc ignoras, nec indignum quicquam faceres eruditione tua si id agnosceres. Sed ea ingenii tui fiducia est, ut istud in animum inducere non possis; hoc non velis. Interea certum est te nondum intelligere id quod jam toties monstratum tibi est, & multo antequam monstraretur

tur sciviſſe te ſignificas. Sed nec reſpondes quicquam ad argumentum principale. Nam fateris quidem hominem eſſe eundem qui intelligit & vult; ſed eum tamen alterum mente facere vis, alterum voluntate: Deinde mentem prius aggrediendam eſſe quam voluntatem: Mente capta veluti ἀκροτόλει voluntatem ſtatim capi. At ſic non reſpondes ad rem, ſed tantum dicis quid ſentias, quod opus non erat. Quæritur quomodo, ſi velis hortationes fieri per rationes additas, ſtatuere poſſis voluntatem moveri atque impelli rationibus iſtis? Rationes enim illas mens percipit quidem; at quomodo eas percipit voluntas, quæ ſecundum te non judicat, non æſtimat, utpote principium *quod*, quod diſtinctum eſt ab altero principio *quo*, Intellectu ſcilicet cujus ſolius eſt intelligere, æſtimare, judicare? Si voluntas eas non percipit, quomodo rationes iſtæ ut rationes movent voluntatem? Dices hîc ſat ſcio, neque enim potes aliter, te neſcire quomodo id fiat, ſufficere tibi ſi rem ita ſe habere experientia ipſa probet. Sane, Camero, ſi id dixiſſes in ſcripto hoc tuo, candidius egiſſes. Nunc cum nihil omnino reſpondeas, & tamen ſolide ſemper reſpondere videri velis, ſatis oſtendis ingenuam illam, ut Galenus vocat, voculam NESCIO, non poſſe tibi excidere. Atque hinc fit ut nec videas, nec videre pæne poſſis, quicquid aliter tibi perſuadeas, viam iſtam quam jam indicavi, unicam eſſe qua expedire te poſſis, & ſine qua (meo quidem judicio) nunquam te expedies ex labyrinthis quamplurimis in quibus hæres.

## CAPUT XXIII.

### Expenditur an Camero juſtis vindiciis aſſeruerit rationem ſuam, qua demonſtrare conatur tolli omnem precum uſum, niſi ſtatuatur Deum ita determinare voluntatem noſtram ut non poſſit non in partem unam ferri.

*An tollatur precum uſus ſi voluntas ſit libera; & de diſtinctione intellectus à voluntate.*

ULtimo demum loco expenderam in Epiſtola rationem tuam quam ab uſu precum deſumis. Eam autem, uti & cætera omnia quæ adfers argumenta, idcirco facile refelli poſſe dixeram, quod nitatur fundamento iſto quod jam falſum eſſe oſtenderam, quo videl. voluntas ſtatuitur potentia quædam realiter ab intellectu & ab anima diſtincta, quæ cæca prorſus & bruta ſit, ac proinde non niſi phyſicæ determinationis in unam partem capax. Hoc dictum meum ægerrime fers. Sic enim reſpondes:

*O te hominem acuti & expromti ingenii, qui refelli ita adverſarium, ut dicas tantum te id facere, cum ne id conere quidem. Nam rogo te, Quæ hæc ratio eſt? Homo unus idemque & percipit mente quod boni ſpeciem habet, & voluntate appetit; Ergo Camero non oſtendit ex eo quod gratia voluntatem dumtaxat conſtituit in æquilibrio, (quæ ſententia veſtra eſt) ſequi eſſe de quo homo glorietur, qui ſe porro promoverit ad volendum,* &c.

Nec acumine, mi Camero, nec ingenio magno opus eſt, ut oſtendam optimam rationem refellendi argumenta tua eſſe eam quam indicavi. Quivis è plebe id intelliget, ſi modo rationem meam nudam & ſophiſmatis tui involucris exutam videat. Ea hæc eſt: Statuis nos credere hominem ſive animam hominis gratia Dei donatam in mente, determinare ſeſe ſive ab æquilibrio ſuo ſe dimovere voluntate ſua in quam vult partem, ita ut non intelligat, non percipiat voluntate rationes & motionem Dei quæ in mente ejus eſt, ac proinde iis non moveatur ad determinandum ſeſe, quia voluntas cæca potentia eſt quæ nihil judicat, nihil æſtimat; judicare enim eſſe actum mentis; inde infers, ſi homo ita ſe determinat libere, ut bonum velit iſta facultate ad quam motio divina non pervenit, ſive quæ gratioſam Dei actionem non percipit, tum ſane gratiæ nullus eſt uſus, tum habet homo quod glorietur, tum non eſt neceſſe ut Deum pro auxilio precetur; hæc conſequentia ſane optima eſt. At idcirco eſt repudianda, quia hypotheſi nititur falſa, quod voluntas ſit potentia ab intellectu diſtincta, quæ rationes, ſuaſiones, hortationes non percipit, ſed ſeipſa movet quo vult in bonum aut malum. Tolle hanc, & videbis vim rationis meæ. Idem homo eadem anima percipit immediate rationes, præcepta, promiſſa, comminationes, hortationes divinas, ſine quibus non poteſt velle id quod Deo gratum eſt, & quibus poſitis adduci poteſt ut velit id quod præcipitur, ita tamen ut poſſit nolle adduci. Ergo Camero non oſtendit, ex eo quia homo adductus rationibus iſtis vult facere quod Deo gratum eſt, cum iis ſtantibus poſſet tamen nolle, ſequi eſſe de quo homo vere glorietur gloriatione proprie dicta, qua gloriari ſcilicet poſſit de iſta actione ſive volitione tanquam plane & in ſolidum ſive ex aſſe ſua. Item: homo idem, ſive eadem hominis anima percipit argumenta divina, ſine quibus non potuiſſet ex ſe ipſa ſcire aut velle quicquam eorum quæ argumentis iſtis continentur, & quibus poſitis adduci debet & adduci poteſt ut velit, ita tamen ut poſſit nolle adduci; quod Scriptura appellat ἀνθίστημι, *Act.* VII. 51. ἀπειθῶ, *cap.* VI. 10. ἀντιβαίνω paſſim: Ergo Camero non oſtendit ex eo, quod homo libere ſequatur rationes & argumenta divina, cum ea poſſet nolle ſequi, gratia opus non eſſe quæ animam hominis illuſtret. Eadem ratio eſt precum ut jam videbimus. En Camero rationem meam nudam atque apertam, tuiſque formulis loquendi exutam. Quis vel ex fæce vulgi non percipiat ejus vim, tuumque ſive ingenium ſive animum in re clara obſcuranda non averſetur?

Sed de precibus videamus. Earum uſum non tolli dixeram, etiamſi Deus voluntatem noſtram non determinet, quia per eas orantur à Deo auxilia contra pericula tentationum, occaſionum, irritamentorum, exemplorum.

*Quomodo Deus homini voluntatem flectat.*

At tu inquis: *Earum uſus nullus eſt, quibus Deum rogamus ut voluntati noſtræ inconſtantiam ſiſtat, noſque ſuo Spiritu ita corroboret, ſuſtentetque ut ne labamur, lapſoſque ita erigat ut ne lapſi jaceamus.*

Quæ ratio, Camero? Rogare enim Deum ut voluntatis noſtræ inconſtantiam ſiſtat, non neceſſario eſt rogare ut Deus ita voluntatem noſtram determinet, ut nos non poſſimus labi, aut ut lapſi non poſſimus non ſurgere; ſed ſignificare poteſt idem quod juvare nos jam paratos, jam laborantes, jam hoc agentes ne labamur, divinis ſuis inſpirationibus, auxiliis, conſiliiſque ut in propoſito iſto libenter & alacriter poſſimus perſtare; ne ſi forte accedant graviores Satanæ, carnis ac mundi aſſultus, qua ſumus infirmitate, perturbati, victi, fractique ſuccumbamus, & fulcra non ſatis multa ac magna habeamus quibus nixi poſſimus reſiſtere.

*At*, inquis, *tu tibi ipſi hic non potuiſti ſatisfacere. Objicis enim tibi ipſi*; At quomodo flectit Deus voluntatem, ſi voluntas ipſa libera ſemper manet?

At ſcire poteras, Camero, me id mihi objeciſſe, non ut animo meo ſatisfacerem, ſed ut amici mei animo ſcrupulum quem vos injicere ſoletis eximerem. Reſponſionem videre debuiſſes: ea contrarium probat. Dico enim Deum flectere voluntatem, quia à parte ſua ea ſuppeditat auxilia, quæ flectendæ voluntati noſtræ admodum conducunt, & ut eo modo nos in flectenda voluntate noſtra, id eſt in volendo nos juvet Deus, oramus.

*At debuiſſes dixiſſe* (ais) *ſi voluntatis flexio illa ipſius voluntatis opus eſt.*

Imò verò & hoc dico, Camero, & ſimul dico flexionem illam quam à Deo petimus eſſe modum flectendi, ſive auxilium quo Deus voluntatem juvat ut ſe flectere poſſit & actu flectat; Non enim quæritur de flexione, ſed de flexionis modo. Eo ipſo autem quod fideles orant Deum pro flexione, oſtendunt jam ſe habere voluntatem flexam ad reſiſtendum. Flexionem itaque divinam quam rogant à Deo, non illam ipſam voluntatem ſive flexam volitionem ſignificat; ſed auxilia nova & idonea quibus adjuti ſtare poſſint in voluntate iſta, atque ita tentationes vincere. Quis dicat Iſraëlitas orantes Deum pro auxilio contra hoſtes quos deletos cupiebant ex Dei præſcripto, impetrato auxilio ita fuiſſe adjutos ut ipſi ſuis ſive iis quas habebant viribus pugnare neceſſe non haberent, atque ita tum ſuis tum Dei viribus eos debellarent? Debellatio tamen ſive victoria à Deo impetrata, à Deo obtenta dicebatur, & vero etiam Deo tanquam principali authori debebatur, etiamſi actio aliquo modo Iſraelitarum erat. Quis dicat ſublevationem qua æger ſeipſum levare non valens, à duobus aut tribus ſublevatur, non eſſe actionem ſublevantium, etiamſi æger niſus & conatus aliquos adhibuerit ut ſe ipſe etiam levaret, & quando æger talis orat ut levare ipſum velint, idque impetrat, levationem ſui non debeat iſtis acceptam ferre, etiamſi levatio illa, ægri ipſius actio aliquomodo etiam fuerit? At tibi flexio nulla eſt, niſi quæ pura puta actio ex parte Dei eſt, & pura puta paſſio ex parte hominis, ad quam homo non concurrit niſi ut ſubjectum recipiens flexionem.

*De precibus quibus Camero vult Deum rogari ut voluntatem noſtram flectat.*

Verum quia id ita vis, Camero, libet ex te quærere, An non credas ipſum orare noſtrum eſſe voluntatis noſtræ flexionem? Nihil dubito quin id credas. Orare itaque non eſt voluntatis noſtræ opus juxta te? Eſto, inquies. Pergamus; Orantes itaque ut Deus nos flectat, an non oramus ut oremus? Sane inquies. Pergamus: Orare illud noſtrum nonne ex fide proficiſcitur, id eſt ex voluntate jam ante flexa & perſuaſa quod Deus efficere velit in nobis ut oremus & porro pii ſimus, & quidem ea efficacia ut non poſſimus non orare & pii eſſe? Sane inquies. Et oratione illa noſtra flecti Deum ut velit nos flectere? Quidni? inquies. Flexio itaque voluntatis

luntatis noſtræ qua Deus voluntatem noſtram flectit ut non poſſimus non credere & orare, eſt medium quo Deus flecti vult ut flectat voluntatem noſtram, ut oremus & pii ſimus. En flexionem admirabilem & Deo dignam! Sed videamus cur iſtud quod poſuiſti, me debuiſſe dixiſſe aſſeras.

*Nam ego certe nunquam exiſtimo voluntatem magis eſſe liberam, quam cum Deus eam firmat & roborat, incendit atque inflammat tam vehementi tamque ardenti Chriſti amore, ut cor ipſum colliqueſcere videatur.*

Ita eſt. Non exiſtimas voluntatem unquam magis liberam eſſe quam cum neceſſario, aut (ut tecum loquar) maxime neceſſario agit, ſive bene ſive male agat, id eſt voluntatem nunquam eſſe liberam, quia non poteſt aliter quam neceſſario agere. Orare itaque noſtrum eſſe liberum, quia non poſſumus non orare; & illud liberum noſtrum orare eſſe medium quo obtinemus ut libere, id eſt neceſſario ſemper oremus, & utrumque Deum efficere in nobis ut nullo prorſus modo ſit in poteſtate noſtra. Egregia orandi libertas & digna ſane quam Deus exaudiat, quam Deus ſerio præcipiat, ac tandem in futuro ſæculo tanquam opus liberrimum præmio æterno remuneretur.

*At ſi flexio voluntatis active ſumpta ipſum voluntatis opus eſt, Si Deus (ut vos exiſtimatis) ne voluntati (quæ natura ſua ita comparata eſt ut ſeſe ipſa flectat in utramvis partem) vim adferat, eam non flectit, non determinat, quorſum attinet Deum id orare?*

*Voluntas flectitur vel phyſice, vel ethice.*

Hic jam ſophiſma apparet. Flexio enim voluntatis vel phyſice accipitur, vel ethice. Phyſicè accepta ſignificat complexim flexionem voluntatis active & paſſive, id eſt flexionem qua voluntas ipſa actu flectitur. Ethice accepta ſignificat ſuppeditationem eorum omnium quę ad voluntatem flectendam valde poſſunt conducere, etiamſi actualis voluntatis flexio inde neceſſario non ſequatur. Hanc dico intelligendam eſſe quando pii in Scripturis dicuntur orare Deum ut flectat, ut inclinet voluntatem ipſorum ad legem & teſtimonia ſua. Quando vero Deus eam adhibet, & voluntas per eam flectitur, cum poſſet per eam non flecti, tum dico flexionem illam phyſice conſideratam Dei & ipſius voluntatis opus eſſe. Cauſa itaque juſtiſſima apparet cur Deus orari poſſit ut flectat voluntatem noſtram, etiamſi ipſius flexio non determinet voluntatem noſtram, ſed ea aliquomodo etiam voluntatis noſtræ opus ſit.

*Atqui annon impium eſt* (ais) *Deum id rogare quod certo ſcimus Deum nolle facere, minimeque conſentaneum eſſe aut decere ut faciat?*

*An poſſimus rogare Deum ut eam flectat irreſiſtibiliter.*

Mirum ſane eſt quod hic quæris. Nam ſi id impium eſt, Camero, cur oras tu & recte facere credis eos qui orant Deum pro omnibus hominibus, ut Deus eos convertat, & meliorem mentem iis concedat? cum dicas te certo ſcire Deum id nolle facere, imo Deum contrarium velle, videlicet maximam hominum partem non velle convertere, & eis ſanam mentem non velle dare? Impius ergo es judicio tuo proprio, Camero. Nec juvabit te ſi dicas Deum id jubere tibi. Nam ſic dicas neceſſe eſt, Deum jubere tibi ut roges id quod rogare impium eſſe dicis. Sed ego te tuo laqueo conſtringere nolo. Ad quæſtionem tuam reſpondeo 1. Nunquam dixi Deum nullo unquam tempore voluntatem noſtram determinare & flectere modo irreſiſtibili. Contrarium ex præcedentibus liquet. 2. Nunquam dixi eos qui orant ut iſto modo Deus flectat voluntatem ipſorum certos eſſe de exauditione. In caſu ſummæ neceſſitatis id fieri poſſe, imo à Deo fieri, negare non audeo. Extra caſum iſtum, dico id dependere pure pute ab extraordinaria Dei libera voluntate. 3. Nunquam dixi eos cum Deum orant ut flectat voluntatem eorum, ſecundum Dei voluntatem orare, quando nihil aliud, vel hoc ſaltem orant, ut voluntates eorum determinet, ita ut non poſſint aliter quam bene agere. Abſit. de eo conſtare deberet quod hæc ſit Dei voluntas. Ego eos ſecundum Dei voluntatem orare nullus dubito, quando ab eo dona, auxilia & ſubſidia petunt, quibus juvari poſſunt in propoſito illo ſancto in quo ſtant & ex quo orant. Hæc enim precatio gratiæ divinæ gloriam integram relinquit, & officio eorum nihil derogat.

*At ſic reſpondes* (inquis) *nos rogare Deum ut ita flectat cor noſtrum, ut tamen cor noſtrum aliorſum poſſit ſeſe flectere*, &c.

*Fideles non orare ordinarie pro flexione irreſiſtibili.*

Sane: Non quaſi objectum orationis noſtræ hoc ſit, ut cor noſtrum poſſit aliorſum ſeſe flectere; quid enim vanius? ſed quod cum oramus Deum ut cor & voluntatem noſtram flectat, inclinet, dirigat, non oremus præciſe ut Deus voluntatem noſtram determinet ut aliorſum ſeſe non poſſit flectere; ſed ut voluntatem noſtram, quæ jam beneficio ipſius flexa eſt & bonum vult, ſed contra tentationes fulciri & muniri indiget, auxiliis commodis & idoneis juvet, ut cauſas plures habeat quominus aliorſum tendere velit, aut velle debeat, atque ita contra tentationes alacrius & lubentius luctetur, & fiduciam ac ſpem robuſtiorem concipiat de iis triumphandi. Hæc autem auxilia talia eſſe ut iis poſitis poſſimus tamen aliorſum flectere voluntatem noſtram, id eſt in volendo nihilominus deficere, quominus ſcilicet vel auxiliis iſtis utamur, vel auxiliis iſtis adjuti animo efferamur, evinco ex eo quod Deus auxilia iſta conferens ad pietatem & preces noſtras, nihilominus ſerio ac ſolicite nobis præcipiat ut *vigilemus*, ut *cum timore ac tremore ſalutem noſtram operemur*, ut *conſervemus quod accepimus*, ut *in bene agendo perſeveremus*. Ita dicebat Deus Eccleſiæ Philadelphenſi, *Apocal.* III. 10. *Quoniam tu ſervaſti ſermonem tolerantiæ meæ, ego quoque ſervabo te ex tempore tentationis, quod venturum eſt in univerſum orbem terrarum, ad explorandos incolas terræ. Ecce venio cito, tene quod habes, ut nemo alius accipiat coronam tuam.* Ita Apoſtolus *Philipp.* II. 12. monet ut *cum timore & tremore ſalutem ſuam operentur; Deum enim eſſe qui* (à parte ſua) *efficit in ipſis* (quantum in ſe eſt) *ut velint & perficiant.* Cui adde quod Paulus fidelis, & Apoſtolus excellentia revelationum illuſtris, in tertium cælum raptus, ſe potuiſſe nihilominus efferri affirmat, & quod medium quo Dominus Jeſus cor ipſius flectebat ne efferretur, σκόλοψ erat infixus carni, & Angelus Satan qui colaphis eum cædebat; qui tantum abeſt ut voluntatem Pauli determinaret, ut eum carni ſuæ inhærere doleret, & ab eo liberari, ter, id eſt ſæpius Dominum rogaret. 2 *Corinth.* XII. 7. 8. Atque is ipſe interim affirmat, ſe ὑπωπιάζειν τὸ σῶμα καὶ δουλαγωγεῖν, *ne quum aliis prædicaſſet ipſe reprobus fieret*: 1 Cor. IX 27.

Denique evinco id ex omnibus iſtis locis, in quibus Propheta David orat à Deo lumen, intelligentiam, cuſtodiam, cordis perfectionem, oculorum illuſtrationem, pedum ſuorum directionem, hoc fundamento, Nam legem tuam cuſtodio, quia legis tuæ non ſum oblitus, quia mandata tua exquiro, nam eloquium tuum cuſtodio, &c. Videatur *Pſal.* CXIX. & nominatim *verſu* 35. *Deduc me per ſemitam mandatorum tuorum, quia in ea eſt beneplacitum meum. verſu* 10. *Toto corde exquiſivi te, ne errare ſinas me à mandatis tuis.* Item *verſu* 14. *In via teſtimoniorum tuorum gaviſus ſum ut in omnibus divitiis. In præceptis tuis meditabor* (id eſt meditatus ſum) *& conſideravi ſemitas tuas; in ſtatutis tuis delectabor, non obliviſcar verborum tuorum. Retribue ſervo tuo ut vivam & cuſtodiam verbum tuum. Revela oculos meos & aſpiciam mirabilia de lege tua.* Item *verſu* 30. *Viam veritatis elegi, judicia tua poſui coram me. Adhæſi teſtimoniis tuis Domine*, &c. *Doce me viam ſtatutorum tuorum*, &c. Item *verſu* 66. *Bonitatem ſenſus & ſcientiam doce me, quia præceptis tuis credidi*, &c. Vide *verſſ.* 55. 56. NB. *verſſ.* 97. 98. 99. 100. Et *verſum ult.* 176. Quæ certe arguunt Prophetam non oraſſe pro flexione illa quam determinationem voluntatis vocas; nam alioquin oraſſet determinationem hoc fundamento, quia ego jam voluntatem determinatam habeo: (Legis enim divinæ obſervatio eſt ipſius voluntatis efficax determinatio juxta te;) ſed oraſſe pro auxilio divino quo juvarentur in legis divinæ obſervatione, uti ipſe loquitur verſu 5. *Utinam firmentur viæ meæ ad cuſtodiendum ſtatuta tua*; quod auxilium non fuiſſe determinans ex Pſalmo iſto non obſcure colligitur. *Bonum eſt mihi* (inquit *verſu* 71. *quod afflictus fuerim, ut diſcam ſtatuta tua.* & *verſ.* 87. 88. *Fere conſumpſerunt me* (inimici perſequentes me) *in terra*; *ego tamen non dereliqui præcepta tua. Vivifica me & cuſtodiam teſtimonium oris mei.* Vide ſimiliter *verſſ.* 115. 116. 117. 134. *Redime me ab oppreſſione hoſtium & cuſtodiam præcepta tua. Faciem tuam fac lucere ſuper ſervum tuum, &* (ſic) *doce me ſtatuta tua.* Magna ſane claritate legem Dei intelligit, & magnam cauſam habet legi divinæ adhærendi, & mandata ejus libenter atque alacriter, quin & exacte ex præſcripto obſervandi, qui experimento ipſo diſcit verum eſſe id quod lege continetur, id eſt qui experimento diſcit ac ſentit obſervationem legis in ſua propria perſona promiſſo præmio compenſari, & ejus negligentiam ſtatuta pœna caſtigari. Quæ in aliis experimur aut obſervamus ea nos non ita afficiunt; at quæ ipſi experimur ea magnam vim habent. Ex quo facile liquet quis orationis Prophetæ ſenſus ſit, & quam ille ſit clarus ac perſpicuus; hic videlicet: Mi Deus, Lex tua promittit piis omnibus cultoribus ampliſſima præmia, victorias, fælicitatem & proſperitatem in omnibus: Ego tamen qui legis tuæ obſervantiſſimus fui hactenus, non experior hæc tua promiſſa beneficia. hinc obſcura mihi videtur lex tua, neque capio quid ea ſibi velit. Tu mihi Deus (qui noſti qua de cauſa hæc bona mihi non tribueris) da etiam mihi quæ promiſiſti tuis fidis cultoribus; Sic intelligam legem tuam, ſic illuſtrabor, ſic illuminabor, ſic capiam vim ac veritatem illius, &c. ſicut cum me non uſquequaque tibi obedientem affligebas & caſtigabas, intelligebam legem tuam ea parte veriſſimam eſſe qua tranſgreſſoribus pœnam minatur. Quare quod me in hoc argumento tuo me ipſum torquere, æſtuare, ſudare credis, in eo vehementer falleris. Sophiſmatis omnibus iſtis, quæ à te aliiſque necti video, occurre-

*Loca varia ex Pſal. CXIX. ubi David pro intelligentia quam poſtulat fundamento, affert id quod Dei legem obſervaverit.*

currere volui, ut aditus omnes obstruerem, atque ita amico meo satisfacerem. Ut in re facili laborarem aut æstuarem opus non erat.

Pergis: *Attamen prodis fluctuantem & titubantem conscientiam. Sic enim facis interrogantem amicum:* Quid si homo nolit animum advertere? *Tu vero respondes:* Imo idcirco quia precatur homo Deum ut flectere velit voluntatem ipsius, ostendit ac profitetur se paratum jam esse ad animum advertendum ad consilia & suasiones divinas. *At profecto* (inquis) *neque hac interrogatione, neque responsione tua opus est. Aliter es interrogandus. Quid si metuat sibi in futurum ab incuria & negligentia sua? Quid si sibi timeat ab infirmitatibus carnis? Deumne orabit ut velit mentem suam animumque suum ita regere ac tueri, ut sit in carnis, in mundi, in Satanæ potestate evertere miserum ac pessumdare?* &c.

Digna sane est hæc interrogatio acumine tuo, conscientiarum arbiter. Atqui ego alia interrogatione te conveniam, ut tu tibi ipsi respondeas; & intelligas rectius facturum te fuisse si interrogationem & responsionem meam expendisses, ut qua parte conscientia mihi fluctuaret ac titubaret perspicere potuissem, & suspicandi causam non dares, conscientiam tuam fluctuantem in causa fuisse cur responsionem directam declinaveris. Sic igitur interrogo: Quid si metuat sibi in futurum ut in ullum vel minimum peccatum incidat, ut legem perfecte non observet? Deumne orabit ut velit mentem suam animumque ita regere ac tueri, ut sit in carnis, in mundi, in Satanæ potestate, efficere ut subinde peccet, ut totam legem perfecte non observet? Placentne tibi hæ preces? Si non placent, orandus erit à nobis Deus, ut mentem nostram animumque ita regat ac tueatur, ut ne sit in carnis, in mundi, in Satanæ potestate efficere ut in ullum vel minimum peccatum incidant. hoc enim est, *Sanctificetur nomen tuum. Fiat voluntas tua in terra sicut in cælo.* Sic tibi placet orare Deum? At si Deus nunquam ita flectit humanam voluntatem ut illa non subinde peccet, (quæ tua est sententia) omnino non potest tibi placere ut Deus ad hunc modum sit orandus. Responde ad hanc quæstionem, Camero, & responderis ad tuam.

*Nec quidvis, nec quovis modo orandum, sed quod æquum est & officium nostrum non tollit.*

Sed directam fortasse cupis responsionem ad tuam. En eam, Camero, ne fluctuantem & titubantem mihi exprobres iterum conscientiam. Nec quidvis, nec quovis modo orandum est. Ut recte oretur Deus, non orandum est quicquid nos imaginamur nobis optimum & certissimum esse contra mala & peccata remedium. Opinio & imaginatio nostra infinita est. Animus pius, probus, & officii sui studiosus prærequiritur. *Peccatores enim non exaudit Deus; Joann.* IX. 31. Incuria itaque & negligentia officii abesse debent. *At quid si metuat sibi* (inquis) *ab incuria & negligentia sua?* Respondeo; Si incuriam & negligentiam intelligis qua actu laborat, cum debeat & possit ea non laborare, tum ingrata est Deo oratio, nec debet esse remedium istius incuriæ. Fere enim, si non frigida & tepida, certe incuriosa esse solet ejusmodi precatio. Tepidos autem evomere se velle dicit Deus ex ore suo, *Apocal.* III. 16. Si incuriam & negligentiam futuram aut possibilem potius intelligis, in quam potest homo incidere, tum sane grata est ista precatio, quia metus & solicitudo ne fias incuriosus, est cura illa quæ Deo grata est. Precatio itaque non debet servire eximendo metui isti, sed fovendo, quia remedium est contra incuriam. ut autem foveatur, auxilio sæpe opus est, non determinante, quia sic non supponeretur, non requireretur in eo qui precatur, sed tali qui fovendo & alendo sufficit aut valde conducit. Alioquin necesse non foret ut de ulla re soliciti essemus nisi de orando. Præceptum itaque unum hoc sufficeret, cætera omnia Deus solus faceret in nobis. Et verisimile est hac opinione multos decipi, & hinc plures esse qui quotidie orant, & tamen iidem semper manent qui fuerunt. Nempe nihil ipsi student, non adlaborant, non faciunt quantum in se est, non rogant auxilium à Deo; sed effectum & determinationem omnipotentem expectant. Ejus rei causa hæc sola imaginatio est, quod à Deo solo expectent, & ab eo solo dari velint id quod optimum esse sibi persuadent, puta gratiam quâ fiat ut non possint esse negligentes, non possint aliorsum flectere voluntatem quam in Deum & in virtutem. Unde deinde fieri non potest quin hæc nascatur in animis eorum cogitatio, siquando incuria & negligentia laborant, si infirmitate carnis abripiuntur ad peccata licet fœda, id ex eo esse quod à Deo non acceperint quominus negligentes essent, quominus infirmitate laborarent, cum tamen eum sæpius oraverint ut ab ea liberi essent. Equidem valde vereor multos esse, qui hac cogitatione sibi in suis vitiis & peccatis lenocinantur & palpum obtrudunt. Si scortentur, si iracundi sint, si rerum suarum negligentes, si tetrici, & maledici, si rebelles, &c. Non determinavit me Deus, non flexit voluntatem meam ut aliter agerem, Non possum mutare ingenium, non plus accipi à Deo, Deus induxit me in tentationem, etiamsi oraverim eum quotidie, Ne inducas me in tentationem. Quid faciam? Spero Deum aliquando id mihi daturum, &c. Et hæc dum sperant, dum orant, dum expectant à Deo, antiquum semper obtinent, similes illi de quo Lyricus cecinit:

*Rusticus expectat dum defluat amnis; at ille*
*Labitur, & labetur in omne volubilis ævum.*

Concludo itaque, preces servire non debere nobis ut iis remedium à Deo petamus quod nos nobis imaginamur optimum esse contra incuriam; sed quod æquum est & sufficit, officiique nostri partes non tollit. Animum pium, & partium suarum cultorem, requiri in eo cujus preces gratæ sunt futuræ; ubi ille supponitur, & auxilium divinum contra incuriam & infirmitatem, quæ ex tentatione aliqua oriri posset petitur atque impetratur, ibi fieri non posse ut homo evertatur: non quia istud auxilium determinat voluntatem, sed quia voluntas auxilio isto adjuta non potest non sortiri effectum; juxta id quod tu ipse asseris, pag. 240. *Quod si velimus idem & possimus, fieri nulla ratione potest ut nobis temperemus ab agendo. Si enim nobis temperemus, vel ab impotentia vel à voluntate id profectum est.* Idem hîc locum habet.

Elucidandæ amplius rei huic (quod tu appellas *inquietare*) objeceram mihi: Atqui etiamsi is qui Deum orat pro auxilio, voluntatem jam habet promptam ac paratam ad sequenda jussa divina, tamen quia voluntas ista libera est semper potest aliter agere. Et responderam; Imo vero quia aliter semper potest agere, id est quia semper potest voluntatem suam mutare sua sponte, idcirco orat Deum ut habeat per quod retineatur in officio, ut causam voluntatem suam mutandi non habeat.

Hic tu iterum ut antea: *Neque tu sic eras interrogandus, nec tuæ convenit causæ ut sic respondeas. Nam ego tibi lubens concessero posse nos semper aliter agere, alioquin quorsum attineret Deum orare? sed quum Deus adesit, quam supponit manum, nego nos labi posse.*

*Posse aut non posse nos absquid, intelligendum est cum requisitis circumstantiis.*

Præstigiæ hic sunt meræ, ô bone interrogator! Phrasibus tanquam tesseris ludis & oculos fascinas. Posse, non posse agere, tibi nil nisi nudæ voces & notiones sunt. Quicquid agimus, id non possumus non agere juxta te. Quicquid non agimus, id non possumus agere. Aliter itaque posse agere, tibi aliud nihil est, quam nos aliter posse agi à Deo quam agimur, & quando id fit tum nos aliter agere. Ita quando stamus, id est bene agimus, nos cadere & sic aliter id est male agere posse concedis, quia Deus potest lucem suam sive manum omnipotentem nobis subducere, unde fiat ut cadamus & male agamus. At quando id fit, tum non possumus non cadere & male agere. Lapsos sive male agentes aliter posse agere dices, quia Deus manum iterum potest subjicere. At quando id fit, tum non possumus non stare, & iterum bene agere, nisi Deus manum iterum subducat. Hoc sensu quicquid in rerum natura est semper aliter posse agere dici poterit. Gravia possunt ascendere, levia descendere, Sol ab ortu in occasum, & contra ab occasu in ortum potest moveri, si Deus modo velit. Et ut in exemplo hominis maneam, Qui manus pedesque adamantinis vinculis & catenis ligatos habet quatenus talis, adhuc potest currere; Qui in carcere Cymmeriis tenebris obscuriore conclusus tenetur, potest videre, legere, scribere: quia vincula & tenebræ amoveri possunt & utrerque potentiam agendi semper habet & retinet, ille currendi, hic videndi & legendi, & potentiam illam in actum exerendi, si modo absint illi vincula, huic tenebræ. Quis non videt ludi in vocibus istis hac ratione? Nam ut aliquis dicatur vere posse non agere, sive potens esse aliter agere, non sufficit quod possit aliter agere, si talis aut talis circumstantia absit aut adsit; sed requiritur ut nulla ei adsit aut absit circumstantia, cum qua non possit consistere ipsum non agere, aut saltem ut habeat in sua potestate omnem talem circumstantiam prout libuerit tollere. Ita, ut quis dicatur posse videre & legere, & posse non videre & non legere, non est satis ut dicatur habere potentiam visivam bene constitutam, si interim in loco adeo tenebroso concluso detineatur ubi ne apicem quidem videre potest aut legere. Et barbarus sane ac crudelis foret is, qui tali homini non legenti vel irrogaret vel minaretur supplicium, hoc argumento quod cum possit legere tamen legere nolit aut non legat. Eodem modo se habet tuum istud posse agere aliter. Quando non possumus non bene agere, ex eo quia Deus menti nostræ lucem persuasivam indidit; possumus tamen aliter agere, si videlicet Deus lucem illam menti nostræ subtrahat. Quando non possumus non male agere, ex eo quia Deus lucem illam persuasivam menti nostræ subtrahit aut negat; possumus tamen bene agere, si videlicet Deus lucem illam nobis concedat aut reddat. Breviter Deus facere potest ut uno

modo neceſſario agamus, & quando vult Deus, idem facere poteſt ut alio modo iterum neceſſario agamus, ſive ut non poſſimus non agere alio modo. Bella potentia aliter agendi. Sed videamus quam huic fundamento interrogationem ſuperſtruas.

*Sic igitur eras interrogandus, An etiam ſuſtentante Deo poteſt homo labi? ſi non poteſt, voluntatem Deus neceſſario determinarit.*

*An etiam Deo ſuſtentante labi poſſint fideles: & ipſis non deeſſe quibus in officio contineantur.*

At tu quam ſit ambigua & ineptia hæc tua interrogatio, vide. Suſtentatio hæc divina, vel ſupponit voluntatem hominis, ita ut ad eam quia infirmior eſt homo quam ut ſolus ſe ſuſtineat, concurrat, & ſic eam juvet; vel præcedit eam, ita ut ſuſtentare idem ſit quod efficere vi ſua ſola ut voluntas hominis velit, & ſic ſtet, alioquin aliter volitura. Si primo modo ſuſtentationem divinam intelligas, eaque poſita hominem non poſſe labi dicas, nihil prorſus egeris. Non enim quæritur, an quando homo ipſe actu vult, & volentem Deus actu ſuſtentat, poſſit eodem inſtanti actu non velle. Quis enim id quærat? Nec ſequitur, ſi homo in iſto inſtanti non poteſt aliter velle, idcirco per iſtam ſuſtentationem Dei voluntatem ipſius determinari, quia voluntas ipſa hominis præcedit iſtam ſuſtentationem, aut potius una cum ea concurrit. Si ſecundo modo ſuſtentationem divinam intelligas, jam voce iſta metaphorica abuteris, & quod quæris vanitſimum eſt. Quis enim ita quærat, An cum Deus hominem ita determinat ſola vi ſua, ſive, an cum Deus in homine ſolus efficit volitionem, ita ut homo non poſſit aliter velle quam prout determinatur, nihilominus tamen homo ſtante iſta divina determinatione poſſit aliter velle? Ita tu interrogator ſubtilis & metaphoricus, dum interrogationem propriam corrigis & reſpuis, nec reſpondes, nec interrogas, ut intelligi poſſis.

Pergis: *Tuæ vero cauſæ adverſiſſima ſane eſt reſponſio tua. Nam reſpondes, hominem ideirco orare Deum, ut habeat per quod retineatur in officio. At hoc quid aliud eſt quam Deum orare ut voluntas determinetur?*

Longe diverſa ſunt, habere id quo retinearis in officio, & habere id quo non potes non retineri in officio. Qui habet auxilium Dei, id eſt non externum tantum Dei verbum, quo promiſſa & minæ Dei continentur; quod ſane alioquin ſufficiens eſt, & per ſe validum ad eum retinendum; ſed etiam internum quo Deus verbum iſtud cordi & affectui ejus obverſari facit, quo memoriam ejus refricat & ſubinde eum movet atque afficit ut externo iſti verbo animum adhibere velit, is ſane habet id per quod in officio contineatur; At non habet ſtatim id quo non poteſt non contineri in officio. Qui in affluentia rerum omnium morbis à Deo viſitatur, qui Deo ita dirigente alloquiis, conſiliis, hortationibus, exemplis ſanctiſſimorum virorum vel divinis inſpirationibus aut affectionibus piis ad continentiam & modeſtiam quotidie ſolicitatur, habet ſane id quo in officio contineatur; At non habet propterea frænum quod reſpuere non poteſt. Similiter ſe res habet in aliis. Ita pater ſæpe optat filio ſuo ut habeat educatores probos, magiſtros bonos, pios, ſanctos, condiſcipulos honeſtos, collocutores virtutis ſtudioſos. De iis quando proſpexit filio ſuo, credit filium ſuum habere id quo in officio retineatur; cum tamen contrarium poſſit accidere, & non raro accidat.

*Quid itaque tandem illud eſt quo homo contineatur in officio? Spiritum procul dubio Chriſti. At qui efficiet id Spiritus? Haud dubie hinc ſummo bono mediiſque ad id conſequendum neceſſariis, inde ſummo malo quæque ad id ducunt tam clare propoſitis, ut agnitum ſummum bonum, agnita media nequeamus non amare, nequeamus non perſequi, agnitum ſummum malum, agnita quæ ad id ducunt, nequeamus non refugere atque averſari.*

*De auxilio Spiritus ſancti: & cur Euangelium dicatur miniſterium ſpiritus, lex vero litera, & de aliis auxiliis divinis.*

Hæc una ſummi boni clara & arcana propoſitio tibi ubique prora & puppis eſt. Nihil aliud à prima ad imam chordam reſonas, & nihil minus probas. Eam aliquando valde piis in caſu ſummæ neceſſitatis concedi non negaverim; martyribus exempli gratia in mediis tormentis, flammis ac cruciatibus. At piis non conferri ut pii ſint niſi iſtam ſolam, imo illam ordinarie à Deo iis conferri, ac niſi illa conferatur, alia omnia fruſtra conferri, id vero nego. Agnoſco Spiritum Domini Jeſu cauſam eſſe principalem omnium iſtorum auxiliorum quibus in officio contineamur, id eſt tam externorum quam internorum; ſed auxilia iſta talia eſſe nego, ut ii quibus ea obtingunt, non poſſint non contineri in officio. Et, ut rem ſemel paucis explicem, Spiritus Dei & Spiritus Jeſu Chriſti quatenus auxiliis iſtis utitur, ſignificat in Scripturis vel externa iſta omnia auxilia, quæ apta nata ſunt adſpirare homini animum & vires ut libenter & alacriter facere ea velit quæ Deo grata ſunt, ſub quibus comprehendo non tantum promiſſa & comminationes Euangelii, quibus Dominus Jeſus ſpem & fiduciam nobis quaſi adflat & adſpirat, qua tanquam forti ſtimulo urgeamur ad obediendum, quorum ratione Euangelium dici poteſt miniſterium Spiritus, non quia à Spiritu adminiſtratur, ſed quia ſpiritum, id eſt ſpiritualem & æternam iſtam gloriam, vel gloriæ iſtius promiſſionem adminiſtrat, contradiſtincte à lege, quæ miniſterium literæ dicitur, non quia à litera adminiſtratur, ſed quia non niſi brevis & perituræ hujus, licet fæliciſſimæ vitæ, prout litera ejus habet, promiſſa continet, & ſic miniſterium etiam mortis eſt. Non hæc tantum, inquam, intelligo per externa auxilia iſta, ſed plura alia, quæ duobus actibus circumſcribi poſſe credo. 1. Iis actibus quibus Deus infirmitatum noſtrarum conſcius & preces noſtras ſerias quotidie audiens, inhibet quominus aut valde graves, aut valde diuturnæ tentationes ſeu afflictiones nobis occurrant, quod fit curando ut nobis vel non occurrant objecta, occaſiones, exempla & incitamenta vitiorum ad quæ temperamentum noſtrum valde propenſum eſſe novit; vel ut non accidant mala, adverſa, pericula à quibus nos naturæ, ſexus, ætatis, ſtatus conditione vehementer ſcit abhorrere: quæ Chriſti de nobis cura, admirabilem ſane ejus caritatem arguit. 2. Iis actibus quibus Deus vel occurrere nobis facit ſæpe non cogitantibus, ejuſmodi objecta, ejuſmodi occaſiones, ejuſmodi exempla, ejuſmodi actiones, libros, doctores, amicos, conſiliarios, paſtores, monitores, reprehenſores, &c. unde cauſas ingentes accipimus, & nos accipere ſentimus, ut in officio pietatis contineamur; vel ſecundas & fælices noſtras res, per quas efferri alioquin poſſemus, triſtibus atque adverſis temperat, ut intra limites officii retineamur; adverſas iterum fælicibus miſcet, ne dejiciamur animo; vel impios & profanos in graviſſima mala facit incidere, aut eos exemplariter ante oculos noſtros punit; vel levibus & portatu facilibus malis nos exercet, ut gravioribus aſſuefaciat, aliaque ſimilia infinita facit in oculis auribuſque noſtris, ut in officio retineamur. Ejus rei indicia per univerſam Scripturam occurrunt. Hactenus de externis auxiliis. Vel Spiritus iſte ſignificat auxilium internum quo Chriſtus animabus noſtris intus adſpirat ſive inſpirat vim aliquam peculiarem, quæ apta nata eſt nos acriter movere atque exſtimulare, ut libenter, alacriter & ſedulo nos ipſos in officio contineamus; quod fit quando cogitationes, affectiones, ἐπιθυμίας pias, ſanctas, vel de novo injicit, vel ſepultas in memoriam revocat, vel ſpem & fiduciam conceptam altius imprimit, vel ſcientia clara rerum obſcurarum, imprimis præceptorum ſuorum, nos illuſtrat, & ſimilia. Quæ omnia totidem ſunt auxilia quibus juvamur ut in fide atque obedientia Jeſu Chriſti conſtantes manere poſſimus, & alacriter perſeverare debeamus, contra omnes mundi, carnis ac Satanæ aſſultus. Et hæc fere vocibus Spiritus, Spiritus Chriſti, Spiritus Dei, Spiritus ſancti in ſacris, cum quidem de noſtri converſione aut regeneratione agitur, denotari ſolent. Iſta autem vis determinans, qua fiat ut non poſſimus non eſſe boni piique, nunquam diſerte ſpiritus voce denotatur in ſacris. Atque hactenus quidem de ordinariis Dei auxiliis egimus.

Subjeceram hiſce brevem cautionem, quam & antea dederam, videlicet: Neque tamen nego, fieri poſſe ut Deus immediate etiam flectat voluntatem hominum piorum, & ex fide implorantium auxilium ipſius, non quidem per vim, neque per irreſiſtibilem potentiam, ſed per inclinationem naturæ voluntatis convenientem, non quatenus principium electionis eſt, ſed quatenus natura eſt.

Hîc tu, Camero, iterum me trepidare, diſcurrere, nuſquam conſiſtere, &c. ſcribis. Nempe, Camero, Hannibal hîc ante portas eſſe clamabatur: aries hujus argumenti muros cauſæ noſtræ quatere dicebatur. Quomodo non trepidarem, non diſcurrerem? Sed ſalva res eſt. Senex tripudiat. Larva eſt pro Hannibale, & pro ariete arundo. Deſine trepidare anime, & ſpectrum vide. *Quid aliud jam egiſti* (inquis) *quam ut idem affirmares & negares? Deus immediate flectit voluntatem: Voluntas tamen poteſt ſe aliter flectere, etiam tum cum Deus eam flectit.*

*De extraordinaria & irreſiſtibili flexione voluntatis.*

En arundinem! en ſpectrum! Ubi, Camero, poſterius iſtud affirmatur à me? Profer tabulas, oſtende locum, & viceris. Sed ne ſpecies quidem ejus rei apparet in Epiſtola; imo tantum abeſt ut id in ea appareat, ut contrarium diſerte in ea legatur; videlicet: Quando Deus immediate flectit voluntatem; tum voluntatem ita flecti, ut non poſſit ſeſe aliter flectere; & contra, quando Deus eam ita flectit ut ipſa ſeſe poſſit aliter flectere, tum eam non flecti immediate à Deo in unam partem. Et cum hoc ipſo commate dicam, quando Deus voluntatem flectit immediate, tum eum flectere voluntatem non quatenus volûntas, libera voluntas eſt, ſed quatenus ſimpliciter voluntas ſive natura eſt; an non ſatis dico, voluntatem tum non poſſe aliter ſe flectere quando Deus eam ut natura eſt flectit? Nam voluntas quatenus natura eſt, non eſt libera, ſed agit neceſſario. Vide itaque quomodo tu vane & ſuperciliose objurgator, objurgandus ſis,

sis, quod quid effutias pensi non habeas, dummodo adversario tuo maculam adspergas.

*At*, inquis, *Tun' an voluntatem à Deo moveri quatenus natura est, qui negas idem, & quidem hoc eodem loco, adeo tibi constas, voluntatem à Deo irresistibiliter moveri?*

Iterum quæro, Camero, ubi inquam, nego voluntatem à Deo irresistibiliter moveri quando movetur ut natura est? Nego quidem Deum movere voluntatem quando eam movet ut natura est, per vim cogendo, scilicet eam, aut per irresistibilem potentiam in ea efficiendo ut velit; sed non nego Deum eam movere irresistibiliter. Hæc duo autem, movere per potentiam irresistibilem, & movere irresistibiliter, multum admodum diversa esse, ne tu ipse quidem negaveris opinor. Voluntas enim tibi movetur irresistibiliter, & tamen non movetur tibi per irresistibilem potentiam, quia non movetur tibi nisi per rationes. Quis autem movere per rationes dicat esse movere per irresistibilem potentiam? Ratio enim non movet nisi objective & extrinsece, proinde non agendo in re, sed (quæ objecti activitas est) rem ad se suaviter alliciendo, aut attrahendo. At potentia irresistibilis non agit extrinsecus aut objective, sed intrinsecus agit in re & in rem per veram efficientiam. Itaque si in voluntate ageret, ageret mutando eam & naturalem dispositionem ejus. Id autem à Deo fieri nego quando Deus voluntatem movet ut natura est. Nulla potentia utitur Deus, nihil efficit, nihil mutat, nihil operatur in voluntate; sed voluntati objectum occurrere facit quod voluntas non potest non amare atque appetere. En disjectam & dissipatam levi momento contradictionis machinam.

*Deinde* (inquis) *cum petimus à Deo auxilium, non id modo petimus ut ei constanter adhærescamus, sed ut ea etiam sectemur quæ ad id conducunt, eaque adhibeamus & iis utamur. Cum igitur voluntas (vobis auctoribus) non versetur quatenus natura circa media, sed circa finem, fieri non potest ut afficiatur quatenus natura erga media.*

*Quomodo voluntas versetur circa media ducentia ad finem ultimum, & an semper cum ἀδιαφορίᾳ.*

Imbellis ratio. Nam quando non à nobis tantum, sed à Philosophis omnibus, & tuo imprimis Aristotele, ut ante vidimus, qui omnes jam tibi Sophistæ sunt, voluntas dicitur versari circa finem & non circa media, sensus non est; voluntatem nullo modo versari posse circa media, quocunque demum modo illa considerentur, aut quacunque demum ratione ad finem referantur; sed tantum non versari circa media, quatenus sub electionem cadunt. Si enim media illa talia sint ut finis ipse haberi sine iis non possit, atque idcirco fini necessario cohæreant, alia eorum ratio est. Sic enim virtute sub ipso fine continentur, & pari necessitate cum fine amantur; hoc solo manente discrimine, quod finis propter se, hæc in ordine ad finem & propter finem amentur. Deinde quod media in se considerata, sine ullo respectu aut ordine ad finem, talia sint ut non amentur necessario, cum finis (summus scilicet) per se consideratus necessario ametur.

Quare quod dicis, *Sed sophistas id fefellit quod existimaverunt (pudendo sane errore) ubi non est ἀλογοφορία, voluntati nullum supereſſe locum.*

Pudendus sane error tuus est. Nemo enim eorum quos tu Sophistas immerito appellas, aut existimavit, aut scripsit, voluntati nullum supereſſe locum ubi non est ἀλογοφορία. Contrarium eos existimasse & scripsisse uno fere omnes ore id arguit, quod voluntatem versari dicant circa finem ultimum, circa bonum in communi, saltem quo ad speciem, absque omni ἀδιαφορίᾳ: Et voluntarium diserte sic distinguant à libero, ut omne liberum concedant esse voluntarium, sed non contra omne voluntarium esse liberum: Voluntarium non requirere libertatem à necessitate, liberum vero omne à necessitate esse liberum: Item voluntatem spectari dupliciter, ut natura est, & ut est ratio, sive liberum arbitrium; Isto modo esse agens naturale, seu principium simplicis volitionis; hoc modo esse principium electionis; Isto itaque modo voluntati locum esse, ubi nulla est ἀδιαφορία, sed necessitas mera; Hoc modo locum ei non esse, ubi nulla est ἀδιαφορία sive indifferentia. Notior est hæc res, quam ut negari à Theologo aut possit aut debeat.

*Jam erga media (pari supinitate judicii) censuerunt voluntatem affici ἀδιαφόρως, eò quod deliberamus sæpe de mediis.*

Hæc etiam judicii tui supinitas est. Neque enim idcirco tantum censuerunt voluntatem se habere ἀδιαφόρως circa media eo quod de iis sæpe deliberamus; sed quia & quando media talia sunt, quæ sub electionem aut deliberationem cadunt. Nam si media vel medium tale sit ut sine eo finis intentus haberi non possit, nec deliberare nos de iis, vel de isto medio, nec ἀδιαφόρως erga istud nostram voluntatem se habere asserunt. Aliud autem est nos deliberare de mediis, aliud media esse talia ut sub deliberationem & electionem nostram cadant. Nam 1. idcirco quod media talia sint quæ sub deliberationem cadunt, voluntas ἀδιαφόρως de iis potest velle vel nolle deliberare, nulla alia prægressa deliberatione. 2. Eo ipso quod media talia sint, voluntas potest ea eligere aut respuere, etiam prægressa sive peracta jam deliberatione; quin & facto jam de iis judicio, hoc medium illo melius, honestius, utilius esse, eligere tamen potest quod pejus, quod turpius, & quod inutilius est, nisi præcesserit efficax finis intentio. Sic enim media eligibilia esse desinunt, & fiunt necessaria ex hypothesi istius voluntatis sive efficacis intentionis; uti apparet ex eo, quod intentione illa cessante, voluntas media ista respuere & negligere iterum potest ac solet. Quare quod dicis peracta deliberatione voluntatem non manere indifferentem, sed acquiescere fixam & immotam, id sale opus habet, alioquin absolute falsum est. Etsi enim id plerumque fiat, semper tamen id fieri experientiæ repugnat, ut testantur peccata contra conscientiam; tantum abest ut id necessario fiat, aut ut non possit non fieri.

Sequentem periodum, quia non habet argumentum, sed sarcasmum tibi familiarem, prætereo. Utinam hîc mecum obstupescerés, Camero! Sed quia credis te acutum videre, & industriam tuam admiraris, hinc manet error tuus, & cum errore supercilium, sed quod benevolentiæ specie tegitur ut tanto magis se attollat. Nam ad argumentum meum quo contra te usus fueram, ut ostenderem omnem usum precum tolli per sententiam tuam, adeo frigide respondes, ut convicio & contemptu istud potius vindicare quam responso dignari volueris; cum tamen non omnino contemnendum sit. Sic enim fueram argumentatus:

*Nullum juxta Cameronem esse precū usum, & quam male argumentum istud retorqueat.*

Obsecro quis usus precum esse potest, si Deus isto modo quo tu vis voluntatem flectit, & voluntas alio quam isto modo flecti non potest? Is enim qui precatur ut Deus flectat voluntatem ipsius, aut voluntatem jam ita flexam habet, aut non. Si non habet voluntatem ita inflexam, necesse est ut dicatur pro re tam divina precari sine tali flexione voluntatis. At hoc tu non concedes, sat scio, quia actus iste precationis, si ex fide fiat, (uti supponitur) est actus bonus & secundum voluntatem Dei, ad gloriam Dei præstitus. Bonus autem actus sine flexione tali divina non posse esse à te tuisque creditur. Si habet voluntatem jam flexam, quid quæso precatur? An ut Deus eam conservet, & sic in illa voluntate flexa precantem faciat perseverare? At clara & efficax cognitio illa summi boni & eorum quæ eo ducunt, per quam Deus flexit voluntatem ipsius ut oraret, facit ut non possit non perseverare, imo ut persuasus sit de eo, quod Deus ipse ita eam continuare velit ut ea nunquam totaliter aut finaliter excidat. An rogat pro augmento? At nullum augmentum possibile est. Quomodo enim voluntas alicujus flecti amplius possit, quam si ita flectatur ut non possit non adhærescere summo bono? Et, si omnino possibile foret, quorsum peteretur augmentum istud? aut propter quem formalem finem sive effectum peteretur?

*Istud vero*, (inquis tu) *plane obstupuisse est. Quid enim? An non & vos petitis, fati destructores, assertores pietatis, ut mentem vestram illuminet Deus, quam tamen mentem fatemini irresistibiliter, id est necessario illuminari?*

Ita sane, fati assertor & destructor pietatis. Sed concludo, ut pateat acumen tuum, & te non obstupuisse plane liqueat. Ad quam partem argumenti respondes, aut quo nos absurdo gravas? Dicimus Deum irresistibiliter illuminare mentem nostram, & ista illuminatione posita nos libere credere, libere precari, & præcepto divino obedire. Ergo quid? aut me, aut te hîc stupere necesse est. Nescio enim quid concludere aut possis aut velis. Nos dicimus 1. Deum illuminare mentes nostras verbo suo irresistibiliter, & mandare ut illuminatam mentem sequamur, nos autem lucem istam divinam posse negligere, aut posse nolle sequi, aut contra posse ad eam animum advertere eamque sequi, non quidem viribus naturæ, sed acceptis à Deo. 2. Dicimus Deum promittere nobis post quam lucem istam admisimus, majorem lucem, si pro ea oremus ex animo & indesinenter, & quando id facimus Deum lucem istam mentibus nostris irresistibiliter communicare. Ergo nos tollimus usum precum. Quæ consequentia? Contrarium sequitur. Idcirco precum usum stabilimus, ut præter necessariam lucem à Deo plura, majora & oportuna auxilia consequamur, quæ Deus dare non vult nisi precantibus & orantibus, & quæ sæpe etiam libere nobis subducit, salvis manentibus semper necessariis auxiliis, ut causas orandi perpetuas habeamus, & auxilia ista tanquam beneficia singularia in pretio habeamus.

*An cognitio qua voluntatem necessario flectit, non semper sit in actu.*

Pergis: *Adeone te destituit acumen tuū, ut non videris cognitionem istam, quæ necessario flectit voluntatem, non esse in actu, nisi Deus lucem hanc Spiritus sui in mentibus nostris accendat?*

O bone, Camero, Acumen tuum hîc plane obstupuit; Nili ita esset, obsecro te, quomodo dixisses cognitionem

illam non esse in actu, cum agamus de iis qui orant Deum? An non eo ipso quod orant Deum, ostendunt eam in actu esse? Neque enim credo te velle, orationem piam ad Deum fieri posse sine cognitione illa, prout in actu est. Si itaque orant ut Deus eam accendat, quid orant? An ut accendendo faciat ut in actu sit? At sic orarent ut accensam accenderet, & ut quæ in actu jam est, in actu fiat. Annon inutilis hæc foret oratio? Deinde quomodo tu consentanee dicere potes, cognitionem illam semel inditam à Deo in actu non esse? Nam si illa in actu non est, nec in actu esse potest fides, nec ex fide precatio, nec amor, nec obedientia. Voluntas enim sequitur necessario intellectum. Si non sint in actu fides, amor, pietas, necesse est ut aut plane desierint, & sic in locum eorum actu successerint infidelitas, odium, impietas; aut si hæc non desierint, neque in locum eorum contraria successerint, tum necesse est ut cognitio illa persuasiva in mente plane sit inefficax, quiescat & dormiat, & quia voluntas interim in actu est, (neque enim eam credo vis interim etiam nihil prorsus velle;) cessante autem ista cognitione non potest velle quod bonum est, sed necessario vult quod malum est; jam necesse est ut una cum cognitione ista quiescente, cognitio contraria efficaciter voluntatem ad malum determinans in eadem hominis mente residere dicatur; quod directe principiis tuis repugnat. Nam cognitio illa summi boni, non est nisi à plena illuminatione; Plena autem illuminatio tibi est illa quæ voluntatem post se trahit necessario: At illa cognitio quiescens id non facit. Ergo. Denique si cognitio illa efficax non semper est in actu, unde id fieri dices? Non potes dicere id fieri à libera voluntate hominis, sive à negligentia aut inadvertentia hominis; nam cognitione illa in actu existente, voluntas non potest non esse in actu amoris. Nec potes dicere, id fieri ab affectibus; quia voluntas cognitione ista determinata, non potest non affectus in ordinem cogere. Nec potes dicere, id fieri à mente ipsa. Unde igitur fieri dices, Camero, quod non semper sit in actu? Scis quid concludere velim. A Deo scilicet juxta te id fieri, efficiente ut cognitio illa non sit in actu. Jubeat itaque nos orare Deus pro cognitione ista ut in actu sit, & oratio ista à nobis fiet quando Deus effecerit ut cognitio illa in nobis in actu sit. Quid vanius, & principiis tuis repugnantius? Hæc nos non premunt qui voluntatem statuimus liberam, id est indifferentia activa præditam. Te vero hæc adeo premunt, ut hærere hîc te necesse sit.

Apparet id cum dicis; *Itaque orandum esse Deum, ut nobis subinde affulgeat & alluceat.*

Nam ipsum orare nostrum, supponit illam lucem nobis jam adesse. Nam sine affulsione lucis istius, oratio fieri non potest quæ Deo placeat; quia ex fide fieri debet: Fides autem est ipsa cognitio, & quidem practica, quæ in actu est juxta te. Orandus itaque est Deus juxta te, ut nobis dare velit lucem quam jam habemus.

*At*, inquis, *orandus est ut subinde affulgeat nobis & alluceat.*

At dic sodes, Camero, quid est tuum illud *subinde*? Nam vox ista arguit tempus esse quo sine luce ista sumus. Cum itaque Deum orandum esse vis ut nobis *subinde* alluceat, visne orari Deum ut tum oremus Deum quando sine ista luce sumus, ut nobis reddat lucem suam? At hoc impossibile est, quia oratio est lucis istius effectus prout in actu est lux: est enim fidei opus. Fides autem est lux ista in actu. An vero vis orari Deum, ut quando lucem istam nobis subtrahit, postea eam reddere nobis velit? At sic nunquam orandus esset Deus ut nobis lucem det isto tempore quo oramus: & sic petendo ut Deus nobis lucem istam reddat postquam eam nobis subduxit, peteremus à Deo ut reddere velit quod nescimus an auferre unquam velit, imo quod scimus, juxta te, eum auferre totaliter ac finaliter nunquam velle; vel saltem peteremus magno molimine ut in actu sit cognitio, quæ tamen nos salvatura certo est, etiamsi in actu non sit, & quæ idcirco tantum non est in actu, quia Deus facit ut in actu non sit. Hoccine est acumen illud, Camero, quod in me desideras?

Sed ecce acumen aliud: *Non animadvertisti petendum esse à Deo ut incrementum hujus lucis indulgeat, fidemque adeo nostram augeat?*

Vide an non totus hic obstupueris. Nam istud ipsum tantum abest ut non animadverterim, ut diserte istud quæsiverim, An nos velis orare pro lucis conservatione, an pro lucis augmento, eum in finem ut voluntas nostra firmius conservetur aut fortius flectatur? Et partes tuæ fuerunt respondere ad ea quæ exceperam, sive hoc sive illud dixeris. Id ne tentas quidem. Dico enim te non posse consentanee tuis principiis affirmare lucem majorem aut intensiorem menti nostræ affundi posse, quam persuasionem talem quæ necessario voluntatem determinat, ita ut non possit aliter aut aliud quid agere quam id ad quod determinatur: & cum persuasionem istam esse velis in iis qui orant, eamque iis nec totaliter nec finaliter ullo unquam tempore excidere posse, usum precum omnem pro lucis augmento per sententiam tuam tolli. Phrasim istam, Deum necesse habere flectere voluntatem, calumniaris aperte, Camero. Non enim significat Deum debere aut obligatum esse ad flectendum voluntatem nostram; Quid ineptius? sed tantum ut voluntas à Deo flectatur, necesse esse ut isto modo flectatur; quod tu non potuisti nec debuisti ignorare.

*Si necessitas flexionis voluntatis consistat in indivisibili, etiam ipsa flexio in indivisibili consistet.*

Cæterum ad id quod dixeram, Voluntatem nostram amplius flecti non posse quam si ita flectatur ut non possit non adhærescere summo bono & mediis quæ eo ducunt; Necessarium enim consistere in indivisibili, nec recipere magis aut minus: Necesse siquidem esse quod nec esse aliter potest; respondes,

*Etsi necessitas flexionis sit in indivisibili, at ipsa flexio tamen non est in indivisibili.*

Itane, Camero? Muta terminos hosce metaphoricos in propriis, & patebit acumen tuum. Agitur de flexione voluntatis. Flexio voluntatis activa juxta te, est persuasio plena, ita efficaciter trahens voluntatem post se, ut voluntas non possit non amare & appetere id quod persuadetur. Amare itaque sic ut non possis non amare, est flexio passiva. Utraque, inquis, non consistit in indivisibili. Dabitur itaque gradus persuasionis clarior, fortior, efficacior, quam qui ita persuadet ut non possis non persuaderi; Et dabitur gradus volitionis vel amoris excellentior, quam quo bonum sic amatur ut illud non possis non amare. Advoca hîc ingenium tuum, Camero, & edissere nobis hæc ut intelligi possis. Non enim verba quærimus, aut metaphoricos orationis flosculos, qui Rhetorum proprii sunt, sed res & rationes.

*Quomodo istud intelligendum sit, Intellectum irresistibiliter illuminari.*

Sed adeo tibi de acumine tuo places: *Res clara est* (inquis) *minimeque obscura. exempli gratia, Intellectum vos dicitis, & quidem vere, illuminante Deo necessario illuminari. Neque tamen credo negatis illuminationem intellectus recipere magis & minus, & quasi certos habere gradus. Atqui par hîc ratio est.*

Fæcunda est phrasis ista, Intellectum necessario illuminari. Ex ea non aliter quàm ex equo quodam Trojano, petis omnia arma tua quibus pugnes. Absque illa foret exiguo tempore inermis fores. Sed quod antea monui, abuteris illa ut cera, quam in omnem partem torques. Nam quando nos dicimus intellectum necessario illuminari, nihil aliud volumus quam intellectum esse potentiam pure pute passivam, nulla indifferentia activa præditam ad opposita; ac proinde sicut fieri non potest ut oculos apertus non recipiat lumen, sive parvum, sive magnum, sive mediocre; ita fieri non posse ut intellectus non recipiat illuminationem, id est rationem sive claram, sive obscuram, sive dubiam, prout proponitur & repræsentatur, sive ista repræsentatio fiat à Deo, sive ab homine, sive ab Angelo. Id autem directe jam contra te facit. Nam receptio ista illuminationis sive rationis, ex parte intellectus consistit in indivisibili, & quidem idcirco quia intellectus est potentia necessario receptiva. Nec enim magis illuminatur, id est non magis recipit claram rationem, quam recipit obscuram; nec magis recipit evidentem, quam dubiam. Nam omnem illuminationem eodem plane modo, eodem gradu necessitatis, si gradus esse possit in necessitate, recipit. Itaque intellectus non recipit, præcise loquendo, magis aut minus, sive hoc sive illud intelligat: sed tantum quando clariorem rationem recipit, clarius intelligere dicitur, etiamsi claram istam rationem eodem plane modo recipiat quo obscuram. Receptionis modus utrobique est idem, & utrobique eodem modo intensus, objecto solo variante. Deinde quod ad adsensum attinet, quatenus ille actus intellectus est, quando intellectus ita illuminatur ut non possit non adsentiri rei clare propositæ, tum dicimus fieri non posse ut clarius illuminetur, id est ut rationem clariorem recipiat; sive ratio illa sit principium indemonstrabile, sive causa ἀποδεικτικὴ conclusionis, sive sensu & experimento comprobata, sive alia quacunque ratione veram certitudinem efficiens. Certitudo enim vera & proprie dicta, quæ omnem formidinem oppositi excludit, non habet gradus. Grammatice quidem alia major, alia minor, alia maxima, alia minima dicetur: sed non Logice, neque Physice. Unde non magis certitudo est si centum rationibus claris nitatur, quam si nitatur una, dummodo ea una talis sit ut non possit non gignere in animo certitudinem. Jam autē persuasio tua, quam ita vocas, clara, plena & efficax est talis certitudo, ita ut ea posita mens non possit non adsentiri. Itaque consistit in indivisibili. Parem esse rationem in voluntate agnosco.

*At*, inquis: *Flectitur voluntas necessario; neque tamen consequens est, ut non interdum segnius, interdum vehementius flectatur.*

Imo vero dico hanc locutionem habere contradictionem

nem in adjecto, Voluntatem flecti necessario ad amandum ita ut non possit non amare; & tamen interdum segnius, interdum vehementius flecti. Qui enim non potest non amare rem, is eam non potest segniter, nedum segnius amare. Nec vehementius quis potest amare quam si amet ita ut non possit non amare. Sic enim tota naturæ vi, sive secundum extremum potentiæ naturalis gradum amat. Quod autem subjicis, *Pro modo cognitionis esse amorem*, id verissimum est; sed ad rem non facit. Summus enim amoris gradus cum sit non posse non amare, necesse utique est ut eum præcedat summus cognitionis gradus, id est ejusmodi clara boni summi cognitio seu apprehensio, quæ totam & universam voluntatis capacitatem replet, eamque vi sua objecti ad amandum determinat. Quod adeo certum est, ut propter hanc unam causam Scriptura & Theologi, culmen fælicitatis nostræ collocent in clara visione summi boni, & qui ei perpetuo conjunctissimi sunt, amore ac fruitione ejusdem boni. Hæc enim præmium illud summum atque unicum erunt, quo nos misericors ille & miserationum Pater beabit in immortali & futuro illo ævo, cum veniet ut glorificetur in sanctis suis, & admirandus fiat in credentibus omnibus. Tum demum eum non poterimus non amare, quia videbimus eum sicut est. Illi sit honor & gloria & benedictio in omnem æternitatem. Amen.

## CAPUT XXIV.

### Responsio ad Epilogum, ubi ostenditur ex qua opinione sequatur securitas aut desperatio.

SEquitur Epilogus, in quo nihil novum aut examine peculiari dignum est. Duo in eo facis. Primum, Conquereris quod argumentorum tuorum multesimam partem non adduxerim, & quod quæ attuli ea nonnisi exarmata attulerim. Deinde, Quæris quomodo ex sententia tua sequi dicam aut securitatem aut desperationem, & quomodo duo ista non potius ex mea sententia sequantur ostendi petis.

*Responsio ad Cameronis querelam de prætermissis aut exarmatis suis argumentis.*

Primum quod attinet, de eo Lector æquus judicet. Ego hîc iterum profiteor me id operam dedisse ut argumenta tua omnia, quibus pondus aut momentum aliquod inesse videri poterat, (de locis Scripturæ enucleandis solicitus non eram, partim quia id prolixe satis factum sciebam in Actis & Scriptis Synodalibus Remonstrantium; partim quia ea confutatione nova opus non habere credebat amicus meus:) bona fide, & prout à te ipso adducta sunt, tuismet verbis proponerem, eaque istis omnibus rationum & exceptionum viribus munita atque armata quas vel à te adhibitas uspiam videbam, vel insuper adhiberi pro te posse credebam. Nec enim pro scopo disputationis meæ habebam ludicram aliquam victoriam, Deus novit, sed veritatem, quam amici mei conscientiæ non aliter quam meæ cupiebam esse persuasissimam. Id postulabat tum Christianæ caritatis, tum accuratæ disputationis lex. Si aliter, aut alio animo, me disputasse credis, parum benigne de me judicas, Camero, & magno me apud Deum & Christum ejus reatui obstringis. Utinam placuisset tibi, non dico multesimam argumentorum tuorum partem, sed unum modo atque alterum argumentum indicare, quod prolatum cupivisses & præteritum à me doluisses! Nunc id mihi difficile, imo impossibile est, conjectura assequi. Quicquid enim rimor, quicquid scrutor in iis quæ cum Clarissimo viro D. Tileno tibi fuerunt concertationibus, nullum reperio quod, non dico pondere, ea quæ à me allata sunt superet, sed quod istis vel æquiparari mereatur, imo quod non in aliquod istorum recidat.

Alterum quod attinet, Quomodo ex sententia tua non sequantur securitas & desperatio, tantum abest ut solide aut clare ostendas, ut nihil aliud facias quam elaborata oratione, phrasibusque sententiam tuam non plene exprimentibus, quæras quomodo ista duo ex iis quæ à te ita dicuntur & statuuntur, consequantur. At hoc non est quærere quomodo ex sententia tua, pro ut revera se habet, sed quomodo ex tuis quæstionibus, & ex iis quibus quæstiones incrustas phrasibus, ista duo sequantur. Ego ista duo ex sententia tua nude proposita sequi dico, & fucum orationis tuæ detego.

*Argumentum 1. quo probatur, ex Cameronis sententia securitatem carnalem sequi.*

*Amabo te* (inquis,) *Qui docet in sola Dei ope sitam esse omnem salutis nostræ spem; nos si nobis permittamur, haud dubie perituros; quid aliud docet quam ut dies noctesque Dei opem imploremus, in Deo spem omnem reponamus? Hæc tibi securitas videtur?*

Si verba hæc tua nuda videam, non sane securitas hæc videtur, Camero; si rem & sententiam de qua quæritur, ipsissima securitas mihi videtur. Res hæc est: Qui docet in sola Dei ope (opera rectius diceres: Opis enim & auxilii voces non nisi abusive à te adhiberi possunt;) sic esse sitam omnem salutis nostræ spem, ut ab illa una & sola pendeat, aut potius (hæc enim est proprie sententia tua; verbum pendere hac in re ἐνεργήματι est) efficiatur *in nobis, sine nobis* (verba sunt Synodi) hoc ipsum quod Dei opem imploremus, id est sic efficiatur in nobis, ut nos non possimus antea quam Deus ita operatur Dei opem implorare, & quando ita Deus operatur tum non possimus non implorare Dei opem, ille docet ipsissimam securitatem. Docere enim ut implores Dei opem, seu ut de imploranda Dei ope non sis securus; & simul etiam docere Deum solum efficere in te, sine te, ut Dei opem implores, imo eum id sic efficere in te, ut absque eo non possis, & eo posito non possis non implorare Dei opem; est docere duo quæ moraliter sunt, ut loquuntur, incompossibilia, & in securitatem necessario desinunt. Sine cura enim faciendæ rei alicujus esse docetur, qui docetur rem istam totam per alterius curam & operam in ipso ita effici, ut sine ea nullo modo possit, & ea posita non possit non inesse. Jam tu Lector vide hoc loco quantus fucus verbis Cameronis insit, quo sententiam suam hic tegit. Nec minor est qui sequitur.

*At qui docet* (inquis) *opem hanc Dei in eo sitam esse, ut nos cautos velit reddere & solicitos, etsi non anxios, proindeque neminem qui non sibi caveat à Satanæ insidiis hanc Dei opem sensisse, ut tibi securitatem videtur commendare?*

Sane, Camero, is mihi videtur securitatem ipsissimam commendare, si non verba, sed sententiam tuam videam, quam sic propono nudam; Qui docet Dei opem vel operam in eo sitam esse, ut in nobis solus efficiat ut non possimus non esse cauti, & cum ille id in nobis ista ratione non efficit, impossibile esse ut simus cauti, is securitatem ipsissimam docet & commendat. Quid enim aliud est docere securitatem, quam docere totam illam quæ nobis inesse debet curam aliunde quam à nobis proficisci, & in nobis sine nobis ita effici, ut ad eam nos de nostro ne hilum quidem conferre possimus? Cur non sit securus de conferenda sua cura, qui nihil de suo conferre potest, & cui tota cura ab alio irresistibiliter confertur? Verum enimvero operæpretium hic est, detegere fucum novum qui verbis tuis inest, quo imprudentibus facile imponi potest. Eo ipso enim quod doces Deum efficere in nobis ut non possimus non esse cauti, docere etiam videri potes veram curam & solicitudinem, quæ securitati contraria est. Sed en fraudem; Sic doces quidem, Camero, curam & solicitudinem quæ purum putum divinæ opis aut operæ effectus est: At non doces curam & solicitudinem quæ actus est officii hominis, quem homo scilicet ex præscripto Dei præstat, & ratione cujus Deus eum præmio dignum censere vult. At de hac, non de illa cura quæritur. Qui illam tuam curam docet, ille hanc veram curam dedocet, & sic docet ipsissimam securitatem. Quare etiamsi doceas eos quos Deus speciali ista sua determinatrice ope dignatur, non esse securos, adeoque fieri non posse ut stante illa ope divina securi sint, tamen idcirco non doces eos, quando ista ratione securi non sunt, officium suum facere quod Deus ab ipsis fieri vult sub promisso præmii & pænæ comminatione; sed contra, idcirco doces eos officium suum non facere. Cura enim & solicitudo quæ merus divinæ operationis effectus est in nobis, non potest esse actus qui ex officio a nobis præstatur, ac proinde non potest securitatem nobis prohibitam excludere, nedum actus esse qui præmio dignus ab ipso Deo censeatur.

Eadem est ratio membri oppositi: Securitatem eandem dico consequi ex sententia tua, respectu eorum quos Deus ope ista sua dignari non vult. Uti enim præcedentes illi de quibus egimus necesse non habent suscipere curam officii sui, quia Deus eam totam, quanta quanta est, in iis sine ipsis ita efficit, ut non modo non sint, sed ut non possint esse securi; ita his impossibile est, nulla propria ipsorum culpa, ut curam aut solicitudinem ullam salutarem suscipiant. Securi itaque de labore omni quod ad rem istam attinet suscipiendo esse possunt, imo, moraliter loquendo, securi esse jubentur per doctrinam istam qua docentur curam illam in ipsis esse non posse, quamdiu Deus eam in ipsis sine ipsis non efficit. Hanc autem esse doctrinam sive sententiam tuam patet ex Canone 12. tertii & quarti articuli Synodi Dordracenæ, ubi dicitur; *Atque hæc est illa tantopere in Scripturis prædicata regeneratio, nova creatio, suscitatio è mortuis, & vivificatio, quam Deus SINE NOBIS in nobis operatur.* & ex verbis tuis, quæ hic ipse inseris, *Neminem scilicet qui non sibi caveat à Satanæ insidiis hanc Dei opem sensisse.*

*Argumentum 2. Utrumque simul duobus syllogismis compressum.*

Concludo itaque hanc partem duobus hisce syllogismis; Qui docet ei, qui opem divinam tuam determinatricem

non sentit, & interim securitatem vitare jubetur, prorsus impossibile esse ut non sit securus, nisi Deus curam & solicitudinem sine ipso in ipso ita efficiat ut non possit non desinere securus esse, is talem hominem reipsa docet ipsissimam securitatem. Quis enim securus non sit de eo quod sibi prorsus impossibile est? Ex altera parte; Qui docet curam omnem salutarem quæ in nobis esse potest, ita in nobis effici & conservari à Deo ut non possimus esse securi, ille docet nos securos esse, id est curam & solicitudinem, quæ pars officii nostri est, omnem seponere. Res patet ex terminis. Quæro enim, si nihilominus cura & solicitudo nostra, quatenus est actus officii nostri, locum habere potest, quando & ubi erit ei locus? Necesse est ut dicatur locus ei esse aut antequam Deus curam illam in nobis efficit: At tum impossibile esse docetur ut curam ullam salutarem suscipiamus, & sic pro isto tempore moraliter docemur securi esse. Aut tum cum Deus eam actu in nobis operatur: At tum impossibile est ut cura ista sit actus officii nostri, quia sine nobis in nobis efficitur, ex Synodi sententia. Aut denique cum ea jam in nobis effecta est; At præterquam quod de hoc tempore non quæratur, certum etiam est eandem rationem hic militare quam in præcedenti casu militare diximus. Eodem enim actu divino (ex hypothesi sententiæ tuæ) conservatur in nobis cura & solicitudo ista, quo efficitur: quia mediante eadem cognitione voluntas determinatur. Sicut autem impossibile est ut cura ista in nobis non sit cum Deus eam primo in nobis operatur, ac proinde ut sic sit actus officii nostri; ita impossibile omnino est eam in nobis non manere, quamdiu operatio illa divina à Deo ipso non suspenditur; & proinde quamdiu ita manet, impossibile est sic esse actum officii nostri: à Deo, inquam, ipso & solo quamdiu non suspenditur. A voluntate enim nostra suspendi non potest, quippe quæ seipsam non movet juxta te, & aliunde eam suspendi aut impediri impossibile est. Securitatis itaque ostium manifeste patet, si sententia tua nuda modo introspiciatur.

*Ex eadem sententia sequi desperationem.*

Eadem est ratio desperationis. Fieri non potest ut scopulum hunc evitet sententia tua, quidquid tu eam specioso orationis flexu ab eo divertere studeas. Sic enim progrederis quærendo; *Qui docet nemini deesse Deum, qui ad Deum modo miseriæ suæ conscius suspiret & gemat; Deumque omnes vocare etiam reluctantes, quanto vehementius eos qui sensu calamitatis suæ victi exclamant, Me miserum quis me eripiet ex hoc corpore mortis? is ea docet quæ ducunt ad desperationem? Atqui ego is sum.*

Quanto artificio bone Deus! quam elaborata oratione! quam fictis quæstionibus tegitur manifesta absurditas! Ut res pateat ego contra sic concludo: Qui docet Deum omnibus istis deesse, qui ad Deum per Christum miseriæ suæ conscii non suspirant & gemunt, adeo ut quando eos Deus suspirare & gemere jubet, prorsus impossibile iis sit miseriæ suæ conscientia tangi, suspirare, & gemere, is sane docet ea quæ tales homines ad desperationem ducunt. Quid enim aliud est ad desperationem ducere, quam docere quid sperandum sit, & simul impossibile esse ut sperent, aut ut quod sperandum est consequantur? At tu, Camero, doces aperte Deum istis omnibus deesse, ac proinde eos non posse non desperare, qui actu ipso miseriæ suæ conscii non suspirant & gemunt, qui sane multo maximam generis humani partem faciunt. Multo igitur maximam generis humani partem doces desperare. Sed hoc loco notanda iterum venit larva orationis tuæ qua sententiam tuam tegis. Ita enim loqueris ut videri possis statuere Deum non deesse hominibus ullis, nisi illi priores sibi ipsis desint, & divinæ gratiæ auxilium quo juvari possunt, ac juvari velle debent, dedita opera negligant, id est, ut in terminis quæstionis tuæ maneam, Deum non deesse, nec deesse velle hominibus, nisi quia & quatenus ad Deum per Christum miseriæ suæ conscii non suspirant & gemunt, cum suspirare & gemere possint ac debeant. & tamen certum est te nihil minus quam hoc statuere, aut sententiæ tuæ consentanee statuere posse. Sensus enim orationis tuæ est, Deum deesse iis omnibus qui ad Deum per Christum non suspirant, non quia non suspirant, sed ad hoc ipsum ut non suspirent, ac ne suspirare quidem possint. Nam doces eundem Deum eos inefficaciter vocare, movere, hortari, jubere, ut suspirent, ut gemant, ut miseriæ suæ conscientia tangantur. Quæ res an alio miseros ejusmodi mortales ducat quam in desperationis barathrum, pius Lector judicet.

*At* (inquis) *doceo Deum vocare omnes, etiam reluctantes.* Recte: sed & doces 1. omnes ita natos factosque esse nulla propria sua, nec primorum etiam parentum suorum culpa, ut non possint non reluctari. 2. Deum multo maximam partem eorum quos externe vocat à salute reprobasse, eamque ob causam iis deesse velle quominus desinere possint reluctari. 3. Eos omnes quibus Deus deest non posse non desperare, ac tandem in desperatione sua misere mori ac perire: Unde quid aliud efficitur, quam docere te ea quæ maximam vocatorum partem ducunt ad desperationem? quin imo docere te istam ipsam vocationem divinam, qua Deus spem salutis facere istis hominibus videri vult, à Deo adhiberi ut miseri isti homines rei fiant majoris condemnationis, atque ita nulla nova culpa sua moriantur desperatissimi simul ac miserrimi? Te ipsum hic non dubito vicissim appellare testem ac judicem, an res hæc aliter se habeat, & an non ea quæ hîc à te quæruntur meræ sint verborum ac phrasium strophæ, quibus tanquam nebulis rem claram obfuscare, & horrendam sententiæ tuæ nudæ deformitatem ex oculis legentium eripere voluisti? Istis artibus credulæ plebis obsequium emitur, & male sani quidam in fide retinentur; sed nec Deo, nec conscientiis eorum satisfit, qui non verborum phrasiumque putamina, sed rerum nucleos quærunt.

Sed jam ad secundum membrum progrediamur, in quo quæris quomodo non ex mea sententia duæ istæ, quas tuæ impingo, sequantur absurditates, securitas scilicet & desperatio.

*Tu vero* (inquis) *si potes, & si non est molestum; non debet autem tibi id molestum videri: Fac quamprimum ego intelligam, quî pote ut tu non doceas homines esse superbos, esse securos, & ea quidem securitate, quam (nisi obstupuerunt & occalluerunt) necesse est exire tandem in certissimam desperationem.*

*En Rei monstrantium sententia neque superbiam aut securitatem, neque desperationem sequi.*

Age, Camero, nec molestum, nec difficile est mihi id ostendere. Res plana est. Pone præjudicium, adverte animum, & intelliges. Hoc argumentum meum est. 1. Qui docet homini prorsus necessarium esse auxilium Dei præveniens, excitans, adjuvans, comitans, consequens, adeo ut absque eo impossibile sit ei scire, velle, facere, quod Deo gratum est, aut in faciendo eo perseverare: 2. Qui docet hominem auxilio isto divino adjutum ex officio teneri, & sub pœna æternæ mortis obligari ad faciendum id quod Deo gratum est: 3. Qui docet hominem auxilii istius beneficio posse facere id quod Deo gratum est: Is non docet ea quæ hominem ducunt vel ad superbiam sive securitatem, vel ad desperationem. Atqui ego is sum. Consequentia argumenti hujus patet ex terminis. Nam quod ad securitatem sive superbiam attinet; Qui docet primam, principalem, impromeritam, adeoque indebitam efficientiam operis sui deberi Deo, & qui docet opus suum esse opus officii, ad quod per legem Dei ac Domini sui & naturæ conditione ut purus putus vasallus obligatur; ille nec ex opere isto suo præstito superbiendi causam ullam habet, nec de eo præstando securus esse debet. At qui priora duo membra principalis argumenti docet, is docet duo ista. Ergo. Quod ad desperationem attinet; Qui docet hominem certissimam spem glorioſi præmii à Deo promissi consequi posse, is certe eum non docet desperare. At qui docet hominem beneficio divini auxilii facere posse quod Deo gratum est, is docet hominem certissimam spem glorioſi præmii à Deo promissi consequi posse. Ergo. Vin' clariorem Solem Camero?

*Responsio ad Camerarii objectiones quibus id probare nititur.*

Sed videamus jam argutias tuas, ut res magis luceat. Argutias dico, quia multis phrasibus argutis, quæ omnes nil nisi unum idemque significant, uteris tanquam si multis rationibus pugnares. Earum una soluta reliquæ omnes evanescent. Rem testem do.

*Tu doces* (inquis) *ab homine pendere ut stet.*

Ergo, quid sequitur Camero? Conclude: Ergo ego doceo hominem superbire & securum esse: & videbis consequentiam esse arenaceam. Non enim quod quovis modo ab homine pendet, id hominem aut superbum aut securum reddere potest. Alioquin eodem jure Scripturam docere hominem superbire & securum esse concluseris. Nam illa affirmat, *hominem ex Deo genitum conservare seipsum*: 1. *Joan.* V. 18. quod multo plus continet quam dicere pendere ab homine ut stet. *Conservare seipsum in charitate*: *Jud.* 21. *Cavere ne excidat propria sua stabilitate*: 2. *Pet.* III. 17. *Vocationem & electionem suam firmam facere*: 2 *Pet.* I. 10. *salutem suam operari*: *Phil.* II. 16. *sibi ipsi facere cor novum, Spiritum novum; vias suas rectas & bonas facere; circumcidere cor suum, & præputium cordis sui; lavare à malitia cor suum ut salvus sit*: *Ezech.* XVIII. 31. *Jer.* VII. 3. & XXXV. 15. & XVIII. 11. & XXVI. 13. *Jerem.* IV. 4. 14. *seipsum servare & alios*: 1 *Tim.* IV. 16. *animam suam purificare*: 1 *Pet.* I. 22. Hæc aliaque mundo excellentiora affirmare Scriptura non posset, nisi doceret ab homine aliquando saltem pendere ut stet. Verba & res tota loquuntur. Si docerem ab homine pendere ut stet, tanquam à causa, vel totali, vel prima, vel principali, vel pro arbitrio suo αὐτοκρατορικῶς agente, speciem haberet objectio. At nihil horum; sed contraria omnia doceo. Dico enim pendere ab homine ut stet: Sed pendente à causa priore, præveniente, movente, excitante, juvante, comitante, subsequente, sine qua impossibile ei est stare, & cujus unius auxilio ac beneficio adjutus stare potest.

1. *De superbia & securitate.*

Deinde

Deinde dico pendere ab homine ut ſtet; ſed ab homine ſuperioris Domini ſui lege in ſolidum obligato, adeo ut niſi ſtet peccato maximo ſe obſtringat, propter quod æternæ mortis reus cenſebitur. Quæ ſuperbiæ aut ſecuritatis vel ſpecies hic locum habet? Sed ut res clarius adhuc pateat, mutemus terminum *ſtandi* quia metaphoricus eſt, in proprium. *Stare* hic ſignificat in genere, auxilio gratiæ facere officium præſcriptum; & in ſpecie, abnegare ſeipſum, humiliare ſe, tollere crucem ſuam, orare Deum, gratias ei agere, μηδὲν κατ' ἐριθείαν, ἢ κενοδοξίαν, ἀλλὰ τῇ ταπεινοφροσύνῃ ἀλλήλους ἡγούμενοι ὑπερέχοντας ἑαυτῶν. *Nihil per contentionem aut vanam gloriam* (gerere;) *ſed ex modeſtia alium ſibi ipſi præferre*; ut loquitur Apoſtolus, *Philipp.* II. 3. Major itaque ſyllogiſmi tui hæc erit; Qui docet ab homine pendere ut auxilio gratiæ officium ſibi præſcriptum faciat, id eſt ut ſeipſum abneget, ſeipſum humiliet, crucem ſuam portet, Deum oret, Deo gratias agat, nihilque per contentionem aut ſuperbiam gerat, is docet hominem ſuperbire aut ſecurum eſſe. Annon bella hæc eſt conſequentia?

Addis: *Tu doces Deum non aliter ſuorum quam hoſtium corda flectere.*

Hæc non nova, ſed una eademque cum præcedente ratio eſt. Nova tantum phraſis eſt. Nihilominus reſpondeo, Tenebræ hîc ſunt in vocibus *ſuorum*, & *non aliter*. Si per *ſuorum* corda, intelligas corda eorum quos Deum ſibi nominatim elegiſſe vis citra ullum fidei aut obedientiæ reſpectum, quomodo negarem Deum iſtorum corda non aliter flectere quam hoſtium, cum tales dari negem? Si vero per *ſuos* intelligas homines vel pios proboſque, vel qui Euangelio jam credunt, & Deo Chriſtoque ejus in obſequium ſeſe dediderunt; tum dic ſodes, quid ſibi velit tuum, *non aliter*: An eo ſignificatum velis non alia flexionis ſpecie, an vero non meliore flexionis modo in eadem ſpecie? Nam ſi Deum non aliter ſuorum quam hoſtium corda flectere, idem tibi ſit quod, Deum alia flexionis ſpecie, puta flexione irreſiſtibili, non uti circa hos, quam circa hoſtes; tum dico id nec ad rem facere, nec verum eſſe id à me doceri. Ad rem non facit: quia docere poſſum Deum non alia quidem flexionis ſpecie circa ſuos uti, quam qua circa hoſtes ſuos utitur, & interim longe aliter, id eſt longe pluribus & excellentioribus flexionis modis circa eos uti quam circa hoſtes. Modi autem illi pluſquam ſufficiunt ad arcendum ſuperbiam & ſecuritatem. Quod enim ſuperbiæ aut ſecuritati anſa non præbeatur, ſi doceatur ab homine etiam pendere aliquomodo ut ſtet, ſive (quod idem eſt) ut ipſe homo flectat cor ſuum, jam ante oſtendimus. Quanto, ergo minus ſuperbiæ aut ſecuritati anſam præberi dicendum eſt, ſi doceatur, Deum etiam flectere ſuorum fidelium corda variis & multiplicibus flexionis modis, licet ii tales ſint quibus etiam ad hoſtium corda flectendum utitur, aut uti poteſt? Quid vero hoc ad ſuperbiæ aut ſecuritatis noſtræ materiam ſervire poteſt, quod eadem gratia fiat hoſtibus quæ nobis? Gratia eſt gratia, cuicunque fiat. Ubi autem gratia locum habet, ibi ſuperbia exulare jubetur. Si dicas te per *ſuos* intelligere eos, non qui jam ante Dei ſunt, ſed qui tum Dei fiunt; ita ut ſenſus ſit, Deum non aliter, id eſt non alia converſionis vi uti circa eos qui actu convertuntur, quam qui non convertuntur actu: tum inepta & captioſa ſane phraſi uſum te oſtendis, & ſimul etiam principium petis. Qui enim id docet, de eo quæritur an is talis doceat id quod ducit ad ſuperbiam aut ſecuritatem? Hæc itaque ut ratio allegari non debet, propter quam cenſeri poſſit tale quid docere, nec ratio ulla vel veriſimilis eſt cur id videri debeat, uti ex antedictis patet. Quare etiam ſi dicas te per *hoſtes* intelligere eos qui hoſtes manent, etiam cum illis gratia iſta facta eſt, nec id ad rem facit. ſive enim maneant, ſive non maneant hoſtes, ſatis eſt quod gratia talis fuerit per quam fieri potuit ut non manerent hoſtes, & per cujus neglectum rei fiunt pœnæ & maledictionis. Sic enim ſecuritati & ſuperbiæ oſtium clauſum manet. Breviter, eventus qui ex officio præſcripto præſtatur, non poteſt nec debet facere ut gratia ad eventum illum producendum primo & principaliter concurrens, magis ſit gratia quam ea ad quam eventus non ſequitur, & quæ tamen eodem modo ad eventum iſtum producendum deſtinata fuit. Eadem enim ſupponitur eſſe gratia, ſive eventus ſequatur, ſive non ſequatur. Et, ſi eadem gratia eſt utrobique, ubi ſodes ſuperbia, ubi ſecuritas erit? An ſuperbiæ & ſecuritati locus ſemper eſt, ubi non eſt gratia irreſiſtibilis? Nugæ. Sed nec verum eſt me docere, Deum non aliter ſuorum fidelium, qua talium, corda flectere, quam hoſtium, id eſt eorum qui credere nolunt. Epiſtola tota aliud docet & dictat. Dico enim Deum fidelium ſuorum corda, non tantum in eadem flexionis ſpecie pluribus & excellentioribus flexionis modis flectere, quam corda hoſtium ſuorum; ſed etiam nonnunquam iſta flexionis ſpecie flectere qua hoſtium ſuorum corda nunquam flectit, prout ex præcedentibus prolixe patet. Quare quod ſubjicis, *me nullam gratiam agnoſcere in qui ſeſe vere Chriſto tradiderunt*, peculiarem, *præter eam quæ meretur & præmii rationem habet*, in eo mihi ſententiam imponis non minus falſam quam odioſam, niſi phraſin tuam, *In qui ſeſe vere Chriſto tradiderunt*, exponas per, *ad hoc ut ſeſe Chriſto traderent*. Sed ſic 1. manifeſte prævaricaberis ſub phraſeos ambiguitate. aliud enim eſt loqui de iis qui jam ſe Chriſto tradiderunt, aliud de iis in quibus efficitur primum ut ſe Chriſto tradant. 2. falſam ſententiam nihilominus mihi impones. Ego enim non nego alias multas gratias, ſive externas, ſive internas conferri à Deo poſſe & ſolere; ſolam tantum irreſiſtibilem ubique excipio, quæ una tibi inepte peculiaris gratia vocatur, quaſi vero nulla gratia peculiaris cenſeri poſſit, niſi cui reſiſti non poteſt. 3. Etiamſi id omnino docerem, nihilominus principium à te peteretur. Una enim eademque hæc eſt conſequentia cum duabus præcedentibus: proinde ſimiliter hæc conſequentia adhuc reſtaret tibi probanda, Eos qui id docent, docere id quod ad ſuperbiam aut ſecuritatem ducit. Ego eam à te probari, quinimo à te probari poſſe, nego. Tenta, & videbis.

Pergis: *Tu doces voluntatem ſeipſam flectere in meliorem partem.*

Et hæc ratio una eademque eſt cum præcedentibus. Nam dicere ab homine pendere ut ſtet, à Deo non aliter flecti ſuorum corda quam hoſtium, quid aliud eſt quam dicere voluntatem ſeipſam flectere in meliorem partem? Πεῤῥησυλλογία hæc in diſputatore moleſta eſt. Sed ſequamur te. Conſequentia argumenti tui laborat, Camero. Tantum enim abeſt ut ex eo, ſi quis doceat voluntatem ſeipſam aliquo modo flectere in meliorem partem, ſolide concludatur, eum docere ea quæ ad ſuperbiam aut ſecuritatem ducunt, ut ne quidem id concludi jure poſſit, ſi quis doceat voluntatem hominis ſeipſam ſuis propriis naturalibus viribus flectere in meliorem partem; quæ ſententia Pelagii fuit: ſi modo ſimul doceat hominem non habere potentiam iſtas vires exerendi ſine prævia aliqua morali actione gratiæ, & ex officio obligari ad flectendum voluntatem ſuam in meliorem partem quæ ei præſcribitur. Jam vero certum eſt me docere voluntatem hominis ſeipſam viribus ſuis naturalibus non flectere, nec flectere poſſe in meliorem partem, niſi potentia nova præditam, ſeu præventam, excitatam, impulſam, adjutam à Divina gratia; & hominem non natura tantum, ſed ex nova lege & præſcripto Dei teneri atque obligatum eſſe ad flectendum voluntatem ſuam in partem iſtam in quam movet gratia, niſi præmio æterno excidere & pœnam graviſſimam velit incurrere. Quæ itaque ſuperbiæ radix, aut quæ ſecuritati rima, imo rimula, à me aperta relinquitur? Gratia, gratiæque, id eſt indebiti favoris magnitudo, ſuperbiæ fibulam imponit. Neceſſitas parendi aut æternum moriendi, ſecuritatem non admittit.

Quare nec ad ſtabiliendum conſequentiam argumenti tui, nec ad rem quicquam facit, quod ſubjicis me docere: *Voluntatem hominis impeditam quidem eſſe ante gratiam, at non eſſe corruptam & depravatam.*

Nam dato, ſed non conceſſo, id à me doceri, nondum tamen iſta via ſuperbiæ aut ſecuritati oſtium à me patefactum oſtenderes. Nam poſſem docere voluntatem nonniſi impeditam eſſe ante gratiam, & interea ſimul docere impedimentũ iſtud tale tantumque eſſe, ut impoſſibile ſit homini ſe ex eo viribus ſuis aliiſve, ſeu humanis, ſeu Angelicis expedire, & eo manente quicquam facere quod Deo gratum eſt, nedum à Deo pro ſe ſperare æternam beatitudinem; Et hoc docendo annon ſuperbiæ & ſecuritati obex impoſitus maneret? Tam enim neceſſaria eſt gratia homini impedito impedimento invincibili, quam corrupto depravatoque. Nec enim, ſi moraliter loquamur, magis dici poteſt poſſe legere qui Cimmeriis tenebris invincibiliter circumdatus jacet, etiamſi potentia ejus viſiva ſana ſit atque integra, quam is qui plane cæcus eſt. Potentiæ inexpedibiliter ligatæ qua talis, & plane corruptæ, eadem pæne eſt ratio. Nec magis poſſe currere dici meretur is qui compedibus inextricabilibus conſtrictus ſedet, quam qui pedibus caret. Et ſane, ſi conſequentia tua valeret, iſta hypotheſi poſita contra te valeret, jamque adeo doctrina tua te ipſo authore ſuperbię & ſecuritati oſtium panderet. Tu enim, ſi modo conſequenter tuæ ſententiæ loqui velis, voluntatem hominis non corruptam depravatamque, ſed impeditam tantummodo propter mentis cæcitatem ſtatuas neceſſe eſt; uti in præcedentibus, & nominatim cap. 2. prolixe à me demonſtratum eſt. Verum enimvero abſit à me, ut ego unquam docuerim, voluntatem non eſſe depravatam & corruptam, ſed impeditam tantum; aut à ſententia mea, ut me iſtud docere neceſſe ſit. Contrarium ex antedictis à me manifeſtum eſt.

Ex quo patet quam vanum ſit id quod quæris; Quomodo ſcilicet non doceam homines una eademque opera ſuperbire & indulgere peccato, & tacite illud apud ſe uſurpare, ἄνευ τοῦ σκάνδαλον. Sed libet ad hanc tam vanam & inſulſam quæſtionem propius paulum reſpondere.

Posito quod verum esset à me doceri omnia ista quæ jam posuisti, videlicet pendere ab homine solo & in solidum ut stet: Non majorem gratiam accepisse eum qui actu convertitur, quam qui non convertitur: Voluntatem seipsam sua sponte & suopte instinctu flectere in meliorem partem: Eam ante gratiam nullo modo esse corruptam aut depravatam, sed tantum impeditam, & si quid hisce addi aliud potest; an ex eo sequeretur tamen me una eademque opera docere hominem tacite illud apud se usurpare, ἄυριον τὴ σπουδαῖα? Nihilo minus. Ista enim docere possem, & simul docere non esse homini differendum propriæ suæ libertatis usum usque in crastinum. Incertum esse an ἄυριον illud visurus sit, juxta illud,

*Nemo tam divos habuit faventes*
*Crastinum ut possit sibi polliceri.*

Quin & Deum diserte cavere ac monere ut *hodie* vocem ejus audiamus, ut exhortemur alii alios *quotidie*, quoad appellatur *dies hodiernus*, & quæ sunt ejus generis plura. Et hoc docendo securitati via undiquaque nihilominus maneret obstructa. Ut enim securus sis de præsenti, & in crastinum differas τὴ σπουδαῖα, non satis est ut facere possis quodlibet pro arbitrio, sed necessario etiam requiritur, ut facere id possis quando libebit, & sic futurum tempus temporisque adeò futuri momenta omnia habeas in potestate tua; Alioquin fieri potest, ut tempus sit quo non licebit quando libebit. At tempus hoc Deus solus retinuit in manu sua, quod suppono tanquam utrimque in confesso. Quare videris, Camero, qua juris specie, aut similitudine veri, mihi tribuas quod idcirco quia doceo ab homine pendere ut stet, una eademque opera doceam eum voluntatem suam sic in potestate sua habere, ut sistere gradum seque à peccando revocare possit quando libet. Pudet me tam fœdæ & eruditione tua indignæ consequentiæ. Adde jam quod nihil minus, quam istud, quod me docere vis, doceam: Si quidem doceo certum esse illud quod dicitur; *Qui non est hodie, cras minus aptus erit.* Peccando non satiatur, sed augetur peccandi libido; & ex crebris actionibus malis gignitur tandem habitus malus, qui quanto diuturnior est tanto minus mobilis redditur. Consuetudo altera natura est. Et quæ ab illa est agendi bene difficultas, frequentius dicitur impotentia in Sacris & in communi vita, quam quæ à natura est. Accedit deinde divina punitio, qua Deus paulatim magis magisque ita peccantibus auxilia sua subducit, & peccandi occasiones ex omni parte finit invalescere. unde fieri aliter vix potest quin homo, quanto magis tempus resipiscentiæ differt, tanto magis reddatur ad resipiscendum inidoneus, donec tandem sibi suisque cupiditatibus traditus fiat ἀπηλγηκὼς, & certatim sese dedat proteruiæ ad patrandum omnem impuritatem: *Ephes.* IV. 19. Et hæc qui docet, Camero, an is dicto isti tuo, ἄυριον τὴ σπουδαῖα, occasionem vel minimam præbet?

Vide vero etiam atque etiam, an non per tuam sententiam, qua statuis à solo Deo pendere ut boni simus aut mali, occasio detur hominibus non tacite intra se, sed aperte & coram Sole jactandi, vivamus secure, & hilaria celebremus ἀφόβως, nec peccare metuamus, nec mori. τὴ σπουδαῖα ὅτι Θεὸς βάλῃ; Antequam ille vult impossibile omnino est ut mutemus vitæ nostræ propositum, aut si nos elegit impossibile est ut moriamur. Ubi volet, impossibile erit ut maneamus qui sumus, etiamsi pessimi simus & mortalium flagitiosissimi: imo impossibile est ut non salvi moriamur. si nolit, actum est de nobis: Pereundum est, velimus nolimus. Quare securi simus tam de morte quam de vivendi ratione. A Deo solo pendent omnia nostra & à fato ejus. Vivamus quoad licet & libet nobis. ubi Deo videbitur, nec licebit amplius, nec libebit.

*2. De desperatione.* De desperatione quod quæris, id adeo frigidum est ut nesciam an responso opus sit. *Postquam vero homines* (ais) *sensere experientia ipsa non esse humanarum virium rem tantam præstare, tuque eos ita instituerit atque informaverit, ut pro certo habeant Deum neminem ita afficere nec sane velle afficere, ut quod sua non potest, id illius viribus instructus non modo queat præstare, sed etiam præstet: ut qui scilicet si id faceret voluntatem humanam atque ejus libertatem penitus aboleret; quæ tua est sententia; Fac, inquam, intelligam qui non docuerit hoc pacto homines desperare.*

Hîc enim supponis quod non modo falsum est, sed ne per speciem quidem à te probari potest, & in quo tamen præcipua adeoque tota vis argumenti hujus tui sita est; Homines scilicet experiundo discere, aut experientia sentire, non esse humanarum virium si divinæ gratiæ auxilio præveniantur & juventur, voluntatem suam flectere in meliorem partem. Obsecro enim qui sunt isti homines, ubi ista experientia, atque unde est? An consuluisti aut audivisti ullos qui id serio & bona fide experti sunt, quorum experimento stare possis, & vim argumenti tui superstruere? Quid si contraria experimenta allegem? An experimentum tuum proprium allegabis? At hoc nonnisi unicum foret; cui si meum opponerem, quid responderes? Tum qui experimenta ista faciunt, ii sunt aut electi tui quos à Deo efficaciter vocari vis, aut reprobi quos inefficaciter vocari asseris. Neutrorum experientia hîc potest allegari. Non illorum; quia illi cum vocantur efficaciter non sentiunt experiundo se non posse facere quod Deus jubet, sed sentiunt tantum se id posse facere & actu ac reipsa facere. Sentiunt enim divini auxilii opem aut operam, qua fit ut aliud aut aliter agere non possint. Non horum: quia hi experimentum ejus rei capere non possunt nec volunt. Si enim experimentum caperent ejus an possint voluntatem suam flectere in meliorem partem, jam reipsa vellent saltem flectere voluntatem, atque ita experimentum caperent an possint velle quod jam reipsa volunt; quod absurdum est. velle enim flectere voluntatem, plus aliquid dicit quam posse velle; & experiri an possis facere, sine voluntate faciendi esse non potest. At hæc, juxta te, in reprobos tales non cadit. Regenitorum ista vox est, ex tuorum opinione, quod non volo, hoc facio; & quod volo, hoc non facio. Accedit quod ii quos experimentum istud capere vis, aut jam habeant animos suos præoccupatos ista tua opinione, quod videlicet certa res sit ab homine nullo modo pendere ut stet; Aut non habeant. Isti experimentum ejus rei necessarium non putant, aut quodlibet vel leviculum tentamen sufficere credunt pro experimento certissimo, saltem experimentum eorum meritò suspectum videri debet. Horum experimento, Camero, nec tu uteris, nec stare voles. Unde itaque experimentum sumes? Experimento quivis apud se discere, & ex aliis deprehendere potest, an faciat Dei voluntatem; sed qui experimento certo discat ac sentiat, se alioqui non posse facere voluntatem Dei, etiam auxilio divinæ gratiæ adjutos, nemo, nemo (inquam) deprehendetur. Hæc injuria redundat in Deum & Sanctum ejus Spiritum. Nec satis videri debet si quis id firmiter credat atque asserat. Facile enim credimus quod carni nostræ gratum est, & quod lenocinandis nobis atque excusandis in peccatis nostris servire potest. Non posse prætendimus, non velle in causa est. Tum quotusquisque est qui id tentat serio? imo quotusquisque id tentat diu multumque, & justo quidem experimento? Fit aliquando ut longa peccandi consuetudine fracti ac satiati, tædio ac fastidio peccati corripiamur ad tempus, & virtuti nos applicemus, tanquam experimentum capturi. Et non raro occasio aut casus aliquis subito nos præcipitat aut rapit in amorem boni, adeo ut non amor tantum, sed & fervor ac zelus nos habere totos videatur: ardemus & flagramus; sed flamma in stipula est. Quod ἐξάνθημα in corpore, idem ardor & timor ille in spiritu est. Ebullitio est, effervescentia est, ἔρμὴ est: Cito fit, cito perit. Concipit animus, sed ut non multo post abortiat. Efflorescit cupiditas, sed ut repente iterum flos defluat; Radix deest & succus. Ab hisce si experimentum peti posse credas, næ vehementer erras. Rapiuntur, sed experimentum non capiunt. Paroxysmo incenduntur, sed qui ab occasione non à voluntate ipsa oritur, atque ita repente iterum desinit. Et sunt qui adeo sibi blandiuntur, ut hoc experimentum sufficere credant ut in gratia sint apud Deum. Hanc qualemcunque volitionem non aliunde quam à spiritu solo divino proficisci potest. Cætera aut impossibilia aut non necessaria esse, nisi Deus ipse ea porro operetur. His quodlibet conamen, experimentum erit plenarium. Nihil enim libentius quam hoc volunt credere. At quisquis experimentum serio capit, id est pro virili cum precibus, jejuniis, toroque adeo Spiritu suo id agit ut experiatur quid possit, is sentiet reipsa vires sibi non deesse ad standum, sed voluntatem suam auxilio divinæ gratiæ adjutam plusquam sufficere ad se flectendum in optimam partem, etiamsi tentationes graves ingruant. Certus enim est & persuasus Deum non tentare voluntatem nostram supra vires, sed præstare etiam (à parte scilicet sua) cum tentatione exitum, ut possimus eam ferre: 1 *Corinth.* X. 13. Hujus autem rei infallibile indicium est, quod eos qui experimentum istud semel senserunt, & postea ad pristinam vivendi consuetudinem relabuntur, (quod fieri posse statuo) conscientia sua redarguat, accuset, torqueat, quod viribus istis quas sufficere experti semel fuerunt, non semper sint usi, imo abusi sint, voluntatemque suam flexerint in contrarium, atque idcirco juste à Deo puniendi sint. Et hæc quidem conscientia omni alio testimonio atque experimento potior videri debet.

*Conclusio operis confians admonitione ad Camerонem.*

Atque hac quidem ratione, Camero, abunde responsum esse arbitror ad ea omnia quæ in hoc libro tuo pro defensione sententiæ tuæ Epistolæ meæ opponere tibi placuit.

Jam

Jam ego viciſſim per ſalutis tuæ ſtudium ac curam te obteſtor atque obſecro, ut hæc ſerio tecum reputes & perpendas, ſine offenſa, ſine gratia. Maximi momenti res inter nos acta eſt. Summi Dei, & non Chriſtianæ tantum, ſed Religionis in univerſum gloria, hîc vertitur. Si ſummus Deus peccati author eſt, quid eſt peccatum? quid religio? Si peccatum non eſt, ſi religio non eſt, quid eſt Deus? Grave crimen eſt, mi homo, id docere per quod ſanctiſſimus Deus in communionem peccati cum Diabolo aut cum homine vocatur. Gravius multò docere id per quod Deus præcipuus author peccati per legitimam conſequentiam efficitur. Graviſſimum, docere id per quod idem Deus primus propriè ac ſolus peccati author ſtatuatur neceſſe eſt. Quid dicam, docere ac profiteri aperto ore Deum peccati primi, cæterorumque quæ ex eo fluere neceſſe eſſe creditur peccatorum omnium, authorem eſſe? Hoc poſtremum quod jampridem nonnulli tibi ἀμάθεξ nefario ore dicere, ac profaniore calamo ſcribere auſi ſunt, tibi non impono. Non ſinit id tua, ſi cum illis ſentis, prudentia; nec, ſi diſſentis, pietas. At vide ſis, etiam atque etiam te per quicquid animæ tuæ carum eſt oro atque obſecro, an non cætera omnia à te doceri jam clare tibi à me oſtenſum ſit, & cum res eodem fere recidat, annon tempus ſit ut de deſerendo tam turpi ac pudendo errore cogites. Utinam rationes meæ tantum apud te poſſent! Quin Deus id ſerio velit ac cupiat ego quidem nullus dubito. Tuum eſt videre ne Deo, tibi ſuadere ac perſuadere tam apertam claramque veritatem cupienti, obicem ponas, & ſic tibi aliiſque in pietatis ac ſalutis via obſtaculum aut remoram non injicias. Doctrinæ genius acre, ſed arcanum, in ſe habet calcar ad profanitatem, & naturam noſtram eo ſponte inclinantem levi momento præcipitat. Doctoris verò, imprimis qui in fama atque exiſtimatione eſt, patrocinium, potentem addit ſtimulum in animis ſimpliciorum, ut quod pæne vident ac palpant, in animum ſuum inducere, aut omnino nolint, aut vix poſſint, ita ſe habere. Atque hæc profanitas hæret in animis eorum non aliter quam trabali clavo fixa, non ceſſura niſi doctrinæ malleus eam imprimere deſinat. Scio quod cum iſta doces, ſimul etiam doceas atque horteris tuos ut peccata deteſtentur, oderint, fugiant, ut juſtitiæ operam dent, ut ſancte atque inculpate in hoc ſæculo vivant, &c. Sed & ſcio te quod una manu ædificas altera deſtruere, & quem hortando acriter inſeris, docendo multo acrius eximere pietatis ſtimulum. Hortationis baſis, vis atque anima eſt doctrinæ genius. Hic ſi ante omnia animos non ſolidet, non firmet, non roboret ad pietatem, ſed contra eos luxet, diſſolvat, quin & vi ſua ab ea alienet, actum pæne eſt. Tota hortatio, quantumvis ſeria, prolixa, & omni eloquentiæ ac facundiæ fuco comta, nil niſi æs ac cymbalum tinniens, evanida umbra, & purum putum σκιλῆς, ſine nervis, oſſibus, venis, arteriis, ſanguine, medulla, ſpiritu; denique vox eſt, prætereaque nihil. Si afficit, momento afficit, non hæret, prætervolat, & fulguris inſtar evaneſcit, doctrinæ genio vim ejus ſuffocante atque enecante. Et, obſecro, quomodo non prætervolet, non evaneſcat in auribus animiſque auditorum oratio iſta, quæ curam ac ſtudium pietatis omnibus promiſcue ac ſtrenue inculcat, & tamen ſimul etiam uno eodemque ſpiritu, Deum pietatis ſtudium in paucis quibuſdam nominatim ad id ab æterno electis, ſine ipſis efficere ac conſervare velle, in cæteris vero omnibus efficere nolle, ac proinde in iis eſſe non poſſe, perſuaſiſſimum omnibus eſſe vult? Seipſam deſtruit ejuſmodi oratio, quicquid eam comas, ornes ac polias, quæſito hinc inde cæromate atque apparatu rhetorico, quin & univerſo ſpiritus tui zelo animes atque armes. Quem verbis imprimere videri vult affectum ſanctimoniæ, eum reipſa & radicitus ex omnium animis evellit. Atque hinc fit quod animi fere plerique, etiam eorum qui fortiſſime ſibi perſuadere valent ſe ex parvulo iſto electorum grege eſſe, inter ſterilia atque inania pietatis vota, divinæque operationis lentam expectationem pendeant; adeo ut dum omnia à ſolo Deo ejuſque efficace operatione optant atque expectant, per totam vitam ſuam præter effætum ſterilemque pietatis affectum pæne nihil circumferant. Nempe dum ſemper à Deo pii effici optant, ut vere pii fiant vix ac ne vix quidem laborant. Hic doctrinæ iſtius genuinus fructus eſt: dum alii ut ſupra vota aſſurgant opus non eſſe, alii ſupra ea aſſurgi non poſſe, alii vero etiam neſcio quo propriæ perfectionis metu, dicam an odio, divinæque gratiæ altius extollendæ ſtudio, ſupra quem Deus ipſe efficit aſſurgi non debere ex genio ejus conſequi non male animadvertunt. Atque huic imaginationi quidem quando accedit ea quæ de nudæ ſoliuſque fidei, citra ullum pietatis reſpectum, privilegio pæne aſſidue inculcatur opinio, fieri non poteſt ut alius ex doctrina iſta fructus oriatur. Quod ſi id tamen aliquando fit (uti id in non paucis veſtrum fieri videmus) id plane per accidens fieri cenſendum eſt: dum videlicet doctrinæ genius aut non intelligitur, aut non reſpicitur, aut reſpuitur etiam, aut denique animus noſter ad ſanctimoniæ ſtudium proclivis, ab eo abducitur, atque averſus pæne per vim in mero pietatis ſtudio detinetur. Neque vero ſatis eſt, mi Camero, quod dicis hæc duo ſimul à te ad Apoſtoli exemplum doceri, *Operamini ſalutem veſtram cum timore & tremore.* Et, *Deus efficit in vobis velle & perficere.* Nam quis adeo à Sole averſus hæreticus reperietur, etiamſi δὶς ἀλλ' πατῶν à te diſſentiat, qui iſta ſimul non doceat? Iſta ſimul docuit non Manichæus tantum, ſed & Pelagius, quos tu nihilominus longiſſime inter ſe diſſenſiſſe, & ſimul peſſime tum ſenſiſſe tum docuiſſe tibi perſuades. Et, ſi ad gratiam determinatricem tuam contra libertatem arbitrii adſtruendum, ſalva pietate, ſufficere credis quod duo iſta ſimul conjunxerit Apoſtolus; cur non eodem tecum jure utatur Pelagius, ut ſufficere id dicat ad libertatem arbitrii adſtruendum contra determinationem tuam, ſalva gratia, quia videlicet duo iſta conjunxit Apoſtolus? Non docet ſtatim cum Apoſtolo, qui verba Apoſtoli pro arbitrio ſuo ſententiæ ſuæ prætexit. Non citat legem, qui verba legis ex ſenſu ſuo; ſed qui verum legis ſenſum ex verbis inter ſe collatis citat. De ſenſu dicti Apoſtolici quæritur, non de verbis. Senſum autem tuum verbis iſtis non ineſſe jam ante prolixe ſatis oſtendimus. Quod humilitatem, quam ab Apoſtolo *timoris ac tremoris* nomine deſignari ais, (quo jure jam non diſputo) aliunde non oriri dicis quam ex cogitatione determinatricis tuæ gratiæ, quam inepte verbis iſtis, *Deus enim efficit in nobis velle & perficere*, denotari vis, id ſane frivolum eſt, ut ſupra clarum fecimus. Si enim oritur ex iſta cogitatione, non aliter quam iſta ipſa cogitatio oriri creditur à te ex determinante divinæ gratiæ operatione, quomodo virtus humilitatis eſt? Tantum enim abeſt ut humilitas, quatenus virtus noſtra eſt, quam nos ex præſcripto divino & officio noſtro facere jubemur, non aliunde quam ex determinatrice operatione aut cogitatione oriatur, ut, ſi ex ea oriatur, ne virtus quidem eſſe poſſit. Effectus enim merus actionis alterius, non poteſt eſſe actus ex officio à nobis ad præſcriptum alterius præſtitus. At talis actus eſt virtus, quæ quidem virtus noſtra dici mereatur. Quod totum aliunde eſt, id non poteſt eſſe noſtrum. Nec ſolicitudo, quantumvis maxime pia, quæ in nobis eſt ſine nobis, noſtra ſolicitudo eſſe poteſt. Quare nec præmium, nec corona, nec laus, nec honor, nec retributio, nec merces à Deo nobis tanquam humilibus, tanquam pia ſolicitudine præditis, dari poteſt, ſi humilitas, ſi ſolicitudo in nobis eſt ex ejuſmodi pura puta divina operatione. Recte Hieronymus: *Liberi arbitrii nos condidit Deus. nec ad virtutes, nec ad vitia neceſſitate trahimur: alioquin ubi neceſſitas, neque corona neque damnatio eſt.* Atque hæc una res ſufficere mihi videtur, ut quanto in errore verſeris intelligas. Quod ſi eveniat, erit quod mihi, tibi, aliiſque gratuler. Sin minus, Deum ſupplex oro ut, niſi tibi ſtet ſententia non cedere, aliis clarioribus rationibus illuſtrare te dignetur pro paterna ſua miſericordia, ut à tam noxio & peſtilente errore liberari poſſis, & tibi aliiſque multis in æternæ ſalutis via non ſis obſtaculo: aut, ſi id divinæ ejus majeſtati non placet, ut ne patiatur errorem iſtum tibi aliiſque eſſe lethalem. Vale.

LECTO-

# LECTORI CHRISTIANO S.

AD tanto fortius retundendam Cameronis jactationem, Cap. VI. sententiam suam de necessaria voluntatis per intellectum determinatione habere fautores Theologos Veteres & Recentiores, præter loca ab Episcopio nostro in contrarium allata, visum est adhuc Petri Molinæi & Antonii Walæi, celeberrimorum inter Reformatos Theologorum, luculenta testimonia hîc subjungere, desumpta ex libris qui nondum lucem conspexerant cum Episcopius Responsionem hanc adornaret.

Petrus Molinæus in libro qui inscribitur, *Enodatio gravissimarum quæstionum*, &c. Tractatu de Libero arbit. cap. II.

NOn est dubium quin in homine rationis compote, quotiescunque voluntas movetur, adsit aliquod judicium intellectus practici. Homo enim habens usum rationis, non agit nisi ob aliquem finem, qui ab intellectu concipitur. Sed in quæstione de Libero arbitrio, non agitur de quolibet judicio intellectus practici, sed de ultimo, à quo novissime voluntas impulsa movet se ad actionem.

Celebris est in Scholis, & usu pene contrita sententia, Voluntatem semper determinari & regi ab ultimo judicio intellectus practici. Quæ tamen sententia longe abest à vero. Nam etsi hoc verum est quotiescunque intellectus munere suo fungitur, & habet obsequentes appetitus & voluntatem; sæpe tamen accidit ut intellectus determinetur à voluntate. Multi credunt id quod volunt credere, & quod cupiditas suadet esse credendum; quales sunt qui Religionem lucro metiuntur, & quorum mens inservit ventri, & quorum intellectui avaritia, aut metus, aut fitis honorum interdixit ulteriorem inquisitionem veri, & vetuit aliud sapere aut sentire, quam quod domesticis rationibus est accommodatum. Hi habent fidem imperatam, & factam ad alterius voluntatem, sui subjecerunt suam.

In his voluntas quidem non movetur sine aliquo judicio intellectus practici; sed hoc judicium imperatum est à voluntate, & voluntas prius determinat intellectum, quam intellectus suadeat voluntati. Aliud est habere rationem ducem, aliud comitem aut pedissequam. Semperque voluntas est cum intellectu aliquo aut ratione, sed non semper movetur ex ratione.

Hoc quomodo fiat explanandum est. Sæpe fit ut intellectus, cujus est naturale in voluntatem imperium, hæsitanter suadeat, & languidè tractet habenas, aut serò se ad judicandum applicet. Ex adverso autem appetitus sensitivi sæpe tam subito & tam vehementer concitantur, ut voluntas ab appetitu impulsa jubeat intellectum judicare ex appetitus imperio. In quo primo æstu appetitus, non datur judicio libertas, nec otium aliud suadendi quam quod dictavit appetitus.

Initium hujus perturbationis est à phantasia, quæ in pueris per plusculos annos ante rationis usum appetitui imperat, & ad cujus judicium appetitus concitatur. Hæc excipiens renuntiata à sensibus externis & à sensu communi, illico judicat de dulci & utili ad vitæ præsidium, nunquam vero de honesto aut justo. Ad cujus dictamen sæpe effervescit appetitus, antequam intellectus possit instituere aliquam deliberationem, & rem examinare ad lancem recti judicii. Adquem impetum cùm homo sine mora fertur ad agendum, turbatur ordo naturæ, & judicium intellectus determinatur à voluntate.

Quapropter qui in ejusmodi perturbationibus censent intellectum practicum determinare voluntatem, in eo hallucinantur quod phantasiæ judicium non discernunt à judicio intellectus, & putant ab intellectu practico dictari, quod phantasia suggessit appetitui, & per appetitum voluntati.

Hujus rei exemplum habemus in pueris, qui per ætatem nondum habent usum rationis. Horum enim voluntas non movetur ex judicio intellectus practici, quia nondum agunt ex ratione. Quid autem vetat quin in adultis quædam gerantur eodem modo quo fiunt in pueris? cùm sint quidam viri infantiores infantibus, & (ut ait Seneca) quidam senes non sint bis pueri, sed semel: semel autem pueri, quia semper. Aut quis miretur si phantasia & appetitus assueti imperare, retentant adhuc in adolescentibus grandiusculis habenas, & ægrè cedunt rationis succedentis imperio?

Id ipsum vehementer confirmant aculei conscientiæ. Nam post scelus commissum langueſcente appetitu, vel ex satietate, vel ex damno succedente, incipit intellectus arripere gubernaculum, & voluntatem increpare, quod non expectato judicio intellectus, morem gesserit cupiditati.

Ante-

# Antonius Wallæus in Locis Communibus Theologiæ, Loco de Reſipiſcentia.

DCamero *adverſus* Tilenum, *ut* Remonſtrantes *ex ipſorum principiis refutet, hypotheſin quandam infert, ex qua eos ſe convicturum judicat, idque in hunc modum.*

Intellectus, *ex Remonſtrantium ſententia*, vi irreſiſtibili illuminatur atque afficitur in converſione hominis. Atqui voluntas neceſſario & irreſiſtibiliter ſequitur illuminationem & judicium intellectus. Ergo & voluntas neceſſariò atque irreſiſtibiliter convertitur ac regignitur.

Majorem *ponunt & concedunt Remonſtrantes*; Minorem *aliquot argumentis, quæ ipſe firma judicat, conatur probare; quæ ſupra ſunt breviter annotata.*

*Sed ſalvo meliori judicio, nos nondum poſſumus iſti hypotheſi aſſentiri, propter has rationes.*

1. *Quia ſequeretur actiones omnes humanas oriri ex neceſſitate irreſiſtibili; quia ſtatuit intellectum illuminari à Deo, & pro illuminationis modo voluntatem ſequi; ac proinde tolleret omnem libertatem indifferentiæ ex homine.*

2. *Quia in primo hominis peccato, defectus illuminationis ſtatueretur hoc modo ejus peccati cauſa; qui defectus illuminationis ex nullo antecedenti merito accidiſſet; ac proinde homo fuiſſet cæcitate punitus prius quam peccaſſet, atque conſequenter in peccato ſuo excuſabilis.*

3. *Quia Scriptura diſerte libertatem indifferentiæ tribuit voluntati, ut Pſal.* CXV, Deus noſter in cælis eſt; quicquid voluit fecit. *Et Rom.* IX, Cujus vult miſeretur, & quem vult indurat. *Sic* 1 *Cor.* XII, Diſtribuit dona prout vult. *Epheſ.* I. Qui omnia operatur ſecundum conſilium voluntatis ſuæ. *Et de homine*, 1 *Cor.* VII. 36, Si quis aliquid indecens in virginem ſuam ſe putet committere ſi florem ætatis excedat, &c. quod vult faciat, non peccat, jungatur matrimonio.

*Nulla quoque eſſet libertas indifferentiæ in hominibus naturalibus in rebus externis & diſciplina civili; quod* noſtri *tamen agnoſcunt.*

*Et ſi ergo fateamur, hanc rationem refutandi* Remonſtrantes *fore firmam & expeditam ex hac hypotheſi, tamen quia ipſa hypotheſis nova eſt, & his difficultatibus urgetur, ideò nobis cum reliquis omnibus Reformatæ Eccleſiæ Scriptoribus aliter eſt agendum & reſpondendum.*

## Et paulò ante in eodem Loco de Reſipiſcentia, ita Cameronis objectionibus reſpondet.

1. Obj. *At voluntas neceſſariò ſequitur modum illuminationis intellectus, ut in beatis videmus. Ergo*, &c. Reſp. *Neg. anteced. Ita enim peccantes in Spiritum S. meliores eſſent in voluntate ſua multis vere regenitis, & Diaboli ipſi multis fidelibus, quia magis illuminati ſunt.* 2. *Omnia peccata eſſent ex ignorantia, nulla contra conſcientiam.* 3. *In primo peccato, Deus fuiſſet cauſa ſaltem deficiens, antequam eſſet deſertus ab homine, cum illuminatio non ſit in hominis poteſtate, & ejus modum ſequatur actio voluntatis.*

4. Obj. *Si intellectum regenitum non neceſſario ſequatur voluntatis etiam irregenitæ actio, tum voluntas nullo fine propoſito poſſet agere, poſſet ferri in malum quà malum, non eſſet rationalis appetitus*, &c. *At hæc omnia ſunt abſurda. Reſp. Negamus illa conſequi quæ hîc ponuntur: quia finis non tantum proponitur à judicio rationis, ſed etiam à ſimplici intellectu & dilutiori judicio. Eadem eſt ratio reliquorum; quia apparens bonum ab intellectu practico poteſt proponi voluntati, item ratio deterior; quam voluntas tamen, omiſſa meliori ratione & bono propoſito, propter congruentiam ejus cum illis, & nativam libertatem, eligat.* Inſt. *At ſic aget voluntas ſine ratione.* Reſp. *Nego conſeq. Aget quidem ſine optima ratione, non tamen ſine omni ratione: alioquin cum ſequitur optimam rationem, nullam quoque habet rationem cur optimam potius quam deteriorem ſequatur.*

M. SIMONIS EPISCOPII

# JUDICIUM DE CONTROVERSIA,

## Quodnam sit ordinarium conversionis medium,

Amstelodami exorta in illorum cætu qui vulgo Mennonitæ Waterlandi vocantur, inter NITTARDUM OBBESIUM ab una, & JOANNEM RYSIUM, REYNERIUM WIBRANDI, PETRUM ANDREÆ, & CORNELIUM NICOLAI ab altera parte.

Versio ex Belgico anno CIↃ IↃC XXVI absque Auctoris nomine in lucem edito.

CHARISSIME in Christo frater, Petis à me ut aperire tibi velim quid sentiam de controversia nuper Amstelodami in Waterlandorum Mennonitarum cætu exorta. Teneri etiam me agnosco fidele tibi consilium in re tanti qualis hæc mihi esse videtur momenti impertiri. Serio igitur ad eam attendi. Optarem solummodo ut verus controversiæ status nude & aperte propositus fuisset, aut saltem ut ego illum tam commode explicare possem ut neutra pars justam de me conquerendi causam haberet. Quod ut faciam nulli labori aut diligentiæ parcere constitutum est. Status iste ab una parte clarus satis esse videtur, sed ab altera perplexior quodammodo & intricatior, speciosisque aliquot phrasibus & loquendi formulis ita fucatus, ut verum controversiæ fundamentum & quonam pars illa proprie collimet difficile sit assequi. Unde id oriatur non est mihi promptum dicere. Fieri potest ut ingenii hebetudo in causa sit ne illud animadvertam. Sed per voluntatem meam non stare sancte affirmare possum. Præjudicia odi & quantum in me est fugio. Nec gratia etiam nec odio in hanc potius quam in illam partem propendeo. Id mihi sufficit, & tibi quoque, ut confido. Rationem nunc exponam cur verus quæstionis istius status obscurior adhuc esse mihi videatur. Tu an ejus culpa ingenio meo, an materiæ ipsi, an partibus contendentibus tribuenda sit pro æquitate & prudentia tua judicabis.

*Sententia Nittardi Obbesii.*

Status quæstionis satis est clarus à parte Nittardi Obbesii. Aperte enim docet, *Dei verbum prædicatum aut scriptum, id est sensum quem verba præ se ferunt, & qui ex verbis clare apparet, medium & instrumentum esse per quod Deus ordinarie in hominibus operari vult & reipsa operatur fidem, conversionem & regenerationem, quæ ad salutem æternam sunt necessariæ.* Aliquid solummodo obscuritatis superesse videtur in eo, quod statuit verbum istud Dei externum non pendere tantum à Deo tanquam præcipuo auctore & causa; sed præter clarum istum quem in se continet sensum, peculiari semper aliqua efficacia aut efficaci operatione Spiritus Dei comitatum esse, sine qua inefficax & sterile foret. Nam quænam ista sit efficacia & operatio, item quomodo & cur semper verbo adjuncta sit aut esse debeat, utrum verbo sit collateralis, an verbum tanquam instrumentum quo utitur solummodo aptum reddat ad efficacem sensum habendum, quo intellectus hominis cognitione possit illuminari, & cor ad charitatem & obedientiam flecti, id vero adhuc subobscurum est, nec satis quid sibi velit percipio. Attamen, ut confitear quod verum est, præcipuum de quo controvertitur clare satis explicatum est, quamvis ultimum istud ita non exprimatur ut facile à quovis intelligi queat. Quæstio enim nihilominus huc redit, *An externum Dei verbum, ordinarium sit instrumentum quo Deus nos ad se convertere & regenerare velit ut salvi fiamus.* Id affirmat Nittardus Obbesius.

*Sententia Joannis Rysii, & aliorum.*

Altera vero pars, qui sunt (ut ipsi se vocant) *Ecclesiarum unitarum Doctores Amstelodami*, istud aperte negat. Et huc usque status controversiæ satis clarus & apertus esse videtur etiam ab hac parte. Sed cum propius inspicio & expendo istorum Doctorum confessionem, non videntur mihi sufficienter fundamentum & scopum suum aperire, ideoque controversiæ statum ab eorum parte obscuriorem manere. Video enim ipsos in sua Confessione, & in scripto quod miserunt ad Nittardum, mentem suam involvere sub voce *regenerationis*, de qua peculiarem fovent sententiam, ut ex eo apparet quod *ad istam vocem præcipue attendi* velint, & regenerationem à vera & viva fide per charitatem operante distinguant. *Fidem* enim dicunt *esse certam cordis cognitionem aut scientiam de Deo, de Christo, & aliis rebus cælestibus, nobis ad salutem cognitu & creditu necessariis, quam verus Dei amor & in unum Deum cordis fiducia comitetur. Regenerationem* vero vocant *divinam qualitatem in hominis vere pœnitentis animo*, &c. *Per fidem quæ per charitatem operatur* dicunt *nos acquirere veram justitiam, hoc est non solum omnium præteritorum & præsentium peccatorum remissionem, sed etiam veram justitiam quæ in nos per Jesum Christum cooperante Spiritu sancto copiose effundatur; ita ut vere ex malis boni, ex carnalibus spirituales, ex avaris liberales, ex superbis humiles, & per consequens ex injustis vere justi efficiamur.* Et, ut inquit Joannes Rysius in sua Confessione, Art. 21. *hæc justificatio fluit ex regeneratione*; quam Art. 22 sequente docet esse, *divinam qualitatem in hominis justi animo*, &c. Regeneratio igitur secundum ipsorum sententiam, ut mihi videtur, alia ratione quam fides efficitur. *Fides* enim, ut Joannes Rysius Art. 20. dicit, *Dei gratia per verbum concipitur. Regeneratio* vero, inquit idem art. 22. *à Deo per Christum sine ullius rei creatæ interventu proficiscitur.* Utrum autem (secundum ipsum) regeneratio justificationis pars sit, ut Art. 21 initium innuit; an vero justificationem præcedat, quemadmodum ultima hujus articuli verba significare videntur, non ausim affirmare. Obscurius enim ea de re loquitur. Quicquid sit, regenerationem videtur clare post fidem quæ per charitatem operatur collocare; ac proinde existimare aliquem vere fidelem esse posse qui tamen non sit regenitus, aut illa qualitate non sit præditus quæ ipsi ad salutem consequendum est necessaria. Unde sequitur statum quæstionis obscure proponi, cum quæritur, *An regeneratio fiat per scriptum Dei verbum, an vero per aliud internum, invisibile & non scriptum verbum, sive vim, quæ à Deo solo, nullo intervenient. creato medio aut cooperatione nostra, proficiscatur:* Alius enim per regenerationem intelligere poterit fidem per charitatem operantem, per quam nos regenerari, purificari & renovari existimabit: alius vero poterit intelligere qualitatem quam Deus jam credenti absque ullius medii interventu, aut etiam ulla ipsius cooperatione infundat.

*Præparatio ad statum controversiæ inveniendum.*

Nunc ad rectum controversiæ statum inveniendum, & ut oportet in eo in quo ab utraque parte statuitur ponendum, mihi attendendum videtur, An regeneratio quæ ab istis Doctoribus intelligitur, & adversus Nittardum Obbesium urgetur, non sit illa ipsa quam Deus in verbo suo scripto ab homine sub æternæ salutis promissione requirit. Alterutrum enim affirmandum ipsis est, aut regenerationem esse illam eandem, aut non esse eandem. Si eadem sit, quandoquidem regeneratio per scriptum Dei verbum, ut volunt, non efficitur, inde sequitur scriptum Dei verbum non esse medium quo Deus fidem per charitatem operantem in nobis producit. Si non sit eadem, & tamen ad salutem ita necessaria ut absque illa salvi esse nequeamus, inde recte colligitur fidem per charitatem operantem non esse unicum medium ab homine requisitum ut salvus sit: sed aliam præterea

terea qualitatem requiri, & talem quidem quæ à Deo solo per aliud verbum non scriptum, absque ulla nostra cooperatione, in nobis efficienda sit ut salvemur. Utrumque autem valde periculosum esse facile animadvertere potes. Eo enim tandem res ut redeat oportet, aut verbum scriptum omnino non esse necessarium & utile, aut tantum esse verbum quoddam præparatorium, & quasi Alphabetum puerile, quod non continet in se aut clare non exprimit verum medium salutem consequendi; aut saltem quod istud medium ita non continet neque ita exprimit ut corda nostra eo moveri possint ad Deo obediendum, & quod ipsi placet faciendum, seu ad qualitatem illam habendum quæ ad salutem æternam est necessaria. Et iste mihi videtur scopus ad quem in Doctores, & quos, ut existimo, ipsi sequuntur, Sebast. Francus, Caspar. Swenckfeldius, Wyerus & alii similes collimant: videlicet quod ad perfectiorem regenerationis qualitatem in homine efficiendam quam sit fides, quæ sola in verbo Dei scripto requiritur, perfectius Euangelium & perfectius verbum habere velint quam sit Euangelium Jesu Christi scriptum; & per consequens Christi Euangelium habeant tantum pro elementaria institutione, quæ ad melius verbum eo quod ibi continetur nos manuducat. Unde quanti momenti sit hæc controversia facile est colligere. Hac enim ratione totum externum Euangelii Jesu Christi verbum, & quæ in isto verbo præcipitur fides, pro imperfecto & servili verbo atque mandato habentur, quod insufficiens est ad nos in statu salutis collocandum; imo non tantum ineficax, sed etiam reipsa nullo modo necessarium redditur ad nos eo deducendum; aut saltem ulterius necessarium non existimatur quam ut nos ad puerilem fidei perfectionem adducat, & præterea in genere doceat aliam in nobis qualitatem esse debere, in qua regenerationis essentia consistat, quæ à solo Deo absque illo medio nobis sit infundenda: cum tamen non declaret quænam ista sit qualitas, qua in re sita, aut unde infallibilis illius cognitio peti possit. Quod annon ad contemptum Euangelii Jesu Christi, imo abolitionem non solum Christianæ, sed omnis etiam religionis in universum, tendat, intelligentibus considerandum relinquo. Mihi quidem ita videtur. Nisi enim plene persuasi simus verbum Dei scriptum omni ex parte esse perfectum, ita ut Deus per ipsum sufficienter & clare hominibus significet quænam illa qualitas sit quam ab ipsis exigit ut in æternum sint beati, aut in illo ita mentem suam exprimat, ut aptum sit ad cor hominum movendum ad ejusmodi charitatem qualis necessaria est ad æterna salute potiundum; fieri non poterit ut recte apud nos ipsos judicemus quid veritas quid falsitas sit, quid obedientia aut inobedientia, multoque minus ut alios convenienter ea de re instituamus. Alterutrum enim sequi oportet, aut nos nullum omnino habere verbum pro regula & norma ad quam judicium nostrum conformare queamus, aut omne verbum sive inspirationem quam à Deo proficisci imaginabimur certam & unicam normam esse ad quam unusquisque in sua religione, fide & obedientia se conformare debeat. Ratio hujus consequentiæ est; quia unus tantundem juris habet atque alius, Petrus ex. gr. quam Paulus ut suam inspirationem pro divina habeat. Nemo potest in eo legem alteri figere: qui vult figere, ille plenum jus alteri dat idem adversus se statuendi. Si enim alterius inspirationem examini subjicere velit, suam quoque ab altero examinari posse tenetur agnoscere. Quænam autem hinc exoritura sit fidei & inspirationum confusio facile unusquisque conjicere potest. Ad me quod attinet, labyrinthum hîc inextricabilem video, nisi quis simplex Nittardi Obbesii filum sequatur, id est, *nisi verbum Dei scriptum pro recta & unica norma, medio & instrumento habeamus, per quod Deus ordinarie hominem convertit & regenerat.*

*Quid hic extra controversiam sit positum.*

Verum ad istud quo tota hæc quæstio redit solide defendendum, & contrarium errorem refellendum, monita quædam præmittere operæpretium erit, quæ quid controversum aut non controversum sit distinctius ob oculos ponant.

*Primò*, Hic non disputari, an Deus, Christus, Spiritus S. Dei virtus, &c. conversionem & regenerationem in nobis efficiant; & per consequens, an conversionis & regenerationis nostræ honor ipsis competat & tribuendus sit. hoc enim ab utraque parte conceditur, & extra controversiam positum est. Qui verbum externum Dei instrumentum vocant, ii Deum, Christum & Spiritum sanctum pro præcipuis semper auctoribus & causis debent habere, istisque honorem & præcipuam ejus quod per instrumentum efficitur efficaciam acceptam ferre. Ita ut illud Pauli, 1 Corint. III. 6. semper sit certum, *Deum incrementum dare* quando verbum aut verbi ministri fidem & regenerationem in hominibus *plantant & rigant:* quia omnis lux omnisque efficacia quæ in verbo prædicato conspicitur à Deo solo promanat, adeo ut in verbo non esset nisi ipsam Deus illi velut implantasset, talibus id præceptis, promissis, minis, miraculis, argumentis & rationibus repiens, quæ à nullo alio nisi à solo Deo proficisci possunt, & tam divinam in scriptis efficaciam atque operationem habent, ut supra eam nulla gloriosior cogitari aut ab humano corde concipi queat. Unde sequitur eos perperam ratiocinari, qui ex eo quod Scriptura dicit Deum, Christum, aut Spiritum Dei Sanctum nos convertere & regenerare, concludunt scripto Dei verbo illud opus non posse tribui, aut Deo juxta illud verbum peculiarem operationem per quam conversio efficiatur adscribendam esse: quod rationi penitus adversatur.

*Secundò*: Hîc in quæstionem non venire, an efficacia convertendi & regenerandi, quæ verbo externo sive scripto sive prædicato tribuitur, talis sit naturalis & infusa efficacia qualis est in herbis & medicamentis ad corpus à pravis & superfluis humoribus purgandum. Verbum enim nullam in se aliam vim habere potest quam cum verbi natura & proprietatibus convenientem. Natura autem & proprietas verbi est sensum intelligibilem & ad movendum aptum significare & exprimere, quo intellectus & cor hominis ad amorem aut odium, spem aut metum, &c. incitetur. In quo igitur verbo talis est sensus ad movendum idoneus, in eo est vera efficacia qua verbum præditum esse potest. Si vero alia aliqua vis in vel ad verbum accedat, tunc fieri nequit ut verbum sicut verbi natura fert operetur, ac proinde tanquam verbale instrumentum ab ejusmodi agente usurpetur.

*Tertiò*: Hic quoque non controvertitur, an externum verbum scriptum ita sit instrumentum ut Deus per ipsum in intellectum & cor specialem aliquam gratiam infundat, vel potius vim regenerantem quæ sola regenerationem potenter efficiat, ita ut verbum externum tanquam instrumentum nihil ad istum effectum conferat, quemadmodum aqua in vas per tubum aut canalem infunditur, & nihil tamen de tubo aut canali isto participat. Nequaquam. Sic enim verbum, non esset verbum in quo intelligibilis & ad movendum idoneus sensus inesset; aut si tale esset, saltem tunc instar verbi non operaretur per suum sensum & rationem, sed tanquam sensu aut ratione destitutum instrumentum; & (quod præcipuum est,) verbum præceptis non deberet constare promissionibus & comminationibus sancitis. Ea enim in isto casu vana forent, imo plane ridicula.

*Quartò* & postremo: Hic etiam non disputatur, an per verbum Dei scriptum intelligendæ sint literæ & syllabæ, quæ chartæ atramento sunt inscriptæ, aut lingua in aërem diffunduntur. Nullo modo: id nimis crassum foret. Per scriptum igitur verbum ab utraque parte intelligi debet sensus qui in verbo est, & per verbum ita significatur & exprimitur ut clare capi & intelligi possit. In eo enim solum vis & efficacia verbi consistit.

Hoc igitur tantum in quæstione versatur, *An verbum Dei externum, sive prædicatum, sive scriptum, medium aut instrumentum sit per quod Deus hominibus plene & perspicue totam suam voluntatem ad æternam ipsorum salutem scitu necessariam & utilem vult dare cognoscendam, & per quod ordinarie ipsos meitare vult ad fidem, charitatem, & suarum legum atque mandatorum obedientiam: an vero aliquod aliud internum & occultum verbum aut sensum, extra & præter illum sensum qui in hoc verbo scripto clare expressus est, necessarium sit ad Dei voluntatem intelligendum atque ei parendum.* In hoc solummodo totius controversiæ cardo vertitur. In quo proponendo vitavi voces *regenerandi, reformandi, renovandi, denuo creandi*, item *medicinæ, semina, cibi & potus animarum*, & similes: quia sunt impropriæ & figuratæ, sub quibus non tantum ludi potest, sed etiam passim usque adeo mirifice ludi solet, præsertim apud simplices & imperitos, ut interea ad principalem quæstionem non attendatur. Qui disputat, propriis debet uti verbis, nisi alios fallere, aut ab aliis falli & decipi ipse velit. Figuratæ enim voces plerumque sunt ambiguæ, & sensibus adeo divites ut facile huc illuc torqueri possint. Unde fit ut multi iis turbentur & à recto tramite abducantur, ad nescio quid non, quod inde elicitur, credendum & verum esse sibi imaginandum.

*Quid controversatur.*

Qui primam hujus problematis partem cum Nittardo Obbesio tuentur, pro se Scripturam & sanam rationem, meâ quidem sententia, ita claram & apertam habent, ut mirum sit ejusmodi Christianos qui soli Dei verbo adhærere videri volunt illud in dubium trahere non vereri. Duo tantum aut tria Scripturæ loca hîc afferam, ex quibus id adeo clare apparet ut Sol cum sudum est solet. Qui plura habere volet, ipsum Nittardum adeat in suis *Quæstionibus*, & alios. Brevis esse cupio, imo etiam debeo.

*Nittardi sententia approbatur, & aliquot Scripturæ loci ei jungitur.*

Primum locum desumo ex *Roman.* X. 17. *Fides igitur est ex auditu; auditus autem per verbum Dei.* Unde ita concludo: Deus operatur in nobis per externum Euangelii verbum

1. *Ex Rom. X.* 17.

fidem per quam ſalvamur: Ergo verbum externum eſt inſtrumentum aut medium per quod Deus nobis voluntatem ſuam plene & perſpicue ſignificat, imo per quod regeneramur & ſalvamur. Conſequentia eſt clara & manifeſta, niſi quis negare velit fidem eſſe id per quod regeneramur & ſalvamur, aut per verbum Dei hîc externum Dei verbum intelligi. Primum negare, eſt toti Euangelio contradicere, in quo fides per charitatem operans unicum medium per quod ſalvari & poſſumus & debemus ſemper ſtatuitur; quemadmodum etiam diſertis verbis docetur in hoc ipſo capite, *verſ.* 9. 10. *Si confeſſus fueris ore tuo Dominum Jeſum, & credideris in corde tuo quod Deus eum excitavit à mortuis, ſervaberis. Corde enim creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Secundum etiam nulla cum ſpecie negari poteſt. Totum iſtud caput, tam ante quam poſt verba quæ ex eo citavimus, hujus nos veritatis convincit. Nam 1. Apoſtolus loquitur de illo verbo, de quo antea expreſſe dixerat, id prædicari. *Hoc eſt verbum illud fidei quod prædicamus.* 2. De illo verbo quod audiri non poteſt niſi prædicetur: *verſ.* 14. & prædicetur, non interne à Deo, ſed externe ab hominibus qui mittuntur: *verſ.* 15. Id enim formula loquendi iſta indicat, *Quomodo audient* (id eſt audire poterunt) *abſque prædicante?* 3. De verbo quod corporis auribus auditur. Paulus enim antea Prophetæ Eſaiæ textum attulerat, ubi dicit, *Domine quis credidit auditui noſtro?* Loquitur ergo de ejuſmodi verbo quale Eſaias loquebatur, & quale ex Eſaiæ ore audiri potuerat; per conſequens, non agit de verbo interno, quod Deus ſolus abſque ullius hominis interventu loquitur. 4. De verbo cui aliqui qui ipſum audiunt rebelles eſſe poſſunt, & reipſa etiam rebelles fuerunt; ut apparet ex *verſu* 16. præcedente, *Sed non omnes obediverunt Euangelio.* Unde liquet hîc neque internum verbum, neque occultam Dei alloçutionem aut inſpirationem, neque internum auditum, ut quidam exiſtimant, intelligi poſſe. Interno enim illi verbo non poteſt reſiſti. nam verbum internum & non ſcriptum ſine ulla reſiſtentia, (ut Doctores iſti dictitant) imo ſine ulla hominis regenerandi cooperatione, in momento regenerationem operatur; quinetiam (ut nonnulli ipſorum loqui amant) *per vim, ſed adeo occultam ut non animadvertatur.* De auditu etiam interno non poteſt accipi. internus enim auditus per verbum externum, ſive pronunciatum ſive ſcriptum, non efficitur. *Deus enim ad ſuas internas operationes* (ut illi diſerte docent) *nullo externo medio nullaque re creata utitur.* Id ipſum clare etiam ex eo liquet, quod Apoſtolus ſtatim poſt hæc verba, *Ergo fides eſt ex auditu*, &c. affirmat Judæos quidem iſtud verbum audiviſſe, ſed tamen in contumacia & incredulitate ſua perſtitiſſe. Loquitur ergo de auditu qui abſque fide eſſe poteſt; quod in auditum internum non quadrat, qui aut effectus eſt regenerationis, aut conditio qua poſita regeneratio ſemper ſequitur, ut homines iſti exiſtimant.

Adde quod ex toto hoc capite apparet ſcopum Apoſtoli eſſe Judæos inobedientiæ adverſus Deum convincere, quod verbum gratiæ & ſalutis ipſis prædicatum ſpreviſſent, & ita ſeipſos reddidiſſent dignos qui à Deo reijcerentur. Et ad oſtendendum ipſos verbum gratiæ ſpreviſſe, dicit verbum iſtud prædicatum iis & annunciatum fuiſſe, ipſoſque illud audiviſſe & intellexiſſe: (ſub auditu enim intellectus etiam comprehenditur, ut apparet ex *verſ.* 19. *Sed dico, nunquid Iſrael non cognovit?*) & de Deo ejuſque gratioſa voluntate conquerendi cauſam non habuiſſe. Si autem Apoſtolus his verbis, *fides eſt ex auditu*, ſignificare voluiſſet interno auditu opus eſſe ad credendum, atque ex ejuſmodi auditu ſolum fidem oriri, convictio & reprehenſio iſta Pauli fundamento careret & ridicula foret. Judæi enim jure potuiſſent conqueri ſe nunquam audiviſſe nec intellexiſſe iſtud Dei verbum, & per conſequens ſe contumaciæ quod verbo Dei non credidiſſent nequaquam reos eſſe. Inſtabis, verba eſſe clara: de ejuſmodi auditu unde fides proficiſcatur hîc fieri mentionem; quia dicitur, *fides eſt ex auditu.* Reſp. Iſtud quidem verum eſt. ſed ex totius Apoſtolici diſcurſus ſerie, & præcipue ex antecedentibus verbis, unde iſta concluſionis inſtar deducta ſunt, ut indicat particula *ergo*, facile eſt animadvertere alium verborum iſtorum ſenſum non eſſe quam, fieri non poſſe ut Deo credamus ad ſalutem, niſi Deus verbum Euangelii, quod eſt verbum fidei, nobis annunciari curet, & notam faciat ſuam voluntatem; fidemque in omnibus qui credunt per illud Dei verbum effici. Unde ſequitur omnes qui verbum Euangelii audiunt, & ei audito credere & obedire detrectant, ſeipſos Dei iræ reos facere, aut ideo ſolum verbum iſtud prædicatum nihil ipſis prodeſſe, *quia fide non eſt contemperatum apud illos qui id audiunt*, ut loquitur Apoſtolus, *Hebr.* IV. 2. Et hinc clare patet id quod volui concludere; verbum nempe Dei externum, prædicatum aut ſcriptum, verum medium & inſtrumentum eſſe per quod Deus fidem & converſionem, aut regenerationem ſive illam rem & qualitatem per quam vitam æternam poſſumus & debemus adipiſci, in nobis ordinarie vult operari.

Secundum locum peto ex 1 *Epiſt. Petri, cap.* I. *verſ.* 23. 24. 25. *Regeniti non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili, per verbum Dei vivi & permanentis in æternum:* (vel, per verbum Dei vivens & permanens in æternum.) *quia omnis caro ut fœnum, & omnis gloria ejus tanquam flos fœni: exaruit fœnum, & flos ejus decidit: verbum autem Domini manet in æternum. Hoc autem eſt verbum illud quod euangelizatum eſt vobis.* Hic nulla opus eſt conſequentia: id quod concludi debet, totidem verbis expreſſum habetur in textu. Regeneratio enim, non quæ ex corruptibili ſemine eſt, ſed ex incorruptibili, hoc eſt ſalutem æternam pariens regeneratio (hic enim eſſe videtur iſtorum verborum ſenſus, ita ut voces *id eſt*, quæ in Bezæ verſione leguntur, ſine ulla neceſſitate adjectæ ſint) per verbum externum prædicatum fieri dicitur. *Hoc enim eſt*, inquit Petrus, *verbum illud quod euangelizatum eſt vobis.* Dicere per verbum Dei hîc intelligi verbum internum & occultam inſpirationem Dei, nullam rationis ſpeciem habet. Vox enim ῥῆμα qua hîc utitur Apoſtolus, quando pro verbo uſurpatur, nunquam in Scriptura ullum aliud verbum quam externe pronunciatum ſignificat, & nunquam apud Græcos pro alterius generis verbo accipitur. Deinde, verbum illud internum, quod vocant, non prædicatur nec euangelizatur inter homines, ſed à Deo in corda hominum infunditur. Cui adde, momentaneam infuſionem nominare euangelizationem aut prædicationem, ita abſurdum eſſe ut magis non poſſit. Dices forte, iſta verba, *Hoc eſt verbum illud quod euangelizatum eſt vobis*, ita poſſe intelligi, Hoc eſt illud verbum de quo actum eſt vobis in verbo externo, aut cum verbum externum vobis eſt annunciatum. Et hunc ſenſum innuere Bieskenii verſionem Belgicam, quæ ita habet, *Dat is dat woordt dat tot u door het Euangelium gebroeht is*; iſtud eſt verbum quod ad vos per Euangelium allatum eſt. Sed reſp. 1. verſionem iſtam non convenire cum verbis textus originalis, à quibus nunquam ſine neceſſitate aut gravi ratione diſcedere licet; alioquin nullus erit ſenſus, quantumvis falſus & abſurdus, quem ex Scriptura, ſi velis, non trahas. 2. Inde ſequeretur Petrum certo ſciviſſe Deum omnes illos ad quos ſcribebat per ejuſmodi verbum internum ſive inſpirationem occultam vere regeneraſſe; quod ab omni veriſimilitudine alienum eſt. Dicere, id ex eo concludi quod iſtud verbum ſemen incorruptibile, verbum vivens & permanens in æternum vocetur; id quod de verbo externo ſcripto intelligi nequeat, nullius plane eſt momenti. Verbum enim externum, prædicatum aut ſcriptum, (intellige non chartam, atramentum, literas & ſyllabas, aut librum qui Biblia vocatur, ſed externi verbi aut Bibliorum ſenſum) eſt etiam æternum, incorruptibile & ſemper manens; quia Deus iis qui iſtius verbi ſenſui crediderint, & ſecundum illum vitam ſuam inſtituerint, vitam æternam daturus eſt: ita ut in ejuſmodi hominibus fidei, quam verbum iſtud exigit, fructus, & promiſſorum illo contentorum efficacia nunquam ſit peritura, ſed in æternum duratura. Quo reſpiciens Petrus dicebat Chriſto, *Verba vitæ æternæ habes: Joan.* VI. 68. Sicut etiam Euangelium ideo vocatur *æternum*, *Apoc.* XIV. 6. Nam *qui credit in Chriſtum non moritur, aut quamvis mortuus fuerit, iterum vivet*, ut legimus *Joan.* XI. 25. 26. Et, ſi quis præciſe agere vellet, expendendum foret quomodo iſtud internum (quod vocant) verbum, hoc eſt, non Chriſtus ipſe, qui aliquando etiam verbum Dei vocatur, & ſine controverſia æternus eſt atque in æternum vivet, ſed inſpiratio & illuminatio quam Chriſtus in anima facit, majori jure æterna & incorruptibilis vocari poſſit, quam inſpiratio aut ſenſus qui per verbum externum in anima recipitur & veluti afflatur. Si enim proprius attendas, rem eodem redire animadvertes. 2. *ex* 1. *Petr.* I. 23. 24. 25.

Tertiam nobis demonſtrationem ſuppeditant omnia illa Scripturæ loca, quæ verbo externo & iſtius verbi externi miniſtris tribuunt *generationem* & *regenerationem*, cum omnibus iis quæ iſti homines ad regenerationem requiri dicunt, & à Deo ſolo, ſine ullo externo medio, in nobis effici; nimirum quod poſſit ſervare animas, (quod tamen in Reſponſo ſuo ad Nittardum miſſo diſerte negant.) *Cum lenitate recipite inſitum verbum, quod poteſt ſervare animas veſtras: & ejus Jac.* 1. 21. Ibi autem non de interno, ſed de externo ſolum *miniſtris* verbo agi clare liquet: 1. Quia Jacobus jubet iſtud verbum cum lenitate recipere. Ejuſmodi enim mandatum verbo interno, quod in momento docent infundi à Deo, abſque ulla noſtra cooperatione, accommodari nulla ratione poteſt. Ubi enim nulla cooperatio admittitur, quomodo poteſt hæc cum lenitate receptio locum habere aut alicui præcipi? 2. Quia ſtatim admonet ne auditores tantum ſint hujus verbi, 3. *Ex iis locis quæ regenerationem, ſalutem &c. verbo externo miniſtris tribuunt.*

verbi, ſeipſos decipientes, ſed etiam factores: quod etiam verbo interno adaptari nullo modo poteſt. Qui enim verbum internum audit, non poteſt negligere factor verbi eſſe, ſed ejus factor in momento redditur, propterea que nulla adhortatione indiget ut factor fiat, nec timere debet ne ſeipſum decipiat: id enim eſt impoſſibile. In *Actu Apoſt. cap.* XI. verſ. 14. verba quæ Petrus ad Cornelium facturus erat, vocantur *verba per quæ ipſe ſalvandus eſſet & tota ejus domus.* In 2. *Epiſt. ad Corinth. cap.* V. *verſ.* 19. verbum quod Deus poſuerat in ore Apoſtolorum, & quod ipſi tanquam Dei legati prædicabant, *verbum reconciliationis* appellatur: & illius verbi prædicatio *miniſterium reconciliationis*, *verſ.* 18. In 1 *ad Theſſal.* II. 13. Paulus dicit de verbo quod Theſſalonicenſes ex ſe audiverant, *non fuiſſe verbum hominum, ſed vere Dei verbum, quod etiam efficaciter ageret in in qui credunt.* Sicut etiam *Rom.* I. 16. vocatur *potentia Dei ad ſalutem omni credenti.* Et *cap.* X. *verſ.* 8. *verbum fidei.* Et *Jacob.* I. 18. *verbum veritatis per quod nos à Deo gignimur.* Item *verbum vitæ*, imò *magna ſalus*, & *vita æterna. Act.* V. 20. *Heb.* II. 3. *Joan.* XII. 50. Qui verbum iſtud annunciant eo reſpectu dicuntur *Dei miniſtri, per quos Deus homines ad fidem adducit*, 1 *Cor.* III. 5. Et Paulus non veretur dicere ſe *Corinthios in Jeſu Chriſto per Euangelium genuiſſe*; Et ſe illorum non tantum pædagogum, ſed etiam *patrem fuiſſe*, 1 *Cor.* IV. 14. 15. Item ſe à Deo miſſum fuiſſe, *ut aperiret oculos hominum, & eos converteret à tenebris ad lucem, & à poteſtate Satanæ ad Deum, ut remiſſionem peccatorum & ſortem inter ſanctificatos acciperent per fidem quæ eſt in Chriſtum: Act.* XXVI. 18. Et alia ejuſmodi plura. Ex quibus omnibus concludo, verbum Euangelii externum, quod initio ab Apoſtolis in nomine Dei prædicatum eſt, & nunc apud nos ſcriptum conſervatur, non ſolum verum, ſed etiam unicum inſtrumentum & medium eſſe per quod Deus ordinarie in hominibus fidem & converſionem ad ſalutem neceſſarias operatur.

*Ratio etiam Nittardi ſententiæ favet.*

Ratio etiam clara & manifeſta pro hac parte militat. Si enim verbum Dei externum, prædicatum aut ſcriptum, non ſit medium ſive inſtrumentum per quod Deus in hominum intellectu & voluntate qualitates ad ſalutem æternam conſequendum neceſſarias efficit, id fit inde aut quod Deus in iſto verbo plene & perſpicue ſenſum illum noluit exprimere, qui homini cognitu & factu eſt neceſſarius ad qualitates illas habendum, hoc eſt ut vere regenitus ſit: aut ſi Deus ſenſum illum plene & perſpicue in iſto verbo expreſſit, id oritur ex eo quod homo ſit ineptus ad ſenſum iſtum intellectu capiendum, & viribus ſuis exſecutioni mandandum, & propterea peculiarem aliam internam inſpirationem & operationem Dei accedere oporteat quæ hominem ad id idoneum reddat, & in hominis intellectu ac voluntate ſenſum illum efficaciter exprimat, infundat aut inſpiret. Sed primum dicere eſt mere Papiſticum: ſecundum mere Calviniſticum: utrumque adeo abſurdum ut pæne manibus palpari poſſit.

Nam quod ad primum attinet; ſi dicatur Deum noluiſſe in verbo ſcripto plene & perſpicue ſenſum illum exprimere per quem regenerari nos oportet, non tantum magna fit ſapientiæ & bonitati divinæ injuria, ſed etiam externum Dei verbum falſitatis accuſatur, quod expreſſe teſtatur 1. Deum Scripturam in eum nobis finem dediſſe, & ſuam in illa voluntatem curaſſe declarari, *ut perfectus ſit homo Dei, ad omne bonum opus perfecte inſtructus*; imò *ſapiens ad ſalutem per fidem in Jeſum Chriſtum*: 2 *Tim.* III. 15. 16. 17. & ut Dei voluntati credens, eique ſicut ſcripta eſt obediens, vitam æternam obtineat: *Joan.* XX. *verſ. ult.* 2. Unumquemque qui id facit quod ibi expreſſe præcipitur ſalvum fore; & contra, quicunque id ſpernit damnatum iri. Dices forte, inter illa præcepta occurrere etiam orandi præceptum; per preces autem regenerationem obtineri. Sed fruſtra. Poſito enim rem ita ſe habere, in Dei verbo nobis mandari ut precemur ad regenerationem obtinendum, inde ſequetur regenerationem inter Dei præcepta non eſſe numerandam, aut neceſſe non eſſe ut ei à parte noſtra incumbamus. Pertineret igitur ad promiſſiones, & ad illa quę tantum à Deo effici poſſunt & debent. Precatio ſola ad regenerationem à Deo obtinendum aut accipiendum nobis foret mandata. Sed quandoquidem ſenſus iſte qui nos pro regeneratione jubet orare, in verbo externo clare expreſſus reperitur, inde ſane colligitur id omne quod nobis ad ſalutem æternam eſt neceſſarium in verbo externo clare expreſſum eſſe. Item cum regeneratio, non hominis, ſed purum putum Dei opus exiſtimetur, quod Deus ſolus in iis qui illud à ſe petunt & poteſt & vult operari, ſequitur etiam hominem neque poſſe neque neceſſe habere ea de re ullo modo ſolicitum eſſe, cum Deus, ut iſti dicunt, ſine ulla hominis cooperatione id ſit effecturus. Deinde ſi ita ſe res habeat, precatio opus aut fructus regenerationis non erit, ſed ab irregenito homine proficiſcetur. Præterea, ſi homo irregenitus ex verbo ſcripto ſenſum illum poſſit capere, ſe pro regeneratione obtinenda orare debere, & abſque regenerationis ope per ſolum illud præceptum quod in externo verbo eſt ad precandum poſſit moveri, regeneratio ſane non eſt neceſſaria ad rectum verbi Dei ſenſum quem ad ſalutem noſſe debet aſſequendum. Nam cum precatus eſt, id omne præſtitit quod præſtare poteſt ut regenitus fiat. Ut quid amplius faciat quam orare pro regeneratione impoſſibile eſt, & ut amplius ab eo exigatur iniquum. De vero verbi ſenſu quem per regenerationem acquirit nihil opus eſt ut ſit ſollicitus; imò quemlibet ſenſum qui poſt precationem ipſi in mentem veniet, tanquam regenerationis opus amplecti poterit & debebit, certus eum ſibi per regenerationem infundi. Ad quam enim regulam eum probaturus & examinaturus eſt? Verum tantum abeſt ut per preces regeneratio primo obtineatur, ut contra regeneratio conditio ſit in homine prærequiſita ut Deum recte oret, & ut orationes ejus Deo ſint gratæ, atque per illas gratiam & benedictionem ab ipſo obtineat. Et hoc eſt iſtorum hominum πρῶτον ψεῦδος. Regenerationem purum putum Dei opus eſſe credunt, quod in momento ab illo ſolo efficiatur, meram paſſionem & nullo modo actionem, in qua homo non plus poſſit quam aſinus Balaami ad loquendum aut prophetandum, aut quam ipſe in creando flore aut vili aliquo animalculo: cum tamen regeneratio ſit opus quod abſque hominis cooperatione non perficitur, & quod non ad Dei promiſſa ſed ad præcepta pertinet, & in ſe univerſam voluntariam hominis renovationem, quæ ab ipſo requiritur ſi velit eſſe ſalvus, comprehendit. Adeo ut is ſecundum Scripturam ſit regenitus, non qui à Deo ita illuminatur & immutatur ut ejuſmodi illuminationis & immutationis vi neceſſario pius & probus ſit: ſed qui per externum Euangelii verbum ſic illuminatur & immutatur à Deo, ut à ſua parte illuminationem & operationem quam Deus per iſtud verbum peragit amplectatur & ei attendat, cum poſſit ſpernere & non attendere. Id quod manifeſte elucet ex Chriſti & Nicodemi colloquio, apud Joannem *cap.* III. & paſſim videre eſt in Scriptura, ubi Deus dicitur *nos regenerare in vivam ſpem per reſurrectionem Jeſu Chriſti ex mortuis*: 1 *Pet.* I. 3. nempe quæ hominibus annunciata eſt, & quam jubentur credere, ut prolixe oſtendit Paulus 1 *Corinth.* XV. & breviter *Rom.* X. 9. *Si confiteatis in ore tuo Dominum Jeſum, & in corde tuo credideris quod Deus illum ſuſcitavit à mortuis, ſalvus eris.* Et hoc eſt verbum quod Paulus & reliqui Apoſtoli prædicabant. Idem etiam probatur ex illis locis ubi Deus jubet & admonet ut nobis novum & purum cor faciamus, noſtra corda circumcidamus, ut renovemur & immutemur in ſpiritu mentis noſtræ, ut nos convertamus, novum hominem induamus, in novitate vitæ ambulemus, Dei præcepta obſervemus, ut novas Dei creaturas nos geramus, & ſimilia.

Quod ſecundum ſpectat; nimirum hominis impotentiam quæ ipſi ex Adami lapſu adhæſerit, cauſam eſſe cur externum Dei verbum abſque interno non poſſit intelligi; id non puto neceſſe hîc expendere, cum iſti homines qui Nittardo Obbeſio ſe opponunt, in ſua Confeſſione à Joanne Ryſio ſcripta, art. 5. de hominis viribus ante & poſt lapſum agentes, declarent Adamum lapſum, & in lapſu ſuo adhuc jacentem, potentiam habuiſſe præveniens bonum quod ipſi à Deo proponebatur audiendi, amplectendi aut rejiciendi, & potentiam iſtam ex Dei gratia in ejus poſteris remanſiſſe; Et art. 7. à prædeſtinatione abſoluta Calvini & ejus ſequacium ſe abhorrere profiteantur.

*Opinionis contrariæ examen.*

Nunc quod ad contrariæ iſtius partis fundamenta & rationes attinet, eæ omnino obſcuræ & infirmæ eſſe videntur, quamvis magnificis & ampullatis verbis & phraſibus ſint fucatæ. Sed hæ ſunt ad populum phaleræ, quæ rerum intelligentes non movent aut morantur. Specimen earum exhibebo.

Ajunt eſſe quoddam internum, non ſcriptum, æternum verbum; quod aliquando internam allocutionem, afflatum, inſpirationem, revelationem, aliquando Chriſtum, aliquando Deum & Spiritum ſanctum vocant. Et per iſtud verbum tradunt hominem abſque ullo medio, imo abſque ulla re creata in momento temporis à Deo ita transformari ut ex ſtulto ſapiens, ex malo bonus, ex carnali ſpiritualis, ex injuſto juſtus reddatur.

Quomodo iſtud intelligant, & aliis ſuis opinionibus conſentanee explicare poſſint, ego non capio. Nam *primò*, ſi regeneratio per ejuſmodi internum verbum efficiatur, inde ſequetur fidem per charitatem operantem, ac proinde omnia bona opera quæ ex fide fiunt aut oriuntur, ad regenerationem non pertinere. Docent enim regenerationis beneficium per veram & vivam fidem obtineri, & hanc regenerationem poſtea in momento abſque ullo medio effici. Fides

ergo vera & viva, & opera ex ista fide proficiscentia, non reddunt hominem vere pium & probum; imo homo, quantumvis illis instructus, manet adhuc insipiens, malus, carnalis, injustus.

*Secundò*, Quid est quæso dicere Christum esse istud verbum, quod sine ullo medio, aut ulla re creata regenerationem operatur, & tamen verbum istud esse internam allocutionem, inspirationem, revelationem, &c. Alterutrum enim istorum inde sequetur, aut hanc regenerationem de qua loquuntur, essentialem esse Christi cum hominis anima unionem, adeo ut Christus unum cum anima fiat, vel anima in Christum transformetur, & quod Christus intelligit, vult & facit, hominis animæ adscribatur: aut regenerationem, esse quandam operationem ex Christi essentia prodeuntem, vel per Christi vim effectam, seu de novo in anima creatam, per quam anima novam in intellectu, voluntate & affectibus qualitatem obtinet, quæ regeneratio vocatur. Primum est plane absurdum. Et tamen nonnulli sunt quorum cogitationes eo videntur propendere, ut Deificationis, Christificationis & aliis similibus monstrosis vocibus interdum innuunt. Alterum non potest dici, quin simul duæ istæ res statuantur: 1. Talem Christi operationem nihil creati esse, quale in regeneratione locum habere negant; aut saltem nihil esse ejusmodi quod Christus ipse aut ejus essentia non sit. 2. Internam istam allocutionem & inspirationem superfluam & nullo modo necessariam esse. Cum enim hæc allocutio, prout verbi omnis prolati proprietas requirit, intelligibilem sensum habere debeat, alterutrum rursus horum sequi oportebit, aut illam cum verbi divini scripti sensu plane convenire, aut ab eo diversam, imo contrariam esse. Posterius istud, ut arbitror, non dicent: hoc enim esset nimis exorbitare. Si vero prius admittant, sensum nempe quem ista allocutio interna inspirat antea in verbo scripto expressam fuisse, quorsum igitur talis allocutio? Si dicas, unum quidem & eundem sensum esse, tum qui in verbo scripto continetur, tum qui per internum verbum inspiratur; sed in verbo scripto obscurius expressum esse, & per istud verbum internum seu occultam allocutionem explicari & declarari; Respondebo, istam ergo internam allocutionem obscurum sensum verbi Dei scripti clarioribus & intellectu facilioribus verbis seu phrasibus debere hominis menti exponere, quam sint eæ quæ in verbo scripto usurpantur. Si autem ita se res habet, clariores istæ voces & phrases in regenerationis descriptione adhiberi deberent, non vero illæ quibus scriptum Dei verbum utitur; quod tamen Joannes Rysius in sua Confessione & alii Spirituales faciunt. Si quando enim alias voces usurpent, eæ sunt fictæ & ampullatæ, quæ clarius quam scriptum Dei verbum non significant qua in re sita sit regeneratio, sed contra multo sunt obscuriores, & fere tantum figuratæ & allegoricæ, adeo ut conjectura aut divinatione opus sit ad intelligendum quid sibi velint. Sane quoties eæ mihi in ejusmodi hominum scriptis occurrunt, ego me in labyrintho allegorico versari puto, unde exitum non invenio. Nec delector terminis quos non intelligo, præsertim in rebus ad salutem necessariis, utpote qui animum meum non ædificant.

*Tertiò* dicunt Deum omnibus Adami posteris, nemine excepto, ex gratia potentiam reliquisse ad suam prævenientem gratiam amplectendum aut rejiciendum. Confess. Art. v. Item Deum neminem illorum ad damnationem prædestinasse aut creasse, sed ad salutarem finem. Et lapsos, per suam ineffabilem charitatem in Christo erexisse, & pro illis omnibus medicinam vitæ in ipso ordinasse & præparasse, &c. Art. vii. Item ipsum omnibus hominibus bonum præcipere, obedientiam in bono optare, ad eam adhortari, & magna obedientibus promissa facere. Art. vi. Quomodo hæc omnia consistere & serio ab illis urgeri possunt, si genuinus gratiosæ Dei voluntatis de vera regeneratione sensus, adeo obscure omnibus in externo Dei verbo proponitur ut eum nequeant capere, aut adeo debiliter & inefficaciter ut ad ipsi sensui credendum & obediendum moveri non possint? Quorsum illa potentia omnibus Adami posteris relicta, & illa omnes servandi voluntas, ubi ita cum hominibus agere Deo lubet? Hoc sane est una manu homini eripere, quod altera ipsi tradere videri vis. Quorsum etiam præcipere, monere, suadere, hortari ut homines pietati & probitati studeant, si istæ qualitates in illis absque ulla ipsorum cooperatione efficiendæ sunt, & in temporis momento efficiuntur & infunduntur? Istud est reipla absolutam Calvini prædestinationem asserere & tueri. Dicesne hominem, antequam Deus in ipso ita operetur, posse & debere pro regeneratione consequenda precari? Sed sic eo tandem devenies, ut dicas id unicum quod Deus homini præcipit aut præcipere potest, & quod homo etiam ex sua parte facere potest, esse precari. Id unicum ipsius erit; reliqua omnia Deus solus faciet & debebit facere. Si istud ita intelligant, mirum est ipsos aliquid aliud docere, aliquid aliud prædicare, aliquid aliud inculcare & scribere præter hanc unicam vocem, Precamini, Precamini, Precamini, &c. Hæc universa erit ipsorum Theologia, & in eo universa ipsorum Religio consistet.

Adde quod si regenerationis negotium isto se habet modo, impossibile sit capere quomodo illi qui semel qualitate ista à Deo fuerunt donati, eam amittere aut negligere unquam possint. Cum enim illa à solo Deo pendeat, & in eo solo consistat quod homo per divinam vim ex malo bonus fiat, quæ ratio, quæ vis, quæ operatio Diaboli, carnis aut mundi eripere illam nobis poterit? Hoc rursus in absolutam Prædestinationem recidit, quam isti homines pro omnis religionis παιδιατρίᾳ habent. Nemo Deum deseret aut peccatis suis contristabit, nisi quem Deus absque ullo ipsius merito prius deseruerit, aut à quo istam inspirationem & verbum internum abstulerit. Imò (quod in hac opinione pessimum est) cum omnes judicare debeant affectus quos in se sentiunt, ab ista allocutione interna & spiritu quem semel acceperunt procedere, qualescunque postea affectus sentiant, eos pro Dei inspirationibus habebunt, etiamsi contingeret ut ad atrocissima & turpissima scelera à cupiditate sua incitarentur: quod cogitatu est horrendum.

Scripturæ loca & rationes quibus isti homines opinionem suam defendunt, exigui mihi videntur ponderis & momenti. Christus solus, inquiunt, vocatur *verbum, verbum vitæ, lux mundi, in quo solo est vita & lux hominum, veritas, verbum veritatis, cibus & potus vivificus animarum nostrarum.* Regeniti dicuntur *ex Deo, ex Spiritu sancto ex aqua & Spiritu nati esse*, & similia. Et qui hanc efficaciam verbo externo tribuunt, Christum salutari suo officio & honore spoliant. *Responsio ad objectionem primam.*

Resp. Infirmam valde esse hanc consequentiam, Christus vocatur verbum, lux mundi, &c. Ergo ipse solus absque ullo medio sive instrumento regenerationem operatur, aut solus homines illuminat sine ullo alio verbo externo, &c. Contrarium potius colligi potest & debet. Christus enim ideo præcipue verbum & lux mundi appellatur, quia ipse primus occultam Dei voluntatem clare per verbum externum in lucem produxit, & eam mundo aut hominibus in mundo per Euangelium annunciavit & manifestavit. quemadmodum id apparet ex eo quod Joannes 1 *Epist.* I. 1. Christum vocat *verbum vitæ quod manifestatum est*, & ab Apostolis *auditum, visum, tactumque* fuit. cum quo innumera Scripturæ loca consonant. Vide *Joan.* I. 18. *Hebr.* I. 1. & 2 *Tim.* I. 9. & alibi. Eodem sensu nominatur etiam *lux mundi*, & *vita mundi*; nempe quia veram Dei sui Patris & voluntatis ejus cognitionem per Euangelium suum mundo attulit. Christum autem non ideo vocari lucem quod sine ullo medio homines illuminet & regeneret, ex eo clare intelligi potest quod non appelletur lux fidelium, sed lux mundi. Nam per mundum homines ejusmodi intelliguntur qui divinæ voluntatis plane adhuc sunt ignari, imo postquam Christus vera lux ipsis alluxit in ignorantia sua permanere volunt, & tenebris delectantur easque luci præferunt: *Joann* III. 19. *quorum mentem Deus hujus mundi excæcavit, ne lux Euangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei, in splendeat:* 2 *Cor.* IV. 2. qui Christum nolunt agnoscere nec recipere. Nam *lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt: Joan* I. 5. hoc est noluerunt comprehendere: sicut exponitur *vers.* 10. *Ipse erat in mundo, & mundus per ipsum factus est; sed mundus ipsum non cognovit;* id est noluit cognoscere. Sequitur enim, Ille venit ad suos, (id est ad Judæos, suos populares, ut eos illuminaret;) *sed sui eum non receperunt.* Christus ergo vocatur ejusmodi lux quæ repelli & impediri poterat, imo quæ reipsa repulsa & impedita fuit ab iis qui ad illam oculos suos clauserunt, & illi credere noluerunt. Quod nullo modo verum esse potuisset, si talis lux nominatus fuisset, quæ sine ullius medii interventu, in momento, absque ulla hominis cooperatione, homines illuminat & ex malis bonos reddit. His adde quod Christus in cælum assumtus, *positus esse* dicitur *in lucem gentium, Act.* XIII. 47. nullo certe alio respectu quam quod per suos Apostolos salutem quam Judæi repudiabant gentibus curabat annunciari & prædicari. Nam dicunt, *Sic nobis præcepit Dominus:* nempe ut impleretur quod de Christo dictum est, *Posui te in lucem Gentium, ut sis in salutem usque ad extremum terræ.* quemadmodum id ipsum etiam non obscure significatur *Act.* XXVI. 23. ubi Paulus dicit, Christum post suam è mortuis resurrectionem *populo & gentibus lucem annunciaturum esse*, videlicet per Paulum ipsum & alios Apostolos. Christum enim sibi expresse in eum finem apparuisse, & se misisse dixerat, *ut oculos gentium aperiret, & eos converteret à tenebris ad lucem, & à potestate Satanæ ad Deum*, &c. *vers.* 18. Si etiam illa elogia inspiciamus quæ Christo Servatori nostro tribuuntur, ne unum quidem, quod sciam,

inter-

inter illa omnia inventuri sumus, Christo eo sensu quo isti homines accipiunt tributum; nimirum quod ipse interne absque ullo modo id efficiat quod istis elogiis & titulis significatur: imo nequidem quando *vita, salus, sapientia, justitia, redemptio, cibus, potus*, &c. vocatur. Sed contra semper, aut saltem plerumque, ita appellatur quia per media, & præcipue per verbum Euangelii, id efficit quod ejusmodi titulis designatur.

Multum ergo abest ut hoc pacto salutari Jesu Christi muneri aliquid detrahatur, aut honor ejus minuatur & obscuretur. Salutare enim Christi munus, quatenus ipse id in terris in propria persona alias administravit, & nunc adhuc per suos servos administrat, non secundum nostram opinionem, sed secundum ipsiusmet voluntatem & beneplacitum existimari debet. Cum ergo lubeat ipsi homines per externum medium regenerare, & hîc spe tantum salvos nos facere, id sufficere nobis debet. Quod vero putamus ipsum ex arbitrio nostro meliori aut glorioſiori regenerandi & salvandi forma honorare, mira est vanitas. Is satis Christum honorat, qui illum ei honorem tribuit, quem sibi ipse tribuit. Nostris enim quantumvis magnificis imaginationibus non honoratur, sed contra aliquando dedecore afficitur. Magnum semper inter Christianos fuit hoc vitium, quod aliqui sublimibus suis conceptibus Dei majestatem & actiones ultra quam par erat extollere voluerunt. Hac enim ratione in multiplices ineptas speculationes & graves errores lapsi sunt. Sed si in antiqua fidei Christianæ simplicitate perstitissent, multis hodie careremus disputationibus, quibus sine modo & fine implicamur, & tantum non obruimur. Honor igitur Christi hac in re nullo modo minuitur. Per verbum enim regenerare & salvare dicitur, non quod aliter non possit, sed quia aliter non vult. Ratio sua voluntatis ipsi constat; & in eo acquiescere nos oportet.

*Responsio ad objectionem secundam.*

Secundam rationem, & præcedente multo plausibiliorem, desumunt ex operationibus quas Christus circa credentes dicitur exercere, qua intelligi non possint nisi de interno alloquio, inspiratione, illuminatione & corroboratione quam Christus per Spiritum suum absque ullo medio in iis efficiat; pro quo etiam ipsi assidue ad Deum & Christum preces fundunt.

Resp. Hæc ratio ad propositum nihil prorsus facit. Aliter enim se res habet cum iis qui jam externo Dei verbo credunt & obediunt, quam cum iis quibus primo illud verbum annuntiatur. Qui verbo prædicato credunt, ostendunt sua fide sensum verbi illius externi perfectum & perspicuum esse; se verbum istud aut genuinum ejus sensum recte intelligere, & ei ex animo adsentiri, etiamsi internum illud verbum non acceperint. Ideo illuminatio pro qua isti Deum orant, & quam interdum ab eo precibus suis obtinent, non est ejusmodi illuminatio per quam recta verbi intelligentia, quatenus intellectu & observatu necessarium est, iis datur; quasi ejusmodi intelligentiam per verbum externum habere non possent. Nihil minus. Jam enim sunt vere credentes, antequam ita precentur. Sed est continua refricatio illius sensus quem semel ex verbo hauserunt, qui propter multiplices occurrentes cogitationes aliquando ex ipsorum memoria excidere potest: aut oblatio novarum & utilium considerationum quæ ipsis sive per libros, sive per colloquia, sive per alias occasiones proponuntur, ad verum illum sensum quem jam tenent alendum & conservandum, cum eorum ablatione quæ illum obscurare possent. Precibus etiam obtinemus ut aperiantur nobis oculi ad alia Scripturæ loca, sensus illius illustrationi utilia, inspiciendum; quæ alioqui nonnihil obscuritatis habent, & scitu non sunt præcise necessaria; intellecta tamen faciunt ad nos in cognitione & observatione capitum necessariorum confirmandum. Iisdem quoque impetramus corroborationem spei quam ex verbo concepimus, quæ alioqui per tentationum violentiam aut diuturnitatem nonnunquam debilitatur: Et sic nobis veluti nova in mente accenditur lux veritatis & certitudinis promissorum quæ in Euangelio fidelibus & Dei timentibus factæ sunt. Impossibile tamen non est, ut hæc illuminatio sine ullo verbi externi medio fiat, per internam Dei inspirationem, sive eam Deus per se & immediate, sive per Angelos efficiat. Sed ut istud contingat non est necesse; & quando contingit, nihil ad præsens propositum facit. Non est necesse: multiplicia enim media sunt per quæ Deus illuminationem illam peragere potest. Et loquendi formulæ, quod Deus in credentibus oculos mentis illuminat, &c. non postulant necessario ut ista illuminatio absque ullo medio fiat; non magis quam phrases quæ dicunt Deum aliquos indurare, excæcare, spiritum soporis eis dare, in reprobam mentem tradere, &c. requirunt ut Deus immediate id faciat. Contrarium potius inde apparet quod eædem actiones tribuuntur diabolo, liberæ hominis voluntati, administris verbi, imo ipsi verbo quod prædicant. Sed si quando istud contingit, nihil ad præsentem materiam facit. non enim disputatur hîc de fidelibus qui jam sunt regenerati; sed de hominibus simpliciter, & qua ratione ad regenerationem perveniant.

Habes hîc paucis sententiam meam de hac controversia. Sciens prætereo minutas alias rationes, quia operæ pretium mihi non videtur iis immorari. Quæ dixi sufficiunt ad quæstionis propositæ nodum solvendum. Obsecro te, attende diligenter ad omnia, & vide ut periculosum quem indicavi scopulum vites. Qui ad illum allidit, discrimen naufragii in fide incurrit. Papistæ homines suis traditionibus tanquam verbo Dei alligant: hæc est tyrannis. Hi Doctores à veri verbi Dei obligatione homines solvunt, & festucæ alligant: hæc est dissolutio. Illi universum mundum uniusmodi verbo alligant: Hi neminem ulli verbo ligant; sed unumquemque sinunt se alligare proprio suo verbo, quod fortiter imaginari sibi potest verbum Dei esse. Illi universum mundum judicant: Hi alios non possunt judicare, nec ab aliis judicari, sed unusquisque apud eos suus est judex. Singuli enim suam inspirationem & suum verbum habent, quod pro Dei verbo ample ctuntur. Nescio utri pernicioſiores sint. Si velis bene facere, utrosque fugito, & scriptum Euangelii verbum pro hominum verbo ne habeto, sed (sicut revera est) pro ipsius Dei verbo, quod in te efficaciter operari & animam tuam æternum salvare potest. Soli sancto Dei verbo scripto hunc honorem, non hominum traditionibus, aut vanæ de verbo interno persuasioni tribuito. Vale.

M. SIMONIS EPISCOPII

# RESPONSIO

Ad duas Epistolas

# JOANNIS BEVEROVICII,

Scabini & Medici Dordrechtani, *De vitæ termino*, Fatalisne is sit, an vero Mobilis.

M. SIMONI EPISCOPIO, Artium & Theologiæ Doctori
JOH. BEVEROVICIUS S. D.

T Medicorum, Vir Clarissime, quibus talia consectari curæ fuit, & Theologorum imprimis, in quorum foro de hac Controversia disceptatur, ingenia multiformi ambage torsit Quæstio de *Vitæ humanæ termino*. De qua cum heri apud uxoris avunculum *M. Levinum Wittium* I.C. literatissimum, mentio fieret, dicebam mihi adhuc admodum intricatam videri, quamvis multos exquisitæ eruditionis super ea consuluissem. Ac animadvertisse non modo alium ab alio longe lateque distare, sed neque quosdam sibi ipsis semper constare: ut hîc Homericum illud usurpare liceat:

Τοῖόν γὰρ νόον ἴσχει ἐπιχθονίων ἀνθρώπων,
Οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγησι πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.
*Talis namque animi mens est mortalibus ægrè,*
*Qualem quoque die genitor jubet esse Deorum.*

Quamobrem optare me non Alexandrum quempiam, qui dissecaret nodum, sed OEdipum, qui ænigma hoc solvere posset. Eum te esse, Vir Cl. mihi facile persuadere potui, ut quem jam olim, cum me adolescente & studioso Lugduni S. Scripturam interpretareris, apud omnes, quibus cum Musis aliquod commercium, insigni eruditionis fama celebrari solitum fuisse memineram.

ὡς ἂν ἐκὼ σοφίλω βροτὸς ὄντος ὄποτο,
Ὅστις ἐπίσταιτο ἦσι φρεσὶν ἄρπα ἔιζειν.

*Duæ Doctorum opiniones de vitæ termino.*

Alii hunc vitæ terminum plane fixum esse æterna & immutabili fatorum lege existimant, & sententiæ suæ patronos habent multos Philosophos, imprimis autem Stoicos: alii è contrario, intemperantia & mille casibus ante diem accelerari, & temperanter atque naturæ convenienter vivendo produci posse statuunt.

*Profanorum authorum ea de re testimonia.*

Posterior hæc opinio Medicis magis arridet, quam ad artis suæ authoritatem facere arbitrantur. Sed non levis momenti argumenta militare videntur pro priore; quæ Medicinæ necessitatem convellere nonnullis videtur, aliis non item. Unde hoc Dilemma, quod à Cicerone, lib. de Fato citatur: *Si fatum tibi est ex hoc morbo convalescere, sive Medicum adhibueris, sive non adhibueris, convalesces.* Item: *Si fatum tibi est ex hoc morbo non convalescere, sive tu Medicum adhibueris, sive non, non convalesces.* Et, *Alterutrum fatum est. Medicum ergo adhibere nihil attinet.* Οὐδὲν γὰρ, ait Samosatensis, οὕτω γένοιτ' ἂν ἔξω τοῦ νόμου τῶν μοιρῶν, οὐδὲ ὑπὲρ τὸ λίνον. *Neque enim quicquam fieri poteris* (à Medicis) *præter Parcarum legem, & ultra linum:* id est, ut recte Erasmus, ultra decretum fatale. Sed *totum hoc captiosum esse* asserit Cicero, (Plutarchus quoque σόφισμα vocat) & *tam fatale esse Medicum adhibere, quam convalescere.* Ὅτι τρέπον (ait Plutarchus de Fato) ὁ ἰατρικὸς τῷ ὀγμευτικῷ, ὡς εἰκὸς, νόμῳ δυνάμει τὰ καθ' ἕκαστα τοῖς ὅλοις συμπεπλεγμένα. αὖτω δὲ καὶ ὁ τῆ φύσιως τὰ μὲν καθόλε, ἀσυγχεμένως, τὰ δὲ καθ' ἕκαστα ἀπομένων. ἔτι δὲ εἱμαρμένα τρέπον τινα καὶ ταῦτα πάντα ἐκείνοις συνειμαρμένα. *Sicut Medicorum & corpora exercentium leges, singularia in universalibus, potestate inclusa proponunt: ita naturæ etiam lex universalia primariè ac præcipuè, consequenter singularia instituit: ut ipsa fatalia sint quodammodo, hæc eorum fatis omnia adhæreant, sintque confatalia.* Vix aliter Seneca, qui cum de necessitate fati, & mediis, Quæst. natur. lib. 2. cap. 36. egisset, tandem addit: *Cum Sanitas videatur de fato, debetur & Medico: quia ad nos beneficium fati per hujus manus venit.* Idem, qui tum alibi, tum ad Marciam, cap. 20. statuit *fixum cuique terminum, eumque manere semper ubi positus est, nec ulterius diligentia aut gratia promoveri:* tamen Epistola 58. non veretur scribere: *Si mundum ipsum, non minus mortalem quam nos sumus, providentia periculi eximit, posse etiam aliquatenus nostra quoque providentia longiorem prorogari huic corpusculo moram, si voluptates, quibus pars major perit, potuerimus regere & coërcere.* Quod ipsum exemplo Platonis ibidem confirmat, concluditque, *frugalitatem producere senectutem.* Cicero etiam Philipp. IX, ita de Servio Sulpicio I.C. loquitur: *Nunc autem quis dubitat, quin ei vitam abstulerit ipsa Legatio? Secum enim ille mortem extulit: quam, si nobiscum remansisset, sua cura, optimi filii, fidelissimæ conjugis diligentia vitare potuisset.* Non mirum humanæ Sapientiæ consultos in hisce, velut noctuas ad Solis lumen, caligare, & parum sibi constare, cum ne ipsi quidem divinæ Sapientiæ interpretes se satis expedire queant.

Τίς δὲ μίδεν φρένα θεῖν
Καθορᾷ, ὕψιν ἄβυσσον;
*Nam quis posset mentem magni*
*Spectare Jovis? fundo illa caret.*

ut suis & Clarissimi Grotii verbis loquitur Æschylus.

*Scripturæ S. loca. Pro termino fatali.*

Sed facessant profani Scriptores, quorum nulla in Sacris authoritas; testimonia afferamus omni exceptione majora, & in quæ nulla potest cadere contrarietas. Priori sententiæ favere videntur hæc verba Jobi, cap. XIV. vers. 5. *Breves dies hominis sunt: numerus mensium apud te est, qui præteriri non poterunt.* Quibus plane gemina, &, ut Hippocratis voce utar, ἀδελφισμένα (juvat enim, suadente post Basilium incomparabili patriæ ornamento, Sacri codicis dogma cum sententia Poëtæ conferre) protulit Poëta, x. divini operis:

*Stat sua cuique dies; breve & irreparabile tempus*
*Omnibus est vitæ.*

Sed huic loco alterum opponerem ejusdem, de Didone violenta morte sublata,

*Nam quia nec fato, meritâ nec morte peribat,*
*Sed misera ante diem:*

nisi scirem hunc sua interpretatione in Observationibus Plinianis cum priore conciliare Clarissimum & incomparabilem virum *Claudium Salmasium*, ornamentum & decus nuper additum Academiæ nostræ; si quid modo addi potest post Scaligerorum, Heinsiorum, Cunæorum stupenda & portentosa ingenia.

*Pro mobili.*

Verum posteriori sententiæ patrocinium quæritur ex aliis S. Scripturæ locis: ut ex eo quod dicitur *Psalmo* LV. 24. de impiis & sanguinariis, dimidia vitæ spatia non completuros: tum quod promittatur parentum cultoribus à Deo vita longior: & indicta Ezechiæ morte, vita tamen protelata sit in annos quindecim.

Sed qui hanc opinionem oppugnant, varie ad loca ista respondent. Quidam *dies* interpretantur negotia, &c. (*Hæc cum in sequente Episcopii Epistola repetantur ad verbum, ne recocta cramben exhibeamus, omittere est visum.*)

Quod vero de artis Medicæ necessitate ambigi posset, si vitæ terminus adeo fatalis sit; eadem fere solvunt responsione quam ex Tullio & Seneca attulimus.

*Sententia Medicorum.*

At hæc Medicorum nonnullis parum satisfaciunt; quorum alii constitutos à natura, pro primordiis ex quibus constamus, vitæ limites accurate vivendo proferri, & intemperantia contrahi posse contendunt. Alii fatalem & cuique statam vitæ periodum agnoscunt, quam ut nemo superare queat, ita vix quemquam naturæ legibus conficere. Sic multos ante diem legitimum cibo & potu tam nimio, quam alieno tempore modoque sumtis interiisse. Multos labore immodico enectos. Multos vigiliis, curis, angore, tristitia spiritum ante tempus exhalasse. Multos luxu, mollitie, defidia,

fidia, torpore resolutos emarcuisse. Multos ex aëris injuria aut contagione gravissimos & interdum lethales morbos contraxisse. Quod si ejusmodi casus omnes ad inevitabilem fatorum legem referre volumus, parum utiliter nobis data videtur libertas arbitrii circa dispensationem victus, & functiones naturales.

Sed subalterna non pugnare ajunt, & Deum, qui vitam indulget, indulgere & media quæ nos in vita conservant: quibus brevem largiri decrevit, curare ut ea contingant quæ vitæ filum abrumpunt.

Totum hoc horribile arcanum, ut *Baudius* loqui solet, mihi videtur, & à te pro intellectu humano, & arte Medica, penitus explanari posse. Quod Ἐπιστολὴν ἀκριβῶς ἰατρικὴν πέμψαι σὲ χαλεπόν. Hanc provinciam ne suscipere graveris, etiam atque etiam rogo. Vale. Prid. Cal. Febr. CIↃ. IↃC XXXIII.

## JOHANNI BEVEROVICIO, Scabino & Medico Dordrechtano, SIMON EPISCOPIUS S. D.

VIr Amplissime & Consultissime, Nolim incuria mea factum existimes, quod tam sero respondeam ad literas tuas, non minus benevolentiæ & amoris, quam eruditionis & judicii plenissimas. Judicium tuum de me non merito meo adscribo, sed affectui tuo. Ego meo me pede metior, & cum conscientiam infirmitatis meæ circumeo, dubito sæpius an dolere potius debeam vicem meam, an admirari aliorum de me judicia. Meruerat equidem non pronus tantum, sed prodigus in laudes meas affectus tuus, responsum maturius. Sed plura in causa fuerunt, quominus affectus tui merito respondere potuerit animus meus, alioquin natura sua pronior ad ambiendum meliorum ingeniorum benevolentiam, quam compensandum. Prælum me exercuit, & qui sub ipso prælo nasci debuit in hunc usque diem adsiduus labor. Ignosce igitur, Vir Amplissime, huic meæ procrastinationi, & responsum accipe ex animi mei sententia, non quia necesse est, sed quia id petere A. T. visum est.

*Quæstio de vitæ termino.*

Quæris de vitæ nostræ termino, *An fixus ille sit ex inevitabili lege Fati: An mobilis, & qui vel virtute nostra produci, vel vitio nostro adduci, alia aliqua ex causa accelerari aut protelari possit.* Ut quæstio hæc, quæ multorum ingenia exercuit, recte decidi possit, ante omnia, meo judicio, consideranda veniunt duo, quæ ad verum ejus statum recte constituendum & intelligendum faciunt. 1. Quid per terminum vitæ intelligatur. 2. Quo sensu intelligatur terminus iste fixus aut non fixus.

*Terminus vitæ dupliciter accipi potest.*

*Terminus vitæ* dupliciter concipi potest & accipi. Primò, ut significet naturalem terminum istum, quo primarum qualitatum temperamentum, sine quo vita esse nequit, vitio prædominantis alicujus qualitatis tandem dissolvitur & plane extinguitur. Secundò, ut significet finem vitæ, quocunque demum modo ille accidat, absque ulla ad temperamenti declinantis aut cessantis vitium relatione.

Si primo sensu accipiatur vitæ terminus, tum duplex nascitur quæstio. 1. Utrum terminus iste, qui est ipsius temperamenti quasi defluxus & decursus, plane fixus sit, ita ut Deo constitutum sit naturam quamlibet sibi relinquere, nec ullo modo procurare ut temperamenti istius defluxus citius desinat, aut longius duret, quam temperamenti ipsius vis finit, & robur permittit. 2. An vero sic fixus sit, ut Deo constitutum quidem sit temperamentum istud non intendere, atque ita homo diutius quam pro conditione temperamenti vivat: vitiatum tamen, vel casu, infirmitate, malignitate aliove modo corruptum, ad pietatem precesque nostras restituere, ne ante diem collabatur ac diffluat. Verbo dicam, An terminum vitæ fixerit Deus, quem nunquam excedi aut prolongari vult ultra temperamenti cuique homini inditi vim ac robur, etiamsi fieri sinat ut vitio hominum vel casu alieno vitietur temperamentum, atque ita non duret vita ad illud tempus usque ad quod durare alioquin posset ex conditione temperamenti primigenia atque insita.

Si secundo sensu accipiatur vitæ terminus, tum quæstio est, An vitæ cujusque hominis finis, etiam iste qui ex morbo aut alio aliquo incommodo, puta inedia, peste, bello, vulnere, ægritudine, luxuria, crapula, vigiliis, curis, &c. accidere potest, ita fixus sit ut nulla ejus actione sisti possit, id est, præverti vel averti, extrahi vel contrahi, abbreviari vel prolongari.

*Item fixus terminus.*

Quod ad secundum attinet: *Terminus vitæ* potest dici *fixus* dupliciter, vel ex absoluto aliquo divino decreto, causas omnes & causarum omnium secundarum præscientiam antegresso, quo Deus unicuique homini certum & circumscriptum vivendi spatium, cum omnibus individuis circumstantiis, puta loco, modo seu genere & causa mortis, ita præcise fixit ac limitavit, ut, quicquid tandem homo fecerit aut non fecerit, ei prorsus & omnino impossibile sit ultra illum fatalem terminum progredi, aut citra istum stare. Vel fixus dici potest non ex decreto aliquo Dei absoluto, sed conditionato, sive quod suspenditur à voluntatis humanæ libertate, prout illa sese vel bene, auxilio divinæ gratiæ adjuta, vel male suopte proprio arbitrio gestura est: sive decretum istud factum dicatur ex certa atque infallibili omnium rerum, circumstantiarum, morborum, causarum ipsius denique boni aut mali usus arbitrii prænotione: sive dicatur factum absque tali prænotione, aut præscendi volitione, cum deliberata tamen sententia certo in tempore pronuncianda atque exsequenda, ubi bonus vel malus arbitrii usus actu ponetur. Utrum enim horum duorum postremorum dicatur perinde est, & ad rem hanc non facit: nec jam hic disputo utrum verum aut falsum sit.

*Unde tres opiniones: quæ ad duas redigantur.*

Ex his ita præmissis *tres* oriuntur opiniones. *Prima* est eorum, qui terminum vitæ humanæ ex præcisa Fati aut decreti divini lege, omnesque quæ ad terminum istum pertinent circumstantias, prorsus fatales & immobiles esse volunt. *Secunda* eorum, qui terminum istum fatalem quidem esse volunt, ita ut produci longius non possit quam conditio temperamenti sinit. Non tamen ita, quin retrotrahi & abbreviari possit. *Tertia* eorum, qui terminum istum fatalem quidem esse volunt ex prænotione aut ex hypothesi boni vel mali usus liberi nostri arbitrii; sed ita tamen ut non modo abbreviari potuerit, sed & prolongari, non præsupposita ista aut prænotione, aut hypothesi citra prænotionem.

Has tres sententias ad duas video redactas in Epistola tua. Nec male. ad duas enim redigi possunt, si secunda tertiæ misceatur, cum qua fere coincidit. Sequar itaque distinctionem tuam.

*Prima, terminum vitæ esse fatalem.*

Ad *primam sententiam* quod attinet: Eam recte dicis placuisse olim Philosophis multis, atque imprimis Stoicis, quos ego arbitror omnia subjecisse inevitabili fato, præter solum hominis liberum arbitrium, & quidem tanta cum necessitate, ut ad prævenienda, cavenda aut promovenda ista nihil à nobis fieri posse, nullasque nostras seu virtutes, seu vitia, seu preces quicquam valere crediderint: prout ex Epicteto, & Seneca, quorum scripta ex ista porticu sola pæne habemus reliqua, manifestum esse credo: quicquid alii diversum sentiant, interque eos *I. Lipsius* ipse, qui alioquin porticum istam non modo perambulasse, sed & penitissime scrutatus esse, adeoque suam pæne fecisse videtur. Theologos etiam non paucos hanc sententiam amplexatos esse, hodieque mordicus tueri, certum est; atque imprimis istos qui Prædestinationem Calvini, quæ nunc in Belgio authoritate Synodi in civitate vestra sancita est, suam esse voluerunt.

*Secunda est contraria, quam amplectitur Auctor.*

*Posteriorem sententiam* ego probo. Quam etiam ut tibi probem, rationes adducam quæ me movent, cur hanc illi præferendam: deinde; cur hanc solam recipiendam & probandam est existimem.

*Et probat primæ esse præferendam.*

Ac primum quidem, Hanc sententiam isti præferendam esse arbitror duabus de causis. 1. Quia pauca sunt admodum S. Scripturæ loca aut testimonia quæ pro ista facere videntur: pro hac vero plurima. 2. Quia testimonia quæ pro ista facere videntur facillime & nullo negotio solvi possunt. Quæ vero pro hac faciunt, adeo clara atque evidentia sunt, ut non nisi violenta manu detorqueri, obscuris interpretationibus dilui, & difficillimis exceptionibus infirmari possint. Iniquum autem esse arbitror ut pauca pluribus, clara obscuris posthabeantur, & solutiones faciles cedant difficilioribus.

*(Locus Iobi XIV. 5. qui pro illa affertur nihil ad rem facit.)*

Rem testem demus. Palmarius & fere unicus locus in textu Sacro, qui pro ista sententia videtur facere, & colorem aliquem ei dare, quod attinet ad hanc quæstionem in terminis. Nam generalem istam doctrinam de Fatali omnium rerum, actionum atque eventuum Prædestinatione, qua maxime sententia ista nititur, nunc excutere non est propositi nostri, nec pro Epistola scribenda, sed pro integro libro. Is est locus quem in Epistola etiam tua allegas, qui legitur in libro *Iobi, cap.* XIV. *vers.* 5. *Definiti sunt dies ejus* (hominis, seu viri;) *& numerus mensium ejus tecum est: statuta ejus* (vel ei) *fecisti, & non præteribit* (ea.)

Atqui hic locus non est planus, nec magis militat pro ista

ſententia ; quam pro noſtra. Planus non eſt, quia ad ſummum ex eo aliud nihil concludi poteſt, quam quod in ſecunda ſententia poni diximus, videlicet terminum vitæ humanæ fixum eſſe à Deo, ſic ut ultra eum progredi impoſſibile ſit : quod ſalva noſtra ſententia concedi poteſt. Ex eo enim non ſequitur, Fieri non poſſe ut homo terminum vitæ ſuæ anticipet vitio & culpa ſua. Deinde, Quid vetat iſta verba accipere generatim, ſive ὡς πλάστει, ut iis ſignificetur brevitas vitæ humanæ, quæ certo dierum & menſium circulo incluſa, & ſpatio exigui temporis circumſcripta eſt, ita ut durare nec ſemper, nec diu admodum poſſit vita, ex natura & vi temperamenti, ſine quo vitam Deus conſtare noluit ? Sic ſane apprime convenient cum verbis Moſis, *Pſal.* XC. 10. *Dies vitæ noſtræ ſeptuaginta anni; & ſi in fortitudinibus ſit, octoginta anni ; & fortitudo eorum moleſtia ac labor, quoniam recedit cito & avolamus.* Similiter cum verbis *Pſalmi* XXXIX. *verſ.* 6. *Ecce ut palmos poſuiſti dies meos & ævum meum, tanquam nihil coram te. Profecto univerſa vanitas* (eſt) *omnis homo ſtans.* Alia complurima non allego. Verum quidem eſt vitam noſtram conſiſtere in juſta & debita primarum quatuor qualitatum proportione & συμμετρίᾳ, ac propriiſſime in calidi & humidi radicalis harmonia, quæ multis modis variari poteſt, & prout vel melior vel deterior ea alicui obtingit, pro divinæ voluntatis libera diſpenſatione, ita etiam breviorem aut longiorem eſſe vitam noſtram poſſe, ex natura & varietate temperamenti iſtius.

Exiſtimo tamen ſic placuiſſe ſupremo Numini, ut ordinaria iſtius temperamenti duratio circumſcripta eſſet generali aliquo, etſi non præciſe adſtricto, termino aut curriculo, puta LXX, LXXX, aut centum annorum præter propter. Et hanc etiam in primævo innocentiæ ſtatu locum habuiſſe. Conſtat enim arborem vitæ in Paradiſo poſitam fuiſſe, ut fructus ejus vitalis, humidum à calore naturali conſumtum, & paulatim deficiens ac fatiſcens, reſtauraret, novaſque vires naturæ, ad longævitatem ſimul ac ſanitatem, quaſi oleum ad flammæ vigorem, ſufficeret. Ante diluvium idem uſu veniſſe credo, eoſque qui in Geneſi recenſentur μακροβίοις, utpote qui aliquot centenos annos expleverunt, ſpeciali melioris tenaciorisque temperamenti beneficio præter & ultra communem ſortem à Deo donatos fuiſſe ; quamvis ea de re nolim cum quoquam contendere.

Eſto tamen : locus iſte Iobi accipiatur etiam de præciſo termino, quem cuique homini præfixerit Deus ; non magis tamen militabit pro iſta, quam pro noſtra ſententia. Enimvero Iobus non inſinuat qua ratione aut quomodo iſta definitio ſeu circumſcriptio dierum ac menſium facta ſit à Deo. Neque quicquam eſt quod obſtat, quominus dicamus verba Iobi prorſus inviolata conſtare, ſi circumſcriptionem ejuſmodi contineri iſtis dicamus, quæ vel ex certa prævisione divina quomodo quiſque noſtrûm ſe geſturus ſit, vel ſaltem ex hypotheſi boni vel mali uſus arbitrii noſtri, facta ſit aut fiat. Imo vero, ſi alia quæ poſt allegabimus Scripturæ loca, eaque plurima, cum verbis Iobi conferantur, pæne neceſſario concludetur Iobi verba iſto, quo diximus, ſenſu interpretanda eſſe. Sed ſufficit hîc oſtendiſſe ex his verbis ſolide nihil pro prima ſententia concludi poſſe.

Sunt & alia quædam loca, quæ huic fini adduci ſolent. Videlicet *Pſal.* CXXXIX. *verſ.* 6. & XXXVII. *verſ.* 18. *Syracid. cap.* XVII. *verſ.* 3. & *cap.* XIV. *verſ.* 12. Sed ea à te non video allegata, & revera adeo ſunt infirma ac diluta ut examen non mereantur.

*Et ſolam recipiendam. Octo locorum Scripturæ pro iſta claſſes.*

Reſtat ut rationes allegem cur hanc tertiam aut ſecundam ſententiam ſolam probandam aut recipiendam eſſe ſtatuam.

Primam rationem deſumo ex S. Scripturæ teſtimoniis. Inter quæ principem locum ſibi vendicant ea in quibus diſerte atque in terminis adſcribitur, *vitam hominis* tum *abbreviari*, tum *prolongari* poſſe, & interdum ſolere. In hac claſſe ſunt hæc dicta.

Primò, *Proverb.* X. 27. *Timor Domini apponit* (aut prolongat) *dies. Anni verò impiorum abbreviantur.* Nil clarius.

Secundò ; *Exod.* XX. 12. *Honora patrem tuum & matrem tuam, ut prolongentur dies tui ſuper terram quam Jehova Deus tuus dat tibi.* Quod præceptum Apoſtolus ad *Epheſ.* VI. 2. dicit eſſe *præceptum primum* (ſecundæ ſcilicet tabulæ) *cum promiſſione*, nempe præmii ſingularis alicujus ; vel, *primum cum promiſſione* peculiari, & quæ hactenus diſtincta eſt à promiſſione facta in ſecundo Decalogi præcepto ; quod ea communis atque univerſalis ſit, illa vero quæ hîc fit, peculiaris & ſingularis ſit. *Exod.* XXIII. 25. & paſſim inculcat Moſes, Deum cultoribus ſuis vitam longævam & ſanam daturum eſſe. *Si colatis Deum veſtrum, benedicet pani veſtro & aquis veſtris, auferetque infirmitatem à medio veſtri : non erit abortiens aut ſterilis in terra veſtra : numerum dierum tuorum complebo.* Quo ipſo ſignificat Deum, non tantum obedientibus legi ſuæ concedere velle, ut vivant quamdiu ex vi temperamenti ſui vivere poſſunt ; ſed etiam ut temperamentum eorum reddatur melius, tum ex cibo cui benedicturus eſt, tum ex diſpoſitione aëris cælique influentiis, quæ alioquin magnas corporum alterationes, ex iiſque varias infirmitates ſolent producere : quippe quam corporibus eorum convenientiſſimam largiturus aut redditurus eſt : ſic ut non minus ex infirmis ac debilibus ſaniſſimi & valde longævi futuri ſint, quam fœminæ ex ſterilibus fœcundæ fient ipſius gratia ac beneficio.

Tertiò : *Deut.* IV. 40. promittit Moſes Dei nomine, *in qui ſtatuta & præcepta Dei obſervant*, futurum *ut prolongent dies ſuos ſuper terram.* Et *cap.* XXX. 20. *Deum* (futurum) *vitam & longitudinem dierum ipſorum* : quatenus videlicet promiſſum vitæ lorgioris cultoribus ſuis promiſſum certo daturus eſt : juxta id quod dicitur Pſal. XCI. 96. *Longitudine dierum ſatiabo eum.*

Quartò : Contra verò Deus paſſim comminatur legirupis atque immorigeris omnibus mortem præcocem, miſeram & flebilem : *Deut.* XXX. 19. Et *cap.* XXVIII. *verſ.* 20. 21. 22. multa morborum, infirmitatum & calamitatum genera prolixe recenſentur, quibus inobſequentium & rebellium mortem præcipitaturus eſt Deus, & ante diem quaſi præoccupaturus. *verſ.* 62 emphatice dicitur paucos ex magna iſta gente ſuperſtites futuros eſſe, qui alioquin ſicut ſtellæ cæli fuiſſent innumerabiles ; eoſque porro vitam acturos dubiam, & in ſingula momenta pendulam, anxiam & ſolicitam.

Quintò : Deus promittit Solomoni, poſtulanti præ omnibus aliis rebus ſapientiam & cor prudens ad regendum populum ex præſcripto divino, longævam vitam. 2 *Reg.* III. 14. *Si ambulaveris in viis meis, cuſtodiendo decreta mea & præcepta mea, ſicut ambulavit David Pater tuus, longos faciam dies tuos.*

Sextò : *Pſal.* LV. *verſ. ult.* De *impiis & ſanguinariis* dicitur, quod *non dimidiabunt dies ſuos* : quem locum etiam à te citatum video.

Septimo : *Pſal.* CII. 25. orat David Deum, *ne ipſum ſuecidat in medio dierum ſuorum ; quia jam in via* (id eſt, in medio vitæ curſu) *adflixerat fortitudinem ejus* ; & ſic dies ejus veluti *abbreviare* velle videbatur. Similiter *Pſal.* VI. & XXX. & LXXXVIII. & CXV. precatur obnixe Dominum ne in flore & vigore ætatis abrumpat filum vitæ ſuæ ; ſed ſe morbo jam fractum, & exhauſtum pæne viribus, ſanitati & vigori priſtino reſtituat, ut laudare nomen ejus & prodeſſe ſanctis poſſet.

Octavo : *Eſa.* XXXVIII. 10. Rex Ezechias peſte tactus, & ſententia mortis perculſus, conqueritur aliquoties, *vitam ſuam velut textoris telam præcidi, ſeque reſiduo annorum ſuorum privari*, id eſt ante diem ſuum morti adjudicatum eſſe. Deinde ſeria ejus & lachrymis teſtata reſipiſcentia, dicitur ibidem eum deſtinatæ exemiſſe ſententiæ, & productionem vitæ, infirmitate iſta à maligna contagione contracta jam tantum non exhauſtæ atque exinanitæ, in quindecennium obtinuiſſe. Cui accenſeri etiam debent Ninivitæ, quos contra jam denunciatum excidium atque exitium, ſua reſipiſcentia prolixioris vitæ fecit compotes. Contra *Geneſ.* VI. in hiſtoria diluvii ; item *Numer.* XIV. in hiſtoria exploratorum terræ, & populi contra Amalecitas præliaturi ; item 1 *Corinth.* X. exterminati divinitus leguntur ante dies ſuos, quotquot divinæ voci rebellaverant ; & hi etiam cum corporibus ſuis in deſerto cecidiſſe : *Hebr.* III. quibus alioquin Deus longiorem vitam & quietem in terra promiſſa non modo promiſerat, ſed juramento etiam confirmaverat. Plura non addo.

Hæc teſtimonia clariora ſunt, meo quidem animo, quam ut in computum venire debeant cum paucis iſtis quæ pro prima ſententia adferre ſolent ; firmiora quam ut ab infirmis iſtis labefactari poſſint.

*Examen reſponſionum quæ fiunt ad locum Pſalmi LV. 24.*

Verumenimvero ut res clarius pateat, operæ pretium eſt ut expendamus quas pro prima ſententia adferri ais exceptiones ad tria loca, quæ inter iſta noſtra teſtimonia etiam attulimus. Ac primo quidem ad locum *Pſalmi* LV. ubi *impii & ſanguinarii* dicuntur *non dimidiaturi dies ſuos*. Reſpondent, inquis, varie. Quidam *dies* interpretatur *negotia quæ improbi moliuntur, & exſequi tentant ante vitæ ſuæ finem.* Effugium hoc Lutheri quæſitum eſt, ne Servum ejus arbitrium corrideret, & Fatum quod in principio acerrime tutatus eſt contra Eraſmum, quem merito patriæ noſtræ ornamentum vocas. Textus ipſe id evincit, cujus præcedentia verba hæc ſunt : *Tu autem Deus*, inquit David, *deſcendere facies eos in puteum foveæ*; id eſt, irreties eos, & præcipitabis in foveam iſtam quam mihi foderunt, ſive occides eos (phraſi Hebræa) ſubita ac præmatura morte, ut pios à te amari, & impios à te odio haberi, teſtatum omnibus fa-

facias. Quod ut apertius exponeret, addit; *Viri* (enim) *sanguinum & doli non dimidiabunt dies suos*, id est annos vitæ suæ; scilicet ex legis tuæ divinæ sententia, contra impios & legis tuæ manifestarios prævaricatores lata. Unde causam habebo cum sanctis omnibus firmissime semper confidendi in te, & credendi quod ex promissi tui constantia *completurus sis numerum dierum meorum*, *Exod.* XXIII. 26. si modo ab istis malignis hominibus integrum vitæ me servem, & tibi fideliter adhæream. Quod si verba hæc accipias de vitæ meta, quæ impiis non magis quam piis aliisque omnibus hominibus constituta est; quæ tum obsecro vis aut emphasis est in oratione ista Davidis, *Tu facies eos descendere in puteum foveæ?* Sensus enim orationis istius Davidicæ erit, Illi moriantur statuto suo tempore, sicut mortales alii omnes. Quis vero tum non protinus Davidi regesserit, Et te etiam tuo tempore, sive cum finis vitæ tuæ præstitutus aderit, Deus faciet descendere in puteum foveæ. Deinde si per *dies* hic intelligi dicamus opera aut negotia quæ moliuntur impii, idem dicetur quadrare in pios multos, quod eorum dies non dimidientur. Sed phrasis hæc, *Non dimidiabunt dies suos*, conjuncta præcedentibus verbis, sensum clarum habet; imprimis quia respondet phrasibus Scripturæ passim usurpatis, Numerum dierum non complere, in medio dierum cadere, abbreviare dies, &c.

Altera responsio est, *Non dimidiabunt dies suos*, id est, *Peribunt antequam sperent. Pollicentur quippe impii sibi longam vitam, imo sic vivunt quasi nunquam morituri: ac licet vitam aliquando in decrepitam senectutem protollant, tamen quia excessus ipsis est inopinus, & longas eorum spes prævertit, dicuntur non dimidiare dies suos.* Hæc responsio *primo* non convenit cum verbis; imo si verba, prout jacent, urgeantur, falsi Davidem arguit. Non convenit cum verbis; quia in textu non dicitur illos impios priusquam sperent morituros; sed absolute, non dimidiaturos dies suos. Aliud autem est, *Non dimidiabunt dies suos*, aliud, non credent se dimidiaturos dies suos. Falsi insuper arguit Davidem; nam cum isti moriuntur, non tantum non dimidiant dies suos, sed eos absolvunt ac perficiunt, nec minus quam David ipse dies suos. *Deinde* responsio hæc falsi manifesta est duobus modis. Enimverò multi impii sunt, ac fuerunt omni retro ævo, omnesque adeo Stoici & Gentiles complures, quibus sententia illa à te allegata placuit:

*Stat sua cuique dies, breve & irreparabile tempus*
*Omnibus est vitæ.*

Tum multi impii fuerunt hodieque sunt, quos sæpe longa vita & tota spe sua hîc potiri certum est: imo non defuerunt qui hoc beneficium summum sibi obtigisse cælitus crediderunt, quod violentas sibi manus conscisscere & vitam sibi eripere possent, ne diutius vivere necesse haberent quam pro voto suo atque ex animi sui sententia. *Tertiò*, si hæc responsio admittatur, quid singulare tum dixerit David de sanguinariis & dolosis hominibus, quasi Deus eos peculiari aliqua pœna adficiat, cum dies eorum dimidiari negat; si hoc ipsum, *dimidiare dies*, nihil aliud est quam mori isto mortis genere, isto tempore, quo mori alios omnes mortales ineluctabili fato constitutum est? Nulla certe ratio est cur isti sic morientes infeliciores credi debeant, quia sanguinarii & dolosi sunt, quam cæteri omnes qui pii & probi sunt. *Denique* in Veteri Testamento de omnibus piis qui præmatura morte moriebantur, quales nonnulli fuerunt, Deo ita dispensante, quòd (ut Apostolus ait *Hebr.* XI. 38.) *in indignus esset mundus*, verum erat eos sic non dimidiasse dies suos, quod perirent sive morerentur antequam sperarent. Enimvero longiorem multo vitam sperabant, atque ex promisso divino sibi pollicebantur. Promissa enim bona sperare, & spe sua quasi anticipare, est eorum ad quos promissa pertinent. At longæ vitæ fælicitas tum promissa erat piis divinæ legis retinentibus, uti ex locis à nobis ante citatis manifestum est.

Tertia responsio est: *Sunt*, inquis, *qui verba ista de eo vitæ humanæ termino intelligunt quem multi adsequuntur, scilicet* LX, *vel* LXX, *vel etiam plurium annorum. Ad eam ætatem impios raro pervenire; quod vel in acie cadant, vel carnificis manu tollantur, vel veneno, vel alio quocunque modo præventi, ad suum quidem, sed ad justum & communem cæterum mortalibus, vitæ finem pervenire non possint.* Hæc responsio similiter nec cum verbis convenit, nec ad rem facit. Non convenit cum verbis: quia non dicitur in textu, eos *non dimidiare dies* cæterorum hominum, sed *suos*. At dies ipsorum non sunt dies tot annorum, quot justum & cæteris mortalibus communem vitæ finem faciunt. Hos itaque cum integros ac totos expleant, quomodo dicuntur vere dies suos non dimidiare? Deinde, si idcirco sanguinarii isti non dimidiant dies suos, quia ad istam ætatem provectam non perveniunt; pari etiam jure de piissimis multis dicetur eos non dimidiare dies suos, imo forte majori jure de his quam de illis. Quotusquisque enim piorum est qui istam ætatem attingit? Et hi in acie cadunt, carnificis manu tolluntur, fame enecantur, veneno perimuntur, aliisque malis præventi ante diem istum fere obeunt. Tum in præcedente responsione dictum est, sanguinarios atque impios vitam suam aliquando in decrepitam usque senectutem protollere; quod quin de multis impiis, saltem hoc tempore, verius dicatur quam de piis, dubitari vix potest. Denique quid ad rem, quæso, dixisset David, si sanguinarios dixisset non dimidiaturos dies suos, id est justum vitæ curriculum non decursuros, aut ad grandem istam ætatem non perventuros, nisi ratio & causa ejus ponatur quod impii essent & sanguinarii, & sic admittatur sententia nostra? Nam si fataliter constitutum esse credidit David, ut sanguinarii tum & non alio tempore moriantur, nulla habita ratione ad impietatem aut profanitatem eorum; quid ad rem facit quod dicit, *Illi non dimidiabunt dies suos?* Sic enim non tantum non dimidiant isti dies suos, sed & eos absolvunt ac perficiunt, non aliter quam piissimi quique dies suos. Nec pietati vis tribuitur ad ulteriorem vitæ terminum, nec impietati ad citeriorem. Huic adde quod David adferre non poterat sine speciali revelatione; futurum ut isti sanguinarii & dolosi homines ad istam ætatem non pervenirent. Cum enim non raro fiat ut, Deo ita permittente, isti vitam ad decrepitam usque ætatem protollant, unde constare poterat Davidi istos, de quibus loquitur, sanguinarios, eo non perventuros? Certe aliunde quam ex divina revelatione id sciire non poterat. At quis eam Davidi factam vel verisimili argumento probaverit? Quare statuendum omnino est, Davidem respexisse ad divinæ legis sententiam, quæ impiis, ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον, brevem & calamitosam vitam, aut repentinam & miseram mortem comminatur; piis vero ac Dei timentibus longam, tranquillam & jucundam vitam: & vi legis istius adseruisse istos etiam sanguinarios homines, qui ipsi innoxio atque immerenti insidias struebant, in medio vitæ cursu exscindendos, & justissima Numinis vindicta pœnas sceleribus suis dignas daturos esse. Cui convenit etiam istud Juvenalis:

*Ad generum Cereris sine cæde ac sanguine pauci*
*Descendunt Reges & sicca morte Tyranni.*

Ad promissionem longioris vitæ, qua Deus invitat liberos ad parentum venerationem, respondent, inquis; *Hominum gratia sic loqui Spiritum sanctum, quibuscum balbutire nonnunquam consueverit: ut prolongari dicantur obsequentium liberorum dies, cum longa & tranquilla vita beantur; quæ ut ab immutabili decreto Dei pendet, ita nihil annis eorum addi posse ad longiorem vitæ curriculum. Sed longa eos vita Deum frui velle qui suæ autores vitæ venerantur; ita tamen ut si tales ante maturam ætatem è vita abripiantur, (quod non raro videmus) nihilominus in suæ promissionis complemento Deum perseverare*, &c. *Et ad promissum longævitatem sanctum libentius parentes suos honorantibus.* Hæc responsio non modo mihi videtur frivola ac diluta; sed & indigna divinæ promissionis tum veritate, tum excellentia. Nam seriam Dei promissionem in balbutiem affectatam commutare frivolum est, & eam non modo enervare, sed prorsus tollere atque eversum ire. Balbutire enim hoc Dei, (horreo pæne dicere) quid aliud erit quam mentiri? Enimvero promittere morigeris liberis vitam longævam, cum jam ante, sine ulla obedientiæ prævisæ consideratione, iis constitueris intransibilem vitæ terminum; quid aliud est quam promittere, quod promitti sub conditione non potest, nisi id quod absolute decretum est evertatur? Hæc res tanto est indignior, quanto indignius est velle balbutire cum iis, quibus jam ante aperte ac sine ulla balbutie persuasum esse voluisti, suum cuique terminum vitæ constitutum esse absque ullo ad pietatem aut impietatem respectu. Profecto non potest, non dico Deus, sed nec mortalis ullus homo, sic cum quoquam balbutire; nisi seipsum ludibrio propinare velit, & cum iis quibuscum antea veluti cum adultis viris locutus est, postea veluti cum pueris ludere. Aliud est dicere, Deum aliquando balbutire nobiscum, quando de rebus istis loquitur quæ captum nostrum longe superant, ut cum de vitæ æternæ gloria, de naturæ atque essentiæ suæ Majestate loquitur: aliud dicere, Deum balbutire nobiscum, quando nobis promittit ea quæ non modo non excedunt captum nostrum, sed quæ facile capere possumus, & quæ plane ac perspicue capere nostra interest. Talis natura est eorum bonorum quæ nobis promittit Deus ad vitæ hujus fælicitatem pertinentia. Promissionis hujus vis in eo posita est, ut clare intelligatur bona ista reapse & side bona promitti nobis. Si causa dubitandi detur, an promissio ista veritati antea declaratæ repugnet, periit promissionis vis & efficacia, ac simul dignitas ejus eviluit.

Dices fortasse, Deum promittere liberis morigeris vitam longiorem, quia jam ante decrevit iis longiorem vitam dare. At hoc difficultatem non solvit, nec dubitationem tollit. Nam si longior vita absolute & sine ulla obedientiæ

prævisione iis destinata est, quam vim habet ex conditione requisita, ista promissio? Deinde, quomodo hæc promissio, veluti ratio aut argumentum suadens, afficiet eos quibus antea persuasum est, id quod promissio continet absoluta voluntate destinatum ac decretum esse? Concludo: Nec Deum promittentem decet conditionis istius postulatio: nec eos quibus fit promissio, conditionis istius postulatio movere potest ad longioris vitæ præmium consequendum. Sententia enim de vitæ termino stat & stabit semper firma atque immota, sive conditio ista præstetur, sive non præstetur.

*Et ad exemplum Ezechiæ.*

Ad exemplum Ezechiæ Regis respondent, inquis, Primò, *Singulare aliquod exemplum non evertere regulam aut legem.* Fateor hanc exceptionem colorem habituram, nisi omnium singularium atque individuorum eandem prorsus esse crederent rationem. Certũ enim est, Deum nunquam sibi ipsi legem figere, neque regulam ullam esse cui Deum ipsum adstrictum esse credi debeat. Jus supremæ Majestatis semper sibi reservat Deus, ut extra ordinem agere possit, si velit. At vix credo esse inter sententiæ primæ authores, qui disparem singularium à communi omnium sorte rationem esse credant.

Secundo respondent, inquis, *Sub hoc nuncio tacitam contineri conditionem, Moriturum scilicet Regem, nisi seria pœnitudine se ad Deum convertat.* At, inquam, hæc responsio nullo modo satisfacit. Ut enim jam non dicam, eam nullatenus quadrare nec responsioni primæ, nec propriæ autorum sententiæ, quomodo conditio contineri potest isto nuntio, cum mors ipsa Regis jam statuatur decreta ac præfinita decreto peremtorio, absque ullo ad conditionem præstitam aut non præstitam respectu? Natura ipsa rei etiam docet, conditionale decretum non posse subordinari decreto absoluto. Conditio siquidem omnis est incerta, ex authorum istorum opinione, utpote dependens à causa incerta & mutabili, id est ab arbitrio humanæ voluntatis libero, sive in alteram partem mobili: usque adeo ut ne cognosci quidem à Deo possit ejus eventus, quamdiu iste in & à causa ista libera suspensus hæret, id est in alteram partem actuali volitione non est determinatus. Absolutum vero decretum certum est atque immutabile, utpote omnem conditionis aut præstandæ præstitæve, aut non præstandæ vel non præstitæ prævisionem antecedens.

Dicere, quod tertia exceptio videtur insinuare, *Deum acri ista comminatione usum, ut sic Regem ad pœnitentiam compelleret*; speciem haberet, si crederetur comminationem illam seriam esse potuisse salvo atque inviolato isto, de fatali termino regiæ vitæ, decreto. At quomodo ea seria esse potuerit, si fataliter constitutum erat ab omni æternitate ut Rex non moreretur nisi post quindecim annos, id vero ἀκαταλήπτον est. Comminari enim mortem ei, quem mori non vis nisi præstituto tempore, non est comminari serio, sed comminationem fingere ac simulare. Tum, quæ vis comminationis istius apud Regem Ezechiam esse poterat, si credebat se non moriturum, adeoque nec mori posse ante constitutum ab omni ævo atque inevitabilem terminum? profectò nec conqueri eum necesse erat, nec metuere.

*At*, inquies, *comminatio ista medium erat, quo Deus resipiscentiam Regis actu operabatur, atque ita mediante ista eum faciebat pervenire ad constitutum vitæ terminum.* Hoc vero, inquam ego, authores istius sententiæ dicere non possunt, si consentanee principiis suis loqui velint. Comminatio enim ista, non est nisi extrinseca & moralis actio, quæ ad resipiscentiam ingenerandam non sufficit. *Accessit*, inquient, *peculiaris Spiritus sancti actio, quæ eam efficacem reddidit.* Hoc vero, inquam, est totam tum præscriptæ conditionis, tum comminationis vim elidere. Quę enim est conditio ista, quam is ipse, qui eam postulat, efficit in eo à quo eam postulat, & quidem ista vi & efficacia cui resisti non potest? Quæ vero comminationis istius vis est, quæ conditione ista nititur, quam is qui comminatur omnipotente sua actione efficere decrevit, & quidem ne irritum fiat decretum quod absque ulla conditione, aut conditionis prævisione, fixum ac ratum esse voluit? Histrionia hîc potius quam divina operatio locum habet.

Multo minus ad rem facit, quod in secunda responsione tacite videtur indicari: *Deum hac ratione palam facere voluisse quam Regi ab æterno designarat μακροβιότητα.* Nam ridiculum est credere aut dicere, Deum palam voluisse facere per comminationem sub conditione, sive per decretum conditionatum, id quod antea per absolutum decretum, absque ulla conditione aut conditionis prævisione firmum esse constituerat atque immotum. Non satis digne sentit de divina tum sapientia, tum æquitate ac justitia, qui tam disparia, & ne homine quidem digna decreta sibi subordinata, tribuit sapientissimo simul ac æquissimo Numini. Hoc enim nihil frustra facit, nec frustra quicquam à nobis fieri vult. At frustra promitteret, frustra minaretur, si promitteret aut minaretur ea quæ mutari non possunt, quæ ipsa sine promissione aut comminatione existere tandem necesse est, aut ad quæ, ut existant, necessarium omnino est ut id ipsum, sub quo promissio aut comminatio fit, ista vi efficiatur, cui nulla vis resistere potest, aut restitura nunquam est.

Atque hac quidem ratione responsum esto ad exceptiones, quas nomine authorum primæ sententiæ ad testimonia tria à te citata allegare in Epistola tua consultum judicasti.

Constitueram hic subnectere rationes & argumenta quædam alia apagogica contra primam istam sententiam; sed pauca hæc sapienti satis sunt. Vidisti, credo, ea omnia unica fere exceptione quam contra artis vestræ Medicæ necessitatem ex Cicerone & Seneca attulisti, veluti Gordium nodum Alexandri gladio diffindi solere. Et quia exceptio ista nititur fundamento isto quo Fatalis omnium rerum necessitas statuitur, eam tecum operose hic non excutiam, ne non Epistolam, sed librum conscribere velle videar; ratus sufficere ad exceptionem istam funditus evertendum, argumenta ista quæ à divinæ Scripturæ authoritate petita sunt, quæ æquum est rationibus istis omnibus præponderare, & quæ (si fatalis ista rerum omnium necessitas locum habet) non nisi meris cavillationibus & contortis interpretationibus eludi possunt.

Quare ut finem faciam, paucis aliquot conclusionibus sententiam meam complectar.

*Sententia auctoris de vitæ termino, quatuor conclusionibus exposita.*

*Prima* est: Deum Opt. Max. constituisse certam aliquam sphæram, intra quam ordinarie statum vitæ humanæ consistere voluit. Ea est ætas LXX, aut LXXX annorum, juxta Psalmographum: Salva semper Deo libertate sua, ut extra aut ultra sphęram istam terminum vitæ humanæ extendat quousque ei lubet.

*Secunda*: Deum, qui justitiam plus quam hominem, & propter justitiam hominem amat, quique peccatum plus quam hominem, & propter peccatum hominem odit atque aversatur, utriusque, tum justitię tum peccati, respectu, vitam hominis sphęra ista circumscriptam aut prolongare aut abbreviare velle: & ordinarie quidem piorum vitam (imprimis sub Veteri Fœdere, quod maximam partem benedictionibus & maledictionibus ad hanc vitam pertinentibus sancitum est) prolongare velle; impiorum vero abbreviare: Salva interim Deo libertate sua, ut extra ordinem aliquando, ob rationes seu manifestas seu occultas, contra agere possit, & piorum vitam abbreviare, impiorum prolongare.

*Tertia*: Deum prolongare volentem piorum vitam, nonnunquam habere rationem temperamenti, quod ex vi sibi insita validum ac robustum durare potest usque ad ultimum sphærę istius terminum; conservando scilicet istud in vigore suo, vel prohibendo quę temperamento isti seu extrinsecus seu intrinsecus turbando aut dissolvendo facere possunt. Nonnunquam vero non habere istius temperamenti rationem, sed illud speciali aliquo vigore corroborare, ut diutius quam pro vi sibi innata atque insita durare possit. Quando id Deus facit, tum dicitur vitam vel numerum dierum piorum complere. Contra impiorum vitam abbreviare & quasi retro trahere volentem, tum vel temperamentum eorum, alioquin natura sua tenax & durabile, turbare; vel non prohibere, adeoque procurare, ut istud hoc vel illo modo dissolvatur aut obruatur. Quando id fit, tum dicuntur impii non dimidiare dies suos.

*Quarta*: Pios & Dei alioquin timentes, si quando eos contingat incidere in peccata per quę merentur vitę suę abbreviationem, posse aliquando seriis precibus, tum aliorum, tum suis imprimis, & jejuniis, lachrymis, aliisque verę pœnitentię documentis à Deo consequi non veniam tantum, sed etiam temperamenti sui, ex infirmitate aut casu alio ob peccata sua fracti ac debilitati, restaurationem & in melius mutationem. Aliquando vero non posse, idque tum imprimis cum jam Deo sapientissimo ac justissimo visum fuit sententiam mortis inexorabilem nullisque precibus flectendam pronunciare. Tum enim existimo peccatum eorum esse peccatum ad mortem, contradistincte à peccato quod non est ad mortem; sive super quo sententia mortis irrevocabilis lata nondum est: 1 *Johan.* V. 16. de qua re mortalium nemini constare certo potest sine revelatione speciali.

Habes hîc, Vir Amplissime ac Consultissime, sententiam meam de vitę humanę termino, prolixiorem utique quam pro Epistola & opinione mea; tua vero etiam tum eruditione, tum spe atque expectatione fortasse indignam. Sed periclitari potius famam meam volui, quam officio meo deesse, aut diutius expectationem tuam frustrari, nactus unius atque alterius diei otium atque interusurium. Prolixitatem etiam facile veniam apud te reperturam credidi, utpote ex responsionis mora natam, ne sine fœnore atque usura reciperes debitam tibi à multis hebdomadis & prę-

ter

ter omnem spem dilatam rescribendi solutionem. Si quid interim restare existimas ad plenam & exactam solutionem id velim significes. Non patiar me in ære tuo esse, quamdiu solvendo ero. Si oportunitas aliquando nobis deest, solvendi tamen voluntas semper manet, & discendi simul ac bene merendi studium de omnibus, imprimis de tui similibus. Vale Vir Amplissime, & nos amare perge. XVI Martii. CIↃ IↃ CXXXIII.

## M. SIMONI EPISCOPIO, Theologiæ & Philosophiæ Doctori, JOH. BEVEROVICIUS S. D.

NOn est quod excuses V. C. tarditatem tuarum literarum apud hominem tibi plane ignotum; cum & illam ipsam abunde comperfaveris grata prolixitate. Non enim literas misisti, sed thesaurum reconditæ eruditionis. Communicavi eas cum viris sapientia & eruditione præstantibus, qui nihil eruditius, nihil solidius se unquam legisse prædicabant. Quamplurimos video facile in tuam ituros sententiam; non paucos tamen è nostris ab ea discessuros auguror. Equidem cum sciam non protinus arripiendum & arctè tenendum esse, præcipue in hisce μυστηρίοις, (ubi sæpe perhibetur Μάντις ἄμεινον, ὅστις εἰκάζει καλῶς) quicquid animum probabilitate quadam percutit, suspensus admodum detineor à providentia & præscientia Dei.

*Objectio à providentia & præscientia Dei petita.*

Neminem negare arbitror quod dicit August. de Prædestinatione cap. 14. *Deum præscire quicquid futurum est.* Sive igitur præscientia illa sequatur rem futuram, ut docuit Justinus, Quæst. ad Orthod. Sive dicamus, Deum quicquid præscit, etiam decrevisse ut fieret & prædestinasse, ut colligi videtur ex Paulo, *ad Roman.* VIII. 29. ὃν προέγνω, καὶ προώρισε, &c. necesse erit fixum plane & immutabilem statuere vitæ nostræ terminum.

Paulus cui ex divina revelatione certum erat omnes in navi salvos fore, & è fœda qua jactabantur tempestate incolumes evasuros, cum tamen nautas fugam adornare animadverteret, pronunciare non dubitavit, *nisi isti manerent omnibus perundum esse. Act.* XXVII. 31. Quemadmodum hîc Dei promissum cautis secundis & mediis alligatum est; ita volunt plerique, ne necessitatem Medicinæ excludere videantur, vitam hominis mediis & remediis, quæ Medicina suggerit, annexam, ut perducatur ad fatalem illum & decretorium, ut loquitur Seneca, diem, nulla arte, nullis votis evitabilem aut superandum.

Hunc mihi adhuc scrupulum ut eximas, tuaque ad artem Medicam plenius referas, si commodo tuo fieri possit, (nolo enim benignitatem tuam tibi incommodo esse) equidem vehementer exopto. Clarissime & Præstantissime Vir Vale, & de me ac studiis bene mereri perge. Dordrechti. 3. Idus Jun. CIↃ IↃ CXXX III.

## JOHANNI BEVEROVICIO, Senatori & Medico Dordrechtano, SIMON EPISCOPIUS S. D.

VIr Amplissime & Consultissime, Promiseram mihi otium aliquod post exactæ Pentecostes festum; sed spe mea totus excidi. Prælum repente iterum me exercuit, & labor ex labore urlit. Experimento in dies disco, de scriptione verum esse quod de benefactis Plautus ait, Scriptionem scriptione pertegendam esse, ne perpluat. uti fluctus fluctum, ita liber librum trudit. Hinc adsiduus labor, & qui fere redit actus in orbem, à mane ad vesperam me habet. Cogor hæc præfari, ut quæ tam longæ moræ meæ in respondendo causa sit intelligas. Nunquam crede mihi abiit ex oculis Epistola tua. Sæpe anceps animus fuit, utrum non satius esset curas omnes alias seponere atque abrumpere cum famæ periculo, quam negligentiæ suspicionem incurrere apud te, cujus benevolentiam mihi perpetuam opto ac voveo. Sed remoram semper injecit novam cura alia ex alia. Et jam rescripturientem variæ scriptiunculæ retinerent, nisi Pythagoricam ἰκμαλίαν metuerem, & justam criminationem illam, *Citius rescribit, quam elephanti pariunt.* Abrumpo itaque silentium, pudore potius victus, quam respondendi oportunitatem nactus. Nimirum urget me prolixa tua humanitas, qua non modo benignum tuum in me animum testatum facis; sed & judicium tuum de priore scriptiuncula mea usque adeo aliorum præstantium virorum encomiis exaggeratum indicas, ut tantum non mihi blandiar. Et quanquam mei me pæne pæniteat ac pudeat, indigner tamen occupationibus meis, quod tamdiu responso A. T. frustrari cogar. Suffurari itaque mihi malo à negotiis otium, quam diutius differre responsum. Habe igitur, Vir Amplissime, hoc responsum nostrum ad amicam Epistolam tuam, & veluti abortivum fœtum pro tua æquanimitate suscipe.

*Duæ illorum sententiæ qui fatalem vitæ terminum non agnoscunt.*

*Suspensus*, inquis, *detineor à providentia & præscientia Dei.* Credo equidem. Isthæc cogitatio non paucos omni retro ævo tenuit solicitos, hodieque retinet suspensos. Prævideram istud ipsum. Hinc sententiam eorum, qui communi hodieque receptæ & jam fere passivè sententiæ non subscribunt, dispescui in duas sententias. Quarum *primæ* est eorum qui rerum, actionum atque eventuum omnium prædestinationem, ac proinde etiam decretorium cujusque vitæ terminum, suspendunt ab infallibili divinæ mentis prænotione aut præscientia. *Secundæ* eorum qui circa divinam præscientiam quod ad actiones liberas nonnihil hæsitant, ac proinde prædestinationem rerum, actionum atque eventuum omnium non suspendunt ab ista prænotione aut præscientia, sed à scientia rerum omnium ac singularium quatenus in tempore entitatem aliquam, sive in causis suis, sive extra causas suas habent. Verbo exponam: Volunt decretum factum ab æterno, generatim factum esse in hunc modum; Obtemperantibus mihi vitam longam decerno; Brevem immorigeris: salva semper mihi libertate mea extra ordinem agendi prout videbitur. Ex vi generalis istius decreti, omnes Deo obtemperantes longævitatis libro inscriptos; cæteros præcociori morti addictos esse statuunt. At quemlibet nominatim tum demum huic aut isti libro inscribi, cum Deus in tempore videt ac cognoscit uniuscujusque animum, voluntatem, studia ac facta.

Inter istas sententias medius stare volui; non quod posteriori sententiæ faveam; sed ne quæstionis principalis status diverteretur ad examen hypotheseos, quam veluti inter nos confessam supponere malebam. Alioquin controversia de divina Providentia & Præscientia à capite fuisset arcessenda, & prolixa ventilatione discutienda. Interim quia jam ab ea suspensum te detineri significas, dicam etiam lubens de ea quod sentio.

*Neminem*, inquis, *negare arbitror, quod dicit Augustinus, de Prædest. cap.* 14. *Deum præscire quicquid futurum est.* Recte: si per neminem, neutrum nostrum intelligas. Præscientiam enim futurorum neuter nostrûm Deo negat, sed uterque ego & tu præsupponimus in Deo esse: recte, an secus, nihil refert. Alioquin si per neminem, intelligas neminem hominem aut Theologum Christianum, admitti non potest. Nec enim dubium est quin olim fuerint, hodieque sint non pauci, qui Pontificii, qua Reformati Theologi, iique non infimi subsellii, qui aperto ore & periculosa sententia negant Deum præscire quicquid futurum est; si modo per futura omnia intelligantur non tantum ea quæ ἐνεργείᾳ dicuntur, sive quæ ex conditione naturæ suæ, aut vi causæ suæ necessario futura sunt; sed etiam ea quæ μάλιστα dicuntur Aristoteli, sive quæ verisimiliter futura sunt, aut in æquilibrio voluntatis posita ita sunt ut fieri possint & non fieri; qualia sunt ea quæ futura contingentia dicuntur, tum absoluta, tum conditionata.

*Dubium esse quo sensu Augustinus asserat Deum Præscire quicquid futurum est.*

Quo sensu Augustinus olim dixerit, *Deum præscire quicquid futurum est*, ita teor mihi incertum videri. Quin Patrum pæne omnium, qui Augustinum quatuor integris sæculis antecesserunt, opinio fuerit, Deum futura omnia contingentia, tam absoluta quam quæ ex hypothesi sunt, præscire, vix dubium mihi est. Prosper, Augustino si non omnino ὁμόψυχος, saltem plane ὁμόψηφος, id diserte asserit his verbis: *Pæne omnium par invenitur & una sententia, qua propositum & prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt; ut ob hoc Deum alios vasa bonoris, alios vasa cõtumeliæ fecerit, quia finem uniuscujusque præviderit, & sub ipso gratiæ adjutorio, in qua futurus esset voluntate & actione præsciverit.* Adstipulatur Prospero Melanchton noster, cum ait: *Scriptores veteres omnes, præter unum Augustinum, putarunt aliquam causam electionis in nobis esse.* Hinc animi pendeo circa mentem Augustini. Et dubitationem augent discrepantia de ea doctorum judicia.

Sunt

Sunt enim tam inter Pontificios quam inter Reformatos, qui Auguſtinum fatalem rerum, actionum atque eventuum omnium prædeſtinationem & prædeterminationem, atque ab ea ſuſpenſam rerum, actionum atque eventuum omnium præſcientiam infallibilem credidiſſe volunt. Ex horum opinione, ſenſus pronunciati iſtius Auguſtiniani erit, Deum præſcire, non quicquid quovis modo futurum eſt, ſed quicquid decrevit ipſe ac prædeterminavit ut fiat; cumque nihil fiat aut futurum ſit quod non prædeterminaverit ut fiat, præſcire etiam quicquid futurum eſt. Sunt alii qui plane contrarium Auguſtino tribuunt; & his favere videtur Auguſtini ſententia (quam ubique ſine controverſia ſuam eſſe in ſcriptis ſuis profitetur) de *Libero arbitrio*. At cum hoc ipſum, qua in re eſſentialem Liberi arbitrii definitionem ſeu proprietatem quarto modo conſtituerit, non immerito controvertatur, malim ego litem iſtam ex paxillo ſuſpenſam relinquere, quam ſententiam meam in alteram partem interponere, & litem decidere. Rationes non leves pro utraque parte militant. Interim quicquid ſit de mente Auguſtini, dubio omni procul certum eſt, non paucos eſſe inter Pontificios, nec pauciores (ſi non omnes) inter Reformatos, quibus ſententia de abſoluta Dei prædeſtinatione placet, qui aperte profitentur ſe negare Deum, non dico præſcire, ſed præſcire poſſe futura contingentia, qua abſoluta, qua conditionata: hoc potiſſimum argumento ducti, quod indeterminatæ rei non poſſit eſſe determinata ſcienta. Atque huic fundamento neceſſitatem alicujus decreti divini prædeterminantis, totamque adeo Prædeſtinationis ſuæ doctrinam ſuperſtruunt.

*Ingens diſcrimen inter eorum ſententias qui vitæ terminum ex Dei præſcientia certum eſſe dicunt.*

*Eſto*, inquit A. T. *nihil refert ſive præſcientia illa dicatur ſequi rem futuram, & in ea fundetur Prædeſtinatio; ſive Prædeſtinatio dicatur rem futuram præcedere, & in ea fundetur præſcientia. Utrum enim cunque dicatur, neceſſario tamen ſemper conſequitur ut fixus aliqua & plane immutabilis ſtatuatur vitæ noſtræ terminus.* Conſequentiam lubens admitto. Enimvero præſcientia iſta ſive præcedat, ſive ſequatur divinam Prædeſtinationem, ſemper certa atque infallibilis eſt, aut eſſe præſupponitur. Certus itaque & fixus etiam vitæ terminus ut ſtatuetur neceſſe eſt, neceſſitate ſi non conſequentis, ſaltem conſequentiæ, id eſt ſi non ex vi, ſaltem ex hypotheſi præſcientiæ. Certa enim eſt hæc conſequentia: Si Deus infallibiliter præſcit hunc non alium futurum eſſe vitæ noſtræ terminum; Ergo hic, non alius, eſt futurus vitæ noſtræ terminus. At hoc non eſt quod hîc quæritur. Ex præcedente noſtro ſcripto & ex natura rei liquet, non repugnare hæc duo inter ſe, Terminum aliquem fixum atque immutabilem eſſe juxta Dei præſcientiam, & terminum illum eſſe mobilem virtute vel vitio noſtro. Præſcientia enim iſta ſupponit terminum iſtum non mobilem modo eſſe, ſed cum moveri poſſit virtute vel vitio noſtro, tamen non motum iri, & ſic virtute vel vitio noſtro fixum eſſe. Ingens itaque diſcrimen eſt in utriuſque præſcientiæ ratione. Præſcientia enim quæ rem futuram abſque ullo prævio & prædeterminante decreto pro objecto habet, ſupponit rem futuram una cum toto atque univerſo futuritionis ordine ac modo. Modus enim futuritionis, eſt etiam id quod futurum eſt, ſive quod ad rei quæ futura præſcitur, futuritionem pertinet. At præſcientia quæ prædeſtinationem divinæ voluntatis ſequitur, habet quidem etiam rem futuram pro objecto, eamque præſupponit; ſed ita ut ſimul etiam ordinem ac modum futuritionis, ex vi antegreſſæ prædeſtinationis & prædeterminationis, fixum atque immutabiliter conſtitutum complectatur.

*Quod exemplo ex Medicina deſumto illuſtratur, primo ex eorum ſententia qui præſcientiam decreto innixi non putant.*

Exemplo utar ad rem & Medicinam veſtram accommodato. Præſcientia quæ ad rem futuram ſequitur abſque ullo prædeterminante divino decreto, eſt præſcientia exempli gratia de vita & morte, de ſanitate & morbo, de bono aut malo uſu arbitrii in vitæ regimine, Petri, Joannis, & uniuſcujuſque individui in hoc univerſo, & quidem duplex.

Prima eſt conditionata: Si Petrus aut Joannes ſanus conditus tale vitæ genus eligat ut diætam accurate ſervet in cibo & potu, ut remediis contra cæli aëriſque injurias contraque ingruentia omnia mala idoneis utatur, quæ præſervandæ aut reſtituendæ ſanitati faciunt; præſcio illum diu ſanum victurum, & vitam in multos annos prorogaturum: ſin minus, præſcio eum cum variis morbis luctaturum, & ante diem moriturum.

Secunda eſt abſoluta: Præſcio Petrum aut Joannem iſtiuſmodi vitæ genus electurum, diæta ſollicite uſurum, remedia omnia de conſilio & ſententia prudentium Medicinæ conſultorum ad ſanitatem tum fovendum tum reſtituendum adhibiturum, ac proinde diu multumque victurum. Contra: Præſcio eum vitæ ſuæ rationem perperam habiturum, diætam neglecturum, contra omnia Medicorum conſilia gulæ, ingluviei, crapulæ indulturum, in febribus vino, in ſtomachi imbecillitate crudis, in colico dolore frigida, in obſtructionibus renum viſcerumque adſtringentibus, in dyſenteria ſalſis, acribus & acidis uſurum, ac proinde una cum ſanitate vitam etiam præcipitaturum ac dilapidaturum eſſe.

Utraque hæc præſcientia certum fixumque vitæ terminum tanquam rem futuram pro objecto habet eumque præſupponit; ſed terminum cum omnibus iſtis antecedentibus complexim ſumtum, inter quæ etiam eſt rectus uſus aut abuſus voluntatis liberæ, in cujus poteſtate erat terminum iſtum movere, id eſt aut adducere aut producere.

Hæc itaque non modo Medicinæ neceſſitatem, ſeriamque de valetudine & vita proroganda ſolicitudinem non tollit, ſed ambitu ſuo includit, ſive potius præſupponit; adeo ut niſi tum Medicinæ, tum liber voluntatis noſtræ uſus eſſet, præſcientia falſa eſſet. Eo ipſo enim quod homo, quanquam valetudinis ſuæ curam ſeponere poſſet aut negligere, non tamen eam ſeponat, talem vitæ ſuæ terminum divinæ præſcientiæ offert qualem ſibi ipſe figit.

Nihilo vero magis ex eo ſequitur terminum iſtum, qui futurus præſcitur, neceſſario nec aliter ſe habere potuiſſe, quam ex ſcientia rei præteritæ, exempli gratia creationis mundi, ſequitur mundum non libere, ſed neceſſario conditum à Deo eſſe. Uti ſcientia præteritam rem pro objecto habens, nullam rei præteritæ, ut ita fieret, neceſſitatem infert: ita præſcientia rem futuram pro objecto ſuo habens, rei futuræ ſive futuritioni nullam poteſt inferre neceſſitatem. Utraque enim eſt extra rem, & actio in Deo (ut loquuntur) immanens. Futurum eſſe aliud nihil notat quam objectum præſcientiæ; uti præteritum eſſe aliud nihil notat quam objectum ſcientiæ ſive memoriæ. Scientia eſt ſubjecti ſive ſcientis perfectio, non objecti ſive rei quæ ſcitur; multo minus naturæ rei deſtructio. Neceſſe enim eſt ut conveniat naturæ rei, ut vera ſit ſcientia.

*Secundò, ex illorum ſententia qui præſcientiam in decreto Dei fundant.*

Verum enimvero longe alia eſt ratio præſcientiæ quæ fundatur in decreto ſive Prædeſtinatione & prædeterminatione divina, per quam terminus vitæ unicuique individuo ita figitur, ut ſimul etiam omnia præfiganturac prædeterminentur, per quæ fieri poſſet ut terminus iſte non attingatur, ne incerta aut dubia ſit præſcientia: ſive prædeterminatio iſta fiat per modum cauſſæ efficientis, id eſt per phyſicam & realem quandam actionem aut impreſſionem in humanam voluntatem, ut homo ad conſtitutum terminum perveniat bene vel male vivendo: ſive fiat per modum cauſſæ deficientis aut non concurrentis: (quæ permiſſio ſimpliciter à quibuſdam, ab aliis permiſſio efficax ſolet vocari.) Cauſa enim deficiens in neceſſariis, reducitur ad cauſſam efficientem. Hujuſmodi enim præſcientia, etſi in eo cum præcedente præſcientia conveniat, quod rem futuram totumque adeo rei futuræ ac futuritionis ordinem ac modum non minus quam illa præſupponat; attamen in eo differt, quod iſta præcedens, libertatem voluntatis humanæ ejuſque uſum, non incoactum modo, ſed & liberum prorſus præſupponat: hæc vero libertatem voluntatis proprie dictam ſive liberum ejus uſum prorſus tollat, ne certitudo atque infallibilitas præſcientiæ divinæ vacillet aut laboret.

*Decretorum de vitæ termino ordo ſecundum illos.*

Rem hanc clariorem reddi operæ pretium eſt, ut diſcrimen evidenter liqueat, & res tota de qua agitur eluceſcat. Qui infallibilem Dei præſcientiam fundant in decreto & prædeſtinatione ac prædeterminatione divina, ii neceſſe eſt ut hoc ordine ſententiam ſuam ediſſerentes progrediantur.

*Primum decretum Dei* eſt: Volo Petrum ad hunc, non ad iſtum vitæ terminum progredi, puta ad annum uſque vitæ ſexageſimum, LXX, aut LXXX. Joannem vero non ad hunc, ſed ad iſtum terminum, puta ad annum uſque vitæ trigeſimum, XL, aut L.

*Secundum decretum* eſt: Volo Petrum aut à morbo aliove caſu præſervare, aut in morbo conſervare, aut à morbo liberare, ne ante conſtitutum vitæ terminum moriatur: Joannem vero in morbum incidere, aut caſu aliquo inopinato præoccupari, ut conſtituta hora moriatur.

*Tertium decretum* eſt: Ne Petrus in morbum lethalem incidat, volo ut induſtrium & prudentem Medicum ad manum habeat; aut ubi in morbum inciderit, ut remedia propulſando morbo idonea ei ſuggerantur, atque ita convaleſcat. Contra: Ne Joannes diutius quam conſtitutum eſt vivat, volo ut Medico, medicina & remediis omnibus careat.

*Quartum decretum* eſt: Ne Petrus pro innata ſibi libertate vitæ ſuæ incurioſus aut negligens ſit, eaque peccata committat, per quæ ſibi ipſi & vitæ ſuæ injurius eſſe poſſet, volo diſponere & præparare voluntatem Petri ut accuratam totius vitæ ſuæ rationem habeat. Contra: Ne Joannes pro innata ſibi libertate atque ex amore vitæ hujus, accuratius viven-

vivendo vitæ ſuæ limitem conetur tranſgredi, volo ut careat iſta prudentia, iſtis conſiliis atque auxiliis quæ ei uſui eſſe poſſent, iſta denique gratia, ſine qua voluntatem ejus in gulam, intemperantiam, libidinem, jurgia, aliaque vitæ huic noxia peccata ac ſcelera incidere neceſſe eſt, atque ita ad præfixum ſibi terminum perveniat, nec ultra poſſit progredi.

*Adde* quod huic decreto affine eſt: Etiamſi Petrus pro innata ſibi libertate in præſentiſſima vitæ pericula ſe conjiciat, ſeque adeo ipſum crapula, ira, libidine ad diutius vivendum inidoneum aut indignum reddat, volo tamen ut iſtorum nihil ei obſit, ſed ut per ſcelera & flagitia ipſa ad præſtitutum terminum perveniat. Contra: Etiamſi Joannes caſtigatiſſime vivendo ſe ipſum longiore vita dignum reddat, volo tamen ut fixus maneat terminus, & non moveatur loco quod ab æterno apud me conſtitutum eſt vitæ ſpatium.

In hujuſmodi decretis aut ſimilibus ut fundetur ab authoribus iſtis neceſſe eſt divinæ præſcientiæ certitudo atque infallibilitas. Brevius hæc concipi potuiſſent: ſed quia A. T. inter cætera non obſcure indicat, decreta divina non nude tantum accipienda aut intelligenda eſſe, ſed quatenus etiam includunt media ac remedia fini à Deo intento ſubordinata; hinc neceſſarium duximus decreta divina iſto, quo jam diximus, ordine concipere.

*An cum iſtis decretis ſalvetur Medicinæ neceſſitas.*

*Eſto*, inquies: *Cum iſtis decretis ſalvatur Medicinæ neceſſitas.* Ita quidem videtur: ſed neceſſitas qualem Cicero infert ad retorquendum dilemma eorum qui hoc pacto concludebant: *Si fatum eſt tibi ex hoc morbo non convaleſcere, ſive tu Medicum adhibueris, ſive non, non convaleſces:* Imo contra inquit, *Tam fatale eſt Medicum adhibere quam convaleſcere:* uti recte in priore Epiſtola ſua obſervavit A. T. & in hac non obſcure indicat, cum ait: *Plerosque velle, ne neceſſitatem Medicinæ videantur excludere, vitam hominis mediis & remediis, quæ Medicina ſuggerit, annexam, ut perducatur ad fatalem illum, & (ut loquitur Seneca) decretorium diem, nulla arte, nullis votis evitabilem aut ſuperabilem.* Neceſſitas, inquam, Medicinæ pure pute phyſica ſalvatur, qua fit ut æger Medicum adhibeat, non quia officii ſui intereſſe exiſtimat, aut virtutem eſſe credit, vitæ ſuæ nec incuriosum eſſe, nec prodigum; ſed quia lege fati conſtringitur, ut non poſſit non adhibere Medicum. Medicus viciſſim ægrum curet aut curare velit, non quia virtus Deo grata eſt artis beneficio aliis prodeſſe velle; ſed quia non poteſt non curare & curare velle, eadem lege fati compulſus aut conſtrictus. Pari neceſſitate movetur uterque: ille ad adhibendum Medicum, hic ad medicinam porrigendum. Nec virtutis eſt, aut conſilium à Medico quærere, aut conſilium ægro dare; etiamſi aliud propoſitum non habeas quam virtutem exercere, dum curas ut tibi ipſi non obſis, & ut aliis artis tuæ beneficio proſis, ſine ſpe gratiæ, gloriæ, lucri aut emolumenti alicujus indecori. Ex quo conſequitur, moralem omnem Medicinæ neceſſitatem funditus everti, totamque adeo rationem virtutis ac vitii in Medicinæ uſu recto ac pravo peſſumdari; quod ad opinionem iſtam ſuſpectam reddendam falſitatis probo cuique ſufficere arbitror.

*Tria ex iſta opinione oriri incommoda.*

Verum proprius paulum in rem ipſam deſcendamus. *Tria* enim ſunt quæ ex iſta opinione oriuntur *incommoda*, quæque ſe invicem neceſſario conſequuntur.

*Primum.*

*Primum* eſt: Per iſtam de fatali omnium rerum atque actionum prædeterminatione opinionem, non modo enervatur atque eliditur omnium divinarum præceptionum de vita & valetudine prudenter ac ſobrie curanda, promiſſionum, ſi recte & prudenter curetur, & comminationum, ſi negligenter aut prave curetur, vis ac ſinceritas; qua de re egimus in priore ſcripto: ſed etiam, quod ex illo neceſſario conſequitur, ſerium omne ſtudium ac ſollicitudo, tum de ſtatu vitæ recte curando, tum de adhibendis remediis ad optimum vitæ ſtatum aut conſequendum aut conſervandum ex parte *ægri:* ex parte vero *Medici* ad officium & vocationem ſuam ſerio obeundum.

*Ex parte ægri* res hoc modo patet: Si fixum atque immutabile eſt ex decreto divino, ut quis ſtatum vitæ deſideratiſſimum habeat, eaque omnia agat quæ ad eum obtinendum & conſervandum aut neceſſaria aut utilia ſunt: vel ut quis miſerum aut infeliciſſimum habeat, atque idcirco non curet ea, quæ ad eum emendandum neceſſaria aut utilia ſunt, ob defectum divini auxilii ac gratiæ: tum iſthic ſuperfluus, hîc impoſſibilis eſt labor & ſolicitudo. Quo quo enim modo hic aut ille egerit, non poteſt aliud quid accidere quam Deus definivit, &, ſi aliud habeat Prædeſtinantis volitio, caſſa ſit omnis annitentis in contrarium intentio. Pone enim iſtum curare vitam ac valetudinem ſuam, non poterit non curare. Pone hunc non curare, non poterit curare. Et quicquid alteruter fecerit, nec cura erit, nec incuria proprie dicta, ſed mera curandi aut non curandi neceſſitas.

*Ex parte Medici* eadem eſt ratio: Curam & incuriam ſuſque deque habere poteſt ac debet. Utrumque medium eſſe neceſſarium credet ad fatalem ægri terminum, ſi ſedulus ſit aut negligens. Imo ſive ſedulus ſive negligens ſit, utrumque à fato eſſe credet. Uti ægrum vivere aut mori, valere aut morbo cruciari; ita medicum aut ſedulum aut negligentem eſſe neceſſe eſt ex fati lege, ne fatalis terminus moveatur. Sive igitur arti ſuæ invigilet, ſive experimentum artis ſuæ per mortes capere velit, ſive ſocors ſive væcors ſit, ſive ſanam ſive inſanam potionem propinet, ſive ſobrius ſive ebrius *Recipe* ſuum ſcribat, ſive ſcrupulum, ſive drachmam, ſive libram notet, id omne perinde ipſi erit. Ipſa cura aut incuria medium eſt quo ægri fatum procuratur. Uti cura anxia & ſolicita non eſt virtus, ita negligentia vitium eſſe non poteſt, ob illam neceſſitatis legem. Quæ ratio ergo ſolicitudinis? Moraliter certe nulla dari aut concipi poteſt.

*Secundum.*

Quod ſi tamen cuiquam hæc res non multum videbitur abſurda, tum addo *Secundum incommodum:* Pone omnia media aut remedia, ipſamque adeo tum ægri tum Medici curam atque incuriam, ſic ordinata eſſe fatali decreto; tum neceſſe eſt ut ceſſet omnis laus ac reprehenſio, tam reſpectu ægri quam Medici. Quam enim laudem meretur æger, quod Medicum adhibeat, aut ſolicite ſobrieque vitam ac valetudinem ſuam curet, aut Medicus quod accurate ſoliciteque ægrum curet; ſi tam fatale eſt ægro Medicum adhibere, & ſolicite ſobrieque valetudinem ſuam curare, quam Medico ſeriam ægri curam gerere, ut æger ad conſtitutum vitæ terminum perveniat? Ubi mera neceſſitas locum habet, ibi laudem exulare neceſſe eſt. Quæ vero etiam ratio reprehenſionis, aut quæ juſtitia in acculatione erit, quod vel æger Medico non utatur, & ſegnem ac ſocordem vitæ ſuæ rationem habeat, vel quod Medicus non adhibeat curam quam oportet? Utrumque enim; quod æger Medico non utatur, Medicus vero ægrum pro officii artiſque ſuæ ratione non curet, neceſſarium medium eſſe creditur ut fatalis terminus vitæ non tranſeatur. Quis jure reprehendat ægrum, quod non curet ut fatalem terminum ſibi conſtitutum tranſeat aut tranſire ſtudeat; quo jure quis redarguat Medicum, quod non curet aut remedia non adhibeat ut fatalis terminus tranſeatur; ſi ipſa tum ægri tum Medici negligentia, medium eſt à Deo ordinatum ut ſuus fatalis ægro terminus conſtet?

Dices: *Neutri conſtat de divino iſto decreto.* Eſto, inquam ego. Utrique conſtat ex hypotheſi iſtius ſententiæ, non poſſe aliud nec aliter quid accidere aut fieri, quam quod decretum eſt ut accidat aut fiat. Quare cum nec aliud nec aliter accidat res, nulla reprehenſionis cauſſa eſt. Dices fortaſſe: *Hoc etiam decretum eſſe, ut tum æger tum Medicus reprehendatur.* At, inquam iterum ego, quam vim habet iſta reprehenſio, aut quæ in reprehenſione iſta ratio aut juſtitia eſt, ſi hoc ipſum quod uterque reprehenditur, & propter quod uterque reprehenditur, à decreto eſt quod fixum ac ratum Deus eſſe vult? Reprehenſio enim non ſignificat tantum actum reprehendentis, ſed culpam etiam ejus qui reprehenditur: alioquin reprehenſio non eſſet juſta reprehenſio. Quare ſi juſta eſt reprehenſio, neceſſe etiam eſt ut cauſſa ejus ſit vera hominis culpa. At culpa non poteſt locum habere, ubi id quod culpatur à decreto divino eſt, tanquam medium ordinatum ad decreti divini exſecutionem.

*Tertium*

Eſto tamen, reprehenſioni aliquomodo locus ſit, ecquis erit locus *Tertio incommodo*, id eſt, præmio & pœnæ, tam ægri quam Medici reſpectu, & præmio quidem ac pœnæ æternæ quæ Chriſtiana ſtatuit Religio? Qui non poteſt non ita agere, indignus eſt præmio: qui non poteſt aliter agere, indignus eſt ſupplicio. Prima hæc eſt notio, quam non didicimus, non accepimus, nec legimus; verum ex ipſa natura arripuimus, hauſimus, expreſſimus; ad quam non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus. Quare verbum non addam.

Hæc incommoda atque abſurda ex iſta præſcientia, quæ decretum ſive prædeterminationem divinam ſubſequitur, neceſſario atque immediate fluere video, quæ ex prima iſta, quam ſupponimus, præſcientia fluere impoſſibile eſt. Quæ profecto talia ac tanta eſſe mihi videntur, ut ſano cuique ſufficere poſſint ad ſententiæ noſtræ commendationem, & contrariæ ſive poſterioris refutationem.

*Reſponſio ad objectionem à Dei ſapientia & ſinceritate petitam.*

Unum, fateor, contra hæc in ſpeciem objici poteſt. Vix mente concipi poſſe, quomodo Deo Opt. Max. conſtare poſſit laus ſupremæ ſapientiæ, in eo quod cum certo certius præſciat hominem ſponte ſua, nulla vi aut neceſſitate adactum, voluntate ſua & divina gratia abuſurum eſſe, atque ita vitæ ſuæ miſerum finem habiturum, nihilominus

tamen serio mandare, hortari, promittere, comminari, adeoque supplicare homini possit, ut diligentem sui vitæque suæ rationem habeat. Nec Præscientia ista consistere aut componi posse videtur cum serii affectus sinceritate; sed potius adfectui isti nervum incidere & stimulum eximere. Speciem & pondus videtur habere hæc objectio. Nec pauci sunt qui ejus vi adeo moventur, ut divinam futurorum contingentium præscientiam negare, & quæ pro ea adstruenda facere videntur loca atque argumenta, magno conatu torquere malint & flectere in sensus non minus periculosos quam difficiles. Ad me quod attinet; ego hactenus sive religione quadam animi, sive divinæ Majestatis reverentia, non potui prorsus in animum meum inducere, rationem istam allegatam tanti esse, ut propter eam Deo futurorum contingentium præscientia detrahenda sit: maxime cum vix videam, quomodo alioquin divinarum prædictionum veritas salvari possit, sine aliqua aut incertitudinis macula, aut falsi possibilis suspicione: vel, si ista omnino salvetur, quomodo tum actiones divinæ, quæ sine dubio sanctissimæ sunt, ex quibus prædictionum veritas atque infallibilis certitudo superstruenda est aut superstruitur, sine aliqua injustitiæ labecula, aut labeculæ saltem valde verisimilis adspergine concipi possint. Quapropter malim ego ita respondere: non esse necessarium ut nobis ratio divinæ sapientiæ constet: sufficere si nobis constet ratio divinæ justitiæ atque æquitatis. Hæc vero plenissime constat, etiam cum Deo adtribuitur futurorum contingentium infallibilis præscientia. Enimvero præscientia non modo non tollit liberrimum voluntatis usum, sed eum etiam præsupponit. Sive enim Deus dicatur infallibiliter præscire quod facturi sunt homines seu bene seu male; sive dicatur id nescire; manet tamen semper integra sua voluntati libertas, & bonitati, gratiæ ac justitiæ divinæ ne hilum quidem decedit. Id vero sufficit ut officii nostri ratio nobis constet, qua præceptis divinis parendum esse, promissis divinis fidendum, & de comminationibus divinis dubitandum non esse persuasissimum habemus. Hac salva, præstat excellentissima quæque, & quæ in conceptu suo nonnisi summam perfectionem involvunt, Deo tribuere, quam quidquam adserere quod ulla ratione ad divinæ excellentiæ & perfectionis imminutionem facere potest. Interea haud illubenter fateor, eos qui præscientiam futurorum contingentium Deo negant competere, id non negare quia divinam perfectionem ullatenus imminutum ire volunt; sed tantum quia futura contingentia talia esse credunt ut cognosci non possint. Divinæ itaque scientiæ non magis quidquam detrahi, si dicatur Deus nescire ea quæ scibilia non sunt, quam divinæ omnipotentiæ detrahatur, si dicatur Deus non posse quod possibile non est, aut quod contradictionem implicat.

Hanc vero controversiam, quæ jam pridem acutissimi & vigilantissimi cujusque industriam exercuit, fateor etiam tot tantisque difficultatum tricis involutam esse, ut ad eam evolvendam decimus tertius Herculis labor requiratur; ac nisi rationibus omnibus obstaret una divinarum prædictionum irrefragabilis authoritas, pars negans pene præponderatura videatur. Addo etiam magnis multisque circa divinam Providentiam difficultatibus occurri posse, si actionum humanarum, quas Deus à libera atque æquilibri voluntate suspensas, esse voluit, præscientia Deo non tribuatur. Sed quia videre nondum possum, qua ratione id sine divinarum prædictionum, aut (istis salvis) sine justitiæ divinæ læsione fieri possit, tutissimum esse arbitror piæ credulitati & simplici fidei posthabere argumenta in speciem verisimilia, tantisper dum res clarius liqueat.

*Responsio ad locum Rom. VIII. 29.*

Ad loca duo Scripturæ, quæ in Epistola tua adfers, non est necesse ut multis respondeam. Factum id est alibi à nobis, alia tamen occasione, & fuse. Quare paucis ita habe. Primus locus est desumptus ex Epistola *ad Roman. cap.* VIII. *vers.* 29. ὃς προέγνω, καὶ προώρισε. *Hinc colligi videtur*, inquis, *Deum quicquid præscit, etiam decrevisse ut fieret & prædestinasse.* Collectionis hujus rationem non video, cum bona venia tua. Contrarium rectius quis ex verbis istis collegerit, Deum scilicet prius præscire quam decernit aut prædestinat: (*præscitos* enim *prædestinasse* dicitur Deus *ad conformitatem cum imagine Filii sui:*) si verbum προέγνω in prima ac propriissima sua significatione accipiatur, prout A. T. istud hîc accipere videtur, aut saltem debet. Confirmat hanc sententiam nostram quod plerique Patres, adeoque omnes quotquot Augustinum anteceserunt, hoc loco tanquam palmario usi sunt ad confirmandum Prædestinationem quæ secundum præscientiam est. Sed fefellit eos (quod non pauci recte observarunt) vox προγνώσεως, quæ, uti non raro simplex vox γνώσεως, Deo attributa, Scriptoribus sacris fere semper significat, non speculativam aut nudam tantum cognitionem, seu prænotionem quæ in mente atque intellectu solo est; sed practicam, sive potius affectivam scientiam, quæ propensam voluntatem sive benevolum affectum sibi conjunctam habet, quo Deus fertur in rem seu in personam quam nosse aut prænosse dicitur: idque ex usu & idiotismo Hebræis familiari, quo consequens sub antecedente complecti, aut antecedens pro consequente ponere solent. quem morem à Romanis etiam, hac ipsa in re de qua agitur, observatum videre est; qui statuta & decreta sua appellare solent *scita*, unde plebiscita, &c. nisi quis fortasse scita non à sciendo, sed à sciscendo dici velit; quod tamen ipsum à *scio* derivari haud absimile à vero est. Ut ut sit; *Seire* Hebræis scriptoribus idem esse fere quod amare, & *nescire* idem quod odisse, respuere, aversari, notius est quam ut probari oporteat. Quos Deus amat eos *novisse*; quos odit & abominatur eos *non nosse* dicitur. 1 *Corinth.* VIII. 3. *Matth.* VII. 23. Qui Deum amant ii dicuntur Deum nosse: qui Deum non amant, nec præcepta ejus custodiunt, ii dicuntur *Deum non nosse: Jerem.* XXII. 15. *Iob.* XXVIII. 28. *Oseæ* VI. 6. *Joan.* XVII. 3. & 1 *Joann.* II. 4. & 2 *Thess.* I. 8. *Proverb.* I. 7. *Tit.* I. 16. Eodem sensu *prænoscendi* verbum usurpatur *Rom.* XI, 2. Eodem autem sensu verbum istud hîc usurpatum esse ut evincam, multis rationibus non utar. Scopus Apostoli fidem facit luculentam, qui est ostendere diligentibus Deum, seu Deo (non per legem Mosaicam, sed per Euangelium nos juxta gratiosum propositum vocanti) parentibus adversa omnia in bonum cedere: uti ex præcedente versu, & particula rationali verbis his præfixa, ὅτι, manifestum est. Ad scopum istum præscientia, quæ nil nisi speculativa mentis notitia est, nihil facit. Imo si illa hic intelligatur, subjectum in enuntiatione hac Apostolica, *Diligentibus Deum omnia cedunt in bonum*, in aliud longe diversum commutandum erit. Objectum enim sive subjectum præscientiæ circa quod versatur, non sunt homines actu credentes & diligentes Deum qua tales, sed homines aliquando in tempore crediturі & dilecturi Deum, uti præscientiæ notio ipsa indicat. At subjectum in hac enunciatione Apostolica sunt diligentes Deum qua tales. Multum autem in ea re recte tenenda positum est. Sic enim apparet vis argumentationis & consequentiæ Apostolicæ, si ad subjectum Apostoli & scopum semper attente dirigatur oculus. Consequentia hæc est: Quos Deus prænovit, id est nulla alia re extra se motus, sed solo gratiæ & favoris sui instinctu impulsus intime amat, approbat & gratos sibi habet, iis omnia quæ ipsius voluntate aut permissione tolerant adversa & tristia (cave ne peccata hic intelligas; peccare enim & Deum diligere sunt plane repugnantia) in bonum cedant necesse est. Atqui diligentes Deum & ex præscripto Euangelii per Christum credentes in Deum, prænovit, id est summo atque inexhausto amore sua sponte motus Deus diligit, prosequitur ac complectitur. Ergo, &c. Quod si verbum προέγνω interpreteris de nuda meraque mentis prævisione aut prænotione, tum profecto nulla vis, nullus est nervus in oratione Apostolica, nec ulla apparet ratio consequentiæ. Quæ enim ratio est, Diligentibus Deum omnia cedunt in bonum; quia eos qui Deum diligunt, præscivit Deus ab æterno ipsum dilecturos esse? Nisi in eo qui præscire hîc dicitur, ponatur affectus aliquis benevolus, sive amor & benevolentia, erga eos qui Deum diligunt, nunquam ratio apparebit illationis hujus Apostolicæ; Ergo diligentibus Deum omnia adversa in bonum cedunt. Quod adeo certum est ut, etiamsi catenam hanc totam complexim sumas, & per prænotionem intelligas absolutum aliquem amorem, quo Deus ab æterno certas singularesque quasdam personas nominatim destinaverit æternæ vitæ ac gloriæ, absque ullo vel fidei vel dilectionis Dei in ipsis intuitu; totam Apostolicæ catenæ vim atque ἐνέργειαν, adeoque omne Apostolicæ argumentationis robur sustuleris, qua probat diligentibus Deum omnia in bonum cedere; nisi subjectum enuntiationum omnium sit, *Diligentes Deum*; & prænotio sive amor circa istud subjectum versari dicatur, id est circa diligentes Deum qua tales; tota, inquam, hæc catena Apostoli arena est. Atque hæc est clavis, qua sensus loci istius facillime aperitur, ut prima statim fronte intuenti pateat; alioquin clausus, & pæne dixerim inaccessus. Quos Deus apud se constituit intimo ac propensissimo amore complecti, quos tanquam generosos & genuinos filios suos eadem via grassari ac contendere vult ad gloriam atque immortalitatem, qua Filium suum primogenitum ac cæterorum omnium principem grassari ac contendere voluit; quos ad earundem afflictionum perpessionem vocat, quos licet gravissimos antea peccatores, & dum afflictionibus istis premuntur, à reliquo mundo tanquam sontes & læsæ divinæ Majestatis reos, nec aliter quam ἀποδεδιγμένους καὶ κατακριθέντας condemnatos proscriptosque, absolvet, justosque & futuro ævo dignos pronunciaturus est, eo

ipso

ipso quod omnia ista mala patienter atque æquo animo ferant, quos denique beata tandem vita atque immortali gloria donaturus ac coronaturus est, tanquam fidos pro nomine suo pugiles atque athletas; iis omnia cedunt in bonum, tristissima licet & adversissima. Atqui diligentes Deum, & non ex operibus legis Mosaicæ, sed ex fide Euangelio præscripta, vocanti Deo obtemperantes, sic amat, sic ad crucem prædestinat, sic ad crucem vocat, sic justificabit, sic glorificabit: (*glorificavit* enim est Hebraismus, pro glorificabit tam certo quam si jam glorificasset.) Ergo, &c. Hinc diligendi Deum necessitas & vis apparet; quæ alioquin nulla est.

*Et ad locum Act. XXVII. 31.* Alter locus est ex *vers.* 31. *cap.* XXVII. Actorum Apostolicorum desumtus, ad probandum Medicorum ac remediorum præscriptionem consistere posse cum absoluto de fine decreto. *Paulus*, inquis, *cui ex divina revelatione certum erat omnes in navi salvos fore, & è fœda tempestate qua jactabantur incolumes evasuros; cum tamen nautas fugam adornare animadverteret, pronunciare non dubitavit, Nisi isti manerent omnibus pereundum esse.* Locum hunc non servire isti rei probandæ facile evincere est. Nam Paulo certum fuisse, ex divina revelatione omnes in navi salvos fore, & è fœda tempestate incolumes evasuros, quocunque modo ii se gererent, id est, Deo simpliciter constitutum fuisse eos incolumes servare, in textu non est. Contrarium aperte colligitur ex verbis Pauli, quem revelationis divinæ sententiam optime perspectam habuisse indubium est. Verba enim Pauli, cum ait *vers.* 31. *Nisi isti in navi manserint, vos non potestis servari*; manifeste continent comminationem hypotheticam, quæ irrefragabiliter arguit revelationem ei factam non continuisse decretum aut promissionem absolutam, sed conditionatam: quæ quanquam verbis erat absoluta, sensu tamen erat hypothetica, ad instar multarum aliarum promissionum quas Deo tribuunt Scriptores Sacri. Alioquin alterutrum horum sequetur, Aut falsam fuisse comminationem Pauli, si promissio Paulo facta absoluta erat, & eam absolutam esse intellexerat: Aut, si vera fuit Pauli comminatio, promissionem Paulo factam non fuisse absolutam, sed conditionatam. Comminationem Pauli veram fuisse extra dubium est. Conditio ergo à Deo subintellecta, & à Paulo intellecta fuit. Nec obscure eam ex textu colligere est. Promissio enim Paulo per Angelum Dei facta, exponitur vers. 24. *Ecce condonavit Deus tibi omnes qui tecum navigant.* In Græco est, κεχάρισταί σοι ὁ Θεὸς, id est, gratiam hanc tibi facit Deus, ut consilio tuo omnes à periculo mortis præstes immunes. Ut id omnibus constet, volo ut consilium ac jussum tuum sequantur quotquot navi unà tecum vehuntur. Quicquid dixeris, jusseris, aut futurum prædixeris, id ratum erit apud me. Consule itaque in medium, jube, comminare. Si pareant, servabuntur; siu minus, actum erit de iis & conclamatum. Nimirum volebat Deus, ut constaret omnibus verum esse quod Deus Paulo animas omnes donaverat; quod constare non potuisset, nisi de consilio & sententia Pauli omnia agerent, atque ita beneficio & consilio Pauli omnes salvi evaderent.

En tibi, Vir Amplissime, hîc denuo non Epistolam, sed fere integrum librum. Sentio mihi usu venire, quod ære alieno obstrictis solet, qui ut unum difficile nomen expediant, novo se impediunt, & vorsura solvunt. Culpam tardæ responsionis dum sarcire studeo, fastidium ingero, & tarditatis crimen prolixitatis culpa eluere satago. Sed quid ego tarditatem meam hic in culpam voco, quæ jam in ipso Epistolæ limine apud tam candidum pectus excusationem meruit? Prolixitatem deprecor. Tribus verbis constituera responsionis: sed cum propius descenderem in Epistolam tuam, brevem mehercule & concisam, sed sensibus gravem ac densam! pluribus mihi opus esse videbam, nec breviore pomœrio Epistolam finiri posse. Accedebant tum materiæ ubertas, tum quæ ex ista nasci solent cogitationes aliæ ex aliis, quæ excrescere eam fecerunt in hanc molem. Forte in publica commoda peccabo, quod te, quem alterum populo Dordrechtano Æsculapium à Deo datum indigetari audio, ad eam legendam avocem. Sed uti te de omnibus bene mereri audio, ita vicit apud me alias omnes cogitationes, unicum de te bene merendi studium. Si recte, & sine detrimento aliorum, fave. Sin fastidium ingessi, & aliorum saluti aut valetudini obsum, ignosce: & ne cuiquam obsim, hoc scriptum non nisi per occasionem lege, meumque studium de te bene merendi æqui boniqne consule. Dominus Jesus te diu servet populo Dordrechtano & patriæ incolumem. XXVI Julii. CIↃIↃC XXXIII.

# PARAPHRASIS ET OBSERVATIONES

In Caput VIII, IX, X, & XI, Epistolæ S. Pauli ad Romanos.

Auctore

M. SIMONE EPISCOPIO,

SS. Theologiæ antehac Professore.

Editio secunda, emendatior.

## S. C. LECTORI CHRISTIANO S.

*Quantum absolutæ Prædestinationis patroni, in nono Epistolæ ad Romanos capite causæ suæ præsidium habere se putent, nemo est qui ignoret. Evolve ipsorum de hoc argumento Scripta, vix tot autumno decidunt quercubus frondes, quot tibi occurrent avulsæ ex ejus contextu pericopæ. Intereste disputationibus, ad ravim usque ingeminantes audies,* Jacob dilexi, Esau odio habui: O homo tu quis es qui respondes Deo: Annon habet potestatem figulus, &c. *Imo nonnullos confitentes audias, se nisi hujus Capitis auctoritate moverentur, non gravatè illi sententiæ renunciaturos. Hoc apud se perpendens Clarissimus Vir* M. SIMON EPISCOPIUS ὑμαχαρίτης, *cùm olim Theologiam in Academia Leidensi profiteretur, brevem illius Explicationem conscripsit, qua ostendit tantum abesse ut labans Fati dogma ejusmodi pronunciatorum tibicine fulciri posset, ut contrà, validissimos istud caput suppeditaret arietes, quibus funditus everteretur. Illa est quæ postmodum Actis & Scriptis Remonstrantium Dordracenis inserta est, & ante prolixiorem Enarrationem collocata. Duobus autem, aut circiter, post illam Synodum annis, cum Episcopius noster in Gallia exulans otio abundaret, de materia ista resumenda, atque uberiùs quàm fecisset tractanda cogitare cæpit. Inde nata est quam nunc tibi damus Paraphrasis & Observationes, non in solum Caput nonum, sed etiam quæ ei cohærent decimum & undecimum, octavique postremam partem. Quæres fortè, cur in publicos usus elaboratum opus, tam diu apud se presserit? Amicorum de illo judicia, priusquam in conspectum omnium prodiret, exquirere volebat: quod, ipsis exilio varias in oras dispersis, longiusculum tempus postulabat. Deinde cum placere audivisset, tot novis curis occupationibusque distractus fuit, ut quod ab initio proposuerat effectum dare nequiverit. Urgentibus quoque nonnullis, ut tam accuratam commentationem in lucem ederet, non semel respondit, cupere se illam ad incudem revocare, & novitiorum quorundam* εὑρημάτων, *ad tenebras veritati offundendas excogitatorum, refutatione locupletare. Quod dum de die in diem differt, visum est Deo ipsum ex hac miseriarum valle in cœleste suum regnum evocare. Sed nos non satis adhuc ex Auctoris voto limatum opus, & in quo aliquid ad perfectionem desiderari queat, prælo committere satius duximus, quam te commodo quòd inde percipere poteris defraudare. Vale; & sine præjudicio, sine affectu id lege atque expende.* IX *Calend. Octob. Anno à nato Christo* MDCXLIV.

## PRÆFATIO

### in Paraphrasin sequentem.

Quanquam nullum ferè est in Religione Christiana placitum, quod gloriosis divinæ Majestatis proprietatibus, sapientiæ putà, justitiæ, bonitati & misericordiæ, S. Scripturarum perpetuo tenori; Catholico rectæ rationis dictamini; uniformi Religionis universæ genio; primitivæ & meliori antiquitati; serio pietatis & sanctimoniæ studio; omni denique tum publicæ tum privatæ societati, quæ præmiis ac pœnis constat; perinde noxium est ac contrarium, quam quod fatalem & inevitabilem omnium rerum, actionum, eventuum, ipsiusque adeo salutis & damnationis æternæ necessitatem statuit; videmus tamen fuisse olim, hodieque esse non paucos, alioquin non ineruditos, minimeque malos, qui, sive insciti, sive imprudentia, sive inadvertentia, sive præpostero in eam, ad quam semel delati sunt sententiam, studio ac zelo, pro eo tanquam pro præcipuo Religionis Christianæ axiomate, fervidè satis atque animosè dimicant ac contendunt. Auxit horum fiduciam non parum, quod non ita pridem in Belgio, meliorum ac moderatiorum ingeniorum alioquin feracissimo solo, dogma hoc solemniter in Synodo Dordracena authoratum; & in ipsa deinde (quod mireris) Gallia, ab iis qui Reformatæ Religionis Antistites se profitentur, in Synodo Aleziana, interposita diri jurisjurandi religione, æter-

æternitati consecratum sit ; adeò ut ab eo sine solemnis juramenti violatione discedere nemini eorum ullo unquam tempore liceat. Atqui uti rarò sua deesse solent errori velamina , quibus se tegat & imperitioribus specie verisimilitudinis probet ac commendet , ita habent isti etiam quæ huic opinioni suæ prætexunt. Inter cætera autem nihil est quo speciosius gloriari , & incrustandæ illi familiarius uti soleant , quam Caput nonum Epistolæ ad Romanos. Hinc videas illud , in ore omnium pæne quibus opinio ista adlibuit , adeo tritum usitatumque esse , ut simul atque de prædestinatione vel levis incidit velitatio , hujus unius capitis , tanquam Ægidis alicujus obtentu , eam abundè defensam propugnatamque putent. Et , si scripta eorum consulas , hoc unum Caput passim utramque paginam facere , ejusque commata nonnulla laboranti causæ veluti primarios tibicines ubique substerni cernere est. Tolle ea, sine succo, sanguine, nervis, anima ac spiritu erunt jacebuntque ,

*Veluti ingentes litore trunci.*

Ac licet iniquum meritò videri debeat , *Primò* , quod unum hoc Caput , aut Capitis hujus laciniæ quædam à reliquo corpore avulsæ , propugnando dogmati isti mordicus arripiantur ; (imprimis cum obscuræ eæ sint, utpote allegoriis & parallelorum locorum citationibus maximam partem intricatæ , tum etiam controversæ & à doctissimis quibusque nullo non sæculo variè admodum expositæ ; ) cùm sensu commodo in contrarium possint explicari, & cum dogma ipsum cui suffulciendo adhibentur, in Religionis omnis ipsiusque adeò rectæ rationis principia manifestè impingat. *Deinde* quòd etiam pauculæ istæ laciniæ , infinitis pænè Scripturarum locis , periodis ac commatis , iisque propriis , expressis, non controversis, quinimo adeo claris ut Solis radio scriptæ videri possint, opponantur. *Denique* quod in hujus unius Capitis gratiam , omnia etiam planissima loca & capita, violenter sæpe detorqueantur in sensus admodum alienos. Videmus tamen nihilominus hodieque authoritatem Capitis hujus tantum ponderis atque momenti habere, ut in eo prora & puppis causæ totius ferè collocetur, & de dogmate fatalis illius Prædestinationis toto actum ac conclamatum videatur , si hoc solum pro eo non facere evictum fuerit.

Hac de causa non inutilem operam ponere , (hoc imprimis sæculo, quo dogma istud magnis multisque authoribus se tuetur , & jam summi atque imi ordinis homines non sine magno pietatis discrimine exercet) judicandi sunt ii, qui in præcipuum ejus fundamentum , quo plerisque niti videtur, id est in nonum hoc Caput, & quæ ei annexa sunt decimum atque undecimum diligenter inquirunt, & anne in iis præsidii aliquid pro dogmate isto positum sit accuratè expendunt. Etenim si ostendi tantum possit infirma esse, quæ ex iis depromuntur muniendo dogmati isti argumenta, cætera omnia nullo negotio convelli ac labefactari poterunt.

Mihi ita semper visum fuit , solam tantum capitis noni claram ac perspicuam paraphrasin , sufficere posse ad ostendendum nihil esse in eo , quod solidè stabiliendo isti dogmati facere possit. Quocirca operæ pretium illos facere hactenus credidi , qui Paraphrasi aliqua luculenta illud illustrare & explicatius reddere sunt conati. Nec caruit etiam fructu suo labor multorum. Sed quia diutinæ contentiones ingenia fere acuunt ad subtilitatem ; subtilitas autem deinde nullo negotio ex minima quaque occasione , in re alioquin etiam planissima, scrupulos novos fabricat , & fluctus (ut dicitur) in simpulo movet ; hinc factum subinde est , ut quamdiu scrupuli isti , (licet alioquin leves) animis hominum non eximebantur , hæserit non raro in multis præconcepta de hoc dogmate opinio, veluti trabali clavo fixa. Difficile enim excutitur inveterata opinio , & ut ut concuti aliquando solida & forti ratione aliqua videatur , levissimo tamen momento & vel minimo tantum scrupulo adjuta resurgit ; & nisi fibras ac radices omnes scrupulorum tollas , adeò ut nihil amplius restet cui innitatur & quo se fulciat , sedem iterum figit. Hac de causa conati sunt ii , qui in fœderato Belgio Remonstrantes vocantur , non solùm , quæ ad Capitis hujus noni intelligentiam faciunt , brevi primum , inde fusiore Explicatione , in Actis & Scriptis suis adversariis , quæ in lucem ab ipsis edita sunt , Lectoribus ob oculos ponere , verùm etiam scrupulos omnes quos uspiam reperire potuerunt eximere , & obstacula omnia tollere quæ ab amplexanda ipsorum explicatione impedire quemquam possent. Neque abs re tamen me facturum arbitratus sum, si ipsorum laboribus id adderem , ut luculenta aliqua Paraphrasi Caput hoc , & quæ ei adhærent, illustrare, & quantum in me est clare reddere conarer, in gratiam eorum quibus Scripta ista adversaria legere aut non libet, aut non licet ; quique aut iniqua & hactenus nunquam tentata in ullo Concilio, seu generali seu particulari , Synodi Dordracenæ decisione , aut profano Alazianæ juramento oculos & mentes sibi præstringi non patiuntur , sed animum uti decet judicio liberum hactenus servarunt , & veritati ostensæ cedere semper sunt parati ; interim vero in Capite hoc recte intelligendo nonnihil laborant & hæsitant. Et ne cui scrupulus hæreat, subjungam phrasium & locutionum quarundam elucidationes post singula capita: deinde solida nonnulla argumenta, quibus demonstrare conabor ideri non posse ut is , quem dogmatis istius , de quo diximus , authores aut patroni , sensum inesse Capiti huic volunt , ulla probabili ratione ei inesse credatur. Tu Lector , expende singula & judica , sed sine affectu. Non potest enim veritatem recte cernere , nedum facile admittere , mens quam affectus obnubilat, aut præjudicata excæcat opinio.

# PARAPHRASIS
## CAPITIS VIII
## EPISTOLÆ AD ROMANOS,
### à *versu* 28, usque ad finem.

28. Novimus autem iis qui diligunt Deum omnia cooperari in bonum, iis qui secundum propositum sunt vocati.

CErtissime autem scimus & persuasi sumus adversitates , angustias , miserias & adflictiones omnes , quæ obvenire solent iis , qui sepositæ legis Mosaicæ cura , divinæ voluntati quam hoc tempore audiunt sibi revelari credunt , eique prompto ac liberali animo obediunt, licet eæ plurimæ sint ac gravissimæ, quæque ipsos penitus destructuræ videantur , non modo non adferre noxam aut detrimentum ullum veræ eorum felicitati , sed una cum reliquis divinæ gratiæ subsidiis servire , & auxiliarem quasi operam præstare , ut in felicitatis & beatitudinis æternæ possessionem perducantur: ii , inquam , non qui veteri legi Mosaicæ , licet divinæ , pertinaciter inhærere volunt ; quippe quæ sui observatoribus prosperam , felicem & ab omnibus adversitatibus immunem vitam pollicetur ; sed qui divinæ vocationi , quam Deus nunc hoc tempore ex libera & mera gratia facere proposuit , & per quam serio veroque animi proposito , omnes eos quos vocat , ad fidem & liberale voluntatis suæ obsequium constituit adducere , lubentes volentesque sese accommodant.

29 Nam quos præ-novit , (*id est*) & prædestinavit conformes (*fieri*) imagini Filii sui, ut is sit primogenitus in multis fratribus.

Etenim hisce talibus non eveniunt adversa ista , sine spectato Dei consilio ac proposito , quo decrevit ut omnes ii quos pro liberrimo suo arbitrio ac beneplacito , nulla alia re extra seipsum motus , constituit pro veris suis cultoribus agnoscere , & præ aliis omnibus approbare , ad exemplum Jesu Christi filii sui , crucem & adflictiones quisque pro modulo suo subeant ac sustineant , priusquam ad gloriosam immortalitatem & æternam vitam perveniant. Quippe non decebat Deum ut alia via Filium suum , alia cæteros fideles in gloriam & hæreditatem cœlestem introduceret. Quare Filium suum tanquam primogenitum , antesignanum &

principem filiorum Dei, per viam crucis præire voluit; cæteros vero fideles per eandem viam subsequi, & filiorum Dei honore ac privilegio non gaudere, nisi quatenus primogenito isti Filio, tanquam germani fratres, earundem perpessionum tolerantia similes fierent, & quasi firmiter coalescerent.

30. Quos vero prædestinavit, eos & vocavit: & quos vocavit, eos etiam justificavit: quos vero justificavit, eos etiam glorificavit.

Neque constituit hoc tantum Deus, sed eos etiam ex vi antecedentis illius decreti sui, reipsa ad perpetiendum afflictiones quemque suo modo, tempore, atque ordine vocaturus est. Et quos ita vocat Deus, iis tantum abest ut afflictiones istas, damno aut malo ipsorum evenire velit, ut eo ipso quod fideles Dei cultores sint, & afflictiones illas forti atque infracto animo, ad exemplum ducis sui Jesu Christi sustineant, licet à reliquo toto mundo pro impiis & injustis ac stultis reputentur, & ipsi etiam antequam vocarentur gravissimi peccatores fuerint, quin & postquam crediderunt infirmitatibus & imperfectionibus quisque suis adhuc laborent, nihilominus tamen eos approbare, gratiose iis omnia peccata remittere, & ad infirmitates eorum pro singulari sua & paterna benignitate connivere velit, quinimo non aliter quam si per totam vitam suam sancte, inculpate, & sine peccato vixissent, justitiæ titulo, tandemque etiam æterno glorioſæ immortalitatis præmio eos donare atque afficere.

31. Quid igitur dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos?

Et cum hæc ita se habeant, ecquis erit qui ad hæc regerere, aut ultra ea desiderare amplius aliquid possit? Etenim huc redit totum illud quod dixi. Si gloriosus ipse Deus, optimus vere ac maximus, fidelibus suis favet, adeo ut quæ iis eveniunt adversa, pro infinita sua sapientia, bonitate, ac potentia in commodum atque utilitatem eorum cedere velit, aut convertere, quis erit qui poterit, etiamsi velit, saluti eorum nocere, aut quominus ad destinatam gloriam perveniant, licet afflictissimi, efficere?

32. Is quidem, qui proprio Filio suo non pepercit, sed eum pro nobis omnibus tradidit, quomodo non etiam cum ipso omnia nobis gratificabitur?

Neque vero existimandum est fieri posse, ut Deus favorem illum suum & benevolum affectum erga suos unquam exuat aut deponat. Serius ille est ac sanctissimus, quem procul omni dubio constanter & æternùm erga illos retenturus est. Etenim qui iis cum adhuc profani, peccatores, impii ac rebelles essent, & divinæ ipsius voluntati contraria omnia patrarent, usque adeo benefacere studuit, ut Filium suum proprium, unigenitum, in quo animæ ipsius complacitum erat, non solum legati & internuncii instar ad eos mittere voluerit, qui eos de gratiosæ voluntatis suæ proposito certiores faceret, sed etiam cum illos sibi reconciliare decrevisset sanguine ipsius, tanquam victimæ piacularis, eundem acerba atque ignominiosa morte à rebelli populo suo affici passus fuerit: qui, inquam, hoc tam luculento & claro documento favorem atque benevolentiam suam erga eos testatam fecit, quo tempore justissimam iram atque odium ipsius in se provocaverant, quomodo non favebit impense iis jam credentibus, jam amicis ipsius, jam ipsi ex animo obedientibus, & ipsius causa ac nomine adversa omnia patienter ferentibus? Fieri ne poterit ut iis eandem cum Filio ipsius viam crucis ingressis, & strenue ac constanter in ea pergentibus, pro eadem illa sua liberali gratia ac misericordia, non largiatur gloriosam etiam cæli hæreditatem, & æterna omnia bona ista, quæ Filio suo, primogenito fratri ipsorum dedit, & iis etiam se daturum promisit? Absit.

33. Quis intentabit crimina adversus electos Dei? Deus est qui justificat (eos.)

Neque vero est quod quis arbitretur, aliam Filii Dei, aliam fidelium cæterorum rationem esse; illum insontem atque innoxium semper vixisse; hos sontes atque nocentes esse, peccata & crimina horum multa atque atrocia in causa esse, cur eos affligi velit aut permittat Deus, severus peccatorum ultor. Tantum enim abest, ut accusatio hæc ponderis ac momenti alicujus sit apud Deum, ut ex adverso Deus veluti clementissimus Pater, iis eo ipso quod credant, & ex præscripto Euangelii vitam emendent, & adversa ista æquo animo sustineant, tanquam non gregariis, sed eximiis, præstantibus, strenuis atque egregiis suis cultoribus, peccata omnia antecedentia, licet plurima ac gravissima, gratiose condonare velit, eosque non aliter tractare quam si per omnem vitam suam ipsi obedivissent, & sine intermissione Justitiæ operam dedissent.

34. Quis est qui condemnet? Christus qui mortuus est, imo vero qui excitatus est, qui etiam est in dextra

Neque est etiam quod sibi persuadeant Reges, Principes aut Magnates, cum in eos tanquam generis humani hostes, religionis omnis perduelles, terræ cæloque invisa nomina sententiam damnationis ferunt, eosque diris devovent, & penitus extinctos ac deletos cupiunt, ratam eam in cælo habitum iri, eosque propterea divini etiam favoris ac gratiæ fructu privatos, æternum in morte & ignominiosa ejusmodi condemnatione mansuros esse. Christus enim primogenitus ipsorum frater, dux fidei ac Princeps salutis ipsorum, qui eos tam tenere dilexit ut mortem crudelem atque ignominiosam subire non dubitaverit, quo eos à dominio & reatu peccati, id est, à morte & perditione æterna præstaret immunes: qui, quod magis est, post multiplices afflictiones & mortem etiam ipsam fortiter toleratam, gloriose ex mortuis excitatus est, imo qui in altissimos cælos divinæ Majestatis thronum evectus, ad dextram ipsius Dei positus, nomen accepit supra omne nomen, omnemque potestatem, imperium ac judicium in cælo & terra, subjectis ipsi Angelis, potestatibus, ac virtutibus, quin & ipsa etiam morte, ita ut possit vivificare, & ab ira divina, quæ in incredulos impiosque ventura est, vindicare atque asserere fideles fratres suos: denique qui reipsa etiam iis bene vult, adeo ut veluti misericors & clemens Pontifex pro iis semper intercedat, seque sequestrum inter eos & Patrem suum adsidue interponat: Hic, inquam, ratam non habebit condemnationem illorum, hic non feret sententiam à Deo Patre suo diversam, neque perire aut in morte atque ignominia æternum eos manere sinet: sed tandem in illo die pro tribunali suo justos eos pronunciabit, & ut ab iis totoque mundo inique condemnatos, ex morte in gloriosam filiorum Dei hæreditatem & vitam immortalem secum transferet.

Dei, qui etiam intercedit pro nobis, (non habebit ratam condemnationem istam, sed absolvet eos.)

Et cum eos adeo diligat, iisque tam impense faveat ac bene velit Jesus Christus, Dominus & frater ipsorum, fidenter exclamare audeo: Ecquid est in universo mundo, quod efficere possit vel atrocitate vel horrore suo, quominus eos in fide atque officio præscripto sedulo persistentes, æterno amore idem Dominus ipsorum prosequatur, & tandem invitis omnibus hostibus atque inimicis ipsorum à morte ac damnatione immunes præstet, gloriosæque immortalitatis præmio donet? Nihil, nihil, inquam: affligant, vexent, crucient eos licet foris Monarchæ, Reges, Principes, Pontifices, Sacerdotes, summi imique: Obruat illos intus angustia spiritus, & tormenta doloresque acutissimi expectorent ipsis gemitus, suspiria ac lamenta: Persequantur, spolient, exuant illos bonis, honoribus, vita denique qui volunt: Fames eos veluti despicatissimos mendicos premat, atque invisos reddat: Nudi sint licet, ut nemo eorum misereatur, nemo eis suppeditet unde corpus suum contra æris cælique injurias tegant: Pericula eos & hinc inde ingruentia discrimina, veluti maleficos latebras quærere, & è conspectu hominum fugere cogant: Gladius eos, equuleus, rota, crux, flamma vivos enecent, & in minutissimum pulverem dissipent, ut nihil eorum supereſſe amplius fere videatur:

35. Quis separabit nos à caritate illa Christi? an afflictio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius?

Breviter eveniat illis id omne quod olim sibi evenisse populus Dei, licet bonorum terrenorum promissionibus donatus, in Psalmis conqueritur: adeo ut cum populo isto dicere possint; Tua causa, ô Deus, eo quod tuus populus sumus, tuæque unius voluntati, spretis aliarum omnium gentium legibus ac ritibus, constanter adhæremus, in singulos dies ac momenta crudelibus mortibus ac suppliciis conficimur atque obruimur; neque aliter quam inermes, innoxiæ atque imbelles oves jampridem mactationi destinatæ, velutique publici odii victimæ, sine fine modoque trahimur rapimurque ad cædem & lanienam.

36. Sicut scriptum est, Quia tui causa occidimur, reputati sumus velut oves mactationis.

Hæc, inquam, omnia eveniant licet illis, nunquam tamen universa ista efficient, quominus eos æterno amore complexurus sit Jesus Christus Dominus ipsorum: Imo vero tantum abest ut ipsi etiam fideles propterea animum desponde ant, aut de fide atque amore Domini sui dubitare incipiant, ut contra solius amoris ac benevolentiæ illius, qua ipsos Deus ac Dominus ipsorum Jesus complexus est, & porro licet afflictissimos æternum complecti vult, intuitu ac recordatione, veluti firmo aliquo præsidio muniti atque erecti, non modo non victi fractique succumbant adflictionibus, sed in iis (tanquam strenui milites in virtutis gloriæque illustri aliqua palæstra) gaudeant, exultent & glorientur, quod digni habeantur, qui pro nomine ipsius affligantur.

37. Imo in his omnibus plus quam vincimus, per eum qui nos dilexit.

Hæc tanto fidentius assero ego Paulus Jesu Christi servus, quia certissimis atque indubitatis documentis, quin & ipsius Dei in tertio cælo testimonio edoctus, ac plenissime persuasus sum; Neque mortem ullam, sive violentam sive naturalem, qua tamen omnia quasi in nihilum redigi videntur: Neque vitam quæ omnis generis miseriis atque ærumnis exposita est: Neque Angelos ullos, quamvis robore & potentia polleant, & fidelibus pessime velint:

38. Nam persuasus sum quod neque mors, neque vita, neque Angeli, Neque principatus, neque virtutes; neque præsentia, neque futura;

Nec principatus, aut eos qui sive inter Angelos sive inter homines principem locum tenent, & jussu ac nutu suo pæne quicquid volunt effectum dant: Neque virtutes quæ ispiam locorum esse possunt, ad perdendum, destruendum aut enecandum comparatæ atque idoneæ: Neque quæ hoc tempore in mundo vigent, neque quæ olim futura sunt; quacunque demum vi ac potentia deleteria prædita fuerint:

39. Neque sublimia, neque profundi tas, ne-

Neque si vel fulgura aut tonitrua, quæ fere obvia quæque secum rapere & funditus evertere solent, ex sublimi in capita eorum ruant: vel maris ipsius ima profunditas eos absorbeat, & submersos sinu suo claudat atque abscondat:

Neque

que res ulla alia creata possit nos separare à charitate Dei, quæ in Christo Jesu Domino nostro (est.)

Neque ullam rem creatam, licet potentia & viribus maximis pollentem, quinimo salvti piorum summe infensam atque inimicam, efficere posse, ut Deus eos qui, posthabita lege Mosis, ipsi per nos se revelanti credunt ac confidunt, quicunque tandem fuerint, Judæi, gentiles; servi, liberi; ut ut antea etiam peccatores gravissimi, amore suo paterno, quem per Filium suum Jesum Christum publice patefecit in Euangelio suo, non semper persequatur, & promissa vita æterna suo tempore non donet.

## OBSERVATIONES QUÆDAM,

### Necessariæ ad meliorem paraphraseos intelligentiam.

UT paraphrasis præcedens melius intelligatur, & quibus ea rationibus nixa sit recte ac clare perspiciatur, operæ pretium me facturum putavi, si verborum, phrasium, & locutionum quarundam obscurarum, aut ambiguarum, quæ in contextu occurrunt, illustrationes aut elucidationes ei subjungerem: ne sensum Scripturarum ad paraphrasin detorsisse, aut præjudicatæ meæ sententiæ aptasse videar: (quod fieri fere solet à plerisque, non paraphrastis tantum, sed metaphrastis etiam aliisque commentatoribus;) sed ut paraphrasin proprio ac genuino Scripturarum sensui aptatam atque accommodatam esse manifestum fiat.

*Quinam sint qui Deum diligunt.*

28. τοῖς ἀγαπῶσι τ Θεὸν) Mandantem Deum hic intellige, & postulantem non Lege sed Euangelio obedientiam fidei. Diligere autem Deum mandantem alii dici non possunt, quam qui mandata ejus præstant, & quidem libenter & alacriter diligentium instar, & ad cælestе atque æternum illud beatæ vitæ præmium, quod summe atque unice amant, & Euangelio Filii Dei ipsis promittitur, per viam illam obedientiæ & observationis mandatorum anhelantium. Hoc sensu passim accipitur phrasis hæc. videantur inter cætera tria clara loca ex quibus id liquet. 1. *Joh.* V. 3. *Hæc est dilectio illa Dei, ut mandata ejus servemus, & mandata ejus gravia non sunt.* 2 *Joan.* VI. *Et hæc est illa dilectio, ut incedamus secundum mandata ejus. hoc est mandatum illud, sicut audivistis à principio, ut in eo ambuletis. Joan.* XIV. 21. *Qui tenet mandata mea & servat illa, is est qui diligit me.* Diligentes itaque intelligе, non qui semel cæperunt mandata Dei præstare, & jam ea non amplius præstant; nec finaliter, qui ea præstituri semper sunt; sed qui & quatenus ea præstant. Non enim habetur hîc ratio initii aut perseverantiæ, sed solius naturæ dilectionis & obedientiæ, qua talis. Dicit enim Apostolus afflictiones cedere in bonum ipsis diligentibus, qua & dum tales sunt; non autem si esse desinant tales, aut per afflictiones ab amore Dei dimoveri se patiantur.

*Omnia Deum diligentibus in bonum cedunt.*

28. πάντα) Universalis hæc vox restringenda est ad subjectam materiam de qua agitur, id est, ad adversitates & afflictiones omnes. De iis enim agere cœpit Apostolus à *versu* 17. & de iis agit deinceps ad finem usque capitis. Qui prospera etiam hîc intelligunt, ii rem magis quam scopum respiciunt. Certum enim est recte dici posse, piis prospera etiam in bonum cedere: quinimo omnia omnino quæ cogitari possunt, dici possunt cedere piis in bonum; si sola tantum peccata exceperis: hæc enim sub ista voce comprehendi nullo modo debent aut possunt.

*Exceptio peccatis.*

Rationes hæ sunt: *Primò*, quia tum prædicatum non cohæreret subjecto, puta *diligentibus Deum*: imo manifestam involveret implicationem & contradictionem cum subjecto. Si enim per diligentes Deum intelligantur ii qui mandata Dei lubentes præstant, & voluntati divinæ obediunt, qua tales, (uti intelligi debere præcedenti commate observavimus;) jam sensus hujus orationis foret: iis qui mandata Dei præstant, sive qui non peccant, omnia etiam peccata sive mandatorum Dei transgressiones cedunt in bonum. quo quid absurdius? *Secundò*, quia periculosissima est ejusmodi expositio, &, si propius expendatur, aperte falsa. Si enim peccata comprehendas sub voce πάντα, tum dicas necesse est peccata; & quidem omnia, sint licet gravissima & maxime diuturna, cedere diligentibus Deum in bonum. quo quid periculosius & falsius dici potest, totique Scripturarum tenori repugnantius? Certe in hoc uno vocabulo omnium suarum dehortationum à peccando, quas tam solicite *cap.* VI. VII. & parte VIII. ac porro in sequentibus facit Apostolus, efficaciam & vim enervasset. Quorsum enim dehortationes à peccando, si peccata omnia cedunt peccantibus in bonum? cur non potius adhortatur Apostolus fideles ad faciendum peccata, uti adhortatur illos ad ferendum & patiendum adversa; cum utrobique eadem ratio militet; id est, si non minus peccata quam adversa iis cedunt in bonum? Certe nulla causa est. Accedit *tertiò*, quod Apostolus de iis omnibus tantum agit, quæ ex Dei voluntate & ordinatione cedunt in bonum: quod ex eo apparet 1. quia per vocem *diligentes Deum* expresse excluſit peccata, quæ sola Deus non vult, sed severe prohibet. 2. Quia actus divini, per quos fit ut omnia cedant fidelibus & piis Dei cultoribus in bonum, expresse subjunguntur ab Apostolo: Prædestinatio scilicet, vocatio, justificatio & glorificatio; quorum nulli tribui potest effectus iste quod peccata piis cedant in bonum.

Qui per peccata infirmitates hîc intelligi tantum volunt, illi ut peccatis patrocinentur enervant universalitatis vocem: & non recte etiam locum hunc intelligunt. Ut ut enim verum sit benignissimum Deum, pro singulari & paterna sua gratia, connivere velle ad infirmitates fidelium suorum, quæ quidem infirmitates veræ sunt: tamen non recte quis propterea dixerit, eas cedere in bonum fidelibus. Aliud enim est non nocere, aliud in bonum cedere sive prodesse. Nec sufficit si quis dicat, per accidens aliquando peccata etiam gravia cedere in bonum fidelibus. Eo ipso enim quod per accidens aliquando id fiat, non debet ejus rei ratio haberi. Quod per se est & ut plurimum fit, id præcipue attendendum venit. Peccata autem per se noxia sunt, & plerumque in malum cedunt iis qui ea faciunt. *Propter ista enim venit ira Dei in homines: Coloss.* III. 6. &, *Peccata vestra sunt quæ separant me & vos*, inquit ipse Deus *Esa.* LIX. 2. Et ut ut forte aliquando peccata, ubi perpetrata sunt, peccatores circumspectiores & cautiores in posterum faciant, tamen id non tam peccatis quam divinæ gratiæ tribuendum est, quæ peccatores non statim punit, sed tolerat & ad resipiscentiam exspectat: quanquam sæpe etiam graviter eos puniat, ut non facile resipiscant. Ut ut inquam sit, periculose admodum vocem hanc exponunt ii, qui sub ea peccata etiam comprehensa esse volunt. Nullus color sufficit tegendo tam periculoso & à scopo authoris alieno commento.

*Quid significet phrasis* κατὰ πρόθεσιν, *ex duobus parallelis locis constare potest. Primò ex* 2 *ad Tim.* I. 9. *Qui servavit nos & vocavit vocatione sancta, non secundum opera nostra, sed κατ' ἰδίαν πρόθεσιν & χάριν, &c. Secundò, ex Epist. ad Ephes. cap.* I. *vers.* 9. *Patefacto nobis mysterio voluntatis suæ; κατὰ τὴν εὐδοκίαν αὐτ, ἣν προέθετο ἐν αὐτῷ. & vers.* 11. *προορισθέντες κατὰ πρόθεσιν τ τὰ πάντα ἐνεργοῦντος κατὰ τὴν βουλὴν τ θελήματος αὐτ.* Ex hisce enim liquet per propositum sive πρόθεσιν τ Θεῦ, aliud nihil intelligi quam decretum Dei gratiosum, quod Deus ipse nulla re extra se, sed solo propriæ voluntatis suæ gratioso instinctu motus, apud & intra seipsum fecit, quodque firmum, stabile ac perpetuum esse vult; opposite ad propositum aliud omne, quod vel ab hominibus, ac nominatim à Judæis, tum temporis fiebat; quo salutis viam sibi pro suo arbitrio proponebant, & sic justitiam suam propriam erigebant: vel antea à Deo factum fuisse videri poterat, cum legem populo suo daret; cum tamen propositum divinum nullo modo esset. Propositum autem hoc intelligo de proposito quo Deus decrevit peccatores resipiscentes & credentes, nulla habita antecedentis inobedientiæ ipsorum ratione, æternum salvare & immortali vita donare. Deinde quo constituit peccatores, ut credere & resipiscere possint, ad fidem & resipiscentiam vocare, & quantum in se est adducere; ac proinde sufficientem ad credendum gratiam omnibus serio atque ex animo suppeditare. Propositum hoc fere opponitur legislationi, uti & gratia opponitur operibus, *cap.* XI. 6. unde etiam fere semper conjungitur voci χάριτος sive gratiæ, & non raro unum idemque significat: quod & in paraphrasi observatum est.

*Quinam sint vocati secundum propositum.*

Juxta hunc sensum, κλητοῖς κατὰ τὴν πρόθεσιν dicentur 1. si vim vocis spectes, qui per prævenientem & sufficientem Dei gratiam, ad credendum in Jesum Christum, & per fidem in illum justitiam & vitam æternam consectandum excitati sunt, sed sepositа effectus consideratione. 2. Si sensum usitatum spectes, qui cum effectu excitati sunt, ita ut vocanti Deo libere paruerint, & voluntati ipsius voce Euangelii declaratæ sese ultro submiserint, aut saltem parere & submittere se velle professi sint. Primo sensu vox κλητὸς hoc loco accipi nequit, & nunquam quod sciam isto sensu sacris Scriptoribus usurpata legitur. Secundo sensu itaque accipiatur necesse est; ac proinde synonyma esse credatur phrasi præcedenti, *diligentibus Deum*; nisi quod illa huic superaddat tantum, causam & occasionem dilectionis hujus non esse legem veterem Mosis, sed gratiosam novam vocationem quæ per Euangelium facta sit: hæc vero vocationi ipsi superaddat formaliter obedientiam sive redamationem, quæ per vocationem postulabatur, & quidem liberrimam; quia nullus actus magis liber quam obedientiæ & amoris, qui præscribitur & à Legislatore exigitur. Unde colligitur subjectum de quo sequentia omnia ab Apostolo affirmantur, non esse aliud quam veros fideles & Euangelio Jesu Christi obedientes, sive Deum diligentes qua tales.

*Interpretatio aliorum rejecta.*

Sunt qui propositum hoc divinum accipiunt de proposito, quo Deus singulares aliquas personas nominatim salvare & fide ac dilectione donare constituit. Vocatos autem secundum propositum eos esse volunt, qui ex vi decreti illius antegressi, cum tali intentione & gratiæ vi ad fidem vocantur, ut non possint non credere atque obedire vocationi; sive ea gratia administretur per sapientiam, vel potius scientiam, ita congruè ut voluntatem ad assensum moveat; sive per vim, potentiam & impressionem tam fortem, ut voluntas dissentire nequeat. Utrumque enim ferè eodem redit: & utrumque appellatur vocatio efficax, non ab eventu, sed ab intentione Dei vocantis, & modo operandi, contradistincte à vocatione inefficaci, qua Deus utitur circa Reprobos, quos vocant, quos nec salvari vult, nec vult credere; aut saltem quibus ad credendum vel gratiam sufficientem vel oportunam dare non vult. Sed hi falluntur vehementer. *Primò*: Quia nullo fundamento nixi vocem προθέσεως sive propositi eo sensu explicant, vocem vero κλητῶν plane contra receptum Scripturæ morem torquent, *Secundò*: Quia ista expositione valde enervatur oratio hæc divina Apostoli. Alterutrum enim fateantur necesse est: Aut verba hæc, τοῖς κατὰ πρόθεσιν κλητοῖς οὖσιν, id est, vocatis secundum propositum, distinctionis ergo addita esse præcedentibus, videlicet τοῖς ἀγαπῶσι τὸν Θεόν, id est, iis qui diligunt Deum; Aut expositionis ergo, ut fons & origo, vel potius causa indicaretur qua factum fuerit ut illi diligant Deum. Utrum dixerint, ulcus tangant necesse est. Si prius dicant, jam necessum est ut dicant Apostolum duos diligentium Deum ordines distinctos facere; alios qui vocati sunt secundum Dei propositum ad diligendum; alios qui non sunt vocati secundum hoc propositum: Apostolum vero verba sua intelligi velle non de his, sed de illis. At quis non videt quam noxia & periculosa sit hujusmodi distinctio, & quam valide per eam enervetur tota orationis Apostolicæ ἐνέργεια? Etenim si distinctio hujusmodi locum habere debebat, jam nulli eorum ad quos scribebat Apostolus applicare sibi poterant Apostolicam illam enunciationem, *diligentibus Deum omnia cedunt in bonum*; quia nescire poterant an cum diligerent jam Deum, ex ordine eorum diligentium essent, qui secundum propositum vocati essent ad diligendum, nec ne. Etenim nec à priore scire poterant quod dilectio illa qua Deum diligebant, esset dilectio quæ à vocatione secundum propositum profecta esset, nisi hoc ipsis speciali revelatione à Deo patefieret. Quis enim propositum Dei à priore nosse sine revelatione posset? At hoc non patefaciebat omnibus Deus; imo nullis hoc patefaciebat, ut fatentur ii ipsi qui sententiam istam tenent. Nec poterant scire à posteriori. Etenim si dilectio Dei aliqua esse potest, quæ non oriatur ex vocatione secundum propositum, quomodo ex dilectione Dei colligere poterant, se esse vere diligentes, ac proinde adversa illa quæ patiebantur sibi etiam cessura in bonum? id certe est ἀγαθὸν λογίσασθαι. Si dicant posterius, videlicet verba hæc expositionis ergo subjecta esse, ad indicandum causam unde fides & dilectio Dei orta sit, jam non minus enervatur orationis Apostolicæ hujus & totius Euangelicæ vocationis vis & efficacia. 1. Quia supponitur ex parte Dei certum propositum esse, quo aliquos destinat ad salutem æternam decreto peremtorio, absque ulla consideratione fidei aut obedientiæ, contradistincte ab eo quo absque intuitu inobedientiæ propriæ ac vincibilis, alios destinat ad æternam damnationem & Gehennæ perpetuæ tormenta; quod profecto Religioni omni inimicissimum placitum est. 2. Supponitur aliquos vocari à Deo ad salutem, quos ipse salvare aut sufficiente ad salutem consequendum gratia donare non proposuit, imo quos proposuit ad gloriam suam non salvare: quod repugnat non tantum pluribus & evidentibus Sacrarum literarum testimoniis, sed & sapientiæ, bonitati & æquitati sive rectitudini illi, quam excellentissime in operibus Dei elucere debere recta ratio indicat. Quomodo enim sapienter, ac non potius ridicule? quomodo clementer, ac non potius crudeliter? quomodo serio, ac non potius hypocritice & veteratorie agere dicetur Deus, si creaturas suas non tantum miseras esse velit sine propria ipsarum culpa, sed & miseris illudere velit, vocando eas ad salutem, & promissis, minis, querelis, precibus, obtestationibus, lachrymis easque solicitando & invitando, tanquam si iis optime vellet, nihilque à parte sua omitteret, quod ad earum salutem promovendam facere aliquo modo potest: quum tamen nihil minus quam salutem earum velit, & quæ ad eam necessaria sunt adhibeat aut adhiberi curet? 3. Quia dicendum erit Apostolum vi hujus expositionis subjunctæ, indicasse dilectionem illam Dei quam fidelibus Romanis tribuit, non esse actum obedientiæ illorum, sed actum tantum divinæ gratiæ efficacis, in illis ex vi propositi antegressi, veluti in subjecto pure pute passivo productum, & ab illis sic receptum: (quod tamen contra eos qui congruam gratiam statuunt valere nolumus.) Talem enim vocationem intelligi hoc loco volunt ii qui hanc expositionem urgent, & talem necessariam esse dicunt, ne propositum divinum, si ulla admittatur intermedia libertas arbitrii, impediatur aut inhibeatur. Quod ipsum an non obedientiæ ipsius præstantiam, ac proinde adhortationum omnium Apostolicarum ad obedientiam suadendam facientium vim, contrariæque inobedientiæ indignitatem & malitiam, quæque ad eam dissuadendam faciunt rationum pondera ac momenta omnino elidat atque enervet, Lectori pio judicandum relinquo.

Addo coronidis loco: Tantum abesse ut vocati secundum propositum, hîc contradistincte opponantur iis qui secundum propositum vocati non sunt, ut ipsa simplex vox κλητὸς in Scripturis nunquam accipiatur de aliis, quam qui Deo vocanti paruerunt, aut parare saltem se velle professi sunt; ac proinde ut non accipiatur nisi de iis qui secundum propositum divinum vocantur. Quare hujusmodi distinctionis causa non est addita phrasis κατὰ πρόθεσιν; sen tantummodo ad distinguendum diligentes Deum, id est mandata Dei præstantes quæ Lege Mosis continentur, ab iis qui Deo gratioſe per Euangelium vocanti obediunt, ejusque mandatis parent. Id enim necessarium erat, ne sub phrasi dilectionis Dei quævis dilectio, aut quorumvis mandatorum præstatio, etiam quæ Mosaica lege continentur, intelligeretur.

*Quid γνῶσις & πρόγνωσις Dei significet.*

29. ὃν προέγνω) προγνῶσις (uti & non raro simplex vox γνῶσις) cum Deo tribuitur, fere semper significat non speculativam aut nudam tantum notitiam quæ in mente est; sed practicam sive potius affectivam scientiam quæ in voluntate est, qua affectu benevolo ac propenso Deus fertur in rem aut personam quam novit; idque more Hebræis recepto, qui consequentia sub antecedentibus comprehendere solent: quem morem à Latinis etiam observatum aliquatenus videre est, qui statuta & decreta sua *scita* appellare solebant, unde plebiscita &c. Hanc autem esse vocis hujus significationem in Scriptura, apparet ex duobus manifestis locis. *Rom.* XI. 2. *Num abjecit Deus populum suum* ὃν προέγνω? 1 *Cor.* VIII. 3. *Si quis diligat Deum, hic cognitus est ab ipso.* Ubi tamen verbum simplex usurpatum est: quod frequentissime eodem sensu accipitur; uti variis in locis videre est. Propositio autem *præ* hîc addita non est sine gravi caussa, & quidem duplici; 1. Ut per eam excluderetur omnis alia antecedens motio, impulsus, suasio, instinctus aut consilium: & sic intelligeretur decretum hoc ab ipso Deo immediate profectum, intra ipsum Deum conceptum, & solius divinæ bonitatis proprio instinctu factum, ipsique soli cognitum fuisse. Et sic convenit cum eo quod est *Rom.* XI. 34. *Quis cognovit mentem Domini? quis ei fuit à consilio? quis prior dedit ei & retribuetur ei? Nam ex eo, per ipsum, & in ipsum sunt omnia.* 2. Ut per eam auguretur decreti ipsius dignitas atque excellentia, quod videlicet non subito nec recens natum, non fortuito & quasi indeliberate susceptum esset; sed jam multo ante tempora sæcularia à Deo factum, & hodie demum executioni mandatum esset. Id enim per ἀνθρωποπάθειαν non potest non esse decretum præstans, & quod in pretio est apud Deum; quippe quod ante tot sæcula fecit, hodieque adhuc fixum & ratum esse vult.

*Refutatio eorum qui ex particula præ colligunt hîc agi de scientia speculativa.*

Qui ex particula *præ* colligunt de scientia speculativa, & quidem vel absoluta vel conditionata, ejus quod futurum erat hîc agi, illi infirmo nimis fundamento nituntur. Et satis refutant illos, 1. Vocis tum compositæ προγινώσκω, tum simplicis γινώσκω usus sacris scriptoribus familiaris. 2. Scopus Apostoli, qui est ostendere diligentibus Deum, seu vocatis secundum propositum; adversa omnia cedere in bonum; uti ex rationali particula ὅτι subjuncta manifestum est. At vero scientia Dei, qua præscit ab æterno quinam sint credituri in tempore, ad eam rem nihil facit: imo si illius ratio hîc haberi dicatur, non obscure subjectum vel objectum ipsum, convertendum erit in aliud longe diversum ab eo quod Apostolus posuit. Objectum enim præscientiæ non sunt diligentes qua tales, sed homines qui credituri, qui dilecturi aliquando sunt: At objectum sive subjectum Apostoli, sunt diligentes qua tales. De his si dicas, quod Deus eos amet & approbet, ratio manifesta statim apparet quomodo iis adversa cedant in bonum. Quomodo enim male cedat iis aliquid quibus Deus bene vult? At si prænotionem subnectas nudam, & dicas, Deus præscivit illos diligentes dilecturos, jam nulla ratio apparet consequentiæ; Ergo iis cedunt omnia in bonum. Sed si res etiam accurate penitetur, juxta eorum Theologiam non prænovit Deus proprie diligentes dilecturos esse; sed contra, quos prævidit Deus dilecturos, illi sunt qui diligunt. Et sive præsciverit Deus qui dilecturi

lecturi essent, sive non præsciverit, id ad eam rem non facit quod diligentibus omnia cedant in bonum. Sufficit enim, adeoque necessarium omnino est, ut Deus decreverit ut diligentibus Deum omnia cedant in bonum, & ut ii qui in tempore diligunt Deum, & à quibus Deus se diligi videt, reipsa id divini favoris beneficio experiantur. Non quod Deum non sciviſſe ab æterno, quinam in tempore dilecturi essent qui non, affirmare velimus: absit: sed ut ostendamus id ad rem hoc loco non facere, necessariumque esse ut per prænotionem amplius aliquid intelligatur, ut argumento Apostoli sua constet vis atque soliditas.

*Et eorum qui per Dei προγνωσιν intelligunt amorem erga singulares quasdam personas, qua tales.*

Et reperiuntur non pauci, qui per προγνωσιν hanc amplius aliquid intelligi volunt quam scientiam nudam: Affectum scilicet aut potius amorem quendam singularem, quo volunt Deum certas quasdam singulares personas nominatim, sive qua tales, complexum esse ab æterno, & proinde elegisse ac destinasse eas ad æternam vitam, mediaque eo facientia, quia ipsi ita visum fuit. Et ita exponunt omnes fere ii, qui absolutam Electionem & Reprobationem tuentur. Sed & hæc expositio huic loco prorsus inconveniens, & in se considerata falsa est. Inconveniens; quia ad Apostoli scopum nihil facit, sed eum funditus pæne evertit. Etenim dato, sed non concesso, quod hoc loco describatur decretum tale absolutum, quo singulares quasdam personas Deus decreverit salvare, fide donare, justificare & glorificare; quid habet id commune cum eo quod diligentibus omnia cedant in bonum, aut quod afflictiones omnes cooperentur ipsis ad bonum? Nihil prorsus. Et, si rem videas propius, necessitas omnis diligendi Deum, patiendi adversa, prorsus tollitur; ac proinde ad diligendum Deum adhortationes isti fundamento nixæ, quod diligentibus Deum omnia cedant in bonum, corruant necesse est. Etenim si prænotio hæc electionem significet absolutam, omnes alios actus divinos antecedentem, jam certum est fieri non posse, ut ad amorem divinum consequendum aut retinendum necessaria sit dilectio nostra; ac proinde ut argumento illo, quod diligentibus Deum omnia cedant in bonum, vehementer moveamur ad ferendum patienter adversa; cum sciamus ex vi istius hypotheseos, amari posse nos & amatos jam esse antequam diligeremus, aut ut diligentes Deum consideraremur. Ex quo consequenter etiam efficimus expositionem hanc veram non esse: quia si talis electio intelligatur, statuetur 1. Electos aliquos & dilectos dilectione summa fuisse ab æterno extra Christum. 2. Gratos aliquos & approbatos fuisse sine fide in Christum. Quæ duo repugnant tum dignitati muneris Jesu Christi, tum tenori totius Euangelii. Dignitati muneris Jesu Christi; quia illi tribuitur quod nos reconciliaverit Deo. At si electi & dilecti quidam sunt à Deo extra Christum, ante alia omnia, jam falsum est nos per Christum reconciliatos esse. qui enim dilectus est dilectione summa & peremptoria, non opus habet reconciliari nec potest reconciliari: qui enim reconciliatur, is est inimicus & hostis. Tenori totius Euangelii; quia fidei semper tribuitur effectus hic, quod per eam justificemur, id est in gratiam & pacem cum Deo redeamus, ipsi placeamus, & filii atque hæredes ipsius efficiamur. Loca passim videre est.

Quod si autem eo qui in paraphrasi indicatus est modo, accipiatur vox hæc προγνωσις, tum optime fluit oratio Apostoli, tum robur ejus apparet primo statim intuitu, & consentanee omnia dicuntur scopo ipsius, totique Euangelii tenori ac stylo.

29. συμμόρφους τῆς εἰκόνος τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ) Expono; Ut patiantur sicut Filius ipsius passus est; Vel, ut per passiones ingrediantur in gloriam, sicut ipse per passiones ingressus est: juxta id quod legitur *Philipp.* III. 10. 1 *Petr.* II. 21. *Rom.* VIII. 17. *Hebr.* II. 10. & XII. 2. *Act.* XIV. 22. Ratio est, quia alias nihil esset in tota catena hac, unde colligi possit afflictiones diligentibus Deum in bonum cedere: quod tamen præcipuum est quod Apostolus sibi propositum hic habet.

*Hic non agi de Prædestinatione ad fidem.*

Quare si dicas de Prædestinatione ad fidem hîc agi, elumbem reddis totam hanc Apostolicam argumentationem. Præterquam quod inepte admodum dicendum esset, conformari imagini Christi esse credere in Christum. Quid enim? an Christus itaque credidit in se ipsum, ut nos credendo in ipsum conformes ipsi fiamus? Nugæ. De Prædestinatione ad passiones & adflictiones si accipiatur phrasis, en vim & excellentiam Apostolici argumenti. Quos ipse approbat, & tanquam dilectos ac delectos sibi servos prædestinat ad ferendum adversa, ut per ea grassentur ad gloriam, & quidem juxta exemplum dilectissimi & primogeniti sui Filii, illis profecto adversa illa cooperantur ad bonum. Atqui diligentes Deum approbat ipse Deus, & prædestinat ut dilectos & delectos sibi servos ad patiendum adversa, ut per ea grassentur ad gloriam, &c. Ergo.

30 ἐκάλεσεν) Scilicet ad eandem conformationem cum Christo, id est, ad crucem & afflictiones subeundum. Sic enim cohæret oratio Apostoli; & sic accipitur aliquando verbum vocandi in Sacris, ut 1 *Petr.* II. 20. 21. *Si quum benefacitis tamen afflicti toleratis, hoc credit vobis gratiæ apud Deum, εἰς τοῦτο γὰρ ἐκλήθητε, quoniam & Christus passus est pro vobis, relinquens vobis exemplar ut insequeremini vestigia ipsius.* Huic loco parallelus est is qui legitur. 1 *Thess.* III. 3. *Nemo commoveatur ob afflictiones istas. ipsi enim nosmet nos ad id constituos*, sive positos esse.

*Apostolum agere de vocatione ad crucem.*

De vocatione ad fidem accipi locus non potest, nisi duo statuantur: 1. Electos aliquos esse & placuisse Deo ad vitam æternam citra fidem in Christum, imò antequam ad fidem à Christo vocati essent; quod impossibile est, uti exserte Author *ad Hebr.* XI. 6. affirmat, & quidem generatim, χωρὶς πίστεως ἀδύνατον εὐαρεστῆσαι. 2. Vocari tantum ad fidem qui electi sunt à Deo, & prædestinati ad vitam æternam: quod falsum esse experientia docet. Si dicas, Per vocationem hoc loco non intelligi nisi vocationem ex intentione Dei efficacem, quam appellant, 1. dicis quod probare non potes: unde enim id liquet? 2. dicis id quod consistere non potest cum tali antegressa, ut vis, prædordinatione, & electione inconditionata ad æternam vitam & fidem. Sive enim efficax sive inefficax vocatio intelligatur, dummodo ordinaria sit, semper erit vocatio quæ saltem externe per verbum Euangelii fiet. At quæ per verbum Euangelii fit, ea fit per promissionum divinarum & comminationum, aliorumque argumentorum propositionem. Quomodo autem fieri potest ut minæ divinæ proponantur hominibus ab æterno ea qua dicis ratione electis, & quidem hoc pacto: Si credideritis, Deus dabit vobis vitam æternam; &, si non credideritis, Deus morte æterna puniet vos: si jam multo ante peremptorio decreto statutum est Deo, illos non punire aut afficere morte æterna, sed contra præcise illis dare vitam æternam, fidem illis infundere, neque unquam permittere, ut vel propter peccata ulla quæ faciunt damnentur, vel increduli maneant, vel ubi semel crediderunt, increduli iterum fiant, quomodocunque etiam se gerant? Certe hæc cum sapientia Dei, imo ne quidem humana, consistere non possunt; quin imo non obscure vocationem Dei ridiculam aut vanam faciunt.

*Non ad fidem.*

Vide autem sis, quam pulchre fluat ac cohæreat oratio Apostoli, si vocatio hæc de vocatione ad crucem accipiatur: Quos Deus ipse vocat ad crucem, ut postea eos justificet, illis crux utilis est & cooperatur ad bonum. At diligentes Deum, quos prædestinavit ad crucem, vocat etiam in tempore ad crucem quisque suam ferendum, ut postea eos glorificet. Ergo, &c. nec est quod quemquam moveat præteritum tempus ἐκάλεσε, *vocavit*. Enallagæ enim temporum ex idiotismo Hebræorum imprimis familiares sunt: & eadem statim deinde manifeste apparet in verbo *glorificavit*; id enim pro futuro *glorificabit* accipiendum esse dubitari nequit.

*Quinam sint electi Dei.*

33. κατ' ἐκλεκτῶν θεοῦ) Expono: contra fideles Dei cultores, qui ἐκλεκτοὶ θεοῦ dici mihi videntur, non quod à Deo electi sint: (quanquam enim rectè ac vere de fidelibus dici possit quod à Deo electi sint, tamen huic loco parum convenire videtur, ne videlicet quæstio inepta ab Apostolo formata hîc dicatur, hunc in modum: Quis accusabit eos quos Deus amat, approbat & ad vitam æternam eligit? quis enim hoc quærat? & quomodo subjungetur illi responsio Apostoli? Deus est qui eos justificat, id est justitia & vita donare vult. Id enim tantundem foret ac si diceret: quis accusabit eos quos Deus amat & vita æterna donare vult? Deus est qui eos amat & justitia ac vita æterna donare vult.) sed quod fide sua, per quam (relicta Lege Mosaica & superstitione gentilitia) Christo adhærent, veluti egregius, eximius, selectus ac præstans Dei populus, inter reliquos emineant & excellant: phrasi Hebræa, qua optima quæque *electa*, & per exaggerationem *electa Dei* appellari solent.

Qui per *electos* hîc intelligi volunt, absolute prædestinatos ad vitam æternam, ii redarguuntur manifeste ex eo quod tum falso dixisset Apostolus: *Deus est qui justificat*, scilicet eos. Electi enim qua tales non justificantur à Deo. Electi enim multi esse possunt, juxta eos qui absolutam electionem ad gloriam statuunt, qui tamen adhuc sub peccati reatu & dominio jacent: imo omnes antequam vocantur, sunt filii iræ, & proinde jure accusabiles. Solos credentes qua tales justificat Deus. *Justitia enim Dei revelatur in illo* (Euangelio) *ex fide in fidem*, i (id est ex sola fide) *sicut scriptum est, justus ex fide vivet: Rom.* I. 17. Vide alia infinita in eandem sententiam.

35. τίς

*Activam Christi charitatem hic intelligi.*

35. ἀπὸ τ ἀγάπης τ χρ) Activam Christi caritatem intellige, qua Christus nos diligit, non qua nos Christum diligimus. Rationes sunt: *Primò*: Quia subjectum in enunciatione *Nos*, supponit dilectionem nostram qua nos Christum diligimus, uti apparet ex *vers.* 28. *Secundò*: Quia expresse *vers.* 37. dicitur, διὰ τ ἀγαπήσαντ ἡμᾶς. *Tertiò*: Quia versu ult. appellatur ἡ ἀγάπη τ Θεοῦ ἐν χριστῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν. Nunquam autem nostra dilectio appellatur dilectio Dei quæ in Christo domino nostro est. *Quartò*: Quia scopus Apostoli est ostendere, diligentibus Deum qua talibus omnia cedere in bonum, uti ex *vers.* 28. apparet; & ex sequentibus, cum justificari tales à Deo dicit, *vers.* 33. cum interpellare pro talibus dicit Christum, &c. quare idem hoc loco subjectum statuatur necesse est; ac proinde, per caritatem Christi, activa ipsius caritas intelligatur. Quod apparet etiam manifeste ex eo, quod ista omnia quæ enumerat Apostolus, afflictiones, angustiam, persecutiones, gladium, &c. affirmet non posse separare nos à caritate Christi, quamdiu videlicet ea sufferimus ut fideles. Allegat enim locum ex quo id non obscure liquet: *Tui causa occidimur.* Tui causa, id est, quia tibi fideliter adhærere, tibi uni servire, & justibus tuis parere volumus, contemtis aliorum hominum imperiis quæ iis repugnant. *Quintò*: Quia alioquin dixisset Apostolus id quod falsum esse ex aliis Scripturæ locis & documentis manifestum est. Etenim 1. Scriptura diserte affirmat *Matth.* XXIV. 12. non tantum fieri posse, sed futurum ultimis diebus, *ut refrigescat caritas multorum.* Refrigerationem autem intelligit talem cui perseveratio ad finem opponitur, uti ex *vers.* 13. statim subjuncto liquet: *Sed qui sustinuerit ad finem usque, is servabitur.* Vide sis similem locum *Apoc.* II. 4. *Habeo adversum te quod caritatem tuam primam omiseris.* versu autem sequente nominat illud *excidere. Meminerit*, inquit, *unde exciderit.* & 2 *ad Timoth.* IV. 10. *Demas me dereliquit, amore inductus præsentis sæculi.* 2. Quia alioquin frustraneæ essent solicitæ omnes adhortationes ad perseverandum in dilectione Christi, sanctæ promissis vitæ æternæ & comminationibus desertionis, derelictionis, odii & mortis ac perditionis æternæ. Si enim fieri non potest ut caritas excidat; &, si nos qui credimus, id certo scimus ex hoc aliisque locis (ut autores hi volunt) quamplurimis; qua vi adhortationes afficere nos poterunt, & in summa, quo fructu, aut quo fine monebimur toties & tam solicite ut perseveremus, ne excidamus ex stabilitate nostra, ne gratiam frustra receperimus, &c. 3. Quia dilectio Christi, est observatio mandatorum ejus. At fieri posse ut quis à mandatis Jesu Christi recedat, & ad profanam vitam delabatur, ex multis Scripturæ locis non obscure liquet. Videantur diserta loca, 2 *Petr.* II. 18. 19. 20. 21. *Hebr.* VI. 4. 5. 6. 7. 8. & X. 26. 27. 28. 29. *Matth.* XIII. 20. 21. & 2 *Tim.* II. 17. 18. quæ omnia loca contra exceptiones & effugia omnia eorum qui secus sentiunt, prolixe & solide asserta sunt à Remonstrantibus in Scriptis ipsorum adversariis.

Quia vero procul omni dubio, de eadem caritate agitur versu ultimo; hinc apparet quam parum solido fundamento, imo quam aperte falso, nitantur si qui perseverantiam finalem ab Apostolo hic doceri asserunt, & ista occasione caput nonum dicunt cum hoc octavo connecti, ut solvatur objectio quæ inde nasci poterat: videlicet, Quod populus tamen Israeliticus, quem æterna dilectione se dilecturum Deus promiserat, ab Apostolo diceretur à caritate Dei excidisse & separatus esse; cum nihil minus agatur ab Apostolo, uti ex ante dictis liquet, & solum pronomen *Nos* quod in fine hujus capitis usurpat Apostolus, diluendæ isti opinioni & connexioni abunde sufficiat. Per *nos* enim intelligi credentes & diligentes Deum, qui per Euangelium nos vocavit, qua tales & quamdiu tales sumus, apertius est quam ut negari possit.

# PARAPHRASIS
## CAPITIS IX.
## Epistolæ ad Romanos.
## PRÆFATIO.

*Connexio hujus Capitis cum præcedentibus.*

UT Capitis hujus noni mens & sententia recte & plene percipiatur, videndum breviter est, quomodo cum præcedentibus cohæreat, & quem in eo scopum sibi propositum habeat Apostolus.

Connexio capitis hujus cum præcedentibus hæc nobis esse videtur. Exposuit hactenus præcedentibus octo capitibus Apostolus, viam ac rationem qua ad justitiam & vitam æternam certo atque indubitato pervenitur, non esse observationem legis Mosaicæ, sed solam veram ac vivam fidem in Jesum Christum, Euangelio præscriptam. Eam autem viam à Deo gratiose patefactam, ac revelatam esse omnibus sine discrimine, tum Gentilibus tum Judæis; propterea quod certissimis documentis atque indiciis compertum esset, tam hos quam illos, non modo reos factos esse mortis ac condemnationis æternæ, per peccata sua; sed etiam peccatorum jugo ac dominio, id est, peccandi consuetudine tam arcte pressos jacere, ut extricari atque exsolvi inde non possent, sine novo & singulari divinæ gratiæ beneficio atque auxilio. Gentiles quippe nullius quidem Legis scriptæ auxilio adjutos, sed conscientiæ rectæ dictamine instructos, non vulgaribus tantum vitiis ac peccatis contaminatos, sed in fœda ac detestanda scelera, ac flagitia abominanda, magis magisque prolapsos fuisse: Judæos vero, quamvis legis divinæ privilegio ac subsidio supra gentiles donati essent, ut ea (veluti fræno ac repagulo) à peccandi consuetudine retraherentur, & ad meliorem vivendi rationem quotidie quasi flecterentur, non modo non retractos fuisse à peccando, sed per ipsam legem (non aliter quam per stimulum & aculeum affectibus ipsorum inditum) incitatos fuisse & quasi irritatos ad majorem peccandi libidinem. Hac, inquam, de causa voluisse clementissimum Deum, pro paterna sua & magnifica libertate, gratiam & misericordiam suam omnibus in universum peccatoribus offerre; promittendo iis æternam peccatorum omnium antecedentium remissionem, sive beatam immortalitatem, & auxilium sancti sui Spiritus contra peccandi consuetudinem; si modo viam illam, quam ipsis præscribebat, ingredi non detrectarent, id est, non habita amplius ratione Legis Mosaicæ, quæ soli populo Judaico, & frustra quidem hactenus lata fuerat, ad exemplum Abrahami verbo Euangelii credere, & vitæ in melius commutandæ operam imposterum dare vellent. Tantam quippe esse divinæ gratiæ & veræ fidei vim atque efficaciam, ut ejus beneficio peccandi consuetudo, quæ sub lege manebat, adeoque legis adventu propter duritiem cordis Judæorum aucta fuerat, excuti possit, & justitia proinde ac vita gloriosa certo atque indubitato per eam obtineri. Hac vero de re quam persuasissimos esse docet Apostolus omnes eos qui credunt, etiamsi (Deo ita ordinante) variis ac multiplicibus iisque gravissimis persecutionibus, adversitatibus, angustiis, miseriis atque ærumnis expositi atque obnoxii hic vivant. Nunquam enim futurum ut Deus illos, licet afflictissimos, amare desinat, & fidei ipsorum laboriosæ fructu ac præmio, æterna scilicet ac gloriosa vita, frustrari aut privari sinat.

Ex hisce omnibus ita adsertis adstructisque, non obscure deduci videbat Apostolus πρόσκομμα ingens, quod magni alicujus atque horrendi absurdi speciem, saltem in oculis populi Judaici, præ se ferre videbatur; videlicet Judaicum populum, sive maximam populi Judaici partem, quæ ex Abrahamo & Jacobo secundum carnem nata erat, cui Deus legem suam custodiendam & observandam in seculum dederat, observantique benedictiones omnes promiserat, fore videlicet ut esset Deus ipsorum & seminis ipsorum in perpetuum: hunc, inquam, populum eo ipso quod legi divinæ adhærere, & ex ejus solius observatione salutem & justitiam quærere velit, viamque à Paulo cæterisque Jesu Christi discipulis monstratam ingredi nolit, rejectum à Deo & à spe justitiæ ac salutis consequendæ exclusum esse. Quocirca visum fuit Apostolo post pertractatam materiam principalem, statim & è vestigio πρόσκομμα isti, non levis momenti, occurrere, & quod in eo absurditas nulla, nedum tanta sit, quantam Judæi sibi imaginabantur, accurate ostendere ac demonstrare.

Ex quo jam facile apparet, quis sit scopus quem in hoc Capite nono, & seqq. decimo atque undecimo, propositum habet Apostolus. Quem etiam luculenter admodum colligere est, inter cætera ex conclusione, quam sub finem capitis hujus noni, quasi in compendium dicta sua collecturus Apostolus, facit his verbis: *Quid ergo dicemus? Nempe gentes quæ non sectabantur justitiam, apprehendisse justitiam, justitiam autem eam quæ est ex fide: Israelem vero qui sectabatur legem justitiæ, ad legem justitiæ non pervenisse.* NB. *Quare, quia non ex fide, sed velut ex operibus legis*, (scil. eam quærere præfracte pergit.) *Scopus cap. IX. X. & XI.*

Qui alium Apostolo scopum hîc propositum fuisse contendunt, ac nominatim eum quem Contraremonstrantes, quos in Belgio vocant, urgere solent: quod videlicet Apostolus, postquam demonstrasset jam antea, sola in Christum fide justificari hominem coram Deo, nunc altius ascendat, & doceat quibus Deus præcise, ex vi decreti sui absoluti, fidem dare velit; nempe non omnibus, sed paucis tantum Judæis,

dæis, & plurimis insuper Gentilibus, quos ipse secundum consilium voluntatis suæ elegerat ad salutem; maxima Judæorum parte ex ejusdem suæ voluntatis consilio ab eadem rejecta & reprobata; ii vehementer nobis falli & exorbitare videntur: quod ipsum postea argumentis aliquot clarum facere atque evincere conabimur. Nunc ut is, quem diximus, Apostoli scopus appareat & eluceſcat ex paraphrasi nostra, operam dabimus.

## PARAPHRASIS.

EX hisce quæ hactenus à me dicta sunt, video quidem quid populares mei collecturi sint; videlicet, sese hoc ipso quod Euangelium meum amplecti, & viam quam ipsis monstro, ingredi nolint, ut æternam justitiam ac salutem consequantur; sed legi Mosis, quæ à Deo profecta est, & quæ cultoribus atque observatoribus suis justitiam, benedictionem & vitam promittit, adhærere pergant, spe justitiæ & salutis omni excidisse, neque amplius Dei populum esse. Video, inquam, eos hoc collecturos, & scio quam illud ipsis durum ac concoctu difficile sit futurum. Sed quid dicam? cogor fateri & concedere, id recte ab ipsis concludi & colligi ex dictis meis. Utinam aliter colligere mihi liceret! nolim enim ut credant, me id vel affectu aliquo sinistro, vel animi morbo, seu odio ipsorum, eo quod dira atque acerba ab illis quotidie perpetior, veluti vindictæ & talionis studio dicere ac concedere. Absit à me tam ingens facinus! Tantum abest ut affectui aut odio aliquid hic dem, vel popularibus meis male velim, eorumque perditione aut interitu delecter; ut quum animum meum subit sola hæc cogitatio, quod ipsi sese sua incredulitate indignos reddunt justitia ac vita æterna, penitissime dolore me commoveri sentiam, quin imo tristitiam maximam profunde & imis quasi cordis mei penetralibus hærentem experiar, quæ perpetuo & sine intermissione me veluti acri aliquo stimulo lancinat ac cruciat. Credant mihi obsecro. Nec enim ad gratiam loquor, aut leviter seu perfunctorie hæc vendito; sed dico quod res est, uti Christianum decet, coram Domino meo Jesu, quem Judicem vivorum ac mortuorum expecto, quodque ex animo sentio, mente bene præmeditata ac conscia; neque levi aliqua aut desultoria ὁρμῇ, sed sancto spiritu atque affectu commota; quam testem appellare non dubito, ut credant nullum esse oris & cordis mei divortium.

1. Veritatem dico in Christo, non mentior (attestante mihi simul conscientia mea in Spiritu sancto:)

2. Magnam mihi tristitiam esse & jugem cruciatum cordi meo.

Et ne omnino de affectu meo dubitent, id persuasum sibi habeant velim, me adeo impense iis bene velle, ut paratus sim hodieque vel maximo malo ac damno meo, redimere æternam eorum salutem. Etsi enim non tantum communi cum cæteris fidelibus titulo, sed peculiari etiam Apostoli sive legati sui honore, dignatus me sit Jesus Dominus meus; tamen non modo non subterfugerem, in gratiam popularium meorum dura quædam perpeti, aut discrimina & pericula ingentia pro iis subire; sed voto etiam ac prece hoc ipso tempore contenderem, non modo vulgaris aut vilis cujusdam mancipii instar, sed anathematis, id est, hominis teterrimi, diris devoti, & qui à Deo Christoque ejus alienissimus esse creditur, tractari; si modo hac ratione eos ab errore suo revocari, & ad credendum in Jesum Christum adduci posse crederem aut sperarem. Et quî possem aliter, nisi aut naturali omni affectui renuntiare, aut in Deum ipsum injurius esse velim? Affectui naturali renuntiandum mihi foret; quia fratres mei sunt, qui ab uno eodemque Patre Abrahamo genus ducimus, & communis sanguinis vinculo, veluti cognati, arcta quadam necessitudine conjungimur; quosque proinde germanis affectibus, & fraterna commiseratione affici, erga se invicem par est.

3. Optarim enim ipse ego anathema esse à Christo, pro fratribus meis, cognatis meis secundum carnem.

In Deum injurius essem, si eos vilipenderem aut perditos cuperem, quos ipse summis honoribus supra alios omnes populos dignatus, & singulari favore semper prosecutus est. Quippe ex Jacobo Patriarcha nasci illos fecit, & non tam Jacobitarum quam Israelitarum, id est Dei victorum titulo ac privilegio honoravit, eo quod Jacobus parens ipsorum, benedictionem vi quasi ab Angelo Dei extorserat. Neque titulo tantum hoc illustri eos donavit, sed (præteritis cæteris nationibus omnibus) eos adoptavit veluti populum peculiarem in familiam suam, filiosque & hæredes terræ suæ optimæ, scripsit. Neque hoc solum, sed etiam in medio eorum (neglecto quasi reliquo mundo) magnifice ac glorioſe per Angelum suum internuncium, in cujus fronte nomen suum scripserat, habitare ac versari dignatus est; majestatisque suæ divinæ præsentiam per signa, prodigia, admiranda opera, Prophetias, visiones, somnia, aliasque virtutes glorioſas testatam fecit. Imo cum iis non semel, sed sæpius, fœdera pepigit, quibus non minus sese ipsis, quam ipsos sibi obstrinxit atque obligavit. Nec hoc contentus, Leges iis ac statuta dedit, proprio digito suo scriptas, & cum nullorum populorum legibus ac statutis conferendas, per quas in officio continerentur, & à reliquorum populorum contagione immunes præstarentur. Quin & cultum sui inter eos spectatum esse voluit adeo magnificum, augustum, splendidum atque operosum, ut ei nusquam in toto mundo parem aut similem reperire sit. Promissa etiam solemnia illa atque ingentia Abrahamo olim, Isaaco & Jacobo facta, de Messia & Rege æterno, inter ipsos continuari & ad ipsos pertinere voluit: ut quando veniret ob viis eum ulnis amplecterentur, & primi ejus beneficiis fruerentur ac gauderent.

4. Qui sunt Israelitæ, quorum est adoptio, & gloria, & fœdera, & legis constitutio, & cultus, & promissiones.

Denique illustres, sanctæ & Deo charæ illæ animæ, Patriarchæ, inquam, quorum Deus se Deum futurum semper esse interposita jurisjurandi religione spopondit, ad hosce eosdem pertinent, adeo ut posteri & filii quasi eorum sint. Imo quod omnium maximum est, ex iis solis natus est ipse Jesus Christus, si carnalem ejus generationem spectes, id est, Messias ille tot retro sæculis promissus ac præfiguratus, æternus populi Dei Rex, cæteris omnibus hominibus & Patriarchis ipsis multo major; quippe Deus & divinum imperium habens in omnia; proinde gloria, honore & laude extollendus à nobis omnibus in sæcula, Amen. Laudetur ac celebretur nomen ejus in Ecclesiis omnibus.

5. Quorum sunt Patres, & ex quibus est Christus, quod ad carnem attinet, qui est supra omnes Deus benedictus in sæcula, Amen.

Neque vero, dum concedo hunc tam eximium populum à Deo rejectum esse, recte mihi objecerint populares mei: Deum promisso suo non stare; & verbum suum, quo se Deum & Patrem Abrahami ac seminis ejus futurum in sæculum dixerat, non præstare; si populum illum suum tantopere dilectum, tot tantisque privilegiis ornatum, & cui legem suam servare in sæculum severe jusserat, jam rejicere, & à spe promissorum bonorum excludere velit, eo ipso quod pro Legis ipsius honore ac gloria contendere, & ex illius observatione, non aliunde, justitiam velit quærere. Manifestum quippe est Deum, cum dixit ac promisit se futurum seminis Abrahami, Isaaci, & Jacobi Deum, non privasse sese ipsum jure ac potestate sua suprema, restringendi ac determinandi singulis temporibus, pro arbitrio suo, seminis sive posterorum Abrahami, Isaaci, & Jacobi significationem, ad quos & quales vellet. Nec enim promissionis veritati decedit vel minimum quippiam, si Deus nunc hoc, nunc illo tempore dicat: Hos ego volo censere semen illud & posteros illos Abrahami ad quos promissa mea pertinebunt; non autem illos. Hac de causa videmus Deum, statim post datam illam promissionem, etiam libertate hac interpretationis usum esse: adeo ut non omnes Israelitas, quanquam ex Jacobo vere prognatos, & legem quæ carnalibus Jacobi posteris tantum data ac lata est religioſe observare volentes, eo ipso veros Jacobi posteros, quibus Deus benedicere vult, habere ac censere nobis liceat. Non enim statim ad omnes, ad quos nobis jure aliquo speciali pertinere videtur titulus Israelitarum, sive verorum Jacobi posterorum, judicio etiam Dei titulus iste pertinet. Totum hoc à mero ac solo Dei arbitrio pendet omni tempore; adeo ut mirum videri non debeat, si hoc etiam tempore, Deus in semine benedicto censere, & pro veris Abrahami posteris, quibus non terrenæ, sed quæ per illam adumbrata est, cæleſtis terræ hæreditatem dare vult, habere eos tantum velit, qui insistunt vestigiis Abrahami; etiamsi nec ex Abrahamo secundum carnem nati sint, nec legem populo tantum carnali latam observent; cæteris vero, licet privilegio carnalis generationis ex Abrahamo gaudentes, & divinæ legis studioſissimos, sed credere nolentes Euangelio, ad semen illud promissum pertinere nolit.

6. Neque verò (*hoc ita accipiendum est*,) quasi excident fermo ille Dei. Non enim omnes qui ex Israele, hi *(sunt)* Israel.

Neque enim necessum est ut divinæ promissiones Abrahamo factæ & semini ejus, ad eos omnes & solos restringantur aut pertineant, qui naturaliter ex Abrahamo nascuntur, & sic semen ipsius proprie sunt; sed ad eos, quos ipse Deus, Abrahami filios ac posteros vocare vult, sive naturaliter sive spiritualiter (imitando videlicet fidem ipsius) ex ipso quasi nascantur, & ad ipsum tanquam Patrem & authorem suum, aliquatenus pertineant. Ostendit hoc ipsum luculenter admodum Deus, statim post datam de semine benedicto promissionem: cum Ismaelem & populum ex eo oriturum, qui proprie Abrahami semen erat, & naturalis generationis jure ac vi, ad ipsum post acceptam promissionem pertinebat, imo jam circumcisus & patri suo acceptissimus erat, expresso oraculo pro semine promisso se habere nolle declaravit; Isaacum verò & populum ex illo oriturum, qui ex Abrahamo secundum naturæ cursum natus nunquam fuisset, & ad ipsum tanquam naturalis ipsius filius non pertinebat, sed divinæ gratiæ beneficio, per fidem qua uxor ipsius Sara conceperat, ipsi quasi accedebat & adnascebatur, cum illum, inquam, Deus, etiam antequam circumcisus aut legi ulli obnoxius factus esset, seminis

7. Neque quia sunt semen Abrahæ, omnes *(sunt)* filii. Sed in Isaac vocabitur tibi semen.

minis Abrahami titulo dignari, & promissæ benedictionis hæredem designare voluit, dicens; Non in Ismael, sed *in Isaac vocabitur tibi semen*, id est, promissa de semine benedictio in illo solo implebitur.

8. Hoc est, non (*qui*) filii carnis (*sunt*) filii Dei, sed filii promissionis censentur in semine.

Utique hoc ipso significavit ac testatum fecit Deus, posse sese pro liberrimo suo jure atque arbitrio, distinguere inter filios Abrahæ: ideoque nolle ut ii censeantur filii, atque hæredes promissæ benedictionis, qui ad Abrahamum, carnalis tantum generationis, aut externi alicujus privilegii jure, pertinent; sed ii soli quos ipse in semine gratiose censere, & speciali atque expressa promissione singulis temporibus designare ac declarare vult, se pro veris Abrahæ filiis atque hæredibus habere, etiamsi alioquin sine promissione tali interveniente, ex Abrahamo naturaliter oriundi nunquam fuissent: quales hoc tempore sunt ii, qui insistunt vestigiis Abrahami, id est, divinæ revelationi quam Deus per nos facit, ex animo credunt.

9. Promissionis enim sermo hic (*est:*) Hoc ipso tempore veniam, & erit Saræ filius.

Ut enim hæc Dei intentio clare ac manifeste intelligeretur ac perficeretur, voluit ut in antecessum promisso atque oraculo speciali significaretur Abrahamo, licet semen jam haberet, id est, Ismael jam natus ex ipso esset, jamque adeo ipsius corpus pæne effœtum, & uxoris Saræ uterus plane emortuus esset, fore ut Filium ac prolem gigneret, in qua hæreditatis promissio ante facta, effectum esset sortitura; cum ait, Nolo ut Ismaelem filium tuum, licet vere ex te natum, & naturali jure hæredem tuum, credas esse semen illud benedictum, quod promisi tibi: Alium promitto, qui tibi præter naturæ cursum in hac confecta atque exoleta ætate tua nascetur tibi. Et ne dubites, adverte animum; revertar anno sequente circa hoc ipsum tempus, & Sara uxor tua, licet natura sterilis, & jam pridem præ senio inepta ad concipiendum, nihilominus fidei beneficio, ex te jam sene aucta erit prole. Hæc erit semen illud benedictum, unde populus mihi nascetur, in quo promissio tibi facta implenda est & locum habitura.

10. Neque (*hic*) solum, sed & Rebecca, cum ex uno concepisset, ex Isaaco Patre nostro, (*similis oraculo monitae est.*)

Neque vero id hic semel tantum Deus in domo Abrahami, sed non multo post idem in domo etiam hujus ipsius Isaaci, cujus posteri sumus nos omnes, (quanquam jam expresse eum designasset & pronuntiasset semen illud, cui promissam hæreditatem terræ Canaan dare vellet, idque præterito fratre ejus primogenito Ismaele) novo oraculo Rebeccæ testatum fecit; videlicet nolle se ut ii omnes posteri, qui ex hoc ipso Isaaco nascerentur secundum carnem, in semine illo censerentur, sed ii tantum, quos ipse in illo pro arbitrio suo censere vellet. Testatum autem fecit id multo illustrius quam antea. Videri enim forte alicui vestrum posset, rationem aliquam aliam subfuisse, cur Ismaelem in semine illo censere noluisset, quia videlicet ex Abrahamo quidem, sed ex ancilla non ex libera natus erat, aut alia aliqua culpa sua excludi ab hæreditate meruerat, matrem forte imitatus, quæ insolentia & procacitate sua uxorem Abrahæ Saram offendere non desinebat. Sed ne huic suspicioni locum detis, considerate quæso id quod Rebeccæ Isaaci uxori, quum primum gemellos concepisset, & utero adhuc ferret, idque ex uno eodemque patre Isaaco, cui promissio jam expresse facta erat, quemque Deus se pro semine illo benedicto habere aperte indicaverat, Deus ipse significari voluerit.

11. Nondum enim natis pueris, cum nihil fecissent boni, vel mali, ut propositum Dei (quod est secundum electionem) maneret, non ex operibus, sed ex vocante:

12. Dictum est ipsi, Major serviet minori.

Cum nondum nati essent, sed eodem adhuc utero gestarentur gemelli fratres, populorum duorum capita ac stirpes, in quibus benedictionis promissæ excellentia luculenter admodum sortitura effectum videbatur, & nihil adhuc feciſſent vel boni vel mali quo discriminabantur, aut propter quod hic promissione donatus, ille ab ea exclusus videri poterat, oraculo monuit Rebeccam Deus, velle sese ut primogenitus qui ex ipsa nasciturus erat, & populus ex illo deinde oriundus, quanquam illi potior hæreditatis portio jure primogenituræ competere videbatur, & nullo crimine aut culpa sua ea privari adhuc meruerat, secundo-genito & populo ex illo nascituro hæreditatem terræ promissæ cederet, quanquam ea illi nullo jure aut merito competere videbatur; atque ita secundo-genitus semen illud esset atque haberetur, quod promissam hæriditatem suo tempore adiret, atque in solidum obtineret: primogenitus vero veluti servus, legati portione sola acquiesceret. Et quorsum quæso hoc pertinet, aut quo fine id factum putatis? Certe ex eo apparet nullum esse locum suspicioni vestræ, de Ismaelis sequiore conditione, aut deteriore indole, quasi ob eam præteritus fuerit; sed propositum divinum, quo liberam sibi semper servare decrevit electionem, atque arbitrium quos in semine censere, aut quibus & qualibus populis omni tempore benedictiones suas conferre velit, cœptum atque inchoatum primo fuisse in domo Abrahami, cum Isaacum præterito Ismaele semen vocaret, nullo in carnale illius privilegium, aut hujus illiusve opera respectu: & confirmatum ratumque habitum, vel potius eodem filo continuatum in domo Isaaci; quippe in qua Jacobus filius, id semen promissum fuit, non autem Esau; non quod ille melior, hic pejor esset; sed quia Deo pro liberrimo ipsius beneplacito visum fuit, illum non hunc, ejusque posteros non autem hujus, semen illud vocare ac censere, ad quod promissæ terræ hæreditas ex asse devolvenda erat.

13. Sicut scriptum est; Jacobum dilexi, Esaum odio habui.

Et manssisse hoc propositum divinum, verumque comprobatum esse, testatur multis annis post Propheta Malachias; quum in eandem sententiam, vaticinii sui temporibus de posteris utriusque scriptum reliquit; Ecce populus iste Israeliticus ex Jacobo oriundus, populus iste est quem singulariter dilexit Deus, & etiamnum adhuc diligit; quippe cui ex pura puta gratia & favore suo, terram illam sanctam fluentem lacte & melle, Abrahamo olim promissam, veluti hæreditatem possidendam dedit. Populus vero Idumæus ex Esau progenitus, populus ille est quem Deus amore isto singulari complecti, & favore tanto afficere noluit; quippe cui horrida & inculta loca, montes Seir vastos, saxosos desertosque, & cum fertili ac fœcunda illa terra minime conferendos, habitandos dedit; ut servilis horum, filialis autem illorum conditio, juxta prægressum de ipsorum capitibus oraculum clare eluceſceret.

14. Quid igitur dicemus.

Et cum hæc ita se habeant, quid igitur obstat quo minus in hoc negotio eundem ad modum concludatur? Si Dei sermo quo semini Abrahami & Isaaci se benedicturum; id est, temporalia beneficia præ aliis omnibus populis largiturum promisit, non excidat, cum ex filiis eorum aliquos, ad quos non justo tantum titulo, sed etiam propriissima ratione, promissa ista bona pertinere videbantur, eo quod verum ac proprium Abrahami & Isaaci semen essent, & fœdus cum Abrahamo initum neutiquam adhuc violassent, in semine tamen illo censere non vult, neque promissorum horum participes fieri sinit; alios vero qui Abrahami semen nunquam fuissent, nisi per specialem gratiam & benedictionem Dei ex ipso nati fuissent, titulo seminis & filiorum Abrahami donare vult: si, inquam, hæc ita sint, utique non habent populares mei causam ullam justam affirmandi vel credendi, sermonem Dei irritum fieri nunc hoc tempore, cum eos tantum censet ac pronunciat Abrahami filios, quibus promissa sua cælestia, sub terrenis illis veluti sub typis & umbris figurata conferre vult, qui exemplum fidei ipsius imitantur, & Deo pro singulari quadam gratia ipsos, licet cæteris non modo non meliores, sed deteriores aliquando, per Euangelium ad hæreditatem suam vocanti credunt atque obediunt; sive ii secundum carnem ex Abrahamo geniti sint, sive non; id est, sive sint Gentiles sive Judæi; & contra, eos pro semine Abrahami habere amplius non vult, qui ex Abrahamo quidem secundum carnem nati sunt, sed vestigiis fidei Abrahami insistere nolunt, ut Deo per Euangelium ipsos jam vocanti credant atque obediant; verum ex lege populo carnali multo post & quidem ad tempus data, justitiam ac salutem præfracte quærere volunt; cum hoc directe repugnet Dei consilio ac liberrimo beneplacito, quod iis per nos in dies inculcatur; quo non operarios ab legis Mosaicæ sectatores, sed solos in Jesum Christum credentes, filios suos & cælestium bonorum suorum hæredes facere decrevit.

14. Num injustitia est apud Deum? Absit.

Dicent fortasse mihi, Aliam hujus negotii rationem esse. Non posse non manifestam injustitiæ & iniquitatis notam Deo inuri, si dicatur post legem latam quæ obedientibus præmia promittit, transgressoribus vero severas pœnas passim comminatur, eos quibus lex illa lata est, & qui legem illam serio observare volunt, promissis præmiis afficere nolle, adeoque punire æternum, propterea quod fiducia in legem illam abdicata credere nolunt; Gentiles vero qui de lege illa non audiverunt, ac proinde promissorum legis capaces non sunt, quamvis etiam peccatores gravissimos: Quin imo ipsos Judæos sub lege natos, etiamsi legem gravissime antea transgressi sint, & imposterum ejus rationem nullam habere velint, præmiis ac benedictionibus omnibus suis cumulare velle, si modo Euangelio credant & ex præscripto ejus vitam suam componant. Quis enim hic non animadvertit manifestam iniquitatem, si puniantur ii quos remuneratos ex lege oportuit, & contra? Sed absit; absit, inquam, hæc à nobis cogitatio, ut justissimo atque æquissimo Deo nostro, unquam labem ullam injustitiæ, aut iniquitatis maculam adscribamus. Nec ratio ulla est cur id in hoc negotio facere necesse sit. Etenim si ante legem latam Deus injustitiæ accusari non potest, cum quosdam qui vere ex semine Abrahami erant, & nullius adhuc culpæ rei cur à promissa hæreditate excludi possent, noluit tamen in semine illo censere; quia ipsi ita videbatur: quo jure accusabitur Deus injustitiæ, si hoc tempore eadem illa libertate sua utatur, & non eos qui legi Mosaicæ observandæ incumbunt,

bunt, sed qui per gratiam ejus vocati credunt in Filium ipsius Jesum, etiamsi antea Legis transgressores gravissimi fuerint, veros Abrahæ filios censere, iisque justitiam & vitam æternam imputare velit? Nulla certe ratio est. Neque enim cum legem populo suo dedit, seipsum privavit libertate ac jure suo supremo, aut ita legi suæ sese obstrinxit, ut non possit quando vult, pro arbitrio suo ἀνυπευθύνως aliter agere.

15 Nam Mosi dicit, Miserebor cujus misertus fuero, & commiserabor quem commiseratus fuero:

Tantum abest ut illud unquam fecerit Deus; ut non raro ab ordine illo quem lege sua solemniter sanciverat, tum in conferendis beneficiis, tum in pœnis irrogandis, etiam stante ipsa lege abiisse, & pro arbitrio suo liberrimo egisse comperiatur. Etenim quo tempore legem suam per Mosem rogaturus & promulgaturus erat, ne ordini illi qui lege continebatur, quo videlicet misericordiam se facturum receperat iis qui legem ipsius servaturi erant, præcise adstrictus crederetur, sed ut sese libertatem ac potestatem suam sartam tectam sibi semper servare velle ostenderet, indicavit expresse Mosi desideranti videre faciem aut gloriam ipsius; Miserturum se non eorum tantum quibus misericordiam suam lege sua addixerat isto tempore, sed quorum ipse singulis temporibus misereri vellet; & commiseratione se usurum erga eos, erga quos ipsi pro arbitrio ipsius liberrimo ea uti consultum videretur. In eo consistere gloriam sive excellentiam nominis sui supra alia omnia, quod sit supremus actionum suarum Dominus, nulli obligatus aut juratus; qui proinde beneficia sua potest conferre omni tempore quibus & qualibus vult, idque sine ullius injuria, aut iniquitatis vel minima nota. Unde facile colligere porro est, nullam iniquitatem in eo sitam esse, si Deus nunc etiam aliorum misereri, aliisque justitiam & vitam ex gratia & misericordia imputare se velle declaret, quam quibus Lex justitiam & vitam promittit, id est, non operantes, sed credentes, tam Gentiles quam Judæos, licet antea peccatores legisque transgressores fuerint, vitæ immortalis & cælestis gloriæ hæredes facere velit.

16 Nempe igitur non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.

Neque enim satis est ad hoc ut divina beneficia consequamur, ut magno zelo ac studio (quod quidem nobis divinæ ipsius voluntati conveniens videtur) ad ea adspiremus; aut ea via ac ratione, quam nos nobis ipsi ad ea consequendum maxime idoneam esse imaginamur, ad ea pervenire velimus. Necessum est ut toti à divina gratia & voluntatis ipsius arbitrio semper pendeamus; ac proinde singulis temporibus diligenter attendamus, ecquod sit divinæ voluntatis propositum, quorum videlicet & qualium misereri se velle declaret, & quos beneficiorum suorum participes pro singulari sua gratia facere velit. Id si hoc tempore facerent populares mei, causam haberent justissimam cogitandi frustra se esse, cum tanto zelo justitiam ex lege quærunt, & per legis opera ad æternam vitam currere ac pervenire laborant, cum credentium misereri velit Deus, non autem eorum qui Mosis legi pertinaciter insistunt, & ex ea justificari cupiunt.

17 Dicit enim Scriptura Pharaoni, Ad hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te potentiam meam, & ut annuntietur nomen meum in tota terra.

Et hanc libertatem, non tantum integram inviolatamque sibi semper reservavit Deus, in conferendo beneficia sua quibus & qualibus vellet, sed etiam in pœnis ac suppliciis irrogandis; adeo ut rebelles ac refractarios, aliquando statim pro merito ipsorum puniverit, sine mora delendo atque exstirpando illos; aliquando diu patienter tulerit ac supportaverit, ut si in rebellione ac contumacia, contemta ipsius patientia ac longanimitate pergerent, tanto illustrius ac severius in illos animadverteret, & tarditatem supplicii gravitate compensaret. Exemplum manifestum videre est in Pharaone Rege Ægypti, qui insontem atque innoxium Dei populum crudeliter atque immaniter vexasse atque afflixisse legitur; adeo ut in prædecessorum suorum non tantum imperium, sed & sævitiam ac tyrannidem successisse videretur: quippe clamor populi pressi atque afflicti, adsiduus ad aures Dei in cælum usque perveniisse, & Deum ad vindictam provocasse dicitur. Nihilominus de hoc Rege Deus dixit in Scriptura eadem: Etiamsi, ô Pharao, propter crimina ac flagitia tua multa atque atrocia, quæ in innoxium populum meum commisisti, exscindi ac deleri jam dudum merueris, ad exemplum prædecessorum tuorum; aliter tamen tecum quam cum iis agam. Non exscindam protinus te, etsi jure meo id facere possim; parcam tibi, & in mediis funeribus subditorum tuorum, quibus repleturus sum regnum tuum, superstitem te manere sinam, ut videant oculi tui signa mea mirabilia, atque intelligas me, nec ullum alium, esse totius terræ Deum ac Dominum. Et, si omnibus istis signis, istaque mea lenitate & clementia non flectaris, sed in proposito tuo contra populum meum obstinate nihilominus perstes ac pergas, ut te pro malitia tua facturum non dubito, statuam tandem in te justæ vindictæ & potentiæ meæ ultricis exemplum: & cum fecero ut occasionem habere tibi videaris, populum meum totum delendi atque exstirpandi, excitabo te ut infracto atque indurato animo eam captaturus sis, & in ipsam usque maris abyssum cum exercitu tuo toto descendere non sis dubitaturus, ut eo perductus veluti in publicum aliquod theatrum, supplicio illustri ac spectabili, tuaque crudelitate, sævitia & pertinacia digno à me afficiaris; ad gloriam nominis mei, ut circumjacentium populorum Dii, & gentes omnes ad quas ejus rei fama perveniet, cognoscant atque intelligant me potentem ac fortem Deum esse; qui non tantum dominor in populo meo, sed qui etiam possum maximos & potentissimos quosque Monarchas, Reges, & Principes, qui se mihi opponunt, meæque voluntati, quam ipsis denuntiari curo, parere & se subjicere nolunt, cum mihi oportunum videtur, nulla habita ratione dignitatis aut majestatis eorum, severe atque illustri ratione alios in exemplum punire; utque hoc intelligentes, repudiatis diis cæteris, me unum celebrare, timere, colere, ac revereri discant.

18 Itaque cujus vult misereatur, quem autem vult indurat.

Ex his itaque concludo: Si injustitia nulla tribui potest Deo, quando olim non habita ratione ordinis, secundum quem misericordiam se facere & pœnam infligere velle recepit, pro liberrimo arbitrio suo gratiam & misericordiam fecit quibus voluit; & pro eodem arbitrio suo aliquos qui puniri jamdudum meruerant non statim punivit, sed non nisi lenitate & patientia sua induratos exemplariter punire voluit, prout gloriæ suæ illustrationi servire posse videbat; itaque nec injustitia ulla jure tribui potest Deo, si nunc idem faciat, & pro eodem liberrimo jure atque arbitrio suo irrefragabili, gentilium simul ac Judæorum, Euangelio Filii ipsius credentium, etiamsi peccatores gravissimi antea fuerint, & jam etiam Legem Mosis non observent, contra quam ordo hactenus usitatus postulare videtur, misereatur, quia vult: & contra si eos qui credere nolunt Euangelio, & revelatæ ipsius voluntati se subjicere, sed ex lege Mosaica justitiam quærere volunt, etiamsi ex Abrahamo patre descendant, & ordinem lege divina præscriptum sequi videantur, non statim ut rebelles suæ voluntati punire, sed primum indurare velit; ut si rebellare pergant, severiter tandem eos & exemplariter puniat.

19 Dices ergo mihi: Quid adhuc conqueritur? Nam voluntati illius quis resistit?

Hic audire mihi videor aliquos popularium meorum obmurmurantes, & indigno animo ferentes quod dico: ideoque impuro ore oggannientes: Si ita est ut non obscure videris indicare, Paule, quod Deus gentilium misereri velit; & nos jampridem indurare, & illustri ratione punire ad exemplum Pharaonis decreverit, eo quod non credamus Euangelio, sed ex lege Mosaica justitiam consectemur; utique non conquereretur de nobis amplius, quod in hoc nostro proposito duri ac præfracti perseveremus. Si enim misereri nostrum non vult, sed gentilium tantum; si sententia nos indurandi, & severiter puniendi, fixa ac rata stat, quorsum conqueretur adhuc Deus. Nec enim vellet ipse tum, ut aliter nos gereremus; aut ut ut nos gereremus, frustra essemus, quia maneret propositum & voluntas nos indurandi, ob antecedentem incredulitatem nostram; nec juvaret nos, etiamsi jam mutata mente Euangelio crederemus, translata nimirum misericordia à dobis ad gentes. Quis enim voluntati & decreto huic divino resisteret? At cum hæc frustra à Deo fieri non possis concedere, nisi totum ministerium tuum frustraneum atque ineptum facere velis; utique falsum esse apparet quod tamen innuere videris, Deo propositum esse nos indurare, & gentilium misereri. Si id vellet, defineret conqueri, quia misereri amplius nollet. Sed tantum abest ut id velit Deus, ut nunquam populum suum induraturus sit; sed si ipsum peccare contingat, reducere eum ad meliorem mentem semper sit conaturus.

20 Imo vero, ô homo, tu quis es, qui ex adverso respondeas Deo?

Sed pudere merito vos debebat, ô populares mei, tam iniquæ & profanæ responsationis. Vos enim, vos ipsos obtestor qui hæc dicitis; annon longa & diuturna vestra rebellione, atque obstinata incredulitate, Deo vestro jus dederitis vos indurandi, ac tractandi pro arbitrio suo, & ad alios transferendi misericordiam suam? ac proinde annon hac ratione disputando, tantundem faciatis atque si Deo ipsi ac supremo Domino vestro jus suum ereptum ire, ipsiusque justissima decreta & consilia infami lingua carpere velletis? Certe si propius paulum vos ipsos, & Dei vestri jus atque potestatem quam in vos habet, æquis animis expenderitis, haud dubie quam iniqua sit & indigna hæc vestra responsatio intelligetis. Qui enim obsecro estis vos? An non qui id omne quod habetis, à Deo vestro habetis; qui vos olim non tantum reliquis omnibus populis singulari quodam favore prætulit, adeoque in peculiarem suum populum fecit ac formavit; sed quibus hodie etiam,

ante alios mortales omnes, voluntatem ſuam gratioſam de fidelibus, non autem operariis, juſtificandis, pleniſſime per nos ſervos ſuos annunciari juſſit, & variis diverſiſque ſignis, prodigiis, virtutibus ac diſtributionibus Sancti Spiritus, aliiſque documentis pene aſſidue ſtabilivit ac confirmavit? Sed qui tamen revelationi iſti fidem adhibere, divinæque voluntati autem præbere pertinaciter renuiſtis, neque ulla ratione permoveri potuiſtis, ut Deo veſtro, Domino veſtro, clementiſſimo veſtro benefactori, tamque fideli & ſolicito de ſalute veſtra Patri, morem gereretis? An non hac ratione obluctando, & repugnando divinæ voluntati, Deo veſtro jus dediſtis, ut tractare ac punire vos poſſit prout vult, adeo ut in manu ipſius ſitis veluti figmentum in manu fictoris?

20. Num dicet figmentum fictori, Cur me tale feciſti?

Et, ſi vos tales, tam obnoxii Deo veſtro, tot ac tantorum criminum rei, punitionis veſtræ modum ſugillare velitis, Deumque cogere ad rationem reddendam, cur hoc non illo modo vos puniat aut tractet; an non hoc tantundem eſt, atque ſi rudis & informis moles, omnium formarum recipiendarum capax, quæque tota quanta quanta eſt, fictoris arbitrio ſubjacet, ita ut poſſit ex ea formare quicquid vult, fictori ſuo diceret; Cur hanc non illam formam induiſti mihi? Utique: Nam par & æqualis omnino ratio eſt.

21. An non habet poteſtatem figulus in lutum, ut ex eadem maſſa faciat aliud quidem vas ad decus, aliud vero ad dedecus?

Vos enim in manu Dei eſtis, propter manifeſtam rebellionem ac contumaciam veſtram, non aliter quam argilla informis in manu figuli eſt, ut vos tractare poſſit prout vult. Et, ſi figulo non audetis negare poteſtatem abſolutam in argillam, ut ex ea poſſit formare vaſa qualia vult, pro arbitrio ſuo; hæc ad honeſtos, illa ad viles atque inhoneſtos uſus comparata atque idonea: anne Deo veſtro poteſtatem negabitis vos (poſtquam toti ipſi obnoxii facti eſtis culpa veſtra) indurandi, ſi ita ipſi videtur conſultum; aut cogere eum jure poteritis, ut rationem vobis reddat, cur hoc non illo modo vos tractet?

22. Si vero Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, pertulit multa lenitate vaſa iræ coagmentata ad interitum.

Neque vero etiam iniqua videri debet agendi ratio, ſi cum vos indurare, ac non niſi induratos punire velit, nihilominus interim de vobis conqueratur, vos accuſet, &c. Etenim, obſecro vos, ſi Deus vos jamdudum pœnam ac ſupplicium excidii promeritos, & veſtrapte longa ac diutina culpa digniſſimos aptiſſimoſque redditos, in quos veluti in vaſa ei fini præparata, ira divina plena manu effundatur, non ſtatim puniat ac perdat, ſed diu adhuc magna lenitate ac multa patientia ferat, toleret, redarguat, culpet atque increpet; ſi forte hac ratione, ad meliorem mentem & pœnitentiam adhuc revocari poſſitis; ut poſtquam omnia frustra tentata videbit, tanto ſeverius, acriuſque in vos iram ſuam exerat, & potentiam ſuam in rebelli & refractario populo ſuo exemplariter puniendo, toti mundo teſtatum faciat, ecquæ, amabo, iniquitatis vel minima ſpecies in eo eſſe poteſt? Neceſſum eſt ut fateamini, velitis nolitis, æquiſſimam & benigniſſimam hanc eſſe agendi rationem, & etiamnum de officio veſtro ſerio cogitetis.

23. Et ut notas faceret divitias gloriæ ſuæ erga vaſa miſericordiæ, quæ præparavit ad gloriam.

Et quidem tanto magis, quod pro eodem jure ac poteſtate ſua, aliorum miſereri rurſum poſſit; (licet ii peccatores ſint graviſſimi, & iræ etiam æternæ rei, ſi modo credant in Jeſum Chriſtum Filium ipſius, & voluntati ejus quam denunciari ipſis curat, nulla habita ratione Moſaicæ legis, promte ſe ſubjiciant) ut ea ratione notam faciat, & veluti in proſcenio ſpectandam exhibeat, bonitatis ſuæ redundantiam, & miſericordiæ ac gratiæ ſuæ inexhauſtæ exuberantiam; quum videlicet eos nihil tale opinantes, adeoque indignos, & iram ipſius propter antecedentia peccata ſua promeritos, ex pura puta liberalitate, & indebito ac prorſus gratioſo favore, loco aliorum credere nolentium, ad glorioſam immortalitatis hæreditatem capeſſendam præparat, & (quantum in ſe eſt) idoneos reddit, ſolaque interveniente vera ac viva fide in Jeſum Chriſtum, reipſa tandem gloriæ æternæ participes facere vult.

24. Quos etiam vocavit, nos non ſolum ex Judæis, ſed etiam ex Gentibus.

Et hæc quidem vaſa miſericordiæ ſumus nos, qui Deo nos, pro paterna ſua miſericordia, per Euangelium vocanti credidimus atque obtemperavimus; quoſque Deus populum ſuum vocare dignatur, cæteris incredulis omnibus rejectis & præteritis; nos, inquam, non ſolum qui ex Judæis nati ſumus, id eſt, ex illo populo, cui expreſſe facta eſt promiſſio, quem Deus populum ſuum appellat, (etiamſi jam Dei populus vocari, propter incredulitatem ſuam non mereatur amplius) ſed etiam qui oriundi ſumus ex Gentibus, quibus nihil tale aperte promiſſum eſt, qui populus Dei hactenus non fuerunt, exſortes fœderum ac teſtamentorum, ſine ſpe, ſine Deo in mundo.

25. Ut etiã apud Oſeam dicit, Vocabo qui populus meus non (eſt) populum meum, & eam gentem, quæ dilecta non (eſt,) dilectam.

Hoc vero mirum videri non debet, quod nos tales tituli populi ſui dignatur Deus, rejecto aliquo pæne toto populo ſuo, qui Legi Moſis adhærere vult, & credere Euangelio renuit. Hic enim uſu venit & rectiſſime quadrat, id quod olim Deus in Propheta Oſea dixiſſe legitur; cum videlicet Deus populum ſuum Judaicum, ob peccata ipſius graviſſima, ita adflixiſſet tanquam ſi populus ipſius non fuiſſet, aut populus cujus curam impoſterum gerere vellet eſſe deſiiſſet, quippe eum totum pene bellis hinc inde deleri, & ſtragibus ac cladibus variis confici curaverat; & quæ reſtabat exigua ex tanta turba portio, eam in captivitatem Babylonicam, extra promiſſam terram abduci, & tanquam ſi ei amplius curæ non eſſet, in hoſtili ſolo detineri, ac tractari ad arbitrium victorum paſſus eſt. Cum, inquam, hoc pacto populus pene totus neglectus, rejectus, & omnino repudiatus videatur, dixit Deus; Veniet tempus quando miſericordiam meam exeram, ſuper exiguas illas populi mei reliquias quas in Babylone reſtare feci, etiamſi cum reliquis exſcindi & deleri meruerint; miſerebor iterum earum, ubi longis malis fractæ reſpuerint, & ad cor redierint: reducam eas in terram quam promiſi patribus eorum; & quanquam jam ita tractantur, tanquam ſi populus meus non eſſent, tanquam ſi affectum omnem benevolentiæ atque amoris erga eos exuiſſem, recordabor tamen miſericordiæ ac gratiæ meæ, & denuo eos vocabo, tractabo, ac curabo veluti populum meum, auferendo captivitatem eorum, ſui juris eos veluti liberum populum faciendo, & beneficiis meis veluti dilectos atque amicos cumulando.

26. Et erit in loco, ubi dictum fuerat eis, Non populus meus vos, illic vocabuntur filii viventis Dei.

Et erit pro eo quod antea dicebatur; Vos non eſtis populus meus, qui mihi curæ eſt, cujus ſalutem atque incolumitatem veluti Rex ac Princeps veſter quærere ac procurare volo; tum temporis dicetur; Ecce hi ſunt ſingulariter dilecti Deo viventi, tanquam ſi filii ipſius eſſent: horum Deus tanquam pater filiorum ſuorum curam gerit; hos veluti tenellos infantes ſuos, quos ſibi denuo genuit ex captivitate Babylonica, enutrit, educat, & paterno favore ac zelo ſuo protegit, beneficiiſque omnibus ſupra alias nationes omnes implet ac cumulat: Hoc idem, inquam, nunc in nobis uſu venit, adeo ut in nos rectius multo verba illa Oſeæ quadrent; cum videlicet Deus nos pauculos ex Judæis oriundos, qui jampridem cum reliquis rejici merueramus, & ſub Romano jugo, ac ſi populus Dei, Deoque curæ non eſſemus, gemimus; neque nos tantum, ſed Gentiles etiam qui nunquam populus Dei fuerunt, quibus lex Dei data non fuit, qui profani hactenus judicati ſunt, populum ſuum gratioſe vocat, & in nobis pauculis, ex reliquo toto populo rejecto ſuperſtitibus, memoriam populi ſui conſervare vult, eo quod in Jeſum Filium ipſius credidimus, & voluntati ejus non ſubjecimus.

27. Eſaias autem clamat ſuper Iſrael: Si fuerit numerus, filiorum Iſrael ut arena maris, reliquiæ ſervabuntur.

Et eodem plane modo Deum olim egiſſe, teſtatur aperti ſſime magnus ille Dei Propheta Eſaias, cum de populo Iſraelitico nomine Dei ſui, pro quo apud eum legatione fungebatur, contenta voce clamat: Etiamſi immenſa pœne eſſet multitudo populi Iſraelitici, & numerus eorum excederet arenarum in littore numerum, non habebo illius quantitatis rationem ullam, neque propterea parcam illis, ne videlicet ſine populo ſim, aut ut populum aliquem magnum atque ingentem mihi retineam. Sufficiet ſi pauci tantum quidam reliqui maneant, qui in fidem & obſequium meum ſedent. Hi portabunt nomen & titulum populi mei, & experientur me Deum ſuum eſſe.

28. Rem enim cõficiet ac cõcidet cum juſtitia: quoniam rem conciſam perget Dominus in terra.

Cæteros omnes quod attinet, licet eorum turba magna ſit, cum iis ita rigide ac ſeveriter (poſtulante id æquitate ac juſtitia mea) agam, ut nulli ſuperfuturi amplius in terra ſint. Ita attenuabo, imminuam, diſſipabo, exſtirpabo & peſſumdabo eos, uti qui amputare arbores ſolent, qui ramos omnes hinc inde diffuſos, ita præciſe aliquando reſecant, ut nihil prorſus ex iis oriri deinde poſſit.

29. Et ſicut ante dixit Eſaias; Niſi Dominus Zebaoth reliquiſſet nobis ſemen, facti fuiſſemus ut Sodoma & Gomorrhæ ſimiles.

Cui conſonat id quod ante in Prophetia ſua, idem Eſaias dixerat eventurum populo eidem Iſraelitico, in captivitatem Babylonicam abducto. Adeo ſeveriter animadvertet Deus in populum noſtrum, ut penitus exſtinctus, & non aliter quam urbes Sodomæ ac Gomorrhæ, quæ incendio totæ conflagrarunt, & funditus deletæ, vaſtatæ atque abſumptæ ſunt, adeo ut ne veſtigia quidem ulla ſuperſint, confectus ac conſumtus fuiſſet morbis, calamitatibus, præliis, cladibus, aliiſque maledictionibus; niſi paucorum quorundam ex iſto magno numero, qui pœnitentia ducti ad ipſum tandem confugerunt, pro ſingulari quadam gratia ac miſericordia ſua miſertus fuiſſet, eoſque ab interitu & internecione, quam antea cum cæteris meruerant, conſervare dignatus eſſet; idque eum in finem, ut in his maneret populi Dei decus, & ex his (veluti è ſemine fœcundo) populus novus denuo naſceretur atque exſurgeret.

30. Quid igitur dicemus ad hæc? Gentes quæ non ſectabantur juſtitiam, apprehenderunt juſtitiam, juſtitiam autem quæ ex fide eſt.

Ex his omnibus liquido conſtare poteſt, eorum quæ dixi ſummam hanc eſſe: Gentiles qui nihil minus quam de gratia, quæ nunc ipſis per Euangelium oblata eſt, id eſt de æterna peccatorum remiſſione, juſtitia ac gloria cogitabant, inopi-

cemus? Gentes quæ non sectabantur justitiam, apprehendisse justitiam, justitiam autem quæ ex fide *(est.)*

32 Israelem vero qui sectabatur legem justitiæ, ad legem justitiæ non pervenisse.

32 Quare? quia non ex fide, sed velut ex operibus Legis. Offenderunt enim ad lapidem offendiculi.

33 Quemadmodum scriptum est; Ecce pono in Sion lapidem ad quem impingitur, & petram offendiculi: Et quisquis credit in eum non pudefiet.

inopinantes & quasi imprudentes evasisse in Dei populum, & consecutos vitæ immortalis spem; propter hoc solum quod ad divinam vocationem excitati, superstitionem & idololatriam suam gentilitiam valere jusserint, vitæque suæ profanæ atque impiæ renuntiantes, Christi Euangelium, quo justitia credentibus promittitur, vera fide amplexi sint, & ex ejus unius præscripto imposterum vivere se velle receperint: etiamsi legem Mosis nec audierint, nec observarint, & ex stirpe ac progenie Abrahami secundum carnem non sint oriundi.

Contra vero Judaicum populum pæne totum, licet ex Israele oriundum, & Mosaicæ legis, ut justitiam consequeretur, studiosissimum, non esse consecutum remissionem peccatorum & vitam æternam, sed ab ejus spe (quamdiu in eo studio perseverat) exclusum esse ac separatum.

Et quidem nulla alia de causa, quam quod eam viam & rationem consequendi vitam æternam, quam Deus ipsis per nos revelari curavit, ingredi, id est credere Euangelio Jesu Christi, eique obedire noluerunt; sed justitiam & vitam affectare studuerunt veluti per opera Legis; (dum videlicet ipsi sibi persuadent, opera sua talia esse qualia Lex requirit, & digna quidem quibus æternæ vitæ præmium adsignetur; quod tamen à vero quam longissime abest; cum sola exacta, perpetua, nulloque crimine atroci, cui remedium in lege datum non sit, interrupta obedientia, venire possit operum talium nomine, quæ secundum legem præstita, & præmio lege promisso statutoque digna dici mereantur: qualem ipsos non præstitisse indubium est, cum non minus quam alii peccatores fuerint, ac proinde divina etiam gratia ac singulari misericordia opus habuerint.) Et hinc omnes lachrymæ. Spernentes Jesum Christum, id est Euangelium Messiæ ac Regis sui ad se missi, eique credere atque obedire nolentes, per quem unum salvari poterant ac debebant, frustrati sunt spe sua; & veluti qui in lapidem impingunt, ceciderunt atque exciderunt salute & vita æterna, quam ipse iis tum per seipsum, tum per nos suos legatos atque Apostolos, nomine Dei Patris sui annuntiavit, & documentis certissimis omnique exceptione majoribus confirmavit.

Adeo ut jam verum esse appareat, id quod olim in scriptis Propheticis Deus dixisse legitur; Ecce mitto liberatorem populo meo, & salvatorem domui Israelis; qui instar lapidis angularis erit, qui omnibus iis qui ipsius mandatis vera fide adhærere, ejusque promissis constanter inniti refragabuntur, occasio erit sempiternæ ruinæ, atque ignominiosi exitii à facie & glorioso robore meo: At vero iis qui ipsi vera ac viva fide sanctoque obsequio firmiter inhærebunt, author & causa erit æternæ gloriæ, & vitæ immortalis, nullo unquam dedecore aut pudore obfuscandæ.

# OBSERVATIONES IN CAPUT IX.

## Epistolæ ad Romanos.

*Causa tristitiæ Pauli.*

2. λύπη μοι ἐστὶ μεγάλη) Non exprimitur ab Apostolo causa doloris, sed ea manifeste satis colligitur ex sequente versiculo, & toto capitis filo. Ex sequenti versiculo, cum dicit se optare Anathema fieri à Christo pro fratribus. Eo ipso enim significat, fratribus aut popularibus suis ingens aliquod malum aut periculum, si non incumbere, saltem imminere, quod damno & periculo suo magno redemtum velit. Præpositio enim ὑπὲρ finalem causam notat, idemque significat quod, pro fratribus liberandis aut redimendis, ex tam præsenti periculo in quo versantur. Intelligit autem malum & periculum rejectionis à fœdere & gratia divina, in qua hactenus steterant tanquam populus Dei, quem Deus præteritis cæteris nationibus sibi in peculiarem populum adoptaverat: per consequens periculum excidii à justitia & salute æterna, propterea quod in Christum credere nollent. Evincitur hoc ipsum ex filo capitis totius. Videatur *vers.* VIII. 30. 31. 32. 33. Res plana est, & apud interpretes omnes in confesso.

Professio hæc tristitiæ, quam facit Apostolus in limine hujus capitis, pro certissimo argumento servit contra eos, qui existimant Apostolum in hoc capite ulterius ascendere ad causas fidei superiores; & ostendere causam cur hi credant non illi, esse ex solo beneplacito divino, quod in hoc Deus fidem velit efficere, non in illo. Hoc enim si Apostolo propositum fuisset, ecquam habuisset causam tantæ tristitiæ & mœroris? cur optasset tanto cum affectu pro fratribus anathema fieri? Quis enim doleat de eo quod scit, & quod demonstrare vult Deo propositum ab æterno fuisse facere, pro suo beneplacito, ad sui nominis gloriam? quod scit mutari non posse, imo Deum nolle ut mutetur; sed uti ab omni æternitate decretum sapienter est, ita in omnem æternitatem fixum ratumque maneat? An pio dolere licet, decretum tale factum esse à Deo ad nominis divini gloriam? Et quod amplius est; an sapientis aut prudentis viri est, optare ut decretum illud factum non sit, aut ut irritum reddatur? Denique quo animo, quo affectu concipietur ac proferetur votum, quod quis impossibile esse novit ut effectui detur? & quis impossibilia optando, cupiet affectum suum commendare, & benevolentiam suam testatum facere? Nec pii, nec Dei amantis, nec sapientis aut prudentis est ita agere. Propter optima & sapientissima Dei decreta pius dolere non, debet: ut fiant ea quæ impossibilia sunt fieri, sapiens non optabit. Qui etiam dira quæque sibi evenire optat ut aliis melius sit, cum nec ista sibi evenire, nec aliis melius esse posse, imo Deum melius esse nolle sciat, vanus merito & stultus haberi debet. Neque est quod hic dicas, votum hoc quasi in ecstasi conceptum, & ab animo præ nimio salutis popularium amore ac desiderio extra se rapto profectum. Nihil enim minus verum est quam hoc. Circumstantiæ omnes arguunt satis manifeste, considerate & deliberato votum hoc ab Apostolo conceptum esse: & sedatæ ac compositæ mentis indicium satis certum est, quod votum hoc Apostolus scripserit, & ad Ecclesias per Epistolam transmiserit.

*Quid intelligat per Anathema esse à Christo.*

3. ἀνάθημα) Sive ἀνάθημα sive ἀνάθεμα legas, perinde esse crediderim. Expono vocem, prout usitata ejus significatio postulat, pro sacrilego sive anathematum raptore, ac propterea sacro devotoque homine, qui res Deo consecratas in usum suum proprium convertit; & propterea exscindi, deleri, & tanquam κάθαρμα separari à consortio hominum meretur. Cum autem Paulus se anathema fieri optat, aliud nihil optat, quam non simplici tantum aliqua ignominia aut pœna, sed, anathematis instar, acerbissima & ignominiosissima morte exscindi & deleri, velutique maledictio sive κατάρα fieri in gratiam popularium suorum: & quidem ἀπὸ Χριστοῦ, quod expono *vel*, tanquam si ego qui jam Legatus Christi, & nuncius ejus à latere sum, ipsi conjunctissimus, ab eo essem alienissimus: ut ita opponat conditionem istam, conditioni suæ in qua tum erat: quippe non tantum Christianus ut cæteri, sed etiam Apostolus sive legatus Christi erat; proinde Christo proximus & conjunctissimus: *vel*, ἀπὸ Χριστοῦ, à corpore, id est, Ecclesia & societate Jesu Christi, morte truculenta avelli & separari. Sunt qui Apostolum intelligere hic volunt, per ἀνάθημα ἀπὸ Χριστοῦ sempiternum exitium suum; eumque optare cum æterna perditione & cruciatu animæ suæ redimere Israeliticæ gentis alienationem. Sed iis suffragari nullo modo possum: partim quod credam votum tale, non modo non esse laudabile, sed ne quidem homini Christiano licitum; partim quod si omnino licitum id esse velimus, excedere videatur caritatem & amorem ipsum Jesu Christi: partim denique, quod illud quod nos diximus optari à Paulo, regulis & præceptis Jesu Christi apprime sit consentaneum.

6 οὐχ οἷον δὲ) Præoccupatio est objectionis, quam faciebant aut facere probabiliter poterant Judæi aliique. Si populus Judaicus retinens Legis Mosaicæ, à salute & gratia divina excluditur, videtur Deus promissum populo Israelitico factum revocare, aut saltem irritum reddere: Atqui hoc fieri non potest. Verba itaque hæc erunt, non Pauli, sed Judæi, aut alterius alicujus, & hunc sensum habebunt: Neque tamen ex his quæ dico recte concluditur, quasi Deus sermonem suum (id est promissum illud suum, *ego ero Deus tuus & seminis tui post te*, &c.) revocet aut retractet. Alii volunt hæc esse verba Apostoli; & hi quidem variant. Sunt enim qui verba hæc Apostolo tribuunt, ut iis dolorem animi sui, quoquo modo potest, leniat, & Judæis os obstruat, atque imbecilliores confirmet. & hi exponunt vocem λόγου de oraculo illo in Ecclesia notissimo, *In Isaac vocabitur tibi semen:* quod oraculum esse dicunt (nescio quam longe petita consequentia, aut circutione potius inepta) Euangelium; quod κατ' ἐξοχὴν verbum Dei est, utpote ad quod ipsa Legis doctrina tanquam ad finem refertur. Alii volunt Apostoli mentem esse: Non dico hæc quasi oblitus sim sermonis istius, quod non omnes qui ex Israele sunt, Israel sunt. & hi exponunt ἐκπέπτωκεν per ἔλαθέν με pronominis μοι, quasi esset, Non tamen excidit mihi, id est non sum oblitus sermonis; sed sine ulla necessitate.

Quomodocunque tamen accipiatur, sensus eodem redit; si modo per λόγον intelligatur verbum illud, quo promisit Deus se Deum futurum Abrahami, & seminis ejus post ipsum; id est, se Deum futurum populi Israelitici ex Abrahamo oriundi. Sermo enim intelligitur quo vult λογίζεσθαι εἰς σπέρμα, *vers.* 8. quo vult vocari semen, *vers.* 7. quod secundum electionem est, *vers.* 11. Quod & pulchre indicant sequen-

tia ſtatim verba: *Non enim omnes qui ex Iſraele ſunt, &c. verſ.* 6. Notandum autem diligenter hîc eſt, verbum hoc ſignificare oraculum, quo Deus promiſit Abrahamo ſemen cui volebat benedicere; ſive illa benedictio ſignificet benedictionem corporalem & terrenam, qualis ſub Lege maximam partem facta fuit Legem præſtantibus; ſive benedictionem ſpiritualem & cæleſtem, (cujus umbra & rudimentum quoddam erat benedictio iſta temporalis Lege contenta, juxta id quod eſt *Hebr.* X. 1.) & veris Abrahæ imitatoribus, id eſt fidelibus, omni tempore communicatam; qualis ſub Euangelio per Chriſtum maximam partem facta eſt. Itaque cum dicitur ſermonem Dei non excidiſſe, de illo ſermone hic agi credendum eſt; non autem de ſermone, quo Deus voluiſſe creditur filios quoſdam Abrahami æternæ ſaluti ſimpliciter atque abſolute deſtinare, quoſdam vero ſimpliciter rejicere ab eadem; nullo habito reſpectu aut ad illorum obedientiam, aut ad iſtorum inobedientiam. Hoc enim ne veriſimiliter quidem dicitur, uti in ſequentibus manifeſtum faciemus.

*Ad omnes ex Abrahamo ſecundum carnem orundos non pertinet Dei promiſſio.*

6. οὐκ ἐξ Ισραὴλ) Senſus eſt; Non omnes Iſraelitæ, qui veri Iſraelitæ ſunt ſi carnalem eorum generationem ex Abrahamo ſpectes, ſunt populus iſte ad quem ſermonem illum, de ſemine Abrahamo promiſſo, pertinere vult Deus. Et hic quidem ſenſus, hoc loco ſemel accurate obſervatus, ſequentibus omnibus dictis Apoſtoli magnam lucem adfert. Id enim vult Apoſtolus; Deum poſſe hoc tempore Judæos & Gentiles, qui propter peccata ſua jampridem exſcindi meruerunt, gratioſe vocare in populum: & etiamſi legem Moſis non obſervent, ſed credant tantum in Filium ipſius Jeſum, pro eodem liberrimo ſuo beneplacito, pronunciare ſemen Abrahæ, id eſt filios Abrahami, tanquam Patris, id eſt primi & anteſignani eorum qui crediderunt, & qui per fidem, antequam Lex Moſis lata adhuc eſſet, juſtificati ſunt: imo quod amplius eſt, poſſe pronunciare illos qui ex Lege juſtitiam quærunt, ſpreto Euangelio, non eſſe filios illos, ad quos eadem ratione qua ad Abrahamum, benedictionem ſuam pertinere velit: poſſe, inquam, hoc tempore non minus id pronunciare, quam olim pronunciavit filium Abrahami, in quo promiſſio de ſemine implenda erat, eſſe Iſaacum non Iſmaelem, etiamſi Iſmaeli jure nativitatis, ſeminis titulus competere videbatur: & quo deinde ſimiliter Jacobum vocavit ſemen, non autem Eſavum, quamquam & huic privilegium illud ſeminis competere citra omnem controverſiam videbatur. Et hoc ſibi volunt verba: *Non qui filii carnis ii ſunt filii Dei:* id eſt, non qui carnali generatione ſpectata vere filii Abrahami ſunt, ſtatim ſunt *filii Dei*, id eſt, promiſſionis hæredes, in quibus Deus implere vult promiſſum ſuum, de benedictione Abrahamo factum. Sed ſoli illi qui ſunt *filii promiſſionis*, id eſt, quos Deus ſpeciali oraculo ſeu promiſſo, ſingulis temporibus deſignat ſe pro filiis & hæredibus promiſſionis habere velle. Plerique commentatores exponunt *filios promiſſionis*, de filiis qui vi promiſſionis, non autem vi naturæ gignuntur. Sed fallunturmeo judicio. Sic enim Jacob non eſſet filius promiſſionis, cum vi carnis natus ſit, perinde uti Eſau. Iſaaci alia erat ratio. Recte itaque paraphraſis exponit, de jure interpretandi vel applicandi promiſſum, quod Deus ſibi ſemper ſervavit liberum: quaſi diceret Apoſtolus, Hoc jus interpretandi quod Deo competit, ſufficere nobis debet, ut credamus non excidere verbum Dei, nunc etiam hoc tempore, cum Deus promiſſum illud ſuum interpretans, dicit; Fideles ſunt ſemen Abrahæ, ſive ii ſint Gentiles ſive Judæi, non autem operarii. Carnis titulus apud me non valet, nec Legis etiam Moſaicæ. Quare Filii mei Jeſu vocem hodie audiri volo, & in illum credi; ad exemplum Abrahæ qui credidit, & hoc ei reputatum eſt in juſtitiam, ut fieret pater multarum gentium; uti pulcherrime oſtendit Apoſtolus, *cap.* IV. hujus Epiſtolæ.

*Quid ſit, In Iſaaco vocabitur tibi ſemen.*

7 οὐ Ισαὰκ κληθήσεταί) Hebr. pro Iſaac vocabis ſemen. *Vocare* enim *in Iſaac* idem hîc eſt quod alibi, *Confiteri in Deo, in nomine Dei*, pro confiteri Deum, & nomen Dei. Pleonaſmus enim præpoſitionis hujus οὐ reſpondet Pleonaſmo particulæ ב apud Hebræos. Senſus itaque eſt; Volo ut vocetur, vel ut voces Iſaacum hæredem promiſſionis meæ, non autem Iſmael. καλεῖσθαι enim, vel idem hic eſſe poteſt quod λογίζεσθαι εἰς σπέρμα, uti ſeq. *verſ.* 8. legitur: vel ſimpliciter ſignificat idem quod, Hîc certo certius erit illud promiſſum ſemen, unde oriturus eſt populus ad quem devolvendæ ſunt promiſſæ benedictiones. Iſaac enim ipſe dicitur hic eſſe ſemen pro ſe, eo ſenſu quo dixit Apoſtolus, *Abrahamo dictas promiſſiones & ſemini ejus; non autem ſeminibus ejus.* Dicit enim textus, *Dabo ſemini tuo. quod* (inquit) *eſt Chriſtus:* & prout erat futurus fons ſeminis, id eſt populi totius Judaici. Ita ut merito ille & in illo vocandum ſemen dicatur. Et certe *Vocari* pro *eſſe* non raro accipitur. Apparet id clare ſatis ex loco illo uno *Matth.* I. 23. *Et vocabit nomen ejus Immanuel*; quod proinde Vatablus exponit per, *Erit ſervator.* Similia loca plura ſunt. vide *Eſa.* I. 26. & XIX. 18. & LXII. 2. 4. 12. *Jerem.* III. 17. & XXIII. 6. Vel denique, Ego promitto me effecturum, ut in Iſaaco filio tuo & poſteris ejus, veritas promiſſi mei adeo evidenter & luculenter appareat, ut omnes populi una voce dicturi ac clamaturi ſint; En ſemen vere benedictum; en filium Abrahamo natum, cui revera benedicit Deus. Quanta ex illo poſteritas propagata eſt, & quantis cumulata benedictionibus!

*Non intelligi vocationem efficacem ad fidem.*

Per *vocationem* autem hoc loco nihil minus ſignificatur quam vocatio quæ appellari ſolet efficax vocatio ad fidem & vitam æternam. Manifeſtum enim eſt hîc de vocatione agi, qua vocatur aliquis vel in aliquo ſemen. Ut autem hoc ſemel recte intelligatur, videlicet quæ & qualis ſit hæc vocatio, qua vocatur aliquis vel in aliquo ſemen, ita habendum eſt: dupliciter phraſin hanc accipi poſſe: Primo, ut vocare aliquem vel in aliquo ſemen, idem ſit quod aliquem deſignare & conſtituere fontem ac ſcaturiginem, adeoque etiam patrem populi iſtius, quem Deus externa ratione, quantum in ſe eſt, populum ſuum appellare vult; cui videlicet tanquam Rex præeſſe, cui leges ferre & ſtatuta condere vult; & cui ſi ſecundum ea ſe componat, non aliter quam pater proprio & genuino ſuo filio benefacere vult. Secundo, ut vocare aliquem ſemen, idem ſit quod aliquem vocare filium dignum patre ſuo, & paterna hæreditate, & populum ex eo ortum, ſemen ſeu populum Dei, qui Deo ſuo ſponte ſua paret, & populi vere Deo ſuo ſubditi officium facit, atque ita populus Dei dici & vocari meretur. Prima vocatio habet pro objecto ſimpliciter perſonam, aut multitudinem hominum quatenus talis eſt: Secunda habet pro objecto perſonam aut multitudinem hominum quatenus officium recte facit. Hoc loco intelligitur prima vocatio, quæ facta eſt cum conditione, & ea lege ut benedictionum promiſſarum particeps fieret Iſaacus, ſi ad præſcriptum Dei, imitatus exemplum patris ſui, ſeſe componeret. Poterat enim Iſaacus eſſe & vocari ſemen promiſſum, & nihilominus Deo inobediens eſſe, atque ita æternum perire. Nec obſtabat decretum ullum in contrarium; uti ex eo liquido apparet, quod poſteri ipſius ex filio ipſius Jacobo nati, ſemen promiſſum, ſive populus quem Deus ex ipſo oriturum promiſerat, fuerint; ut videre eſt *Deut.* VII. 12. &c. & XXVI. 18. 19. quorum tamen multi propter infidelitatem ſuam in deſerto occiderunt & æternum perierunt. *1. Cor.* X. 5. &c. *Hebr.* III. *verſ. ult.* Et eadem eſt ratio vocationis qua Deus gentiles vocat ſemen. Vocat enim eos per gratiam ſuam in populum ſuum, rejectis Judæis, primo vocationis genere. Cum tali vocatione poteſt conſiſtere inobedientia ipſorum; ita ut illi ſeſe non gerant digne vocatione iſta, & populi Deo ſubditi officium non faciant; ſicque paulatim ſeminis & populi Dei titulo ac privilegio ſe reddant indignos. Notandum tamen eſt Apoſtolum in hoc Capite fere complexim uſurpare vocationis vocem, quatenus ſignificat vocationem ad gratiam & ad gloriam, quia quos Deus vocat ad gratiam, eos eo fine vocat ut ad gloriam promovere velit, ſi videlicet vocanti ipſi credant & pareant. Itaque nunc gentes & Judæos ſemen vocat, quatenus à Deo gratioſe vocantur ut ſint aut fiant populus Dei, nunc quatenus Deo vocanti credunt, & ad exemplum Abrahami Deo parent atque obediunt. Fit id, uti diximus, quia finis & intentio Dei eo uſque porrigitur, & quicquid ad finem iſtum obtinendum fieri poteſt, à Deo uſurpatur circa eos quos ad gratiam primitus vocat. Vocat itaque Deus quos vult filios & hæredes ſuos, ſi modo vocati credant.

10. μόνον δὲ) Ἐπέκτασις manifeſta eſt. quam hoc pacto ſuppleo. Neque vero ſermo promiſſionis hic tantum locum habuit, ſed etiam in nobiliore multo exemplo, in quo longe excellentius declaratum eſt, Deum ſibi reſervaſſe promiſſi ſui interpretationem vel applicationem. Itaque verba ſequentia, ἐξ Ῥεβέκκα, per eandem ἐπέκτασιν debent hoc pacto ſuppleri, audivit ſimilem ſermonem promiſſionis, quo Deus vocaret filium & ſemen Abrahami eum, quem pro arbitrio ſuo libero vocare volebat; non eligens in ſtirpem populi à Deo promiſſi, eum qui ſecundum carnem tamen filius Abrahæ erat, & plane adhuc innocens, neque ullius propriæ culpæ reus, propter quam jure illo ſuo privari meruerat.

*De parentheſi quam hîc inchoat Camero.*

Sunt qui hîc Parentheſin inchoant, quam claudunt demum *verſ.* 30. excluſive: neſcio quo fine, qua neceſſitate, qua ratione vel probabili adducti. Video I. Cameronem contra D. Tilenum rationem addere, quod hactenus, ſaltem verſ. præcedente, de juſtificatione locutus fuiſſet Apoſtolus; nunc autem hoc verſu de vocatione differat: quia in textu eſt, *Vocabitur.* Sed inſulſe atque imperite: cum manifeſtum ſit eodem verbo *vocandi* uſum eſſe Apoſtolum, in exemplo

exemplo Isaaci ante allegato, ubi de justificatione actum existimat Camero: cum ait, *In Isaac vocabitur tibi semen.* Itaque ex vocante etiam tum Isaac erat semen benedictum. Quocirca contrarium potius inde colligi debet; videlicet non esse hic fingendam parenthesin tam late hiantem; sed verba hæc connexa esse arctissime cum præcedentibus, ad ostendendum eos esse semen, quos Deus semen vocat, quos Deus in semine censet, etiamsi videatur exterius hos istis præferendos, aut non minori jure semen esse debere, quam eos qui semen vocari jubentur. Idem solide confirmat verbum μένῃ, quo utitur *vers.* 11. Apostolus; *ut propositum Dei quod est secundum electionem*, qua jam ante eligere decreverat Isaacum præterito Ismaele, *maneret* etiam ratum, scilicet in Isaaci domo, *ex vocante*, id est, ex eodem Deo qui dixerat, *In Isaac vocabitur tibi semen.* Huic adde, quod nunquam inter Judæos & Paulum de ea re quæstio fuit, an Deus cum primum aliquos vocat ad fidem, eos ex operibus vocet. Noverant ipsi quod apud Mosem de ipso populo Judaico scriptum extet: *Non quia vos plures aut meliores eratis cæteris, propterea elegit vos Deus, sed quia ipsi beneplacitum fuit in patribus vestris*, &c. Quomodo quæso verisimile est Apostolum tam operose, sub allegoria adeo obscura, & quidem in seria disputatione contra adversarios, demonstrare atque evincere voluisse id quod alioqui per se clarum erat, & à nemine negabatur?

11. μήπω γὰρ γεννηθέντων) Conjunge cum *vers. seq. Dictum est Rebeccæ.* Tantum describitur tempus quando oraculum hoc factum est, ut ostendat Apostolus non esse quod excipiatur contra exemplum allegatum; quasi Deus in eo cum diceret, *In Isaaco vocabitur tibi semen*, rationem habuerit alterius alicujus longeque gravioris causæ; videlicet, quod Ismael jam tum malus & profanus esset, Isaacus vero bonæ aut melioris indolis; vel quia Ismael ex ancilla, Isaac ex libera natus erat. Idem enim illud, inquit, denuo usu venit in domo Isaaci, & quidem isto tempore quo neutrius istius rei ratio à Deo habita est, imo nec haberi poterat; id est, cum gemini eodem adhuc utero gestarentur, ac proinde nec boni nec mali quicquam fecissent. Et cum Apostolus dicit, *ut maneret propositum*, indicat voce *manendi*, ejus rei rationem etiam habitam non fuisse in domo Abrahami, quod Ismael nequam esset, Isaac vero esset indolis melioris. Nihil minus. Semen vocavit Deus quem voluit & quando voluit: quasi diceret: Similiter hodie potest Deus: vel, ita nunc vocat Deus gentiles semen Abrahæ & populum suum, si modo credant uti Abraham credidit, etiamsi ex eo nati non sint: contra, eos qui non credunt ad exemplum Abrahami, non vocat semen, etiamsi ex Abrahami semine nati sint, & alioqui nihil mali contra legem fecerint, propter quod seminis privilegio excidisse dici queant. Vult Deus simpliciter, ut voluntas sua omni tempore principem locum teneat, eique omnis homo acquiescat.

*De absoluta Jacobi electione & Esavi reprobatione non agit Paulus.*

Notandum autem diligenter hic est; si verba hæc connectantur cum oraculo ipso, facile intelligi posse, Apostolum non velle hoc dicere, Deum peremptorie elegisse Jacobum ad vitam æternam, nulla habita ratione ejus quod bonus esset & obediens; Esavum autem reprobasse à vita æterna, & æternis cruciatibus destinasse, nulla ratione habita ejus quod malus esset aut saltem malus futurus esset. Quomodo enim ejusmodi sententia elicitur ex isto oraculo; *Major serviet minori?* Neque enim ad æternam electionem aut reprobationem pertinet servire aut non servire. Servitus enim & dominium in hac tantum vita locum habent. Nec reprobus electo servire dici potest, aut debet. Quam enim verisimilitudinem id habet?

Quocirca credendum est ineptos esse illos, qui volunt hic Apostolo propositum esse docere, Deum etiam peremptorie eligere ad vitam æternam, & rejicere à vita æterna eos quos vult, nulla habita ratione an boni an mali sint, an pii an impii, an obedientes an inobedientes. Qua enim consequentia id ex hisce verbis elicitur? Deus voluit absolute ut Jacobus etiamsi secundo-genitus esset, semen Abrahæ vocaretur: Esau vero etiamsi jure primogenituræ ei titulus seminis aut filii debebatur, non esset filius ille, idque antequam adhuc nati essent, aut boni vel mali quicquam fecissent: Ergo Deus eadem ratione & eodem jure potest à vita æterna secludere & æternis ignibus addicere quos vult, antequam nati sunt & boni aut mali quicquam fecerunt? Quis enim hæc longissime diversa esse non videt? Non esse aut non vocari semen Abrahæ, non erat simpliciter malum, sed tantum minus bonum quam esse semen sive hæredem: uti servum esse, minus bonum est quam esse dominum. At secludi à vita æterna, & destinari æterno igni & cruciatui nunquam finiendo, simpliciter malum est; imo malum maximum quod homini evenire aut à Deo inferri potest. Præstaret enim nunquam natum esse, quam ita esse. Licere autem Deo ut infligat tantum malum homini, antequam quicquam mali fecit, tam est alienum ab omni recta ratione, quam quod alienissimum: adeo ut non existimem tyrannidem ullam immaniorem, aut crudelitatem magis barbaram, (proinde magis à Deo justissimo alienam) animo concipi posse. Si reprobatio esset tantummodo majoris alicujus boni denegatio, alia ratio foret. Cum majoris enim boni denegatione, minoris boni collatio potest consistere. Addo, si reprobatio tantummodo esset denegatio summi boni, sive seclusio à vitæ æternæ fruitione, quæ pœna damni abusive, rectius malum damni dicitur, alia adhuc ratio foret. Potest enim Deus absolute eam dare cui vult: nec injuriam facit cuiquam, si eum vita æterna non donet. At cum reprobatio involvat etiam maximi mali inflictionem, sive malum sensus, id est cruciatum æternum: certe nihil prorsus commune habet cum exemplo hoc Jacobi, cui præesse tantum fratri primogenito suo Esavo, à Deo datum est voluntate absoluta.

*Responsio ad objectionem, Jacobum & Esavum fuisse typos electionis & reprobationis.*

Si dicas; At hic typus fuit ejus quod Deus facere voluit in negotio salutis: quia terra Canaan repræsentavit cælum; unde concluditur eum qui à Deo seclusus fuit à terra Canaan, seclusum etiam à cælo fuisse. Respondeo *primò*, id probari non posse ulla verisimili ratione. *Deinde* contrarium est manifestum. Nam si id verum esset, sequeretur populum totum Israelis, qui hæres fuit terræ illius, etiam hæredem cæli factum esse; quod absurdum & falsum est. Ratio consequentiæ patet. Non enim considerantur in hoc vaticinio nudæ tantum personæ Jacobi & Esavi, sed populus totus ex utroque oriundus; uti ex allegato loco, *Major* (supple populus) *serviet Minori:* (dixerat enim Deus, *Duo populi sunt in utero tuo: Gen.* XXV. 23.) & ex eo qui ex Malachia subjungitur, nimis quam manifestum est.

Veruntamen id addere lubet: non satis liquere, Deum hoc loco considerare Jacobum & Esavum, vel sub personis ipsorum populum totum ex iis ortum, ut typos alicujus electionis aut reprobationis, sive absolutæ sive conditionatæ: & forte hinc difficultates maximas inter interpretes oriri; (in Epistola *ad Galatas, cap.* IV. alia ratio est; ibi enim fieri id videmus ex professo:) sed optime constare textum si considerentur eo quo diximus sensu. Nimirum Deum statim à principio, & deinde consequenter semen Abrahæ vocasse quos voluit, præteritis iis quibus ratio seminis competere summo jure videbatur. Inde enim inferre satis habet Apostolus: similiter aut eodem jure, potest nunc hoc tempore Deus eos qui insistunt vestigiis Abrahami, id est, qui credunt ad exemplum Abrahami, quicunque tandem sint, semen illud promissum Abrahami vocare; præteritis & rejectis Judæis ex Abrahamo natis, & legem populo ex Abrahamo orto latam cum zelo servantibus; quanquam titulus ille multis causis istis & pæne solis competere videatur. Hic simplex sensus est, clarus & manifestus. Cæteræ consequentiæ quæ ex typis & exemplis istis sumuntur, & ad electionem ad æterna gaudia, & reprobationem ad æternos cruciatus transferuntur, eæ omnes sunt incertæ, vanæ, & (dicere audeo) maxime barbaræ; quæ totam Christi religionem, ubique locorum turpi opprobrio apud hostes & inimicos ipsius exponunt.

11. ἵνα ἡ κατ' ἐκλογὴν πρόθεσις τοῦ θεοῦ μείνῃ) πρόθεσις κατ' ἐκλογὴν nihil aliud est quam πρόθεσις μετ' ἐκλογῆς, propositum cum electione conjunctum, quo Deus decrevit eligere, id est, designare quem aut quos velit habere pro posteris Abrahami & populo suo ad quem promissa benedictio, sive typica sive typo adumbrata, vere & æternum pertinebit, si uti Dei populum decet se gerat, id est, si voluntati ipsius pareat. Dupliciter autem accipi possunt verba: 1. ut intelligantur de proposito quod jam in domo Abrahami, cum libera electione Isaaci præ Ismaele, demonstratum fuerat: quasi legeretur, ut propositum illud Dei quod cum electione, scilicet jam semel conjunctum fuisse, in domo Abrahami apparuerat; cum videlicet Isaacum Deus eligeret, præterito Ismaele. Et huic sensui optime respondet verbum μένῃ. 2. ut intelligatur generatim de proposito divino, quo constituit semel apud se, liberam sibi servare electionem, quos & quales singulis temporibus, pro semine & veris Abrahæ posteris, ad quos pertineat benedictio, designare vellet: quasi diceret: uti etiam nunc hoc tempore facit, quo Judæos & gentiles, licet peccatores, vocare vult semen & filios Abrahæ, vel populum suum, si modo credant in Jesum Christum, & Euangelio ipsius morem gerant. Utrum præferendum sit cicum non interduim.

11. μένῃ) Si de priore proposito accipiatur verbum hoc, tum significabit: ut propositum secundum quod jam semel Deus elegerat Isaacum, præterito Ismaele, continuaretur etiam in domo Isaaci, vel ostenderetur etiam in domo Isaaci, vel ostenderetur ejusdem prorsus generis esse propositum

tum prius cum hoc, atque ita permaneret, quasi antea semel factum. Occurrit enim Apostolus objectioni quæ fieri poterat, uti jam ante diximus, & isti fini servit optime verbum *Manendi*. Si de posteriore proposito accipiatur, tum significabit, ut propositum Dei quod semel apud se constituerat, porro semper locum haberet. Nescio quorsum Beza inseruerit vocem *Firmum*: Nulla enim necessitas, imò nulla ratio vel caussa cur ea vox addatur: Sane tamen intellecta permitti potest.

11. οὐκ ἐξ ἔργων) Expono, si ad prius propositum respiciamus ἐξ ἔργων Isaaci aut Ismaelis, prout objectio habet; tanquam si ille quia melior electus in semen, hic vero quia pejor ab eo rejectus fuisset: vel, si respiciamus ad propositum posterius, expono, nulla habita ratione vel respectu ad opera sive bona sive mala, quæ fecisse credantur aliqui antequam Deus eos vocare aut censere velit in semine. Quasi sit; opera Legis hic in considerationem non veniunt; tanquam si videlicet Deus proposuisset quosdam eligere in semen, propterea quod secundum Legem rectius vixerint; alios vero præterire quod secundum eam non vixerint, sed in peccatis multis magnisque hæserint. Nihil minus. Sola Dei voluntas habet hîc locum. Eos quos voluit seminis titulo donare, ii veniunt seminis titulo; etiamsi antea non tantum non meliores fuerint, sed & deteriores multo iis qui prætereuntur. Cæteri titulo illo excidunt, etiamsi studio justitiæ & legis divinæ maxime teneri videantur, & reipsa forte teneantur. Et hoc est quod Scriptura expresse dicit passim: *Vocavit nos* (ad fidem, & per fidem ad vitam) *ex suo proposito & gratia, non ex operibus: 2 Tim.* I. 9. *Tit.* III. 5. Eodem sensu *Eph.* II. dicitur Deus peccatores *in peccatis mortuos* vocare seu eligere.

Sub voce autem ἔργων non comprehendi fidem, docet res ipsa. Propositum enim Dei, quo Deus decrevit eligere fideles, aut quo decrevit vocare aliquos populum suum, si modo credant, non potest esse ex fide; neque unquam fides inter opera recensetur, etiamsi revera actus sit homini à Deo præscriptus, & ab homine per gratiam Dei excitantem præstitus, ita ut opus appellari etiam possit, & diserte appelletur à Christo, *Ioan.* VI. *opus Dei*; quod videlicet Deus postulat & requirit. *Hoc est opus Dei ut credatis, &c.* Ratio est: quia *Rom.* IV. dicitur, *ideo per fidem, ut sit per gratiam:* At si per gratiam, jam non ex operibus, quia alias opus non esset opus. Nec mirum; *operanti enim merces datur ex debito: credenti autem imputatur*, id est, datur ex gratia.

*De vocatione divina.*

11. οὐκ ἐκ τοῦ καλοῦντος) Id est, ut eadem plane ratione qua antea dictum erat, *In Isaac vocabitur tibi semen*, deinde semen vocaretur Jacob vel Jacobitæ, non Esau, nec Edomæi; etiamsi hic primogenitus & major, ille secundo-genitus, id est minor esset: vel si generatim accipias verba, ut ab ipso Deo penderet tota seminis divini nomenclatura, quatenus ille pro arbitrio suo eos quos vocat, ea lege & conditione hæredes & posteros Abrahami vocare potest qua vult, licet antea indignissimi peccatores fuerint; & contra non vocare filios, qui Legis observatione cæteris videntur præcellere, aut saltem præcellere velle. Per vocationem autem intelligitur vocatio primi generis, id est, vocatio ad gratiam, qua Deus nos dignatur, ea intentione ut nos filios & hæredes bonorum suorum faciat, si modo in fide, obsequio & officio ad quod nos vocat, maneamus ac perseveremus.

Ut id clare intelligatur ita habe; Eodem plane modo hæc res se habet, atque si quis adoptet aliquem in familiam suam: vocat illum primo in domum suam, & eadem plane ratione tanquam si filius esset eum tractat; sed ea lege ut filii instar se gerat, obsequio & officio spontaneo. Deinde cum officium jam facit, & filii instar se gerit, vocat, nominat & scribit illum hæredem bonorum suorum, non aliter quam si proprius & genuinus filius esset. Ita Deus vocavit Isaacum, Jacobum, & populum totum Israelis, adoptando quasi eum in familiam suam, beneficiis suis afficiendo, & patris instar se erga eos veluti filios suos gerendo, ut ista ratione eos ad amorem sui accenderet; & ipsi beneficiis istis divinis ac promissis invitati, liberale obsequium ei præstarent, & filiorum instar se gererent. Horsum pertinent omnia ista loca: *Primogenitus filius meus Israel: An non ego genui te? Ego sum primus & ultimus*, &c. At secundo modo non vocavit eos, nisi quatenus sese jam reipsa gerebant voluntati & vocationi ipsius paternæ convenienter. Prima vocatio Dei est absolutæ voluntatis, neque aliunde proficiscitur quam ex gratiosa Dei voluntate, & plane impromerito atque indebito ipsius favore. Altera est etiam quidem absolutæ voluntatis divinæ, sed non absolvitur nisi mediante fide atque obedientia eorum, qui primo modo vocati sunt. Apparet res clare: Vocavit Deus Abrahamum cum idolatra adhuc esset, ut est *Josuæ* XXIV, in familiam quasi suam; deinde filium ejus Isaacum vocavit semen ipsius, cum adhuc puer esset, Jacobum postea vocavit semen antequam natus, ac proinde antequam ullum opus sive bonum sive malum fecisset. Omnes istos affecit Deus specialibus quibusdam beneficiis, ex solo proposito voluntatis suæ, quo illos elegit ad participandum beneficia ista, quia ipsi ita visum fuit. Nec enim ratio alia ulla erat in idololatra, puero, imo in embryone, cur eligere eos vellet Deus ad gratiam, quam quia ita ipsi beneplacitum erat. At iis ipsis ita vocatis & electis, Legem tamen dedit sancitam promisso & comminatione, *Ambulate coram me & estote integri, & tum ego ero Deus vester.* Itaque eos licet jam adoptatos, bonorum suorum hæredes esse noluit, nisi mediante obedientia. unde fieri poterat ut illi, licet primo isto modo electi & vocati essent ad hæreditatem, nihilominus tamen ab hæreditate vera, propter intervenientem inobedientiam suam excluderentur, Deumque patrem suum non experirentur. Quia tamen vocatio Dei prima ad gratiam, eo tendit ut altera, videlicet ad gloriam, etiam subsequatur, hinc est quod conjunctim & complexim fere utramque vocationem, uti diximus, Apostolus intelligere soleat; non quod semper utraque actu conjuncta sit; fieri enim potest ut prima respuatur; sed quod intentio Dei seria semper sit ut utraque conjungatur; (nisi homo interponat obedientiam) & quod Deus quantum in se est semper operam det, ut utraque conjuncta vadat, perinde uti in adoptionis humanæ negotio fieri diximus.

Qui vocationem aliam efficacem aliam inefficacem ex intentione Dei primaria faciunt, illi infinitis sese absurdis implicant, unde extricari impossibile est; quod antea à nobis fuse est demonstratum. Vide sis notas in *Cap.* VIII.

13. καθὼς γέγραπται) Sensus est vel ἰδιωτικὸς hunc in modum: Et hoc comprobatum est verum esse multis sæculis post, nimirum ipsius Malachiæ ætate: vel est parallelus priori, quasi legeretur: Et idem plane sibi vult id quod apud Malachiam legitur. Ut ut sit, apparet sub vocibus Jacobi & Esavi populum Israeliticum & Edomæum intelligi, ex istis tanquam stirpibus & truncis ortum ac profectum; proinde ista vaticinia quibus dicitur Deus Isaacum non Ismaelem, Jacobum non autem Esavum vocasse semen Abrahami, ita accipienda esse, ut vocatio utraque intelligatur juxta intentionem Dei. Sic enim facillima & optima est horum versuum inter se connexio, & cohærentia cum ipso scopo Epistolæ & Apostoli. Idem evincunt verba sequentia:

*De amore Dei erga Jacobum & ejus posteros.*

13. ἠγάπησα) Id est, vel absolute, ex amore & affectu benevolentiæ speciali, in vita hac Israelitas multis beneficiis affeci: vel comparate, majoribus & pluribus beneficiis Israelitas affeci quam Edomæos. Vitæ aut salutis æternæ beneficium non potest hic intelligi; 1. quia alioquin dicendum foret, non Jacobum tantum, sed totum populum Israeliticum, ejusdem vitæ æternæ hæredem fuisse; quia non tantum Jacob, sed & totus populus vocatur à Deo filius promissionis, & semen Abrahæ, Isaaci & Jacobi. Et tamen universa id Scriptura falsitatis redarguit. Vide inter alia loca, 1 *Cor.* X. 5. *Hebr.* III. 19. Deinde 2. si amor ille æternus & salutaris intelligeretur, non potuisset Deus postea adhuc Jacobo, & populo toti Israelitico, legem ferre, sub qua benedicturum se illis promitteret. Quod enim Deus jam ab æterno ex amore speciali, & peremptoria atque immutabili voluntate adsignaverat ipsis, hoc iisdem illis sub conditione obedientiæ promittere deinde non poterat: & quod ipsorum jam ab æterno erat, dilectionis hujus singularis beneficio, & quidem qua singulares erant personæ, id non poterat per promissionem, nedum per obedientiam, ipsorum postea demum fieri. 3. Si hic intelligeretur vitæ æternæ beneficium, jam utique Jacob & posteri ipsius ita à Deo amati ac dilecti, nullis peccatis potuissent excidere gratia ipsius; cujus contrarium tamen ubique apparet, imprimis 1 *Corinth.* X. 5. ubi dicitur quod *Deus eorum pleroſque non approbavit:* κατὰ οὐκ ἐν τοῖς πλείοσιν αὐτῶν εὐδόκησεν ὁ Θεὸς. *Prostrati enim sunt in deserto*, id est (ut author *ad Hebræos cap.* III. 19. exponit) *non potuerunt ingredi in terram Canaan propter incredulitatem.*

*De odio Dei in Esaum & ejus posteros.*

13. ἐμίσησα) id est, minus dilexi, nec tot nec tantis beneficiis affeci: adeo ut præ Jacobo Esavus, & præ Israelitico populo Edomæus (de populis enim Malachias tantum loquitur) odio habitus videri possit. Odium etiam hic non intelligitur absolutum, sed comparatum, quod aliud nihil est quam minor tantum amor. Non enim tenetur Deus omnes amare pariter, & æquali gradu amoris. *Odii* autem vox hoc sensu multis in locis usurpata legitur. *Gen.* XXIX. 30. 31. *Deut.* XXI. 15. *Prov.* XIII. 24. *Luc.* XIV. 26. & *Joan.* XII. 25. collatis cum *Matth.* X. 37. Nec potest hîc intelligi odium absolutum; quia sic dicendum esset Deum odio habuisse, & quidem odio proprie dicto, eum in quo nulla ratio mali aut caussa odii erat: quod absurdum est. Odium

enim

enim proprie dictum, non potest versari nisi circa malum. Nulla autem ratio mali erat in Esavo, antequam natus esset. Apostolus enim dicit, *Antequam fecissent quippiam mali.* Inepte itaque Beza hinc colligit, servitutem illam ex odio Dei profectam esse: ac proinde recte concludi, Si servit major, major ergo rejectus est à Deo ad æternum exitium. Nec enim plus concludi potest quam, Ergo rejectus est in tantum, non in totum; & quidem quod attinet tantum ipsa temporalia bona ac beneficia, de quibus solis hic agitur: nedum, Ergo rejectus est à vita æterna, & quidem ad cruciatus æternos. Quæ enim vel verisimilis consequentiæ ratio apparet?

*De reprobatione absoluta & comparata.*

Sunt qui difficultatem hanc manifestam vident, ac proinde alio confugiendum esse arbitrantur: videlicet ad distinctionem reprobationis à vita æterna; ut alia sit absoluta, alia comparata. Absolutæ reprobationis objectum dicunt esse hominem quatenus peccator est: at comparatæ objectum quidem esse hominem qui peccator est, sed non qua peccator est. quod quid sit propius paulum considerandum venit; quia offuciæ vulgo fiunt hujusmodi distinctionibus, iisque causæ malæ ulcus tegitur, non sanatur. Comparata hæc quam vocant reprobatio, aliud nihil est quam nuda præteritio, sive non electio maximæ partis eorum, qui in Adamo ut peccatores considerantur, ac proinde propter ipsius peccatum, & ei consequens peccatum originale, rei mortis & condemnationis, perinde ut cæteri qui inde eliguntur à Deo, facti sunt. Hæc præteritio habet quidem objectum peccatores, pariter in peccato & reatu mortis jacentes; sed causam tamen sui non habet peccatum, quia alioquin Deus omnes præteriret & non eligeret, eo quod omnes sunt peccatores; sed solum tantum divinum beneplacitum, aut placitum potius, quod non potest non justum esse, quia per illud nulli injuria fit: Nec enim ex reis pœnæ tenetur eligere quos præterit, nec præterire quos eligit. Habet hæc sententia prima fronte colorem aliquem veritatis, & in speciem evitat crassa illa absurda, in quæ prima manifeste impingit. Sed si propius videatur, apparebit eam nil nisi Scholæ commentum esse, & nullo alio fine repertam, quam ut eadem vulnerata causa speciosius paulum defendi possit, & fœdis istis ulceribus tectorium tantum aliquod obducatur, ne vulgo pateant. Rationes hæ sunt: *Primò*, quia verba omnia quibus Apostolus utitur ad reprobationem designandam, sicut καταβάλλειν, ἀπωθεῖν, ἀποτίμειν, ἐκπλαίζειν, σκληρύνειν, nunquam significant nudam tantum præteritionem, vel non-electionem; sed semper decretum positivum rejiciendi à salute sive damnandi, vel potius pœnalem destinationem ad exitium. Neque unquam cum de reprobatione agit Scriptura, alio sensu quam hoc loqui solet. *Secundò*, nusquam considerat in his capitibus Apostolus eos quos rejectos à Deo dicit, ut peccatores simpliciter in Adamo; sed semper ut propria & vincibili sua culpa atque inobedientia rejectionem & damnationem promeritos; quatenus videlicet novæ gratiæ, quam & potuissent & debuissent admittere, contumaciter sese opponunt, Deumque ad iram & ad rejectionem ex justissima ira faciendam rebellione sua diutina provocant. uti 1. ex Judæorum descriptione patet, qui diserte abjecti, rejecti, excisi, excidisse dicuntur propter suam incredulitatem, quod ex operibus justificari vellent, vel in Christum nollent credere. 2. ex eo quod rejectio ista facta dicitur ex ira, & ex severitate vel ὀργῆς: unde Judæi dicuntur hoc capite vasa iræ, & quidem iræ quæ diserte ὀργὴ vocatur *cap.* XI. & ἔκθρα, *ibidem.* Nec refert si dicas odio habitum hic à Paulo dici Esavum, antequam fecisset quicquam mali. Jam enim diximus odium hoc de odio proprie dicto, ac proinde de reprobatione à vita æterna, intelligi nec posse nec debere. Imo ne quidem de odio vero, quantum attinet ad bona temporalia. Nec enim Esavus, & populus Edomæus ex eo ortus, omnino caruit & destitutus fuit benedictionibus divinis, etsi caruerint iis quæ promissæ fuerant Abrahamo. Hoc enim non tam est odii, quam minoris amoris argumentum. Quod si vero ex eo ipso, quod promissæ istius benedictionis hæres factus non sit Esavus, nec populus Edomæus qui Esavi voce denotari sæpe solet, concludere velis eos odio proprie dicto habitos, à vita æterna in typo illo reprobatos declarari, jam necessum est ut dicas non Esavum tantum, quod tamen magnæ temeritatis foret, ex multorum etiam magnorum & veterum sententia, sed quod majoris longe temeritatis foret, ipsum etiam populum totum Edomæum (de eo enim apud Malachiam agi dubitari non potest) reprobatum semper fuisse à vita æterna, & ab omni salutis spe rejectum. Quod tamen etiam manifeste satis inde apparet falsum esse, quia nemini Edomæorum accessum unquam ad populum suum intercluſit Deus; sed eis, uti & gentibus omnibus, aditum semper liberum atque apertum reliquit, ut ad populum ipsum benedictum accedere possent si vellent, eorundemque sacrorum ac rituum susceptione, in seminis benedicti & promissarum benedictionum, non aliter quam si semen verum essent, censum simul ac participium venire: quod & subinde accidisse historia sacra satis clare testatur. *Tertiò*, quia si per reprobationem, hoc loco intelligeretur talis nuda præteritio, aut non electio plurimorum qui in nudo peccato Adami positi conderantur, utique ei subordinari non potuisset vocatio ad gratiam & ad gloriam. Deum enim vocare ad gratiam & ad gloriam, eos quos decrevit non eligere nec ad gratiam nec ad gloriam, ab hypocriseos & simulationis summæ crimine vindicari non potest. Ratio est manifesta: Quos enim Deus decrevit non eligere, eos decrevit relinquere in peccato & in reatu peccati; id est, in statu tali in quo propter primum Adami peccatum per veram punitionem divinam constituti sunt; in quo videlicet privati sunt gratia & luce ista primitiva, qua in Adamo donati fuerant, & sic impotentes redditi sunt ab ipso Deo, ad vocationi ulli salutari morem gerendum. At vero eos vocare ad gratiam, & magnificis promissis, seriis hortationibus & obsecrationibus, affectus benevolentiæ plenis vocibus, adeoque expansis manibus identidem solicitare ad gratiam amplectendam, quos eam non amplecti vis, quos scis eam amplecti non posse, quos ipse inidoneos ad amplectendum propter parentis ipsorum peccatum reddidisti; quosque ut iterum amplecti eam possint idoneos reddere non vis, quid aliud est quam simulata fictaque benevolentia miseris illudere? Quare cum Deus Judæos hos diserte vocasse legatur, & serio quidem ac diu multumque, non potest reprobatio horum dici facta jam ante, per nudam præteritionem aut non electionem. Huic enim ex regula sapientiæ & justitiæ, debuisset subordinari Non-vocatio, &c. plane uti Deum circa populos istos egisse videmus, quos odio habuisse dicitur, id est, quos non voluit donare promissa terra benedicta, sed aliis longe minoribus beneficiis afficere: ex. gr. Edomæos. Hos enim nunquam vocavit aut vocari voluit Deus nomine suo, ad possessionem terræ sanctæ, etiamsi nunquam etiam ullis eorum aditum intercludere voluerit, quominus ad eam accedere possent si vellent, sed omnibus ac singulis ostium semper apertum reliquerit, per quod etiam de facto subinde nonnulli intrasse leguntur, uti & ex gentilibus non pauci, qui προσήλυτοι dicebantur, per idem in seminis benedicti titulum & hæreditatem veniebant. Dicere vocationem hanc divinam directam non fuisse à Deo ad reprobos in populo, sed ad electos in populo, & propter electos ad populum totum cui electi permixti erant, est declarare se ad incitas redactum. Nam si ad eos vocatio directa non fuit, ergo neque obligati illi fuerunt ad credendum & parendum divinæ isti vocationi; proinde nec potuerunt ex causa ista quod non crediderunt, rei fieri incredulitatis aut inobedientiæ, nedum contumaciæ; nec Deus de ipsis conqueri potuit, quod vocem suam audire nollent, & mandatis suis parere renuerent: denique necessum est ut falsum esse dicatur omne id quod 11. *cap.* hujus Epistolæ, pene per totum affirmat Apostolus.

14. τί οὖν ἐροῦμεν) Ἐρώτημα hoc censeri potest ἐμφατικὸν, & continet, judicio meo, tacitam applicationem dictorum ad rem præsentem: quasi legeretur: Quid igitur dicemus, si idem hoc tempore facit Deus, & nunc etiam vocet Abrahami semen, non omnes qui ex Abrahamo nati sunt, & legem posteris Abrahami datam sedulo servatam volunt, sed eos tantum qui credunt divinæ voluntati ad exemplum Abrahami, sive ii ex Abrahamo nati sint secundum carnem, sive non sint? Quod si quis tamen hæc verba velit præfationis loco præmitti objectioni, ad attentionem faciendam, & objectionis indignitatem ostendendam, ille fruatur judicio suo. Mihi prior expositio convenientior & validior videtur; idque ob hanc causam, quod non persuadeam mihi cuiquam Judæorum in mentem unquam venisse, quod injustitiæ aliqua ratio in eo esset, quod Deus Jacobum prætulisset Esavo, aut populum hunc minus dilexisset quam illum. Hoc enim fuisset manifeste textui sacro contradicere, & supremo Dei dominio ac jure ipsius ἀυθεκαθέκτου aperte detrahere: quod utrumque à Judæis alienissimum semper fuisse notum est. Inde etiam colligo, Judæos nunquam interpretatos esse verba ista de electione Jacobi ad vitam æternam, & Esavi reprobatione ad cruciatus perpetuos. Nam certe si ita intellexisset Apostolus, merito objecissent illi Judæi rationem injustitiæ. Neque enim ulla, non dico injustitia, sed tyrannis major esse potest, quam innocentem & nihil commeritum, id est, eum qui nihil dum mali fecit, æternis cruciatibus destinare: adeo ut mirum sit quomodo Beza hac in re responsionis Apostolicæ vim collocet.

*Quanam injustitiæ species Deo objici possit.*

14. μὴ ἀδικία παρὰ τῷ Θεῷ) Id est, an dicemus Deum jure hoc facere non posse, vel iniquitatem ullam esse si id faciat? Injustitiæ autem ratio objici specioſe poterat, quod Deus hac ratione punire videbatur eos, quos remunerare debebat ex propriæ suæ legis sententia, puta legis observatores: & contra quod videbatur remunerare eos, quos debebat ex ejusdem legis mente punire, puta legis transgressores, & per fidem habitam Euangelio legem negligentes, eique sese subjicere amplius nolentes; quippe quos lex ipsius maledictos pronunciabat. Qui putant Deo objici injustitiam in eo quod cum paribus imparitèr agat, id est, quod ex duobus peccatoribus pœnam commeritis, unum eligat gratioſe, id est, exitio vel pœnæ eximat, alterum relinquat sub exitio aut reatu pœnæ, illi profecto nullum objectioni huic vel verisimilem colorem dant. Quæ enim injustitiæ vel species in eo est, quod Deus ex duobus reis pœnæ, hunc gratia donet, non vero illum? Aut enim injustitia statuatur necesse est in eo, quod Deus ex duobus peccatoribus alterum puniat; aut in eo quod alterum absolvat. Atqui in neutro statui potest. Non in eo cum punit: Punire enim eum qui pœnam commeritus est, non est injustum. Nec in eo cum absolvit: Nec enim est injustitia si supremus Dominus sontem non puniat. Non punire enim velle, est de jure suo velle remittere, & gratiam facere reo. At de jure suo velle remittere tantum abest ut vitio, ut summæ laudi ac gloriæ supremo domino, etiam inter homines, sæpe vertatur. Supremus enim Dominus nec sibi ipsi, nec aliis hac ratione injuriam facit. Neque Lex obligat absolutum & nulli juratum Dominum ad puniendum, sed puniendi tantum jus ei dat, ita ut punire possit si velit, non autem ut punire necessario debeat. Ut mirum admodum videri debeat cur Beza hîc dicat, *Rectius in Electione poneretur injustitiæ species*; id enim colorem nullum habet. Quod cum ita sit, statuendum est errare eos, qui hac ratione injustitiam Deo objici hîc à Judæis credunt. Nec enim existimare debemus Apostolum, objectionem sibi ipsi facturum, eamque operose confutaturum fuisse, in qua nulla consequentiæ vel minima species aut verisimilitudo est. Et tamen ita fere exponunt locum hunc ii, qui Prædestinationem infra lapsum, ut ajunt, tueri solent: quos, ut alia loca quamplurima non allegem, utique hac in parte (ut hoc obiter dicam) à Calvini & Bezæ sententia valde longe recedere, hîc unus locus abunde testatum facere potest.

Qui putant Deo objici injustitiæ speciem, in eo quod dicatur Deus hos eligere ad vitam æternam, illos rejicere ad æternos cruciatus, nulla habita ratione boni vel mali quod fecerint, tantummodo quia id ipsi ita lubet; illi profecto objectionem non tantum specioſam, sed solidissimam, à Judæis oppositam esse Paulo, fateri debent, velint nolint: ausim dicere talem, quam impossibile est solvi potuisse ab Apostolo, aut mortalium vel Angelorum ullo. Quid enim magis injustum excogitari potest ab humana aut Angelica mente, quam innocentem odisse, & odio quidem æterno, eumque absque ullius propriæ culpæ aut meriti respectu, æternis cruciatibus ac lamentis perpetuis simul ac summis addicere? Mirari vero satis non potui, cum Bezam hoc in loco *injustitiæ speciem rite objici Apostolo potuisse* asserentem legi, *si videlicet ex duobus peccatoribus alterum*, non dico rejiceret, sed *eligeret*, *cum iniquitas videatur*, uti ait, *non punire eum qui pœnam commeruit*: & tamen eundem eodem spiritu affirmantem legerem, nullam iniquitatis speciem in eo objici posse Deo, si dicatur quamplurimos rejicere ad lamentabile exitium & cruciatus inexhaustos, antequam illi aliquid exitio dignum commiserint, aut antequam Deus, illos ut aliquid tale in tempore commissuros præviderit. Bone Deus, quanta caligo! An injustitia est si supremus, nulli juratus aut obligatus Dominus, ex gratia & clementia non puniat sontem? & injustitia non est, si idem summe horrendo malo afficiat insontem, innoxium, innocentem, eumque æterno odio prosequatur immerentem? Crudelis vere Religio & crudele pectus merito videri debet, quod tam horrendo & maledicto axiomati patrocinatur. Dicere ausim, si in primo casu injustitia est, cum videlicet supremus Dominus reo gratiam facit, jam Deus injustissimus erit qui peccatoribus peccata remittit, nobisque mandat ut remittamus iis peccata qui nos læserunt, & ut ea lege remissionem nostrorum peccatorum petamus. Et contra, si in secundo casu, cum videlicet innocens æternis ignibus destinatur, nulla est injustitiæ species; nuspiam terrarum est aut esse potest. Nec enim potest iniquitatis apex superior dari, quam innocentem æterno & inexplicabili malo sensus afficere velle. Citius crederet quis Deum non esse, quam eum qui id facit Deum esse, nedum justum Deum.

15. τῷ γὰρ Μωσῆ λέγει) Sensus esse potest duplex: vel ego pro misericordia mea faciam ut videas gloriam meam, & clementiam meam experiaris: vel gloriæ meæ summa in hoc sita erit; Quorum miserebor, eorum miserebor largiter; & erga quos clemens ero, erga illos admodum clemens ero. Utriusque expositionis scopus huc redit; Deum non ademisse sibi ipsi supremum dominium in bona sua, sed etiam cum jam legem laturus erat, reservare tamen sibi voluisse supremam potestatem, beneficia sua dandi & quasi effundendi in quos & quales vellet, neque ullam injustitiam in eo esse. Unde concluditur, Judæis itaque attendendum esse tantum ad ejus voluntatem, quam hoc tempore ipsis denuntiabat, misereri se velle peccatorum omnium, tam Judæorum quam Gentilium; neque rationem velle habere ejus, an boni vel mali quid fecerint, sed vocare serio omnes velle ad communionem Euangelii, ut credant & credentes consequantur æternam vitam.

16. Et hoc est illud quod statim subjungitur, ἄρα οὖν. Notandum autem est agi hîc de misericordia, qua concessit Mosi videre faciem suam, non autem de misericordia qua illi voluit vitam æternam dare, aut etiam terræ promissæ hæreditatem; alioqui enim Moses intrasset terram, cum diserte propter incredulitatem suam ab ea exclusus fuisse legatur. Unde apparet non posse hæc ulterius extendi, quam ad communicationem beneficiorum, eo quo diximus spectantium. ἔλεος hic non significat misericordiam quæ misero præstatur, sed quamlibet gratiam sive indebitum favorem: & hoc notandum est passim in Scriptura fieri, quæ vocem illam misericordiæ generatim solet usurpare, non tanquam si supponeret semper miseriam ejus cui misericordia fieri dicitur. Etymologias sæpe mordicus curare non debet bonus interpres, alioquin facile & passim impinget.

*Quodnam velle & currere ab Apostolo rejiciatur.*

16. οὐδὲ τρέχοντος) Male inserit hîc Beza *Electionis* vocem. Quomodo enim Electio est miserentis Dei? Id enim idem foret atque si legeretur, electio est Dei eligentis. Manifestum est inseri debere hæc verba; *beneficia divina consequi*; ut sensus sit qui in paraphrasi expressus est: Ad hoc ut beneficia divina consequamur, non requiri ut nos ipsi solicite cupiamus, aut magnopere contendamus ea consequi, & quidem ea ratione ac via qua nos id optime fieri posse credimus; sed id totum divinæ voluntatis atque arbitrii esse, nosque ab eo pendere totos debere. Utrum autem τὸ velle ad voluntatem Mosis referatur, qui cupiebat videre faciem & gloriam Dei, & τὸ currere ad Esavi cursum & venationem, quo ambiebat benedictionem patris sui, nihil refert. Etenim ut ut ad hoc aut ad illud referatur, id hoc loco tantummodo notandum est, sensum horum verborum non esse, nullo modo requiri ad hoc ut beneficium vitæ æternæ consequamur, ut nos recte velimus, & officium divino verbo præscriptum sedulo faciamus, vel in via bonorum operum diligenter curramus. Contrarium enim verum esse, tam est manifestum quam quod manifestissimum, per totam S. Scripturam, ubi diserte & in terminis Christiani jubentur τρέχειν, currere ut consequantur τὸ βραβεῖον cælestem. Ita enim loquitur hic ipse Apostolus, 1 *Corinth.* IX. 24. πάντες μὲν τρέχουσι, εἷς δὲ λαμβάνει τὸ βραβεῖον. ὕπω (NB.) τρέχατε ἵνα καταλάβητε. Et author *ad Hebr. cap.* XII. 1. τρέχωμεν & c. δι' ὑπομονῆς τρέχωμεν τὸν προκείμενον ἡμῖν ἀγῶνα. Quin imo reprehenduntur cum à recte currendo desistunt, aut in cursu suo languescunt. Ita legitur in *Epist. ad Gal.* V. 7. ἐτρέχατε καλῶς, *currebatis pulchre, quis vos inhibuit ut non obsequeremini veritati*; id est obsequi non pergeretis, & in illo cursu vestræ obedientiæ retardari vos passi sitis? Eadem est ratio quod attinet τὸ θέλειν. Passim in Scriptura jubentur fideles velle facere Dei voluntatem, velle ambulare post aut sequi Christum: usque adeo ut *Apocal.* XXII. 17. dicatur καὶ ὁ θέλων λαμβανέτω τὸ ὕδωρ ζωῆς δωρεάν. & *Joan.* VII. 17. *Si quis voluerit facere voluntatem Dei, hic cognoscet utrum ego ex me ipso loquar.* Et hac de causa reprehenduntur etiam qui increduli manent, fere solum eo nomine quod *non velint venire ad Christum*; *Joan.* V. 40. quod *non velint congregari à Christo.* ἵνα, inquit Christus ipse *Matth.* XXIII. 37, ἠθέλησατε, οὐκ ὑμεῖς μὴ ἠθελήσατε. Et hoc eodem sensu jubentur Christiani ipsi *salutem suam operari cum timore ac tremore*, *Philip.* II. 12. *electionem & vocationem suam firmam facere*, 2 *Pet.* I. 10. *ambulare ut dignum est vocatione sua*, *Ephes.* IV. 1. & similia. ita quidem ut si aliter agant æternæ mortis pœnam non sint evasuri. Quare cum dicitur, *non est volentis*, non agitur de voluntate qua homo vult quod Deus ab eo postulat; sed de sola voluntate qua vult antequam Deus ab eo aliquid postulat, id est, de voluntate quæ postulatum divinum antecedit. ut sensus tantum hic sit; non sufficere aut non requiri ad hoc ut consequamur divinum favorem, ut quovis modo eum consequi studeamus; sed requiri necessario, ut consequi studeamus eo modo ac medio, quo nos Deus ipse consequi vult. Absque hoc enim, omnem nostram operam & laborem quem impendimus, licet maxime sedulum, inutilem futurum

rum & infrugiferum. Et hac quidem ratione indicare vult Apostolus, frustra esse Judæos qui magno zelo pro lege contendebant, postquam Deus jam postulare cæperat ab ipsis fidem, & aperte declaraverat voluntatem suam hanc esse, ut non ex lege sed ex Euangelio justitiam quærerent.

*Examen responsionis Bezæ, de decreto & decreti exsecutione.*

Responsionis summa quam in his verbis ponit Beza, ea profecto alienissima merito videri debet. Hanc ille hujusmodi facit: *Quamvis Deus absque ullo qualitatum respectu, amori & odio destinet quoscunque ipsi libuit, tamen procul eum abesse ab omni injustitia; quoniam inter æternum Dei decretum & ejus decreti executionem, sunt causæ subordinatæ, quibus electos ad salutem adducit, & reprobos jure damnat.* Etenim quid hinc aliud sequitur, 1. quam executionem itaque justam esse, at non decretum? Imo contrarium potius hinc colligitur. Si executio justa est, propterea quod causas supponat, propter quas malum homini in decreto destinatum infligitur; ergo decretum de infligendo malo injustum est, propterea quod causas illas excludat. Si enim non licet infligere malum sine causis; nec licet velle infligere. Non enim in inflictione injustitia primo & principaliter est, sed in voluntate infligendi. Restitudo enim in voluntate primo & per se est; per denominationem autem extrinsecam solum in executione. 2. Sequetur ex eo executionem diversam esse à decreto; ac proinde executionem, non esse illius decreti executionem, sed aliud quid. Et quid sibi quæso vult, id quod dicit Beza de causis subordinatis? An caussa subordinata illa respectu reprobationis, est peccatum? Utique; *quia peccatum damnat juste*, inquit. At quomodo, & à quo est subordinata hæc caussa? an à Deo? Atqui sic non modo non redditur justa executio, propter causam hanc inter decretum & executionem intervenientem, sed dupliciter magis injusta fit: Quod videlicet Deus non tantum destinet odio aliquos insontes atque innoxios, sed etiam ut odium illud exequi possit quod causam velit intervenire, id est, quod insontes illos peccare, & sontes fieri velit, ut executio justa videatur. Quid enim hoc aliud est, quam quod non tantum miserum velit esse hominem, sed etiam peccatorem fieri velit, ut sic jure quasi miserum facere possit. Si dicas, Deum non subordinare caussas has per aliquam actionem suam positivam; nihil dicis. Sive enim per actionem positivam, sive privativam, peccatum illud subordinetur, certum est actionem illam, quæcunque sit, ex vi decreti antegressi subordinari; ac proinde peccatum illud, tanquam medium serviens executioni, à Deo intendi; & sic injustitiam non tantum non tolli, sed augeri per hanc Dei actionem. Verum quidem est; videtur Beza paulo post actionem hanc Dei velle ad homines in lapsu positos restringere: sed id magis feciſſe videtur vi rationis pressus, quam ex sententiæ suæ tenore atque ordine; prout Sole clarius liquet ex ratione qua utitur, cum objectionis hujus, sive objectæ injustitiæ, speciem proponit in verbis istis, μὴ ἀδικία; prout antea observavimus. Quæso enim quomodo Beza hic injustitiam esse negabit in eo, quod eos qui conditione pares sunt cum cæteris, id est, qui peccatores sunt, seu eligat, quod eos non puniat, cum pœnam mereantur non minus quam ii qui reprobantur? Hæc enim est propria ipsius ratio, qua usus est ipse pag. præcedente.

Sunt qui hæc verba ita exponunt, ut significent Deum posse sine injustitia, aliquos quibus alioquin potuisset ignoscere, aut ut ab iniquitate sua recederent media subministrare plura & magis eximia atque idonea; eo ipso quod jam pœnam sint commeriti severiter punire, & ne recedant à malitia sua curare. Sed non libenter expono textum hoc sensu, etiamsi expositio nihil incommodi neque falsi contineat: quia induratio hujusmodi, excluderet omnem resipiscendi aut recedendi ab iniquitate, non modo spem, sed & possibilitatem, idque ex Dei principali intentione; quod mihi non videtur sine difficultate magna dici posse, & cum actionibus illis Dei, quibus eos quos indurare dicitur, hortatur ad desistendum ab iniquitate, & ad obtemperandum sibi, non posse consistere. Itaque malo exponere eo quo in paraphrasi factum est modo. Sed in sequentibus hac de re fusius à nobis agetur.

17. λέγει ἡ γραφή) Id est, Deus in Scriptura. eodem modo legitur hæc phrasis *Gal.* III. 12. & alibi. Alterum autem exemplum adducit, quo demonstrat Deum in pœnis infligendis, aliquando ordinem solitum non servare, sed extra ordinem pro arbitrio suo agere; quando nimirum ii qui puniuntur, quovis modo tractari meruerunt.

17. ἐξήγειρα) In Hebræo est *behemadtihicha*, id est *stare fecit te*, vel non delevi te; tanquam si legeretur, Ego te jam excidium & mortem promeritum, ac tantum non mortuum, & in pulvere jam jacentem, excitavi & erectum conservavi; sicut vivificare passim dicitur in Scriptura is qui non tollit è vita, vel vitam conservare ei cui illam adimere potuisset si voluisset. Nisi quis velit præteritum pro futuro usurpari; ob hoc ipsum stare faciam te, & tandem etiam excitabo te, ut intracto animo pergas usque in maris ipsius meditullium, velut in theatrum aliquod ei fini adornatum, ut ibi illustrem pœnam des rebellionis tuæ, & potentiæ meæ præstantia supra Reges Principesque, toti quasi mundo in persona tua spectabili ratione testata fiat.

*Verbum excitandi de creatione accipi non posse.*

Qui verbum *excitandi* de creatione accipiunt, illi profecto nec vim sive proprietatem verbi quo ulus est Moses considerant; nec verbi excitandi, quo Paulus usus est, proprietate nixi id faciunt. ἐξεγείρειν enim cur exponitur per creare? Dentur loca, imo detur vel unus locus ubi ita exponi debet? Cur non potius explicatur per excitare ex somno, è pulvere. &c. cur non per evehere & similiter exponitur? Hæc enim sunt familiaria hujus verbi significata. Nec denique attendunt per istam expositionem Apostolo tribui principii petitionem. Nam cum quæratur, an non injustitia sit in eo quod Deus aliquos rejiciat ad æternos cruciatus, nulla habita ratione ejus quod mali quid fecerint; annon profecto tantundem id est atque si quæratur, an non injustitia sit in eo quod Deus aliquos creet ad exitium, nulla habita ratione ejus quod mali sint? Certe hilum non differunt. Dices Apostolum id non aliter probare quam quia Scriptura ita loquitur. Atqui tum necesium est, ut tota vis in verbo *excitandi* collocetur. At an verisimile est Apostolum ex voce argumentari voluisse, quæ in originali textu non exstat, & quidem contra Judæos, qui quid in fonte ipso legeretur statim observare poterant? Deinde, An probabile est eum rem tanti momenti, voluisse demonstrare exemplo tam obscuro, tam controverso, contra quod infinitæ justissimæ exceptiones adferri poterant ab adversariis? Addo ultimo, non posse exponi de creatione, cum excitatio hujusmodi ad gloriam divini nominis pertinere nullo modo possit, sed contra ad ignominiam ejus maximam directe pertineat; eo quod injustitia maxima in eo sita sit, quod Deus malum sensus æternum destinet immerenti, aut quod sub alia ratione quam sub ratione pœnæ, quatenus pœna bonum justitiæ est, tam ingens malum creaturæ suæ decernat. Quid enim est innocenti non tribuere suum, si hoc non est?

18. ἄρα οὖν) Applicatio est ad rem præsentem, hunc in modum; Itaque ex his concludo, Deum etiam sibi jam eodem jure reservare potuisse liberam voluntatem beneficia sua conferendi quibus & qualibus vult, nulla habita ratione ad carnalem ipsorum generationem, aut voluntatem & cursum: Deinde Deum jus etiam liberum sibi retinere potuisse, non statim puniendi incredulos qui puniri merentur; sed primum lenitate sua indurandi eos, &, si voluntati ipsius refragari pergant, tandem eos, licet alioqui legis studiosos, non aliter quam duros & intractabiles, severiter & exemplariter ad exemplum Regis Pharaonis cum videbitur puniendi.

18. ἐλεῖ) Id est, Beneficia confert pro sola liberrima sua voluntate: sive, ut explicatius loquamur, non immerentibus tantum, sed & demerentibus, tam Gentibus quam Judæis peccatoribus, offert gratiam suam ut credant, &, si credant, æternam etiam deinde vitam confert. Utraque enim misericordia hic complexim intelligitur, ut ex ante dictis liquet.

*Quomodo Deus indurat peccatores.*

18. σκληρύνει) Explico, non statim punit uti posset, nec quovis modo à duritie liberare studet, sed iis utitur mediis, quæ ad eum in malitia magis indurandum vehementer servire possunt, nisi iis recte & provide, prout oportet, utatur.

Indurare enim non potest exponi de actione aliqua Dei positiva, malitiam novam indente, aut eam quæ jam inerat intendente aut roborante. Nihil minus. Sic enim Deus vere, proprie & solus author esset peccati. Nec exponi potest de subtractione aut subductione omnium eorum, quæ emolliendo & flectendo alicujus animo servire possunt. Quæso enim, an non ea quæ coram Pharaone fieri curabat Deus, talia & tam multa tam que efficacia erant, quæ emolliendo ipsius animo per se servire poterant? Certe cum populum suum Israeliticum Deus accusat duritiei & contumaciæ, id maxime eo nomine facit, quod signis istis multis & magnis quæ viderat, adduci se non passus esset ut aurem præberet. *Exod.* XIX. 3. 4. 5. *Deuter.* XXIX. 2. 3. 4. *&c.* Idem etiam Corazitis & Bethzaiditis exprobrat Christus, *Matth.* XI. Addo insuper, singula pæne talia fuisse, quæ animum ipsius reipsa etiam emolliebant, & à malitia ad tempus deflectebant. Ad singulas enim plagas dicitur Pharao à Moyse petiisse, ut pro se intercederet apud Deum: adeo ut si Deus plagas aliquamdiu jacere super Pharaone fivisset, verisimile sit eum à proposito paulatim discessurum fuisse. & textus id non obscure indicat, cum enim tollerentur plagæ, & jam respirandi facultas Pharaoni daretur à Deo, tum vero ait, *aggravavit cor suum Pharao.* Sola enim divina indulgen-

dulgentia, videtur indurationis hujus causa fuisse, prout ab Origene & aliis optime observatum est : quicquid Beza illud sugillet, & quidem (pro more suo) satis acriter. Quæ causa etiam est, cur exponam indurationem hanc eo modo, ut non præcise ex Dei intentione, ex ea debeat sequi duritiei major, sed prout sequi potest, &, si malitia ulla & in animo ejus perseveret, verisimiliter secutura est. Alioqui enim non possum salvare divina præcepta, promissis & minis sancita, quæ sæpe usurpantur à Deo circa eos qui indurari dicuntur ; quomodo videlicet ea serio aut sincere adhiberi circa tales possint. Quæ causa etiam est, cur eos qui indurationem accipiunt pro gratiæ & auxilii omnis supernaturalis, ad fidem necessarii, subductione aut non collatione, non propter ulla peccata aut merita propria eorum qui indurati dicuntur, (hoc enim speciem haberet, & non est omnino absimile à vero ; ) sed vel absoluta voluntate, quia Deus potest facere quod vult ; vel propter unicum Adami peccatum ; cur (inquam) existimem eos à scopo loci quam longissime recedere, argumenta omnia Apostoli uno ictu enervare atque eludere, totum ministerium Legis atque Euangelii in scenicam quandam & theatricam fictionem aut illusionem transformare. Nam Deum vocare eos cum promisso vitæ & comminatione pœnæ, obtestari, orare, hortari, & nihil non facere ut ad pœnitentiam redeant, &c. quos constituit absoluta voluntate indurare, vel in duritie naturali ab Adamo, uti ajunt, invincibiliter contracta relinquere ac deserere, ita ut ad pœnitentiam redire eos, licet vocatos, impossibile sit ; quid aliud est quam maximæ generis humani parti crudeliter illudere ; tanquam si non satis esset, mancipasse tot mortales æternis cruciatibus, propter peccatum unum parentis ipsorum, insciis ipsis commissum, & à cujus reatu ipse parens absolutus est ; nisi insuper etiam simulatis pietatis vocibus, & mentitis fucatisque benevolentiæ adfectibus graviori reatui implicentur, & crudeliori supplicio inevitabili necessitate mancipentur ?

19 τί ἔτι μέμφεται ;) Intelligi possunt verba, vel generatim : Quid quæritur, aut accusat eos quos vult indurare ? vel speciatim ; Quid nos accusat quod non pareamus Euangelio, quum jam constituerit nostrum non misereri, imo vero nos indurare ? Priori modo accipi non potest ; quia alioquin viderentur Judæi negare, Deum aliquando indurare aliquos, quum tamen certum ipsis esset, id de Pharaone expresse affirmari in Scripturis, quod Deus ipsum aut cor ipsius induraverit : vel saltem Deum jure non posse conqueri de iis quos merito suo indurat ; quum tamen etiam certum sit, Deum de Pharaone conquestum esse, & de aliis quos expresse induravisse legitur. Secundum itaque verisimilius, aut potius certum est.

19 τῷ γὰρ βουλήματι) βούλημα hic intelligitur quo Deus ipse facere aliquid vult, non autem quo vult aliquid fieri à nobis. Huic enim voluntati resisti posse, & restitisse Pharaonem non poterant negare Judæi : & quod Deus conqueratur sæpe de multis in populo, quod resisterent Spiritui ipsius, non poterant ignorare. Illi resisti non potest : *Deus enim est in cælo, & facit quod vult : Psal.* CXV. 3. Qui exponunt, Quis nostrum est qui non fecit voluntatem ipsius ; quis nostrum est qui ipsius Legi non esse parendum censuit ; illi inepti sunt, & responsionem subsequentem ineptissimam faciant necesse est : quin & Judæos id quærentes faciunt, quod sciebant sibi ab Apostolo ipso exprobrari, videlicet quod divinæ voluntati resisterent, eo ipso quod non crederent Euangelio, cui ut parerent Deus isto tempore volebat & mandabat.

20 ὦ ἄνθρωπε) Non est emphasis proprie in voce hominis, sed tantum per Apostrophen, oratio dirigitur ad eum qui istius objectionis author esse poterat. Quod ideo noto, ne quis putet hominem qua talem, ita obnoxium esse Deo, ut Deus ei æternum malum possit infligere, nulla ipsius culpa præeunte ; & præterea etiam eum indurare possit cum id ipsi ita lubet ; & quod tamen homo, eo ipso quod homo est, non possit quærere, cur me ita tractas, aut cur facis sic mecum ? Absit. Sola humanitas non dat hoc jus Deo, ut hominem quovis modo tractare possit. Auferre potest totum illud quod ei dedit, & summum inferre ei potest dolorem vel malum aliquod sensus, dummodo bonum quod ei dat tale sit, ut hoc habere & conservare homo malit, quam dolore illo carere. Ulterius non vadit jus Dei in hominem, uti recta ratio palpabiliter docet.

20 σὺ τίς ἐ) Tu prævaricator & rebellis, qua specie aut quo colore quæris hoc à Deo domino tuo ? Non enim quærit quomodo ipse respondeat, homo cum sit, qui comparatus Deo nihil pæne est ; sed quomodo ipse, qui peccatis suis justissimam causam Deo dedit agendi secum prout vult, audeat ita quærere ; quasi dicat, hoc tantum non esse respondere Deo in os, & ab eo cui ipse causam dedisti justissimam ita agendi prout agit, & qui ita tecum non ageret nisi justissimam causam haberet, quia Deus est ; quærere, quam causam habes cur ita agas ?

20 μὴ ἐρεῖ τὸ πλάσμα) Versu seq. appellat φύραμα. Sensus autem est : Qui argillæ & luto comparari meretur, qui in manu Dei est veluti argilla est in manu figuli ; id est, qui ita peccatis suis sese obnoxium reddidit divinæ iræ & punitioni, uti lutum & argilla obnoxia est τῷ πλάσαντι. Quia vero res plana erat, protasi sola contentus fuit Apostolus. Apodosis enim subsumtu facilis est ; imprimis si consideretur, hanc similitudinem ex *Jerem. cap.* XVIII. desumtam esse, ubi Israel expresse dicitur esse in manu Dei, sicut lutum est in manu figuli : & apodosis protasi deinde subjungitur à Propheta nomine Dei ; unde manifestum fit per domum Israelis intelligi populum Israeliticum, variis inquinatum peccatis & sceleribus. Videantur sequentia à *vers.* 11. usque ad finem ; ubi ratio redditur cur comparaverit populum Israeliticum luto, quod in manu figuli est.

Quocirca ii qui ex voce πλάσματος concludere conantur, Apostolum hoc loco respicere humanum genus nondum conditum, nedum lapsum aut corruptum in Adamo ; eo quod vox πλάσματος proprie significet rudem & informem materiam, ex qua homo conditus est, illi profecto vehementer errant. 1. Quod protasin cum Apodosi confundant, & ex voce usurpata in protasi, argumentum desumant quod ex apodosi ipsa peti debet. 2. Quod voci *Massæ*, quæ in protasi usurpatur, conferri videmus etiam populum Israelis, non modo conditum & corruptum in Adamo, sed multis crebrisque peccatis infectum, atque identidem præfracte rebellantem Deo. 3. Quia justissime quærere posset pars ista humani generis, quæ nulla sua culpa æterno cruciatui destinata esset ; Cur me destinasti isti tam diro atque misero exitio ? quo jure ? Nec enim satis est ad hoc ut jure factura id sit, factum esse ab eo cui non possunt resistere. Necesse est ut æquitati & rectitudini sit consentaneum. At quæ æquitas, quæ rectitudo, quod jus in eo, ut Deus humanum genus antequam est, aut antequam peccavit, æterno cruciatui, iræ atque horrori ineffabili destinet ? Nullum bonum tantum dari potest, quo non carere mallet homo, quam tam ingenti malo æternum subjectus manere : ac proinde justissimæ querelæ huic locus semper manet ; Cur me sic fecisti ? aut, cur me fecisti ? Præstaret enim nihil esse quam sic esse. Ut mirari satis nequeam Bezam, qui in Notis suis ad hunc locum, id fere ante omnia agit, ut evincat hic sub *massæ* nomine intelligi genus humanum, non modo non corruptum, sed ne conditum quidem : non obscure postea ostendens, decretum prædestinationis provehendum esse supra ipsum lapsum Adami ; ita ut ipse lapsus inde ortus fuerit, aut saltem decretum illud consecutus sit, & quidem eo fine, ut hac ratione misericordiæ & severitati locus foret. Quod notandum contra eos, qui Calvinum & Bezam in materia de prædestinatione, infra lapsum Adami constitisse volunt.

*Non bene ex vocibus figmenti & massæ colligi Paulum hic respicere ad genus humanum nondum conditum.*

Qui per πλάσμα intelligi volunt genus humanum corruptum in Adamo, illi nullo (imo ne verisimili quidem, secundum Bezam) fundamento nituntur. Videntur quidem effugere velle absurdum illud ingens, quod ex priori sententia sequitur ; videlicet Deum tum futurum authorem peccati, & crudelem tyrannum, si innocentes destinet ad æternos cruciatus. Sed tamen eodem omnino relabuntur : 1. dum illorum sententiam non aperte improbant aut damnant. 2. dum comparatam quandam reprobationem fingunt, quæ ab absoluta distincta, imo diversa sit ; hactenus quod comparata à sola Dei voluntate dependeat, cum absoluta pendeat à peccato originali. Quasi vero aut Judæi tum temporis peccatum originale ullum agnoverint, quod hodieque negant ; aut manifestum non sit, Apostolum hoc capite excludere omnem rationem peccati, tam originalis quam actualis, cum dicit, *antequam fecissent quicquam boni vel mali*. Ut enim credamus Apostolum hic peccatum actuale tantum excludere, id vero ineptum est. Pone enim quod hic Apostolus peccatum tantum actuale excludat, originale autem supponat, idque Judæos ipsos fassos fuisse ; quis non videt ineptam tum fore ac vanam, universam hanc disputationem Apostolicam : quod videlicet Deus pro arbitrio potuerit Esavum reprobare à vita æterna, Jacobum eligere ; hos vocare, illos non vocare ; adeoque facere posse de omnibus ac singulis, quod vult ? Quis enim sanus id negare potest, si ii quos Deus reprobat supponantur jam ante culpa sua propria (sive ea sit actualis, sive originalis, dummodo vera culpa sit) tales esse qui quovis modo tractari meruerunt, quique reprobari & rejici à Deo digni sunt ? Sic enim justitiæ ratio nimis quam manifesta est ; adeo ut qui contradicere vellet, contra Solem loqui velle dicendus esset. Dicere quod Apostolus hic disputet de comparata repro-

*Nec per ista aestuam voces intelligi posse genus humanum corruptum in Adamo.*

reprobatione, non absoluta, non minus ineptum est ac frivolum. Quasi vero & hoc etiam manifestum non sit, Deum cum ex duobus reis pœnæ alterum eligit, alterum reprobat vel non eligit, id facere quia ita vult facere. Supponitur enim posse id facere, quia peccatores sunt & rei pœnæ, quamvis Beza diserte contrarium dicat. Quorsum illa tam frigida, tam diluta disputatio? Aliud censendum est Apostolum egisse, cum tam operose hic disputat, Deum posse facere quod vult. Quid id sit, vide in paraphrasi.

22 εἰ δὲ θέλων) Particula δὲ videtur mihi indicare, ἄντιστροφόν quandam hîc ab Apostolo fieri, & novum formari argumentum: quasi legeretur, Dixi posse Deum vobiscum hoc modo agere; sed quid si etiam Deus non velit statim vobiscum ita agere, sed primum constituat lenitate multa uti erga vos, ut videlicet vos vel hac ratione ab incredulitate vestra avertat, vel ut, si nihilominus in ea perseveretis, tanto illustrius & severius deinde vos punire possit? Aposiopesis hic est, quæ suppleri debet hoc pacto: an in eo injustitiæ species, ac non potius summa benignitas & clementia foret? τὸ ἀνδίκαιον ὀργὴν itaque expono, illustri ratione & exemplariter punire rebelles, uti Pharaonem punivit: vel, ostendere quod tales & possit & velit punire, cum tempus est. ὀργὴ enim pro effectu ὀργῆς, id est, punitione accipitur, quæ administratur secundum justitiam retributivam: phrasi usitata *Luc.* XXI. 23. *Rom.* III. 5. & XIII. 4. &c. adeo ut frustra Beza hîc notet, per hoc ipsum indicari scopum & finem ultimum, quem Deus habuit propositum sibi in quorundam æterna reprobatione. Primus enim finis Dei non potest esse declaratio ὀργῆς sive iræ. Impossibile enim est ut Deus irascatur, aut irasci velit homini, non modo antequam natus est, sed etiam cum adhuc innocens est. Quid enim iniquius quam irasci immerenti & innoxio? & quidem irasci tam crudeliter, ut æternum eum cruciari velit, & igne torreri ἀσβέστῳ? Certe quam hoc sit alienum à divina indole, illud unum satis arguit, quod dicatur tardus ad iram contra ipsos peccatores.

*Longanimitas Dei erga peccatores.*

22 ἤνεγκεν ἐν πολλῇ μακροθυμίᾳ.) Id est toleret, per enallagen temporis, vel tolerare velit, cum videlicet non statim, quando merentur homines puniri, eos punit; sed eos veluti laxato fræno contra se impune furere, rebellare, atque ita seipsos quasi duriores reddere sinit, tanquam si eos punire non posset; imò quod magis est, cum benigne & indulgenter eos nihilominus habet & tractat, adeoque malis quibusdam, quæ ipsis alioquin severe pro merito eorum infligenda erant, aut saltem non aliter quam cæteris inflicta fuissent, eripit ac liberat, si forte hac ipsius indulgentia & benignitate, moveantur ad mutandum animum rebellem in melius. Utrocunque modo accipiatur, sensus constat: Nullam videlicet injuriam à Deo cuiquam fieri, si eos qui pœnam jam promeriti sunt, & qui rebellare ac præfracte contraria voluntati ipsius facere pergunt, non statim puniat; sed non nisi longa malitia induratos punire tandem velit, aliis in exemplum, ad nominis sui gloriam. Quid enim in eo iniqui est? Tantum id mihi monendum videtur, μακροθυμίαν hanc, & quidem πολλὴν non intelligendam esse eo sensu, ut significet nudam tantum quandam pœnæ ἀνοχὴν, cum proposito tamen puniendi absoluto & peremtorio conjunctam; sed tolerantiam cum proposito puniendi hypothetico conjunctam, si videlicet ii circa quos ἀνοχὴ ista adhibetur, ea flecti nullo modo velint cum possint. Existimo enim μακροθυμίαν hanc Dei, complecti ea omnia quæ ei conjuncta esse solent, puta hortationes, comminationes, promissiones, aliasque gratiosas actiones divinas, quibus ad resipiscentiam tales invitantur. At ea omnia à Deo circa ipsos simulate adhiberi, necesse est ut dicatur, si velimus, jam ante præcessisse propositum puniendi peremtorium & absolutum; quo constituerit Deus nunquam eos iterum recipere in gratiam, sed severitate summa indurare, ac tandem perdere. Ego id non ausim Deo tribuere: etiamsi fatear non deesse loca, quæ videntur arguere, Deum aliquando pœnitentiæ tempus præcidere in hac vita quibusdam hominibus, cum adhuc in eo est ut vocet eos ad pœnitentiam. Certe si id velimus fieri à Deo, necesse est ut dicamus omnes actiones illas Dei, quas diximus à Deo adhiberi, ad tales non pertinere nec dirigi, sed ad alios qui iis permixti sunt, ne hypocriseos insimuletur sanctissimus Deus noster.

*Quæ prorsus eximanitur à reprobationis absolutæ patronis.*

Qui Deum absoluta voluntate ante lapsum, aut comparata in lapsu, quosdam reprobasse volunt, illi profecto lenitatem hanc Dei prorsus exinaniunt, & tantum non ludibrio propinant. Ac primi quidem, quos recte *supralapsarios* vocant. Quia quæ virtus lenitatis, aut quomodo μακροθυμία, nedum πολλὴ, in eo est, quod Deus illos per annum unum atque alterum in vita hac fragili & misera relinquat, quin & adde pancratice ac suaviter vivere sinat, quos æterno & & nunquam finiendo dolori, voluntate sua absoluta, mancipare decrevit? An multa lenitas in eo est, quod illis usuram exiguæ lucis hîc concedat, quos nulla ipsorum culpa, nullo merito, sempiternis & inexhaustis cruciatibus ac doloribus destinavit, tantummodo quia id ipsi ita libuit? O crudelem, aut saltem exiguam μακροθυμίαν! Magno sane redimunt istam miseri tales reprobi. Deinde quod attinet eos, qui hominem in lapsu à Deo consideratum esse volunt, quos *sublapsarios* vocant, an lenitas ulla aut μακροθυμία in eo est, quod Deus toleret eos in vita hac, quos propter primi parentis sui peccatum, ante aliquot millenos annos inscios ipsis patratum, punivit non tantum morte æterna, sed & necessitate peccandi; privando eos scilicet gratia & luce illa originaria, sine qua non possunt non peccare & lenitate divina abuti? Quid mirum est non legere unquam eum qui oculis privatus est à judice, licet ob culpam suam? Quo jure dici illi misero non legenti posset hunc in modum: Ego longa patientia tolero te, dum te legere jubeo, & tamen nunquam legere incipis, neque hilum proficis. Quid est quæso insultare misero, si hoc non est? Eadem est ratio in hoc casu: Quomodo aut quo jure conquestus dicetur Deus de reprobis Judæis, quod patientia sua abuterentur, quum non possent non velle abuti divina patientia, propterea quod lumine illo carerent, quo voluntas ab abusu dimoveri posset?

*Quanam sint vasa iræ.*

22 σκεύη ὀργῆς) Id est homines propter propria sua peccata, quæ facile vitare potuissent, dignos in quos ira divina, velut in vasa, plena manu effundatur. Non autem quæ ex ira divina creata, aut præparata sunt ab æterno, antequam mali quicquam fecissent, aut fecisse considerati essent, ut in iis gloria divina illustretur. Dicuntur enim per metaphoram *iræ vasa*, non quod ex ira vasa primitus facta sint; sed quod ira digni sint, & idonei qui pœnam suscipiant; & digni quidem non propter originale peccatum, (ejus enim ratio nulla hic habetur) sed propter actualia, quæ omittere & vitare non modo debuissent, sed & facile potuissent. *Propter hæc enim venit ira Dei in homines*: *Coloss.* III. 6.

*Quomodo coagmentata ad interitum.*

22 κατηρτισμένα) Videlicet à seipsis; ita ut vasorum instar apti sint in quos ira Dei effundatur. Apti autem ad iram esse non possunt, nisi peccatorum meritum intervenerit. Iræ enim, saltem iræ justæ, locus non est, ubi nulla est transgressio. Dicuntur autem homines seipsos κατηρτίζειν εἰς ἀπώλειαν, phrasi usitata sacris & profanis Scriptoribus; & quidem eodem sensu quo Israelite dicuntur, *mori velle*, *Proverb.* VIII. 36. *seipsos perdere*, *seipsos indignos judicare vita æterna*, *Act.* XIII. 46. *consilium Dei contra seipsos abjicere*, sive irritum reddere, *Luc.* VII. 30. *odio habere bonum*, *diligere malum*, *Mich.* III. 2. *projicere animas suas à se*, *Prov.* XV. 32. *odisse animas suas*, *Psal.* XI. 5. &c. non quod dedita opera aut prudenter id faciant, aut quod id facere directe intendant; sed quod ea faciant, quæ eo tendunt, vel natura sua, vel ex vi legis divinæ: uti ex contrario sensu manifestum est, cum dicuntur *operari salutem suam*, *Phil.* II. 12. *seipsos servare*, 1 *Tim.* IV. 16. *animas suas servare*, *Luc.* IX. 24. &c. Eodem sensu dicuntur homines communi proverbio *suæ fortunæ fabri*. Hinc mirum videri merito debet, quod Beza κατηρτισμένα nolit exponi per ἑαυτοῖς, *à seipsis*; sed (quod omnium turpissimum est) velit exponi per *creari*. Qui, inquit, *Vasa iræ dicunt κατηρτισμένα à seipsis, ii non aliter mihi loqui videntur, quam si quis vas aliquod diceret non à figulo, sed à seipso fingi.* Quasi vero ex protasi argumentum formari recte possit: aut quia absurdum est vas seipsum formare, statim etiam absurdum sit in apodosi, quod homo se ipse faciat vas iræ, id est dignum ira seu pœna: & cum Scriptura expresse dicat, *hominem seipsum judicare indignum vita æterna*, *hominem seipsum perditum ire*, absurdum videri debeat, si dicatur eundem hominem seipsum facere vas iræ. Enimvero si homo recte dici potest, uti revera potest, se ipsum facere vas salutis, quia dicitur *seipsum servare*, *salutem suam optari*, *animam suam servare*; cur non posset recte dici seipsum facere vas iræ? Deinde si omnino absurdum est, quod homo identidem peccando seipsum faciat vas iræ, quomodo non multo magis absurdum est, quod, non dico figulus, qui homo est, sed sapientissimus Deus, faciat, id est creet, hominem innoxium, vas ad perditionem, id est faciat vas ut perdat illud? quod creet hominem ut sit vas iræ, antequam quicquam ira dignum commiserit, & iræ quidem ex qua infligendus est æternus cruciatus, ac dolor inexplicabilis, qui sine fine torquebit?

*Quanam sint vasa misericordiæ, & à quo præparata ad gloriam.*

23 σκεύη ἐλέους) Id est homines perditos, qui servari non potuissent, nisi misericordia & gratia illis facta fuisset; vel qui totum id quod habent, à singulari gratia & misericordia divina habent. Tripliciter tamen potest phrasis hæc intelligi, ut vel significet eos quorum misereri & quibus bene facere Deus vult: vel qui gratia & misericordia opus habent: vel denique qui jam, auxilio gratiæ & misericordiæ divinæ, capaces facti sunt divini favoris. Ut ut sumatur, *gloriam* prorsus

prorſus eodem redit ; quia miſericordia divina hic ut fons conſideratur boni omnis ſalutaris quod in homine eſt. Idcirco enim ad explicationem additur ἑτοιμάσας, ὃ προητοίμασεν εἰς δόξαν, ſcil. Deus : Ita enim exiſtimo ſupplendum eſſe verbum hoc. Aliter enim hic videtur ex profeſſo Apoſtolus voluiſſe loqui, quam in præcedente membro. Hic dicit in activo, *quæ præparavit ad gloriam*, cum ibi dixiſſet in participio abſolute προητοιμάσθη. niſi quis per Hebraiſmum exponere etiam hoc verbum προητοίμασεν velit, pro præparavit, quiſquis præparavit ; ut idem ſit quod προητοιμασμένα, quæ præparata ſunt ad gloriam. Sed illud vix permittit id quod ſequitur, *quos etiam vocavit*. Hoc enim verbum activum illi reſpondens, de Deo intelligendum eſſe liquet ; quia ſtatim ex Oſea ſubjicitur, *vocabo non populum meum, populum meum*. quomodocunque ſe res habeat parum refert. *Præparavit* autem, expono, præparare decrevit, vel quantum in ſe eſt, ſive à parte ſua, ſufficienter omnia adornavit & conſtituit, quæ provehendis illis ad gloriam & æternam fælicitatem ſervire poterant. Colligo id ex eo quod ſequitur : Quia eos vocavit quos præparavit. Vocatio autem eſt ad fidem & obedientiam, ſub comminatione pœnæ & promiſſione præmii. Fides autem & obedientia quæ poſtulantur ſub promiſſione præmii & pœnarum minis, ſupponunt fieri omnino potuiſſe, ut præparatio illa effectum non ſortiretur. Quare qui præparationem hanc dicunt eſſe peremtoriam quandam ad gloriam prædeſtinationem, quæ certo certius effectum erat habitura, ii nunquam explicabunt, qua ratione tales prædeſtinatos vocare poſſit Deus ad obedientiam ; & iis vitæ præmium promittere ea lege ſi obediant ; & viciſſim ſupplicium mortis æternæ comminari ſi obedire nolint. Utique obedientiam poſtulare ſub comminatione mortis, ab iis quos præciſe ſalvare vult, ſapientiam Dei non decet. Nec refert ſi dicas, Deum efficere fidem & obedientiam, in iſtis ipſis à quibus eam poſtulat. Nam multo adhuc minus decet ſapientiam Dei, ut poſtulet obedientiam ſub promiſſo remunerationis & comminatione pœnæ, quam ipſe obedientiam efficere ſolus vult. Hoc enim tantundem eſt atque Deum ab iiſdem ſimul poſtulare & non poſtulare obedientiam. Obedientia enim quæ poſtulatur, debet præſtari ab iis à quibus poſtulatur, & quidem libere. At obedientia quæ à ſolo Deo efficitur, non præſtatur ab iis à quibus poſtulatur, ſed tantum ab iis veluti à ſubjectis pure pute paſſivis ſuſcipitur ; atque ita obedientia eſſe deſinit.

*De vocatione divina.*

24 ὡς καὶ ἐν Ὡσηὲ λέγει) Id eſt, *vel* per enallagen, vocabit ſuo tempore : & tum etiam ſtatuatur neceſſe eſt ante pronomen ἐκεῖνος, ἥκειν particulæ ὡς : *vel*, jam reipſa vocavit, & ii quidem nos ſumus. Per *vocationem* hic intelligitur non nudus Dei actus, quo ad gratiam & ad gloriam vocat ; ſed vocatio cum effectu, quæ efficax vocari ſolet : ut ex eo patet quod ſubjungitur ; *Nos non ſolum ex Judæis, ſed etiam ex gentibus* : Id enim ad credentes aut fideles referri planiſſimum eſt. Vocationem cum effectu ſive efficacem appellamus, non eam quæ ex præciſa ſalvandi intentione oriri dicitur, & vel vi & natura ſua, vel propter adjunctam Dei ſcientiam & directionem, effectum neceſſario ſortitur ; ſed eam quæ propter accedentem hominis aſſenſum liberum, qui potuiſſet non accedere, effectum conſequuta eſt. Hujuſmodi enim vocatio, qua obedientiam poſtulat Deus cum comminatione pœnæ & promiſſo præmii, Deo digna eſt. At vocatio illa quæ ex præciſa ſalvandi intentione oritur, & vel vi ſua, vel propter ſapientem Dei adminiſtrationem, effectum vel neceſſario vel infallibiliter ſaltem ſortitur, vocatio eſſe non poteſt, quæ non dico Deo digna ſit, ſed quæ in ſapientem ullum cadere poſſit aut debeat. Qui enim ita vocat, ut oſtendat ſe ſerio velle fieri aliquid à nobis, non poteſt idem illud vi ſua ſolus velle efficere : alioquin vellet aliquid fieri à nobis, & ſimul vellet non fieri, quia vellet ipſe facere. Deinde qui in eo quem vocat efficit obedientiam, ille non poteſt eum donare promiſſo, ſive non poteſt remunerare eum ex vi fœderis ſive pacti : quia ille officium non fecit, ſed Deus ipſe in eo effecit id quod voluit. Seipſum itaque remunerare potius quam vocatum deberet Deus. Et hæc quidem ratio militat imprimis contra eos, qui volunt vocationem efficacem dici ex eo quod Deus pondus ſive vim aliquam imprimat immediate in ipſam voluntatem, per quam determinatur ad credendum, uti ajunt.

*De neceſſaria voluntatis per intellectum determinatione.*

Verum ſunt, qui ut evadant argumentorum horum vim, vocationem efficacem dici volunt ex eo, non quod in voluntatem immediate agat ; ſed quod per eam intellectui proponantur rationes tales, quæ ipſum movent ad aſſentiendum : voluntas autem judicio & adſenſu iſto intellectus neceſſario trahatur & determinetur ad conſenſum. Sed hi non modo non evadunt vim argumentorum horum, ſed ſeipſos magis implicant ; & dum nodos oppoſitos diſſolvere conantur, in alios multo magis perplexos incidunt : nempe libertatem omnem veram tollunt ex voluntate, & per conſequens divinam vocationem vanam aut ridiculam faciunt, peccatum funditus exinaniunt, & religionem omnem è medio tollunt. Etenim *primò* : Si voluntas neceſſario ſequitur judicium ultimum intellectus, neceſſe eſt ut poſtulatum obedientiæ nullum prorſus, aut omnino ridiculum ſit. Nam ſine judicio practico iſto ſequi non poteſt voluntas, & poſito judicio iſto in intellectu, quodcunque tandem ſit, neceſſe eſt ut voluntas illud ſequatur, vel voluntas non poteſt non ſequi illud. Itaque non poteſt niſi ridicule poſtulari à voluntate, ut judicio illi ſeſe ſubjiciat & adſentiatur, nedum poſtulari cum promiſſo præmii & comminatione pœnæ. Quis enim poſtulet recte à lapide gravi ut deſcendat deorſum, ſi ponatur ſuper medio ſeipſo leviori? Nullus. Et eadem prorſus eſt ratio neceſſitatis adſentiendi in voluntate, poſito judicio rationis, quæ motus in lapide gravi, poſito medio conveniente ad motum. Neceſſarium enim conſiſtit in indiviſibili ; quia neceſſarium eſt quod nec eſſe aliter poteſt.

*Secundò* : Peccatum exinanitur funditus, vel potius tota ratio peccati evertitur, & è medio tollitur, per iſtam ſententiam. Ratio eſt : Quia peccatum omne aut eſt primum aut ex primo ortum : Atqui primum nullum peccatum dari poteſt : Ergo neque ullum ex primo ortum : Ergo nullum. Primum nullum dari poteſt : quia peccatum illud aut erit in ipſo judicio rationis, aut in voluntate ſeu volitione ex illo judicio reſultante. At in neutro eſſe poteſt. Non in judicio ipſo ; 1. Quia judicium rationis non eſt liberum, nec libertate proprie dicta, contradictionis ſcilicet aut ſpecificationis, nec libertate quam authores hi lubentiam ſeu ſpontaneitatem vocant. Utraque enim hæc propria eſt potentiæ, non recipientis in ſe objectum, ſed tendentis proprie in objectum. 2. Quia in judicio ad ſummum non poteſt aliud quid locum habere quam error : At error, qua error tantum eſt, peccatum non eſt, neque deformitatem moraliter culpabilem in ſe habet, niſi quatenus voluntarius aliquo modo eſt. Voluntarius autem eſſe non poteſt in primo peccato, ex hypotheſi eorum qui voluntatem ipſo rationis judicio, ſive recto, ſive erroneo, determinari volunt. Orietur itaque neceſſario ex defectu aliquo invincibili ; ſive defectus ille ſtatuatur oriri ex parte potentiæ, ſive ex parte objecti, ſive ex parte medii, ſive aliunde. At defectus in primo inſtanti invincibilis, culpam non habet nec habere poteſt. 3. Quia in judicio rationis quod in primo ſtatu Adamus habuit, (loquimur enim de primo peccato) error locum habere non potuit ; propterea quod intellectui ipſius indita fuit à Deo, non modo naturalis, ſed & ſupernaturalis lux, dirigens judicium & errorem prohibens, ſatentibus id ſententiæ iſtius patronis. Ex quo efficitur, peccatum locum habere etiam non potuiſſe in voluntate Adami ; quia non potuit non determinari ad bonum, à judicio in quo error eſſe non poterat : aut ſi omnino determinata fuiſſet ad malum per erroneum aliquod judicium, id voluntati in culpam imputari non potuiſſet, quia error ipſe inculpabilis fuiſſet. Culpabilis enim non poteſt fieri voluntas ex cauſſa inculpabili. Neque eſt quod hic regeras : Diabolum luci illi à Deo infuſæ tenebras offudiſſe, & errorem inſinuaſſe in intellectum Adami. Nam lux illa originaria quæ in ipſo erat & manebat, (neque enim cauſſam adhuc dederat ut tolleretur) dirigebat judicium, ut tenebris & errore obnubilari non poſſet ; id eſt, formabat ultimum judicium, unde fiebat voluntatis determinatio : prout ex eo patet, quod ii qui ita ſentiunt, expreſſe dicant ideo reprobos jam neceſſario peccare, quia lux illa originalis non amplius eſt in ipſis, nec judicium eorum dirigit. Deinde ſi dicas, luci illi à Diabolo tenebras offuſas fuiſſe, neceſſum eſt ut dicas id factum, vel per vim aut violentiam, vel per rationes ſuadentes. Si dicas Diabolum id per vim & potentiam arcanam atque irreſiſtibilem feciſſe, jam poſito quod id verum eſſet, (quod tamen abſurdiſſimum eſt) tenebras illas ita per vim impreſſas ſequi, non poterat tum eſſe peccatum ; quia in poteſtate hominis non erat, judicium illud erroneum ita impreſſum non habere, ac proinde judicio illo non ſeduci. nec meruerat adhuc homo ut ſeduceretur, aut ut luce illa deſtitueretur ; alioquin peccaſſet antequam peccaſſet. Quod ſi dicas Diabolum per rationes probabiles errorem intellectui ipſius indidiſſe ; jam dicam rationes illas, aut fuiſſe tales ut præponderarent rationibus & lumini illi à Deo indito ; aut non. Si præponderarunt (præterquam quod divinæ gratiæ, & lumini iſti ſupernaturali ſumme injurium ſit hoc affirmare, ) dico tum etiam, non potuit peccaſſe Adamus, eo ipſo quod ſequutus ſit judicium illud, quia in poteſtate hominis non erat judicium illud non habere : & ſequi

sequi judicium quod præponderat peccatum non est. Si non præponderarunt, & tamen illud sequutus est Adamus, jam judicium rationis non determinavit voluntatem ipsius. Si dicas æqualis fuisse ponderis rationes ex utraque parte, tum quæram, quid itaque fuit quod in alteram partem determinavit voluntatem Adami? Necesse est ut dicas in æquilibrio illam hæsisse suspensam. Atqui tamen determinata est. Unde quæso, si motio utrimque æqualis? A majori certe facta fuerit motio necesse est. Si dicas, Adamum non recte satis animum advertisse ad rationes, atque inde factum esse ut visæ ipsi fuerint præponderare, cum revera tamen non præponderarent; dico contra, hoc ipsum (animum scilicet advertere) aut pendebat à voluntate Adami libera, aut non pendebat. Si à voluntate Adami pendebat, jam ab alio aliquo judicio eam determinari oportuit ut non adverteret. At sic peccasset Adam antequam peccasset; ac porro sic procederetur in infinitum. Si non pendebat à voluntate quid hoc ad rem facit, sive Adam adverterit animum, sive non adverterit? Necessum certe est ex vi hujus argumenti, ut dicatur voluntatem non determinari à judicio intellectus; nisi velimus omnem peccati rationem penitus tollere, aut Deum insimulare quod Adamum privaverit luce illa originaria, ad judicium Adami in optimam partem determinandum idonea, ne voluntatem aliter quam recte duceret; & sic peccati veram, solam ac proprie dictam caussam, per modum tollentis prohibens, constituendum esse; proindeque per necessariam consequentiam, peccatum illud non esse peccatum; imo nullum dari peccatum. quod est absurdum illud ingens quod concludere volebam.

Cui adde, quod ex hoc ipso fundamento, evincatur regenitos etiam peccare non posse, nisi Deus primo & absque ulla culpa ipsorum deserat eos; & sic peccati ipsorum (si peccatum esse potest) caussa efficiens, per modum tollentis necessarium prohibens, revera fiat. In regenitis enim nova gratia & lux locum habet, qua judicium ipsorum illustratur, & per judicium voluntas dirigitur ac determinatur in partem optimam. Quare nisi Deus ipse lucem hanc intellectui eorum subtrahat, & per eam judicium ipsorum informare desinat, fieri nequit ut illi in peccatum incidant. Voluntas enim sequitur judicium, imo determinatur ab illo, juxta horum sententiam. Nec dici potest Deus lucem illam subtrahere ipsis propter peccata ipsorum. Peccata enim quæ ante regenerationem commiserunt, sunt ipsis remissa. Et posita regeneratione ponitur lux in judicio determinans voluntatem ad bonum. Unde igitur peccatum in ipsis? Necessum est ut dicatur, à solo Deo subtrahente gratiam esse, & sic peccatum non esse peccatum, quia Deus peccare non potest.

Unde *tertiò* deinde sequitur, Religionem etiam omnem per hanc sententiam funditus everti. Nam si nulla prorsus est ratio obedientiæ aut inobedientiæ, nulla ratio virtutis aut vitii vel peccati, periit etiam universa gloria promissionum, tota vis adhortationum, increpationum, comminationum, obtestationum, querelarum, &c. ac proinde tota religio, quæ potissimum præceptis & promissis ac comminationibus perficitur atque absolvitur. Alia plura argumenta non allego, existimans hæc impræsentiarum sufficere, quia de materia hac ex professo agere non institui.

Concludens itaque dico necesse esse ut vocatio divina, qua ad fidem & obedientiam vocamur, altero horum modorum fieri non dicatur; sed isto qui voluntati suam libertatem, quæ ipsi formaliter & quarto modo propria est, sartam tectam relinquat; id est non solam spontaneitatem, nec lubentiam, de cujus ratione intrinseca sæpe est, quod sit necessaria necessitate summa, sed veram indifferentiam; ita ut positis omnibus ad volendum requisitis, inter quæ etiam ipsum judicium practicum est, possit tamen nihilominus nolle, aut aliter velle. Alioqui periit religio omnis, periit & virtus, perierunt præmia & pœnæ.

25. *ὡς καὶ ἐν τῷ Ὡσηέ*) Non tam allegatur hîc prophetia, quam ad prophetiam olim factam & impletam allusio fit, familiaris Apostolis & Scriptoribus omnibus, qui cum aliquid eleganter & emphatice efferre volunt, uti solent verbis & phrasibus quæ in simili casu aut caussa ab eximio aliquo authore usurpatæ sunt. Res ex Paraphrasi ipsa liquet, quam vide sis.

30 *Τί οὖν ἐροῦμεν*) Id est, quorsum tendunt hæc omnia quæ dixi? Summa eorum hæc est: Deum pro liberrima sua voluntate, sine ulla promissi Abrahamo & semini ejus facti violatione, posse jure optimo gentilibus, licet profanis atque injustis, gratiam facere, & etiamsi cætera Judæis meliores non sint, neque ex Abrahamo oriundi, nihilominus tamen eosdem in semine Abrahæ censere, modo credant ad exemplum Abrahami, & divinæ voluntati obedire imposterum sese velle profiteantur: Judæos autem, licet legi studentes, pro eadem sua voluntate possit rejicere, eo quod ultimæ voluntati ipsius subjici nullo modo velint. Hic enim est scopus Apostoli in hoc capite. Qui versum hunc conjungunt cum fine *versus* 9, cætera autem omnia interjecta per parenthesin legenda esse statuunt; ii uti nulla prorsus ratione solida nituntur, ita enervant omnino conclusionem hanc emphaticam & *ἐρωτηματικὴν*, quam ex antecedentibus versibus, ubi de gentibus in populum adscifcendis, & Judæis rejiciendis aperte agitur, fluere manifeste liquet. Nec obscure id innuit particula *δὲ*.

30 *ἔθνη τὰ μὴ διώκοντα*) Id est quod gentilibus, nihil tale non modo promeritis, sed ne quidem cogitantibus, annunciata sit Dei gratia per Euangelium; & quod ii quia annunciationi illi crediderunt, remissionem peccatorum omnium antecedentium consequuti sint, & cum Deo in gratiam redierint, Deique populus facti sint. Tantum notandum est, *non sectari justitiam*, hîc proprie non significare injustitiæ operam dare, vel in peccato vivere; sed tantum viam illam, qua ad æternam justitiam vel remissionem peccatorum perveniri potest, non ingredi, aut de ea ingredienda cura nulla teneri, sive ad eam non adspirare: ut opponatur Judæis sectantibus, id est adspirantibus ad illam justitiam. & sic convenit cum illo quod *Esa.* LXV. 1, legitur: *Inventus sum à non quærentibus, conspectus sum ab iis qui de me non interrogabant*: id est, ego me obtuli illis non opinantibus, & cum me reciperent, participes sunt facti beneficiorum meorum veluti imprudentes, & præter opinionem ac spem suam. Justitia itaque hîc significat duo; remissionem peccatorum, & rationem ac viam qua ad illam perveniri potest. De utroque enim hîc agitur, tanquam si diceretur: Gentibus tale nihil opinantibus aut quærentibus, oblata est remissionis peccatorum gratia, quia illæ eam non per legem quærebant, uti Judæi, nec ad eam magnopere adspirabant, contentæ patria sua superstitione & gentilitio vivendi genere. Quid sit *non sectari justitiam.*

30 *Κατέλαβε δικαιοσύνην*) Aliter accipitur verbum *καταλαβεῖν* hoc loco, quam *Joan.* I. 5. ubi dicitur *ἡ σκοτία αὐτὸ οὐ κατέλαβεν*. Isto enim loco, *οὐ κατέλαβεν* significat, noluerunt admittere lucem, id est veritatem Euangelii, in corda sua; vel contrario plane sensu, non extinxerunt, non suffocarunt, non potuerunt doctrinam istam supprimere, nec in potestatem suam redigere, ut nimirum occulta maneret, & ut non dispaleseceret. Hîc autem significat simpliciter, Gentes sunt adeptæ & consecutæ divino beneficio, gratiam & remissionem peccatorum. Quia vero non sunt eam adeptæ, nisi postquam vocationi divinæ, quæ per Euangelium ipsis facta est crediderunt, hæc caussa est cur addatur; *justitiam autem eam quæ ex fide est*; id est, justitiam vel quæ ipsis patefacta est Euangelio, non autem Lege Mosis; vel cujus participes factæ non fuissent, nisi valere jussa idololatria sua gentilitia, Christi Euangelio credidissent, & juxta Euangelii & divinæ vocationis præscriptum se vivere imposterum velle professæ fuissent: sive cujus factæ sunt participes, ea tantum de caussa quod crediderint, etiamsi nec de Lege Mosis quicquam scirent, nec ex Abrahamo genus ducerent. Quæ caussa? Quia misericordi Deo placuit cum illis nunc hac ratione agere.

31 *ἰσραὴλ δὲ*) Id est plerique Israelitæ, qui sectabantur *τὸν νόμον τῆς δικαιοσύνης*, id est justitiam, phrasi Hebræis usitata. Sic *Lex peccati*, Apostolo est peccatum: *Lex Spiritus vitæ*, vita quæ à Spiritu Dei per Euangelium annuntiata est, *Roman.* VII. & VIII. *Lex mentis*, mens ipsa dictans quid rectum sit. *Rom.* VII. 23. &c.

32 *ὡς ἐξ ἔργων νόμου*) Non dicit ex operibus Legis; sed *ὡς*, veluti ex operibus Legis. Usus autem dici potest Apostolus hac particula *ὡς*, vel ut ex obliquo Judæorum arrogantiam retunderet, qui sibi persuadebant opera sua, talia prorsus esse qualia Lex requirit, cum longe alia essent, uti in Christo sanctissimo atque innocentissimo Dei legato immaniter trucidando testatum fecerant: Vel ut hac ratione eorum errorem detegeret, qui ex operibus Legis, id est ex religione Judaica justitiam æternam haberi posse credebant; cum jamdudum satis apparuisset Legem quæ Religionis istius norma est, à nemine prout oportet servatam fuisse, sed omnes & singulos, nullo non tempore, gratia & venia opus habuisse.

32 *προσέκοψαν*) Dupliciter accipi potest: 1. ut significet, offensi fuerunt prædicatione Euangelii, qua non Lex, sed fides in Christum obedientia præscribebatur. Volebant enim per totius Legis Mosaicæ observationem, id est, per Judaismum salvari. Vel 2. offensi ista prædicatione Euangelii, eique credere nolentes, exciderunt gratia Dei, veluti ii qui pedem impingunt in lapidem & in terram cadunt. Hoc secundo sensu accipi hîc videtur, uti ex vers. sequenti colligere est. Vide Paraphrasin. Huic conveniunt optime duo illa loca, *Lucæ* II. 34. ubi Christus dicitur positus

situs εἰς πτῶσιν καὶ ἀνάστασιν πολλῶν, id est lapidis instar à Deo erectus & collocatus, qui aliis occasio erat futurus, ut si ipsi inniti vellent, salutem certam consequerentur, sin minus, ut in exitium æternum ruerent, & sic suopte vitio ac culpa perirent. Et 1 *Petr.* II. 8. ubi dicuntur aliqui προσκόπτειν τῷ λόγῳ ἀπειθοῦντες, id est, per sententiam verbi cui credere nolunt, rei fieri mortis, condemnationis & exitii æterni.

# PARAPHRASIS

## CAP. X

## EPISTOLÆ AD ROMANOS.

1 Fratres, Propensa quidem voluntas cordis mei, & deprecatio ad Deum super Israel, est ad salutem.

ATque hæc quidem cum dico, obtestor vos Fratres mei in Domino, non proficisci ea ex animo aliquo ægro, aut affectu in populares meos inimico. Absit. Ipsa rei veritas cogit me hæc proferre ac scribere. Etsi enim propensissime quidem illis bene velim, & pereuntibus libens succurrerem, quin imo nocte dieque Deum solicitare non desino precibus meis, ut pro inexhausta plenitudine gratiæ suæ; iuculentam aliquam respiscendi occasionem ipsis præbere velit ne æternum pereant; tamen non desinunt etiam illi divinæ voluntati calide se opponere, & sese ipsos divina tali gratia ac misericordia magis ac magis propria sua culpa indignos reddere.

2 Testimonium enim illis do, quod zelum Dei habeant, sed non secundum notitiam.

Fervent illi quidem (fateor, & hoc testimonium lubens illis do) zelo magno; & pro legis divinæ authoritate ac gloria retinenda strenue admodum decertant: sed zelus iste, ut ut non oriatur forte ex malitia in plerisque, revera tamen est zelus nothus ac spurius, qui ex solida notitia quam habere possunt ac debent de vera, quam Deus hoc tempore postulat, justitia, non proficiscitur: proinde qui illis ad salutem non modo non potest prodesse, sed obicis ac pessuli instar est, quo ipsi sibi aditum ad justitiam & vitam æternam intercludunt.

3 Nam ignorantes Dei justitiam, & propriam suam justitiam quærentes constituere, justitiæ Dei non fuerunt subjecti.

Etenim dum vel non satis attente, prout oportet, considerant quæ sit illa justitia, quam Deus hoc tempore postulat & probat: vel dum non curant in animum inducere, quod ea quæ per nos ipsis annunciatur justitia, sit illa vera justitia quæ ad salutem necessaria est, & interim justitiam, quam ipsi sibi persuadent justitiam illam esse quæ Deo grata est, puta quæ religione & lege Mosaica continetur, acriter contra nos tuentur & consectari pergunt, fit ut non consequantur veram illam justitiam, quam Deus in pretio habet & probat, quamque hoc tempore largiri & conferre se velle declarat.

4 Finis enim Legis (*est*) Christus, ad justitiam omni credenti.

Legem & religionem solam Mosaicam, quæ Judæis tantum lata est, ad justitiam obtinendam urgere velle videntur, sed frustra. Cessat enim jam & finem habet Lex ac religio illa, peculiari tantum populo data, postquam Christus Euangelium suum adduxit; in quo non solis Judæis, & quidem si faciant quod Lex Mosis jubet, sed omnibus pariter hominibus, tam gentibus quibus lex ista lata non est, quam Judæis quibus ea lata est, justitia & vita æterna promittitur hac una lege, si modo vere credant in Christum eique obediant.

5 Moses enim describit justitiam quæ est ex Lege: Quod qui præstiterit ea, vivet in illis.

Neque vero dubitandum est, quin alius longe sit modus ad justitiam & vitam perveniendi, qui Lege Mosis quam qui Euangelio Jesu Christi traditur. Modus enim ille quem Lex Mosaica tradit, hoc dicto continetur: Quisquis ex toto corde, ex tota anima & omnibus viribus suis præstiterit quod faciendum Lege præscribitur, hic consequetur promissam vitam & fælicitatem in terra sancta.

6 At quæ ex fide est justitia, ita dicit: Ne dixeris in corde tuo: Quis ascendet in cælum? hoc est Christum ex alto deducere.

At modus comprehensus Euangelio, quo justitia & salus æterna promittitur, non facientibus Legem aut religionem Mosaicam sectantibus, sed credentibus & Religionem Jesu Christi amplectentibus, non incommode, sed eleganter admodum, describi potest verbis istis, quibus olim Moses usus legitur, etsi alio plane sensu & fine: Noli dubitare aut ambigere in corde tuo, An bona & præmia ista quæ à Christo in Euangelio vere credentibus promissa sunt, revera suo tempore consecuturus sis; sive an post mortem cum eo æternum in cœlo beatus sis victurus, ac propterea rogare; Quis ascendet in cælum, ut certiorem me faciat, an verum sit id quod de Christo prædicari audivi? Hoc enim est tantundem atque credere nolle Christum in cœlos revera ascendisse, aut vera esse ea quæ nos testamur ac prædicamus facta esse; sed ipsum Christum, quantum in te est, ex cælo deductum coram oculis tuis videre & sensibus tuis palpare velle.

7 Aut quis descendet in abyssum? hoc est Christum ex mortuis reducere.

Deinde noli ambigere, An Christus revera ex mortuis sit excitatus, & an ii qui in fide atque obedientia mandatorum ejus moriuntur, revera etiam ex mortuis in gloriosam atque immortalem vitam aliquando sint suscitandi; ac propterea solicite rogare ac petere: Quis morietur & in sepulchro ac statu mortuorum aliquandiu in nostri gratiam commorabitur, ut videat tantum atque exploret quomodo se res habeat cum Christo, ac proinde quæ sit spes eorum qui ipsi credunt, & post mortem ab eo vitam æternam exspectant? Hoc enim est tantundem atque negare Christum ex mortuis revera suscitatum esse, aut saltem credere nolle priusquam eum ex morte & ex sepulchro ipso in vitam redeuntem aut redivivum coram ipse videas atque adspicias: quod privilegium nullis nisi nobis Apostolis & legatis ipsius, qui hoc nunc vobis annunciamus, concessum est.

8 Sed quid dicit? Prope te verbum est, in ore tuo & in corde tuo, Hoc est verbum illud fidei quod prædicamus.

Cogita potius id quod addit idem Moses: Non semper nec singulis momentis petendum est, ut coram videas quæ semel facta sunt; alioquin singulis pene momentis idem fieri necesse esset. Sufficere tibi debet si verbum illud, quod ad te ferunt ii, qui ea quæ eo continentur oculis suis viderunt, manibus suis palparunt; aut alioquin de iis plenissime sunt certiorati ac persuasi, ad manum tibi sit, ita ut corde fidem adhibere, & ore profiteri illud possis, atque ita justitiam & vitam consequi. Hoc ipsum autem quadrat optime in verbum Euangelii quod nos vobis prædicamus, & quo exigimus fidem earum rerum quas ipsi vidimus, audivimus, palpavimus & contrectavimus manibus nostris; quod videlicet Jesus, primus Euangelii author ac præco, ex mortuis resuscitatus sit, & in cælum sublatus positusque ad dextram Majestatis Dei, cum omni potestate in cœlo & in terra, subjectis ipsi Angelis, potestatibus ac virtutibus. Huic verbo vobis credendum est: ac proinde non postulandum ut videatis ipsi, quæ nos facta esse scimus ac testamur, quæque ut credatis facta esse nomine Dei vobis mandamus ac præscribimus. Et hoc verbum non est necesse ut è longinquo petatis. En per prædicationem nostram ad manum vobis est, & prope in ore atque in corde vestro; ut nullo negotio id percipere, ac credere corde & ore profiteri possitis, atque ita promissa illa bona obtinere ac consequi.

9 Quod si confitearis ore tuo Dominum Jesum, & credideris in corde tuo, quod Deus eum excitavit ex mortuis, servaberis.

Apparet id manifeste ex ipso verbi argumento, quo salus promittitur credentibus & confitentibus Jesum Dominum. Nam hæc verbi Euangelici summa est: Si tantummodo agnoveris ac professus fueris ore tuo, Jesum Dominum tuum esse, qui jus vitæ ac necis in te habeat, à cujus unius voluntate non aliter quam à Dei ipsius pendere totus debeas: & si ex animo etiam ac corde credideris, eum à Deo Patre suo revera ex mortuis suscitatum esse, & potestatem accepisse in cælo & terra, ut ex morte vivificet quos vult; proinde te, si modo ei vera fide obedieveris, quicunque tandem fueris, tanquam fidelem ipsius discipulum, ex mortuis aliquando divina ipsius potentia excitatum iri, aut alioquin æternum in morte ac damnatione mansurum esse; certo certius futurum est, ut ejus religionem solam, posthabita omni alia, amplectaris, & sic procul omni dubio salutem & vitam æternam per eundem consequaris. En si confessus fueris ore Dominum Jesum, & corde credideris, servaberis, ait verbum hoc Euangelii. Hoc autem dicere non posset, nisi prope esset verbum illud in corde & in ore tuo. Quomodo enim credentibus, vel religionem eam quam continet sectantibus, promittere posset justitiam, si non esset prope in corde, ut fides ei haberi posset? & quomodo promittere posset confitentibus salutem, si non esset prope in ore?

10 Corde enim creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem.

Fieri enim aliter non potest, quin si credendum sit, credatur corde ad obtinendum justitiam & salutem; &, si confitendum sit, ore facienda sit confessio ad consequendum æternam & immortalem felicitatem.

11 Dicit enim Scriptura: Quisquis credit in eum non pudefiet.

Neque vero est quod quis existimet, verbum hoc ad se non pertinere, aut Deum velle ut hoc fit in ore & corde, vel Judæorum tantum, uti olim Lex Mosis fuit; vel in ore & corde gentilium tantum, eo quod Judæi Legem transgressi sunt & secundum Vet. fœderis formulam se non gesserunt. Nihil minus: certum enim est, ut Scripturæ verbis utar, quæ huic rei aptè accommodari possunt; Quisquis, quisquis, inquam, vera fide & ex animo complectitur Religionem Jesu Christi, eamque profiteri non erubescit, is ut ut statim non consequatur quod sperat, nunquam tamen frustrabitur spei suæ fructu, aut à glorioso præmio justitiæ ac vitæ æternæ cum pudore aut ignominia excludetur.

12 Non enim est distinctio vel Judæi vel Græci: Nam idem (*est*) in

Dominus omnium, dives in omnes qui ipsum invocant.

in Judæos sed in gentiles quoque regnum ac dominium obtinet; quique proinde pro jure ac potestate illa sua, viam unam salutis utrisque pandere potuit. Neque hoc tantum, sed hic etiam usque adeo clemens, gratiosus ac misericors Dominus est, ut propensissimo affectu in gratiam recipere, & beneficiis cælestibus locupletare ac ditare velit, omnes omnino homines, sine discrimine nationis, tribus, sexus & conditionis, qui ita in ipsum corde credunt, ut eum etiam palam ore suo profiteantur; ac propterea missis omnibus aliis religionibus, ipsius unius cultui sese dedere non erubescant, & divina ejus potentia gratiosaque voluntate freti, in necessitatibus suis auxilium atque opem ipsius implorent.

13 Quisquis enim invocaverit nomen Domini servabitur.

Adeo ut applicare summo jure hîc liceat, id quod olim Propheta dixit: Quisquis Jesum Christum Dominum suum agnoverit, ac professus fuerit, & veluti subditus ac vasallus humilis, opem atque auxilium ejus in necessitatibus suis imploraverit, tanquam qui possit & velit eum servare; hic, quicunque tandem fuerit, æternum ipsius beneficio salvabitur.

14 Quomodo igitur invocabunt eum, in quem non crediderunt? Quomodo autem credent (*et*) de quo non audierunt? Quomodo autem audient absque prædicante?

Hæc cum ita sese habeant, facile videtis me nullo malo affectu, sed sola veritatis conscientia compulsum dixisse, Judæos populares meos, sibi ipsis aditum ad justitiam & salutem intercludere, & nihil habere quod prætexant incredulitati & contumaciæ suæ. Si verbum hoc salutis annuntiatum ipsis non esset, si præconium ejus ad aures eorum quaquaversum delatum non esset, alia foret ratio. Tum enim dicere mihi possetis atque objicere: Ignorant hanc esse voluntatem divinam, ut in Jesum Christum corde credatur, ut ore agnoscatur & invocetur. Quomodo igitur invocare poterunt eum, in quem credendi nullam occasionem habuerunt? Et quomodo credere poterunt ac fiduciam reponere in eum, de quo non audierunt mentionem unquam fieri? Et quomodo audire poterunt, si non sint qui ipsis prædicent?

15 Quomodo autem prædicabunt, nisi missi fuerint? sicut scriptum est, Quam speciosi pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona!

Et quomodo prædicabitur iis, si non sint quos Deus voluntatis suæ notitia instructos ad eos mittat? fateor recte hæc concludi & consequenter. Sed longe aliter se res habet: Quippe luculentam credendi occasionem habuerunt populares mei; & divinam Jesu Christi potentiam, ac gratiosam ipsius voluntatem, clare satis prædicari sibi audiverunt. Missi sunt ad eos de quorum authoritate, fide, veracitate ac sanctitate dubitandi nullam causam habuerunt: qui hanc Domini nostri Jesu Christi voluntatem ipsis non in angulo, non furtim quasi & subreptitie, non obscure aut involute, sed palam, sed aperte, sed irrefragabilibus signis ac virtutibus de cælo instructi, venerunt prædicatum: adeo ut digito illos monstrare, & ad eos summo jure dicere potuerint, ac merito debuerint, id quod scriptum & dictum olim legitur: Ecce hi sunt qui ad nos veniunt, veluti præcones accepti & grati, qui non tristia, non funesta, non cruenta bella, non funebres victorias, non triumphos lamentabiles nobis annunciant; sed pure pute læta, hilaria, blanda, pacifica, augusta, communia & nulli non grata: Viam scilicet consequendi æternam cum Deo pacem, & quæ pacem comitari solet gloriosam & beatam cum Deo in cælestibus locis immortalitatem. Breviter qui nobis ipsissimum Euangelium, quo nullum majus bonum desiderari potest, veniunt annuntiatum. Nullus itaque defectus à parte Dei prætendi potest: Deus in se nihil desiderari passus est.

16 Sed non omnes auscultarunt Euangelio. Esaias enim dicit, Domine quis credidit sermoni nostro?

Sed tota culpa ipsorum est. Multo enim maxima eorum pars, prædicationi & publicationi isti solemni ac claræ auscultare & fidem adhibere noluit; tanta pervicacia & obstinatione animi, ut jam merito nobis ingemiscere, & easdem querelas ad Deum effundere liceat, quas olim Propheta Esaias temporibus suis effudisse legitur, cum diceret: Domine quis eorum ad quos missi sumus, & qui nos præcones voluntatis tuæ audiverunt, fidem adhibuit prædicationi nostræ? Certe adeo pauci, ut si cum reliquis, qui credere noluerunt, comparentur, pæne nulli videri debeant.

17 Ergo fides ex auditu est: auditus autem per verbum Dei.

Hactenus ergo recte colligunt populares mei; Fidem ab ipsis adhiberi non potuisse, nisi audivissent atque intellexissent primum, quid ab ipsis requireret Deus: Et audire non potuisse, nisi verbo aliquo voluntatem suam Deus revelaret. Fides enim ex auditu est: auditus autem per verbum Dei.

18 Sed (inquam ego) annon audierunt? Imo vero in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terrarum verba eorum.

Sed ego vicissim interrogatos eos serio ac denuo volo; Annon clare satis atque aperte Deus verbum Euangelii sui inter eos sonare fecit? an non ii prædicari illud sibi aperte audiverunt atque intellerunt, aut saltem audire atque intelligere abunde potuerunt? Tantum abest ut id negare possint, ut certissimum sit id quod olim de cœlis dixit Propheta David, de verbo Euangelii inter eos prædicati rectius affirmari posse. De illis licet mutis & ad prædicandum neutiquam idoneis, dixit David, quod eorum pulcherrima structura, compages affabre facta, æquabilis motus, & luminarium tot ac tantorum augustus splendor, totidem linguæ sint, quæ divinæ Majestatis potentiam, sapientiam & bonitatem alta quasi voce prædicant: & præcones totidem, qui ubique gentium homines omnes, ad celebrandum tam augusti operis authorem, in universa terra veluti verbis significantibus hortantur & excitant. Quanto rectius hoc de verbo Euangelii dici potest? Id enim Judæi omnes, licet huc illuc in varias regiones orasque dispersi, per nos Jesu Christi discipulos, tam clare, tam frequenter, tam aperte prædicari sibi atque inculcari audiverunt, ut nuspiam angulus relictus sit, in quo præconium illud nostrum non sonuerit, & ad quem verba nostra non pervenerint; adeo ut ignorantiam prætendere nullo jure possint.

19 Sed, inquam, Numquid Israel non cognovit? Primus Moses dicit: Ego ad æmulationem provocabo per gentem quæ non est gens: per gentem intelligentiæ expertem ad iram provocabo vos.

Neque vero est quod hic rursum mihi objicias, Judæos ignorantiam hactenus prætendere potuisse, quod non cognoverint, aut inducere in animum non potuerint Euangelium esse verbum Dei: eo quod ad Gentes proferebatur, quas illi profanas, impuras & divinorum promissorum incapaces esse sibi persuadebant. Etenim si animum paulo propius advertissent ad divina testimonia, non obscure deprehendere atque observare potuissent, non esse novum atque insolens Deo, quod aliquando verbum suum etiam ad extraneas gentes transferat, & quod illæ verbum illud amplectantur, cum populus ipsius id rejiciat; ac proinde nec mirum nec novum videri debere, nedum pro ignorantiæ prætextu ac velamine adhiberi, si idem nunc fecerit Deus. Quid enim? An non Moses primarius ille Dei Propheta, testatur id à Deo jam statim circa redemti populi incunabula factum esse; cum Deum in hæc verba loquentem introducit: Quandoquidem rebellis & contumax populus meus, non desinit adhærere vanis & futilibus Gentilium idolis, meque Deum ac Salvatorem suum ista ratione ad zelotypiam quantum in se est, irritat, & tantum non inflammat in furorem contra idola & fictitia ista numina: agam cum illo quasi talionis jure, & rependam per vicem quasi injuriam istam: Vocabo Gentem quæ populus meus non est; & quam illi pro gente stolida, profana ac perdita habent: isti aperiam voluntatem meam, ut à vanitate atque insipientia sua ad sapientiam veram pervenire possit; in eam transferam beneficia mea omnia, quæ hactenus populo meo præstiti, faciamque ut intelligat ac percipiat meam erga se benevolentiam, favorem, atque amorem singularem quo illam complector. Unde futurum procul dubio est ut populus meus, vel (qua est malitia) zelotypia incendatur, odioque & invidia (tormento quovis graviore) contra gentem istam inflammetur; vel, si ulla bonæ mentis semina adhuc reliqua habet, ut intelligat ac videat cum pudore ac dolore suo, quod à me Deo suo sine causa defecerit, relictisque idolis vanis gentem illam, quam antea stultam duxerat, imitari in me rite colendo incipiat.

20 Esaias autem utitur audacia, dicitque: Inventus sum ab iis qui me non quærebant; conspicuus factus sum iis qui de me non interrogabant.

Sed quid de Mose dico? An non Esaias Propheta fidentius multo atque apertius loquitur; cum Deum dixisse ait, de gentibus noviter ad communionem divinæ gratiæ advocandis, hunc in modum: Innotuit gratia & benignitas mea iis qui de ea nihil cogitabant; beneficia mea obtuli iis qui ea non quærebant, nec ea à me expectabant aut desiderabant; & ecce illi acceperunt ea gratis animis, & tanquam præter opinionem ac spem omnem invento pretioso thesauro, repertoque quasi de improviso benefactore & fautore gavisi sunt. Contra vero de populo ipsius Israelitico hunc in modum loquitur: Rebellis & refractarius est populus meus: Quicquid conor, quicquid facio ad emolliendum & & flectendum illum ad amorem mei, id omne frustra est. Adsidue eum hortor, moneo, increpo, obtestor, & quotidie expansis quasi manibus blande solicito atque invito, ut salutaribus meis monitis aurem præbeat, & ad meliorem mentem redeat. Sed in vanum laboro. Omnibus meis conatibus, monitis ac beneficiis unam opponit rebellionem & contumaciam. Ex quibus concludo: Si Deus hac ratione jam olim egit cum gentibus, ut ad eas occasione rebellionis ac pertinaciæ populi sui verbum suum transferri curaverit, nec novum itaque nec mirum videri debet Judæis popularibus meis, si nunc idem fecerit; multo vero minus ex eo occasionem aliquam sumere debuerunt, quominus crederent Euangelio, & verbis quæ nomine Dei ipsis nunciabantur, fidem adhiberent: sed contra cogitare debuerunt, facto isto divino veluti stimulo sese excitari ad officium faciendum, & provocari ad æmulandum extranearum istarum gentium exemplum.

21 Adversus Israelem autem dicit: Totam die expandi manus meas ad populum rebellem & contradicentem.

# OBSERVATIONES
## IN CAPUT X.
## Epistolæ ad Romanos.

*Εὐδοκία & δέησις Pauli arguunt eum non egisse de reprobatione absoluta Israelitarum.*

1 ἡ μὲν εὐδοκία) Quid εὐδοκία & δέησις hoc loco sit, ex Paraphrasi satis liquet. Tantum notandum est, cum Apostolus hic de se affirmat, quod εὐδοκία sua & δέησις ad Deum sit pro Israele ad salutem; ex eo solide colligi posse, Apostolum non egisse hactenus de reprobatione absoluta & peremtoria, prout quidam volunt; sive ea objectum habeat hominem ante lapsum, sive in lapsu consideratum. Nam quorsum alioqui serviret εὐδοκία & δέησις hæc ὑπὲρ ἩΙσραὴλ, & quidem πρὸς τὸν Θεόν? Imo vero etiam ἐις σωτηρίαν? Hæc sunt incompatibilia. Nec satis est si dicas, δέησιν hoc loco nihil aliud significare quam simplicem optationem & votum. Posito enim quod id ita se habeat, nihilominus tamen tam optatio & votum, quam precatio, omnino frustra erunt, si tale absolutum & peremtorium de Israele decretum præsupponatur. Deinde erunt etiam summe indecoræ. Optare enim, vovere & precari ut Deus non fecerit quod optimo fine ipsum fecisse mihi persuadeo, est optare contra Deum & rectam rationem; ac potius (liceat ita loqui) votum fœmineum quam virile. Hæc res tanti apud me momenti est, ut credam Apostolum, ne quidem egisse in præcedenti capite de reprobatione populi peremtoria, quæ jam tum propter incredulitatem ejus facta fuerit. Cum ista enim, istiusque reprobationis jam factæ certa scientia, stare non potest talis εὐδοκία & δέησις. Nec est quod dicas optare Apostolum ut potuisset aliquando servari, non autem ut jam adhuc salvari possint: cum expresse legatur, ἡ δέησις μου ἐστὶ, jam est & durat adhuc. Quare expono: Ego quidem à parte mea omnia confero quæ possum, ut salventur fratres mei: neque ullo ægro aut alieno animo erga illos affectus, de rejectione ipsorum loquor.

3. ἀγνοοῦντες) Non significat omnino ignorantes; contrarium enim satis prolixe postea probat Apostolus; sed agnoscere nolentes, aut non satis attente animum advertentes ad eam intelligendum. opponitur enim τῷ ζητεῖν. Ita in Scripturis S. passim *nescire, non nosse, non videre, non intelligere, non audire Deum* dicuntur qui eum optime intelligunt, audiunt, norunt notitia theoretica; sed eum non colunt, & aliter se non gerunt quam si ejus voluntatem plane nescirent. Vide 1 *Sam.* II. 22. *Esa.* I. 3. *Oseæ.* V. 4. *Jer.* II. 8. & IV. 22. & XXII. 16. *Joan.* VIII. 55. & XVII. 25. 2 *Thess.* I. 8. 1 *Joan.* II. 3. 4. & IV. 6.

*Non determinari semper voluntatem à judicio rationis practico.*

Inde obiter etiam colligere est, non determinari semper voluntatem à judicio rationis practico: sed fieri posse ut quis directe contrarium isti judicio velit & agat: quod idem aperte satis indicat Servator, cum ait: *Servus qui scit voluntatem Dei & non facit, pluribus plagis vapulabit.* Hoc ipsum propterea magis notandum venit, quia alioquin sequeretur fieri non posse, ut is qui semel gratia salutari, quæ ex hypothesi eorum qui voluntatem à judicio rationis determinari volunt nunquam amittitur, donati sunt, ullo unquam tempore in peccata, imprimis enormia, incidant, nisi lux & judicium illud, quod per gratiam S. Spiritus accepisse dicuntur, ad tempus illis à Deo subtrahatur, non quidem ut non sit, (ne hypothesi suæ propriæ contradicant) sed ne illuminet: & sic Deus omnium peccatorum, quæ tales regeniti, ut vocantur, committunt, caussa vera atque unica statuatur. Hoc enim concedant & statuant necesse est; aut alterutrum horum: Eos qui regeniti sunt nunquam incidere in peccata, nedum peccata ac scelera enormia: at hoc repugnat experientiæ: Aut si incidant aliquando in peccata, fieri posse ut lux illa quæ præsens est, & in intellectu eorum semper manet, non moueat eorum voluntatem, & non determinet ad vitandum peccatum. Ut enim negligentia humana id fieri posse dicas, nihil est. Idipsum enim, ut ne negligat homo velle ac facere quod officii sui est, Lux ista impediet, quia voluntatem determinat. Id quod in gravibus atque enormibus delictis, quæ contra conscientiam fiunt, necessum est ut admittatur, quia in illis negligentia locum non habet. Sed hæc obiter.

3 τῷ Θεῷ δικαιοσύνῃ) id est, justitiam quam Deus hoc tempore probat, quæ à solo Deo authore profecta est, vel quæ Deo accepta & grata est.

*Propria justitia.*

3 τὴν ἰδίαν) ἰδία δικαιοσύνη significat hîc justitiam, non quam ipsi excogitarant aut finxerant sibi, neque quam viribus suis propriis erant consequuti; sed quam ipsi sibi persuaserant divinam esse, eo quod Deum authorem habebat, & divinæ legi ipsius conveniebat; cum tamen Deus eam abrogasset, & eam suam esse amplius nollet, idque ipsis jam aperte satis per Apostolos testatum fecisset. Propria itaque hîc non contradistinguitur ab aliena; quasi videlicet justitia Euangelica, à nobis ad salutem requisita, tota extra nos sit, & excludat omnem actum nostræ voluntatis: nihil minus: fidei enim actio est obedientia, quæ non potest non esse actio voluntatis nostræ propria, cum à Deo nobis præscribatur ac mandetur: sed eo quo diximus modo. Et idem illud vult Apostolus *ad Philip.* III. 9. cum ait; *Ut comperiar in eo non habens meam justitiam quæ ex Lege est*; id est, justitiam illam quam Lex postulat, & quam antea sub lege adhuc existens habebam. Vere enim eam *suam* appellat, quia *vers.* 6. dixerat, *quod ad justitiam quæ est in lege ego fui irreprehensus*; sed *suam* vocat isthic loci oppositè, quia Dei amplius non erat. Volebat enim Deus jam non Judæos, sed Christianos, id est, homines in Christum credentes justificare & justos censere, non autem qui Legi Mosis adhuc inhærebant. Itaque quam in hac Epistola *propriam* vocat, eam vocavit isthic *suam*, eodem plane sensu. Alioqui certum nobis esse debet, ad obtinendam remissionem peccatorum à Deo secundum Euangelium, requiri fidem vivam quæ per caritatem sit efficax, uti expresse est *Gal.* V. 6. non mortuam, uti est *Jacobi* II. 24.

*Dei justitia.*

3 τῇ δικαιοσύνῃ τοῦ Θεοῦ) Id est, vel justificationis divinæ non sunt facti participes: vel adduci non potuerunt ut crederent in Christum, & sic remissionem peccatorum æternam à Deo consequerentur. Isto sensu justitia Dei significabit justificationem, vel remissionem peccatorum. Hoc sensu justitia Dei significabit viam ac rationem consequendi veram justitiam. Et hic sensus videtur mihi melius convenire cum verbo ὑποτάγησαν. Subjici enim justificationi divinæ improprie valde diceretur. Propria autem semper impropriis præferenda sunt, cum res ferre potest, & nisi fit quod aliter fieri cogat.

4 τέλος γὰρ νόμου Χριστὸς) Expono simpliciter: jam finem habet Lex, postquam Euangelium à Christo revelatum est: & ex hoc Euangelio solo statuendum est imposterum, quæ sit illa justitia quæ Deo grata est. Christus enim significat Euangelium Christi hoc in loco, quia opponitur Legi, & expresse deinde additur, *ad justitiam omni credenti.* Hic enim est tenor Euangelii Jesu Christi. Qui exponunt Legem scopum fuisse Christi, illi si recte mentem explicent, dicunt quidem id quod quadantenus verum est; sed tam operose & tam diversimode eam nonnulli explicant, ut in labyrintho versari videantur; saltem mihi à simplicitate verborum Pauli longissime videntur recedere. Amo plana & facilia. & juxta hanc simplicem expositionem nostram, exponi possent non pauca in *Epist. ad Gal. cap.* III. quæ alioquin operose explicata, uti fit, difficultatibus innumeris pæne horrent, & lectorem detinent. Sensus enim simplex est: Legem veluti Pædagogum tam diu durasse, atque impositam fuisse populo, usque dum tempus illud venisset, quo Euangelium toti mundo revelatum est. Ex illo tempore Legis authoritatem cessasse, & Christi Euangelium obtinuisse.

4 παντὶ τῷ πιστεύοντι) Emphasis hîc est in vocibus παντὶ & πιστεύοντι. Sensus enim est; In Euangelio quod Christus adduxit, justitiam promitti non Judæis tantum, & quidem operantibus; sed omnibus, & quidem credentibus. Manifeste enim opponitur ratio justificandi Euangelio patefacta, rationi justificandi quæ Lege continetur: quod & ex sequenti versu apparet.

5 μωσῆς γὰρ γράφει τὴν δικαιοσύνην) Moses hic significat libros à Mose vel per Mosen scriptos. Justitia autem hic significat modum perveniendi ad justitiam, qui libris istis Mosaicis continetur; uti *vita æterna Joh.* XVII. 3. modum ad vitam æternam perveniendi notat, &c.

5 ζήσεται ἐν αὐτοῖς) ἐν pro ἀπό. Hebraism. id est, eo ipso quod facit illa. ζήσεται autem hîc non significat vivet post mortem immortalis; sed, in hac vita prospere & feliciter aget; juxta promissiones factas iis qui Legis mandata faciunt, quas passim legere est in Vet. Test. nominatim *Levit.* XXVI. & *Deut.* XXVII. & XXVIII.

6 ἡ δὲ ἐκ πίστεως δικαιοσύνη) Id est modus consequendi justitiam, per fidem Euangelio Jesu Christi adhibitam.

6 οὕτω λέγει) Expono: modus iste hisce verbis quibus olim usus Moses est apte & pulchre proponi potest. Non enim indicatur ista verba ideo prolata esse olim à Mose, ut iis comprehenderetur modus justificationis Euangelicæ diversus à Legali. Nihil minus. (Manifestum enim est verba illa ad Legem ipsam referri à Mose, non autem ad Euangelium; & alio longe sensu à Paulo adferri.) Sed tantum indicatur verba illa esse emphatica, & digna quibus exprimatur id quod Apostolus dicere vult. Allusio itaque est, non allegatio.

6 μὴ

6 μὴ εἴπῃς ἐν τῇ καρδίᾳ σου) Sensus est; qui Euangelio Jesu Christi ex mortuis resuscitati, & in cœlum sublati, fidem habuerit, & ex ista fide ei obediverit, is æternam & immortalem vitam aliquando cum illo in cælis vivet. μὴ εἴπῃς itaque ἐν τῇ καρδίᾳ σου, τίς ἀναβήσεται, significat, ne dubita an præmium tale Christi discipulos secuturum sit, noli cupere ut illud coram videas & manu palpes ac deprehendas, ut in lege fieri & optare solebat populus: sed crede & firmiter hoc apud animum tuum statue, præmium tale manere eos qui Christo obediunt. Verba enim ista τίς ἀναβήσεται, verba sunt dubitantis & hæsitantis, & credere non audentis sine experimento certo & palpabili: quasi esset, quis ascendet ut cognoscat, intelligat atque exploret quid ea de re sit?

6. τοῦτ' ἔστι χριστὸν καταγαγεῖν) Id est, id tantundem est. Nam qui ipse coram videre vult bonum & præmium illud quod Christus obedientibus promittit, tantundem facit atque si credere nollet Christum, cui illud à Patre promissum fuit, & qui id se cultoribus suis daturum promisit, jam in cælo esse: Vel tanquam si vellet ut Christus descenderet de cœlo, ut seipsum coram exhiberet: quod idem est atque credere nolle Christum nobis veraciter exposuisse voluntatem Dei Patris sui, & tanquam Dominum ac principem salutis nostræ in cælo jam esse, ut pro arbitrio suo post mortem etiam præmium cælestis vitæ largiatur iis quibus promisit.

7. τίς καταβήσεται εἰς τὴν ἄβυσσον) Ex oppositio membro quo dicitur, τοῦτ' ἔστι, id est, qui interrogat idem facit atque si vellet Christum reducere ex mortuis; liquet *descendere in abyssum* aliud nihil hic esse quam mori, in sepulchrum vel statum mortuorum detrudi. Status enim ille dicitur abyssus, quia sine fundo est: Nemo inde redit, omnia consumit, & abscondit sinu suo, ut mortui nunquam deinde rursus inter vivos appareant. *Ad Eph.* IV. vocat Apostolus hoc ipsum *descendere in infimas partes terræ*, phrasi Hebræa, qualem videre est *Psal.* LXIII. 10. *Esa.* XLIV. 18. & aliis locis pluribus.

8. ἐγγύς σου τὸ ῥῆμα) Sensus est; non est necesse ut è longinquo petatur, quod in promtu & ad manum est. Verbum quo ea de re certus fieri potes, & de quo caussam nullam habes dubitandi an divinum sit, sonat in auribus tuis & est quasi in ore tuo: quasi dicat, cogita ita tibi statuendum esse, cum verbo suo abunde declaraverit mihi Deus voluntatem suam, acquiescere teneor, & ut me voluntati isti submittam æquum est: non debeo velle aut cupere ut meo appetitui, meis oculis ac sensibus satisfiat, id est, ut coram videam & palpem quod futurum promittitur. Credendum est isti verbo, quod aperte satis ac solide mihi divinam voluntatem declarat. Qui exponunt locum hunc de facilitate cognitionis, ii dicunt id quod verum est, sed ad scopum non satis mihi videntur attendere.

8. τοῦτ' ἔστι τὸ ῥῆμα) Phrasis hæc τοῦτ' ἔστι hoc loco idem significat, quod eodem modo se res habet cum Euangelio: vel, verba hæc quæ Moses de Lege protulit, applicare possumus non incommode Euangelio, quod nos Apostoli vobis tam aperte annunciamus, ut dici jam vobis idem illud possit quod olim populo Israelitico Legem habenti dictum est; Prope vos est sermo Euangelicus, in corde & in ore vestro, ut nullo negotio illi corde credere possitis, & ore etiam vestro illud possitis confiteri. Hic sensus simplex & apertus est.

9 ὅτι) Particula hæc rationalis esse potest, ita ut non redundet hîc, sed respondeat ei quod per ὁμολογήσῃς subintelligi debet, hoc pacto: Et hoc indicat argumentum ipsum verbi Euangelici, quia mandat ut corde credamus & ore confiteamur Dominum Jesum: quasi dicat: Quomodo autem mandare Euangelium posset ut corde ei credamus, & ore confiteamur Christum, nisi prope esset in corde & ore, id est, nisi corde credi & ore confessio ejus fieri posset? Corde enim tantum creditur, & ore tantum fit confessio. Hic sensus est admodum simplex & facilis, quem argumentum Apostoli clare indicat, quod hoc est: Quo verbo præscribitur fides & confessio, illud prope est in ore & corde. At tale est verbum Euangelicum: Ergo. Major patet, quia non potest fieri confessio nisi ore, & fides non potest adhiberi nisi corde.

9 ὁμολογήσῃς ἐν τῷ στόματί σου κύριον Ἰησοῦν) Id est, vel confessus fueris Jesum Dominum tuum esse: vel confessus fueris Jesum qui revera Dominus est, & Dominus vocari meretur: vel simpliciter Dominum Jesum, ut Domini vox sit appellativa tantum. Utrocunque modo sumatur, certum est confessionem significare talem oris confessionem, qua quis sese subditum Jesu Christi & discipulum ejus profitetur, ejusque Legibus se velle parere declarat: & in eo ipso quod id confitetur, Domino Iesu paret. confessio enim est actus præscriptus à Domino Jesu; & quidem isto tempore admodum difficilis ac periculosus; uti videre est *Matth.* X. 22. unde qui ore confitentur Jesum, intelliguntur Jesum Dominum suum agnoscere, eique obedire. Alias quando ὁμολογία aut ὁμολογήσεις pro nuda tantum oris professione sumitur, iis tribui solet qui δικαιοσύνην ἐλλιπῆ, *Tit.* I. 16. sed factis negant.

9 καὶ πιστεύσῃς ἐν τῇ καρδίᾳ σου, ὅτι) Vox *fidei* non significat hoc loco nudam tantum confidentiam, aut adsensionem puram putam, quod verum sit Jesum resurrexisse: ita enim Diaboli credunt, imo id sciunt ita se habere: sed per synechdochen vel ἔκθεσιν, significat assensum qui adhibetur toti doctrinæ Jesu Christi, quod videlicet ea quæ dixit, fecit, jussit, promisit, comminatus est, vera sint & Dei ipsius nomine dicta, facta, jussa, promissa, &c. Hoc enim totum complectitur Apostolus, cum dicit, *quod Deus eum suscitavit è mortuis*. Nisi enim vera essent ista omnia, non suscitasset eum Deus è mortuis. Ergo si credas Jesum suscitatum à Deo è mortuis, necesse est ut credas ea omnia, quæ ab ipso dicta sunt, vera esse. Unde concludo fidem hoc loco comprehendere, non nudum tantum adsensum qui veritati isti adhibetur, quod Christus à Deo suscitatus sit; sed (quod adsensum talem necessario comitatur) obsequium & officium spontaneum. Fieri enim non potest ut mortalium quisquam, qui credit verum esse id quod Christus docuit & promisit comminatusque est, non pareat atque obediat etiam Jesu Christo. Credere enim debet se vitæ æternæ certo futurum participem si obediat; & non futurum unquam participem, sed in æterna condemnatione mansurum si non obediat. At quomodo quis qui hoc vere credit inobediens manere potest? nisi quis seipsum studio & dedita opera damnatum ire velit: quod impossibile est. Nota autem per resurrectionem, intelligi resurrectionem in vitam immortalem, & totam quæ eam consecuta est glorificationem, ut distinguatur à resuscitatione sanctorum quorundam in hanc vitam mortalem, qui postea iterum mortui sunt: & ut fidei ac spei nostræ sua constet basis ac fundamentum. *Credere Deum susc. è mortuis.*

10 καρδίᾳ γὰρ πιστεύεται εἰς δικαιοσύνην) Sensus simplex est: Credere enim nemo potest aliter quam corde, & confiteri nemo aliter potest quam ore, uti ex Paraphrasi liquet, & ex reipsa. Hinc apparet justitiam & salutem diversa hic non esse aut significare, sed unum idemque. Neque enim emphasis in eo est *ad justitiam* & *ad salutem*, sed in voce *cordis*; quasi legeretur, cum creditur ad justitiam, non creditur nisi corde: & in voce *oris*, quasi legeretur, cum confessio fit ad salutem, ea fieri aliter non potest quam ore. Id enim sibi vult Apostolus, uti ex reipsa manifestum est.

11 λέγει γὰρ ἡ γραφή) Particula γὰρ ἔκθεσιν aliquam hic significat, tanquam si legeretur: Cum dicit verbum, *Si confessus fuero ore, & credidero corde*, neminem excludit. Verbis enim Scripturæ hic uti possum, cum dicit: *Quisquis credit in eum*, & *quisquis invocaverit nomen Domini*, id est, quisquis credit corde, invocavit ore. Quænam Scriptura hîc citetur video controverti. Quæcunque sit, sive ἐξ τοῦ ἑνὸς, sive ἐξ πλῶ λεγόντων citetur, certum est ejus sensum passim reperiri. Quanquam verisimile est locum ex *Esa.* XXVIII. 16. citari, juxta interpretes LXX. In Hebræo enim est, *ne festinet*. Notandum tamen hoc loco est, quod Scriptura ista non citetur ad comprobandum, quod in Vet. Fœdere ad gentiles etiam promissio eadem illa, quæ nunc sub Euangelio est expressa, pertinuerit, si modo crederent: Nihil minus: Legi enim etiam Mosis se subjicere debebant gentiles, si promissorum Legis participes esse vellent: Sed quod tantum Scripturæ istius verba accommodentur ad rem subjectam, prout in more habet Apostolus: sive velimus id factum ab Apostolo, quod sciret Deum olim sub istis verbis sensum illum intendisse & propositum habuisse, sive non: perinde enim est: dummodo ex verbis illis argumentum non formatum ab Apostolo, sed ad illa allusio tantum facta dicatur.

12 γὰρ ἐστὶν ἐπικαλούμενοι) Verbum ἐπικαλεῖσθαι cum casu quarto constructum, sive in significatione activa, multis modis accipitur. Aliquando significat aliud nihil quam nominare & appellare, sive ὀνομάζειν & ἐπονομάζειν, uti 1 *Petr.* III. 17. aliquando provocare ad judicem superiorem, uti *Act.* XXV. 11. & XXVI. 32. & XXVIII. 19. videre est. Aliquando opem & auxilium implorare, sive invocare, ut *Act.* II. 21. Aliquando vocari de nomine alicujus, & profiteri nomen ac disciplinam ejus; convenienter phrasi Hebrææ, qua vocari in nomine alicujus, invocare nomen alicujus super aliquo, idem significat quod denominari de nomine ejus. vide *Gen.* XLVIII. 19. *Esa.* IV. 1. Hoc sensu & pænultimo accipi hic potest verbum ἐπικαλούμενος, ut significet eos qui à Christo Christiani cognominantur, & nomen Jesu Christi rite profitentur, vel qui cultores ejus sunt. quo sensu volunt quidã intelligi locum 1 *Cor.* I. 2. & isti convenienter alia quædam loca, 2 *Tim.* II. 19. 1 *Cor.* XII. 3. *Act.* IX. 14. Vel eos qui ipsum invocant, id est opem &

auxilium Jesu Christi implorant in necessitatibus suis: quo sensu accipitur *Act.* VII. 59. & II. 21. ubi locus etiam sequens Ioelis citatur, eodem plane sensu quem hîc per allusionem etiam indicari, & Christo Jesu Domino accommodari manifestius est quam ut probari oporteat. vide Paraphrasin.

14. πῶς οὖν ἐπικαλέσονται) Id est, quomodo cultores Jesu erunt, aut opem ejus in necessitatibus implorabunt, vel implorare poterunt, in quem non crediderunt, id est, occasionem credendi nullam habuerunt? Verba enim hæc continent vel objectionem quandam Judæorum, quam vides in Paraphrasi: vel declarationem quandam majoris illius quam fecit Apostolus, cum dixit, verbum Euangelii necesse esse ut prope sit in ore & in corde nostro; quia continet hanc summam, ut in Christum credamus corde, & ut ore eum invocemus aut confiteamur. Quod si verbum hoc non pervenerit ad omnes Judæos passim dispersos, quomodo igitur invocabunt Jesum Dominum? aut quomodo in eum credent? Particula arguit hunc sensum manifeste, etiamsi non raro redundet in Novo Testamento. Nota interim, *Quomodo invocabunt?* explicandum esse per, quomodo invocare illis possibile est, non autem per, quomodo illis licet invocare? uti ex commate sequente apparet: *quomodo credent*; id est, quomodo credere poterunt, *si non audierint?* loquitur enim de prima auditione, sine qua impossibile est credere. quis enim credet de quo non audivit? In cæteris eadem est ratio.

15 καθὼς γέγραπται) Sensus est; Tantum abest ut non pervenerit ad eos omnes verbum Euangelii, ut contra omnes occasionem luculentam habuerint dicendi, sicut olim scriptum est; Quam speciosi pedes Apostolorum, qui nobis Euangelizarunt. Iterum Apostolus verba hæc de alia re dicta, accommodat ad suum propositum, quia erant valde emphatica & huic rei optime servientia. Mos hic citandi authorum quorundam verba, Scriptoribus omnibus familiaris est.

16 ὑπήκουσε) Id est plerique, Hebræa locutione, quam & vide supra *cap.* III. *vers.* 3. & alibi. Confirmat explicationem id quod ex Esa. citatur artificiose ab Apostolo: *Domine qui credidit*; id est, quam pauci crediderunt? vix unus mihi aurem præbuit.

17 ἄρα ἡ πίστις ἐξ ἀκοῆς) Expono: Recte dicis mihi; Fides non gignitur nisi ex auditu, vel nisi primum audiatur quod credendum est: non potest autem audiri istud, nisi verbum Dei præcedat. Non enim indicatur hoc loco proprie quid efficiat fidem, vel quod verbum efficiat fidem, & quod ex verbo fides gignatur; sed tantum quid illud sit, sine quo fides effici aut gigni nequit; sive quod sine verbi Dei auditione fides gigni nequeat: ac proinde opus fuisse, ut verbum Euangelii prope esset in ore & corde Judæorum, ut credere illi & confiteri illud possent. Dicere itaque videtur Apostolus meo judicio: Concedo verum esse & certum, quod fides non possit adhiberi, nisi verbum fidem imperans primum audiatur, &c. Sic enim pulchre connectitur cum eo quod sequitur: Sed dico, *an non audierunt?* nisi fortasse quis velit verba hæc ita accipi ut opponantur illis: *Ne dixeris in corde tuo, quis ascendet?* quasi dicat: En eo ipso quod dicas ad fidem requiri & sufficere verbum auditum, confirmas non esse postulandum, ut coram videamus ea quæ credenda sunt. Sed persto in sensu primo.

18 μενοῦνγε) Non citat Apostolus verba hæc ad probandum quod audiverint, tanquam si illa prædictionem auditionis futuræ continerent; sed pro more suo ad ea tantum alludit, tanquam explicandæ suæ responsioni accommodatissima. Vide Paraphrasin, quæ id satis clare ostendit.

19 ἀλλὰ λέγω, μὴ Ἰσραὴλ οὐκ ἔγνω;) Beza addit *Deum*, sine necessitate, aut ratione: imo præter scopum loci. Et quis Judæus id quærat, utrum Israel non cognoverit Deum? Existimo supplendum esse textum per hæc verba, Ad gentes etiam proferri posse Euangelium. An ea re offensus est Israel, tanquam si ea signum esset, unde colligere jure merito posset, Euangelium non esse profectum à Deo? ἔκβασις hic est quæ responsione hac supplenda est: Non possent hoc mihi jure regerere; Si enim Scripturam considerassent, longe aliter se rem habere potuissent intelligere. Reliqua ex Paraphrasi liquent satis clare.

# PARAPHRASIS

## CAP. XI.

### Epistolæ ad Romanos.

1 Dico igitur: SEd hîc fortasse, amore populi Dei adductus, ex me iterum quæres; Anne igitur Deus, ita universum amorem atque favorem suum transtulit ad Gentes, ut populum suum Judaicum, quem ipse populum suum esse voluit, quem præteritis cæteris nationibus omnibus in populum suum elegit, cujus se Deum futurum in sæculum promisit, nunc prorsus averserur & in totum rejiciat, adeo ut nullius sit. Nam ex populo misereri amplius velit, eo quod populus totus & Euangelio non credere, sed Legi Mosaicæ adhærere velit? Huic quæstioni operæ pretium est ut respondeam. Dico itaque, Absit ut unquam cuiquam nostrum id in mentem veniat. Contrarium enim satis apparet hoc ipso tempore in me, qui non modo ex populo isto sum, genusque per antiquam majorum meorum lineam ex Israele, qui nomenclaturam populo dedit, atque ex Abrahamo primo populi parente, duco: sed ex ipsa tribu Benjamin, quæ olim tota exscindi meruerat, & jam una cum tribu Iuda maxime persequitur eos, qui relicto Mose Religionem Christi profitentur, originem traho: quippe antea non modo incredulus aliquamdiu fui, cum cæteris popularibus meis, sed Legis assertor ac vindex acerrimus, & eorum qui in Christum credebant ex Gente nostra hostis ac persecutor maximus: Cujus tamen Deus, non obstantibus omnibus istis, misereri voluit, simulatque ductus pœnitentia eorum quæ ignorans feceram, revelationi divinæ fidem adhibui, & jussibus Iesu Christi non refragari amplius in animum induxi: quem, quod amplius est, legati & Apostoli sui honore, idque inter extraneas gentes, dignari ipse Iesus voluit, ut de ejus misericordia nemo ex gente nostra desperaret.

Num abjecit Deus populum suum? Absit. Nam & ego sum Israelita, ex semine Abraham, tribu Benjamin.

Et cur desperaret quisquam? Neque enim Deus rejecit unquam populum suum, quem ipse pro gratioso suo consilio, quod ipse apud sese nulla alia re antea motus cæpit, præ aliis pro suo agnoscere atque approbare, & ex communi multoque maxima incredulorum turba segregatum, pro peculiari populo suo habere voluit, licet is pusillus & exiguus admodum sit. Quod si quis itaque existimet, propterea universum populum Israeliticum rejectum à Deo esse, quia multo maxima ejus pars propter incredulitatem à Deo rejecta est; ille vehementer fallitur. Quid enim? An nescitis fratres, idem nunc fieri posse, quod olim temporibus Eliæ accidisse Scriptura testatur: cum nimirum Elias, quanquam Propheta Dei esset, universum populum Israeliticum à Deo defecisse, & optimos quosque ab eo cæsos atque interemtos esse, se vero unum ac solum superstitem, ex universali cæterorum omnium cæde atque internecione, evasisse crederet; eoque nomine gemens ac suspirans contra eos qui tum rerum potiebantur in Israele, Achabum scilicet ac Jesabelem, idoli Baalitici cultores, Deique servorum persecutores, & contra totum pæne iis suffragantem populum, ad Deum clamaret ac diceret?

2 Non abjecit Deus populum suum, quem prænovit. An nescitis in Elia quid dicat Scriptura? quomodo colloquatur cum Deo contra Israelem? dicens:

Domine, Domine, quo nunc redierunt res populi tui? En ii qui populo præsunt, adeoque populus tuus pæne totus, non solum deserto te Baalis idolum colunt, ejusque sacerdotes ac sacra in pretio atque honore habent; sed etiam eos qui restabant adhuc incorrupti cultores nominis tui, adeoque Legatos ac nuntios tuos; Prophetas, inquam, tuos quos tu Spiritu tuo sancto dignabaris, & qui in nomine tuo ad ipsos veniebant, ad unum omnes interemerunt: & ne cultui tuo locus amplius sit, altaria tua & sacra omnia, ubi nomini tuo non Baalis adhuc litabatur, pessum dederunt: adeo ut ego solus atque unus ex tanto numero superstes sim: & ecce vitæ etiam meæ insidias struunt.

3 Domine, Prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt, & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam.

Huic enim Deum expresso oraculo respondisse testatur historia hunc in modum: Falleris multum Elia, & nescis quid ego pro singulari mea misericordia fecerim. Laxavi, fateor, frænum tyrannidi Achabi & Jesabelis, & furere eos permisi in Prophetas servos meos, aliosque fideles nominis mei cultores. sed ut gratiæ meæ magnitudinem videas, & justam contra Baalis cultores indignationem; sævitiæ ac crudelitati eorum subduxi, aut in manus eorum incidere nolui, septem (id est multa) millia virorum, qui etsi ob peccata sua antecedentia alioquin exscindi atque interfici meruissent, hac una tantum de causa in vita gratiose conservati à me sunt, quod genua sua coram idolo Baal flectere noluerint: & hactenus saltem voluntati meæ obtemperaverint, sesque mihi probaverint, quod idololatria ista communi se non polluerint, sed populus meus, meoque unius cultui addictus, non obstantibus tot periculis manserint.

4. Sed quid dicit ei divinum responsum? Feci, ut remanserint mihi septem millia virorum, qui non flexerunt genua Baal.

Idem hoc tempore usu venit. Pleraque & multo maxima populi pars incredula est, & in incredulitate perstat, ac proinde à Deo rejecta est: sed propterea credendum cum Elia non est, nullos omnino supereſſe, quos Deus pro populo suo agnoscat. Restant, restant etiam, inquam, non-

5 Ita igitur & nunc hoc tempore, reservatio

nulli,

secundum electionem gratiæ facta est.

nulli, licet pauci, quos Deus sibi in peculiarem populum ex reliqui rejectorum ac pereuntium turba eligit, & æternum salvare vult; nimirum ii qui etiamsi cæteris Judæis meliores non fuerint, imo forte pejores, si vita eorum præcedens consideretur, hoc uno tamen sese Deo præ cæteris probant, quod anteactæ vitæ renunciantes, voluntati ipsius cum cæteris incredulis hoc tempore non refragentur, sed sponte atque ultro sese ei submittant, credentes in Filium ejus Jesum Christum: & non ex Mosaica lege, sed ex Euangelio quod ipsis prædicari curavit, justitiam ac salutem quærentes. Et hi, licet paucissimi in tanta turba, sunt populus ille Dei verus, quem Deus pro populo suo agnoscere vult: non quia id præ cæteris jure quodam suo ac privilegio merentur; sed quia Deus tales, licet peccatores fuerint, pro populo suo gratiose habere ac censere vult, cæterorumque incredulorum & pereuntium turbæ, pro ingente sua misericordia, ac gratia sive favore indebito, eximere.

6 Quod si per gratiam, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia: Si vero ex operibus, jam non est gratia, alioquin opus non amplius est opus.

Quod si totum hoc, quod populus Dei & divinorum beneficiorum participes fiamus, à sola gratiosa Dei voluntate dependet; qua videlicet ipse ex seipso motus, decreverit ex communi eorum, qui per peccata sua contra legem commissa exscindi & perdi meruerunt, turba, & ex universali exitio ac perditione, gratiose eripere eos solos, qui modo Euangelio ipsius credunt, & voluntati ipsius, quam per illud ipsis ante excidii tempus revelat, obtemperare imposterum non detrectant: utique jam certum est, frustra esse eos omnes Judæos, qui populus Dei esse ac censeri volunt, seque ab æternæ perditionis periculo immunes futuros putant, cum legi Mosaicæ, spreta Christi Religione inhærere pergunt, eaque opera facere studeant, quæ lege ista continentur. Eo ipso enim, non modo dedignantur gratiæ divinæ liberalitatem; sed eam etiam, tanquam vanam, prorsus è medio tollunt atque irritam reddunt. Gratiam enim necesse non habet ambire is, qui facit id quod lex præscribit; nec gratiam eidem fieri necesse est. Qui enim facit id quod Lex jubet, is vi Legis præstitæ, aut operum secundum legem factorum, eximitur perditionis periculo, neque ulla gratia aut remissione peccatorum opus habet. Pugnant enim Legem servare prout oportet, aut facere opera quæ & qualiter ea fieri Lex jubet, & gratia vel remissione peccatorum, sive operum contra Legem factorum condonatione, opus habere. Alioquin enim obedientia secundum legem præstita, & quæ vitæ promissionem adjunctam sibi habet, non foret obedientia, sed esset cum peccatis & inobedientia, cui lex mortem præcisè comminatur, conjuncta, quia remissione gratiosa indigeret: quod absurdum est.

7 Quid igitur? Quod requirit Israel hoc non est adsecutus, sed electio obtinuit: reliqui vero occaluerunt.

Quid hinc sequatur facile videtis: Id nimirum quod jam ante dixi; Judaici sive Israelitici populi multo maximam partem, per incredulitatem excidisse populi Dei honore ac titulo, & non esse adsecutam justitiam ex lege, quanquam magno studio ac zelo eam ex operibus illius quærere voluerit; sed frustratam esse spe atque opinione sua, divinoque & ingente illo æternæ vitæ præmio ac beneficio. At reliquias illas populi exiguas, quæ in Christum crediderunt, & relicta Lege quam peccatis suis violatam esse sciebant, oblatam gratiam divinam sunt amplexæ ex mera Dei benignitate, qua ipsi visum fuit credentes, licet, uti cæteri, peccatores, magnæ illi perditorum turbæ eximere, sibique reservare, & quasi segregare in populum peculiarem, beneficiisque suis cælestibus ac sempiternis afficere: has, inquam, reliquias obtinuisse populi Dei titulum, & privilegia Euangelio gratiose promissa.

8 Sicut scriptum est; Dedit eis Deus spiritum soporis, oculos ut non videant, & aures ut non audiant, usque ad hodiernum diem.

Et hasce quidem solas: Cæteri enim omnes, qui credere noluerunt, non exciderunt tantum titulo populi Dei, sed (utar duro vocabulo) injustitiam & incredulitatem veluti callum animo suo obduxerunt; adeo ut longo & diutino beneficiorum divinorum, aliorumque argumentorum quæ ad ipsos emolliendos, atque ad fidem adducendos, adhibita hactenus sunt, contemtu & vilipendio incapaces & ineptos sese reddiderint ad veritatem Euangelii recipiendum: ideoque optimo jure in illos quadret, quod olim Esaias de Judæis sui temporis scriptum reliquit. Perversus & omnino miser est populus hic. Etenim cum Deus hactenus illum tam benigne vocaverit, invitaverit, solicitaverit; cum tot vicibus & tam variis, blandis, severis, omnisque generis modis ad meliorem mentem convertere conatus sit, tantum abest ut eo usque pervenerit, ut illi meliorem mentem indiderit, ut contra ex universa illa agendi ratione, non aliter quam ex soporifero aliquo poculo, aut succo dato aut propinato à Deo, hauserit spiritum torpidum, stupidum, crassum & fuliginosum; usque adeo ut jam toties audiendo divinam vocem, & monita ac præcepta ipsius auribus suis quasi adsidue hauriendo, & opera ipsius mirabilia adipiscendo, factus sit veluti ebrius, somnolentus & veterno alto obrutus atque oppressus: cujus oculi caligine suffusi, & aures humore crasso oppletæ sunt, neque amplius quid Deus ipsi proponat, suggerat, aut ab ipso postulet scire vel audire possit aut curet: Deo etiam justo suo judicio interea permittente, aut potius non inhibente, in pœnam tantæ contumaciæ, ut occasiones illi hinc inde obveniant, quæ cum non facile sinant à proposito discedere, sed magis magisque veluti sopore alto obruant atque oppleant.

Nec minus apte ac commode ad eos referri potest, quod Propheta David in Psalmo olim dixit; Quandoquidem ipsi ita volunt, & quæcunque hactenus salutaria ipsis proposita sunt, ad palatum & gustum eorum non faciunt, sed ea superbe respuunt ac fastidiunt; eveniant itaque iis contraria omnia, & pro salutaribus ac dulcibus, lautis atque opiparis illis beneficiorum divinorum ferculis, quibus eos hactenus Deus pascere, exhilarare, & ab æterna morte præservare voluit, sed frustra atque incassum; accidant illis veluti talionis jure noxia, amara, tristia: laquei (inquam) ignorantiæ, errorum retia, tendicula exemplorum malorum, &c. quibus intricentur, suffocentur, & æternæ morti ac perditioni implicentur. Ita enim volunt, & ita puniri vicissim merentur.

9 Et David dicit: Fiat mensa eorum in laqueum, & tendiculum & offendiculum & talionem eis.

Addamus quæ ad hæc insuper Propheta adjicit: Quandoquidem omnia ea, quæ hactenus illuminandis mentibus ipsorum in veritate Euangelii, corrigendis affectibus ipsorum ad amorem pietatis, denique sanandis ipsis à prava peccandi consuetudine, copiose, diu, multumque adhibita ô Deus à te fuerunt, frustra & sine omni fructu sunt, eo quod illi animum advertere ad ista nolunt, præjudicio Legis tuæ fascinati; jaceant itaque altissimis ignorantiæ tenebris sopiti & circumfusi, neque unquam mentem, jampridem culpa ipsorum incurvatam & inclinatam in id quod ipsi volunt, erigant aut attollant recta ad veritatis contemplationem, æterno suo damno ac malo. Invitum enim qui servat, idem facit occidenti.

10 Obtenebretur oculi eorum, ut non videant, & tergum eorum semper incurva.

Tristis profecto & funesta est hæc Judaici populi calamitas. Quod si autem hac occasione quærere ex me pergas; Anne igitur adeo deliquit populus, & incredulitate sua in tantam Dei indignationem incidit, ut jam de eo prorsus actum & conclamatum sit? an gentes in ejus locum ita sunt vocatæ, ut ipse jam à spe omni gratiæ & misericordiæ in totum & penitus exciderit? Respondebo. Nihil minus. Longe aliud est Dei consilium, fateor: præbuerunt illi quidem Deo, rebellione & contumacia sua, occasionem ad gentes transferendi salutis æternæ doctrinam: sed tantum abest ut eo animo atque intentione illam Deus transtulerit ad gentes, quasi populi sui Judaici, licet rejecti, curam nullam imposterum gerere, aut ab omni spe gratiæ secluſum eum manere voluerit; ut ea ipsa translatione, gentiumque ad fidem vocatione, uti velit tanquam aculeo stimulo quodam & calcari, quo populum suum stupentem ac somnolentum ad resipiscentiam & fidem fortiter incitet atque impellat. Postquam enim omnia frustra apud eum tentata esse, nihilque profectum vidit, tam multis, crebris, omnique exceptione majoribus argumentis, signis ac prodigiis, unicum quasi remedium superesse adhuc judicavit, si videlicet eos desereret, & ad extraneas gentes Euangelii gratiam & æternæ salutis doctrinam transferret, easque credentes beneficiis suis divinis largiter ac liberaliter perfunderet; ut hoc videntes increduli Judæi, aliquando tandem zelotypia quasi incenderentur, & relicta Lege Mosaica, ad imitandum gentium illarum fidem & obedientiam exstimularentur, sicque iterum favoris ac gratiosorum beneficiorum ipsis primitus promissorum participes fierent.

11 Dico igitur: Num impegerunt ut caderent? Absit. Sed per eorum ruinam salus gentibus, ut eos ad æmulationem provocaret.

Nec dubitandum est quin si divinæ huic intentioni & consilio respondeat eventus, ita ut Judæi zelotypia incensi Religionem Christi amplectantur, & Jesum etiam Dominum suum agnoscant, magnum ea res ad plurimorum salutem momentum allatura sit. Etenim si lapsus & jactura unius populi Judaici, per occasionem reliquo mundo tantum profuit, ut ex illo tempore quamplurimæ nationes, per universum pæne mundum quaquaversum dispersæ, & cum ipsorum exiguo numero neutiquam comparandæ, cognitione salutaris doctrinæ Jesu Christi & cælestium promissorum spe ditatæ fuerint ac locupletatæ, &, si dum illi defectione sua ex populi Dei numero excidunt, eumque valde reddunt exiguum, interim multo plures gentes, nihil offensæ eorum rebellione & contumacia, catervatim ad oblatam Euangelii gratiam accurrerint, & sic divinorum

12 Quod si eorum ruina est opulentia mundi, & diminutio eorum opulentia gentium, quanto magis plenitudo ipsorum?

beneficiorum thesauros ac benedictionum supercælestium divitias consequutæ sint: cum tamen nihil sit quod illas magis potuerit offendere; & à Religione Christi alienas reddere, quam quod viderent eam à populo Dei ipso rejici; quid putatis futurum, si totus ille populus, aut maxima ejus pars, vestra fide & pietate provocata, quasi manu facta & pleno numero ad Christianam religionem aliquando accederet, & concordi atque unanimi fide Filium Dei Jesum Christum, Regem ac Dominum sibi promissum agnosceret & reciperet? dubium non est quin multo plures adhuc, exemplo eorum excitatæ, ad fidem Christi convolaturæ essent.

13 Nam vobis dico gentibus, quatenus quidem ego sum Apostolus gentium: ministerium meum glorifico:

Et quandoquidem populi hujus conversio tanti momenti est, hæc causa etiam est quod apud vos, ô gentes, (vos enim appello quibus ego, licet natione Judæus, ante omnes alios instruendis, & potissimum erudiendis, à Jesu Christo missus sum, quorumque saluti promovendæ præcipue me totum impendere ex officio teneor) tanta cum sedulitate, cura, studio, fide, tolerantia, precibus, signis, prodigiis & factis, in munere mihi mandato nocte dieque occuper, & fidelis ac non vulgaris ministri gloriam qua possum ratione mihi conciliare studeam, in plurimis vestrum ad religionem Christi adducendis, & qui jam reducti sunt in eadem stabiliendis ac confirmandis:

14 Si quomodo ad æmulationem provocem consanguineos meos, & servem aliquos ex ipsis.

Non tam propter vos, quam propter Judæos populares meos, affinitate generis mihi quidem junctos, sed fide à me alienos; ut hac ratione, si qua fieri possit, egregia videlicet vestra fide & pietate singulari, an invidiam atque æmulationem eos provocem; si forte ea incensi, veluti zelo quodam acri, non solum imitari velint fidem vestram, sed præripere quasi vobis fidei & obedientiæ palmam cupiant: & sic, si non omnes, quod tamen ex animo cuperem, saltem aliquos eorum, perditioni atque exitio cæterorum eximam, & salutis æternæ participes faciam.

15 Nam si abjectio eorum est reconciliatio mundi, quæ assumtio, nisi vita ex mortuis?

Magnæ profecto voluptati ac gaudio ea res mihi vobisque futura esset. Etenim si occasione incredulitatis eorum, per quam illi qui amici nobis & adeo cari erant, à nostro quasi corpore avulsi, nobisque inimici facti sunt, & à Deo rejecti, id cum gaudio accidisse vidimus, ut multo plures, adeoque mundus pæne totus, antea Deo & nobis invisus atque inimicus, per Euangelii prædicationem, relictis patriis ritibus, mundanoque & divinæ voluntati contrario vivendi genere, ad Deum conversus fuerit, & non tantum cum eo in gratiam redierit, sed etiam nobiscum, qui relicta Mosis Lege Religionem Jesu Christi amplexi sumus, & Euangelio credidimus, iterum quasi coaluerit, & positis inimicitiis unus populus factus sit: quanti gaudii occasionem & materiam datum nobis iri creditis, si exemplo vestræ fidei & pietatis, ad æmulandum excitati Judæi aliquot fratres mei, crederent Euangelio, & à Deo rursum assumerentur in gratiam? multo certe majoris gaudii, quam si aliqui ex inimicis amici nobis fierent. Perinde enim foret ac si conjunctissimos & amicissimos nobis, qui jam mortui erant, beneficio divino in vitam redire videremus, aut potius tanquam si ii qui jam erant morti & damnationi devoti culpa sua, jamque tantum non perierant, præter omnem opinionem æternæ vitæ atque immortalitatis spem reciperent.

16 Quod si primitiæ sanctæ (*sunt,*) etiam massa (*sancta erit:*) & si radix sancta (*est,*) etiam rami.

Neque vero existimandum vobis gentilibus est, aut eo loco jam esse Judæorum res, ut postquam vos in populum adsumti estis à Deo, de iis plane actum sit, ita ut in gratiam cum Deo redire, & populus Dei fieri nullo iterum modo possint, aut Deum ita abjecisse eos, ut eorum tanquam populi quondam sui curam nullam amplius gerere velit; proinde frustra etiam esse ut vos de iis servandis cogitetis. Etenim manet adhuc apud Deum memoria Patrum istorum à quibus illi oriundi sunt, & quibus illam gratiam fecit Deus, ut se non tantum ipsorum, sed etiam feminis ipsorum post ipsos, Deum in sæculum futurum promiserit. Quocirca è contrario colligendum vobis est, hîc idem evenire quod in primitiis & radice solet. Si primitiæ frugum aliarumque rerum Deo oblatæ, sanctæ sunt ac benedictæ, tota etiam massa in illis sancta ac benedicta est. Si radix à Deo sanctificata & quasi consecrata est, etiam rami, qui ex ea oriuntur, sancti censeantur necesse est. Eodem modo & hîc. Si Deus Patres horum Judæorum olim, tanquam principes & authores populi totius, favore & peculiari gratia complecti voluit, adeo ut eis promiserit se Deum eorum & seminis eorum in generationem & generationem futurum, utique credendum est Deum promissi hujus sui memorem mansurum semper esse, & populi ex illis veluti ex radice orti, & in ipsis veluti in primitiis suis sanctificati, curam etiam gesturum, neque unquam illum ut profanum prorsus repudiaturum esse; proinde nostrum etiam esse ut quantum in nobis est, saluti eorum studeamus.

Neque verò ex eo quod nunc eorum magna pars per incredulitatem suam à Patribus degeneravit, & propterea, non aliter quam rami ex olea defracti, succo & pinguedine solita destituuntur, larga etiam benedictione Patribus ipsorum promissa, spequæ æternæ salutis, quæ per Euangelium ipsis annunciata est, excidat; sequitur Deum populi totius ex illis orituri, tanquam impii & profani, curam nullam imposterum gerere velle. Neque vos qui oleastri, id est, qui alieni prorsus eratis à Repub. Israelis, & ad populum Dei cui promissio facta erat non pertinebatis, nunc vero etiam non aliter quam insiti quidam rami, reliquis fidelibus Judæis per fidem accessistis, & non tantum locum eorum qui exciderunt quasi suppleveristis, sed etiam beneficiorum ac promissorum populo isti soli factorum participes facti estis:

17 Quod si vero nonnulli rami defracti sunt, tu vero quum esses oleaster, insitus es in ipsis, & particeps radicis ac pinguedinis oleæ factus,

Vos, inquam, non habetis causam ullam superbiendi, aut insultandi illorum infortunio seu infelicitati, nedum vobis persuadendi Deum jam vestri solius curam gerere, vos solos pro populo suo habere, Judæos autem veluti profanos ipsi curæ amplius non esse, ac propterea non necesse esse ut vos etiam de eorum salute soliciti sitis.

18 Ne gloriare adversus ramos.

Quod si id feciſtis hactenus, cogitate quæso quam illud iniquum sit atque indecorum. Non enim ex vobis orti sunt, aut vobis debent Patres eorum quod titulum & privilegia populi Dei portent; sed vos illa omnia ipsis debetis, eo quod populus Dei non fuissetis unquam, nisi quatenus fidem eorum imitando, & sic ex iis ramorum instar nascendo, populi Dei pars & portio facti & habiti estis; atque ita, mediantibus quasi ipsis, divinæ gratiæ & cœlestium benedictionum ad ipsos pertinentium suavitatem simul & copiam, veluti mediante radice rami succum ad se trahere solent, ad vos derivassetis.

18 Quod si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te.

19 Dicis igitur: defracti sunt rami, ut ego insererer.

At inquies forte nihilominus; Cur curemus illos illorumve salutem; cur non fastidiamus ac negligamus potius illos, cum videamus eos à Deo ipso ita esse rejectos, ut locum nullum gratiæ aut salutis reliquum iis fecerit, quia nos in eorum locum vacuum substituit, & ad nos gratiam suam totam derivari voluit? Recte quidem dixisti Paule, eos ortos esse ex populo Dei, veluti ramos ex radice: Sed jam videmus eos justo judicio rejectos esse, à spe populi Dei seclusos, adeoque veluti ramos defractos esse, & nos radici illi insitos. Uti autem ramis à radice defractis spes nulla est redeundi in pristinum statum, postquam in locum eorum substituti & insiti sunt alii surculi; sic etiam credendum est Judæos ita rejectos esse, ut spes ipsis nulla reliqua facta sit redeundi cum Deo in gratiam, postquam nos in locum illorum cooptati & insiti sumus radici populi Dei.

20 Recte: per incredulitatem defracti sunt: tu vero per fidem stas: ne efferor animo, sed time.

Respondeo: Recte quidem & vere dicitis eos rejectos, & vos in eorum locum cooptatos esse: sed cogitate etiam atque etiam, obsecro vos, illos etiamsi nativitatis jure ad populum Dei ex Abrahamo, Isaaco & Jacobo oriundum pertinerent, & proinde tenerius multo quam vos à Deo diligerentur, nihilominus severa ista pœna à Deo punitos esse, & uti rami à trunco violenter avelli & abjici solent, ita etiam per divinam ultionem à populo Dei avulsos, & à spe promissorum populo isti factorum seclusos esse rejectos esse, propterea quod Euangelio Dei credere noluerint: Vos vero licet extraneos & advenas, nullo titulo, jure aut merito vestro suffultos, per solam tantum fidem in populi Dei familiam admissos esse, per eam solam etiamnum stare in gratia Dei, neque aliter populi Dei membra esse aut manere posse, quam sola gratiosa in populum recensione atque insitione. Hæc enim si cogitetis serio, intelligetis procul dubio graves causas esse, cur iis non modo non debeatis insultare, aut vobis ipsi tantopere placere ac lenocinari, ut eorum, tanquam profanorum & indignorum, salutem curare nullo modo velitis; sed cur potius timere ac metuere debeatis, ut quod Judæis istis incredulis periculum, idem vobis & multo quidem gravius ac celerius aliquando eveniat, si ab humilitate ad insolentiam defleetatis, & sic à fide, quæ humilitatis & modestiæ matrix & fons est, paulatim deficiatis.

21 Nam si Deus naturalibus ramis non pepercerit, (*vide*) ne tibi quoque non parcat.

Etenim si Deus Judæis istis, qui ex Patribus istis sanctis Deoque caris nati sunt, & proinde jure nativitatis ad populum Dei pertinent, veluti naturales rami ad arborem ex qua oriuntur, tam severiter atque atrociter infensus fuit, ut nulla habita egregiæ istius prærogativæ ratione, illis parcere nullo modo voluerit: an non vos, qui nullo prorsus titulo gaudetis cur vobis parcat Deus, multo plus caussæ habetis metuendi & formidandi, ut in vos subito aliquando iræ divinæ inclementia ruat ac sæviat, si increduli fiatis & ab officio faciendo degeneretis?

Nolite

22 Vide igitur benignitatem ac severitatem Dei: in eos quidem, qui ceciderunt, severitatem: in te vero benignitatem, si permanseris in benignitate.

Nolite dubitare, quin causſas metuendi habeatis graviſſimas: ac propterea ut in fide atque officio veſtro ſemper perſeveretis, ponite vobis ob oculos, & animum diligenter advertite ad duplicem illum agendi modum, quo Deum uſum eſſe jam ante dixi, & iterum repeto: ſeverum (inquam) ex una, & benignum ac gratioſum ex altera parte. Ad ſeverum quidem, quo uſus eſt circa incredulos Judæos, quos licet alioquin Legis ipſius acerrimos vindices, ita punivit ut jam gratia ipſius & ſpe promiſſorum populo bonorum exciderint, quamdiu in incredulitate iſta ſua manent. Ad benignum vero agendi modum, quo uſus eſt circa vos gentiles, qui credidiſtis Euangelio ipſius, dum videlicet vos, licet extraneos, peccatores maximos, & Legem ipſius nihil curantes, per ſolam tantum fidem in locum eorum adſcivit, & æternorum ac cœleſtium ſuorum bonorum participes fecit, & porro etiam favore & gratia ſua complecti perget; ſi modo, ad exemplum Judæorum iſtorum, per incredulitatem vos ipſos benignitate & miſericordia ejus indignos non reddideritis.

22 Alioquin & tu excideris.

Nec enim credere debetis, vos adeo eſſe in flagrante Dei gratia, ut ex ea excidere nunquam poſſitis, ſed contra certo ſtatuere, ſi vos non geratis digne iſta gratia & beneficio quo affecti eſtis, futurum ut non minore ſeveritate in vos aliquando animadvertat Deus, quam qua eum in Judæos illos animadverſiſſe exploratum habetis; voſque, licet gratioſe inſitos & jam adnatos aliquo modo populo ipſius, non aliter quam ſteriles & inutiles ramos iterum defringat, & beneficiis iſtis, quorum hactenus participes fuiſtis, velut indignos ſpoliet ac privet.

23 Sed & illi, ſi non permanſerint in infidelitate, inſerentur. Poteſt enim Deus eos rurſum inſerere.

Quod adeo verum eſt, ut Judæi etiam ipſi, licet jam infideles ſint, & Deo idcirco inviſi, non tamen eo animo à Deo rejecti ſint, & à populi divini bonorumque ejus communione ſegregati, ut eos nunquam rurſum pro populo ſuo agnoſcere velit, etiamſi Euangelio crederent. Neutiquam. Si illi aliquando, luculenta occaſione credendi arrepta, reſipuerint & ab infidelitate ſua deſtiterint, credite mihi, certo certius eſt, non reſpuet illos amplius Deus, ſed inſeret in populum ſuum, & cæleſtium ſuorum bonorum omnium participes faciet, nulla amplius habita ratione antegreſſæ rebellionis & inobedientiæ. Et cum de voluntate hac Dei gratioſa mihi conſtet, non eſt quod de potentia ejus dubitetur. Quid enim obſtat quo minus illos iterum pro populo ſuo habere poſſit, ſi tantum velit? Certe citius faciliuſque hoc facere poteſt Deus, quam cum vos gentiles in populum ſuum adſcivit.

24 Etenim ſi tu ex naturali exſectus es oleaſtro, & præter naturam inſitus es in veram oleam, quanto magis ii qui naturales ſunt, inſerentur propriæ oleæ?

Etenim, ſi vos gentiles, cum antea non tantum expertes bonorum illorum, quæ populo ſoli Judaico promiſit Deus, ſed etiam natura peccatores, profani, & mundanarum cupiditatum pleni eſſetis, ex miſera & infrugifera illa conditione veſtra transferre Deus potuit, pro liberrima ſua gratia, ad glorioſam illam & felicem populi ſui dignitatem, & bonorum ſuorum cæleſtium participes facere, tantum idcirco quia credidiſtis Euangelio ipſius, quod vobis prædicatum eſt, quanto facilius poteſt Deus, ſi velit, Judæos, qui naturali jure, eo quod ex Abrahamo nati ſunt, ad populum Dei pertinent, ſed propria culpa ſive incredulitate ſua indignos ſe reddiderunt qui pro populo Dei vero cenſeantur, populi ſui titulo, honore ac privilegio rurſum dignari, ſi ab incredulitate illa ſua deſiſtant, relictaque Legis Moſaicæ fiducia, Euangelio credant, & divinæ voluntati ex animo ſeſe vobiſcum ſubjiciant.

25 Nolo enim vos ignorare, fratres, myſterium hoc, (ut ne ſitis apud vos ſapientes:) quod obduratio ex parte Iſraeli evenerit, tantiſper dum plenitudo gentium introierit.

Veruntamen ut quod de voluntate divina obiter indicavi, clarius vobis conſtet, aperiam vobis, dilecti fratres, arcanum Dei conſilium quod de Judæis apud ſeipſum cepit, & mihi gratioſe revelavit ac patefecit, non ut jactem meipſum apud vos, aut ut revelationum divinarum excellentia glorier, ſed bono tantum commodoque veſtro, ne videlicet ipſi vobis imponatis, & ſapere vos ac recte judicare vobis perſuadeatis, cum vos ita in gratiam à Deo receptos eſſe colligitis, ut Judæis ſpes omnis redeundi in gratiam præciſa atque ademta ſit. Vehementer enim in judicio veſtro fallimini. Revelavit enim mihi Deus, ſe gratiam quidem Euangelii à Judæis ad vos tranſtuliſſe, & curam illam ſingularem quam de ipſis habere ſolitus erat, non amplius jam, propter eorum diutinam contumaciam ac rebellionem, habere velle; atque inde cæcitatem & duritiem cordis eorum, quam ipſi ſibi primum attraxerunt, in dies magis ac magis aggravari; non quod ab ea nullo modo, ſed quod non niſi difficulter admodum liberari poſſint. Veruntamen ſeſe non eo animo ac fine ſubduxiſſe ab iis, ut nunquam eorum ſingularem curam, ut antea ſæpe fecit, ſuſcipere velit, & ſic eos æternum in iſta cæcitate & duritie cordis à parte ſua relinquere; ſed ad tempus tantum, vel temporis partem aliquam, donec ſatis ſuperque inter extraneas gentes prædicatum erit Euangelium; omneſque, per divinæ gratiæ auxilium, occaſionem luculentam habebunt ſeſe ad Deum convertendi; & ſic per ipſum non ſteterit, quo minus plenitudo gentium crediderit & ſalvata ſit.

26 Et ita totus Iſrael ſervabitur, ſicut ſcriptum eſt: Veniet ex Sion ille liberator, & avertet impietates à Jacob.

Tunc ſeſe quaſi poſtliminio reverſurum ad Judæos, eorumque curam ſingularem ac ſolicitam iterum ſuſcepturum; adeo ut non paucis tantum quibuſdam, uti nunc fit, ſed toti populo Iſraelitico oſtium latum aperturus, ſive occaſionem amplam, oportunam & luculentam daturus ſit, qua, niſi poſt tam longam ac gravem divinæ gratiæ ἀνάλωψιν plane perverſus ac refractarius manere velit, ad veritatem Euangelii videndam, & ſponte ac libenter amplectendam, potenter adducetur; & ex perdito illo ſtatu, niſi ſibi deeſſe ſtudio velit, liberabitur, ſalutiſque æternæ particeps reddetur. Et hac de cauſſa dici nunc & applicari optimo jure ad hanc rem poteſt, id quod apud Prophetam olim ſcriptum legitur, de propoſito & conſilio Dei quo populum ſuum non ſemper, ſed ad tempus tantum aliquod, in captivitate Babylonica relinquere, & tandem ex ea liberare, ſive occaſionem luculentam, qua in terram ſuam, niſi in exilio & captivitate ultro manere mallet, revertí poſſet, dare conſtituerat. Ita enim ait ille; Non ſemper iraſcetur Deus populo ſuo Iſraeli, ſed veniet aliquando tempus, quo eum à jugo iſto Babylonico liberabit, & in captivitate illa diutius, propter peccata ſua, detineri non permittet: Et ſic implebo promiſſum meum, faciamque ut fœdus meum accuratius obſervent, quum tam illuſtri ratione eos ex ſervitute illa, cui propter peccata ſua fœderiſque mei violationem obnoxii redditi erant, redemero & in libertatem adſeruero. Id quod huic propoſito divino non inepte congruit. Non ſemper iraſcetur populo ſuo Deus. Poſtquam gentium plenitudo intraverit, tum iterum affulgebit illis de cælo ſingularis quædam gratia Jeſu Chriſti, qua ab ignorantia, cæcitate & duritie ſua, in quam rebellione ſua divinæque gratiæ ad gentes tranſlatione incidit, certo certius liberabitur, niſi præfracte in ea manere & ab ea liberari prorſus nolit.

27 Et hoc illis à me fœdus, quum abſtulero peccata ipſorum.

Et hac ratione erigam quaſi cum ipſis novum fœdus, faciamque ut illi ſponte ac libenter illud ſervaturi ſint; quum videlicet non amplius recordabor rebellionis & pervicaciæ eorum, ſed nova & ſingulari gratia mea eos dignabor, qua à peccatis liberari, & æternas pœnas peccatis ipſorum debitas poſſint evadere.

28 Secundum Euangelium quidem inimici propter vos: Secundum electionem vero dilecti propter Patres.

Nec dubitandum eſt, quin propoſitum hoc ſuo tempore executurus ſit Deus. Etenim licet illi jam quidem non ſint accepti Deo, ſed contra inviſi atque inimici ipſi, propterea quod Euangelium ipſius hoc tempore tam contumaciter reſpuant, & gratiam ipſius magnificam tam indigne adſpernentur; maxime cum vos, à quibus illud minime exſpectabatur, tam prompte & alacriter eam admiſiſſe, & fide recepiſſe videat; tamen propterea non eſt omnino extinctus, univerſus ille priſtinus affectus dilectionis divinæ, quo olim Deus eos elegit ac ſegregavit ex reliquo mundo in peculiarem ſibi populum, ſed manet adhuc firmus ac ſtabilis; non quia ipſi ita merentur; ſunt enim rebelles & refractarii; ſed quia filii ſunt iſtorum Patrum, quos Deus tanto in pretio habuit, ut eos favoris ſui æterni promiſſo dignatus fuerit, ut videlicet fidem, quam ſemel dedit Patribus eorum, inviolatam ſemper ſervet in poſteris & filiis ipſorum.

29 Nam dona illa & vocatio illa Dei (*ejuſmodi ſunt*) ut eorum ipſum pœnitere non poſſit.

Nec refert quod illi, à Patrum ſuorum indole multum admodum degenerarint, & veſtigiis fidei ipſorum, per quam Patres grati Deo fuerunt, neutiquam inſiterint. Ut ut enim illi ſe prorſus indignos divino favore ac gratia reddiderint, & rebellione ſua invincibili juſtum Dei odium in ſe provocaverint; tamen adeo fidelis & promiſſi ſui tenax eſt Deus, ut nunquam pœnitentia ductus revocaturus ſit propoſitum ſuum, quo gratificari Patribus & ſemini eorum in ſæculum, eoſque populum ſuum vocare ſemel conſtituit.

30 Sicut enim & vos quondam non paruiſtis Deo, nunc autem miſericordiam conſequuti eſtis, per ipſorum incredulitatem:

At licet jam omnino eos rejeciſſe, & vos gentiles tantum favore ſuo complecti, ſicque promiſſi ſui immemor Deus eſſe videatur; tamen longe aliter ſe res habet, & aliud plane Deus hoc agendo propoſitum ſibi habet: quippe tantum abeſt, ut id paſſurus ſit cedere ad ignominiam nominis ſui, tanquam ſi promiſſæ miſericordiæ & gratiæ ipſum pœniteret, ut contra ea ipſa re tanquam occaſione uſurus ſit, qua miſericordiam ſuam excellentiſſimo modo illuſtrem reddat. Sicut enim eam in vobis hoc tempore illuſtrem reddidit, ita etiam eandem in populo ſuo magnifice aliquando illuſtrem reddere vult. In vobis illuſtrem eam reddidit, quia cum priſca ætate inobedientes Deo fuiſſetis, & nullis monitis, revelationibus, concionibus, exemplis ſanctorum, ad Deo parendum flecti potuiſſetis, ideoque vobis deſertis relictiſque in viis veſtris, quas ipſi vobis contemto Deo elegeratis, gloriam bonitatis & miſericordiæ ſuæ ad populum Iſraeliticum tranſtuliſſet, nunc iterum, quia populus hic gratiam Euangelii ipſi oblatam, ad exem-

pluma

plum vestrum præfracte quoque contemnit ac repudiat, misericordiam quasi ab illo ad vos, quibus eam non promisit, transferre dignatus est; & misericordiam quidem talem, cujus auxilio, per solam fidem, æternæ vitæ ac cælestis gloriæ hæreditatem adepti estis.

31 Sic & isti non paruerunt per vestram misericordiam, ut & ipsi misericordiam consequantur.

Eundem autem in modum, aliquando illustrem reddet gloriam misericordiæ suæ in Judæis. Quandoquidem enim ii hoc tempore, non obstante diuturna Dei patientia, inobedientes manserunt & flecti nolunt, constituit Deus sese ad tempus subducere ab iis, & permittere ut in ista incredulitate sua pergant; non adhibendo singularem curam (uti antea sæpe fecerat) ut ab ea liberentur, quin & auferendo ab iis solitum suum favorem, quo subinde olim utebatur in reducendis iis ad meliorem frugem, (cum videlicet mitteret ad eos Prophetas suos, cum hostes ipsorum debellaret, cum extraordinarie etiam iis benefaceret aut graviter eos puniret, &c.) eumque transferendo ad vos, ad quos eum illi nullo modo pertinere volunt. eo ipso enim quod vobis misericordia fiat & Euangelii gratia ad vos transferatur, potissimum fit, ut illi in incredulitate & rebellione sua maxime obdurentur & confirmentur. Et hoc totum facit Deus, ut cum in profundam ignorantiam & extremam cæcitatem ac miseriam culpa sua devenerint, tanto magis miseratione opus habeant; atque ita Deus gratiæ & misericordiæ suæ gloriam illustrem reddat, cum eos aliquando ex deplorato & misero isto statu in spem vitæ æternæ, singulari suppeditata occasione credendi, revocaturus est.

32 Conclusit enim omnes illos in infidelitate, ut omnium illorum misereretur.

Nimirum hoc est consilium Dei: decrevit omnes omnino homines, tum gentiles tum Judæos, obedire ipsi renuentes, in propria ipsorum contumacia, veluti carcere aliquo (cui ipsi includi volunt) clausos deserere, & quandoquidem gratiam ipsius curæ ac cordi habere noluerunt, eorum etiam curam singularem non suscipere, sed beneficiorum contemtorum expertes atque exsortes aliquandiu relinquere: ut cum eos in misero & vere deflendo illo statu, quem ipsi præfracte sibi quisque eligunt, positos ac constitutos, iterum deinde nova gratia dignatur, iisque ad meliorem, quin imo cælestem, statum ac conditionem perveniendi occasionem luculentam submini strat, tanto illustrius misericordiæ & gratiæ ipsius beneficium appareat, quanto majus ac præstantius beneficium est, populum prorsus perditum, miseriarumque cumulo, veluti carcere undiquaque clausum ac septum, aut tanquam præsidio aliquo inexpugnabili circumvallatum, ex miseria ista eripere, aut evadendi occasionem opportunam ei offerre, quam florentem adhuc & opis nullius indigum, egregio aliquo beneficio donare atque afficere.

33 O profundas divitias, tum sapientiæ, tum scientiæ Dei! quam inscrutabilia sunt ejus judicia, & viæ ejus imperveſtigabiles!

Hanc agendi rationem quisquis attente secum perpendit, is necesse est ut in admirationem totus rapiatur, atque exclamet præ stupore: O admirandam & nunquam satis laudandam divinæ providentiæ rationem! quam est ea plena & undique redundans atque exuberans sapientia & scientia! Sapientia, inquam, per quam omnia ea, quæ ex se tendunt aut cessura videntur ad ignominiam nominis sui, ad summam nominis sui gloriam atque honorem dirigere novit ac convertere. Scientia, qua scit & perspecta habet ea omnia, quæ à singulis populis ac personis recte vel secus fiunt, ut vel misericordia vel severitas opportune adhiberi possit. Quis abyssum illam divinorum judiciorum, quæ pro sapientissimo illo arbitrio suo exercet, & providentiæ inexhaustæ modos, quibus ad scopem sibi propositum pervenire vult, propria industria & naturali ingenii sui acie, non edoctus à Deo ipso, penetrare ac perveſtigare unquam potuisset? Nemo, nemo mortalium.

34 Quis enim cognovit mentem Domini, aut quis à consiliis ei fuit? Quis prior dedit ei, & retribuetur?

Nec enim quisquam est, qui id quod Deus, pro sua infinita sapientia, apud seipsum in animo suo facere constituit, excogitare & propria ingenii sui acie perspicere valeat, aut quo consilio quid faciat intelligere: quippe qui neminem in consilium secum adhibet, sed pro sua sapientia solus omnia facit, & quidem sponte sua à nemine adductus, motus aut adjutus, cui acceptum quidquam referre debeat.

35 Nam ex ipso, per ipsum, & in ipsum sunt omnia. Ipsi sit gloria in secula Amen.

Ipse est supremus, αὐθεκούσιος, primus, & ultimus mundi rector, à quo, per quem, & in quem, tanquam authorem suum unicum, omnia illa quæ hactenus facta esse, & imposterum adhuc futura diximus, oriuntur & desinunt. Nec fuit ante eum, nec cum ipso, nec post ipsum erit quisquam, qui in sapientissimæ hujus administrationis consortium venire possit. Quare huic uni ac soli debetur à nobis gloria, laus & benedictio in omnem æternitatem. Amen: ita fiat.

# OBSERVATIONES
## IN CAP. XI.
## AD ROMAN.

1 ἀπώσατο τὸν λαὸν αὐτοῦ) Populum Israeliticum intelligit; qui populus Dei dicitur à parte Dei vocantis, non à parte sua, quia à Deo jam defecerat, & populus Dei dici amplius non merebatur. Ἀπώσατο autem expono per rejecit omnino, in totum, in universum. Quæritur enim an Deus ita rejecerit Judæos, ut eorum omnino misereri nolit; id est, ita misereri eorum nolit ut gratiam suam illis tanquam indignis offerri nolit; aut si offerri patiatur, &, si contingat illos credere, eos velit omni spe gloriæ privare: Breviter, an à Judæis ad gentes universam gratiam suam transtulerit. Rejectio enim populi prima facta videtur per transitionem ad gentiles: *Act.* XIII. Loquitur de totali rejectione, non autem adhuc de finali: de ea enim incipit agere *vers.* III. Sic enim respondet optime id quod sequitur; *Nam & ego Israelita sum*: quasi diceret, alioqui nec mei misertus fuisset Deus, quia ego non minus quam cæteri incredulus fui. Vide Paraphrasin.

2 ὃν προέγνω) Exponunt quidam de populo Israelitico, quem semel approbavit, aut peculiarem suum populum esse voluit. προγνώσεως autem vocem ejusmodi significationem habere posse, planum fecimus in notis ad *cap.* VIII. Ego expono: Non rejecit Deus illos, quos ex gratia speciali pro populo suo habere decrevit, etiamsi cum cæteris rejici meruerint; id est, non rejecit fideles aut in Christum credentes: quasi dicat, ii qui ex Judæis credunt, sunt populus ille Dei quem ille in pretio habere vult, & pro populo suo agnoscit, etiamsi reliqui, imo multo proxima pars Judæorum rejiciatur ab ipso, propterea quod credere nolit. Populus enim Dei non est censendus ex maxima, sed ex optima parte. *προέγνω Dei.*

Qui προέγνω exponunt per elegit ab æterno, absoluta voluntate, quia ipsi ita beneplacitum est, nulla habita fidei aut obedientiæ ratione, illi profecto ridiculum faciunt Paulum. Quid enim est illud? Non abjecit Deus populum quem elegit, id est, quem abjicere noluit, sive quem salvare decrevit? Quid enim? an id mirum est? Quis de eo dubitet? & quis quærat illud? At si πρόγνωσις hæc divina notet decretum divinum, quo qualitatis alicujus necessitas statuitur in iis qui prænoscuntur, tum oratio Apostoli valde solida est. Et hanc esse Apostoli mentem evincunt clare satis subsequentia verba, quæ in exemplo Eliæ leguntur, cum dicitur, *Quod Deus sibi reservavit*, aut restare fecit, κατέλιπον (quia videlicet cum reliquis exscindi meruerant) *septem millia virorum*, id est valde multos viros, *quigenua sua non flexerant coram Baal*: per non flectere genua, qualitatem aliquam indicans in iis quibus gratia à Deo facta erat. Deinde manifeste etiam patet hoc ex *vers.* 7. ubi concusio est hujus orationis: *Quid igitur? Quod requirit Israel* (infidelis scilicet,) *id non est adsequutus; Electi* (fideles; oppositio enim manifesta est) *assequuti sunt*: supple justitiam: de adeptione enim justitiæ agitur; quia illam quærebat Israel. Unde clarissime omnium liquet, de fidelibus locum hunc intelligendum esse, Electi enim qua tales, non adsequuntur justitiam, sed fideles. Cætera vide in Paraphrasi.

5 λεῖμμα κατ' ἐκλογὴν χάριτος) Per electionem gratiæ, intelligit exemtionem ex communi perditione & statu perditorum. Id enim proprie est eligere: eximere scilicet, sequestrare, separare à reliquis qui pereunt. Electio autem hæc dicitur electio gratiæ, quia ex pura puta gratia, seu indebito favore fit: quia ii qui ita eximebantur, jam pridem rei erant ejusdem perditionis, & quidem per propriam suam culpam: adeo ut si Deus pro jure suo agere cum iis voluisset, jampridem illi à Deo rejecti fuissent, & omni gratia indigni judicati: qualis exempli gratia Apostolus erat ante conversionem. Quia autem Deo patienter vocanti tandem crediderunt, hinc electi etiam sunt; seu de novo quasi in populum Dei, & quidem ex gratia, uti diximus, adoptati sunt: ex gratia, inquam, quam non modo non promeruerant, sed jam dudum demeruerant infidelitate sua. Electionem autem fidelium hic intelligi, absurdum nemini videri debet, ex eo quia hoc tempore dicit Apostolus idem usu veniisse, quod tempore Eliæ accidit: Vel potius; quia eodem modo nunc λεῖμμα factum dicit, quo tum temporis factum erat. Dicit enim, ὅτε ἦν, &c. At ibi reservavit Deus ex gratia, eos qui non flexerant genua sua coram Baal: Ergo eadem ratione, electio hoc tempore gratiæ facta dici potest, cum fideles electi sunt, non operarii. Notandum tamen *Electio.*

men est, κατ' ἐκλογὴν non significare hic proprie, secundum electionem quæ jam multo ante facta sit; tanquam si λεῖμμα hîc esset executio decreti illius quod electio dicitur, sed tantum idem quod *ex*, vel *pro electione* gratiosa; uti ex versu sequenti liquido patet: ubi Apostolus simpliciter dicit, εἰ δὲ χάριτι οὐκέτι ἐξ ἔργων, & paulo post, ἐπεὶ ἡ χάρις. ut electio gratiosa aliud nihil sit quam gratia. Et hoc sensu passim fere præpositio illa κατὰ usurpari solet. Videatur tantum *caput* I. *ad Ephesios*. Quocirca qui electionem hanc gratiæ, exponunt de electione illa absoluta & inconditionata, quorundam singularium ad gloriam, (electionis enim ad gratiam alia ratio est) illi nullo fundamento nituntur, sed sua tantum propria hypothesi. Res plana est. Nec gratiæ vox illis favet: Quia diserte Apostolus ait *Rom.* IV. *Ideo per fidem, ut sit per gratiam.*

6 οὐκέτι ἐξ ἔργων) Sensus esse potest duplex: *Vel* ut particulariter ad illud tempus referatur, hoc pacto: Jam certum est eos non reservari hoc tempore, quod ita sese gesserint ut perdi ac rejici antea non meruerint: quasi dicere velit Apostolus, eos qui crediderunt antea fuisse aliquamdiu aut infideles, etsi Legis Mosaicæ studiosos, uti Paulus erat; aut profanos etiam & impuræ vitæ: utrosque autem ista sua culpa perditionem meritos fuisse. Itaque quod rejecti & perditi non sint, sed à Deo quasi denuo assumti & electi simulatque crediderunt, gratiæ divinæ totum id tribuendum esse; non autem operibus ipsorum, quæ ante fidem scilicet fecerint; uti manifeste videre est 2 *Tim.* I. 9. & *Tit.* III. 5. *Vel* ut generalem contineat argumentationem hoc pacto; Si per gratiam fit reservatio, scilicet credentium, ita ut ii soli assumantur in populum qui credunt, jam non vult Deus Legis Mosaicæ rationem haberi amplius. ἔτι enim dicitur in textu (etiamsi paulo post pro *jam* usurpari videatur.) Et hunc sensum, utpote pleniorem, & præcedentem etiam in se continentem, sequitur Paraphrasis.

7 τί οὖν) Supple, restat à me concludendum: Quid est illud quo oratio hæc mea tendit? quasi dicat: En concludam rem totam. Quæ enim sequuntur verba, ea continent responsionem ad quæstionem, uti per se manifestum est. Parallelus huic locus est is qui *cap.* IX. 30. legitur, quem vide sis.

*Electio.* 7 ἡ δὲ ἐκλογὴ ἐπέτυχεν) Electio hîc vel significat divinam electionem, sive propositum quo Deus constituit credentes justitia & vita donare: opposite ad rationem illam, quam præfracte & mordicus maxima pars Judæorum sequi volebat, ut justitiam & vitam adsequerentur: Vel electas Judæorum reliquias, quæ scilicet in Christum crediderant. Hæ enim adsequutæ dicuntur justitiam, quja cum antea non minus quam cæteri Judæi, perditionis reatui involutæ essent, credendo in Christum perditionem evaserunt, & sese reatui communi quasi exemerunt, Electio autem vocantur, non quod antea ab æterno à Deo, nullo fidei aut obedientiæ intuitu, ad gloriam peremtorie electi essent; sed quia hoc ipsum, quod per fidem consequuti sunt justitiam, non aliunde est quam ex divina electione, sive ex mera & pura puta Dei benignitate, qua eligere & sequestrare in populum suum decreverat, non operarios, sed credentes in filium suum. Apparet manifeste rei veritas: 1. ex eo quod Electio hæc opponatur Israeli, non quatenus Israel accipitur pro personis singularibus, absoluta voluntate citra ullius qualitatis respectum à Deo reprobatis; sed quatenus per opera Legis contra divinæ voluntatis propositum justificari aut servari volebant. 2. Ex eo quod hæc verba contineant conclusionem, respondentem ei quod antea *vers.* 4. 5. de electione gratiæ tempore Eliæ facta dixerat Apostolus. Atqui ibi, secundum electionem gratiæ dixerat factam esse reservationem, eorum qui genua sua non flexerant idolo Baalis. Itaque cum electionem jam eodem modo factam dicat, per electionem fideles electos, opposite ad infideles rejectos, intelligat necesse est. 3. Quia id quod obtigisse dicitur electioni seu electis, est justitia & salus. Hinc enim clarum fit, per Electionem non posse hoc loco intelligi electos qua tales, sed qua credentes. Non enim electis qua talibus, sed qua credentibus, illa obtingit: uti fatentur etiam ii qui absolutæ electioni patrocinantur. Evincit etiam id ipsum quod sequitur:

*Induratio.* 7 οἱ δὲ λοιποὶ ἐπωρώθησαν) Per *reliquos* enim intelliguntur justitiarii, & Christi Religionem amplecti nolentes. De iis autem dicitur quod ἐπωρώθησαν, id est, obstinata & diuturna sua incredulitate adeo inepti & alieni redditi sunt à via ista justitiæ ineunda, ut persuasionis nullius vim atque impressionem percipiant aut admittant; non aliter quam si callo obductum esset cor ipsorum. Non enim intelligitur hoc loco sola incredulitas, sed quæ ex diuturna incredulitate nascitur durities, sive ineptitudo ad credendum, aut persuasiones ad fidem inculcandum facientes admittendum. Id enim evenire solet: uti tractu temporis corpora quædam indurantur, ita diu multumque male volendo, male volendi habitus gignitur. Nemo enim repente fit optimus, nec pessimus. ἐπωρώθησαν ergo culpa sua, sive à seipsis; sicut à seipsis excæcantur, qui oculos suos claudunt ne videant lucem. Ita clare exponitur *Act. ult. vers.* 24. 25. 26. 27. & passim alibi. Si quis exponere velit ἐπωρώθησαν à Deo, per nos id licet; dummodo hæc caveat: 1. Ne induratos dicat eos à Deo sine manifestaria & vincibili culpa ipsorum. 2. Ne indurationem per duritiei infusionem, aut aliam aliquam actionem sive actionis negationem, unde durities necessario sequitur, exponat; ita videlicet ut durities illa ipsa peccatum sit, & qui indurantur, post illius duritiei inditionem aut effectionem, novæ culpæ quæ propter illam duritiem invincibilis est, & porro pœnæ gravioris rei possint fieri. Hæc enim prorsus sunt ἄτοπα. Absque his, quicquid dixeris de excæcatione & induratione divina, sine scrupulo admitti potest.

8 καθὼς γέγραπται) Non adfertur locus hic ut vaticinium & prædictionem continens, sed ut simile aliquid continens isti de quo loquitur Apostolus; quodque istis Prophetæ verbis mavult exprimere quam suis, partim ad emolliendum dicti sui de indurationè austeritatem, partim ad ostendendum nihil dicere se, quod non aliquando evenisse populo Israelitico certum erat: ac proinde quod credi debebat non impossibile esse ut nunc eveniat eidem populo. Si enim aliquando populus excæcatus & induratus est, (id enim certum est non nisi ob insignem & notoriam malitiam & culpam populi manifestariam à Deo fieri potuisse) uti induratum esse testatur Propheta, nec mirum nec novum videri debet si nunc idem fieri dicatur.

8 ἔδωκεν αὐτοῖς ὁ θεὸς πνεῦμα κατανύξεως) Si ἔδωκεν hic exponas de actione aliqua divina, aut actionis divinæ suspensione, unde spiritus κατανύξεως necessario exstitit, tum necesse est ut αὐτοῖς exponas de hominibus refractariis, præfractis & divinæ voluntati obstinate reluctantibus, sive desperatæ prorsus sanitatis mortalibus: ad quos corrigendos remedia omnia frustra antea adhibita sunt, & qui proinde severissime puniri meruerunt. Datio enim hujusmodi spiritus κατανύξεως, ingens punitio est, quæ sine præcedente manifesta & insigni culpa, imo malitia, à Deo facta dici non potest. Quod si ita exponere nolis, tum necessum est ut τὸ δοῦναι, eo qui in paraphrasi factum est modo exponas: ita ut dedisse dicatur Deus spiritum soporis præter intentionem, & (ut ita dicam) spem suam: eo ipso videlicet, quia dum illos ad meliorem mentem reducere studet crebris suis hortatibus, promissis, minis, plagis &c. contrarium plane evenit: ita ut pro spiritu excitato, vigili, alacri & obsequioso, quem illi inde haurire debuissent, prorsus torpidum, segnem & plane inobsequentem acceperint. Dare enim & facere aliquando dicitur (etiam in communi sermone) quis id, quod ad aut post actionem aliquam ipsius, sive occasione actionis sequitur, etiamsi ex actione illa non fluat, & plane præter intentionem agentis accidat; imo etiamsi tam actio quam intentio agentis, ad contrarium producendum natura sua comparata sint. Vide sis Paraphrasin. *Spiritus κατανύξεως.*

11 ἵνα πέσωσι) Labi hîc significat finaliter excidere ex favore divino, sive ex spe reditionis in gratiam, aut gratiosæ restitutionis, tanquam si populus Deo curæ amplius non esset. Quæritur enim an Deus nunc transtulerit gratiam suam à Judæis ad gentiles, eo animo ut imposterum de populo Judaico penitus actum sit, deque iis ad meliorem mentem reducendis nullo modo Deus cogitare amplius velit. Hoc sensu accipitur τὸ πίπτειν hoc loco; uti apparet, 1 ex *vers.* 22. cum dicitur, vide τὴν ἀποτομίαν τοῦ Θεοῦ ἐπὶ τοὺς πεσόντας. 2. ex parallelis phrasibus: nunc enim dicitur ἀποβολὴ, *vers.* 15. nunc ἐκλεκτοὶ, nunc ἔπωμα. &c. 3. ex filo capitis, & imprimis ex responsione subsequente. προσκόπτειν igitur vel idem prorsus significet necesse est quod πίπτειν hæc: vel Metonymice, caussam pro effectu vel eventu inde consequuto denotare debet. πίπτειν itaque hîc idem significat quod ἐκπίπτειν, vel prorsus excidere, uti accipitur *Apoc.* XVIII. 2. ut sensus sit: An itaque frustra eos permisit cadere Deus, nullo alio consilio aut fine quam ut perirent, & in calamitate ista æternum permanerent? Aliter accipitur verbum hoc πίπτειν *vers.* 11. hujus ipsius capitis, pro incidere in iram divinam, non sine spe restitutionis. Quod notandum est, ne credamus Apostolum sibi contradicere, cum ibi Judæos appellat πεσόντας, quos hîc negat impegisse ἵνα πέσωσιν.

11 τῷ αὐτῶν παραπτώματι) Id est occasione incredulitatis & exitii ipsorum, sive eo quod ipsi credere & sic ad salutem ingredi noluerunt, statim aut multo citius & celerius quam alioquin factum fuisset, translata est gratia Euangelii, sive ostium saluti patefactum est gentilibus, bono ipsorum Judæorum, si animum advertere tantum velint, aut si adhuc

huc ſanabiles ſint. Vide hanc cauſſam expreſſe *Act.* XIII. 46. *Salus* itaque, ſalutis viam aut ſalutis conſequendæ rationem ſignificat, ſi vox ἐθνῶν accipiatur pro gentilibus, quatenus populum ſimpliciter ſignificant: at ſi accipiatur pro gentilibus, quatenus conſiderantur ut fideles, ſalutem ipſam tanquam præmium ſignificat: utroque enim modo vox σωτηρίας accipi poteſt.

12 πλοῦτος κόσμου) κόσμος hîc ſignificat gentiles, quia Judaicus orbis & populus tam erat exiguus, cum gentilibus comparatus, ut pæne nullus, & vix ad mundum pertinere crederetur. In magna enim quantitate, exiguæ portionis ratio fere haberi non ſolet. πλοῦτος autem hic ſignificat cognitionem & ſpem cæleſtium bonorum & theſaurorum, id eſt ſalutis æteruæ, uti ex verſu præcedente liquet. Senſus autem hujus orationis, convenit prorſus cum eo qui in præcedente verſu annotatus eſt. Ruina autem Judæorum poteſt dici opulentia mundi: Vel quia Deus eo quod Judæos incredulos exſcidiſſet, gentilibus Euangelium ſalutis patefecerat, unde illi diteſcere poſſent: Vel quia gentiles, oblatam ſalutem avide ſtatim & catervatim arripuerant, & nihil offenſi ruina Judæorum, divites reipſa facti erant. Ut ſenſus ſit, ſi incredulitas eorum non obſtitit, quo minus gentes magno numero accurrerint ad oblatam gratiam: vel, ſi occaſione rejectionis eorum id evenit, ut totus mundus in locum exigui populi abjecti ſucceſſerit.

12 πόσῳ μᾶλλον τὸ πλήρωμα αὐτῶν) πλήρωμα hîc ſignificat, vel populum totum, ſive maximam populi partem, vel populi totius, ſive multo maximæ partis populi fidem, & per fidem ſtatum in favore & gratia divina. Opponitur enim proprie τῷ ἥττημα, quod idem eſt atque παράπτωμα, πλῶσις & λῆμψις. Senſus autem duplex eſſe poteſt: 1. Si non impediit ruina eorum, quo minus gentiles magno numero accurrerint ad gratiam Euangelii, quid futurum fuiſſe putatis, ſi Judæi plerique exemplo ſuæ fidei præiviſſent gentilibus, an non multo magis mundus repletus fuiſſet divinis opibus? 2. Si poſtquam illi defecerunt, nihilominus mundus dives factus eſt, & cognitione Euangelii locupletatus, quanto magis mundus locupletatus & plenus divinæ benignitatis futurus eſſet, ſi plerique Judæi, hac veſtra qui gentiles eſtis fide provocati, crederent, & ſic acceſſione ſua numerum credentium augerent? quaſi diceret: In hoc itaque enitendum & adlaborandum eſt omnibus viribus, ut gentes in favore & gratia divina ſtabiliamus, & plures quotidie lucrifaciamus: atque ita quam poſſimus plurimos Judæorum, juxta Dei conſilium, ad æmulationem, ad fidem in Chriſtum, exemplo noſtro ac ſtudio provocemus; prout me facere videtis.

Ex hoc concludo decretum rejectionis & reprobationis maximæ partis populi Judaici, non continuiſſe id in ſe ut nulli eorum ſervari amplius poſſent; ſed eo non obſtante, ſingulos in populo ſervari potuiſſe, & ut ſervarentur operam ab Apoſtolo datam, & ab aliis omnibus dandam fuiſſe. Alioquin enim totus hic labor & univerſum hoc ſtudium, vanum ac fruſtraneum omnino eſſe concedatur neceſſe eſt.

15 καταλλαγὴ κόσμου.) Reconciliatio intelligitur quæ facta eſt cum Deo & cum Judæis, quatenus gentiles per fidem in gratiam cum utriſque redierunt; ita ut unus Dei populus facti ſint gentiles & Judæi, qui antea non aliter quam hoſtes & inimici diſſeparabantur per Legem, veluti per intergerinum parietem. Emphaſis tamen hîc notanda eſt in voce κόσμου: Significat enim ea, vel plures ex gentibus in Chriſtum credidiſſe, quam Judæi abjecti erant: vel gentiles reconciliatos eſſe cum Deo & cum populo ipſius, qui antea alieni imo exoſi utrique erant ut quam maxime: quaſi dicat, ſi ex Judæorum rejectione tantum bonum per accidens enatum eſt, ut plures adunati ſint in populum Dei, & multo major pars mundi, licet aliena à Deo & nobis inimiciſſima, cum Deo & reliquiis populi ipſius in gratiam redierit:

15 Τίς ἡ προσλῆψις) Id eſt, quantum bonum foret ſi Judæorum plerique crederent, & ſic in gratiam à Deo reciperentur? opponitur enim τῇ λῆμψει quæ à Deo facta eſt.

15 ἢ μὴ ζωὴ ἐκ νεκρῶν) Senſus eſt; Hæc non foret ſimplex quædam reconciliatio, ſed tam ingens bonum, ac ſi ii qui jam mortui ſunt, & ſpe in vitam redeundi prorſus deſtituti, ad nos in vitam iterum redirent: Vel ac ſi Deus, amicos nobis cariſſimos, & à nobis per mortem avulſos, nobis iterum redderet, & de novo iterum crearet, imo ac ſi perditos & ſpe immortalitatis omni privatos in ſpem immortalitatis reſtitueret.

Omnia hæc quam ſint inſulſa, frigida, & pæne dixerim ſtulta, ſi electio & reprobatio abſoluta ſtatuatur, quis non videt? Electus enim nec rejici poteſt, nec reconciliari indiget; nec mori, nedum ex morte ſeu condemnatione in vitam immortalem redire poteſt: Eo ipſo enim alioqui electus eſſe deſineret. Reprobus inepte etiam ſenſus hujus diceretur: ineptius adhuc reconciliari, ineptiſſime mori & ex mortuis in vitam redire. Quod ſi vero nec ad electos nec ad reprobos hæc accommodari recte poſſunt, ad quos igitur pertinere dicent authores vel patroni iſtius ſententiæ, hæc dicta Apoſtoli?

16 εἰ δὲ ἀπαρχὴ ἁγία) Sub Metaphora hac Patres antiquos, Abrahamum, Iſaacum & Jacobum intelligit, uti videre eſt *verſ.* 28. hujus capitis, unde etiam ſenſus hujus dicti Apoſtolici manifeſte ſatis liquet: Deo ſcilicet curæ adhuc eſſe populum Judaicum, quia Patres unde ille ortus eſt, ita cari & dilecti Deo fuerunt, ut ſe poſteritatem eorum æterno amore dilecturum, ejuſque curam geſturum ſemper promiſerit. Patres itaque illi, ex vi promiſſi illius divini, ſancti ſunt, id eſt ſeparati à communi ordine cæterorum hominum, per ſpecialem Dei favorem, ad hoc ut eſſent ſtirpes populi, qui ipſorum cauſſa Deo ſemper curæ futurus eſſet. Sancti itaque dicuntur, non ſimpliciter tanquam homines, nec ſanctitate proprie dicta, quæ conformitas eſt cum divina Lege, ſed tanquam ſtirpes generis ſui, tanquam primitiæ, in quibus tota maſſa conſecrata ſemper cenſetur. Ad hujus rei intelligentiam notandum eſt, cum maſſam hic in primitiis, & ramos in radice ſanctos, id eſt, Deo caros & gratos eſſe dicit Apoſtolus, id dextre accipi debere. Maſſa enim & rami illi ſunt Judæi, ex Patribus primis oriundi. Hi autem conſiderari poſſunt vel quatenus ſimpliciter Judæi ſunt, id eſt, poſteri & progenies Abrahami; vel cum qualitate, quatenus ſunt increduli Judæi. Quatenus Judæi ſunt, manent ſemper maſſa ſancta & rami ſancti, id eſt poſteri Abrahæ, & aliorum deinde Judæorum ſtirpes, hactenus Deo dilectæ, quod ab Abrahamo & cæteris Patribus ortum ducant; ex quibus proinde populus continua ſerie proſeminandus eſt, quæ poſteritas Abrahami ſit, & ſic Deo grata, quatenus conſideratur ut in primo iſto trunco & radice exiſtens. Hoc privilegio nunquam poſſunt excidere: Manent enim ſemper Judæi, ſive credant, ſive non credant. Quatenus increduli Judæi ſunt, ſunt quidem rami, ſed defracti; proinde qui veram fæliciratem, Abrahamo Patri ipſorum tanquam credenti promiſſam, pro ſe & ad ſe trahere non poſſunt. Hæc enim fælicitas non obtingit Judæis, quatenus Abrahami tantum poſteri ſunt, ſed quatenus Abrahami fidem imitantur, & ſic ſpirituales ipſius filii ſunt: ut plane cum iis agatur ſicut cum matre gravida, ſed ultimo ſupplicio devota & carceri incluſa, cui vita utenda fruenda datur, non propter ipſam, meruit enim occidi, ſed propter fœtum quem utero gerit, & qui vivit vitam matris, non quatenus malefica, ſed quatenus mater eſt; proinde in gratiam fœtus, qui matris culpam præſtare non poteſt nec debet. Hac eadem ratione, Judæi manent ſemper maſſa ſancta, & ex illis continua ſerie populus ſanctus naſcitur, etiamſi ipſi per incredulitatem ſuam exitio & perditioni obnoxios ſe olim reddiderint hodieque adhuc reddant. Luculenter apparet hujus rei veritas ex *verſ.* 28. hujus capitis: *Quod ad Euangelium, ſunt inimici propter vos; quod ad Electionem, diliguntur propter Patres.*

17 πῶς ἐξεκλάσθησαν) Invidiæ Judæorum amoliendæ, & faſtui gentilium retundendo dixit πῶς, quam plerique dicere debuiſſet Apoſtolus. *Defracti* autem cum dicit, non indicat eo excluſos illos ita eſſe, ut pars populi Judaici eſſe deſierint. Manent enim ſemper Judæi, & ſic in radice illa prima ſancti. Nec etiam indicat eo Apoſtolus, eos aliquando per fidem ſtetiſſe in radice, & poſtea per incredulitatem exciſos aut defractos fuiſſe: ſed metaphoræ priori inſiſtens, ſignificat illos, cum ante annunciatum Euangelium veri rami eſſent, eo ipſo quod Judæi, & Legis Moſaicæ ſtudioſi eſſent, nunc iſto titulo veri populi Dei, inſtar ramorum exciſſe aut privatos eſſe, propterea quod credere Jeſu Chriſto, ejuſque Religionem amplecti nollent: Veri populi Dei titulo, inquam, quia poſt revelatum Euangelium, Deus neminem voluit cenſere in vero populo ſuo, qui Euangelio credere noller. Et ſicut ſtante Lege, Judæi legirupæ non cenſebantur veri & genuini Abrahami poſteri, etiamſi Judæi eſſent & Judæi manerent; juxta id quod dicit Chriſtus, *Si filii Abrahami eſſetis, opera Abrahami faceretis, Joannis cap.* VIII; ita Euangelio patefacto, nulli Judæi cenſentur veri Abrahæ poſteri, aut verus populus Dei, qui Abrahami fidem non imitantur, etiamſi alioquin Legis Moſaicæ obſervantiſſimi videri velint. Et hac quidem de cauſſa, ii qui ſecundum Veteris Teſtamenti formulam Dei populus ſunt, definunt eſſe populus Dei ſecundum Novi Teſtamenti formulam, quia credere nolunt; & ſic veluti rami naturales & veri effringuntur, & à trunco avelluntur culpa ſua propria, quam vitare facile potuiſſent & jure merito debuiſſent.

17 οὐ

*Examen opinionis ostius, Apostolum hic non agere de singulis hominibus, sed de nationibus.*

17 εἰ δὲ) Hîc ante omnia excutienda est sententia eorum, qui existimant Apostolum hisce versibus non agere de singulis hominibus, sed de nationibus; ac proinde non de rejectione à vita æterna, sed de rejectione à statu illo fœlici externo, in quo nationes illæ, gentilium scilicet & Judæorum, erant in hoc mundo. Ac primum quidem, quo fundamento aut quibus rationibus solidis nitatur sententia ista, non facile apparet. Unico fere hoc tibicine niti videtur, quod repugnet hypothesi ipsorum indubitatæ; *Quod fideles nullo unquam tempore excidere possint ex fide & salute æterna.* At cum hypothesis hæc omnino sit infirma, adeoque prorsus falsa, vel ad minimum saltem controversa, pro fundamento sufficere non potest, cui colossus talis superstruatur. Deinde ut ut verum sit, Apostolum de populis etiam agere, tamen quin de singulis etiam agat dubitare rationes non sinunt. Etenim 1. ratio hæc loquendi, *tu quum esses oleaster, &c. tu per fidem stas, &c.* non improbabiliter arguit Apostolum de singulis hominibus etiam agere. Sed stabilitur fortissime hæc ratio, si conditio populi utriusque, tam Judaici quam Christiani, paulo propius introspiciatur & conferatur. Populus Judaicus in V. T. populus Dei erat eo ipso quod ex Abrahamo oriundus esset, & sic promissæ divinæ dilectionis perpetuus & necessarius hæres, idque in omni statu. Huic populo quà populus erat, promittebantur insuper benedictiones variæ in terra Canaan benedicta, si modo ab externa fœderis & Legis Mosaicæ observatione non recederet. Benedictionum harum generalium participes erant singuli in populo, non proprie quia Legis studiosi, aut pii & sancti erant, sed quia tantum partes & membra populi illius erant. Multi enim alioquin nequam & perversi, in terra sancta, rebus populi florentissimis, beneficiis iisdem cum cætero populo gavisi sunt. Hinc exciso, aut in captivitatem abducto populo nonnulli, licet alioquin pii & sancti, benedictionibus illis divinis populo totis etiam agere. Sed stabilitur fortissime hæc ratio, si conditio populi utriusque, tam Judaici quam Christiani, paulo propius introspiciatur & conferatur. Populus Judaicus in V. T. populus Dei erat eo ipso quod ex Abrahamo oriundus esset, & sic promissæ divinæ dilectionis perpetuus & necessarius hæres, idque in omni statu. Huic populo quà populus erat, promittebantur insuper benedictiones variæ in terra Canaan benedicta, si modo ab externa fœderis & Legis Mosaicæ observatione non recederet. Benedictionum harum generalium participes erant singuli in populo, non proprie quia Legis studiosi, aut pii & sancti erant, sed quia tantum partes & membra populi illius erant. Multi enim alioquin nequam & perversi, in terra sancta, rebus populi florentissimis, beneficiis iisdem cum cætero populo gavisi sunt. Hinc excisi

omnia frigidiſſimum facere Apoſtoli ſenſum, ex iis quæ ante obſervata ſunt Sole clariùs patet.

*Non eſſe ſervile metu dãnationis ad perſeverandum in fide moveri.*

Alterum quod ex hac hortatione Paulina colligo, eſt: Non modò non ſervile, nec illiberale eſſe, metu pœnæ æternæ ad officium faciendum, ſive ad perſeverandum in fide adduci, ſed contra licitè & rectè fieri id poſſe. Alioquin enim quorſum præcepiſſet fidelibus metuere Apoſtolus? Imo quorſum Servator & Apoſtoli omnes, non promiſſis tantùm, ſed minis toties uſi eſſent ad fideles in officio retinendos? Vide *Matth.* X. 28. *Hebr.* IV. 1. &c. Certè cùm illo argumento uti non duxerit illiberale aut ſervile Servator noſter, cur ſervile nobis aut illiberale videbitur iſto argumento moveri? Nulla ratio eſt. Sed de hac re alibi fuſiùs à nobis actum eſt.

22 ἐὰν ἐπιμείνῃς τῇ χρηστότητι, ἐπεὶ καὶ σὺ ἐκκοπήσῃ) Verbum ἐπιμένειν ſignificat Apoſtolum agere de vera fide, ac proinde de ſingulis qui conjuncti populum faciunt, vel de populo ex ſingularibus multis compoſito, quatenus vera fide præditus eſt. Nam ſi de profeſſione nuda fidei accipias, tum ſequetur populum Chriſtianum nunquam exſcindendum eſſe, vel rejiciendum à Deo, ſed benignitatem Dei ſemper experturum, ſi modò externa ratione profiteatur fidem, etiamſi alioquin peſſimus & à vera fide alieniſſimus ſit: quod profectò abſurdum eſt. Ut autem dicamus populum ullum, Chriſtianum populum fieri aut eſſe per fidem, quæ cordis actus eſt, fieri non poteſt. Sic enim non modò non poteſt fieri populus Chriſtianus, ſed ne quidem de ſingulari ullo homine conſtare poteſt an ſit Chriſtianus. Adde quòd Chriſtiano populo, ut fidelis populus eſt, non ſit promiſſa conditio aliqua luculenta in hoc mundo, uti olim populo Judaico, quà tali, obtigit. Sed pænè contraria omnia prædicta & illata, ſaltem circa prima Chriſtianiſmi incunabula. Hoc poſito, certum eſt ex hac Apoſtoli oratione, fieri poſſe ut ii qui ſemel verè crediderunt, & divinæ benignitatis per fidem participes facti ſunt, credere deſinant, in divina benignitate non permaneant, ac tandem à Deo exſcindantur, uti Judæi propter incredulitatem ſuam exciſi ſunt. τῇ χρηστότητι autem cùm dicit, fidem veram intelligit metonymi κατ', prout apparet ex *verſu* præcedente 20. ubi is *per fidem ſtare*, qui hîc *permanere in benignitate* dicitur; quia fides, Deo ita volente, in cauſſa eſt quo minus homo, quamdiu eam retinet, excidere poſſit favore & benignitate divina.

23 δυνατὸς γάρ ἐστιν ὁ θεὸς) Exponunt quidam non de potentia, ſed de voluntate: quia non erat dubium de potentia divina, an Deus poſſet illos iterum inſerere, ſed de voluntate ipſius, an aliquando id facere vellet. At nulla neceſſitas cogit, ut tam longè recedamus à proprietate vocis. Mihi δυνατὸς pro δύναται poſitum videtur; ut ſenſus ſit: Faciliùs & citiùs poteſt hoc facere Deus, quàm quum vos credentes inſeruit populo ſuo. Evinco id ex ratione ſubjuncta, in qua apodoſis his verbis effertur; πόσῳ μᾶλλον, id eſt, quantò leviùs, faciliùs, citiùs inſeri poſſunt naturales rami propriæ oleæ? De voluntate tamen divina ſi quis etiam exponere velit, non refragor: ſaltem de ea agere Apoſtolum *verſu ſeq.* 25. certum eſt.

*De Judæorum induratione.*

25 Πωρώσεως ἀπὸ μέρους) Quæ & qualis ſit hæc obduratio haud facile explicatur. Mihi aliud nihil eſſe videtur, quàm populi rebellis, contumacis & inſanabilis derelictio in rebellione & contumacia; quæ principium ſumſit ab ipſa tranſitione Apoſtolorum ad gentes: cùm videlicet Deus gentibus, non tantùm gratiam à Judæis diu & pertinaciter ſpretam patefieri voluit, eaſque non minùs quàm Judæos, etiam citra Legis Moſaicæ obſervationem, ſanctas & Meſſiæ beneficiorum capaces eſſe declaravit; ſed cùm etiam circa fideles gentes, univerſam pænè curam, providentiam & ſolicitudinem occupavit, edendo inter eas miracula, virtutes, ſigna, prodigia, diſtributiones Spiritus aliaque; mittendo ad eas Apoſtolos ſuos, & in medio earum ad tempus pænè ita verſando, ſicut olim in populo Judaico verſatus fuerat; tandem verò etiam in ſignum tranſlatæ gratiæ & benedictionis, refractarios & rebelles Judæos hoſtium truculentiæ & immanitati relinquendo, ita ut Rempublicam & templum eorum vaſtari prorſus ſiverit, eoſque in populos & nationes, ſine lege aut regno, diſſipari & diſjici paſſus ſit. Quia verò ad poſteros eorum nullos poſtea prophetas & doctores mitti, nulla ſigna inter eos fieri voluit; ſed eos ſibi & pertinaciæ ſuæ, à parentibus hauſtæ, relinquit, hinc πώρωσις illa veluti per traducem propagatur, & contagii inſtar tranſit ad poſteros. Poſtea multa acceſſerunt, quæ vel à variis quos id minimè decebat, hinc inde ipſis ſubminiſtrata ſunt alendæ huic pertinaciæ fomenta: vel ab illis ipſis ingeniosè conquiſita ſunt, rebellioni diuturnæ ſpecioſè obtegendæ, quæ quamdiu Deo non videbitur tollere, non modò mirum non eſt πώρωσιν illam durare, ſed ſi non duraret valde mirum foret. Vide paraphraſin.

25 ἀπὸ μέρους) Tam de temporis quàm de populi parte hoc accipi poteſt. De iis enim qui durante tempore indurationis indurantur, hîc agitur. At ii conſtituunt etiam partem populi Judaici. Et ſic optimè intelligitur quid ſit τὸ πλήρωμα τῶν ἐθνῶν, quod huic ἀπὸ μέρους opponi videtur. Id enim notet neceſſe eſt gentiles per totum penè orbem diſperſos, non tantùm eos inter quos Judæi tum temporis verſabantur, quia alioquin totus orbis appellari in Sacris ſolent, ſed alii etiam longè poſiti, & quaquaverſum orbem terrarum implentes. Non quod præcisè de omnibus & ſingulis gentilibus, ubicunque locorum poſitis, id intelligendum ſit, ſed phraſi uſitata de populis quàm plurimis, &, ſi non omnibus, pænè ſaltem omnibus. εἰσέλθῃ, *Introierit* autem expono, introeundi facultatem & occationem habuerit, per luculentam, claram & diutinam Euangelii prædicationem, quam inter eos fieri curabit benignus Deus. Non enim prædicit hîc Apoſtolus futurum ut intrent, aut ut ſalventur, (*Intrare* enim & ſalvari hîc unum idemque eſt, uti ex verſ. ſequ. patet) plerique gentiles: contrarium enim futurum dicit Scriptura; ſed tantùm indicat Deum à parte ſua facturum quicquid ad hoc ut ii intrent, id eſt, ad Eccleſiam ſive communionem ſalvandorum accedant, neceſſarium erit: adeò ut ſi poſitis iſtis mediis non intrent, id ipſorum inſigni culpæ tribuendum ſit. Et hoc pacto ſolent fere loqui Scriptores ſacri, ut futurum id dicant quod fieri facilè poteſt, & ad quod ut fiat vel omnia neceſſaria, vel ſingularia etiam inſuper quædam adminicula & remedia adhibentur. *Donec* itaque *introierit plenitudo gentium*, nihil aliud notat quàm, donec ſatis ſuperque Deus Euangelii ſui gratiam prædicari fecerit inter gentes, ut nihil amplius reſtat quod à parte ipſius deſiderari poſſit ad converſionem ipſorum procurandum. Eadem eſt ratio ejus, quod de Iſraele univerſo in eandem ſententiam dicitur.

*Quomodo totus Iſrael ſalvandus ſit.*

26 καὶ οὕτω) Id eſt πῶς, prout etiam accipi videtur *Joan.* IV. 6. πῶς ἐγερεῖλε σωτήριαν, id eſt ſalutis oſtium apertum, vel ſalutis occationem luculentam, divina procurante gratia, videbit: qua ſine dubio ſalvabitur, niſi ſibi ipſi deeſſe velit. Agitur enim non de effectu certo, nedum neceſſario, ex electione aliqua divina exſtituro; ſed tantùm de conſilio & propoſito Dei, quod homines poſſunt ἀθετεῖν, uti expreſsè dicitur *Luc.* VII. 30. Quod notandum eſt, ne quis exiſtimet affirmari hîc ab Apoſtolo, Deum Iſraelem præfractum & rebellem manentem, vi irreſiſtibili, aut alia aliqua actione omnipotente, illo tempore converſurum eſſe ad meliorem mentem. Agitur enim procul omni dubio de illa ſalvatione, qua excellenter aliquid iſto tempore facturus Deus eſt à parte ſua, ut Judæi inobedientes, immorigeri & infideles eſſe deſinant: ſive uti *verſ.* 23. dixerat, in infidelitate non permaneant, atque ita ſalventur: quia per fidem ſine dubio neque aliter ſalvari illos volet. Atqui fieri non poteſt, ut fides & obedientia per vim irreſiſtibilem ingeneretur. Eo ipſo enim quòd ita efficeretur fides, deſineret fides & obedientia eſſe. Hæc enim Deus præſcribit & poſtulat ut ab ipſis præſtentur. At quod in ipſis per vim talem producitur, id ab ipſis fieri & præſtari juxta Dei præſcriptum dici non poteſt. Subjectum enim purè putè recipiens, non poteſt dici cauſſa efficiens receptionis ſuæ, non magis quàm corpus cauſſa animæ, cùm ei infunditur. *Servabitur* itaque *Iſrael*, aliud nihil hoc loco eſt, quàm à parte Dei conſequetur egregiam, qualis à tempore rejectionis ipſorum ipſis non obtigerat, ſalutis obtinendæ occaſionem. Apparet id non obſcurè ex dicto Prophetæ, quod ad illuſtrationem hujus ab Apoſtolo accommodatur. In eo enim promittit Deus, ſi literalem & primum prophetiæ ſenſum videas, populo ſuo in captivitatem Babylonicam abducto, liberatorem. At liberatorem non promittit, qui vi Judæos adducturus erat, ut vellent nollent ex captivitate illa in terram Sanctam migrarent; ſed tantummodo qui viam ipſis ſtraturus, & occaſionem luculentam præbiturus erat, ut ex captivitate exire poſſent ſi vellent. Poterant enim captivi liberatorem iſtum non ſequi, aut liberationem illam reſpuere ac negligere, adeoque præeligere in captivitate, cui jam adſueverant, manere, ſi ita ipſis videretur. Liberator itaque intelligitur qui, quantum in ſe erat, liberationem procuraturus & effecturus erat, & captivitatem quæ pœna peccatorum populi erat, à cervicibus eorum ita amoliturus, ut ſi modò captivi manere nollent, in libertatem exirent. Hoc enim eſt avertere impietates à Jacob, tollere ſcilicet impietatum pœnam, nempe captivitatem, à Jacob. Eadem planè eſt ratio captivitatis & liberationis ſpiritualis.

*Quomodo dona & vocatio*

29 ἀμεταμέλητα γὰρ τὰ χαρίσματα καὶ ἡ κλῆσις τοῦ θεοῦ) Dupliciter poſſunt expoſui verba hæc, prout referuntur vel ad antecedentia tantùm, vel ad antecedentia & conſequentia ſimul.

Si

*Dei sint absque pœnitentia.*

Si ad antecedentia referantur, tum per τὰ χαρίσματα καὶ τὴν κλῆσιν, intelligetur indebitus & gratiosus, adeoque peculiaris ille favor, quem vers. præcedente *Dilectionem* appellavit, quo Patres populi Judaici Deus olim complexus est; adeò quidem ut se speciali promisso iis obstrinxerit, fore ut posteros ipsorum in populum suum ex aliis omnibus mundi nationibus electurus, & populum suum vocaturus semper esset, & ab eo gratiam & misericordiam suam nullo unquam tempore penitus & in totum ablaturus, utcunque etiam se gererent. Hic favor quia singularis & eximius est, emphaticè plurali numero vocatur τὰ χαρίσματα καὶ ἡ κλῆσις, id est, vocatio sive electio aut appellatio admodum gratiosa, quæ ex pura puta benignitate Dei profecta est. Ἀμεταμέλητα autem illa esse dicit, quia nunquam futurum est ut amorem & favorem istum suum omnino & in totum exuat Deus, sed in illa dilectione perstiturus est usque ad finem mundi, ut ut etiam sese populus iste gerat. Non quòd eos Deus non possit, aut etiam non velit aliquando punire propter peccata ipsorum: absit: contrarium videre est *Jerem.* XVIII. & experientia satis sæpeque testatum fecit: sed quòd Deus eos exstirpare ita funditus non velit, ut non aliquando eorum posteris iterum velit benefacere. Hoc enim privilegium est populo huic soli à Deo concessum. Si ad antecedentia & consequentia simul referantur, tum per τὰ χαρίσματα καὶ τὴν κλῆσιν, intelligentur gratiosa illa beneficia, quæ Deus gentilibus & Judæis vicissim facere constituit ex indebito & prorsus immerito favore: quòd videlicet gentibus propter rebellionem rejectis, gratiam facere secundò voluit; & Judæis jam rejectis, suo tempore iterum gratiam facturus sit, vocando eos singulari quadam ratione ad veritatis cognitionem, prout ex verss. sequentibus videre est. Ut ut accipiantur verba, expositio plana est & aperta.

Qui per charismata hæc intelligunt dona fidei, quæ Deus electis suis dat vel infundit, eáque ἀμεταμέλητα vocant, propterea quòd Deus ea in iis, quibus ea semel concessit, perpetuò conservare velit, etiamsi in gravissima & valdè horrenda peccata incidant, in iisque aliquandiu hæreant, ii planè discedunt à scopo Apostoli, & ea affirmantem illum hîc faciunt, quæ falsa esse Scriptura passim ferè insinuat, cùm expressè de Deo affirmet, eum pœnitentia duci isto casu quo dictum est; uti videre est *Jerem.* XVIII. 7, 8, 9. *Repente loquar adversùs gentem* (scilicet peccatricem) *& adversùs regnum* (supple, immorigerum mihi) *ut evellam & confringam & perdam. Sin autem convertatur gens ipsa à malo, contrà quam loquutus sum, pœnitebit me mali quod cogitaveram facere ei. Repente loquar de gente & regno* (supple, officium faciente, & mihi morem gerente; vel, ut in textu est, vocem meam audiente) *ut ædificem & plantem; & fecerit malum in oculis meis ut non audiat vocem meam, pœnitebit me illius boni quo constitui illi benefacere.* Item cum Deum in terminis ita loquentem facit, *Ezech.* XVIII. 20, 21, 22, 23, 24, 26, 27. imprimis autem *vers.* 24. *Si justus aversus fuerit à justitia sua, & fecerit secundum omnes abominationes quas facit impius, fecerit & vivet? omnium justitiarum ejus quas fecit non recordabor amplius: propter prævaricationem suam, qua prævaricatus est, & propter peccatum suum, quo peccavit, morietur.* Quid non recordari amplius velle justitiarum ante-actarum, aliud est quàm idem illud, quod antea Jeremias appellaverat μεταμέλειαν? Item cùm affirmat passim Deum *irasci, indignari, animæque ipsius complacitum non esse in iis qui se subducunt, & à pietate ad impietatem deflectunt*, quos tamen antea tenerè ab eo dilectos esse dicit: cùm hortatur fideles *ne tristitia afficiant Spiritum Sanctum, quo obsignati sunt in diem redemtionis*: Eph. IV. 30. *ne gratiam ipsius frustrà receperint*: 2 Cor. VI. 1. *ne à propria stabilitate excidant*: 2 Pet. III. 17. aliaque similia. quæ omnia frustra esse quis non videt, si ita ἀμεταμέλητα sunt τὰ χαρίσματα, ut fieri non possit ut in odium Dei incidant, aut gratiam frustrà acceperint, aut à stabilitate sua excidant, qui semel gratia ipsius donati sunt? Omitto alia argumenta infinita, ne prolixior sim: satisfactum ratus, si constet sensum istum, præter Apostoli scopum esse & planè alienum.

Notandum interim est, divina χαρίσματα esse duplicia, uti & κλῆσιν etiam duplicem. Quædam sunt quæ à sola Dei voluntate pendent, & in quibus voluntas hominis locum nullum habet, id est, quæ Deus dare vult, sive homo ea accipere velit, sive nolit. Tale donum fuit Christi missio, & talis erit aliquando de qua hîc agitur Judæorum revocatio ad pœnitentiam. Quædam sunt quæ à Dei voluntate quidem pendent, sed quæ tamen homo non accipit nec accipere potest, nisi voluntas ipsius accedat; idque propterea quòd ea dare sive promittere, non nisi cum certa conditione ab homine præstanda velit Deus. De prioribus loquitur hîc Apostolus: eorum enim nunquam pœnitet Deum: non autem de posterioribus. Ubi enim conditio affixa est divinæ donationi aut vocationi, ibi fieri potest ut homo conditionem illam nolit præstare, aut si præstare cœperit, in ea præstanda nolit perseverare, & hoc cùm fit, tum verò per ἀνθρωποπάθειαν pœnitentia duci Deum, & dolore affici Spiritum Dei, irritari Spiritum Sanctum Dei, &c. testatur Scriptura: quia Deus non vult ut sine conditionis affixæ impletione, donatio & gratia sua effectum sortiatur: uti jam antè clarum fecimus.

*Quomodo Deus omnes in contumacia conclusérit.*

32 Συνέκλεισε γὰρ ὁ θεὸς τοὺς πάντας) Per τοὺς πάντας intelligit eos omnes, quorum antea mentionem fecerat: nempe gentiles primùm, deinde Judæos; & quidem cùm contumaces esse pergerent, ac nullis remediis se flecti paterentur ad obsequium divinæ voluntatis. Συνέκλεισε itaque hoc loco habet pro objecto, non alios quàm rebelles & contumaces, qua tales: & quidem rebelles, qui cùm possent & deberent non rebellare, id est divinis jussibus deberent ac possent morem gerere, non gesserunt tamen, sed in rebellione sua voluntaria ac libera perseverarunt. Apparet rei veritas Sole clarius ex versibus duobus præcedentibus. Quare ii qui per τοὺς πάντας intelligunt, vel reprobos quos vocant, qui absoluta Dei voluntate vel comparata reprobati sint à Deo, absque ullo propriæ & vincibilis culpæ, nedum rebellionis aut contumaciæ notoriæ intuitu; vel omnes omnino homines, quos conclusos à Deo sub peccatum dicunt, eò quòd Deus Adamum primum parentem ipsorum, in cujus lumbis illi fuisse censentur, ac proinde etiam eos omnes, in peccatum incidere voluerit, vel subtrahendo quam dederat gratiam, vel non dando eam quæ ad evitandum peccatum necessaria erat, (quod illi appellant *efficaciter permittere*) vel arcano impulsu determinando voluntatem ipsius, ita ut non posset non peccare; idque ideo ut misericordiæ & justitiæ ipsius locus fieret: ii profectò alienissima à mente & scopo Apostoli dicunt, & ne speciem quidem ullam adferunt qua commentum illud suum tegant; quinimo Deum peccati authorem directè faciunt. Repudiandi itaque sunt.

Tantummodo quid conclusio sive συγκλεισμὸς hîc divinus sit observandum est. Qui eam esse volunt actionem talem Dei, quâ voluntatem hominum, antequam id promeruerunt, determinat ut infideles sint & maneant, id est, ut credere nolint; sive id faciat, quia arcano impulsu inclinat eorum voluntatem ad non credendum, sive quia eos destituit iis mediis sine quibus non possunt credere; ii profectò ex Deo diabolum faciunt, imò Deum diabolo faciunt deteriorem. Quare sunt alii, qui per conclusionem hanc sub incredulitate, intelligunt actionem talem divinam, qua Deus homines rebelles & parere nolentes, post diutinam patientiam ac tolerantiam deserit, eosque relinquit sibi, ita quidem ut stante ista desertione credere non possint, & ut credant ac convertant se, pro severitate sua qua contra eos uti vult, nolit. Et hi quidem, etiamsi nihil dicant quod injustum aut Deo indignum sit, si per se consideretur, tamen nimium mihi dicere videntur. Nec enim possum mihi persuadere Deum ita præcisè agere; cum fieri videamus quòd Deus tales sæpenumero adhuc vocet, & seriò quidem invitet ad resipiscendum; quod quâ ratione cum illo decreto ac proposito, quo non vult illos credere ac resipiscere, conciliari possit non video. Quocirca expono eo quo in Paraphrasi videre est modo, pro, inclusos illos relinquit carceri isti, cui ipsi sese inclusérunt sponte sua, & includere pergunt, adeò ut exire nolint, quando videlicet exire jubentur, & ut exeant, id est, ut credant, rogantur ac monentur; non tamen ita ut ea derelictione stante, nullo modo aut nunquam possint exire, id est, ab infidelitate desistere; sed ut non nisi difficulter possint. Si enim ita deserantur, ut Deus eos aliquandiu non vocet de novo, omnium difficillimè exire & ad sanam mentem redire possunt. Si verò vocet ordinaria tantum ratione, non possunt nisi valde difficulter exire. Et hoc utrumque satis est, ut concluси dici possint.

33 ὦ βάθος πλούτου καὶ σοφίας) Admiratio vel exclamatio hæc Apostoli, manifestè oritur ex intuitu & consideratione administrationis illius divinæ, cujus antea mentionem fecerat, & quam versibus tribus præcedentibus, putà 30. 31. 32. compendio quasi complexus fuerat; quòd videlicet Deus gentes primum gratia suæ vocationis dignatus fuerit, & cùm eæ se immorigeras præberent ipsius vocationi, quòd eas in contumacia & rebellione ista veluti in carcere clausas reliquerit, & ista occasione Judæis nihil tale opinantibus, nedum promeritis, gratiam & misericordiam facere voluerit. Nunc verò eundem planè ad modum Judæos, in rebellionem & contumaciam illam gentium quasi succedentes, iterum deserere, & similiter contumaciæ ac rebellionis carceri inclusos relinquere velit, adeoque gentibus olim immorigeris gratiam iterum facere, & quidem eo animo ac proposito ut Judæis, licèt etiam jam immorigeris, eandem gratiam aliquando iterum faciat. Hujus enim administrationis gratiosæ simul ac justissimæ, maxima & pænè inexhausta est

profunditas. Primo facit Deus gratiam immerentibus: inde demerentes illos deserit, & facit aliis gratiam, qui alioquin gratiæ istius participes facti non fuissent: & cum hi iterum gratiæ divinæ rationem amplius habere nolunt, eos quos antea deseruerat, & qui alioquin indigni erant qui fierent divinæ gratiæ participes, quasi nihil offensus longa ipsorum rebellione & contumacia, rursum dignatur gratia sua; idque eum tantum in finem, ut gratiæ & miseri cordiæ excellentia, occasione tali exercita, tanto illustrius appareat atque eluceſcat.

*Epiphonema Apostolicum non favet Prædestinationi absolutæ.*

Sunt qui epiphonemate hoc abuti feri semper solent, tanquam ignorantiæ aut impudentiæ potius suæ asylo ac refugio. Nimirum ubi horrendum illud ac crudele carmen suum cecinerunt, quod Deus multo minimam partem humani generis ad æternam vitam absoluta voluntate elegerit, & longe maximam generis humani partem æternis ignibus addixerit; nullo habito respectu aut ad propriam illorum obedientiam, aut ad horum inobedientiam; quod illos ita vocet, ut non possint non credere, hos ita vocet ut non possint credere; illis ita faveat ut nullis peccatis ex gratia ipsius excidere possint, hos contra tanto odio habeat, ut quicquid faciant nunquam in gratiam possint redire: postquam, inquam, hoc carmen cecinerunt, & quæ ex illo sequuntur innumeris pænè absurditatibus se premi vident, statim ad ancoram hujus exclamationis confugiunt, *O profunditates divitiarum, &c.* Quasi verò Apostolus hoc epiphonemate usus fuisset, eum in finem ut serviret pro crudelitatis & injustitiæ adeoque stultitiæ nostræ operimento ac velo. Absit. Tantum abest ut id propositum fuerit Apostolo, aut ut huic fini serviat hæc augusta ipsius exclamatio, ut contra Apostolus non respiciat nisi ad actiones Dei in quibus summa æquitas, justitia & rationabilitas, ut ita loquar, ex una parte, & summa bonitas ac misericordia ex altera parte palpabiliter elucet. Apparet id ex connexione versus hujus cum præcedentibus, & ex ratione manifesta, tum quæ in textu ipso apparet, tum etiam quæ ex rei natura colligi potest. Ex ratione manifesta, quæ in textu est, id apparere dico; quia Apostolus expresse divitias profundas sapientiæ divinæ admiratur. At quæ sapientia, imo quæ divitiæ sapientiæ, nedum profundæ divitiæ sapientiæ, in eo positæ esse possunt, quod Deus maximam partem generis humani velit, vel absoluta voluntate odisse, vel propter Adami peccatum velit relinquere æterni ignis pabulum, & eam nihilominus simulatis benevolentiæ vocibus ad æternam vitam ac gloriam invitare ac solicitare; aut (ut breviter dicam) quod velit minimam hominum partem salvare, & maximam perdere? Certe nullæ hîc sapientiæ partes esse possunt; sola tantum voluntas pæne dixerim bruta, adeoque summè tyrannica, qua Deus facit quod vult, & quod collubitum est ipsi facere, locum hîc habet. Deinde quis admiretur actiones has tanquam plenas sapientiæ? Horret mens & obstupescit ad istas. Admirari autem eas ut sapientia, nedum singulari sapientia, refertas, quomodo potest? Nec enim vel sciintilla sapientiæ in iis apparere vel subtilissimo intellectui potest. Solum illud tantum in eo locum habet, Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas. Ex natura etiam rei ipsius apparet satis, isti fini servire non posse hoc epiphonema Apostolicum. Nam in quo recta ratio palpabiliter deprehendit rationem, non dico injustitiæ, sed summæ injustitiæ & crudelitatis atque immanitatis, adeoque hypocriseos & simulationis supremum gradum qui excogitari potest, in eo non potest nec debet admirari profundas divitias sapientiæ. Nam sapientia, nedum profunda sapientia, non potest repugnare rectæ rationi. At talem injustitiæ & hypocriseos gradum, deprehendit palpabiliter recta ratio, in isto opere reprobationis & vocationis, quale isti authores statuunt. Quid enim injustius concipere potest recta ratio, quam insontem æternis cruciatibus addici, aut eum qui propter parentis sui peccatum æternis ignibus peremtorie addictus est, & potentia omni credendi atque obediendi privatus, vocari ad credendum & obediendum ut æterna gaudia consequatur; imo ut, si non credat atque obediat vocationi, gravioris supplicii reus fiat?

Neque verò ad rem quicquam facit, si dicas Apostolum expresse hic affirmare, judicia Dei esse inscrutabilia, & vias ejus imperveſtigabiles. Eo enim non indicat Apostolus, judicia Dei talia non esse, ut eorum æquitas ac rectitudo perspici non possit à nobis, cum judicia ista nobis à Deo revelantur. Nihil minus. Si enim id fieri non potest, quomodo sapientiam in iis profundam admirari potuisset Apostolus? Admiratio enim hæc, significat ipsum ea perspexisse atque intellexisse. Sed tantum indicat, ea talia & tam eximia esse, ut humana mens per se ipsam ea excogitare, aut alteri suggerere nunquam potuisset; prout apparet ex eo quod sequitur: *Quis enim cognovit mentem Domini? aut quis consiliarius cum eo?* Hoc enim intelligendum esse, ita ut significet, Quis (non edoctus à Deo) cognovit mentem Dominis manifeste colligitur ex 1 *ad Corinth.* II. *vers.* 16. ubi hæc ipsa phrasis usurpata legitur; *Quis enim novit mentem Domini, qui instruetur eum?* (ὃς συμβιβάσει αὐτὸν, quod hic effertur, τὶς σύμβουλος αὐτοῦ ἐγένετο?) & statim additur, *Nos autem* (N.B.) *mentem Christi habemus:* id est plane perspectam habemus, novimus atque intelligimus voluntatem ejus; scilicet per divinam revelationem, uti ipse Apostolus eodem capite, paulo ante affirmaverat, *vers.* 10. *Nobis autem retexit Deus per Spiritum.* Notandum enim semel est, aliud longe esse excogitare aliquid ex seipso, aliud intelligere ac percipere ejus rei, quæ ab alio revelatur, sensum, æquitatem, rectitudinem, & ut ita dicam rationabilitatem. Judiciorum Dei rationem excogitari ab homine non posse affirmat Apostolus; At non affirmat Dei judicia, cum nobis ea revelantur, intelligi non posse quod recta sint & justa. Absit. Et hoc idem sibi vult phrasis hæc: *Quis prior dedit ei & retribuetur ei?* Non enim indicatur ista phrasi Deum prius debere dare, non tantum potentiam & vires credendi, sed etiam actum ipsum fidei in homine efficere, quam præscire possit illum crediturum, uti Beza in Notis suis ad hunc locum observat, & sedulo observari vult: nihil minus: sed tantum neminem fuisse, qui Deo consilium dederit ut ita ageret, sed Deum sponte sua fecisse omnia ista, de quibus antea egit, & quidem à nemine motum aut impulsum. Datio itaque, hîc consilii dationem significat, nihil vero aliud: prout apparet ex ratione subjuncta, qua dicitur, *Nam omnia* (ista) *ex eo, per eum, & in ipsum sunt. Ex eo,* inquit, quia nemo ei consilium ita agendi dedit, sed ipse ex se ipso administrationis hujus totius primus & unicus author & consultor est.

*Ex eo quod nemo prior dederit Deo, non sequitur Prædestinationem à conditione fidei non pendere.*

Coronidis loco hîc addam; inepte satis arbitratum esse Bezam, cùm hoc dicto Paulino, *quis prior dedit ei, & retribuetur ei?* credidit solidè refutari sententiam eorum qui prævisionem fidei præstruunt prædestinationi, aut potius electioni ad vitam æternam, sive ad gloriam: cum ad rem istam dictum hoc Apostoli nullo modo pertineat, uti jam vidimus, & etiamsi ad eam pertineret, prævisio fidei electioni ad gloriam præstrui possit, sine veritatis quæ hoc dicto continetur vel minimo detrimento: eo quod fides prævideri possit in homine à Deo, ita tamen ut Deus eam homini prior dederit, aut ut homo eam sine beneficio & gratia divina non habeat: si videlicet datio ita fieri à Deo dicatur, ut liberam hominis acceptionem non excludat: prout *dationis* vox, aut vocis *dandi* proprietas requirit. *Dare* enim, aliud nihil est quam accipientem invenire. At sicut dedisse dici non potest, cujus donum repudiatum est, aut qui ab eo cui dare voluit repulsam passus est; ita accepisse dici non potest qui donum repudiavit, aut qui oblatum non repudiare nec respuere non potuit. Hæc autem ratio dandi, tanto magis valere debet in hoc negotio, quo fides dari à Deo dicitur, quia Deus ita fidem dat, ut simul etiam homini mandet ac jubeat sub promisso præmii, & pœnæ gravissimæ interminatione, ut ipse homo, si ita dicere liceat, fidem accipiat, vel potius (ut proprie loquar) ut homo credat & fidem Deo adhibeat. At hujusmodi mandatum cum fidei datione, quæ liberum accipientis arbitrium excludat, nullo modo potest consistere: & contra optime consistit fides, ita libere adhibita, aut (ut ita loquar) accepta, cum eo quod Deus eam prior det homini, & homo eam non habeat nisi per gratiam divinam. Hæc enim sunt valde consentanea. Et, si historia omnium retro seculorum videatur, fuit hæc passiva & recepta omnium orthodoxorum, qui vocantur, Patrum sententia. Omnes enim isti ita adstruxerunt divinæ gratiæ necessitatem, ut libertati arbitrii nihil derogaverint; & contra libertati arbitrii ita sunt patrocinati, ut gratiæ divinæ primas semper ac potiores partes in conversione hominis dederint. Unde consequenter deinde elicitur, eos omnes Prædestinationem ad gloriam nullam aliam statuisse, quàm quæ secundum præscientiam aut prævisionem fidei est. Neque vero Origeni recte hanc sententiam, ut primo authori, adtribuit Beza, tanquam si reliqui Patres ab eo veluti hæresiarcha in errorem abducti fuissent, aut Pelagio multo post secuturo imprudentes famulati essent. Fuit enim hæc unanimis & constans adeoque seria omnium pæne Patrum, qui ante Pelagium, imo ipsum Origenem vixerunt, sententia; imprimis quoties Magis, Gnosticis, Valentinianis, Marcionitis, aliisque fati patronis, sese opponebant. Ita Prosper: *Pænè omnium par invenitur & una sententia, qua propositum & prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt, ut ob hoc Deus alios vasa bonoris, alios vasa contumeliæ fecerit, quia finem uniuscujusque prævideris, & sub ipso gratiæ adjutorio in qua futurus esset voluntate & actione præsciret.*

*Qui id asserunt, nec Pelagiani nec Semi-Pelagiani sunt.*

Neque habet hæc sententia quicquam quod Pelagii hæresin, aut Massilienſium, quos Semi-Pelagianos vocare

care solent (jure an injuria non disputo) errorem ullatenus redoleat: quippe consentiebant in hoc capite orthodoxi, Pelagiani, & Massilienses, Prædestinationem secundum præscientiam fieri. Sed in eo discriminis cardo vertebatur: An Prædestinatio facta sit à Deo secundum præscientiam boni usus liberi arbitrii, nulla gratia Christi interna excitati aut adjuti. Asserebat hoc Pelagius, negabant Orthodoxi. Nimirum hæc erant Pelagii principalia placita: 1. Hominem solis naturæ viribus posse servare legem totam, justificari, perseverare, & vitam æternam consequi. 2. Nullam requiri gratiam internam excitantem aut adjuvantem; sed sufficere liberum arbitrium, legem, doctrinam & exemplum. 3. si quæ tamen detur gratia, eam dari ex meritis, id est recto & bono usu liberi arbitrii. Qui vero se Pelagio opponebant, ii tria placitis illis Pelagii contraria placita tuebantur. 1. Hominem solis naturæ viribus non posse servare totam legem, justificari, perseverare, & vitam æternam consequi. 2. Gratiam Jesu Christi internam, excitantem & adjuvantem omnino necessariam esse; nec sufficere liberum arbitrium, Legem, Doctrinam & exemplum. 3. Nullam dari gratiam ex meritis, id est recto usu liberi arbitrii: sed si prima sit, eam dari ex sola Dei liberalitate; si augmentum illius, eam posse dari ex recto usu non solius liberi arbitrii, sed à gratia excitati & adjuti. Hæc ita esse ex eo manifestum fit, quod placita ista Pelagii diserte damnata comperiantur in Synodis, quæ in Pelagii caussa convocatæ olim fuerunt, quarum omnium canones huc spectantes simul collectos nobis exhibet Synodus Africana magna, quæ nunc Concilii Milevitani nomine venit. At sententia illa, de Prædestinatione facta secundum præscientiam aut prævisionem fidei vel operum vel meritorum, ut loqui tum solebant, hodieque adhuc non pauci loqui amant, tantum abest ut damnata legatur ulli Synodo, tanquam Pelagiana, ut contra quotquot sese Pelagio, licet calidissime, opposuerunt, adeoque etiam ipse Augustinus antagonista ipsius acerrimus, ii omnes præcedentium Patrum authoritate ac consensu se contra Pelagium munire studuerint. At eos Patres pæne omnes Prædestinationem secundum præscientiam adseruisse jam ante ex Prospero evicimus, & ex ipsorum scriptis adeo clare atque evidenter liquet, ut Solis radio scriptum videri debeat. Augustinum etiam ipsum quod attinet, etsi is ut à Pelagio quam longissime recederet nonnunquam in alterum extremum abreptus videatur, tamen certum est, ab eo nunquam hoc caput aut negatum aut oppugnatum fuisse; alioquin enim quorsum liberum arbitrium tam aperte, tam constanter adseruisset; aut quo titulo illud adserere potuisset? Sed quicquid sit de Augustini mente, quæ adeo obscura videtur multis in locis, ut nullæ nunc fere in lucem exeant sententiæ, licet distantes toto (quod ajunt) cœlo, quæ illius authoritate sese non venditent ac commendent: illud manifestum est, nemini unquam crimen hæreseos Pelagianæ, aut Semi-Pelagianismi errorem (nunquam enim Semi-Pelagiani tanquam hæretici damnati sunt) vel à Synodo ulla vel ab ullo Orthodoxo Patre impactum fuisse, eo nomine quod Prædestinationem secundum præscientiam factam statueret; prout à variis eruditis & antiquitatis peritis viris observatum, & multis documentis omni exceptione majoribus sæpenumero comprobatum est.

# CONCILIUM ARELATENSE III.

A. D. 1 ↄ. XXIV.

*Anathema illi qui dixerit, illum qui periit non accepisse ut salvus esse posset.*

*Anathema illi qui per Dei præscientiam hominem in mortem deprimi dixerit.*

*Anathema illi qui dixerit, quod vas contumeliæ non possit assurgere ut sit vas in honorem.*

*Anathema illi qui dixerit, quod Christus non pro omnibus mortuus sit, nec omnes homines salvos esse velit.*

*Nos autem per illuminationem Christi veraciter & confidenter asserimus, & eum qui periit per culpam, salvum esse potuisse per gratiam, si gratiæ ipsius famulantem laboris obedientiam non negasset: Et eum qui per gratiam ad bonæ consummationis metas servitio obsequente pervenit, cadere per desidiam, & perire potuisse per culpam. Gravem namque in Auctorem retorquemus invidiam, si dicamus quod ei possibilitatem capiendæ salutis noluerit dare qui periit.*

FINIS.

# INDEX
# LOCORUM SCRIPTURÆ,

Quæ in hoc opere explicantur, vel verbo uno atque altero cursim attinguntur.

*Litera* a *Institutiones.* b *reliquos tractatus denotat.*

## GENESIS.


| Cap. | Vers. | Pag. |
|---|---|---|
| I. | 1. *& seqq. per totum.* | 129, 345, 349. *&c.* a |
| Ibid. | 3. | 411. a |
| Ibid. | 21, 26, 27. | 346. a |
| Ibid. | 26. | 129, 283, 352. *&c.* a |
| Ibid. | 28. | 114. a |
| II. | 3. | 346. a |
| Ibid. | 7. | 352, & 354 & 419. a |
| Ibid. | 19. | 359. a |
| III. | 1, 2. *&c.* | 375. a |
| Ibid. | 4, & 22. | 258, 259. b |
| Ibid. | 7, 10, 11. | 353. a |
| Ibid. | 12. | 358. a |
| Ibid. | 15. | 45. & 409. a |
| Ibid. | 17, 18. | 350. a |
| IV. | 6, 7, & 14, 15. | 376. a |
| Ibid. | 26. | 22. a |
| V. | 1. | 346. a |
| Ibid. | 24. | 409. a |
| VI. | 3. | 376. a |
| Ibid. | 5. | 406. a |
| Ibid. | 6, 7, 8. | 316, 317. a |
| VII. | 2. | 359. a |
| VIII. | 4. | 189. a |
| Ibid. | 17. | 114. a |
| Ibid. | 20. | 316. a |
| Ibid. | 21. | 22, 396, 406. a |
| IX. | 4, 5. | 355. a |
| Ibid. | 4, 6, 21. *& seqq.* | 376. a |
| Ibid. | 27. | 231. b |
| X. | 1. | 270, 271. a |
| XII. | 7. | 155. a |
| Ibid. | 15. | 376. a |
| XIII. | 15. | 155. a |
| XIV. | 18, 19, 20. | 376. a |
| XV. | 1. *&c.* | 33, 409. a |
| Ibid. | 6. | 35, 36. a |
| Ibid. | 13, & 16. | 49, 299, 300. a |
| Ibid. | 16. | 106. a |
| XVI. | 14. | 385. a |
| XVII. | 1. | 32, 285. a |
| Ibid. | 5. | 197. a |
| Ibid. | 7. | 200, 409. a |
| Ibid. | 10. | 115. a |
| Ibid. | 17. | 36. a |
| XVIII. | 25. | 319. a |
| Ibid. | 25, & 32. | 370, 371, 374. a |
| XIX. | 11. | 377. a |
| Ibid. | 19. | 33. a |
| Ibid. | 21. | 430. a |
| Ibid. | 26. | 419. a |
| XX. | 3, 4, 5, & 11. | 24, 376. a |
| Ibid. | 6. | 343. a |
| Ibid. | 7. | 408. a |
| Ibid. | 12. | 36, 37. a |
| Ibid. | 13. | 129, & 193. a |
| XXI. | 12. | 155. a |
| XXII. | 2. *& seqq.* | 38, *& seqq.* & 309. a |
| Ibid. | 12. | 41, 42. a |
| Ibid. | 18. | 155. a |
| Ibid. | 21. | 223. a |
| XXIV. | 16, & 43. | 177. a |
| XXVI. | 2. | 284. a |
| XXVII. | 36. | 385. a |
| XXVIII. | 15. | 165. a |
| XXXI. | 24. | 24. a |
| Ibid. | 44, 45, 46. | 136. a |
| XXXII. | 28, 30. | 52, 284. a |
| XXXIV. | 1. | 177. a |
| Ibid. | 25. | 43. a |
| XXXV. | 4. | 137. a |
| Ibid. | 11. | 285. a |
| Ibid. | 19. | 217. a |
| Ibid. | 20. | 136. a |
| XXXVI. | 11, 12, & 34. | 223. a |
| XXXVIII. | 2. | 114. a |
| XXXIX. | 21. | 333. b |
| XL. | 19, 20. | 192. a |
| XLI. | 45. | 196. a |
| XLIII. | 14. | 285. a |
| XLV. | 3. | 430. a |
| Ibid. | 5, 7, 8. | 394, 395, 396. a |
| XLVIII. | 3. | 27. a |
| Ibid. | 7. | 217. a |
| Ibid. | 14. | 396. a |
| XLIX. | 10. | 163, *usque ad* 168, 197, & 435. a |
| Ibid. | 26. | 80. a |
| L. | 20. | 395, 396. a |


## EXODUS.


| | | |
|---|---|---|
| II. | 5. | 54. a |
| Ibid. | 8. | 177. a |
| Ibid. | 16. | 196. a |
| III. | 1. | 196. a |
| Ibid. | 7. | 185. a |
| Ibid. | 12. | 9. b |
| Ibid. | 15. | 49. a |
| Ibid. | 19. | 343, & 390. a |
| IV. | 21. | 389, 390. a |
| Ibid. | 25, 26. | 43. a |
| VI. | 3. | 34, 281. a |
| Ibid. | 13. | 61. a |
| VII. | 3. | 389, 390. a |
| Ibid. | 11. | 140, 141. a |
| VIII. | 22. | 72. a |
| IX. | 13, 16. | 389, 390, 391. a |
| X. | 20, 27. | 389. a |
| XI. | 10. | 389, 290. a |
| XII. | 2. | 91. a |
| Ibid. | 6. 8. | 74. a |
| Ibid. | 15, 39. | 57, 92. a |
| Ibid. | 16, 18. | 93. a |
| Ibid. | 36. | 333, 334. b |
| Ibid. | 40. | 49. a |
| XIII. | 2. | 78. a |
| Ibid. | 8. | 93. a |
| Ibid. | 9. | 63. a |
| Ibid. | 14. | 78. a |
| XIV. | 4, & 17. | 389, 390. a |
| Ibid. | 9. | 299. b |
| Ibid. | 31. | 344. a |
| XV. | 25. | 39, 40. a |
| XVI. | 4. | 40. a |
| Ibid. | 29. | 58. a |
| XVII. | 14, 16. | 106. a |
| XX. | 3. | 60. a |
| Ibid. | 2, 23. | 128, 129, 130. a |
| Ibid. | 4. | 51, a 133, 134, 135, & 142. b |
| Ibid. | 4, 5. | 438. a |
| Ibid. | 5. | 131, 132, 133, & 290. a |
| Ibid. | 7. | 76. a |
| Ibid. | 8. | 91, 92. a |
| Ibid. | 12. | 113, a 380, 381. b |
| Ibid. | 20. | 40. a |
| Ibid. | 21. | 122. a |
| Ibid. | 30. | 48. a |
| XXI. | 2, 7. | 58. a |
| Ibid. | 2, 8, 18, & 26. | 123, 134. a |
| Ibid. | 12, 14. | 58, 101. a |
| Ibid. | 16. | 113. a |
| Ibid. | 24. | 57. a |
| Ibid. | 28, 29, & 33. | 125. a |
| XXII. | 1, 2. 5, 6, 10, 14. | 125, 126. a |
| Ibid. | 2. | 108. a |
| Ibid. | 7, 8, 9. | 58. a |
| Ibid. | 9. | 127. a |
| Ibid. | 16, 17. | 116, 117. a |
| Ibid. | 18. | 140, 141. a |
| Ibid. | 24. | 321. a |
| Ibid. | 25. | 108, 109. a |
| Ibid. | 26, 27. | 109. a |
| Ibid. | 28. | 98. a |
| Ibid. | 34. | 162. a |
| XXIII. | 5. | 110. a |
| Ibid. | 8. | 389. a |
| Ibid. | 10, 11, & 19. | 86, 87. a |
| Ibid. | 12. | 91. a |
| Ibid. | 13. | 136. a |
| Ibid. | 14. | 74. a |
| Ibid. | 18. | 92. a |
| Ibid. | 20, 21, 22. | 51. a |
| Ibid. | 21. | 343. a |
| Ibid. | 25. | 61. a |
| Ibid. | 31, 32, 33. | 105. a |
| XXIV. | 4. | 136. a |
| Ibid. | 9, 10, 11. | 283. a |
| XXV. | 8. | 65, 66. a |
| Ibid. | 30. | 67. a |
| XXVII. | 21. | 67. a |
| XXVIII. | 2. | 68. a |
| Ibid. | 4. | 196. a |
| XXIX. | 33. | 79. a |
| Ibid. | 38. | 70. a |
| XXX. | 7, 8. | 67. a |
| Ibid. | 13. | 95. a |
| Ibid. | 19. | 67. a |
| Ibid. | 25, *& seqq.* | 69. a |
| XXXI. | 1. | 99. a |
| XXXII. | 1, *& seqq.* | 136. b |
| Ibid. | 4. | 131. a |
| Ibid. | 11. | 50, 51. a |
| Ibid. | 20. | 137. a |
| Ibid. | 32. | 42. a |
| Ibid. | 33. | 278. a |
| XXXIII. | 3. | 315. a |
| Ibid. | 11. | 25. a |
| Ibid. | 19, 23. | 52. a |
| Ibid. | 20. | 283, 284. a |
| Ibid. | 29. | 291. a |
| XXXIV. | 9. | 396. a |
| Ibid. | 10. | 346. a |
| Ibid. | 21. | 86. 87. a |
| Ibid. | 25. | 92. a |


## LEVITICUS.


| | | |
|---|---|---|
| I. | 2. | 57, 58. a |
| Ibid. | 3. | 75. a |
| II. | 13. | 75, 99. a |
| IV. | 13, *& seqq.* | 75, 76. a |
| Ibid. | 15. | 238. a |
| Ibid. | 27. | 76. a |
| V. | 1. | 100. a |
| Ibid. | 7. | 77. a |
| Ibid. | 15, 16, & 17, 18. | 76. a |
| Ibid. | 16. | 85. a |
| VI. | 2. | 76. a |
| Ibid. | 4. | 107, 108. a |
| Ibid. | 9, 10. | 77. a |
| Ibid. | 10. | 68. a |
| Ibid. | 12, 13. | 67. a |

| Cap. | Vers. | Pag. |
|---|---|---|
| Ibid. | 16. | 79. a |
| Ibid. | 18. | 75. a |
| Ibid. | 20. | 73. a |
| VII. | 1, 2. | 75. a |
| Ibid. | 17. | 80. a |
| Ibid. | 19. | 79. a |
| X. | 6. | 122. a |
| XI. | 1. | 75. a |
| Ibid. | 2, 3, 9, 21. | 90. a |
| Ibid. | 29, & 39. | 81. a |
| Ibid. | 34. | 82. a |
| XII. | 3. | 115. a |
| Ibid. | 6, 7, 8. | 77, 78. a |
| XIII. | 2, & 47. | 82. a |
| Ibid. | 45. | 83. a |
| XIV. | 2, 9. | 83. a |
| Ibid. | 10. | 77. a |
| Ibid. | 35. | 82, a |
| XV. | 2, 16, & 25. | 83. a |
| Ibid. | 13, & 28. | 77. a |
| Ibid. | 19. | 82. a |
| XVI. | 1, &c. | 73, 74. a |
| Ibid. | 14. | 186. a |
| XVII. | 7. | 72. a |
| Ibid. | 11. | 355. a |
| Ibid. | 13. | 89. a |
| Ibid. | 37. | 78. a |
| XXVIII. | 2. | 133, 134. a |
| Ibid. | 6. | 58. a |
| Ibid. | 6, 16, & 18. | 115. a |
| Ibid. | 10, & 17. | 57. a |
| XIX. | 3, & 32. | 113, 114. a |
| Ibid. | 4. | 135. a |
| Ibid. | 9, 10, 24. | 85. a |
| Ibid. | 15. | 100. a |
| Ibid. | 17. | 110, & 125. a |
| Ibid. | 18. | 111, 112. a |
| Ibid. | 19. | 351. a |
| Ibid. | 20. | 76. a |
| Ibid. | 26. | 90, 146, 147. a |
| Ibid. | 29. | 123. a |
| Ibid. | 30. | 66. a |
| Ibid. | 31. | 134, 135. a |
| Ibid. | 33, 34. | 112. a |
| Ibid. | 30, & 36. | 112, 113. a |
| XX. | 1. | 58. a |
| Ibid. | 9. | 113. a |
| Ibid. | 10. | 121, 122. a |
| Ibid. | 14. | 122. a |
| Ibid. | 20, & 27. | 57. a |
| Ibid. | 23. | 138. a |
| Ibid. | 25. | 90. a |
| Ibid. | 27. | 143. a |
| XXI. | 3, 13. | 70. a |
| Ibid. | 7. | 118. a |
| Ibid. | 8. | 68. a |
| Ibid. | 9. | 122. a |
| Ibid. | 12. | 58. a |
| XXII. | 10, 13. | 58. a |
| Ibid. | 18, & 27. | 75. a |
| Ibid. | 27. | 48. a |
| Ibid. | 32. | 61, 62. a |
| XXIII. | 6. | 92. a |
| Ibid. | 10, 11, 17. | 73. a |
| Ibid. | 15, 21, & 24. | 93, 94. a |
| Ibid. | 27. 28, 29, 32, 35, 36, 40, & 43, 94, 95. a | |
| Ibid. | 40. | 57. a |
| XXIV. | 6. | 67. a |
| Ibid. | 10, 11, 12. | 50, 104. a |
| Ibid. | 19, 20. | 124, 125. a |
| Ibid. | 20. | 47. a |
| XXV. | 2, & 21. | 86, 87. a |
| Ibid. | 8, 9, 10. | 87, 88. a |
| Ibid. | 14. | 127. a |
| Ibid. | 24, 29. | 28. a |
| Ibid. | 29. | 123. a |
| Ibid. | 46. | 124. a |
| Ibid. | 48. | 108. a |
| XXVI. | 1. | 116. a |
| Ibid. | 2. | 66. a |
| Ibid. | 25. | 121. a |
| Ibid. | 34, 35. | 87. a |
| XXVII. | 2, 11, 14, & 16. | 84, 85. a |
| Cap. | Vers. | Pag. |
| Ibid. | 10. | 79. a |
| Ibid. | 15. | 95. a |
| Ibid. | 28. | 89. a |
| Ibid. | 30. | 86. a |
| XXIX. | 39, & 42. | 108. a |

## NUMERI.

| | | |
|---|---|---|
| III. | 40. | 58. a |
| IV. | 3, & 47. | 67. a |
| V. | 2. | 68. a |
| Ibid. | 6, 7. | 77. a |
| Ibid. | 30. | 119, 120. a |
| VI. | 5, 9. | 80. a |
| Ibid. | 23. | 49, 67. a |
| VII. | 9. | 68. a |
| VIII. | 24, 25. | 67. a |
| IX. | 10, 11. | 75. a |
| X. | 9, 10. | 75. a |
| XI. | 25, 26. | 26. 55. a |
| XII. | 3. | 217. a |
| Ibid. | 6. | 24, 25. a |
| Ibid. | 6, 7, 8. | 50, 51. a |
| Ibid. | 10, 12. | 82. a |
| Ibid. | 14. | 57. a |
| XIII. | 25. | 385. a |
| XV. | 14, 15. | 112. a |
| Ibid. | 22. | 86. a |
| Ibid. | 30. | 76. a |
| Ibid. | 32, 33, 34. | 104. a |
| Ibid. | 38, 39, 40. | 63, 64. a |
| Ibid. | 39. | 135. a |
| XVI. | 30. | 346. a |
| Ibid. | 46. | 321. a |
| XVIII. | 2, & 4. | 66. a |
| Ibid. | 14. | 89. a |
| Ibid. | 15, & 26. | 78. a |
| Ibid. | 21, 26. | 86. a |
| Ibid. | 23. | 67. a |
| XIX. | 2, 14, & 19. | 83, 84. a |
| XX. | 12. | 330. a |
| Ibid. | 17. | 166. a |
| XXI. | 23. | 343. a |
| XXII. | 12, 20. | 24. a |
| XXIII. | 3, & 17. | 92. a |
| Ibid. | 12, 26. | 377. a |
| Ibid. | 28. | 147. a |
| XXIV. | 13. | 377, & 378. a |
| Ibid. | 17. | 170. a |
| Ibid. | 20. | 106. a |
| XXV. | 7, 8. | 103. a |
| XXVII. | 3. | 116. a |
| Ibid. | 8, 9, 10, 11. | 127, 128. a |
| Ibid. | 14. | 330. a |
| XXVIII. | 2, 3. | 70. a |
| Ibid. | 9. | 73. a |
| XXIX. | 1. | 94. a |
| XXX. | 2, 3, & *seqq.* | 81. a |
| XXXII. | 52. | 290. a |
| XXXV. | 2. | 102. a |
| Ibid. | 25. | 101, 121. a |

## DEUTERONOMIUM.

| | | |
|---|---|---|
| I. | 37. | 330. a |
| II. | 30. | 391, 392. a |
| III. | 26. | 330. a |
| IV. | 2. | 97. a |
| Ibid. | 6. | 90. a |
| Ibid. | 12, 15, 16, 23, 25. | 51. a |
| Ibid. | 15. | 130. a |
| Ibid. | 15, 16. | 282, 283, 289, 290. a |
| Ibid. | 19. | 350. a |
| Ibid. | 21. | 330. a |
| Ibid. | 32. | 346. a |
| Ibid. | 35. | 281. a |
| V. | 1, & *seqq.* | 62. a |
| Ibid. | 4. | 52. a |
| Ibid. | 5. | 50. a |
| Ibid. | 8, 9. | 51, & 438. a |
| VI. | 4. | 281. a |
| Ibid. | 4, 5, 13, 32, & 39. | 60. a |
| Ibid. | 7. 8. | 62. a |
| Ibid. | 9. | 64. a |
| Cap. | Vers. | Pag. |
| Ibid. | 13, 14. | 289. a |
| VII. | 1, 2, 3. | 105. a |
| Ibid. | 10. | 330. a |
| Ibid. | 25. 26. | 130, & 137. a |
| VIII. | 2, & 16. | 40. a |
| Ibid. | 5. | 60. a |
| Ibid. | 10. | 65. a |
| X. | 12. | 60. a |
| Ibid. | 18. | 117. a |
| Ibid. | 19. | 112. a |
| Ibid. | 20. | 61, & 289. a |
| XI. | 13. | 61. a |
| Ibid. | 18, 19. | 62. a |
| XII. | 2. | 102, 103. a |
| Ibid. | 5, 6, 14, 15, & 27. | 79. a |
| Ibid. | 21. | 89. a |
| Ibid. | 24. | 72. a |
| Ibid. | 32. | 97. a |
| XIII. | 1, 2. | 28. a |
| Ibid. | 2. | 138. a |
| Ibid. | 3. | 40. a |
| Ibid. | 6, 8, & 16, 17. | 136, 137. a |
| Ibid. | 14. | 100. a |
| Ibid. | 15. | 122. a |
| Ibid. | 16. | 103, 104. a |
| XIV. | 4, 11. | 90. a |
| Ibid. | 20. | 112. a |
| Ibid. | 22, 28, 29. | 86. a |
| XV. | 2. | 88. a |
| Ibid. | 8. | 84. a |
| Ibid. | 12. | 58, & 124. a |
| Ibid. | 14, 15. | 108. a |
| Ibid. | 19. | 78. a |
| XVI. | 1. | 90, 91. a |
| Ibid. | 3. | 92. a |
| Ibid. | 14, & 16. | 74. a |
| Ibid. | 18. | 98. a |
| Ibid. | 19. | 389. a |
| Ibid. | 21. | 136. a |
| Ibid. | 22. | 135, 136. a |
| XVII. | 8. & *seqq.* | 237, &c. a |
| Ibid. | 10. | 99. a |
| Ibid. | 15. | 97, 98. a |
| Ibid. | 18. | 65. a |
| XVIII. | 3, 4. | 89. a |
| Ibid. | 4. | 86. a |
| Ibid. | 6. | 69, 70. a |
| Ibid. | 10. | 138, 139, 140, &c. a |
| Ibid. | 11. | 134, 135. a |
| Ibid. | 15, & 18. | 96, 97, 180, & 155. a |
| Ibid. | 19. | 431. a |
| Ibid. | 20, 22. | 137, 138. a |
| Ibid. | 21. | 27, & 425, 426. a |
| XIX. | 2, 4. | 101, 102. a |
| Ibid. | 4. | 40. a |
| Ibid. | 19, &c. | 180, 101, & 124. 125. a |
| Ibid. | 21. | 57. a |
| XX. | 1. & *seqq.* | 106. a |
| Ibid. | 7. | 115. a |
| Ibid. | 16. | 104, 105. a |
| XXI. | 1, & *seqq.* | 101, 425. a |
| Ibid. | 11. | 118. a |
| Ibid. | 15. | 312. a |
| Ibid. | 15, 16, 17. | 128. a |
| Ibid. | 22, 23. | 122, 123. a |
| XXII. | 1, & 4. | 110. a |
| Ibid. | 5, & 19. | 117. a |
| Ibid. | 6. | 90. a |
| Ibid. | 8. | 102. a |
| Ibid. | 12. | 63, 64. a |
| Ibid. | 15. | 28. a |
| Ibid. | 19. | 177. a |
| Ibid. | 23. | 115. a |
| Ibid. | 24. | 122. a |
| Ibid. | 29. | 116. a |
| XXIII. | 3. | 112. a |
| Ibid. | 7. | 111. a |
| Ibid. | 10. | 68. a |
| Ibid. | 12, 13. | 107. a |
| Ibid. | 20, 24, 25. | 109, 110. a |
| Ibid. | 23. | 81. a |
| XXIV. | 1. | 114, & 118, 119. a |
| Ibid. | 5. | 115. a |

| Cap. | Vers. | Pag. |
|---|---|---|
| Ibid. | 8, 9. | 82. a |
| Ibid. | 13, 15. | 109. a |
| Ibid. | 16. | 370, 371, 373. a |
| Ibid. | 19. | 85. a |
| xxv. | 3. | 120, 121. a |
| Ibid. | 4. | 362. a |
| Ibid. | 5, 7. | 115, 116. a |
| Ibid. | 10. | 385. a |
| Ibid. | 12. | 127. a |
| Ibid. | 15, 16, 18. | 106. a |
| xxvi. | 5, 6, *& seqq.* & 13. | 86. a |
| xxvii. | 15. | 130. a |
| Ibid. | 16. | 113. a |
| Ibid. | 26. | 317. a |
| xxviii. | 9. | 61. a |
| Ibid. | 28. | 392. a |
| Ibid. | 48. | 132. a |
| Ibid. | 63. | 305. a |
| xxix. | 4. | 281, & 315. b |
| xxx. | 11. | 265. a |
| xxxi. | 12, 19. | 64. a |
| Ibid. | 16, 21, 27, 29. | 300. a |
| xxxii. | 1. | 58. a |
| Ibid. | 4. | 326. a |
| Ibid. | 6, 7. | 129. a |
| Ibid. | 17. | 72, a 137. b |
| Ibid. | 21. | 197. a |
| Ibid. | 26, 27. | 314. a |
| Ibid. | 27. | 381. a |
| Ibid. | 39. | 281. a |
| Ibid. | 40. | 296. a |
| xxxiii. | 4. | 59. a |
| Ibid. | 21. | 165. a |
| xxxiv. | 1, 5, 7. | 54. a |
| Ibid. | 10. | 52, & 96. a |

## JOSUA.

| | | |
|---|---|---|
| i. | 8. | 96. a |
| v. | 4, 5, 6. | 44. a |
| vi. | 17. | 137. a |
| vii. | 24, 25. | 371, 372. a |
| viii. | 29. | 123. a |
| ix. | 1, *&c.* | 105. a |
| x. | 12, 14. | 54, 55. a |
| Ibid. | 26, 27. | 123. a |
| xi. | 19. | 105. a |
| xiii. | 22. | 24. a |
| xvii. | 18. | 396. a |
| xviii. | 2. | 87. a |
| xx. | 7. | 102. a |
| xxi. | 9. | 385. a |
| xxii. | 18. | 136. a |

## JUDICES.

| | | |
|---|---|---|
| ii. | 2, 3. | 40. a |
| iv. | 24. | 166. a |
| vi. | 22. | 283, 284. a |
| xii. | 7. | 189. a |
| xiii. | 20, 21, 22. | 25. a |
| Ibid. | 22. | 283, 284. a |
| xiv. | 12. | 117. a |
| xvi. | 7, 11, & 17. | 185, & 343. a |
| xvii. | 3, *& seqq.* | 136. b |
| Ibid. | 5. | 131. a |

## RUTH.

| | | |
|---|---|---|
| iv. | 12. | 177. a |

## I. SAMUELIS.

| | | |
|---|---|---|
| ii. | 3. | 297. a |
| Ibid. | 25. | 396, a & 297, 298, 299, 300. b |
| Ibid. | 30. | 209. a |
| iii. | 7. | 25. a |
| Ibid. | 19. | 27. a |
| vi. | 5, 11. | 23. a |
| Ibid. | 19. | 332. a |
| vii. | 3. | 132. a |
| viii. | 18. | 373. a |
| ix. | 15. | 171. a |
| x. | 26. | 334. b |
| xii. | 7. | 322. a |
| xiii. | 13, 14. | 209. a |
| Ibid. | 14. | 171. a |
| xv. | 10, 35. | 317. a |
| Ibid. | 23. | 147. a |
| xvi. | 14. | 392. a |
| xxii. | 18. | 196. a |
| xxiii. | 12, 13. | 68. a |
| xxiv. | 7. | 171. a |
| xxvi. | 2. | 413. a |
| Ibid. | 23. | 171. a |
| xxviii. | 7. | 134, 143, & 148. a |
| Ibid. | 16, 17, 18, 19. | 135. a |
| xxx. | 7. | 196. a |
| Ibid. | 7, 8. | 27. a |
| Ibid. | 8. | 68. a |

## II. SAMUELIS.

| | | |
|---|---|---|
| i. | 23. | 54. a |
| vi. | 6, 7. | 68, 69. a |
| Ibid. | 12. | 196. a |
| Ibid. | 14, 17. | 196. a |
| vii. | 8. | 171. a |
| Ibid. | 12, *& seqq.* | 178, 179. a |
| Ibid. | 16. | 32, 33. b |
| viii. | 16, 18. | 196. a |
| xii. | 11, 12. | 382, 383. a |
| Ibid. | 13, 14. | 392, & 399. a |
| xiii. | 13. | 118. a |
| xvi. | 10, 11, 12. | 385, 386. a |
| xx. | 26. | 196. a |
| xxi. | 1, 8, 9. | 372. a |
| Ibid. | 10. | 123. a |
| Ibid. | 15, 16, 17. | 193, 194. a |
| xxii. | 26, 27. | 135, & 380. a |
| xxiii. | 2. | 27. a |
| xxiv. | 1, & 10. | 385. a |
| Ibid. | 1, & 15, 17. | 372. a |
| Ibid. | 10. | 396. a |

## I. REGUM.

| | | |
|---|---|---|
| i. | 21. | 77. a |
| Ibid. | 35. | 171, & 195. a |
| ii. | 19. | 194. a |
| iii. | 5, & 15. | 27. a |
| viii. | 28. | 350. a |
| Ibid. | 46. | 401. a |
| ix. | 2. | 27. a |
| xi. | 11, *& seqq.* | 27, & 373. a |
| Ibid. | 28. | 101. a |
| Ibid. | 34. | 401. a |
| xii. | 8, *& seqq.* | 373. a |
| Ibid. | 24. | 102. a |
| Ibid. | 28. | 131, a & 136. b |
| xiii. | 1, *& seqq.* | 102. a |
| Ibid. | 4. | 377. a |
| xiv. | 7. | 171. a |
| Ibid. | 8. | 401. a |
| Ibid. | 9, *& seqq.* | 102, & 392. a |
| Ibid. | 13. | 319, 371. a |
| xv. | 5. | 401. a |
| Ibid. | 14. | 401. a |
| xvi. | 2, 13, & 26. | 392. a |
| Ibid. | 34. | 137. a |
| xxi. | 10. 25, 29. | 373. a |
| xxii. | 19, *&c.* | 284, 135, 352, 383, 384. a |

## II. REGUM.

| | | |
|---|---|---|
| iii. | 19. | 413. a |
| iv. | 1, *& seqq.* | 123. a |
| v. | 17, 18, 19. | 59, 60. b |
| Ibid. | 27. | 82. a |
| vi. | 18, 19. | 377. a |
| ix. | 22. | 140, 141. a |
| x. | 26, 29. | 131. a |
| xiv. | 6. | 370, 371, 373. a |
| xvii. | 31. | 134. a |
| xviii. | 4. | 137. a |
| xxi. | 2. | 401. a |
| Ibid. | 7. | 135. a |
| xxii. | 18. | 59. a |
| xxiii. | *per totum.* | 137. a |
| Ibid. | 6. | 136. a |
| Ibid. | 35. | 401. a |

## I. PARALIPOMENON.

| | | |
|---|---|---|
| ix. | 20. | 57. a |
| xiii. | 9. | 332. a |
| xv. | 2. | 97. a |
| xvi. | 5, 7, & 37. | 822. a |
| xxi. | 1, *& seqq.* | 385. a |
| xxii. | 2. | 112. a |
| xxiv. | 3, 7. | 69, 70. a |
| xxv. | 1, 2, 6. | 222. a |
| xxvii. | 23, 24. | 95. a |
| xxix. | 29. | 218. a |

## II. PARALIPOMENON.

| | | |
|---|---|---|
| ii. | 17, *& seqq.* | 112. a |
| xv. | 12. | 401. a |
| xviii. | 16, *& seqq.* | 383, 384. a |
| Ibid. | 18. | 284. a |
| xix. | 5, & 8. | 241. a |
| xx | 3. | 94. a |
| xxiii. | 17. | 290. a |
| xxvi. | 17, 18, 19. | 377. a |
| Ibid. | 19. | 82. a |
| xxix. | 30. | 222. a |
| xxxii. | 31. | 41. a & 270. b |
| xxxiii. | 6. | 140. a |
| xxxiv. | 14, 15. | 59. a |
| Ibid. | 25. | 392. a |
| xxxv. | 3. | 68. a |
| Ibid. | 25. | 225. a |
| xxxvi. | 21. | 87. a |

## ESDRAS.

| | | |
|---|---|---|
| iv. | 6, 7, & 23. | 220. a |
| viii. | 21. | 94. a |

## NEHEMIAS.

| | | |
|---|---|---|
| ix. | 8. | 326. a |
| Ibid. | 18. | 131. a |

## IOBUS.

| | | |
|---|---|---|
| i. | 22. | 224. a |
| ii. | 10. | 224. a |
| iv. | 13, 16. | 51. a |
| Ibid. | 18. | 343. b |
| viii. | 3. | 285. a |
| Ibid. | 6, 7. | 223. a |
| x. | 8. | 361. a |
| xi. | 5, *& seqq.* | 223. a |
| Ibid. | 7, 8, 9. | 287. a |
| xii. | 19. | 196. a |
| xiv. | 4. | 406, 407. a |
| Ibid. | 5. | 379, 380. b |
| xv. | 7. | 92. a |
| xix. | 25, 26, 27. | 224, 225. a |
| Ibid. | 26. | 115. a |
| xx. | 4. | 166. a |
| xxii. | 5, *& seqq.* | 223. a |
| xxxi. | 18. | 406. a |
| xxxiii. | 23, *& seqq.* | 223. a |
| xl. | 10, *&c.* | 351. a |
| xlii. | 5, 6, 7. | 223, 224, 225. a |
| Ibid. | 7, 8, 9, 10. | 408. a |

## PSALMI.

| | | |
|---|---|---|
| ii. | 1, *&c.* | 188, 189. a |
| Ibid. | 2. | 171. a |
| Ibid. | 8, *& seqq.* | 185, & 197. a |
| Ibid. | 8 | 165. a |
| v. | 5. | 304. a |
| vii. | 14. | 381. a |
| ix. | 21. | 343. a |
| xi. | 7. | 311. a |

# LOCORUM SCRIPTURÆ.


| Cap. | Vers. | Pag. |
|---|---|---|
| XVI. | 4. | 136. a |
| Ibid. | 8. | 194. a |
| Ibid. | 10. | 191, 192, & 343. a |
| XVII. | 15. | 51. a |
| XVIII. | 26, | 380. a |
| Ibid. | 30. | 361. a |
| XX. | 1. | 193. a |
| XXII. | *per totum*, | 189, 190. a |
| Ibid. | 10, 11. | 406. a |
| Ibid. | 22. | 351. a |
| XXV. | 11. | 382, 396. a |
| XXVII. | 5. | 381. a |
| XXXII. | 10. | 185. a |
| XXXIV. | 9. | 331. b |
| XXXVI. | 6, 7. | 322. a |
| XXXVIII. | 9. | 187. a |
| XXXIX. | 1. | 222. a |
| XL. | 9. | 282. a |
| Ibid. | 10. | 322. a |
| XLI. | 1. | 396. a |
| XLV. | 8. | 311. a |
| XLVII. | 4. | 195. a |
| XLVIII. | 15. | 166. a |
| L. | 7, 8, *& seqq.* | 169. a |
| LI. | 7. | 405, 406. a |
| Ibid. | 12. | 346. a |
| Ibid. | 16. | 322. a |
| LV. | 23. | 343. a |
| Ibid. | 24. | 380, 381, b |
| LVII. | 4. | 406. a |
| LX. | 14. | 361. a |
| LXII. | 1. | 222. a |
| LXIII. | 10. | 193. a |
| LXVIII. | 19. | 199, 193. a |
| Ibid. | 26. | 177. a |
| LXIX. | 22. | 190. a |
| Ibid. | 23, 24. | 388. a |
| LXXI. | 5, 6. | 406. a |
| Ibid. | 14. | 396. a |
| LXXII. | *per totum*. | 197, 198. a |
| Ibid. | 8, 9, 10, 11. | 433. a |
| Ibid. | 16, 17. | 408. a |
| Ibid. | 17. | 426. a |
| Ibid. | 20. | 222. a |
| LXXVII. | 1. | 222. a |
| LXXVIII. | 17. | 392. a |
| Ibid. | 18, 19. | 320, 321. a |
| Ibid. | 39. | 343. & 419. a |
| LXXIX. | 9. | 382. a |
| LXXXII. | 6, 7. | 343. a |
| Ibid. | 7. | 184. a |
| LXXXVIII. | 8, & 17. | 319. a |
| LXXXIX. | 33. | 165. a |
| Ibid. | 39. | 171, 319. a |
| XC. | 4. | 288, 369. a |
| Ibid. | 8. | 287. a |
| XCII. | 11. | 351. a |
| XCIV. | 9. | 298. a |
| Ibid. | 13. | 381. a |
| CII. | 27, 28. | 287. a |
| CIII. | 8, 15. | 311. a |
| CIV. | 29, 30. | 361. a |
| CV. | 25. | 393, a. & 334. b |
| CVI. | 31. | 103. a |
| Ibid. | 37. | 134. a |
| CVII. | 17. | 187. a |
| Ibid. | 18. | 258. a |
| CVIII. | 9. | 165. a |
| CIX. | 31. | 194. a |
| CX. | *per totum*, | 193, 194, 195, 196. a |
| Ibid. | 1, *& seqq.* | 188, 189. a |
| CXII. | 5. | 108. a |
| Ibid. | 9. | 322. a |
| CXV. | 3. | 308. a |
| Ibid. | 16. | 346. a |
| CXVI. | 10. | 396, a. & 299. b |
| CXVIII. | 8. | 204. a |
| CXIX. | *passim*. | 266. a |
| Ibid. | 10. *& passim*. | 360. b |
| CXX. | 2. | 346. a |
| CXXI. | 5. | 343. a |
| CXXII. | 14. | 97. a |
| CXXV. | 6, *&c.* | 308. a |
| CXXVI. | 22. | 186. a |
| CXXIX. | 7. | 287. a |
| Ibid. | 15. | 193. & 361. a |
| CXLV. | 3. | 287. a |
| Ibid. | 9, *&c.* | 311. a |
| CXLVII. | 5. | 298. a |
| CXLVIII. | 4, 5. | 346. a |

## PROVERBIA.

| | | |
|---|---|---|
| I. | 26. | 305. a |
| III. | 3. | 63. a |
| V. | 15. | 185. a |
| VI. | 21. | 63. a |
| XIII. | 24. | 165, & 312. a |
| XV. | 3. *& seqq.* | 130. a |
| Ibid. | 10, 24, & 31. | 111. a |
| Ibid. | 15. | 113. a |
| XVI. | 4. | 381, 382. a |
| Ibid. | 9. | 397. a |
| Ibid. | 10. | 138. a |
| Ibid. | 33. | 50. b |
| XVII. | 15. | 102. a |
| XIX. | 17. | 108. a |
| XX. | 20, 21. | 113. a |
| XXI. | 1. | 397. a |
| XXIV. | 32. | 222. a |
| XXVIII. | 13. | 77. a |
| Ibid. | 23. | 111. a |
| XXX. | *per totum*. | 222. a |
| Ibid. | 2, 3. | 418. a |
| Ibid. | 17. | 113. a |
| Ibid. | 18, 19, | 176, 177. a |
| XXX. | 24. | 117. a |

## ECCLESIASTES.

| | | |
|---|---|---|
| VII. | 23. | 84. a. |
| XII. | 1. | 346. a. |

## CANT. CANTICORUM.

| | | |
|---|---|---|
| I. | 3. | 177. a |
| V. | 16. | 413. a |
| VI. | 7. | 177. a |
| VIII. | 6. | 63. a |

## ESAIAS.

| | | |
|---|---|---|
| I. | 3. | 5. a |
| Ibid. | 11, & 13. | 304. a |
| Ibid. | 18. | 74. a |
| Ibid. | 24. | 305. a |
| Ibid. | 26. | 178. a |
| II. | 2, 3, 4. | 200, 206, & 433, 438. a |
| Ibid. | 4. | 210. a |
| Ibid. | 17, 18. | 212, 213, 214. a |
| III. | 2. | 138. a |
| Ibid. | 16. | 63. a |
| V. | 2, 4, 7. | 314. a |
| VI. | 1, & 15. | 25. a |
| Ibid. | 8. | 352. a |
| Ibid. | 8, 9, 10. | 386, 387. a |
| Ibid. | 9. | 392. a |
| Ibid. | 9, 10, 11. | 315. a. |
| VII. | 13. | 317. a |
| Ibid. | 14. | 175. *usque ad* 180. a |
| VIII. | 8, & 18. | 179. a |
| IX. | 6. | 164, & 385. a |
| X. | 5. | 165. a |
| Ibid. | 6, 7. | 397, 398. a |
| XI. | 2. | 180. a |
| Ibid. | 6, 7, 8, 9, 206, *&c.* | & 433, a 438. a |
| Ibid. | 8. | 352. a |
| Ibid. | 9. | 438. a |
| Ibid. | 10. | 164, & 200. a |
| Ibid. | 11, *&c.* | 214. a |
| XIV. | 29. | 352. a |
| XVII. | 7. | 346. a |
| XIX. | 3. | 135. a |
| Ibid. | 18, *& seqq.* | 178, & 200. 201. a |
| XXVI. | 12. | 381, 382, a |
| XXVII. | 1. | 351, a |
| XXVIII. | 21. | 305. a |
| XXX. | 18. | 314. a |
| Ibid. | 26. | 206, 433. a |
| XXXI. | 3. | 343, & 419. a |
| XXXII. | 36. | 208. a |
| XXXIII. | 22. | 165. a |
| XXXIV. | 7. | 351. a |
| Ibid. | 10. | 97. a |
| XXXV. | 5. | 183. a |
| XXXVIII. | 10. | 258. a. & 380, 382. b |
| XL. | 6. | 343. a |
| Ibid. | 18. | 130, & 289. a |
| Ibid. | 18, & 20. | 290. a |
| Ibid. | 28. | 287. a |
| XLI. | 4. | 286. a |
| Ibid. | 8. | 186. a |
| Ibid. | 22, 23, | 343. a |
| Ibid. | 23. | 138. a |
| XLII. | 1, 2, *& seqq.* | 180, & 201. a |
| Ibid. | 5. | 346. a |
| Ibid. | 8. | 343. a |
| XLIII. | 10. | 286. a |
| Ibid. | 13. | 381. a |
| Ibid. | 24. | 317. a |
| Ibid. | 25. | 382. a |
| XLIV. | 6. | 286. a |
| Ibid. | 15. | 185. a |
| Ibid. | 17. | 132. a |
| XLV. | 1. | 171. a |
| Ibid. | 7. | 305, 382. a |
| Ibid. | 7, 12. | 346. a |
| Ibid. | 18. | 114, 346. a |
| XLVI. | 5. | 178. a |
| Ibid. | 10. | 308. a |
| XLVII. | 9, & 12. | 140. a |
| Ibid. | 13. | 147. a |
| Ibid. | 19. | 346. a |
| XLVIII. | 8. | 406. a |
| Ibid. | 11. | 343, 382. a |
| Ibid. | 12. | 286. a |
| XLIX. | *per totum*. | 201. a |
| Ibid. | 6. | 180, & 215. a |
| LII. | 13. | 185. a |
| Ibid. | 15. | 168. a |
| LIII. | *per totum*. | 161, & 184, *usque ad* 191, & 435. a |
| Ibid. | 1, *&c.* | 300. a |
| Ibid. | 9. | 191. a |
| Ibid. | 10, 11, 12. | 192. a |
| LIV. | 1, 2, *& seqq.* | 201, 202. a |
| Ibid. | 14. | 84. a |
| LVI. | 1. | 84. a |
| LVII. | 1. | 319. a |
| Ibid. | 15. | 166. a |
| LX. | *per totum*. | 202. a |
| Ibid. | 6. | 268. a |
| Ibid. | 14. | 178. a |
| Ibid. | 22. | 162. a |
| LXI. | 1. | 180. a |
| LXII. | 2, 4, & 12. | 178. a |
| LXIII. | 10. | 317. a |
| Ibid. | 15, *&c.* | 282. a |
| Ibid. | 17. | 392, 393, a. & 344, 345. b |
| LXV. | 1. | 168, a. & 409. b |
| Ibid. | 17. | 346. a |
| LXVI. | 1. | 287. a |
| Ibid. | 24. | 97. a |

## JEREMIAS.

| | | |
|---|---|---|
| I. | 9, 10. | 387. a |
| II. | 21, 22, 25. | 315. a |
| Ibid. | 26, 27. | 132. a |
| III. | 1. | 118. a |
| Ibid. | 17. | 178. a |
| IV. | 22. | 5. a |
| Ibid. | 23. | 349. a |
| V. | 31. | 30, a |
| VII. | 18. | 392. a |
| Ibid. | 22. | 71. a |
| Ibid. | 30. | 97. a |
| Ibid. | 31, 32. | 134. a |
| VIII. | 17. | 352. a |
| X. | 2. | 147. a |
| Ibid. | 8, 9, 10. | 138. b Ibid. |

| Cap. | Vers. | Pag. |
|---|---|---|
| Ibid. | 10. | 289, 296. a |
| Ibid. | 23. | 396, 397. a |
| XI. | 17. | 392. a |
| XVII. | 5. | 343, 344, & 419. a |
| Ibid. | 27. | 97. a |
| XVIII. | 3, & *seqq.* | 317. a |
| Ibid. | 7, & *seqq.* | 27, 28. a |
| XIX. | 5. | 134. a |
| Ibid. | 6. | 178. a |
| XX. | 7. | 383, 384. a. 231. b |
| Ibid. | 8. | 26. a |
| XXI. | 12. | 97. a |
| XXII. | 7. | 413. a |
| XXIII. | 6. | 178. a |
| Ibid. | 23, 24. | 287. a |
| XXV. | 7. | 392. a |
| XXVIII. | 8. | 140. a |
| XXVIII. | 9. | 28. a |
| XXIX. | 16. | 396. a |
| XXXI. | 10. | 186. a |
| Ibid. | 20. | 282. a |
| Ibid. | 22. | 346. a |
| Ibid. | 31, & *seqq.* | 160, 161, & 256. a |
| Ibid. | 34. | 438. a |
| XXXII. | 29. | 392. a |
| Ibid. | 40. | 214. a |
| XXXIII. | 17. | 34. a |
| Ibid. | 17, 20. | 32, 33. b |
| XXXVIII. | 5. | 99. a |
| XLVIII. | 15. | 413. a |

LAMENTATIONES.

| | | |
|---|---|---|
| III. | 17, 18. | 382. a |
| Ibid. | 33, & 38. | 305. a |
| IV. | 20. | 171. a |

EZECHIEL.

| | | |
|---|---|---|
| V. | 13. | 305. a |
| XI. | 17, 18, 19, 20. | 208. a |
| Ibid. | 19, 20, 21. | 160, 161. a |
| XII. | 13. | 220. a |
| XIII. | 18. | 30. a |
| XIV. 3. & *seqq.* | | 135. a |
| Ibid. | 4, 5, & *seqq.* | 384, 385. a |
| Ibid. | 8, 9, 10, & 16, 17. | 200. a |
| XVII. | 20. | 220. a |
| XVIII. | 21. | 12, b |
| Ibid. | 25, & 29. | 268. b |
| Ibid. | 33. | 396. a |
| XX. | 47, 48. | 97. a |
| XXI. | 3. | 319, & 371. a |
| Ibid. | 19. | 397. a |
| XXVI. | 20. | 193. a |
| XXIX. | 3. | 351. a |
| XXXI. | 14. | 193. a |
| Ibid. | 16. | 413. a |
| XXXII. | 2. | 351. a |
| Ibid. | 18, 19. | 193. a |
| XXXIII. | 11. | 396. a |
| XXXIV. | 23, 24. | 171, 180, & 215. a |
| XXXVI. | 26, 27. | 433. a. 314, 315, & 354. b |
| XXXVII. | 23. | 214. a |
| Ibid. | 24, 25. | 180, & 215. a |
| Ibid. | 25, &c. | 214. a |
| XXXIX. | 25, &c. | 214. a |

DANIEL.

| | | |
|---|---|---|
| II. | 2. | 140. a |
| Ibid. | 19. | 27. a |
| Ibid. | 20, 21, 22. | 297. a |
| V. | 15. | 27. a |
| VII. | 1. | 27. a |
| Ibid. | 13. | 287, & 416. a |
| VIII. | 27. | 27. a |
| IX. | 17, 19. | 382. a |
| Ibid. | 24, 25, 26. | 160, & 170, 171. a |
| Ibid. | 26. | 166. a |

HOSEAS.

| | | |
|---|---|---|
| I. | 10, 11, 12. | 198. a |
| II. | 13. | 200. a |
| Ibid. | 14. | 232. b |
| Ibid. | 18. | 210. a |
| III. | 4. | 167. a |
| Ibid. | 5. | 180. a |
| IV. | 11. | 389. a |
| Ibid. | 12. | 139. a |
| VI. | 2. | 191, 192. a |
| Ibid. | 6. | 316. a |
| XII. | 3, 4. | 284. a |
| Ibid. | 5. | 49. a |

JOEL.

| | | |
|---|---|---|
| I. | 8. | 177. a |
| II. | 27. | 214. a |
| Ibid. | 28. &c. | 198. a |
| III. | 1. | 214. a |

AMOS.

| | | |
|---|---|---|
| III. | 6. | 94, 305, & 382. a |
| Ibid. | 8. | 26. a |
| IV. | 2. | 385. a |
| IX. | 11, 12. | 198, 199. a |

OBADIAS.

| | | |
|---|---|---|
| I. | 21. | 200. a |

JONAS.

| | | |
|---|---|---|
| IV. | 11. | 371. a |

MICHAS.

| | | |
|---|---|---|
| II. | 13. | 192. a |
| IV. | 1. | 164. a |
| Ibid. | 1, 2, & *seqq.* | 199, 200. a |
| Ibid. | 3. | 210. a |
| Ibid. | 20. | 206. a |
| V. | 1, 2. | 164, 171, & 175. a |
| Ibid. | 12. | 140. a |
| VII. | 9. | 319. a |

NAHUM.

| | | |
|---|---|---|
| I. | 2. | 330. a |
| Ibid. | 15. | 200. a |
| III. | 4. | 140. a |

HABACUC.

| | | |
|---|---|---|
| I. | 14. | 363. a |
| II. | 18. | 290. a |
| Ibid. | 20. | 200. a |
| III. | 17. | 396. a |

SOPHONIAS.

| | | |
|---|---|---|
| I. | 7. | 200. a |
| II. | 11. | 212, 213, 214. a |
| III. | 9. | 200. a |

HAGGÆUS.

| | | |
|---|---|---|
| II. | 7, 8, 9, 10. | 168, 169, 200. a |

ZACHARIAS.

| | | |
|---|---|---|
| II. | 8. & *seqq.* | 200. a |
| Ibid. | 10, 11. | 168, & 214. a |
| Ibid. | 13. | 200. a |
| VI. | 8. | 316. a |
| VIII. | 6, 7, 8. | 200. a |
| Ibid. | 19. | 94. a |
| IX. | 9. | 189, 190. a |
| Ibid. | 10. | 188, 189, & 433. a |
| XII. | 10. | 189, 190. a |
| XIII. | 1, 2, 3, 4. | 161. a |
| Ibid. | 2. | 212, 213, 214. a |
| Ibid. | 4. | 425. a |
| Ibid. | 7. | 189, 190. a |

MALACHIAS.

| | | |
|---|---|---|
| I. | 11. | 200. a |
| II. | 7, 8, 9, 10. | 239. a |
| III. | 1. | 169, 170, 171, & 424. a |
| Ibid. | 5. | 140. a |
| IV. | 4. | 96. a |
| Ibid. | 5, 6. | 101, & 215, 216. a |

JUDITH.

| | | |
|---|---|---|
| IV. | 8. | 94. a |

ECCLESIASTICUS.

| | | |
|---|---|---|
| VII. | 29, & *seqq.* | 113. a |

I. MACHABÆORUM.

| | | |
|---|---|---|
| I. | 16. | 44. a |

II. MACHABÆORUM.

| | | |
|---|---|---|
| III. | 19. | 177. a |
| VII. | 28. | 295. a |
| XII. | 43, & *seqq.* | 112. b |

MATTTHÆUS.

| | | |
|---|---|---|
| I. | 1, &c. | 1. b |
| Ibid. | 16. | 417. a |
| Ibid. | 18. | 115. a |
| Ibid. | 19. | 100, & 119. a |
| Ibid. | 22, 23. | 175, *usque ad* 180. a |
| Ibid. | 23. | 400. b |
| II. | 4. | 175. a |
| Ibid. | 23. | 80. a |
| III. | 4. | 90. a |
| Ibid. | 7. | 319. a |
| Ibid. | 9, 10. | 434. a |
| Ibid. | 14. | 9. b |
| IV. | 9, 10. | 132, 144. a |
| Ibid. | 10. | 289, & 341. a |
| V. | 8. | 284. a |
| Ibid. | 32. | 119. a |
| Ibid. | 38, 39. | 79, 80, 81, & 125. a |
| Ibid. | 39. | 25, 27, 28. b |
| Ibid. | 39, 40, 41, 42. | 75, 76. b |
| Ibid. | 42. | 109. a |
| Ibid. | 43, 44. | 81, 82. b |
| Ibid. | 44. | 250. a |
| Ibid. | 45. | 368. a |
| Ibid. | 48. | 18, & 296. b |
| VI. | 1. | 84. a |
| Ibid. | 2, &c. | 380. a |
| Ibid. | 10. | 296. b |
| Ibid. | 13. | 339, 340. b |
| Ibid. | 14, 15. | 15, 16. b |
| Ibid. | 24. | 111, 289, 312. a |
| VII. | 1. | 322. a |
| Ibid. | 11. | 113. a |
| Ibid. | 12. | 249. a |
| Ibid. | 16. | 385. a |
| Ibid. | 21, 22. | 5. a |
| Ibid. | 22, 23. | 429. a |
| Ibid. | 29. | 181. a |
| VIII. | 4. | 10. b |
| Ibid. | 16. | 347. a |
| Ibid. | 17. | 190. a |
| Ibid. | 32. | 56. a |
| IX. | 15. | 263. a |
| Ibid. | 17. | 316. a |
| Ibid. | 30. | 11. b |
| Ibid. | 34. | 361. a |
| X. | 6. | 204. a |
| Ibid. | 8. | 55. a |
| Ibid. | 9, 10. | 24. b |
| Ibid. | 16. | 55. b |
| Ibid. | 27. | 102. a |
| Ibid. | 30. | 298. a |
| Ibid. | 34. | 207, 208. a |
| XI. | 3, 3, 4. | 216. a |
| Ibid. | 2, 10, & 18. | 424, 425. a |
| Ibid. | 14. | 215. a |
| Ibid. | 17. | 418. a |

| Cap. | Vers. | Pag. |
|---|---|---|
| Ibid. | 27. | 285. a |
| Ibid. | 28. | 11. b |
| XII. | 7. | 316. a |
| Ibid. | 8. | 416. a |
| Ibid. | 16. | 10. b |
| Ibid. | 18. | 180. a |
| Ibid. | 27, 28. | 429. a |
| Ibid. | 29. | 281. a |
| Ibid. | 32. | 13. b |
| Ibid. | 39. | 199. a |
| Ibid. | 39, 40. | 191, 192. a |
| XIII. | 1, 10, *& seqq.* | 181. a |
| Ibid. | 14. | 387. a |
| Ibid. | 58. | 430. a |
| XIV. | 23. | 338. a |
| XV. | 4, 5. | 113, 114. a |
| Ibid. | 9. | 433. a |
| Ibid. | 18, 19. | 320. b |
| Ibid. | 24. | 204. a |
| XVI. | 2. | 138. a |
| Ibid. | 2, 3. | 350. a |
| Ibid. | 4. | 191, 199, *&* 364. a |
| Ibid. | 6. | 433. a |
| Ibid. | 16. | 338. a |
| Ibid. | 18. | 258. a. *&* 118. b |
| Ibid. | 21. | 192. a |
| Ibid. | 24. | 87. b |
| XVII. | 12, 13. | 215. a |
| Ibid. | 23. | 192. a |
| Ibid. | 24. | 95. a |
| XVIII. | 3. | 403. a |
| Ibid. | 10. | 284. a |
| Ibid. | 15. | 111. a |
| Ibid. | 15, 16, 17. | 15, 16. b |
| Ibid. | 17. | 242. a |
| Ibid. | 25. | 123. a |
| XIX. | 9. | 118, 119. a. *&* 62. b |
| Ibid. | 12. | 114. a |
| Ibid. | 14. | 403. a |
| Ibid. | 17. | 310. a |
| Ibid. | 21. | 42. a |
| Ibid. | 26. | 285. a |
| Ibid. | 28. | 68, 69. b |
| XX. | 1, 2. *&c.* | 14. b |
| Ibid. | 16. | 349. a |
| Ibid. | 19. | 192. a |
| Ibid. | 21. | 194. a |
| Ibid. | 25, 26, 27, 28. | 72, 73. b |
| Ibid. | 26. | 256. a |
| XXI. | 12. | 47, 48. b |
| Ibid. | 25. | 418. a |
| Ibid. | 46. | 378. a |
| XXII. | 13. | 349. a |
| Ibid. | 25. | 115. a |
| Ibid. | 29. | 432. a |
| Ibid. | 31, 32. | 409. a |
| Ibid. | 32. | 33. a |
| Ibid. | 42, 43, *&c.* | 193, 194. a |
| XXIII. | 1, 2, 3. | 99. a |
| Ibid. | 5. | 63, 64. a |
| Ibid. | 15. | 111, 112. a |
| Ibid. | 21. | 114. a |
| Ibid. | 37. | 99, *&* 239. a |
| XXIV. | 12, 13. | 394. b |
| Ibid. | 15. | 225. a |
| Ibid. | 22. | 34, 349, 398, 434. *&* 439. a |
| Ibid. | 24. | 425. a |
| Ibid. | 31. | 413. a |
| XXV. | 3, 4. | 321. b |
| Ibid. | 14, 15. | 377. a |
| Ibid. | 31. | 349. a |
| Ibid. | 34. | 23. b |
| XXVI. | 8. | 189. a |
| Ibid. | 16. | 44. b |
| Ibid. | 17. | 92. a |
| Ibid. | 29. | 42, 43, 44. b |
| Ibid. | 37, 38, | 184. a |
| Ibid. | 39. | 293. b. |
| Ibid. | 60, 61. | 100. a |
| XXVII. | 9. | 200. a |
| Ibid. | 44. | 189. a |
| Ibid. | 51, 52, 53, 54. | 194. a |
| Ibid. | 63. | 192. a |

| Cap. | Vers. | Pag. |
|---|---|---|
| XXVIII. | 19. | 340. a. 34, *&c. &* 161. 162. b |
| Ibid. | 20. | 119. b |

## MARCUS.

| | | |
|---|---|---|
| I. | 43. | 10. b |
| II. | 27. | 48. a |
| Ibid. | 27, 28. | 416. a |
| III. | 4. | 114. a |
| Ibid. | 12. | 10. b. |
| Ibid. | 28, 29. | 13. b |
| IV. | 12. | 388. a |
| V. | 1. | 50. a |
| Ibid. | 43. | 10, 11. a |
| VI. | 5. | 430. a |
| Ibid. | 8, 9. | 24. b |
| Ibid. | 20. | 424. a |
| VII. | 36. | 10, 11. b |
| VIII. | 26. | 11. b |
| Ibid. | 31. | 192. a |
| Ibid. | 38. | 349. a |
| IX. | 1. | 43. b |
| Ibid. | 29. | 361. a |
| Ibid. | 31. | 192. a |
| Ibid. | 49. | 3. b |
| X. | 27. | 285. a |
| Ibid. | 34. | 192. a |
| XI. | 12, 13. | 7, 8. b |
| Ibid. | 15. | 47, 48. b |
| XIII. | 14. | 225. a |
| Ibid. | 27. | 413. a |
| XIV. | 12. | 92. a |
| Ibid. | 33. | 184. a |
| Ibid. | 36. | 285. a |
| Ibid. | 55, *&c.* | 100. a |
| XV. | 32. | 189. a |
| XVI. | 16. | 340. a |
| Ibid. | 17, 18. | 55, 144. a |

## LUCAS.

| | | |
|---|---|---|
| I. | 2. | 402. a |
| Ibid. | 5. | 70, *&* 419. a |
| Ibid. | 5, *&* 36. | 174. a |
| Ibid. | 9. | 67. a |
| Ibid. | 15. | 80. a |
| Ibid. | 17. | 215. a |
| Ibid. | 32. | 32, 33. b |
| Ibid. | 35. | 291. b |
| Ibid. | 37. | 285. a |
| II. | 1, *& seqq.* | 174, 175. a |
| Ibid. | 24. | 77. a |
| III. | 19. | 204. a |
| Ibid. | 23, *&c.* | 1, 2. b |
| IV. | 17, *& seqq.* | 430. a |
| Ibid. | 18. | 180. a |
| Ibid. | 27. | 82. a |
| V. | 14. | 10, 11. b |
| Ibid. | 17. | 430. a |
| Ibid. | 19. | 102. a |
| VI. | 1. | 74. a |
| Ibid. | 30. | 76. b |
| Ibid. | 31. | 249. a |
| Ibid. | 35. | 109. a |
| Ibid. | 38. | 108, 385. a |
| VII. | 19. | 216. a |
| Ibid. | 22, *&* 33. | 424, 425. a |
| Ibid. | 47. | 396. a |
| VIII. | 10. | 388. a |
| Ibid. | 26. | 56. a |
| Ibid. | 55. | 10, 11. b |
| IX. | 22. | 192. a |
| Ibid. | 27. | 43. b. |
| Ibid. | 45. | 313. a |
| Ibid. | 49, 50. | 429. a |
| X. | 4. | 24. b |
| Ibid. | 18. | 428. a |
| Ibid. | 19. | 55. a |
| Ibid. | 24. | 26. a |
| XI. | 29, 30. | 191. a |
| XII. | 2, 4. | 419. a |
| Ibid. | 4. | 60. a |
| Ibid. | 4, 5. | 292. a |

| Cap. | Vers. | Pag. |
|---|---|---|
| XII. | 20, 48. | 385. a |
| Ibid. | 32. | 348. b |
| Ibid. | 37. | 23, 24. b |
| Ibid. | 47. | 214, *&* 302. b |
| Ibid. | 47, 48. | 321. a |
| Ibid. | 51. | 207. 208. a |
| Ibid. | 54, 55. | 350. a |
| XIII. | 32. | 192. a |
| Ibid. | 33. | 239. a |
| Ibid. | 33, 34. | 435. a |
| XIV. | 26. | 312. a |
| XV. | 7, 10. | 316. a |
| XVI. | 9. | 385. a |
| Ibid. | 15. | 256. a |
| XVII. | 3, 4. | 15. b |
| Ibid. | 7, 8, 9. | 24. b |
| Ibid. | 10. | 21. b |
| Ibid. | 20. | 255, 256. a |
| XVIII. | 7. | 349, *&* 413. a |
| Ibid. | 13. | 77. a |
| Ibid. | 14. | 204. a |
| Ibid. | 34. | 313. a |
| XIX. | 41. | 228. a |
| Ibid. | 42. | 313. a |
| Ibid. | 42, 43. | 424. a |
| Ibid. | 43, 44. | 182, *&* 439. a |
| Ibid. | 45. | 47, 48. b |
| XX. | 36. | 296. 335, *&* 348. a |
| XXI. | 19. | 361. a |
| Ibid. | 23. | 319. a. *&* 407. b |
| XXII. | 4. | 66. a |
| Ibid. | 44. | 184. a |
| Ibid. | 53. | 398. a |
| XXIII. | 34. | 432. a |
| Ibid. | 39. | 189. a |
| Ibid. | 42, 43. | 14. b |
| Ibid. | 43. | 292, 293. b |
| Ibid. | 47. | 191. a |
| Ibid. | 53. | 419. a |
| XXIV. | 7. *&* 46. | 192. a |
| Ibid. | 10. | 419. a |
| Ibid. | 39. | 347. a |
| Ibid. | 45. | 267, 268. a |

## JOHANNES.

| | | |
|---|---|---|
| I. | 1. | 335, 336. a |
| Ibid. | 4, 5, *&* 9. | 266. a |
| Ibid. | 5. | 335. a. 307, *&* 409. b |
| Ibid. | 6, 14. | 419. a |
| Ibid. | 9. | 404. a. 239. b |
| Ibid. | 14. | 172. a |
| Ibid. | 16. | 311. a |
| Ibid. | 17. | 53. a |
| Ibid. | 18. | 52, 245, 285, *&* 418. a |
| Ibid. | 21. | 215. a |
| Ibid. | 21, *&* 45. | 96. a |
| Ibid. | 29, *&* 36. | 70. a |
| Ibid. | 33. | 9. b |
| Ibid. | 50. | 338. a |
| Ibid. | 52. | 172. a |
| II. | 9. | 414. a |
| Ibid. | 14. | 47, 48. b |
| III. | 2. | 59. b |
| Ibid. | 5. | 159, 160. b |
| Ibid. | 6, *&* 34. | 291. b |
| Ibid. | 11. | 352. a |
| Ibid. | 11, 13. | 418. a |
| Ibid. | 13. | 291. a |
| Ibid. | 17, *&* 19. | 208. a |
| Ibid. | 19. | 404. a |
| Ibid. | 21. | 3. a |
| IV. | 10. | 312. b |
| Ibid. | 24. | 282. a |
| Ibid. | 25. | 171. a |
| Ibid. | 53. | 428. a |
| V. | 18. | 337. a |
| Ibid. | 19, 20. | 22. b |
| Ibid. | 19, *&* 26. | 55. a |
| Ibid. | 22. 23. | 195, 339, 341, 344. a |
| Ibid. | 25. | 289. a |
| Ibid. | 26, 27. | 339. a |
| Ibid. | 27. | 416. a |
| Ibid. | 31. | 6, 7. b |

| Cap. | Vers. | Pag. |
|---|---|---|
| v. | 34, 36. | 424. 425. a |
| Ibid. | 39, & 46. | 432. a |
| vi. | 14. | 96. a |
| Ibid. | 44, 45. | 303, 304. b |
| Ibid. | 45. | 255. a. 238, 239. b |
| Ibid. | 46, 51, 58. | 418. a |
| Ibid. | 46, & 62. | 291. a |
| Ibid. | 53, & *seqq.* | 160, 161. b |
| Ibid. | 57. | 329. a |
| vii. | 7. | 430. a |
| Ibid. | 17. | 3. a |
| Ibid. | 22. | 43. a |
| Ibid. | 30. | 398. a |
| viii. | 14, 15. | 6. 7. b |
| Ibid. | 15, 23, & 44, 47. | 417. a |
| Ibid. | 25. | 269, 270. a |
| Ibid. | 26, 28, 38. | 418. a |
| Ibid. | 33. | 434. a |
| Ibid. | 47. | 3. a |
| Ibid. | 58. | 336. a |
| ix. | 39. | 208. a |
| x. | 11, 16. | 180. a |
| Ibid. | 28. | 354. b |
| Ibid. | 30. | 22. b |
| Ibid. | 33. | 337. a |
| Ibid. | 35, 36. | 335. a |
| Ibid. | 41. | 424. a |
| xi. | 10. | 11. b |
| Ibid. | 42. | 55. a |
| Ibid. | 43. | 411. a |
| Ibid. | 47. 48. | 204. a |
| xii. | 14. | 189. a |
| Ibid. | 37, & *seqq.* | 208. a |
| Ibid. | 39, 40. | 387. a |
| Ibid. | 50. | 418. a |
| xiii. | 5. | 67. a |
| Ibid. | 14, 15. | 162. b |
| Ibid. | 27. | 384. a |
| xiv. | 1. | 341. a |
| Ibid. | 2. | 23. b |
| Ibid. | 9. | 285. a |
| Ibid. | 9, 10. | 172. a |
| Ibid. | 12. | 55. a |
| Ibid. | 28. | 334. a |
| xv. | 6. | 385. a |
| Ibid. | 35. | 418. a |
| xvi. | 11. | 144. a |
| Ibid. | 12. | 259, 260. a |
| Ibid. | 13. | 344. a. 5. b. |
| Ibid. | 28. | 291. a |
| xvii. | 3. | 5, 247, 280, 338, 341. a 312, 327. b |
| Ibid. | 5. | 336. a |
| Ibid. | 15. | 354. b |
| Ibid. | 17. | 326. a |
| xviii. | 2. | 66. a |
| Ibid. | 22, 23. | 27, 28. b |
| Ibid. | 36. | 86. b |
| Ibid. | 37. | 430. a |
| xix. | 23. | 189. a |
| Ibid. | 38. | 59. b |
| xx. | 17. | 4. b |
| Ibid. | 23. | 105, 106. b |
| Ibid. | 31. | 246, 247, 338, 341. a |
| xxi. | 25. | 54, 182, & 259. a |


## ACTA.


| | | |
|---|---|---|
| i. | 16. | 300. a |
| Ibid. | 17. | 396. a |
| Ibid. | 25. | 349. a |
| ii. | 17, 18. | 198. a |
| Ibid. | 25, & *seqq.* | 192. a |
| Ibid. | 27. | 417. a |
| Ibid. | 30. | 417. a |
| Ibid. | 34. | 193, 194. a |
| iii. | 17. | 432. a |
| Ibid. | 22. | 96. a |
| Ibid. | 22, & 25. | 155. a |
| Ibid. | 23. | 431. a |
| iv. | 1. | 66. a |
| Ibid. | 13, 14. | 172. a |
| Ibid. | 20. | 430. a |
| Ibid. | 27, 28. | 396, 397. a |
| v. | 1, & *seqq.* | 206, 332. a |
| Ibid. | 24, 26. | 66. a |
| vi. | 1. | 273. a |
| Ibid. | 7. | 413. a |
| Ibid. | 10. | 13. b |
| Ibid. | 13, 14. | 100. a |
| vii. | 2. | 31. a |
| Ibid. | 8. | 44. a |
| Ibid. | 16. | 34. a |
| Ibid. | 37. | 96. a |
| Ibid. | 41. | 131. a |
| Ibid. | 51. | 13. b |
| Ibid. | 30, 31. | 268. a |
| Ibid. | 37. | 338. a |
| viii. | 9, 11. | 141, & 144. a |
| Ibid. | 30, 31. | 268. a |
| Ibid. | 37. | 331. a |
| x. | 9. | 102. a |
| Ibid. | 28. | 112, 198, & 203. a |
| Ibid. | 38. | 56. a |
| Ibid. | 41. | 43. b |
| Ibid. | 42. | 335. a |
| xi | 29. | 335. a |
| xii. | 8, 9. | 25, & 31. a |
| Ibid. | 15. | 348. a |
| xiii. | 8. | 141, 144, & 206. a |
| Ibid. | 32, 33. | 335. a |
| Ibid. | 33. | 197. a |
| Ibid. | 46. | 203, 204. a |
| Ibid. | 47. | 180. a. 376. b |
| Ibid. | 48. | 414. a |
| xiv. | 14. | 289, & 296. a |
| Ibid. | 16. | 19. a |
| Ibid. | 17. | 368. a |
| Ibid. | 22. | 86. b |
| xv. | 1. | 203. a |
| Ibid. | 16, 17. | 198. a |
| Ibid. | 18. | 297. a |
| Ibid. | 21, 28, 29. | 51, 52. b |
| xvi | 9 | 25. a |
| Ibid. | 10. | 26. a |
| Ibid. | 14. | 281. b |
| Ibid. | 16, 18. | 144. a |
| Ibid. | 31. | 335. a |
| xvii. | 18, &c. | 205. a |
| Ibid. | 24, & *seqq.* | 292. a |
| Ibid. | 25. | 296. a |
| Ibid. | 25, & 28. | 361. a |
| Ibid. | 26, 27. | 21. a |
| Ibid. | 27. | 287, & 368. a |
| Ibid. | 29. | 289. a |
| Ibid. | 30. | 328. a |
| Ibid. | 31. | 361. a |
| xviii. | 8. | 80. a |
| Ibid. | 25. | 35. b |
| xix. | 3. | 35. b |
| Ibid. | 47. | 201. a |
| xxi. | 23, 24. | 80. a |
| Ibid. | 28. | 68. a |
| xxiii. | 3. | 28, 75, 76. b |
| Ibid. | 8. | 347. a |
| Ibid. | 17. | 93. b. |
| xxiv. | 16. | 402. a |
| xxvi. | 8. | 205. a |
| Ibid. | 28. | 238. b. |
| xxviii. | 31. | 387. b |
| xxviii. | 25, 26, 27. | 208. a |
| Ibid. | 26. | 387. a |


## AD ROMANOS.


| | | |
|---|---|---|
| i. | 3. | 417. a |
| Ibid. | 4. | 335. a |
| Ibid. | 5 | 311, 413. a |
| Ibid. | 18, & *seqq.* | 19, 20. a |
| Ibid. | 21. | 321. b |
| Ibid. | 23. | 130, 282, 283, 289, 290. & 343. a |
| Ibid. | 24, 26, & 28. | 393, 394. a |
| Ibid. | 25. | 132. a |
| Ibid. | 28. | 367. a. 49, 50. b |
| Ibid. | 31. | 113. a |
| Ibid. | 32. | 326. a. 20. b. |
| ii. | 2, 3, 4, 5, 6, & 11. | 327. a |
| Ibid. | 3. | 320. b |
| ii. | 4, 5. | 297, 298. b |
| Ibid. | 5, 8. | 318. a |
| Ibid. | 12, 14, 15. | 19, 20. a |
| Ibid. | 13. | 5. a |
| Ibid. | 15. | 369, 370. a |
| Ibid. | 18. | 304, 307, & 367. a |
| iii. | 3, 4, 5. | 326, 434. a |
| Ibid. | 5. | 407. b. |
| Ibid. | 9, 10, &c. | 20. b |
| Ibid. | 12. | 217. a |
| Ibid. | 23. | 401. a. 21. b |
| Ibid. | 25. | 329. a |
| iv. | 1. | 417. a |
| Ibid. | 3, & 11, & *seqq.* | 36. a |
| Ibid. | 4. | 326. a. 20. b |
| Ibid. | 5. | 311. a |
| Ibid. | 11. | 44, 46. a |
| Ibid. | 17. | 194, 295. a |
| v. | 3. | 367. a |
| Ibid. | 12. | 270, 403, 404, 405. a 65. b. |
| Ibid. | 12, 13, 14. | 323, 324. a |
| vi. | 11. | 361. a |
| Ibid. | 23. | 326. a |
| viii. | 3. | 403. a. 19. b. |
| Ibid. | 5, 6, 7. | 249. b |
| Ibid. | 8, 9. | 291. b |
| Ibid. | 19, 20, &c. | 65. b |
| Ibid. | 21, 23. | 321. a |
| Ibid. | 26. | 353. b |
| Ibid. | 28, & *seqq.* ad finem usque. | 389, usque ad 394. b |
| Ibid. | 29. | 256. a. 326. b |
| Ibid. | 33. | 349, 413. a |
| Ibid. | 38, 39. | 292. a |
| ix. | totum. | 394, usque ad 410. b |
| Ibid. | 1, 2, 3. | 436. a |
| Ibid. | 3. | 42. a |
| Ibid. | 3, 5. | 417. a |
| Ibid. | 5. | 417. a |
| Ibid. | 7. | 155, 434. a |
| Ibid. | 11. | 312. a |
| Ibid. | 17, 18, & 22. | 390, 391. a |
| Ibid. | 19. | 308. a |
| Ibid. | 22. | 319, 320. a |
| Ibid. | 25. | 198. a |
| x. | totum. | 410. usque ad 414. b |
| Ibid. | 5. | 361. a |
| Ibid. | 9. | 247. a |
| Ibid. | 13. | 198. a |
| Ibid. | 15. | 200. a |
| Ibid. | 16. | 16. a |
| Ibid. | 17. | 235. a. 373, 374. b |
| Ibid. | 19. | 197. a |
| xi. | totum. | 414, usque ad 425. b |
| Ibid. | 6. | 311. a |
| Ibid. | 8. | 386, 392. a |
| Ibid. | 9, 10. | 388. a |
| Ibid. | 11, & 25. | 391. a |
| Ibid. | 16, 17, 18, 19, & 25, 26. | 202. a |
| Ibid. | 21, 22. | 242. a |
| Ibid. | 22. | 330. a |
| Ibid. | 22, 25, 28. | 331. a |
| Ibid. | 25, 28, 29. | 434, 439. a |
| Ibid. | 28. | 34. a |
| Ibid. | 35. | 334, 381. a |
| Ibid. | 36. | 417. a |
| xii. | 2. | 43, 304, 307, 309, & 367. a |
| Ibid. | 3 | 311. a |
| Ibid. | 14. | 250. a |
| Ibid. | 19. | 318. a |
| xiii. | 1, usque ad 7. | 88, 89, 90. b |
| Ibid. | 2. | 56, 57. b |
| Ibid. | 4. | 407. b |
| Ibid. | 5. | 26, 27. b |
| Ibid. | 17. | 320. b |
| xiv. | 5, & 22. | 76. a |
| Ibid. | 22. | 367. a |
| xv. | 8. | 326. a |
| Ibid. | 12. | 200. a |
| Ibid. | 15. | 311. a |
| xvi. | 7. | 256. a |
| Ibid. | 26. | 287, 297. a |
| Ibid. | 26, 27. | 172. a |

| Cap. | Vers. | Pag. |
|---|---|---|
| **I. AD CORINTHIOS.** | | |
| I. | 8. | 350. b |
| Ibid. | 10. | 320. b |
| Ibid. | 17. | 34, 35, 36. b |
| Ibid. | 22. | 365. a |
| Ibid. | 24. | 53. a |
| II. | 6. | 256. a |
| Ibid. | 6, 7. | 5, 6. b |
| Ibid. | 8. | 432. a |
| Ibid. | 9, 10, 11, 12. | 245. a |
| Ibid. | 10, 11. | 297. a |
| Ibid. | 14. | 248, 249. b |
| Ibid. | 16. | 320, & 424. b |
| III. | 6, 7. | 282. b |
| IV. | 13. | 172. a |
| V. | 3. | 206. a |
| Ibid. | 9. | 2, 163. b |
| VI. | 1, *usque ad* 9. | 77, 78. b |
| Ibid. | 2, 3. | 69. b |
| Ibid. | 10. | 290. a. 17. b |
| Ibid. | 18. | 421. a |
| VII. | 7. | 114. a |
| Ibid. | 14. | 61, 62. b |
| Ibid. | 15. | 63, 64. b |
| Ibid. | 18. | 44. a |
| VIII. | 2. | 324. b |
| Ibid. | 4. | 135. b |
| Ibid. | 6. | 336. a |
| Ibid. | 10. | 336, 337. a |
| IX. | 1. | 291. a |
| Ibid. | 9, 10. | 362. a |
| X. | 13. | 348. 349. b |
| Ibid. | 14. | 135. a |
| Ibid. | 16, 17. | 39. b |
| Ibid. | 19. | 129. a. 135. b |
| XI. | 2, 23, & 34. | 259. a |
| Ibid. | 7. | 359. a |
| Ibid. | 7, 10, 16. | 46, 47. b |
| Ibid. | 19, & 27. | 367. a |
| Ibid. | 25, 28. | 39, & 42. b |
| Ibid. | 30. | 321, & 332. a |
| XIII. | 2. | 327. b |
| Ibid. | 9, 12. | 5. b |
| Ibid. | 12. | 171, 284. a. 237. b |
| XIV. | 20. | 403. a |
| Ibid. | 29, 30, 31. 32. | 26. a |
| Ibid. | 34, 35. | 39. b |
| XV. | 12. | 205. a |
| Ibid. | 19, & 32. | 202, 203. b |
| Ibid. | 21, 22. | 401. a |
| Ibid. | 24, 28. | 32, & 43. b |
| Ibid. | 26. | 321. a |
| Ibid. | 27, 28. | 195. a |
| Ibid. | 29. | 33, 34. b |
| Ibid. | 42, 43, 44, 45, 46, 50, 53. | 352. a |
| Ibid. | 45. | 354. a |
| Ibid. | 45, 47. | 419. a |
| Ibid. | 45, & 50. | 291. b |
| Ibid. | 47. | 418. a |
| **II. AD CORINTHIOS.** | | |
| I. | 17. | 417. a |
| III. | 6. | 53. a |
| Ibid. | 6, 7, 8, & 13. | 267. a |
| Ibid. | 6, 9. | 256, 257. a |
| Ibid. | 14, 15. | 432. a |
| Ibid. | 17, 18. | 330. b |
| Ibid. | 18. | 53, 358. a. 235. b |
| IV. | 2. | 234, 235. b |
| Ibid. | 2, 3, 4. | 267. a |
| Ibid. | 3. | 254. b |
| Ibid. | 4. | 144, 285, 349, & 389. a |
| Ibid. | 4, 5. | 53. a |
| Ibid. | 6, 7, 8. | 172. a |
| Ibid. | 13. | 396. a. 299. b |
| V. | 1. | 295. a |
| Ibid. | 4. | 403. a |
| Ibid. | 16. | 423. a |
| Ibid. | 20. | 235. b |
| Ibid. | 21. | 123. a |
| VI. | 16, 17, 18. | 155. |
| VII. | 17, 18. | 200. a |
| Ibid. | 18. | 285. a |
| VIII. | 1. | 311. a |
| IX. | 6, 7, 8, 9. | 108. a |
| Ibid. | 8. | 311. a |
| XI. | 2. | 258. a |
| Ibid. | 3. | 257, 258, 259. 260. b |
| Ibid. | 14. | 349. a |
| Ibid. | 24. | 120. a |
| XII. | 2. | 350, 354. a |
| Ibid. | 2, 3. | 291. a |
| Ibid. | 4. | 253. a |
| Ibid. | 9. | 367. a |
| Ibid. | 9, 10. | 172. a |
| XIII. | 8. | 430. a |
| Ibid. | 13. | 341. a |
| Ibid. | 5. | 172. a |
| **AD GALATAS.** | | |
| I. | 23. | 413. a |
| II. | 15. | 406. a |
| III. | 12, 19, 23, 24. | 257. a |
| Ibid. | 13. | 123. a |
| Ibid. | 16. | 155. a |
| Ibid. | 16, & 19. | 45. a |
| Ibid. | 17. | 49. a |
| Ibid. | 19. | 50. a |
| Ibid. | 19, 23, 24. | 72, 307. a. 19. b |
| Ibid. | 21. | 19. b |
| Ibid. | 23, 25. | 413. a |
| Ibid. | 24, 25. | 156. a |
| Ibid. | 26. | 35. a |
| IV. | 4. | 417. & 156. a |
| Ibid. | 8. | 132, 320, 406. a. 248. b |
| Ibid. | 10. | 91. a |
| Ibid. | 26. | 258. a |
| Ibid. | 27. | 201. a |
| V. | 3. | 47. a |
| Ibid. | 17. | 420. a |
| Ibid. | 19. | 290. a |
| Ibid. | 19, 20, 21. | 17. b |
| Ibid. | 20. | 60, 61. b |
| Ibid. | 22. | 253. a |
| VI. | 1. | 270. b |
| Ibid. | 4. | 367. a |
| Ibid. | 16. | 201. a |
| **AD EPHESIOS.** | | |
| I. | 3. | 275. b |
| Ibid. | 4. | 43. a |
| Ibid. | 9. | 172. a |
| Ibid. | 11. | 304, 306, 381, 382. a |
| Ibid. | 17, 18, 19, 20. | 313, 314. b |
| Ibid. | 19, 20, &c. | 292. a |
| Ibid. | 21. | 348. a |
| II. | 1, & 5. | 402. a |
| Ibid. | 2. | 144, 347. a. 248. b |
| Ibid. | 3. | 320, 406. a. 320. b |
| Ibid. | 4, 5, 6, 7. | 311. a |
| Ibid. | 5. | 203. a |
| Ibid. | 5, 6. | 413. a |
| Ibid. | 13. | 198. a |
| Ibid. | 14. & *seqq.* | 72, 200, 201. a |
| III. | 3, & *seqq.* | 53. a |
| Ibid. | 3, 10. | 172. a |
| Ibid. | 6. | 201. a |
| Ibid. | 12. | 247, & 314. a |
| IV. | 7. | 311. a |
| Ibid. | 8. | 192, 193. a |
| Ibid. | 19. | 11, & 370. a |
| Ibid. | 22, 23, 24. | 358. a |
| Ibid. | 23. | 315. b |
| Ibid. | 23, & 29, & 30. | 252. a |
| Ibid. | 30. | 317. a |
| V. | 3. | 45. b |
| Ibid. | 4, 5. | 17. b |
| Ibid. | 5. | 143, & 290. a |
| Ibid. | 9. | 172. a |
| Ibid. | 10. | 309, 367. a |
| Ibid. | 17. | 413. a |
| Ibid. | 26. | 67. a |
| V. | 27. | 35. b |
| VI. | 1. | 113. a |
| Ibid. | 2. | 380, 381. b |
| Ibid. | 12. | 348, 349. a |
| Ibid. | 12, 16. | 144. a |
| **AD PHILIPPENSES.** | | |
| I. | 9. | 234. b |
| Ibid. | 15, 16, 17. | 302. b |
| II. | 6. | 22. b |
| Ibid. | 9. | 341. a |
| Ibid. | 13. | 316. b |
| III. | 6. | 31, 402, & 406. a |
| Ibid. | 9. | 412. b |
| Ibid. | 20. | 87. b |
| Ibid. | 16. | 143. a |
| **AD COLOSSENSES.** | | |
| I. | 15. | 336. a |
| Ibid. | 16. | 348. a |
| Ibid. | 8. | 335. a |
| Ibid. | 21. | 320. b |
| Ibid. | 23. | 204. a |
| Ibid. | 26. | 172. a |
| II. | 3, 8, 9. | 53. a |
| Ibid. | 12. | 314. b |
| Ibid. | 15. | 448, & 361. a |
| Ibid. | 16. | 91, & 156. a |
| Ibid. | 18, & 23. | 342. a |
| III. | 6. | 143, & 318. a |
| Ibid. | 9, 10. | 358. a |
| Ibid. | 12. | 349, & 413. a |
| Ibid. | 15. | 252. a |
| Ibid. | 20. | 113. a |
| IV. | 6. | 164. b |
| **I. AD THESSALONICENSES.** | | |
| I. | 2, 3, 4, 5. | 281. b |
| Ibid. | 4. | 413. a |
| Ibid. | 5. | 289. a |
| Ibid. | 9. | 132, & 296. a |
| Ibid. | 10. | 319. a |
| II. | 4. | 367. a |
| IV. | 3. | 304, & 307. a |
| Ibid. | 9. | 255. a. 316, 317. b |
| V. | 21. | 367. a |
| Ibid. | 23. | 350. b |
| **II. AD THESSALONICENSES.** | | |
| I. | 6, 7. | 326. a |
| II. | 9, 10. | 425, 426. a |
| Ibid. | 11, 12. | 394. a |
| Ibid. | 15. | 259. a |
| III. | 2. | 413, 414. a |
| **I. AD TIMOTHEUM.** | | |
| I. | 13. | 396. a. 19, 20. b |
| Ibid. | 15. | 418. a |
| Ibid. | 17. | 283, 287, 289, & 297. a |
| Ibid. | 19. | 16. b |
| Ibid. | 20. | 206. a |
| II. | 1. | 249. a |
| Ibid. | 1, 2, 3, 4. | 91, 92. b |
| Ibid. | 12. | 39. b |
| Ibid. | 13. | 358. a |
| Ibid. | 14. | 257, 258, 259, 260. b |
| III. | 4. | 113. a |
| Ibid. | 15. | 241, &c. a. 119, 120. b |
| Ibid. | 16. | 172. a |
| IV. | 2. | 370. a |
| Ibid. | 4. | 11. a |
| Ibid. | 16. | 241. a |
| V. | 3, 17. | 113. a |
| Ibid. | 8. | 25, & 320. b |
| Ibid. | 16. | 296. a |
| Ibid. | 17. | 68. a |
| Ibid. | 20. | 113. a |
| Ibid. | 21. | 349. a |
| VI. | 7, 8. | 353. a |

| Cap. | Vers. | Pag. |
|---|---|---|
| VI. | 13. | 430. a |
| Ibid. | 16. | 52, 283, & 289. a |
| Ibid. | 20. | 259. a |

II. AD TIMOTHEUM.

| | | |
|---|---|---|
| I. | 9. | 157, 413. a |
| Ibid. | 12. | 292. a |
| Ibid. | 13, 14. | 259. a |
| II. | 1, 2. | 259. a |
| Ibid. | 8. | 417. a |
| Ibid. | 10. | 413. a |
| Ibid. | 12, 13. | 434. a |
| Ibid. | 18. | 205. a |
| Ibid. | 24, 25. | 301, 302. b |
| Ibid. | 25. | 349. b |
| III. | 8. | 52. a |
| Ibid. | 12. | 86. b |
| Ibid. | 14. | 242. a |
| Ibid. | 15. | 260. a |
| IV. | 8. | 326. a |
| Ibid. | 14. | 76. b |

AD TITUM.

| | | |
|---|---|---|
| I. | 1, 2, 3. | 413. a |
| Ibid. | 2. | 326. a |
| Ibid. | 6. | 113. a |
| Ibid. | 15. | 320. b |
| II. | 12. | 247, 248. a |
| Ibid. | 14. | 50. a |
| III. | 5. | 35. b |

AD HEBRÆOS.

| | | |
|---|---|---|
| I. | 1. | 51. a |
| Ibid. | 1, 2. | 245. a |
| Ibid. | 3. | 172, & 285. a |
| Ibid. | 4, 6. | 335. a |
| Ibid. | 5. | 197. a |
| Ibid. | 7, & 14. | 347. a |
| Ibid. | 9. | 69, 311, & 342. a |
| Ibid. | 10. | 336. a |
| Ibid. | 12. | 287. a |
| Ibid. | 13. | 195. a |
| II. | 2. | 326. a |
| Ibid. | 12. | 403. a |
| Ibid. | 17, 18. | 184. a |
| IV. | 7. | 335. a |
| Ibid. | 13. | 298. a |
| Ibid. | 15. | 184. a |
| V. | 5. | 197. a |
| Ibid. | 7. | 184, 419. a. 292, 293. b |
| VI. | 4, 5, 6. | 12, & 331. b |
| Ibid. | 10. | 326. a |
| Ibid. | 11. | 314. a |
| Ibid. | 16, 17, 18. | 318. a |
| VII. | 3. | 32. a |
| Ibid. | 9. | 405. a |
| Ibid. | 14. | 174. a |
| Ibid. | 15. | 197. a |
| Ibid. | 16. | 53. a |
| Ibid. | 16, 18, 19. | 257. a. 19. b |
| Ibid. | 20, 21. | 318. a |
| VIII. | 2. | 295, 345. a |
| Ibid. | 8, & *seqq.* | 256. a |
| IX. | 2. | 67. a |
| Ibid. | 10. | 156. a |
| Ibid. | 11. | 295. a |
| Ibid. | 13, 14. | 84. a |
| Ibid. | 14. | 132. a |
| Ibid. | 22. | 71. a |
| X. | 20. | 295. a |
| Ibid. | 22, 23. | 35. b |
| Ibid. | 23. | 67, & 326. a |
| Ibid. | 24, 25. | 56, 57. b |
| Ibid. | 26, 27. | 12. b |
| Ibid. | 27. | 33. a |
| Ibid. | 39. | 356. b |
| XI. | 5. | 409. a |
| Ibid. | 6. | 16, 247, 289. a. 111. b |
| Ibid. | 8. | 31, & 37, 38. a |
| Ibid. | 8, 9, 10. | 409. a |
| Ibid. | 10. | 295, 345. a |
| Ibid. | 10, 14, 16. | 33. a. 87. b |
| Ibid. | 11, 12, 19. | 36. a |
| Ibid. | 13. | 232. b |
| Ibid. | 16. | 155. a |
| Ibid. | 17, & *seqq.* | 38, & *seqq.* a |
| Ibid. | 27. | 283. a |
| Ibid. | 35, 39, 40. | 434. a |
| XII. | 9. | 282. a |
| Ibid. | 14. | 284. a |
| Ibid. | 19, 20, 21. | 52. a |
| Ibid. | 23. | 69. b |
| Ibid. | 26. | 200. a |
| XIII. | 2. | 33. a |
| Ibid. | 8. | 246. a |
| Ibid. | 14. | 87. b |
| Ibid. | 20. | 180. a |

JACOBI EPISTOLA.

| | | |
|---|---|---|
| I. | 4. | 66. b |
| Ibid. | 13. | 41, 305. a. 292, 339. b |
| Ibid. | 15. | 299. a |
| Ibid. | 17. | 418. a |
| Ibid. | 21. | 374, 375. b |
| II. | 1, 3, 9. | 30, 31. b |
| III. | 15, 17. | 418. a |
| IV. | 5, 6. | 4. b |
| Ibid. | 12. | 292. a |
| V. | 11. | 366. a |

I. PETRI.

| | | |
|---|---|---|
| I. | 1. | 413. a |
| Ibid. | 3. | 311. a |
| Ibid. | 12. | 172. a |
| Ibid. | 16. | 367. a |
| Ibid. | 20. | 45. a |
| Ibid. | 23, 24, 25. | 374. b |
| Ibid. | 25. | 235. a |
| II. | 3. | 331. b |
| Ibid. | 9. | 50. a |
| Ibid. | 9, 10. | 311. a |
| Ibid. | 10. | 198. a |
| Ibid. | 13, 14. | 88, & 90, 91. b |
| Ibid. | 22, 23, 24, 25. | 191. a |
| III. | 15. | 53, 54, 55. b |
| Ibid. | 17. | 86. b |
| Ibid. | 19, 20. | 329. a |
| Ibid. | 20. | 314. a |
| IV. | 6. | 329. a |
| Ibid. | 14, 16. | 366. a |
| V. | 4. | 180. a. |
| Ibid. | 5. | 74. b |
| Ibid. | 8. | 144. a |
| Ibid. | 10. | 311. a |

II. PETRI.

| | | |
|---|---|---|
| I. | 3 | 292. a |
| Ibid. | 19. | 408. a |
| Ibid. | 20. | 120. b |
| II. | 4. | 330. a |
| Ibid. | 5, 6. | 376. a |
| III. | 8. | 288, 369. a |
| Ibid. | 16. | 158, 159. b |
| Ibid. | 16, 17. | 267. a |

I. JOANNIS.

| | | |
|---|---|---|
| I. | 1. | 417, 418. a |
| Ibid. | 6. | 322. b |
| Ibid. | 8. | 271. b |
| Ibid. | 8, 10. | 401. a |
| Ibid. | 9. | 77, & 326. a |
| II. | 4, 9, 10, 11. | 322, 323, 324, & 328. b |
| Ibid. | 16. | 250. a |
| Ibid. | 27. | 317. b |
| III. | 2. | 52, & 284. a |
| Ibid. | 9. | 430. a. 271. b |
| Ibid. | 17. | 422. a |
| Ibid. | 20. | 270, 297, 369, 370. a |
| Ibid. | 23. | 246. a |
| IV. | 2, 3. | 4. a |
| Ibid. | 4. | 349. b |
| Ibid. | 8. | 310. a |
| Ibid. | 15. | 338. a |
| Ibid. | 20. | 322, &c. b |
| V. | 1. | 334. a |
| Ibid. | 5. | 338. a |
| Ibid. | 7. | 340. a |
| Ibid. | 13. | 246. a |
| Ibid. | 16. | 385. a. 11. b |
| Ibid. | 20. | 341. a |
| Ibid. | 21. | 135. a |

II. JOANNIS.

| | | |
|---|---|---|
| | 7. | 422. a |

JUDÆ EPISTOLA.

| | | |
|---|---|---|
| | 3. | 413. a |
| | 7. | 97. a |
| | 25. | 297. a |

APOCALYPSIS.

| | | |
|---|---|---|
| I. | 4, & 8. | 280, & 287. a |
| Ibid. | 5. | 361. a |
| Ibid. | 8, & 17, 18. | 285, 286. a |
| II. | 2. | 430. a |
| Ibid. | 4, 5. | 394. b |
| Ibid. | 17. | 253. a |
| III. | 12. | 418. a |
| Ibid. | 14. | 336. a |
| IV. | 8. | 280, 285, 287. a |
| Ibid. | 9, 10. | 296. a |
| Ibid. | 11. | 304, & 381. a |
| VI. | 16, 17. | 318. a |
| X. | 6. | 296, 361. a |
| XI. | 17. | 287. a |
| XIV. | 13. | 66. b |
| XVI. | 5. | 287. a |
| Ibid. | 5, 6, 7. | 326. a |
| Ibid. | 17. | 285. a |
| XVII. | 14. | 413. a |
| XVIII. | 6, 8. | 326. a |
| XIX. | 6, & 15. | 285. a |
| Ibid. | 10. | 132. a |
| XX. | 12. | 327. a |
| XXI. | 2. | 257, 258. a |
| Ibid. | 2, 10. | 418. a |
| Ibid. | 3, & 7. | 155. a |
| Ibid. | 22. | 285. a |
| XXII. | 13. | 286. a |
| Ibid. | 14. | 290. a |


FINIS.

# ELENCHUS RERUM PRÆCIPUARUM

quæ in hiſce.

## INSTITUTIONUM LIBRIS

Aliiſque Tractatibus continentur.

*Litera* a *Inſtitutiones.* b *reliquos tractatus denotat.*


A.

DE honore *Aaronis* poſteris debito & prærogativa in rebus ac negotiis omnibus ſacris. 68. a
De libro *Abdiæ.* 219. a.
*Abel* rectam rationem pro mortua ſuæ religionis habuit. 18. a
*Abimelech* rectam rationem pro norma ſuæ religionis habuit. 18. a
*Abneganda* nunquam eſt veritas. 16. b
Quomodo *abnegare* ſe poſſint Magiſtratus qui capitalia judicia exercent, ut auctoritatem ac poteſtatem ſuam retineant. 87. b
Quomodo ſe Deus *Abrahamo* revelaverit, nimirum in viſione Prophetica ſicut & ſæpius aliis Prophetis. 30. a Revelatio, *Abrahamo* facta, fœdus continuit quod cum eo ſolo initum eſt. Tria Deus ab *Abrahamo* ſtipulatus eſt. 1. Ut exiret ex terra ſua & cognatione idololatrica; an *Abrahamus* fuerit Idololatra cum hoc mandatum accepit; revelatio hæc fuit valde illuſtris. 2. Ut certum ac verum Numen coleret videlicet ſe ipſum, & 3. ut ambularet coram ſe & eſſet perfectus, 31, 32. a Amorem ſuum erga Deum teſtatus eſt *Abrahamus* 1. erectione altarium & oblatione ſacrificiorum. 2. decimarum oblatione per manum Sacerdotis Melchizedech. & 3. Invocatione Dei. Amorem erga proximum teſtatus eſt 1. Inſtitutione & inſtructione familiæ ſuæ. 2. Concordiæ & pacis ſtudio. 3. Hoſpitalitate erga peregrinos, & 4. Interceſſione pro peccatoribus ſeria ac prolixa. 32, 33. a Promiſſiones *Abrahamo* factæ duúm ſunt generum. Prima communis qua Deus ei favorem & auxilium pollicitus eſt, ejus amplitudo. Altera propria fuit quadruplex. 1. De terræ Canaan poſſeſſione & quomodo propria dici poſſit. 2. De ſemine terræ iſtius hærede. 3. De ſeminis iſtius multiplicatione & reductione ex ſervitute, & 4. De ſeminis iſtius benedictione duplici. Quomodo promiſſiones iſtæ ab Apoſtolis ad ſpiritualia bona referri potuerunt, Promiſſioneſque *Abrahamo* factas duplicem habuiſſe ſenſum. 33, 34, 35. a. Fides *Abrahami* quanta apparet in duobus. 1. Promptitudine, & 2. Conſtantia. An ſignum fuerit fidei vel diffidentiæ *Abrahami* quod de Sara uxore dixit eam eſſe ſororem ſuam, & quomodo potuerit eſſe ſimul ejus ſoror & conjux, abſque incæſtu, 35, 36, 37. a. De obſequio *Abrahami* ejuſque promptitudine & conſtantia, in exeundo è patria & immolando filio unigenito. 37, 38, & 42. a. De tentatione *Abrahami* & in genere quomodo & in quem finem Deus homines tentet. 39, 40, 41, 42, 43. a
De præcepto circumciſionis *Abrahamo* dato & Abrahami in eo exequendo alacritate. 43, 44. uſque ad 49. a
Cur Matthæus Genealogiæ Chriſti initium ab *Abrahamo* ſumat. 1. b
Quomodo Chriſtus dicat Joan. VIII, 58. Antequam *Abraham* fieret ego ſum. 336. a
Ad omnes ex *Abrahamo* ſecundum carnem oriundos non pertinet Dei promiſſio. 400. b
De voluntate Dei *Abſoluta* & conditionata. *Abſoluta* quid & quotuplex. 309. a
Conſectaria duo ex odii divini natura adverſus *abſolutam* Prædeſtinationem. 312. a
Argumentum ab *abſurdo* eſſe bonum & legitimum. 167. b. Deſcendere in *abyſſum Rom.* X. 7. pro mori. 413. b. *Acceptio* perſonarum nulla in judicio extremo. 327. a
Ex *Anachroniſmis* qui in Scriptura occurrunt non probari ejus obſcuritatem in rebus ad ſalutem neceſſariis. 271. a
*Actiones* non ſemper arguere agentis animum 166. b. An peccati *actus* unicus, an vero habitus excludat ex regno cælorum. 17. b
De pateſactione divina rempore *Adami*, facta. 13, 14. a. Quæ ſint VII. illa præcepta quæ Hebræi *Adamo* & Noacho data fuiſſe dicunt. 18. a. Cum *Adamo* nullum fœdus iniit Deus. 23. a. De qua morte comminatio *Adamo* facta ſit intelligenda. 64. b. Qualitates cum quibus *Adami* anima eſt creata, an præter naturales illas habitus aliqui ſupernaturales ei fuerint infuſi. 358. 359. a. An omnes in *Adamo* peccarint, ex loco *Rom.* V. 12. &c. Collationis inter *Adamum* & Chriſtum explicatio. 403, 404. a. vide *peccatum* originale. Qui electionem abſolutam ſtatuunt abſque prævisione fidei, conſentire neceſſariò debent Deum efficaciter voluiſſe ut *Adam* peccaret, & in eo totum genus humanum. 175, 176. b *Adamum* non potuiſſe peccare, juxta opinionem Cameronis. 212. b. Quodnam malum ab *Adamo* in nos propagetur. 47. b. De actu judicii *Adami* ante lapſum & quomodo *Adam* juxta Cameronem potuerit errare. 251. b. Evincitur contra omnes exceptiones Cameronis, ſententiam ipſius pugnare cum ratione peccati *Adami*: Non potuiſſe *Adamum* peccare niſi lux perſuadens ei ſubtraheretur. An primum hominis peccatum fuerit mentis error. Utrum *Adami* voluntas neceſſario ſecuta ſit mentis ipſius errorem. Num Deus *Adamum* à lapſu immunem præſtare potuerit ſalva libertate voluntatis ipſius. Id Camero negat. De cauſis impulſivis peccati *Adami* & quid in eo præſtiterit Diabolus. Camero Deum primam *Adami* peccati cauſam facit. De providentia Dei circa peccatum *Adami*, Quomodo *Adamus* Deo permittente ſit lapſus. Quid diabolus ſuaſione ſua effecerit in iſto peccato. In poteſtate *Adami* fuiſſe peccatum vitare. De viſuaſionis diabolicæ in primo peccato. 255. uſque ad 268. b. Nec neceſſe erat, nec conveniebat Deum adhibere ſuam potentiam ad lapſum *Adami* impediendum. Cur Deus actu non impediverit lapſum primi hominis, & quid in eo præſtiterit. 342, 343. b
De motu voluntatis bruto, ſtulto, & tyrannico & utio motus genere impulſus fuerit *Adam.* 356. 357. b
De *adhæſione* animæ cum Deo, nos poſſe *adhærere* Deo, abſque *adhæſione* ſapientibus & doctoribus ut volunt Judæi, & quam futilis ac periculoſa ſit eorum opinio. 61. a
De *Adoratione* Dei & Chriſti. 248. a
De ſolo Deo *adorando* ex loco Matth. IV. 10. An Chriſtus *adorari* poſſit. De Pontificiis qui Sanctos mortuos, Angelos, & panem Miſſæ *adorant.* An Deus communicare potuerit gloriam ſuam Chriſto contra quam facere videtur locus *Eſa.* XLII. 8 Et an confidere poſſimus in Chriſto homine, cum maledictus dicatur *Jer.* XVII. 5. qui confidit in homine. 341, 342, 343, 344. a. *Adoratio* imaginum tam externa quam interna illicita eſt. Et Eccleſiam auctoritatem non habere eam præcipiendi. 145. b. vide *Imagines.* De *Adventu* Meſſiæ, vide *Tempus* &c. De muliere *adulteris* ſuſpecta, modus adverſus talem mulierem agendi. Eventus miraculoſus. 119, 120. a
Quo ſenſu Dei *ædificatio* dicamur, & de voce *ædificandi.* 317, 318. b
Qua ratione *ægris* ſalutis ſpes facienda ſit. 14. b
De officio Paſtorum erga *ægros* peſte laborantes 50, 51. b
*Æmulatio* divina, vide *Iram.*
An liceat in fide confitenda *æquivocationibus* uti, & de *æquivocationibus* Synodi Dordracenæ. 55. b
Ἀεσμομαντεία ſpecies divinationis. 139. a
Cur ab *æterno* nihil ſtatui poteſt fuiſſe præter Deum. 12. a
Quo ſenſu *æternum* vocetur fœdus illud cui circumciſio adjuncta erat. 45, 46. a. Moſes Deum non novit tanquam remuneratorem *æternum* piorum. 52, 53. a. Quo ſenſu lex Moſis *æterna* dicatur. 97. a. Generalia promiſſa habet lex Moſaica ſub quibus *æterna* vitæ bona comprehenſa fuerunt, Promiſſa fuerunt typica; ſed promiſſa ſpecialia non habet lex hac de re. 155, 156. a. Neceſſe eſſe credere Deum eſſe *æternum.* An neceſſe ſit credere *æternitatem* ab ante & ab poſt eſſe attributum ſolius Dei proprium. materia prima non eſt Deo *coæterna.* neque tertium cæium in quo Deus habitat. Id tamen credere neminem damnat. Nec eſt neceſſe credere *æternitatem* eſſe durationem inſtantaneam. 294, 295, 296. a. Mundus à Deo libere conditus fuit, nec potuit eſſe *æternus* 346. a
*Æternum* quatuor modis dicitur, & quomodo prophetiæ de *æternitate* regni Chriſti conciliari poſſint cum eo quod Paulus dicit 1 *Corint.* XV. 24. Chriſtum Regnum Deo Patri aliquando traditurum. Et quomodo promiſſio Davidi facta de regni ſui *æternitate* intelligenda ſit, & complementum habeat in Jeſu Chriſto. 32, 33. b. Quomodo *æternitas* pœnarum infernalium cum Dei juſtitia conſiſtat & de varia acceptione vocis *æterni.* 67, 68. b
Quomodo Scriptura Dei *æternitatem* exprimat; an ab ea omnis ſucceſſio excludenda. 287, 288. a
Ab *affectibus* liber eſſe debet animus ut docilis ſit, & cur. 1, 2, 3. a. *Affectus* Deo quomodo tribuantur; tria in iis generatim notanda. Nec non de *affectibus* divinis, bonitate, amore, odio, &c. 310, & ſeqq. a. Fieri poſſe ut abſque philautia aliquis Deum homini ſimiliorem faciat quam par ſit. Calviniſtas Deum homini ſimiliorem facere quam par ſit, ei *affectus* amoris naturalis, ſinceræ bonitatis &c. eximendo, & odium erga creatutas ſuas tribuendo. Anthropomorphitas non eſſe qui humanos *affectus* Deo tribuunt. Male omnes *affectus* Deo adimi. Arminium *affectus* Deo proprie non tribuere. 169, 170, 171, 172. b. De *affectibus* & hominis libertate ſeu dominio in eos. 201. b
Diſcrimen inter præcepta *affirmativa* & negativa. 128. a
*Affligere* animas ſuas præceptum fuit Judæis die decima ſeptimi menſis, & quid per *afflictionem* illam intelligant. 94. a. Maimonides negat ullas *afflictiones* piis unquam tempore pietatis eorum inflictas fuiſſe. 61. a. An nemo abſque *afflictionibus* ingredi poſſit in regnum cælorum. 86, 87. b. vide *Mala.*
*Agiles* ſunt Angeli quia ſpiritnales. 347. a
De *Agno* cum lupo ſtabulaturo temporibus Meſſiæ. 206, 207. a
Domus ſexta præceptorum negativorum, quæ eſt *Agrorum* ſeu Meſſium, & præcepta XVIII. continet. 152. a
Quo ſenſu Dei *agricultura* dicamur. 317. b
Quis *Agur* fuerit qui XXX. cap. Proverbiorum ſcripſit. 222. a
Rabbi *Akiba*, quanti eum faciant Judæi. locum Hagg. II, 7, 8, 9, 10. de Meſſia ac diebus ejus interpretatus eſt. 168. a
*Alea*, vide *ludum*, & *luſum.*
*Alienigena*, vide *peregrinum.*
Quid verbum ἀλλοθρεύειν apud *Marc. cap.* IX. *verſ.* 49. ſignificet. 3. b
*Alius* Deus coli prohibetur primo Decalogi præcepto. *Alius* Deus tribus vocibus in Scriptura

ptura effertur, & tribus modis potest quis *alium* habere Deum. 129. *a*

De delenda *Amalecitarum* memoria, Cur segnities Sauli hac in parte Deo exosa. 106. *a*

Ex verbis & orationibus *ambiguis*, quæ in scriptura occurrunt, non probari ejus obscuritatem in rebus necessariis. 269. *a*

*Ambitio* damnata à Judæis & Gentibus, reprehenditur à Domino Jesu *Matth.* XX. 25. 72. *b*

Quid sit juxta stylum scripturæ *ambulare* coram Deo. 32. *a*. De *ambulatione* in viis Domini. 61. *a*

Exempla conjugiorum inter *Amitam* & nepotem ante legem, quæ prohibita fuere sub lege, & an ex lege probari possit prohibita esse conjugia inter patruum vel avunculum & neptim 37. *a*

Ἀμυσιμαντεία divinationis species. 139. *a*

Ab *Amore* omni liber esse debet animus ut docilis sit. 1, 2. *a*. De *Amore* Abrahami erga Deum & proximum & quibus actibus utrumque testatus est. 32, 33. *a*. *Amor* Dei quid. Is est duplex, *Amor* benevolentiæ sub quo misericordia & gratia comprehenduntur. Et *Amor amicitiæ* cujus objectum est duplex, quod & quo; quod est homo, & quo est justitia. 310, 311. *a*. De *Amore* Dei erga Jacobum & ejus posteros. 402. *b*. Calvinistas Deo eximere *Amorem* naturalem erga creaturas suas & in hoc affectu uti & aliis pluribus Deum homini dissimiliorem facere quàm par sit. 169. 170. *b*. De *Amore* Dei & Christi. 248. *a* *Amor* maximus, alium salutis æternæ participem facere velle. 101. *b*. *Amor* Judæorum erga se ipsos & suos Rabbinos eos excæcat. 434. *a*. *Amor* Dei, proximi, inimicorum, vide *Dilectionem*. *Amor* sui, vide *Philautiam*.

De libro *Amosi*. 219. *a*

De *Anathematis* quæ Cherem à Judæis dicuntur, quomodo fiebant, pars eorum cedebat Deo, & pars quædam sacerdotibus. 89. *a*. De rebus *Anathemate* devotis in privatos usus non convertendis. 137. *a*. Quid intelligat Paulus *Rom.* IX. 3. per *Anathema* esse à Christo. 399. *b*

Deus se revelavit per *Angelum* in somnio, aut visione, & per præsentaneum alloquium. 24, 25. *a* Quæ leguntur de tentationibus divinis ad *angelum* Dei legatum referenda sunt. 42. *a*. Deum se Mosi per *angelum* revelasse ostenditur. 50. *a*. *Angelos* diu ante hunc mundum visibilem fuisse & peccavisse. *Angeli* à Deo conditi fuerunt. *Angeli* sunt vera ὑφιστάμενα. Quid de apparitionibus *angelorum* bonorum, malorumve hodiernis censendum sit. *Angeli* sunt substantiæ spirituales, ac proinde agiles, subtiles, potentes. *Angeli* sunt finiti magnitudine. Numerus eorum est maximus. Inter *angelos* sunt ordo, & gradus. Ministeria *angelorum* quæ. An suus cuique homini sit affignatus *angelus*. Distinctio *angelorum* in bonos & malos, utrorumque descriptio. An *angeli* boni ex gratia Dei excidere amplius nequeant. De tribus *angelorum* gradibus secundum Cabalistas. 346, 347, 348, 349. *a*. In 2 Synodo Nicæna actione 5. statuunt illi Patres *angelos* esse corporeos. 134, & 144. *b*. Exemplo *angelorum* malorum & bonorum non probatur obedientiam & inobedientiam posse cum necessitate consistere. Cur beati vocantur *angeli* qui non defecerunt. non posse propriè dici obedire, sed facere quæ recta sunt. Et quomodo *angelorum* obedientia nobis datur pro exemplo in oratione dominica. 296. *b*. De *angelis* quos Deo sustentante stare, non sustentante cadere, Dicit Camero, & quidem culpa sua, ex loco *Iob.* IV. 18. 343. *b*. Cur propter *angelos* velatas vult esse Apostolus mulieres in Ecclesia, 1 *Cor.* XI. 10. 47. *b*

*Anima* pro corpore seu cadavere aliquando sumitur apud sacros & ptofanos scriptores. 192. *a*. In *anima* non esse duas potentias intellectum nimirum & voluntatem realiter ab ea & à se invicem distinctas. Et ex hac distinctione ortas esse omnes circa doctrinam de libero arbitrio difficultates. 199, 200, & 215, & 279, & 313. *b* Deus corpori hominis inspiravit *animam* viventem; quæ extra corpus subsistere potest. Estque ad salutem creditu necessarium. *Anima* est substantia spiritualis, sed spatio certo finita. Non est una & communis omnibus *anima*. *Anima* dupliciter consideratur. 1. quâ corpus informat, & 2. quâ aliunde potest moveri. Quâ moveri potest *anima* vocatur modo intellectus, modo voluntas, quæ non sunt potentiæ realiter ab *anima*, & à se invicem distinctæ. De intellectu & voluntate earumque libertate, item de aliis qualitatibus *animæ* ipsius inditis aut infusis. 354, usque ad 359. *a*. De homine *animali* ex loco 1 *Cor.* II. 14. 249. *b*. *Animum* ex actionibus non semper argui posse. 166. *b*. Cur *animi* bona nos non ita afficiant quàm corporis. 203. *b*. Creatio *animalium* terrestrium & hominis sexta die contigit. Hominem non tam ratione quam religione ab *animantibus* cæteris differre. 351, 352. *a*. Quæ *animalia* sub lege fuerunt oblata, & cur Deus istius generis *animalia* potius quam alterius offerri sibi voluerit. 70, 71, 72. *a*. *Animalia* quæ Deo offerebantur non poterant mactati ante octavum diem à nativitate, quod tam de avibus quàm de quadrupedibus intelligendum est. 75. *a*. *Animalia* quæ in sacrificium Deo offerebantur perfecta esse debebant, & qua in re perfectio illa constiterit. 75. *a*. Ex *animalibus* mundis Deus decimum sibi accipiebat ut proprium, uti & primogenitum masculum. 78. *a*. *Animalia* sancta Deo dicata, in quibus macula erat, redimebantur. 79. *a*. De *animalium* mactatione in esum; eorum sanguis pulvere operiebatur; diligenter observanda erant signa mundiciei, in quadrupedibus, avibus, locustis & piscibus antequam in cibum sumerentur. 89, 90. *a*. An actiones brutorum *animantium* subjaceant Providentiæ divinæ. 337. *b*. Providentiam Dei versari circa *animantia* omnia creata; non tantum circa species, sed & individua, cum responsione ad locum 1 *Cor.* IX. 9. & *Habac.* I. 14. 361, 362, 363. *a*. Damnum & pauperiem ab *animali* bruto illatum sarcire debebat ejus dominus. 125. *a*

Ratio æquandi *annos* Lunares cum solaribus, cum tabula æquationis. 91. *a*. De *anno* Sabbatico & Jubilæo Judæorum. 86, 87, 88. *a*. Et de *anno* Sacro & civili, Ibid.

De voluntate *antecedente* & consequente. 309. *a*

Malè Capellum *Anthropomorphitarum* hæresin Arminio docendi gratia affinxisse. Male omnes affectus Deo adimi, Arminium affectus Deo propriè non tribuere, Neque tamen si id feciffet *Anthropomorphita* esset appellandus, 170, 171, 172. *b*

*Antiquitas* postponenda Veritati. 127. *b*. *Antiquitas*, vide *Patres*.

De *apertione* cordis & datione cordis ad intelligendum. 281. *b*

*Apocryphi* libri quinam sint. Argumenta contra libros *Apocryphos*. 226, 227. *a*. Controversia de libris *Apocryphis* quanti sit momenti. 2, 107. *b*. Et de authoritate 2 Machabæorum. 112. *b*

*Apostolorum* testimonium de resurrectione Christi, magni est ponderis & cur. 15, 16. *a*. *Apostoli* non ita fuerunt perfecti, quin iis humanitus aliquid aliquando acciderit. 28. *b*. De promissione & prærogativa *Apostolorum* quod sessuri sint in judicio super XII thronos, ex *Matth.* XIX. 28, Et quid sibi velit cum dicit *Apostolo* Petro concreditum esse Euangelium circumcisionis, sibi vero præputii ad *Gal.* II. 7. 68. 69. *b*. Nota veræ Ecclesiæ hæc non est quod sit *Apostolica*. Et Ecclesiam Romanam hanc notam sibi arrogare non posse cum tantopere superbia sua degeneratit à simplicitate *Apostolica*. 124, & 126. *b*

*Appetitus* ad veram obedientiam & inobedientiam requiritur. 353. *a*

De Ἀφθαρσία essentiæ divinæ. 289. *a*

Ex *aqua* & terra omnia facta sunt. *Aquarum* congregatio facta fuit tertia die. 349, 350. *a*. De *aquis* separationis Vaccæ rufæ. 83, 84. *a*. De *aquis* amaris, quibus uxorum suspectarum pudicitia inquirebatur. 120. *a*. De proba per *aquam* in Magiæ suspectis. 145, 146. *a*. Per *aqua* vocem an *aqua* baptismus intelligatur *Joan.* III. 5. 159, 160. *b*. De loco *Joan.* III. 5. Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & spiritu, an faciat ad probandum necessitatem *aquæ baptismi* & *pædobaptismi*. 159, 160. *b*

*Arbitrium liberum*, vide *Libertatem*.

De *arbore* non plantanda in sanctuario. 136. *a*

*Arca* fœderis in humeros Levitarum sublata ferebatur, & cur Ussah repentina morte adfectus à Deo dicatur. 68, 69. *a*

De voluntate *arcana* & revelata. 308. *a*

De versione Bibliorum B. *Ariæ* Montani. 276, 279 *a*

De *Arminio* & ejus factis. 1. Illum Reformatores non traduxisse. 2. Confessiones Gallicam & Belgicam non impugnasse. 3. Non docuisse ea quæ cum vitio φιλαυτίας maximè conspirant, Deum homini similiorem faciendo quàm par sit; aut Deo non satis, homini vero plus quàm par sit tribuendo, Et malè Capellum Anthropomorphitarum, & Pelagianorum hæreses *Arminio* docendi gratia affinxisse, quandoquidem nec *Arminius* nec *Arminiani* affectus Deo propriè unquam tribuerunt; Et Capellus fateatur, paratum semper fuisse *Arminium* sanctiones Synod. contra Pelagium probare & manu sua signare. 4. Non sustulisse peccatum originis. 5. Nihil merito hominis tribuisse in Prædestinatione. 6. Quantam libertatem idem homini tribuerit. 7. Nihil derogasse potentiæ qua Deus utitur in conversione hominum, nec docuisse Deum fine suo frustrari. 8. *Arminianam* non debere dici sententiam de Prædestinatione conditionata. 9. *Arminium* Confessionē Belgicam falsi non accusasse. 10. Male à Capello candorem in *Arminio* desiderari, nec non de ejus collatione cum Junio, & privatis Thesibus. 11. *Arminium* non detrectasse cognitionem Synodi, sed aperte semper egisse, Nec non de ejus Oratione, à pag. 166. usque ad 180. *b*

Ex *ascensione* in cælum, evinci Jesum nostrum esse promissum Messiam. 192, 193. *a*

Quæ genera delictorum vocibus *Aschama* & Chattath denotentur in sacris. 72. *a*

*Asini* primogenitus ove redimebatur vel cervicesei amputabantur. 78. *a*

De *Assensu* mentis quem præcessit dissensio. 237, 238. *a*

*Astra*, Sol, Luna quarta die facta fuerunt. 350. *a*. In signa temporum posita sunt, Ibid.

An *astra* propter hominem sint facta. 8, 9. *a*

Vanitas & incertitudo prædictionum quæ ex *Astris* de tempestatibus fiunt. *Astrologia* est vel naturalis quæ *Astronomia* dicitur, vel artificialis & judiciaria, quæ *Astrologia* vulgo nuncupatur. *Astrologia* judiciaria est duplex. 1. Genethliaca. 2. Quæ judicat de futuris eventibus à libero arbitrio aliquomodo dependentibus. Unde fiat ut aliquando eventus respondeat *Astrologorum* prædictionibus, ut exemplis pluribus probatur. 147, 148. *a*

De sex *Asylis* Judæorum; *Asyla* Christianorum repugnare intentioni divinæ. 101, 102. *a*

An ulli populi & nationes Ἄθεοι inveniantur. Qui *Athei* inter Philosophos gentiles dicti fuerunt. Argumenta duo ad hominem contra *Atheos*. Objectiones duæ generales *Atheorum* refutantur, Nec non objectiones speciales Sexti Empirici, Euripidis, Plinii, & Epicuri. 10, 11, 12, 13. *a*

Tumultuarius *atomorum* Epicuri concursus refutatur ex ordine & subordinatione rerum mundanarum. 9. *a*

*Attributa* Dei & Christi sunt fidei objectum. 247. *a*

De Dei *attributis* eorumque credendi necessitate. 279. usque ad 345. *a*

*Auguria* prohibita in lege, tres *augurii* species. *Augurium* propriè dictum quid, Nec non de Auspiciis. Extispiciis & ominibus. 146. *a*

*Augustini* sententia de formali ratione peccati in Spiritum sanctum rejicitur. 13. *b*. Quæ sententia *Augustini* fuerit de Prædestinatione incertum est. 230. *b*. Dubium esse quo sensu *Augustinus* dicat *Cap.* XIV. de Prædest. Deum præscire quicquid futurum est. 383, 384. *b*

*Aves* quinta die factæ sunt. 350. *a*

Mundiciei signa accurate erant observanda Judæis in *avibus*, antequam eas in cibum sumerent. 90. *a*

De *Auspiciis*. 146. *a*

*Austeritate* vitæ Eliæ non cessit Joannes Baptista. 424. *a*

An filius Dei rectè dicatur αὐθυπόστατος. 334. *a*

*Autoritate* humana niturntur Calvinistæ. 167, 168. *b*

*Autoritas*, vide *Potestatem*.

An conjugium inter *Avunculum* & neptim lege Mosaica prohibitum sit. 37. *a*

De *auxilio* vel inimico præstando. 110. *a*

De *auxiliis* divinis, & ex iis non probari Deum irresistibiliter agere in hominibus. 362. *b*


B.


DE *Baptismo* Infantium, & an traditione non scripta ad illud probandum opus sit. 260. *a*. De formula *Baptismi*, & an sit remedium adversus peccatum originale. 261. *a*

Quid sit *Baptizari* pro mortuis 1 *Cor.* XV. 29. 2, 33, 34. *b*

Quomodo Paulus dicat se non esse missum ad *baptizandum* 1 *Cor.* I. 17. cum generale mandatum

datum Apostolis omnibus datum sit de *baptizando*. Præceptum de *baptizando* est ceremoniale, nec est tantæ necessitatis quam moralia. Extrema in eo sunt cavenda. 34,35,36. *b*
Aquæ *Baptismum* respuerunt Manichæi, Seleuciani & Herminiani, non vero Novatiani. 36. *b*
Quinam unica immersione *baptismum* olim peragi debere senserunt non in Trinitatem, sed in mortem Christi. 37. *b*. *Baptismus* est vel tessera professionis publicæ quod Christiani religione sumus, vel sigillum remissionis peccatorum antea perpetratorum. 37. *b*. De quo *baptismo* loquatur Christus *Matth.* XXVIII. 19. Spiritus nimirum, sanguinis, doctrinæ an verò aquæ. *Baptismus* pro doctrina nunquam simpliciter sumitur in sacris. Praxis Apostolorum & Ecclesiæ Christianæ perpetua circa aquæ *baptismum*. An verbis βαπτίζοντες ἀυτὺς mandatum contineatur. Quid sit in nomen Jesu Christi *baptizari*. An Apostoli & discipuli Christi *baptizati* fuerint. Quatenus omnes ad *baptismum* suspiciendum obligentur. Verbis *baptizantes* in nomen Patris, Filii & Spiritus S. *Baptismi* formam non contineri. 35,36,37,38. *b*. Probari non posse ex loco *Matth.* XXVIII. 19. Christum certam verborum formulam in *baptismo* præscripsisse. 161,162. *b*. De repetendo hæreticorũ *baptismo*. 162,163. *b*
De versione bibliorum *Belgica* veteri & nova, nec non de notis ejus marginalibus. 277,278,279. *a*
De ordine *Belli* tum suscipiendi tum gerendi apud Israelitas: Unus ex sacerdotali familia prælii causa ungebatur, quilibet in exercitu paxillum sub armis gestare tenebatur, & locus certus designatus erat ad requisita naturæ. 106,107. *a*. De matrimonio cum muliere formosa in *bello* capta. 118. *a*. Quid sibi velit Christus cum dicit non veni missurus pacem sed *bellum*. 208. *a*. Ex *bello* Christianorum non posse evinci religionẽ Christi non esse veram, cum pax universalis prædicatur sub regno Messiæ. 210, 211, 212. *a*. *Bella* Christianorum non necessaria Judæis sunt offendiculo. 438. *a*
De *Benedictione* divina supra res creatas quarti & sequentium dierum. 351. *a*. De *benedictione* Dei cum cibus sumitur. 65. *a*. Sacerdotes *benedicere* tenebãtur populo ex formula *Num.* VI. 13. 67. *a*
Maximum est *Beneficium* alium salutis æternæ participem facere velle. 101. *b*. *Beneficia* magnam vim habere ad mores emolliendos. 206. *b*
De voluntate signi & *Beneplacito*. 308. *a*
De Amore *Benevolentiæ* Dei. 310. *a*
De *Benjaminis* Tudelensis Itinerario fabuloso. 167. *a*
Nativitas Jesu in *Bethlehem* singulari Dei providentia fuit procurata. 174, 175. *a*
De versione latina Novi Testamenti Theodori *Bezæ*. 279. *a*
Quid sibi volunt Apostoli cum dicunt *Actor.* X. 41. se una cum Christo *Bibisse* & edisse. 43. *b*
Quid *Bibitione* ex fructu vitis in Regno Patris *Matth.* XXVI. 29. Christus intelligat. 43,44. *b*
De variis *Bibliorum* versionibus, & quæ sint *Biblia* Tigurina. 275, 276, 277, 278. *a*
Cur vocet Matthæus Euangelium suum βίβλον γενέσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ. 1. *b*
*Bilances* sive trutinæ juxta legem Mosis exactissimæ esse debebant. 112. *a*
*Bona* fortunæ quæ vocantur neminem malum felicem reddere posse. 368. *a*
De summo hominis *bono*, esse aliquod *bonum* primum ac summum, illudque *bonum* esse *bonum* jucundum, quod necessario ab omnibus appetitur, nec contrarium testari qui sibi ipsis mortem conscisciunt. 1. Quia ultimus appetitionis terminus est fruitio. 2. Quia Legislatores õnes & Deus ipse utramque legem suam *boni* delectabilis promissione, & contrarii mali comminatione sancivit. 3. Quod pii plurimi & Christus ipse *boni* hujus intuitu mo'us fuerit ad obediendum Patri suo. Unde consequitur 1. Nulla *bona* particularia rationis inferioris ita appeti ab homine ut ea non possit respuere. 2. *Bonum* honestum seu rectum quod superioris rationis objectum est, non appeti ab homine nisi tanquam medium ad delectabilis *boni* fruitionem, non vero æquali amoris gradu cum delectabili. 3. *Bonum* honestum non raro repugnare delectabili, & cum ipsius destructione aliquando conjunctum esse. 4. Recti & honesti species usquequaque certas non esse, at *bonum* delectabile unum prorsus idemque esse omnibus ubique hominibus. 5. Eos qui in actione virtutis summum *bonum* collocarunt, credidisse actioni illi inesse delectationem, aut post actionem & ex actione delectationem talem in animo existere. At delectationem istam ut ut magna sit tale *bonum* non esse quod aspernari non possit, & cum quo homo miserimus esse non possit. 201, 202. *b*. Quem ordinem in electione *bonorum* sequi debeat homo juxta rectæ rationis ductum. 1. Primum *bonum* quod appetit, est *bonum* quod ipsi toti dat *bene* esse, sive esse delectabile. 2. Proximum est *bonum*, quod proximè ad primum accedere creditur, quale *bonum* est quod carni suavitatem imprimit, & spiritui tranquillitatem non adimit. 3. Quæ post hæc sequuntur *bona* sunt carnis vel animi, partis unius, non autem totius, Et quia delectatio quæ in carne sentitur acriorem & profundiorem sui stimulum ac speciem in anima imprimit, quàm quæ in spiritu solo vagatur, ei tertius locus assignatur. Ex quo consequitur 1. Honestum amari simulatque cognoscitur, sed non aliter ac diutius, quàm quando & quandiu delectabilis *boni* fruitionẽ non impedit. 2. Quod si contingat ut honestum amari non possit, nisi cum principis *boni* damno, tum fieri posse ut honestum non modo negligatur, sed etiam nulla justa ratio dari possit cur ametur. Et conscientiæ tranquillitatem quę ex virtute gignitur non posse sufficere ad impellendum hominẽ ad virtutem. 3. Ut honesti amor ingeneretur, necessum esse ut, per alterius & majoris *boni* delectabilis, tanquam præmii secuturi, spem fiat. 203, 204. *b*. Quomodo & quousque libertas hominis se extendat in electione objectorum *bonorum*, & quæ causa cur homo vitam præsentem non raro ætternæ præponat. 207,208. *b*. Qualis detur in hac vita summi *boni* cognitio. 236,237. *b*. An fieri possit ut voluntas respuat *bonum* & appetat malum cognitum. 272. *b*. Inter summum *bonum* & summum malum non datur electio, & quarum rerum sit electio. 276. *b*. *Bonum* utile vel jucundum voluntas præferre potest honesto. 277. *b*. Voluntatem non appetere liberè summum *bonum*; summum enim *bonum* sub electionem liberam non cadit, nec Deus id dat nobis clare cognoscendum in hac vita. 309, & 312. *b*. Voluntas non semper appetit majus *bonum*; Nec movetur judicio intellectus ad summũ *bonum* amandum; An fieri possit ut summum *bonum* clarè apprehensum respuatur. 321. *b*. *Bonum* est objectum divinæ voluntatis non malum culpæ. 304. *a*, Summum *bonum* vult Deus necessario. 305. *a*. Modus providentiæ divinæ circa *bonum* & *bonos* tripliciter consideratur. 1. Circa *boni* initium. 2. Circa progressum *boni*, & 3. Circa *bonum* jam factum. 399. *a*. De actu judicii secundum Cameronem quo *boni* vel mali dicimur. 250. *b*. De *Bonitate* Dei. Varii *Bonitatis* divinæ effluxus, præcipuè erga hominem. 310. *a*. An Deus necessariò simul & liberè sit *bonus*. 286. *b*. *Bonum*, vide *Pium*. *Bonum* & malum, vide *Honestum* & turpe.

## C.

QUid sit *Cabala* & *Cabalisticus* sensus Scripturæ juxta Judæorum magistros. 35. *a*
Quid sit *Cadere* aut labi Paulo. 419. *b*
*Cæremonialis* impuritas quid sub lege. 71. *a*
*Cainus* rectam rationem pro norma suæ religionis habuit. 18. *a*
Discrimen inter *Calamitatem* & pœnam. 371. *a* vide *Mala*.
De *Calceis* & virga Apostolis ad iter prohibitis & concessis, ex locis *Matth.* X. 9, 10. & *Marc.* VI. 8, 9. 24. *b*
De *calculo* albo ex *Apoc.* II. 17. 253. *a*
Ex eo quod Christus dixit transeat à me *Calix* iste, apparet eum potuisse peccare. 293. *b*
Quanti sit faciendus *Calvinus*. 229. *b*
Querela de supercilio & acerbitate *Cameronis*. Quo sensu Episcopius sententiam de determinatione voluntatis per intellectum *Cameronis* sententiam vocaverit. 219, & seqq. *b*. Fusè adversus *Cameronem* disputat Episcopius usque ad 373 *b*. *Cameronis* sententia de Prædestinatione, vide *Prædestinationem*.
Quomodo promissio de terræ *Canaan* possessione Abrahamo propria dici possit; quomodo promissio hæc, uti & aliæ multæ, quæ in terminis non continent nisi externa bona, à Christo & Apostolis ad spiritualia & Cælestia bona referri potuerint. 34,35. *a*. De internecione populorum & incolarum terræ *Canaan*. 104,105. *a*. *Canaan*, vide reductionem Israelis in *Terram* suam per Messiam.
*Candelas* in templo ordinare & accendere tenebantur sacerdotes. 67. *a*
De perfecto scripturæ *Canone*. 234,235 *a*. Quomodo supposito aliquos libros esse *Canonicos* tuta posset esse nostra fides quod ad controversos attinet. Si non supponatur libros aliquos esse divinos, sed petatur id probari ex Scriptura, postulatum ejusmodi planè absurdum est. Quæ probationes quærendæ sunt ad fidem historiæ sacræ faciendum. Quomodo probetur librum aliquem à viro divino esse conscriptum. 106,107. *b*. In probando Euangelium Joannis potius dictatum esse à Spiritu S. quàm Nicodemi, Remonstrantes circulum non committere, sed Pontificios. 121. *b*. Unde scire possimus quinam sint libri *Canonici*, & quid traditio hic valeat. 156, 157. *b*
De *Cantico Canticorum*. 223. *a*
An *Cantilenæ* idololatricas *canere* liceat. 49. *b*
*Capra* pro idololatria ex errore commissa mactabatur. 72. *a*
*Captivitas* Babylonica fuit retaliatio pro annis sabbaticis quos non observarant Israelitæ. 87. *a*
An *Carnifices* ad sacram Cænam admittendi sint, nullos olim fuisse inter Judæos. 48. *b*
*Carnes* sacrificiorum comedebant sacerdotes. *Caro* sancta quæ aliquid immundum tetigerat comburebatur, uti & *carnes* quæ remanebant ultra præscriptum tertium diem. 79,80. *a*. Ad omnes ex Abrahamo secundum *carnem* oriundos non pertinet Dei promissio. 400. *b*. Sententia Anabaptistarum Flandrorum de *carne* Christi examinatur. Probatur Jesum Christum fuisse verum hominem ex homine natum. Responsio ad loca Scripturæ quibus Anabaptistæ sententiam suam de *carne* Christi tuentur. Quid significet phrasis secundum *carnem*. In *carne* peccatum nullum esse potest. Non esse creditu necessarium Christum hoc aut illo modo *carnem* factum esse. 416, usque ad 423. *a*. De generatione ex *carne* & spiritu de qua loquitur Christus *Joan.* III. 6. 291. *b*
Dupliciter aliqui dici possunt esse in *carne*. 249. *b*
Cur *carnis* bona magis nos afficiant quam rectum, & honestum. 203. *b*
De versione Bibliorum Sebastiani *Castellionis*, quæ ab audacia profana, & insolenti temeritate quam ei exprobrant Albericus Gentilis, Thuanus, & Rivetus defenditur. 277. *a*
*Castigationes* piorum, vide *Providentiam* circa mala quæ piis evenire vult Deus. *Castigato*, vide *Punitionem*.
Domus decima præceptorum negativorum, quę est *Castitatis* & puritatis, & XXIV. præcepta continet. 154. *a*. De *Castitate* in genere & specie. 251,352. *a*
De *Castris* Judæorum, & triplici eorum statione sive area, nec non submotione immudorum ab eis. 68. *a*
*Casus* quid & *casu* mundum factum non fuisse. 9. *a*
De paraphrasibus *Chaldaicis*. 274. *a*
*Charitatis* obtentu Veritati divinæ fraus fieri non debet. 166. *b*. An *Charitas* necessario sequatur ex cognitione Dei & Christi. 215,216. *b*. Pelagii dogma hoc fuisse juxta Canonem 4. Synodi Africanæ, ad Scientiam nos habere gratiam Christi, ad *Charitatem* non habere. 211. *b*. Charitas Christi, vide *dilectionem*.
*Catechismus*, vide *Confessionem*.
Nota veræ Ecclesiæ hæc non est quod sit *Catholica*, vel tempore vel loco. 125. *b*
Quæ genera delictorum vocibus *Chattath* & Ascham denotentur in sacris. 72. *a*
Χαρμαντεῖα species divinationis. 139. *a*
Judicia de *Cherem* sive anathematis ita fiebant ut quædam Deo, quædam sacerdotibus cederent. Quid *Cherem* & quotuplex. 89, & 137. *a*
An *Chorea* sint illicitæ, & de variis *Chorearum* generibus. 44, 45. *b*
Χρησμολογεῖα, genus divinationis, quod plures species sub se continet. 139. *a*
*Christus* sæpius accipitur pro Euangelio Christi uti *Rom.* X. 4. finis legis *Christus*, & passim ad Galatas *cap.* III. 412. *b*. Quomodo primi titulus *Christo* tribuantur in sacris. 286. *a*. *Christum* nostrum esse promissum Messiam prolixè

lixè probatur, tractatu de Messia à pag. 155. usque ad pag. 217. a. Judæi nullam causam habuerunt cur *Christum* existimarent esse falsum Prophetam. 29. a Judæi præcepto divino non paruerunt *Deut.* XVIII. 15. quando *Christo* nostro auscultare detrectarunt qui omnia veri prophetæ signa habebat. 96, 97. a. Immediatus revelationis modus *Christo*, & fortasse Paulo propius fuit. 24. a. De patefactione divina tempore *Christi* facta, quam certa sit resurrectio ejus ex mortuis, & quanti ponderis testimonium Apostolorum hac in re. 14, 15, 16. a. *Christus* est causa instrumentalis redemptionis. Est servator, A Deo constitutus. In *Christo* duo considerandaPersona & officium. Personæ *Christi* dignitas. Sententia Anabaptistarum Flandrorum de persona *Christi* ejusque examen. Probatur *Christum* fuisse verum hominem ex homine natum. Responsio ad loca Scripturæ & rationes quibus Anabaptistæ sententiam suam de persona *Christi* tuentur. Quid de Jesu *Christo* homine ad salutem creditu sit necessarium. Et an necessarium sit credere ipsum carnem suam ex Maria habuisse. De requisitis in opere redemtionis, Et de prophetia *Christi* in genere. 415, usque ad 430. a. *Christum* libere obedivisse patri suo. 214. b. An *Christus* non potuerit non obedire patri suo. 288, 289, & seqq. b. Ex tentatione *Christi* à Diabolo facta apparuit eum potuisse non obedire. Ex eo quod consolatione Angelicâ indiguit, & ex eo quod dixit, transeat à me calix iste. Dignitati *Christi* nihil decedit ex eo quod potuerit peccare. De merito in non peccando cum potes peccare. 291, 293, 294. b. *Christus*, vide *Filium*. *Christi* miracula, vide *Miracula*.

De libris *Chronicorum*. 220, 221. a

*Cibi* immunditiei capaces sunt. 82. a

Domus sexta præceptorum affirmativorum, quæ est de *cibis* & eduliis, & VII. præcepta continet. 89, 90. a. Domus quinta præceptorum negativorum, quæ est *ciborum*, & præcepta XXXVIII continet. 151. a. An per Euangelium sublata sit omnis *ciborum* differentia. nec non sententia priscorum Christianorum & Græcorum hodiernorum hac de re. 51, 52, 53. b. *Cibus* vide *Victum*.

De *cineribus* vaccæ rufæ. 83, 84. a

De *Cinerum* quotidiana remotione ab altari. 68. a

De *Circumcisionis* præcepto Abrahamo dato & ejus in obsequendo alacritate. Gravitas præcepti qualis. Intermissa fuit *circumcisio* in deserto. Quid intelligatur per eradicationem animæ *incircumcisi* è populo. *Circumcisio* instituta fuit à Deo ut populum suum hac nota ab aliis discriminaret. Quas rationes Philo & Maimonides afferunt cur *circumcisio* à multis gentibus fuerit recepta. Deus *circumcisionis* signo promissionem Abrahamo factam de semine, ipsi in memoriam revocare voluit. Quo sensu fœdus illud cui adjuncta erat *circumcisio* æternum vocetur. Perperam facere Christianos qui *circumcisionem* retinent. An *circumcisio* servierit ad confirmandum fidem Abrahami. An *circumcisio* fuerit instituta ad indicandum naturæ nostræ corruptionem. *Circumcisio* serviit obsignando fœderi divino, ex parte Abrahami, seu testandæ obedientiæ suæ. Quinam ad *circumcisionem* observandam non tenerentur. *Circumcisio* fuit tessera quædam totius religionis Judaicæ. Fieri debuit octavo à nativitate die. Verisimile est licuisse ultra octavum diem eam differre. 43, usque ad 49. a. De *circumcisione* masculorum, & ad quos hoc præceptum pertinuerit inter Israelitas. 115. a. An *circumcisio* fuerit olim remedium adversus peccatum originale, & an traditione opus sit ut sciamus quid remedii dederit Deus pro fœminis quæ non *circumcidebantur*, & iis quiante octavum *circumcisionis* diem moriebantur. 261. a

Domus duodecima præceptorum affirmativorum quæ est Judiciorum *Civilium*, & XVII. præcepta continet. 123, usque ad 128. Licere Christiano Judicia *civilia* exercere, expendunturque loci *Matth.* V. 40. & 1 *Cor.* VI. 1. & seqq. quæ in contrarium adferri solent. 73, & seqq. b

De versione Isidori *Clari*. 277. a

*Clementia* divina, vide *Mansuetudinem*.

Liberum arbitrium à quibusdam constitui in sola libertate à *coactione*, sed male, & cur? 198, b, & 215, b, & 357, a

*Cæcum* reddere, vide *Excæcare*.

*Cælum* tertiũ in quo Deus habitat non esse Deo coæternũ; id tamen credere neminẽ damnat. 295. a

*Cælum* & terra ex nihilo facta sunt. & quod sit illud *cælum* & terra. 345, 346. a. An corpora *cælestia* propter hominem sint facta. 8, 9. a. Quomodo Christus de *cælo cælestis* dicatur, item in *cælo* esse de se ipso dicat. Et hæc loca non probare Christum carnem suum è *cælo* attulisse. 418. a. An pii in *cælu* mutuo se agnituri sint, cognitionemque illam minimam beatitudinis partem futuram. 69, 60. b

Sex de *cælibatu* & conjugio regulæ. 114. a

Ad *Cœnæ* celebrationem non requiri necessariò ut quis eam administret. Eam olim non fuisse celebratam nisi in cœtu fidelium; Attamen posse aliquando privatim id fieri in una familia, Etiam ab iis qui nullo munere in Ecclesia funguntur, & à fœminis. *Cœnæ* Dominicæ celebrationem esse præcepti divini, Et quid faciendum ubi Ecclesia in partes divisa est, communicandumne cum una solum parte, vel penitus ab externa communione abstinendum. 39, 40. b. Metus infirmitatis quo quidam adducti à participatione *cœnæ* Dominicæ abstinent est triplex, vel enim respicit tempus præteritum, vel præsens vel futurum. Remedium adversus triplicem illum metum, & quid ad digne celebrandum *cœnam* respectu trium illorum temporum requiratur. 41, 42. b. De facilitate celebrationis *cœnæ* Dominicæ. 42. b. De loco *Joan.* VI. 53, &c. Nisi manducaveris carnem, &c. an faciat ad probandum realem manducationem corporis Christi in *cœna*. Veteresque ex eo elicuisse *cœnam* necessario administrandam esse infantibus. 160, 161. b

*Cœtus* suos segreges deserere non debent Christiani etiamsi eos Magistratus prohibeat, ex loco ad *Hebr.* X. 24, 25. Et quæ causæ validæ cur *cœtus* tales segreges habeantur. Conscientiis vim inferre qui *cœtus* tales prohibent. 56, 57. b

Quid sit non *cognoscere* Deum. 138. b

*Cognitio* Dei consistit in tribus, nempe *cognitione* naturæ, operum & voluntatis, eaque est vel generalis vel particularis. 280. a

An *Cognitio* Dei sejungi possit à charitate, & de iis qui dicuntur in sacris Deũ *cognoscere*, vel *non cognoscere*. 215, 216. b. Ex loco *Lucæ* XII. 47. de servo qui *cognovit* voluntatem Domini & non fecit, evinci falsam esse sententiã Cameronis de determinatione voluntatis. Præstat nulla *cognitione* à Deo donari quã ineffaci. 302, 303, 304, 305. b

Quid intelligat Joannes per Deum *cognoscere*. De *cognitione* præscribente & persuadente secundũ Cameronem. Quam *cognitionem* Dei habeant scelerati. De *cognitione* Dei & Christi salutari ex loco *Joan.* XVII, 3. Cur mendacem vocet Apostolus qui dicit se Deum *cognoscere* & mandata ejus non servat 1 *Joann.* II. 4. Si *cognitio* Dei & Christi necessario post se trahit observationem mandatorum illius, id de perfecta omnium mandatorum observatione intelligendum est, Eadem Dei & Christi *cognitio* potest esse in iis qui officiũ faciunt & non faciunt, nec huic sententiæ repugnare loca 2 *Cor.* III. 18. 2 *Cor.* IV. 3. & 1 *Petr.* II. 3. Si per *cognitionem* Joannes intelligeret persuasivam *cognitionem*, non opus habuisset uti exhortationibus. 322, usque ad 332. b. Qualis detur in hac vita summi boni *cognitio*. 236, 237. b

Summum bonum sub electionem liberam non cadit, nec Deus id dat nobis clare *cognoscendum* in hac vita. Et de *cognitione* doni Dei, item Dei & Christi ex locis *Joan.* IV. 10. & XVII. 3. 312. b. An pii in statu gloriæ se mutuo *cognituri* sint, *cognitionemq;* illam minimam beatitudinis partem futuram. 69, 70. b. Quid sit ex parte *cognoscere* ex loco 1 *Corint.* XIII. 9. 5. b. *Cognitio* sufficiens requiritur ad hoc ut actio moralis sit bona. 20. a.

An *Cognitio* quæ voluntatem flectit non semper sit in actu. 363. b. *Collecta* magna in usum Sacerdotum separabatur. 86. a

Quid voce *Columnæ* intelligatur interdum in sacris, ex loco 1 *Tim.* III. 15. 119, 121. b.

*Comam* alere tenebatur Nazaræus usque ad expletum voti sui tempus. 80. a

De *Combustionis* supplicio apud Judæos usitato, quomodo peragi illud dicant Judæorum magistri, & qui eo puniantur. 123. a

De *Comœdiis* & Tragediis quatenus sunt Christiano illicitæ. & de earum argumento, ac cautiones in iis observandæ. 45, 46. b

*Commodum* nullum ex idolis aut idololatricis rebus quærendum. 137. a

*Communio*, vide *Cœnam*.

*Conceptionis* Christi modum non servire stabiliendæ sententiæ Anabaptistarum Flandrorum de Christi carne. 417. a. De *Conciliorum* authoritate, Et de 2. Niceno, quodque discrimen sit inter *concilium* generale & particulare. 133, 134. b

An *concilium* sit supra Pontificem. 149, 150. b

*Concilium* magnum, vide *Sanhedrin*.

*Concordiæ* studium quantum fuerit in Abrahamo. 33. vide *Tolerantiam*

Moderatio facultatis *cõcupiscibilis*. 250, 251, 252. a

De voluntate Dei absoluta & *conditionata*, & quid ea sit. 309. a

*Confessio* super decimas fieri solita sub lege. 86. a. *Confessionibus* Sagarum non esse standum, eas sapere Pontificium equuleum. 145. a

*Confessio* peccatorum coram Domino requirebatur sub lege, sive tempore quo sacrificium pro peccato offerebatur, sive alio. 77. a. De fide suam *confitendi* necessitate ex loco 1 *Pet.* III. 15. Absolute necessarium esse *confiteri* religionem Christianam. Et quomodo quis gerere se debeat in *confessione* fidei illius qua discernitur ab aliis Christianorũ sectis; speciatim quando à Magistratu ea de re interrogatur. Et an liceat in fide *confitenda* æquivocatione uti. 53, 54, 55. b. Veritatis cognitæ *confessio* quam Christiano necessaria. 57, 58. b

De necessitate fidem suam *confitendi*, ubi illa *confessio* sine abnegatione aut simulatione subterfugi non potest. 58, 59. b. De *confessione* orali Christi. *Rom.* X. 9. 413. b

*Confessionem* Augustanam è diametro repugnare Belgicæ. *Confessiones* Gallicam & Belgicam nunquam impugnavit Arminius ut novam substitueret. Inviti post Schisma factum *confessionem* sententiæ suæ ediderunt Remonstrantes. 168, 169. b. & 178. b. De consideratione Remonstrantiũ in *confessionem* & *catechesin*. 180, 181. b

De revisione *confessionis* & *catechismi*. 194. b

De *confidentia* Dei quæ spei ἀκμὴ est. ei opponitur metus. 314. a

Quomodo maledictus dicatur *Jer.* XVII. 5. qui *confidit* in homine, cum Scriptura nos jubeat confidere in Christo homine. 343, 344. a

*Conjugium*, vide *Matrimonium*.

A vi & dictamine *conscientiæ* desumitur argumentum ad probandum Deum esse. *Conscientiæ* vim extingui non posse variis argumentis probatur. quod discrimen sit inter *conscientiam* athei & superstitiosi hominis. 10, 11, 12. a.

Sublata scientia & opinione *conscientiam* tolli, & *conscientiam* non sufficere ad virtutem exercendam, si metum pœnæ tollas. 203. b

*Conscientiis* vim inferre censendus est, qui cœtus segreges Christianorum prohibet. 57. b

Quousque *conscientiæ* tributis pendendis obstringatur. 26, 27. b

Bona *conscientiæ* studium probitatem sustentat. 3. a. Præstat mori quam contra *conscientiam* peccare. 16. b. *Conscientiæ* cruciatus improbos hic torquet. 369, 370. a

De voluntate antecedente & consequente. 309. a

Quatenus *consequentiis* gravare liceat sententiam adversarii. 167. b

*Conservatio* est actus providentiæ divinæ, an positivus sit ille actus, an tantum negativus. Probatur ex Scriptura Deum *conservare* hominem, & omnes alias res creatas, nec tantum species sed & individua. *Conservatio* non est actus mere negativus, sub ea comprehenditur non *conservatio*. 360, 361. a. Ex *conservatione* rerum omnium creaturam & Religionis Christianæ providentiam demonstrari posse. 364. a.

Ex eo quod Christus *consolatione* Angelica indiguerit, apparet eum potuisse peccare. 292, 293. b. Non tollitur omnis *consolatio* si non statuatur voluntatem determinari ab ultimo judicio rationis practico, sed contra; ubi de vera *consolatione* pii Christiani. 216. b

Adjecta conditio non reddit irritam piorum *consolationem* secundum Cameronem. Conversio hominis nihil est nisi perpetua *consolatio*. Et secundum eundem Deus nullã *consolationem* promittere aut dare potest piis qua piis. Cũ ejusmodi *consolatione* quam statuit Camero non possunt consistere hortationes cum promissione præmii, aut comminatione pœnæ. Deus secundum Cameronis sententiam non potest *consolari* per verbum. Quas *consolationes* nobis suppeditet Deus contra inconstantiã voluntatis nostræ, & quales requirat

rat Camero. 347, usque ad 354. *b*.
*Constantia* fidei Abrahami. 36. *a*.
*Constantia*, vide *Pertinaciam*.
*Consuetudines* Gentium sequi prohibentur Judæi. 138. *a*.
*Consuetudo* è similitudine oritur: *consuetudo* pertinaciæ mater. 205. *b*
An *Contagiosa* fuerit olim lepra. 83. *a*
De *contemplatione* gloriæ Dei in Christo retecta facie. 2 *Cor.* III. 18. 330. *b*
Duo perpessus est Dominus Jesus, *Contemptum* & mortem, & quid per *contemptum* intelligatur. 183, 184. *a*
*Contentiones* Christianorum in temporalibus & spiritualibus offendiculo sunt Judæis. 438. *a*. vide *Dissidia*.
De futurorum *contingentium* præscientia, vide *Scientiam*, & *Præscientiam*.
De *contradictionibus* quæ occurrunt in Scriptura, & inde non probari eam in rebus ad salutem necessariis obscuram esse. 269. *a*. Omnipotentia divina non extendit se ad ea quæ *contradictionem* implicant. 285, 286. *a*
Quomodo Deus omnes in *contumacia* conclusit *Rom.* XI. 32. 423. *b*
*Contumelia* graviores injuriis. 28. *b*
De *conversione* cordis ad odium & fraudes quæ Deo tribuitur. 393. *a*
Historiæ librorum Novi Testamenti veritatem Atheis, Judæis, Paganis & Turcis *convertendis* sufficere. Aliaque omnia argumenta isto fulcro destituta levis esse ponderis, Etiam illa quæ petuntur ex sensuum libris istis contentorum excellentia, & doctrinæ hujus efficacia; quæ tamen supposita historiæ veritate maximum momentum habent. 230, 231. *a*
Verbum Dei externum, non vero internum ordinarium est *Conversionis* medium. 372. usque ad 377 *b*. Methodus Wadingi Jesuitæ in *convertendis* ad fidem Christianam Gentilibus expenditur. 122. & seqq. *b*. Vera & certa via gentiles *convertendi*, 127. *b*. Quantam libertatem homini tribuerit Arminius in *conversione* sua, nihil ab eo derogari potentiæ divinæ in opere *conversionis*. 177. 178. *b*. Absolutam *conversionis* impossibilitatem aut necessitatem cum Dei optationibus & precationibus consistere non posse. 313. *a*. Sententia Bordracenorum de *conversione* irresistibili. 223, 224, 225. *b*. Quid Cameroni sit persuasio quâ Deus hominem *convertit*, 231. *b*. Dicere *conversionem* fieri per rationes suasivas tantum & Pelagio favere 233. *b*. Examen locorum quibus probare conantur *conversionem* irresistibilem ex fide efficace. 313. & sequentibus. *b*. An *conversio* proprie sit mentis. 320. *b*. *Conversio* hominis secundum Cameronem nihil est nisi perpetua consolatio. Examen quorundam Scripturæ locorum quæ adferuntur ad probandum irresistibilem *conversionem*. Quomodo Deus det id quod jubet. Ex sententia Cameronis Deus agit in hominibus ut in rebus inanimatis aut brutis. 348. usq; ad 354. *b*. Vide *Regenerationem*, & *Respiscentiam*.
De requisitis ad justam *convictionem*. 195. *b*
De inscriptione novi fœderis in *cordibus* fidelium. 256. *a*
De apertione *cordis*, & datione *cordis* ad intelligendum; & datione incrementi, 281, 282. *b*
De *corde* novo *Ezech.* XXXVI. 26. 314. *b*
De induratione *cordis* Israelitarum ne timerent Deum, *Esa.* LXVI. 17. 344. *b*
Quid sit convertere *cor* ad odio habendum, vel tangere *cor*. 334. *b*. & 393. *a*
Quotidie offerre tenebatur summus Pontifex Mincha aut *Corban*. 73. *a*
De voto *Corban*, cujus prætextu Pharisæi docebant liberos immunes esse à gratitudine erga parentes. 113, 114. *a*
An Paulus tertiam ad *Corinthios* epistolam scripserit. 2. *b*
*Corpus* hominis ex terra formatum est ac proinde fuit corruptibile. In figura *corporis* humani quinque observanda. 353. *a*. An *corpus* sit pars essentialis hominis. 354. *a*. Quomodo fornicator in proprium *corpus* peccet, & alia peccata dicantur 1 *Cor.* VI. 18. extra corpus esse. 421. *a*
*Corporis* bona magis nos afficere quam animi bona & cur. 203. *b*. De membris *corporis* quæ Deo in Scriptura tribuuntur. 282, 283. *a*
De *correptione* proximi peccantis. 110. *a*
*Corruptio* morum, vide *Mores*.
Quando mundus & homo *creati* sint. 93. *a*
*Creationis* & providentiæ opus, fundamentum est religionis. *Creatio* in qua consistat. Cælum & terra fuerunt ex nihilo facta. id tamen non indicatur verbo *creandi*. Responsio ad objectionem contra creationem ex nihilo. Quod sit illud cælum & terra quæ Deus ex nihilo fecit, quodnam sit principium in quo illa fecit, Angelos diu ante mundum hunc visibilem fuisse & peccavisse. Mundus à Deo libere conditus fuit, nec potuit esse æternus. Angeli à Deo conditi fuerunt. De *creatione* mundi hujus aspectabilis. Unde factus est mundus hic aspectabilis, ordo *creationis* hujus mundi aspectabilis, & eorum omnium quæ in eo sunt. De *creatione* hominis, & primùm de ejus corpore ex terra formato & corruptibili, secundò de anima hominis ejusque immortalitate, & intelligendi facultate. De imagine Dei ad quam homo factus est & de Dei in hominem dominio. 345. usque ad 360. *a*. De vocibus *creandi*, regenerandi & similibus; non significare vim irresistibilem. 317. *b*. De operæ novæ *creationis*, vide *Redemptionem*.
Non *credere* non est peccatum in iis quibus Euangelium non est annunciatum. 248. *b*
An ad *credendum* necessaria sit potentia quædam interna Spiritus sancti. 282. *b*
Quid sit Paulo *Rom.* X. 9. *Credere* Deum suscitasse Jesum ex mortuis. 413. *b*
An qui *credunt* majorem à Deo acceperint gratiam, quàm qui non credunt. 275. *b*. Vide *Fidem*.
Domus undecima præceptorum affirmativorum quæ est Judiciorum *criminalium* & VIII. præceptis constat. 120, usque ad 123. *a*
Non repugnare doctrinæ Christi ut Christianus judicia *criminalia* exerceat, expenditurque locus *Matth.* V. 38. & 43. 79. & seqq. *b*
*Culpa* certa secundum Hebræorum Magistros quintuplex, falsi, furti, stupri, Naziræi, & Lepræ, pro ea sacrificium offerri debebat. 76, 77. *a*.
Quid sit *culpa* & ejus species. 126. *a*
*Cultus* Dei est Theologiæ objectum. 4. *a*
Quomodo *cœli* Deus voluerit ab Abrahamo ne in novam idololatriam incideret. 31. *a*
Domus prima præceptorum affirmativorum quæ est divini *cultûs* & XX. præceptis constat. 60, usque ad 65. *a*
*Cultus* religiosus imaginibus non deferendus. vide *Imagines*, & *Idololatriam*.
Quodnam velle & *currere* *Rom.* IX. 16. à Paulo rejiciatur. 404. *b*

D.

QUam *Damones* futurorum scientiam habere possint. 139. *a*. An dentur nunc sagæ quæ ante *dæmonis* mirabilia patrant, & quæ expressum cum *damone* fœdus ineant. 143, 144. *a*. An *dæmones* ejiciendi vim ex orcistæ Judæi habuerint necne. 429. *a*
Qui alios *damnant* propter capita ad salutem non necessaria, Dei domo indigni sunt. 61. *b*
*Damnatio* pars miseriæ hominis. 401. *a*
Qui *damnum* sub lege Mosaica intulerat illud multa pecuniaria sarcire tenebatur. *damnum* ab animali bruto illatum, vel ex neglecta putei munitione, sarcire etiam tenebatur ejus dominus aut possessor, uti & *damnum* ex incendio. 125, 126. *a*
De libro *Danielis*, Hebræos immerito *Danielem* è prophetarum numero expungere. 225. *a*
De promissione *Davidi* facta de regni sui æternitate, & quomodo complementum habeat in Jesu Christo. 32, 33. *b*. Jesum Nazarenum ex tribu Juda & familia *Davidis* ortum suum duxisse. 174. *a*
*Davidi* propriè non convenit sedere ad dextram Dei, sed Messiæ: nec fuit *David* sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, sed Messias ad quem Psalmus CX. pertinet. 193, usque ad 197. *a*
*Debitorum* remissio fiebat anno sabbatico, & quæ *debita* intelligantur, non omnia, sed obegestatem contracta. 88. *a*
*Debitum* ex lege dupliciter dicitur, 1. vel ex rigore legis. 2. vel ex voluntate legem ferentis, de mercede & gratia. 326. *a*
De *deceptione* Evæ. 257, 258, & 260. *b*
*Decimum* quodque animal ex mundis animalibus, sequestrabatur Domino. 78. *a*
*Decimarum* oblatione amorem suum erga Deum testatus est Abrahamus. 32. *a*
Quomodo *Hebr.* VII. 9. Levi in Abrahamo *decimatus* dicatur. 405. *a*
Quinta domus præceptorum affirmativorum quæ est Eleemosynarum & *decimarum*, & XXXII. præcepta continet. 84. usque ad 89. *a*
*Decima* in usum Levitarum cedebant. at *decima* secunda separabatur in usum dominorum ad quos fructus pertinebant: Levitæ ex *decimis* suis *accimam* separabant pro sacerdotibus. At *decima* pauperibus sive in pauperum usum separabatur loco *decimæ* secundæ in tertio & sexto anno. Semite seu cessationis terræ. 86. *a*
Confessio super *decimas* fieri solita. 86. *a*
Quousque Christiano seipsum adversus vim graviorem *defendere* liceat. Et utrum præstet cædere quam cædi. 28, 29. *b*
*Decreta* Dei libera non sunt ipsa Dei essentia. 297. *a*. An Deus libere velit postquam *decretum* aliqua de re fecit. 287. *b*. De *decretis* Dei ex quibus peccandi necessitas consequi videtur. De venditione Josephi, de improbitate filiorum Eli. Et de inimicis Jesu Christi facientibus quod manus & consilium Dei prius definierat. 394, 395, 396, 397. *a*
Sententia illorum qui præscientiam in *decreto* Dei fundant. *Decretorum* de vitæ termino ordo secundum illos. An cum istis *decretis* salvetur medicinæ necessitas. Tria ex ista opinione orirentur incommoda. 384, 385. *b*
*Delectationis* causæ 1. Temperamentum. 2. Consuetudo. 3. Commodum. & 4. Voluptas 205. *b*. *Delectationis* vis magna in animam. 206. *b*
De *Deletione* septem populorum terræ Canaan, an hoc præceptum fuerit absolutum an conditionatum; & de facto Gibeonitarum. Et de *delectione* Amalecitarum. 104, 105, 106. *a*
Pro *delicto* dubio & pro certo sacrificium sub lege institutum erat. 76. *a*
De conventu *Delphensi*. 181. *b*
*Depositorum* quatuor genera: ad quid teneatur *acceptarius* simplex. An *depositi* restitutio aliquo modo differri aut negari possit à *depositario*. De *deposito* mercedis gratia, sive ex conducto aut negotiorum gerendorum ergo. Nec non de *deposito* ex commodato. 126, 127. *a*
De *derelictione* divina ex loco 2 *Chronic.* XXXII. 31. 270. *b*
*Desiderium* Dei quid sit; id convenire Deo ostendunt ejus optationes, precationes & obtestationes, quæ cum absoluta conversionis impossibilitate; aut necessitate consistere non possunt: ei opponitur fuga & quid ea sit. 312, 313. *a*
*Desperatio* Dei opponitur ejus spei, quid sit, signa ejus quatuor. 315. *a*
Sententiam Cameronis de Conversione hominis esse verum securitatis & *desperationis* fontem. 352, 353. *b*
Ex Cameronis sententia probatur sequi securitatem carnalem & *desperationem*, non vero ex sententia Remonstrantium. 365, usque ad 369. *b*
De providentia Dei circa malum quâ fit illud *aeterminando*, qua actione Deus permissioni suæ modum, & peccato permisso terminum ponit, ne pro arbitratu creaturæ in infinitum vagetur. 398. *a*
Quid *Dei* nomine significetur. Nullam esse hominibus innatam *Deitatis* opinionem. Aliqua tamen dari principia in natura ex quibus ratiocinando colligere possit Deum esse. Responsio ad argumenta quatuor quæ in contrarium afferuntur. Argumenta quæ ex principiis naturalibus petuntur ad probandum divinitatem aliquam esse sunt 1. Omne quod fit ab alio fit, nec datur processus in infinitum. 2. Omnia entia naturalia finis gratia agunt. 3. Tota mundi fabrica ita est ordinata ut omnes ejus partes uni homini serviant. 4. argumentum petitur ab universali consensu omnium gentium. 5. à vi & dictamine conscientiæ. Argumenta duo ad hominem contra Atheos. à 6. ad 12. pag. *a*. *Deum* homini similem male facere Sextum Empiricum. 12, 13. *a*. *Deum* esse demonstratur ex diversis ipsius patefactionibus. 1. tempore Adami. 2. Mosis. 3. Christi. Quamque certa sit resurrectio Christi ex mortuis, & quanti ponderis sit testimonium Apostolorum hac in re. 13, 14, 15, 16. *a*. Responsio ad argumentum eorum qui *Deum* aliquem esse nonnisi fide cognosci posse putant. 16. *a*
Quid significet *Deum* esse *Deum* Abrahami. 33. *a*. *Dei* finis cum homines tentat. & quomodo *Deo* omniscio tentatio tribui possit. 41. *a*

De

De *Deo* Patre, Filio & ſpiritu ſancto deq; eorum perſonalitate, divinitate & ſubordinatione, quæ magnę utilitatis eſt, & de generatione divina quę eſt fundamentum ſubordinationis inter patrem & filium, Et de ſpiratione divina quæ eſt fundamentum ſubordinationis inter ſpiritum ſanctum ad patrem & ad filium. 332, uſque ad 345. *a*

Quid de eſſentia *divina* ſit ſcitu neceſſarium, 172. *b*

Quid per formam *Dei* Chriſto tributam *Philip.* II. 6. intelligendum ſit. 22. *b*. Ar. *Deus* neceſſario ſimul & liberè ſit bonus. 286. *b*. Quantum de beamus *Deo* in rebus ad ſalutem neceſſariis. 335 *b*

De *Deo* alio non habendo, vide *Idololatriam*, & *Imagines*.

De *Dei* affectibus, vide *affectus*.

De ſeſſione Meſſiæ ad *dextram* Dei, vide *ſeſſionem*.

*Diabols* finis malus cum homines tentat. 41. *a*. De cauſa impulſiva primi peccari & quid in eo præſtiterit *Diabolus*. Quid *Diabolus* ſuaſione ſua eſſecerit in iſto peccato. Et de vi ſuaſionis *Diabolicæ* in primo peccato. 263, 264, & 267. *b*. De *Diaboli* in peccando pertinacia. 306. *b*.

*Diabolus*, vide *Dæmonem*.

In *Diaconorum* Electione abeſſe debet πρωτοκολλία. 31. *b*.

Διακρινόμενος qui olim ſic dicti. 40. *b*

Quid ſit Paulo, 1 *Cor.* XI. 28. ſe ipſum δοκιμάζειν. 42. *b*

*Rom.* VIII. 35. de activa Chriſti *dilectione* agitur. 394. *b*. An lex naturalis obliget ad modum operandi ex *dilectione* Dei. 20, 21. *a*. De *dilectione* Dei prout eſt ſummum bonum & prout Legiſlator eſt. 60. *a*. Quinam ſint qui Deum *diligunt*, ex loco *Rom.* VIII. 28. Omnia Deum *diligentibus* in bonum cedunt, exceptis peccatis. 391. *b*. De *dilectione* proximi; quid ſit *diligere* proximum ſicut ſe ipſum, Nec non de *dilectione* Peregrini ſub lege. 111, 112. *a*. De actibus Juſtitiæ & *dilectionis* proximi. proximus eſt ſuperior, par, vel inferior. Menſura *dilectionis* proximi, Ordo in *dilectione* ſervandus. Hos omnes juſtitiæ & *dilectionis* proximi actus lege Jeſu Chriſti præſcriptos eſſe; imo etiam ut vitam pro fratribus ponamus & inimicos *diligamus*. 249, 250. *a*. *Dilectionem* inimicorum ſub veteri & Novo Fœdere non evertere officium Magiſtratus in exercendis judiciis criminalibus. 81, 82. *b*.

Qui tempore *diluvii* vixerunt rectam rationem pro norma ſuæ religionis habuerunt. 18. *a*. Ex corruptione eorum qui ante *diluvium* & tempore *diluvii* vixerunt, apparet infirmitas religionis naturalis. Cur ante *diluvium* nulla fuerit idololatria in mundo. 22. *a*.

De providentia Dei circa malum quâ fit, illud *dirigendo* in objectum finem & ſuum. 397. *a*

De *diſcalceationis* ritu, erga eum qui leviratum præſtare renuebat. 116. *a*

Fruſtra cum iis *diſputatur* qui ſe errare non poſſe credunt. 101. *b*

*Diſputationes* de Religione debent eſſe ſeriæ, & utrinque tutæ ac liberæ. 131. *b*

Ex *diſſidiis* quæ fuerunt in Eccleſia temporibus Apoſtolorum, & ſequentibus ſeculis non evinci poſſe Jeſum non eſſe verum promiſſum Meſſiam, Cum dictum Eſaiæ cap. XI. accipi poſſit non de eo quod definitè eventurum erat ſub regno Meſſiæ, ſed de proprio doctrinæ ipſius genio, qui talis ſit ut *diſſidia* omnia dirimat. Quid innuat Chriſtus cum dicit ſe veniſſe non miſſurum pacem ſed *diſſidium*. Prophetiam Eſaiæ impleri cepiſſe, & ſiquid adhuc reſtet implendum id ſuo tempore fieri poſſe. 207, 208, 209, 210, & 212. *a*

Scholaſticis *diſtinctionibus* veritatis ſimplicitatem ſæpius obſcurari. 200. *b*

De *divinatoribus* non conſulendis. 134, 135. *a*

*Divini* & *divinationes* prohibentur in lege; quam dæmones futurorum ſcientiam habere poſſint, Et de *divinationis* ſpeciebus variis quæ ad quatuor referuntur. Rejicienda eſt ſententia Philoſophorum qui *divinationem* in pretio haberi voluerunt. 138, 139, 140. *a*

Eſſentia divina *diviſibilis* non eſt cum ſit ſimplex. 287. *a*

De *divitiis* non diligendis. 250. *a*. *Divitias* improbos felices reddere non poſſe. 368. *a*. *Divitiæ Rom.* XI. 12. pro cognitione cæleſtium bonorum. 420. *b*

*Divortium*, vide *Repudii* libellum.

*Dare*, & facere, quo ſenſu aliquando accipiantur in ſacris. 392. *a*

Ex eo quod nemo prior Deo *dederit* non ſequitur Prædeſtinationem à conditione fidei non pendere. 424. *b*

Secundum Cameronem Deus nullam Conſolationem promittere aut *dare* piis poteſt, quâ piis. Et Quomodo Deus *det* quod jubet. 349, 350. *b*

Quomodo *dona* & vocatio Dei ſint abſque pœnitentia. 422, 423. *b*

De *datione* omni petenti, ex loco *Matth.* V. 42. 76. *b*

De *docilitate* quæ in Theologiæ ſtudioſo requiritur. Animum autem, ut *docilis* ſit, liberum eſſe oportere ab affectibus, præjudicio & malitia, quæ tria fuſe exponuntur. 1, 2, 3. *a*

An lex aliqua ſit de *doctoribus* legis honorandis. 113. *a*. Meſſiam promiſſum futurum Prophetam & *Doctorem* populi perfectiſſimum; De triplici perfectione *Doctrinæ* Meſſiæ, quæ in Jeſu Nazareno apparuit. 180, 181, 182. *a*. Domus nona præceptorum affirmativorum quæ eſt *doctrinæ* & præceptis xxv. conſtat. 102. uſque ad 114. *a*. Domus ſeptima præceptorum Negativorum, quæ eſt *doctrinæ* & præcepta xlv. continet. 152, 153. *a*. Rectè colligi ex miraculis Chriſti à Deo miſſum & *doctrinam* ejus eſſe divinam. 428. *a*. *Doctrina* una eſt ex functionibus prophetici Chriſti muneris. Et quomodo *doctrinam* ſuam confirmaverit Chriſtus. 430. *a*. *Doctrinæ* Chriſti fides habita fuit in toto mundo à Judæis & Gentibus; quod ſignum eſt ejus divinitatis, cum tria obſtarent, 1. *Doctrinæ* ipſius genius. 2. *Doctrinæ* hujus fundatores, 3. Et *docendi* modus. 203, 204. 205, 206. *a*. Argumenta petita ex ſenſuum *doctrinâ* Chriſtianâ contentorum excellentia, & *doctrinæ* hujus efficacia, levis ſunt ponderis ad convincendum Infideles abſque veritate hiſtoriæ librorum Novi Teſtamenti, at ea ſuppoſita maximum momentum habent. 230, 231. *a*. De rebus *doctrinâ* Chriſtiana contentis, quæ triplicis ſunt generis. 231, 232. *a*. Summa *doctrinæ* fidei ad ſalutem æternam conſequendum neceſſariæ, quæ Sacris Novi Fœderis libris plenè & perfectè continetur. 247, uſque ad 253. *a*

Quid ſignificetur phraſi *Joan.* VI. 45. Erunt omnes *docti* à Deo. 255. *a*. De *Doctis* à Deo ex loco 1 *Theſſ.* IV. 9. 316. *b*

De ferendis *doloribus*. 252. *a*. *Dolor* ſive triſtitia Dei opponitur ejus gaudio, & quid ſit. 316, 317. *a*

Imaginem Dei ad quam homo factus dicitur in *domimio* ejus ſupra alias res creatas conſiſtere. 359. Dei in hominem Jus ſeu *dominium* in quatuor rebus conſiſtere, Id non eſſe infinitum. 360. *a*. Vide *Jus* Dei.

*Dordracena* Synodus, vide *Synodum*.

Pro *dubio* delicto, ſacrificium ſub lege inſtitutum erat, & quid ſit *dubium* delictum, an idem ſit quod *dubitans* & fluctuans conſcientia 76. *a*. De de diſtinctione inter cultum *dulia*, hyperduliæ, & latriæ. 132. *a*

E.

POtum *inebriantem* bibere non licebat Naziræo. 80. *a*

*Eccleſiæ* puniendi poteſtatem olim conveniſſe. 84. *b*. *Eccleſiam* autoritatem non habere adorationem imaginum præcipiendi. 145. *b*. De varia acceptione vocis *Eccleſiæ*, & Pontificios oſtendere non poſſe quænam illa *Eccleſia* ſit, quæ errare non poteſt, nec ex Scriptura, nec ex Patribus, nec rationibus. Nec non de inutilitate Succeſſionis *Eccleſiæ* & ejus capite Pontifice, veritatemque omni ſucceſſioni & antiquitati præferendam eſſe. 149, 150, 151, 152. *b*. De *Eccleſia* quæ fuit ante tempora reformationis, & quid crediderit ad ſalutem neceſſarium vel non neceſſarium eſſe, Nec non de varia vocis *Eccleſiæ* acceptione. 155, 156. *b*. Scripturæ autoritatem non pendere ab autoritate *Eccleſiæ* Romanæ, ſeu Papæ. 234. *a*. *Eccleſiam* non eſſe infallibilem Controverſiarum fidei Judicem. Vox *Eccleſiæ* accipitur tantùm in Scriptura pro *Eccleſia* auditorum, nec contrarii probatur ex loco *Matt.* XVIII. 17. In loco 1. *Tim.* III. 15. intelligitur *Eccleſia* particularis, ſed etiam ſi intelligeretur *Eccleſia* Catholica non ſequeretur eam errare non poſſe. 241, 242. *a*. Reſponſio ad tria argumentorum capita quibus probare conantur Pontificii *Eccleſiam* non Scripturâ eſſe ſummum controverſiarum fidei Judicem. Explicatio locorum ubi *Eccleſia* vocatur ſponſa Chriſti, Virgo uni viro deſponſata, Uxor Chriſti. Quid de titulo Matris quem *Eccleſiæ* ſuæ dant ſtatuendum ſit, de loco *Matth.* XVI. 18. ubi dicitur portas inferorum non prævalituras adverſus *Eccleſiam*. 257, 258, &c. *a*

De *Eccleſiaſtes*. 222. *a*

Quid ſibi volunt Apoſtoli cum dicunt *Actor.* X. 41. Se unà cum Jeſu *edi ſſe* & bibiſſe. 43. *b*

De *effectione* Dei in nobis velle & perficere, ex loco *Philipp.* II. 13. 316. *b*

Non omnem Dei voluntatem eſſe *efficacem*, cum reſponſione ad loca quæ in contrarium afferuntur. 308. *a*

De vi *efficaci*, vide *Vim*.

Verbum ἐξοδος quid ſignificet. 419. *a*

Particulam *ei* inſolenter & periculosè exponi *ſiquidem*, vel *imo*. 25. *b*

*Eliæ* & *Eliſæi* miracula ſuperarunt miracula Moſis. 55. *a*. De *Eliæ* Meſſiæ præcurſore ex Vaticinio Malachiæ IV. 5, 6. Et Joannem Baptiſtam fuiſſe *Eliam* promiſſum. 215, 216. *a*. Prævit Chriſto Joannes Baptiſta in ſpiritu & virtute *Eliæ*. Zelo, Auſteritate vitæ & παῤῥησίᾳ *Elæ* non ceſſit. 424, 425. *a*

Conſectaria duo ex Odii divini natura adverſus *Electionem* & reprobationem abſolutam. 312. *a*. Spes Dei non poteſt conſiſtere cum abſoluta *electione* & reprobatione. 314. *a*. Ne *electio* vaga & bruta ſit homo debet rationem in conſilium vocare. 201. *b*. An *electio* ſit prorſus libera furura ſi aliquid ſit quod eam determinet. *Electionem* omnem non fieri niſi propter finem aliquem, nec non de ſummo hominis fine ac bono. 201, 202. *b*. Quem ordinem in *electione* bonorum ſequi debeat homo ſi ordinatè in ſua *electione* procedere velit, 203. *b*. Quomodo homo inter duo vel plura bona poſitus liber ſit. Et quotupliciter hic libertate ſua abuti, brutèque in *eligendo* ſe gerere multi ſoleant. 204. *b*. vide *Libertatem*. Inter ſummum bonum & malum non datur *electio*: & quarum rerum ſit *electio*. bonum utile vel jucundum voluntas præferre poteſt honeſto. *Electionem* non eſſe actum judicii. 276, 277. *b*. De qua *electione* loquatur Apoſtolus 1 *Theſſ.* I. 2, 3, 4, 5. 280. *b*. Quid diſcriminis ſit inter velle & *eligere*. 310. *b*. Qui ſint *electi* Dei, ex loco *Rom.* VIII. 33. 393. *b*. De abſoluta Jacobi *electione* & Eſavi reprobatione non agi à Paulo *Rom.* IX. 401. *b*. De *electione* gratiæ, ex loco *Rom.* XI. 5, & 7. 418, 419. *b*. Ex eo quod nemo prior Deo dederit non ſequitur *electionem* à conditione fidei non pendere. 424. *b*

*Electio*, vide *Prædeſtinationem*.

Domus quinta præceptorum affirmativorũ quæ eſt *Eleemoſynarum* & Decimarum, & XXXII. præcepta continet. 84. uſq; ad 89. *a*. De iis quę obſervari volunt Judæi in *Eleemoſynis* faciendis. Ibid.

De caſu *emptionis* venditionis, & quomodo unusquiſque ſe in eo gerere debeat. 127. *a*

Ἐν pro ἀλλ' vel εως. 35. *b*

De ἀναλογοφανείαις quæ occurrunt in Scriptura, & inde non probari eam obſcuram eſſe in neceſſariis. 269. *a*

*Enoch* rectam rationem pro norma ſuæ religionis habuit. 18. *a*

*Epha* erat modius Romanus, ſive Medimnus Atticus, qui tria ſata capiebat. 73. *a*

Quid phraſis ἐφ' ᾧ ſignificet in ſacris. 403. *a*

Tumultuarius atomorum *Epicuri* concurſus refutatur ex ordine & ſubordinatione rerum mundanarum 9. *a*. *Epicuri* rationes contra divinitatem refutantur. 18. *a*

Verbum ἐπιτιμᾶν cum caſu quarto multis modis accipitur. 413, 414. *b*

An Paulus tertiam *Epiſtolam* ad Corinthios ſcripſerit, & unam ad Laodicenſes. 163, 164. *b*

Quid per *Eradicationem* animæ incircumciſi intelligatur. 44. *a*

De Verſione Latina Novi Teſtamenti *Eraſmi*. 279. *a*

*Ergaſtula* pro furibus laudantur. 107, 108. *a*

De ſacrificio pro peccato per *errorem* totius populi, & uniuscujuſque privati. *Error eſt* duplex, vincibilis & invincibilis. hic eſt planè involuntarius, ille eſt iterum duplex affectatus vel non affectatus, Et de quo *errore* hoc intelligendum eſt. 75, 76. *a*. Quomodo Deus dicatur aliquando *errare* facere homines, & mittere *errorem* efficacem ut ſeducantur. 392, 393, 394. *a*. De *errore* quo *errare* feciſſe dicitur Deus populum ſuum à viis ſuis *Eſa.* LXIII. 17. 344. *b*. *Errores* Judæorum ſunt duo. 1. quod literæ legis nimis ſint affixi. 2 quod nimio in pretio majorum traditiones habeant,

beant. 432, & seqq. *a*
Frustra cum iis disputatur qui se *errare* non posse credunt. 101. *b*
*Errantes* omnes æternis ignibus non adjudicant Remonstrantes, imo, nec qui fundamenta fidei certo aliquo sensu evertunt. 111. *b*
Quale non *errandi* privilegium vera Christi Ecclesia habeat. Nullus visibilis Christianorum cœtus absolutum habet non *errandi* privilegium, & si maximè haberet, id non sufficeret ad securitatem eorũ qui Ecclesiæ Romanæ adhærent. Argumenta ex ratione, & Scripturæ locis petita pro nõ *errandi* privilegio Ecclesiæ refutantur. 117. & seqq. *b*
*Errantem* odio dignum non esse sed commiseratione; & *errorem* male nunc odioso hæreseos nomine appellari. 182. *b*
An *error* is sit genius potissimum ut qui fallitur etiam fallat. 184. *b*
An non *errori* patrocinetur qui eum tolerat. 186. *b*
*Error* quà *error* non est peccatum, nedum peccatum pœna dignum. 212. *b*
De actu judicii Adami ante lapsum & quomodo potuerit *errare*. 251. *b*. Quinam *errores* secundum Cameronem sint voluntarii vel involuntarii. 254. *b*. An primum hominis peccatum fuerit mentis *error*, ex loco 2 *Cor*. XI. 3. & 1 *Tim*. II. 14. 257, & 260. *b*.
Utrum Adami voluntas necessariò secuta sit mentis ipsius *errorem*. Ibid.
Summum Judæorum Senatum in fide *erraſſe*, cum Jesum Christum tanquam falsum Prophetam damnavit. vide *Judæum* controversiarum, & *Ecclesiam*.
De libro *Esaiæ*. 219. *a*
De absoluta Jacobi electione, Et *Esaiæ* reprobatione non agi à Paulo *Rom*. IX. Responsio ad objectionem, Jacobum & *Esaiam* fuisse typos electionis & reprobationis. De odio Dei in *Esaiam* & ejus posteros. 401, 402, 403. *b*
De libro *Esdræ*, Et an libri sacri incendio Hierosolymorum omnes perierint & ab *Esdra* fuerint restituti. 221. *a*
De *Essentia* Dei. ea consideratur duobus modis, abstractè vel concretè an *essentia* ratione nomen ἽΝ Deo tribuatur 280, 281. *a*. Decreta Dei libera non esse ipsam Dei *essentiam*. 297. *a*
Volitiones Dei liberas differre ab *essentia* divina, contra quam obtendunt Scholastici, quorum exceptiones & objectiones diluuntur. 306. *a*
De libro *Esthera*. 221. *a*
Quid sit motus *Ethicus* seu suasio moralis. 232. *b*
De *Evæ* deceptione. 257, 258, & 260. *b*
Cur *Euangelium* vocetur ministerium spiritus, Lex literæ. 362. *b*
*Euripidis* & Plinii argumenta adversus deitatem refutantur. 13. *a*
De ἐντρυφὴ de qua Paulus *Ephes*. V. 4. & an numeretur ab eo inter peccata quæ excludunt à regno cœlorum. 17, 18. *b*
*Excandescentia* divina, vide *Iram*.
Examen opinionis illorum qui *Rom*. XI. 17. Apostolum non agere de singulis hominibus sed de nationibus asserunt, Et fideles singulos à fide & salute *excidere* posse. 421. *b*
Verbum *Excutiendi Rom*. IX. 17. de creatione accipi non posse. 405. *b*
Ex locis in quibus Deus homines *excæcare* dicitur, non posse evinci Deum autorem esse peccati. Quid per *excæcationem* intelligatur. Varia loca excutiuntur ad hanc rem pertinentia. Quibus personis aut rebus *excæcatio* hominum tribuatur in sacris literis, Ea impossibilis est secundum hypotheses Prædestinatiorũ. 386, 387, 388, 389. *a*
De *excæcatione* mentis. 254. *b*
Verbum ἐξαγοράζων *Rom*. IX. 17. quomodo vertendum. 405. *b*
An adoratio imaginis & *Exemplaris* eadẽ sit an diversa, tres ea de re Pontificiorum sententiæ. 132. *a*
*Exempla* magnam vim in animum habere. 206. *b*
Mala aliquando piis evenire vult Deus ut eos *exerceat*, unde quintuplex ad eos utilitas redit, deinde ut *exercitatos* probet, & probatos gloriosè denique coronet. 366, 367. *a*
*Exercitus*, vide *Bellum*.
*Exhortationum* usus non tollitur, si non statuatur determinari voluntatem ab ultimo Judicio rationis practico, sed contra. 217. *b*
*Exilio* mulctabatur inter Judæos involuntarius homicida. 221. *a*
De *exorcistis* Judæorum. 429. *a*
*Expansio* secunda die facta fuit. 350. *a*
Spes Dei exprimitur in sacris voce *expectationis* cujus *anima* est confidentia, opposita metus & desperatio. 314, 315. *a*
Festum *expiationis* magnum erat, sacrificia illius diei propria erant tria. 73, 74. *a*
*Expiationum* festo cessabatur ab omnibus operibus ut die Sabbathi. 94. *a*
Ex diversis Scripturæ *expositionibus* non probari ejus in rebus ad salutem necessariis obscuritatem. Variarum *expositionum* causæ. De necessitate & utilitate *expositionum* Scripturæ, de *expositionum* modo. 271, 272, 273. *a*
De *extispiciis* sive Haruspiciis. 146. *a*
*Ezechiæ* exemplum probare terminum vitæ non esse fatalem. 382. *b*
De libro *Ezechielis*. 219, 220. *a*

F.

Facere & dare, quo sensu aliquando accipiantur in sacris. 392. *a*
*Facies*, vide *Vultum*.
De culpa *Falsi*. 76. *a*
Qui per errorem culpam *falsi* commiserat quintam partẽ ultra rem *falsatam* solvere tenebatur. 85. *a*
*Familiam* suam in vero Dei cultu instituit Abrahamus. 33. *a*
*Fati* assertores plerumque religionis negligentiores, ut Tiberius. 198, 199. *b*
An terminus vitæ *fatalis* sit an mobilis. 378. usque ad 387. *b*
De expurgatione *Fermenti* in festo Paschatis, tempus istius expurgationis & modus. 92. *a*
Singulis *Festis* diebus peculiare sacrificium fiebat. 73. *a*
Vicibus tribus in anno *festa* Domini agitabantur. Masculus omnis in *festis* istis comparere tenebatur in templo; Et se exhilarare, ad quod mulieres obligabantur, & qua in re exhilaratio ista constiterit. 74. *a*
Septima domus præceptorum affirmativorum quæ est *Festorum* & XX. præcepta continet. 90, usque ad 96. *a*
*Festorum* Paschatis, Pentecostes, & Tabernaculorum tempora. Ibid.
Domus nona præceptorum negativorum, quæ est *Festorum*, & decem præcepta continet. 154. *a*
Quis vir fuerit *Festus Homminis* cujus unius testimonio se tuetur Camero. 220, 221. *b*
De *Ficu* à Christo maledicta ex loco *Marc*. XI, 12, 13. 7, 8. *b*
*Fides* & *Fidelitas* pro Justitia aliquando sumuntur. 326. *a*
De regula *fidei*. Quale stabilimentum *fidei* requirat. Verbum Dei est unicum nostrum stabilimentum: Quam malè id Wadingus Jesuita scopulum appeller. An providentia divina postulet ut tale salutis præsidium procuret in quo salutem plurimi re ipsa inveniant. Tale præsidium non est autoritas Ecclesiæ. Quo sensu dicatur hæreticos omnes ad Dei verbum recurrisse. Verbum Dei sufficit ad persuadendum hæreticis veritatem, etiamsi propter eorum vitium non semper persuadeat. Ex eo non sequitur neminem salutem in verbo Dei per 1600. annos reperisse, quia illos nominare nequeamus. Retorsio argumentii in adversariũ, Si Deus nobis relinquere voluisset aliud securitatis præsidium quam suum verbum, illud alicubi nominatim & clare designasset, sed contrarium fecit cum nobis commendat Scripturam. 101, 102, 103, 104. *b*. *Fidei* regulam Reformatoriũ non esse plebeis impossibilem. Necessarium non est cuilibet è plebe scire hæc verba *Joan*. XX, 23. Quorum remiseritis &c. hoc potius quam illo sensu accipienda esse. Non tamen impossibile est viro indocto illud scire. Quis sensus Scripturæ verbis inesse dicendus sit. Retorsio argumenti in adversarium, Regulam *fidei* Pontificiæ, quæ est Ecclesiæ autoritas plebeis esse impossibilem. 104, 105, 106. *b*. *Fidei* Reformatorum fundamentum non esse falsam sequelam logicam sed Dei verbum. Verus controversiæ status, Vox *fidei* æquivoce sumitur vel pro assensu salvifico, vel historico. Quomodo supposito aliquos libros esse Canonicos tuta possit esse nostra fides quod ad cõtroversos attinet. Si non supponatur libros aliquos esse divinos, sed petatur id probari ex Scriptura, postulatum ejusmodi plane absurdum est. Quæ probationes quærendæ sunt ad *fidem* historiæ sactæ faciendam. Retorsio argumenti in adversarium. Quomodo probetur librum aliquẽ à viro divino esse conscriptum. Controversia de libris Apocryphis non est magni momenti. Fundamentum *fidei* nostræ non est, sacrificium Missæ cedere in ignominiam crucis Christi, & similia: nec tenemur id expressis Scripturæ testimoniis probare. 106, 107, 108. *b*.
An *fides* Reformatorum in proprium cujusque judicium tanquam fundamentum ultimum resolvatur. Verus controversiæ status. Tota *fides* Pontificiorum in unius Papæ judicium tandem resolvitur. Nos totius Ecclesiæ judicium nostro privato judicio non postponimus. Judicium Spiritus privati non esse natum errorem potius quam veritatem producere. Pii aliquando errare possunt in adsequendis quibusdam sensibus divinis. Judicium spiritus privati, non esse Spiritum superbiæ contrarium spiritui Dei & Christi. Ex eo quod certus sum me rectum Scripturæ sensum tenere, non sequitur me debere judicare omnes Patres & totam Ecclesiam antiquam esse lapsam. Humilitati Christianæ non repugnat credere Augustinum, Hieronymum, &c. erravisse. Sanctimonia Patrum (quæ soli Deo nota est) nullum judicio ipsorum adfert pondus. Non debemus vereri dicere eos periisse quos Deus in verbo suo damnat. Æternis tamen ignibus adjudicandi non sunt ii omnes qui aliqua in re erravisse creduntur. Nec locus ad *Hebr*. XI. 6. evincit id esse faciendum. Non omnes qui fundamenta *fidei* aliquo modo evertunt, *fide* plane destituti sunt. An dogmata Pontificia fundamenta fidei directe evertant. An antiqui Patres omnes ista crediderint. Et quid senserint 1. de orationibus & oblationibus pro defunctis, ubi nonnihil de autoritate 2. libri Machabæorum. 2. de Sacrificio Missæ. 3. de Episcopo Romano. 4. de invocatione Sanctorum. Promissum esse Spiritum divinum requisitum ad intelligentiam sensuum necessariorum ad salutem. Quibus promissus sit. An viri aliqui sanctissimi eum postulantes repulsam passi fuerint? De regula *fidei* & Scripturarum interpretandarum, spiritumque privatim non esse talem regulam. Quid per spiritum privatum intelligatur, & quomodo ille alicui de veritate convincendo sufficiat aut non sufficiat. Retorsiones argumenti in adversarium, 1. Illam *fidem* meritò privatis suspectam esse debere quæ non patitur se ab ipsis examinari &c. 2. Illam *fidem* merito suspectam esse debere quæ resolvitur in judicium unius hominis, etiamsi is protanus, impius & hæreticus sit, &c. Quæ applicatur etiam sententiæ Sorbonistarum. 3. Illam *fidem* merito suspectam esse debere quæ est ignorantiæ & negligentiæ mater &c. à pag. 108, usque ad 116. *b*
An Ecclesia falli non possit neque in tradendis, neq; explicandis rebus *fidei*. Non sufficere ad hoc ut quis securus reddatur de *fide* sua, ratione aliquam sibi fingere, qua id cõmodè fieri posse credat, sed viam à Deo præscriptam sequi debere. Quale non errandi privilegium vera Christi Ecclesia habeat. Nullus visibilis cœtus absolutum habet non errandi privilegium, & si maximè haberet id non sufficeret ad securitatem eorum qui Ecclesiæ Romanæ adhærent. Non sequitur, si Ecclesia alicubi errat, fore ut continuo Euangelii fides apud nos labascat. Quomodo intelligi debeat illud, Nos Euangelium accepisse ab Ecclesia. An ideo quod infallibilis autoritas non tribuitur Ecclesiæ testandi de Euangelio, suspecta reddatur *fides* tota ejusque objectum. Refutatio argumentorum ex *Matth*. XVI. 18. & XXVIII. 20. & 1 *Tim*. III. 15. petitorum pro infallibilitate Ecclesiæ. Experientiam non probare illam infallibilitatem, cum Decreta *fidei* priorum & posteriorum seculorũ inter se contraria sæpe sint. Explicatio loci 2. *Petri* I. 20. qui contra privatas interpretationes Scripturæ affertur. 116, 117, 118, 119, 120. *b*. Non Remonstrantes, sed Pontificios circulum committere in probanda Scripturæ & Ecclesiæ autoritate. Scriptura admissa non necesse est simul Ecclesiæ autoritatem admittere, cò quod illa testetur de Scriptura. 121, 122. *b*. Wadingi methodus in convertendis ad *fidem* Christianam Gentilibus expenditur. 1. Ejus hypothesis hæc est, Credendum est aliquem esse in terris cœtum Deum rite colentium. 2. Deum huic cœtui indicare si quid hominibus dictum velit. 3. Hunc cœtum in fundamentalibus non errare. 4. Postulat ut Ethnicus tanquam historiam certam habeat Dei filium carne assumpta Ecclesiam congregasse.

45. Quam ex his notis dignosci posse dicit quod sit Una, Sancta, Apostolica & Catholica, quæ omnes examinantur, & ostenduntur Ecclesiæ Romanæ non convenire. Remonstrantium sententa de notis Ecclesiæ. 122, usque ad 127. b. Vera & certa via qua Gentilis ad *Fidem* Christianam adduci potest, ex probatione veritatis Sacræ Scripturæ. Ecclesia enim omnis quæ salutarem veritatem tenet, eo ipso est Una, Sancta, Apostolica & Catholica. Quo loco antiquiras in negotio *Fidei* sit habenda. 127, 128. b. Responsio ad argumentum eorum qui Deum aliquem esse non nisi *Fide* cognosci posse putant. 7. & 16. a. *Fides* Abrahami qualis & ejus objectum. Præstantia ejus apparet ex promptitudine & constantia, An non fuerit diffidentiæ signum quod uxorem sororem suam esse dixerit. 35, 36. a. An ex variis Theologorum sententiis de natura *Fidei* probari possit Scripturam in rebus ad salutem necessariis obscuram esse 272. a. Non *fide* sed sensibus miracula percipiuntur. 426, 427. a. Qualis *fides* ad justificationem nostri requiratur. 16. b. Cur *fides* nostra victoria mundi appelletur. 207. b. *Fides* objectum adæquatum est Deus & Christus. De antecedente, formali, & consequentibus *fidei* actibus. 247, a. Utrum *fides* sedes sit intellectus an voluntas; & quænam illius sit natura. 252, 253. b. *Fides* quam scripturæ adhibere tenemur argumentum est ejus perspicuitatis. 268. a. Quid differant *fides*, Scientia & Opinio. 272. b. Ubi necessitas dominatur promissiones & prohibitiones non possunt esse media *fidei*. 283. b. Discrimen *fidei* & scientiæ. 310. b. De *fide* efficace ex loco *Coloss.* II. 12. 314. b. *Fides* opponitur à Paulo operibus, & aliquando tamen opus vocatur. 402. b. *Fideles* singulos à *fide* & salute excidere posse, Et non esse servile metu damnationis ad perseverandum in *fide* moveri. 421, 422. b. Ex eo quod nemo prior Deo dederit non sequitur Electionem à conditione *fidei* non pendere, qui id asserunt nec Pelagiani nec semi-Pelagiani sunt. 424. 425. b

*Fides*, vide *Credere*.

De *fiducia* in Deum locutus est Christus cum discipulis ex occasione ficus *Marc.* XI. 12, 13. 8. b

Non bene ex vocibus *figmenti* & massæ *Rom.* IX. 20. colligi Paulum hic respicere ad genus humanum nondum conditum, nec peristas voces intelligi posse genus humanum corruptum in Adamo. 406. b

Ex *figuratis* orationibus quæ in scriptura occurrunt non probari ejus in rebus ad salutem necessariis obscuritatem. 271. a

De Deo Patre, *Filio* & spiritu S. deque eorum personalitate, divinitate & subordinatione. An *filius* Dei rectè dicatur αὐτόθεος. De generatione divina quæ est fundamentum subordinationis inter Patrem & *Filium*, Christus homo quatuor modis vocatur Dei *Filius*. Jesum donari hoc *filii* Dei titulo ob aliam quoque naturam probare conatur ex scriptura autor, Idem ostendere nititur duabus rationibus. Rejectio quæstionum aliquot curiosarum circa modum generationis *filii* Dei, Respondetur ad duas objectiones. Modum *filiationis* divinæ Jesu Christi non esse ad salutem creditu necessarium tribus argumentis probatur. Respondetur ad objectiones aliquot quæ fiunt in contrarium. 332, usque ad 344. a. Deum insontes *Filios* propter sontium majorum culpas nunquam punire. 372, 373. a. Ex eo quod *Filius* Dei mortuus dicatur in sacris non sequi aliam carnem Christū habuisse quàm illam quam acceperat à Maria. 420. a. Cur Christus Discipulis suis dum viveret, & dæmonibus prohibuerit, ne eum Dei *Filium* vocarent. 10. b. Quomodo accipiendum sit illud *Joan.* V. 19 quod *filius* nihil à se possit facere, Qui *filium* αὐτόθεον faciunt non possunt se ex quæstionis hujus nodo expedire. 22 b

De *fimbriis* & phylacteriis Judæorum. 63, 64. a

Ex illo principio, Omnia entia naturalia *finis* gratia agunt, solidè colligi aliquem esse hujus universi rectorem. 7, 8. a. De ultimo hominis *fine*. 201. & seqq. b. vide *Bonum*.

*Flagris* castigabantur inter Hebræos qui Criminis non capitalis rei erant. Numerus plagarum non excedebat 40. Quibus peccatis *flagellationis* pœna juxta Hebræorum magistros deberetur. 120, 121. a

*Flexio* voluntatis, vide *Voluntatem*.

Mulier extra statum tempus *fluxum* passa sacrificium offerre tenebatur pro mundatione sua. 77. a

*Fœdus* nullum pepigit Deus cum Adamo & Noacho. 23. a. Revelatio Abrahamo facta *fœdus* continuit quod cum eo solo initum est, Deum tria ab Abrahamo hoc fœdere stipulatum fuisse. 31, 32. a. Quo sensu *Fœdus* illud cui adjecta erat Circumcisio æternum vocetur. 45, 46. a. An dentur Sagæ quæ expressum cum dæmone *fœdus* ineant. 144. a. De promissis *Fœdere* Mosaico contentis. 155, & seqq. a

*Fœdus* vetus, vide *legem* Mosis.

Quid sit *felicitas*? 201, & seqq. b

*Fœminis* quando docere, baptismum & cœnam administrare liceat & non liceat. 39. b. De *Fœmina* quæ debet habere potestatem in capite propter Angelos ex 1 *Cor.* XI. 10. Et velatas fuisse *fœminas* apud orientales populos. 46, 47. b

De *fœneratoribus* eos esse variis generis, quosdam ad sacram Cœnam admittendos, quosdam vero non. 48. b

De *Forma* Dei & servi Christo *Philip.* II. 6. tributa. 22. b

De *Fortitudine* Christiana in genere, & in specie circa paupertatem, ignominiam & dolores. 252, 253. a

*Frater fratri* defuncto semen suscitare tenebatur juxta legem Leviratus & quis per *fratrem* intelligendus sit; qui renuebat discalceationis & sputi ignominia afficiebatur. 115, 116. a

De conversione cordis ad *fraudes*, quæ *Deo* tribuitur. 393. a

*Fructus* anni quarti *Deo* consecrabantur. 85. a. *Fructuum* primitiæ multis cum ceremoniis Hierosolymam in Templum adducebantur. 86. a. *Fructus* anni septimi, communes erant. Ibid. De *fructibus* Spiritus. 253. a

*De fuga* Dei, quæ ejus desiderio opponitur. 313. a

*Furor* divinus, vide *Iram*.

De culpa *Furti* 76. a. De *Furti* restitutione juxta legem Mosaicam. Ergastula pro *furibus* laudantur. Simplices *fures* non esse capitis supplicio afficiendos. An *furta* cum violentia conjuncta ultimo supplicio puniri possint. 107, 108. a. De *Furti* judicio juxta legem Mosaicam. 125. a.

Quam dæmones *Futurorum* scientiam habere possint. 139. a

De præscientia *futurorum* contingentium, vide *Scientiam*.

G.

*Gaudium* Dei quid sit; id oritur vel ex fruitione actionis bonæ hominis, vel ex actione ipsius Dei circa homines tum benè, tum malè se gerentes, Huic opponitur Dolor seu tristitia 315, 316. a

An rectè ex Christi *Genealogia* colligatur, eum ex tribu Juda & familia Davidis ortum suum duxisse. 174. a

De *Genealogia* Christi ex *Matth.* I. & *Luc.* III. & conciliatio horum Euangelistarum ex Africano. Cur Matthæus *Genealogia* Christi initium ab Abrahamo sumat & quatuor mulierum in ea mentionem faciat: Nec non de tribus Matthæi tessaradecadibus, Et in secunda & tertia decimum quartum non deesse. 1, 2. b

De *Generatione* divina quæ est fundamentum subordinationis inter Patrem & filium. *Generatio* à qua Deus vocatur Pater quinque modis in scripturis accipitur, sed κατ' ἐξοχὴν vocatur Pater Jesu Christi, & Christus Dei filius. Rejectio quæstionum aliquot curiosarum circa modum *generationis* filii Dei; locus insignis Cyrilli Hierosolymitani ad hanc rem, De necessitate credendi modum filiationis Jesu Christi, cum responsione ad ea, quæ in contrarium afferuntur. 334. usque ad 344. a. De *generatione* in iniquitate ex *Psalmo.* LI. 7. 405, 406. a

De *Genethliaca*, vide *Astrologiam*.

De separatione à *Gentilibus*, domus secunda præceptorum negativorum & præcepta XIII. continet. 148. a

Vocatio *Gentium* per Messiam adstruitur & probatur ex Mose, Psalmis & Prophetis, tum minoribus, tum majoribus. Regulæ ad intelligendum scripta Prophetarum quæ de vocatione *gentium* agunt. Cur Paulus *Ephes.* II. 5. vocet vocationem *gentium* mysterium aliis æratibus non patefactum, cum prædicta fuerit, & Judæi hodierni eam prædictam fuisse agnoscant. 197, usque ad 203, a. Innumerabilis *gentium* turba Jesum olim pro Messia agnovit 204. a. Multi ex antiquis doctoribus crediderunt probiores *gentiles* salvatum iri. 248. b

Γνωμολόγια species divinationis. 139. a

*De* castitate in *Gestibus*. 252. a

*De* facto *Gibeonitarum*. 105. a

De pœna *Gladii* apud Judæos usitata & qui ea afficiebantur. 122. a

*Gloria* & Regia Majestas quæ de venturo Messia apud Prophetas prædicitur, non obstat quia Jesus noster qui multa perpessus est sit ille verus Messias, cum & in aliis Prophetarum locis perpessiones ejus prædicantur. 188, 189. a. Quomodo hoc intelligendum sit quod *Deus* dicit *Esa.* XLII. 8. *Gloriam* meam alteri non dabo, & quæ *gloria* illa sit. 343. a. *Deum gloriam* non quærere ex miseria hominis æterna. 322. a. Ad *gloriam* nominis sui illustrandam mala piis aliquando evenire vult Deus. 366. a

Per vocem עלמה Virginem significari, de origine hujus vocis, septies eam reperiri in sacris. 176, 177. a

*Gonorrhaam* passus sacrificium offerre tenebatur pro mundatione sua. 77. a. *Gonorrhaus* immundus est & immundat juxta legem. 83. a

*Gratia* Dei, sub Amore benevolentiæ comprehenditur. 311. a. De *gratia* & mercede. 326. a. An Angeli boni ex *gratia* Dei excidere amplius nequeant. 349. a. *Gratia* Dei est causa proxima redemptionis. Potuisset Deus, si voluisset *gratis* peccata generi humano condonare. Sacrificium propitiatorium optimè cum *gratia* consistere. *Gratiam* humano generi facere constituit Deus ante sæcula, obscurius tamē fuit patefacta ante adventum Messiæ. Qua in re obscuritas illa consisterit. Qualis *gratia* locū habuerit à lapsu Adami usque ad diluvium. De *gratia* Abrahamo & ejus familiæ facta. De *gratia* populo Israelitico exhibita, quæ tamen subobscura fuit. 407, 408, 409. a. Examen absoluti Prædestinationis decreti in quo nonnulli totam divinę *gratiæ* gloriam collocant. 410, & seqq. a. *Gratia* Dei in remittendis peccatis est ordinaria vel extraordinaria. 14. b. De *gratia*, Pelagianos non esse omnes eos qui Deo non satis, homini vero nimium tribuunt. Calvinistas Deo non satis & homini nimium tribuere; Peccatorem excusabilem reddere, Et *gratia* Christi aliquid suffurari. Capellum immerito hac in parte Pelagianismum Arminio impingere, Et Patres qui *gratiam* contra Pelagium asserverunt liberū arbitriū non sustulisse. Illum non extenuare *gratiam* qui eam universalem facit, sed contra. Arminium nihil merito hominis tribuisse in Prædestinatione, Quantū libertatem idem homini tribuat, & nihil derogasse potentiæ quā Deus utitur in conversione hominū. à pag. 172, usque ad 178. b. Sententiam Cameronis de *gratia* esse Pelagianam, qui statuebat juxta Canonem 4. Synodi Africanæ, Ad scientiam nos habere *gratiam* Christi, ad Caritatem non habere. 210, 211. b. Ex eo quod sine *gratia* non possumus salutem adipisci, non sequitur omnes homines sine ea necessario peccare. 247. b. An qui credunt majorem à Deo acceperint *gratiam*, quàm qui non credunt. 275. b. Quid phrasi illa denotetur, & dederit Deus *gratiam* in oculis, &c. 333. b

*Gratia*, vide *Veniam* & *Auxilium*.

De *Gratiarum* actione per Christum. 248. a

*Gratitudo* liberorum erga Parentes consistit in variis. 113, 114. a

*Græci* Christiani abstinent adhuc à sanguine & suffocatis. 53. b. De *Græco* versionibus Veteris Testamenti, ac inprimis de versione LXX. interpretum. 274, 275, 276. a

De *Gubernatione*, quæ est alter Providentiæ divinæ actus. Probatur Deum *gubernare* actiones hominum. Hujus *gubernationis* duo sunt actus, primus assiduæ inspectionis, secundus judicii. Probatur etiam Deum *gubernare* ires omnes alias creatas, idque propter hominem, quod ex duobus indiciis apparet. 361, 362. a. vide cætera sub titulo *Providentia*.

De *gustatione* bonitatis Dei ex loco 1 *Petr.* II. 13. 331. b

H.

DE libro *Habacuc*. 219. a

Quid sit *habere* peccatum ex locis 1 *Joan.* I. 8. & III. 9. 271. b

De *Habitibus* infusis qui dicuntur à Theologis. 358, 359. a


An

An peccati actus, an vero *habitus* excludat ex regno cœlorum; si *habitus*, quorum quisque ad actum extra culpam & reatum consistere dici possit ac debeat. 17. *b*

De libro *Haggai*. 220. *a*

Quos libros recenseant Hebræi inter Hagiographos. 220. *a*

De *Haruspiciis* ab *harugis* sive hostiis in *hara* conclusis. 146. *a*

De jure *hæreditatum* apud Hebræos. 127. 128. *a*

Legem de occidendis Idolo'atris magistratum Christianum non obligare, & si obligaret ex ea recte colligi non posse Magistratum extremo supplicio plectere *hæreticos* teneri. Et quod discrimen sit inter seductorem de quo in lege mentio fit & *hæreticum* hodiernum. 103, 104. *a*

Lectionem librorum quos vocant *hæreticorum* prohibent Judæi, ut & Pontificii, & suorum librorum lectionem unicam inculcant. 135. *a*

Quid sit *Hæresis*, quid Schismata. 60, 61. *b*

De repetendo *hæreticorum* baptismo. 162, 163. *b*

Calvinistas leviori de causa *hæreseos* crimen alicui affricare quam Romanenses. 170. *b*

Calvinistas statuere licere, imo laudabile esse in *hæreticos* gladio animadvertere, & *hæresin* prout hodie hæc vox sumitur non esse justam causam odii. 182. *b*

De *Hebdomadibus* Danielis, ex quibus probatur Messiam jam venisse: de tempore initii *Hebdomadarum*. 170, 171. & 173. *a*

Ex *Hebraismis* quę in scriptura occurrunt non probari ejus obscuritatem in rebus ad salutem necessariis. 271. *a*

De induratione filiorū *Heli*. 297, 298, 299. 300. *b*

*Hermiani* aquæ baptismum respuerunt. 36. *b*

*Hierosolymis* tantum sacrificium Deo offerre licebat Judæis in sacra æde. 79. *a*

*Hircus* pro ignorantia aut negligentia regis offerebatur. 73. *a*

De *hircis* qui offerebantur die expiationum. 74. *a*

Quam sit incerta *historiarum* tam Ecclesiasticarum quam profanarum fides. 131, 132. *b*

Quibus *historicis* fides habenda. 151. *b*

Veritas *Historiæ* librorum Novi Testamenti, vide *Scripturam*.

Quid *holocaustum* sit. 71. *a*

*Homicidii* certi, sed incerti autoris, crimen vitulæ mactatione expiandum erat. 101. *a*

*Homicida* involuntarius inter Judæos exilio mulctabatur. 121. *a*

*Homicidii* nulli privato, deliberato animi proposito, se ipsi defendendi gratia patrare licet. 28, 29. *b*

*Homini* nulla innata est divinitatis opinio, sed principia dantur in natura ex quibus colligere potest Deum esse. 6. &c. *a*

Tota mundi fabrica ita est ordinata ut omnes ejus partes uni *homini* serviant, quod arguit rectoris alicujus supremi consilio hoc fieri. 8, 9. *a*

Cur Deus creaturus *hominem* dixerit, Faciamus &c. corpus *hominis* ex terra formatum est ac proinde fuit corruptibile. In figura corporis *humani* quinque observanda. De anima hominis ejusque immortalitate, nec non de animæ facultatibus. 352, & seqq. *a*

Probatur ex Scripturis Deum conservare *hominem* & gubernare actiones *hominum*, & alias res omnes creatas idque propter *hominem*, quod ex duobus indiciis apparet. 361. 362. *a*

Ex sententia Cameronis Deus agit in *hominibus* ut in rebus inanimatis aut brutis. 350. *b*

An *homo* nihil ex se habeat quàm peccatum & miseriam, & quam multa ei bona tribuantur in Scriptura. Nos non tantùm mortis sed & vitæ, nobis causa sumus. 352. *b*

De *hominis* officio ut salutem consequatur. 366. *b*

Quomodo maledictus dicatur *Jer.* XVII. 5. qui confidit in *homine*; cum Scriptura nos jubeat confidere in Christo *homine*. 343, 344. *a*

Probatur Jesum Christum fuisse verum *hominem* ex *homine* natum, contra Anabaptistas Flandros. 416, 417. *a*. Responsio ad loca Scripturæ & rationes quibus Anabaptistæ sententiam suam de Christi persona tuentur. 417, & seqq. *a*

Quatuor de Christo *homine* necessario credenda. Quid de Josephitis sentiendum sit, qui Christum nil nisi nudum *hominem* ex Josepho & Maria natum agnoscunt. 421. *a*

Fieri posse ut absque philautia aliquis Deum *hominis* similiorem faciat quam par sit; Et Deo non satis, *homini* plus tribuat absque Pelagianismo. Calvinistas Deum *hominis* dissimiliorem facere quàm par sit, Deo non satis tribuere, & *hominis* nimium, cum peccatorem excusabilem reddunt, & gratiæ Christi universam vim suam suffurantur. 169, usque ad 173. *b*

*Homo* Deus non foret, si voluntatis ejus determinatio non penderet à Deo. 336, *b*. vide *Libertatem*.

Discrimen *Honesti* ab *inhonesto* est primus actus religionis naturalis, quæ solam rectam rationem pro norma habet. *Honesta* & inhonesta triplicis sunt generis. 17, 18. *a*

Quo sensu Camero dicat homines non semper sequi quod mens *honestum* esse ostendit. 357. *b*

Bonum *honestum* non esse ultimum hominis finem, sed bonum jucundum. Vide *Bonum* summum. De *Honore* Aaronis posteris in rebus ac negotiis sacris omnibus debito, & qua in re eum *honorem* constituant Judæi. 68. *a*

*Honor* juxta legem debebatur senibus. 113. *a*

De *honore* & timore parentum, & quod sub illis vocibus comprehendatur reverentia, obedientia & gratitudo. 113, 114. *a*

De *honore* rebus sacris exhibendo, domus tertia præceptorum negativorum, & præcepta XXIX continet. 149. *a*

De *honore* Dei & Christi. 248. *a*

De *honoribus* non quærendis. 251, 252. *a*

*Honores* improbos felices reddere non posse. 368. *a*

Superemintiam *honoris* & potestatis habere supra alios non repugnare legi Christi *Matthæi* XX 23. nec locis illis ubi modestia, animi demissio, &c. præcipiuntur. 72, 73, 74. *b*

Quid præceptiones differant ab *hortationibus* & prohibitiones à *dehortationibus*. 279. *b*

Cum consolatione seu conversione quàm statuit Camero non possunt consistere *hortationes* sub spe præmii, & comminatione pœnæ. 349. *b*

An posità voluntatis ἀυτεξουσίᾳ tollatur *hortationum* usus. Quid possint rationes & *hortationes* in voluntatem. Nullus est *hortationum* usus, si voluntas necessariò judicium intellectus sequitur. Discrimen inter *hortationem* & præceptionem. Ratio quâ probatur ex Cameronis sententia tolli *hortationum* usum. 355. usque 358. *b*

Quomodo Deus *hortari* possit illos quos præscit gratia sua certo certius liberè abusuros. 385, 386. *b*

De libro *Hoseæ*. 218. *a*

*Hospitalis* fuit Abrahamus & excepit domi suæ Angelos. 33. *a*

De *humilitate* Christiana in genere & specie. 251. *a*

*Humilitatem* Christianam non evertere autoritatē Magistratuum, Dominorū, Patrum, &c. 73, 74. *b*

Non esse contrarium *humilitati* judicium spiritus proprii adhibere in rebus fidei, vel credere Augustinum, Hieronymum, &c. erravisse. 109. 110. *b*

De distinctione inter cultum Latriæ, duliæ, & *hyperduliæ*. 132. *a*

Vocationem Dei respectu reproborum esse *hypocriticam*, ex sententia Cameronis sequitur. Et quis propriè sit *hypocrita*. 306, 307. *b*

De *Hypostatica* naturæ divinæ & humanæ unione. 293, 294. *a*

I.

De absoluta *Jacobi* electione, & Esavi reprobatione non agi à Paulo *Rom.* IX Responsio ad objectionem, *Jacobum* & Esavum fuisse typos electionis & reprobationis. De amore Dei erga *Jacobum* & ejus posteros. 401, 402. *b*

De actu *Ideoni* non exercendo, & ejus Oraculum non consulendo. 134, 135. *a*

In primo mundo cur nulla fuerit *Idololatria*. Ortus *idololatriæ* & quidem duplicis, Causa *idololatriæ* quænam fuerit. 22, 23. *a*

An *idololatra* fuerit Abrahamus cum Deus ei in mandatis dedit, ut exiret ex cognatione sua *idololatrica*. 31. *a*

Capra pro *idololatria* ex errore commissa mactabatur. 72. *a*

*Idololatriæ* extirpanda erat Judæis ex terra Canaan; an præceptum hoc de extirpanda *idololatria* ad cultum decem tribuum applicari debuerit; An etiam sub Novo Testamento locum habere & ad Cultum Pontificiorum extendi debeat. Quodnam Magistratus Christiani officium hac in re sit. Cives internecioni dari debebant, & eorum civitas comburi qui ad *idololatriam* se induci passi fuerant sub lege. Hęc de occidēdis *idololatris* lex Magistratus Christianos hodie non obligat, neque ex ea rectè colligitur, ipsos extremo supplicio plectere hæreticos teneri. 102, 103, 104. *a*

Triplex est *idololatriæ* de alio Deo non colendo, alius Deus tribus vocibus in Scriptura effertur, & tribus modis potest quis alium habere Deum. De imaginibus *idololatricis* non faciendis. Omnia sine exceptione simulacra quibus religiosus cultus defertur *idololatrica* esse, quid Judæi interdicto imaginum comprehendi statuant. Quale fuerit *idolum Moloch*, de discrimine inter imaginem & *idolum*. De *idolis* non respiciendis, & *idololatris* libris non legendis. 128. & seqq. *a*

De *idololatria* Pontificia circa cultum imaginum. 290. *a*

Judæum ad *idololatriam* incitare quantum crimen, & quam acerbè puniri voluerit Deus. De non concupiscendis, aut in usus nostros convertendis iis quibus *Idola* vestiuntur aut ornantur. Item de commodo nullo quærendo ex iis quæ ad *idolorum* cultum pertinent. De civitate ob *idololatriam* destructa nunquam reædificanda, ex spoliis ejus quicquam in usus privatos converti netas. 136, 137. *a*

Invocationi divini numinis contraria est *idololatria*. 248. *a*

An propter solam *idololatriam* ira Dei accendi dicatur in sacris ut vult Maimonides. 320, 321. *a*

De *idololatria* pontificia in adoratione mortuorum, Angelorum & panis Missæ. 342. *a*

*Idololatria* quæ passim viget apud eos qui se solos Christi Ecclesiam volunt haberi Judæis est maximo scandalo. 438. *a*

An Cantilenas *idololatricas* canere liceat. 49. *b*

Prædictiones de abolitione *idololatriæ* sub regno Messiæ esse hypotheticas, nec statim semel & simul impiendas, & sufficere ad probandum Jesum esse verum Messiam si constet de his tribus, 1. Religione ejus damnari omnem *idololatriam*. 2. ipsius efficacia paulatim extinctam fuisse, & 3. Oracula Ethnicorum obmutuisse. De *idololatria* quæ superest apud Indos, & inter Christianos. 212, 213, 214. *a*

De *idololatria* Gentilium & Pontificiorum circa cultum imaginum. Nec non de distinctione inter *idola* & imagines, vide *Imagines*.

An ratione essentiæ nomen יהוה Deo tribuatur. 280, 281. *a*

*Jejunabant* Judæi juxta præscriptum legis decima die septimi mensis. 94. *a*

De *jejunio* quadragesimæ & de traditione non scripta hac in parte. 262. *a*

De libro *Jeremiæ*. 220. *a*. & de Lamentationibus *Jeremiæ*. 225, 226. *a*

*Jesum* Christum esse promissum Messiam prolixè probatur, tractatu de Messia. 155, & seqq. usque ad 217. *a*

De *igne* in altari perpetuo succenso, & plura de *igne* cœlitus delapso. 67, 68. *a*

Sensus verborum Christi *Marc.* IX. *vers.* 49. Omnis *igne* salietur. 3. *b*

De supplicio *ignis*, vide *Combustionem*.

De *ignominia* ferenda & contemnenda. 252. *a*

*Ignorantia* affectata nulla esse potest secundum Cameronem. 255. *b*

De *illuminatione* mentis, & quomodo illa fiat juxta Cameronis sententiam de determinatione voluntatis ab ultimo judicio intellectus practici. 211, 212, 213. *b*. Et *illuminationem* mentis non posse peti à Deo juxta illam sententiam. 217. *b*

Quo sensu verum sit intellectum per vim irresistibilem *illuminari*. 284. *b*

Quomodo illud intelligendum sit intellectum irresistibiliter *illuminari*. 364. *b*

*Illustratio* facta per vim Spiritus S. irresistibilem, præceptionum & prohibitionum usum excludit. 280. *b*

*Illuminare*, vide *Lucem*.

De *Imagine* Dei ad quam homo factus est, eam in dominio consistere, quod beneficio potissimum rationis & libertatis voluntatis obtinet. 283. *a*. & 359, 360. *a*

De *imaginibus* non faciendis. Quid de *imaginum* tum Dei tum creaturarum effectione sit statuendum. Omnes sine exceptione *imagines* quibus cultus religiosus defertur idololatricas esse. De *imaginibus* non collocandis in locis religioni destinatis. Quid Judæi interdicto de cultu *imaginum* comprehendi statuant. Christiani *imaginum* cultores magno sunt scandalo Judæis. Examen exceptionum & distinctionum quibus cultum istum excusant; De distinctione inter *imaginem* & idolum. Nec

non inter cultum latriæ, duliæ & hyperduliæ. An eadem sit adoratio *imaginis* & exemplaris an vero diversa. tres ea de re Pontificiorum sententiæ. De non respiciendo ad Idola, de statua non erigenda, & de lapide picto non constituendo ut quis se incurvet ei. 130, usque ad 136. *a*. De *Imaginum* veneratione & Patrum consensu hac in parte. 263. *a*. An sine salutis periculo nemo possit Deum in *Imagine* repræsentare ea forma qua olim apparuit. Et de cultu *Imaginum* apud Pontificios. 289, 290. *a*. De *Imaginum* cultu. Idololatriæ crimen declinare non posse qui Dei vel creaturarum *Imagines* faciunt ut eas colant. An ideo quod Ecclesia distinctionē fecerit inter idola & *imagines* distinctio illa approbanda sit. Non probatur satis solidè autoritate 2. Synodi Nicenæ Ecclesiam Catholicam semper distinxisse inter idolum & *imaginem*; nec testimonio Origenis, Theodoreti, & Euthymii, quibus opponitur Tertullianus & multi alii veteres. An distinctionem hanc faciendam esse id probet quod vetustissimæ scripturæ versiones nunquam Græcum *εἴδωλον* verterunt per vocem *imaginis*. An idolum sit tantùm *imago* falsi numinis. Quo sensu Paulus 1 *Cor.* VIII. & X. idolum vocet *nihil*. Qui *imagines* faciunt ut eas colāt rei sunt violationis præcepti divini. Unde vocibulorum significationes peti possint. Idoli vocem in sacra scriptura accipi etiam pro *imagine* facta ad repræsentandum verum Deum tribus exemplis probatur. 133, 134, 135, 136, *b*. Ethnici per sua idola non adoraverunt verum Deum. Neque est verisimile illos idola sua adoravisse tanquam Deos. Id ex eo non sequitur quod vitulo aureo quem conflavit Aaron nomen Dei tribuatur. Israelitæ non crediderunt istum vitulum esse Deum, licet *Deut.* XXXII. 17. dicatur illos idola pro diis habuisse, & oblitos esse Dei sui. Responsio ad loca *Dan.* V. 4. & *Esa.* XLIV. 17. Probatur quatuor rationibus Gentiles non credidisse *imagines* suas esse Deos, cum responsione ad loca petita ex XIII. & XIV. *Sapient.* Et ad testimonia Gentilium de idolis suis, & imprimis Arnobii, quibus Arnobius ipse & alii Gentiles opponuntur. De opinione Trismegisti qui docuit, homines habere artem Deos faciendi, statuas certo modo effigiando. 136, 137, 138, 139, 140. *b*. Ecclesiam Romanam eodem modo *Imaginum* cultum defendere quo fecerunt veteres Idololatræ, vel contraria facere & exercere iis quæ verbis profitetur. Virtus miraculosa tributa *imaginibus*. Preces ad eas directæ. Frequentatio locorum ubi sunt *imagines* miraculosæ. 140, 141. *b*. An præceptum positivum ceremoniale datum fuerit Judæis, præter morale, quo omnes omnino *imagines* facere prohibeantur, ut vult Jesuita Wadingus, quæ assertio in eum retorquetur. Præcepto secundo Decalogi non damnantur plane omnes *imagines*. An Deus Judæis propter idololatriæ periculum omnē prorsus *imaginem* facere prohibuerit. Si id verum sit lex illa perpetua esse debet. 141, 142, 143. *b*. Præceptum contra *imagines* esse morale multæ rationes suadent. Omnes *imagines* effingere nulli prohibitum est; tutum tamen non est *imagines* Christi aut sanctorum in templis collocare. *Imagines* Dei prorsus esse illicitas, quod expressè prohibeantur. Diluitur 1. exceptio, proprias tantùm & formales, non verò metaphoricas Dei *imagines* prohiberi. 2. Non pugnare cum ratione rem spiritualem figura corporali exprimere. Et non esse absurdius coloribus exprimi in tabula manus & pedes Dei, quàm atramento in charta. 3. Pontificios nullam Dei figuram exprimere in qua Deus se ipsum non ostenderit. 143, 144. *b*. Jure reprehendi qui se coram *imaginibus* prosternunt cum orant. Nec excusari quod se illis internam adorationem deferre negent. An libera sit nec ne *imaginum* adoratio. An Ecclesia autoritatem habeat eam præcipiendi. An *imagines* à principio cultæ fuerint in Ecclesia. Id Basilii testimonio nō probari, cui alii è veteribus opponuntur. Nec *imagine* ab Haimorhousa posita, Nec autoritate concilii Anticheni. 144, 145, 146, 147. *b*. Rationes aliquot contra cultum *imaginum*. Honestatem illum non suadere nec utilitatem. 147. *b*

De Dei *immensitate*. 287. *a*. vide *Ubiquitatem*.

*Immortales* sunt angeli. 348. *a*

De *immundorum* remotione à castris sive à templo. 68. *a*

*Immundities* sub lege triplex, 1. per superbiam & manu elata, & ea sacrificiis expiari non poterat. 2. Moralis *immundities* ex errore & imbecillitate orta. 3. Physica seu ceremonialis *immundities* corporis quæ nulla culpa contrahitur, ut lepra, scabies, & hæ expiabantur sacrificiis. 71. *a*. *Immundi* non poterant comedere Pascha cum aliis, sed secundo mense edebant illud, & quinam *immundi* illi fuerint. 75. *a*. Pro liberatione ab *immunditie* offerebantur sacrificia sub lege eucharistica, quæ vocantur pro peccato & cur. 77. *a*

*Immundities*, vide *Mundiciem*,

De Dei *Immutabilitate*. 289. *a*

Internum peccati actum nunquam *impedit* Deus vi irresistibili, sed externum actum, idque pluribus modis. 377, 378. *a*

Nec necesse erat, nec conveniebat Deum adhibere suam potentiam ad lapsum Adami *impediendum*. Cur Deus actu non *impedierit* lapsum primi hominis, & quid in eo præstiterit. 342, 343. *b*

*Imperium* Dei in homines, vide *Dominium*, & *Jus*.

*Impossibile* dicitur interdum in sacris, quod valde difficile est. 12 *b*

De *impotentia* physica & morali. 305. *b*. An bene agendi *Impotentia* attrahi possit. 402. *a*

*Impunitas* scelerum improbos hic felices non facit. Non *impunitis* hic manent improbi. 368, 369. *a*.

*Impuritas*, vide *immunditiem*.

An dogma *Incarnationis* arguat scripturam in necessariis esse obscuram. 269. *a*

Damnum *incendio* datum sarcire tenebatur ejus autor, & de quibus *incendiarus* hoc intelligendum sit. 126. *a*

Quæ nuptiæ pro *incestis* habitæ fuerunt ante legem. 37. *a*

*Inconstantiam* hominum oriri ex voluntatis libertate. 207. *b*

*Incredulitas*. non credere non est peccatum in iis quibus Euangelium non est annunciatum; Multique ex antiquis doctoribus censuerunt probiores gentiles salvatum iri. 248. *b*. Causæ *incredulitatis* Judæorum sunt tres, 1. ex parte eorum, 2. ex parte Christianorum, 3. ex parte Dei. 158, 159, & 431, usque ad 440. *a*. Utrum *Incredulitatis* sedes sit intellectus an voluntas, & quænam illius sit natura. 253, 254. *b*. Vide *Credere*, & *Fidem*.

De latione *incrementi* ex 1 *Cor.* III. 6, 7. 282. *b*

De *incurvatione* coram idolis, vide *imagines*.

Nemo plane *indifferens* est, & cur. 206. *b*

*Indignatio* divina, vide *Iram*.

Deum providentia sua non tantùm species sed & *individua* conservare. 391. *a*

*Induratio* divina causa est incredulitatis Judæorum. Quid sit illa *induratio*. Et quomodo ea tollenda. 439, 440. *a*. Quid per *Indurationem* quæ Deo tribuitur in sacris sit intelligendum. De *indiuratione* Pharaonis. Actiones tres divinæ quibus Pharao fuit *inauratus*, eæ per se nullam *indurandi* vim habuerunt. Quomodo induratio, quā Deus *induravit* cor Pharaonis sit consideranda. Examen quorundam scripturę locorum ad hanc rem pertinentium. 389, usque ad 394. *a*. De *induratu*, nec esse omnino impossibile ut Deo obediant. *Induratio* Pharaonis & filiorum Heli. Responsio ad objectiones Cameronis quibus probare conatur *induratos* non posse obedire, ubi iterum de *indurationē* Pharaonis & filiorum Heli. 297, 298, 299, 300. *b*. De *indurationē* cordis Israelitarum ne timerent Deum. 344. *b*. De *indurationē* ex loco *Rom.* XI. 7. 419. *b*. Quomodo ex loco *Rom.* IX. 18. Deus *induret* peccatores. 405. *b*. Ex *Rom.* XI. 25, de Judæorum *indurationē*. 22. *b*

*Infallibilitas*, vide *Judicem* controversiarum, & *Ecclesiam*, & *Errorem*.

De *infantibus* Molocho non offerendis, ritum illum infantes sacrificandi in usu fuisse apud multas gentes, & unde tam horrenda superstitio. 133, 134. *a*. Quomodo, si sit certa *infantium* in *infantia* decedentium salus, longa vita beneficium Dei censeri possit. In eos qui *infantes* suos segnius idcirco curant, aut mortem eorum optant & gaudio prosequuntur, quod credant eos in *infantia* morientes beatos esse. 38. *b*. Sententia Synodi Dordracenæ de salute *infantiū*. 176 *b*

Quid per portas *inferorum* intelligatur in sacris ex loco *Matth.* XVI. 18. 258. *a*. & 118. *b*

De æternitate pœnarum *inferni*, & quomodo ea cum Dei Justitia consistere possit. 67, 68. *b*

Quomodo Jesus Nazarenus dicatur *infirmitates* nostras portasse, cum ægrotos sanaret. 190. *a*

Quid sit *inimicitia* adversus Deum. 249. *b*

De *inimici* jumēto, sub onere lapso, juvando. 110. *a*

*Inimicos* diligere tenemur. 350. *a*

*Inimicorum* dilectionem non evertere Magistratus officium in exercendis judiciis criminalibus. 81, 82, *b*

De *injuriis* ac contumeliis ferendis ex loco *Matt.* V. 39. 27, 28. *b*. De *injuriis* ferendis, & litibus vitandis, ex loco. 1 *Cor.* VI. 1. & seqq. 78, 79. *b*

De *Innocentia* servi Dei de quo *Esa.* LIII. cap. 186. *a*

Malè à Cameronе dici omnes quadantenus quotidie *insanire*. 331. *b*

Ex illo principio nihil esse in *intellectu* quod non prius fuerit in sensu, non posse probari Deum non esse, ostenditurque falsitas illius principii. 12. *a*. Utrum fidei & incredulitatis sedes sit *intellectus* an Voluntas. 252, 253. *b*. Anima qua aliundè moveri potest, modo *intellectus* modo voluntas vocatur, quæ non sunt potentiæ ab anima & à se invicem distinctæ. *Intellectio* vel est speculativa vel practica. Ejus actio est necessaria, ac proinde formalis ratio libertatis non est in *intellectu* collocanda. Nec *intellectus* est liber radicaliter; Ultimus *intellectus* actus est judicium. 355, 356, 357. *a*. *Intellectum* & voluntatem non esse duas animæ potentias realiter ab ea & à se invicem distinctas. ex hac distinctione ortas esse omnes circa doctrinam de libero arbitrio difficultates, Et voluntatem ab ultimo judicio *intellectus* practico non determinari. Per hominis libertatem intelligi dominium ejus in actiones *intellectus* & voluntatis, quarum aliæ sunt famulatrices seu præparatoriæ, aliæ imperatrices seu consummatoriæ, item in affectiones suas. 198, 199, 260, & 215. *b*. Quo sensu verum sit *intellectum* per vim irresistibilem illuminari. 284, & 364. *b*. Utrū *intellectus* & voluntas realiter tum à se invicē, tum ab anima differant. De ordine inter actiones *intellectus* & voluntatis. 310, 311. *b*. Voluntas non movetur judicio *intellectus* ad summum bonum amandum, 321. *b*. De distinctione voluntatis & *intellectus*, tum à se invicem, tum ab anima. 355, & 359 *b*. Ubi in *intellectu* est vera finis & mediorum cognitio, posse tamen voluntatem aliorsum tendere. Nullus est hortationum usus si voluntas necessario judiciū *intellectus* sequitur. 265, 279, & 357, 358. *b*. An homo appeteret malum sub ratione mali, si voluntas ab *intellectu* non determinaretur, de distinctione *intellectus* & voluntatis à se invicē. An *μετάνοια* proprie sit mentis sive *intellectus*. 318, 319, 320. *b*. Voluntatem non determinari ab ultimo judicio *intellectus* practico docent Molinæus & Wallæus adversus Cameronem, 370, 371. *b*. De necessaria voluntatis per *intellectum* determinatione. 408, & 412. *b*

Determinatio voluntatis ab ultimo judicio *Intellectus* practici, vide *Prædestinationem* juxta sententiam Cameronis. Et *Judicium*.

*Intellectus* Dei, vide *Scientiam*.

Quid vocibus *Intelligendi* & sciendi in scripturis intelligatur. 5. *a*

Loca varia ex *Psalmo* CXIX. ubi David pro *Intelligentia* quam postulat fundamento affert quod Dei legem observaverit. 360. *b*

Deum non tam *intentionem* sæpe hominum respicere quam actionem. 137, 138. *b*

*Intercessit* pro peccatoribus Abrahamus. 33. *a*

De privata Scripturæ *interpretatione* ex loco 2 *Petr.* I. 20. 120. *b*

*Interpretatio* scripturæ, vide *Expositionem*.

De *Introductione* in omnem veritatem ex loco *Joan.* XVI. 13. 5. *b*

Res *inventa* domino restitui debet. 110. *a*

De Spiritu qui concupiscit ad *invidiam* ex *cap.* IV. 5, 6. *Jacobi*. 4. *b*

*Invidia* divina, vide *Iram*.

De Dei *Invisibilitate*, cum responsione ad loca 1. in quibus Deus visus fuisse dicitur ab hominibus, & 2. quibus promittitur piis ut aliquando Deum videant. 283, 284, 285. *a*. cætera quære in voce *Videre*.

*Invocatione* Dei testatus est Abrahamus amorē suum erga Deum. 33. *a*. *Invocatio* aperto præcepto non jubetur in lege veteri. 61. *a*. De *Invocatione* Dei & Christi, subqua comprehenditur imploratio opis, huic contraria est Idololatria. 248. *a*. Sententia Patrum de *Invocatione* Sanctorum. 113. *b*

Nihil est *inutile* in mundo. 13. *a*

Parabolam de servis *inutilibus* non evincere nos esse ad omne bonum *inutiles*. 21. *b*

*Joannem* Baptiſtam fuiſſe Eliam promiſſum IV. *cap. Malachiæ* de loco *Matth.* XI. ubi *Joannes* dubitaſſe videtur an Jeſus eſſet promiſſus ille Meſſias. 215,216,217.*a. Joannes Baptiſta* teſtimonium perhibuit de Chriſto, cujus populus apparet 1. Ex modo nativitatis *Joannis*. 2. ex tempore nativitatis *Joannis*. 3. ex eo quod præiverit Chriſto in ſpiritu & virtute Eliæ. Zelus gloriæ divinæ in *Joanne* ex tribus apparuit. Auſteritate vitæ Eliæ non ceſſit, nec *παῤῥησίᾳ*. 4. Ex eo quod Chriſtus *Joanni* divino indicio innotuerit. 424, 425. *a*

Chriſtus *Joanni Baptiſtæ* primò fuit planè incognitus, deinde ei fuit revelatus & ſignum datum ex quo ipſum agnoſceret. *Joannes* neſcivit ab initio Jeſum baptizaturum Spiritu ſancto ex locis *Joan.* I. 33. & *Matth.* III. 14. 9. *b*

De libro *Jobi*. *Iobum* revera extitiſſe. quo tempore vixerit; quis autor ſit hujus libri. Cauſa afflictionis *Iobi*. Quatuor in hujus libri lectione obſervanda. Sociorum *Iobi* de cauſa afflictionis ipſius quatuor ſententiæ. *Iobi* de eadem ſententia. 223, 224. *a*

De libro *Joelis*. 219. *a*

De libro *Jonæ*. 218. *a*

De *Joſephi* venditione, & ſi decreta à Deo annon neceſſitas peccandi fratribus ejus impoſita fuerit. 394, 395. *a*

An rectè genealogia Chriſti per *Joſephum* ad Davidem referatur. 174. *a*

Cur ad *Joſephum* Chriſti genus *διαγειτικῶς* referatur in ſacris. 2. *b*

De *Joſephitis* qui Chriſtum ex *Joſepho* genitum aſſerunt. 421. *a*

De *Joſepho* ab Arimathæa occulto Chriſti diſcipulo. & ejus factum non ſervire excuſandæ ſimulantium ſententiæ. 59. *b*

*Joſua* miraculum ſuperavit omnia miracula Moſis. 55. *a*. De libro *Joſua*. 217. *a*

Quid per *iram* Deo tributam in ſacris intelligatur. 171. *b*

Voces quibus *iræ* Dei deſignatur in ſacris, quo ſenſu *iræ* Deo tribuatur. Ea accipitur aliquando pro nudo affectu depulſionis mali; aliquãdo pro primo impetu iſtius affectus ſine deliberato tamen puniendi propoſito; aliquando pro irrevocabili decreto puniendi: aliquando pro ipſa punitione & ejus effectis; non accipi pro malis quæ piis innocentibus eveniunt. Objectum *iræ* divinæ eſt homo nocens, non quà homo ſimpliciter. Locus *Rom.* IX. 22. de vaſis *iræ*, exponitur, nec non locus *Epheſ.* II. 3. de naturæ filiis *iræ*. Propter quæ peccata *ira* divina accendi dicatur in Sacris literis. Mala quæ ex *ira* Dei infliguntur ſunt vel temporalia, & inter ea mors piorum, vel æterna. 318, 319, 320, 321. *a*

De filiis *iræ* ex loco *Epheſ.* II. 3. 406. *a*

Quænam ſint vaſa *iræ*, de quibus *Rom.* IX. 22. Et quomodo coagmentata ad interitum. 407. *b*

Ab omni *ira* liber eſſe debet anima ut docilis ſit. 12. *a*

De moderatione facultatis iraſcibilis. 252. *a*

In holocauſtum jubetur Abraham filium ſuum *Iſaacum* offerre. quàm grave fuerit hoc mandatum, & quæ ejus promptitudo & conſtantia ut illud executioni mandaret. 38. *a*. & 42. *a*

Per duodecim tribus *Iſraelis* intelliguntur quandoque in ſacris tum Judæi tum Gentiles, cum quibus x. tribus in diſperſione paulatim coaluerant. 69. *b*

De *itinerario* Benjaminis, & fide nullo modo dignum eſſe. 167. *a*

Annus *Jubilæus* numerandus erat per annos & hebdomadas, à Sanhedrin numeratio fiebat, Sanctificandus erat, & decima die Tiſri buccina clangebatur, Redemtioque terræ dabatur anno *Jubilæo*. 87, 88. *a*

Bonum *jucundum* eſſe ultimum hominis finem, non cadere ſub electionem hominis, ſed neceſſario ab omnibus appeti. Nec contrarium teſtari qui ſibi ipſis mortem conſciſcunt. 1. Quia ultimus appetitionis terminus eſt fruitio. 2. Quod Legiſlatores omnes & Deus utramque legem ſuam boni delectabilis promiſſione, & contrarii mali comminatione ſanciverit. 3. Quod pii omnes & Chriſtus ipſe, boni hujus intuitu motus fuerit ad obediendum Patri ſuo. 201, 202. *b*. vide Summum *Bonum*.

Jeſum Nazarenum ex tribu *Juda* & familia Davidis ortum ſuum duxiſſe. 174. *a*

Id quod populo *Judaico* olim conveniebat malè applicari Chriſtiano, propter diverſam utriuſque populi rationem. 237. *a*. Inter *Judæos* non fuiſſe ſemper infallibilem controverſiarum fidei judicem. *Judæorum* Senatum in fide erraſſe cum Jeſum noſtrum damnavit. De Senatus *Judaici* autoritate, & de illius præſide. 238. uſque ad 241. *a*

Innumerabilis *Judæorum* turba Jeſum olim pro Meſſia agnovit. 203. 204. *a*

De cauſis incredulitatis *Judæorum*. 431, uſque ad 440. *a*. Vide *Incredulitatem*.

*Judæi* nimio amore ſe & ſuos Rabbinos proſequuntur, & odio adverſus Chriſtum & Chriſtianos flagrant. 434, 435. *a*

Quomodo omnes *Judæi* ex loco ad *Rom.* XI. 26. ſalvandi ſint. 422. *b*

*Judæos* odiſſe non debet Chriſtianus nec perſequi, 436. *a*. Crudelitas & injuriæ quibus à Chriſtianis afficiuntur *Judæi* quibuſdam in locis, averſionem eorum in Chriſtum & ejus religionem auget. 438, 439. *a*

De *Judæorum* reductione in terram ſuam per Meſſiam, vide *Terram*.

De Tremellii & *Junii* verſione Bibliorum. 277. *a*

De libro *Judicum*. 217, 218. *a*

Nullum eſſe in terris infallibilem controverſiarum fidei *judicem*. Reſponſio ad Pontificiorum argumentum, Deum non ſatis Eccleſiæ ſuæ ſecuritati proſpexiſſe niſi aliquem ſummum & infallibilem controverſiarum fidei *judicem* conſtituerit. An Chriſtus non tam bene proſpexerit Eccleſiæ ſuæ ſub Novo Teſtamento, quam proſpectum olim erat Iſraeliticæ, ſi in ea ſummum aliquem controverſiarum *judicem* non conſtituerit. Ex *Deuter.* XVII, 8. non apparere Deum voluiſſe ut inter Iſraelitas ſemper eſſet aliquis ſummus & infallibilis controverſiarum fidei *judex*. Imò id apertè falſum eſt. 236, uſque ad 241. *a*.

Reſponſio ad Scripturæ loca quibus Pontificii probare conantur. Eccleſiæ ſummum controverſiarum fidei *judicium* competere. 257, 258. *a*. vide Eccleſiam. De *judice* loquente in Eccleſia, & Dominum Jeſum talem non reliquiſſe in terris. Et unicuique *judicium* de veritate ex verbo Dei competere. 153. *b*

De requiſitis in legitimo *judice*, & Dordracenos non fuiſſe ob varias rationes idoneos Remonſtrantium *judices*. 192, & ſeqq. *b*

De *judice* controverſiarum, vide *Fidei* normam. ubi prolixe ea de re. *Judex* proſopolepſiam vitare debet. 99, 100. *a*

An lex Talionis *judices* obſtrinxerit ad pœnã de reo ſumendam, etiam læſo non poſtulante. 125. *a*

*Judices* & *judicia* ſeu tribunalia in qualibet civitate populi Judaici eſſe debebant. 98. *a*. vide *Tribunalia*.

De requiſitis ad rectè *judicandum*. 165. *b*

Domus undecima præceptorum affirmativorum, quæ eſt *judiciorum* criminalium, & VIII. præceptis conſtat. 120, uſque ad 123. *a*

Domus duodecima præceptorum affirmativorum, quæ eſt *judiciorum* civilium & XVII præceptis conſtat. 123, uſque ad 128.

Domus octavo præceptorum affirmativorum, quæ eſt *judicii*, & præcepta XIII. continet. 96. uſque ad 102. *a*

*Judicia* civilia & criminalia à Chriſtiano exerceri poſſe. 75 & ſeqq. *b*

De promiſſione Apoſtolis facta quod ſeſſuri ſint ſuper duodecim thronos & *judicaturi* duodecim tribus Iſrael, *Matth.* XIX. 28. Et qua in re *judicium* illud conſtiturum ſit, uti & *judicium* cæterorum credentium de quo Apoſtolus 1 *Cor.* VI. 2, 3. 68, 69. *b*

*Dei judicium* de actionibus hominum quàm differat à *judicio* hominum. 137, 138 *b*

De juſtitia *judicii* extremi quod fiet *ἀποστατικῶς*. 327. *a*. Severitas *Dei* apparebit in extremo *judicio*. 330 *a*

*De judicio* proprio in rebus Fidei. Totam fidem Pontificiorum in unius Papæ *judicium* tandem reſolvi. Remonſtrantes Eccleſiæ *judicium* ſuo privato *judicio* non poſtponere *judicium* ſpiritus privati non eſſe natum errorem potius quam veritatem producere. Piorum *judicium* aliquando errare in adſequendis quibuſdam ſenſibus divinis. *Judicium* proprium adhibere in rebus fidei non eſſe ſpiritum ſuperbiæ. *Judicium* privati ſpiritus, non eſſe normam fidei. Et quid per *judicium* Spiritus privati intelligatur, & quomodo illud alicui de veritate convincendo ſufficiat aut non ſufficiat. 108, 109, & 114, 115. *b*

Peccatum non poſſe conſtitui in actu *judicii*. De actu *judicii* quo ſecundum Cameronem acuti vel hebetes, boni vel mali dicimur. *De* actu *judicii* Adami ante lapſum, & quomodo Adam potuerit errare. 250, 251. *b*

Electionem non eſſe actum *judicii*. 277, 278. *b*

Voluntas non movetur *judicio* intellectus ad ſummum bonum amandum. 321. *b*

Ultimus intellectus actus eſt *judicium*, & quid *judicio* illo intelligatur. 356. *a*. Ad libertatem naturæ non ſufficit *judicium* aliquod rationis practicum. 357. *a*

Nullus eſt hortationum uſus ſi voluntas neceſſariò *judicium* intellectus ſequitur. 358. *b*

Voluntatem non determinari ab ultimo *judicio* intellectus practicici docent Molinæus, & Wallæus adverſus Cameronem. 370, 371. *b*

*Judicium*, vide *rationem* & *intellectum*.

*Jus* Dei in hominem, vide *Dominium*.

An ex variis expoſitionibus articuli de *juſtificatione* evinci poſſit ſcripturam in rebus ad ſalutem neceſſariis obſcuram eſſe. 272. *a*

Dogma *juſtificationis* prout à quibuſdam explicatur, anſam dare Judæis à Chriſtiana religione abhorrendi. 437. *a*

*De Dei juſtitia* de qua Paulus *Rom.* X. 3. 412. *b*

*Juſtitia Dei* eſt vel univerſalis vel particularis.

I. Univerſalis *juſtitia* quid ſit. Quale ſit *jus* Dei in hominem, Id non permittit ut Deus ex ejus miſeria æterna gloriam aut voluptatem quærat, & hic eſt primus *injuſtitiæ*, quæ à ſupralapſariis tribuitur Deo, gradus; ſecundus, quod docent Deũ decernere ut homo peccet; tertius, quod ajunt Deum hominem impuliſſe, determinaſſe, neceſſitaſſe ad peccatum; quartus, quod Deus primum hominis peccatũ cenſuit pro univerſi generis humani peccato, explicatio loci ad *Rom.* V. 12. quintus, quod propter unicum iſtud peccatum Deus omnes homines naſci velit corruptiſſimos &c. Quæſtiones aliquot ad *juſtitiam* Dei circa peccata pertinentes breviter deciſæ. Uberior de *jure* Dei in hominem tractatio, 1. quatenus ens eſt & animal. 2. quatenus eſt ratione præditus. 3. quatenus ratione rectè utitur. 4. quatenus ratione abutitur. 322, 323, 324, 325. *a*. II. Quid ſit *juſtitia Dei* particularis, & quomodo ab univerſali differat. In eo conſiſtit ut Deus cuique tribuat, id quod ipſi ex lege debetur. Quomodo præmium reddere ad *juſtitiam* pertineat, ubi veritas & fides locum habent. Quomodo pœnam infligere ad *juſtitiam* pertineat. Juſtitia *Dei* punitiva apparet 1. ex variis Scripturæ teſtimoniis. 2. ex eo quod inæquales pœnas comminetur delinquentibus. 3. & clariſſimè apparebit in judicio extremo. 325, 326, 327. *a*

Temperamentum miſericordiæ & *juſtitiæ* divinæ in ſacrificii propitiatorii & reſipiſcentiæ poſtulatis. 407, 408. *a*

Domus octava præceptorum negativorum quæ eſt *juſtitiæ* & præceptis XLVIII. conſtat. 153, 154. *a*

*De* Actibus *juſtitiæ* & dilectionis Proximi. 249. *a*

Quo ſenſu Philoſophi & Judæi quidam dicantur fuiſſe *juſti* & perfecti. 401. *a*

Quænam ſit illa *injuſtitia* quam *Rom.* IX. 14. à *Deo* removere ſtudet Paulus. 404.

Quid ſit *Rom.* IX. 30. non ſectari *juſtitiam*. 409. *b*

*De juramento* per nomen Dei. 61. *a*

Quatuor genera *juramentorum* ſtatuunt Hebræi, quibus hominem obſtringi negant, quæ tamen inter turpia cenſeri debent. 81. *a*

*De* non *jurando* per falſos *Deos*, vel potius de non loquendo de iis. 136. *a*

Exempla *juramenti* ſub Novo Fœdere. 248. *a*

K.

DE feſto *Kipur*, vide feſtum *Expiationis*.

Qui ſint *κῠνοκέφαλοι*, poſſe eos ad Cœnã admitti, quamvis Chriſtus eos templo ejecerit. 47, 48. *b*

L.

DE libro *Lamentationum Jeremiæ*. 225, 226. *a*

*Lamiæ*, vide *Magiam*.

*Lanarum* primitiæ ſacerdotibus dabantur. 89. *a*

Quomodo Jeſus Nazarenus dicatur *Languores* noſtros tuliſſe, cum ægrotos ſanaret. 190. *a*

*De Lapidatione* inter Judæos uſitata, quo pacto eam fieri ſolitam Judæorum Magiſtri dicant, & qui ea puniretur. 122. *a*

*De lapide* picto non conſtituendo ut quis ſe incurvet ei. 136. *a*

De versionibus *Latinis* Bibliorum. 276. *a*
De distinctione inter cultum *latriæ*, duliæ & hyperduliæ. 132 *a*
*Lavare* manus & pedes suos tenebantur sacerdotes antequam ministrarent in templo. 67. *a*
De *lotionibus* legalibus. 83. *a*
De *lavatione* pedum à Christo præcepta *Joan.* XIII. 14. 162. *b*
*Lavacrum* regenerationis quid sit *Tit.* III. 5. 35. *b*
Quibus de causis *laus* Deo sit tribuenda. Tribus modis *laus* alicui fere tribui solet. 275, 276. *b*
Jure potest aliquis esse solicitus de *laude* & præmio divino. 274. *b*
De *lectione* legis post festum Tabernaculorum: quis legem populo prælegerit, taxantur qui sacrorum librorum *lectionem* laicis prohibent, quanta cum cura Judæi legem describant manu propria & eam legant. 64, 65. *a*
*Lactionem* omnium librorum Idololatricorũ & hæreticorum prohibent Judæorum Magistri, & quatenus hoc laudandum vel vituperandum. 135. *a*
Argumentũ perspicuitatis Scripturæ est, quod Deus eam *legere* omnes juber. Responsio ad ea quæ afferuntur in contrarium, discipulorum Jesu Christi, & Eunuchi Reginæ Æthiopum. 267, 268. *a*
*Lenitate* Dei indurantur sæpius homines. 297, 298. *b*
De versione Bibliorum *Leonis* Judæ. 277. *a*
De culpa *lepræ*. 77. *a*
*Leprosus* pro mundatione sua sacrificium offerre tenebatur. 77. *a*
*Leprosus*, pannus & domus *leprâ* tacta, immundi censebantur sub lege. Judicium *lepræ* penes sacerdotem erat. Causa *lepræ* in populo Judaico, an fuerit contagiosa. 82, 83. *a*
Quomodo fiebat *lepræ* mundatio sub lege. *leprosus* die septima omnem capitis pilum radebat. *Leprosus* non comparebat in publicum, nisi cum signis ex quibus cognoscitur *lepra*. 83. *a*
Quomodo *Levi* in Abrahamo decimatus dicatur *Heb.* VII. 9. 405. *a*
Discrimen inter *Levitas* & Sacerdotes. 70. *a*
Custodia templi perpetua penes *Levitas* & Sacerdotes erat, uti & ministeria ejus, ad quæ obeunda manus & pedes prius lavare tenebantur. 66, 67. *a*
*Levitis* & Sacerdotibus, urbes & suburbia XLVIII. concessa sunt juxta legem divinam. 102. *a*
De jure *Leviratus*, & quis per fratrem defuncti intelligendus. Qui *Leviratum* præstare renuebat, discalceationis & sputi ignominia afficiebatur. 115, 116. *a*
*Lex* satis non est ut homo non peccet, nisi ei dentur vires necessariæ ut *Legi* obediat. 344. *b*
*Legislatione* usus est Deus ad impediendum peccatum, ante diluvium, & post diluvium. 375, 376. *a*
Ex *lege* aliquid deberi dupliciter dicitur vel 1. ex rigore legis; vel 2. ex voluntate legẽ ferentis. 326. *a*
An *lex* naturalis obliget ad modum operandi ex dilectione Dei. 20, 21. *a*. Cur Deus primum mundum sine *lege* & promissionibus vivere permiserit. 23. *a*
*Lex* naturalis, vide *religionem* naturalem.
Exempla *legis* Mosaicæ cæremonialis & judicialis non observatæ à veris Prophetis. 28, 29. *a*
De *lege* Mosis scripta & orali, De *legis* oralis partibus, tredecim regulæ tertiæ partis. Rationes quinque quibus *legis* oralis vanitas demonstratur. Superstitio *legis* oralis. *Lex* scripta Mosis dividitur in præcepta Cæremonialia, Judicialia, & Moralia; Hebræi dividunt totam legem in 613. præcepta, præceptorum horum faciunt alia affirmativa, alia negativa, utrisque duodecim domos assignant. 56. usque ad 60. *a*
Nullum apertum in *lege* Mosis præceptum extat Deum orandi. 61. *a*
*Legis* oralis necessitatem unde arcessere conentur Judæi. 95. *a*
De promissis *lege* Mosaica contentis. 155. *a*
*Lex* habuit umbras futurorum bonorum. 156. *a*
De *legis* moralis usu, & quatenus ea præstitu fuerit possibilis aut non. 1. *Lex* strictè considerata est præstitu impossibilis; minus strictè præstari potest vel respectu ultimæ ac mysticæ intentionis divinæ, vel respectu proximæ & litera legis expressæ. 2. Non sic servari poterat *Lex* Mosis à populo infantili, ut nullo unquam tempore in delicta & culpas quasdam leviores incideret. 3. Sic tamen servari poterat ut à gravibus peccatis se contineret populus. Quæ tria variis Scripturæ locis, & exemplis probantur. cum responsione objectionibus in contrarium. Et quomodo Apostolus *Rom.* III colligat omnes tum Judæos, tum Græcos peccatores esse, & ex operibus tum *legis* naturæ, tum *legis* Mosaicæ justificari non potuisse. 18, 19, 20. *b*
Cur *lex* vocetur ministerium literæ, Euangelium spiritus. 362. *b*
Apostoli Jesu Christi, & Christus ipse, *legem* Mosaicam non abrogarunt. Et quo sensu *lex* Mosis æterna dicatur. 97. *a*. 82. *b*.
In quantum jugum *legis* Mosaicæ Gentilibus imposuerunt Apostoli. 52 *b*
De *legis* recitatione orali bis de die, & cura quam parentes adhibere tenentur ut liberos suos *legem* doceant. 63. *a*
De *legis* lectione & descriptione, quæ non tantum Regi sed & omnibus Judæis præcipitur. 64, 65. *a*
Magistratui licet *leges* condere ac ferre aliis, quamvis Christus noster *Legislator* unicus sit; nec non eas præmiis ac pœnis sancire. 74, 75. *b*
*Lex*, vide *Mandata*.
*Libamina* ex quibus liquoribus fiebant. 71. *a*
Cur vocet Matthæus Euangelium suum *librum* generationis Jesu Christi. 1. *b*
De educatione *liberorum* & cura laudanda Judæorum hac in parte. 63. *a*
*Liberorum* erga parentes officium est eos honore prosequi & timere, sub quibus verbis omnis reverentia, obedientia & gratitudo comprehenditur. 113, 114. *a*
De *liberis* Molocho non offerendis, ritum illum olim in usu fuisse apud plures Gentes & unde tam horrenda superstitio. 133, 134. *a*
Quomodo Deus visitet in *liberos* peccata parentum. 247. *b*
De longævitatis promisso quod factum legimus *liberis* parentes suos honorantibus. 381. *b*
Summum bonum vult Deus necessariò, cæteris *liberè*. Quid per *libertatem* divinæ voluntatis intelligatur. Quomodo sit *libera* Dei voluntas quatenus pro volendi actu accipitur. 305, 306. *a*
*Libertas* requiritur, ut actio moralis sit bona. 21. *a*
*Libertas* requiritur ut quis reus dicatur. 402. *a*
Patres qui contra Pelagium scripserunt, uti & priorum omnium seculorum *liberum arbitrium* non sustulisse probatur. 173, 174. *b*
Quantam *libertatem* homini tribuerit Arminius in conversione sua. 177. *b*
Intellectus actio est necessaria ac proinde formalis ratio *libertatis* non est in intellectu collocanda; Nec intellectus *liber* radicaliter. Necessitas & *libertas* simul consistere non possunt. Triplicem faciunt Theologi *libertatem*. Ad *libertatem* naturæ non sufficit immunitas à coactione, neque judicium aliquod rationis practicum. Ratio quanitur ultima hæc opinio duobus argumentis impugnatur. Vera *libertatis* definitio. Hæc *libertas* animæ à Deo est indita & in omni hominis statu manet. 356, 357, 358. *a*. Beneficio *libertatis* voluntaris dominium obtinet homo. 359. *a*
Pondus doctrinæ de *libero arbitrio*, A quibusdam *liberum arbitrium* constitui in sola libertate à coactione, sed male, siquidem omnes actiones spontaneæ propriè *liberæ* dicendæ forent: Ab aliis præterea requiri judicium rationis practicum, & præceptum quo hi nitantur argumentum; sed malè, cum hac sententia omnis religio evertatur. 198. *b*. Intellectum & voluntatem non esse duas animæ potentias realiter ab ea & à se invicem distinctas, & ex hac distinctione ortas esse omnes circa doctrinam de *libero arbitrio* difficultates. 199. *b*. Per hominis *libertatem* intelligi dominium ejus in actiones intellectus & voluntatis, quarum aliæ sunt famulatrices seu præparatoriæ, aliæ imperatrices seu consummatoriæ; item in affectiones suas. 200, 201. *b*. Responsio ad objectionem, Electionem non fore prorsus liberam, si aliquid sit quod eam determinet: & ostenditur bonum jucundum propter se solum ab homine appeti, reliqua verò omnia propter illud. 201, 202. *b*. Quem ordinem in eligendo sequi debeat homo, si ordinare in sua electione procedere velit. 203. *b*. Quomodo homo inter duo vel plura bona positus *liber* sit, Et quotupliciter hic *libertate* sua aburi, bruteque in eligendo se gerere multi soleant. 204. *b*
Qui fiat ut homo qui *liber* est & ratione præditus uni ferè objecto ad quod delatus est mordicus adhæreat? Et de iis qui aptiores sunt ad virtutem *liberè* exercendam. 205. *b*. At *libertas* adhuc reliqua sit in eo qui ita se alicui bono addixit, ut rationem in consilium adhibere nolit de alio præstantiore quærendo aut sequendo? Et quo pacto ejusmodi homo à proposito revocari possit. 206. *b*
Quomodo *libertas* salva maneat in homine, tum postquam statuit adhibere, judicium discretorium in eligendo, tum postquam illud adhibuit? Et quomodo mediante objecto judicium moveat hominem, nec non de varietate objectorum. 207, 208. *b*
An quis *liberè* & necessariò simul virtutem exercere possit, ubi de *libertate* Dei & filii ejus Christi agitur. 213, 214. *b*
Sententia Episcopii de *libertate* hominis. 215. *b*
Qui *libertatem* illam tollant. 214. *b*
Sententiam Cameronis de *libero* arbitrio è scholis Philosophorum explosam esse. 240, 241, 242. *b* & veterum ac recentiorum Theologorum. 243, &c. *b*
Num Deus Adamum à lapsu immunem præstare potuerit salva *libertate* voluntatis ipsius. Remonstrantes credunt Deum futura contingentia præscire salva *libertate* hominis. Id Camero negat. Elogiũ D. Vorstii & ea de re sententia. 262, 263 *b*
*Libertatem* arbitrii tuentur antiqui scriptores Christiani. 276. *b*
An Deus necessariò simul & *liberè* bonus sit. Etiam Deus *liberè* vult postquam decretum aliqua de re fecit. Expediret nobis *libertate* non parendi carere. An Christus non potuerit non obedire patri suo. 286, 287, 288. *b*
Diluuntur confirmationes instantiæ qua Camero utitur, prolato Christi exemplo ut ostenderet determinationem voluntatis ad unum non pugnare cum vera voluntatis *libertate*. 289. & seqq. *b*
Fontem erroris Cameronis esse verè ac propriè dictæ *libertatis* negationem. Quid sit *libertas* voluntatis. Voluntatem non appetere *liberè* summum bonum. Summum enim bonum sub Electionem *liberam* non cadit, nec Deus id dat nobis clarè cognoscendum in hac vita. 308, usque ad 312. *b*
Qui tribuunt homini *liberum* arbitrium non eripiunt Deo quod longè optimum est. Nec propterea se Deus exuit Majestate & Providentia sua, quia voluntatem hominis *liberam* reliquit. Nec homo Deus propterea est, si voluntatis ejus determinatio à Deo non pendet. Nec providentia divina parum abest ab humana si homo *liber* est. Aut propterea providentiæ divinæ subducuntur humanæ actiones, aut Deus suspensus manet. Etiam si homo sit *libero* arbitrio præditus non tamen est Providentiæ divinæ exemptus. Cur huc potius quam illuc inclinet homo, si præditus sit *libero* arbitrio. Quomodo voluntas in malum inclinet ex sententia Cameronis, & quid Deus hic faciat. 335, usque ad 345. *b*
*Libertas*, vide *voluntatem*.
*Libertas* requiritur in Collationibus de Religione. 131. *b*
Remonstrantes sub titulo *libertatis* prophetandi quaslibet novitates introducere noluisse, & quæ sit eorũ sententia hac in re. 183, 184, 185, 186. *b*
*Libertini*, vide *spirituales*.
*Linguarum* studium commendatur Christianis exemplo Judæorum. 105. *b*
*Litera* fiduciariæ Christi fuerunt duæ. 1. testimonium Joannis. 2. miracula quæ patravit. 424, 425, & seqq. *a*
Scripturam sacram non tantum secundum *literam*, sed etiam mysticè exponi posse & debere aliquot rationibus probatur. 178. *a*
In eo errare Judæos quod *literæ* legis nimis sint affixi. 432, & seqq. *a*
De *litera* occidente & spiritu vivificante 2 *Cor.* III. 6. 256, 257. *a*
Cur lex vocetur ministerium *literæ*, Euangelium Spiritus. 362. *b*
*Lites* Christianorum offendiculo sunt Judæis. 438. *a*
An Christiano liceat cum fratre suo *litigare*, & quod injuria sit potius ferenda, ex loco 1 *Corinth.* VI. 1. & seqq. 77, 78, 79. *b*
Mundiciei signa observanda erant in *lotionibus* antequam in cibum sumerentur. 90. *a*
Virtutes iræ & pœnarum moderatrices omnes, sub mansuetudine & *longanimitate* comprehendi posse, quomodo hæ duæ virtutes à se invicem differant. *Longanimitas* Dei quid sit. Quibus locis exprimatur in sacris literis 328, 329. *a*

*Longanimitas* Dei, homines aliquando indurat, 297,298.*b*. *Longanimitas* Dei erga peccatores de qua Paulus *Rom.* IX. 22. prorsus exinanitur à reprobationis absolutæ patronis. 407. *b*
De *Longobardis* fœneratoribus, sunt duplices; quidã ad Sacram cœnã admitti possunt, quidã non. 48.*b*
*Loqui* pro loquelam operibus confirmare. 7. *b*
De *luctu* in morte propinquorum. 70. *a*
An *ludi* sint Christianis liciti, & de variis *ludorum* generibus, Nec non de *ludis* scenicis & eorum argumento. 45, 46. *b*
Casu-ne an providentia fiat quod ex *lusoribus* aleæ quidam semper felices sunt, quidam semper infelices. 49. *b*
*Luna*, Sol, & astra cætera quarta die facta fuerunt. 350.*a*. Et in signa temporũ posita fuerunt. Ibid.
De *Luna* & Solis luce augenda temporibus Messiæ. 206, 207. *a*
De *Lupo* cum agno stabulaturo temporibus Messiæ. 206, 207. *a*
*Lux* facta fuit prima die creationis, & quid illa luce intelligendum est. 350. *a*
Quid Joannes per *Lucem* & Tenebras intelligat. 323. *b*
De Cameronis *luce* dirigente & persuadente. 256.*b*
Regenitos secundum Cameronem peccare non posse nisi Deus *lucem* quam concessit subtrahat. 268, 269. *b*
De *Luce* gratiæ, vide *regenerationem*, *Persuasionem*, *illuminationem*.

M.

DE *mactatione* animalium mundorum in esum, eorum sanguis pulvere operiebatur. 39. *a*
Animalia sancta Deo dicata in quibus *macula* erat redimebantur. 79. *a*
De *Magia* non exercenda. *Magus* est qui actus *magicos* exercet, non qui novit. Quid voce Hebraica *Mecasschep* & *Mecassichepha* significetur. Quibus propriè & specificè conveniat. Tria requiruntur ad constituendum *Cacomagum*. *Magia* est duplex, aperta vel occulta seu artificialis. Utriusque inter se affinitas. Collatio *magorum* artificialium cum Avaris, voluptuariis, &c. qui idololatræ vocantur. Artificiosæ *magiæ* triplex finis esse potest. An sint nunc *Magæ* seu Sagæ veneficæ, & an dentur etiã quæ arte dæmonis mirabilia patrant. An dentur *Magæ* seu Lamiæ quæ expressum cum dæmone fœdus ineant. Num id solidè probari possit ex earum confessionibus. De proba per aquam & per inusta stigmata. 140, usque ad 146.*a*. De *magis* non consulendis. 134, 135.*a*
An homini Christiano liceat gerere *Magistratum*. Utilitas hujus quæstionis. Status illius, & divisio in quinque membra. Duæ opiniones illorum qui hoc illicitum esse contendunt refutantur. I. Supereminentiam honoris & potestatis habere supra alios non repugnare legi Jesu Christi; de qua supereminentia hic agatur, Et 1. locum *Matth.* XX. 25. eam non everttere. Nec 2 loca illa omnia quibus modestia, animi demissio, &c. Christianis præcipiuntur. II. Non repugnare doctrinæ Christi ut Christianus aliis leges ferat, nec ut eas præmiis ac pœnis sanciat, quamvis Christus Legislator noster unicus sit, ex cujus legibus pendere omnes necesse est. III. Non repugnare Doctrinæ Christi ut Christianus judicia civilia exerceat, Nec non examen locorum duorum, quæ in contrarium afferuntur *Matth.* V. 40. & 1 *Corinth.* VI. 1. & seqq. IV. Nõ repugnare doctrinæ Christi ut Christianus judicia criminalia exerceat. Examinantur 1. loca *Matth.* V. 38. & 43. quibus id prohibitum esse putatur. 2. Præcepta quibus injurias illatas condonare jubemur contrarium non evincere. Imo nec capitalia judicia doctrinę Christi repugnare, Et quomodo 1. illa cum Charitate Christiana consistere possint, eo quod tempus pœnitentiæ ad salutem necessariæ peccatoribus præcidant. Quamque graviter peccent multi *Magistratus* Christiani in pœnis capitalibus irrogandis. 2. Nec his repugnare, quod illicitum dicatur Christianis pacem quærere in hoc mundo, eo quod regnum eorum non sit de hoc mundo. 3. Nec loca in quibus affirmatur Christianos per multas afflictiones ingredi debere in regnum cælorum. 4. Nec præcepta quibus jubentur Christiani, abnegare se ipsos, crucem suam tollere, & Christum sequi. 5. Nec denique quod Christiani dicuntur non habere hic civitatem manentem, &c. V. Homini Christiano licere *Magistratum* gerere quatuor argumentis probatur. 1. desumptum est ex loco ad *Rom. cap.* XIII. 1. & seqq. 2. ex 1 *Tim.* II. 1, & seqq. 3. Quod nullibi Christus illud munus damnaverit, & exemplis probari possit *Magistratus* ex Judæis & Gentilibus ad fidem Christianam conversos munera sua non deposuisse. 4. Quod sublato illo munere universalem societatis humanæ dissolutionem sequi necesse sit. à pag. 71, usque ad 95.*b*. Quomodo se gerere debeat Christianus *Magistratus* ergà idolatras subditos; Legem de occidendis Idololatris, *Magistratum* Christianum hodie non obligare, neque ex ea recte colligi *Magistratum* Christianum extremo supplicio plectere hæreticos teneri. 103, 104. *a*
De obedientia *Magistratibus* debita in solutione tributorum ex loco *Rom.* XIII. 5. 26, 27. *b*
Quomodo quis se gerere debeat quando à *Magistratu* de fidei suæ confessione interrogatur. 55.*b*
*Magistratui* parere non tenentur Christiani cum segreges cœtus prohibet. 56, 57.*b*
De *Magnanimitate* seu fortitudine Christiana. 252, 253. *a*
De libro *Malachiæ*. 220. *a*
*Maledictions* propriè dictæ, ut pœnæ arbor obnoxia esse non potest ex loco *Marc.* XI. 12, 13. & quid interdum per *maledictionem* intelligatur in sacris. 8. *b*
De Paulo *Maledicenti* Pontifici Maximo ex loco. *Actor* XXIII. 3. 28. *b*
A *malitia* tum directa tum indirecta liber esse debet animus ut docilis sit. 3. *a*
*Malitiæ* nõ sunt Judæi promiscuè accusandi. 432.*a*
*Malum* est duplex, culpæ & dicitur peccatum, naturæ & dicitur physicum, *malum* culpæ non esse objectum divinæ voluntatis, sed *malum* physicum. 304, 305.*a*. Datur aliquod *malum* quod neque culpæ est neque pœnæ. *Malum* pœnæ aliud propriè aliud impropriè dictum. Quodnam *malum* ab Adamo in nos propagetur. Originale *malum* neque culpæ neque pœnæ est *malum*. 247.*b*. Nihil est physicè *malum* in mundo. 13.*a*. De æstu judicii quo secundum Cameronem boni vel *mali* dicimur. 250. *b*
An actiones *malorum* subjaceant Providentiæ divinæ. 338. *b*
*Mali* felices esse non possunt quamvis bonis fortunæ abundent, & eorum scelera hic impunita maneant. Pœnarum corporalium impiorum in hac vita exempla, Conscientiæque cruciatus. 368, 369, 370. *a*
De non resistendo *malo* ex *Matth.* V. 40. 75, & seqq. *b*
*Mala* quæ piis & innocentibus eveniunt, nunquam vocari nomine iræ Dei. 319.*a*. *Mala* quæ ex ira Dei infliguntur sunt vel temporalia, & inter ea mors piorum, vel æterna. 321. *a*
*Mala* piis evenire vult Deus & cur, vide *Providentiam*, ubi fusè hæc tractantur.
*Malum* est objectum motus divini, cui adhæret cura *malum* illud avertendi. 315. *a*. Neminem *malum* sub ratione *mali* amare, sed sub specie boni, ne quidem illum qui sibi violentas manus infert. 202. *b*. Voluntatem non appetere *malum* sub ratione *mali* etiam si non determinetur ab ultimo judicio practico. 215, & 318.*b*. An fieri possit ut voluntas appetat *malum* & respuat bonum cognitum. 272.*b*. Inter summum bonum & summum *malum* non datur electio. 276. *b*
*Malum* morale, vide *Peccatum*.
*Mala*, vide *afflictiones*.
Hominem perfectè Dei *mandata* servare posse, & multos sub Veteri ac Novo fœdere servasse. 18, 19, & 21. *b*
*Mandatum*, vide *præceptum*.
*Manichæi* aquæ baptismum respuerunt. 36. *b*
*Manichæi* placitum de bono & malo & eorum necessitas, Opinionem Prædestinatorum Calvini, Cameronis, &c. esse *Manichæam*, imo pejorem. 211, & 228, 229. *b*
Virtutes iræ & pœnarum moderatrices omnes, sub *Mansuetudine* & Longanimitate comprehendi posse. Quid sit *mansuetudo* & quomodo à Longanimitate differat. Tria *mansuetudinis* divinæ signa. *Mansuetudinem* Deo adimunt Reprobationis absolutæ patroni, tũ supra, tum sublapsarii. 327, 328.*a*. Severitas Dei tribus modis concipi potest, quorum ratione convenit vel non convenit cũ Dei *mansuetudine*. 331, 332.*a*.
De *mansuetudine* servi Dei, de quo loquitur *Esaias* III. *cap.* 186, 187.*a*.
De *manu* mulieri parum pudicæ amputanda. 127.*a*
An virgo *Maria* peccato originali inquinata fuerit, non consentiunt Pontificii. 169. *b*
An Lucas *Mariæ* genealogiam scripserit. 174.*a*
Cur ad *Mariã* Christi genus non referatur in sacris, & Lucam *Mariæ* Genealogiã non recensere. 2.*b*
Non bene ex vocibus figmenti & *Massæ Rom.* IX. 20. colligi Paulum hic respicere ad genus humanum nondum conditum; nec per voces istas intelligi posse genus humanum corruptum in Adamo. 406. *b*
*Mater* pullis in nido incubans, demittebatur libera, quando pulli eximebantur. 90. *a*
An jure titulus *Matris* Ecclesiæ detur à Pontificiis. 258. *a*
*Materia* prima non est Deo coæterna, neque cælum tertium in quo Deus habitat, id tamen credere neminem damnat. 295. *a*
*Maχλόω* quid propriè significet *Matt.* XXVIII. 19. 35, 36. *b*
Domus decima præceptorum affirmativorum, quæ est *Matrimonii* seu mulierum & XII. præceptis constat. 114, usque ad 120. *a*
Domus undecima præceptorum negativorum, quæ est *Matrimoniorum*, & præcepta VIII. continet. 154. *a*
In verbis *Gen.* I. 28. Crescite & multiplicamini nullum esse de *matrimonio* contrahendo præceptum. Sex de *matrimonio* & cælibatu regulæ. De sponsalibus ante consummationem *matrimonii*. De exhilaratione mariti novi cum uxore sua primo *matrimonii* anno. 114, 115. *a*
Ante legem latam per Mosem alia fuit ratio *matrimoniorum*, quam sub lege, nuptiæ in linea collaterali seu transversa contractæ pro incæstis habitæ non fuerunt. 36. *a*
De *matrimonio* cum muliere formosa in bello capta. 118. *a*
Si pars una conjugum altera nesciente novum *matrimonium* inierit, partem desertam liberam esse, ut novum quoque *matrimonium* jure inire possit. 62.*b*. An profugo ob religionem, quem uxor alioquin casta sequi nolit, aliud *matrimonium* inire liceat; cum responsione ad objectionem ex 1 *Cor.* VII. 15. de uxore infideli maritum deserente. 63, 64. *b*
De *Maxilla* percutienti obvertenda ex loco *Matth.* V. 39. & facto Christi cum à servo Pontificis percuteretur *Jean.* XVIII. 22, 23. Et Pauli quando os ei percuti jusserat Pontifex *Actor.* XXIII. 3. 27, 28, & 75, 76. *b*
Quid voce Hebraica *Mecassicheph* & *Mecassichephiæ* significetur, vide *Magiam*.
Moses fuit *Mediator* inter Deum & populum Israeliticum. 50.*a*
Subministratio *Mediorum* ad vitandum peccatum requiritur. 377. *a*
*Mel* non offerebatur Deo in oblationibus & libaminibus Mosaicis. 71. *a*
Quis *Melchizedecus* fuerit per quem Abrahamus decimas Deo obtulit. 32, 33. *a*
David non fuit sacerdos secundùm ordinem *Melchisedech*, sed Messias ad quem pertinet *Psalmus* CX. 196. *a*
De phylacteriis & fimbriis Judæorum in *memoriam*, ne legis obliviscerentur. 63, 64. *a*
An rectè dicatur *Mens* aliquando feriari, & affectibus habenas laxare. 311, 312. *b*
Quo sensu Camero dicat homines non semper sequi quod *Mens* honestum esse ostendit. 375. *b*. Vide *Voluntatem*.
*Mensium* sanctificatio & noviluniorum observatio accurata apud Judæos. 91. *a*
*Mensis* septimi die prima Cessatio erat ab operibus sub lege, & cur. 93.*a*. Eadem illa die tuba Schophar clangebatur. 94. *a*
*Menstruata* omnis mulier, & quæ fluxum extra statum tempus patitur immunda est. 82, 83.*a*
*Mensuræ* juxta legem Mosis exactissimæ esse debebant. 112. *a*
De *mercede* & gratia. 326. *a*
*Mercedis* fruitio ultimus hominis finis est; quod Legislatorũ & Dei promissis, & piorum imo Christi exemplis liquet, Et eos qui in actione virtutis summum bonum collocarunt, credidisse actioni illi inesse delectationem aut sequi. 202. *b*
*Mercenario* merces sua præstituta die solvenda, *mercenario* in vinea, arvo, aut horto laboranti ex fructibus eorum vesci dandum ad saturitatem. 109, 110. *a*

*Meretricem* vel quocunque modo corruptam ducere non licebat ſummo Pontifici. 70. *a*
Arminium nihil *merito* hominis tribuiſſe in Prædeſtinatione. 177. *b*. De *merito* in non peccando cum potes peccare. 294. *b*
*Meſſias* promiſſus fuit in Vetere fœdere. Qualia ſint promiſſa de *Meſſia*. De *Meſſia* duo quæruntur & prolixè probatur. 1. An promiſſus populo Iſraelis *Meſſias* venerit. 2. An Jeſus Nazarenus quem nos dicimus Chriſtum eſſe ſit verus ac promiſſus ille *Meſſias*. 155, & ſeqq. uſque ad 217. *a*
Domus ſexta præceptorum negativorum, quæ eſt de *Meſſubus* & agris, Et XVIII. præcepta continet. 152. *a*
An μετάνοια ſeu reſipiſcentia propriè ſit mœris. 320. *b*
*Meſuneroxonia*, ſpecies divinationis. 139. *a*
Ab omni *metu* liber eſſe debet animus ut docilis ſit. 2. *a*. Non eſſe ſervile *metu* damnationis ad perſeverandum in fide moveri. 422. *b*. De *metu* Dei qui ejus confidentiæ opponitur, ejus objectū eſt malum aliquod, *metus* adhæret cura malum iſtud avertendi; Exempla iſtius *metus* & curæ. 314, 315. *a*
De *Mezuzah* in januis ſive portis ædium ſcribendis. 64. *a*
De libro *Michææ*. 219. *a*
*Minis*, & *promiſſis* nullus locus relinquitur juxta opinionem Cameronis. 213, & 284. *b*
Quotidie offerre tenebatur ſummus Pontifex *Mincha* aut Corban. 73. *a*
Aaron & filii ejus comedebant *mincharum* reliquias. 79. *a*
*Miracula* quatuor generum ſunt. 120. *a*. *Miraculorum* Moſis numerus & excellentia ſecundum Rabbinos; Non ſunt conferenda cum *miraculis* per Jeſum Chriſtum factis, neque quod ad numerum neque quod ad excellentiam. Jeſus habuit virtutem faciendi *miracula* in ſe reſidentem, quā etiam aliis communicare potuit. Joſua, Elias & Elizeus majora quam Moſes *miracula* ediderunt. *Miracula* Moſis plæraque ad terrorem incutiendum aut nocendum comparata fuerunt, Jeſu vero *miracula* erāt pura beneficia. 53, 54, 55, 56. *a*. Solum Chriſti de ſe teſtimonium non fuit ſufficiens convincendis Judæis, ſed cum *miraculis* cōjunctum fuit ſufficientiſſimum, ex loco *Joan.* V. 31. 6. *b*. De *miraculis* Jeſu Nazareni. Illuſtriora iis dari nequiverunt, nec plura, nec majora. Reſponſio ad exceptiones Judæorum contra *miracula* Jeſu. 182, 183. *a*. *Miracula* Chriſti ejus fiduciariæ literæ fuerunt; Ea majus erant teſtimonii teſtimonio Joannis. *Miracula* per ſe ſufficere ad fidem veritati & divinæ miſſioni faciendi. Quatuor ad verum *miraculum* requiſitę conditiones. 1. Ut ſit opus creatæ naturæ vires excedens, quatuor genera operum naturæ vires ſuperantium. 2. Ut effectus ejus ſit patens & ſenſibus percipi poſſit. 3. Ut opus *miraculoſum* fiat in inſtanti vel ſaltem celerius quam per naturæ vires fieret. 4. Ut ſit perfectum. Supradictas conditiones in *miraculo* Chriſti inveniri. Inſuper *miracula* Chriſti omnia fere mera fuerunt beneficia, & opera permanentia, atque univerſalia, imo pene infinita numero, Omniaque ad ſolam Dei gloriam & hominum ſalutem tenderunt. Ex *miraculis* Chriſti rectè colligi ipſum à Deo fuiſſe miſſum, & doctrinam ejus eſſe divinam. Diſcrimen inter Chriſti & Apoſtolorum ejus *miracula* triplex. Chriſtum habuiſſe virtutem in ſe reſidentem *miracula* faciendi. 425, uſque ad 430. *a*. Cur Jeſus Chriſtus vetuerit *miracula* ſua publicari. Quod modeſtiæ cauſa hoc non fecit, ſed alias ob cauſas quæ ex ipſis locis petendæ ſunt. 10, 11. *b*. *Miraculi* multis ſatis olim Deus demonſtravit Providentiam ſuam, Adverſus eos qui *miracula* hodie videre cupiunt ut credant Deum res hominum cernere. 364, 365. *a*. Peccatum in Spiritum Sanctum conſiſtere in contumelioſa Chriſti *miraculorum* rejectione. 13. *b*. Virtus *miraculoſa* tributa à Pontificiis quibuſdam imaginibus. Et frequentatio locorum ubi ſunt imagines *miraculoſæ*. 141. *b*
Deum ex *miſericordia* hominis æterna gloriam aut voluptatem non quærere. 322. *a*. Occaſio operis redemptionis eſt ſumma hominis *miſeria*, quæ duobus malis comprehendi poteſt 1. Morte ſeu damnatione æterna. 2. Et ſervitute peccati. Hæc *miſeria* eſt univerſalis, quia omnes peccarunt, quo ſenſu Philoſophi & Judæi quidam dicantur fuiſſe juſti & perfecti. An eadem ſit Chriſtianorum ratio. Fontem hujus *miſeriæ* eſſe propriam & liberam unius cujuſque hominis culpam, ubi de peccato, quod vocant Originis agitur; & præcipua S. Scripturæ loca quibus inniti creditur examinantur. 401, uſque ad 407. *a*. An homo nihil ex ſe habeat quàm peccatū & *miſeriam*, & quàm multa ei bona tribuantur in ſcriptura. 352. *b*
*Miſericordia* piorum in hac vita, vide *Providentiam* circa mala piorum.
*Miſericordiæ* Dei, ſub Amore benevolentiæ comprehenditur. 311. *a*. *Miſericordia* divina eſt cauſa impulſiva proxima redemtionis, Tēperamentū *miſericordiæ* & juſtitiæ divinæ in ſacrificii propitiatorii & reſipiſcentiæ poſtulatis. 407, 408. *a*
Quænam ſint vaſa *miſericordiæ Rom.* IX. 23. & à quo præparata ad gloriam. 407, 408. *b*
Quid ſenſerint Patres de *miſſa*. 112. *b*
Non licere ei qui *miſſæ* cultum idololatricum eſſe credit, illi intereſſe ut Inquiſitionis manus effugiat. 58, 59. *b*
Cur Pontificii Theologiam *myſtam* ſcientiam eſſe ſtatuant. 6. *a*
De *Modeſtia* Chriſtiana in genere & ſpecie. 251. *a*
*Modus* requiritur, ut actio moralis bona ſit. 21. *a*
De filio aut filia *Molocho* per ignem non traducendo, Quale fuerit idolum *Moloch*. Ritus illi infantes offerendi. 133, 134. *a*
*Monitionem* præcedaneam requiri ajunt Judæorum doctores, ut aliquis juſta pœna aut ſupplicio à domo judicii afficiatur. 121. *a*
*Moralis* impuritas quid ſub lege. 71. *a*. De impotentia phyſica & *moralis*. 305. *b*. Tres conditiones requiruntur in actione *morali* ut ſic bona. 1. ſufficiens cognitio. 2. libertas. 3. Modus. 20, 21. *a*. Quid ſit ſuaſio *moralis*. 232. *b*
Ex corruptione *morum* ante diluvium & tempore diluvii apparuit infirmitas legis naturalis, & quæ cauſa illius corruptionis fuerit. 21, 22. *a*
Propter *mortuum* ſe contaminare prohibentur ſacerdotes, excepta ſorore virgine. 70. *a*
*Mortuum* tangere non licebat Nazinæo. 80 *a*
*Mortuus* immundus eſt & immundat, quæ immundities graviſſima eſt. 83. *a*
Duo perpeſſus eſt Dominus Jeſus contemptum & *mortem*, & quid per *mortem* intelligatur. 183, 184. *a*. Quæ poſt *mortem* Jeſu Nazareno evenerunt, evincere eum ipſum eſſe promiſſum Meſſiam, & quænam ea ſint. 191, 192, &c. *a*
*Morts* obnoxii non ſunt Angeli. 348. *a*. Aliud eſſe *morte* afficere, aliud punire. 370, 371. *a*. De *morte* Chriſti, & ſi decreta à Deo, num neceſſitas peccandi inimicis ejus impoſita fuerit. 396, 397. *a*. *Mors* æterna pars miſeriæ hominis. 401. *a*. Quinam ſint peccantis ad *mortem* & non ad *mortem* ex loco 1 *Joan.* V. 16. 11. *b*. Quomodo obedientia Chriſti ad *mortem* uſque crucis & Judæorum ſcelus eum *morte* tradentium, libera eſſe potuerint, ſi utrumque æterno & irrevocabili Dei decreto conſtitutum fuit. 31, 32. *b*. Quid ſit baptizari pro *mortuis* ex loco 1 *Cor.* XV. 29. 33, 34. *b*. An omnis *mors* ſit pœna peccati. *Mors* duobus modis dicitur naturalis, nam vel ſignificare poteſt, potentiam vel neceſſitatem *moriendi*: primo modo accepta non eſt pœna peccati, ſed ſecundo. *Mors* duobus modis dicitur temporalis, vel quia in tempore accidit, & ad tempus durat, vel ita durat ut nunquam ſit finienda. *Morsendi* neceſſitas ut eſt pœna ad ſolum Adamum & Evam pertinet; De regno *mortis* in poſteros Adæ ex loco ad *Rom.* V. 12. Eadem *moriendi* neceſſitas quatenus eſt malum naturale ad omnes homines pertinet. *Mortem* commutari à Deo in bonum reſpectu fidelium. 64, 65. *b*
De beatis à modo in Domino *mortuis* ex *Apocal.* XIV. 13. 66. *b*
An ſibi ipſi inedia propter morbum *mortem* inferre liceat. 66, 67. *b*
Quid ſenſerint Patres de orationibus & oblationibus pro *mortuis*. 112. *b*
Qui ſibi *mortem* conſciſcunt hoc non faciunt ſub ratione mali, ſed ut mala effugiant quæ ipſis *morte* graviora videntur. 202. *b*
An neceſſitas *mortis* Chriſti tollatur, ſi id peccatum non ſit quod eſt neceſſarium. 250. *b*. Nos non tantùm *mortis*, ſed & vitæ, nobis cauſa ſumus. 352. *b*
Qui *morticinum* aliquod tetigerat ſub lege immundus erat. 81. *a*
De quinque libris *Moſis*. 217. *a*. De patefactione divina tempore *Moſis* facta. 14. *a*. Modus revelationis qui *Moſi* obtigit qualis. 24, 25. *a*. De perſona & officio *Moſis*. Ejus nativitas, conſervatio, educatio, &c. Eductio populi ex Ægypto. *Moſes* fuit Mediator inter Deum & populum Iſraeliticum. Modus revelationis *Moſi* factæ nobilior fuit cæteris omnibus uſque ad Meſſiam. Quatuor ſunt prærogativæ revelationis *Moſi* factæ ſecundùm Rabbinos, quarum quarta impugnatur, Deumque ſe *Moſi* per Angelum revelaſſe oſtenditur. Quid ſignificet illud *Exod.* XXXIII. 23. quod *Moſes* poſteriora Dei vidit. *Moſes* non cognovit Deum tanquam remuneratorem æternum piorum. *Moſi* multa quæ in ſcriptis Apoſtolorum habemus non fuerunt revelata. Miraculorum *Moſis* numerus & excellentia ſecundum Rabbinos. Non ſunt conferenda cum miraculis per Jeſum Nazarenum factis, Neque quod ad numerum neque quod ad excellentiam, vide *miracula*. *Moſes* non fuit à mortuis ſuſcitatus ut Chriſtus. Quid revelatio *Moſi* facta continuerit, vide *legem*. 49, uſque ad 56. *a*
Omnis *motus* nititur aliquo *immobili*. 201. *b*
Quid ſit *motus* Ethicus, ſeu ſuaſio moralis. 232. *b*
De repentinis *motibus* voluntatis. 273. *b*
Quinam *motus* voluntatis ſint tyrannici. 311. *b*
De *mulsere* formoſa in bello capta. 118. *a*
*Mulier*, vide *Fœminam*.
*Multitudinis* ſuffragia ſequenda eſſe in judicio, docent Judæorum doctores & quàm ſit hoc periculi plenum. 99. *a*
Argumentum peſſimi ſæpe eſt *multitudo* & numerus. 192. *b*
*Mundus* liberè à Deo conditus fuit, nec potuit eſſe æternus. 346. *a*. Unde factus eſt *mundus* hic aſpectabilis, de ordine creationis *mundi*, & eorum quæ in eo ſunt. 349, 350, 351. *a*
Tota *mundi* fabrica ita eſt ordinata ut omnes ejus partes uni homini ſerviant, quod arguit rectoris alicujus ſupremi conſilio hoc fieri. 8, 9. *a*
*Mundi* conſervatio & gubernatio, vide *Providentiam*.
Ex illis rebus quæ nobis inutiles aut noxiæ videntur in *mundo* non poſſe probari, ut putabat Epicurus, Deum non eſſe mundi creatorem, cum nihil ſit inutile, nihil noxium. 13. *a*
Primus *mundus*, vide *Legem* naturalem & *Diluvium*.
De hoc *mundo* non eſſe regnum Chriſti & Chriſtianorum quo ſenſu dicatur. 86. *b*
De *mundo* non diligendo. 250, 251, 252. *a*
*Mundus* pro gentilibus *Rom.* XI. 12. 420. *b*
Domus quarta præceptorum affirmativorum, quæ eſt *mundicies* & *immundicies* & XVIII præceptis conſtat. 81, 82, 83, 84. *a*
*Mundatio* omnis fiebat ſub lege balneo, juxta Judæorum doctores. 83. *a*
*Mundabantur immundi* ſub lege cineribus vaccæ rufæ. 83, 84. *a*
*Mundicies* ſigna diligenter obſervanda erant Judæis in Quadrupedibus, Avibus, Locuſtis & Piſcibus antequam in cibum ſumerentur. 90. *a*
De *immunditie* & *immunditie* ex loco *Iobi* XIV. 4. 406, 407. *a*. *Mundicies*, vide *Immundicies*.
*Munera* ſervo è ſervitute exeunti dare tenebatur herus Judæus. 108. *a*
De verſione bibliorum Sebaſtiani *Munſteri*. 277. *a*
De *Muſſaphia* ſive ſacrificiis quæ addebantur diebus ſabbathi, Noviluniorum, & Feſtorum. 73. *a*
Deum *mutari* non poſſe. 289. *a*
Si quis animal ſacrificio deſtinatum *mutare* vellet, *mutatum* & illud pro quo *mutaverat* cedebant ambo Domino. 79. *a*
De *mutui* datione egeno, & quanti facienda *mutui* datio. 108, 109. *a*
Cur Paulus *Epheſ.* II. 5. Vocationem gentium *Myſterium* vocet aliis ætatibus non patefactum, cum in Lege, Pſalmis, & Prophetis prædicatur, & Judæi hodierni eam prædictum fuiſſe agnoſcant. 203. *a*
Scriptura non tantum juxta literam ſed etiam *myſticè* interdum ab Hebræis magiſtris exponitur. 35. *a*
Scripturam ſacram non tantùm juxta literam, ſed etiam *miſticè* exponi poſſe & debere aliquot rationibus probatur. 178. *a*

N.

*Naamanis* Syri exemplum ex 2 *Reg.* V. non ſervire excuſandæ Nicodemitarum ſimulationi in rebus fidei. 59, 60. *b*
Quid vox נגיד apud *Danielem* IX. *cap.* ſignificet & rectè Meſſiæ promiſſo tribui. 170. *a*

De libro

De libro *Nahumi*. 219. *a*

*Naſus* divinus, vide *Iram*.

De *natura* Dei prout opponitur illis qui *naturâ* dii non ſunt. 280. *a*

De filiis iræ *naturâ* ex loco *Epheſ.* II. 3. 406. *a.* 248. *b.* & de *naturali* homine ex loco 1 *Cor.* XI. 14. 249. *b*

*Naturam* & temperamentum conferre ad vitium & virtutem. 205. *b*

Miracula creatæ *naturæ* vires excedere debent; Quatuor genera operum *naturæ* vires ſuperantium. 426. *a.* Miracula Chriſti fuerunt opera ſupra *naturam*. 427. *a. Naturale* quot modis dicatur. 246. *b*

De culpa *Nazirai*. 77. *a*

De lege *Nazireatus*, quid vox *Nazir* ſignificet. *Nazarei* ſunt duûm generum, *Nazarei* ſeculi & *Nazarei* dierum, quorum exempla paſſim in ſacris extant. Non fit hodie hoc votum à Judæis, & cur. Lex *Nazireatus* hæc erat 1. Separatus eſſe debebat juxta Judæos ab omni immunditia, quâvis Scriptura tantum loquatur de contactu mortui. 2. Coma capitis ei alenda erat toto voti ſui tempore. 3. Abſtinendum ei erat à vino & omni potione quæ de uva exprimitur. Judæorum Magiſtri ei concedunt omnem aliam potionem imo inebriantem, ſed nullo jure. Jeſum Chriſtum non fuiſſe propriè *Nazireum*, ſed *Nazarenum* à voce Nazareth loco habitationis. 80, 81. *a*

Summa rerû ad ſalutem æternam conſequendû *neceſſariarû*, quæ ſacris Novi Teſtamenti libris plenè & perfectè continentur. 247, uſque ad 253. *a*

Quid per *neceſſaria* ad ſalutem intelligatur: quomodo Scriptura omnia ad ſalutem *neceſſaria* complectatur: quænam ad ſalutem credituu & factu *neceſſaria* ſint; & pleroſque Veteres Doctores nullos alios articulos præter jam indicatos pro *neceſſariis* ad ſalutem habuiſſe. 154, 155, 156. *b*

An Deus *neceſſariò* ſimul & liberè ſit bonus. Et an Deus liberè velit poſtquam decretum aliqua de re fecit. 286, 287. *b*

An quis *neceſſariò* & liberè ſimul virtutem exercere poſſit exemplo Dei qui *neceſſariò* bonus eſt & liberè tamen agit, Nec non de neceſſitate obedientiæ Chriſti. 213, 214. *b*

Ubi *neceſſitas* dominatur promiſſiones & prohibitiones non poſſunt eſſe media fidei. 283. *b*

Quod *neceſſarium* eſt non eſt peccatum. 246, & 250, & 252, & 265. *b*

Exemplo Angelorum & induratorum non probatur obedientiam & inobedientiam conſiſtere poſſe cum *neceſſitate*. 296, & ſeqq. *b*

*Neceſſitatem* cum libero arbitrio non poſſe conſiſtere. 198. *b*

Intellectus actio eſt *neceſſaria*, ac proinde formalis ratio libertatis non eſt in intellectu collocanda. *Neceſſitas* & libertas ſimul conſiſtere non poſſunt. 355, 356. *a*

Diſcrimen inter præcepta affirmativa & *negativa*. 128. *a*

De libro *Nehemiæ*. 221, 222. *a*

*Neſcire* pro non advertere interdum ſumitur in ſacris. 28. *b*

De *Nicodemo* & *Nicodemitis* ex loco *Joh.* III. 1. 59. *b*

Quo ſenſu Paulus 1 *Cor.* VIII. 4. & X. 19. Idolum vocet *Nihil*. 135. *b*

Creatio cæli & terræ ex *nihilo*. Reſponſio ad objectionem contra creationẽ ex nihilo. 345, 346. *a*

*Noach* rectam rationem pro norma ſuæ religionis habuit, uti & filii ejus. Quæ ſunt VII. illa præcepta quæ Hebræi Adamo & *Noacho* data fuiſſe dicunt. 18. *a*

Cum *Noacho* nullum Fœdus iniit Deus. 23. *a*

Quid differant *nolle* & non velle. 273. *b*

De *nomine* τετραγραμματος. 49, 50. *a*

*Nomen* Dei πεντακαιμματον pronunciari potuiſſe oſtenditur. 67. *a*

De juramento per *nomen* Dei, & quid ſit. Septem *nomina* Deo tribui in ſacris dicunt Judæi & quæ ea ſint. 61. *a*

Divinatio ex *nomine*. 139, 140. *a*

Quid ſignificetur phraſi *in nomine*. 161. *b*

Quid phraſis *noſſe* Deum aut Chriſtum in ſacris denotet. 5. *a.* Vide *cognoſcere*.

De Cameronis *notitia* dirigente & perſuadente. 256. *b*

*Novatus*, & *Novatiani* aquæ baptiſmum non ſimpliciter reſpuerunt, ſed baptiſmum Catholicorum non agnoverunt. 36. *b*

Singulis *Novilunii* peculiare ſacrificium fiebat. 73. *a*

*Noviluniorum* obſervatio accurata apud Judæos, & à quibus fiebat. 91. *a*

Vox *Novum* quid ſignificet interdum in ſacris. 43. *b*

Nihil eſt *noxium* in mundo. 13. *a*

Cum populus *numerabatur* unuſquiſque Deo offerre tenebatur dimidium argenti ſiclum; cur populus percuſſus fuerit poſt *numerationem* regis Davidis. 95. *a*

O.

NE actus *Ob* exerceatur & ejus Oraculum conſulatur lex Moſis prohibet. Quale numen *Ob* fuerit & modus illud conſulendi. 134, 135. *a*

Veræ *obedientiæ* & inobedientiæ requiſita. 353. *a*

Qualis ſit *obedientia* quæ nobis præcipitur in ſacris. 178. *b*

*Obedientia* omnis & *inobedientia* tollitur per ſententiam Cameronis. Quomodo Deus qui neceſſariò bonus eſt, liberè tamen bonum faciat. Nec non de libertate *obedientiæ* Chriſti. 213, 214, & 285, 288, 289. *b.* & ſeqq.

Quomodo *obedientia* Chriſti libera eſſe potuit ſi irrevocabili Dei decreto conſtituta fuit. 31, 32. *b*

Exemplo Angelorum, & induratorum non probatur *obedientiam* & inobedientiam conſiſtere poſſe cum neceſſitate. 296. & ſeqq. *b*

*Obedientia* liberorum erga parentes, qua in re conſiſtat, & quouſque iis *obediendum* ſit. 113. *a*

*Objecta* quomodo & quouſque moveant homines. 207, 208. *b*

Domus tertia præceptorum affirmativorum quæ eſt ſacrificiorum & *Oblationum* ſacrarum, & præceptis LVII. conſtat. 70, uſque ad 81 *a*

*Oblationes* ex quibus fructibus fiebant. 71. *a*

Quid ſenſerint Patres de *oblationibus* pro defunctis. 112. *b*

De hominis erga Deum *Obligatione*, & quod ea in quatuor conſiſtat. 360. *a*

Quo pacto *Oblivio* Deo tribuatur in ſacris, cum ſit omniſcius. 297. *a.* 138. *b*

*Obteſtationes* Dei oſtendere deſiderium ei competere; cum *Obteſtationibus* divinis abſolutam converſionis impoſſibilitatem aut neceſſitatem conſiſtere non poſſe. 313. *a*

Aliud eſſe *occidere*, aliud punire. 370, 371. *a*

Ante *octavum* diem à nativitate circumcidi non poterant Judæi. 48. *a.* Nec animalia offerri & cur. 75. *a*

*Odium* Dei quid, Ejus objectum eſt duplex, quod & quo, quod homo in peccato perſeverans, quo peccatum. Effectus *Odii* divini. Duo conſectaria adverſus electionem & reprobationem abſolutam, cum reſponſione ad locum *Rom.* IX. 11. 311, 312. *a*

De converſione cordis ad *Odium* & fraudes, quæ Deo tribuitur. 393. *a*

Calviniſtas Deo tribuere *Odium* erga creaturas ſuas, & hac in parte diſſimiliorem homini facere quàm par ſit. 170. *b*

De *Odio* Dei erga Eſavû & ejus poſteros. 402, 403. *b*

Deum propter *Odia* Judæorum in ſe invicem, adventum Meſſiæ non diſtuliſſe. 160. *a*

De *Odio* Judæorum erga Chriſtum, & Chriſtianos, & quæ ſint ejus cauſæ. 435, 436. *a.* Chriſtiani non debent odiſſe Judæos nec perſequi. 436. *a*

Ab *Odio* omni liber eſſe debet animus ut docilis ſit. 2. *a*

De impoſtore *Odio* proſequendo ad mortem uſque. 137. *a*

Quomodo accipiendum id quod Epiſcopius dicit ſe potuiſſe Cameronis ſententiam *Odioſè* proponere. 219, 220. *b*

De verſione bibliorum *Oecolampadii*. 277. *a*

*Offendiculum* eſt duplex, aut enim habet cauſam probabilem, aut non habet. 52. *b*

De *Offenſione* Judæorum ex loco *Rom.* IX. 32. quæ dupliciter accipi poteſt. 409. *b*

*Offerre* tenebatur Deo quotannis Judæus quilibet dimidium argenti ſiclum, prout volunt eorum magiſtri, vel potius cum recenſio populi fiebat 95. *a*

De hominis *Officio* ut ſalutem conſequatur. 366. *b*

De *Oleo* unctionis ad ungendum ſacerdotes & reges, non eodem *Oleo* eos fuiſſe unctos. 69. *a*

*Omer* offerebatur Feſti Paſchatis die ſecunda. quid ſit *Omer*, fortaſſe belgicum *Emmer* inde derivatum. 73. *a*

*Omina* quid, prohibita. 146. *a*

Vox *Omnis* hyperbolen ſæpe continet in ſacris. 20. *b*

*Omnipotentia* Dei, vide *Potentiam*.

*Omnipræſentia* divina, vide *ubiquitatem*.

Ὀνομαντικὴ divinationis genus & plures ſpecies ſub ſe continet. 139. *a*

Ὀνυχομαντεία ſpecies divinationis. 139. *a*

Quid differant *Opinio*, ſcientia & Fides. 272. *b*

*Opera* bona neceſſaria eſſe ad juſtificationem conſequendam. 16. *b*

Parabolam de ſervis inutilibus nihil facere pro *operibus ſupererogationis*; nec evincere nos eſſe inutiles ad omne bonum. 21. *b*

De *operibus* fidei non loquitur Paulus *Rom.* IX. 11. quando dicit non ex *operibus*. 402. *b*

*Optationes* Dei oſtendere ei Deſiderium convenire; cum *optationibus* divinis abſolutam converſionis impoſſibilitatem aut neceſſitatem conſiſtere non poſſe. 313. *a*

*Oracula* Ethnicorum temporibus Chriſti obmutuiſſe probatur. 211. *a*

Ex *Orationibus* ambiguis & imperfectis, præpoſteris, & figuratis quæ in Scriptura occurrunt, non probari ejus in rebus ad ſalutem neceſſariis obſcuritatem. 269, 270, 271. *a*

*Orare*, vides *Preces*.

An remedium pro peccato *Originali* ſit baptiſmus, & quod remedium pro fœminis erat ſub veteri fœdere cum maſculi ſoli circumciderentur, & pro iis qui ante octavum diem moriebantur, & an traditione ut hoc ſciamus ſit opus. 261. *a*

An *Originalis* labe inquinata fuerit beata Virgo Maria, non conſentiunt Pontificii inter ſe. 160. *b*

Arminium non ſuſtuliſſe peccatum *Originis*. 174, 175. *b*

*Originale* peccatum, vide *Peccatum*, & *Adamum*.

P.

DE verſione bibliorum S. *Paguini*. 276. *a*

*Palmam* gerere debebant Judæi prima die feſti Tabernaculorum, & quid *palma* intelligatur. 95. *a*

De *Panibus* facierum quolibet Sabbatho redintegrandis, & quales hi *panes* fuerint. 67. *a*

*Panes* duo novi offerebantur die Pentecoſtes. 73. *a*

*Parere*, vide *Obedire*.

Deum inſontes poſteros propter *Parentum* ſuorum culpas nunquam punire. 372, 373. *a*

De *Parentum* honore & timore, & quid ſub illis vocibus comprehendatur. 113, 114. *a*

Quanta cum cura *Parentes* apud Judæos divinam legem liberos ſuos doceant. 63. *a*

*Parentes* ſuis proſpicere debent ex loco 1 *Tim.* V. 8. 25. *b*

In *parentes* qui infantes ſegnius curant, aut mortem eorum optant, & gaudio proſequuntur, quod credant eos in infantia morientes beatos eſſe. 38. *b*

παρρησία Eliæ non ceſſit Joannes Baptiſta. 425. *a*

Quid ſit ex *parte* cognoſcere ex loco 1 *Cor.* XIII. 9. 5. *b*

Quid vox πᾶς apud *Marcum cap* IX. 49. ſignificet. 3. *b*

Feſti *Paſchatis* die ſecunda offerebatur Omer cum agno anniculo perfecto in holocauſtum. 73. *a*

De Agno *Paſchali*, ad quos ejus mactatio pertinuerit, ad ſacerdotes, an ad Patres familias; De *Paſchate* ultimo Jeſu Domini. Iterabatur *Paſcha* menſe ſequente propter immundos & abſentes, & celebrabatur cum pane infermentato & herbis amaris. 74, 75. *a*

De tempore *Paſchatis*. 90. *a.* In feſto *Paſchatis* omne fermentum ex ædibus tollebatur. 92. *a.* Nocte prima *Paſchatis* ſermocinatio fiebat de de liberatione ex Ægypto, & infermentatus panis comedebatur. primo & ſeptimo die *Paſchatis* quies erat ab omni opere. 93. *b*

Ea quæ Jeſus Nazarenus *paſſus* eſt, contemptus nimirum & mors, arguere ipſum eſſe Meſſiam promiſſum ubi prolixè de ſenſu *cap.* LIII. *Eſaiæ* diſputatur adverſus Judæos. 183. uſque ad 191. *a*

*Paſtoris* boni exemplum in Joanne Baptiſta. 424, 425. *a*

De officio *Paſtorum* in inviſendis peſte laborantibus, non ſemper teneri, & quo in caſu teneantur, quaſque cautiones adhibere debeant cum ejuſmodi ægros inviſunt. 50, 51. *b*

Deum eſſe demonſtratur ex diverſis ejus *Pateſactionibus*: 1 tempore Adami. 2. Moſis. 3. Chriſti. 13, 14, 15. *a.* Vide *Revelationem*.

De *Patientia* servi Dei, de quo loquitur *Esaias* LIII. *cap.* 187. *a*

De *Patientia* Christiana, & de fructibus spiritus qui ad eam consequendum conducunt. 252, 253. *a*

De *Patientia* Christiana in ferendis quibusvis doloribus, quam *Jacobus*. I. 4. vult habere opus perfectum. 66. *b*

De Deo *Patre*, Filio & Spiritu S. deque eorum personalitate, divinitate & subordinatione, quæ subordinatio est magnæ utilitatis. 332, & seq. *a*

Generatio à qua Deus vocatur aut vocari potest *Pater* quinque modis in scripturis accipitur, sed κατ' ἐξοχὴν dicitur *Pater* Jesu Christi, & Christus *Dei* Filius. 334, 335. *a*

*Patres* Judæorum quam dilecti à Deo. 420. *b*

Quomodo Deus peccata *Patrum* visitet in posteros. 247. *b*

De titulo *Patrum* veteribus tributo, nullo jure, detrimento autem veritatis. 132. *b*

Remonstrantes *Patrum* judicium privato suo judicio non postponere. Humilitati Christianæ non repugnare credere *Patres* erravisse. Sanctimoniam *Patrum*, quæ soli Deo notâ est, nullum judicio ipsorum afferre pondus. Nos non debere vereri dicere eos periisse quos Deus in verbo suo damnat. 109, 110, 111. *b*. Quantum *Patribus* in negotio Fidei tribuendum sit, Et cur Remonstrantes aliquando ad eos provocent. 127, 128. *b*

Pontificios ex *Patribus* demonstrare non posse caput Ecclesiæ suæ errare non posse, Et quam difficile sit antiquæ historiæ cognitionem habere. 150, 151. *b*

Quo usque se extendat *Patria* potestas. 38. *a*

Quam grave fuerit mandatum quod Deus dedit Abrahamo ut exiret è *Patria* sua & cognatione sua. 37, 38. *a*

Quo sensu *Patriam* in terris non habere dicuntur Christiani sed in cælis. 86, 87. *b*

An conjugium inter *Patruum* & neptim lege Mosis prohibitum sit. 37. *a*

De ignoratione *Pauli*, cum, infidelis cum esset, Christi ecclesiam persequeretur, ex loco 1 *Tim.* I. 13. 19, 20. *b*

Immediatus revelationis modus *Paulo* fortasse cum Christo proprius fuit. 24. *a*

De *Paupertate* ferenda. 252. *a*

Agrorum extremæ oræ, spicæque quæ tempore messis decidunt, Nec non racemi tenuiores, & uvarum grana quæ tempore vindemiæ decidunt, relinquebant Judæi juxta præscriptum legis *pauperibus*, non relinquere in furto ponunt. 85, 86. *a*

Decima in usum *pauperum* loco decimæ secundæ in tertio & sexto anno separabatur sub lege. 86. *a*

*Paupers* mutuum dare tenebantur Judæi juxta placitum suorum doctorum. 108, 109. *a*

De *pauperibus* non contemnendis ex loco *Jacob.* II. 1, 5, 9. 30, 31. *b*

Cur beati *pauperes* dicantur à Domino Jesu. 205, 206. *b*

*Pacis* studium quantum fuerit in Abrahamo. 33. *a*

De *pace* quæ promittitur ab Haggæo sub templo secundo. 169. *a*

Prædictiones de *pace* universali sub regno Messiæ esse conditionales, & non pertinere nisi ad eos qui legē Messiæ libenter amplectentur. 210, 211. *a*

Non esse prohibitum Christianis *pacem* quærere in hoc mundo. 86, & 91, 92. *b*

Quid sibi velit Christus cum dicit, Non veni missurus *pacem* sed gladium. 208. *a*

*Pacifica* sacrificia, quænam ea fuerint sub lege. 71. *a*

*Pacem*, vide *Tranquillitatem*, & *Toleantiam*.

Quæ spes gratiæ *Peccatori* in agone mortis constituto fieri possit. 14. *b*

Quid agendum sit *Peccatori*, qui propter religionem in discrimen vitæ venit. 16. *b*

Sacrificia pro *peccato*, & quæ peccata iis expiarentur. 71. *a*

De sacrificio pro *peccato* per errorem totius populi, & privati cujusque. 75, 76. *a*

Cur sacrificia pro immunditie physica, vocentur sacrificia pro *peccato*. 77. *a*

An ob Judæorum *peccata* dilatus fuerit Messiæ adventus; Nulla *peccata* posse fingi ob quæ totus ille populus adeo sit Deo exosus; & quamvis gravissimorum *peccatorum* reus esset, non propterea differendum Messiæ adventum. 159, &c. *a*

*Peccata* sunt extra Deum, & Deus tamen ea videt & cognoscit. An ea nihil sint? 299. *a*

*Peccatum* non esse objectum divinæ voluntatis, ex permissione *peccati* non sequitur Deum id velle. Deus ne quidem per accidens vult *peccatum*. 304, 305. *a*

Propter quæ *peccata* ira divina accendi dicatur in sacris. 320, 321. *a*

Justitiæ divinæ repugnat docere, Deum decernere ut homo *peccet*, item Deum hominem impellere, determinare, necessitare ad *peccatum*, item Deum primum hominis *peccatum* censere pro universi generis humani *peccato*. Nec non propter unicum istud *peccatum* Deum omnes homines nasci velle corruptissimos, &c. Quæstiones aliquot ad Justitiam Dei circa *peccata* pertinentes breviter decisæ. 322, 323, 324. *a*

*Peccati* vel unius circumstantias facere ut Deus severe puniendo, nihil tamen suæ mansuetudini detrahat. 332. *a*

Ex eo quod *Peccatum* est in mundo, non sequi nullam esse Dei Providentiam. hanc objectionem duabus falsis hypothesibus niti. De iis qui providentiæ divinæ vi tam bona quam mala necessario evenire putant. Modus providentiæ circa *peccatum* est triplex: 1. est antequam fiat, qui consistit in legislatione, conservatione virium, & subministratione rationum. Deum nunquam *peccatum* internum per irresistibilem vim impedire, sed aliquando externum ejus actum, quod pluribus modis facit. Ex eo quod Deus non impedit irresistibiliter internum *peccati* actum, non sequitur hominem Deo esse potentiorem. Providentia non potest procurare ut *peccatum* necessario eveniat. Quid per *peccati* permissionem intelligendum sit. Tres classes locorum scripturæ quibus *peccatum* per divinam providentiam fieri indicari videtur. Quid alii ad ea respondeant. Quidam putant ibi solum agi de iis qui *peccatis* suis sic à Deo puniri meruerunt. Quidam distinguendum esse putant actum à vitiositate actus: Et quidam ad permissionem efficacem recurrunt. Cavendum esse ne Deus *peccati* autor fiat, cum responsione ad loca illa scripturæ. 2. Modus circa *peccatum* cum fit & quâ fit, est tum directio in objectum & finem, tum determinatio. 3. Modus circa *peccatum* jam factum est tum punitio futura & præsens, corporalis & spiritualis, tum Remissio *peccati* præsens vel futura. 374, usque ad 398. *a*

*Peccati* servitus pars miseriæ hominis. Omnes homines esse *peccatores*, Judæos & Gentiles, an eadem sit Christianorum ratio. Quo sensu Philosophi & Judæi quidam dicantur fuisse justi & perfecti. Fontem miseriæ humanæ esse propriam & liberam uniuscujusque hominis culpam & *peccatum*; ubi de *peccato* quod vocant originis agitur. An *peccato* bene agendi impotentia attrahi possit. Nusquam scriptura *peccati* alicujus Originalis meminit, nec ut meminerit ratio sinit. An omnes in Adamo *peccarint* ex *Rom.* V. 12. Præcipua scripturæ loca quibus hoc *peccatum* inniti creditur examinantur, & respondetur ad aliquot quæstiones. 401, usque ad 407. *a*

Corpus non est capax *peccati*, & quomodo scortatores in proprium corpus *peccare* dicantur ab Apostolo. 420, 421. *a*

Quomodo interdictum precandi pro iis qui *peccant* ad mortem, conveniat cum promissione veniæ credentibus in Christum facta, ex locis *Matth.* XI. 28. & 1 *Joan.* V. 16. 11. *b*

De formali ratione *peccati* in Spiritum Sanctum. 13. *b*

De *peccatis* excludentibus ex regno cœlorum, & an per ea actus an habitus intelligatur. 17. *b*

De *Peccatorum* remissione & retentione ex loco *Joan.* XX. 23. 105. *b*

Calvinistas *Peccatorem* excusabilem reddere. 173. *b*

Qui Electionem absolutam statuunt absque prævisione fidei, consentire necessariò debent Deum efficaciter voluisse ut Adam *peccaret*, & in eo totum genus humanum. 175, 176. *b*

*Peccatum* nullum pœna dignum dari juxta sententiam Cameronis, Adamum non potuisse *peccare*, nec regenitos. 212, 213. *b*. An Christus *peccare* potuerit. 214. *b*

Per sententiam Cameronis de determinatione voluntatis Deum constitui autorem *peccati*. 216. *b*

Sententia Cameronis pugnat cum ratione *peccati*, *Peccatum* consideratur vel materialiter vel formaliter. Quod necessarium est non est *peccatum*. Propensio ad *peccandum* non est *peccatum*. *Peccatum* Originale non est propriè dictum *peccatum*. Quodnam malum ab Adamo in nos propagetur. Quomodo Deus *peccata* parentum visitet in tertiam & quartam usque generationem. Originale malum neque culpæ neque pœnæ est malum. Ex eo quod sine Christi & Spiritus S. gratia non possumus salutem adipisci, non sequitur sine ea homines necessario *peccare*. Non credere non est *peccatū* in iis quibus Euangelium non est annunciatum. An sequatur non oportuisse Christum mori, si id *peccatum* non sit quod est necessarium. *Peccatum* non posse constitui in actu judicii. Quid sit Cameroni pertinacia in *peccato*. Quomodo secundum Cameronem *peccatum* sit voluntarium. 246, usque ad 255. *b*. Evincitur contra omnes exceptiones Cameronis, sententiam ipsius pugnare cum ratione *peccati* Adami. Non potuisse Adamum *peccare* nisi lux persuadens ei subtraheretur. An primum hominis *peccatum* fuerit mentis error. Num Deus Adamum à *peccato* immunem præstare potuerit salva libertate voluntatis ipsius. Id Camero negat. De causa impulsiva primi *peccati*, & quid in eo præstiterit Diabolus. Camero Deum primam primi *peccati* causam facit. De providentia divina circa *peccatum* Adami. Quomodo Adamus Deo permittente sit lapsus. Quid Diabolus suasione sua in isto *peccato* effecerit. In eo quod in potestate nostra non est, *peccare* non possumus. In potestate Adami fuisse *peccatum* vitare. De vi suasionis diabolicæ in primo *peccato*. Camero facit Deum autorem *peccati*. 255, usque ad 268. *b*. Regenitos secundum Cameronem *peccare* non posse, nisi Deus iis lucem quam concessit subtrahat. Qualia sint regenitorum *peccata*. Adhortatio ad Cameronē ne adhæreat sententiæ quæ Deum *peccati* autorem facit. 268, usque ad 274. *b*

Quid sit *peccatum* habere, ex locis 1 *Joan.* I. 8. & III. 9. 271. *b*

An Christus non potuerit non, obedire patri suo, aut *peccare*. Ex tentatione Christi à Diabolo facta apparet eum potuisse *peccare*; item ex eo quod consolatione Angelica indiguit; nec non ex eo quod dixit, tranſeat à me calix iste. Dignitati Christi nihil decedit ex eo quod potuerit *peccare*. De differentia status præsentis & futuri sæculi. De merito in non *peccando* cum potes *peccare* 218, usque ad 295. *b*

De Diaboli in *peccando* pertinacia. 306. *b*

Malè dici à Camerone omnes quadantenus quotidie insanire & *peccare*. 331. *b*

Nec necesse erat, nec conveniebat Deum adhibere suam potentiam ad *peccatū* Adami impediendū. Cur Deus actu non impediverit *peccatum* primi hominis, & quid in eo præstiterit. 342, 343. *b*

An homo nihil ex se habeat quàm *peccatum*, & miseriam, & quàm multa ei bona tribuantur in scriptura. 352. *b*

Omnia Deum diligentibus in bonum cedunt exceptis *peccatis*. 423. *b*

Quomodo Deus omnes *Rom.* XI. 32. in *peccato* aut contumacia concluserit. 423. *b*

*Peccatum* originale, vide *originale* Peccatum.

Male Capellum *Pelagianorum* hæresin Arminio docendi gratia affingere. *Pelagianos* non esse omnes eos qui Deo non satis, homini vero nimium tribuunt. Capellum cum cæteris Calvinistis Deo non satis tribuere & nimium homini, & quæ *Pelagianissimi* secundum Capellum sunt extrema, Peccatorem excusabilem reddere, & Gratiæ Christi universam vim suam suffurari. Arminium paratum fuisse probare & manu sua signare sanctiones omnes quæ contra *Pelagium*, beneficiū istud extenuantem constitutæ olim fuerunt. Patres omnes qui contra *Pelagium* scripsere, gratiam regenerationis ita peculiarem non fecisse, ut liberum arbitrium sustulerint. Ex sententia Arminii de Peccato Originis, & de objecto Prædestinationis evinci non posse eum *Pelagianissimum* instaurare voluisse. 173, usque ad 178. *b*

*Pelagii* sententia de gratia quæ fuerit, & Cameronis opinionem de determinatione voluntatis esse *Pelagianam*. 210, 211. *b*

Cameronis sententiam esse *Pelagianam*. 227, 228, &, 230, & seqq. & 239. *b*

Nec *Pelagiani* nec *Semi-Pelagiani* sunt qui Electionem à conditione fidei pendere statuunt. 424, 425. *b*

*Pentecostes* die panes duo novi offerebantur. 73. *a*

De tempore *Pentecostes*. 90. *a*. Cessatio ab operibus festo *Pentecostes* præcipitur. 93. *a*


Invicem

Invicem *percutientes* dirimi jubet lex Moſis. 127. *a*

Res *perdita* atque inventa Domino ſuo reſtitui debebat ex præſcripto legis. 110 *a*

De dilectione *peregrinorum* juxta præſcriptum legis Moſaicæ; tria *peregrinorum* genera apud Judæos; qui *peregrini* hoc in præcepto intelligantur, aliqui ne an omnes. 112. *a*

*Perfecta* eſſe debebant animalia quæ Deo in ſacrificium offerebantur, & qua in re *perfectio* illa conſiterit. 75. *a*

De *Perfectione* Chriſtiana ex loco *Matth.* V. 48. Hominem *perfecte* Dei mandata ſervare poſſe. Diſtinctio inter *perfectionem* partium & graduum quatenus admittenda, An *perfectio* intenſiſſima ſit neceſſaria ad ſalutem. 18. *b*

Quid ſibi velit Paulus cum dicit 1 *Cor.* II. 6. Sapientiam loquimur in *perfectis*. 5. *b*

Quo ſenſu Philoſophi & Judæi quidam juſti & *perfecti* dicantur fuiſſe. 401. *a*

De mali *permiſſione*. 341. *b*

Quomodo Adamus Deo *permittente* ſit lapſus. 264. *b*

Quomodo Deus regenitos ſibi *permittat*. 269. *b*

Ex *permiſſione* peccati non ſequitur Deum id velle. 305. *a*

Quid per peccati *permiſſionem* intelligendum ſit. Quidam ut reſpondeant ad loca in quibus peccati efficientia Deo tribui videtur, ad *permiſſionem* efficacem recurrunt, ſed malè. 379, 380. *a*

Fideles ſingulos à fide & ſalute excidere poſſe. Et non eſſe ſervile metu damnationis ad *perſeverantiam* in fide moveri. 421, 422. *b*

De *Perſeverantia* certitudine, an Remonſtrantes eam negando piis multas ſalutares conſolationes ereptum eant. Sententia Auguſtini de certitudine *Perſeverantiæ*, eadem eſt quæ Remonſtrantium; turpem ac fœdam eſſe opinionem de *Perſeverantiæ* certitudine & Chriſti religione indignam. 191. *b*

Pater, Filius & Spiritus S. deſcribuntur tanquam *perſonæ* in ſacris. 332. *a*

Dignitas *perſonæ* Chriſti, vide *Chriſtum*, & *Carnem*. *Perſonarum* acceptio vitanda in Judicio. 99, 100. *a*

*Perſonarũ* acceptio nulla in judicio extremo 327. *a*

*Perſuaſio* qua in re differat à ſuaſione, & quam *perſuaſionem* Camero Deo tribuat in regeneratione hominis. 211, 212. *b*

Quid Cameroni ſit *perſuaſio* quâ Deus hominem convertit. 231. *b*. Quid ſit *perſuaſio* moralis. 232, 233. *b*

Id quod ſentitur non *perſuaderi*. 234. *b*

De Cameronis notitia dirigente & *perſuadente*. Non potuiſſe Adamum peccare niſi lux *perſuadens* ei ſubtraheretur. 256. *b*

Camero diſtinguit Cognitionem in præſcribentem & *perſuaſivam*. Cognitionem Dei de qua Joannes loquitur non eſſe *perſuaſivam* illam, quia aliàs exhortationibus uti opus non habuiſſet, 325, & 332. *b*. Vide *Suaſionem*.

Quid ſit Cameroni *pertinacia* in peccato. 252. *b*

De Diaboli in peccando *pertinacia*. 306. *b*.

*Pertinaciæ* fontem eſſe delectationem quandam quæ homini pæne inſenſibiliter ex contubernio rei iſtius cui ſemel ſe applicuit oboritur, quod variis exemplis clarum fit. Delectationis maxima eſt vis ſi hæc accedant. 1. Temperamentum. 2. Conſuetudo. 3. Commodum. & 4. Voluptas inde promanans. 205. *b*

De remediis aptis ad *pertinaciæ* vitia expugnanda. 206. *b*

De *pedum* lotione à Chriſto præcepta *Joan.* XIII. 14. 162. *b*

De officio Paſtorum in inviſendis *peſte* laborantibus, quaſque cautiones adhibere debeant cum ad ejuſmodi ægros accedunt. 50, 51. *b*

De primatu *Petri* ſupra alios Apoſtolos, nec non de ejus ſucceſſoribus. 112, 113. *b*

*Pharao* rectam rationem pro norma ſuæ religionis habuit. 18. *a*

De induratione *Pharaonis*. 297, 298, *b*. 389. *a*

Arminium non docuiſſe ea quæ cum vitio *Philautias* maximè conſpirant. Et fieri poſſe ut abſque *Philautia* aliquis Deum homini ſimiliorem faciat quam par ſit, Et Deo non ſatis homini verò plus quàm par ſit tribuat. Retorſio argumenti in Calviniſtas. 169. *b*

*Philoſophos* explodere ſententiam Cameronis de libero arbitrio. 241, 242. *a*

De *Phylacteriis* & fimbriis Judæorum. 63, 64. *a*

De impotentia *phyſica* & morali. 305. *b*

Quid ſtatuant Judæi de *picturis* ad ornatum non ad cultum, quid de *pictura* tum Dei tum creaturarum ſit ſtatuendum. Nec ad cultum nec ad ornatum *picturas* in locis religioni deſtinatis eſſe collocandas. 130, 131. *a*. De lapide *picto* non conſtituendo ut quis ſe incurvet ei. 136. *a*

De *pietate* erga Deum & Chriſtum; actus ejus interni ſunt honor, amor, timor, & reverentia; externi ſunt adoratio, invocatio, gratiarum actio, juramentum, & preces. 248. *a*

Nemini conſtare poteſt de *pietate* alterius, mala Deus *piis* evenire vult ob plurimas rationes. 366, 367. *a*

Maimonides Judæus negat ulla mala unquam *piis* à Deo inflicta fuiſſe; vel ſi inflicta fuere, hoc contigiſſe iſto tempore quo Dei oblitifuerunt. 61. *a*

Propter *pios* Deum aliquando parcere impiis. 374. *a*

*Pietas*, vide *bonum*.

De *pignore* Domino reſtituendo. 109. *a*

An ſine ſalutis jactura nemo poſſit Deum *pingere* aut repræſentare ea forma quâ olim apparuit, Et de cultu imaginum apud Pontificios. 289, 290. *a*

*Piſces* quinta die facti ſunt. 350. *a*

Mundiciei ſigna in *piſcibus* obſervanda erant, antequam menſæ apponerentur in cibum. 90. *a*

Domus prima præceptorum negativorum quæ eſt de fugiendo cultu *Planetarum*, & XLVII præcepta continet. 128, uſque ad 148. *a*

*Plantarum* productio facta fuit die tertia. 350. *a*. *Plantas* non vivere juxta ſtylũ ſcripturæ. 351. *a*

De vocibus *plantandi* & ædificandi. 317, 318. *b*

*Plinii*, Euripidis, & aliorum argumenta adverſus divinitatem refutantur. 13. *a*

Nomẽ *pluralis* terminationis apud Hebræos cũ verbo ſingulari, ſignificatione ſingulare eſt. 129. *a*

Verbum *plurale* Facianus hominem ſenſu eſt ſingularis numeri, & verbum non ſocietatis, ſed Majeſtatis. 352. *a*

Πλοδομαντεία ſpecies divinationis. 139. *a*

Ira aliquando ſumitur pro irrevocabili decreto *puniendi*, aliquando pro ipſa punitione, & ejus effectis. 318. *a*

*Pœnæ* quas Deus ex ira infligit, ſunt vel temporales, & inter eas mors piorum, vel æternæ. 321. *a*

Quomodo *pœnam* & præmium reddere ad juſtitiam pertineat, & de juſtitia *pœnarum* divinarum, 1. ex teſtimoniis ſcripturæ. 2. ex inæquatate *pœnarum* quas comminatur Deus delinquentibus. 3. ex judicio extremo quod fiet ἀποκατακολάσεως. 326, 327. *a*

Corporalium impiorum *pœnarum* exempla in hac vita. 369. *a*

Diſcrimen inter *punire* & occidere, *pœnam* & calamitatem. 370, 371. *a*

An repugnet Providentiæ divinæ, 1. ut inſontes cum ſontibus pari *pœna* afficiantur. 2. Ut inſontes propter ſontes *puniantur*. 3. Ut ſontes præteat pœna & inſontes poſteri parentum ſuorum noxas poſt mortem eorum luant: quorum trium exempla plurima proferuntur. Tantum abeſt ut Deus inſontes propter ſontes *puniat*, ut contrarium planè faciat. Non aliam eſſe, quod ad Dei de bonis curam, & impiorũ *pœnas* attinet, rationem Veteris Fœderis quàm Novi. 370, uſq; ad 374. *a*

*Punitio* peccatorum eſt actus providentiæ divinæ circa peccatum jam perpetratum. *Punitio* peccati pertinet vel ad futuram vitam vel ad præſentem. Quæ infertur in hac vita eſt vel corporalis, vel ſpiritualis. Hæc conſiſtit in privatione gratiæ & traditione in poteſtatem mali. 398, 399. *a*

Quomodo *pœnarum* æternitas cum Dei juſtitia conſiſtere poſſit. 67, 68. *b*

Diſcrimen inter *Punitionem*, & ultionem. 81. *b*

*Punitiones* corporales non repugnare perfectioni charitatis. 83. *b*

*Pœna* omnis ratio & præmii tollitur juxta ſententiam Cameronis. 214. *b*

*Pœna* malum aliud eſt propriè aliud impropriè dictum. Originale malum neque culpæ neque *pœnæ* eſt malum. Quomodo Deus peccata parentum *puniat* in poſteris. 247. *b*

Quatenus *Pœnitentia* Deo tribuatur in ſacris. 317, 318. *a*

Quomodo dona & vocatio Dei ſint ut ait Paulus *Rom.* XI. 29. abſque *Pœnitentia*. 422, 423. *b*

Quomodo conciliari poſſit autor ad Hebræos *cap.* VI. 4, 5, 6. & X. 26, 27. qui omnem veniæ ſpem quibuſdam peccatoribus adimit, cum *Ezechiele* eam *cap.* XVIII. 21. omnibus *Pœnitentibus* promittente. 12. *b*

*Polygamia* à Chriſto ſublata. 119. *a*

*Pontifex* ſummus & ejus veſtis, oleum quo ungebatur, non ei licebat mortuum adire, vel viduam aut impudicam in uxorem ducere. 68, 69, 70. *a*

Cur ad mortem uſque *Pontificis* ſummi homicidii involuntarii reum in patriam redire non permiſerit Deus ſub lege Moſis. *Pontificem* ſummum hac in re Chriſti typum non geſſiſſe. 121. *a*

De primatu *Pontificis* Romani ſententia Patrum. 112, 113. *b*

Canon 28. Concilii Chalcedonenſis, quo æquatur Conſtantinopolitanus Epiſcopus *Pontifici* Romano. 132. *b*

An *Pontifex* Romanus ſit ſummum Eccleſiæ caput, & ſupra Concilium, quamvis ſit impius & hæreticus. 149, 150, 151, 152. *b*

*Pontificis* an Idololatræ. 102, 103. *a*

*Pontificiorum* fides reſolvitur in judicium proprium *Pontificis*, hominis aliquando impii & hæretici. 108, 109, & 116. *b*

De *Pontificiis* quibuſdam, qui meliora edoceri nolunt, vel qui adeo pertinaciter ſuæ opinioni adhærent ut rationi nulli locum dent, quibuſcum fruſtra diſputatur. 148. *b*

De ſacrificio pro errore totius *Populi*. 75. *a*

In *portis* ædium meſuſah ſcribebantur ut Judæi legis non obliviſcerentur. 64. *a*

De *Portis* inferorum, de quibus dicitur non prævalituras contra Eccleſiam. 258. *a*

Quid per *portas* inferorum intelligatur in ſacris, ex loco *Matth.* XVI. 18. 118. *b*

Cum dicitur Deum omnia poſſe, quid per *poſſibilia* illa intelligatur. 13. *a*

Deum omnia *poſſe* ex Scripturæ teſtimoniis probatur. Latitudo *potentiæ* divinæ, Ea extenditur ad omnia *poſſibilia*, non verò ad ea quæ implicant contradictionem. 285, 286. *a*

Neceſſe eſſe credere Deum omnia *poſſe*, quæ omni*potentia* tria præcipuè complectitur. 291, 292. *a*

*Poſſe* aut non *poſſe* nos aliquid, intelligendum eſt cum requiſitis circumſtantiis. 361. *b*

Quid per *poſteriora* Dei intelligatur quæ Moſes vidiſſe dicitur. 52 *a*

*Potentes* ſunt Angeli quia ſpirituales. 347. *a*

Nihil ab Arminio derogari *potentiæ* quâ Deus utitur in converſione hominum, Nèc docere Deum fine ſuo fruſtrari. 177, 178. *b*

*Potentiâ* improbos felices reddere non poſſe. 368. *a*

Quid per *Poteſtatem* intelligat Paulus 1 *Cor.* XI. 10. quam mulieres in capite habere dicit propter Angelos. 46, 47. *b*

Supereminentiam *poteſtatis* & honoris habere ſupra alios non repugnare verbis Chriſti *Matth.* XX. 25. nec legibus illis quæ modeſtiam animi demiſſionem, &c. Chriſtianis præcipiunt. 72, 73, 74. *b*

In eo quod in *poteſtate* noſtra non eſt peccare non poſſumus. In *poteſtate* Adami fuiſſe peccatum vitare. 265, 266. *b*

Verbum *Potius* præcipiendi vim non habet, ſed ſuadendi. 78. *b*

*Potus*, vide *Victum*.

*Practicam* ſcientiam eſſe oſtenditur Theologiam, non ſpeculativam nec mixtam. 4, 5, 6. *a*

Diſcrimen inter *præcepta* affirmativa & negativa. 128. *a*

Nullus locus eſt *Præceptionibus* & *prohibitionibus* juxta opinionem Cameronis. 213. *b*

*Præceptiones* & prohibitiones nullas dari ſecundum ſententiam Cameronis. Quid *præceptiones* differant ab hortationibus, & prohibitiones à dehortationibus. Illuſtratio facta per vim Spiritus S. irreſiſtibilem, *præceptionum* & prohibitionũ uſum excludit. Ad voluntatem ex ſententia Cameronis non poſſunt dirigi *præceptiones* & prohibitiones. Ubi neceſſitas dominatur, *præceptiones* & prohibitiones non poſſunt eſſe media fidei. 279, uſque ad 284. *b*

Quomodo Deus det quod *præcipit*. 350. *b*

Diſcrimen inter hortationẽ & *præceptionem*. 358. *b*

Quomodo Deus *præcipere* poſſit illis quos præſcit gratia ſua libere abuſuros. 385, 386. *b*

*Præcepta*, vide *Mandata*.

*De* hæreſi *Prædeſtinatorum*. 229. *b*

An dogma *Prædeſtinationis* arguat Scripturam eſſe in neceſſariis obſcuram. 269. *a*

Excæcatio eſt impoſſibilis ſecundum hypotheſes *Prædeſtinatorum*. 389. *a*

Examen abſoluti *Prædeſtinationis* decreti. I. Duplex abſolutæ *Prædeſtinationis* defenſorum ſententia,

sententia, supralapsariorum nempe & sublapsariorum. Utriusque convenientia, & discrepantia, sed tamen in idem tandem recidunt. II. Sententiæ supralapsariorum explicatio, Ea refutatur tribus rationibus. 1. quod scripturis nullo sit modo conveniens. 2. quod rationi rectæ è diametro repugnet. 3. quod ad ingenerandum religiosum Dei cultum non sit comparata. III. Sententia sublapsariorum, Per eam universa Dei administratio circa Electos & reprobos simulatoria redditur. Responsio ad objectionem de fine & mediis, loca quædam ad hanc rem inservientia expenduntur. IV. Opinio de absoluta Electione & reprobatione est valde periculosa. Quatenus intolerabilis aut tolerabilis sit. 410, usque ad 415. *a*

Dogma absolutæ *Prædestinationis*, Judæis ansam dare à Christiana religione abhorrendi. 437. *a*

*Prædestinationem* absolutam constituit Beza & alii summam Religionis Christianæ. 167. *b*

Omnes Augustino vetustiores scriptores, *Prædestinationem* non tueri aliam quam ex fide prævisa probatur. 174. *b*

De objecto *Prædestinationis* dissentiunt inter se Calvinistæ, quæ dissensio levis non est. Ex *Prædestinatione* absoluta sine prævisione fidei necessariò sequi Deum efficaciter voluisse ut Adam peccaret & in eo totum genus humanum. An Synodus Dordracena damnarit sententiam eorum qui objectum *Prædestinationis* faciunt hominem ante lapsum. Arminium nihil merito hominis tribuisse in *Prædestinatione*. Quantam libertatem idem homini tribuat. Nihil ab eo derogari potentiæ qua Deus utitur in conversione hominum. Nec docere Deum fine suo frustrari, Arminianamque non debere dici sententiam de *Prædestinatione* conditionata. 174, 175, 176, 177, 178. *b*

Quatuor esse de *Prædestinationis* objecto sententias, tres primas se mutuo ferre, quartam à Calvinistis non tolerari. 192. *b*

Materia de *Prædestinatione* in nulla Synodo, Dordracena excepta fuit definita, melius Dordracæni honori suo consuluissent si cum Remonstrantibus egissent prout fecerunt cum Gomaro & Martinio. 196. *b*

Cameronis de *Prædestinatione* sententiam 1. non minus quam Calvini & Bezæ fatalem necessitatem inducere. 2. Qua in re summatim illa consistat. 3. Eam damnatam esse à Synodo Dordracena, Aleziana & Charentonensi. 4. Pelagiano-Manichæam esse. 5. Per sententiam illam impossibile esse ut detur ullum peccatum pœna dignum, aut virtus ulla digna præmio, imo impossibile fuisse ut Adamus peccaret, vel regenitus ullus peccet. 6. Per eã nullus relinquitur locus præceptionibus & prohibitionibus, sicut nec promissis nec minis. 7. Per eandem tollitur omnis obedientia & inobedientia, & respondetur ad exemplũ Christi quod objicitur in contrarium. 8. Per eam quoque omnis præmii & pœnæ ratio tollitur. 9 Fons & Origo Erroris Cameroniani in hoc argumento. 10. Responsio ad objectiones aliquot. 1. Quod si voluntas non determinetur à judicio rationis, voluntas appetere poterit malum sub ratione mali. 2. Vera Christi cognitio sejungi poterit à Charitate. 3. Tolletur optima pars Providentiæ divinæ. 4. Et õnis consolatio. 5. Quod alioqui nullus erit exhortationum usus. 6 Nec precũ, cum retorsione in Cameronem. à pag. 209, usque ad 217. *b*

*Rom.* VIII. 29. non agi de *Prædestinatione* ad fidem sed ad crucem. 393. *b*

Epiphonema Apostolicum *Rom.* XI. 33. O profunditas divitiarum &c. non favere *Prædestinationis* absolutæ. 423, 424. *b*

Ex eo quod nemo prior Deo dederit non sequitur *Prædestinationem* à conditione fidei non pendere. 424. *b*

*Prædestinatio.* vide *Conversionem, Decretum, Electionem, Fatum,* & *Reprobationem.*

Fructus *Prædicati* Euangelii in toto orbe. 204. *a*

Ex divinis *prædictionibus* probatur præscientia futurorum contingentium. 299, 300. *a*

An eventus qui *Prædictionis* respondet sit signum veri Prophetæ. 27, 28. *a*

Unde fiat ut aliquando eventus respondeat Astrologorum *prædictionibus.* 148. *a*

A *præjudicio* omni liber esse debet animus ut docilis sit, quid sit *præjudicium*, de *præjudiciis* Pontificiorum, Lutheranorum, & Calvinistarum. Sedam quamlibet sua habere *præjudicia.* 2, 3. *a*

*Præjudicio* vacuos habere animos Judices oportere, quo sensu intelligi debeat. 194. *b*

*Præjudicium* noluisse Episcopium gravare sententiam Cameronis, cum illam à Synodo Dordracena &c. damnatam esse dicit. 220. *b*

*Præmii* ratio & pœnæ tollitur ex sententia Cameronis. 214. *b*

Jure potest aliquis esse solicitus de laude & *præmio* divino. 274. *b*

Quomodo *præmium* & pœnam reddere ad justitiam pertineat. 326. *a*

*Præmium,* vide *Mercedem.*

*Profiteri* fidem, vide *Confiteri.*

De *Præparatione* loci in cælis facta & facienda, ex locis *Joan.* XIV. 2. & *Matth.* XXV. 34. 23. *b*

Remonstrantes credunt Deum futura contingentia *præscire* salva libertate voluntatis. Id vero Camero negat. Elogium D. Vorstii & ea de re sententia. 262, 263. *b*

Dubium esse quo sensu Augustinus dicat Cap. XIV. de Prædest. Deum *præscire* quicquid futurum est. Patres pene omnes prædestinationem secundum *præscientiam Dei* recipiunt, ut ex Prospero probatur, cui adstipulatur Melanchthon. Ingens discrimen inter eorum sententias qui vitæ terminum ex *Dei præscientia* certum esse dicunt. Quod exemplo ex Medicina desumpto illustratur, 1. ex eorum sententia qui *præscientiam* decreto initi non putant. 2. Ex illorum sententia qui *præscientiam* in decreto *Dei* fundant. Quomodo Deo laus supremæ suæ sapientiæ cum *præscientia* constare possit. 383, 384, 385, 386. *b*

Spes *Dei* consistere potest cum *præscientia* futurorum contingentium. 314. *a*

Nulla species injustitiæ in eo est, quod Deus hominibus largiatur dona quibus ipsos abusuros esse *præscit.* 306. *b*

*Præscientia* Dei circa futura contingentia, vide *Scientiam.*

*Præsens* & præteritum sæpe sumuntur in sacris pro futuro. 23. *b*

De *præsentia* divina, vide *Ubiquitatem.*

*Precum* ardor assiduus, probitatem promovet. 3. *a*

*Preces* aperto præcepto nullo jubentur in lege Mosis. 61. *a*

De *precibus* concipiendis ut Deo gratiæ agantur pro cibo & pastu. 65. *a*

*Precationes Dei* ostendere desiderium ei competere: cum *precationibus* divinis absolutam conversionis impossibilitatem aut necessitatem consistere non posse. 313. *a*

*Precatio* est una ex functionibus Prophetici Christi muneris. 430. *a*

An *Joannes* 1 *Epistola cap.* V. 16. prohibeat pro iis *precari* qui ad mortem peccant. 11. *b*

Quid senserint antiqui de *precibus* pro mortuis 112. *b*

*Preces* dirigunt Pontificii ad imagines, quamvis hoc neget Concilium Tridentinum. 141. *b*

*Precationum* usum non tolli si non statuatur voluntatem ab ultimo judicio rationis practico determinari, sed contra. 217. *b*

Contemptus *precum* taxatur, & vigilantia in *precibus* jubetur. Dispositio *precantis*, & modus *precationis* qualis. Res quæ *peti* possunt cum exauditionis certa fiducia. *Precationis* actus ex 1 *Tim.* II. 1. 248, 249. *a*

An aliquando Deus fidelium voluntatem ad ipsorum *Preces* in bono determinet. Non anguntur illi qui certi sunt de obtinendo auxilio divino, si illud petierint. Nec adjecta conditio irritam reddit piorum consolationem. 345. & seqq. *b*

Quam fallantur qui contenti *precari*, manum operi non admovent. 351. *b*

An tollatur *precũ* usus si voluntas sit libera. De *precibus* quibus Camero vult Deum rogari ut voluntatem nostrã flectat. An possimus Deum *precari* ut eã flectat irresistibiliter. fideles non precari ordinariè pro flexione irresistibili. De *precibus* Davidis *Psal.* CXIX. pro intelligẽtia. Nec quidvis nec quovis modo orandum, sed quod æquum est, & officium nostrum non tollit. Nullũ juxta Cameronem esse *precum* usum. 359, usque ad 364. *b*

*Preces,* vide *Invocationem.*

Loca Scripturæ in quibus Deus dicitur *Primus:* quomodo iste titulus accipiendus sit cum Christo tribuitur. 286. *a*

*Primitia* fructuum adducebantur in ædem sacram, & qui fuerint ritus quibus ex omnibus civitatibus adducebantur. 86. *a*

*Primitia* tonsurarum sacerdotibus dabantur. 89. *a*

*Primogenitum* omne masculum ex mundis animalibus sanctificabatur & Domino offerebatur, *Primogenitum* hominis certo pretio redimi necesse erat: si *primogenitus* Asini non redimeretur &c. cervices ei amputabantur. 78. *a*

De quo *principio* Joannes loquatur in initio Euangelii sui. 335, 336. *a*

Quodnam sit *principium* in quo dicitur *Gen.* I. 15. Deum fecisse cælum & terram. 346. *a*

Qua in re consistat *probatio* illa de qua Paulus 1 *Cor.* XI. 28. 42. *b*

De *probatione* ex loco 2 *Chronic.* XXXII. 31. 270. *b*

De *probatione* piorum per mala quæ iis evenire vult Deus. 367. *a*

*Probitas* requiritur in Theologiæ studioso, *Probitatem* sustentant & promovent Bonæ conscientiæ studium, & assiduarum Precum ardor. 3. *a*

Quid πρόγνωσις Dei significet, refutatio eorum qui ex particula πρὸ colligunt *Rom.* VIII. 28. agi de scientia speculativa, Et eorum qui per Dei πρόγνωσιν intelligunt amorem erga singulares quasdam personas qua tales. 386, & 391, 392, 393. *b.* Et *Rom.* XI. 2. 418. *b*

*Prohibitiones,* vide *Præceptiones.*

Cur Deus primum mundum sine lege & *promissionibus* vivere permiserit. 23. *a*

*Promissiones* Abrahamo factæ fuerunt vel communes, vel propriæ. Quomodo *promissiones* quæ in terminis non continent nisi externa bona, à Christo & Apostolis ad spiritualia & cælestia bona referri potuerint, & *promissiones* Abrahamo factas duplicem habuisse sensum. 33, 34, 35. *a*

*Promissorum* & juramentorum obligatio, quatuor eorum genera statuunt Hebræi quibus hominem obstringi negant, quæ tamen inter turpia & indecora censeri debent. 81. *a*

De *promissis* fœdere Mosaico contentis, ea sunt duplicia, de rebus, aut de personis Messiæ. *Promissum* de Messia hoc fœdere contineri. Promissa de rebus duplicia sunt, Specialia de rebus & bonis terrenis, & Generalia sub quibus futuræ vitæ bona comprehensa fuerunt. *Promissa* typica & umbratilia habuit lex. An vitæ æternæ *promissio* in veteri fœdere non comprehensa fuerit. Qualia sint *promissa* de Messia. 155, 156, 157. *a*

*Promissis* & *minis* nullus locus datur juxta opinionem Cameronis. 213. *b*

*Promissa* & minæ redduntur ridiculæ per Cameronis sententiam. 284. *b*

Ad omnes ex Abrahamo secundum carnem oriundos non pertinet Dei *promissio*, In Isaac vocabitur tibi semen. *Rom.* IX. 6, 7. 400. *b*

*Promissa,* vide *Vota.*

*Promptitudo* fidei Abrahami. 36. *a*

*Propensio* ad peccandum non est peccatum. 246. *b*

*Prophetica* revelationis modus est vel mediatus vel immediatus. Mediatus fit in somnio, aut visione, vel per præsentaneum Angeli alloquium. Revelationis in somnio quinque & in visione quatuor species. Modus revelationis qui Mosi obtigit. 24, 25. *a.* An ii quibus revelatio *Prophetica* fiebat, divinam esse agnoscerent. An & quomodo falsi *Prophetæ* à veris dignosci possent. Modi quatuor eos discernendi, 1. Quando signum quod prædicunt non evenit. 2. Quando non habent prærequisita tria in vero *Propheta.* Exempla legis Cæremonialis & Judicialis non observatæ à veris *Prophetis.* 3. Cum indubiè verus *Propheta* de alio testatur. 4. Cum Deus *Prophetam* alicujus manifesto signo confirmat. Unde evincitur nullam habuisse Judæos causam, cur Jesum existimarent esse falsum *Prophetam.* Quomodo fieri potuerit, ut falsi *Prophetæ* revelationes quas jactabant divinas esse sibi persuaderent, Et populus totus revelationes falsas pro divinis habuerit. 26. & seqq. ad 30. *a*

Obedientia omni *Prophetæ* in nomine Domini venienti præstari debebat juxta legem *Deut.* XVIII. 15. an *Propheta* aliquis singularis hoc in loco promittatur. Malè Jesu Christo qui omnia veri *Prophetæ* Τεκμήρια habebat obedire recusarunt Judæi. 96, 97. *a*

De falso *Propheta* intrepidè occidendo: Ne quis *Prophetet* in nomine falsorum deorum, & ne *prophetans* talis audiatur. 138. *a*

Messiæ promissum, futurum *Prophetam* & Doctorem populi, & quidem perfectissimum. De triplici perfectione doctrinæ & *prophetia* Messiæ, quæ in Jesu Nazareno apparuit. Futura à Christo prædicta. 130, 131, 132. *a*


De

De divisione librorum *Prophetarum* secundum Judæos, inter *Prophetarum* scripta non recensentur ab illis Psalmi nec liber Danielis, sed immeritò. 217, 218, & 225. *a*

*Prophetia* Christi duplici modo consideranda est, 1. Ut est præparatorius modus ad sacrificium. 2. Ut est munus quod regii muneris Christi in cœlo exaltati, actus vel effectus est. Tria in munere Christi *Prophetico* consideranda. 1. præparatio personæ ad id munus obeundum. 2. Missio Christi. & 3. Literæ fiduciariæ; quæ fuerunt, Testimonium Joannis Baptistæ, & magna, multa, varia & admiranda miracula, quæ Christus patravit. *Prophetici* muneris functiones sunt tres. 1. Doctrina sive institutio. 2. Confirmatio doctrinæ. & 3. Precatio. 423, usque ad 430. *a*

*Prophetandi* libertatem qualem introducere voluerint Remonstrantes. 183. *b*

*Propitiatio*, vide *Sacrificium* propitiatorium.

Quid significet phrasis, secundùm *Propositum*. Et quinam sint vocati secundum *Propositum*, *Rom.* VIII. 28. 391, 392, & 401. *b*

*Processum* in infinitum non dari. 7. *a*

De *Processione* Spiritus sancti, vide *Spiritũ sanctum*.

Quid sit συναγωγολαψία quam *Jacobus cap.* II. 1, 3, 9. ab Ecclesia abesse jubet, & speciatim de ea vitanda in Diaconorum & Seniorum electione. 30, 31. *b*

*Prostratio* coram imaginibus ad orandum jure reprehenditur. 144. *b*

*De* libro *Proverbiorum*. 222. *a*

*Providentia* divinæ argumentum non parvum est vultuũ humanorũ differentia & varietas. 353. *a*

*Providentiæ* divinæ necessitas; Ea dupliciter consideratur, Ejus actus sunt duo, Conservatio & Gubernatio. Responsio ad duo sacræ Scripturæ loca quæ Dei *Providentiam* tollere videntur. Responsio ad objectiones tres. I. A priori demonstrari non posse *Providentiam* divinam nunc dari circa homines. II. nec à posteriori, quia nullũ signum, nullus effectus, nulla operatio divinam Providentiam certo demonstrans, dari potest. Effectus contra & signa *Providentiæ* apparere, 1. in conservatione rerum omnium creatarum, ita ut nullæ species animantium perierint, pereuntibus quotidie individuis. 2. in conservatione religionis Christianæ, quæ nonnisi Providentiæ divinæ adscribi potest. Adversus eos qui miracula quotidie cupiunt videre ut credant Deum gubernare mundum. III. Objectio tria membra habet, 1. Quia bonis malè hic est. Nemini constare posse de pietate alterius, & Deum mala piis evenire velle ad gloriam nominis sui illustrandam, ad alios vel convincendos vel animandos, ad ipsorum piorum bonum, ut eos exerceat unde quintuplex utilitas ad eos redit; Deinde ut exercitatos probet seu approbet; Denique ut probatos gloriosè coronet. 2. Quia malis non rarò hic bene est, Quod improbi bonis vitæ abundant, & quod eorum scelera impunita manent, non ideo beati; Pœnæ corporales impiorum in hac vita, Conscientiæ cruciatus. 3. Quia primò sæpe insontes cum sontibus paribus malis involvuntur; secundò sæpe insontes propter sontes puniuntur; tertiò sæpe sontes præterit pœna, & insontes posteri parentũ suorum noxas & scelera post mortem eorum luunt. Responsio generalis duo fundamenta continens, 1. aliud esse occidere, aliud punire. 2. aliud esse, puniri aliquando aliquem occasione peccati alieni cujus ipse reus non est, aliud prorsus insontem puniri. Discrimen inter calamitatem & pœnam. Responsio particularis ad unũ quodque trium præcedentium effatorum. Ex eo quod peccatum est in mundo non sequi nullam esse Dei *Providentiam*, hanc objectionem duabus falsis hypothesibus niti. De iis qui *Providentia* divinæ vi omnia tam bona quam mala necessariò evenire putant. Modus *Providentiæ* circa malum est triplex, 1. antequam malum fiat, qui consistit in legislatione, conservatione virium, & subministratione argumentorum avocantium à peccato. Hunc modum inutilem reddunt qui *Providentiam* in omnipotenti actione collocant. Deus nunquam peccatum internum per irresistibilem vim impedit, sed aliquando externum ejus actum, quod facit pluribus modis. Nec ex eo quod *Providentia* non impedit irresistibiliter internum peccati actum sequitur hominem Deo esse potentiorem. *Providentia* non potest procurare ut peccatum necessario eveniat. Quid per peccati permissionem intelligendum sit. Tres classes locorum Scripturæ quibus peccatum per divinam *Providentiam* fieri indicari videtur, Et quid alii ad ea respondeant. 1. Sententia est eorum qui putant ibi solum agi de iis qui peccatis suis sic à Deo tractari meruerunt. 2. Eorum qui distinguendum esse putant actum à vitiositate actus. 3. Eorum qui ad permissionem efficacem recurrunt. Tres hypotheses sequenti loco rum examini præmissæ, ne Deus peccatorum autor fiat. II. Modus *providentiæ* divinæ circa malũ est, cum fit & quâ fit est tum Directio mali in objectum & finem, tum Determinatio mali, qua Deus permissioni suæ modum & peccato permisso terminum ponit ne pro arbitratu creaturæ vagetur in infinitum. III. Actus *Providentiæ* circa peccatum jam factum sunt tum Punitio peccati quę pertinet ad futuram vel ad præsentem vitam, & est spiritualis vel corporalis; tum Remissio peccati, quæ vel ad futurum seculum pertinet, vel ad præsens. Modus *providentiæ* Dei circa bonũ tripliciter consideratur, 1. circa boni initiũ. 2 circa progressum boni. 3. circa bonum jam factum. Quid sit ad salutem creditu necessarium de *Providentia* Dei circa bonum & malum. à pagina 360, usque ad 400. *a*

*Providentia* divina non mensurat Dei voluntatem, sed eam consequitur. 223. *b*

*Providentiæ* optimam partem non tolli si non statuatur inclinare & determinare voluntatem in utramvis partem. 216. *b*. De *Providentia* divina circa peccatum Adami. 264. *b*

Non tolli bonam partem *Providentiæ* divinæ, etiamsi negetur determinationem voluntatis in utramque partem ab ea fieri. Et qui hoc negant, nec negare Scripturam, nec quod sensus communis docet. 333. & seqq. *b*

Non propterea se Deus exuit Majestate & *Providentia* sua quia voluntatem hominis liberam reliquit. Nec *providentia* divina parũ abest ab humana, si homo sit liber; aut propterea *providentiæ* divinæ subducuntur humanæ actiones; aut Deus suspensus manet. An actiones ferarũ & imperiorum subjaceant *Providentiæ* divinæ. Etiamsi homo sit libero arbitrio præditus, non tamen est *Providentia* divinæ exemptus. Et de iis qui omnia divinæ ejus *Providentia* adimunt præter motum Cœli. 336, 337, 338. *b*. De suis & maximè domesticis *providendo*, ex loco 1 *Tim.* V. 8. 25. *b*

*De proximi* jumento sub onere lapso juvando, quis per *proximũ* intelligatur, de correptione *proximi* peccantis; nec non de dilectione *proximi*. Et quid sit diligere *proximum* sicut seipsum. 110, 111. *a*

De *proximo* diligendo, & de divisione *proximi* in superiorem, parem vel inferiorem. 249, 250. *a*

De *Prudentia* Christiana in fide confitenda ex *Matth.* X. 16. 55. *b*

De libro *Psalmorum*. 222. *a*

An *puella* ita apud Hebræos seorsim à viris educatæ fuerint, uti apud Gentiles. 176, 177. *a*

*Puerpera* pro mundatione sua sacrificium offerre tenebatur sub lege. 77. *a*

*Pugnantes* dirimi jubet lex Mosis. 127. *a*

Quando *pulli* è nido eximebantur, mater eis incubans libera dimittenda erat sub lege. 90. *a*

Non esse necessarium creditu Deum instar *puncti* ubique esse. 294. *a*

*Punire*, vide *Pœnam*

Πυθομαντεία species divinationis. 139. *a*

Damnum ex *putei* negligentia ortum sarcire tenebatur sub lege ejus possessor, & quid per *puteum* intelligatur. 125. *a*

De *Pythonissis* non adeundis. 134, 135. *a*

Q.

*Quarti* anni fructus Deo sancti erant & consecrabantur. 85. *a*

Quid sit *quærere* Dominum, juxta stylum Scripturæ. 21. *a*

*Quies*, vide *Pacem*, *Tolerantiã* & *Tranquillitatem*.

R.

De ætate *Rachab* & Ruth. 1. *b*

Recta *Ratio* est regula religionis naturalis, cujus primus actus est honestum à turpi discernere. Recta ratio tripliciter accipi potest. Rectam *Rationem* normam fuisse primævæ religionis colligitur ex variis historiis temporum quæ legem antecesserunt & ex *cap.* I. ad *Rom.* V. 18. & seqq. 17, 18, 19, 20. *a*

Beneficio potissimum *Rationis* dominium obtinet homo in cæteras creaturas. 359. *a*

Liberum arbitrium à quibusdam constitui in ultimo judicio *rationis* practico, sed male. 198, & seqq. *b*. vide *intellectum*.

*Ratio* dividitur à Philosophis in superiorem & inferiorem; inferioris *rationis* vestigia quædam in brutis apparere, qua de re Plutarchus libellum scripsit; Et frustra datam esse *rationem* superiorem homini nisi eam adhibeat in consilium in eligendo. 200, 201. *b*

Quid possint *rationes* in voluntatem. 356. *b*

An *Rechabitæ* Naziræi fuerint, non bibebant vinum propter patris interdictum. 80. *a*

De *recitatione* orali uniuscujusque bis de die præceptorum divinorum. 63. *a*

Quomodo *Recordatio* & oblivio Deo tribuantur in sacris, cum sit omniscius. 297. *a*

*Rectum* vide *Bonum* summum.

*Rectum* & pravum, vide *honestum* & turpe.

De *redemptione* primogeniti hominis & asini nec non animalis sancti Deo dicati in quo macula erat. 78, 79. *a*

*Redemptio* terræ fiebat anno Jubilæo. 88. *a*, quique domum in urbe muris cincta vendiderat eam intra anni spatium *redimere* poterat. Ibid.

*Redimebatur* serva Hebræa si eam in uxorem sibi vel filio sumere nollet herus, vel post matrimonium eam repudiaret. 124. *a*

De occasione operis *redemptionis*, nempe hominis miseria, & qua in re illa consistat, quamque latè pateat. 400, 401. *a*. De causa *redemtionis* impulsiva interna, nempe misericordia divina, & ejus cũ justitia temperamento, per sacrificium propitiatorium, & resipiscentiæ postulatum 407, 408. *a*

De causa instrumentali *redemptionis* Christo Jesu. 415. *a*

De requisitis in opere *redemptionis* & in quo propriè consistat, Et de Prophetia Christi in genere. 423. *a*

De *reductione* Israelis in Canaan per Messiam, Vide *Terram*.

*Reformatores* non traduxit Arminius nec Arminiani. 167, 168. *b*

*Regenerationis* lavacrum quid sit *Tit.* III. 5. 35. *b*. Quomodo *regenerentur* electi secundum Synodũ Dordracenam & Gallicos Canones, sententiam Cameronis eis è diametro repugnare. 210. *b*. Quę sit illa suasio & persuasio qua Deus utitur in *regeneratione* hominis juxta Cameronem. 211, 212. *b*. *Regenitosque* juxta Cameronem peccare non posse. 213. *b*. *Regenitos* secundum Cameronem peccare non posse nisi Deus iis lucem quam concessit subtrahat. Quomodo Deus *regenitos* sibi permittat. Qualia sint *regenitorum* peccata. Quinam sint *regeniti*. Quodnam *regenitis* Spiritus S auxilium præstet, 268, usque ad 271. *b*. De vocibus *regenerandi*, creandi & similibus: non significare vim irresistibilem. 317. *b*

*Regeneratio*, vide *Conversionem*.

*De* libris *Regum*. 218. *a*

Pro *Regis* ignorantia aut negligentia hircus offerebatur. 73. *a*

Non probavit Deus ut sibi *Regem* constituerent Israelitæ. 97, 98. *a*

Domus duodecima præceptorum negativorum, quæ est *Regni*, & præcepta IV. continet. 154. *a*

*Regia* Majestas & gloria, quæ de venturo Messia prædicitur, non obstat quin Jesus noster verus sit ille Messias, cum & in aliis Prophetarum locis perpessiones ejus prædicantur. 188. 189. *a*. De *regno* Dei quod non veniet *Luca* XVII. 20. μετὰ παρατηρήσεως. 255, 256. *a*

De æterno Messiæ *regno*, & quomodo promissio Davidi facta de *regni* sui æternitate intelligenda sit & complementũ habeat in Christo. 32, 33. *a*

Quid phrasi *Regnum Patris* in Scripturis intelligatur. 42, 43. *b*. Quomodo *Regnum* Christi ac fidelium non sit de hoc mundo. 86. *b*

*Regnum* Israelitarum, vide *Sceptrum*

De *relictione* divina ex loco 2 *Chronic.* XXXII. 31. 270. *b*

Quid sit *Religio? Religionem* consistere in actionibus internis, amore, timore, fide, spe, obsequio, &c. & externis, genuflexione, apertione capitis, &c. 16, 17. *a*. De *Religione* naturali ejusque primo actu qui est honestum à turpi discernere. Rectam rationem normam fuisse primævæ *Religionis* colligitur ex variis historiis temporũ quæ legem antecesserunt, & ex 1. *cap.* ad *Rom. vers.* 18. & seqq. 17, 18, 19, 20. *a*. An *Religio* seu lex naturalis obliget ad modũ operandi ex dilectione Dei. 20, 21. *a*. Infirmitas *Religionis* naturalis in

*Sanhedrin* ſive ſummum Judæorum Senatum in fide erraſſe cum Jeſum Chriſtum tanquam falſum Prophetam damnavit. De *Sanhedrin* autoritate, & de illius præſide. 240,241.*a*
An lex aliqua ſit de *Sapientibus* in lege Domini honorandis. 113.*a*
Quid ſibi velit Paulus cum dicit 1 *Cor.* II. 6. *Sapientiam* loquimur ἐν τοῖς τελείοις. 5.*b*
De ſpiritu *Sapientiæ* ex loco *Epheſ.* I. 17. 20. 313.*b*. Et de Spiritu novo *Ezech.* XXXVI. 26. 314.*b*
*Sapiens* aliquis dicitur dupliciter, vel theoreticè tantum, vel etiam practicè. 357.*b*
Quomodo Deo conſtare poſſit laus ſupremæ *Sapientiæ*, ſi dicatur omnia præſcire quæ homines libere facturi ſint contra ſua mandata, & tamen ſerio mandare, hortari, &c. 385,386.*b*
An ſignum fidei vel diffidentiæ fuerit Abrahami, quod de *Sara* uxore dixit eam ſororem ſuam eſſe; Quomodo potuerit eſſe ſimul ejus ſoror & uxor. Num ejuſmodi matrimonium incæſtuoſum fuerit. 36,37.*a*
Arminium non docuiſſe *ſatisfactione* Chriſti reconciliatum & ſanatum fuiſſe genus humanum. 174,175.*b*
*Satum* quid, & unde. 73.*a*
Quam graviter Rex *Saul* peccaverit parcendo regi Amalecitarum. 106.*a*
In Prædictione Jacobi *Gen.* XLIX. 10. de *ſceptro* dominationis, non de virga caſtigationis agi, Senſum non eſſe, nõ auferendum *ſceptrum* à Juda quando Meſſias venerit, ſed plane contrarium. Et *ſceptrum* fuiſſe à Juda ablatum, contra quam probare conentur Judæi. 165,166,167.*a*
Quid vox שבט *Gen.* XLIX. 10. ſignificet. 165.*a*
De anno ſeptimo Judaico & cur *Schemita* appellatus. 86,87.*a*. eo anno debitorum remiſſio fieri debebat. 88.*a*. ejus anni privilegia quatuor. 89.*a*
*Schiſmata* Chriſtianorum Judæis ſunt offendiculo. 438.*a*
Quid ſint *Schiſmata*, & *ſchiſmatum* autores, cælo pacifici Dei domo indignos eſſe. 61.*b*
Quomodo quis ſe gerere debeat ubi *Schiſma* in Eccleſia oritur, communicandum ne cum una ſolum parte, an cum utraque, vel penitus ei ab externa communione abſtinendum ſit. 39, 40.*b*. *Schiſmatis* autores qui fuerint in Belgio. 190,& 194,195,& 197.*b*
*Schiſmata*, vide *Diſſidia*.
Quid vocibus *ſciendi* & intelligendi in Scripturis denotetur. 5.*a*
Quo ſenſu Theologia ſit *ſcientia*, eam non eſſe *ſcientiam* ſpeculativam, nec mixtam, ſed plane practicam, cum refutatione objectionum quæ in contrarium fieri ſolent. 4,5,6.*a*
Quomodo tentatio Deo tribuatur cum omnia *ſciat*. 41.*a*
*Scientia* Dei quid ſit, in ea conſiderantur Objectum, Ordo, & Modus. Objectum *ſcientiæ* divinæ eſt Deus ipſe & alia omnia qualiacunque ea eſſe poſſunt, ſive 1. in Deo ſint ut ejus decreta libera, vel 2. à Deo ſint ut actiones omnes ejus externæ, res omnes ab eo factæ, qualitates rerum omnium, item actiones omnes humanæ internæ & externæ. vel 3. extra Deum ſint, uti peccata, & an ea nihil ſint. Et quomodo recordatio & oblivio Deo tribuantur. 297,298.299. Argumenta eorum qui *præſcientiam* futurorum contingentium Deo detrahunt. Ratio palmaria in contrarium deſumpta à prædictione futurorum contingentium cujus tria exempla proferuntur. Eyerſio fundamenti eorum qui *præſcientiam* contingentium impugnant. Probatur futura contingentia eſſe determinatè vera. Reſponſio ad objectionem contra *præſcientiam* contingentium. Non eſt neceſſarium ad ſalutem credere Deum futura contingentia *præſcire*. Duo de *ſcientia* Dei ad ſalutem ſunt creditu neceſſaria. Dei *ſcientia* commodè diſtingui poteſt in neceſſariam, liberam & mediam, & de ordine triplicis hujus *ſcientiæ*. De modo *ſcientiæ* divinæ. 299, uſque ad 304. *a*. Pelagius juxta antiquos canones ſtatuit ad *ſcientiam* nos gratiam habere non vero ad charitatem. 211.*b*. An ex *ſcientia* charitas neceſſario ſequatur. 215.*b*. Quid differant *ſcientia*, Fides & opinio. 272.*b*. Diſcrimen fidei & *ſcientiæ*. 310.*b*
*Scientia*, vide *Cognitionem*.
Quomodo *ſcortator* in proprium corpus peccet, ex loco 1 *Cor.* VI. 18. 421.*a*
De *ſcriptione* legis propria manu. 64,65.*a*. *Scriptura* pluribus modis ab Hebræis magiſtris exponitur. qui ad duos hoſce literalem nempe & myſticum reducuntur. 35.*a*. De *Scriptura* S. Veteris teſtamenti, Vetus teſtamentum dividitur à Judæis in tres claſſes, in Legẽ, Prophetas priores & poſteriores, & hagiographos. An *ſcripta* ſacra Veteris teſtamenti incendio Hieroſolymorum omnia perierint & ab Eſdra fuerint reſtituta. Et de *ſcriptis* Apocryphis Veteris Teſtamenti. Argumenta contra libros Apocryphos. 217, uſque ad 227.*a*
Multi veteris Teſtamenti libri perierunt, & veriſimile eſt multas Pauli Epiſtolas intercidiſſe, nec ideo nutat perfectio S. *Scripturæ*. 2.*b*
De *Scriptura* ſacra Novi Teſtamenti, in ea continetur revelatio per Jeſum Chriſtum facta de nonnullis libris illius *Scripturæ* nonnunquam dubitatum, de aliis dubitatum nunquam fuiſſe. 228. *a*. *Scriptores* librorum Novi Teſtamenti potuiſſe & voluiſſe vera *ſcribere*.
Librorum iſtorum eos veros *ſcriptores* eſſe quorum nomina præ ſe ferunt. 229,230.*a* Hiſtoriæ *Scripturæ* Novi Teſtamenti veritas, Atheis, Judæis, Paganis, & Turcis convincendis ſufficit. Alia omnia argumenta, iſto fulcro deſtituta, levis ſunt ponderis, Etiam illa quæ petuntur ex ſenſuum *ſcriptis* iſtis contentorum excellentia, Et doctrinæ hujus efficacia, quæ tamen ſuppoſita hiſtoriæ veritate maximum momentum habent. 230,231.*a*. Fundamentum autoritatis *Scripturæ* Novi Teſtamenti eſt duplex, Proximum & Remotum: Res quę in *Scriptis* Novi Teſtamenti continentur ſunt triplicis generis, Eæ ad nullũ alium quàm ad Deum referri poſſunt, non ad hominem, non ad Dæmonem. Nullos in his *ſcriptis* ſenſus occurrere falſos, aut qui ignorantiam *ſcriptorum* vel memoriæ lapſum arguant. 231,232,233.*a* *Scripturæ* autoritatem eſſe independentem ab omni alia autoritate. Quid requiratur ad ſciendum *Scriptores* librorum facto rum eoſſe quorum nomina libri præ ſe ferunt, & eos viros divinos fuiſſe. *Scripturæ* autoritatem non pendere ab autoritate Eccleſiæ Romanæ, ſeu Papæ. Reſponſio ad objectionem de perfecto *Scripturæ* Canone. Spiritus S. teſtimonium internum non requiri ad hoc ut credamus *Scripturæ* libros eſſe divinos. *Scripta* ſacra ad nos incorrupta perveniſſe. 233,234,235.*a*. Nullum eſſe in terris infallibilem controverſiarum fidei judicem, ſed unicuique incumbere, ut, ſi decipi nolit, omnia ad Scripturæ normam expendat. 236.*a*. Reſponſio ad locum *Deut.* XVII. 8, & ſeqq. quo probare conantur Deum velle ut ſit aliquis in terris ſummus cõtroverſiarum fidei Judex. 237,238,239, 240.*a*. Reſponſio ad locum 1 *Timoth.* III. 15. Ubi Eccleſia Dei vocatur Columna & ſtabilimentum veritatis. 241,242.*a*. Status quæſtionis de perfectione ſacræ *Scripturæ*. Omnia ad ſalutem neceſſaria *ſcriptura* cõtineri, Et quenam iſta ſint. Libertinorum ſeu ſpiritualium. & Pontificiorum ſententiæ de perfectione *Scripturæ*. 243,244.*a*. Spiritum Sanctum omnia ad ſalutem Eccleſiæ neceſſaria Apoſtolis revelaſſe, Apoſtolos omnia neceſſaria verbo externo docuiſſe, & plene perfecteque Apoſtolorum & Euangeliſtarum libris contineri. 245,246 *a*. ſumma doctrinæ fidei ad ſalutem æternam conſequendam neceſſariæ, quæ Sacris Novi Teſtamenti *ſcriptis* plenè & perfectè continetur. 247, uſque ad 253.*a*. Oſtenditur quàm falſa, abſurda, & pernicioſa ſit Spiritualium de *ſcripturæ* perfectione ſententia, & ad præcipuas ipſorum objectiones reſpondetur, Et verbum Dei non eſſe ipſam divinam eſſentiam. 253 uſque ad 257.*a*. Libertinorum & Pontificiorum ſententiæ inter ſe conferuntur & ad aliquot ſcripturæ loca reſpondetur, quibus Pontificii probare nituntur Eccleſiæ ſummum fidei controverſiarum judiciũ competere, non vero *ſcripturæ*. 257,258.*a*. Examen locorum Scripturæ in quibus traditiones non *ſcriptæ* commendantur & retineri jubentur, & præter *ſcriptum* verbum alia quędam ore tenus adhuc docenda eſſe innuitur. Nullum dogma ad ſalutem neceſſarium proferre poſſunt Pontificii, quod per ſolam traditionem non *ſcriptã* habeamus. Examen trium iſtorum quæ Becanus affert in contrarium, quod ad *ſcripturam* ſacram attinet. 259,260,261.*a*. Tria circa traditiones nõ *ſcriptas* obſervanda. Et quinque Bellarmini deiiſdem regularum rejectio. 261, 262,263,264.*a*. Verus ſtatus controverſiæ de perfpicuitate *ſcripturæ* ſacræ. Falſus controverſiæ ſtatus. I. Argumentum ex *ſcriptura* deſumptum, ubi illa de ſua perſpicuitate teſtatur. Reſpõſio ad objectiones Bellarmini, & ad locum 1 *Petr.* III. 16. ubi dicitur in Epiſtolis Pauli eſſe quædam difficilia intellectu. 264,265,266,267.*a*. II. Argumentum pro *ſcripturæ* perſpicuitate, quod Deus eam legere omnes jubet. Reſponſio ad exempla quæ afferuntur in contrarium. III. Argumentum, quod omnes teneantur *ſcripturæ* credere. 267, 268. *a*. IV. Argumentum pro *ſcripturæ* perſpicuitate, quod nulla obſcuritatis *ſcripturæ* ratio reddi poſſit. *Scripturam* neque in rebus quæ proponit, neque in modo eas proponendi obſcuram eſſe pro ut vult Bellarminus. 269,270.*a*. Diverſas *ſcripturæ* expoſitiones non arguere illius obſcuritatem Earum cauſæ. 271,272.*a*. De neceſſitate & utilitate interpretationũ *ſcripturæ*, De earundem modo; De verſionum *ſcripturæ* neceſſitate & utilitate. 273,274.*a*. De variis Sacræ *Scripturæ* verſionibus, puta Chaldaicis, Græcis, Latinis, Syriacis, & Belgicis. 274, uſque ad 279.*a*. Quomodo *ſcripturæ* omnia ad ſalutem neceſſaria complectatur. Ea non ubiq; æquè clarè proponi. Unde ſcire poſſimus quinam ſint libri Canonici, & quid traditio hic valeat. *Scripturæ* perſpicuitati non repugnare loca. 2 *Petr.* III. 16. *Joan.* III. 5. & VI. 53. 55. quæ exponuntur. Et de libris *ſcripturæ* qui periiſſe putantur. 154, uſque ad 164. *b*
*Scriptura*, vide *Verbum*.
*Scriptura* Sacra eſt unicum fidei ſtabilimentum, vide *Fidem*, ubi prolixè de ejus autoritate diſſeritur.
*Secta* Chriſtianorũ Judæis ſunt offendiculo. 438.*a*
Quid ſit *Rom.* IX. 30. non *ſectari* juſtiti am. 409.*b*
Sententiam Cameronis de Converſione hominis eſſe verum *ſecuritatis* & deſperationis fontem. 352, 353. *b*
Ex Cameronis ſententia ſequi probatur *ſecuritatem* Carnalem & deſperationem, Non vero ex ſententia Remonſtrantium. 365, uſque ad 369. *b*
*Sedanenſis* Principatus interfuiſſe ut ſe componeret ad normam Synodi Dordracenæ. 165.*b*
Ex *Seßione* Jeſu Nazareni ad dextram Dei, evinci ipſum eſſe promiſſum Meſſiam, *Pſalmum* CX. ad Meſſiam pertinere, non verò ad Davidem, quia ei propriè non convenit *ſedere* ad dextram Dei. Et quia David non fuit ſacerdos, nedum ſecundum ordinem Melchiſedech. 193, uſque ad 197.*a*
*Seductionem* aliquando immittere Deus dicitur, & quo ſenſu. 394.*a*
De *Seductore* qui Judæum ad idololatriam inducere conatur non amando, ſed odio proſequendo in periculo mortis non juvando, nec intercedendo, ſed omnia quæ ad eum condemnandum facere poſſunt indicando. 136, 137.*a*
An pœna quam lex ſancivit in *Seductores* applicari poſſit hæreticis hodiernis. 104.*a*
*Sedulitas* requiritur in Theologiæ ſtudioſo, non ludicra, ſed ſeria: non nimia, ſed quę ſe paucis autoribus tradit: non vaga, ſed quæ ſcripturæ ſacræ potiſſimum incumbit. 3,4.*a*
*Seleucians* aquæ baptiſmum reſpuerunt. 36.*b*
Chriſtus *ſemen* mulieris eſt, caput ſerpentis contriturum. 45.*a*
*Seminis* fraterni ſuſcitatio, vide *Leviratum*.
*Senatus* Judaicus, vide *Sanhedrin*.
*Senibus* juxta legem honor debetur. 113.*a*
In *Senatorum* electione abeſſe debet ἀριστοκρατία. 31.*b*
Ex illo principio, nihil eſſe in intellectu quod non prius fuerit in *ſenſu*, non poſſe probari Deum non eſſe, cum principium hoc manifeſtè falſum ſit. 12.*a*
*Senſibus* non fide miracula percipiuntur. 426, 427.*a*
*Senſus* Scripturæ ſecundum Hebræos doctores plures ſunt, qui ad duos literalem nempe & myſticum reducuntur. 35.*a*
Duo requirunt Judæi ut *ſententia* pœnalis juſta ſit, 1. Teſtes commiſſi criminis. 2. Prænmonitionem. 121.*a*
De aquis *ſeparationis* vaccæ rufæ. 83,84.*a*
De *ſeparatione* ab Ethnicis, domus ſecunda præceptorum negativorum & præcepta XIII. continet. 143.*a*
Ex ſepultura Chriſti evinci eum eſſe promiſſum Meſſiam. Quomodo Jeſus dicatur triduum fuiſſe in *ſepulchro*. 191, 192.*a*
Ea ipſa die *ſepeliebantur* qui capitali ſupplicio apud Judæos afficiebantur, & quid de Davidis facto cenſendum ſit qui filios Saulis diu admodum è patibulo pendere permiſit. 123.*a*

bus apparuit, 1. Corruptione morum, & 2. Idolatria. Corruptionis morum exempla habemus in Adamo, cui comminatio solum facta, nulla promissio; nec non in aliis hominibus qui ante diluvium & tempore diluvii vixerunt. At post diluvium orta est idololatria. 21, 22, 23. a

*Religio* Christiana, vide *Doctrinam*.

Quomodo *reminiscentia* Deo tribuatur in sacris, cum sit omniscius. 297. a

*Remissio* debitorum fieri debebat anno sabbatico. 88. a. *Remissio* peccati est actus providentiæ divinæ, *remissio* peccati pertinet vel ad futurum sæculum, vel ad præsens. 599. a. Potuisset Deus si voluisset gratis peccata generi humano *remittere*, & cur postulaverit sacrificium propitiatorium & resipiscentiam. 407, 408. a. Gratia *Dei* in *remittendis* peccatis est ordinaria & extraordinaria. 14. b. An omnis qui offensas in se commissas *remittit*, peccatorū suorum omnium *remissionem* à Deo sit consequuturus, ex loco *Matth.* VI. 14, 15. Non necesse esse ad *remissionem* à Deo obtinendam, ut is quem offendimus nobis offensam *remittat*. Offensæ *remittendæ* sunt etiamsi offendentis resipiscentia non præcedat. 15. b. Judicia criminalia non repugnare præceptis de injuriis *remittendis*. 83, 84. b. *De remissione* & retentione peccatorum, ex loco *Joan.* XX. 23. 105. b

An propter *Remonstrantium* articulos quis persecutionis periculo se exponere teneatur. 57, 58. b

*Remonstrantes*, vide *Arminium*, *Tolerantiam*, item *Synodum Dordracenam*.

Consecrarium ex odii divini natura adversus *Reprobationem* absolutam. 312. a. Spes Dei consistere non potest cum absoluta *reprobatione*. 314. a. De quinque injustitiæ gradibus qui Deo tribuuntur à *reprobationis* absolutæ patronis. 322, 323, 324. a. *Reprobationis* absolutæ patroni omnem *Deo* mansuetudinem adimunt. 228. a. De absoluta Esavi *Reprobatione* non agit Paulus *Rom.* IX. 401. b. De *Reprobatione* absoluta & comparata. 403. b. Longanimitas *Dei* erga peccatores, de qua *Rom.* IX. 22 prorsus exinanitur à *reprobationis* absolutæ patronis. 407. b. *Eὐδοκία* & *ἔλεος* Pauli *Rom.* X. 1. arguunt eum præcedenti *cap.* IX. non egisse de *Reprobatione* absoluta Israelitarum. 412. b. Epiphonema Apostolicum *Rom.* XI. 33. O profunditas, &c. non favere *Reprobationi* absolutæ. 423, 424. b.

*Reprobatio*, vide *Prædestinationem*.

*Reptilium* octo species post mortem contaminare dicunt Judæorum Magistri. 81, 82. a

Divortium apud Judæos fiebat per dationem libelli *Repudii*. Causa *Repudii* juxta Judæorum magistros. An *Repudium* sine peccato fieri potuerit. An rectè Christus illud abrogaverit. 118, 119. a

*Resipiscentiæ* postulatum est temperamentum quoddam misericordiæ & justitiæ divinæ. 407, 408. a. vide *Conversionem*.

An *resipiscentia* propriè sit mentis. 320. b

De non *Resistendo* malo ex *Matth.* V. 39. 25. b. 75. & seqq. b

De *Restitutione* furti juxta legem Mosaicam. 107. 108. a. Res inventa domino suo *restitui* debet. 110. a

Quam certa sit *resurrectio* Christi ex mortuis, & quam futiles sint modi quibus id fieri posse asserunt Athei, quantique sit ponderis testimonium Apostolorum hac in re. 14, 15, 16. a

Ex *resurrectione* Jesu Nazareni evinci eum esse promissum Messiam. 192. a

Credere *resurrectionem* Christi à *Deo* factam ponitur *Rom.* X. 9. pro assensu qui adhibetur toti doctrinæ Jesu Christi. 413. b

Triplex est *revelatio* divina cum fœdere conjuncta. 1. facta Abrahamo. 2. Mosi. 3. Christo. Duo modi generales *Revelationum* divinarum Communis & Prophetica. Propheticus est duplex, mediatus per manum angeli, vel immediatus sine Angelo. Mediatus est duplex, in somnio aut visione, & per præsentaneum Angeli alloquium. *Revelationum* in somnio quinque species, & *Revelationis* in visione quatuor species. Modus *Revelationis* qui Mosi obtigit fuit peculiaris. 23, 24, 25, 26. a. An ii quibus *Revelatio* fiebat divinam esse agnoscerent. De *Revelatione* per Urim & Thummim. An & quomodo falsi Prophetæ à veris dignosci possent. Quomodo fieri potuerit ut populus totus *revelationes* falsas pro veris ac divinis habuerit. 26, 27, 28, 29, 30. a. *Deus* se *revelavit* Abrahamo in visione Prophetica. *Revelatio* Abrahamo facta fœdus continuit quod cum eo solo initum est. *Revelatio* hæc fuit valde illustris. Cætera videantur sub voce *Abrahami*. 30, 31. a. Modus *revelationis* Mosi factæ nobilior fuit cæteris omnibus usque ad Messiam. Quatuor sunt prærogativæ *revelationis* Mosi factę juxta Rabbinos, quorū quarta impugnatur, Deumq; se Mosi per Angelum *revelasse* ostenditur. 50, 51, 52. a

*Revelationis* tertiæ per Jesum Christum factæ perfectio, quibusque libris ea contineatur. 228. a

*Revelatio*, vide *Patefactionem*.

*Reverentia* liberorum erga parentes est duplex, interna & externa, & quibus in rebus utraque consistat. 113. a

Nemo *reus* est absque propria & evitabili culpa. 402. a

*Rex*, vide *Regnum*. 218. a

De libro *Ruth*. 1. b

De ætate *Ruth* & Rachab.

S.

De quiete & sanctificatione *Sabbathi*. 91, 92. a. De *Sabbathi* sanctificatione, & quo in casu Judæus Tyranno aut Pagano violationem ejus jubenti parere potest ut vitæ consulat, & quo jure Christum violati *Sabbathi* postulaverint. 62. a

Singulis *Sabbathis* proprium sacrificium fiebat. 73. a

De anno *Sabbatico*, seu septimo Judæorum. 86, 87. a. eo anno debitorum remissio fiebat. 88. a. ejus anni privilegia quatuor. 89. a

Custodia templi & ministeria ejus penes *Sacerdotes* & Levitas erant, ad quæ obeunda manus & pedes prius lavare tenebantur. 66, 67. a

*Sacerdotum* familiæ juxta legem per vices sua ministeria in templo obibant, & simul omnes junctæ ministrabant in tribus Anni solemnibus festis. 69, 70. a

Domus secunda præceptorum affirmativorum *Sacerdotii* & Sanctuarii, & XIX præceptis constat. 65, usque ad 70. a. Discrimen inter *Sacerdotes* & Levitas. 70. a

*Sacerdotes* se contaminare prohibentur propter mortuos, excepta sorore virgine. 70. a

Pro *Sacerdotis* errore vitulus offerebatur. 73. a

*Sacerdotes* ex familia Aaronis comedebant Mincharum reliquias, & alii *Sacerdotes* carnis sacrificiorum pro peccato & delicto. 79. a

Quæ partes victimæ *Sacerdotibus* cederent. 89. a. primitiæ tonsurarum, & pars anathematum iis debebantur. Ibid.

*Sacerdotibus* XIII urbes cum suburbiis juxta legem concessæ sunt. 102. a

*Sacerdos* ungebatur apud Israelitas ad præsium. 106, 107. a. *Sacerdos* non fuit David, nedum *Sacerdos* secundum ordinem Melchisedech, sed Messias, de quo Psalmus CX loquitur. 196. a

De numero *Sacramentorum*, & an traditione opus sit ut id sciamus. 261. a. Abrahamus amorem suum erga Deum testatus est altarium erectione & *Sacrificiorum* oblatione, Nec non de origine *Sacrificiorum*. 32. a.

Quam grave fuerit mandatum Abrahamo datum de *sacrificando* filio & quanta cum promptitudine & constantia illud executus fuerit. 38. a. Quam excellens fuerit Abrahami filium offerentis obedientia & amor erga Deum. 42. a. Domus tertia præceptorum affirmativorum quæ est *sacrificiorum* & oblationum sacrarum, & LVII præcepta continet. 70. usque ad 81. a. Inge *sacrificium* quotidie offerebatur sub lege. Quadruplex sacrificiorum genus, 1. ratione materiæ. 2. ratione formæ ac finis. 3. ratione temporis, & 4. ratione personarum. Ratione materiæ erant triplicia, victimæ ex quinque aut octo generibus animalium, oblationes ex fructibus terræ, & Libamina ex liquoribus. Ratione formæ aut finis erant triplicia, Holocausta, Hostiæ pacificæ, & hostiæ pro peccato. Ratione Temporis alia erant stata vel occasionalia, stata rursus erant vel anniversaria, vel menstrua, vel hebdomadalia, vel quotidiana. Ratione personarum erant vel Universalia pro toto populo, vel particularia pro publicis vel privatis personis. Institutionis *sacrificiorum* causa, fuerunt umbræ & rudimenta ultimæ *Dei* voluntatis aliquando revelandæ. In ipso *sacrificandi* ritu quatuor mortis genera repræsentabantur quibus peccatores juxta legem affici debebant & cur. Cur Deus istius generis animalia, siustus, liquores, potius quam alterius offerre sibi voluerit. Pro diversitate peccatorum diversa fuerunt *sacrificia*. 70, 71, 72. a. De *sacrificiis* Sabbatherum, Noviluniorum & Festorum quæ Mussaphin sive additamenta vocabantur. 73. a. Super *sacrificiis* fiebat tubarum clangor. 75. a. De *sacrificio* pro toto populo. 75. a. *Sacrificia* sub lege pro ratione facultatum cujusque offerebantur. 77. a

*Sacrificia* tam necessaria quam votiva & spontanea ultra proximum festum differri non poterant fieri debebant in sacra æde, imo ea ad quæ offerenda quis se obligabat extra terram sanctam, ea in sacra æde Hierosolymitana offerebantur. 79. a

Si quis animal *sacrificio* destinatum mutare vellet, mutatum, & illud pro quo mutatum fuerat sacra ambo Domino erant. 79. a. Quæ partes victimæ in *sacrificiis* sacerdotibus cedebant. 89. a. Domus quinta præceptorum negativorum, quæ est *Sacrificii* & Sacerdotum, & LXXXI præcepta continet, 149, 150, 151. a. In *sacrificiis* propitiatorii & resipiscentiæ postulato habemus temperamentum misericordiæ & justitiæ divinæ. *Sacrificium* propitiatorium optimè cum gratia consistere. 407, 408. a

De honore rebus *Sacris* exhibendo, domus tertia præceptorum negativorum, & XXIX. præcepta continet. 149. a

Quid per consummationem *sæculi* intelligatur apud *Matth.* XXVIII. 20. 118, 119. b

*Sage*, vide *Magiam*.

*Sal* in omnibus sacrificiis offerebatur 75. a. Etiam apud Gentiles. 72. a

Sensus verborum Christi *Marc.* IX. *vers.* 49. Omnis igne *salietur*. 3. b

*Saltatio*, vide *Choreas*.

Ex eo quod sine gratia non possumus *salutem* adipisci, non sequitur omnes homines sine ea necessario peccare. Multi ex antiquis doctoribus censuerunt probiores Gentiles *salvatum* iri. 247, 248. b

Fideles singulos à Fide & *salute* excidere posse, Et non esse servile metu damnationis ad perseverandum in fide moveri. 421, 422. b

Quomodo totus Israel *salvandus* sit. 422. b

De rebus ad *salutem* necessariis, vide *Necessaria*.

*Salutem*, vide *Æternam* vitam.

*De* libris *Samuelis*. 218. a

De *sanctificatione* nominis divini, & qua in re consistat juxta Judæos. Nec non de *sanctificatione* Sabbathi, & quo in casu Judæus Tyranno aut Pagano violationem ejus jubenti parere potest ut vitæ consulat. 62. a

De *sanctificatione* posterorum Aaronis, per eam intelligunt Judæi honorem illis debitum supra alios sacerdotes. 68. a

De *sanctificatione* Sabbati. 92. a

De *sanctificatione* nostri, quæ opponitur impuritati. 252. a

Quomodo maritus infidelis *sanctificetur* in uxore fideli, & vice versa, ex 1 *Cor.* VII, 14. Nec non de *sanctificatione* Legali & Euangelica. 61, 62. b

*Sanctimonia* Patrum, quæ soli Deo nota est, nullum judicio ipsorum affert pondus. 110. b

*Sanctitatem* externam non esse notam veræ Ecclesiæ, cum ea sæpius simuletur ab hypocritis. Et Ecclesiam Romanam sibi *sanctitatis* notam variis ob causas arrogare non posse. 124, & 126. b. Quid differat *sanctitas* viæ à *sanctitate* patriæ. 286. b

De constructione *Sanctuarii* seu Tabernaculi, nec non de reverentia erga *Sanctuarium*. 65, 66. a

Domus secunda præceptorum affirmativorum *sanctuarii* & Sacerdotii, XIX. præceptis constat juxta Judæos. 65, usque ad 70. a

De arbore in *sanctuario* non plantanda. 136. a

De *Sanctorū* invocatione sententia Patrum. 113. b

*Sanguis* animalium in esum mactatorum non edebatur à Judæis & cur, sed pulvere operiebatur. 89, 90. a

De abstinentia à *sanguine* & suffocatis ex loco *Actor.* XV. 28, 29. Nec non sententia priscorum Christianorum & Græcorum hodiernorum super hac re. 51, 52, 53. b.

*Sanhedrin* potuisse errare, contra placitum Judæorum qui ei infallibilitatem tribuunt. 75, 76. a

*Sanhedrim* seu Senatus magnus faciebat numerationem annorum usq; ad annum Jubilæi. 87. a

*Sanhedrin* maximum tribunal Judæorum ex quibus constaret; quænam negotia ad illud pertinerent. Ejus autoritas: *Sanhedrin* non erat absolutè obtemperandum in omnibus. 98, 99. a.

San-

*Septimo* anno ceſſabant Iſraelitæ ab omni cultura terræ, & ejus ſpontaneus proventus communis erat. hic annus Joſepho ſabbaticus, Scripturæ S. Schemita vocatur, quando primum inceperit; quanti hoc præceptum fieri voluerit Deus & violatores ejus captivitate LXX. annorum ſeverè punierit. 86, 87. *a.* eo anno debitorum remiſſio fiebat. 88. *a.* ejus anni privilegia quatuor. 89. *a*

De verſione Græca *Septuaginta* interpretum. 275, 276. *a*

De iis qui cæcè Doctores ſuos aut multitudinem *ſequuntur*, ſive in bono ſive in malo abſque judicio. 204. *b*

De caſtitate in *ſermonibus*. 252. *a*

Jeſus Chriſtus eſt *Servator* noſter à Deo conſtitutus. 415, 416. *a*

*Servo* è *ſervitute* exeunti munera dare tenebatur herus Judæus. 108. *a*

Tria fuiſſe genera *ſervorum* apud Hebræos: quomodo heri juxta legem cum ſervis agere debebant. Herus *ſervam* Hebræam ſibi aut filio in uxorem ſumere tenebatur; vel redimi debebat ſi eam vel filius vel ipſe repudiaret. In *ſervitutem* perpetuam addicebantur ſoli *ſervi* Cananæi & pagani. 123, 124. *a*

Tribus argumentis probatur per *ſervum* Dei *Eſa.* LIII. intelligi Meſſiam, Per illum *ſervum* non intelligi populum Judaicum. 184, 185, 186. *a*

Parabolam de *Servis* inutilibus ex Loco *Luc.* XVII. 10. nihil facere pro operibus ſupererogationis, nec evincere nos eſſe inutiles ad omne bonum. 21. *b*. Quid per formam *Servi* Chriſto tributam *Phil.* II. 6. intelligendum ſit. 22. *b*. De *Servis* quos Dominus invenerit vigilantes, & quibus præcinctus miniſtrabit, *Luc.* XII. 37 23. *b*

De *ſervo* qui novit voluntatem Domini & non fecit, ex loco *Luc.* XII. 47. 302, 303. *b*

Non eſſe *ſervile* metu damnationis ad perſeverandum in fide moveri. 422. *b*

Quid per *ſervitutem* peccati intelligatur in ſacris. 174, 175. *b*

*Servitus* peccati pars miſeriæ hominis. 401. *a*

*Servitutem* locum habuiſſe inter primos Chriſtianos. 73. *b*

De non *ſerviendo* idolis, vide *imagines*.

Manſuetudini divinæ opponitur *ſeveritas*, cujus ſacræ literæ meminerunt, cujuſque ibidem non pauca exempla occurrunt. In extremo judicio Deus *ſeveritatẽ* ſuam præcipuè demonſtraturus eſt. *Severitas* Dei tribus modis concipi poteſt, quorum ratione convenit vel non cõvenit cum ejus manſuetudine. Peccati circumſtantias facere ut Deus *ſeverè* puniendo nihil tamen manſuetudini ſuæ detrahat. 330, 331, 332. *a*

*Sexti Empirici* rationes adverſus divinitatem refutantur. 12, 13. *a*

Valor *ſicli* qualis, diſcrimen inter *ſiclum* communem & *ſiclum* ſanctuarii. 78. *a*

Quis valor *ſicli* argentei apud Judæos. 95. *a*

Quid particula *ſicut* aliquando denotet in ſacris. 296. *b*

Per *ſigillationem* viſionis aut peccati, finis & abolitio ſæpius intelligitur in ſacris. 170. *a*

Quid ſignificetur in ſacris hac phraſi, hoc erit in *ſignum* aut *ſignaculum* ſuper cor, manum aut brachium tuum. 63. *a*

De Voluntate *ſigni* & beneplaciti. 308. *a*

Quomodo Aſtra *in ſigna* temporum poſita fuiſſe dicuntur. 353. *a*

De *ſignis* quibus Deus Prophetis ſuis occulta revelat. 9, *b*

*Signa*, vide *Miracula*.

Per vocem *Siloh*, Meſſiam deſignari in prædictione Jacobi *Gen.* XLIX. 10. 163, 164. *a*

Quid ſit *ſimilitudinem* Dei videre. 51, 52. *a*

Fieri poſſe abſque philauria ut aliquis Deum homini *ſimiliorem* faciat quam par ſit. Calviniſtas Deum homini *diſſimiliorem* facere quam par ſit, cum Deo eximunt Amorem naturalem erga creaturam ſuam & affectus veræ ac ſinceræ bonitatis, miſericordiæ & commiſerationis. Et ei contra tribuunt quod creaturas ſuas ad impoſſibilia obliget ſub pœnæ comminatione, & odio opus ſuum proſequatur, 169, 170. *b*. Vide *affectus*.

*Similitudo* conſuetudinis mater. 205. *b*

Quomodo eſſentia divina ſit *ſimplex* & per conſequens indiviſibilis. 286. *a*

*Simplicitatem* veritatis Scholaſticis tricis ſæpius obſcurari. 199, 200. *a*

*Simulacrum*, vide *imaginem*.

De iis qui *Simulationi* ſuæ in rebus fidei excuſandæ, Nicodemi, Joſephi ab Arimathæa, & Naamanis Syri exempla adtulerunt, & quam parum illa iis excuſandis ſerviant. 59, 60. *b*

Quomodo Deo conſtare poſſit laus ſupremæ *ſinceritatis*, ſi dicatur certo certius præſcire hominem gratia ſua libere abuſurum, nihilominus tamen ſerio monere, hortari, &c. 385, 386. *b*

Nomen pluralis terminationis apud Hebræos cum verbo *ſingulari*, ſignificatione *ſingulare* eſt. 129. *a*

De Monte *Sion* temporibus Meſſiæ elevando ſupra alios montes. 206, 207. *a*

De *ſiſith*, ſeu fimbriis Judæorum. 63, 64. *a*

De *ſobrietate* in cibo & potu. 251. *a*

*Sodomitæ* rectam rationem pro norma ſuæ religionis habuerunt. 18. *a*

*Sol* & aſtra cætera quarto die facta fuerunt. 350. *a*. in ſigna temporum poſita fuerunt. Ibid.

De *Solis* & Lunæ luce augenda temporibus Meſſiæ. 206, 207. *b*

Συμβολομαντεία genus divinationis, & plures alias ſpecies ſub ſe continet, 139. *a*

Revelationis in *ſomnio* per Angelum quinque ſpecies. 25. *a*

De libro *Sophoniæ*. 219. *a*

*De* Spiritu *Soporis* quem Deus immittere aliquando dicitur. 392. *a*

De Spiritu *Soporis*, ex loco *Rom.* XI. 8. 419. *b*

Sacerdotes ſe contaminare poterant propter *ſorores* virgines mortuas. 70. *a*

Quædam *ſortes* licitæ, quædam illicitæ ſunt, ex loco *Proverb.* XVI. 33. 50. *b*

Deum providentia ſua non tantum animantium *ſpecies* ſed & individua conſervare. 361, & 364. *a*

*Speculativam* ſcientiam non eſſe Theologiam oſtenditur, ſed practicam. 4, 5, 6 *a*

*Sperma* immundat etiam in actu conjugali. 83. *a*

*Sperare* pro metuere. 319. *a*

Ab omni *Spe* liber eſſe debet animus ut docilis ſit. 2. *a*

Quid ſit Dei *ſpes*. Objectum ejus non eſt id quod impoſſibile eſt aliter fieri, ac proinde non poteſt conſiſtere cum abſoluta electione & reprobatione, ſed quidem cum præſcientia. Dei ſpes in ſacris exprimitur voce expectationis. Expectationis ἀπεκδοχὴ eſt confidentia; *Spes* oppoſita ſunt metus & deſperatio. 313, 314, 315. *a*

De falſitate, vanitate & pernicie ſententiæ *Spiritualium* de perfectione Scripturæ; Cum reſponſione ad tria argumentorum capita quę *Spirituales* pro ſua ſententia afferunt *Spiritualium* & Pontificiorum ſententiæ inter ſe conferuntur. 253, uſque ad 257. *a*

*Spirituales*, vide *Verbum* internum.

Angeli ſunt ſubſtantiæ *ſpirituales* ac proinde agiles, ſubtiles, & potentes. 347, 348. *a*

De *Spiritualitate* eſſentiæ divinæ, an ea ſolide probetur ex loco *Joan.* IV. 24. De membris corporeis quæ Deo in Scriptura tribuuntur, Et de imagine Dei ad quã factus homo dicitur. 282, 283. *a*

Neceſſarium eſt credituad ſalutem Deum eſſe *Spiritum*. Nefas eſt ei certam aliquam formam aut figuram tribuere. 289. *a*

De Deo Patre, Filio & *Spiritu* Sancto, deque eorum perſonalitate, divinitate & ſubordinatione, quæ eſt magnæ utilitatis. 332, 333, 334 *a*. De *Spiratione* divina quæ eſt fundamentum ſubordinationis inter *Spiritum* Sanctum ad Patrem & ad Filium, & de ejus credendi neceſſitate. De ſchiſmate inter Græcam & Latinam Eccleſiam propter proceſſionẽ *Spiritus* Sancti. 344, 345. *a*

De *Spiritu* vivificante & litera occidente, 2 *Cor.* III. 6. 256, 257. *a*

De *Spiritu* Soporis, quem Deus immittere aliquando dicitur, & de *Spiritu* malo quẽ Deus dat. 392. *a*

*Spiritus* S. teſtimonium internum non requiri ut credamus Scripturæ libros eſſe divinos. 235. *a*

De fructibus *Spiritus*. 253. *a*

De *Spiritu* qui concupiſcit ad invidiam, ex Jacobo *cap.* IV. 5. 6. 4. *b*

De formali ratione peccati in *Spiritum* Sanctũ. 13. *b*

Judicium *Spiritus* privati non eſſe natum errorem potius quam veritatem producere, quamvis pii aliquando erient in aſſequendis quibuſdam ſenſibus divinis. Ejuſmodi *Spiritum* privatum non eſſe *Spiritum* ſuperbiæ. Promiſſum eſſe *Spiritum* divinum requiſitum ad intelligentiam ſenſuum neceſſariorum ad ſalutem. Quibus promiſſus ſit. An viri aliqui ſanctiſſimi *Spiritum* illum poſtulantes repulſam paſſi fuerint? Quid per *Spiritum* privatum hic intelligatur, & quomodo ille alicui de veritate convincendo ſufficiat aut non ſufficiat. 109, uſque ad 115. *b*

Ex eo quod ſine Chriſti & *Spiritus* S. gratia non poſſumus ſalutem adipiſci, non ſequitur omnes homines ſine ea neceſſariò peccare. 247. *b*

Quodnã regenitis *Spiritus* S. auxilium præſtet. 271. *b*

An ad credendum neceſſaria ſit potentia quædam interna *Spiritus* S. 282, 283. *b*. De generatione ex ſpiritu, Et an ex eo quod de Chriſto affirmetur eum accepiſſe *Spiritum* ſine menſura, & factum in *Spiritum* vivificantem, rectè concludatur non potuiſſe non obedire Patri ſuo. 291. *b*

De *Spiritu* Sapientiæ de quo loquitur Apoſtolus *Epheſ.* I. 17. 20. 313 *b*. Et de *Spiritu* novo *Ezech.* XXXVI. 26. 314. *b*

De auxilio *Spiritus* Sancti, & cur Euangelium vocetur miniſterium *Spiritus*, Lex vero literę. 362. *b*

De *Spiritu* ſoporis. 419. *b*

An titulus *Sponſæ* Chriſti, Eccleſiæ inſallibilitatem de articulis fidei judicandi tribuat. 257, 258. *a*

An præceptum de *ſponſalibus* ſit in lege. 114. *a*

*Sponſalia* ſunt duplicis generis: Ea quæ concepta ſunt per verba de futuro diſſolvi poſſunt, non verò per verba de præſenti, & ubi nulla conditio appoſita fuit, Si pars una contrahentium altera neſciente novum matrimonium inierit, partem deſertam liberam eſſe, ut novum quoque matrimonium jure inire poſſit. 62. *b*

*Spontaneum* & liberum inter ſe differre. 198. *b*

De *ſputo* ignominia quæ afficiebatur qui Leviratum præſtare renuebat. 116. *a*

Quale *Stabilimentum* fides requirat. 101, 102. *b*

Vide *Fidem*.

*Dei* providentia Chriſtus in *ſtabulo* natus ut paſtoris Davidis filius verus eſſet. 175. *a*

An *ſtatuam* ullam erigere *Deus* prohibuerit. 135, 136. *a*

*De Statua* Chriſto erecta ab Haimorhoiſa. 146. *b*

Vide *Imaginem*.

Στοιχειομαντεία genus eſt divinationis, & quatuor alias ſpecies ſub ſe continet. 139. *a*

*De* pœna *ſtrangulationis* apud Judæos ex præſcripto legis uſitata, quomodo peragebatur, & qui ea puniebatur. 121, 122. *a*

*Stultitia* eſt duplex, theoretica vel practica. 256. *b*

*Stulti* qui dicantur in ſcriptura. 321. *b*

*De* culpa *Stupri*. 76. *a*

Qui ad *Stupri* conſuetudinem virginem pellexerat ei pendere tenebatur quinquaginta ſiclos. 117. *a*

Suaſio qua in re differat à perſuaſione, & quam *ſuaſionem* Camero Deo tribuat in regeneratione hominis. 211, 212. *b*

Quid ſit motus Ethicus ſeu *ſuaſio* Moralis. Dicere regenerationem fieri per rationes *ſuaſivas* tantum, eſt Pelagio favere. 232, 233. *b*. Vide *Perſuaſionẽ*.

Quid diabolus *ſuaſione* ſua effecerit in peccato Adami. Et de vi *ſuaſionis* diabolicæ in primo iſto peccato. 264, & 267. *b*

*Sublapſarii*, vide *Prædeſtinationem*.

*Subtiles* ſunt Angeli quia ſpirituales. 347. *a*

Controverſiam *ſucceſſionis* eſſe inutilem & nullum habere exitum. Veritatemque omni *ſucceſſioni* præferendam eſſe. 151, 152. *b*

Quæ Eccleſiæ *ſucceſſionem* ſuam æque bene oſtendere poſſunt ac Romana, quæ à fide defecerunt. 264. *a*

*De* feſto *Succoth*, vide feſtum *Tabernaculorum*.

*De ſuffitu* bis de die adolendo. 67. *a*

De abſtinentia à *ſuffocatis*, ex loco *Actor.* XV. 28, 29. nec non priſcorum Chriſtianorum & Græcorum hodiernorum ſententia ſuper hac re 51, 52, 53. *b*

Majorum *ſuffragiorum* partem in judicio ſequi oportere docent Judæorum magiſtri. 99. *a*

*De Suggeſtione* Spiritus in Prophetis, & ſignis quibus Deus eis occulta revelat. 9. *b*

*Summum* bonum, vide *Bonum*.

Sententiam Remonſtrantium non inducere hominem in *ſuperbiam*. 366. *b*

*Superbia*, vide *humilitatem*.

*Superſtitiones* ſuas Pontificii extortis ſagarum confeſſionibus fulcire conantur. 145. *a*

*De* variis *ſupplicium* generibus apud Judæos. 120, 121, 122, 123. *a*.

*Supplicio* capitali affecti ea ipſa die ſepeliri debebant apud Judæos, & quid de Davidis facto judicandum qui filios & Saulis per aliquot menſes è patibulo pendere permiſit. 123. *a*

Quam graviter peccent multi Chriſtiani Magiſtratus in *Supplicio* capitalibus irrogandis. Ea eſſe

esse necessaria nec legibus Christi contraria. 84, 85, 86, 87. b
De quinque injustitiæ gradibus qui Deo tribuuntur à *Supralapsariis*. 322, 323, 324. a
*Supralapsarii*, vide *Prædestinationem*.
Quomodo voluntas *suspendat* actionē suam. 273. b
*Suspensio* apud Judæos non erat supplicii genus, sed supplicii sequela in magnis criminibus. 123. a
De *Symbolo* Apostolorum, & an traditione opus sit ut credamus Canonicum esse. 260. a
*Synagogam* magnam vide *Sanhedrin*.
Arminium non detrectasse cognitionem *Synodi*, sed aperte semper egisse. Remonstrantes *Synodi* judicium non subterfugisse, sed tantum partis adversæ. 179, 180. b
De *Synodo* Dordracena, non potuisse illius Patres idoneos Remonstrantium esse Judices, 1. Quia eorum intererat ut condemnarentur Remonstrantes. 2. Quia illegitima condemnatione sententiæ remonstrantium, Schismate &c. se partes adversas eorum antea ostenderant. 3. Quia animos præjudicio vacuos non habebant, & quo sensu hoc sit intelligendum. 4. Quia secessionem ab ipsis fecerant, aut factam probabant. Convictos non fuisse Remonstrantes in *Synodo* Dordracena. *Synodos* non debere operā dare ut quoquo modo terminentur controversiæ. Æquiorem fuisse Tridentinam quam Dordracenam. Quibus conditionibus Remonstrantes ad *Synodum* Dordracenam citati fuerint. Non fuisse auditos in illa *Synodo*, sed Dordrechti captivos detentos. à pag. 192. usque ad 197. b
*Synodis* non minus quam Scripturis conscientias suas obligaverunt Reformati. 220. b
De versione *Syriaca* Novi Testamenti. 279. a

T.

DE ædificatione *Tabernaculi* portabilis & mobilis, & quamdiu eo usi fuerint Judæi, nec non de reverentia erga *tabernaculum*. 65, 66. a
De tempore festi *Tabernaculorum*. 90. a. Cessabant juxta legem Judæi prima & octava die illius festi: prima die palmam gerebant, & per septem dies in *Tabernaculis* habitabant. 94, 95. a
Lege *Talionis* punivit Deus Judæos captivitate LXX annorum ob non observatos annos Sabbaticos. 87. a
*Talionis* pœna falsis testibus infligenda & quando juxta Judæorum magistros. 100. 101. a
De lege *Talionis* sub lege Mosaica & qualis proportio observabatur inter pœnam & delictum. Ejus incommoda. An lex hæc Judices obstrinxerit ad pœnam de reo sumendam etiam læso non postulante. Quatenus à Christo fuerit abrogata. 124, 125. a
De lege *Talionis* oculus pro oculo, ex loco *Matthæi* V. 38. 79, 80. b
Quo sensu Christus à Maria *Joan.* XX. 17. *tangi* noluerit, qui se postmodum à discipulis palpari voluerit. 4. b
*Tebila* fiebat olim sub lege omnis mundatio & an balneum significet an tantum quamlibet lotionem. 83. a
Tecta ædium peribolo circumdari debebant apud Judæos juxta legem divinam. 102. a
Quo sensu voret Paulus 2 *Cor.* IV. 3. Euangelium *suum tectum*. 330. b
Quid sibi velit Paulus cum dicit 1 *Cor.* II. 6. Sapientiam loquimur ἐν τοῖς τελείοις. 5. b
De *Temperantia* in genere & in specie circa divitias, honores & voluptates. 250. 251, 252. a
De ædificatione *Templi*, cur sanctuarium & domus Dei dicatur. De *Templi* forma, loco ubi constructum fuit & tempore quo absolutum fuit, nec non de reverentia erga *templum*. Custodia *templi* & ejus ministeria erant penes Sacerdotes & Levitas. 65, 66, 67. a
Quinque desiderata fuerunt in secundo *templo*, quæ erant in primo. Gloriam *templi* secundi non fuisse eam quam assignant Judæi petitam à materia, forma & duratione, ut eludant Prophetiā *Aggæi* II, 7. & seqq. de Messia, de Pace quæ sub *templo* secundo promittitur ab Haggæo. 168, 169. a
*Templo* stante Messiam venire debuisse. 170. a
Remonstrantes ante Schisma à Calvinistis factum nunquam petiisse, ut unicuique dissentientium parti suum assignaretur *templum*. 189, 190. b
Probatur Rabbinorum testimoniis *tempus* adventui Messiæ destinatum jam dudum elapsum esse, & id circa Jesu Messiæ nostri *tempora* incidere debuisse. Cur Judæi adhuc hodie Messiam expectent: non esse dilatum Messiæ adventum ob Judæorum peccata, & promissum de illo factum non esse conditionale, sed absolutum: contra eos qui nullum certum adventui Messiæ *tempus* præfinitum esse in Scriptura dicunt. Quale *tempus*, *temporisque* notæ isti adventui sint præstitutæ. Ex variis Scripturæ locis, uti *Gen.* XLIX. 10. *Hagg.* II. 7, 8, 9, 10. *Malach.* III 1. *Dan.* IX. 24, 25, 26. colligitur *tempus* adventui Messiæ præfinitum et fluxisse; Jesus Nazarenus circa ista *tempora* natus est, nec alius tum ullus qui se pro Messia venditaverit extitit. 157, usque ad 173. a
An ab æternitate divina omnis *temporis* successio excludenda sit. 287, 288. a
Quomodo astra in signa *temporum* posita dicantur, & quid per *tempora* intelligatur. 350. a
De *Tenebris* quæ lucem non comprehenderunt ex loco *Joan.* I. 5. 307. b
Quid Joannes per Lucem & *Tenebras* intelligat. 323. b
De *tenebris* mentis, vide *Illuminationem*.
De *Tentatione* Abrahami. *Tentare* est experimentum sumere de aliquo, quod sit vel verbis quadrupliciter, vel factis, quæ sunt trium generum. Omnis *Tentatio* sive divina, sive humana, sive diabolica uno istorum modorum fit, speciatim divina, quorum exempla 6. referuntur ex V. libris Mosis & 2. ex aliis libris Veteris Testamenti. *Tentationis* finis quis, Est duplex bonus unus, & malus alter: Malus est proprius Diaboli & eorum qui diabolico aut malo animo sunt præditi, Bonus est Dei; qui multipliciter intenditur ratione illorum qui *tentantur*. Quomodo Deo omniscio *tentatio* tribui possit. Quæcunque leguntur de tentationibus divinis, ad Angelum Dei legatum referenda videri. An Christus *Matth.* XIX. 21. adolescentem *tentaverit* præcipiendo ut omnia bona sua divenderet. Deus *Tentans* Abrahamum aliud voluit voluntate signi aliud voluntate beneplaciti, sed distinctionem hanc locum non habere in vocatione hominum ad salutem. 39, usque ad 43. a
Quomodo Deus *tentet* homines & eos in *tentationibus* adjuvet. Cur oremus ne nos inducas in *Tentationem*. 339. b
De *Tentatione* ex loco ad *Galatas* VI. 1. 270. b
Ex *Tentatione* Christi à Diabolo facta apparet Christum potuisse peccare. Quid sit *Tentare Deum*. 292. b
*De Tephilin* aut Totaphot sive Phylacteriis Judæorum. 62, 63. a
*De Termino* vitæ fatali an mobili. 378, usque ad 387. b
Non videri prædictam à Prophetis restitutionem Israelis in *terram* suam per Messiam, Vel hypotheticè tantùm esse promissam, Et posse adhuc impleri; vel intelligendam esse non secundum literam sed secundum spiritum. 214, 215. a
Cœlum & *terra* ex nihilo facta sunt, & quod sit illud cœlum & terra. 345, 346. a. *De Terra* aspectabili seu Chaos. 349. a
*De* obligatione ad *Testimonium* dicendum. *De* rigido *Testium* examine. Pœna Talionis falsis *Testibus* juxta legem infligenda erat, quinam sint falsi *testes*, Et quando juxta Judæorum Magistros pœna talionis illis sit infligenda. 100, 101. a
*Testes* commissi criminis adesse debere ajunt Judæorum *Doctores*, ut quis justo supplicio à domo judicii afficiatur. 121. a
*Testimonium* à Joanne perhibitum de Christo fuit litera Christi fiduciaria. *Testimonii* hujus pondus quantum, Tantum tamen non fuit ac miracula Christi. 424, 425. a
Solum Christi de se *testimonium* non fuit sufficiens convincendis Judæis, sed cum miraculis conjunctū fuit sufficientissimū ex loco *Joan.* V. 31. 6. b
*De* nomine τετραγραμμάτου. 49, 50. a
Unde *Thalmud* originem traxerit & quando *Thalmud* Babylonicum fuerit absolutum. 57, 59. a
Quid *Theologia* sit, & de *Theologiæ* excellentia, Nec non quales esse debeant *Theologiæ* auditores, & in iis tria requiri, docilitatem, probitatem & sedulitatem, quæ requisita fusius exponuntur. 1, 2, 3, 4. a
*Theologia* species, *Theologiæ* definitio, *Theologiæ* objectum est cultus *Dei*. Quo sensu *Theologia* sit scientia. *Theologiam* non esse scientiam speculativam sed practicam, non esse scientiam mixtam quamvis sapientia & intelligentia vocetur. Quantus error sit *Theologiam* facere scientiam speculativam ex parte hominis & practicam ex parte Dei, Divisio *Theologiæ* in doctrinam de Deo & de Dei actionibus taxatur, Cur Pontificii *Theologiam* scientiam mixtam esse velint. Antidota adversus præcedentes errores. 4, 5, 6. a
De revelatione per Urim & *Thummim*. 27. a. 68. a
De bibliis *Tigurinis*. 277. a
De timore Dei. 60. a
De *Timore* & honore parentum, sub quibus verbis omnis reverentia, obedientia & gratitudo comprehenditur. 113, 114. a
*Tolerantiæ* fraternæ specioso titulo Remonstrantes quaslibet novitates introducere noluisse, Quam *Tolerantiam* petierint, ubi de variis errantium generibus & eorum *tolerantia* agitur. Calvinistas *tolerantiam* respuere etiam in rebus ad salutem non necessariis, utiex eorum praxi, ubi rerum potiuntur, liquet. An *tolerantia* iniri possit veritatis divinæ dispendio. Et an errorem approbet & ei patrocinetur qui eum *tolerat*. 183, 184, 185, 186. b
Frustra disputari à Capello an *Tolerari* debuerit sententia Arminii in Belgio, post solemnem ejus damnationem in Synodo Dordracena, Alesiana & Charentonensi. Argumenta varia pro *toleranda* Arminii sententia, 1. Quia optimi quique censent *tolerandos* Lutheranos qui sunt in eadem sententia, ubi de variis *Tolerantiæ* speciebus agitur, Viamque ad Pacem Christianam esse *Tolerantiam*, qua in re Christianis præivit Ecclesia Judaica. Non postulasse Remonstrantes ut *tolerentur* in diversis templis, Et qui autores schismatis fuerint in Belgio. 2. Quia Remonstrantes non convellunt fidei fundamentum, ubi de Perseverantiæ certitudine. Et hoc consilio *Tolerantiam* non probasse Remonstrantes ut adversarios suos opprimerent. 3. Quia cum ita se habeant quatuor de prædestinationis objecto sententiæ, ut tres primæ sese mutuo ferant, cur non etiam quarta *tolerari* possit? à pag. 187, usque ad 192. b
*Tonsurarum* primitiæ sacerdotibus dabantur. 89. a
*Tortula* massæ subactæ separanda Domino in usum Sacerdotis. 86. a
*De Totaphot* sive Phylacteriis Judæorum. 62, 63. a
De *Tractione* Dei ex loco *Joan.* VI. 44, 45. 303, 304. b
De *traditione* in sensum reprobum. 393. a. est pœna spiritualis. 398. a
In eo errare Judæos quod nimio in pretio majorum *traditiones* habeant. 434. a
Examen locorum Scripturæ in quibus *Traditionum* non scripturarum fit mentio. Nullum dogma ad salutem necessarium proferre possunt Pontificii, quod per solam *Traditionem* non scriptam habeamus. Examen trium istorum quæ Becanus affert in contrarium. Tria circa *Traditiones* non scriptas esse observanda, Quinque Bellarmini regulæ de *Traditionibus* refelluntur & rejiciuntur. 259, usque ad 264. a. Quas *Traditiones* Reformati admittant, vel rejiciant. Quid *Traditio* valeat, ut scire possimus quinam sint libri Canonici. Nec non de variis *Traditionibus* & earum perfectione. 154. usque ad 164. b
*Traditio*, vide *Legem* oralem.
De *Tragœdiis* quatenus sint Christiano licitæ vel illicitæ, de earum argumento, & cautiones in eis observandæ. 45, 46. b
Quam *Tranquillitatem* in religione plerique Christiani quærant. 153, & 166. b
Ineptè *Transubstantiatio* Papistica miraculum miraculorum dicitur, sed quod fide non sensibus percipitur. 427. a
De *Tremellii* & Junii versione bibliorum. 277. a
*Tribunalia* apud Judæos erant tria, quorum maximum erat Sanhedrin. Concilio Sanhedrin non erat obtemperandum absolutè in omnibus. 98, 99. a
De *Tributo* magistratibus pendendo ex loco *Rom.* XIII, 5. Ex solo autore pendet obligatio *tributorum*, non vero ex fine, forma, materia & usu, Et quousque conscientia illis pendendis obstringatur, si injusta, immodica, vel in malos usus imperentur. 26, 27. b
Quomodo Jesus dicatur *Triduum* fuisse in sepulchro. 192. a
An Dogma *Trinitatis* arguat scripturam esse in necessariis obscuram. 269. a
Dogma *Trinitatis* prout à quibusdam explicatur Judæis

Judæis ansam dare à Christiana religione abhorrendi. 437. *a*

*Tristitia* Dei quid, opponitur ejus gaudio. 316, 317. *a*

Causa *Tristitiæ* Pauli *Rom.* IX. 2. 399. *b*

*Tubarum* clangor fiebat super sacrificiis, & in die angustiæ. 75. *a*

*Tuba* clangebatur decima die Tisri anni Jubilæi. 87. *a*

*Tuba* clangebatur prima die mensis septimi sub lege & cur. 94. *a*

*Typica* promissa habet lex. 156. *a*

*Turpe.* vide *Honestum.*

Vocationem Dei respectu reproborum esse *tyrannicam* ex sententia Cameronis sequitur. Et quis propriè sit *tyrannus.* 306, 307, 308. *b*

Quinam motus voluntatis sint *tyranni.* 311. *b*

V.

DE ceremoniis *Vaccæ* rufæ. 83, 84. *a*

Quænam sint *Vasa* iræ & misericordiæ, de quibus *Rom.* IX, 29, 13. Et quomodo illa coagmentata sint ad interitum, & à quo hæc præparata ad gloriam. 407, 408. *b*

De notis *Vatabli* in biblia. 277. *a*

De *ubiquitate* seu immensitate divina. 287. *a.* Necesse esse ad salutem credere Deum esse *ubique*, sed non hunc modum, Deum ita esse *ubique* ut substantia sua omnia impleat. Cum responsione ad objectiones duas. Nec necesse esse credere *Deum* esse extra hunc mundum nec instar puncti *ubique.* 923. 924. *a*

De hypostatica naturæ divinæ & humanæ *unione.* 293, 294. *a*

Ἐγγαστριμυθία species divinationis. 139. *a*

*Vectigal*, vide *Tributum.*

*Velatæ* olim & nunc mulieres apud orientales, an vero virgines & viduæ incertum. 46, 47. *b*

*Venditæ* prædia anno Jubilæo redimi poterant, & qui domum *vendiderat* in urbe muris cincta, jus habebat eam redimendi intra anni spatium. 88. *a*

De casu *Venditionis* & emptionis, & quomodo unusquisque se in eo gerere debeat. 127. *a*

*Veneficæ*, vide *Magiam.*

Conciliatio autoris ad *Hebræos* qui *cap.* VI. & X. omnem *Venia* spem quibusdam peccatoribus adimit, cum *Ezechiele* eam *cap.* XVIII. omnibus pœnitentibus promittente. 12. *b*

*Venia*, vide *Remissionem.*

*Venire* sumitur interdū pro cū mandatis *venire.* 7. *b*

*Verborum* significationes unde petendæ sint. 136. *b*

Quomodo *Verbum* caro factum fuerit. 416, & 419. *a*

*Verbum* Dei non esse divinam essentiam prout spirituales volunt. 254. *a*

*Verbum* Dei est unicum Fidei stabilimentum, vide *Fidem*, ubi prolixè ea de re disseritur.

Deus secundum Cameronis sententiam non potest consolari per *verbum*, 350. *b*

*Verbum* Dei externū non verò internū ordinarium est conversionis medium. 372. usque ad 377. *b*

*Vera* scribere potuisse & voluisse autores librorum Novi Testamenti. 229, 230. *a*

Historiæ librorum Novi Testamenti *veritatem* Atheis, Judæis, Paganis & Turcis convincendis sufficere. 230, 231. *a*

*Veritas* pro justitia aliquando sumitur. 326. *a*

De introductione in omnem *veritatem*, ex loco *Joan.* XVI. 13. 5. *b*

*Verum* sumitur interdū pro valido ac sufficiente. 7. *b*

*Veritas* nunquam abneganda est 1, 16. *b*

*Veritatem* omni antiquitati præferendam esse. 127, 151, 152. *b*

An concordia *veritatis* divinæ dispendio quæri possit. Et *veritatem* esse duplicem, necessariam vel non necessariam. 186. *b*

De *versionum* S. Scripturæ necessitate & utilitate. Et de variis S. Scripturæ *versionibus*; puta Chaldaicis, Græcis, Latinis, Syriacis & Belgicis. 273. usque ad 279. *b*

De *vestibus* Sacerdotum ordinariorum, & quæ fuerit vestis summi Pontificis. 68. *a*

An Deus voluerit ut Judæi *veste* distinguerentur ab aliis gentibus. 138. *a*

Modus in *vestibus* ac vita servandus præcisè definiri nequit, aliquo tamen modo definiri potest. 1. ratione recta. 2. lege Christi. 29, 30. *b*

De ambulatione in *viis* Domini. 61. *a*

De *viis* Domini nostro pede non metiendis, 268. *b*

*Viatori* oram vineæ, aut segetis legere licebat sub lege, ad sedandum sitim aut famem. 109, 110. *a*

Modus in *victu* & amictu servandus præcisè definiri non potest, aliquo tamen modo definiri potest. 1. ratione recta. 2. lege Christi. 29, 30. *b*

Quid sit *videre* Dei similitudinem & posteriora, ut de Mose dicitur. 51, 52. *a*

Deum *videri* non posse, cum responsione ad loca in quibus 1. dicitur Deus *visus* fuisse ab hominibus. & 2. quibus promittitur piis ut aliquando Deum *videant.* 283, 284, 285. *a*

Non esse necessarium creditu Deum nunquam *visum* iri. Quid de iis statuendum qui putant Deum in hoc sæculo *videri* posse; De Paulo qui Jesum glorificatum; & de Jesu qui Patrem *vidit.* 290, 291. *a*

Revelationis in *visione* per Angelum quatuor species. 25. *a*

*Visus* potentior est auditu. 46. *b*

*Viduam* ducere non licebat summo Pontifici. 70. *a*

An *viduæ* velatæ fuerint apud orientales populos incertum. 46. *b*

An *viduis* docere permittat Paulus 1 *Cor.* XIV. 39. in Ecclesia. 39. *b*

*Vindicta* omnis privatis prohibetur à Christo, *Matth.* V. *vers.* 38. & seq. Discrimen inter *vindictam* & punitionem. 25. *b.* & 79. & seqq. *b*

*Vinum* aut alium potum inebriantem bibere non licebat Naziræo. 80. *a*

De *Vino* novo quod Christus bibiturus est cum suis in regno Patris, ex loco *Matth.* XXVI. 29, 43, 44. *b*

In prophetia Jacobi *Gen.* XLIX. 10. non agi de *virga* castigationis, sed de sceptro dominationis. 165, 166. *a*

De *virga* & calceis Apostolis ad iter prohibitis & concessis ex locis *Matth.* X. 9. 10. & *Marci* VI. 8. 9. Et de *virga* defensionis & offensionis, sustentationis, & hospitalitatis tessera. 24. *b*

Propter sororem *virginem* mortuam contaminare se poterat Sacerdos. 70. *a*

*Virginem* in uxorem ducere tenebatur summus Pontifex apud Judæos. 70. *a*

Qui *virgini* vim intulerat eam ex præscripto legis in uxorem ducere tenebatur; qui pellexerat ad stuprum quinquaginta siclos pendere tenebatur. 116, 117. *a*

De tribus modis juxta Hebræos explorandi *virginem.* 117. *a*

Judæos causam non habere cur Jesum nostrum ex *virgine* natum esse negent, cum hoc vaticinatus fuerit *Esa. cap.* VII. 14. Per vocem עלמה *virginem* significari. Et Matthæum locum hunc perperam ad Jesu nativitatem ex Maria virgine non accommodasse, etiamsi aliquomodo concedatur Esaiam de *virgine* quadam præsente locutum, & beneficium quod ibi promittitur ad tempora illa pertineat, cum scripta Prophetarum non tantum secundum literam sed etiam mysticè exponi possint & debeant, Et mysticæ hujus loci expositionis necessitas. 175, usque ad 180. *a*

An *virgines* ita apud Hebræos seorsim à viris educatæ fuerint, uti apud alios populos. 176, 177. *a*

An titulus *virginis* uni viro desponsatæ, Ecclesiæ infallibilitatem de rebus fidei judicandi tribuat. 257, 258. *a*

An traditione sit opus, ad perpetuam Mariæ *virginitatem* asserendum. 261. *a*

An *virginibus* docere permittat Paulus 1 *Cor.* XIV. 39. in Ecclesia. 39. *b*

An *virgines* velatæ fuerint apud orientales populos incertum. 46. *b*

Bonum *virtutis* seu honestum non appeti ab homine nisi tanquam medium ad delectabilis boni fruitionem, non verò æquali amoris gradu cum delectabili. *Virtutem* non raro repugnare bono delectabili, & cum ipsius destructione aliquando conjunctam esse. *Virtutis* species usquequaque certas non esse, at bonum delectabile unum idemque prorsus esse omnibus hominibus. Eos qui in actione *virtutis* summum bonum collocarunt credidisse actioni illi inesse delectationem, aut ex actione & post actionem delectationem in animo existere; at *virtutis* delectationem, ut ut magna sit, tale bonum non esse quod contemni non possit, & cum quo homo miserrimus esse non possit. 202. *b. Virtutem* amari simulatque cognoscitur, quia pulchra est, sed non aliter ac diutius, quam quando & quamdiu delectabilis boni fruitionem non impedit. Quod si contingat ut *virtus* coli non possit nisi cum delectabilis boni damno, tum fieri potest ut non modo negligatur, sed nulla justa ratio detur cur ametur. Et ut *virtutis* amor mediis in malis ingeneretur, necesse esse ut per alterius & majoris boni delectabilis, tanquam præmii secuturi spem fiat. 203. 204. *b. De* iis qui aptiores sunt ad *virtutem* libere exercendam: 205. *b.* Cur *virtutes* quædam ubique locorum etiam inter barbaros in pretio sint & honore, aliæ vero negligantur. 203. *b*

*Virtus* nulla dari potest præmio digna juxta sententiam Cameronis. 213. *b*

Nullam *virtutem* præmio dignam dari posse ex sententia Cameronis. 274. &c. *b*

*Virtus* & vitium, vide *honestum* & turpe.

Qui *vim* virgini intulerat eam ex præscripto legis ducere tenebatur. 116. *a*

Conservatio & datio *virium* ad vitandum peccatum requiritur. 376, 377. *a*

Illustratio facta per *vim* Spiritus S. irresistibilem, præceptionum & prohibitionnm usum excludit. 280. *b*

An ad credendum necessaria sit *vis* quædam interna Spiritus sancti. Quo sensu verum sit intellectum per *vim* irresistibilem illuminari. 282, & 284. *b*

Examen locorum unde probare conantur *vim* convertendi irresistibilem. 348. & seqq. *b*

*Vi* irresistibili internum peccati actum nunquam impedit Deus, sed aliquando externum actum, idque plurimis modis. Nec ex eo quod providentia non impedit irresistibiliter internum peccati actum, sequitur hominem Deo esse potentiorem. 377, 378. *b*

De *vi* irresistibili, vide *Conversionem.*

*Vires*, vide *potestatem.*

*Visio* & *Visus*, vide *videre.*

*Vitam* puo fratribus ponere tenemur. 250. *a*

*Vitam* innocentissimo adimere potest Deus, eum punire justitia non sinit. 370, 371. *a*

Quomodo *vita* longa beneficium Dei censeri possit, si certa sit salus infantium. Promissio *vitæ* longæ ad infantes non pertinet sed adultos. *Vita* brevis propter certos casus aliquando ei à Deo præfertur. Conditio eorum qui *vivunt* melior est quam eorum qui in infantia decedunt. 38. *b*

Qui fiat ut multi *vitam* hanc præsentem *vitæ* futuræ anteponant. 208. *b*

Nos non tantum mortis, sed & *vitæ* nobis causa sumus. 352. *b*

De termino *vitæ* fatali an mobili. 378. usque ad 387. *b*

Deus est Ens *vivum*, quid per ejus *vitam* intelligatur, *vitæ* Dei duæ sunt facultates, intellectus sive scientia & voluntas. 296. *a*

*Vita* æterna, vide *Æterna* vita.

*Vitulus* pro Sacerdotis errore offerebatur. 73. *a*

De peccato *vituli* aurei, & ejus punitione. 162. *a*

An præceptum de extirpanda idololatria ad cultum *vitulorum* in Dan & Bethel applicari debuerit. 102. *a*

De *vitulo* aureo, & *vituli* Jeroboami quibus Dei nomen tribuitur: Israelitæ non crediderunt esse eos Deos, licet *Deut.* XXXII. 17. dicatur illos idola pro diis habuisse & oblitos esse Dei sui. 136, 137, 138. *b*

*Ultio*, vide *vindicta.*

*Umbras* habuit lex quarum corpus in Christo quærendum est. 156. *a*

De *Unctione* sacerdotum & regum, eosque non eodem olei genere *unctos* fuisse. 69. *a*

*Ungebatur* unus ex sacerdotali familia ad prælium. 106, 107. *a*

De *unctione* quam accepimus à Deo ex loco 1 *Joan.* II. 27. 317. *b*

Divinatio ex inspectione *unguium.* 139. *a*

Locutiones *Universales* sæpe in scripturis hyperbolicæ sunt. 20. *b*

*De Unitate* Patris & Filii, ex loco *Joan.* X. 30. 22. *b*

*Unitatem* non esse notam veræ Ecclesiæ. Et Ecclesiam Romanam non esse *unam.* 1. propter tyrannidem. 2. propter dissensiones in capitibus de summo regimine Ecclesiæ in terris, & de Pontifice an errare possit in fide, & hæreticus fieri. 124, 125, 126. *b*

Deum esse *unum.* 281. *a*

Necessarium est creditu ad salutem Deum esse *unum.* 289. *a*

*Vocationem Dei* respectu reproborum esse hypocriticam & tyrannicam, ex Cameronis sententia sequitur. 306, 307, 308. *b*

Quinam sint *vocati* secundum propositum, ex loco *Rom.* VIII. 28. & *vers.* 30. Apostolum agere de

re de *vocatione* ad crucem non ad fidem. 391, 392, 393. *b*
Quid sit *Rom.* IX. 7. In Isaac *vocabitur* tibi semen, Non intelligi *vocationem* efficacem ad fidem & vitam æternam. 400. *b*
De *vocatione* divina ex *vers.* 11. *cap.* IX. ad *Rom.* 402. *b.* & ex *vers.* 24. ejusdem capitis. 408. *b*
Quomodo dona & *vocatio* Dei sint ut ait Paulus *Rom.* XI. 29. absque pœnitentia. 422, 423. *b*
*Vocatio* Gentium per Messiam, vide *Gentes.*
Quid sit *Voluntas* divina, Ea tribus modis consideratur. I. *Voluntas* divina quatenus facultatem *volendi* significat dupliciter consideratur; Objectum ejus est bonum, non malum culpæ; ex permissione peccati non sequitur Deum id *velle.* Deus ne quidem per accidens *vult* peccatum. Mala physica Deus *velle* potest, & reipsa etiam *vult.* Omnia præter peccatum possunt esse divinæ *voluntatis* objecta. Summum bonum *vult* Deus necessariò, cætera liberè. Quid per libertatem divinæ *voluntatis* intelligatur. 304, 305. *a.* II. *Voluntas* Dei quatenus pro *volendi* actu accipitur, quid sit & quomodo sit libera. *Volitiones* Dei liberæ differunt ab essentia divina. Exceptio Scholasticorum expenditur, & objectiones diluuntur. Ordo inter divinas *volitiones*, Respectu 1. finis & mediorum. 2. mediorum inter se. 3. subjecti & formæ accidentalis. 4. formarum accidentalium inter se. 306. 307. *a.* III. De Voluntate Dei quatenus objectum θελητὸν seu rem *volitam* significat, Eam esse veram & propriè dictam Dei *voluntatem.* Non omnem *Dei voluntatem* esse efficacem, cum responsione ad Scripturæ loca quæ in contrarium afferuntur. De *voluntate* signi & beneplaciti, arcana & revelata. De variis distinctionibus *voluntatis.* 1. in absolutam & conditionatam: absoluta quid & quotuplex. 2. in antecedentem & consequentem & quid sint. Harum distinctionum usus. Nec non de attributis divinæ *voluntatis*, quæ affectus vocantur, 307, 308, 309, 310. *a*
Deus Abrahamum tentans aliud *voluit voluntate* signi, aliud *voluntate* beneplaciti, sed distinctio hæc *voluntatis* locum non habet in vocatione hominum ad salutem. 42, 43. *a*
*Voluntas* divina non mensuratur ab ejus providentia, sed eam commensurat. 123. *b*
Dei liberrima *voluntas*, causa impulsiva redemptionis remota. 407. *a*
*Voluntas* divina est fidei nostræ regula, non verò quod nobis optimum videtur. 116. *b*
Quæ sit illa *voluntas Dei*, cui *Rom.* IX. 19. Paulus nos resistere non posse asserit. 406. *b*
Obedientiam differre à *voluntate.* 285. *b*
Cur Deus voluerit ut non *voluntarii* homicidii autor exilio multaretur. 121. *a*
Vi irresistibili non cogitur *voluntas* à Deo. 377. *a.* nec ex eo sequitur hominem esse potentiorem Deo. 378. *a*
*Voluntatem* ut brutam animæ potentiam non determinari ab ultimo judicio intellectus practico. *Voluntatem* & intellectum non esse duas animæ potentias realiter ab ea, & à se invicem distinctas; Et ex hac distinctione ortas esse omnes circa doctrinam de libero arbitrio difficultates. Per hominis libertatem intelligi dominium ejus in actiones *voluntatis* & intellectus, quarum aliæ sunt famulatrices aliæ imperatrices. 198, 199, 200, 201, & 215. *b*
*Volitionis* omnis sive appetitionis terminus ultimus est fruitio. 202. *b*
Homo *velle* aliquid dupliciter dicitur, vel directè vel indirectè seu interpretativè. 204. *b*
Utrum fidei & incredulitatis sedes sit intellectus an *voluntas.* 252, 253. *b*
Quomodo secundum Cameronem peccatum sit *Voluntarium*, & quinam errores, juxta eundem, sint *voluntaris* vel *involuntaris.* 254. *b.* Utrum Adami *voluntas* necessariò secuta sit mentis ipsius errorem. 260. *b.* Quo sensu *voluntas* se ipsam dicatur impellere vel determinare, Num Deus Adamum à lapsu immunem præstare potuerit salva libertate *voluntatis* ipsius. 262, 263. *b.* De distinctione intellectus & *voluntatis.* Utrum *voluntas* sit potentia activa an passiva. 265. *b*
Quomodo *voluntas* suspendat actionem suam, & quid differant *nolle* & *non velle*, item de repentinis motibus *voluntatis.* 273. *b*
Inter summum bonum & malum nulla datur electio, sed bonum utile vel jucundum *voluntas* præferre potest honesto. Et electionem non esse actum judicii. An motus *voluntatis* circa visa sit actio vel passio. *Voluntatem* non esse distinctam potentiam ab intellectu & ab anima. 276, 277, 278, 279. *b*
Ad *voluntatem* ex sententia Cameronis non possunt dirigi præceptiones & prohibitiones. 282. *b*
Refutatio instantiæ Cameronis desumptæ ex Christi obedientia, ut ostenderet determinationem *voluntatis* ad unum non pugnare cum vera *voluntatis* libertate. 289, & seqq. *b*
De distinctione *voluntatis* divinæ in arcanam & revelatam; & sub ea Cameronem latitare voluisse. 300, 301, 302. *b*
Quid sit libertas *voluntatis.* *Voluntatem* non appetere liberè summum bonum. Utrum intellectus & *voluntas* realiter tum à se invicem tum ab anima differant. Quid discriminis sit inter *velle* & eligere. De ordine inter actiones intellectus & *voluntatis.* Quinam motus *voluntatis* sint tyranni. 308, usque ad 312. *b*
An homo appeteret malum sub ratione mali, si *voluntas* ab intellectu non determinaretur. De distinctione *voluntatis* & intellectus, an μυζήσεως propriè sit mentis, non verò *voluntatis.* *Voluntas* non semper appetit majus bonum. *Voluntas* non movetur judicio intellectus ad summum bonum amandum. 318, usque ad 321. *b*
Non tolli bonam partem Providentiæ divinæ, etiamsi negetur determinationem *voluntatis* in utramque partem ab ea fieri. Et qui hoc negant, nec Scripturam negare, nec quod sensus communis docet. 333, & seqq. *b* Vide vocem *libertas*, ubi hac de re fusè agitur.
An Deus aliquando fidelium *voluntatem* ad ipsorum preces in bono determinet. 345. *b*
An posita *voluntatis* ἀδιαφορίᾳ tollatur hortationum usus, Et de *voluntatis* & intellectus tum ab anima tum à se invicem distinctione. Quid possint rationes & hortationes in *voluntatem.* De motu *voluntatis* bruto, stulto, & tyrannico, & de insipientia theoretica & practica. Utro motus genere impulsus fuerit Adamus, bruto-ne & stulto an tyrannico. Sapiens aliquis dicitur vel theoreticè vel practicè. Quo sensu Camero dicat homines non semper sequi quod meas honestum esse ostendit. Ubi in intellectu est vera finis & mediorum cognitio, posse tamen *voluntatem* aliorsum tendere. Nullus est hortationum usus si *voluntas* necessario Judicium intellectus sequitur. 355, usque ad 358. *b*
Quâ aliundè moveri potest anima, vocatur modo intellectus, modo *voluntas*, quæ non sunt potentiæ ab anima & à se invicem distinctæ. 355. *a.* De *voluntate* hominis ejusque libertate. 356, 357, 358. *a*
An tollatur precum usus si *voluntas* sit libera, & de distinctione intellectus à *voluntate.* Quomodo Deus hominis *voluntatem* flectat. De precibus quibus Camero vult Deum rogari ut *voluntatem* nostram flectat. *Voluntas* flectitur vel physicè vel ethicè. An possimus rogare Deum ut eam flectat irresistibiliter. De extraordinaria & irresistibili flexione *voluntatis.* Quomodo *voluntas* versetur circa media ducentia ad finem ultimum, & an semper cum ἀδιαφορίᾳ. An cognitio quæ *voluntatem* flectit non semper sit in actu. Si necessitas flexionis *voluntatis* consistat in indivisibili, etiam ipsa flexio in indivisibili consistet. 359, usque ad 364. *b*
*Voluntatem* non determinari ab ultimo judicio intellectus practico docent Molinæus & Wallæus adversus Cameronem. 370, 371. *b*
Quodnam *velle* & currere *Rom.* IX. 16. à Paulo rejiciatur. 404. *b*
De necessaria *voluntatis* per intellectum determinatione. 408, & 412. *b*
Determinatio *voluntatis* ab ultimo judicio rationis practico, vide *Prædestinatorem* juxta sententiam Cameronis.
*Voluntas*, vide *Libertatem.*
*Voluptatem* esse primum ac summum hominis bonum. 201, & seqq. *b.* Vide *Jucundum* & *Delectationem.*
De fuga *voluptatum.* 251, 252. *a*
*Voluptates* fastidio suo aut dolore *voluptuosos* aliquando sanare. 206. *b*
Cur multis modis faverint Remonstrantes *Vorstio.* 182. *b*
D. *Vorstii* elogium, & sententia de præscientia futurorum contingentium. 262, 263. *b*
*Vota* impleri jubet Deus in lege sua, & quæ *vota* rescindi potuerint. 81. *a*
Pretium rerum quæ *voventur* solvi debet juxta legem divinam. 84, 85. *a*
De *Voto* Corban. 113, 114. *a*
Exempla sacra in quibus eadem *Vox* in eadem oratione vario sensu sumitur. 44. *b*
De usu ac sensu præpositionis ὑπὲρ. 33, 34. *b*
*Urbes* XLVIII Levitis & Sacerdotibus concessæ sunt in populo Judaico. 102. *a*
*Urbs* ad idololatriam se induci passa, semel destructa nunquam reædificari poterat juxta legem. 137. *a*
De revelatione per *Urim* & Thummim. 27. & 68.
Cur *Ussiah* repentina morte à Deo adfectus. 68, 69. *a*
*Vultuum* differentia pæne infinita maximum est argumentum providentiæ divinæ, & quam necessaria sit illa differentia. 353. *a*
Qui *uxorem* juxta legem *Deut.* XXII. 19. diffamaverat eam sibi *uxorem* retinere cogebatur sine spe repudii. 117. *a*
An titulus *uxoris* Ecclesiæ infallibilitatem de rebus fidei judicandi tribuat. 257, 258. *a*

## Z.

DE libro *Zachariæ.* 220. *a*
*Zelotypia* divina, vide *Iram.*
De *Zelotypia* viri, quid concesserit Deus maritis qui uxores adulterii suspectas habebant. 119, 120. *a*
*Zelus* gloriæ divinæ in Joanne Baptista ex variis apparuit. 424. *a*

FINIS.

# Ad Lectorem Præfatio.

*SAcram Scripturam (Amice Lector) præ aliis omnibus quæ hactenus apud homines literis mandata habentur facile principem esse nemini dubium erit, qui, nè quid de summâ ejus antiquitate dicam, Autorem illius atq; institutum paulò attentiùs considerârit. Nam cum primùm Divini Spiritus afflatu fuerit consignata, deq; rebus summi momenti agat, tum etiam ad præstantissimum scopum collimare certum est; ut genus nempe humanum ad æternam felicitatem perducat. Vnde meritò censere debemus eam ita fuisse Dei consilio conscriptam ut huic fini quam optimè inserviret, adeóq; pios homines qui simplici corde ac præjudiciis exuto ad ipsam accesserint fructum plane eximium ex ejus lectione percepturos.*

*Quanquam vero hæc ita sint, tamen aliqua in sacris hisce paginis* δυσνόητα *esse negari minime potest; ac facile evenire hinc posse ut homines* ἀμαθεῖς καὶ ἀστήρικτοι, *ea prave distorqueant, ac, ut cum S. Petro loqui pergam,* πρὸς τὴν ἰδίαν αὐτῶν ἀπώλειαν, *pervertant. Neque arduum certe foret plurima istiusmodi loca adducere, sed cum hæc jam abunde ab aliis fuerint tractata, nec res id a me jam exigat, operæ pretium non sum ratus de iis hic fusiùs disquirere.*

*At enimvero quo plures majorésque in sacro hoc codice difficultates occurrunt, & quo gravius ejus sensum corrumpendi periculum nobis impendet, eo alacriùs instare debemus, ut illa omnia a nobis diligenter ac studiosè adhibeantur, quæ tum ad sensum ejus recte assequendum, tum ad periculi hujus magnitudinem evitandam conducant. Non enim idcirco, ut aliqui improbè opinantur, quòd nonnulla in eo difficiliora sint, abjici continuo debet, sed eo majori curâ ac modestiâ est evolvendus; atq; omnino arbitrari æquum est id potius tum humanæ rationis debilitati, tum voluntatis & affectuum pravitati (quæ menti caliginem offundit) tribuendum, quod in harum rerum cognitione majorem profectum non fecerimus.*

*Nec sane mirum alicui videri debet in libro vetustissimo ante tot sæcula scripto, eâque in gente cujus ritus ac consuetudines maximam fere partim ignoramus, tot inveneri obscura & intellectu difficilia. Quare ea aut perperam rejicere, aut quod nonnulli faciunt, sibique inde ac aliis urbani videri volunt, risu ac sannis excipere, iniquissimum est. Liquido enim constat plurima in eo, vel ipsis fatentibus, præclara & eximia contineri; ut non aliter nobis de eo censendum sit, quam fecit olim Socrates de quodam Heracliti scripto, de quo sententiam roga-*

*tus ita reſpondit,* Aʿ μὲν σωθῆναι γενναῖα οἶμαι ὅ γε ἃ μὴ σωθῆναι, *i. e.* Ea quidem quæ aſſecutus ſum pulchra ſunt, puto item & quæ non ſum aſſecutus. *Præterea vidimus noſtris hiſce temporibus illuſtria quædam ingenia exſtitiſſe, quæ ſummas ejus difficultates egregriè enodârunt, unde non ſit deſperandum quin pari ſucceſſu, & ea quæ etiamnum reſtant explicentur. Quinimò iis, quæ jam præſtita ab ipſis ſunt, multò majora & præſtantiora fieri poſſent, & in poſterum fient, ſi Principes ac Magiſtratus tum impenſam ad hæc neceſſariam, tum alia quæ in eorum poteſtate ſunt ſubſidia conferre velint. Ejuſmodi enim ſunt hæc ſtudia ut ad ea perfectè abſolvenda cùm populis Orientalibus commercia colere, eorum ſcripta penitiùs cognoſcere, regionéſq; iis habitatas inviſere ac perluſtrare neceſſum ſit.*

*Inter alios autem Viros præſtantiſſimos, populares noſtros, qui inſignem in veteribus Sacræ Scripturæ ritibus explicandis operam navârunt, meritò primum locum occupat (ut ego arbitror) Johannes Lightfoot S. T. D. Aulæque S. Catharinæ in Academia Cantabrigienſi non ita pridem præfectus; majori induſtriâ an modeſtiâ fuerit dicere nequeo; erat ille quidem in omni literaturâ, Hebraica verò inprimis, peritiſſimus; in Sacris Scripturis diligentiſſimè atque accuratiſſimè verſatus: Ad hæc, Verbi Divini Præco aſſiduus; ſummâ præterea morum ſimplicitate conſpicuus; ab omni animi faſtu ac* φιλαυτίᾳ *maxime alienus. Neminem aut læſit aut contempſit; verbo dicam; qualis revera vir fuerit plurima ab ipſo edita tùm latino tùm vernaculo noſtro ſermone præclarè teſtantur. Quæque ille ad extricandas haſce ſacrarum literarum difficultates eruditiſſimè omnino ac feliciſſime præſtitit ſatis fidem faciunt, quanta demum præſtari poſſent ſi ea (de quibus jam ante dixi) accederent, quibuſque eximius hic vir planè erat deſtitutus.*

*Quod ad ſequentia attinet* χειρόγραφα *ex proprio Autoris MS^to. deſumpta typis jam excuduntur; nec præconio ſane ullo ad aucupandam Lectoris benevolentiam egent; ſatis ipſi conſtabit cujus ſint, nominéque, quod in fronte oſtentant, optimi hujus viri, haud eſſe indigna. Equidem decreveram de vitæ, ſtudiorúmque Reverendi doctiſſimíque Autoris ratione breviter ſermonem inſtituiſſe, ſed unici ejus fratris morte præventus ſum; unde iis omnibus quæ ad hanc rem opus erant penitus excidi; quamobrem in præſentiarum tantum eſto.*

R. KIDDER.

# HORÆ Hebraicæ & Talmudicæ, Impensæ in ACTA APOSTOLORUM.

## CAPUT I.

Ver. 1. Τὸν μὲν πρῶτον λόγον ἐποιησάμην, &c.

HUC adducamus [nam & hucusque extendi potest] illud quod dicitur ab Historiographo hoc nostro in ipso Evangelii sui limine, Ἔδοξε κἀμοὶ καθεξῆς σοι γράψαι. Ubi καθεξῆς, non solum ordinatam seriem actionum Christi videtur polliceri, sed & successivè ordinatam historiam actionum Apostolorum. Nam & hæc quæ in hoc libro continentur, inter Πράγματα πεπληροφορημένα, benè etiam possunt recensèri. Atque indicat ipse stylo suo, hoc ipso in loco, in animo sibi fuisse conjunctas hasce scribere historias: Contexere scilicet primùm narrationem de actionibus & doctrina Christi, & deinde ordine suo literis mandare acta & dicta Apostolorum.

Rerum plurimarum quæ hoc in libro continentur Lucas ipse erat Αὐτόπτης, imo & pars aliqua: At quatenus fuerit spectator actionum Christi, in altero suo libro contentarum nemo dixerit. Ambigua sunt illa in præfatione istius operis, Ἔδοξε κἀμοὶ πᾶσιν ἄνωθεν παρηκολουθηκότι, & lectorem quærentem relinquunt, An ille assecutus sit omnia à principio, eo tantum modo quo & illi qui historias Evangelicas compingere aggressi sunt ab ore Αὐτοπτῶν καὶ ὑπηρετῶν τοῦ λόγου. An vero omnia assecutus sit à principio ipsemet Αὐτόπτης à principio existens & ὑπηρέτης. An denique, per Ἄνωθεν non effatur, se coelitus atque à supernis omnia esse assecutum. Postremum hunc sensum nos amplectimur in istum locum: utpote quod extra omnem controversiam sit, cum coelesti afflatu calamum dirigente ea scripsisse quæ scripsit. An vero secundus hic sit admittendus [nam primum rejicimus penitus] scrutinio lectoris determinandum relinquimus. An scilicet Lucas inter eos fuerit, qui Christo adhæserunt à prima sua Evangelizatione.

Ὧν ἤρξατο Ἰησοῦς ποιεῖν, &c.

Agnoscimus vulgarem Dialectum, cui, *Incepit facere*, idem sonat quod *Fecit*: At supponimus Phrasiologiam hoc in loco sumendam esse relativè. Ac si dixisset in priori codice sermonem habui de omnibus quæ Iesus ipse *Incepit* facere & docere, In hoc dicturus sum de iis quæ potst eum *continuata* sunt per Apostolos.

Ver. 2. Διὰ πνεύματος ἁγίου.

Variè hæc disponuntur ab interpretibus.

Syrus, & Arabs unus, Bez. atque *Jeal.* hæc subjungunt post ὃς ἐξελέξατο, ut sensus sit Præcipiens Apostolis *quos elegerat per Spiritum Sanctum.*

Arabs autem alter, ut & Vulg. Gallic. Angl. retinent ordinem verborum quo sunt in contextu Græco. Sic interpretantes rectissimè, *Præcipiens Apostolis per Spiritum Sanctum:* Quod & à Deo factum olim cum Prophetis, per afflatum Spiritus iis dictante, quid docerent, & concionarentur.

Ejecerant quidem Apostoli Dæmonia, & sanarant morbos per Spiritum, at dubitare licet an aliquid *docuerant*, quod non verbatim audiverant ab ore Magistri. Promiserat ille iis eos Legem Mosis ligaturos & soluturos, dixerat iis plurima supereſſe, iis revelanda quæ adhuc ferre non poterant, de quibus illi instruendi per afflatum Spiritus. Cum ille ergo resurrexerat, sufflarátque iis in faciem, dicens, *Accipite Spiritum Sanctum*, exinde illi imbuti Spiritu, ut olim Prophetæ, per quem dictatum est iis quid concionarentur, quid exigerent, quid statuerent. Et jam nihil iis deest nisi donum linguarum, ut quod dictatum est, omnibus in propriis suis idiomatibus, enuntient.

Ver. 3. Δι' ἡμερῶν τεσσεράκοντα ὀπτανόμενος αὐτοῖς.

Sanhedr. fol. 43. 1. *Traditio. Vespera Paschatis suspenderunt Iesum. Et præco anteceſſit eum per quadraginta dies, dicens, Prodit ille lapidendus quia præstigiis est usus, & decepit & ad Apostasiam seduxit Israelem. Quicunque potest aliquid pro ejus innocentia testari, prodeat & testetur. At non invenerunt quempiam qui testaretur.*

Ipse propriæ innocentiæ jam satis attestatur, o lingua præcidenda, quadraginta diebus versans inter homines post resurrectionem suam à morte, per quam detineri non potuit propter suam innocentiam.

Ibid. fol. 99. 1. *Traditio. R. Eliezer dicit, Dies Messiæ sunt quadraginta anni, sicut dicitur, Quadraginta annis* אקוט בדור *offensus ero huic generationi.*

Gloss. *Quoniam est* אקוט [tempore futuro] *indicium est quod vaticinatur de futuro.*

Ingenuè facis O Iudæe, quod rebellem atque infidelem istam generationem in diebus Messiæ, in parallelo sistis cum rebelli atque infideli generatione in eremo. Erit enim utraque fastidium atque offensio Dei per quadraginta annos. Et sicut numerati sunt quadraginta isti anni in eremo, secundum quadraginta dies, in quibus facta est exploratio terræ, Num. 14. 34. Sic numerentur etiam quadraginta hi anni *Messiæ*, secundum quadraginta dies, quibus ille versatus est inter mortales post resurrectionem suam à morte. At cautè numera, ne impingas in ipso limine circa annum *Tiberii* quo Christus resurrexit, & ne titubes in fine circa annum *Vespasiani* quo capta est *Hierosolyma*. Ἑάλω μὲν Ἱεροσόλυμα inquit Josephus, ἔτει δευτέρῳ τοῦ Οὐεσπασιανοῦ ἡγεμονίας. *De excid.* lib. 6. cap. 47. Cum revera secundum Fastos Consulares esset anno ejus primo: At secundo quidem, ex quo declaratus est ille imperator ab exercitu. Ipsis Calendis Julii salutatur ille Imperator ab exercitu in Ægypto, & V. Idus Julii in Judæa: Calendis ergo Julii anni sequentis expletus est ei annus primus à declarato eo Imperatore, at dimidium tantum anni sui primi computo fastorum. Excisa autem est Hierosolyma, Octavo Septembris sequentis.

Ver. 4. Καὶ συναλιζόμενος μετ' αὐτῶν παρήγγειλεν αὐτοῖς, &c.

Quærimus de loco & tempore ubi hæc acta & dicta.

I. Vocem Συναλιζόμενος deducimus non ab Ἅλς, *Sal*, ſed Ἁλίζ, *Cœtus, Congregatus.* Sic Lexica. Ἁλίζ *Congregatio* Ἐκκλησία Ἄθροισμα *Cœtus.*

*Herodot. Polymn.* cap. 12. Πεζείπας ἁλίζειν Πέρσησι ἐράτω. *Cum jam Perſis ut copias cogerent denunciaveris.*

*Idem. Clio.* cap. 126. Τὰ τε αἰπόλια ἁ τὰ βουκόλια ὁ Κῦρος πάντα τὰ παρεὸς συναλίσας εἰς ὠυτὸ ἔθυε. *Coactos in unum caprarium, ovium & boum greges patris ſui Cyrus mactat,* &c.

II. Chriſtus poſt reſurrectionem, diſcipulis nunquam apparuit niſi ex inopinato, & non expectatus, exceptâ tantum apparitione ejus in monte *Galilææ*, ubi conventionem ipſe indixerat, conſtituerátque. *Mat.* 28. 16. Huc ego verba quæ tractamus retulerim, ut Συναλιζόμενος μετ' αὐτῶν hoc denotet, Congregatus cum iis in monte *Galilææ* ubi ipſe conventionem indixerat. Nec obſtat illud quod dicitur Ἀπὸ Ἰερουσαλὴμ μὴ χωρίζεσθαι, ac ſi jam eſſent *Hieroſolymis*, Cum & verba proximò ſequentia οἱ μὲν συνελθόντες, ver. 6. conventum eorum iſtò in loco indicent, & verba παρήγγειλεν αὐτοῖς, &c. optimè ſumi poſſint, Juſſit ut concedant illico Hieroſolymas nec inde diſcedant.

III. Opinamur igitur hæc acta & dicta eſſe in monte *Galilææ* [ubi coactos credimus quingentos fratres, 1 Cor. 15. 6.] ídque appropinquante jam tempore aſcenſionis ejus. Nam ipſa ſuadet ratio, eos non tardaſſe reditum ſuum ad urbem, cum ille eos illuc amandaſſet, nec illum eos illuc amandaſſe niſi cum appropinquaret jam tempus cum ille eos ibi conventurus.

Et cum addat, & eodem loco & ſermone, Οὐ μετὰ πολλὰς ταύτας ἡμέρας, ver. 5. neceſſe eſt ut vox ταύτας vim ſuam retineat, nam non additur fruſtra. Et reſpicere videtur dies adhuc intercurſuros ad Pentecoſten.

Frequens eſt mentio apud magiſtros, de פרס הפסח *Paras Paſchatis*, & פרס עצרת *Paras Pentecoſtes*, & פרס החג *Paras Scenopegiæ*. פרס *Paras* autem, ipſis interpretibus, erat ſpatium quindecim dierum ante Feſtum. Ità ut elapſis triginta quinque diebus à Paſchatis die ſecundo, inciperet פרס העצרת *Paras Pentecoſtes*. Secundus autem dies quindecim iſtorum, erat hoc anno Dies Dominicus, In quo ego fere conceperim fuiſſe conventionem iſtam in monte *Galilææ*, diſcipulóſque inde ad Hieroſolymam amandatos, illic appuliſſe intra ſequens triduum. At, ne coarctemus rem intra ſpatium tam anguſtum, & ne curioſi nimis ſimus circa ipſum diem, vix verba Συναλιζόμενος μετ' αὐτῶν, me judice aptiùs applicueris, quàm ad conventionem iſtam in monte *Galilææ*, ab ipſo Chriſto indictam & conſtitutam.

Inde ille eos amandat ad Hieroſolymam, in quam urbem ſanguine Domini ſui jam cruentatam, parum animi forſan illis redeundi, abſque ſpeciali aliquo mandato, & puraſne eos feſtum Pentecoſtes celebraturos, vel etiam adfuturos, iſthoc loci, niſi jubente magiſtro?

Ver. 6. Εἰ ἐν τῷ χρόνῳ τούτῳ ἀποκαθιστάνεις τὴν βασιλείαν τῷ Ἰσραήλ.

Quod ſomniarent Apoſtoli cum reliqua gente de regno Chriſti terreno, pater ſatis; At videntur hic aliquantum hæſitare, aut quidem de reipſa, aut ſaltem de tempore, ídque, nec immeritò, reſpectu rerum iſtarum quæ nuper occurrerant. An jam Domine regnum iis reſtitues qui te ſic tractarunt? An huic generationi quæ ſub reatu effuſi ſanguinis tui ita ſuccumbit? An quidem genti huic omnino, quæ per ſcelus nuper patratum, ſe penitus indignam tanto beneficio reddidit?

Et quod reſpondet Salvator, *Non eſt veſtrûm noſce tempora*, ne vel tantillum innuit tale regnum unquam futurum, ſed apertè curioſitatem eorum circa exquirenda tempora redarguit, & aliquantùm opinionem ipſam, cum dicit, *vos accipietis virtutem de cœlo & eritis mihi teſtes*, &c.

Quidnam gens conceperit de regno Meſſiæ terreno, in plurimis eloquuntur planè, aſt in aliis quæras, & vix eſt quo ſatisfias. Obſcuriora ſunt hæc tria, ut alia omittamus.

I. An decem tribus ſint ad fælicitates hujus regni admittendæ. Nam de hac re diſputant ipſi magiſtri.

*Sanhedr.* cap. *chelek.* halak. 7. *Decem tribus non ſunt reditura.*

At Hieroſolymitanis redditur *Decem tribus non habebunt portionem in mundo futuro*, יאינן רואין לעתיד לבוא, *Nec videbunt ævum futurum.* Quod apud Babylonicos diſcutitur, An ſcilicet hoc non intelligendum ſit de individuis iſtis perſonis ſolùm, quæ abductæ ſunt per regem Aſſyriorum: ut illæ quidem non futuræ ſint participes beneficiorum Meſſiæ: At poſteri eorum participes futuri. Latere igitur poteſt ambiguitas aliqua in voce Ἰσραὴλ in verbis præ manibus, nempe an in conceptu loquentium concludat decem tribus, necne. Nomen enim *Iſrael* vulgariſſimè intelligitur à Judæis de Judæis ſolum, in contradiſtinctione ad decem tribus, ità ut ſeipſos *Iſraelem* vocent, & decem tribus, diſtinctivè *Decem tribus.* Quo ſenſu & qua diſtinctione illud ab Apoſtolo dictum videtur. *Hebræi? Sic ego. Iſraelitæ? Sic ego,* 2 Cor. 11. 23.

II. Quid ſentiendum de duobus Meſſiis. *Meſſia ben David*, & *Meſſia ben Joſeph*, vel *Ben Ephraim*, ut vocatur à Targumiſta, Cant. 4. 5. An illi ſimul regnaturi, hic inter Decem tribus, ille inter Duas, an ſucceſſivè, uterque ſuper totam gentem? *Meſſias ben Joſeph* eſt occidendus. *Succah*, fol. 52. 1. Et tum quid ſit de ejus ſubditis, ſive illi de decem, ſive de duabus tribubus ſint, ſive utrumque.

III. Quærere licet an conceptum ſit, Meſſiam ſolum eſſe regnaturum, an regem aut reges aliquos ſub ſe, aut poſt ſe ſubſtituturum. Probabile videtur iis Meſſiam per annos ſuos millenos regnaturum ſolum: Sed ævo iſto quod vocatur עתיד לבא [ſi modò æternitatem non velit:] quid tum agendum? An reges tum ſubſtituendi de ſtirpe Davidis? Nihil niſi terrena ſomniare illi poſſunt, & qualis ſtatus futurus ſit iſte עתיד לבא, ſi ex tali ſomnio ſit æſtimandum, conjectare licet quid tum agendum. Sed quid erroris veſtigia premimus? Ubi nec eſt ubi pedem figas, & quo longiùs pergis laberis magis.

Quale regnum conceperint Apoſtoli, non facile eſt conceptu. Aliquid quidem habuerunt quod fovere poſſet opinionem iſtam de regno terreno, qua à puericia fuerant fermentati, nempe quod evenerat reſurrectio, & Chriſti ipſius, & plurimorum ſanctorum, atque à reſurrectione quadam inchoandum eſſe regnum Meſſiæ didicerant à traditionibus: At qualiter Chriſtus jam regnaturus? Corpus ejus ſpirituale jam redditum, modo hic eſt, modo evaneſcit, modo apparet, modo diſparet, & qualiter hoc conveniet cum mortalibus? Supponunt quidem traditiones, Meſſiam forte futurum מן דמכיא unum de mortuis: at cum redivivus, tale corpus geſtaturum quale & alii homines. Sic concipitur à quibuſdam in

*Sanhedr.* fol. 92. 2. Mortuos iſtos de quibus mentio *Ezech.* 37. reviviſſe, in terram Iſraeliticam rediiſſe, uxores duxiſſe, liberos generaſſe: *Imo ego ſum unus de poſteris eorum inquit R. Judah ben Betirah, atq; hæc Phylacteria quæ legavit mihi avus meus, ipſorum erant.* Quid de corporali præſentia Chriſti in hoc ſuo regno quod ſomniant, Apoſtoli ſenſerint quis poteſt vel imaginari?

Ver. 12 Σαββάτου ἔχον ὁδόν.

De itinere Sabbatico aliquid diximus ad Luc. 24. Adjiciamus pauca.

Maimon. Schabb. cap. 27. *Quicunque tranſgreditur limites urbis Sabbato, vapulet: Quia dicitur, Ne exeat quis è loco ſuo, die ſeptimo. Locus hic eſt limes urbis. Lex autem non determinat ſpatium hujus limitis. At ſapientes definiunt, quod hic limes eſt ab extra ad duodecim milliaria, ſecundum caſtra Iſraelis: Nam ſic dixit iis Moſes magiſter noſter, Non exibitis è caſtris.*

*Verum ex verbis Scribarum decernitur, Ne exeat quiſquam extra urbem niſi bis mille cubitis. Ultra autem bis mille cubitos, prohibetur. Nam bis mille cubiti ſunt ſuburbana civitatis. Et proinde diſcas, quod licet homini ambulare Sabbato per totam civitatem, ſit licet ſpatioſa ſicut Ninive, cincta ne ſit muris annon. Licet etiam ei incedere extra civitatem ad bis mille cubitos ab unoquoque latere.--At ſi progreſſus fuerit ultra bis mille cubitos, verberant eum* מכות מרדות *percuſſione rebellionis. Si nempe precedat ad duodecim milliaria. Si vero progrediatur ab urbe longiùs quàm ad duodecim milliaria, etiam cubito uno, vapulat ex lege.*

Commentemur aliquantùm.

I. Creditum erat vulgò, quod caſtrametatio Iſraelitarum in eremo, erat quadraturæ duodecim milliarium.

*Targ. Jonath.* in Num. 2. *Caſtrorum Iſraelis longitudo erat duodecim milliarium, & latitudo erat duodecim milliarium.*

Kimch. in Joſu. 3. *Latitudo aquarum* [diſſectarum in Jordane] *erat duodecim milliarium, ſecundum caſtra Iſraelis, ſicut exponunt Rabbini noſtri.*

*Sorah.* fol. 34. 1. *Et ſteterunt aquæ deſcendentes deſuper ſteterunt acervo uno.* Joſu. 3. 16. *Et quanta earum alti-*

*altitudo? Duodecim milliarium, ſuper duodecim milliaria ſecundum caſtra Iſraelis.*

Ubi Gloſſ. *Caſtra Iſraelis erant duodecim milliarium ſuper duodecim milliaria* [i. e. quadraturæ duodecim milliarium.] *Atque illi tranſierunt Jordanem ſecundum caſtrametationem ipſorum. Tota latitudo caſtrorum ſcil. tranſiit ſimul per ſpacium duodecim milliarium latitudine.* Hinc illud.

*Hieroſ. Sotah.* fol. 21. 4. *Adam & Zarethan* [à qua ad quam diſſectæ ſunt aquæ] *diſtabant* xij. *milliaribus.*

An præciſum hunc numerum duodecim milliarium, ſumpſerint ex alluſione ad duodecim tribus, aut quanam alia ratione numerum hunc & ſpatium exactum retinuerint non facile eſt determinare: Aſt abſque omni dubio, ſpatioſiſſimæ comprehenſionis & menſuræ, erat caſtrametatio Iſraelitarum, ſpatio præſertim milliari conceſſo inter tabernaculum & prima caſtra populi. Et certè cum receptum vulgo ſit, quadraturam fuiſſe duodecim milliarium ab unoquoque latere, juſtam proportionem excedi vix credas, ſi immenſum populi numerum advertas, mirum potiùs ſi caſtrametatio tot myriadum, vel potius tot centenorum millium proportionem iſtam non excederet. Tabernaculum in medio: Spatium milliaris ab unoquoque ejus latere [in quo ſpatio caſtra Levitarum] ad prima caſtra Iſraelitarum: Et conjice quantum longitudinis & latitudinis, & craſſitiei exceperint omnia illorum caſtra.

II. Supponitur igitur licuiſſe cuivis ambulare Sabbato, non ſolum ab extima fimbria caſtrametationis ad Tabernaculum, ſed & per totam caſtrametationem, ab hac ejus extremitate ad illam. Quippe quod totum caſtrametationis foret unius ejuſdémque juris [רשות] & non diverſi. Secundùm tritum ipſorum Canonem de עירובי חצרות *Commixtione vel communione atriorum.* Hinc eſt quod talis mentio apud *Maimoniden* de duodecim milliaribus, & de licentia incedendi Sabbato, per totam urbem aliquam, ſit licet æquè ſpatioſa ac *Niniveh.*

III. Cum autem diſpoſitus eſſet populus in urbibus & oppidis in Canaanitide, & rerum facies mutata ab iſta in eremo, viſum eſt ſapientibus ſpatium itineris Sabbatici circumſcribere intra limites bis mille cubitorum. Idque partim quia intima fimbria caſtrorum Iſraeliticorum diſtabat tantum à Tabernaculo, quod colligitur ex *Joſ.* 3. 4. Partim quia dicitur Num. 35. 4, 5. *A muro civitatis menſurabitis mille cubitos. Et menſurabitis ab extra civitatem bis mille cubitos.* Unde illi

Setah. fol. 27. 2. *Mille cubiti ſunt ſuburbana civitatis, & bis mille cubiti ſunt limes Sabbaticus.*

IV. Quod ergo ad verba Evangeliſtæ, quæ tractamus, attinet, Non definiunt illa accuratam diſtantiam Oliveti ab *Hieroſolymis* quæ erat tantum quinque ſtadiorum. *Joſ. Antiq.* lib. 20. cap. 6. Nec reducunt *Bethaniam* oppidum ad & intra limites Sabbaticos, quæ diſtabat ſtadiis quindecim *Joh.* 11. 18. Sed deſignant locum in Oliveto ubi Salvator aſcendit, illic ſcilicet ubi deſiit tractus iſte Oliveti vocari *Bethphage*, & incepit vocari *Bethania.* De qua re fuſiùs diximus alio in loco.

Ver. 13. Ἀνέβησαν εἰς τὸ ὑπερῶον.

[לעלייה] I. Uſitatum erat genti, ut cum de lege & rebus religionis eſſet tractandum extra Synagogam, aſcenderent עלייה, Εἰς ὑπερῶον, In aliquam partem domus ſuperiorem.

*Juchaſin.* fol. 23. 2. *Abniah vir ditiſſimus, ad convivium exhibitum ad circumciſionem filii ſui, invitavit Rabban Jochananem ben Zaccai & diſcipulos ejus & Nicodemum,* &c. *Poſt convivium aſcenderunt Rabban Jochanan & diſcipuli,* לעלייה, Εἰς ὑπερῶον, *& legerunt atque expoſuerunt, donec tandem ignis circumfulgeret, ſicut cum daretur lex in monte Sinai. Et miratus eſt Abniah valde de honore tributo legi, & vovit filium ſuum legi.*

Nota, עלייה, ὑπερῶον: diſtinctum à Triclinio ubi pranſum eſt & cænatum, atque ibi tractatum eſſe de lege & rebus divinis. Cui ſi Ἀνώγεον ſit germanum in quo Salvator celebravit Paſcha, Marc. 14. 15. Luc. 22. 12. aliud videtur fuiſſe à communi Triclinio.

II. Tale ὑπερῶον, opinamur fuiſſe *Beth Midras* hujus aut illius Rabbini.

*Juchaſ.* fol. 45. 2. *R. Simeon dicit, Vidi* בני עלייה *filios,* τὰ ὑπερῶα, *quod eſſent pauci.* Id eſt Filios vel Diſcipulos Beth Midras, ſi ego vocem, עלייה hic rite capio, de qua re non contendam.

*Hieroſ. Schabb.* fol. 3. 3. *Iſtæ ſunt traditiones quas ediderunt,* בעלייתא, Ἐν ὑπερῶῳ, *Hananiæ, ben Ezechiæ ben Garon.* Et plurima iſtiuſmodi.

Tale, ut videtur, erat ſacellum Troadenſium, Act. 20. 8. Et quod mentio fiat de Eccleſiis in domo hujus vel illius, ſpeciem aliquam talis rei videtur ſecum ferre. Superiori ſcil. aliqua parte domus ad publicam Eccleſiæ conventionem ſeparata, eo modo quo *Beth Midras* in ſuperiori domus parte, erat ſepoſita ad conventionem diſcipulorum Rabbini. Et ſicut Beth Midras erat in domo Rabbini, ſic forte ut plurimùm Eccleſias in domo Miniſtri, vel Doctoris. Nam nonne talis Aquila in cujus domo Eccleſia? Rom. 16. 5. Si conferas Act. 18. 26. Nonne talis Philemon? ver. 2. iſtius epiſtolæ.

Ver. 15. Ὡς ἑκατὸν εἴκοσι.

Ejuſdem numeri erat Synagoga magna Ezræ.

*Juchaſ.* fol. 13. 2. *Ezra fuit caput omnium: fuitque ille receptor traditionum viceſimus ſecundus.* וכל בית דינו היו קר זקנים *Et totum Synedrium ejus conſtitit ex Centum & viginti Presbyteris.*

Nec erat Synedrium ſtatum in aliqua civitate abſque hoc numero.

*Sanhedr.* fol. 17. 2. & *Maimon. Sanhedr.* cap. 1. *Quotnam homines requiruntur in civitate, ut idonea ſit ad ſtatuendum in ea Synedrium? Centum & viginti: Quodnam autem eorum munus? Viginti tres pro numero Synedrii minoris. Et tres claſſes viginti trium. Ecce nonaginta duo. Decem viri* בטלין, *vacantes Synagogæ. Ecce centum & duo.* Duo בעלי דינין [actor & reus] *qui rem habeant coram conceſſu.* שני זוממין *Duo doloſi teſtes* [qui contrateſtarentur ut mendacii ſi fieri poſſit arguant teſtes.] שני זוממי זוממין *Duo contrateſtantes contra iſtos contrateſtantes. Duo Scribæ. Duo chazanim, Duo collectores eleemoſynæ, & tertius qui diſtribuat.* רופא *Medicus* [Gloſſ. Circumciſor infantum.] אומן *Artifex.* Chirurgus [Gloſ. Phlebotomizans.] לבלר *Libellarius*: qui ſcribat libellos deſponſationum, divortiorum, contractuum, &c. *Et Ludimagiſter: Ecce centum & viginti.*

Si quid elicere velis ex paritate numerorum, pro libitu eſto. At certe numerus eorum de quibus jam agimus, in animo habendus eſt cum hæc legis, cap. 2. 1. *Erant omnes una,* cap. 8. 4. *Omnes diſperſi ſunt præter Apoſtolos,* & cap. 11. 19, &c.

Præter duodecim Apoſtolos & ſeptuaginta diſcipulos, quis dixerit quinam illi 36 alii, qui numerum hunc expleverint, & qualeſnam, & cujus gradus illi qui nec de duodecim Apoſtolis, nec de 70 diſcipulis, & tamen de nobiliſſimo, ſanctiſſimóque hoc collegio. Mulieres enim intra numerum non cenſendas ut puto ratio ipſa ſuadet. Ut & quod plures in urbe forent qui crederent: hos autem in peculiare hoc conſortium & numerum fuiſſe cooptatos, ex ſpeciali aliqua cauſa & ratione. De duodecim & ſeptuaginta non opus eſt ut quæramus, de reliquis quære an ver. 21. non ſatisfaciat, nempe annon illi fuerint aſſeclæ Chriſti à prima ejus Evangelizatione cum reliquis.

Quod *Petrus* familiam ducat, & primas partes in tota hiſtoria agat, ut prolocutor & præcipuus actor, aſcribendum eſt

1. Senioritati ejus: nam num quempiam inter duodecim dixeris illo grandæviorem? Et cum ſub hac notione prolocutor ille fuerat dum inter eos verſaretur Dominus, æquum aut congruum etiam erat ut eundem locum capeſſeret Domino jam abſente.

2. Pœnitentiæ ejus: utpote quod neceſſe eſſet, ut ille qui tam turpiter fuerat lapſus, zelo & pietate quantum potuit, ſpecimina exhiberet & pœnitentiæ, & ſuæ reſtaurationis.

3. Deſignatus erat ille ad Apoſtolatum Circumciſionis, ut primarius miniſter: Congruum ergo erat ut inter Circumciſos ille primas partes ageret. At cum Primarium miniſtrum Circumciſionis cum dicimus, non de primatu ejus ſuper reliquos miniſtros Circumciſionis ſomniamus, ſed quod maximum opus & latiſſimum ſpatium iſtius miniſterii ſorti ſuæ cecideret, Meſopotamia, ſcil. vel captivitas Babylonica & Aſſyriaca. Judæi nempe Babylonici, & decem tribus cum iis mixtæ. Et cum de eo partes primas agente loquimur, credimus reliquos Apoſtolos non fuiſſe interim otioſos, & novimus eos pari cum eo authoritate, pari miraculorum dono, pari linguarum copia, pari ſapientia, pari concionandi facultate fuiſſe ditatos: Illum autem ob cauſas prædictas zelo, ſedulitate, activitate uſum fuiſſe modo & menſura extraordinariis.

Ver. 18. Καὶ πρηνὴς γενόμενος ἐλάκησε μέσος.

Vulg. & Eraſm. *Suſpenſus crepuit medius.* Sic & Italus *Appicato crepò pelmezzo.* Matthæum interpretantes potius quam Lucam. Et ſuſpicor quidem eos Matthæum nec recte eſſe interpretatos, dum vocabulum Ἀπήγξατο præciſe reſtringunt ad ſuſpendium.

Conjecturam noſtram de hac re protulimus ad Matth. 27.

Nempe quod Diabolus Judam illico poſt projectos in Templo denarios, raptaverit in aere, ſtrangulaverit, præcipitaverit, ac alliſerit ad terram. Nam

I. Merito quæritur an vox Ἀπήγξατο, neceſſariò, & ſolùm ſignificet *ſtrangulavit ſe*, & non æquè, *ſtrangulatus eſt.* Ut & an ſemper ſupponat laqueum. Ut negativum tueatur Clar. Heinſius, vid. ad loc. & Matth. 27.

II. Si Judas ſe ſuſpendit, quod vulgò creditur, & vulgo pingitur, quomodo dici poteſt quod ἐγένετο πρηνὴς? Detur rupto laqueo cecidiſſe in terram, quid refert an pronus ceciderit an ſupinus? Verùm ſi πρηνὴς derivetur ἀπὸ τοῦ πρὸ νέμειν, ut volunt Grammatici, *Præceps* eſſe poteſt æquè ac *Pronus*, id eſt ut *Pronus* opponitur τῷ κατὰ πίω *Supino.*

III. De hominibus quibuſdam à Diabolo ſtrangulatis loquuntur hiſtoriæ. Notiſſima illa Tob. 3. 8. *Aſmodæus* הונק [Sic eſt in Hebr. P. Fagii] *ſtrangulavit ſeptem maritos Saræ*, &c. Et minus mirum ſi Diabolus in hoc nebulone corporaliter inhabitans eum tandem ſtrangulaverit.

IV. Sunt etiam hiſtoriæ de Diabolo quoſdam in aera raptante, & ſecum aſportante, & nemo mortalium dirum illud fatum magis meruit quam hic proditor. Nec decuit eum bipedum nequiſſimum mors aila, quam funeſtiſſima quam ei infligere potuit Diabolus, cui ille totaliter permiſſus, quæ & ipſi horrori eſſe poſſet & terrori aliis.

V. Illud quod dicitur commate proxime ſequenti, *Notum hoc erat omnibus Hieroſolymam habitantibus*, &c. arguit rem non ordinariam, & non vulgaris eventus, & majus aliquid quam ſuſpendium ſui, quod in gente non ità alienum.

Καὶ ἐξεχύθη πάντα τὰ σπλάγχνα αὐτοῦ.

*Cholin.* fol. 56. 2. *Aramæus quidam vidit hominem quendam qui decidit de tecto in terram* פקעיה כרסיה ונפיק מעייה, *& ruptus eſt ejus venter, atque effluxerunt viſcera ejus. Adduxit Aramæus filium ejus qui deciderat, atque interfecit eum coram illo* באחרצת עיניים. *At deinceps viſum.*

Gloſ. Nequaquam cum percuſſit vel læſit, ſed ſimulavit coram patri, ac ſi interficeret: quia ipſe noluit viſcera ejus tangere, ne ea forſan extra proprium locum turbaret. Sed viſus eſt ac ſi puerum interficeret, ut pater videns ingemiſceret & ſuſpiraret, & ſic retraheret ad ſe ilia ſua.

Inhabitavit Diabolus in proditore jam per triduum aut circiter, ex quo Bethaniæ cum offa in eum intraverat, Joh. 13. & nunc horrenda eruptione, effuſis viſceribus egreditur.

Ver. 19. Ἀκελδαμά.

חקל דמא *Ager ſanguinis.* Sic dictus, et quod coemptus eſſet pretio ſanguinis, & quod rigatus ſanguine proditoris. Nam huc Judam à Diabolo præcipitatum ego conceperim, atque ex iſto eventu Sacerdotes eo magis motos, ut in iſtius agri emptionem oculos dirigerent. Et ſic proditor dupliciter Ἐκτήσατο τὸ χωρίον, cum et nummis ejus eſſet coemptus, & fato ejus conſignatus.

Si Akeldama fuerit ab iſto urbis angulo ubi jam oſtenditur peregrinantibus *Inter Orientem* ſcil. & *Auſtrum* ut Borchard: erat in valle Hinnom aut circiter.

Ver. 25. Πορευθῆναι εἰς τὸν τόπον τὸν ἴδιον.

*Baal turim* in Num. 24. 25. *Balaam ivit in locum ſuum, id eſt in Gehennam.*

*Midras Cobeleth*, fol. 100. 4. *De amicis Jobi non dicitur, Quod venit unuſquiſque à domo ſua, vel ab urbe ſua, vel de terra ſua, ſed unuſquiſque à loco ſuo.* ממקום שנתבצר לו בגהינם, *Id eſt, à loco ſibi præciſo in Gehennah.*

Gloſ. *A loco ſuo proprio, id eſt Gehenna deſtinata Idolatris.*

*Maimon. in chobel umazzik.* cap. 8. *Qui prodit Iſraelitam in manus Ethnicorum portionem nullam habet in mundo futuro.* Tum quemnam locum ſortietur ille qui prodidit ipſum Meſſiam Iſraelis?

Ver. 23. Ἰωσὴφ ὁ καλούμενος Βαρσαβᾶς.

I. Judæis *Joſe* יוסי & *Joſeph* יוסף idem ſonant. *Bava kama.* fol. 83. 1. אמר ר' יוסי בבבל לשון ארמי. *Dicit R. Joſe, In Babylonia lingua Aramæa*, quæ in *Sotah*, fol. 49. 2. proferuntur א' ר' יוסף בבבל לשון ארמי. *Dicit R. Joſeph, In Babylonia*, &c. *Sic* ר' יוסי. *Hieroſ. Jam tobh.* fol. 61. 3. eſt ר' יוסף. *Rab. Berac.* fol. 19. 1.

*Avoth.* cap. 1. hal. 4. יוסי בן יוחנן, *Joſe ben Jochanan*, qui Maimonidæ eſt *Joſeph ben Jochanan*, Præfat. ad Miſn.

Et ſic Ἰωσῆς, *Matth.* 27. 56. & *Marc.* 6. 3. Interpreti Vulg. eſt *Joſeph*: & vid. *Bezam* in hunc ipſum locum de quo agimus.

II. Suſpicari ergo licet hunc *Joſephum* qui dictus eſt *Barſabas*, fuiſſe *Joſen* filium Alphæi, fratrem Jacobi minoris, qui ut ipſe etiam Jacobus, dictus eſt *Juſtus.* Nec quemque adeo candidatum ad Apoſtolatum fere nominaveris ac illum qui tot Apoſtolorum fuit frater, & tam frequenter nominatur cum Jacobo.

Quid vox *Barſabas* ſignificet, non promptum eſt decernere, cum *Sabas* cum tot vocibus Hebraicis poſſit conſonare; Reddunt Nomenclatores, *Filius Converſionis. Quietis. Juramenti.* [ At quis dixerit quodnam Etymon reſpexerit Arabs in Bib. Polyglot. ברצאפאן, *Bar-zaphan* reddens? ] Ego בר סבא ſcripſerim [quod & facit Arabs Erpenianus] i. e. *filius ſapiens* niſi malis, *Filius ſenis.* Eſt & alius *Barſabas*, cap. 15. 22. *Judas cognominatus Barſabas.* Per quem ſi *Judam* Apoſtolum intelligere liceret, ſunto *Joſes* & ille [uterque *Barſabas*] fratres: uterque בר סבא, *Filius ſenis Alphæi.*

## CAP. II.

Ver. 1. Καὶ ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὴν ἡμέραν τῆς Πεντηκοστῆς.

VIDETUR vox *Penteceſte*, hoc ſignificatu, in uſum aſſumpta eſſe, à Judæis Græcizantibus: quam & retinent verſiones fere omnes, Occidentales præſertim, atque inter Orientales Syra atque Æthiopica. Hebraizantes Judæi hoc feſtum vulgatiſſimè עצרת nuncupant: A quibus Arabs unus parum recedit, cum reddit hoc in loco יום אלעצרת אלחמשן litera ן tantum inter ſerta. Alter vocem iſtam penitùs omittit, & habet tantùm יאם אלחמשין. *Dies* חמ *quinquaginta.*

II. Sat notum eſt ut עצרת in ſacris paginis, ſit *Dies feriatus*, Levit. 23. 36. Deut. 16. 8. 2 Reg. 10. 20. & quòd Judæi ad feſtum Pentecoſtes peculiarius approprient ratio videtur fuiſſe ideo quòd hoc feſtum de die uno feriato conſtaret tantùm, cum feſtum Paſchatis & Scenopegiæ haberent plures.

*Bereſith rabba*, fol. 114. 3. *Sicut dies feſti ſunt ſeptem. Dicit R. Chajia, An quia Pentecoſtes eſt diei unius, eſt luctus etiam ita? Dicunt ei, Arguis à traditione longinqua.* Ubi Gloſſa. *Quod ea ſit unius tantum diei* אנו למדין מעצרת, *Nos diſcimus ab ipſo vocabulo* עצרת.

*Beracoth.* fol. 17. 2. *Homines oppidi Mahæſiæ ſunt robuſti corde, nam illi vident gloriam legis duabus vicibus in anno*, Gloſ. *Illuc congregatur omnis Iſrael in menſe Adar, ut audiant traditiones de Paſchate in ſchola* דר *Rabh Aſai, & in menſe Elul, ut audiant traditiones de feſto ſcenopegiæ.* Ubi Gloſſa alia. *At non ita congregabantur* בעצרת שאינו אלא יום אחר, *ad Penteceſten, quia ea non eſt niſi diei unius.*

Unde magis credibilis eſt *Baithuſæus* iſte, qui diſputat cum *Rabban Jochanani.*

*Menachoth.* fol. 65. 1. *Moſes magiſter noſter*, inquit, *amabit Iſraelem* ויורע שעצרת יום אחר חיא, *& novit quod Penteceſte eſſet unius tantum diei*, &c.

III. Et tamen eſt mentio de die feſto *ſecundo* Pentecoſtes.

*Sanhedr.* fol. 26. 2. הנהו קבוראי דקבור נשמה ביום טיב ראשון של עצרת, *Veſpillones iſtos qui ſepeliunt mortuos die feſto primo Penteceſtes, Rabh Papa Shammatizavit*, &c. Quòd dicatur *Die feſto primo*, arguitur quod erat ſecundus: quod in terminis aſſeritur in

*Erachin.* fol. 10. 1. *R. Simeon ben Jozadek dicit; Octodecim diebus vir aliquis ſingularis totum recitat Hallel.*

*Septem*

*Septem scil. diebus Scenopegiæ, octo diebus Eucæniorum. Die festo primo Paschatis, & die festo primo Pentecostes. Est in captivitate diebus viginti uno. Diebus scil. novem Scenopegiæ, diebus octo Eucæniorum & duobus diebus festis Paschatis* ושני ימים טובים של עצרת, *Et duobus diebus festis Pentecostes.*

Cum dicitur בגולה, *In captivitate*, tollitur scrupulus. Nam quamvis intra terram Israeliticam foret dies tantum unus feriatus in festo *Pentecostes*, apud Judæos tamen in exteris regionibus erant duo: Quod & in aliis solennitatibus factum. Exempli gratia, Intra *Palæstinam* feriabantur die tantum uno in initio anni, primo scil. die mensis *Tisri*: Verum in *Babylonia* & reliquis regionibus exteris, feriabantur diebus primo & secundo. Ratióque erat, quia propter distantiam à Synedrio Hierosolymitano, non adeo exactò certi esse potuerunt de die præcise statо à Synedrio; duos ergo dies celebrarunt, ut certe vel in hoc vel in illo, non errarent de die certo.

IV. Instituit quidem Deus feriam tantum unam in festo *Pentecostes*, *Levit.* 23. vocatur ergo specialiùs à Judæis עצרת *Feria*, quia feriatum diem habuit tantum unum: at vocatur illud Festum חג & רגל iisdem titulis quibus & Pascha & Scenopegia, Exod. 23. 14, &c. Et comparuerunt in hoc festo omnes masculi, sicut in illis, atque erat chagigah in hoc festo sicut in illis. Quamvis ergo primus dies solum esset feriatus, continuatum tamen est festum in septiduum.

Sic Magistri in *Rosh hashanah*, fol. 4. 2. *Dicit R. Oshaia. Unde est quod* עצרת, *Pentecoste habet* תשלומין, *compensationes per omnes dies septem? Quia Scriptura dicit* בחג חמצות, *In Festo Azymorum,* ובחג השבועות, *Ac in Festo Hebdomadarum.* ובחג הסוכות, *Atque in Festo Tabernaculorum. Comparat Festum Hebdomadarum* [vel Pentecostes] *cum festo Azymorum. Et qualiter se res habet cum Festo Azymorum? Habet illud compensationes per omnes dies septem.* אף חג חשבועות יש לו תשלומין כל ז׳. *Ita etiam Festum Hebdomadarum* [Pentecostes] *habet compensationes per omnes dies septem.* תשלומין, *Compensationes* vocarunt, cum quis sacrificium debitum non offerens in initio festi, compensare eorum vel negligentiam vel defectum istum potuit offerendo quovis die septidui. Atque hæc dicta sunto de toto hoc festo in genere. Jam autem quod ad diem ipsum feriatum Pentecostes attinet, de quo nunc agimus.

I. Neminem latet, computum Septimanarum & dierum à Paschate ad Pentecosten, dependisse atque initium sumpsisse à die oblationis manipuli primitialis, Levit. 23. 15. Verùm ex ambiguitate Phrasiologiæ ממחרת השבת, *Crastina Sabbati*, orta est controversia inter Scribas & Baithusæos, an per *Sabbatum* intelligendum sit Sabbatum hebdomadale, vel ut Scribæ vulgo vocant שבת בראשית *Sabbatum Creationis*, an *Dies Sabbaticus*, vel dies primus septidui Paschalis, qui erat dies feriatus, Exod. 12. 16. Pro priore contendunt acriter *Baithusæi*, & non oblatum volunt manipulum nisi post Sabbatum hebdomadale. Ut, si incidat dies primus Paschatis in diem primum hebdomadæ, expectatum volunt donec elabatur tota septimana cum Sabbato, & tum crastina Sabbati, id est die prima septimanæ insequentis offeratur manipulus. At Scribæ longe variùs, oblationem manipuli sine dispensatione astringunt ad decimum sextum mensis Nisan, die Sabbatico, vel primo festi jam elapso. Atque inter alia argumenta sententiam suam roborantia, discrepantia ista loca *Septem diebus comedetis Azyma*, Exod. 12. 15. & *Sex diebus comedetis Azyma*, Deut. 16. 8. pro sensu suo sic conciliant, septem quidem diebus comedetis Azyma, id est primo die festi, non oblato adhuc manipulo, azyma de frumento veteri, & reliquis sex diebus, cum offeratur jam manipulus Azyma de novo. *Siphra*, fol. 51. 1. *Pesikta*, fol. 29. 1. *Menach.* fol. 66. 1.

II. Si dies manipuli numerandus sit intra censum quinquaginta dierum, quod clare astruunt authores jam citati ex verbis istis, Deut. 16. 9. *Septem hebdomadas numerabis tibi* מהחל חרמש בקמה, *à prima immissione falcis in segetes*, tum cuivis conspicuum esse potest, quod in quemcunque diem hebdomadæ inciderat oblatio manipuli, in eundem diem hebdomadæ incideret etiam dies Pentecostes. Atque hinc tanta contentione certarunt *Baithusæi* ut ממחרת השבת, *Crastina Sabbati* qua præcipitur ut offeratur manipulus, intelligatur de die hebdomadis prima, ut incideret etiam Pentecoste in diem hebdomadis primam: Non tam in honorem istius diei [quæ quidem est Dominica nostra] quam ut Pentecoste plures haberet dies feriatos כדי שיהו ישראל מתענגין שני ימים, *ut Israelitæ deliciarentur duobus diebus simul*: ut animum suorum hac in re effatur unus ex iis *Menacheth*, fol. 65. 1.

III. Hoc igitur anno in quo jam versamur, illo scil. quo Christus ascendit, & Spiritus Sanctus descendit, oblatio manipuli erat Sabbato: Nam comesus est Agnus Paschalis die Jovis: Dies Veneris quo Christus crucifixus erat dies festi primus, Sabbaticus scil. & feriatus: Et dies insequens, quod erat Sabbatum, erat Δευτέρα, qua oblatus manipulus, dum Christus dormiret in sepulchro. Atque hujus rei ergo inter alia vocatur Ἡμέρα μεγάλη τοῦ Σαββάτου, *Johan.* 19. 11.

IV. Num ergo incidit dies Pentecostes jam in Sabbatum? Observo dies quinquaginta numerari à quibusdam, à die resurrectionis Domini: & tum quidem Pentecoste vel dies quinquagesimus, incidit in primam hebdomadis, vel Dominicam nostram. At numeratis diebus à communi & vulgari epocha, oblatione scil. manipuli primitialis, quam computationem Lucam sequi minimè dubito, tum incidit dies Pentecostes, in Sabbatum Judaicum. Et hic bonâ cum veniâ dubitare licet, *An Spiritus effusus est in Discipulos, ipso die Pentecostes.* Et Ratio dubitandi varia.

I. Ambiguitas est in verbis *Lucæ*, Ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὴν ἡμέραν· nam vel cum vernacula nostra reddere potes, [*When the day of Pentecost was fully come*] vel cum Itala, *Et nel finire del giorno de la Pentecoste*, q.d. [*When it was fully gone.*] Ità ut Phrasilogia, vel *adesse jam diem*, vel *præteriisse*, possit in medio relinquere. Et si in posteriorem sensum ego interpreter, quidnam est quod contradixerit?

II. Notatu dignum est, quod Christus antitypus, in respondendo quibusdam typis ipsum effigiantibus, non ad ipsum diem typi, adimpletionem ejus restrinxerit, sed rejicerit ad diem sequentem. Sic

Non die ipso Paschatis, sed die insequenti, Ἐθύθη αὐτὸς Πάσχα ἡμῶν, 1 Cor. 5. 7. Non die ipso quo oblatus est manipulus ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων, 1 Cor. 15. 20. Sic Sabbatum Christianum non instituit ille Sabbato Judaico, quo finitum est à Deo opus creationis, sed die insequenti, quo finitum est à Christo opus redemptionis. Et sic rationi maxime est consentaneum, atque harmoniæ dispositionis ejus in rebus nominatis, ut grande hoc mysterium donationis Spiritus Sancti, non indulgeret ille Sabbato Judaico, sed die insequenti, diei scil. propriæ resurrectionis. Atque ut non effunderetur Spiritus eodem die quo commemoratio datæ legis, sed diem & commemorationem propriam sibi vendicaret.

III. Promptiorem rationem vix excogitaveris, quare fuerint hodie ἅπαντες ὁμοθυμαδὸν ἐπὶ τὸ αὐτό, quam quod ità congregati jam essent in unum, atque uno animo, ut celebrarent *Diem Dominicum*. Quamvis ergo quæramus an Spiritus effusus sit ipsissimo die Pentecostes Judaicæ, nec temerè hoc facimus, nec animo quovis contradictionis, sed ratione aliqua moti, atque ut reservetur Diei Dominicæ dignitas sua: Nam isto die descendisse Spiritum non dubitamus.

Ἦσαν ἅπαντες ὁμοθυμαδὸν, &c.

Jam quinam illi Ἅπαντες? Quid obstat quin dicas, Isti *Centum & viginti*, quorum mentio cap. 1. 15. Et benè quadrat connexio cum historia præcedenti. Aderant illi omnes simul cum proponeretur electio duodecimi Apostoli, & cum ille eligeretur, & quare vox Ἅπαντες hoc etiam in loco non sit ad eundem numerum referenda quis rationem reddiderit?

Hæc ratio, inquies, potest reddi, Quòd omnes qui jam erant unâ, dotati sunt dono linguarum: at num concipiendum, omnes Centum & viginti ità dotatos? Credimus; hisce ducti rationibus.

I. Quòd reliqui prædicaturi erant in exteris regionibus, æquè ac Apostoli, opus igitur iis æquè exteris linguis.

II. Idem donum impertierunt Apostoli per impositionem manuum iis quos instituerunt ministros in particularibus Ecclesiis. Absurdum ergo videretur si egregii hi viri, qui fuerant de ipso sodalitio Christi & Apostolorum, & qui futuri erant concionatores, in variis regionibus, non eodem dono locupletarentur.

III. Dicitur de septem Diaconis, quod erant Πλήρεις πνεύματος ἁγίου, etiam antequam ad illud munus eligerentur, cap. 6. 3. Quòd adeo convenit cum eo quod dicitur in hac historia Ἐπλήσθησαν ἅπαντες Πνεύματος ἁγίου, ver. 4. ut nec tempus convenientius, nec locum convenientiorem excogitaveris in quibus Diaconi ità repleti, quam cum Apostoli ità repleti, ex descensione Spiritus.

IV. Dignitas & prærogativa Apostolorum supra reliquos Discipulos, parum constitit in dono linguarum,

iis appropriato, ſed in hoc inter alia, quod ipſi donum iſtud largiri potuerunt, quod non potuerunt alii. Philippus Diaconus abſque dubio variis loquutus eſt linguis, aſt largiri Samaritanis minime potuit, ut illi etiam variis loquerentur: Reſervatum illud *Petro* & *Johanni* Apoſtolis.

V. Si Spiritus Sanctus in dono linguarum illapſus fuerit in omnes audientes ſermonem *Petri* in domo *Cornelii*, cap. 10. 44. minus mirum videbitur, ſi & in hos omnes etiam, de quibus nos jam loquimur.

Ver. 2. Ἦχος ὥσπερ φερομένης πνοῆς βιαίας.

Sonus venti vehementis, ſed abſque vento: Sic etiam linguæ ignæ ſed abſque igne. Φερομένης hic aptiſſime adjicitur, & emphatice: at quæro an ἐπεφέρετο ità, apud Græc. interpret. in Gen. 1. 2. Πνεῦμα Θεοῦ ἐπεφέρετο ἐπάνω τοῦ ὕδατος· & longius ab animo Moſis videntur eſſe Targumiſta & Samarita, cum reddunt per מנשבה *Sufflavit*. Suſpicor eos in verbis iſtis *Et Spiritus Dei incubabat facies aquarum*, cogitare de aquis quæ cooperuerunt terram: Cùm Moſes plane diſtinguat inter Abyſſum, id eſt Aquas quæ cooperuerunt terram, quibus incubuerunt tenebræ, & Aquas quibus incubabat Spiritus Dei: id eſt aquas quæ ſupra firmamentum ut ver. 6, 7. Et per incubationem Spiritus ſuper has aquas, ego promptius intellexerim motum cœlorum, circumgirante eos Spiritu Dei, atque iſto motu inferiora fovente, prout facit avis incubans pullis ſuis, quàm de ſuffiatu quovis Spiritus aut venti, vel quod Spiritus ferebatur ſuper aquas, ſicut ventus ſuper mare aut terram.

Ver. 3. Διαμεριζόμεναι γλῶσσαι ὡσεὶ πυρός.

Confuſio linguarum, erat rejectio Gentium, & confuſio religionis. Nam cum privarentur omnes Gentes præter Hebræam, uſu & cognitione linguæ Hebrææ in qua ſola, notæ & doctæ & traditæ ſunt res veræ religionis & veritatis divinæ, inevitabile erat ut non privarentur etiam cognitione Dei, & religione. Hinc ſpiſſiſſimæ iſtæ tenebræ quæ mundo Ethnico incubuerunt, ab iſta linguarum confuſione, ad hoc ipſum tempus de quo jam agimus. Verùm jam adeſt medicina, & per donum linguarum, ſanatur vulnus mundi, inflictum per confuſionem linguarum: atque amovetur in monte Zion, velum illud quod Babylone injectum erat ſuper omnes gentes, *Eſai.* 25. 7.

*Hieroſ. Taanith.* fol. 65. 3. Traditur forma orationis fundendæ in ſolenni jejunio noni menſis *Ab*, cujus hæc pars aliqua. *Miſerere O Deus, urbis lugentis, conculcatæ, deſolatæ*--כי באש החרבתה ובאש אתה עתיד לבנותה, *Quia per ignem tu devaſtaſti illam, atque per ignem aliquando reædificabis eam.*

Si per ignem ædificandam vis novam Hieroſolymam O Judæe, reſpice igneas haſce linguas, atque inchoatum agnoſce jam ædificium, & modum quo illa ædificanda.

*Dicit Rabba* מיחייב איניש בסומי בפוריא, *Tenetur homo edulcari in Feſto Purim, ità ut non dignoſcere poſſit inter Maledictus ſit Haman, & Benedictus ſit Mordecai.*

*Rabbah & R. Zeira convivati ſunt ùnà in Feſto Purim* ואיבסום, *& edulcorati ſunt.* Gloſſ. ואיבסום נשתכרו, *Et edulcorati ſunt, id eſt inebriati.*

Nihil aliud ergo eſt Γλῶσσαι μεμεστωμέναι εἰσὶ quam illud vulgari Dialecto איבסמי, *Edulcati*, quod quidem eſt *Inebriati.*

At nonne ebrios eos potius duxeris qui Diſcipulos ebrios duxerunt, expeditam elocutionem in variis linguis aſcribentes vino & ebrietati? Eſt Rabbinis Dæmon quidem קרריקים, *Cordicus* qui exagitat ebrios ex muſto. *Gittin*, cap. 7. At num ille magiſtèr artis ingenſque largitor et linguarum? Videntur ergo hi ſcurræ qui deridentes eſſe de fæce & ruditate populi, qui vernaculam linguam ſolum callerent, & cum non intelligerent quid in alienis linguis dictum eſſet nihil dictum eſſe autumarant, ſed tantum eſſe blateratum.

Ver. 15. Ἐστὶ γὰρ ὥρα τρίτη τῆς ἡμέρας.

Nobis, hora nona matutina: Ante quod tempus, diebus præſertim Sabbati & feſtis, inſuetum Judæis guſtare quicquam vel eſculenti vel poculenti: Imo & diebus aliis.

*Maimon. Schabb.* cap. 30. *Hic mos fuit religioſorum antiquiorum. Ut oraret quis Sabbato preces matutinas cum additiciis in Synagoga, & tum iret domum & ſumeret refectionem ſecundam*: nam primam ſumpſerat veſpere antecedente in ingreſſu Sabbati. Nihil guſtandum ante finitas preces in Synagoga, quæ continuatæ aliquando ſunt ad ipſum meridiem. Nam ſic Gloſſ. in locum. *Cum commorantur in Synagoga ultra horam ſextam & dimidiam, quæ eſt tempus Minchæ magnæ* [*nam die feſto tardarunt egreſſum ſuum ex Synagoga*] *tunc oret quis orationem Minchæ priuſquam comedat, & tum comedat.* Atque in diebus aliis id vulgo obtinuit quod notat.

*Targ. in Coheleth.* cap. 10. 16. בתר דמקרבין תמידא אכלין לחמא בזמן ד׳ שעין, *Poſtquam obtulerint ſacrificium juge, comedunt panem tempore horarum quatuor*, vel quarta hora.

*Bava Mezis*, fol. 83. 2. Docet quidam officiarius regis, *R. Eleazarum* filium *R. Simeonis* ut dignoſcat inter fures & honeſtos, עול ארבע שעי להנות. *Ito* inquit, *hora quarta ad tabernas, & ſi videas hominem bibentem vinum, & dormitantem dum tenet poculum in manu*, &c. Ubi Gloſſa. *Hora quarta erat hora comeſtionis, quando omnes ingrediuntur tabernas & comedunt.*

Hi ergo O ſcurræ non ſunt ebrii ut vos deridetis, nam eſt hora tantum tertia diei, & non adeſt adhuc hora edendi & bibendi.

Ver. 17. Ἐν ταῖς ἐσχάταις ἡμέραις.

*Joeli* eſt אחרי כן, *Poſt hæc.* Græc. Μετὰ ταῦτα· Ubi *Kimchius* והיה אחרי כן כמו והיה באחרית הימים. *Et erit poſt hæc, idem valet quod* ἐν ἐσχάταις ἡμέραις.

Per *in ultimis diebus* intelligi, ultimos dies *Hieroſolymæ* atque Occonomiæ Judaicæ, obſervavimus alibi: nempe cum appropinquaret jam Τέλος τοῦ αἰῶνος Ἰουδαικοῦ. Vid. Matth. 24. 3. & 1 Cor. 10. 11. Et de hac re minus dubitaretur, ſi rectè judicaretur, quiſnam ſit *Dies ille Domini magnus & terribilis*, Dies ſcil. vindictæ ejus in iſtam gentem: Quem terrorem Judæi pro more ſuo à ſe alienant, & devolvunt in *Gog* & *Magog* excidendos.

Ἐκχεῶ ἀπὸ τοῦ Πνεύματός μου ἐπὶ πᾶσαν σάρκα.

Cautè hic Judæi ſed parum caſtè, cum hanc Prophetiam & promiſſionem ad Iſraelem ſolum applicant, quippe quibus hoc pro Axiomate, *Quod Spiritus Sanctus non donatur Gentili.* Hinc illud, *Quod obſtupuerunt etiam fideles de circumciſione cum viderent in Gentiles effuſum eſſe Spiritum Sanctum*, cap. 10. 45. At permitte O Judæe nolens volens ut includantur etiam Gentiles intra hanc atque iſtiuſmodi promiſſiones. *Videbit omnis caro ſalutare Domini*, Eſa. 40. 5. *Veniet omnis caro ut adoret coram Domino*, Eſa. 66. 24, &c.

Ver. 19. Καὶ ἀτμίδα καπνοῦ.

Hebr. apud Prophetam ותמרות עשן. *Et columnas fumi*: Lucas Græca ſequitur, quæ ut videtur non ſollicita ſunt circa diſtinctionem iſtam curioſam *Ioma*, fol. 38. 1. de עשן מתמר ועולה כמקל, *Fumo columnante, vel aſcendente inſtar baculi*: & עשן קמציץ לבאן ולכאן, *Fumo ſe diſpergente huc & illuc.* Ubi ridiculam hiſtoriam habes de curioſitate ſapientum circa aſcenſionem fumi thymiamatis.

Prodigia hæc in ſanguine, igne & fumo ego intellexerim de cæde & conflagrationibus in gente patratis per ſeditiones & bellum inteſtinum, ad prodigium uſque ſtupendis. Monſtra erant iſta, potiùs quam exempla, & quibus nihil prodigioſius præſagire potuit ruinam gentis, quam quod adeo ſævirent in mutuas cædes, & vaſtationes.

Ver. 23. Τοῦτον τῇ ὡρισμένῃ βουλῇ καὶ προγνώσει τοῦ Θεοῦ ἔκδοτον λαβόντες, &c.

Rationem cur *Petrus* hæc addat, optimè petas ex ipſis cogitationibus Judæorum. An ille *Meſſias* inquiunt illi in corde ſuo, qui talia eſt paſſus? *Meſſias* crucifixus, cæſus? Heu quam longè hæc diſtant à charactere *Meſſiæ!* לו יתרון ומעלה וכבוד על כל המלכים. *Illi excellentia, dignitas, gloria & ſupra omnes reges, qui unquam extiterunt, ſicut prophetarunt de eo omnes Prophetæ à Moſe magiſtro noſtro ſuper quem pax, ad Malachiam ſuper quem pax. Rambam* in articulos fidei Judaicæ. *Sanhedr.* fol. 121. 1. Et num ille *Meſſias*, qui ſputa, verbera, lanceam, crucem eſt paſſus? Imo, inquit *Petrus*, ille hæc paſſus Τῇ ὡρισμένῃ βουλῇ καὶ προγνώσει Θεοῦ· Atque talia ille de eo prædixit, per Prophetas à Moſe ad Malachiam. Ità ut ille non minus Meſſias quia talia eſt paſſus, nec cum talia ſit paſſus, fortuitò

talia

talia sit passus, sed ex prædeterminato consilio Dei. Quæ hinc disputantur de decretis Dei, scholis relinquimus.

Ver. 24. Λύσας τὰς ὠδῖνας τοῦ θανάτου.

Sunto Ὠδῖνες θανάτου, vel *dolores mortis*, vel *vincula mortis*, in ambiguo est an *Petrus* de morte Christi solùm loquatur, an de morte in genere. Ut sensus esse possit, Hunc Deus suscitavit, & per resurrectionem ejus solvit vincula mortis, quoad alios etiam.

Sed approrientur verba ad ipsum Christum, ad quem præcipuè quidem spectant; per ὠδῖνας θανάτου, non tam intelligenda sunt tormina ipso in articulo mortis, quam vincula ista mortis quæ sequuntur, continuata scil. separatio animæ & corporis, & putrefactio & corruptio corporis in sepulchro; quæ duo, ista sunt quæ Petrus abdicat à Christo in verbis sequentibus. Nam quamvis verissimum sit, Quod mors sit merces peccati, non tam de ipsis doloribus qui corpus & animam disjungunt intelligendum est, quam de ipso disjunctione corporis & animæ, eaque continuata.

Ver. 27. Οὐκ ἐγκαταλείψεις τὴν ψυχήν μου εἰς ᾅδου.

Quid Ἅδης sit Græcis Authoribus norunt omnes: Status scilicet defunctorum: sive pii illi fuerint sive improbi. Et determinatur eorum status æternus, non tam per ipsam vocem, quam per qualitates personarum. Omnes pii, Heroes, religionis & virtutis assectlæ, istis Authoribus, sunt in Ἅδου: est in Elysio, in gaudio, in fælicitate. Atque omnes mali, improbi, impii sunt etiam ἐν Ἅδου, sed in Tartaro, tortura, & pœna. Ità ut vocabulum non opponatur cœlo vel loco fælicitatis æternæ, sed huic mundo tantum, aut præsenti vitæ: quod infinitis exemplis ex istis Authoribus posset firmari. Anima ergo Christi post mortem κατῆλθεν εἰς Ἅδου, transiit in statum defunctorum: in istum locum Ἐν Ἅδου scil. quo transeunt animæ piæ & sanctæ. Ast illic eam non permisit Deus permanere, separatam à corpore, ut nec corpus putrescere in sepulchro, quia istis vinculis mortis impossible erat ut detineretur Christus, cum mors ejus non fuerit pœna aliqua peccati, sed summus apex obedientiæ, atque ipse absque peccato, imo impeccabilis.

Ver. 29. Ἐξὸν εἰπεῖν μετὰ παῤῥησίας, &c.

Ambiguitur an *Licet* an *Liceat*, sit reddendum. Si illud tunc temporis obtineret, quod *Dicit R. Isaac, Verba ista, Caro mea requiescet in spe, docent* שלא שלט בו רמה ותולעה, *quod nec vermis, nec vermiculus in Davidem dominium aliquod habuit.* Midr. Till. fol. 13.4. tum congruum erat, ut *Petrus* non nisi præfata venia de *Davidis* putrefactione in sepulchro loqueretur, & tum vox Ἐξὸν merito vertenda *Liceat*. At *Licet*, placet magis, & hac paraphrasi verba illustramus. Quod hæc verba, *Non derelinques animam meam, εἰς Ἅδου*, &c. ad Davidem ipsum non sunt applicanda, ex hoc patet, Quod fidenter de illo dicere licet, quod ille mortuus et sepultus, & nunquam resurrexit, sed anima ejus derelicta est ἐν Ἅδου, & ille vidit corruptionem, nam sepulchrum ejus est apud nos usque in hodiernum, sub ista notione quod est sepulchrum Davidis mortui, atq; illic tumulati, & de resurrectione corporis, aut de reditu animæ ejus ἐξ Ἅδου, ne syllaba quidem una apud ullum mortalem unquam.

Omittere non possumus illud in Hieros. Chagigah. fol. 78. 1. *R. Jose ben R. Ben dicit* דוד מת בעצרת, *David mortuus est in Pentecoste, atque omnis Israel illum planxerunt, & sacrificia sua obtulerunt die postero.*

Ver. 34. Εἶπεν ὁ κύριος τῷ κυρίῳ μου, &c.

Quod Petrus tam fidenter atque absque scrupulo hæc applicet ad *Messiam*, indicium aliquod est quod non excogitatum tunc temporis erat commentum illud quo hunc locum fucarunt Judæi posteriores, in verba sic glossantes *Dixit Dominus Abrahamo: sede à dextra mea.* *Sanhedr.* fol. 108. 2. *Dixit Sem magnus Eliezaro, Cum venirent contra vos reges Orientis atque Occidentis, quomodo vos facietis? Dicit ei* אייתי הב"ה לאברהם ראותביה מימיניה, *Tulit Deus Abrahamum & sedere eum fecit à dextra sua: Projecit ille in eos pulverem, & mutatus est in gladios, stipulam & mutata est in sagittas, sicut dicitur. Psalmus Davidis, Dixit Dominus Domino meo, sede à dextra mea.*

Ubi notat Glossa cautè, hæc verba, *Dixit Dominus Domino meo*, esse verba Eleazari, utpote cui jure Abrahamus vocandus Dominus suus.

*Nedarim*, fol. 32. 2. *Dicit R. Zachariah nomine R. Ismael. In animo Dei erat produxisse Sacerdotium ex Semo, sicut dicitur, Et ille Sacerdos erat Dei altissimi, & cum præposuisset benedictionem Abrahami ante benedictionem Dei, produxit Sacerdotium ex Abrahamo. Nam dicitur, Et benedixit ei dicens, Benedictus sit Abrahamus à Deo altissimo possessore cœli & terræ, & benedictus sit Deus altissimus. Dicit ei Abrahamus, Num præponunt benedictionem servi ante benedictionem Domini sui? Exemplo datum est Sacerdotium Abrahamo: sicut dicitur, Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextra mea scribitur post, Tu es Sacerdos in æternum* על דברתי על דיבור, *propter verba Melchezidechi.* [qui non justo ordine disposuit benedictiones.] *Et quod dicitur, Et ille erat Sacerdos Dei altissimi, innuit quod ille fuit Sacerdos, at semen ejus non.*

Num glossema hoc cusum tunc temporis cum Petrus tam indubitanter tanquam nemine contradicturo, hæc verba applicat ad Messiam? Quod & ante eum fecerat Salvator, coram grandissimis gentis magistris, & non foret qui contra hiscret, Matth. 22. 44.

Ver. 38. Βαπτισθήτω ἕκαστος ὑμῶν ἐπὶ τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ.

Beza. *Hoc non declarat formulam baptismi, sed finem & scopum. Deest tamen hoc membrum apud Syrum interpretem:* Si exemplar ille nactus in quo deesset, non deest tamen in exemplaribus aliis: sed hoc non tanti est ut immoremur. Quod autem dicat *Hoc non declarat formulam baptismi*, vereor ne hallucinetur: Inter Judæos enim tunc temporis baptizatum est in nomine *Jesu* [quamvis inter Gentes baptizandum *in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*] ut agnoscerctur à baptizatis *Jesus* pro *Messia*, quo nihil tenacius atque obstinatius negatum & contradictum à Judæis. Agnoscat Judæus in baptismo suo *Jesum* verum *Messiam*, atque agnoscat Gentilis in suo, verum trinunum Deum.

Ver. 41. Προσετέθησαν ψυχαὶ ὡς τρισχίλιαι.

Et cap. 4. 4. Ὡσεὶ χιλιάδες πέντε. Quo ego retulerim illud *Psal.* 110. 3. עמך נדבות ביום חילך, *Populus tuus erit populus devotionum in die potentiæ tuæ.* Dies potestatis Christi erat dies resurrectionis ejus, cum subdidisset mortem & infernum; et dies Ascensionis ejus cum collocaretur ad dextram Dei supra omnem Principatum & Dominium, de qua re agitur versiculo istius Psalmi primo. In hac ergo historia quam in manibus habemus adimpletur illud in ver. 3. & demonstratur quam spontaneus fuerit populus ejus in die isto potestatis ejus.

Ver. 42. Καὶ τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου.

Frangere panem est Phrasiologia Judæis usitatissima à more gentis usitatissimo. Nam inceptum est prandium à benedictione & fractione panis.

*Boræcoth.* fol. 46. 1. *R. Zeira ægrotavit. R. Abbu venit ad eum, & sic spospondit, si R. Zeira convalescat ego faciam diem epulatorium Rabbinis, Convaluit ille atque is gravit convivium Rabbinis omnibus,* כי מטא למשרי. *Cum jam incipiendum esset prandium. Dixit R. Abbu R. Zeiræ,* לישרי לן מר, *Magister, incipe pro nobis. Cui ille* לא סבר לה מר להא דר' יוחנן, *Nonne Magister meminit,* vel cogitat *illud R. Jochananis qui dicit* בעל הבית בוצע, *Paterfamilias frangit panem?* Uba Glos. super verba כי מטא למשרי. *Significat Convivium, ac si dixisset Frange nobis cum benedictione,* המוציא, *Qui producit fructum è terra*, &c.

Pergit Gemara. *Cum benedicendum esset, dixit R. Abbu R. Zeiræ, Benedicat pro nobis magister, cui ille Nonne cogitat magister illud R. Hounæ Babylonici, qui dicit* ברוצע מברך, *Ille qui frangit panem benedicit.* Et paulo post

*Ille qui frangit panem non frangit antequam proferatur Amen ab ore omnium accubantium, atque benedictioni ejus respondentium Amen.*

Item ibid. *Non licet accubantibus gustare quicquam, antequam ille qui frangit panem, gustaverit.*

*Schabb.* fol. 117. 2. *Dicit R. Abba* בשבת חייב אדם לבציע על שתי ככרות לחם משנה, *Sabbato tenetur homo ad frangendum super duos panes, quia scribitur Panem duplicem*, Exod. 16. 22. *Dicit Rab. Issai, Vidi Rabb Calina, quod sumeret duos panes, &* יבצע חרא, *frangeret tantum unum.* Infinita sunt istiusmodi quæ spectant Phrasiologiam.

Jam vero quæritur an Κλάσις ἄρτου hoc in loco, pari ſenſu ſit ſumenda, nempe an pro pane communi, an non potius pro pane Euchariſtico, quæ quæſtio etiam redit ad ver. 46. κλῶντες κατ' οἶκον ἄρτον.

Jam quæro ego An בציעה *Fractio panis* apud Judæos, ſignificet unquam totum prandium aut totam coenam? Significat quidem particularem iſtam actionem, à qua inchoarunt prandium aut coenam, at non memini me unquam obſervaſſe Phraſiologiam apud Talmudicos, ad totam refectionem prandii aut coenæ applicatam, סעורה, eſt vox quam illi vulgariſſime adhibent pro tota refectione, at בציעה, ni ego plurimum fallar, nunquam. Et ſuſpicor quidem illud *Bezæ* eſſe gratis dictum potius quam probatum. *Factum eſt ut mutuus convictus, ipſaque adeo convivia quæ unà agitare ſolebant, nomine fractionis panis intelligerentur:* Quæ ſi vera, ego ignorantiam meam ingenuè agnoſco. Quod ſi non vera, tum κλάσις ἄρτου in his locis de quibus agimus, non poteſt de communi convictu intelligi, ſed de Euchariſtia, quod in terminis habet interpres Syrus: & parallelum eſt illud 1 Cor. 10.16. Act. 20. 7.

Ver. 44. Εἶχον ἅπαντα κοινά.

Quæ de *Eſſæni* & *Therapeutis* hic diſputantur recitare, eſſet cramben recoquere. At quæ de Hieroſolymitanis dicuntur, & non ſunt adeo obvia, non ſunt omittenda, viz. Quòd non conduxerunt domus nec lectos in Hieroſolymis, nam non erant mercenaria, ſed à poſſeſſoribus conceſſa gratis adventantibus ad feſta *Joma*, fol. 12. 1. *Megil.* fol. 26. 1. quod & de clibanis, lebetibus, menſis, verubus aliiſque utenſilibus bene poteſt ſupponi. Itémque paratæ iis ſunt aquæ, publica cura & ſumptu. Shekalim cap. 5.

## CAP. III.

Ver. 1. Ἐπὶ τὴν ὥραν τῆς προσευχῆς τὴν ἐνάτην.

AN hora nona ejuſdem diei fuerit, quo, circa tertiam effuſus eſt Spiritus Sanctus, conjecturæ eſt relinquendum. Certum eſt horam nonam [nobis tertiam pomeridianam] fuiſſe horam ordinariam, ut ſacrificii, ſic etiam orationis.

De horis ſacrificii ſic *Joſephus*.

*Antiq.* lib. 14. cap. 8. Δὶς τῆς ἡμέρας πρωΐ τε καὶ περὶ ἐνάτην ὥραν ἱερουργοῦσιν ὅτι τῷ βωμῷ. *Bis quotidie, mane ſcil. & circa horam nonam ſacra faciunt in altari.*

Et de horis orationis ſic Talmudici.

*Beracoth*, fol. 26. 1, 2. *R. Joſe b. R. Chanina dicit Patriarchæ inſtituerunt orationes. R. Joſua ben Levi dicit, Inſtituerunt eas ſecundùm ſacrificia jugia.*

*Oratio matutina eſt uſque ad horam quartam. Oratio Minchæ eſt uſque ad veſperam. Quænam eſt Minchah magna? Ab hora ſexta & dimidia. Quænam eſt Minchah parva? Ab hora nona & dimidia*, &c.

Diſtinguunt inter preces pomeridianas & veſpertinas: quamvis ex parte, ſi non ex toto fuerint unæ eædémque. Nam cum præciſum tempus recitandi Phylacteria, precéſque adjunctas veſperi, non foret niſi inchoata jam nocte, recitarunt ea, tamen in orationibus ad Mincham. Hinc diſputat.

*Gloſſ. in Beracoth*, fol. 2. 1. *Recitatio Shemaa in lecto eſt fundamentum; hoc eſt poſt apparentes jam ſtellas: & ſic eſt in Talm. Hieroſolymitano. Si quis recitet ante id temporis non fungitur officio ſuo. Si ſic, tum quare nos fundimus preces Phylactericos in Synagoga? Nempe ut perſtemus in Oratione propter verba legis.*

Ver. 2. Πρὸς τὴν θύραν τοῦ ἱεροῦ τὴν λεγομένην Ὡραίαν.

In bivio hîc ſtamus, quoad determinationem hujus portæ, ſecundùm bifidam ſignificationem vocis Ὡραίαν. Si in ſignificatione ſua aliquid relationis habet ad Ὥρα *Tempus* [quod quis non dixerit?] tum portam reſpiceremus vocatam חולדה *Hhuldah*, forſan ſic dictum ab חלד *Hbeledh Tempus* vel *Ævum*. Hujus nominis erant duæ portæ à latere Atrii Gentium Auſtrali, ſub porticu iſta nobiliſſima nuncupata Βασιλικὴ. *Middoth*, cap. 1. hal. 3. Per quas via ducebat ab ipſa Hieroſolyma vel Acra in Templum.

Si vero Ὡραίαν denotet præciſe *Speciosam*, ut vulgo redditur, tum reſpiceremus Portam Orientalem Atrii mulierum: quæ quamvis ærea tantum fuerit ſplendore tamen & coruſcantia, reliquas portas argenteas aut aureas exſuperavit.

*Joſ. de excid.* lib. 5. cap. 14. *Portarum quidem novem erant auro & argento obductæ —— Una autem extra Templum, de ære Corinthiaco, longe et auratas et argenteas antecellebat.*

Difficultatem an augeat an tollat illud quod dicitur ver. 11. judicet lector. *Cum autem claudus qui ſanatus eſt, teneret Petrum et Johannem, cucurrit totus populus ad eos in porticum Solomonis:* Unde oritur hic ſcrupulus, An Petrus & Johannes, & claudus, in atrium gentium tantum jam introierant, an ex atrio mulierum in illud jam redierant. Si prius, tum jacuit claudus ad portam aliquam Atrii gentium Ὡραίαν dictam, quam portam *Hhuldam* concipias. Si poſterius, tum ad portam iſtam Corinthiacam.

Ver. 4. Βλέψον εἰς ἡμᾶς.
5. Ὁ δὲ ἐπεῖχεν αὐτοῖς.

Hieroſolymitanè forſan diceretur חמי לן וחמי לון.

*Hieroſ. Chetubb.* fol. 35. 1. *Die quodam venit Elias ad R. Judam dentibus dolentem, et dixit ei* חמי לי *Reſpice me.* וחמי ליה, *Et reſpexit eum, Atque ille tactis dentibus ſanavit ægrum.*

Ver. 6. Ἀργύριον καὶ χρυσίον οὐκ ἔχω.

*Beracoth*, fol. 62. 2. *Traditio. Ne ingrediatur quis montem Templi*, במעות הצרורים לו בסדינו ובופנרתו מושפלת אחריו, *cum nummis ligatis in Sindone ſua, nec crumena à tergo appenſa.* Ubi obiter notanda gloſſa *Rambam* ſuper vocem פונרתו. *Eſt veſtimentum*, inquit ille, *quo amicitur homo ſuper carnem ſuam, in quo ſudat, ne veſtimenta ſua meliora inquinat: nec mos eſt cuiquam cum eo ſolo egredi, non indutis veſtimentis aliis.* Animum ejus expiſcandum lectori relinquimus, hoc ſolum advertentes, quod ſui de hac voce longe aliter.

Quamvis cuiquam non liceret crumenam in Templum ſecum ferre, rarò tamen eò ſine moneta ſunt ingreſſi, aut in manu aut aliter portata, ídque vel in eleemoſynam, vel in ſpontaneam oblationem Gazophylacio: Teſtantur hoc, duo minuta pauperculæ viduæ. Nonne & tu talia habes O Petre, quamvis argentum & aurum non habeas, conferenda mendicanti? Nulla ei talis æquivocatio, ſed hoc ſincerè vult, Pecuniam habeo omnino nullam.

Ver. 11. Ἐπὶ τῇ στοᾷ τῇ καλουμένῃ Σολομῶντος.

Si inter porticum & porticum diſtinguas, *Porticus Solomonis* erat Orientalis, & *Porticus Regia*, Auſtralis, &c. At ſi totum iſtud *Atrium Gentium* ſub nomine *Porticus Solomonis* comprehendi velis, quamvis obſcurius videtur quare vocetur *Porticus*, & quare *Solomonis*, tamen non incongrue poteſt hic admitti. Aſt an ità vocetur à *Porticu Solomonis* ſtrictè ſic dicta, ut porticu nobiliſſima, quia olim Solomonis: an quia Solomon ſacravit atrium illud in Templo ſuo, per ſacrificia, 1 Reg. 8. 64. An quia Solomon Μεγάλας ἐμεροῦσας φάραγγας ut *Joſephus*, profundas valles aggeribus repleverit ut ſpatium huic atrio acquireret & æquaret: Quicquid eſt, non inficiamur totum illud atrium hoc titulo poſſe inſigniri, quamvis ut oſtendimus alibi, ipſa *Porticus Solomonis* ut *Porticus* ſtricta ſignificatione, erat tantum pars & Porticus iſtius atrii, Orientalis.

Et repetamus hoc tantum, quod illic adducimus ex *Midr. Schir.* fol. 16. 4. שער הכהן ושער חולדה לא חרבו לעולם, *Porta Sacerdotis et Porta Hhuldah, non deſtruendæ erant unquam, donec renovaturus ſit eas Deus.* Quæ ſuſpicionem noſtram augent, nomen חולדה *Hhuldah* ab חלד *Hhled* deduci, quæ *Tempus* & *Ævum* denotat, ob conceptam de ea æviternitatem, & vocem Ὡραίαν hoc in loco talem ſignificatum amplecti, q. d. *Porta temporis.* Et ſorte *Parva Sacerdotis*, erat & altera porta *Hhuldah*, ob conceptam de ea eandem durationem: nam duæ erant Portæ iſtius nominis à latere atrii meridionali, ut diximus ante.

Ver. 19. Ὅπως ἂν ἔλθωσι καιροὶ ἀναψύξεως.

Inſcitiam meam in lingua Græca forſan proderem ſi faterer me non aſſequi qua linguæ iſtius authoritate, doctiſſimi Interpretes reddiderint, vel, *Ut cum venerint*, ut vulg. Eraſm. & Interlin. vel *cum venerint* ut Angl. Gallic. Ital. vel *Poſtquam venerint*, ut Beza. At non pudet liberè fateri me non aſſequi qua ratione, Cum optimè conveniat cum Idiomate linguæ, ſi vertatur, *Ut veniant.*

Pſal. 9. 15. Ὅπως ἂν ἐξαγγείλω. Hebr. לְמַעַן אֲסַפְּרָה. *Ut annuntiem.*

Pſal.

Psal. 92. 8. Ὅπως ἂν ἐξολοθρευθῶσι. Hebr. להשמדם. *Ut exterminentur.*

Psal. 119. 101. Ὅπως ἂν φυλάξω. Hebr. למען אשמור. *Ut custodiam.*

Act. 15. 17. Ὅπως ἂν ἐκζητήσωσι. *Ut requirant.*

Et sic hoc in loco. Resipiscite igitur & convertimini, ut deleantur peccata vestra, Ὅπως ἂν ἔλθωσι, *ut adveniant tempora refrigerii, & mittat Deus vobis Jesum Christum.*

Verba hæc ultima, *Et mittat vobis Jesum*, difficultatem pariunt hoc in loco, atque, ut videtur, varietatem istam versionum pepererunt. Et quomodo ea applicent Chiliastæ, satis notum. At quid plenius & planius dici potuit, si admittatur interpretatio nostra, ut respondeatur conceptibus auditorum, ad ea quæ Petrus dixerat, objecturis. Itane? Num Jesus iste quem crucifiximus verus Christus? Tum evanuit spes omnis refrigerationis per Messiam cum Messias ipse sic evanuerit. Tum conclamatum est de expectatione consolationis Israelis cum ità conclamatum sit de eo qui consolaretur.

Non ità, inquit Petrus, sed vobis poenitentibus redditur Messias & refrigerium, verùm ità ut Messias ipse detinendus sit in coelo. Mittetur ille ad vos in verbo suo consolante & refrigerante, atque in beneficiis suis, si resipiscatis, &c.

Parallelum est illud Act. 13. 47. *Convertimus nos ad Gentes, Nam sic præcepit nobis Dominus dicens, Constitui te ut sis lux Gentium.* Constitui te? Quemnam? *Paulum aut Barnabam?* Non, sed te Christum missum, & lucentem, per prædicationem Pauli & Barnabæ.

Atque hinc ego minus ambigo de lectione vocis προκεκηρυγμένον [cum sint qui προσκεκεισμένον malint] quippe quod de prædicatione sit sermo, & Petri animus: Mittet vobis Christum per prædicationem, sicut ille fuit antehac prædicatus. Animadvertere licet Apostolum in hac sua dissertatione agere de triplici tempore. 1. Ante adventum Christi erat ille προκεκηρυγμένος per *Mosen* atque omnes Prophetas à *Samuele* porro. 2. Cum adveniret, atque eum Deus exhiberet mundo [ἀναστήσας αὐτὸν, ver. 26.] excitans eum Salvatorem, misit eum ad vos primùm, ut per doctrinam suam converteret vos à pravitatibus vestris. 3. Et jam cum ascenderit in coelum atque ibi sit detinendus, mittet tamen eum Deus vobis poenitentibus in prædicatione verbi sui, sicut antea fuit prædicatus.

Ver. 24. Καὶ πάντες δὲ οἱ προφῆται ἀπὸ Σαμουὴλ, &c.

Mentio hîc de *Mose* & *Samuele*: Sic & Psal. 99. 6. Nam inter horum tempora rariores erant Prophetæ, 1 Sam. 3. 1. [& frequentiores apparitiones Angelorum.] Et post Phinchasum, quæri meritò potest an fuerit oraculum per Urim & Thummim, propter defectum Prophetiæ in summis Pontificibus, usque ad tempora *Samuelis*: Exinde autem revixit in *Ahimeleche, Abithare*, &c.

*Hieros. Hagigah*, fol. 77. 1. שמואל רבן של נביאים. *Samuel erat Magister Prophetarum.*

## CAP. IV.

Ver. 1. Καὶ ὁ στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ.

De illo diximus ad Luc. 22. 4. Nempe quod fuerit Dux omnium excubiarum Sacerdotalium & Leviticarum in Templo. Vocatur à Talmudicis איש הר הבית, *vir montis domus*, vel Præfectus monti Templi.

Ver. 5. Συναχθῆναι τοὺς ἄρχοντας καὶ πρεσβυτέρους καὶ γραμματεῖς εἰς Ἰερουσαλήμ.

Εἰς Ἰερουσαλὴμ, duplicem admittit constructionem. Vel ut civitas opponatur ruri, vel ut ipsa civitas opponatur Templo.

1. Si priorem admiseris, atque hos ex oppidis urbem circumjacentibus, Hierosolymam confluxisse, conceperis, arguere potest eos ob solennitatem aliquam diei illuc congregatos fuisse potiùs, quam ob causam transigendam *Petri & Johannis*. Nam quæri potest an illis innotuerit incarceratio eorum vespere facta: & videtur eos abfuisse cum illi manciporentur carceri, cum res ista acta sit à Primoribus aliquibus Sacerdotum, Præfecto excubiis, & à Sadducæis, non justo Synedrio.

Si igitur concesseris sanationem Claudi fuisse tempore pomeridiano istius diei, cujus antemeridiano effusus est Spiritus Sanctus in Discipulos, tum hoc ipso die comparendum erat unicuique masculo in Templo, cum aliqua oblatione. Nam cum Pentecostes dies incideritjam in Sabbatum Judaicum, foretque hic dies [re ista suppositâ] dies post istum secundus, erat dies הראיה comparitionis, in Templo, quæ res forsan hos Primates ad urbem coegit.

II. Si vero Hierosolymam hoc in loco, Templo oppositum feris, refricat traditionem istam de migratione Synedrii è Templo in urbem, de qua

*Rosh Shanah*, fol. 31. 1. *Migravit Synedrium à Conclavi Gazith ad Tabernas atque à Tabernis ad Hierosolymam*, &c. Ubi & eadem oppositio *Hierosolymæ* ad Templum: in Templo enim erant & *Gazith* & *Tabernæ*. Evenit hæc migratio 40 annis ante urbis excidium.

*Avodah Zarah*, fol. 8. 2. *Quadraginta annis ante excidium urbis migravit Synedrium.--Cum enim viderent ità multiplicatos homicidas, ut de iis non possent judicare, dixerunt.* מוטב בגלי ממקום למקום, *Præstat ut migremus à loco in locum.* Quæ ipsa verba *Præstat ut migremus*, non commemorare non possunt illud *Josephi*.

*De excid.* lib. 6. cap. 31. *In festo quod vocatur Pentecostes, Sacerdotes introeuntes in interius Templum noctu, sicut mos iis erat, ad ministerium, perceperunt primùm, ut dixerunt, motum quendam & fragorem, & deinde vocem subitaneam,* Μεταβαίνωμεν ἐντεῦθεν *Migremus hinc.* Quæ an conveniant inter se, & tempori de quo nos jam agimus congruant, lectori relinquimus pensitandum.

Colorem aliquem quod Synedrium jam sederit in urbe, non in Templo, videtur secum ferre illud cap. 5. 25. quod etiam lector pensiter.

III. Per Ἄρχοντας, Πρεσβυτέρους & Γραμματεῖς intelligi *magnum Synedrium*, nemo ut puto, dubitaverit: At speciatim hos distinguere, vix dixeris, an curiosius sit, an difficilius. Dicere liceret per Ἄρχοντας intelligi *Gamalielem* præsidem, & *Simeonem* filium, vicepræfectum, per Πρεσβυτέρους reliquum corpus Synedrii, & per Γραμματεῖς, vel duos Registrarios, vel sapientes illos הדיינים לפני חכמים, *qui judicarunt coram Synedrio*, vel utrosque. Sed absit curiositas.

Ver. 6. Ἰωάννου.

Sic liceat Ἐκ γένους ἀρχιερατικοῦ reddere cum Vulg. *E genere Sacerdotali*, præsertimque cum Syr. & Arab. *E genere summorum Sacerdotum*, ego absque omni hæsitatione conceperim *Rabban Jochananem ben Zaccai*, esse *Johannem* de quo hîc mentio: quippe quod non foret tunc temporis in tota gente, quispiam celebrior foretque ille de stirpe Sacerdotali.

*Juchas.* fol. 60. 2. *Rabban Jochanan ben Zaccai, Sacerdos. Vixit* 120 *annos*, &c. *Gratiam habuit apud Cæsarem: A quo obtinuit Jafnen, & sapientes ejus, & medicos qui curarent R. Zadoc.* —— משמת בטלה זיו החכמה, *Ex quo ille obiit, defecit splendor sapientiæ.*

Circa ipsissimum illud tempus de quo nunc agimus, hoc de eo refertur.

*Joma*, fol. 39. 2. *Quadraginta annis ante excidium urbis cum portæ Templi sponte sua se aperirent, dixit Rabban Jochanan ben Zaccai O templum templum quare teipsum turbas, novi ego finem tuum quod destrueris, nam sic vaticinatus est de te Zacharias Aperi portas tuas O Lebanon, ut exedat ignis cedros tuas.*

Vidit flammas urbis & Templi: atque impetrato à Tito Cæsare, ut statueretur Synedrium in Jabneh, præsedit ipse illic annis duobus, aut quinis, nam de certo numero controvertitur.

Hoc unum tantum objici potest contra *Jochananem ben Zaccai*, nempe quod si hic conventus fuerit Sacerdotum, fermento Sadducæorum fermentatorum quod concipi potest ex cap. 5. 17. *Joannes ben Zaccai* inter eos numerari non potest, nam vixit ille obiitque vel Pharisæus, vel saltem non Sadducæus: Si vero totum Synedrium sit hic intelligendum, in quo partes suas quantum possunt roborant Sacerdotes, tum ego alium Johannem præter hunc Zacchæi non quæsiverim.

Ver. 11. Οὗτός ἐστιν ὁ λίθος ὁ ἐξουθενηθεὶς, &c.

Verba desumpta ex Psal. 118. 22. אבן מאסו הבונים. Λίθον ὃν ἀπεδοκίμασαν, &c. Et hæccine de Messia dici? Parum credet hoc Judæus, Messiam suum pompositum à suis reprobandum, & rejiciendum. Atque eo magis Petrus hæc inculcat, ut de persona verius judicarent. *Hic est lapis.* Dixerat antea Salvator, *Numquam legistis in Scripturis, Lapidem quem repro-*

*reprobraverunt ædificantes, &c.* Matth. 21. Imo legerunt, & legerunt iterum, & recitarunt sæpenumero in magno Hallel, at non persuaseris iis, hæc de Messia dici, quin potiùs de *Jacobo* ut *Midras Tillin*, vel de *Davide* ut *Pesachim*, fol. 119. 1. vel de congregatione Israelis, ut Aben Ezr. &c. At nequaquam de Messia: Nam somniarunt Messiam talem, secundum animum ipsorum futurum, ut incredibile iis fuerit Judæum aliquem, illum rejecturum.

Ver. 13. Ἀγράμματοί εἰσι καὶ ἰδιῶται.

*Illiterati, & plebeii etiam.* Nam supponitur in *Joma*, cap. 1. hal. 3. Etiam Summum Pontificem esse posse Ἀγράμματον, *Illiteratum*, cum tamen minimè foret Plebeius vel Vir Vulgaris, Ἰδιώτης. *Dicunt ei Domine Pontifex lege tu ipse ore tuo: forte oblitus es, vel forte non didicisti.* Atque vice versa.

*Sanhedr.* fol. 90. 1. Vocantur quidam הדיוטיות, Ἰδιῶται, qui non erant adeo *illiterati. Tres Reges non habent portionem in mundo futuro*, viz. *Jeroboamus Achabus & Manasseh.* וארבעה הדיוטות, *Et quatuor* Ἰδιῶται, *Bileamus, Doeg, Achitophel & Gehazi.*

Ast hi Apostoli & Illiterati, & Ἰδιῶται nullius gradus aut dignitatis, sed homines vulgares & de plebe, ut 1 Sam. 18. 23. איש רש ונקלה. *Vir pauper & vilis.* Targ. גבר מסקן והדיוט, Vir pauper & Ἰδιώτης, Et cap. 24. 15. *Post canem mortuum, post pulicem unum.* Targ. בתר הלש חד בתר הדיוט חד, *Post debilem unum, post* Ἰδιώτην *unum.*

Ver. 17. Ἀπειλῇ ἀπειλησώμεθα αὐτοῖς, &c.

I. Indesinens atque implacabilis Synedrii adversatio atque obstinacia contra doctrinam & miracula Apostolorum in nomine Jesu [cujus hoc primum specimen] peculiarem erga Jesum malevolentiam redolent supra omnes mortales. Confer tantum causam Jesu cum causa Baptistæ. *Omnes æstimarunt Johannem pro Propheta*, Matth. 21. 26. nec erat Evangelizationi ejus ità contradictum. Et quare tam unanimiter contradictum Evangelizationi Jesu, quæ tot & tantis miraculis emicuit supra istam Johannis?

II. Concipimus nos ad *Johan.* 11. 48. Patres Synedrii vel cognitionem vel saltem suspicionem habuisse, Jesum fuisse verum Messiam, atque inde odium ortum in ejus personam & doctrinam.

Disputatur & dubitatur de testimonio isto apud Josephum de Jesu, an ipsius Josephi sit, an insertum & intrusum per aliquem Christianum: In quo quidem, si clausulam postremam excipias, vix quicquam deprehendas quod ab ipsis Judæorum primoribus, non fuerit vel agnitum vel saltem suspectum, si voluissent eloqui.

*Antiq.* lib. 18. cap. 4. Γίνεται κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον Ἰησοῦς σοφὸς ἀνὴρ εἴγε ἄνδρα αὐτὸν λέγειν χρή, ἦν γὰρ παραδόξων ἔργων ποιητής.

Suspicor Josephum in verbis istis Εἴγε ἄνδρα αὐτὸν λέγειν χρή, vocem Ἄνδρα non statuere in Antithesi ad *Deum*, sed in Antithesi ad Propheram. Ut sensus sit, *Si modo liceat eum nudè, supra hominem* [חכם] *vocare & non Prophetam. Nam miraculosa operatus est*, &c.

—Ὁ Χριστὸς οὗτος ἦν.] Matth. 21. 38. *Agricolæ videntes filium dixerunt inter se Hic est hæres*, &c. Jam si reliqua Parabolæ congruant cum actionibus ductorum gentis, in persecutione Prophetarum & ipsius Christi, quod nemo non videt, tum congruentiam etiam suam habeat ista clausula, *Dixerunt intra se, Hic est hæres*: ut innuat, Primores istos Judæorum, qui Jesum condemnarunt & crucifixerunt, novisse eum fuisse Messiam.

—Ἐφάνη αὐτοῖς [discipulis] τελείως ἔχων ἡμέρας πλείους ζώων. Confer Matth. 28. 12, 13, 14. & num dubitaveris persuasum & convictum fuisse Sacerdotibus & patribus Synedrii, eum revera resurrexisse à mortuis, cum scientes & ex industria fabulam excogitent quæ resurrectionem ejus eludat.

Hucusque nihil Josephus [si modo ille] quod in confesso, saltem in suspicione ductoribus gentis non esse, si vellent eloqui. Hæc autem quæ sequuntur apud eum, Τῶν θείων προφητῶν ταῦτα καὶ ἄλλα μύρια θαυμάσια περὶ αὐτοῦ εἰρηκότων, adeo ingenua & nobilis fuit de Jesu confessio, ut talem à Josepho vix expectarim, & non omnino à suis. At sunto hæc ipsius Josephi necne.

III. Illud quod nos concipimus, videtur & astrui ex istis, Joh. 11. 48. *Dixerunt Pharisæi & Pontifices, Quid agimus? Hic homo multa signa facit, & si dimittamus eum sic, venient Romani, & tollent & locum nostrum & gentem.*

Quis non videt, oculos hæc loquentium, intentos fuisse in illud *Dan.* 9. 26, 27. ubi sermo de Messia, & de ejus excisione, utque ille cessationem sacrificii & oblationis introducturus, utque *Populus Principis venturi* [i. e. Romanus] urbem & Sanctuarium destructurus. Unde arguere bene licet, eos & ex congruentia temporum, & miraculis & doctrina Jesu, plusquam suspicatos esse, illum esse Messiam istum de quo illic sermo, & plurimum hæsitasse quid de eo agendum. *Hic homo multa signa facit* & demonstrat se esse Messiam, & quid nos agemus? De medio tollere Messiam, horrendum: at vice versa si eum toleremus, ille cessare faciet sacrificium & oblationem, finem imponet ministrationi in Templo, & sic corruet religio nostra, & tum quid reliquum, nisi ut veniat Populus principis venturi, Romanus, & tollat locum nostrum & gentem?

Object. Verùm occurrunt hæc & hujusmodi. *Et nunc fratres scio quia per ignorantiam fecistis, sicut & Principes vestri*, Act. 3. 17. *Habitantes enim Jerusalem, & principes ejus illum ignorantes, & voces Prophetarum, &c.* cap. 13. 27.

Resp. Ignorarunt quidem, & personam & Officium *Messiæ*, inscii prorsus Deitatis ejus, & in officio ejus nihil nisi terrena & temporalia somniantes, & tamen nihil obstat quin quod suspicari potuerint, Jesum esse Messiam: Quem cum conspicerent parum quadrare cum ipsorum spe & conceptibus de Messia, & doctrinam ejus tendere ad everstionem Judaismi, carere malunt Messia quam tali frui, & pereat ipse & Evangelium ejus, potius quam ipsorum Judaismus.

Ver. 27. Συνήχθησαν γὰρ ἐπ' ἀληθείας.

Et sequuntur in quibusdam codicibus Ἐν τῇ πόλει ταύτῃ. Sic legunt Beza. Vulg. Syr. & MS. Alexand. Ἐν τῇ πόλει σε ταύτῃ. Quæ eo promptius admitti possunt quòd Judæi longissime ab ista civitate insurrectionem istam in Dominum & Christum suum amoveant. Nam incredibile iis, in urbe Hierosolymitana, aut à Judæis aliquid rebellionis fieri contra Messiam: Sed hæc dicta sunt de Gog & Magog insurgentibus contra Israelem. *Avodah zorah*, fol. 3. 2. Aut de aliqua regione [Ethnica] rebellante in Messiam. Midr. Till. fol. 4. 2.

Ver. 36. Ἰωσὴφ ὁ ἐπικληθεὶς Βαρνάβας, &c.

Cum duo forent celebres Josephi; distinctionis ergo ut videtur, unus vocatur *Joseph Barsabas*, alter *Joseph Barnabas*. Nomen *Barnabæ* imponunt Apostoli, quæras an ità nomen *Barsabæ*: quia est *Judas* etiam *Barsabas*, cap. 15. 22.

Unde deducatur Bar-nabas in dubio est, idque magis, quia in dubio etiam est quid in hoc loco sit Παράκλησις. Redditur ut plurimum *Filius Consolationis*. Syro ברא דבואא, unde quidem deductum longo tractu *Naba* נבא volunt. Non contendimus. At cum Παράκλησις sit æque *Adhortatio*, ac *Consolatio*: & clarè eam distinguat Apostolus à Παραμυθία, 1 Cor. 14. 3. probabilius videtur ad נבא *Prophetare*, nomen referre: sub qua voce *Exhortationem* in primis comprehendi, nemo non novit. Et secundum hanc Παρακλήσεως significationem, actitantem illum habes, cap. 11. 23. Παρεκάλει πάντας, &c. *Hortabatur omnes ut proposito cordis permanerent Domino.*

Κυπρίου τῷ γένει.

Sic nascuntur duo Apostoli Gentium in regionibus Gentilitiis. In Cilicia Paulus, & Barnabas in Cypro: ubi & agrum suum ille vendit: nam quæri potest an vendere potuerit in terra Israelitica: Cum & quæri possit an licuerit Levitæ agrum illic possidere, qui non foret de agris urbium Leviticarum, & non licuit certe agros istos vendere eo modo quo alios. *Imo non licuit Israelitæ agrum possessionis suæ vendere in terra Israelitica, nisi coacto per suam paupertatem, sicut dicitur si depauperatus fuerit frater tuus & vendiderit de possessione sua*, &c. *Maimon. Shemittah vejobel*, cap. 11. Venduntur hîc agri & possessiones, non tam ob paupertatem propriam, quam ob paupertatem aliorum.

CAP.

## CAP. V.

Ver. 2. Ἐνοσφίσατο ἀπὸ τῆς τιμῆς.

AN oblitus es O Anania quæ dicantur de *Spiritu Messiæ*. רוחו של מלך משיח, *De Spiritu Regis Messiæ*: Spiritu scil. sapientiæ & intelligentiæ, &c, Esa. 11. 2. והריחו ביראת ב׳, *Et odorari eum faciet in timore Domini.* Unde sic tu in *Sanhedr.* fol. 93. 2. *Rabba dicit* דמזרח זורא"ן, *Quod odoratur & judicat, sicut scribitur, Non per conspectum oculorum judicabit, &c.—Bar Cozbi regnavit annis duobus & dimidio: & dixit Rabbinis, Ego sum Messias: Regerunt illi, De Messia scribitur quod odoratur & judicat, videamus an tu etiam ità, &c.*

Glos. *Odoratur de homine an reus ille necne, &c.*

Qua opinione deceptus Ananias, aggredi deceptionem Spiritus sit ausus, non facile est deprehendere aut conjectare. Discere potuit à Gehazi quam perspicax sit Spiritus Prophetæ in detegendis dolis & fallaciis: & nonne parem Spiritum agnoscit ille in Apostolis? Quicquid erat quod eum ad amentiam excæcavit, aut ad audaciam obduravit, sit ille tremendum in omnia sæcula monumentum indignationis divinæ ob contemptum et vilifactionem Spiritus Sancti. Quem si in corde suo non blasphemia asperfit, heu quantillum à tali crimine abfuit. Tantum possunt avaritia et hypocrisis.

Qualis fuerit hic *Ananias* quoad gradum et ordinem, inscrutabile. Suspicio sum, quod non fuerit de mera plebe, sed gradus alicujus dignioris; ex eo quod mentio ejus incidat cum mentione *Barnabæ*, et plures sunt quæ aliqualiter suadent. Quid enim obstat quo minus supponatur fuisse eum de numero eorum in quos effusus est Spiritus Sanctus: et qualis fuit Judas inter duodecim talem fuisse eum inter Centum et Viginti: Dotatum donis Spiritus Sancti, at Diabolum?

Nam Phrasiologia Ψώσασθαι σε τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, videtur aliquid aliud velle quam Ψεύσασθαι τῷ ἁγίῳ Πνεύματι· Idem forte quod לזייף, *Falsificare* Spiritum Sanctum, et mendacem eum reddere.

Ver. 3. Εἶπε ὁ Πέτρος, &c.

Sive authoritatem sumpserit Petrus, scelestum hunc morte feriendi, à verbis istis Domini, *Quorum peccata retinueritis retinentur*, Joh. 21. sive ab immediata aliqua revelatione, sive utrumque, nobile indicium exhibet poenitentiæ suæ, et restauratæ post lapsum stationis, cum ille qui mendacio, imo et perjurio Dominum suum obnegaverat, ob mendacium tam severe punit alterum.

Ver. 6. Συνέστειλαν αὐτόν.

Non habentes תכריכין vestimenta sepulchralia in promptu, mortuum contrahunt et succingunt eo quo possunt modo, atque è loco isto elatum, terræ mandant.

Ver. 7. Ὡς τριῶν ὡρῶν διάστημα.

Tantum temporis spatium funerationi hominis insumptum innuere aliquid videtur de distantia coemeterii; quam in civitatibus Leviticis sic habes descriptam.

*Maimon. Shemittah veiobel*, cap. 13. *Suburbana prædia civitatum Leviticarum definiuntur in lege, nempe ut sint 3000 cubitis à muro ob unoquoque latere exterius: Sicut dicitur, A muro civitatis exterius milleni cubiti. At alibi dicit Mensurabitis ab extra civitatem, ab angulo Orientali bis mille cubitos. Milleni primi sunt suburbana civitatis. Et bis mille isti quos mensurant post suburbana, sunt in agros & vineas. Et assignant unicuique civitati Cœmiterium extra hos limites, nam non sepeliunt mortuos intra limites civitatis.*

Coemiterium ultra milliare & dimidium ab urbe Levitica: An ità de urbibus non Leviticis? Absque dubio est distitisse sepulchreta aliquanto spatio ab omnibus urbibus, sed quæri potest an eodem, quod non est præsentis disquisitionis.

Μὴ εἰδυῖα τὸ γεγονός.

Hinc forsan colligere licet quare adhibeatur vox, Συνέστειλαν· Si enim ad defuncti domum aut hospitium se contulerant illi qui eum extulerunt è conclavi ubi cecidit mortuus, petituri inde involucra sepulchralia de re quæ evenerat ignorare non potuit ejus uxor: At Συνέστειλαν αὐτὸν collegerunt & colligarunt eum sicut erat in vestimentis ejus, & sic elatum tumularunt.

Ver. 13. Τῶν δὲ λοιπῶν οὐδεὶς ἐτόλμα κολλᾶσθαι αὐτοῖς.

Quinam autem hi λοιποὶ? Illi certe qui erant de numero סנ׳ 120. exceptis duodecim; de quo numero fuisse Ananiam ipsum suspicamur, atque ejus fato territos reliquos ejusdem classis, reverentiâ Apostolorum, non ausos se cum iis conjungere ut æquales.

Ver. 15. Ἵνα ἐρχομένου Πέτρου κἂν ἡ σκιὰ ἐπισκιάσῃ τινὶ αὐτῶν.

Et quare umbra Petri potius quam reliquorum Apostolorum? Cum & illi æqualem cum eo sortirentur authoritatem, & potestatem miraculorum, ver. 12. I. Supponendum, non elatos fuisse in lectis suis ægrotos in plateas, nisi jam viso Petro aut certe noto quod ille transiturus. II. Quæri possit an hi qui ægros suos extulerunt, quemquam ex duodecim noverint præter Petrum. Illum loquentem audierant, actitantem viderant, cum reliqui silerent: Et hoc quod agunt hi credentes, non tum arguunt præeminentiam Petri præ reliquis Apostolis, sed quod ille hisce hominibus fuerit magis notus.

Ver. 20. Τὰ ῥήματα τῆς ζωῆς ταύτης.

Non opus est ut difficultatem cuiquam hæc verba pariant, si observet illa in ver. 17. οἱ ὄντες αἵρεσιν τῶν Σαδδουκαίων. Nam Τὰ ῥήματα τῆς ζωῆς ταύτης, sunt verba quæ astruant hanc vitam [resurrectionem scil.] quam Sadducæi negant. De resurrectione enim Jesu erat Controversia.

Ver. 34. Γαμαλιὴλ Νομοδιδάσκαλος.

*Rabban Gamaliel* primus, distinctivè & vulgariter vocatus רבן גמליאל הזקן, *Rabban Gamaliel senex.* Erat ille Præses Synedrii post patrem suum Rabban Simeonem filium Hillelis. Præceptor Pauli, & receptor Traditionum tricesimus quintus. Atque ob hoc nominari non immerito posset Νομοδιδάσκαλος, ideo quod custos & traductor Cabalæ acceptæ è Sinai esset, nisi quod & Rabbini inferioris ordinis eodem titulo gauderent. Obiit annis 18. ante excidium urbis, atque Cathedram ejus capessivit R. Simeon filius ejus, qui periit cum urbe.

Dum pro Apostolis aliqualiter apologizat, crederes favere eum Christianismo. Verùm obiit ille Pharisæus: atque illo, si quidem non præcipiente, at saltem applaudente & approbante prodiit Oratio ista quæ vocata est ברכת מינים, *Oratio contra hæreticos.* Authore *Samueli parvo.* Et quosnam per *Hæreticos* intelligant non difficile est intelligere. Consilium ergo quod hic proponit videtur idem fuisse quod practicatum est inter Sadducæos & Pharisæos, secta una interitum alterius optante & expectante.

Ver. 36. Πρὸ γάρ τούτων τῶν ἡμερῶν ἀνέστη Θευδᾶς.

De *Theuda* quodam impostore *Joseph. Antiq.* lib. 20. cap. 2. Cujus character quidem optimè cum hoc nostro convenit, sed tempora non conveniunt. *Theudam* enim suum introducit *Josephus*, Φαδῶς τῆς Ἰουδαίας ὑπατεύοντος, cum annum quintum aut sextum aut circiter ageret *Claudius* in imperio. Suum autem introducit *Gamaliel* ante tempora *Judæ Galilæi.*

Qui advocatos pro Josepho agunt *Theudam* alium ab ejus *Theuda* imaginantur, & imaginantur solùm, nam nullum nominant. Ego duos nominaverim, quorum neutrum tamen suspicor vel cum *Theuda Gamalielis* convenire, vel aliquid lucis circa chronographiam Josephi contribuere.

I. Est mentio de *Theuda* quodam Medico in *Bab. Sanhedr.* fol. 93. 1. Disputatur ibi super hac non indigna quæstione, Ubinam fuerit *Daniel*, quando erectum & adoratum fuit simulachrum *Nebuchadnezzaris* in valle *Dura*, ut de eo nullum fieret examen, nec quicquam occurreret ei periculi. Et cum respondeatur inter alia, Missum eum fuisse in Ægyptum petitum inde porcos: objiciunt איני והתניא. *Itane vero? Nam est hæc traditio.* תורם הרופא אמר, *Theudas Medicus dicit Vacca aut Sus non veniunt ex Alexandria Ægypti*, &c.

II. Est & mentio de *Theuda* quodam Judæo degente *Romæ*, in

*Hieros. Jom. Tobh.* fol. 61. 3. & *Moed katon*, fol. 81. 4. & *Bab Beracoth*, fol. 19. 1. *Traditio R. Josè dicit*, תַּוּדוֹס אִישׁ רוֹמִי הִנְהִיג אֶת אַנְשֵׁי רוֹמִי, *Theudas homo Romæ docuit homines* [Judæos] *Romæ*, שֶׁיְּהוּ אוֹכְלִין גְּרִיִּים מְקוֹלְסִין בְּלֵילֵי פְּסָחִים, *ut comederent hædos assatos totos nocturnis Paschatum*, Gloss. Assatos cum talis cruribus, &c. Miserunt ad eum sapientes minitantes ei excommunicationem, ideo quod doceret Israelem לֶאֱכוֹל קָדָשִׁים בַּחוּץ, *comedere sacra ab extra*: Id est Paschata Romæ, quæ non comedenda nisi Hierosolymis. Nam ut Gloss. *Quicunque videret hædos ità assatos, conciperet eos esse sacratos ut hædos Paschales.* Pronum mihi est suspicari Procoenium Corinthiorum tale quid extitisse, 1 Cor. 11. 21.

Putasne jam *Gamalielem* de hoc aut illo Theuda sermonem habere? Non convenit quidem vel hic vel ille cum charactere Theudæ istius de quo illic mentio. Ille Josephi convenit multo magis: & concede tantum Josephum hic errare in computatione temporum, & tollitur omnis difficultas. Et non video quidem ego, qua ratione eam reverentiam & modestiam debeamus Josepho, ut tanto sudore famæ ejus consulamus. Inveniendus est alter Theudas, vel mutanda est punctatio commatum, vel nescio quid aliud absurdi emplastri applicandum, potius quam postulandus Josephus falsi: Cui tamen & in historia & in chronologia titubari & vagari non insuetum. Autumarim igitur ego *Theudam* Josephi esse *Theudam* Gamalielis, sed Josephum circa tempora ejus errasse, & historiam veram decoloraſſe chronologia falsa.

Ver. 37. Ἰούδας Γαλιλαῖος.

Josepho Ἰούδας Γαυλανίτης. *Antiq.* lib. 18. cap. 1. ubi tamen in titulo & inscriptione capitis est, Περὶ Ἰούδα τοῦ Γαλιλαίου. Quæ nobis alibi excitarunt hanc quæstionem. An aliqua pars Transjordaninæ, non dicta etiam foret Galilæa. Quam cramben hic non recoquemus.

## CAP. VI.

Ver. 1. Γογγυσμὸς τῶν Ἑλληνιστῶν πρὸς τοὺς Ἑβραίους.

DE *Hebræis* agamus primùm.

I. Vox עִבְרִי *Hebræus* significationem admisit sub Templo secundo, aliam ab ea quam ante & sub Templo primo: quippe quod in vet. Test. respiciat gentis originem & linguam, sub novo, gentis transmigrationem & linguam. *Abramus* primùm vocatur עִבְרִי, Gen. 14. 13. *Hebræus* Symmacho. Vulg. aliis. At Græcis interp. Περάτης *Transitor*, de qua re vid. Nobil. in loc. At non est cur moveat ista versio, cum planum sit interpretes vocem עִבְרִי, reddidisse secundùm usum ejus communem sub Templo secundo, & non secundùm usum ejus primævum et originalem. Eadem ratione eòdem inclinant Rabbini in

*Bereſh. Rabba*, fol. 47. 1. *R. Nehemiah dicit Abramus dictus est* עִבְרִי *Hebræus, quia fuit de posteris Heberi. At Rabbini dicunt, Ità dictus est, ideo quod esset à transfluvium.* Et addunt insuper [quod meretur examen] וְשֶׁהוּא מְשִׂיחַ בִּלְשׁוֹן עִבְרִי, *Et quod loqueretur lingua transfluviana.* Dixerim ego potius, quod non immerito dici potuerit עִבְרִי *Hebræus*, ideo quod linguam Hebræam proprio sensu dictam retineret etiam in Mesopotamia et Chaldæa. Nam si linguam transfluvianam vel Chaldaicam, ut vernaculam sibi et familiæ suæ, tulerit secum in Chanaanitida, vix excogitaveris quonam modo lingua Hebræa propriè sic dicta, traducta fuerit ut vernacula posteris suis. Aliam rationem quare dictus ille sit *Hebræus* loco isto Genes. posuimus alibi, cui et adhuc adhæremus.

II. Post captivitatem Babylonicam facta est talis diversificatio, ut לְשׁוֹן עִבְרִי, *Lingua Hebræa*, fuerit *Lingua transfluvialis* vel *Chaldaica.*

Testantur hoc satis vocabula *Bethesda, Golgotha, Akeldama*, &c. quæ dicuntur Ἑβραϊστὶ λέγεσθαι, et tamen Chaldaica esse nemo non novit. Vetus et pura lingua Hebræa tunc temporis, vocabatur לְשׁוֹן אַשּׁוּרִי *Lingua Assyriaca*; et Syriaca vel Chaldaica לְשׁוֹן עִבְרִי *Lingua Hebræa*, ipsis interpretibus, *Transfluvialis.*

*Aruch* in עברית לשון רעבר הנהר. עִבְרִית לְשׁוֹן רַעֲבַר הַנָּהָר, Ἑβραϊστὶ, i. e. *Linguâ transfluvianorum.*

*Gloss. in Megill.* fol. 8. 2. אשורית לשון הקורש. *Assyriaca, i. e. Linguâ sanctâ.*

III. Obiter non notare non possumus, quod distinguatur à magistris inter עִבְרִי *Linguam Hebræam*, et סוּרְסִי *Syriacam*, utràque interim distinctâ ab אַשּׁוּרִי *Assyriacâ*, vel *linguâ sanctâ.*

*Hieros. Sotah*, fol. 21. 3. סורסי לאיליא *Lingua Syriaca apta est ad planctum.* עברי לריבור *Hebræa ad eloquium.* ויש אומרים אף אשורי לכתב, *Et sunt qui dicunt Assyriaca quoque ad Scripturam.*

Distinctio hæc inter *Hebræam* vel transfluvianam, et *Syriacam* quæ quidem erant eædem, eadem absque dubio est, quæ inter סוּרְסִי *Syriacam* et אַרְמִי *Aramæam.*

*Bava kama*, fol. 82. 1. et *Sotah*, fol. 49. 2. *Rabbi dicit* סורסי באי למה *Lingua Syriaca in terra Israelitica quare*; אלא או לשון קדש או לשון יונית, *Cum potius adhibenda aut lingua sancta, aut lingua Græca. R. Josè dicit* בבבל לשון ארמי למה, *In Babylonia lingua Aramæa quare?* אלא או לשון קדש או לשון פרסי, *cum potius adhibenda vel lingua sancta vel lingua Persica.* Gloss. *Nam Græca erat elegantior, quam Syriaca, & Persica, quam Aramæa.*

Vides primo ut distinguatur inter linguam Syriacam et Aramæam; et qua ratione docet Gloss. in locum his verbis.

*Ecce dum notat linguam Syriacam in terra Israelitica; atque Aramæam in Babylonia, ideo est, ut dicit R. Tam, quia est aliqua inter eas variatio: Sicut fit in aliqua lingua vulgari, quam purius eloquuntur in regione una quam in alia: Nam & onkelos verba ista* עֵר הַגַּל הַזֶּה, Gen. 31. 52. *reddit* סַהֲיָד דְּנוּרָא הָדֵין, *cum Labanus dicat* אֲר שַׁהַרוּתָא. *Jam vero necesse est dicere quod Labanus loquutus est* לשון סורסי *linguâ Syriacâ quæ ità dicta est à Syria, Syria autem erat Aram Naharaim & Aram Zobah quas David subegit. Et quoniam ea est vicinior terræ Israeliticæ, lingua ejus Aramæa non est adeo pura.*

*Gloss. in Sotah*, fol. 49. 2. *Lingua Syriaca est cognata linguæ Aramææ. Et dico ego quod hæc est lingua Talmudis Hierosolymitani.*

Vides secundò, ut lingua Syriaca fuerit vernacula terræ Israeliticæ, atque Aramæa, quæ ferè eadem, Babyloniæ, potius quam Græca vel Persica quæ elegantiores imo quam lingua sancta quæ nobilior omnibus. Idque ratione de lingua sancta maxime perceptibili, nempe quod illa utrobique perierat à communi usu, & vulgo esset ignota: & de duobus reliquis, hac ratione, quam adducit Gloss. & quam habes in

*Hieros. Sotah*, fol. 21. 3. Et *Bereſh. Rabba*, fol. 83. 4. אל יהי לשון סורסי קל בעיניך, *Ne vilescat lingua Syriaca in oculis tuis.* [*Bereſh. Rabb.* errore typographico pro סורסי *Syriaca*, habet פרסי *Persica*] *Nam ecce honorem tribuit ei Deus in Lege, & Prophetis & Hagiographis. In Lege, nam dicitur* יגר שהדותא, Gen. 31. 47. *In Prophetis, nam dicitur* ברנה תימרון להן, Hierem. 10. 11. *Atque in Hagiographis, nam dicitur* וידברו הכשדים למלך ארמית, Dan. 2. 4.

Erat ergo lingua Syriaca vel Aramæa, sub Templo secundo, ea quæ *Hebræa* audiit, id est *Transfluviana*, unde & *Hebræi*, tunc temporis dicti, ob vulgarem usum istius linguæ. Verùm an omnes quibus lingua ista erat vernacula, dicti fuerint *Hebræi*, aliquantum potest dubitari: & qua ratione observabimus postea, cum pauca diximus de *Hellenistis.*

I. *Hebræos* fuisse genere Judæos nemo negaverit, ast an *Hellenistæ* etiam fuerint Judæi in dubium vocatur.

Beza in loc. Ἑλληνιστὰς, *Lucas hoc loco vocat genere quidem profanos, sed in Judæorum gentem per Circumcisionem, adscitos, & Proselytos propterea vocatos. Falluntur enim qui Judæos inter alias gentes dispersos putant* Ἑλληνιστὰς *dici.*

Opinioni huic suæ favere opinatur, illud quod dicitur cap. 11, 19, 20. *Nemini loquentes Verbum Dei nisi solis Judæis. Erant autem quidam ex iis Cyprii & Cyrenæi, qui ingressi Antiochiam loquebantur ad Hellenistas.* Unde infert ille. *Cum hoc loco opponi videantur* Ἑλληνιστὰι *Judæis*, ——*apparet* Ἑλληνιστῶν *appellatione, non tantum provinciales vel proselytos Judæos, id est huc & illuc dispersos, sed ipsos etiam intelligi ex Gentibus, quæ alibi vocantur à Luca* Σεβόμενοι, *&c.*

Permittatur confundere Σεβομένους cum *Proselytis*, quamvis inter eos fuerit aliqua differentia, eáque conspicua; At non video qua lege aut authoritate confundat *Hellenistas* & *Proselytos*: & si fallantur qui Judæos inter alias gentes dispersos putant Ἑλληνιστὰς dici, fateor me libenter errare cum ità falsis. Nec tamen omnes Judæos inter Gentes sparsos dixerim *Hellenistas*, non sparsos inter Medos, Parthos, Persas, Arabas, & gentes istas Orientales. Nec, ut opinor, vocaverit ille *Proselytos* ex istis gentibus, *Hellenistas*, cum ipsissima vocis Etymologia Græcismum sonet.

I. Habes

I. Habes cap. 2. 10. *Judæos & Proselytos.* Atque habes hoc in capite *Hebræos* & *Helleniſtas.* Veriſſimè dixeris vocem *Proſelyti* diſtinguere plane à *Judæis*: at non æque dixeris vocem *Helleniſtæ* diſtinguere etiam à *Judæis*, cum diſtinguat ut vides tantum ab *Hebræis.*

II. Vocat hic noſter, *Nicolaum* Προσήλυτον Ἀντιοχέα, ver. 5. Num eum etiam vocaveris Ἑλληνιςὴν Ἀντιοχέα? Ἑλληνα potius dixeris, cùm ipſum ejus nomen origine Græcum illum fuiſſe videtur indicare.

III. Quod ad diſtinctionem illam attinet c. 11. 19, 20. [nam diſtinctionem ego potius dixerim quam Antitheſin] non concludit Helleniſtas non fuiſſe Judæos, ſed diſcrimen ſolum ſtarint inter Judæos dignioris & purioris ordinis, & Judæos non adeo digni & puri.

II. Sunt qui arbitrantur ſdque verè, Helleniſtas fuiſſe Judæos inter gentes ſparſos: aſt ſpeciatim ità dictos ideo quòd uterentur Bibliis Græcis in Synagogis, quod an verè ſupponatur ego quæro. De re tamen iſta hic non diſputabimus: Hoc autem tantum liceat obſervare.

I. Quod Judæis vileſceret lingua Græca, potius quam placeret, atque odio magis eſſet quam pretio.

In locis nuper citatis *Bava kama*, fol. 82. 2. *Sotah*, fol. 49. 1. hæc occurrunt.

In Priori hæc. Cum obſidione cingeret Ariſtobulus Aſmonæus Hyrcanum fratrem, obvenirétque aliquid infauſti, per conſilium cujuſdam ſenis, qui peritus erat literaturæ Græcæ, *Iſto tempore dixerunt, Maledictus ſit homo, qui alit porcos & Maledictus ſit homo qui docet filium ſuum ſapientiam Græcam.*

In poſteriori hæc. בפולמוס של טיטוס. *In bello Titi decreverunt* שלא ילמד אדם את בנו יונית, *Ne doceat quiſquam filium ſuum Græce.*

Gloſſ. in hunc locum hiſtorias confundit, & vult *Bellum Titi*, idem velle cum bello Ariſtobuli & Hyrcani. At Gloſſ. in locum priorem rectè diſtinguit, & concedit tale decretum fuiſſe in diebus Aſmonæorum, at negleCtui proceſſu temporis habitum, renovatum fuiſſe in bello Titi. Eſto hoc vel illud, ſatis eloquitur, quonam affectu exceperint illi literaturam & linguam Græcam. Nam & hæc utrobique ſequuntur.

*Dicit Samuel nomine Rabban Simeonis ben Gamaliel. Mille pueri fuerunt* בבית אבא. *In ſchola patris mei, quorum quingenti didicerunt legem, & quingenti ſapientiam Græcam, & non eſt ſuperſtes quiſpiam ex iſtis* [poſterioribus] *præter meipſum hîc, & filium patruelis mei in Haſia.*

Reddidi בבית אבא, *In Schola*, vel familia *Patris mei*, propter ea quæ utrobique etiam ſequuntur. *Permiſerunt familiæ Rabban Gamalielis ſapientiam Græcam quoniam illi cognati erant ſanguini regio.* Oriundi ſcil. ex ſtemmate Davidis: Iſti familiæ eam permiſerunt ediſcendam, quia talem familiam ob honorem & nobilitatem ſuam decuit omnimoda eruditione non carere: At non ità libere eam aliis permiſerunt: & cum ſermo eſt de ſapientia Græca, vix excluſeris linguam Græcam præſertim cum in terminis decreti foret, *Ne doceat quiſquam filium ſuum* יונית *Græce.* Super hæc quæ dicta ſunt, non poſſum non hæc obſervare.

I. Qualem obicem ſibi poſuerunt contra lectionem Novi Teſtamenti, cum Græcam linguam ſic abdicarent: Cui Deus jam plus honoris tribuerat, quam eorum Aramææ, quam tamen ab eo honoratam volunt in lege Prophetis & Hagiographis.

II. Quod vix admittere voluerint etiam illi qui non niſi Græcè callerent lectionem legis & Prophetarum in Synagogis in lingua Græca, cum ea nec adeo grata ſuis eſſet, & Seniorum ſcita & Canones, vel requirerent interpretem in lectione Bibliorum in Synagogis, vel ſaltem permitterent.

III. Quam probabile ſit, iſtos Judæos qui inter gentes habitantes, non niſi Græce ſcirent, ex ipſiſſima iſta re aliquantum viluiſſe apud reliquam gentem, quæ linguæ Hebrææ communem uſum retinuit, atque in aliqua inferiori æſtimatione fuiſſe habitos.

II. Si ergo tali affectu erga *Sapientiam* Græcam, quali quæſo erga *linguam* Græcam? Detur, bono, nam & quamplurimi è grandioribus Rabbinis erant Græcè docti: At quid de Judæis iſtis judicandum qui non callerent niſi linguam Græcam? Num non illi in inferiori, imo infima Judæorum claſſe recenſiti, qui merè peregrini erant atq; alieni à propria Judæorum linguâ, Hebræâ?

Tales illi quorum mentio.

*Hieroſ. Sotah*, fol. 21. 2. *R. Levi ben chaiathah adiit Cæſaream, atque audivit eos* קריין שמע אלוניסתין *recitantes Phylacteria ſua Helleniſticè, & voluit eos prohibere. Quod cum audiret R. Joſe, iratus eſt & dixit, Ego ſic dico, Si quis non noverit recitare* אשורית *in lingua ſancta, num non recitabit omnino? Imo ſungatur officio ſuo in quacunque lingua calluerit.*

*Cæſarea Philippi* eſt ſcena hiſtoriæ, cujus urbis Rabbini frequentiſſimæ celeberrimæque memoriæ ſunt in utroque Talmude: cum autem ea foret una de civitatibus Decapolitanis quæ omnes erant ditionis Ethnicæ aut Græcanicæ videtur in ea fuiſſe Judæos aliquos qui non niſi Græce ſcirent, & non Hebraicè. Aliter Phylacteria ſua abſque dubio, lingua Hebræa recitaſſent potius, quamvis non poſſent lingua ſancta.

III. Erant plurimi Judæi in variis regionibus, & veriſimile eſt, quibus utraque lingua fuerit vernacula, Hebræa & Græca. Hebræa inter ſuos. Græca inter Græcos. Hebræa in familiis & Synagogis Judæorum, Græca inter concives Ethnicos. Talis erat Paulus Tarſenſis, de civitate Græca, & tamen *Hebræus ille ex Hebræis*, Phil. 3. 5. Et tales fuiſſe videntur Cypriotæ & Cirenæi illi quorum mentio cap. 11. 20. Qui in Cypro Phœnice, atque ipſa etiam Antiochia, verbum Dei annuntiarunt Judæis Hebraizantibus [utcunque forte Græce etiam loquentibus;] & tandem in Antiochia, Helleniſtis, i. e. Judæis Græce ſolum ſcientibus, & quibus lingua Hebræa penitus aliena. Nam ſic Helleniſtas à Judæis diſtinxerim potius iſto loco quam eos ut non Judæos, Judæis oppoſuerim. Et liceat mihi bona cum venia de Helleniſtis & Hebræis ſic Judicare.

I. Ut ſint Helleniſtæ, Judæi inter Gentes habitantes, & non callentes omnino linguam Hebræam.

Cum Apoſtolus in diviſione iſta Ἰουδαίοι καὶ Ἕλληνες quam adhibet ſemel iterumque, per Ἕλληνας intelligat omnes gentes præter Judaicam, loquitur maxime ad captum vulgi, cui ob nupera, & circumjacentia imperia Græcorum, maxime nota & familiaris erat iſta locutio pro Ethnicis. Et forſan non adeo tutum erat *Romanos* in iſta Antitheſi tunc temporis adduxiſſe.

An licet *Helleniſtas* eadem latitudine ſumere ex altera parte, ut applicetur Phraſis non ad Judæos ſolùm, qui Græcè tantùm callerent, ſed ad Judæos omnes qui non Hebraice? Negabit hoc forſan ſtricta ſignificatio vocabuli: at non multum abſurdi ſequetur re conceſſa, ſi Parthos, Medos, Elamitas, reliquóſque in regionibus iſtis Orientalibus excipias, qui non Græcæ aut Macedonicæ captivitatis aut tranſmigrationis erant, ſed Babylonicæ vel Perſicæ. Nam ipſiſſima vox *Helleniſtæ* præſertim ut opponitur *Hebræis* videtur tale quid redolere. Nempe ut *Hebræi* ſint illi, qui erant de captivitate & diſperſione trans fluvium, & Helleniſtæ illi qui poſt reditum ex iſta captivitate, aliam tranſmigrationem aut diſperſionem ſunt paſſi per Græcos in regiones Græcorum, vel Occidentales, & linguas regionum iſtarum ſolum calluerunt, deperditâ iis linguâ olim vernaculâ ſuâ Hebræâ vel Chaldaicâ.

II. Quod ad Hebræos attinet, omnes in genere ità dici potuiſſe, quibus lingua Hebræa eſſet vernacula vix quiſpiam ut puto inficiabitur. Nec quanam alia ratione ſe *Hebræum* vocat Paulus Tarſenſis, excogitare poſſum, quam quod lingua Hebræa vernacula ei fuerit in familia patris, ità ut lingua Græca ei vernacula in civitate nativitatis. Aſt ut de ſpecialiori tituli proprietate inquiramus, proponatur hæc quæſtio. Ad quoſnam peculiariter ſcripta eſt epiſtola Pauli ad *Hebræos?*

Dixerim ego ad Palæſtinæos. Nam Hebræorum nomen jure maximo ad eos pertinere hæc duo, aut fallor clarum faciunt. I. Quod æquiùs illi nuncuparentur Hebræi quibus ſola lingua Hebræa erat vernacula, quales erant Palæſtinæi, quam illi quibus indifferenter Hebræa & Græca. II. Meſopotamianis quidem ſola Hebræa erat vernacula, & merito iſta ratione ſunt illi in genere inter Hebræos cenſendi, at vocabantur illi vulgo גולה *Captivitas*, ideo quod habitarent in loco captivitatis etiam adhuc, & non ad propriam terram redierant. At Palæſtinæi qui eo remearant proprie dici potuerunt *Hebræi* ideo quod a transfluvium tranſierant & ſecum portarant linguam tranſfluvianam.

Et quod ad rem præſentem attinet, circa obmurmurationem ſcilicet, Helleniſtarum contra Hebræos de inæquali diſtributione communis eleemoſynæ. *Quæri* poteſt, An quivis fundos & patrimonia ſua vendiderint adhuc, præter Palæſtinæos: Nam prætermiſſe hoc, quod per diſtantiam locorum vix adhuc liceret, illud de Barnaba, quod fundum ſuum vendiderit in Cypro, videtur tale quid innuere, & quod extraordinarium illud eſſet, & non adhuc factum *alibi*. Sed de Helleniſtis potiſſimum eſt inveſtigatio noſtra, non de Hebræis, & quid de utriſque diximus candido lectoris judicio candide ſummittimus.

Ver. 3

Ver. 3. Ἄνδρας ἐξ ὑμῶν μαρτυρουμένους ἑπτὰ, &c.

I. Tralatum erat officium Diaconatus [cui cura pauperum demandata] in Ecclesiam Evangelicam ex Judaica. Erant enim in unaquaque Synagoga ג׳ פרנסים Tres Diaconi, quibus incubuit ista cura: de quibus diximus ad Matth. 4. 23. alibique.

II. De numero septenario curiosè non inquirimus. Efflagitavit multitudo pauperum & amplitudo Ecclesiæ, ut augeretur jam numerus Diaconorum supra illum in singulari Synagoga: at quare septem eligendi, dicat cui est audacia: Ego ex numero & charactere virorum, meminerim tantum שבעה טובי העיר, *Septem bonos viros civitatis*, de quibus frequens memoria apud magistros, & conjectarim, electos fuisse hos septem ex numero centum istorum & viginti cap. 1. 15. & per eos solos fuisse electos, & non per totum numerum Ecclesiæ.

Ver. 5. Καὶ Νικόλαον προσήλυτον Ἀντιοχέα.

I. Ex hoc quod vocetur solus ille Proselytus, liquet reliquos fuisse Judæos, utcunque Græcis nominibus insignitos. Nec Hellenistas tamen inde ego eos dixerim, quin Hebræos potius, qui Græcè quidem scirent [atque inde cura iis de Hellenistis commissa] & quibus lingua vernacula esset Hebræa. Nam vix conceperim Stephanum causam suam coram Synedrio, & tota turba Græcè egisse, quamvis forsan Græcè satis sciret.

II. Sectam *Nicolaitarum* impurissimam, ob hoc *Nicolao* nomen, & foedam suam doctrinam traxisse, tam constans est vetustatis opinio, *Irenæ.* lib. 1. cap. 27. *Epiphan.* lib. 1. hæres. 5. &c. ut de hac re diffidere, videatur toti antiquitati contraire; at si liceret liberè de ea dissentire, suspicarer ego [in honorem hujus nostri] nomen deductum à ניכולא *Necola*, *Comedamus*: sic animantibus se mutuò istis belluis ad comedenda Idolothyta. Prout illi Esa. 22. 13. ניכול בסר׳ ונשתי חמר. *Edamus carnem*, &c.

Ver. 6. Ἐπέθηκαν αὐτοῖς τὰς χεῖρας.

Legimus de hoc aut illo Rabbino constituente פרנסין *Diaconos* in hac aut illa Synagoga *Hieros. Peah*, fol. 21. 1. sed de impositione manuum in hac actione, silentium; nec mirum cum in promotione Presbyterorum, adhiberentur vulgò verba tantùm, & non hic ritus; quod observamus ad cap. 13. Apostoli hoc in loco alibique veterem morem retinent ἐπιθέσεως χειρῶν. Alibi multoties, ut donarent Spiritum Sanctum, cum institutione ad ministerium, hic ut instituant ad Diaconatum, absque donatione Spiritus Sancti: nam ejus donis dotati sunt hi septem, ante, ver. 3.

Ver. 8. Ἐκ τῆς συναγωγῆς τῆς λεγομένης Λιβερτίνων.

Id est *servorum manumissorum*. Scriptoribus Judaicis משוחררים; quod

I. Intelligendum est, de servis ex gente Judaica: Nam hoc iis pro Canone,

*Maimon. Avadim*, cap. 9. אסור לארם לשחרר עבר כנעני, *Non licet cuiquam manumittere servum Canaanæum*, vel Ethnicum. *Et si quis manumittat transgreditur legem istam* לעולם בהם תעבדו, *In perpetuum eos pro servis possidebitis*, Levit. 25. 46. *Quod si quis manumittat, manumissus est.* Disputatur de hac re in *Sotah*, fol. 3. 1. *Et R. Ismael dicit, est* רשות, hoc est *Licentia* tantum concessa Retinendi, si vis, servum Canaanæum in perpetuum. *At R. Akibah dicit, Est* הובה, præceptum constringens, ut teneatur quilibet cui est servus Canaanæus, eum detinere semper in servitute sua & nunquam dimittere. Si daretur illud quod vult R. Ismael, pro libitu nempe potuisse herum, servum suum Ethnicum manumittere, vix tamen opineris fuisse Synagogam talium, ità manumissorum.

II. Illi ergo משוחררים, vel servi manumissi de quibus fequentissimè Talmudici, erant Judæi quidam, qui vel venditi fuerant in servitutem à Synedrio propter furtum, vel qui se vendiderant in servitutem ob paupertatem, & jam libertatem suam fuerant readepti. Exod. 21. 2. כי תקנה עבר עברי. *Quando coemeris servum Hebræum. R. Sol.* in loc. *Quando coemeris eum à manu Synedrii, qui vendiderunt eum propter furtum suum: Aut qui vendidit seipsum ex necessitate.*

In horum servitute erant hæ differentiæ.

*Kiddushin*, fol. 14. 2. *Traditio. Qui vendit seipsum, venditur in sex annos, vel plures quam sex. Qui venditur à Synedrio, venditur tantum in sex. Qui vendit seipsum non perforatur per aurem subula* [ut Exod. 21. 6.] *Qui venditur à Synedrio perforatur. Qui vendit seipsum non parant ei viaticum. Vendito à Synedrio parant. Vendenti se, non potest herus dare ancillam Canaanæam. Vendito à Synedrio potest.*

III. Ut hi in libertatem redempti fuerint, vel dato pretio, vel per Jubilæum, vel per annum septimum, aut aliquibus aliis de causis ab heris manumissi, idque data Schedula scripta manumissionis, fusè agit Maimon. in tract. Avadim. & Talmudici loco citato alibique.

Parum dubito Λιβερτῖνος hoc in loco esse tales, & historiographum nostrum per hoc vocabulum reddere vocabulum משוחררים, quo nihil notius in gente & nihil frequentius in scriptis Judæorum. Et tum vides qualis fæx hi fuerint & quam pediculosa ut ità dicam turba qui insurrexerint in beatissimum protomartyrem; olim fures aut mendici, dein servi, & jam quid nisi nebulones?

Κυρηναίων.

Quænam fuerit *Cyrene*, unde *Cyrenæi* dicti, satis indicat hic noster cap. 2. per vicinitatem Libyæ. Quam an interpretes intelligant, quando reddunt *Kir* per *Cyrenen*, ipsos consule. Ut Vulg. & M. S. Alexand. in 2 Reg. 16. 9. Vulg. & Targ. Amos 1. 5.

An *Cyrenæi* de quibus hîc Lucas alibique, ab urbe *Cyrene*, an à regione *Cyrenaica* denominationem suam sumpserint, non tanti est ut disputemus: Urbem describit Strab. lib. 17. Regionem Plin. lib. 5. cap. 5. At de Judæis ibi habitantibus silet uterque. Sat superque tamen eloquitur.

*Dion Cas.* in vita Trajani. Ἐν τούτῳ δὲ καὶ Κυρήνῃ Ἰουδαῖοι, &c. *Interim Judæi qui circum Cyrenen habitabant, Andrea quodam duce, Romanos pariter atque Græcos concidunt vescuntúrque eorum carnibus, edintque viscera, tum oblinuntur eorum sanguine, & pellibus induuntur. Multis à vertice serris discidere medios, multos objecere bestiis, multos etiam certare inter se coegerunt, ità ut interierint hominum ad ducenta viginti millia.*

Immensus et immanis Judæorum numerus ad talem stragem perpetrandum [similémque perpetrarunt Judæi in Ægypto & Cypro] & mirari licet unde tam infanda eorum multitudo in istis regionibus congesta.

Sed illud non est præsentis disquisitionis. Disquirendum potius quænam lingua Judæorum Cyrenensium vernacula. Dixerim ego Græca, nam erat ista lingua Cyrenes, cum ipsa urbs condita fuerint à Græcis, & tota regio fuerit sub imperio Ptolomæorum, asserente utrumque Strabone, loco ante citato. Inter Hellenistas ergo eos ego numeraverim, quibus lingua Hebræa erat aliena & peregrina; nisi quod versans hæc Synagoga inter Hierosolymitanos linguam istam forsan edidicerat.

Ἀλεξανδρέων.

De *Synagoga Alexandrinorum* in Hierosolymis mentio in

*Hieros. Megillah*, fol. 73. 4. atque inde in *Juchasin*, fol. 26. 4. *Historia de R. Eliezer ben Zadok quod accepit* כנסת של אלכסנדריים, *Synagogam Alexandrinorum quæ erat Hierosolymis* ועשה בה צרכיו, *& convertit eam in usus suos* Ad verbum, *Fecit in ea omnia negotia sua.* Juchas. כל חפצו.

Disputatur in *Hieros.* loco citato, An licet alienare Synagogam ab usu sacro, in communem: & distinguitur inter ביר׳ הכנסת של יחיד, *Synagogam hominis unius*, & בית הכנסת של רבים, *Synagogam publicam.* Et cum prioris permittatur aliqua alienatio, posterioris autem non, objicitur hæc historia contra posteriorem, & hæc adduntur אלכסנדריים עשו אותה משל עצמן, *Alexandrini struxerunt istam Synagogam de proprio.* Quæ & attestantur historiographo huic sacro nostro, loquenti de *Synagoga Alexandrinorum* in Hierosolymis, & arguunt, de variis Synagogis hic agi, ut una fuerit Libertinorum, alia Cyrenensium, &c. quod magis credibile si fidem mereatur illud quod ibidem refertur, *Fuisse nempe* 480 *Synagogas in Hierosolyma.*

Καὶ τῶν ἀπὸ Κιλικίας.

Ex hac Synagoga ut videtur erat Paulus, at de schola Gamalielis: Nam juvenes Judaici ex regionibus longinquis ad Hierosolymam educationis ergò missi, in hanc aut illam Synagogam distributi, magistrum sibi elegerunt hunc aut illum pro suo placito.

In

In Academia Græca educatus fuerat Paulus ab ipsa pueritia, Tarsensi scil. nam Tarsum rite & Academiam, & Græcam vocaveris fide *Strabonis*, qui sic de ea,

*Geograph.* lib. 14. Ταρσὸς κτίσμα ὄζει τῆν μετὰ Τεπτολέμυ πλανηθέντων Ἀργείων χτ' ζήτησιν Ἰᾶς. *Tarsus condita est ab Argivis cum Triptolemo vagantibus in investigatione Jûs.* Et paulo pòst,

Τοσαύτη ἦ τοῖς ἐνδιατρίβουσι σπουδὴ περὶς τε φιλοσοφίαν, &c. *Tantum autem Tarsensibus erat studium Philosophiæ reliquæque totius Encyclopædiæ, ut superaverint Athenas, Alexandriam, & si quis alius locus nominari potest ubi Scholæ & Diatribæ Philosophorum, & humanarum artium haberentur.*

Hinc minus mirum si Paulus literaturâ Græcâ floreret, Poetásque istius gentis in sermonibus suis allegaret, à teneris etiam unguiculis in tali Academia ut videtur educatus.

Ver. 15. Ὡσὶ πρόσωπον Ἀγγέλυ.

Attestatur innocentiæ viri sancti ipse Deus miraculos: Atque eum non injurium erga Mosen fuisse ostendit, cum faciem instar faciei Mosis coruscantem ei præbet; vultúmque Angelicum instar Gabrielis, nam verba Gabrielis tantùm enuntiaverat si dixerit *Jesus destruet hunc locum*, &c.

## CAP. VII.

Ver. 2. Τῷ Ἀβραὰμ ὄντι ἐν Μεσοποταμίᾳ.

*Bereſh. rabba*, fol. 32. 3. *Abrahamus est similis amico regis qui vidit regem incedentem in porticibus tenebricosis, & illuminavit ei per fenestram: Quod cum videret Rex, dixit ei, Quoniam illuminasti mihi per fenestram, veni & illumina mihi coram meipso. Sic dixit Sanctus benedictus Abrahamo, Quoniam tu illuminasti mihi* ממספוטמיא שלי ומחברותיה, *Ex Mesopotamia mea, & Consortibus ejus, Veni & illumina mihi in terra Israelis.*

An tanti est ut scrutinio immoremur, quare vocat Mesopotamiam *meam*, ut & quid sibi velit הרבותיה, *Consortes* vel *Sociæ ejus?* Hoc tamen non possumus non observare, occurrere hoc adjunctum semel iterumque.

*Ibid.* fol. 48. 1. *O semen Abrahami amici mei, ab extremis terræ prehendi te* ממספוטמיא ימחברותיה, *A Mesopotamia scil. & Sociis suis.*

Et fol. 66. 1. *Quisnam inter vos timet Dominum? Hic est Abrahamus: Qui ambulat in tenebris. Esai* ממספוטמיא ומחברותיה, *Qui venit ex Mesopotamia & Consortibus suis, & non novit quo, sicut homo habitans in tenebris.* Scribitur quidem מאספמיא, ac si esset *Ab Hispania*, sed corrigo authoritate *Aruch*, atq; ipse sensus quidem corrigit.

Glossa hic nihil, nisi hoc puerile, *Inveni interpretationem Mesopotamiæ, quod scil. sit nomen urbis in Aram Naharaim.*

Distinguitur quidem à Geographis, inter *Mesopotamiam* & *Babyloniam*, vel *Chaldæam*, ut Ptol. tab. Asiæ quarta Ἡ Βαβυλωνία περιοικεῖται, ὑπὸ μὲν ἄρκτον Μεσοποταμία, &c. ut alios omittamus: At dici potest etiam Babylonia esse in Mesopotamia, partim quòd esset inter duos fluvios Euphraten & Tigrim, præsertim verò, secundùm idioma Scripturarum, quòd esset *trans fluvium*. Quod notatum à Vulg. interprete observare licet in Josu. 24. 3. ubi pro quod est in Hebr. *Et tuli Abrahamum patrem vestrum* מעבר הנהר, *à trans fluvium*, habet ille *Tuli ergo patrem vestrum Abrahamum de Mesopotamiæ finibus.*

Joseph. Antiq. lib. 1. cap. 8. De Abrahamo atque ejus migratione loquens,

Διὰ ὅπερ Χαλδαίων τὲ καὶ τῆς ἄλλων Μεσοποταμηνῶν στασιασάντων περὶς μετοικεῖν δοκιμάσας. *Quapropter Chaldæis aliísque Mesopotamianis in eum tumultuantibus migrare ei visum*, &c. Nota Chaldæos vocatos cum aliis Mesopotamianos.

Nec immeritò cum dicat Eratosthenes, apud Strab. lib. 2.

Τὴν Μεσοποταμίαν σὺν τῇ Βαβυλωνία μεγάλῳ κύκλῳ περιέχεσθαι ὑπό τε τὸ Εὐφράτε καὶ τὸ Τίγρι. *Mesopotamiam cum Babylonia contineri magno circulo ab Euphrate & Tigri.*

Et forsan sic distinguit Rabbinus citatus, ut Mesopotamia quam à Deo vocatam fingit שלי *Meam*, sit Charranitica, ubi cultus Dei in familia Nachoris, & quæ fuit natale solum & nutrix undecim Patriarcharum. Et חברותיה *Sociæ*, vel *Consortes ejus* sint Babylonia & Chaldæa. Qua enim alia significatione vox חברותיה hìc sit sumenda non bene novi.

Quod Stephanus Deum apparuisse Abramo dicat dum esset in Chaldæa, antequam migraret in Charranem, cùm Teracho patri ejus res ascribatur potius à Mose cap. 11. loquitur cum vulgari & communi opinione suorum. Qui non solùm concedunt Abramum verum Deum agnovisse & coluisse dum Terachus idola coleret, sed Terachum esse tam acrem Idololatram, ut Abramum traderet Nimrodo in clibanum igneum projiciendum. Historiam habes in *Bereſh. rabba*, fol. 42. 2. ridiculam satis.

Ver. 3. Ἔξελθε ἐκ τῆς γῆς σε καὶ ἐκ τῆς συγγενείας σε.

Hæc ego non confuderim cum istis Gen. 12. 1. nam hæc dicta esse in Chaldæa Stephanus & res ipsa loquuntur, ista in Charris. Hic nulla mentio discessionis *à Domo patris*, sicut illic facta. Nec discessit ille *à domo patris* cum migraret ab Ur Chaldæorum, nam patrem cum tota familia secum tulit, sed discessit cum migraret à Charris relinquens post se patrem sepultum, & Nachorem fratrem cum familia.

Ver. 4. Μετὰ τὸ ἀποθανεῖν τὸν πατέρα αὐτῦ, &c.

Hinc difficultas & controversia; quam habe verbis Rab. Sol. in Genes. xj.

*Et mortuus est Terachus in Charrane: Annis scil. plus quam sexaginta post exitum Abrahami ex Charrane, & appulsum ejus in terram Canaanitida. Nam scribitur, Abrahamus erat Septuaginta quinque annorum, cum exiret è Charrane, & Terachus erat annorum Septuaginta cum nasceretur Abrahamus. Ecce Terachus erat annorum centum quadraginta quinque cum discederet Abrahamus ex Charrane, & supererant de ejus annis adhuc quamplurimi.* Supererant quidem secundum hos calculos, sexaginta.

I. In toto isto capite non fit mentio mortis, cujusquam ibi nominati, ante & præter *Terachum*. Ubi obiter notanda audacia Græc. interpretum qui de unoquoque addiderunt καὶ ἀπέθανε · contra propositum Mosis, & contra animum Apostoli, Hebr. 7. 2. Jam ergo quare omisso hoc in omnibus, qui in isto catalogo antecesserunt, adderetur solùm de Teracho quod *mortuus est in Charrane*, nisi ut ostenderetur non discessisse inde Abrahamum nisi post ejus mortem? Subolet hoc aliqualiter R. Solomoni etiam adversa tuenti, sic enim ille *Quare memorat scriptura mortem Terachi ante exitum Abrahami? Nempe ne res publicaretur, & dicerent homines, Abrahamus non præstitit honorem patri suo, cum desereret eum jam senem, atque ab eo discederet. Loquitur ergo de eo Scriptura ac si jam mortuo, quia impii, etiam adhuc in vivis vocantur mortui.*

At falleris O Rabbine, Nam Terachus jam non est impius & Idololatra sed conversus, ideóque à Mose fit dux migrationis è Chaldæa, ut conversio ejus innotesceret, quamvis verbum migrationis primùm factum fuerit ad Abrahamum. Et si nefas Abrahamæ deserere patrem adhuc Idololatram, multo magis deserere eum jam veri Dei cultorem factum.

II. Dicitur quidem quòd *Terachus vixit annos Septuaginta & genuit Abrahamum Nachorem & Haranem.* Verùm prout ratio cogit, ut non credas, hos genitos esse eodem anno, sic nulla necessitas cogit, ut eos genitos credas eodem ordine. Locum hic habet tritissimum illud Rabbinorum אין מוקדם ומאוחר בתורה, *Non est prius & posterius in Scriptura.* Id est, Ordo historiæ non necessariò determinat de tempore historiæ. Atque ipsi Gemaristæ in

*Sanhedr.* fol. 69. 2. Quamvis supponant Abrahamum esse potuisse seniorem Nachore anno uno, Nachorémque Harane anno uno, concludunt tamen tandem רלמא אברהם וזוטא ראהוה, *Forte Abrahamus erat minimus natu inter fratres.* Quod & stabiliunt ex ordine numerationis filiorum *Noachi*, ubi *Sem* in Catalogo incedit primus, qui tamen foret junior *Japheto*.

Creditur vulgo inter Judæos *Saram* Abrahami uxorem fuisse filiam *Haranis* fratris Abrahami, idque non sine ratione. סרה וו שירה, *Iscah* inquiunt *est eadem quæ Sarah.* Et eloquitur Josephus ut in re antiquitùs recepta. Ἀφῆκε μὲν καταλείπων τὴν Λώτην καὶ Σάραν καὶ Μελχὰν θυγατέρας ἐν Χαλδαίοις ἐπέθανεν. Antiq. lib. 1. cap. 7.

Jam ergo si *Sarah* decem tantum annis *Abrahamo* junior, fuerit filia *Haranis* [quod & aliquantum astrui videtur

videtur *Geneſ.* 20. 12.] nequaquam *Abrahamum* primogenitum inter filios *Terachi* exiſtimaveris, ſed potius *Haranem*, niſi cum magiſtris nugari velis, & dicere quod *Haran* genuit *Milcham* annos natus tantum ſex aut octo. At ſanius tandem concludunt, ſi eos ſatis capio, דרך חכמתן קא חשיב להו, *Secundum ſapientiam eorum computant eos.*

*Abrahamum* natum concipe anno *Terachi* non ſeptuageſimo, ſed centeſimo triceſimo; & hæc verba à *Stephano* recitata, dicta ei fuiſſe in *Ur Chaldæorum*; iſta autem Gen. 12. 1. dicta in *Charris*. Et ſic connecte hiſtoriam. Terachus mortuus eſt in Charane. *Tum* dixt Deus Abrahamo, &c.

Ver. 14. Ἐν ψυχαῖς Ἑβδομήκοντα πέντε.

Hebræa ubique habent *Septuaginta* tantum. Sic & *Joſ. Antiq.* lib. 2. cap. 4. Εἰς τὴν Αἴγυπτον σὺν τοῖς υἱοῖς καὶ παισὶ τοῖς τόπον ἀπηλλάττετο [*Jacobus* ſcil.] ὢν αὐτὸς πάντες Ἑβδομήκοντα.

Et cap. 5. Οὗ μετὰ ἑβδομήκοντα ψυχῶν πάντων εἰς Αἴγυπτον ἀφικομένῳ, &c.

Item *Ezechiel Tragæd.* apud *Euſeb.* de Præpar. Evang. lib. 9. cap. 28.

Ἀφ' ἧς Ἰακὼβ γῆν λιπὼν Χαναναίαν.
Κατῆλθ' εἰς Αἴγυπτον ἔχων ἑπτάκις δέκα ψυχὰς σὺν αὐτῷ.

Sic & ipſa verſio Græca *Deut.* 10. 22. Ἐν ἑβδομήκοντα ψυχαῖς κατέβησαν οἱ πατέρες σου εἰς Αἴγυπτον. Quod mirum cum alibi habeant Ἑβδομήκοντα πέντε. Ut Gen. 46. 27. *Exod.* 1. 5.

*Lucam*, iſtam verſionem hic ſequi nemo non videt, quæ quinque nepotes addit *Joſepho* Gen. 46. 20. *Machir* & *Gilead* propter verba iſta Gen. 50. 22. *Filii Machir filii Manaſſeh nati ſunt in genibus Joſeph.* Et *Sutelah* & *Tahan* & *Eden* propter iſta, *Et vidit Joſeph filios Ephraim ad tertiam generationem.* Ubi obiter non poſſum non partim mirari, cur Græci Interpretes quinque addititios ſuos ſelegerint potius ex filiis Joſephi quem cujuſquam alius, & partim advertere eos *novem* filios *Joſephi* numerare [Υἱοὶ δὲ Ἰωσὴφ οἱ γεγόμενοι αὐτῷ ἐν γῇ Αἰγύπτῳ ψυχαὶ ἐννέα, ver. 27.] nominare autem tantum *ſeptem*. *Joſephus* hiſtoriographus de Lxx perſonis loquens, quæ deſcenderunt in Ægyptum *Numerabo eas*, inquit, *ut ſatisfaciam iis qui nos non ex Meſopotamia ortos, ſed Ægyptios eſſe volunt.* Mirum ergo interpretes, quinq; addere velle qui quidem nati erant in Ægypto. At videtur quod cum vellent verum numerum confundere, iſtos elegerint propter verba iſta cap. 50. quæ retulimus.

De filiis hiſce *Ephraimi* aliiſque quorum hiſtoria 1 *Paralip.* 7. 20, &c. plurima nugantur patres traditionum, quod nempe male computantes annos ſervitutis Ægyptiacæ, invaderent terram Philiſtæorum ante tempus præſtitutum ibique caderent per enſem Gittæorum. *Targum in Cent.* 2. 7. At reviviſcerent cum iis quos à morte reſuſcitavit *Ezechiel*, cap. 37. *Sanhedr.* fol. 92. 2.

Cur numerum confuderint interpretes, & pro *Septuaginta* ſubſtituerint *Septuaginta, quinque*, conjecturam noſtram exhibuimus ad *Luc.* 3. ut & quare Evangeliſta, verſionem iſtam numerúmque amplexetur: cui adhuc adhæremus.

Mirantes interim de numero vero, retento *Deut.* 10. 22. Ubi Scholia *Nobilii* Septuaginta] *Joſephus lib.* 2. *Antiquitatum de Jacobo ſcribens eundem numerum poſuit.* [verba ejus allegavimus modo.] *Et S. Hieron. in Quæſt. in Geneſ. Lxx Interpretes ſic ſcripſiſſe teſtatur. Alii Codices habent* Ἐν Ἑβδομήκοντα καὶ πέντε ψυχαῖς, &c.

Si Lxx Interpretes ſic ſcripſerint hoc in loco, cum alibi habeant *Septuaginta quinque*, neſcio quænam alia ratio rei reddi poſſit quàm quod Moſes hic introducatur alloquens populum Iſraeliticum, qui certum & verum numerum novit ſatis: alibi autem ubi ab iis vertitur Lxxv, eſt ille ſcribens hiſtoriam pro univerſo mundo, cui certus numerus non adeo notus. At ſuſpicari licet eundem calamum non tranſtuliſſe librum Deuteronomii qui tranſtulit libros Geneſeos & Exodi. Sic Gaptherim Gen. 10. 14. Interpreti iſtius libri eſt Καφθορείμ, vel ut in M. S. Alex. Καφθορεείν, cum tamen Deut. 2. 23. ſit Καππάδοκες.

Ver. 16. Μετετέθησαν εἰς Συχέμ.

*Gloſſ. in Zevachin*, fol. 2. 1. לעולם ישניה ארם לתלמידו דרך קצרה. *Semper doceat homo diſcipulum ſuum concisè*, vel breviter. Non alienum ergo erat in gente iſta breviloquium, in re præſertim non obſcura. Quam normam ſi Stephanus hoc in loco imitetur, tutiùs atque inculpatiùs id poteſt, in hiſtoria adeo nota.

I. Abſque omni hæſitatione, & vulgò inter eos receptum eſt, oſſa duodecim Patriarcharum relata eſſe ex Ægypto in Canaanitidem, æque ac oſſa Jacobi.

*Hieroſ. Sotah*, fol. 17. 3. *Scriptum eſt, Ego deſcendam tecum in Ægyptum* ואנכי אעלך גם עלה, *Atque ego aſcendere te faciam etiam aſcendendo*, Gen. 46. 4. מה גם עלה מה תלל גם עלה. *Quidnam docetur per* גם עלה, *Etiam aſcendendo? Dicit, Te aſcendere faciam, atque omnes reliquas Tribus aſcendere faciam. Docens* שכל שבט ושבט העלה עצמות ראש שבטו עמו, *quod unaquæque Tribus aſcendere fecit ſecum oſſa Patriarchæ Tribus ſuæ.* Obiter notetur, Lxx reddere גם נעלה per Εἰς τέλος.

*Gloſſa in Bava kama*, fol. 92. 1. *Oſſa omnium Patriarcharum, relata ſunt ex Ægypto & ſepulta in Canaanitide, ſicut dicitur, Et aſportabitis oſſa mea vobiſcum* Gen. 50. 25. Eadem in *Bereſh. rab.* fol. 115. 3. *Gloſſ. in Maccoth* 11. 2. *R. Sol.* in Exod. 13. 19.

II. Hucuſque loquitur Stephanus cum conſenſu gentis, Oſſa ſcil. Patriarcharum tralata fuiſſe ex Ægypto in Canaanitidem: At quid de ſepultura in *Sichem*? Abſque dubio eſt cum gentis conſenſum in hac re etiam habuiſſe, quamvis Scriptorum Judaicorum de hac re quantum comperi ſit altum ſilentium. Imo Joſephus: *Antiq.* lib. 2. cap. 4. Sepulta ea vult in *Hebrone*, ſdque ante exitum populi ex Ægypto.

Talmudici de ſepultura Joſephi in Schechemo loquuntur plurima, atque hoc inter alia *A Shechemo furati ſunt eum & Shechemo reddiderunt eum.* Sotah. fol. 13. 2. At de ſepultura reliquorum Patriarcharum in iſto loco, non verbum unum.

*Benjamin* etiam in Itiner. de Sichemo loquens, de ſepulchro Joſephi mentionem habet, atque de eo ſolo. Sic & Cippi Hebraici vertente Cl. Hottingero *Shechemo itinere termini Sabbatici diſtat vicus cui nomen* בלאטה *Belata, ubi ſepultus Joſeph Juſtus p. m.*

Rationem quare hic fileant Judæi, ſuſpiceris eſſe, ne pudori iis ſit & honoris Samaritis jacere oſſa Patriarcharum ſuorum inter Samaritanos. De Joſepho nulla potuit eſſe tergiverſatio, cum diſertis verbis dicat Scriptura eum ſepultum in Sichemo, at grave eſt, dici poſſe, reliqua capita gentis & tribuum illic jacere, ubi primùm Apoſtaſia decem tribuum, & dein poſt illas pulſas, odioſa gens Samaritanorum. Atque ex hac ipſa re arguere licet, Stephanum de tali re noluiſſe loqui, niſi quod ea foret non contradicenda.

Et concedunt tacitè ipſi magiſtri traditionum, undecim Patriarchas non ſepultos fuiſſe in *Hebrone*, dum quatuor tantum paria illuc admittunt, *Adamum* & *Evam*, *Abrahamum* & *Saram*, *Iſaacum* & *Rebeccam*, *Jacobum* & *Leam*, *Sotah.* fol. 13. 1. & tum ubinam ſepulti? Si obſervetur ut ſumma & cura rerum publicarum jam commiſſa fuerit *Joſue* de ſtirpe *Joſephi*, & quamnam ille ex iſta relatione relationem habuerit ad *Sichemum*, ipſa probabilitas arguit, ſi nihil aliud eſſet quod de re teſtaretur, eum de Patriarchis jam mortuis curam habuiſſe, æque ac habuerat pater ejus *Joſephus* de iis viventibus.

Unde mirum quod Samaritani habitantes Sichemum in literis ſuis nuper in Angliam miſſis, de ſepulchris Joſephi, Eliezari, Phinchaſi, Lxx ſeniorum, Eldadi & Medadi, apud ſe exiſtentibus mentionem habeant, fileant autem de ſepulchris undecim Patriarcharum. At vileſcentibus apud eos reliquis tribubus, atque exiſtente Ephraimitica ſolum in prætio, id eſt, ut dicere liceat, tribu Samaritica, minus mirum ſi de patribus reliquarum tribuum minus curent, vel ſaltem minus glorientur.

Καὶ ἐτέθησαν ἐν τῷ μνήματι ὃ ὠνήσατο Ἀβραὰμ τιμῆς ἀργυρίου παρὰ τῶν υἱῶν Ἐμμὼρ τοῦ Συχέμ.

Hæc ſunt quæ torquent. Non diſpar videtur illud in *Gen.* 50. 5. Dicit Joſephus, *Adjuravit me pater meus dicendo, Ecce ego morior: in ſepulchro* אשר כריתי לי, *quod fodi mihi*, vel *quod coemi mihi, ibi ſepelito me.* Non diſputabimus de verſione vocis כריתי an ſit *Fodi*, ut Græc. & Targ. Ion. &c. an ſit *Emi* ut Onkel. Syr. & Talmudici: eſto hoc vel illud, cum de ſpelunca *Machpelah* plane ſit ſermo, quomodo vel hoc vel illud inquies eſt verum? De ſenſu priori ego parum dubito, nam cum Abrahamus ſpeluncam coemerat, & ſepulchra pro ſe & Sarah foderat, dictat ratio Iſaacum idem feciſſe pro ſe & Rebeccah, & Jacobum pro ſe & Leah: nam ambo illi Hebrone habitabant æque ac Abrahamus. At ſi ſenſum poſteriorem admiſeris, cui tenaciter adhærent magiſtri, non minor occurrit ſcrupulus quam iſte præ manibus. Amovent illi egregio commento. Jacobum ſcil. cum primo-

primogenituram ab Eſauo coemeret, peculiari ſcripto & contractu ſpeluncam hanc ut ſibi propriam, intra pactum concluſiſſe, ut totum figmentum videri licet in *Sotah*, & *Targ. Ion.* locis allegatis.

At nobis ſeriò magis, in hac re noſtra agendum.

I. Sat fuiſſet Stephano, de ſepultura Jacobi & Patriarcharum mentionem habuiſſe abſque mentione coemptionis ſepulchrorum, niſi quod peculiare aliquid in iſta commemoratione innuere vellet. Nec nudam hiſtoriam refricare, aliquid cauſæ ſuæ conferre poterat, ſi non & aliquid in defenſionem ſui etiam includeret. Dixerat ante de Abrahamo ver. 5. quod Deus non dedit ei hæreditatem aliquam in terra promiſſa, ne veſtigium quidem pedis, & hic quod Jacobus & Patriarchæ non haberent ubi ſepelirentur niſi in ſepulchris pretio coemptis, & voſne O perſecutores mei, ex promiſſione mera terræ facta patribus, adeo fidentes, ut vobis perſuadeatis in æternum manſionem in ea vobis futuram, vóſque in ea immobiles eſſe, qualitercunque vos erga Deum geratis?

II. Ὁ ὠνήσατο Ἀβραὰμ τιμῆς ἀργυρίου· hucuſque nihil difficultatis, cum ſermo ſit de ſepultura Jacobi in ſpelunca *Macpelah*. At nodus eſt in ſequentibus. Παρὰ τῶν υἱῶν Ἐμμὼρ τοῦ Συχέμ.

Non interpolatum eſſe textum [quod volunt Beza & Heinſius] argui poteſt ex univerſali conſenſu codicum & verſionum: Nam nec codicem aliquem oſtendunt illi qui interpolationem volunt, aliter legentem, & lectionem agnoſcunt verſiones omnes, in verbis iſtis quæ maxime difficultatem pariunt. Syrus quidem ad *Jacobum* ſolum verba refert, reddit enim numero ſingulari אושתני אותתסים. *Et tranſlatus eſt & poſitus*, &c. Aſt quod ſequitur, agnoſcit, *In ſepulchro quod emerat Abraham argento à filiis Hemor*, ubi latet totus nodus. Sic quoad iſtam clauſulam, verſiones aliæ.

Jam quod objicitur accipe verbis

*Bereſhith Rabba*, fol. 89. 1. *Dicit R. Judan bar Simon. Hic locus* [Gen. 33. 19.] *eſt unus de tribus iſtis de quibus nationes mundi non poſſunt convitiari Iſraeli dicentes De rapina ſunt iſta, & loca illa ſunt, Spelunca Macpelah, Domus Sanctuarii, & ſepulchrum Joſephi. Spelunca Macpelah, ſicut ſcribitur, Et auſcultavit Abramus Ephroni & dependit Ephroni*, &c. Gen. 23. 16. *Domus Sanctuarii, ſicut dicitur, Et dedit David Ornani pro loco*, &c. 1 Paral. 21. 25. *Et ſepulchrum Joſephi, ſicut dicitur,* & *coemit* [Jacobus] *portionem agri*, Gen. 33. 19. יעקוב קנה שכם. *Jacobus emit Shechem* vel portionem iſtam. Ergo non Abrahamus. At

I. Recognoſcamus locum iſtum in Gen. 12. 6. *Pertranſivit Abram terram, uſque ad locum Shechem*, עד אלן מורה, Græc. Ἐπὶ τὸν δρῦν τὸν ὑψηλόν. *Ad quercum excelſam*, עד מישור מורה, *Ad planitiem Moreh.* Vulg. *Uſque ad convallem illuſtrem*, Targ. Hieroſ. & Samarit. *Ad vallem viſionis*, &c. Sed de loco potius inquiramus quam de etymo.

Deut. 11. 29, 30. *Pones benedictionem ſuper montem Gerizim, & maledictionem ſuper montem Ebal. Nonne illi ſunt trans Jordanem poſt viam quæ eſt ad Solis occaſum in terra Cananæi qui habitat in campeſtribus contra Galgal* אצל אלוני מורה.

Commententur Talmudici.

*Sotah*, fol. 32. 1. *Cum tranſiiſſent Iſraelitæ Jordanem, venerunt ad montem Gerizim & montem Ebal qui in Samaritide juxta Shechem quæ ſecus planities Moreh, Sicut dicitur, Nonne illi ſunt trans Jordanem*, &c. *Atque alibi dicitur, Pertranſiit Abramus terram uſque ad locum Shechem ad planitiem Moreh. Quidnam eſt Planities Moreh illic Gen.* 12. 6. *Sichem. Sic & Planities Moreh hic Deut.* 11. 30. *eſt Sichem.*

Et fol. 33. 2. *Dicit R. Eliezer ben Joſe In hac re ego falſitatis poſtulavi libros Samaritanorum, & dixi iis, Falſificaſtis vos legem veſtram & nihil inde profeciſtis. Nam vos dicitis* אלוני מורה שכם, *Planities Moreh quæ eſt Sichem: Nos enim fatemur, quod Planities Moreh eſt Shechem.* Textus Samaritanus in *Deut.* 11. 30. habet אלן מורה מול שכם, *Planities Moreh juxta Shechem.* At nihil tale additur *Gen.* 12. 6.

Si vox Μνήμαν aliquid obſtaculi non interjiceret, ego promptè conciperem oculum Stephani fuiſſe intentum in hunc locum æque ac in Speluncam Macpelah, vel etiam magis. Non dicitur quidem quod Abramus coemit iſtum locum, multo minus quod coemit pro ſepulchro: At coemiſſe tamen eum quamvis non ſub iſta notione, probabile ex hoc evadit: Quod fuerit hic primus locus in quo tentorium ſuum fixit, & ſtruxit Altare, & puraſne hæc cum facere velle in fundo alieno? Dicitur de Jacobo quod ille coemit agrum ubi tentorium ſuum fixit Gen. 33. 19. Et quid vetat quin idem opinemur de Abrahamo, niſi quod in terminis non aſſeratur, ut fit de Jacobo? Non injuſta eſt quæſtio, quibuſnam conditionibus Abrahamus, Iſaacus, Jacobus, greges ſuos paverint, & familias ſuas habuerint in terra Canaanitide.

Num loci & agri illi quos occuparunt, erant communis juris & ſub nullo proprio poſſeſſore? Cum Abramus prope à Sichemo in Planitie Moreh, ſe & greges ſuos diſpoſueret num intruſit in alienam poſſeſſionem, aut erant campeſtria iſta abſque ullo Domino? Neutrum probabile, quærendum itaque eſt tertium; nempe quod vel agros coemerint, vel quod conductitios ſub aliquo pretio à poſſeſſoribus haberent. Dicitur de Abrahamo quod *plantavit lucum in Beerſheba*, Gen. 21. 33. Unde autem illi jus in iſto fundo? Num antea adventum ejus erat iſte locus ſub nullo Domino? ſub nullo Principe aut Poſſeſſore? Si erat ſub Domino aliquo quod veriſimilimum, tum facile eſt conjicere, quonam modo Abrahamus poſſeſſionem ejus obtineret: pretio nempe aliquo, quamvis nulla de tali re mentio.

At coemerit Abramus *Planitiem Moreh* necne, planum ſatis eſt ex verbis protomartyris ſepultos fuiſſe Patriarchas, illic loci ubi ille primùm ab introitu ſuo in terram, manſionem ſuam habuerat, ubi primam promiſſionem terræ per viſionem acceperat, & Altare ſuum primum ſtruxerat. Et non poſſum ego non opinari Stephanum, vel Lucam in hoc breviloquio ſuo, memoriam talis rei refricare velle. Patriarchas ſcil. ſepultos fuiſſe in ipſiſſimo iſto loco, ubi prima manſio Abrahami, & prima promiſſio terræ: terram tamen eos non poſſediſſe niſi in ſepulchris.

Ver. 23. Ὡς δὲ ἐπληροῦτο αὐτῷ τεσσαρακονταετὴς χρόνος, &c.

Loquitur hîc martyr cum conſenſu gentis.

*Bereſhith rabba*, fol. 115. 3. *Moſis egit quadraginta annos in aula Pharaonis, & quadraginta annos in Midian: & quadraginta annis miniſtravit Iſraeli. Rabban Jochanan b. Zaccai mercaturam exercuit* 40 *annis, didicerat legem* 40 *annis, & miniſtravit Iſraeli* 40 *annis. R. Akiba erat* בור, *Illiteratus* 40 *annis, ſtuduit* 40 *annis, & miniſtravit Iſraeli* 40 *annis.* Vid. & *Shemoth rabba*, fol. 118. 3.

Ver. 25. Ἐνομίζετο δὲ συνιέναι τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ.

Donatus fuit Moſes ſpiritu Prophetiæ in aula Pharaonis [quo reſpicit illud *Magnus fuit verbis & operibus*] & novit ſe deſignari populo redemptorem ex Ægypto, Concepítque populum idem etiam de ipſo concepiſſe. Latere enim populum non potuit, miraculoſa ejus liberatio ab aquis & cæde, in infantia ſua: providentialis ejus educatio in aula principis, ſpeciatim vero apparentia in eo ſigna ſpiritus Prophetici. De qua re quamvis fileat ipſe *Moſes*, non ſine authoritate tamen effatur Stephanus, nec ſine conſenſu ſuorum. Qui Moſen miraculoſe natum, æque ac miraculoſe in arcula ſua ſervatum concipiunt. Conceptum ſcilicet cum mater annum ætatis ſuæ ageret centeſimum & triceſimum: natum abſque dolore matris, & natum טוב הוא, *Bonum*, id eſt, הגון לנבואות, *Aptum Prophetiis*, Sotah, fol. 12. 1.

Obiter notemus Figmentum illud Joſephi Antiq. lib. 2. cap. 5. de Pharaone coronam ſuam capiti Moſis pueruli imponente, ipſo autem eam dejiciente in terram, occurrere etiam apud ſuos in *Shemoth Rabbah*, fol. 118. 3. cum hac ſolum variatione, quod Moſes ipſe coronam à capite Pharaonis tulerit, ac capiti proprio impoſuerit.

Ver. 24. Μὴ σφάγια καὶ θυσίας προσηνέγκατέ μοι, &c.

Quid de hac re ſenſerint Scholæ Judaicæ effatur Kimchius in locum Amoſi, hauſtis verbis ex

*Bab. Chagigah*, fol. 6. 2. *Traditio de ſacrificio jugi facto in monte Sinai. R. Eliezer dicit, Canones quidem de eo dati ſunt in monte Sinai, ipſum vero non eſt oblatum. R. Akiba dicit Oblatum eſt, & exinde non ceſſavit. At quid ego probo* [ex verbis iſtis] *Numquid victimas & ſacrificia obtuliſtis mihi quadraginta annis in eremo O domus Iſrael. Nempe tribus Levitica quæ non patraverat Idololatriam obtulit, Iſrael non obtulit. Atque in verbis iſtis, Et celebrarunt filii Iſraelis Paſcha in tempore ſuo, includitur opprobrii aliquid in Iſraelem: Innuitur ſcilicet eos non celebraſſe aliud Paſcha in eremo præter iſtud.*

Certiſſimum eſt oblata fuiſſe ſacrificia in pactione fœderis, Exod. 24. in ſacratione Altaris & Tabernaculi, atque in celebratione iſtius Paſchatis, atque hæc omnia in Sinai, atque ante fatale decretum de non intrando terram. At non ſine ratione ſuſpicari licet quod quamvis ſacrificium juge poſt illud temporis fuerit

continuatum. Nam sunt pruinæ in Altari, Num. 16. 46. atque ignis in Altari perpetuo ardens, non inaniter arsit: sed videtur querela Dei esse, de non oblatis sacrificiis spontaneis, de cessantibus oblationibus voluntariis. Nec mirum videatur si Propheta & post eum Protomartyr, illud spatium sub rotundo numero quadraginta annorum computet, cum revera fuerit annorum tantùm triginta octo cum dimidio, nam idem facit, ipse Deus, Num. 14. 36.

Ver. 43. Καὶ ἀνελάβετε.

Amoso, ונשאתם: quam vocem si cum R. Sol. tempore futuro reddere liceret, *Et portabitis vobiscum idola vestra in captivitatem ut onera humeris imposita*, aliquid nodositatis quæ in hoc commate occurrit, solveret, [nam merito quæritur an Israelitæ hoc fecerint in eremo] sed plane contrariatur & versioni Græcæ apud Prophetam, imo & Spiritus S. hoc in loco, & plane scopo Protomartyris. Nam loquitur de Deo tradente populum ut serviret militiæ coeli, subdit illico quod primum cessarunt à serviendo Domino, & exinde quod se addixerunt Idololatriæ.

An vero de Idololatria in eremo perpetrata, est sermo, an sub temporibus subsequentibus? Quod non de Idololatria in eremo hæc astruunt:

I. Quod de nulla Idololatria in eremo post vitulum aureum sit mentio præter istam cum *Baal Peore*: Et non facile persuaseris, *Molechum* & *Baal Peorem* fuisse idem, & quod *Molech* & *Remphan* non fuerint duo. Atque improbabile omnino est tale facinus ab historiographo sacro fuisse omissum absque omni, vel rei, vel poenæ ejus mentione: Præsertim vero cum tam accurate tradatur historia ubique de omni Idololatria. Et ne plura cumulemus.

II. Si Stephanus Idololatriam hanc Israelitarum referat ad tempora post ista in eremo, & sic Prophetam interpretetur, idem loquitur quod vulgo receptum atque agnitum est à gente sua de poena peccati cum vituleo aureo, descendente & derivata ad generationes subsequentes.

*Sanhedr.* fol. 102. 1. *R. Oschaia dicit Usque ad tempora Jeroboami, Israelitæ juxerunt à vitulo uno* [Gloss. Isto scil. quem conflarunt in eremo] *Ast exinde porro, à duobus & tertio vitulo.* [Gloss. Duobus Jeroboami & tertio eremi.] *R. Isaac dicit, Non est vindicta aliqua quæ invadit mundum, in qua non sit vigesima quarta pars libræ vituli primi. Sicut dicitur, Cum visitavero visitabo in eos peccatum eorum, Exod.* 32. *Dicit R. Chaninah Post viginti quatuor generationes* [Gloss. Regnante Zedekiah] *exactus est hic versiculus, sicut dicitur, Clamavit in auribus meis voce magna, Appropinquarunt visitationes urbis, habente unoquoque instrumentum destructorium suum in manu sua* Ezech.

Τῳ σκηνῳ τῦ Μολὸχ, &c.

*Amoso* est ונשאתם את סכות מלככם Lat. interlin. *Et portastis Ziccuth regem vestrum.* Sic R. Sol. & Kimch. *Siccuth est nomen Idoli.* Hæsito. Ut & quibusnam verbis hæc reddiderit Chald. Paraphrastes. Nam in codicibus nostris editis est ית סכות פתכומרכון: Cum *Aruch*, Targumistam hic citans dicat סכות מלככם תרגום סכות פתכריכון. *Siccuth Malehechem Targumistæ est Succuth Pethacrecon.* Nota. *Pethacrecon*, non *Pathcumarcon*: & sic primitùs fuisse apud Targumistam scriptum, ego valdè suspicor, quamvis *Kimchius* agnoscat alteram solùm lectionem. Nam, 1. Non facile est פתכומרכון hoc in loco, ne dicam impossibile, sua propietate vestire quam gestat *Ezechiel.* 13. 18. & 16. 16. 2. Cùm idem Paraphrastes, מלכו reddat פתכריה, *Esa.* 8. 21. & מלכם reddat פתכריהון, *Zephan.* 1. 5. probabilius evadit מלככם hoc in loco ab eo reddi פתכרכון: Quam vocem eum adhibere pro Idolo, aut Deo aliquo ethnico, ex hoc argui potest, quod pro *Rege*, proprio sensu sumpto, semper retineat מלכא vocabulum ordinarium. Si igitur cum exemplari *Aruch* legendum sit פתכריכון, tum coincidit versio Chaldaica cum Græca, & docet מלככם esse *Molech vestrum*; ut *Molech* sit Idolum, & *Succuth* non Idolum, sed Σκηνὴ τῦ Μολόχ. Quod & probabilius sit ex consonantia duarum clausularum, Σκηνὴ τῦ Μολὸχ & ἄστρον τῦ Ῥεμφάν.

Quisnam autem & qualis fuerit hic Deus *Molech*, non exspatiabimur multùm in scrutinium, cum illud satis ventilatum sit à pluribus: Hoc tantum ex verbis Stephani nostri non observare non possumus, quod & *Molech* & *Remphan* fuerint figuræ aliquæ, luminaria aliqua coelestia effigiantes, cùm dicit, *Tradidit eos servire militiæ cœli*, &c. Et per *Molechum* repræsentatum fuisse Solem, obtinet plerumque, partim propter Regium ipsum nomen, partim propter igneam Idoli formam, igneámque normam cultus.

Vocatur etiam *Baal* Hierem. 32. 35. *Struxerunt excelsa Baalis—ut offerant filios suos Molecho.* Qui an idem fuerit quem introduxit Achabus in Israelem non immeritò quæritur. Aliquem colorem cruenti ejus cultus secum fert quod Baalitæ *inciderent se idque juxta ritum suum cultris & lanceolis donec perfunderentur sanguine*, 1 Reg. 18. 28.

Describentibus Judæis *Molech* æneus existens habuit faciem vitulinam, manus expansas instar hominis manus aperientis, ut aliquid ab alio accipiat.

Et sic Diod. Sicul. de Saturno Carthaginensium Ἡν ὁ παρ' αὐτοῖς ἀνδριὰς Κρόνε χαλκᾶς ἐκτετακὼς τὰς χεῖρας ὑπτίας, ἐκτετραμένας ὥστε τὸ ἐμπεσόντα τῶν παίδων διακυλίεσθαι καὶ πίπτειν εἰς τὸ χάσμα πλήρες πυρός. *Erat apud eos effigies Saturni ænea manus supinas extendens, terram versus extensas ità ut puer iis commissus in foveam igni plenam volveretur ruerétque.* Apud Eusseb. Præpar. Evang. lib. 4. cap. 16.

Ubi & hæc habentur ex Philone de Phœnicum historia:

Κρόνῳ τοίνυν ὃν οἱ φοίνικες Ἰσραὴλ προσαγορεύουσι, &c. *Saturnus igitur quem Phœnices Israel vocant, regioni dominans post mortem tandem sacratus est in stellam Saturnum: Ille ex sponsa Anobret dicta, unigenitum filium suscepit quem ideóque vocarunt Jeoud. Unogenito filio apud Phœnicas ità etiam hodie vocato. Cum teterrima belli Clades regionem invaderet ille filium venuste ornans, atque altare rite parans illum sacrificavit.*

*Israel* nomine, ast *Abrahamus* charactere. A quo an horrenda hæc sacrificia Molechi, dira imitatione hauserint non est hic locus disputandi. Disputandum potius an Israelitæ tale quid actitarint in eremo: An cum tabernaculo Domini erexerint tabernaculum Molechi. An neglectis sacrificiis bestiarum, instituerint sacrificia filiorum. Quod quam parum toleraturus fuerit Mosis, aut si factum esset, silentio præteriturus nemo non videt.

Concludamus cum verbis Porphyrii, apud eundem Eusebium, notatu dignis. Καταλυθῆναι δὲ τὰς ἀνθρωποθυσίας ὁμοῦ τοῖς ἄλλοις πᾶσι φησὶ Πάλλας ὀλίγα πρὸ τῶν Μίθρα συναγωγῶν μυηθεὶς ὑπ' Ἀριανῦ τῦ αὐτοκράτορος. *Sublatas autem fuisse has hominum sacrificationes prope apud omnes sub Adriano Imperatore, refert Pallas qui optimè scripsit de mysteriis Mithræ.*

Καὶ τὸ ἄστρον τῦ Θεοῦ ὑμῶν Ῥεμφάν.

*Amoso* כיון *Chijun.* Græcis Interprer. Ῥαιφάν.

Non cumulabimus ea quæ hic dicuntur à viris doctissimis.

In hisce duobus Cardinibus vertitur tota difficultas. I. Ut conciliari possint Græci Interpretes cum Amoso. II. Ut Stephanus aut Lucas cum Græcis Interpretibus.

I. Hebr, כיון *chijun*, cum Græcis Interpretibus sit Ῥαιφάν, ego in vocabulo Ῥαιφάν non *Giganteum* quid observaverim, sed *Debile* aliquid potius & *Infirmum*. Nemo non novit quid sit רפה & רפיון *Debilis scil.* & *Debilitas* atque illuc forsan Ῥαιφάν referenda potius quam ad רפא Gigantem. Idémq; hic factum ab Interpretibus autumarim quod à Judæis in nomine *Beelzebul.* excogitatum scil, esse nomen in opprobrium.

*Chijun* כיון in nuda & nativa significatione sua, *Firmum, rectum, stabile* denotat, ità ut à nonnullis isto in loco vertatur *Basis*. Nomen Idolo, quod mendacium, quod vanitas quod nihil est, incongruentissimum. Quod forsan Græci Interpretes non ferentes, in sensum plane contrarium & re ipsa quidem dignissimum transtulerunt Ῥαιφὰν רפיון *Debilitas, Infirmitas.* Si Ῥεφὰν non sit Coptice Saturnus ut Kirchorus.

II. Ut autem Ῥαιφὰν transierit in Ῥεμφὰν variæ sunt conjecturæ, nec inanes. Syrus & Arabs רפן & ראפאן retinent, quæ auribus Orientalibus sensu quem nos concipimus sonant aptissime. Et quid si Lucas vel Stephanus ut auribus Græcis idem sonaret quantum fieri posset per Ῥεμφὰν proferrent, ubi includeretur sonus vocis Ῥεμβὸς quæ vagum denotat & *vacillantem.*

Esto igitur *Molech* Sol, & Remphan vel *Chijun* Saturnus: de introductione Molechi in Israelem legimus, de *chijun* non, nisi apud Amosum & hic de *Remphan.*

Cum illud cogito 1 Reg. 12. 30. *Ibat omnis populus ad adorandum vitulum in Dan*, & observo quod *Dan* vocata fuerit *Panias*, suspicari incipio Φὰν in Ῥαιφὰν & Ῥεμφὰν cognationem aliquam habere cum isto nomine: Et nominari *Dan* magis quam *Bethel* quia Idolatria aut vitulus istius loci erat diuturnior quam Bethelis.

Μετοικιῶ

Μετοικιῶ ὑμᾶς ἐπέκεινα Βαβυλῶνος.

At Hebræos *Amosi* sunt מהלאה לרמשק. Græc. Ἐπέκεινα Δαμασκοῦ.

I. Nihil usitatius in Scholis & pulpitis Judæorum, quam prælectori aut concionatori, variare & invertere textum Scripturæ ut ad propositum & sensum suum accommodet & adaptet; Sexcenties occurrit apud Talmudicos & Midrastas hæc dictio אל תקרא. *Hoc aut illud vocabulum ne sic legas, sed sic & sic.* Ubi propriam & genuinam lectionem relinquentes, lectionem aliquam fingunt, quæ quadret cum materia quam tradant. Non quod germanam & receptam lectionem repudiarent, aut vilificarent, sed ut ingeniosè textum allegatum modularentur ad suum institutum. Novi hoc vulgò factum in vocabulis in quibus retentæ quidem sunt eædem literæ, sed diversificatio fit per variatas vocales. Ast indicat hoc interim, nec alienum iis fuisse, nec pro crimine habitum, sed cum applausu potius exceptum, vocabula contextus Hebraici alienare à nativa lectione, ut aliquid elicerent quod revera verum, aut saltem facundum & ingeniosum. Et si Stephanus more Scholarum, hæc *Amosi* allegans מהלאה לרמשק, magisterialiter ut illi, dixisset, אל תקרא, *Ne legas* לרמשק, sed לבבל, facilime ab auditoribus fuerat absorptum, & ex communi usu gentis & præcipuè quod verum esset quod dixit. Nam

II. Consulamus alium locum ejusdem Prophetæ.

Amos 4. 3. *Et per aperturas exibitis altera contra alteram* והשלכתנה החרמונה, ubi Targ. & Syr. *Transferent eos ultra montes Armeniæ.* Ger. Εἰς τὸ ὄρος τὸ Ῥωμᾶν, *In montem Romman.*

R. Sol. in locum. Jonathan targumizat, להלאה מן טורי חורמני תן הרי השך, *Ultra montes Hormane, isti sunt montes tenebrarum.*

*Beresh. rab.* fol. 35.4. *Alexander Macedo* אזל לגבי מלכא קצא לאחורי הרי חושך. *Ivit ad Regem Caziæ post montes tenebrarum,* &c.

Adjiciamus & illud ex *Hieros. Sanhedr.* fol. 29. 3. *In tres captivitates migravit Israel.* אחת לפניהם מנהר סנבטיון. *Una erat ad intra fluvium Sanbation.* ואחר לרפני של אנטוכיא. *Altera erat ad Daphnen Antiochiæ. Et altera ubi nubes descendit in eos & cooperuit eos.* Vid. & Bemidbar rabba, fol. 268. 1.

Ver. 51. Σκληροτράχηλοι.

Cognatam Phrasiologiam & non multum absimilem historiam habes in

*Shemoth rabba*, fol. 156. 2. Cum populus absente Mose urgeret Aaronem ad conflandos Deos qui eos ducerent *Restitit iis Hur, & dixit iis* קציעי צוארייא, *Concisi cervicum, nonne meministis quænam miranda pro vobis fecit Deus. Extemplo insurrexerunt in eum, atque interemerunt.*

Ver. 53. Εἰς διαταγὰς ἀγγέλων.

I. Vocabulum Ἄγγελων ego hoc in loco non reddiderim Hebraice per מלאכים quod faciunt Syrus & Arabs, sed per שלוחים: Prout est Ἄγγελος ἑπτὰ πόλεις.

Nugantur Judæi & fingunt, Israelitas istos qui præsentes astiterunt monti *Sinai*, atque audierunt Legem inde à Deo pro nuntiatam, evasuros sicut Angelos. Nunquam generaturos filios, nec unquam morituros, sed futuros similes Angelis, nisi interveniisset infælix & fatale illud crimen per vitulum aureum. Verba eorum produximus ex *Avodah zarah* fol. 5. 1. ad *Joh.* 10. 35.

Si Εἰς διαταγὰς Ἀγγέλων passivam hanc constructionem admitteret, *Ut disponerentur homines in idem prædicamentum aut statum cum Angelis*, crederem beatissimum martyrem propriam ipsorum opinionem iis refricare, & nervosius Ἀνομίαν eorum redarguere ex ipsa eorum concessione. Ac si dixisset, Accepistis Legem, quæ, vobisinet ipsis fatentibus, homines disposuit in statum Angelicum, at non observastis tamen.

II. Si verò non toleraverit Phrasilogia hanc interpretationem, ambiguum est quonam sensu sumenda sit vox Ἀγγέλων, & an Εἰς διαταγὰς idem sit cum Διὰ διαταγῶν, vel Διὰ διαταγῆς.

Concordat illud Gal. 3. 19. Διαταγεὶς δι' Ἀγγέλων· atque utrobique per Ἀγγέλους, durius est intelligere Angelos vel Spiritus illos cœlestes proprie sumptos; nam quid illis cum dispositione Legis? Aderant quidem illi ad montem *Sinai* cum Lex daretur, attestantibus variis Scripturæ locis, verùm aderant tantùm, nam nihil aliud ab iis actum aut præstitum. Ità ut ipsa res cogat & hic & illic per *Angelos* intelligere verbi divini nuntios, Prophetas & Ministros. Et retineat particula Εἰς vim suam propriam, ut sensus huc assurgat. Accepistis Legem *ad dispositionem internunciorum.* Id est, ut proponeretur & publicaretur per Ministros Prophetas, aliósque, idque secundùm optionem Votúmque vestrum *Exod.* 20. 19. *Deut.* 5. 25, & 18. 15, 16. & tamen non observastis. Optastis Prophetas atque habuistis, quem tamen ex Prophetis non estis persecuti?

Ver. 26. Τὸν υἱὸν τῆς ἀνθρώπου ἐκ δεξιῶν ἑστῶτα τοῦ Θεοῦ.

Seipsum Christus frequentissimè vocat *Filium hominis*, at rariùs eum comperis ità nuncupatum ab aliis. Stephanus autem in his verbis allegat illud *Danielis* cap. 7. 13. *Vidi quendam similem Filio hominis, venientem in nubibus cœli, atque accedentem ad Antiquum dierum, & coram eo appropinquare fecerunt illum.*

Vix tale quid expectarim à Judæo, quale dicitur in istum locum à

R. Saadiah. *Similis Filio hominis:* זהו משיח צדקינו, *Hic est Messias Justitia nostra. At nonne Scribitur de Messia, Pauper, & equitans super asinum? Veniet enim in humilitate.—Atque appropinquare eum fecerunt ad Antiquum dierum. Hoc est quod scribitur. Dixit Dominus Domino meo sede à dextra mea.*

Extravagantiùs longè Magistri in

*Sanhedr.* fol. 98. 1. זכו עמי עניי שמיא, *Si digni erunt* [Israelitæ] *tum veniet in nubibus cœli. Si non digni, tum pauper & inequitans asino.*

Eloquitur Protomartyr, sejam videre illud *Danielis* in *Jesu* adimpletum, cui aliqualiter parallelum est illud *Esaiæ*, cap. 6. 1.

Ver. 58. Καὶ ἐκβαλόντες ἔξω τῆς πόλεως ἐλιθοβόλουν.

I. *Hieros. Sanhedr.* fol. 23. 1. *Bab. Sanhedr.* fol. 42. 2. בית הסקילה חוץ לבר'. *Locus lapidationis erat extra Synedrium, sicut dicitur Educ blasphemantem extra castra*, Levit. 24. 14.

*Traditio.* בית הסקילה היה חוצ לג' מחנות. *Locus lapidationis erat extra terna castra.* Gloss. Atrium, erat castra divinæ præsentiæ: Mons Templi, castra Levitarum. Hierosolyma, castra Israelis. Atque in quovis Synedrio in quavis civitate, erat locus lapidationis extra civitatem, sicut Hierosolymis.

Jam verò cur dicatur, quod locus lapidationis erat *extra Synedrium*, & rursus, quod erat *extra terna castra*, ratio redditur à Gemaristis, nempe ראי נפק בר' ויתיב בחוץ לג' מחנות: *Si egrediatur Synedrium & sedeat extra trina castra, faciunt locum lapidationis etiam distantem à Synedrio partim ne videatur Synedrium interfecisse hominem partim ut ob distantiam loci intercedat aliqua mora & spatium temporis antequam lapidandus ad locum perveniat, si forsan obtulerit aliquis testimonium aliquod quod pro eo faciat.* Nam in talis rei expectationem.

II. אחד עומד על פתח בר' והסודרין בידו, *Stetit quidam in ostio Synedrii in manu habens Sudarium.* וסוס רחוק ממנו כדי שיהא רואהו, *Atque equus tantæ distantiæ ut intra conspectum tantum foret. Si quis igitur dixerit, Habeo quod testor pro damnato, agitat iste sudarium, & currit eques & revocat euntes: Imo si ipse dicat, Habeo quo pro meipso Apologizem, reducunt eum, etiam quater quinquiesve: Si modo sit aliquid ponderis in verbis suis.* Vereor ne non ità tecum sit actum O innocentissime Stephane.

III. Si non emergat aliquod testimonium quod pro eo faciat, *Pergunt ad lapidationem, & præco præcedit eum clamans, N. filius N. prodit lapidandus quia tale crimen commisit, & N. & N. sunt testes in eum, si quis pro eo potest testari prodeat & testetur.*

IV. *Cum jam decem tantum cubitis distat à loco lapidationis hortantur eum ut confiteatur, nam sic mos est ità interfectorum confiteri: omnis enim confitens habet portionem in mundo futuro: Sicut comperimus de Achane,* &c.

V. *Cum jam intra quatuor cubitos à loco lapidationis perventum est detrahunt vestes ejus, atque eum denudant.*

VI. *Locus lapidationis erat duplici hominis staturâ altus. Unus testium projicit eum in lumbos suos: Si in pectus suum se volvet, revolvunt in lumbos. Si sic moriatur, benè. Si non, testis alter, tollit lapidem atque cordi ejus imponit. Si ità moriatur, benè. Si non, lapidatur per omnem Israelem.*

VII. *Omnes qui lapidantur etiam suspenduntur,* &c.

Hæc ideo copiosiùs exscripsimus, ut conferat lector præsentem actionem cum hac norma, & more usitato.

Quæri primò posset ob quodnam crimen damnatus

ille ad mortem. Dices, propter blasphemiam, Nam audivimus inquiunt eum dicentem verba blasphemia in Mosen & Deum. At non damnatus est quis ut blasphemans [מנרף] nisi ob abusum nominis tetragrammati, &c. Hinc est quod quamvis sæpiuscule accusarent Salvatorem ut blasphemantem, hoc tamen reatu non damnatur, sed quod כשף היסית והדיח את ישראל, *Præstigiis est usus, & decepit & ad Apostasiam duxit Israelem*, Sanhedr. fol. 43. 1. Atque inter lapidationes reos numerantur המסית והמריח והמכשף, *Malè suadens, atque ad Apostasiam ducens, & præstigiator*. Ibid. fol. 53. 1.

Quæri etiam potest an formali aliqua sententia Synedrii damnatus sit beatissimus hic martyr, an tumultuaria turbæ violentia abreptus & trucidatus: quod videtur.

Ver. 58. Παρὰ τοὺς πόδας Νεανίου.

Vid. *Philem.* ver. 9. Τοιοῦτος ὢν ὡς Παῦλος πρεσβύτης · & computa, an Νεανίας meram adolescentiam denotet, an non etiam strenuitatem, atque ut ità dicam robustuitatem, 1 Sam. 6. 1. כל בחור בישראל. Ubi Græc. Πάντα Νεανίαν ἐξ Ἰσραήλ.

Ver. 60. Ἐκοιμήθη.

רמך vel דמיך. Quo nihil Talmudicis frequentius.

## CAP. VIII.

Ver. 2. Συνεκόμισαν τὸν Στέφανον.

SANHEDR. fol. 46. 1. *Non sepeliunt* [damnatum à Synedrio] *in sepulchris patrum suorum. Verùm duo sepulchreta erant pertinentia ad Synedrium, unum pro decollatis & strangulatis, alterum pro lapidatis & ustulatis.*

Et ratio quare illi non sepeliendi cum patribus, hæc redditur שאין קוברין רשע עם צדיק, *Quia non sepeliunt sontes cum insontibus*. Quod & deducunt ex historia ista de vulgari homine jacto in sepulchrum Elisæi, qui ibi non manfit sed resurrexit.

Ibid. fol. 45. 2. *Lapis quo quis lapidatur, lignum in quo suspenditur, gladius quo decollatur, & sudarium quo strangulatur, simul cum eo* [vel prope eum] *sepelitur*.

Stephano defuncto melius cessisse, verba quæ tractamus satis evincunt. At verò an illud ex indulgentia Synedrii erga damnatum, an quod damnatus non fuerit à Synedrio, judicent alii.

Καὶ ἐποίησαν κοπετὸν μέγαν ἐπ' αὐτῷ.

Pergunt Magistri. לא היו מתאבלין אלא אוננים. *Damnatum à Synedrio non plangebant sed lugebant*, id est, Intus & in corde tantúm. שאין אנינות אלא בלב. *Nam luctus non est nisi in corde*. Et vulgò est inter Judæos conceptum, quod quo sordidiùs est quis à Synedrio damnatus, sepultus & minus defletus, eò magis ei cesserit in remissionem peccatorum. Unde Gloss. in loc. *Non plangunt eum ut ista vilifactio cedat ei in expiationem.*

Nobilem & Christianam audaciam horum piorum qui sepeliunt Stephanum meritò applaudunt omnes. Meritò & explodunt ipsi qui sepeliunt ridiculum istum conceptum de expiatione per talem vilifactionem, norunt enim satis, expiationem peccatorum Stephani fluere ex fonte nobiliori.

Ver. 5. Εἰς πόλιν τῆς Σαμαρείας.

Peractâ historiâ Stephani qui primus nominatur inter septem, agitur jam res Philippi, qui secundus.

An ad *Sebasten* jam se contulerit, an ad *Sichemum*, aut ad tertiam aliquam civitatem aliam Samaritidis, non injusta est quæstio. Quod dicitur commate hujus capitis 14. *Audientes Apostoli quod Samaria recepisset verbum Dei*, de peculiari aliqua civitate congruentius intelligi videtur, quàm de tota regione *Samaritica*. Quænam autem ista civitas, quæ ut Metropolis gentis ἐξοχωτάτως vocatur *Samaria*? *Sebaste* quidem erat ipsissima ista civitas, quæ olim *Samaria*.

*Benjam. in Itiner.* שבשת היא שומרון. *Sebaste est eadem quæ Samaria ubi & jam dignoscitur palatium Achabi.*

*Joseph. de excid.* lib. 1. cap. 16. Ἐν ᾗ γὰρ τῇ Σαμαρείτιδι, &c. *In Samaritide* [Herodes] *Urbem nobili muro munivit stadiorum viginti, & deducens illuc sex millia Colonorum, terrámque pinguem iis distribuens, atque in media urbe fanum Cæsari magnum ædificans, Lucum que circa trium hemistiadorum disponens, Τὸ δὲ τοῦ Σεβαστοῦ ἐπάλξεσιν ; Urbem vocavit Sebasten.*

Num hæc ergo *Civitas Samariæ*, ubi jam Philippus, quia ea Civitas *Samaria*? Si observetur ut Civitas *Sichem* Cor fuerit & sedes religionis Samaritanæ, utque mons *Gerizim* fuerit quasi Ecclesia Cathedralis sectæ Samariticæ, huc forsan oculos direxeris aptius, cum de *Civitate Samariæ* fit mentio, quàm quovis alio.

Ver. 9. Σίμων ὀνόματι προϋπῆρχεν ἐν τῇ πόλει μαγεύων.

Si hoc in *Sichemo* inquies, quid actum est de fide *Sichemitarum* quam ibi plantaverat ipse Christus. *Johan.* 4. Responderi posset [sed tenaces in re tam obscura esse non possumus] quod elapsi jam fuerant aliquot anni ab illo tempore quo Christus versatus est in ista urbe. Et cum nihil miraculosum ille illic ediderat, faciliorem illuc ingressum nanciscí potuit *Simon* per sua magica.

Sed esto vel *Sebaste*, vel quævis alia civitas Samaritidis, scena hujus historiæ, pro quonam venditavit se *Simon* cum diceret se μέγαν τινα εἶναι? & pro quonam æstimarunt eum Samaritæ, cum dicerent Οὗτός ἐστιν ἡ δύναμις τοῦ Θεοῦ ἡ μεγάλη?

I. An pro *Messia*? Obtinet vulgo *Simeonem* fuisse genere Samaritanum: An vero *Messias* oriturus ex Samaritanis? Non indigna est quæstio, An Samaritani, cum expectarent *Messiam*, ut *Johan.* 4. 25. expectare potuerint eum oriturum de Sanguine Samaritico. Cum nullum articulum fidei admitterent, qui non fundaretur in libris Mosis, num hunc inde elicere potuerunt, *Messias oriturus est de tribu Judæ*: Negabit forsan Samarita, atque illud Genes. 49. 10. Sic eludet, *Non recedet* quidem *Sceptrum de Juda, nec legislator ab inter pedes ejus, donec veniat Shiloh*; at non hoc evincit, quod *Shiloh* de Juda oriundus, sed quod dominium aliquod mansurum apud Judam, donec *Shiloh* oriatur. Ubi obiter notatu dignum, & textum & interpretem Samaritanum isthoc loci pro שילה legere שלה Jod omisso, & pro מבין רגליו, *Ab inter pedes ejus*, textum istum legere מבין רגליו, *Ab inter vexilla ejus*, & interpretem מבין סדריו, *Ab inter ordines*, aut cohortes *ejus*.

Figmentum illud de *Messia ben Joseph*, vel *Messia ben Ephraim* [nam utrumque nomen sortitur] utrum excogitatum originaliter fuerit à Judæis an à Samaritanis, non facile excogitaveris. Mentionem ejus frequentem habent Judaici scriptores, at res ipsa ità pro Samaritanis facit, ut opinionem ab iis primum processisse crederes, nisi quod occisum tandem Messiam istum tradat, quod Samaritani de Messia suo vix cuderent. Et Judæi forsan cuderunt ut loca de morte veri Messiæ loquentia eluderent.

II. Utcunque: Nequitiæ sat supérque erat in *Simone*, si venditaverit se pro Propheta, cum seipsum benè nosset intus & in cute. Et si τινα μέγαν non altiùs exposueris, arrogantiæ satis attribueris nebuloni. Non deprésserim sensum verborum istorum de Baptista, Ἦρξατο μέγας ἐναντίον τοῦ Κυρίου, Luc. 1. 15. at si primo gradu sic intelligas, *Erat Propheta coram Domino Christo*, & nobilem veritatem secum fert, & planissimam congruentiam cum officio Johannis: Et cum Stephanus Mosen pro Propheta eloquatur sub his terminis Ἦν δυνατὸς ἐν λόγοις καὶ ἐν ἔργοις, Act. 7. 22. idem forte sonuit ἡ δύναμις τοῦ Θεοῦ ἡ μεγάλη de *Simone*, in ore & conceptu Samaritarum.

Ver. 13. Ὁ δὲ Σιμὼν καὶ αὐτὸς ἐπίστευσε, &c.

Id est, credidit *Jesum Nazarenum esse verum Messiam*: & sic capax redditus est Baptismi [ut versu hujus capitis 37.] & baptizatus est in nomine *Jesu*, ver. 16. Et jam quid tibi videtur de teipso O Simon, si te pro Messia adhuc proposueras? Audesne etiam posthæc te venditare pro Filio Dei? Illud quod vulgò obtinet, & quod pro reliquis eloquatur Epiphanius, τὸν πατέρα ἔλεγεν ἑαυτὸν τοῖς Σαμαρείταις, Ἰουδαίοις δὲ ἔλεγεν ἑαυτὸν εἶναι τὸν υἱόν, blasphemiam hominis non eloquitur solùm, sed & insaniam, quod inter Judæos venditare se volucrit pro Filio Dei, cum illi Filium Dei ullum, agnoscere nollent omnino.

Ver. 14. Ἀπέστειλαν πρὸς αὐτοὺς Πέτρον καὶ Ἰωάννην, &c.

Appositè hic Epiphanius ubi ante *Hæres.* 21. Ὁ φίλιππος Διάκονος ὢν οὐκ εἶχεν ἐξουσίαν τὸ χειροθετῆσαι τοὺς δι' αὐτοῦ δίδοναι πνεῦμα ἅγιον. Apostolorum proprium erat per impositionem manuum largiri Spiritum Sanctum, in donis scilicet suis extraordinariis Linguarum & Prophetiæ

phetiæ: nam Spiritum sanctificationis impertierunt nunquam.

Petrus & Johannes præter nobilem gradum quem tenuerunt inter Apostolos, futuri etiam erant Apostoli circumcisionis in regionibus exteris.

In vivis jam erat Jacobus, Johannis frater, qui cum his duobus constituebat nobilem illum triumviratum secretioris Christi familiaritatis: & crederes illum etiam mittendum cum his, nisi quod hi sufficerent, & futuro eorum muneri hoc sit quasi proæmium, agere cum circumcisis exteris.

Manus suas imponunt quibusdam, quos ministros ordinandos indigitaverat iis Spiritus Sanctus; & per impositionem manuum largiuntur iis dona linguarum & Prophetiæ, evidenter conspicua sic ut dicitur, *Simon vidit quod per impositionem manuum Apostolorum daretur Spiritus Sanctus.*

Promotio ad Presbyteratum apud Judæos erat per triumviratum: At multò valuit magis hic duumviratus, qui ad ministerium promovere non solum potuit, sed & ministris promotis largiri aptitudinem & habilitatem ad munus præstandum.

Ver. 19. Δότε κἀμοὶ τὴν ἐξουσίαν ταύτην, &c.

Falleris plurimum O sceleste si concipis dona Spiritus Sancti coemenda atque acquirenda auro aut argento, & falleris insuper longe magis, si concipis donum donandi ista dona sic acquirendum. Donare ista dona Apostoli potuerunt, at non potuerunt donare alteri ut ille donaret. Potuit Paulus per impositionem manuum largiri Timotheo dona linguarum & Prophetiæ, at non potuit largiri illi, ut ille largiretur alteri. Apostolorum solorum erat largiri ista dona, & post eorum obitum evanuit ista potestas & privilegium.

Facile est odorari quid in animo esset hujus nebulonis, Aucupatio scilicet vanæ gloriæ & lucri; aliter sat superque ei fuisset imploratse, Date etiam mihi donum linguarum & Prophetiæ sicut dedistis hisce.

Ver. 24. Δεήθητε ὑμεῖς ὑπὲρ ἐμοῦ, &c.

Si seriò atque ex animo hæc protulerit, mirum est eum in tantum blasphemiæ & scelerum prorupisse, quantum de eo tradit historia Ecclesiastica.

*Irenæ.* lib. 1. cap. 20. *Et cum adhuc magis non credidisset Deo, & cupidiùs intendit contendere adversus Apostolos,* &c.

*Euseb.* lib. 2. cap. 14. Σίμωνα μέγαν μεγάλων ἀντίπαλον τῶν θεοπνεύστων Ἀποστόλων, &c.

Illum orare Apostolos seriò ut pro eo orent, & exinde totis viribus adversari Apostolis? Fel hoc amaritudinis certe, & obligatio iniquitatis.

Habes Petrum & Simonem Romæ convenientes iterum, si fabulæ credes, ubi volitantem in aere Magum Apostolus præcipitem dat per preces suas & sic expirat Simon Magus: Si observatum fuisset, probabile esse Petrum & Apollonium Tyanæum uno eodémque tempore fuisse in Babylone [si qua fides Philostrato] parum dubito figmentum aliquod tale cusum fuisse etiam de Petro triumphante de Apollonio.

Istud Justini martyris de statua erecta Simoni Romæ, cum hac inscriptione *Simoni sancto Deo,* hallucinanter dictum esse indicatur à doctis, quippe quod esset potius statua erecta *Simoni Sango Deo.* Vereor ne talis hallucinatio sit de Cathedra *Petri* erecta Roma, qualis de statua *Simonis* erecta Romæ.

Ver. 26. Εἰς Γάζαν, αὕτη ἐστὶν ἔρημος.

Cujusnam Authoris est ista clausula Αὕτη ἐστὶν ἔρημος. an Angeli, an Historiographi? Docet quidem *Strabo,* lib. 16. Quod *Gaza olim civitas nobilis, excisa fuit per Alexandrum* καὶ μένουσα ἔρημος, *& mansit deserta:* At quare illud additur hoc in loco, & à quonam? Dixerim ab Angelo, atque ideo additum, quod fuerit altera *Gaza,* eáque non longe admodum distans à loco ubi jam Philippus, in Tribu scilicet Ephraimitica, 1 *Paralip.* 7. 28. שכם ובנותיה עד עזה ובנותיה, *Shechem cum filiabus suis ad Gazam & filias suas,* habitatio filiorum Ephraim. Ecce Gazam Ephraimiticam, Philippo autem eundum est ad Gazam Philistæorum.

Ver. 27. Δυνάστης Κανδάκης βασιλίσσης Αἰθιόπων.

In tractatu quodam Gallico nuper edito, cui titulus *Histoire de la haut Ethiopie* pag. 15. numerantur & nominantur Reges Æthiopum, omissa tamen Candace: Verùm hoc de re ista in fine animadversum. *Dans cette Chronologie il n' est point parlé ny de la Reine Candace, ny de l' Imperatrice Helene: Les Abyssins non plus que les Juifs ne nomment les femmes dans leurs genealogies, & cela leur est commun avec tous les Orientaux.*

Fuisse autem Candacem quandam Reginam Æthiopum, imo plures istius nominis reginas, tam planum est apud Plinium & Strabonem, ut inane esset *Candacen* hanc nostram alibi quærere. *Regni caput erat Meroe,* inquit Strabo *urbs ejusdem cum insula nominis.* Insula autem fit Meroe regio, à Nilo fluvio ab occasu affluente, & ab Astabora flu. qui est à parte Orientali. Ptol. tab. 4. Africæ.

Si Eunuchus hic noster ab ipsa Meroe venerit, recognosce illud *Zephan.* 3. 10. *Ultra flumina Æthiopiæ inde supplices mei,* &c. A quacunque tandem parte imperii Candaces venerit, & quacunque tandem via perrexit, & illud de eo potuit esse verum & longissimum emensus est iter antequam Hierosolymam appelleret. Interpres autem Æthiopicus iter abbreviat dum profectum civitati Gazæ eum facit; ὃς ἦν ὅλη πάσης τῆς γάζης αὐτῆς, sic interpretans.

Promptum mihi est suspicari, devotum hunc, Hierosolymam adiisse pari affectu quo illi ab omnibus regionibus Act. 2. ductum nempe per Prophetiam Danielis, quæ circa hæc tempora revelationem Messiæ futuram prænuntiaverat. Et mirari subit quod ille de Jesu nihil inaudiverit dum esset Hierosolymis: Aut forsan illud quod de eo audiverat eum movet ut Scripturam istam apud Esaiam meditetur.

Ubi jam Apostoli & reliqui de sancto isto choro & Collegio, ut dimittendus sit vir tantus & tantæ devotionis non instructus & satisfactus de Domino Iesu? Num possibile est ut ille historiam de morte & resurrectione ejus ignoraret in urbe versans, quamvis adhuc non crederet? Sed reservata est ejus instructio & conversio peculiari cuidam miraculo, & celebriori famæ.

Ver. 32. Ὡς πρόβατον ἐπὶ σφαγὴν ἤχθη, &c.

Exprimitur hîc quidem textus Esaiæ secundùm versionem Græcam, ast an ista Versione usus fuerit Eunuchus meritò dubitatur: Ut & an illic Judæus fuerit an Proselytus, an Proselytus factus, an merè Gentilis, an Eunuchus proprio sensu, an latiori. De quibus non disquirendum quia nullibi solvuntur.

Obvia magis est pervicacia Judæorum, qui ut plana hæc de passione Messiæ eludant, totum hujus capituli animum aliò divertunt.

Obtinet maxime apud eos, ut populus Israeliticus afflictus, sit subjectum hujus Prophetiæ: Quamvis sint quidam qui partem aliquam applicent ad *Jeremiam,* quidam partem aliquam ad *R. Judam sanctum,* imo quidam partem aliquam ad ipsum Messiam, cavantes interim ne mortem ejus admittant. Tædio esset nugas & elusiones eorum referre.

Quæro potius, Ad quemnam Interpretes Græci hæc applicant? Num illi plane & sincere hæc intellexerunt de passione & morte Messiæ? Respondeant illi qui eos Spiritu Sancto afflatos esse volunt. Si ità afflati, non potuerunt non assequi sensum & scopum Scripturæ, æque ac significationem Grammaticam vocabulorum; & non potuerunt non hic recognoscere, Prophetam agere de Messia afflicto, patiente, moriente, sepulto, &c.

Si ità, stupendum est tam diram pertinacem atque obstinatam negationem mortis Messiæ totam gentem invadere potuisse. Quid? Septuaginta duos Doctores & Ductores populi, eósque divino numine afflatos plane videre passionem & mortem Messiæ hoc in capite prænuntiatam, eósque hanc doctrinam non spargere in populo & tradere & traducere posteris? Quod si fecerunt unde irrepsit horrenda illa in tota gente aversatio à tali doctrina? Si autem non fecerunt, execrandi illi pastores populi, qui articulum fidei tam nobilem tam necessarium cælare voluerunt & non impertire.

Sic celeberrimam istam Prophetiam de Christo, *Esai.* 9. 6. applicat vulgò gens Judaica ad *Hezechiam,* & vereor ne Græci Interpretes eôdem etiam nutent. Clausula ista, Ἀξώσυγ ἰείαν αὐτοῦ, suspicionem movet.

Ver. 33. Ἐν τῇ ταπεινώσει αὐτοῦ ἡ κρίσις αὐτοῦ ἠρθη.

Hebræa sic: מעצר וממשפט לקח. Græci autem Interpretes sic legeruut. מעצרו ממשפט לקח. Si vocem עצר in eundem sensum reddas cum נעצר לפני יהוה, 1 Sam. 21. 8. *Doeg* [per devotionem: vid. Kimch.] *detentus est coram Domino,* demonstratur injuria facta Christo eó magis. Raptatus ille est à loco devotionis et opere, et raptatus à loco judicii ut nec in illo tutus esse potuerit, nec in hoc justum judicium obtinere. Nemo novit quid sit עצרת et quam affinitatem עצר habere possit nemo non videt.

Τὴν ἢ γενεὰν αὐτοῦ τις διηγήσεται.

Id eſt, Quis nequitiam generationis in qua ille vixit, atque à qua talia eſt paſſus, poteſt enarrare? Frequentia ſunt hæc et hujuſmodi apud ipſos Judæos.

*Midr. Schir.* fol. 17. 3. *In generatione in qua Filius Davidis veniet, Synagoga erit lupanar, Galilæa deſtruetur & Gablan deſolabitur—Sapientia Scribarum putreſcet, Viri boni & miſericordes deficient, & deficiet ipſa veritas, & facies iſtius generationis erunt ſicut facies canum.—R. Levi dicit Filius Davidis non veniet niſi in generatione in qua facies erunt impudentes, & quæ meretur excidium. Dicit R. Jannai, Cum videris generationem poſt generationem convitiantem & blaſphemantem, tum expecta pedes* [adventum] *regis Meſſiæ.*

Perlecto Paraphraſta Chaldæo in Eſai. 53. videre licet aliquam frontem faciebus antedictis non diſſimilem. Eâ enim impudentiâ & perverſitate verba Prophetæ à proprio eorum ſenſu torquet, ut mirum fuerit ſi conſcientia ejus dum ſcriberet, aurem non velleret.

Ver. 40. Φίλιππον ἢ εὑρέθη εἰς Ἄζωτον.

Si res hæc acta Gazæ, vel prope eam, erant inde ad Azotum 270. ſtad. vel xxxiv. M. P. vel circiter. Diod. Sicul. lib. 19. Et erat Azotus duobus miliaribus ut videtur diſtans à Jamnia, ſecundùm computum Auton. Itiner. A Gaza ad Aſcalona xvi. M. Paſſ. Ab Aſcalone ad Jamniam xx. M. P.

Mentio eſt cujuſdam רבי פליפא, *Rabba Philippi* [ut videtur] Hieroſ. Megil. fol. 70. 2.

## CAP. IX.

Ver. 2. Ἤτήσατο παρ' αὐτοῦ [Ἀρχιερέως] ἐπιστολὰς εἰς Δαμασκόν.

HÆ literæ erant totius Synedrii cap. 22. 5. Cujus caput jam erat Gamaliel Pauli magiſter, aſcribuntur tamen illæ Pontifici, utpote exiſtenti ordinis & gradus dignioris quam erat Præſes Synedrii. Emphaſin habet illud cap. 23. 4. Τὸν ἀρχιερέα τοῦ Θεοῦ, & conceptum gentis de ſummo Pontifice eloquitur; nempe. quod eſſet ille *officiarius Dei*, Præſes autem Synedrii officiarius populi, atque electus ab hominibus. Munus Pontificis erat curare de ſacris; munus Præſidis peculiare, curare de traditionibus; erat enim ille מקבל, cuſtos & ſcrinium traditionum.

At ſuſcitant verba quæ tractamus quæſtionem nodoſiorem: An ſcilicet decreta Synedrii, authoritativè valerent, inter Judæos in regionibus extraneis? De Damaſco minus ſcrupuli quippe quod Syria in quamplurimis æſtumaretur ejuſdem claſſis & rationis cum terra Iſraelitica. At quidnam quoad regiones remotiores? Ex Ægypto & Babylone ſumatur inſtantia, ubi numeroſiſſima Judæorum multitudo præ omnibus aliis orbis terrarum regionibus.

I. Non erat vel hic vel illic nec quidem ullibi terrarum, Synedrium Septuaginta virorum, præterquam Hieroſolomytanum. Celeberrimæ erant Academiæ in Babylone, Nehardeenſis Sorana & Pombeditana, at Synedrium nullibi: Celeberrima etiam Eccleſia Cathedralis Alexandriæ, in qua 70 Cathedriæ pompoſæ, at Eccleſia tantum non Synedrium. *Hieroſ. Succath.* fol. 55. 1.

II. Qua veneratione apud omnes ubique Judæos, fuerit Synedrium Hieroſolymitanam, ex hoc ſatis conjici poteſt, quod ab eo prodierit regula & determinatio de ebolimiſmo anni, de initio anni, & ſtatuto tempore feſtorum, &c. ut & quod habitum ſit illud pro arca, & cuſtode legis oralis.

III. Judicium capitis in re Heterodoxiæ & Hæreſis pertinuit ſolum ad Synedrium Hieroſolymitanum: Et talis res jam agitur. Mittendi ſunt Chriſtiani à Synagogis vincti Hieroſolymam, ut niſi fidem abnegent capite plectantur. Flagellare eos Synagogæ potuerunt per Triumviratum ſuum, at non decernere de capite. Et non aliter extinguendum Chriſtianiſmum autumant hi boni niſi per necem Chriſtianorum.

IV. Sive igitur mandatoriæ forent hæ literæ, ſive ſuaſoriæ tantum, norunt ſatis patres Synedrii, eo odio in Chriſtianiſmum incaleſcere Synagogas, ut promptiſſime quod optatum peragerent. Ubi obiter notare licet, Judicium in rebus capitalibus non adhuc abreptum eſſe è manibus Synedrii.

Exemplar epiſtolæ à Synedrio ad Babylonicos, miſſæ exhibuimus ad—atque ad Alexandrinos ad Mat. 2. 14.

Ver. 5. Σκληρόν σοι πρὸς κέντρα λακτίζειν.

Syr. קשא הו לך למבעטו לעוקצא. Omnibus notum בעט ſignificare *Calcitrare* ex Deut. 32. 15. & 1 Sam. 2. 29. & quid *Calcitrare* hiſce in locis denotet, æque notum.

*Hieroſ. Schabb.* fol. 11. 1. *R. Bibai ſedit & docuit—R. Iſaac ben Cahna* בעט ביה *calcitravit in eum.*

Ver. 7. Ἀκούοντες μὲν τῆς φωνῆς, &c.

At cap. 22. 9. Τὴν ἢ φωνὴν οὐκ ἤκουσαν τοῦ λαλοῦντός μοι. Audierunt קול *Vocem*, ſed non audiverunt דבר Verba. Sic diſtinguitur.

*Bemidbar rabba*, fol. 163. 1. *Inde ego te alloquar. Tecum erit verbum, at non cum omnibus iis erit verbum* יכול לא היו שומעי את הדבר. *Forſan non audiverunt verba* אבל היו שומעין את הקול, *verùm audiverunt vocem.*

Μυθεύονται ἢ θεασάμενοι.

An vero Paulus ipſe cum vidit? Vid. ver. 17. Ἰησοῦς ὁ ὀφθείς σοι ἐν τῇ ὁδῷ, &c ver. 27. Ἐν τῇ ὁδῷ εἶδε τὸν κύριον, 1 Cor. 9. 1. οὐχὶ Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν κύριον ἡμῶν ἑώρακα. & cap. 15. 8. Ὤφθη κἀμοί, &c. An perſonam vero Chriſti vidit an gloriam tantum? Dixerim utramque: & ſic nobiliorem Chriſti viſionem obtinuiſſe illum, quam reliquos Apoſtolos, utpote Chriſtum vidiſſe glorificatum, quod non illi. An vero oculis corporis, an ut Eſaias, cap. 6. 1. in viſione tantum, diſputet qui velit.

De Damaſco ſcena hiſtoriæ hujus, adducamus illud *Zechar.* 9. 1. *Onus verbi Domini in terram Hadrach & Damaſci requiei ejus*, &c. Ubi Targ. *Damaſcus convertetur ut ſit de terra domus majeſtatis ejus.*

Kimch. *Damaſcus erit requies ejus: id eſt Habitatio gloriæ ſuæ & Prophetæ ſuæ*, &c. quæ an huc pertineant ſub judice eſto. Præterundum tamen non eſt, converſorem Gentilium Paulum vocatum eſſe ad Apoſtolatum, eique apparere Chriſtum in regione & tantum non in urbe Gentilitia.

Dicit ipſe Paulus vocem hanc cœlitus demiſſam locutam fuiſſe Ἑβραΐδι διαλέκτῳ, cap. 26. 14. de qua re Lucas ſilet: ut de iſtis quæ Paulus ibi, ver. 16, 17, 18.

Ver. 12. Ἐπιθέντα αὐτῷ χεῖρα ὅπως ἀναβλέψῃ.

Addit autem ipſe Ananias ver. 7. Ὅπως ἀναβλέψῃς καὶ πλησθῇς πνεύματος ἁγίου. An vero potuit Ananias donare Spiritum Sanctum? Hoc proprium Apoſtolorum privilegium, & diſcipulum privatum ſic dotare Apoſtolum? Num ab hac impoſitione manuum donum ei linguarum & Prophetiæ? Hoc Apoſtolum noſtrum ſtatuere infra miniſtros ordinarios, qui hæc dona acceperunt per impoſitionem manuum Apoſtolorum, & Apoſtolum hæc accipere per impoſitionem manuum non Apoſtoli? Non vulgare erat Apoſtolum baptizari per non Apoſtolum, & mirandum eſſet ſi & majora per talem ſuperaddentur Apoſtolo.

Quæras merito, quiſnam baptizavit reliquos Apoſtolos, cum Jeſus ipſe non baptizaret, *Johan.* 4. 2. *Jeſus ipſe non baptizavit ſed diſcipuli ejus*: quiſnam ergo baptizavit diſcipulos iſtos baptizantes? Dicat Pontificius, quis baptizavit Petrum? Dixerim ego Johannes Baptiſta. An putas autem Petrum rebaptizatum? ſi ita, à quonam, cum Jeſus ipſe non baptizaret?

## *Ad Romanos.*

## CAP. XI.

ANTEQUAM ad interpretationem hujus capitis nos accinginus, liceat hæc pauca quærere.

I. An gens Judaica quoad generaliorem majorèmq; ejus maſſam, ante tempora apparentis in carne Chriſti, non fuerit excæcata & rejecta. Novimus rejectionem ejus aſſignari vulgò horrendo ejus ſcelori in interemptione Chriſti, & perſecutioni Evangelii & Apoſtolorum, facinoribus rejectionem gentis ſat ſuperque demerentibus; at nonne ea rejecta & excæcata ante?

Erant Γενήματα ἐχιδνῶν cum primo appareret Baptiſta, quod idem quidem ſonat quod ſemen ſerpentis.

Concionatur iis Salvator per parabolas, *Ne videant ne audiant, ne convertantur, ne remittantur iis peccata*, Marc. 4. 11, 12. Quæ ſuſpicionem excitare poſſunt, rejectam

rejectam fuisse gentem cui Christus ex instituto concionatur ea forma & oratoria *ut non convertantur*.

Si illi Judæi essent ad quos Petrus dictat primam suam Epistolam [quod quis negat?] tum pondus suum habent illa cap. 2. 10. *Quondam eratis non populus.*

II. Non rationi, & Scripturæ est valde consonum opinari, rejectam fuisse istam gentem propter receptas vanas impiasque suas traditiones?

Reproba gens certe, cujus religio irrita fecit præcepta Dei, reproba gens quæ Deum frustra coluit per præcepta hominum, Matth. 15. Et per talia quidem præcepta hominum, per quæ fermentati imo venenati iunt odio & blasphemia in verum Messiam, & puram veritatem Dei, *Esai.* 29. 13. *Quoniam timor hujus populi erga me docetur per præcepta hominum, ergo peribit sapientia sapientum*, &c.

Nonne ab hac origine, originem rejectionis gentis bene derivaveris? & quo magis illi traditionibus suis fascinati, eo magis à Deo separati, obdurati, rejecti. Ut retro respicere videatur Apostolus ad tempora ante trucidationem Christi, cum agit de gentis rejectione.

III. Nonne perlatum & prædicatum fuerat Evangelium decem tribubus æquè ac Judæis, cum Apostolus hanc Epistolam scriberet? Cujus rei decisio ad explicationem hujus capitis aliquid facere videtur, quia in toto capite de Judæis singulatim est nulla mentio sed de Israele.

Prædicatum erat Evangelium ante excidium Hierosolymitanum toti orbi: Matth. 24. 14. & nonnè decem Tribubus æque ac aliis gentibus? Pro affirmativo facit quòd Jacobus Epistolam τοῖς δώδεκα φυλαῖς dictet, decem istis æquè ac duabus aliis. Ad nullos autem scribunt Apostoli, nisi ad quos jam pervenerat Evangelium.

Ver. 1. Μὴ ἀπώσατο ὁ Θεὸς τὸν λαὸν αὐτοῦ;

OBSERVARE licet quid sibi proponat Apostolus dissertandum, nempe non de vocatione universa gentis, sed de *non rejectione* universæ gentis. Num Deus ità rejecit populum suum, ut totum rejecerit? Μὴ γένοιτο. Nam ego Israelita, atque ego non rejectus.

Ἐκ Φυλῆς Βενιαμίν.

Sic Philip. 3. 5. Jaspis margarita, cui inscriptum nomen *Benjaminis* in Rationali, primum est fundamentum in nova *Hierosolyma*, Apoc. 21. 19. In memoriam ut videtur hujus *Benjamitæ*, maximi fundatoris Ecclesiæ Gentilitiæ.

*Hieros. Peah.* fol. 15. 3. & Kiddushin, fol. 60. 2. *Excidit aliquando Jaspis Benjaminis è Rationali, & est deperdita. Cùmque similem ei haberet Damah ben Nethinah, pactum est cum eo de ea emenda centum denariis*, &c.

Ver. 2. Ὡς ἐντυγχάνει.

Lev. Ger. in 1 Reg. 19. *Supplicat Elias Deo ut vindictam sumat pro malis quæ perpetrarant Israelitæ.*

Ver. 3. Τὰ θυσιαστήριά σου κατέσκαψαν.

*Altaria tua*? Quænam tandem altaria illa Dei quæ diruerant Israelitæ in Samaritide? Salvum tunc temporis erat Altare in Templo, & quodnam aliud Altare Dei? R. Sol. in 1 Reg. 19. *Altaria hæc erant Altaria privata, erecta nomini Dei.* Tale illud cap. 18. 30. *Instauravit Elias Altare dirutum.*

Erecta quidem erant במות *excelsa* Idolis, aut erecta etiam quædam Deo: Idque licite ut concedunt Judæi, ante extructum Templum, atque usitata postea sed eorum usus vitio versus, quippe quod adeundum fuerat Altare solum quod in Templo. Illicite quidem structa hæc Altaria inter duas Tribus Judæ & Benjaminis quippe quod iis pateret aditus ad Altare Hierosolymitanum: At non adeo illicite apud decem Tribus intra regnum Samariticum, quibus aditus talis omnino intercluſus.

Quære ergo an Elias excelsa vel Altaria in Judæa, dicata licet vero Deo, vocare voluerit *Altaria Dei*: cum tamen sic dicata in Samaria vocarit *Altaria tua.*

Ver. 4. Τῇ Βάαλ.

Dicant hic illi qui corrigenda volunt Biblia Hebræa per versionem Græcam, quique afflatos spiritu Prophetico volunt istos Interpretes, an illi hic errent an Paulus. Nam si illi in 1 Reg. 19. 18. Καὶ καταλείψεις ἐν Ἰσραὴλ ἑπτὰ χιλιάδας ἀνδρῶν πάντα γόνατα ἃ οὐκ ὠλάλησαν γόνυ τῇ Βάαλ. Sic editio Romana & Alexand. Apostolus autem Κατέλιπον ἐμαυτῷ ἑπτακισχιλίους ἀνδρας οἵτινες οὐκ ἔκαμψαν γόνυ τῇ Βάαλ.

Omittamus discrepantiam inter Καταλείψεις & Κατέλιπον quæ non minuta atque de articulo solum τῷ aut τῇ sit examen.

Introduxerat Achabus Baal, Idolum Tyrium in Israelem, 1 Reg. 17. 31. Et num tantum septem millia hominum erant in Israele ἑπτακισχίλιοι qui non adorarunt istum Baal? Erant forsan septuaginta millia, imo forsan septies septuaginta millia. Nam perpende historiam, 2 Reg. 10. 21. & patebit cultores Baal istius non adeo numerosos fuisse ut ad multa millia assurgeret numerus; forsan non ad multas Centurias.

Et quidnam tandem valuisset non coluisse Baal Achabi, si interim colerent vitulos Jeroboami? Ipse Jehu quæ eradicavit Baal & Baalitas ex Israele, non recessit tamen à peccato Jeroboam, vitulis aureis. Et quidnam magni loquutus fuerat ὁ Χρηματισμός, si dixerat, Reliqui mihi septem millia hominum qui non coluerunt τὸν Βάαλ, Tyriorum qui tamen cum tota gente colunt vitulos. Exciderat ipse Elias, Baalitas, antequam ad eum perveniret hic Χρηματισμός, & magnam rem quidem fecerat, at parum erat si totus Israel Baalem istum adhuc coleret, exceptis tantum septem millibus.

Per τῇ Βάαλ ergo Apostolus docet intelligendum esse non τῇ εἰκόνι Βάαλ, sed τῇ δαμάλει Βάαλ, *Vitulæ Baal.* Nam *Baal* fuisse generale nomen Idolorum fatebuntur omnes. Et quod sequitur 1 Reg. 19. 18. *Atque omne os quod ei non dedit osculum*, illucidationem recepit ex Hos. 13. 2. *Osculentur Vitulos.*

Vituli *Jeroboami* vocantur Δαμάλεις genere foeminino.

1 Reg. 12. 28. Ἐποίησε δύο δαμάλεις χρυσᾶς.

*Jos. Antiq.* lib. 8. cap. 3. Δύο ποιήσας [*Jeroboamus*] δαμάλεις χρυσᾶς πέμπει τὰς δαμάλεις, &c.

Et vice plurium, satis in Τῇ Βάαλ commentatur ipse liber *Tobiæ* in cap. 1. 5. Καὶ πᾶσαι αἱ φυλαὶ αἱ συναποστᾶσαι ἔθυον τῇ Βάαλ τῷ δαμάλει.

Huc itaque recidunt verba Dei ad Eliam, Reliqui mihi vel reservavi septem millia hominum qui se intactos reservarunt à communi gentis Idololatria, adoratione τῆ Βάαλ *Juvencæ Jeroboami.*

Ver. 5. Οὕτως οὖν ἐν τῷ νῦν καιρῷ λεῖμμα, &c.

Quamvis supponamus rejectam fuisse gentem Judæorum quoad generaliorem ejus massam ante tempora Christi, non dubitamus tamen in omnibus sæculis fuisse λεῖμμα κατ' ἐκλογὴν χάριτος, in isto præsertim cum illucesceret Christus & Evangelium.

De vocatione Λείμματος isto sæculo & tempore quo Apostolus scriberet, & non de vocatione totius gentis olim futura, quid clarius dici potest quam quod his verbis dicitur Ἐν τῷ νῦν καιρῷ?

Adverte Apostoli argumentationem. Num Deus abjecit populum suum? Non, nam ego Israelita & non me abjecit. Et sicut in diebus Eliæ erat λεῖμμα, sic etiam est ἐν τῷ νῦν καιρῷ. Quam male hæc arguerent vocationem gentis post plurima sæcula olim futuram! At supponatur, rejectam excæcatam obduratam esse gentem, ante tempora Christi & Apostoli, tum leniter mollitérque fluet hæc argumentatio. Esto: rejectam fuisse gentem quoad massam ejus, per aliquot retro sæcula: Num vero adeo rejecta ut nulla spes Judæo? Nequaquam. Nam ἐν τῷ νῦν καιρῷ ἔστι λεῖμμα, sicut erat in diebus Eliæ, & ego de eo unus.

Ver. 8. Ἔδωκεν αὐτοῖς ὁ Θεὸς πνεῦμα κατανύξεως.

Sic Græci Interpretes *Esa.* 29. 10. Πεπότικεν ὑμᾶς κύριος πνεῦμα κατανύξεως. Latet difficultas in voce κατανύξεως quæ propriè *Compunctionem* sonat, longissime ab animo Prophetæ & Apostoli.

I. Interpretes Græci, quicunque tandem Judæorum illi fuerint, sensum aliquando de suo fingunt, idque non raro alienissimum à veritate Hebræa. Et Græca vocabula frequentissime adhibent, sensu alienissimo à vulgari Idiomate Græcorum. Infinitis instantiis demonstrari posset & hoc & illud si esset hic locus.

II. Vocabulum hoc quod præ manibus, in sensum suum cudunt alienum à vulgari, radicémque ejus sive Κατανύττω faciant, sive Κατανυγέω, sive aliqualiter vocem Νύξ respiciant, sensum ei & significationem tribuunt, ut denotet silentium, attonitionem, stuporem,

Gen. 27. 28. Καταυχθέντω ὁ Ἰσαὰκ [quam clausulam interserunt de suo] æque reddas, *Attonito* aut *stupefacto Isaaco, ac compuncto.*

Psal. 60. 5. Ἐπότισας ἡμᾶς οἶνον κατανύξεως. Hebr. יין תרעלה. *Vino horroris.* Ità ut interpretatio vocis κατανύξεως apud eos, ab ipsis petenda sit, atque hoc in loco à voce Hebræa תרעלה apud Prophetam, potius quam à quovis Lexico Græco.

Ver. 10. Τὸν νῶτον αὐτῶν διαπαντὸς σύγκαμψον.

Græcos Interpretes Apostolus sequitur, atque illi morem suum Paraphrasticum vel allusivum. Hebræa habent מתניהם תמיד המעד, *Lumbos eorum fac continuò nutare,* & sic reddit Chald. Par. At illi *Tergum eorum incurva,* quo etiam inclinant Syr. & Arab. verum quidem est quod illi qui lumbis sunt debiles & laborantes, incedunt incurvati & trementes: at forsan allusum est ab iis ad Deut. 25. 2, 3. ubi, reus, plagis cædendus, incurvandus est; quo etiam alludi videtur Psal. 1. *Impius non exurget* vel stabit *in Judicio,* Alluditur sæpiusculè à Græcis Interpretibus ad mores gentis suæ, imo non raro ad traditiones gentis suæ, unde & hic allusionem suspicari licet eo magis. Qualisnam versio [quoniam de flagellatione est sermo] est ista Prov. 27. 22. Ἐὰν μαγῇς ἄφρονα ἐν μέσῳ συνεδρείου, pro *Si contuderis stultum in mortario.*

## CAP. XII.

Ver. 2. Ἀνεῖλε ὁ Ἰάκωβον μαχαίρᾳ.

VOCATUR hoc genus mortis הרג *Occisio.*

*Sanhedr.* fol. 49. 2. *Quatuor genera mortis tradita sunt in manus Synedrii, Lapidatio* סקילה. *Ustulatio* שריפה. *Occisio* הרג. *Strangulatio* חנק.

*Ibid.* fol. 52. 2. *Præceptum de* נהרגין *Occidendis hoc est* הורמתיזין את ראשו בסייף, *Decapitarunt eum gladio, prout Regnum* [Romanum] *facit. R. Judah dicit, Turpe hoc illi: Verùm reponunt caput ejus in truncum atque amputant securi. Regerunt alii. Non est mors ulla hac turpior.*

Imitari dicas Herodem [Agrippam] morem Romanum, utpote cui relatio non modica ad Romam: Ast adhibita etiam est decapitatio per gladium in eos qui populum traduxerunt ad cultum alienum, etiam apud Judæos inter se.

*Ibid.* fol. 111. 2. *Si sint pauciores, qui seducunt ad cultum alienum, lapidantur, & opes eorum non rediguntur in fiscum, si verò plures, moriuntur per gladium, & opes eorum rediguntur in fiscum.*

*Jacobus* quidem erat unus tantùm, at novit Herodes esse Petrum etiam, aliósque plures qui, ipso judice, מריחין impellerunt populum ad cultum irreligiosum, & cum Jacobo agit, ficut acturus erat cum aliis. Sic cadit Jacobus, & confiscantur bona ejus, & sic adimpleri incipit illud quod dixerat Salvator olim Zebedæanis *Calicem meum bibetis,* &c.

*Hieros. Sanhedr.* fol. 29. 4. *Dicunt Rabbini, Gravior est Occisio* [per gladium] *quam strangulatio.*

Ver. 7. Αἱ ἁλύσεις ἐκ τῶν χειρῶν.

Fallor aut Hierosolymitani exprimunt Ἁλύσεις ἐκ χειρῶν per כירו מניקיא, *Chiromanicas.*

*Hieros. Sanhedr.* fol. 28. 3. *Scribitur, Et locutus est Dominus ad Manassen Regem, atque ad populum ejus, verùm illi non auscultarunt, ille ergo induxit in eos principes exercitus regis Assur, qui prehenderunt Manassen* בחחים. *Quid autem sibi vult* בחחים? בכירו מניקיא. *In Chiromanicis.*

*Targum* in 2 Paralip. 33. Sic reddit ואחרו ית מנשה בכירו מנקייה. ubi suspicor vocem כירי malè scriptam pro כירו, lubentissimè corrigendus si hallucîner.

In verbis istis Salvatoris, Constringente servum inutilem manibus pedibúsque facile est videre ut allusum sit ad manicas compedésque.

Ver. 15. Ὁ ἄγγελός ἐστιν αὐτοῦ ὁ δεῖνα.

Id est Angelus in ejus specie. Nam receptum vulgò Angelos induisse aliquando formam hujus aut illius hominis.

*Debharim rabba,* fol. 290. 4. *Scriptum est Liberavit me à gladio Pharaonis. Bar kaphra dicit* מלאך ירד ברמות משה והבריחו, *Angelus descendit in similitudine Mosis & fugere fecit eum.* והיו סבורין במלאך שמשה הוא. *Illi autem qui venerunt ut apprehenderent Mosen, putarunt Angelum esse Mosen.*

Gloss. *Angelus ad fugam expedivit Mosen, ità ut illi qui Mosen quærerent parum de eo essent solliciti, arbitrati enim sunt Angelum esse Mosen.*

*Midras Coheleth,* fol. 87. 4. *Dicit Sanctus benedictus; Lætitiæ dixi. Quidnam hæc agit. Quidnam agit hæc corona in manu tua. Descende de solio meo. Eâdem horâ descendit Angelus* ברמיתו של שלמה, *In specie Salomonis, atque insedit in throno ejus.*

Notum satis ut Judaici scriptores Eliam æstiment pro *Angelo Fœderis,* Malach. 3. 1. & quoties habes Eliam apparentem in specie hujus aut illius hominis?

*Sanhedr.* fol. 109. 1. *Venit Elias* ואדמי להו בחד מינייהו, *ac visus est iis, ac si unus eorum esset.*

*Hieros. Kilaim,* fol. 32. 2. עאל אליהו לגביה ברמות ר' חייה רובה, *Die quodam venit Elias ad R. Judam Sanctum in specie R. Caiiæ Rubbæ,* &c. *tactis ejus dentibus sanavit eorum dolorem. Postero die accessit ad eum R. Chaiah Rubbah & dixit, ut valet Rabbi, ut valent dentes: Cui ille, Ex eo tempore quo tu digitos tuos in eos indidisti, convaluerunt.*

Ver. 20. Διὰ τὸ τρέφεσθαι αὐτῆς τὴν χώραν ἀπὸ τοῦ βασιλικοῦ.

Huc adducas illud *Ezech.* 27. 17. *Juda & terra Israel* [O Tyre] *erant institores tui in tritico Minnith & Pannag, & mel & oleum & resinam dederunt in mercatu tuo.* Sic Lat. interlin. & vernac. nostra, & Itala: Alii autem Interpretes faciunt *Minnith* & *Pannag,* non loca, sed ipsas mercaturas. Syr. Arab. Græc. & Chald. speciatim, qui verba sic reddidit, ut fateantur ipsi R.R. Sol. & Kimchi se non satis scire quid velit. *De Minnith* mentio Judic. 11. 33. pro qua Syr. habet *Makir,* ratione ignota, & Græc. *Arnon.* ratione nulla. *De Pannag,* alibi silentium. Quicquid sit, indicant verba Prophetæ, idem quod hîc Lucas; & suffragantur ista, 1 Reg. 5. 11.

Ver. 23. Γενόμενος σκωληκόβρωτος ἐξέψυξεν.

Parcius hic Josephus Ἀθρόον ὁ αὐτοῦ τὴν κοιλίαν διεσάφυσεν ἄλγημα. De torminibus ventris solùm loquens, & causam supprimens: atque hoc ut videtur non solum ut dedecus regis contegeret, sed ut decoris aliquid adderet. Nam confer illud. *Schabb.* fol. 118. 2. רובן של צריקים תתים בחולי מעיים. *Plurimi Justorum mortui sunt, ex ægritudine intestinorum.*

E contra vero vermibus corrodi dirum habitum, & non nisi nequissimorum.

*Sotah,* fol. 35. 1. Exploratores terræ promissæ, qui malam famam de ea excitarunt, *habuerunt linguas suas prominentes & decidentes in umbilicum eorum:* היו תולעות יוצאות מלשונם, *Et vermes ebullierunt ex eorum linguis & irrepserunt in umbilicum, atque ebullierunt ex umbilico atque irrepserunt in linguam.*

*Hieros. Joma.* fol. 39. 1. *Sacerdos quidam* [Baithusæus ut videtur] *suffitum fecit ab extra atque introduxit ad intra.*——*Sunt quidam qui dicunt* יצא הוטמן מזנק תולעים, *quod prominuit nasus ejus scatens vermibus: & quod aliquid simile ungulæ vituli nasceretur in fronte ejus.*

## CAP. XIII.

Ver. 1. Ἦσαν δὲ τινες ἐν Ἀντιοχείᾳ κατὰ τὴν οὖσαν ἐκκλησίαν, &c.

CONFERANTUR ista cap. 11. 27. & nec vox τινες videbitur redundare, nec Phrasiologia κατὰ τὴν οὖσαν ἐκκλησίαν, videbitur asperior. *Descenderunt Prophetæ quidam Hierosolymis Antiochiam,* cum tamen in Ecclesia Antiochensi jam forent Prophetæ de propriis. Et innui videtur, separationem *Pauli* & *Barnabæ* ad Ministerium, factam fuisse à ministris istius Ecclesiæ statis, non ab aliis nuper adventantibus.

Περισσοὶ καὶ διδάσκαλοι.

Distinguuntur quidem hæc munera, 1 Cor. 12. 28. Ephes. 4. 11. ast hic, ut videtur non distinguenda. Nam ad id maturitatis non adhuc pervenerat Ecclesia Antiochena, ut producere posset Doctores, qui non imbuti essent Spiritu Sancto & dono Prophetico. Et Phra-

Phraſiologia χτ τὸν ὅσον ἐκκλησίαν, videtur tale quid innuere, nempe quod ſecundum Eccleſiam tunc ibi exiſtentem, erant, imo neceſſe erat ut eſſent Doctores Prophetici, quippe quod adhuc non foret qui ex ſtudio Scripturarum, iſti muneri idoneus evaderet. Quare ergo non dicitur potius Διδάσκαλοι Προφῆται, quam Προφῆται καὶ διδάσκαλοι? Nempe quia erant Prophetæ qui non eſſent vulgares concionatores, ſed actitarunt in munere ſuo Prophetico occaſionaliter tantum, erántque qui futura prædicerent magis, quam vulgariter prædicarent, aut Catechiſtice docerent. Aſt hi & Prophetæ & aſſidui concionatores.

Μαναήν τε ἡρῴδου τοῦ τετράρχου σύντροφον.

Sic *Menahem* ſcribitur in Cod. Alexandrino, 2 Reg. cap. 15. Μαναὴμ, ubi Rom. habet Μαναήμ. Hujus noſtri educatio cum Herode Tetrarcha, non in mentem revocare non poteſt illud quod refertur.

*Juchaſin.* fol. 19.1. *Hillel & Shammai traditiones acceperunt ab iis* [Shamaiah & Abralione] *At prius fuerant Hillel & Menahem: Verùm Menahem receſſit & famulitium Regis* עם שמנים אנשים לבושים זהב, *cum octoginta viris auro veſtitis——Erat autem Menahem grandis ſapiens, ad inſtar Prophetæ, & multa vaticinia edidit. Prædixit Herodi cum adhuc ille minorennis eſſet, ipſum regnaturum. Cùmque ille regnaret, accerſivit eum, qui & ei prædixit, ipſum regnaturum plus quam triginta annos. Regnavit autem ille annis* 37.

Paria Joſephus [quem & hic noſter citat] quoad partem hiſtoriæ.

*Antiq.* lib. 15. cap. 13. *Erat de Eſſenis quidam nomine Menaemus, qui præterquam quod erat ob vitæ ſanctimoniam celebris, præſcientiam futurorum adeptus eſt à Deo. Ille Herodem adhuc puerum vocavit Regem Judæorum,* &c.

Nec credimus *Menaemum* hunc noſtrum eundem fuiſſe, nec dicimus eum fuiſſe iſtius filium [nam num Eſſenis filii?] cum tamen iſte alter tam acceptus fuerit in aula Herodis magni, atque hic noſter educatus cum Herode ejus filio, cognationem aliquam hujus ad illum non poſſumus non ſuſpicari. Sed res iſta non tanti eſt; at meditatione tamen digna, an fundamenta religionis ſuæ Evangelicæ, non jecerit Menahemus hic noſter in aula Herodis Tetrarchæ, dum concionaretur illic Johannes Baptiſta, ſdque cum approbatione, atque applauſu aliquali ipſius Herodis, Marc. 6. 20.

Quod reliquam hiſtoriæ partem ſic Talmudici in *Chagigah*, fol. 16. 2. יצא מנחם ונכנס שמאי'. *Exiit Menahem atque intravit Shammai. At quonam abiit Menahem? Abai dicit* 'יצא לתרבות רעה, *Prorupit in omnem abundantiam nequitiæ. Aba dicit, Abiit ad famulitium Regis, Sic etiam eſt traditio, Abiit Menahem in famulitium Regis, atque abierunt cum eo octoginta paria diſcipulorum amictorum ſerico.*

Dicere non audemus *Menahemum* hunc noſtrum eundem fuiſſe cum iſto *Menahemo*, niſi centenarius jam eſſet aut circiter; & tamen cum obſervamus familiaritatem quæ interceſſit inter Menahemum iſtum & Herodem patrem, atque ut educatus fuerit hic noſter cum Herode filio [nam non inaniter additum eſt illud ab hiſtoriographo ſacro] ſuſpicionem vel levem ciere poteſt, hunc noſtrum eſſe eundem; vel gravem, quod hic noſter fuerit iſtius filius [ſi modo Eſſenis filii] vel cognatione propinquus. Eſto hoc vel illud, quærere eſt, an *Manaen* hic noſter Evangelicæ ſuæ religionis fundamenta non jecerit in aula Herodis Tetrarchæ dum concionaretur illic Johannes Baptiſta.

Ver. 2. Λειτουργούντων δὲ αὐτῶν τῷ κυρίῳ καὶ νηστευόντων.

1. Religioſiores inter Judæos, die ſecundo & quinto hebdomadæ jejunarunt & convenerunt in Synagogis ad publicas preces & Liturgiam: Unde bene de iis dici potuit, quod iſtis diebus Ἐλειτούργουν καὶ ἐνήστευον. Die Sabbatico Ἐλειτούργουν quidem, ſed non Ἐνήστευον, aſt diebus iſtis ſecundo & quinto, utrumque.

II. Audacius forte foret dicere, Eccleſiam Antiochenam jejunia hebdomadalia obſervaſſe pro more Judæorum. Et adhuc audacius, dicere, eam ſibi elegiſſe dies jejunandi quos Judæi, ſecundum hebdomadæ & quintum. Audaciſſimum, conjectare eam Sabbatum Judaicum obſervaſſe aliquantenus cum Die Dominica, idque cum jejunio, cum Judæi nullo modo tolerarent jejunium iſto die: At quicunque tandem fuerit dies hujus jejunii, vel quæcunque occaſio ex vulgari iſto Judæorum more, facile eſt de Phraſiologia Λειτουργούντων judicare: Nempe quod celebratum eſt publicum jejunium cum publica conventione Eccleſiæ & ſacrorum adminiſtratione; quod quæras an ità factum ver. 3. ubi dicitur Τότε νηστεύσαντες καὶ προσευξάμενοι. An ſcilicet tunc temporis publicum jejunium totius Eccleſiæ, an privatius ſeniorum tantum.

Ver. 3. Ἐπιθέντες τὰς χεῖρας αὐτοῖς, &c.

*Sanhedr.* cap. 1. hal. 3. סמיכת זקנים ועריפת עגלה בשלשה, *Ordinatio Presbyterorum, & decapitatio vaccæ, eſt per triumviratum.*

In hac ergo re congruit hæc actio cum more in Synagoga uſitato, quod *tres*, Simeon, Lucius, Manaen, duobus emittendis Paulo & Barnabæ imponunt manus. At quod *imponunt manus*, recedunt etiam à more uſitato.

*Maimon.* Sanhedr. cap. 4. *Quonam modo eſt ordinatio Presbyterorum per ſæcula? Non ut imponant manus ſuper caput Presbyteri, ſed ut vocent eum Rabbi, & dicant ei, Ecce tu es ordinatus & eſt tibi poteſtas judicandi,* &c. *Ab antiquo unuſquiſque qui erat promotus ad Presbyteratum, promovit etiam diſcipulos ſuos. Verum ſapientes hunc honorem indulſerunt Hilleli ſeni, Statuentes, ſcil. Ne quiſquam ordinetur ad Presbyteratum niſi licentiâ Præſidis. At nec ipſe Præſes ordinet quempiam niſi adſit cum eo vicepræfectus, nec vicepræfectus niſi adſit præſes: At quod ad reliquas Societates attinet, licet uni homini ordinare cum permiſſu Præſidis, aſt adſint cum eo duo alii, Nam non eſt Ordinatio niſi per tres, nec ordinant Presbyteros extra terram.*

Quare abdicaverint impoſitionem manuum, non indignum eſt ſcrutinio ſi eſſet hujus loci, ut & quare reſtringant ordinationem Presbyterorum ad terram Iſraeliticam ſolùm. Aliter ut vides agit Eccleſia Antiochena, & pari normâ Eccleſia Chriſtiana. At quærat quis, forſan, qua ratione, cum impoſitio manuum in promotione Presbyterorum vix uſitata foret vel ſub Templo primo, aut ante vel ſub Templo ſecundo. Non ſub Templo ſecundo, ſi fides Rabbino allegato, aut ſaltem ſi quando uſitata, abdicata tandem. Atque ante Templum ſecundum ubinam ~~talis~~ rei vel vola vel veſtigium?

Ver. 4. Κατῆλθον εἰς τὴν Σελεύκειαν.

Eſt hæc abſque dubio *Seleucia Pieriæ*. De qua *Strabo*, lib. 14. Μετὰ δὲ τὴν Κιλικίαν πρώτη πόλις ἐστὶ τῆς Συρίας Σελεύκεια ἡ ἐν Πιερίᾳ, καὶ πλησίον Ὀρόντης ἐκδίδωσι ποταμός. *Poſt Ciliciam prima urbs Syriæ eſt Seleucia quæ in Pieria dicitur.* Sic interpretatur Xylander omiſſa penitus verſione clauſulæ poſtremæ, quæ innuit *Orontem* flu. non longe ab hinc ſe in mare effundere. Cui ſuffragantur ſitus & ſpatia apud Ptol.

*Seleucia Pieriæ* 68. 36. 35. 26.
Orontis flu. oſtia 68. 30. 35. 30.

Plinio etiam Seleucia Pieriæ & prima ora Syriæ à Cilicia.

*Nat. Hiſt.* lib. 5. cap. 12. *Latitudo* [Syria] *à Seleucia Pieriæ, ad oppidum in Euphrate Zeugma* D.xxv.M.P.

Ἀπέπλευσαν εἰς τὴν Κύπρον.

Qualis turba Judæorum jam fuerit in Cypro, conjice aliquantum à temporibus Trajani retro ex hac ſcilicet hiſtoria.

*Dion. Caſſ.* in vita Trajani. Ἐν τούτῳ οἱ χτ Κυρήνῃ Ἰουδαῖοι, &c.

*Interim Judæi qui circa Cyrenen habitabant, Andrea quodam duce Romanos pariter atque Græcos concidunt, veſcuntúrque eorum carnibus, edúntque viſcera, tum oblinuntur eorum ſanguine, & pellibus induuntur. Multos à vertice ſerris diſcidere medios, multos objecere beſtiis, multos etiam certare inter ſe coegerunt, ità ut interierint hominum ad ducenta viginti millia.*

*In Ægypto & Cypro conſimilia quædam perpetrarunt, duce* [Cypriorum] *Artemione, ubi deſiderata ſunt hominum ducenta quadraginta millia. Ex quo fit ut Judæo in Cyprum venire non liceat. Quod ſi forte vi tempeſtatis in inſulam appulerit, interficitur. Sed Judæi & ab aliis, & maxime à Lucio, quem Trajanus miſerat, ſubacti ſunt.*

Ver. 6. Ὄνομα Βαριησοῦ.
Ver. 8. Ἐλύμας ὁ μάγος, οὕτω γὰρ μεθερμηνεύεται τὸ ὄνομα αὐτοῦ.

I. Quærendum an Ἰησοῦς in Βαριησοῦς, ſit nomen Proprium, an Appellativum. In Interprete Arab. in Bibl. Polyglot. ſcribitur ut nomen proprium ישוע. Aſt in Arab. editionis Erpen. ut nomen Appellativum יאסום. Et ſub eadem notione vocem ſumit Syrus, qui pro *Bar Ieſus* habet בר שומא, *Bar Shuma*, Id eſt,

*Filius nominis* ut vult Beza: Sed verius, *Filius tumoris vel vulneris.* Nam שימא & סומא eſt *Tumor* aut *Puſtula* Targumiſtis Jonath. & Hieroſ. in Levit. 13. 2. & שומתא Syro. Sic & חבורה *Vulnus* ab eo redditur שומתא, *Eſai.* 1. 6. & 53. 5. Et certe *Elymas* nullo modo poteſt eſſe interpretatio τῆς *Barieſus*, ſi *Ieſus* ſit nomen proprium, præſertim ſi ſcribendum ישוע.

II. *Barieſus* ergo ego ſic Hebræis literis ſcripſerim בר יעשוש. Voce à עשש derivata, quæ ſignificat *Contabeſcere*, vel morbo corrodi, ut Pſal. 6. 8. & 31. 10. עששה מכעס עינו; *Contabeſcit*, vel ut Interlin. *Eroſus præ indignatione eſt oculus meus.* Et ad hanc radicem reſpexiſſe Syrum interpretem, dum reddit בר שומא, *Filius vulneris*, vel *morboſi tumoris*, parum eſt dubitandum: Et cum hoc Etymo optime concordat vox *Elymas.*

III. Sunt quidem qui eam eſſe interpretationem vocis Μάγου volunt, Arabicam ſcilicet עלימא, ut *Elymas* idem ſit cum *Magus*; quod à veritate non admodum alienum, & erat cum talis conceptus placeret, at jam hæc duo perpenſa aliò ducunt.

I. Quia merito dubitari poteſt, an velit Lucas vocem Μάγου ſatis notam per longe ignotiorem interpretari: Et merito quæri poſſit, quare hic Magus ſolus vocetur *Elymas*, cum ſecundum iſtam Etymologiam, omnes ejuſdem officinæ artifices, eandem nomenclaturam poſſint ſubire.

II. Quia Syrus & Arabs vocem *Elymas* non inchoant ab ע *Ain*, ſed ab א *Aleph.*

A voce Arabica igitur אלם الم *Alima vel Elima* deductum eſſe hoc nomen ego minimè dubito, quæ *Dolere* ſignificat vel *Cruciari*: Atque ut conveniat ſenſus cum vocabulo עשש, nemo non videt. Nam quid cognatius quam *Contabeſcere* & *Dolere*; *Morbo corrodi* & *Cruciari?* Et nuncupatum hunc Magum, nomine ſuo Hebræo opinor בר יעשוש *Bar Ieſus*, & ſic inter Judæos Hebraizantes vocitatum, aſt inter Arabizantes *Elymas*, quod idem ſignificat lingua Arabica.

Inſitatius quidem eſt quod vocem Hebræam reddat Lucas Arabicè, & non Græcè, quod Evangeliſtis ſuetum. At videtur, Magum hunc natum atque educatum fuiſſe in regione aliqua aut loco, ubi vernacula lingua erat Arabica, in qua habitarunt etiam Judæi lingua propria etiam utentes, atque inde duplici hoc nomine eum fuiſſe notum. Fallor, aut ipſa *Jabneh*, nobiliſſima Academia & Sedes Synedrii, erat in tali regione. Nam totam Philiſtæorum regionem, vel maximam ſaltem ejus partem, vernaculè Arabizaſſe, demonſtrabimus alibi eſſe admodum probabile.

Ver. 9. Σαῦλος ὁ καὶ Παῦλος.

Nomen Hebræum & Romanum pro relatione ejus ad utramque gentem. Utpote quod eſſet genere Judæus, & nuncupatus *Saulus*, at donatus civitate Romana, atque inde dictus Paulus. Sub eadem notione *Silas* eſt etiam *Silvanus*; erat enim & ille Romanus, ut colligere licet ex Act. 16. 37.

Apoſtolus hucuſque verſans maximè inter Judæos, nomen retinet ſuum Judaicum; at jam declaratus Apoſtolus Gentilium, atque inter Gentiles peregrinans, à Luca nuncupatur tantum nomine ſuo Gentilitio.

Ver. 10. Τοῦ Διαβόλου.

Annon idem in Ver. Teſtamento ſonat בן בליעל, *Filius Belial?* בכור שטן videtur & durius ſonare primo auditu, & nonne primo intuitu redderet *Primogenitus Satanæ?* Cedit tamen Rabbino cuidam in laudem & titulum honoris, *Hieroſ. Jevamoth*, fol. 3. 1. *Bab. Jevamoth*, fol. 16. 1. longe alia ſignificatione; & vocabulo שוט à שטן derivato.

Ver. 12. Ἀνθύπατος.

Uſitata eſt hæc vox Talmudicis, variatâ aliquantum lectione.

*Hieroſ. Beracoth*, fol. 9. 1. *R. Chanina & R. Joſua ben Levi tranſierunt* קומי אנטיפורתא דקיסרין, *coram* Ἀνθυπάτου *Cæſariæ. Ille eos videns aſſurrexit iis. Cui ſui, Te ne aſſurgere hiſce Judæis? At ille, vidi facies eorum ſic ut Angelorum.* Vid. *Aruch* in voce.

Ver. 13. Ἦλθον εἰς Πέργην τῆς Παμφυλίας.

A Papho Cypri, ſive veteri ſive nova, utravis maritima ad littus inſulæ occidentale ſitâ, navigant ut videtur in oſtia Ceſtri fluvii, de quo ſic Strabo.

Geograph. lib. 14. Ἐπὶ ὁ Κίστρος ποταμὸς ὃν ἀναπλέουσιν σταδίους ἑξήκοντα Πέργη πόλις. *Deinceps eſt Ceſtrus fluvius quo adverſu ſi ad Lx ſtadia quis ſubvehatur, ad Pergam venit urbem. Quam prope in ſublimi loco Templum eſt Dianæ Pergææ, ad quod ſingulis annis ſacer eſt conventus.*

De *Ceſtro* fluvio etiam Ptol. ut & de *Cataracto*, de quo etiam Strabo. At

*Mela*, lib. 1. cap. 14. *Deinde alii duo validiſſimi fluvii Oeſtros & Cataractes. Oeſtros navigari facilis; hic quia ſe præcipitat, ità dictus. Inter eos Perga eſt oppidum,* &c. Meritò ſuſpiceris errorem Scribæ in *Oeſtros* pro *Ceſtros.* Et mireris Olivarium de hac re nihil annotaſſe.

Suſpicari licet non fuiſſe Synagogam Judæorum in Perga, cum nec talis rei ſit mentio, nec aliquid ibi actum ab Apoſtolis memoretur. Hoc tantum refertur, Quod ibi receſſerit ab iis Johannes Marcus. Qua ratione ignotum.

Ver. 24. Παρεγένοντο εἰς Ἀντόχειαν τὴν Πισιδίας.

*Strabo*, lib. 12. ex Artemidoro tredecim urbes Piſidiæ memorat, inter quas mentio nulla de Antiochia. At Plin. lib. 5. cap. 27. *Inſident vertici Piſidiæ quondam Solymi appellati, quorum colonia Cæſarea eadem Antiochia.* Et Ptol. Πόλεις ἡ εἰσὶν ἐν Παμφυλίᾳ μεσόγειοι, Φρυγίας μὲν Σελδύκεια, Πισιδίας δὲ Ἀντόχεια. Ubi ejus interpres confusè ſatis, *Civitates autem ſunt in provincia mediterranea. Phrygia quidem Piſidiæ. Seleucia Piſidiæ. Antiochia*, & in marg. *Cæſarea.*

Ver. 15. Μετὰ δὲ τὴν ἀνάγνωσιν τοῦ νόμου καὶ Προφητῶν.

At quanam lingua lecti Moſes & Prophetæ in hac Synagoga? Concipitur vulgò Biblia Græca lecta fuiſſe in Synagogis Helleniſtarum; at num lingua iſta intellecta à Piſidis?

*Strab.* lib. 13. ad fin. *Inter maximas Aſiæ præfecturas Cibratica habetur.* Τέτταρσι δὲ γλώτταις ἐχρῶντο οἱ Κιβυρᾶται, τῇ Πισιδικῇ, τῇ Σολύμων, τῇ Ἑλληνίδι, τῇ Λυδίων. *Quatuor linguis uſi ſunt Cibyratæ, Piſidicâ, Solymorum, Græcâ, Lydiâ.* Ubi plane diſtinguitur lingua Piſidica à Græca. Et ſi Moſes & Prophetæ hic lecti eſſent ex verſione Græca, num illi intellecti à Piſidis?

Imo, inquies, nam ipſum nomen urbis Antiochia, arguit eam fuiſſe coloniam Græcam. Eſto; at ſupponatur fuiſſe Synagogam Judæorum in aliqua Piſidiæ civitate merè Piſidica, *Selge, Sagaleſſo, Perneliſſo,* &c. aut in aliqua urbe Solymorum aut Lydorum, quanam lingua illic lecta biblia? Eâdem abſque dubio linguâ, eodémque modo quo lecta in Synagogis Hebræorum, hoc eſt, lingua Originali Hebræâ, aſtante interprete qui redderet in linguam vernaculam.

Ver. 14. Ἐκάθισαν.

Sic vulgo dictum eſt de aliquo docente יתיב, *Conſedit.* Et ſi non aliunde notitiam habuerunt rectores Synagogæ de *Paulo* & *Barnaba* quod eſſent concionatores, hinc expiſcari potuerunt, Quod intrantes Synagogam, *Conſederint*, pro more Docentium, aut Concionantium.

Ver. 16. Οἱ φοβούμενοι τὸν Θεόν.

Id eſt, Proſelyti.

*Bemidbar rabba*, fol. 227. 2. *Benedictus omnis qui timet Dominum, qui ambulat in ſemitis ejus.* Pſal. 128. *Non dicit Benedictus Iſrael, Benedicti Sacerdotes, Benedicti Levitæ, ſed Benedictus omnis qui timet Dominum.* אילו גרים שהם יראי ה'. *Hi ſunt Proſelyti qui ſunt* Φοβούμενοι τὸν Θεόν. *Sicut dicitur de Iſraele, Benedictus tu O Iſrael, ſic etiam de iſtis dicitur, Benedictus eſt omnis qui timet Dominum. Et de quonam Proſelyto dicitur, Benedictus? De Proſelyto qui eſt Proſelytus juſtitiæ. Non ſicut Cuthæi iſti de quibus dicitur, Deum timuerunt, & Deos proprios coluerunt.*

Ver. 18. Ἐτροποφόρησεν αὐτούς.

Particula Ὡς videtur excludere lectionem Ἐτροποφόρησεν· quæ vox occurrit apud Græc. Interpret. Deut. 1. 31. Ἐτροποφόρησε quidem illos Deus, per totos annos quadraginta: Sic etiam, inquies, Ἐτροποφόρησεν αὐτούς· quod à veritate non alienum. Verùm cum Apoſtolus addat ὡς, videtur tempus illud reſpicere potiſſimùm, quod interceſſit inter fatale decretum de non intrando terram & introitum.

Ver.

Ver. 19. Ἔτη ἑπτά.

שבעה אומות Rabbinis frequentissimum cum de gentibus, Canaanæis loquuntur.

Ver. 20. Ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα.

Inter plurima quæ dicuntur, ego hoc eligere: Quod sub hoc numero calculantur anni Judicum, atque anni Tyrannorum Israelem opprimentium, seorsim et disjunctim computati; quos primo aspectu quispiam judicarit sic numerandos; nisi quod 1 Reg. 6. 1. luxurianti computo froenum injiciat.

I. Huic numero exacte respondent anni Judicum et Tyrannorum, sic discreti.

| *Judices.* | | *Tyranni.* | |
|---|---|---|---|
| Othniel | 40 | Chushan | 8 |
| Eliud | 80 | Eglon | 18 |
| Deborah | 40 | Sisera | 20 |
| Gedeon | 40 | Midian | 7 |
| Abimelech | 3 | Ammon | 18 |
| Tola | 23 | Philisthæi | 40 |
| Jair | 22 | | |
| Jephtah | 6 | Summa | 111 |
| Ibsan | 7 | | |
| Elon | 10 | | |
| Abdon | 8 | | |
| Sampson | 20 | | |
| Heli | 40 | | |
| Summa | 339 | | |

Connumeratis ergo 339. & 111. assurgit computus exacte ad 450.

II. Hanc calculationem sequi Josephus videtur plane.

*Antiq.* lib. 8. cap. 2. *Solomon Templum ædificare cœpit, regni sui anno quarto mense secundo, quem Macedones Artemision vocant, Hebræi Ijar.*

Μετὰ ἔτη πεντακόσια καὶ ἐνενήκοντα καὶ δύο τὴν ἀπ' Αἰγύπτου ἔξοδον. *Post quingentos nonaginta duos annos ab exitu ex Ægypto.*

Numerantur in 1 Reg. 6. 1. anni 480. Numerat ille 592, annis 112 numerum istum excedentibus: Sicut anni 111 tyrannorum, numerum hoc in loco excedere faciunt.

III. In particulari horum annorum calculatione, omittere non possum illud quod de Sampsone dicitur, in

*Hieros. Sotah.* fol. 17. 2. *Dicit Sampson, Domine æterne, Da mihi mercedem pro uno oculorum meorum in hoc mundo, & pro altero in mundo futuro. Scriptura una dicit* וישפוט את ישראל ארבעים שנה, *Et judicavit Israelem quadraginta annis. Et Scriptura alia dicit,* והוא שפט את ישראל עשרים שנה, *Et ille judicavit Israelem viginti annis. R. Acha dicit, Innuitur quod metuerunt eum Philistæi, viginti annis post mortem ejus, sicut metuerunt viginti annis dum viveret.*

Putares ex his verbis, de *Sampsone* scriptum esse Quod ille judicavit Israelem 40 annis, quod tamen non reperitur; at bis tantum, Quod *judicavit viginti annis*, Judic. 15. 20. & 16. 31. unde quidem concludunt Scriptores Hebræi illud quod dictum, nempe quod formidabant eum viginti annis post mortem ejus. De Heli quidem dicitur quod ille judicavit Israelem quadraginta annis, 1 Sam. 4. 18. ubi dum apud Græc. Interpretes lego ἔτη, *viginti* tantùm, suspicor eos communi Judæorum opinione aliquantum favere.

Ver. 33. Ἐν τῷ ψαλμῷ τῷ δευτέρῳ.

*Hieros. Taanith.* fol. 65. 3. *Quare sunt orationes quotidianæ octodecim? R. Josua ben Levi dicit, secundum octodecim Psalmos, ab initio Psalmorum, ad Exaudiat te Deus in die tribulationis* [Psal. 20.] *Si autem dicat tibi quispiam, quod sunt novendecim,* אמור לו למה רגשו לית הוא מינון, *Dic ei, Quare fremuerunt* [Psalmus secundus] *non est de iis. Hinc dicunt, Ille qui orat & non exaudiatur, necesse habet ut jejunet.*

I. Hinc judica an secundus hic Psalmus, conjunctus & confusus fuerit cum primo, cum aliqualiter videatur separatus à toto numero. Et videsne argumentationem Rabbini? Probaturus ille numerum Orationum quotidianarum octodecim, adaptari ad numerum octodecim Psalmorum, ab initio libri ad *Exaudiat te Dominus*, &c. Psal. 20. recurrit ad vulgare axioma, *Ille qui orat & non exauditur jejunet*: ac si fundaretur istud axioma ex paritate numerorum, atque axiomatis authores eò respicerent. Q. d. Ille qui fundit octodecim istas orationes, quæ sunt secundum numerum octodecim istorum Psalmorum, & non exauditur, jejunet & exaudietur, secundum tenorem Psalmi proxime sequentis, *Exaudiat te Dominus in die angustiæ*, id est, in die quo te anguſtias & affligis jejunio.

II. Quanam ratione Psalmum istum excluserint ex numero, sollicite non indagabimus: In eo quamvis ità excluso reperitur tam nobile testimonium de resurrectione Messiæ, & forsan eò spectat Apostolus in hisce verbis. Sin minus, ex eo quod numerum & ordinem Psalmi notat, conjectare licet illum in hunc sensum loqui, Testimonium habetis de resurrectione Christi in ipso fere limine libri Psalmorum, tam prope ab ejus initio, ut etiam in Psalmo secundo occurrat.

Υἱός μου εἶ σύ, ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε.

Fatetur R. Sol. Rabbinos hunc Psalmum interpretari de Messia; at mavult ille ad Davidem applicari. Nam cavent Judæi ne Messias agnoscatur genuinus Filius Dei. Hinc *Midras Tillin* in locum. *Filius meus tu. Hinc respondere licet hæreticis qui dicunt quod est Deo Filius. Responde tu* בן לי אתה אינו אומר, *Non dicit, Filius mihi tu,* אלא בנן אתה, *Sed Filius meus tu.* [Acuta certe distinctio.] *Sicut cum blande alloquitur herus servum, & dicit, Ego diligo te sicut Filium meum.*

Sic & Targum in locum. *Dixit Dominus* חביב כבר לאבא לי אנת. *Dilectus tu mihi sicut Filius Patri.*

Agnoscunt de *Messia* ibi agi, ut *Succah*, fol. 52. 1. Sed cave ne agnoscas eum pro genito Filio Dei, si Judaizare velis. Ut locum hunc eludere conentur nimium esset &c inane versutias eorum congerere. Aptius est argumentationem Apostoli observare, & quonam modo hæc verba Psaltæ innuant resurrectionem Messiæ.

Obiter hæc verba accipe ex Midr. Till. ubi prius. *R. Houna dicit,* נ' חלקי' נחלקו היסורין, *Tres portiones castigationum divisæ sunt. Unam acceperunt patres mundi, atque omnes generationes. Alteram generatio persecutionis, aliam generatio Messiæ. Et cum tempus ejus advenerit, dicet Sancta ben* עלי לבראתו ברייה חדשה, *Mihi incumbit creare illum novam creaturam, & sic ille Dicit* היום ילדתיך, *Hodie ego te genui.*

Quærentibus Judæis à Salvatore signum, reponit ille semper signum Jonæ Prophetæ; futuram scil. suam resurrectionem indubitatissimum de eo signum, quod ille Filius Dei, verus Messias.

Sic Rom. 1. 4. *Manifestatus Filius Dei per resurrectionem à mortuis.* Nam sic ille quidem discretus ab omnibus mortalibus, & filiis hominum. Et Deus se eum jam tum genuisse dicit, cum indicium ille dederat, se non merum hominem fuisse, per divinam suam virtutem quæ eum à morte resuscitaverat. Et secundum tenorem totius Psalmi Deus eum tunc genuisse dicitur, cum statueretur ille Rex in Sion, & cum omnes gentes sub eo essent subditæ: In quæ commentantur ipsius verba, immediate post resurrectionem suam prolata, *Data mihi est omnis potestas, &c.* Matth. 28. 18.

Quidnam sibi volunt verba ista Matth. 26. 29. *Dico vobis, Non bibam amodo de hoc fructu vitis, usque in diem istum cum illum bibam vobiscum novum in regno Patris mei.* Nonne huc recidunt, De eo non bibam amplius ante resurrectionem meam? Nam revera resurrectio ejus erat initium regni ejus, cum jam hostes suos devicerat, Satanam, Orcum, mortem. Inde ille genitus & status Rex in Sione.

Fallor, aut Psal. 110. 3. aliqualiter consonat. Liceat Mihi Paraphrastice sic reddere. *Populus tuus erit populus spontaneus in die potestatis tuæ. Erit populus spontaneus in decoribus sanctitatis. Erit populus spontaneus ab utero auroræ, Tuus est ros juventutis tuæ.* Jam vero ros Christi est virtus ejus, vivificans mortuos, Esai. 26. 19. Ros autem juventutis tuæ O Christe tuus, est, id est, virtus propria te resuscitat. Ad resurrectionem ejus ergo applicaverim verba ista *Ab utero auroræ*; erat enim resurrectio Christi ipsum diluculum & aurora novi mundi, et novæ creationis.

Ver. 34. Τὰ ὅσια Δαβὶδ τὰ πιστά.

Τὰ ὅσια hoc in loco desumi à versione Græca in Esai. 55. 3. notant omnes.

At rarius notatur per *Davidem* hîc intelligi Christum, quod tamen in locum Prophetæ benè observant ipsi Rabbini, Kimchius et Ab. Ezra. Suffragante plane com-

commate proxime sequenti. Vocatur ergo resurrectio Christi, interprete hoc Apostolo, Τὰ ὅσια τοῦ Δαβὶδ τὰ πιστά. Et promittit Deus apud Prophetam, unde hæc desumuntur, resurrectionem, beneficiáque resurrectionis Christi. Mortem ejus prædixerat, promiserátque, cap. 53. At quidnam misericordiarum expectandum per mortuum Messiam, siquidem ille semper mortuus. Instabiles atque infirmæ ejus beneficentiæ si morte terminantur. Promittit ergo beneficentias & misericordias, firmas, stabiles & nunquam terminandas, effluxuras ex ejus resurrectione.

Cum hæc citentur ex Propheta, in verbis Græcorum interpretum, variantibus aliquantum à verbis Prophetæ, atque ea multo magis ver. 41. Ἴδετε οἱ καταφρονηταί, &c. quæri possit quanam lingua concionatus jam fuerit Apostolus: ut & quanam lingua lecti in hac Synagoga Moses & Prophetæ, ver. 15.

An Græca? quærere licet an ea intellecta à Pisidis. An Pisidica? Vix credas Biblia in linguam istam jam esse versa. Notata dignum est illud *Strabonis*.

*Geograph. lib.* 13. ad fin. *Inter maximas Asiæ præfecturas Cibyratica habetur.* Τέτρασι δὲ γλώτταις ἐχρῶντο οἱ Κιβυρᾶται, τῇ Πισιδικῇ, τῇ Σολυμων, τῇ Ἑλληνιδι, τῇ Λυδων. *Quatuor linguis usi sunt Cibyratæ, Pisidica, Solymorum, Græca, Lydia.* Lingua Pisidica alia erat à lingua Græca, & si Moses & Prophetæ essent lecti ex versione Græca, quod vulgo supponitur inter Hellenistas fieri, parum intellecti essent in Synagoga: Aliquid quidem dici posset in contrarium, ex ipso nomine urbis. Erat Antiochia, Græca forte colonia, utpote structa à Principe Græco. Detur; at supponatur fuisse Synagogam Judæorum in alia aliqua Pisidiæ civitate merè Pisidica, quanam lingua illic lecti Moses & Prophetæ? Eâdem absque dubio linguâ eodémque modo quo lecti in Synagogis Hebræorum, hoc est, linguâ originali Hebræa, astante interprete, qui redderet in vernaculam.

Ver. 41. Ἴδετε οἱ καταφρονηταί, &c.

Doctissime hic ut semper Cl. Pocochius. Miscellan. 3. Ubi quidnam legerint Græci Interpretes Habac. 1. acutissime explorat. Salvâ interim lectione quam exhibent Biblia Hebræa. Nam aliud est ut illi legerint, aliud ut verè sit legendum.

Ver. 42. Παρεκάλεσαν τὰ ἔθνη, &c.

In æquilibrio ferè per vim verborum est, quantum ego video, an reddas *Illi rogârunt Gentes*, an *Gentes rogârunt illos*. Posterior Interpretatio obtinet plerumque: At quid absurdi si admittas priorem? Et nonne ordo verborum in eam nutare videtur magis. Si esset τὰ ἔθνη παρεκάλεσαν, in posteriorem inclinares absque controversia. Sed cum sit παρεκάλεσαν τὰ ἔθνη, liceat aliquantum hæsitare. Et si ægre tulerunt Judæi doctrinam Apostoli, & discesserunt ex Synagoga offensi, quod nonnullis placet nec quidem videtur improbabile, tunc aptius conceperis Apostolos obsecrasse remanentes Gentiles ut illi patienter eadem audiant iterum.

Εἰς τὸ μεταξὺ Σάββατον.

I. Μεταξὺ inter alia, ut docent Lexicographi, significat *Deinceps* aut *postea*, & notetur concionem hanc habitam fuisse tempore antemeridiano, nam isto solum tempore conventum est in Synagoga, pomeridiano autem conventum in Beth Midras. Quære ergo an Phrasiologia hunc sensum non toleraverit, Rogarunt ut deinceps in isto Sabbato, tempore scilicet pomeriano audirent iterum talem concionem. Et tum an Apostoli rogarent gentes, an gentes Apostolos, perinde esto.

II. Quære an Apostoli & Ecclesia Christiana jam non celebrarent diem Dominicum. Si ità [quod quis inficiabitur] tum judica an Apostoli non invitarent gentes, ut Sabbato Christiano, crastino scilicet, convenirent, & audirent iterum. Si concesseris Diem Dominicum vocandum Sabbatum, concedes facilè rite vocari posse Μεταξὺ Σάββατον. Et quidem cum inter Judæos, vel Judaizantes Proselytos, sermo esset de isto die, non mirum est, si Sabbatum audiret. Ac si dicerent Apostoli, Nos crastino Sabbatum nostrum celebramus, & vultisne vos isto die λαληθῆναι τὰ ῥήματα;

III. Aut esto τὸ Μεταξὺ Σάββατον Hebdomada intercurrens inter duo Sabbata, ut Νηστεύω δὶς τοῦ Σαββάτου, *jejuno bis in hebdomada*; tum ut facillimus labitur hic sensus, rogarunt ut intra hebdomadam sequentem ista repeterentur, ità, respici possunt præsertim, dies hebdomadæ secundus & quintus, in quibus conventum est in Synagoga.

## CAP. XIV.

Ver. 6. Εἰς τὰς πόλεις τῆς Λυκαονίας Λύστραν καὶ Δέρβην.

ERAT etiam *Iconium* intra *Lycaoniam* attestante *Strabone* in verbis,

Geograph. lib. 12. *Inde Lycaonum colles plani frigidi nudi & asinis sylvestribus compascui, &c. Sunt & paludes, major Coralii, minor Trogitis.* Ἐνταῦθα δέ που καὶ τὸ Ἰκόνιον ἐστί. *Circum ista loca Iconium est oppidum probè conditum agro fæliciori, quam in quem diximus onagros pascere.*

Paritérque *Iconium* in *Lycaonia* disponit Ptol. Tab. Asiæ, 1. cap. 6. Quare ergo non nuncupat Lucas *Iconium* urbem *Lycaoniæ*, æquè ac *Lystram* & *Derben*? Quippe quod esset separatæ aliqualiter jurisdictionis.

Plin. lib. 5. cap. 27. *Datur & Tetrarchia ex Lycaonia, qua parte Galatiæ contermina est, civitatum xiiii, urbe celeberrima Iconio.*

Ver. 11. Λυκαονιστί.

Quænam fuerit lingua Lycaonica dictu difficile. Nec dictu facile quare hoc addatur, cum sat fuisset dixisse, Ἐπῆραν τὴν φωνὴν αὐτῶν λέγοντες οἱ Θεοὶ, &c.

I. Vix persuaseris linguam Lycaonicam fuisse Dialectum Græcæ, cum peculiares & distinctas ab ea linguas in hisce regionibus fuisse vernaculas, arguant satis ista quæ produximus nuper ex Strabone. Notétque ipse lib. 8. *Cares* [erant autem hi propius à Græcia siti quam Lycaones] vocari ab Homero Βαρβαροφώνους· Sic etiam Phryges sunt Barbari. Pausan. lib. 1.

Audiatur iterum Strabo, lib. 12. Statim ab initio. *Cappadoces qui eadem utuntur lingua, ii maxime sunt qui definiuntur versus meridiem Cilicio qui vocatur Tauro. Versus Orientem Armenia & Colchide, καὶ τοῖς μεταξὺ ἑτερογλώττοις ἔθνεσι· aliisque interjacentibus gentibus, quæ sermone diverso utuntur.*

Qualis inter has aliásve linguas, fuerit lingua Lycaonica, expiscetur cui est animus & facultas, nos talia nec audemus, nec possumus.

## CAP. XV.

Ver. 2. Γενομένης οὖν στάσεως καὶ συζητήσεως, &c.

SI vertenda mihi hæc verba in linguam Talmudicam [quæ erat lingua Scholastica] reddiderim Στάσεως per פלוגתא, & Συζητήσεως per ביעותא, vocabula Scholis notissima; quo idiomate constructa, nihil pariunt difficultatis.

Ἔταξαν ἀναβαίνειν Παῦλον, &c.

De hoc itinere ipse Paulus Gal. 2. 1. ubi etiam subinfert Ἀνέβην δὲ κατὰ ἀποκάλυψιν, i. e. per revelationem exhibitam Ministris Antiochenis; non enim dictum foret Ἔταξαν, si revelatio ipsi Paulo fuisset facta. Inter alios qui illum jam sunt comitati erat Titus; quem ubi nam ille sibi adoptavit, in itineribus istis suis descriptis cap. 13. & 14. conjiciat qui potest.

Ver. 7. Ἀφ' ἡμερῶν ἀρχαίων.

Parùm dubito Petrum in his verbis respicere dictum illud Salvatoris *Dabo tibi claves Regni Cœlorum*, ut tu scilicet Evangelii januam primus aperias Gentilibus. Tunc elegit eum Dominus, ut per os ejus audirent gentes primùm verbum Evangelii & crederent. Illud autem factum esse dicit, Ἐν ἡμέραις ἀρχαίαις, id est, ut ipse alibi eloquitur, Ἐν χρόνῳ ᾧ εἰσῆλθε καὶ ἐξῆλθεν ἐφ' ἡμᾶς ὁ κύριος Ἰησοῦς, Act. 1. 21. Quod tempus per Ἀπ' ἀρχῆς profertur ab hoc nostro, Luc. 1. 2.

Ver. 16. Ἀνοικοδομήσω τὴν σκηνὴν Δαβὶδ τὴν πεπτωκυῖαν.

*Sanhedr.* fol. 69. 2. *Dixit Rab. Nachman R. Isaaco,* תי שמיע לך אמת אתי בר נפלי, *inde edoceris quando*

*quando venturus sit Bar Naphli? Dicit ille,* מאן רב נפלי, *Quisnam iste Bar Naphli? Respondit alter, Messias. An vero Messiam vocas Bar Naphli? Imo, ait ille, Nam si scriptum est, In die illo reædificabo tabernaculum David,* הנופלת, *Nopholeth.*

Ver. 17. Ὅπως ἂν ἐκζητήσωσιν οἱ κατάλοιποι τῶν ἀνθρώπων, &c.

I. Hebraicè, id est Syriacè, jam locutum fuisse Jacobum vix ut arbitror, negabitur à quopiam. Dictabit enim ratio Concilium Hierosolymitanum aptissimè transfigi lingua Hierosolymitana; atque ipsissima vox Συμεών; à qua orationem suam orditur, arguit Hebraicè jam agi inter Hebræos; non tam quod *Simeon* dicit, & non *Simon*, quam quod Συμεὼν dicit & non Σιμεών· Affectante lingua Syra literam *u* in syllaba prima, ut בוכרא נושמא רובתא, & plurimis ejusmodi; atque in propriis nominibus בן סוטרא, *Ben Sutda* Hierosolymitanis pro *Ben Satda*, מוגדלא, *Mugdala* pro *Magdala*.

II. Non à quopiam ut puto negabitur, Apostolum, hunc textum Prophetæ citantem, ipsissima verba Prophetæ Hebraicæ protulisse; quod nunquam non factum in scholis & concionibus; allegato nempe aliquo Scripturæ testimonio vel loco, prolata sunt semper ipsissima verba originalia. Putasne autem Hebræa Amosi in ore Jacobi fuisse למען ירשו שארית אדם, quo sensu Græca eloquuntur.

Hebræa in *Amos.* 9. 12. sic se habent, למען יירשו את שארית אדום, *Ut possideant reliquias Edom.* Græci autem Interpretes habent, ὅπως ἂν ἐκζητήσωσι, &c. *Ut reliquiæ hominum requirant Dominum.* Ubi de proprio addunt κύριον, quod non est apud Prophetam. Nec quidem adest in codice Romano, verum in MS. Alex. adest.]

An ex incuria an ex industria sic recesserint illi à verbis Prophetæ, vix tanti est ut inquiramus, cum nihil istis Interpretibus sit usitatius quam à fonte Hebræo sic recedere. Consultò hic factum suspicari licet, partim quod inviderent promissionem tam consolatoriam Edomæis, partim quod in Prophetia proximè sequenti dicatur, *Non erunt reliquiæ domûs Esau:* Obad. ver. ult. Ubi & illud etiam decolorant, reddentes שריד per Πνεῦμα.

III. Hebraica Amosi à Jacobo producta cum themate & proposito ipsius optimè quadrarunt, cum ut hoc probet, *quod Deus respexit Gentes, ut ex ipsis sumeret populum nomine suo,* hæc adducat, *Reædificabo tentorium Davidis, ut possideant reliquias Edom.* Τὸ λεῖμμα τοῦ Ἐδώμ, pari sensu ac Τὸ λεῖμμα τοῦ Ἰσραὴλ, Rom. 11. 5. Et cum nominatur Edom, hostis Israelis omnium acerrimus, unde desumendum & reservandum tale λεῖμμα, clariùs probatur res proposita, *Quod Deus respexit Gentes, &c.*

Verba etiam in versione Græca, quam sequitur Lucas, rem probant, cum mentio fit de *gentibus omnibus requirentibus Dominum*; ideoque eò tutiùs versionem istam illic ille sequitur; quod & facit quidem fere ubique, & quibus illud rationibus, observavimus alibi.

IV. Per *Edomæos* novi apud Talmudicos aliósque Scriptores Hebræorum, vulgo intelligi *Romanos*, at qua ratione non admodùm patet; ast impudentia eorum patet satis, dum Romanos seipsos pro filiis Esau vel Edom agnoscentes, atque in ista re triumphantes, introducunt.

*Avodah Zarah*, fol. 11. 2. *Romæ semel intra septuaginta annos* מביאין אדם שלם, *introducunt hominem integrum* [qui repræsentat Esavum] ימרכיבין אותו על אדם חיגר, *atque equitare eum faciunt super hominem claudum* [qui repræsentat Jacobum, & sic indicant Esavum jam dominari Jacobo] ומלבישין אותו בגדי אדם הראשון, *Et amiciunt eum vestamentis Adami* [ista erant vestimenta desiderii, בגבי ממרות, Gen. 27. 15. quæ erant Esavo] *Atque imponunt ei in caput,* קרקפלו של רבי ישמעאל, *cutem capitis R. Ismaelis* [erat ille summus Pontifex, & interemptus est per Regnum Romanum; Ob summam autem faciei ejus venustatem, cutem faciei detrahi fecit filia Cæsaris, & balsamo conservari] ותלו לו מתקל זוזא רפינא, *Atque appendunt ei unionem margaritam ponderis Zuzei—& proclamant coram eo* סך קירי פלסמר אחוח דרמנא זייפנא. *Computis Domini* [Jacobi, ut glossa una, vel Isaaci ut altera] *est falsitas* [Prophetia ejus qua promisit filiis suis redemptionem, est mendacium] *Frater Domini nostri* [Esavo] *est deceptor.* מאי רחמי חמי ודלאחמי לא חמי, *Quicunque videt* [præsens spectaculum] *videat, & quicunque non videt non videbit* [ad septuagesimum ab hinc annum.] *Quid prodest deceptori deceptio sua, & quid falsificanti falsitas sua? Et sic tandem conludunt,* ווי לדין כך יקום דין, *Væ huic quando exurget ille.* [Væ Esavo, quando exurget Jacobus.]

Hæc ideo exscripsimus ut specimen exhiberemus, quanta confidentia Judaici Scriptores Romanos habeant pro Edomæis; de quibus vix loquuntur unquam sine detestatione & splene, execratione & odio. Verba quæ inclusimus intra parentheses non nostra sunt, sed Glossatoris.

V. Parum credimus Romanos pro Edomæis sic habitos fuisse à Judæis, cum exararetur versio Græca; at satis credimus, Edomæos tunc temporis æquè odiosos fuisse Judæis, ut non mirum sit Interpretes istos ex isto odio, bona illa quæ prænuntiaverat Amosus reliquiis Edom eventura, illis invidisse, & verba ejus aliò divertisse.

*Shemoth rabba*, fol. 152. 3. *Hæc est oblatio quam accipies ab iis, Aurum, Argentum & Æs*, Exod. *Aurum est Babel. Argentum est Media. Æs est Græcia*, Dan. 2. *At de ferro nulla mentio. Quare? Quia Edom improba quæ vastavit Sanctuarium, assimilatur ei. Ad docendum, quod ab omni Regno, Deus accepturus est oblationem tempore futuro præter Edom.*

Ver. 20. Ἀπέχεσθαι ἀπὸ τῶν ἀλισγημάτων τῶν εἰδώλων καὶ τῆς πορνείας.

I. Quæri merito potest an quatuor hæc prohibita essent sub una eadémque uotione, hæc scilicet, ne objiceretur Judæis offendiculum à Gentilibus conversis, si ab omnibus hisce rebus non abstinerent, an non aliud aliquid foret etiam intertextum, ne scilicet Gentiles isti conversi, ad aliquid pristini sui Ethnicismi relaberentur. Ἀπέχεσθαι, ἀπ' εἰδωλοθύτων καὶ πορνείας, videtur hoc respicere, atque Ἀπὸ πνικτοῦ καὶ αἵματος, illud.

Mirari interim licet cor & frontem *Nicolaitarum*, qui ex diametro, contrarium huic Apostolorum decreto, non practicarent solum, sed docerent, Apoc. 2. 14. 20. Balaamitæ & Jezebelitæ, qui quonam fuco potuerunt tam horrendam & diram praxin & doctrinam venustare? An libertatem Evangelicam prætexentes? Annon amore & charitate ab Evangelio præscriptis abutentes potius? Præ se ferentes nempe transcendentiorem aliquam amicabilitatem, vellent quidvis cum quovis comesse, & cum quavis coire. Meditatus sum sæpiusculè super verba ista Apostoli, 1 Tim. 4. 3. *Prohibentes matrimonium*, quinam illi tandem qui prohiberent, maxime autem quanam ratione prohibuerint. Novimus qua ratione irrationali, prohibitum sit matrimonium quibusdam, in Ecclesia Romana, in ultimis hisce diebus mundi; ast à quibus & quare, vetitum illud in ultimis diebus Oeconomiæ judaicæ, ad quæ tempora respexit Apostolus isto in loco, non facile solvitur.

Quoad clausulam proximè sequentem apud Apostolum *Jubentes abstinere à cibis quos Deus creavit*, subit illud in

*Bava Bathra*, fol. 60. 2. *Cum destrueretur Templum secundò, multiplicati sunt Pharisæi*, vel separatistæ *in Israele, qui dicerent non comedendum carnem nec bibendum vinum: Applicuit se ad eos R. Josua, & dixit iis, O filii mei quare non comeditis carnem nec bibitis vinum? Cui illi. Nosne carnem comesse, de qua soliti sumus offerre in altari, atque illud jam defecit? Et nos bibere vinum, de quo libare soliti sumus in altari, atque illud jam defecit? Respondet ille, Si ità, Non comedemus panem, quia cessarunt oblationes frumentariæ. Non comedemus fructus, quia cessavit oblatio primitiarum. Nec bibamus aquam, quia cessavit ejus libatio, &c.* Et paulo pòst, *Cum decreverit regnum iniquitatis* [Romanum] *in nos asperа —æquum erat ut apud nos statueremus* שלא לישא אשה, *non ducere uxores, nec generare liberos, &c. Sic evenisset ut semen Abrahami ex seipso consumeretur. Sed permitte Israeli, ut potius sint* שיננין *errantes, quam* מזידין *præsumptuosi.*

Quantum chasmatis & distantiæ inter hos homines, & Nicolaitas? & tamen stolidè & superstitiosè ab his in uno extremo peccatum, æquè ac scelestissimè ab istis in altero. Sed his missis, de Nicolaitis mireris ignorantiam, si non norunt decretum hoc Apostolorum, & stupendam contradicendi audaciam, si norunt.

Ἀπὸ τῶν ἀλισγημάτων τῶν εἰδώλων,

In Epistola ipsa Concilii est Ἀπὸ τῶν εἰδωλοθύτων.

Distinguunt rem magistri cum de circa Idololatriam prohibitis agunt, in אסורי אכילה, *Prohibita esui*, & אסורי הנאה, *Prohibita usui.* Εἰδωλόθυτα omnia erant

*Prohibita eſui*; & utenſilia omnia quæ adhibita erant circa ſacrificia iſta Idololatrica, erant *Prohibita uſui*. Ἀλισγήματα τῶν εἰδώλων abſque omni dubio comprehendit omnia Idolothyta; & nonne etiam comprehendit omnia talia utenſilia? Et non injuſta oriri poſſit quæſtio, An cum dicatur in ipſa Epiſtola Ἀπέχεσθαι εἰδωλοθύτων, reſtringat etiam ab uſu talium utenſilium, æque ac ab eſu rerum oblatarum.

Καὶ ἀπὸ τῆς πορνείας.

Cuivis oculo obvia eſt duplex hæc quæſtio. De quanam ſcilicet fornicatione ſit hîc ſermo, & qua ratione fornicatio, qualiſcunque ea tandem, hîc numeretur inter Adiaphora?

I. Cum illud recognoſco quod frequentiſſime occurrit apud magiſtros, quod quædam permittuntur מפני דרכי שלום, *pacis ergò*, & quædam prohibentur מפני דרכי אמוריים, *Propter mores Amorrhæorum*, vel Ethnicorum, promptum mihi eſt ſuſpicari cognationem aliquam ad utrumque, eſſe in his decretis Apoſtolorum. Permiſſum eſſe Gentilibus converſis, in rebus nonnullis Judaizare, pacis ergò, aſt in aliis abſtinere, ne Ethniciſſent, non quidem Judaiſſent.

II. Speciatim, in hac prohibitione fornicationis, animadvertendum. Quod non adeo congruum eſt opinari, opus fuiſſe peculiari præcepto, & præſcripto Apoſtolico, ad eos qui Evangelium jam fuerant amplexati, contra fornicationem vulgari & communi notione ſumptam; cum totus tenor Evangelii contra eam præſcriberet. Atque hac ipſa ratione perſuadere mihi non poſſum, per *Sanguinem* hoc loco prohibitum, intelligendum eſſe homicidium.

III. Erat inter Judæos fornicatio quædam, quæ licita iis videbatur, & colorem aliquem habuit legitimationis: Ea fuit Polygamia.

*Hoſ.* 4. 10. הזנו ולא יפרוצו, *Fornicati ſunt & non multiplicabuntur*. Sic bene reddunt Chald. & Syr. cum vernacula noſtra. Jam vero fornicatio, ut ſcortationem denotat, non optat ſobolem, ſed contrarium potius; ſed de Bigamia eſt ſermo, vel Polygamia; nam in ſterilitate uxoris uſitatum iis alteram foeminam vel plures aſſumere propagandæ prolis ergò, quam rem Deus hoc in loco probro *fornicationis* ſtigmatizat. *Fornicantur ſed non multiplicant.*

Quicquid aliud ſub hoc vocabulo intelligitur, ego hoc certe intellexerim; præſcriptum ſcilicet eſſe ab Apoſtolis contra Polygamiam; rem inter Judæos indifferentem [ſicut fornicatio inter Ethnicos habita eſt pro indifferenti] non incongruè ergo hic memoratam inter Adiaphora.

Dicas, velim ubinam cavetur contra bigamiam aut polygamiam in novo Teſt. ſi non hoc in loco? Dices forſan in verbis iſtis ſalvatoris, Matth. 19. 4, 5. Ubi quidem cavetur contra dimiſſionem uxoris, vix contra Polygamiam, collatis præſertim verbis Apoſtoli, 1 Cor. 6. 16.

Proviſum eſt de Epiſcopis & diaconis ut non ſint bigami, 1 Tim. 3. & non crediderim, non proviſum fuiſſe contra bigamiam Laicorum. Ubinam autem illud factum ſi non in hoc loco?

IV. Erat & fornicatio alia ſenſu ipſo Judæorum uſitatiſſimo [nam Polygamiam minime habuerunt pro fornicatione] eáque præter fornicationem, ut vocant, ſimplicem, quæ fuit contractio matrimonii intra gradus prohibitos, quam illi vulgo vocant עריות, *Nuditates*. Hiſce adeo adverſantur, ut nonnullas earum adjudicent *morti*, omnes לכרת, *Excifioni*. De quibus *Maimon.* fuſè in *Iſſuro biah*, cap. 1. & per totum tractatum. Permiſſo tamen interim ut Gentilis, religioni Judaicæ jam factus proſelytus, matrimonium contrahere poſſit cum cognatis etiam conſanguinitate proximis, cum ſorore, vel ſi velit, cum matre, &c. Idem ibid. cap. 14. [Hinc ortum forſan inceſtuoſum iſtud conjugium, 1 Cor. 5.]

Meritò contra talia matrimonia cavetur per hoc decretum Apoſtolicum, utpote quæ Judæis erant odioſa.

Καὶ τοῦ πνικτοῦ καὶ τοῦ αἵματος.

Hæc Gentilibus converſis prohibita arbitror Judæorum gratia & per modum condeſcenſionis, ut devitaretur eorum offenſio. Per *Sanguinem* ergo ego minimè intelligere poſſum *Homicidium* [& quid per πνικτὸν dicetur illico.]

I. Nam quorſum mentio homicidii in præſenti controverſia? *An Gentiles converſi reducendi ad Moſen?* ubi præcepta Moſis moralia vix in mentem veniunt, utpote exiſtentia præcepta ipſius naturæ; ſed de ceremonialibus eſt quæſtio, & quidnam ad iſtam quæſtionem Homicidium? & ut dictum ante, quid opus tam peculiari cautione contra homicidium, iis qui jam amplexati fuerant Evangelium charitatis & pacis?

II. Per prohibitionem ſanguinis igitur, ego minimè dubito, caveri contra comeſtionem ſanguinis, quod & fit in lege ſemel iterúmque, Gen. 9. 4. Dan. 12. 16, &c. Et vix quicquam nominaveris poſt Idolum, quod magis horreret Judæus, quam comeſtionem ſanguinis.

III. *Sanhedr.* fol. 59. 1. Diſtinguitur inter אבר מן החי, *membrum beſtiæ adhuc viventis*, & דם מן החי, *Sanguinem beſtiæ adhuc viventis*. Prohibetur prius per illud, *Verùm carnem cum vita, id eſt, ſanguine ejus non comedetis*. Prohibetur etiam poſterius, Ne comedas ſcilicet ſanguinem eductum per Phlebotomiam aliterve ex quavis beſtia. Sic *R. Chanina* loco citato. Vid. & Peſikta in Deut. 12. & R. Sol. in Gen. 9. & vice plurium,

*Cherituth*, fol. 76. 2. *Quare prohibetur ſanguis quinquies?* [Gen. 9. 4. Levit. 3. 17. & 7. 26. & 17. 10. Deut. 12. 16.] *Ut includatur ſanguis animalium non ſacratorum, & ſanguis ſacratorum, & ſanguis pulvere cooperiendus, & ſanguis* מן אבר החי, *membri beſtiæ adhuc viventis*, ורם תמצית, *& ſanguis expreſſus*, per Phlebotomiam aut aliter.

Comeſtionem ſanguinis adjudicat ipſe Deus ad *Exciſionem*, Levit. 7. 27, &c. Sed ſubtiles & curioſæ de hac re agitantur quæſtiones & diſtinctiones in *Maimon. Maacaloth Aſuroth*, cap. 6. hanc tantum exſcribamus.

*De ſanguine expreſſionis, & ſanguine membrorum, ſplenis ſcilicet, & renum & teſticulorum, & ſanguine circa cor collecto tempore mactationis, & ſanguine reperto circa jecur, non rei facti ſunt exciſionis, at quicunque de eo comedit vapulet; quia dicitur Nullum ſanguinem comedetis. At de reatu ad exciſionem, dicitur, Quia vita carnis eſt in ſanguine. Non eſt quis igitur reus exciſionis, niſi propter comeſtionem ſanguinis cum quo exit vita.*

IV. Novi quid ſint κρεάδια πνικτὰ apud *Athenæum*, lib. 9. quæ nullum hic poſſunt habere locum; nec eſt cur talia qualia ille menſæ apponit, prohiberentur vel ipſi Judæo. Nec per πνικτὸν intellexerim אבר מן החי, *Membrum beſtiæ viventis*: Partim quod incluſum hoc autumem intra vocabulum αἵματος, partim quod de eo ſic definiatur à magiſtris.

*Maimon. Macaloth aſuroth*, cap. 5. *Traditione diſcunt, quod illud quod dicitur in lege, Non comedes vitam cum carne, prohibet membrum diſciſſum ab animale vivente, & de* אבר מן החי, *membro ab animali vivente diſſecto, dicit Deus Noacho, verum carnem cum vita, hoc eſt ſanguine, non comedetis.* Comedere ergo membrum ſic diſſectum eſt comedere ſanguinem: Et ſub clauſula καὶ τοῦ αἵματος continetur prohibitio comeſtionis, & דם מן החי, *Sanguinis animalis viventis*, & אבר מן החי, *membri animalis viventis*. Et ſub καὶ τοῦ πνικτοῦ, prohibitio comeſtionis carnis non ritè mactatæ, ut non effluxerit ſanguis ut oportuit. De qua re fuſe agitur in tractatu *Cholin*, prolixe ſatis & obſcure. Ubi hoc non poſſum non notare, fol. 33. 1. *Qui comedere vult de beſtia priuſquam exeat vita ejus, exſcindat de carne ejus à loco mactationis, ad quantitatem olivæ, & ſalliat eam valde valde, & lavet eam valde valde, & expectet donec exeat vita beſtiæ, & tum comedat, & hoc æque licitum eſt et extraneo et Iſraelitæ.*

Quum loquimur de non comedendo carnem ex qua non rite exprimitur ſanguis, non neceſſe eſt ut intra hanc claſſem includamus נבלה, *Morticinum*, & טרפה, *Dilaceratum* à feris.

## CAP. XXIII.

Ver. 2. Ὁ ἀρχιερεὺς Ἀνανίας.

QUÆRITUR ab interpretibus an hic Ananias idem ſit cum Anania Joſephi, Pontifice ſummo. Et quæro ego viciſſim, an Ἀρχιερεὺς hoc in loco neceſſariò reſtringatur ad ſummum Pontificem.

I. Apud Joſephum Antiq. lib. 20. cap. 5. & De excid. lib. 2. cap. 21. Ananias ſummus Pontifex, à Quadrato præſide Syriæ, vinctus mittitur Romam, rationem de geſtis ſuis redditurus Claudio Cæſari; ſdque antequam Fælix Judæam intraret ut procurator. Aſt an redierit unquam Hieroſolymam incertum. Incertius an redierit ad Pontificatum. Incertiſſimum an ille in Pontificatu

Pontificatu jam ageret, cum causa Pauli ageretur, post multos regiminis Fælicis annos, cap. 24. 10.

II. Erat sub his temporibus *Ananias* quidam celeberrimus, non summus Pontifex, sed *Sagan Sacerdotum*, de quo sic Talmudici.

*Shekalim*, cap. 6. hal. 1. *Tredecim cistæ Corbanicæ, tredecim mensæ, tredecim adorationes erant in Templo: Illæ autem qui erant de domo Rabban Gamalielis,* ושל בית ר' חנניה סגן הכהנים, *Illisque qui erant de domo R. Ananiæ Sagan Sacerdotum, erant quatuordecim, &c.*

*Pesachin*, cap. 1. hal. 6. *R. Ananias Sagan Sacerdotum dicit, &c.* Sic Misna Hieros.

*Tsemah David. Ananias Sagan Sacerdotum interfectus fuit tempore excidii, cum Rabban Simeone F. Gamalielis.*

*Juchasin*, fol. 57. 1. *R. Ananiah Sagan interfectus dicitur die vicesimo quinto mensis Sivan, cum Rabban Simeone ben Gamaliel, & R. Ismaele.*

Si conciliare non potes Josephum cum Luca circa *Ananiam* summum Pontificem, esto hic *Ananias* Sagan, *Ananias* Lucæ, qui æque vocari potuit Ἀρχιερεύς, ac Pontifex summus, quod patet ex titulis *Annæ & Caiaphæ*, Luc. 3. 2. Nec impedit quidquam quo minus *Ananiam* istum Sagan opinemur fuisse in Saganaru suo, hoc ipso tempore.

Ver. 5. Οὐκ ἤδειν ἀδελφοὶ ὅτι ἔστιν ἀρχιερεύς.

I. Detur eum ignorasse hominem fuisse Pontificem, vel Sagan [quod vix probabile] ignorare tamen non potuit, ex ipso loco & ordine in quo jam sedit, eum fuisse unum de patribus Synedrii, & rectoribus populi: Et cuivis eorum convitiando, transgressus est illud, *Principi populi tui non maledices*, æque ac convitiando summo Pontifici.

II. Parum cedit in honorem Apostoli, opinari quod verba ista, Τύπτειν σε μέλλει ὁ Θεὸς, &c. protulerit vel temere & inconsultò, vel indignatione raptatus & bile, vel nesciens quisnam ille quem sic percussit & cujus muneris, quin quod sobrie, ut Apostolum decuit, locutus fuerit, & cum authoritate & ductu Spiritus Sancti. Nec retractatione verborum, vel apologia pro temeritate, aut opus habuit, aut usus est, in his verbis, sed ejusdem coloris hæc sunt cum istis quæ protulerit.

III. Si hic *Ananias*, fuerit iste *Sagan Sacerdotum* qui periit in excidio, ut dictum ante, conceperim ego, interitum ejus prædixisse Apostolum Propheticè, potius quam temere effutiisse ista quæ postea retractaret. Verba ergo ejus quæ jam tractamus Paraphrazemus, Novi satis non licere maledicere rectori populi, nec ego ei ista dixissem quæ dixi si eum pro tali agnovissem, sed non agnovi, nam ille indignus nomine Ἀρχιερέως.

IV. Præses Synedrii jam erat *Rabban Simeon ben Gamaliel*, defuncto patre ejus Gamalieliz ante biennium aut triennium, aut circiter. Novit Paulus Simeonem & Simeon illum optime ex pristino condiscipulatu, cum uterque sederet ad pedes Gamalielis, & quemnam magnatum non novit Paulus aliquanto grandæviorum, ex educatione & diutina conversatione ejus Hierosolymis? Ità ut incredibile sit eum ignorasse Ananiam sive summum Pontificem si ille jam afforet, sive Ananiam Sagam, vel quosvis in Synedrio ætate provectiores. Intercesserant quidem anni non pauci, ex quo ille Hierosolymis discesserat, adfueráque non parum; at cum ille tot annos ibi olim impenderat, ejúsque foret ordinis & gradus ut officiarius Synedrii foret, diplomate roboratus, tam lapsilis & lubricæ memoriæ esse non potuit, quin quod jam rediens, facies & personas potuerit promptissime dignoscere & distinguere. Et cum dicitur commate proxime sequenti, Γνοὺς δὲ ὁ Παῦλος ὅτι τὸ ἓν μέρος ἐστὶ Σαδδουκαίων, &c. Si quæratur unde ille sic distinguere de personis potuerit, responderi possit, Ex pristina eorum notitia [si non esset unde aliter dignosceret.] Noverat eos dum adhuc ipse Pharisæus versaretur inter ipsos. Vid. cap. 22. 5.

V. Quòd ergo dicat οὐκ ἤδειν, non video ut arguere possit ignorationem personæ [cum qua forsan rem aliquam habuit in obtinendo dirum istud diploma contra Christicolas] quin quod referendum sit ad affectum potius quam ad intellectum; ut sensus sit, Non novi quod sit Ἀρχιερεὺς aliquis omnino, vel non agnosco hunc pro tali. Tutiùs quidem erat invehi potius in personam, quam in officium; si vero sic dixerat de ipso munere, *Non novi quod sit Pontifex aliquis omnino*, non dubito quin quod animum suum elocutus fuerat, bene noscens antiquatum jam esse istum Pontificatum per mortem summi Pontificis nostri Iesu.

Nam proponatur hoc Problema, Quamvis agnoverat Apostolus ministrorum Templi quoad alia [nam ipse purificatus est in Templo] quoad summum tamen Pontificatum, non agnovit ministerium istud peculiare; nonne veritatem secum fert? Cum non contradicendo indicio, sciissione scilicet veli Templi à summo ad imum, demonstraverat Deus finem & abolitionem istius muneris.

At respiciant verba Apostoli, personam & non officium, & dicta sunto quoad hominem, *Non agnosco quod ille* Ἀρχιερεύς, *quod ille tali titulo dignus*; noverat forsan Paulus nequitiam hominis ab olim; vel ex ipsa præsenti ejus injustitia, & temeraria severitate, satis habuit cur sic regereret.

*Nosse* pro *Agnoscere* non inusitatum in sacris paginis: Instantia satis est triste & tremendum illud, *Non novi vos, discedite O operantes iniquitatem.* Et in paginis Judaicis cum aliquando R. Judah succensens מר Bar Kaphra diceret tantum, *Non novi te*, discessit ille ut נזוף *Increpatus*, & assumpsit sibi נזיפה, *Increpationem*,

Historiam habes in *Moed Katon*, fol. 16. 1. *Cum Bar Kaphra eum visitatum veniret dixit ei,* בר קפרא איני מכירך עולם, *O Bar Kaphra ego te nunquam novi, Novit ille quid sibi vellet, Assumpsit ergo in se Increpationem triginta diebus.*

Ver. 8. Σαδδουκαῖοι μὲν γὰρ λέγουσιν μὴ εἶναι ἀνάστασιν.

Quænam ergo religio Sadducæi? Orat, jejunat, sacrificat, observat legem, & tamen non expectat resurrectionem aut vitam æternam. Quorsum hæc religio? Ut obtineat scil. bona temporalia, quorum solùm promissionem observat ille factam in lege, nihil rimans ultra literam.

*Sadducæos* denominationem suam à *Sadocho* quodam, discipulo *Antigoni Sochæi* deduxisse, receptum est vulgò, nec sine ratione. Dum interim quærere licet, an ipse *Sadocus* negaverit resurrectionem, atque an ille rejecerit reliquos libros sacræ Scripturæ præter Pentateuchum, quod aliqualiter fecerunt Sadducæi.

I. Historiam ejus, ea varietate referunt Judaici Scriptores, ut secundum aliquos, credas eum negasse resurrectionem, & futurum præmium, secundum alios non. Sic enim

*Juchasin*, fol. 15. 2. *Sadoc & Baithus fuerunt capita hæreticorum, errarunt enim circa verba magistri eorum, &c.*

*Ramban in Avoth*, cap. 1. *Sadoc & Baithus audientes hæc à Magistro, Ne sitis sicut servi qui hero famulantur præmii ergò, &c. dixerunt inter se, Magister noster nos docet, non esse vel præmium vel pœnam, &c. Recesserunt igitur à norma, et deseruerunt legem, &c.*

Aliter autem,

*Avoth R. Nathan.* cap. 5. *Antigono Sochæo erant duo discipuli qui erant* Δοτῶντες *verbis ejus, discipulis suis & discipuli sui discipulis suis Prostiterunt illi, & docuerunt post eos & dixerunt, Quid viderunt patres nostri, ut dicerent, Possibile est ut operarius præstet opus suum per totum diem, & non recipiat mercedem vesperi. Verùm si nossent patres nostri, quod est alius mundus & resurrectio mortuorum, non sic dixissent, &c.*

Aruch in בית וסין, *Antigono Sochæo erant duo discipuli quorum nomina Sadoc & Baithus, dictavit ille iis, Ne sitis sicut servi qui famulantur hero ideo ut recipiant præmium, &c. Abierunt illi, & sic dictaverunt discipulis suis & discipulorum discipulis* לא אמרו פירושו, *At non exposuerunt sensum ejus* [nota illud.] *Prostiterunt illi post eos & docuerunt & dixerunt, Si patres nostri nossent quod est resurrectio mortuorum, & remuneratio justorum in mundo futuro, non sic dixissent. Prostiterunt illi & separarunt se à lege, &c.* —— *et ab iis prodierunt duæ sectæ malæ, Sadducæi et Baithusæi.*

Addamus & illud Rambani loco allegato לא הבינו כוונתו, Sadoc & Baithus *non intellexerunt sensum Magistri sui* in istis verbis, Ne sitis sicut servi qui famulantur hero præmii ergò, &c.

Ex quibus omnibus collatis prout vides variantes aliquantum Judaicos Scriptores in enarratione hujus historiæ: Sic ex posterioribus hisce collatis, credas ipsum *Sadocum* non fuisse *Sadducæum*, *Bathusum* non fuisse *Baithusæum*; id est, neutrum fuisse fermentatum hæresi negante resurrectionem, &c.

Arrepta est ansa & occasio suscitandi istam hæresin ex verbis Antigoni malè intellectis & depravatis; at non per *Sadocum* et *Baithusum* sic depravatis, nam illi *sensum eorum non intellexerunt*, inquit Rambanus, atque ut liquet ex Arucho, illi nuda verba discipulis suis tradiderunt absque ullo glossemate, et discipuli eorum

disci-

discipulis suis. Ità ut emersisse non videatur nomen, hæresis, & secta Sadducæorum, ante secundam aut tertiam post ipsum *Sadocum* generationem. Quod ni fallor, non indignum est observatione quoad Chronologiam & Historiam.

Erat cum crederemus [& quis non credit?] eò adducti per Authorem *Juchasin* & *Maimoniden*, ipsum *Sadocum* fuisse primum Authorem Sectæ, & Heterodoxiæ Sadducæorum; at pensatiùs rem advertentibus, ex nuper allegatis ex *R. Nathan* & *Arucho*, non improbabile videbitur, non ortam fuisse istam sectam, nisi pluribus annis post *Sadochi* obitum. Conferamus tempora.

Historiam istam Josephi de *Jaddua* obviam facto *Alexandro* M. atque ab illo adorato, agnoscunt etiam Talmudici, at mutato nomine, nam *Simeonem Justum* fuisse aiunt. Hos cum Josepho conciliare circa hominem & nomen, nitatur ille cui fides aliqua ipsius rei & historiæ: Sed esto *Simeon Justus* idem cum *Jaddua* ut volunt nonnulli. Vide Juchas. fol. 14. 1.

Coincidunt igitur tempora *Simeonis* cum temporibus *Alexandri* M. Coævus sit *Antigonus Sochæus*, qui Cathedram post eum capessivit, cum *Ptolomæo Lago*. Contemporanei sint *Sadoc* & *Baithus* ejus discipuli, cum *Ptolomæo Philadelpho*. Atque elabantur deinde tempora unius saltem generationis discipulorum *Sadochi* [si non & alterius] ante enatum nomen *Sadducæorum*.

Hæc si veritatem aut probabilitatem aliquam secum ferant, non immeritò perpendi possunt, dum quæritur quanam ratione non admiserint Sadducæi reliquos libros sacri voluminis, pari authoritate cum Pentateucho Mosis.

Quæro igitur primò, an hoc ab iis factum antequam exarata fuerit versio Græca? Vix dixeris *Antigonum* hoc errore correptum, nec quidem *Sadocum* ejus discipulum: Monstrum foret Præses Synedrii qui non agnosceret distinctionem istam *Legis*, *Prophetarum*, & *Hagiographorum*.

Et mirum foret si *Sadocus* reliquos libros, præter istos *Mosis* abdicaret Magistro suo.

Discere potuerunt Sadducæi, etiam à Scribis & Pharisæis plus honoris tribuere Pentateucho quam reliquis libris sacri codicis, nam & illi idem fecerunt; sed ut rejicerent, à lectione saltem in Synagogis, aliquid aliud certe movit.

Cum observo illud in *Massech. Sopherim*, cap. 1. quòd *Quinque seniores transtulerint legem Græce pro Ptolemæo*. Atque illud apud Josephum Antiq. lib. 1. cap. 1. *Quod lex sola traducta fuit*. Atque utrumque hoc ante exortum nomen sectámque Sadducæorum, suspicari incipio Sadducæos, Samaritanos præsertim, aliquid hausisse ab hoc exemplo. Præcipuéque si verum illud quod refertur ad Aristæa, Anathemati devotum eum, qui versioni aliquid adderet, vel aliquid in ea immutaret. Cum igitur in Sectam secedere voluerunt Sadducæi, imbibita jam hæresi *non esse resurrectionem mortuorum*, & tortis jam tandem Antigoni verbis in talem sensum, minus mirum si libros Mosis solos admittere voluerint; quippe quod in iis nil plani occurreret quod ipsorum errori contradiceret; atque insuper quod libros istos solos consignasse pro sacris viderentur antiquiores illi magni nominis viri, qui eos solos Græcè verterant. Minime autumo Sadducæos omnes versionem istam esse secutos, at suspicor tamen Samaritanos aliquid inde in textum suum introduxisse.

Dicitur in patrocinium versionis Græcæ, quod ea in non paucis concordat cum textu Hebræo Samaritanorum, ac si textus iste Hebræo nostro sit purior, ac secuti fuerint Interpretes Græci istum textum. Concordant quidem non raro. At si dixerim ego, textum Samaritanum in locis istis, aut illorum aliquibus sequi versionem Græcam, & versionem Græcam non sequi textum Samaritanum, plurimum fallor si sit unde confutaveris.

Visne unam aut aliam concordantiam in ipso Pentateuchi limine.

Gen. 2. 2. Hebræa habent, ויכל אלהים ביום השביעי, *Nam perfecerat Deus die septimo opus suum.*

Græca autem, Καὶ συνετέλεσεν ὁ Θεὸς ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἕκτῃ.

Concordat textus Samaritanus, ויכל אלהים ביום הששי, *Perfecit autem Deus die sexto*, &c. Dices tu Græcos Interpretes vertere secundum textum Samaritanum. Dico ego textum Samaritanum formatum esse secundum versionem Græcam. Quis inter nos determinaverit? Nonne pro me illud facit, quod vulgo jactatum inter Judæos? *Quod hæc immutatio facta est per Lxxij. Megillah*, fol. 9. 1. *Massech. Sopherim*, cap. 1.

Sed perinde esto uter-utrum sequatur in hac quam producturi sumus concordantia, capite eodem, *viz.*

Gen. 2. 19. Hebræa habent, ויצר יהוה אלהים מן האדמה, *Formaverat autem Dominus Deus de humo.*

Græca vero, Καὶ ἔπλασεν ὁ Θεὸς ἔτι ἐκ τῆς γῆς.

Concordat textus Samar. ויצר יהוה אלהים עוד מן האדמה, *Et formavit Dominus Deus adhuc de humo*, &c.

Non quæremus hic quis quem sequatur, querimur potiùs de audacia utriusque, in additione vocis ἔτι & עוד: Quæ persuadere videtur, Deum post creatos Adamum & Evam aliquod porro insuperque de novo creasse. Quod mihi quidem adhuc inauditum; & cui non?

Μὴ εἶναι ἀνάστασιν.

Observamus ad Matth. 3. 9. ex glossatore in *Bab. Beracoth*, fol. 54. 1. [si illi habenda fides] fuisse hæreticos in ipsis Ezræ diebus, qui dicerent, *Non esse sæculum aliud præter hoc*: quod quidem coincidit cum Sadducæismo, quamvis nomen Sadducæorum tunc temporis, longáque post intercapedine fuerit ignotum. At quod ad ipsorum hæresin pertinet, cum illi orirentur, videntur illi præcipue & primario negasse immortalitatem animæ, & sic resurrectionem corporis ex consequenti.

Novi תחיית המתים, apud Judaicos Scriptores, infinities sumi pro *resurrectione mortuorum*, at sumitur etiam frequentissime pro *vita mortuorum*; ut illud denoter resuscitationem corporis, hoc immortalitatem animæ.

In initio capitis Talmudicis *Hhelek*, ubi ex instituto agitur de vita mundi futuri, varia congerunt argumenta ad probandum, תחיית המתים מן התורה, *Vitam mortuorum ex lege*; nam sic liceat mihi hic reddere, potius quam *resurrectionem mortuorum*. Rationem judica ex hoc quod adhibent argumento, vice plurium.

*Sanhedr.* fol. 90. 2. *Quidam dicunt quod probatur ex hac Scriptura. Dicit iis, At vos qui adhæsistis Domino Deo vestro*, היום כלכם חיום, *Vivi estis omnes hodie*, Deut. 4. 4. פשיטא דחיים כולכם היום, *Planum est quod vos jam in vivis estis*, cum Moses hæc dicit; *Sed hoc vult quod in die quo omnis mundus est mortuus vos vivetis*. Id est, Vos etiam mortui, tamen vivetis, quæ potius immortalitatem animæ post mortem eloquuntur quam resurrectionem corporis.

Sic responsio Salvatoris ad Sadducæos, Matth. 22. 31, 32. ex verbis istis Dei, *Ego sum Deus Abrahami*, &c. aptatur directè ad sententiam eorum contra immortalitatem animæ redarguendam, parum aut plane aut directè ità probat resuscitationem corporis, ut Sadducæi non potuerunt contra istam probationem cavillari.

Et in dicto illo ipsorum Sadducæorum, de operario per totum diem laborante & non recipiente mercedem suam vespere, palam innuitur, de statu animæ post mortem eos præcipue considerare, & de corporis non-resurrectione ex consequenti.

Sumantur igitur verba hoc sensu, Sadducæi dicunt animas non esse immortales, & non esse Angelos aut spiritus, & patebit dichotomia clariùs, de qua historiographus sacer, cum dicit, Φαρισαῖοι μὲν ὁμολογοῦσι τὰ ἀμφότερα.

Obscurum est ex verbis Josephi an *Esseni* agnoscèrent resurrectionem corporis, qui tamen agnoverunt immortalitatem animæ lubentissime.

*De excid.* lib. 2. cap. 12. Καὶ τοῦ μὲν ἐφ' ἑκάτερα περὶ αὐτοῖς ἥδε ἡ δόξα φθαρτὰ μὲν εἶναι τὰ σώματα, καὶ τὴν ὕλην οὐκ ἐπὶμονον αὐτοῖς. Τὰς δὲ Ψυχὰς ἀθανάτους αἰεὶ διαμένειν. Valet enim apud eos hæc sententia, *Corruptibilia quidem esse corpora, materiámque iis non esse permanentem: Animas autem semper permanere immortales.* Ità ut de immortalitate animæ præcipua fuerit quæstio.

Μηδὲ ἄγγελον μηδὲ πνεῦμα.

Negant animas esse immortales, & negant esse quosvis spiritus [Non negato forsan interim Deum esse Spiritum, atque esse Spiritum Dei, de qua Gen. 1. 2.] Atque ansam hujus opinionis sumerent inde, quod de Creatione Angelorum aut Spirituum apud Mosen sit altum silentium, aut aliunde, quærendum.

De apparitione Angelorum apud eum frequens mentio; & quid ad hoc dicit Sadducæus?

Putasne Samaritanos fuisse Sadducæos? Si ità, observabile valde est, Interpretem Samariticum, vocem אלהים, *Deus*, reddere semel iterumq; per מלאכיה, *Angeli.*

Genes. 3. 5. *Eritis sicut Elohim*, Samar. תהונו כמלאכיה, *Eritis sicut Angeli.*

Cap.

Cap. 5. 1. *In ſimilitudine Dei*, Sam. בתשבית מלאכיה, *In ſimilitudine Angelorum.*
Sic & cap. 9. 6. בצורת מלאכיה, *In ſimilitudine Angelorum.*

At ubicunque eſt mentio Angelorum in textu Hebræo, textus Samaritanus etiam retinet nomen *Angelorum.*

Annon crediderunt Sadducæi fuiſſe quidem Angelos, ſed è rerum natura evanuiſſe? Cum Moſe ſcil. evanuiſſe, & non extitiſſe amplius. An putatis, O boni, Animam Moſis fuiſſe mortalem ac obiiſſe cum corpore? Putatis etiam Angelos cum eo obiiſſe. Neſcio aliter qua arte, aut ingenio eludere poſſitis, iſta quæ apud eum occurrunt de Angelis: Illud ſpeciatim Gen. 32. 1.

Dicetis forſan per Angelos intelligi debere bonos animi motus & affectus: Malos quidem affectus Phariſæi ipſi, vocant aliquando Dæmonia, יצר הרע שטן, *Malus affectus eſt Satanas.*

At nec bonos affectus vocant Angelos, nec vos ipſi illud eò applicare poteſtis, *Angeli Dei obviam ei ierunt, & vocavit locum Mahanaim*; id eſt, *Duo caſtra*, vel *Duos exercitus.* Unum conſtantem ex multitudine propriæ familiæ, & vultiſne vos alterum conſtitiſſe ex bonis affectibus?

Si conceſſerint Sadducæi creatos unquam fuiſſe Angelos [Moſe in hiſtoria creationis id tacente] concederim ego eos agnoviſſe Angelos eo ſenſu quo & nos in tota hiſtoria Pentateuchi, at concepiſſe poſt completam hiſtoriam Pentateuchi in nihilum evanuiſſe; & poſt Moſen non fuiſſe vel Angelum vel Spiritum, vel Prophetiam.

Obſervamus alibi vulgo diſtingui apud Judæos inter *Angelos & Spiritus & Dæmonia.* Ubi per Spiritus intelligere eſt vel ſpectra mortuorum, vel Spiritus ſub humana ſpecie, at non adeo tremenda & terribili ac Angelos. Et quid vel Angelo vel Spiritu opus amplius, inquiet Sadducæus, cum Deus ante obitum Moſis per ejus ſcripta totam ſuam voluntatem revelaverat, legem æternam dederat, & Eccleſiam completè Conſtituerat.

Ignorantia innocens eſt atque inculpanda, neſcire τὰ βάθη τῦ Σατανᾶ, & ſecreta Hæreticorum, & ſi in erudis illorum dogmatibus erremus, forſan non parùm, parùm cedit in ignominiam. Veniale de iis errare, cum iis, mortale.

Ignoſce igitur ignorantiæ noſtræ ſi fateamur neſcire nos penitus quid intererat inter Sadducæum & Baithuſæum, an convenirent in eodem an diſſentirent in aliquibus. De Baithuſæis apud ſacras paginas altum ſilentium, apud Judaicas mentio frequentiſſima, & videntur in quibuſdam diſtingui à Sadducæis, aſt in quibus, obſcurius.

Habes Sadducæos diſputantes cum Phariſæis, *Jadaim*, cap. 4. atque habes Baithuſæos diſputantes cum Phariſæo, *Menachoth*, fol. 65. 1. Baithuſæum aliquid quærentem à R. Joſua. *Schabb.* fol. 108. 1. frequentémque eorum memoriam alibi.

Speciatim vero hoc præterire non poſſumus quod occurrit

*Roſh haſhanah*, cap. 2. hal. 1. *Antiquitùs receperunt teſtimonium de Novilunio à quovis homine* משקלקלו המינים, *Poſtea vero cum fallaciter agerent Hæretici*, &c. Sic legit Miſna Hieroſolymitana. At Babylonica, משלקלו הביתוסין, *Poſtquam fallaciter*, aut *leviter agerent Baithuſæi.* Et Miſna ſeorſim edita Amſterdami משלקלו האפיקורוסים, *Cum leviter agerent Epicuræi.*

Ubi Gemara utraque: *Conati ſunt Baithuſæi in errorem ducere ſapientes, & conduxerint quadringentis Zuzæis unum de noſtris, alterum de ſuis, ut falſo teſtarentur de Novilunio*, &c. Rationem reddunt gloſſatores.

*Incidit dies triceſimus τῦ Adar in Sabbatum, & non apparuit Novilunium in tempore ſuo, & ambierunt Baithuſæi, ut primus dies Paſchatis incideret in Sabbatum, ut oblatio manipuli incideret in primum hebdomadis, & ſic dies Pentecoſtes in primum hebdomadis.*

Quinam jam ſunt Baithuſæi? Sadducæi, an Samaritani, an Chriſtiani, an aliquid quartum? Chriſtiani volunt diem Pentecoſtes eſſe primâ Sabbati; ſed an eos velint, in hac particula judicent alii. In aliis aliter.

*Hieroſ. Ioma.* fol. 39. 1. *Quare adjurant ſummum Pontificem*, ut ritè præſtet opus diei expiationis? *Propter Baithuſæos qui dixerunt, ſuffitum faciat ab extra, atque introducat ad intra. Hiſtoria eſt de quodam qui ſuffitum fecit ab extra atque introduxit ad intra——De quo dixit quidam, Mirarer ego ſi iſte diu viveret. Dicunt quod intra pauxillum temporis obiit.* Crederes hunc Pontificem fuiſſe, & Baithuſæum.

Ver. 9. Γραμματεῖς ἀπ μέρους τ Φαρισαίων.

Nam etiam erant Γραμματεῖς ἀπ μέρους τ Σαδδουκαίων: Atque ex utraque parte, Γραμματεῖς non diſtinguendi ſunt, vel à Phariſæis, vel Sadducæis qui præſentes jam erant in Synedrio; ſed hoc vult, Γραμματεῖς qui erant de ſecta & profeſſione Phariſaica vel Sadducæa. Atque per hanc dichotomiam intelligitur totum Synedrium.

Si vero & ſtrictiùs rem ſumptam velis, erant in Synedrio Scribæ qui ſteterunt à partibus Phariſæorum contra Sadducæos, qui tamen non forent de ſecta Phariſaica. Crediderim & Shammæanos & Hillelianos adverſatos fuiſſe Sadducæis, omnes tamen fuiſſe Phariſæos vix crediderim. Diſputant illi & rixantur inter ſe frequentiſſime in Paginis Talmudicis, at nec hos nec illos faviſſe Sadducæis arbitror, nec omnes faviſſe Phariſaiſmo. Sanguinolenta inter eos pugna refertur *Hieroſ. Schabb.* fol. 3. 3. *Shammæani* [qui tum erant numero plures] *ſteterunt ab infra atque interemerunt quoſdam Hillelianos.* Hoc factum eſt in domo Hananiæ ben Ezechiæ ben Garon, quem ægrotantem venerunt viſitatum. Amica certe viſitatio.

Ver. 11. Οὕτω σε δεῖ καὶ εἰς Ῥώμην μαρτυρῆσαι.

Hinc licentia & intimatio Paulo, appellandi Cæſarem. Rarius erat Judæo appellare tribunal Ethnicum, & dirum malitiæ venenum ſapuit, quod Synedrium ſalvatorem traderet judici Gentili. Paulus igitur cum nullum evadendi modum videret aut locum, ex hac viſione edocetur quid agendum.

Ver. 12. Μήτε φαγεῖν μήτε πεῖν, &c.

Verùm quid ſi Anathematizatio veſtra veſtrûm irrita fiat ut non poſſitis interficere Paulum O boni [quod & evenit] quid fiet de vobis miſeris inedia perituris? Φεῦ, Nos parum de iſta re ſolliciti, habemus Rabbinos qui votum noſtrum ſolvent facilime.

*Hieroſ. Avodah Zarah*, fol. 40. 1. לאחר שנדר מן הכבר ווי דייכל ווי דלא ייכול, *Homini qui vovit ſe abſtenturum à cibo, Væ ſi edat, Væ ſi non edat. Si edat, peccat in votum ſuum*; *ſi non edat, peccat in vitam ſuam*; *Quid ei hic faciendum?* ילך אצל חכמים ויתירו לו את נדרו, *Adeat ſapientes & illi ſolvent ei votum ſuum. Sicut ſcribitur Lingua ſapientum eſt ſanitas*, Prov. 12. 18. Non mirum ſi prodigè & prodigiosè voverent, cum tam facile ſolverentur vota.

## CAP. XXVIII.

Ver. 1. Μελίτη.

PLIN. lib. 3. cap. 8. *In Siculo freto ſunt Inſulæ in Africam verſæ Gauros*; *Melita à Camerina Lxxxiiii M. P. Lilybæo. Cxiii. M. P.*

Ptolomæus eum numerat inter inſulas Africæ πελαγίας. Sic enim ille diſtinguit. Νῆσοι τῆ Ἀφρικῆ προκείμεναι πλησίον τ γῆς. Et Νῆσοι πελάγιαι τ Ἀφρικῆς. Inter has poſteriores occurrit, *Melite inſula in qua civitas Melite* 38. 45. 34. 40.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| *Et Cherſoneſus.* | 38. | 40. | 34. | 45. |
| *Et Innonis Templi.* | 39. | | 34. | 40. |
| *Et Herculis Templum.* | 38. | 45. | 36. | 6. |

Strab. lib. 6. Παράκειται ὃ τῆ Παχύνι Μελίτη, καὶ Γαῦδος ἀπ' αὐ ἡ μὲν ἑκατέρα ἀμφοτέρας διέχουσα. *Ante Pachynum jacet Melite & Grandus* [Plinio *Gaurus*] Lxxxiij. *ab utraque* [Sicilia & Pachino] *ambæ diſtantes milliaribus*; ubi Lat. Interpres habet Lxxxviij. *ſtadiis*, immani menſuræ defectu.

Cum igitur, atteſtante eodem Strabone, lib. 17. diſtantia inter Carthaginem & Lybabæum Siciliæ foret, χιλίων καὶ πεντακοσίων σταδίων, *mille & quingentorum ſtadiorum*, vel ducentorum fere milliarium, diſtarétque Melite à Libybæo Cxiij. M. paſſ. patet inſulam iſtam ſitam eſſe in medio fere inter littus Siculum & Africanum, Carthaginenſium olim ſub dominio: A quibus forſan & inditum linguâ ſuâ *Melita*, id eſt, *Evaſio* vel Effugium, à מלט, *evadere* ob evaſum navigantibus ex Africa periculum Syrtum. Erat certe jam Evaſio Paulo cæteriſque ſimul naufragis.

Ver. 2. Οἱ δὲ βάρβαροι, &c.

Coloſſ. 3. 11. Ἕλλην καὶ βάρβαρος Σκύθης

I. Dicti ſunt Gentiles à Judæis יונים, Ἕλληνες, partim

partim quod Græci præ omnibus gentibus præcellerent lingua & literatura, partim quod succubuerant Judæi tot annis sub imperio Græcorum, Ptolemæorum hinc, illinc Seleucidarum. Hinc I. חכמה יונית, *Sapientia Græca* sumitur vulgo à magistris pro quavis literatura Ethnica, in qua classe præcelluit Græca. Unde illud *Megill.* fol. 9. 2. יפיותו של יפת יהא באהלי שם, *Pulchritudo Japheti erit in tabernaculis Semi.* Ubi Gloss. *Hæc est lingua Græca, venustior quavis lingua filiorum Japheti.* Et Aruch in כתיבת יון ומחרת, *Scriptura Græca elegantissima.* Atque hinc II. quod annos supputarent Judæi, etiam jam sub imperio Romano existentes, per epocham & æram Græcorum, Seleucidarum scilicet. Unde cavillatio ista Sadducæi.

*Jadaim.* cap. 4. hal. 8. *Dixit Sadducæus quidam, Redarguo vos, O Pharisæi, quod scribatis Imperatorem cum Mose.* Gloss. *In literis contractuum scribunt annos regum, & hoc etiam,* ההוא כרת בשה וישראל, *Et hoc est secundum Legem Mosis & Israelis.* Ut numerarint per annos Seleucidarum, vide Josephum & librum Maccab.

II. Eo modo quo vocarunt Judæi omnes Gentiles Græcos, vocarunt Græci omnes gentes præter suam *Barbaros.* Rationem nominis discutit Strabo fusè lib. 14. ad quem lectorem remittimus. Etymon nominis forsan cognationem aliquam habet ad בר, Chaldaicum, quod *extra* significat: Unde זר, *Alienus* vel *Alienigena*, interpreti Samaritico est ברא', *Extraneus.* Ut בר בראי, sit *valde extraneus*, voce duplicata. At mittimus Etymologias: Observantes interim Syrum loco Coloss. allegato pro Ἕλλῃ habere ארמיא, pro Βάρβαροι יוניא [quod præcipue notandum] & pro Σκύθης, ברבריא. Unde hi Melitenses, dicti Barbari obscuriùs, cum omni absque dubio fuerit Insula sub ditione Romanorum, quod & arguit nomen *Publius*, qui Insulæ Princeps. Videntur tamen incolæ esse Africani, huc traducti per Pænos, cum illi insulæ potirentur.

Nam vix arbitror Lucam vocare velle Romanos, *Barbaros*, cum & ea foret gens cultissima, & ambirent omnes nomen Romanum, & Paulus ipse esset adeptus. Traducti forsan fuerunt Melitenses ex ipsa Barbaria, ut pars ista Africæ tandem est nuncupata.

*Jevamoth*, fol. 63. 2. *Dixit stultus in corde suo, Non est Deus,* אילו אנשי ברבריא ואנשי מרטניא. *Hi sunt homines Barbariæ & homines Mauritaniæ qui nudi ambulant in Plateis. Nec est quicquam odiosius aut execrabilius coram Deo, quam ille qui incedit nudus in platea.*

Ver. 4. Ἡ δίκη ζῆν οὐκ ἐᾷ αὐτόν.

Non absimile est illud Judæorum in *Sanhedr.* fol. 37. 2. & *Bemidbar rabba*, fol. 259. 2. *Quamvis cessaret Synedrium, quatuor mortes non cessarunt tamen. Qui enim meruit lapidationem, aut decidit de tecto, aut fera aliqua eum dilaniavit. Qui meruit ustulationem, aut incidit in focum, aut serpens eum momordit. Qui meruit occisionem per gladium, aut traditur in manus regni Ethnici, aut irruunt in eum latrones. Qui meruit strangulationem aut suffocatur in aquis, aut perit Anginâ.*

Ver. 5. Ἀποτινάξας τὸ θηρίον εἰς τὸ πῦρ, &c.

Primum signum miraculosum in sacris literis est circa serpentem, Exod. 4. Sic & hoc ultimum. Utrumque enim benè numerari potest inter merè signa.

Ver. 10. Οἱ καὶ πολλαῖς τιμαῖς ἐτίμησαν ἡμᾶς.

Id est, multis donis munerarunt nos.

*Bemidbar rabba*, fol. 239. 3. *Dixit Manoah Angelo Domini, Quodnam tibi nomen ut cum evenerit verbum tuum,* וכבדנוך, *honoremus te:* Id est, ונתן לך רורון, *Demus tibi donum: Nec aliud est,* וכבדנוך, *& honoremus te, quam aliquo dono: sicut dicitur* בבר אכבדך, *Honorando honorabo te*, Num. 22. 16. Sic 1 Tim. 5. 3. *Viduas honora*, &c.

Ver. 11. Παρασήμῳ Διοσκούροις.

*Cui erat insigne Castor & Pollux* [Gemini in Zodiaco.] Picti vulgò equis insidentes. Et sic apparuerunt [si referenti credes] in pugna ad lacum Regillum, equitatum Romanum ducentes, & ferientes hostem, ità ut eorum ductu obtenta sit victoria. Dionys. lib. 6.

Ast minus fortunatè apparuerunt Pseudocastores isti, de quibus

*Pausan. in Messeniacis*, vel lib. 4. Λακεδαιμονίων ἔτι σεβομένων Διοσκούρους ἑορτὴν ἀγόντων, &c. *Lacedæmoniis intra castra festum Castorum celebrantibus, atque ad potationes ac lusus jam conversis, post prandium Gonippus & Panoremus* [juvenes duo Messenii populationibus Laconum sueti] *de improviso se Lacedæmonios ostendunt, tunicis albis & clamydibus purpureis induti, equisque pulcherrimis vecti. Lacedæmonii eos videntes, rati Castores esse, atque ad propria festa advenisse, eos adorant, iisque supplicant. At juvenes ubi primum in medios recepti sunt per omnes perrumpunt, ubique hastis ferientes, & sic occumbentibus multis, redeunt salvi ad Audaniam, sic contempto Castorum festo.*

Ex horum Pseudocastorum habitu, facile est conjectare quanam forma picti sunt illi, qui, judice decepto populo, erant Castores veri. Venusti juvenes, venustissime vestiti, atque insidentes equis. Effigiantur tamen aliquando pedites ut in obscuro isto ejusdem Pausaniæ loco.

In Atticis vel lib. 1. Τὸ δὲ ἱερὸν τῶν Διοσκούρων δεῖν ἀρχαῖον, αὐτοί τε ἐσῶσιν καὶ οἱ παῖδες καθήμενοι σφίσιν ἐφ' ἵππων. Ubi Lat. Interpretes *Castorum Templum perantiquum est in quo ipsi juvenes equis insidentes spectantur.*

At verba Authoris plane hoc volunt, quod *ipsi Castores effigiarentur stantes, & pueri eorum insidentes equis.* Parallelum quid in Corinthiacis vel lib. 2. facem huic loco præfert, Μετὰ δὲ ταῦτα Διοσκούρων ναός. Ἄγαλμα δὲ αὐτοῖ τε καὶ οἱ παῖδες ἑστᾶσιν. Ἀναξις καὶ Μυασίνης, σὺν δὲ σφίσιν αἱ μητέρες Ἱλάρεια καὶ Φοίβη. *Post hæc est Templum Castorum: Effigiantur autem ipsi & filii eorum Anaxis & Mnasinous, unaque cum iis ipsorum matres Hilaria & Phœbe, Dipœni & Scyllidis arte facta, è ligno ebeni. Ipsis etiam equis major pars ex ebeno facta, reliqua, exigua quidem, ex ebore.*

Creditum est hos Castores esse numina navigantibus propitia. Atque an idcóque eo lubentius Centurio nuper naufragus, navi tale insigne gestanti se committit? Et quid ad hanc superstitionem Paulus? Novit ille se sub meliori numine & tutela convehi, & probabile est ipsum Centurionem aliquid Christianismi imbibisse, & mirum est si non ex diutina societate Pauli aliqui etiam ex militibus. Sed videtur non præsto fuisse aliam navim, saltem non aliam quæ tenderet in Italiam.

Ver. 13. Ἤλθομεν εἰς Πυτιόλους.

Πόλις ἐμπόριον μέγιστον, χειροποίητος ἔχουσα ὅρμους, Strab. lib. 5. *Urbs, emporium maximum, & stationes navium habet manu constructas.* Unde minus mirum si illic jam Christiani, vel aliunde hic mercaturam exercentes, vel à mercatoribus aliunde hic exercentibus Christianismum edocti.

Hujus loci cum hac historia est mentio in *Echah rabbathi*, fol. 81. 2. *Rabban Gamaliel, & R. Eliezer ben Azaria, & R. Josua, & R. Akiba,* נכנסין לרומי, Ἦλθον εἰς τὴν Ῥώμην, Id est, *Iter fecerunt ad Romam* [ut hic ver. 24. Ἤλθομεν εἰς τὴν Ῥώμην, Perreximus versus Romam] ושמעו קול המונה של רומי מפוטליילוס, *Et audierunt sonitum multitudinis Romæ distantis centum & vigenti milliaribus. Inceperunt ergo illi flere, at R. Akiba risit. Cui illi, O Akiba, te'ne videre dum nos flemus? Et ille, Atque eccur vos tandem fletis? Respondent illi, Nonne nobis flendum, cum Ethnici hi Idolatræ, Idola sua adorantes, securi sedent & prosperi & quieti, dum interim Templum scabellum pedum Dei nostri sit incendium, & habitatio ferarum: Nonne nobis igitur flendum? Quibus ille, Hujus ergo ego rideo, Nam si tam prospere sit iis qui Dei iram provocant, multo magis erit iis qui voluntatem ejus faciunt.*

Recitatur hæc historia in *Maccoth*, fol. 24. 1. ubi pro פוטליילוס, *Puteolus*, est ברטיה, cum tamen Gloss. in locum ex *Echah rabbathi* citatum, dicat *In capite tertio tractatus Maccoth scribitur* פטולוס.

*Puteolis* manent Paulus reliquique dies septem, rogantibus loci istius Christianis, quod cedit in honorem Centurionis: Nam imploranda prius ejus venia: Cujus concessio, arguere aliquantum potest ejus favorem erga Christianismum.

Ver. 15. Ἐξῆλθον εἰς ἀπάντησιν ἡμῖν ἄχρις Ἀππίου φόρου καὶ τριῶν ταβερνῶν.

Celebrantur ab Authoribus *Via Appia*, atque *Appii forum*: At *Trium Tabernarum* mentio non adeo frequens. *Zosimo* sunt Τρία κατάλυσις, lib. 2. ubi insidiis *Maximani Herculii* & *Maxentii* ejus filii, strangulatur *Severus* Cæsar.

Ad

## CAP. III.

## *Ad Romanos.*

Ver. 12. Πάντες ἐξέκλιναν, &c

I. HÆC & quæ sequuntur, habes in versione Græca, Psalmo decimo quarto. Addita quidem ad contextum Hebræum, quod nec istis Interpretibus alienum, nec Interpretibus ordinariis in Synagogis. Observavimus alibi, lectori Legis & Prophetarum in Synagogis, astare solitum Interpretem, qui Hebraice lecta redderet populo, linguâ vernaculâ; frequentissimúmque fuisse istis Interpretibus exspatiari, atque in verba lecta commentari & concionari; cujus rei exempla aliqua produximus, quod & observare licet in Targumistis Chaldaicis.

II. Interpretes Græcos idem feciſſe ad istum Psalmum parum dubitamus, & res ipsa loquitur; observato præsertim subjecto de quo ibi disseritur. Sed notetur obiter, Quod ubicunque occurrit aliquid in Sacra Scriptura, vel terrificum, vel vituperabile, vel minax, applicatur illud vulgariter à Judæis ad Ethnicos, quod instantiis infinitis posset illustrari. Nacti ergo isti Interpretes tale subjectum, in illo Psalmo, & pro more gentis, ad Ethnicos applicantes, ex aliis sacri codicis locis dicta congerunt quæ eôdem spectare vel credunt vel volunt, & sat supérque miseros Gentiles, diris characteribus onerant & stigmatizant; nam ad eos omnia; ista pertinere, Judæi non dubitant, si non indubi credant.

III. Apostolus allegationes eorum pedetentim sequitur, verba exscribit, veritatem rei approbat, falsitatem autem applicationis improbat, ver. 19. q. d. Vos Judæi talia ad Gentiles solos applicatis, ac si nihil ad vos pertinentia, ac pariter Interpretes vestri numerosa hæc, intento in illos oculo, accumularunt; verum noscendum est, quod quæcunque lex dicit, iis dicit qui sunt sub lege.

---

## CAP. VIII.

Ver. 19. Ἡ γὰρ ἀποκαραδοκία τῆς κτίσεως.

APpendet ipsissimæ huic Periochæ duplex clavis, quæ totam referat in sensum facilem planúmque satis.

Prima est Phraseologia ista Πᾶσα κτίσις, ver. 22. quæ bis occurrit alibi in N. Testamento, *viz.* Marc. 16. v. 15. Κηρύξατε τὸ εὐαγγέλιον πάσῃ τῇ κτίσει. Et Coloss. 1. 23. Εὐαγγελίου τοῦ κηρυχθέντος ἐν πάσῃ τῇ κτίσει. Jam vero quid utrobique locorum sibi velit Πᾶσα κτίσις, patet satis, nempe omnes Gentes vel Mundum Ethnicum. Nam quod apud Marcum est Κηρύξατε εὐαγγέλιον πάσῃ τῇ κτίσει, apud Matthæum est Μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη διδάσκοντες. Ipsissima hoc in loco Phraseologia ipsissimam istam sibi vendicat interpretationem.

Observavimus etiam ad locum istum Marci, Phrasin, כל הבריות, quæ idem sonat quod Πᾶσα κτίσις, à Judæis applicari ad Gentiles, idque in Antithesi ad Israelem.

Secunda est vox ista Ματαιότης, ver. 20. quæ quidem non malè redditur *vanitas*, sed malè applicatur ista vanitas ad statum creaturæ evanescentem, mutabilem, atque interitui obnoxium. Nam Ματαιότης non tam evanidam externi status conditionem denotat, quam internam vanitatem & futilitatem mentis. Sic de Gentilibus loquens Apostolus [de quibus & hic sermo.] Ἐματαιώθησαν, inquit, ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν, Rom. 1. v. 21. Et Ἔθνη περιπατεῖ ἐν ματαιότητι τοῦ νοὸς αὐτῶν, Ephes. 1. 17. Sic Ἶνα σκεδάσῃ τοὺς διαλογισμοὺς τῶν σοφῶν ὅτι μάταιοί εἰσι, 1 Cor. 3. 20.

Quibus & hoc licet addere, Quod per totam Periocham videtur fieri allusio ad servitutem & liberationem Israelitarum ex Ægypto, & fieri collatio inter Ecclesiam Israeliticam & Gentilitiam. Cum liberaturus esset Deus Israelem ex servitute, vendicat sibi eum pro filio suo, primogenitóque, Exod. 4. 22. Atque avide pariter jam expectat populus Gentilis, talem erga atq; intra se revelationem filiorum Dei. Norunt benè Romani ad quos Apostolus scribit, quot & quantæ prædictiones & promissiones publicaret Deus per Prophetas, de filiis inter gentes sibi congregandis, atque adoptandis, revelationémque & productionem istorum filiorum exerto quasi collo expectat jam totus mundus Gentilitius.

Ver. 20. Τῇ γὰρ ματαιότητι ἡ κτίσις ὑπετάγη, &c.

Vanitati mentis subjectus est mundus Ethnicus; sed quomodo οὐχ ἑκοῦσα, ἀλλὰ διὰ τὸν ὑποτάξαντα. Nonne dicere licet, Ἐματαιώθη ἑκοῦσα, sed Ὑπετάγη ματαιότητι οὐχ ἑκοῦσα; Nam repetamus Ethnicismum à prima sua origine, id est, à confusione linguarum ob inceptam turrim Babylonicam. Sunt quidem aliqua quæ risum forte moveant, in glossa Targumistarum super ea re, Gen. 11. at quoad rei summam & scopum, sunt quæ perpensionem merentur.

Targ. Hieros. & Jonath. *Dixerunt, venite & ædificemus nobis civitatem & turrim, & caput ejus pertingat usq; ad summitatem cælorum,* ונעביד לן בנויה בית סנרו בראשיה, *& faciamus nobis in ea domum adorationis in fastigio ejus, & ponamus gladium in manu ejus ut conserat contra acies prælium priusquam dispergamur de superficie terræ.*

Ride si lubet commentum de Idolo cum gladio, &c. at certe non aberrant multum à scopo cum innuunt structam esse hanc turrim ob Idololatriam; & sic Talmudici in

*Sanhedrin*, fol. 109. 1. *Traditio. R. Nathan dicit,* כולם לשם עו"ז נתכוונו, *Omnes intenti erant ad Idololatriam.*

Atque inde est quod vulgò dicant, *Quod isti generationi nulla sit portio in mundo futuro.* Et certe severitas vindictæ [confusio linguarum, per quam periit à mundo vera religio] arguit, in summo gradu ab iis esse peccatum in nefando isto cæpto. Ad Idololatriam propensi erant volentes & sponte sua; at quod isti vanitati subjecti fuerint, erat ex justa indignatione & vindicta Dei. Succubuit totus mundus sub Ethnicismo, à confusione linguarum, ad introductionem Evangelii inter omnes gentes, annis bis millenis & amplius, & in miserrima hac ejus conditione, quis non observaverit iratum Deum.

Ver. 21. Ἐλευθερωθήσεται ἀπὸ τῆς δουλείας τῆς φθορᾶς.

Φθορὰ, sacris paginis est nonnunquam, imo non raro *Corruptio peccaminosa*, ut 2 Pet. 1. 4. Φθορὰ ἐν ἐπιθυμίᾳ, *Corruptio per concupiscentiam.* Sic 2 Cor. 11. 3. Φθαρῇ τὰ νοήματα ὑμῶν, *Corrumpantur cogitationes vestræ.* 1 Cor. 15. 33. Φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ, &c. *Corrumpunt bonos mores colloquia prava*, &c.

Ut sensus Apostoli hic videatur, Liberabitur aliquando mundus Ethnicus à jugo et servitute corruptionis peccaminosæ, à servitute scilicet libidinum, et pravorum affectuum, sub qua tam longo spatio succubuit, in libertatem nobilem qua fruuntur Filii Dei.

Ver. 22. Πᾶσα ἡ κτίσις συναδίνει, &c.

Si quæratur, quomodo suspiravit & parturiit mundus Gentilitius, dicant illi qui hæc de fabrica mundi intelligunt, quomodo illa suspirat & parturit. Phrasin mutuatitiam & allusivam agnoscant illi necesse est: Verùm ad sensum quem nos concipimus literalis constructio potest admitti.

*FINIS.*

ST. DAVID'S COLLEGE
LAMPETER
LIBRARY